Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Numero 30

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Numero: 19

Nº 3
A-7

-2-

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala 3
Estante 33
Tabla
Número 2

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Numero: 19

Nº 3
4-7

THEATRVM
HVMANAE
VITAE

Theodori Zuingeri Bas.

Tertiatione

Nouem VOLVMINIBVS locupletatum,
interpolatum, renouatum.

Cum tergemino ELENCHO, *Methodi scilicet, Titulorum & Exemplorum.*



H XAPIN H
ΣΥΓΓΝΩΜΗΝ

NON
SINE PRIVILEGIO.

Basileæ
PER EVSEBIVM EPISCOPIVM.
CIↃ IↃ XXCVI.

AETERNO
Rerum Vniuerſitatis
Auctori Rectori
Iudici
IEHOVAE
TRINO ET
VNI
Potenti Sapienti Bonóque
Iuſtitiæ & Miſericordiæ
Parenti
TER MAX.
Cuius ſunt deliciæ cum Hominibus conuerſari

HVMANAE Vniuerſitatis nobile
SIMVLACRVM
Timoris Honoris & Amoris
diuini emblematibus
inſignitum

TRISAGIO illius NVMINI
MAIESTATIQ.
deuotiſs.
ortu SERVVS, adoptione
FILIVS
Exilij mundani Interuſurium
fideliter humiliterque
repræſentat.

*

EHEVS TV
quiſquis in hanc caueam ſpectandi
cauſa deſcendiſti,
non heic Romani Curionis ligneũ uerſatile,
ſed chartaceũ portatile Zuingeri ſubis
THEATRVM,
opus ut quàm dicam breuiſsimè & planiſſu-
mè plus quàm laborioſum.
In quo ſi Tituli inſolentiam, ſi Exemplorum
delectum, ſi fidem Hiſtoriæ, ſi Diſpoſitionis
ordinem reprehendes, atq. adeò in pu-
blica domo nec mutus eris,
neque ſurdus:
ecquis enim in tanta uiuendi licentia
tuam frenarit libertatem?
eſto ſanè.
De Fabula tamen ipſa non niſi lecto cogni-
tóq. Argumento, pro tua modeſtia &
æquanimitate, iudicato:
cúmq. tibi cum homine nec moroſo, nec ſa-
nè nimium loquace, res futura ſiet,
PROSCENIA
quæ exhibemus percurrito, pelluſtrato,
pellegito:
ſpectatum pòſt admiſſus, in quocunq.
lubebit licebit ordine, plauſum
quem uoles edito.

ΑΝΑΓΝΩΘΙ ΓΝΩΘΙ
ΣΥΓΓΝΩΘΙ

THEATRI VITAE HVMANAE PROSCENIA.

Quæcunque ſunt, ſiue natura ſiue arte conſtent, principia ſuæ eſſentiæ Cauſas habent: notas uerò eiuſdem, Nomina. Ergo ut paucis Prolegomena huius Operis abſoluamus, cuius te ſtudio euoluendi accenſum uidemus, Subiectam materiã, Diſpoſitionis & Characteris formam, Auctores & Effectores, Vſum atq; Finem, ipſam deniq; Inſcriptionem, quæ rei cuius nomen eſt naturam ueluti delineat, methodicè enarrabimus, ex fontibus Studiorum humanorum primis riuulos hoſce noſtros, σὺν θεῷ τε καὶ νῷ, deducentes.

De Studiis literarum in genere.

HOMO diuinum animal ad ideæ ſuæ perfectionem, quantum fas eſt, aſpirans, Cognitione Veri, Actione Boni in uniuerſum ſtudia ſua metitur & circumſcribit omnia. Sunt hæ geminæ alæ, ex Academicorum ſententia, quibus ſublatus homo philoſophus, ad cœleſtem reuertatur patriam. Actio quidem animi ui ſuſcepta, corporis abſoluta miniſterio, licèt Cognitionis normam ſequatur, empirica tamen tota eſt, & in ſingulari experientia, conſilio, opereq; conſiſtit & eluceſcit. Cognitio uerò duobus κριτηρίοις tanquam cruribus firmata, quorum uis in omni conatu & effectu neceſſariò requiritur, ex ſubiecti diuerſitate, quod uel per ſe & extra intellectũ, uel certè in intellectu eſt, nunc huius, nunc alterius præſidio magis nititur: ita quidem, ut Senſuum præſidio, inter quos Viſus principatum obtinet, Hiſtoriam, hoc eſt, Singulorum notitiam perſequatur: Rationis adminiculo Theoriam, ſiue Vniuerſalium naturam contempletur. hæc Præceptorum, illa Exemplorũ nomen obtinent. atque ut Hiſtoria τῶν ὁρωμένων ϛάσις eſt, ſic Theoria, ueluti uniuerſalis quædam cognitio particulari ſuperaddita, ἐπιϛήμης appellationem traxit. Hinc iam ut reſpectuum, ſic nominum inſignis uarietas. Præceptorum namque cognitio ἐπιϛημονικὴ, ſi efficientem ſpectes, νοητικὴ & λογικὴ: ſi formam docendi, διδασκαλικὴ: ſi inſtrumentum, ordinem atque methodum, μεθοδικὴ: ſi ſubiecti amplitudinem, καθολικὴ nuncupari poteſt. Exemplorum uerò enarratio contrariis de cauſis αἰσθητικὴ,

& Plinij imitatione Historia naturalis, quum Singularium in sensus humanos quomodolibet incurrentium naturam, hoc est essentiam, actiones & passiones, in singulis persequatur, siue natura constent, & Physica dicantur eximiè, siue arte. Verumenimuerò cùm quo distinctior, eò breuior sit doctrina, summam cogitationum nostrarum in certa diducamus capita, eaq; uelut Rhadamantho Platonico omnibus exuta phaleris spectanda & examinanda proponamus.

COGNITIO rerum quarumcunq; studio & diligentia comparatur, augetur, conseruatur: & ab hoc accidente nomen ipsi cognitioni inditum, ut Studere dicantur uulgò, qui literarum cognitionem uel comparant, uel exercēt: quemadmodum Græcis uox σπουδή, non simpliciter studiosum, sed studiosum uirtutis significat. STVDIVM proinde literarium sua habet

1. *Principia* siue Causas. Quarum aliæ uidentur esse

Internæ, nimirum

Materia. Subiiciūtur Studio literario Bonæ Literæ uulgò dictę, hoc est, Scientiæ & Artes omnes theoricæ, à literis tanquam obstetricibus denominatæ, quarum beneficio ab interitu uindicantur, latissimeq; propagātur: siue considerentur

Per se, ut cognitionem denotant

Δυνάμεων, hoc est, Facultatum siue Organorum & Instrumentorū Philosophię. Sic subiiciuntur studioso Symbola Cōceptuum internorum. Effinguntur autem partim à λόγῳ προφορικῷ, exterius, ab Oratione scilicet Simplice, quam format Grāmatica. item Ornata, eaq; uel ἐμμέτρῳ siue numerosa, sed absque metro, circa quam Rhetorica uersatur: uel ἐμμέτρῳ, hoc est, numerosa cū metro, cuius curā habet Poetica. partim à λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, interius, à Ratione, quam Logica excolit.

Ἕξεων seu Habituum philosophicorum. Sic subiiciūtur studioso Conceptus interni, Rerum extra intellectū positarum ὁμοιώματα & simulacra.

Per accidens, respectu scilicet hominum, qui literis dant operam. Qui cùm gemino κριτηρίῳ nitantur, geminum quoq; literarium habēt obiectum: nimirum uel

Præcepta Vniuersalia, τὰ καθόλου, tanquam Exemplaria, quę à Ratione sola apprehenduntur.

Exēpla Singularia, τὰ καθ' ἕκαστα, quæ in Sensum potissimùm incurrunt.

Forma, siue Ratio studendi. Ad Studia concurrunt partim

Occulta mentis agitatio, quam Latini propriè Commentationē uocant. Conspicitur autem tum ἐν Λήψει, ut apprehendat, Phantasiæ & Rationis ductu: tum ἐν Φυλακῇ, ut conseruet & recōdat ea quæ apprehendit, beneficio Memoriæ.

Aperta opera, ueluti famula internæ occupationis. Requiritur ergo ad λῆψιν & φυλακὴν internam promouendam, efformandam, stabiliendam, exterior opera, quæ respectu

Suiipsius, Γένεσις à quibusdā dicitur, suopte marte aliquod opus literarium faciens, tum Loquendo, tum Scribēdo. Et Commentarij dicuntur.

Aliorum, Ἀνάλυσις uulgò nuncupatur, quando aliorum literaria opera cognoscit, quæ incurrant in sensum Auditus, ut Orationes: aut Visus, ut Scripta.

Externæ duæ, tum

Efficiens, Studiosus ipse. In hoc tria concurrunt præsidia. Quædam οἰκεῖα, in ipsomet posita: uidelicet

Naturæ bonitas, quando instructus est præsidiis tum

Internis

Internis animi, Intelligētia scilicet & Methodo, ut quo ad Phantasiam, apprehendere queat: quo ad Ratiocinationem, inuestigare norit: quo ad Memoriam, retinere possit.

Externis, & ueluti corporeis: nimirum facultate tum

Motus Manuū, Scribēdo, γραφικῇ: motus Linguę, Loquendo.

Sensus, præcipuè Visus, αὐτοψία: item Auditus, ἀκρόασις.

Exercitationis uoluntas. Labor, Assiduitas, Diligentia.

Ἀλλότρια, ab aliis petenda, quorum uel institutione, uel conuersatione discit. Ars dicitur, & à præceptoribus hauritur tum

Vocalibus, audiēdo, ἀκροαματικῇ δυνάμις. Ratio proinde habenda tum Doctorum, tum Discipulorum.

Mutis, legendo, δυνάμις ἀναγνωστικὴ. Diligenter curandū, ut in tanta scripturientium copia optimi tantùm deligantur, tum in omni genere studiorum, tum in eo præcipuè, quod præ cæteris sequi instituimus.

Finis, Scientia ipsa, per quam intellectus humanus perficitur: siue illa in sola cognitione ueri acquiescat, siue etiam possessionem boni affectet. Et quia Scientiæ uariæ sunt, nec in omnibus excellere homini datur, sic moderāda erit Studiorum ratio, ut in Principe studiorum genere, cui quis præ cæteris, suum secutus genium, incumbere uolet, summa adhibeatur diligētia: in Non principibus reliquis, quæ uel ornamento uel adiumento tantùm sunt, tanta, quantam uel utilitas ipsa uel uoluptas exigere uidebitur. In uniuersum autem finis Studiorum quorumlibet, ūquidem scientia

Non adsit, est ipsa λῆψις siue acquisitio scientiæ. Acquiritur uel industria Propria, Inueniendo: uel Aliena, Discendo.

Adsit, est, ut studiosus respectu

Suiipsius scientiā conseruet, confirmet. Et φυλακὴ dicitur.

Aliorum, scientiam aliis cōmunicet. Hæc est Scientiæ χρῆσις: quando studiosus loquēdo, scribendóue id quod Verum est propugnat, cōmunicat, & ἀγωνιστικὴ, itē ἀλεξιτικὴ dicitur: uicissim id quod Falsū est, impugnat, euertit, & ἐλεγκτικὴ uocatur.

II. *Principiata*, ex Principiorum complexu mutuo ueluti composita. Causæ Studiorum singillatim enarratæ si inter se componantur, uaria Principiatorum tanquā Effectuum genera producent, uarias Studiorum methodos. Quorum basis ex ipso Fine ponenda. Methodus ergo Studiorum eluescit partim in Studiorum

Κλήσεις, quando scientiam, quam non habemus, uel per nosipsos, uel aliorum ope & auxilio acquirere studemus. METHODVS dicatur STVDIORVM THEORICA seu DIDACTICA. Subdiuiditur hæc rursus, respectu eorum præsidiorum, quæ in Efficiente necessariò requiri diximus: ut scilicet quo ad Scientiæ

Acquisitionem, præsidia habeat, ut possit per Seipsum Inuenire: possit etiam Aliorum docentiū Voces Audire, Scriptaq; Legere.

Conseruationem, iis sit instructus præsidiis, ut quæcunque inuenit, didicit, obseruauit, fideliter possit Retinere. Retentioni huic commodat tum

Interna commentatio, ipsa scilicet Memoriæ felicitas, Naturæ dono, Exercitationis assiduitate, Artis methodo acquisita, conseruata, confirmata. Hanc tanti fecere Pythagoræi, Cabalistæ & Aegyptij, ut uoce tantùm uiua philosophiam & theologiam traderent, libris nullis uterentur, ne acroamatica doctrina exoteris innotescens profanaretur: eorumq; secutus auctoritatem Socrates, Literas memoriæ pestem uocabat, quòd his fidentes homines, memoriæ exercitia negligerent.

Externa ſignificatio, Literatura ſcilicet, ueluti ſimulacra internę commentationis proferens externos Commẽtarios, quos Gellius Ἀπομνημονεύματα ob idipſum nuncupat, Xenophontis imitatione, qui primus philoſophorum, dicta & facta Socratis ὑπομνημονευμάτων nomine edidit. Ammonius in proœmio Categoriarum Commentaria uocat ὑπομνηματικὰ, ea quę opponit σωματικοῖς, de quibus pòſt. Plinius commentarios ἐκλεκτῶν appellat. Alij Aduerſariorum libros, & per translationem Locos communes, promi condi literarij penum conſtituentes. quales Ariſtotelem habuiſſe, catalogus eius librorum apud Laertium ſatis indicat. Cic. lib. 1. ad Atticum ληκύθους uidetur appellaſſe, à uaſe unguentario & oleario deriuatione facta, quòd ut in his unguentum & oleum, ſic in illis ceu arculis, quæcunque lecta ſunt, audita, excogitata, reponi ſoleant. Strabo lib. 13. θέσεις ληκυθίζειν Ariſtoteleos olim ſcribit, hoc eſt locos communes tractaſſe, priuſquam libri Ariſtotelei eruerẽtur. Idem Eclogarios uocat, quòd Eclogas faciãt. De his Turnebi Aduerſaria. Et horum quidem commentariorum tanta eſt utilitas, ut in his præcipua Studiorum ratio poſita uideatur: eoq; magis, quoniam hos ipſos theſauros in aliorum quoque uſus reſerare licet, ut non κλῆσει ſolùm noſtræ, ſed & χρήσει in erudiendis aliis inſeruiant. Porrò commentariorum horum non unum genus. Cognitio enim noſtra omnis uel mentis Conceptuum eſt de rebus, uel uocis Symbolorum de conceptibus: & quẽ admodum homo, qui animo & corpore conſtat, nunc reſpectu Animi miniſterio corporis utentis, nunc reſpectu Corporis, ui animæ diuerſa munia obeuntis, conſideratur: ita quoque in cognitione humana modò Organis res ipſę, modò Rebus ipſa accommodantur organa. Proinde Commẽtarij, in quos ueluti loculos Studiorum fructus reponantur, alij erunt

A. *Organici*, quatuor philoſophiæ Organorum uel præcepta, uel exempla comprehendentes. Si quid diuinare licet, fortè hi ſunt, quos ἐγκυκλίους λόγους Ariſt. uocat, non certæ alicuius philoſophię proprij, ſed ὡς ἐν κύκλῳ organorum communiũ præcepta, exemplis ex omni diſciplinarum genere petitis illuſtrata, cõtinentes. Sic qui Lexica ſcribunt, uoces omnibus omnium ſcientiarum artificibus communes enarrant: qui Quæſtionum & Problematum commentarios edunt, phyſica, medica, mathematica, ethica congerunt. Et hoſce quidem Commentarios Philologi conficiunt, qui non in uno genere, ſed in encyclopædia ſcientiarum uerſantur, & tanquam apes ſedulæ ex uariis floſculis Elegantiæ Methodiq; mel la fragrantiſſima colligunt. Commentariorum Organicorum tot ſunt genera, quot Organorum, quatuor ſcilicet. Erunt igitur alij

GRAMMATICI, Præcepta uel Exempla cõplectentes in qualibet lingua Literarũ, Syllabarum, Vocum: ut Lexica, Etymologica, Onomaſtica: Orationũ deniq;, ut Phraſeologiæ, Formulæ loquendi.

LOGICI, qui Præcepta contineant aut Exempla Logicæ

Materiæ. Vide ☙

Formæ. Vide ☙

Finis, qui eſt Veritas. Cõmẽtarij Præceptorũ aut Exẽplorũ Verorũ, & ediuerſo Falſorũ, Sophiſmatũ ſcilicet.

☙ *Mate-*

☙ *Materiæ* inquam, tum

Vocum ſimplicium. Quales ſunt Commentarij Διορισμῶν, qui homonymorum ſignificationes enarrant: item Diuiſionum, quibus generũ in ſpecies diſtributiones in quacunque categoria collocatorum proponuntur.

Enunciationum. Quę cùm numero ſint infinitæ, ex ipſo tamen modo enunciandi aliæ uidentur eſſe

Diexodicæ & prolixæ, ad certum genus philoſophiæ pertinẽtes, & propterea ad Philoſophicos potius, quàm ad Organicos Commentarios referendæ.

Synopticæ, quæ tanquam gemmæ quędã & dictionẽ & ſcriptionem mirificè ornant & illuſtrant. Iraq; licet ad certũ philoſophiæ genus non minus referri poſſint atque debeant, quàm priores illæ, tamen quia & breuitate ſua gratæ, & acumine admirabiles eſſe ſolent, in Commentarios Logicos referri poſſunt, qui à materia GNOMOLOGICI dicantur, quãdoquidem γνώμη Sententiam breuem, ingenioſam & rotũdam ſignificat, qua tanquam gnomone & regula quadã uti liceat in practica ſimul & theorica uita. Et quoniã locus hic ampliſſimus eſt, exempli cauſa, quod in cæteris quoq; ſequi liceat, in eo periclitemur. Ergo confuſionis uitandæ gratia, diſtingui poterũt Gnomologici Commentarij ex Gnomarum cauſis: uidelicet, ex Materia primùm ſubiecta, nimirum ut alij contineant Gnomas, ſiue Regulas, ſiue Canones & Axiomata Organica, uidelicet Grammatica, Rhetorica, Poetica, Logica, Philoſophica: eaq; Phyſica, Medica (quales ſunt Aphoriſmi Hippocratis) Mathematica, Diuina, Ethica (quæ κατ' ἐξοχὴν apud ueteres γνωμῶν appellationẽ meruere) Iuridica. Ex Forma itẽ enunciandi uel Simplice, uel Ornata numero Oratorio, Poeticóue: cuiuſmodi ſunt Anthologiæ Poetarum. Ab Efficiente deniq;, partim reſpectu eius, qui Per ſe in uenit Gnomas, uel Enunciãdo ſimpliciter, uel Reſpondendo interrogãti (& dicuntur APOPHTHEGMATA) partim alterius, qui ab alio prolatis Gnomis utitur. Vſus autem alius Priuatus & Acroamaticus, Artificum eius philoſophiæ, cuius hæ Sententiæ partes ſunt, ꝓprius: alius Publicus & Exotericus, è natali ſuo ſolo in mediam hominum uitam conſenſu populi tum in Scholis tum extra Scholas translatus. Et hæ Gnomę PROVERBIORVM naturam & appellationem ſubeunt.

☙ *Forma* ſpectatur partim in

Diſpoſitione Confuſorum ſecundùm prius & poſterius. Commẽtarij τακτικοὶ, ORDINVM uel Præcepta uel Exempla continẽtes. Quorũ in catalogo librorum Ariſtotelis Laertius quoq; meminit.

Declaratione Ignotorum per notiora. Tria hîc neceſſariò concurrunt, Quod, Per quod, & Modus ipſe: tamen prout nunc huius, nunc illius conſideratio inſtituitur, ita quoq; Commentarij alij Præcepta uel Exempla continebunt

Rerum, hoc eſt, uel

Problematũ ſeu Quæſtionũ, quæ declarantur. Cõmentarij PROBLEMATVM, Queſtionũ. Eadẽq; rurſus reſpectu materię diuidi poterũt in Organica & Philoſophica.

Argumentorum, per quæ declarãtur. Commentarij τοπικοὶ ſiue Loci ARGVMENTORVM ſumtorũ à Cauſis, à Definitione, ab Effectis, à Conjugatis, à Diſparatis, à Comparatis & Similibus, qui locus eſt ampliſſimus, & reſpectu materiæ ſubdiuidi poteſt.

Modi, hoc eſt, Inſtrumentorum, quas METHODOS uocant, Definitionis ſcilicet, Diuiſionis, Reſolutionis, & Syllogiſmi. Commentarij Μεθοδικοί.

RHE-

RHETORICI, qui ſubdiuidi poſſunt ratione

Cauſarum: tum Materiæ (ut Cõmẽtarij πίστεων, Enthymematum, Aenigmatum, Apologorum, Iconum) tum Formæ, nimirum Inuentionis, Diſpoſitionis, Elocutionis, Pronunciationis.

Effectuum. Commentarij Declamationum, Orationum.

POETICI, Sic Cõmentarij alij Epigrammatum, Epitaphiorum, Genethliacorum, Gameliorum, & ſimilium tanquam Effectuum: alij ipſarum Cauſarum.

B. *Philoſophici*, rerum ſub philoſophi contemplationem cadentium uel generalia Præcepta, uel particularia Exempla enarrantes, & rebus ipſis organa accommodantes. Et tales quidem Commentarij ab iis, qui certo alicui philoſophiæ generi ſeſe addixere, magna cura & diligentia confici debent, ut quando in omnibus non poſſunt, in uno ſaltem ſtudiorum genere excellant. Philoſophicorũ Cõmentariorum nõ unum eſt genus: nam neq; Rerum, quæ ſub Philoſophi conſiderationem cadunt. Et quidem ſi cõſiderentur Res, ut ab homine cognoſcuntur,

Simpliciter: ſic uel ſunt

Vniuerſalia Præcepta, & Commẽtarij poſſunt appellari THEORICI, in quocunq; genere philoſophiæ. utputa, Phyſici, Medici, Mathematici, Diuini, Ethici, Iuridici.

Singularia Exempla, & HISTORICI dicũtur Commentarij: ſiue diuidantur reſpectu

Philoſophiæ, hoc eſt, ex modo conſiderandi. Habent proinde Hiſtoriam ſuam Phyſici, Medici, Mathematici, Diuini, Ethici (quæ καθ' ἐξοχὴν Hiſtoria dicitur) & Iuridici.

Rerum ſubiectarum, ad quodcunq; genus philoſophiæ pertinẽtium. Sic Hiſtoria alia eſt Entium Aeternorum, ut Deorum, ut Intelligentiarũ Bonarum, Malarúmue. alia Caducorum, eorũq; uel Non animatorum, uel Animatorum, tum Vegetabiliũ, Stirpiũ, Plantarũ, Arborũ: tũ Animalium, Brutorum ſcilicet, & Ratione præditorum Hominũ.

Organicè, hoc eſt, cum ſuis complicatæ organis: ita Commentarij philoſophici, reſpectu inſtrumenti, quo philoſophus utitur, diuidi poſsũt partim

Grammaticè, ſecũdùm Voces & Orationes. Habent ergo ex Grammatices præſcripto, Lexica & Phraſeologias ſuas Phyſici, Medici, Mathematici, Theologi, Ethici, Iureconſulti.

Logicè, ſecundùm Voces, Enunciationes, Methodos, Ordines. Exẽpli cauſa habẽt

Phyſici, Logices inſtructi præſidio, Diориſmos, Gnomas, Quæſtiones, Argumenta, Similitudines, Methodos, Ordines.

Mathematici, à Logica mutuati lumen illud rationis diuinũ, Dioriſmos, Quęſtiones, Methodos.

Rheto-

Rhetoricè. Sic V. G. ſua habent Aenigmata, ſuos Apologos, Icones, tum Phyſici, tũ Theologi, tum Ethici.

Poeticè. Sic nullum eſt philoſophiæ genus, cuius non uel Præcepta uel Exempla poeticam admittant fictionem & dictionẽ, quæ in Cõmẽtarios philoſophicos memoriæ cauſa referri poſſunt atq; debẽt.

Χρήσει, quando ſcientiam, quam poſſidemus, uel noſtra uel aliorum cauſa exercemus, quomodocunque, ubicunque. Appelletur METHODVS Studiorum PRACTICA, ad exercendos ſemetipſos & alios ſummè conferens: ſiue ſit

γυμνητική, quæ exerceatur

Viua uoce, quod Græca imitatione Acroaſes facere Latini dicunt, quoniam coram auditoribus uel Præcepta traduntur (quod eſt Docere) uel Exempla eduntur, tum Diſputando cum antagoniſta, tum Declamando.

Scripto. Commentaria σωματικὰ uocat Ammonius, ἀπὸ τῆς σωμάτων, ab ordine & methodo, cuius in iis quæ ſcribuntur (propterea quòd manent, nec uti uerba citò abeunt atque uolant) uel præcipua debet eſſe cura, docendo, diſputando, declamando.

Αναλυτική, à modo dicta (quia telam ueluti retexit) à iudicio κριτική, in aliorum

Orationibus, diſputationibus, præceptis, uiua uoce traditis, auſcultandis. Ακροαματική.

Scriptis tum

Perlegendis. Αναγνωστική.

Enarrandis, interpretandis. Ερμηνευτική.

Colligendis. Συναγωγική. Sic Philoſtratus Aelianum Sophiſtam ποικίλης συναγωγῆς ſe contuliſſe ſcribit, ad colligenda ex auctorum ſcriptis exempla & præcepta uaria cum iudicio. Quæ collectio uti memoriæ inſeruit, ita ad Commentatios etiam ὑπομνηματισμῶν referri poteſt.

Hi ſunt igitur Methodi Studiorum fontes, quos nos iam olim in Jo. Lucæ Iſelij Baſilienſis, priuigni amãtiſſimi, grãtiam leuiter adumbrauimus: & quia tunc temporis literarum cauſa in Galliam & Italiam peregrinari inſtituerat, illud addebamus, ob uitæ breuitatem ſtudiorum pomœria contrahenda eſſe, & illud potiſſimum genus, cui quis non inuita minerua ſeſe addixiſſet, perſequẽdum: reliqua obiter tantùm deguſtanda, & ueluti delibanda. tum etiam quia peregrinationes longinquæ copioſam ſupellectilem reſpuerent, & Librorum è quibus diſceret, & Commentariorum memoriæ, compendia ſedulò meditanda. Ac in genere quidem ſtudiorum principe, Libros optimos conſilio præceptorum & circuuehendos & legendos: Commentarios itidem conficiendos, tanquam Locos communes præcipuorum capitum eius quam affectaret diſciplinæ, ad quos, quæcunque notatu digna legeret, audiret, uideret, obſeruaret, cùm præcepta, tum exempla, referrentur, non modò Organicè conſiderata, hoc eſt, grammaticè, logicè, rhetoricè: ſed & Philoſophicè. Sic uerbi cauſa Medicum ad Medicamentorum titulos referre Vocem τῶν φαρμάκων, item Phraſes, item Methodum de medicamentis diſputandi, item Argumenta, quibus medicamẽtorum efficacia uel defenderetur, uel impugnaretur, item Sophiſmata, quæ circa medicamentorum intelligentiam contin-

contingerent. & has Organicas esse obseruationes. Conferre eôdem rerum cognitionem, tam theoricam quàm historicam, utputa materiam medicamentorum ex plantis, metallis, stirpibus: mechanicam eorundem præparationem, & sexcẽta alia. Et hoc sanè rationis modo titulum Medicamentorum generalem constitui, è quo tanquam penu suo tempore Medicinæ studiosus singula depromeret, atque adeò industrios mercatores imitaretur, qui merces ex alio orbe petitas promiscuè in patriam conuehunt, at domi in taberna accuratè disponunt. Iam uerò in genere studiorum non principe, uti libris paucis contentus esse posset, sic eos præcipuè deligeret, qui studiorum generi principi non repugnarent. Itaque commentarios exotericos quoque conficeret, tum Organicos, tum Philosophicos. Organicis complecteretur Lexica, Phraseologias, Diorismos, Gnomas, Definitiones, Diuisiones, Similia, Methodos, Sophismata: Philosophicos uerò pro genere philosophiæ in classes distingueret, utputa Physicos, Theologicos, Ethicos: aut certè uno eodemq; libro, leuandæ sarcinæ causâ, omnes comprehenderet, Titulis tantùm distinctos, de Deo, de Elementis, de Iustitia, de Arboribus. Et hæc quidem nostrarum cogitationum de Methodo Studiorum summa fuit. Quam si quis ut otiosam uel certè curiosam reprehendere uolet, per me sanè licebit, modo ne dum ipse sapientiæ suæ profundiores certioresq; thesauros reserare cunctatur, nobis hæc exilia ad Theatri huius basim constituendam necessaria inuideat.

De Subiecto totius Operis.

PHilosophicorum studiorum duo esse genera constat, Theoricum unum, alterum Historicum. At in hoc Opere, quod ut φυλακῆς nostræ monumentum est, ita χρήσεως aliorum inseruire poterit, non Præcepta, sed Exempla persequimur. Proinde ad posterius genus tota hæc commentatio referenda erit, non Aeternorum, non Inanimatorum arte uel natura constantium, non Vegetabilium, aut Brutorum, sed Hominum singularia Bona atque Mala comprehendens, ad quodcunque genus philosophicæ considerationis pertineant. Nam cùm homo corpore animoq; constet, quæcunque in illo Bona Malaue reperiuntur, uel internorum Habituum (perfecti sint illi, nécne, quas διαθέσεις uocãt, omniumq; sunt frequentissimæ, parum refert) uel externarum Actionum & Passionum censum subeunt. Itaque Habituum quidem historia ad eam Philosophiæ partem referri debet, ad quam Præceptorum theoria: utputa ad Physiologiam naturalis historia, ad Medicinam medica. Actiones pariter animi ethicæ ad Ethicam, physicæ ad Physicam theoriam: actiones corporis ad Physiologiam & Medicinam. Affectus animi, efficientis merito ad Physiologiam spectant: at ut obiecta sunt habituum, Ethici euadunt. Corporis morbi, Medico ratione effectionis subiiciuntur: iidem tamen ut actiones animi impediunt, sub Ethici considerationem cadunt. Opulentia per se fortuitum bonum, quia instrumentum euadit actionum humanarum, ad Morum philosophiam referri potest. Ergo cùm Historiæ humanæ appellatione, Habitus & Dispositiones, Actiones & Passiones hominis, animo & corpore constantis, comprehendantur: non modò habitus Theoricos, qui cognitione Veritatis tam contemplatiuæ quàm actiuæ animum perficiunt, sed etiam Practicos,

cticos, Boni possessione homini commodantes, uel quo ad Honestatem internam & Ethicam, uel quo ad Vtilitatem externam & Mechanicam, à quibus habitibus actiones proueniant similes, ad hoc Opus pertinere manifestum est: & proinde non Historias tantùm κατ' ἐξοχὴν dictas, Actiones scilicet & Passiones animi uel corporis Ethicas, sed Naturales quoq; & Theologicas & Mathematicas, huic Theatro subijci: atq; ut non sit Historia naturalis in uniuersum, qualis est Plinij illa, esse tamen Historiam naturalem humanam.

Porrò quãdo de Subiecto cõstitit, de Sylua deinceps Exemplorũ, è quibus hoc [redacted] onstruximus, agendum erit. Singularium obseruatio indefinita est, nec à quoquam mortalium perfectè comprehendi potest: attamẽ Est aliqua prudire tenus, si non datur ultrà. Quicquid scimus, inquit Plato, uel per nosipsos Inuenimus, uel ab alio Didicimus. Id si in Præceptis, multo magis in Exemplis locũ habebit. Historica igitur obseruatio cùm uel nostro marte obeatur, quã αὐτοψίαν à sensu principe uocare possumus: uel aliunde petatur, ex aliorum scilicet narratione tum uocali, quæ ἀκρόασις est, tum scripta, quã ἀνάγνωσιν dicũt: αὐτοψίαν nos Historicis relinquimus: ἀκρόασιν parcè & raro adhibemus: ἀνάγνωσει potissimùm utimur. Cuius uti constet ratio, de Auctorum inprimis, quos in hoc sequimur opere, deinde etiam de Rerum, quas ab iisdem mutuamur, delectu, disseremus.

DE SCRIPTORVM DELECTV.

¶ Auctores ergo, quorũ testimoniis utimur, aut Poëtæ sunt, hoc est, fabulosa tradunt, nec fictionẽ à se putant alienã: aut sunt Historici, & rei uel ut est, uel ut fuit, ueritatem enarrant. Prioris classis sunt non ij tantùm, qui uulgò Poëtæ propter metricam dictionem appellantur (& ex his Heroici potissimùm, qui Historias integras, item Scenici, qui sub Tragœdiarum & Comœdiarum nomine Exempla historica quotidianæ uitæ exequũtur) sed & qui prosa oratione historias poëticis sign[redacted]quo genere, siue argumenti elegantiam, siue uerborum delectu, siue dispositionis artem spectes, primas certè obtinẽt Heliodori Tricensis episcopi Æthiopica. In posteriore uerò classe eos censemus, qui uel Continuata oratione res aliorũ gestas sunt persecuti, uel certè Exempla ucluti emblemata & flosculos quosdam è medijs decerpserunt historijs. Illi per excellentiam Historici uocantur, hi Rhapsodi historici. Singulorum nomina recensere tædiosum est, & ad ostentationem potius, quàm ad doctrinam comparatum (etsi studiosorum causa, sub finem operis recensio breuis eorundem instituetur) illud interim tenendum, Historicos maiore nobis in decerpendis exẽplis labore constitisse: Rhapsodos longè minore & compendiosiore (etsi propter auctorum suppressa nomina obscuriores) & proinde dignos esse, quibus pro usufructu χαριστήρια rependantur.

Exemplorum igitur scriptores diuidere possumus partim respectu materiæ, partim respectu formæ. Ex materia quidem, quoniam alij particularem quendam titulum enarrarunt, ut qui de Rerum inuentoribus, de Claris oratoribus, de Poëtis, de Grammaticis, de Claris mulieribus, de Viris bellica uirtute illustribus, de Pontificibus, Regibus, Imperatoribus, de Pictoribus & Statuarijs, de Academijs, de Ritu nuptiarum scripserunt, quorum catalogum ex Bibliotheca Conradi Gesneri Tigurini, [redacted] debent.

Alij uerò παβόλως omnis generis exempla collegerũt: utputa Aelianus, Parthenius, Valerius Maximus, Plinius, Polyænus, Sex. Iulius Frontinus, Corn. Nepos (si Gellio credimus) L. Domitius Bruſonius Iureconſ. Lucanus, Alexander ab Alexãdro Iureconſ. Neapolitanus, Nicolaus Hanapus patriarcha Hieroſolymitanus, Marulus Spalatẽſis, Io. Bapt. Cãpofulgoſus Genuenſis, M. Ant. Sabellicus Venetus, Ioan. Bapt. Egnatius Venetus, Guido Bituricenſis, Io. Rauiſius Textor Niuernenſis, Bartholomæus Amantius I. C. Boius, Andreas Eborenſis Luſitanus, Magdeburgẽſes Theologi, Matthias Caſtritius Darmſtatinus, & Georg. Fabricius Chẽnicenſis, qui ex ſacris Bibliis uirorũ illuſtriũ uitas [redacted] collegit. His addes Io. Boccacij Decameron, Petri Meſſiæ Hiſpani Syluam uariarum lectionũ, Gilb. Cognati Nozereni Narrationes, Lud. Dominici Variam hiſtoriã, Noctes Fran. Straparolæ, Facetias Poggij & Fo. Bebelij, Sermones cõuiuiales Io. Gaſtij, Ægidij Corrozeti Dicta factaq; memorabilia, Iocoſeria Ioan. Pauli monachi Colmarienſis: & ſexcenta alia eiuſdem generis, quæ cuiuſq; gentis lingua uernacula circũferuntur, multaq; nõ ita paſsim obuia habent, quæ uel contigerũt, uel certè contingere potuerunt. nam ridendo dicere uerũ Nil prohibet. Iã uerò ſi formã ſpectes, hoc opus hic labor erit. Alij nãq; Exemplorũ farraginem ἀτακτότερον cõgeſſerunt, alij in certos eandẽ titulos digeſſerunt. quorũ poſteriores tanto plus laudis merentur, quanto ingenioſius eſt metalla à ſe inuicẽ ſeparare, quàm è terra eruere. Aelianus Variæ hiſtoriæ libros cõſarciuit, abſq; omni ordine: quẽ imitatus uidetur Nic. Leonicus Thomæus tribus libris Variæ hiſtoriæ, pleraq; è Pauſania mutuatus. Parthenius Erotica ſua, formæ nulla ratione habita, contexuit. Polyænus Macedo, qui ſub Antoninis uixit, Stratagematũ libros ſcripſit, quibus nõ ea tantùm, quæ ad bellicã prudentiã pertinent, & Stratagemata propriè dicũtur, exemplis illuſtrat, uerumetiã uirtutes reliquas, quæ in bellis locum habere poſſunt, exequitur: ordinẽ accidentalem à perſonis deſumtum retinet, quem & Plutarchus, & illius imitatione [redacted] Des. Eraſmus Roterodamus, in ſuis Apophthegmatis obſeruarunt. Qui tamẽ ordo quàm parum ad noſtrum faciat inſtitutum, cuiuis manifeſtum eſſe poteſt. Polyhiſtor ille Plinius, in magno illo ſuo & erudito Hiſtoriæ naturalis uolumine, ut laboris plurimum in colligendo habuit, ita artem in diſponendo parcius adhibuit, quòd ſcilicet ob eorum quæ indies addenda uiderentur diuerſitatem certos aliquos terminos & inuiolabiles conſtitui uix poſſe animaduerteret. Idem eſto iudicium de Corrozeti, Dominici, Meſſiæ, & quorumlibet aliorum ſcriptis, quibus anima ſua, ordo ſcilicet, deeſt. Valerius Maximus primus antiquorum fuit (cuius quidem ſcripta extent) qui ordinem in exemplis obſeruarit. Certos enim titulos deſcripſit, tanquam loculos, ſub quibus exempla eiuſdem generis colligerentur. Illius induſtriam & ordinem ex recentioribus Campofulgoſus, Sabellicus & Egnatius imitati ſunt. Campofulgoſus Genuæ olim rerum potitus, ſeditioſis ciuium factionibus è patria pulſus, hiſtoriarum lectioni ſe totum dedit, & in hoc ſcribendi genere egregiam nauauit operam, ita quidem ut exemplorum copia & nouitate cæteros omnes uicerit. Quod igitur aliis calamitoſum eſſe ſolet exilium, Campofulgoſo ad nominis gloriam plurimum contulit. Ex illius ſcriptis (quæ cùm lingua Italica tantã [redacted] illo Gilino latinitate donata fuerunt)

runt) tanquam ex fontibus uberrimis, agros ſuos Sabellicus primùm, deinde etiã Egnatius irrigarunt. quorum ille eleganter quidem omnia profert, ſed breuitate nimia obſcurus interdum euadit: hic uerò Aſiatica ſua redundantia nõ exempla colligere, ſed hiſtoriam ſcribere uidetur: à Campofulgoſo & Sabellico externa pleraq; mutuans, ſed domeſtica interim Venetorũ dicta & facta diligenter recenſens. Hanapus ex ſacris Bibliorum libris quædam collegit, quæ breuitate ſua non omnibus uſui eſſe poſſunt, ſed iis tantùm, qui ſacras hiſtorias iam ad unguem callent: Titulos quinetiam deſcripſit, in quibus non pauca multi reprehenderint. Marulus Spalatenſis diligentiorem præſtitit operã, ſacra exemplа & præſertim Chriſtiana deſcribendo: cuius eruditioni ſtudioſi multa debent [redacted] Guido Bituricenſis, renaſcentibus apud Gallos literis ſub Franciſco I. ſummo ſtudiorum Mecœnate, maiore conatu quàm ſucceſſu, exempla collegit. neq; tamẽ ille præclaræ uoluntatis laude erga ſe nationem ſtudiosè defraudandus eſt. Alexander ab Alexandro Genialiũ dierum libros [redacted] multa eruditione refertos & ſcripſit, & uiuis non paucos exemplorũm titulos [redacted] norum Commentariorum libros XXX [redacted] reliquit: ex quibus [redacted] os Anthropologiã inſcripſit, quam bis alphabetum nuncupat, ordine ſuo digeſti, auctoris tamen diligentiam & eruditionem non parum commendant. Ioannes [redacted] onius & Rauiſius (qui ex Volaterrano pleraque deſumſit) palmã ex iis omnibus ſibi uendicant. Ioannes Pierius Valerianus noſtro ætate primus, ut opinor, Hieroglyphicorum libros ordine alphabetico digeſſit. Caſtritius nuperrimè de Virtutibus & Vitijs, Gemmarum præterea non indoctè ſcripſit, cõmentarios de eorundem ſignificatione conſultò præterit. Ex his ego ſelectis adhibitis ex Veterno Sabellico, Fulgoſo, Alexandro, Guidone, Mariano, paucis propriæ uenæ peculiaribus ordinem elegi: et ſi quis Rhapſodiam fore, quæ in labore ſit, frequentius hanc parcimoniam hoc ſimus uſi. Verum enimuerò cum iudiciorum inſignis ſit diuerſitas, ita ex his ipſis & Hiſtoricis & Philoſophis, quorum auctoritates ſanctè & religioſè ſingulis ſubnectimus exemplis eorum fortaſſis alij alijs ſuſpectiores erunt. Cui uel rugacitas uel ſuperſtitiosa & imperita ſolicitè maleuolentia ſo mitem præſtet aliorum auctoritas uilis erit nonnullis: ſunt & qui poëtas penitùs ex hiſtorico opere ejiciendos contendant. Quorum criminationibus etſi operoſum eſt respondere, fortè etiam non neceſſarium, tamen ne nobiſipſis, ſeu tibi potius, qui noſtris hiſce laboribus frui cogitas, defuiſſe uideamur, paucis hæc ipſa diluamus. Poëtas ſanè propter ſapientiæ prærogatiuam, multorum conſenſu ſeculorum alitam, ut honorarios teſtes omittere non potuimus. Nam ſi Comicis & Tragicis in ſcenam non modò res geſtas, ſed fabuloſas quoq;, ueriſimilitudine tamen ueluti emollitas, introduce-

troducere licet, magno cum spectatorum fauore & applausu: non uideo, cur poetica figmenta ex nostro hoc Theatro explodi mereantur: præsertim cùm Horatianũ illud notum sit, Et prodesse uolunt, & delectare poetæ. Nulla certè fabula est, quæ non ueritatis aut uestigium aut speciem quandam cõtineat probabilem. Licet hoc ex Diodoro Siculo, historico grauissimo, intelligere, qui de rebus gestis antiquorum narrationem contexuit, & fabulis remotis, ueras historias subesse ostendit. Neq; enim diuina illa ueterum poetarum ingenia eò stupiditatis & improbitatis deuenisse existimandum est, ut fabulas de Diis turpes & ridiculas, sæpe etiam impias & superstitiosas, pro historiis aut amplecti, aut obtrudere uoluerint. Sensus [redacted] *& poetica admitti poteru*[redacted] *Ethnicorum poetarum fabulæ (si exteriorem corticem spectes) leguntur, quandoquidem ex illis, præter linguarum cognitionem, uirtutum uitiorumq; non obscura exempla colligi possunt.*

[redacted] *. Dubia certè meliorem semper in partem interpretanda, caritas religiosa docet: ueritatem uel in inimico amplectendam, cùm ethnica tum Christiana præcipit philosophia: mendacium uerò apertũ ut in* [redacted] *cõmendari, à nemine potest atq; debet laudari, ita quod in ambiguo est, dictatoria auctoritate proscribere, & propter unũ aliquod de ueritate suspectũ exemplũ multa omniũ testimonio approbata bona damnare uelle, nescio quàm pium fuerit. Sodomitis Deus opt. max. si quinq; inter eos uiri boni reperirentur, sese parsurum profitetur:* [redacted] *unius*

unius Abrahami pietas nepotum innumera contexit scelera: & Christus omniũ uirtutum exemplar, uitæq; nostræ canon, zizania adolescere sinit, ne dum feruido zelo extirpantur, bonæ per inconsiderantiam proterantur segetes. Idem ille dæmonum quoq; præconia & acclamationes audit, sed auditas respuit: tam in non admittendo cautus, ne à mendacij parẽte testimonium acceptasse uideretur, quàm in non præcauendo prudens, ut suo semetipsum gladio Cerberus iugularet. Huius si uel æquanimitatem uel sapientiam, quisquis es Christianus, imitari uoles, uti quæ placebunt diuinæ benignitatis charismata admittes omnia, ita uicissim quæ displicebunt ea moderatione feres, uti ne iudicando iudiceris.

Jam quando Auctorum nobis obscuritatem obiiciunt, impu[redacted]*ciunt, si quorum fidem nondum satis habent perspectam, eos temerè* [redacted]*nant: imprudenter uerò, si minus bonum esse uirum p*[redacted]*, qu*[redacted]*er est, quàm Archelaum, quia tyrãnus. De fæce interdum haurimus, at & fæx uinum conseruat, & quemadmodum Mauritani medicinam, in orbe Græco Latinoq; penè obliteratam, Arabica lingua, barbara licèt illa & ignota nostris, conseruarunt: ita humiles sæpe & plebeij historici ueritatem gestorum fidelius proponunt, quàm qui magnis præmiis ad scribendum* [redacted]*tur. Recentiorum quinetiam auctoritatibus crebrò sumus usi, uel ut eorum, per quos profecissemus, memoriam retineremus, uel quia uetustior scriptor nobis nõ occurreret, uel etiam ut tibi, qui in alieno opere tam fastidiosus es, locum cogitandi & inquirendi relinqueremus. Si Campofulgosi uel Sabellici auctoritas tibi sordet, ut nouorum hominum: cur non etiam Valerij, & Gellij, & Macrobij, & Laertij? quos satis constat, respectu eorum, ex quibus sua descripsere, nouos fuisse. Atqui nec omnia mensæ regiæ uasa antiqui sunt operis, nec omnia aulæa principum Arachnea, nec omnia Alexãdri regis signa Polycleti, tabulæúe Apellis manu elaborata fuere. Et uerò insolentes esse oportet mercatores, qui non nisi ab uno eoq; primo institore aduecta ex Oriente aromata, nullis præterea communicata propolis, putant distrahenda: quidum transportatione permutationeq; crebra mercium uires dissolui criminantur, id agunt, ut condimentis utilissimis suauissimisq; Europam spolient. Qui ante nos exempla congessere, ut hanc calumniam euitarent, & polyhistorias auctoritatem maiorem sibi compararent, eorum, à quibus exscripsissent singula, uel parcam uel nullam fecere mentionem: & hoc ipsum est quod in iis pleriq; omnes, nec sanè immeritò, reprehendunt. Nunc pari acerbitate nostro quidam succensent candori, quòd auctores qua decet quidẽ fide adducamus, sed non eos quos illi expetebant. Cæterùm quando hîc non antiquitatis, sed ueritatis testimoniũ requiritur, cùm quæ nostra ætate accidunt nõ minus historiæ appellationem mereantur, quàm quæ ante mille annos gesta sunt: quid prohibet, Romanam historiam, à Sabellico ex uariis antiquorum monumentis deprómtam, eiusdem censeri ueritatis cu*[redacted]*lla, quam Liuius, Dion, Appianus ex multo uetustioribus ante* [redacted] *& amplius tradidere? eoq; magis, quòd quò remotior ille ab ea fuit ætate, cuius res gestas descripsit, eò liberior ab affectibus, eò in iudicando æquior esse potuit. Neque uerò interesse quicquam uidetur, αὐτοψία sola excepta, historiam ex ueterum monumentis colligas, an ex aliorum narrationibus*

 con-

contexas: utrobiq; enim fundamẽtum ueritatis ex ipsa petitur acroasi, quam non temporis diuturnitas, sed rerum & intellectus humani cõsensus stabilire potest & propagare. Sunt sanè ut ingeniorum & rerumpub. sic ætatum quoq; & seculorum quædam fatales periodi: & uetustatis auctoritas non tam ex temporis prærogatiua, quàm ex scriptorum grauitate uidetur dependere. Quæ nunc uetera sunt, olim certè noua fuerunt: & quæ nunc tanquam recentia contemnuntur, ea posteritas antiquitatis nomine suspiciet ac uenerabitur. Porrò si quædam fortassis alia in Auctoribus exemplorum digna reprehensione occurrent, cogitandum uidelicet & illos fuisse homines, & nos homines esse. Quòd si ne Jupiter quidem omnibus [illegible] placere potest, ecquis à nobis ut omnibus placeamus exiget? Jn [illegible]no uniuersitatis Theatro uiuunt bonig; maliq;, nec in hoc ipso Creatoris in[illegible]ntia reprehendi debet: similiter quoq; in nostra hac Bibliotheca ut exempla, sic auctoritates omnis generis corrogantur, & quid quisq; dixerit, non quàm uerè dixerit, perpenditur, Singula ut auctori stentq; cadantq; suo. Qui malorum expertes uiuere uolunt, ad superos migrent oportet: in hac mortali uita boni consulant, si ex uipera theriacæ conficiendæ facultas ipsis suppeditetur.

DE EXEMPLORVM COPIA & delectu.

¶ *Sed ut dimissis Auctoribus, ad Exempla conuertatur nostra oratio, de illorum congerie priore loco agamus. Molem Operis uides, ex rerum insigni uarietate consurgentem, & nunc demum inscriptioni suæ conuenientem. Italo Italica, Germano Germanica, Scythæ placent Scythica. Dum igitur omnium commodis cõsulimus, omnigena quoq; colligenda fuere Exempla. Quæ tu fortè ut exotica auersaberis, alteri uel maximè arridebunt. Proinde è publico agro fruges aliis profuturas, tibi licèt parum iucundas, extirpare noli: nisi fortè tibi soli natos putas cæteros. Non uetustate tantùm, sed uarietate & copia commendantur historiæ: atq; ut humanam uniuersitatem non qui fuerunt tantùm, non qui nunc sunt, non qui erunt olim homines constituere dicuntur, sed omnes simul: ita, quod tamen optare potius quàm sperare licet, omnibus omnium hominum, qui à primo mundi ortu ad excidium usq; uixerunt, actionibus & passionibus in unum collatis, perfectum demùm & censoriæ illius coram iustissimo Judice panegyris aliqua ex parte æmulum foret Theatrum. Ergo qui delectum quærunt in exemplis, compendio scilicet illi consulunt, sed non consulunt uniuersitati. Cum his è diametro pugnant, qui in tanta copia magnam adesse dicent inopiam, & ex unius alicuius loci ab aliis tractati opulentia, nostram fugillabunt paupertatem. Quibus ut Hippocrateũ illud sufficere debeat, ὅτι πάσῃ δυσοείῃ ἀπορείη ϕῶσις: at meminerint interim, in singulis immorari nec consilij nec facultatis nostræ fuisse. Locos singulares qui ex professo tractant, ut Cicero de Oratoribus, Suetonius de claris Grammaticis, Gyraldus de Poëtis, de Sepulcris, de Re nu[illegible]ali: nuper admodum G. Stuckius Tigurinus noster de Conuiuiis [illegible] ab illis, utpote in uno tantùm genere occupatis, eius, quod tractandum susceperũt, argumenti perfecta requiritur elaboratio. Nobis satis fuerit, cosmographorum imitatione (qui in terrarum descriptione sese à chorographis minuta locorum ob*

[illegible]

seruatione

seruatione uinci æquo patiuntur animo) summa quoque capita exemplis quæ ad manus sese obtulerunt illustrasse, & loculorum interdum uel inanium ostensione lectorem studiosum ad supplementa inuitasse. Cùm Romæ Constantius Jmp. statuam equestrem in medio Troiani foro positam se imitari posse iactitaret: Hormisda subridens, At tu prius, inquit, stabulum huic simile extruito, tum equum introducito. Exemplis abundabunt fortasse multi certorũ quorundam locorum: at omnes ex æquo areas locupletare, nec illi, nec quiuis alij poterunt. Quòd si qui nihilominus ea fortasse, quæ desiderabant, quæq; in familiã ducere uidentur, non adesse, quæ non requirebant, adesse stomachabuntur: ut inexplebilis illorum bulimia medico potius quàm monitore eget (quandoquidem non in appetitu improbo, sed in proba concoctione nutricis facultatis integritas consistit) sic ipsi cogitent, multa interdum uel negligentia uel tædio ab iis etiam qui uni tantum studio sunt addicti, prætermitti solere: & Italiam, prouinciarum omnium fertilissimã, non omni tamen sui parte ex æquo excultam esse: nobis itidem in tot & tam uarias cogitationes distractis parem semper neque adfuisse nec adesse potuisse alacritatem: quin potius in ipso operis cursu sæpe Medeæ illud in mentem ueniisse, Vtinam ne in nemore Pelio. Sumus enim homines, neque corporis tantùm ualetudini, sed & animi perturbationibus uariis obnoxij: præter id quòd ut Rerũ quædam frequentius, quædam rarius homini accidunt, ita quoque Exemplis alij Tituli instructiores, alij minus instructi necessariò esse coguntur. Ecquis ucrò Alexandrum Magnum, quòd non totius orbis prouincias subiugarit? quis Vlyssem, quòd non omnes mundi angulos perlustrarit? quis Archimedem, quòd in tantulo globo minutissima quæq; terrarum loca non sit persecutus, nisi uel ingratus sit, uel ineptus homo, iure accusauerit? Multa scilicet reliquimus, partim consilio, ut & tu haberes quod ageres, & tibiipsi ob eorum quæ nos effugerunt scientiã gratulareris (ἴσως γὰρ πάντες ποιηλ' ἐπισάμεθα) neq; semper præmanso cibo utereris, sed tuo etiam marte aliquid in re literaria noui attentares. partim casu, cùm ne acerrimi quidem uenatores omnes quas exciuerint feras capiant, uel quia nolũt, uel quia non possunt. Cyrus certè apud Xenophontem ceruos atq; damas imbelles aspernatus, apros tantùm & ursos sectabatur: & Scipio non tam ut Romana res augeretur, quàm ut præsens conseruaretur, à Diis petere iubebat. Qui hac Exemplorum copia contenti non erunt, ne instructiore quidem Theatro unquam feliciter utentur. Jam si diuersis locis eadem exempla, fortassis etiam uerbis iisdem, à nobis inculcata esse quidam criminabuntur: at sciant illi, licuisse nobis de iisdem rebus & personis diuersis locis diuerso respectu per methodi leges agere: non minùs quàm poëtis eandem personam nunc tyranni, nunc exulis, nunc amatoris, nunc militis habitu in scenam introducere licet.

Porrò si Qualitatem Exemplorum perpendas, ingens sylua insignẽ habet uarietatem. Vetera ob ætatis prærogatiuam non parum maiestatis secum trahunt. Recentia sensus nostros magis feriunt, & plurimum in mouendo possunt, præsertim domestica. Quæ rara sunt, ipsa nouitate & insolentia commendantur. Vulgata uerò, non secus atq; prouerbia, usu & consuetudine auctoritatem acquirunt: ut quamuis cognitio illorum splendoris parum afferre possit, ignoratio tamen ui-

tuperio digna habeatur. Dioscorides Anazarbæus, rhizotomus doctissimus, in stirpium historia non raras tantùm plantas, uerumetiam uulgares & in Græcia passim notas descripsit: quòd, ut sunt ingeniorum seculares quidam circuitus, eas quæ suo tempore notissimæ essent, posteris aliquando ignotas futuras metueret: id quod magno cum rei herbariæ incommodo quotidie experimur. Sic etiã in Exemplorum rhapsodiis noua, uetera, illustria, obscura, rara, uulgata, colligenda fuere, ut doctis simul & imperitis satisfieret. In uiuaria Principum non generosa tantùm animalia, sed lepores quoq; & cuniculi admittuntur: & in horto Patauino (cui nostro tempore Aloysius Anguillara Rom. in plantarum cognitione exercitatissimus: nunc uerò Melchior Guilandinus Borussus, & eruditione & peregrinationibus clarissimus, magna cum laude præest) non modò nobilissimæ plantæ seruntur, sed in studiosorum gratiam ignobiles etiam & plebeiæ: quòd nulla sit tam uilis herba, quæ non præstantem aliquem in se contineat usum. Turpia & obscena multa congeruntur, non ut imitanda proponamus, sed ut ipsa turpitudine & infelicitate absterreamus non penitùs malos: quemadmodum iudices sententia contra facinorosos lata, non id solum, quòd deliquerint, sed quomodo deliquerint, ut iusto eos supplicio affectos constet, explicare consueuerunt. Qui facinorosorum delicta quàm legislatorum monita amplecti mauult, dignus est qui constitutam legibus pœnam subeat. Pudet interdum ea referre, quæ alios designare non puduit: omissuri ea penitus, si pueris, & nõ uiris cordatis hæc scriberemus. Cæterùm eo consilio illa referimus, non ut tanquam Osiridis pudenda (dum reliquum corpus à Typhone discerptum non reperiretur) cum Iside stultis Aegyptiis colenda proponamus: sed ut ea uel ipsius Tituli indicio detestemur & abominemur. ὅλοιο, θνητῶν συλλέγων τὰς συμφορὰς, inquit ille. Atqui non συμφορὰς tãtùm, uerumetiàm ἐυθυμείας ἀνθρώπων colligimus, nec δυσπραγήματα tãtùm, uerumetiã ἐυεργετήματα: improborum denique exempla, à proborum consortio separantes, Philippi Macedonis Poneropolin, aut Actisanis Aethiopis Rhinocrurã ciuitati proborũ oppositã imitamur: & ut uno uerbo dicã, nihil non ab aliis iisq; bonis factitatũ aggredimur. Historicis sacris simul & profanis non modò uirtutes, sed & scelera hominũ recensere licet. Comici in scenã impunè auaras meretrices, perfidos lenones, fallaces seruos, deliros senes introducunt. Tragici crudelissima quæq; facinora si nõ oculis, saltem auribus hominum proponunt, tanto cum applausu, ut Tragica mala prò detestandis sceleribus communi prouerbio recepta sint. Et nobis interim de iis, quæ ex aliorum scriptis collegimus, non licebit iudicium ferre, aut ea in ordinem redigere? Quòd si quis id omnino à nobis fieri nõ debere contendat, refrenet ille idem Historicorum libertatẽ, tollat scenicam poesim in uniuersum: præscribat quinetiam Medicis, ut [illegible] tantùm medicamenta cognoscere laborent, uenena & lethalia pharmaca penitùs negligant: succenset ad extremum summo rerum Opifici, quòd impuros canes, quòd lasciuos cercopithecos, quòd impias ueneficas, quòd incestos perdices, quòd androgynos lepores, quòd crudeles tigrides, in naturæ dedecus, hominumq; perniciem, Vniuersitatis partes esse uoluerit. Iam uerò Minuta quoq; priuatorum hominum & Humilia multa collegimus, ex media quinetiam plebe non pauca desumsimus, scurrilia licet & ridicula,

dicula, quoniam non principibus tantùm uiris, aut iis qui dignitate & opulentia clarent (quid enim habent illi, si uirtutem excipias, quo cæteris præstent?) sed omnibus, quantum in nobis est, hominibus consultum cupimus. Homo certè, cuiuscunq; cõditionis fuerit, microcosmus quidam est, & proinde in eo ut felicitatis & infelicitatis, sic uirtutis & uitiositatis exempla obseruari possunt. Habitus similis in Iro & Crœso: etsi in hoc propter dignitatem personæ externam illustrior. At quò me maior, inquit Socrates, magnus ille Rex Persarum, nisi etiam melior? Qui Historias Rerumpublicarum scribũt, minutas singulorum actiones & passiones persequi nec solent, neq; debent, ne cum Antimacho opus in immensum excrescat. At qui Vitas singillatim persequuntur, in priuatis copiosi, in publicis parci esse debent. Ex utrisq; uerò Syntacticus ea, quæ uarietati locorum suorum inseruiunt, magna, parua, illustria, obscura, decerpet, & ueluti ex aceruo lapidum, magnitudine & politura differentium, maceriam cõstruere studebit. Quòd si quidã, ut in Tragica scena, illustres tantùm personas introducendas fuisse obiiciant: cogitent iidem, Comicos, in dispare licèt argumento, non minus & delectare & prodesse. Vtrunq; sanè ex ratione. Nam cùm utriusq; fortunæ inconstantiam & uarietatem particularibus exemplis in scenam productis Poetæ declarare conentur, ea sumere debent, quæ oculis & auribus hominum gratissima sint, mentesq; spectatorum nouitate sua plurimum mouere possint. At talia sunt in rebus quidem aduersis regum atq; principum exempla, quibus omnia ea præsidia affuerunt, per quæ cladem & calamitatem à se suisq; amoliri potuissent, nisi diuinitùs in has miserias incidissent: in rebus uerò prosperis, hominum extremæ conditionis, exiguis uel etiam nullis ad felicitatem consequendam præsidiis instructorum. Cùm ergo in scena utriusque generis exempla locum habeant, cur non simili rationis modo etiam in Theatro nostro? Magni sunt magnorum corporum motus pariter & offensiones, sunt eiam parui: & uicissim parua corpora ut non per se, saltẽ ex euentu, uehementia interdum motus antecellunt. Accedit eò, quòd cùm pro uarietate temporis, loci, personarum, auditorum, modò illustribus, modò humilibus exemplis opus sit, sylua omnium colligenda fuit, quibus pro occasione uti possemus. Honorum contemtus in rege longè euidentior est & illustrior, quàm in priuato aliquo philosopho: quandoquidem plures causas & occasiones gloriæ expetendæ principes uiri habere uidentur, quàm philosophi. Auaritia in homine diuite maiore digna est uituperio, quàm in paupere. Liberalitas uid[illegible]o æra in gazophylacium miserat, à Christo seruatore magnificè commendatur: opulentorũ hominum non item. Continentia Curij Sabinorum dona repudiantis longè maiore digna est admiratione, quàm Cratetis, superstitione & ambitione quadam [illegible] procorum insidias præclarè [illegible] plausit [illegible] etas ipsa copiam minus reddi[illegible] id quod nomen sonat, mundum esse facit: & domus priuatorum, siquidem magnifica sint, splendorem ciuitatis augent: sin humiles, publicorum saltem ædificiorum maiestatem magis reddũt conspicuã. Adde quòd moriones etiam suis facetiis reges

reges oblectare consucuerunt, multò alioqui præstantioribus assuetos uoluptatibus. Est enim, ut Tragicus inquit, μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Jam si suspecta quædam fidei esse putas, iudicio tuo frenum ego inicere nolo: id tantùm memineris rogo, ἐποχὴν non Academicis tantùm, sed uiris bonis & prudentibus in uniuersum potius, quàm iudicij præcipitantiam cõuenire. Nil dicimus, non dictum prius: & si auctoritatem eorum quos sequimur dãnas, pro arbitrio sanè id facito, dummodò ab aliis quacũq; fide prolata, uerè, hoc est, bona fide à nobis producta fateare. In argumento historico, & à medica professione alieno uersamur: eaq; propter ab aliis dicta, collecta & obseruata amplecti cogimur. quæ si falsa fuerint, ut nostra mereatur reprehensionem credulitas, sic fides excusatione digna est. Non omnia possumus omnes. Collectoris munus est, bona fide aliorum dicta scriptaq; recẽsere, & ueritatẽ Relationis, ut ita loquar, potiùs quàm Rei spectare atque sequi. Habet enim materiã suam, quam ab Histrione sumit: huic ipsi formam indit, à Philosophia morum mutuatam. Sic Aduocatus & causidicus rationes clientium suorum tanquam iustas proponit, & quantũ in se est parti suæ patrocinatur: quas, utrũ iustæ sint an iniustæ, ut Iudicis officiũ est discernere: ita hîc, supposita aliorum auctoritate, recte nécne sub locos suos singula sint relata uidere, lectoris munus erit, non cuiusuis, sed illius, qui αὐθέκαστός τις erit, nullaq; perturbationum nube offuscatus, quid ueri aut falsi, quid boni maliue actionibus insit, liberè & ingenuè dijudicare possit. Quæ uera uni, alteri falsa: quæ tibi bona, mihi mala uidebuntur: ut si singulorum iudicia uelimus expectare, perpetuò post tabulam cum Apelle latendum sit. Ad hunc ipsum ordinem & adulationis & maledicentiæ crimina, si quæ obijcientur, pertinebunt. Homines quidem sumus, sed & tu qui hæc iudicas homo es: affectibus fortè turbamur, sed & in te perturbationes cadere, quis dubitet, si ex tuo tantùm gustu singula æstimes, & quibusdã ita sis addictus, ut malè de malè agentibus loqui piaculare putes esse? Atqui ueritatis sacerdos est Historicus, humanæ illustrator uitæ: quæ cum Aegypti instar πολλὰ φέρῃ μεμιγμένα ἐσθλὰ καὶ λυγρά, non bona tantùm, sed & mala sunt enarranda, & à Rhapsodo, præsupposita ueritate historica, aut ueri similitudine poëtica, in suos locos distribuenda: quorum illa adulandi, hæc maledicẽdi studio, imperiti & ex suo affectu omnia metientes, scripta calumniabuntur. Quid uerò ijdem Euangelistis, quorum ut diuina, sic sacrosancta est historia, facturi sunt, non laudes tantùm, sed & næuos [redacted] Apostolorum (Christi alioqui diuino spiritu illustratorũ, pietatis æternæ cultoribus) bona fide recitantium? cùm quæ à probatis alioqui Historicis de quorundam sacra dignitate illustrium uirorum sceleribus memoriæ sunt tradita, sub certis uitiorum capitibus proponi permoleste ferunt, hoc unũ scilicet præfati, Non ædificat. [redacted] Sed quo tandẽ consilio exempla fragilitatis humanæ in sui seculi hominibus, amicis licet illis, & in supremo dignitatis fastigio cõstitutis, posteritati inuident, quæ neq; in Prophetis, neq; in Patriarchis, neq; in Apostolis sacræ nobis inuiderunt literæ? Num quia unus aliquis

quis è multis Episcopus πολυπράγμων est, num quia impurus, num quia impius, religionis Christianæ ueritati aliquid decedit? Ediuerso, num quia Epiphanes excellente fuit & ad miraculum usq; præditus ingenio, iccircò hæresis Carpocratiana uera est? Non magis certè quàm Marcionis secta, plurimis licèt pseudomartyrum exemplis nobilitata: aut Simonis Samaritani [redacted] circũlitata mira culis. Aeternus ille dator luminum, qui omnem hominem in hunc mundum uenientem luce sua illustrat, dona sua piis pariter & impiis communia esse uult: & uicißim maleficus ac ueterator ille spiritus ut impiis, ita multo magis piis infestus esse consueuit. Proinde si diligenter uitas mortalium inspicias, nullum ferè reperias (diuinitatis radio illustratos semper excipio) in quo miscellam hanc uirtutum atq; uitiorum non liceat obseruare: uerumq; est adeo Satyrici illud, Quòd uitiis nemo sine nascitur, optimus ille Qui minimis urgetur. Id unum sincerè possum affirmare, nulla uel accusandi uel sugillandi libidine exempla nos cõgessisse: & cùm quæ propter caritatem ab hominibus instituta sunt, ut D. Bernardus loquitur, propter caritatem quoq; aboleri possint, multa eorum, quæ in superioribus editionibus quosdam offenderant, uel omissa uel mitigata fuisse. Si carnis manducatione fratrem meum offendam, ab carnibus in æternum abstinuero, inquit Gentiũ doctor. Quòd si tamen in tanta exemplorum copia quædam præter ianitoris consilium & institutum per rimas quasdam sese insinuauere, stigmatibus interea notentur, dum suo tempore locoq; melioribus cedere cogantur.

De Forma, hoc est, Dispositione & Charactere huius Operis.

FOrma est, quæ rei dat esse & nomen. Congesta domus est ex lignis, saxis, cemento: congestum Mausoleum: congestum quoq; Theatrũ. Verùm non quia congesta, sed quia arte congesta, & certo digesta ordine, id quod sunt, esse dicuntur. Opus hocce nostrum συνταγματικὸν esse iam antè constitit. Σύνταξις, suppositæ Exemplorum farragine, ab Organicis facultatibus Orationem atq; Rationem, ueluti formas Rerum quatenus docentur, mutuatur: à Logico quidem Methodum & Dispositionem: à Grãmatico uerò & Rhetore, sæpe etiam à Poeta, Characterem. Ergo prius de τάξει, mox etiam de λέξει dicendum est.

Τάξις igitur, siue Ordo, quem animam rerum Plato appellare non dubitauit, eidemq; Menander tantum tribuit, ut dispositione fabularum constituta, eas se iam perfecisse gloriaretur, alius apud alios Exemplorum scriptores reperitur: de quibus nunc, quia nostræ sunt ciuitatis, nostrumq; laborem eximiè iuuerunt, uerba tantùm faciemus. Aelianus Varias lectiones absq; ordine, prout quæq; legenti sese obtulerunt, congessit. Sic Polyænus Stratagemata, Plutarchus Apophthegmata. Jo. Tzetzes Chiliades suas, ut de cæteris taceam. Valerius Maximus oculatior fuit, & certos titulos descripsit, tanquam locos communes, ad quos uulgatissima exempla reduci possent. Eum postea ex neotericis secuti sunt Joan. Baptista Campofulgosus, M. Anton. Sabellicus, Joan. Baptista Egnatius. Verùm cùm magna titulorum inopia laborent omnes isti, & ex suo potius cõmodo quàm ex rei natura titulos congerant uerius quàm connectant: alius certè ordo instituendus fuit, qui non ex uoluntate scriptoris, sed ex arte penderet, atq; adeò æternus esse posset.*

posset. Cuius quidem ratio ex rerum essentia fuit deducenda. In Præceptis uniuersalibus, ubi prius & posterius ex rerum natura, secundùm principiorum & principiatorum diuersitatem, petitur, Ordines tres didascalici locum habent, nec sine illis aliquid rectè doceri potest. Exempla si considerentur more philosophico, nempe quòd physica, met[redacted]athematica, naturam sequuntur suorum Præceptorum, & secundùm ordinis didascalici normam diuidi debẽt. Sin uerò respectu subiecti, cuius sunt Exempla, sic cùm Hominis historiam propositam habeamus, classes describamus oportet uniuersales, ad quas quæcunq; in illum Bona & Mala in quocunq; uitæ genere cadunt, referri debeant: quarum deinde singulæ rursus in suos diuidantur Titulos, prout Exemplorum diuersitas suadebit. Atq; adeò ut Dispositionis idea facilius comprehendatur, typica demonstratione, pericula sa licèt docenti, at discenti tamen compendiosa, regiones nostri Theatri principes delineemus. In qua si diuersum ab eo, quem in prioribus editionibus obseruaueramus ordinem sequemur, si Voluminum seriem mutabimus, si eorundem numerum augebimus, si locos ampliabimus: non id uel leuitati uel temeritati quisquam adscribat, sed illud consideret, δοὺτόρας φρουτίδας σοφωτόρας ἐὼν: atq; ut D. Marci Veneti architectum, natione Græcum, ingenio & arte summum, multa fugerunt, quæ in progressu demum operis ab eo animaduersa, corrigi tamen non potuerũt (quam ob causam quoq; statua, quæ illi ex pacto in oculatissima templi parte debebatur, in locum ignobiliorem translata fuit) sic nobis singularium exemplorum uarietas ad multorum locorum considerationem fenestram aperuit, & consilium dispositionis non rarò mutare coegit. In metallis certè depurandis experientia trahit experientiam: & ὑπερύπωσιν rudem exactiore ἀναγραφῇ pictores & statuarij expolire & animare student, laudabili inconstantia, philosophicæ nimirum libertatis obstetrice, sophisticæ pertinaciæ curatrice. Ergo ut ex ruinis Augustæ Basileam uel extructam uel auctã fuisse, & instar Phœnicis ex cineribus Rauracis reuixisse constat: sic prosciscio prima Theatri nostri iterationi, iteratio tertiationi occasionem præbuit. Sic pueritiam adolescentia & iuuentus, hanc uiriliras & senectus excipiunt. Minutas diuisiones interdum secuti sumus, ut notis istis memoriam & iudicium aliorum excandefaceremus. Quòd si qui λεπολογίας & ἀποδρμαλισμῷ isto offensi, diuersorum ciborum genera, in singulis singula paropsidibus Gallorum more apposita, in unam grandem seu Vitellianam seu Germanicam patinam congerere uolent, Indicum id faciant licèt præsidio, & locos sequantur Grammaticos, qui Logicos & Ethicos uel negligunt, uel non intelligunt. Sed uenio ad Operis animam.

HISTORIAM Vitæ humanæ exemplarem meditamur. Ergo Quis sit qui uiuat, & Quæ sit uita quam uiuit, perpẽdendum. Homo respectu Finis est Vinculum Vniuersi: respectu Efficiẽtis est Dei Vicarius, & Rector Vniuersi: respectu Materiæ, Bonorum scilicet & Malorum omnium, est Compẽdium Vniuersi: respectu Formæ est Imago Vniuersi, & Microcosmus. In tanta proinde rerum uarietate, Dispositionis ipsius FONTES perpendendi, ipsius scilicet Vitæ humanæ, quæ ψυχῆς αὐθεωπίνης ἐνέργεια est, causæ. Et quidẽ uitę MATERIA priore loco occurrit, quatenus scilicet Agit & Patitur homo, cõsideratus Per se primũ, secundũ ea quæ insunt uel inhærent ei, quo ad Animum, quo ad Corpus, quo ad Fortunas: deinde Respectu conuersationis mutuæ. Aut enim uiuit Solus, uita Solitaria: aut uiuit Cum aliis, deditus scilicet uel Cognitioni, quæ Academica uita est: uel Actioni, & huic rursus tum Religiosę (quę Religiosa uita dicitur) tũ Profanę, in uita Oeconomica & Politica. Secũdo loco FORMA sese offert, adeoq; Vita alia uidetur esse Occulta, ἕξις ipsa, ueluti κτῆσις & Possessio uitæ:

uitæ: alia Manifesta, ἐνέργεια, tanquam χρῆσις & Operatio, siue Actu, siue Potẽtia, quæ δύναμις propriè dicitur. Iam uerò Efficiens tertio loco cõsiderandus, partim Per se, ut instructus est bonis Animi, v. g. Doctus, Philosophus, Rhetor: Corporis, ut Pulcer, Robustus: Fortunæ, ut Rex, Iudex, Sacerdos. partim respectu Instrumenti, ut scilicet Natura, Arte, & Exercitatione nititur. Vitæ FINIS quartum locum tuetur, Beatitudo scilicet & Felicitas, tum Theorica, tum Practica.



* * * I. Titu-

I. Titu. *lorū Di spositio aliā, quate nus homo operari po test, alia quatenus iam actu operatus & uel*

Simpliciter, *ut agit secundū Materiam, hoc est, secundùm ea quæ uitæ humanæ ueluti subiiciuntur: cùm is qui uiuit (tanquā Efficiens) uiuat, hoc est, uitæ munia obire queat, tum actiua, operando, tum passiua, patiendo, secundùm Animum pariter & Corpus, propter ea κτήματα, quæ ἐν ἀνθρώπου κτήσει & possidet, hoc est, ea commoda uel incommoda, quæ uel*

Cum *conditione, ut Verus & Bonus agit secundùm Formam, hoc est, secundùm Habitum animi, à quo promanant ἐνέργειαι, [illegible] quam per instrumentum, subancillantibus Fortunis. Quo quidem considerationis modo iam non spectantur ea commoda & incommoda, quæ hominem ad operationem promouent tanquam κτήματα: sed spectantur ipsa ἐνεργήματα hominis ἐνεργοῦντος, et ἐνεργάσαι uel actu uel potēlia obeuntis, inuitante & incitante eo habitu quo instructus est: siue iam habitus ille sit*

Insunt *illi (τὰ ὑπάρχοντα) quo ad*

Animum. *Sic de* ANIMI Bonis atque Malis VOLVMEN PRIMVM *agit. Nempe de*
- Animi *humani Facultatibus, & quæ ab his promanant Functionibus.* LIB. I.
- Effectibus *Facultatum.* LIB. II.
- Notis & *Indiciis Facultatum & Functionum.* LIB. III.

Corpus. De CORPORIS Bonis atq; Malis VOLVMEN SECVNDVM. Et *quidem de*
- Fœtu *humano in utero.* LIB. I.
- Corporis *substantia, Sexu, Aetate, Forma.* LIBER II.
- Vitæ *propagatione, conseruatione, restitutione.* LIB. III.
- Sanitate & *Morbis.* LIB. IV.
- Actionibus *corporis integris aut læsis.* LIBER V.
- Secundariis Bonis Malisq; *humani corporis.* LIB. VI.
- Morte, *eiusq; Accidentiis.* LIB. VII.

Circumstant *illum, τὰ περιστατικά, Fortuita.* De FORTVITIS Bonis atq; Malis VOLVMEN III. *Nimirum de*
- Diuitiis & *Opulentia.* LIB. I.
- Paupertate & *Inopia.* LIB. II.
- Nominibus & *Insignibus.* LIB. III.
- Imperio & *Magistratu quolibet.* LIB. IV.
- Libertate, *eiusq; speciebus.* LIB. V.
- Seruitute. LIB. VI.
- Amicitia. LIB. VII.
- Inimicitia. LIB. IIX.
- Gloria & Honore. LIB. IX.
- Dedecore & Ignominia. LIB. X.
- Alienorum Bonorum *atque Malorum participatione.* LIBER XI.

Propriè, *hoc est, referatur ad ipsummet qui operatur, cui cōmodat uel incommodat quo ad*

Veri *cognitionem. Et Theorici habitus dicuntur. Horum alij*

Organici. De HABITIBVS ORGANICIS VOLVMEN IV. *tractat. Vtpote de*
- Grammatica. LIB. I.
- Rhetorica. LIB. II.
- Poetica. LIB. III.
- Logicâ. LIB. IV.

Philosophici. De HABITIBVS PHILOSOPHICIS Theoricis VOLVMEN V. *agit. Nimirum de*
- Sapientia *seu Philosophia Theorica in uniuersum.* LIB. I.
- Philosophia Naturali & Medicina. LIB. II.
- Mathematicis *disciplinis.* LIBER III.
- Philosophia *diuinatrice: siue de Theologia & Diuinatione.* LIB. IV.

Boni Exercitationē. Et *Practici habitus uiri cupiantur. De his in*

Genere, *quatenus homo præditus bonis atq; malis quomodolibet afficitur, tam interiùs quàm exteriùs, uel ut oportet, uel magis uel minus quàm oportet.* VOLVMEN VI. de HABITIBVS PRACTICIS *in genere. Nempe de*
- Philosophia Morum *uniuersim: item de Legislatione & Iurisprudentia.* LIB. I.
- Historia *eximie dicta.* LIB. II.
- Probitate & *Improbitate uniuersim consideratis.* LIB. III.

Specie. *Vide signum* II.

Alienus, *hoc est, relatus ad quid aliud extra operantem positū: siue Verum sit illud, siue Bonū, Iucundū scilicet, Vtileue: & uel Opus permanēs, uel Opera trāsiens, à quocunq; intellectu prouenientes. Habitus Mechanici.* De HABITIBVS Mechanicis VOLVMEN XX. *disputat. De*
- Mechanicis Artificibus *uniuersim.* LIB. I.
- Operariis Mechanicis. LIB. II.
- Opificibus Mechanicis. LIBER III.

II. Spe-

Compos est: Mens *scilicet practica.* VOLVMEN VII. de PRVDENTIA *disserit. Putà de*
- Habitibus *Intelligentiæ Practicis in genere.* LIB. I.
- Prudentia *Politica in inuentendo.* LIB. II.
- Prudentia *Bellica, siue de* Stratagematis. LIB. III.
- Prudentia *in Iudicando.* LIB. IV.
- Calliditate, *Astutia, Versutia.* LIB. V.
- Stultitia & *Imprudentia.* LIB. VI.

II. Specie. *Habitus practicus animi internus, secundùm quem homo conformiles actiones exteriùs in uita quotidiana designat, uel eius est partis, quæ rationis per se*

Expers *est, potest tamē rationi uel parere, uel nón parére: Ira scibilis nimirum animæ impetus, quē Ratio recta moderari debet. Huius partis Habitus uarij sunt, prouario considerationis modo: partim scilicet respectu*

Habētis, *seu Possidentis, qui ratione recta perturbationes uel superat, uel non superat. Iā quia Perturbationes animi ab Obiectis externis mouentur ut Motus, sic etiam Rationis, hunc motum obseruantis, duplex erit considerratio. Homo enim obiectorum externorū impressionem suscipiens*

Agit, *hoc est, uel ad actionem impellitur per Confidentiā, uel ab eadem deterretur p. Timiditatē, ab obiectis istis excitatā. Versatur proinde Ratio circa τὰ θαρραλία & φοβερά.* VOLVMEN IIX. de FORTITVDINE. *Et quidem*
- Generalis *cōsideratio Fortitudinis & contrariorum Vitiorum instituitur* LIB. I.
- Grauitas & *Moderatio in rebus Secundis explicatur* LIB. II.
- Fortitudo *Declinās mala proponitur* LIB. III.
- Fortitudo *Propulsans mala explicatur* LIB. IV.
- Fortitudo *Tolerans mala declaratur* LIB. V.

Paritur, & *ex Obiectis istis Voluptatē aut Dolorem Animi Corporisue percipit. Obiecta ista rursus uel*

Insunt *homini, Voluptas nimirum & Dolor corporis, ad animū quoq; pertingens, eumdemq; perturbās.* TEMPERANTIA. De *hac* VOLVMEN IX. *scilicet de*
- Temperantia & *Intemperantiâ Voluptatum & Dolorum corporis uniuersim.* LIB. I.
- Abstinentia & *Immoderatione circa Alimenta.* LIB. II.
- Continentia *circa Venerea (cuē Luxuria in Excessu, in Defectu Stupiditas opponitur)* LIB. III.
- Temperantia & *Intemperantiâ Voluptatum corporis impropriè dictarum.* LIB. IV.

Circumstant *hominem, Varia scilicet Bona & Mala, quæ in animo motum iucundum tristémue excitant, & Voluptates ψυχικὰς dictas parunt. Vide signum* III.

Aliorum, *qui buscū uersatur uir probus uel improbus, iisdē que suū bonum malumue communicat, singulis id quod decet tribuendo, uel non tribuēdo, in uita tum*

Religiosa. *Agetur ergo de Religiosa*

IVSTITIA, VOLVMINE XVI. *Nimirum de*
- Iustitia *religiosa uniuersim.* LIB. I.
- Cultu *Dei.* LIBER II.
- Cultu *Hominum religioso.* LIB. III.
- Cultu *Rerum sacrarum.* LIBER IV.
- Correctione *Religiosa.* LIB. V.

INIVSTITIA, VOLVMINE XVII. *scilicet de*
- Superstitione *uniuersim.* LIB. I.
- Superstitione *Distributiua erga Deum.* LIBER II.
- Superstitione *Distributiua erga Homines.* LIBER III.
- Superstitione *Distributiua circa Res diuinas.* LIB. IV.
- Superstitione *Correctiua.* LIB. V.
- Impietate *in genere.* LIB. VI.
- Impietate *erga Deum.* LIB. VII.
- Impietate *erga Homines.* LIB. IIX.
- Impietate *erga Res diuinas.* LIB. IX.
- Impietate *Correctiua.* LIB. X.

Profana. *Dissentendū proinde de*

IVSTITIA, VOLVMINE XIIX. De
- Iustitia *Profana uniuersim.* LIB. I.
- Iustitia *Distributiua Fida.* LIB. II.
- Distributione *Grata.* LIB. III.
- Distributione *Officiosa.* LIB. IV.
- Iustitia *Correctiua.* LIB. V.

INIVSTITIA, VOLVMINE XIX. *Videlicet de*
- Iniustitia *Profana uniuersim.* LIB. I.
- Iniustitia *Distributiua.* LIB. II.
- Iniustitia *Correctiua.* LIB. III.



Hæc eſt igitur Theatri in uigintinouem Volumina diuiſi, & horũ rurſus ſingillatim in certos libros pro rerum uarietate ſubdiuiſorũ, generalis diſpoſitio. Particularis uerò illa, qua libros ſingulos in Titulos ſuos partiti ſumus: quorũ alij ſub diuiſionis ſunt expertes, alij hanc etiam tergeminam admittunt: id quod ex ipſis Tabulis cuilibet libro præfixis primùm, deinde etiam ex characterum diuerſitate intelligi poteſt. Verumenimuerò quia non deerunt, qui Titulos humanarum actionum & paßionum ex materia potius deducendos exiſtimabũnt, atq; adeò conſilium noſtrum reprehendent: his unico uerbo reſpondeo, in materia conuenire ea quæ formis differunt, & forma uicißim ea quæ differunt materijs. At quia materia tempore prior, dignitate poſterior eſt, & qui formã habet, ille materiã quoq; neceſſariò præſupponit: iccircò ſecundùm formam potius quàm ſecũdùm materiã Titulos diuidere maluimus, qui deinde etiam in materiales ſpecies diducãtur. Hoſpitalitas reſpectu materiæ una eademq; uidetur eſſe, quatenus ſuo erga hoſpites officio rectè fungitur. At ſecundùm formam, hoc eſt, ſecundùm habitum, à quo profluunt hoſpitales actiones, conſiderata, in uarios diducetur Titulos. Alia namq; hoſpitalitas ad liberalitatẽ pertinet, ut alimenta & habitationem hoſpitib. largiri: alia humana eſt, erga hoſpites benignum ſeſe tum ſalutando, tum miniſtrando præbere: alia iuſta, hoſpites non prodere, depoſitum reddere, & ſimilia. In hoſpitalitatem pariter, quæ materiæ reſpectu unica erat, formæ merito diuiſimus in inhoſpitalitatem illiberalem & auaram (tum ὑφ' ἁρπαγῆς, ut qui hoſpites auri depoſiti cauſa occidunt: tum ὑφ' ἡδονῆς, ut qui hoſpites ſordidè tractant) in inhumanam, & in perfidam ſiue iniuſtam. Pari ratione Beneficentia materialiter ea eſt, quæ beneficium confert in alios: at formaliter conſiderata, ſi ſpe talionis id faciat, ad auaritiam: ſi libidine quadam profundendi ſua, ad prodigalitatem: ſi non merentibus tribuat, ad iniuſtam ἀδικουμένῳ referenda erit. Vitæ morumq; mutatio modò ad leuitatem & inconſtantiam, modò ad pœnitentiam reuocabitur. Bene maléue morati, ſi mores ſpectes, generali titulo comprehendi poſſunt: ſin uerò ſpecies uirtutum uarias, quibus tanquam accidentia externa adhærent, ſic non paucas admittent differentias. Omnes exemplorum ſcriptores, Valerium imitati, titulos habent, de Inſigni pueritia & adoleſcentia: non malè quidem, ſi materiam ſpectes. nos uerò reſpectu formæ ad indolem uel theoricam, uel practicam pertinere iudicauimus. Inimicos amare, ulciſci, decipere, eiuſdem loci uidentur eſſe: at ſi formã conſideres, internos ſcilicet habitus, à quibus actiones tales promanant, diuerſorum profecto locorum erunt. Amor Dei, proximi, amicorum, patriæ, amor uxoris, liberorum, in materiali beneuolentia conueniunt: at ſi fontes ipſos intueare, ad temperantiam alius, alius ad iuſtitiam pertinebit. Dãtur quinetiã Tituli quidam pro uario inſtituto ſtudioſorum ex ſimplicibus uelut compoſiti, uerbi cauſa, Fraus in auctorẽ redundat, Qui ſuis inuentis periere, Artis quiſque ſuæ magiſter eſt, & ſimiles alij, Quos ſibi pro arbitrio fingere quiſq; poteſt. Eos cùm perſequi nec liceat, nec expediat, per analyſin ex ſimplicibus locis eruere lectoris erit induſtrij. Et ut de alijs quoq; loquar, Parthenius Erotica ſcripſit, Polyænus Stratagemata, de Moribus gentium & populorum uarijs Stobæus: de Miraculis, poſt omnes alios copioſiſſimè Lycoſthenes noſter: de Claris mulieribus, de Rerum inuentoribus diuerſi auctores. At quis non uidet, materiam in ſingulis eandem eſſe, cuius meritò ſimilitudinem habent & conuenientiam: forma uerò differre, & ad uarios locos referri debere? Formæ igitur ratio habenda eſt inprimis, ut ea quæ ſecundùm formam conueniunt, rectè coniungantur. Interim tamen materia neglegenda non eſt, quando quidem ex illius diuerſitate formales ſpecies ſubdiuidi poſſe uidentur. Sic Temperantiæ unica eſt ratio formalis, neq; à uoluptatibus, neq; à doloribus ultra, quàm recta dictat ratio, commoueri. At quia uoluptates uariæ ſunt, & uel ad individui, uel ad ſpeciei conſeruationem faciunt: propterea Temperantiam in uictus Abſtinentiam, & in Continentiam uenereorum, diuidere poſſumus. Liberalitatis ſumtuariæ forma eſt eadem, materia diuerſa: ut ſumtus in hoſpitium, in epulas, in equos collati. Et ne longior ſim, nulla eſt uirtus, quæ non innumeras admittat partitiones, à materia ferè deſumtas. Neq; id mirum: cùm ipſius Virtutis in genere unica ſit ratio & definitio, Habitus ſcilicet in mediocritate conſiſtens: qui rurſus ex ſubiecta materia in uarias diducitur ſpecies. Alia ſiquidem ratio eſt mediocritatis in periculis obeundis, alia in pecunijs contemnendis, alia in honoribus perſequendis. Iam ſi Titulorum aliam interdũ ſeriem & connexionem, quàm in ſecunda editione, obſeruauimus, ſi ſæpe etiam eundem Titulum diuerſis locis repetiuimus, non ſine ratione id à nobis factum eſſe, res ipſa, methodi limitibus circumſcripta, & typicè delineata, facilè docebit. Et tamen ne repetitione exemplorũ oneroſi eſſemus, ad ſimiles Titulos lectorem relegare ſemper ſtuduimus. Sepultura

ad Corporea & Fortuita bona referri poteſt: Luctus ut ad Animi perturbationes pertineat, eidem tamẽ inter Humanitatis quoq; ſpecies locus dabitur. Ignominiæ poſſeßio Fortuita eſt: at ut eiuſdem tolerantia ad Fortitudinem, ſic irrogatio ad Juſtitiam & Jniuſtitiam referri poteſt. Sint igitur hæ de Titulorum, ueluti loculorum, ad quos Exempla referantur, diſpoſitione dicta. Cuius declarandæ cauſa geminum Jndicem huic Operi ſubiunximus: quorum prior ſeriem Titulorum perpetuam continet, poſterior alphabetico eoſdem ordine enumerat. Nam qui tertius eſt & ultimus ordine, perſonarum in hac ſcena productarum elenchum litterarium complectetur.

Verumenimuero cùm Exempla eiuſdem Tituli numero uaria ſint, ordinem quendam efflagitare uidentur: qui proculdubio à uarijs perſonarum accidentijs petendus erit. Perſonas intelligimus, tum hiſtoricorum qui ſcribunt, tum eorũ de quibus ſcribunt. Si Hiſtoricorum rationem habeas, exempla diuidi poterunt in Sacra & Profana. Sic Andreas Eborenſis in Ethnica & noſtratia ſiue Chriſtiana, exempla diſtinxit. Sacra autẽ ea nomino, quæ uel à Bibliorũ libris (quorum auctoritas ſacroſancta apud omnes pios haberi debet) uel ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus tradita ſunt. Profana rurſus in Hiſtorica, quæ fidem merentur, & in Poëtica ſiue fabuloſa diſtinguo. Iam uerò perſonas eorũ, de quib. hiſtoriæ loquuntur, conſiderare poſſumus uel per ſe, uel reſpectu noſtri. Si poſteriore modo, exempla nõ ineptè diuidẽtur partim ratione loci, in Domeſtica & Externa, Valerij & Egnatij imitatione: ut domeſtica ea dicantur, quæ noſtræ gentis hominibus contigerunt, & propterea etiam animos noſtros plurimùm mouere poſſunt: externa, quæ peregrinis & exteris. partim reſpectu temporis, in Vetera & Recentiora, quã diuiſionem Campofulgoſius ſecutus eſt. Sin priore modo, ſic pro qualitate perſonarum uarias admittent diuiſiones. Habita namq; ratione ſexus, alia Virorum erunt, alia Mulierum: cùm nulla ferè uirtus ſit, quæ non in mulieres quoq; cadere poßit. At conuerſationis ratione habita (quandoquidem homo animal κοινωνητικὸν eſt, & ad conuerſationem natum) ſic diſtinguuntur commodè in Politica & Oeconomica. Politica rurſus in Publica & Priuata. Publica, tum Principum & magiſtratuum, tum Subditorum. Priuata, uel Jnimicorum, uel Amicorum, uel Hoſpitũ & peregrinorũ. Quòd ſi iam locum habitationis obſeruemus, quem ferè morum, linguarum, ſtudiorũ uarietas ſequi uidetur: eiuſdem certè gentis exempla coniungenda erũt: utputa Hebræorũ, Aſſyriorũ, Græcorũ, Romanorũ, Gallorũ, uel Germanorũ: eoq; magis, quòd Hebræos Hebræorũ, Italos Italorũ exempla, tanquam domeſtica, longè plus mouere poſſunt, quàm exterorum. Et hi quidem fontes ſunt [redacted] *ſecundùm quos exempla eiuſdem tituli in ordinem redigi poſſent. Cæterum quia & operoſum & curioſum eſſe uidetur, eundem titulum in tam uarias partes ſecare, craßiore minerua, in perſonis Locus inprimis, hoc eſt patria ipſa, obſeruetur: deinde Tempus. Ergo exempla Hebræorũ afferantur pro chronologiæ ſerie, neq; Moſes ante Abrahamũ, aut Dauid rex poſt Ezechiam ſtatuatur: mox ſubiungantur Aßyrij, Perſæ, Aegyptij, Græci, Romani, Hiſpani, Germani, Galli, & cæteri deinceps. Et ordo quidẽ iſte exẽplorũ partim chronicus, ſi tẽpus conſideretur, partim topicus, ſi locus ſiue patria, utrobiq; ab Hiſtorico mutuãdus, ut ppe tuus*

tuus & æternus erit inter eiuſdem tituli exempla, ita non minus ad uſum accommodatus: quandoquidem ex hoc ueluti penu citra difficultatem uetera, recentiora, domeſtica, externa, politica, œconomica, publica, priuata, uirorum, mulierum, fabuloſa, hiſtorica, ſacra denique & profana, cùm opus erit, ſuo quælibet loco & tempore depromentur. Quòd ſi uerò aut Valerium imitari uelis, aut Campofulgoſum, id eueniet incommodi, ut quæ tibi domeſtica uidentur, aliis externa ſint: quæq; noſtro tempore recentia, poſt aliquot ſecula iam pro ueuſtis habeantur. Et hæc de Ordine Voluminum, Titulorum & Exemplorum noſtri Theatri, dicta ſint: quem ſi in laborioſiſſimo opere interdum non obſeruauimus, ut humanum fuit errare, ita non minus humanum nobis quicquid hic eſt confuſionis condonare: præſertim cùm ea ſit Rerũ humanarũ perplexitas, quandoquidem malà ſunt commiſta bonis, ut rarò idem exemplum ad unum certum locum ſimpliciter reduci queat, plerunq; ad diuerſos, & eos quidem contrarios: ea Iudicij humani imbecillitas, ut pro Habitibus internis Characteres externos morum amplecti, & tanquam in Platonica ſpecu corporum obuerſantium ſpecies ex umbra quam iaciunt dijudicare cogamur.

Superest Λέξις, ſiue Dictionis genus, quod nobis hiſtrionum loco inſeruit, & interpretis munere fungitur. Character igitur hiſtoricus eſſe debet. Hiſtoriæ eſt rerum circumſtantias & temporum ſeriem diligenter obſeruare, ornatus nimiam curam non habere, ſed ea niti moderatione, ut neq; incultus ſit ſtylus & horridus, neq; fucatus omnino, & rhetoricis phaleris plus ſatis exornatus, qui dubiam hiſtoriæ fidem faciat, quaſi maiorem eloquentiæ quàm ueritatis rationem ſcriptor habuerit. Cauenda quinetiam obſcura breuitas, & faſtidioſa prolixitas. Valerius Maximus & Egnatius in ornatu nimij ſunt. Sabellicus elegans ille quidem, conciſus tamen ultra quàm oportet, non affectatione, ſed conſilio, quòd in ſuis Enneadibus & Decadibus ſingula prolixè explicaſſet. Medium itaque ſequendum, & ea tantùm quæ ad præſentem locum pertinent recenſenda: ex quibus Lector hiſtoriam ipſam, quantum ſatis ſit, cognoſcere poßit. Nam, uerbi gratia, ſi mollities Sardanapali in diſquiſitionem ueniat, & ſimpliciter mollem fuiſſe dicamus, Lector imperitus nihil docebitur, neq; exemplo illo uti poterit, cùm reliquas circumſtantias ignoret, utputa quòd rex Aſſyriorum ultimus fuerit, & propter ignauiam ab Arbace Medorum præfecto regno exutus, in regia ſemetipſum concremauerit. Vtilis quidem eſt breuitas ijs qui hiſtorias nouerunt, memoriæ refricandæ ergò, & ad ſynopſin confert: at indoctis, & hiſtoriarum imperitis, quorũ maior ferè pars eſt, addo etiam doctis, qui propter ſeria ſtudia hiſtoriis uacarẽ nõ [redacted] *nt, inutilis & odioſa. Compendio igitur ſtudendum, non breuitati: hoc eſt, medium ſequendum, parerga omnia reijcienda, neceſſaria* [redacted] *admodum enim emblemata proportione reſpondere debent loco cui inſeruntur, ut nec maius ſpacium occupent, nec uacuũ relinquant: ſic etiã in Exemplis res ſeſe habet. Et hæc quidẽ moderatio in Hiſtoricorũ præcipuè florib. decerpendis requiritur: cùm aliud ſit Hiſtoriã ſcribere, aliud Exẽpla ex hiſtorijs colligere: atq; hìc ꝑcipuè Corinnæ illud locũ habeat, τῇ χρεὼ δὲ πυρὸν, ἐχ' ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, Manu ſerere oportet, nõ toto caniſtro. In Rhapſodorũ uerò collectaneis, qui cibum ueluti præ-*

manſum in os ingerunt, uti operæ minus eſt quo ad λῆξιν, ita quo ad τάξιν labor paulo minor. Digerenda ſunt enim in locos ſuos Exempla, eademq́ propter luxuriem ſæpe caſtranda. Nam qui ſcripſerunt ex profeſſo de certis Hominum Rerúmue generibus, illi minutiſſima quæq́ diligenter perſequi conſueuerunt, ſæpe etiam ornandi cauſa aliena quædã intermiſcere. Nos uerò, qui nudas res conſideramus, & compendio, quantum eius fieri poteſt, ſtudemus, parerga omnia reſpuimus: ea tantùm, quæ ad rerum cognitionem neceſſaria ſunt, amplecti debemus. Quòd ſi tamen interdum in Exemplorum narratione multa, quæ ad præſentem Titulum non faciunt, complexi uidebimur, id eò factum eſt, ut hiſtoria integra ſub uno aliquo Titulo deſcriberetur, ſub aliis deinde Titulis ſuccinctè tantùm perſtringeretur, ſæpè etiam (id tamen rarius, ne crebra ἀναβολὴ faſtidium pareret) ad priorem Titulum lector reiiceretur. Et hæc de Compendio orationis, quod ex natura Exempli pendet, uel Simplicis, ad unum certum Titulum pertinentis: uel Multiplicis, ad diuerſos Titulos reducẽdi. Jam uerò ſtylus ipſe Theatri huius uarius eſt: ut etiam ſcriptores, quorum auctoritatem ſecuti ſumus, diuerſo ſunt uſi charactere. Nam cùm Valerij, Sabellici, Campofulgoſi, Hanapi, Maruli, Egnatij exempla, paucis quibuſdam immutatis, retinuerimus, ſtylum uariare neq́ potuimus, neque uoluimus, rerum potius quàm uerborum rationem habendam rati. Coqui ſanè boni eſt, conuiuarum ſeſe omnium accommodare palato: ſed & non moroſi conuiuæ, obſoniis abundè propoſitis, cõdimenta non niſi languẽtis ſtomachi cauſa expetere: inſani uerò nedũ impudentis, omnes cibos eodem modo apparatos flagitare. In picturis aliorum dijudicandis, modò lineamenta ex arte conſtent, colores non magnopere, præterquam ab iis, qui plus oculis quàm arti tribuunt, requiruntur: ita cum hic de principe conſtet diſpoſitione Titulorum & Exemplorum, condonabunt ſtyli inæqualitatem, qui non linguæ, ſed Exemplorũ, è probatis licèt, barbaris tamen hiſtoricis, depromtorum cauſa huc acceſſêre: præſertim cùm pro ſuo cuiq́ arbitrio hæc ad uſum reuocare, & quem uolet colorem inducere ſit permiſſum. Nobis enim fortaſſe nec otium nec uita ſuppetet, ut quod multi flagitant, & animus etiam iubet, Geometrarum imitatione, qui Vniuerſitatis machinam in exiguo globo deſcribunt, magnum hocce Theatrum in Theatridij formam contrahamus: nedum ut in dictione excolenda plus operæ & ſtudij collocemus.

De Architectis huius Operis.

DE Materia quidem & Forma hactenus. Accedamus nunc ad Redemtores & Architectos noſtri Theatri. Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis, [redacted] cùm per quindecim annos & amplius in uariis Exemplis colligendis uerſatus eſſet, iamq́ farrago ipſa ad eam excreuiſſet molem, ut in tanta uarietate & ſimilitudine titulorum Delio natatore opus eſſe uideretur: de Forma Operi indenda (reuera enim rudis erat indigeſtaq́ moles) hoc eſt, de Diſpoſitione Voluminis multum dubitabat. Namq́ limites à Valerio poſitos, anguſtiores eſſe uidebat, quàm qui tantam copiam ferre poſſent. At terminos longius promouere, in nouo præſertim, & à nemine hactenus tentato argumento, & temerarium

rium & periculoſum eſſe iudicabat. Proinde ad extremum id conſilij cepit, ut eũdem, quem in Apophthegmatis obſeruarat, ordinem ſequeretur. Verùm cùm Cõmentarij Similium, quos iampridem edere ſtatuerat, certis quibuſdam de cauſis ſupprimerentur: neq́ in animo haberet, ante Similium editionem Exempla euulgare([redacted] cupiebat tamen fœtus hoſce geminos antè ſuum obitum luce donari) paralyſi primùm correptus, quæ & linguæ & dextri lateris uſum longo tempore impediuit, ab Opere [redacted] uolens nolens deſtitit. Septennio pòſt grauiore apoplexia tactus, naturæ conceſſit, neq́ uel fidem ſuam liberare, uel doctorum expectationi ſatisfacere potuit. Ego igitur, cùm præclara Lycoſthenis erga me extarent merita (ut qui conditione uitricus, uoluntate plus quàm pater fuiſſet) ſimul etiã Reipub. literariæ non parum intereſſe arbitrarer, Opus iſtud in lucem edi: cùm priuata pietate, tum uerò inprimis utilitate motus publica, magno animo prouinciam hanc ſuſcepi, & in ſpacioſiſſimo campo, à nemine antè tam ampla circumſcriptũ indagine, quantum potui, minus certè quàm debui, uel laboris uel diligentiæ impendi: ut mirari ſæpe mecum ipſe ſoleam, primam editionem tam rudem & impolitam tanto fuiſſe applauſu exceptam: niſi quòd etiam Satyri, Mimi & Parodi, qui delectationis cauſa Poetarum dramatis interponi ſolent, non rarò maiorem uulgi applauſum merentur, quàm ipſi Tragœdi, Comœdi & Rhapſodi. Fecit ſanè hoc ipſum, ut licet parturientium more inter medios primæ editionis ſudores duplex uotum haberem, alterum, præſens opus abſoluẽdi, alterum, nunquã deinceps aggrediundi: munificentia tamẽ Ioannis, Chriſtophori & Eliæ Vueitmoſerorum fratrũ, Chriſtophori V. CL. filiorum, dominorum in Vinkel & Falckenſtein, primùm ad iterandum, ſubinde etiam aſſidua ſtudioſorum hominum congratulatione & admonitione, ne, quod Heſiodus uetat, δίμορ ἀνεπίξεσορ relinquerem, ad Cyclopeum hunc laborem tertiandum acceſſerim. Atq́ ut de meis occupationibus, quando ita præſens locus exigit, aliquid dicam, ſi cum ſecunda editione hanc tertiam conferas, quinquennij uides laborem, hominis nec magno ingenio, nec firmo præditi corpuſculo, & præter Academicam profeſſionem, curaſq́ domeſticas, praxi etiam medica, frequentiore ſaltem quàm uelit, quamq́ μαλακώτερα ferant Muſæ, occupati: ut hæc ſint otij noſtri λείψανα, per ſe, fortè exilia, at (quod Logici dicunt) κατ' ἄνθρωπορ magna. De ſubſidiis ſi quæris, in hac tertiatione (cuius acceſſionem ex ipſa mole primùm, ſed multo rectius ex Voluminum numero colligere potes) unius ſolius Baſilij Lucij conſobrini cariſſimi fida & elegante manu in exſcribendis iis, quæ aciem ἀλλιδῶρ reſpuebant, & conglutinandis iis quæ cõiungenda erant, per triennium & amplius ſum uſus. Catera, ſeu diſpoſitionẽ ſeu exemplorum ſyluam ſpectas, noſtra ſunt. Plurium opera uti nec licuit, nec placuit: uel quia, ut ille ait, ὀκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, cùm quot ſunt capitum, tot ſint ſtudiorum millia: uel quia pauci exiguo cum lucro magnos labores ſuſcipere, & ne alienis inſeruire cogantur ſordibus, Reipublicæ etiam commodis conſulere renuunt. Ergo uti in fabulis ab utero Semeles exciſum Bacchũ ſuo inſuit femori Jupiter: ſic ego Lycoſthenis immaturum fœtum quantum in me fuit uita donaui, & porrò in eam quam uides ſpeciem transformaui. Quam etſi ut ideam Humanæ

historiæ suis absolutam numeris nec arroganter statuo, nec impudenter credulis obtrudo, qui humana omnia, uel in supremo excellentiæ gradu cõsitũta, perpetuæ mutationi & emendationi subiecta esse sciam: at certè tamen si nostrum hunc laborem cum reliquorum conferas sudoribus, æquiore sat scio erga nos censura uteris. [redacted] sed clarius alia, alia obscurius: & Persarum ille sol Cyrus in amplissimo re[redacted] uis omnibus ex æquo sufficere poterat: neq; nos pari diligentia omnes operosi huius operis partes explicare. In templo Dianæ Ephesiæ [redacted] Asia per centum & uiginti annos elaborauit, moramq; extructionis elegantia & splendore ædificij compensauit. Nostram uerò diligentiam contraria ratione & temporis, ut spero, bruitas, & laboris excusabit magnitudo, in ijs præsertim locis, quorum cæteri rhapsodi uel nullam, uel certè confusam admodum mentionem fecere. At quid festinatione opus erat, cùm nonum liceret in annum premere? Licebat sanè uel in decimum, si tam nostræ existimationis quàm Reip. studiosi fuissemus. Sed ea nobis inest persuasio, in tanta humanæ uitæ breuitate, & ingenij imbecillitate, eos qui summa utuntur diligentia, sibijpsis, qui mediocri, uel cum suæ famæ periculo alijs consultum uelle. Proinde ut cauponem nemo reprehenderit, mensium aliquot frugalitatem, quam ipsa annonæ difficultas expresserat, lautiore apparatu commutantem: ita neque tu, quisquis eris, qui tertiam hanc Theatri editionem ut auctiorem, sic meliorem esse reipsa deprehendes, præcipitantiam nostram accusare poteris, cùm si quid ex prioribus editionibus fructus ad te rediit, iacturam iteratæ emtionis grato animo ferre debeas: si nihil, at fortè ex ista ferre possis: sin uerò ne ex ista quidem aliquid speres, ergo bona tua cum pace res tuas tibi habeto, nobis reculas nostras relinquito. Nempe quod in iis, quæ natura constãt, quotidie duce experientia discimus, habere suum res quasque & ortum, & incremẽtum, & statum, eiusdemq; naturalis necessitatis etiam in ijs, quæ à uoluntate & industria humana dependere uidẽtur, uestigia manifesta conspici, ut scilicet ortus ipsum incremẽtum præcedat, status incrementum subsequatur (nunquam enim Romanum imperium ad summum potentiæ Cæsareæ fastigium peruenisset, nisi incunabula sua sub Regibus, incrementa deinde sub Consulibus habuisset) illud idem, ut parua magnis comparantes, studijs literarijs blandiamur, in nostro quoq; labore & obseruatum est hactenus, & deinceps obseruari poterit. Nunquam scilicet ad hoc cce genus Syntagmatum, utputa à professione mea alienum, animum adiecissem, nisi farraginem à Lycosthene per manus accepissem: neq; tu fortassis, quisquis eris successor, uel in supplendis ijs quæ deerunt, uel in confusis digerendis operam tuam Reip. prohare posses, nisi nostris hisce prouigilijs, ut ita dicam, excitatus fuisses. Quòd si exotericus licet in hac palæstra, solius methodi ductu, falce in alienam messem immissa, aliquid saltem præstiti: quid tu ex professo historicus, cui tempus & ingenium suppetet, præstare possis, considera: si modò quàm in censendo seuerus, tam in exercendo sedulus & assiduus esse uoles. Ad usq; enim huius mundi excidium semper erit, quod & tu agas, & quotquot in hoc studiorum genere operam suam locare uolent. Dij bona sua laboribus uendunt: Τὸ δ' ἀρετῆς πλέον ἀθανάτοις. ad quam te ego, quisquis es qui potes, uelle certè uidentur omnes, summo studio & labore

labore contendere unicè cupio: nec mihi quicquam in hoc genere accidere poterit iucundius, quàm ueras exaudire uoces, Lycosthenes congessit, Zuingerus digessit, ὁ δεῖνα perfecit. Nam cùm in actionibus humanis quibuscunq; suscipiendis, deducendis, perficiendis tria requirantur, ab ipsius diuinæ Triadis inexhausto bonorum omnium fonte promanantia, Potestas, Scientia & Voluntas (quorum posteriora duo internam quandam animi διάθεσιν, partim cum brutis communem, partim hominis propriam: tertium uerò externam facultatem agendi nobis insinuat) ut perfectissimi sunt, qui uolunt, sciunt, possunt: sic abiectissimi, qui nesciunt, qui nolunt, qui non possunt. Qui medium tenent locum, in sex diducuntur species, non uno comprehensas genere. Quibusdam enim duo adsunt præsidia, tertium deest: quibusdam adest unum, desunt duo. Siue ergo postremi generis me fuisse statuas, qui uoluerim plus quàm sciuerim uel potuerim: uoluntatem nostrã, si humanus es, pari beneuolentia rependes. siue secundi, qui plura uoluerim & sciuerim, quàm potuerim, imbecillitati certè nostræ ignosces, & Persarum in iudicando facinoribus æquitatem imitatus (qui si plura essent superioris uitæ κατορθώματα, quàm præsentis σφάλματα, absoluere quàm condẽnare malebant) ἀντὶ τῶν δεδεμένων χάριν, ἀντὶ τῶν παραλελειμμένων συγγνώμην repones. Primam illam operationis perfectionem, quam citra blasphemiam nulli mortalium tribui posse censeo, mihi nec arrogo, nec arrogari uolo. Tu interea sedulo cura, ut quod nobis defuisse animaduertis, tum precibus à supremo Numine impetres, tum diligentia & labore suppleas. In uirtutis enim certamine à melioribus superari, uictoria est uictoribus & uictis ex æquo iucunda: piis omnibus, & Christiana potissimum caritate cuncta metientibus, unicè exoptanda.

De Fine siue Vsu huius Operis.

SOCRATES Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, eo usq; Geometriæ incumbendum censebat, dum quas quisq; terras posideret, à uicinis agris distinguere posset: Arithmeticæ similiter, ut suas opes, merces, mancipia, dinumerare sciret. Vsq; adeò theoriam omnem ad praxim quotidianæ uitæ referebat: ad quam nostra etiam tum reliqua, tum hæc studia inprimis referri debent. Exempla singularia uniuersalium Præceptorum simulacra esse superiori loco constitit. Ergo idem Historiæ finis, qui Theoriæ: partim ad ueritatis apprehensionem conferens, partim ad boni possessionem. Exempla proinde humanæ historiæ, uiginti nouem Voluminibus Theatri huius comprehensa, primariò & per se Contemplationi philosophicæ inseruiunt, tum Physicæ & Medicæ, tum Metaphysicæ seu Theologiæ, tum Mathematicæ, tum Mechanicæ, & maiore sui ex parte Ethicæ, Politicæ, Oeconomicæ: unde Experientes nomen suum trahunt. sicuti ob præceptorum cognitionem Sapientes dicuntur. Secundariò uerò Actioni: quatenus exemplis hisce instructi, per epilogismum quendam ad similes actiones physicas, medicas, mathematicas, theologicas, ethicas, mechanicas, instruuntur & accenduntur, atque ex his ipsis Artifices boni uel mali nuncupantur. Historia igitur humana & Experientiæ in cognoscendo, & Arti in agendo confert. Fines hi sunt gemini, breuibus circumscripti terminis, sed usu maximi & amplissimi. Quorum

alter Historicorum proprius est, qui ut temporum, ita actionum continu-
ui successionem in numerato habentes, ex historiarum cognitione id assequun-
tur, ut ne semper sint pueri, quod in Timæo Platonis sacerdos Aegyptius Gra-
cis propter historiarum ignorantiam obiecit: alter uerò Rhapsodorum (quos
Ἀναλέκτας olim, & Σωταγμαλκὰς dictos fuisse uetustissimi scriptores testantur)
siue ἄτεχνοι sint illi, siue ἔντεχνοι, qui scilicet arte digestis loculis exempla quæ ui
dendo legendóue obseruarint inserere consueuerunt. Atque ut de cæteris rha-
psodiis humanæ historiæ taceam, per omne genus rerum natura constãtium, quа-
rum homo uel finis est, uel dominus, ampliatæ: in Ethicis profectò exemplis colli-
gendis, hoc est, in Ethica historia ad usum suum reuocanda, arduum & teme-
rium esse uidetur, de aliorum dictis & factis iudicium suum interponere, tum
quòd actiones uidemus, at eos à quibus profluunt habitus oculis assequi nequi-
mus: tum uerò quòd homines sumus, & sæpè affectuum turbinibus abrepti, de a-
liorum rebus sincerè iudicare uix possumus: & tamẽ in tanta humanæ mentis cali
gine ipsa probabilitate contentos esse oportet, ut historicè quidem res gestæ enar-
rentur, philosophica uerò trutina candidè & modestè perpendantur. Sic enim &
Historiæ finem, & ethicæ Philosophiæ illustrationem una eademq; opera asse-
quemur. Vtilitatis magnitudo temeritatem iudicij excusat, in primis uerò liber-
tas, qua non minus Rhapsodi fruuntur historici, quàm fingendi priuilegio Poe-
tæ: & qui hanc illis eripere conantur, id agunt uel ignorantes, ut pulcerrimam &
fructuosissimam Studiorum humanorum prouinciam desertam reddant & in-
cultam. Historici ethici, qui ueritatis primam curam habent, ne suspicio-
nem aliquam peruersi ob affectuum impotentiam iudicij præbeant, sententiam
suam uel omnino non interponunt, uel quàm modestissimè. Rhapsodus au-
tem, rei ueritatem ab Historico mutuatus, cùm uitiorum & uirtutum cogni-
tionem inprimis spectet, maiore fruitur libertate: qua si quando abutitur, ut
homo certè in eo subiecto fallitur, cuius, uel ipsomet Aristotele teste, insigni
alioqui humanarum uirtutum præcone, ea est incertitudo, ut plerisque νόμῳ
potius quàm φύσει constare uideantur. Liquet ergo Theatri huius usum in
utroque Philosophiæ genere maximum fore: & non modò non ignauiæ stu-
diosorum consuli, sed iis qui frugi sunt (uentres enim nil moror, quorum ne-
gotium perinde ac otium castigatione dignum est) pro simplici geminum
tum commentandi tum imitandi laborem imponi. Nam si humanæ uitæ a-
ctiones & passiones in aliorum historijs contemplari uoles, Titulos ceu me-
tas quasdam hîc descriptos reperies, quos sequare: sin nostris uti collectaneis ma-
lis, exempla tibi ad omne genus philosophicorum præceptorum illustranda sup-
peditabuntur. Si uerò (quod omnibus eximiè conandum est) aliorum ex-
emplo ad agendum & operandum accenderis, Theorica, Practica, Mecha-
nica tibi occurrent, quæ uel imitando exprimas, si bona sint, uel tanquam
mala detesteris atque fugias. Proinde cùm omni uitæ, tum uerò in primis Poli-
ticæ & Oeconomicæ, ad honestatem amplectendam, fugiendamque turpitudi-
nem commodabit: ut illius, si unquam aliàs, nostro certè hoc tam dissoluto secu-
lo, usus sit futurus summè necessarius: si modò profani homines ad saniorem ui-
uendi

uendi rationem religiosis sanctissimorum hominum exemplis reduci possunt: &
morum integritate uitæq; innocentia in Ethnicis etiam perspecta, pudore suffusi,
ad pœnitentiam suorum traduci scelerum. Quòd uerò quidam commentarijs
hisce subnixos studiosos, negligentes in historicorum scriptis euoluendis reddi cla-
mitant: adeoque ut Socrates memoriæ literas, sic illi Theatrum hocce lectionis
pestem esse dictitant: fruantur illi sanè suo isthoc iudicio, & si grauiter ferunt
à uenatore sibi, à piscatore, ab aucupe cibos, quibus utantur, suggeri, uenen-
tur ipsemet, piscentur, aucupentur: permittant interim alijs, ut tempus illud,
quod in acquirendo maiore interdum cum conatu quàm profectu impende-
rent, in ijs quæ iam in Promtuario historico congesta sunt recognoscendis im-
pendant. Ipsa nimirum in πῆσιν primas sibi uendicat Historiarum lectio:
in χῆσιν uerò Rhapsodiarum recognitio. Historias legere cuiusuis est: historiæ fru
ctum decerpere eius solius, quem informare conamur, Rhapsodi. Historicus re-
rum gestarum ueritatem, personarum, locorum atq; temporum metis circum-
scriptam consectatur. Rhapsodus rerum gestarum utilitatem sibi cùm publicè
tum priuatim accommodare studet. Ergo ut nullus esset coqui usus, nisi uena-
tor, piscator, auceps materiam suppeditasset: parua etiam apud homines à bellui-
no uictu discedentes uenatoris, piscatoris & aucupis gratia, nisi coquus artem
suam liberalem præstaret: ita mutuas sibi Historia & Rhapsodia operas tra-
dunt, illa congerendo, & ueluti materiam suppeditando: hæc digerendo, & for-
mam imprimendo. Qui prædijs suis macerias detraxit Cimon Atheniensis, &
priuatas suas possessiones usufructu publicas fecit, legendi interim decerpen-
diq; labore eos qui uti fruiq; uellent minimè liberauit. Ita quoque nisi nostra
ista legantur, nisi decerpantur, nisi comedantur, nisi in uentriculum transmissa
concoquantur, liberali licet manu porrecta, nunquam tamẽ in succum alimenta-
rem conuertentur. Copiam quidem exemplorum, memoriæ eorum, qui histori-
as callent, inseruituram suggerunt: uerùm ut statuæ sparsim hincinde longiori
interuallo dispositæ multomagis ob ipsius loci distinctã notationẽ sensus nostros
feriunt, quàm quæ uno eodémque loco quondam Athenis in Ceramico, Romæ
in Hippodromo, Byzantij in Dexippo seriatim constitutæ erant: sic quæ quisq;
nostrûm in Historicis singillatim obseruauit, quoniam singularia sunt, & ipsa
lectione primùm deinde etiã commentatione ueluti domestica redduntur, firmius
hærent, quàm quæ pleno copiæ cornu Amalthea rhapsodica simul semelq; ef-
fundit. Nomenclatores suos olim Romani habebant, qui suffragatorum no-
mina Candidatis suggererent, ut quando necessarium pariter & difficile erat po-
pulum totum salutare, psittaci instar nomina saltem & cognomina præsenti Co-
mitiorũ tempestati profutura recitare possent eorũ, cũ quibus alioqui extra cõcio-
nem nec antè nec pòst familiariter conuersari uoluissent. Ergo ut illis nomencla-
tio ad ambitum tantùm, non item ad beneuolentiam conferebat: ita nuda exem-
plorum à Rhapsodis facta recitatio ad ostentationem solùm eruditionis profue-
rit, nisi ex ipsorummet Historicorum fontibus petantur. Ex quibus omnibus fa-
cilè colligi potest, Historiam & Rhapsodiam proprijs quasque finibus contine-
ri, mutuas interim operas præstare: neque quenquam ex sola Historiarum lec-
tione

ctione Rhapsodum, neque ullum ex sola Theatri repetitione Historicum fore: Historiam denique Doctrinæ, Rhapsodiam τῦ παντὸς Vitæ atq; Moribus conferre. Corollarij loco, Vtilitati huius operis etiam Iucunditatem adiungamus: cùm propter insignem & memorandam uarietatem, uoluptate non mediocri Philologorum animos perfundere possit: eorum præsertim, qui propter serias occupationes historiarum assiduæ lectioni incumbere nequeunt. Exempla enim tanquam picturæ & emblemata quædam, in sensus hominum primùm incurrunt, deinde etiam in animos illabuntur: suntq; adeò, quod scitè de Poësi Simonides dixit, Picturæ quædam loquentes.

De Inscriptione huius Operis.

PRincipijs in hunc modum constitutis, & declaratis, liquet iam, ni fallor, cur hanc Exemplorum rhapsodiam THEATRVM VITAE HVMANAE inscripserimus. Nam siue rem ipsam consideres, τῶ ἀνθρωπίνῳ θεάματα continet, & ἀπὸ τῦ θέας Theatra olim, potius quàm ab ἀκροάσει Ακροασήρια, dicere placuit: siue nominis translationem perpendas, ut in theatris olim scenica potißimùm Tragicorum & Comicorum poëmata exhibebantur; quorum inspectione & ἀκροάσει delectarentur simul & docerentur auditores: ita quoque in nostro hoc Opere non unica fabula, non unius gentis res gestæ, sed in uniuersum omnia ea quæ à condito mundo ad nostram usque ætatem contigerunt, si non describuntur, at certè positis iam titulis describi possunt. Quodq; maius est, exspectaculis antiquorum illi tantùm, qui præsentes erant, uoluptatem capere poterant: at quæ nos hîc exhibemus, ad seros fortasse nepotes magno cum fructu, nec minore cum accessione (si quid mea carmina possunt) peruenient. Præterea sicuti Dramata in Actus primùm, deinde in Scenas diuiduntur: ita nos (si dispositionem & formam consideres) totum hoc Opus, quod humanæ uitæ generalem fabulam continet, in Actus suos, hoc est in Volumina XXIX. distinximus: & horum singula in suos libros, tanquam in Scenas quasdam. Admirabile fuit & sumtuosum olim Curionis uersatile theatrum, sed temporaneum. At nostrum istud, quod subinde alias atque alias personas rerúmque facies proponit, ut non magnificentius, fortasse tamen utilius censeri debet: cùm & mira uarietate spectatores delectare, & ad honestam imitationem non penitùs malos incitare possit: utq; diuinis humana, imperfecta perfectißimis & absolutißimis conferamus, typum quandam tremendi & exoptandi illius, coram summo Judice in censorio die exhibendi Theatri, minus quàm umbratilem repræsentet.*

Paro-

Parodia.

¶Iam uerò ut de nostra tibi beneuolentia liquidò constet, publicis muneribus Corollarium non ingratum adiungamus. Ex Methodo paulo antè descripta liquere arbitror, quota studiorum nostrorum pars sit hæc, quã nũc exhibemus, Humanæ Historiæ Bibliotheca. Supersunt prouinciæ amplissimæ, partim subiugãdæ, partim legib. in ordinem redigendæ. Et Commentarios quidem Grammaticæ λέξεως, iampridẽ in utraq; lingua uiri doctiss. congessere: in quib. præter alphabeticũ ordinem etymologiæ potißimùm rationem habendã esse, nunc demùm in lingua græca Henricus Stephanus [illegible] ostendit. Logici uerò campi ut spacioßissimi, sic ab aliis alij detecti, alij sunt subacti. Similia & Apophthegmata Eras. Roterodamº cõgessit, eademq; Lycosthenes noster locupletauit. Gnomæ ueluti regulæ quædã utriusq; uitæ, tam cõtemplatiuæ quàm actiuæ, breuitate sua admirabiles, usu laudabiles, longe lateq; patẽt. Ex iis quæ Diexodicæ sunt, philosophis relinquẽdæ erunt: at Synopticæ, quia breues & ingenioßæ, inter Organicos commentarios locum habere possunt, dum tamen secundùm genera philosophiæ distinguantur in Physicas, Medicas, Mathematicas, Diuinas, Ethicas, Iuridicas. In eo labore Spartam quam quisq; nactus est exornet, atq; adeò Theologus theologicas, Iurecõsultus iuridicas, Medicus medicas, Ethicus ethicas Gnomas nõ modò congerat, quod cuiusuis est, sed methodicè digerat, quod solius est artificis. Et in Ethicis quidẽ, quo genere cũ primis delectamur, si otium aliquando suppetet, & nisi quis alius, ex uoto certè nostro, anticipet, aliquid tentabimus: præsertim cùm Michael Neander Sorauiensis, [illegible], ut nos ad consimile genus studiorum accenderet, Syluam suorum Collectaneorũ humanissimè nobis impertierit: quorum ueluti primitias Morũ philosophiæ poëticæ cõmentarios superioribus annis exhibuimus. Medicas Gnomas ex aliis alij decerpant: nos ex diuino Hippocrate eas congerendi digerendiq; desiderio ardemus, dũmodò textus emẽdandi interpretãdiq; molestissimo labore nos Mercurialis aliquis subleuet genius. Diorismos, Definitiones, Methodos, Ordines: item Apologos, Icones, Symbola, Aenigmata, & quotquot sunt alia Organicorum commentariorum capita, non deerunt, ut spero, qui sint exculturi. Porrò Philosophicos commentarios ij, qui rerum quas tractare instituerũt periti sunt, conficient. Sic quidam ex Sacris libris, quidã ex D. Augustino Theologiam in suas diductã partes nostro hoc seculo contexere sunt aggressi. Hieronymus Massarius Veicetinus ex Græcorum omnium thesauris, qui post Galenum uixere, artem Medicam consarcire ceperat: sed conatus illius laude dignissimos mors interrupit. Similiter in Iure Romano, in Philosophia naturali, in Mathematis, in Ethicis, Politicis, & Oeconomicis, nec defuisse nec defuturos puto, qui Rhapsodias huiusce modi methodicas uel in priuatos usus, quæ publicis aliquando commodis inseruiant, sint adornaturi. Dij cœpta secundent.

HAEC

HAEC SVNT
PHILOLOGE
quæ rei cauſa pub. tecum conferre
placuit.

Si porrò uacat Humanam propius in-
tueri fabulam,
nec feſtinato, nec ſedem præripito,
loci ſatis, ſatis ſupererit
temporis.

Quin potius ad Immortalem mortalium
Cuſtodẽ conuerſus
A QVO OMNIA ET AD
QVEM OMNIA
MISERICORDIAE illius admirandis
argum. ad AMOREM, IVSTITIAEQ.
horrẽdis exẽplis ad TIMOREM
inuitatus
uti PATREM Amare, uti DOMINVM
Timere, uti DEVM V[redacted]
diſcito
ab eodémq. ſimul & æternorũ bonorũ
ΟΔΗΓΙΑΝ & Caducorum
ΧΟΡΗΓΙΑΝ
pro iis quos ſuos tuósque eſſe uoluit
deuota prece ſupplex
exorato.

Sin uerò nec ſpectare placet, nec lubet
auſcultare
at certè ne ludis noſtris tuum obſtet
ſupercilium
in rem tuam cum Catone
abito.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Volumen Primum

EA
quæ ANIMI Bona atque Mala
dicuntur

TRIBVS LIBRIS
comprehendens.

Magnanimo Heroi

D. IVLIO, SALMAE ac Neoburgi Comiti

IMPP. MAXIMILIANI & RODOLFI II.

Consiliario, belli pacisq. artib. nulli secundo

Theatri Humanæ Vitæ

TOMVM I.

Animi Bona atq. Mala TRIBVS

LIBB. complectentē

QVORVM

I. *De Animæ FACVLTATIB. & Functionibus pertractat*

II. *De EFFECTIBVS Facultatum*

III. *De NOTIS & Indiciis externis earundem disserit*

THEOD. ZVINGERVS

Asclepiada

lumen de illustri lumine mutuaturus, ueterisq. erga NICOLAVM FR. ut nom. sic heroicarū patris auiq. uirtutum hæredem, in Patauino gymnasio coalitæ obseruantiæ mem. renouaturus posthumam

Musarum altori & alumno

D D

TOMI PRIMI LIBRORVM DISPOSITIO.

De iis, quæ Animo humano generatim sumto insunt, tanquā de Materia futura Habituū, primo loco agamus. Animi essentia per se ignota ex Vitæ ἐνεργείᾳ, uariis in Corpore actionibus & passionib. contestata, eluceſcit. Etsi autē propter individuū nexū difficile est de Animo seorsim à corpore considerato pertractare, quādo hoc immortalis illius Palæstritæ tēporaria Palæstra est: conabimur tamē, quantū eius fieri poterit, Considerationū affinium terminos, nō philosophica, sed historica regula designatos obseruare. In locorū igitur ad Animum pertinentiū recensione occurrunt

- Primariò, *ipsæ* Δυνάμεις, *seu Facultates Animæ, & quæ ab his promanāt* ἐνέργειαι, *Functiones. De quibus* LIBER PRIMVS.
- Secundariò, *ueluti Accidentia comitātia functiones prædictarum facultatum. Nā quatenus Functiones ipsæ*
  - Sunt, *sic ea ipsa consequuntur quidam uelut Effectus*, Χαρακτῆρες ἠθῶν *Theophrasto dicti. De his* LIBER II.
  - Cognoscuntur, *sic dantur quædam tanquam notæ & indicia externa internarum cogitationum & perturbationum. Lucianus in Toxari* Τρόπα γνωρίσματα *uidetur appellasse. Has persequetur* LIBER III.

LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.




Aa. Et quidem respectu
Finis, occurrit VOLVNTAS
Affirmãs. Hæc respectu
Materiæ uel est
Bona.
Mala in
Genere.
Specie
Libidinosa.
Crudelis, Tyrannica.
Perfida.
Efficientis, considerati quo ad
Rationem
Secundùm rationem.
Præter rationem.
Vitam
Viuentis.
Morientis.
Libertatem
Libera.
Coacta.
Concordiam diuersorum,
Concors.
Discors.
Motus, uel Constans, uel Inconstans.
Cognitionis, Certa, uel Incerta.
Finis,
Amica.
Inimica.
Euentus
Rata.
Irrita.
Negans. NOLLE consideratum respectu
Subiecti. Nolle
Cognoscere. Respicere.
Literas. Lacrymas.
Seruire. Redire in patriam.
Habitus. Voluntas negans
Casta. Ambitiosa.
Clemens. Impia.
Eorum, quæ ad finem pertinent, Facultas seu ratio
Particeps. Vide signum Bb.
Genere. ANIMI affectibus
Non obnoxij.
Obnoxij.
Expers, ζωτικὸν ἄδικὸ Medicis, APPETITVM siue CVPIDITATEM habet, ἐφικτικὸν ἀνώκαμψιν; cuius primi motus sunt ipsi Affectus, Græcis πάθη, ἀπὸ τῦ πάσχειν dicti, quòd ex obiectis quibuslibet externis anima πάσχειν moueatur & turbetur, ueluti mare uentorũ flatibus. Affectus proinde animi cõsideremus in
Singil latim, quo ad illorum differentias, tum
Actiuam. Vide signum Dd.
Suscipit, excipitue
In genere.
In specie, ex
Studio. Cognitione. Ignorantia. Cantu.
Actionibus practicis
Suis, Proprijs,
Aliorum.
Ludicris.
Mechanico exercitio.
Victoria. Aspectu.
Auditu. Odore.
Oblectatur. VOLVPTAS, Delectatio,
Passiuã, cùm ob ea à quibus mouemur uel
Cõtristatur. DOLOR, Tristitia. Huius
Aspectu.
Auditione ingrata.
Recordatione.
Corporis molestia.
Accusatione falsi.
Dominij mutatione.
Dignitate erepta.
Tristibus, puta ex
Iucundis. Ex Aspectu.
Ἀνίαν. Ex obiectis
ἀνίαν. DOLORIS
Mitigatio.
Depositio.
Non suscipit. Non mouetur. CVRA nulla, CONTEMTVS
Patriæ.
Voluptatis in
Genere.
Specie
Auditionis.
Somni.
Vitæ. Mortis. Sepulcri.
Genera les, duũ generũ. Nam ab obiectis externis qualibuscũque bonis uel malis, reuera uel opinione, impressionem animæ uel
Speciales, ex iisdem deducendas fontibus. Vide signum Ee.


Bb. Participes, rationis Facultas ζωτικὸν Arist. et ψυχικὸν Medicis dicitur. De hac in
Genere, quo ad eorum exempla, qui in universum rationis fuere
Compotes. RATIONIS perspicacia.
Impotes: nimirũ STVLTI, Amentes, Maniaci, Furiosi, quo ad
Λοῦψιν:
A quo furiosi redditi. A
Natura.
Diis, Dæmonibus.
Cur, Qua occasione. Ex
Impietate. Cæde, Parricidio. Ira.
Mœrore. Amore. Auaritia. Imitatione.
Morbo. Vino. Veneno. Philtro.
Κτῆσιν:
Qui.
Quali insania: Puta
Dæmoniaca. Superstitiosa.
Philosophica. Amatoria.
Confidente. Desperabunda. Meticulosa.
Auara. Crudeli. Vaga.
Ludicra. Belluina.
Θυλακὴ. CVRA Maniæ facta
Sacris. Sudore. Loci mutatione.
Præcipitio, Saltu.
Cursu, Agitatione. Labore.
Venditione, Seruitute.
Fame. Medicamentis. Balneo.
Specie. Huc uis
Imaginãdi. IMAGINATIO
Vigilantium
Insolita. Læsa, Turbata.
Impura.
Moribus consentanea.
Dormientium. Somnia
Vera. Vana.
Nulla.
Turbata.
Ratiocinandi. RATIOCINATIO. Vide signum Cc.
Memorandi. MEMORIAE
Integræ
Λοῦψιν. Acquisitio Memoriæ
Diuinitus.
Auditione crebra.
Vulnere. Phlebotomia.
Κτῆσιν, Possessio. Qui memoriã ualuere. Memoriæ bonitas.
Κρῆσιν. Memoriæ usus
Aliquis
In genere.
In specie:
Linguas uarias ediscendo.
Ediscendo scripta.
Repetendo nisa, audita, lecta, dicta.
Salutando.
Nullus.
Θυλακὴ. Conseruatio.
Labefactatio ex
Toto. OBLIVIO considerata respectu
Subiecti: Puta
Literarum.
Nominum.
Mandati.
Causæ. Ex
Senio.
Ictu. Casu.
Vino.
Veneno. Morbo.
Literis.
Parte. Vel
Simplex. MEMORIA debilis respectu
Subiecti:
Numerorum. Præceptorũ, Mandatorum.
Nominum. Dictorum.
Factorum. Literarum, Scriptorũ, Lectorũ.
Causæ occasionis, Memoriã debilis ex
Timore.
Ostentatione.
Veneficio.
Composita cum errore. MEMORIA uacillans. ERRATA memoria.


Cc. De Ratiocinatrice facultate agentes partim respectu
Efficientis. COGITATIO, Διάνοια ita, dividitur respectu
Subiecti circa quod uersatur. Aut enim id quod
Nondum
Intelligit, Cõprehendit, & Inuestigat. Et quidem si finis illius sit
Verum, Inuentrix cogitatio.
Bonum, dicitur Consultatrix cogitatio.
Adest, Commentatur. Huc pertinet PROVIDENTIA, COMMENTATIO
Operis.
Insidiarum. Mortis.
Iudicij extremi.
Est
Recognoscit, Repetit. REPETITIO eius quod scitur.
Iudicat. IVDICATRIX facultas.
Modi. Aut enim
Cum medio intelligit. Ayχίνοια, SOLERTIA pronta.
Absque medio coniicit. ἀπορία, CONIECTVRA sagax.
Qualitatis. Cogitatio uel est
Certa, indubitata.
Incerta, Dubia. SVSPICIO.
Contentionis atq; Studij. Aut enim
Intenta. CONTEMPLATIO, Meditatio, Cogitatio intenta
Theorica.
Practica.
Remissa.
Occasionis. COGITATIO
Tranquilla, Otiosa. Turbata.
Apta. Inepta.
Temporis. COGITATIO
Diurna.
Nocturna.
Successus. COGITATIO
Felix.
Infelix, Irrita.
COGNITIO respectu
Subiecti, tum
Rerum. Vtputa
Terrarum. Diuinationum.
Arcanorum.
Scriptorum: Lectio.
Personarum
Suiipsius.
Aliorum prius
Ignotorum.
Cognitorum. Recognitio.
Qualitatis, respectu
Veritatis
Vera, Scientia.
Falsa, Opinio.
Certitudinis uel
Certa.
Incerta. OPINIO uaria.
Modi. Vel
Per se.
Per alium
Docentem.
Reuelantem.
Effectus. Ratiocinationis finis cognitio eius qd est. Ergo hic perpendenda
IGNORANTIA, cõsiderata respectu
Subiecti. quatenus id quod
Est, ignorat uel esse, uel quale est se. Ignorare, non intelligere
Deum Hominem. Oraculum. Indolem.
Gentem, Populum. Ceram. Cibum, Alimenta.
Faciem amici. Corporis uitium. Vestitum.
Res pretiosas, Gemmas. Rem bellicam. Exercitia.
Equitandi artem. Iter, Viam. Nomen. Tempus agendi.
Locum. Aulicam uitam. Coryceorum praestantiam.
Consilium, Institutum. Peccatum.
Proscriptionem. Orationem, Iussa, Mandata, Minas.
Nutum, Signa. Passionem aliquam suam.
Non est, putat esse. V. G.
Venenum esse Medicamentum.
Amicum esse Hostem.
Hostem aduentare, insidiari.
Vrbem esse captam.
Euentus. ERROR. Ex errore
Deditio facta.
Vrbs
Occupata.
Non occupata.
Deserta, Amissa.
Cædes admissa. Fuga facta.
Verbera illata.
Carcer. Desertio sociorum.
Tumultus ortus.
Arcana euulgata.

Dd. Actiuã


Dd. Actiuam impressionem ab obiectis animа suscipit, ut scilicet ea à quibus mouetur uel
Amet, in se aliisue. CVRA, STVDIVM, AMOR bonorum quorumlibet praesentium, consideratus respectu
Rerum. Huc
Vitæ studium, Mortis fuga. Sapientiæ. Pulcritudinis.
Linguæ patriæ. Antiquitatis. Nouitatis amor.
Honoris. Vitæ rusticæ. Literaturæ. Gnomarum.
Aurigationis. Venationis studium.
Otij, Quietis. Pacis.
Belli. Mundiciei. Balneorum amor.
Libertatis defendendæ, conseruandæ, tum
Propriæ.
Alienæ.
Pecuniæ, Thesauri. Gemmarum.
Librorum, Operum suorum. Supellectilis amor.
Patriæ, Vrbium, Spectaculorum.
Ludi studium. Sepulcri.
Brutorum amor, studiũ, in
Genere.
Specie
Equorum.
Canum.
Serpentum.
Auium.
Piscium. Serpentium.
Arborum. Aquæ amor.
Personarum, quæ uicissim amare possunt. Et dicitur DILECTIO, Benevolentia. Φιλησις, sæpe etiam Αγαπησις.
Virorum bonorum. Principum, Tyrannorum.
Subditorum. Militum.
Conciuium. Discipulorum.
Peregrinorum. Amicorũ. Inimicorum, Hostium.
Sponsorum, Maritorum. Sponsarum, Vxorum.
Amasiorum. Parentum.
Liberorum. Fratrum & Sororum. Nepotum.
Affinium, Cognatorum, Consanguineorum.
Seruorum. Dominorum.
Oderit, in seipso uel aliis, malevolentiã quadam interna, quæ exterius se prodit inhumanitate, acerbitate, eiulatione, siue intercedat aliqua offensa, siue nulla intercedat. ODIVM, MISOΣ malorum quorumuis: respectu
Omnium. Μισανθρωπια.
Personarum. Odium
Homi num
Peregrinorum quorumuis.
Aliquorum in uita Politica uel Oeconomica: utputa
Gentis certæ.
Philosophorum. Improborum.
Episcoporum. Regum. Imperatorum.
Sacrorum hominum, Monachorum, Pontificum.
Ducum, Consulum.
Tyrannorum. Subditorum. Militum.
Ciuium. Virorum. Mulierum.
Vicinorum. Nobilium.
Discipulorum. Præceptorum.
Amicorum, Sociorum.
Hostium: Εχθεα, Inimicitia propriè.
Parentum. Liberorum.
Maritorum. Vxorum.
Fratrum, Sororum.
Affinium, Cognatorum.
Brutorum.
Rerum. Odium
Vitæ.
Sapientiæ, Philosophiæ. Musicæ.
Religionis diuersæ.
Politiæ diuersæ.
Linguæ peregrinæ.
Mendacij.
Nouitatis.
Senectutis.
Coniugij.
Auri, Argenti, Pecuniæ.
Gemmarum.
Deliciarum.
Maris. Salis.
Paupertatis.
Libertatis. Seruitutis.
Pacis. Belli.

- Actiuè, *quoniam ad actionẽ excitatur. Sic ab obiectis uenera uel opinione saltem*
  - Bonis, *in suscipiendo, persequendo, uel*
    - ALACRITAS *excitatur,* εὐθυμία, *Confidentia,* [illegible] *dium, Fernor.*
    - NVLLA *alacritas excitatur:* ἀνοια, *Negligentia,* [illegible] *dia, Inertia, Ignauia.*
  - Malis, *nascitur*
    - ANIMOSITAS *in malis,* δἀφοβοι.
    - ABIECTIO & *Deiectio animi in malis,* ἀθυμία.

Ec. Ab impressione enim obiectorum animus cõmouetur partim

- Futuris, *per*
  - Desiderii. *Huc ergo referenda*
    - CVPIDITAS *absentis alicuius considerati*
      - Per *se, ut est*
        - Bonũ. *Vt est Cupiditas*
          - Immortalitatis.
          - Scientiæ, *Cognitionis:* CVRIOSITAS *eximiè:*
            - Arcanorum.
            - Sapientiæ *alienæ.*
            - Stultitiæ *alienæ.*
          - Alimentorũ, *cibi potusue. Conuiuiorum. Conuiuiorũ apparatus.*
          - Vltionis.
          - Diuitiarum *comparandarum. Auri fames.*
          - Gemmarum. Honorum.
          - Imperij, Regni, *Regionis occupandæ.*
          - Condolentiæ *amicorum, subditorum.*
          - Patriæ. Reditus *ab exilio.* Pacis. Quietis.
          - Libertatis *acquirendæ.*
          - Lucis, *Diei.*
        - Malum:
          - Mortis.
          - Calamitatis *publicæ.*
      - Respectu *Personarum.* Vtputa
        - Principum. Sponsarum, *Proci.*
        - Liberorum, *Prolis.*
        - Seruorum, & *Famularum.*
    - NVLLA *cupiditas,* Desiderium nullum *absentium & futurorum bonorum:*
      - Patriæ.
      - Condolentiæ *Amicorum.*
      - Auditionis.
  - Expectationem
    - Boni
      - Aliquam. SPES *boni futuri,* εὐελπιστία.
      - Nullam. DESPERATIO. ἀφιλπιστία.
    - Mali
      - Alicuius. TIMOR *mali futuri: tũ*
        - Cuius. In
          - Genere.
          - Specie
            - Mortis, *Eloquentiæ.*
            - Insidiarum, *Proditionis, Indicij.*
            - Ruinæ.
            - Paupertatis.
            - Dedecoris, *Ignominiæ.* Liberorũ *amissionis.*
            - Impudicitiæ *uxoris. Zelotypus timor.*
            - Loci *fatalis.*
        - A quibus. *Timor*
          - Laruarum. Tyrannorum.
          - Hostium.
          - Præceptorum.
      - Nullã. SECVRITAS, *Timor nullus mali futuri.* Ἀφόβια, *Non formidolosi.* *Securitas in*
        - Genere.
        - Specie. *Securitas*
          - Condẽnationis, *Supplicij.*
          - Telorum, *Bombardarum.*
          - Insidiarum.
          - Hostium.

- Passiuè, *quoniã patitur tũ tũm & commouetur ab iis tã quam*
  - Futuris, *per*
    - Desiderii. *Huc ergo referenda*
      - CVPIDITAS *absentis alicuius considerati*
        - Per *se, ut est*
          - Bonũ. *Vt est Cupiditas*
            - Immortalitatis.
            - Scientiæ, *Cognitionis:* CVRIOSITAS *eximiè:*
              - Arcanorum.
              - Sapientiæ *alienæ.*
              - Stultitiæ *alienæ.*
            - Alimentorũ, *cibi potusue. Conuiuiorum. Conuiuiorũ apparatus.*
            - Vltionis.
            - Diuitiarum *comparandarum. Auri fames.*
            - Gemmarum. Honorum.
            - Imperij, Regni, *Regionis occupandæ.*
            - Condolentiæ *amicorum, subditorum.*
            - Patriæ. Reditus *ab exilio.* Pacis. Quietis.
            - Libertatis *acquirendæ.*
            - Lucis, *Diei.*
          - Malum:
            - Mortis.
            - Calamitatis *publicæ.*
        - Respectu *Personarum.* Vtputa
          - Principum. Sponsarum, *Proci.*
          - Liberorum, *Prolis.*
          - Seruorum, & *Famularum.*
      - NVLLA *cupiditas,* Desiderium nullum *absentium & futurorum bonorum:*
        - Patriæ.
        - Condolentiæ *Amicorum.*
        - Auditionis.
    - Expectationem
      - Boni
        - Aliquam. SPES *boni futuri,* εὐελπιστία.
        - Nullam. DESPERATIO. ἀφιλπιστία.
      - Mali
        - Alicuius. TIMOR *mali futuri: tũ*
          - Cuius. In
            - Genere.
            - Specie
              - Mortis, *Eloquentiæ.*
              - Insidiarum, *Proditionis, Indicij.*
              - Ruinæ.
              - Paupertatis.
              - Dedecoris, *Ignominiæ.* Liberorũ *amissionis.*
              - Impudicitiæ *uxoris. Zelotypus timor.*
              - Loci *fatalis.*
          - A quibus. *Timor*
            - Laruarum. Tyrannorum.
            - Hostium.
            - Præceptorum.
        - Nullã. SECVRITAS, *Timor nullus mali futuri.* Ἀφόβια, *Non formidolosi.* *Securitas in*
          - Genere.
          - Specie. *Securitas*
            - Condẽnationis, *Supplicij.*
            - Telorum, *Bombardarum.*
            - Insidiarum.
            - Hostium.
  - Præsentibus cõsideratis uel
    - Per *se, quatenus bona uel mala. Vide signum* Ff.
    - Respectu *causæ, propter quã insunt. Accidunt enim ijs qui sunt aut saltem esse uidentur*
      - Digni:
        - CONTENTVM *esse.* αὐτάρκεια.
        - NON *esse contentum.*
      - Indigni. NEMESIS, INDIGNATIO, *ob sua uel aliena bona malaue, uel quia*
        - Bona
          - Non *tribuuntur Merentibus.*
          - Tribuuntur *Immerentibus.*
        - Mala
          - Tribuuntur *Immerentibus.*
          - Non *tribuuntur Merentibus.*

Ff. Apræ-

- Suipsius, *ut sunt*
  - Bona, *quibus Delectatur, tum*
    - Simpliciter, *Gaudet.* GAVDII
      - Positio. GAVDIVM, ΧΑΡΑ, *ex*
        - Inuento *præclaro.*
        - Matheſi. Muſica.
        - Omine *felici.*
        - Mechanica *exercitatione.*
        - Caſtitate. Liberalitate.
        - Beneficentia. Ioco.
        - Religione, *Templo, Sacris.*
        - Tyrannorum *oppreſſione, morte.*
        - Patriæ *præſtantia, uel reſtitutione.*
        - Reditu *in patriam.*
        - Diuitiis. Donis.
        - Aſpectu *grato, iucundo.*
        - Partu. Incolumitate *ſua uel ſuorum.*
        - Corporis *cura.*
        - Auxilio *bellico.*
        - Nuptiis. Deorum *fauore.*
        - Victoria *nunciata, adepta.*
        - Hoſtium *oppreſſione, morte, calamitate, reconciliatione.*
      - Priuatio. *Gaudium nullum. Qui non gaudent, ob quæ alij gaudent.*
    - Comparatè, *quãdoquidem conferendo ea cum aliorũ bonis, quatenus*
      - Maiora *ſunt*
        - Extollitur. SVPERBIA.
        - Non *extollitur.*
      - Minora *ſubit*
        - HVMILITAS:
          - Qui:
            - Reges, Reginæ.
            - Monachi. Monachæ.
          - Quãdo, *Vbi. In*
            - Pompa, *Triumphis.*
            - Conuiuio.
            - Funere.
        - Nulla *Humilitas.*
  - Mala. *Vide signum* Gg.

Ff. Apræſentibus obiectis commouetur animus uel reſpectu

- Aliorũ: *quandoquidem bonorum uel malorum impreſſione alius facta ipſi interim uel*
  - Delectantur, *ſiue ea ſint iis quibus accidunt*
    - Bona. *Alienis bonis gaudere, congratulari.* ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ, *Gaudiũ*
    - Mala. *Alienis malis gaudere.* ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ, *Gaudiũ ob aliena infortunia. Vt ob mortem*
      - Principum.
      - Hoſtium.
      - Priuignorum.
  - Cõtriſtantur, *ſiue ea ſint iis quibus accidit*
    - Bona. *Vide ſignum* I.
    - Mala. *Sic uel*
      - Commiſeretur. MISERICORDIA, *Eleos. Reſpectu*
        - Perſonarũ. COMMISERATIO *alia in*
          - Genere.
          - Specie. Erga
            - Tyrannos.
            - Amicos.
            - Hoſtes.
            - Pauperes.
            - Supplices.
            - Bruta.
        - Rerum. *Miſericordia tangi ob*
          - Mortalitatem.
          - Famem.
          - Euerſionem *urbis.*
          - Strages.
          - Captiuitatem.
          - Damnationem *iniuſtam.*
          - Deiectionem *à dignitate.*
          - Fabulas.
      - Non *commiſerentur.* MISERICORDIA NVLLA. IMMISERICORDES *reſpectu*
        - Perſonarum. Erga
          - Amicos.
          - Socios.
          - Seruos.
        - Rerum. *ob*
          - Calamitatem, *Excidium.*
          - Aduerſam *pugnam.*

Gg. Pro-


Gg. Propter mala, quibus contristatur, respectu quidem
Rei, quoniam turpis & inhonesta est reipsa, aut opinione, Pudor oritur uel
Aliquis. Pudor consideratur respectu
Rerum. Pudere ob
Timiditatem.
Venerea.
Ambitum.
Narrationem, uel Cogitationem, uel Auditionem turpem.
Inuidiam. Denegationem.
Vulnera.
Denudationem corporis.
Excretiones.
Supplicium inhonestum.
Victoriam. Amissionem regni.
Captiuitatem.
Ignobilitatem generis.
Calamitatem suorum.
Nuptias.
Seruile officium.
Locum inhonestum.
Personarum. Erga
Seipsum.
Alios
Magistratum.
Probos.
Viros, Amasios.
Matronas.
Parentes.
Nullus. Non Pudere. Pudor nullus, & uel
Laudabilis.
Vituperabilis. Imprudentia. Aperuerta. In
Genere.
Specie:
Cœnas captando.
Venerem exercendo.
Libidinem fatendo.
Impudicè tangendo.
Dona acceptando.
Profundendo.
Accusando.
Non metuendo.
Genere. Iracundi.
Succenset. Ira. In
Specie. Respectu
Rerum, Ob quas irascuntur. Vi ob
Consilij diuersitatem.
Auaritiam.
Conuitia.
Defensionem innocentiæ.
Consolationem.
Cunctationem.
Cladem.
Nuncium infelix.
Famem.
Personarum. Erga
Sacerdotes.
Subditos.
Medicos.
Amicos.
Hostes.
Coniuges.
Seruos.
Bruta.
Stirpes.
Non succenset. Ira nulla.
Personæ, hoc est, ei in qui
Infert, & propter quem commouetur animus, ei uel
Patitur. Vide signum Hh.


Hh. In malorum
Insultu primo et inuasione animus uel
Terretur. Terror ex opinione inuadentis mali cuiuscunque
In genere.
Specie, tum ab
Intelligentiis. Tyrannis.
Hostibus. Terror ex Hostium
Aduentu.
Aspectu.
Clamore.
Nomine. Apparatu.
Victoria. Strepitu.
Sicariis.
Animalibus.
Gladio impendente, stricto.
Fascibus.
Tonitru, Eclipsi.
Aqua, Naufragio.
Carduis. Statuis.
Non terretur. Imperterriti. Terroris uacuitas. Non terreri quoad
Personas ab
Spectris.
Hostibus.
Animalibus.
Res
Excommunicatione.
Morte.
Exilio.
Periculum imminens.
Mœret. Moeror, Luctus ob
Mortem alterius. Respectu
Genere.
Specie. Ob mortem
Personarum, in
Hominum. Viputa
Doctorum hominum.
Principum, Ducum.
Ciuium.
Præceptorum.
Amicorum.
Hostium.
Parentum.
Liberorum.
Fratrum.
Coniugum.
Dominorum.
Brutorum.
Temporis. Quandiu.
Modi. Quomodo.
Progressu & ueluti insessu, animus propter ea uel
Senectutem.
Pudoris iacturam.
Aduersam pugnam. Cladem.
Militum contumaciam, ignauiam.
Dignitatem, Magistratum collatum.
Imperij amissionem.
Vrbis excidia. Amicorum, Sociorum excidium.
Iacturam & amissionem rerum preciosarum. Exauctorationem.
Amoris alienationem. Mœror Zelotypus.
Exilium. Condemnationem. Ignominiam.
Non mœret. Moeror nullus ob ea quæ digna sunt mœrore. Nō lugere
Mortem. Mortui non defleti. Luctus nullus pro mortuis. In
Genere.
Specie, pro
Liberis.
Vxoribus.
Damnatis.
Alienationem amoris. Zelotypia nulla.
Repulsam.
Condemnationem.



Volu-

VOLVMINIS PRIMI
LIBER I.

VOLVNTAS CONSIDERATA respectu

MATERIAE.

Bona uoluntas.

☞ *Voluntas ab Habitu bono, ratione prædito: cuius Effectus pariter & Indices sunt Actiones similes, etsi nõ semper: seciũ tritũ illud, Si desint uires, tamẽ est laudãda uolũtas. Iusti est, ea quæ iusta sunt uelle, & facere. Idem de cæteris. Ex locis itaq; Virtutis præsens Tit. subdiuidi & illustrari poterit.*

LACEDÆMONII hoc animo prælium inibant, ut aut uicto res redirent domum, aut uicti occumberent. Plutarchus.

Mala, in genere.

☞ *Mala mens, malus animus: ingeniũ improbũ, idem quoq; maleuolũ. Differt à Maleuolentia: quòd hæc cum odio semper iuncta est, & respectu Personæ alterius dicitur: at Mala uoluntas respectu Rei potius.*

Terrimũ illud monstrum, & bellua sceleratissima HELIOGABALVS Cæsar (quibus epithetis illum Alexander Seuerus successor insignire solebat) dixisse fertur, Si habuero hæredem, dabo illi tutorem, qui illũ hæc facere cogat, quæ ipse feci, facturusq; sum. Lampridius.

Libidinosa.

☞ *Ex loco Libidinis illustretur.*

Cùm Iulia Antonini CARACALLI nouerca, cuius ille filium Getam in gremio ipsius occiderat, quasi per negligẽtiam se maxima corporis parte nudasset, dixisseq; Antoninus, Vellem, si liceret. respõdisse fertur: Si libet, licet. An nescis te imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectũ criminis roboratus est: nuptiasq; celebrauit incestas. Spartianus in Caracallo.

Crudelis, Tyrannica.

CAIVS Caligula Imp. cùm doctos in uniuersum omnes, tum uerò etiam lureconsultos odio prosequebatur: sic ut palàm minaretur, Suetonio teste, Effecturum se propediem, ut de iure nil respondere possent præter æquum. Quasi scientiæ eorum usum omnem aboliturus. Sunt qui legendum putẽt, Eũ: P. Pithœus I. C. & forte melius, Eccum: hoc est, Ecce principem, cuius uoluntas legis loco esse debeat.

NERO Cæsar, multas nec dubias significationes dedit, ordinem Senatorium se sublaturum quãdoq; è Rep. ac prouincias & exercitus equitib. Rom. ac libertis permissurũ. Suet.

EFFICIENTIS seu MOVENTIS. VOLVNTAS

Rationalis.

☞ *Ex Tit. Consiliorum prudentium exempla petantur.*

Bruta. Præter rationem.

☞ *Quicquid per Iram, Inuidiam, Libidinem fit, Voluntarium est, à Voluntate Perturbationũ famula proficiscẽs. Hinc Tyrannicum illud, Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.*

Vltima, Extrema, Morientis.

☞ *De hac sub Testamentorum titulo.*

ARISTOTELES moriens, consultus à discipulis de scholæ successore, uino Rhodio & Lesbio, uti petierat, in medium allato, & utroq; degustato, Rhodiũ quidẽ generosum atq; firmũ uinum, sed Lesbium dulcius esse pronuncians, Menedemo Rhodio Theophrastũ Eresium è Lesbo non obscurè prætulisse uisus est. Gellius lib. 13. c. 5. Laert. lib. 5. c. 1.

Concors. Discors.

☞ *Harum exempla sub loco Amicitia & Inimicitiæ. Item, Consentire, Dissentire.*

MOTVS. VOLVNTAS

Constans.

☞ *Constantiã suis locis enarrabimus. Hinc cadit ipsa respectu Voluntatis facient. Digitis ad frontem intendisse sufficit.*

Inconstans.

DAVID rex cùm ægrotaret, potum aquæ è puteo Bethlehemæ summopere desiderabat. Eandem per medias hostium stationes à tribus fortissimis militibus non sine periculo allatam bibere noluit, ne sanguine suorum uoluptates suas redimere uideretur.

AGAMEMNON Iliados α. Chryseida retinere uolens & honoris & amoris ergò, inquit:

——ἐπεὶ πολὺ βούλομαι αὐτὴν
εἶναι ἐμὴν. ἔδοξε γὰρ Κλυταιμνήστρης ἀρετῇσιν
καὶ εἴδος ἧς ἀλόχου. Rationem affert, ἐπεὶ οὐ ἑκὰς ἐστὶ γενέσθαι
ἢ ὀϊομαι, ἠδὲ φυὴν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὐδὲ τι ἔργα.

sed Reipublicæ causa, ad iram Apollinis placandam, eandẽ se patri redditurum affirmat:

ἀλλὰ μὲν ὣς ἐθέλω σόον ἔμμεναι, ἢ τόν' ὄλεσθαι.

Voluntatis tam citò mutatæ rationem addit:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπόλεσθαι.

LACO quidam amoris restinguendi causa de Leucade petrâ se præcipitaturum uouerat. Eò ubi ascendit, præcipitio ipso territus, ab incepto destitit, uotum stultum uoto prudentiore corrigens. Plutarchus.

Quàm turbatæ & fluctuantes sint etiam piorum hominum uoluntates, hinc Carne, illinc Spiritu in contrarium distrahentibus, uel illa D. Apostoli PAVLI exclamatio docet, Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Neq; minus illud, quod sanctus pater AVGVSTINVS de seipso ad nostram ædificationem candidè recenset, anno ætatis suprà XXX antequam ad baptismum peruenisset, quàm contrariis cogitationum fluctibus agitatus fuerit, cùm hinc cõiugalis uitæ suauitas, quam concubinatus libidinosi fuga necessariam faciebat, illinc desiderium uitæ religiosæ, quâ soli deo liberà curis mũdanis seruiret, illum in diuersa distraherent: Locus extat lib. 8. Confess. cap. 5. his uerbis: Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex uoluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini (concubinatus) facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellaui) tenebat me obstrictũ dura seruitus: uoluntas autem noua, quę mihi esse cœperat, ut Deum gratis colerem, fruiq; eo uellem, nondum erat idonea ad superandam priorem uetustate roboratam. Ita duæ uoluntates meæ, una uetus, alia noua: illa carnalis, hæc spiritalis, confligebant inter se, atq; discordando dissipabant animam meã. Sic intelligebam meo ipso experimento id quod legeram, quando caro cõcupisceret aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Ego quidem in utroq;, sed magis ego in eo quod in me approbabam, quàm in eo quod in me improbabam. Inde cap. 10. Ego cùm deliberabam, ut iam seruirẽ domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram qui uolebam, ego qui nolebam, ego, ego eram. Nec plenè uolebã, nec plenè nolebam. Ideo mecum contendebam, & dissipabar à meipso. Et ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ (ut Manichæi cõminiscebantur) sed pœnam meæ. Et ideo non iam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adã. Hinc cap. 9. addit: Vnde hoc mõstrum, & quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moueatur manus, & tanta est facilitas, ut uix à seruitio discernatur imperium. Et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut uelit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat, inquam, ut uelit, qui non imperaret, nisi ueller, & non fit quod imperat. Sed non ex toto uult: non ergo ex toto imperat. Nam intantum imperat, inquantum uult, & intantum non fit quod imperat, inquantum non uult. Quoniam uoluntas imperat, ut sit uoluntas, nec alia, sed ipsa, non utique plena, imperat, ideo non est quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret ut esset, quia iam esset. Non igitur monstrum, partim uelle, partim nolle, sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit ueritate subleuatus, consuetudine prægrauatus. Et ideo sunt duæ uoluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri.

COGNITIONIS.

Certa uoluntas.

☞ *De Voluntate hostis certus Imperator, consiliis consilia opponit, uim ui repellit.*

Incerta.

☞ *Voluntas incerta Exploratur, Suspicione praeconcipitur. Eadē Simulando & Dissimulando occultatur.*

FINIS.

Amica.

☞ *Ex loco Amicitiae & Beneuolentiae petantur exempla.*

Inimica.

☞ *Ex loco Inimicitiae, Odij, illustretur.*

EVENTVS.

Rata.

☞ *Sub Exercitationis loco Consecutionē & Effectionē tanquam instrumenta connumerabimus. Hic solius Voluntatis ad effectum perductae rationem habemus.*

CAMBYSI Persarum regi incestas sororis nuptias ambienti, & An lex aliqua hoc permitteret, à proceribus interroganti: quidam respondit. Nulla quidem lex apud Persas hoc permittit: sed est altera longè maior, Voluntatem regis loco legis esse. Herodotus.

DIONYSIVS tyrannus nulla se ex re alia magis beatitudinē tyrannidis intelligere affirmabat, quàm si quae uellet ocyssimè effici conspiceret. Plutarchus.

Irrita.

☞ *Consule titulum, Frustratio operis: sed & Testamenta irrita, Voluntatis mortuorum irritae & rescissae exempla suppeditabunt.*

CAIVS Cęsar nisi morte pręuentus fuisset, proposuerat Antiū, deinde Alexādriam cōmigrare, interemto prius utriusq; ordinis electissimo quoq;. Quod ne cui dubiū uideatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diuerso titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas & nomina continebant morti destinatorum. Inuenta & arca ingens, uariorum uenenorum plena: quibus mox à Claudio demersis, infecta maria tradūtur, non sine piscium exitio, quos enectos aestus in proxima litora eiecit. Suetonius.

VOLVNTAS NEGATIVA. NOLLE, respectu

SVBIECTI NOLLE

Cognoscere.

IVDAEORVM obstinatā nequitiā in repudianda salute, caelitùs demissa, ipse Dei aeternus filius deplorauit: Hierusalem, Hierusalē, inquiens, quae occidis & mactas prophetas, quoties uolui te cōgregare, sicut gallina pullos suos sub alis suis? & noluisti.

ARCHIAS Thebanorū tyrānus ea ipsa uespera, qua à cōiuratis fuit occisus, in coena epistolam accepit ab Archia hierophante, quae coniurationē exulū edebat, domūq; quò se cō tulissent. Is iam uino mersus, & mulieris adamatae expectatione gestiēs accepit epistolā. ac cū diceret tabellarius, de re seria scriptam esse: Ergo seria, inquit, in crastinum. Ita literas puluino subiecit. Plut. de Socratis daemonio.

Q. Metellus cùm causam repetundarum diceret, tabulaeq; eius ab accusatore expostulatae, ad nomen inspiciendum circa iudicium ferrentur: totum CONSILIVM ab earum cōtemplatione oculos auertit, ne de aliqua re, quae in his relata erat, uiderentur dubitasse. Non in tabulis, sed in uita Q. Metelli argumenta sincerè administratae prouinciae legenda sibi iudices crediderunt: indignum rati, integritatē tanti uiri exigua cera & paucis literis perpendi. Val. Max. lib. 2. c. 5.

Apud Hollandos QVIDAM in conuiuio accumbebat igni uicinior, ita ut ima uestis adureretur. Id animaduertēs è conuiuis quidā, Habeo, inquit, quod tibi nunciē. tū alter, Si quid, inquit, tristius est, nolo audire in conuiuio, ubi conuenit festiua laetaq; esse omnia. Non est, inquit, admodū letum. mox alter, Post conuiuiū, inquit, feria. Vbi coenatum esset hilariter, Nunc, inquit, dicito quicquid uoles. Ostendit illi uestem à tergo enormiter adustam. Ibi stomachari coepit, quòd nō admonuisset in tempore. Volebam, inquit, at tu uetabas: μῦθ δῆπνοι απουδαῖα. Eras. in Adagiis.

Aspicere.

ALEXANDER Magnus deuictis Persis à captiuis mulieribus abstinuit, neq; post primū conspectum uidere amplius uoluit, μεγάλας κορῶν λύπας κόρας εἶναι, Magnos oculorum dolores puellas Persides esse dictitans. Plutarchus.

Liberos.

HELIOGABALVS Imp. filios se nolle dicebat, ne quis sibi frugi nasceretur. Lampridius.

Lacrymas.

Apud Ciceronē ENNIVS luctū suorū post mortē suā disertè renuit. Nemo me lacrymis decoret, neq; funera fletu Faxit. Cur? Volito uiuus per ora uirūm.

Seruire.

LACON quidā ab hostib. captus cùm uenū exponeretur, subinde, οὐ δουλεύσω, Non seruiam, exclamabat. Sic quoq; THEOGNIS de seipso, Ne quidem si Tmolus capiti incumbat, ceruicem inimicorum iugo subdam:

οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ᾽ εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρη.

Redire in patriam.

CYRVS puer studio discēdę rei equestris in Persidē, relicto Astyage patre Medorū rege, redire noluit. Xenoph. Paedia.

HABITVS. VOLVNTAS

Casta.

Apud Romanos SPONSA non transibat aedium limen, sed à deductoribus sublata transferebatur: ut uideretur ui compulsa, non sponte, in domū illā uenire, in qua uirginitatē amissura esset. Plut. in quaest. Romanis.

Ambitiosa.

XERXES Persarum rex caricis Atticis allatis negauit uenalib. uesciturū, nisi q̄ eas edidisset subiugata regione. Plut. in apo.

Clemens.

M. ANTONINVS Imp. cùm ad imperiale culmē in Syria Cassius surrexisset, epistolarum fascem ab eo ad conscios missum, perlatore capro sibi oblatum, illicò signatū exuri praecepit, agens adhuc in Illyrico, ne insidiatoribus cognitis inuitus quosdam habere posset offensos. Marcellinus lib. 21.

Impia.

In sacris QVI erudiri recusant, sub Impietate distributiua enumerabuntur.

RATIONIS PERSPICACIA.

Ex Tit. Sapientum & Prudentum exempla huc transferantur. Illic Habitus informantis, hîc Animi, qui uelut informatur, habetur ratio. Ingenij acumen natiuū Volumine xxj. persequemur, quatenus hoc Naturae bono instructi, ad omne genus uitae aptiores sunt. Illic ut Instrumentum uitae, hîc Facultas ipsa consideratur.

STVLTI, AMENTES, FVRIOSI, MANIACI.

Non hîc de Habitu, sed de Animi facultate rationis compote uel nulla uel labefactata. Cic. Tusc. quaest. 3. Dementes, amentes & furiosos, eosdē nominat: Stultos uerò, quos Iurisconsulti dementes aut mente captos appellant: Insanos, tanquam utrorumq; genus constituit. Hotoman. de uerbis iuris.

ΛΗΨΙΣ INSANIAE, Stultitiae. Respectu

EFFICIENTIS. VEL

Natura.

CLAVDIVS Imp. Drusi F. infans à patre relict⁹, uniuersam penè adolescentiā mala ualetudine conflictatā habuit, ut animo simul & corpore esset paulò hebetiori. Vnde & uęcors à Sexto Aurelio dicitur: & ab Antonia matre sępe portētū hominis dictus, quasi à natura inchoatus quidē, sed nō absolutus foret. Auia augusta pro despectissimo semp habuit, pariter & soror Liuilla. Augustus auunculus maior parui semper existimauit hominē. Tiberius patruus honorē ei cōsulatus abnegauit. Ideo in cōtubernio sordidorū hominū delitescens, ebrietatis & aleae quoq; infamiam subiit. Quanquā apud ordinē equestrē, senatumq; ipsum nonnihil fauoris & gratiae haberet. Post coenas enim frequēter obdormiscebar, & tum ossibus iaculabatur, tū ferula ac flagro excitabatur, multisq; uexabatur stertens ignominiis: & penè à Caligula cōsulatu esset deiectus, cùm Neronis & Drusi, fratrum Caij, statuas segnius locandas curasset. Suetonius.

Dij, Daemones.

☞ *Vide Tit. Daemoniacorū. Illic Morbi à causa efficiēte nomē habētis, hîc Facultatis animalis lęsae habetur ratio.*

ATHAMAS Aeoli filius, furiis à Iunone immissis agitatus, Learchum filium interfecit. Plin. lib. 34. c. 14.

ACA-

AGAVE, Cadmi & Hermiones filia, bacchico furore correpta, Pentheum filium interfecit.

TAMYRAS poeta, prouocans in musices certamen Musas, uictus, atq; oculis & mente priuatus, prouerbio locū fecit, Θαμύρας μαίνεται.

Eurystheus habēs Argis regnum, nota HERCVLIS fama, eū ad perficienda certamina accersiuit. Renuentem iussit Iupiter Eurystheo obtemperare. At is Delphos adiēs, cōsulto super his deo, respōsum tulit, à diis iniunctū esse, ut Eurysthei iussu duodecim certamina perficeret: quib. trāsactis, immortalitate potiretur. Ex ea re haud parum est cōmotus animo Hercules. Nam & sua indignū uirtute uidebatur, humiliori seruire: & Ioui patri non obtemperare, tum inutile, tum impossibile ducebat. Hac anxietate perplexo animo, Iuno rabiem iniecit. Itaq; in insaniam amentiamq; uersus, Iolaū occidere uoluit. Quo fugiente, filios, qui cū Megara uxore habitabant, sagittis uelut hostes appetiit. Ipsum etiā Amphitruonem patrē occidisset, nisi lapide ictus à Minerua (quem idcirco Sophronistera, hoc est, resipiscendi auctorē uocant, & Thebis seruant) somno se dedisset. Itaq; praeteritum recognoscens facinus, doluit ex tanta calamitate. Cumq; singuli unà eius malo moererent, diu quieuit domi, fugiens hominum consortia & consolationes. Tandem tempore dolorē mitigante, paratus ad subeunda pericula, ad Eurystheū uenit. Diod. lib. 4. cap. 2. & Pausanias in Boeoticis. Aliter Euripides in Hercule furente. Hercules cùm duxisset Megaram filiam Creontis regis Thebani, filios ex ea genitos reliquit Thebis cum sene patre Amphitryone: ipse uerò Argos profectus ad Eurystheūm, Graeciae regem, confectis multis mōstris, postremò ad Plutonis etiam domum descendit. Thebani interea Lycum quendam, cuius pater olim Thebarum rex fuerat, ex Euboea accersiuere. Is Creontem interfecit: Herculis liberos cum uxore & Amphitryone, supplices ad aram confugientes, mactare uoluit. Hercules, praeter expectationem ab inferis reuersus, Lycum interfecit. At Iuno uidens omnia sua contra Herculem consilia hactenus fuisse frustra tentata, immisit illi Lyssam deam, Noctis Coeliq; filiam, quae Herculem in rabiem actum, compulit interficere uxorem cum liberis.

CORYBANTES Cybeles cultores furore sacro correpti cymbala pulsabant, alios item in similem agentes rabiem.

Aetate Plutarchi cùm exteri quidam legati ad petendum oraculum Delphos aduenissent, hostiam primas libaminum infusiones immotam & interritam tulisse tradunt: urgentibus certatim & immodicè sacerdotibus, uix tandem latice obrutam & inundatam cessisse. PYTHIA hoc ueluti portento territa, grauatè descendit in manteum: & repentè instar properantis nauis bruti & maligni spiritus plena, cum horrendo clamore contendens ad exitum abiecit se, ut conijcerent se in fugam non legati modò, sed antistes etiam Nicander, & qui aderant sancti. Paulo pòst ingressi sustulerunt eam amentem, quae paucos dies superuixit. Plutarchus de Oraculorum defectu.

NOBILIS uir, ad Villerios Costeretanos habitās, in annulo, quem ab Hispano percarè emerat, familiarem habebat daemonem, cui ex sententia animi sui uolebat imperare & uelut mancipium subijcere: cumq; mendacia plerunque effaretur daemon, annulum in ignem iniecit homo, tanquam si eodē inijci potuisset dęmō, & annulo haerere teneretur. Sed ex eo tempore furiosum hominem effectum diabolus exagitauit. Bodinus lib. 2. Daemono maniae, cap. 3.

PVELLAE daemoniacae & mulieres LXXX. Romae à Benedictino monacho, quem Cardinalis Gondius Parisiensis episcopus eò adduxerat, exorcizatus est anno 1554. Sed nihil opera illius totis sex mensibus confectum est. Huic percontāti à Satana, cur miseras istas puellas occupasset: respondit se fuisse à Iudęis immissum, indignè ferentibus quòd istę, quarum pars maxima ad Iudęam gētem pertinebat, fuissent baptizatae. quod ideo credebatur dici, quia Paulum IV. Papā cogitabat procuraturū Iudaeorum necem, quibus erat infensissimus. Sed Iesuita quidam coram Papa defendit, non esse penes homines facultatem istam, ac ne penes Satanam quidem: hoc posse fieri, si his aut illis Deus permiserit, consilium autem Dei à peruestigantibus non posse comprehēdi. Bodinus lib. 3. Daemonom. c. 6.

Amsterodami PVERI daemoniaci triginta anno M D L V I. reperti sunt, à quibus nullo exorcismo daemones potuere propulsari. Id autem sortibus & maleficiis contigisse indicium fuit, quia ferramenta, uitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & similia excernebant, quae solent sortilegiis affecti homines eij cere. Bodinus lib. 3. Daemon. c. 6.

OCCASIONIS. INSANI EX

Impietate.

Lycanthropiae affectum fabulae apud Ouidium subministrasse occasionē uerisimile est, de LYCAONE Arcadię rege, quē à Ioue in lupum ob sua scelera mutatum finxit. Interim aerę bilis adiungit notas, quemadmodum ridicula poetarū cōmenta naturales saepe solent habere causas:

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris,
Exululat, frustraq; loqui conatur.

PENTHEVS dum sacra Bacchi cōtemneret, ulciscente numine, in furorem raptus est. Verg. lib. 4. Aeneid.

Eumenidū ueluti demens uidet agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplices se ostēdere Thebas.

PROETIDES ira Iunonis, cui sese praeferebant, bouina insania laborarunt. Aelianus.

LYCVRGVS Dryantis filius, rex Thraciae, à Baccho (cuius numen aspernabatur) in furorem uersus, uites excindere uolens, crura sibi amputauit.

Lacedaemoniorum, Chiorum, Boeotorū mulieres, furore bacchico insanierunt. Solas Minyades LEVCIPPEN, ARISTIPPEN & ALCITHOEN aiunt hanc choream detrectasse, ob eam causam, quòd maritos ambirēt. Itaq; cùm opificio lanae summo studio incūberent, confestim hederę racemiq; in colis serpserunt, in calathis dracones nidos posuerunt, & à summis pensis lactis uiniq; guttae destillarūt. Mox inuasit eos furor extra Cithęronē: quo & Leucippae filium, Hippasum tenerū adhuc discerpserunt, hinnulum esse putantes. Hinc in aues sunt mutatae: & una assumsit formam cornicis, altera uespertilionis, tertia noctuae. Aelianus lib. 3.

EVRYPYLVS mēte captus est ob arcam, in qua Liberi patris signum inerat, temerè apertam.

CAMBYSES Persarum rex quum bouem Apin (quem Aegyptij pro deo colebāt) immolasset, furijs agitatus, uniuersam propè familiam deleuit. Herodotus in Thalia.

MILO Epirota, quum hastam in Laodamiam filiam Pyrrhi cōiecisset, quae ad aram Dianae uelut ad asylum confugerat, dea uindicante, in furorem uersus est, quo intra duodecimū diem periit.

FVLVIVS Censor, cùm ex Iunonis templo marmoreas tegulas sustulisset, ijsq; Romae ędē Fortunę equestris tegeret, mēte captus est. Lactantius lib. 2. cap. 8. de Origine erroris.

THEOPOMPVS historicus propter uulgatos libros sacros Iudaeorum per XXX dies insaniit.

IVSTINVS minor Imp. ab initio liberalis uisus: uerùm à Sophia coniuge persuasus, auarissimus euasit, simul & Pelagianae adsertor haereseos. Quapropter pro insano ad postremum habitus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

Greg. Magnus in epistola ad Theoctistū inquit, QVENDAM ex Longobardis Arianum Veronę reperisse clauem Petri auream, ac cultro eam incidisse. Quod quamprimùm tentarit, furore correptus satanico, cultro sibi iugulum disciderit, eademq; hora expirarit.

Regino narrat, CLODOVEVM Dagoberti F. regem Francorum, propterea quòd minus religiosè corpus Dionysij discooperuerit, & os brachij eius auulsum rapuerit, confestim stupefactum in amentiam incidisse, & post duos annos uitam cum regno finijsse. Idem Adon Viennensis aetate 6. & Nauclerus Generatione 23. Sigebertus circa annum Domini 660. Gaguinus lib. 3. c. 4.

Caede, Parricido.

Cùm omnia absoluisset certamina HERCVLES, Megaram uxorem Iolao nepoti, propter parentis erga liberos suos officia, concessit: existimans amplius ex ea liberos suscipere calamitosum fore. Ad prolem uerò procreandā, alteram minimè suspectam quaerens, Iolem Euryti filiam in Oechalia dominātis petiit: qui Megarae repulsam ueritus, super eo matrimonio se consulturum respondit. Hercules frustratus spōsa, iniuriaq; motus, Euryti abegit equos. Iphiclus frater cùm ad equos inuestigandos Tyrinthum uenisset, iussus est ab Hercule turrim quandam altam ascendere, speculatum sicubi fortè equi pascerentur. Sed cùm nullos uideret, Hercules quasi falsò insimulatus furti, de turri praecipitem Iphiclum dedit: & inde ob caedem furiis agitari cepit. Diod. lib. 4. c. 2.

ALCMAEON, Amphiarai & Eriphyles filius, propter interfectam matrem furijs agitatus est.

Apud Chaones adolescens quidam primae nobilitatis Anthippen amauit. Festiuitatem autem publicam Chaonibus agentibus, omnibusq; conuiuantibus, digressi, in syluam quandam peruenerunt. Forte fortuna regis filius CICHYRVS pardalim fugientem persequens, iaculo emisso puellam transfixit. Equo adacto quum uideret adolescentem in uulnere puellae manus habentem, amens factus, ab equo in praeruptum locum delapsus interijt. Chaones in honorem regis eundem locum muro cinxerunt, & ciuitatem Cichyrū appellarunt. Parthen. de Amat. cap. 32.

Aegisthus Agamemnone cęso, filium quoq; eius ORESTEM erat occisurus. Is ab Electra sorore admonitus, profugit ad Strophium principem Phocensium, qui sororem Agamemnonis in matrimonium duxerat. Vbi ad duodecim annos

commoratus,cùm iam ad robustiorem ætatem peruenisset, tanquam nuncius mortis Orestis,ad Clytemnestram matrē admittitur:atq; Electra conscia,quæ data fuerat in matrimonium cuidam agricolæ,ne possent, qui ex illa nascerētur,ad regnum aspirare,matrem & Aegisthum eodem ferro obtrūcauit in paternæ cædis ultionem,oraculi iussu,ut ait Euripides in Oreste.Narrant Oresti post illam cędem diem dictam fuisse apud Areopagitas, ut sensit Nymphodorus, ab Erinnybus ultricibus scelerum:ut uerò Dionysiocles,à Tyndaro patre Clytemnestræ: ut uerò Amorgius Simonides, ab Erigone Aegisthi & Clytemnestræ filia: in quo iudicio cū par esset utrinq; suffragiorū numerus inuētus,absolutus fuit, & Areæ Mineruæ aram erexit,quam ita cognomento appellauit,quia ἀρᾶσθαι sit precari, quòd preces eius exaudierit,infectantib.Furijs.Nam cùm è patria in Messeniam profugeret, ibi primū furijs correptus fuit, ut ait in Arcadicis Pausanias. Alij dicunt, Orestem sibi manus alterius digitum hic arrosisse,impatientem furoris, ubi nigræ Furiæ sibi obuię primū fuerunt,quæ adeso digito mox sibi albæ uisæ sunt:quare ad seipsum rediit.Natalis Comes lib.9.Mythol.c.2.Hinc prouerbiū, Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν,Oresti texere lænā,hoc est,munus parare abusuro. Nam Orestes per insaniam uestes dilacerabat.Erasmus in Adagijs.

Erāt Symmach⁹, & illius gener Boethius summo nati loco, ac inter Romanos,senatoriosq; uiros facilè principes, consulari etiamnū persuncti dignitate:uerùm cum primis philosophiæ mysterijs abūdè illustres ac benefica natura plerisq; salutares.Sed uti in magna ferè assolet gloria,emulorū sese,p̄mebant odia & simultates.Vnde factū,ut tanquam rerū nouarū studiosi,in suspicionē uenerint Gothorū regi THEODERICO: qui hoc nomine bonis publicatis, etiā illos interimi iussit. Sed quū mox cœnanti miræ magnitudinis piscis percoctū caput apposuissent ministri,Symmachi esse id, uisum regi, quando & ab inferiore labro prominere dentes opinabatur,ac prærigidos toruosq; oculos interminari grauius, ac ultionē intentare. Qua monstri specie is cōterritus, cōtremiscensq; totus ac rigens quum decubuisset, mox extabescens luctu obiit. Cælius lib.27.cap.22.A.L.

BESSVS quidam cùm patrem interfecisset, delituit longo tempore.At quum aliquādo cœnatum iret, nidum hirundinum hasta impellens deturbauit. Quumque cœnantes hanc eius crudelitatem detestarentur: Nonne, respondit, iamdiu falsum testimonium aduersus me ferunt, clamantes me patrē meum interfecisse? Præsentes admiratione ducti,hæc uerba ad regem detulerunt,qui tormentis eum subiecit, req; diligenter discussa, parricidij pœnas de eo sumsit.Plut. de Sera numinis uindicta.

Ira, Indignatione.

AIAX Telamonis filius, propter arma Achillis mortui data Vlyssi in uirtutis premiū,in furorē uersus, armenta loro cędēs,existimans se interficere Græcos, tandem proprio gladio incubuit.Sophocles in Aiace.

CLEOMEDES Astypalæensis, prodigiosis homo uiribus, quum Iachum Epidamnium athletam ictu pugni interfecisset,interfectiq; aperuisset latera,ac propterea iudices tantam perosi feritatem in eum uellent animaduertere: in furorē uersus, columnam (qua ludi literarij domus fulciebatur)disiecit, eaq; ruina pueros omnes obruit.Sūt qui dicāt, hunc furorem eidem incepisse, quòd uictoriæ præmio fuisset fraudatus.Plut.in Romulo.

CAROLVS VI.Francorum rex infensus Britanno duci ob sinistras suspiciones quasdam, tantum animo certamen imbibit, ut omni cogitatione in unam ulciscendi curam uersus, immemor aliarum rerum, neq; cibum neq; quietem caperet.In Cenomanos profectus, eò copias ut Britannum euersurus conuenire iussit, nec Britannos legatos perpurgantes admitti ad se uoluit.Ad quintū Calendas Iulias,annò Christi 1392. ex Cenomanorum urbe, obsecrantibus Ducibus medicisq; ut maneret,æstuosissimo die, feruenti Sole, sub meridianum tempus, leui galericulo capite operto in equū insilijt, iussis se sequi quibus cordi foret. Vixdum ad alterū ab urbe lapidem peruenerat,cùm penitùs conuulsa mente, furoreq; percitus,stringit repentè gladium, unum atq; alterum comitum occidit,complures malè multat,quoad lassitudine confectus, equo delapsus excipitur. Ferūt quendam insolita miraque specie eremitam ei occurrisse, prehensoq; habenis equo,dixisse,Quò miser ruis? proderis. ad eiusque conspectum mentem immutatam. siue mortalium cuiuspiā uera species,siue oculorum ludibrium præstigiæq; ei se obtulere,abiereque, præ præsenti pauore nemine prehendere, asseruaréue,aut insequi auso,percontariq; quis, unde, quid afferret:siue Rex eam speciē animo concepit, idq; argumentum alienatæ mentis,nō causam alienādæ extitisse.Pro mortuo inter manus Cenomanos reportatur, ibiq; per multos curatus dies, cùm initio nec se nec suos nosset, paulatim cōualescere cœpit.Restitutus ita animus, ut semꝑ diffideretur sanitati pectoris per interualla temporis periclitantis, titubantisq;,ita ut patruis Regis administratio regni committeretur:multoq; grauius mens læsa, quando uix picis incendium effugit.Aemilius lib.10.

Mœrore.

ACCO mulier iam decrepita, quum faciem (quam ad speculū explorabat)senio deformatā conspiceret,animi ægritudine in insaniam lapsa est. Aiunt quidā, ipsam consuesse alloqui suā imaginē in speculo, eiq; subridere, comminari, promittere, subblandiri, & quicquid confabulantes solent dicere. Scribunt etiam clauos nōnunquam spongia,ueluti malleo, impingere conatam. Cælius lib.17.c.2.A.L.

TIMANTHES Cleonæus pancratiastes, quū athleticā desijsset,uiriū tamē tentamenta capiebat,arcū ingentem quotidie intendens. Cæterùm peregrè profectus, receptam intermisit meditationē.Reuersus postliminiò, quū se itidē experiretur, nō ualens amplius arcū intendere, animi impos in succensam uiuum se pyram immisit. Cælius lib.17.c.2.A.L.

Imitatione.

GALVS Vibius tam magnæ fuisse eloquētię narratur, quàm postea insaniæ:cui hoc accidit uni, ut in insaniam non casu incideret, sed iudicio perueniret. Nam dum insanos imitatur,dū lenocinium ingenij furorē putat, quod assimulabat, ad uerum redegit. Cælius lib.11.c.13.A. L.

Morbo.

ABDERITAS ferunt, Lysimacho regnante, nouo quodā & mirādo genere morbi infestari cœpisse. Mod⁹ mali erat hic: primùm uniuersim grassabatur febris prærapida succēsaq;: ubi dies aduenerat septimus,ijs sanguis profluebat è narib. copiosè largiterq;: alij sudore multo digerebātur,& hic erat febris finis. Cæterùm perridicula mentē omniū obsidebat affectio:siquidem ad tragœdiam concitabantur,iambicaq; uocalissimè detonabant, sed Euripidis Andromedā in primis,& Persei uerba cantu percurrebant. Prætenuibus ac præpallidis septimanis illiusmodi tragœdis refertissima ciuitas erat, uociferantium hæc & id genus alia:

σὺ δ' ὦ θεῶν τύραννε κ' ἀνθρώπων ἔρως.

O deorum hominumq; amor tyranne.In multum producta est inusitata deliratio hæc, donec hyems & atrox frigus accedens,malo finem induxit.Morbi initium profluxisse hinc opinantur, quòd ea tempestate magni nominis tragœdus Archelaus,æstatis meditullio, caloribus succensis, Andromedam illic actitauit,unde febrium causam in theatro contraxerint Abderitæ:quumq; (ut assolet) tragœdiæ illius spectra menti obuersarentur, conualescentes in eādem per delirium dilabebantur, memoriæ Andromeda inhærente, ac Perseo cum Medusa. Cælius lib.30.c.4.A.L.

Quū Romę QVIDAM phreneticᵘˢ domi cū lanificis puero cōtineretur,fugiens à cubili uenit ad fenestram,per quam & ipse uideri,& prætereuntes uidere potuit.Itaq; ex uitreis uasis singula ostendens,interrogauit,imperarentne,ut ea ꝓijceret.Illi uerò ridētes,plaudētesq;,ut ea proiiceret,rogabāt. Tū ipse omnia arripiēs eiecit, & illi magnis acclamationib. riserunt.Postea,iuberent ne puerū quoq; proijci, quum eos interrogasset,atq; id illi iussissent,ilico ipsum deiecit.quē ab alto cadentē uidentes,suppresso statim risu accurrerūt,& cōfractum iam puerum sustulerunt. Gal. lib.4.de Locis aff.c.2.

CONSTANTINOPOLI olim nouū inopinatūq; pestilentiæ genus cœpit: quod apud Pelusiotas Aegyptios inortum primò,grassari mox latius adortū est. Eius mali hęc ferè habebātur initia:Dęmonū terriculamēta specie humana miseris ingerebant sese ita,uti ab hominib.incuti sibi plagas opinarētur, quib. occursaculi id genus obijciebatur: eantq; ea oriētis mali uelut prooemia. Quib.auerruncādis nullis prorsum amuletis opus erat,uel(ut assolet)mysticis sacrisq; uerbis:sed uelut lymphati ac arreptitij uocantes nec audiebāt, etiam si in arcto asseruarentur. Per quietē obtingebant hęc: quādoq; inhorrescebat febris:sed ita,uti nec color demutaretur,neq; insitus itē calor,nā nec inflāmatio,ut fit, persentiebatur: uerùm tussis infesta erat, nulla discriminis specie. Tubercula sese ostērabāt.sed nō eodē tēpore omnibus, nec eodē loco. Quibusdam profundior obrepebat somnus:aliis dementia cū rerū omniū obliuione,ut in cibi neglectu conficerentur,ac furentes è lecto sese proriperent,ut se daturi in præceps,aut sitis ardore flumina petituri. Morbus tamē hic contagiosus haud fuit.Cælius lib.2.c.6.A.L.

ANDREAS Contarenus ob aduersam ualetudinē parū mente cōstans,Hadriatici sinus præfecturā Venetiis petebat. Accidit ut is post repulsam in comitiis habitā, in adolescentes quosdam inciderit,qui omnem repulsæ culpam per iocū in Franciscum Foscarum Venetorum principē reijcientes, affirmare auderent,nullam homini,Foscaro incolumi,reliquam fore obtinēdę dignitatis spē.Is ira & dolore in apertū furorem euectus,Ducē in Auream ædem sacrorum hora descendentē,per secretioris colloquij speciē,medijs scalarum gra-

dibus aggreditur. Cedentibus qui proximi steterāt,ut ad aurem cōmodius admitteretur, exerit repentè ille cupressēum pugionē,quem sub pallio occultum habebat:iugulassetque continuò senē,nisi Senēsium legatorum alter, qui proximo loco steterat,arrepto illius brachio, in faciē circa nasum uulnus detorsisset. Continuò Patrū apparitorumq; turba cruentatum ducē reumq; uno tempore circumsistunt: hunc protegunt,illum fugam molientem,ad supplicium retrahunt.Retractus eodem loco dextera truncatur, cum qua ad collum suspensa,ex superiore parte curiæ,uel ut alij dicunt,ad geminas columnas laqueo necatus est.Sab.lib.1.Dec.3.

LAVRENTIVS Laurentianus,Florentinus medicus præclarus,& Galeni interpres,cùm domo emta, ea pactione tertiā precij partē numerasset, ut nisi intra sextum mensem totius summæ pecuniam repræsentaret, arrhabonis pecunia lucro uenditoris amitteretur:aduentante die, cùm soluendo non esset,animum despondit,in profundumq; puteum se coniecit:sub id tēpus,quo Petrus Soderinus,erecto populari dominatu,tanquam Dictator perpetuus, Florentinæ Reipub. præsidebat.Iouius in Elogiis.

Vino.

☞ *Hic uitiatam ratiocinationem consideramus, quatenus Animi facultatem læsam ipsa denotat functio. Sin organū ipsum perpendas,inter uitia Corporea referetur. Si denique Habitum animi,ad locum Intemperantiæ pertinebit.*

Auctor Timæus est, fuisse Agrigenti domum quandam cognomento τριήρη,id est triremē, euētu tali. ADOLESCENTES aliquot illuc conuenientes conuiuium hilarius agitabant. Mox,uti assolet,quum incaluissent uehementius, ita decussi mente sunt,itaq; externati,ut in triremi se opinarentur constitutos,mariq; altius undabundo,hyemem ingruere atrocem.Proinde,uelut naufragium ueriti,tanquam egestis,quę intus forent,nauigium facturi leuius, uasa omnia, & quicquid mero feruidis occurrebat in uiam, ceu in mare festinātius iactare adorti sunt,accurrentibus hinc inde, qui proiecta diriperent.Insequenti die,ubi affuēre magistratus, factū coarguentes,quum illi necdum satis edormissent, respondēre,se mortis metu præoptasse, quæ in naui forent, disperdere, quàm fluctibus deuorari. Admirantibus mentis stuporē uniuersis,qui inter eos uidebatur natu grandior:Ego, ò uiri Tritones, præ formidine infra thalamos me conijciens in imo iacui.Quumq; amplius delirare animaduerterentur, dimittuntur ab ignoscente magistratu: cōmoniti modò grauius,cauerent in reliquum inuitationem eiusmodi brutalē. At illi,uelut gratiam fatentes:Si,inquiunt, seruati ex tam ꝓcellosis undis portum fuerimus assequuti,inter marinos deos uobis,ut seruatoribus,in patria statuas surrigemus. Cælius lib.17.ca.2.A.L.Athen.lib.2.cap.1.Dipnos.qui TAVROMINITANOS iuuenes fuisse scribit.

Athenæus libro decimo Dipnosophistarum, ex Herodoto libro 6. & Chamæleonte auctorib.refert,CLEOMENEM regē Spartanum cum Scythis agentem consuetudinē,& illorū ἀκρατοποσίαν, id est, meripotationem imitantem,in insaniā uersum fuisse,quemadmodum interpretātur Spartani. Hinc natum apud eosdem uulgare dictum, ut si quādo uelint ζωρότερον πίνειν,hoc est,intemperantius bibere,dicant, ἐπισκύθισον,hoc est, minimum infundito aquæ:pro eo quod dicendum erat,ἐπίχυσον,id est,infunde aquam.Eras.in Adagiis.

Veneno.

☞ *Venenum corpori nocet, & eatenus inter Corporea.Illud idem, Animi facultatem lædens,huius est loci.Si modum spectes,ad amplissimos illos Astutiæ & Perfidiæ locos referri poterit.*

Cnopus ex Codridarum genere, Ionicam coloniam in Asiam deducens, cum ERYTHREIS bellum gerebat. Oraculo edoctus,ducē itineris sacerdotē Hecates Chrysamen sibi adiunxit.Quę pharmacis potionata taurum de grege maximū & pulcerrimum,cornua eius inaurauit tāquā adductura ad sacrificium,in cōspectu hostium extructa ara. Taurus œstro percitus,exiliit, magnisq; mugitibus editis fugit. Hostes in sua castra ferri taurum uidentes,quasi faustū omen suscipiebant,cōprehensumq; diis immolabant,ac de mortuo quilibet partem arripiebāt.Quo facto omnes repētè furore correpti discurrere,exilire,saltare,custodias relinquere. Cnop⁹ in occasionem intentus,omnibus interfectis,urbe florentissima potitus est. Polyænus lib.8.

ARIDÆVS Philippi F.ex obscura muliere, & uulgāte corpus Philine,medicamētis ab Olympiade Alexandri matre uitiatus,mente debilitatus fuit.Plut.in Alexandro.

Pontica gens Heptacometæ super arboribus ac turribus habitāt.Vnde antiqui Mosynœcos appellauere.turres enim mosyni uocantur. Tres Pompeij COHORTES, dum montana pertransirent, miscendo crateras furentis mellis, quod rami arborum ferunt, potos & mente alienatos adorti,interemerunt.Strabo libro duodecimo.

M.Antonio exercitum è Parthis reducēte, MILITES fame coacti herbā uorarunt lethiferā. Qui eā sumserat, nullius alterius rei meminerat uel notitiā habebat:unum agebat, ut omnem lapidem moueret & uersaret,quasi rem efficeret magni momenti.Plenus cāpus fuit humi inclinatorū,lapidesq; eruentium & transferentium. Postremò bilem uomentes emoriebantur, quando unicum remedium deficiebat uinū. Plutarchus in Antonio.

Eusebius ad regē Longobardorū ADALVALDVM magnis de rebus ab Heraclio Imp.legatus,cùm apud regem familiariter ageret, siue iussum Imperatoris, siue consilium suum sequutus, Adalualdo è balneo exeunti poculum specie salutiferum dedit. Quo epoto rex desipere, ac planè mentis impos esse instituit.Quod ubi sensit Eusebius,ipsum & iuuenem, & amentem impulit, ut propriæ securitatis caussa principes Longobardorū è medio tolleret. Cœpta inde cæde,ac iam duodecim è primoribus interemtis,ne malū longius serperet ueriti Longobardi, ipsum anno 624.tumultu excito,regno cum regina matre Theodelinda exegerunt:atque in eius locum Arioaldum Ducem Taurinatium suffecerunt,cui Gundeberga Adaluadi Regis soror erat matrimonio copulata.Sigonius lib.2.regni Ital.

ARNVLFVS Imp.Lambertū,Vidonis Italiæ regis F.in ducatū Spoletanum persequebatur, regem Berengarium à Vidone pulsum secum trahens.Lamberto uerò incertis in locis latitante,nec sui copiā faciente,Camerini Ageltrudam eius matrē obsedit.Mulier cęteris destituta subsidiis,cùm ad uim nō par esset,ad dolum se contulit. quippe occultè per ministrū pecunia corruptum soporiferum ei poculum ad leniendā, ut præ se ferebat, iracundiam præbuit.Quo hausto,repentè somno ille est captus.Ex quo post triduum excitatus, cū neque sentire,neq; quæ sentiret exprimere cōmodè posset, ac mugitus potius,quàm uoces ederet,amicorū cōsilio Camerini obsidionē bellumq; aduersus Lambertū reliquit,ac Lōbardiā uersus ire perrexit. Verùm cùm in Etruriam trāsgressus montē Bardonis ascēderet, libido incessit Berengarij, ꝗ in comitatu aderat,excæcandi,atq; regni Italiæ occupandi. Qđ ubi Berengarius,ꝗ laternariū agebat,à cognato suo,Arnulfi familiari,fortè cognouit,trepidus eū,laterna alteri data,deseruit, Veronāq; se & Forumiuliū retulit. Ea causa factum,ut re uulgata Arnulfus ab Italicis despici,& pro nihilo duci sit cœptus.Itaq; Papiā cùm peruenisset, irati Papienses per noctē milites eius in urbe incautos adorti tanta cęde,ꝓstrauerunt,ut salutis causa se in cloacas abscondere cogerētur.Ob id,cùm de reditu in Germaniā cogitaret, atq; Veronā transire propter magnas Berengarij ibi sedentis opes nō auderet, per montem Iouis trans Alpes abijt.Sigonius lib. 6.regni Italici.

Plinius & Edouardus Vottonus scribunt,cerebrum ursi deuoratum ingignere imaginationes, quasi in ursum quis transmutatus sit.Id nostro hoc seculo cuidam HISPANO nobili oblatum fuisse edendum traditur,qui per deserta & montes uagabatur,se in ursum esse conuersum phantasia uitiata ratus. Vierus lib.3.c.21.de Præstig.dæm.

Vierus lib. 2.cap. 34. de Præstigiis dæm.talem recenset historiā popularem.Mulier quædam ad rem attentior, TRITVRATORES in multos conduxerat dies,curaratq; ex lolio diligenter excreto molito pinsitoq;,admista secalis farina, panem apparari & coqui, ut eos minoribus sumtibus aleret. Quo quum essent pasti,in quandā leuem inciderunt amentiam:& cùm essent aliquandiu rotati uertigine, lassi ad unū omnes in profundum longumq; inciderunt somnū, ut pro labore,quem uetulæ præstare oportuisset, ipsi continuè sterterent: donec ea tandem post alterum aut tertium diem errore animaduerso,uictus rationem mutaret.

Philtro.

L.LVCVLLVS cū iampridē se Rep.abdicasset, postquā Cicero est in exiliū pulsus,atq; in Cyprū missus Cato,in totū obtorpuit.Dicitur ante obitū è mente paulatim emarcescente laborasse.At Cornelius Nepos senio uel morbo negat Lucullo mentē motā: sed Callisthenē *libertū* dedisse illi uenenū,ut impēsius ab eo diligeretur, quod amatoriū existimabat esse:at ita id soluisse & alienasse mentem eius, ut uiuētis etiam procuraret facultates frater.Plut.in Lucullo.

M.ANTONIVM Triumuirum Cleopatra Aegypti regina philtro ita dementauit, ut nulla ratione habita uel periculi uel dedecoris,unam Cleopatram & spiraret & loqueretur. Plutarchus in eius uita.

COR.GALLVM Aegypti præfectū sub Augusto amatoriū poculum ad insaniam redegit.Eusebius in Chronicis.

A Cæsonia uxore credebatur GAIVS Imp.medicamēto amatorio potionatus,ut ualetudinem neq; corporis neq; animi integrā habuisse feratur,præsertim cùm puer sæpe comitiali morbo laborarit: & insomnio usqueadeò uexatus sit, ut

rarò plus tribus horis nocte dormiret. Ob id nullum habuit natura horridum, & ex industria tetrum in terrorem formabat: quia oculos concauos cum temporibus excauatis in lata fronte gestabat, eminentis alioqui staturæ. Suetonius, & Iosephus lib. 11. Antiq. Satyricus id poculū ex hippomanes apparatum fuisse ait: —Si non
Et furere incipias, ut aunnculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontē Cæsonia pulli Insudit.--

Eusebius Cæsariensis scribit, LVCRETIVM poetā amatorio poculo in tantum furorē uersum, ut se tandē propria manu interemerit. Sunt qui arbitrātur, uxorē illius huiusmodi obtulisse poculum, & eā Lucillā uocatā, ex Hieronymi testimonio in Russinū, cuius hæc sunt uerba: Liuia uirum suū interfecit, quem nimis odit: Lucilla suum, quē nimis amauit. illa sponte miscuit aconitum: Lucilla decepta, furorē propinauit pro amoris poculo. Cælius lib. 17. c. 2. A. L. ex lib. Tēporum. Hinc Statius: Et docti furor arduus Lucreti.

Quum STEPHANVS eques Neapolitanus, poculo amatorio insanisset, teneretq; oppida & nonnulla regia officia, ab Alphonso Aragonum rege tradita, fuerunt qui ab Alphonso illa bona postularent: absurdum esse dicentes, à demente huiusmodi bona possideri. Quibus rex respondit: Sibi inhumanissimum uideri, ijs se etiam substantiam auferre, quibus sors mentem & cerebrum abstulisset. Panormita. lib. 4. de Gestis Alfonsi.

ΚΤΗΣΙΣ. INSANIAE Habitus.

QVI INSANI FVERINT.

LYCVRGVS rex Thracum ob amputatas uites furore immisso bacchico sibi crura succidit.

PERIANDER tyrānus Corinthiorū insanus factus, cùm per imprudentiā cū matre coiuisset. Ex Parthenij Eroticis c. 16.

Per totam HISPANIAM frequentes sunt melancholici, Cæsaraugustæ præsertim, ubi domus publica hoc morbi genere laborantibus dedicata est, multiq; adeò, qui ualetudinis uitio furunt, ibi cōmorantur: ut non solùm totam ciuitatem mira lamentatione, uario plangore & fremitu conficiāt, uerumetiam totam Hispaniam mirabilis suis dictis ac factis cōpleant. alius enim ibi Imperatorem se dici & esse contendit serio: alius, mitram gestans, summum Pont. crucis q; signo hominibus benedicit: alius belluam immanem, & catenis cō stringitur: imò etiam qui dam nihil se granum putat, qui à gallinis uorari metuens, illas quantum potest & fugit & odit. Pascasius Iustus lib. 1. de Alea.

QVALI INSANIA LABORARINT.

Dæmoniaca.

Consule Titulum Magorum.

Io. Bapt. Porta Neapolitanus lib. 2. Magiæ nat. sic scribit: Incidit mihi in manus VETVLA quædā (quas à strigis auis nocturnæ similitudine Striges uocant, quæq; puerulorum sanguinem è cunis absorbent) sponte pollicita bicuis mihi tēporis spacio allaturā responsa. Iussit omnes foras egredi, qui mecum aecin erant testes: spoliisq; nudata, tota se unguento quodā ualde persicuit, nobis è pœnæ rimulis conspicua: sic soporiferorū ui succorum cecidit, profundoq; occubuit somno. Fores ipsi patefacimus, multum uapulauit, sed tanta uis soporis fuit, ut sensum eriperet. A somno expergefacta, multa incœpit sani delira, se maria mōtesq; trāsmeasse, falsa depromens responsa. Ha e ille. At Bodinus animo illam non corpore abreptam fuisse contendit: & hac ratione multos magorum latere.

Philosophica.

MENEDEMVS Lampsacenus Cynicus, eò insanię uenit, ut sub furiæ larua circuiret: dictitans se exploratorem ab inferis uenisse, delaturum dæmonibus mortalium peccata. Laertius lib. 2. cap. 18.

Superstitiosa.

Ex Tit. Hæreticorum huc quædam pertinebunt.

Amatoria.

Corinthij à Cypselo & Gargaso missi Acarnanię litus occuparunt, ad Ambraciū usq; sinū, & Cherroneū Isthmō perfosso Leucadē in insulæ formā redegerunt. Locus qui quondam fuerat Isthmus, nunc fretum & Euripus est, ponte iugabilis. Eum mutato nomine dixere Leucadē, sumto, ut reor, à Leucata uocabulo. Est enim albicāti colore petra in pelagus ꝓiecta. Habet insuper & Apollinis Leucatæ fanum. Ibi saltus fit, qui ad sedandos amores ualere creditur. Quo in loco SAPPHO prima dicitur superbè ab excelsa se deiecisse petra, stimulante Cupidine, sicuti Menander autor est,
Præruptam nacta in transitu petram,
Cupidinis œstro percita, è summo præceps ruit:
Ex animi tui sententia, rex imperiose.

Et Menāder quidē omniū primā Sappho, antiquiores uerū Cephalvm prius saltasse tradunt, Ptaolæ uel Pterelę captum amorib. Deioneī filiæ. An occasionē huic insaniæ superstitio dedit? Leucadiis certè mos erat patrius, ut in Apollinis sacrificio, sontē quotannis aliquē, auertendę deorum iræ gratia, de montis specula deijcerent, applicitis pennis, auibusq; uariis, quib. leuari posset, ut saltus ipse ꝓinde ac uolatus efficeretur: multi interim circumstantes cadentem excipiebāt nauiculis, & pro uitribus cōseruatum extra patrios fines emittebant superstitem. Strabo lib. 10. DEVCALIONEM primū sese inde præcipitem dedisse amore Pyrrhę, Ouidius testatur in epistola Sapphûs. Charon Lampsacenus cum Plut. PHOBVM Phocēsem primum ex Codri genere. Ex eadem postea quoq; CALYCE puella sese ꝓcipitauit, cùm Euathli adolescētis nuptias impetrare nō posset. Et Cephalus quidē cum Deucalione seruatus est, & amore liberatus: at Sappho & Calyce perierūt, quia uitulis ille saltus Leucadius erat, fœminis nō cōueniens. Quamobrē quidā masculā Sappho, id est audacē uocari uoluerunt potius, quàm à libidine nefanda. Gyraldus Dialog. 9. Hist. poet.

Hippocrates Cous per omnē Græciā medicinæ gloria omnib. admirationi fuit, adeò ut etiam à Perdicca Macedonum rege, qui tabe laborare putabatur, uocatus publicè sit: ad ipsumq; unà cū Euryphonte, qui ipso ætate maior erat, peruēniens, animi hunc affectū esse certis signis deprehendit. Post mortem enim Alexandri parentis, unā ex pellicum eius numero, Phylam nomine, PERDICCAS deperibat: ad quam quum rem ipsam Hippocrates detulisset, postea ex illius cōspectu omnino illum mutari obseruauit, atq; ita morbo depulso regem conseruauit. Soranus in eius uita.

Hypatia Alexādrina mulier doctiss. usqueadeò pulcra & formosa erat, ut QVIDAM etiam auditor eius eam adamaret. Is cùm amorem uincere non posset, sed ipsi etiam affectum suum proderet: indocti quidem tradunt, cū ab Hypatia morbo illo per musicam esse liberatum. Alij uerius narrāt, ipsam prolaris quibusdam muliebribus pannis, in cumq; coniectis, & impuri ortus signo demōstrato, dixisse: Tale est quod adamas, adolescens, nihil autem pulcrum. Illum uerò præ pudore & stupore indecoræ demonstrationis erubuisse, & modestiorem esse factum. Suidas. Eunapius magica ui à Maximo liberatum scribit.

FAVSTINA imperatrix ab insano amore gladiatoris liberata fertur, epoto eiusdem ingulati sanguine.

Confidentes.

ARCHELAVS Macedonum rex, atræ bilis habitu sibi maiorem in modum confidens, nunquam non ꝓpe plenus erat. Cælius lib. 17. cap. 1. A. L.

Desperabundi.

PORPHYRIVS Tyrius patria, cōfecisset sibi monē aliquādo atra bile perciſus, nisi præceptoris Plotini auctoritate à proposito esset reuocatus. Sab. lib. 6. En. 7. ex Eunapio.

Mirum est quod à recentioribus est prodium, haud ita pridem in Lugdunensi Gallia contigisse, ut extra ullum corporis incommodum, quod quidem appareret, crebrò MVLIERES in præaltos se puteos demersum pergerent. Cælius lib. 23. c. 32. Antiq. Lectionum.

Meticulosa.

Consule locum Timoris.

PISANDER Alexandrinus seu Rhodius, historicus, tanta laborabat melancholia, ut sibi continuò timeret, ne suę ipsius umbræ occurreret: anima enim se uiuens destitutum existimabat. Cælius li. 17. c. 2. A. L. TALEM quoq; Ferrarię fuisse, Gyraldus in primo Tomo hist. Poet. dialogo 3. testatur, qui nullo pacto à Nic. Leoniceno Medico persuaderi potuerit, id impossibile esse, ut quis absq; anima uagaretur. Et rationes quidem omnes propositas probabat, præmissasq; concedebat omnes, uerūm ubi argumentationis conclusio afferretur, totū illud se negare dictitabat.

LIBERTINI eiusdam meminit. Hor. lib. 2. Sat. 3. hisce uerbis:
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis manè SENEX manibus currebat, & unum
Quoddam magnum addens, Vnum me surpite morti,
Dis etenim facilè est, orabat, sanus utrisc;
Auribus atq; oculis mentem nisi litigiosus
Exciperet dominus, quum uenderet.

Auara.

Ex Tit. Auarorum huc quædam.

Heraclides Ponticus apud Athenęum lib. 12. cap. ult. auctor est, THRASYLAVM Axonensem Pythodori filium (quem Aelianus lib. 4. Var. hist. Thrasyllum uocat) hoc insaniæ genere correptum fuisse, ut existimaret naues omneis quæ in Pyræeū appellerent suas esse. Eas appellentes summa cum uoluptate recipiebat: soluentes dimittebat, ac prosequebatur, in summa felix erat, perinde quasi tātarum rerum dominus. Si quid periisset, non requirebat: si quid esset incolume, uehemēter gaudebat, aliis iactitans suam fortunam. donec Crito frater e Sicilia reuersus correptū hominē traderet medico. Cæterū is ad se reuersus, negauit unquam suauius uixisse sese, quàm cū eo mentis errore teneretur. Siquidē cùm tantū adesset uoluptatum, nihil unquam sensisse molestiæ.

Quidam PRÆDIVITI, famem timenti, inquit Celsius, subinde falsæ hæreditates nunciabantur.

Crudeli.

Ex loco Tyrannorum huc non pauca.

ATTALVS Pergami rex, qui cum Rōmanis imperatoribus in Antiochum regem & Gallogræcos admodum iuuenis militauit, fuit, ut Liuius ait, Eumenis frater, ut Trogus, fratris filius. Florus Eumene genitum creditit. A quo regnum florētissimum per manus acceptum amicorū cædę, inuidiosisq; cognatorum fœdauit suppliciis, nunc matrem anum, nunc Berenicem sponsam, eorum maleficiis extinctas, ulcisci se testatus: atq; ita in suorū perniciem uariè debacchatus, barbam & capillum reorum more submisit, non in publicū ꝓdire, non amicis alijsúe sui adeundi copiam facere, nō conuiuari, nihil fani hominis præ se ferre amplius. Postremò regni cura abiecta, hortos fodiebat, gramina, uenenaq; noxia innoxijs miscens serebat, indeq; uenenatam frugem, ut peculiare munus, hospitibus & domesticis mitrebat. Mox ab eo studio ad ærariam fabricam animum adiecit, multumq; ac diu in fundendo cudendoq; ære uersatus, quum demum matri ex ea materia sepulerū facere instituisset, essetq; operi intentus, graui morbo ex Solis ardore contracto, septimo à primo decubitu die uita decessit. Sab. lib. 9. En. 5.

Auctores habeo, Orestam ad Hebrum ciuitatem ab Oreste cōditam, fuisse Adrianopolim nuncupatam de principis ADRIANI nomine, qui tempestate is furens, ac ciuiū cædę ad libidinē grassatus, responsum accepit, in furiosi cuiusꝑā domū obreperet. Nā inde remollitā insaniæ uim, ꝓditum literis est. Quīq; furēti senatores subtraxisset plerosq; Antoninus, etiā Pij cognomentum est assequutus. Cælius lib. 17. cap. 2. Antiq. Lect.

HARTBENVS Helsingus gigas nouem cubitos procerus erat. Huic duodecim athletæ contubernales fuere, quibus id officij erat, ut quoties illū præsaga pugnæ rabies incessisset, uinculorum remedio oborti furoris impetū cohiberent. Ab his Haldanus Danorū & Sueconū rex, ꝓuocatus erat ad singulare certamen. Quo audito Hartbenus repentino furiarū afflatu correptus, summas clypei partes dentib. absumsit, igneos carbones deglutiuit, per medias flammas cucurrit, sex athletarum suorum occidit: Haldanum residua pugilū manu petiit. A quo ingenti malleo contusus, uita ac uictoria caruit, deditq; pœnas & Haldano, quem prouocauerat, & regib. quorum filiabus per uim potitus fuerat. Saxo lib. 7.

MICHAEL Græcorum Imp. adeò mente excedebat, ut familiares suos iuberet occidi: quos ad se rediens, requirebat, tāquam uiuos. Sigebertus in Chron.

Ann. sal. 1407. Vuismariæ FABER quidam lignarius, qui certis interuallis insaniæ laborare consueuerat, dum opus facit, properè fecuri prehēsa, domum repetens, liberos duos per medium secuit: tertium mater prægnans cum eiulatu uiro eripere conabatur. Ille in eam uersō ictu, uno impetu duos strauit. Cruentatus ad laboris socios reuersus, & causam cruoris rogatus, ad se reuersus, & recordatus quid fecisset, domū propere currēs, cultrum proprio suo dehsit in pectore. Cranzius lib. 10. Vuandaliæ cap. 10.

Vaga.

PROETIDES, filiæ Prœti Argiuorū regis, dum Iunoni se præferūt, in furias uersę, ac postmodū mutatæ in uaccas, ut Maro canit, implerunt fallis mugitibus agros. De ijs sic Aelianus lib. 3. Elegā & Celenā filias Prœti, regina Cypri ad insaniā impulit, quæ in quibusdā Peloponnesi locis uisę sunt nudæ furentesq; discurrere. Eruperunt etiam in alias regiones Græciæ, agitatæ impulsæq; isto morbo.

Lyci uxor ANTIOPE præ cæteris dijs Libero patri honorem habebat. Cùm uerò ab eo contendisset, quæ uulgo prodita sunt, Deum illi aiunt uehementer succensuisse: & ex eo, immisso furore, mente captam per totam Græciam Antiopen errasse: Phocum uerò Ornytione Sisyphi filio genitū insanię morbo eam liberasse, & uxorem duxisse. quocirca cōmune Antiope & Phoco monimentum positum fuit Thebis. Pausanias in Bœoticis.

Aristoxenus musicus in uita Telestæ, qui cum in Italia uixit, refert casum MVLIERIBVS Italicis accidisse prorsus inusitatum: ut aliquando sedentes ac cœnantes uocantem aliquē se exaudire opinatæ, proripuerint se, neq; teneri potuerint, atq; extra urbem cucurrerint. Locris porrò & Reginis oraculum hac de re consulentibus, respondisse deum, finē mali futurū, si die duodecima pœnas deo canerent uernos LX. Itaque inde in Italia multos extitisse pœnam scriptores. Apollonius de Hist. mirab.

Ludicra.

Digna notatu historia, quam Horat. lib. 2. Epist. ad Florum de ARGIVO quodam commemorat:
——Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In uacuo lætus sessor plausorq; theatro:
Cætera qui uitæ seruaret munia recto
More: bonus sanè uicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem: posset qui ignoscere seruis,
Et signo læso non insanire lagenæ:
Posset qui rupem, & puteum uitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus, curisq; refectus,
Expulit elleboro morbum, bilemq; meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis amici,
Non seruastis, ait: cui sic extorta uoluptas,
Et demtus per uim mentis gratissimus error.

Sed hoc ipsum ab Aristotele Abydi contigisse memorię ꝓditum est in cōment. quo res admirabiles ab aliis acceptas exponit. Aut igitur fefellit memoria poetam, carmē condentem: aut alios auctores, qui in loco ab Aristotele discrepant, secutus est. Victorius lib. 3. Var. lect. c. 9.

Galenus de Sympt. diff. c. 3. de THEOPHILO quodam medico scribit, cui reliqua prudentia supererat, & disputandi, & præsentes exactè noscendi, cæterū tibicines quotidā angulū domus ubi decumbebat occupasse, assidueq; sonare, & pulsare putabat, atq; hos se intueri rebatur, partim illic stantes, partim sedentes, adeoq; sine intermissione sonantes, ut neque noctu neque interdiu usquā uel minimum tēpus quiescerent: exclamare igitur non cessabat, ac iubere, ut domo eijcerentur. Idem postquam planè conualuit, tum reliqua omnia quæ quisq; dixisset fecissetq; narrabat, tum imaginationis de tibiicinum tædio meminerat.

Nouj QVENDAM, inquit Gal. 2. de Motu musc. c. 6. per tredecim dies delirasse hoc pacto. Putabat quidē se Athenis non Romæ iacére. Crebro aūt familiarē puerū uocans, iubebat sibi, quę ad gymnasiū pertinebāt, afferri. & pauca intermissione facta delirij, Heus, ingt, ad Ptolemęū dico, decreui in gymnasio diu lauari. Ac nonnunquā etiā exiliebat interea, atq; indutus ibat rectà ad ostiū anteꝑac cùm retinerent eum, qui intus erant, exireq; prohiberent, cur prohiberetur, ab eis perconabatur. Hi uerò (nihil enim licebat aliud dicere, quā ea quæ erant uera) febricitasse eum dicebant, & adhuc febricitare. Ipse autem & ad hæc ualde modestè respondebat: scire enim & ipse dicebat, quòd adhuc reliquiæ sibi febris restabant, sed eas penitùs esse exiguas, nec metuendū, ne à balneo læderetur: ortā enim sibi totā præsentem febrē ex itinere. Annon recordaris, conuersus ad puerum dicebat, quòd laboriosè heri iter fecimus Megaris Athenas? Talia cum diceret & faceret, fluxu sanguinis per nares repentè copioso sibi facto, & post ipsum sudore, statim quidem conualuit, sed eorum, quæ antè sibi acciderant, nullius amplius recordabatur.

Belluina.

NABVCODONOSOR rex Babyloniorum in eam melancholiam incidit, ut sese bestiam esse arbitraretur, integro septennio.

PROETIDES in uaccas ira Iunonis se conuersas arbitratæ, per totam Græciam discurrerunt. Aelianus.

Literarum monumentis tradit Gulielmus Brabantinus in sua historia, VIRVM prudentem diaboli arte eò perductum, ut aliquibus anni temporibus se rapacem esse lupum putaret, perq; loca syluestria & specus oberrās, maximè pueros persequeretur, sæpeq; uelut amentem pēi nemora uagari inuētum fuisse: sed tandem Dei gratia ad mentem rediisse. Iobus Fincelius lib. 2. de Miraculis.

AGRICOLA quidam Patauinus anno salutis 1541. se lupum esse sibi persuadens, multos in agris insiliit, trucidauitq; ue. Tandem non sine multa difficultate captus, confidenter asseuerauit se uerum esse lupum, diferimen solùm existere in pelle cum pilis inuersa. Rustici creduli, hominem excoriare incipiunt, pertinaciter eo in sententia perstante. Interea perlata in urbem fama, prætoris Patauini cura rusticis ereptus, & in nosocomium perductus, non multo pòst decessit. Vierus lib. 3. cap. 21. de Præstigijs dæmonum. Quam historiam, dum Patauij essemus, ab Antonio Fracanzano Vicetino, Practicæ Medicinæ professore, præceptore nostro, nō semel nos audiuisse meminimus.

CVRATIO. MENS restituta.

MANIÆ, PHRENITIDIS, MELANcholiæ, Amentiæ cura: facta

Sacrificijs.

In ꝓsica Ecclesia DÆMONIACI in cœtum adducebātur, & populus totus orabat Deū, ut apud Chrysostomū, Clemen-

tem (qui orationem tradit elegantissimam) & Theodorum anagnosten legimus. Bodinus lib. 3. Dæmon. c.6. Sic Geraldus nobilitate & diuitijs pollens, forma uillici cuiusdā filię accēsus, oratione sua ad Deū effecit, ut quæ antea pulcerrima uidebatur, maximè deformis apparuerit: & intactam relinquens, pœnitentia ductus, filiam dote, patrē libertate donarit. Marul. lib. 2. c. 4. Sab. lib. 2. c. 5.

Fama est, eaq; celebris, inter Stiriēses NOBILEM quēpiā fuisse, cui sepe in animū uenerit, seipsum laqueo suspēdere. Id ęgrè ferētē, ex docto quodā uiro remediū petiuisse aduersus eam tentationē. Cōsilium datū, propriū uti sacerdotē cōduceret, qui manēti in arce quadā solitaria singulis dieb. rem diuinam faceret. Paruisse nobilem, atq; annū fermè continuasse, nulla suspendij cogitatione interueniente. Postremò rogatum à sacerdote, ut presbytero uicino, qui templi dedicationē in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiā dedisse, proponentem in animo paulo pòst seq, & sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc una nunc altera causa retentum. deniq; circa meridiem profectum, agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem diuinā in monte peractam esse, & populum omnē abijsse diceret. Contristatū eo nuncio, ignobilē infelicēq; se esse dixisse, qui eo die sacrum Christi corpus non uidisset. Agrestem contrà eum consolando, dixisse, uenditurum sese illi præmium quod inter sacra meruisset, sagumq; nobilis petiuisse precij nomine. Venditione facta, nobilem nihilominus montem ascendisse, atque orasse in tēplo: reuersum autem, in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse, nec postea diris cogitationib. uexatum fuisse. Aen. Syl. cap. 21. Europæ.

Distat à Megalopoli Arcadię urbe Messeniā uersus stadia haud amplius VII. ad læuam uiæ militaris dearum fanū, quas, & item sacrum ipsis agrum, Manias uocant, siue Furias: hoc in loco ob matris cędē insanisse ORESTEM tradunt. Nō longè ab eo fano terræ ager surgit non utiq; magnus, è lapide excisum digitum insigne prætendēs. Vnde & illi tumulo Digiti monimentum est nomen. Ibi furentem Orestem tradūt alterius manus digitum alterū abrosisse. Propè est alter tumulus, Ace nomine, quòd ad eum insanię medelā Orestes nactus fuerit. Et illic est alterum Furiarum tēplum. Has deas Oresti, cùm primū est mēte captus, nigras obuias factas memorant. Easdē cùm digitum adedisset albas apparuisse, & earum aspectu statim illum ad se redisse: ieirco ijs, quarum effugit iram, inferias misisse. Posterioribus uerò rem diuinā fecisse dicitur. Ac cādidis quidem deabus, & Gratiis pariter hac etiānum ætate incolæ sacra faciunt. Proximum Ace est templum aliud, Tonstrinum appellant, quòd huc ingressus comam Orestes totonderit. E Peloponnesijs, qui priscas res memoriæ produnt, Oresti hæc in Arcadia accidisse affirmāt, priusquam de eius facto in Areopago iudicium fieret. Accusatorē quidē nō fuisse Tyndareum, quòd è uita iam excessisset, sed à Perilao Icarij F. Clytæmnestræ patruele de matris cæde accusatum. Pausanias in Arcadicis. Cùm oraculum sciscitatus esset Orestes, quo pacto posset ab eo furore liberari? responsum tulit, illud fieri nō posse, nisi in Tauricam Scytharum profectus, Dianæ signum, quod illi eximiè colebant, in Græciam deportasset. Eō cum accessisset, in uincula à pastoribus cum Pylade coniectus (nam Pyladem Strophij Phocensis filium, cum quo fuit à teneris educatus, omnium ꝑfectionum periculorumque socium fidissimum habuit) ad Thoantem regem deducitur, ut de more gētis pro uictima deæ mactaretur. In templo Iphigeniā sororem agnouit, quę sacerdotē deę agebat. Agnitione facta clam fuga adornata cū statua per noctem abeunt. Sed antequam inde soluerēt, Orestes comam lugubrem in Tauris deposuit: quem ritum postea detulit in Cataoniam. Strabo lib. 12. Alij tradiderunt, iuxta Amanum montem, ab insania liberatum, unde etiam mons ipse nomen acceperit, cùm prius Melanthius diceretur, ut ait Plutarchus in lib. de Fluminibus. Alij Palladis consilio Orestem Argos adijsse, & Erinnyas placasse inquiunt, ibiq; eius insaniam desijsse. Natalis Comes Mythol. l. 9. c. 2.

Cæde.

CALYDONII populari uesaniæ morbo uexabantur, qui ebrietati persimilis erat, nisi quòd enecabat, Bacchi ira, Coresi sacerdotis imprecatione, immissus, eo quòd à Callirrhoe uirgine contemneretur. Ex Dodonæi Iouis oraculo mali abigendi ea fuit ratio, si Callirrhoe ad aram Dei immolaretur, uel alius pro illa se deuoueret. Dum insulata à populo ducitur, Coresus amoris impotentia seipsum pro illa occidit: illa nihilominus sese etiā pòst interfecit. Sicq; malum gemina cæde expiatum fuit. Pausanias in Achaicis.

Pudore.

MILESIÆ uirgines cùm nulla de causa populariter suspēdio sibijpsis uitam adimerent, neque mali remedium inueniretur: consilio senis cuiusdam cadauera nuda per urbē tracta: Cuius ignominiæ metu reliquæ resipuere. Aelianus.

Hypatia Alexandrina AVDITOREM quēdam suū se adamātem prolatis muliebribus pannis, & in eum cōiectis, dicēs, Hoc scilicet est, quod amas, ab amoris insania liberauit. Suidas & Ennapius.

Loci mutatione.

ALCMÆON ab Amphiarao patre persuasus, Eriphylen matrem, quæ monili aureo ab Argia accepto, maritū domi latentem, ne ad bellum Thebanum proficisceretur, illic sibi ꝑcundum sciens, prodiderat, interfecit. Diris agitatus, deum qui Delphis est cōsuluit, qua ratione ab insania liberaretur? & responsum accepit,

τιμῆσιν μ' αἰτεῖς δῶρον, μανίαν ἀποπαύσει.
καὶ σὺ φέρειν τιμὴν ἐμοὶ γέρας, ὦ ποτὲ μήτηρ
ἀμφιάρεον ἔκρυψ' ὑπὸ γῆν αὐτοῖσι σὺν ἵπποις.

Monili dedicato, mentē pristinam recepit. Athenæus lib. 6. Dipnosophistarū. Aliter Pausanias: Alcmęon, inqt, Amphiarai F. occisa matre Eriphyle Argis fugiens, Psophidem, quæ tunc Phegia à Phegeo rege nominabatur, se recepit: ibi Phegei filiā Alphesibœam uxorē duxit, cui inter cætera nuptialia dona, decantatum etiam illud monile dedit. Vbi uerò in Arcadibus domicilium habenti insaniæ morbus non decessit, ab Apolline Delphico responsum accepit, in eam terram ei migrandum, quæ omniū esset recentissima, quamq; mare edidisset. Itaq; nactus terrā, è qua Achelous in mare prorūpit, ex ipsa amnis alluuione extantē, in ea consedit, ibiq; Callirhoen Acheloi filiam in matrimonio habuit. Ex ea Acarnana & Amphoterū suscepit. Callirhoe monilis, quod Eriphyles fuerat, potiundi, uehemēti flagrans cupiditate, Alcmæonem etiam inuitum, ut Phegian ueniret, perpulit. Ibi ille Phegei filiorum Temeni & Axionis insidiis circumuētus, periit: ijdem uerò Phegei filij monile Delphico Apollini dedicarunt. Pausanias in Arcadicis.

Saltu.

☞ *Vide Paratitlum, Quali insania, Amatoria.*

Cursu, Agitatione, Labore.

MOERA siue Iphinoe, EVRYALE, LYSIPPE & IPHIANASSA, Prœti Argiuorū regis FF. (Aelianus lib. 3. Elegā & Celenā uocat) cùm fortè Iunonis tēplū ingressæ, temerè se Iunoni cōtulissent, à dea ad insaniā redactæ sunt, ut uaccas se esse arbitrarentur, iisq; rebus terrerentur, quibus solent ea animalia: Prœtus, qui illas sanaret, earum se unam illi uxorē cum regni parte daturum promittit. Melampus conditionē accepit, & eas caprino lacte (ut Aelianus) uel elleboro potas (ut Galenus uult, qui idcirco Melampodion, elleborum uocari asserit) entheis clamorib. & choreis, accitis secum ualidissimis iuuenibus, Sicyonem usq; compulit: in quo cursu Iphinoe maior natu extincta est, secundum Apollodorū. Alij Clitorij fontis Arcadiæ aqua, quæ bibentes abstemias reddiderit, curatas aiunt. Elleborus certè niger caprino lacti incoctus melancholiam educit, & exercitium uehemens per sudorē euacuat, & aquę potus feruorē atræ bilis restinguit. A Prœto duab. regni partib. donatus est, & duæ filiæ superstites Melampo & fratri eius Bianti datæ, Iphianasse scilicet Melampo, ex qua sustulit Antiphatem, & Manto. Gyraldus de Hist. poetarum, Dialogo secundo.

PHRENETICI curati memorabilis historia, in primo Græcorum Epigrammatum, incerti licet auctoris, in hæc uerba circumfertur:

κοινῇ παρ κλισίῃ ληθαργικὸς, ἠδὲ φρενοπλὴξ
κείμενοι, ἀλλήλων νοῦσον ἀπεσκέδασαν.
ἐξέθορε κλίνης γὰρ ὁ τολμήεις ὑπὸ λύσσης,
καὶ τὸν ἀναίσθητον παντὸς ἔτυψε μέλος.
πληγαὶ δ' ἀμφοτέροις ἐγένοντ' ἄκος· ὧν ὁ μὲν αὐτῶν
ἔγρετο, τὸν δ' ὕπνου πουλὺς ἔλειψε κόπος.

Venditione, Seruitute.

Cùm ob Iphiclum de turri præcipitatum iniustè, HERCVLES in amentiam incidisset, Pylum ad Neleum profectus est, ut mundaretur à cęde. Hic cùm filios cōsuluisset, omnes, preter Nestorem iuniorem, minimè purgandum esse censuerunt. Ergo Deiphobum Hippolyti filium adijt. Sed cùm nequaquam sanari posset, deque morbi cura Apollinem consuleret, responsum est, facilem curā fore, si iusto uenderetur precio: idq; Iphicli liberis daretur. Ergo in Asiam nauigans, à quodam ex amicis uenundatus, seruus Omphalæ uirginis factus est, filiæ Iardanes, eorum reginæ, qui aliquando Mæonij, nunc Lydij dicuntur. Precium Iphicli filijs cùm datum esset, pristina ualetudine recuperata, Omphalæ seruiens, omnes eius regionis latrones sustulit. Cognita Herculis uirtute, Omphale liberum ei fecit aditum, & ex eo genuit filium Lamonem. Susceperat uerò & antea seruus ex serua Cleolaum. Sunt qui Medeam, cùm Thebis Herculem in insaniam uersum, ab eoque filios occisos reperisset, medicamentis illum ab eo morbo liberasse tradant. Diodorus lib. 4. capite secundo & tertio: & Sabel. lib. 7. Ennead. 1. Idem ipse quum

quum uel Amphitryonē ex insania interfecturus uideretur, lapide à Minerua impacto, est cōsopitus, ac lapis σωφρονιστὴρ indè nuncupatus. Cælius lib. 17. cap. 4. A. L.

Fame.

Crates Thebanus AMORE laborantibus ostendit remedia: Amori, inquit, medetur fames: sin aliter, tēpus: quòd si nec his uti possis, laqueus. Luxus ferè alit amorem: tempus omnia aut tollit, aut certè mitigat. Hęc remedia si nihil prosunt, superest laqueus, ut morbus finiatur suspendio. Gręca sonāt iucundius, λιμὸς, χρόνος, βρόχος. Laert. lib. 6. c. 5.

Medicamentis.

Strabo lib. Geographiæ 9. duas Anticyras cōmonstrat, & in altera, quæ sit post Crissam oppidū, elleborū nasci: in altera eiusdem nominis, quæ sit ad sinum Maliacum & Oetam mōtem, optimè temperari: atq; in eam quamplurimis è regionibus adnauigari sanitatis gratia. Pausanias in ultimo libro scripsit, supra Anticyram mōtes esse magnopere petricosos, in his copiose prouenire elleborum: nigro purgari aluū, albo uomitū cieri, ac superiora corporis purgari. Stephanus addit, Anticyrensem quempiā fuisse, qui HERCVLEM elleboro dato liberarit insania. Horatius:

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit.

Treis Anticyras dixit pro uniuerso elleboro, significans deploratam & immedicabilem insaniam.

VIR Prætorius ex secessu Anticyræ, quam ualetudinis causa petierat, propagari sibi commeatū apud Caium Cæsarem sæpius desiderabat. Eum ille innata feritate interimi præcepit, adijciēs, Necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diu non prodesset elleborum. Suetonius.

Erasmus Roterodamus in Oratione quam pro laude Medicinæ conscripsit, uidisse se ait uirum nomine PHLIARIVM Spoletanum, qui cùm Italus esset, nec in Germania uersatus unquam, pulcrè tamen Germanorum lingua loquebatur, quasi dæmone detentus: quamobrem curabatur à Panaceo medico celebri: isque medicamento exhibito, magnum uermium numerum eduxit, soluitque hominem morbo, sed linguæ Germanicę usu priuauit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. cap. 43.

Balneo.

Ciuis quidam Mediolani olim dementium & insanorum medicus, habebat domi aream, & in ea lacunam aquæ fœtidæ, in quam nudos ad palum ligabat eos, qui insani adducebantur, pro insaniæ modo, ac eos tam diu aqua atque inedia macerabat, quo ad uiderentur sani. Poggius in Facetijs.

IMAGINATIO, PHANTASIA.

VIGILANTIVM.

Insolita.

Recitat Aristoteles fuisse HOMINEM, qui semper suā imaginem ante se uelut in speculo uideret. Id si ille nō finxit, ostentationis causa & leuitate Græca, certè ob solā uisus imbecillitatē accidere nō potuit, sed accedente ad hanc etiā summa anterioris partis cerebri caliditate, spiritusq; uisiui tenuitate, exhalati quoq; uaporis crassitie, ut sic tāquam è speculo reflecteretur. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. c. 43.

HIER. Cardanus Mediolanensis etiamnū puer ab anno quarto ad septimum usq;, ab hora diei secunda ad quartam semper, aut si modò tardius aut surgeret, aut expergisceretur, imagines uidebat ab imo lecti quasi è paruis anulis ęreisq; constantes, arborum, belluarum, hominū, oppidorū, instructarum acierum, bellicorum ac musicorum instrumentorū, aliorumq; huiusce generis ascendentes, uicissimq; descendentes, aliis atq; aliis succedentibus. Cūq; his maximè puerulus existens oblectaretur, ob idq; intentius inspiceret, Clara mater & Margarita amita diligenter aliquādo interrogarunt, num aliquid uideret? At is quanquam paruulus non ignorabat hoc esse ostentū quoddam, ob idq; cōstanter negabat: timens ne si reuelasset, à spectro destitueretur, aut ma si quicquā pateretur ob arcanum reseratum. Expleto septēnio, domoq; mutata, talia illi apparere omnino desierunt. Card. de Subtilitate, lib. de Mirabilibus. At uerò Bodinus in Dæmonomania hanc magicam ecstasin fuisse suspicatur.

Turbata, Læsa.

☞ *Ex Tit. Insanorum huc non pauca. Sed & Ostentorum quædam exempla imaginaria huc pertinent.*

QVOSDAM inuenias, inquit Galen⁹ tertio de Affectis locis, qui se putent figlinum uas: quamobrem contactum hominum, & omnino propinquitatem expauescunt, ne quo modo cōminuantur decurrentiue. ALII gallum conspicati prius quàm edat cantū alas excutere, ipsi quoq; cōsimiliter brachia motitant, mox & canunt. Meminit talis cuiusdā Rasis in Cōtinente. Sunt QVOS perpetuò timor percellat, ne mundū fulciēs Atlas seruansq; lassescat, isq; feratur in præceps, & omnes unà pereant ruina: proinde fugā semper meditantur, ut (si fieri possit) sese extra mundana claustra proripiant. Cælius lib. 17. cap. 2. A. L.

ALEXANDER ab Alexandro Iureconsf. Neapolitanus de seipso narrat lib. 2. c. 9. Genialium dierum, quòd Romæ ægra ualetudine oppressus, in lectulo, speciem mulieris eleganti forma sibi planè uigilanti obuersatam uiderit: quam cùm inspiceret diu cogitabundus & tacitus, reputans nunquid falsa imagine captus, aliter, atque res esset, aspiceret, & uerò suos sensus uigere, & figuram illam nusquam à se dilabi uideret, quę nam illa esset? interrogauit. Tum illa subridens, & ea quæ acceperat uerba respondens, quasi eum planè derideret, cùm diu ipsum fuisset intuita, discessit.

DORMIENTIVM SOMNIA

Vera.

☞ *De his sub loco Diuinationis.*

Vana.

Apud Lucianum MICYLLVS, per somnium opulentissimus, experrectus, cerdo erat, Iro pauperior.

Nulla.

ATLANTES, Africæ populi, nulla insomnia uident. Herodotus libro quarto.

CLEON Dauliensis, ætate Plutarchi, prędicabat multis, quos uixerat, annis nullam sibi in somnijs unquam speciem obuersatam. Ex antiquioribus hoc idem de THRASYMEDE Heræensi commemoratur. In causa fuit, corporis temperatura: sicut uiceuersa melancholicorum habet multa insomnia multasq; uidet species temperamentum: quamuis somnia appareāt eis ueriora offerri. Plut. de Def. orac.

NERO Cæsar nunquam somniare solitus, nisi post interfectā matrem. Suetonius.

Turbata.

☞ *Ouid. lib. 11. Metamorph. somni ministros facit tres. Ex his Morphe⁹ homines imitatur, Icel⁹ siue Phobetor bruta, Phātasus ea quæ anima carēt exprimit. Exēpla horū ex Artemidoro pete: item ex loco Præsagiorum per insomnia.*

In monasterio Thebaidis, in quo Euphraxia uirgo effulsit, moris fuit, ut quoties aliqua SORORVM minus pudica somnia habuisset, abbatisse confiteretur, & cinere stratis inspersо pœnitentiā ageret. Marulus libro primo, capite decimo, & Sabellicus lib. 2. cap. 3.

Cæsar CALIGVLA incitabatur insomnio maximè: neq; enim plus quàm tribus nocturnis horis quiescebat: ac ne his quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus: ut qui inter cæteras, pelagi quondam speciem colloquentē secum uidere uisus sit. Ideoq; magna parte noctis, uigiliæ cubandique tędio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus uagus, inuocare identidem atq; expectare lucem consuerat. Suetonius.

Terrebatur NERO euidentibus portentis somniorum, & auspiciorū, & omniū tum ueterib. tū nouis: nū quam antea somniare solitus. Occisa demū matre uidit per quietē nauem sibi regenti extortum gubernaculum: trahiq; se ab Octauia uxore in arctissimas tenebras: & modò pennatarum formicarum multitudine oppleri: modò à simulacris gentium ad Pompeij Theatrum dedicatarum circuiri, arceriq; progressu: Asturconē, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. Suet. in Nerone.

OTHO Imp. dicitur ea nocte, quæ cædem Galbæ subsecuta est, per quietem pauefactus gemitus maximos edidisse: repertusq; à concursantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari expelliq; se uiderat, propitiare tentasse. Suetonius.

In SVECIA Septētrionali Gulo animal uoracissimū capitur. Pellis eius preciosiss. dormiētib. Sub harū pelliū tegumētis euenire solēt somnia eius animalis naturæ conformia, quo ad ingluuiē & insidias bestiarum. Olaus. lib. 18. c. 8.

Impura.

D. AVGVSTIN⁹ de somniorū ludibrijs li. 10. Cōfes. c. 30. inter alia hęc queritur. Sed adhuc uiuūt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, & occursant mihi uigilanti quidem carentes uiribus, insomnis autē nō solùm usq; ad delectationē, sed etiā usq; ad cōsensionē factumq; simillimū. Et tantū ualet imaginis illusio in anima mea & in carne mea, ut dormiēti falsa uisa persuadeant, quod uigilanti

uigilanti uera non possunt. Subnectit: Nunquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei soporis extingnere? Augebis Domine magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te concupiscentiæ uisco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in somnis etiam non solùm non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales usq; ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem.

Moribus consentanea.

THESEVS Herculis consobrinus, uirtutis eius usqueadeò æmulus, ut preclara illius facta etiã in somnis sibi occurrerẽt. Plutarchus in Theseo.

THEMISTOCLI Miltiadis Persica trophæa nõ modò somnum adimebant, sed & somnia condiebant. Plut.

M. MARCELLVS Coss. cum Annibale dimicandi eo ferebatur studio, ut sæpe etiam in somnis singulari certamine cum eo sibi uideretur congredi. Plut. in eius uita.

INVENTRIX FACVLTAS.

Inuentio, inter Instrumenta suo loco connumeranda, ad Exercitationem pertinet. Hîc Facultas per se consideratur, à qua Functiones proueniunt similes, de quib. inter Effecta animi.

Laudatur hoc nomine DATAMES Persa, dux inuictus, apud Aemylium Probum, quòd ubi cogitasset, facere audebat cogitata, solitus cogitare priusquam conari. Eras. in Adagiis.

ALCIBIADES Atheniensis, Periclis auunculi imitatione studiosissimus eloquentiæ, in inuentione eorum, quæ dicenda essent, promtissimus erat & ingeniosissimus, siue naturę bonitate, siue etiam Socratis præceptione. Verborum propriorum atque politorũ inuentioni plus nimio studuit, ut quando ea illi non ita expeditè succurrebant, inter dicendum sæpe obmutesceret, & orationis quædam interualla uitiosè admitteret, dum uoces quęrit elegantes & numerosas. Plutarchus in eius uita.

COMMENTATIO, PROVIDENTIA.

Ex loco Prudentiæ huc non pauca.

OPERIS.

MYSON cùm hyeme uentilabrum pararet, Chiloni sapienti causam rogãti dixisse fertur, δεῖ γὰρ παρεσκευασμένους πράττειν, ἀλλὰ μὴ παρασκευάζεσθαι πράττοντας: Paratos agere decere, nõ parari agentes. Plut. in quæst. Rom.

INSIDIARVM.

Consule Tit. Insidias prudenter amoliri. Item, Vigilantiam suorum excitare.

Solenne celebrante ciuitate Thebana, omnibusque in uinum & epulas effusis incurrit EPAMINONDAS in familiarem quendam, squalidus cogitabũdusq; incedens. Quo mirante atq; sciscitante: Quidnam solus tali specie obambularet? Quò uobis, inquit, crapulari & uitulari omnibus liceat. Plutarchus in Apophthegmatibus.

MORTIS.

Sub loco Fortitudinis tolerantis Tit. extat, Mortis commentatio.

AEGYPTII in domorũ ædificatione negligentes, miro sumtu superbaq; magnificentia construere sepulcra consueuerant, operæq; prodigiosæ pyramides: quòd existimarẽt, defunctorum domos sempiternas, uiuorũ uerò domicilia esse uelut uitæ momento transeuntis diuersoria. Iidem mortuos condiunt, & eos domi seruant. Cicero libro 1. Quæst. Tuscul. & Diod. lib. 1. cap. 4.

M. TER. Varro in præfatione, quam scripsit in libros de Agricultura: Cogitãs, inquit, esse properandum: quòd si, ut dicitur, homo est bulla, eo magis & senex. Annus enim LXXX admonet me, ut sarcinas colligã, antequã proficiscar è uita.

Prædictum fuerat HELIOGABALO à sacerdotibus Syris, biothanatum se futurũ. Parauerat igitur funes, blatta & serico & cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo uitam finiret. Parauerat & gladios aureos, ut se occideret, si aliqua uis urgeret. Parauerat & in hyacinthis & in smaragdis uenena, quibus se interimeret, si quid grauiùs immineret. Fecerat & altissimam turrim substratis aureis gemmatisque antè tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam preciosam esse debere, & ad speciem luxuriæ, ut diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista ualuerũt. Nã occisus est per scurras, & per plateas tractus est sordidissimè, per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est. Lampridius.

IVDICII EXTREMI.

D. HIERONYMVS de seipso hoc profitetur, Quicquid agat, semper illam sibi obuersari uocem, Surgite mortui, uenite ad iudicium.

REPETITRIX FACVLTAS.

D. AVGVSTINVS ad baptismum sese accingens Mediolani, in rure quodam Verecundi amici sui degens, totus erat in Psalmorum lectione. Præsertim uerò Psalmi quarti commentatione, ad deplorandos pristinos errores suos, & infelices Manichæos coarguendos, mirificè inflãmatũ se fuisse, testatur lib. 9. Confessionum, c. 4.

IVDICATRIX FACVLTAS.

Ex Functionibus ipsis Facultas coniectanda. Eapropter ex loco Effectuum exempla eadem, ut illi, sic huic argumento inseruient: siue Theoricum, siue Practicum, siue Mechanicum sit subiectum.

COGITATIO respectu MODI.

SOLERTIA SAGAX, ΑΓΧΙΝΟΙΑ.

Huc ex Tit. Dictionis extemporaneæ quædam. item Prudentiæ inuentricis. Et illa quidem ueluti Theorica, hæc Practica est solertia, in repentinis præsertim consiliis, in quibus angustia temporis mens ueluti constricta & coartata, ut acrius sic efficacius insurgit.

Augustus, ut refert Seneca, pronunciauit de VINITIO oratore, quòd ingenium in numerato haberet: propterea quòd in causis agendis ingenio esset præsentissimo, & quicquid alijs præstaret diutina cogitatio, id illi prima statim animi intentio daret. Erasmus in Adagiis.

CONIECTVRA FELIX, ΕΥΣΤΟΧΙΑ.

Eustoχia al. sq. medio uel Rei ueritatẽ, uel Personæ uoluntatẽ, sententiam, consiliũ, institutũ, tum in Theoricis, tũ in Practicis assequitur. Huc igitur Acumen in intelligendis ijs quæ leguntur, audiuntur, uidentur, aguntur, in quocũq; uitæ genere.

Odysseæ o. Telemacho apud Menelaũ hospitante auguriũ sese obtulit aquilæ, q̃ anserẽ è corte rapuerat. Hæsitante Menelao & Pisistrato comite Telemachi, ad utros pertineret id omen: HELENA expeditè interpretata est, ad Vlyssem Telemachi patrem referri debere, qui domum uel iam reuersus, uel reditui proximus, procos malè sit multaturus.

COGITATIO respectu QVALITATIS.

CERTA, Indubitata, Firma.

Huius ex loco Habituum theoricorum, sed & Prudentiæ practicæ atq; bellicæ, exempla petantur.

INCERTA, Dubia. SVSPICIO.

De Suspicione seq. libro, ceu Effectu. Hic de ipsomet Habitu, quem Error tanquam accidens consequitur, de quo post.

CONTEMPLATIO, MEDITATIO, COGITATIO intenta.

Θεωρίαν Græci ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν deducunt, Latini Meditationem appellant, Græca fortaßis nomenclatura, quando τὰ μέδεα plerunq; abstrusa & diuina consilia significant. Agitatio mentis libera in quocunq; uitæ genere, theorico, practico, mechanico, sed in illo propter subiecti dignitatem excellentißima, hominem deorum cõsortio quodammodo inserit, & propterea Mors philosophica à Platone nuncupatur. Exempla ergo eorum, qui mentis agitationem quamlibetcũq; summo studio sunt amplexi, hoc loco persequemur. Huius ueluti πρόδρομος & anteambulo est uita monastica, h. e. solitaria, siue illa iam sit Eremitica, in agris, siue Politica, in mediis urbibus. Pedissequa uerò Ecstasis est, & μετεωρισμός. De singulis suo loco.

THEORICA CONTEMPLATIO.

Religiosa.

Huc quædam ex Tit. Aßiduitatis in orando, quatenus orationi iungitur contemplatio diuinorum.

IACOBVS cũ angelo luctatus, & ab eo in femore tactus, torpescente neruo claudicauit. Sed pedum uitium non sensit, dum mentis aciem in Deum dirigit. Nusquam queritur de femore debilitato, & statim post luctam uidisse se Dominũ facie ad faciem gloriatur. Vnde illi nomen Israel, id est, Deũ uidens, inditur. Marulus lib. 5. c. 4.

MOSES Hebræorum legislator, oues in monte Sina pascens, assidua meditatione diuinorum colloquiorum particeps factus est, adeò ut cum Domino facie ad faciem loqueretur.

DANIEL noctu contemplationi & orationi uacans, propheticum hausit spiritum. Dan. 2.

D. AVGVSTINVS Hipponensis episcopus, dum sanctæ Trinitatis mysterium solus in cubiculo sedens cõtemplatur, ità à seipso abscesserat, ut à muliere, quæ illum consulere cupiebat, sępius interpellatus nihil responderet, imò ne respiceret quidẽ: mulier deniq;, quia se cõtemtam putauit, abijt tristis. Postero autem die, cùm eum in ecclesia audiret, in spiritu raptum uidit de Trinitate disputantem: atq; audiuit, iccirco se illum die hesterno frustra quidem adisse, quòd einsmodi meditatione occupatus, ipsam neq; uidere, neq; omnino sentire potuisset, ac proinde ne redire dubitaret. Rediit, & quod petierat consilium, sine cunctatione accepit. Marul. lib. 2. cap. 4. & Sab. lib. 2. cap. 6.

D. HIERONYMVS spiritalis contemplationis suæ ineffabilẽ dulcedinem in eremo, in eo libro, quem de Virginitate seruanda edidit, exprimit his uerbis: Post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam uidebar mihi interesse agminibus angelorum, & lætus gaudensq; cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Et ad uirgines Deo dicatas scribens, ait: Experto itaq; seni, denotè consulenti, credite filiæ: si semel gustatis, quam dulcis est Dominus, ad eum accedentes, lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, poteritis ab eo illud audire: Venite, & ostendam uobis omne bonũ. & tunc ostendet uobis talia, qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor, carissimæ. Nam ut meam insipientiam loquar, ego homunculus sic abiectus, sic uilis in domo Domini, adhuc uiuens in corpore, angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas sustentationibus & nutrimentis nihil sentiens, diuinæ uisionis intuitu. Post multorum fortè dierum spacia, præscius futurorum, redditus corpori, flebam. Quid ibi manens fœlicitatis habebam. quid inenarrabiliter delectationis sentiebam, testis est ipsa Trinitas quam cernebam, nescio quo intuitu: testes sunt & ipsi beati spiritus, qui aderant: testis est etiam cõsciẽtia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollicies corporis mei. Deniq; subiungit, dicens: Non potest ad tantæ contemplationis dulcedinem cor secularibus plenum negotiis aspirare: sed oportet ut seculo moriatur, ut soli Deo per tantas meditationes & desideria supérnis inhęreat. Vnde granum frumenti cadens in terram, nisi mortuũ fuerit, semper sic solũ manet ut cecidit: quod si moritur, fructum plurimum affert.

PAVLA Romana uidua Bethlehẽ ingressa, & in specũ saluatoris introiens, postquam uidit sacrum uirginis diuersoriũ, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem propheta scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, ubi bos & asinus calcant: D. Hieronymo audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, uagientem in præsepi Dominum: Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem uirginem, nutritium sedulum: pastores nocte uenientes, ut uiderẽt Verbum, quod factum erat, & iam tunc Euangelistæ Ioannis principium dedicarent, In principio erat uerbum, & uerbum caro factum est: Paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Aegyptum. Mixtisq; gaudio lacrymis, loquebatur: Salue Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salue Ephrata regio uberrima, atq; καρποφόρος, cuius fertilitas Deus est. Hieron. in eius epitaphio.

D. THOMAS Aquinas Parisiis cum Philippo, aut (ut Campanus scribit) Ludouico Gallorum rege cœnans, animo alienatus, cùm ne oculis quidem conniueret, tandem percussa manu mensa exclamauit, Aduersus Manichæos conclusum est. Quod factum cùm rex admiraretur, Thomas cum rubore respondit: argumentum sibi in mentem uenisse, quo Manichæorum dogma penitus euerteret. Fulgosus libro octauo, capite septimo.

BERNARDVS Clareuallẽsis abbas, cùm aliquando equum ascendens fratres Carthusienses inuiseret, & præpositus eorum ephippio nimis decoro illum usum arguisset: quærere à comitibus cœpit, quale equi sui ephippium esset? neque enim aut insiliendo, aut desiliendo, aut etiam insidendo, animum aduerterat, quale foret. Iterum prope ripam Lausannensis lacus diei iter fecerat. Cumque iam occidente sole ad hospitium diuertisset, & fratres qui eum comitabãtur, inter se de lacu ipso uerba iactarent: rogauit, ubi lacus ille fuisset. Postquam audiuit, miratus est, seque eum uidisse negauit. Marul. lib. 2. cap. 4.

ARSENIVM abbatem, dum opus faceret, lacrymas effundere solitum scriptores tradunt. Quæ res indicio est, longè aliud illum animo agitasse, quàm quod manibus tractaret. Manus quidem labori intentæ erant, sed mens diuinis meditationibus assueta, ad Deum tollebatur, & eius desiderio accensa fletu temperare non poterat. Marullus libro tertio, capite nono.

ELIZABETHA Pannonum regis filia, post mortem mariti, Thuringiæ reguli, dum se supra se tollens, cœlestia meditatur, in ecstasim abibat, & mente cernebat quod oculis uidere nõ poterat. Quod ne tum quidem, cùm ad se redisset, dissimulare poterat: tantam facies hilaritatem præ se ferebat. Eadem cùm aliquando nimio labore defatigata lassaq; resedisset, oculis in cœlum intentis, frõnte modò iucunda, modò tristi apparuit. Et cõfessa est, se in nubibus uidisse Iesum, qui nunc se ostendens lætam redderet, nunc tegens mœstã. denique ipsum sibi dixisse: Bono animo esto filia, ego tecũ sum. Et se respondisse: Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum. Sic sanè est: quoties Christum uera fide cõtemplamur, toties cordi nostro insidet, & uerè nobiscum, atq; adeò intra nos est, dicente Apostolo: Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Marul. lib. 2. cap. 4.

CLARA uirgo beati Francisci præceptis imbuta, dignaq; tanto magistro discipula, pridie quàm natalis Domini ueniret, ægrotauit: nec licuit illi cum reliquis sororibus ad peragendas sacræ noctis preces pergere. Affuit tamen in spiritu, ubi in carne adesse nequibat. Reuersis quippe sororibus, quicquid inter absentes actum dictumque esset, ordine retulit, & mirantibus adiunxit: Sibi tunc ibidem loci, ubi absens cum ipsis fuit, Iesum puerum, qua hora quondam nasci uoluit, apparuisse. Marullus libro secundo. Sabel. libro secundo, capite 6.

EADEM die Cœnæ Domini usque ad Sabbatum sanctũ, corporeorum sensuum usu subtracto, quasi mortua permansit. Sed interim toto animi uigore in Deum translato, omnia Dominicæ passionis mysteria iisdem horis, eodemque ordine geri cernebat, quo gesta nouerat. Vbi autem corpori fuit reddita, haud amplius quàm unius horæ spacio se dormisse putauit. Ibidem.

GENOVEFA uirgo Parisiensis ab Epiphania ad Cœnam usque Domini in cella recludebatur, ut & orando & contemplando Deo expeditiùs incumberet. Ad cuius ostium quum puella uenisset, ut quid nam illa faceret, per rimas exploraretur, e uestigiò lumen amisit: sed exacto quadragesimali ieiunio, eiusdem opera lucem recepit. Bonfinius libro quinto, Decadis primæ.

Philosophica.

GANYMEDES Troianus passim à poetis inhonesto nomine catamiti notatur. Verùm Xenophon in Symposio (atque etiam Cic. lib. 1. Tuscul. quæst.) non ob formam corporis, sed ob animi præstantiam à Iouis aquila raptum dicit: & propterea conueniens fatis habuisse nomen, ὅτι γάνυται μήδεσι. Contemplationi enim deditus, mirificam inde uoluptatem hausit: & ad pulcritudinis ideam propius accedens, dignus Ioue pocillator constitutus fingitur. Volater. libro 16. Anthropolog. cap. 2.

PROMETHEVS Iapeti F. cùm naturę secreta rimatus, ignem ex fulguris incendio obortum iugi alimento lignorum fouere mortales docuisset, fabulæ occasionem dedit, ut superis ignem in caua ferula suffuratus esse dicatur. Eapropter à Ioue Caucaso alligatum, & cor illius ab aquila dies noctésque dilaniari fabulantur. Caucasus solitudinem designat, aquila contemplationem denotat. Ad saxa igitur Caucasia damnatum pœnæ loco uulgus arbitratur Prometheũ: quũ tamen ex hac ipsa contemplatione uerissimam, maximeq; solidam percipiat uoluptatem.

ENDY-

ENDYMION inter Latmia ſaxa dormiens à Luna adamatus fingitur:cùm reuera Aſtronomiæ ſtudio noctes in ſolitudine peruigil tranſegerit.

ATLANTEM Libycum tanta cœleſtis curſus cognoſcẽdi uoluptas cepit,ut ſpreto hominum commercio, in altiſſimum Africæ occidentalis montem ſeceſſerit ſolus. Itaq; & monti nomen indidit,& ob ſingularem cœleſtium rerum cognitionem cœlum ſuis humeris fulcire dictus eſt.

Eius diſcipulus HERCVLES,nõ tam corporis quàm ingenij uiribus clarus, propter Aſtronomiæ peritiam feſſi Atlantis onus humeris ſubijſſe fertur.

CALYPSO Atlantis filia, in extremis Oceani finibus ſolitudinis cauſa habitauit. Ad eam Vlyſſes ille Homericus doctrinæ cauſa profectus eſt, non tam procellis quàm diſcendi incredibili ardore compulſus. Et quia diſciplinæ iſtæ tum tẽporis acroamaticæ erant, hoc eſt,oretenus tradebantur,rectè ἀπὸ τοῦ καλύπτειν Calypſo fuit dicta.

Indorum GYMNOSOPHISTÆ ab exórtu ſolis ad occaſum uſq; eodem in loco perſtant, alternis ſæpe pedibus toto die feruentiſſimis arenis inſiſtunt,ſolemq; immobilibus oculis contuentur, ut hac ratione & animum contemplatione,& corpus laborum tolerantia exerceant. Plin.lib.7.cap.2.

Meditatúsne ſit,an perpetuo ſomno preſſus iacuerit EPIMENIDES Gnoſius,ſiue Phæſtius , in dubiũ uenire poteſt,qui ſeptem & quinquaginta annos latuit. Tametſi enim ſcriptorum uulgus ad ſomnum inclinat, nemo tamen dormiendo ſapientior eſt factus unquã:niſi uulgari de Heſiodo opinioni qui temerè accedat. Epimenides(quod nemo inficiatur) diuinarum fuit humanarumq; rerum ſcientiſſimus : nam & Cylonium expiauit ſcelus,& Solonem iuuit leges ſuis ſcribentem ciuibus. Sab.lib.2.cap.6.ex Plutarcho.

ANAXAGORÆ propoſitum in ſpectanda ueritate anxium laborioſumq;, epitymbium eius teſtatiſſimum facit,

ἐνθάδ' ὁ πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας.

Quin & aras illi dicatas nouimus , quarum uiſeretur inſcriptio nunc quidem Νοῦ,id eſt,Mentis:nunc uerò ἀληθείας,id eſt Veritatis. Cælius lib.11.cap.1.A.L.

Veterum ſapientum plerique omnes ſumma declinabant cura, quicquid animam arctius corpori adnecteret,ac(ut ſic dicã) ferruminaret. Vnde notiſſima PYTHAGORÆORVM expetita ſolitudo , ac templorum lucorúmue inhabitatio : & quorundam etiam celebrata occæcatio,ne quid uſquam ſoret,quod contemplandi ſuauitatem interpellaret. Cælius libro 21.cap.10. Antiq.Lect.

DEMOCRITVS Abderites,uel Mileſius, puer etiamnũ , cùm in hortulo tugurium ſibi conſtruxiſſet,& in eo contemplandi cauſa uerſaretur, accidit ut pater illius bouem tuguriolo alligaret,ſacrorum cauſa. At ille in contemplatione perſtãs, non prius quid actũ eſſet aut ageretur animaduertit , quàm bouem pater cum ſtrepitu excitauit,& ipſo mugitu bos ſeſe prodidit. Laert.lib.9.

IDEM poſtea ex longinquis peregrinationibus,quas ſapientiæ cauſa ſuſceperat,in Græciam reuerſus,ut ea,quæ hauſerat, precepta diligenti ruminatiõe(ut ita dicam)excoleret, lucidiſſimo lebete oculis obiecto ſeipſum excæcauit. Nimirum ut mentis oculos acueret, externi uiſus iacturam parui fecit. Sabel.lib.2.cap.1.& 6. At Plut.com.de Curioſitate,fabulæ locum datum putat, quòd integris quantumuis luminibus,obiectis tamẽ externis cõtemplandi aſſiduitas minimè labefactaretur.

ARCHIMEDES,qui machinationibus ſuis multùm ac diu uictoriam M.Marcelli Syracuſas obſidentis inhibuerat,cùm capta urbe animo & oculis in terram defixis formas deſcribit,militi,qui prędandi gratia domum irruperat,ſtrictoq; ſuper caput gladio quis nam eſſet, interrogabat, propter nimiam cupiditatem inueſtigandi quod requirebat, nomen ſuum indicare non potuit, ſed protecto manibus puluere: Noli(inquit)obſecro, iſtum circulum diſturbare. ac perinde quaſi negligens imperij uictoris,obtruncatus,ſanguine ſuo artis ſuæ lineamenta confudit. Valerius lib.8.c.7.

PYRRHO Elienſis,Scepticorum princeps , inter deambulandum tam intentus erat contemplationi , ut cùm aliquando Anaxarchus comes in ſcrobem incidiſſet, ille nec animaduerterit,nec opem tulerit. Cùm ſecum ſolus loqui eſſet deprehenſus,& cur id faceret rogaretur: Meditor,inquit, ut bonus ſim. Laert.lib.9.

SOCRATIS miram in contemplando pertinaciam , Plato cũ aliàs ſæpe, tum etiam in Sympoſio , ſub perſona Alcibiadis narrat. In militiam profectus ad Potidæam , manè neſcio quid contemplans, uſq; ad meridiem eodem in loco fixus & immobilis ſtetit. Animaduerterunt hoc Ionici quidã milites:eumq; in eodem loco uſque ad alterius diei auroram ſtantem obſeruarunt. Exorto ſole , eoq; ſalutato, ad contubernales rediit. IDEM cùm ad Agathonis cõuiuium cum Ariſtodemo proficiſceretur,in medio itinere contemplabũdus ſubſtitit:neq; prius ingreſſus eſt, quàm id,de quo ſecum tacitus dubitârat,inueniſſet.

DANTES poeta cùm exul Senis eſſet , & in eccleſia Minorum cubito ſuper altare poſito cogitabundus inniteretur, acceſſit ad eum quidam à tergo neſcio quid moleſtius petens. Tum Dantes,Dic mihi,inquit,quæ eſt maxima omnium beſtiarum? At ille,Elephas,reſpõdit. Cui Dantes,Elephas? ſine me,inquit,maiora te cogitantem,& noli eſſe moleſtus. Poggius in Facetiis.

PRACTICA CONTEMPLATIO.

☞ Contemplationem Practicam à Theorica diſtinguimus, quòd huius finis eſt cognitio,illius actio. Atq; ut theoria ſuam habet praxin,ita uiciſſim praxis ſuam theoriam:ſed à fine fit denominatio. Practica contemplatio ad conuerſationem & ſocietatem hominum tota refertur : & mentis illius (quam practicum intellectum nominant) agitatione perficitur, à conuerſatione tamẽ hominum tantiſper ſe ſubducit , donec ea quæ uel reip. uel œconomiæ cõducibilia ſunt,inuenerit. Conſule Tit. Legiſlatorum prudentum.

Homerus AGAMEMNONEM ſuum paſſim à uirtute cõmendat:tum etiam à uigilantia,& nocturnis cogitationibus,toti exercitui profuturis. Sic Iliados κ de eo ſcribit:

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ·
ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Idem ſomnia diuinitùs Agamemnoni immitti ſcribit:innuens, ne in ſomnis quidem boni principis animum quietum eſſe poſſe ; quin de ijs,quæ ad ſalutem Reipublicæ pertinent,conſultet.

PHOCION Athenienſis in concione dicenti, Præ te fers Phocion meditari: Rectè diuinas, inquit. Meditor enim,an quid præcidere de oratione , quam ad populum habiturus ſum, ualeam. Plut.in Apoph. Vt proinde quidam eum ſuorum ſermonum ſecurim, τὴν ἐμῶν λόγων κοπίδα, appellarit.

CLEOMENES rex Spartanus,cũ placeret acroama quoddã, rogatus,Eſſétne egregium? reſpondit, Vos uideritis. ego enim in Peloponneſo mentẽ habeo. Plutarchus de Animantium comparatione.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus,Achæorum prætor, cũ ſolus iter faceret,aut deambularet , occurrentium locorum ſitum contemplabatur,ſemetipſum explorans : Quid ſi ductanti exercitum , fiat hic tibi hoſtis obuius, aut à lateribus repentè uelut ex inſidiis conſurgat,qua figura aciẽ inſtruas? continendus miles, an illicò ſigna inferenda ? & ſi tenẽdus, quomodo præſidiarios loces , aut ſubſidia diſponas ? Fecit eiuſmodi meditatio, ut in præſtantiſſimis Græciæ ducibus ſit demum celebratus : quo uita functo , nullum amplius Græcia præcellentem ducem emiſit. Sab.lib.2.cap.9.ex Plut. in eius uita.

P.SCIPIO Africanus,antelucanis horis in Capitolium aſcendens,in templo Iouis opt. max.prius contemplabundus ſedebat, quàm in ſenatum deſcenderet,ut ea quę Reip.ſalutaria eſſent,deorum prius pace implorata , inuenire,& patrib. proponere poſſet. Dicere ſolitum ſcribit Cato , ferè eius æqualis, nũquã ſe minus ocioſum eſſe,quàm cũ ocioſus:nec minus ſolũ , quã cũ ſolus eſſet: innuẽs,ſeſe & in otio de negotiis cogitare,& in ſolitudine ſecũ loq ſolitũ,ut neq; ceſſaret unquã,& interdũ colloquio alterius non egeret. Cic.lib. 3. Offic. Canes cuſtodes,qui in alios ſæuiebant, in eũ neq; latraſſe unquam, neq; incurriſſe, Gell.lib.7.c.1. ex Iulio Hygino & C.Oppio refert:eoq; Iouis filium creditum.

CAROLVS Magnus ad ceruicale pennã & encauſtum cũ pergameno noctu reponebat, ut ſi quid in lecto cogitanti utile occurreret,ſignare poſſet , ne è memoria laberetur. Vicinus etiam lecto erat paries cera illitus,cui, ſi quid in tenebris occurriſſet,inſcriberet. Eginardus in uita Caroli , & Henricus Erphordienſis.

CAROLVS V.Imperator, antequam quicquam aggrederetur,diu multumq; prius deliberabat, in publicum non prodibat, neminem ad ſe intromittebat , ſæpe quinetiam morbum ſimulabat. Quo ipſo effecit,ut non prius eius conſilia deprehenderentur,quàm in opus deducta eſſent.

COGITATIO reſpectu OCCASIONIS.

TRANQVILLA, Otioſa.

☞ Ex loco Prudentiæ Conſultatricis plurima exempla huc poterunt accommodari.

TVRBATA.

☞ Sub Tit. Deſperationis quædam extant.

C.IVLIVS Cæſar in Hiſpania ultimo prælio deſperatis rebus

bus etiam de conſciſcenda nece cogitauit. Suetonius.

NERO hoſtis à Senatu iudicatus, premiſſis libertorum fidiſſimis Oſtiam,ad claſſem præparandam, Tribunos, Centuriones q; prætorij de fugæ ſocietate tentauit. Sed partim tergiuerſantibus,partim apertè detrectantibus , uno uerò etiam proclamante,

Vſque adeóne mori miſerum eſt?

uaria agitauit,Parthósne an Galbam ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum,proq; Roſtris quãta poſſet maxima miſeratione ueniam pręteritorũ precaretur: ac ſi inflexiſſet animos,uel Aegypti præfecturam concedi ſibi oraret. Suetonius in Nerone.

ATILA Hunnorum tyrannus magna ſtrage ab Actio Honorij Imp. duce & Theoderico Gothorum rege in campis Catalaunicis uictus,ſtrue ephippiorum ſe circũquaq; muniit, ut ſi nulla alia ſalutis ratio reliqua uideretur , ne in hoſtiũ manus ueniret,incẽſa pyra cremaretur.

APTA.

Romam ex Africa uenerat S.FVLGENTIVS monachus , noua Tranſamundi regis Ariani aduerſus epiſcopos ſæuitia exanimatus. Hic,poſtquam ſacra martyrum loca uenerabũdus inuiſit,omneſque ſeruos Dei , quorum adipiſci notitiã potuit,humili obſequio ſalutauit,ad eum locũ,in quo Theodoricus rex Oſtrogotthorum populum alloquebatur, acceſſit. Ibi cùm Romani ſenatus amplitudinem, decus , ordinemque diſtinctis gradibus aſpectaret,& fauores liberi populi caſtis auribus exaudiret,qualis eſſet glorioſa huius ſeculi pompa,cognouit : neque tamen aut immodica ſpectaculi eius uoluptate captus,aut inani ſeculi delectatione lenitus,uerùm inde potius ad illam ſupernam Hieruſalem expetendam incenſus eſt. itaque in hunc modum eos,qui ſibi proximi ſtabant, eſt alloquutus : Quàm ſpecioſa debet eſſe Hieruſalem illa cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris ? & ſi in hoc ſeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus uanitatem,qualis honor & gloria tribuetur Sanctis contemplãtibus ueritatem ? Ad monaſterium ſuum in Africam reuerſus,epiſcopus Ruſpenſis eccleſiæ factus, omni laude ſanctitatis emicuit. Sigonius lib.16.Imp.occid.

INEPTA.

DEMOCRITVS Abderites quum arroderet cucumerem,ſenſit humorẽ eſſe mellei ſaporis : rogauitq; famulam,unde emiſſet. Illa nominauit hortum. Surrexit Democritus : Et duc me,inquit,eò,ac locum indica. Demirante muliercula, quid ſibi uellet: Vt,inquit, dulcedinis cauſam inueniam: inuenturus,ſi locum inſpexero. Hîc muliercula ridens : Quieſce, inquit,ô bone.nam ego imprudẽs cucumerem immiſeram in ollam mellitam. At ille offenſus: Moleſta es,inquit : ego tamen incumbam, quęramq; cauſam , qua cucumeri peculiaris ac genuina dulcedo eſſe poſſit. Laertius libro 9. cap.7. & Plutarchus lib.1.Sympoſ.

Apud Syluanum abbatẽ in Scythiotico cœnobio QVIDAM hoſpitatus,cùm monachos manibus laborantes uidiſſet,eã ſolicitudinem quaſi rem ſuperfluã cauillatus: Maria,inquit, optimã partẽ elegit,ſedens ſecus pedes Domini, & audiens uerbũ illius. Poſt hæc cùm hora cœnæ ex induſtria ipſum nõ uocaſſent,ubi cœnatum eſt, miranti ac quærenti, Cur ita ſe prætermiſiſſent? Abbas reſpondit, ratos fuiſſe,ipſi, qui ſe totum ſpiritalem profiteretur, cibo potuq; minimè opus eſſe. Tum demum illo errorẽ confitente, ſubiunxit : Scias igitur, Mariam etiam Marthæ miniſterio indigere,auxilioque iuuari. Marul.lib.3.cap.9.& Sab.lib.2.cap.9.

IOANNI abbati in Scythiotica eremo ætatem agenti, incidit in animum,ut diuinæ contemplationi abſque aliqua corporis operatione,cibi ue cura iam quaſi angelus Dei uacaret. Itaque cellam deſerens,per uaſtam ſolitudinem euagari cœpit. Sed die tandem ſeptimo , fame urgẽte,redijt: & cùm cellæ fores occluſas offendiſſet , contubernalem ſuum , quem ibi reliquerat , ut ſibi aperiret , inuocauit , ſe Ioannem eſſe conteſtans. At ille: Nequaquam, inquit. nam Ioannes in angelum mutatus eſt , nec cibo illi opus eſt, nec cum hominibus commorari neceſſarium. Tali exprobratione taxatum dimiſit,paſſus eum nocte ſub dio ante ianuam iacẽre. Manè uerò conceſſo aditu,cùm longa inedia laſſum refeciſſet,fraterna charitate monuit,ſe hominem eſſe meminiſſet,cibo egentem,ut ſufficere poſſet actioni ſpiritali: proinde laborem monachis communem ne detrectaret. Marullus libro 3.cap.9.

COGITATIO RESPECTV TEMPORIS.

DIVRNA.

☞ Ex Titulo Contemplationis huc quædam.

NOCTVRNA.

THESEO Herculis facta noctu & uigilanti & dormienti obuerſabantur. Plut.in Theſeo.

THEMISTOCLI Miltiadis trophœa ſomnum excutiebant. Plut.in eius uita.

CHERSIPHRON architectus de limine templi Epheſij reponendo etiã per noctẽ cogitãs, in quiete uidit præſentem deã,cui templum fiebat,hortantẽ ut uiueret,ſe compoſuiſſe lapidẽ:atq; ita poſtero die apparuit , pondereq; ipſo correctus uidebatur. Plinius lib.36.c.14.

M.BRVTVS cũ Caſſio contra Cæſarem coniuratione inita , à Porcia uxore magnum quid animo uoluere ex uigiliis nocturnis deprehenſus fuit. Plut.in Bruto.

COGITATIO RESPECTV SVCCESSVS.

FELIX.

THALES Mileſius poſt Reip.negotia ſeſe ad contemplandũ contulit,& abſq; præceptore (niſi quantum ſacerdotes Aegyptiorũ audiuit)tantus euaſit,ut inter ſeptem Sapiẽtes primus haberetur. Laertius lib.1.

HERACLITVS Epheſius cùm eſſet iuuenis , nihil ſe dicebat ſcire:uir factus,nihil ſe ignorare profitebatur. Et ille idem tamen neminem audiuit, ſed ex ſemetipſo omnia iugi contẽplatione didicit. Laert.lib.9.

SOCRATES iugi contemplatione omnia aſſecutus eſt : neq; peregrinationibus opus habuit,cui domi omnia naſcerentur. Laertius lib.2.

DIDYMVS Alexandrinus,præſul Cæſarienſis , captus oculis à puero,Dialecticam & Geometriam, quæ uel maximè uiſu indiget,perfectè didicit,quòd ea quę ſemel audiuiſſet,ſumma diligentia ruminaretur. Volat.lib.15.Anthrop.

GALENVS,cùm ſibi perſuaſiſſet,Hippocratẽ nihil abſq; magna ratione dicere , & tamẽ Aphoriſmũ illũ , Dolores oculorũ uel potio, uel balneũ, uel fomẽtum,uel phlebotomia, uel purgatio tollit,non intelligeret : indefeſſa & penè obſtinata cogitatione tandẽ ueritatem & mentẽ ſenis aſſecutus eſt. Locus extat lib.3.Meth.2.

INFELIX, IRRITA.

CALCHAS Theſtorides duo problemata à Mopſo propoſita,alterum quot groſſos caprifici modius caperet , alterum de ſcrofæ prægnantis porcellis,quot & quales eſſent,ſoluere non potuit:adeoq; præ mœrore expirauit. Euſtath.Il.α.

HOMERVS Thebas nauigans ad Saturnalia (certamen ibi hoc muſicũ celebratur) Ium uenit.ibi ſaxo inſidens, piſcatores uidit adnauigantes, eoſq;,Ecquid haberent, interrogauit. Illi, quòd nihil cepiſſent,ſed prædæ inopia pediculos legiſſent,ita reſponderunt:

ὅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ'· ὅσα δ' οὐχ ἕλομεν, φερόμεσθα.

Non capta afferimus:fuerant quæ capta, relictis.

Per ambages autem innuebant,ſe pediculos , quotquot cepiſſent, interfectos dimiſiſſe: quos uerò non cepiſſent,eos ſe in ueſtibus ſuis ſecum ferre. Hoc cùm non poſſet conijcere Homerus,præ mœrore uitam finiit. Ienſes eum magnificè ſepeliuerunt. Plut.lib.de Homero.

ARISTOTELEM in Chalcide Euripi ſepties die ac nocte reciprocantis cauſas fruſtra inueſtigantẽ,morbũ lethalẽ contraxiſſe,narratur à Gregorio Nazianzeno , teſte Brodeo in Epigrammata.

PHILETAS Cous , ψευδόμενον λόγον inquirens , cùm diu fruſtra laboraſſet,mortuus eſt,ob aſſiduas curas emaciatus. Epigramma eius ſepulcro inſcriptum tale:

Ipſe Philetas ſum:mentitus perdidit olim
Quem ſermo, & noctis cura proterua ſimul.

Athenæus libro nono,capite uigeſimotertio.

SIMONIDES Cæus lyricus ab Hierone Siculorum tyranno, quid Deus eſſet, dicere iuſſus : tridui ſpacium ad deliberandum petiit. Eo elapſo, alterũ triduũ. Cauſam rogatus:quoniam quo magis cogito,eo minus extrico.

D.AVGVSTINVS Triadis ſacroſanctæ myſterium intenta animi cogitatione perſequens, cùm in litore maris puerulum effoſſæ ſcrobi marinam aquã infundentem uideret , & quid ſibi uellet rogans, reſpondentem audiret, Mare ſe exhaurire uelle: ipſe uerò, Hoc minimè fieri poſſe,aſſereret : tum puer, Multo uerò facilius ſcrobes iſta mare capiat, quã mens tua diuinitatis Oceanum comprehendat. dictoq; citius euanuit.

COGNITIO IN GENERE. Respectu

SVBIECTI. PVTA

RERVM. Videlicet

Terrarum, Regionum.

☞ *Vide Tit. Regiones inuentæ.*

Diuinationum.

☞ *Consule locum Metaphysicum.*

Astrologicarum diuinationum uanitatem D. AVGVSTINVS ex Firmini cuiusdam narratione agnoscere cepit, cuius pater curiosè admodum & uxoris suæ partum, & partum ancillæ cuiusdam amici sui, eodem tempore factum, obseruarat, horoscopo planè simili, sed fortuna dissimillima, ita ut inde collegerit, si quæ uera ex astrorum inspectione prædicerentur, non arte, sed forte dici: quæ aūt falsa, non artis imperitia, sed sortis mendacio. Testis ipsemet libro 7. Confessionum, capite sexto.

Arcanorum.

☞ *Arcana detecta prudenter, astutè, perfidè, ad alios atq; alios locos pertinent. Hic solius cognitionis ratio habetur.*

CN. Pompeius Mithridate uicto atque mortuo in arce, quod dicebatur Cœnon, arcana monumenta eius nactus est, nec ea inuitus legit, quòd clarè illius sensum patefacerent. Erant commentarij, ex quibus ueneno cùm alios complures, tum filium comperit eum Ariarathem sustulisse, præterea Sardianum Alcæum, quòd in ludis ipsum aurigando antecelluisset. Significationes item perscriptę erant somniorum, quæ partim ipse, partim nonnullę coniugum eius uiderant. Ad hæc Monimes ad eum, & ad hanc illius lasciuæ epistolę. Plutarchus in Pompeio.

Scriptorum. LECTIO.

☞ *De hac ipsa, ut Instrumentum est, suo loco. Hic, quatenus Cognitionis species existit.*

Cùm palatij Imperatorij milites aliquot, Treuiris deambulatum profecti, dum Imperator Circenses spectat, in monasterium quoddam suburbanum uenissent: VNVS ex ijs codicem, in quo Antonij eremitæ uita perscripta erat, euoluere cepit: & subitò amoris diuini plenus, ad socium conuersus, Dic quæso te, inquit, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maiór ne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq; periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud durabit? Amicus autem Dei, si uoluero, ecce nūc fio. Quibus uerbis socium quoque ad idem uitæ genus amplectendum hortatus, in eodem loco, uale dicto suis commilitonibus, permansere. Sed & uxores illorum uirginitatem suā deinceps Deo consecrauère. D. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 6. se hoc ex Politiano Afro, eorundem commilitone audiuisse, & hoc exemplo ad uitę castitatem amplectendam permotum fuisse testatur.

D. AVGVSTINVS desiderio cœlibatus religiosi æstuabat: sed hinc coniugalis uitæ illecebris, quibus in concubinatu assueuerat retrahebatur. Lacrymarum plenus ad Dominū clamans, Vsq; quò Domine? domine usque quò irasceris in finem? audit uocē de uicina domo puerilem, Tolle lege, tolle lege. statimque codicem Apostoli, qui ad manus erat, aperiens, in hęc uerba ad Rom. 13. incidit: Non in comessationib. & ebrietatib. non in cubilibus & impudicitijs, non in cōtentione & æmulatione, sed induite dominum Iesum Christū, & carnis prouidentiam ne feceritis in cōcupiscentiis. Et his ipsis uerbis lucem quandam securitatis & fortitudinis animo suo infudi persensit, sic ut repudiata cura uxoria, & omni spe seculi, ad uitā religiosam sese totū conuerteret. Testis ipsemet lib. 8. Confess. cap. ult.

PERSONARVM. COGNITIO

Suiipsius.

☞ *Vide Titulum Conscientiæ.*

Ignotorum prius.

☞ *Exempla quedam ex Occursu honorifico peti possunt.*

Cognitorum prius. RECOGNITIO.

Electra fratrem ORESTEM, post aliquot annos, quàm Aegisthi manus effugerat, ex cicatrice, quam puer olim iuxta supercilium, hinnulum persequēs acceperat, agnouit apud Euripidem in Electra.

ORESTES interfecta matre Clytemnestra, exul, cùm à furiis ultricibus exagitaretur: consuluit Apollinem, quomodo cū matris cædem expiare, tum quoque à malis præsentibus pariter omnibus liberari posset. Is iussit proficisci ad Tauros Scythiæ: & simulacrum Dianæ cœlitùs delapsum, inde furto surreptum, Athenas transferre. Eò cum Pylade suo profectus: cùm uix ad litus regionis eius appulissent, uterque à pastoribus eius loci comprehensi, & uincti, abducti sunt ad IPHIGENIAM (quam sororem suam esse ignorabat) Dianæ sacerdotissam, ut pro more & consuetudine Dianæ uictima fierent. Deinde cum Orestes, qui esset, & unde aduenisset, Iphigeniæ prolixè exposuisset: ipsa quoque contrà, tum alia de suis rebus exposuisset, tum quoque cōmemorasset quomodo ex Aulide (ubi mactata fuisse credebatur) supposita cerua à Diana, in Tauricam regionem sublata fuisset: cùm utrinque inuicem agnouissent, de communi consilio, arrepto Dianæ simulacro, conscensa naui, Iphigenia cum Oreste & Pylade in Græciam transfugerunt. Euripides in Iphigenia in Tauris.

Vlysses domum reuertens, ex cicatrice, quam in uenatione olim ab apro uulneratus cōtraxerat, à nutrice EVRYCLEA, dum pedes illi tanquam hospiti lauat, agnitus fuit. Odyss. 19.

QVALITATIS. QVO AD

VERITATEM. COGNITIO

Falsa. Opinio.

OVIDIVS libro 5. Tristium 11. inter alia exilij sui mala etiā hoc enumerat, dies sibi tardissimos uideri:

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter unda maris.
At mihi tam uideor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troia sub hoste fuit.
Stare putes, adeò procedunt tempora tardè:
Et peragit lentis passibus annus iter.
Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert,
Efficit angustos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura nouata est,
Cumq; meis curis omnia longa facit?
An peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis uitæ tempora dura meæ?

Cinnæ consulis EXERCITVS apud Cumas, arbitratus Cn. Pompeium, adhuc adolescentem, qui in castra uenerat, atq; inde clàm abierat, Cinnæ opera interfectum esse: arreptis armis, Cinnam interemit. Fulg. lib. 9. cap. 9.

PRAETORIANI milites, ludos in theatro spectantes, cum arbitrarentur quendam ex commilitonibus, quem Augustus ab apparitore amoueri iusserat (equitum enim ordinibus, ubi ille consederat, is debebatur locus) Augusti iussu interfectum esse, coorto tumultu, parum abfuit, quin Augustum interimerent. Sed remedio fuit, quòd is, quem interemptum putabant, incolumis repentè comparuit. Fulgosius libro nono, capite nono.

Suetonius affirmat Nerone mortuo, non defuisse QVI per longum tempus uernis æstiuisque floribus tumulum eius ornarent, ac modò imagines prætextatas in Rostris proferrent, modò edicta quasi uiuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri. Vnde irroborasse opinionem illorū cōtenderim, qui Neronem resurrecturum suspicati sunt, futurumque Antichristum. Alij uerò putarunt, nec occisum quidem, sed subtractum, ut putaretur occisus, & uiuum occultari in ætatis uigore, qua fuit, quum crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum: quæ tamen Ciuitatis diuinæ libro 20. irrisit Augustinus. Cælius lib. 11. cap. 12. Antiq. Lect.

Cùm ARCADIVS Aruernensis ciuitatis senator, falso rumore accepto, Theodoricum regem Ostgothorū in bello Thuringico occubuisse, imprudenter Childebertum ad occisi regis regnum occupandum inuitasset: Theodoricus reuersus, Aruernorum regionem miserè uastauit, Iuliani martyris templum effregit, spoliauitq;. Gregorius Turonensis lib. 3. Hist. cap. 12. sub Iustino seniore.

Victo cæsoque Vssone Succorum rege, HADDINGVS, Danorum rex, uictor HVNDINGVM eius F. regnare iussit. Interea cùm Haddingus insidiis generi penè interceptus perisset, falsus de interitu regis rumor peruenit ad Sueciæ regem, iustis de causis illi amicissimum. Itaque de more gentis illi instituit parentare: euocatisque proceribus, in media regia dolium recens cerealis liquoris iussit collocari. Ipse pincernæ officio pocula circumferens, pietatis ministerium implere putabatur. Processit res in multam noctem. Ebrietas ubi regem peruasit, doliumque de more circumsiliret, grauatum caput præponderans regem subuertit, inircitque dolio semipleno. Ibi iam quasi manibus cunctorum uinctis, rex in suorum medio ridicula morte mergitur suffocatus: & dum fictam amici necem officio pietatis prosequitur, incidit ipse ueram in mortem. Eam rem ubi Haddingus

Daniæ

Daniæ rex comperit, intellecto quòd suæ mortis occasione conficta ad interitum ille uerum peruenisset, noluit amico superuiuere, seque strangulauit manu propria. Cranzius lib. 1. Sueciæ, cap. 16.

CERTITVDINEM. COGNITIO

Certa.

PETRVS Pomponatius Mantuanus monachus, magna auditorum frequentia philosophiam Bononiæ docens Peripateticam, ciúsque prætextu impiam de mortalitate animerū doctrinam inter discipulos spargens, cùm ab Inquisitore, ad fidei suæ declarationem adigeretur, & in primis interrogaretur, Vtrum animum immortalem esse crederet? Se credere pernegauit. Et quidem iam ad cárceres hæreticorum rapiebatur, nisi alta uoce causam sui dicti explicasset. Animæ immortalitatem non credo, sed planè immortalem esse scio. Hocq; responso Inquisitorem elusit.

Incerta. Opinio uaria.

D. AVGVSTINVS libro 12. Confessionum, cùm suam de primo textu Geneseos sententiam de Creatione cœli & terræ in principio proposuisset: subinde uarias aliorum de eodē loco interpretationes subiunxisset: tandem inquit: In hac diuersitate sententiarum uerarum (ueræ enim sunt omnes, quia uerum dicunt, etsi non omnes secundùm mentem scriptoris esse possunt) concordiam pariat ipsa ueritas, & Deus noster misereatur nostri, ut legitimè lege utamur, præcepti fine, pura charitate. Ac per hoc, si quis quærit ex me, quid horum senserit Moses, nescio: & scio tamen illas ueras esse sententias. Sed diligamus nos inuicem, quamuis diuersa sentientes, pariterq; diligamus te Deum nostrum, fontem ueritatis: & Mosem ita honoremus, ut hoc eum te reuelante, cū hęc scriberet, attendisse credamus, quod in eis maximè & luce ueritatis & fruge utilitatis excellit.

MODI. COGNITIO

PER SE.

☞ *Vide Inuentionis locum.*

PER ALIVM. Puta

Doctrina.

☞ *Sub loco Artis quædam.*

Reuelatione.

☞ *Ex Diuinationis loco huc multa.*

IGNORANTIA, ERROR, respectu SVBIECTI.

Quisquis ignorat uiam, in deuia aberrat. Qui uerum bonumq; ignorat, in id, quod falsum est & improbum, fertur. Error dicitur, respectu utriusque termini, A quo & Ad quem. At respectu alterius, prioris quidem Alienatio Ἀπάγη, *Abductio: posterioris uerò, Circumductio. Vniuersim considerantibus, Ignorantia respectu Subiecti, Error respectu Effectus subsequentis, dici uideatur. Sed & Ignorare Res quæ sunt, Non intelligere Mentem uel Orationem propriè dicimur.*

ID QVOD EST IGNORARE.

Verbi gratia

Deum, Hominem.

IVDAEI ignorantes Christū crucifixère. Nam si sciuissent, nūquam Dominum glorię crucifixissent. Et Christus ipse pro illis orat, Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. D. Bernardus misericordis Dei prouidentia hoc factum scribit, ut pecćato omnium maximo coniuncta ignorantia aliqua saltem ex parte excusabiles in spem conuersionis faceret.

Oraculum.

☞ *Hæc Oracula non rectè intellecta: quatenus non Diuina tantùm perspicacia, sed & Humana prudentia in ijs intelligendis nonnunquā requiritur.*

Indolem.

☞ *De Indole non cognita, sub loco Naturæ tanquam Instrumenti agemus.*

Gentem, Populum.

INDI, cùm ex antiquis monimentis accepissent, quantum Romanum imperium reliquis gentibus militari gloria præstitisset: cùm primùm in Indiam Mameluci Aegyptij milites inuecti sunt, eorumq; robur, & in re militari disciplinam & industriam percepissent, Rumes, hoc est, Romanos esse iudicârunt. Quemadmodum postea cùm Lusitanos animaduerterent eadem propemodum disciplina bellicas res administrare, Francos nominârūt. Francorū enim nomen ex eo tēpore, quo Hierosolyma Duce Gothifredo capta est, per omnes Solis orientis regiones maxima cum gloria peruagatū fuit. Osorius lib. 9. rerum Em.

Ceram.

LIVONES olim (nam sub Friderico I. credidère Christo) tanta fuère simplicitate, ut expresso melle, ceram uelut purgamenta reijcerent. Fecit precium illi Germanorum diligentia: quod illi primùm mirantes acceperunt: pòst uerò, comperta rei æstimatione, accreuerunt. Cranzius libro 6. Vuandaliæ cap. 9.

Alimenta.

Athenæus Dipnosophiston libro tertio, fabellam haud infestiuam refert è Demetrio Scepsio: LACONEM quempiā uocatum ad cœnam, appositis echinis, cùm ignoraret quo pacto soleant edi, nec obseruaret quomodo cæteri conuiuæ his uescerentur, corripuisse quendam, & in os coniecisse unà cum ipsa testa. Porrò cùm inter dentes strideret echinus, & hominis os cibo miserè cruciaretur, O sceleratum, inquit, édulium: neq; nunc te omittam tibi mitis: nec te posthac unquam sumsero.

Extollebant ueteres frugalitatē Laconicā. Ante nostra tēpora non minus cōmendāda fuit HELVETIORVM sancta simplicitas. Cuius uestigium notus quidam homo & ille quidē Senatorius ante paucos annos exhibuit, quādo in publico cōuiuio omphacibus degustatis, Apagete, exclamauit, pessimi Medicorū proxenetæ: ècquid uerò mirum & febribus & torminibus ciues passim discruciari, cùm pruna immatura & acerba tam auidè deuorentur?

Faciem amici.

AVGVSTINVS ad D. Hieronymum, quem de facie nūquam uiderat, epistola 9. Si te, inquit, propterea non nouimus, quia faciem corporis tui non uidimus, hoc modo nec ipse te nosti. Nam tu quoq; non uides eam. Si autem tibi nō ob aliud notus es, nisi quia nosti animum tuum: & nos eum nō mediocriter nouimus in literis tuis, in quib. benedicimus Domino, quod tibi & nobis, omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit.

Corporis uitium.

Exprobrauit inimicus quidā oris halitum Hieroni. Qui ut domum ad VXOREM uenit: Quid ais, inquit, hoc uitium ne tu quidem mihi indicasti? Illa quæ casta esset & minimè callida: Arbitrabar, inquit, ita omnes uiros olere. Plut. de Emolumento ex inimicis capiendo.

Vestitum.

Erasmus Roterod. Bononiam studiorum causa profectus, cùm more Gallorum presbyterorum togulam lineam supra uestem gestaret, in capitis periculū bis incidit. Nam cùm eo tēpore pestis Bononiæ grassaretur, & chirurgus, qui ea lue infectos curat, candido linteo ad læuum suspenso humerū insignis incedat, ut à fronte simul & à tergo ab omnib. cōspici possit & euitari: qui nisi per deserta & auia loca incedat, saxis à plebecula impeti consueuit: LENONES quidam, Gallici habitus ignari, Erasmum ex candida fascia chirurgū arbitrati, strictis gladiis aggressi sunt, quòd per leophorum audacter incederet, ægrè ferentes. Quòd nisi intra proximā ianuam, quæ bono quodam fato aperta erat, sese coniecisset, actum erat de eius uita. Erasmus lib. 24. Epistolarū ad Lambertum Grunium, scribam Apostolicum, de seipso hæc recitat, sub nomine Florentij.

Res preciosas, Gemmas.

A Maximiano Cæsare Persarum uallo direpto, gregarius MILES, quum Parthicum fortè scutum comperisset, in quo seriatim collucentes uisebantur margaritæ, per rei inscitiam gemmis abiectis, solo abiit pellis nitore contentus. Cælius lib. 18. cap. 1. Antiq. Lect.

Carolus Burgundus ab Heluetiis ad Granceium, anno Salutis 1476. castris exutus, impedimenta & supellectilem regiam omnē, quæ decies centena aureorum millia superasse dicitur, amisit. HELVETII gēmas, uestes, pocula preciosissima, ignari eiuscemodi deliciarū, minimo precio cōmutasse dicūtur: & inter cæteros unus carbunculū eximię magnitudinis, quem lapilli splendore delectatus sustulerat, cuidam peregrino medio floreno numerato concessisse fertur.

Rem bellicam.

Eudæmonidas Spartanus quum audisset STOICVM quempiam dixisse, quòd solus sapiens esset bonus imperator, ὁ μὲν λόγος θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων οὐ περισεσάλπισται. id est, Admiranda quidem oratio, cæterū qui dicit, nunquam cinctus fuit tubarum strepitu. Erasmus in Adagiis.

MEXICANOS, pro rege suo & pro libertate dimicantes, contra Ferdinandum Cortesium Hispanum, nulla res magis exterruit, quàm equestris turmæ impetus, quum equitē integrum

grum esse animal Centauri specie putarent. Sed postquã equi duo Indicis confossi sparis, mactatiq; clauarũ ictib. conciderunt, deprehẽso errore, detracta statim equi scoria, usq; adeò exacte tomento repleuerunt, ut uiuorum effigiem repræsentarent, & in templo, tanquam admirabilis rei spectaculo suspenderunt. Iouius lib. 34. Hist.

Exercitia.

VETTONES Hispani Romanos milites deambulantes cùm uiderent, uiam illis ad castra ostenderunt. Stulti, si ignorantiæ id tribuerunt, quod erat consilij: prudẽtes, si exercitij nugacitatem reprehenderunt. Vide Tit. Iudiciũ prudens de bonis malisue corporis. Similiter INDI quidã Hispanas fœminas saltantes cùm uiderent, insanas iudicarunt. Vide Tit. Saltationis odium.

Equitandi artem.

RANIMIRVS, nothus Sanctij maioris, Hispanorũ rex è monacho factus, contra Saracenos suscepta expeditione, cùm sinistro brachio scutum, dextro lanceam adaptasset, mox frena equi apprehendere iuberetur, Qui possum, inquit, utraq; manu occupata, nisi dentibus hæc retinenda quis porrigat? Irrisus à proceribus propter imperitiam rerum, regni & filij tutelam Alfonso VII. Castulonensi commisit, ipse ad monachos rediit. Collenutius lib. 1. hist. Neap.

Iter, Viam.

Salganeus, locus prope Euripum Bœotię, ab Salganeo cognomentum assecutus ibi sepulto. Is homo fuit origine Bœotius, qui sese nauigantibus è Malea Persis ducem præstitit. Ipsum uerò classis præfectus MEGABATES, priusquam Euripũ attingeret, occidit. Suspicabatur enim præ malitia classem eò fraude illum coniecisse, & angustũ in mare minimè peruium induxisse. At ubi intellexisset falsum se, pœnitentia ductus ipsum classis ductorem indigna cæde peremtum, honore sepulturæ decorauit. Strabo lib. 9.

ANTIOCHVS in uenationẽ quâdam sectando feras ab amicis & ministris aberrans, uillam hominum tenuium subiit ignotus. Plut. in Regum Apophthegm.

DEDVCTOR Annibalem, quia non satis illum intellexerat malè pronunciantem Latinè, pro Casino longè diuersa uia per Calentinum & Calenum agrum in campum Stellatem traxit. Vbi cùm septa undiq; montibus & fluminibus regio teneretur, cognito errore, Pœnus hominẽ crudeliter excruciatum necari iussit. Auctor uitæ Hannibalis.

Adolescentes duo MONACHI à Ioanne abbate eremiq; Scythi œconomo, cum ficub. lybicis ad senem quendam in ulteriore deserto manentem, missi, à uia aberrantes per uastã solitudinem diem noctemq; consumunt, senis cellula non inuenta. Post aliquot dies quæsiti inueniuntur positis genubus fame mortui, illibatis ficub. quas secum tulerant. Marul. lib. 4. cap 3.

RICARDVS Anglorum rex cùm ceruum insequens à suis aberrasset, ipso crepusculo in uasta solitudine tugurium fabri ferrarij subijt. Ab eo hospitio susceptus, cùm manus lauare iussus, aulico more patrifamiliãs honorem eum deferret, faber alapam ei impegit, An nescis, inquiens, quemque domi suæ regem esse? Manè dissimulata persona abiit, & in arcem uicinam fabrum ad se exciuit. Ille ubi in conspectum regis uenit, à regina blandè suscipitur, cæterùm præ timore uentris crepitum emisit. Mensæ regiæ adhibitus, & supra reginã accũbere iussus, cùm rex, si præ pudore recusaret, alapæ hesternæ talionẽ cum fœnore meditaretur, per omnia paruit, & hac ratione regis insidias elusit. Hẽningus Goden consilio 1. de elect. regis Rom. ex Hostiense, Abbate, Io. Andreę & Zabarella in c. uenerabilem, ut probent, unumquemque in domo sua regem impropriè dici.

Anno 1506. dũ nauis Gallica in Oceano iter nõ longè à Britãnia faceret, nauiculã ex mediis abscissis uiminib. arborũq; libro solido contectis ædificatã cepit: in qua HOMINES erant septem mediocri statura, colore subobscuro, lato & patente uultu, cicatriceq; una uiolacea signato. hi uestẽ habebant è piscium corio, maculis eam uariantibus. coronam è culmo pictam septem quasi auriculis intextã gerebant. carne uescebantur cruda, sanguinemq; uti nos uinum bibebãt: eorum sermo intelligi non poterat. Ex ijs sex mortem obierunt: unus adolescens in Aulercos, ubi rex erat, uiuus est ꝑductus. Bembus lib. 7. Hist. Venet.

Bela Hungariæ rex è Stiria Otthocari Boemorum regis armis pulsus, infestis armis Morauiam urgebat. Ad Taysam fluuiũ occurrit illi Otthocarus multo minorib. copiis: sibiq; diffidens, pacis mentionem inijcit. Bela pactis in decem dies induciis, pacẽ tantùm eludere. Interea Stephanus Belæ filius, uado in Taysa flumine reperto, Brumonem Olomucensem episcopũ seorsum à rege Otthocaro castra metatũ oppressurus, deductori mandat, ut se rectà Pohorelitiũ ad Brumonẽ perducat. Ductor etiamsi locorũ gnatus, à uia tamen aberrans, Stephanum nõ ad Brumonis, sed ad Regis castra adduxit. In quibus propter tenebras uehementer tumultuatũ. Vix tandem aurora aperuit Otthocaro hostem. Stephanus coactus dimicare, fugam arripuit, ipse quinetiam Bela territus turpissimè fugit. Sedecim tum millia hostium interfecta narrantur, paulò uidelicet minore numero, quàm uniuersus Otthocari exercitus fuit. Dubrauius lib. 17.

Nomen.

C. Heluius Cinna tribunus pleb. ex funere C. Cæsaris domum suam petens, POPVLI manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quẽ sæuire se existimabat: iratus ei, quòd cùm affinis esset Cæsaris, aduersus eum nefariè raptum, impiam pro Rostris orationẽ habuisset: eòque errore propulsus est, ut caput Heluij perinde atque Cornelij, circa rogum Cæsaris fixum iaculo ferret, officij sui & alieni erroris piaculum miserabile. Valer. lib. 9. cap. 9. Xiphilinus in Iulio Heliũ Cinnam uocat.

Tempus agendi.

MAGDEBVRGI erat occulta multorum conspiratio in caput aliorum. Cõstitutum erat, ut præfinito die ad horam septimam uespertinam signum fieret de turri campanaria, ad arma corripienda. Qui susceperat id ministerij, Deo uolente errauit: ut signũ daret ad eam horam manè. Stupuere omnes qui audiuere. Cumq; se nemo cõmoueret, ad quæstionẽ rapiebatur scelestus ille, qui magna uoce clamasset, Inde hac socij in latam uiam. Sed impediuere alij, quibus detecta ueritas maculam inussisset. Placuit tegere malũ, ne apertum in deterius abiret. Cranzius lib. 11 Metrop. c. 48.

MAXIMILIANVS I. per occiduam Flandriam transiens cũ expedito exercitu, in oppidum Brugense irrumpere cõstituerat uigilia sancti Matthiæ. Sed quum esset bissextiis ille annus, idq; à Maximiliano minus aduerteretur, priori adiuit die: stetitq; sub signis extra portam, expectans motum cõiz cum quibus antè cõuenerat. Detecto negotio iugulati sunt aliquot, & defæuit gladius in urbe publicus. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap. 33.

Locum.

GRÆCI suspicantes Alexandrum cum Helena Troiam nauigasse, urbem obsidione decennali expugnarunt, neque tamen Helenam inuenerunt: relicta enim fuerat ab Alexandro in Aegypto. Homerus carminis exornandi causa Helenam Troiam uenisse scribit. Contrarium tamen tuetur Herodotus libro secundo.

Aulicam uitam.

SOLONI Sardeis ad Crœsum regem Lydorum profecto, eiùsque aulam permeanti, & multos contemplanti ex aulicis splendidè cultos, ac pomposè incedentes cum comitum atque stipatorum agmine, unusquisque uidebatur Crœsus esse: quousque ad illum ipsum est deductus circumiectum omni cultu, qui ex gemmis, colore uestis, ex auro fabrefacto, ad nitoris elegantiam, uel præcellentiam, uel admirationem parari potuisse uidebatur: quo nimirum spectaculum ei præberet quàm augustissimum politissimumque. quamuis eo nihil penè motus fuerit, quo minus & dixerit & egerit, quæ suam personam decebant. Plut. in Solone.

Coryceorum præsentiam.

STALERIVS in carcere cùm detineretur, neque satis iustæ probationes aduersus eum proponerentur, ea locutus est bonis uiris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis in iudiciúmque prolatis, rei capitalis iure damnatus est: quia imprudens & incauta illa de se confessio, tum cùm nulla suspicio est, tædio uitæ factam esse ab eo, qui perire uelit, pro re iudicata haberi debet. Auctor Cicero in Topicis.

Consilium, Institutum.

Memorabili illa ad Cannas Rom. clade error EQVITIBVS est mirus oblatus. L. Aemilium Paulũ equus uulneratus excusserat. Tum ex cohorte eius alius post aliũ omissis equis, ut consulem protegerent, ad pedes descenderunt. Id cùm reliqui equites conspexissent, tanquam signo dato ex equis omnes deuolantes congrediuntur cum hostibus. Quo uiso Annibal: Hoc, inquit, malim, quàm si uincti mihi traderentur. Plutarchus in Fabio.

CATO minor dum Asiam peragrat comitatu exiguo, Antiochiam petens, extra portam cateruam hominũ spectauit ex utraq; parte uiæ digestorũ. Inter quos in chlamydib. stabant decorè seorsum adulti, seorsum pueri. Candidas uestes alij & coronas gerebant. Sacerdotes hi deorũ erant & magistratus. Ratus omnino Cato honorandi & excipiendi sui causa ea à ciuitate institui, stomachatꝰ est in suos, quos pmiserat, quòd id non prohibuissent: iussitq; amicos descendere, atq; incessit cum iis pedes. Vt propè uentũ est: ille, qui omnia ista adornabat & turbã componebat, uir ætate iam prouectio-

re uirgam & coronam manu tenens, obtulit se præ aliis Catoni, ac ne salute quidem data quæsiuit, ubi Demetrium reliquissent, & quando esset adfuturus? Pompeij erat Demetrius libertus: omnibus autem tunc propè mortalib. in Põpeium oculos defigentibus colebatur, quòd multum posset apud eum, supra dignitatem suã. Ibi cœperunt amici Catonis usqueadeò cachinnari, ut interea dum transirent per cœtum, non possent se colligere. Cato uerò tunc oppidò cõfusus: O miseram, inquit, ciuitatem. Nihil præterea locutus est. Pòst autem, quoties id narrabat uel meminerat, solebat ipse quoq; ridere. Plut. in Catone.

Sublato Maximino Cæsare barbarissimæ crudelitatis, senatus duos iussit imperare, Maximum & Balbinum, senes uiros, & graues, concordes initio, postea ex suspicionibus discordes. Prætoriani, quòd ab illis haberentur paulò seuerius, tollere eos statuerunt, nactiq; ex eorum dissensionibus occasionẽ, facto agmine irruperunt in palatium, idq; medio die. quũq; primò impeteretur MAXIMVS, acciuit Germanos satellites, qui non procul pro salute principum excubabant. Balbinus ratus uocari cõtra se, uetuit ne irent. Ita principes omni ꝓpugnatione destituti, uiui capti sunt, atq; in ꝓxima castra cum irrisione ac ludibrio abducti, & antequam re intellecta defendi à Germanis possẽt, crudeliter interfecti. Capitolinꝰ.

Saladinus cum LATINIS Ptolemaidem obsidentib. pugnam inierat. Procedente certamine inferior, antequam clades acciperetur, quæ propè oculis animoq; obuersabatur, castra & ipse respiciebat, & miles repetebat: cùm quidã Latinorũ eques ante signa res gerens, in pedes se excepit: equusq; se circumagens refugiebat in castra, sublato à circumstantib. clamore, ut prehẽsis habenis sisteretur. Qui rem ignorabãt, de antesignanis actum, & primam aciem cæsam rati, cedere cœpêre, ac reliquam inclinarunt aciem: nec Saladinus præbenti se fortunæ defuit. Circiter duo millia Christianorum cecidere. Aemilius lib. 6.

Pateonuzius Iauæ maioris regulus CCC nauium classe Lusitanorum Malacensium XVI naues, quibus Andradius p̃erat, ann. 1513. adoriturus, consilio quorundam auxilia sociorum expectare uolens, in Mauris fluenta classem subducturus, summo mane abitum parabat. Id Andradius cùm animaduerteret, neq; tamen quorsum id pertineret, suspicaretur, uelis passis ordine minimẽ cõfuso in hostes inuectus, eminus tantum crebris tormentorum ictibus uerberare, & faces etiam in naues inijcere contendit. Quod Pateonuzius conspicatus, omnia suæ nauis uela ad pugnã continuò pandi iussit, & ut omnes idem facerent, imperauit. Id imperium strenui ducis OMNES exanimauit. Existimarunt enim, illũ rebus suis diffidentem, non de prælio committendo, sed de fuga facienda cogitare. Itaq; se confestim in fugam dedere. Osorius lib. 8. rerum Emanuelis.

Peccatum.

LVCVS fœnerator Genuẽsis rapacissimus & locupletissimus, si quem dolo & fraude circumuenisset (ut numerus delictorum alienis precibus expiandorum constaret) in arca eam ob causam facta calculum nigrum reponebat. Accreuerant iam fraudes, & calculorum copia. Sub Paschatis festum peccata confitetur, atq; ea ex calculorum numero petenda esse confessori suo asserit. Protinus domum redire, & calculos excutere iubetur. Trepidus accedit, arcam consulit: unicum calculum reperit. Confessori rem indicat. Is, ut singulari erat prudẽtia: Multos, inquit, decipere uoluisti, multos calculos arcæ iniecisti. Verũ dũ alios decipere studes, te solũ decepisti. Tui ergo solius causa, qui deceptus es à diabolo, unicus calculus in arca repertus est. Conuertere ergo, & pœnitentiam age, ne dum alios dolo circumuenis, à diabolo circũuentus æterna morte damneris.

Proscriptionem.

Henricus IIII abbas S. Galli, ABBACELLENSES, qui sese Heluetiorum fœderi aliquo pacto coniunxerant, diris deuouit, & ut ab Imp. proscriberentur effecit. Cæterùm illi Anathematis & Proscriptionis nuncio accepto, conuocata concione populi (qui simplicissimus est & integerrimus) id unũ cõmunibus suffragiis decreuêre, A. D. 1425. Anathemati & Proscriptioni (quicquid tandem ea nomina sibi uellent) se nunquã assensuros: idq; lingua uernacula simplicissimè ꝓtulerunt, Sy wolund nit um ding sin. Tandem multis cladib. datis & acceptis, Heluetiis æterno fœdere cõiuncti sunt, anno 1452. Stumpfius. Beatos uerò Heluetios, si hanc potius ingenuam simplicitatem, quàm fucatam exterarum gentiũ prudentiam sequi mallent. Nunc, ut ille ait, Aetas parentum peior auis tulit Nos nequiores.

Orationem, Mandata, Iussa, Minas.

Lartes Tolumnius Veientium rex, cùm in tesserarum prospero iactu per iocum collusori dixisset, Occide: & fortè legati Romanorum interuenissent: SATELLITES eius errore uocis impulsi, interficiendo legatos, lusum ad imperium transtulerunt. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

C. IVLIVS Cæsar Rubicone traiecto, pro concione fidem militum flens ac ueste à pectore discissa inuocauit. Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam cùm in alloquendo exhortandoq; sæpius digitum læuæ manus ostentans, adfirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, anulum quoque æquo animo detracturum sibi: extrema concio, cui faciliùs erat uidere concionantem, quàm audire, ꝓ dicto accepit, quod uisu suspicabatur: promissumq; ius anulorum cũ millibus CCCC. fama distulit. Suet.

Cremona anno quàm condita fuit ducentesimo octogesimo sexto, dedita excidio est errore potius, quàm consilio. Siquidem ea à Vitellianis militibus recepta, quum Antonius Vespasiani dux in balneum concessisset cruorem abstersurus, excepta uox eius est, quum fortè balnearum tepor excusaretur, futurum ut statim incalescerent: actum demùm, quasi signum dedisset ad urbem incendendam, quadraginta milibus MILITVM uno agmine irrumpentibus, ciues indifferenter cæsi, res direptæ, tecta & parietes quatriduo ignis absumsit. Sab. lib. 3. En. 7.

Heliogabalus Imperator, cùm iussisset Senatũ urbe Roma excedere, indicta morte, si quis remansisset, & sciret Sabinum consularem uirum, spreto decreto, Romæ remansisse, centurionum VNI imperauit, ut eum occideret. Sed cùm is surdaster esset, accepit occidendi uerbum, tanquam ab urbe eũ pellere iuberetur. Lampridius.

MAXIMINO Imp. non fuit crudelius animal in terris, omnia sic in uiribus suis ponente, quasi non posset occidi. Denique cùm immortalem se propè crederet ob magnitudinem corporis sui, uirtutisque munus, quidam in theatro præsente illo dicitur uersus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententia:

Et qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur.
Caue multos, si singulos non times.

Sed cùm Maximinus interrogaret amicos, quid mimus scurra dixisset, dictum est, quòd antiquos uersus cantaret contra homines asperos scriptos: & ille, ut erat Thrax & barbarus, credidit. Capitolinus in Maximino.

HONORIVS Imp. cùm Rauennæ trepido nuncio accepisset, Romam à Gotthis esse captam, quòd Alaricum ad accipiendum exercitum, ut ex fœdere in Galliam se referret, contendisse sibi persuaderet, alia omnia suspicans, respondit: Qui fieri potest, cùm paulo antè hic esset? gallinam captam nunciari interpretans, quam in deliciis habebat, ac Romæ nomine insigniuerat. Quod dictum omnes ad stuporem cordis retulerunt. Sigonius uerò libro decimo Imp. occid. ad errorem animi.

ODDII Perusini exules, aduersæq; Ballionum factionis principes, ab Fulginatibus, aliisq; uicinis, Gibellinas partes sectantibus adiuti, furtim Perusiam noctu sunt ingressi. Quo repẽtino casu Balliones pauore correpti fugã capessebant. Cùm iam nemine resistente, ad primarij urbis fori aditũ exules peruenissent, uelletq; ipsorum unus securi, quam in hũc usum attulerat, catenam, qua urbes factionum morbo infectæ, uias transuersas claudere consueuerãt, perfringere: isq; à suorum multitudine ita premeretur, ut brachia explicare ad securim attollendam non posset: clara uoce, Retrocedite, ingeminauit. Quæ uox ab ijs qui sequebantur repetita, atq; sic accepta, quasi de capessenda fuga admonerentur, cunctos citra hostem in fugam coniecit. Aduersarij globo facto, multos in fuga trucidarunt. Guicciard. lib. 3.

Nutum, Signa.

Vigilius Pp. dum in exilium iussu Theodoræ Imperatricis deportatur, ex Sicilia magnum frumenti numerum impositum nauib. ad subleuandã ciuitatis inopiã destinauit. Harũ nauiũ aduẽtu ꝓcognito, Gotthi, qui Totila duce Romam obsidebant, priores in Portum uenerunt, & se intra mœnia cõdiderunt, ut eas accedentes inuaderent. Quas custodes, qui erãt in mœnibus, cõspicati, è propugnaculis, ueste altè sublata, signum NAVTIS ad se prodeuntibus dederunt, ne ꝓpè accederent, sed aliò cursum dirigerent. Illi uerò lętitię sui aduentus signum illud esse putãtes, prospero flante uento, Portui successerunt. Itaque barbari omnes repentè ex insidiis erumpentes, naues cunctas, nemine defendente, ceperunt. Sigonius lib. 19. Imp. occid. ex Procopio.

Passionem aliquam suam.

QVIDAM intimus D. Augustini amicus deplorata febre laborans, in sudore lethali constitutus, baptizatus est non sentiens, Augustino clam irridente, ut qui adhuc hæresi Manichęorum infectus, eundem amicum ad similem impietatem traduxisset. Vbi ille ad se rediit, & Augustinus pro more illũ

ob acceptum baptiſmum irrideret,ſperans illum quoq; irriſurũ id,quod ſenſus rationisq; expers accepiſſet: ille ipſius baptiſmi fructum per ſancti Spiritus gratiam perſentiẽs, ſerio uultu admouuit,ut ſi amicus eſſe uellet,talia ſibi dicere ſuperſederet. Nec multo pòſt obiit. Teſtis ipſemet libro 4. Conſeſs. cap.4.

QVOD NON EST, ESSE putare. PVTA

Venenum eſſe Medicamentum.

Hyllus apud Sophoclem dicit DEIANIRAM, cùm putaſſet corpori Herculis iniecturã,quod conciliandi amorem uim haberet,abalienatuinq; ipſius animum reuocandi: peccaſſe errore quodam,non uoluntate.Narrat autem Ariſtoteles in lib.de Morib.qui ἠθικὰ μεγάλα uocantur,cùm idem,qđ Deianiræ,fœminę alij cõtigiſſet(quod enim poculum amatori dedit, interemit hominẽ) in iudiciũq; Ariopagi uocata illa eſſet, elapſam ſeueritatẽ iudicũ, nulla alia de cauſa, niſi qđ planum factum eſſet,ipſam eo maleficio οὐκ ἑκοῦσαν non uſam: dederat enim philtrũ amoris cauſã, quamuis ſine ſuo exciditſet:unde intelligi poterat,nõ eſſe id ſponte factũ:nec enim obeſſe uoluit, ſed prodeſſe. Vict. lib.7.uar.Lect.cap.8.

Comes Fluſſatũ bello ceperat Alebretenſem, dimiſeratq; fide Caroli Nauarri regis, cuius ſororem in matrimonio habebat,pactus certo auri pondere:quod poſtea ſoluit quidem, ſed Nauarro,ut is ſpõſor fidem ſuam liberaret. qui belli neceſſitatibus adductus,& magna nonaq; ſemper moliẽs,aurum ſibi retinuit.Tunc Comes Fluſſatum uxori,antea etiam non bene conuenienti, nec pellicis potentiam ferenti, Abi, inquit,ad ſceleſtũ fratrem:nec redeas, niſi re ab illo rabido monſtro perſoluta. Comitatus eſt FILIVS in aliquot dies matrem:& illa uiri imperium,inclementiaq; in ipſum uerba renunciauit. Nauarrus redeunti ad patrem adoleſcentulo, Accipe hunc,inquit,puluerem: quem ſi ignaro patri in potione miſceueris,continuò ſtagrabit deſiderio uxoris, ultróque reuocabit. Credidit auunculo imperitus miſeriq;,proq; amatorio mortiferum uenenum accepit: id in olfactoriolo, quòd in adoleſcente hæ quaſi deliciæ ſuſpectæ eſſe non poterant,abditum gerebat, expectans occaſionem inſcio patri dãdi.Deprehenſus à patre,nothum filium in honore deliciiſq; habente,mori coactus eſt. Aemylius lib.9. & Fulgoſius lib.9.cap.12.

Amicum eſſe Hoſtem.

Chiorũ claſſis,cùm inſequẽtes hoſtes fugeret, ſorrè per noctẽ, apud Epheſium,tanquam in litus amicum ad terrã deſcenſionem fecit.In ea regione cõtigit,ut Epheſiæ mulieres per agros ſpatiæ,quæ ea nocte Cereris ſacris operabãtur, cũ armatos ſentirent aduentare,quanquam illi palàm faceret, ſe Chios atq; amicos eſſe,tamen piratas ſuſpicatæ,magnis clamoribus tumultum in urbe concitarint. Vnde egreſſus EPHESIVS populus,Chios eſſe eos, propter quos ortus erat tumultus,ignorans,amicos,atque eoſdem uicinos, pro hoſtibus interemit.Fulg.lib.9.cap.9.

GRÆCI Leontychida Spartano duce,ad Mycalen Ionię cum Perſis pugnaturi erant.Samij & Mileſij à Perſis deficientes ad ferendum Græcis auxilium copias eduxère omnes: rati, Græcis, conſpecta ſociorum manu ad ferendum auxilium ſe ſtimulatum, audaciam ſimul ac ſpem animos erecturã. Quod primùm ſecus accidit ac putarant,ac propè pernicioſi cauſa fuit erroris.Nam Græcos ſuſpicio inuaſit,Xerxem coacto ex Sardibus exercitu,ſuis eo agmine ſubſidio aduentare atque in ſe ferri. Itaq; conſpecta aduentantium acie,ingenti terrore corripiuntur,tumultuq; per exercitum & aciem repentè exorto, diuerſi inter ſe ac trepidantes,alij ad naues cõfeſtim cõcedendum cenſere, alij ſiparo agmine ſtrictiſq; gladiis,imperterritè perſtandum, haud hoſti cedendum. Interea Perſarum acies inſtructa repentè conſpecta. Cùm iam nullum Græcis conſilij ulterius capiendi ſpacium daretur, ad impetum Barbarorum excipiendum neceſſitas acuit inſtruxitq; omnes. Diod.lib.11.

Romam obſidente Hannibale, cùm mille trecenti equites Numidas,qui ab Hannibale ad Romanos tranſierant,ab Auentino in Exquilias conſules traduxerent, & urbis longitudinem diſcurrentes,propter habitus ſimilitudinem ſpeciẽ hoſtium,qui urbem iniuiſſe dicebantur, præberent: ROMANA plebs ad uim conuerſa, è tectis undiq; in Numidas ſaxa deijcere cepit:donec cõſulum interuentu cognouere,nõ hoſtes illos eſſe, ſed transfugas, quorum opera plurimùm Romana res iuuabatur.Liuius.

Vltimo Othonis prælio,aduerſus Vitellium apud Bebriacum, quem locum recentiores Binam appellant, cùm Iulius Marſuetus, miles Hiſpanus,pro Othone aduerſus Vitellianos dimicaret:in medio prælij ardore, cùm non cognoſceretur, à FILIO interemtus fuit, qui in Vitellianorum parte erat. Cùm poſtea ueluti hoſtem cum ſpoliaret, non ſine immenſo dolore deprehendit illum patrem ſuum eſſe, & tam ſæui facinoris errorem cauſam fuiſſe.

Cùm Alphonſi Aragonij copiæ,urbem Neapolim obſidentes, per cuniculum urbem ingreſſæ eſſent,easq; Galli(qui Renatum regem Neapolitanum defendebant) ſtrenuè reijcerent, contigit,Aragonium militem deiecto equite Gallo,in equũ inſilire.GALLI arbitrati Aragoniũ exercitum effracta porta urbem ingreſſum,quòd neque cuniculo,neq; ſcalis deduci in urbem equi ab Aragonijs poterant:abiecta reſiſtendi ſpe,in munita loca ſe receperunt. Fulgoſus lib. 9. cap. 9. & Egnat.lib.9.cap.9.

Hoſtem aduentare, inſidiari.

Simias Strabo infinitas in India, præſertim in ſylua ad Emodios montes,inueniri ait,maximis canibus maiores,præter faciem,quæ nigra eſt,albos eſſe totos:caudis,utpote duorum cubitorum,longiſſimis. Hoc animal,non minus, quàm elephantes,ad humanum ingenium & captum accedere. Cùm enim exercitum Alexandri uidiſſent:ipſos etiam in collibus quibuſdam ordines inſtruxiſſe.MILITES,exercitum hoſtilem putaſſe, & in eos contendiſſe. Re tandem per Taxilum comperta,ceſſaſſe.

Eo prælio, quo Fincormacus Scotorum rex contra Traherum Britanniæ legatum XV.M.ſuorum amiſſis, XVI.M.Romanorum cæſis,victor fuit,victoria penes Traherum futura erat,niſi ad agreſtium multitudinem in proximo cõſpectam monte,armenta & greges, ut hoſtibus ſe ſuis cum ſortunis eriperent,præ ſe agentium,ROMANI milites, hoſtium auxiliares opinati,formidaſſent: quorũ timor & fuga inde ſequuta,Scotis,Pictis,Octauianisq; Britonibus, iam admodũ pugna deſeſſis, uictoriam dedit. H.Boethius lib.6.

ANGLI Iacobi I.Scotorum regis ſiliam Margaritam,Lodouico Caroli VII. Gallorum regis filio nupturam, CXL eximiæ nobilitatis ſeminis,& inter eas quinq; Margaritæ ſororibus ſtipatam,obſeruabant. At eodẽ tẽpore, quo ſoluerãt, apparuit haud longè ab Anglia Hiſpanorũ claſſis. Quã quũ arbitrarẽtur ANGLI Scotorũ eſſe,octoginta nauib. cã inua ſerunt.Verũ ubi in uiros ſe incidere bellicoſos uiderent, nõ in puellarũ ſponſam deducẽtium chorum, perculſi,eladem ingentem acceperunt. Claſſis Scotica in Franciam ſecundo uento peruenit.H.Boethius lib.17.

Ferdinandus Aragonius Neapolitanorum rex Canuſiũ ueſſus cum exercitu profectus, cùm exploratores præmiſſi Nicolaum Picininum cum ſoãne Andegauenſi,qui regnum affectabat,& Tarentino principe ſe coniunxiſſe, & in armis inſtructos ſtare retuliſſent:exercitum retrò Barolum duxit, ob metum quem DVCES pariter & MILITES conceperant. Compertum tandem eſt,agmen fuiſſe ceruorum compaſcẽtium,quorũ in ea regione belli tẽpore maxima eſt copia. Hi ſub matutinũ tẽpus paſtui dediti,ſparſim eũ errarẽt, ubi exploratores ſenſere equites,in unũ coacti dubia iam luce ſpe cię prębuère hoſtilis agminis. Pontanus lib.2.belli Neapol.

Obſidebat CAROLVS Burgundus, cum PROCERIBVS Francorum,Ludouicum XI.regem Pariſijs.Nocte intẽpeſta uigiles caſtrorũ audiuère uocẽ cuiuſdã, qui diceret, ſe à certis hominibus(eos nominabat,qui ſtudioſi Ducum eſſent) ex urbe miſſum,ac iuſſum nunciare, ſtatuiſſe regem mane omnibus copiis tria in agmina diuiſis caſtra oppugnare: iret properè uigil,Duces certiores faceret, ne incauti opprimerentur. Excitari continò exercitus, arma capere miles iuſſus. Ante lucẽ ad utrũq; omnia,& ad caſtra turanda,& ad pũ parata:miſſiq; ſole octo exploratores, retulère ſe uidiſſe ingentem uim haſtatorum.Turbida lux erat, quòd eã exorta denſa ſortè caligo premebat.Iterum miſſi equites idẽ ruſus confirmârunt.Expectabatur iamiam uelut eruptionem facturus hoſtis:at is nullus erat.Vanam eam ſpeciẽ concepe rant ſpeculatores,& metu falsa pro ueris ſubijciente, & nocturna uoce,ludificationeq;.Multo tandem die caligine diſcuſſa,liquidior lux errorem aperuit:nec inurbanè ludẽtarum, carduos,quibus ſuburbanus ager ueſtitur, haſtas timidis uiſos eſſe.Id per ſe ridiculum, timiditatem militis, qui tam ferox uenerat,coarguit. Aemilius lib.10.

Quum anno 1536.CAROLVS V.Cęſar & Galliæ rex Franciſcus, hortatu Pauli III. Pont.ad Nicæã urbem in colloquiũ uenturi crederentur:ſtaretq; in ancoris Cæſariana claſſis in ipſo Villafranchæ portu:nonnulli ſub meridiem otioſè maria & colles à tergo,in altiſſima Alpium iuga aſſurgentes, proſpectantes, denſam nubem ſumi inſtar in altum eleuatã conſpexère è proxima turrita uilla editiore. quæ cùm ex interuallis continenter augeretur,pleriq; ſignificationem eſſe aduentantis inimicæ claſſis affirmabãt,& Barbaruſſam Turcicæ claſſis imp.ad opprimendos ſummos Chriſtiani nominis principes,Pontificem & Cæſarem,aduentare proclamabant. Ea uox incredibilem cunctis pauorẽ attulit, ſic ut Alfonſus Vaſſius pedeſtris exercitus dux Cæſarem in ardua Apennini iuga aſcendere hortaretur,& Andreas Auria claſſi præfectus tolli ancoras & triremes obuerti præciperet. Stetit impauidus Cæſar,nec de periculo quicquã temerè credidit.Compertum eſt tandem à uillico eam nubem denſi puluueris,quæ ſumi ſpeciem referret,excitatam fuiſſe, quum ille in area fabarum aceruum cribrando & uentilãdo,à ſiliquis ſecerneret. Multis ſiquidem ex interuallo uentilationibus, quæ triginta ſex triremium numerum repræſentabant, ab initio notatæ numeratæq; fuerant: ut primã Barbaricæ claſſis ante cuntis partem eſſe,uel nautici homines iudicarent. Ergo omnes ex ſumma trepidatione in riſum inconditosq; cachinnos ſoluti ſunt,& immanis ille metus iocoſis omniũ ſermonibus celebratus fuit.Iouius lib.17.Hiſt.

Vrbem eſſe captam.

Luſitani Feſſenſem regem à Tingitana urbe iam propè capta uix magno labore repulerant.an.1501.Interea cùm quidam MAVRVS è campo in oppidum adequitaret, quod exiſtimabat iam à ſuis captum eſſe,lætus & ouans per portã ingreſſus eſt:iniectisq; ſtatim illi uinculis, præproperæ lætitiæ pœnam tulit.Oſorius lib.2.rerum Eman.

IGNORANTIA, ERROR. RESPECTV EVENTVS. EX ERRORE.

Deditio facta.

Eo prælio quo Maſtelzeres in Africa aduerſus Gildonem fratrem,qui ab Honorio Cæſare rebellauerat, dimicauit: Gildonis EXERCITVS, qui magno numero Maſtelzeris copias anteibat,errore tantùm, neq; alia re impulſus, in fugã ſe uertit.Nam cũ Maſtelzeres ad primã fratris aciem appropinquaſſet,atq; priuſquam manũ conſereret,blandè milites alloqueretur:Gildonis uexillifero,qui atrocius quàm cæteri reſpondebat,gladio brachium ademit.Et cùm ob eam rẽ, uexillum,uexillifero amplius illud non regente, cadens, inclinaretur,ultima acies,quæ Maſtelzerem alloquentem uiderat,& paulo pòſt ſignum inclinatum, arbitrata primam aciem,quæ tota Romanis legionibus conſtabat,Maſtelzeri tanquam Honorii duci inclinatis aquilis, pro more illorũ temporum,deditionem feciſſe,à potiori exercitus parte deſertam ſe credens,concurſu facto,idem fecit, quod primam aciem feciſſe arbitrabatur.Gildo,cùm uniuerſum exercitum ſuum ad deditionem moueri conſpiceret,uitæ ſuæ metuẽs, in fugam ſe coniecit,ac fratri uictoriam,nullo effuſo ſanguine,trãdidit.Fulgoſus lib.9.cap.9.

Vrbs occupata.

☞ *Vide Tit. Stratagematum, Vrbes occupare.*

Vrbs non occupata.

Poſt uictoriam Marathoniam claſſem LXX nauium Athenienſes MILTIADI dederunt,ut inſulas,quæ Barbaros adiuuerant,bello perſequeretur.Quo imperio pleraſq; ad officium redire cogit:nonnullas ui expugnauit.Parum inſulam,opibus elatam,diu obſedit.Cùm iam in eo eſſet,ut oppido,potiretur,procul in continenti lucus, qui ex inſula conſpicieba tur,neſcio quo caſu,nocturno tempore incenſus eſt. Cuius flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus eſt uiſa,utriſq; uenit in opinionem,ſignum à claſſiariis regijs datum. Quo factum eſt,ut & Parii à deditione deterrerentur,& Miltiades timẽs, ne claſſis regia aduentaret,incenſis operibus quę ſtatuerat,cum totidem nauibus atque erat profectus, Athenas magna cum offenſione ciuium ſuorum rediret. Accuſatus ergo proditionis,quòd cùm Parum expugnare poſſet, à rege corruptus,infectis rebus à pugna diſceſſiſſet. Eo tẽpore æger erat uulneribus, quæ in oppugnando oppido ceperat. Itaque quoniam ipſe pro ſe dicere non poſſet, uerba fecit frater eius Stesagoras. Cauſa cognita,capitis abſolutus, pecunia multatus eſt. Eaque lis quinquaginta talentis æſtimata eſt: quantus in claſſem ſumtus factus erat. Hanc pecuniam quòd ſoluere non poterat, in uincula publica coniectus eſt,ibique diem obijt ſupremum. Cimon F.in uincula coniectus, Elpinices ſororis pietate multam ſoluit. Probus in Miltiade.

CAICHOSCROES Iconij Sultanus ab Alexio Angelo Grecorum Imperatore iniuriam illatam ulturus, improuiſa incurſione Phrygiæ Antiochiam cepiſſet, niſi caſus quidã fortuitus impetum eius fregiſſet.Nam qua nocte ad urbem opprimendam properabat,quidam homo potens filiæ nuptias celebrabat.Erat igitur, ut in huiuſmodi feſtiuitatibus ſolet,tumultus hominum conuiuantium: cymbala, tympana, ſaltatores,& mulierum cœtus, hymenæum cantantium,per totam noctem perſtrepebant. Vt autem ad urbem acceſſit Caichoſcroes,audita organorum harmonia, & hominum concentu:non rem ipſam coniectura aſſecutus, ſed militum teſſeras eſſe,qui ſuum aduentum præcognoſſent putans, ad Lampen diſceſſit.Nicetas lib.2.

Veronæ per inſidias capiendæ conſilium VENETI inierant, iamque milites delecti noctu ad urbem acceſſerant,cùm ſcalas breuiores eſſe cognouerunt,quàm muri altitudo requirebat. Ad eiuſmodi ſubſidium comparandum, ut alteram alteri alligarent,atque ita longiores eas facerent,ſe dederunt. In eo dum ſunt, ſigna in oppido ci loco proxima caſu concinere cœperunt.Illi ueriti aduentum ipſorum militibus Germanis tribus millibus palam factum eſſe, qui eam oppidi partem cuſtodiebant,relictis ſcalis,extra propugnacula celeriter ſe,quà uenerant,receperunt:deinde ad exercitum, qui non longè aberat,ut ſe in oppidum inferret, re infecta magno cum dolore omnium atque moleſtia redierunt. Bembus lib.10.hiſt.Venetæ.

MVLLVS Cropellus,cùm à Matthæo Vicecomite, qui eo tempore Mediolani rerum potiebatur,miſſus eſſet,ut Cremonã occuparet,per noctem urbi appropinquans,muros ſilentio perfodit,ingreſſuſque urbem Pontionus Cremonenſis exul ſolùm cum centum uiris, quòd ſubſequi Mullum arbitrabatur,palatium ſtatim occupauit.Cùm autem clamore ſublato,Gregorius,Summa gente ortus, ciuis Cremonenſis, armis arreptis,ad muros ſe contuliſſet,illic quà parebant, eos ſtatim obſtruxit.Itaque cùm Mullus arbitraretur Pontionũ in urbe oppreſſum,præ formidine retrò ſe conuertit. Gregorius autem Summus,cùm acceſſiſſet amiſſum eſſe palatium, arbitratus longè maiorem hoſtium numerum urbẽ ingreſſum,quanquam ſeptus eſſet magna fortium uirorum manu,qua & Pontionum, & omnes qui cum eo ſentiebant facilè poſſet opprimere,Cremona profugit: cùm noctis tenebræ in eum errorem eo in loco homines induxiſſent, ut qui numero plures erant, pauciores timerent ac fugerent. Fulgoſus lib.9.cap.9.

Vrbs deſerta, amiſſa.

Iagupes Baiazetis I.dux;Argos urbem duobus in locis ſimul adortus,eam capere ſumma ope nitebatur. OPPIDANIS autem,qui in ſiniſtra urbis parte reſiſtebant, panicus terror, ſpectro uiſo,iniicitur.Putabant enim ſe uidiſſe uirum quendam indigenam dicentem,urbem in dextra parte,qua oppugnabatur,captam eſſe.Relicto itaque loco iſto, citato agmine contenderunt ad dextram urbis partem.Hinc hoſtes muros ſuperarunt,urbemque diripuerunt. Chalcocondylas libro ſecundo.

Cædes admiſſa.

Cleonice Byzantia uirgo noctu ad Pauſaniæ Lacedæmoniorum ducis cubiculum, aliquanto ſerius quàm conſtitutum erat,ueniens,manu lumen geſtans, quod à cuſtodibus accesperat,cùm pedem offendiſſet,& nou ſine ſtrepitu ad terram extincto lumine concidiſſet: PAVSANIAS experrectus è ſtrato proſiliit,inſidias ueritus,cubiculique oſtium, ut in tenebris poterat, petens, Cleonicem gladio tranſuerberauit. Plutarchus.

In campis Philippicis C.CASSIVS à ſuis deſertus, cum paucis coactus eſt in collem,unde deſpicere in campũ poterat, ſe recipere.Cæterùm nihil ipſe contuebatur:nam aciem habebat obtuſam. tantùm caſtra ſua conſpexit, idque etiam uix,ab hoſtibus diripi. Comites eius magnam equitum manum,quam mittebat M.Brutus uictor à dextero cornu,contemplati ſunt aduehentem. Hos Caſſius hoſtes eſſe & conſectari exiſtimauit ſe.Vnum tamen ex comitatu miſit ſpeculatum Titinium.Hunc ut aduenientem conſpicati ſunt equites,& hominẽ amicum & ſidum Caſſio uidere: ſublato præ gaudio clamore familiares ex equis deſilientes ſaluarũt & cõplexi ſunt eum.Alij undiq; eum nimio gaudio ouãtes & ſtrepẽtes ſunt circumuecti. qua re magnũ malum effecẽre.Nam Titinium arbitratus eſt Caſſius uerè ab hoſtibus cõprehenſum,atq; hactenus locutus: Nimirum dum nimium uitæ ſumus cupidi,ſuſtinuimus amicum ab hoſtibus uidere correptum.mox diſceſſit in tentoriũ quoddam deſertum, unũ trahens ſecum libertum Pindarum,quem ex Craſſi clade ad hanc neceſſitatem ſecum habebat deſtinatum. Cui chlamyde obuoluto capite ceruicem aperta præbuit præcidendam. Caput enim ſeorſum à trunco repertum fuit. Pindarũ uerò poſt eam cædem nemo mortalium conſpexit. Vnde ſuſpicati ſunt aliqui eum iniuſſu Caſſiũ occidiſſe. Plut. in Bruto.At Val.Max.lib.9.c.9.paulo alter hiſtoriã narrat,inquiẽs: C.Caſſium errorã ſemetipſo pœnas exigere coegit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercituum apud Philippos uarium,ipſiſq; ducibus ignotum cuentum, miſſus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut ſpecularetur, quónam in ſtatu res M.Bruti eſſent: dum crebros exceſſus uiæ petit, quia tenebrarũ obſcuritas, hoſtésne an cõmilitones occurrerent, dignoſcere non ſinebat, tardius ad Caſſium rediit.

Quem is exceptum ab hostibus, omniaq; in eorum potestatem recidisse existimans, finire uitam properauit, cùm & castra hostium inuicem capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. Titinij uerò non obliteranda silentio uirtus, qui oculis paulisper hæsit, inopinato iacentis ducis spectaculo attonitus, deinde profusus in lacrymas: Etsi imprudens (inquit) imperator causa tibi mortis fui, tamen ne idipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem. superq; exanime corpus eius iugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permixto utriusq; sanguine, duplex uictima iacuit, pietatis hæc, erroris illa. Plutarchus & Val. Max.

TIBERIVS Cæsar, dum per tormenta disquisitionem quorũdã haberet, ut causam mortis Drusi filij intelligeret: & ei significatum esset, aduenisse Rhodium quendam, eius amicum, quẽ ipse per literas uocarat: uel quia malè audisset, uel quia in alias curas esset abstractus, statim iussit torqueri. Non multo pòst errore deprehenso, facinoris cælandi causa suffocari hominem curauit. Suetonius.

LVDOVICVS Osnaburgensis episcopus ducebat in Otthonem de Monte, occupatorem ecclesię Monasteriẽsis, cui adhærebat comes de Marca. In conflictu superatur comes de Marca, candido episcopi habitu superindutus, paludamenti loco. Quum capto & iacenti episcopus incumberet, aduolans QVIDAM ex agmine episcopi, quum crederet episcopo incũbere comitem, episcopo quasi comiti uulnus inflixit lethale, ignorans dominum esse suum. Victor tertia pòst die ex uulnere mortuus est: quum præfuisset ecclesię annis duodecim. Cranzius lib. 8. Metrop. c. 52.

Fuga facta.

Leuinus consul Rom. propè Sirin amnem Pyrrho Epirotarum regi occurrit. Oplacus Italus, alæ Ferentanæ præfectus, regem ex insigni crista & hircinis cornibus agnitũ infesta lancea petiuit. Pyrrhus euitandi causa periculi chlamyde & armis cum Megacle amico commutatis ruit in Romanos. Diu mars anceps fuit, uicibusq; septem ferunt hinc inde & terga dedisse, & fugientibus hostibus institisse. Hic cùm peterent multi Megaclem, qui princeps cũ percussit & prostrauit mortuum, Dexter nomine, callide detracta & chlamyde, uociferabatur interfecisse se Pyrrhum. Romani tollunt clamorem, GRÆCOS perplexitas & consternatio occupat: quousque cognita re Pyrrhus nudo capite obequitauit aciem, dextrã porrigens præliantibus, & qui esset, uoce significans. Elephantis demùm Romanos prementibus, in turbatos equitatu immisso Thessalico, conuertit eos magna cæde in fugã. Plutarchus in Pyrrho.

Tempore Zoes Imperatricis pugna inter Romanos & Bulgaros commissa ad castellum Acheloum, pulsiq; & magna cęde prostrati sunt Bulgari. Ibi cùm Magnus Domesticus dux Romanus, plurimo sudore madens, ex equo descendisset, ut se recrearet: equus abrupto capistro sessore uacuus per exercitum discurrit. Quem ut agnouêre MILITES, occubuisse Domesticum rati, ab insecutione hostium destiterunt. Quod ex alto cernens Simeon Bulgarorum princeps (neque enim effusè & ordinibus dissipatis fugam faciebat) suos Romanis immisit. Cedrenus. Cuspinianus hoc Phocæ Scholarum Domestico sub Constantino Porphyrogenito accidisse scribit.

Bulgari Germaniæ magnæ & Sarmatiæ, quæ est in Europa, populi ferocissimi, superato Istro, Bathia rege, Pãnoniam inferiorem usque ad Istrum flumen, Mœsiasq; inuaserant: & cùm Imperator eis occurrisset, in munitiones sese receperãt. A Romanis dũ obsiderentur, Cõstantinus Pogonatus Imp. ad thermas cum paucis abijt, propter dolorem pedũ. Quidã equestris ordinis rumorem sparsit Imperatorem aufugisse. Itaque metus adeò occupauit MILITVM animos, ut & ipsi statim fugam capesserent. Bulgari fugientes persequuti Imperatorem in eas angustias redegere, ut Mysiam eis concesserit habitandã, annuo insuper tributo promisso. P. Diaconus lib. 19. rerum Romanarũ: Zonaras tomo 3. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorũ: Sigebertus anno 680. à quo regnũ Bulgarorum Chronici ordiuntur.

FRIDERICVS I. Imp. an. 1176. ad Lignanum contra Mediolanenses rebelles pugnans, ubi uexillo Aquilæ amisso suam inclinantem aciem sensit, nulli labori ad eam sustinendam pepercit, in appellandis cohortandisque militibus ducis, in conferenda manu militis officia præstans. Dum autem modò in hac, modò in illa parte inclamat, solitam in præliis suorum constantiam aduersus rebellantes turpiter Italos repetens, ab Italo, qui conserta in acie stans uel ibi ferre contumeliam nequiit, equo strenuè suffosso deijcitur. qui casus optatam Italis uictoriam præbuit. Nam Germani amissa aquila Imperatorem, quia non extabat, cecidisse insuper arbitrati, in fugam se pauidi coniecerunt: nec solùm campũ, in quo pugnabatur, sed etiam castra, quibus se tueri magna ex parte poterant, opulentissima reliquerunt, atque ignoratione locorum ad oppida inimicorum delati, partim capti, partim occisi sunt: multi etiam Ticinum tranare amnem uolentes cæcis eius gurgitibus hausti. Fridericus ab uxore Beatrice Comi, ut mortuus comploratus, post quatriduum præter spem omnium incolumis Papiam accessit. Sigonius lib. 14. regni Italici.

Latini principes, captis à Saladino Hierosolymis, Clementis III. instinctu Tyrum peruenerãt omnes, indeq; paribus animis Ptolemaida mouerant, urbemq; oppugnabant. Superueniente autem cum magno exercitu Saladino, & à tergo & à fronte eodem tempore contra hostem dimicare necesse fuit. Pugnatum est diu acriter, & iam ad CHRISTIANOS uictoria inclinabat, cùm equus è manibus gregarij cuiusdã elapsus, Christianis fugæ ansam prębuit, arbitrantibus suos in fugam uersos. Verùm Gosfredus Lusignanus ad custodiã castrorum relictus, eruptione facta & hostes repressit, & suis animum ad resistendum dedit. Constat tamen ex Christianis ad duo millia eo die cæsa. Periêre item ex acceptis uulneribus Templariorum magister, & Andreas Bremensis comes. Platina in Vrbano III. & Aemilius lib. 6.

Anno 1395. 29. Septemb. ad Nicopolim Sigismundo Hungarię regi florem Christiani exercitus ducenti Baiazetes Turcorũ tyrannus occurrit. Ibi dum Galli gloriosum ducunt præliũ ante alios inire, non expectatis cæteris agminibus, aciẽ Turcarum ingenti impetu adorti, retrocedere coegerunt. Turcæ ad arcus conuersi, equos Gallorum telis transfodiebãt. Galli desiliunt ab equis, ut pedites cum pedestribus copiis certamen experiantur. Equi Gallorum cum sellis uacuis in castra recurrẽtes, suspicionem Vngaris iniecere, quasi equites omnes à Turcis essent occisi. Sigismundus celeri equo aduolans, ut hunc errorem suis demeret, & ad pugnam ex fuga retraheret, postquam nihil profecit, in cymbam, qua commeatus Danubio aduectus erat, seruili habitu insiliẽs, uix effugit. Dubrauius lib. 25.

Verbera illata.

BAPTISTA Zenus Cardinalis sub Paulo II. cubiculi præfectum sæpe uocans, cùm ab eo naturæ necessitati parenti nõ exaudiretur, furibundus retro ostium sese abscondit, ut ingredientem malè multaret. Interea Cardinalis cuiusdam scribam, foribus apertis ingressum, Baptista capillis arreptum pugnis egregiè contudit. Garimbertus libro 6. de uitis Pontificum.

Carcer.

Alypius cùm Carthagine in foro obambularet cum tabulis & stylo, repetens quæ mox in schola redderet: interim alius ex scholasticis securi armatus, de cancellis argentariorũ plumbum præcidere ausus, cùm strepitu facto eos concurrere sensisset, relicta securi aufugit. Accedit interim ad cancellos ꝓpius Alypius, & inuentam securim intuetur. Adsunt illico MINISTRI, eum tanquam furem comprehendunt. Superuenit architectus publicus: is agnito Alypio, uerum furem comprehendi iussit. Augustinus libro sexto Confessionum, capite nono.

Desertio sociorum.

Io. Gometzius Abræus Lusitanę classis pręfectus cùm oram australem insulæ S. Laurentij legeret, quam Matatanam uocãt, aquationem facere uoluit. Ibi repentè multi lintribus inuecti, nauem circumdant, nutibus hominem perbenignè salutant, pisces recentes offerunt: radices, quibus gens alitur, & arundines, è quibus saccharum exprimitur, munificè præbent: omnia denique signa singularis humanitatis ostendunt. Ea gentis facilitate nauarchus allectus, magistrum nauis iubet in lintrem descendere, ut uideat, an possit cum illis sermonem conferre. At illi ubi primùm magistrum acceperunt, tanta celeritate lintrem remis egerunt, ut se intra breue spacium è suorum conspectu proriperent. Hoc cùm ex improuiso accidisset, NAVARCHVS scapham in mare demittere iussit, ut lintres sequeretur. Cùm terrę appropinquaret, cernit rursus eosdem lintres cum magistro scapham uersus summa securitate nauigare. Magister ad scapham peruenit, narrauit se fuisse ad Regem perductum, qui eum fuerat singulari humanitate complexus, illumq, præterea torque argenteo, & armillis atque annulis argenteis donarat, statimq; remiserat, ut nomine suo nauarchum precaretur, ne uellet congressum suum fugere. Ergo nauarchus in terram descendit, & conuiuio more gentis liberali humaniter exceptus, sub uesperam scapham repetens, tempestate subito orta, quæ per quatriduum integrum durauit, ad nauem redire non potuit. SOCII eius uel occisum uel fluctibus haustũ suspicati, uela fecerunt. Nauarchus interim scapha per oras illas circumuectus cùm nauem minimè reperisset, ad Regẽ rediit: ubi præ desiderio patriæ nunquam amplius uidendæ cum octo comitibus mœrore contabuit. Reliqui scapham refecerunt, & multum sui desiderium Regi, ut apparebat, relinquentes, inde profecti, cursum in Mozambiquem tenuerunt. Osorius lib. 5. rerum Em.

Tumultus ortus.

Victo à Carthaginensibus in Africa Agathocle, ex eius militibus cęsa sunt tria millia. Nocte insequẽte calamitas utrosq; exercitus inopinata inuasit. Nam Carthaginenses dum post partam uictoriam noctu præstantissimos captiuos diis pro gratiarum actione immolant, repentè exortus uentus sacrũ tabernaculum aræ proximum accendit, inde prætoriũ tentorium, atque deinceps reliquorum ducũ, utpote ex arundine & stramine facta. Multi angustiis exitus interclusi, uiui cõflagrarunt, ac protinus pœnas suę in captos crudelitatis dederunt. Eos autem, qui ex castris cũ tumultu & clamore ꝓruperant, alterũ longè maius periculum subsecutum est. Nã Afri qui Agathocli militabant, deficientes à Græcis, de nocte ad Barbaros numero ad quinq; millia transibant. Hos simulatq; speculatores rectà ad CARTHAGINENSIVM castra tendere uiderunt, rati totum Agathoclis agmen esse iam ad pugnam instructum, properè militibus aduentantẽ aciem nunciatum eunt. Ea fama ad omnium aures perlata, totis castris tumultus extitit, & hostium aduentus expectari: ac singulis in fuga salutem ponentibus, sine ordine & citra ducum imperata fugientes alij in alios irruere: quorum quidam propter tenebras, alij perturbarione quadam suos ut hostes repellere. Fit cædes multa. Tandẽ plus quinq; millibus occisis, reliqua multitudo Carthaginem peruenit. Oppidani portas aperiunt, & cum tumultu & trepidatione milites in urbem admittunt, metuentes ne hostes cum postremis irrumperent. Sed orto die, & ueritate cognita, uix tandẽ ab expectatione periculorum liberari potuerunt. Eodem tẽpore, fraude & uana expectatione deceptus Agathoclis EXERCITVS, in simile malum incidit. Nam fugitiui Afri, dum post deflagrationem castrorum & exortum tumultum ulterius procedere uerentur, retrò unde uenerant reuertuntur. Quos ubi Gręcorum quidã aduenire senserunt, suspicati esse Carthaginensiũ copias, Agathocli hostium exercitum nõ procul abesse renunciant. Imperatore arma capere iubente, milites extra castra magno cum strepitu feruntur. Cùm aũt flamma in auras sublata per castra conspiceretur, & Carthaginensium clamor exaudiretur, reuera Barbaros cõtra se cũ omnibus copiis uenire suspicati sunt, ac cũ subita animi ꝑturbatio locũ ad deliberandũ nullum daret, pauor castra inuasit, omnesq; sese in pedes conijcere cœperũt. Deinde Pœnis se reliquis immiscentibus, nocte ignorantiã tegente obuij obuios ut hostes inuaserũt: & cùm per totam noctẽ passim dispersi uagarentur, lymphaticusq; tumultus omnia occuparet, amplius 4000. periêrũt, & uix ueritate cognita, reliqui in castra reuerterunt. Diod. lib. 20.

Arcana uulgata.

TECHNON Arati Sicyonij seruus per errorem detexit cõiurationem Dionysio, Ergini & Dioclis fratri, contra tyrannũ Sicyoniorũ, quam uni Diocli (cui de facie Dionysius ualdè similis erat) reuelare debuerat. Plut. in Arato, & Polyęnus lib. 6.

MEMORIA, REMINISCENTIA INTEGRA.

ACQVISITIO MEMORIAE.

Diuinitus.

Eusebius tradit in libro Temporum, ESDRAM Hebræum omnes Mosis libros memoriter recitasse, quos Chaldæorum reges exusserant. Maius certè quid humana memoria in illo fuit, & diuini numinis ductu non tam prophetia futurorum, quàm præteritorum ἀνάμνησις. Iosephus libro 11. capite 5. Antiquitatum. Consule 4. Esdræ 14. ubi per XL. dies continuos quinque scribis sine intermissione CCIIII. libros dictitauit: quando ab angelo porrectum sapientiæ poculum prius ebiberat.

PYTHAGORAS de se dicere solebat, quòd olim fuisset Aethalides, Mercurij filius creditus. Mercurio autem optionẽ dante, ut præter immoralitatẽ peteret à se quicquid uellet: petijsse, ut uiuens & mortuus omnium, quę accidissent, memoriam haberet. Id muneris à Mercurio consecutus, post fata in Euphorbum Aethalidis anima transijt, qui à Menelao uulneratus est. Pòst in Hermotimum, tandem in Pyrrhũ Deliũ piscatorem, ultimò in Pythagorã. Atq; has omnes μετεμψυχώσεις se memoria tenere, quæq; apud inferos & superos interim gesta essent, probè nosse affirmabat. Laert. lib. 8. ex Heraclide Pontico. & Ouid. lib 5. Metam.

Auditione crebra.

AEGYPTIIS nullus literarum usus erat: nihilominus omnis æui memoriam tenebant. Assidebant maioribus natu iuniores: ex his fabulantibus, uetustarumq; rerum memoriã repetentibus, totum uetustatis schema percipiebant animo, tradebantq; per manus posteris. Sab. lib. 5. cap. 1.

Vulnere.

CLEMENS VI. Pont. Rom. quicquid uel semel legisset, obliuisci amplius non poterat. Eius rei periculum fecit adhuc priuatus Parisijs. Illud admirabilius, ex uehementi capitis uulnere (indicio erat cicatrix in summo uertice) tantum boni ei obtigisse. Petrarcha de Memoria.

Phlebotomia.

Friderici II. Imper. tempore, quidam GERMANVS clericus ex petra sancti Michaelis ortus, è uena hausto sanguine, seruata aliarum rerum memoria, literarũ tantùm oblitus fuit, nec plus aut legere aut scribere norat, quàm si utrunq; nunquam didicisset: annumq; in hac obliuione mansit. Postea eodem tempore, atq; ex eodem loco iterum hausto sanguine, legendi scribendiq; scientiam, quam antè habebat, recepit. Fulg. lib. 1. cap. 6.

POSSESSIO. QVI MEMORIA ualuere.

MEMORIÆ BONITAS.

CYRVS minor omnium suorum ducum nomina memoriter tenebat: quippe cui mirandum uideretur, si qui in sordida arte uersantur, singuli norunt artis suæ instrumentorum nomina: & medicus nomina tenet & instrumentorum & medicamentorum, quibus utitur: & imperator ita sit fatuus, ut nesciat nomina subditorum ducum, quibus ei opus est pro instrumentis uti. & dum anticipare quicquam uelit, & dum cauere, & dum audentiam inijcere, & dum terrere, & dum honorare quandoque quenquam cupiat, decorũ ei esse uidebatur quenq; suo nomine appellare. Putabat etiam eos qui à principe cognosci uiderentur, magis ad rem strenuè & fideliter gerendam accendi. Xenophon libro quinto Expeditionis.

CARNEADES Cyrenęus, philosophus, memoria naturali artificialiq; semper usus est. Cicero de Oratore.

THEMISTOCLES Atheniensium dux, cui libertatem suã tota debet Gręcia, ciuiũ suorũ nomina memoriter tenebat. Simonidi artem memoriæ pollicẽti, dixit se malle artem obliuionis: quòd etiam meminisset, quæ nollet, & obliuisci non posset, quæ uellet. Cic. lib. 2. de Finibus.

C. IVLIO Cæsari hoc etiam ab hostibus datum est, quòd memoria polleret eximia. De qua M. Tullius ait, quòd nihil soleret præter iniurias obliuisci.

PORTIO Latroni suo Seneca lib. 1. Declamationum memoriam natura ualidam & artificio munitam tribuit, & capacem simul & tenacem. Itaque nec quæ scripserat, lectitabat: satis erat scripsisse. & cùm idipsum celerrimè faceret, in trãscursu discebat: nec quæ semel hæserant, auelli poterant. Memoriter, quæcunque dixerat, seruabat. Qua memoriæ felicitate fretus, librorum auxilio non egebat, scribere se animo gloriabatur: & quæ illic scripserat, sic in expedito habebat, ut nec in uerbi quidem ullius unquam recordatione laberetur. Quasi librum sub oculis habens loquebatur. Proponebatur cuiuspiam ducis nomen (tanta inerat historiarum memoria) gesta illius celeriter & ex tempore narrabat, non ceu pridem cognita depromeret, sed uelut modò scripta perlegeret.

ANTONIVS Aegyptius eremita, sine ulla scientia literarum Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuit, & cogitando intellexit. Aug. in libri primi Prologo, de Doctrina Christiana.

APOLLONIVS Tyanęus memoria, ut si quis alius, ualuit: taciturnus, plurimæ lectionis, ac iam centenarius, memoriæ firmitate Simonidẽ superauit. Extat & hymnus eius, quem Mnemosynæ cecinit: in quo scribit, Omnia quidẽ tempore marcescere, ipsum uerò tempus Mnemosynæ beneficio & senectutis & mortis esse expers. Suidas.

Narrat Petrarcha de MILITE quodam, amico suo, multorũq; itinerum socio ac comite, memoria cum tanta fuisse, ut quãuis & publicis & domesticis calamitatibus afflictus esset (q̃ incommoda aut planè abolere, aut saltem perturbare memoriã possunt) omnia tamen uel uisu uel auditu semel percepta, fidelissimè retineret, obseruato etiã loco & tempore, quib. uel res gesta uel narrata fuisset. Audiendi cupidissimus erat, atq; ea quæ ante annos aliquot audiuerat, si denuò repeterentur, additúmne aliquid, an omissum esset, submonere poterat. Qua re effecit, ut Petrarcha, illo præsente, cautior & circumspectior esset in loquendo.

LAVRENTIVM Bonincontrium, cuius liber Astronomicus manu scriptus apud Cardanum extat, Lippus Brandolinus in libello de uitæ humanæ conditione refert, octogenariū adeò integra memoria usum, ut quæcunque illi puero contigissent, & quę in iuuenta legisset, adeò memoriter teneret, ut eadem die uisa aut lecta crederes. Cardanus de Subtilitate, libro de hominis natura.

FRANCISCVS Cardulus Narniensis, uir literatus, memoriter recitare poterat duas paginas integras, quas legentē tertium audiuisset, eo quo lectę essent ordine, aut etiam si malles retrogrado. Leander Albertus in descriptione Vmbriæ eo sese familiariter usum testatur.

FRANCISCVS Galliæ rex omnes propè suæ ætatis tenaci atque expedito immensæ memoriæ captu, perenniq; uigore superauit: quid & quantum peculiaris commeatus unaquæque prouincia suppeditare posset, quęnam itinera, quæ flumina ad conuectiones faciliora uiciniora que forent, & è quibúsnam statiuis aut hybernis equitum alæ accersendo celerrimè conuenire possent, mira ardentis ingenij figuratione atque uelocitate, repræsentans sic, ut eum rationes itinerum & nauigationum, præcipuasq; rerum omnium copias uel remotissimarum etiam ciuitatum, tanquam ex indice memoria tenere, usu rerum periti proceres arbitrarentur. Iouius lib.37.Hist.

VSVS ALIQVIS.

IN GENERE.

Memoriæ secundùm rationem nil Deus dedit HOMINI sanctius, nil utilius, & ad eruditionem aptius. Est hæc thesaurus disciplinarum omnium, artiúmque studio & labore quæsitarum custos fidelissima. Aliquid certè uidit sapiens poeta, qui Musarum Memoriam dixit matrem: nec minus prudens, qui Lethen huic contrariam apud inferos statuit. Constat id bonum naturæ beneficio: augetur tamen & excolitur arte. Sabellicus.

IN SPECIE.

Linguas uarias discendo.

ALCIBIADES exul apud Pharnabazum Asiæ præfectū Persicam stolam induit, Persicamq; linguam didicit breui temporis spacio. Athen.lib.12.cap.16.

MITHRIDATES Ponti & Bithynię rex, qui à Lucullo & Pōpeio uix tandem uictus est, uiginti duabus gētibus, quibus per LVI annos imperauit, sua cuique lingua ius dixit, neque de subiectis populis ullum per interpretem allocutus est. Plinius libro septimo, capite uigesimoquarto: & lib. 25. cap.2. Solinus cap.7. Plutarchus in Lucullo: Gellius lib.17.ca. 17. Val.lib.8.cap.7.

D.HIERONYMVS (ut scripsit Augustinus in epistola ad Cyrillum episcopum Hierosolymitanū) ea fuit memoria, ut Hebraicorū, Græcorū, Chaldæorū, Persarum, Medorum, Arabicorum, & penè nationum omniū linguas ac literas callue-rit. de quo sic idē Augustinus inquit: Nullus hominū sciuit, quod Hieronymus ignorauit. Guido Bitur.

HIERONYMVS Aleander tanta memoria ualuit, ut Latinā, Græcam & Hebraicam, multasq; alias exoticas linguas perfectissimè & loqueretur & scriberet. Primùm Lutetiæ Græcas docuit literas. Mox in urbem uocatus à Leone X. legatus in Germaniam mittitur: à Clemente VII. Brundusinus Antistes constituitur: à Paulo tertio purpuram consequitur. Iouius in Elogiis.

Ediscendo scripta.

DRVYDARVM discipuli apud Gallos magnū numerū uersuum ediscere coguntur. Itaq; fit, ut annos nonnulli XX in disciplina permaneant. Nefas autem putant hæc literis consecrare, partim ne profanetur doctrina, partim ne confisi literis discipuli, memoriæ exercitia negligant. Aimoinus lib. 1. de gestis Francorum, cap.6.

CLAVDIVS Imp. Homeri poema totum ferè edidicit: Suetonio teste.

SALVSTIVS Basilidis Syri F. philosophus, Suidæ σύγχρονος, publicas Demosth. orationes memoriæ mandauit omnes.

AVICENNA Medicus & Philosophus insignis, Metaphysicos libros Aristotelis quadragesies perlectos memoriæ inscripsit. Sorzanus Arabs in eius uita.

Repetendo uisa, audita, lectáue.

IESVM sacerdotem magnum filium Iosedech, hoc est, Esdræ, secundùm D. Hieron. ferunt incensos à Chaldæis legis libros memoriter restituisse, non sine numine, cōmutasseq; literas Hebraicas, ne cum Samaritanis, qui ex gentibus in Iudæam uenerant, Iudæi miscerentur. Auctor Eusebius. Eis postea literis usi sunt Iudæi, figura tantum & apicibus à Samaritanicis, quæ fuerunt priscę illæ à Mose datæ, discrepantes. L. Viues in lib.18. August. de Ciuit. Dei, cap.36.

[illegible] absque usu literarum, omnis qui res gestas & memoratu dignas, Pythagorico more, memoria tenuêre, illásque à parentibus traditas per manus, posteris dedêre: qui tamen haud multò pòst in sindonibus scribere inceptârunt, totásq; paginas monumentis rerum gestarum impleuerunt. Alex. lib.2.cap.30.

GRAMMATICI ἀναλήκτοι dicuntur, qui quæcunq; legerint, memoria firmiter retinent. Cælius.

ARCHIPPVS & LYSIADES Pythagoræ auditores, q postmodum in Græcia Thebis scholas habuêre, memoriter doctoris præcepta tenentes, ingenio pro libris utebantur. Ex Hieronymo, Vol.lib.16.Anthrop.

CHARMIDES quidā in Græcia, quoscunq; libros in bibliotheca aliqua legisset, eos confestim memoriter recitare poterat. Plin.lib.7.cap.24.

THEODECTES Phaselites ex Lycia, tragicus, memoria ita excelluit, ut semel auditos multos uersus protinus repeteret. Quintilianus.

METRODORVS Scepsius philosophus, qui temporibus Diogenis Cynici fuit, artificiali memoria tantum ualuit, ut à multis simul dicta, non modò sensuum, sed etiam uerborum ordinibus retineret. Plin. & Solinus. Cic.lib.1.Tusc.q.

HIPPIAS apud Platonem, tanquā de magno quodā & præstanti bono gloriatur, posse se quinquaginta nomina semel tantùm audita recitare. Muretus lib.3.Var.lect.cap.1.

DEMOSTHENES Thucydidis libros octies exscripsisse dicitur, ut eius phrasin memoriæ commendaret. Lucianus.

Q.MVTIVS Scæuola in lusu XII. scruporum, cùm prior calculum promouisset, essetq; uictus: dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, rediit ad eum, qui cum luserat: isque ita factum esse confessus est. Quintil.lib.11.

Q.FAB. Maximus omnia non solùm domestica, sed etiam externa bella memoria tenebat: ut non immeritò bello Punico secundo omnia eius consilia dictaq; oraculi loco haberentur. Cicero lib.4. Academicarum quæst.

L.LVCVLLVS dux amplissimus & philosophus summus, à Fabio secundus, res domi forisq; gestas mirabili memoriæ thesauro, tanquam præsentes semper spectaret, expeditè referre poterat. Ibidem.

HORTENSIVS, in foro Romano causarum rex ob eloquentiam dictus est. De eo Cicero sic in Bruto. Primùm in eo memoria tanta, quantam in uiro agnouisse me arbitror, ut quæ secum commentatus esset, ea scripto uerbis eisdem recitaret, quibus cogitauisset. De eodem fertur, quòd sedens olim totum diem in auctione, res omnes uenales, & precia, & emtores, ordine suo recensuerit, argentariis recognoscentibus, ita ut nullo falleretur. Eum Lucullo conferens Cicero, Hortensio uerborum, Lucullo rerum maiorem affuisse memoriam scribit.

L.ANNEVS Seneca Cordubensis de seipso testatur lib. 1. Declam. se duo millia nominū recitata, eodē ordine reddidisse: & ducentorum atq; amplius discipulorum totidē uersiculos, cùm singuli singulos dixissent, ordine retrogrado recitasse. Addit, eam sibi memoriā fuisse, non ad cōplectendum tantùm ea, quę audierat, sed ad continendū quoq;: quorum alterum ex agilitate consequendi, facilitatē amittendi, alterū ex retinendi difficultate, capiendi segnitiem annexam habere consueuit. Petrarcha.

ADRIANVS Imp. tanta fuit memoria, ut locos, negotia, milites absentes quoq; nominib. recenseret. Suetonius & Dion.

NEPOTIANVS, Heliodori episcopi nepos ex sorore, presbyter monachus, tanta fuit memoria, ut in disputationibus & familiarib. colloquiis si qd in mediū pductū esset, statim dignosceret: utputa, Tertulliani esse illud, Cypriani illud, hoc Lactantij, &c. Lectione deniq; assidua pectus suum bibliothecam Christi effecit. Hieronymus in Epitaphio.

MAVRILIVS, Cadurcēsis episcopus sub rege Guntranno, in Sacris scripturis ita uersatus erat, ut Genealogias ueteris Testamēti plerunq; memoriter recitaret. Aimoinus lib.3. de rebus gestis Francorum, cap.34.

GENETHLIVS Genethlij F. Palestinus, sophista, Minutiani & Agapeti discipulus, totam declamationem auditam memoriter recitabat. Suidas.

THEODORVS Metochites, qui Andronici Paleologi Imp. tēpore, Dromi Logotheta fuit, memorię prestantia ad summū omnis eruditionis fastigiū cōscēderat. Si quid ex eo siue nouum, siue antiquum quæreres, ita recensebat, quasi ex libro recitaret. Quare in eius colloquiis parū aut nihil opus erat libris. erat enim uiua bibliotheca, & eorū, quę scire uelles, oraculum. Gregoras lib.7.

FRIDERICVS I. Imp. omnium eorum, uel infimorū, quibuscum semel locutus esset, recordabatur. Cuspinianus.

FRANCISCVS Tigri Pisanus, professor iuris, insigni fuit memoria, adeò ut Bartolus sæpe in cōmentando eius opera sit usus, in legibus, quas in promtu non habebat, inueniendis. Baldus, & Fichardus in Vita Bartoli.

LVDO-

LVDOVICVS Romanus protonotarius, iuris peritus, memor erat omnium, quæ ipse unquam aut legisset, aut audisset, nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse uidisset. Nec ut cæteri iurisconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi codicem legeret, sic textum memoriter referebat. Vir summus, nō admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, nisi pestifera lue uix trigesimum egressus ętatis annū in Basiliensi concilio perijsset, cùm horis sex & triginta decubuisset. Aeneas Syl.lib.1. de gestis Basil. concilij.

PETRVS, Petri Lombardi frater, Trecensis presbyter, Comestoris nomen accepit, quòd sacræ Scripturæ auctoritate in suis scriptis & concionibus tam expeditè uteretur, atque si eam in uentrem memoriæ ingestam concoxisset, & in sui substantiam conuertisset. Trithemius.

[redacted]

Aetate Sa [redacted] ennas multa millia rerum stās percipiebat animo: & eo quo accepta essent ordine, memoriter reddebat. Sab.lib.10.cap.9.

MAXIMILIANVS I. Imp. fuit memoriæ tam tenacis, ut cùm semel aliquem secum loquentem uidisset, post longā tēporis intercapedinem denuò agnosceret. Cuspinianus.

IO.PICVS Mirandula audita semel à recitante carmina, & directo & retrogrado ordine recensere poterat. Ioann. Franciscus in eius uita.

CHRISTOPHORVS Longolius memoria tanta fuit, ut ad ea tollenda, quæ animo semel insedissent, diuturnitas temporis uix aliquid ualeret. De pluribus & uariis rebus sæpe interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, nō minus promtè de singulis solitus est respondere, ac si eo die ab eo perlecta fuissent. Si quando de ijs rebus sermo incideret, quæ à diuersis & uarijs scriptoribus tractata essent, cùm res ipsæ essent eædem, ita tamen oratione solebat distinguere, sua uerba singulis scriptoribus, à quibus ea acceperat, referendo, ut non memoriter ea dixisse, in quo sæpe offendi solet, sed de scripto pronunciasse uideretur. Quæ sępe dum faceret, ita auditorum admirationē incendit, ut eū artificio quodam, non naturali memoriæ bono, uti existimarent. Auctor uitæ.

CORSICVM quendam adolescentem, iuris ciuilis studiosum Patauij se nouisse M.Ant. Muretus lib. 3. Variarum lect. asserit, qui ad triginta sex millia nominum, eo quo recitata essent ordine absq; cunctatione recensere poterat. Artem se à pædagogo quodam Gallo domi suæ accepisse aiebat: atque eā paucorū dierū spacio Francisco Molino patricio Veneto cōmunicauit, magna omniū admiratione, cùm Molinus antè memoria maximè infirma fuisset.

Salutando.

CYRVS maior Persarum rex, in exercitu numerosissimo nominatim singulos alloquebatur. Plinius libro 7. capite 24. Fab.libro 10.capite 2. Valerius Maximus lib.8.cap.7. Solinus cap.7. & Sab.lib.10.cap.9.

CYNEAS Thessalus, Pyrrhi regis legatus ad Romanos de pace, postridie quàm in urbem Romam uenit, curiam ingressus, Senatum atque equestrem ordinem suo quemq; nomine salutauit, absque nomenclatore. Plin.lib.7.cap.24. Plutarchus in Pyrrho. Solinus cap.7. Cic. lib.1.Tusc. quæst. Seneca in Prologo declamat.

Petebat APPIVS Claudius cēsuram cum Scipione Africano, à quo Carthago deleta est. Vt uerò fauorabilior fieret, memoriā quoq; ostentando, nominatim à se populū Rom. salutari prædicabat, quū Scipio omnes ferè ignoraret. At Scipio illudens: Vera (inquit) narras: ego enim non ut multos cognoscerem, sed ne ab ullo prorsus ignorarer, sum adnixus. Cælius lib.20.cap.10. Antiq.Lect.

L.SCIPIO populi Rom. nomina absq; nomenclatore in salutationibus & prehensationibus memoriter tenebat. Plin. de Vir. illust. & lib.7.c.24. Hist. nat. & Solinus.

NERO Cæsar, omnes ordines subinde ac memoriter salutauit. Suetonius.

VSVS NVLLVS MEMORIAE.

OCTAVIVS Cæsar post Mutinense bellum, deinceps neque in Senatu, neq; apud populū, neq; apud milites locutus est unquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis nō deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis atque etiam cum Liuia sua, grauiores, non nisi in scriptis, & è libello habebat: ne plus minúsue loqueretur ex tempore. Suetonius.

CONSERVATIO MEMORIAE.

ANTIGONVS rex cum legationibus agens simul, ex monumentis didicerat, qui nam apud se antea legationem obijssent, & cū quibus, item de quibus rebus ac negotijs. In dandis itaque responsis mentionem singulorum faciens, apud legatos effecit, ut præstantissima memoria præditus uideretur. Polyæ.lib.4.

OBLIVIO CONSIDERATA RESPECTV

SVBIECTI. PVTA

Literarum.

ANTONINVS Caracalla Imp. adeò in literis & philosophia profecerat, ut inter doctos numeraretur, magnâq; diei partem philosopharetur. Verùm ipsum postea tanta cepit doctrinæ obliuio, ac si literarum nomen nunquam audiuisset. Dion. & Suidas.

GEORGIVS Trapezuntius, uir doctissimus, omnium literarum Græcarum Latinarumque in senio oblitus est. Vol. lib. 21. Anthrop.

FRANCISCVS Barbarus Venetus, è schola Chrysoloræ utraque in lingua eruditissimus, postremò senescens, uti Hermolaus ait, literarum Græcarum, quas probè tenebat, omnino oblitus est. Vol.lib.21.Anthrop.

Nominum.

QVENDAM ex morbo seruorum nomina oblitum, Plin. li.7. capite 24. auctor est.

MESSALA Coruinus orator post ægritudinem, proprij nominis oblitus est, quamlibet aliàs ei sensus uigerent. Solin. cap.7. Polyhist. Plin.lib.7.c.24. & Sab.lib.10.c.9.

Mandati.

THESEVS nigro uelo ad Minotaurum in Cretam nauigans, si uictor rediret, albo uelo uti iussus à patre Aegeo, mandati immemor, paterno præcipitio occasionem dedit.

Cùm Tenē detulisset nouerca, appellâsse de incestu se, falsum testimonium tibicen Molpus in eum dixit: atq; idcirco factum, ut Tenes cum sorore in Tenedum fugeret. ACHILLI aūt acriter edixisse fama est matrem Thetin, ne Tenem, qui magni fiebat ab Apolline, interficeret, uniq; ex seruis dedisse in mandatis, ut attenderet, Achillique id in memoriam redigeret, ne imprudens perimeret Tenem. Vt uerò Tenedum populans sororem Tenis insectatus est formosam puellam, occurritque ei ad protegendam sororē Tenes: atq; illa cuasit, Tenes autem est peremtus. Exanimem cognoscēs Achilles, confodit seruum, quòd præsens sibi id nō refricasset: ac Tenem funerauit, ubi nunc fanum eius est. Eò neq; tibicen ingreditur, neq; Achilles inter sacrificandū appellatur. Plut. in quæst. centuriatis Græcis.

CAVSAE. EX

Senio.

ORBILIVS Pupillus Beneuentanus, grammaticus illustris, ętate Ciceronis, in senectute amisit memoriam. Vnde Bibaculi uersus: Orbilius ubi nam est literarum obliuio. Suetonius de illust. Gram.

Ictu.

Quidam Athenis VIR eruditissimus, cùm ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinēs, literarum tantūmodo, quibus præcipuè inseruierat, oblitus est. Val.lib.1.c.8. & Plin.lib.7.cap.24.

Casu.

GRAMMATICVS quidam ex asino præceps ruens, literarū oblitus est. De quo sic Apollinarius in secundo Epigrammatum Græcorum:

Γραμματικός ποτ' ὄνῳ ἐποχούμενος, ἐξεκυλίσθη,
καὶ τῆς γραμματικῆς, ὡς λόγος, ἐξέπεσεν,
εἶθ' ἑξῆς ἐβίω κοινὸν βίον ὡς ἰδιώτης,
ὢν ἐδίδασκεν ἀεὶ μηδὲν ἐπιστάμενος.
ἀλλὰ Γλύκων ἔπαθε τὸ ἐναντίον· ὢν γὰρ ἄπειρος
ἑκατέρης γλώττης, οὐχ ὅτι γραμματικῆς,
νῦν λιβυκοῦ καύθωνος ὀχούμενος, ἀτ' ἀποπέσῃ
πολλάκις, ἐξαίφνης γραμματικὸς γέγονεν.

Plin.lib.7.cap.24. QVENDAM ex prælto tecto lapsum, matris, affinium & propinquorum oblitum scribit.

Vino.

MAXIMINVS Imp. ubi se à Senatu hostē iudicatum audiuit, neque

neque furorem suum tenere posset, ut obliuionem cogitationis acciperet, uino se primo die obruisse dicitur eousq;, ut quid gestum esset ignoraret. Capitolinus in Maximino.

Veneno.

BAMBA rex Gothorum, haustu ueneni, ab Heringio successore dati, memoriam amisit.

Morbo.

MESSALA Coruinus orator ex morbo, ante bienniū quàm moreretur, ita memoriā ac sensum amisit, ut uix pauca uerba coniungeret: ad extremum uerò enato circa sacrum os ulcere, inedia se confecit. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. Lect.

CONRADVS Lycosthenes, anno Domini 1555. subita paralysi dextri lateris tactus, linguæ etiam officio sublato, ratione salua, memoriam aliquot diebus amisit: pristinæ tandem ualetudini restitutus, septennium pòst incolumis, integra uixit memoria.

Literis.

Socrates literas ingenij pestem esse pronunciabat, quòd hisce notis confisi HOMINES, memoriā minus exercerent.

Antisthenes Atheniensis familiari CVIDAM cōmentariorum iacturam deploranti, Animo ista, inquit, non chartæ oportuerat inscribi. Laertius.

MEMORIA DEBILIS.

QVORVM

Numerorum.

THRACES olim tam obtuso fuere ingenio, ut quaternarium numerando transcendere nequirent.

MELITIDES ultra quinq; numerare non potuit. Plut.

Præceptorum, Mandatorum.

THESEVS in Cretam mittendus, cùm parentem cōfirmaret, & domiturum se iactaret Minotaurum: aliud uelum gubernatori Aegeus candidum dedit, cum præcepto, ut in reditu sospite Theseo attolleret candidum, aliàs nauigaret cum atro, & signum cladis ederet. Simonides negat candidum ab Aegeo datum, sed puniceum uelum, illicis eximiæ uirescentis flore tinctum liquido: atque id insigne dedisse eorum salutis. Victo autem Minotauro, cùm Atticæ appropinquaret, memoriæ excessisse ei, cessisse item gubernatori ex gaudio, narrant, ut uelum quod erat salutem eorum significaturum Aegeo, in altum darent: unde despondentem animum de rupe se illum præcipitauisse, & extinctum fuisse. Plutarchus in Theseo.

Nominum.

Habebat Augustus NOMENCLATOREM obliuiosum, cū hoc genus hominum oporteat in primis ualere memoria. Is ad forum iturus, rogat Cęsarem, nunquid eò mandaret: Accipe, inquit, cōmendatitias: nam illic neminem notū habes. Atqui hoc est proprium nōmenclatorum munus, omnium nomina, cognomina, titulosq; dignitatum tenere, quo heris, quū opus est, suggerant. Vnde illis etiam nomen est inditum, è Græco Latinoq; conflatū. Suetonius in Augusto. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturnalium.

Dictorum, Factorum.

DIDYMO Grammatico, quo nemo plura scripsit, accidit, ut cùm historiæ cuidam tanquā uanæ repugnaret, illius pferetur liber, qui eam continebat. Ludo. Viues de Causis corrupt. artium lib. 2.

Inter cętera in CLAVDIO Cęsare mirati sunt homines & obliuionem, & inconsiderantiam: uel, ut Græcè dicam, μετεωρίαν, & ἀβλεψίαν. Occisa Messalina, paulo pòst quā in triclinio decubuit, cur domina non ueniret, requisiuit. Multos ex ijs, quos capite damnauerat, postero statim die & in conciliū & ad aleę lusum admoueri iussit: & quasi morarentur, ut somniculosos per nuncium increpuit. Suetonius.

Literarum, Scriptorum, Lectorum.

CALVISIVM Sabinum hominē sanè diuitem, ita fuisse memoria nulla scribit Seneca, ut illi modò Vlyssis nomen exci-

[redacted]

annexum est, derisor, ut gra[redacted] est, lectione multa exercitatos, qui quicq[redacted], haberent in promtu) Erat enim in ea opinione, ut putaret se scire, quod quisquam in domo sua sciret. Vt perinde etiā posset, idem Satellius illum hortari cœpit, ut luctaretur, hominem ægrum, pallidum, gracilem: quum Sabinus respondisset, Et quo modo possum, uix uiuo. Noli obsecro (inquit) dicere: nonne uides, quàm multos seruos ualentissimos habeas? Ex Seneca Cælius libro decimotertio, capite trigesimoprimo Antiq. Lect.

CAVSA, OCCASIO. MEMORIA debilis, ex

Timore.

Vide Tit. Obmutescentiæ.

Ostentatione.

Diogenes Cynicus, cùm RHETOREM quendam, ostentandæ eruditionis & eloquentiæ causa longo circuitu utentem, & principis coli, à quo circuitus ille totus pendebat, oblitum, non aptè concludentem audiuisset, Hesiodianum illud (ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη) paulum immutans sic exclamauit:

ἡ δὲ μακρ' ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.

Vocant autem Rhetores ἀναβολὴν circuitum orationis. Aristot. in 3. Rhetoricorum.

Veneficio.

CVRIO cū pro Sex. Neuio diceret, Cicerone pro Titinia Cotta perorante, subitò totā causam oblitus est: idq; ueneficiis & cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. Adeò aūt labili erat memoria, ut aliquoties tria cùm proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Quinetiā in scriptis obliuiscebatur quid paulo antè posuisset. Orator tamē habitus est, propter uerborum bonitatem, & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Cic. in Bruto.

MEMORIA VACILLANS.

ERRATA MEMORIAE.

ARISTOTELES in 11. cap. ult. Ethicorum ex Odysseæ μ. uersus affert, eosque Deæ Calypso tribuit, quos tamen Vlysses profert. Pariter lib. 3. cap. 11. Agamemnonis uerba ex Iliad. β. Hectori ex Iliad. ο. assignat, quandoquidem ualde inter se similes sunt orationes. Idem in 2. de Moribus ad Nicomachū Calypsonis nomē p Circes posuit, & in 2. de Studio dicēdi, ubi Aegyptiorū regis nomē immutauit. PLVT. ptærea, licet accuratissimus scriptor, quandoq; hac culpa laborauit, ut in Nicia, cùm inquit, ὁ δ' Ἀρεοπαγίτης Κλέων ἀπειλῶν λέγει, Ἀναρχίαι τὰς ῥήτορας, καὶ Νικίαν ταράξω: neq; enim hunc uersum edit apud Aristophanē Cleon, sed Agoracritus, quē ut ἀλλαντοπώλην exagitat. Victorius lib. 3. Var. lect. cap. 3.

Iocatus est, ut solet, PLAVTVS, cùm in Pseudolo ita cum lenone loquentem induxit coquum:

Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:
Quem medicamento, & suis uenenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum:
Item te ego faciam.

Neq; enim Peliam Medea, sed Aesonem è sene iuuenē reddidit: cùm autem recepisset, idem se facturā Peliæ, effecit, ut infelix senex natarum suarum manibus conciderentur. Quòd si coquus ille item fecisset iuuenem Ballionem, ut Medea Peliam fecerat: non sanè bonam neque expetendam operam eì dedisset. sed fieri potest, ut personæ seruierit: & cùm loquentem induxisset hominem sordidum & abiectum, de industria perperam ab eo narrari ueterem illam fabulam fecerit. Quòd si CICERONIS etiā illud è Catone maiore ita legēdum est (ut sanè legendū puto) Quō quidē me proficiscentem haud sanè quis facilè retraxerit: nēue tanquam Peliam recoxerit: nimirum tale aliquid hîc quoq; cōminiscendum est. nam aut decorum id & consentaneum Catoni credidit: quòd & memoria uacillare γεροντικόν ἐστιν, & interdum habet aliquid grauitatis in magnis uiris minus accurata fabularum & talium rerum cognitio: aut hoc quoq; inter μνημονικὰ Ciceronis ἁμαρτήματα numerādum est. Muretus lib. 6. Var. lect. cap. 10.

Cùm errata nonnulla è genere eorum, quæ μνημονικὰ ἁμαρτήματα uocantur, uiuente adhuc ipso ab amicis in CICERONIS scriptis deprehensa sint: postea etiam A. Gellius, quod Tironem familiaresq; ipsius fefellerat, quoddam adnotauit. Sed superiore quoq; ætate Politianus in 2. libro de Diuinatione, eodem modo ab ipso peccatū fuisse declarauit, cùm quædam apud Homerum locutum fuisse Agamemnonem scripsisset, quæ manifestò edit illic Vlysses. Non multò post Homericum uersum conuertens, quod Vlysses pronunciat, ab Aiace dictum tradit: Vlysses enim est qui apud Achillem, quærens de ferocitate Troianorum, sententiam illam edit: Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων. Sed non est qd miremur tam sæpe memoria uacillasse Ciceronem: est enim id uitium proprium senectutis, qua ætate ille se ad hæc φιλοσοφήματα scribenda dedit: habuitq; semper animum occupatum maximarum cogitatione rerum. quamuis enim, ut ipse testatur, defensionū laboribus, senatoriisq; muneribus esset magna ex parte liberatus, non patiebatur tamē uita tam clari ciuis, in tātisq; rebus uersati, ut penitus se literis otioq; traderet. Victorius lib. 3. Var. lect. cap. 3.

Ex Herod. lib. 5. Dieneces Lacedæmonius, Trachinio quodam asserente, Persas sagittarum multitudine solem obscuraturos, respōdit, In umbra igitur pugnabimus. Prius illud Persæ glorianti & terrenti tribuit M. CICERO. Posterius INTERPRES Vesparum Aristophanis Leonidæ regi. errato uterque μνημονικῷ.

CICERO in 2. de Gloria, memoria lapsus Aiacē scribit apud Homerum Iliad. η. cum Hectore congressurum, petere, ut si fortè uictus esset, sepeliatur, atque etiam Homericos uersus interpretatur: sed malè. Neq; n. Aiax id petit: sed Hector sub persona eius, quē in singulari certamine intersecturus esset, bene sibimetipsi ominando, pfert. Vide Gell. li. 15. c. 6.

CICERO in II. quæstione T[redacted] inquit: Aspice Philoctetam, cui [redacted] edendum est gementi: ipsum enim Herculem uiderat in Oeta magn[redacted]æterum [redacted] Oeta H[redacted] in Oeta acerrim[redacted]oribus oppre[redacted] uidit, sed pater ipsius Pœan. temporaq; manifestò repugnant. Ad Troianum enim bellum, cuius dux Agamemnō fuit, profectus est Philoctera: Hercules uerò multo antè in deos relatus erat. Pœantem autem ab eo sagittas dono accepisse, quas postea filio reliquit, certum est testimoniis multorum scriptorum. Apollodorus in Bibliotheca id his uerbis docet, ubi narrat non fuisse dicto audientem filiū Herculi, cùm iussisset eum incendere rogum: Pœantēq; fortè illac prætereuntem, duro illo munere functum esse. Victorius lib. 2. Var. lect. cap. 15.

M. TVLLIVS lib. 2. de Diuinatione, inquit, apud Homerū cōqueri Iouem, quòd Sarpedonem filium à morte contra fatū eripere non posset. At uerò non inducit Homerus Iouem cū dolore dicentem, se non posse interitu liberare filium cùm cuperet: sed dubitantem, an hoc ipsum facere oporteat contra fatum æternamq; illam seriem causarum: in ancipitique demum animum ipsius esse. Victorius lib. 34. Var. lect. c. 24.

CICERO in Paradoxis Biantē scribit incēsa ab Halyatte Lydorum rege patria Priene, dixisse, Omnia mea mecum porto. Atqui neque Græci tam insignis dicti ullam in uita Biantis faciunt mentionem, neque Prienem tradunt Biante uiuo captam esse. Vt propterea memoria lapsus Cicero uideatur. Seneca uerisimilius, qui Stilponi Megarēsi dictū attribuit, libro, Quòd in sapientē nō cadit iniuria, secūdo: nā Megaram tunc cepit Demet. Poliorcetes. Viues lib. 18. de Ciu. Dei, c. 25.

PLVTARCHVS libro, Quomodo distinguendus amicus ab adulatore, quum ingenuum factum Cn. Domitij aduersus M. Scaurum inimicum ipsius reumq; referre uellet, historiā contaminauit, rēq; ipsam contra, ac facta erat, exposuit, personis immutatis: quod enim Domitius egit, Scauro attribuit, ac de Scauro tanquam accusatore loquitur, reo autem Domitio. Victorius.

AFFECTVS IN GENERE CONSIDERATI.

NON OBNOXII ANIMI affectibus.

Non hic de moderatione affectuū, quæ à recta prouenit ratione, loquimur: sed de ipsa tantùm animi tranquillitate, & quadam uelut uacuitate perturbationum. Ex Titulo, Grauitatis in utraque fortuna, exempla quædam huic loco commoda peti possunt. Illic uirtutis moderantis τὰ θάρρη, hic affectuum, quos illa moderatur, ratio habetur.

CHRISTVS Iesus (cui deitatis ratiō ie in diuino Theatro princeps debetur locus) unigenitus ille Dei filius, sed qui, ut hominem redimeret, homo etiam esse uoluit, nunquam risisse dicitur. Idem infremuit spiritu, ingemuitq;: fleuit autem nōnunquam. Qui affectus etsi hominum sunt, at moderati nisi in uerè sapientem nō cadunt. Sed cæteros homines aut ars, aut natura effinxit: ipse, qui Deus fuit, talis quidem esse uoluit. Sabellicus lib. 7. cap. 4. & lib. 4. cap. 10.

Suidas HOMERVM cæcum putat appellatum, quòd affectibus non succumberet. Vt enim Heraclitus semetipsum excęcauit, ut clausis oculorum ianuis diuerticula philosophandi omnia excluderet: ita Homerū per oculos fomenta affectuum ad animum non transmisisse, nisi rationis prius imperio excussa. Oculis igitur caruisse uideri, qui oculorum illecebris nunquam uictus esset. Gul. Canterus.

SOCRATES, qui Delphico oraculo sapientissimus omnium iudicatus est, nec risit in tota uita, nec fleuit: quin uno semper eodemq; uultu uisus. adeò ut mirum uideri possit, quòd eximiam illam animi temperiem, neq; nuptialis lætitia uariare potuit, neq; tristitia illius diei quo uenenum hausit. Vsque adeò natura illa omni perturbatiōe caruit. Quod in eo maiore sit admiratione dignum, quo insolentior fuit illi cōiunx, filijque stolidiores, quàm cæteris. Laertius lib. 2. cap. 5. Solinus libro quarto. Sabellicus libro quarto, capite 10. & lib. 1. cap. 1. Exemplorum.

In PHOCIONE Atheniensi idem oris habitus semper obseruatus est: non ridere, nō flere quisquam eum temerè uidit: tanta in eo fuit obseruantia decori. Sabellicus libro quarto, capite 10. ex Plut. apophtheg.

HERACLITVS Ephesius & DIOGENES Cynicus philosophi nihil unquam de rigore animi remiserunt, calcatisque turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem & miseriam uniformi durauēre proposito. Solinus capite quarto Polyhist. & Laertius.

BENVS in Aegypto monasticis ordinibus præfuit, celebris prophetiæ dono: nunquam irasci, aut iurare, aut mentiri, uel leue aliquid, uel præfractum, uel deiectum dicere uisus est. Sozomenus lib. 6. cap. 28.

OBNOXII ANIMI affectibus.

Consule Tit. Impotentiæ in utraque fortuna.

Neptunus ad MINERVAM, subitò factam amicam Troianis, & hostem Græcis, propter stupratam Cassandram ab Aiace in templo Mineruę (solent autem poetæ ex suis morib. Deorum perturbationes fingere) sic ait apud Eurip. Troadibus:

μισεῖς τε λίαν, καὶ φιλεῖς, ὃν ἂν τύχῃ.

Odisti nimis, & amasti quemcunque nacta fueris.

HOMERVS poeta cæcus fuisse traditur à Velleio, non corporis oculis, sed quòd suijpsius animi desideria parū uincere: quæ quidē ex oculis præcipuè concipere animus solet. Alij, quòd cùm filiis orbatus esset, eorum desiderium orbitatemq; haud facilè ferret. Gyraldus Dialogo secūdo, de Poetarum historia.

CVRA, STVDIVM, AMOR BONORVM QVOrumlibet præsentium.

Plato Amorem absentis boni in Symposio statuit. Nos crassa minerua præsentis Amorem, absentis Desiderium constituimus. Amorem Cura sequitur rei amatæ impensa, & Studium eiusdem conseruandæ, fouendæ, ampliandæq;. Quæ tamen cura sæpe pro ipso affectu ponitur, sæpe tanquam accidens eiusdem consideratur, & tunc ad librum Secundum pertinet.

RERVM QVARVMLIBET Amor. Puta

Vitæ studium, Mortis fuga.

Ex loco Fortitudinis & Pusillanimitatis in declinanda morte uiolenta uel naturali: item ex Tit. Apostatarum, quatenus metu mortis à ueritate desciscunt: locus hic illustrari potest & amplificari.

LOTHVS cōflagrante Sodoma admonitus est ab angelo, ut saluum faceret se in monte. Timuit illuc ire, ne fortè ibi moreretur. Genes. 19.

MOSES in ipso Terræ sanctæ ingressu moriturus, inquit, Iratus est Dominus contra me: ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem. Deut. 4.

EZECHIAS Iudæorum rex cùm uehementer ægrotaret, &

ab Esaia prophera sibi moriendũ esse audiuisset, cõuersa ad parietem facie, Dominum multis cum lacrymis exorauit, ut quindecim adhuc annos uitæ eius addiderit. 4.Regum 20. & Esaiæ frigesimooctauo.

Regem Sedeciam HIEREMIAS rogauit, ne permitteret se reduci in carcerem, in quo prius fuerat, ne moreretur. Hieremiæ cap.37.

IPHIGENIA puella uitæ cupiditate incredibili supplex patri Agamemnoni mortem deprecatur, ualidiss. argumentorum arietibus, apud Eurip. in Iphigenia Aulidense. Inter reliqua etiam hoc.

μή μ' ἀπολέσῃς ἄωρον· ἡδὺ γὰρ, τὸ φῶς
βλέπειν· πι δ' ὑπὸ γῆς μὴ μ' ἰδεῖν ἀνάγκασον.

Ne me perdas immaturam. Dulce enim, lucem
Aspicere: ea quæ sub terra, ne me uidere cogas.

PHERES Thessalæ regis Admeti pater iam decrepitus pro filio mori recusauit, uitæ cupidine: inter cetera etiã hæc apud Eurip. in Alcestide proferens:

ὦ μῆτερ πολλὰ γέ τον κατὰ λογίζομαι
χρόνον· τὸ γ' ζῆν, σμικρὸν, ἀλλ' ὅμως γ' λυκύ. Profectò longum

apud inferos reputo tẽpus: uita uerò breuis, sed tamẽ dulcis.

ΠΕΡ. —σεμιζε σὺ, σὸ γὰρ σωτὴρ φιλὸς
ψυχῇ, φιλῶν ἄσπετα. Quin puta, si tu tuam ipsius animas animam, amare cunctos.

ΠΕΡ. ψυχὴ μιὰ ζῶσ· ἡ θνῄσκουσ' ὠφιλόμεθ'.
Anima una uiuimus, non duabus.

ΤΑΔΕ: φίλον τὸ φῶς· πᾶν τὰ θεῶν φίλον.
Chara lux hæc Dei, chara.

MYCERINVS rex cum ex urbe Buti oraculum accepisset, fore ut sex omnino annos uiueret, septimo moriturus: misit ad oraculum contumeliosas querimonias, quòd cùm pater suus & patruus, qui deorum immemores templa clausissent, hominesq; perdiderant, tam diu uixissent, ipse pie faciens tam citò foret mortuus defuncturus. Rursus ei oraculum respondit, propterea ipsum propesse uitam finiturum, quòd non id faceret, quod deberet. Oportere enim Aegyptũ centũ quinquaginta annis affligi: idq; qui ante eum fuissent reges fecisse, ipsum uerò nequaquam. Mycerinus ergo lucernas faciebat permultas, atq; iis per noctem accensis, uenationibus & aliis exercitiis studiosè inuigilabat, totusq; in eo erat, ut ex noctibus dies faceret, ut oraculi terminum prorogaret, & ex sex annis duodecim efficeret. Nam si sex cõtinuis annis nulla nox esset, sex totidem aliis continuas esse oportere existimabat, ad oraculi fidem uel confirmandam uel eludendã. Herodotus lib.2.in Euterpe.

XERXES rex Persarum, cùm totius Asiæ armatam iuuentutẽ, quã contra Græcos ducebat, in campis Abydi ad Hellespontum explicuisset, de superiore loco uniuersum exercitũ contemplans, ingemuisse & lacrymasse fertur, quòd seculi spacio nullus ex tanto hominũ numero superfuturus esset. At is in specie aliena, reuera suam conditionẽ deplorasse uidetur, opum magnitudine quàm altiore animi sensu felicior. Quis enim, etiam mediocriter prudens, mortalem se natum fleuerit? Val.lib.9.c.13. & Herodotus.

Dum Græci cum Persis, quibus præerat Harpagus, pugnarent apud Malenam regionis Atarnitidis, & quidẽ felicìter: mox equitatus emissus, in Græcos impetum dedit. Quo facto uersis in fugam Græcis, HISTIÆVS Milesius, qui à rege Dario defecerat, haud credens ob præsentem noxam se interfectũ iri ab rege, ob quandam uitæ cupiditatem captus est. Qui ut fugiens capiebatur à quodam Persa, utq; ab eo erat transfodiendus, esse Milesium Histiæum esse, lingua Persica utens, indicauit. Et Darius proculdubio propter eius merita illi ignouisset. Atne apud regem magnus existeret, Artaphernes Sardium prætor, & Harpagus qui ceperat eum, Sardis perduxerunt, in crucem sustulerunt: caput sale cõditum Susa ad regem Darium deferunt. Darius obiurgatis qui id fecerant, quòd hominẽ uiuũ in conspectũ suũ nõ duxissent, iussit Histiæi caput eos elotum atq; obuolutum sepelire, tanquam uiri de se ac de Persis bene meriti. Herod.lib.6.

CLEOMENES Spartanorum rex uictus ad Selasiam ab Antigono Macedonum rege, cum amicis in Aegyptum fugit. Verùm Ptolemæo suspectus, in libera custodia asseruabatur. Ibi Therycion unus ex amicis consulebat, ut seruitutis uitãdæ gratia sibipsis manus inferrent. At Cleomenes non sibi sed patriæ se superesse dictitans, & mortis metu mortem sibi ultrò consciscere non fortis, sed insani hominis esse iudicans, Therycionis institutum grauiter reprehendit. Plutarchus in Cleomene.

Cùm accepisset Diogenes ANTISTHENEM Cynicũ grauiter ex morbo decumbere, & morbum molestius ferre, cũ sica ad decumbentem ingressus est. Ad quẽ cùm Antisthenes dixisset: Quis me his doloribus liberabit? Diogenes prolata sica, Hæc, inquit. Contrà Antisthenes: Doloribus, inquit, dixi, non uita. Laert.lib.6.

THEOPHRASTVS philosophus moriens accusasse naturã dicitur, quòd cerui & cornicibus uitam diuturnã, quorum id nihil interesset: hominibus uerò, quorũ maximè interfuisset, tam exiguã uitã dedisset: quorũ si ętas esse potuisset longinquior, futurũ fuisset, ut omnib. perfecta artibus, omniq; doctrina hominum uita cultior redderetur. Querebatur igitur, se tunc, cùm illa uidere cœpisset, extingui. Cicero Tusc. quæst.lib.3. & Laertius in eius uita.

Clarissimus è Græciæ imperatorib. THEMISTOCLES, trãsmissis uitæ annis centum ac septẽ, lineas iam fieri propiores sentiens, indoluit, tum sibi demigrandum, sapere cùm præcipuè esset exorsus. Cælius lib.30.c.2. ex Plut.

RHODIVS quidã ob intempestiuã libertatẽ à tyranno coniectus in caueam, in qua more nocentis bestię alebatur, ad cruciatum & ignominiam, amputatis manibus, ac fœdata nulneribus facie, cùm ab amicis admoneretur, ut inedia sibi malorum finẽ quæreret: Cuncta, inquit, homini, quo ad uiuit, speranda sunt. Eras. lib. Apophthegm.

PERSES Macedoniæ rex à Paulo Aemilio in triumpho ductus est. Priusquã Senatus de eo pronunciasset, quid faciendũ esset urbano prætori, coniecit eũ in eum carcerẽ, qui est Albæ, cũ eius natis, profundum, tenebrarũ plenum & fœtoris. Illic per dies septẽ tantã cogitationẽ [illegible] pertulit, ut extremæ cõditionis homines eius infortunio magnitudinẽ dolentes, [illegible] antes impetrarent. Tandẽ [illegible] ad occisione, reti [illegible] rangulatio [illegible] lectus est, data utriusuis optione. Verùm nihil tam abiectum in miseris uẽderetur quàm uiuere, etiãsi morte dignã miserã patiantur. In his necessitatibus uitã finiuit Cæ, nisi M. Aemilius, curiæ præses, & suam dignitatem & patriæ æquitatẽ scriuens, Senatũ cum graui reprehensione cõmonefecisset, ut si humano metu nõ terrerentur, at ultricem certè fortunã uererentur, quæ in eos animaduertere soleat, qui potestatibus superbius utuntur. Itaq; ille in miserem datus custodiam, & uanas spes fouens, postquam biennium uitæ cupidus durauit, cũ custodes barbaros offendisset, prohibitus ab illis somno fœdi, uitam finiuit. Diod. Sic. lib.31.

L. DOMITIVS apud Massiliã uictus, Corsinij captus ab eodẽ Cæsare, ueneno potus, propter tædiũ uitæ, postquã biberat, omni ope ut uiueret annixus est. Plin. lib.7.c.53.

M. AQVILIVS, cùm sibi gloriosè mortem confeisceret posset, Mithridati maluit turpiter seruire: quẽ quis haud immeritò dixerit Pontico supplicio, quàm Rom. imperio dignior fuisse: quoniam cõmisit, ut priuatum opprobrium publicus rubor existeret. Val. lib.9.c.13.

CN. CARBO magnæ uerecundiæ est Latinis annalibus. Tertio consulatu suo, iussu Pompeij in Siciliam ad supplicium ductus, petijt à militibus demisse & flebiliter, ut sibi aliũ leuare, priusquam expiraret, liceret, quò miserimæ lucis usus diutius frueretur: consuque moram trahẽs, donec caput eius sordido in loco sedentis abscideretur. Ipsa uerba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari non merentur: neq; relatione familiari, quia dictu tædienda sunt. Ibidem.

BRVTVS exiguum & infelix momentum uitæ, magno dedecore emit. Qui à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus: non solùm cernicem gladio subtraxit, sed & constantius eam præbere admonitus, ipsis his uerbis iurauit: Ita uiuam, dabo cunctationem fati grauiorem. Ibidem.

M. Brutus Philippis prælio decernendũ censebat, Cassius rafræ grabatur: item unus ex Bruti amicis ATELLIVS, qui expectandam censebat hyemem. Quærente Bruto, quare arbitraretur anno pòst fore se potiorem? Si nihil, inquit, aliud, uiuã cerè diutius. Id tulit ægrè Cassius, offenditq; reliquos non mediocriter Atellius. Plut. in Bruto.

IVLIVS Viator hydropicus uitæ cupiditate omni potu abstinuit, ex medicorum præscripto, felice successu. Plinius.

HERODES Iudæorũ rex grauissimo affectus morbo, quo etiam periit, tamen euasurum se sperabat. Iosephus.

AVGVSTVS Cæsar cùm LXIII. ætatis annum, qui climactericus est, & grandes mutationes secum ferre consuerit, superasset, sibipsi gratulatus est, tanquã magno superato periculo. Id quod ex epistola eius ad Caium nepotẽ uidere licet, quam Gellius lib.15.c.7. recitat.

C. MECOENAS summus Augusti amicus, mollis & effeminatus adeò fuisse dicitur, ut uulgò Malcinus uocaretur. Crebrò illud, Seneca teste, in ore habebat: Omnia fiuliuẽda, dũ uiuamus. Qua de re legũtur hi uersiculi:

Debilem facito manu, Debilem pede, coxa,
Tuber astrue gibberum, Lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est.

TITVS Vespasianus febre correptus, dimotis lecticæ plagulis cœlum suspexit: questusque est, sibi immerenti uitam eripi, cùm nullum per omnem uitam extaret factum, cuius pœniteret, uno duntaxat excepto. Id quale fuerit, non constat. Suetonius.

RICARDVS II. Anglorum rex ob tyrãidem desertus à suis omnibus, à nepote suo Henrico duce Lancastrio captus, uitæ seruandæ causa regnũ ultrò deposuit, id unũ, ut sibi priuato uiuere liceret, magni loco beneficij petens. At ne hoc quidẽ cõsecutus est. Nã cùm proceres quidã conspiratione contra Henricũ facta, ad concitandum populũ iuuenẽ quendam Ricardo facie simillimum circũducerẽt, iis domitis, ne uiuus Ricardus aliis quoq; occasionẽ daret seditionis, in arce Pontifractensi fame necatus est, ann. 1399. Tradunt enim cibaria in singulos dies more regio adposita fuisse, quò sic facinus occultaretur: sed esurienti non licuisse non modò degustare, uerumetiam ne attingere quidem. Demortui corpus aperta facie (ne quis uinum amplius Ricardũ somniaret) ad Langleium cœnobium delatum, & ibi ad sepulturã datum est. Polydorus lib.21.

Sapientiæ.

Consule Titulum Philosophorum.

POMPONIVS libro Pãdectarũ XL. de fideicõmiss. libert. cap. apud Iulianum, inquit: Ego discendi cupiditate, quã solã uiuendi rationem optimam, in octauum & septuagesimũ annum ætatis duxi, memor sum huius sententiæ, quam dixisse fertur IVLIANVS: Etsi alterũ pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere quædam uellem. Eras. in Adagiis.

Pulcritudinis.

SOCRATES frequenti in ore habere solebat, animorũ formã magis amandam, quàm corporum: eamq; uoluptatẽ, quã in nobis cõspecta formosa facies excitat, ad lõgè pulcriorẽ, sed latentẽ animi speciem, esse transferendã: uerùm ut hanc uideamus, philosophicis oculis opus esse. Notabat φιλάσ[illegible] Græcam uocem ancipitem esse, ad osculandum, & ad amandum: quorum prius est corpus amantium, alterum mẽtem. Eras. in 3. Apophthegmatum.

Linguæ patriæ.

CLAVDIVS Cæsar, Græcæ prouinciæ principem, quòd Latinè nesciret, albo iudicum erasit, & peregrinatum misit. Suetonius.

Ad imperij conseruationem linguæ eiusdem usum plurimũ facere, exẽplo ROMANORVM docemur: quib. nihil fuit antiquius, quàm ut deuictis gentibus linguæ suæ necessitatem, in iure dando & accipiendo imponerent: quòd hoc ipsum non tantùm ad imperij maiestatem, si seruij dominorũ idiomate loquerentur, sed & ad gentium ueluti circumcisionem plurimũ facere uideretur, si linguæ eiusdẽ cõmunione totus orbis inter se conuersari posset.

GVILIELMVS Normanniæ dux, Anglorum regno occupato (unde Conquæstoris nomẽ assumsit) abolito iure Anglico, ius Normannicum lingua patria introduxit. Polydorus.

Antiquitatis.

LABEO Antistius à mulcere quadam apud Tribunos plebis accusatus, accersitúsque ut ueniret & responderet mulieri: Tribunis per eum qui missus erat respondit, ius eos non habere, neque se neque alium quenquam in causã uocandi: cùm moribus maiorum tribuni plebis prehensionem haberent, uocationem non haberent. Posse igitur eos uenire, & prehendi se iubere, sed uocandi absentem ius non habere. Gellius lib.13.cap.12.

POMPONIVS Lætus grammaticus Romanus ueneratus est omnium maximè Romanæ urbis genium, celebrauitq; natalem urbis quotannis, frequenti doctorũ hominum conuentu, ubi adolescentes eloquẽtiæ studiosi, panegyricis enconiasticis, actionibus dabant prima ingenij experimenta. Pari studio ueterem spectandi consuetudinem desuetæ ciuitati reddidit, primorum Antistitum atriis pro theatro usus, in quibus Plauti, Terentij, recentiorum etiam quædam agerentur fabulæ, quas ipse honestos adolescentes & docuit, & agentibus præfuit. Nullus unquam magis uetustatem miratus est, nullus in ea re cognoscenda plus operę impendit: sæpidire sua ęcula, ac prò despicatis habere, quæcunque nostra tulissẽt ætas: consistere amenti similis, ad omnem uetusti operis occursum, interdum etiam ubertim flere, meliorum (ut dicere solebat) temporum admonitu: capiebatúrque adeò Romanæ urbis aspectu, ut semel sit in uita extra Italiã peregrinatus, uisirus, quæ circa Tanaim Strãbo pro incompertis reliquisset. Romanam iuuentutem paremo dilexit affectu, in qua si quid offendisset à ueteri indole degeneratum, Vestri, aiebat, maiores, non tales fuêre. Sabellicus in eius uita. Nomina disciplulorum & amicorum ad antiquitatem reuocabat. Nomen ipse suum Petri in Pomponij mutauit: se Dictatorem nominabat, Phædrum quendam Magistrum equitum. Quæ mutatio occasionem dedit Paulo II. Pontifici, ut coniurationem ab Academicis Romanis initã suspicaretur. Franciscus Polyardus in uita Octauij Cleophili, & Platina, & Ludouicus Viues libro secundo, de fide Christiana.

Nouitatis.

ION apud Euripidem sacerdotalis uitæ commoda enarrans,

cùm Delphici templi ædituus esset, inter cætera inquit, hospitibus se omnibus propter conuersationem non diu durantem gratum acceptumq; fuisse:

Ὅτῳ μὲν ἐπέμπετον, αἰεὶ ἥκειν ἔδοσαν.
ὥσθ' ἡδὺς αἰὼ ναοὺς ἂν ναιετάοι δόμ.

Honoris.

Ex loco Ambitionis illustretur. Hic Amorem, illic Habitum perpendimus.

Superati ab Antipatro LACEDÆMONII, fœdusq; percutientes, postulabant ab eo, quaimuis multam, modò nequid fœdum imponeret ipsis. Plut. de Dignos. adul.

Vitæ rusticæ.

HORATIVS urbana conferens officia cum rustica libertate, lib.2. Satyra 6. inter cætera sic ait:

O rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit
Nunc ueterum libris, nunc somno, & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda oblitia uitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulq;
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes, cœnæq; deũm: quibus ipse meiq;
Ante larem proprium uescor, uernasq; procaceis
Pasco libatis dapibus, prout cuiq; libido est.
Siccat inæqualeis caliceis conuiua, solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis humescit lætius. Ergo
Sermo oritur non de uillis, domibúsue alienis:
Nec malè nec ne Lepos salteat. Sed quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitamus: utrũmne
Diuitiis homines, an sint uirtute beati:
Quidue ad amicitias, usus, rectúm ne trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumq; quid eius.

Literaturæ.

Consule locum Exercitationis literariæ diligentia. item, Philosophiæ studium tum in genere, tum in specie.

Gnomarum.

Octauius Cæsar hoc dicto, σπεῦδε βραδέως, impensè delectatus est (quemadmodum in Noctibus Atticis libro decimo, capite undecimo, narrat Gellius, & Macrobius Satur. lib.6.) non in sermonibus modò quotidianis crebrius usurpans, uerũetiam epistolis suis frequenter inserens: admonens ad rem agendam adhiberi simul & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatẽ. Idipsum quoq; TITO Vespasiano placuisse, ex antiquissimis illius nomismatis facilè colligitur: quorum unum altera ex parte faciem Titi cum inscriptione præfert, altera ancoram, cuius medium ceu temonem delphin obuolutus complectitur. Eras. in Adagiis.

ALEXANDER Seuerus Imp. clamabat sæpius (quod à quibusdã siue Iudæis, siue Christianis audierat, & tenebat) idq; per præconem, cùm aliquem emẽdaret, dici iubebat: Quod tibi nõ uis fieri, alteri nõ feceris. Quam sententiã usq; adeò dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus perscribi iuberet. Lampridius in Alexandro Seuero.

Aurigationis.

MICHAEL Imp. Constantinopolitanus studio aurigandi neglexit imperium. Cùm enim quodam tempore in curru consedisset, iámq; equi essent carceribus emittendi, nunciusq; allatus fuit, ab Amere Saraceno, præfecto Melitenæ imminere magnum malum. Tum Imperator torto uultu: Quomodo, inquit, a[illegible] celeste, mihi tam necessaria certamine occupato, m[illegible] cl[illegible]m in hõ[illegible]numberem, ut cum qui medium tenet, in lævam partem auertam, de quo mihi totum hoc certamen est. Cedrenus.

Venationis.

Consule Tit. Venationis studium. Illic Habitum, hic Affectus consideratur.

MNATHA Boemorũ dux tanto studio uenandi tenebatur, ut triennio continuo post adeptũ principatũ, in secessu arcis, largã ceruorũ, aprorũ, urborum, atq; aliarum ferarum uenationem suppeditantis, perdurauerit, cura interim ac præfectura Vicegradi, atq; etiam iurisdictionis, [illegible] Verisonicensium (quæ tunc familia dignatione cæteris antecellebat) commissa. Qua ille occasione usus contra principem conspirauit. At in procerum concione detectis insidiis, optione data, suis an carnificis manibus plecti mallet, stricto gladio semetipsum confodit. Dubrauius lib.2.

IAROMIRIVS Boemorum princeps, simplici ingenio, uenationibus ita deditus erat, ut eũ uel grauiss. de reb. cõsultantem Honore uenatori interpellare liceret. Spe opimæ uenationis à Cochano Vetsouicensi in syluam deductus, arbori alligatus, sagittis confixus, miraculosè superuixit, Honoræ superuentu liberatus. Dubrauius lib.6.

Otij, Quietis, Pacis.

Vide Tit. Contemplationis, & Solitudinis.

EZECHIAS rex Iudæorum à propheta Esaia admonitus sui peccati, & quòd thesauri, quos ostentasset legatis, in regis Nabucodonosoris manus peruenturi essent, Bonus est, respondit, sermo Domini, sed pax sit diebus meis.

ACHABVS Israelitarum rex ab Elia ob Nabothi cædem grauiter reprehensus, suæq; stirpis excidiũ imminere audiens, suæ saltem ætati quietem precatus est.

ION apud Euripidem à Xutho patre Atheniensium rege agnitus, & Athenas ad regni successionem inuitatus, in templo Apollinis Delphici, ubi æditu um agebat, manere maluit: pulcerrima comparatione uitæ priuatę & publicæ, sacræ itẽ & profanæ, inter cætera inquiens:

εἴη γ᾽ ἐμοὶ μέτρια, μὴ λυπουμένῳ.
ἃ δ᾽ ἐνθάδ᾽ εἶχον ἀγάθ᾽ ἄκουσόν μου, πάτερ.
τὴν φιλτάτην μὲν πρῶτον ἀνθρώποις σχολὴν,
ὄχλον τε μέτριον, οὐδέ μ᾽ ἐξέπληξ᾽ ὁδοῦ
πονηρὸς οὐδείς. κεῖνο δ᾽ οὐκ ἀνασχετὸν,
εἴκειν ὁδοῦ, χαλῶντα τοῖς κακίοσιν.
θεῶν δ᾽ ἐν εὐχαῖς ἢ γόοισιν, ἢ βροτῶν
ὑπηρετῶν χαίρουσιν, οὐ γοωμένοις.
καὶ τοὺς μὲν ἐξέπεμπον, οἱ δ᾽ ἧκον ξένοι,
ὥσθ᾽ ἡδὺς αἰεὶ, καινὸς ὢν, καινοῖσιν ἦν.
ὃ δ᾽ εὐκτὸν ἀνθρώποισι κἂν ἄκουσιν ᾖ,
δίκαιον εἶναί μ᾽ ὁ νόμος ἡ φύσις θ᾽ ἅμα
παρεῖχε τῷ θεῷ. ταῦτα συννοούμενος,
κρείσσω νομίζω τἀνθάδ᾽ ἢ τἀκεῖ, πάτερ.
ἔα δ᾽ ἐμαυτῷ ζῆν. ἴση γὰρ ἡ χάρις,
μεγάλοισι χαίρειν, σμικρά θ᾽ ἡδέως ἔχειν. Vtinam contingãt mihi mediocria, nullo dolore affecto. Quæ uerò hic habui bona audi mi pater. Gratissimũ quidem primum hominib. ociũ, & negotiũ mediocre. Neq; me deterruit à uia improbus quisquam. Illud enim non tolerabile, cedere de uia, locum dantem improbis. Deorum uerò supplicationibus, aut luctibus, & hominibus seruiens gaudentibus, non lugentibus. Et hos quidem dimitto, alij uerò ueniunt hospites: itaque iucundus semper, nouus existens, nouis sum. Quod uerò optandum hominibus, etiam inuitis, fuerit: iustum esse me consuetudo, simulq; natura exhibuit Deo. Hæc cogitãs mecum, meliora existimo quæ hic sunt, quàm quæ illic, pater. Sine uerò me mihi ipsi uiuere. par.n. uoluptas magnis gaudere, & parua suauiter ferre.

ALCMÆON limum recenti compactum Acheloi alluuie incoluit, fugiens, ut poetæ perhibent, Eumenidas. Ego illum quoque concio fugientem ciuiles magistratus, motus, & furiosas calumnias, maluisse exiguum prædium in otio & quiete incolere. Plut. de exilio.

DATAMES Persa Sinopam oppugnans, cum literas accepisset à rege, ut ab oppugnatione desisteret: lectam epistolam adorauit, & sacrificia gratulatoria fecit, quasi magnum ab rege commodum accepisset: & nocte conscensa naui discessit. Polyæn. lib. 7.

NVMA Pompilius, secundus Romanorum rex, pacis studio, Martiũ primũ mensem à Romulo locatũ e sede transtulit, Ianuarium apponens, ut in omnibus pacem etiam iniquã iusto bello præferre uideretur. Ianus enim dicitur ferũ & syluestrem cultum in urbanum ciuilemq; mutasse: proindeq; ipsum bifrontem fingunt, tanquam alteram ex altera formam dispositionemq; reddiderit. Cuius templum (quod apertũ, significabat bellum, clausum uerò, pacem & tranquillitatẽ) Numa rege tres & quadraginta annos continuo clausum mansit. Alex. li... c. 14. ex Plut. Numa.

Cùm contra Cretenses bellũ esset suscipiendum, & iam consules sortirentur, HORTENSIO, ut is id bellum gereret, obtigit. Sed is urbe delectatus, & foro, in quo primũ locũ post Ciceronem obtinebat, collegæ ultrò exercitum cõmisit, & pacis quàm belli studiosior in urbe manere uoluit. Dion Nicæus in Pompeio.

Q. SERTORIVS Roma pulsus Syllæ armis, Hispaniã occupauit. Inde, quietis studio, in Fortunatas insulas transmissurus fuerat, si comites paruissent. Illis aũt renitentibus, à Lusitanis accersitus, insignia fortitudinis exẽpla cõtra arcendã Romanorũ uim inuitus edidit. Plut. in Sertorio.

L. LVCVLLVS licet Syllæ amicus, bellis tamen ciuilibus sese nequaquã immiscuit. Et hac pietate meruit fortasse, ut rebus contra Mithridatẽ & Tigranẽ amplifs. gestis, opibusq; cõparatis splendidifs. prius decederet, quàm inter Cæsarẽ & Põpeium contentiones orirentur. Plut. in Lucullo.

AVGVSTVS Imp. nulli genti sine iustis & necessariis causis bellum intulit: tantis ingenij esse affirmans, ob triumphalis pompæ superbiam & lauream corollam ciuium uitas ac securitatem periclitari. Qua uirtute modestiæ effecit, ut Parthi obsides offerrent, ereandique regis arbitrium permitterent, Phraatis regis filios nepotesque obsides darent, signáque militaria M. Crasso & Antonio ablata remitterent. Indi quinetiam, Scythæ, Garamantes, Aethiopes, legatos cũ donis miserunt. Suetonius.

M. ANTONINVS Pius nullius omnino belli gerendi uoluntarius auctor fuit, nec nisi lacessitus iniuria arma alicui genti intulit. Pausanias in Arcadicis.

D. GREGORIVS Pp. cùm intelligeret se ob successum felicẽ in Ecclesia, quorundam odio laborare, respondit: Absit ut mei causa aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tẽpestas, tollite & mittite me in mare. Nicephorus Eccles. hist. lib. 11. cap. 9.

MARTIANVS Imperator factus, cùm per annos ferè sexaginta imperium Orientis esset imminutum, prudentia ac consilio sic reparauit, ut breui ingens cunctis exultatio & spes oriretur dilatandi imperij. Nam cum Parthis & Vandalis omnia infestantibus fœdus percussit, ac pacem instituit, armaq; nunquã nisi prouocatus mouit: quietis amator, quietum ac pacatum Oriẽtale habuit imperium. Dicere solebat: Donec in pace liceret uiuere, non decere Principem sumere arma. Atilæ minas compescuit, & dum oratores eius acciperet, qui plura à Theodosio promissa expeterent, ita uerbis honestis abegit, ut nullam inuadendi regni occasionẽ reperire posset. Cuspinianus.

LEO Imperator, qui Martiano successit, amantior pacis quã belli, ad unum ex suis Eunuchis, qui, quòd philosopho Eulogio frumentariam tesseram dare iusserat, reprehendens dixerat, militibus potius dandam fuisse eiusmodi largitionẽ: respondisse dicitur, Vtinam is sit temporum meorum status, ut mihi liceat stipendia militũ in literarum magistros transferre. Suidas.

IOANNES filius Manuelis Imper. primogenitus, post patris mortẽ imperiũ arripuit: auidior pacis ac concordiæ quã belli. Cùm concilium Florentinum Eugenius IV. pontifex celebraret, penè tota Græciæ nobilitate comitatus, Italiã petiit: concilio interfuit: ubi hæresis de processione spiritus Sancti diu agitata, non solùm à Latinis, sed ab ipsis etiam Græcis damnata atq; explosa est. Cuspinianus.

BERNENSES uariis iniuriis ab Austriacis totoq; superiori affecti, ut fortitudine, ita etiã mansuetudine pacisq; artib. clarissimi fuêre, quando armis superiores sæpe, conditiones tãquã uicti accipere nõ renuebant, tranquillitatis publicæ causa. Ita ut ludibrij causa nobiles dicere solerẽt de Bernẽsibus: Bistu dan von Bern So demütigest du dich gern. Neq; tamẽ multicipitem hanc hydram humanitate & æquitate uincere, sed armis tantùm domare potuêre, insigni illa Loupensi uictoria parta, qua IIIIM hostiũ, & ex iis MD equites primarij cæsi occubuêre, A. D. 1339. Stumpfius.

Belli.

Consule Tit. Gentiũ bellicosarum. itẽ Ducum fortium.

Munditiei, Balneorum.

Thermis primùm ad sanitatẽ, mox ad uoluptatem ROMANI sunt usi, iis in modũ prouinciarum extructis: fuitq; adeò popularę principibus, id cũ plebe promiscuẽ lauare, ut Cõmodum, Gordianum, Galienũ, alios ter, alios quinquies uel septies æstate, bis uerò hyeme in die lauasse Capitolinus tradat, in thermisq; cœnitasse, & mulieres etiam admisisse. Polydorus lib. 3. c. 13. de Rerum inuent.

Ante omnia student TVRCI munditiei. Omnia enim suspecta de munditie reijciunt. Ob id & uinũ minime bibunt, quòd olim causa magni mali angelis fuerit, qui inebriati uino, coitu cum iustã pulcerrimæ mulieris petierũt, & iter ad cœlũ docuerũt: ipsi uerò in puteũ quendã profundissimũ damnati sunt. Sed & carnes porcinas non comedunt, quia dicunt hominẽ illis immundum fieri. Nec in parte domus ubi comedunt, canes aut pullos admittũt, ne loca fœdentur. Nec si uas aliquod uel canis uel pullus contingat, ex eo amplius uescuntur. Solent enim pullum fune ligatum diebus septẽ ac amplius tenere, ut purum tantùm granum comedat. Nec morticinis uescuntur, ac sanguine suffocatis. Nisi enim ferro uiderint gulam animalis secari, carnes non comedunt. Post quamcunq; pollutionem balneo mundantur. Cuspinianus.

Libertatis propriæ defendendæ, conseruandæ.

Sub loco Fortitudinis propulsantis eos lege, qui mortem obire malunt, quàm sese dedere.

SEDECIAS rex Iudæorũ, & omnes illius proceres, cupidi libertatis retinendæ, Hieremiæ prophetæ, qui Dei iussu eos se Nabucodonosori dedere iubebat, non paruere: qua sola ratione urbis excidiũ (uti Iechonias rex ante Sedeciam fecerat) euitare potuissent. Hier. 38. & Baruchi 2.

ESSENI Iudæorũ, ut uxoribus, ita & seruis carent, quòd hoc ad iniuriam cõmunis naturæ censeãt pertinere, illud ad molestiam. Iosephus lib. 18. cap. 2. Antiq.

Præter Pharisæos, Sadducæos, Essenos, quarta apud Iudæos secta fuit GALILÆORVM, autore Iuda Galileo. Hi cæteræ cum Pharisæis consentiunt, nisi quòd constãtissimo libertatis amore flagrant, credentes solum Deũ dominum habendum

dum ac principem, facilius uel exquisitissima pœnarum genera laturi unã cũ cognatis suis ac carissimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum. Quæ secta altissimas egit radices, & populo à Romanis abalienato, excidio gentis & urbis ansam præstitit. Iosephus lib. 18. c. 2. Antiq.

Indorum philosophi GYMNOSOPHISTÆ lege sanxerunt, neminem omnino seruum esse: liberos æquo iure honoréque haberi omnes: qui assuescerent neque præstare cæteris, neque iniuria quenquam afficere, optimè ad omnes fortunæ casus instituisse uitam. Stultum enim esse, leges æquas omnibus positas, fortunas non ęquè omnibus cõmunes esse. Diodorus lib. 2. cap. 10.

Seruitutẽ AETHIOPES nunquã experti dicuntur. Sẽper gẽti libertas incolumis mãsit. Cambyses, qui Macrobios Aethiopas bello petere ausus est, amisso exercitu uitæ periculum adiit. Eam solam gẽtem Dionysius & Hercules, quos terras omnes perlustrasse fama est, intactã reliquêre, aut quia ipsorum in deos pietatem sint reueriti, aut (quod propius uero est) quia inexpugnabilis sit uisa. Sab. lib. 2. En. 1.

ARABVM gens libertatẽ seruãs, nullũ aduenã apud se regnare passa est. Ita neq; Persarũ neq; Macedonũ reges, quamuis potentes armis, eorum imperio potiti sunt. Est enim inexpugnabilis ab externo milite, propter loca partim deserta, partim arida, aquisq; deficientia. Sunt tamẽ fontes plurimi, sed absconditi, ac solis incolis noti. Diod. lib. 2. cap. 1.

NABATHÆI Arabes uitam degunt sub dio, patriam uocantes incultam illam, quæ neq; flumina, neq; uberes fontes habet, ex quibus aquari possit hostilis exercitus. Est autem eis lex, nec frumentum seminare, nec stirpem ullam frugiferam serere, nec uti uino, nec domum ædificare. Si quis contrà facere repertus fuerit, capitis pœna est. Vtuntur autem hac lege libertatis causa, existimantes eos qui hæc possident, facilè cogi posse à potentibus, propter horum usum, imperata facere. Diod. lib. 19.

CARDVCHI Paphlagones odia cũ Persarum rege perpetua gerebãt olim, liberi suo more uiuebant. Versari mos erat à tenera ætate in laborib. & studiis bellicis: fundis potissimũ exercebãtur, saxaq; assuescebãt intorquere quàm maxima, necnõ & iacula amentis, sagittasq; arcubus insolitæ magnitudinis euibrare. Hi Græcos domum redeuntes ex Babylone malè uexarunt. Diod. lib. 14.

Hercules liberos à se ex Thespij filiabus susceptos, cũ Græcorum barbarorumq; copia, in Sardiniam misit. Mox Iolaus, Herculis nepos, insula potitus, populos ab se dixit IOLAOS. Gymnasia, & deorum templa, cæteraque ad hominum felicitatem spectantia, ab eo sunt instituta, cùm ab oraculo traditum esset, hanc coloniam liberam semper futurã. Cùm Carthaginenses magnis copiis insulam cepissent, nunquam Iolaos subegêre. Ad montana enim atque aspera confugiẽtes loca, effossis sub terram habitaculis, lacte, caseo, carnib. ex pecoribus, quæ plurima illis erant, uescebantur: agrique colendi declinato labore, in montibus uitam quietam ducebant. Carthaginẽses cùm sæpius eos bello tentassent, difficultate locorum absterriti, liberos reliquerunt. Postremò à Romanis armis sæpius lacessiti, locorum asperitate inuicti permansere. Diod. lib. 5. cap. 5.

INDATHYRSVS Scytharũ rex, cũ Darius rex Persarũ ab eo peteret, ut sibi tanquã domino terrã & aquã muneris loco offerret, rescripsit: Solos sibi heros, Iouẽ progenitorẽ, & Scytharum regium olium esse. Herod. lib. 4.

OTHANES Persa, coniuratorũ aduersus magos falsumque Smerden primus, cùm egregio perpetrato facinore diu frustrà sociis suaderet, ut Persidem patriã liberam relinquerẽt: posteaquam uidit eos ad creandum regem inclinare, cũ eis ita cõuenit, ut quò ad se, neq; domini, neq; serui conditionẽ subiret. Nam ut regiæ dignitatis honore se priuabat, ita seruitutem quoq; induere nolebat. Herod. lib. 3.

SPERTHIVS & BVLES (alij Burim & Spartim uocant) ad Xerxẽ regẽ Persarũ profecti ultro, ut pœnas darẽt pro interfectis Darij legatis à Spartanis, cùm ab Hydarne Asianę orę maritimæ præfecto (Plut. Indarnũ uocat) sollicitarentur, ut regi sese dederent, non tanquã legati, sed tanquã defectores, parêre noluerunt, libertatẽ suã omnibus Xerxis opibus præponentes. Itaq; ad Xerxem profecti, causam cur uenissent exposuerũt. Ab eo tamẽ incolumes domũ fuêre remissi. Herod. lib. 7. & Plut. in Laconicis.

Cùm urbe relicta, ATHENIENSES naues conscenderent, ut pro libertate Græciæ contra Xerxem ad Salaminem insulã pugnarent, Trœzenem uerò senes, uxores, liberos, seruos transmitterent: spectaculum hoc aliis miserationem, miraculum aliis audaciæ mouit, parentes aliò dimittentium, ipsorum autem immotorum ad eiulatum lacrymasq; & complexus parentum, qui in illam insulam transmittebant. Plutarchus in Themistocle.

Craterus Alexandri Magni præfectus, inuitarat DIOGENEM Cynicum, ut ad se cõmigraret. Cui ille respõdit: Malo Athenis salem lingere, quàm apud Craterum opipara frui mensa. sentiens, libertatem, quamuis inopem, omnibus diuitum deliciis præferendam, ubi minuitur libertas. Prædicantibus beatum Callisthenem philosophum, quòd apud Alexandrũ apparatu splẽdido exciperetur: Imò, inquit, infelix est, quòd illi prandendum cœnandumque sit, quum Alexãdro uisum fuerit. sentiens, nihil esse beatum, si absit libertas. Hic est Callisthenes, Aristotelis discipulus, quem Alexander tandẽ coniecit in carcerem, ubi & periit. Quidam pro Callisthene supponunt ipsum Aristotelem: cuius felicitatem prædicantibus, quòd cum regis filio uiueret: Aristoteles, inquit, prandet, quum uult Alexander: Diogenes, quum uult Diogenes. Laert. lib. 6. cap. 2.

SIMONEM Atheniẽsem Pericles ad se inuitauit, pollicẽs sese omnia necessaria præbiturũ. At Simon negauit se uenditurũ libertatẽ. Delectauit hunc imago muris syluestris, paruo uiuentis, potius quàm domestici, in summis deliciis, sed perpetua cum solicitudine uersantis. Laert. lib. 2. c. 14.

Philippus Macedonũ rex bellum diu dissimulatum Atheniensibus intulit. THEBANI rati id incendiũ Atheniensibus uictis ad se breui peruenturũ, socios se ATHENIENSIBVS iunxerunt. Hæ duæ ciuitates uniuersam Græciã legationib. fatigarũt, ut cõmune illud incendium secum restinguerent. Valuit publica caritas apud quosdam, qui socias sibi partes susceperũt, sed multo plures metus ad Philippum traxit. Postremò de summa rei ad Chæroneam dimicatum: ubi Athenienses & Thebani, pristinæ uirtutis memores, fortiter dimicãdo occubuêre. Quippe qui aduersis uulneribus loca, quæ à ducibus tuenda acceperant, cadentes suis corporibus obtexerunt. Illa demùm pugna uniuersæ Græciæ libertatẽ ademit. Sab. lib. 3. Enn. 4.

LACON quidã interrogatus, quid artis sciret? Liber, inqt, esse. Ea gens nec disciplinis philosophorũ, nec opificiis exercebatur: tantũ inuictis animis libertatẽ tuebatur, nec hominibus nec uitiis seruire docilis. Plut. in Lacon.

ASTYCRATIDAS, posteaquam Argis rex Spartanorũ superatus est apud Megalopolin in prælio aduersus Antigonum regẽ Macedonũ, cuidã dicenti: Quid nunc facturi estis Lacedæmonij? Macedonibúsne seruituri? Quid tandẽ, inquit? nũ Antigonus uetare potest, quo minus pro patria mortẽ oppetamus? Plutarchus in Lacon.

ASCLEPIADES Prusiensis medicus, à Mithridate Roma euocatus, libertatis studio Romę mãsit, præcepta pro se ad regem misit, cõmentariis medicis editis. Plin. lib. 25. c. 2.

ROMANO Senatui uel unica dies restitutæ libertatis, Caio Imp. interfecto à cõiuratis, gratissima fuit. Eaq; de re Cn. Sẽtius in Senatu uerba fecit, & Chærea Tribunus mil. Caij interfector à consulib. signũ petiit, atq; illi Libertatẽ dederũt. Adeò autem mutatas res mirabantur, ut ipsi sibi uix satis crederent. Tunc enim primùm, ex quo reipub. administratio populo est adempta, signi dandi mos ad consules rediit, penes quos ante Cæsares imperium fuit in milites. Iosephus libro 19. capite 2.

IO. PICVS Mirandula libertatẽ supra modũ dilexit, quã & natura sic affecta, & philosophiæ studia suggesserant: uagusq; ob id plurimũ extitit, nec propriam sibi unquã sedem delegi[redacted]

MA[redacted] Bassa sub Mahomero II. Imperatore Turcarũ o[redacted] maxima & periculosissima erant, gerebat, utpote à puero Imperatori familiarissimus. Is ut se aliquando ex infami onere seruitutis redimeret (nec enim, quamuis à pũero Christum abnegasset, libertate donatus est) excepit Mahometum magnifico regalique conuiuio: protulitque aureũm numũm quinquaginta millia & amplius: libertatem supplex petens, ut se libero quàm famulo uti deinceps mallet. Quo audito Mahometus ita excanduit, ut uitæ mortisq;

 socium,

socium, ducem præterea uictoriis illustrem, humi prostratū, tanquam fugitiuum seruum pedibus calcauerit, donec repetita sæpius uoce clamaret: Gratias ago tibi, mi here. Cuspinianus.

SICVLI in Transsyluania usqueadeò libertatē colunt, ut mori quàm tributa soluere malint. Vngariæ regibus nunquam stipendia pendere uoluerunt: neque, ut id facerent, ulla ui cogi potuêre. Nostra tempestate, inquit Bonfinius, precibus tantùm, ac regis gratia adacti sunt, ut Mathiæ Coruino quibusdam temporibus domesticatim bouem soluant. Bonfinius lib.7.Dec.1.

VENETI omni tempore paucis fuêre legibus contenti. Abstinuerunt pertinaciter à Cæsareis, ne præiudicium credo res ipsa faceret libertati, in qua urbs nata esset. Sabellicus libro 7.Enneadis 8.

Libertatis alienæ tuendæ studium.

ZACHARIAS I.Pontifex Venetis mercatorib.prohibuit sub anathematis pœna, ne seruos Christi signo notatos, Saracenis & Gentilibus uenderent. Platina.

Pecuniæ, Thesauri.

Hebræi prisci, EOS qui thesauros præsertim malè partos in terra defodiunt, damnationem iustamq; suæ impietatis pœnā ad suos thesauros sustinere existimant, & carere conspectu Dei: ac propterea in Ecclesiastico maledictionem extare cōtra eos, qui in ruina thesauros addunt. Bodinus libro tertio Dæmon.cap.3.

Gemmarum.

☞ *Vide Tit. Prodigalitatis circa gemmas.*

Plutarchus in commentario περὶ ἀοργησίας, perditum in studio margaritarum gemmarumq; HOMINEM φιλόλιθον & περὶ σφραγίδα πολυτελῆ νοσοῦντα uocat. Ita Cic. VI. in Verrem, cupiditatem VERRIS incredibilem, Morbum & Insaniam uocat. Victorius lib.1.Var.lect.cap.14.

M. ANTONIVS IIIuir, NONIVM Senatorem propter Opalum gemmam proscripsit. Nonius fugiens, hunc è fortunis suis omnibus anulum abstulit secū, quem certum est sestertiis uiginti millibus æstimatum. Plin.lib.37.c.6.

In GELLIAM gemmarum amore flagrantem Martialis in Epigrammatum libro 8. sic scribit:

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bouem iuuencæ,
Nullos deniq; per deos, deasq;
Iurat Gellia: sed per uniones:
Hos amplectitur, hos deosculatur,
Hos fratres uocat, & uocat sorores,
Hos natis amat acrius duobus:
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu quam bene nunc, Papiriane,
Annei faceret manus Sereni.

LEO IV. Imperator adeò gemmis delectatus est, ut direpto sacrario sanctæ Sophiæ, coronam magni ponderis ac precij sibi constituerit: qua quidem ita frequenter utebatur, ut aut propter pondus, aut ob frigiditatem lapillorum subito morbo correptus perierit. Platina.

[redacted] tendens, & Genuam [redacted] excauatam in hexagon[redacted] marum precium superare existimatur, [redacted] maniter inspexit: miratus quòd in tumultu direptæ à Gallis urbis seruati potuisset. Iouius in Hadriano VI.

Librorum.

☞ *Vide Tit. Liberalitatis in libris comparandis.*

IO. CAPNION Phorcensis, cùm aliquando Eberardi principis Vuirtenbergensis nomine ad Cæsarem Fridericum III. cum aliis legatus uenisset, & reliquis splendida lautia, ut uocant, dono darentur, hic Capnion antiquissima quædam & bene descripta Biblia Hebraica, quàm uel immensum auri pondus à Cæsare accipere maluit. Brassicanus in præfatione in Saluianum.

Operum suorum.

NICIAS pictor tantopere pingendi studio delectatus est, ut dum Necyam pingeret, sæpe interrogarit seruos an pranderit. Missis ad eū à Ptolomęo rege ut eā traderet LX talentis, accipere noluit. Plin.lib.35.& Plut. an seni tract.resp.

Supellectilis.

PAPI Florentinus lucernam quandam ita adamauit, ut pendentem ex cingulo quocunq; iret ferret secum, & obuiantibus quibuscunq; ostentans, nunquid pulcra lucerna esset ꝑcunctaretur. Aeneas Syluius lib.1.Epist.41.

Patriæ.

☞ *Ex Tit. Fidei erga patriam huc pleraq;, quatenus Amor Fidei ueluti proxeneta existit.*

VLYSSES, ut est in fabulis, cùm apud Calypsonem posset in omnibus deliciis uiuere, tamen illam asperam & lapidosam patriam suam antepo suit etiam immortalitati: non ita facturus, si Teucri sententiam, Patriam esse, ubicunque bene sit, approbasset, inquit Lysias in oratione aduersus Philonem. Muretus lib.2.Var.lect.cap.3. De eo sic Ouid. lib.1.de Ponto:

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse uidere focis.

PLATO philosophus nullam in terris maiorem esse charitatē arbitratus est, quàm quę cū patria est unicuiq; nostrûm. Hęc parens, hæc nutrix omnium, hæc artibus, opibus, disciplinis instruit, dignitatibus ampliat, omnia ad suorum ciuium cōmodum & ornamenta refert: amat hæc, & uult ipsa amari: tuetur suos, nec uult negligi: ut breuiter dicam, paria à ciuibus exigit officia: quod cuique nostrûm præstat, suo iure repetit. Sabellicus lib.8. cap.1.

LACON captiuus pronunciante, dum ueneditur, pręcone, Laconem uendo: reuocauit eum, fatus: Captiuum proclama. Ne seruus quidem patriæ dignitatis oblitus. Plutarchus in Apophthegmatis.

THEOGNIS Megarensis patriæ studium & amorem his uersibus declarauit:

ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ εἰς Σικελήν ποτε γαῖαν,
ἦλθον δ' Εὐβοίης ἀμπελόεν πεδίον,
Σπάρτην τ' Εὐρώτα δονακοτρόφου ἀγλαὸν ἄστυ·
καί μ' ἐφίλευν προφρόνως πάντες ἐπερχόμενον·
ἀλλ' οὔτις μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων·
οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης.

Veni quidem ego & in Siculam aliquando terram: ueniq; in Eubœę uitiferum solum, Spartamq; Eurotæ arundiniferi claram urbē: & me excipiebant alacriter omnes aduenientem: sed nulla mihi oblectatio in præcordia uenit eorum: adeò nihil sanè erat charius aliud patria.

Apud GRÆCOS hoc usitatum erat, ut QVI in coloniam mitterentur, aut aliquo casu patriā relinquere cogerentur, partis nouis sedibus eas iis nominibus appellarent, quibus uocabantur patriæ loca: ut hac ratione acrem illum amorem patriæ solarentur: siue id dignitati natalis soli reuerentiæq; dabant. Proinde Maro lib.3.Aen. de Heleno inquit: Solemnes tum fortè dapes, & tristia dona Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undā Libabat cineri Andromache. Itē: Procedo, & paruā Troiam, simulataq; magnis Pergama, & arentē Xanthi cognomine riuum Agnosco, Scææq; amplector limina portæ. Polybius hoc duobus locis apertè significauit in excerptis VIII.libri, Tarentum coloniam Spartanorum fluuium habuisse Galesum, à plerisque Eurotam dictum: & Agrigentinos Mineruæ & Iouis Atabyrij templum habuisse, ut & Rhodios, à quibus oriundi erant. Victorius libro 5. Var.lect.cap.3.

BVRIS & SPERTIS Lacedæmonij (Herod.lib.7. Spenthium Aneristi, & Bulim Nicolai F.legit) profecti ultrò ad regē Persarum Xerxem supplicium luituri, quo obstricta Lacedęmō ex oraculo erat, quòd missos à Perse ad ipsos caduceatores interemissent: Vt ad Xerxē uenêre, iusserunt, quo uellet modo, se pro Lacedæmoniis necaret. Quos ubi admiratus ille liberauit, petiitq; ut apud se manerent: Qui ualeamus, inquiunt, hic deserta patria, legib. & his uiris, pro quib. tantū itineris ad moriendū [redacted] Instante uehementius duce Indarno (qui [redacted]odoto Hydarnes dicitur) memorantéq; pari in honore [redacted] atq; illi, qui maxima dignitate in amicis regis præfulgerent, responderunt: Ignorare uidemini nobis, quanti sit libertas, quā nō mutauerit qs, nisi amens sit, Persarum regno. Plut. in apophth. Laconic.

Plutarchus in uita Thesei refert, Athenienses Minois regis [redacted]tensium exercitu simulq; rerum inopia afflictos, iniisse fœdus cū illo, his quidē conditionibus, ut quotānis in Cretam mitterēt septē pueros, ac totidē puellas: quos quidā existimāt à Minotauro solitos interimi: Aristoteles dissentit. Sed quum

quū uetusti cuiusdā uoti religione tenerentur Cretenses, illas hominū primitias mittebāt in Delphos: quib. eò proficiscentibus, adiunxerunt sese multi Cretensiū filij. Cæterùm quū illic ob terræ sterilitatē ægrè sibi pararent uictū, uenerunt in eam Italiæ partē, quæ quondā Iapygia dicta est. Hinc in Thraciam profecti, BOTTIÆI dicti sunt. Vnde uirgines Bottiæorum sacrificio quodam absoluto, canere solent, ἴωμεν εἰς Ἀθήνας. Eamus Athenas. his uerbis testificantes desiderium patriæ quondam relictæ.

Elea, olim Hyle, Phocensium colonia, patria ZENONIS philosophi, oppidum uile, quod tantū præstantes uiros posset gignere: quod ille Atheniensiū magnificentiæ prætulit, uita in eo exacta, rarò Athenas profectus. Suidas.

HIRCANVS Iudęorū rex & pontifex, per dolum à Parthis captus, à Phraate rege honorificentissimè tractatus, Iudæis Babylone degentibus tanquā rex & pontifex pręfectus fuit. Verùm posteaquā Herodem generū suum regnum occupasse audiuit, Antigono Aristobuli fratris F. occiso, ad nouas se spes transtulit, inuitāte etiā literis Herode, & regnum sibi cū socero cōmune futurum pollicente. Dissuadentibus amicis non paruit, patriæ amorem præsenti dignitati præponens. Ab Herode comiter exceptus, nō multo pòst interfectus fuit. Iosephus lib.15.cap.2.& seq.

EPHORVS Cumanus, qui accepit disciplinam ab Isocrate, cùm in narratione aliarum rerum non haberet res à patria gestas, quas cōmemoraret: nec imperare sibi posset, ut eam indictam relinqueret: in hāc uocem erupit, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον. quod animaduersum ab acutis ingeniis risum ipsis mouit: & nedum dignitatē aliquā obscuro oppido uerbis illis afferret, magis ipsius ignobilitatē patefecit. Victorius lib.18.Var.lect.cap.4.

Locus ille T. LIVII in X. libro ab urbe condita, quo aduersam pugnam Cleonymi, ducis Lacedæmonij cum Venetis exponit, narratque cum exutum magna parte nauium, à solo studio celebrandi suos profectus uidetur. Quamuis enim casus ille memorabilis sit, resq; omnino scitu digna: non libēter tamen solet ille auctor aliena facta cum rebus Romanis immiscere, ut ipsemet pluribus locis ostēdit. Nam quod addit, Rostra nauium, spoliaq; Græcorum, in æde Iunonis ueteri fixa, multos superesse, qui uiderint: ac Patauij monimentum naualis pugnę eo die, quo pugnatum est, quotannis solēni certamine nauiū flumine in oppidi medio exerceri, manifestò indicat uolūtatem suam: neq; enim tam minutas res grauis scriptor tanta diligentia persecutus esset. Victorius lib.18.Var.lect.cap.4.

ROMVLVS & REMVS fratres cæso Amulio patruo, & Numitore auo in regnum restituto, consilium cepêre urbis hîc cōdendæ, ubi expositi & educati essent. Dionysius id existimat à Numitore ortum, qui pulcrum & utile ratus, quoniā res Albana multitudine abundaret, ad propagandum nomen & gentem, nepotibus persuaserit, ut eam uelut nouam ducerent coloniam, urbemque conderent. Cæterùm siue proprium id consilium, siue auitum fuit, iuuenes eius terræ caritate, in qua ambo fuerant educati, nouam urbem statuêre. Sabellicus lib.2.En.2.

SAGVNTINI Hispaniæ populi, uidentes post diutina bella se in manus Hannibalis ducis Carthaginensiū uēturos, maluerunt in ipsa patria mori, quàm extra patriā captiui uiuere. Pyra igitur grandi in foro extructa, se morti tradiderunt. Liuius, Orosius, & alij.

NVMANTINI Hispaniæ populi, cùm post longam obsidionem uiderent Romanos, Scipione duce, uictores euadere: ne patriam deserere uiderentur, iam uicti seipsos in ipsa patria igni immiserunt. Liuius.

Cùm iuniorem Marium ciuili bello Sylla superasset, in Prænestinos sæuire cepit: & quo magis iram suam satiaret, interimi separatim singulos iussit, uno tantùm familiari suo seruato. Demùm mora & tamdiu spectandi fastidio affectus imperauit, ut unà omnes interimerentur. Imperio audito, PRÆNESTINVS, cuius uitæ parcebatur, cū iam desperaret alium seruari posse, quod antè in diuturnitate perpetrandi supplicij fore sperauerat, ira incensus, ad Syllam se con[redacted]

CALV.[redacted]

VES[redacted]

OTHOMANI [redacted] siam situm, unde oriundi erant, multum honorarunt, cū eò frequenter accederent, reddentes uici incolis solennia munera. Chalcocondylas lib.1.

NORVAGI extra terrā suā qualibet ex causa peregrinati, quā primùm redierint, terramq; tetigerint, proni in terrā cadunt, & facto signo crucis eam exosculati, O, inquiūt, terra Christiana ante oēs. Adeò generis sui cultum extollunt, cęterorū contemnunt. Cranzius lib.6.Noruegiæ, cap.11.

FARINATA Vbertus eques Florentinus, unà cū cæteris Gibellinæ factionis urbis recuperata administratione, de firmando ciuitatis statu in consilio erat. Missis ad fœderatas ciuitates legatis, quia imminere bellum putabatur, multi in eam sententiā ibant, ut deserta urbe, quā propter Guelfi nominis multitudinem diu se retenturos diffidebant, ciues omnes, qui tum in urbe erant, in propinquas, eosdem maioresq; etiam honores quàm Florentiæ habituri, migrarent. Surgens igitur Farinata magna uoce, Se nunquam passurū, dixit, ut se præsente patria desereretur, pro qua uitam effundere paratus erat. Atq; in hæc uerba consilium dimisit, plus quàm se ipsum diligi à se patriam ostendens. Fulgos. libro 5. cap.6. & Egnat.lib.5.cap.6.

IOANNES Boemorum rex Lucenburgum patriam ita dilexit, ut regni cura non semel posthabita, illuc proficisceretur, magna cum procerum indignatione, quòd dum ipsi domi per lites & calumnias atteruntur, interea ille apud Lucēburgos intempestiuis conuiuiis & choreis operam daret: quinetiā in animū induceret, cum Ludonico Bauaro Imp. Boemiæ regnum, pro Bauariæ principatu, quem Palatini Rheni possidere solent, cōmutare, ut eò uicinior Lucēburgæ habitaret. Dubrauius lib.20.

Principes Germani CAROLVM IV. Imp. in Boemia sua cōmorantē, hortati fuerant, ut Germaniam præsentia consolaretur sua, postquā Boiemis regem dedisset filium Venceslaum: Regem in regno, Cæsarem in Imperio residere debere. Carolus in gazophylacio massas auri atq; argenti nondum signati illis ostendit, rogās, Potéstne mihi fiscus in Germania imperialis tantā, quantam regius in Boiemia, copiā metalli exhibere? Quib. mussantibus: Nónne igitur, inquit, & mihi & uobis magis expedit, me hîc paternis, cū cōmodo etiā uestro, bonis perfrui, quā illic mutuā exercere deplumationem? Nec enim aliter fieri posset, quàm ut Aquila, quā ad nos aduolantem bellè nostis deplumare, uestras uicissim euelleret plumas, quæ ægrè interdum nonnullis renascūtur. Quin potiùs hoc in præsentia agamus, ut cōcordia utrinq; & in Boiemia & in Germania nostras fulciamus opes, quo faciliùs malum undecunq; ueniens arcere mutua ope ualeamus. Dubrauius lib.22.

Mortuo Maximiliano I.Imp. ambiebāt imperij dignitatē duo, Carolus Austriacus, qui Hispaniæ regi Ferdinando auo materno successerat, & Franciscus I.Galliæ rex. Et Caroli quidē legati Moguntiam usq; uenerant: Gallici uerò Confluentiæ substiterant. Vtriq; per literas & internuncios, principē quisque suum Electoribus cōmendabant. Galliæ rex, qui uictis Heluetiis Insubriam tenebat, quòd ad sui regni salutē propè necessariam esse duceret Heluetiorum amicitiā, magnis iacturis & pollicitationibus eam redemit, missisq; ad ipsos legatis, quamobrem cupiat designari Cæsar, exposuit, ac simul petiit, ut suam causam apud Electores adiuuarēt. HELVETII, quo tempore amicitiam cum eo pepegissent, Ecclesiam Romanam & Imperiū sese dixerunt excepisse: ad Imperij uerò maiestatē pertinere, ut sint electorū liberrima suffragia: non ergo sibi licere, libertatē hāc ulla significatione suę uoluntatis impedire. Sic dimissis legatis literas ad Septemuiros dedere, & quid ille cuperet, quid etiā ipsi respōderint, exposuere, & ne rationem eius haberent, sed Germanū aliquē principem eligerent, hortati fuere, de sua uoluntate ꝓlixè pollicentes. Sed & Leoni decimo scripsere, & quoniam sit ipsius inaugurare & confirmare designatū Cæsarem, petiere, eò totus incumberet, ne munus hoc ad externum aliquem principem deferr[redacted]

[redacted]bium.

Iliū [redacted] qui Palladis tēplum habuit, X[redacted] mari di[redacted] Iliū XL stadijs distaret [redacted] EXAN D[redacted] uictoria apud Granicū habita rediēs, magnific[redacted] exornauit: & arbitratus illic Priami sedē fuisse, uicū [redacted] urbē iussit [redacted] edificia [redacted] curatorib. mandauit, ac liberā & immu[redacted] subactisq; Persis facturū se maiora promisit. Erat enim Homeri studiosus, & propter Aeacidarū cognationē, qui Molossis imperarūt, apud quos regnauit Andromache Hectoris uxor, erga Ilienses magnopere affectus. Post eius obitū LYSIMACHVS rex Thracū, urbis cura suscepta, delubrū cōstruxit, & murū ad stadia quadraginta circūduxit, ac uicinas & antiquas urbes in eam habitatū deduxit, quæ iam erant labefactatę. Sylla, sublato Fimbria, Ilienses multis beneficiis solatus est. Deinde IVLIVS Cæsar maximā de his curā suscepit, Alexādrū æmulatus, cuius erat amantissimus, & certissima cum Iliensibus signa cognationis habebat. Regionē itaq; eis tribuit libertate & immunitate seruata. Strabo lib.13.

ROMANVS pop. captis Veiis, loci cõmoditate allectus, Romam relinquere cogitauit, & Veios imperij sedem transferre. Liuius.

CLAVDIVS Cæsar Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuũ remisit: recitata uetere epistola Græca Senatus populiq; Rom. Seleuco regi amicitiã & societatẽ ita demùm pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Suetonius.

Caius Cæsar CALIGVLA, Antiũ, ubi natus dicitur, omnibus semper locis atq; secessibus prælatũ, non aliter quàm natale solum dilexit: traditurq; etiã sedẽ ac domicilium imperij, tædio urbis, transferre eò destinasse. Suetonius.

VALENTINIANVS Imp. Rom. quũ annis triginta imperasset, maiorẽq; uitæ partẽ Rauennæ duxisset, ad amplificandã urbis dignitatẽ Rauennati metropolitæ duodecim subiecit episcopos: utputa Arimini, Cesenæ, Forliuij, Foripompilij, Fauentiæ, Foricornelij, Brincij, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, Placentiæ: unde hexarchatus nomen huic inditum. Rauennæ præterea mœnia amplificauit. Ioannem episcopum imperiali habitu, qui ex candida lana constabat, uti iussit. Quare cum Romanis pontificibus sese cõferre ausi sunt Rauennates. Sab. lib. 1. En. 8. & Bonfinius lib. 7. Dec. 1.

Tolosam Tectosagum urbem THORISMVNDVS Theoderici F. Vestgothorum rex urbem uetustate ac religione uenerandam plurimum amauit, regniq; sedem ex paterno instituto constituit. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

THEODERICVS Ostrogotthus rex Romam adeò magni fecit, ut diceret, piaculũ cõmittere, qui Roma diutius abesset. Et tamen cùm eã, collocatis laribus, incolere posset, Rauennam se recepit. Sigonius lib. 16. imp. occid.

IOANNES XXIII. pontifex Ecclesiã Tolosanam unicè dilexit, & ad archiepiscopatum transtulit: cuius quidem castella sex in ciuitates erexit, ut haberet archiepiscopus Tolosanus quibus cum dignitate præesset. Platina.

Francorum rex PIPINVS Compendiũ omnibus secessib. antetulerat. CAROLVS Magnus F. Aquisgrani cùm per bella licebat, & uiuẽs sedebat, & supremũ diem obiit, sepultusq; est anno Salutis octingentesimo quintodecimo, cùm uixisset annos septuaginta duos. Aemilius lib. 3.

Spectaculorum.

Bacchicam saltationem in PONTO & IONIA tantæ uoluptati fuisse gentibus, Lucianus scribit in libro de Saltatione, ut statutis tẽporibus obliti omnium aliorum, desiderent dies totos, spectantes Titanas, corybantas, satyros, bubulcos. Quod uerò mireris amplius, exercebant id genus nobilissimi quiq;, ac ciuitatum maxime principes, ad præcipuam id opinati gloriam spectare.

Libanius in Olynthiacas notat, cùm antiquitùs ATHENIS theatrum lapideum nullum esset, sed ligneum, & omnes locum in theatro festinanter occupare studerent, uerberationes sæpe & uulnera consequuta. Cui malo ut occurrerent Atheniensium principes, uenales locos fecisse, statuisseque, uti spectandi causa singuli duos penderent obolos: Ne uerò tenuiores propter sumtum spectaculi uoluptate spoliarentur, eos ex ærario obolos sumere uoluisse. Arpocratio uerò, qui aliquanto secus hanc ex Philochoro refert historiam, non obolos, sed drachmam nominat, eamq; absentẽ, aut peregrè euntem neminem capere potuisse, Hyperidis auctoritate demonstrat. Huius autem pecuniæ perendæ ius ex tabulis Lexiarchicis partum esse, ex oratione Demosthenis aduersus Leocharem apparet. Sigonius libro quarto, de rep. Atheniensium.

Ludi.

THEOGNIS in Gnomis studium suum ludendi hisce uerbis explicat:

[redacted] ludo: diu .n. sub terra, amissa anima, tace[redacted]tus: linquam autem amabilem lucem solis: q[redacted] uerò bonus fuerim, [redacted]debor nihil amplius.

VOLANERII [redacted] studium in alea exercenda in[redacted], Horat. lib. 2. Serm. Sat. 7. persequitur:

Scurra Volanerius, postquam illi iusta chiragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pauit.

Sepulcri studium, cura.

ABRAHAMO tantã cura fuit honestè sepeliendi Sarã coniugem mortuam Cariatharbæ in Chananæa, ut apud Hettæos ab Ephrone Hettæo fundum cum duplici cauerna quadringentis argenti siclis emerit, e regione Hebronis, in qua eam sepeliret. Genes. 23.

IACOBVS patriarcha, quãmuis in Aegypto regionem fertilissimam obtineret, & Pharaoni regi propter Iosephum filium gratissimus esset, moriens tamẽ iussit, ut in Chananæa in patrio sepulcro conderetur. Genes. 47.

IOSEPHVS patriarcha cùm 110 annos uixisset, in Aegypto obijt, & suos iureiurando obstrinxit, ut cùm eis eorumq; posteris Deus subuenisset, & ex Aegypto eduxisset, ossa sua illinc exportarent. Genes. 50.

TOBIAS senior, uir sanctissimus, filio Tobiæ præcepit, ut se mortuum sepeliret honorificè: matrem honoraret, memor dolorum, quos eius causa pertulisset: eamq; uita functã, in eodem sepulcro honestè sepeliret. Tobiæ 4.

VLYSSES apud Euripidem in Hecuba:

καὶ μὴν ἔμοιγε ζῶντι μὲν καθ' ἡμέραν,
κεἰ σμίκρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι·
τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν ἀξιούμενον
τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι· διὰ μακροῦ γὰρ ἡ χάρις. Atqui mihi quidem uiuenti in dies, etsi pusilla habeam, omnia utiq; sufficienter sunt: sepulcrum uerò cuperem honoratum meum conspici: in longum enim hoc durat officium.

Brutorum, in genere.

Consule Tit. Humanitatis hominũ erga bruta. Amoris uenerei exempla pete ex loco Libidinis, cum brutis qui concubuêre. Item Tit. Sepulcra brutis extructa sub loco Prodigalitatis.

Equorum.

Apud Homerum Iliados θ. ANDROMACHE Hectoris uxor maritu equos priore cura quàm maritum complectitur, ipsiusmet Hectoris confessione: prius illis & suaue triticũ proponens, & uinum simul immiscens, quàm Hectori. Vsque adeò etiam Heroibus potior est eorum, quibus uehuntur, quàm suiipsius ratio.

Narrat DIOTREPHEM fuisse quempiam prędiuitẽ, qui maiorem in modũ delectatus est alendis equis, unde & postea hipparchus factus est: cuius hortatu exemploq; multi iuuenes accensi fuere ad curas equestres. Eras. in Adagiis.

ALEXANDRO Magno Hyrcanum pelagus & Caspium petente, Barbari repentino incursu exceperunt eos, qui equum Bucephalum ducebant. Rex misso caduceatore, ni remisissent sibi equum, omnibus necem cum liberis & coniugibus denunciauit. Quibus equum ad eum reducentibus, urbesque suas dedentibus, prębuit se omnibus humanum: atque illis, qui ceperant equum, precium dedit redemtionis. Plut. in Alexandro.

SYBARITARVM luxum, qui in conuiuia equos introducebant, quaque ratione à Crotoniatibus uicti fuerint, pete ex Stratagematis, sub titulo, Equos hostibus adimere, uel inutiles reddere.

C. CALIGVLA equorum fuit studiosissimus. Vnum autem equum, quem Velocissimum nominabat, inuitauit semel ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetq; uinum in poculis aureis ad potum. Idẽ adeò amauit equũ, ut se eũ consulem facturum polliceretur. Cùm post infinita crudelia facinora seipse sacerdotem fecisset, equum collegã in sacerdotio designauit. Xiphilinus.

NERO Romanorum imperator, in primis cursu & certaminibus equorum delectabatur: ita ut ob eam causam insignes equos uictores, & iam senio confectos stola forensi, nõ secus ac homines, ornaret: eosq; honestabat pecunia stipẽdij loco. Xiphilinus in Nerone.

POPPEA coniunx Neronis principis delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat. Plinius lib. 33. capite 11.

ANTONINVS Verus Imp. ad Prasinam aurigarum factionẽ fouendam, Prasino equo, quem Volucrem à celeritate nuncupauit, aureum cõflauit simulacrum, quod equi desiderio secum absens habuit. Eidem ad præsepe stanti passas uuas propria manu fudit, & hordeum enucleatum. Nunquam nisi purpura instratum, ad se perduci iussit, extincto sepulcrum in Vaticano fecit. Auri modium sæpe Prasiani ab eo petierunt. Sab. libro 5. Enn. 7.

[redacted]

Canum.

Athenæus lib. duodecimo scribit SYBARITIS uehementer in delicijs fuisse canes Melitæos. Qui quidẽ hoc esse uidentur in genere cànum, quod nani & pumiliones inter homines. Erasmus in Adagiis.

Auium.

Circa annũ Sal. 1558. in foro Veneto, quod est in editissima urbis parte, Riuum altum uocant, TVRCVS quidam innumeras aues, quæ quia cantillando excellebant, uenales prostabant, simul mercatus, spectantibus cunctis è cauea emisit, quod se ferre non posse diceret animalculorum horum captiuitatem, quam ipse inter omnes ærumnas calamitosissimam esse, reipsa foret expertus.

Piscium.

PYTHAGORAS aliquando emto retium iactu pisces captos emisit, non eos contemnens uelut hostes & alienigenas, sed tanquam amicis iam factis & captiuis parcens, persoluto illorum nomine precio. Plut. in Quæst. conuiu.

L. CRASSVS, cùm piscinis maximè delectaretur, murenam mortuã unicè deplorauit plures dies, nõ aliter ac si filia mortua esset. Quũq; ei à Domitio, cũ quo censurã gerebat, probro daretur: Nimirũ, Crassus respondit, fateor ita me pium esse, ut minima de causa plorem. At tu qui tres extulisti uxores, minimè ploras. Macrobius, Aelianus, Plut. in Animantiũ comparatione.

Serpentium.

TIBERIO Cæsari in oblectamẽtis erat serpens draco, quẽ ex cõsuetudine manu sua cibaturus, cũ cõsumtũ à formicis inuenisset, monitus est, ut uim multitudinis caueret. Iccirco Romam redire noluit. Suetonius.

Arborum.

Vide Tit. Libidinis cum uegetabilibus.

XERXES rex Persarum, contra Græcos expeditione susceptã, in Lydia platanũ comperit, quã ob pulcritudinẽ aureo monili donauit, eamq; tuendam uiro Persæ, ex ijs qui Immortales dicuntur, delegauit. Herod. lib. 7.

L. LVCVLLVS dux Romanorum, qui Mithridatem & Tigranem debellauit, primus cerasorum plantam ex Cerasunte Ponti ciuitate in Italiã deportauit, & fructũ ipsum eodẽ nomine ex patriæ ciuitate nũcupauit: ut testantur Romani scriptores. Athen. lib. 2. cap. 9.

Bello Iudaico in balsami hortum, prope Hierichuntem, sęuiere Iudæi, sicut in uitam suam. Cõtrà defendere ROMANI, & dimicatum pro frutice est. Seritq; nunc eam fiscus: nec unquam fuit numerosior aut procerior. Plinius libro duodecimo, capite 25.

Q. HORTENSIVS platanos suas uino irrigare consueuit: adeò, ut in quadã actione, quam habuit cum Cicerone susceptã, precariò à Tullio postularit, ut locum dicendi permutaret secum: abire enim in uillam necessariò se uelle, ut uinũ platano, quam in Tusculano posuerat, ipse suffunderet. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 13.

Fuit in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus à Latio, uelut arte tonsili coma fagei nemoris. In hoc arborem eximiam ætate Plinij adamauit PASSIENVS Crispus, bis consul, orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone priuigno clarior postea, osculari complectique eam solitus, non modò cubare sub ea, uinumque illi affundere. Plinius libro decimosexto, capite quadragesimoquarto.

Aquæ.

Cùm DARIVS Persarum rex ad Thearum Thraciæ amnem peruenisset cum exercitu, quem contra Scythas ducebat oblectatus amne, cippum erexit, his literis inscriptum: Theari amnis capita optimam aquam atque pulcerrimam cunctorum amnium continent: & ad ea peruenit, exercitum ducẽs aduersus Scythas, uir optimus atque pulcerrimus cunctorũ hominum Darius, Hystaspis F. Persarum totiusq; continentis rex. Herodot. lib. 4.

PERSONARVM RESPECTV, quæ mutuo amare possunt. Et dicitur DILECTIO, Beneuolentia, Φίλησις, sæpe etiam Ἀντιφίλησις.

Arist. lib. 2. Rhet. definit esse τὸ φιλεῖν, βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ (quamuis interdum reuera non sint bona) ἐκείνου ἕνεκα (amici scilicet) ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ (non primùm commodi causa) καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων (opus enim est uoluntatis significatione.) Est itaque φίλησις (sic enim lib. 8. Ethic. τὸ πάθος uocat: Φιλίαν autem magis ad habitum referri, eiusq; accidens esse, asserit) propensa quædam uoluntas bene de quopiam merendi: nec uoluntas tantùm, sed etiam significatio uoluntatis. Differt tamen ab Amicitia, de qua inter Fortuita agemus: quoniam Amicitia cum ratione est uel recta uel corrupta: Beneuolentia autem pro puro affectu sumitur, qualis etiam in brutis reperitur, quæ naturali quodam instinctu aliis bene uelle, alios odisse conspiciuntur. Oritur denique Amicitia ex morum similitudine: Beneuolentia autem uel dispares moribus coniungit, & solam naturalem quandam inclinationem sequitur. Quod in ultima definitionis particula additur, κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι, uidetur ad Beneficentiam referendum: de qua sub Effectibus Affectuum.

Virorum bonorum.

ALEXANDER Magnus uiros bonos siue Græcos siue Barbaros amauit. Strabo lib. 1.

Est hoc PERSIS insitum, ut in quocunq; hominũ genere uirtutem elucere perspexerint, eam summo studio celebrent, usque adeò, ut hostes etiã, quos armis acerrimè persequuntur, laudibus summis afficiant. Cùm igitur Ismael Persarum rex legatũ ad reges Indiæ misisset, in primis illi negotium dedit, ut Alfonsum Albuquercium Lusitanorũ in India prætorẽ, nomine illius salutaret, seque libentissimè omnia, quæ ad illius dignitatem pertinerent, facturum ostenderet. ann. 1514. Osorius lib. 9. rerum Em.

Principum, Tyrannorum.

Ex Tit. Fidei erga principes & magistratus, huc referantur exempla. item ex Tit. Popularitatis principum erga subditos, quæ conciliatrix est amoris.

Theognis MEGARENSIVM suorum, siue quorumuis aliorum erga tyrannum obseruantiam detestans, in suis Gnomis sic alloquitur tyrannum:

Λὰξ ἐπίβα δήμῳ κενεόφρονι, τύπτε δὲ κέντρῳ
ὀξεῖ, καὶ ζεύγλην δύσλοφον ἀμφιτίθει.
οὐ γὰρ ἔθ' εὑρήσεις δῆμον φιλοδέσποτον ὧδε
ἀνθρώπων, ὁπόσους ἥλιος καθορᾷ. Calcibus insulta populo fatuo, percuteq; stimulo acuto, & iugum graue circũpone: nullum .n. inuenies populũ, domini studiosum adeò, inter omnes, quos sol aspicit.

Tib. Gracchus, postquam legẽ agrariã pertulit, descendens in forũ sordidatus & lacrymis oppletus, uereri iactãs se, ne domum suam inimici nocte exciderent, atque obtruncarent se: adeò permouit Pop. ROM. ut circa ædes eius magna caterua tabernaculis erectis excubarent stationem agentes. At cùm amicus quispiã Tiberij subitò decessisset, in cuius cadauere tetra signa comparebãt: uociferantes ueneno hominẽ sublatum, concurrerunt ad funus, lectumq; subierunt: cùm cremaretur, astiterunt. Eo interfecto à Nasica, Senatus uti populũ ob ea acta leniret, plebi permisit, ut P. Crassum Gracchi propinquum legeret Triumuirum agris diuidundis. Nasica libera legatione in Asiam susceptã populi iram declinauit, licet Pontifex maximus esset. Plut.

Patris patriæ cognomen repentino maximoque consensu detulerunt ROMANI Augusto Cæsari. Prima plebs, legatione Antium missa: dein quia nõn recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequens, & laureata: mox in curia Senatus. Medico Antonio Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam, ære collato, iuxta signum Aesculapij statuerunt. Nonnulli patrumfamiliarum testamento cauerunt, ut ab hæredibus suis prælato uictimæ titulo in Capitoliũ ducerentur, uotumq; pro se solueretur, quòd superstitem Augustum reliquissent. Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primùm ad se uenisset, initium anni fecerunt. Prouinciarũ pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim constituerunt. Reges amici, atque socij, & singuli in suo quisque regno, Cæsareas urbes condiderunt. Et cuncti simul ædem Iouis Olympici Athenis antiquitùs inchoatam, perficere cõmuni sumtu destinauerunt, Genióque eius dedicare: ac sæpe regnis relictis, non Romę modò, sed prouincias peragranti, quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt. Eius natalem Equites Rom. biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtij quotãnis ex uoto pro salute eius stipem iaciebant. Item Calendis Ianuariis strenam in Capitolio etiã absenti: ex qua summa preciosissima deorũ simulacra mercatus, uicatim dedicabat: ut Apollinem Sandaliarium, & Iouẽ Tragœdum, aliaq; in restitutionem Palatinæ domus incendio absumtæ. Veterani, decuriæ, tribus, atque etiam singulatim è cetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt: delibante tantummodo eo summarum aceruos, neque ex quoquã plus denario auferente. Reuertentem ex prouincia, non solùm faustis ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Obseruatum etiam est, ne, quoties introiret urbem, supplicium de quoquam sumeretur. Suetonius.

Germanicus Drusi F. Caligulæ pater adeò fuit ROMANIS gratus, ut sæpius præ nimia officiorum turba, quum Romã reuerteretur, uitæ periculũ adierit, multitudine ciuium omnis sexus & ætatis ad uigesimũ usq; lapidem obuiam prodeunte. Romæ cũ ad primã famã ualetudinis eius attonita & mœsta ciuitas sequẽtes nuntios opperiretur: & repẽtè iam uesperi

uesperi incertis auctoribus conualuisse tandē percrebuisset: passim cum luminibus & uictimis in Capitolium cōcursum est, ac penè reuulsæ tēpli fores, ne quid gestientes uota reddere morarentur. Expergefactus è somno Tiberius est gratulantium uocibus, atq; undiq; cōcinentium, Salua Roma, Salua patria est, Saluus est Germanicus. Et ut demum fato functum palàm factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: durauitq; etiā per festos Decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumq; defuncti etiam atrocitas insequentium temporum: cunctis nec temerè opinantibus, reuerentia eius ac metu repressam Tiberij sęuitiā, quæ mox erupit. Templa sunt Romæ lapidata, subuersæ deûm aræ, lares domestici à quibusdā in publicū abiecti. Barbarorum regum quidam, qui Rom. nomen alioqui infensè oderant, barbam deposuisse dicuntur, & uxorū capita rasitasse; in argumentum maximi luctus. Parthorum rex conuictu & uenatu abstinuit, quod in ea gente sit iustitij instar. Sab. lib. 2. En. 7. ex Suetonio.

Caligula inter MILITES patris sui Germanici educatus, tantum apud illos amore & gratia ualuit, ut post excessum Augusti, tumultuantes, & in furorē usq; præcipites, solus haud dubie conspectu suo flexerit. Non enim prius destiterūt, quā ablegari eum ob seditionis periculum, & in proximam ciuitatem demandari animaduertissent. Tunc demum ad pœnitentiam uersi, represso ac retento uehiculo, inuidiam, quę sibi fieret, deprecati sunt. Eidem ingresso urbem, statim consensu SENATVS, & irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberij uoluntate, qui testamēto alterum nepotem suum prętextatum adhuc cohæredem ei dederat, ius arbitriumq; omnium rerum permissum est, tanta publica lætitia, ut tribus proximis mensibus (ac ne totis quidem) supra centum LX millia uictimarum cæsa tradātur. Cùm deinde paucos post dies in proximas Campanię insulas traiecisset, uota pro reditu suscepta sunt: ne minimam quidē occasionem quoquā omittente, in testificanda solicitudine & cura de incolumitate eius. Vt uerò in aduersam ualetudinē incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, nō defuerūt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quiq; capita sua titulo ꝓposito uouerent. Accessit ad immensum ciuium amorē notabilis etiā externorum fauor. Namq; Artabanus Parthorum rex, odiū semper contemptumq; Tiberij præ se ferens, amicitiam eius ultro petiit: uenitq; ad colloquium legati consularis: & trāsgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumq; imagines adorauit. Imperium adeptus, P. R. uel (ut ita dicā) hominū genus, uoti cōpotē fecit: exoptatissimus princeps maximæ parti prouinciarum, ac militum, quòd infantē plerisq; cognouerant: sed & uniuersæ plebi urbanæ, ob memoriam Germanici patris, miserationemq; propè afflictæ domus. Itaq; ut à Miseno mouit, quamuis lugentis habitu, & funus Tiberij prosequeretur: tamen inter altaria, & uictimas, ardentesq; tedas, densissimo & lætissimo obuiorū agmine incessit, super fausta nomina, sidus, & pullum, & puppum, & alumnum appellantium. Ob pręclara imperij initia inter reliquos honores decretus est clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrēt, Senatu prosequēte: nobilibusq; pueris ac puellis, carmine modulato, laudes uirtutum eius canentibus. Decretum autem, ut dies, quo cepisset imperium, Palilia uocaretur, uelut argumentum rursus conditæ urbis. Suetonius.

M. Antoninus Pius cū iucūditate à SENATV Diuus est appellatus, cunctis eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniāq; laudantibus. Ob cuius honorem decreti sunt sodales Antoniani, Circenses, templum: flamen, solusq; omniū propè principum prorsus sine ciuili & hostili sanguine, quātum ad seipsum pertinet, uixit. Spartianus.

Gordianus filius Gordiani eius, qui in Africa periit, uel, ut alij, ex filia nepos, amabatur plurimū memoria aui uel auunculi siue patris, à militibus, quod ij militari morte ac necessitate perierant pro Senatu Populoq; Romano. In tantumq; diligebatur, ut ingenti studio ac gratia SENATVS & MILITES eū filiū, populus delicias suas appellarit. Et posteaquā interfectis Maximo & Balbino Impp. constitit apud ueteranos solū Gordianū regnare, inter populū & milites ac ueteranos pax roborata est, & finis belli intestini fuit. Satis constat, Romæ seditione sub id tēpus orta, quo puer ipse Cæsar appellatus est, quū ad perniciē ciues sæuirēt inter se, nec certamen semel accensum dirimi à Balbino posset, sed media colluuione hominum uiolatus cessisset: non prius tumultū illū resedisse, quā puer Gordianus, proceri cuiusdā hominis humero insidens, fuerit in mediū prolatus. Sabell. lib. 6. Enn. 7. Vbi factus est certior Senatus de morte eius, in numerum deorum retulit. Nam Philippus interfector morbo eū periisse, Senatui scripsit. Non fuit tamen inulta iuuenis Gordiani cædes: quicunq; in eum coniurauerunt, crudelibus suppliciis interierunt. Capitolinus.

GALLI non modò regibus suis enixissimè parent, sed eos ut mortalibus augustiores uenerantur, putantque indecorum & turpe domi remansisse, quum illos & bella iustè suscipere, & certis semper auspiciis ad uictoriam proficisci persuasum habeant. Quinetiam uerba, habitum oris, effigiem, & cuncta deniq; religione quadam in regibus suis admirantur. Iouius lib. 1. Hist.

Erat in Ferdinando Aragonio Alfonsi regis Neapolitani F. mirifica indoles bellicæ uirtutis: nemo enim eo uel equitandi uel decurrendi agilitate atq; peritia admirabilior habebatur: nemo eum uitæ splendore atq; mūditiis anteibat: nemo deniq; comitate, munificentia, liberaliumq; artium studiis apud CIVES æquè ac MILITES cōmendatior aut gratior unquam fuit. Iouius lib. 2. Hist.

Philippus Maximiliani Cęsaris filius, Belgarum princeps, in Hispaniam nauigans, ut Isabellę socerus dotale regnum adiret: receptus est ab Hispaniæ PROCERIBVS usque adeò studiosè, ut Ferdinandum regem socerum desererent: cui tanquam seni & parum liberali facilè omnes florentem ætate & splendore uitæ nouum regem anteponebant. Ferdinandus suorum leuitatem perfidiæ proximam detestatus, Neapolim nauigauit. Nec multò pôst Philippus ab intemperie noui cœli, cui Belgicæ epulæ minimè congruebant, oborta febre surreptus est. Iouius.

Ducum.

M. Cato minor Trib. militum creatus in Macedoniam missus est ad Rubrium prætorē. Comitatus seruis quindecim, duobus libertis, & amicis quatuor, ipsis equo uectis pedibus incedens, applicabat se uicissim cuiq;, colloquebaturque. Milites sui reddere similes maximè enitens, quod minimè morabatur, est assecutus, gloriam & beneuolentiam, & eximiū honorē, & studiū MILITVM. Nam quæ aliis imperabat, ea quia ultrò prestabat ipse, expleta militia lacrymis cōplexibusq. cum sunt prosecuti, substernētes in uia, qua pergebat, uestes, manus eius deosculantes. Plut. in eius uita.

In grauissima illa contentione, quæ ob imperium Romanū inter Othonem & Vitellium exarsit, cùm iam Vitellius ad Bebriacum uictor esset factus, VNVS ex equitibus Othonianis cladem Othoni nunciauit, qui cum exercitu non fuerat. cui postquam fidē non dedisset, atq; fugitiuum militem iudicasset, Vtinam, inquit, hæc falsa essent, Cæsar. libenter enim te uictore mortem occumberem: nunc autem utcunq; sit, moriar, ne uidear salutis meæ causa fugisse. Tu uero cùm hostes hùc non multò pôst uenturi sint, statue quid tibi faciendum putes. Hæc cùm dixisset, manus sibi attulit. Suet.

Multi MILITVM cum plurimo fletu manus ac pedes iacētis Othonis, qui semetipsum pugione traiecerat, exosculati, fortissimum uirum, unicū imperatorem prædicantes, ibidē statim nec procul à rogo uim suæ uitæ attulerunt. Multi & absentium accepto nuncio præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt. Deniq; magna pars hominū, incolumē grauissimè detestata, mortuum laudibus tulit: ut uulgò iactatum sit, etiam Galbam ab eo non tam dominandi, quàm Reipublicæ ac libertatis restituendæ causa interemtum. Suetonius, Plut. in Othone, Dion.

Victor Pisanus, cùm bello Ligustico IIII. ad pugnam inexplorato exiuisset, & magnam cladem à Genuensibus accepisset, in uincula à Venetis coniectus est, cuius alioqui præclara facta plurima eo bello extabant. Eius damnationē iniquo animo POPVLVS tulit, sed iniquiore ipsam carceris ignominiam. Rumor erat, inuidia paucorum nobiliū potius, quàm quòd ita meritus esset, Victorem in uinculis esse. Itaque cùm ad defendendam contra Genuenses urbem quindecim triremes instruendæ essent, sex uix potuerunt ob remigum paucitatem, omnibus ferè dare nomina recusantibus, idque in Patrum inuidiam, qui Victorem in uincula coniecerant. Capta uerò à Genuēsibus Clodia, totáque urbe extrema metuente: populi uocibus, Victorem ad Rempub. restituendam liberādamq; petentibus, fit senatusconsultum, ut Pisanus & alij eiusdem causæ rei è carcere educerentur. Quod ubi populo nunciatum est, ingens in curiam factus est cōcursus. Sed ut erat hominis modestia, noluit nocte illa, quæ secuta est, in carcere esse, ac interim accersito, qui se audiret, confessionem fecit. Vbi uerò illuxit, curiam ascendit, & ad Nicolai aram sacris interesse uoluit, sumsit & eucharistiam, ut per ea ostenderet, se omni publicæ & priuatæ iniuriæ ignoscere. Hinc ad conspectum Principis & Patrum abductus, læta hilarique fronte senatum salutauit. Restituto eo in pristinam dignitatem, singula collegia, uici, conuentus publicè priuatimq; alij alia ad instruendam classem gratis obtulere: quidam etiam priuato sumtu se totas triremes instructuros professi sunt. Clodia recepta, & Ligure uicto, Siponti ingenti omnium luctu uita decessit. Ferunt nunquam alium gratiorem suis ciuibus fuisse: quo factum sit, ut uiuum illum patronum uno ore omnes dicerent, ac tum defunctum non minus quàm

quàm parētem remiges socijque nauales luxerint. Eius corpus domum delatū, frequenti populo Patres ad Antonij ædem magnificè sepeliuere: neque ullius unquam funus maiore luctu & lamentatione est elatum. Sabellicus libro septimo Decadis 2.

Subditorum.

☞ *Consule Tit. Clementiæ, Popularitatis, Fidei principum, erga subditos & ciues. Illic Habitus, hîc Affectus solius habetur ratio.*

Militum.

C. IVLIVS Cæsar diligebat usqueadeò milites suos, ut audita clade Tituriana, barbam, capillumque summiserit: nec antè demserit, quàm uindicasset. Quibus rebus & deuotissimos sibi, & fortissimos reddidit. Suetonius.

Victus OTHO Imp. à Vitellio in campis Bebriacis, ad despiciendam uitam exemplo manipularis militis cōcitatus fuit, qui cum cladem exercitus nunciaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacij, nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes eius incubuit: hoc uiso proclamauit Otho, non amplius se in periculum tales, tamq; bene meritos coniecturum. Fratrem igitur, fratrisque filium, & singulos amicorum cohortatus, ut sibi quisq; pro facultate consuleret, ab amplexu & osculo suo dimisit omnes: secretoq; captato, binos codicillos exarauit ad sororem consolatorios. Sed & ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinauerat, commendans reliquias suas, & memoriam. Quicquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud uictorem forent, concremauit. Dimisit & pecunias domesticis ex copia præsenti, seq; pugione confodit. Suet.

NICEPHORVS Phocas Imp. ut erat militari ingenio præditus, in bello cadentes milites uoluit in numerum martyrum referri, & hymnis publicè coli. Verùm ministri Ecclesiæ restiterunt, addita etiam suspensione eius à sacra cœna ad triennium. Zonaras.

Magnus SFORTIA è turmarum cohortiumq; præfectis eos maximè adamauit, fraternoq; amicitiæ iure sibi obstrinxit, qui manu præcipuè ualerent. Diuisa enim inter ducem & militem esse militiæ munera dictitabat, ut uictoria pararetur: quum in illo ante omnia rationem, atque prudētiam, in his autem expeditam uim, peracrem impetum, & indomitum robur omnino requireret. Propterea eos maximè deuitare damnaréque erat solitus, qui in coronis sollicitè nimis atque subtiliter de belli ratione, exitúque rerum disserendo, quid statuendum, quid'ue tentandum foret, imperatori consulere atq; præscribere uiderentur: cæterùm ipsi perlibenter aspera quæq; & periculosa munia detrectarēt, soloq; & inani sapientiæ nomine contenti, fortibus uiris ueræ laudis materiam relinquerent: qui imperantibus alacriter parére, uehementerq; pugnare, nec uulnera & mortem timere didicissent. Iouius in uita eius.

Conciuium.

☞ *Vide Tit. Legislatorum. item Prudentiæ in Seditionibus pacandis.*

ARATVS Sicyonius eiecto Nicocle tyranno XXV talenta à Ptolemæo rege sponte donata egenis ciuib. distribuit: ab eodem altera CL ad exules placādos, qui prædiorum suorum possessores fatigabant, emendicauit in Aegyptum nauigans. Plutarchus.

Herodij castelli INCOLÆ ciuem suum Eleazarum à Romanis captum uti redimerent, arcem alioqui inexpugnabilem Lucilio Basso Romano legato dediderūt. Iosephus libro 7. cap. 25. belli Iudaici.

Discipulorum.

☞ *Consule Titulum Fidei erga discipulos.*

PHIDIAS statuarius Agoracritū Parium discipulū suū adeò dilexit, ut nomen eius suis operibus inscripserit plerisq;.

SAMMONICVS Serenus præceptor Gordiani iunioris adeò eius ingenium probauit, ut bibliothecam illi suam duûm & sexaginta millium uoluminum moriēs testamento reliquerit. Sabellicus libro 6. Enneadis 7.

Cùm Otho I. Imp. festo Paschatis conuiuium proceribus exhiberet, puer cuiusdam nobilis fame stimulatus manum patinæ immisit. Cui cū dapifer alapā impegisset, PÆDAGOGVS ira percitus dapiferū trāsfodit. Io. Paulus in Iocoseriis.

Peregrinorum.

ATHENIENSES sicuti reliquis in rebus hospitū & externorum studiosi fuêre, sic & in deis. Externa enim multa suscępêre sacra, & Thracia & Phrygia. Strabo lib. 10.

CRETENSES non tantùm peregrinos humaniter hospitio excipiunt, sed in conuiuio etiam principibus longè anteponunt, & ad magistratus gerendos sæpenumero uocant. Heraclides de Politiis.

CIMON Miltiadis fuit Lacedęmoniorū à prima ætate studiosior. Ac filiorū quidem geminorū, ut tradit Stesimbrotus, alterum Lacedæmoniū, Eleum alterum appellauit, quos genuerat ex cōiuge Clitoria. Quapropter improperauit iis crebrò Pericles genus maternum. Extollebat semper in cōcione Lacedęmonē: pręcipuè uerò, si quid incusaret eos, aut incitaret, ut Stesimbrotus refert, habebat in ore: Atqui nō sunt Lacædemonij certè tales. Vnde inuidiam sibi & odiū ad populum conflauit. Plutarchus in Cimone.

ARISTOBVLVS Iudæorum rex primus post Babylonicā captiuitatem, Phillellen dictus est, id est amator Græcorum. Iosephus lib. 13. cap. 19.

GRATIANVS Augustus parta ingenti uictoria in Gallia aduersus Germanos, haud longè ab Argētaria urbe, cùm percharos quosdā haberet milites Alani generis, armisq; Alano more uteretur, magna Romanarum legionum indignatione, equo & amictu, ut cæteri Alani, cœpit uti, quos sibi post obitum patrui Valentis conciliauerat. Qua de re odia in se militum excitauit, ut legiones ad Maximum, qui tyrannidem in Gallia arripuerat, deficerent. Cuius deinde fraude periit.

MANVEL Comnenus Imp. eunuchis cubiculariis, aliisq; ministris barbaris, qui expeditius spuebant, quàm loquebantur, erat facilis & benignus, eósque locupletabat, licet omnis eruditionis expertes essent, & linguæ Græcæ uestigia ita persequerentur, ut speculæ & rupes extremum sonum pastoralium canticorum. Iisdem non modò summos magistratus tradebat, sed pro tribunali iuris dicundi prouinciam in caussis difficilimis, quæ uel peritissimis legum negotium facesserent, assignabat. Nicetas lib. 7.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, in palatio agens, satellites ex barbaricis cohortibus, linguæ Græcæ maxima ex parte ignaros, ante cubiculum & fores excubātes habebat: sed & canem ferocissimum, qui & cum leonibus pugnare, & armatum equitem humi sternere poterat, in suo conclaui alebat. Et satellites quidem noctu procul ab eius cubiculo cubabant: canis uerò ad ianuam alligatus, ad exiguum strepitum horrendum in modum latrabat. Nicetas libro secundo.

BORIVORIVM fratrem, ab exilio reuocatum, Vladislaus in Boemiæ principatus societatem admiserat, & mira animorum consensione regnum administrabant, fere per bienniū, cùm calumniatorum scelere denuò de gradu deiectus est, eo solo nomine, quòd Germanos magis quàm Boiemos in aula fouere uideretur. Aucta indignatio ex uoce Boriuorij improuida, qua cuidam submonenti ut parcius natione illa uteretur, respondit, prius Vultauiam pisces, quàm se Germanos deserturum esse. Ergo Boiemi paulatim ab illo dilabi, clàm mordere, palàm occursum fugitare, Germanos malè tractare, ad omnia ista Vladislao cōniuente. Tandē Boriuorius, uiatico satis lauto contracto, fratreq; insalutato, primā exilij sibi sedem in Bauaria delegit. Sed cùm Vladislaus breui pôst tempore filiam suam Friderico Bauariæ principi despondisset, in Pannoniam ad Regem Stephanum perfugit, ibiq; uitæ suæ finem fecit. Dubrauius lib. 11.

LESCVS Niger Polonorū rex peregrinū militē Germanū ob fidem dilexit, ut & habitu eorum uteretur, & Cracouiæ regimen solis Teutonicis permitteret. Cromerus.

SVENO rex Danorum cultu Germanico gaudens suorum odia contraxit. Saxo.

Amicorum.

PHILEMON comicus Syracusanus Euripidē sic admiratus est, ut ita scripsisse feratur in primo Græcorum Epigrammatum εἰς φιλίαν:

εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
αἴσθησιν εἶχον ἄνδρες, ὥς φασί τινες,
ἀπηγξάμην ἄν, ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην.

Hostium, Inimicorum.

☞ *Martyrum quorundam erga hostes religionis charitatem pete ex Tit. Clementiæ erga insidiatores uitæ suæ. item ex Titulo Martyrum. item, Conuertere impios. item, Doctorum Ecclesiasticorum.*

Sponsorum, Maritorum.

☞ *Consule Tit. Coniugalis & Vidualis pudicitiæ. item, Fidei coniugalis. item, Felicis coniugij.*

OENONE nympha cognita Paridis licet periuri & adulteri morte, seipsam interemit. Parthenius in Eroticis, cap. 4.

LAODAMIA Acasti F. tanto desiderio Protesilai sponsi sui, qui primus Gręcorum à Troianis in litore interfectus est, flagrauit, ut imaginem illius pictam suauiaretur & amplecteretur, & in eius etiam amplexu contabesceret. Hinc locus fabulæ datus, Protesilaum impetrata à Plutone uenia Laodamię apparuisse: illam desiderio mariti consequendi ferro incubuisse. Eustathius Iliados β.

Cùm

Cùm Icarius Vlyssi Penelopen nuptum dedisset, Vlyssis animū tentauit, nunquid Lacedæmone domicilium habere uellet. Quæ spes ubi hominē fefellit, PENELOPEN filiam orare cœpit, ne se desereret, atq; ut secū permaneret. Quin & Ithacam iam proficiscentem in curru prosecutus multis eam sollicitabat precibus. Vlysses tandem uictus hominis importunitate, puellæ optionem dedit, uel se ut sequeretur, si id mallet, uel cum patre Lacedæmonem rediret. Ibi illam aiunt nihil sanè respondisse, sed faciē tantùm uelasse. Icarius, cùm sibi probè nosse uideretur, quid illa animi haberet, ut cū Vlysse abiret, permisit. Signum uerò Pudoris eo in loco dedicauit, quò Penelope, cùm faciem uelauit, peruenerat: stadiis ferè triginta à Sparta. Pausanias in Laconicis.

Capanei apud Thebas mortui dū celebrarētur exequiæ, uxor EVADNE in rogum mariti se coniecit. Ouid. lib. 3. de Arte:

Accipe me, Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitq; rogos.

INDORVM fœminæ, cùm more patrio complures eidem nubant, mortuo marito, in certamen iudiciumq; ueniunt, quā ex ijs maximè dilexerit. Cic. lib. 5. Tusc. quæst. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Ael. lib. 7. de Var. hist. Quem morem etiamnum hodie durare, testatur Osorius de rebus gestis Emmanuelis regis Lusitaniæ. Propertius lib. 3.

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namq; ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis:
Et certamen habet lethi, quæ uiua sequatur
Coniugium: pudor est non licuisse mori.
Ardent uictrices, & flammæ pectora præbent,
Imponuntq; suis ora perusta uiris.

Eumenes in Gabiene prælio commisso contra Antigonū, cæsos sepelire studebat. Interfuit quoq; Ceteus eorum, qui ex India uenerant, dux. Hic duas VXORES reliquit comitantes in exercitu, unam quidem quæ recens nupserat, alteram uerò quæ paucis antè annis in societatem domesticam uenerat, utramque autem amico animo erga ipsum affectam. Cùm enim lex Indis patria unam comburi iussisset, aderat utraque ad Cetei sepulturam, ut commorerentur, tanquam pro præclaro præmio simul ambitiosè decertantes. Ducibus adiudicantibus iunior declarauit alteram esse grauidā, & propter id non posse uti lege. Senior declarauit iustius esse, ut quæ ætate prouectior esset, eadem honore quoq; præcederet. Siquidem usu euenire in omnibus aliis rebus, ut seniores iunioribus multò superiores fiant in reuerentia & honore. Duces cùm per eos, qui obstetricari possent, seniorem grauidam esse cognouissent, iudicio prætulerunt iuniorem. Quo facto, ea quæ iudicio exciderat, cum lamentatione abibat, lacerato diademate, quo caput obuolutum habebat, & uulsis capillis, perinde ac si grauis quędam calamitas denūciata fuisset. Altera uerò uictoria gaudens abibat in pyram, mitris coronata à familiaribus mulieribus, ornataq; magnificè, ueluti ad quasdā nuptias producebatur à cognatis, in uirtutem ipsius hymnum canentibus. Vt autem pyræ admota fuit, detractum ornatum suum, diuisit domesticis & amicis, ut uideri posset amatoribus reliquisse monimentum. Erat autem ornatus ad manus multitudo anulorum alligatorum lapidibus preciosis, & colore uariis: caput erat ornatum aurearum stellarum numero non paruo, uariis lapidibus distincto: collum frequētibus torquibus circūdabatur, quarum erant quædā minores, aliæ cæteris impositę paulatim maiores. Ad extremum salutatis familiaribus à fratre rogo imposita est, atq; admirante eā multitudine, quæ ad spectaculum concurrerat, uitam heroicè finiuit. Exercitus enim uniuersus in armis ante incēsum rogum ter circumiuit. Ipsa ad uiri latus collocata, & in flāma ignis nulla molliore uoce emissa, cōmouit spectatorum alios ad misericordiam, alios ad laudes immensas. Diodorus lib. 19.

CATHARORVM gens in India lege illud scitum habet atq; obseruat, uti uxor cum marito mortuo incendatur. Idq;, ob fœminę cuiusdam ueneficium in marito patratum, à Barbaris institutum ferunt. Diod. lib. 17.

Thraces, q supra Crestoneos incolūt, singuli plures uxores habēt: quorū ubi qs decessit, disceptatio magna fit inter VXORES, quænā dilecta à marito præcipuè fuerit. Quæ talis iudicata est, ea à uiris ac mulierib. exornata, ad tumulū à suo propinquissimo mactatur, unaq; cum uiro humatur. cæteris uxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus: nam id eis summo dedecori datur. Herod. lib. 5.

ARGANTHONE domesticum uictum conuersationēq; hominū auersabatur. Rhesus rex Thracum, pulcritudine illius illectus, uxorem eam ducit. Tandem ad bellum Troianum, multum illa licet reluctante, profectus, à Diomede sauciatus moritur. Arganthone eius morte cognitā, rursus abiit in eum locum, ubi primùm cum ipso erat congressa: ibique dinagata frequenter nomen Rhesi inclamans tandem præ mœrore periit. Parthen. de Amat. capite trigesimosexto.

Stratonis Sydoniæ principis VXOR, cùm accepisset, hostes urbem ingressos esse, atq; haud longè abesse, ut uiro suo potirentur: ademto ei gladio, manu sua ipsum occidit: corpusq; eius, quantum pro tēpore potuit, decenter exornauit: mox gladio seipsam traiecit: ut eadem in morte uiro, qua uiuēs, charitate comes esset. Fulg. lib. 4. cap. 6.

LEARCHVS Archelaum Cyrenarū regem amicū ueneno sustulit, & regnum occupauit spe potiundæ Eryxonæ reginæ. Hæc conditionem sibi non displicere simulans, Learchum ad se noctu solū in colloquium uocat. Qui nihil insidiarum metuens præ amoris magnitudine in ædes Eryxonæ se recepit, ibique à duob. quos illa domi occultarat, interemtus est, & corpus de fenestris deiectum. Fulgosus libro nono, capite decimo.

ARTEMISIA Cariæ regina, Mausolum uirum defunctū tanto prosequuta est amore, ut eius cineres paulatim ebiberit, eiq; sepulcrum inter septem orbis miracula connumeratum extruxerit, ad funus quoq; encomiis honestandum principes oratorū ex tota Grecia euocarit. Val. lib. 4. cap. 6. & Gell. lib. 10. capite decimooctauo.

PHILA cùm Demetriū Poliorcetē regem, maritū suū, accepisset prelio uictum in Cassandriam amissis regnis se recepisse, ueneno seipsam extinxit. Plut. in Demetrio.

Cyzicus Aeneæ F. cùm recens uxorem duxisset CLYTEN, cōgressus per ignorantiam cum illis, qui in naui cū Iasone nauigauerant, interiit. Clyta prostratū amplexa ac uehemēter lamentata, noctu clàm ancillis ab arbore quadam se suspendit. Parthenius de Amat. cap. 28.

Carthaginenses duce Himilcone Gelā Siciliæ obsidebant. Decreuerant obsidionis initio Geloi liberos uxoresq; Syracusas trāsmittere, perterriti mole incumbentis periculi. Quod simul ac compertum MATRIBVSFAMILIAS fuit, omnes ad aras in foro positas confugere, nec hinc abduci posse, sed perstando orare, uti liceret communi cum uiris cuique suis labore fortunam, quæcunque futura esset, experiri. Quarum precibus uicti, ab incepto destitère, manereq; una permissum. Diod. lib. 13.

CAMMA Sinati tetrarchæ in Gallia uxor, & Dianæ sacerdos, corporis pulcritudine & animi uirtute nobilis, cùm Frasinorix, ut ea potiretur, maritum per dolum occidisset, eamq; multoties frustra tentasset, simulauit tandem se ipsi assentiri. Veniebat Frasinorix & cum eo omnes Galli, perfecta ętate uiri & mulieres. Quem illa perhumaniter exceptum ad aram adduxit, & ex aurea phiala multum ueneno mixtum illi propinauit. Is tanquam sponsus à sponsa cū uoluptate acceptum bibit. Illa magna uoce exclamans, & in genua procumbens, Gratiam habeo, inquit, tibi ueneranda Diana, qđ mihi cōcesseris in tuo templo, pro marito, mea causa interfecto, supplicium exigere. His dictis confestim & ipsa mortē obijt, & sponsus cum ea ad aram deæ unà reliquit. Polyęn. lib. 8. & Alex. lib. 2. cap. 5.

PANTHIA uxor Abradatæ regis Susorum, qui Crœso suppetias tulerat, à Cyro Persarū rege capta, cùm forma omnium mulierū pulcerrima esset, Cyrus eā Araspæ Medo custodiendam tradidit, neq; in conspectū suū admittere uoluit, ne illius specie uictus, marito eius, licet hosti, iniuriā faceret. Illa sępe ab Araspe sollicitata castitatē seruauit, & maritū quoq; suū Cyro conciliauit. Quo in pugna contra Crœsum interemto, supra mariti cadauer acinace seipsam cōfodit. Cuius exemplum tres spadones imitati sunt. Cyrus honorificè Pāntheam cū Abradata marito ad Pactolum fluuiū tumulari curauit, inscriptis in columna eorum nominibus, Syriis literis: tres inde alias columnas posuit cum inscriptione, Eunuchorum. Xenophon lib. 5. 6. & 7. de Cyri pædia.

PORCIA Catonis filia, M. Bruti uxor, cùm maritum magnū quid animo uoluere ex uigiliis ipsius collegisset, periculū suæ constantię & taciturnitatis, uulnere sibiipsi in coxam illato, marito exhibuit, & sic ad secretum sibi cōmunicādum (ea autem erat conspiratio in Cæsarem) perpulit: se non tanquam pellicem ad lecti tantū & mensæ consortium, sed etiā ad prosperorum & aduersorum societatem ei nupsisse dictitans. Sed & quo die facinus aggressuri erant, Bruto metuens, in animi graue deliquium incidit: à quo uix refocillari potuit. Bruto tandem in Philippensi acie uicto & occiso (ut Nicolaus philosophus scribit, & Valerius Maximus) mori destinauerat. Cùm amicorū nemo id permitteret, sed adhærerent ei assidui, asseruarētq;, ex foco arreptos carbones hausit, oreq; occluso & compresso semetipsam suffocauit. Plut. in Bruto. Polyænus lib. 8. scribit, ignes quasi unctura sese iussisse adferri, multosq; candētes carbones manibus arreptos, in os iniectos ante deuorasse, quàm quispiā ex præsentibus succurrere posset.

Cùm Senecæ Nero generis mortis arbitrium obtulisset, ipseq;, apertis uenis in balneo cum sanguine simul uitam effundere elegisset, PAVLINA eius uxor, cōiugali amore cōpulsa, (quanquam Seneca repugnaret) mori decreuerat, ut nō minus in morte, quàm dum uixerat, uiro fidissima comes esset. Cæterùm cùm rem Nero resciuisset, misit qui sanguinē sisterent, atq; eam in uita retinerent. Itaq; cùm iam multum esset sanguinis effusum, pallida semper mansit, atq; in uultu pudici amoris sui signa semper retinuit. Fulgosus, & Egnatius libro quarto, capite 6.

Cùm Cęcinna Pætus Patauinus Furij Camilli Scriboniani Dalmatiæ legati partes secutus esset contra Claudium Imp. occiso Scriboniano, ipse Romam pertractus est. ARRIA uxor eum cum parua scapha secuta est, quandoquidē à militib. in eadē naui uehi prohibebatur. Mox cùm Cęcinna mori iussus esset à Claudio, optione tamen necis data, Arria cū marito mori uoluit. Verùm prohibentibus amicis, filia & genero, capite parieti illiso cùm in deliquium animi cecidisset, postquam ad se rediit: Dixeram, inquit, uobis inuenturam quamlibet durā ad mortem uiam, si uos facilem negassetis. Facta inde mortis copia, animosè præsente marito gladiū arripuit, & se primā traiecit, teste Plin. lib. 3. Epist. ad Nepotē. Ipsius uerba Martialis eleganter expressit:

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de uisceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, uulnus quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Maximus Iuliani Apostatæ in magicis præceptor, sub Valente Imper. in uincula coniectus est, & diris affectus tormentis. Tandem orauit VXOREM, ut medicatam sibi potionem emeret, qua porrecta è malis eriperetur. Ea uerò emit, secumq; allatam, cùm ille posceret, bibere præoccupauit: à necessariis & genere proximis sepultura cohonestata: sed Maximus bibere supersedit. Tandem à Clearcho Asiæ præfecto liberatus est. Eunapius.

FANNIA Thraseæ Pæti Patauini filia Heluidium Priscum Tarentinum maritum bis secuta est in exilium: tertiò ipsa propter maritum relegata fuit.

Piscator quidam Larij lacus accola, cùm læsa haberet pudenda, quæ curari posse non uidebantur, VXOR cùm diu à uiro, quem ægritudinis suppudebat, hoc petiisset, tandem impetrauit, ut morbi locum inspicere posset: pollicita, se liberè quid de morbo sentiret postea detecturam. Perspectum locum ut curari non posse animaduertit, amoris animique simul plena, ex fide omnia quæ sentiebat uiro narrauit: hortataq; eum est, ne semper in tanto cruciatu uitam ageret, sed cum uita morbi quoq; dolorē finire uellet. Cùm ipse ei annuisset, arctissimis uinculis se cū uiro simul colligauit, atque de rupe ambo in lacum præcipites missi simul interierunt. Fulg. lib. 4. cap. 6. ex Plinij Epistolis.

Asmundi Suecorum regis uxor GVMILDA, cùm in prælio occisum à Danis maritum audiuisset, ferro sibi mortem consciuit. Saxo Grammaticus.

Vinedi fœdissimum & teterrimum genus Saxonum tam magno zelo matrimonij amorē mutuū seruarunt, ut MVLIER uiro proprio mortuo uiuere recusaret: & laudabilis mulier esse iudicaretur, quæ propria manu sibi mortē inferret, ut in una strue pariter arderet cum uiro suo. Bonifacius in epistola ad Ethilbaldum regem, referente Vuilhelmo Malmesburiensi lib. 1. cap. 64. de Anglis.

Apud Herulos quondam Istri accolas inualuerat mos uetus, uti concedente ex humanis uiro, VXOR, quæ uirtutis existimatione aliqua foret, uel quæ sibi quæreret gloriam, laqueo apud mariti sepulcrum gulam frāgeret: aliàs ignominiæ deformabatur nota, odijq; in uiri propinquos subibat crimen. Cęlius lib. 28. cap. 22. Antiq. Lect. Quod eo magis mirum uidetur, cùm uiri ipsi adeò impudicè agerent, ut bestiis quoque commiscerentur: & senio confectas, si aduersa ualetudine laborarent, ne eas alendi onere grauarentur, occiderent. Fulg. lib. 2. cap. 1.

A Iacobo Persarum rege, qui Vssuncassani filius fuit, rebellauerat militarium ducum unus, nomine Pandoerus. Hic formosissimam habebat CONIVGEM, quæ sextum decimū non excedebat annum, à qua ardēter diligebatur. Ab ea diu rogatus Pandoerus, ne cum hoste confligeret: cùm assentiri coniugi nollet, petiit uxor, ut ante prælium saltem se occideret, ne post eum uiueret. Id quoq; cùm negasset, præliū iniit: in quo uictus occisusq; fuit, & uxor ab hostibus capta, militarium ducum uni à rege data est. Cùm is eam in matrimonium ducere uellet, ipsa diu restitit: & cùm ad extremū uim parari cerneret, sumto in ea re ad deliberandum tempore, in parua schedula cùm scripsisset, Nunquam ferent homines Pandoeri uxorem diu post eum uixisse, gladio se traiecit. Fulgosus libro 4. cap. 6.

Capta à Venetis Smyrna circa annum Sal. 1471. ferunt Turcam FEMINAM florenti ætate, quū ad naues abduceretur, mariti sepulcro, in quod fortè inciderat, incubuisse, ac flebili lamentatione illud complexam, dulcissimum mariti nomen sæpius uocasse: atque ita sepulcro hærens quum neque minis neque alia ui diuelli posset, à milite gladio traiecta est, hac sola re felix, quòd quo uoluit loco relicta est. Sabellicus libro 9. Decadis tertiæ.

Vxorum, Sponsarum.

☞ *Proci, qui ambiunt, necdum possident, sub Cupiditatis loco recensebuntur. Cōsule Tit. Castitatis. item Fidei coniugalis & Coniugij felicis.*

IACOBVS patriarcha, Labani auūculo pro filia Rachele seruiuit septem annos. Quod spacium ei perinde uisum est, ac si pauci dies fuissent: tantopere eam amabat. Exactis septem annis, cùm noctu pro Rachele Liam lippam ei supposuisset, etsi eam iniuriam indignè ferebat, tamen altero septennio pro Rachele seruiuit. Geneseos 29.

DAVID rex Iudæorū Hebrone constitutus, quamuis sex alias haberet uxores, ab Isbosetho tamē Sauli F. rege Israelitarū enixè petiit, ut sibi Micholem uxorē primam, Sauli filiā (quā pater, in exiliū pulso Dauide, Phalti Lais F. Gallimensi locauerat) restitueret, quam ipse sibi centum Palæstinorū præputiorum dote quæsiuerat. Annuit Isbosethus, eamq; Dauidi per Abnerē polemarchum remisit, deducente eam multis cū lacrymis Phalte, Bahurim usq;. 2. Reg. 3.

ORPHEVS ob uxoris Eurydices amorē ad inferos descēdēs, à Proserpina suauitate cantus allecta impetrauit, ut defunctam uxorē ab inferis reduceret: Quod & antea fecerat Bacchus: quem dicunt matrem Semelem ab inferis quoq; eductam, immortalitateq; donatam, Theionem denominasse. Diod. lib. 4. capite 3. Agatharchides Gnidius libro 22. rerum Asiaticarum, Orpheum scripsit mortua Eurydice ad Aornū uenisse in Thesprotidem, ubi peruetus erat oraculum euocandarum animarum. Ibi cùm Eurydicen sibi adesse putasset, seq; deceptum comperisset, sibi mortem consciuit. Inde scripsit Paus. luscinias, quæ forent circa sepulcrum Orphei in Thracia, cantum emittere cæteris omnibus suauiorem. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 14.

POLYTECHNVS faber Colophonius AEDONEM Pandarei filiam uxorem duxerat. Ad socerum profectus, alteram filiam Chelidonem, sub prætextu adducendi secum, in sylua constuprauit. Aedon hanc iniuriam cum sorore ultura filium Itym Polytechno epulandum proposuit. Is eas ad patrem usque insecutus à famulis Pandarei insolubili uinculo correptus constringitur, & nudus melle inunctus in pascuo exponitur. Vbi cùm muscæ assidentes eum diuexarent, miserata Aedon uxor eas abegit. Quod cùm deprehendissent parentes & frater, eam statuerunt occidere. Verùm ipsorum misertus Iupiter Aedonem in alcyonem, Polytechnū in pelecanum permutauit. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

MENON Syriæ præfectus Semiramidem uxorem in castra Bactriam usq; euocarat, absentiæ eius impatiens. Venit illa, & uti prudentia sua Nini regis Assyriorum amorem sibi conciliauit, ita zelotypo marito seipsum necādi occasionē dedit. Diodorus libro 2. cap. 2.

PERIANDER Corinthiorum tyrānus Cypselo patri Olymp. XXXVIII. successit, sapientū Græciæ unus, cùm Melissam Procleis filiam uidisset more Peloponnesiaco indutam (sine toga enim erat, solaq; interula amicta, & uinum operariis ministrabat) eam in uxorem duxit, adeoq; dilexit, ut etiā cū mortua concubuerit. Laertius libro 1. Herod. lib. 5. Athen. libro decimotertio, cap. 21.

PERICLES Aspasiam primùm pellicem, mox uxorem, adeò dilexit, ut nunquam egrederetur domo, quin eam dissuauiaretur. Vnde ueteres comœdiographi Deianiram & Iunonē eam uocabant. Plutarchus.

ANTIMACHVS Colophonius poeta, Lysidices uxoris mortem lamentabili defleuit Elegia, qua omnes heroum calamitates enumerauit.

HIPPARCHIA Metroclis soror adamauit Cratetē, apud parentes minitans se sibi illaturam necē, ni philosopho nuberet. Ab hoc affectu quum nec parentum uerbis, nec Cratetis adamati suasu reuocari posset, Crates surgens, detracto pallio nudauit tergum gibbo deformatum: Ne quis circūueniatur, inquit, hic est sponsus: & proiecto baculo & pera, Hęc, inquit, dos est. Super his delibera: neq; enim mihi coniunx esse poterit, nisi cui placeat idem institutum. Quū accepisset conditionem puella, mox substrato pallio cum illa cōgressus est, parentibus adstantibus. Itaq; consummatū est Cynicum matrimonium. Laert. lib. 6. cap. 7.

DARIVS ultimus Persarū rex, existimans uxorē suam ab Alexandro uictore fuisse interfectā, eiulatibus impleuit castra, atq; in hęc uerba prupit: Quod ego tantū nefas cōmisi, Alexander? quē tuorum propinquorum necaui, ut hanc uicem sæuitiæ meæ redderes? Odisti me, nō quidē prouocatus. Sed finge iustum intulisse te bellum. Cum feminis ergo agere debueras? Pòst ubi & seruatam & honestissimè tractatam ab

eò audiuit, Alexandro licet hosti fausta precatus est omnia. Plut. in Alexandro.

Cohortandus Satrapes, cum tota gente ALEXANDRO Magno se tradidit: cum Macedo benignè acceptum pristinum principatum tenere permisit. Cęterùm cū duo ex tribus filiis iussi essent Macedonū castra sequi, obtulit & tertium pater: inde conuiuio barbara opulentia instructo regem accepit: quod ut multa comitate celebraret, triginta nobiles induxit uirgines, & in his filiam eleganti forma. Roxane erat puellæ nomen. Conuertit illa in se omnium oculos pulcritudinis præstantia, sed regis omnium maximè, qui iam suis cupiditatibus, inter tot fortunæ obsequia, minus imperabat. Captus itaq; Persicę puellę uultu, eam sibi uxorē à patre petiit: Achillē, à quo ipse genus duceret, cum captiua coiuisse prędicans: & ad regnū stabiliendum uolebat id cōnubiū pertinere, per quod & uictis pudor, & uictoribus superbia minui uideretur. Nulla igitur mora facta, puellæ patrem insperato gaudio lætū mensæ admouet. Ibi Macedonico ritu panē (hoc erat apud eam gētem sanctissimum coeuntiū pignus) diuisum uterq; libat. Credibile est, per hæc, qui id sacrū primi instituerunt, ostendere uoluisse, parco & parabili uictu contentos esse debere, qui corpora & animos iugali uinculo sociarent. Sic Asiæ & Europæ rex potentissimus, & qui Darij uxorē & filias non aliter quàm pater inspexerat, ignobilē uirginē sibi matrimonio iunxit, ex captiua procreaturꝰ, qui uictorib. imperaret. Pudere Macedones tam ignobilis connubij: uerùm Clyti exitu edocti, uultu, quę pars hominis præcipuè seruit, assentiebantur. Sab lib.6.En.4.

HARPALVS Macedo, qui Alexandrum Magnum ex Asia in Europam fugiens, Athenis corruptis iudicibus periculum capitis effugit: Pythionicę uxori, humili ortę loco, quę Athenis & Corinthi corpus uulgarat, mortuæ monumentū posuit, trans Cephissum amnem, ad Cyamitæ templum, omnium, quæ in Græcia sunt, ueterum operū spectatu dignissimum. Pausanias in Atticis.

Terentius humanorum affectuum depictor, PAMPHILVM à Bacchide concubina carissima ad inuisam uxorem traductum scribit in Hecyra, postquam & illam Bacchidē, & hāc, quæ domi erat, cognouit satis, ad exemplum ambarum mores æstimans:

Hæc ita, uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda atq; iniurias
Viri omnes ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Deuictus, partim uictus huiusce iniuriis,
Paulatim elapsus Bacchidi, atq; huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.

Ludouicus Viues de Christiana femina lib.2.

M. Antonius Triumuir postquam Laodiceam peruenit, accersiuit ad se HERODEM regem Iudæorum, dicturum causam de obiecto necis Aristobuli, summi pontificis, crimine, quē Herodes per lusum in piscina natantem submergi curauerat. At ille nec causæ suæ satis fidens, & Cleopatræ odia metuens, commissa regni cura Iosepho patruo, clàm ei mandauit, ut si Antonius in se grauius aliquid statuisset, confestim Mariammen interficeret. sic enim se affectum erga uxorem, ut etiam si post ipsius mortem aliquem potiri contingat illius pulcritudine, ad suam id iniuriam pertinere existimet: aiebatq; totum hoc negotium exhiberi sibi propter eius feminæ formam, in quam ille iam pridem fama cognitam accensus sit. Quod mandatum à Iosepho ipsi Mariamme proditum, & Iosepho exitiale fuit, & Mariammen regi de adulterio suspectam fecit. Non multò pòst cùm falsis criminibus adulterij & ueneficij circumuentam Mariammen interfecisset, peremtam impotentius flagrare cepit, iam antè miserè erga eam affectus. neq; enim uulgari coniugum more amabat, sed cùm penè ad insaniam usque indulgeret huic cupidini, ne licentioribus quidem uxoris moribus effici potuit, ne indies magis ac magis eam diligeret. Tum uerò maximè sibi uisus est irato deo necasse Mariammen. sæpe inuocabat eius nomen, sæpe etiam indecorè lamentabatur. Excogitabat aūt oblectamenta quæcunq; poterat, apparandis cōuiuiis ac cōpotationibus, nihil tamen proficiebat: quare & regni curā reliquit, adeoq; dolori succubuit, ut sępe ministros iuberet uocare Mariammen, quasi illa adhuc uiueret. Sic affecto superuenit pestilentia, quæ & plebis & purpuratorum maiorē partem abstulit, omnibus irato deo hanc immissam interpretantibus, propter iniustum reginæ suppliciū. Ita aucta regis ægritudine postremò in solitudines se abdidit prętextu uenationis, ubi afflictans se intra paucos dies grauem morbum contraxit. A quo posteaquam conualuit, sic tamen efferatus est, ut quauis ex causa ad sæuiendū esset propensissimus. Iosephus lib.15.c.4.& 11.Antiq.

Erat inter Hierosolymitanos ciues Simon Boethi Alexandrini filius, sacerdos cum primis nobilis, habebatq; filiā omnium eius ætatis pulcerrimam: cuius forma cùm uulgi sermonib. celebraretur, primùm fama illius HERODES rex, interfecta priore uxore Mariamme, permotus est, deinde conspectæ amore captus, noluit uti sua potentia, ne tyrannicè uideretur agere, maluitq; in legitimū thorum puellam introducere. Cūq; Simon nec affinitate tali, nec tamen contemtu dignus uideretur, quo cupiditati suę satisfaceret, id quod ęquius uisum est elegit, ut uidelicet honoris accessione eum ornaret. Igitur Iesu Phabetis filio pontificatum abrogauit, & successorem ei dedit Simonē, atq; ita affinitatem cum illo contraxit. Idem cap.12.

PHERORAS Herodis regis frater, Tetrarcha eius intercessione apud Cæsarem factus, inciderat in amorē ancillę propriæ tam insanum, ut oblatam sibi à rege in coniugium filiā fastidiret, contentus ancillæ complexibus. Id ægerrimè ferens Herodes, puellam collocauit Phasaeli fratris filio. Procedente deinde tempore ratus iam deferbuisse fratris cupidines, alterius filiæ conditionem ei detulit, quę Cypros nomine dicta est. Pheroras ergo suasu Ptolemæi procuratoris regij mulierem iam filij matrem ex se factam ablegat: & regi pollicetur ducturum se filiam eius alteram: condixitque diem XXX ad celebrandas nuptias, iureiurando interposito nihil sibi posthac cū ablegata fore cōmercij. Elapso autē præfinito tēpore, in tantū amori succubuit, ut non staret pollicitis, & rursum reuolueretur ad pristinam mulieris consuetudinē. Iosephus libro 16.cap.11.Antiq. Eandem cùm iustę uxoris loco haberet, & illa Pharisæorum sectæ studiosa, contra regē conspirasse uideretur: Herodes fratrē admonuit, aut uxorē ablegandā esse, aut fraterna beneuolentia carendū. Pheroras pacē à rege precatus, emori se malle, quàm sine dilecta uxore uiuere respōdit. Itaq; rex, Antipatro filio Pheroræ consuetudine interdixit, & Pherorā in Tetrarchiam ablegauit, ne unquā ante obitum reuerteretur. Idem libro 17.capite tertio & quinto.

Matrimoniū Flaminis DIALIS apud Romanos non nisi morte dirimi ius erat. Gell.lib.10.cap.15.

SEMPRONIVS Gracchus, Corneliam, superioris Aphricani filiam, uxorem tantopere dilexit, ut quum duo angues in eius lecto fortè deprehēsi, ab aruspicibus ambo dimitti prohiberentur, sed ex his alterum interficiendum censerent, affirmantes futurum, ut si masculus missus esset, Cornelia prior moreretur: contrà Gracchus prius interiturus, si femina dimitteretur. tum ille, Mittatur, inquit, femina, ut superstes sit Cornelia mihi maiori natu. Atque sic accidit, ut ipse non multo pòst sic uita defunctus, duodecim filiis quos ex Cornelia tulerat superstitibus. Eos mater tanta coluit pietate, adeò defuncto uiro in amore respondit, ut Ptolemæi regis nuptias respuerit, plurisque sepulti uiri memoriam fecerit, quàm diadematis & regni oblati specimen. Sabellicus libro nono, Enneadis quintæ.

Post uictum captumque Syphacem à Scipione, MASINISSA Cyrtham caput regni petens, cùm urbem in potestatē redegisset, Sophonisbam Asdrubalis F. quę Syphacem ad fœdus rumpendum cum Rom. adegerat, multis precibus sibi blandientem ardere ceperat, mulierique fidem dederat, se eam à Romanorum manibus uindicaturum: & ut id commodius præstare posset, nouis nuptiis sibi deuinctam uxorem duxerat. Scipio eo cognito, indignatus aduersus Masinissam, etsi primùm in castra redeuntem præsente multitudine benignè accepit, postea tamen seiunctum à cæteris ita obiurgauit, ut sentiret Numida, moderatissimo simul & seuerissimo imperatori sibi esse parendum. Itaque lacrymans & consilij inops in tentorium abiit, pauloque pòst, cùm fidem Sophonisbæ datam præstare non posse cerneret, atque ex eo grauiter angeretur, uenenum ei cum mandatis misit. quo mulier repentè hausto, uoluntariam sibi consciuit mortem. Auctor uitæ Scipionis.

CALIGVLA Imper. uxorem Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matremque iam ex alio uiro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciuiæ perditæ, & ardentius & constantius amauit: ut sæpe chlamyde, peltaq;, & galea comatam, & iuxtà adequitantem militibus ostenderit: amicis uerò etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, & maritum se eius, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem, Iuliam Drusillam appellatam, per omnium dearum templa circumferēs, Mineruæ gremio imposuit, alendamque & instituendā cōmendauit. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm feritatis: quæ illi quoque tanta iam tunc erat, ut infestis digitis, ora & oculos simul ludentium infantium incesseret. Suetonius.

Seneca à se cognitum QVENDAM testatur, ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia uxoris pectus alligabat, & ne momento quidem præsentia eius carere poterat, potumque omnino nullum sibi, nisi alterius prægustatum labris, uir & uxor hauriebat: alia item pleraque, nec inepta minus facientes, in quæ improuida uis affectus erumpebat. Cælius libro decimosexto, cap.24. Antiq. Lect.

M. ANTONINVS Pius Imp. uxorem Faustinam ita dilexit, ut post mortē diuinis honoribus eā coli, à Senatu delatis Circensibus, templo, flaminibus, & statuis aureis, permiserit.

AVSONIVS in Epigrāmatis sub sua persona eleganter coniugalis amoris leges exprimit, inquiens:

Vxor uiuamus, quod uiximus, & teneamus
Nomina, quæ primo sensimus in thalamo.
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in æuo,
Quin tibi sim iuuenis, tuq; puella mihi:
Nestore sim quamuis prouectior, æmulaq; annis
Vincas Cumanam tu quoq; Deiphoben.
Nos ignoremus quid sit matura senectus:
Scire æui meritum, non numerare decet.

ATAVLFVS uxoris Alarici frater, à Gotthis Alarico mortuo suffectus, & regiis insignibus exornatus, primùm omnium uxorem sibi despondit Placidiam, Honorij Augusti sororē, mulierem forma, moribus, prudentiaque insignem. Tum conuersis signis è Calabria Romam uersus redire contendit, eo animo, ut ipsam uix à clade pristina resurgentē rursus inuaderet, neque Alarici exemplo direptam relinqueret, sed occupatam sibi asciscceret, ac pro Roma Gotthiam appellaret, dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus. Verū mox precibus & uoluntate Placidiæ sponsæ id ipsum penitùs auersantis, ac propè, tanquam ominosum aliquid, detestantis, cōmotus, cui omnia, quæ postulabat, summo animi studio indulgebat, statim eo consilio destitit: ac ꝓximo Alarici fœdere stare, id est, Italia relicta, Galliam adire constituit. Proinde cum omni Gotthorum exercitu in Galliam transgressus, sedem Narbone, atque in proxima regione, sibi & Gotthis suis, ex fœdere, Constantio Honorij duce concedente, locauit. Sigonius libro undecimo Imp. oc cid.

Placilla, uxor THEODOSII maioris, pia, & pauperū amans, per sese ipsa ægrotantibus & mutilatis seruiebat. Ante maritum obiit. Cum primis ostendit Imperatoris erga eā amorem, ira eius aduersus Antiochenos, cùm statuam eius per plateas tractam confregissent: quòd molestè ferrent publica tributa, quæ Imperator urbibus per causam continentiū bellorum imposuerat. quo tempore Chrysostomus Andriantas, id est orationes de statuis scripsit. Suidas.

IVSTINVS minor Imp. habuit uxorem Sophiā nomine, quā tam ardenter amauit, ut portum à se ædificatum Sophium, ac regias ędes suburbanas cum adiacentibus agris Sophiada nuncuparet. Cuspinianus.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. tertias sibi nuptias non celebrandas putans, consobrinæ uxoris mortuæ consuetudine utebatur. Ea erat & adolescentula & formosissima, & nobili Sclerorum stemmate orta. Tanto amoris ardore inflammati erant, ut nisi unà essent, uitam sibi morte acerbiorem putarent. Itaque illum mulier ultrò in exilium, relictis omnibus, est sequuta, ut amans redamantem uideret, neque ab illo exularet. Exulem omnibus obsequiis deliniuit, calamitatem pro uirili leuauit, de suo suppeditatis sumtibus. Regno restitutus eam regio more tractauit. Zonaras.

PHANIAS Hierosolymis Poterij uiri principis seruus, filiæ eius amore captus, quoniam potiundę eius spes nulla esset, magos consuluit. Exciti maligni spiritus eam illi uxorem fore dixerunt, si ipse se diaboli seruum asscripsisset abnegato Christo. Conditioni assentiens chirographum dedit, filiaq; potitus est. Sed tandem uxoris opera per Basilium episcopū chirographo restituto à dæmonibus liberatus, ad meliorē mentem rediit. Marul.lib.2.cap.12.

ALEXANDER Basilij Macedonis Imp. Theophaniam coniugem ita amauit, ut eius nomine templum dicarit. Volat. lib. uigesimotertio Anthrop.

ANDREAS II. Vngariæ rex expeditione Hierosolymitana Damiatam cepit. Reuectus in Italiam, Estensis principis, à quo hospitio susceptus fuerat, filiā, quā illi hospitalitatis ergò ministrare iusserat pater, forma elegantissimā, licet genere disparē admodū, in uxorē accepit. Hæc posthumum peperit Stephanū. Qui uariis casibus iactatus, Rauenna pulsus, ubi prefectū agebat, Venetiis exul, Thomasinam Maurocenam patriciam duxit. Ex qua Andream sustulit cognomine Venetū, qui pulso ab Vngaris Ladislao IIII. auitum regnū obtinuit. Bonfinius lib.9.Dec.2.

Regina Edita mortua OTHO Magnus Adelheidam uiduam Lotharij regis Italiæ, filiam Rodulphi Burgundionum regis, sanctitate uitæ præstantem, cui Berengarius Italiæ tyrānus imminebat, ducturus, in Italiā profectus, nemine repugnante, Papiam armatus uenit, & Adelheidam liberauit. Cuspinianus.

SVGERIVS, Sigismūdi Burgundorum regis F. ex filia Theodorici Ostrogothi, à nouerca, quā pater defunctæ matri superinduxerat, appetiti regni insimulatus, eo quòd improuidè matrem defunctam laudaret nimis, generosiorēq; eam fuisse contenderet, quàm cuius mundo ornamentisq; illam excoli conueniret. Eoq; pater perductus est, ut ad quiescentē filiū duos suorum intromiserit, qui laqueo ceruici iniecto spiritum intercluderent. Aemilius lib.1.

PERSÆ hodie, ut sunt totius Orientis fortissimi equites, singulari studio regnum egregiè tuentur, & cum finitimis populis acerrimè bella gerunt. At si paulò longinquior expeditio sit sumenda, eam militiam detrectant, quum relinquere uxores, quibus maximè sunt addicti, durum arbitrentur: nec more suo multa impedimenta trahere, & plures ducere equos gens luxuriosissima atque ornatissima sine stipēdiis possit. Iouius.

Amasiorum,

☞ *Sub loco Intemperantiæ, Tit. Procorum, Riualiū, Scortatorum, Raptorum, Meretricum, consulendus. Illic Immoderationis, hic Amoris simpliciter rationem habemus.*

Apame Barthaci (siue ut Iosephus lib. 11. cap. 3. Rapsacis Themasini) filia, concubina DARII Persarum regis, à rege præ cæteris amata, ita ut dextera assideret, ei de capite diadema auferret, sibiq; imponeret, regis malā sinistra manu feriret: cùm interea rex eam hianti ore intueretur, arridenti arrideret, & succensenti blandiretur, quo eam sibi reconciliaret. Hoc argumento usus Zorobabel, mulieres maiores rege uires habere pronunciauit. 3. Esdræ 4.

Hecuba supplicante Apollini Thymbræo, ACHILLES uolēs uisere ceremoniarū morem, cum paucis comitibus superuenit. Erant cū Hecuba matronæ plurimæ, coniuges filiorum eius, itē filiæ innuptæ, Polyxena, & Cassandra, Mineruę atq; Apollinis antistes, suggerente ei Polyxena apparatum sacri. Achilles uersis in Polyxenam oculis, pulcritudine uirginis captus, ad naues discedit, accito Automedonte, aperit ardorem animi, ad postremū petit, uti ad Hectorē uirginis causa iret. Hector eam daturū se in matrimoniū mandat, si sibi uniuersum exercitum proderet. Achilles soluturum se omne bellum, Polyxena tradita, pollicetur. Tum Hector, aut proditionem ab eo confirmandā, aut filios Plisthenis Agamemnonem & Menelaum atq; Aiaces interficiēdos, alioquin nihil de tali negotio se ausurum. Rei indignitate motus Achilles, illius capite se nuptias hasce impetraturum minatus est. Non diu pòst interfecto Hectore & circum mœnia raptato, cùm Priamus cadauer redimere uellet, Polyxenam quoque secum adduxit. Ea Achillis obuoluta genibus, sponte seruitium sui pro absolutione cadaueris pollicetur. Quo spectaculo adeò cōmotus est, ut qui inimicissimus ob mortē Patrocli Priamo, eiusq; regno esset, tum recordatione filiæ, ac parentis, ne lacrymis quidem temperauerit. Itaq; Priami precibus acquieuit. Transactis paucis diebus, solenne Thymbræi Apollinis instabat. Priamus Ideum ad Achillem super Polyxena cum mandatis mittit. Alexander compositis cum Deiphobo insidiis, pugione cinctus Achillem conuenit in luco, confirmator ueluti eorum, quæ Priamus pollicebatur. Moxq; ad aram Apollinis, ne hostis dolum persentisceret, auersusq; à duce assistit. Dein ubi tempus uisum est, Deiphobus amplexus inermē iuuenē, quippe in sacro Apollinis nihil hostile metuentem, exosculari, gratulariq; super his quæ concessit, neq; ab eo diuelli aut omittere. Alexander librato gladio per utrunq; latus geminato ictu trāsfigit. At ubi dissolutum uulneribus animaduertere, parte alia quàm uenerant procurrerunt. Alexādri facinus religionis ergò detestati Troianorū optimi, Aeneas quidem pugnā detrectauit, Helenus ad Græcos transfugit. Dictys lib.4.

Scribit Philostratus Phalius, POLYXENAM urbe egressam citra ullum comitatū, Ilio needum à Græcis capto, seipsam ad Achillis tumulū iugulasse, illius desiderio nimirū herois, coniectantem, in reliquū natalium tantorum nuptias sibi haudquaquam oblatum iri. Cæl.lib.13.c.12.A.L.

HIPPODAMIA Oenomai regis Elidis & Pisarū filia, cū multi eam proci peterent ea conditione, ut curruli certamine uicti ab Oenomao (qui equos habebat pernicissimos, utpote uentorum flatu creatos) interficerētur, uictor uerò ea potiretur: illa cùm Pelopem amaret, Myrtilum aurigam patris primi coitus pactione corrupit, ut exemta axium fibula in medio cursu Oenomai currus concideret. Paruit ille. Sic Hippodamia potitus est Pelops. Cùm autem Myrtilus promissum à puella posceret præmium, à sponso in mare præcipitatus est: cui & nomen fecit, ut postea Myrtoum appellaretur. Seruius in principio tertij Georgicōn.

Quū rapta esset à prædonib. Io Argiua, pater eius Inachus inquisitores ac indagatores multos misit, in quib. Lyrcū quoque filium Phoronei: qui multam terrā peragrans, mariaq; plurima emensus, tandem, ubi illā nō reperiret, renunciauit labori, & ad Argos redire ob timorē Inachi non ualde festinabat. Quare profectus est in Caunū ad Aebialum, atque in uxorē duxit eius filiam, nomine ILEBIAM. Prædictum

enim antè fuerat, puellam, mox ubi Lyrcũ cõspectura esset, in eius amorem uenturam, ac plurimis precibus à parente impetraturam, quo eius matrimonio potiretur. Ille ergo parte regni non minima unà cum reliquis bonis oblata, eũ sibi generum adsciuit. Temporis uerò progressu, quũ Lyrco filij nulli nascerentur, adiit Didymęi templum, de sobolis generatione oraculũ sciscitaturus. Cui numen respõdit, Filios eũ suscepturũ ex ea, cui primũ è tẽplo digressus cõmisceretur. Ille gauisus ad uxorẽ festinabat, confisus ex animi sententia sibi oraculum processurum. Quum autẽ nauigio peruenisset Bubastum, diuertisseтq; ad Staphylum Dionysij filiũ, ualde amicè ab eo exceptus est: ac multo uino repletus, posteaquam præ multa ebrietate decumberet, filiam suam ei adiũxit Hemitheam. Hoc autem faciebat, quoniã oraculum illi redditum sciebat: & quòd cuperet illi ex filia liberos nasci. adeò ut contenderent etiam RHOEO & HEMITHEA, utraq; eius filia, utra tandem hospiti condormiret. Tantus amor utramq; noui hospitis ceperat. Lyrcus aũt quum postera die factũ resciret, Hemitheamq; condormientem uideret, ualde grauiter ferebat: ac uehementer indignabatur Staphylo, qui has ei fraudes struxisset. Quũ aũt facti nullũ remediũ reperiret, arripit zonã, & dat puellæ, iubens eam pubescenti puero seruari, ut signum esset cognitionis eius, si quãdo ad parentem in Caunum proficisceretur. Quo facto rursus nauigauit. Aebialus autem quum & ipse oraculum cognouisset, & quæ facta erant cum Hemithea, expulit terra sua Lyrcum. Vnde sanè perpetuum bellum ortum est inter eos qui Lyrco adhærebant, atq; eos qui Aebali partibus fauebant. Parthen. de Amat. cap. 1.

Ad Calydonium aprum, ira Dianæ immissum, conficiendum MELEAGER ætate uiribusq; integer, multis assumtis secũ sociis, aprum iaculatus, occisæ bestiæ præmium (id erat animantis pellis) omniũ consensu tulit. Cùm in uenatione Atalanta Schœnei affuisset filia, eius amore captus, pellem ueluti præmium occisæ feræ ei concessit. Qui unà uenati fuerant Thestij filij ægrè ferentes aduenam sibi feminam præferri, Atalantæ per insidias, cùm in Arcadiam rediret, pellem abstulére. Meleager tum amore motus, tũ incensus ignominia, raptores (ij erãt Althęę matris fratres) necauit. Illa suorũ cæde mœsta, Meleagrum filiũ execrata est. Fabulantur quidam, in Meleagri ortu Parcas noctu in somnis Altheæ dixisse, tunc uitæ Meleagri filij finem fore, cùm id lignum (is torris extinctus erat) combureretur. Mater, existimans in eius ligni custodia filij salutem contineri, diligenter custoditum seruauit: sed fratrum morte irritata, torre combusto, causa interitus filij extitit: factique pœnitens, laqueo uitam finiuit. Diodorus libro quarto, capite secundo. & Ouidius libro 8. Metamorph.

Celtis olim imperauit uir egregius, ex quo FELPA corporis magnitudine ultra naturæ modum, decoreque cæteras excellens orta est. Hæc tum uiribus, tum specie clara, omnes qui eam petebant contemsit. Interim quum Hercules bello aduersus Geryonem moto uenisset in eam prouinciam, ibique ciuitatem Alesiam condidisset, admirata tum uirtutem Herculis, tum corporis præstantiam, permissu parentum ex eo filium genuit Galaten, qui coæuos suos tum uirtute animi, tum uiribus corporis excessit, & paternum regnum armis ampliauit: à quo omnis ea regio Galatia dicta est. Diodorus libro 6.

Ferunt amasium HERCVLIS Iolaum socium certaminũ fuisse, & in dimicando latus eius claudere solitum. Aristoteles auctor est, ad tumulum Iolai sua quoq; memoria fidẽ sancire adamatos & amantes solere. Inde uerisimile est à Thebanis cohortẽ Amatorum sacrã fuisse appellatã: quatenus & Plato diuinũ amicũ nominat amatorem. Plut. in Pelopida.

Eryngij radicem alterutrius sexus similitudinem referre aiunt, raram inuentu: sed si uiris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc & PHAONEM Lesbium dilectum à Sappho. Plinius libro 22. capite 8.

IPHIS Anaxaretẽ, PHYLLIS Demophõtẽ, CALLVCE Diomedẽ, PHÆDRA Hippolytum, multæq; aliæ amasios suos ad laqueum usq; amarunt. Vide Tit. Laqueo suffocati.

Deimachus Eleonis Bœoti filius sodalis Herculis bello Troiano interfuit: qui per belli longinquitatem Scamandri filiam GLAVCIAM ipsius amore captam admisit & fecit grauidam. Deimachus cum Troianis confligens occubuit. Glaucia patrem metuens, recepit se ad Herculem. Qui simul mulieris miseratione, simul lætus uiri fortis & familiaris sui stirpem superesse, Glauciam in naues accepit: & in Bœotia tradidit Eleoni infantem simul & illam. Nomen tulit puer Scamandri, regnumq; eius regionis tenuit, amnemq; Inachum nomine suo Scamandrũ, flumen finitimũ nomine materno dixit Glauciam. Plut. in quæst. Græcis.

VLYSSES id habuit, ut ab omnibus tam deabus quàm mulieribus amaretur. Sic Calypso & Circem amasse dicitur, sic filiam Alcinoi Nausicaam, filiam Aeoli Polymelam, filiam Tyrimnæ Enippen. Ex Parthenij Eroticis.

In finibus Argyræ urbis Achaię aiunt Patrenses SELEMNVM amatum ab Argyra nympha, illam è mari subnatantem, in fluminis alueo cum puero cubare solitam. Non longo pòst temporis interuallo, cùm pueri forma defloruisset, ad eum accedere nympham desisse: desiderio puerum contabuisse, & à Venere in amnem mutatum. Verùm cùm in aquam etiã uersus puellæ amore teneretur, ad eam (uti de Alpheo & Arethusa proditum est) aquas subiens penetrabat: donec Veneris munere nymphæ puerum cepit obliuio. Inde eam uim Selemnum habere creditum, ut qui uiri, quæ'ue feminæ se in eo abluerint, amorum suorum obliuiscantur. Pausanias in Achaicis.

O περιφέρητος ἀρτέμων, id est, Versatilis Artemon. Aiunt dici solitum de his, quorum gratia uehementer decertatur. Nã Artemonem adolescentem fuisse quempiam certatim adamatum à MVLIERIBVS ob insignẽ formam: quem suspicor ob id dictum περιφόρητον, uel quòd circumferretur in ore omnium uersans, uel quòd passim obambularet, uelut ostentãs sese. Erasmus in Prouerbiis.

CORESVS Liberi patris in urbe Achaiæ Calydone sacerdos amabat Callirhoen uirginem: & quanto erat Coresi amor uehementior, tanto erat puellæ animus ab eius cupiditate alienior. Quare cum neque precum neque munerũ ullo genere, omnia expertus Coresus, uirginem flectere potuisset, postremò supplex ad Liberi signum confugit, ueniam poscens. Non fuit irrita sacerdotis precatio. Siquidem incessit statim Calydonios ebrietati persimilis quidã furor, ex quo passim populari uesaniæ morbo interibant. In ea lue Dodonæi Iouis oraculum consulendum censuerunt: erat enim illis temporibus apud eius oræ incolas Aetolos, & eorum finitimos Acarnanas & Epirotas, columbarum, quę è quercu responsa dabant, eorum populorum fide sancita, ualde inclyta fama. Responsum qui missi fuerant tulére, placandum Liberum, cuius ira tantã apportasset perniciẽ. Esse uerò placãdi numinis unã illam rationẽ, si ad eius aram Coresus uel Callirhoen immolasset, uel aliũ, qui se pro illa deuouisset. Puella cùm frustrà deprecando, ne impetrato quidem eorũ, à quibus educata fuerat, auxilio, cædi destinata esset, & iam cũ infulis, uictimæ ornatu, ad aram deducta fuisset, Coresus amore uictus, nihil iam pristinæ in puellam iræ indulgẽs, se ipsum pro illa occidit. Cõmota rei spectaculo Callirhoe, & ipsa semet ad fontẽ, qui non procul abest à Calydonis portu, iugulauit. Eum fontem posteri de puellæ nomine nuncuparunt. Pausanias in Achaicis.

Ionum, qui in Miletum cõmigrarant, nonnulli seditione motæ aduersus Nelei filios, secesserunt Myuntem, atq; ibi sedẽ cõstituerunt, multis iniuriis affecti à Milesiis, qui cum illis bellum agitabant ob defectionem, uerùm nec atrociter, nec excluso omni cõmercio, sed nonnullis diebus festis mulieres è Myunte Miletũ itabant. Erat autem ex his qui secesserãt uir quidam nomine Pythes, cuius uxor dicta est Hippygia uel Iapygia, filia Pieria. Cùm autem Mileti die festo sacrificaretur Dianæ, quam illi Neleidam cognominant, misit eò uxorem & filiam id precatas, ut sibi festo liceret interesse. Ex Nelei uerò filiis longè potentissimus erat PHRYGIVS: is captus amore Pieriæ, cogitabat qua re posset puellę quàm maximè gratum facere. Cumq; illa dixisset nihil accidere posse gratius, quàm si efficeret, ut frequenter Miletum cõmeare posset multis uirginibus comitata: Phrygius intelligens ab illa quæri pacem & amicitiam ciuibus suis, bellum composuit. Hinc Pieriæ nomen & apud Milesios & apud Myuntios mirè gratiosum esse cepit: adeò ut puellæ quæ uiris nuberent, ominis causa precari solerent, Vtinam sic amer à uiro, ut Pieriam amauit Phrygius. Plutarchus de Mulierum uirt. & Polyænus.

Zariadres Hystaspæ frater erat iunior, ac uterq; formosus, ex Venere nati & Adonide. Hystaspes Mediæ inferiorię; regioni imperauit, at Zariadres superiorib. locis à portis Caspiis ad Tanaim usq; fluuium. Marathorum, qui ultra Tanaim incolunt, rex erat Homartes, qui filiã habebat nomine ODATEM formosissimam, quæ cùm per somnũ ZARIADREM uidisset, eum amauit, ac idem illi accidit. Cùm igitur ad Homartem misisset Zariadres, mulierẽq; in uxorem poposcisset, renuit Homartes, cùm, quia filios mares non haberet, eã cuipiam suorũ principũ desponsare decreuisset. Non multo tempore interposito omnes regni sui proceres conuocauit, nuptias filiæ celebraturus. Cùm uigeret potus, Odatim in symposium uocauit, ac audientib. conuiuis dixit: Nunc tuas nuptias celebramus, ô filia. Tu aureã phialam uino imple, atque cuius uis esse uxor, ei porrigito. Illa parenti morem gerit: sed quia in tanta turba nullum Zariadri similem uidebat, lacrymabunda phialam circũfert. Interea Zariadres per internuncios uocatus adest, turbę conuiuantium sese intermiscet. Odatis ubi illum ex nocturna specie, quã uiderat in somnis agnouit, phialam ei porrexit, meroq; obrutis Marathis, cum eo properè discessit. Hanc fabulã in sacris locis & regiis pingere consueuerunt Barbari Asiani, & in priuatis domibus: cõpluresq; potentũ Odatim nomen suis filiis imponunt. Athen. lib. 13. c. 12. ex Charete Mitylenæo.

Clearchus lib. 1. rerum Amatoriarum, GYGES Lydorum rex, inquit, non ob uiuam solùm amicam celebris fuit, cùm seipsum ac totũ imperiũ suum in illius manum tradidisset, uerùm etiam ea mortua omnes Lydos congregans, tumulum illum in Lydia accumulauit, qui nunc etiã Amicæ tumulus nuncupatur, in altitudinẽ eleuatus. Ita ut cùm ipse regionẽ circuiret, quæ est intra Tmolum, undecunq; uerteretur, tumulum aspiceret, atq; omnibus Lydiam habitantibus esset conspicuus. Athenæus lib. 13. c. 11.

COMOETHO uirgo sacerdos Dianæ Triclariæ apud Iones formosissima à Melanippo amore mutuò dilecta. Eã cũ patre aliquoties petiisset, sed frustrà, clàm cũ ea in ipsa Dianę æde cõgressus fuit. Sed morbo consumti impietatis pœnas dedere: & consecuta est ex læsi numinis ira non tantũ summa terræ sterilitas, sed & miseranda hominum lues. Pausanias in Achaicis.

MELES Atheniensis à Timagora ardentius amatus fuit, adeò quidem, ut iubente Mele Timagoras ex acropoli sese pcipitem daret. Nec multo pòst Meles, siue Melitus, etiã ipse dæmonum instinctu ex eodem loco se præcipitẽ dedit. Quare in urbe erecta est Anterotis ara, quam ἀνάθημα μετοίκων, id est, inquilinorum donarium, uel peregrinorum uotũ appellarunt: inquilinus enim erat Timagoras. Statuã illam fuisse ait Suidas, nudi & formosi pueri, qui duos in ulnis generosos gallos contineret, seq; ipsum in caput impelleret. Gyraldus dialogo 7. hist. Poeticæ.

Apud LACONES amare boni ingenij pueros licebat, cõplecti nefas habebatur, quasi corporis amore nõ animi captis. Qui argueretur uenereę coniunctionis, per totam uitam erat famosus. Plut. in institutis Laconicis.

CHARITON Agrigentinus ardenti desiderio MELANIPPVM amabat Agrigentinum. Melanippo iudicio cũ amico Phalaridis contendenti, tyrannus mandauit, ut litibus desisteret. Qui cùm non obediret, extremum periculum ei minitatus est, nisi morem gereret. At ille iudicio superauit eum, qui necessitatem imponere uoluerat: principes autem Phalaridis irritam iudicij sententiam fecerunt. Id ægrè ferens Melanippus, rogauit Charitonem, ut sibi adiumẽto esset ad insidias tyranno tendendas. Chariton, cùm sciret neminem ciuium unà coniuraturũ metu tyrãni: se dudũ aiebat hoc agitasse, ut patriam à seruitute in libertatem uindicaret: sed periculosè hæc multis enunciari, & communicari: orare tãtùm, ut sibi de his rebus penitius considerandi curam permitteret, & tempus idoneum ad obeundum facinus capere sineret. Concessit adolescens. Chariton ergo amasium in societatem sceleris assumere noluit, nę amasium periculi faceret participem. Sumto gladio, ad tyrannum uiam affectans deprehensus est à satellitibus, & quæstionibus examinatus ad prodendos coniuratores diu fortiter tolerauit tormentorum sæuitiã. Interea Melanippus ad Phalaridem accedẽs se non tantùm socium huius consilij, sed etiam auctorem insidiarum Charitoni extitisse, confessus est. Igitur tyrannus utrunque liberum dimisit: sed ea lege atque conditione, ut eodem die non solùm ex Agrigentinensium urbe, uerùm etiam è Sicilia excederent. Nihilominus tamen eis permisit ex suis possessionibus & facultatibus fructum capere. Hos postmodum & eorum amicitiam Pythia celebrauit his carminibus:

> Humano generi auctores cœlestis amoris
> Ter felix Chariton & Melanippus erant.

oraculo diabolico obscenitatem hanc Deo & naturæ contrariam, constantis amicitiæ larua obuelatã, amorem diuinum & cœlestem appellante. Aelianus lib. 2. cap. 4. Var. hist. & Heraclides Ponticus in Amatoriis, & Athenæus libro 13. cap. 37. Dipnosoph.

CHAONIVS quidam primæ nobilitatis adolescens & ANTHIPPE mutuo se amantes clàm parentibus festiuitate quadam publica digressi simul, conuiuantibus cæteris in syluam quandam peruenerunt. Fortè fortuna regis filius Cichyrus pardalim fugientẽ persequẽs, iaculo emisso aberrãs à fera, puellã transfixit. Opinatus autem feram esse, equum propius adegit: & quum uideret adolescentem in uulnere puellæ manus habentem, amens factus est, ac uertigine affectus, ab equo in præruptum ac petrosum locũ delapsus interijt. Parthen. de Amat. c. 32.

In Creta LYCASTVS Cydonis filiam deperibat Eulimenem, iam tum Aptero Cretensium principi à parente desponsatã. Quum autem quædam ex Cretensibus urbibus aduersum Cydonem insurgerent, mittit ad oraculum legatos, percunctantes quõ hostibus superior euaderet. Et responsum accepit, Immolandam esse uirginem Heroibus patriis. Accepto ergo oraculo, sortiebatur Cydon de uirginibus omnibus: & fortuna sic ferente, obtigit filia. Lycastus illi timens, indicat eius corruptionem, & quòd multo iam tempore cũ ea consueuisset. At populus eo iustius esse censebat eã mori. Postquam ergo mactata est, iussit Cydon discindere eã circa umbilicum, atq; ita inuenta est prægnans. Nõ multo pòst Apterus Lycastum ex insidiis adortus occidit, & ad Xanthũ in Termera aufugit. Parthen. cap. 35. ex Asclepiadis Myrleani primo libro Bithynicorum.

Cùm Epimenides Cretensis Atticam terram ob odia quædam antiqua humano expiandam sanguine assereret, cunctantibus cæteris, Cratinus Atheniensis adolescens seipsum pro patria immolandum obtulit. ARISTODEMVS amator comes mortis esse uoluit. Atheneus lib. 13. cap. 27. Dipnos. ex Neanthe Cyziceno.

Antigone Oedipi F. cùm fratri Polynici contra Creontis edictum terram iniecisset, à tyrãno uiua tumulatur. HÆMON uerò Creontis F. desiderio puellæ ad tumulum sese mactauit. Eurydice Hæmonis filij morte cognita, laqueo semetipsam strangulauit. Sophocles in Antigone.

ARISTOGITON Harmodiũ amabat, Harmodius iuuenem quendam. Qui cùm Hipparchum tyrannum Atheniensium, spreto Harmodio, sequeretur, Harmodius cum Aristogitone in necem tyranni conspirarunt: atq; ita dum priuatam iniuriam ulciscuntur, patriam publico malo tyrannidis liberarunt. Plato in Hipparcho.

Alexandrum Magnum in Hyrcania THALESTRIS Amazonum regina conuenit. Imperabat hæc regioni, quæ est inter Phasim & Thermodontem, pulcritudine & corporis robore excellens ualde femina, uirtute autem & animi magnitudine cuiuis gentis suæ præstabat. Reliquerat copias suas in Hyrcaniæ finibus: trecentas tantùm Amazonas bene ornatas secum adduxerat. Alexander reginæ aduentum inexpectatum, egregiamq; feminarum dignitatem non mediocriter admiratus, interrogauit Thalestrim, cuius rei gratia ad se uenisset? Illa se prolis suscipiendæ causa ad eum uenisse, respondit. Quũ enim ipse rebus gestis facilè omnium mortalium præstantissimus sit, se autem uiribus corporis & animi uirtute feminas cunctas antecedere cognoscat: uerisimile esse ex tam excellentibus parentibus editos liberos reliquis hominibus fore meliores. Pellectus est Alexander, & plurimùm oblectatus talibus reginæ sermonibus. Quumque dies tredecim simul uersati fuissent, magnis muneribus eam donatam rex domum redire permisit. Diodorus libro decimoseptimo.

ALEXANDER instinctu Thaidis meretriculę, Persepolim urbem combussit. Curtius libro quinto: Ebrio (inquit) scorto de tanta re ferente sententiam, unus & alter & ipsi mero onerati assentiuntur: rex quoque fuit auidior, quàm patientior: Quin igitur ulciscimur Græciam, & urbi faces subdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiæ iniecit: tum conuiuæ, & ministri pellicesq;. Plut. in Alexandro.

TIMANDRA meretrix Alcibiadem ab inimicis crudeliter necatum honorificè sepeliuit. Plutarchus.

Galeres puer amatus à PTOLEMÆO Aegypti rege, uidens eos ad supplicium trahi, salutem eis & impunitatem exorauit à rege. Sub Tit. Misericordiæ.

Phocenses Massiliam in Narbonensi Gallia ædificarant. Commanus Segoregiorum siue Ligurum rex metuens urbis incrementum, alios quidem palàm sacrorũ specie, alios plaustris impositos & fronde uelatos clàm in urbem misit, noctu exercitum admouere uolens. Eas insidias Commani regis affinis MVLIER, quæ cum Phocensi iuuene stupri cõmercium habebat, amanti in mediis amplexibus detexit, sortem eius miserata. Is ciuibus reliquis sine mora negotiũ indicauit. Ergo Massilienses, hostes in urbe primùm latentes interfecerunt: mox impetu in Cõmanum facto, regem cum exercitu profligauerunt. Iustinus libro 43.

Parthorum rex PHRAATES habens legitimos liberos, ancillam Italici generis Thermusam nomine, inter cętera dona à Cæsare missam, primũ in concubinarum numero habuit: pcedente deinde tempore obstupefactus præcellenti mulieris forma, suscepto iam ex ea Phraatace filio, legitimo thoro eam sibi coniunxit. Quæ cùm quicquid uellet regi persuaderet, cogitans filio suo Parthorum regnum astruere, intellexit nihil se effecturam, nisi ablegarentur legitimi Phraatis filij. Persuasit igitur marito, ut Romam eos obsides mitteret. Quod illis sine cunctatione faciendum fuit, patre uoluntati Thermusæ tam obnoxio. Interea Phraataces solus domi ad regnum educabatur: qui tædiosum ratus expectare, dum à patre decedente principatum acciperet, cum matre contra eum conspirauit, cum qua creditus est etiam stupri habuisse consuetudinem. Ergo parricidio simul & incestu exosus popularibus, prius quã confirmaret suas opes, per tumultum pulsus interiit. Iosephus lib. 18. c. 3. Antiq.

In Italiæ urbe Heraclea excellentem forma puerum, Hipparinum nomine, celebri familia ortũ, ANTILEON amabat: sed nullo modo poterat eum sibi conciliare. Circa gymnasia autem uersanti utplurimùm puero se accommodans, tãto eius desiderio se teneri adfirmauit, ut eius gratia omnem laborem subire uellet, & quicquid iuberet effectum dare. Puer ergo per ludibrium mandauit ei, ut ex munito quodã loco, qui magna custodia ab Archelao Heracleotarum tyranno seruabatur, tintinnabula deturbaret: cõfisus, nunquã ipsum hoc perfecturum. Verùm Antileon ex insidiis custodent tintinnabuli occidit: atque inde ad adolescentulum reuersus, in magna apud eum gratia fuit. Interea cùm tyrannus puerum de stupro sollicitaret, Antileon illum quidem propter periculum uitandum admonuit, ne contradiceret: ipse uerò è domo exeuntem tyrannum occidit: sed in ouiculas colligatas obuiam sibi factas incidens, captus fuit & occisus. Ciuitate autem in pristinum statum & libertatem restituta, utriusque apud Heracleotas imagines æreæ sunt erectæ: ac lex scripta est, Ne quis colligatas in posterũ ouiculas exigeret. Parthen. de Amatoriis cap. 7. ex Phania Eresso.

Mithridates Ponti rex, cùm Thotidoracem Galatam, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset, uerentibus omnibus eũ sepelire, ADOLESCENTVLA, quæ eum deperibat, ut sepeliret corpus exornauit. Cùm autem ab ea Mithridates intellexisset, amore captam illud egisse: non modo eius, quem amauerat, corpus illi ad sepulturam concessit: uerùm ut funus quoque exornaret, pecuniam impendit. Fulgotius libro quinto, capite 1.

L. QVINTIVS Flaminius in libidinibus perquàm fœdus, cõsuetudinẽ cum puero, quẽ adamabat, habebat, eumq; secũ adducebat in expeditiones. Is epulante aliquando Lucio, cùm per lasciuiam cauillaretur, adeò ait se ardenter amare eum, ut spectaculum gladiatorum reliquerit, etsi nunquam uidisset hominem iugulari. Lætus Lucius, quamprimum unum ex damnatis attrahi ex carcere iussit, acceptoq; lictori inter epulas imperauit, ut eũ obtruncaret. Valerius Antiàs auctor est, nõ puero adamato id indulsisse Luciũ, sed mulieri.

Rex Numidiæ Hiempsal C. Marium filium exulem Syllæ proditurus uidebatur. Eius, quòd forma uenusta esset, angebat aspera fortuna VNAM ex regiis pellicibus. Commiseratio hæc amoris fuit exordium & prætextus. Ille primùm repulit mulierem. At ubi uiam nullam cernit euadendi aliam, & illam magis serio quàm lasciuo adductam amore agere, complexus beneuolentiam eius, atque ab ea emissus cepit cum amicis fugam, atque se contulit ad Marium patrem. Plutarchus in Mario.

FLORAM meretricẽ aiunt natu iam grandiorẽ, ferè semper cõmemorantem cum Cn. Pompeio cõsuetudinẽ dicere solitã, non potuisse se ab illius concubitu sine aculeo discedere. Cumq; eã petenti Geminio familiari Põpeius concessisset, ac postea nunquã amplius eã cõtigisset Pompeius, id se nõ meretricia leuitate tulisse aiebat, uerũ ex mœrore & desiderio ipsius perdiu ægrotasse. Plut. in Pompeio.

M. ANTONIVS Triumuir accinctus ad bellũ Parthicũ misit ad CLEOPATRAM Aegypti reginam imperans, in Ciliciã ut sibi occurreret ad causam dicendam: quòd Cassio diceretur multum ad bellum subministrasse opis & subsidij. Qui missus fuit Dellius, ut formam eius aspexit, in uerbisque acrimoniam & astutiam animaduertit: quòd protinus sentiret nihil in talem feminam Antonium cõsulturum grauius, sed fore illam apud eum maximam: conuertit se ad colendã excitandamq; Aegyptiam, iretq; (ut ait Homerus Odyss. lib. 12. de Circe) in Ciliciam egregiè adornata: neq; iucundissimũ imperatorem humanissimumq; formidaret Antonium. Illa hinc ab Dellio inducta, hinc coniecturam ducens ex prioribus suis formæ cum Iul. Cæsare & Cneo Pompeij filio commerciis, facilè Antonium sperauit se subacturam: quando puellam adhuc illi & rerum rudem cognouerant: ad hunc uerò uentura erat, quo maximè tempore speciem habẽt feminæ florentissimam, & ingenio uigent. Itaq; magnam uim donorum & pecuniæ parat ornamentaq;, qualia uerisimile sit potuisse eam ex ingenti opulentia & regno felici afferre: maximam uerò spem in semetipsa suisq; ponens præstigiis & ueneribus, dat se in iter. Postea quam ergo ad illum uenit, blandiendi artem nõ, sicut Plato ait, quadriuariã, sed multiuariam partita, & seriis intento & ludo semper nouam aliquam obiiciebat uoluptatem & oblectamentũ, quo lactabat Antoniũ, neq; noctu neq; interdiu ab eo discedens. Ludebat cũ eo alea, potabat, uenabatur, in armis exercentẽ se spectabat, noctu assistentem ianuis & fenestris popularium, atq; in eos, qui intus erant, dicta iacientẽ, per plateas comitabatur, ac cũ eo uagabatur ueste ancillari tecta. Nãq; einscemodi cultu ornare se ille elaborabat: unde frequenter dictis, frequenter etiam uerberibus multatus regrediebatur. Quamuis esset autem suspectus plerisq;, gaudebant tamen illius ludo & urbanitate Alexandrini, atq; alludebant, lætiq; dicebant non inscitè neq; inconcinnè, tragicam personam cum aduersus Romanos sumere, comicam aduersus ipsos. Frequenter respõsa dans tetrarchis & regibus, pro tribunali tabellas amatorias accepit ab ea, & lectitauit onychinas & crystallinas. Cùm Furnius aliquando magnæ uir auctoritatis, atq; inter Romanos eloquentissimus, causam quandam ageret, Cleopatrã lectica per forũ delatam Antonius ut uidit, exiliens iudicium reliquit, dependensq; ex lectica illam deduxit. Præterea non mediocria neque exigua donauit ei, sed Phœniciam, Cœlesyriam, Cyprum, magnam Ciliciæ partem, adhæc Iudeæ regionem, quæ balsamum gignit, & Arabiæ Nabatheæ quantum ad Oceanum uergit. Caluisius Cęsaris necessarius eidẽ donasse scribit bibliothecas, quę Pergami erant, in quibus ducenta millia erant simplicium uoluminum. Eius aduentum ad bellum Parthicum proficiscentis, totus oriens expauit, ob inuicti exercitus famam. Fuit tamen terrificus ille belli apparatus Antonio inutilis, qui amatoriis (ut fertur) medicaminibus Cleopatræ uictus, ut quàm primũ ad reginæ oscula & complexus reuerteretur, bellum neq; loco neq; tẽpore satis idoneo inchoauit. Quippe quẽ in Armenia hyemare, ut aiũt, oportuisset, ut miles octo millium stadiorum itinere fessus reficeretur, mox ineunte uere Mediam occupare: Quorum neutrum est ab eo factum. Post bellum Parthicum contracta in gymnasium plebe, positisq; pro tribunali argenteo soliis duobus aureis, sibi uno, altero Cleopatræ, filiis humilioribus aliis: primùm reginam appellauit Cleopatram Aegypti, Cypri, Africæ, & Cœlesyriæ, collega regni Cæsarione, qui ex Cæsare Dictatore grauidã relinquẽte Cleopatram existimabatur editus. Deinde suos & Cleopatræ filios reges regum appellauit, & Alexandro Armeniam cum Mediã & Parthorũ regno, cùm subactũ esset, attribuit: Ptolemæo Phœniciam, Syriam, Ciliciã. Simul pueros produxit, cultu Alexandrum Medico, tiara directa & cidari cultum: Ptolemęum crepidis, chlamyde & causia ornatum diademate redimita. Hic enim Alexandri successorum cultus, ille Medorum erat & Armeniorũ. Mox cùm salutassent parentes pueri, hunc Macedones, illum Armenij stipauere. Iam cùm Octauia Athenas usq; progressa Antonium cum præclaris muneribus exceptura esset, Cleopatra ueritã, ne cum grauitate morum & Cæsaris potentia placidã adiungens consuetudinẽ, & Antonij obseruantiam, insuperabilis esset, & semel potiretur uiro: deperire simulabat se Antonij amore, ac corpus tenui uictu deducebat. Obtutus oculorum eius adeunte illo obstupefactus, marcescens abeunte & deiectus simulabatur. Moliebatur subinde uideri lacrymari, lacrymas uerò quasi illum fallitura citò detergebat & occultabat. Hæc agebantur parante illo profectionẽ ad Medum. Inseruientes aũt assentatores Cleopatræ, increpabant Antonium, ut durum & ferreum, qui immeritò perderet feminam ex illo pendentem uno & solo. Octauiam enim rebus postulantib. fratris Octauij gratia iunctã ei fuisse, & nomine frui uxoris: Cleopatram uerò tam multorum reginam mortalium pellicem Antonij nominari: neq; eam hoc defugere uel dedignari nomen, quo ad aspicere illum, & unà liceat uiuere: quo si orbaretur, non ducturam ultra spiritum. In tantum igitur uictus est Antonius, ut Octauia spreta, & per certos suos amicos Romæ domo eiecta, cum Cleopatra uiueret, & bello contra Octauiũ suscepto, turpissimè uictus uitam in scorti impudentissimi amplexibus profunderet. Plut. in Antonio.

Vitellij Imperatoris pater LVCIVS Vitellius, aliàs uir innocens, & industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cuius etiam salium melle commiscens, nec clàm quidem aut rarò, sed quotidiè ac palàm, arterias & fauces pro remedio fouebat. Suetonius.

VITELLIVS Imp. Asiaticum libertum adolescentulũ mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, cùm Puteolis poscam uendentem deprehendisset, coniecit in compedes, statimq; soluit, & rursus in deliciis habuit. Iterũ deinde ob nimiam contumaciam & ferocitatem grauatus, circumforaneo lanistæ uendidit, dilatumq; ad finẽ muneris repentè surripuit, & prouincia demùm accepta manumisit: ac primo imperij die aureis donauit anulis super cœnam, cùm manè rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset seuerissimè talẽ equestris ordinis maculam. Idem.

Thorilda Hunningi Gothorũ & Suecorũ regis uxor, priuignos suos Regnerum & Thoraldum per contemtũ pascendo præfecit pecori, ne ad regni fastigiũ aspirarent. At SVANHVITA Hadingi Danorum regis F. amore & uirtute excita, Regnerum liberauit, & gladio magico, dotis nomine ei tradito, ad paternum regnum uindicandum accendit. Regnerus ergo ducta in uxorem Suanhuita, Thorildam occidit, & regnum feliciter partum felicissimè administrauit. Ioann. Magnus lib. 2. cap. 16. hist. Gothorum.

ALMARVS I. Mõtisferrati princeps, Saxoniæ fuit ducis filius. Qui parentibus ad Galecianam D. Iacobi Apostoli ędem ex

uoto proficiscentibus, Alexandriæ est natus, ibiq; infans à parentibus relictus, datiq; sunt illi nutritij, nutricesque, ut splendidè & ex splendore domesticæ fortunæ aleretur. Cæterùm parentibus longa peregrinatione amissis, amisit & principatum. Sed instituentium cura, ingenijq; facilitate, tãtum inde puer profecit, ut Otho II. illi ignoto adhuc ALASIAM filiam, uix infantia egressam, literis dederit instituendam. Illa ubi eò uenit ut per ætatem uirum cognoscere posset, adolescentis forma & ingenio capta, auctor illi fuit, ut quando ob disparem fortunam eius connubio aliter potiri non posset, unà ignoto habitu in alienas terras proficiscerẽtur. Pacti prius inter se matrimonium, fideq; in id data & accepta, regia domo occultè digressi longis itineribus in Albingaunos uenêre. Hic tandiu dissimulata utriusq; persona ambo cõmorati, ut ter sit interim Alasia enixa: postremò agniti, per Albigẽsem antistitem in Othonis gratiam recepti, eam Italiæ partem ab eo possidendam accepere, quã Montferratenses habent, cum iis qui circa illos extremam Italiam incolunt, inter Vesulum montem, Apenninum, & Ligusticũ mare. Ex Almaro septies Alasia peperit. Gulielmus maximus natu, patre defuncto, ab Othone auo materno adhuc in humanis agente, Marchio appellatus, in paterno locatur principatu. Ceteri Almari liberi omnes uirilis stirpis, aui munere, suum singuli sunt principatum adepti, urbes cum titulo datæ, Sauona, Ceua, Incisa, Ponsonium, Boschum, & Salutiæ. Et familia uetusta & illustris tam memorabili casu in Italia per id tempus orta est. Hinc Christiani nominis assertores acerrimi, fundatores insignium templorũ, cœnobiorumq; illustrium. Sabel. lib. 2. En. 9.

Rogerius II. Siciliæ & Neapolis rex primògenitum suum ROGERIVM disciplinæ causa ad Robertum Comitẽ Leccium prope Tarentum misit. Illic ex filia Comitis furtiuo cõcubitu suscepit Tancredum & Constantiam. Morti proximus ex phthisi, patri peccatũ suũ fassus, ut Comiti ignosceret, & filiam Comitis desponsare sibi liceret, ne qui superessent liberi inter spurios connumerarentur, petiit & impetrauit. Eo mortuo, Rogerius fide non seruata Comitem cũ Tancredo in exilium pellit, Constantiam cœnobio includit. Posteaquã uerò Gulielmus IIII. absq; liberis obiit, qui Tancredũ consanguineũ suum è Græcia reuocari curarat, proceres Siculi Tancredum regẽ declararunt. Celestinus uerò III. Pp. Constantiã è cœnobio exemtam Henrico VI. Imp. despondit, & dotale regnum Neapolitanum & Siciliæ esse iussit. Hẽricus tandem Gulielmum Tancredi F. regno exutũ castrauit, & regem se Siciliæ fecit Collenucius lib. 3. hist. Neapol.

GALEACIVS Mantuæ dux cùm Papiæ hybernaret, puella quam amabat per iocũ imperante, in fluuium ex ponte cũ equo desiliit. Pontanus.

BASILIVS Trapezuntis princeps cùm Irenem Imperatoris Constantinopolitani filiam duxisset, & breui tempore cum ea uixisset, legitimos amores in meretriculam quandã, quæ & ipsa Irene dicebatur, transtulit: cuius nefaria consuetudine in uxoris odium est impulsus, ita ut eam palatio quoque exegerit. Gregoras lib. 11.

Mortuo Nerio Athenarum principe VXOR eius tyrannidem obtinuit, habens ex marito filium superstitem adhuc puerulum, conciliatis sibi Ianizaris. Pòst adolescentem Venetum, Petri Palmerij, qui Nauplio pręerat, F. mercatorem adamãs, eius pacta est nuptias, si modò uxorem suam Venetã repudiaret. Adolescẽs ueneno sublata uxore, Athenarũ imperio potitus est. Mahometus Turcorum Imp. cognito facinore, Franco Nerij patrueli, qui ex Ianizaris erat, urbis præsidium cõmisit. Is scelestam mulierẽ imperio & uita priuauit. Chalcocondylas lib. 9.

VDALRICVS Boemiæ dux, quum è uenatione rediret, puellam uidit uestimenta lauantem, rusticam liberali facie, forma eleganti, cui Bocenæ nomen erat. Hanc mox inuitis familiaribus uxorẽ accepit, ex qua Bizetislaus natus est. Qui ubi adoleuit, tanta fuit audacia, ut Iuditham Othonis filiã, Ratisbonæ in sanctimonialium cœnobio permanentem, sola fama peramarit, eamque clàm è loco sacro subtraxerit. Pater quum hanc multis ualidissimisque copiis repeteret, ac utrinq; acies constitissent, Iuditha in medium progressa, Sabinarum imitatione, utrunque reconciliauit. Bonfinius lib. 2. Decadis 2.

In Granatæ regno, inter Antidonam & Anticheram urbes petra est edita, Pegna amatorum, hoc est, petra amantium dicta, ob hanc causam. IVVENIS quidam Hispanus Christianus Granatæ domino Saraceno seruiens, mutuo amore FILIAM deperibat, & tum libertatis, tum religionis, tũ amorum causa cum ea inscio patre fugam iniit. Peruenerant iam ad collem hunc, cùm patrem eminus insequentem uident, metuque territi petram ascendunt, & subeuntes aulsis cespitibus & saxis ascensu arcent. Pater ira frendens, sagittarios è pago proximo accersiri iubet. Miseri amantes desperata uenia atque fuga se mutuò complexi, præcipites se dedere ab ea parte, qua pater ascensum urgebat, casuque extincti omnium reliquorum animos, præterquam duri & immoti patris, sic permouere, uti ambos, inuito sene, uti erant uestiti, constrictique, eo loci sepelirent. Laurentius Valla libro 1. Historiarum.

Ioanninus Carazolus Roseus, ignobili gente ortus, cùm in aula IOANNÆ secundæ reginæ Neapolitanę amanuensis esset, in eius flammas Ioanna incidit, eumque Auelinij comitatu, sub uxoriæ dotis nomine, donauit, postea ad Melphitensem quoque ducatum, atque ad magnum Comestabulatum extulit. Cæterùm qui finis esse solet impuri amoris, ab ipsa regina tandem crudeliter opibus, honoribus, uitaq; spoliatus fuit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, in senium uergens, Lucretiam de Allanio, prçstanti forma nec obscuro genere puellam, adeò impotenter deperire cepit, ut regij oblitus fastigij ab ea legatos ad pontificem max. mitti sustinuerit, qui eius nomine peterent, Alfonso liceret uxorem Mariã sterilem dimittere, & Lucretiam ducere. Necessarios quoq; Lucretiæ ad summas opes euexit. Ricius libro 4. regum Siciliæ & Neapolis.

Quum Sigismundus Imperator Senis commoraretur, memorabile duorum amantium exemplum intercessit. EVRYALVS enim iuuenis equestris ordinis, & comes Augustalis, mira pulcritudine spectatissimus, primo obtutu in LVCRETIÆ Senensis amorẽ exarsit: pari quoq; ardore correpta iuuencula, quã tanta uenustate, formæq; præstantia ea tẽpestate præpolluisse memorant, ut alteram multi Venerem cognominarent. Amoris æstus perbreui utrunq; uoti compotem fecit. Sed abeunte Romam Imperatore, quum Euryalus amicam deserere cogeretur, secundùm digressum, altera sexus imbecillitate parum constans, præ amantis inopia expirauit: alter amicorum cõsilio & solatio aliquantisper instauratus, quamuis uitã distulit, nunquam tamen amplius ridere uisus est. Bonfinius libro 3. Decadis 3. Historiam descripsit Aeneas Syluius.

HEDVIGIS Ludouici Vngari F. Polonorum regina, procerũ uoluntate Iagelloni Lituanię duci nubere cogebatur. Clàm ergo Gulielmum Austriacum Cracouiam uocauit. Is arcis ingressu procerum auctoritate prohibitus, in urbe diuertit. Cõuenitq; cum eo identidem Heduigis regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo uirorum & puellarũ comitatu stipata, & choreis indulsit. Quin fama etiã seu uera, seu falsa uulgatum est, eam consummandi cũ illo matrimonij, priusquam Iagello ueniret, tanta cupiditate flagrasse, ut cùm ille thalamo eius arceq; arceretur, ipsa portã arcis clausam effringere, & in urbe optatis nuptiis cũ eo defungi tẽtarit, nisi Demetrius Goraius thesaurarius regni id ei dissuasisset. Intelligens aũt Gulielmus aperte sibi Polonos proceres aduersari, simul de aduẽtu Iagellonis certior factus, post aliquãtam moram clàm sese euoluit Cracouia. Aduentabat iam cum fratribus Iagello, & cum magno comitatu Lituanorum. Sed ei Heduigis nupturam se non esse præ se ferebat, Gulielmi amore capta: cui se à patre despõsam esse, eodemq; lecto paruulam cũ paruulo cubuisse asseuerabat. Ab Iagellone uerò eo magis abhorrebat, quòd eum breui statura, deformem & barbarũ barbaris moribus esse accepisset. Negabant proceres, ualere id matrimonium, quod inter impuberes contractum esset. De Iagellone autẽ orabant reginam, ut maiorẽ reipub. & sanctissimę religionis propagãdæ, quàm suarum uoluptatum rationem duceret. Vbi emollitus est muliebris animus, cùm multiplici persuasiõe & precibus, tum legatione Zauissæ Olesnicij, qui ad contẽplandã speciem moresq; Iagellonis per speciem salutandi missus, utraq; cõmodiora opinione in illo esse enunciarat: tùm demùm Iagello Cracouiam uenit anno 1386. & cùm Heduige nuptias celebrauit, baptisma, regnum & Vladislai nomẽ suscipiens. Cromerus lib. 14. & 15.

Parentum.

☞ *Consule Titulum, Fidei erga parentes. item Seueritatis in ulciscenda morte parentum.*

Icarum patrem ERIGONES quum agrestes Attici interfecissent, filia doloris impatiens laqueum implicuit collo. Ouidius in Ibin.

Hegesander in Cõmentariis narrat, Alcyonei gigantis filias fuisse, PHTHONIAM, ANTHEN, METHONEN, ALCIPPAM, PALENEN, DRIMO, ASTERIAM: quæ se post obitum patris de Canastræo Pellenæ promontorio in mare præcipitarint, & ab Amphitrite factæ sint aues, Alcyones à patre cognominatæ: unde dies sereni dicuntur Alcyonij. Suidas.

Cassandane Cyri Persarum regis uxor, cùm à marito Nitetim Apryis Aegyptiorum regis filiam sibi præponi animaduerteret, de hoc ipso coram muliere Perside conquesta fuit. CAMBYSES decẽ annorum puer lamentantis matris uer-

ba audiēs, in has uerba prupit: Ego uerò tibi minas mater, cùm in uirilem ætatē adoleuero, summa Aegypti reddam ima, & ima summa. Illudq; ipsum pòst reipsa præstitit. Herodotus tamen lib. 3. falsam esse historiam asserit. Nam Cambysi Nitetim pro filia in matrimonium fuisse missam, nō autem Cyro patri.

ALEXANDER Magnus matri Olympiadi ex præda Asiatica dona multa misit: cæterū interdixit ei rebus se ingerere, uel ducis munera uēdicare. Expostulantis secū leuiter tulit acerbitatē. Semel aūt, cū prolixas literas Antipatri illā criminantis perlegisset: ignorare dixit Antipatrum, sexcentas epistolas una deleri matris lacrymula. Plut. in Alexandro.

VESPASIANVS natus in Sabinis, & sub Tertulla auia paterna educatus in Hetruria, eā mirū in modū amauit: & ut eius sibi memoriā seruaret, è poculo eius argenteo festis diebus potare perseuerauit. Suetonius.

HERODES rex Iudæorum oppidum in Capharsaba campo extruxit, & à suo patre Antipatro denominauit Antipatrida. Deinde castellum matrem suam Cypron nomine referens supra Hierichuntem condidit, communitum egregiè, & instructum amœnis domiciliis. Nec fraterni affectus oblitus, memoriæ illius dedicauit ædificia pulcerrima: primùm turrim Pharo non minorem in ipsa urbe, in defuncti monumētum Phasaelum uocatam, propugnaculum urbis munitissimum: deinde eiusdem nominis oppidum circa uallem Hierichuntinam, quà itur ad septentrionalia: quo factum est, ut circumquaque situs ager antea penè desertus diligētius coleretur ab habitatoribus, Phasaeliticus inde appellatus. Iosephus lib. 16. cap. 9. Antiq.

BOLESLAVS III. Polonorum rex mortē patris sui Vladislai multis lacrymis prosecutus, gestabat de collo suspēsam auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, ut quicquid uel faceret, uel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia & exaudiente patre. Cromerus lib. 5.

Liberorum.

☞ *Consule Tit. Clementiæ & Indulgentiæ parētum erga liberos, Fidei erga liberos, Seueritatis & Crudelitatis in ulciscenda filiorum morte.*

Iosephum unum ex filiis amissum multos annos luxit IACOBVS patriarcha, nec prius diuturnū luctum abstersit, quàm ex insperato repertus est: cuius uidendi studio patriam & domesticos lares reliquit, migrauitque cum tota domo in Aegyptum, centum uiginti annos & amplius natus. Sabellicus libro 3. capite 4.

Tobias iunior, cùm recessisset à parentibus suis, cepit mater eius ANNA flere, & dixit: Baculum senectutis nostræ dimisisti. Eo moram faciente, fleuit iterum, atque dixit: Heu mihi, fili mi, ut quid misimus peregrinari lumen oculorū nostrorum? Tobiæ capite quinto & decimo.

TOBIAS cęcus exsurgens, occurrit filio suo redeunti, & suscipiens osculatus est cum uxore sua: & ceperunt flere cū gaudio magno. Tobiæ 11.

PRINCIPES uiri (ait Salomo) amissorum liberorum quos deamauerant memoriam conseruaturi, eorum curabāt pingi & incidi uultum, studiosè imagines asseruabant, osculabantur sæpe. Augustum Cæsarem Capitolio exeuntem legimus defuncti nepotis imaginem, forma expressam Cupidinis, solitum de osculari. Hæc prima idololatriæ occasio extitit.

CHORVS Atticarum mulierum, apud Eurip. in Ione Apollini Delphico pro Creusa regina supplicantium, liberorum causa, inquit:

ἐμοὶ μὲν πλοῦτου τε πάρος,
βασιλικῶν θαλάμων τ᾽ εἶεν
τρόφιμοι κήδειοι κεδνῶν τέκνων,
τὸν ἀπαιδὰ δ᾽ ἀποστυγῶ
βίον ᾧ τε δοκεῖ, ψέγω·
μετ᾽ ὀλίγων κτεάνων μετρίων βιοτᾶς
εὔπαιδος ἐχοίμαν. Mihi quidem & diuitiis & regiis thalamis præferantur educationes propriæ bonorum filiorū. Carētem enim liberis abominor uitam: & cui probatur, uitupero. Cum facultate mediocri uitam cum procreatione liberorum consequar.

HECVBA apud Euripidem rogans Vlyssem, ne filiam Polyxenam à se ad necem abstraheret, hos uersus subiicit:

ταύτῃ γέγηθα, κἀπιλήθομαι κακῶν,
ἥδ᾽ ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ. In hac me oblecto, & obliuiscor malorum: hæc pro multis est mihi solatium: ciuitas, nutrix, scipio, dux uiæ.

MEDEA apud Euripidem ait:

– τῶν δ᾽ ἐμῶν παίδων φυγὰς
ψυχῆς ἂν ἀλλαξαίμεθ᾽, οὐ χρυσοῦ μόνον.
– Meorum autem filiorum exilium
Vita utique permutarem, non auro tantum.

EVRYDICE uxor Creontis Thebani, Hęmonis filij morte cognita, laqueo uitam finiuit.

Confectum senio PRIAMVS ubi uidit filiū suū Politen à Pyrrho Achillis filio interfectum, non potuit iræ parcere, quin homicidam insectaretur conuiciis, à quo ipso ad aram trucidatus est. Virg. lib. 2. Aeneidos.

MYCERINVS rex Aegypti, filiam quam habebat unicam, adeò dilexit, ut mortuæ cadauer incluserit aureo bouis simulacro: quod in templis proximè deos posuit, floribusq; ornauit, quotidie admōta noctu perpetua lucerna. Herodotus libro secundo.

ZALEVCVS legislator Locrensis (qui Tulli Hostilij ætate uixit) cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secū dùm ius ab eo constitutum utroq; oculo priuandus esset: ne iustitiæ repugnaret, filij tamē pietatem nō negligeret, ipse sibi non pepercit: sed suo prius, deinde filij oculo eruto, usum utriq; uidendi reliquit. Val. Max. Seleucum uocat.

Græcæ mulieres cùm rem sæuam facerent, atq; ex se natos infantes exponerent, aliquam tamen pietatis speciē in duro illo munere obeundo retinebant: nec patiebantur filios nudos prorsus expertesq; suorum bonorum ad mortē tradi. Itaq; cùm necessitati alicui angustiisue rei familiaris parerēt, nō obliuiscebantur penitus se matres esse, sed aliquid sui or natus sibi detrahebant, corporiq; ipsorū imponebant. Inde autem postea, ut poetæ comici tragiciq; fingunt, aliquando illi agnoscebantur: mutatisq; temporibus ac fortunis parētum, libenter in familiam suā asciscebātur. Hoc diligēter exposuit Terentius in Heautontimorumeno, cùm induxit Sostratam, Chremetis uxorem, ita cum uiro loquentem: Vt stultē & miserè omnes sumus Religiosæ, cùm exponendū do illi, de digito anulum detraho, & eum dico unà cum puella exponeret. Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis. Hoc etiam seruasse Creusam narrat Mercurius apud Euripidem in Ione, cùm ex se & Apolline natū exponeret, inani misericordia mota se muliebri ornatu spoliat, & morituro filio adplicat. Victorius lib. 2. Var. lect. c. 3.

SELEVCVS Asiæ rex Stratonicam coniugem amantiss. Antiocho F. amore eius pereunti, Erasistrati medici conciliatione, libenter concessit.

PTOLEMÆVS Lagi F. primus Aegypti rex, non solùm regno cessit minori natu filio, uerùm tanquā cum eo stipendia faceret, inter uigiles eius fuit: maiore affectus gaudio, quòd regis pater, quàm quòd ipse rex esset. Fulg. lib. 5. c. 7.

ARIOBARZANES Cappadociæ regno filio suo cessit multum licet reluctanti, nec nisi Cn. Pompeij auctoritate intercedendo diadema suscipienti. Val. lib. 5. c. 2.

CLEOPATRA Aegypti regina à Proculeio capta, & ne sica seipsam confoderet prohibita: ex mœrore simul & dolore febre correpta fame se necare uoluit. Odoratus rem Cæsar Augustus obiecit ei minas & terrores de liberis: si quid in se uiolenti attentasset, id se in liberis uindicaturum. Quibus illa sicut machinis expugnata est, permisitq; corpus suū omnibus pro arbitrio curare & alere. Plut. in Antonio.

M. TVL. Cicero qua cura, qua anxietate animi, quanta molitione cōsecraturum se ait memoriam filiæ, omniumque excellentium ingeniorum & Græcis & Latinis monumentis effecturum, ut pro dea habeatur? qua solicitudine scribit ad Atticum, ut ager sibi ematur loco celebri, in quo fanum extruatur Tulliolæ? Quid sequutum est? Scripsit libros duos de morte filię, quibus, ut credibile est, profusis ingenij illius tāti tamq; in dicendo exercitati opibus, argumentis, schematis, cultu & ornatu orationis, conatus est persuadere posteritati, Tulliolam esse deam. Sed inepti patris aniles lacrymas & cōmentum fragile præsentes posteriq; deriserunt. Ludo. Viues de ueritate Fidei lib. 2.

AVGVSTVS Cæsar tantopere Drusum Germanicū priuignū uiuum dilexit, ut cohæredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est, & defunctum ita pro concione laudauerit, ut deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent: sibiq; tam honestū quandoq; exitum darēt, quàm illi dedissent. Nec contentus elogium tumulo eius uersibus compositis à se insculpsisse, etiam uitæ memoriam prosa oratione composuit. Suetonius.

Nero, qui prius Domitius, priuignus Claudij Imp. matre AGRIPPINA, patre Domitio Aenobarbo, matris astu imperium obtinuit. Cùm Chaldæos sciscitata, an imperaturus esset filius, futurum comperisset, ut is demum imperaret, uerùm ita ut matrem interficeret: Interficiat, inquit, modò imperet. Sabellicus libro tertio, capite quarto. & Iosephus lib. 20. cap. 5. Antiq.

CLAVDIVS Cæsar Britannicum uigesimo imperij die, inque secundo consulatu natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio ante se retinens, assiduè commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. Suetonius.

MAN-

M. ANTONINVS Pius Imp. Faustina uxore mortua noluit liberis suis superducere nouercam, contentus concubina: quanquam multum laboraret Fabia, ut in eius matrimoniū ueniret. Capitolinus.

Sic dilexit CAROLVS Magnus imp. filios & filias, ut nunquā absq; illis aut pranderet, aut cœnaret, & quocunq; iret, secū duceret. Interrogatus, Cur nō elocaret filias, cur nō peregri natū mitteret filios? respōndit, Quòd illorū absentiam ferre non posset. Hedio in Chron. German.

Dux Aquitaniæ ab Aspero comite Andegauorū beneficiario suo indignis modis uexatus fuerat: illoq; mortuo Fulconē eius filiū admodū puerū acerrimo bello persequebatur, euersurusq; uidebatur. Mater BERTRADA, quamuis sanguine nobilissima, pellicatus tamen infamiā fœditatēq; nō abnuens, dum filio paternas opes incolumes præstaret, Philippū Regem Francorū forma blanditiisq; in sui amorē pellexit. Nec modò patrimoniū tutum puero fuit, sed & incrementa fortunarū euenêre. Helias Comes Cenomanus Vibergam unicam filiam ei collocauit: qua mortūa in Orientē trāsmisit religionis causa, & centum equitum cataphractorum comitatu aduersus impios præclara facinora edidit, ut tandē à Balduino successor in regno Hierosolymitano delectus fuerit. Aemilius lib. 5.

ANGELVS Patriciacus, primus dux Venetorū, relicta Methamauco urbe, in Venetas insulas faustissimo auspicio immigrauit, omniūq; cōsensu postea cauit, ut hæc perpetua ęternaq; ducum Venetorum sedes esset. Quum duo illi essent liberi, Iustinianus ætate maior, & Ioannes: illum ad Leonem Imper. Constantinopoli legatum misit: Ioannem uerò natu minorem, collegam sibi asciuit: tametsi non nesciret superiores in Methamauco duces aliquando à filiis graues tulisse iniurias. Rediens Iustinianus, ægreque ferens fratri imperium attributum, nec patrem inuisere uoluit, nec paterni palatij fores adire. Quod pater animaduertens, Ioannem ipsum Constantinopolim nauigare iussit, Iustinianūq; cum Angelo filio principatus sibi sociū asciuit. Parente tandem & fratre mortuo, reuersus Ioannes, ducariam dignitatem recepit. Egnat. lib. 5. cap. 7.

PETRVS Gradonicus dux in Ioannis Patriciaci locū subrogatus, filium Ioannē & collegam uiuenti sibi, & post mortem successorē instituit. Sed mortuo prius filio pater diu principatu functus, dum à Zachariæ templo reuertitur, à coniuratis interfectus est. Egnatius lib. 5. cap. 7.

VRSVS Patriciacus dux Venetus in Petri Tribuni ducis locū subrogatus, propter egregias uirtutes charus in primis omnibus ciuitatis ordinibus fuit. Capto filio à Narentanis hostibus (quum à Constantinopolitano principe magnis muneribus, protospatharijq; dignitate ab eo donatus rediret) missis legatis cum magna pecuniæ ui, pluribusque aliis donis, eum recepit. Id[illegible]

In

Fratrum & Sororum.

☞ *Huc refer Fidei fraternæ exempla.*

PETRVS Bariona, & ANDREAS eius frater, adeò uterque alterum dilexit, ut quod uni fuit cordi, fuerit & alteri. Piscatu ab ineunte ætate uterque uixit: hic retibus relictis Christum secutus est, secutus est & ille: ambo Apostoli nomen tulêre, ambo Christi nomen professi mortem oppetiuêre: & ut extrema primis responderent, cruci ambo affixi, ut quorum mens semper una fuisset, unus esset & exitus. Sabellicus libro 3. cap. 7.

ACTORIDES fratres, à patre Actore, à matre Molione MOLIONIDÆ dicti, συμφυεῖς, id est congeniti, fuerunt aurigę, & concordes: alter habenas & lora, alter scuticā & flagellū moderabatur. Duo uterq; capita, quatuor manus, & totidē pedes, unū uerò corpus habuisse dicuntur. Hos cùm Hercules uincere nequiret, insidiis intercepit, Elinq; obtinuit. Pherecydes, Mnaseas, Pindarus, & alij.

Meleager Oenei filius, penes quem omnis fuit Calydonij apri peremti gloria, occisæ feræ exuuias Atalantæ puellæ Arcadicæ, in cuius amorem iuueniliter inciderat, dono obtulit. Erat puella Schœnei filia. Conuenerant ad id monstrū conficiendū multi uiri illustres, & in his duo Meleagri auunculi Thestij filij. Hi iniquo animo ferentes tātæ rei laudem peregrinæ feminæ temerè delatā, puellā in Arcadiā abeuntē insidiis excipiunt, exceptę munus adimūt. Eaq; iniuria Meleager cōmotus auunculos obtrūcat. ALTHEA duorū fratrū morte iritata diris execrationib. deuouit natum, fuitq; eius mortis auctor. Sunt qui fatali stipite illum consumtum tradant. Sed (quoquo modo consumtus est) Althea, ubi suæ in filium sæuitiæ pœnitere cœpit, doloris impatiēs laqueo collum implicuit. Sab. lib. 6. En. 1.

Hercules Amazonibus uictis in Hiberiam ad CHRYSAORVM debellandum profectus est, non monstrosa hominis, ut est in fabulis, forma, motus, quæ utique nulla fuit: sed diuitiarum fama, regnique opulentia. Tres erant filij, uiribus corporis animiq; ferocia pares, quorum cuiq; suus erat exercitus. Vnde tricipitis monstri fabula orta uideri potest. Sunt qui Chrysaoro duos fuisse fratres memorant, quibuscum tanta animorum concordia regnarit, ut tres uno corpore animæ habitare crederentur, aut una potius in tribus corporibus. Geryonem hunc poetæ cæterique scriptores uocant, Sabellicus lib. 5. Enn. 1.

Hac lege Amphitryoni nupsit ALCMENA, ut mortē Electryonis fratris à Telebois siue Taphiis cæsi ulcisceretur. Apollonij & Lycophronis scholiastæ, ac Hesiodus in Scuto Herculis, qui Plauto in Amphitryone lucem afferunt.

MELAMPVS uates & medicus clarissimus, cùm frater eius Bias filiam Nelei Peco nomine deperiret, neque eam Neleus alicui dare uellet, nisi qui prius Iphicli boues abegisset: Melampus hoc facinus aggressus, ab Iphiclo captus est. Sed postquam Iphiclo imminentem ruinam tecti prædixit, ab eo unà cum bobus dimissus, ad Neleum uenit, & fratri Bianti uxorem Peco impetrauit. Theocritus, Diodorus, & Herodotus lib. 9.

TISAMENVS Antiochi filius Eleus aruspex à Spartiatis ciuitate donatus, ut aduersus Persas dux eorum esset, negabat se eo esse contentum: sed oportere fratrē suū Hegiā etiā fieri Spartiatam eadem conditione, qua ipse fieret. Idq; impetrauit. Et hi duo ex omnibus hominibus soli sunt à Spartiatis ciuitate donati. Idem.

AETHIOPES præcipuè sorores suas honorant: & reges maximè relinquunt successiones non suis, sed sororum filiis. Quòd si nullus successor sit, pulcerrimum ex omnib. & bellicosissimum creant regem. Stobæus.

De LETOIO & PAVLO fratrib. Agathias in 3. Epigram.

Λητόϊος καὶ Παῦλος, ἀδελφειὼ ἄμφω ἐόντε,
ξυνὸν μὲν βιότου συζυγίην ἔχέτην·
ξυνὰ δὲ καὶ μοίρης λαχέτην λίνα, καὶ παρὰ θῖνα
βοσπορίην ξυνὴν ἀμφεβάλοντο κόνιν.
οὐδὲ γὰρ ἀλλήλων ζώειν ἀπάνευθε δυνάσθην,
ἀλλὰ μονηρίην ἔτλαν ἐπὶ Περσεφόνην.
χαίρετον ὦ γλυκερὼ καὶ ὁμόφρονε, σῆμα δ᾽ ὑμεῖων
ὤφελεν ἱδρῦσαι βωμὸς ὁμοφροσύνας.

IAZATES Adiabenorum rex, quanquā quatuor & uiginti filiorum pater esset, uni tamen moriens Monobazo fratri regnum reliquit. Fulg. lib. 5. cap. 5.

PHAR-

PH[redacted]

L.LV[redacted]

Eo bello quod C.Corne[redacted] te cũ C.Mario, & aliis ex Africa exulibus, Romanis intulit, DVO fratres, alter ex Pompeij, alter ex Cinnę exercitu, ignorantes concurrerunt: & cùm uictor mortuũ spoliaret, cognito fratre, ingẽti edita lamentatione, ac rogo extructo, se insuper cremauit. Volat. lib.14.c.2. Anthrop.

MILES quidam in castris Cn.Pompeij stipendia peragens, cũ Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset, iacentemq; spoliaret, ut fratrem germanum esse cognouit, multùm ac diu conuicio deos ob donũ impiæ uictoriæ insecutus, prope castra transtulit: & preciosa ueste opertum rogo imposuit: ac deinde subiecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum trãsuerberauit: seq; super corpus fratris prostratum, cõmunib. flãmis cremandum tradidit. Val.Max.lib.5.c.5.

Cùm adhuc admodũ puer esset CATO Vticensis, responsum dedit exquirentibus, quem maximè amaret: fratrem Cępionem: quem secũdum: æquè fratrem: & tertium: quousq; eodem subinde repetito responso destitit alter à percunctando. Vbi adoleuit, cõfirmauit etiam atq; etiam eam beneuolentiam in fratrem. siquidem annos natus uiginti, sine Cæpione nunquam cœnauerat, non peregrè profectus, non in forum progressus fuerat: uerùm unguentum sumente illo repellebat id, cæteraque restrictam uitam & rigidam tenebat. Ac Cæpio, cùm frugalitas eius & moderatio extolleretur, fatebatur talem se esse, si cum aliis contenderetur: at ubi cum Catonis uita, inquit, comparo meam, nihil mihi ipse uideor à Sippio differre, nominans quendam decantati luxus & mollitiei. Cùm autem Cępio Asiam petens, Aeni in Thracia decessisset, Cato Trib. mil. ex Thessalonica superueniẽs, uisus est animo imbecilliore casum quã pro philosopho tulisse, non lamentationibus solùm & cadaueris amplexibus mœrorisq; magnitudine: uerùm etiam sumtu funeris, odorum magnificentia, & uestibus preciosis cum cadauere crematis, ac monumento polito ex Thasio marmore, quod cõstitit octo talentis, in Aeniorum foro locato. Multa uerò ei ad funus ciuitates & dynastæ honoris defuncti causa miserunt: ex quibus pecuniam ille à nemine, sed odores & ornamenta accepit, reddito mittentib. precio. Cuius hæreditate sibi & illius filiæ delata, nihil eorum, quæ in funus impendit, repetiit in partitione. Plut. in Catone.

Duo LIGARII fratres in triumuirali proscriptione nominati, cùm ambo eodem in loco laterẽt, & somnus eos oppressisset, alter eorum occisus est. Fugiens alter, à ponte se in Tiberim præcipitauit: adiutusque à piscatoribus, qui prope eum locum erant, arbitrantes aut lapsum fortè, aut deiectũ in amnem alterius opera fuisse, uehementer enixus est, ne inde extraheretur. Et cùm ita inter eum piscatoresque contenderetur, superuenere qui proscriptorum disquisitionem procurabãt, ab ipsisque, ut optabat, occisus fuit. Fulgosus libro 5. capite 3.

Augustus Cæsar cùm Adiatorigem cum CLITATO filio Sacerdote Anaitidis deæ apud Comana Ponti urbem statuisset interimendũ, iunior FRATER militibus, qui eum ducebant, maiorem se affirmabat, diuq; inter fratres contentio fuit, & pulcrũ de morte certamẽ, cùm premori uellet uterq;: quousq; parentes Clitato persuasere, ut iuniori cederet, asserentes ipsum, qui ætate prouectior esset, maiorem de matre ac reliquo fratre curam habiturum. Itaq; secundus filius cum patre interemtus est: Clitatus seruatus uel inuitus, qui eam dignitatẽ est consecutus. Nam Cæsar re cognita, uehementer doluit, & eos qui seruati erant, beneficio & cura ꝓsecutus est. Aen. Syl. cap.52. Asiæ ex Strabone.

TIBERIVS fratrem Drusum in Germania amisit, siue collapsum equo & fracto crure (ut Liuius scribit) siue morbo cõsumtum, ut Suetonius. Huius cadauer pedib. toto itinere ꝑgrediens Romam usq; peruexit. Ad eum in Germaniã ęgrotantem iter ducentorum millium passuum die ac nocte uehiculis tribus emensus est, teste Plinio.

LEOPOLDVS dux Austriæ, Gloria militum cognomine, fratre Friderico Pulcro rege capto à Ludouico Bauaro cõpetitore, omnẽ mouit lapidem, ut fratrem liberaret. Quin & magum consuluit, & de fratre liberãdo interpellauit, & sub habitu uiatoris dæmonẽ rogauit, utrum Fridericum è uinculis queat liberare. Promittit ille, si obsequi uelit. Territus autem spectro Fridericus, assentiri noluit. Pontificem maximum & regem Franciæ, ut pro eo intercederent, induxit. Sed cũ Ludouicus nec precibus nec munerib. flecti posset, Leopoldus fœdus cum Pontifice atq; rege Franciæ fecit contra Ludouicum. Cuspinianus.

IOVIANVS Pontanus prædiorum fortunarumq; auitarum, totiusq; paternæ rei usum atq; possessionẽ, sorori suę permisit, contentus iis bonis, quæ Neapoli atq; in Campania labore atq; industria sua comparasset. Testis ipsemet libro de Liberalitate, cap.11.

MARCVS & AVGVSTINVS Barbadici fratres, Francisco diuĩ Marci procuratore geniti, iam inde à pueris tanta inter se caritate ac pietate uixère, ut uterque semper sub eodẽ tecto uixerit. Veneta ciuitas illorum inter se mutuum amorẽ admirata, paribus ferè dignitatis gradibus utrunq; semper extulit: atque adeò defuncto Marco duce, Augustinum fratrẽ nouo exemplo in principatu successorem esse uoluit, iussit. Egnatius lib.5.cap.5.

Fuère Bernardo Iustiniano Veneto seniori tres filij mares, qui mortuo patre domi sub matre educati, tanta inter se caritate semper uixère, ut nihil admirabilius in uniuersa ciuitate foret. Mox quum LAVRENTIVS monasticam uitam secutus esset, non fecit tamen diuersa uictus ratio, ut nõ semper eodẽ inter se animo essent, mutuoq; amore alter alterũ colerer. Sic igitur Marcus ipse, quamuis Senator egregius, sic Leonardus frater orator insignis, Latinisq; & Grecis literis instructissimus, Castellana fratris Laurentij quotidie frequẽtabant, ut aut cum eo cœnarent, aut prandium sumerent. Egnatius lib.5.cap.5.

Vitellij fratres IOANNES, CAMILLVS, PAVLVS & VITELLOZIVS, Nicolai apud Tiphernates uiri illustris FF. etsi inter eos, qui in Italia exercitus ductarẽt, ob uirtutis magnitudinem insignes habebantur, magnisq; stipendiis conducebantur: tamen ne minima quidem inter se ambitione laborarunt, neque ulla amoris offensio eis intercessit: maiorq; natu inter ipsos moriente, in ætate proximiori imperandi maiestas deferebatur. Idem.

Nepotum.

HERCVLES duodeseptuaginta genuit liberos, neque quàm ullum horum minus amauit fratris filium: cæterũ hac quoque memoria cædem aræ Iolao unà cum illo passim consecratæ sunt, uotaq; faciunt homines, ac parastatem Herculis appellant. Cùm uerò frater eius occubuisset in acie ad Lacedæmonem Iphicles, mœrore confectus, totam Peloponnesum reliquit. Matuta sorore defuncta eduxit infantem eius, atq; ad diuinitatẽ simul prouexit. Hinc matronæ Romanæ Matutæ solennibus non suos, sed fratrum & sororum liberos amplectuntur & honorant. Plut. de Pietate erga frat.

Aleuam Thessalum pater insolentẽ & effrenatum coercebat & acerbè tractabat: sed fouebat eum & adiungebat sibi PATRVVS. Mittentibus autem Delphos Thessalis ad Apollinem de regno sortes: iniecit pro [redacted] clam patre unã patruus. [redacted]

Ad hunc modum d[redacted] patrui opera Aleu[redacted], cùm [redacted]

Affinium [redacted]

ANTONIVS Co[redacted] Gabrielis mores cum hono[redacted] Garimbertus lib.3. de Vitis Pontificum.

Seruorum [redacted]

[redacted] *Dominorum* [redacted]

[redacted] *Ex Titulo, Fidei ser*[redacted]

Apud [redacted] dominos a[redacted]

C.Gracchus, ex [redacted] rum

rum ueniret, PHILOCRATI siue EVPORO seruo suo ceruices incidendas præbuit. Quas cùm celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini madentem per sua egit præcordia. Valerius Max.lib.6.cap.8. & Sab.lib.3. cap. 8. & Macrob. lib.1. Saturn. cap.11.

NAÆRA & CHARMIONE, duæ Cleopatræ reginæ pedissequæ, spontaneam dominæ mortem imitatæ, semiuiuæ repertæ sunt, dominæ iam mortuæ coronam capite delapsam reponentes. Hinc de fidis amicis dici solitũ, Naæra & Charmione. Quod amicitię genus Aegyptij appellabant συναποθνησκόντων, id est, cõmorientium. Plut. in Antonio.

PVB. Catienus Philotimus, à patrono bonorum omniũ hęres relictus, uiuum se rogo iniecit, cũq; eo mori uoluit: ut quorum animos singulari amicitia uita coniunxerat, corpora in morte non disiungerentur. Sabellicus lib.3. cap.8. Plin. libro 7. cap.36.

ODIVM VEL REVERA VEL OPINIONE MAlorum. ΜΙΣΟΣ.

Huius quædam ueluti species est ἐχθρά, Inimicitia, sicuti Amicitia τῆς φιλίας. Odimus etiam nos amantes: at inimici sumus inimicis. Ex loco Inimicitiæ petantur exempla. Nos hîc pauca, ut digitum ueluti ad fontem intendamus.

RESPECTV PERSONARVM.

Omnium hominum osores.

Μισάνθρωποι.

Cõsequitur hunc affectum Solitudinis studium. Ex Tit. Monachorum & Eremitarum. nõ pauca exempla huic loco inseruient. Neq; uerò hîc consilium solitudinis, quod modò laudabile est, modò uituperabile, perpendimus: sed solum conuersationis humanæ odium, quacunq; tandem de causa fiat.

GARAMANTES Africæ populi, omnium hominum cõmerciũ fugiunt, nihil bellicæ armaturæ habentes, ac ne defendere quidem sese audentes. Herod.lib.4.

TIMON Atheniensis non religione, non cœlestiũ rerũ indagine adductus, solus esse uoluit: sed prauo quodã affectu, rigoreq; naturæ, omni hominũ cõmercio sibijpsi interdicto. Is domiciliũ in agro Attico parauit, ut hominũ congressum fugeret: uixq; unus Atheniensiũ Apemantus ab eo admittebatur. Qui cùm super cœnã ioculariter dixisset, Nónne satis pulcrum hoc conuiuiũ, Timon? Pulcrũ, quidẽ respondit, sed adhuc pulcrius futurum, si abesses. Sabellicus libro secundo, capite secundo.

MYSON Strymonis filius, Cheneus genere, à uico quodam Laconiæ, Apemanti & Timonis moribus fuit hominum osor, ut qui in solitudine solus riserit. Cumq; à quodam, qui fortè interuenerat, rogaretur, Cur præsente nemine risisset? At ob hoc ipsum rideo, respondit. Hunc tamen Pythia sapientiorem Anacharside, uel (ut alij) Chilone esse asseruit. Laertius in eius uita.

CORDILIO philosophus Stoicus, Pergamenus, tam morosus fuisse dicitur, ut omniũ principũ ac regũ amicitias spreuerit. Hunc Cato Vticensis, qui tribunus militũ in Macedoniam missus fuerat, precibus exorando in castra secũ duxit, magnã putans se adeptum palmã, qui hominẽ seuerissimũ, & ab aliorum moribus alienum, à sententia dimouisset. Volat.lib.14. cap.2. Anthrop.

M. ANTONIVS Triumuir cum Lepido & Octauio, Actiaca clade fractus, posteaquam in Aegyptum reuersus est, tædio & pudore præsentium rerum, Timonis uitam sibi instituit, solus extra Alexandriam uicturus in loco, quem icirco Timonium uocauit. Sed Cleopatræ illecebræ breui eum ab eiusmodi uitæ instituto reuocarunt. Sabellicus lib.2. cap.2. ex Plutarchi Antonio.

TIBERIVS Cæsar multis prosperis confluentibus, integra ętate, ac ualetudine prospera, statuit repentè secedere, seque è medio quàm longissimè amouere. Dubium, uxorísne Iuliæ tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultrà perferre posset: an ut uitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur, atque etiã augeret, si quando indiguisset sui respublica. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco & quasi possessione usurpati à se diũ secundi gradus, sponte cessisse: exemplo M.Agrippę, qui M.Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obstare, aut obtrectare aliquid præsens uideretur. Quam causam & ipse, sed postea, reddidit. Tunc autem bonorum satietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit: neque aut matri suppliciter precanti, aut uitrico deseri se etiam in Senatu conquerenti, ueniam dedit: quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore & filio, confestim Hostiam descendit: ne uerbo quidẽ cuiquam prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu osculatus. Suetonius.

ARSENIVS Theodosij Imp. filiorum præceptor, in solitudinem abierat. Cùm Theophilus Alexandriæ archiepiscopus quodam nobili Alexandrino ciue comitatus, ad eũ non ꝓcul à Canopo habitantem uenisset, sermonẽ cũ eis dixit se facturũ, si modò quicquid preciperet, seruare uellent. Sponsione autem facta, Præcipio, inquit, ut ubicunq; Arseniũ morari audieritis, illuc ne accedatis. Alia quoque die cùm ab eodem pontifice per nuncium, uti sibi adeundi copiam concederet, sollicitaretur: Si uenerit, ait, & quod petis concedã, & loco cedam. Itaque Theophilus mutauit aditionis propositum, ne ille longius discedendo mutaret habitaculi locũ. A Marco abbate interrogatus, Cur tantopere cõmercia hominum fugeret? Cum Deo & hominibus simul se omnino esse non posse, dixit. Vsque adeò uel modica alicuius interpellatione à diuinæ contemplationis dulcedine se auocari indignè ferebat. Quãuis enim adhuc in terris esset, iure suo tamen cum Apostolo dicere poterat: Conuersatio nostra in cœlis est. Marul.lib.1.cap.9.

PASTOR presbyter matrem ad se uenientem clausa repulit cella. Rauisius.

PAPHNVTIVS eremita Bubali cognomẽ meruit, quòd perrarò cæteris in solitudine fratribus sui uidendi copiã faceret. Cassianus cap. primo, tertiæ collationis.

Superauit auorum memoria cæteros mortales sæuitia TAMBERLANES Scytharũ rex: nullus hominum auidius sitiuit cruorem, si uera sunt, quæ de eo feruntur. Rogatus quandoque, quid tantum sæuitiæ indulgeret, & quòd nulli esset exorabilis, nullis precibus flecteretur: toruo aspectu, atq; excandescenti similis, respondisse dicitur: An tu me hominem putas, & non Dei iram potius, ad hominum perniciẽ in terris agentem? Sabellicus lib.8. cap.3.

Peregrinorum quorumuis.

Apud INDOS nisi triduo, hospitem diuertere non licebat, ne ciues longo usu dissimiles mores imbuerent, & in alienas leges ritusq; transirent. Alex.lib.4.c.10.

SERES cœtus & congressus fugiunt hominum, ita ut rerum precia oculis æstimantes, sua tradant, aliena non emant: scilicet arbitrati, iura ciuium cum peregrinis communicari non oportere. Idem.

Inter cæteros feruntur GAMPHASANTES in intimis Libyæ oris, adeò hominum commercia fugere, ut nulli se peregrino misceri sinant. Idem.

CARTHAGINENSES peregrinos, qui in Sardiniam aut Herculis columnas adnauigabant, mari demergebant. Idẽ.

In Aegypto apud BVSIRIM & CYNOSPOLIM, hospites non admittebantur. Idem.

SCYTHÆ adeò oẽs peregrinos mores deuitarũt, ceu qui insitam genti illi frugalitatem corrũperent, ut non ob aliã causam Anacharsim occiderint, nisi quòd Græco more Cybelis sacra coleret. Fulg.lib.2.cap.1.

EPIDAVRII, cùm Illyricos mores exosos haberent, nec illorum commercia uitare possent: ut se à contagione illorũ seruarent, unum seligebant quotannis ætate grauem, qui solus ad illos penetraret, cum quo commercium haberent, quem Poletem dixere. Arist.2. Politicorum.

LYCVRGVS non permisit Spartanos peregrè proficisci & uagari, ne externos mores adducerent secum, uel ritus malè formatos, & diuersa instituta. Sed & aduenas nulla de causa utili irrepentes in urbem abegit: non ut Thucydides autumat, ueritus ne instituta sua effingerent, & aliquem haurirent ad uirtutem profectum: quin potius ne doctores alicuius noxæ forent. Quippe externa corpora externos necesse est aduehant sermones: nouorum sermonũ noua iudicia sunt comitantia: ex quibus fieri non potest, quin multi affectus scaturiant & libidines, à constituta rep. uelut concentu dissona. Quo magis prouidendum putauit, ne ciuitas perniciosis cõpleretur moribus, quàm ne corpora aliunde immigrarent infecta. Plut. in Lycurgo. Hinc SPARTANI ξενηλάται sunt dicti. Alex.lib.4.c.10.

LACONES adolescentulum ex eorum numero, qui exercebantur, increpuerunt, quòd uiam nosset, quæ ducit in Pyleam. Adeò studebant suos à peregrinationibus ac rerum exoticarum cognitione seruare alienos, ne per occasionem à patriis institutis degenerarent: præsertim cùm Arcadia, cuius est Pylea, luxu deliciisque barbaricis esset corrupta. Plutarchus in Laconicis.

Gentis

Gentis certæ.

MARIA & AARON Aethiopissę odio Mosen fratrem, qui eã duxerat, acerbè reprehenderunt.

AEGYPTII turpissimum ducunt, cum Hebræis cibum sumere. Eamq; ob causam Iosephus cùm suos fratres cõuiuio exciperet, sibi tanquam principi separatim, Aegyptiis conuictoribus separatim, separatim quoq; fratribus, cibum apponi curauit. Genes. cap. 43.

GRÆCORVM odium erga Barbaros etsi naturale uideri potest, propter linguæ uocisq; diuersitatem (similitudo namque amicitiam parit) tamen intercesserunt quoq; uarię bellorum occasiones, præsertim ob raptum mulierũ: quas Herodotus lib. 1. recitat.

Scribit lib. Historiarum quinto Herodotus, lege sancitum fuisse apud ARGIVOS ac AEGINETAS, ne Atticum quidpiã inferretur ad sacrificia, neque fictile, sed ex patriis ollulis in posterum omnes ibi biberent. Athen. lib. 11. cap. 18.

M. CATO Censorius tanto odio prosequutus est Græcos, ut filiũ Marcũ ab eorum literis non quidem inspiciendis, sed perdiscendis auocauerit. Plut. in Catone, & Plinius libro 21. capite uigesimoprimo.

M. CICERO, M. Tullij pater, dicebat Italos similes esse Syrorũ uenalium, quorum ut quisque sciret optimè Græcè, ita esse nequissimum. Sentiẽs, unà cum literis Græcorum mores ad Latinos demigrare. Vnde quòd M. Tullius fuit iniquior Gręcæ nationi, propemodum uideri possit illi fuisse hæreditarium. Erasm. lib. 6. Apoph.

Anglis Britannia potitis, quæ Romanis parebat, Britanni cum rege suo Cadoualladro in Britanniã Gallicã exilij causa ꝓfecti, & paulo pòst in insulam reuersi, ad Occidentem sedes obtinuère. Quos Angli deinceps propter linguæ & religionis diuersitatem Vuallos dixère. Vual enim Germanorũ lingua peregrinum significat. Hi VVALLI regibus Anglorum in posterum plurimum negotij exhibuère, & sæpe domiti, semper tamen rebellauère, paludum, syluarum & montium præsidiis muniti: Polydoro teste.

Ethodius Eugenij Scotorum regis à Maximo Britannorum legato cæsi germanus, exul, à Danorũ rege susceptus, ex uxore ab Albione sequuta filium suscepit Erthũ. Genuit is post patris interitum ex Rocha Rorichi Dani principis filia, FERGVSIVM Scotorum regni restitutorem. Is Alaricum Gothorum regem secutus, Romanæ expugnationi interfuit, grauiss. Romani nominis odio, quòd maiores suos uniuersa cum Scotorum gente, aut bello occidissent, aut paternis sedibus pulsos peregrino solo exulare coegissent. H. Boethius libro 7.

Crescente noua urbe Stralesunda à rege Danorum Valdemaro ædificata in Vuandalia, in littore maris opposita Rugiæ, multi in eam cõmigrarunt SAXONES, ut & lingua & moribus iamdudum sit Saxonica: quod idem in Lubica atque Rostockio cernimus euenisse. Nam etsi solum sit Vuandalicum, omne tamen nomen Vuandalicum ita habuerunt aduenæ Saxones exosum, ut non paterentur in suis collegiis & societatibus quenquam esse, qui non ortus esset parentibus Theutonicis, idque sacramentis extorquebant ab iis, quos susciperent. Magna gentis iniuria: quæ patrio solo exturbata, in ipsis suis natiuis sedibus non sinitur habitare & uiuere: retrusa in mediterranea, ubi propter durissimam seruitutem multis dilabentibus, & Saxonum se populis immiscentibus, uix pauci ad agrorum culturam, sub grauissimis tributis resederunt. Titulus autem gentis remãsit apud principes: qui morientes, proxima successione illum transmiserunt ad duces Magnopolenses: quibus hodie paret terra, quæ Vuandaliæ nomen retinet. Remansere principes antiquæ originis in ditionibus suis, mansit nobilitas in paternis prædiis & possessionibus: rustica plebs, fugiens durum iugum, deseruit agros suos, & abscondit in externis gentibus originem. Facit hoc contemtus gentis (cuius tamen uetusta trophæa per totam Europam & Africam erecta leguntur) ut nemo, nisi quem lingua prodit, se fateatur esse Vuandalum. Cranzius lib. 7. Vuandaliæ, cap. 10.

SPITIGNEVS II. Boemiæ princeps, à puero statim hominibus Germanis infestissimus, quamprimùm ad regnum euectus est edictum proposuit, ut intra triduum Germani omnes è Boemia pellerentur. Matrem quoque Iutam Othonis III. Imp. F. in Germaniam, saluis rebus suis reuerti iussit. Virgo uestalis, diuo Georgio in arce Pragensi consecrata, nobilibus in Germania parentibus orta, religione se tutam existimans, abitionem dissimulabat. Hic ille atra bile percitus, denunciari protinus uirgini iussit: Nisi ante noctem cœnobio egrederetur, nihil illi flammeum profuturum. Causam odij hinc ferunt ortam. Muro cingendam arcem Bretislaus conduxerat, metirique se præsente spacium illius iusserat. Clibanus proximè cœnobium funiculi ductum impediebat. Cui cùm parens parci iussisset, Spitigneus etiamnum adolescentulus, illum ui demolitus est, inquiens: Non amplius Germana hæc sanctimonialis tostas ex hoc clibano edet placentas. Ad quæ illa commota: Videte, inquit, Boemum strenuum: solus fornaculam diruit, quam uix tres ualidissimi Germani proturbassent, dignus ob hoc factum palmario. Cui cùm Iuditha mater arrisisset, Spitigneus odij fomitem semel conceptum pertinacissimè fouit. Cæterùm Morauos audiens edictum contra Germanos ægrè ferre, CCC nobiles officij simulatione euocatos in uincula coniecit, armis equisq; spoliatos. Dubrauius lib. 8.

Cùm Fridericus Boemorum rex Germanos in aula sua plurimum foueret (regnum quippe ope Cæsaris obtinuerat) neque BOEMIS, indignè ferentibus non tantùm in aula, uerumetiam in curia locum Germanis dari, aures præberet: quamprimũ ad comitia discessit Cæsarea, Conradus Znoymæ marchio conspiratione nobilium principatum inuasit: quem tamen metu Cæsaris restituere coactus est. Dubrauius libro 12.

CHRISTINA Vladislai Poloniæ principis uxor, Henrici V. Imp. filia, apud Polonos implacabili odio laborauit, quos sic fastidiosè despiciebat, ut ne ministerio quidem ullo in aula sua Germanis referta dignos duceret, sed abigendos eos ab illa curaret, quasi agrestes, inconcinnosque, & haris potiùs ob sordes, uti dicebat, quàm aulis aptiores. Ibidem.

Cùm Sigismundus Brandenburgensis marchio, uxoris gratia ad Pannonum regnum peruenisset, patuit, quantas uires insitum à natura inter Boemos Pannoniosque odium haberet. Nam cùm Sigismundus STEPHANVM Konth, Pannonium equitem, atq; cum eo alios uiginti equites, ueluti parum dicto audientes, comprehendi iussisset, catenisq; uincti omnes ad eum deducti essent: nullus eorum unquam regem, ne caput quidem submittens, honore dignatus est, neque regem suum nominare uoluit: maluerũtq; non ipsi modò, uerùm ipsorum quoque ministri, prius capite multari, quàm sententiam mutare. Inter ministros autem Chiotza Stephani alumnus, cùm domini mortem grauiter quereretur: & eum, quia adhuc tenera ętate erat, Sigismundus, multa promittens, solari uellet, offerretq; se suorum numero eũ habiturum: is turbato uultu, plenisque animi indignatione uerbis, respondit, Se nunquam scrofæ Boemiæ subiturum seruitium. Atque in hac animi obstinatione interemtus est. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

ALEXANDER VI. Hispanus incredibili Gallorum odio flagrauit, PIVS itidem III. & IVLIVS II. Platina.

Philosophorum.

☞ *Consule Tit. Philosophorum contemtus. Hic solius Affectus, illic Habitus uitiosi, cui affectus ministrat, ratio habetur.*

In Historicis cõmentariis scribit Carystius, à LYSIMACHO rege Thraciæ exactos toto regno philosophos. Alcæum & Philiscum Epicureos ROMANI exigendos censuère. Sectæ eiusdem complices omnes MESSENII. At uniuersim philosophos ANTIOCHVS. Cælius libro uigesimosecundo, cap. 21. Antiq. Lect.

M. CATO Censorius philosophiam in totum, humanitatemque omnem Græcam & literaturam, ex ambitione habuit ludibrio, quippe qui Socratem quoque loquacem diceret & seditiosum fuisse, atq. enisum quouis modo tyrannidem occupare, institutis euersis maiorum, rapiendo ciues & impellendo ad contrarias legibus opiniones. Isocratis scholã deridens, senescere apud eum dicebat auditores, tanquam apud inferos artibus usuros & causas dicturos. Filium à literis Græcis reuocans, uoce usus est quàm pro tanta ætate ferociore: uelut uaticinans & præsagiens, infectos disciplinis Græcis amissuros imperium Romanos. Cęterùm hoc illius uanum apparuit malum omẽ ipso tempore, quo ad rerum culmen urbs euasit, cùm omnibus Græcæ eruditioni & institutioni dedisset. Nec philosophis Græcis modò erat infestus: sed illos quoque, qui medicinam Romæ exercebant, habebat suspectos: atque audito scilicet Hippocratis responso, cùm rex eum mercede ostensa multorum talentorum acciret, nunquam daturum se operam hostibus Græcorũ barbaris, commune hoc dicebat medicorum iusiurandum omnium, monebatq; filium, ut declinaret omnes. Sibi scriptũ commentarium esse, cuius præceptis se familiam ægrotantem curare, & uictus rationem præscribere: neminem unquam cibo abstinere, alere oleribus & carne anatis uel palumbi uel leporis: leuem enim hanc esse & ægris conuenientem, nisi quòd illis, qui ea manducauerunt, multa creet insomnia: hac se medicina & uictu ualetudinem suam tueri, suosq; conseruare firmos. Cæterùm in eo quidem haud uidetur iram deorum deuitasse: nam uxorem & filium amisit. Ipse corporis salubri constitutione ac robusta firmiter compactus in longum durauit. Plut. in Catone.

Improborum.

HIPPOLYTVS à nutrice Phædrę rogatus, uti ne petitionem nouercæ efferendo, amicos perderet, se scilicet & illam, ingenuè respondit:

οὐδεὶς ἄδικός ἐστί μοι φίλος.

Nemo iniustus est mihi amicus. Eurip. in Hippolyto.

SENEX pædagogus apud Eurip. in Ione ait:

οἴμοι, κακοὺς γὰρ ἄνδρας ὡς ἀεὶ στυγῶ,
οἳ συντιθέντες τἄδικ᾽, εἶτα μηχαναῖς
κοσμοῦσι. φαῦλον χρηστὸν ἂν λαβεῖν φίλον
θέλοιμ᾽ ἂν μᾶλλον, ἢ κακὸν σοφώτερον.

Hei mihi, uersipelles ut homines semper odi, qui componentes iniusta, deinde fraudes suas ornant. Inertem probum accipere amicum cuperẽ magis, quàm malum sapientiorem.

Regum, Imperatorum.

Vrbis Rom. parentẽ Romulum SENATVS in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia lacerauit, nec duxit nefas, ei uitam adimere, qui æternũ Romano imperio spiritum ingenuerat. Rude nimirũ illud, & ferox seculum, quod cõditoris sui cruore fœdè maculatum, ne summa quidẽ posteritatis dissimulare pietas potest. Val. lib. 5. cap. 3.

Antipatrum Herodis F. propter cædem duorum fratrum clandestinis suis accusationibus procuratam, populus omnis IVDÆORVM tanto prosecutus est odio, ut Roma redeunti nec obuiam progressus sit, nec salutarit, eiusque accusationem de cogitato ueneficio contra patrem sponte ita aggrauarit, ut in uinculis tandem interfectus sit. Iosephus lib. 17. cap. 7 & 8. Antiq.

Fuit Caligula imperatoris nomen, cętera tyrannus fuit immanis, cruento exitu dignus, quem demùm sortitus est. Sed nec unius sanguis explere potuit odium CIVIVM. Cæsonia eius uxor cum filia admodum paruula multitudinis incursu trucidata est, ne quid superesset, quod tyrãni recordatione ciuitatis oculos uiolaret. Sabell. lib. 8. cap. 9.

Eadem Quiritium CIVITAS omnes Domitiani imagines & titulos è publico sustulit, decreta per illum antiquauit: ut diræ illius tyrannidis uerius, quàm principatus, memoria cum ipso crudeliter interfecto sepeliretur. Sabellicus libro octauo, capite 9.

Contra Maximinum crudelissimum uariæ conspirationes sunt factæ. Magnus primùm uir consularis, soluto ponte, cùm contra Germanos proficisceretur, imperium arripere conatus est. Titus Maurorũ Tribunus à militibus Osroenis inuitus Imp. creatus. Verùm Magnum Maximinus oppressit, Titum milites interemerunt. Suscepta inde Sarmatica expeditione, cùm in odium suorum quotidie magis ueniret, facta defectione MILITVM in Africa, Gordianus senex proconsul octogenarius Imperator à militibus factus est unà cum filio, apud oppidum Thystrum. Quod mirum in modũ Senatum oblectauit, qui ambos Augustos acclamarunt, interfectis omnibus Maximini delatoribus atque amicis, unà cũ præfecto urbis Sabino, appellatisque hostibus Maximino ac filio eius, ac missis literis ad singulas prouincias & ciuitates, ut communi saluti libertatique subuenirent, publico S. C. & acclamationibus. Sed interim Capellianus, qui Mauris præfuit, contra Gordianum profectus, ut sibi usurparet imperium, occiso iuniore Gordiano, Gordianum senem ad eam desperationem redegit, ut laqueo finiret uitam. Quod tanto mœrore Senatum affecit, ut mox duos iterum Imperatores, Maximum Pupienum & Clodium Balbinum, contra Maximinum deligerent, addito paruulo nepote Gordiani, qui pariter Cæsar est dictus. Maximus contra Maximinũ profectus, Balbinus Romæ relictus. Maximinus perpetuum in se Senatus odium intelligens, Italiam uersus contra Maximum profectus, uehementius deseuit. Sed cùm in obsidione Aquileiæ exercitus fame laboraret, ducesque aliquos suos trucidaret, in odium exercitus ueniens, unà cum filio dormiens à militibus est trucidatus in castris: capita hastis suffixa, Aquileiensibus sunt ostensa, & postea missa Romã. Vnde ingens prouincialium lætitia orta est. Romæ uiso Maximini capite, Balbinus hecatomben fecit, iussitque per omnes ciuitates pari sacrificio supplicari. Maximini nomẽ erasum. Capita Maximinorum in campo Martio, insultante populo, exusta sunt, cadauera missa in profluentem.

CONSTANTINVS VI. Imp. qui & Constans, omnibus suis exosus, Syracusis à suis in balneo est occisus. Sigebertus in Chronicis.

Selimo Turcorum tyranno, qui interfecto Soldano Aegypto & Syria potitus erat, Solymannus filius successit, bella à Parthis auspicans, ut illorum etiam imperium sibi adiungeret. Sed amissis plus centum millibus suorum, cum octoginta solùm equitibus Constantinopolim rediit, tantò ex hac clade TVRCARVM odio sibi cõflato, ut deiiciendũ protinus ab imperio tanquam infaustum maleque ominatum censerent. At ille ad preces & promissa ominosa uersus, quòd totam Misiam, Bulgariam, Bosnam, cum ipso Bellegrado reducturus breui in potestatem Turcarum esset, gratiam tandem recuperauit. Audita hæc Turcæ, promissa Budæ fuere, sed pauci illis animum intenderunt, nihil de futuro solliciti, quasi uno prælio tota uis Turcæ interiisset. Dubrauius lib. 33.

Ducum, Consulum.

☞ *Consule Tit. Perfidia militum erga Duces.*

ROMANÆ [redacted] tam tanto odio in consules [redacted] tes, cùm possent uincere noluerint, [redacted] & 3. Enn.

Tyrannorum.

☞ *Consule Titulum, Tyrannicidarum.*

Aegyptij TYPHONEM tyrannum, Osiridis interfectorem, ab Oro cæsum, suggillant in nonnullis festis: in quibus homines rufos ludibrio habent, asinum autem præcipitãt, ut Copitæ: quòd fuerit rufus Typhon, ac colore asinino. Lycopolitæ item tubis, quòd asinino clangorem assimilem edant, prorsus nõ utuntur. Quin etiam boues, qui rufi sunt, sacrãt, usque adeò exquisitè in eo religiosi, ut si uel pilum habeat nigrum uel album unum, non litari arbitrentur eo. Quippe hostiam non esse diis gratam, imò diuersum, quæcunq; hominum animas scelestorum & improborum in alia transfiguratorum corpora assumserunt. Idcirco execrabantur in caput uictimæ, præcisumq; in amnem olim proiiciebant, nunc uendunt peregrinis. Bouem autem, qui immolandus erat, certi sacerdotes, qui dicti fuerunt sphragistæ, signabant. Sigillo insculptus erat (ut Castor est auctor) homo genu innixus, qui retrorsum circumactis manibus tenet imminentem iugulo gladium. Plut. de Iside.

Pygmalionis tyranni odio TYRIORVM multi solum uertererunt, si poetæ testimonium recipitur in hac exemplari relatione. Nam quia & ipsa sibi nomen historię uendicat, custos est fidei tenacissima. Sab. lib. 8. cap. 9.

CALLIAS Phænippi F. (qui fuit pater Hipponici) Atheniẽsis, cùm alia omnia in Pisistratum tyrannum inimicissimè commentus est, tum uerò solus Atheniensium omnium illius Athenis eiecti, cùm publicè sub præcone uenderentur, bona emere ausus est. Herod. lib. 6.

ALCMAONIDÆ, Atheniensis familia, tyrannos eximiè oderunt, & Pythiam persuaserunt, ut Cleomenem regẽ Spartanorum ad liberandas Athenas induceret. Id quod & factum est, atque Pisistrati filij eiecti, Hippias scilicet & Hipparchus. Idem.

Odit ARISTIDES Locrensis insigniter tyranni nomen, cuius filiam cùm Dionysius maior sibi uxorẽ deposceret: Mallem, inquit ille, filiam malè perditam uidere, quàm tyranni matrimonio locatam. Dionysij uxorem & filias LOCRENSIS in potestatem redactas, ad stuprum & libidinem multitudini obiecere, in tyranni inuidiam: inde ad libidinis satietatem uexatas mediis merserunt fluctibus adhuc uiuas. Sabellicus lib. 8. cap. 9.

Theophrastus in libris de Regno, scribit THEMISTOCLEM cùm ad Olympia certatum Hiero misisset, & tabernaculum erexisset splendidè adornatum, pro sententia apud Græcos dixisse, ut tentorium tyranni diriperent, & arcerent à certamine equos eius. Plut. in Themistocle.

TIMOLEON Corinthius, Dionysij principatu euerso, euertit & arcẽ, eo nomine, quia tyrannorũ fuisset sedes. Ceterùm in eo maius suum erga tyrannos odiũ testatus est, quòd & sepulcra, cæteraq; ornamenta diruit. Sab. lib. 8. cap. 9.

Quantum tyrannos oderint ROMANI, ex eo potest intelligi, quòd regium nomen ex urbe sustulére tyrannidis suspicione: atq; ita sublatum uoluit populus, ut de libertate etiã bene meritis, fraudi fuerit ferre Tarquinij nomen. Sp. Melio, & Manlio Capitolino, non nomen, sed suspecta largitio fuit exitio in eadem ciuitate. Sed quid tyrãno fecissent ij, qui uiã quæ ad tyrannidem ducere uisa est, suis obseptam ciuibus, atrocibus muniuere suppliciis? Idem.

RAVENNATES Lemigium exarchum ob tyrannicos & fœdos mores, interfecere, eius uxorem & pellices omnib. prostituere. Eadem ultio attigit exarchanos iudices, quibus publicitùs cæsis, omnis eorum familia ludibrio fuit infensæ multitudini, quæ semper aut nimium odit, aut nimium amat. Idem.

Petrus Candianus, VENETORVM dux, qui legitimum magistratum in tyrannidem uertit, sibi & liberis superba regiminis forma exitium peperit. Populus suæ libertatis memor, domum eius iniecta flamma incendit, tyrannum inde deturbat, deturbatum trucidat: filium iugulat in nutricis gremio, amborum corpora ad macellum proiicit canibus lanianda. Adeò iuxta tyrannos, & qui ex his sunt, libertatis studio infensè odit incondita multitudo. Idem.

Tyrannorum nullus fuit unquam inuisior Ecelino, qui crudelitate & sæuitia cum Phalaride certauit. Puberes ab eo mutilati, pueri concisi, uirgines uitiatæ, matronis mammæ ademtæ, prægnantium uteri execti, partusq; flammis deditus. Quæ scelerum diritas, eo extincto, domesticis & necessariis Taurisij repræsentata. Sex filij Alberti fratris subito populi TARVISINI incursu interfecti sunt: tyrãni uxor & filiæ uiuę in ignem coniectæ. Idem.

Scelus FABRIANENSIS populi ingens fuit, cùm in principes suos, Clauella gente ortos, conspirauit. In templo enim cædem peragere coniurati statuerunt, hora patrandi facinoris sumta, cùm sacerdos, qui coniurationis conscius erat, sacra perageret, & decantando Symbolo ad partem eam peruenisset, quæ incarnationis mentionem facit. Scelestè enim uoluit, ut uerbum, quo humanæ salutis ortus ac memoria renouatur, proditionis atq; alterius peragendæ mortis signũ haberetur. Fulgosus lib. 9. cap. 1.

Subditorum.

☞ *Consule Titulum, Tyrannorum. item Tit. Crudelitatis & perfidiæ erga subditos.*

HE[redacted] odium erga subditos, in hoc conspicitur, quòd iam [redacted] præcepit, ne careret extremo h[redacted], qui deberet [redacted] pote qui probè Iudæorum mentem nouisset, qui magis in i[redacted] quàm lucturi essent, [redacted] uente [redacted] contumelias. Iosephus libro 17. cap. 8. [redacted]

CATO maior aiebat o[redacted] in ambula[redacted] manus, & in præliando moueat pedes, [redacted] mat. Plu[redacted]

[redacted]

☞ *Vide Titulum,* [redacted]

ALCM[redacted] & CA[redacted] odio [redacted] prosequebatur, qua[redacted] Pisi[redacted]datum exosa esset [redacted] 6.

ARIS[redacted] qui [redacted] Hic [redacted] curgũ [redacted] plexus e[redacted] rẽt [redacted] THEM[redacted] Neocl[redacted] prima ætate, [redacted] omni [redacted] no uel ludicro dissensi[redacted] se, [redacted] statum ex illa contentione de[redacted] rum [redacted] in[redacted] esse & iustitiæ [redacted] ciun[redacted] la ratione admittens. [redacted] tam cò refert [redacted] simult[redacted] quis[redacted] & forma & specie corporis [redacted] bus pueris præ[redacted] citos affectu fuisse: [redacted] pucri abiecisse æmulatio[redacted] experros lacertos [redacted] & dissidentes. Multa mouente [redacted] & aduersus omnes a[redacted] eo oriente atque interpellante ipsum, cõpulsus scilicet ipse [redacted] gratia, partim Th[redacted] populari [redacted] populi [redacted] ctorem [redacted]mistocles aliquando quiddam rectè atq; ordine ageret, aduersatus ei est. quo deiecto, nõ cõtinui[redacted] stoclem [redacted] non posse rempub. Athenien[redacted] rogationem [redacted] populum tulisset, atque ea impugnaretur, [redacted] nem obtenturus: iam [redacted] populum archonte, ex ipsis [redacted] ducto uitio abiecit rogationem. Identidem etiam ferebat [redacted] studio secum contendendi obsistere [redacted] bo[redacted] lico. [redacted]

Le[redacted] Athenas, ad[redacted] ne [redacted] sent, [redacted] tos: & Neo[redacted] tem [redacted] paternis inimicis esse lapidibus [redacted] NIEN[redacted] ad[redacted] ules sancitæ fuerant. [redacted] Antiq. [redacted] in Menone. [redacted] nem facit.

Cùm [redacted] niore[redacted] T. [redacted] tro[redacted] sequebatur, ac si[redacted] in dig[redacted] honores euehi quẽquam ex ea [redacted] conspiceret. Fulg. lib. 6. c. 3.

P. Diaco[redacted] mo scribit, tempore Pho[redacted] PRASI[redacted] netos aurigarios per Orientem & Ægyptum ciuile bellũ fecisse, ac sese mutua cæde prostrauisse.

GVEL-

GVELFORVM & GIBELLINORVM factiones in Germania ortæ, relicto natali solo in Italiam prouectæ, miserè omnes urbes, oppida, pagos peruagatę sunt. De earum ortu nõ consentiunt auctores. Volunt quidam à duabus illustribus principum Germanorum familiis, Henricorum ex Vueyblingen, & Vuelforum ex Altorf, pagis Sueuiæ, lites inter se exercentibus, originem cepisse. Alij uerò (& inter hos Aemilius lib. 7.) sub Conrado III. Imp. Friderici Sueuiæ ducis F. Duce Franconiæ, qui circa annum Domini MCXXXVIII. imperium iniit, ex bello ciuili initiũ sumsisse. Nã cùm Vuelfo, Henrico Superbo fratre, Saxoniæ & Bauariæ duce, à Cęsare ob affectatum regnũ proscripto, ducatibus spoliato, & dũ eos recipere conatur mœrore animi extincto, Bauariæ ducatum hæreditario iure sibi uendicat: cum Contrado Imp. Vinspergum oppidum Sueuiæ obsidente prælio cõgressus, & fugatus est. Vuelfo copias auxiliares habebat plurimas ex Sicilia à Rogerio rege, à pontifice Innocentio ex Italia, id sedulò conantibus, ut bellis implicatus ciuilibus Cõradus, Italiam adire nõ posset, neq; Calabriam & Siciliam Normãnis extorquere. Itaq; tesseræ loco auxiliares copiæ Vuelfonis, Hic Vuelf, clamabant, ex Ducis sui nomine: Imperatoris uerò, Hic Vuayblig, à nomine pagi Sueuiæ, in quo nutritus ferebatur Conradus Imperator. Itali ergo factiosa hæc nomina (condignum sanè impiæ suæ militiæ contra optimum ac legitimum Imperatorem pro tyranno Guelfone sumtæ stipendium) ex Germania domum reportarunt: ut quamuis per Friderici Barbarossæ electionem pestes hæ in Germania desierint, in Italia tamen pertinaci stultitia permanserint, & sub Friderico II. Pisis agente, & Alexandrũ III. armis persequente, mirificè inualuerint. Qui pontifici fauebãt Guelfi, qui Imperatori, Gibellini dicebantur. Apud Pistorienses primùm ea nominum factiosorum distinctione frequentata, serpsit hoc factionum studiũ adeò latè, ut nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe perniciosissima manserit intactus. Vrbs enim in urbem, prouincia in prouinciã, populi pars in alteram, nulla impellente alia quàm harum partium caussa, bella gessere abinde usq; ad nostra tempora. Nec modò diuisa sunt insignia in præliis deferenda: sed colores, terræ fructus, uestium habitus, ipse incessus; digitorũ concrepitus, & oris hiatus, suarum habent partium significationem. Nauclerus generatione 38. & 42. & Hungerus in Cuspiniani Cæsaribus.

BARTHOLOMÆVS Aluianus Senensis, anno 1497. Todiũ ab Guelfis introductus, omnes Gibellinorum domos diripuit, tres & quinquaginta eius factionis principes interfecit. Quo[redacted] exemplum sequutus Antonellus Sabellus, Terniũ, & Gatescij Columniorum ope Viterbium ingressi, eandẽ in utroq; loco, & circumiecta regione Guelfis cladem intulerunt. Guicciardinus lib. 3.

Carolus VIII. rex Galliæ post subactum Neapolitanũ regnũ domum reuersurus, cùm SENAS uenisset, ita perturbatum ciuitatis statũ inuenit, ut ciues in quatuor diuisi factiones, insano liuore mutuo inducti, à rege prefectum peterent, qui Gallico fretus præsidio inter ordines factionum æquo iure libertatis nomen tueretur. Ambiebat ad id Ligninius propinquus regis, ita ut cohortem Gallorum facilè impetraret, quæ duce Gualterio Tinctauilla urbi præesset. Sed festinante in Galliam rege, non multo pòst depulsis foro atque urbe Gallis, ciuitas ad ueterem Pandulfi Petrucij dominatum rediit. Iouius lib. 2.

Populus ROMANVS in partes discissus, Vrsinæ aut Columniæ factionis studia sequi solet. Columniis Sabelli uetustate familiæ & frequenti sobole militarium iuuenum potentes: Vrsinis uerò Comites cognomento Grapellij, claritate atq; opibus fermè pares, adhærent. Horum opibus Romani pontifices, dum per uarias temporum ac bellorum occasiones licuit, semper infensi infestiq; fuere: nihilq; unquam antiquius habuerunt, quàm alterutram factionem fouere, atq; alere eorum cõtrouersias: ut quum attritæ mutuis cædibus atq; iacturis ambõrum uires forent, ipsi postea deletis reliquiis, oppidis eorum Vrbi proximis potirentur. Romani etenim siue pristini decoris ac antiquæ libertatis memores, siue ut sunt natura turbidi atq; feroces, sacerdotũ imperia, quòd pleriq; eorum parum moderatè auareq; imperitent, æquo animo ferre nõ possunt. Propterea quum, iniuriis aut contumeliis exagitati fuerint, quo minus omni maleficio desæuiant, neq; ui, neq; legibus, neq; pontificis auctoritate deterrentur. Cepère aliquãdo atq; interemère Bonif. IIX. quin & Eugenium IV. sede atq; Vrbe expulère: alios palàm oppugnauère armis, alios coniuratione facta, ac obsessis itineribus in maxima uitæ atq; amittendæ dignitatis pericula coniecère. Iouius lib. 1. Hist.

Sub Friderico II. Mediolanenses in duas abière factiones: Nobiles VICECOMITIBVS, populus TVRRIANIS fauebat. At pulsis Viccecomitibus, Turriani rerũ potiti sunt, quo ad Otho Viccecomes Archiepiscopus Mediolanensis exulum manu stipatus, uictis septies Turrianis, eorumque principe Napo ad uicum Decimũ capto, sibi suisq; reditũ in patriam, posteris imperium peperit. Iouius in uita Othonis.

Circa annũ Christi 1494. uiguere in Liguria duæ factiones, ADVRNIA atq; FREGOSIA, ambę populares & Gibellini nominis: ipsa enim ciuitas in nobiles & populares familias plebemq; tripartitò diuiditur. Nobilitas duplici factionum morbo laborabat: nã patritij cùm ex professo partim Guelfi essent, partim Gibellini, etiam Adurnium, ut Fregosiũ nomen, pertinaci quadam insania sequebantur: accidebatque sæpius, ut Guelfi Gibellinos, quos maximè odio habere cõsueuissent, nouarum partium libidine cæci, acerrimis studiis iuuarent: idque propterea fiebat, quòd nobiles lege quadam antiquitùs lata, supremum in ciuitate magistratum, qui ad solos Gibellinos pertineret, capere nõ licebat: plebs quoque, quæ mirum in modum incertis rumoribus seruit, incredibili mobilitate tumultum excitare, ad arma discurrere, atque eodem nonnunquam die commutatis uoluntatibus, modò his, modò illis fauere consueuerat. Quibus de caussis effectum est, ut quum discordia atque intestinis confecti malis sese regere non possent, dissociatis animis, attenuatisq; opibus, facilè ueram libertatem amiserint. Iouius libro primo Historiarum.

Virorum.

☞ *Consule Tit. Virginitatis studium. Cui accidit, ut insidiantes uiros oderit.*

AMAZONES, item Bohemæ DIEVIZÆ, item ALVILDA Siuardi Gothorum regis F. uiros omnes oderant. Vide Tit. Mulieres fortes.

VLASTA Amazonum Boemicarum dux, tanto uirorum odio agebatur, ut pueris & adolescentibus dextros pollices amputaret, dextrosque oculos erueret, ne per ætatem uel gladios tractare uel sagittam collineare possent. Eadem matronis, quotquot ad se in arcem Deuinam confugerant, auctor fuit una nocte maritos è medio tollendi. Dubrauius libro secundo.

Mulierum.

ORPHEVS amissa Eurydice uxore, omnes mulieres odio habuisse, & tandem à Thraciis matronis, dum Orgia celebrãt, discerptus fuisse dicitur.

HIPPOLYTVS apud Euripidem sic de seipso inquit:

—μισῶν δ' οὔ ποτ' ἐμπλησθήσομαι
γυναῖκας, οὐδ' εἴ φησί τίς μ' ἀεὶ λέγειν.
ἀεὶ γὰρ οὖν πως εἰσὶ κἀκεῖναι κακαί·
ἤ νῦν τις αὐτὰς σωφρονεῖν διδαξάτω,
ἢ κἀμ' ἐάτω ταῖσδ' ἐπεμβαίνειν ἀεί. Odio habens nunquã

implebor mulieres, neq; si dicat quis me eadem semper dicere. Semper enim illæ sunt malæ. Aut nũc quispiam eas bonas esse doceat: aut me sinat illas usq; incessere.

IDEM apud Senecam in hæc uerba prorumpit:

Detestor omneis, horreo, fugio, execror:
Sit ratio, sit natura, sit durus furor,
Odisse placuit. Ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus antè promittet unda
Incerta Syrtis: antè ab extremo sinu
Hesperiæ Tethys lucidam attollet diem:
Et ora damis blanda præbebunt lupi:
Quàm uictus animum feminæ mitem geram.

IASON apud Euripidem in Medea hæc profert:

—χρῆν γὰρ ἄλλοθεν ποθεν βροτοὺς
παῖδας τεκνοῦσθαι, θῆλυ δ' οὐκ εἶναι γένος·
οὕτω δ' ἂν οὐκ ἦν οὐδὲν ἀνθρώποις κακόν. Oportebat aliunde fortè homines sobolem parere, femininum autem nõ esse genus: sic sanè non esset ullum hominibus malum.

Aiunt MELANIONEM quendam, odio mulierum in solitudinem demigrasse: perque aula montium & nemorum, cane, quo uno conuictore utebatur, feras insectari solitum, nec unquam domum reuocari potuisse. Hinc Melanione castior dicebatur, qui magnoperè à mulierum congressibus abhorreret. Meminit adagij Aristophanes in Lysistrata. Erasmus in Adagiis.

Vicinorum.

Vladislaus Locticus Polonorum rex Cruciferis memorabili strage affectis, cæsorum numerum recognoscens, conspicatus est FLORIANVM Shaium, hominem equestris ordinis, multis uulneribus debilitatum, resupinato corpore iacentem, & ilia per uulnus effluentia manibus cohibentem: conuersusque ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius uiri cruciatus. Respondit ille: Maiorem esse eius, qui in eodem pago malum uicinum habeat, qualem ipse expertus sit. Cromerus libro 11.

Discipulorum.

☞ *Consule Titulum, Perfidiæ erga discipulos.*

f 2 Præ-

Præceptorum.

☞ *Ex Tit. Discipulorum perfidiæ erga præceptores.*

Inter ARISTOTELEM & Platonem haud conuenisse satis, ex ingenij monumentis palàm fit. Odium quod ex æmulatione auidissimum est, literarum & gloriæ ratione exortum posset uideri: sed à Græcis proditũ secus, animaduerto: qui Platoni offensiorem factum Aristotelem uolunt, quòd eius uitæ instituto oblectaretur minus. Quippe curiosius circũuestiebatur Aristoteles, calciabaturq;, quin & comam contondebat item delicatius. Istiusmodi uerò à Platonis aberāt grauitate plurimũ, qui quantus quantus nil nisi sapiẽtia ꝓsum fuit. Anulis digiti nitescebāt onusti, & in hoc sibi placebat nimiũ. Inerat & in facie μωκία quædam, id est, irridendi studiũ, importunior nec aberat loquacitas, quæ ipsa & mores coarguebat. Proinde quum ea intueretur Plato, rarius hominē admittebat. Pluris autē longè Xenocratē faciebat, & Speusippũ, cæterosq; cum quibus præter alia libenter ac sæpe cõfabulabatur, de philosophicis semper arcanis promens quippiã, quo illi abirent nunquam non doctiores. Ex Aeliano Cælius lib. 17. cap. 34. A.L.

Amicorum, Sociorum.

☞ *Consule Locum, Ex amicis facti inimici.*

Hostiũ. Ἐχθρὰ. Inimicitia propriè.

AMALECHITIS hostibus ne ignōscerent Israelitę, iubet Dominus per Mosen, inquiens, Mementote quid uobis fecerit Amalechita in itinere egressis ex Aegypto, ut uobis in itinere occurrerit, nihilq; Deũ ueritus, extremos uestrũm & infirmissimos quosq; carpserit, nobis lassis atq; defatigatis. (Exodi 17. cap.) Igitur cùm iam uos quietos reddiderit Iouà Deus uester ab omnibus uestris undiq; hostibus in terra, cuius uobis occupandam possessionem daturus est, Amalechitarum memoriam de rerum natura aboletote, neue hoc obliuioni mandatote. Deuterõn. 25.

AMAN Amalechita hostis Iudæorum natura (quia gens illius à Iudæis iam olim excisa fuerat) cùm apud regem Artaxerxem plurimum posset, curauit uti Iudæorum gens, tanquã rebellis & impia, 13. die duodecimi mensis, publico edicto proposito, interfici iuberetur. Verùm Dominus ieiunia & supplicationes Iudæorum misertus, malum consilium in ipsum Amanem conuertit. Esteræ 3. & seq. & Iosephus lib. 11. cap. 6. Antiq.

Achilles & templum haber & tumulum iuxta Sigeum: Patroclus autem & Antilochus tumulos. Quibus omnibus & Aiaci ILIENSES sacrificant. Herculem uerò non colunt, causam afferentes, quòd is urbem fuerit depopulatus. At ille (inquiet aliquis) ita eam depopulatus est, ut posteris depopulaturis, labefactatam quidem relinqueret, ciuitatem tamen. Sed ij, quibus ipsi sacrificant, & quos ut deos colunt, ex toto eam deleuêre. Nisi hoc causæ dicant esse, quòd hi iustum bellum intulerunt, Hercules uerò iniustum, Laomedontis equorum gratia. Cui rei rursum fabula occurrit: non enim equorum gratia, sed mercedis pro Hesione à ceto liberata. Strabo lib. 13.

Atrox odium & irreconciliabilis simultas, atq; ut Plutarchi dicam uerbis, ἄσπονδος πόλεμος erat inter THESSALOS & PHOCENSES: quòd hi primores illorum in suis urbibus ad unum omnes eodem die trucidassent: illi uicissim illorũ obsides ducentos quinquaginta in crucem sustulissent. Tãdem Thessali contractis omnibus copiis, per Locrenses irruperunt, edicto promulgato, ne cuiquam prouectioris ætatis parceretur, pueri cũ mulieribus in seruitutem abducerentur. Daiphãtus itaq;, qui fuit unus è tribus, quibus Phocensium res erat cõmissa, suasit uti uiri quidem Thessalis obuiã irent, cum illis conflicturi: cæterùm mulieres una cùm liberis, ex uniuersa Phocide congregatas, in uno quopiam loco seponerent, congesta ingenti lignorum materia: & adhibitis custodibus mandarent, ut simul ac intellexissent, sese uictos in prælio, continuò pueros & uxores iniecto igni exurerent. Id reliquis comprobantibus, exurgens quidam negauit æquum fieri, ni consilium hoc, uxorum quoq; suffragiis comprobatum fuisset: quod si non placeret, non esse cogẽdas. Itaq; mulieres, ubi rẽ cognouissent, ipsę inter se habito consilio, Daiphantum collaudarunt, qui rectissimè consuluisset Phocensiũ rebus. Eadẽ aũt uideri & uxoribus & liberis eorum. His ita peractis, congressi cum Thessalis Phocenses, superiores extiterunt. Ac decretum quidem illud Græci Phocensiũ desperationẽ appellarunt: quod etiam si feliciter cessisset, tamẽ temerariũ parumq; cordatum uideretur. Hæc Plutarchus & Pausanias in Phocicis.

CLISTHENES Sicyonis tyrãnus, ob suũ in Argiuos odiũ, ꝗbuscũ diuturnũ gessit bellũ, ut Homeri carmina tolleret, ꝗa Argiui ciuẽ suũ prędicarent, omnia poematũ certamina Sicyone sustulit. Quin & Adrastũ, cuius monumentũ in ipso erat foro constitutum, annuaq; ueneratione consecratũ, inde pellere adortus (fuerat enim & ipse Argiuus) quia oraculo id facere prohibebatur, Menalippi Thebani corpus, qui Mecistem Adrasti fratrem occidit, & Tydeũ eius generũ, à Thebanis impetratum, Sicyoni intulit, eiq; fanum & annua sacra, quæ Adrasto reddi consueßent, instituit: ita euenturũ arbitratus, ut Adrasti genius Menalippi odio ex Sicyone migraret. Reliquus Clisthenis in Argiuos conatus, in tribuum mutatiõe extitit, quas ne eadẽ nomina cũ cęteris Doriensib. haberẽt, ridiculis appellationib. insigniuit, ut Hyatæ, Oneatę, Chœreatæ, à sue, asino, & porco dicerẽtur. Sab. li. 8. En. 2.

XERXES Persarum rex in Themistoclis caput ducenta talenta pronunciauit. Itaq; cùm ad regem è Græcia pulsus fugeret, in Aeolia rei maritimæ præfecti insidias ei tetenderunt. At postquam ad Xerxem uenit, benignè eum rex suscepit, & ducenta talenta ei dedit, quòd semetipsum adduxisset. Plutarchus in Themistocle.

Mitylenęis durissima fuêre cũ Atheniensib. certamina, adeoq; ATHENIENSES in eos sęuiêre, ut senatuscõsulto decreuerint omnẽ Mitylenæorũ pubem iugulari. Pœnituit tamen eos, decretumq; mutatæ sententiæ una die antè allatum est ad imperatores, quàm mandata essent peracturi. Herod.

LYSIMACHVS Hellesponti rex inter omnes reges Demetrio Poliorceti hostis infestissimus, cùm Seleucus eum in acie uictum cepisset, pecuniam Seleuco per legatos, si necasset Demetrium, obtulit. Seleucus autem uel aliàs eũ execratus, longè impensiùs hinc duxit detestabilem & barbarum. Plut. in Demetrio.

PROMERVS domesticus Archelai regis Macedoniæ, Euripidi à regis cœna redeunti furtim canes immisit, qui poetam discerpserunt.

HIPPONAX poeta Bubalum pictorẽ suis scriptis ad laqueũ perpulit. Aelianus.

ROMANI per trecentos annos propè continenter cum Veiẽtibus bellum gessere. Liuius.

Vehemẽs aduersus pop. Rom. HAMILCARIS Carthaginensis ducis odium fuit. Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, eiusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperij Rom. alere se prædicabat, digna nutrimẽta, quæ in exitium patriæ suæ, ut euenit, conuerterentur. E quib. HANNIBAL maturè adeò patris uestigia subsecutus est, ut eo exercitum in Hispaniam traiecturo, & ob id sacrificante, octo annorũ natus altaria tenens iuraret, se cùm primùm per ætatem potuisset, acerrimũ hostẽ pop. Rom. futurum, ut pertinacissimis precibus instãtis belli cõmilitium exprimeret. Idem significare cupiens quanto inter se odio Carthago & Roma dissiderent, inflicto in terram pede, suscitatoq; puluere, tunc inter eas fore finẽ belli dixit, cùm alterutra pars in habitũ pulueris esset redacta. Ergo quantumuis patria pulsus esset, & alienarum opum indigeret, nunquã tamẽ destitit animo bellare cũ Romanis. Nam ut omittam Philippum Demetrij Macedonis regis filium, quem absens hostem reddidit Romanis: omnium potentissimum Asiæ regem Antiochum tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque à Rubro mari, arma conatus sit inferre Italiæ. Ad quem cùm legati uenissent Romani, qui de eius uoluntate explorarent, darentq; operã consiliis clandestinis, ut Hannibalẽ in suspicionem regi adducerent, tanquã ab ipsis corruptus alia atq; antea sentiret: neq; id frustra fecissent: idq; Hannibal comperisset, seq; ab interiorib. consiliis segregari uidisset: tempore dato adiit regẽ, eiq; quũ multa de fide sua & odio in Romanos cõmemorasset, hoc adiunxit: Pater (inquit) meus Hamilcar, puerulo me, utpote nõ amplius nouẽ annos nato, in Hispaniã Imperator proficiscens, Carthagine Ioui optimo maximo hostias immolauit. Quę diuina res dũ conficiebatur, quæsiuit à me, Vellémne secũ in castra proficisci? Id quũ libenter accepissem, atq; ab eo petere cepissem, ne dubitaret ducere: tũ ille, Faciã (inquit) si fidẽ mihi quã postulo dederis: simulq; ad arã adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamq;, cęteris remotis, tenentẽ, iurare iussit, Nunquã me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandũ patri datum, usq; ad hanc diẽ ita cõseruaui, ut nemini dubiũ esse debeat, quin reliquo tempore eadẽ mente sim futurus. Quare, si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. Cùm quidẽ bellum parabis, te ipsum frustraberis, si nõ me in eo principem posueris. Probus in eius uita, & Plut.

T.Q.FLAMINIVS ad cõponendã inter Prusiam Bithyniæ & Eumenem Pergami reges inimicitiam missus, cùm Hannibalem apud Prusiam exulantem inuenisset, quem & cõmuni odio tanquam inimicissimum hominem S. P. Q. R. prosequebatur, & priuato quoq;, ob memoriam Flaminij patris ad Thrasymenum lacum interemti: regem permouit, ut sibi dederetur. Cæterùm Hannibal omni spe euadendi abiecta, statuit morte uoluntaria Romanorum manus effugere. Alij seruũ ab eo iussum cõpressa gula spiritum intercludere tradunt. Quidam sanguinem tauri, sicut Clitarchus, Stratoclesq; de Themistocle finxit, bibisse eum dicunt, atque eo potu

potu mortuum concidisse. Liuius autẽ Hannibalem scribit uenenum ad similes casus præparatum poposcisse, & mortiferam illam potionem tenentem manu dixisse, Soluamus ingenti cura populum Romanum, ubi mortis iam consumti senis tantum tamq; præsens desiderium tenet. Romani patres Pyrrhum Epirotarum regem infestis signis appropinquantem mœnibus Romanæ urbis à ueneno monuerũt ut caueret. Hi auctores fuêre, ut regiæ dignitatis iunctæq; dextræ oblitus hospes, hospitem scelere prodetet. His dictis regem Prusiam multis execrationibus detestatum, ueneno sibi consciuisse mortem, LXX. ętatis anno, quidam memoriæ prodiderunt: Eius morte Romę audita, pleriq; Flaminiũ crudelitatis arguebant, quòd ueluti præclari cuiusdam facinoris gloriã adepturus, auctor extitisset opprimendi exacta ætate uirum, à quo nullum ulterius periculũ reipub. iam propè uictrici omnium gentium timeri poterat. Quidã uerò factum excusantes, Flaminio etiam tribuebant laudi, quòd ꝑpetuũ hostem populi Rom. de medio sustulisset: cui etsi uires corporis ac robusta ętas, non tamen ingenium, consiliũ, rei militaris peritia deesset, quibus Prusiam ad arma concitare, Asiamq; nouis bellis cõmouere ac perturbare potuisset. Auctor uitæ Hannibalis.

ROMANI & POENI per CXIIX. annos inter se de terrarũ imperio terra & aquis disceptarunt. Quo temporis interuallo, si quies fuit aliquando ab armis, ab odiis cessatũ est nunquam. Habuit primum bellum Punicũ duos & uiginti annos. Mox alterum, quod ab eo proximè est gestũ, sexdecim (sunt qui biennium huic numero adiiciant, alij triennium.) Postremum, quo Carthago excisa est (anno DCC quàm cõdita fuerat, Olymp. CLVIII penultimo) tres annos: etsi nõ defuerunt qui in quartum exiisse proderent. Sed quo minus temporis hoc habuit, quàm duo priora illa, eo minus & periculi. Enimuerò priore illo, ut aliæ dissimulentur clades, septingentæ Romanorum sunt naues diuersis casibus amissæ. In altero, quod Barchinus Hannibal gessit, quadringentæ Italiæ urbes sunt, ut Appianus scribit, incendio consumtæ, trecentaq; hominum milia diuersis præliis interfecta. Sab. lib. 9. En. 5.

Bello primo Macedonico L. Apustius Romanæ classis præfectus, circa Scylleum agri Hermionici cum Attalo rege coniunctus, tantum animi fecit ATHENIENSIBVS, quòd cõtinuo decretum tulerint, ut omnes Philippi regis statuæ, atque maiorum eius tituli & honores, in perpetuum abolerẽtur. Publici sacerdotes quoties pro populo Atheniensi & ꝓ sociis facerent, Philippũ cum tota progenie, exercitũ, regnũ, ipsumq; Macedonũ nomen execrarentur. Demùm ut impunè occidere liceret, si quis unquã Athenis de honore aliquo ipsi regi decernendo, iam inde uerba ausus esset facere. Atq; ita Athenienses uerbis, quibus solis ualebant, bellum aduersus Philippum gerebant. Sab. lib. 6. En. 5.

Brutij cùm ad Hannibalẽ defecissent, CROTONEM urbẽ ꝓditione ceperãt: arcẽ solam optimates in Rom. fide continebant. Obsedêre Brutij aliquandiu arcẽ à plebe adiuti, inde Hannonis auxilium implorarunt. Post cuius accessum, tandiu in obsidione perseueratũ est, donec optimates Locrensium Hannonis interuentu pacti sunt cũ Crotoniatis, ut relicta arce Locros cũ omnibus fortunis incolumes migrarẽt: maluerũtq; illi extorres fieri, quàm in natali urbe cũ Brutiis uiuere. Sab. lib. 3. En. 5.

L. SYLLA postquam Italorum rebelliones multis dissipauit præliis, Samnites fermè solos consistentes, & in unum conspirantes conspicatus, ante illorum mœnia castris locatis, partim in pugna obtruncauit, nullis uitam impartiens captis, partim uerò qui arma proiecerant, ad millia tria, uel, ut alij, quatuor, in campo Martio ad Ouilia coactos, immissis militibus, triduo pòst iugulauit. Factis inde proscriptionib. non antea destitit, quàm Samnitum nomen deleuerit, aut ex Italiæ finibus omnes eiecerit. Cùm autem de tanta incusaretur iracundia, respondebat magistra sese experientia didicisse, ne unum quidem Romanum pacem acturum, quo ad Samnites potẽtes essent. Itaq; ciuitatum aliæ uici facti, aliæ radicitùs extinctæ. Strabo lib. 5.

GENVENSES magno prælio ad Calaritanum Sardiniæ sinũ uicti à Venetis, suis opibus accisis ad alienas confugêre. Florebant tunc res Vicecomitum omniũ maximè in Italia, quas Ioannes Vicecomes Mediolani & antistes & princeps, ad eã diem uehementer auxerat. Ad hunc Genuenses legatos misere, qui urbem, ciues, agrũ, omnesq; ciuitatis fortunas publicas & priuatas illius fidei traderent, postularentq; unum illud, precibusq; contenderent, ut se deditos aduersus omnem Venetorum Aragonumq; tueretur iniuriam. Et sic ira & odio stimulantibus, se libertate priuarunt sua. Accepit libens eam deditionem Vicecomes, ac deditos bene sperare iussit, pollicitus fore, ut nunquam Genuenses publici illius studij in Vicecomites pœniteret. Deditionis huius fama Venetos adegit, ut nouo fœdere & societate partes suas firmarent, Carrariẽsium, Scalanorum, Estensium, Gonziacorũ, & in Hetruria Florentinorum amicitiam & societatem complexi: quod eò facilius sunt consecuti, quo Vicecomitum opes finitimis (creuerant enim plus nimio) erant formidolosiores. Sabel. lib. 8. En. 9.

EMMANVEL Cæsar Græcus indignè ferens Venetos negasse se, cùm id peteret, Gulielmo Siciliæ regi Græcorum hosti bellũ illaturos, quo cũ fœdus icissent: Venetos mercatores uno eodẽq; omnes die tota Græcia Græcorũq; prouinciis uno edicto comprehendẽdos curauit: missosq; ad expostulandum oratores cõtra ius gentium in custodiam tradidit, in quibus Henricum Dandalum, nec dimisit, nisi indignis habitos modis. Aemylius lib. 6.

Cùm Ioannes princeps Pisaurensium de Cæsaris Borgiæ Alexandri Pp. F. in se uoluntate certior factus, oppidum VENETIS uellet tradere, modò sibi aliquid in reipub. finibus oppiduli aut castelli Senatus daret, quo se alere & sustinere posset: consulto Senatu responderunt, nolle se ei præsidio esse, qui reipub. obesse uoluisset. Id autem propterea Patres cõmemorauerant, quòd Ludouici Galli legatos ad Turcarum regem contra remp. missos, Ioannem hospitio accepisse, nauibus, rebus omnibus iuuisse, regisq; item ad Ludouicum legatũ naue Pisauri egressum domi suæ habuisse, clãq; ad illum misisse, tum ipsum singulis de rebus, quæ in urbe agerentur, literas ad regem dedisse, antea cognouerant. Bẽbus lib. 5. Hist. Ven.

BERNARDVS Castellioneus Florentinus, obsessa anno M D XXX. ab Caroli V. Cæsaris exercitu Florentia, quum antea Aurantio Cæsariani exercitus Imperatori bellariorũ dona detulisset, Alfonso Vastio cohortanti, ut pontifici Clementi VII. aliàs optimo ciui, nec nominis sui clementiæ defuturo, patriam concedendam curaret, sublata argentea pelui, quam habebat in manibus, exclamauit, non alio modo Florentinos, quàm in cineres redactam patriam ea pelui reddituros. Dixit quoque sæpius in aduersarum partium ciues inuectus, si hi unam tantùm haberent ceruicem, se illam cupidissimè uno dextrę suæ ictu, districta latiore sica, detrũcaturum. Confessus etiam est, dedita Florentia, tormentis subiectus, se perpetuis sententiis in patritium ordinem, ipsosq; Medicæos, tanquam tyrannos, inimicissimè fuisse proloquutum, adeò ut neptem pontificis Catharinã (quæ pòst Henrico II. Gallorum regi nupsit) nunquam reddendã esse, sed quum adolesceret, contrudendam in Marmarucos fornices, ubi tum fœdissimum erat lupanar, inuerecundè censuisset: semperq; in senatu à sententia quærendæ concordiæ procul abfuisset, incitassetq; iuuentutem per Dantem fratris filium, notæ ferociæ apud turbidos ducem, ut nullam aliam

[redacted]
C[redacted]ssum,
[redacted] Vrsinus Car-
dinalis [redacted] accessu
dignati [redacted]
tam a[redacted]taret,
qui [redacted]

[redacted]

Liberorum.

[redacted]

Odium [redacted] indicat epigramma Græcum [redacted]o Calli- [redacted]
ἡ δὲ τάφῳ κλιθεῖσα κατέκτανε παῖδα [redacted]
φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

LVCILLIVS Epigrammatographus filiã suam odio habuit, uel certè simulauit, uti ex secundo Epigrammatum, εἰς θυγατέρας, colligere licet:

> οὐκ ἔστι θυγατρὸς μεῖζον βάρος, εἰ δὲ δοκεῖ σοι
> εὐκήλων εἶναι τοῦ φόρον, ἄκουσον ἐμοῦ.
> ἔστι σοι κηλὴ, ἐμοὶ θυγατὴρ λάβε ταύτην,
> καὶ εἶχέ σοι κήλης ἀντὶ μιᾶς ἕτερον.

De Cæsare AVGVSTO literis proditũ est, quòd Iulias filiã & neptẽ, & Agrippã prius adoptatum, postea abdicatũ, non aliter appellare soleret, quàm tres Vomicas suas, ac tria Carcinomata: adeoq; detestabatur mores illorum minimè frugales, ut ad omnem illorum mentionem soleret exclamare uersu Homerico:

> αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. id est,
> O utinam celebs mansissem, orbusq; perissem.

Erasmus in Adagiis.

TIBERIVS Cæsar, filiorum neq; naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patria caritate dilexit: alterius uitiis infensus. Nam Drusus animi fluxioris remissioris que uitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est: sed tantum non statim pòst à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Quin & Iliensium legatis paulò serius consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria irridens: Se quoq; respondit uicem eorum dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent. Germanico usq; adeo obtrectauit, ut & preclara facta eius pro superuacuis eleuaret: & gloriosissimas uictorias, ceu damnosas R.P. increparet: quòd uerò Alexandriam, propter immensam & repẽtinam famẽ, inconsulto se adisset, questus in Senatu, etiam causa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriæ creditur. Suetonius.

CLEMENTIA Burgũda, Calixti II. Pont. Rom. soror, quum Roberto II. Flandriæ principi fortis. & rebus in Syria gestis clariss. intra tres annos & eo minus tres filios enixa esset, sterilitatem fertur accersisse, ne sobole numerosa grauaretur. Quæ res illi malè uertit, quum filiis omnibus superstes grauiter deflleret, alios quàm suos liberos Flandris imperare. Iac. Marchantius de rebus Flandriæ.

Maritorum.

Iones quidam, ex Atheniensiũ colonis, cùm in Cariam profecti, uiros omnes interfecissent, & mulieres ad concubitum uiolenter rapuissent, CARICÆ illæ mulieres, uindictæ loco, iureiurando interposito legem inter se sanciuerant, ne unquam cum maritis cibum sumerent, neq; eos propriis nominibus compellarent. Herod. lib. 1.

Vxorum.

COTYS rex Thraciæ, fortunæ uarietate in eam crudelitatem peruenit, ut uxorẽ (ex qua iam filios susceperat, & cum qua antea mitis & humanus uiginti quatuor annis uixerat) mediam consciderit. Suidas.

Fratrum, Sororum.

AMNON Dauidis F. Thamarem sororem efflictim deperibat. At posteaquam ea potitus est per uim, amorem in odiũ conuertit, ita ut eam omnibus spectãtibus domo per famulum eiici curarit. 2. Reg. 13.

DOMITIANVS Vespasiano patre defuncto, cùm se testamẽto fraudatum publicè iactitaret, fratri Tito insidias struere cepit. Eum quinetiam mortuum, obliquis & crebris orationibus carpens, efferri iussit, unico consecrationis honore dignatus. Cuspinianus.

Affinium, Cognatorum.

BERCHTOLDI Zaringensis Carinthię ducis odiũ erga affines summũ. Moriens pecuniam omnem signatã & uasa aurea & argentea in unam conflari massam iussit, ut hæredes de ea uel inuiti cogerentur digladiari. Fulgosus.

Brutorum.

IVDÆI ex instituto Mosaico à porcis abstinent. Hinc iocus ille Augusti in Herodem regem filiorum parricidam, Malle se porcum quàm filium Herodis esse.

Proditur memoriæ, in AEGYPTO flaui coloris homines ludibrio esse, plurimumq; uellicari: asinos uerò plerunq; in preceps dari, sicut obuenit apud Coptitas. Vtriusq; facti redditur ea fermè ratio, quòd rufus foret Typhon hostis perpetuus Osiridis, nec non asini quoq; colorem præferret. Sed additur hebetudinis item ac studitatis ratio, necnõ iniuriarũ illatio frequens. Quæ causa gentibus item illis expressit, ut Persarum regem Ochum nomine, quem miro prosequebãtur odio, asinum subinde appellarent. Quare is commotior, ὁ μέν τοι ὄνος οὗτος ὑμῶν κατευωχήσεται τὸν βοῦν: Asinus, inquit, hic uestro conuescetur boue. protinusq; Apin immolauit, sicuti Dinon scriptum reliquit. Legimus item BVSIRITAS & LYCOPOLITAS tanto eius animantis odio flagrasse, ut tubis omnino supersederent uti, tanquam sonum edant asinino planè consimilem: prorsusq; non purum id animal arbitrabantur, sed dæmonicum, ex ea quam exposuimus assimulatione. Imò uerò in sacris popana facientes mensibus, quos illi uocant payni & phaophi, asinum effingũt insignẽ, uinctum. Cælius lib. 30. c. 21. A. L.

Ab arce ATHENIENSIVM, ubi Mineruæ, & à DELO, ubi Dianę templũ fuit, arcebatur canis, quòd impurum & procax animal esset. Alex. lib. 2. cap. 14.

Cani præ omnibus animantibus infestus fuit HERCVLES: quippe hic eum semper multum fatigauit, ut Cerberus, & super omnia Licymnio puero Oeoni à cane interempto, ab Hippocoontidis pugnam conserere compulsus, cùm multos alios amicos, tum fratrem desiderauit Iphiclem. Proinde Romæ cùm illi sacra fierent, nullus conspiciebatur intra septa canis. Plut. in quæst. Rom.

ROMANI, canes negligentes custodes Capitolij annuo supplicio furca sambucea uiuos suspendunt, inter ædem Iuuentutis & Sumani: quòd Gallis Capitolium obsidẽtibus ignauia sua & stertore Gallos ascendentes non prodidissent. Plinius lib. 29. cap. 4.

Apud Rom. FLAMINI sacrorum equum tangere non licet, cùm Romæ publicis sacris equus etiam immoletur. Plinius libro 28. capite 9.

GERMANICVS galli gallinacei neque uocem neque aspectum ferebat. Plut. Com. de odio & inuidia.

MAGI apud Persas mures interficiunt, quasi & ipsi eorum odio teneantur, & abhorreat ab eis deus. Quippe ARABES pene omnes & AETHIOPES eos abominantur. Plut. de inuidia & odio.

RESPECTV RERVM ODIVM

Vitæ.

☞ *Consule Tit. eorum Qui sibiipsis manus inferunt. Βιοθανάτοι dicuntur Iulio Firmico, qui non expectato fato ipsi se ipsos uiolenta morte conficiunt. Itaq; Heliogabalus apud Lampridium ab Astrologis βιοθανάτης fore prædictus, omnigena mortis instrumenta eademq; luxuriosissima comparauit.*

Apud Euripidem in Hecuba POLYXENA ratiocinatur, sibi non esse causam cur optaret uiuere, quòd omnib. ornamentis pristinæ fortunæ iam esset spoliata:

> τί γάρ με δεῖ ζῆν; ᾗ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ
> Φρυγῶν ἁπάντων, τοῦτό μοι πρῶτον βίου.
> ἔπειτ' ἐθρέφθην ἐλπίδων καλῶν ὕπο
> βασιλεῦσι νύμφη id est, Quæ nãq; uitæ causa iam superest mihi? Etenim rudis mi lucis hoc initium pater rex: dein spes in amplas educabar, regibus sponsa.

Qua [redacted] Græciam Xerxes petebat, ab rege, quem splen- [redacted] exceperat, Pythes [redacted] sepulcrũ attolleret. His perfectis ipse in monimẽtũ [redacted] tuit eò accedere, tantùm ut cœnam quotidie scaphæ impositam mitteret, quousq; hæc unà cum intacta cœna preterflueret sepulcrum: pòst quasi mortuo ne amplius mitteret. Ita ille reliquam trãsegit uitam. Vxor imperio præclarè prẹfuit, ciuesq; ærumnis liberauit. Plut. de uirtut. mulierum.

EVPHRATES philosophus senio morboq; cõfectus, ab Hadriano Imp. impetrauit, ut citra ignominiam hausta cicuta mortem obire posset. Dion in Hadriano.

STARCATHERVS gigas Suecus, incruenta morte defungi ignobile ratus, cùm ob seniũ & corpore inualido & oculis captus esset, diuturnioris uitæ moram perosus, emendi in se percussoris gratia CXX auri libras, quas à procerib. Daniis ob cæsum per insidias Olonẽ Daniæ tyrannũ meruerat, collo appensas gerebat, nõ aptius se uiolatæ maiestatis iniuriã expiare posse ratus. Itaq; gemino cinctus ense, totidẽ baculorũ adminiculo nitebatur. Quo uiso populariũ quidã geminũ gladiorũ usum seni superuacuũ ratus, donari sibi alterũ per ludibriũ petiuit. Quẽ Starcatherus spe petitionis facta propius accedere iussum, detracto lateri mucrone transuerberauit. Quod Hatherus quidã (cuius patrẽ Lennũ suasorẽ interficiẽdi Olonis Starcatherus olim pœnitentia adductus occiderat) dũ canibus feras insequeretur aspiciens, duos è comitib. cõcitatis equis senẽ terrere iubet. Qui dũ procursu edito reflectere cupiũt, Starcatheri baculis intercepti periere. Eo spectaculo Hatherus perterrefactus, agnitum senẽ, an gladiũ uehiculo pmutare uellet, interrogat. Respõdet Starcatherus, quondã pœnas se ab irrisorib. exigere solitum, nec unquã impunè sibi à pcacib. insultatũ. Mox ubi Hatherũ Lẽno patre ortũ didicit, feriẽdũ ei iugulũ prẹbuit, hortatus ne à parẽtis sui interfectore pœnas exigere uereretur: cupideq; ense prębito, pronã ceruicẽ obtulit, ne ferro muliebriter uteretur, hortatus, prẹfatusq;, qd si peracta cęde ante cadaueris lapsum caput ac truncũ medius intersiliret, inuulnerabilis redderetur. Hatherus, senẽ obtrũcauit: caput corpori auulsum, impactũq; terrę, glebã morsu carpsisse fertur. Percussor tamẽ pmissis fraudẽ subesse ueritus, saltu abstinuit. Quẽ si temerẽ peregisset, fortè cadaueris ruina obrutus, occisi senis pœnas proprio funere persoluisset. Corpus eius in cãpo, qui uulgò Rolung dicitur, sepulturę mãdauit. Saxo lib. 8.

Sapientiæ, Philosophiæ.

MEDEA à Creonte rege Corinthiorũ iubetur terra excedere, quòd sit sapiẽs & perita, & possit propterea inferre mala cũ sibi tum suis, apud Eurip. in Medea.

Musicæ.

ARCHIDAMVS Zeusippi filius, cũ quidã sibi cõmẽdaretur hoc nomine, quòd bonus esset cantor: At hic, inquit, apud nos bonus cupediarius. Erasmus in Adagiis.

Tubarum uocem, qua nunc reges tantoperè delectantur, olim BVSIRITÆ nõ ferebant, quod asino rudẽti uideatur adsimilis. At ei genti, inter abominãda habebatur asinus. Plut.

Religionis diuersæ.

Aedificantibus templum Iudæis, post reditum de Babylone, GENTES quæ erant in circuitu impedire eos sunt conatæ. 1. Esdræ 4.

CLAVDIVS Imp. Iudæos omnes religionis odio Roma expulit. Actorum 18.

Socrates lib. 7. cap. 13. narrat, diabolico facinore IVDÆOS malitiã suam extremã prodidisse in quodã loco, quẽ Inmestar uocant, inter Chalcedonẽ & Antiochiã Syriæ. Nã cũ ibi ludicra agerent, & poculis indulgerent Iudæi, non tantùm Christianos & ipsum Christũ horrendis & conuiciis pscīderunt, sed etiam erecta cruce, misellum puerũ Christianum ui apprehensum, in eam crucem suspenderunt, & tãdiu uerberarunt, donec expiraret. Imperatores re cognita de auctorib. sceleris graues sumsere pœnas.

De IVDÆIS sic scribit Chrysost. homil. 44. in 12. Matthæi: Si aliquo modo modestius nũc degere uidẽtur, formidine principũ id simulant. quæ si nulla esset, crudeliora quàm antea unquã facere auderẽt, cùm omni prauitate atq; malitia priscos nimiũ antecedant, maleficas artes atq; magicas, petulantiã, audaciã, cæteraq; uitia supra modũ colentes. & quãuis tanto freno coerceantur: sæpenumero tamẽ in principes conspirarunt, & in extremas inde calamitates inciderunt.

LADISLAVS Vngariæ & Boemiæ rex cùm ad celebrandas cum Magdalena Galliæ regis F. nuptias Pragæ ad secundũ lapidẽ appropinquasset, Rochezana ei cum frequẽti sacerdotum Hussitarum collegio occurrens, de fausto feliciq; eius aduentu accurata oratione congratulatus est. Limis cõtrà toruisq; oculis prophanam illam multitudinem rex inspexit: quinetiam submonente Georgio Pogiebrachio gubernatore uix gratias egit, & quasi maiestatis suæ uultũ eo incestasse spectaculo uisus est. Ad primum lapidẽ, Pragensis basilicæ sacerdotes, Romanę ecclesię assertores, qui diu exularãt, in occursum uenere, crucẽ & sacra ferẽtes, diuinos gratulabundi hymnos concinebant. Quorum postquam congressum attigit, Veros (inquit) Dei ministros agnosco. Salue te patres sacrosancti, quorũ sacris ac precibus humana scelera remittuntur. Mox equo desiliens, osculatã crucem adorauit. Hussitarum id animos admodũ offendit (quippe qui nõ æquum sibi futurũ hinc regẽ auspicabantur) & hi presertim, qui Rochezanæ fauebant: odiũ tamen pro tẽpore dissimulatum & compressum est. Quamdiu in Boemia mansit, nunquã, etiã sæpe rogatus, phana Hussitarum inuisit, nunquam eorum sacris interfuit. Sacerdos quidam Rochezanæ factionis, in sacello arcis sacro habitu instructus, iam altare præsente rege conscenderat. Quod ubi ille conspicatus est, continuò abire, si reluctaretur, è proxima rupe per equitum magistrum præcipitari iussit. Rochezanam in Corporis Christi solennib. Eucharistiã publicè gestantẽ, è fenestra conspicatus, nullũ uenerationis signũ edidit. Percontantibus causam amicis, respondit: Augustissimum Christi corpus tã immensæ esse præstantiæ, ut eius gloria nulla ueneratione augeri, & nulla dehonestatione possit imminui: sed quũ populares è principibus pendeant, sibi fuisse cauendũ, ne tali ueneratione hæreticorum sectam approbare uideretur. Bonfinius lib. 7. Dec. 3. & Dubrauius lib. 2.

Politiæ diuersæ.

Quum Carolus V. Cæsar Mediceos in patriã reducturus FLORENTIAM anno 1530 obsideret, capitale erat obloquentibus de populari Reipub. statu, aut quoquomodo complectendæ pacis mentionem inducentibus: siquidem uel leuissima suspicione rei maiestatis facti festinato supplicio plectebantur. Iouius lib. 28. Hist.

Linguæ peregrinæ.

TIBERIVS adeò Grecum sermonem osum habuit, ut in senatu nescio quid Græcè prolaturus, ueniam petierit. Suet.

Mendacij.

Apud Laertium Anacharsis ait se mirari, quòd ATHENIENSES constituto agoranomo lege prohiberent in foro mendacium, quum nusquam frequentius aut impudentius mentirentur. Erasmus in Adagiis.

Nouitatis.

Apud AEGINETAS cautũ est, ut qui nouæ cõdẽdæ legis causam daret, inuisus omnibus & execrabilis fieret. Sic apud INDOS, si quis aliquid perniciosi inuenisset, nisi protinus remedio succurreret, morte plectebatur. Alex. lib. 6. c. 14.

Senectutis.

IPHIS tria cadauera, Eteoclis filij, Euadnes filiæ, & Capanei generi uidens, apud Eurip. in Supplicib. in hęc uerba, prũpit:

> ὦ δυσπάλαιστον γῆρας, ὡς μισῶ σ' ἔχων·
> μισῶ δ' ὅσοι χρῄζουσιν ἐκτείνειν βίον,
> νώτοισι, καὶ στρωμναῖσι, καὶ μαντεύμασι
> παρεκτρέποντες ὀχετὸν, ὥστε μὴ θανεῖν·
> οὓς χρῆν ἐπειδὰν μηδὲν ὠφελῶσι πόλιν,
> θανόντας ἔρρειν, κἀκποδὼν εἶναι νέοις. O ineluctabile senium ut odi te habens. Odi porrò, quicunq; quærunt producere uitam, scapulis, & lectis, & uaticiniis impedientes uitæ fluorem, quo minus moriantur. Quos conueniebat, ex quò nihil iuuabant ciuitatem, morientes ualere, & locum dare iunioribus.

CHORI Senum Thebanorum uerba, apud Eurip. in Hercule furente talia sunt.

> ἁ νεότας μοι φίλον· ἄ-
> χθος δὲ τὸ γῆρας, αἰεὶ
> βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
> ἐπὶ κρατὶ κεῖται,
> βλεφάρων σκοτεινὸν
> φάρος ἐπικαλύψαν.
> μή μοι μήτ' Ἀσιήτιδος
> τυραννίδος ὄλβος εἴη,
> μὴ χρυσοῦ δώματα πλήρη,
> τᾶς ἥβας ἀντιλαβεῖν·
> ἃ καλλίστα μὲν ἐν ὄλβῳ,
> καλλίστα δ' ἐν πενίᾳ.
> τὸ δὲ λυγρὸν φόνιόν τε γῆρας
> μισῶ· κατὰ κυμάτων
> δ' ἔρροι, μηδέ ποτ' ὤφελεν
> θνατῶν δώματα καὶ πόλεις
> ἐλθεῖν, ἀλλὰ κατ' αἰθέρ' αἰεὶ
> πτεροῖσι φορείσθω. Ipsa iuuenta mihi gratum pondus: sed senecta semper grauius Aetnæ scopulis capiti imminẽs, oculorum tenebricosum amictum obtegens. Non mihi neque Asiatici regni diuitiæ sint, non auri domus plena, pro ipsa iuuentute: quæ pulcerrima quidem in diuitiis, pulcerrima autem in paupertate. Sed triste lethaleq; senium odi: per fluctus uerò pereat, neq; unquã mortalium ad domos & ciuitates redeat, sed per æthera semper alis feratur.

Coniugij.

☞ *Tit. Perfidiæ cõiugalis huc referri potest, quatenus Odium Iniustitiæ fomitem subministrat.*

ESSENI Iudæi nuptias quidem fastidiunt, alienos uerò filios, dum adhuc teneri sunt, suis moribus diligenter instituunt: non quia coniugia uel humani generis successionē censeant perimendā: sed quia cauendam putent intemperantiā feminarū, nullā earū uni uiro fidem seruare credentes. Iosephus lib.2.cap.7.belli Iud.

Inter sophistas acutissimus Libanius QVENDAM affingit apud iudices seipsum accusantē, & cur ultimo uideretur dignus supplicio promentē causas, quòd eatenꝰ delirasset, ut uxorem ducere sibi permisisset. Cælius lib.28.c.13.

THALES Milesius, Plutarcho teste, coniugiū respuit, ne quando liberorum mortē perferre cogeretur. Maiusne in sapiente coniugij odium, an liberorum amor fuerit, dubium.

Auri, Argenti, Pecuniæ.

BALEARES aureo numo aut argenteo non utuntur, & afferri ad insulam prohibent: causam afferentes, Geryonem Chrysaori filium, auro atque argento opulentissimū, quondam ab Hercule bello expugnatum. Existimant enim eo pacto, cùm auro atq; argento careant, sese facilè omnes uitæ insidias euasuros. Diod.lib.5.c.6.

Gemmarum.

ALEXANDER Mammeæ, cùm quidam dono obtulisset uxori illius Memiæ uniones duos immensi precij, eos confestim uenundari iussit. Cæterùm quum nemo eos licitaretur, dubiū ob immensum preciū, an ut inuidia declinaretur, negauit uxorem suam uti oportere, quod emi non posset, eosq; Veneris inauribus dedicauit. Gēmas in uniuersum aspernatus est, multo meliores dictitans in Marone esse, quē poetarum Platonem appellabat. Sabellicus libro 6. Ennead. 7. ex Lampridio.

TACITVS uxorem ne imperator quidem passus est gemmis uti: quin Aureliano adhuc priuatus auctor fuisse creditur, ut auri usum ex uestibus & cubiculis submoueret. Sabellicus lib.7. Enn.7.

RODOLPHVS princeps Camerinus ad Ducem Andegauensem, cùm Neapolim proficisceretur, uisendum in castra uenerat. Ostendit ei Dux preciosam admodum supellectilem, inter cætera margaritas, saphyros, carbunculos. His conspectis quæsiuit Rodolphus, quanto lapides illi æstimarentur, & quid utilitatis afferrent? Magnum quid æstimari, Dux respondit, sed nihil afferre lucri. Tum Rodolphus: Ostendam tibi, inquit, duos lapides decē florenorum, qui mihi annuatim ducentos reddunt. Ac deinde cùm Ducem hæc admirantem, ad molendinum, quod ipse construi fecerat, duxisset, duos molares lapides ei ostendit, dicens illos esse, qui preciosorum utilitatem uirtutemque superarent. Poggius in Facetiis.

Deliciarum.

SVECI per cætera ualde erga peregrinos humani, oderunt tamen hospites, qui graues odores, ut moschum, zibetum, & similes, secum in uestibus aut sarcinis deferunt, quia feminæ abortiunt eo odore hausto, & ob tales odores peregrinos, incolis suspecti fiunt, ne sint proditores regni. Vnde nō rarò unguentis & odoribus delibutos uiatores, præcipuè Russos, Moschos atque Danos, à rusticis Suecis, tāquam uirus olentes, fustib. cędi contingit, quibus displicet ille odor. Olaus lib.16. cap.13. & 14.

Maris, Salis.

Aegyptij SACERDOTES mare detestantur, salēq; Typhonis tyranni appellant spumā: & ex interdictis in mensa salē nefas est apponere: nec gubernatores salutant, quòd exerceāt salum, uitamq; ex eo tolerent. Auersantur inprimis hac de causa piscem, atq; odisse scribunt pisce. Plut. de Iside.

Nominis.

Herodotus ait ATHENIENSES & plerosq; aliorum Ionum hoc nomē erubescere, qa uocari Iones nolint & refugiāt.

Paupertatis.

THEOGNIS, quàm inuisa sibi esset paupertas, his uersibus declarat:

ὦ δειλὴ πενίη, τί μένεις προλιποῦσα παρ' ἄλλον
ἄνδρ' ἰέναι; τί δ' ἐμ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖς;
ἀλλ' ἴθι, καὶ δόμον ἄλλον ἐποίχεο, μηδὲ μεθ' ἡμῶν
αἰεὶ δυστήνου τοῦδε βίου μέτεχε. O improba paupertas, cur cessas(me) relinquens ad alium commeare? cur uerò me uel inuitū amas? Quin abi, & domū aliam accede, neq; cum nobis semper miserabilis huius uitæ sis particeps.

IAPONII Indi inopiā (qua tamen pleriq; laborant) detestantur, adeò ut recens natos infantes, puellas præsertim, ij, qui tenui re familiari sunt, iniecto faucibus pede, crudeliter enecent. Io. Metellus.

Libertatis odium.

AEGYPTII post mortem Sethonis regis Vulcani sacerdotis, à quo malè fuerant tractati, in libertatem sese asseruerunt. Quā cùm ferre non possent, duodecim sibi rursus reges elegerunt, in totidem partes tota Aegypto diuisa: inter quos & Psammetichus fuit, qui postea rursus regnū solus obtinuit. Herodotus libro 2.

IONES pontem in Istro custodiebant, ex iussu Darij. Scythæ eos spe libertatis pontem soluere uolebant. Iones id polliciti, pontis partem soluerunt, ut extra teli iactum essent. Cæterùm cùm Darius fugiēs ad Istrum peruenisset, pontē denuò iunxerunt. Sic Darius sibi consuluit. Eam ob causam Scythæ, Iones tanquam non liberos, sed pessimos & ignauissimos omnium hominum iudicant: deque eis tanquam de seruis loquentes, mancipia dominos amantia esse aiunt, & insectatione dignissimos. Herodotus libro 4. Callicratides interrogatus, quod genus hominū essent Iones? Liberi, inquit, mali: sed serui boni, significans, illos nescire imperare, ac libertate uti, sed seruitutem æquo animo ferre: uidelicet referendos ad secundum hominum genus, iuxta distinctionem Hesiodi, qui per se quidem non sapiunt, sed parent rectè sapienti. Plut. in Laconicis.

Mæandrius, Mæandrij F. scriba Polycratis SAMIORVM tyrāni, interfecto eo ab Orete pfecto Sardiorū, ciuibus suasit, ut Democraticum Reipub. statum amplecterentur. Recusantibus aūt illis, ne ipse alienam tyrannidem pati cogeretur, dominatum occupauit. Herod.lib.5.

DIOGENES Cynicus quum Xeniadæ Corinthio seruiret, amici agebant de redimendo. At ille: Nequaquam, inquit: an nescitis leones nō iis seruire, à quib. aluntur: sed altores potius seruire leonibus? Nam leo ubicunq; est, semper leo est. Laertius libro 6.

Cappadociæ & CAPPADOCVM genti hic honor publicè à Rom. datus est, regia stirpe extincta, ut gens ea libera esset secundū amicitiā & societatem antè contractam. Principes libertatē recusare, & dicere eam se ferre non posse: ut rex sibi daretur, orare. Romani admirati, quòd inuenirentur, qui libertatē recusarent, permisere, ut quē uellent regē eligerent. Elegerunt itaq; Ariobarzanē: qui in progressu, tertia ætate defecit. Tum creatus est Archelaus, nihil illi affinitate coniunctus, idq; M. Antonij opera. Strabo libro 12. & Iustinus. Iure igitur eos Persius & Martialis pro seruis introducūt: nec obscura est parœmia, τρία κάππα κάκιστα, nimium Cappadoces, Cretenses, Cilices.

Pars multo maxima RVSSIANORVM siue Roxolanorum seruitutem seruiunt, nec inuiti: multi quidem & in his, nobiles etiam, se, coniugem & liberos uenditant, aut quia sic maiore otio fruantur, aut quòd maiore uoluptate. Sabellicus libro tertio, Enn.10.

Seruitutis odium.

Ex Libertatis amore illustratur.

Pellenenses ab Troia nauigantes, ad Phlægrā appulerunt. Captiuæ TROADES, cùm Græci in terrā descēdissent, nō ferētes captiuitatē, naues incenderunt. Erat inter captiuas etiam Euthia, Priami soror. Græci nauigiorū inopia coacti, terrā Sicyoniā occuparunt, & extructa ciuitate regionē pro Phlægra Pallenen appellarunt. Polyænus.

PVER Spartiates ab rege Antigono captus ac uenundatus, cęteris in omnibus emtori paruit, quæ decere ducebat liberū facere. Postquam imperauit, ut amidem afferret, nō paruit, fatus: Non seruiam. Illo cōtendente, conscēdit in tectum, ac cùm dixisset, Intelliges quid emeris, præcipitauit se atq; expirauit. Plut. in Laconicis.

LACON quidam adhuc impubes, captus clamabat: Pugnans quidem captus sum, seruire tamen nolo. Verùm cùm paulo pòst iuberetur seruili fungi ministerio, illisum parieti caput rupit. Seneca Epist.11.

LACÆNA, quū in auctione præco rogaret illam, quid sciret? Libera, inquit, esse. significans, sese captiuā quidē esse, cæterùm ad illiberalia iussa non parituram. Itaq; quū emtor imperasset quædam non cōuenientia liberæ: Plorabis, inquit, qui tibiipsi talem inuideris possessionem: moxq; sibi necem consciuit. Plut. in Apoph. Lacænarum.

Veientes obsessi à Rom. ueteri magistratu ex urbe sublato regem sibi crearunt, qui & bello & pace Veientanam rem suo arbitrio administraret. Regium nomen adeò cæteros HETRVRIÆ populos offendit, ut uel ob id unum negata sint ubique Veientibus auxilia: totiusq; gentis conuentu decretum, ut quamdiu Veij sub rege essent, nulla iuuarentur ope. Sabellicus lib.9. Enn.3.

Antoninus Caracalla, Romanorum imp. cum Cennis gente Celtica bellum, post captum Osroenorum regem, gerebat. Cùm uictoria potitus esset, uxores CELTICÆ captæ, & à Romanis interrogatæ, utrum uendi, an occidi mallent? Mori se malle, responderunt. Quę cùm postea essent uendite, sibiipsis mortē consciuerunt, occisis prius filiis, ne & ij seruire cogerentur. Dion Nicæus in Antonino.

Belli.

Bello inter Othonem Imp. & Vitellium, ad Bebriacum interfuit

fuit Suetonius Lenis pater C. Suetonij Tranquilli, tertiæ decimæ legionis Tribunus Augusticlauius. Is referre crebrò solebat, OTHONEM etiam priuatum usq; adeò detestatū ciuilia bella, ut memorāte quodā inter epulas de Cassij Bruti q; exitu, cohorruerit: nec cōcursurū cum Galba fuisse, nisi confideret sine bello rem transigi posse. Suetonius.

Pacis.

Circa Olymp. 102. rex Artaxerxes uidens Græciam tumultibus concitatā, missis legatis hortabatur eos, ut omissis bellis intestinis, pacem inter se, iuxta fœdera iam antea pacta, constituerent. Quam regis sententiam omnibus Græcis libēter approbantibus, communem inter se pacem ciuitates omnes, præter Thebanos, composuerunt. Soli enim THEBANI Bœotiam sibi subiectam uolentes, à reliquis Græcis recepti non sunt: quia placebat omnibus, ut singulæ ciuitates iurarent, & promitterēt. Vnde à fœdere hoc exclusi, Bœotiam ut antea tributariam sibi seruabant. Ob quam causam Lacedęmonij cōmoti, totis uiribus expeditionem aduersus eos tanquam communes hostes suscipere decreuerunt. Diodorus libro decimoquinto.

Alaricus Gothorum rex Romanæ expeditionis pœnitentia ductus, episcopos ad Honorium Imp. legauit, hortatum, ne culpa sua sineret Romanam urbem, quæ mille annorum spacio magnæ parti orbis terrarum iura cum imperio præscripsisset, uastandam, ac diripiendam barbaris tradi, neque tātas operum, & tam magnificas moles hostili flamma deleri, sed æquis conditionibus pacem componeret, ac sibi & urbi omnium præstantissimę parceret. neque enim se pręfecturæ honorem cupere, neque Venetiam amplius ad constituendas sedes exigere, sed certo pecuniæ numero, & duobus contentum Noricis fore, quæ assiduis barbarorum incursionibus obnoxię sint, ac fiscum tributo tenuissimo iuuent, & arma aduersus omnes hostes eius laturum esse. Ceteris moderationem eius admirantibus, IOVIVS prætorio præfectus, & alij regię potentiæ participes, hæc confici posse negarunt, quòd omnes magistratus iureiurando se obstrinxissent, se cum eo pacem nullam agitaturos. Alaricus ergo, postquam suas respui conditiones uidit, uniuersum exercitum Romam ire præcepit, & constanter in urbis obsidione mansit, donec eam fame perdomuit. Sigonius.

VOLVPTAS, DELECTATIO IN GENERE.

Ex animi, corporis, fortunæue bonis & malis, Voluptas atque Dolor accidit uel Animæ uel Corpori. Animæ quidem facultati tum rationis compoti (siue secundùm Theoriam, siue secundùm Praxin, tam Mechanicam quàm Ethicam) tum ratione carenti, ut quæ Voluptates & Dolores ex sensuum obiectis, Visus præcipuè & Auditus, oriuntur, & Perturbationibus materiam subministrant. Corpori uerò accidunt, secundùm sensus materiales, corporiq; penitùs immersos, Gustum scilicet & Tactum. Gustum certè comitatur Voluptas ex eorum quæ assumuntur tum Quantitate abundante, tum Qualitate grata. Dolor similiter aut ex Quantitate deficiente, ut in Fame, Siti: aut ex Qualitate ingrata. Tactum uerò Voluptas & Dolor ex Calore & Frigore, ex Venere, ex Pruritu, & similibus. Et sunt hæc cōmunissima humanæ uitæ condimenta, perpetua uicissitudine se mutuò comitantia, expellentia, conciliantiaq;. Quod ipsum symbolicè Romani significarunt, qui duas diuas coluerunt, Angeroniā atq; Volupiam: alteram ab angoribus dictā, alteram à uoluptate. Et Angeroniæ quidem pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciebant, significantes dolores ac uoluptates in uita hominum inuicem mixtas esse. Eiusdem simulacrum in ara Volupiæ collocatum erat, quòd dolor comes sit uoluptati, & uoluptas dolori, hac figura, ut os habeat obligatum atq; signatum: significantes, eos qui dolores & anxietates animi dissimulant, patientiæ beneficio ad maximam peruenire uoluptatem. Macrobius lib.1. in Somnium Scipionis.

EX STVDIO.

Consule Titulum, Studium & amor Grammatices, Oratoriæ, Philosophiæ, Musicæ, Pictoriæ, & similium. quatenus rei cuiuslibet studium Voluptatem iunctam habet.

PLINIVS Secundus ea uoluptate studiorum afficiebatur, ut & somno & cibo detraheret, quod literis impenderet. Testis ipsemet in præfatione Naturalis hist.

BASILIVS Magnus animi pabulum quærens, corporis alimenta sæpe neglexit.

EX COGNITIONE.

THALES Milesius cùm trianguli in circulo inscriptionē inuenisset, bouem diis immolauit: PERSEVS similiter ob helicum inuentionem dæmonas propitiauit. Itidem PYTHAGORAS, ob penultimi primo Elementorum Euclidis libro theorematis inuentionem. Laertius.

ARCHIMEDEM Syracusanum mathematicum à sua quadā ferunt & familiari perpetuò demulcitum Sirene, & cibi obliuisci, & corporis curam relinquere solitum: cúmque rapetur subinde inuitus ad ungendum corpus, & ad balneū, in foco figuras geometricas exarare: & dum ungeretur, ducere digito lineas: tanta illum dulcedine artis captum, & reuerā inflāmatum fuisse. Cùm autem multa & præclara inuenisset, dicitur ab amicis & propinquis petisse, ut uita defuncti cylindrū sphærā cōplectentem sepulcro imponerent, inscriberentq; proportionem, quatenus solidum cōtinens excedat contentum. Plut. in Marcello.

ERATOSTHENES inuenta cubi duplicatione, tanta uoluptate affectus est, ut anathematis loco eam in templo deorum suspenderit.

EX IGNORANTIA.

Sophocles in Aiace mastigophoro, sub persona AIACIS, qui iam ab insania resipuerat,

ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος.
τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ, κάρτ' ἀνώδυνον κακόν. *id est,*
Suauissima hic est uita, si sapias nihil.
Nam sapere nil, doloris expers est malum.

Hanc sententiam docti citant prouerbij locò. Consentaneū est autem, uulgò iactatum fuisse, uel eius argumēto fabulę, quam Horatius narrat de quodam ARGIVO, qui felicius existimaret insanire, quàm sapere & ringi:

——Pol me occidistis amici,
Non seruastis, ait, cui sic extorta uoluptas,
Et demtus per uim mentis gratissimus error.
Erasmus in Adagiis.

EX CANTV.

GREGORIVS Magnus Pp. tanto diuinorum hymnorū amore tenebatur, & quæ amoris assecla est uoluptate, ut in lecto decumbens, puerorum cantus baculo moderari non erubesceret. Io. Diaconus in eius uita.

EX ACTIONIBVS

Practicis.

Ex singulis uirtutum & uitiorum locis, quatenus iucunditatem actioni iunctam habent, exempla huc transferri possunt. Nam quod Arist. docet, habitus confirmati indicium est uoluptas uel dolor actiones comitans. Itaque rectè Hesiodus de Liberali inquit, χαίρει τῷ δώρῳ καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμόν.

Propriis.

CATO minor quæstura functus, non tamen à statione decessit ærarij: ipse codices rationum publicarum comparatos quinq; talentis semper in manibus terebat: curiam ingrediebatur primus, postremus digrediebatur. Fecit hoc, quia uir bonus, quia patriæ amans. Nisi tamen ex hac ipsa mentis agitatione summam percepisset uoluptatem, nunquam uel molestiæ tantum suscipere, uel laboris tantum perferre uoluisset. Plutarchus in Catone.

Aliorum.

PAVLVS Apostolus Philippensibus gratias agens pro subsidio sibi ab illis per Epaphroditum misso, non propter donum ipsum, sed propter fructum uirtutis in illis relucentem se seriò triumphare scribit cap. ultimò.

EX LVDICRIS.

Consule Tit. Vrbanitatis & Scurrilitatis.

Passalus & Achemon, seu Achmon duo fratres, omni genere maleficiorum in omnes debacchantes, à matre Semnone monebantur, ut cauerent, ne quando in Melampygum inciderent. Euenit deinde ut HERCVLEM aliquando sub arbore dormientem ipsius armis aggredi tentarent. Ille protinus insidias sentiens, correptos & uinctos de claua à tergo suspendit leporum ritu. Illi pendentes capitibus deorsum demissis, cùm Herculis posticum nigris pilis horridum atque hispidum uiderent, materni moniti, uelut oraculi, memores, super hac re inter sese confabulabantur. Quod

Quod simulac audisset Hercules, hoc cognomine delectatus, & in risum effusus, eos uinculis solutos dimisit. Plut. in libello de Discrimine amici & adulatoris.

D.AVGVSTINVS lib.10. Confessionum cap.35. sub persona sua stultas humanæ uitæ illecebras deplorat ingens: In quã multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentetur, & quàm sæpe labamur, quis enumeret? Quoties narrantes inania, primò quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libẽter aduertimus? Canem currentem post leporem iam non specto, cùm in circo fit: at uerò in agro si casu trãseam, auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa uenatio, non deuiare cogens corpore iumenti, sed cordis inclinatione. Item: Quid cùm me domi sedentẽ stellio muscas captãns, uel aranea retibus suis irruentes implicans, sæpe intentum facit? Num quia parua sunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atq; ordinatorem rerum omnium: sed non inde intẽtus esse incipio. Aliud est citò surgere, aliud est nõ cadere.

EX MECHANICO EXERCITIO.

PROTOGENES pictor dum Ialyssum pingit, laboris dulcedini corporis refectionem postponens, lupinis aqua maceratis utebatur. NICIAS eiusdem artis & industriæ sæpe cibi obliuiscebatur. Plinius.

EX VICTORIA.

EPAMINONDAS Thebanus iucundissimum ostendit sibi omnium esse eorum, quæ sibi obtigerãnt præclarorum & lætorum: quòd patre adhuc superstite & matre, qui se genuerant, lauream retulisset Leuctricam. Plut. in Apoph.

EX SENSVVM OBIECTIS in genere.

D.AVGVSTINVS lib.10. Confessionum, peccata sua Deo cõfitens, multis uerbis & eam quam per omnes sensus percepit delectationem cõnumerat, in gustu potissimum & tactu, tanquam necessariis uoluptatibus: in olfactu, auditu atque uisu, ut minus necessariis. Vt enim dolor tanquam proxeneta necessitatis naturalis hominem ad obiecta contraria ceu remedia quædam amplectenda cogit: sic uoluptas perceptionem horum comitans, non per se, sed propter indigẽtiæ refectionem, suscipienda, & in uniuersum, non propter nos, ut suauiter nobis uiuamus: sed ut Deo piè uiuam*, hæc dona Dei & naturæ cum gratiarum actione percipienda. Alioqui quo magis necessarius & frequens horum est usus, eo plures peccandi occasiones uel incogitantibus nobis sese per sensuum nostrorum ianuas cateruatim insinuant.

EX ASPECTV.

☞ *Vide Locum, Occursus honorifici, Concursus ad uidendum.*

ATHENIENSIBVS urbe relicta naues duce Themistocle cõscẽdentib. erat ex mansuetis & domesticis animalibus cum latratu & desiderio assectantibus conscendentes altores suos permouens oblectatio. Xanthippi canis, patris Periclis, non ferens disiungi ab hero, in pelagus insilisse, ac iuxta triremem eius natans tenuisse Salamina: ibiq; deficiens, statim expirasse fertur. Cuius esse monumentum dicitur id, quod appellatur Canis sepulcrum. Plut. in Themistocle.

XERXES Persarum rex contra Græcos cum exercitu profectus, ubi Abydon uenit, in prætorio quodam, quod ei Abydeni, prius ab illo iussi, è candido lapide in tumulo regio pro dignitate extruxerant, residens, prospiciebat nauale ludicrum certamen, in quo Sidonij uicẽre, & uoluptatem cepit cùm certaminis, tum copiarum spectaculo. At cùm intueretur omnem Hellespontum nauibus obductum, omnia litora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse iactauit, & post hæc lacrymas fudit, quòd nemo ex tot hominibus post centum annos uicturus esset. Herodotus libro 7.

LYCVRGVS legislator Spartanorũ è peregrinatione domũ reuertens, cùm in agro manipulos paribus spaciis inter se distinctos uidisset, quandoquidem agrum ciuibus æqualiter diuiserat, summam ex eo spectaculo uoluptatem cepisse dicitur. Plutarchus.

Maxentij tyranni à Constantino Magno cæsi caput per ITALIAM missum, tantos concursus hominum excitauit, tantasq; ex oppidis effusiones commouit, ut facile, quanto in metu fuissent, præsenti gratulatione docerent. Idemque in Africam missum, quam ille in primis attriuerat, incredibili omnes lætitia cumulauit, & quanquam nondum tempestiuo mari, affuerunt tamen nauigantibus felices auræ, & flatus secundi, beatissimæq; uictoriæ ipsa etiam elementa fauerunt. Sigonius lib.3. Imp. occid.

ATHANARICVS Gothorum rex Byzantij ab Impp. Gratiano & Theodosio honorificè exceptus, quotidiano lustrãdę urbis desiderio expleri nõ poterat. Spectabat circũ, hippodromum & theatra, itẽ templa, portus ac fora: distrahebatur ædiũ magnificentia, basilicã cum regia curiaq; admirabatur, obeliscos & colossos stupidus intuebatur, imagines ambibat: & pulcritudine urbis, abactis curis omnibus, animũ relaxabat: deinde graui morbo correptus, tertio quo uenerat mense uita decessit. Bonfinius lib.2. Dec.1.

EX AVDITV.

C.CALIGVLA inter uarios iocos, cùm assistens simulacro Iouis Apellem tragœdum consuluisset, uter illi maior uideretur, cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde uocẽ deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Suetonius in Caligula.

D.AVGVSTINVS Roma Mediolanum euocatus ad Rhetoricam docendam, Manichæorum hæresi adhuc implicatus, concionantem tamen Ambrosium episcopum solius eloquentiæ commendatione audire noluit. Sed cùm non satagerem (inquit ipse) discere quæ dicebat Ambrosius, sed tantùm quemadmodum dicebat ea audire (mihi quippe iam desperanti ad Deum uiam patere homini inanis cura remãserat) ueniebant in animum simul cum uerbis, quæ diligebam, res etiam quam negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quàm disertè diceret, pariter intrabat & quàm uerè diceret. Augustinus lib.6. Confess.cap.14.

IDEM de se ipso post susceptum baptisma cum Alipio amico & Adeodato filio suo naturali lib.9. Confessionum cap.6. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani. Quantùm fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis ecclesiæ tuæ uocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur ueritas tua in cor meum, & ex ea ęstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Vsque adeò ut lib.10. cap.33. Confessionũ licet musicam in templo propter metum surrepentis uoluptatis (ne plus tribuant homines cõcentus suauitati, quàm uerborum ueritati) damnare uideatur: recordatione tamen tyrocinij suæ conuersionis, eam, sed modestam & sedatam, tolerandam putet.

EX ODORE.

A.VITELLIVS Cæsar odorem cadauerum percipiens, Optimè dixit olere hostem mortuum, sed ciuem præcipuè.

EX ALIMENTIS.

DARIVS Persarum rex in fuga cùm aquam turbidam bibisset & cadaueribus inquinatam, negauit se unquam bibisse iucundius. Nimirum nunquam sitiens biberat. Herodotus & Plutarchus.

D.AVGVSTINVS aduersus gulę tentationes lib.10. Confess. cap.31. orans, inter cætera, Hoc me docuisti Domine, inquit, ut quemadmodum medicamenta, sic alimẽta sumturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus uoluptas est, & non est alius quà transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerunq; præire conatur, ut eius causa fiat, quod salutis causa me facere uel dico uel uolo: & sæpe incertum sit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an uoluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi ualetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium uoluptatis.

DOLOR, TRISTITIA, IN GENERE.

ΛΗΨΙΣ. TRISTITIA PERcepta ex Obiectis

TRISTIBVS. Vtputa ex

Aspectu.

Cn.Pompeius ex acie Pharsalica fugiens, ad Ptolemæum Aegypti regem confugit. Hunc CORNELIA uxor comitata, in nauicula à Septimio & Achilla Aegyptio miserè trucidari uidit. Plut.in Pompeio.

Auditione ingrata.

PHILOXENVS poeta dithyrambicus, cùm Dionysij tyranni poemata nõ probaret, utpote indocta, in lapicidinas ab eo detrusus est: deinde reuocatus illinc amicorum precibus, ubi denuò Dionysium sua carmina pronunciantem audisset; surrexit: & rogatus à Dionysio, quid esset rei? respondit, satius ac potius esse in lapicidinis uitam degere, quàm illius audire poemata. Erasmus in Adagiis.

Recordatione.

MAHOMETVS II. Turcorum tyrannus quoties recordabatur obsidionis Belgradensis, quam turpiter relinquere coactus fuerat, toties barbam manu demulcens, & caput quassans, pugnam diemq; illam execrari consueuerat. Dubrauius libro 29.

Corporis molestia.

☞ *Labores, Motũ, Vstiones, Sectiones, Aestum, Frigora sequitur Dolor corporis. Proinde ex loco Corporis malorum huc exempla transferantur, seu potius huic Tit. accommodentur.*

Accusatione falsa.

Decem Iacobi FILII à fratre Iosepho in Aegypto furti insimulati, dolore summo affecti leguntur. Genes.42.

Domini mutatione.

Petrus Aragonum rex Carolum Neapolitanum regem Siciliæ regno exuerat, Alfonsus filius moriens fratri Iacobo Aragonæ, Federico natu minori Siciliæ regnum reliquit. Iacobus ducta in uxorem Blanca Caroli Neapolitanorũ regis F. Bonifacij Pp. monitu regnum Siciliæ Carolo socero restituere studebat. Cùq; iam Siculorum LEGATOS, accitos monuisset, ut ecclesiæ Caroloq; parerent, & iam flentes consolari conaretur: illi diu lacrymabundi respondere uix poterant: tãdem post magnos fletus, eorum quidam, Iacobe Rex, inquit, permultos populos à suis principibus defecisse multis in locis legimus, & oculi nostri sæpe uiderunt: sed à suo Rege populos fuisse desertos nec uidimus unquam, nec audiuimus. Quòd si tuo fauore Siculos, qui uolentes Aragoniæ domui se subiecerunt, indignos esse iudicas, & Siciliç regnũ, quod plurimi maximi principes concupiscunt, aspernaris: nobis saltem cõsilium non deneges, sed quem debeamus optare Regem nobis consulas. Rex obortis lacrymis, Ite, inquit, boni uiri ad domus uestras, ubi Federicus frater meus uobis & Siculis omnibus liberius quàm ego consulere poterit. Hoc responso accepto purpureas & sericas uestes, quibus exculti erant, scindentes, à Rege discesserunt, & in signũ magni doloris maliq; futuri nigras uestes & perlongas induerũt, atq; triremiũ malos, antennas, & uela, quę candida erãnt, in atrũ colorem uerterũt omnia. Federicus aũt legatis auditis, Magna uerò, inquit, liberalitate frater meus usus est. At certè qui rem promittit alienam, aut delirat, aut iocatur, & dandi uoluntatem nõ habet. Is uerò qui huiusmodi promissa munera se sperat habiturum, stultus & fatuus haberi debet. Siciliæ regnum nobis ab Alphonso patre testamento fuit relictum, sicut illud Aragonum fratri meo Iacobo. Non dedit ergo Rex Aragonum Carolo Siciliç regnum, quod dare non poterat. Si munificus esse uelit, Aragonum regnum suum cui uelit renunciet: nos nostrum tutabimur. Hęc cùm dixisset, Siculos cohortatus ad regni defensionem, ab Episcopo Cephalensi statim coronatus fuit. Iacobus interea cũ uxore & socero Romam ueniens, & à Pp. ad promissa præstanda sollicitatus, prælio nauali cum Siculis inito, in pede grauiter sagitta uulneratus fuit. Federicus inuitis Gallis regnum retinuit. Marineus lib.11. rerum Hisp.

Dignitate erepta.

☞ *Vide Locum Ambitionis.*

IVCVNDVS; GRATVS. Ex

Aspectu.

LEGATOS Persarum à Dario missos Amyntas rex Macedonum magnificò conuiuio exceperat, & illis etiam Græcas mulieres opposuerat. Quas cùm aspicere tantùm, non autẽ attrectare legati auderent, & plus sese ex ipso aspectu doloris, quàm ex præsentia honoris accipere dicerent: rex metu coactus, illas eisdem assidere iussit. Herodotus lib.5.

ALEXANDER Magnus semel uisas Darij regis uxorem atq; filias in conspectũ suum admittere amplius recusauit, Magnas oculorũ dolores Persides esse inquiens, μεγάλας κοςᾶν λύπας κόςας εἶναι. Plutarchus.

TIBERIVS Cæsar cùm repudiata Agrippina dilectissima, Iuliam Augusti filiam coactus esset ducere, eam post diuortiũ semel omnino ex occursu uisam adeò contentis & tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditũ sit deinceps, nè unquam in conspectum eius ueniret. Suetonius.

ΦΥΛΑΚΗ. DOLORIS

Mitigatio.

D.AVGVSTINVS ut dolorem, quem ex matris Monicæ morte conceperat, abstergeret, ipso funeris die in balneum iuit: sed parum profuit. Dormitum se conferens, posteaquã euigilauit, magnã ex parte mitigatum dolorem deprehendit, & recordatus est uersuum D.Ambrosij:

Deus creator omnium Poliq; rector, uestiens
Diem decoro lumine, Noctem soporis gratia:
Artus solutos ut quies Reddat laboris usui,
Mentesq; fessas alleuet, Luctusq; soluat anxios.

Testis ipsemet lib.9. Confess.cap.12.

Depositio.

VLADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex cùm Annæ uxoris lectiss. ex puerperio defunctæ mortem diutius lugeret, mœrorisque insignia uestes pullas deponere, aut barbam incanam abradere non sustineret: HVNGARI, BOIEMI, MORAVI principes, Budam congregati, cõsolationũ uariis usi formulis, Nihil eum amisisse dicebãt, saluo Ludouico filio: in illo omnia inesse, illum regi pro omnibus esse, ut non solùm lugere dedeceat, sed etiam gaudere oporteat. At rex, solita sibi in reb. ad stomachũ non facientib. taciturnitate omnes dimisit. Redeunt postridie Hungari, quorũ nomine Archiepiscopus Strigoniẽsis: Ad lætum, inquit, exoptabilemq; nunciũ lætus decet regẽ habitus, quẽ si induis, exoptata feres, ut Ludouicũ regem Hungariç tibiq; consortẽ uel in hac puerili ætate cõfestim uideas. Tum rex, Tam grato nũcio libenter in habitu quoq; mutando subscribã: prodiitq; mox purpuratus, lautusq; & attonsus ad prandiũ. At subitò Hungari mutãt uoluntatẽ de Ludouico coronãdo, patre adhuc superstite, quòd huius rei exemplũ nõ extaret. Cęterũ Boiemis & Morauis, facturos se quę Hungari negarãt, pollicẽtibus, ut Ludouicus antea Hũgariç rex quã Boiemiæ haberetur, coronandũ eũ in Alba regali susceperunt. Biẽnio dehinc pòst, in Boiemia Pragæ coronatus est. Dubrauius lib.32.

CVRA NVLLA, CONTEMTVS.

Ab obiectis qualibuscunque non moueri, non perturbari, in neutram partem, etsi ferè ab Habitu certo prouenit: nos hîc tamen solam perturbationis uacuitatem consideramus, non ab Odio profectam, sed uel à Iudicio, uel ab Affectu quouis speciali. Ὀλιγωρία in genere appelletur, quatenus eius, quod uilipendit, nullam curam suscipit: Contemtus quinetiam, comparatione aliorum, quæ pluris facit, siue in seipso considerentur, siue in aliis, extra se: de quo contemtu infrà ex professo.

PATRIAE.

Plutarchus de Exilio hos ueteris poetæ de HERCVLE uersus recenset:

ἀργεῖος ἢ θηβαῖος· οὐ γὰρ εὔχομαι
μιᾶς, ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων πατρίς.
Argiuus haud sum uel Thebanus: non lego
Vnam, omnis est mihi turris patria Græciæ.

VOLVPTATIS

IN GENERE.

Xenophon, cùm semper instructum paratumque DIPHRIDAM Laconum ducẽ diceret, cæterosq; omnes illius ordinis in eo superare: causam eius esse uoluit, quòd non parceret corporis uoluptatibus, semperq; illi ipsi rei, quæ urgebat, toto pectore incumberet.

Græcarum rerum auctores, quomodo ALEXANDER Macedo paruo temporis spacio, quò uixit, tot tãtasque res efficere potuerit, ac pene uniuersum orbem armis peragrare ostendentes, hoc afferunt: ipsum nullis huiuscemodi oblectationibus, quæ cæteros mortales irretire solẽt, impeditum fuisse: neq; cùm tempus rei gerendæ uenerat, aut uino, aut somno, aut ludo aliquo, aut libidine, aut spectaculis auocari inde potuisse. Victorius lib.7. Var.lect.cap.8.

IN SPECIE.

Auditus.

AGESILAVS cùm inuitaretur ad audiendum quendam, qui uocem lusciniæ reddebat, detrectauit, fatus, Ipsam sæpe audiui. Plut.in Apophtheg.

Somni.

Somni uoluptatẽ uigiliarũ dolore pressere, dum animi iucundissimas exercitationes amplectuntur, ALEXANDER Magnus; ARISTOTELES philosophus; PRAXIGORAS soph-

sophista, CHRESTVS Byzãtius, DEMOSTHENES orator, IVLIANVS Apostata, & plures alij.

VITAE.

Cùm D. Augustinus in Africam rediturus apud ostia Tyberina cum MONICA matre de uitæ huius fragilitate & alterius beatitudine loqueretur, mundus illis inter uerba cum omnibus delectationib. uilescere cepit. Tum illa: Fili, quãtum ad me attinet, nulla iam re delector in hac uita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim, nescio, iam cõsumta spe huius seculi. Vnum erat propter quod in hac uita aliquantum immorari cupiebam, ut te Christianum catholicum uiderē prius quàm morerer. Cumulatius hoc mihi deus meus præstitit, ut te etiam contemta felicitate terrena, seruum eius uideam. Quid hic facio? Neq; uerò decem abiere dies, cùm animam sanctam creatori suo reddidit. D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 10.

MORTIS.

Ex loco Tolerantiæ mortis.

Contemsisse ALEXANDRVM Seuerum Imp. mortem, cùm ferocitas mentis, qua militem semper attriuit, tum etiam illa declarãt. Thrasybulus mathematicus illi amicissimus fuit: qui cùm ei dixisset, necessitatem esse, ut gladio barbarico periret: primò lætatus est, quòd sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputauit, ostenditq; optimos quosq; uiolenta morte consumtos: cùm diceret, ipsum Alexandrum, cuius nomen teneret, Pompeium, Cęsarem, Demosthenem, Tullium, & cæteros insignes uiros, nõ quieta morte oppetisse: tantumq; animi habuit, ut putaret se diis comparandum, si in bello periret. Sed res eum fefellit. Nam & gladio barbarico & feruæ barbari manu, uerùm non in bello, sed belli tempore, periit. Lampridius in Alexandro Seuero.

SEPVLCRI.

SOLON Atheniensis legislator, iureiurando adactis ciuibus, ut leges in suum usque reditum inuiolatas seruarent, peregrinatione suscepta, exul obiit, & cineres per insulam Salaminem spargi, uel certè in mare abiici iussit, ne iis Athenas relatis, ciues iureiurando liberati uiderentur. Hoc, licet Aristotelis auctoritate confirmatum, Plutarchus in Solone fabulosum esse arbitratur.

ANAXAGORAS philosophus cũ Lampsaci moreretur, quęrentibus amicis, uellét ne Clazomenas in patriam referri, ibidémque sepeliri? Non necesse est, inquit. Vndique enim ad inferos tantundem uiæ est. Cicero in Tusc. lib. 1. Laertius libro 2. capite 3.

THEODORO philosopho quum mortem tyrannus comminaretur, & sepulcri iacturam: Habes, inquit, cur tibi placeas: hemina sanguinis in potestate tua est, qui cantharidis uim es assequutus: nam quo ad sepulturam, ò te ineptum, si putas mea interesse, supra terram, an infra putrescam. Cælius lib. 17. cap. 20. Antiq. Lect.

DIOGENES Cynicus projici se inhumatum iussit. Et quidem si canes cadauer suũ lacerarent, Hircanam: si uultures, Iberã fore sepulturã dicebat. Si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcerrimã sepulturam largiturum asserebat, corpore preciósissimis rebus, sole scilicet & imbrib. absumto. Stobæus ser. 120. Cùm eam sepulturam amici reprehenderent: Bacillũ prope me ponite, quo uolucres abigã, dixit. At quî poteris? inquiunt illi, non enim senties. Quid igitur mihi serarum, ait, laniatus oberit, nihil sentienti? Cic. lib. 1. Tusc. q. Interrogatus, num seruum ancillámue haberet? negauit. Quisq; percontator adiecisset: Quis igitur te efferet, si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Laertius.

DEMONAX rogatus ab amicis, quomodo sepeliri uellet? Ne uos res ista sollicitos habeat, respõdit. Fœtor enim me sepeliet. Indignum, aũt facinus id esse dicentibus, si talis uiri corpus laceraretur à canibus: Quid, inquit, incõmodi, & si mortuus alieni sim usui? Eras. lib. 8. Apoph.

SOCRATES iam moriturus, cùm percontaretur à Critone, quemadmodum sepeliri uellet? Multam uerò operam, inquit, amici, frustrà consumsi. Critoni enim nondum persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam mei relicturum. Veruntamen, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi uidebitur, sepelito. Cicero 1. Tuscul. quæst. Cicutam bibiturus, à quibusdam interrogatus, quomodo sepeliri uellet? Eo modo, dixit, quo uobis facillimum fuerit. Stobæus sermone 120.

MONICA D. Augustini mater, etsi uehementer cupierat uiro suo Patricio, cum quo concorditer uixerat, in morte quoq; sociari, & in eo, quod sibi iuxta illius tumbam cõstruxerat, sepulcro recondi: tamen postea quam in peregrinatione Italica Ostiæ ægrotare cepit, filio ubicunque uellet corpus suum locare iussit. Sed & paulò antequam ægrotaret, quærentibus ab ea amicis, Vtrum non timeret in peregrino solo corpus relinquere? Nihil, inquit, lõgè est deo: neq; timendũ est, ne ille non agnoscat in fine seculi, unde me resuscitet. Testis ipse lib. 9. Confess. capite 11.

ALACRITAS, ΕΥΤΟΛΜΙΑ, CONFIDENTIA, Feruor, Studium.

Sub loco Exercitationis diligentis, indefessæ, assiduæ, Alacritatis quoque meminimus. Hic per se, illic propter functiones quas acuit & promouet. Confidentiæ quoque sub loco Veritatis mentio fit, uti Confidentiæ nimiæ uictoriæ sub loco Stultitiæ: sub loco Prudentiæ bellicæ, Audaces reddere hostes.

POLYNICES sperans futurum, ut aliquando, interfecto fratre Eteocle, potiretur regno Thebano, apud Euripidem in Phœnissis, inquit:

ἐλπίδες δ' οὔπω καθεύδουσ', αἷς πέποιθα σὺν θεοῖς.

Spes uerò nondũ dormiũt, quib. cõfisus sum ope deorũ.

EVBOTAS Cyrenæus, cùm ei Ammonis oraculum uictoriã è curriculo prædixisset, statuam antè ipse faciundam sibi curauit, eamq;, quo die palmam est adeptus, in Olympia dedicauit. Vicisse eundem etiam curuli certamine ex ipsa Olympiade memorant. Pausanias lib. 6.

SOGDII ad triginta ferè numero, uiri nobilissimi, ab Alexandro prope Bactrianam capti, ad ultimum supplicium duci sunt iussi. Id audientes ipsi, quasi è uinculis domum remissi, maxima alacritate pæana patrium, adhibito & modulatione corporis motu, more choreas ducentium, recinere adorti sunt. Mirante causam Alexandro, Nõ alia ratione gestimus, inquiunt, quàm quod terrarũ principis imperio fatalẽ destinatũq; subituri sumus diem. Quacunq; occasione alia moreremur, consueta cæteris perturbatione fortem oblatã laturi fuissemus. At nunc, ut fortes decet, mortem habemus in uotis. Quo audito Alexander liberos eos dimisit. Cælius libro 18. cap. 35. Antiq. Lect.

ALEXANDER adolescens modò ex pueris excedens, Babylonem ausus est & Susa sperare, atq; adeò imperium orbis terræ sibi spondere, triginta millibus peditũ, quatuor equitum fretus. Plutarchus.

Marsyas, frater ANTIGONI regis, reus, cùm postularet, de causa ut domi cognosceretur: Imo, inquit, cognoscetur in foro omnibusq; audientibus, nunquid facinoris conceperimus. Plut. in regum Apoph.

In conuiuio Platonis Socrates admiratur AGATHONIS audaciã, qui coram tot hominũ millibus præsenti animo recitasset suã tragœdiã. Cui quũ Agathon respondisset, se citius uelle coram multis hominũ millibus dicere, quàm apud unum Socratem: Atqui in illis, inquit, millibus & Socrates erat. Fit enim miro modo, ut quem unum reuereare, in turba mixtum contemnas. Eras. lib. 8. Apoph.

P. SCIPIO secundo bello Punico cum classe è Lilybæo soluit tanta cupiditate in Africam transmittendi, ut nulli ei neque remi neq; uenti satisfacerent. Deuectus est paucis diebus ad promontorium Pulcri, atq; ibi omnes copias in terram exposuit. Auctor uitæ Scipionis.

Qui Vestalis CLAVDIÆ aut TVCCIÆ factum considerat, fatebitur non sine spe euentus eorum quæ secuta sunt, res tantas non modo fieri, sed ne tentari quidem potuisse. Hæc enim cribro aquam (ut proditum est) hausit: illa nauim, quã Romanus populus non potuit, cingulo remolita est. Sabell. lib. 5. cap. 5.

DESIDIA, DIFFIDENTIA, ΑΤΟΛΜΙΑ, Ἀκηδία, Negligentia.

Ex Loco Exercitationis, item Ignauorum principum, item Timiditatis in propulsando, illustrari potest locus iste. Desidiam religiosam ex loco Impietatis pete.

ALCIBIADES cùm ad causam pro capite dicendam è Sicilia uocaretur ab Atheniensibus, obtemperare noluit: Stultũ est in-

est inquiens, iudicium quærere, non fuga tibi consulere, cũ fugere possis. Et cùm quidam diceret, Annõ credis teipsum patriæ? respondit, Imò ne matri quidem crederem. Timerem enim, ne fortè per imprudentiam, nigrum calculum pro candido submitteret. Aelianus libro decimotertio, & Plutarchus in Apophtheg.

OVIDIVS lib. 4. de Ponto 2. ingenij fluctibus malorum obruti tarditatem hisce uersibus fatetur:

Nec tamen ingenium nobis respondet ut antè,
Sed siccum sterili uomere litus aro.
Scilicet ut limus uenas excæcat in undis,
Læsaq; suppresso fonte resistit aqua:
Pectora sic mea sunt limo uitiata malorum,
Et carmen uena pauperiore fluit.

ANIMOSITAS IN MALIS. ΘΑΡΣΟΣ.

Solum hîc animi impetum spectamus. Cuius exempla ex loco Fortitudinis & Temeritatis propulsantis innumera peti possunt. Item ex loco Prudentiæ bellicæ, Metum suis eximere.

De ANTIGONE, fratrem cęsum contra Creontis mandatum audacter sepelire uolente, hic uersus extat apud Sophoclem in Antigone:

θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις. *id est,*

In frigidis tibi mens calet negotiis. Eras. in Adagiis.

IOLAVS senex apud Euripidem in Heraclidis animosissimus introducitur, proinde à seruo audit:

εἴθ' ἦσθα δυνατὸς δρᾶν, ὅσον πρόθυμος εἶ.

Vtinã esses tam potẽs ad bene agendũ, q̃ es promtus.

M. SCAVRVS, cùm pro Rostris accusaretur, quòd à rege Mithridate ob Rempub. prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Est enim, Quirites, iniquum, cùm inter alios uixerim, apud alios me rationem uitæ reddere. Sed tamen audebo uos, quorum maior pars honoribus & actis meis interesse non potuit, interrogare: Varius Sucronensis M. Aemilium Scaurum regia mercede corruptum, imperiũ populi Romani prodidisse ait: M. Aemylius Scaurus huic se affinem esse culpæ negat. Vtri creditis? Cuius dicti admiratione pop. Rom. commotus, Varium ab illa demẽtissima actione pertinaci clamore depulit. Valerius lib. 3. c. 7.

M. BRVTVS & C. CASSIVS Cæsarem in Senatum uenientem oppressuri cum aliis coniuratis, tanta constantia & securitate expectarunt, ut multi, quibus præturæ ratione ius dicendi incumbebat munus, non solùm benignam adeuntibus & litigantibus audientiam fecerint, ut si uacuo essent animo: uerùm etiam causas quisque attentè auditas magno iudicio disceptarint. Cùm quidã, qui iudicatum detrectabat soluere, Cæsarem appellaret, multúmque uociferaretur ac testaretur: respiciens ad coronam Brutus: Me Cæsar, inquit, ius dicere ex legibus neque prohibet, neque prohibebit. Plutarchus in Cæsare.

ANIMI DEIECTIO IN MALIS VEL REVERA, uel opinione.

Consule Tit. Pusillanimitatis in propulsando. Hic Affectus, illic Ratio affectum dirigens consideratur.

Cùm Gedeon dux Israelitarum cum CCC militib. superasset CXXXV. millia Madianitarum, & duos illorum reges Zebam & Salmanam comprehendisset, qui fratres Gedeonis in Thabore interfecerant: iurauit illis, si fratres suos conseruassent, se quoq; eis parciturũ fuisse. IETHRI igitur primogenito suo præcepit, ut eos necaret. Verùm cùm puer præ timore gladium nõ auderet stringere, Gedeon ipse sua manu eos obtruncauit. Iudicum cap. 8.

ISOCRATES rhetor cùm intelligeret quantum sibi obesset animi timiditas, sæpenumero dicere solitus est, se suos quidem discipulos docere decem minis: uerùm qui ipsum docuisset extra omnem timiditatem in concione loqui, ei se centum daturum.

Apud Aristophanem in Equitibus, NICIAS iussus audacter eloqui quod haberet, respondit, ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε. Interpres admonet θρέττε barbaricam esse uocem, quæ fiduciam significet, & ad audẽdũ animet: quasi quis dicat, sume Thracum audaciam. Erasmus in Adagiis.

Themistocles in ERETRIENSES ita cauillari solebat, ut diceret eos similes piscium qui gladioli uocantur: quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent. notãs illorum ignauiam, quòd armatis non adesset animus. Plutarchus in Græcorum Apoph.

Post cladem Leuctricam Sparta animos omnino demisit. Agesilai autem filius Archidamus, acceptis ex Sicilia à tyranno auxiliis, Arcadas uictoria illa appellata incruenta profligauit. Nam nemine de suis desiderato magnam stragem dedit hostium. Detexit præcipuè hęc uictoria ciuitatis SPARTANÆ imbecillitatem. Antè enim usqueadeò usitatum ducebant & competens ipsis opus uincere, ut uictoriç causa gallum gallinaceum tantùm immolarent, neq; gloriarẽtur milites, aut exultarent ciues uictoria. At hoc nunciato conflictu, ad Archidami reditum se continuit nemo: sed princeps pater manantibus gaudio lacrymis obuiam ei processit, & secundùm illum magistratus: senes mulieresq; frequentes ad amnem descenderũt, manus ad cœlum porrigentes, deosq; cientes, quasi indignas maculas eluisset Sparta, clarũq; denuò lumen oculis hauriret: quando ante eam diem referunt nec uiros sustinuisse uxores suas contueri, offensionũ suarum rubore. Plut. in Agesilao.

Aetolus quidam Archedemus T. QVINTIO Procos. improperauit, dum ipse stricto gladio in pugnantes & conglobatos Macedonas currens se inferret, illum passis manibus ad cœlum tensis stetisse, & uota diis nuncupasse. Plut. in comparatione Flaminij & Philopœmenis.

CAIVS Imp. audita rebellione Germaniæ, fugam & subsidia fugæ, classes apparabat, uno solatio acquiescens transmarinas sibi superfuturas prouincias, si uictores Alpium iuga, ut Cimbri, uel etiam urbem, ut Senones quondam, occuparent. Suetonius in Caligula.

Vbi NERO Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animoq; malè fracto, diu, & sine uoce, & propè intermortuus iacuit: utq; resipuit, ueste descissa, capite conuerberato, actum de se pronunciauit: consolantique nutriculę, & aliis quoque iam principibus similia accidisse memoranti: se uerò præter ceteros inaudita & incognita pati respondit, qui suum imperium uiuus amitteret. Suetonius.

CVPIDITAS, DESIDERIVM ABSENtium. Tum

REI BONAE.

Consule locum Votorum. Illic riuulus, hîc fons perpenditur.

IMMORTALITATIS.

CLEOMBROTVS Ambraciota, lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, ut ex hac uita, quæ est uelut mors q̃dam, ad immortalitatem migraret, è muro se in mare dedit præcipitem. Cicero in primo Tuscul. In eum extat epigramma Callimachi Græcum.

SCIENTIÆ, COGNITIONIS.

Si legitima sit & decora, laude digna est. Sin indecora, CVRIOSITATIS nomẽ sibi eximiè uẽdicat. Plutarchus πολυπραγμοσύνην definit, φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν. id est, Curiositatẽ, studiũ aliena mala cognoscẽdi. Atq; id hominũ genus lamiis similes ait, quæ domi oculos reconditos habent, foras egressuræ reponunt: atq; ita fit, ut domi cæcutiant, foris sint oculatissimæ. In huiusmodi præposterè oculatos elegãter torseris illud Sophoclis de senibus dictum:

πόῤῥωθε λεύσσων, ἐγγύθεν δὲ πᾶς τυφλός. *id est,*

Procul uidens, sed cominus uidens nihil.

Nam id senibus accidit, ut propius admota non cernant, lõgius semota uideant. Erasmus in Adagiis.

Arcanorum.

De hac ipsa quoq; infrà sub Inuestigatione.

Ouidius secundo Metam. fabulam narrat, quemadmodum Minerua dederit custodiẽdum Erichthonium cista uiminea clausum FILIABVS Cecropis, monitis prius, ne curiosè quod inclusum esset inquirerent: ipsas eò magis arsisse cupiditate uidendi: ita detectum puerum, resolutis cistę nodis, uidisseq; cubãtem unà draconẽ. Pausanias Pandrosum deæ

parnisse narrat, reliquas duas retexisse, ideo in furorem uersas ex arcis loco maximè præcipiti deiecisse se.

Sapientiæ.

NICAVLA Aethiopũ regina ex intimis regni finib. ad spectãdam audiendãq; Salomonis sapientiã Hierosolymã uenit.

Stultitiæ.

ARAGONII proceres Ramiri ex monacho regis imperitiam irridere soliti, cùm ille Campanam tam magnam se facturũ diuulgasset, cuius sonus per totam Hispaniam audiretur, in Oscam ciuitatem studio uidendi conuenientes, ab eodem singillatim comprehensi & capite plexi fuère numero XV. Filiis patrum cadauera ostendens, eadem erga illos seueritate se usurum affirmauit, si parentum mores imitarẽtur. Marineus lib. 8. rerum Hispan.

ALIMENTORVM, CIBI Potúsue.

Ex loco Famis & Sitis memorabilis, itẽ Crapulæ & Ebrietatis, hic paragraphus illustrari potest.

ESAVS famelicus à uenatione rediens, lentis edulio ius suæ primogenituræ fratri Iacobo uendidit.

ISRAELITÆ in deserto penuriam patientes, dicebant se super ollas carnium in Aegypto sedisse: obliti grauissimæ seruitutis, qua uexabantur. Exod. 16.

Dicebant IIDEM in deserto, Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. Numeri 11.

DAVID rex ægrotus de puteo Bethlehemæ aquã bibere cupiebat. Quam tamen ipsam modò non sanguine trium fortissimorum militum comparatam bibere recusauit.

CONVIVIORVM. CONVIVIPETÆ.

Notati sunt olim MYCONII insulares quòd ob tenuitatem alienas cœnas captarent. Proinde qui inuocati ad conuiuiũ uenirent, Myconij more uenire dicebantur. Inuehitur in PERICLEM Archilochus apud Athenæum in primi libri fragmentis, ὡς ἄκλητος ἐπεισιὼν εἰς τὰ συμπόσια, Μυκονίων δίκην, uelut qui inuocatus ingereret se ad conuiuia, Myconiorum more. Erasmus in Adagiis.

VLTIONIS.

THEOGNIS, gnomologus alioq; preclarus, inter suauiss. morũ flores has quoq; spinas atq; tribulos interserit, inquiẽs:

> ζῴην μοι τοῖς τε φίλοισιν ἄλην τίσιν, οἳ με φιλεῦσι,
> τῶν τ' ἐχθρῶν μεῖζον Κύπρι δυνησόμενος.
> χ' οὕτως ἂν δοκέοιμι μετ' ἀνθρώπων θεὸς εἶναι,
> ἤν μ' ἀποτεισάμενον μοῖρα κίχῃ θανάτου.

Iupiter mihi amicorũ det remunerationem, qui me amant: & ut inimicis potẽtior sim, ut sic possim uideri inter homines deus esse, si ultũ inimicos, me sors apprehendat mortis.

L. Sylla rerum potitus, in C. MARII caput pecuniam pronunciauit. Plutarchus in Sylla.

Coracota latro insignis in Hispania fuit. Eum qui cepisset uiuum, decem aureorum millia ab AVGVSTO accepturus uidebatur. At postquam is ultrò Augusti fidei se commisit, immunitatem ei concessit, & muneribus insuper affecit. Dion in Augusto.

DIVITIARVM COMPARANDARVM. Auri fames.

Consule locum Auaritiæ, quatenus Amorem diuitiarum complectitur.

GEMMARVM.

Ferunt C. IVLIVM Cæsarem Britanniam petisse spe margaritarũ, quarum amplitudinem conferentemq; interdũ sua manu exegisse põdus. Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse: seruitia recentiora politioraq; immenso precio, & cuius ipsum etiã puderet, sic ut rationib. uetaret inferri. Suetonius.

HONORVM.

Ex loco Studij gloriæ, & Ambitionis, petantur exempla.

Colossis impendio delectabantur olim IMPP. Romani, quibus, ut uidetur, magis erat cordi maximos esse, quàm optimos. Erasmus in Adagiis.

IMPERII, REGNI, REGIONIS occupandæ.

Vide locum Ambitionis in regno affectando.

MAXIMVS Constantini Imp. legatus, Britannia subiugata, à militibus Augustus dictus, orbis totius imperio inhians, in Galliam traiecit, Gratianum Cæsarem militum insidiis interfecit. Per Germaniam inde & Italiam tributũ solo nominis terrore undiq; exigentem, Theodosius Augustus, apud Aquileiam, ut Paulus Diaconus scriptum reliquit, exercitu clausit, cepitq; & occidit. Victorem filium adolescentem, cognita patris nece, milites Romani, quos in Gallia cũ eo reliqs erat, extinxerunt. H. Boethius lib. 7.

ALARICVM Gotthum, qui sub Theodosio Magno contra Eugenium tyrannũ militauerat, Rufini astu euocatum, Græcia per quinquennium direpta, uexata, populataq; Pannonia, dira libido incessit Italiæ inuadendæ, atque adeò etiam (quod nefas auditu uideretur) urbis Romæ diripiendæ. An. igitur 401. exeunte æstate, irruptionem sibi censuit ineundã, ut bellum per hyemem in Italia gereret, cuius etiam fæuientis Gotthi gens frigidissimis in locis nata patientissima esset. sic enim Italos & minimè tum à periculis hostilibus cautos, & parum ad rem gerendam idoneos propter asperitatẽ temporis esse futuros. Atq; adeò incredibili uictoriæ cursu per Venetiam in Italiam irrupit, Hastam usq; progressus, ubi Honorius Imp. morabatur. Stilicho properè ex Rhætia Romanũ exercitũ adducens, desperatas res restituit, sæpiusque uictum Alaricum trans Alpes inglorium sese recipere coegit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

CONDOLENTIÆ AMICORVM, Subditorum.

SOLON in Elegiis suam ab amicis mortem defleri cupit his uerbis:

> μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
> ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.
> Ne mi illugubris ueniat mors, sed mihi charis
> Mœrorem potius adferat & gemitus.

HERODES rex Iudæorum cùm funus suũ luctu cariturũ sciret, quòd omnes mortem suã lætis accepturi essent animis, ut uel inuiti lugerent, in mandatis dedit, ut Hippodromo conclusi Iudæorum proceres se extincto trucidarentur. Sed Salome soror crudele mandatum exequi noluit. Iosephus.

PATRIÆ. REDITVS AB EXILIO.

IACOB Patriarcha moriẽs iniunxit Iosepho filio, ut in monumentum maiorum suorum inferretur, nec relinqueretur in Aegypto. Genesis 47.

IOSEPH eius F. fratribus mandauit, ut & ipsi meminissent, & ita posteris traderent, cùm migrarent in terram illam patribus à Deo promissam, ossa sua in eam uti transferrent. Genesis ultimo.

Apud Homerum, terræ natalis fumum VLYSSES optat uidere surgentem, unde & ductum prouerbium. Sic enim legitur Odysseæ α.

> ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι
> ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται. id est.
> Exoptans oculis surgentem cernere fumum
> Natalis terræ.

HISTIÆVS quispiã patria Samius, Dario amicus, ab eodẽ in Persidẽ missus est: illic diutius cõmoranti incessit patriæ reuisendę desideriũ. Verũ quũ à rege cõmeatũ impetrare non posset, scripsit ad Aristagorã ex fratre nepotẽ, ut Iones ad defectionẽ sollicitaret, uidelicet ut hac occasione dimitteretur. Aristagoras mente Histiæi cognita, totam fermè Ioniam ad defectionẽ traxit. Darius defecisse Iones audiens, Histiæum in consilium adhibuit, quem potissimũ in Asiam mittere oporteat ad res cõponendas. Is persuasit, ut sese mitteret, utpote idoneũ ad sarciendam defectionem Ionum. Itaq; posteaquam in Asiam deuenisset, iamq; in suspicionẽ uenisset Sardium præfecto, tanquã auctor huius motus fuisset, hoc audiuit ab eodem, οὕτω τοι ἔχει, Ἱστιαῖε, περὶ ταῦτα τὰ πρήγματα· τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔρραψας μὲν σύ, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρης. Sic hæc res habent Histiæe: tu quidem calceum hunc consuisti, cæterũ Aristagoras induit. Significãs consilij huius primum fontem & auctorem fuisse Histiæum, administratorem Aristagoram. Herod. lib. 5. & 6.

GILLVS Tarentinus exul, in Iapygia Darij regis exploratores captos sua pecunia redemit. Ob quod meritum cùm rex paratus esset ei donare quicquid uellet, optauit tantum se in patriam reduci per Gnidos, regis intercedente auctoritate. Gnidij tamen à Tarentinis id impetrare non potuerunt. Herodotus libro 3.

DEMOCEDES Crotoniensis medicus, quamuis beatus esset apud Darium regem, optabat tamen in Græciam redire. Atossæ igitur uxori Darij, quam ab ulcere mammillę liberarat, persuadet, ut Dario auctor sit expeditionis cõtra Gręcos suscipiendę. Quo impetrato, Darius Democedẽ tanquã speculatorẽ in Gręciã cũ Persis aliquot misit. Democedes cùm in Græciam uenisset, Crotonem aufugit. Herod. lib. 2.

Q. SERTORIVS, quo res suæ in Hispania lætiores erant, maioribusq; præliis uincebat, eo impensius à Metello & Pompeio hostium ducibus petebat, ut positis armis liceret sibi tutò Romam reuerti: priuatum dictitans malle se iucundissimo patriæ aspectu frui, quàm multarum urbium imperiũ obtinere. Sabellicus lib. 8. cap. 1. ex Plutarcho.

CAROLVS IIX. Galliæ rex subacto regno Neapolitano, miro desiderio patriã repetẽdi ardebat, leuitate magis sua suorũq; incitatus, quàm cõsilij maturitate. In regno enim innumerabilia grauiaq; principũ & regionum negotia inchoata remanebãt: necdũ uictoria plenè ad fastigiũ perducta erat. Vbi Alexandri VI. Pontificis, Maximiliani Imp. Venetorũ & Lud. Sfortiæ in se initum fœdus accepit, animo uehementer commotus, cum suis, quid in tanto casu agendum esset, deliberabat. Quorum fuit sententia, primo quoq; tempore illinc esse discedendũ, ne fœderatis ad maiores apparatus expediendos tempus præberetur. At cùm tantæ eius copię nõ essent, ut in duas partes distractæ, possent sine periculo, eum Astam deducere, ad regni defensionẽ minora præsidia, quã necessitas posceret, reliquit. Neq; uerò ullis imminentis defectionis signis consilium profectionis aut intermissum aut retardatum fuit. Guicciard. lib. 2.

PACIS.

TROIANÆ mulieres, cùm urbe incensa cum uiris in diuersas regiones nauigassent, ut longis nauigationibus finem demùm imponerent, & patriam tandem constituerent sibi, absentibus maritis naues omnes incenderunt. Viri iracundia moti, cùm citato cursu ignem extinguere conarentur, uxorum osculis eò adacti sunt, ut præsentem casum æquo animo ferrent, & eodem in loco urbem conderent. Vnde apud Romanos consuetudo mansit, ut osculando non tantùm uxores suos maritos salutarent, sed omnes quoq; qui sibi aliquo affinitatis gradu coniuncti essent. Plutarchus de Claris mulieribus, cap. 1.

Milesij cum Ionibus, quos exceperant, bellum gerebant, quòd hi Nelei filios iniuria affecissent, & hinc orta seditione Myuntem secessissent. Pythes unus eorum, qui secesserant, filiã habebat PIERIAM. Cùm autem Mileti die festo sacrificaretur Dianæ, quam illi Neleidam cognominant, misit eò uxorem & filiam, id precatas, ut sibi festo liceret interesse. Ex Nelei uerò filiis longè potẽtissimus erat Phrygius: is captus amore Pieriæ, cogitabat qua re posset puellæ quàm maximè gratum facere. Cumque illa dixisset, nihil accidere posse gratius, quàm si efficeret, ut frequenter Miletum commeare posset multis uirginibus comitata: Phrygius intelligens ab illa queri pacem & amicitiam, bellum composuit. Plutarch. de Mulierum uirt. & Polyænus.

LEO Philosophus Imperator pacis ita fuit studiosus, ut optaret ea dari tempora, quibus stipendia militum conferret philosophis. Suidas.

QVIETIS.

AVSGVTVS Cæsar, cui plura quàm ulli unquàm obuenisse feliciter tradunt, non desinebat quietem sibi precari, & uacationem à republica petere. Identidemq; repetebat, aliquando se uicturum sibi. Suetonius.

LIBERTATIS ACQVIRENDÆ.

Consule Tit. Prudentiæ in carceribus effugiendis. item, Tyrannicidarum. item, Captiuitatem non ferre. item, Captiui liberati. Hic solus affectus consideratur. Sed & ut cõtrariorum obiectorum contrariæ quoq; sunt perturbationes, Odium seruitutis præsentis, Studium libertatis absentis comitem habet. de quo superius egimus.

Cùm ob seditionem Magnentij tyranni, IVDÆI Diocæsariani omnia perturbationum in Romano Imperio plena esse animaduerterent, ipsi oportunitatem sibi oblatam rati, arma capiunt, noctu interficiunt milites pręsidiarios, Palæstinam inuadunt, iugum Romani Imperij à ceruicibus suis remoturi. Sed commodum aderat Antiochiæ Gallus Imperator. Is misso exercitu, Iudæos oppressit, cæsis multis hominum millibus, usq; ad innoxiam ætatem: & ciuitates eorũ, Diocæsaream, quæ & Sepphurim appellatur, Tyberiadẽ & Diospolim, euertit. An. Christi 357. Hieronym⁹ in Chronico, Socrates lib. 2. cap. 33. Sozomenus lib. 4. cap. 7.

In itinere quod Fridericus III. Imp. Roma Neapolim suscepit, LADISLAVS puer, Alberti Vngariæ & Boemiæ regis posthumus, quum se suis populis denegari à Friderico ægrè ferret, iniecta suspicione, pædagogiq; consilio, fugã molitus est. Quum è sententia res minimè succederet, reiecta est in pædagogum culpa, & perpetuo is carceri addictus fuit. Bonfinius lib. 7. Dec. 3.

DIEI, LVCIS.

C. CALIGVLA non plus quàm tribus nocturnis horis quiescebat: ac ne his quidẽ placida quiete, sed pauida miris rerũ imaginibus. Ideoq; magna parte noctis, uigiliæ cubandiq; tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus uagus, inuocare identidem atq; exspectare lucem consueuerat. Suetonius in Caligula.

REI MALAE.

Consule Imprecationum Titulum.

Mortis.

Ex loco Martyrum huc non pauca.

Apud Senecam Troadibus ANDROMACHE Vlyssi mortem minitanti respondet:

> Si uis Vlysse cogere Andromachen metu,
> Vitam minare, iam mori uotum est mihi.

Apud Tertullianum legitur, cùm ostiarius quidam Proconsulis Africæ in prætorio clara uoce rogauisset, an illic Christiani essent, quos pœnis de more afficeret: PLVRIMOS illicò sublata manu dixisse, ex eo numero se esse, ut oppetentes mortem martyrium reportarent. Proconsulem uerò eos ad mortem paratos animaduertentem, sic loquutum esse: Ite, proiicite uos in mare, quod ante uos est, è montibus dominibusq; uos date præcipites, aut arboribus uosipsos suspendite: quærite, qui uos condemnet.

Tacitus lib. 4. scribit Cocceium NERVAM, senatorem, consulatu functum, cui legum peritia, à Tiberio in Campaniam proficiscente deductum esse. Tum lib. 5. Nerua, inquit, continuus principis, omnis diuini humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlæso, moriendi consiliũ cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremò graue conscientiæ, graue famæ suæ, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus uitam fugeret. Auersatus sermonem Nerua, abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala Reip. uiseret, ira & metu, dum integer, dum intẽtatus, honestum finem uoluisse.

Sprangerus SAGAS se uidisse narrat, quæ scelera sua confessæ, ultrò orabant iudices, ut se morte plecterent, alioqui se sibi ipsis conscituras mortem, quia se à diabolo nisi parẽrẽt, uexari confirmabant. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 3.

Calamitatis publicæ.

C. CALIGVLA queri palàm de conditione temporum suorũ solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana: Tiberij, ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabilẽ factum: sui obliuionem imminere prosperitate rerum. Atq; identidem exercituũ cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terrę optabat. Suetonius in Caligula.

PERSONARVM HVC DESIDERIVM

Principum.

Post Antigoni cædem RVSTICVS quidam agrum in Phrygia fodiens, cùm rogaretur à quopiam, quid ageret? suspirans: Antigonum, inquit, quæro. tyrannidem successorũ tacitè perstringens. Plut. in Phocione.

Sponsarum. PROCI.

Proci, ut ambiunt: Riuales, ut certant. Propter cupiditatem rei amatæ huius sunt loci: propter adiunctam immoderationem, ad locum Libidinis quoque referri possunt: propter æmulationem denique ad Titulum Aemulationis.

Icarium, aiunt, Penelopes patrem cursus certamen procis proposuisse. In iis ludis VLYSSEM uictorem fuisse, dubitari nihil potest, ut qui supra Bidiæorum prætorium in Mineruæ æde signum deæ dedicarit, & Celeuthean appellarit, uictis reliquis procis. Missi uerò in curriculum sunt Spartæ per Aphetaiden uiam inde dictam ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι. Imitatus autem uidetur Danaum. Siquidem Danaus cùm nancisci non posset, qui ipsius filias duceret, parricidio patruelium pollutas, dimisit, qui nunciarent, nullum se à uiris sponsalium nomine munus poscere, uerùm optionem puellis daturum, ut earum quælibet eum sibi deligeret, cuius maximè esset forma complacita. Verùm cùm ad eam famam non sanè multi cõuenissent, cursu certamine proposito, ei qui cęteros superasset, quam ille maluisset, secundo alteram, eodemque modo cæteras usq; ad extremam locauit. Iam uerò quæ uiros nactæ non essent, expectare iubebat, usquedum noui proci in cursus certamen descenderent. Pausan. in Lacon.

Absente Vlysse PROCI ex diuersis locis conuenerunt, ut castitati Penelopes insidiarẽtur: fuerũtq; Dulychij LII, Samij XXIV, Zacynthij XX, Ithacenses XXII. Ex quib. hi ab Homero nominantur, Antinous, Eurynous, Eurymachus, Leocritus, Neso, Pisander, Hegesippus, Agalus, Leocles, Amphinomus, Demoptolemus, Medon præco, Euphemus cithaœdus. Quos omnes reuersus Vlysses occidit. Ouidiana Penelope nonnullos his uerbis enumerat:

> Dulychij, Samijq;, & quos tulit alta Zacynthos,
> Tentarunt in me luxuriosa proci.
> Quid tibi Pisandrum, Polybum, Medontaq; dirum,
> Eurymachiq; auidas, Antinoiq; manus,
> Atq; alios referam? quos omnes turpiter a[illegible]
> Ipse tuo partis sanguine rebus alis.
> Irus egens, pecorisq; Melanthius auctor edendi,
> Vltimus accedunt in tua damna pudor.

Cleopatra soror Alexandri Magni fuit, filia Philippi, uxor Alexandri, qui in Italiam expeditionem fecit. Itaque ob eius ge-

neris nobilitatem CASSANDER & LYSIMACHVS, præterea ANTIGONVS & PTOLEMÆVS, deniq; omnes duces primarij, post Alexandri obitum eam in matrimonium ambiebant. Quisq; enim, cùm Macedones illud coniugium approbaturos speraret, regiam familiam affectabat, tanquam ad se summum imperium translaturus. Cùm autē Sardium præfectus demandatam sibi ab Antigono curam Cleopatræ haberet, & illa Antigono infensa, ad Ptolemæū proficisci pararet, eius profectionem impediebat. Postea eius iussu per quasdam mulieres eam dolo peremit. Antigonus nolens se cædis auctorem dici, ex illis mulieribus aliquas, quasi quæ insidias illi struxissent, supplicio affecit, & funus regiè procurauit. Diod. lib. 20.

Clisthenis Sicyonij filia Agaristia, plurimos habuit procos. Inter cæteros HIPPOCLIDEM Tisandri filiū (uide Tit. Nuptiæ magnificæ) Smyndiridem Sybaritam, qui Sicyonē profectus, mille piscatores, mille aucupes, totidéq; coquos cōduxit, ne si sponsam obtinuisset, imparatus esset. Præterea etiam Syritanum & Damnasum, quos ab Italia ad certamen uenisse scribunt. Venerunt eòdem ex Ionio sinu Amphimnestus Epidamnius, Aetolus Meges. E Peloponneso Leocydes, Phidonis Argiuorum tyranni filius, Amiantus Arcas, Laphanes Heleus. Ex Attica Megacles Alcmæonis filius. Ex Ethrutia Lysanias. Ex Thessalia Diactorides Cranonius. Ex Molossis Alcon. Conuenerant autem in Græciam, ut in Olympico certamine uires suas ostentarent: quoniam pater puellæ Clisthenes proclamauerat, ei se daturum filiam, quem in certamine præstantissimum reperisset. Herodotus auctor.

Virgilius, Ouidius & Ausonius inter procos Didonis numerant HIARBAM Getulorū regem. Propterea Dido ipsa apud Ausonium sic loquitur:

Sed furias fugiens, atq; arma procacis Hiarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam.

Græcæ Imperatricis nuptias auidè CAROLVS Magnus Imp. expetebat, ut iuncto sibi Orientis Imperio, imperatoriam dignitatem non recenti solùm titulo, sed etiam antiqua possessione repræsentaret. Nec secius IRENE, secunda Caroli fortuna ac uirtutis claritate permota, pacē habere cum illo cupiebat. Itaque anno 802. fœdus utrinque per legatos inuicem missos percussum ac confirmatum est. Leo III. Pontifex etiam legatis suis missis, earum nuptiarum se conciliatorem fore professus est: neq; Irene conditionem aspernabatur. Quod cùm agi Nicephorus Patricius & Logotheta sensisset, ut id prohiberet, tumultu concitato Irenem comprehendit, eaq; Calendis Nouembris abdicare coacta, imperiū ipse, legatis pontificis nondum Vrbe profectis, arripuit. Sigonius lib. 14. regni Ital.

REGNERVS Noruegianus Thore F. Herothi Sueonum regis nuptias ambiens, cùm alia ratione eam adipisci non posset, serpentes duos Thoræ thalamum custodientes, sagulo magico à nutrice accepto inuulnerabilis, interfecit, hocq; pacto Thora tandem potitus est. Olaus lib. 5. c. 17.

ALPHVS Sigari Danorum regis F. trucidatis serpentibus, qui Aluildæ Siuardi Gothorum regis conclaue tutabantur, eam in coniugem postulauit. Hæc quamuis primò consentiens, tamen à matre persuasa omnem uiri congressum planè respuit, atq; collecta uirginum manu, hinc inde Amazonum instar piraticam exercuit. Sed eam Alphus demum forte fortuna in extremis Finningiæ siue Finlandiæ recessibus, ex hoste coniugem effecit. Io. Magnus lib. 7. c. 10.

Liberorum, Prolis.

Ex Titulo, Partus futuri diuinatio, non pauca exempla colliges.

ABRAMO apud Dominum conquerente, quòd liberis careret, & quòd Eliezer Damascenus seruus, suus hæres esset futurus: promisit illi sobolem Dominus. Genes. 15.

SARA cùm se uirumq; Abramum iam grādes natu orbos inspiceret, uiro persuasit, ut cum ancilla Agar concumberet, tentaretq;, si ex ea filios procreare posset. Quod cùm ille fecisset, natusque esset Ismael, non aliter ac filium ex se natum Sara eum sustulit.

FILIÆ Lothi cum patre in montem euaserant è Sodomitano incendio. Cùm igitur omnes homines incendio periisse existimarent, humani generis reparandi desiderio accensæ, patrem senem uino inuitant, & ex eius concubitu prolē suscipiunt: maior quidem natu Moabum, minor uerò Benammin, à quo Ammonitæ. Genes. 19.

ANNA Elcanæ Leuitæ Ephtatæi uxor, cùm propter sterilitatē à [redacted] Phenenna contemneretur, quotannis cum uiro Siluntem ad tēplum ueniebat, & Dominum de prole rogabat, cum fletu & ieiuniis: uotumq; fecit, si Ioua miseriam suam respexisset, sibiq; uirilem sobolem dedisset, eam se Iouæ in omnem eius uitam dediturā, neq; capiti eius nouaculam admouendā. Elis sacerdos summus cùm eam prolixè orantē obseruaret, & labra tantùm mouentem, ueluti ebriā obiurgabat. At illa sese excusans, domū rediit, & filiū peperit, quē Samuelem uocauit, eo quòd eum à Ioua exorasset. Cumq; iam & incedere & fari posset, eū Siluntem duxit, & Elis curæ cōmisit, ut Domino seruiret, comā aleret, & aquā biberet. Peperit inde ordine Anna tres filios, & duas filias, cùm Elis pro ea apud Dominū intercessisset. Regum lib. 1. c. 1. & 2. Iosephus Antiq. lib. 5. c. 15.

Sic à Deo rogādi liberi, ut ANNA Ioachim, quę tota Deo cōfisa, Mariā orbis reginā saluti hominū edidit: sic ut ELIZABETHA Zachariæ, quæ etiā sterilis Ioannē illum Domini nunciū genuit, qui multos filios genuit Christo, quo maior nullus ex muliere natus est. ISAACVS pro Rebecca coniuge sua sterili Dominū orauit, à quo impetrauit geminos duorū ingentium populorū auctores. Vxori MANOÆ sterili, modestæ ac pudicæ feminę, angelus Domini Samsone ex ea nasciturū nunciauit, iudicē & liberatorē Israelis. Tales accipiunt, quæ sic petunt. Verba angeli ad Sāsonis matrē sunt hęc: Sterilis es, & absq; liberis: sed concipies, & paries filiū. Caue ergo ne bibas uinū, ac siceram, nec immundū quicquā comedas, quia concipies & paries filiū, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israelē de manu Philistinorum. Lud. Viues de Christiana femina lib. 2.

RACHEL Labanis F. Iacobo patriarchæ nupta, sterilitatem suam ægrè ferens, eoque magis quòd soror Lia fœcunda esset, à marito liberos per iurgium cepit postulare. Atque adeò Balam ancillam suam ei subiecit: quæ peperit ei Danem primùm, deinde Nephthalim, quos pro suis habuit & educauit. LIA similiter, cùm gignere desiisset, ancillam suā Zilpam Iacobo in coniugium dedit, quæ ei Gadum & Aserē peperit. Genes. 30.

THAMAR Iudæ nurus marito orbata, cùm uideret Selam filium Iudæ adoleuisse, neq; socerū eum sibi iungere, qui fratribus defunctis semen excitaret: habitu meretricio in uia, qua itur Thamnam, sedens, Iudæ prætereunti sese prostituit, & arrhabonis loco ab eo accepit annulū, uittam, & iaculū, donec hircum ei domum mitteret. Gen. 38.

DVÆ meretrices in iisdem habitabant ædibus. Cùm altera filium ex incuria suffocasset, alterius filium uiuentem suum esse dicebat. Lis Salomonis regis sapientiæ rudimento discussa fuit. 3. Regum 3.

EZECHIAS Iudæorum rex grauiter laborans, cùm ab Esaia propheta didicisset, sibi moriendum esse, magno dolore affectus est, propter eam causam maximè, quòd nullos haberet liberos, quibus regnum relinqueret. A Domino igitur uitæ prolongationem obtinuit. 4. Reg. 20.

Cùm Hercules Augeam Eleorum regem cepisset, eundē tamē unà cum captiuis Phyleo Augeæ F. condonasset, & liberasset: Eleorum FEMINÆ orbatam uirili robore patriam miseratæ, Palladi uota nuncuparunt, si grauidæ ad primos uirorum congressus fierent. Eius uoti damnatæ, Mineruæ matri templum dicarunt. Et locus quidem, quo primus ille cōgressus marium & feminarum factus, Bady nomen est. Flumen etiam ipsum, quod agrū præterfluit, Bady patria uoce appellant. Pausanias lib. 5.

HYRIEVS Neptuni & Alcyones F. cùm Dij hospitiū eius accedentes, Iupiter, Neptunus & Mercurius, & ab illo liberaliter tractati iussissent, ut quodcunq; liberet, optaret: cùm adhuc sine filiis esset, filiū poposcit, Vrionēq; siue Orionem ab iis impetrauit. Natalis comes Mythol lib. 8. c. 13.

THESPIVS rex Bœotiæ fama rerum ab Hercule gestarū percepta: ut ex filiabus totidem præstantes robore & sapientia filios susciperet, Herculem ad conuiuium inuitatum ebrium fecit, ut omnes quinquaginta filias eadem nocte uitiarit, pręter unam, quæ, ut testatur Pausanias in Bœoticis, perpetuū sibi sacerdotium potius indixit. Ferunt singulas earum mares filios peperisse: præter maioris & minoris ætatis duas, quę geminos pepererunt. Fuerunt qui dixerint, singulas singulis noctibus cum Hercule concubuisse. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 1.

LYRCVS Phoronei F. ducta in uxorem Ilebia Aebiali Caunlorum regis F. cùm ei nulli liberi nascerentur, Dodoneum oraculum consuluit. Quod respondit, Filium gigniturū eum ex ea, cui primùm è templo digressus commisceretur. Ille gauisus domum ad uxorem properans, in uia ad Staphylum Dionysij F. Bubasti diuertit. Qui cognito oraculo amicè eum excepit, eique uino obruto filiam Hemitheam subiecit. Parthenius.

THALETA, qui unus erat ex septem, Plutarchus scribit metu, quo confici parentes solent ex filiorum interitu, uel alia quauis calamitate, à nuptiis reuocatum & liberorum procreatione. Verùm demisso (inquit) animo atq; abiecto censendus est, qui amittendi metu, rerum possessionem refugit. Cælius lib. 28. cap. 18.

Solon qui Atheniensibus leges condidit, illud perabsurdum induxisse uidetur, cùm VXORI permisit, si ad rem uenereā minus idoneus uir deprehēderetur, mariti propinquos admittere. Cælius lib. 28. cap. 15.

Apud SPARTANOS lege sancitū erat, ut senior si fortè uxor ei esset floridior, aptaq; etiamnū tollendæ proli, & iuuandę patriæ, delectū ex iunioribus quempiam, morib. præcipuē exploratis probisq;, posset ad eā admittere. Quam ubi is generoso implēsset semine: quod inde natū foret, educaret, ut conceptū natumq; legitimè. Quòd si quis uxorium onus ut molestum grauaretur, nimisq; impeditū, ingenuæ tamē prolis desiderio obmolliretur: tunc licebat, si quā is fœcundam generosamque animaduertisset, adducto prius in eiusmodi sententiam uiro, eam quærendæ prolis gratia adire. Cælius lib. 18. cap. 1. Antiq. Lect.

Scythę Vexoris Aegyptij armis irritati, Asiā uniuersam XV annorū spacio tenuere. Postremò, VXORVM legatione commoti, quæ nisi cōfestim domū redirent, se ex finitimis prolē quæsituras, nec Scytharū genus intercidere passuras, minabantur, in patriam reuersi sunt. Sab. lib. 1. En. 1.

Erat Hyrcaniæ finitima gens Amazonum (quo tempore Alexander Dario superato Marsos subigebat) regnabatq; iis locis THALESTRIS (quam alij Minitheam uocant) omnem latè terram inter Caucasum montē & Phasim imperio obtinens. Hæc uisendi regis cupiditate accensa, cum una equitū ala fines egressa est. Longum inde iter emēsa, priusquam in conspectum uenisset, præmisit qui regi nunciarent, uenisse Thalestrem Amazonum reginam, ipsius adeundi cupidam. Tum facta ueniendi potestate, cum trecentis mulieribus, ut Curtius scribit, ad regem uenit. Vbi igitur primò stetit, confestim equo desiliit, binas hastas manu gestans. Erat læua pars uestis ad pectus nuda, sinusq; in nodum collectus. Intuebatur Thalestris regem interrito uultu, habitumq; corporis tantarum rerum famæ imparem (nam non omnia uni dij dederunt, ut sapiens ait poeta) tacitis lustrabat oculis. Semper hominibus barbaris ueneratio in maiestate corporis non parua fuit, magnorumq; operū non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare dignata sit natura. Cæterùm interrogata, nunquid aliquid petere uellet à rege? haud uerita est fateri, se eo consilio ad Alexandrum uenisse, ut ex eius congressu conciperet, si se non indignam existimaret, ex qua regni hæredem tolleret, si puer editus esset: muliebrem stirpem gentili instituto secum habitura. Rogata an unà militare uellet, regnum sine custode à se relictū causata, commilitium detrectauit. Contendere tum nihilo secius, ne se rex suo congressu frustraretur. Absumti inde tredecim dies in obsequij desiderium. Trogus triginta scribit: quod tempus ad conceptum deprehendendum magis idoneum fuisse mihi uidetur, quàm quod Curtius posuit. Thalestris ubi uterum implesse sibi uisa est, in regnum cum suo comitatu abiit. Meminerunt rei huius præter Curtiū & Trogum, plerique Græcorum: Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, & Histros. Plures contrà id figmentū arbitrati sunt, & in his Aristobolus, Chares, Hysingelus, Ptolemæus, Philon Thebanus, Hecatæus Eretriensis, Philippus Chalcidicus, & Duris Samius, quibus Alexandri testimoniū (ut Plutarchus scribit) astipulatur, qui ad Antipatrum singula perscribens, Scytharum regem sibi filiam despōdere uelle significauit, nulla interim Amazonum mentione facta. Sabellicus lib. 5. En. 4. ex Strabone.

STRATONICE Gallogræca cùm cupere sciret maritum Deiotarum liberos regni successores, & infœcunda ipsa esset, impulit eum, ut ex alia muliere gigneret, & sibi permitteret subiicere partum. Deiotarus consilium mulieris miratus, eius arbitrio rem permisit. Illa puellam inter captiuas insigni specie Electram nomine parauit conciliauitq; Deiotaro, ac prognatos ex ea filios pro suis piè & splendidè eduxit. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

SP. Carbilius Ruga Romanorum primus liberorū desiderio uxorem carissimam alioqui, uerùm sterilem, repudiauit.

BASILIVS Macedo Imp. uidēdi filij Constantini mortui percupidus, Theodori Santabarini monachi (qui se regi filium monstraturum uiuentem inter frondosā uirgulta equo insidētem promiserat) præstigiis, filij spectrum uidit & amplexatus est. Zonaras.

Vladislaus I. Polonorum rex IVDITHAM Vratislai Boemorum regis filiam uxorem duxerat. Quæ cùm diu sterilis fuisset, admonita à Lamperto episcopo Cracouiensi, mittit oratores in Narbonensem prouinciā, ad monasteriū diui Aegidij, ubi corpus sancti illius uiri cōditū erat, cum amplissimis donariis. Indicitur monachis tridui ieiuniū: oratur Deus, ut intuitu gratiosi serui sui Aegidij, masculam prolem cōcedat piis principibus. Triduo illo reuelatur per uisum seni cuidā & pio monacho, impetratum esse, quod tanto studio petitū esset. Dimittūtur cū spe certa oratores: reuersi reperiunt Iudithā grauidā: quæ postea maturo partu puerū edidit, cui Boleslao nomen inditū est. Iuditha post quartum mensem à partu, extremū clausit diem, femina pietati in primis & beneficentiæ dedita: quæ & ipsa facultates suas, mundumquē muliebrē penè omnē in usus pauperum, & ad cultū templorum uiuta elargita est. Cromerus lib. 5.

Plumbinū Hetruriæ oppidū est, ex Populoniæ ruinis ædificatum. Huic olim præfuit IACOBVS Appianus, ex Paula nobilissima femina, Martini quinti Romani pontificis sororē natus, pacificus princeps, & à uicinis amatus. Qui cū ex cōiuge uirilē sobolem non susciperet, extra matrimonium herēdē quærens, concubinam amare cepit. Cuius cùm uenter intumuisset, & iam pariēdi propè tempus adesset, incredibili gaudio gestiēs, Florentinos ac Senenses, legatos uti ad se mitterent, ac partū de sacro fonte leuarēt, magnis precibus inuitauit. Venēre ad diē dictā legati. Mulier inter obstetricū manus diu laborans, æthiopem tandem peperit. Quæ res ut risum in populo cachinnumq; excitauit, ita & compaternitates & lętitiam principis interrupit. Tibicen tum fortè Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerū credidēre. Qui mox ubi detectū flagitiū intellexit, saluti suę fuga consuluit. Mortuo Iacobo Raynaldus Vrsinus, uir rei militaris peritus, in eius locum suffectus est, non suo iure, sed coniugis, quæ Iacobi filia fuisset. Aeneas Syl. c. 56. Europæ.

Moriente Ioanne Castulonensi rege eius nominis ultimo, superstites fuēre Henricus & Elizabetha filij. HENRICVS ad procreationem impotēs, & à sorore sæpius audire coactus, Etiam inuito ipso, se post eum regnaturā: ita cōmotus fuit, ut Hispano cuidam iuueni Belthramo Cuenæ, quem Alburchechensem ducem crearat, uxorem supposuerit, ex qua etiam filiam suscepit. Quæ res grauissimorum bellorum fomes extitit. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

GVIDO dux Vrbinas priusquā cōiugē ex Columnēsi familia duceret, anxius quónā pacto in gēte sua imperiū propagaret, cōcubinā ex se prægnantē simulauit. Exin Bernardini Cardēsis agnati sui, pręclari copiarū ducis filiū, tum fortè natū, supponi pro suo nutririq; iussit, Frederici nomine indito. Sed cōiugio deinde cōtracto, cū filiū legitimū Oddonē sustulisset, cōuersa in eū cura, Fredericū adhuc puerū militię tradidit, in qua ille ad ętatē usq; uirilē perseuerauit. Deinde Oddone ob libidinē populari tumultu cæso, uocatus à populo, Vrbinatiū factus est princeps. Clarus uir, & castrensib. disciplinis apprimè institutus, cui nec in administrādis reb. bellicis cōsiliū, nec in capessendis periculis animus unquā defuit: nec uerò factis, quā fide clarior, quę quidē uel maximè patuit, cū Franciscū Sfortiā, fortunæ afflatu iam penè desertū, cōstantissimè iuuit ac fouit. Indignus profectò, qui militari ludo dextrum perdiderit oculum. Aen. Syl. c. 61. Europę.

Seruorum & Famularum.

DeATOSSA narrat Herodotus, illam ad bellum Græciæ in- [redacted]

DESIDERIVM NVLLVM ABSENTIVM & futurorum bonorum. Vtputa

PATRIAE.

Tanausius Gothorū siue Scytharum rex, qui Vexoris Aegyptij regis tributum flagitantis insolētia commotus, Asiam totā sibi tributariam fecit, uxorum precibus & minis domum cū exercitu redire cogebatur. Sed erant in eius exercitu cōplures, qui cùm domi nec uxores, nec liberos haberent, uiderētq; amœniores Asiæ terras, capti earum pulcritudine, Regem orant, ut sinat se ibidem sedes collocare, intercedente Serino Medorum Rege. Sed cùm cęteri eorum separationē ægrius ferrent, conuitio prosequuti abeuntes, eos PARTHOS sua lingua uocarunt, hoc est, transfugas, uel timidos, quòd patriam fugissent, & Parthicum regnum fundassent. Regi igitur Medorum Serino Tanausius principatū omnium gentiū à se deuictarū liberalissima donatione concessit, contentus gloriæ præmio. Io. Magnus lib. 1. c. 25.

CONDOLENTIAE AMICORVM.

ENNIVS mortem suam minimè lugeri uult. Inquit enim:

Nemo me lacrymis decoret, neq; funera fletu
Faxit. Cur? Volito uiuus per ora uirūm.

Neq; enim putat lugendā mortē, quā cōsequitur immortalitas. Cicero lib. 1. Tusculan.

AVDITIONIS.

AGESILAVS rex Spartanorū cū inuitaretur ad audiendū eū, qui uocē lucinię referebat: Ipsā, inqt, audiui frequēter. Plut.

SPES BONI FVTVRI. ΕΥΕΛΠΙΣΤΙΑ.

Aristoteli θάρσος uidetur dici. Cæterùm quia nos boni aduentantis susceptionem potius quàm acquisitionem hîc consideramus, & in futuris malis affectum quendam similem statuere cogimur: hunc θάρσος, illam εὐελπιστίαν appellare maluimus, methodi causa, non nouitatis studio. Spes alioqui in genere Latinis pro quauis expectatione tam mali quàm boni sumitur: eximiè uerò pro expectatione boni. & Aristot. lib. 2. Rhet. θάρσος esse definit ἐλπίδα τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων. De Spe igitur bona hoc loco, tanquā affectu, in quo moderando, dirigendo, excitandoq; Confidentia erga Deum, item Pœnitentia religiosa occupatur, sed & Fortitudo tolerans, & Tolerantia nimia, quatenus spe meliorum præsentia mala magno perfert animo.

ISRAELITÆ spe uana ducti, arcam à Silunte in castra contra Palæstinos duxêre, rati se illius præsentia uictores fore. At longè aliter cecidit, Deo illorum improbitatem uindicaturo: ita ut 30 millia eorum sint cæsa, & arca in Palæstinorum manus peruenerit. 1. Regum 4.

Cùm Nabucodonosor rex Babylonius Hierosolymam obsideret, & HIEREMIAS uates excidium urbi imminere, & Sedeciam regem Babylonem abducendum prædiceret: emit tamen Hieremias, Domini iussu, fundum ab Hananeele patruo suo Anathothensem septem siclis & decem argenteis: instrumentum uenditionis Baruchus confecit, & obsignatū urnæ fictili iubente Hieremia imposuit. Fore enim aliquando, ut terra nunc desolata à Nabucodonosore, restitueretur, & Iudæi ex captiuitate redirent. Hieremiæ 32. Pari confidentia ROMANI agrum, in quo Annibal urbem obsidens castra fixerat, licitati sunt. Liuius.

AETHRA apud Eurip. in Supplicib. hortans Theseū ad capienda arma contra Thebanos uictores:

κάδμου δ' ὁρῶσα λαὸν εὖ πεπραγότα,
ἔτ' αὐτὸν ἄλλα βλήματ' ἐν κύβοις βαλεῖν
πέποιθ'· ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν. Cadmi cernens populum feliciter re gesta, adhuc ipsum alios iactus per cubos iacturum spero. Deus enim omnia conuertit retrò.

Alexander Macedo proficiscens in Asiam possessiones domesticas & uectigalia regia amicis pleraque diuisit. Vnus nihil ex illius largitione accepit PERDICCAS, sed rogauit: Tibi uero quid Alexander relinquis? Qui ut respondit: Spes meas: Ergo harum, inquit, nos quoq; erimus consortes. Neq; enim nos tua capere, sed prædā expectare Darij decet. Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna.

RHODIVS quidam ob intempestiuam libertatem à tyranno coniectus in caueam, in qua more nocentis bestiæ alebatur ad cruciatum & ignominiam, amputatis manibus, ac fœdata uulneribus facie, cùm ab amicis admoneretur, ut inedia sibi malorum finem quæreret: Cuncta, inquit, homini, quo ad uiuit, speranda sunt. Erasmus lib. 8. Apopht.

ARISTIPPVM philosophum Socraticum ferunt aliquando ad Rhodiensium litus graui naufragio eiectum, amissis omnibus, uidisse in harena figuras quasdam geometricas: atque ad comites, mœrore posthabito, hilari uultu exclamasse: Bene sperandum est: nam & hic quosque hominum uestigia cernimus. Laertius.

C. MARIVS obscuro genere natus, facinorum militarium cōmendatione ad rempubl. accessit. Ac primum maiorem petiit ædilitatem. Vbi sensit ea spe frustrari sese, eodem die minorem ambiit: & hac frustratus, haud tamen desperauit, se Romæ ciuitatis primatem fore: docens, quantum in rebus humanis ualeat improbitas. Plut. in Roman. apophth. Idem VI. consul Roma pulsus à L. Sylla, & proscriptus, grandi pecunia in caput eius pronunciata, uariis erroribus & periculis agitatus, oraculo se potissimum solabatur, quo acceperat, septies se consulem futurum. Neq; eum spes ea fefellit. Sabellicus lib. 3. Enn. 6.

Prædictum à mathematicis NERONI Cæsari olim erat, fore ut imperio quandoque destitueretur. unde illa uox eius celeberrima, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει: quo maiore uenia meditaretur citharœdicam artem, principi sibi gratam, priuato necessariam. Spoponderunt tamen quidam destituto ei ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionē. Cui spei pronior, Britannia, Armeniaque amissa, ac rursus utraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Vt uerò consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cauendum sibi audiuit, quasi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ: tanta fiducia non modò senectam, sed etiam perpetuam singularemq; concepit felicitatem, ut amissis naufragio preciosissimis rebus, nō dubitauerit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos. Neapoli de motu Galliarum cognouit die ipso, quo matrē occiderat: adeoque lentè ac securè tulit, ut gaudentis etiā speciem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Statimq; in gymnasium progressus, certātes athletas effusissimo studio spectauit. Cœnæ quoque tempore interpellatus tumultuosioribus literis, hactenus excāduit, ut malum iis, qui defecissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliterauit. Suetonius.

Agareni Italiam sub Lodouico Pio Imp. uastantes, eius ductu, & Basilij Imperat. Constantinopolitam ope, breui sunt fusi, eorumque dux SOLDANVS captus, toto anno Capuæ in captiuitate delituit, nunquam ridere uisus, non sine omnium qui aderant admiratione: quo ad semel uidens totā currus circumuolui, & imam partem subinde in altum subuehi: Sic (inquit) res uertuntur humanæ, quod sine cachinno nescio explicare. Et forte ego qui ad ima detrusus iaceo, exurgam quandoq;, & denuò regnabo. Cuspinianus.

DESPERATIO.

Qui bonum futurum non sperant, huius sunt loci. Qui uerò non modò non futurū bonum sperant, sed etiam malum imminens metuunt, hi eximie Desperati appellantur. Differunt enim inter se ratione obiecti, Bonum non sperare, & Malum sperare: uicissim tamen ualde sunt affinia, quandoquidem Boni ἀνελπιστία uidetur consequi δέος Mali. Ex loco Declinationis nimiæ, eorum præsertim, qui effugiendi mali causa mortem sibiipsis inferunt: item Pusillanimitatis in tolerando: item Tolerantiæ mortis nimiæ: itē Libidinosæ desperationis non pauca exempla huic loco inseruient. Illic Vitium, hic Affectus consideratur.

[redacted]

HERCVLES, de enormibus suis peccatis, ad quæ etiam sol expallescere & terra contremiscere posset, apud Eurip. in Hercule furente hæc effatur:

ἐς τοῦτο δ' ἥξειν συμφορᾶς οἶμαί ποτε·
φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με
μὴ θιγγάνειν γῆς, καὶ θάλασσα μὴ περᾶν,
πηγαί τε ποταμῶν, καὶ τὸν ἁρματήλατον
Ἰξίον' ἐν δεσμοῖσιν ἐκμιμήσομαι. Ad hoc uenturum me calamitatis puto olim: Vocem edet tellus, interdicēs mihi nō attingere terram, & mare non transire, fontesq; fluminum: & ipsum qui rotatur Ixionem in uinculis imitabor.

Atrox odium, atque, ut Plutarchi dicam uerbis, ἄσπονδος πόλεμος erat inter Thessalos & PHOCENSES: quòd hi primores illorum in suis urbibus ad unum omnes eodem die trucidassent: illi uicissim horum obsides ducentos quinquaginta in crucem sustulissent. Tandē Thessali contractis omnibus copiis, per Locrenses irruperunt, edicto promulgato, ne cuiquam prouectioris ætatis parceretur: pueri cum mulieribus in seruitutem abducerētur. Daiphantus itaque, qui fuit unus è tribus, quibus Phocensium res erat commissa, suasit uti uiri quidem Thessalis obuiam irent, cum iis conflicturi: cæterum mulieres unà cum liberis, ex uniuersa Phocide congregatas, in uno quopiam loco seponerent, congesta ingenti lignorum materia: & adhibitis custodibus mandarent, ut simul ac intellexissent, sese uictos in prælio, continuo pueros & uxores iniecto igni exurerent. Id reliquis comprobantibus, exurgens quidam negauit æquum fieri, ni consilium hoc, uxorum quoque suffragiis comprobatum fuisset. Quod si non placeret, non esse cogendas. Itaque mulieres, ubi rem cognouissent, ipsæ inter se habito cōsilio, Daiphantum collaudarunt, qui rectissimè consuluisset Phocensium rebus. Eadem autem uiden & uxoribus & liberis eorum. His ita peractis, congressi cum Thessalis Phocenses, superiores extiterunt. Ac decretum quidem illud Græci prouerbialiter Φωκέων ἀπόνοιαν, Phocensium desperationē appellarunt: quòd etiamsi feliciter cessisset, tamen temerarium parumque cordatum uideretur. Plutarchus. Similia ferè narrat Pausanias in Phocicis, meminit & prouerbij, quod

ait ex

ait ex hoc euentu dici solitum ἐπὶ πάντων βουλευμάτων ἀναλγήτων, hoc est, de omnibus consiliis quæ carent dolore. Meminit & Stephanus, indicans dici solitum περὶ τῶν τὰ ἀνάλγη βουλευομένων. Erasmus in Adagiis.

ASTAPA urbs Hispaniæ (quæ hodie Ascho dicitur) semper Carthaginensium fuerat. Incolę latrociniis dediti, excursiones in finitimum agrum sociorum populi Romani faciebant. Hanc urbem pulsis ex Hispania Carthaginensibus P. Scipio expugnare parabat. Oppidani conscientia scelerum, in foro preciosissima rerum suarum congerunt: super eum tumulum coniuges ac liberos considere iubent, ligna fascesque uirgultorum circa eum extruunt, ut donec incertus euentus pugnæ esset, præsidium in eo loco fortunarum suarum corporumq;, quæ cariora omnibus fortunis erant, seruarent: si uerò rem inclinatam uiderent, atque in eo esse, ut iam ciuitas caperetur, scirentque omnes, quotquot in prælium issent, obituros, eos per superos inferosque deos orauere, ut memores libertatis, quæ illo die aut morte honesta, aut misera seruitute finienda esset, nihil relinquerent, in quod sæuire hostis posset: ferrum ignemque in manibus esse: manusque amicæ ac fideles potius ea, quæ peritura erant, absumerent, quàm hostes superbo ludibrio insultarent. His adhortationibus excitati, ne quem à proposito spes mollitiáue animi flecteret, die adiecta, concitato agmine, patentibus portis, eruperunt. Sed Rom. exceptos omnes ultrò in ferrum ruentes trucidauere, urbeque occupata, horrendum spectaculum in foro habuere, cùm proprij ciues omnem feminarum turmam, puerorumq; imbecillem inermemque multitudinem occidissent, & incenso rogo semiuiua adhuc corpora in ignem proiecissent & peracta cæde cū armis in medium insilirent incendium. Ioan. Gerund. lib. 5. Paralip. Hispan.

NVMANTINI à P. Scipione Africano longa obsidione defatigati, cùm intolerabiles pacis conditiones proscriberet, desperatis rebus, ultimo sese prælio accingunt, satius ducētes pro patria fortiter occumbere, quàm per ignauiam deditos, ut oues iugulari. Consilio itaque moriendi, si uictoria non contingeret, carne semicruda celiaq; (sic enim potionem ex frumento factam indigenæ uocant) uelut inferiis ingurgitati, in hostem decurrunt. Sensit statim Scipio eā desperationem esse, non pugnæ consilium, inhibuitq; suorum impetum, ut hostem uallo circundatum, fame potius quàm ferro conficeret. Poscere illi suppliciter à Romanis prælium, ut tanquam uiris occumbere liceret. Id ubi sibi negatum iri animaduertunt, in rabiem acti, in aduersa castra irrumpere conātur. Hoc quoq; illis parum prosperè cessit: quin multis circa uallum uulneribus acceptis, infecta re in urbē reuersi sunt. Pertulit inde hostis aliquādiu obsidionem. Nouissimè quum fugæ consilium cepisset, ut noctu per stationū interualla silentio, si posset, uel si minus id procederet, ui subita in apertū erūperet: uxores abruptis equorū cingulis eos ab incepto retraxerunt, quòd illorum desiderium nequirent ferre. Atq; ita demum consilium inierūt omnes unà moriendi, potius quàm turpiter se dedere. Incensa urbe natos & uxores, partim ferro, partim ueneno sustulerunt. Postremò & ipsi se mutuis uulneribus cōfecerunt, ut ne unus quidem Numantinorum superfuerit, qui in triumpho duci posset, nec præda ulla parta, omnibus de industria ab eis prius corruptis. De nomine tantū, quod uix unquam antea aut postea accidit, est triumphatū. Concidit itaq; Numantia anno quartodecimo post Carthaginem, qui fuit urbis Romę undeuigesimus ac sexcentesimus. Sabellicus lib. 9. En. 5.

SAGVNTVM Hispaniarum oppidum, iuxta flumen Hiberū, societate fœdereq; coniunctum cū Romanis, longa Pœnorum obsidione fameq; eò redactum, ut ciues extructo in foro igni, quicquid erat preciosarū rerum, in eū conijcerēt: ac postremò se suosq; liberos eòdem pręcipitarēt, ne uenirent in hostiū manus. Inde prouerb. Saguntina fames. Eras. in Adagiis ex Liuio, Val. Max. & Ciceronis Philippicis.

P. LICINIVS Crassus profectus contra Aristonicum Eumenis filium, in eo prælio profligato exercitu, ipse, ne in hostiū manus ueniret, baculo barbari satellitis, equum ducentis, oculum petens, eum in sui necem prouocauit. Plut.

C. MARIVS iunior à Sylla è Mithridatica uictoria redeunte cum toto exercitu fusus, in oppidum Præneste se recepit. Vbi obsessus, quū nulla effugij pateret rima, ueniam desperās se Pontio Telesino præbuit iugulandum. Liuius.

ADRIANVS Imperator incredibili membrorum omniū cruciatu impulsus (qui etiam morbi subtercutanei dolore multos è Senatu prius extinxerat, ut scribit Sex. Aurelius, & Dion) Mastorem quendam barbarum (quo propter robur & audaciam plerunq; usus fuerat in uenationibus) partim minis, partim pollicitationibus impulit & coegit, ut cædē sibi inferret: circumscripsitq; locum sub mammilla, quem Hermogenes medicus demonstrauerat. Quo lethaliter percusso, sine dolore expirauit.

MAGNENTIVS tyrannus ad Montem Seleucum in Gallia uictus à Constantio Imp. Lugdunum confugit. Milites, qui fugæ socij fuerunt, cùm nullam salutis spem reliquam, abscissis fractisque rebus uiderent, ipsum tradere Constantio decreuerunt. Itaque diuersorio circumsesso, hominem, ne elabatur, custodiunt. Qua re percepta, Magnentius desperatione actus furiosi hominis opera edidit. Nam amicos, & propinquos suos, quos circa se habebat, uita exuit, ac Desiderio fratre (quem Cæsarem designauerat) lethali uulnere affecto, demum sibi manus intulit, ne uiuus Constantio traditus, supplicio lentiore cruciaretur. Quippe, ut inquit Victor, gladio occultè prouiso, ictum pulsu parietis iuuans latus transfodit, atque, ut erat uasti corporis, uulnere, naribusque & ore cruorem effundens, expirauit, mense Imperij quadragesimosecundo, ætatis anno quinquagesimo. Decentius frater item & Cęsar, cùm ad opem ferendam accurreret, cognito illius interitu, fascię collo implicito uitę modum imposuit. Desiderius ex uulneribus recreatus sese Constantio tradidit. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Herculius, anno Domini 307. ille Nicomediæ, hic uerò Mediolani, imperio sese abdicarunt (Eusebius in Chronico) palàm quidem negotiorum molem & senectutem causantes: sed amicis, se id ex desperatione facere, quòd nō possent extinguere Christianorum religionem, confitentes. Nicephorus libro septimo, capite uigesimo. Zonaras tomo secundo: & Chronicon Vrspergensis.

Roma à Totila obsessa, Romani fame ingenti premebantur: nonnulli etiam manus sibiipsis inferebant, cùm nec canes, neque mures de cætero inuenirent, nec aliud usquam demortuum animal, quibus in cibum uti possent. Erat ROMANVS quidam quinque filiorum pater: hunc liberi circumsistendo, cibum efflagitabant. Ille nullo edito turbationis indicio, iussit filios se subsequi, ut cibū mox accepturos. Vbi super Tyberis pontem peruenit, capite obuoluto, in flumen desiliit, spectantibus filiis. Græcorum præfecti, uisa ea ciuium desperatione, omnibus abire uolentibus facultatē indulserant. Procopius.

CONSTANTINVS III. Scotorum rex infeliciter re contra Anglos ad Broningfeldum gesta, amisso nobilitatis flore, summo deposito magistratu, piorum cœtui in diui Andreæ Apostoli cœnobio se sacrauit. Anno Salutis 943. sui principatus 40. H. Boethius libro undecimo.

TIMOR MALI FVTVRI.

IN GENERE.

Ἐπειοῦ δειλότερος. id est, Epeo timidior, de magnopere pauido dicebatur. Ab EPEO quopiam dictum, notæ timiditatis homine. Datum est hoc cognominis CRATINO comico, per allusionem fortassis, quòd cū Oenoidis tribus princeps esset, in eo munere timidius se gereret. Eras. in Adagiis.

Aiunt PISANDRVM fuisse quempiam prodigiosa timiditate, adeò ut anxius esset, ne suam ipsius animam alicubi uideret, quæ se uiuum reliquisset. Inde ortum adagium: Timidior Pisandro. Erasmus in Adagiis.

IN SPECIE.

Mortis.

ISOCRATES Atheniēsis rhetor iam senex, quemadmodum haberet, quærenti: Ita, inquit, ut homo, qui supra nonaginta annos natus mortem summum malum ducit. Neque enim acuendis gladiis, uel lancea cuspidanda, uel galea extergenda, uel æra merendo, nec socius naualis, sed antithetis, parisis, & homœoptotis conglutinandis & contexēdis, tantùm non scaptris & strigilibus comprehensiones & ambitus uerborum poliens & concinnans, consenuit. Non mirum igitur, si strepitum armorum exhorruisset & concursum aciei, homo qui committere cum uocali uocalem & syllaba isocolon truncū proferre timuit. Plut. de gl. Athen.

Cùm post Cannensem cladem L. Cæcilius METELLVS & cū eo pleriq; nobiles ADOLESCENTES deserta Italia de fuga ad regem aliquem consultarent: P. Furius Philus eius rei P. Scipionem tribunum militum certiorem fecit. Is licet iuuenis adhuc, aliis stupentibus, Qui remp. saluā uult, inquit, me sequatur. Atq; ipse princeps paucis sequentib. ad Metelli tabernaculum deuolat, ibiq; stricto gladio super consultantiū capita, primus graui execratione interposita, in sua ipsius uerba iurat, fore ut nunquā Italiā & cū Italia patriā ipsā metu desereret. Inde in Metellū cōuersus, Tu quoq; sic iures uolo, sic & q tecū hîc adsunt: si qs id facere recusauerit, hūc ensem in suū caput à me nudatū cōtinuò experietur. Metellus & alij subita re pculsi nō aliter attoniti stabāt, quā si tū Pœnus

suo capiti immineret. Ordines itaq; in Scipionis uerba iurarunt, seque illi ab hoste protegendos tradiderunt. Sab.lib.1. En.5.& Front.lib.4.cap.7.

Tiberius Cæsar dixit HOMINEM sexaginta annis maiorem, qui manum medico porrexisset, ridiculum esse. Plut.in Præceptis salubribus.

Antiquis uatum responsis ferebatur infaustum fore ac infelix imperatori pop.Rom. qui exercitus armatos trans Euphratem amnem urbemque Ctesiphontem promouisset. Exitiale hoc fuisse M. Licinio Crasso ipsumq; Traianum in Italiã cũ Parthica uictoria non rediisse. Hoc fortasse metu, nisi magis inuidia, inductus ADRIANVS, qui à Traiano adoptatus fuerat, Armeniam, Mesopotamiã & Assyriã, quas Traianus imperio Rom. adiũxerat, Persis reddidit, & Euphratem imperij finem esse uoluit. Eutropius lib.8.

Eloquentiæ.

PHILIPPVS Macedo recenti exultans uictoria ad Chæroneam de Græcis parta, & uino grauis, cadaueribus insultans, initium cecinit Demosthenis plebiscitu, ad pedẽ attollens uocem & supplodens:

Demosthenes Demosthenis sic censuit
Pæaniensis.

Discussa uerò crapula, cùm magnitudinem secum reputasset propositi periculi, horror eum perstrinxit eloquentiæ & neruorum illius oratoris: qui in diei momento unius aleam ipsum iácere de imperio & uita compulisset. Plutarchus in Demosthene.

Insidiarum.

Consule Titulum Tyrannorum, quos ut omnes metuant, at ipsi uicissim omnes.

CAIN primus legitur ædificasse ciuitatem, sed non Abel: quia sancti non habent hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt, ut testatur Apostolus Heb.11. Gen.4.

Amphitryon ad LYCVM tyrannum uolentem interficere Herculis liberos, apud Eurip.in Hercule fur. inquit:

– τῶν ἀρίστων τέκνων, αὐτὸς ὢν κάκιστος,
φοβούμενος. Optimorum filios, ipse existens malus, times.

DIONYSIVS tyrannus omnes suspectos habebat, ut plerunque comam & barbam aleret, ne præcipuas corporis partes tonsoris nouaculæ subiicere necesse esset: ac si quando caput tondendum erat, capillos adurebat: innuere uolens, unicum tyrannidis præsidium esse ἀπιστίαν, nemini fidere. Diodorus lib.20. De eodem sic Hor.lib.3.Ode 1.

Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt saporem:
Non auium, citharæq; cantus Somnũ reducent.

Q. Flaminius cũ Philippo Macedonũ rege collocuturus, in sinum Maliacum prope Niceam descendit. PHILIPPVS ex Demetriade eò cum quinque lembis uenit: erantque cum eo Macedonum principes, & Cycliadas uir illustris, & cæteri Achæorum exules: cum Flaminio Aminander & Dionysiodorus Attali legatus, Phaneas Aetolus, & Rhodiæ classis præfectus, cum Aristeno & Xenophonte, Achæorum principibus. Cum his Quintius ad litus progressus regem hortatur, ut è naui in litus progrediatur, secum quæ uellet commodius locuturus. Quod facere recusantẽ, quum Quintius rogasset, quem timeret? Neminem, præter deos, respondit, sibi timori esse: cæterùm haud se fidem iis qui cũ Flaminio essent habere. Omnibus id periculum est, inquit Quintius, qui cum hoste congrediuntur, si in nullo fides sit. Verum est hoc, ait Philippus: sed si fraude agẽdum sit, haud par fallentibus erit præmium Philippus, & Phaneas Aetolus. Macedones haud ita facilè aliũ Philippi similem sibi inueniant regem, ut Aetoli in Phaneæ locum alium substituant prætorem. Sab.lib.6.En.5.

NERO Romanorum Imperator, hostis à Senatu iudicatus, ex urbe fugiens, ut in Phaonis liberti prædio latitaret, suspectos etiã habere cepit summos amicos, qui fugæ socij fuerant. Omnem humanam uocem perhorrescebat: si catulus latraret, aut caneret gallina, aut ramus arboris uento moueretur, grauiter concutiebatur, ut uix auderet loqui cum præsentib. ne fortè ab alio audiretur. Xiphilinus in Nerone.

Salutantes IMPERATOREM, antequam admitterentur, interiores aulici scrutabantur, sinumq; prætentabant, ne quis cum telo esset. Nonnunquam ualentissimi serui catenis religati, pro ostio aditum custodiebant, ne non uocati admitterentur. Alex.lib.5.cap.24.

Cyro præfecto urbis, ob restitutos muros terræmotu collapsos, Constantinopolitani ciues in hippodromo acclamauerant, Cõstantinus condidit, Cyrus restaurauit. Imp. THEODOSIVS ea uoce permotus, ne res fortasse nouas moliretur; sub prætextu Græcæ superstitionis eum dignitate & donis exuit. Itaq; sacerdos primùm, deinde Smyrnæorum episcopus factus est, seculo quinto post Christum.

FROTHO I. Danorum rex auri scobem cibis adspergere cõsueuerat, eo tanquam alexipharmaco utens. Saxo lib.2.

Proditionis, Indicij.

Cùm M.BRVTVS & C.CASSIVS cum cæteris CONIVRATIS Cæsarem, in porticu Pompeij senatum habiturum, expectarent, multa obiecit illis fortuna turbulenta: primum & maximum, Cæsaris die progrediente moram: & quòd cùm non litaret, retineretur ab uxore Calpurnia domi, uetarẽtq; aruspices ei in publicum prodire. Deinde unum ex coniuratis Cascam adiit quidam, dextraque apprehensa: Tu, inquit, de arcano Casca nos celasti, uerùm expromsit Brutus nobis omnia. Torpido stupore Casca ridens illi, Vnde tam citò quæso, inquit, abundas, ut accingas te ad ædilitatem? Tantulum modò abfuit, quin falsus ambiguo abdita retegeret Casca. Ipsum Brutum & Cassium uir ordinis senatorij Popilius Læna salutauit propensius, atq; in aurem insusurrauit: Opto uobis, inquit, ut quæ in animo habetis, perficiatis: hortorque, ne cunctemini. neque enim siletur res. Ita fatus digressus est, magnamque suspicionem attulit iis, consilium se intellexisse. Cæsarem (qui lectica delatus statuerat, quòd nõ litasset, nihil maioris rei in præsenti peragere, uerùm imbecillitatem causans reiicere in aliam diem) exeuntem lectica arripiens Popilius, sermonem cum eo subsistente & animũ aduertente habuit prolixiorem. Coniurati, qui uocem eius non assequebantur, sed augurabantur ex suspicione sua cõsilij indicium: eam communicationem esse, ceciderunt animis: intuentesque se mutuò, constituerunt inter se nutibus non expectare, dum corriperentur, sed confestim manus sibimetipsis inferre. Ac cùm Cassius iam & nonnulli alij capulis manus sub togis admouissent, stringerentque pugiones, considerans Brutus ex Lænæ gestu aliquid eum enixè rogare, non deferre: nihil sonuit (quòd cum ipsis permisti essent alieni) sed uultu hilari confirmauit Cassium. ac paulo pòst dextram Læna Cæsaris osculatus abscessit, declarans pro se & aliqua re ad ipsum pertinente illum interpellasse se. Plutarchus in Cæsare.

Ruinæ.

ARTEMONI, deliciis lasciuienti, etiam Periphoreti cognomẽ adoptatum, quoniam lectica circumferretur, & ueluti è manibus hinc inde sustinentium penderet. de quo insuper memorabile est, metu fractum atque stupidum temporis plurimum intra domus septa se continuisse, duobus seruis æreum scutum supra eius caput sustinentibus, ne quid ex superioribus fortè irrueret. Si quo autem casu egredi cogeretur, lectica tecto adoperta gestabatur, eaque humili, metu ruinæ. Ex Plutarchi Pericle, Cælius libro 9. capite 11. A. L. & Erasmus in Adagiis.

Paupertatis.

Vide locum Auaritiæ in conseruãdo, quatenus illi Metus amittendarum opum famulatur.

Dedecoris, Ignominiæ.

Notum est illud: ὅπου δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς, adeoq; speciẽ timoris pudorem statuere possis. Ex Titulo igitur Pudoris hæc quædam.

NICODEMVS Pharisæus noctu cum Christo Domino uersabatur, cùm interdiu propter metum Iudæorum eum accedere non auderet. Ioan.3.

PERIANDER Corinthiorum tyrannus metu ne insepultus propter crudelitatem suam iaceret, seipsum ab militibus ignotum interfici curauit. Duobus enim robustis militibus mandasse dicitur, ut uia quadam noctu ingressi, qui primus hominũ occurrisset, cũ ferro obtrũcarent, ac quàm occultissimè sepelirent. Submisit his alios, qui eos pari ratione occiderent & sepelirent. Ipse primis duobus se ignotum obtulit, à quibus ferro exceptus, periit, ignobiliterque ex sententia est humatus. Laertius.

Liberorum amissionis.

RAGVEL cùm filiam suam Saram Tobiæ despõdisset, & metueret, ne id ei accideret, quod septem aliis, qui prima nocte ab Asmodeo dæmone interfecti fuerant: sepulcrum noctu effodi curauit, ut si quid Tobiæ accidisset, ante diluculũ sepeliretur, ne quis id resciseeret. At posteaquam eum saluum & incolumem esse cognouit, metus eius in maximum conuersus est gaudium. Tobiæ 8.

THALES unus è septem metu amittendi liberos à coniugio abstinuisse dicitur à Plutarcho.

Impudicitiæ uxoris. Timor zelotypus.

Inter barbaros præcipuè zelotypos esse PERSAS, proditũ est, ac in ea re peracerbos se ac difficiles præstare. Nec uxores modò sollicitè asseruant, sed seruas item ac cõcubinas: ita ut domi occludantur, aut si prodeundũ sit, obseratis ferãtur uehiculis. Quorum occasione, tutus in Persas Themistocles euasit. Cælius lib.18.c.18. A.L. ex Plutarcho.

Narrãt, PHANO cuidam uxorem fuisse parum spectatę fidei: quam quòd is haberet adulterij suspectam, atrij fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore sonituq; possent aperiri. Verùm illa cùm per tegulas reciperet adulterum, uicini per iocum dicebant, ἡ φανοῦ θύρα. Eaq; uox postea cessit in uulgi sermonem. Erasmus in Adagiis.

Quidam Eugubiensis admodum zelotypus, IOANNES nomine, excogitato astu zelotypis digno, seipsum castrauit, eo consilio, ut si uxor postmodum concepisset, in adulterio fuisse conuinceretur. Poggius in Facetiis.

Loci fatalis.

HADRIANVS Imp. cùm ueteri oraculo circumferretur, transitum Euphratis exitialem esse Rom. impp. Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Persis à Traiano ereptas, iis reddidit, ut Euphrates imperij limes esset. Eutropius lib.8.

ERICVS IV. Danorum rex, Vualdemari pueri tutor, animæ suæ sic prodigus erat, ut in acie, ne temerè solus in hostẽ procurreret, arctius à suis obseruaretur. At eo bello, quod contra Olaum tyrannum gerebatur, cùm in Scania ad litus Landoram (quod fatale regibus esse, neque illud attingẽtes annum superuiuere solere plebeia fabula ferebatur) hosti occurrendum esset, Eskyllo Lundensi episcopo exercitum cõmisit: quem ille propter imperitiam amisit. Saxo lib.14.

Laruarum.

VLYSSEM in Necyomantia Homeri manes defunctorum recensentem tandem

–χλωρὸν δέος ᾕρει,
μή οἱ γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
ἐξ Ἀΐδου πέμψειεν ἀγαυὴ Περσεφόνεια.

Tyrannorum.

Veteres illi Tyrrheni, qui VOLATERRAS incolebant, timentes ne ab aliquo suorum, freto opibus, imponeretur cõmuni libertati, solebant magistratus creare libertos, qui apud ipsos antea seruitutem seruissent: qui cùm legibus definitum tempus imperij absoluissent, in eorum locum alij eiusdẽ generis sufficiebantur: atque ita semper ipsos uolentes illic traditum est se iusto imperio priuasse, & ad indignos honorẽ illum detulisse, ne aliquando iniusto imperio inuiti premerentur. Victorius lib.32. Var.lect. cap.23. ex Arist.mirab.audit.

Alexander Magnus Antipatri filium CASSANDRVM capillis arreptum parieti allisit, quòd barbaros intuitus regem adorantes, ut adolescens nuper domo profectus, cachinno nõn abstinuisset. Sed & cùm Antipatrum accusassent quidã, eumq; Cassander pro uirili tueretur, offensus ea audacia Alexander, Plorabitis, inquit, si uera esse deprehendero ea de quibus accusamini. Qua minaci denunciatione tantus timor Cassandrum incessit, ut procedente tempore quum ipse Macedoniæ & Græciæ imperaret, animaduersa fortè Delphis magni Alexandri statua, tanto defuncti regis admonitu est terrore perculsus, ut trepidatio illa aliquandiu sedari nequiuerit. Plut.in Alex.

ROMÆ nõ licebat in Capitolio patriciis habitare: quia Manlius, cuius ibi domicilium fuit, ibi tyrannidem machinatus erat: eiusq; causa scitum est, ne cui ex Manliorũ familia nomẽ Marco foret. Et tamen Val. Poplicolam, quoq; uirum in primis popularem, multo antè suspectum habuere: quousq; domum ipse suam, quæ foro uidebatur imminere, diruit. Plut.in quæst.Rom.

Maximinum Imp. SENATVS Rom. tantum timuit, ut uota in templis publicè priuatimq; mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille unquam urbem Romam uideret. Audiebãt enim, alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos, atq; omnia hæc sine delectu dignitatis: cùm uideretur disciplinam uelle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiã corrigere uoluit, quod non conuenit principi, qui uelit diligi. Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate imperium nõ teneri. Capitolinus in Maximino.

Hostium.

Cõsule Tit. Declinationis nimiæ hostium, quatenus imminentem hostium insultum declinare conantur. Item sub loco Stratagematum, Metum suis inicere.

Apud ISRAELITAS qui timido & molli animo essent, à cæteris edicto præconis segregabantur.

POLYNICES, Thebas ueniens ad colloquium stricto gladio, cùm non fideret, licet per inducias, Eteocli fratri, apud Eurip.in Phœnissis sic ait:

ἅπαντα γὰρ τολμῶσι δεινὰ φαίνεται,
ὅταν δι' ἐχθρᾶς πὺς ἀμείβηται χθονός. Omnia enim audentibus meticulosa uidentur, cũ per hostilẽ pes graditur terrã.

PISANDER miles quidam gloriosus, statura magnus, animo imbellis, cuius conũ & supercilia irridet Aristophanes; armis utebatur insignibus, tripliciq; cono, τριλοφίαν Græci uocant. A quo est id Græcorum prouerbium, Πεισάνδρου δειλότερος, in homines arrogantes, sed timidos. Gyraldus tertio Dialogo Historiæ poetarum.

Sophronis, qui de mensibus scripsit, filius, in gratiam Dionysij tyranni taxauit RHEGINENSES, ut ignauos in rebus bellicis, animiq; pauidi, quemadmodum testantur Græcorum adagiorum collectanea. Hinc prouerbium, Rheginis timidior. Erasmus in Adagiis.

L. Sylla uictore à bello Mithridatico reuertente, C. MARIVS septimùm consul creatus, cogitans aduentare illum, qui patria se exegerat nuper, & tunc Mithridatem in Pontum Euxinum redegerat, in miras perplexitates, nocturnos terrores, inquieta somnia incidit, semperque aliquem uisus est audire, qui diceret:

Sunt etenim uel sæua abeuntis lustra leonis.

Quia uerò exhorrescebat presertim uigilias, uelut refugium à solicitudinibus somnum machinans, ad pocula & ad intẽpestiuam atq; minimè conuenientem ætati suæ conuertit se temulentiam. Plut.in Maritos.

Cùm M. ANTONIVS III. Vir ex Parthis reduceret exercitũ, milites panico terrore noctu correpti, sese mutuo interficiebant spoliabantque, & pecuniam atque impedimenta Antonij diripiebant. Antonius incursu hostili fugam fieri & diuulsionem ordinum existimans, unum ex libertis Rhamnum iureiurando adegit, ut ubi præcepisset, confoderet sẽ gladio, caputque detruncaret, ne uiuus in potestatem hostium perueniret, neque cognosceretur mortuus. Tandẽ alij superuenientes nunciarunt, turbam ex propria iniuria & auaritia militum esse natam. Plut.in Antonio.

AVGVSTVS Cæsar nunciata clade Variana in Germania, excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret: & præsidibus prouinciarum prorogauit imperium, ut à peritis & assuetis socij continerentur. Suetonius.

NERVA annum agens circiter sextum & sexagesimum, Romanus princeps factus est. Cùm iam undique arcus & statuæ diruerentur, aureisque ac argenteis conflatis, quas Domitianus locari fecerat, grandis colligeretur pecunia: oborto rumore, quasi uiueret Domitianus, & adforet, ita trepidare cepit, ut colore mutato, ac uoce amissa, uix consisteret: à Parthenio autem confirmatus, recepta fiducia ad solẽne delinimentum conuersus est, teste Aurel. Sexto.

Præceptorum.

ACHILLES Chironis ferulæ subditus, eiusdem iram timuit. De eo sic Ouid. 5. Fastorum:

Phyllirides puerum cithara perfecit Achillem,
Atq; animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.

TIMOR NVLLVS MALI FVTVRI.

Ἀδεής. Non formidolosi. SECVRITAS.

IN GENERE.

VVLTEII Menæ præconis securitatem Horatius libro 1. Epistola 8. explicat,

——uacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantis leniter ungueis.

IN SPECIE. SECVRITAS

Condemnationis, Supplicij.

CHABRIAS dux Atheniensis, perduellionis cũ Iphicrate accusatus, exprobrante ei Iphicrate, quòd reus ad gymnasium uaderet, & hora solita pranderet: Igitur, inquit, si secus de nobis Athenienses statuerint, squalidum te & ieiunum, mo necabunt pransum & unctum. Plut.in regum Apoph.

In oratione Demosthenis in XENOTHEMIN improbitatem illius hoc modo ostendit, quòd in malis rebus, procellaque ingenti rerum suarum, se uino ingurgitarit: unde nullum supplicium excogitari posse affirmat, quod superet peccatum ipsius. Verba oratoris hæc sunt: εἰ γὰρ ἐν κακοῖς καὶ χειμῶνι τοσούτῳ οἶνον ἔπινεν, ὥστε ὅμοιον εἶναι μανίᾳ, τί οὐκ ἄξιος ἂν παθεῖν; Victorius lib.8. Var.lect.cap.4.

Apud Terentium Adelphis Demea increpat SYRVM temulentum, multisque modis culpam ipsius auget: In ipsa turba, atque in peccato maximo, Quod uix sedatum satis est, potasti, scelus: Quasi re bene gesta. Cùm .n. seruo homini flagitium sit uino indulgere: in secũdis tamẽ dominorũ reb. cõceditur illis quoq; largius bibãt. Tali aũt tẽpore, & cũ domus, in qua

in qua seruiunt, aliquo infortunio laborat, non potest ferri tanta ipsorum licentia. Victorius lib. 8. Var. lect. c. 4.

Telorum, Bombardarum.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex bello Mediolanensi tormenta uitare iussus, Ecquénnam regem Gallum unquam pila necatum audiuistis, respondit. Qui metuit, me clypei loco utatur licet. Corrozetus de dictis & factis mem.

Idem CAROLVM V. Imp. in Tuneti obsidione suis respondisse ferunt.

Insidiarum.

ARTAXERXES Longimanus Persarum rex iaculari ante se ex comitibus in uenatione, qui possent & uellent, iussit. Plutarchus in Apophtheg.

Cùm aliquando audiret ANTIGONVS Asiæ rex ceteros legatos: superuenit à uenatione Demetrius, aditque parentem, atque eum osculatus, cùm teneret adhuc iacula, ei assedit. Ibi Antigonus digredientes iam cum responso legatos alta uoce appellans: Et hoc, inquit, de nobis legati renunciate, ita inter nos conuenire. quasi concordia cum filio suo fidesque, quam ei habebat, regni nerui essent & potentiæ demonstratio. Nempe usque adeò insociabile undequaque est imperium, diffidentiæque & maleuolentiæ plenum: ut summus inter Alexandri successores & natu maximus gloriaretur, quòd non timeret filium, sed committeret lanceà armato corpus suum. Plut. in Demetrio.

NVMA Pompilius Romanorum rex designatus, omnium primùm trecentorum illorum turmas, quibus ad corporis tutelam Romulus usus erat, dimitit. Neq; enim dignum putabat, aut credentibus minus credere, aut non credentib. imperare. Plutarchus in eius uita.

Laudatur VESPASIANVS, M. ANTONINVS & ALEXANDER Seuerus Imperatores, quòd salutarentur patente cubiculo, ministris admissionalibus remotis. Alex. libro quinto, c. 24.

Interrogatus à quodam externo Virtembergicus princeps EBERHARDVS, cuius opera in constituenda Tubingensi schola uti cogitabat: Quidnam regionis & terræ haberet, quod tanto ornamento dignum esse iudicaret? respondisse fertur: Cætera omnia esse mediocria, uel etiam infra mediocritatem: uno autem commodo atque fructu suæ regionis se merito gloriari. Quòd in quamcunque partem illius solus foret ipse delatus, si acquiescere liberet, tutò & cum omni securitate in cuiusuis ex suis, qui obuiam factus esset, sinum deponere caput & somnum capere posset. Idem aliquando eundem dixisse ferunt in Principum quodam consessu, cùm alius alia suæ terræ bona extolleret narrando. Ioachimus Camerarius in uita Philippi.

MATHIAS Coruinus Vngariæ rex cum Mysiis, cum Boemis & Alemannis, cum Vngaris & Cumanis iuxtà uersatus, domi militiæq; negligenti corporis custodia usus, fide omniũ muniebatur. Pro stipatoribus omnes certatim corpus eius peruigili custodia asseruabant. Bonfinius lib. 7. Dec. 4.

Hostium.

☞ *Sub loco Stratagematum, Hosti Securitatem inĳcere.*

Iosephus scribit in decimo Iudaicæ antiquitatis libro: obsessa Babylone à Medis & Persis, Dario uidelicet & Cyro, in tantam uenisse BALTHASAREM regem Babylonis obliuionem sui, ut celeberrimum iniret conuiuium, & in uasis templi biberet, & obsessus uacaret epulis. Hieron. in Dan. c. 5.

CELTÆ Adriæ uicini ad Alexãdrum Magnum missis legatis, amicitiam illius expetiuere. Eos ille conuiuio exceptos rogauit, Quidnam omnium maximè pertimescerent? responsuros existimans, Alexandri potentiam. Cui illi: Hoc unum, ne cœlum ruat. Strabo lib. 7.

RODOLPHVS Imp. cum Abbate sancti Galli bellum gerens, cùm accreuissent interim duo ingentia bella alia, paucis comitatus & inermis in monasterium S. Galli sponte (dũ Abbas cœnaret) uenit, mensæq; assedit, & inter cœnandum sic illi reconciliatus est, ut ei auxilia etiam contra hostes Abbas polliceretur. Cuspinianus.

IOANNI Aragonum regi XIIX. Henrici Castellæ Regis legati bellum indixere, nisi Stellam & alia Nauarræ oppida, quorum census rex Henricus pro pecuniis, quas Carolo Vianæ Principi mutuauerat, sibi deberi dicebat, restituere uellet. At ille se nihil Henrico debere respondit. Eodem tempore Ludouici quoq; Regis Gallorum legati similia & eadẽ conditione petierunt. Quibus & ipse eodem modo respõdit. Quum autem equites, qua fiducia duos potentissimos principes contra se uenturos expectaret, interrogarent: Multo minus, inquit, hostes præsentes quàm absentes timendi sunt. Marineus libro duodecimo regum Hispaniæ.

GAVDIVM, XAPA.

Χαρὰ ἀπὸ τῦ χέειν καὶ ῥεῖν Platoni deriuatur, quia est repentina effusio sanguinis & spiritus ad exteriora: siue per signa aliqua sese manifestam faciat, ut per risum aut gratulationem: siue intus in animo se contineat, quod Tacitum gaudium uocatur. Ex nimia autem hac effusione fit interdum, ut homines moriãtur. Exempla quædam inferius referentur eorum Qui gaudio sunt mortui: illic enim gaudij habetur ratio, ut mortis est instrumentum, hîc uerò, ut est affectus. De ἐπιχαιρεκακίᾳ, ex inimicorum malis post agetur. Gaudium ex bonis tum propriis, tum amicorum, si eximium sit, & quidam gaudij uelut excessus, περιχάρεια Galeno dicitur 12. Meth. 5.

POSITIO GAVDII.

Gaudium

Ob Inuenta præclara.

☞ *Contemplatio ad exercitationem pertinet: Voluptas inter Accidentia uitæ theoricæ commemoranda est. Gaudium in animo ex hac uoluptate natum huius tantum est loci.*

THALES inuenta adscriptione trianguli & circuli, mathematicis Musis bouem immolauit. PYTHAGORAS inuẽta ratione laterũ trianguli rectanguli, hecatomben sacrificauit. ERATOSTHENES inuenta cubi duplicatione, uotiuam tabulam cum epistola, demonstratione, epigrammate suspẽdit. ARCHIMEDES inuenta permisti auri atq; argenti ratione, è balneo nudus cucurrit domum clamans, εὕρηκα, εὕρηκα. PERSEVS linearum curuarum tribus speciebus inuẽtis, deos placauit. Testatur id epigramma:

[illegible]
[illegible]

P. Ramus lib. 1. Procemij Mathem.

GALEACIVS de Rubeis, ciuis Bononiensis, faberque ferrarius, cùm iam olim inuentam cochleã Archimedis ipse quasi primus auctor existimaretur repertisse, p lætitia insaniuit. Vidimus illũ uertentem [illegible], ac paulo pòst mẽte excussit, inquit Cardanus de Subtilitate lib. de Princ. rerum.

Ex Mathesi.

ARCHIMEDEM tabulæ affixum abstrahebãt atq; exuebãt ministri, ut eũ lauarent: ille uerò in corpore uncto describebat formas. Plut. an Seni resp. tract.

Ex Omine felici.

OCTAVIVS Cæsar apud insulã Capreas, ueterrimæ ilicis dimissos iam ad terrã, languentesq; ramos conualuisse aduentu suo, adeò lætatus est, ut eas cum rep. Neapolitanorũ permutauerit, Aenaria data. Suetonius.

Ex Musica.

Canus fistulator, nescire dicebat homines, quãto plus se, cùm tibia caneret, quàm alios demulceret: fore enim, ut qui audire uellent, postulaturi essent, non daturi mercedem. Plut. an Seni tract. reip.

Idem de ASPENDIO citharœdo refertur: sic ut prouerbium ortum sit, Sibi intus canere.

Ob Mechanicam exercitationem.

NICIAS pictor usq; adeò tenebatur artis suę operibus, ut de famulis sæpius quæreret, an lauisset & pransus esset. Plutar. an Seni tract. reip.

Ob Castitatem.

SOPHOCLES tragicus gaudere se aiebat, quòd rẽ ueneream sicut ferum & rabiosum dominum effugisset. Idem.

Ob Liberalitatẽ & Beneficentiam.

Epicurus, qui ultimum bonorum in altissima quiete, sicut in tranquillo portu & placido, ponit, beneficiũ dare quã accipere nõ solum honestius, uerũ etiã demõstrauit esse iucũdius. Siquidẽ nihil perinde est lætitiæ gignendæ, ac beneficiũ. Sapiẽs fuit ille, Gratiis qui indidit uocabula Aglaię, Euphrosynæ, & Thaliæ. Quippe gratulatio & lætitia uberior est in DANTE beneficiũ & purior. Quapropter accipiẽdis beneficiis rubore multi suffunduntur: semper uerò exultant, quãdo bene merentur. Plut. an Principi philosophandum.

AGESILAVM regem Spartanum Xenophon tradit, cùm locupletaret amicos, exultasse: qui interim pecuniam ipse contemnebat. Plutarchus in Præcept. polit.

Ex

Ex Ioco.

PHILEMON comicus iam senex, cùm asinum ficus à puero depositas deuorantem conspexisset, & puero reuerso dixisset, I nunc & potum asino affer, ioci urbanitate ita delectatus est, ut risu solutus obierit.

Ob Religionem, Sacra, Templum.

☞ *Vide Tit. Dierum festorum, quatenus religiosam hilaritatem iunctam habent.*

DAVID rex Iudæorũ cùm rerũ gestarum gloria omnib. qui in Iudæa regnauerant preferretur, non erubuit dum arca à Leuitis portaretur, omni regiæ dignitatis ornatu deposito, & ephod lineo sumto, pedes incedere, saltare, ludere, & quasi unus è plebe iucundis gesticulationibus uti: donec illa in urbem inuecta sub tabernaculo, quod ipse tetenderat, uenerabiliter collocaretur. Ex quanta autem in Deum pietate, quantoq; amore ea regis exultatio proueniret, Michol uxoris suæ pœna testatur: quæ quoniam scurrilis leuitatis illum arguerat, Deo ulciscente perpetuæ sterilitatis damnum tulit. Marulus, & Sabellicus lib. 5. cap. 1.

Cùm Herodes rex Iudæorum templum Hierosolymitanũ nouem annorum spacio perfecisset, ingens gaudium exortum est in POPVLO, omnibus gratias agentibus Deo pro tam celeriter finito opere, & regi fausta ominantibus, & instaurationem templi magna festiuitate cõcelebrantibus. Maximè quod etiã in hanc absoluti tẽpli celebritatem natalis Herodis dies incidisset. Iosephus lib. 15. cap. 14. Antiq.

Ex Tyrannorum oppreßione, morte.

Quas censemus & quantas fuisse uoluptates PLATONIS, cùm incitatus ab ipso euertisset Dionysium Dion, Siciliãq; seruitute exemisset? Quas THEOPHRASTI & PHIDIÆ, cùm patriæ tyrannos eiecissent? Plut. contra Epicurum.

L. Sylla à Mithridatico bello reuertente, C. Marius septimùm consul creatur. Bellum hic ciuile crudelius quàm ante omnes expectabãt. Interea moritur Marius. Itaq; summa in præsens lætitia & spes tanquam graui dominatu liberatã urbẽ ROM. tenuit. Cæterùm intra paucos dies senem dominum senserunt se cõmutauisse iuuene & uigente: ita atrocem filius eius se Marius & acerbum optimatibus principibusque necandis præbuit. Plut. in Mario.

Nero Cæsar obiit trigesimosecũdo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat: tantumque gaudium publicè præbuit, ut PLEBS pileata tota urbe discurreret, nimirũ hoc indicio additam sibi libertatem significans. Suetonius.

Maximinis patre & filio in Aquileiæ obsidione ob crudelitatẽ à militibus noctu interemtis, summa PROVINCIALIVM omnium lætitia interfectores excepti, & commeatu recreati sunt. Romæ hecatomben Balbinus Imp. fecit, & supplicationes decretæ. Capita insultante populo exulta, cadauera in profluentem abiecta. Capitolinus.

Ex Patriæ præstantia.

PÆDARETVS Spartanus in trecentorum lectione præteritus (qui honos in ciuitate censebatur ordine primus) hilaris ridensq; digrediebatur: gaudere iactans se, quòd ciues haberet ciuitas trecentos se præstantiores. Plut. in Apophtheg.

Ob Patriam restitutam.

Quantam putamus Aristotelis fuisse uoluptatem, cùm Alexandri Magni permissu solo çquatam excitauit patriam suã, ciuesq; reduxit? Plut. contra Epicurum.

Ob Reditum in patriam.

GRÆCI qui Cyro militauerant, è Perside magna cũ difficultate reuertentes, posteaquam sub montem Chenium peruenere, simulatq; mare Euxinum conspectũ est ab his qui primi procurrerant, repentè in lætitiam rapti, mirum in modũ gestire, clamoresq; ad cœlum adeò ingentes præ gaudio extollere cœperunt, ut qui procul inter montana uoces illas excéperunt, attoniti re noua, suspicarentur adesse hostes, illicoq; ad arma per ea undiq; loca concursum sit. Mox ubi acies omnis in locum, ubi maria prospectari poterant, euasit, protentis in cœlum palmis gratias diis agere, peragere, perinde ac iam euasis deinceps periculis in tuto salutem haberent. Ibi securi, collato in unum locum ingenti lapidũ aceruo, strues ex eis ingentes eduxerũt, in quibus hostiũ spolia statuerunt, cupientes eius expeditionis memoriam monumentis illis immortalem dimitti posteritati. Diodorus libro 14. Bibliothecæ.

M. T. Cicero ob Clodij inimicitiã in exiliũ actus rediit Pompeio & Lentulo Coss. tanta urbis lætitia, ut quasi auulsa sedib. suis ROMA, omnis ætas ordoq; obuiam procederet. Quæ omnia ex eius orationibus, & pridie quàm iret in exilium, & postquam rediit, licet deprehendere.

Ob Diuitias.

Horatius lib. 1. Sermonum, Satyra prima de AVARO quodam sic scribit:

—Quidam memoratur Athenis
Sordidus & diues populi contemnere uoces
Sic solitus: Populus me sibilat. at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcá.

Ob Dona.

Colloquente cũ procis comiter Penelope, atq; donantibus illis uestes, aurũ, & ornamenta alia, lætus VLYSSES,

Dona quòd illorum cepisset, corde triumphat.

Si quidem muneribus & quæstu gestit, proscissum in comœdia superat lenocinio Poliagrum:

Beatus est Poliager, cœlestem capram
Qui nutrit, ac multis ditantem censibus.

Sin uerò ratus potius opportunos habiturum se ob spẽ & expectationem nec opinantes, non iniusta est eius lætitia & fiducia. Plut. de Aud. poetis.

CANTOR quidam, comite filia Stratonicâ, coram Mithridate Asiæ & Ponti rege in conuiuio psallebat. Rex Stratonicæ captus amore, statim eam cubitum abduxit, ægrè admodũ ferente sene, ne salutatum se quidem à rege. Vt tamen sub diluculo expergefactus domi conspexit aureis & argenteis poculis refertas mensas, frequentem famulitij turbam, eunuchos & pueros, qui sibi exquisita pallia offerrent, atq; in uestibulo stantem equum exornatum, sicut regis amicis solet: derisui & ludibrio se haberi ratus, efferre se ostio uoluit. Verùm retinentibus eum ministris, exponentibusque diuitis nuper defuncti opimam hæreditatem ei à rege donari, atque tenues has primitias & documenta esse reliquorum bonorum & possessionum: ita uix tandem his fidem habẽs purpuram induit, insiliensq; in equum per urbem uectus est clamitans: Mea hæc omnia sunt. Ad deridentes ipsum, non hoc ait esse mirum, sed quòd gaudij impotens obuios non incesseret lapidibus. Plut. in Pompeio.

Ex Aspectu grato, iucundo.

☞ *Vide locum Honoris, Concursus ad spectandum.*

CHORVS, id est, matres Argiuorum interfectorum ad Thebas, partim lætantes, partim dolentes, quòd Thesei beneficio ipsis daretur copia aspiciendi filios interfectos, dulce & triste spectaculum, apud Eurip. in Supplicib. inquiunt:

ἐμοὶ δὲ τῶν μὲν εἰσιδεῖν μέλη,
πικρὸν καλὸν θέαμα δ', εἴπερ ὄψομαι
τὰν ἄελπτον ἁμέραν,
ἰδοῦσα πάντων μέγιστον ἄλγος. Mihi uerò filiorum quidẽ aspicere membra, acerbum: sed pulcrum spectaculum tamẽ, si uideam insperatã diem, cernens omniũ maximũ dolorẽ.

ARGIVVS quidam haud ignobilis, cætera sanus, hac melancholiæ specie laborabat,

Quòd se credebat miros audire tragœdos,
In uacuo lætus sessor plausorq; theatro.

Horatius lib. 3. Epistolarum ad Florum.

XERXES Persarum rex in campis Abydenis uniuersum lustrauit exercitum, ex alta specula, suæ potentiæ spectaculum iucundissimum. Eo conspecto, illacrymasse fertur, causamque rogatus, dixisse, Quòd nullus è tanta multitudine centũ annos superaturus esset. Herodotus.

IDEM nauali prælio ad Salaminẽ confligentibus inter se Persis & Græcis, ueluti de uictoria iam certus, in edito promontorio constitit, & certamen securus spectauit, tanta cũ admiratione uirtutis hostium, & detestatione suorum ignauię, ut nihil antiquius habuerit, quàm relicto in Græcia Mardonio fugam in Asiam arripere. Herodotus.

SCIPIO Aemilianus, Tribunus militũ, ad Masinissam regẽ uenit, Luculli Imp. nomine ab eo elephantes postulaturus, eo ipso tẽpore, quo Masinissa cum Hasdrubale Carthaginensiũ Imp. acie dimicaturus erat. Scipio cõcursuras acies intuitus, prius quàm signa canerent, editiorem locum occupauit, ut cõmodius inde pręliũ spectaret. Ferunt postea dicere solitũ, nullo unquam tempore se tantam ex quouis alio spectaculo percepisse uoluptatẽ, quàm quũ supra centum millia hominũ inter se pugnãtiũ, ipse omni solicitudine & cura liber, ex alta contẽplatus esset specula. Pugna à prima luce ad noctem distracta est, multis hinc inde cadẽtibus. Ad postremũ rex aliquanto superior acie excessit: cui in castra redeũti gratulabundus Scipio occurrit. Sab. lib. 8. En. 5.

M. CRASSVS, auus eius qui contra Parthos occubuit, cùm asinum carduos depascentem uidisset, eo spectaculo sic delectatus fertur, ut qui nunquam aliàs in uita riserat, tũc semel risisse scribatur. Plutarchus.

Ob Partum.

Quod de LATONA poetæ, idem de quauis MATRE, bonorum liberorum parente, efferri potest:

— χαίρει δέ τε πότνια Λητὼ
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν. Homerus hymno in Apollinem. Eundemq; imitatus Maro lib. 1. Aeneidos:

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Ob

Ob Incolumitatem suam, uel suorum.

GRÆCI ab expeditione Babylonica redeuntes, simulatq; mare conspexêre, ingentes præ gaudio clamores extollere ceperunt, protentis in cœlum palmis gratias diis agere, perinde ac iam superatis deinceps periculis, in tuto salutem haberent: etsi supererant adhuc gētes ferocissimæ, regiones asperrimæ superandæ. Tandem in urbe Chalcedoniæ Chrysoporinæ recepti, tum primùm salutem in tuto constitutam habuerunt. Ex decem millibus incolumes superfuerunt ad quatuor millia, qui iam prorsus periculorum securi, nulla deinceps iter repellente difficultate, plerique in patria loca concessere. Diod lib. 14.

CAMBYSES Persarum rex, cùm propter crudelitatem à Crœso rege captiuo reprehenderetur, quodq; patris uestigiis nō insisteret, arcu correpto eum confixisset, nisi fuga sibi consuluisset. Ministri, quib. interficiēdi Crœsi potestas erat data, hominē absconderunt, quòd ad deferuescente ira Cambysen facti pœnitere cepit. Cambyses lætus, quòd Crœsus adhuc superesset, ministros tamen propter inobedientiam morte affecit. Herod. lib. 3.

EPAMINONDAS Thebanus rogatus, quid sibi iucūdissimū accidisset: respondit: quòd uiuentibus adhuc patre & matre palmam Leuctricam retulisset. Plut. an Seni tractanda resp.

Ob Corporis curam.

Cùm eleganter copioseque laudes AGRICOLARVM uitæ persequeretur Horatius, & quot quantaq; illic bona forent ostenderet, in iis etiam posuit uoluptatem, quam capiunt, cùm ab opere redeuntes, laboreque ac fame enecti, inueniunt domi à diligēte uxore parata omnia, quibus & reficere uires, & desideria naturæ satiare queant. Inquit igitur:

Et horna dulci uina premens dolio
Dapes inemtas apparet.

Addit etiam maiorem illis suauitatē afferre uiles eas escas, quàm inertibus ac delicatis requisitæ epulæ faciant. Euripides quoq; in Electra hoc tetigit, qui de uoluptate hac, potius animo comprehēsa, quàm usu cognita, ita induxit summo loco natam, magnique animi uirginem, cum uiro illo suo loquentem:

—ταῦ δέμοις δ' ἡμῶν χρεὼν
ἐξευτρεπίζειν· ἡδὺ τοι δ' ἐργάτῃ
θυραθεν ἐλθὼν τἄνδον εὑρίσκειν καλῶς.

Nam quod Latinus poeta supra dixerat:

Quòd si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos.

Græcus quoq; ante hæc uerba eidem personæ affinxit. Illa enim quid sui officij sit ostendens, inquit:

δεῖ δή με κἀκ τῶν ἀρκῶν ὡς ἔχει σθένους
μόχθου 'πικουφίζουσαν, ὡς ῥᾷον φέρῃς,
συνεκκομίζειν σοι πόνους. hoc est, in partem iuuare, unà ferre, ac partem aliquā laboris alieni in se suscipere. Victorius lib. 11. Var. lect. cap. 5.

Ob Auxilium bellicum.

IVLIVS II. Pp. accepto læto nuncio de aduenturis sibi à rege Hispanorum auxiliis ad bellum Ferrariense conficiendum, ita exhilaratus est, ut febris eum continuò reliquerit. Bembus lib. 2. Historiæ Venetæ.

Baiazetus II. Turcorum Imp. METHONEM Pelopōnesi urbem acriter oppugnabat. Bernardus Contarenus Venetæ classis præfectus, commeatum tribus triremibus uelocissimis inferendum commiserat. Oppidani nauibus auxiliariis conspectis, ut ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum asportarent, læti ad portum conuolauerunt: tantaq; fuit eius rei cura, ut ij etiam, qui muros alia ex oppidi parte cōtra hostium exercitum seruabant, cùm festinari ab aliis uiderent, eodem & ipsi accurrerent, stationesq; relinquerent. sic, ut murus defensoribus spoliaretur. Id ubi hostes conspexerūt, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, se in oppidū intulerunt. Oppidani & milites præsidio & commeatu iam è nauibus abducto ea de re certiores facti, hostibus medio in oppido occurrerunt, atque ibi prælio acerrimè cōmisso, cùm diu fortiterq; pugnauissent, ac magnum eorum numerum occidissent, demum crescente hostium multitudine, plenis iam omnibus & obsessis uiis, circūsepti undiq; ac pressi, propè omnes interfecti sunt, unà cum præfectis nauium, qui tunc uenerant, duobus, remigibusque permultis. Ex municipibus ii qui superfuerant, omni ex parte oppidum incēderunt, suaque omnia & suos comburere uoluerunt. Ita oppidum ardens ac semicombustum capitur, cùm quidem Veneti multam in noctem se defendissent. Bembus libro 5. Historiæ Venetæ.

Ob Nuptias.

In festis publicis Romæ VIDVÆ nubere poterant, uirgines non item: quoniam hæ mœstæ, illæ lætę nubunt. Plutarchus in quæst. Rom.

Ob Deorum fauorem.

SOCRATES, qui secum existimabat dæmonium ex beneuolentia colloqui: PINDARVS, cùm audiret à Pane cantilenam quandam ex iis, quarum fuerat ipse conditor, cani, neutiquam modico gaudio elatus est. Ita cùm Castores FORMIO, aut SOPHOCLES Aesculapium hospitio excipere & ipse credidit, & alij item putarunt: hac ipsa Deorum familiaritate uehementer sunt gauisi. Plut. contra Epicurum.

Ob Victoriam nunciatam, uel adeptam.

BETHVLIENSES incredibili gaudio affecti sunt, quando Iuditham reducem cum Olofernis capite cōspexerunt, & Deo unanimi uoce gratias egerunt. Iudithæ 13.

Vetusto apud GRÆCOS more receptum est, ut si quid faustè & feliciter nūcij adferrent, coronati aduentarēt: ipsiq; ciues felici accepto nuncio, in cōmunis signum lætitiæ coronati incederent ouantes. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 27.

PERINTHII cum Pæonibus ad Strymonem fl. congressi singulari certamine, uiri cum uiro, equi cum equo, canis cum cane, duobus certaminibus Pæonas superarunt, præq; gaudio Pæana canentes, à Pæonibus ex insperato irruentib. uicti fuerunt. Herod. lib. 5.

Post Xerxis expeditionem contra Græcos susceptam, primus nuncius Susa perlatus, Xerxem Athenis potitum esse, tanta PERSAS, qui relicti erant, uoluptate affecit, ut omnes uias myrto constrauerint, & per eas odores incenderint, & ipsi in sacrificiis ac gaudiis uersarentur. Secūdus autem ita eos consternauit, ut uniuersi uestes dilaniarent, uociferatiōneque & eiulatu irrequieto uterentur, culpam in Mardonium refundentes, non tam de classe quàm de ipso Xerxe soliciti: idq; tamdiu, dum Xerxes illos ita affectos redeundo sedauit. Herodotus lib. 8.

EPAMINONDAS Thebanus ex omnibus præclarè gestis illud sibi iucundissimum accidisse dicebat, quòd utroq; parente uiuo, Leuctrica pugna uicisset Lacedæmonios. Plutarchus in Græcorum Apoph.

DIONYSIVS tyrannus nuncio accepto, quòd Athenis Bacchanalium festo tragœdia edita uicisset, sacra diis gratulatoria fecit. Diod. lib. 15.

Cùm de Consulum uictoria ad Metaurum contra Hasdrubalem Romam allatus esset nuncius, primò id magis auribus quàm animis acceptum, ut quiddam maius ac lætius, quàm satis credi posset. Secutæ inde L. Manlij Acidini literæ, qui ex eisdem castris id idem scribebat. Ad quem nuncium tantus concursus est in curiam factus, ut tabellarius cum literis ad patres ingredi nō posset, clamante multitudine, ut literæ publicè recitarentur. Secuti inde legati, quibus continenti agmine ab urbe ad Miluium pōtem præ nimia lætitia est CIVITAS obuiam effusa. Tum literæ sunt in senatu recitatæ, inde & in foro in concione populi. Vnde ab aliis in alia est templa discursum, ut diis gratularentur. Multi domum ad liberos & coniuges cum lætitia reuersi, publicum gaudium nunciarūt. Supplicatio in triduum decreta. Vix credi possit, quantum ea uictoria mutatus sit ciuitatis status, uelut iam debellatum in Italia esset: uendendo, emendo, mutuū dando, creditum soluendo, non aliter quàm si omnia pacata essent, ciues inter se negotia contrahere ceperunt. Sabellicus libro 4. Enneadis 5.

Nuncius euersæ Carthaginis ROMAM perlatus, incredibili lętitia extulit ciuitatem. Mutuæ primò gratulationes inter ordines fuēre, inde læta inter ciues conuiuia instaurare perseuerarunt, supplicatū circa deorū aras, actæq; diis ipsis gratię, quòd urbs nata ad odia in Romanum nomen exercendā extremo esset excidio deleta. Sab. lib. 9. En. 5.

Vēndius M. Antonij legatus Parthos adortus, Labieno & Phraate cadentibus, magno prælio superauit. Cuius uictorię nūcius Athenas delatus, ANTONIVM in tantam lætitiā extulit, ut Græcis epulum dederit, ludosq; tota urbe celebrari iusserit: ipse, positis magistratus insignibus, cum adolescentibus saltauerit. Sab. lib. 9. En. 6.

IOANNES XIIX. Aragonum rex in graui illa Barcinonensium & Gothalanorum rebellione cùm Ferdinandū F. ephebum magno prælio Petrum Lusitanum, quem illi regem dixerant, superasse cognouisset, prę gaudio uisum, quem amiserat, recepit. Marineus lib. 14. rerum Hispan.

Gatta Mellita Venetarum copiarum ductor cum Nic. Picinino Philippi Vicecomitis ductore ad Coloniam confixerat æquo marte, prope Brixiam. Ad confirmandos ciuiū animos rumores tota urbe magistratus dissipandos curarūt, fudisse Mellitam hostium copias. Quæ fama haud intra Brixię mœnia se tenuit. VENETIAS usque perlata, in tam effusam lętitiam ciuitatem prouexit, ut præ nimio gaudio undique sit in publicum concursum: atq; ob hoc ipsum respub. insuetū discrimen penè adierit. Multitudo ingens remigum sociorumq; naualium in urbe erat, ex Histria & Dalmatia ob classem, quæ studio instruebatur, accersita. Horum non pauci quum uino incaluissent, in publicum prorupere: atq; ignibus non uno loco (ut in noua fit lætitia) accensis, dum ad eos alendos materiam ex proximo sibi quærerēt, cepissentq; olitorias panitiasque tabernas foro circumiectas demoliri, pulsis nocturnis custodibus, qui id facere prohibebant, in unum ad tria millia coiuēre: ij spretis magistratibus, & ex primoribus Patrum quibusdam, qui ad eum tumultum sedandum accesserant, maiores tabernas refringere occœperant. Et iam res ad apertam uim spectare credebatur, quum Petri Lauretani classis præfecti interuentu impetus ille compressus est. Cuius nomine audito, ferunt Barbaros tumultuari desiisse, cepisseque imperium, quod dudum neglexerant, audire: ac fide ab illo accepta, ne cui id fraudi esset, quòd nocturnus ille motus leui de causa ortus esset, se domum recepēre. Sabellicus lib. 3. Dec. 3.

Ex Hostium oppreßione, morte, calamitate, reconciliatione.

Chorus SILENORVM captiuus apud Cyclopem, ad Vlyssem, consilium suum de excęcando Polyphemo explicantē, sic inquiunt, apud Eurip. in Cyclope:

—ὡς ἀσπάσιον οὐκ ἂν ἥδιον ψόφον
κιθάρας κλύοιμεν, ἢ Κύκλωπ' ὀλωλότα. Asiaticę nō libentius strepitū citharę audiremus, quā Cyclopa pereuntem.

ARTAXERXES Persarum rex Themistoclem exulem, qui ad se perfugerat, summa humanitate excepit, & apud amicos sibiipsi gratulatus est, de fortuna adeò secunda diis sacrificauit, mox conuiuium inijt, ac præ gaudio nocte in somno medio ter exclamauit, Themistoclem habeo Atheniensem. Plutarchus in Themistocle.

Henrico IV. Imp. Leodij mortuo, OMNES omnium ordinum summo gaudio exultarūt, quòd morte eius uideretur diuturno schismati iam finis impositus. Cranzius libro 5. Saxoniæ, capite 24.

MAGNVS Sfortia audiens Paulum Vrsinum insignem ducē ad collem Floridum à Braccio Montonensi interfectū, sublata uoce gestiens dixit: Ergo & mihi insonti dij immortales maturē cathenas soluent (in uinculis autem Neapoli detinebatur) qui uti æquissimi iudices impio ac omniū deterrimo dignū uitę exitū celeriter attulerunt. Iouius in eius uita.

Horucius Barbarussa pirata insignis, cùm Tremisenij regem, amicum sociumque à Carolo V. Imp. appellatum, regno expulisset, immineretq; Orano, Portuique magno: ab Hispanis Maurisque equitibus interfectus est. Eius caput in HISPANIAM trāsmissum, circumlatumq; in lancea, populis præsertim maritimis, insignem attulit lætitiam, quòd sublato prædonum rege, diu exoptata securitas litoribus reddita uideretur. Iouius lib. 33. Hist.

PRIVATIO GAVDII. GAVDIVM NVLLVM. QVI NON GAVDENT, ob quæ alij gaudent.

ALEXANDER Magnus etiamnum puer, si allatum esset aut nobilem urbem à Philippo captam, aut illum insigni potitū uictoria: non usqueadeò gaudebat iis nunciis, uerùm ad æquales dicebat: Omnia præripiet sodales, pater, neq; ullum mihi insignem & illustrē relinquet uobiscum perpetrandū actum. Plut. in Alexandro.

BRACCIVS Montonensis audita morte Sfortiæ Magni in Aterno amne prope Aquilā urbem submersi, licet ęmuli & hostis acerrimi, minimè tamen lætatus est, sed in laudes illius prorūpens, sibi quoq; nunc tandē fata instare dixit, ex præsagio Astrologorum. Quinto pòst mense in obsidione Aquilæ cæsus est. Iouius in Sfortia.

SVPERBIA.

Nascitur hic affectus ex suorum bonorum cum alijs collatione. Et quidem quatenus sua extollit & superbit, huius est loci: qui affectus brutis etiam, equis præsertim, inest. Quatenus uerò aliorum bona minora despicit, ad καταφρόνησιν *pertinet. Vide locum Ambitionis & Mendacij in rebus suis extollendis, & Iactantiæ.*

Mæandro fluuio duo fuēre filij, quorum Babys solitus est unica tibia canere, MARSYAS duabus, Phrygio more. Cùm autem suum uterq; chorum haberet, & Babys inscitè tractaret tibiam, frater eò insolentiæ elatus est, ut Apollinē quoque præ se contemneret. A quo cùm esset excoriatus, iamq; Babyi similis pœna pararetur, Palladis interuentu exemtus est supplicio. Erasmus in Adagiis.

EVAGORAS Cypri tyrannus, Salamine à Teribazo Artoxerxis regis Persarum polemarcho obsessus, & à sociis relictus, de soluenda obsidione legatos mittere coactus fuit. Teribazus, soluturum se obsidionem respondit, si Euagoras relictis omnibus Cyprī urbibus discedere inde, & uelut unius Salaminis rex statum anniuersarium tributum Persarum regi persoluere, necnon omnia ad nutum eius, tanquam seruus heri sui, facere uellet. Ad quę Euagoras, etsi dura sibi cōditio uideretur, omnia tamen annuit, præter unum illud, quòd ad nutū eius tanquā seruus heri sui facere omnia uellet: dicebat enim se ut regem regi subiectum fore. Cui Teribazus quum nollet obtēperare, Orontes alter dux inuidēs Teribazi gloriæ, literas clàm ad Artaxerxem contra Teribazum misit. Rex Orontæ rescripsit, ut captum Teribazum ad se mitteret. Quo mandatum hoc exequente, ad regem Teribazus ducitur. Orontes uerò cum copiis in Cyprum profectus, uidens & Euagoram non minus fortiter quàm antea obsidioni resistere, & milites Teribazi captiuitatem ęgrè ferentes officium facere nolle, mittit ad Euagoram nunciaturos de soluēda obsidione, & hortaturos simul, ut iis ipsis nunc conditionibus pacē cum Oronte constituat, quib. antea cū Teribazo uoluisset. Quo audito Euagoras supra modum gauisus est, ac pacē hisce conditionib. constituit: ut Salaminis ipse rex esset, & anniuersariū tributum constitutum Persarū regi persolueret, deniq; tanquā rex regi præcipienti auscultaret. Sic bellū Cypriacum fermè decennale (cuius tamen temporis pars præcipua in solo apparatu insumta fuit) postquam duobus continuis annis pugnatum esset, finē accepit. Diodorus libro decimoquinto.

PAVSANIAS Lacedæmoniorum dux, ad Platęas uictor contra Mardonium, cùm de manubiis tripodem aureū Delphis uotum soluisset, suumq; nomen inscriberet: Lacedæmonij pertæsi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatū nomina inscripserunt. Herodotus.

Cùm aliquando Sertorium L. METELLVS in Hispania acie fudisset, usque adeò extulit se, & prospero casu exultauit, ut imperatorem se sit salutari passus, sacrificiis autem eum oppida ingredientem atq; aris ei dicatis exciperent. Memorāt eum coronas quoq; imponi capiti suo permisisse, cœnisq; indulsisse fastuosioribus, in quib. ueste triumphali amictus potabat. Victoriæ fictæ epidromibus descendebant, quę aurea trophea & coronas transferebant. Chori puerorum & uirginum cantilenas triumphales in laudem eius canebant. Qua in re ridiculus meritò erat: quòd cùm Syllæ fugitiuum & reliquias Carbonianorū exulū appellaret Sertorium, ita iactabūdus euaserit exultaueritq;, quia impulerat cedentē. Plut. in Sertorio.

IVLIANVS Imp. quinquennalia edens, ambitioso diademate usus est, gemmarum fulgore distincto, cùm initio principatus coronam uilem Zytharchæ purpurato similis gestare consueuisset: & se Constantij hostem apertè profiteri cepit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

MAXIMINVS Iunior in salutationibus superbissimus erat, & genua sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Cùm pater plerisque honoratis assurgeret, ille residebat. Vsus est & aurea lorica exemplo Ptolemęorū, usus est argētea, usus & clypeo gēmato inaurato, & hasta inaurata. Fecit & spatas argenteas, fecit etiā aureas, & omnino quicquid eius pulcritudinem posset iuuare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas. Capitolinus in Maximino Iuniore.

HVMILITAS.

QVI.

Reges.

Vide Titulum Pœnitentiæ.

Reginæ.

ELIZABETHA regis Pannonum filia, Ludouico Lantgrauio Thuringiæ matrimonio iuncta, cùm inter opes luxumque uersaretur, paupertatem animo affectabat. Interdum [illegible] sola cum ancillis manens, uilissimum sumębat amictum, totamq; sese ad paupercularum morem cōponebat, dicens, haud alio se ornatus genere usuram, si quando pius & misericors Dominus liberius uiuendi copiam sibi concederet. Quoties ad ecclesiā audiendæ Euangelicæ prædicationis gratia accedebat, non nisi inter infimas feminarū sibi deligebat considendi locum. Defuncto uiro, in sacra peregrinatione omnia, quæ habere potuit, indigentibus dedit: & constructo xenodochio, egenorum ægrotantium ministram se fecit. Cúmque à patre in Pannoniam reuocaretur,

noluit eò ire,talem uitã præponens regno. Marul.lib.1.c.8.& Sab.lib.8.c.5.& Fulg.lib.4.cap.4.

Monachi.Monachæ.

Consule locum Monachorum.

PAVLA Romana uidua Bethlehemæ uiuens tanta se humilitate deiecit, ut qui eã non uidisset, & pro celebritate nominis uidere gestisset,ipsam esse non crederet, sed ancillularũ ultimam.Et cùm frequentibus choris uirginum cingeretur, & ueste & uoce & habitu & incessu minima omnium erat. Hieron.in epitaphio Paulæ.

BERNARDVS de Quintaualle, beati Francisci in terris olim laborum socius fuit. Ab illius oculis ueluti duabus lucidissimis stellis,miri splendoris radios promicare in uisu cõspexit Leo frater:& accepit ipsum ideo habere fulgentes oculos, quòd neminem unquam intuitus fuerat, quem se meliorem non iudicaret. Fertur enim,si quem uili ueste tectum aspiceret,sibimet dicere solitus,Hic patientius paupertatem tolerat,quàm tu Bernarde.& si quẽ preciosis indutũ,Hic forte sub ueste delicata melior est, quàm tu Bernarde sub tunica rudi.Meritò igitur oculi illi radiarunt,quorum aciem nulla unquam temerarij iudicij hebetauerat lippitudo, & semper integrum purumq; conseruatat ueræ sanctæq; collyriũ humilitatis.Marul.lib 5.c.1.

QVANDO. VBI. IN

Pompa,Triumpho.

HERACLIVS Imp.uictis Persis Hierosolyma adiit, ac Crucẽ & Patriarcham sedi atq; honori suo restituit. In Ritual.lib.inuenio,cùm equo insidens ad urbem accessisset, portam sua sponte esse occlusam. Cuius rei admiratione attonitus,dum causam quærit,uocem de cœlo audiuit, Regem regum non ita Hierosolyma esse inuectũ. Qua audita,extemplo se ex equo deiecit,ac nudis pedibus,porta ultrò patente, intrauit. Factũ est autem,ut multorũ morbis ad Crucis recuperatione sanatis Ecclesia diẽ festũ in eius honorẽ institueret, quem Crucis exaltationem uocauit. Sigonius lib.2.regni Ital.

GODOFREDVS Bolionius receptis Hierosolymis ob uirtutem à Latinis proceribus rex dictus, coronam auream in eo loco gestare noluit,in quo rex regum spineã propter sua & totius mundi peccata pertulisset.Tyrius.

Conuiuio.

FRANCISCVS Minorũ pater cũ fratrib.posita mensa recumbens,& mensariũ lectorẽ de uirginis puerperæ in Bethleem hospitãtis angustia mentionẽ facere audiens,continuò consurgens humi resedit,atq; ait: Nunquid ego peccator, ego nequã & inutilis seruus,ad mensam sedere debeo, cùm Dei genitrici in diuersorio locus non fuerit? cùm mundi opifex ac dominus natus sit in stabulo, reclinatus in præsepio? Sic dicens,panem suum prouolutus in terra cum gemitu comedit.Marulus lib.1.cap.8.

Funere.

LAVRENTIVS Medices in supremis uitæ momentis cauit, ne plusquam ciuili pompa funus efferretur.Sed qui eam inanis spectaculi gloriam spreuerat,ab publico omnium iudicio multo ampliorem & speciosiorem tulit, cùm ei mox ueluti custodi ac auctori pacis & otij,non modò Florentia patria,sed totius Italiæ populi,exteræq; gentes incredibili cũ dolore,ac multis cum lacrymis iustissime parentarint. Iouius in Leone x.lib.1.

PETRVS Lauretanus,qui multa contra Philippum Vicecomitem terra mariq; pro Venetis edidit præclara facinora,morbo consumtus,ut ipse testamento mãdarat, nudis calcibus, saxoq; ad caput cõstituto, sine ulla funebri põpa,paucis comitantibus,ad Helenæ ædem elatus est.Sabellicus libro tertio,Decadis tertiæ.

ADRIANVS Turnebus, Græcæ linguæ in Academia Parisiẽsi doctor celeberrimus,absq; omni funeris pompa efferri uoluit.Hanc eius uoluntatem uersibus quidã cõplexus est:

Venimus in lucem hanc fastu sine:sic sine fastu
 Ad ueram lucem quemq; redire decet.
Hunc cinerem cineri mandate.At credite mentem
 Ad patrem lucis,qui dedit,ire Deum.

NON HVMILIARI.

Vide locum Veritatis in rebus suis.

CATO minor consulatum ambiens contra Cæsaris potentiã, suasit senatui decernere,candidati populũ ut per se prensarent,nec per alium rogarent uel appellarent pro se circumeuntes. Quare exasperauit multo magis homines: q nõ modò mercedẽ capiendã, uerùm etiam beneficij ipsis collationem adimens,inopẽ simul & contemtam plebem efficeret. Ad hæc cùm nec ad ambiendũ esset pro se ipse appositus,necrùm in grauitate mallet morum suorum retinere dignitatẽ, quàm amplitudinẽ acquirere consulatus: atq; sic prensans, neq; amicis permittens facere ea,quibus ducitur & capitur multitudo,repulsam consulatus tulit.
Plut.in Catone.

PVDOR.

Comes hic perpetuus est uirtutis,nunc solidæ,nunc adumbratæ.Et quidem aliàs uirtutis est anteambulo, uitium ac moliens,& ueluti καταφυγήν quidam:aliàs uerò pedissequus, uitiorum censor atque carnifex, tacito morsu conscientiam flagellans.Illius exempla sub Tit. Occasiones libidinis fugere:huius sub Tit. Pœnitentiæ tam ethicæ quàm religiosæ, & Pudicitiæ uiolatæ dolor, referentur plurima. Ab Aristot.in 2.Rhetoricorum definitur esse, λύπη τις ἢ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. Cõstet ergo,quòd Turpitudinis uel ueræ uel imaginariæ causa oriatur.Et quidem is,qui ob ueram turpitudinem oritur,in bonum uirum non cadit, quandoquidem nihil ille pudore dignum designaturus sit unquam:cadit autem in improbos potius secundum διάθεσιν, quàm secundum ἕξιν, aliuqui confirmato habitu non esset pudori locus. Qui uerò ob imaginariam oritur turpitudinem,in pueris quidem laudari solet,qui propter rationis imbecillitatem nequeunt uidere quid decorum sit:in adultis non item, cùm rationis defectũ indicet: eaq; propter hunc Rusticum,illum uocant Ingenuum pudorem. Respectu Subiecti exempla diuidi possent, quòd quædam Turpia esse uideãtur ἐργαστικάς, quæ inhonestè patrantur, Actiones turpes,uel reuera,uel opinione: quædam παθητικάς,quorum perpessio est inhonesta,siue natura sua,siue instituto. Pudor propter quæ oportet susceptus, si moderatus sit, αἰδώς,si immoderatus, αἰσχύνη à Stoicis dici uidetur. At propter quæ non oportet, δυσωπία appellatur Plutarcho,in eo quem scripsit de nimia Verecundia commentario. Pari ratione uoces, αἰσχύνεσθαι, αἰδεῖσθαι & δυσωπεῖσθαι differunt, Erubescere, Verecundari, Pudere. Etsi accurata distinctio rarò obseruatur.

RESPECTV RERVM,propter quas suscipitur.

Ob Timiditatem.

Leonides Spartanus ad Thermopylas Persarum expectãs cõgressum,EVTYCHVM militem domũ remisit, propter cæcitatem.Discedens Eutychus,pœnitentia & rubore cœpit affici,quòd sociis periculum expectantibus, solus subterfugium uideretur quæsisse.Propterea seruo duce egressus in prælium,utcunq; poterat pugnando interiit. Herod.

Ob Venerea.

Inseruit Pudor Pudicitiæ circa uenerea eximiè: & quia in hominum sensus eodemque incurrit, occasionem dedit paronomasiæ,ut à Pudore,Pudicitia nomen traxisse uideatur.

Venerem occultam esse debere, hoc cognomẽ illius declarat, quod Melænis dicitur,& sub hoc nomine delubra ei in ARCADIA prope Mantineam, & in Craneo CORINTHIORVM suburbano luco extructa sunt: quoniam homines noctu maximè liberis operam dent,cùm pecudes interdiu ferè commisceantur.Pausanias lib.2.& 8.

SVSANNA,de flagitij crimine pertinaci silentio se purgauit, non meditata oratione.Diuum Ambrosium audiamus: Susanna mulier tacuit, & inimicos suos uicit. non enim apud Danielem iudicem uerborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est: sed in sancta femina, tacente lingua,p ea castitas loquebatur.Ludouicus Viues de Christiana femina lib.1.

Cephalus Deionis F.PROCRIN Erechthei filiam uxorẽ formosissimã tentaturus, an matrimoniũ seruatura esset,uenatum se ire simulat: ad Procrin autem mittit seruum ignotum:qui multum auri ferens, hoc ei à peregrino quodam, ipsius amore capto,dari ait, si ei corporis sui uelit potestatem facere. Principiò Procris recusat: sed cùm duplum mitteret,cõsentit.Cephalus ubi eam domum ingredi animaduertit,iamq; ad se,quem alium putabat, accumbere, facem ardentem infert, facinusq; eius arguit. Procris præ pudore Cephalum deserens, ad Minoem Cretæ regẽ cõnfugit. Antoninus Liberalius in Metamorphosi,& Plut.in Paral.

Apud Euripidem Ion, cùm CREVSA matre loquẽns, cùm illa,narrationem de stupro,quod ab Apolline passa esset, exordiens, diceret se pudore ab ea reuocari, respondit statim, οὐκ ἄρ' ἀπράξεις οὐδέν· ἀργὸς ἡ θεός. Appellat pudorem Deum ignauum, quia homines impediti illo retrahuntur à rebus gerendis, quæ accommodatæ ipsis mirificè sunt. Victorius lib.30.Var.lect.cap.12.

Hippocratidas, deambulans, cùm uidisset ADOLESCENTEM, quem amator sequebatur, erubescentem præ pudore:Cum his,inquit,oportet ambulare, cum quibus conspectus,non mutes colorem.Plut.in Laconicis.

Terentiana MYSIS in Andria rogata,quã Athenis uitam agerent,uerecundè seni meretricium quæstum cõfitens,Vt quimus,aiunt:quando ut uolumus non licet.Eras.in Adagiis.

More Romano cum SPONSA primùm non congrediebatur ad lumen VIR,sed per tenebras:uel quòd puderet eum,priusquam consuetudinem cum ea habuisset, quòd alienã censeret:uel ut accedere etiam ad suam cum uerecundia cõsuesceret.Plut.in Quæst. Rom.

M.Cl.Marcellus Aedilis curulis, C.Scantinio Capitolino Trib. pleb.diem dixit ad populum, quòd MARCELLVM filium uix puberem de stupro appellasset. Is aliquamdiu iudicium tergiuersatus,deinde crimen ipsum pernegauit,cũ huius rei nullum testem esse certò sciret præter ipsum adolescentem. At postquam iuuenem interrogari placuit, uisusque est in Rostra productus, ob præsentiam Capitolini,defixo uultu, suffusus lacrymis, non contumacia sed pudore tacuit. Quo ipso Capitolinus facti conuictus multatusque est. P. Acrodius ex Plinio lib. 6.c.1.& Plut.in Marcello.

Roberti Normanniæ ducis CONCVBINA, mater Gulielmi Conquæstoris Angliæ regis, prima nocte indusium exuere noluit,eius partem superiorem interscidit: interrogataque cur ita faceret?respondit:Non decere, eam partem,quæ sibi pedes circuiret,ad os domini sui uertere.Polyd.lib.8.

Ob Ambitum.

L.CRASSVS,cùm omnium candidatorum more, circum forum supplex populo ire cogeretur, nũquam adduci potuit, ut id præsente Q.Scæuola,grauissimo & sapientissimo uiro, socero suo,faceret. Itaq; rogabat eũ,ut à se, dum ineptæ rei inseruiret,discederet:maiorem uerecũdiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ suæ respectum agens. Val. lib.4. cap.5. At hoc M.Crasso tribuit Cicero j.de Oratore, inquiens: M. CRASSVS cùm peteret magistratũ, solebat in prehensando dimittere à se Q.Mutium Scæuolam,cùm ita ei diceret,se uelle esse ineptum.id erat,Petere blandius. quod nisi ineptè fieret, bene non posset fieri.

Ob Narrationem, Auditionem,Cogitationem turpem.

ALCÆVS ad Sappho dicebat, θέλω τί τ' εἰπῆν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς, Volo tibi aliquid dicere,sed me impedit pudor. Tum illa: αἰ δ' ἦχες ἐσλῶν ἵμερον ἢ καλῶν, καὶ μή τι εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν, αἰδώς κέν σε οὐκ εἶχεν ὄμματα, ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω. Si honestum esset, quod loqui cupis, lingua tua nõ trepidaret. Arist.lib. 2.Rhetor.

Diogenes ADOLESCENTVLVM uidens inhonesto dicto erubescentem, Confide, inquit, fili, hicce color uirtutis est. Laertius.

Ob Inuidiam.

L. SYLLA Dictator pudore actus inuidiã erga Cn. Pompeiũ iuuenem triumphantem celauit.Plutarchus.

Ob Denegationem.

ALEXANDER Cassandri F.inuitato ad cœnã Demetrio, inde uocatus postridie ad illum,quòd fidem, quæ ipsi habita erat, nõ tribuere deterreretur pudore, ad illũ est profectus, atq; à cœna obtruncatus.Plut.de Immodica uerecundia.

Ob Vulnera.

LACÆNÆ mulieres cum uiris in certamẽ aduersus Messenios fortiter descẽderunt. Quotquot audiuissent filios suos in pugna cecidisse, abire solebant, & uulnera tam eminus quã cominus inflicta inspicere: & si plura ex aduerso esset facta, cũ gaudio,magnaq; grauitate & aspectus toruitate, in maiorũ auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco uulnera accepissent,pudore suffusæ,lacrymisq; confectę,quàm maximè poterãt clandestina fuga discedebant,relictis mortuis,ut in communi sepulcro humarentur: aut furtim surreptos in domestica sepulcra deportabant. Aelianus de Var. hist.libro 12.

Vulneratus in bello LACON, cũ ingredi non ualeret, quadrupedũ more incedebat.Qui cùm rideri erubesceret: Quanto rectius sit,inquit mater, fili, exultare ob uirtutem, quàm ob stultum risum erubescere. Plut.in Laconicis apophth.

Quidam AMATOR in prelio cũ esset prolapsus in faciem, intentantem ei gladium hostem rogauit, ut paulisper sustineret,ne auersum conspiceret uulneratum amasius. Plutarch. Sermone amatorio.

Alexandro Magno, uicto ad Arbela Dario, Persepolim properanti, uenerũt obuiam cum supplicantiũ insignib. GRÆCI,à superioribus Persarum regib. corpore turpiter multati,octingenti fermè numero,& pleriq; ætate senes, mutilati omnes.Hos solatus rex,promisit eis,curaturum se, ut in patriam honestè reducerentur. Græci deliberatione habita, p̃stare iudicarũt,in eo loco,ubi erant,permanere: quòd restituti in diuersa loca discedere cogerentur, paucíq; eorum simul degẽtes,dum per urbes cũ aliis ciuibus uersarẽtur, dolorem ex erubescentia sui in fortunij sensuri essent: sed cùm in Asia simul & eadem affecti calamitate uitam ducerent,solatium aliquod miseriarum suarum ex pari cohabitantium fortuna mutuò omnes perciperẽt. Quod ipsum cũ regio honorario ab Alexandro impetrauerunt.Diod.lib.17.

Ob Denudationem corporis.

Primi PARENTES sathanæ astutiis delusi,cùm de arbore scientiæ boni ac mali contra Domini præceptum fructus comedissent,nudi circumambulantes, folia ficus colligentes, perizomata sibi fecerunt, ut uerenda tegerent, ne nudi turpiter conspicerentur. Genes.3.

Prouida rerum natura mater, uerecundię FEMINARVM mirè consuluit.Nam uirorum corpora proiecta in mare, Plinius in Historia rerum tradit, supina ferri, feminarum pronã. Lud. Viues de Christiana femina,lib.1.

Omnes gentes,usque adeò tenent insitum pudenda uelare,ut quidã BARBARI illas corporis partes nec in balneis nudas habeant,sed cũ earũ tegumẽtis lauant.Per opacas quoque Indię solitudines,cùm quidam nudi philosophẽtur,unde Gymnosophistæ nominantur: adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent. D. Aug.lib.14.de ciu.Dei, cap.17.

POLYXENA apud Eurip.in Hecuba,cùm ad arã mactaretur,

— ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
κρύπτουσ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών. Etiam moriẽs, magnam solicitudinẽ habuit, decẽter ut caderet, & celaret, quæ celare oculos uirorum conuenit.

Cyrus contra Astyagem auum Medorum regẽ pugnans ter uictus discessit. Cùm aũt Persarum uxores & liberi Pasargadis essent, quartũ prælium in eo loco cõmisit. Rursus in fugam PERSÆ uertebantur. Ast ubi liberos & coniuges obuias cõspexere,animo ex pudore recepto conuersi, Medos sine ordine persequentes fugarunt, uictoria tanta, ut nullo inposterum de summa rerum prælio indigerent. Polyænus lib.7.

PERSÆ à pueris nudos conspici uiros,nec fas, nec ius esse dicebant.Itaq; nudũ conspicere hominẽ, ac si immane scelus admissum foret,capite luebatur.Alex.lib.2.c.25.

OLYMPIAS Alexãdri magni mater à Cassandro obsessa, demum incolumitatẽ pacta,se hosti tradidit. Cæterùm à Cassandro falsò crudelitatis & sæuitiæ in suos condemnata,cũ percussores ad se uenientes conspexit, ferrumq; in se nudari,duabus ancillis innixa, ultrò, non eiulatu & uociferatione,sed uirorum fortium more, composita circa corpus ueste,ut honestius caderet,pluribus uulneribus confossa concidit.Sabellicus lib.7.En.4.

Pantei VXOR,posteaquam is Alexandriæ exul cum Cleomene Spartanorum rege aduersus Ptolemæum Philopatorem cõspirasset, eoq; nomine interficeretur: maritum comitata, eidemq; supplicio subiecta,ita semetipsam cõposuit, ut deducto amictu neminẽ accedere neq; contueri se permitteret, extra unum,qui ad iugulandum ipsam præpositus erat: neq; eguit quoque,qui se adornaret & obnuberet ab excessu. Adeò in morte animi decus usque retinuit conseruauitque, quam uiua corpori custodiendo adhibuerat curam, Plutarchus in Cleomene.

MILESIAS uirgines eo corruptas olim animi furore legim⁹, ut se passim suspenderent:neq; huic malo remediũ inueniebatur ullũ. Edicebatur horribilibus pœnis, ne fieret: cõtemnebantur pœnæ. Quæ enim morte atrocior? quam ipsæ ultrò appetebant. Custodiebantur,inter custodũ manus exitũ inueniebat spiritus. Edictũ est tandem, ut quæ se occidisset, nuda per mediũ forũ media luce traheretur. Hac pœna deterritæ sunt,ne nudę cernerentur,licet exanimes. O pudorẽ incredibilem, & prædicandum! quæ mortem malorum ultimum contemnebant,pudorem etiã in mortuo corpore curabant. Ita furor ille compressus atq; sedatus est. Plutarchus de Claris mul.& Gel. lib.15.c.10.

Tarquinius Priscus rex Rom. plebem ROMANAM, necem ob labores nimios sibi inferentẽ, denudatione corporũ defunctorum à tanta crudelitate uindicauit. Plin.lib.36.c.15.

Apud ROM. parētes cum liberis, nepotes cū patruis uel auis, soceri cū generis cōmuni balneo non utebantur, denudare se & retegere erubescentes: pòst tamen à Græcis adaperire se didicerunt. Plut. in Catone & Ciceronē.

C. IVL. Cæsar in Senatu impetitus à coniuratis, cùm sibi cadēdū uideret, collecta manibus toga honestissimè cadere studuit. Suetonius.

MAXIMILIANVS I. Imperator moriturus præcepit, ut mox sibi subligaculum induceretur, ne pudenda eius post mortē quispiam uideret. Erat enim omnium mortalium uerecundissimus, adeò ut nemo unquam ex cubiculariis uiderit naturæ opera exercentem: nemo etiam urinam reddentē, quā paucissimi medici, dum ægrotaret, uiderunt: tantæ erat uerecundiæ. Cuspinianus in eius uita.

Ob Excretiones.

PERSARVM pueri tanti pudoris fuére, ut pro lege seruarent, ne in publico aut spuerent, aut nasum emungerent: néue in conspectu parentum nisi iussi considerent. Xenophon.

Claudius imperator edictum edidit, quo uenia daretur crepitus uentris emittenti: quum periclitatum QVENDAM præ pudore ex continentia, reperisset. Suetonius.

IO. BAPT. Lignamineus Patauinus, episcopus Concordiensis, à fratre Francisco episcopo Ferrariense Venetias missus, cùm conuiuio (quo totam nobilitatem singulis annis quater excipere Dux solet) interesset, & præ pudore uentris onus diutius retinuisset, in grauissimum morbū incidit, quo etiam periit, Ferrariæ sepultus. Bernardus Scardeonus lib. 2. hist. Patauinæ.

Ob Supplicium inhonestum.

Antiphon tragicus cùm ad supplicium cū SOCIIS raperetur, eosq; morituros capita uelasse uideret per portam exeuntes: Quid ita, inquit: ànne horum quispiam cras uos uideat, timetis? Thucydides.

Ob Victoriam.

L. Lucullus Tigranem regem Armeniorum ad Tigranocerta urbem aggressus, peditum supra cētum millia occidit, equitum pauci planè effugére: cùm ex Romano exercitu centū uulnerati, & quinq; tantùm desiderati sint. Strabo in libris historiarum ROMANOS cōmemorat puduisse, & semetipsos derisisse, quòd in eiusemodi mancipia induissent arma. Plut. in Lucullo.

Ob Amissionem regni.

DIONYSIVS Tyrannus à Timoleonte regno exutus, Corinthum uenit: sed eadem præ pudore relicta, Leucadem proficiscitur: idem sibi usuuenire dicens, quod adolescentib. qui peccassent. Vt enim illi hilariter uersantur cum fratribus, sed ex uerecundia patrum conspectum fugiunt: ita rubore se urbis Corinthiorum, cuius colonia Leucas esset, libentem apud illos ibi mansurum. Sabellicus lib. 3. Enn. 4.

Ob Captiuitatem.

SPARGAPISES Tomyridis Scytharum reginæ F. à Cyro captus & liber dimissus, cōmotus captiuitatis uerecundia, ob quā materno conspectu se indignum putabat, gladiū in sua uiscera propriis manib. intorsit, præfatus, quòd deliciis superatus esset, qui fortes uiros superare didicisset. Herod. lib. 2.

Duo consulares exercitus ROMANORVM à Samnitibus ad Caudinas furcas circumuenti, & sub iugum missi fuerant. Triste agmen quum Capuam antè noctem ingredi potuisset, noluit, incertum, sociorum fidem ueritum, an ut pudore celaret suum. Euicit iusta miseratio superbiā Campanæ ciuitati ingenitam: fasces, purpura, lictores, consulibus, uestimenta & commeatus aliis benignè data. Capuam ingredientibus senatus & populus obuiam sese effudit, multaque hortando monendoq; consolari dolentes. Nec ulla sociorū comitas tanti fuit, ut aut in sermonem prorūperet quisquā, aut oculos attolleret. Postridie quum nobilissimi quiq; iuuenum, abeuntes consules communi nomine prosecuti essent, nec ex toto agmine uerbum elicere potuissent: in curiā retulerunt, nullam maiorem cladem pop. Rom. accidere potuisse, prostratam ac in omne tempus extinctam cum ea clade Romanam indolem. Hæcq; illis affirmantibus, Offilius Acalanius clarus genere longè aliter se opinari dixit: silentium illud, fixosq; in terram oculos, & quòd aures ad omnia solatia obsurduissent, intuendæ lucis pudorem esse, ingentemq; irarum molem agitantis animi indiciū: aut se multum opinione falli, aut breui futurum, ut Caudina uictoria inexpectatum afferret Samnitibus luctum, tristioremq; eius rei euentum ipsis quàm Romanis futurum. Hanc eius uocē euentus ipse ueram fuisse ostendit. Romani enim hac ignominia irritati, sponsoribus fœderis deditis, non solùm hostem castris exuerunt, sed & Luceriæ obsessum sub iugū misere. Sabellicus lib. 5. Enn. 4.

Ob Ignobilitatem generis.

Consule Tit. Prudentia & Astutia in ignobilitate tegenda, uel nobilitate asserenda.

MAXIMINVS Imp. ignobilitatis tegendæ causa omnes conscios generis sui interemit: nonnullos etiam amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraq; donauerant. Nobilem circa se neminē passus est, prorsus ut Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. Capitolinus in Maximino.

Ob Calamitatem suorum.

Lacedæmonij Argiuis agrum, qui Thyrea dicitur, abstulerunt. Conuénit inter utrosq;, ut trecenti soli utrinq; pugnarēt: & qui superiores extitissent, eorum regio foret. Nocte prælium dirimente, superfuerunt ex Argiuis duo, Alcenor & Chranius, qui tanquam uictores Argos cursu contenderunt: ex Lacedæmoniis unus ORTHRYADES, q spoliatis Argiuorū cadaueribus, eorum arma ad suorum castra detulit, tropheū erexit, suo sanguine Lacedæmoniorum esse uictoriā inscripsit: tandem pudore Spartam redeundi absq; sociis seipsum interfecit. Herod. lib. 1. & Plut. in Parallelis.

Ob Nuptias.

Dionysius in exilium è Sicilia Dionem expulit, uxorem uerò eius Aristomachen & ipsius filium custodiuit. Pòst repugnantē feminā satelliti suo, sui obseruantissimo, Polycrati in coniugem tradidit. Is natione Syracusius erat. Dion uerò, cùm fugato ad Locrenses Dionysio, Syracusas se recepisset, Arete sororipsius cum affata est, & intercessit. ARISTOMACHE uerò pudore prohibita, occultabat se, neq; maritū audebat alloqui: quoniam coacta per uim, connubij legem erga ipsum uiolarat. Postquā aūt eius causam defendisset Arete, necessitateq; coactam à Dionysio diceret, Dion accessit uxorem & filium, misitq; eos in domum suam. Aelian. li. 12. Var. hist. Plutarchus in Dione Aristomaches filiam facit Areten, sororis Dionysij, nuptam Dioni: eoq; pulso, coactam nubere Timocrati, quam Aristomache soror Dionis marito reconciliarit.

Virginibus honestum est nubere, VIDVIS minus. Eapropter hæ dieb. festis nubere poterant, paucis spectantibus, utpote fessi solennitate occupatis: illæ non poterant, ut multis spectantib. matrimonium inirent. Plut. in quæst. Rom.

Ob Seruile officium.

PVER Spartanus bello captus cùm lasanum exportare à domino iuberetur, sordidum pertæsus ministerium, de tecto se dedit præcipitem. Plutarchus.

CVIDAM ambienti à Diogene in philosophiæ disciplinā recipi, admisso, explorandi gratia pernam in uia ferendā dedit, seq; iussit sequi. Ille præ pudore, abiecto qd' gestabat, furtim se subduxit. Aliquāto pòst fortè fortuna illi fact' obuius, ridēs, Tuam (inquit) ac meā amicitiā perna diremit. indicans, illum non esse idoneum philosophiæ discipulum, qui stultū pudorem nō posset cōtemnere. Neq; enim turpe est, gestare pernam, sed ab honesto recedere, turpe. Ita Laert. lib. 6. Diocles hoc ipsum paulo secius narrat. Quū quidam ambiēs esse Diogenis discipulus, dixisset illi, Impera mihi Diogenes: admisso in famulitiū, casei frustū portandū dedit. Id quum ille ob pudorē recusaret: Nostram, inquit Diogenes, amicitiam paululum casei diremit. Bruson. lib. 5. cap. 21.

ADOLFVS comes Holsatiæ, factus monachus Franciscanus, cùm filios suos splēdida pompa obuios sibi lactis sinum ferenti haberet, pudore suffusus, declinare parabat. Mox semetipse recolligens, & carnis tentationem temerè reprehendens, catino inuerso caput suū lacte perfudit, inquiens: Occulto delicto manifesta debetur pœnitentia, & quē paupertatis Christi puduit, ut eiusdē quoq; homines pudeat, iustū est. & cōfestim ad fratres suos operi intentos (quos eo lacte recreaturus erat) rediit. Hieron. Ziegierus in hist. illustrium uirorum German.

Ob Locum inhonestum.

Diogenes ad ADOLESCENTEM quendam, qui in caupona cùm conspiceretur, refugit in interiora cauponæ: Quanto, inquit, fugis interius, tanto magis in caupona es. Plutarchus de Virtutis profectu.

RESPECTV PERSONARVM.

ERGA QVOS. Pudor

Erga Seipsum.

AMVS Aegyptius monachus nunquā se nudum uidit: indecorum esse monacho dicens, uel suum ipsius corpus cōspicere nudum. Suidas, & Marul. lib. 4. c. 7. Sab. lib. 5. c. 6.

Cato maior maximè arbitrabatur seipsum QVENQVE uereri debere. Neminem enim unquam à seipso esse remotum. Plut. in Apophthegmatibus.

Erga Magistratus.

Romam profecti erant ciuitatū Græciæ legati, ut iniurias quererentur, quas Philippus Macedonū rex inferebat. Et cùm in Senatu de ea re ageretur inter Philippi filiū Demetriū, atq; oratores: quia DEMETRIVS non modò argumēta defensionis aduersus tam multa crimina, quæ uerè patri obiiciebantur,

amisisse uidebatur, uerumetiā præ pudore uehementer erubuerat: Demetrij honestate motus Senatus Rom. ab accusationib. ipsum patremq; liberauit. Fulg. lib. 8. c. 1.

Erga Probos.

Pop. Rom. Lupercalia spectāte, cùm CATO Censorius ingressus esset, tam grauis uiri conspectu, suæ impudentiæ pudore suffusus, ludos intermisit. Id animaduertens Cato, statim egressus est. Plutarchus.

Erga Viros, Amasios.

Aristodemus Cumanorum tyrannus in Italia suprà cæteras ciuium filias XENOCRITAM amabat, & cùm pater eius in exilio esset, secum habebat: neq; illo reuocando in ciuitatē, aut blandè agendo, eam conciliauerat: sed puellam mordebat, quòd non iustis pacta nuptiis cum eo esset: sed & patriæ libertatem desiderabat. Forte eā tempestate fossa Aristodemus cingebat agrum nec necessario, nec utili opere: tantùm ut labore & ærumnis conficeret ciues. Præscripserat uiritim ciuibus certum terræ modum, quem egererent. Conspiciens abeuntem Aristodemum, deflexit uultum, ac tunica uelauit. Adolescentes per risum quæsiuerunt, quid solum præ uerecundia declinaret Aristodemum? tum illa: Nam solus, inter Cumanos, Aristodemus uir est. Hoc dictū omnes pupugit: generosos VIROS etiam pudor ad libertatem repetendam inflammauit. Fertur & Xenocritam, cùm id audiuisset, dixisse: malle etiā se pro patre præsente ferre terram, quàm cum Aristodemo delitiis & tātis opibus frui. Hæc eos, qui coniurauerant aduersus Aristodemum, confirmauerūt. Eorū dux fuit Thymoteles. Hi, cùm tutū accessum ipsis Xenocrita præbuisset, oppresserunt Aristodemum. Ergo Cumani in libertatē uindicati cùm magnos honores & dona deferrent Xenocritæ, repudiatis omnibus, unum, ut efferre corpus Aristodemi permitterent sibi, postulauit: quod ei concesserunt, simulq; eam legerunt sacerdotem Cereris, hūc honorem non minus gratum deæ, quàm illi arbitrati amplum. Plut. de Virtutibus mulierum.

Die Veneris, quæ apud TVRCOS sacra est, ad meridianā horam nobiliorum uxores templum ingrediuntur. Vbi locus secretus solas mulieres capit, quem uiri uel non debeāt, uel non possint adire. Colloquium uiri & mulieris in publico perrarum est. Rarissimum maritum cum uxore sedere aut equitare in publico. Cauent etiam in domibus, ne coram familia ullum lasciuiæ indicium ostendant. Tanto rigore non modò in familiam, sed uxores quoq; utūtur. Nobiliores eunuchis uxores suas custodiunt, ne uiris aliis misceantur. Magna seueritate omnino erga mulieres uti cōsueuerunt, etiā consanguinei. Facta enim desponsatione, sponsus usq; in nuptiarum diem non comparet in faciem soceri aut socrus: quod item & sponsa obseruat. Cuspinianus.

ALVILDA Suiardi Gothorum regis F. pulcerrima, tantæ fuisse uerecundiæ perhibetur, ut os peplo iugiter obnuptum habens, à nullo uiro se cōspici pateretur. Io. Magnus lib. 7. c. 10.

Erga Matronas.

Matresfamiliâs reges PERSARVM iustas adhibent cœnis & epulis suis. Quòd si animus sit ludere & perbacchari, has reuerentiæ causa ablegant, cantrices & pellices accersunt. Rectè sanè atq; ordine, quòd in consortium non admittāt matronas lustrorum & popinæ. Plut. in præceptis con.

Erga Parentes.

PENELOPE optione sibi data ab Vlysse sponso, uel ut se in Ithacam sequeretur, uel patrem Icarium Spartam: nihil respondit, sed tantùm faciem uelauit. Icarius satis intelligens, quid illa sibi uellet, ut cū Vlysse abiret permisit. Signum Pudoris eo loci dedicatum, XXX ferè stadiis à Sparta. Pausanias in Laconicis.

PVDOR NVLLVS.

Ob quæ non oportet non pudere, nomine caret, nisi Constantiæ appellatione comprehendatur.
Ob quæ oportet non pudere, Ἀναισχυντία est.

LAVDABILIS.

AGESILAVS rex assistens aliquando Chalciœci aræ, ac rem diuinam faciens, cùm momordisset eum pediculus, non erubuit: uerùm captum palàm inspectantibus omnibus occidit, addens: Ego herclè insidiatorem uel in ipsa ara. Plut. in Apophthegmatibus.

ANTISTHENES, mirante quopiā quòd medio foro ferret salsamentum: Nempe mihi ipsi, inquit. Plut. in Præceptis pol.

PLVTARCHVS Chæroneus uitio sibi uertentibus, quòd fastigium ædificij dimetiēti astaret, calciq; subactæ & lapidib. deportandis: Non mihi ipsi, inquit, sed patriæ ædifico. Idē.

VITVPERABILIS. Ἀναισχυντία.

Impudentia.

Ἀναισχυντία ἐστὶ ὀλιγωρία καὶ ἀπάθεια περὶ τὰς εἰς ἀδοξίαν φέρουσα. Differt ab Impudicitia, quòd hæc uitium est, circa uoluptatem ueneream: Impudentia uerò affectum denotat in genere, non erubescentem, ob quæ decebat: uitiorum perpetuus comes & ueluti ὁδηγός. Consule Titulum, Libidinis occasiones: quatenus Impudicitiæ famulatur Impudentia.

IN GENERE.

Homericus Achilles AGAMEMNONEM κυνῶπα appellat, id est, canino aspectu. & apud eundem:

κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. id est,

Canis habens oculos, cor cerui.

impudentiam significans cum timiditate coniunctam. Erasmus in Adagiis.

ARISTOGITON orator Atheniensis, ob impudentiam Canis uocatus est. Volat. lib. 13. c. 4. Anthrop.

VATINIVS, qui bis à Cæsare sibi reconciliato in iudiciis publicis defensus est, impudētissimus fuit. Assiduo enim, ut Seneca ait, conuicio depudere didicerat.

C. Cæsar CALIGVLA immanissima facta augebat atrocitate uerborum. Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat, quàm (ut ipsius uerbo utar) ἀδιατρεψίαν, hoc est, inuerecundiam. Suetonius.

Cœnas captando.

Consule Titulum Parasitorum, qui uel è flamma sacrificiorum cibum rapere non erubescunt.

Μισῶ μνάμονα συμπόταν Procille, inquit Martialis, iocatus in PROCILLVM quempiā, qui inter pocula iussus postridie cœnatum uenire, uenit seriò: perinde quasi, quæ inter uina dicuntur, pondus habere debeant. Eras. in Adagiis.

Venerem exercendo.

MOSYNÆI in Ponto in propatulo cum mulieribus cōcumbebant, spectantibus quibuscunq;. Diod. lib. 14.

Libidinem fatendo.

[redacted]

Impudicè tangendo.

Lex Mosaica de pudore femineo sic præcipiebat: Si orto inter aliquos certamine, alterius VXOR accesserit, sui uiri ab eo, à quo pulsatur, defendendi ergò, & iniecta manu illius uirilia prehenderit, ei manum sine ulla misericordia abscinditote. D[illegible]

Dona acceptando.

[redacted]

Profundendo.

Penelopes PROCOS Odysseæ φ. pudebat si ab Vlysse mendici habitu in arcu extendendo superarētur: non pudebat aūt (qd' illis Penelope obiicit) Vlyssis absentis bona absumere.

Accusando.

Fuit C. FIMBRIA perditissimæ audaciæ homo, & ad quoduis facinus designandum accōmodatissimus, qui Crassum interemit, quiq; in funere C. Marij Q. Scæuolam uirum ornatissimum & sanctissimum uulnerandum curauit: & ubi ferrum non altè in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit. Admirantibus cunctis, quòd pontifex maximus optimū totius ciuitatis ciuem accusaret, & crimen expectantibus: dixit, se illum accusare, quòd non totum telum corpore excepisset. Cicero pro Roscio.

Non metuendo.

Quintilianus uehementer probat dictum cuiusdam oratoris, qui apud Cæsarem accusabat Cossutianū CAPITONEM, hominem arrogantem, etiam uultu præ se ferentem confidentiam: Erubescit, inquit, Cæsarem timere. Cæsar ea erat potentia, ut meritò fuerit à quouis metuendus. At illi reo tantum aderat arrogantiæ, ut sibi turpe duceret, si uideratur timere Cæsarem. Hoc dictum Fabius adolescens audiuit, ut ipse refert libro 6. Instit. cap. de Conclusione.

IRA.

Ira inter omnes affectus uehementissima est: proinde huic animæ parti, in qua affectus plerique positi sunt, nomen dedit, ut ὀργητικὸν & θυμοειδὲς dicatur à philosophis. ὀργὴ autem ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι deducitur: sicuti θυμὸς ἀπὸ τοῦ θύειν, hoc est ἱεμᾶν, cum impetu ruere: & propterea remissior est ὀργὴ, quàm θυμὸς, sicuti apud Latinos Ira & Furor. Μῆνις ἀπὸ τοῦ μένειν, iram inueteratam significat. χολὴ, materiali, ut ita loquar, appellatione Græcis iram denotat: non quòd à bile proueniat, sed quia frequenter in magna commotione animi cystis quoq; fellis intumescens bilem in uentriculum effundit, unde uomitus biliosus. Iram comitatur plerunque ultio, siue desiderium ulciscendi, ita quidem ut Ira definiatur esse Appetitus uindictæ. Nos tamen distinguere maluimus. Ex loco Seueritatis & Crudelitatis, qui habitus circa iram tanquam obiectum uersantur: ex loco itidem Fortitudinis propulsantis, quæ iræ ueluti satellitio utitur, non pauca exempla peti possunt.

IN GENERE. IRACVNDI.

ACHILLEM Aeaci nepotē Homerus ubiq; facit stomachabundum ac minabundum: uelut in primo statim Iliados libro, ubi sic incandescit in Agamemnonē, ut manum admoueat capulo, à conuiciis ad manus uēturus, nisi Pallas eum capillis reuocasset. Quin & ipsum opus ab Achillis ira habet exordium, μῆνιν ἄειδε θεά. Eras. in Adagiis.

Achillē imitatus uidetur ALEXANDER ille magnus, ac planè uicit: quippe quem eousq; præcipitem egerit impetus animi, ut in amicissimos etiam ferrum distrinxerit. Proinde eum Aristoteles, per epistolam sic admonuit: Furor & ira nō aduersus æquales exercētur, sed in meliores præstātioresq;. At tibi ex æquo stat utique prorsum nemo. Cęlius Rhodiginus lib. 21. cap. 44.

MALACHO poetæ Syracusano immoderata bilis plerunque usum rationis auferebat. Eratq; tum præstantior in absoluēdo carmine, dum erat alienatus mente. Gyraldus.

CHAEREPHON Atheniensis philosophus, Socratis auditor, magnopere iracūdus fuisse dicitur. Vnde etiā prouerb. emanauit, ἐν Παλλάδος ἴχνεσιν οὐδὲν διαφέρεις Χαιρεφῶντος, In Palladis uestigiis nihil à Chærephōte differs. Volaterranus libro 14. cap. 2. Anthrop.

EVRYLOCHVS (qui Eliensem Pyrrhonem audiuit) quum in Elide uariis quæstionibus agitaretur, essetq; respondendo fatigatus, abiecto pallio Alpheum flumen traiecit. Interdū [redacted] quæ non parcebat, sed passim maledicta conuiciaq; [redacted] nes iaciebat. Eum ergo grani epistola, quę instar libri est, dehortatur Cicero. Victorius lib. 2. Var. lect. c. 22.

ANTIOCHVS Sophista, quū malè uulgò audiret, ueluti formidolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec reipublicæ munia capesseret: Nō uos, inquit, metui, sed meipsum. agnoscēs bilem suam uehementiorē, quàm ut cohiberi posset. Sensit idem Plato, qui ait: Eos qui sunt iracundioris inge [redacted]

placab[redacted]

Irasci facilis, tamen [redacted]

D. HIERONYMVM acrius interdum excanduisse, contentiones ille, quas cum Ruffino exercuit, satis indicāt: sed & eæ, quæ adhuc leguntur, inter illum & Augustinum epistolæ.

Fuit AVSONIVS poeta in iram propensus, quod suo ipse fatetur testimonio dicens:

> Irasci promtus properaui condere motum,
> Atq; mihi pœnas pro leuitate dedi.

RESPECTV RERVM, OB QVAS irascuntur.

Ob Cōsilij diuersitatem.

ACHITOPHEL consilio suo improbo Chusai consilium fidum, à Dauide rege in Abſalomo persequendo præpositū indignè ferens, siue etiam perfidiæ detegendæ metu, semetipsum suspendit.

DARIVS Persarum rex, audita Memnonis Rhodii morte consilium amicorū habuit, utrū magis expedire uideretur, regem adductis omnibus copiis belli fortunā experiri, an duces cum exercitu ad res maximas mittere. Charidemus Atheniensis Dariū admonuit, ne temerè se & imperium suum aleæ belli committeret, sed sibi duci id negotium daret. Cæterùm diuersum suadentibus Darii consiliariis, atq; suspicionem de Charidemo Dario inicientib. quasi res Persarū Alexādro proditurus esset: cōcitus ita Charidemus, Persis ignauiā & timiditatē apertè exprobrare cepit. Rex hac libertate offensus, Charidemū zona cōprehēsum appatitoribus interficiendū tradidit. Diod. lib. 17. Sab. lib. 4. En. 4.

Ob Auaritiam.

Audiens NEHEMIAS clamorē populi propter usuras, quas exigebant optimates, supra modum indignatus legitur. Nehemiæ 5.

Ob Conuicia.

Dicteriis aliquoties grauius quàm conuiciis lacessimur: quòd hæc crebrò fieri temerè uideamus ex bile: illa ut non necessaria, sed ex contumelia & maleuolētia nata execramur. Atque omnino cum dicacibus quàm cum nugacibus infestiore animo congredimur. Patet enim omne mordere cauillū: cauillum aūt maledictum cōtumeliosum esse, fieriq; ex destinato. Qui enim quempiam salsamentarium appellauit, is statim cōuicium fecit. Qui uerò ait, Meminimus brachio solitum te mungere, is cauillum iecit. Plut. lib. 2. Con. quæst. 1.

Cyaxares, Phraortis F. Deiocis nepos, Medorum rex, in irascendo peracerbus erat. SCYTHAS quosdam è patria profugos susceperat, eorumq; studio uenandi delectabatur. Accidit ut egressi Scythæ uenatum inanes redirent. Eos Cyaxares probris insequebatur. Illi iurgia non ferentes, quendam puerorum Medorum (quos equitare & arcum tendere docebant) mactatum, feraq; exuuiis tectum, loco ferinæ regi miserunt, & ipsi statim ad Halyattem Lydorum regem defecerunt. Herodotus lib. 1.

ZENO Eleates, cùm maledictis lacessitus incandesceret, reprehensus quòd philosophus uerbis improborum commoueretur: Si conuicia, inquit, æquo animo admitero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, non sentire discrimen inter laudantem & uituperantem: sed philosophi est, non ita cōmoueri, ut ab honesto recedat. Eras. in Apoph.

Ob Innocentiæ defensionem.

Excusabat Ionathas Dauidem apud patrem suum SAVLVM. At ille iratus dixit: Fili mulieris ultro uirum rapientis, nunquid ignoro, quia filium Isai diligis, in confusionem tuam? 1. Regum 20.

Ob Consolationem.

PERSES Macedonū rex à Paulo Aemilio uictus, duos ex suis se consolari adortos, unum post alium interfecit, ira & dolore præcipitantibus. Tā atrox facinus in causa fuit, ut confestim ab his, qui ad obsequium parati erant, sit destitutus. Plutarchus in Aemilio.

Ob Cunctationem.

L. SYLLA, Puteolis, ardens indignatione, quòd Granius princeps eius coloniæ, pecuniam à decurionibus ad refectionem Capitolii promissam, cunctantius daret, animi concitatione nimia atque immoderatæ uocis impetu conuulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum euomuit. Nec senio iam prolapsus, utpote sexagesimum ingrediens annū, sed alita miseriis Pop. Rom. impotentia furens. Igitur in dubio est, Syllāne prior, an iracūdia Syllæ sit extincta. Valerius libro 9. capite 3.

Ob Cladem.

ECELINVS tyrannus Patauinus, prælio uictus ad Soncinū, ubi res suas sensit una pugna accisas, uulnus quod in acie acceperat, fotum & circumligatum, frendens ira, in morem sæuientis feræ, dentibus & unguibus conscidit. Sabellicus lib. 9. cap. 3. Exemplorum.

Ob Nuntium infelix.

NERO Imp. cùm iam Galliæ defecissent, duce Iunio Vindice, ac mox Hispaniæ duce Galba, collapsus animo, cum inter prandendum audisset Galbam salutatum Imperatorem ab exercitu, mēsam subuertit: & ut Plinius inquit, duos calices crystallinos in suprema ira fregit: ac propè intermortuus, sine uoce iacuit. Suetonius.

MAXIMINVS Imp. ubi Gordianū Imp. contra se creatum cōperit, homo suo ingenio ferus, sic ira exarsit, ut nunc caput parieti impingeret, affligeretq; sese humi, ac uestē scinderet, nunc gladium temerè arreptum in uniuersum senatū uibraret, uerberaretq; si qui illi consolandi gratia apparerent. Emisisset & filio oculos, nisi ille ex sæuientis conspectu se maturè proripuisset: eo quòd cōfestim, Augustus appellatus, non Romam profectus esset, ut sui fuerat consilij. Hęc Iulius Capitolinus. Contrà ne signum quidem ullum doloris ab eo editum scribit Herodianus, sed totum biduum silētio exactum. Sabellicus lib. 6. En. 7.

Ob Famem.

Apud Plautum, PARASITVS quispiā destomachatur in eos, qui horologiorum usum commenti sunt, cùm uenter sit optimum horologium. Erasmus in Adagiis.

RESPECTV PERSONARVM, ERGA QVOS.

Erga Sacerdotes.

Sacerdotes arguebant Oziam regem Iudæorum, uolentē adolere incensum: iratusq; OZIAS, & tenens thuribulum, minabatur illis. 2. Paral. 26.

Erga Subditos.

Vide Titulum Tyrannorum.

DRVSVM Tiberij filium adeò uincebat ira, ut scribit Dion, ut uel insigni equiti plagas impingeret: quo argumēto Castor (inquit) est cognominatus. Cælius lib. 23. c. 20. A. L.

THEODOSIVS maior Imp. alioqui sanctissimus, nisi quòd iracundus admodum fuit, neq; iram refrenare potuit. Thessalonicæ propter seditionem in theatro ortam, immissis militibus septem millia trucidari curauit. Theodoretus libro sexto, capite 18.

Erga Medicos.

ALEXANDER Magnus, cū ex frigida natatione in Cydno fl. Ciliciæ rigore ac febre correptus esset, præstare sibi dicebat expeditè mori, quàm tardè sanari, quoniam prælium cum Dario instabat. Quare medicos increpabat, qui non accelerarent ualetudinem. Et ex eo animi affectu febris augebatur. Q. Curtius lib. 3.

Erga Amicos.

ALEXANDRVM Magnum iracundia sua propemodum cœlo diripuit. Nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni obiectus, & Clitus hasta traiectus, & Callisthenes mori iussus fuisset? Tres maximas uictorias, totidem amicorum iniustis cædibus uictor obscurauit. Valerius libro 9. cap. 3.

Erga Hostes.

Nunciatum est HOLOPHERNI, quòd filij Israel præpararent se ad resistendum ei. Exarsit igitur in iracundiam magnam. Iudith 5.

Cùm audisset AMAN, quòd Mardochæus non sibi flecteret genua, iratus est ualde. Esther 3.

Erga Coniuges.

Tobia dicente de hœdo balante, Videte ne furtiuus sit, &c. VXOR Irata respondit: Manifestè uana facta est spes tua. Tobiæ cap. 2.

Erga Seruos.

COTYS Thraciæ rex, quum esset natura celer ad iram, sæuus castigator eorum qui in ministerio deliquissent: hospes quidam ad illum detulit uascula fragilia tenuiaq;, sed scitè curioseq; cælata, tornoq; elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterùm uascula omnia confregit. Demirantibus cur id faceret? Ne, inquit, sæuiam in eos, qui ea fracturi erant. Prudentis enim est, naturæ suę morbum agnoscere, & uitio materiam præripere. Roterodamus lib. 5. Apoph. Cælius Rhodiginus lib. 23. cap. 20. Antiq. Lect.

L. Tarquinius Seruium Tullium Rom. regem socerum suum in curia per gradus deiecerat, subinde etiam per satellites in uia occidi curauerat. Tullia filia Seruij carpento in forū delata, prima uirum è curia accersitum regem salutauit, móxque in regiam properabat. Dextera currum flectere uolenti pauidus auriga inhibuit habenas: erat namque arctior uicus, ut nisi per stratum Seruij corpus, euadere non posset. Quærenti Tulliæ, quid in mora esset, cæsum patris cadauer ostendit. Tum illa arreptum, quod ad pedes habuit scabellum, in aurigam uiolenter intorsit, alta uoce increpās, Quid non ultrà tenderet? Ad quam uocem non minus ille, quàm ad plagam conterritus, per iacentis stragem mulas & carpentum egit. Sabellicus lib. 5. En. 2.

Erga Bruta.

Plutarchus in commentario περὶ τῆς ἀοργησίας, cuiusdam meminit CTESIPHONTIS pancratiastæ, qui per iracundiā mulæ calcitranti recalcitrarit.

QVIDAM, referente Plutarcho in libro περὶ ἀοργησίας, esi percussurus à quo agebatur asinus, quum is subinde inclamasset, Ἀθηναῖός εἰμι, Atheniensis sum: efferuescente amplius ira, fustibus asellum adortus, identidē cum bile & minis exacidinis uociferabatur, οὐ μὲν δὴ σύ γε Ἀθηναῖος, At tu Atheniensis non es. Cælius lib. 23. cap. 20. Antiq. Lect.

Erga Stirpes.

Arguit Dominus IONAM, quia irascebatur hederæ, quæ exaruerat. Ionæ quarto.

IRA NVLLA.

Aristot. in Rhetoricis πραότητα Iræ opponit, uel omnino non irascentem, uel debilius quàm par sit. Differt ab ἀοργησίᾳ siue πραότητι (quæ uitium in defectu est iræ) quia illic secundorum motuum, hîc primorum [illegible] Possunt tamen exempla eadem utrique loco inseruire. Definitur autem πραότης, esse κατάστασις καὶ ἠρέμησις τῆς ὀργῆς: quasi [illegible] cas frenum quoddam iræ naturale, à temperatura potius quàm à ratione proueniens. Virtus igitur, quæ περὶ ὀργὰς uersatur, ab habitu prouenit bono, & uicissim [illegible] habitu uitioso: [illegible] uerò non ab habitu, sed ab affectu pendet.

MOSES omnium hominum mitissimus, ad iram tardissimus, ad ferendam iniuriam patientissimus fuisse perhibetur. Numeri cap. 12.

HERCVLES cùm in Lyndum, Rhodi insulæ oppidum, delatus esset, famemque pateretur, aratorem quendam aspexit operantem, ab eoque petere cepit, ut sibi unum bouem uenderet. Enimuerò ille negauit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis iuuencis niteretur. Hercules solita uiolentia usus, quia unum accipere non potuit, utrunq; sustulit. At ille infelix, cùm boues suos mactari uideret, iniuriam suam maledictis ultus est. Quod homini eleganti & urbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumq; alienos boues deuorat, illum sibi amarissimè conuiciantem cum risu & cachinnis audiebat. Sed postquā Herculi diuinos honores ob admirationem uirtutis deferri placuit, à Lyndiis ciuibus ei ara posita est, quam de facto βούζυγον, id est, bouis iugum nominarunt: ad quam duo iuncti boues immolarentur, sicut illi quos abstulerat aratori, eūq; ipsum sibi constituit sacerdotē: ac præcepit, iisdē maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quòd negaret se unquam epulatum iucūdius. Lactant. lib. 1. Inst. relig. Christ.

Spartanorum rex CHARILAVS, leni fuit ingenio. Vnde ferunt eius collegam in regno Archelaum ad illos, qui adolescentem extollebant, dixisse: Quî uerò bonus uir sit Charilaus, qui ne aduersus improbos quidē acerbus esse potest? Plutarchus in Lycurgo.

Q. FABIVS Maximus dictator, tam clemēs per totā uitam, ut Ouiculæ nomine semper sit salutatus. Vol. lib. 16. Anth.

POMPONIVS Atticus nobilis eques Rom. & familiaris Ciceronis, erga domesticos tanta fuit facilitate, ut iurauerit, cum matre nonagenaria se nunquam in gratiam rediisse, cū sorore pariter nullam gessisse simultatem: dictitans, cū his, quos diligas, minimè irasci oportere. Nepos apud Volater. libro 18. Anthrop.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. nationes oēs, quę rebellionem fecerant, perhumaniter tractauit, neq; quenquā ex obscuris hominibus aut illustribus interfecit. Dion.

PROCLVS quintus episcopus Constantinopolis post D. Io. Chrysostomum præceptorem, uir eloquens, doctus & pius, tanta erga omnes fuit moderatione, etiam erga hæreticos, ut æmulis calumniandi occasionē dederit, quasi canis mutus esset. Sed hoc eius modestiæ & prudentiæ potius tribuendum erat. Hæreticis enim contradicebat, rei potius firmitate, quàm uerborum acrimonia fretus: præsertim cùm multos mansuetudine & lenitate reconciliari posse, plurimos uerborum seueritate magis inflammari uideret. Nicephorus lib. 14. cap. 37.

BENO deserti Thebaidis abbas, nunquā uisus est iratus. Qui nemini irascitur, nónne semper in pace uersatur? Profectò tametsi persecutiones sustinet, fatigātur persecutores, odij stimulis agitati: ille omnia æquanimiter ferens, in spe præmij cœlestis conquiescit, dicente Domino, Mihi uindictam, & ego retribuam. Marul. lib. 3. cap. 6.

IOANNES monasterij in Scythi positi abbas, cùm ad Pesium anachoretam uisendum uenisset (Volat. lib. 21. Episiū appellat) & ab eo quæreret, Quantum in solitudine per annos 40. quibus in ea permanserat, profecisset: isq; referret, quòd sol omnia collustrans nunquam se cōspexisset manducantem: Nec me iratum, respondit. Præerat ille monachis compluribus, & illorum errata ex charitatis officio seuerè puniebat, non tam quòd deliquissent, quàm ne in posterum indulgentia allecti delinquerent. Ibidem.

CAROLOMANNVS rex Francorum anno salut. 746. relicto regno fratri Pipino Romam ueniens, monachus factus est. Cæterùm pertæsus frequentiam salutantium, uno solo comite clàm noctu in montem Cassinum profectus, homicidij causa se è Francia pulsum excipi petiit. Susceptus & culinę ministerio addictus, cùm per imperitiam in multis offenderet, à coquo semel atque iterum colaphis cæsus, hoc unum respondit, Condonet tibi Dominus, frater, & Carolomannus. Cùm tertiò cæderetur ab impotente coquo, comes eius arrepto pistillo coquum atrociter percussit, inquiens, At tibi, nequam, neque Deus, neque Carolomannus parcat, qui uirum te multo meliorem & nobiliorem tam indignis modis exceperis. Causam tantæ audaciæ è uinculis dicere iussus, Carolomannum prodidit. Monachi ergo omnes agmine facto Carolomannũ adeunt, genibus eius aduoluti ueniã deprecantur. At ille uicissim seriò rogare, ne mendaci homini crederent. Sed tandē certiorib. indiciis cognitus, in summa apud oẽs ueneratione fuit. Regino lib. 2.

GABRIEL Brixiensis, ordinis Minorum, & Cardinalis presbyter, iurare solebat, se annos XXX. nulli mortalium succẽsuisse. Rauisius.

ALPHONSVS Tarraconensis, rex Neapolis & Siciliæ, nunquam uisus est iratus. Panormitanus.

SIGISMVNDVS I. Polonorum rex, priuatas iniurias, obtrectationes, conuicia, & maledicta insolentiorum hominum ita contemsit, ut nunquam uindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior. Cromerus.

TERROR EX OPINIONE INVADENTIS mali cuiuscunque.

IN GENERE.

Ἔκπληξις, Terror subitus & uehemens Galeno dicitur 12. Meth. 5. seu potius ipsa Consternatio, Terrorem subsequens.

ASIANI Europæis timidiores sunt, mansuetiores tamẽ, propter æqualitatem frigoris & caloris natiuam. Sed & propter leges. Multo maxima enim Asiæ pars sub regibus est. Vbi autem nõ in sua potestate uiuunt homines, neq; sui iuris sunt, sed dominis subiecti, ibi non multũ curant, quomodo se ad bellum præparent, quin potius curãt, ut ne bellicosi esse uideantur. Periculorum enim magna est inæqualitas. Hi siquidem in militiam proficisci, laboresq; perferre, ac mortẽ oppetere pro dominis suis coguntur, relictis interim domi liberis, uxoribus, ac reliquis amicis. Quòd si uiriliter & feliciter bellum gesserint, dominis inde cõmoda accedũt, eorũq; facultates inde augentur: ipsis præter pericula & cædes nihil demetitur. Deinde uerò huiuscemodi hominum animos mansuescere necesse, est etiam propter inertiam bellicam & otium, cùm ut quis maximè natura uirilis sit & animosus, legibus tamen à militari studio auertatur. Hippocrates de Aere aquis locis.

Non immeritò mẽtis ualetudini attribuuntur diuersissima uitia, summa confidentia, & contrà nimius metus in CAIO Cæsare. Nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura coniuere, caput obuoluere, ad uerò maiora proripere se è strato, sub lectumq; condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorũ miraculis, repẽtè à Messana noctu profugit, Aetnęi uerticis fumo ac murmure pauefactus. Aduersus Barbaros quoq; minacissimus, cùm trans Rhenum inter angustias, densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrẽ fore consternationem, sicubi de hostis appareat, equum illico cõscendit: ac properè uersus ad pontes, ut eos calonib. & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam & subsidia fugæ, classes apparabat: uno solatio acquiescens, transmarinas sibi superfuturas prouincias, si uictores Alpiũ iuga ut Cimbri, uel etiam urbem, ut Senones quondam, occuparent. Vnde credo percussoribus eius postea consilium natum, apud tumultuantes milites ementiendi ipsum sibi manus intulisse, nuncio malæ pugnæ perterritum. Suetonius.

AB INTELLIGENTIIS terreri.

Consule Tit. Ostentorum uariorum, quatenus qui ea uident, animo percelluntur.

SYRI Samariam obsidentes, Israelitas ad tantam annonæ penuriam redegerant, ut nec infantibus parcerent. At diuinitùs panico terrore incusso, cùm Aegyptiorum regem aduentare metuerent, noctu omnes fuga dilapsi, castra cum ingenti præda Israelitis diripienda reliquerunt. Ex 4. Regum, capite septimò.

Panici terrores existunt in castris, cùm subitò & equi & homines consternantur, nulla apparente causã. Pani autem sacra celebrare solebant mulieres cum clamoribus. Et Menander in Dyscolo, negat hunc deum tacitè accedendum esse. Ea quorum causa non apparebat, Pani tribuebant. Existimatur enim hostium accessus esse: & præ tumultu armis arreptis, inter sese pugnant. Theodorus Rhodiorum dux in Cõmentariis ait, optimum esse huiusmodi temporibus manere in armis, & quiescere: & ipse circumcursans clamabat, & per ministros denũciabat, ut omnes armati in tabernaculis manerent. Suidas. Pindarus in Nemeis scribit nõn oportere fortibus uiris uitio uertere, si fugiant in huiusmodi tumultu,

ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν. id est,
In diuinis terroribus fugiunt & filij deorum.

Narratur idem Deus concham illam tortilem ac turbinatam, quæ Græcè κόχλος, id est, testudo dicitur, primus reperisse, eaque personans olim Titanas, contra quos bellabat, in fugam egisse. Erasmus in Adagiis. Osirim regem à Typhone fratre nefariè cæsum quia subodorati erant, qui circa Chennin colebant Panes & Satyri, deque eo sermones seriierant, repentinos uulgi fluctus & pauores etiamnum inde Panicos uocant. Plut. in Iside.

Fuêre scriptores, qui tradiderunt, HVNNOS, posteaquã Rhemis in Gallia in omnes ubique tum in templo, tum in aliis urbis locis repertos, truculenter satis sæuissent, atq; prædæ ac direptioni urbis animum adiecissent: uidisse in aere cœlestes acies dimicare, audisse sonum fragoremq; terribilẽ templum edere. Quibus signis exanimatos, à præda abstinuisse, & ad diuersa quemq; loca extra urbem tremebundos fugisse. Vrbem deinde diu uacuam stetisse, tot martyrum cęde cõsecratam. Faces ardentes supra ciuitatis uerticẽ sæpe ac diu uisas: cantus cœlestes auditos: ciues plerosq;, qui metu tyrannorum aufugerãt, uisis tot signis diuinisq; prodigiis, ac cognita hostium abitione, ad urbem tandem reuertisse: & Nicasij episcopi, eiusq; sororis Eutropię, cæterorumq; martyrum corpora magnis lamentis atq; lacrymis sepulturę tradidisse. Olahus cap. 10. in Atila.

Anno imperij 18. CONSTANS Imp. germanum suum fratrem Theodosium interfecit: cùm quidem antè offensus ab eo, opera Pauli patriarchę tonsum, diaconum fieri coegisset, ab eoq; ipse sancto poculo sacrosanctis mysteriis exceptus fuisset. Is ergo Theodosius à morte sua Constanti crebrò per quietem uisus est habitu diaconi, poculum sanguine plenũ porrigens, atque dicens: Bibe frater. Eius uisi acerbitate ictus infelix Imperator, statuit in Siciliam abire. Itaque in urbe relinquens uxorem & tres filios, celocem conscendit: cumque soluisset, conuersus retrò, urbem Imperij sedem cõspuit. Cedrenus.

ISAACIVS Angelus Comnenus Imp. Constantinopolitanus cùm circa Nouam urbem uenaretur, aper terribili specie ad mare properans apparuit. Eum cùm insectaretur, ille in mare incidẽs disparuit. Imperator turbatus, equo decidit, spuma circa os apparente. Pòst aliquandiu ægrotans, ad desperationem redactus, caput radi curauit, & monasticum habitum assumens, priuatus postea uixit, Constantino Ducę tradito imperio. Hæc Zonaras, ex Thracesio.

MEDIOLANENSIS quidam plebeius homo, cùm hora noctis tertia à labore rediret domum, uidit lemurem insequentem. Quam cùm effugere conaretur, ocyus citato pede abibat: sed à spectro captus, atq; in terram proiectus, exclamare nitebãtur, sed non poterat. Tandem cùm diu in terra cum larua uolutatus esset, inuentus à prætereuntibus quibusdã semiuiuus domum relatus est, & octo diebus periit. Cardanus de Subtilitate, lib. de Mirabilibus.

A TYRANNIS.

Vitoldi Lituaniæ ducis crudelitatem adeò expauit GENS alioqui ferox, & mortis contemtrix, ut multi eius imperium secuti, ultro sine carnifice uitã finierint, ueneno aut laqueo. Aeneas Syluius.

AB HOSTIBVS.

Vide Locum Stratagematum, Terrere hostes

Aduentu hostium terreri.

AMORRÆORVM reges omnes & CANANÆI, cùm audissent, Israelitas siccis pedibus Iordanem superasse, incredibili terrore exanimati sunt. Iosua cap. 5.

P. Scipionis traiectus in Africam CARTHAGINENSIBVS nunciatus, sic ciuitatem turbauit, ut cõclamatum esse ad arma, stationesq; in portis murisq; dispositas, quidã autores sint. Nam à M. Regulo usq; ad eum diem quinquaginta propè annorũ intercesserat spacium, ex quo nullus imperator Romanus cum ualido exercitu terram Africam intrauerat. Augebat etiam terrorem Scipionis nomen, cui Carthaginẽses quem ducem aut opponerent, aut parem arbitrarentur, non reperiebant. Auctor uitæ Scipionis.

Quum anno 1536. CAROLVS V. Cæsar & Galliæ rex FRANCISCVS, hortatu Pauli III. Pont. ad Nicæam Prouinciæ urbem, in colloquium uenturi crederentur: & de perpetuæ pacis ineundæ ratione utrinque legationes mitterentur: in ipso Villafranchæ portu, ubi Cæsariana classis stabat, accidit, ut cùm nonnulli sub meridiem otiosè maria & colles à tergo, in altissima Alpium iuga assurgentes, prospectarent, densam nubem fumi instar, in altum eleuatam conspicerẽt, & pleriq; aduentantis Turcicæ classis ad opprimẽdos summos Christiani nominis principes signum id esse suspicarẽtur. Magno ob id tumultu & trepidatione orta, tandem cõpertum est, à uillico eam nubẽ densi pulueris, quæ fumi speciem referret, excitatam fuisse, quum ille in area fabarum acervum cribrando & uentilando à siliquis secerneret. Ergo omnes ex summa trepidatione in risum & cachinnos soluti sunt: sic ut ipsorũ principum & ducũ intellecta præproperæ credulitatis contumelia, non obscurus pudor mentes perfunderet, atque inauditæ trepidationis inanis metus iocosis omnium sermonibus celebraretur. Iouius libro trigesimoseptimo Hist.

Aspectu.

EXPLORATORES duodecim Israelitarum à Mose in Chananæam missi, cùm Chananæorum opes & uires, urbes munitas, soli fertilitatem, corporum proceritatem uidissent, timore correpti, posteaquam ad suos redierunt, eis dissuaserunt, ne terram illam inuaderent: solo Calebo & Iosua exceptis. Numeri 13.

TROIANI prodeuntem uidẽtes Aiacem, armis fulgentibus coruscum, singulari certamine cum Hectore pugnaturũ, regi suo metuentes tremuisse perhibentur Iliad. η.

Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ἐπήλυθε γυῖα ἕκαστον.

Sed & ipsi Hectori cor palpitabat:

Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν.

QVIDAM natura timidus, audita Herculis fama abdiderat se præ metu in specum quandam: deinde cũ aliquando prospectaret, & Herculem forte fortuna prætereuntem uidisset, immodico metu exanimatus est, ac protinus diriguit, in saxum uersus, quod adhuc uisitur specie uiri, uelut à specu prospicientis. Vnde τὸν παρακύπτοντα, saxum illud uocant. Hinc prouerb. Ἀκινητότερος τοῦ παρακύπτοντος. Suidas.

Pyrrhus Epirotarum rex, Argos ingressus, suis cedentibus, de fenestra dimissis saxis ad terram prostratus fuit. Humi autẽ iacens, à ZOTYPO inuentus, cùm ut caput adimeret galeam ei Zotypus detraxisset, parum absuit, quin inuiolatus ab eo relinqueretur, adeò Pyrrhi conspectu perterritus est. Cæterùm facinoris horrorem uincẽte auaritia, Zotypus ob præmium quod inde sperabat, ad amputandum caput reuersus, adeò uerenter operi manum apposuit, ut uultum cõspicere non auderet, sed citis ictibus gladio collum, & pro collo interdum os ipsum percutiens, uix tandem caput amputare potuerit. Plutarchus.

Ad C. Marium in Minturnensi carcere intromissus CIMBER quidam, ut eum trucidaret, solo illius aspectu sic territus fertur, ut re infecta reuerti cogeretur. Etsi alij uocem ab illo auditam tradant, à Mario abstinere iubentem. Idem.

Clamore, Strepitu.

Lacedæmonij in acie fundis & neruis quibusdam uiolẽter cõcussis, & strepitum horrẽdum edentibus, HOSTIBVS metum incutere consueuerant. Eras. in Adagiis.

Romani sub pugnæ initio adeò magnis clamorib. obstrepebant, ut Iosephus coactus sit HEBRÆORVM suorum militum aures obstruere, ne uel strepitu terrerẽtur, aut attoniti fierent. Cardanus de Subtilitate, lib. de Anima & intel.

Cùm Arnulphi Imp. (qui à pontifice Formoso propter seditionem ciuium uocatus fuerat) milites Germani leporem uersus urbem fugientem insequerentur cum clamore: ROMANI eos ad oppugnationem accedere suspicãtes muros reliquere. Quo conspecto Germani propugnatoribus uacua mœnia occupauere. Sigebertus an. 900.

Nomine.

GARSIAS Sancij F. rex Nauarræ dictus est Tremulosus, eo quòd quando rumores belli audiebat, uel debebat in prælio experiri, à principio totus tremebat: etsi postea animosissimè persistebat. Rodericus Toletanus libro 5. rerum Hispan. capite 23.

Imp. Phocas Narsetem insignem & egregium ducem contra iuramentum uiuum combussit, qui tam formidabilis fuerat PERSIS, ut pueros ij quoque suos nominando Narsete terrerent. Cedrenus.

Stephanus II. Vngarorum rex formidolosus usq; adeò GRÆCIS Mysisq; est habitus, ut ad mentionem Stephani regis, uagientes peruicacius infantes præ formidine conticescerent. Bonfinius lib. 6. Dec. 2.

Apud TVRCAS Ioannis Huniadis, ducis fortissimi, nomẽ usque adeò fuit terrificum, ut nutrices ad comprimendos infantulorum uagitus Huniadem, adesse cõfingerent. Aeneas Syl. cap. 5. Europæ.

Pariter Austriacæ matres MATHIÆ Vngariæ regis nomine infantibus terrorem incutere solebant acclamanes, Mathiasske kompt.

Apparatu.

PALÆSTINI contra Israelitas castris positis, cùm eos arcam Silunte in castra portasse audirent, metu maximo consternati sunt, memoria repetentes, quænam Iosua hac arca comitatus patrasset. At receptis tamen animis, Israelitas magna clade affecerunt, & arcam ceperunt. 1. Reg. 4.

M. Marcello Syracusas oppugnante, Archimedes omnes illius conatus arte sua elusit: tantaque trepidatio cepit ROMANOS, ut si uel funiculum uel exiguum lignum ex muro cõspexissent, eo ipso machinam aliquam mouere in ipsos uociferantes Archimedem, terga uerterent, fugerentque. Itaq; absistere Marcellus prorsus à conflictu & oppugnatione coactus, posuit spẽ reliquã in longa obsidione. Plut. in Marcel.

Victoria.

Consule Titulum Fuga bellicæ.

Atheniensibus duce Nicia fœdè profligatis atq; captis in Sicilia à Syracusanis, peregrinus quidam, qui in Pyræeum descenderat, & in tonstrina sedebat, quasi re ATHENIENSIBVS iam nota, sermonem habuit de gestis illis. Tonsor, ubi audiuit, prius quàm diuulgaretur apud alios, cursu contendit in urbem: ac cùm ad archontas contulisset se, detulit ilicò ea dicta in forum. Pauore & trepidatione insecuta, archõtes aduocata cõcione hominem produxere. Qui interrogatus, de quo accepisset: cùm nihil certi haberet dicere, pro mẽdace & ciuitatis turbatore in rotam deligatus, & diu tortus est: donec aduenerunt, qui totam cladem ordine annunciarunt. Plutarchus in Nicia.

Mithridatis EXERCITVS, cùm in eum L. Lucullus arma mouisset: & in Armeniorum castris esset nunciatum, Menandrũ, Menemachum atq; Mironem, Mithridatis duces, qui pabulatoribus præsidio fuerant, à Lucullianis militibus fusos fuisse, adeò territus est exercitus, ut omnib. sua extra castra ferentibus, ob strepitum Mithridates excitaretur: tentorioque egressus, ut quidnam id esset inspiceret, à suis solus & pedes desertus est. Cùm autem ita omnia ob eam rem in castris perturbarentur, ut sublata imperij reuerentia, cui plus uirium erat, is ex alieno plura raperet: atq; prædandi initio à Mithridatis rebus facto, omnis eius preciosa supellex diriperetur: eò militaris temeritas progressa est, ut Dorylaus militaris præfectus ob id solùm occideretur, ut ei insignem uestẽ, quã habebat, milites adimerent. Ea militum perturbatio, quæ ipsorum duntaxat culpa orta erat, Lucullo uincendi rationẽ auxit. In qua clade non minus Mithridates, quàm reliquus exercitus, cũ omni castrensium rerum copia, quibus Armenij aut stultè timebant, aut eas in prædam uertebant, captus fuisset, nisi eum Ptolemæus eunuchus in equum suũ statim sustulisset. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Sub Augusto Cæsare, Germani, post Drusi interitum, Quintilij Vari, qui cum legionibus tribus ad præsidium prouincię remanserat, libidinem & auaritiam pertæsi, Arminio duce arma ceperunt, Quintiliumque incautum in castris ius dicentem subito accessu, nullo interiecto certamine, cum tribus legionibus ceciderũt. Cuius cladis nuncius ROMAM perlatus, adeò ciuitatem perculit, ut excubiæ sint in urbe indictæ, ne quis in summa trepidatione existeret tumultus. Et Augustus adeò ea legionum iactura affectus dicitur, ut per continuos tres menses barbã capilloque submisso, nonnunquam caput foribus impingeret, uociferans, Quintili Vare redde legiones: diemque, quo clades illa accepta est, quotannis mœstum & lugubrem habuit. Sabellicus lib. 9. Enn.

[redacted]

Cæso in Senatu Cæsare progressus in medium [redacted] coniuratorum dux, instituit uerba facere, retinereque & confirmare PATRES. At illi inconditè fugerunt trepidãtes, fuitq; circa fores impulsio & tumultus, nemine iis instante uel agente. Quippe firmiter hoc decreuerant coniurati, neminẽ preterea interficere, sed reuocare ad libertatem omnes. Inde ad Capitolium perrexerunt sanguinolẽtis manibus nudos præ-

præferentes pugiones, ciuesq; uocauerunt ad libertatem. Primùm editi clamores ſunt, & diſcuſſus tale factũ fortè comitans maiorem conciuit tumultum. Cæterùm ubi nulla præterea cædes neq; direptio rei ullius ex tabernis conſecuta eſt, multi ad eos in Capitolium fidenter ex patribus & popularibus aſcendere. Plut. in Cæſare & Bruto.

IO. GORRÆVS, Pariſienſis medicus, is qui præclarum illud Medicinæ Lexicon edidit, cùm à Meldunenſe epiſcopo ualetudinis ergò accitus domum reuerteretur, nequid periculi ſibi, religionis nominis ſuſpecto, à Pariſienſibus ſub crepuſculum, quo urbem ingreſſurus erat, crearetur (bello enim ſacro tunc uniuerſa ardebat Gallia) rheda Epiſcopi cõſceſſa, in ea latebat. Pariſienſes quidam, creditores epiſcopi, cùm debiti ſolutionẽ multo iam tempore fruſtra expectaſſent, rhedam inuadunt, bonis quę illic ueherẽtur per uiatorem interdicturi. Ea res tãtum terroris Gorrço, qui ſe ob religionem peti exiſtimabat, incuſſit, ut in errorem mentis inciderit, nec niſi longò pòſt tempore ſanitati reſtitui potuerit. Huberti Langueti ὑπόμνημα.

A B ANIMALIBVS.

ZENO Citticus, quum canem inuadentem repuliſſet, reprehẽſus à quodam, quòd ἀπαθείᾳ illa Stoica, quam profiteretur, indignum feciſſet: Perdifficile eſt, inquit, prorſus hominem exuere. Laertius lib. 9. cap. 5.

Τὸ λέοντος ἴχνη ζητεῖς, id eſt, Leonis ueſtigia quæris: dicebatur olim in eum, qui uerbis ferox eſſet, re timidus. Ductum ab apologo quopiam Aeſopico, quo narrat VENATOREM quẽdam paſtorem obuium rogaſſe, nuncubi leonem uidiſſet, ut eũ ſibi cõmonſtraret. Atq; eum reſpondiſſe: Equidem tibi leonis ueſtigia mox oſtẽdero: neq; enim procul abſunt. Tum ille, Satis eſt, inquit, neq; enim ultra quicquam requiro. Eraſmus in Adagiis.

Auguſtus Cæſar deambulabat cum DIOMEDE liberto ſuo. Effractis caueis aper proruperat, rectaq; ad Auguſtum tendere uidebatur. Libertus, in quo formidinis quàm prudentiæ plus erat, apprehenſo Auguſto, ſe poſt eum texit. Ea re Auguſtus neque iræ, neque commoti animi aliqua ſigna oſtendit. Suetonius.

Heliogabalus ebrios AMICOS plerunq; claudebat, & ſubitò nocte leones, & leopardos, & urſos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo codẽ, leones, urſos, pardos, cum luce, uel quod eſt grauius nocte inuenirent: ex quo pleriq; exanimati ſunt. Lampridius.

Iacobo IV. Scotorum rege ad Galliarum regẽ ORATORES miſſi (quorum princeps erat Iacobus Ogiluius) in Noruegiã abrepti, quum in litus egreſſi eſſent, non ita longè in montibus homines, ut apparebat, uilloſos, ac quales uulgò pingunt ſylueſtres appellatos, diſcurrere uiderunt. Mox ab incolis edocti ſunt, belluas eas eſſe, humana effigie, mutas, homines inſigni perſequentes odio: cæterùm per lucem adeò, meticuloſas, ut nec in aſpectum quidem prodire audeant: per noctem, uillas gregatim inuadere, niſi eas deterrentes canes arceant, ad quorum latratum ſtatim fugiunt: ſin per noctem canis abſit, effractis foribus, ædes irruentes, cùm tenebræ reuerentiam humani oris occultent, quicquid in ea eſt occidere ac deuorare. Sunt enim tam immani corporis robore, ut mediocris magnitudinis arbores manibus euellant radicitus, & ramis inter ſeſe depugnent. Qua re exterriti legati, factis per noctem ingentibus ignibus, ac uigiliis diſpoſitis, ubi nulla accepta noxa illuxiſſet, poſtridie immania linquentes litora curſum ſuum læti repetierunt. H. Boethius in Scotia.

FERDINANDO Aragonio Neapolitanorum rege Canuſiũ uerſus cum exercitu profecto, exploratores præmiſſi agmẽ ceruorum compaſcentium per noctem, quorum in ea regione belli tẽpore maxima eſt copia, animaduertentes, inſigni errore Nicolaum Picininum, cum Io. Andegauenſi, qui regnum affectabat, & Tarentino principe ſe coniunxiſſe, & in armis inſtructos ſtare crediderunt, regiq; retulerunt. Ferdinandus, quòd tanto hoſti imparem ſe eſſe metueret, exercitum retrò Barolum duxit. Pontanus lib. 2. belli Neapol.

[redacted]

A GLADIO IMPENDENTE, imminente, ſtricto.

DAMODES philoſophus aſſentator, cùm Dionyſij Syracuſij tyranni potentiam & opes extolleret, beatamq; diceret eius uitam, in tanta rerum opulentia: Dionyſius eundem perendie uocauit ad cœnam, gladiumq; ſeta ligatum ſupra caput eius appẽdi iuſſit. Quo ille ſtatim inter cœnandũ cõſpecto, prę nimio ſuperimminẽtis periculi metu, regalib. mẽſis abſtinuit. Hoc pacto Dionyſius, tyrannos uiuere, ac inter magnificos apparatus, imminentibus periculis cruciari ſignificauit. Cicero in Tuſculanis.

Iphicrates capitis reus, iuuenes cum gladiis in iudicio collocauit: qui monſtrantes capula IVDICIBVS, terrorem eis incuſſerunt, ita ut reum abſoluerent. Polyænus lib. 3.

Capto à Brugenſium plebe Maximiliano I. & multis ciuibus, qui eius partes fouebant, necatis, NICOLAVS de Helſt, pridem penſionarius, cum aliis accepit mortis ſententiam: ſed iam ſub ictu gladij acclamante populo miſericordiam, meruit uitam. Cæterùm mortis uicinæ metu conceptum pallorem per totam reliquam uitam retinuit. Cranzius libro 13. capite 10. Saxoniæ.

A FASCIBVS.

Erant Romæ Fabio Ambuſto filiæ duæ, quarum maior Seruio Sulpitio, tum conſulari poteſtate Tribuno nupſerat: Licinio Stoloni altera, illuſtri quidem uiro, ſed plebeij ordinis. Erat fortè minor FABIA apud ſororem, tempusq; cum ea, ut ſit, terebat. Accidit interea, ut lictores, qui magiſtratũ præcedebant, oſtium Tribuni, ſe domum recipientis, uirgis de more percuſſerint. Quo ſonitu exterrita minor Fabia, cõſuetudinis ignara, ludibrio fuit ſorori, urbanarumq; rerum rudis iudicata. Qui contemtus poſtmodum magnos in urbe concitauit motus. Sab. lib. 2. En. 4.

A TONITRV, ECLIPSI.

ARCHELAVS Macedonum rex in ſolis deliquio, rerum naturæ ignarus, & pauore attonitus, feſtinantius occludi regiam imperauit, & quod aſſolebat in magno plerumq; mœrore, comam filio decurri iuſſit. Cælius libro ſeptimo, capite 28. Lect. Antiq.

Bello Macedonico, quo Perſes rex debellatus fuit, ingens Solis defectus contigit, quo non MACEDONES tantùm regni ſui excidium metuentes, uerumetiam ROMANI ipſi uehementer territi fuère, quo ad Sulpitius Gallus ex aſtronomia petitis rationibus Romanos ſuos confirmauit. Plutarchus in Aemilio.

AVGVSTVS Cæſar tonitrua & fulgura paulò infirmius expaueſcebat: ut ſemper & ubiq; pellem uituli marini circumferret, pro remedio: atq; ad omnem maioris tempeſtatis ſuſpicionem, in abditum & concameratum locum ſe reciperet: conſternatus olim per nocturnum iter tranſcurſu fulguris. Suetonius.

TIBERIVM principem tonante cælo coronari lauro ſolitum ferunt, contra fulminum metus. Plin. lib. 15. c. ult.

C. CALIGVLA, qui Deos alioqui contemnebat, ad minima tonitrua & fulgura conniuere, caput obuoluere, ad uerò maiora proripere ſe è ſtrato, ſub lectumq; condere ſolebat. Suetonius in Caligula.

ALEXANDER III. pontifex in Francia agebat, ut aduerſus Imperatorem Fridericum I. ſibi conciliaret cæteras nationes. Apud Senonas die Paraſceues, quum faceret diuinum officium, horribiles factæ ſunt tenebræ: & dum lector paſſionem Dominicam perſonaret, perueniretq; ad eum locũ, Conſummatum eſt, fulgur tam ſtupendum cecidit, & tantus fragor intonuit, ut Alexãder dimiſſo altari, & Lector omiſſa paſſione, ac omnes qui aderant, fuga ſibi cõſulerent. Cranzius lib. 6. Metrop. cap. 46.

FRAN. Petrarcha tonitrua & fulgura mirificè expaueſcebat. Hier. Squarzaficus.

VENCESLAVS IV. Boemorũ rex, fulgura & tonitrua adeò expaueſcebat, ut aſſiduè reliquias ſanctorum circumferret: & ſi copia templi uicini aderat, in illud ſe penetrabat, admotusque altaribus, Deum auxiliatorem deprecabatur. Dubrauius.

PHILIPPVS Vicecomes fuit natura pertimidus uſqueadeò, ut uel mediocri tonitru audito formidine quateretur, & ſubterraneas latebras amenti ſimilis quæritaret. Iouius in Philippo.

AB AQVA, NAVFRAGIO.

ARISTIPPVS Socraticus philoſophus cùm in mari periclitaretur, expalluit. Eam ob cauſam cùm miles quidam ei inſultaret, quòd parum philoſophicè ſe geſſiſſe uideretur, cũ ipſe nihil metueret: reſpondit, Non eadem cauſa tibi atque mihi fuit metuendi. Tu pro anima nebulonis ſollicitus non fuiſti, ego autem pro anima philoſophi. Aelianus libro nono Var. hiſt. & Gellius libro decimonono, capite primo, ubi φαντασίας quidem mali Stoicos moueri aſſerit tanquam homines, at συγκατάθεσιν non addere. Repetit D. Auguſtinus libro 9. de ciu. Dei, capite 4.

A CARDVIS.

Carolo Burgundo cum Proceribus Francorum Ludouicum XI. regem PARISIIS obſidente, nocte intempeſta uigiles caſtrorum audiuere uocem cuiuſdam, qui diceret, ſe à certis hominibus, quos nominabat, & ſtudioſis Ducũ miſſum eſſe, ut nunciaret eis, ſtatuiſſe Regem ſummo mane omnibus copiis in tria agmina diuiſis eorum caſtra oppugnare: proinde ſibi cauerent, ne incauti opprimerentur. Excitati ſtatim exercitus, ut arma caperent, miſſique ſole orto exploratores, retulerunt uidiſſe ſe ingentem uim haſtatorum. Iterum miſſi alij equites, idem cõfirmarunt. Multo tandem die caligine diſcuſſa, liquidior lux errorem aperuit: Carduos ſcilicet, quibus ſuburbanus ager ueſtitur, haſtas timidis uiſos eſſe. Aemilius libro decimo.

A STATVIS.

CASSANDER Antipatri F. cùm Alexandrum Magnum Babylone conueniſſet, eique ob ſuſpicionem inſidiarum parum gratus eſſe uideretur: ingenti terrore correptus fuit, ſuſpicionem regis metuens: uſque adeò ut inſecutis temporibus regnum Macedoniæ obtinens, & Græciæ dominus, cùm Delphis inambularet, contemplareturque ſtatuas, ſimulacro conſpecto Alexandri, ſubitò horrore toto contremuerit corpore, & ad illius imaginis conſpectũ æſtuans ægrè collegerit ſe. Plut. in Alexandro.

TERRORIS VACVITAS. IMPERTERRITI.

Facit hæc Animi tranquillitas ad toleranda ſimul & propulſanda mala conſtantes & fortes. Proinde ex Fortitudine tolerante & propulſante locus iſte illuſtretur.

A SPECTRIS non terreri.

HILARIONEM abbatem, adoleſcentulum, in ſolitudine habitantem, tota nocte quæritantes latrones inuenire nequiuerunt, licet locus illis ignotus non eſſet. Vt autem illuxit, inuẽtum de improuiſo circũſtetère, & mirati quòd intrepidus expectaret rei euentum: Quid tu hic, inquiunt, adoleſcens, ſi te adorirentur latrones? Nudus latrones non timet, reſpondit. At ſi uitæ, aiunt, intentaretur periculum? Nec id quidem timet, inquit, qui paratus eſt mori. Tunc illi ſtupentes, propoſitum mutant, crimen confitentur: ueniam poſcunt, & impetrant. Sabellicus lib. 8. cap. 8.

AB HOSTIBVS non terreri.

PYRRHVS Epirotarum rex etiam in conflictu à belli terroribus minimè mouebatur. Verùm manibus & corpore intentus in prelium, cum iis in quos inciderat dimicabat ſtrenuè: neque turbabatur animo tamen, neque deſtituebatur mente: uerùm ut ſi extra pugnam eſſet, gubernabat bonis conſiliis certamen, atq; accurrebat ipſe, ubicunq; laborari uideret, ad ferendum auxilium. Plut. in Pyrrho.

Vitige Romam obſidente, cùm interciſis aquæductibus, neque lauari, neque potare multitudo poſſet, ac præterea mœnibus cuſtodiendis inuigilare aſſiduè cogeretur, atque agros, & tecta ſua uri à Gotthis ex mœnibus proſpectaret, ęgrè ferre cepit, quòd tantis malis inſons afficeretur. Itaque BELISARIO liberius maledicere, quòd ſine idoneo præſidio auſus eſſet cum Gotthis bellum ſuſcipere, atque eadem etiam ſenatores ei exprobrare. Quibus rebus cognitis, Vitiges, ut res Romanas maiore tumultu miſceret, oratores in urbem miſit, qui ad Beliſarium, præſentibus ſenatoribus, & exercitus ducibus, ita loquuti ſunt: Si uiribus ſuis confiſus hoc bellum intuliſſet, poſſe eum è muris Gotthorum copias cum ſuis comparare: ſi audacia, fore, ut breui temeritatis ſuæ pœniteret. Proinde ne Romanos diutius miſeros haberet, quos Theodericus florentiſſimos eſſe & beatiſſimos uoluiſſet: nec regi Italorum atque Gotthorum reſiſteret, cùm ipſe incluſus ac de ſe ſolicitus Romæ ſederet: Vitigem liberam ipſi abeundi poteſtatem permittere, Romanis, uenia proditionis facta, priſtinam benignitatem ſpondere. Quibus Beliſarius, Belli arbitrium non in eorum eſſe poteſtate, ſed ſua: ſe autem daturum operam, ut Gotthi uix locum inter ſenticeta ad caput occulendum reperiant: ſe, cùm Romam cepit, alienum nihil occupauiſſe: Gotthos prædonum more eam cepiſſe, atque inuitis priſtinis poſſeſſoribus, tenuiſſe. falli autem, ſi ſe eam recuperaturos ſperent: eius certè uoti, uiuente Beliſario, compotes non futuros. Romanis tacentibus, neque ad ea, quæ de proditione illi dixerant, reſpondentibus, Fidelius uir antiquæ uirtutis Gotthos irriſit, & ea, quę dixerant, refutauit. Legati in caſtra reuerſi, rogãti Vitigi, quo animo eſſet Beliſarius, nunquam eum metu ceſſurum aſſeruerunt. Itaque animum ad oppugnationem urbis adiecit. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

AB ANIMALIBVS.

C. FABRICIVS Lucinus legatus miſſus ad Pyrrhum regem, cùm ille experiundæ fortitudinis Fabricij cauſa, poſt aulæa occultatum elephantum ex improuiſo barritum edere feciſſet: nihil planè territus, id ſolum ſubridens dixit: Neq; aurum tuum me hèri, ô rex, nec hodie elephas tuus perterrefecit. Plutarchus in eius uita.

ACTIVS Vicecomes, quum patris Galeacij iuſſu Caſtruccio, Piſtorium urbem à Florentinis occupatam armis recuperaturo, opem laturus Apenninũ tranſiiſſet, deſcendens equo requieſcebat. Ibi ingens uipera nullo comite aduertente in galeam iuxtà poſitam irrepſit. Quã cùm mox capiti reponeret, innocuo lapſu per decoras interriti ducis genas illa deſcendit. Eam à nemine lędi paſſus animoſus adoleſcens, ad omen geminę uictoriæ traxit: hinc pręcipuè, quòd ipſe pro ſigno bellico uipera uteretur. Iouius in uita Actij ex Franciſco Petrarcha.

EXCOMMVNICATIONE.

[redacted]

PETRVS Aragonum rex, Carolum Andegauenſem Siciliæ regno deiecerat. Martinus IV. Pontifex maximus Petrum nominatim numero impiorum habendum ſanxit: ſacrum in eũ bellum decreuit: ius regni etiam Tarraconenſis ei abrogauit: idq; Carolo Valeſij Comiti, Philippi III. regis Franci ex ſorore Petri filio attribuit, ne in alienam cognationẽ transferri ſceptrum populares conquererentur: eosq; à uinculo fidelitatis, iuriſq; iurandi religione ſoluit, qua ſe Petro obligarant. Milites, ut ſacra militia, Cruce pro inſigni belli utebãtur. Petrus, quia Pontifex nomen ei Regium ſanctione abrogarat, uetueratq; ei Regi adſcribi, per ſuperbam ludificationem, Pater duorũ Regnorum, mariſq; dominus, ſcribebat. Anno Chriſti 1285. Aemilius lib. 5.

In obſidione Nouarienſi, quo auctoritate armiſq; ſacratis, humanis uiribus fauorem conciliarent, Veneti cum Ludouico Sfortia à Pontifice Alexandro VI. impetrarunt, ut is fecialẽ unum ex iis, qui clauam argenteam præferunt, ad CAROLVM IIX. Galliæ regem tunc Vercellis ſubſiſtentem mitteret, qui ei præciperet, intra decimum diem ipſe cum eis copiis, quas ſecum haberet, Italia diſcederet. aliud item breue temporis ſpacium præſtituit, quo ſuos omnes à Neapolitano regno deduceret: alioqui pœnis illis, quas Eccleſia minari ſolet, propoſitis, ſeſe Romam coram ipſo ſiſteret: quo remedio Pontifices olim ueteres uſi ſunt. Ille uerò irridẽs mãdatum reſpondit: ſe Neapoli redeuntem, quò ei pedes reuerenter oſcularetur, Romam ueniſſe, ſed Pontificem ibi expectare noluiſſe: ſe mirari, eum nunc tantoperè, ut Romã ueniat, urgere: uerùm tamen ut ei pareat, in id incumbere, ut ſibi uiam quæ Romã ducit aperiat: rogare, ne fruſtra hoc incommodi ſuſcipiat, ſe expectare in urbe ne grauetur. Guicciardinus libro 2.

MORTE.

Vide locum, Mortis tolerantia.

EXILIO.

C. MARTIVS Coriolanus perpetui exilij pœna à pop. Rom. damnatus, imperterritus & infractus geſtu, & inceſſu, & uultu conſtans, in ſumma perturbatione ſenatus, nihil fortuna ſua motus uiſus eſt: non ratione aut animi lenitate, aut quo caſum ſuum ferret modicè, ſed quòd eſſet ira oppreſſus & indignatione, quam pleriq; neſciunt ægritudinem eſſe. Plut. in Coriolano.

MOEROR, LVCTVS.

OB PERICVLVM imminens.

Cùm audiſſet MARDOCHÆVS iniquam ſententiam contra Iudæos prolatam, ſcidit ueſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti ſuo, & cum eſulatu clamans, animi ſui amaritudinem oſtendebat. In omnibus quoque prouinciis, ad quas crudele regis edictum peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, ululatus & fletus. Eſther cap.4.

OB MORTEM, Reſpectu *Perſonarum*.

IN GENERE.

Legislatorem LYCIORVM præſcripſiſſe ferunt ciuibus ſuis, quando lugerent, ut ſtola uelati muliebri lugerent. quo demonſtraret, eſſe luctum muliebre quid, atque à dignitate uirili alienum, & ab iis, qui ingenuas artes profiteātur. Plutarchus in oratione conſolatoria, & Val.Max.lib.2.c.1.

Sunt ad luctum [redacted]

Linum Vraniæ & Amphimari filium, Muſices gloria præſtantem, & Apollini ſe conferentem, Apollo occidit. Eius mortem non GRÆCI tantū, ſed & Barbari luxerūt. Aegyptij enim ab illius nomine carmen lugubre Emanerum dixere, quod Græci Linum, Pamphus Athenienſis poeta Octolinum, id eſt, Flebilelinum appellauit. Meminit & Hom. in Scuto Achillis cantionis Lini. Sappho Adonim ſimul & Octolinum decantauit. Diuerſus ab hoc eſt iunior Linus, Iſmenij F. ab Hercule, cuius in muſicis præceptor erat, occiſus. Pauſanias in Bœoticis.

Principum, Ducum.

Præclarum ſtudium HEBRAICÆ fuit gentis in Moſem, qui populum ex Aegypto eductum in libertatē aſſeruit. Eum enim uita defunctum, & in monte Nabone diuinitùs ſepultū, uniuerſa multitudo tricenos luxit dies: diutius luctura (ut credere fas eſt) niſi mos gentis obſtitiſſet. Sabel. lib. 10. c. 14. ex Deuteronomij cap.34.

Aron cùm in montem Horem cum Moſe aſcendiſſet, ex Domini iuſſu, & à Moſe ueſtimentis ſacerdotalibus exutus, & Eleazarus filius iis indutus fuiſſet, mortuus eſt in montis cacumine: cumque ISRAELITÆ per triginta dies deplorarunt. Numeri 20.

Saulum, qui primus in Iudæa rex fuit, Philiſteo bello cum filiis ad Gelboen montem interfectum, & ad ludibriū gentis crucis patibulo ſublatum, IVDÆI noctu ſuſtulerunt, cadauer funerarunt publico luctu in parte Galaaditanæ terræ, ieiunio ſeptem dierum omnis ſexus & ætatis indicto. Sabellicus libro 10. cap.14.

Ioſias Iudæorum rex cùm ex uulnere in prælio accepto obiiſſet, ab omnibus IVDÆIS deploratus fuit, & Hieremias ꝓpheta næniam ſuper eo cōpoſuit, omnesq; cantores recepto more in næniis Ioſiæ mentionem faciunt. 2. Paral.35.

Fleuerunt IVDÆI Iudam Machabæum, planctu magno dies multos, dicentes: Quomodo cecidit potens, qui ſaluum faciebat Iſrael? 1. Machab.9. Similiter Ionatham, cum duobus filiis & mille uiris à Tryphone per inſidias trucidatum. 1. Machab.12 & 13. Matathiam quoque pontificem, qui ſolus ſeſe impietati Antiochi regis oppoſuerat. 1. Machab.2.

Agrippa Iudæorum rex, Cæſariam ueniens, ſolennes ludos celebrauit pro ſalute Cæſaris. Procedens in theatrum amictus ueſte tota ex argēto mirabili opere contexta, ab adulatoribus Deus conſalutatus eſt: & mox ſupra caput ſuum bubonem fatalem uidens, totis nisibus inſeſtari cepit. Ibi cōfeſtim totus POPVLVS unà cum uxoribus & liberis ſaccum indutus pro ſalute regis Deo ſupplicabat, omnia miſcens lamentis & eiulatibus. Rex autem cruciatu per quinq; continuos dies nihil remittente confectus, cum incredibili Cęſarienſiū luctu uitam finiit. Ioſephus lib. 19. c.7. Antiq.

AEGYPTII ſui regis mortem cōmuni mœſtitia lugēt, ueſtes lacerant, templis clauſis forum non frequentant, feſta ſolennia non agunt dies ſeptuaginta duos, luto deturpantes capita, ac ſindone ſubtus mammas cincti, unà uiri mulieresq; ducenti fermè aut trecenti circumambulant, bis in die nouantes luctum, atq; ad numerum cum cantu uirtutes regis numerant. Cibis animantiū, coctisq;, ac uino, omniq; mēſæ apparatu per ſeptuaginta duos dies abſtinent: non lauacris, non unguentis, non ſtratis lectis, non uenereis utuntur: ſed tanquam defuncto filio per eos dies mœrentes lugent. Diodorus Siculus lib.1. cap.6.

Niſus, à quo appellationem Niſæa inuenit, Megaris regnans, ex Bœotia matrimonio ſibi iunxit Oncheſti filiam Abroten, Megarei ſororem, mira ſanè mulierem prudentia, & ſupra cæteras caſtam. Hanc mortuam ultrò MEGARENSES luxerunt: ac Niſus, quo memoriam & gloriam eius ſempiternam conſtitueret, ſtolā, qua amiciri illa ſolebat, oſſibus eius induci, eamq; ſtolam illius cauſa Aphabroma dixit. Et profecto huius mulieris gloriæ deus fauit. Nam cùm mutare ueſtes ſæpe inſtituerent feminæ Megarenſes, oraculo interdixit. Plut. in quæſt. Græcis.

Apud GRÆCOS uſurpatur, ut imperatore aut duce fato perfunctis, funus efferatur ſolenni pompa & apparatu regio: captiuiq; & milites circa rogum digladientur, ouesq; & boues mactentur. Vtque in omnem formam luctus concedatur, equi uirique tondeantur, propugnacula è mœnibus diruantur, templa lapidentur, aræ ſubuertantur, Lares abiiciantur, partus exponantur, cibo abſtineant, ignis extinguatur. Alex.lib.3.cap.7.

Regibus Spartanorum defunctis, equites per uniuerſam Laconiam obitum regis enunciant: feminę per urbem circumeūtes, ollas pulſitant. Cumq; hoc fit, neceſſe eſt ex ſingulis domibus duos ingenuos, marem ac feminā, luctu fœdari, magnis pœnis (niſi hoc faxint) impoſitis. Eſt autem circa funus regum eadem fere conſuetudo LACEDÆMONIIS, quæ barbaris Aſianis. Poſteaquam enim mortē obiit rex, oportet eius exequiis adeſſe ex omni regione neceſſarios quoſq; Spartiatarū, qui ſunt numero uicinorū. Quorū poſteaquam multa millia in unū coacta ſunt, promiſcuè cū mulierib. & ſeruis frontes ſuas intrepidè pungunt, & ululatu immenſo utuntur, ultimum quenq; regum dicētes ſemper fuiſſe optimum. Qui uerò regum in bello periit, eius ſimulacrum cūm expreſſerunt, in thoro efferunt. Cuius tumulatione decem dies iuſtitium eſt: nullusq; magiſtratuum conſeſſus, ſed luctus perpetuus. Herod.lib.6.

P. Val. Poplicola ciuitatis longè princeps, tam pauper deceſſit, ut quū funeri ſumtus deeſſet, publica ſit pecunia elatus. Luxére eum MATRONÆ Rom. ut Brutum, auro & purpura per annum abſtinentes. Sab.lib.8. En.2.

Quo defunctus eſt Germanicus Druſi F. die, lapidata ſunt à POP. Rom. templa, ſubuerſæ deûm aræ, Lares à quibuſdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum quibusq; aduerſus Rom. bellum eſſet, uelut in domeſtico cōmuniq; mœrore, conſenſiſſe ad inducias: Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus: Regum etiam regem & exercitatione uenandi, & conuictu Megiſtanū abſtinuiſſe, quod apud Parthos iuſtitij inſtar eſt. Suetonius in Caligula.

Otho Imper. duobus facinoribus altero flagitioſiſſimo, interfecto Galba, altero egregio, quòd belli ciuilis tædio ſeſe interfecit, tantūdem apud poſteros meruit bonæ famę, quantū malæ. Idcirco multi MILITES, pedes ac manus iacentis exoſculati cum lacrymis, haud procul à rogo ſeipſos interfecerunt. Multi etiam abſentes accepto mortis nuncio, præ dolore uim ſuæ uitæ attulerunt. Suetonius.

Mortuo Tito Imp. SENATVS Rom. circa ueſperam ipſius nūciata morte irruit in curiam, quaſi perpetuo cuſtode orbatū terrarum orbem defleturus: tantasque ei laudes congeſſit, quantas nec uiuo unquam, atq; præſenti. Moxque inter diuos relatus eſt, teſte Eutropio.

M. Antoninus Philoſophus Imp. defunctus fato, magnū OMNIBVS reliquit deſiderium, poſteris memoriā uirtutis ſempiternā. Eius morte uulgata, incredibilis luctus exercitū occupauit. Nulla adhæc fuit gēs aut populus Romanę ditiōis, qui in eius morte nō lacrymas dederit: alij parentē, alij principem omnium, qui unquam fuerant, aut eſſe poterant, optimum prædicantes. Sab.lib.4. En.7.

Vix dici poteſt, quantum VRBS M. Antonini Pij Imp. audito mortis nuncio, publico luctu confuſa mœrorem induerit: Senatus atra ueſte ornatus collacrymarit. Et, quod de Romulo creditum eſt, omnes pari conſenſu præſumſerunt Marcum cœlo receptum eſſe. Ob cuius honorem templa, columnæ, multaq; alia decreta ſunt, hodieq; ſtatua eius apud baſilicam Lateranenſem, ubi natus & educatus creditur, Pacificatoris equeſtris cernitur. Cuſpinianus.

Pertinacem Imp. licet milites & aulici odio haberent, POPVLVS tamen Rom. eius mortem indigniſſimè tulit. Et idcirco à militibus interfecto Diui nomen decretum eſt. Ob cuius laudem ingeminatis aduſq; defectum plauſibus acclamatū eſt: Pertinace imperāte ſecuri uiximus, neminem timuimus, patre pio, patre Senatus, patre omnium bonorum. Caput eius conto fixum milites, qui eum occiderant, per urbem in caſtra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite in ſepulcro aui uxoris locatæ ſunt. Et Iulianus ſucceſſor illius, corpus eius honorificentiſſimè funerauit, cùm per Senatū & Populum in deos eſſet relatus. Ludi dehinc Circēſes ei ſunt facti, & flamines creati, Heluiani appellati. Cuſpinianus.

Cōſtantino Magno in ſuburbano Nicomediæ Accirone mortuo, MILITES, qui cuſtodiæ corporis aſſiſtebant, abſciſſis ueſtibus, humi corpora proiecerunt, atque illiſis muro capitibus nullis quæſtibus pepercerunt, quos in tali caſu ingens ſuggerere dolor poſſet. Quos præfecti, & centuriones, atq; omnes ſubinde milites ſunt ſequuti, flebilibus uocibus idētidem conſeruatorem, cuſtodem, ac parentem ſe amiſiſſe teſtātes. Quin etiam ciues per urbem uagi, ac furentibus ſimiles, altiſſimis eiulatibus mœrorem ſuum, cuius magnitudinem capere non poterant, ediderunt: reliqui demiſſo uultu inceſſere tanquam attoniti, ſinguli præcipua ſe calamitate affectos querentes, ac ſemet, tanquam tum demum omnibus humanæ uitæ ſpoliatos muneribus, deplorantes. Romæ nullus dolori, mœſtitiæque à ſenatu, populoque modus eſt factus. nam & balneas occluſerunt, & foris, ac ludis abſtinuerunt, & omnino omnia, quæ proſperis, lætisque temporibus celebrari ſolita erant, intermiſerunt. Cęterùm, ut ſe longè omnium miſerrimos, qui tanto Imperatore orbati eſſent, ſic ipſum beatiſſimum, iudicabant, qui uitam tanta cum gloria terminaſſet. Itaque ad cæteros honores, quos illi habuerunt, hunc quoque præcipuè tribuere, ꝙ pictis excolentes tabellis ipſum ſuper cœleſtes orbes in æthereo cœtu cōſidentem fecere, & legatos ad Conſtantiū F. deſtinarunt, petentes, ut cadauer eius ad ſe remitteret, atque urbem Romam clariſſimis auguſtiſſimi regis exequiis honeſtaret. Sigonius lib.5. Imp. occid.

Balduinus III. Hieroſolymorum rex, ſeptem & uiginti natus annos, cùm mortē obiiſſet ſine ullis liberis, & à Berytho Hieroſolymas efferretur, quòd in ea urbe ſepeliri uoluerat: non eius regionis ſolùm CHRISTIANI homines lacrymis ipſius mortem proſecuti ſunt, qui undiq; ſpectandi gratia ad uiam, qua ferebatur, concurrebant, uerùm etiam multi Turci doloris ob eam mortem ſocios ſe præbuere. Quinetiam cùm Noridanū Damaſcenorū Sultanum quidam monerēt, præclaram occaſionem offerri, Chriſtianos homines, qui in Syria degebant, dum rege carerent, atq; in dolore uerſarentur, opprimendi: mortui regis uirtute motus Noridanus reſpondit, Nullo modo ſe aſſenſurum, ut Chriſtiani uexarētur, donec iuſto dolore defunctum bonū regem ſuū proſequerentur: quem eiuſmodi eſſe dicebat, ut ei ſimilis in orbe reliquus nullus eſſet. Fulgoſus lib.2. cap.5.

Vbi per uulgus fama mortis Hērici V. ANGLORVM regis ꝓſtantiſſimi peruaſit, cuncti generatim ſubito dolore cōciderunt: quibus ita mœror omnes fermè mentis partes ademit, ut more inſanientium, paſſim fortunam incuſarent, quæ tantam gloriam patriæ inuidiſſet. Polyd.lib.22.

Mortuo Gulielmo Scotorū rege, ALEXANDER II. filius ſucceſſor per integrū annū ludos & conuiuia uetuit, & toto eo anno cum aulicis atratus inceſſit. H. Boethius lib.13.

Boleſlai primi Polonorū regis morte uniuerſa POLONIA, optimè merito rege orbata, annum totum in luctu fuit, ita ut neq; conuiuia ulla, neq; choreæ celebrarentur, neq; cultioribus ueſtibus quiſquam nobilium uirorum aut feminarum ſeſe ueſtiret. Cromerus lib.3.

Valdemaro Danorum rege mortuo, exauditi ſunt MATRVM miſerabiles planctus, ſparſis comis funeri occurrentiū, iterū ſe priſtinum ſeruitutis onus experturas dicentium, extinctū illum qui ciuium capitibus captiuitatem detraxerit, qui patriam piratarū metu liberauerit, maritimasque ſedes perinde ac domeſticas à prędonū incurſu tutas pręſtiterit. AGRESTES quoq; funebri ipſius pompa conſpecta, ruſtico opere quo occupati erant relicto, conſentaneis arua querelis replebant. Cui etiam ut ſupremi officij decus præſtarent, funebri eius lecto humeros ſubiicere iucundum ducebant, euerſam regis morte patriam, miſerisque ſibi commune funus, aut ſi quid funere triſtius eſt, imminere plangentes. Pro cuius ſpiritu Abſalon Lundēſis archiepiſcopus uir toga militiaque clariſs. ſacra facturus, inter ſolennium uerborū nuncupationem doloris impotens, non temperauit ſibi quo minus aram lacrymis rigarret, uixq; ad rem diuinam peragendam uocis aut manus miniſterio ſufficere ualuit: quinetiā tantum ęgritudinis animo contraxit, tamq; graui & periculoſa ualetudine ſubitò affici cēpit, ut penè uitam cum ſacrificio finiret. Saxo lib.15.

Vladiſlaus Vngariæ & Boemiæ rex in apparatu nuptiarū ann. 1458. mortuus Pragę, regia pompa elatus eſt, tanto OMNIVM ploratu eiulatuque, ut totum templum Diui Venceſlai lamentis & planctibus perſonaret. Maxima pars immaturā inexpectatamq; adoleſcentis adhuc regis mortem deplorabant. Multos regni ipſius miſeratio ſubibat, quod deſtitutū certo hærede ad nouas rurſus calamitates expoſitum cernebant. Aduenæ uerò omnes cōmunem reipublicę Chriſtianę fortunam, quaſi unà cum Ladiſlao concidiſſet, antea alia dolebant: ut qui cognitum haberēt, tot & tantos principes non tam ad ornandas ſua præſentia nuptias, quàm ad conſultandum de expeditione contra Turcas ſuſcipienda uenturos fuiſſe. Eo die quo Pariſios legatio ad deducendā ſpōſam ingreſſa eſt, antequā conſideret, repentino de regis Pragæ mortui interitu tabellario admonetur. Quo nuncio conſternata, quum clàm Carolo VII. regi, generi necē indicaſſet, tanto principem illum dolore correptum fuiſſe aiunt, ut neque reſponſum dare, neque illam triſtiſſimam abeuntem alloqui potuerit. Bonfinius libro octauo, Decad. 3. & Dubrauius libro 29.

Ciuium.

Antiochus, Syriæ rex, occupata Hieroſolyma, ciuibus cæſis, tēplum profanauerat. Eam calamitatem IVDÆI luctu incredibili ſunt proſecuti. 1. Machab.1.

TOBIAS manducauit panem cum luctu & tremore, corpus iugulati proximi ſui in domo habens, quod contra regis edictum nocte ſepelire uolebat. Tobiæ 2.

Iuditham, Meraris F. quæ Oloſernem Bethuliam obſidentem aſtu circumuenit, & necauit, mortuam uniuerſi ISRAELITÆ ſeptem dies deplorarunt, & in Manaſſis uiri ſui tumulo ſepeliuerunt. Iudithæ 16.

Bello contra Agathoclem Syracuſiorum tyrannum à Carthagineſib. ſuſcepto, cùm uniuerſa claſſis Carthagine ſoluiſſet, & altum tenuiſſet, coorta repēntè tempeſtas ſexaginta triremes è medio ſuſtulit, & ducentas ex frumētariis nauib. corrupit. Cætera claſſis magnis uexata tēpeſtatibus ægrè in Siciliam euaſit. Perierunt illuſtrium Carthaginenſium nō pauci, propter quos factum eſt, ut VRBS publicum luctū ſuſceperit. Nam ſoliti ſunt, ſi quando maius infortunium urbi cōtigit, nigris pannis mœnia tegere. Diod.lib.10.

Præceptorum.

Quum M. ANTONINVS fleret educatorem ſuum mortuum, & adoleſcens ab aulicis miniſtris reuocaretur à declaratione pietatis erga nutriciū: Permittite, inquit Antonius Verus Imp. prius illi ut homo ſit: neq; enim uel philoſophia uel imperium tollit affectus. Iulius Capitolinus.

Amicorum.

Curauerunt VIRI pij à Iudæis lapidatum Stephanum, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Act.8.

Hipparcho Euboico uita defuncto, PHILIPPVS rex Macedonum præ ſe ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret. Itaq; cuidam uolenti dolorem ipſius mitigare, dicentiq; Attamen ille tempeſtiuè deceſſit, iam natu grandis. Sibi quidē ipſi, inquit Philippus, tempeſtiuè deceſſit, ſed mihi præproperè: mors enim illum anticipauit, priuſquā à me beneficiū accepit, noſtra dignum amicitia. Eraſ.lib.4. Apoph.

Epheſtione, qui cū Alexandro à pueris cōiunctiſſimè uixerat, fato defuncto, ALEXANDER mulis & equis detonſis, finitimarum urbium pinnacula decuſſit, Glaucum medicum, quo abſente Epheſtio in theatro aſſam ex capro carnē ederat, hauſeratq; pſycteris uinum, uelut eius mortis autorē, in crucem ſuſtulit. Tibias & cætera inſtrumenta aliquandiu in caſtris canere uetuit, donec ex Hammonis Iouis oraculo diuinos illi honores ut Heroum uni indixit. Extulit eū Alexander, quod à fide propemodum abhorreret, decem talentorū milibus. Dein ad mitigandam doloris magnitudinē in Cuſſeos mouit, quorum puberes ad unum interfectos uelut inferias defuncto dedit. Sabell.lib.6. Enn. 4. ex Plut. Pelopida, & Aeliano lib.7. Variæ hiſtoriæ.

SOPHOCLES mortuo Euripide, atrata & pulla tunica ſe induit, & ſine corona ſuas tragœdias actitari uoluit. Gyrald. in 2. Tomo Hiſt. poet.

ROBERTVS Bruſius Scotorum regnum, ingenti prælio contra Eduardum II. Anglorum regem uictor, ſibi confirmauerat. Cæterùm cūm in eo conflictu Aegidium Argentinenſem Anglum uirum amiciſs. amiſiſſet, priuati doloris maiorem quàm publici gaudij rationem habuit, ſic ut à nobilibus

bilibus obiurgaretur, quòd peregrini hominis luctu patriæ reuiuiscentis gaudia turbaret. H. Boethius lib. 14.

Hostium.

DAVID rex Saulum & Ionathanem eius filium in monte Gelboe cæsos defleuit. 2. Regum 1. Idem mortem Abneris polemarchi, qui ab Isbosetho rege ad se defecerat, & à Ioabo æmulo perfidè interemtus fuerat, indignissimè tulit, ita ut domũ Ioabi diris fuerit insecutus, & cùm ei propter potentiã nocere non posset, coegerit tamen, ut cum fratre Abisæo laceratis uestibus & centone amictus, funus Abneris præcederet, & lugeret. Ipse rex cum uniuerso populo pheretrum secutus, ad sepulcrum ingentem ploratum edidit, neq; eo die cibum capere uoluit. Qua re mirum in modum Israelitarum animos sibi conciliauit. 2. Regum 3.

ALEXANDER Magnus Darij à se uicti uxorem Statyram ex partu ob continuĩ itineris laborem periisse audiens, lacrymas emisit: & ad tabernaculum, in quo defunctæ erat corpus, reuersus, familiariter cum matre Darij acerbum reginæ casum deplorauit. Inde Sisingamben & filias cõsolatus, magnificentissimo rerum apparatu eam funerauit. Sabellicus libro 5. Ennead. 4.

AGESILAVS Laconum rex, cùm ex hostibus Corinthiis & Atheniensibus ingentem numerum interiisse accepisset, grauiter ingemiscens, Heu, inquit, Græciam, quę tot uiros intestino bello perdidit, quot uniuersis barbaris debellandis satis esse poterat. Plut. in eius uita.

ROM. matronæ, ob insignem pietatẽ à C. Martio Coriolano matri exhibitam, eum, quẽ unus hostem & exulem, Antij lapidibus à Volscorum plebe obrutum, mẽses decem luxere, uti Brutum & Poplicolam olim. Sab. lib. 9. En. 2.

C. IVLIVS Cęsar victor in Aegyptum ueniens, cum, qui caput Pompeij sibi obtulit, ut detestabilem auicidam est. Anulum eius accipiens illacrymauit: templum Indignationis statuit eodem loco: Achillam interfectorẽ, & Pothinum eunuchũ consultorem interfecit. Plut. in Pompeio.

AVGVSTVS cognitã M. Antonij morte ex Decretẽ eius ministro, qui gladiũ, quo se Antonius percusserat, in castra detulit, in intimam tabernaculi partem cõcessit, ibiq; ubertim fleuit mortem collegę & affinis sui, multarum rerum bellorumq; socij. Sab. lib. 9. En. 6. ex Plut. Antonio.

Ioannis Huniadis morte per Gregorium Seruiæ Despotũ nunciatã, MAHOMETVS II. Turcorum Imperat. totum penè diem mœstus obmutuisse fertur, cùm mortem tanti uiri, licet hostis, ob summam uirtutẽ crudelissimus tyrannus doleret. Cuspinianus.

Parentum.

Iacobo patriarcha in Aegypto mortuo, 40. dierum spacio cadauer eius à medicis seruis IOSEPHI filij conditum fuit. Id enim erat conditurę spacium apud Aegyptios. Eum Aegyptij 70. dies defleuerunt. Quibus elapsis, obtinuit Iosephus à Pharaone, ut sibi cum omnibus suis, omnibus Aegyptiis senatoribus comitantibus, patrem in Chananęa in patrium sepulcrum deferre, ibique ei iusta persoluere liceret. Concessit rex. Iosephus ergo cum maxima pompa patrẽ in patrio sepulcro è regione Mambre condidit, & ibi luctũ dierum septẽ patri redintegrauit, in area Atadi, qui locus postea ab hoc luctu Aegyptiorum nomen habuit. Gen. 50.

Q. SERTORIVS nunciatis in Hispania matris fatis, profudit penè ex mœrore uitam. Quippè diebus septem, neq; signũ militibus dedit, neque in ullius conspectum amici prodiens iacebat humi. Vix tandem reliqui imperatores, atque in pari dignitatis gradu positi, circumsistentes tabernaculũ eius, coegerunt cùm in publicum prouredi, & milites appellare, atq; res prosperè fluentes capere. Plut. in eius uita.

Regnerus Danorum rex ab Hella Britannorum rege uictus & serpentibus obiectus, totius uitæ suæ cursum alta uoce decantauit: tandem adiecit, Si succulæ uerris supplicium scirent, haud dubiè perrupta hara opem ferrent. Hella id ad filios Regneri pertinere coniectans, properè hominem liberari iussit. Cæterùm priusquam satellites accurrerent, ueneno extinctus est. Eius mortis nuncium IVARVS filius, dum fortè ludos inspectaret, accepit, nihilominus uultum in eodem habitu continens, non solùm nunciatam patentis cladem doloris dissimulatione suppressit, sed & attonitum rumore populũ è theatro discedere uetuit. SYVARDVS uerò alter F. stupore attonitus, dum cogitabundus hæret, hastile quod manu gestabat pedi absq; ullo doloris sensu imprudẽs immisit. At BIORNVS III. F. inter tesserarũ iactus delato ad se paternæ mortis nuncio, tanta ui correptum manu calculum pressit, ut tabulæ quoque cruorem digitis extortum infunderet. Quod audiens Hella, fuari constantiam reliquis duobus prætulit, & proinde eum ut paternæ necis futurum uindicem nõ inani metu timere cepit. Is enim classe Britãniam inuadens, spacium arui, quantum equino tergore complecti posset, in pacis pignus obtinuit: sed corio in exiles corrigias scisso oportunum ædificandæ urbi agrum complexus est. Interea Syuardus ac Biornus cum quadringentarum nauium classe superuenientes, bellum regi intulere, capetũq; dorso in aquilæ rapacissimæ uolueris figuram consciso, insperso sale crudeliter necauere. Saxo lib. 9.

Liberorum.

Occisis pueris per Herodem, MATRES suos filios luxerunt, & impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetã: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, &c. Matthæi secundo.

Apud Eurip. Supplicibus, ARGIVARVM matrum chorus introducitur, deplorantium cæsos suos filios ad Thebas:

ἰὼ ἰώ, πῆ δῆτα πόθ' ὑμῶν τέκνων;
πῶς νυχθημάτων μέρας;
προφύτ' ἐμῆσδε, φῶτα τἀμὰ πάτερ ὀμμάτων τίλῃς
ὦ φίλιαι ματρὸς ὀλαὶ, ματρὸς ὠφέλιαι; Eheu, quò labor meorum filiorum? ubi pernoctationũ gratia? & educationes matris, somnoq; carentia oculorum ministeria? & caræ applicationes ubertum? Item:
τίνδε κὰτ μᾶζον τῶνδ' ἐν θνατοῖς
κακὸν ἐξεύροις,
ἢ τέκνων θανόντ' ἐπὶ δόξῃ; Quem maiorem hoc inter homines dolorem inuenies, quàm liberos mortuos aspicere?

Νιόβης πάθη, id est, Niobes dolores, de maximis & acerbissimis malis dicebatur. NIOBE filia Tantali, uxor Amphionis, filios habebat sex, totidem puellas. Eo successu insolens contemsit Latonam, quæ non nisi duorum mater esset, Apollinis ac Dianæ. Hanc fabulæ narrant, post occisos liberos, præ dolore in saxum conuersam fuisse, hoc est, immodico dolore diriguisse. Id saxum, quod fabulę dedit occasionem, in Sipylo Phrygiæ conspici tradit Homeri Scholiastes, lacrymarum fontes emittens. Ouidius Metam. lib. 6.

OLYMPIAS Alexandri mater, cùm audiuisset, longo tempore iam filium sepulcro carere, grauiter ingemiscens, atq; acerbissimè plorans: O fili, inquit, tu cùm in diuorum numerum referri uolueris, & id perficere summo studio conatus sis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par ius est, particeps fieri potes, terræ, sepulturæq;, & sic simul infortunium tuum luxit, simul etiam fastum & inanem filij superbiam taxauit. Aelianus libro 13. Variæ hist.

SOLON profectus Miletum ad Thalem, mirum sibi uideri dicebat, quòd Thales nuptias & sobolis procreationẽ negligeret. Thales nil quidem in præsens respondit, ac quendam subornauit peregrinum, qui modò decimo die ab Athenis profectum se diceret: quærentiq; Soloni, quid ibi noui esset, responderet: Nihil aliud, quàm quòd adolescens efferretur, filius clari uiri & uirtute inter ciues primi, longoq; iam spacio peregrinantis Solonis, cuius funus tota prosecuta esset ciuitas. Tum Solon falso metu exterritus, cepit caput cædere, aliaq; & facere & dicere, quę mœrore oppressi solent. Tũ Thales represso Solone ridens, dixit: At hæc me Solon à cõnubio deterruerunt & à liberis tollendis, quæ te etiã infringunt uirum constantissimum. Te uerò hæc nihil moueant: hæc enim ficta sunt. Plut. in Solone.

IDEM cùm pòst ob uerè defunctum filium unicè lugeret, diceretur q; sibi à quopiã, At nihil proficis, respõdit: Et propter hoc ipsum lacrymor, quia nihil proficio. Laert. lib. 1. c. 3.

PERICLES quum animo infracto semper fuisset, amisso Paralo filio, magnitudine doloris uictus, lacrymas uberes dedit, & ciulatus nũquam desinentes. Plut.

HERODES Atticus, uir consularis, cùm à Stoico reprehẽderetur, quòd parum uiriliter mortem pueri ferret: respondit, Affectus hi nobis à natura sunt dati, ut in iis moderandis pulcerrima fortitudinis exempla edamus. Vos autem qui ἀπάθειαν inanem affectatis, occasiones moderationi tollitis, simulq; fortitudinis laudem omnem amittitis, quãdo ex homine stipitem & truncum quendam sensus expertem facere conanimi. Gell. lib. 19. c. 12.

Fratrum.

CATO Vticensis, fratris Cæpionis, qui in Asiatica peregrinatione Aeni in Thracia decesserat, mortẽ imbecillius quàm pro philosopho tulit, non lamentationibus solùm & cadaueris amplexibus, uerùm etiam sumtu funeris & odorum magnificẽtia, & uestibus preciosis cum cadauere crematis. Plutarchus in eius uita.

SELIMVS audita morte fratris Mustaffæ, à patre Solymanno strangulati, nuncium euangelij loco secuti percussit. Vide Tit. Astus in astruendo imperio.

ANTIOCHVS cognomento Hierax bello certabat de regno cũ fratre Seleuco. Qui ut profligatus à Gallis nusquam apparuit, sed putabatur trucidatus: posita Antiochus purpura pallium pullum induit. Breui pòst allato esse incolumẽ fratrẽ, ob lætum nuncium diis honorem habuit, ciuitatesque suæ ditionis sumere iussit coronas. Plut. in Apophth.

ISIS cùm cognouisset Osirim fratrem atq; maritum à Typhone fratre dolo cæsum, totondit extemplò comam, uestemq; lugubrem sumsit. Vnde hac quoque memoria urbi nomen est Copto. Plut. in Iside.

Coniugum.

ABRAHAMVS patriarcha luxit Saram uxorem defunctam. Genesis uigesimo septimo. Sic ISAACVS Rebeccam, IACOBVS Rachel eam.

Bacchius quidam Corinthius, Clytij Megarensium regis filiã uxorem duxerat. Ea defuncta CLYTIVS complures uirgines & adolescentes Corinthũ misit, qui in funeralib. pompis puellam deplorarent, lacrymis utiq; fictis. Hinc prouerbium, Megarensium lacrymæ. Erasmus.

Statyra Darij Persarum regis uxor ab Alexãdro capta, cùm ex partu, ob continuĩ itineris laborem periisset: Tyrotes, siue Tyreus, ex intimis eunuchis unus, nuncium mortis eius DARIO attulit. Is diu uelato capite, manibus ad os reductis amantissimæ coniugis desleuit interitum. Inde manantibus adhuc lacrymis, manus ad cœlum tollens, deos patrios precatus dicitur, ut sibi regnum stabilirent: uel si cadere necesse esset, hostem ipsum, qui tanta in suos usus esset pietate, sibi in regnum succedere paterentur. Sabellicus libro quinto, Enneadis 4.

CLEOPATRA regina tumulato suis manibus M. Antonio, cũ intellexisset Cæsarem Augustũ pedibus decessurũ per Syriam, ipsam uerò cũ liberis statuisse post triduũ in Italiã mittere: Cæsarẽ orauit, ut sibi inferias dare, pmitteret Antonio. Annuente illo, ubi ad monumentũ est perlata, incumbẽs cũ fœmineribus familiaribus in tumulũ: Nuper te, inquit, liberis adhuc manibus, chare Antoni, funerauit: nũc parento captiua, & custodita, ne planctibus & lamentationibus fugillem seruile hoc corpus, quod ad triumphũ de te seruatur. Alios honores uel iusta ne expectaueris, uerùm hæc tibi à Cleopatra, quæ abducitur, sunt nouissima. Vitos nos nihil distraxit. Nunc uerò morte uidemur cõmutaturi loca: tu ut Romanus hìc iaceas, infelix ego in Italia, hactenus modò patriæ particeps tuæ. At si quid istic numina ualent & possunt (nam nostrates nos diij prodidere) noli deserere uiuam tuam coniugem, neque in me permittere triumphum duci de te: sed hìc me tecum abde & conde. Nam mihi ex infinitis malis nihil tam graue uel acerbum est, quàm breue hoc tempus, quod te sine uixi. His editis lamentis postequam coronas & oscula tumulo tulit, præcepit sibi parari balneum. Lota accubuit, & splendidè est epulata. Inde allatam in cista aspidẽ sub ficubus latentem admittens, leniter expirauit. Plutarch. in Antonio.

HERODES Atticus sophista, amissa uxore, totam domum atro uestierat panno. Eius puerum radiculas albas lauantem uidens alius: Et quæ hæc superstitio, inquit, nigro uestiri, albo uesci? Philostratus.

MANVEL Comnenus Imp. Friderunæ siue Irenes Alemannę, Berengarij de Sultzbach Comitis F. coniugis suæ, mortem, non secus ac membrum à suo corpore auulsum, acerbissimè deplorauit: iustisque persolutis, in paterno monasterio Pantocratoris, magnificentissimè sepelit, & luctus tempore, quod ipse sibi præfinierat, instar semianimis & dimidiati hominis exacto, secundas nuptias spectauit, masculæ prolis (quam ex hac ob execrationem Cosmæ Patriarchæ Attici, iniustè sede pulsi, non suscepit) cupiditate. Nicetas lib. 3. de rebus Manuelis.

VLADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex, Annæ uxoris ex puerperio defunctæ mortẽ impotenter luxit, pullo habitu, barba & capillis promissis & inciltis: quoad tandem proceres hac una ratione luctum ei exemerunt, Ludouico puero, licet præter morem, coronato. Dubrauius lib. 32.

Apud TVRCAS in ciuitate Chubdan lex est, ut mortuum præfectum eius coniuges perpetuò lugeant, neq; unquam à sepulcro discedant, pulla uestę indutæ, & capite nouacula raso. Nicephorus lib. 18. cap. 30.

Dominorum.

Apud ROMANOS in exequiis illud obseruatum est, ut si qui serui ab eo, qui iam efferebatur, manumissi, aut libertate donati essent, illi præcipuè, qui fide insignes à domino cogniti forent, herilem interitum miserantes, pleni lacrymarum, elatum corpus præcederent pileati, aut alba lana capitibus uelatis. Qui quanto plures erant, tanto plus nominis laudisq; dabant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Brutorum.

☞ *Consule Tit. Sepulcra brutorum, quatenus dominorum mœrorem sunt argumenta.*

CYPARISSO tantus fuit in ceruam amor, ut ea mortua, præ dolore quoq; expiraucrit. Verg. in Aeneide.

Ex prælio cum Poro cõmisso Bucephalus equus mortuus est, nõ extemplò, sed pòst, ut pleriq; produnt, sub uulnerum curatione: ut Onesicritus est auctor, ob senium labore contẽctus: nam triginta annorum ætate ait eum decessisse. Mortẽ eius tulit ALEXANDER Magnus grauiter, non aliter existimans, quàm si familiarem & amicum amisisset. In memoriam eius super Hydaspem condidit urbem, quam appellauit Bucephaliam. Ferunt canem quoq; cum, Peritam nomine, alitum ab ipso, atq; in delitiis habitum amisisse, utbemq; erexisse ei cognominem. Id Sotion de Potamone se Lesbio narrat audiuisse. Plut. in Alexandri uita.

HORTENSIVS orator amauit murẽnam, quam atratus multos dies fleuit.

ANTONIA Druſi murẽnam adeò dilexit, ut ei inaures & monilia addiderit & cum lacrymis funerarit.

L. CRASSVS uir censorius, orator disertissimus, & ciuis clarissimus, murænam in piscina domus suæ mortuam atratus tanquam filiam luxit: & de eo etiam censor gloriatus est, piscatis hoc officium. fuisse dictitans, quando Cn. Domitius collega hoc ei in senatu obiecit. Macrobius libro tertio, capite decimo quinto Saturn.

Romæ fuit ciuis, qui humano sermoni assuefactus, omnibus matutinis cuolãs in Rostra, Tiberium, Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum salutabat. Quem quum postea nescio quis ira percitus occidisset, à POPVLO, factum ægrè ferente, faxis obrutus est, funusque aliti innumeris celebratum exequiis. Plinius 43. cap. libri decim.

De TEMPORIS. QVAMDIV.

Apud IVDÆOS luctus triginta dieb. finiebatur. id quod apud Anglos quoq; seruatur. Polydorus.

ETHNICORVM moris erat, diebus nouem mortuos flere: unde & Nouendialium sacrorum nata consuetudo. Ex qua & Cottam Messalinum quandoq; coarguti legimus, quòd quum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, Nouendialem eam cœnam dixisset, ceu lessum plane tũc foret factum. Cælius lib. 17. cap. 21. A. L.

LYCVRGVS Lacedæmoniis luctum modico definiuit tempore, undecim diebus: duodecimo sacrificare oportebat Cereri, & desinere luctum. Plut. in Lycurgo.

NVMA Rom. rex luctum certis gradibus & temporibus finiuit: ut fuerum trimulo minorem ne quis lugeat, maiorem ne plures menses, quàm ille annos uixit, utq; ad decem nullam ætatem ultra. Longissimam luctus diem decem mensib. terminauit: non ut, sicut inquit Seneca lib. Epist. 7. tamdiu semi næ lugerent, sed ne diutius. Quod spacium utiduis quoque abstinendi à morte uiri præfinitũ est à secundis nuptiis. Quę antè nupsisset, ea bouem fœtam illius lege immolabat. Plut. in Numa. Ouid. 1. Fast.

Per totidem menses à funere coniugis uxor
Sustinet in uidua tristia signa domo.

Apud ROMANOS luctus & mœror priuatus intra lugendi tempora ob plurimas minuebatur causas: ut si liberi nascerentur: si parer aut filius, frater aut uir ab hostibus capti reuertissent: aut cùm propior affinis, quàm qui lugeretur, domi natus foret: uel si puella dabatur nuptui. Publicus uerò, si lustrum fieret, aut uota soluerẽtur, uel sacra Cereris instarent. His enim casib. domũ aut familiã in squalore esse, nequaquã decebat. Alex. ab Alc. lib. 3. c. 7. Accepta Cannẽsi clade triginta dierũ spacio ob Cereris sacra iustus est, ex Senatusconsulto. Liuius lib. 4. Decad. 4. Val. Max. lib. 1. c. 1. Itẽ pòst Cannensem cladem ob multorum cædem, & sacrorum Cereris neglectum. Liuius lib. 2. Dec. 3.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. ne ultra quinq; dies lugerent Romani filium sibi morte subtratũ, summæ spei adolescentem, edicto inhibuit. Alex. lib. 3. cap. 7.

GERMANI olim in funere lamenta & lacrymas citò abstergebant, in dolore & tristitia permanebant diutius: fœminis tamen lugere permissum, uiris meminisse solùm. Sabellicus lib. 2. Enn. 6. ex Tacito.

Vestitum lugubrem omnes penè gentes CHRISTIANÆ annum integrum induunt: interdum tamen ante illud tempus deponunt, propter publicum gaudium, uel magistratus ineundi honorem, aut nuptias faciendas. Polydorus libro 6. capite 9. de Inuent.

De MODI. QVOMODO.

IVDÆI lugentes induebant sacem. Sic Iacob fleuit Iosephũ, & Dauid operto capite Absalomũ. Item caput barbamque radebant. Vnde illud Esaiæ, In cunctis capitibus eius caluitium omnis barba radetur. Polyd. de Inuent.

Cùm quis regum decedit è uita, AEGYPTII omnes mortẽ communi mœstitia lugent, uestes lacerant, templis clausis forum non frequentant, festa solennia non agunt, dies septuaginta duos luto deturpantes capita, ac sindone subtus mammas cincti, unà uiri mulieresque ducenti fermè aut trecenti circumambulãt, bis in die, nouantes luctum, atque ad numerum cum cantu uirtutes regis commemorantes.

Cibis animantium, coctisq; ac uino, omniq; mensæ apparatu abstinent. Non lauacris, non unguentis, non stratis lectis, non uenereis utuntur: sed tanquam defuncto filio, per eos dies mœrentes lugent. At quibuscunque domi aliquis decessit homo alicuius precij, ibi omnis muliebris sexus familia caput sibi & uultum oblinit luto. Deinde relicto domi cadauere, ipsæ per urbem uagantes plangunt, succinctæ, nudatis mamillis, & cum eis proximæ queq;: altera ex parte uiri & ipsi se uerberant. His actis, ita demùm ad condiendum portant. Herod. lib. 2. & Diod. lib. 1. c. 6. & 8.

Apud VETERES non legitimè sepultus putabatur, quem nō flerent sui. Hom. Iliad. ψ. κλαίε πάτροκλον κλαίομεν. & Odyss. δ. κλαίειν ὅς κε θάνησι. Terentius, In ignem posita est, fletur. Brodeus in 1. Epigramm.

Apud GRÆCOS conuenit, in luctu uiros comas alere, barbā capillumq; summittere, mulieres uerò tonsis crinibus esse: quem morem a ROMANIS usurpatum legimus, ut sorores, defunctis fratribus, & matres filiis orbatæ, in acerbo funeris luctu, cum flebili uociferatione, detōsos crines corpori imponerent: qui mos antiquissimus usq; ab Homero traditur, apud quem Patrocli cadauer opertum amicorum capillis superiectis fuit: & Achilles flauam comam in defuncti Patrocli funere manibus secuit. Quippe ea lugēti aptissima putātur, quę indecora, nec usitata sunt. MACEDONIBVS assuetum erat, ut crines tonsi, defunctos lugeāt. Nāq, Archelaus Macedonię rex, Euripidē tragicum, intimum familiarē, crinem tonsus luxit. In quo facetissimum illud Bionis proditur, perinde lugētes capillum euellere, quasi caluitio mœror leuaretur. CARTHAGINENSES in luctu comas & ora lacerant, & ubera plangunt. Idem Græcis in usu fuit, ut in lucto capillū manu discindant, & comas radāt. Alexā. lib. 3. c. 7.

Plato libro de Legibus septimo, mentionem facit Caricæ musæ, quā interpretatur ἐπικηδείαν ᾠδήν, id est, Lugubrem cantionem. Hesychius indicat, ad pompas funebres conduci solitas è Caria feminas, Carinas dictas, quæ lamentantiū personam agerent. ALEXANDRIÆ obolis conducuntur, qui mortuos fleant: quod munus solicitè adeò ac planè pręstāt, uti ad eos pertinere funus putes. Ii ergò ab re uocātur Threnodi. Cælius lib. 17. c. 21. A. L. & Erasmus.

Apud ROM. Præficæ dicebantur mulieres in hoc conductę, ut in funere lamentarentur, ac defuncti laudes prædicarent, aliisq; plorandi modū præirent: unde & præficæ dictę sunt, quasi præfectę. Lucilius, citante Nonio:

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

Id imitatus est Horatius,

Vt quæ conductæ plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Nonnunquam Romani etiam mimos, qui personas effingerent, ac facta dictaque repræsentarent, adhibebant. Quas quidem nænias GRÆCIS in luctu sæpe decantari inuenimus, qui apio coronati, defuncti laudes recensere carmine, quod Ialemon uocant, & res memoratu dignas, claro præconio celebrare assuerant. Senatoribus uerò & patritiis, atq; summis ducibus, tuba: minoribus & plebeiis, exequiali tibia canebant siticines. Quam tibiam non in funeribus modò, sed in sacris, in ludis, & conuiuiis adhibebant. Imperatoribus etiam pluribus tubis mœstum clangentibus: quod à CARIBVS & PHOENICIBVS deductum autumant, qui in funebri pompa breuibus tibiis, lugubre canētibus, uti cōsueuère. Alex. lib. 3. cap. 7.

Cic. lib. 2. de Legibus, ex legibus XII. Tabularum, de sumtu & lamentis funerum hæc affert: MVLIER genas ne carpito (alij legunt, radito, præsertim Plinius libro undecimo, capite trigesimoseptimo) neue lessum funeris ergò habeto. Sext. Aelius Pætus uocem Lessum se non intelligere affirmauit. C. Lælius lugubrem eiulationem, aut tale aliquid significari putauit. At Ioan. Heroldus, ab Hercule Tyrio siue Tarentino, Iouis & Asteriæ F. qui apud Celtas inter Rhenum & Danubium diu uixit, & LI annis ante captam Troiam in Latiū uenit, Cacoq; tyranno interfecto ab Euandro hospitio susceptus fuit, superstitiones tum alias, tum etiam quibus in funere uterentur, inuectas suspicatur: quas deinde Numa partim reprobarit, partim approbarit, leges uerò è Gręcia per X uiros antiquarint. Inter eas autem ceremonias à barbara gente acceptas fuisse & has, ut genas raderent mulierculæ, hoc est, unguibus faciem dilaniarent, & lessum facerent, id est, sanguinem è uena mitterent, doloris testandi ergò: id quod Germani patria uoce dicunt, Ein läsy thün/oder haben: & Itali etiamnum hodie, à Gothis uel Longobardis mutuati, Salassar, & far Salasso. In sacris prohibet Moses Israelitis carnes incidere super mortuo, & stigmata inurere, Leuitici 19. Sed & 3. Regum 18. sacerdotes Baalis ad eliciendum deum, ut sui misereretur, gladiolis breuibus uenas sibi inciderunt. Quinetiam in castris Romanorum in usu fuit, ut militibus ignauis & desertoribus sanguis è brachio mitteretur. Plautus certè in Truculento lessi meminit, sub lenæ persona, inquiens, Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio. ubi lesso quid simile Dinarchum adolescentem fecisse, sequentia arguunt uerba. Hunc ergo morem barbarum, per Italiam atque Græciam in Palæstinam usque propagatum, Solon inprimis in suis Axonibus, & inde mutuati Decemuiri legibus XII. Tabularum abrogarunt, utpote Germanis potius quàm Atheniensibus & Romanis conuenientem. Nam uel Tacito teste, Germanorum feminis luctus semper fuit honestus, cùm aliàs, tum præsertim occisis in bello maritis. Id quod ad Aquas Sextias Cimbrorum mulieres satis ostenderunt. Ergo ut maritorum fatum quadantenus æmularentur, sanguinem & ipsæ tum genis fœdatis, tum uenis phlebotomo incisis profundebant. Præter id quòd sanguinis aspectus cædem factam in memoriam reuocat, & dolorem consopitum recrudescere facit.

VESTITVS lugubris recepto apud omnes ferè gentes more partim albus est, partim niger. An fortè causa subest communis, à natura parente humanæ menti insita, ita quidem, ut nigredo corruptionis corporeæ nota sit: albedo uerò animi, à corporis ergastulo soluti, splēdorem denotet? Amiculum nigellum, dicitur à Varrone uestitus lugubris, quod anthracinum uocabant: ἄνθραξ enim Græcè carbo appellatur. Polyd. de Inuent.

Ab Varrone proditum & Catone est, ROM. olim in funeribus uti consuesse tum nigro, tum cæruleo colore: nam in adolescentum morte cæruleum adhibere solenne fuit. Cælius lib. 17. cap. 21. Antiq. Lect.

Pellibus uestiri solebāt ROMANI diebus luctus: & qui funus facerent, cuiusque cura & procuratio funeris erat, prætextā pullam induebant. Matronæ purpuram aurumque deponebant, atrasque uestes induebant, nec illa resumebant, donec eluxissent. Viri autem senatorij laticlauum & anulos aureos exuentes, pullas uestes sumebant, barbam capillumq; summittebant. Iidem posteaquam defuncti nomen deplorassent, & ter uiua aqua cadauer aspersissent, omni munere absoluto, supremum Salue & Vale, tanquam nunquam eos uisuri ultrà, conclamabāt, & postea ILICET omnes clamabant, qua uoce populum missum faciebāt. Piceas & cupressos, ueluti ferales arbores & Diti sacras, in lugubri domo Patritiorum, amissis fratribus, liberis & propinquis, apponere mos erat. Gręcis uerò funesti, & qui exequias duxissent, lapide Lesbio extructas domos incolebant, quòd subtristi esset aspectu. Alex. lib. 3. c. 7.

Apud ROM. in luctu feminæ albas uestes, teste Plutarcho in Problematis, induebant, idemq; propinqui factitabant, ut quemadmodum mortui corpus, albis uestibus uelarentur. Alba autem ueste idcirco cadauer exornabant, quia solus albus color sincerus ac purus, minimeq; inquinatus est, & ob id mortuis aptissimus. Sic in Euangelio legimus corpus Domini sindone inuolutum fuisse, quo uocabulo lineum uelum significatur. Hinc arbitror natum, ut hodie REGINÆ Frācorum, post mortem uiri, albis tantùm induantur uestibus: & si qua uidua sit, Regina alba uocetur. Polyd. lib. 6. capite 9. de rerum Inuent.

Mulieres proxima affinitate, in ueste candida & capite aperto, ritu ROMANO eiulantes, funus celebrabant. Filij uerò tecto capite, in ueste pulla parentes efferre consueuerāt. Apud GRÆCOS feminæ uiriq; in candida ueste cū coronis, amplissimi uiri exequias prosequuntur, & uelut in publico luctu complorant promiscuè. SYRACVSANI candido amictu uelati, & fronde coronati, Timoleontē extulere, cui perpetuos honores atque in foro sepulcrum decreuere. SICYONII Aratum in ueste alba & coronis sepulcro intulère.

ARGIVI quoque in luctu albas uestes aqua ablutas induūt, & in candido amictu funus comitantur. MILESII crafis capitibus plangere consueuerunt: qui mos apud Barbaros inoleuit frequens, ut in funere & casibus aduersis, iuuenes tōderent comam, barbam ipsi ponerent, & uxorum capita deglabrarent. PERSÆ quoque detonsis coniugibus & liberis, lacera ueste, lugubri ululatu, corpora efferebant: & in funere clarorum uirorum seipsos, equos, & iumenta tondebānt. Sic ob Masistij necem, præfecti equitum Persarum, ad Platæas cæsi, semetipsos, equos, mulosque totonderunt, eiulatuque & planctu campum compleuerunt: quòd uirum amisissent secundùm ipsum Mardonium uirtute & auctoritate longè primum. Plutarchus in Aristide, & Herodotus libro nono.

Seculo quinto post Christum, CHRISTIANI in luctu quosdam peculiares gestus adhibuerunt: & expressè dicit Chrysostomus cruērasse eos brachia, scidisse capillos, laniasse genas, brachia nudasse, & nigris se uestibus obuelasse. Quod ipsum etiam ualde reprehendit: ac dicit, se quidem nō prohibere mortuos lugere: sed impudenter lugere, nec lacrymari super defunctum, id improbandum esse: Homilia sexagesimaprima, in undecimum cap. Ioannis: item in Exhortatione morali, Sermone tertio, in primum ad Philippenses cap. Eum quoq; morem, quòd aliqui mulieres lugentes conduxerint (quæ ratio hauddubiè ab Ethnicis sumta est) acerbè reprehendit: & grauiter minatur, se eiusmodi ab Ecclesia prohibiturum: in 2. ad Hebr. cap. Homil. 4.

OB SENECTVTEM.

THEOGNIS Megarensis de seipso ebrio hæc scribit:

ἐκπίομαι, πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω,
οὐδ' ἀνδρῶν ἐχθρῶν, οἵ με λέγουσι κακῶς·
ἀλλ' ἥβην ἐρατὴν ὀλοφύρομαι, ἥ μ' ἐπιλείπει·
κλαίω δ' ἀργαλέον γῆρας ἐπερχόμενον.

Inter pocula paupertatem animi corruptricem nō curo: neq; uiros inimicos, qui mihi dicunt malè: sed adolescentiam amabilem lamentor, quæ me relinquit: lugeo autem molestam senectutem instantem.

OB PVDORIS IACTVRAM.

CERES Neptuni insidias uitare uolens, in equā se conuertit: sed ad Oncium inter armenta pascens, nihilo minus ab ipso compressa est, equi formam assumente. Id illa grauissimè ferens furere cepit, quod Arcades ἐρινύειν dicunt, ac nigram uestem sumsit, & cùm in specum se abdidisset, diu lucem ultauit. Ibi cùm omnes fructus terrę corrumperētur, & homines passim peste perirent, uix tandem Parcis deprecantibus placari potuit. Natalis Comes Mythol. libro 3. capite 11. Pausanias in Arcadicis.

OB ADVERSAM PVGNAM, CLADEM.

Xerxis regis classe à Græcis ad Salamina profligata, nuncius Susa perlatus ita PERSAS consternauit, ut uniuersi uestes dilaniarent, uociferationeque & eiulatu irrequieto uterentur, culpam in Mardonium refundentes, non tam de classe quàm de ipso Xerxe solliciti: idque tamdiu, dum Xerxes illos ita affectos redeundo sedauit. Herod. lib. 8.

L. Posthumio Coss. cum exercitu in Latina sylua arborum ruina oppresso, cladis huius nuncius tantum ciuibus pauorem intulit, ut ROMÆ illicò clausæ sint tabernæ, eratq; uelut nocturnum in urbe silentium, quum ædilibus datum est negotium, ut tabernas aperiri iuberent, speciemq; publicæ mœstitiæ demerent urbi. Et T. Sempronius consul designatus patres in curia consolatus est, hortatusq;, ut qui Cannensi cladi non succubuissent, ne ad minora damna animum demitterent. Adnitendum totis uiribus, ut Hannibalis conatibus iretur obuiam. De Gallis in deorum potestate ac pop. Rom. fore, ut aliquando præsentem cladem ulciscerentur. Sabellicus lib. 3. Enn. 5.

Cannensi clade ROMAM nunciata, Senatu properè in curiam euocato, præ nimio strepitu & clamore ne cōsuli quidem potuit. Data opera, ut per patres inter se id munus partitos, mulieres, quæ omnia planctu & eiulatu complebant, ex publico arcerentur: singulæ intra sua limina suum nunciū expectarent: compressoq; tumultu & trepidatione, silentiū fieret tota urbe, custodes ad portas ponerētur, qui prohiberent quenquam egredi. Iam quum literæ à Varrone consule allatæ significarunt Aemylium consulem & exercitum cæsum, euasisse se, reliquias tantę cladis uelut ex naufragio colligentem, ad X. millia & amplius incompositorum circa sese esse, tum priuatæ clades domesticatim uulgatæ. Qui luctus adeò totam urbem compleuit, ut sacrum Cereris sit eo anno intermissum, quoniam lugentes religione prohiberentur. Liuius.

NERO audita defectione Galliarum, caput ipse suum præ doloris impotentia diuerberauit. Suetonius.

Bello Neapolitano, uictis ad Carilianum Gallis à Ferdinando rege, anno 1503. acceptæ cladis nuncij, ob eorum qui perierant multitudinē, & præcipuè ob tot nobilium uirorum amissionem, totum Galliæ regnum lacrymis & plāctibus repleuerunt: ex quo regia uniuersa ex uestitu, & multis aliis doloris signis, mœrore & afflictatione plena conspiciebatur: & per totum regnum uirorum ac mulierum, eum diem, quo primùm infausta imperij in Italia adipiscendi cupiditas, regum suorum, quasi tanto imperio, quod possidebant, contenti non essent, animos inuasit, execrantium uoces audiebantur: in primis uerò regis LVDOVICI XII. animus tam nobilis regni unquam recuperandi desperatione, & tanta existimationis auctoritatisque suæ diminutione uehementer angebatur. Quare uociferationibus cœlum implens, efficacissimo etiam sacramento addito, se, postquam suorūmmet tam negligentem & perfidam operam esset expertus, nullum amplius bellum ducibus suis commissurum, sed seipsum ad omnia præsentem futurum, confirmabat. Guicclardinus libro 6.

OB MILITVM CONTVmaciam, ignauiam.

ALEXANDER Magnus renuentibus militibus ulteriorē Indiam petere, præ mœrore tabernaculo inclusus, abiecit se in terram, pœnitens rerum gestarum, & quasi pro confessione; uictum se esse, habebat reditum. Vix tandem amici & milites cum strepitu & planctu supplices eum molliuere. Plutarchus in Alexandro.

SCIPIO Africanus iunior, cùm apud Numantiā milites luxuria diffluere ac deliciis comperisset: sagum fibula substrictū ac pullum gestans, exercitum lustrabat, submurmurās identidem, ob militū ignominiā esse se in luctu. Plut. in Apoph.

OB DIGNITATEM, MAGIstratum collatum.

GREGORIVS Magnus lib. 1. Epist. c. 5. ad Theoctistam Imperat. scribens, seriò conqueritur, se è monasterio ad pontificatum promotū esse: inter cætera & hęc: Sub colore episcopatus, ad seculum sum reductus, in quo tantis terrę curis inseruio, quantis me in uita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius uideor. Vnde me à facie conditoris mei longè expulsum deploro. Conabar namq; quotidie extra mundum, extra carnem fieri: cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter uidere: & non solùm uocibus, sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam: Tibi dixit cor meum, quæsiui uultum tuum: &, Vultum tuum Domine requiram. ITEM: Contemplatiuę uitæ pulcritudinem, uelut Rachelem dilexi, sterilem, sed uidentem, ac pulcram, quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius uidet. Sed quo iudicio, nescio, Lia fœcunda, sed lippa, minus uidens, quamuis amplius pariens. Sedere ad ędes domini cum Maria festinaui, uerba oris eius percipere, & ecce cum Martha compellor in exteriorib. ministrare, & erga multa satagere. Expulsa à me, ut credidi, legione demonum, uolui obliuisci quos noui, ad Saluatoris pedes quiescere: & ecce mihi nolenti, atq; compulso dicitur: Reuertere in domum tuam, & annūcia quāta fecerit tibi Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas ualeat Dei miracula prædicare, cùm iam mihi difficile sit saltem recolere?

OB IMPERII AMISSIONEM.

SAMNIETVS uel Psammenitus Aegyptiorū rex captus, Cābysis iussu cū omnib. eius gentis primorib. in suburbano loco constitutus, memorabile doloris edidit exemplum. Missa est eius filia seruili habitu cum plerisq; nobilium puellarū aquatū: ut si in sordido ministerio à patre cōspiceretur, is sup cæteras calamitates maiore adhuc dolore cōficeretur. Quę ubi in suorū cōspectum uenére, mutuo aspectu miserabilis inter uirgines parētesq; orta est cōplotatio: unus omnium Samnietus filiā intuitus, immoto stetisse uultu dicitur. Inde filius ad suppliciū cū plerisq; æqualium missus, cæterorum fletu & lamentatione, ex ipsius cōspectu abstractus, pari uultus cōstantia eū dicitur prosecutus. Accidit interim, ut in amicorū quendā oculos cōiecerit, qui ex præclara nuper fortuna, multisq; diuitiis penè nudus circuibat milites, cibū mendicās. Tū uerò neq; à lacrymis tēperauit amplius, neq; aperta lamentatione abstinuit. Has intēpestiuas lacrymas Cābyses demiratus (aderant enim qui omnia illi quæ fiebant nūciarēt) misit qui ab Samnieto sciscitaretur, quid esset, quod quū liberorum calamitatē tam pulcre pertulisset, ut ne lacrymā quidē in eorum malis emiserit, cōtrà ad unius mendici aspectum in fletū prorupisset? Cui aiunt ab eo responsum, ut diceret, domestica mala multo majora fuisse, quàm ut à se fleri possent: amici fortunam dignam sibi uisam, quam fletu & lacrymis, quādo aliter opē ferre non posset, prosequeretur. Crœsus & alij primores, qui cum Cambyse erant, ad eā uocē propriæ fortunæ admoniti, nequiuerūt & ipsi fletu abstinere, tetigitq; subita commiseratio uictoris animum, ut confestim miserit, qui Samnieti filio parci iuberent. Sed serum fuit imperiū, perierat adolescens, quum nuncius à rege affuit. Ipsum regem, quod præstare potuit, non solùm seruatū uoluit, sed penes se quoq; in honore habuit, donec res nouas molientem, taurino sanguine epoto, ad mortem compulit. Sab. lib. 7. Enn. 2. ex Herod. lib. 3.

OB VRBIS EXCIDIVM.

Mileto à Persis capta, ATHENIENSES tam molestè Milesiorum cladem tulerunt, ut uniuersum theatrum illacrymasse dicatur, quum Milesia Phrynichi direptio acta est, ob idq; auctor ipse mille drachmis, ut Callisthenes prodidit, est multatus, quia uelut domesticum uulnus refricuisset. Sabellicus libro 8. Enn. 2.

Bello tertio Punico, cùm Rom. punica fide usi, CARTHAGI-

NENSES CCC. primùm obsidibus, mox etiam armis uniuersis exuissent, tandem quoq; urbem tradere iusserūt euertendam, aliamq; nouam decem millia passuum procul à mari, ubicunq; libuisset, condere. Tum Carthaginenses omnes legati unà manibus ad cœlum sublatis, multa apertè Romanis mala imprecari, à quib. tā perfidè fuissent decepti. Inde in terrā prouoluti, manibus capita contundunt. Alij sibi uestes laniant, quidam manum sibi inferre conati sunt, uelut insania quadam stimulante. Postremò ab ea conflictatione quiescentes, uelut defuncti uita, humi prostrati iacuerunt, raras & miserabiles uoces interim emittentes, filios, uxores, patriam, deos ipsos, quos ipsi piè coluissent, miserabili modo inuocantes. Admoniti consules humanę fragilitatis, misericordia & stupore pressi, sine uoce aliquandiu stetēre, nec circumfusa multitudo lacrymis tēperare potuit. Legati mœsto silentio urbem ingressi, continuò multitudinem metu & terrore perculerunt. Multis amicorum sciscitantibus, quum ne uox ulla quidem redderetur, multa cum trepidatione in curiam discurritur. Vbi ad primam mandatorum relationē tantus est à patribus clamor exortus, ut plebs, quæ ante curiam stabat, ægrè à foribus remoliendis abstineret. Mox uerò edocta, quæ essent Romanorum postulata, uelut subitò furore correpti, alii aliò dilabuntur. Miserabilis comploratio in publico & priuato oria, sæuusque matronarum planctus. Aliæ cum fletu & lamentatione templa subeunt, diis inuidiam facturæ. Aliæ paruos natos complexæ, illorum sortem lamentari, quorum ortus in ea tempora incidissent, ut euersa patria in exilio uicturi forent. Quædam penates deos, & lares, quos castè coluissent, uelut ingratos incusare. Viri ira & dolore perciti, clausis portis muros conscendere, cum ipsa patria perituri, pro catapultis saxa congesserunt. Senatus omnia prius extrema perferenda cēsuit, quàm urbem ad excidium tradēdam. Bellum itaq; decretum, missusq; ad Hasdrubalem nuncius, urbe pulsum, ut publicæ iniuriæ oblitus, patriæ extremo tempore auxilium ferret. Sabellicus lib. 8. Enn. 5.

Solebant IVDÆI quotannis eo die, quo Hierosolyma capta est, eò uenire, & desolationē urbis deplorare. Hieronymus in Sophoniæ caput primum: Legamus Iosephū, & prophetiam Sophoniæ, illius cernimus historiam. Et hoc non tantum de captiuitate dicendum est, sed usq; ad præsentem diē perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad extremū filij Dei, excepto planctu prohibentur ingredi Hierusalē: & ut ruinā suæ eis flere liceat ciuitatis, precio redimunt: ut qui quondā emerant sanguinē Christi, emant lacrymas suas. Et ne fletus quidē eis gratuit⁹ sit, uideas in die quo capta est à Romanis & diruta Hierusalē, uenire populū lugubrē, cōfluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, in corporib. & in habitu suo iram Domini demonstrantes: cōgregatur turba miserorū, & patibulo Domini coruscāte, ac radiante ἀνάστασις eius, de Oliueti monte quoq; crucis fulgente uexillo, plangere ruinas templi sui populum miserū: & tamen non esse miserabilē. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines: & miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cùm hęc uideat, de die tribulationis & angustiæ, de die calamitatis & miseriæ, de die tenebrarū & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habent enim in luctu tubas: & iuxta prophetiā, uox solennitatis uersa est in planctū. Vlulant super cineres sanctuarij, & super altare destructū, & super ciuitates quōdam munitas, & super excelsos angulos tēpli, de quib. quondā Iacobum fratrem Domini præcipitarunt.

VENETIIS nunciata Clodiæ expugnatione (quod circiter mediam noctem cognitum est, quum ea sub solis occasum hostis potitus esset) tantus terror curiā inuasit, ut ubi primū illuxit, subitò sit ad arma conclamatum. Quo signo consternata ciuitas cum armis in forum accurrit. Cōpleuerat multitudo ciuium quicquid areæ ante curiam & auream ædem iacet. Tum iussu Patrum nunciatum populo, Clodiam cum pręsidio amissam. Ad quā uocē tātus fletus coortus dicitur, tāta lamentatio, ut capta urbe maior oriri non potuisset. Vidisses tum matronas per urbem, prę nimio dolore deiectas, nunc manus ad cœlum tendere, nunc pugnis pectora pulsare: uiri inuicem publicam lamētari fortunam, actum esse de republica, actum de imperio dicere: dolere omnes priuatā fortunam, sed libertatis periculū in primis animos uersare: credere uulgò, Genuensem uictorem paulo pòst affuturum, qui euerso imperio Venetum quoq; nomen euerteret. Quisque pro se perditis rebus priuatæ fortunæ cōsulere, aurum, gemmas, argētum, uestes, omnemq; preciosam suppellectilem aut ad hospites in suburbana loca mittere, aut in sacris ædibus antiquisue monumentis condere: omnia luctus & pauoris erant plena. Crediderunt multi, si in ea trepidatione hostiū classis fuisset ad urbē admota (quod ut Genuenses facerent Franciscus Carrarius princeps identidē capta Clodia monuerat) aut urbem eo die capi, aut certè in summum discrimen adduci potuisse. Sabellicus lib. 6. Decad. 2.

Tamerlanes Sebastia urbe regia capta, Orthobulem Baiazetis Turcarum Imp. F. pręfectū Sebastiæ occidit. Vrbis miserabili excidio sic affectus est BAIAZETES, ut iter faciēs cùm uideret pastorem quendam tibia canentem diceret: Cane cantilenam, cuius argumentū sit: Neq; Sebastiam amittas, nec filium Orthobulem. Chalcocondylas lib. 3.

OB EXCIDIVM AMICOrum, Sociorum.

Sybaritæ, qui Laon & Cydron incolebant, haud parē MILESIIS excidium passis gratiam retulerunt, qui Sybari à Crotoniatis direpta, quum Milesij puberes in argumentum doloris ob mutuum hospitium sibi capita rasissent, ipso in tanto Milesiorum malo, nullum tristitiæ indicium præbuerunt. Sabellicus lib. 8. Enn. 2.

OB IACTVRAM, AMISSIONEM rerum preciosarum.

HELI sacerdos, nimia in filios indulgentia, malè agentes remissè molliterq; corripiens, Deū offenderat: & tamen cùm illos tā tenera amplexaretur pietate, à Philistæis interfectos audiens, satis æquo animo tulit. Postquā aūt & arcam Domini simul captam fuisse intellexit, impatiens doloris, de sede corruit: & quia nonagenarius iam erat, eo lapsu collisus expirauit: ostendens, quanto sibi grauius erat præsentia Domini, quam arca exhibebat, quàm liberis (quamuis carissimis) orbari. Marulus & Sab. lib. 5. c. 1.

ISRAELITÆ capta arca Domini à Palæstinis, eaq; post septē menses ad Bethsamitas remissa, cùm ex Bethsamitis, qui eā irreuerenter attrectarant atque uiderant, 5070 periissent, & Cariathiarimenses eam Gabaam in domum Abinadabi intulissent, totis illis 20. annis, quibus eo in loco arca fuit, luxerunt, cùm non auderent eam Siluntem, ubi prius fuerat, reportare, ueriti diuinam ultionem. Dauid rex tandem eam in suam ciuitatem intulit. 1. Reg. 7.

ONIÆ sanctissimi pontificis, sacerdotum, uiduarum & pupillorum maximus fuit luctus, quādo Heliodorus quæstor regius sacras pecunias per uim auferre uoluit. Preces illorum à Domino exauditæ, & Heliodorus grauiter ab angelo mulctatus abiit. Vide Tit. Pœna sacrilegij.

OB EXAVCTORATIONEM.

ARGYRASPIDÆ & ueterani Macedones ob seditionem ab Alexandro Magno exauctorati, tantum dolorem ex hoc facinore concepere, ut mœsti & flentes ante tabernaculū eius sese abiecerint, nec nisi reconciliato principe uiuere uoluerint. Plutarchus in Alexandro.

OB AMORIS ALIENATIOnem. MOEROR Zelotypus.

Acheloum Aetoliæ fluuium Hercule cum Deianira uxore Oenei regis F. transituro, Nessus Centaurus ultrò operam suā obtulit traiiciendæ Deianiræ, eamq; uitiare conatus, ab Hercule sagittis hydræ ueneno infectis transfigitur. Vindictæ cupidus, suā uestem sanguine ac ueneno illo perfusam, sanguinemq; in uasculum collectum ex uulnere Deianiræ tradidit: dicens illis uim inesse amatoriam, & ueste illa indutū maritum non facilè amaturum pellices. Mox cùm Hercules Oechalia subacta, raptaq; Iole ad Cenæum Eubœę promōtorium appulisset, Licham seruum ad Deianiram misit, qui aduentum suum ipsi nunciaret. DEIANIRA suspectos amores Ioles habens, uestem Nessi, tanquam antidotum amoris, ad Herculem misit. Quam indutus, & furore correptus, cùm tantos cruciatus perferre non posset, se in pyram in monte Oetæ ultro coniecit. Id cùm cognouisset Deianira, sua ipsius manu suspendio uitam finiit. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 1.

THEODOSIO iuniori Imp. dono datum erat inusitatæ magnitudinis pomū: cuius pulcritudinē admiratus, & magnitudinem, Eudoxiæ uxori misit. Illa hoc Paulino, ob egregiā eloquētiā sibi familiarissimo. Paulinus regi. Theodosius ergo, à regina percunctatur, Quid cum pomo egisset. Illa se comedisse respondit: timens ne suspicionem sinistram Imperator conciperet. cumq; illa iterum iuramento affirmaret, aliquantisper cōmotus, palàm id protulit. In manifesto itaque deprehensa mendacio, suspicionē Imperatori auxit: qui ob id Paulinum interfici iussit, & animū ab uxore alienauit. Illa Hierosolymam abiens, templa illic extruxit, magnasque & pauperib. & religiosis eleemōsynas largita est: mortuo interim marito. Cuspinianus ex Zonara.

Tempore Andronici iunioris Imp. Scythissa quędam Christianæ religioni fauens, quendam è Thraciis captiuis emit, eiq; nupsit: atq; intra anni spacium binos liberos ex eo sustulit. Hoc rerum statu, altero anno etiam prior mariti VXOR captiua adducitur. Qua ille conspecta illacrymauit. Scythissa, mulierem emit, ut & domestica ministeria obiret, & marito dolorem conspectu sui mitigaret. Profecta inde Scythissa Constātinopolim, prior uxor corā Patriarcha eam accusauit, quasi maritum sibi præripuisset. Cæterùm cùm illa rem gestam ordine explicasset, & nemo eam reprehendere posset: ipsa hanc sententiam tulit, Vt uxor prior soluto precio redemtionis, cum marito suo abiret. Quod cùm hinc inde illa colligeret, subita incursione Scytharū denuò captiua est abducta. Gregoras lib. 10.

Simultates inter VLADISLAVM Iagellonem regē Polonorū & Heduigim reginam, Gneuossij Deleuicij delationibus excitatæ fuerant: cùm ille, absente rege, Gulielmum Austrium (cuius nuptias ante Iagellonem expetiuerat) secretò Cracouiam uenisse diceret. Sed iureiurando regina regi satisfecit. Cromerus lib. 15.

OB EXILIVM.

DEMOSTHENES ob accepta ab Harpalo munera, urbe profugiens, cùm in ciues aduersarios incidisset, quæsiuit latebras. Cæterùm illis nomine eum compellantibus, & uiaticū insuper subministraturos protestantibus, in maiorem erupit lamentationem, ac dixit: Me miserum, talem qui reliqui urbem, tales habens inimicos, quales non promtum sit inuenire in alia amicos? Aeginę & Trœzene ferè sedens Atticam lacrymis oppletus respectabat. Vrbe excedens, porrectis ad arcem manibus dixit: O domina Minerua, quid bestiis trib⁹ deterrimis delectaris: noctua, dracone, & populo? Plutarch. in Demosthene.

OB CONDEMNATIONEM.

Olim REI solebant esse mœsti squalidiq; ac lugentibus similes, quo iudices ad misericordiam inflecterent. Hinc illud Plautinum in Asinaria:

Quē uideam ęquè mœstum esse, ut quasi dies dicta si siet.

Erasmus in Adagiis.

OB CONTEMTVM, Ignominiam.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus in Olympiacam panegyrim præstantissimos uoce histriones, eius decātaturos apud populum poemata, misit. Qui primū quidē propter uocis suæ pręstantiā in magnam admirationem auditores adduxerūt: mox uerò poematum uanitate cognita, non sine magno risu despectui haberi ceperunt. Quo Dionysius poematū suorum contemtu audito, in magnā incidit tristitiam: qua magis ac magis aucta, tandē furor quoq; animū eius inuasit, ita ut omnes suos amicos, tanquam insidias sibi struētes, suspectos habere inciperet: postremò in eum processit mœrorē & dementiam, ut ex amicis suis multos, efficta aliqua causa, occideret: nec paucos in exilium mitteret. Diod. lib. 15.

MOEROR NVLLVS OB EA QVAE DIgna sunt mœrore.

Ex Titulo Tolerantiæ malorum quorumlibet exempla petantur.

OB MORTEM. MORTVI NON defleti. Luctus nullus pro mortuis.

In genere.

THRACIA natales hominū flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat, sine ullis doctorum præceptis uitæ nostræ fragilitatem indicans. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Mela lib. 2. Solinus c. 17. Herod. in Terpsichore THRAVSOS Thraciæ populos hoc factitasse tradit. Iuxta Zenobium CÆSIÆ, uel secundū Nicolaum CAVSIANI natos fletu excipiunt, defunctos beatos ducūt. Strabo lib. 11. ex Euripide, CAVCASIANIS, τοῖς περὶ τὸν καύκασον, ὁμηρον ἄνευ ait, τὸν φύντα θρηνεῖν, τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον, χαίροντας καὶ εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Brodeus in Archiæ epigramma tale:

Θρήικας αἰνέοιτι τίς, ὅτι στοναχεῦσι μὲν ἥας
μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσους αἰῶνα λιπόντας
ἀπροϊδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ παντοῖα περῶσιν
ἐς κακά, τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

LYCII, cùm iis luctus incidit, muliebrem uestem induunt, ut deformitate cultus commoniti, maturius stultum proiicere mœrorem uelint. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

LIBYCI eos qui uel ab elephātis, uel in uenationibus, uel in præliis interfecti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnosque in honorem eorum cantant. Est autem hoc argumentum hymnorum, ut dicant eos se fortes uiros prębuisse, qui tantæ bestiæ reluctari ueriti non sint. Dicunt enim, gloriosè uitam cum morte commutasse, id demùm monumentum esse laudatissimum ei, qui terræ mandatur. Aelian. de Var. hist. lib. 12.

ESSEDONVM traditur mos, ut parentum funera cantibus prosequantur: mox cœtibus propinquorum aduocatis (qđ dictu & auditu fœdum est) ipsis cadaueribus, immistis ouillis carnibus, uescantur. Alexander ab Alexandro libro tertio, capite secundo.

CIMBRI & CELTIBERI, si qui in acie mortem oppetunt, gaudio exultant: si autem morbo affecti decedunt, in squalore & luctu sunt Alex. ab Alexan. lib. 3. c. 3.

Apud LOCRENSES luctu mortuos prosequi uetitum est: sed postquam elatum est funus, conuiuia agitant. Heraclides in Politiis.

In COORVM insula uiri neq; uestium permutatione, neq; capillorū rasura uita defunctos lugere solent: matri uerò, mortuo iuuene, ad lugendum annus datur. Idem.

In THERA, una ex Cycladibus, seruatum legimus, ut pueri citra septennium, aut homines ultra quinquagesimum annū indefleti essent, si morerētur: quòd illi rapti immaturo funere uix primum uitæ limen attigissent, isti autem satis diu uixissent. Alexand. lib. 3. cap. 3.

Duæ ante portas MASSILIENSIVM arcę iacent, altera qua liberorum, altera qua seruorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehuntur, sine lamentatione, sine planctu, sine luctu: funeris dies domestico sacrificio, adiectoque necessariorum conuiuio, finitur. Etenim quid attinet humano dolori indulgere, aut diuino numini inuidiam fieri, quòd immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit? Valerius Max. lib. 2. cap. 1.

SOLON lacerationes plangentium, ploratum excitantia, & eiulatum in alienorum funeribus sustulit. Parentare boue interdixit, uel amplius tres uestes cum mortuo condere: ad aliena monumenta nisi in iustis exequiarum accedere. Plutarchus in Solone.

Pro Liberis.

GRÆCI infantibus suis extinctis inferias non dant, neque alia iusta faciūt, quæ apparet alios defunctis præstare. Quippe commercium cum terra aut cum terrenis habent nullū: neque hic apud tumulos, & monimenta, & libamenta mortuorum libēter uersantur, & assident corporibus. Neque enim tantulos lugere leges, quasi nefas sit, permittunt, cùm ad meliorem & diuiniorem sortem simul & sedem demigrauerint. Plut. in Consol. ad uxorem.

Q. FAB. Max. filio consulari, & L. PAVLVS duobus paucis diebus amissis, & M. CATO, mortuo prætore designato filio, non luxerunt. M. quoque BIBVLVS consul, quum toto consulatu domi delituisset, quo die de obitu duorum filiorum certior fuit, in senatum uenit, & munus consulare obiuit. Quod de ANAXAGORA & XENOPHONTE traditur, & ASINIO Pollione, qui quo die filium amisit, in conuiuio luxit. Alex. lib. 3. cap. 7.

Pro Vxoribus.

L. Crassus cùm piscinis maximè delectaretur, murenamq; mortuam atratus plures dies tanquam filiam lugeret, probróque ei daretur à Cn. DOMITIO collega: Nimirum, respondit Crassus, fateor me ita pium esse, ut minima de causa plorem. At tu qui tres extulisti uxores, minimè ploras. Macrobius & Aelianus. Plutarchus de Vtil. ex inimicis.

Pro Damnatis.

Tiberius Cęsar interdixit, ne capite damnatos PROPINQVI lugerent. Suetonius.

OB AMORIS ALIENATIONEM. Zelotypia nulla.

THESEVS Antiopam Amazonem rapuerat. Huius amore captus Soloon itineris comes, cùm ardorem suum celaret alios, uni ex familiaribus eum detexit. Vt Antiopam ille hac de re appellauit, repulit eum acriter: prudenter tamen & leniter tulit, neq; ad Thesea detulit. Soloon abscissa spe in amnem quendā se abiecit & interiit. Theseus causa cognita, rē tulit grauiter, monitusq; oraculo Delphico, urbē ibi cōditā à Dei nomine Pythopolim nūcupauit, atq; in honorem adolescētis propinquū flumē Soloōta uocauit. Plut. In Theseo.

Colophonius quidam adolescens iuxta Bacchidem meretricem Samiam Plangonem Milesiam amare cepit. PLANGON, ut iuuenem ab amore Bacchidis diuerteret, postulauit monile Bacchidis preciosissimum. BACCHIS amatori monile concessit. Cùm uerò cognouisset Plangon, Bacchidem ab inuidia esse alienam, suum illi monile remisit. Itaque communem, dum uixerunt, habuerunt amasium. Et Plangon imposterum Pasiphila dicta est Ionibus. Athenęus libro 13. cap. 23.

SCYTHICA quædam mulier, sub Andronico Iuniore Imp. Christianæ religioni clàm fauens, quendā è Thraciis captiuis ante suas fores traduci cùm uidisset, eū emit, eiq; nupsit. Elapso nondum anno altero prior mariti uxor etiam captiua ducebatur. Quam ubi maritus cōspexisset, illa lacrymauit. Scythissa lacrymarum causa intellecta mulierem emit, ut & domestica ministeria obiret, & simul marito dolorem conspectu sui leuaret. Quæ ipsa tamen non multo pòst summam ei pro hoc beneficio ingratitudinem exhibuit. Gregoras libro 10.

Constantinus Monomachus mortua secunda uxore, & ducta ZOE uidua Michaelis Paphlagonis, simul etiam Habrę nepti ex fratre uxoris suę conuixit: primùm quidē clàm, postea uerò palàm sine rubore: idq; permittente Zoe regina, ob ingrauescentem ætatem decrepita. Sæpe inter ambas in medio prandebat Imperator, quandoq; dominā, quādoq; reginam uocabat. Nec Zoe Imperatorem adiit sola, nisi eam abesse certò sciret. Cuspinianus in Constantino.

Zoe Constantini VII. Imp. filia, iam quinquagenaria, ROMANO Argyropylo nupsit, quē Theodora soror iunior respuebat. A quo cùm propter sterilitatem negligeretur, impotente præsertim propter ætatem, Michaelem iuuenē elegantissimum adamauit, eūdem ut inter regis camerarios cooptaretur effecit, sæpe regis pedes fricare iussus. Sunt qui credāt regem haud ignarum fuisse huius amoris: cæterùm dissimulasse, quò ipse ab hoc onere senex iam liber esset, néue uxor deinceps tam apertè mœcharetur. Cuspinianus.

HISPANA quædam nobilis matrona, cùm maritum haberet amore alienæ uxoris captum, itaeq; ad illam magno cum metu fratrum illi insidiantium quotidie uideret: Tu, inquit, mi uir, ab amore isto illicito diuelli non potes, nec ego abs te id contendo: solùm oro, ne cū tanto uitæ tuæ discrimine ames. illa se uelle sequi te ait, duc in arcem tuā: ego ipsi hāc ędium partem cedam instructissimam, in aliam migrabo, ac dabo tibi fidem, non aliter me illam habituram, quàm si soror mihi esset germana: si quid secus senteris, tu me potius domo pellito, illam retineto. Persuasit marito, & nocte quidā pellicem in arcem intulit, uehementer trepidam, ac metuentē uxorē amatoris. quę illam blandissimè & humanissimè exceptā, in suis cubiculis collocauit, nec aliter appellauit quàm sororem, uisitq; eam bis quotidie, tractariq; iussit accuratius & delicatius, quàm semetipsam, absq; ulla uel in uerbis uel in factis odij significatione: Nunc (inquit) marito tutius amabis, & securius fruēre. Post annum maritus ad uxorem pellice longè formosiorem totus cōuersus, amicam cepit capitaliter odisse: & ea pulsa, tantum amorē ad uxorē trāstulit, ut in ea se animum, uitam, spiritum suum situm esse prædicaret. Viues de Christiana femina lib. 2. sibi matronam illam notam fuisse affirmat.

LITVANORVM matronæ palàm concubinos habent, uirorum permissu, quos cōnubij uocant adiutores: cōtrà pellicatus uiris probro datur. Fulgos. lib. 2. c. 1. Sab. lib. 4. En. 10.

OTTOCARVS rex Boemiæ cùm de pudicitia coniugis sinistri ad se rumores delati essent: Lex, inquit, naturæ est, Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent. Aen. Syl. lib. 3. Cōmentariorum in Panormitam.

SIGISMVNDVS Imp. Barbaram, Hermanni comitis Ciliæ F. uxorem libidinosissimā, ex qua unicam filiam Elizabethā genuit, uxorem Alberti II. regis Rom. sępissimè in adulterio deprehendit. Sed adulter adulteræ ignouit, quia & ipse crebrò alienos uiolauit thoros. Cuspinianus.

OB REPVLSAM.

HIPPOCLIDES Atheniensis, Tisandri filius, cum multis aliis iuuenibus Clisthenis Sicyonij filiam ambiebat. Verùm cùm Clisthenes procos toto anno probaret, & Hippoclides in conuiuio indecoram quandā saltationē edidisset, sublatis in altū pedibus, pater offensus inhonesto iuuenis lusu, ait, ὦ παῖ Τισάνδρου ἀπωρχήσαό γε μὲν τὸν γάμον: id est, Fili Tisandri, à nuptiis tua saltatione excidisti. At ille protinus respondit, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ: id est, Haud curat Hippoclides. Ea uox, ut testatur Herodotus, in prouerbium abiit.

OB CONDEMNATIONEM.

SOCRATES, cū Atheniēsiū scelerata demētia tristē de capite eius sententiā tulisset, fortiq; animo & cōstanti uultu potionē ueneni è manu carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, uxori Xanthippe inter fletū & lamentationē uociferanti, innocentē eum perimi, Quid ergo, inquit, nocēti mihi mori satius esse duxisti? Val. lib. 7. cap. 2.

ΕΠΙΧΑΙΡΑΓΑΘΙΑ. GAVDIVM EX REBVS aliorum secundis.

AEGINENSIVM, qui ad bellum Troianum profecti fuerant, multi perierant in pugna, plures tempestas absorpserat. Paucos igitur, qui domum incolumes redierunt, quum recepissent cognati, uidentes reliquos ciues ob desiderium suorū in luctu ac mœrore uersari, non arbitrati sunt conuenire, ut uel palàm lætitiam suam declararent, uel diis ob illorum salutem rem diuinam facerent: sed suos quisque, quos incolumes receperant, domi clàm cōuiuiis & gratulationibus excipiebant, ipsi ministrantes patribus, cognatis, fratribus, ac necessariis, neminem alienum admittentes. Hoc imitantes Aeginetæ, quum Neptuno sacrificant, dies sedecim gestantes thyasos, quos uocant, clàm apud sese conuiuia celebrāt, neque seruorum quisquam adesse sinitur: mox Veneri sacrificantes festum soluunt. Itaq; qui sic sacrificabant, μονοφάγοι dicebantur. Erasmus in Adagiis, ex Plut. quæst. Græcan.

ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ. GAVDIVM OB ALIENA infortunia. Vtputa

PRINCIPVM.

Consule Tit. Tyrannorum, quorum morte tam lætantur subditi, quàm uita & incolumitate tristantur.

Morte Tibèrij Cæs. ita lætatus est populus ROM. ut ad primū nuncium discurrentes, pars Tyberium in Tyberim clamitarent: pars Terram matrem, deosq; Manes orarēt, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent: alij uncum & Gemonias cadaueri minarentur, exacerbati super memoriā pristinę crudelitatis etiā recenti atrocitate. Nam cùm Senatuscōsultum actum esset, ut pœna damnatorū in decimū semper diem differretur, fortè accidit, ut quorundā supplicij dies is esset, quo nunciatum de Tyberio erat. Hos implorantes hominū fidē, quia absente adhuc Caligula nemo extabat, qui adiri interpellariq; posset, custodes, ne qd aduersus constitutum facerent, strangulauerunt, abieceruntq; in Gemonias. Creuit igitur inuidia, quasi, etiā post mortem tyranni, sæuitia permanente. Corpus ut moueri à Miseno cepit: cōclamātibus plerisq;, Atellam potius deferendū, & in Amphitheatro semiustulandum: Romam per milites deportatū est, crematumq; publico funere. Suetonius.

Caio Cæsare interfecto à coniuratis, cæde illius in theatro (spectabat enim populus Circenses ludos) nunciata, præ inopino gaudio MVLTI credere nolebāt, & se audiuisse dissimulabant, ne si rumor falsus fuisset, ipsi pœnas ob gaudium darent. Iosephus lib. 19. c. 1. Antiq. Zonaras, Suetonius.

Nero obiit XXXII. ætatis anno, die quo quondā Octauiā interemerat: tantumq; gaudium publicè præbuit, ut PLEBS pileata tota urbe discurreret, nimirum hoc indicio additam sibi libertatem significans. Suetonius in Nerone.

Domitiano Imp. occiso, SENATVS adeo lętatus est, ut repleta certatim curia nō tēperaret, quin mortuū cōtumeliosissimo atq; acerbissimo acclamationū genere laceraret: sed scalas etiā inferri, clypeosq; & imagines eius coràm detrahi, & ibidē solo affligi iuberet: nouissimè eradēdos ubiq; titulos, abolendamq; omnem memoriam decerneret. Suetonius.

Constante II. Imp. in Sicilia interfecto, tota ITALIA, adiacētesque prouinciæ, extulerunt animos lætitia, adeò ut Italiæ Exarchus & copiarum duces, nullum in publico gaudio ausi sint tristitiæ signum ostendere. Tanto illum odio persequebantur ob Romam spoliatam, & tributum ab Italia exactū. Cuspinianus.

Cognita morte Gulielmi Russi, Anglorum regis auarissimi, gaudium ingens est ubique ortum, sic, ut POPVLVS uelut carcere eductus, aut uinculis solutus, renascente iam libertate, frequens ad templa adire, & uota Deo soluere, quę antea pro libertate fecisset, perinde festinaret, ac si ille dies, qui regis uitæ extremus fuit, sempiternam patriæ salutem peperisset. Polyd. lib. 10.

Clemente VII. Pontifice mortuo, cuius pontificatum sæuum bellum, quo Roma funestius à multis seculis non sensit, pestilentia propè ineuitabilis, dira fames, & prodigiosus Tyberis auctus, accumulatis cladibus excepēre: omnis ordo, & deniq; populus ROM. uniuersus, diu expectata, & demùm audita eius morte, magnoperè lætatus est, iocatiq; summa libertate nonnulli gratias egēre Matthæo Curtio medico, qui firma utentem ualetudine, innatoq; membrorum robore prævalidum, in multa spe longioris uitę, nouis pręceptis, & commutata uitæ ratione, dubiò procul occidisse credebatur. Sabell. Supplem. lib. 17. ex Iouio.

HO-

HOSTIVM.

ATHENIENSES nunciata Philippi regis morte, illicò diis honorem habuerunt, & Pausaniæ interfectori coronam decreuēre. Plut. in Demosthene.

C. Martio Coriolano perpetui exilij pœna damnato, pronunciata sententia, qua damnatus est, nulla unquam cęsis hostibus tantos fecerat POPVLO spiritus uictoria, quantū tunc exultans & ouās discessit. At senatū merus angor mœrorq; tenuit dolentem & ingemiscētem, quòd nō omnē lapidem prius mouissent, quàm tantam contumeliam & licentiā perpessi essent populi. Plut. in Coriolano.

Cæso ab Heluetiis ad Nancium Carolo Burgundo, LVDOVICVS XI. Francorum rex, qui eius tollendi causa bellicosissimam gentem contra ipsum incitauerat, grauissimo aduersario liberatus, quo uiuo de regno suo bene sperare non poterat, primo nuncio, ut lætissimo, centum quinquaginta pondo argenti in abacum fact i euangelij ergô dari iussit. Aemil. lib. 10.

LEO X. Pp. accepto nuncio, de Gallis Mediolano eiectis, incredibili lætitia affectus in febriculam incidit, qua per incuriam tandem extinctus est. Iouius lib. 4. eius Vitæ.

IDEM tantum ex morte Selymi Turcorum Imp. concepit gaudij, quantum tristitiæ paulo antè audito Sultani Memphitici excidio acceperat. Nā eo interitu nunciato, litanias ac supplicationes publicas, in quibus homines nudatis pedib. incederent, Romæ haberi curauerat: legatosq; per totam Europam miserat, qui id efficerent, ut Christiani in unū coeuntes, contra Christianorum omnium hostem acerrimum Selimum, à quo Sultanorum regnum florentissimum euersum fuerat, arma sumerent. Iouius in Solymanno.

PRIVIGNORVM.

M. Tull. Cicero repudiata Terentia, VIRGINEM locupletissimam iam grandis natu in uxorem duxerat. Non multo post has nuptias, cùm Tulliola Dolabellæ nupta ex partu decessisset, & noua nupta morte eius uideretur exultasse, eam repudiauit. Plutarchus in Cicerone.

INVIDIA.

φθόνος ἐστὶ λύπη τις ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν, περὶ τοὺς ὁμοίους μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους. Sic 2. Rhetor. Arist. Est igitur dolor ex aliena felicitate perpetuus, mœrore, macie, & squallore habentem conficiens: unde Liuor edax à poetis dicitur: quòd ut Pudor ab accidente suo Rubor interdum appellatur, sic Inuidia à perpetuo pallore Liuor. Dolet autem, non quòd ex aliena felicitate sibi aliquid decedat (sic enim ζῆλος siue Aemulatio esset) nec quòd indignis hæc felicitas accidat (quæ Νέμεσις propriè diceretur) sed quòd dignis quidem adest, inimicis tamen suis, & quos omnino perditos cupiat. Exempla plurima ex Tit. Iniustè damnatorum & Exulum, peti possunt: item, Varietatis casuum, eorum scilicet qui ex felicibus infelices sunt redditi, quatenus inuidia circumueniuntur.

RESPECTV RERVM, Propter quas inuidet.

IN GENERE.

ALEXANDER Macedoniæ rex potentissimus Perdiccam oderat, eo quòd esset bellicosus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quòd magni animi: Attalum, quòd imperatoria dignitate polleret: Ptolemæum, quòd ei prosperè omnia succederent. Aelian. lib. 12. de Var. hist.

MVTIVS fuit quispiam apud Romanos maleuolus, & alienā prosperitatem adeò ægrè ferens, ut quum Publius eum solito tristiorem aliquando uidisset, statim dixerit: Aut Mutio nescio qd incōmodi accessit, aut nescio cui aliqd boni. Suet.

C. CALIGVLA, non minore liuore ac malignitate, quàm superbia sæuitiaq;, pæne aduersus omnis æui homines grassatus est: tum claros, tum obscuros. Neq; ullus tam abiectæ conditionis, tamq; extremæ sortis fuit, cuius non cōmodis obtrectaret. Suetonius.

IN SPECIE. Inuidere *Eruditioni.*

CALIGVLA inuidiæ œstro percitus cogitauit de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non licere dicens, quod Platoni licuisset, qui eum è ciuitate, quam constituebat, eiecerit? Sed & Virgilij & Titi Liuij scripta & imagines, paullū abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit: quorum alterum, ut nullius ingenij, minimæq; doctrinæ: alterū, ut uerbosum in historia, negligentemq; carpebat. De iuris quoq; consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum abliturus, sępe iactauit, se mehercle effecturum, ne quid respōdere possent, præter æquum. Suetonius in Caligula.

Arti, Industriæ mechanicæ.

TIBERIVS Cæsar magistrum architectona, quòd maximam porticum in latus ita procumbētem, uti ruinam minaretur, ingenij sagacitate mira in integrum restituisset, admiratus est, καὶ ἐζηλοτύπησε, inquit Dion: quo nomine illū pecunia donatum, urbe interdixit. Quum autem accessisset supplex, ac quo procliuius fieret compos ueniæ, ex industria uitreum allisisset poculum, moxq; idem ostendisset ἄθραυστον, id est, infractum illæsumq;, etiā interfecit. Cælius lib. 20. c. 30. A. L.

Virtuti uniuersim.

HEBRÆORVM pontificum nefaria insectatio „Christi regis acta & uitam infamātium, nil aliud fuit quàm inuidia, quæ cæcos & pręcipites egit, ut quem colere, quem uenerari debuerunt, cruci affixerint. Nec impunè uindicata est ea iniuria, non solùm patriæ excidio, tantaq; hominū iactura, quātam nulla unquam uidit ætas, unū in locū gente coaceruata, sed perpetuo etiam posteritatis supplicio. Sab. lib. 9. c. 2.

Viros bonos, qui per uirtutem primū locū tenebāt, ex inuidia oppugnauere Periclē SIMMIAS, ALCMÆON Themistoclem, Pompeium CLODIVS, Epaminondam MENECLIDES orator. Plut. in præcept. Politicis.

ATHENIENSIVM ostracismus Democraticę quidē æqualitatis trutina fuit, uerùm inuidiæ popularis infestissimū telū. Itaq; præstantissimi uiri post res feliciter gestas exulare coacti sunt, Aristides Iustus, Themistocles in Perside, Iphicrates in Thracia, Conon in Cypro, Timotheus in Lesbo, Chabrias in Aegypto, Chares in Sigeo. Athen. lib. 12. c. 14.

Socrates mortaliū sapientissimus est Delphico oraculo indicatus. Quòd nisi ATHENÆ longè aliter psuasum habuissent, nunquam uir iustissimus uenenum hausisset, publicè damnatus. Sed quem uiuum odit, defunctum desiderauit inconstans ciuitas. Accusatores enim eius exilio damnauit, defuncto statuam in publico posuit. Adeò leuiter aut odit, aut amat ciuilis multitudo. Sab. lib. 1. c. 6.

GRÆCORVM duces ad Salaminē re bene gesta, quāuis cōsilio Themistoclis omnia gesta essent, eius tamē glorię inuidētes, ne secundas quidem rei benè gestæ partes tribuere uoluerunt. Herodotus.

SABINVS Diaconus Gregorij Agrigentini episcopi, gratitudinis loco quam Gregorio debebat, quòd filiam suā à diuturno morbo liberasset: eius gloriæ tātum cepit inuidere, ut cum Crescentio collega Gregorio insidias struxerit. De quibus uide sub tit. Theologorum septimi seculi.

Gregorius Naziāzenus, apud Nazianzum oppidū Cappadociæ in patris locum præsul cùm subrogatus esset, maximoq; Arianorū turbini restitisset, statim inuidia gloriā subsequuta est. Obtrectare enim QVIDAM ceperūt, palāq; uociferari, Gregorium sedem occupasse, ipsum priorem repetere, ac alium subrogari oportere. Quod ipse animaduertens, cū iam superare posset, cedere maluit, ne cædes aliqua, aut tumultus oriretur. Ruffinus XI. Historiæ libro.

Tertullianus, uir in Ecclesia Dei præstantissimus, inuidia ROMANI cleri (qui tantam uirtutem ferre non poterat) exagitatus, ad Montani sectam palàm defecit: & contra catholicos scripsit quędam, longè plura tamen pro catholicis. Hieronymus lib. 4. cap. 34.

DEMETRIVS episcopus Alexandrinus inuidia motus cōtra Origenē, alioqui amicū & catechisten suū, quòd cùm in Achaiā pro sedandis hæresibus missus esset, in itinere ab Alexandro episcopo Hierosolymorū, & Theoctisto Cæsareę episcopo apprehensus, in presbyterū ordinatus, omnib. admirationi esse cepisset, Alexandrū & Theoctistum grauiter accusare cepit: hoc solū Origeni obiiciens, quòd se Origenes adolescens execuisset. Origenes ergo de hostili eius animo certior factus, mansit Cæsareæ. Euseb. lib. 6.

Prudentiæ.

Est Cato maior, POPVLI Rom. iudicio, prudens appellatus: id enim eius nomē arguit. Cæterū nemo unquā in ea ciuitate maiorib. est odiis exercitus. Quadragies sexies reus causam dixit, estq; semper absolutus. Valuit scilicet plus eloquētia, quæ humanis rebus dominatur, & innocētia, quàm oēs inimicorum ualidissimi conatus. Sab. lib. 1. c. 6.

Fortitudini.

Cū Dauid à cęde Goliath Palęstini reuerteretur, cū Saulo rege, qui cęso Goliath castra Palęstinorū inuaserat, & illorū maximā stragē ediderat: mulieres Israelitides ex omnib. oppidis, cū cantu & choris regi obuiam progressæ, ludentes recinebant: Saulus mille, decem superauit millia Dauid. Quam rē Saulus ægerrimè tulit, quòd sibi Dauid præferretur: tanteq; uirtuti nihil aliud deesse, quàm regnum. Itaq; cum deinceps exitiali prosecutus fuit odio. 1. Reg. 18.

DRAN-

DRANCES Rutulus orator, apud Vergilium 11. Aeneidos:
—quem gloria Turni
Obliqua inuidia, stimulisq; agitabat amaris.

Apud AMPHICTYONAS (qui conuentus fuit totius Græciæ) Ephialtes Lacedæmonius (quem Diodorus Siculus lib. 11. Trachinium fuisse ait) proditionis accusatus est, quòd Xerxi Persarum regi, aduersus Lacedæmonios Thermopylas oppugnanti, tramitem incognitum, occultum & auium indicasset: eiusq; dolo malo factum esset, cur totus Lacedæmoniorum ille exercitus, cum ipso rege ac duce Leonida in insidias deductus, hostibusq; proditus esse diceretur. Conuictū nihilominus pecunia non capite multarunt. Inuidia id quidem magis (ut opinor) quàm legibus, ne si atrociter rē uindicassent, nō tam de Ephialtis proditione, quàm de Lacedæmoniorum, ubi fraus aberit, in uincibili uirtute ac fortitudine pronunciasse uiderentur: ideoq; totius Græciæ principatum ad eos pertinere. in quo tamen perpetua fuit Græcorum omnium inter se, nec non ad euersionem usq; misera contentio. An ideo uerò, quod in liberis populis raro fit iudicium capitis? primumq; in Areopago actum esse, Plinius notat Naturalis historiæ libro 7. c. 56. Aerodius ex Herodoti lib. 6. & ex Strabonis lib. 1. de Situ orbis.

Henricus cognomento Ferreus, comes Holsatiæ, regi Angliæ Eduardo III. ob uirtutem acceptissimus fuit. Vrebat id Anglorum PROCERES. Itaque absente rege, apud Reginam conqueruntur, Saxonem hunc ignobilem multis nobilibus Anglicis præferri: cuius ignobilitas uel leonis periculo deprehendi queat. (Hunc enim naturâ internoscere nobilem sanguinē ab ignobili.) Ergo Reginæ permissu leo noctu laxatur, ut Henricum ante lucem auras captare solitum aggrediatur. Henricus de more seminudus, baltheum cum gladio appensum gestans, in gradibus leonem habuit obuiam. Cęterùm interritus, Quiesce, inquit, quiesce ferox canis. Ad qđ uerbum leo ad pedes eius procubuit: quem ille incolumis reduxit in caueam. Cranzius lib. 9. Saxon. c. 24.

Magnificentiæ.

Adrianus (qui pòst ad pontificatum peruenit, sextus ordine) ab sacerdotio parochiali in Hollandia, quo eum Margarita Maximiliani Imp. Rom. F. honestarat, & Decanatu Louaniensi cum collegij Vicecancellariatus magistratu coniuncto ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quàm Louanij collegium, sub Adriani nomine luculenter ædificare, adiunctis prædiis, quibus studiosi adolescentes oppressi inopia cum doctoribus alerentur. Fecit autem parsimonia sua & sancta frugalitate, ut & auctiores sibi essent rerum omnium reditus, & opus institutū feliciter breui absolueretur. Hoc ipsius ceptum BERNARDINVS Caruaiales Hispanus, inter Cardinales auctoritate atq; opibus insignis, admiratus ob facilem successum, quodam ingenuo dolore concepto suspirasse, suæq; fortunæ indignatus fertur: quòd id opus ad laudem sempiternam Decanus haud planè diues condere fuisset ausus, quod ipse tantus Cardinalis, sicuti ab antiquo animi decreto destinasset, nondum inchoare potuisset. Iouius in Adriano VI.

Pulcritudini.

CALIGVLA Cæsar pulcros & comatos, si quos obuios haberet, occipitio raso eos præ inuidia deturpabat. Suet.

Robori.

Occidit CAMBYSES rex Persarum, fratrem Smerdem, nō regni æmulatione (quippe, quæ nulla esse poterat, uno fratrum imperante, altero ad obsequium parato) sed inuidia. Attraxerat frater Aethiopicum arcum, ipso rege & regis comitatu aliquanto ualidius. Peperit iuueni fortissimo lacertorum robur inuidiam: ea uerò inuidia non multo pòst exitium: ademit ea uis uitam fratri, illi, cuius iussu interfectus est, regnum & uitam omni regno chariorem. Sab. lib. 9. c. 2. ex Herod. lib. 2.

Dioxippus Atheniensis pugil Alexandro Magno ob uirium præstantiam haud mediocriter charus erat. Hunc cùm Horatas Macedo (Diodorus & Aelianus Choragum uocant) non maledictis tantùm insectatus esset, sed & ad singulare certamen prouocasset, & uictus ab eodem fuisset, non modò MACEDONES popularis sui casum iniquè tulerunt, sed rex quoque ab eo sunt alienatus, omnesque regis amici & aulici uirtuti eius inuidentes, id tandem excogitarunt, ut minister quidam poculum aureum Dioxippi puluino subiiceret. Conuiuio inito, conqueri cœperunt de furto patrato, uestigantesque poculum ablatum, se inuenisse simularūt, cum magno pudore & probro Dioxippi. Qui magnum concursum Macedonum ad se uidens, exiit è conuiuio: & epistola ad Alexandrum de fraude in se commissa scripta, manus sibiipsi intulit. Diodorus libro 17. & Sabellicus lib. 6. En. 4. & Aelianus lib. 10.

Peritiæ armorum.

Toko gregarius miles HARALDI IV. Danorū regis inter cōuiuas tanto se sagittandi usu preditum iactabat, ut pomum licet exiguum, baculo superpositum, prima sagitta feriret. Rex in filio periculum facere cogit: ut nisi primo sagittæ ictu pomum excuteret, proprio capite inanis iactantiæ pœnas lueret. Toko eò necessitatis redactus adolescentem monuit, ut capite immoto strepitum iaculi uenientis exciperet, faciem item eius ne uiso telo terreretur auertit. Tribus deinde sagittis è pharetra depromtis, prima pomum è capite pueri deiecit. Interrogatus autem à rege, cur plures sagittas sumsisset? In te, inquit, primæ errorem reliquis uindicaturus. Neque liberam uocem rex ægrè tulit. Non multo pòst Haraldo eius se artis, qua Finij niuales saltus peragrant, peritiorem iactante, Toko in consimili genere laudis suam ausus conferre uirtutē, apud Collam rupem editę professionis experimentum dare compellitur. Prærupti igitur scopuli cacumine conscenso, exiguo se fusti credidit, lubricasq; plantis tabulas adaptando, rapidum in præceps uehiculum egit, eiusque regimen intrepida manu continuit. Tandem illiso cautibus uehiculo excussus, ne in præceps ageretur fortuito fragmentorum impedimento obtinuit. Ergo ubi præter omnium expectationem fortuna magis quā arte seruatus est, insidias regis postea ueritus, Suenonā cōtra patrem rebellantem secutus, Haraldum in sylua uentrem exonerantem, sagitta interfecit. Saxo lib. 10.

Opulentiæ.

Isaacus patriarcha, cū Geraris in Palæstina habitaret, Deo benedicente annuas fruges cum centesimo percepit, & indies crescebat. Inuidia igitur in eum cōmoti PALÆSTINI, puteos omnes ab Abrahami seruis fossos terra compleuerūt. Abimelechus Gerarorum rex iussit Isaacum ab ipsis discedere, quòd esset longè eis potentior. Genes. 26.

Thesauris.

Bello Iudaico, in balsami hortum, prope Hierichuntem, sæuiere IVDÆI, sicut in uitam quoque suam. Contrà defendēre Romani, & dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eam fiscus: nec unquam fuit numerosior aut procerior. Plinius libro 12. cap. 25.

In solis Peruanis montibus animal reperitur, colore rufum, hircis Indiæ Orientis simile: cornua non habet: herbis salutiferis, quæ sunt ibi plurimę, nutritur: fugacissimum est. Lapides Bezares, in marsupio quodam latenti gignit in quo herbas ruminandas reponit. Puer, annorum duodecim, hoc, inuitis INDIS, Hispanos admonuit. Is à suis mox fuit sacrificatus. Adeò Hispanis inuident sua mysteria. quæ tamē illi per mulieres, quæ cum ipsis libidinis causa consuescunt, & quicquid eorum regionis est, intelligunt. Io. Metellus.

Nezamislio Boemis imperante iuuentus fuit fons aquis salsis scaturiens, ad quem multæ operæ, salis coquendi, ac noui oppidi condendi gratia, undatim adfluxerant. Durat in hūc diem oppidum, à sale, Slana uernacula lingua nuncupatum. Cæterùm sal breui tempore euanuit, uel ipsis aquis sua sponte factis insulsis, uel hominum potius culpa, aliorum aliis inuidentium lautiorem fortunam. qualiter tunc ZATECENSES affecti fuisse dicuntur, per inuidiam Slanensibus denunciantes, ne salinas instituerent: alioqui nouum opus se manu uiolenta inhibituros. Instant operi Slanenses, secumque aduersarios congressos, plus quàm centum interficiunt. Zatecēses ægritudinem animi ex clade acceptam totum annum dissimularunt: quo euoluto, suo dehinc tempore Slanenses incautos adorti, fontem salis robore lignorum, moleque lapidum obstruxere & corrupere, simulq; oppido occupato colonos eò deduxere. Dubrauius lib. 2.

Donis.

Taxiles Indiæ rex, præter aureas coronas, quas Alexandro Magno & primoribus dono dedit, octoginta signati argenti talenta regi obtulit. Quæ ille Taxili non solùm reddidit, sed mille etiā talēta de manubiis superadiecit, uasa adhæc ex auro & argēto, cū Persicis uestib⁹, & equis triginta insignibus. MELEAGER Taxili hoc inuidens, supra cœnam largiore uino usus, gratulari se dixit Alexandro, quòd uirum in India reperisset talentis mille dignum. Rex quamuis iratus hoc tātùm respondit, Inuidos homines nil aliud esse quàm sua ipsorum tormenta. Sab. lib. 6. En. 4.

Apud Maxios, locupletes quidem pleriq; urbem habitabant, cæteri uerò sparsi per uicos agebant. In quodam itaq; uico, cui nomen Lestadæ, Telegoras habitabat, prædiues ac nobilis, multæq; apud plebem auctoritatis: cui cùm alij complures honores habebantur, tum prēcipuè muneribus quotidianis ciuium honorabatur, adeò ut qui uendebāt, si quis minoris liceretur quàm uellent, dicere solerent, se malle dono dare Telegoræ, quàm tanti uendere. Quidam igitur ADOLESCENTES cùm piscem ingentem licitarentur, ac piscator ex more diceret, se malle Telegoræ dono mittere, quàm

quàm tanti uendere: molestè ferentes eadem audire toties, simulata beneuolentia ad Telegoram adduxerunt emtum piscem. Quem cùm ille libenter accepisset, tum ipsum adorti sunt, tum filias iam nubiles constuprarunt. Quod factum indignè ferentes Naxij, arreptis armis inuadere conati sunt adolescentes: tantaq; hinc orta seditio, ut Lygdamis, huius tumultus præfectus, pòst arrepta tyrannide patriam oppresserit. Aristoteles apud Athenæum.

Contra Ricardum II. Anglorum regem iuuenem, summa in omnes liberalitate utentem, inuidia moti beneficiorum in dies collatorum aulici quidam, & inter eos duo præcipui, Io. Ansleius, eques, & HVGO Cartonus, coniurarant. Sed indicio proditi, cùm alter alterum auctorem faceret, monomachia decertare iussi. Cartonus ab Ansleio uictus, crimen fassus, supplicio affectus fuit. Polyd. lib. 20. hist. Angl.

Successioni regni.

Moriente Ioanne Castulonensi rege, eius nominis ultimo, superstites duo filij fuēre, Henricus atque Elizabetha, quę postea Ferdinando Ioannis Aragonij Siciliæ regis filio nupsit. Cùm autem HENRICVS Elizabethę frater ad procreationem impotens esset, atque ut interdum contingit, uerbis cū eo soror contendens dixisset, Etiam inuito ipso, se post eum regnaturam: tantum ex eo indignationis Henricus concepit, ut statueret omnino operam dare, ne sorori quod optabat succederet. Itaq; cùm Hispanum iuuenem conspexisset decora quidem facie, sed humili fortuna natū, nomine Belthramum Cuenam, in regiam eum acceptum, ducem Alburchechensem creauit, egitq; ut cum regina concumberet. Itaque filiam edidit, cui Elizabethæ nomen inditū est. Quæ magnorum Castulonensi regno, post Henrici mortem, motuū causa extitit, aliis filiam, aliis sororem ad capessendum regnum uocātibus. Tandem cùm soror uiribus superior fuisset, filia in Lusitaniam profugit, retento regio animo, nomineq;: etsi eam, qui diuersas partes fouebant, Belthramicam appellarent. Fulgos. lib. 9. cap. 3.

Morti gloriosæ.

C. IVL. CÆSAR secundùm Scipionis in Africa superati fugā, cùm manus Cato sibiipsi Vticæ intulisset: Inuideo, Cato, inquit, hoc lethum tibi. namque tu mihi tuā salutem inuidisti. Plutarchus in Apophtheg.

Sepulturæ.

AGATHOCLES Syracusiorum tyrannus, Gelonis regis sepulcrū, quod ei ob res præclarè gestas populus extruxerat, diruit. Diodorus lib. 11.

Præconio, Proclamationi.

Videntes PRINCIPES sacerdotum & scribæ miracula quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes, Osianna filio Dauid, ægerrimè tulerunt. Matthæi 21.

Pausanias in Atticis narrat, Athenienses, quòd à Pindaro in quodam asmate laudati essent, tanti fecisse ampli illius ac grandiloqui poetæ testimonium, ut & dona ei plurima ob id miserint, & statuam in ciuitate sua statuerint. Id fusius edisserit in quadam epistola Aeschines. Ait enim illum, cùm Atheniensium urbem commendasset, his uerbis, αἵτ λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμ' Ἀθᾶναι, multatum esse à THEBANIS ciuibus suis, ægre ferentibus, alienis eum potius, quàm suis, illam tantam laudem dedisse. Quod ubi resciuere Athenienses, confestim miserunt ei duplum eius pecunię, quam multæ nomine erat exactus: ipsumque ænea statua ornarunt. ea statua uisebatur Aeschinis ætate ante regiam porticum: sedens Pindarus cum pallio, & diademate, lyram tenens, & supra genua apertum librum. Muretus libro 4. Var. lect. cap. 1.

C. IVL. Cæsar ægrè ferens Catonem sibi inuisum à M. Tullio multis celebratū laudibus, duos libros in eundē scripsit, qui Anticatones inscripti sunt: in quibus omnia propè Catonis uitia collegit, & inter alia ebrietatem, ut maximum probrum, illi obiecit.

HORATIVS ferre non potuit laudem ac gloriam antiquorū poetarum. Itaque Arte poet. ad Pisones Plauti iocos contemnit: Lucilium item ut lutulentum ridet: ne ipsi quidem Ennio parcit, quamuis id tectius faciat:
Ennius & sapiens & fortis & alter Homerus,
Vt Critici dicunt. Victorius lib. 15. Variarum, c. 13.

C. CALIGVLA Ptolemæum regis Iubæ F. & accersitum è regno, & exceptum honorificè, non alia de causa repentè percussit, quàm quod edente se munus, ingressum spectacula, cōuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Suetonius.

Erat Esius Proculus patre primipilari ob egregiā corporis amplitudinem & speciem Colosseros dictus. Hūc IDEM è spectaculis detractum repentè & in arenam deductum, Thraci & mox hoplomacho cōparauit, bisq; uictorem constringi sine mora iussit, & pannis obsitum uicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde iugulari. Cùm quodam die muneris, essedario Porio, ob prosperam pugnam seruum suum manumittēti, studiosius plausum esset, ita se proripuit è spectaculis: ut calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus & clamitans, Dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut præsenti sibi. Suetonius.

Cyrus urbis Constantinopolitanæ præfectus, terrestrem Constantinopolis murum demolitus, aliis duobus interuallis additis, alium intra sexagesimum diem extruxit. Cuius operis ad pulcritudinem & festinatam absolutionem obstupescens populus, Imperatore THEODOSIO in Circo sedēte, exclamauit: Constantinus condidit, Cyrus instaurauit. Eapropter in inuidiam uenit: & Græcis rebus studere per calumniam dictus, publicatis eius bonis, raso capite Smyrnæ episcopus constitutus fuit. Cedrenus.

Dignitati cuicunque.

Defuncto Leosthene, Lamiaci belli duce & fomite, uerentes eius AEMVLI, ne dux ad exercitum Phocion missus bellum trāsigeret, hominem quendam subornarunt obscurum, qui exurgens in concione diceret, quòd amicus & condiscipulus esset Phocionis, monere se, ut parcerent ei, cùm parem non haberent alium: Antiphilum autem exercitui præficerent. Id cùm populus Atheniensis probaret, progressus Phocion demonstrauit, neque se unquam istius condiscipulum, neque aliàs notum uel familiarem fuisse. Verùm nunc, inquit, ex hodierno die amicitiam & necessitudinem ineo tecum, quandoquidem quæ è re mea sunt consuluisti. Plutarchus in Phocione.

Inuiderunt P. Val. Poplicolæ PROPINQVI, Capitolini templi dedicationem Horatio Puluillo consuli: cui præsenti ceremoniæ intento, tam atrocem quàm falsum de morte filij nuncium incusserunt. Sed ille siue non credidit, siue religionem priuato luctui prætulit, reiecto omine, quod inchoauerat, peregit opus. Sab. lib. 9. cap. 2.

Iacobus III. Scotorum rex cùm obscuros quosdam homines & mechanicos ob artis peritiam ad summos honores eueheret, à PROCERIBVS captus, in arcem Edinburgensem missus est, & Atholiæ comiti custodiendus datus, aulici eius strangulati. Eum Alexander Albaniæ dux, germanus frater, Anglorum auxiliis liberauit. Non multo pòst, cùm ob regni affectationē Alexāder proscriptus, in Gallia periisset, & rex ad ingenium suum in euehendis cum iniuria nobiliū ignobilibus rediret, coniurati in potestatem suam redacto Iacobo regis primogenito, acie uictores regem & regno & uita exuerunt. Appendix Hist. Scotorum.

Victoriæ.

THEBANI Epaminondæ duci suo Leuctrica uictoria clari gloriæ inuidentes, ei propter continuatum magistratum annuum, Bœotarchiā dictum, causam dixere: & mox, cùm contra Alexandrum Thessaliæ tyrannum exercitum comparassent, eum priuatum inter ordinarios militare coegerunt. Pausanias in Bœoticis.

P. Scipio Africanus, & L. Scipio Asiaticus, ob interuersam prędam Asiaticā à TRIBVNIS accusati, & inuidia magis quā argumentis oppressi: ille sponte sua in exilio Linterni consenuit, huius bona omnia in publicum à Tribunis redacta, ac diuendita, præter pauca, quæ ad usum uitæ cognati & clientes illi redemerunt. Sab. lib. 7. En. 3.

ADRIANVS Cæsar adoptatus à Traiano, cùm, ut aliis multis, ita & gloriam patri inuideret, Armeniam, Mesopotamiā, & Assyriā Persis reddidit, quas Romano imperio Traianus adiunxerat, reuocauitq; exercitus, ac finē imperij esse uoluit Euphratem amnem: pontem quoque ab eodem supra Danubium factum deleuit. Eutropius lib. 8.

MANVEL Imp. Cōstantinopolitanus, Conrado III. Imp. ingentem exercitum per Bosphorum ducenti inuidens, commeatus sufficientes pollicitus, gypsum contusum farinę immiscuit, coactusque est Conradus re infecta domum redire. Simili fraude Ludouico Frācorum regi persuasit per deserta Syriæ copias ductare. Itaq; inopia rerum omnium affectus est exercitus, & Turcorum assultu fatigatus, re infecta per Seleuciam Antiochiam petens, Palæstinam tandem ingressus est, cum multo labore & damno, multis fame morboq; absumtis. Cuspinianus.

Cùm REGES Bohemiæ & Vngariæ, zelo religionis, Lituanorum terram inuaderent, Christianis sacris (quando aliter fieri non poterat) gentem per arma initiaturi, & gentis principes in arce fortissima obsiderent: LVDERVS Magister ordinis Theutonicorum per Prussiam, uel familiaritate nobilium obsessorum, uel odio regum (quibus eius terræ dominiū inuideret) scribit in castra, Prussiam magno Lituanorum exercitu uastari: se esse imparem tantis hostium copiis. Reges succurrendum rati terris Christianis, soluta obsidione in Prussiam magnis itinerib. animisq; proficiscūtur.

Interim

Interim obsessa nobilitas Lituanorum elabitur. Fratres, ubi regum in se iustam indignationem, & sui magistri perfidiã intellexerunt, ipsum magistratu deiectũ carceri incluserunt. Cranzius lib. 8. Vuandaliæ, cap. 26.

Alfonsus Albuquercius Indiæ prætor omnem fermè oram Indici maris, quæ Indo fluuio, & Cori promontorio definitur, sub Emmanuelis regis Lusitaniæ imperium subiunxerat: Malacam etiam adiecerat, regnum Armuzij armis ceperat, & prudentia stabilierat, Emmanuelis regis Lusitaniæ nomen latissimè propagarat. Ea de causa rex optimè erat in Albuquercium animatus. Sed ex AVLICIS permulti splendori eius & felicitati inuidentes, perpetuò aures regis obtundebant, hominemq; aliquando dementiæ & temeritatis, aliquando uerò ambitionis minimè ferendæ, atque adeò proditionis insimulabant. Postremò regi persuaserũt, Albuquercium ad tyrannidem aspirare, uelleq; Indiam uniuersam sibi subdere. eoq; rem deduxerunt, non quidem ut Rex illum non satis magna laude dignum arbitraretur, sed ut saltẽ ab India reuocandum statueret. Itaq; Lupium Suariũ Aluarengam illi substituit. Osorius lib. 10. rerum Em.

Triumpho.

Cn. Pompeio, uicto Domitio, capto rege Hiarba, triumphum petenti, obstitit L. SYLLA, quum diceret eum honorem cõsulibus duntaxat, & summis ducibus, qui suis nõ alienis auspiciis bellum prosperè gessissent, decerni solere. Accedere ad id immaturam ætatem XXIV. annorum, cui nunquam Rom. Pop. talem esset honorẽ decreturus. Tum Pompeius: Multo plures, inquit, mortalium, ô Sylla, orientem uenerantur Solem quàm occidentem: ad ætatem, quæ sibi exprobrabatur, hauddubiè alludens. Obtinuit quidem Pompeius, ut triumpharet: qui ut conspectiore aliquanto apparatu urbẽ inueheretur, quatuor currui elephantes adiunxit: quod primus omnium Liber pater India uicta fecisse dicitur. Plut. & Plinius equis inuectum scribunt, quia urbis porta non fuisset beluarum capax. Magnus inde fauor Pompeio conciliatus, quòd partim illi uirenti ætate acciderat, partim quòd eques adhuc, necdum per ætatem in curiam ascitus insignẽ triumphum egisset. Torquebatur alieno successu dictator Sylla, sed pudore adductus, ne præsenti iuueni fauorem inuidere putaretur, silentium agere: tanta in eo iam sene erat ambitio, ut ne amicis quidem honorem ullum impertiret. Satis constat, Lucretium Ossellam, cuius præcipua opera in iuniore Mario opprimendo fuerat usus, medio foro interfecisse, quòd eo inuito in consulatus petitione perseuerasset. Sabellicus lib. 3. Enn. 6.

Nobilitati.

C. CALIGVLA inuidia motus, Torquato torquem, Cincinnato crinem, & Cn. Pompeio stirpis antiquæ Magni cognomẽtum abstulit. Esium quoq; Proculum, formosissimum adolescentem, iugulari fecit. Suetonius.

Statuis.

CALIGVLA liuore ductus statuas uirorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium Campum collatas, ita subuertit, atque disiecit, ut restitui saluis titulis non ualuerint. Vetuitque posthac uiuentium cuiquam usquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni. Suetonius.

Felicitati, Successibus.

SEMPRONIVS Gracchus & Rutilius tribuni plebis Marco Attilio Glabrioni diem dixere, nullã aliam ob causam, quã quòd homo nouus tam citò creuisset. Liuius de bello Macedonico, & Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

C. MARIVS cùm in Africa primùm & inde in Galatia multa Syllæ opera confecisset, destitit eo uti, atque incremento eius anxius, prætexuit sigillum, ut eum amoliretur. Siquidem Sylla, cùm Marij, qui in Africa bellum gerebat, quæstor esset, legatus ab eo ad Bocchum, captum Iugurtham adduxit. Ibi Sylla ut iuuenis ambitiosus, qui modò gustum gloriæ cepisset, non potuit sibi in hoc successu moderari: sed annulo, quem gestabat, effigiem rei gestæ, ut sibi Iugurtha fuisset traditus, insculpsit. Hinc offensus Marius reiecit eũ. Sylla autem ad Catulum & Metellum transiit uiros probatos, & à Mario alienos: breuiq; urbe expulit & conuulsit Mariũ, cùm hic bello ciuili Romam penè euertisset. Plutarchus in præceptis Politicis.

Iul. Agricola legatus DOMITIANI in Britannia, Scotis Pictisq; domitis, maximum sibi uirtute bellica nomen cõparauerat. Aegerrime ferebat Imperator, priuati hominis nomen, famam & gloriam supra suam attolli. Quamobrẽ post multos honores, Agricolæ senatusconsulto decretos, ueluti Syria prouincia, Attilij Ruffi uiri cõsularis morte uacans, ei fuisset destinata, Romam literis acciuit: ubi paruo pòst tẽpore, Cæsaris insidiis (ut cõstans erat fama) ueneno interiit. H. Boethius libro 4.

Cũ Sapor rex Persarũ, Mesopotamiæ & Nisibi urbi arma inferret, CONSTANTIVS Imp. opem ferre cupiens, ac Iuliani (quem ipse Cæsarem dixerat, & Helenæ sororis coniugio cohonestarat) gloriæ inuidens, ob rem in Galliis multoties bene gestam, stimulante prefecto Florentio, Decentium tribunum misit, ut Herulos & Batauos auxiliares abduceret, & cum Petulãtibus Celtas, & lectos ex numeris aliis trecentos, ut sibi in Persas proficiscenti adessent. Quos Iulianus concessit. Illud uerò dissimulare nõ potuit, se iniquè ferre, ut ij aliquas paterentur molestias, qui, domiciliis Transrhenanis relictis, cum hoc uenerant pacto, ne ducerẽtur ad partes Transalpinas: uerendum existimans, ne barbari, qui sæpe ultro ad Romanos transissent, posthac transire nollẽt. Sed incassum questus est: tribunus præstantissimum quemque selegit. Iulianus præfectum Vienna acciuit, ut sibi auxilio adesset, & cunctos ex hybernis euocauit. Milites, qui in Orientem ducebantur, Parisiis transiere, ubi adhuc Iulianus manebat. Quos ille in suburbanis ad nauandã egregiè Cõstantio operam adhortatus, proceres etiam conuiuio excepit. Qui liberaliter habiti, dolore duplici anxij, discesserunt, quòd & à moderato rectore, & genitalibus terris auellerentur: hocq; angore solliciti, in statiua solita recesserunt. Ineunte uerò nocte, in apertum erupere dissidium, incitatisq; animis ad arma conuersi, manu, fremituq; ingenti omnes Palatium petiuerunt, eoque circumsesso, ne cuiquam euadendi copia fieret, Iulianum Augustum horrendis clamoribus appellarunt: coactique expectare, dum illucesceret, ipsum ad se progredi compulerunt. Quem uisum iterum Augustum summa cõstantia salutarũt. Quos Iulianus modò indignari se ostendens, modò manus tendens, orare cepit, ne post tot uictorias secundissimas agerent aliquid indecorũ, & materias excitarent seditionum. Permisit inde, ut domos suas repeterent, promittens se illud apud Constantium purgaturum. Inde clamantibus uniuersis, ut Augustus esset, assentire coactus est: impositúsque scuto pedestri, & in altum sublatus, populo silente, Augustus renunciatus est. Sigonius libro 6. Imp. occid.

PENDA Merciorum rex, cui aliena uirtus, & omnis laus ex ea nata, semper fuit inuisa, permolestè ferens felicem Osualdi Northumbrorum regis sanctissimi successum, innocentiæ & pietati regis inuidere cepit, deq; Northumbrorum regno occupãdo cogitare. Secutum odium, hominem impulit ad Osualdum bello petendum: quem uictum tandem interemit. H. Boethius lib. 9.

RESPECTV PERSONARVM, QVIBVS inuidet.

Parentibus.

ADRIANVS Romanorum Imp. Traiano Imperatori à quo adoptatus fuerat, & cui in regno successit, inuidisse uidetur, quando & Armeniam & Mesopotamiam & Assyriam, ab illo acquisitas, Parthis concessit: pontem quoq; ab eodem supra Danubium factum deleuit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Filiis.

Carolo IV. IOANNIS Boemorum regis F. ex Italia cum patre reuerso, eximiæ animi corporisq; dotes affluere: decora in corpore formæ dignitas, commoda proceritas, uirilis firmitas membrorum: ingenium liberale, come, & totum ad demerendos homines expositum: sine ullo interprete, Latinè, Italicè, Gallicè, Germanicè, Boemicè loquebatur. Iccirco etiam nullum cuiusque ei officium defuit, & reuerentia penè maior, quàm parẽti superfuit. Quibus ille irritatus, ex Boemia eum in Morauiam cum uxore Blancha amandauit, & non prius Marchionis ibi personam gerere permisit, quàm fidei sacramentum præstaret, quale præstare consueuit, qui uulgò nunc Vasallus appellatur. Eundem tamen contra Polonos rem gerens uicarium reliquit. Is absente parente, talẽ se in administrando regno gessit, ut non solùm à nemine accusari, sed nunquam satis ab omnibus laudari potuerit: adeò numeros omnes rectè administrãdi implebat, omniũ commodis seruiens, ab omnibus acerbissimam exactionem submouens, nullum ipse æs alienum contrahens, factiones & discordias ordinum ubiq; sedans, Regnum deniq; totum à latrociniis purgans, atq; in primis cum Ioanne Episcopo Pragensi prouidens, ut religio incorrupta seruaretur. Pater reuersus, simul atque cognouit multò meliore fama esse filium quàm patrem apud Boemos, rursus à se, ut suspectum de regno affectando, remouendum, & quod uix in naturam patris cadit, filium periculis uitæ obiiciendũ putauit, in Bauaricam eum expeditionem ablegando. Dubrauius lib. 21.

Fratribus.

Septem Iosephi Iudæorum principis FILII Hircanum fratrem octauum, natu minimũ, ob generosam & prudentem indolem magno prosecuti sunt odio. Iosephus lib. 12. c. 4.

Ama-

Amatoribus.

AMASII olim apud ueteres abstergebant loca, in quibus sederant, ne quod suæ uenustatis simulacrum amatoribus relinquerent. Quod Suidas uocat συμψῆσαι.

Brutis.

THEOPHRASTVS philosophus moriens, cornicibus inuidisse legitur longæuitatem, quam natura negasset homini. Eras. in Adagis Chil. 1. Cent. 6.

INVIDIA NVLLA.

Consule Locum, Studij ueritatis.

L. SYLLA Cn. Pompeium ex adolescentia prouexit, assurgens ei, & caput aperiens adeunti ipsum: tum aliis iuuenibus rerum gerendarum subministrando materiam, nonnullos etiam incitando, nolentes, contentione ad laudem & studio honoris exercitus suos impleuit; omniaque sui iuris fecit, dum nõ esse uult solus, sed inter multos & magnos primus & maximus. Plut. in præceptis Politicis.

Nota est uox CARACALLI de fratre Geta, à se iniustè occiso, quem Bassianus præfectus inter diuos asciscì petiit: Sit Diuus, inquit, dum non sit uiuus; & fratrem in diuos retulit. Spartianus.

Epigramma quod in laudem Pescennij Nigri fuerat ascriptum illius statuæ ad uiuũ effictæ, quum præfecti suaderẽt eradendum, SEVERVS Imp. noluit, dicens: Si talis fuit, sciant oẽs qualem uicerimus: si talis non fuit, putent nos omnes talem uicisse. Aelius Spartianus.

ΚΑΤΑΦΡΟΝΗΣΙΣ. DESPICIENTIA, CONTEMtus alienorum bonorum.

Καταφρόνησιν Aristoteles τῷ ζήλῳ opponit, quemadmodum τὴν πρᾳότητα τῇ ὀργῇ. Vt enim ζῆλος æmulatur & imitatur, ita καταφρόνησις non imitatur, sed contemnit: nisi quando, ueluti rationem contemtus allatura, mores, gestus, dicta factaq; alterius per risum imitatur. Sic Aristophanes Socratem ἐν νεφέλαις, & Salmoneus Iouis fulmina irridendo contemnit. Consule locum Ἀλαζονείας, eorum qui alios contemnunt.

RESPECTV PERSONARVM, QVOS despiciunt. puta

Deos.

Vide locum Impietatis.

HERCVLES conspecta Adonidis imagine cõtemsit eam, his uerbis, οὐδὲν ἱερὸν εἶ, id est, Nil es sacri. Seu quòd existimaret, iis duntaxat habendum esse diuinitatis honorem, qui de genere mortalium essent benemeriti: siue quòd fures, qui in eius templum aufugissent, non essent in tuto propter loci religionem, quemadmodum in aliorum deorum sacellis. Erasmus in Adagiis.

Reges.

AEGYPTII flaui coloris homines ludibrio habent: & asinos plerunque in præceps dant, ob hebetudinem ac ruditatem, nec non iniuriarum illationem frequentem. Hinc Ochum Persarum regem, quem miro prosequebantur odio, asinum subinde appellabant. At is commotior, ὁ μὲν τοι ὄνος οὗτος ὑμῶν κατευωχήσεται τὸν βοῦν: Asinus, inquit, hic uestro conuescetur boue. protinusq; Apim immolauit, sicut Dinon scriptum reliquit. Plutarchus.

Ab Halyatte rege Lydorum ferunt quandoque BIANTEM ex septem Sapientibus unum esse accersitum. At is philosophico supercilio tumens, & regiam fortunam tantùm non despicatui habens: ἐγὼ φησίν, Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν. Ego, inquit, Halyatti mando cepas comesse. Quibus illi fletum esse imperatum, interpretantur eruditi. Cælius libro 12. capite 4. Antiq. Lect.

CORDILIO philosophus Stoicus Pergamenus, omnium principum ac regum amicitias spreuit. Itaque Cato Vticensis Tribunus militum in Macedoniã missus magnam se putauit adeptum palmam, qui hominem seuerissimum precib. in castra pertraxisset. Volat. lib. 14. c. 2. Anthrop.

Rodolfum Habspurgẽsem regem Rom. creatum OTHOCARVS Bohemorum rex, & Austriæ dux, qui illius ministerio prius usus fuerat in aulæ magisterio, contemnebat, & contra fœdera rebellionem uxoris Kunegundis Moschæ instinctu molitus, in Austria acie cæsus est. Austria feudi loco Alberto Rodolfi filio concessa. Cuspinianus.

Hostes.

Vide Tit. Securos hostes opprimere.

Thrasybulus quum indixisset bellum triginta TYRANNIS, qui Athenas oppresserant, & castellum Atticæ Philen occupasset, nõ plures secum habuit quàm triginta cõmilitones. Et hoc, inquit Probus, initium fuit salutis Atticorum, hoc robur libertatis clarissimæ ciuitatis, contemtus scilicet, qui & illis contemnentibus pernicici, & huic despecto saluti fuit. Hoc enim illos ad persequendum segnes, hos autem tempore ad comparãdum dato fecit robustiores. Quo magis præceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni: nec sine causa dici, Timidi matrem flere non solere.

Philosophos.

Huc Tit. Philosophiæ odium & contemtus, quatenus Contemtui philosophia subiicitur: illuc quatenus Philosophiæ contemtus adiungitur.

Mercatores.

IAPONII Indi nobilitatem in otio & armis ponentes, propter lucri cupiditatem omnes mercatores contemnunt. Ioannes Metellus.

RESPECTV RERVM, QVAS contemnunt. Despicere

Doctrinam.

CESTIVS erat ex eorum numero, qui contemnebant Ciceronis ingenium. Hic cùm forte accumberet in eodem cõuiuio cum Cicerone M. Tullij filio, qui tum Asiam obtinebat: & submonẽte quopiam è famulis, cognitum esse, eum esse Cestium, cuius iudicio nihil sciret M. Tullius: ilicò sublatus è conuiuio, iussus est flagris cædi. Eras. in Adagiis.

Edicta, Mandata.

Dionysius senior cùm à SYRACVSANIS pecuniã exigeret, & mox eiulantes cerneret deprecantésq;, ac non esse sibi allegantes: iussit item extorqueri, ac bis uel ter idẽ egit. Vt uerò pluribus indictis ridentes audiuit, ac dicteria inter deambulandum in foro iaciẽtes, iussit desistere: Nunc enim nihil, inquit, habent, quando nos contemnunt. Plut. in Apoph.

Dignitatem.

LIBANIVS Sophista Constantinopoli præfectura sub Iuliano Imp. cohonestatus, noluit accipere, dictitans Sophistam præfecto maiorem esse: præ studiis honorem summum uti uulgarem sordidumq; spernens. Eunapius in eius uita.

Amicitiam.

Vide Tit. Amicitia non inita, repudiata. Illic Amicitiæ famulatur contemtus, hic Contemtus amicitiam habet subiectam.

CRATERVS Alexãdri Magni præfectus, homo prædiues, inuitarat Diogenem, ut ad se commigraret. Cui respondit: Malo Athenis salem lingere, quàm apud Craterũ opipara frui mensa. sentiens, libertatem, quamuis inopem, omnibus diuitum deliciis præferendam, ubi minuitur libertas. Laertius libro 6. capite 2.

Obtrectationem.

Consule locum Fortitudinis tolerantis obtrectationes.

DEMOCRATES, nepos Demosthenis, significare uolens, se nihili pendere obtrectationes uulgi, cùm uideret multos obtrectatores unà sedẽtes in tonstrina, & malè loquẽdi omnino cupidos: Quid loquimini, inquit, uos dysinenidæ: simul hoc nomine ingenium naturamque ipsorum detegens. Aelianus lib. 3. Var. Lect.

ΖΗΛΟΣ. AEMVLATIO.

Ζῆλος dupliciter sumitur. In genere quidẽ pro quauis animi commotione ob alterius uel male uel benefacta, quatenus ex illis detrahitur aliquid nobis aut nostris. Hinc zelus religionis contra idololatras insurgit, quoniã honorẽ Deo debitũ non præstant: & hunc Theologi duplicem faciunt, secundum scientiam, & præter scientiam. Sic zelus iustitiæ Israelitas coegit, ut totam tribum Beniamin funditùs delerent, propter stuprum uxori Leuitæ illatum. Hac significatione omnis animi impetus, à ratione uel recta uel peruersa proueniens, ad adstruendũ aut destruẽdum aliquid, cõprehenditur, &

tur, & in primis ipsa ira: hoc denique impetu iustitia potißimùm & fortitudo utitur, tanquam instrumēto. In specie uerò ζῆλον Aristot. 2. Rhet. Aemulationem uocat, quando pares inter se uel re ipsa uel saltem opinione, ob eiusdem boni possessionem acquirendam conseruandámue contendunt. Aemulatio certè ex aliena felicitate commouetur, non quòd aliis hoc bonum inuideat, qui hoc bono sunt digni (nam si indigni essent, oriretur Νέμεσις) sed quòd sibi etiam hoc ipsum communicari, suumq́ bonum excellentius & illustrius esse cupit. Est autem alia liberalis æmulatio, quam Græci ζῆλον appellarunt, ἀπὸ τοῦ ζεῖν, hoc est, μιμεῖσθαι deducta, quædam τοῦ καλοῦ μίμησις: alia illiberalis, & sordida, ἐρίδα κακοχάρτα mater, ἀπὸ τοῦ ζεῖν, hoc est φθονεῖν, quæ ζηλοτυπία propriè nuncupatur, si Eustathio credimus, in quocunque bonorum genere. Quamuis loquendi usus obtinuerit, ut amatoria æmulatio Zelotypia κατ' ἐξοχὴν dicatur. Hesiodus ambas ἐρίδας sorores facit, atræ Noctis filias: ne sit mirum, alteram in alteram degenerare. Porrò quia in omni bonorum genere æmulatio potest esse, eapropter nulla ferè uirtus aut uitium est, in quo non uestigium aliquod huius affectus reperiatur, quatenus uel salutarem uel perniciosam litem homines inter se exercent. Consule locos Studij honoris & Ambitionis, quæ ad æmulationem præclara potissimum ingenia accendunt. Hic solius Affectus, illic Habitus affectum moderantis habetur ratio.

RESPECTV RERVM.

Aemuli

PROPHETIÆ, SAPIENTIÆ diuinæ.

MARIA soror Mosis & Aaron frater, æmulatione propheticæ fraternæ, locuti sunt contra Mosen dicentes: Non per solum Mosen locutus est Dominus. Numeri 12.

IOSVA Nunis F. inuidit duobus senioribus, de septuaginta, quos Moses ex iussu Iehouæ de populo Israel selegerat, ut secum onus populi sustinerent, cùm in castris relicti uaticinarentur. Numeri 11.

Ioannis Baptistæ DISCIPVLI inuidebant Christo, quòd plures discipulos faceret, & maiore frequentia doceret. Ieci ico à Ioanne coarguuntur. Ioan. 3.

Audientes uerba Stephani IVDÆI, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentib. in eū, dolentes quòd non poterāt resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Act. 7.

Gregorij Magni pont. Rom. scripta, magna ex parte ab AEMVLIS eius cōbusta fuēre: prçter ea quç Petrus Diaconus seruauit, asserēs se Spiritū S. in specie columbæ supra Gregorij caput pendentem uidisse. Io. Diaconus in eius uita.

MIRACVLORVM.

MAGI Aegyptij cum Mose in certamen uenēre, æmulatione accensi. Nam quia propheta summus mystica utebatur uirga, quæ cœli prouidentia nunc serpens fieri, nūc aliud diuersum uidebatur: magica illi arte freti, ne miraculum pro miraculo esset, nouum cōmenti sunt oculorum ludibriū, ut quibus ipsi uirgis magicis uterentur, in colubros uerterentur. Coarguit Magorum fraudem diuina uis, cui nemo nisi impius repugnat, uanasq́ hydrorum species non sine spectantium stupore uerus mysticusq́ Mosis deuorauit serpens. Sabellicus libro 6. cap. 9.

IOANNES Apostolus audiens quendam eijcere dæmonia in nomine Iesu, qui tamen non erat è discipulorum numero, temeritatem eius castigandam putabat. At respondit illi Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. Luc. 9.

Certamen illud memorabile Petri Barionæ cum Simone Mago, à SIMONIS Samaritani inuidia ortū est, qui opera diuinitatis, malorum dæmonum præstigiis æmulabatur, quæ sanctè imitari nō poterat. Sed dum Romanam ciuitatē ludere contendit magico astu, diuina ui terræ afflictus, crureque debilitatus, lusus est. Sab. lib. 9. c. 2. & lib. 6. c. 9.

RELIGIONIS.

Ex Thessalonicensibus Iudæis & gentilibus crediderunt multi uiri & mulieres nobiles non paucæ. IVDÆI æmuli totam in eos concitauerunt ciuitatem. Act. 17.

Petro & Ioanne loquentibus ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus populi, & Sadducei, molestè ferentes quòd docerent populum. Exurgens PRINCEPS sacerdotū & omnes qui cum illo erant, uidentes signa quæ per Petrum fiebant, repleti sunt zelo, & iniecerūt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Act. 5.

DOCTRINÆ, ERVDITIONIS.

☞ *Vide Titulum, Certaminum literariorum.*

XENOPHANES Colophonius, philosophus & poeta, contrà Homerum & Hesiodum iambos & elegias scripsit. Cùm aliquando diceret, se uix duos famulos alere posse: Iure, respondit Hiero. Nam Homerus, cui tu detrahis, plures quàm decem millia etiam mortuus alit. Plut. Etsi hoc alij tribuunt Ptolemæo contra Zoilum.

PLATO uir summus, & XENOPHON, haud expertes fuisse creduntur talis affectus. Id indicio est, quòd neuter alterius meminit unquam, cùm multa uterq́ scripserit: ambo clari, & inter se alioqui noti, Socraticæq́ sapientiæ ambo alumni. Sabellicus lib. 6. cap. 9.

ARISTOTELES quum florere Isocratem nobilitate discipulorū uideret, quòd ipse suas disputationes à causis forensibus & ciuilibus ad inanē sermonis elegantiam transtulisset, mutauit repentè totam propè formam disciplinæ suæ, uersumq́ quendam de Philocteta paulò secus dixit. Ille enim turpe sibi ait esse tacere cum barbaris: hic autem, quum Isocratem pateretur dicere: αἰσχρὸν σιωπᾶν λαλοῦντος Ἰσοκράτους. Erasmus in Adagiis ex Ciceronis Oratore.

THVCYDIDES puer etiamnum, quum fortè historias suas recitanti Olympiæ Herodoto astitisset, dicentis uenustate permulsus, ac gloriç stimulis percitus, non temperauit sibi à lacrymis. Quod conspicatus Herodotus, Oloro Thucydidis patri illud insusurrauit: ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς τὰ μαθήματα. Plut. Suid. Cæl. lib. 13. cap. 19. A. L.

M. Varroni (quem Maurus Terentianus uirū undecūq́ doctissimum appellauit) adeò inuidit RHEMMIVS Palæmon Alexandrinus grammaticus, ut eum porcum appellauerit.

BAVIVS & MEVIVS ineptiss. poetæ, Vergilio suam inuiderunt gloriam. De quibus ipse Verg. in Bucol. Qui Bauiū non odit, amet tua carmina Meui.

ASINIVS Pollio adeò fuit infensus nomini Ciceronis, ut eius laudes audire nequiuerit. Nam quum Sextilius poeta carmen hoc retulisset, Deflēdus Cicero, patriæq́ silētia linguæ: Asinius ea re permotus, audire ulterius noluit.

HYARBITA Maurus, dum Timagenem philosophum inter pocula declamantē uellet imitari, & non posset, inuidia crepuit. Horat. lib. 1. Epist.

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditq́ disertus haberi.

ADRIANVS Imperator in quauis disciplina præcellere omnes, mirè affectabat: si non succederet, illos potentia sua euertebat. Proinde Dionysius sophistes aduersus Heliodorū, in cuius beneuolentiam erat is propensior, & inde epistolarum sibi magistrum adoptarat: Pecunias donare ac honores Cæsar potest, rhetorem certè facere non potest. Homeri poemata abolere quandoque fertur cogitasse, ut ei Antimachum substitueret prælegendum in scholis, cuius adhuc plerisq́ erat incognitum nomen. Cæl. lib. 26. c. 23. A. L. ex Suet.

Vidi ego GEORGIVM, inquit Ioach. Camerarius, qui postea Sabini nomine celebris fuit, ualde tenera adhuc ætate, lacrymas profundentem ad lectionem boni & elegantis carminis: audiui tristes querelas eius, deplorantis suam infelicitatem in scribendo: cùm non solùm per ætatem nihil quod perfectum esset ipse elaborare, sed ne intelligere quidem rationem perficiendi elaborandique adhuc ualeret. Camerarius in uita Philippi.

MECHANICÆ PERITIÆ.

☞ *Consule Tit. Certaminum mechanicorum.*

MENO Phidiæ operarum socius, & eiusdem operum inuidia accensus (nam aureum Mineruæ simulacrum in arce sculpserat: & pugnam Amazonicam in scuto insculpens, suam imaginem effinxerat, senis uidelicet calui, qui saxum utraq́ manu efferret: & Periclis effigiem, pugnātis cōtra Amazonas, eleganter expresserat: artificioseq́ manum, qua is hastā intentabat, faciei obiecerat, quasi similitudinis, quæ ab utroq́ latere manus apparebat, obtegendæ gratia) supplex in foro sedens, fidē publicam implorabat, indiciū ac crimen de Phidia delaturus. Phidias in carcerem ductus, ibi innocēs summo ueneno necatus, [illegible] Pericle.

Apelles æmulantium [illegible] sæpe VVLGI iudicio superatus est. Prouoca[illegible] auræ tribunal, estq́ ab ea uictor iudicatus in[illegible]ne. Sab. lib. 6. cap. 9.

Non minori propem[illegible] ZEVSIDIS & PARRHASII æmulatio [illegible] certamine non natura, sed ars ipsa, quæ est natu[illegible]nula, iudicauit. Ibidem, ex Plinio.

PRVDENTIÆ.

☞ *Consule Tit. Certamina prudentum.*

Videns ACHITOPHEL Absalomi regis consiliarius contra Dauidem, quòd non factum fuerat secundùm consiliū suū, sed magis secundùm consilium Chusai, abiens in domum suam, suspendio interiit. 2. Regum 17.

Pala-

Palamedem Nauplij filiūm (si qua fides est poetis) nulla res alia circa Iliū magis afflixit, quàm VLYSSIS inuidia: si quidem iniuria ab uno profecta est, sed ultio uniuersam gentē attigit. Sabellicus lib. 9. cap. 2.

FORTITVDINIS.

HERCVLES Alcmenæ filius Liberum patrem æmulatus uidetur, terrarum orbe ab ortu ad occidentem solem & meridiem peragrato, columnisq́ in ipso Oceani & terræ confinio constitutis. Sabellicus lib. 6. cap. 9.

THESEVS Herculis propinqui sui laborum æmulus aliquot in terra Græciæ confecit monstra hominum: & ipse grande nomen adeptus, nisi partum decus peregrinarum mulierum rapina turpiter fœdasset. Sabellicus libro 6. capite 9. ex Plutarchi Theseo.

ALEXANDER Magnus Philippi filius uiso Achillis sepulcro, propemodum collacrymari cepit, studio gloriæ & æmulatione uirtutis: eūq́ felicē prędicare, cui cōtigisset habere laudum suarum præconem Homerum. Plutarchus.

SACRAM cohortem Thebanorū ex trecentis delectis uiris amatorum & amasiorum Gorgias conscripsit. Habebant hi in Cadmia arce castra: ubi ea quæ ad exercitationem pertinerent, & uictus iis publicè præbebatur: unde cohors urbana nominabatur. Hanc Pelopidas Bœotarcha, ut uirtus eorum illuxit fortiter ad Tegyras circa ipsum dimicantium, nō distraxit deinceps, neq́ discerpsit: uerùm his sicut toto corporę usus est, cum quibus primum incurrit in maximis certaminibus fecit. Vt enim pernicius equi ad currus iuncti, quàm seorsum currunt acti: non quia maiore ui admissi aera impellant numerosiores atque perrumpant, uerùm quod inflammet mutua hæc contentio & concertatio feruorem animi: haud aliter fortes uiros æmulatione inter se egregiorum factorum ad connitendum in communem actū æstimabat utilissimos esse expeditissimosq́. Plutarchus in Pelopida.

PVLCRITVDINIS.

☞ *Consule Titulum, Certamina formæ.*

INCOLVMITATIS.

ATHALIA Achabi F. Iorami Iudæorum regis uxor, cùm audisset Ochoziam filium Iudeæ regem unà cū Ioramo Israelitarum rege fratre suo, & omni stirpe Achabi, interfectos: ipsa quoq́ inuidia mota Dauidis omnem stirpē extinguere conata, omnes Ochozię filios interfecit, unico Ioa excepto, quem Ioiadas pontifex seruauit. 4. Regum 11.

FOECVNDITATIS.

RACHEL sterilis Liæ sorori fœcundæ inuidit, usqueadeò ut etiā cum conuicio liberos à Iacobo patriarcha marito, cui ambæ erant nuptæ, efflagitare non erubuerit. Gen. 20.

SVPPLICII.

DIOPHON socio in altiorem crucē elato inuidisse scribitur 2. Epigram. Lucillio:

μακροτέρῳ σταυρῷ σταυρούμενον ἄλλον ἑαυτοῦ
ὁ φθονερὸς Διοφῶν ἐγγὺς ἰδὼν, ἐτάκη.

VENIÆ CONCESSÆ.

Consternatum MAGII Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum à Cęsare spiritum, sua manu eripuit, uetus amicus, & Pompeianæ militiæ comes: indignatus aliquos sibi amicorum ab eo præferri. Vrbem enim à Mitylenis, quò se contulerat, repetentē, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusq́ ad irritamenta uæsaniç suæ trucidanda tetendit. Val. lib. 9. cap. 11.

Agrippa Aristobuli à patre Herode interfecti F. Romæ sese Caio ita insinuauerat, ut Iudeæ rex constitutus fuerit. Inuidebat ei HERODIAS soror, Herodi Antipæ, Tetrarchæ Galileæ, patruo Agrippæ, nupta, & maritum impulit, uti & ipse Romam nauigaret. Inuitus paruit, mulieris tamen ambitioni cedens profectionem suscepit. Agrippa re cognita Herodem per literas accusat, quòd iam olim cum Seiano contra Tiberium, nunc etiam cum Artabano Partho contra Caium cōspirarit. Quo cognito Cæsar & Herodem & Herodiadem maritum sequi uolentem exilio damnauit. Iosephus libro 18. capite 9. Antiq.

OFFICII.

Videns IONAS cōprophetas suos mitti ad oues perditas domus Israel, ut ad pœnitentiam populū prouocarēt, Balaam quoq́ diuinū de salute Israelitici populi prophetasse, dolebat se solū electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, & ad ciuitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignoratio Dei: & quod his maius est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ, illis conuersis ad pœnitentiā, Israel penitùs relinqueretur. Nouerat enim eodem spiritu, quo illi gentium præconiū credebatur, quòd quando nationes credidissent, tunc periret domus Israel: & quod aliquando futurum erat, hoc ne suo fieret tempore, uerebatur. Vnde imitatus Cainū Ionas, & recedens à facie Domini, fugere noluit in Tharsis, quam Iosephus interpretatur Tarsum Ciliciç ciuitatem. Hieronymus com. in Ionam c. 1.

Aegrè ferebāt GRÆCI in primitiua ecclesia, quòd despicerētur in ministerio quotidiano uiduæ eorum, & Hebreæ tantùm legerentur. Act. 6.

Vidit ARISTOTELES Stagirites Xenocratem sibi prelatum, cuius cōdiscipulus fuit (nota est uox Platonis, cui illi ambo operam dederunt, Heu qualem asinum iuxta curreti equo) nec eam tulit ignominiam philosophus alioqui eminentissimus: sed procul Athenis, ubi id acciderat, reliquum uitæ egit, Atticæ ciuitati haud dubiè iratus. Sabellicus lib. 6. c. 9. ex Laertio & Aeliano.

THEOPHILVS Alexandrinus episcopus, cùm rescisset, nobilem matronam Alexandrinam Isidoro presbytero mille aureos numerasse in pauperū usus distribuendā (cum, si Theophilo numerasset, uereretur ne ille in templorū structurā impenderet) rem eam grauiter ferens, post duos menses synodum coegit, & prolata charta finxit eam sibi ab annis 18. à quodam cōtra Isidorū oblatā: uerùm se multitudine negotiorum obrutū, actori iudiciū dare neglexisse: nunc uerò cōscientiæ stimulis adactum, de sodomiæ uitio Isidoro crimē intētare. Subornauit quinetiā puerum 15 aureorum precio, qui coràm Isidorum accusaret. Qui tamen metu perculsus, aufugit. Isidorus quamuis innocētiam suam declarasset, inuidia tamen episcopi in exilium eiectus est, & in mōtem Nitriæ ad Longos fratres in Scethi habitantes se recepit. Antoninus Tit. 10. c. 9. & Palladius.

GLORIÆ, LAVDIS, PRÆCONII.

Victo Goliatho triumphans redibat Dauid. Cantabāt mulieres: Saul percussit mille, Dauid decē millia. At SAVLVM regem id elogium pessimè habuit. 1. Reg. 18.

THEMISTOCLES in tantum fuit illustrium uirorum æmulus, ut planè fateretur Miltiadis trophæa sibi somnū adimere. Sab. lib. 6. cap. 9. ex Plut. Vitis.

OPVLENTIÆ.

De EROTE sic scribit Martialis Epigram. lib. 10.

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliùsue citrum:
Et gemitus imo promit de pectore, quòd non
Tota miser cœnat septa, feratq́ domum.
Quàm multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars maior lacrymis ridet, & intus habet.

DIGNITATIS, MAGISTRATVS.

Eumenem Cardianum, ducem bellicosiss. post Alexandri Magni interitū OLYMPIAS & cæteri, qui in Macedonia Antigoni incrementum metuebant, ab Antigono obsessum liberauere, & ad bellū contra Antigonū in Asia gerendū pecunia & armis instruxere. Sed uicissim Eumeni ANTIGENES & TEVTAMVS Argyraspidum præfecti miserè inuidere. Plutarchus in Eumene.

Fabij Ambusti FILIA tristis & lacrymis suffusa sese patri obtulit, cùm patriciū splendorē, & cōsulares fasces, quorū strepitum expauit, sorori (quā consuli nuptā inuiserat) inuidisset. Cuius intēpestiuæ lacrymæ magnis Rom. ciuitatē impleuēre motibus: astruxerunt consulatū plebi, curulis sellæ & fasciū ad id tempus ignaræ, mixtusq́ ordinū sanguis miscuit & honores. Sabellicus lib. 9. cap. 2.

C. IVL. Cæsar cùm Cn. Pompeio summa omnia à Senatu Romæ tribui animaduerteret, ita quidē ut solus quoq́ consul crearetur, sui uerò absentis nullā haberi rationē, ægrè illud tulit, neq́ legiones dimittere uoluit, nisi Pompeius quoque exercitū dimitteret. Iusta erat illius petitio: sed Pōpeiani fa-

[redacted]

AGESILAVS [redacted] præla-tus, [redacted] contra Persas uocatus, duxit secum inter triginta consiliarios Lysandrum, quo esset præcipuè & principe amicorū usurus. Postquàm uerò in Asiam uentum est: quòd cum illo incolis nullus usus intercederet, pauci, idq; rarò, adibant eum: Lysandrum uerò, ex magna pristina consuetudine, amici obseruãtia, iniqui timore affectabantur domúmque eius celebrabãt. Agesilaus ergo inuidia & ambitione flagrans, primùm non concessit ei rei ullius gerendæ materiam, neque ulli rei præfecit eum. Deinde quorum cōmendare rem uel studiosum Lysandrum intelligeret: eos semper inanes, atque infra abiectissimum quemq; dimittebat honoratos. Atq; ita sensim illius labefactabat & diluebat auctoritatem. Cùm rebus gerendis multos præficeret gregarios milites, eosq; urbib⁹ regendis præponeret, Lysandro carnium diuidendarum attribuit munus. Inde quasi insultandi causa Ionibus: Eãt nūc, inquit, & meum carnium diuisorē colant. Quare uisum Lysandro est in sermonem cum illo uenire, fuitq; cōcisum eorum & Laconicum colloquium. Næ tu bene, inquit, nosti, Agesilae, amicos conculcare. Ibi ille: Sanè, si me esse maiores uelint. Illos, qui opes meas amplificabūt, harum æquum est eos esse consortes. At id tu dixisti, inquit Lysander, Agesilae, potius quàm ego feci. Te uerò precor uel externorum causa, qui coniiciunt in nos oculos, eo me loco reponas sub ductu tuo, ubi positum quàm minimè tibi odiosum, & magis utilem fore putes. Hinc legatus in Hellespontum missus est. Spartam inde ubi reuersus, res nouas moliri cepit. Plutarchus in Lysandro.

Non desunt, qui credant Parmenionē Mediæ præfectū, & Philotam eius F. prætextu coniurationis cū Dymno contra regem initę, reuera autem sola inuidia, interfectos fuisse, quãdo iam antea Philotæ ingenio regis animus offenderetur: quippe quum is Antigonæ Pydneæ, scorti haud ignobilis consuetudine teneretur, puellę indicio ALEXANDER Magnus cōperit, ferocem iuuenē iactare solitū, nunc sua, nunc patris opera (qui semper læuum cornu prouocare solitus fuerit bello Persico) Macedonib. haud uno loco uincere cōtigisse. Qua insolenti prædicatione ratus Alexander suã laudem denigrari, occasionem magis quàm crimen secutus, utrunque occidit. Ad quod ipsum non mediocriter creditur à Cratero impulsus, qui cum Parmenione & Philota nihil obscuram exercebat simultatem. Ex Diodori libro 17. Sabellicus libro 5. Enn. 4.

Bello, quod Artoxerxes rex Aegyptiorum regi Nectanebi intulit, PHARNABAZVS Persis, Iphicrates Græcis auxiliariis præfecti, Mendesium ostium occuparant. Iphicrates cum audiuisset à captiuis, Memphim hominū multitudine destitutam omnium quæ in Aegypto sunt urbium cōmodissimã esse, uoluit inde contra Memphim nauigare, antequã Aegyptiorū copiæ accessissent. Pharnabazus autem expectandū hic esse totum Persarum exercitum censebat, tutiorem enim fore in Memphim expeditionē. At Iphicrate dari sibi mercenarios duntaxat petente qui tum aderant, & potiturum se illorum opera urbe promittente: Pharnabazus confidentiã eius & fortitudinem haud ignorãs, ueritus ne solus ille Aegyptum superaret, permittere ei noluit. Itaq; Iphicrates testificatus est, si temporis celerem occasionem prætermiserint, in causa futuros esse, ut totus ille tam ingens exercitus nihil efficiat. At illi ei inuidebant, & cōuiciis eum iniquè proscindebant. Aegyptij interea ocium nacti, magnū in Memphim præsidium miserunt. Etesiis proinde uentis iam spirantib. & Nilo aucto, Persarum duces in Asiam reuersi sunt. Diodorus libro decimoquinto.

VICTORIÆ.

EFRAIMITÆ Iephtham tribulem suum, post clarissimam uictoriam de Philistæis & Ammonitis partam, quia ad bellum uocati non essent, ut hostem armis persecuti sunt. Cæterùm acie congressi, ad quadraginta hominum millia uno amiserunt prælio. Sab. lib. 9. cap. 2.

Fuére in arce Athenis oleæ Palladi sacræ, quæ dicebantur Moriæ. Eas HALIRRHOTIVS Neptuni F. securi excidere adortus, quòd earum productione pater à Minerua superatus fuisset, securim sibimet impegit, & ex eo uulnere obiit. Hinc oleæ μορίαι dictæ. Et quia caprarum saliua fructibus uenenum est, capræ in arcem non admittuntur, neq; etiã deæ immolantur. Cælius lib. 12. cap. 20. A. L.

ALEXANDER Magnus India subacta cùm ad saxū mirę magnitudinis & [redacted]dinis, in quod multi populi confugerãt, peruenisset, & cognouisset Herculē ab expugnatione illius terræmotu prohibitum: æmulatione motus, ut Herculis acta superaret, summo cū labore & periculo saxo potitus, omnes eius loci gentes in deditionem accepit. Orosius libro tertio, capite 19.

Maioréne institiæ affectu, an inuidiæ PAPYRIVS dictator Fabiū magistrum equitum in castris primò, mox ad populum Romanum fuerit atrociter insectatus, nemo (ut arbitror) facilè dixerit. Occiderat ille occidione (quod satis constat) Dictatore absente ad uiginti & amplius hostium millia una acie, ex occasione eos adortus, cùm iussus esset à Dictatore nihil mouere, quãdiu ipse abesset. Aut igitur Papyrius nobilē illi uictoriã inuidit, aut nimis cōtemsit Rom. legiones, maiestatēq; Rom. populi: cuius precib. nunquã cessisset, nisi uetitus esset, ne soluto imperio, illius suffragio, cui id obstinatius negabatur, reus absolueretur. Sab. lib. 9. c. 2.

C. IVLIVS Cæsar, quū uenisset Gades, animaduersa apud Herculis tēplum Alexandri Magni imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiã suã, quòd nihil tum à se memorabile actū esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarū subegisset, in hæc uerba prorupit: Nos uerò quid? Plut.

M. CRASSVS, quum animo angeretur ob honores in Pompeium collatos, audiuit à quodam, mox Magnum aduentum Pompeium. Tum ille arridens: Quantus uerò est? inquit: inuidens illi cognomen, quod ob felicitatē & egregiè rebus gestis datū, & uel ab ipso Sylla cōprobatū fuerat. Idē.

AMORVM. ZELOTYPIA.

Amatoriam æmulationem, Zelotypiam κατ' ἐξοχὴν uocant, cùm in amore frequentissimè conspiciatur, quatenus eius quod amãt homines possessionem uel fructum ad alios transferri, & sibi eripi molestissimè ferunt. Si de iniuria constet, ad iram, ultionem & uindictam accenduntur, modò iustè, modò iniustè. Si non constet, metu exanimantur, & suspicione siue uera siue falsa conficiuntur. Atque ut duæ hîc personæ occurrant, Amata, & Riualis: ita quoque affectus hic ad diuersos locos erit referendus. Per se quidem ad Timorem zelotypum, uel ad Vltionē zelotypam: respectu uerò riualis, huius erit loci. Ex Titulo Perfidiæ coniugum mutuæ: item, Vltionis erga coniuges: item, Pœna perfidiæ coniugalis, præsens locus illustrari poterit. Nobis sat erit affectus huius tanquam materiæ exempla aliquot protulisse.

Proci zelotypi.

IDAS & LYNCEVS, Aruernes & Apharei filii, pro Leucippi filiabus Phœbe & Ilaira, aduersus Castora & Pollucem ꝓpe Spartam dimicarunt. In quo congressu periit Castor: Polluci autem profuit immortalitas.

Fabulantur ACHELOVM Aetolię fluuium & HERCVLEM, Deianiram Oenei Aetolorum regis filiam in matrimonium poposcisse. Certamine inito, Achelous sumta tauri forma in Herculem impetum fecit: Hercules cornu manibus apprehensum defregit. Præ dolore cedens Achelous, suum cornu repetens, pro eo Amaltheæ cornu Herculi largitus est. Ouidius in Deianira:

Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
Truncaq; limosa tempora mersit aqua.

Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 2.

Cùm adoleuisset Helena, multos procos habuit, ANTILOCHVM, Agapenorem, Amphilochos duos, alterū Amphiarai, alterum Cteati filium: Aiacem Oilei, Ascalaphum, Aiacem Telamonis, Diomedem, Eurypylum, Elphenorem, Eumelum, Menelaum, Megetem, Mnestheum, Ialmenum, Leonteum, Machaonem, Polyxenum, Penela, Podalirium, Philoctetem, Protesilaum, Patroclum, Sthenelū, Vlyssem, Thalpium, Schedium, Polypætem, Teucrum. Eos omnes Tyndarus Helenæ pater iureiurando obstrinxit, cuicunque puella nupsisset, ei cęteros omnes contra aliorum quorumcunque uim opem laturos. Ipsa Menelaum elegit. Cui, cùm Paris Helenam rapuisset, ex fœdere socia arma Græcorum principes iunxêre. Natalis Comes lib. 9. Mythol. Vide Isocratem in Helenæ Encomio.

Propter Lauiniam, Latini regis & Amatæ filiam, ortum est bel[redacted] sibi in [redacted]

Nannam [redacted] Deo immortali (tale enim se Balderus ob magię peritiã iactitabat) cōpulari. Reuera aūt Hotheri Su[illegible]orum regis nuptias malebat. Balderus conscripto exercitu, armis & magia ab Hothero superatus, classe submersa uix effugit. A Danis postea in regē creatus, ab Hothero interficitur. Ioan. Magnus lib. 2.

Mariti zelotypi.

M. ANTONIVS & Cleopatra, uicti ad Actium, ad Cæsarē legatos in Asiam misere. Cæsar reiectis Antonij postulatis, Cleopatræ respondit, nihil benignitatis ei, si sustulisset uel eiecisset Antonium, defuturum. Misit etiam unà libertū suū Thyreum, hominem haud insulsum, qui oratione sua, iuuenis imperatoris nomine missus, inflatam mulierem, ac mirè formæ causa tumidam, posset mouere. Hic prolixiore oratione quàm alij cum ea agens, & supra modū honoratus ab ea, suspicionem [illegible]uit Antonio. Itaq; corripuit eum, & flagellis cecidit, inde remisit ad Cæsarem, scribens, insultatione & superbia illius se fuisse irritatum, qui esset ob ærumnas iritabilis. Id tu si fers, inquit, iniquè, habes libertū meū Hipparchum, hunc suspensum flagellato, ut par feramus. Defecerat enim is ad Cæsarem. Plut. in Antonio.

OTHO, qui imperauit postea, Neroni familiaris, Poppeam Sabinam à marito abductã, depositi nomine apud se retinuit, quo ad Nero Octauiam uxorem amoliretur. Eam tamen nō cōtentus corrupisse, adeo dilexit, ut ne riualem quidē Neronem æquo tulerit animo. Poppea insuper acri Neronis amore abutens ad superbiã, dictitabat se nuptã esse Othoni, qui animo & cultu magnificus foret: cùm Nero assuetudine ancillæ Actes deuinctus, nil traxisset ex contubernio seruili, nisi abiectū & sordidū. Creditur certè Otho non modò missos ad arcessendam non recepisse, sed ipsum etiã exclusisse quōdam pro foribus astantē, miscentemq; frustrà minas & preces, ac depositum reposcentē. Quare diducto matrimonio, sepositus est per causam legationis in Lusitaniã, & satis uisum, ne pœna acrior mimum omnem diuulgaret: qui tamen sic quoq; hoc disticho enotuit:

Cur Otho mentito sit, quæritis, exul honore?
Vxoris mœchus cœperat esse suæ. Suetonius.

CAROLVS Crassus Imperat. in Alemanniam reuersus, Richildem coniugē adulterij postulauit, atq; in concione se nunquam cum ea concubuisse iurauit. Quod crimē illa ita repulit, ut se uirginem esse, idq; se Dei iudicio, aut singulari certamine, aut candentis ferri tractatione confirmaturam esse responderit: nec multo pòst constructo sibi monasterio uelum sumsit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

Vxores zelotypæ.

Iason rapto è Colchide uellere aureo, cū MEDEA uxore Corinthi X. annos uixit, genuitq; interim ex ea Thessalum, Alcimenum, & Tisandrum, ob elegantem formã, prudentiãq; singularem, in magno eam honore habēs. Inde ætatis flore iam propemodum exacto; Iason Glaucæ Creontis Corinthiorū regis filiæ amore captus, uirginem sibi in coniugem à patre petiit. Nec Creon tanti uiri affinitatē aspernatus est. Tum multa ille arte Medeam adortus, ad uoluntarium diuortium conatur impellere. His Medea non modò non assensa est, sed sua in maritum beneficia cōmemorans, nūc ingratum, nūc perfidum appellare: cuius causa deos patrios, domesticum larem, parentes, sororem, omnia iura diuina & humana prodidisset: cui pulcram fœcundamq; uirilis stirpis sobolem enixa esset: inhumanè eum facturū, si pro tot meritis se eiectam, inopem & extorrem esse pateretur. Mouebãt Iasonem non parum muliebres lacrymæ, mouebat & beneficiorum memoria. Verùm recens amor multo plus ualuit, quàm ius & æquitas. Regiam igitur affinitatem per hæc secutus, auctor fuit ut Medeæ exiliū indiceretur. Celebrat interim infaustas nuptias, pristinæ coniugis & natorum, quos ex ea tulerat, oblitus. Multiplex hîc fama oritur. Sunt qui eã die uno à Creonte impetrato, dum se ad profectionem expediret, noctu regiam domum medicamentis quibusdã incendisse, regemq; ipsum cum filia subito incendio consumtum dicant. Alij coronam Glaucæ dono missam affirmant, quæ naphtha fuerit delibuta, qui liquor flammam uel procul uisam ad se rapiat, puellamq; aris admotam, ut pro more sacrificaret, improuiso igni deflagrasse. Alij munerib. quibusdam à Medeæ filiis regiæ illatis Creontem filiamq; periisse prodiderunt. Sed quoquo modo illa pellicem ulta est, ubi Iasonem præter opinionem seruatum cognouit, cū paucis occulta fuga Corintho excess[illegible]imeno & Tisandro prius obtruncatis. Thessalus media fratrum cæde dilapsus, ægrè seruatus est. Ipsa cùm Thebas uenisset, Herculis fidem aduersus mariti ingratitudinem implorauit. Iason plus æquo dolori indulgens, haud multis interiectis diebus, sibi mortem con[illegible]

Neoptolemus [illegible] Pyrrhus Achillis F. confirmato cum Hermione matrimonio, Delphos ad Apollinem gratulatum, quòd in auctorem paternæ cædis Alexandrum uindicatum esset,

[redacted]

Zoe, Michaele Paphlagone Imp. marito mortuo, restituta imperio, cupiebat maritum habere Constantinum Catepano, quē & ab officio quod gesserat Argoclinam uocabant. Sed eū VXOR ueneno necauit, nō quòd ei infensa esset, sed ꝙ se uiuam eo priuatum iri intelligebat. Cedrenus.

Amatores zelotypi.

PERSÆ in amoribus graui æmulatione præditi sunt: ut nō ille modò, qui appellauerit & attigerit regis pellicem, uerùm etiam qui propiùs in itinere præterlatus fuerit & præteruectus, quibus portantur plaustra, capite luat. Plutarchus in Artoxerxe.

Neæra STRATOCLIDÆ, Xenoclidæ poetæ, Hipparchique histrionis erat amica, Phrysoninique Pæaniei: qui Damonis quidem filius fuit, at ex sorore nepos Democharis. Cùm autem amici fuissent arbitri, ex eorum sententia Stephanus orator & Phrynion Neæram alternis diebus possederunt. Athenæus lib. 13. cap. 23.

Aristodemus libro ridiculorum Memorabiliū 2. Duo Gnathænam, inquit, mercede cōduxerant, MILES & MASTIGIA. Cùm uerò miles eam contumacius Lacum uocitaret: Quo pacto, inquit? an quia duo fluuij in me incidistis, Lycus ac Eleutherus? ingeniosè militi rapacitatem, alteri seruitutē exprobrans. Athen. lib. 13. cap. 17.

MEMMIVS quidã Romanus cùm ageret Tarracinæ, muliérculam quandã deperibat, sed non citra riualē. Cùm aliquando rixa incidisset, eò iracundiæ prouectus est Memmius, ut LARGII (nam id riuali nomen) brachium mordicus arriperet. Ea res postea quã in popularē abiit iocū, faceti quidã & φιλογελοι senariū hunc in omnib. eius urbis parietibus quinq; literis notarūt, depictis trib. LLL., & duobus MM. uidelicet ut aduenis percunctãdi ministrarent occasionē. Itaque cùm M. Crassus Tarracinã aliquando uenisset, admiratus nouum literarū ænigma, senem quendam oppidanum percunctatus est, quidnam sibi uellent eiusmodi literę. Atq; is exposita fabula, uersiculum explicuit:

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Meminit M. Tullius libro de Oratore 2. Tametsi L. Cęsar, qui hæc loquitur apud Ciceronem, existimat narrationē hãc totam in Memmiū aduersarium dedita opera confictã fuisse. Erasmus in Adagiis.

Excandescit Catullus in RAVDVM riualem, ut puellæ suæ furem. Idem ægrè fert, LESBIVM sibi ob pulcritudinē à Lesbia præpositum, ubi ait:

Lesbius est pulcer. quidni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente Catulle tuã.

De Bacchara, Martialis Epigram. lib. 11.

Curandum penem commisit Bacchara Græcus
Riuali MEDICO. Bacchara Gallus erit.

PANDVLFVS Alopus ærarij præfectus, Ioannæ reginæ Neapolitanæ familiaris, Magnum Sfortiam ut corriualem odio prosequi cepit, atque etiam in carcerem coniecit, per quatuor menses integros. Mox uerò cùm passim à regina multæ urbes deficerent, & nemo esset qui ipso Sfortia melius atque præsentius reginam tutari, rebellantesq; compescere, & persequi armis posset: Sfortia cū multo uerborum honore custodia educitur: datisq; obsidibus, & accepta ingenti pecunia, gerendi belli cura ei protinus demandatur, ea conditione, ut Catellam Alopi sororem matrimonio sibi adiungere, & cū Alopo sincera fide in gratiam se rediisse testaretur. Iouius in uita eius.

[redacted]

[redacted]

Amicæ, Meretrices zelotypæ.

CIRCE uenefica ægrè ferens Scyllam nympham à Glauco amari, fontem (in quo se lauabat) infecit ueneno, cuius uirtute Scylla in monstrum marinum mutata est.

Celeberrima fuit PLANGON Milesia, quam adolescens quidam Colophonius amauit, iuxta Bacchidem Samiam. Illa Bacchidis forma audita, ut iuuenẽ ab amore eius diuerteret, congressus præmium postulauit monile Bacchidis preciosissimum. Quod ubi impetrauit, cognouit Bacchidem ab inuidia esse alienam. Proinde monile remisit, & communẽ cum Bacchide amasium habuit. Athen.lib.13.c.23.

Demetrius Poliorcetes Lamiam scortum amabat, magna cum reliquarum VXORVM simul & CONCVBINARVM æmulatione. Inter reliquos DEMO, cognomento Mania, tibia super cœnam canente Lamia, à Demetrio interrogata: Quid sibi uideretur? respondit: Anus, ô rex. Iterum appositis secundis mensis cùm diceret ille: Vidésne quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, à matre mea mittẽtur tibi, si cum ea quoq; uolueris cubare. Plut. in Demetrio.

Pæderastæ zelotypi.

POLYCRATES Samius frequentem operam Musis nauauit, & Polycratem Teium fecit plurimi, seduloq; ei adhæsit, & delectatus est eius carminibus. Anacreon Smerdiam Polycratis amasium, feruentiore præconio in cœlum usq; euexerat. Qua laude plurimũ gaudens adolescens, colebat in primis & obseruabat Anacreontem, qui magno amore indolem eius, non autem corpus prosequebatur. Polycrates cõmotus zelotypia, adolescentem rasit: & illi quidem turpitudinem, Anacreonti uerò dolorem, ut ipse putabat, attulit. At ille dissimulans se Polycratem accusare, transtulit crimen in adolescentulum: obiecitque ei audaciam & inertiam, quòd contra suos ipsius crines arma sumsisset. Aelianus de Varia hist.lib.9.

THERON Thessalus admota muro leua, & stricto gladio, inspectante amasio, præscidit pollicem suum, prouocans riualem. Plut. Sermone amatorio.

PAVSANIAS Macedo allectus inter eos, quibus regij corporis tuendi officiũ incumbit, Philippo regi Amyntæ F. ob formæ elegantiam charus erat. Hic cùm alterum Pausaniam sibi cognominem à rege amari animaduerteret, conuitiis eũ insectatus est, ancipitis sexus hominem appellans, quòd amantium libidini sese exponeret. Is contumeliosa maledicta iniquissimo animo ferẽs, Attalo uni ex amicis, quid deinceps fieri deberet, cũ indicasset, ultrò uita se abdicauit. Quæ deinceps occasio fuit cædis Philippi. Diod.lib.16.

THEMISTOCLES cum ARISTIDE Lysimachi graues sustinuit inimicitias. Hic enim semper ab eo dissentiebat. Amauit uterque, ut Ariston philosophus scriptum reliquit, formosum Stesilaum, Cea oriundum. Hinc fuit perpetuum inter eos & de republ. dissidium. Quamuis uitæ & morum uideatur dissimilitudo eam exaggerasse distractionem. Plutarchus in Themistocle.

RESPECTV PERSONARVM, QVAS æmulantur.

Deum æmulari.

Nisi PROTOPLASTVS diuinam æmulari uoluisset sapientiam, nunquam à lege aberrasset. Nam quid per Deum a-[redacted] Virginis partum: ut [redacted] glorię: [redacted] stultè [redacted]

Vetus est de SAL[redacted] & ALLADIO memo[redacted]rũ Alba[redacted] Arcadiæ, Iouis [redacted] ful-gura[redacted] utraque

suæ pœnas luit impietatis, cœlestem ignem experti: quem non minus stultè, quàm impiè, uano strepitu imitabantur. Sabellicus lib.6.cap.9.

ALEXANDER Magnus Philippi filius (quod satis constat) intra Hydaspem fluuium & Gangem, metas fixit portas Caspias, rerum à se gestarum terminos: indubitato æmulationis argumento, eorum quæ Bacchus & Hercules diu antea gesserunt. Sabellicus lib.6.c.9.

Collegas.

Telchines Martis filios, Rhodi incolas, nõnulli fascinatores & maleficos dicunt, quòd Stygiam aquam animalibus & stirpibus perniciei gratia inspergerẽt, ac (ut Diodorus ait lib.5. cap.12.) nubes, imbres, grandinem, niuem inducerent, ac mutarent proprias formas, cùm uellent, & [illegible] doctrinam artium inuiderent. Nonnulli contrarium [illegible]unt, quòd artibus præstantes, à similibus ARTIFICIBVS odio haberentur, unde hanc infamiam sunt assecuti. Primi ferrum & æs operati sunt. Strabo lib.14.

PERICLES cùm gloriæ Cimonis inuideret, qui ipsum diuitiis & pecunia superabat, quibus fouebat inopes, ad cœnã quotidie egenos ciues inuitans, senes uestiens, sepes amouens prædiorũ, quo sumerent quib. liberet poma: Demonidis Iensis consilio, ut tradit Aristoteles, conuertit se ad publica dilargienda: breuiq; theatralibus & iudicialibus sportulis, atq; aliis præmiationibus largitionibusq; plebem corrupit: ac Cimonem, ut Lacedæmoniorum fautorẽ, infestúmque populo, urbe pepulit. Plut. in Pericle.

CLEOMENES & DEMARATVS reges Lacedæmoniorũ simultates inter se gesserunt. Tandem Cleomenes per Leutychidem Demaratum regem optimum statu deiecit, falsis criminibus, quòd non Aristonis filius esset, sed ex adulterio natus. Demaratus ad Medos confugit, & Dariũ contra Græciam inflammauit. Herod.lib.6.

Obseruatum esse ait Iulius Obsequens, NEMINEM, qui magistratum collegæ abrogasset, annum uixisse: quorum primus fuit Brutus, deinde T. Gracchus, & P. Tarquinius. Lud. Viues in 2.lib. Aug. de Ciu. Dei.c.17.

Bonifacium Comitem, Thracem genere, Placidia Valẽtiniani III. mater, totius Africæ præfectum fecit, inuito quidem, sed dissimulante AETIO Patritio, duce Valentiniani, quòd nondum aperta esset inimicitia. Postquam uerò Bonifacius Africam attigit, Aetius manifestè obtrectare laudibus eius, maleq; ad Placidiam referre, insuper quòd tota Africa per eum spoliaretur, accusare cepit. Rem facilè posse deprehendi, si iussus, minimè reuertatur. Placidia eum reuocatura ab Aetio preuenitur. Is enim Bonifacio scribit, Placidiam illi esse infestam, & ob id mox eum reuocaturum, uti ab ea caueat. Cùm itaq; euocaretur, respondit, se nullatenus nec matri nec Imperatori obtemperaturum. Hoc pacto, Imperatori suspectus factus, Gonthari & Genserico Vandalis se coniunxit, qui in Hispania constiterant: iisque duas Africæ partes promisit, tertiam sibi reseruans. Sic æmulatione Aetij Africã imprudens Vandalis prodidit. Cuspinianus.

Vicinos æmulari.

C.Fur. Ctesinus è seruitute liberatus, quum in paruo admodũ agello largiores multo fructus acciperet, quàm ex amplissimis agris VICINI, in inuidiam incidit hominum accusantium, ceu ueneficiis fruges pelliceret alienas. Quamobrem à Spurio Albino curuli die dicta, metuens damnationem, quum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit: adduxitq; etiam filiam robustam, bene curatam & uestitã: ferramenta egregiè facta, graues ligones, uomeres ponderosos, & boues saturos, & dixit: Hæc sunt, ô Quirites, mea ueneficia, nec possum præterea uobis ostendere labores manuum mearum, multasque meas uigilias & sudores. Quod ubi audiuissent iudices, intellexerunt, ex sola inuidia Furium accusatum esse: eumq; dimiserunt absolutum. Bruson.lib.3.c.7.

Præceptores.

Sunt qui dicant, ARISTOTELEM præceptori suo Platoni adeò inuidisse, ut bonam eius operum partem flammis & incendio dederit. Sed fortasse tam uera hæc calumnia, quàm illa de HIPPOCRATE medico, quòd igni iniecto in templum Aesculapij, quod in Coo erat, medicorum ueterũ scripta omnia deleuerit.

Discipulos.

DÆDALVS Talum discipulum suum interemit ob inuidiam, quòd figuli rotam & serram excogitasset. Ouid. Metam.

Condiscipulos.

PLATO erga omnes Socratis discipulos nouercæ animum ostendit. Itaque Socrates se per somnum uidisse dicebat, Platonem cornicem effectum in caput suum insilire, caluitiemq;

uellicare. Video te, ô Plato, inquiens, permulta contra caput meum mentiri. Athen.libro 11.cap.22. Sed sophista iniquior est philosopho.

Fratres æmulari.

CAINVS fratrem suum Abelum rus seductum interfecit: æmulatione motus, quòd Deus eius sacrificium acceptasset, suum repudiasset. Genes.4.

FRATRES Iosephi, quòd à patre præ cunctis amaretur, & audientes somnia quæ narrabat, eò prouecti sunt æmulationis, ut eum primò interficere conati, mox Ismaelitis uendiderint. Genes.30 & 37.

Peregrinos.

Græcis à Persico equitatu, quibus Harpagus præerat, apud Malenam fugatis, Histiæus Milesius, qui à rege Dario defecerat, captus est. Darius rex proculdubio propter eius merita ignouisset illi. At ne fuga elapsus apud regem magnus existeret, ARTAPHERNES Sardiũ prætor, & HARPAGVS, qui eum ceperat, Sardis perductum, in crucem sustulerunt. Caput sale conditum, Susa ad Darium detulerunt. Qui indignatus ipsis, iussit Histiæi caput, tanquam uiri de se ac de Persis bene meriti elotum atque obuolutum sepelire. Herodotus libro 6.

BOEMI proceres apud Ioannem regem suum Henrico à Lyppa actore agebant ne peregrinam ex Germania nobilitatem in Boemiam induceret, moribus dissimilem, ex Boemorum spoliis locupletatam, domum suam repetere solitam: Boemis potius quàm istiusmodi hirundinibus præfecturas & magistratus reliquos cõmittendos esse. Molesta regis auribus hæc oratio fuit, ut quam ex inuidia & odio in Germanos profectam intelligebat: tamen ne quid nouaretur, nobilissimos quos ex Germanis in aula habuit, Vdalricum uidelicet, Bertoldumq; & Dyttenouem Comites, inuitus inuitos à se dimisit. Duæ summæ præfecturæ, altera in Boemia ad Henricũ Lyppã, altera in Morauia ad Ianũ delata, tanta breui in Boemia uectigalium regiorum, præsertim in montib. Cuthnensibus ex uenis metallicis facta est diminutio, ut ubi antè Germanus præfectus in singulas hebdomades argẽti minimum quingentas libras regi appendisset, ibi Henricus nec tertiam illarum partem fisco inferret. Suo item modo Vartembergus Morauos quæstui habuit, pupillos hæreditatibus euertens, raroq; aliter nisi munere corruptus iudicans. Quarum rerum indignatione cõmotus rex, Lucemburgam secessit, natale solum suum inuisurus. Itaque Henricus multò audacius bona regia inuasit. E patria reuerso rege, conuentu procerum Pragam indicto, Henricus in uincula coniectus fuit. Quem dum factiosi per uim liberare conarentur, irrito conatu, Friderico, Pulcro Austriæ duci sese dediderunt. Vix tandem Henricus datis obsidibus & sex arcibus, in gratiam receptus est. Dubrauius lib.20.

Henricus cognomento Ferreus, comes Holsatiæ, regi Angliæ Eduardo III. ob uirtutem fuit cõmendatissimus. Vrebat id ANGLORVM proceres. Insidiis proinde sępe petitus, euasit per industriam. Absente aliquando Eduardo delatores reginæ suggerebant, Saxonem hunc Theutonicum, quẽ rex multis prætulisset nobilibus Anglicis, nobilem non esse: & eius rei periculum in leone fieri posse, quem natura aiũt internoscere nobilem sanguinem ab ignobili. Solebat Henricus mane auras captare, & intra arcem obambulans scrutari portarum claustra. Angli ergo uoluntate reginæ leonem noctu laxant, ut Henricum ignobilem ante lucem laceret. Ille de more seminudus baltheum cum gladio collo appẽderat, descẽdensq; in gradib. obuiũ habuit leonem rugientem & interritus, Quiesce, inquit, quiesce ferox canis. Ad hoc uerbum leo pedibus eius prosternitur, quem ille reduxit in caueam. Ferunt quinetiam stantẽ aliquando ad cancellos leonis Henricum Anglis dixisse, Si quis inter uos est nobilis, imitetur factum meum. Mox ingressus, ferocissimo leoni crinale suo capiti detractum imposuit, & exiuit nihil respectãs. Stupuit leo immobilis. Tũ cõuersus ad Anglos, Si quis, inquit, fidit stemmati suo, referat crinale quod intuli. Illi rubore perfusi abierunt. Cranzius lib.9. Saxon.c.24.

AEMVLATIO NVLLA.

Ex Titulo Fidei & Amoris erga collegas, quædam huc accommodari poterunt.

MISERICORDIA. ΕΛΕΟΣ.

Misericordia est συμπάθεια, hoc est, condolentia quædam ob aduersa quæ alteri accidunt, quem uel amamus, uel saltem non odimus, uel ut maximè oderimus, tamen magnitudine malorum commoti, ut hominis miseremur. Nunc igitur expressa & particularis, nunc tacita & communis beneuolentia Misericordiæ subest. Συμπαθείας uariæ sunt causæ, ut etiam uariæ necessitudinis sunt species. Compatimur amico, fratri, parenti, amicitiæ & consanguinitatis gratia: sed quo propior est cõiunctio, eo συμπάθεια arctior, & misericordia maior. Differt Misericordia à Mansuetudine & Clemẽtia, non tantùm quia misericordia affectus est, non uirtus: sed etiam quia ab ira separata est per se, quamuis interdum per accidens iram sequatur: Clementia autem erga eos est, quibus meritò irasci, & quos iure ulcisci poteramus. Mansuetudini itaq; famulatur misericordia: & proinde etiam exempla quædam ex eo loco huc cõmodè transferentur. Consule quinetiam Titulum Hospitalitatis, Eleemosynæ, Humanitatis erga pauperes, Clemẽtiæ nimiæ siue ἀοργησίας. His namq; habitibus Misericordia nunc subijcitur, nunc famulatur. Item Tit. Humanitatis hominum erga bruta.

RESPECTV PERSONARVM. Commiseratio

IN GENERE.

HERACLITVS Ephesius philosophus, ad omnem hominũ occursum fleuisse dicitur. Dolebat ille, quòd nihil sani esset in uita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. Fleuit ille itaque hominum mala, meliore haud dubiè affectu, quàm Democritus, qui hæc eadem ridebat. Nam hic contemtum arguit & stultitiam: ille iustitiam & charitatem. Sabellicus lib.5.cap.2.

IN SPECIE.

Erga Reges, Tyrannos.

Alexander IVDÆORVM rex ob auaritiam crudelitatemque suam Iudæis inuisus, Alexandram uxorem monuit, ut cùm egisset animam, Pharisæorum beneuolentia & consilio usa, confestim cadauer in publicum offerendum curaret: conuocatisq; illicò ciuibus, quasi illorum faueret uindictæ, palàm diceret, se tradere Alexandrum iam defunctum dilaniandũ ciuibus, ut quam in uiuum nequissent, in mortuum saltem iram iustam exercerent. Alexandra secuta hoc consiliũ, cùm per Pharisæos populo liberos suos Hircanum & Aristobulum commendasset, ut innocentes impuberes, & nihil mali meritos: ita uniuersæ multitudinis animum mouit, ut non solùm liberis, regnoq; salubriter consuluerit, uerùm mariti etiam funeri: cui regio more iusta persoluerũt. Iosephus lib. 13.cap.23 & 24. Antiq.

Dionysius Siciliæ tyrannus, cùm mercenarij ad eum interficiendum impetum fecissent, miserabili ueste amictus prodiit, comamq; puluere respersit, & potestati militum suã uitam permisit. MERCENARII eius miserti, saluũ & incolumem dimiserunt. Dionysius eos non ita multo pòst in urbe Leontinorũ circumuentos ad unum trucidauit. Polyæn.lib.5.

Eetion Echecratis, è Petra tribu, cùm Labdam Amphionis filiã claudam duxisset, Delphos abiens ad consulendum de prole, oraculum accepit, nasciturum sibi ex Labda filiũ, qui Corinthum subiugaturus esset. Corinthij ergo de oraculo certiores facti, quamprimùm Labda enixa est miserũt VIROS decem, qui puerum interficerent. Illi cùm puerum sub cypseli, hoc est, mensura frumentaria absconditum suauiter ridentẽ deprehẽdissent, misericordia moti abierũt. Herod.li.5.

Dionysius tyrannus, cùm Timoleonti se dedisset, cum una naui & modicis pecuniis Corinthum transmissus est. Eò GRÆCORVM, multi illius uidendi studio, nauigarunt, fortunæ mobilitatem dolentes, humanarũq; rerum fragilitatem reputantes, quę quò maiores essent, eo sua mole grauius ruerent. Plut.in Timoleonte.

Seleucus Antiochi F. Syrię rex, Asiaticas ciuitates ingenti classe aggrediebatur, ob auxilia Berenices nouercæ suæ & fratri ex ea nato exhibita. Sed subita tẽpestate naues omnes amisit. Quæ res Seleuco hoc boni peperit, ut ASIATICI omnes, ira in misericordiam uersa, sponte sua in fidem infensissimi hostis redierint. Sabel. lib.9.En.4.

Gulielmus II. rex Siciliæ & Neapolis Panormi coniectus fuerat in [illegible] ob tyrannidẽ, substituto Rogerio F. Quẽ cùm ad uindicandam patri factam iniuriam populus propẽsum uideret, in palatio obsidere cepit. Is dum per fenestram prospicit, in caput uulneratus periit. POPVLVS misericordia infelicis patris, qui quem nuper regem creatum, nunc mortuum audiret, motus, eductum è carcere in integrũ restituit. Collenucius lib.3.hist. Neapol.

Erga Amicos.

SAMNIETVS uel Psammenitus Aegyptiorum rex à Cambyse captus, cùm uideret filiam seruili habitu prætereuntem, cum plerisq; nobilium puellarum aquatum ire: inde filium ad supplicium cum plerisque æqualium duci: reliquis omnibus eiulātibus, unus immoto stetit uultu. At cùm amicorum quendam prius ditissimum, iam uerò cibum mendicantem conspexisset: neque à lacrymis temperauit amplius, neque ab eiulatu abstinuit. Causam demirante Cambyse, respondisse ferunt: Domestica mala multò maiora fuisse, quàm ut à se fleri possent: amici fortunam dignam sibi uisam, quam fletu & lacrymis, quando aliter opem ferre non posset, prosequeretur. Sabellicus libro 7. Enneadis 2. ex Herod. libro tertio.

ATHENIENSIBVS naues cōscendentibus, cōmiserationis campus amplissimus. Vide Tit. Libertatis studium.

Erga Hostes.

Licet Beniaminitæ ISRAELITAS grauissimè offēdissent: propter illorum tamē excidium omnes ululatu magno fleuerunt. Iud. 21.

ANTIOCHVS Syriæ rex, qui Nobilis appellabatur, audiens Oniam summum sacerdotem iniquè occisum, flexus ad misericordiam lacrymas fudit. 2. Machab. 4.

ESAIAS propheta de seipso inqt: Propter destructionē Babylonis repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Esaiæ 21.

Dinocrates Messenius Philopœmenem Achæorum prætorem iam septuagenarium in conflictu equo excussum ceperat. MESSENIORVM urbana multitudo mirum in modū eo nuncio elata ad portas concurrit. Vt attractum Philopœmenem contra gloriam factaq; & uictorias pristinas cōspexere, miserati pleriq; sunt: atq; eius uicem dolentes etiam illacrymabātur, humanamq; fortunam ut fallacem & inanem execrabant. Plut. in Philopœmene.

Cassander Antipatri F. familiares occisorum ab Olympiade Alexandri Magni matre, inuitauit, ut eam in cōmuni Macedonum concione accusarent. Quæ cùm parata esset apud omnes Macedones causam dicere: ueritus ne fortè plebs reginam se purgantem audiens, & Alexandri Philippiq; beneficiorum recordatus, pœnitentia duceretur, CC. MILITES ablegauit, ut eam extemplò necarent. Hi cùm in regiam domum irrupissent, ut uiderunt Olympiadem, eius fortunæ cō miserti, dignitatemque reueriti, infecta re discesserunt. Diodorus libro 19.

Duo consulares exercitus Romanorum à Samnitibus ad Caudinas furcas circumuenti, & sub iugum missi fuerant. Ante noctem, quamuis potuissent, Capuam ingredi noluerunt. CAMPANI fasces, purpuram, lictores consulibus, uestimēta & commeatum aliis ex commiseratione dedere. Et Capuam ingredientibus senatus & populus obuiam sese effudit, multaque hortando monendoq; consolati sunt dolentes. Sabellicus lib. 5. Enn. 4.

Duo Brabantini EQVITES ab Eduardo II. Anglorum rege euocati, contra Scotorum regem Robertum I. quum audirent in Anglorum castris, infinita prope conuicia in Robertum atque Scotos iactari: orta cōmiseratione, eis felicitatē in futura pugna publicè precati sunt. Ea uoce ad Anglum delata, pulsi castris, ad Robertum per fœcialem ducti sunt, publiceq; edictum, ut qui alterius ipsorum caput, confecto prælio, ad regem Eduardum deferret, centum argenti marcas pro munere acciperet. At cùm Scoti uicissent, equites illi ingenti præda potiti amplis insuper donati muneribus, in patriam redière: & Antuerpiæ diuersorium, Scotiam nomine (quod etiamnum extat) Brusij effigie notissimum ingenti sumtu ad Scotorum usum ædificauere. H. Boethius lib. 14.

Erga Pauperes.

Cùm uenisset PETRVS Apostolus Ioppen, uidit flentes uiduas pro morte Thabitæ, quæ faciebat eis tunicas & uestes: & ponēs genua sua orauit: & cùm uocasset eam, sanctis & uiduis assignauit uiuam. Act. 9.

Erga Supplices.

Vide Titulum Supplicum.

Anno 1507. Ludouicus XII. exules Genuam reducturus, uictos acie GENVENSES in deditionem accepit. Ingressus est ipse urbem sub umbella, candidis armis totus obtectus, nudum manibus gladium tenens: cui obuiam facti sunt urbis regionum præfecti (Antianos uocant) & magna ciuium honestissimorum multitudine: quibus cū multis lacrymis ad pedes eius prostratis, ubi nōnihil silentij factum est, unus ex illis omnium nomine, apposita ad flectendum regis animum oratione, suum culpæ confessione, ueniam petiit. Orationem sequutæ sunt omnium claræ uoces, misericordiam implorantium. Rex autem quamuis eos surgere iussērit, & gladio, quem strictum manu tenebat, deposito, animi potius ad placabilitatem propensi signa daret, nullo reddito responso progressus est. Deinde ad totius urbis augustissimum templum peruenit, ubi mulierum atq; infantium ingens numerus se ad eius pedes abiecit: qui omnes candidis uestibus induti, maximis clamoribus & miserandis eiulatibus eius clementiam misericordiamq; implorabant. Hic aspectus regis animum non mediocriter commouit, ut mille auri librarum multa contentus fuerit: qui alioqui illis omnem administrationem auctoritatemque eripere, pecuniā, quæ diui Georgij nomine ad priuatos pertinet, in regium ærarium inferre, & omni libertatis imagine spoliare statuerat. Guicciard. lib. 7.

Erga Bruta.

C. Pompeij altero consulatu, dedicatione templi Veneris uictricis, pugnauere in circo uiginti Elephanti, Getulis ex aduerso iaculantibus. Tandem amissa fugæ spe misericordiā uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauere, quadam sese lamentatione complorantes: tāto POPVLI dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens uniuersus cōsurgeret, dirasq; Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Plinius lib. 8. c. 7.

RESPECTV RERVM. MISERICORDIA aliorum tangi ob

Mortalitatem.

XERXES rex Persarum quum uidisset uniuersum Hellespontum nauibus suis constratum, omnia litora atque Abydenorum plana hominibus referta, iactauit se beatum, moxq; fudit lacrymas. Tam subitam mutationem admiratus Artabanus, regis patruus, qui dissuaserat eam expeditionem, ausus est rogare causam. Tum Xerxes: Subiit, inquit, animum meum cogitatio, quàm breuis sit hominum uita, quādo ex tam numerosa multitudine post annum centesimum nemo superfuturus est. Herod. lib. 7.

Famem.

HELIAS prophetico spiritu inter suos longè princeps, cùm cœli inclementia omnia laborarent (totum enim triennium nihil è cœlo pluerat) ac iam propè esset, ut terra uictum negante, fame & siti animalia interirent, impensissimè Deum precib. fatigauit, ut suorū calamitatis misereretur: tenuitq; precando, ut sua sit temperies terris reddita. Sabellicus lib. 8. cap. 2. ex 3. Reg. 18.

Euersionem urbis.

ELISÆVS propheta uidens quāta mala Azahel, Syriæ regno potitus, esset illaturus Israelitis, cepit flere. 4. Reg. 8.

HIEREMIAS propheta uidens in spiritu calamitatem superuenturam populo suo, dicebat: Recedite à me, amarè flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me super uastitate filiæ populi mei. Hierem. 38.

Cùm scripsisset BARVCH uerba cōminationis ex ore Hieremiæ, dixit: Væ mihi misero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. Et tamen accusabat populus Baruchū, quasi incitaret Hieremiam aduersus eos, ut traderentur in manus Chaldæorum. Hierem. 43. & 45.

Cùm reuelasset Dominus EZECHIELI peccata Israelitarum & pœnas, fuit tristis & gemebundus. Ezech. 3. & 9.

Excisis ab Alexandro Thebis, ATHENIENSES mysteriorū solenne, quod in manibus erat, ob luctum prætermisere, refugientesq; ad urbem suam omnibus officiis coluēre. Plutarchus in Alexandro.

M. MARCELLVS Coss. ubi Syracusas ingressus est, illacrymasse dicitur, partim tantæ rei perpetratæ gaudio, partim ueteri fama & splendore urbis. Occurrebant animo inclytæ uictoriæ, quòd Atheniensibus terra mariq; uictis Atticas classes, duosq; clarissimos duces, cum numeroso exercitu, Syracusani deleuissent: bella cum Carthaginensib. gesta: duo Dionysij, eorūq; potentia: recentissima Hieronis memoria, qui præ omnibus sociis regibus Romanum populum præcipua fide coluit: ornatissimus urbis apparatus, in cinerē momento temporis abiturus. Sab. lib. 4. En. 5.

P. SCIPIO Carthaginis euersor, cùm ardentem Romani imperij æmulam urbem uideret, & commiseratione eius & recordatione, quòd Romam olim similis maneret exitus, in lacrymas prorupisse dicitur, Homericum illud proferens à Marone pòst interpretatum, Tempus erit, cùm ardebit Ilion ingens. Plut. in eius uita.

IVLIANVS Imperat. cum ingenti apparatu egressus Constantinopoli contra Persas, transmisso Bosphoro, à Chalcedone Nicomediam processit. Super qua ingemuit altius ac fleuit: memor illic olim se in regia & ampla urbe, ædificiorum sumtibus insigni, educatum, quæ tum terræmotu corruerat. Marcellinus.

Strages.

Cùm ISRAELITÆ omnes Masphàm conuenissent, uindicaturi Gabaensium Beniamitarum scelus, iureiurando confirmarunt, nullum suorum filiam suam ulli Beniamitarum daturum esse in matrimonium. Tota autē tribu exceptis 600. ferro & igni excisa, Israelitæ Bethel profecti, coram Domino quæsti sunt, unam Israelitarum tribuum interiisse. Iussi autem à Domino eam reparare, cum 600. illis pacem inierunt: trucidatisque Iabensibus Galaaditis, quòd prælio Israelitico non interfuissent, uirgines 400. Beniamitis nuptui dederunt. Reliquis ducentis de rapiendis totidem Siluntiis puellis potestatem fecerunt. Iudicum c. 21.

AGESILAVS rex allato nuncio Spartiatas commisso circa Corinthum prælio perquam paucos cecidisse: Corinthiorum, Atheniensium, cæterorumque iis confœderatorū permultos: nullum lætitiæ ex uictoria signum dedit uel exultationis, sed ingenti edito gemitu: Heu Græciam, inquit, quæ tot milites bello intestino perdidit, quot ei si incolumes sint, ad debellādos uniuersos barbaros sint satis. Plutarchus in Apophthegmatibus.

M. CATO Vticensis, Cæsare circa Dyrrachium fuso, cùm Pompeiani lætitia exultarent, ob rem bene gestam, solus Cæsarianorum cadauera intuitus, temperare à lacrymis non potuit. Plutarchus in eius uita: & Sabellicus lib. 5. cap. 2.

Captiuitatem.

Proscriptus Atherius à seruo suo accusatus est. Qui Triumuirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege consequebatur. Seruus igitur, cùm patroni sui filios despectui haberet, & ipsi rei atrocitate, præsertim cùm adhuc tenella ætas esset, territi, lacrymantes silentesque eum sequerentur: ueluti sæuam nimis illam rem omnis POPVLVS abominatus est: atque ea Triumuiris declarata, uoluit, ut ingratus seruus denuò apud Atherij filios in seruitutem rediret, eisq; patris bona restituerentur. Fulgosius lib. 6. cap. 5. At Alex. lib. 3. cap. 20. uocat Aretium.

C. Iul. Cæsar consul tulit legem de agro Campano fermè toto pauperibus & tenuibus diuidendo. Huic solus M. Cato iunior se obiecit. Cæsar eum ex Rostris traxit, atque in carcerem duxit. Secutus Catonem est mœstus SENATVS, & optimi quique ex populo, stomachantes tacitè & indignantes. Plutarchus in Catone.

LEO, Basilij Macedonis Imperat. filius, à quodam monacho Theodoro Sandabareno apud patrem insidiarum causa delatus, in carcerem coniectus fuerat. In palatio psittacus in cauea suspensa degebat, ut spectatores oblectaret. Auis uociferari solebat, Heu heu domine Leo. Quodam tempore cùm ad conuiuium Imperator SENATORES præcipuos uocasset, eamque uocem auis sæpiusculè ederet, mœstitia oborta, conuiuæ cibo potuque omisso cogitabundi assederunt. Cumque id animaduertens Imperator, causam rei perquireret, ij oculos lacrymis oppleti: Qui (inquiunt) Imperator cibum capiamus, uoce bestiæ huius obiurgati nos, qui rationis compotes, & dominorum studiosi credimur? Bruta hæc auis domini sui nomen inuocat: nos luxui dediti, insontem obliuioni mandamus. His uerbis mitigatus Imperator, Leonem carcere eductum in conspectum suum admisit, uestem lugubrem demsit, comæ superflua, quę per luctum creuerant, auferri iussit, dignitatemque Cæsaris pristinam reddidit. Cedrenus.

Damnationem iniustam.

VXOR Pilati Christi opt. max. innocentia stimulata, quantum in se fuit conata fuit apud maritum illius cædem impedire. Matth. 27. Mar. 16. Ioan. 20.

Euntem Dominum ad crucem sequebatur multa turba populi & MVLIERVM, quæ plangebant, & lamentabantur eū. Luc. 22 & 23.

Incensa à Nerone Roma, cùm rei facinoris multi per impudentissimam calumniam ab emissariis principis subiicerentur, Christiani sunt quæsiti, quorum supplicia non dubitabat Nero quin futura essent popularia, ob nouum religionis genus: quorum pœnæ tam exquisitæ, omnemq; humanitatem superantes fuēre, ut spectanti populo misericordiā mouerent. SENECA à principe petiit, ut in rus aliquod secedere ualetudinis causa liceret. Quod cùm non impetrasset, domi atque adeò in cubiculo multos menses se continuit. Tacitus ad euitandam inuidiam sacrilegiorum Neronis hoc interpretatur. Ego uerò, quòd lanienam insontium spectare non sustineret. Lud. Viues in librū 6. August. de Ciuitate Dei, cap. 11. ex Suetonio.

Deiectionem à dignitate.

SAMVEL propheta cùm prædixisset Saulo regni mutationē, eo quòd Domino inobediens, Agagum regem & prædam opimam Amalechitarum seruasset: ab eo Galgalis discessit, neq; postea Saulum amplius uidit, quòd uicem eius dolebat, & regnum Dauidi filio Isæi deberi iussu Domini sciebat. 1. Regum 15.

Cùm Susis Alexander Magnus regiam sellam insedisset, eaque esset sublimior, quàm ut corpori ipsius cōueniret, puer quispiam animaduertens pedes Alexandri haud mediocri interuallo solum non contingere, apportauit Darij mensam, pedibúsque regis pendentibus supposuit. Hoc in adstantiū turba SPADO uidens, lacrymari cepit. Alexandro fletus causam quærente, respondit: In præsentia quidem tuus sum seruus: sed cùm prius Darij fuerim, naturaque dominos meos diligere soleam, non potui non dolere, rem, quæ tantopere ab illo honorabatur, abs te nunc contemtui haberi uidens. Quæ ad uerba animo adiecto Alexander, imperij Persarum quanta esset ruina, secum uolutare cepit. Diodorus libro 17.

Perses Macedoniæ rex à Paulo Aemylio in triumpho ductus, & Albæ cum filiis in carcerem fœtidissimum & profundissimum coniectus, per dies septem eo loco miseriam perferens, extremæ etiam conditionis HOMINIBVS lacrymas mouit. Tandem cùm ei gladius ad occisionem, & restis ad strangulationem proiectus esset, data utriúsue optione: M. AEMYLIVS, curiæ præses, Senatum graui reprehensione cōmonefecit, ut si humano metu non terrerentur, at ultricem certè fortunam uererentur, quæ in eos animaduertere soleret, qui potestatibus superbius utuntur. Diodorus Siculus libro trigesimoprimo.

M. Quin. Flaminius à M. Catone, quòd in amasij gratiam unum ex captiuis trucidari curauerat, senatu mouerat. Eius, cū in theatro ludos abiectè & demissè inter infimos sedens spectaret, cōmiseratione PLEBS mota, clamore illum inter consulares sedere perpulit. Plut. in Flaminio.

Fabulas.

ALEXANDER Pherensium tyrannus, maximè truculentus sæuusque esse uidebatur. Theodoro uerò, tragico poeta, acri animorum affectu & commiseratione Aeropem agente, lacrymas profudit, surgensque de theatro recessit. Excusans se apud Theodorum, affirmauit se non idcirco abiisse, quòd illum aut aspernari, aut contumelia afficere uoluisset: sed quòd puduisset fictæ miseriæ aliorum id tribuere, quod ueris suorum calamitatibus non tribueret. Aelianus libro decimoquarto, de Varia historia.

MISERICORDIA NVLLA. IMMISERICORDES.

Vide Titulum, Perfidiæ erga ciues, hospites, hostes. Item, Iræ immoderatæ. Item, Pœnitentibus non ignoscere. Item, Illiberalitatis religiosæ erga proximum.

PERSONARVM RESPECTV. IMMISERICORDES erga

Amicos, Socios.

AGESILAVS rex, cùm tumultuosius aliquando castra moueret, infirmum relinquens amicum, precibus & lacrymis abeuntis implorantem opem, cōuersus: Vt arduum est, inquit, simul misereri & sapere. Plut. in Apophthegm.

Seruos.

M. CATO seruos senectute inutiles, ne absque fructu perirent, uenundare consueuerat. Plutarchus.

RERVM RESPECTV. OB

Calamitatem, Excidium.

PHRYNICHVS Atheniēsis, cùm in dramate Miletū à Dario captam introduxisset, & in theatro omnib. spectatorib. lacrymas excussisset, mille drachmis ab Atheniensibus multatus est, quòd sociæ ciuitatis cladem theatrali palingenesia ingeminasse uideretur. Suidas.

Aduersam pugnam.

Post cladem Cannensem L. FVLVIVS argentarius Romæ cū corona rosacea interdiu è pergula sua in forū prospexisse dictus, ex auctoritate senatus in carcerem abductus, non ante finem belli emissus est. Plin. lib. 21. c. 3.

CONTENTVM ESSE.

NVTRIX Medeæ, Medeæ furorem ob superinductam à Iasone marito Creontis Corinthiorum regis filiam uidens, beatam se præ domina prædicat, inquiens:

τὸ γὰρ εἰθίσθαι ζῆν ἐπ᾽ ἴσοισι,
κρεῖσσον ἐμοὶ γ᾽ οὖν, εἰ μὴ μεγάλως,
ὀχυρῶς τ᾽ εἴη καταγηράσκειν. Assuesci uerò uiuere in mediocritate, potius mihi, ut si non splendidè, at tuto detur consenescere.

AGIS rex, Archidami filius, iactanti clausurum Spartanis aditum in Græciam Philippū: Satis nobis, inquit, hospes spacij ad uersandum in patria est. Plut. in Apophth.

BIAS rogatus, cur nihil exportaret rerum suarum ex incendio Prienes patriæ: Ego uero, inquit, omnia mea bona mecum porto. significans ea, quæ uerè nostra sunt, intra nos esse, uelut eruditionem, ac uirtutem. Vt rursum quæ uerè mala sunt nostra, non licet effugere, quantumlibet cōmutetur locus. Erasmus in Adagiis.

Sunt HOMINVM nationes certæ, absque igne quæ uitam degunt, domo carent & penatibus, ac sub dio agunt. Plut. de Aquæ & Ignis comparatione.

Cynicus DIOGENES minimè usus est igne, adeoq; cùm uiuum polypodem deglutiisset, facturus periculum, an cruda uentriculus ferre posset, magno labore & sumtu elixationis & assationis suos liberaturus: Sic, inquit, pro uobis amici adimus intrepidè periculum. Idem.

SOCRATEM, cùm uideret in imperio triginta tyrannorum multos summæ existimationis uiros interfici, & locupletissimos quoq; grauissimis suppliciis per insidias circumueniri, dixisse ferunt ad Antisthenē: Nunquid te pœnitet, quòd in uita nihil magnum neq; spectabile consecuti simus, quēadmodum uidemus in tragœdia describi monarchas, Atreos illos & Thyestas, & Agamemnones, & Aegisthos. Nam illi obtruncati in tragœdiis taxantur, & mala fercula cœnasse produntur. Nemo uerò poetarum eò progressus est audaciæ & impudentiæ, ut porcum mactatum in drama introducat. Ael. de Var. hist. lib. 2.

HORATIVS suam cum opulentissimorum felicitate frugalitatem comparans, sic inquit:

Hoc ego commodius quàm tu, præclare senator,
Multis atque aliis uiuo. Quacunque libido est
Incedo solus, percunctor quanti olus, ac far:
Fallacem circum uespertinumq; pererro
Sæpe forum: assisto diuinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero lachaniq; catinum:
Cœna ministratur pueris tribus: & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: astat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum.

Inter ea quæ Cęsar AVGVSTVS quotidiano sermone soleret usurpare, Suetonius & illud cōmemorat, quòd quoties significabat præsentem rerū statū esse boni consulendū, dicebat, Contenti simus hoc Catone. Cato Vticēsis conatus est tueri præsentem Reip. statum exclusa tyrannide: at non successit, uicit ea pars, quę tyrannidem uidebatur affectare. Augustus aūt in hoc cum Catone sentiebat, quòd præsentem Reip. statum nollet immutari. Eras. in Adagiis.

NON ESSE CONTENTVM.

Ex loco Amicitiæ & Ambitionis & Libidinis huc multa quadrabunt.

TANTALVS apud Plutarchum libro de Exilio ex tragœdia quadam introducitur hæc dicens: σπείρω δ᾽ ἄρουραν δώδεκ᾽ ἡμερῶν ὁδὸν Βερέκυνθα χῶρον, Duodecim dierum iter longum agrum Berecynthios agros colo. Et paulo post: θυμὸς δέ τοὐμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω, ἔραζε πίπτει, καί με προσφωνεῖ τάδε· γίνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν: Animus autem meus in cœlum tendens sursum, in terram decidit, & me sic alloquitur: Disce non nimium humana colere. Cæterùm hoc ipso humanorum nimio contemtu in altum præter modum assurgens, semetipsum æternis suppliciis dignum præbuit.

Horatius in Odis, eorum qui supra uires suas aliquid aggrediuntur, sorte sua non contenti, insaniam exemplo PHAETHONTIS & BELLEROPHONTIS taxat, inquiens:

Terret ambustus Phaethon auaras
Spes, & exemplum graue præbet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.

INDIGNATIO, ΝΕΜΕΣΙΣ.

Veteres deam Νέμεσιν *fingebant, quæ improbos & nefarios homines ulcisceretur & puniret.* Ἀδρήστειαν *Homerus uocat, non Adrasto (quo ante Thebas solo seruato, deorum ira ante easdem Thebas solus Amphiaraus Adrasti nepos terra absorptus fuit, cum Diomedes, Sthenelus & reliqui duces domum incolumes reuerterentur) sed* ἀπὸ τοῦ μηδένα αὐτὴν ἀποδιδράσκειν. *Nemo enim diuinam ultionem serius aut citius effugerit.* Νέμεσις *itaque* Ἀδράστεια *nihil aliud est, quàm Iustitia diuina: cui proportione respondet Iustitia humana* ἀνθρωπίνη. *Sed utraque ab Affectu, de quo nunc agimus, differt.* Νέμεσις *enim ut uirtus est, hoc affectu tanquam organo utitur ad punienda hominum scelera: & iniquè ferens indignos bona, quæ non merentur, consequi, inæqualitatem banc supplicio æquare conatur. Indignatio uerò, ob inæqualitatem hanc uehementer commouetur. Differt ab ira, quia Ira est uindictæ cupiditas: Indignatio autem non ulcisci desiderat, sed tantùm ex malorum & indignorum felicitate dolet. Exempla pete ex Tit. Honores uindicare ereptos.*

OB BONA, QVAE MERENtibus non tribuuntur.

Consule locum Ambitionis, honorem non sibi sed aliis tribui indignè ferentis.

In Dymæorum (qui Achæi sunt) finibus OEBOTÆ cursoris monumentum extat: qui cùm primus ex Achæis Olympiæ coronam meruisset, neque ullum apud ciues suos eo nomine præcipuum honorem esset adeptus, imprecatum Achæis aiunt, ne quis ipsorum unquam palmam Olympicam ferret. Achæi mirantes se Olympicarum palmarum compotes nunquam amplius fieri, Delphos ad oraculum miserunt. Et tunc quidem cùm & alia in Oebotæ honorem instituissent, uiuiq; statuam in Olympiam misissent, mox SOSTRATVS Pellenæus in stadio pueros uicit. Et hac etiamnum ætate Achæis athletis solenne, ut priusquam in certamen descendant, Oebotæ parentent, eiusq; statuæ uictores coronā imponant. Pausanias in Achaicis.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus quondam missis ad Rheginos legatis, concedi sibi postulauerat, ut ex magnatum uirginibus uxorem sibi duceret. At Rhegini publicum legatis responsum dedere: Non permissuros se nisi plebeij alicuius filiam ducere. Quam contumeliam grauiter ferens, de ulciscendo sedulo cogitauit; & quamuis cum eis pacem composuisset, tamē prætextu non subministrati commeatus per XI menses obsessos, fame tandem subegit. Diod. lib. 14.

Ad Tarquinium Superbum regem Rom. ANVS ignota facie, nouem habens libros uenit, rogauitque an mercari eos uellet, diuina in his oracula esse dictitans. Verùm nimis amplum precium deposcere uisa, tanquam ætate desipiens, à rege derisa est. Tum illa tris in proximum ignem coniecit libros. Rursus inde regem percunctatur, an sex reliquos eodem uellet precio emere. Hic Tarquinio adhuc magis ridente, tris alios pari ratione consumsit. Postremò quum ad reliquos emendos nihilo minore summa inuitaret, hortareturque regem, ne tantam è manibus emitteret occasionem, demiratus ille mulierculę constantiam, auguribus adhibitis, libros mercatus est. Sabellicus libro sexto, Enneadis secundæ.

Q. Cæc. METELLVS cùm Iugurtham multis attritum prœliis ferè ad deditionem compulisset, ubi amicorum literis factus est certior, Numidiam prouinciam C. Mario consuli plebiscito datam (nam de eius consulatu iam antea audiuerat) ne lacrymis quidem, uir alioqui egregius, temperasse dicitur. Multi id factum in superbiam uertebant: alij bonum ingenium contumelia permotum arbitrati: quidam cum non tam sua iniuria, quàm Marij honore ita affectum crediderunt. Nec Metellus iam inde bellum eo studio quo antè gessit, stultum ratus alienam rem suo periculo curare. Sabellicus lib. 2. Ennead. 6.

CABA-

CABADES rex Persarum anno regni sui XI. primùm cū Romanis pacem fecit. Deinde uerò cùm ab Anastasio Imp. pecuniam mutuo accipere uellet, & Anastasius cautionis syngrapham postularet, eam ob causam pacis fœdus rupit, & Romanis bellum intulit, atq; iā Armeniā & Mesopotamiā irruens, latè populatus est omnia.

OB BONA QVAE IMMERENtibus tribuuntur.

MERCENARII, qui toto die in uinea opus fecerant, iniquè tulerunt, eos qui hora sexta & nona demùm in uineam uenerant, æqualem mercedem recipere. Matthæi 20.

FRATER prodigi illius Luc. 15. ex agro reuertēs, indignabatur quòd pater tanto gaudio & plausu filiū perditū recepisset, uitulū mactasset, amicos ad conuiuiū uocasset: cùm sua esu sa, qui patri in omnibus semper morigerus fuisset, nunquā ne hœdum quidem amicis epulandum proposuisset.

AIAX Telamonius arma Achillis interfecti data in præmium Vlyssi indignatus, se interemit.

PARRHASIVS Ephesius pictor ob artis gloriā supra modū superbus, Sami uictus à Timanthe in Aiace armorumque iudicio, herois nomine se molestè ferre dicebat, quòd iterum ab indigno uictus esset. Plinius lib. 36. c. 10.

THEOGNIS in suis Gnomis felicitati improborum inuidēs, proborum miseriæ condolens, ad Iouem sic fatur:

πῶς δή σευ Κρονίδη τολμᾷ νόος ἄνδρας ἀλιτροὺς
ἐν ταὐτῇ μοίρῃ, τόν τε δίκαιον ἔχειν;
ἤν τ᾽ ἐπὶ σωφροσύνην τρεφθῇ νόος, ἤν τε πρὸς ὕβριν
ἀνθρώπων ἀδίκοις ἔργμασι πειθομένων,
οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,
οὐδ᾽ ὁδὸς, ἣν τιν᾽ ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.
ἔμπης δ᾽ ὄλβον ἔχουσιν ἀπήμονα· τοὶ δ᾽ ἀπὸ δειλῶν
ἔργων ἴσχοντες θυμὸν ὅμως πενίην. Quomodo, ô fili Saturni, uiros iniustos eodem quo iustos loco habes? Siue probitate delectetur mens, siue scelere hominum iniustis operibus incumbentium, nihil quicquam discretum à numine est mortalibus, neq; uia, quā ingressus quis immortalibus placeat. Improbi enim opes possident tranquillè: probi uerò egestate premuntur.

AGIS Argiuus, cùm rex Alexander donaret quendam ridiculum hominem & scurram ingētibus muneribus: O rem absurdam, exclamauit. Iratusq; rex, conuersus ad eū: Quid ais? inquit. Tum ille respondit: Animo angor, quòd omnes uos, Ioue natos, adulatoribus ridiculisq; hominibus & nefariis gaudere inspiciam. Brusonius lib. 3. cap. 7.

M. CATO uictoriam Cæsaris ægrè ferens, quòd Pompeiani, causa meliores, uictoria cecidissent, Vticæ seipsum occidit. Itaq; Cæsar eius morte audita, & illū suæ gloriæ, & se illius inuidere dixit. Scripsit etiam in eum librum, quem Anticatonem inscripsit, ubi Catonis uitia cōmemorat. Cuius apologiam Cicero postea edidit. Plutarchus.

M. VARRONIS apud Cornutum de Licino liberto distichon extat tale:

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato nullo,
Pompeius paruo. Credimus esse Deos?

OB MALA QVAE MERENtibus non tribuuntur.

CICERO Vatinium hominem inimicum & improbum, cùm allatum esset decessisse, ubi mox uiuere illum cognouit: Malè pereat, inquit, qui malè mentitus est. Plut. in Apophth.

OB MALA QVAE IMMERENtibus tribuuntur.

LATRO qui à dextris pendebat, etsi propter sua facinora crucifixus iam animam ageret, tamen indignatione motus, Christo tam indignè & superbè à Iudæis illudi, alterum latronem uerbis castigare cepit, & Christi innocentiam palàm fassus est. Ea propter à Domino salutare illud uerbum accepit, Hodie mecum eris in paradiso. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioann. 19.

Cùm Alexandrum Magnum in Cilicia grauis detinuisset morbus, medicique cæteri omnes de eius salute desperarent: PHILIPPVS Acarnan spem salutis quidē in præcipiti esse uidens, aggressus est regi remedium offerre, adhortatusquē eum, ut admitteret id & hauriret, si ualetudinem uellet recipere. Inter hæc à Parmenione rex accepit literas, quibus ei denunciat, ne salutem suam committat Philippo: magnis enim eum à Dario corruptum esse muneribus, ad interficiendum Alexandrum. Quas literas ubi Philippo legendas dedisset Alexander, Philippus indignari quidem ob calumniā, & deorum fidem inclamare: nihilominus artis confidentia Alexandrum, ut sibi fideret, hortatus est. Plutarchus in Alexandro.

Occupata à Gallis Roma, inter Brennum Gallorum ducem & Sulpicium Romanorum ductorem conuenerat, ut Romani mille libras auri dependerent: Galli simulatque accepissent aurum, ex urbe atque ex agris discederent. Super his cùm iusiurandum intercessisset, iamque aurum esset aduectum, Gallique pactæ fidei immemores, initio furtim, mox palàm deprimerent detorquerentque lancem, ROMANORVM aduersus illos coorta est indignatio. At uerò Brennus tanquàm per ludibrium & irridendi causa ensem unà cum baltheo exutum ipsis lancibus apposuit: & Sulpicio roganti, Quid hoc esset rei? Quid enim aliud, inquit, nisi uæ uictis? Tandem Camillus reliquias Rom. exercitus colligens, Brennum insidiis circumuentum magna strage affecit: & cùm ille quereretur contra fœdus fieri, retorsit in eum suam uocē, Væ uictis. Erasmus in Adagiis, ex Plutarcho & Festo.

PAVLVS Simplex eremita factus est, Antonij discipulus, propterea quòd uxorem in adulterio deprehendisset. Sozomenus libro 1. cap. 13.

GVALTERVS Brennensis comes, cui Tancredi Siciliæ regis natu maior filia nupserat, cùm ipse tanquam soceri regnorum hæres, cum quadringentis tantùm militibus profectus, mira fortunæ felicitate, ingentique animo penè omnia recepisset (mortuo enim Henrico VI. Imperatore, relicto Friderico filio impubere, populorum discordiis agitatum regnum nutabat, atque ad Gualterum plerique inclinabant) postremò, cùm à Thebaldo Germano, apud urbem Sarnum, uictus, in eius potestatem uenisset: tanto odio atque uæsania in Thebaldum exarsit, ut cùm tertio die, posteaquam captus fuerat, Thebaldus liberaturum se Tancredum offerret, atque in auitum penitùs regnum restituturum, si loca, quæ ipse in eo regno possidebat, cōfirmare uellet: Gualterus ut fera amens rabidaque respondit: Neque ea quæ Thebaldus offerebat, neque longè maiora, tam uilis hominis manu accepta, unquam grata esse habiturū. Quo responso indignatus Thebaldus, quòd tam insigni iniuria ab eo, quem captiuum habebat, afficeretur, interminatus est, Se facturum, ut tantæ contumeliæ eum pœniteret. Gualterus furore magis exardens, laceratis uestibus, laceratis etiam fasciis, quibus uulnera alligauerat, exclamauit: Viuere amplius nolle, posteaquam in eiusmodi hominis manu esset, qui minis in eum ageret. cùmque ultra neque cibo neque medendi aliqua arte curari uellet, iratum furibundùmque spiritum deposuit, unica filia relicta. Fulgosus libro nono, capite tertio, & Collenutius.

FACVLTATES SENSITIVAE.

De harum integritate & læsione sub Corporeis agemus. Hic eas tantùm functiones perstringemus, quæ Animi quamlibet aliam uel actionem uel paßionem coniunctam habent. Sic uidet quis oculis, & animo interim gaudet uel contristatur.

VISIO. VIDERE.

Αὐτοψία *ad Exercitationis locum pertinet.*

QVÆ, QVALIA.

Noua, Non uisa prius.

Egressa est DINA filia Iacobi, ut uideret mulieres ciuitatis. Ibi Sichemum reperit, à quo probro ac dedecore afficeretur: & uiolata, causa fuit, cur masculi omnes Sichemitæ cum rege & eius filio à Simeone & Leui contrucidarentur: ut non iniuria uideatur Tragicus dixisse, Virgines in turba cōspici nefas. Viues de Christiana femina lib. 1. ex Genes. 34.

Satyrus Alexandriam uiuus perductus, magnum populo ALEXANDRINO spectaculum præbuit: & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, ut ab Imperatore uideretur, allatum est. Hieronymus in uita Pauli eremitæ.

ATHA-

ATHANARICVS Gothorum rex Byzantium ueniēs, Impp. Gratiano & Theodosio, spectādo pulcritudinem urbis, abactis curis omnibus, animum relaxauit. Graui inde morbo correptus, tertio quo uenerat mense uita decessit. Bonfinius lib.2.Dec.1.

Anno Salut.595. sub Agilulfo Longobardorum rege primùm equi syluestres & bubali in ITALIAM adducti, ingens ipsius rei nouitate spectaculum præbuerunt. Sigonius lib.1. regni Ital.

Nunquam amplius uidenda.

Romæ ad ludos seculares per præconem inuitabantur homines, Venirent ad ludos, quos nec uidissent, nec uisuri essent deinceps.

Grata.

Vide Titulum Spectaculorum studium.

LYCVRGVS legislator Spartanorum, cùm in agro manipulos paribus spaciis inter se distinctos uidisset, quem ipse ciuibus æqualiter diuiserat, summam ex eo spectaculo uoluptatem cepisse dicitur. Plutarchus.

Maxentij tyranni à Const.mino Magno cæsi caput per ITALIAM & AFRICAM missum, magnos concursus hominū excitauit. Sigonius lib.3.Imp.occid.

Ingrata.

Consule Tristitiam ex Aspectu.

Cn. Pompeius ex acie Pharsalica fugiens, ad Ptolemæum Aegypti regem confugit. Hunc CORNELIA uxor comitata, in nauicula à Septimio & Achilla Aegyptio misere trucidari uidit. Plut.in Pompeio.

ℒ QVEM.

Homines.

XERXES Persarum rex contra Græcos cum exercitu profectus, ubi Abydon uenit, & in tumulo residens, prospiceret nauale iudicium certamen, uoluptatem cepit cùm certamini, tum copiarum spectaculo: seq; beatū esse iactauit: post hæc lacrymas fudit, quòd nemo ex tot hominibus post centum annos uicturus esset. Herodotus lib.7.

Bruta.

ATHENIENSIBVS urbe relicta naues duce Themistocle cōscendentibus, erat ex mansuetis & domesticis animalibus cum latratu & desiderio assectantib. conscendentes altores suos permouens oblectatio. Xanthippi canis, patris Pericles, iuxta triremem eius natans tenuit Salamina: ibique deficiens, statim expirauit Plut.in Themistocle.

ℒ AVDITIO. AVDIRE.

De Ἀκροάσει tanquam Instrumento sub Exercitationis loco

ℒ QVÆ

Grata.

Consule locum Vrbanitatis & Scurrilitatis.

Ingrata.

DIOGENES quum ut prolixum, sic ineptum uolumen recitantem audiens, tandem eò peruenisset, ut libri finem uideret, Bene habet, inquit, amici, σὺν θεῷ, id est, terram uideo. quasi graui tempestate molestæ auditionis iactatus, portū conspiceret. Erasmus in Adagiis.

PHILOXENVS poeta dithyrambicus, cùm Dionysij tyranni poemata nō probaret, utpote indocta, in lapicidinas ab eo detrusus est: deinde reuocatus illinc amicorum precibus, ubi denuò Dionysium sua carmina pronunciantem audisset, surrexit: & rogatus à Dionysio, Quid esset rei? respōdit, Satius ac potius esse in lapicidinis uitā degere, quàm illius audire poemata. Erasmus in Adagiis.

ℒ QVEM.

Cōcionantem.

Ex loco Ecclesiasticarum, & Eloquentiæ uis, huc non pauca.

D. AVGVSTINVS Roma Mediolanum euocatus ad Rhetoricam docendam, Manichæorum hæresi adhuc implicatus, concionantem tamen Ambrosium episcopum solius eloquentiæ commendatione audire uoluit. Sed ueniebant in animum simul cum uerbis, quæ diligebat, res etiam quā negligebat. Et dum cor aperiret ad excipiendum quàm diserte diceret, pariter intrabat & quàm uerè diceret. Augustinus lib.6. Confess. cap.14.

Narrantem.

D. AVGVSTINVS ante conuersionem audiens à Simpliciano sene sanctissimo, quanta constantia Victorinus rhetor Romanus eloquentiss. iam senex publicè fidem suam in Ecclesia confessus esset, & baptisma suscepisset: miro desiderio eum imitandi flagrare cepit. Iam cùm à Potitiano Afro milite historiam de duobus in palatio Imp. militantibus audiuisset, qui lecta uita Antonij eremitæ monasticam uitam euestigio essent complexi: eorundem exemplo accensus, repudiatis uitæ coniugalis commodis, in cœlibatu perpetuò Deo seruire instituit. Testis ipsemet libro 8. Confess. capite quarto & sexto.

Disputantem, Docentem.

ALIPIVS D. Augustini Carthagine rhetoricā docentis scholam ingressus erat. Fortè ibi Augustinus ad insaniam quandam explicandam similitudine Circensium ludorum usus fuerat, quorum studio Alipius mirè tenebatur. Et quidem uerbis illius adolescens ingenuus usq; adeò permotus fuit, ut studiae illi uoluptati deinceps indulgere noluerit. Testis ipsemet lib.6. Confessionum c.7.

Legentem.

ANTONIVS Eremita, ex euangelica lectione, cui casu superuenerat, admonitus, tanquam sibi diceretur, Vade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & ueni sequere me: confestim relictis omnibus in eremum se contulit. D. Augustinus lib.8. Confess. cap.ult.

Canentem.

D. AVGVSTINVS post susceptum baptisma cū Alipio amico & Adeodato filio suo naturali nō satiebatur dulcedine mirabili, considerans altitudinem consilij diuini super salutem generis humani. Quantum fleui, inquit ad Deum lib.9. Confess. cap.6. in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis ecclesiæ tuæ uocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur ueritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.

Eiulantem.

C. CALIGVLA, cùm assistens simulacro Iouis Apellē tragœdum consuluisset, uter illi maior uideretur: cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde uocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Suetonius in Caligula.

ℒ OLFACTIO.

De hac inter Corporea.

A. VITELLIVS Cæsar odorem cadauerum percipiens, Optimè dixit olere hostem mortuum, sed ciuem præcipuè.

FACVLTATES MOTIVAE.

De his sub Corporeis agetur: quòd licet Animæ sint propriæ, Corporis tamen motus maximè sit perspicuus.

FACVLTATES NATVRALES.

Hæ cùm Corpori penitùs immersæ sint, ne eadem repetere sit opus, sub Corporeis rectius enarrabuntur.

VOLV-

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM DISPOSITIO.
De ANIMI Humani Functionum EFFECTIBVS.





II. In ge



III. In

III. In *ſpecie conſiderata Cognitione, ob animi quemcunq; motum uel*

- Conſulit, *Suadet alteri*
  - Quid
    - Pacem.
    - Veneficium.
  - Qui
    - Stulti.
    - Ægri.
  - Quibus
    - Ducibus.
    - Legatis.
    - Hoſtibus.
  - Quomodo
    - Symbolicè.
    - Aſtutè.
    - Stultè.
- Perſuadet. Diſſuadet.
- Iudicium *alteri delegat, committit, in alium transferi.* TRANSLATIO *iudicij in alium.*
- Approbat, *Ratum habet.* Conſentit. Diſſentit.
- Rumorem *ſpargit.*
- Admonet, *Hortatur.* ADMONERE, *Hortari*
  - Quos. *Puta*
    - Seipſum.
    - Alios
      - Reges. Duces.
      - Milites. Conuiuas.
      - Diſcipulos. Filios.
  - Cuius *rei*
    - Virtutis. Officij.
    - Fortitudinis. Conſtantiæ.
    - Clementiæ. Religionis.
    - Concordiæ.
- Non *admonet, non Hortatur.*
- Dehortatur.
- Commu- *nicat. Cognitionem*
  - COMMVNICARE. *Huius generis ſunt*
    - Inſtituere, *Docere.*
    - Indicare:
      - Quid
        - Arcana *quæuis.*
        - Vaticinia.
        - Theſauros.
        - Scelera.
        - Inſidias.
        - Conſilia *Hoſtium.*
        - Aduentum.
      - Quomodo
        - Viua *uoce.*
        - Literis, *Epiſtola.*
        - Inſcriptione.
        - Notis.
    - Nuncia- *re:*
      - Vera
        - Fauſta, *felicia. Vtpote*
          - Hoſtium
            - Fugam.
            - Mortem
          - Victoriam.
          - Dignitatem.
          - Dilationem.
          - Aduentum.
          - Partum.
        - Infauſta.
      - Falſa.
    - Proclamare *per Præconem.*
    - Narrare, *Recenſere.*
    - Teſta- *ri*
      - Veritatem. *Teſtimonium*
        - Dicere.
        - Non *dicere.*
      - Voluntatẽ *ſuã tñ*
        - Viuentis.
        - Morientis. *Teſtamentũ*
          - Condere.
          - Non *condere.*
  - NON *communicare. Puta*
    - Occultare, *Abſcondere*
      - Quid
        - Religionis *myſteria.*
        - Philoſophiam. Conſilia *quæuis.*
        - Bellica *conſilia.*
        - Arcana *quæuis alia.*
        - Mortem *ſuam.* Sepulturam.
      - Cur. *Cauſa*
        - Quæſtus. Inuidiæ.
        - Maieſtatis.
    - Reticere, *Non enunciare.*

IV. Effectus *Appetitum in bono ſequẽdo malo, fugiẽdo ſtipatęs uarij ſunt tum reſpectu*

- Rerum. *Vide ſignum V.*
- Perſonarum. *Vt puta*
  - ACCOMMODARE *ſe aliorum*
    - Ingenio, *captui, Docendo,*
    - Moribus, *Conuiuendo.*
  - NON *accommodare ſe aliis ex*
    - Imperitia.
    - Moroſitate.
  - BLANDIRI
    - Quibus
      - Populo. Ruſticis.
      - Coniugibus. Amaſiis.
      - Brutis.
    - Quomodo
      - Oratione.
      - Epithetis. Nominum *diminutione.*
      - Reprehenſione. Geſtu.
  - PROVOCARE
    - Quem
      - Amicum. Riualem.
      - Hoſtem.
    - Ad *quid.* Ad
      - Iudicium
        - Diuinum.
        - Humanum.
      - Formæ *periculum.* Certamen *Grammaticũ, Bellicũ.*
  - CERTARE, RIXARI, *Contendere:*
    - Qui
      - Populi. Philoſophi.
      - Senes *cum iuuenibus.*
      - Amatores. Mulieres.
    - Quomodo
      - Virtute. Amore. Improbitate.
      - Conſilio. Mendacio. Fraude.
      - Corporis *agilitate.* Equorum *curſu.*
      - Armis. Sacramento. Voto. Sponſione.
      - Verbis: *Verba cõmutare, Rixari uerbis.* Factis.
    - Propter *quid. Cauſa*
      - Eruditionis, *doctrinæ. Diſputationes doctorum.*
      - Dignitatis, Regni. Diuinorum *honorum.*
      - *Prædicatiõis.* Iuris *ciuilis.*
      - Rerum *ultimum.* Corporis *mortui.*
      - Aſini. Indicij.
  - NON *Rixari,* NON *Contendere.*
  - PACEM *facere, Componere, Reconciliare:*
    - Inter *quos*
      - Epiſcopos. Hoſtes.
      - Coniuges.
    - Cur. *Cauſa*
      - Honeſtatis. Quietis.
      - Patriæ. Societatis.
  - IMPERARE, *Mandare:*
    - Cui
      - Dæmoni.
      - Maritis. Populis.
    - Quid
      - Silentium.
      - Iudicium. *Euocare ad cauſam dicendam.*
      - Cædem *ſui.* Voluntatem *ultimam.*
      - Curam *canis.*
  - Obſequi, *Obtẽperare, Obedire, Parére.*
    - PLACITA, *Conſilia, Voluntatẽ aliorum*
      - Sequi *in*
        - Theoricis. Practicis. *Obedire.*
        - Mechanicis.
      - Nõ *ſequi in*
        - Theoricis.
        - Practicis. *Non obedire.*
  - Subiicere *ſe alteri, Dedere,*
    - Politicè. Bellicè.
    - Oeconomicè.
  - Non *ſubijci.*
  - PERMITTERE, *Libertatem dare, Poteſtatem facere, Cõcedere,*
    - Quid
      - Arcani *cognitionem.*
      - Nuptias. Inceſtum. Adulterium.
      - Regis *eligendi arbitrium.*
      - Cædem *hoſtis.* Vulnera.
      - Mortem. *Mortis optio data.*
    - Quibus
      - Improbis.
      - Damnatis.
  - Prohibere, *Vetare.*
  - Impedire:
    - Quid
      - Venereni.
      - Acroaſin.
      - Iter.
    - Quomodo
      - Voce, *Interpellare, Obloqui:*
      - Facto, *Turbare.*
  - Non *impedire.*
  - Cogere, *Vim inferre*
    - Armis.
    - Fœdere.
    - Lege.

- V. Rerum appellatione intelligo tum
  - Bona, quæ sunt uel fuerunt
    - Sua. Sicut
      - Insūt,
        - Per se
          - Congratulatur. In Sinv gaudere.
          - Iactat *sua*. Gloriatur.
          - Ostentat *sua*.
        - Respectu *alterius*. Vide *signum* VI.
      - Inesse *possunt*, *sibi ipsi optat*. Optare, Ominari *sibi ipsi bona*:
        - Quę *in*
          - Genere.
          - Specie
            - Sapientiam. Eloquentiam. Virtutem. Prudentiam. Fortitudinem.
            - Gratitudinis *occasionem*.
            - Iustitiam. Vitam.
            - Vitam *priuatam, ignobilem*. Sanitatem, Somnum.
            - Mortem
              - Beatam. Citam.
              - Temulentam.
            - Gloriam.
            - Amicitiam. Amicorum *dignationem*.
            - Coniugium. Amicæ *contactum*.
            - Consiliarios *bonos*.
            - Tranquillitatem *regis*.
        - Qui
          - Populi. Reges.
          - Tyranni. Philosophi.
          - Poetæ. Mulieres.
        - Quomodo, *uel*
          - Simpliciter. Cum *inuocatione* Deorum.
          - Voce. Signo.
          - Seriò. Iocò. Clàm.
        - Quando.
        - Vbi. In
          - Templo.
          - Conuiuio.
      - Actu *insunt*. Proinde *uel*
        - Prædicat *talia esse, ut sunt*.
        - Laudat. Lavdare
          - Qui
            - Populus.
            - Tibicines.
            - Hostes.
          - Quos
            - Oratores.
            - Mutuò *Laudantes*.
          - Cur. *Ob*
            - Eloquentiam.
            - Fortitudinem.
        - Detrahit, *Deprimit*.
        - Honorat.
        - Non *honorat*.
        - Congaudet.
        - Cōgratulatur. *Videndum*
          - Quomodo.
          - Cur. *Ob*
            - Sanitatem.
            - Mortem.
            - Victoriam.
            - Capturam.
        - Non *congratulatur*. Non *congaudet*.
      - Possessio, *Bona ista aliena alteri uel*
        - Potentia *inesse possunt*. Optare *alys bona, Bene ominari aliis*:
          - Quid. *Vtputa*
            - Spiritum Dei.
            - Felicitatem.
            - Prolem.
            - Imperium.
          - Quibus
            - Patriæ. Ciuibus.
            - Virginibus. Sponsis.
            - Exercitui. Militibus.
            - Hostibus. Familiæ.
            - Filiis. Nepotibus.
            - Seruis. Mortuis.
            - Canibus.
          - Quomodo
            - Voce.
            - Signo.
            - Clàm.
            - Apertè.
        - Vsus. *Vide in sequentibus signum* VII.
    - Aliena. Horū si ipse *fieret*
  - Mala. *Vide in sequentibus signum* VIII.

- VI. Vt Bona mea, siue respectu alterius, sic
  - Fidem dat. Fidem dare:
    - Per *quos*.
    - Quomodo. Respectu
      - Qui *quibus*. Vtputa
        - Subditi *magistratui*.
        - Milites Duci, *Imperatori*.
        - Hostis *hosti*.
      - Verborum. Sponsione
        - Simplici.
        - Composita *cum iuramento*.
      - Rerum *uel* Actionū, *quæ interueniunt*. Vtputa
        - Dextra *iuncta*.
        - Contactu *manus, pedis sue*.
        - Vinculo. Sanguine *extracto*.
        - Propinatione. Compotatione.
        - Hasta *data*. Gladio. Claua.
        - Boue. Equo. Apro. Igne.
        - Mydro. Lapide.
      - Cur. Causa
        - Fœderis, *in*
          - Genere.
          - Specie: *cū*
            - Sociis, *causa societatis*. Fœdus cum Sociis.
            - Hostibus, *causa pacis, reconciliationis*. Fœdus cum Hostibus.
        - Certaminis. Imperij.
      - Vbi. In
        - Templo.
        - Conuiuio.
      - Quando.
    - Fidem *seruat*. Fidem *fallit*.
    - Suffragatur. *Suffragium dare*.
    - Pollicetur, *promittit, spondet*. Pollicēri, *Promittere, Spondere, Vouere*:
      - Quid
        - Religionem. Templum.
        - Ver *sacrum*. Corporis *affectionem*.
      - Qui *quibus*
        - Diis: *Vota propriè*. Regibus.
        - Subditis. Militibus. Sponsis. Mortuis.
      - Quomodo
        - Cum *Imprecatione, Deuotione*.
        - Petitione. Restipulatione.
    - Denegat. Eludit *promissa*.
    - Præstat *promissa*. Praestare *promissa*
      - Quæ.
      - Quibus
        - Diis. *Vota soluere*.
        - Hostibus.
    - Non *præstat promissa*.
    - Propo nit
      - Salutando. *Salutatio*
        - Aliqua
          - Qui *quos*.
          - Quomodo.
        - Nulla.
      - Vocando *ad*
        - Cœnam.
        - Officium.
      - Offerendo
        - Potum. Nuptias. Cædem.
        - Mortem. Equum.
    - Confert, Largitur, tum
      - Beneficiū *qualecunq;*. Beneficivm
        - Dare
          - Quale
            - Publicum.
            - Priuatum.
          - Quibus
            - Pontificibus. Regibus. Amicis.
            - Hostibus. Damnatis.
          - Quomodo *affectis, quo ad*
            - Volūtatem:
              - Petentibus, *Expectantibus. Gratificaris, gratum facere*.
              - Non *petentibus*, Non *expectantibus*.
              - Nolentibus, *Inuitis*.
            - Talionem
              - Gratis. *Beneficium mutuum*.
              - Ingratis.
        - Non *dare*.
      - Auxilium
        - Ferre, *Auxiliari, Opitulari*. *Respectu*
          - Modi
            - Pugnando. Patrocinando.
            - Deducendo.
          - Personarum. *Quibus*:
            - Ciuibus. Sociis.
            - Amicis. Hostibus.
        - Non *ferre*.
    - Communicat, *tāquam bonum*:
      - Quid
        - Bona.
        - Vxores.
      - Cur.
    - Non cōmunicat, Occvltat, *Abscondit, Reticet*:
      - Quid
        - Opes, *Thesauros*.
        - Cadauer. Idola.
        - Homines. Porcos.
      - Vbi
        - Intra *corpus*.
        - In *flumine*.
      - Cur. *Causa*
        - Auaritiæ.
        - Religionis.



VIII. Circa



IX. Qua-

- Optat *ea aliis. Huius generis effectus sunt*
  - Alterius *sunt*
    - Optare *mala aliis, Imprecari, Deuouere, Detestari:*
      - Quomodo
        - Seriò
          - Voce *uiua, Pronunciatione.*
          - Scripto.
          - Inscriptione.
        - Iocò.
      - Quando.
      - Quæ. *Mala imprecari in*
        - Genere.
        - Specie:
          - Diabolum.
          - Malam *consuetudinem.*
          - Muneris *talionem.*
          - Saltationem. Sterilitatem. *Paruitatem.*
          - Mortem *insolentem.*
          - Mortis *difficultatem.*
          - Partum *monstrosum.*
          - Naufragium.
          - Damnum *fortunarum.*
          - Iter *infelix.*
          - Victoriam *nullam.*
          - Seruitutem. Exilium. *Tumultuariæ.*
      - Quibus
        - Subiipsi.
        - Humano *generi.*
        - Patriæ. Hostibus.
        - Vicinis. Subditis.
        - Ciuibus. Filiis.
        - Fratribus. Hostibus.
        - Arboribus. Tempori.
        - Dici. Loco. Equis.
      - Cur. *ob*
        - Delictum *alienum. Impietatem.*
        - Contumaciam. Perfidiam.
        - Vrbis *restaurationem.*
        - Cædem *suam.*
        - Cædem *brutorum.*
        - Amicitiam *fictam.*
        - Profectionem *ad ludos.*
    - Non *deuouere. Non imprecari.*
  - Sua *sunt*
    - Deprecatur. Deprecari *mala:*
      - Pro *quo.* Pro
        - Seipso.
        - Aliis.
      - Quem
        - Deum.
        - Homines.
      - Quæ. *Vtputa*
        - Vitiositatem. Ignominiam.
        - Reditum *in patriam.*
        - Casum *aduersum.*
        - Condemnationem, *Supplicium.* Mortem.
      - Quomodo. *Vel*
        - Simplici *optatione.*
        - Coniuncta *cum obtestatione, inuocatione, ceremonia.*
    - Expectat. Expectare *malum.*
    - Animat. Accendit, *Instigat, Irritat alios ad inferendum malum.*
    - Deterret *alios ab inferendo.*

IX. Quatenꝰ *Mala inferenda in potestate*

- Accendit *seipsum.*
- Comminatur. Commi-nari:
  - Quid
    - Suspendium. Tabem. Castrationem.
    - Bellum. *Indicere bellum.*
    - Pugnam. Accusationem, *Infamationem.*
  - Quibus
    - Poetis. Filiis.
    - Vxori.
    - Hostibus.
  - Quomodo
    - Simpliciter.
    - Cum *conditione.*
  - Quando. In
    - Funere.
    - Periculo.
- Infert. Maleficium.

X. Censura *naria. In*

- Genere:
  - Maledicere.
  - Reprehendere, *Obiurgare*
    - Quid
      - Ignorantiam.
      - Stultitiam.
      - Ignauiam.
      - Impudicitiam.
      - Superbiam.
      - Scurrilitatem.
      - Formam.
    - Quos
      - Claros *uiros.*
      - Populum. Senatum.
      - Duces. Sophistas. Discipulos.
    - Quomodo
      - Blandè.
      - Acerbè, *Seuerè.*
  - Non *reprehendere.*
- Specie, *respectu*
  - Rerum, *quarum censura exercetur, uel*
    - Per *se.* Vt *Mala*
      - Vera. Vituperare, *Criminari.*
      - Falsa. Calumniari, *Obtrectare.*
    - Respectu *alterius boni uel mali.* Exprobrare:
      - Quid
        - Malum
          - Impotentiam.
          - Ignauiam.
          - Ignominiam.
          - Proditionem.
        - Bonum: *ut* Beneficium.
      - Quibus
        - Seni. Viris.
        - Inimico.
        - Discipulis.
      - Quomodo
        - Seriò.
        - Ioco.
  - Personarum, *quæ censuram subeunt. Vide signum* XI.
  - Apertè. Convitiari.
  - Tacitè. *Dicterium, Sconima. Cauillum dicere. Dicteria ferere, Dicacem esse.*
- Modi
  - Absque *bile, ioco.* Irridere *absque bile*
    - Quid. *Vtputa*
      - Proplietiam.
      - Antiquitatis *studium.*
      - Consilium *bonum.*
      - Imperitiam.
      - Curiositatem.
      - Ingenij *bebetudinem.*
      - Impudicitiam *uxorum.*
      - Voracitatem.
      - Ambitionem. Liberalitatem, *Dona.*
      - Adulationem. Tarditatem.
      - Negligentiam. Superstitionem.
      - Staturam. Canitiem.
      - Caluitiem. Præcipitium, *Casum.*
      - Magistratum.
    - Quos
      - Humanum *genus.*
      - Pontifices.
      - Principes, *Reges.*
      - Hostes. Rhetores.
      - Poetas.
      - Philosophos.
      - Coniuges.
      - Deambulantes.
      - Bruta.
      - Simulacra *Deorum.*
  - Cum *bile, amarulentia*
    - Insultare. *Σαρκασμοί.*
      - Quibus
        - Piis. Improbis.
        - Victis. Supplicibus.
        - Calamitosis.
        - Mortuis.
      - Quomodo
        - Imprecatione.
        - Munere *fœdo.*
        - Lusu.
    - Non *Insultare.*

- ABOMINARI.
  - Qui *accusant.*
    - Quos
      - Seipsum.
      - Sontes.
      - Innocentes.
      - Absentes.
      - Magistratus.
      - Parentes.
      - Amicos.
      - Inimicos.
    - ACCVSARE, *Traducere.*
      - Quid. In
        - Genere. *Vitam, Mores.*
        - Specie. *Aliquâ*
          - Actionem.
          - Passionem.
      - Quomodo
        - Viua *uoce.*
        - Scripto.
      - Vbi
        - Extra *iudicium.*
        - In *iudicio.*
      - Cur. *Causa*
        - Patriæ.
        - Vindictæ.
        - Præmij. *Quadruplator.*
  - NON *accusare.*
    - Excusare *ex æquo.* EXCVSARE
      - Quid
        - Stultitiam.
        - Ignauiam.
        - Luxum.
        - Tarditatem.
        - Imitationem.
        - Formam.
      - Qui
        - Pueri.
        - Reges.
      - Quos
        - Seipsum.
        - Milites.
        - Pueros.
        - Mulieres.
      - Quomodo
        - Ioco.
        - Serio.
    - Simpliciter
      - XI. Sic *Effectus quidã peculiares dari uidentur, ijsq; ad personas potius quàm ad res uel modum referri. Cuiusmodi est*
        - Defendere *ex iure.* DEFENDERE
          - Quos
            - Seipsum.
            - Clientes.
            - Insontes.
            - Sontes.
            - Amicos.
          - Quomodo
            - Iureiurando.
            - Armis.
            - Oratione *simplici.*
            - Commemoratione *meritorum.*
          - Cur. *Causa*
            - Lucri.
            - Amoris.
            - Fidei.
            - Vindictæ.
        - Non *defendere.*
  - Cum *talione.* RETORQVERE, *Regerere Maledicta, Probra, Dicteria, Accusationem, Reprehensionem, Criminationem.*

Liber Secundus.

CONSCIENTIA.

BONA, RECTA.

Exempla quædam ex Tit. Mortis placidæ huc possunt transferri.

Commẽdatus fuit IVLIVS Drusus tribunus plebis: quòd cùm ædes eius multis locis paterent uicinorum oculis, & opifex quidam eas se quinq; mercede talentorum ostẽderet auersurum & mutaturum: Decem, inquit, dabo, si totam domũ meam conspicuam effeceris: quò ciues omnes, quemadmodum uitam instituam, contemplentur. Quippe uir fuit temperans & moderatus. Plut. in præceptis Polit

TITVS Imp. Sabinos petens, cùm sacrificãti hostia aufugisset, & tempestate serena tonuisset, subtristior, ad primam statim mansionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum, multumq; conquestus, Eripi sibi uitam immerenti: neq; enim exstare ullũ suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. Suet.

MALA.

Ex Tit. Mortis horrenda huc quædam.

CAINVS primus Protoplasti filius, primus quoque parricida, & ob idipsum primus fuit exul. Agitabant illum scelerũ suorum furiæ, ita ut per orbem terrarũ solus uagaretur, metuens ne à quopiã interficeretur: cùm tamen nulli adhuc essent homines, præter Adami liberos. Tãta est cõscientiæ uis, ut cùm omnia sint tuta, ipsa sibi ipsam persequatur. Genes. 4.

Menelaus ORESTEM interrogat insanientem, apud Euripidem in Oreste.

τί δρᾶμ' ἀκέρσεις; τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος;
Or. ἡ συνέσεισ' ὀρθὴ συνοικοῦσα δέμνι' ἐξεμαράνθη.
Me. πῶς φῄς; σοφὸν τοι τὸ σωφρὸν, ἡ τὸ μὴ σωφρὸν.
Or. λύσσᾳ μάλιστα δ' ἡ ξυνοῦσ' ὠφθείρασά με.
Me. δεινὴ γὰρ ἡ θεὸς, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος.
Or. μανίαν τιμαρὸς δ' αἵματος ποινὰς λαβών. *Me.* Quã rem pateris? quis te perdit morbus? *Or.* Conscientia: quòd conscius sum dira me patrasse. *Me.* Quid ais? laudatur in loquẽdo perspicuitas, non obscuritas. *Or.* Mœstitia in primis, quę me perdit. *Me.* Acris quidem hæc dea, sed tamen sanabilis. *Or.* Et furores, & matris sanguinis ultiones.

ALEXANDER Magnus Clytum amicum per temulentiã interfecerat. Mox eductum è corpore telum, pœnitentia facinoris ductus, in seipsum conuertere uoluit. Sed ab adstantibus prohibitus, miserabili planctu os laniauit unguibus, circumstantes rogando, ne se tanto dedecori superstitem sinerent: præsertim cùm futurum arbitraretur, ut tam atroci crimine territi amici, parum fidi in posterum uel consultores uel auxiliatores essent. Tandem milites ui in tabernaculum irrupere, & diu reluctantem peruicerunt, ut cibum sumeret, & depositò luctu reipub. consuleret. Sabellicus libro sexto, Enneadis 4.

OVIDIVS de seipso lib. 1. de Ponto, eleg. 2. sic scribit:

Estur ut occulta uitiata teredine nauis,
Acquoreos scopulos ut cauat unda salis:
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum,
Conditus ut tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent:
Nec prius hi mentem stimuli, quàm uita, relinquent:
Quiq. dolet, citius, quàm dolor ipse, cadet.

NERO occisa matre Agrippina per Anicetem; nec sceleris cõscientiam, quanquam & militum & senatus populiq; gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut unquam postea ferre potuit: sæpe confessus, exagitari se materna specie, uerberibus Furiarum, ac telis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorũ imitatione impij & scelerati uocẽ præconis submouerentur, interesse nõ ausus est. Suetonius. Interdiu perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicum canere, cum maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ ossa sepulta erant. Quamobrem aliò migrabat: cumque ibi idipsum ei accideret, perterritus, aliò proficiscebatur, nullibi se ab insidiis aliorum tutum putans. Dion in Nerone.

Ab Arianis SICARIVS quidam conductus fuit ad Gregorium Nazianzenum tollendum. Ad quem ęgrotantem cùm irruisset, conscientia sceleris ductus, flens sese ad pedes eius abiecit, ac facinoris ueniam ab eo consecutus est. Gregorius Nyssenus.

CONSTANS Imp. Græcus germanum suum fratrem Theodosium interfecit: cùm quidem antè offensus ei, opera Pauli patriarchæ Cõstantinopolitani, diaconũ fecisset, ab eoq; ipse sacrosancta mysteria percepisset. Is Cõstanti crebrò per quietem uisus est habitu diaconi, poculum sanguine plenum porrigens, atque dicens: Bibe frater. Cuius uisi acerbitate uictus infelix Imperator, statuit in Siciliam abire, ubi etiam periit. Cedrenus.

Est Procopij auctoritate proditum, paucis diebus post Boetij & Symmachi cædem, cùm cœnanti THEODERICO regi Gothorum in Italia caput piscis esset oblatum, refugisse Theodericum, quasi Symmachi faciem oblatã uidisset, quæ inferiore labro mordicùs apprehenso, toruis sibi oculis minaretur: territumq; eo ostento, in mortiferum incidisse languorem, statimq; deficientibus membris in cubiculum secessisse: Elpidio medico in Symmachum Boetiumq; patratũ scelus fassum, ex mœrore haud longè post mortuus esse. Ioannes Magnus.

[redacted]

CAROLVS iunior Ludouici Germanorum regis filius, à dæmonio grauiter in præsentia patris & optimatum eius uexatus est: & in ipsa uexatione confessus, hoc sibi ideo contigisse, quòd contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Sigebertus in Chron.

SVENO rex Daniæ LXXVI. (teste Saxone lib. 11.) quòd principes aliquot ad regale conuiuium inuitatos, ob leuem detractionis suspicionem, in Ecclesia sanctæ Trinitatis orantes, missis sicariis duplicato sacrilegio interemisset: cùm ab antistite sacra in festo Circumcisionis celebraturo, ne Ecclesiam ingrederetur, repulsus esset, conscientiæ rubore perfusus, abiectis regiis insignibus, nudatis pedib. ad atrium regressus, in eius aditu se prostrauit, terramque suppliciter osculatus, criminis confessione facta, religioni sese satisfacturum promittens, remissa execratione, Antilitis amplexu in communionem Ecclesiæ (cui ob hoc amplissimas possessiones tribuit) est restitutus.

ALPHONSVS II. Neapolitanorum rex in magno & opulento regno à patre hæres relictus, sub Caroli VIII. in Italiam descensum, fortuna regni adhuc integra, incolumi exercitu, ciuitatibus in fide permanentibus, priusquam Gallus fines transcendisset, dubium maiore timiditate an desperatione, regnum reliquit: & qui nuper à tota Italia timebatur, repentè extitit omnium timidissimus. Fama est Ferdinandi patris spectrum ter diuersis noctibus Iacobo regiæ domus chirurgo apparuisse: & primò lenioribus uerbis, pòst admodum minacibus mandasse, diceret hæc suo nomine Alfonso, ne speraret, se Regi Galliæ posse resistere: quòd in fatis esset, eius progeniem infinitis casibus uexatam, ac demum tam præclaro regno spoliatam extinctum iri. Eius rei causam esse, cùm multa ab ipsis patrata scelera, tum uerò illud maximè, quod ipsius suasu Puteolis redeuntis, in D. Leonardi fano in uia Glarea prope Neapolim commissum est. Cuius sceleris nomen cùm ille non expressisset, existimarunt homines, Alfonsum eo loci Ferdinando persuasisse, ut non paucos regulos, quos diu in carcere detinuisset, clàm necari iuberet. Itaque regno in Ferdinandum F. translato in Siciliam cum thesauro profugit. Guicciardinus libro primo, & Sabellicus libro nono. Enneadis decimæ: & Iouius libro 2.

FATERI, DETEGERE SVA.

Confessionis exempla pete ex loco Veritatis: item Iustitiæ religiosæ: Vrbanitatis quinetiam iocosæ.

Apud Euripidem MEDEA feminarū genus esse malū fatetur:
ἀλλ' ἐσμὲν, οἷον ἐσμὲν, οὐκ ἐρῶ κακὸν, γυναῖκες. *id est:*
Sumus quidem quales sumus nos feminæ:
Neque enim malæ ausim dicere.

CREVSA apud Euripidem in Ione, ut flagellantis conscientię stimulos confessione mitiget, detegit occultum suum stuprum, quòd filium habuerit ex compressu Apollinis, & illum exposuerit.
οὐκέτι κρύψω λέχος· ὡς στέρνων
ἀπονιψαμένη, ῥάων ἔσομαι.

Edito Atheniensibus oraculo, unum esse in urbe ciuem, qui omnium sententiis repugnaret: ibi quæstionē decernentibus Atheniēsibus, quis ille esset, frementibusq;: PHOCION esse eum edidit se. Soli namq; sibi, quæ uulgus agat & dicat, non probari. Plut. in Apophth.

CRATES Thebanus philosophus aduersus Sardanapali illud:
ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
τέρπν' ἔπαθον.
Hæc habeo, quæ edi, quæq; exaturata uoluptas
Hausit:
hoc ex opposito scripsit:
ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ μουσῶν
σέμν' ἐδάην.
Hæc habeo, quæ commentus doctusq; magistris
Cognoui Musis pręclara. Plut. de Laude suiipsius.

AGATHOCLES Siculorum tyrannus cùm scyphos aureos & cælatos iuuenib. propinasset, imperauit & fictiles appor- [redacted]mabatur in figlina Agathocles propter natalium obscuritatem & inopiam educatus fuisse. Plut. de Sui laude.

Moris erat equitum Romanorum, si quando legitimum tempus stipendiorum expleuissent, ut equum in forum ad censores adducerent, recensitisque singulis expeditionibus & imperatoribus, sub quibus meruissent, honorem aut notam pro meritis consequerentur. CN. POMPEIVS autem consulatu fungens equum ipse deduxit in forū ad censores Gellium & Lentulum. Quibus de more interrogātibus, ecquid omnia stipendia impleisset? Omnia, inquit, sub meipso imperatore. Plut. in Apoph.

CICERO fatebatur optima se & summa consilia sua, quib. salubriter consul insistens patriam seruauit, cū P. Nigidio philosopho iniisse. Plut. an Seni tractanda resp.

D. BERNARDVS semetipsum accusasse fertur, quòd dum crebris ieiuniis corpus in seruitutem redigere conatur, illius temperiem & uigorem corrumpendo, animæ functionibus suum quodammodo organum subtraxerit. Nam cùm se nō sibi, sed aliis uiuere debere intelligeret, concionando, cohortando, consolando, & ad ea pietatis officia corporis ministerio opus esse uideret: deprehendit tandem, sic corpori esse indulgendum, sic eidem detrahendum, ne animi interim operationes uel deliciis suffocentur, uel austeritate nimia hebetentur. Auctor uitæ.

[redacted]CO Hussitarum dux [redacted] moriēs Thaboritas iussit post mortem suam sibi pellem detrahere, in usum tympani, quo in acie uterentur, ad terrendos strepitu illius hostes, præcipuè Germanos. Sepultus est Cziaslauiæ: ubi adhuc monumentum eius ostenditur. Dubrauius libro 26.

[redacted]ATERI.

[redacted]oco item Tolerantiæ tormentorum, quædam.

AN[redacted] admisisset? Siquid ego concepi tale, scient, inquit, ipsi dii. Plut. in Apophtheg.

COMPROBARE.

[redacted]

AVCTORITATE.

Homericum illud Iliados libro secundo,
οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *id est,*
Multos imperitare malum est: rex unicus esto.
(quibus uerbis Vlysses milites tumultuantes, in quibus erat & Thersites, compescit) usurpauit DION Syracusanus, quum uideret Heraclidem moliri factionem. Probus. Erasmus in Adagiis.

Nihil esse, quod non textu aliquo iuris comprobari queat, obliquè saltem, si non directè, Ioan. Aurpachius lib. 3. Epist. iurid. 9. affirmat. Sic utrum quæ cum reticulo cum sacerdote cubuerat, nuda cum eo cubuisse dicenda fuerit (hoc enim alter, cui peccata confitebatur, exaggerabat) ex cap. j. uers. sacerdos autem. distinct. 21. nodum solui posse, ubi lex inquit, sacerdotes ne nudis omnino capitibus incederent, filo caput religare fuisse solitos. Quod ipsum de Flamine (ni fallor) Diali apud Rom. intelligi debet. Item, utrum acetum ex aqua fieri possit, respondet glossa in l. uenditionis. de contrah. empt. lardum non esse carnem, text. & Bart. in l. j. C. de erogat. mil. an. lib. 12. Sic Baldus interrogatus à duce Mediolanensi, an sciret legem loquētem de Vesponibus & musconibus, qui sunt in segete, eam statim protulisse narraturā Lud. Rom. sing. suo 375. quia studebat. Refert Mat. Mathesilanus, sing. suæ 96. aduocatum quendam, ut probaret, asinū inter bestias non haberi, rub. de asinis & bestiis. C. lib. 12. allegasse, & mendaci hac auctoritate Montano iudici imperito fucum fecisse: dignus uterque bestiarum iudicio.

CONFVTARE, REPROBARE.

Solent STOICI, qui finem boni humani in ipsa uirtute constituunt, ad ingerendū pudorem Epicureis, qui uirtutes quidem probant, sed eas uoluptatis corporalis fine metiuntur, & illam per seipsam putant appetēdam, istas propter ipsam, tabulam quandam uerbis pingere (cuius meminit Cic. lib. 2. de Finibus) ubi Voluptas in sella regali quasi delicata quædam regina considat, eiq; Virtutes famulę subiiciantur, obseruantes eius nutum, ut faciant, quod illa imperauerit. Quę prudentiæ iubeat, ut uigilanter inquirat, quomodo uoluptas regnet, & salua sit. Iustitiæ iubeat, ut præstet beneficia, quæ potest, ad comparandas amicitias corporalibus cōmodis necessarias, nulli faciat iniuriam: ne offensis legib. uoluptas uiuere secura non possit. Fortitudini iubeat, ut si dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam, id est, uoluptatem fortiter in animi cogitatione, ut per pristinarum deliciarum suarum recordationē mitiget præsentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, ut tantum capiat alimentorum, & si qua delectant, ne per immoderationē noxiū aliquid ualetudinē turbet: & uoluptas, quā etiā in corporis sanitate Epicurei maximā ponunt, grauiter offendatur. Ita uirtutes cū tota suę glorię dignitate tanquā imperiosæ cuidam & inhonestæ mulierculæ seruient uoluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum ferre possit aspectus: & uerum dicunt. D. Augustinus libro quinto de Ciuit. Dei, cap. 20.

RECANTARE.

Stesichorus Lyricus poeta (cuius meminit Plato in Phædro) cū Helenā carmine uituperasset, oculis orbatus est. Intelligens autem (Achille, sicut scribit Pausanias in Laconicis, Helenæ iussu nunciante) cæcitatis suæ causam, protinus palinodiam cecinit, Helenamq; prius uituperatam laudauit, itaq; uisum recepit. Eras. in Adagiis.

POENITERE.

Sub loco Iustitiæ religiosæ Habitum consideramus Pœnitentiæ, cuius ueluti informis massa est Affectus præsens, seu potius eiusdem effectus.

SIMPLEX POENITENTIA.

Opinionis falsæ.

Scribit Theophrastus, PLATONEM iam ætate prouectiorem quòd non congruum terræ sedem uniuersitatis assignasset umbilicum, pœnituisse. Plutarchus in quæst. Platonicis.

Cædis.

Olonem tyrannum Danorum STARCHATERVS pugil fortiss. in balnea ingressum ex insidiis obtruncauit. Quo facto,

tantus perpetrati sceleris horror fortissimi uiri animum inuasit, ut penè sibi ipsi manum intulerit: permansitq; ea læsæ conscientiæ pœnitudo in ipso, ad extremū usq; uitæ terminum. Io. Magnus lib. 8. cap. 12.

Engerranus Marinius, aulicorū intimus, apud Philippum Pulcrum Francorum regem nihil non poterat. Mortuo rege, primendi hominis princeps inuentus est ex ipsa regia CAROLVS Valesij Comes, noui regis Ludouici Hutini patruus. Causa atrocis odij, quòd dum apud Pulcrum controuersia esset inter duos summos Normāniæ proceres, Haricuriam, Tancredouillanumq;: alteri Engerranus, alteri Carolus aderat. Exorta contentione, exardescentibus que studiis, mētiri Carolum Engerranus dixit. Peculatus reū agere placuit, accusatore Ioāne Annali. Cùm trahitur ampliaturq; causa, dicitur deprehensa esse Engerrani uxor, quæ Pauioto Mago præceptore simulacrum cereum fingeret, quod leui igni admoueret, ut eo paulatim liquescente, perinde sensim ac lenta tabe rex deperiret. Magi, uerò an falso crimine, gula fracta: & Engerranus furca suspensus. Ad hoc statua, quæ ad summos gradus regiæ posita ei fuerat, amota. Locus uacuus, basisq; inanis hodie uisitur. Carolus subinde Comes graui morbo correptus, cū nec extingueretur, nec ulla ope humana leuaretur, pœnas defuncto dare diuturno supplicio miserrimè animam trahens uidebatur. Nullum igitur erga inopes liberalitatis, nullum in superos tēplaq;, nullum pro Engerrano deprecationis obsecrationisq; genus omisit. Tandem ui morbi, quę in pręsens resederat, rursus grassante, nullum religionis munus, nullas cœlestium pacis impetrandæ partes omittens, exorauit regem Francum, ut Engerrani propinquis redderetur illius corpus furca refixum: eiq; amplè magnificeq; summaq; religione suis ipse impensis funus fecit, iustaq; persoluit, ne morte sua illi parentaret. Sic quoq; continuò obiit. Aemilius libro 8. Fulgosius Enguerram Marignanum uocat.

Defectionis.

Contra Tusculanos, qui defecerant, Tribunum creauerant Romani Furium Camillum. At TVSCVLANI errorem callidè auertentes, cùm esset iam in expeditione aduersus ipsos Camillus, aratoribus pastoribusq; agros ut in alta pace compleuerant, patebant portæ, pueri in ludis operam literis dabant, ex uulgo opifices suo quisq; operi intenti conspiciebantur, spectatiores in foro obuersabātur togati, magistratus sedulò circumibant ad designādum Romanis hospitia; tanquam remoti ab omni suspicione essent mali, nec cuiusquam sibi commissi conscij. Quæ res Camillum ad misericordiam flexit, ita ut ipsis apud senatum deprecantibus adstiterit. Plutarchus in Camillo, & Valerius Maximus libro septimo, capite 3.

Deditionis.

LYSIMACHVS rex, cùm in Thracia à Dromachete esset deuictus, atq; siti subactus se exercitumq; in potestatem eius dedisset: ut bibit iam captiuus: Dij boni, inquit, quàm breuis uoluptatis causa seruum me ipse ex rege feci. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Lenocinij.

Lena MILENIS in Cistellaria Plautina: Inter nouam rem, inquit, uerbum usurpabo uetus: Quod dedi, non datum uellē: quod reliquum est, non dabo. Significat se pœnitere, quòd puellæ fecerit copiam: de cætero non facturam. Erasmus in Adagiis.

Voti.

LACON uoto concepto, ut præcipitaret se ab Leucate promontorio, postquam conscendit, conspecta altitudine, recepit se. Quod cùm ei improperaretur: Non arbitrabar, inquit, uotum illud uoto indiguisse alio maiore. Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis.

Doni.

MALCOLMVS II. Scotorum rex, bello & pace clarissimus, nisi extremam eius senectam immoderata cupiditas contaminasset. Pœnitens enim factæ in nobilitatem liberalitatis (quandoquidem agros omnes iis largitus erat) ut erogata prædia reciperet, quęsitis confictisq; causis, quosdā magnæ dignitatis uiros coegit ultima subire. Boethius.

Imperij acquisiti.

OTHO Cęsar pœnitēs imperij suscepti, postero die à cęde Galbæ, cùm in augurando tempestate orta grauiter prolapsus esset, identidem obmurmurauit: τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Quid me oportebat longis tibijs canere? Suetonius.

MAXIMVS, ut inquit Sidonius, præfectura prætoriana, Patricij dignitate, ac consulatu semel atque iterum functus fuerat, ac moribus, pecunia, literis, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, ut nemo illo in urbe conspectior, nemo in repub. beatior putaretur. Postquam autem interfecto per dolum Valētiniano III. Augustus appellatus, ac per eam causam Palatinis inclusus liminibus fuit, ante lucem uehementer ingemuit, quòd uoti compos factus sui fuisset, usque adeò ut imperij pondus perosus sæpe dixerit: Felicem te, Damocles, qui regni necessitatē non uno lōgiùs prandio pertulisti. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Adoptionis.

HADRIANVS imperator de Commodo adoptato, & imperij successioni destinato, dictitare consueuit, In caducum parietem inclinamus, & perdidimus quater millies sestertium, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Caducum autem parietem uocabat, quòd esset ualetudinarius, & rebus gerendis inhabilis esse uideretur. Suet.

Amicitiæ.

VORTIGERNVS Britannorum rex, Hengisto & Orso Saxonum ducibus contra Pictos atque Scotos euocatis, eorūq; felici opera usus, cùm nouas subinde legiones è Saxonia peteret, Hengisto summam rerum committeret, Roxienam eius filiam repudiata regina duceret, tandem facti pœnitens, cùm Hengistus non obscurè regnum Cantij sibi usurpasset, à proceribus in uincula cōiectus est. Boethius lib. 8.

Sceleris non patrati.

GABRINVS Fundulus Cremonensium tyrannus à Philippo Vicecomite Mediolanēsium astu captus, productusq; in forum Mediolani, capite plectendus, cùm ad pœnitentiam malefactorum admoneretur: Tantum, inquit, abest, ut me iure belli factorum pœniteat, ut maximè etiam doleam, quòd Ioannem XXIII. Pontificem & Sigismundum Imp. hospitio & conuiuio exceptos, ad immortalem clarissimi facinoris famam, è mea turri altissima minimè præcipitarim. Fulgos. lib. 9. cap. 11. & Iouius in Philippo.

Circa an. sal. 1425. gelu fuit; ut equites à Gedano Prussię Lubicā per mare transirent incolumes. Ferūt & è Magnopoli in Daniam glacie tum stratum stetisse mare. Narrant post illud tēpus PRIGNISSÆ milites, latrocinijs nobiles, seriò pœnituisse, quòd non ad æternam nominis memoriā, equis mare transeuntes, pecora inde abegerint. Cranzius libro undecimo, cap. 10. Saxoniæ.

COMPOSITA POENITENTIA cum interno dolore, & externo labore.

Vide Titulum, Religiosæ pœnitentiæ.

DAVID rex concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam cōiugem & concupiuit, & abstulit. Cuius culpam digna uerbera sunt secuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cùm longè pòst contra hostiū cuneos sederet, aquam bibere de Bethlehemitica cisterna ex desiderio uoluit. Cuius electi milites inter cateruas aduersantium medias erumpentes, aquam quam rex desiderauerat illæsi detulerunt. Sed uir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eāq; domino fundens libauit, sicut illic scriptum est: Libauit eam domino. In sacrificium quippe domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, pòst etiam, quia aquam concupisset, expauit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus, etiā à licitis abstinebat. Sic sic agamus pœnitentiam, ut ea quę cōmisimus, perfectè defleamus. Gregorius in Euang. homil. 34.

PAVLA Romana leuia peccata ita plangebat, ut illam grauissimorum criminum crederes ream: Cumq; à D. Hieronymo crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos seruaret Euāgelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam cōtra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis uacauit deliciis. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica preciosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ uiro & seculo placui, nūc Christo placere desidero. Hieron. in epitaphio Paulæ.

FABIOLA Romana post mortem secundi uiri saccum induit, ut errorem secundarum nuptiarum publicè fateretur: & tota urbe spectante Romana, ante diem paschę in basilicā quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pœnitentium, episcopo, presbyteris & omni populo collacrymantibus: sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus, sordida colla submisit: dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa ecclesiam domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit: ut quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Faciem per quam secundo uiro placuerat, uerberabat: oderat gemmas, linteamina uidere non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impēdiis medicaminum unum uulnus sanare cupiebat. Hieronymus in eius epitaphio.

OTHO IV.Imp. anathematis fulmine ab Innocẽtio III.percussus, æmulum nactus est Fridericum II. nunquam postea felix. Sub finem uitæ ineffabili contritione compunctus, in arce Hartesburg mansitabat. A Sifrido Hildesemensi episcopo absolutus, in pace quieuit: quam absolutionem Honorius papa ratam habuit. Tanta autem fuisse fertur morituri pœnitudo, ut coquinariis suis iuberet collum suum calcaneis premere, & uilissimam Dei creaturam conculcare. Crãzius lib.7. Saxoniæ c.37.

CONRADVS I. Imp. Henricũ Saxoniæ ducem ob egregia eius contra Hungaros facinora odisse ceperat, & monili ueneno per Hattonem episcopũ Moguntinũ tollere statuerat. Verùm detectis insidiis, armis Henricũ apertè persequutus, graui morbo correptus, peccata sua fassus, Henricũ uirũ probum & Imperio dignum esse pronunciauit, eiq; insignia Imperij misit, ueniam delictorum petens. Stumpfius.

HERMANNVS pontifex Pragensis decimus, graui cum gemitu moriens questus est, maiorem se uitæ partem in aulis Principum, quàm in templo Domini contriuisse. Potuisse se multis uitiis obuiam ire: uerùm aulico fastu, licentiã peccandi illorum potius aluisse, dum aliorum imitatione principibus iucundus quàm seuerus esse maluerit. Atq; hãc ante alias noxam, ut Deus per misericordiam suam expungeret, supplex deprecabatur, Vladislao apud Boemos regnante. Dubrauius lib.11.

SOBIESLAVS II. Boemiæ principatum auspicatus est à cæde præfecti arcis Pryndæ, quem Pragã ad se uocatũ, sua manu interfecit, doloris magnitudinem facinori prætendens, quòd ab eo in carcere inhumanissimè tractatus fuisset. Sed cùm neque hoc ad abolendam cædis infamiam ualere sentiret, ad publicam usq; pœnitentiã se demisit, Friderico præsuli se prosternens, facinus admissum cum gemitu deplorans, Dei misericordiam cõmunibus cum illo precibus deprecans, cognatis pro homicidio satisfaciẽs. Dubr. lib.12.

Tradunt quidam HENRICVM IV. à Gregorio VII. Pp. Canusij in consortium piorum receptum, per annum integrum Romæ iussum se continere, memorias martyrũ in Vrbe frequentare, equũ non ascendere. Quod quum ille religiosè cepisset implere, uidentes cardinales, quòd præ timore sedis apostolicæ contremiscerent potestates, & sub eo cruuarentur, qui portant orbem, suggessere summo pontifici, ut deiecto degenere, qui publicam peregisset pœnitentiam, sufficeret Rodulphum Sueuum: cui ilico papa misit coronam, cum elogio,

Petra dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

mandauitq; Moguntino & Coloniensi archiepiscopis, ut illum eligerent, cõsecrarent, tuerẽtur, omniũ ignaro Henrico: donec Argentinus episcopus, aduolans Romam, ista regi nũciaret. Ergo clàm furtimq; magnis itineribus per Italiã digressus in Gallias, inde ad suos peruenit, collectisque uiribus se Rodulpho obiecit. Cranzius lib.5. Saxoniæ c.7.

Rodulphus Rodulphi Imp. filius, Alberti II. Imperatoris frater, accepta coniuge filia Venceslai Boemorum regis Agnete, genuit ex ea IOANNEM. Is quum sequeretur Albertum Imp. patruum, nullam sui ab eo in conferendis regni beneficiis haberi rationem doluit, & prope Vindonissam cum coniuratis eũ cõfodit. Facti pœnitens adiit sedem apostolicam, ut gratiam mereretur patrati sceleris. Papa illum remisit ad Henricum VII. Imp. Is ei iniunxit, ut armis dimissis ingrederetur eremitarum diui Augustini ordinem, ibiq; quãdiu uiueret, pœnitentiam impleret: quod ille uolens factitauit. Cranzius lib.7. Vandaliæ, cap.32.

SERA POENITENTIA.

Consule locum Iniustitiæ correctiuæ. Sed & è prædictis exempla quædam huc transferri poterunt.

NVLLA POENITENTIA.

Ex loco Iniustitiæ Correctiuæ tam profanæ quàm sacræ titulus hîc illustretur. Illic Habitus per Actiones suas innotescit: hîc Affectus, qui habitui subiicitur.

GABRINVS Fundulus, Cremonensium tyrannus à Philippo Vicecomite astu captus, in foro Mediolanensi securi percutiendus, sacerdote ad fatenda crimina eum blandis uerbis cohortante: Nullius se eorum, quæ iure belli mala inimicis intulisset, pœnitere respondit. Fulgosus & Iouius.

IVDICIVM DE ALIENIS.

RECTVM.

Nemo de rebus ignotis iudicat. At qualis habitus, tale iudicium. Grammatici igitur de grammaticis, musici de musicis iudicabunt, ne iudicandi uel temeritate uel libidine artium fines confundantur. Nos hoc in loco exempla Iudicij afferamus in genere. In specie autem ad habitus Grammaticos Grammaticum iudicium, ad Physicos, Physicum erit referendum. Tit. Oraculorum rectè intellectorum, iudicij est Metaphysici: sic tit. Notarum rectè intellectarum, iudicij Grammatici.

THEORICVM.

Vide Acumen in Aenigmatis proponendis uel soluendis, sub Tit. Certaminum sapientiæ.

HIEROCLES Alexandrinus philosophus dicebat Socratis disputationes similes esse tesseris: erectas enim stare, utcunque cecidissent. Suidas.

Quamuis GALENVS præceptorum suorum amantissimus fuerit, noluit tamẽ addictior cuiquam esse, quàm ueritatis studiosior: & ob id sæpe hominum rusticorum iudicium in plurimis esse sequendum monuit, quòd incorruptum esset ac liberum, utpote ab hæresi nulla præoccupatum. Seruos appellabat omnes eos, qui uel Hippocraticos, uel Praxagoreos, uel ex alio quocũq; tandẽ uiro se nominarent: eligenda enim esse è singulis quæ optima essent, Nullius addictũ iurare in uerba magistri. Commentario de libris propriis.

D.AVGVSTINVS, Mediolani oratoriam docens, panegyricum coram Imperatore recitaturus, per uicum quendam transiens, & Mendicum in taberna ebrium cantantem audiens, ad comites conuersus, O cæcas mentes hominum, inquit, quam nos tanto cum studio & labore securam lætitiã affectamus, ad hanc miser ille iam peruenit, sordidiorẽ quidem nostra, sed & ipsius humilitatis causa solidiorem. Testis ipsemet lib.6. Confess. c.6.

M.MVSVRVS Cretensis cùm primam uersionem Platonis Latinam à Marsilio Ficino sibi exhibitam, plus æquo præcipitatam, nec hominũ expectationi satisfacturam animaduerteret: ut & amici existimationi & suæ fidei satisfaceret, primæ paginæ spongiã atramẽto plenã induxit, & ad Marsiliũ conuersus, Hic primę paginæ menda sustuli: si uoles & reliquarũ. Marsilius id unũ dicens, Ergo & Plato mea culpa in spongiam inciderit? κῷ τὸν δεύτερον πλῆν, & Platone & seipso magis dignam uersionem multis pòst annis edidit.

In LEONE X. Pp. ad absolutam laudem singulis rebus æstimandis uiguit iudicium excellens, eruditum, illustre, tanta admiratione omnium, uti plerique ex academia Romana fœcunditate ingenij insignes, non temerè aliunde quàm ab ipso Leone rerum suarum censuram expeterent. Iouius libro quarto eius uitæ.

PRACTICVM.

Ex Tit. Prudentiæ in iudicando, & Libertatis in reprehendendo, & Praconiorum, exempla petantur.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus Achæorum prætor, nõ existimabat decere fortem ducem phalangem præcedere: sed nunc apud primos, nunc apud postremos, aliquando etiam per medios obequitare, & omnes inspicere, ut si quod peccatum, aut non ritè administratum esset, corrigeretur. Polyænus lib.6. & Plut. in eius uita.

Apud Herodotum lib.4. quum Aethiopum REX conspexisset à rege Persarum missam uestem purpuream, rogauit tincturæ rationem. Eam quum ab Ichthyophagis didicisset, δολερὺς μὲν ἀνθρώπυς ἔφη εἶναι, δολερὰ δὲ αὐτῶν τὰ εἵματα, id est, Nõ solùm ait homines esse subdolos, sed & uestes illorum esse dolosas.

MECHANICVM.

Consule locum Mechanicarum artium, ubi in specie de Pictorum, de Statuariorum, de Architectorum, & similium iudiciis agitur.

Horatius in Epistolis de ALEXANDRI Magni præclaro iudicio in mechanicis sic scribit:

Edicto uetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra,
Fortis Alexandri uultum simulantia.

INEPTVM.

Titulus hic generalis est: particulares alios, utputa Iudiciũ grammaticum, medicum, metaphysicum, mechanicum ineptum, sui ambitu complectens: quos nos in sequentibus singillatim, loco magis proprio enarrabimus.

Hippomachus pugillandi magister, quum athleta quidam eius discipulis specimẽ exhiberet artis, & circumstãs MVLTITVDO uniuersa acclamaret, percussit eum uirga Hippomachus, inquiens: Sed tu perperàm, neque sicut oportebat fecisti,

fecisti, quod melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent. Videtur & Socrates POPVLI iudicium repudiare in colloquio ad Critonem, cùm Crito ueniens ad eum in carcerem, suaderet ut fugeret, & Atheniẽsium contra se iudiciũ anteuerteret. Aelianus libro secundo, de Varia historia. At lib.14. hoc tribuit Hippomacho auloedo.

Simonides quum cæteros laudando uenaretur, ut aliquid darent, interrogatus, Cur non THESSALOS captaret? Stupidiores sunt, inquit, quàm ut à me falli possint. Qui quærunt quibus imponant, ad stupidos eunt. At qui tam erãt stupidi, ut non sentirent ingeniũ poematum illius, nec tangerentur amore nominis in posteros transmittendi, non poterant ab illo falli. Eras. Rot. lib.6. Apoph. ex Plut. de Aud. poetis.

ALEXANDRO Magno regi, & quidem Aristotelis discipulo, gratus fuit ineptissimus ille

Chœrilus, incultis qui uersibus & malè natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos. Horat.

SATYRVS quidam cùm uehementer algeret, hyberno gelu supra modum sæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus autem cur homo inflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret? is respondit, ut frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde ubi extructo foco, apposita mensa, in pultem feruidam rursum inflaret, magis etiam admiratus, sciscitatus est, quid hoc sibi uellet? Vt pultem, inquit, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa: Quid ego audio? inquit: tún' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis, neq; enim mihi ratio est, cum eiusmodi homine cõmune habere hospitium. Erasmus ex Arriano fabulatore.

DEMOSTHENES, qui Philippi Macedonis reb⁹ semper fuit infestus, itidem Alexandrum Magnum F. in concione nunc puerum nunc adolescentem per contemtum appellare solebat. Sed quàm imperitè iudicarit, euentus ipse docuit stultorum magister. Sabellicus lib.4. En.4.

L.CRASSVS apud Ciceronem omne disciplinarum atque artium genus, cognitione iuris cõtineri asseuerat, & quidem, si diis placet, libello XII. tabularum. Hoc idem nostri quidã iurisconsulti habent persuasissimum. Ludouicus Viues de Causis corrupt. artium lib.1.

ROMANVS populus Augusto imperante, ut libro 2. Epistolarum, epistola 1. testatur Horatius,

——Nisi quæ terris semota suisq;
Temporibus defuncta uidet, fastidit & odit.
Sic fautor ueterum, ut tabulas peccare uetanteis,
Quas bis quinq; uiri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis, uel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa uolumina Vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

C.CALIGVLA illustrium uirorum ingenia contemsit, Homeri carmen abolere cogitauit, sæpius dictitãs licere sibi quod & Platoni, qui poetam ipsum ex sua ciuitate sustulit: parúmque abfuit quin omnia Liuij Maronisque monumenta aboleuerit: hunc nullius fuisse ingenij testatus, illum negligentem & uerbosum. Labieni, Cordi, Cremutij, Cassij Seueri scripta Senatusconsultis abolita, requiri, & esse in manibus, lectitariq; permisit: quando maximè sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur. Lenius comptiusque scribendi genus adeò cõtemsit, ut Senecam, tum maximè placentem, commissiones meras componere, & arenam esse sine calce diceret. Suetonius.

Q.RHEMMIVS Palæmon grammaticus Veicetinus, M. Varronem porcum appellabat: secum natas & morituras literas iactabat: se denique Palæmonem illum esse, cuius Vergilius in Bucolicis mentionem fecisset, diuinando, quòd omnium aliquando poetarum atque poematum iudex esset futurus.

In VACERRAM, Martialis Epigram. lib.8.

Miraris ueteres Vacerra solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

MVLTI ita addicti & mancipati sunt ueteribus, ut quicquid non putent uetus esse, continuò damnent inauditum, incognitum, etiam si maximè sit uetus, modò recens credant: ut recentia, si existiment esse uetera, adorent: neque enim iudicio adducuntur, sed solo nomine. Vidi QVI uersiculos hominis uiuentis, quòd in peruetere bibliotheca reperti essent puluere obsiti, ac iam ferè exesi tineis, aperto capite ueneratus sit, tanquam Vergilianos, aut alicuius æui illius: & ALIVS Ciceronis epistolam, cui consulto nomen erat propositum Gallicum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam conuicio barbariæ transalpinæ. Lud. Viues de Causis corrupt. artium lib.1.

CONSVLTARE.

Ex loco Prudentiæ in Consulendo, præsens titulus illustrandus.

Bellum inter Thessalos & PHOCENSES atrox erat. Phocenses magistratus illorum & tyrannos in ciuitatibus suis uno die uniuersos interfecerãt. Thessali flagris ad necem usque uerberauerant quinquaginta illorum obsides: mox omni nomine excito Thessalorum, in fines eorum per Locros irruperunt, decreto proposito, ut omnes puberes interficerentur, impuberes & feminæ in seruitutem redigerentur. Ibi Daiphantus Bathillij filius, qui tertius in summo magistratu erat, auctor fuit Phocensibus, ut ipsi Thessalis occurrerẽt, ac cum eis dimicarent: uxores ac liberos ex tota gente certum in locum cogerent, rogúmque circa extruerent, adiuncto præsidio, cui præciperent, si cernerent rem inclinatam, ut ilico materiæ subderent flammam, corporáque concremarent. Quibus cùm reliqui assensi essent, unus surrexit. Hic par ait esse, ut & mulieres ea comprobarent: sin minus, non tentandum, neque uim eis adferendam. Re ad FEMINAS delata, ipsæ seorsum concilio habito approbarunt decretũ, ac Daiphantum, quòd optimè consuluisset genti, corona donauerunt. Pueros quoque memorant sua habita per se concione huic decreto scripsisse. His paratis ad Cleonas Hyampolidis Phocenses uictoriam retulerunt. Græci hoc Phocẽsium decretum Desperationem uocarunt. Mense autem Elaphebolione omnium summum festum Hyampoli Dianæ huius uictoriæ causa etiam nunc celebrant. Plutarchus de Virtutib. mulierum.

MILESIORVM tyrannis oppressis Thoante & Damasenore, factiones ciuitatẽ tenuerunt duæ: quarum una Plontis, altera nominabatur Chiromacha. Cùm autem pollerent, qui in auctoritate erant, remque publ. traxissent ad suam factionem: deliberabant de summa, nauigia conscendentes, uectiq; procul terra in altum: deliberatione habita in portum recurrebant. Hinc à nauigandi crebritate Aïnautæ appellati sunt. Plut. in quæst. Græcis.

Populo Romano memorauit Augustus Cæsar successorem imperij se relicturum, qui nunquam eadem de re bis deliberasset: TIBERIVM denotans, in cõsultando lentissimum. Plutarchus in Apophth.

ALBOINVS Longobardorũ rex ad primos Italię fines montem excelsum conscendit, qui deinde ab eo Mons regius dictus est: atque ex eo subiectam Italiam contemplans, Italiæ dexteram ob camporũ planitiem & fertilitatem petendi cõsilium cepit. Sigonius lib.1. regni Ital.

GERMANI de reconciliandis inuicem inimicis & iungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace deniq; ac bello plerunque in conuiuiis consultant: tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris, licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens postera die retractatur, & salua utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt. Tacitus de moribus Germanorum.

DVBITARE.

RHODIENSES Lindiæ Mineruæ sacrificantes, dies aliquot apud aram deæ conuiuia prorogabant, atq; inibi perpetuò manebant. Quumq; illis mos non esset, matulam in sacrificium inferre, ac super hac re deum consuluissent, atq; ut inferrent, respondisset: illi rursus ambigere ceperunt, utrum æream, an testaceam inferre deberẽt. ac denuò super hoc adeuntibus oraculum indignatus deus, neutrã respondit. Refertur à Diogeniano. Inde Rhodiensium dicebatur oraculũ, ubi quis de re minuta nimium crebrò, nimiumq; diligenter sciscitatur. Erasmus in Adagiis.

D.AVGVSTINVS audito Mediolani D. Ambrosio ueritatem catholicæ fidei docente, Academicorum more, dubitans de omnibus, atq; inter omnia fluctuans, Manichæos relinquẽdos esse decreuit, quibus iam nonnullos philosophos præponebat, etsi illis, quòd sine nomine salutari Christi essent, curationẽ languoris animę suæ cõmittere recusaret: adeoq; statuit tamdiu esse catechumenus in catholica ecclesia à parentibus cõmendata, donec aliquid certi eluceret, quò cursum dirigeret. Itaq; cùm matri ad se uenienti indicasset, non se quidem iam esse Manichæum, sed neq; catholicũ Christianum: exiliuit lętitia, cùm audisset filium ueritatem quidem nondum adeptum, sed falsitati tamen iam ereptum. Testis ipsemet libro 6. Confessionum, capite primo.

SVSPICARI.

QVID. SVSPICIO

Regni, Tyrannidis affectatæ.

Pythagoras, cùm plurimos haberet auditores, CROTONIATÆ eum tyrannidem inuadere posse ueriti, scholam eius succenderunt. Pythagoras cum discipulis quadringentis elapsus, ab insequētibus ciuibus in campo fabarum circumuentus est & trucidatus. Ex discipulis pauci euaserunt, ut Archytas Tarentinus, Lysis, aliiq; nonnulli. Laertius libro octauo, in uita Philolai, & Iustinus. Lib. 3. Epig. tale de ea re epigramma extat:

τὴν ὑπόνοιαν πᾶσι μάλιστα λέγω θεραπεύειν,
εἰ γὰρ καὶ μὴ δρᾷς, ἀλλὰ δοκεῖς, ἀτυχεῖς.
οὕτω καὶ Φιλόλαον ἀνεῖλε κρότων ποτὶ πάτρα,
ὥς μιν ἔδοξε θέλειν δῶμα τύραννον ἔχειν.

Nicomedes, cùm patri PRVSIÆ Bithyniæ regi suspectus esset, quòd à populis nimium diligeretur, ab eo Romam missus est: & quia illic quoque eum in honore Romani habebant, patri suspicio atque odium simul creuit. Itaque cũ tentaret, ut Romæ occideretur, re ab eo detecta, qui ut cædem perageret missus erat, Nicomedes in Bithyniam profectus, cùm populi à patre defecissent, fugientem eum interfici iussit. Fulgosus lib. 9. cap. 10.

Dion Syracusanus tyrannum Dionysium urbe exutum in arce obsidebat, SYRACVSANIS libertate restituta. Heraclides exul reuersus Syracusas, à Dione classi præfectus, plebem clàm ad popularem statum adhortari cepit. Itaque XXV. prætores creati sunt, & in iis Heraclides: Dionemq; falsò tyrannidis insimulatum urbe exegere cum suis. Plutarchus in Dione.

Cn. Pompeius cùm ulceris causa crus fascia circumcinxisset, in affectati regni suspicionem incidit. Erant enim QVI affirmarent, nullam aliam ob causam crus ligasse diademate, quàm ut diadema sibi adscriberet, nihilq; referre qua in parte corporis gestaretur. Plutarchus.

Creditus est Titus, quia Hierosolymis euersis, nõ illicò Romã uenisset, de regno meditari. Credidit id pater VESPASIANVS, crediderunt & multi. Cæterùm Titus omniũ opinione celerius, ad eiusmodi falsos de se rumores coarguendos sese patri ex improuiso obtulit, Veni, inquit, pater, ueni. Per quæ suspicio discussa est, principiq; & ciuitati uana opinio meritò exprobrata. Sab. lib. 10. c. 2.

Impudicitiæ. Suspicio zelotypa.

Nymphæa nata traditur, NYMPHA ob zelotypiam erga Herculem mortua. Quare heraclion uocant aliqui, & qui biberint eam, duodecim diebus coitu genituraque priuari aiũt. Plinius lib. 25. cap. 7.

CELTARVM detestanda fuit zelotypia, qui fidei uxorum explorandę ergò nuper natos infantes in Rheno uicino flumine mergunt. Quòd si uim frigoris fœtus perferat, legitimum arbitrantur. Sin minus, tanquam spurium & adulterinũ exponunt. Iulianus in epistola ad Maximum. Theophylactus. Gal. lib. 1. de San. tuenda, & libro 1. Græcorum Epigrammat. ἐς κελτὰς, quo in loco non flumine mergi, sed clypeo imponi asseritur: si fluitarent, legitimos: si mergerentur, adulterinos pueros iudicantes.

M. Crassus, quòd prædium elegans à quadam uirgine Vestali comparare cuperet, eaq; de causa eam sæpe appellaret seorsum coleretq;, eius stupratę causam dixit apud Pop. ROM. Posthumia, quòd solutior in risum esset, & liberius confabularetur cum uiris, in crimen incestus uocata est. Quam tamẽ compertam eo crimine innoxiam cùm liberaret iudicio Põtifex Maximus Sp. Minucius, admonuit, ne sermonibus leuioribus, quàm uiueret, uteretur. Plut. de Vtil. ex inimicis.

C. IVL. Cæsar uxore Pompeia ob P. Clodium famosa abdicata, in Clodium, qui ob id causam dicebat, testis productus, nihil dixit secus sibi de uxore cõpertum. Ibi quærente accusatore: Quid ergo diduxisset cum uxore matrimoniũ? Quòd Cæsaris coniugem, inquit, etiam calumnia uacare oporteat. Plut. in Apophtheg.

Solenni diuinæ Apparitionis die, Imperatori THEODOSIO Iuniori ad magnum templum eunti pauper quidam ex Asia pomum inusitatæ magnitudinis obtulit, quem is C. nummis donauit, ac pomũ Eudociæ Augustæ misit. Ea ægrotãti Paulino patriarchæ transmisit, eoq; illum munere imprudens exitio obstrinxit. Paulinus rei ignarus, biduo pòst pomum illud Imperatori mittit. Qui cùm id agnosceret, eo occultato ingressus ad Augustam, rogare, ubi esset malum ei à se missum? Se id edisse dicenti, iuramentum per salutem Imperatoris deferre, quò id nemini abs se missum ea confirmaret. Cùm eo modo iurata in eo persisteret, id se comedisse: iratus Imperator, malum adferri, Paulino uerò eá ipsa nocte accito caput amputari iussit. Cedrenus.

Sophia Russa cũ VLADISLAO Iagelloni Polonorũ regi decrepito tres liberos mares peperisset, accusata est de stupro. Captæ duæ puellæ, pedissequæ reginæ, quæ omniũ esse cõsciæ existimabantur, terrore tormentorum adhibito cõfessę sunt de libidinibus reginæ: sed uerẽ ne, an falsò, incertũ est. Regina non audita, plena mœroris ex tam insigni infamia, Cracouiã remissa est. Remittebatur in Lituaniam asseruãda in custodia, ni Poloni proceres, & in primis Ioãnes Tarnouius, palatinus Cracouiẽsis, cuius magna tunc erat auctoritas, dissuasisset. Is enim, cùm id à rege clàm agi ex apparatu curruum, & mox ipsius cõfessione cognouisset, percontatus est regẽ, quid pueris ex ea natis facturus esset? Cũq; rex, secũ eos fore, & in spem regni educatum iri, respondisset: Apage, inquit Tarnouius: tú ne reges nobis relinquere uis, quos ipse, dum matrẽ ipsorũ probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm senatus frequens eò rem perduxit, ut regina se suo ipsius, & septem honestarum & nobilium feminarum iureiurando purgaret. Cromerus lib. 19.

Defectionis, Proditionis.

Vide Tit. Suspicionem inter hostes excitare.

ISRAELITÆ cùm à Transiordaninis aram in Iordanis ripa excitatam uidissent, ea ad sacrificandum usuros, & defectionem à tabernaculo Silunte cõstituto moliri suspicati sunt.

Erant ATHENIS duæ factiones: quarũ una populi causam agebat, altera optimatũ. In hac erant Phocion, & Demetrius Phalereus. Harũ utraq; Macedonũ patrociniis nitebatur. Nã populares Polyperchonti fauebãt, optimates cũ Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte Cassander Macedoniæ pulsus est. Quo facto, populus superior factus, statim duces aduersariæ factionis, capitis damnatos, patria propulit: in his Phocionem, & Demetrium Phaleræum: deq; ea re legatos ad Polyperchontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Hic eòdem profectus est Phocion Quò ut uenit, causam apud Philippum regem uerbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem iussus est dicere. namq; is tum regis rebus præerat. Hic cùm ab Agnonide accusatus esset, quòd Piræeum Nicanori prodidisset (nam cùm penes ipsum summũ esset imperiũ populi, & Nicanorẽ Cassandri Macedonum regis præfectum, insidiari Piræeo Atheniensium, à Dercyllo moneretur: eidemq; postularet ut prouideret, ne cõmeatibus ciuitas priuaretur: hîc, audiente populo, Phocion negarat esse periculũ, seq; eius rei obsidem fore pollicitus est. At non ita multo pòst, Nicanor Piræeo est potitus. Ad quem recuperandum, sine quo Athenæ omnino esse nõ possunt, cùm populus armatus concurrisset, ille non modò neminem ad arma uocauit, sed ne armatis quidem præesse uoluit) in custodiam coniectus, Athenas deductus est, ibiq; ne perorandi quidẽ ei data facultate, iudicio, legitimis quibusdam cõfectis, damnatus, traditus est undecim uiris. Probus in Phocione.

Philochorus Atheniensis, uir omnium disciplinarum peritissimus, ut eius scripta satis declarãt, tempore Eratosthenis extinctus est, ANTIGONI insidiis Macedoniæ regis, ob amicitiæ suspicionem cum Ptolemæo rege. Suidas.

Hermeas è Caria dux inclytus ANTIOCHI Magni, qui cũ eo Taurum pertrãsiit, & res magnas gessit, ad extremum ab eo ob suspicionẽ unà cum cõiuge & liberis, qui erant Apameę, interfectus est. Polybius.

Torsit L. SYLLAM, tametsi dictatorẽ, falsus de Cn. Pompeio rumor, torsit & multitudinis opinio, quæ temerè rumori accessit, Pompeium in Africa à Sylla cum exercitu defecisse. Pacatus tamen ducis ad urbem reditus, uanum populi iudicium arguit, & dictatoris animũ metu liberauit. Sabellicus libro 10. cap. 2.

Venerant ex Francis iuuenes duo Rotomagum, ut Gislam Caroli Simplicis Francorum regis sororẽ, Roberti I. Normannorum ducis coniugẽ, de quibusdam interpellarent. Mulier uerita, ne quid maritus suspicaretur de occultis à rege mandatis: in penitiore domus parte lautè curauit tractari. Normanni, qui uiderant ingressos, suspicari ceperunt agi nescio quid noui, & Robertum de hoc ipso seriò monuerunt. Ille negotio ab uxore intellecto, ut suspicionem aduersus se suorum purgaret, productos in forum publicum occidi iussit, quòd non in aperto rem omnem peregissent. Mulier dolore animi corporisque confecta mortem obiit. Cranzius libro 2. Noruegiæ c. 28.

Ioannes Boiemorũ rex, ut Lucemburgo patriæ uicinior esset, Bauariam cum Boiemia commutare instituerat. Quod ipsum BOIEMI in deteriorem partem interpretati sunt, quasi illos Rex uendere Germanis ac prodere cuperet: tantaq; ira exarsere, ut non dubium esset, quin Ioannes regno exueretur, nisi Ludouicus Bauarus Imp. ad preces regis in oppidum Luticium ueniẽs, in maxima Boiemorum frequentia, regem illorum de tam graui suspicione, testimonio suo purgasset, pactionemq; illis, quam cũ Rege inire ceperat, scriptã ostendisset, in qua disertè appositum erat, ita illam ratam & firmam fore, si communi Boiemorum assensu confirmaretur. Itaque in conspectu omnium diploma discerpsit, atque hoc modo Boiemos cũ Rege in pristinam beneuolentiã reduxit. Dubrauius lib. 20.

Insidiarum.

TIBERIVS Imperat. ex Druso naturali filio Tiberium habuit nepotem: utrosque suspectos habuit, cùm iam in odium incidisset hominum omnium. Ob id sæpe Priamum felicissimum dictitabat, quòd superstes omnium liberorum uixisset. Suetonius.

IOANNE Basiliade Moschorũ duce ius dicẽte uel comitia habẽte, nec ridere cuiquam, nec cũ aliquo colloqui, multo minus mussitare licet: quòd hinc, uel cõtemtus uel insidiarum calumniam non nisi morte expiandam tyrannus sumere cõsueuerit. Alex. Guagninus in Moscouia.

Mortis.

Theseus, cùm ad Minotaurum proficisceretur, uirtuti suæ nonnihil fidens, patri affirmauit, candidis uelis usurum se, interemto si Minotauro rediisset. Quod cùm ob raptum Ariadnę esset oblitus, AEGEVS nigris uelis conspectis, cùm filiũ periisse existimasset, in mare se præcipitem dedit. Pausanias in Atticis, & Diod. lib. 4. cap. 5.

Veneni.

Amicus quispiam Tiberij Gracchi subitò Romę decesserat. POPVLVS ueneno sublatũ à Patrib. clamabat. Neq; ab re uisi sunt ueneficij suspicionem habuisse: namq; diruptum cadauer fuit, ex quo prauorum humorum uis erupit: unde extincta flamma est, aliaque allata nihilo magis flagrauit: donec fuit aliò translatum, magnoq; negotio ægrè id attigit ignis. Plut. in Graccho.

Odij, Inimicitiæ.

TIMESIAS Clazomenius de patria optimè meritus transiẽs quodam tempore per scholam, pueros ludentes offendit. Cumq; duobus de linea incidisset contentio, alter iurabat, Sic ego Timesij cerebrum discusserim. Hoc audito, ille putãs se in communi omnium hominum inuidia esse positum, si quidem & pueri eum odissent, nedum senes, sponte patria cessit. Aelian. lib. 12. de Var. hist.

Consilij inepti.

PHOCION Atheniẽsis cũ sententiã aliquando in concione diceret, quæ probabatur, omnesq; ex æquo uideret orationi suæ assentientes: conuersus ad amicos: Nunquid imprudens, inquit, mali dixi? Plut. in Apophth.

Exprobrationis.

TIBERIVS Cæsar cùm Zenonem quendam exquisitius sermocinantem interrogasset, Quenam illa tam molesta dialectos esset? & ille respõdisset, Doridem: relegauit Cynariam: existimans exprobratum sibi ueterẽ secessum, quòd Doricè Rhodij loquantur. Suetonius in Tiberio.

QVA OCCASIONE.

Perfidiæ alienæ.

HADRIANVS VI. pontifex solitus erat arcana rerum Francisco Soderino liberali fiducia communicare, & magna ex parte consiliis eius regi. At posteaquam is per literas arbitrariis notis scriptas moneret Franciscum Galliæ regem ad transferendum in Siciliam bellum, quo Caroli V. Cæsaris copiæ ex Insubria retraherentur, nec pontifici Carolo fauẽti quicquam crederet: pontifex neminem fallere solitus, iniquissimè ferebat, se ab eo fuisse deceptũ, qui lenocinio quodam bonarum artium tam ingratè quàm impiè fidem fefellisset. His de causis aliquãto suspicacior, & senatui nihilo familiarior effectus est, adeò ut cardinalibus tanquam factiosis & parum fidelibus de belli pacisq; negotiis nihil omnino cõmunicandum existimaret. Hinc fiebat, ut pontifex durior & hebetior in administranda rep. diceretur, cùm in ualde prudentibus & maximarum rerum peritis uariis de causis nullam omnino uel exiguam fidem reponendam esse iudicaret. Iouius in eius uita.

Cælibatus.

[redacted]

Munerum.

Tiberium Gracchum Tribunum, qui contra opulentorum tyrannidem legem pertulit agrariam, nobiles & potentes ROMANI falsis calumniis circumuenire studuerunt. Itaque cùm Eudemus Pergamenus eo tempore tabulas Attali Philopatoris, quibus populum Rom. hæredem scripserat, Romam attulisset, Pompeius exurgens, uicinum se ait Tiberij esse, atque ideo sibi constare Eudemum Pergamenum, diadema regium & purpuram ei quasi Romæ regnaturo donasse. Plutarchus in Tiberio.

Familiaritatis.

THEMISTOCLI Atheniensium duci Pausanias Spartanorũ rex nullo contracto crimine, saltem quia illo utebatur amico, scriberetq; & mitteret ad eum assiduè, proditionis suspicionem inussit. Plut. de Vtil. ex inim.

Picturæ.

Occidit DOMITIANVS Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras: librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis. Metium Pompusianum, quòd habere imperatoriam genesim uulgò ferebatur, & quòd depictum orbem terræ in membranis, concionesq; regum ac ducum ex Tito Liuio circumferret, quodq; seruis nomina Magonis & Annibalis indidisset. Suetonius.

Scripturæ.

Carolus Zenus, cùm Franciscum Carrarium in Gallia Cisalpina agentem, pulsum à Viccecomitibus, quadringentis aureis adiuuisset, illeque Carolo postea in patriam reuertenti eos reddidisset: ministri culpa factum est, ut nihil ille in cõmentarios Carrarij retulerit de numis à Carolo mutuatis. Qui liber mox Venetias perlatus, post pulsum Patauio Carrariũ, dedit MALEVOLIS ansam opinandi corruptũ fuisse hac pecunia Carolũ à Carrario. Quum uerò grauiter animaduerti placuisset in eos, qui ab illo pecuniam accepissent, aut causam acceptæ pecuniæ publicæ apud magistratum profiterentur, aut graui pœna afficerentur: Carolus ipse nequaquam sibi conscius alicuius sui erroris, nihil omnino retulit penes magistratũ. Qua ex re non multo pòst accusatus: magnoq; errore deniq; actum, ut & procuratoria illi dignitas abrogaretur, & in carcere biẽnium esset, numerata pecunia, quam apparebat illum ab ipso Carrario accepisse ueluti dono. Egnatius lib. 9. cap. 9.

Excellentiæ.

L. MVMMIVS Achaicus cùm in præda uendenda rex Attalus VI. M. sestertiûm emisset Aristidis pictoris tabulam, Liberum patrem continentem: precium miratus, suspicatúsque aliquid in ea uirtutis, quod ipse nesciret: reuocauit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro Romæ posuit. Atque eam quidem primam picturam externam Romæ publicatam esse, arbitratur Plinius libro trigesimoquinto, capite 4.

Nominum mutatorum.

PAVLVS II. Pontifex Academicos Romanos duce Callimacho in se conspirasse suspicatus, quòd nomina suá ad antiquitatis imitationem mutassent, eos carceri inclusos, & inter eos Platinam, tormentis grauissimè afflixit. Cæterùm cũ falsis criminibus insontes circumuenire frustrà tentasset, dimissos tandem in ædibus suis uiginti diebus ita retinuit, ut efferre pedem domo non liceret. Vagari tandem per Vaticanum permisit. Fatigatus postremò Cardinalium precibus, liberos fecit.
Platina.

EXAMINARE.

Apud GYMNOSOPHISTAS, paratis instructisque mensis, antequam cibus apponitur, adolescentes singuli ad mensam uocantur, à quibus exigitur, quid eo die generi humano lucri fecerint, quid laborauerint, quídue sapienter dictũ factúmue illa luce fuerit. Qui otiosi inueniuntur, ab omni cibo & potu excluduntur, forasque extruduntur. Alexander libro 5. capite 21.

PYTHAGORAS Samius discipulis suis noctu cubitum ituris hunc uersiculum perpendendum proposuit, πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; ut cùm ipse præsens illis semper adesse nõ posset, haberẽt tamẽ præceptoris diligentiæ exactorem ueluti hunc uersiculum. Laertius lib. 8. Quẽ postea Virgilius Viro bono sic expressit: Nec prius in dulcem declinat lumina somnum, Omnia quàm longæ repetiuerit acta diei; Quid prætermissum? quid gestum in tempore? quid non?

Κρατυντήρια, pertractationes librũ inscripsit, à cõfirmando dictum, DEMOCRITVS Abderites: quo cẽsuram agit de omnibus libris à se scriptis. Suidas.

PICTORES opera sua interposito spacio, prius quàm extremam manum imponant, inspiciunt: quòd dum auertunt uisum suum, frequente iudicio nouum faciant: quo actius exiguum exploratur discrimen, quod fallit assiduitas & assuetudo. Plut. de Non irascendo.

D. AVGVSTINVS libros Cōfess. scripsit, quib. totius suę uitæ actiones passionesq; examinat, & normā ueluti præscribit, quā pij oēs in Dei misericordia suaq; miseria inuestiganda ad creatoris laudem suamq; confusionē sequi debeant.

IVDICIVM SVSPENDERE. ΕΠΟΧΗ. DE IN-CERTIS IVDICARE nolle.

[illegible]

Cùm quandam ex suis comœdiis Antiphanes Comicus ALEXANDRO Magno legeret, isque uideretur fabulam planè non percipere: Oportet, inquit, ô rex sæpius ex symbolis cœnasse eum, qui hæc sit percepturus, ac sæpius ab amica plagas & accepisse & dedisse. Athenæus libro decimotertio, capite 1.

SOCRATES fertur, cùm ei Euripides Heracliti opus legendū obtulisset, rogassetq; quid ei uideretur? dixisse, Quæ intellexi, præclara sunt: quæ non intellexi quoque talia esse puto: uerùm Delio natatore egent, ne quis in iis suffocetur. Laertius libro 2.

EVCLIDES à quodam interrogatus, quales essent dij? Cætera quidem ignoro, respondit: at curiosos illis odio esse, certò scio. Maximus serm. 21.

SIMONIDES poeta, uir doctus ac sapiens (ut ait Cicero) ab Hierone Siculo rogatus, Quidnam aut qualis esset Deus? ad deliberandum unius diei spacium poposcit. Id cùm efflu-xisset, reuocatus, & quod pridie quæsitum erat iussus absoluere: biduum postulauit. Eo rursus elapso, petiit quatriduū. Cùm sic sæpe spacium duplicasset, tyrannus quid sibi pertinatio hæc uellet, percunctatus est. Quia quò diutius, inquit, cogito, eo mihi res uidetur obscurior.

XENOPHANES docendo solebat illud semper accinere:

ταῦτα δεδοξάσθω μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισιν.

Hęc uerò uideor sancire, affinia ueris. Plutarchus lib. 9. Con. quæst. 14.

MELANTHIVS de tragœdia Diogenis rogatus, negauit perspicere se eam potuisse dictionū nebulis obuelatam. Plutarchus de Audiend. poetis.

Cùm Cn. Pompeius ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus uice theatri essent, nomenq; eius & honores inscriberentur: quæri cœptum est, utrum consul tertio inscribendum esset, an tertium. Eam rem Pompeius exquisitissimè retulit ad doctissimos ciuitatis. Cumque dissentiretur, & pars Tertio, alij Tertium scribendum contenderent: rogauit CICERONEM Pompeius, ut quod ei rectius uideretur, scribi iuberet. Tum Ciceronem iudicare de uiris doctis ueritū esse, ne quorū opinionem improbasset, ipsos uideretur improbasse. Persuasit igitur Pompeio, ut neq; tertium, neq; tertio scriberetur: sed ad secundum usque fierēt literæ, TERT. ut uerbo non perscripto, res quidem demōstraretur, sed dictio tamen ambigua uerbi lateret. At cùm multis pòst annis scena, quæ prociderat, refecta esset, numerus tertij consulatus non uti initio prioribus literis tert. sed tribus tantùm lineolis III. incisis significatus est. Gellius lib. 10. capite 1. ex Marci Varronis libro disciplinarum quinto, & ex Tyrone Tullio, Ciceronis liberto.

Cùm à Quintiliano Tribuno plebis ad Patres relatum esset, de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimuir recipi inter cæteros eiusdem uatis, & ea de re Senatusconsultū fieri postulauerat; idq; illo referente per discessionem factum esset: TIBERIVS Cæsar literas misit ad Senatum, quib. Tribunum plebis modicè increpabat ob iuuentutem ignarum antiqui moris, atq; instituti: Gallo uerò exprobrabat, quòd in sciētia ceremoniisque uersatus, de carmine, cuius auctor incertus erat, quod, citra quàm fieri consueuit, magistri nec legerant prius nec æstimauerant, item ante sententiam collegij & apud infrequentem Senatum, siue per se siue per alium egisset. Denique & Patres ipsos admonebat, non meminisse se, cùm multa uana sub nomine celebri uulgarētur, sanxisse Augustum, intra quam diem ad Prætorem urbanū deferrentur, neq; habere priuatim liceret: quinimò & à maioribus quoque decretum esse, post exustum Sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiā ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ (una seu plures fuerint) datoq; Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, uera discernerent: ideoq; nunc etiam notioni Quindecimuirūm hunc librum subijci. Quare ut denuò rem ac maturius agerēt, monebat Senatum. Cornelius Tacitus lib. 5.

GALENVS etiamnū iuuenis, si de secta aliqua, cùm nulli addictus esset, percontaretur, nū sana esset: dicebat, se respondere nō posse, nisi reliquarū omniū dogmata perdidicisset, ac methodū sibi eas diiudicandi logicā cōparasset. Gal. lib. 8. Methodi c. 3. & de Cognosc. animi morbis cap. 8. & de Curusq; animi peccatorum medela cap. 6.

EVAGRIVS, quum longa orationis serie audiuisset de Deo atq; Trinitate disputantes, Diuinitatem nequaquā definiendam esse respondit. Omnes enim alias propositiones habere genus quod prædicetur, aut speciē, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his cōpositam orationē: sed nihil in sancta Trinitate, horum quæ dicta sunt, posse cōprehendi. Ideoque quod ineffabile est, silentij tantùm ueneratione esse adorandum. Socrates lib. 6. Tripart. hist. cap. 21.

D. AVGVSTINVS posteaquā Manichęorū errores subodorari cepit, neq; tamen Catholicis doctoribus credere potuit, cùm moles illæ duę contrariæ Boni & Mali, quas à prędicta hæresi penitissimè imbiberat, illius animæ obuersarētur: ad Academicorum sectam de omnib. dubitantium se contulit, quoad certi aliquid eluceret, quod in religione sequeretur. Testis ipsemet lib. 5. Confess. c. 10. & 14.

THEOTIMVS Scytharum episcopus, urgentibus Theophilo Alexādrino & Epiphanio, ut Origenis scripta damnaret, respondit: Ego nec eū qui iam olim bene obdormiuit, contumelia afficere uolo: nec rem blasphemā aggredi ausim, ut reprobē, quæ maiores nostri non reprobarunt. Socrates lib. 6. c. 12. Sozomenus lib. 7. cap. 25.

ANDRONICVS Comnenus Imp. in religione optimè institutus, de diuinis dogmatibus disputandi curiositatem adeò improbabat, atq; de Deo noui aliquid uel dicere uel scribere auersabatur, ut Euthymium episcopum nouæ Patræ eruditissimū, de illo Christi dicto, Pater maior me est, in suo tabernaculo contra quendam alium contentiosius differentē obiurgarit, & in Rhyndacum amnem se abiecturum minatus sit, ni desisteret. Nicetas lib. 2.

Ego, inquit Viues lib. 5. de Trad. discip. ADRIANVM VI. Pontificem, quum adhuc esset Decanus Louaniensis, in publicis sæpe disputationibus, quæcunq; auctorum dicta à disputātibus citarētur, interpretantem pro se audiui, nunquā aspernantem, etiam si ex iis essent, qui tum uiuerent, nempe Iacobi Fabri, aut Erasmi Roterodami.

PRACTICA.

Consule locum Prudentiæ in Iudicio suspendendo.

EPAMINONDAS Thebanorum dux rogatus, utrum se censeat, an Chabriam, an uerò Iphicratem ducem meliorem? Id, inquit, dum uiuimus, æstimatu est intricatum. Plutarchus in Apophtheg.

Cū esset controuersia inter Calydonios & Eleos, utriq; rem ad arbitrium BVNÆ Atheniensis detulerunt. Conuenerat autem, ut à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciasset. Quod ubi sensisset Bunas, de industria audiebat quidem utrāq; partem, cæterùm per fictas occasiones rem in longum distulit, nec unquam de lite uoluit pronunciare. Auctor Mnaseas apud Zenodotum. Hinc adagium, Bunas iudex est, ubi lis in longum profertur, nec unquam explicatur. Erasmus in Adagiis.

Videri fecisse, formula qua VETERES in sententiis utebātur. Cicero lib. Acad. quæst. 2. Quam rationem, inquit, maiorum etiam cōprobat diligentia, qui primū iurare, &c. quæq; iurati iudices cognouissent, ut ea non esse facta, sed ut uideri pronunciarent. Hotoman. de uerbis iuris.

QVIDAM ex præsumtionibus licet uiolentissimis corporalem pœnam irrogari non posse putant, sequuti opinionem Alberti Gandini in tract. de malefic. titul. de præsum. col. & Pauli Castrensis, qui de seipso gloriatur, quòd impedimento fuerit, ne corporali pœna afficeretur prædo, qui deprehensus fuerat stricto gladio è loco exiens, ubi inimicus recens occisus compertus est, & cui etiam occisori pater imperauerat, ne regrederetur domum, quin rem confectam rescituisset: deinde uerò post rem gestam cum pater admonuerat, ut fugā sibi consuleret. Humanus spiritus, ait Paulus, nō poterat dubitare, quin is qui accusabatur cædem perpetrauisset, utcunq; inficiaretur: uerumtamen non fuit affectus corporali pœna. Atq; in hāc sententiā Bononienses Doctores consenserunt, freti quodammodo antiqua Rom. opinione, absoluendum planè aut condemnandum ex lege, aut amplius decernendum, dimisso reo: cū tamen ex insignibus præsumtionibus omnes semper multam pecuniariam committi censeant. Bodinus libro 4. Dæmon. capite 5.

VERITATEM LOQVI, ASSERERE.

Hîc Effectum solum consideramus, inseruientem Habitui φιλαληθείας, de quo peculiari commentario pòst agetur.

PREXASPES à Smerde mago, qui mortuo Cambyse Persarū regnū occupauerat, sollicitatus, ut eū uerū Cyri F. Cambysis fratrē esse assereret (quem tamen ipse Prexaspes Cābysis iussu interfecerat) simulauit se conditioni assentiri. Itaq; conuocatis Persis, de muro arcis seriem familiæ Cyri recēsuit, eiusdem beneficia in Persas comm[illegible]uit tandem, occisum à se uerū Smerdem, magū pro illo regnare, testatus, de muro semetipse præcipitem dedit. Herod. lib. 3.

CREDERE.

TIBERIVS Cæsar, causa præcipui quæstus, tantum delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret, siue quid ueri, siue uani referret. Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium, & quodcunque dictum capite & fortunis luebatur, adeò ut capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, uestem mutasse, effigiemque impressam nummo uel annulo, latrinæ aut lupanari intulisse, dictum factumque eius aliqua æstimatione læsisse: ita ut primores senatus, & magna hominum uis, infimas delationes exercerent. Cumque senatus de præmiis accusatorum abrogandis aliquando agendū putaret, Tiberius dictitans iura subuerti, si custodes legum amouerentur, tantum licentiæ delatoribus dedit, ut plerique criminis postulati, ante iudicium supplicium præuenerint. VITELLIVS quoque delatos mathematicos, inauditos capite puniuit. DOMITIANVS dum rapinis intendit animum, ita aures delatoribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum esset, delatorque delatorem timeret, & causidici causarum actionibus posthabitis, ad delationes se conferrent. Quod de CONSTANTINO item traditur, ut delatores omni tempore admitteret, eosq; ingenti studio foueret. Alexander ab Alexandro libro quarto, capite uigesimosecundo.

D. AVGVSTINVS posteaquam excussa Manichæorum hæresi Academico more assensionem cohibere didicit, D. Ambrosij episcopi concionibus assiduus interfuit, ut audiret quidem, sed omni tamen conatu credere reluctaretur. Quoad tandem ipse secum reputare cepit, quàm multa & ab historicis & à medicis & à quibusuis aliis fide dignis scripta & audita, ipsos quinetiam natales suos, crederet, quorum demonstratio nulla esset: quæ nisi crederentur, uita hominum summa perplexitate repleretur. Hoc argumento usus, etiam sacris literis fidem adhiberi posse arbitratus est: præsertim cùm & auctoritas illarum apud omnes summa esset, & humillimo orationis stylo diuina mysteria continerent, & ad honestatem uitæ Deique gloriam omnia referrent. Itaque sensim ad credulitatem piè traductus fuit. Testis ipsemet libro 6. Confessionum, capite 5.

MENTIRI.

Consule locum Mendacij. Hîc Actionis per se ratio habetur, illic respectu Habitus uitiosi.

SVBIECTI RESPECTV.
Mentiri

IN GENERE.

Persę dicebant, duo esse peccata inter HOMINES turpissima: debere, & mentiri. Coniunxerunt autem hæc duo, quòd unum rarò sit sine altero. Herodotus.

IN SPECIE. Mentiri
Deductionem.

Iul. Agricola Britanniæ legatus sub Domitiano, classem Albionem circumire iusserat. Quid classi præerant, ad Pictorum Bosphorum, qui Orcades & Cornanam regionem rapidissimo cursu contrariis maris æstibus agitatus interfluit, superandū, repertos quosdam in Hebridibus insulis AGRESTES magnis pollicitationibus ductores itineris adhibuere. Illi ut patriæ excidio Romanam quoque classem uictricem inuoluerent, quum maximè à Bosphoro fuisset abstinendum, eò naues dirigi iusserunt. Quarum quædam paulo pòst raptæ in præceps, scopulisq; illisæ, aliæ anchoris iactis, sed per sæuientes undas reuulsis, ui procellarum æstúsque marini actæ subitò sunt depressæ. Nauigantium pauci admodum euasere, tabulis hærentes: & ij quidem in littora eiecti, pro prædonibus habiti, ab incolis aut necati sunt, aut seruati ludibrio. H. Boethius lib. 4.

Testimonium.

Vide Tit. Perfidi in Testimonio.

Cęsoni Quintij Cincinnati ter Coss. F. lingua manúque promtissimo, qui unus tribunitias procellas ob legem agrariam ortas strenuè sustinebat, A. Virginius Trib. pleb. capitis diem dixit. Pater Quintius ipso iudicij die supplex populum propè ad misericordiam flexerat, cū M. VOLSCIVS (fuerat is aliquot ante annos trib. pleb.) testimonium detulit, paulo pòst quàm pestilentia Romæ remisisset, incidisse se in iuuentutem noctu circa suburram grassantem: ibi rixa ex illorum iniuria orta, fratrem suum maiorem natu, qui nondum rectè à morbo conualuisset, pugno ictum à Cæsone, semianimem concidisse, interque manus domum relatum, cui hominis offensæ paucis fuisset ille diebus superstes, nec sibi rem per superiorum annorum consules exequi licuisse. Id facinus adeò atrox multitudini uisum, ut concitatis animis ægrè temperatum sit, quin impetu populi fuerit reus pro concione discerptus. At non multo pòst à quæstoribus accusatus Volscius, & falsi conuictus, à L. Quintio Cincinnato Dictatore dicto, in filij ultionem Lanuuium exulatum missus est. Sabellicus lib. 3. Enn. 3.

Crimen. Accusatio falsa.

Consule locum Iniustitiæ.

Theseus reuera Neptuni filius, cùm haberet ex Amazone Hippolyta Hippolytum, induxit ei nouercā Minois filiā PHÆDRAM. Quæ priuigni deperiens amore, nutricem suam ad eum ablegauit. Ille profugiens Athenis, Trœzenem contulit se, ubi uenando tempus terebat. Destituta lasciua uoto, epistolas aduersus castum adolescentem fallaces scripsit, ac laqueo gulam sibi fregit. Literis Theseus fidem habens, ex tribus uotis, quæ à Neptuno habebat, interitum precatus est Hippolyti. Neptunus in litore curru uehenti taurum immisit, atq; equos exterruit: qui Hippolytum eliserunt. Plutarchus de Græc. & Romanorum comparat.

Comminius Super Laurentinus, qui filium ex nympha Aegeria Comminium generauerat, nouercam ei GIDICAM superduxit: quæ amore priuigni capta, cùm libidinem explere non ualeret, laqueo uitam finiuit, epistolis relictis commentiriis. Comminius perlectis criminibus, amorique uxoris fidens, Neptunum aduocauit: qui puero curru uehenti taurum ostendit: ac raptantes equi adolescentem confecere. Id apud Dositheum est libro tertio rerum Italicarum. Plutarchus de Græc. & Rom. comparat.

Elici Cephisi & Sciadis Eunostus filius fuit, quem fama est à nympha eductum Eunosta hoc nomen accepisse. Qui cùm pulcer & iustus, tum continens fuit & austerus. Huius amore unam ex Coloni filiabus OCHNAM illius consobrinam fuisse captam perhibent. Eam Eunostus, cùm ipsum appellasset de stupro, reiecit, probrisque constrictam abiit criminaturus apud fratres. Cæterùm occupauit uirgo id aduersus illum facere: concitauitque fratres Ochemum, Leontem, & Bucolum: ut Eunostum, quasi ui ipsam compressisset, interficerent. Illi insidiis exceptum trucidauerunt iuuenem. Tum Ochne, quam facti pœnituit, solicitudinis plena, simul quo se mœrore ex amore expediret, simul miserans fratres, Elieo totam rem exposuit, ille Colono. Indice Colono solum fratres Ochnæ uerterunt. Illa se, ut Myrtis Antedonia poetria modorum reliquit scriptum, in præceps dedit. Heroū illud & lucum seruabat Eunostus ita inaccessum ac nulli initum mulieri, ut subinde cùm terra mouisset, uel alia prodigia accidissent, accuratè exquisierint & anxiè excusserint Tanagræi, ecqua femina ad eum locū clā accessisset: ac memorent nonnulli, ex quibus uir clarus fuit Clidamus, oblatum fuisse eis Eunostum, qui lotum ibat ad mare, quòd femina in lucum successisset. Plutarchus in quæst. Græcis.

C. CALIGVLA fratrem Tiberium inopinantem, repentè immisso Tribuno militum, interemit. Silanum item socerum ad necem, secandasque nouacula fauces compulit: caussatus in utroq;, quòd hic ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi urbē, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset: ille antidotum oboleuisset, quasi ad præcauenda uenena sua sumtum: cùm & Silanus impatientiam nauseæ uitasset & molestiam nauigādi, & Tiberius

propter assiduam & ingrauescentem tussim medicamento usus esset. Suetonius in Caligula.

Monetam.

Vide Adulterium monetæ.

Scripturam.

Huc Titulum Falsariorum refer.

RESPECTV FINIS. Causa

Vltionis.

Ex loco Astus in ulciscendo, huc quædam.

Reipublicæ.

Bono uiro Reip. causa mentiri etiam Plato permittit.

Amoris.

Vide locum, Astus amatorij.

NON CREDERE.

Consule locos Impietatis, Deo uel Hominibus sanctis non credere. Item sub loco Stultitiæ, Monita seu iudicia aliorum spernere.

Nunciauit Athenis Asclepiades quidam magni Alexandri interitum, negabatq; DEMADES esse credendum, potuisse dictitans uel uno die totum orbem repleri tanti cadaueris odore. Sabellicus lib. 9. cap. 11.

POPVLVS Romanus pollicente nescio quid cum iureiurando & deuotione Carbone, simul iurauit inuicem non credere se. Plut. in præceptis Polit.

Cede C. Caligulę uulgata, statim creditũ nõ est ROMÆ: fuitq; suspicio, ab ipso Caio famã cędis simulatã & emissã, ut eo pacto erga se hominũ mentes deprehẽderet. Suet. in Calig.

AVGVSTINVS Mediolani D. Ambrosiũ episcopũ audiebat quidẽ, sed illi non credebat, cùm ex Academica hęresi ab omni assensione se cohiberet, pręcipitiũ metuẽs, eorũ quę nõ uideret ita se certũ fieri desiderans, ut septẽ & tria decẽ esse sciret. Vt enim is qui malo medico usus etiã bono se cõmittere ueretur: ita ipse post excussam Manichæorũ hęresin Academicus factus, ne falsa crederet, credẽdo uera curari recusabat. Testis ipsemet lib. 6. Confess. c. 4.

ASSERTIO VERI SIMPLEX, ABSQVE OBTESTAtione & iuramento. NON IVRARE.

Vide Titulum, Auctoritas fidei, quatenus iniurato creditur.

ESSENI iusiurandum quasi periurio deterius uitãt. Iam enim mendacij condemnatum arbitrantur, cui sine deo non creditur: Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici.

PHRYGES iuramentis non utuntur, nec ipsi iurantes, nec alios adigentes: satius esse rati, seruare fine iuramento fidem, quàm datam fallere, magna deorũ ultione. Stobęus Serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

Apud Rom. FLAMINI Diali non est fas iurare: uel quia quęstio quædam est iusiurandum hominum liberorum (debet uerò exolutum quæstione esse corpus & animus sacerdotis) uel quòd fidẽ derogari in exiguis ei, cui diuina & summa commissa sunt, non deceat. Vel quòd iusiurandũ in deuotionem exeat periurij. Vel quia periculum periurij publicum est, si homo impius & periurus uota nuncupet & sacra faciat pro ciuitate. Plutarchus in quæst. Rom. Si quando in magistratu assumtus, per leges iurare tenebatur, alium, qui uicẽ illius ageret, sufficere, & ita in leges iurare cogebatur. Gellius lib. 10. cap. 15.

ASSERTIO VERI COMPOSITA CVM OBTESTAtione seu iuramento. IVRAMENTVM.

Hic solam Veritatis affirmationem consideramus. Quæ si quando Fidei inseruit, ad locum Fidei datæ referenda erit. Sic iurat seruus domino, subditus regi, hostis hosti, socius socio. Vt Iurat, Asserit uerum: ut Fidem iurat, Bonum pollicetur.

PER QVOS CONCIPIATVM Iusiurandum. Per

Deos.

VETERES interdum, metu peierandi, deorum nomina omittebant, & formula tantùm iusiurandi contenti erant, οὐ μὰ τὸν: uel νὴ τόν. Interdum simpliciter per ipsum ὅρκον, uti Pindarus, καὶ μὰ τὸν ὅρκον, eiusq; Scholiastes, Brodeo recitante in 3. Epigram.

Apud THEBAS Aegyptias (quę urbs antiquissima est omniũ) maximum habetur iusiurandum per Osiridem in Philis situm, omnibus Osiridis partibus, præter pudenda, ibi sepultis. Diodorus lib. 1. cap. 2.

ORPHEVS, si quis diuinam iustitiam attestari uellet, per numina octo iurare permisit, ignem, aquam, terram, cœlum, lunam, solem, phanem, & noctem. Alexander libro quinto, capite decimo.

Est apud HALIARTIOS ad montem Tilphusium sub diuo dearum ædes, quas uocant Praxidicas, ac si Vindices dicas: ad earum aram iusiurandum concipiunt, quod irritum neutiquam habent. Pausanias in Bœoticis.

SOPHOCLES per Lapersas, hoc est Castorem & Pollucem.

PERSÆ per Mithram, hoc est solem, LACONES per Spartanos & Argiuos deos, νὴ τὼ σιὼ, per Geminos iurare solebant. Alex. lib. 5. c. 3.

NVMA maximum iusiurandum Romanis statuit Fidem. Plutarchus in Numa.

VESTALES si quando apud Rom. sacramento adigebantur, non nisi per Vestam iurabant.

ROMANIS frequens fuit, iusiurandum per deos & deorũ numina, perq; terram, mare, & sidera, firmare fidem.

Apud EOSDEM neque uiri per Castorem, nec feminæ per Herculem iurant: sed Mecastor mulierum est, Mehercle uirorum. Aedepol ex æquo utrorumque. M. Varro Castorem & Pollucem ad feminarum iusiurandum ex initiis Eleusiniis acceptum autumat: paulatim postea abusu factum, ut etiam uiri Aedepol dicerent. At per Herculem feminæ non iurant, cùm etiam sacris illius interesse prohibeantur. Gell. libro 11. capite 6.

ROMANI per Medium Fidium iurare olim solebant. Cuius hanc rationem affert P. Appianus in suis Antiquitatibus: Sabini domo migrantes in collem Quirinalem, deos suos Sanctum, Fidium & Semipatrem secum tulerunt, idque numen uerbis trinum, re unum dixerunt. Vnde licet tribus ipsis templum esset in Quirinali colle dicatum, unius tamen dei uocabulo appellabatur, cuius inuocatio in contractibus & quouis alio genere iurisiurandi magnam uim habere credebatur. Erat autem simulacrum Fidij tale. Tres simul imagines cernebantur, umbilicotenus uestitæ: dextra uiri, sinistra mulieris, dextras complicatas habentium: medius inter hos iuuenis, siue puer, tanquam filius. Et uiro quidem HONOR, mulieri VERITAS, puero medio AMOR literis adscriptus erat. Quid hoc aliud, nisi quòd politica fides, atque adeò tota Reipublicæ constitutio, quæ fidei uinculo continetur, tribus his constet? Virtuti enim operam dant uel per se, quia honesta est (honestas autem ueritas quędam practica censeri debet) uel per accidens: atque id rursus uel respectu suiipsius, Gloriæ ergò, cuius stimulo omnes accendũtur ad res præclarè gerẽdas: uel respectu aliorum: sic Amore & Beneuolentia ducti ciuibus suis benefaciunt. Et sic Amor medius est inter utrunque.

Cùm omnes è Sicilia raptam Proserpinam putarint, per Proserpinam SICVLI, tanquam per familiare numen iurare consueuerunt. Aristophanes in Vespis, ναὶ τὰν κόραν, Sanè per Proserpinam. Natalis Comes Mythologiæ libro tertio, capite decimosexto.

POENI domi forisue semper per patrios deos iurabant. Alexander lib. 5. cap. 10.

Manes mortuorum.

VETERES primùm per deos, mox etiam per manes defunctorum iurabant, si quando maiore cum affectu iusiurandum proferre uellent. Sic Demosthenes de Corona, οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας. Quintil. libro nono. Eos enim, qui pro patria fortiter pugnando occubuissent, tanquam Heroas colebant. Brodeus in quarto Epigrammatum.

Cùm bellum esset inter Prienenses & Samios, initio mediocribus damnis inuicem sese afficiebant: deinde iusto prælio cõmisso, mille Samij à Prienensibus occisi sunt. Septimo pòst anno congressi cum Milesiis, apud Quercum appellatam, primos quosque ciuium ac nobilissimos simul uno prælio amiserunt. Quo tempore Bias ille sapiens Samum à Prienensibus orator missus, egregiam laudem adeptus est. Post eam itaque calamitatem atrocem ac miserandam, Prienensium FEMINÆ per tenebras quæ circa Quercum erant obtestari ac deierare ceperunt, quòd liberos, parentes, maritos, charissima quæq; pignora eo loco perdidissent. Plutarchus in problem. Græcis.

AETHIOPES per defunctos, quorum corpora uitro seruabant: AEGYPTII per eosdẽ, quos in fictilibus circa templa condebant. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 18.

EPIDAVRII per Semelem iurabant. Alex. lib. 5. c. 3.

PHILOSOPHI per Socratem, tanquam per numen sanctissimum, iurare soliti erant. Alex. lib. 5. c. 10.

C. CALIGVLA maximum iuramentum, nec pro cõcione, nec ad milites, nisi per nomen Drusillæ sororis & uxoris, præstitit, post eius mortem. Suetonius.

CLAVDIVS Cæsar imperio stabilito cõuersus ad officia pietatis, iusiurandum neq; sanctius sibi, neq; crebrius instituit, quàm per Augustum. Idem.

AVGILLI, qui circa Cyrenem sunt, & NASAMONES, per manes defunctorum, quos ueluti deos colebant, iurabant, illorum sepulcra contingentes. Cælius libro 18. cap. 38. Antiquarum Lectionum.

Principis genium, salutem.

Imperatorum tempore, per salutem & genium principis ROMANI deierare, præstantissimum iusiurandum erat. Tiberius tamen Cæsar de se præstari uetuit, & Nero collegam suum Antistium in acta sua iurare inhibuit. Alexander libro quinto, capite 10.

Corporis partes.

Iurare solebat POLYPHEMVS Cyclops per unicum oculũ suũ, qui uideret omnia, semperq; uisurus esset. At Telemus uates illi prædixit fore, ut ab Vlysse exocularetur.

GRÆCI per caput alterius iurare consueuerant. Iuuenalis:

--Græcis nondũ iurare paratis Per caput alterius.

Virgilius: Per caput hoc iuro. Erasmus in Adagiis.

OTHO Magnus Imperator, si quando res tractaret serias, per barbam suam, quam admodum prolixam alebat, iurare cõsueuerat. Cuspinianus.

Animalia.

RHADAMANTHVS Iouis & Europę F. ne deorũ appellatione parũ religiosè homines uterentur, primus per Anserem & Arietem iurare docuit. Eustathius Odyss. τ, & Suidas.

LAMPON aruspex (cui Atheniensiũ coloniã Sybarim missam adscribunt) iurabat per anserem, ut fatidicam auẽ. Hinc prouerb. Lampon cùm aliquem fallit, anserem iurat. Idem.

Tertullianus SOCRATEM quercum, hircum & canem in cõtumeliam deorum deierasse perhibet. At Brodeus ex Aristophanis glossographo probi superstitiosiue hominis iusiurandum, non deos contemnentis, fuisse autumat. Hinc Sosias apud Aristophanem, uir modestus & innocens, nõ philosophos illudens, μὰ τὸν κύνα, deierat. Philostratus uitæ Apollonij lib. 6. de Socrate loquẽs, ὤμνυε γὰρ τὸν κύνα καὶ τὸν χῆνα καὶ τὴν πλάτανον (addunt & gallinaceum.) οὐχ ὡς θεοὺς, ἀλλὰ μὴ θεοὺς ὀμνύῃ.

Plantas, Fructus.

AEGYPTII per allium, porrum & cepas.

ZENO Cittieus, Stoicorũ parens, cùm Socratis iusiurandum per canem imitaretur, & ipse per capparim iurabat, ut inquit Empodus in Memorabilibus. Athen. lib. 9. c. 2.

TELECLIDES in Prytanensibus per brassicas iurat, similiter & EPICHARMVS, & EVPOLIS. Quod iusiurandum Ionicum esse uidetur, ναὶ μὰ τὴν κράμβην: quod multis exemplis è ueterum poematibus repetitis docet Athenæus libro 9. cap. 2. eo quòd huic diuinatoria quædam uis insit, eoq; & sacram habitam tradit.

Montes.

CAPPADOCES per montẽ, quem pro deo colunt. Alex.

Aquas, Flumina.

GRÆCIS per terram, per fontes, amnes fluentes sanctissimũ iusiurandum fuit. Alexander.

MASSAGETÆ per Tanaim & Mæotidem paludem. Idem.

Sceptrum, Solium regis.

Per regium sceptrum, in quo iura dabant, GRÆCOS fidem datã firmasse constat. Homerus libro 2. Iliados AGAMEMNONEM per sceptrum suum iurantem introducit.

Iusiurandum de rebus magnis præstabant SCYTHÆ per solium regis, aut per uentum & acinacem. Herodotus.

Quaternarium.

PYTHAGOREI per quaternionem iurabant, siquidem hunc numerum ad animæ integritatem spectare dicunt: in his fuẽre Mens, Scientia, Opinio & Sensus: siue, Mens, Spiritus, Animus & Anima. Extat uersus inter Pythagorica symbola: Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν. id est, Non per eum à quo animæ est datus ille quaternio nostræ. Existimãt enim hunc numerum usqueadeò ad animæ perfectionem pertinere, ut eum in arcanis uenerentur. Auctor Macrobius primo commentario in Somnium Scipionis. Pythagoras in Carminibus aureis, quaternionem sacrum animæ fontem uocat. Erasmus in Adagiis.

Apostasiam.

Vsque hodie à CHRISTIANIS iurando dicitur, cùm aliquid, quod facere nolunt, rogantur: Iudæus sim ego, si faciam: ut Petrus Alfonsus titulo 2. Dialogi indicat.

Calamitates humanas.

Mos erat VETERVM, primùm Deos iurare, deinde proprias calamitates subiicere. Homerus; Non per Iouem, Agelae, & dolores patris mei. Odyss. υ. Apollonij Comm. lib. 2.

Conuictum.

Apud SCYTHAS potissimùm conuictus religiosissimus habetur, ac per conuictum iurare sacrum & sanctum habetur. Pont. in prologo libri de Conuiuentia.

QVOMODO.

Fidei dandæ modus uel sacer est, quando per Deos, per sacra religiosè concipitur, & sic ad Iustitiam quoque religiosam, ubi de Nominis diuini cultu in confirmandis occultis agitur, pertinebit: uel est profanus. Quòd si ueritatis insuper studium in hisce consideres, sub titulo φιλαληθείας suum quoq; locum inuenient.

Iudæorum iuramenta.

ABRAHAMVS seruum suum manum femori suo supponere iussit, ut eum per Deum cœli terræque obtestaretur, ne filio suo Isaaco aliam, quàm ex paterna domo, uxorem adsisceret. Ergo seruus manu femori Abraham domini sui subiecta in rem illam iurauit. Genes. uigesimoquarto. Insolitum profectò fidei sanciendæ genus, sed soli Abrahamo conueniens, in cuius lumbis Messias, cœli terræque dominus, adhuc latebat. D. Bernardus sermone sexto, in uigilia Natalis.

Christianorum.

Solebant olim CHRISTIANI iurare in templis: atque tacto sepulcro sancti alicuius, certa uerba pronunciare: & forma quidem recitatur in Gregorij libro quinto, epistola trigesimatertia, Iuro, inquit, per patrem, & filium, & spiritum sanctum, inseparabilem diuinæ potentiæ Trinitatẽ, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius fauore personæ, neq; commodo aliquo interueniente, testari: sed hoc scio, & per meipsum cognoui, quia ante tempora Ioannis quondam episcopi, Rauennas episcopus, præsente apocrysario sedis Apostolicæ illo atq; illo, illis & illis diebus, consuetudinem utendi pallio habuit: & non cognoui, quia hoc latenter, uel absente apocrysario usurpasset.

ANDRONICVS Imp. sacro accepto pane, cùm iam ad calicem bibendum accederet, manibus extentis, & uultu ad tristitiam composito, per ueneranda mysteria in frequentissimo astantium cœtu iurauit, se non alia de causa imperium accepisse, nisi ut Alexium Imperatorem & consobrinum iuuaret, eiusq; stabiliret potentiam. Nicetas Choniates.

Solitos esse FRANCOS, iureiurando aliquid cõfirmantes, stipulas dextris manibus tenere, easq; eiicere corã Deo & angelis eius, patet ex supplicatione populi ad Carolum.

[redacted]

Ethnicorum.

GRÆCOS nonnunquam uerre apprehenso, & stricto in iugulum gladio, cœlum & terras, solem & ultrices furias aduocare, & testes facere, moxque uerre immolato, & in mare deiecto, iusiurandum præbere solitos scribunt. Alexander libro 4. capite 10.

SYRACVSANI magnum iuramentum peragunt tale. Qui fidem daturus est, templum Cereris & Proserpinæ ingressus, sacris quibusdam peractis, uestem deæ purpuream induit, sumtaque ardenti tæda adiurat. Hoc Calippus Atheniensis cùm peregisset, & iuramento coniurationem contra Dionẽ initam negasset, usqueadeò contemsit deas, ut expectato deæ, per quam iuratus fuerat, die festo, cædem patrarit Proserpinalibus. Plut. in Dione.

Apud SAMNITES ara in medio constituta, ac cęsis uictimis, omni aditu septo, iurans introducebatur, & furiali carmine, inter stragem uictimarum, dira execratione adstringebatur. Alex. lib. 5. cap. 3.

Apud ROM. præ cæteris ex omni memoria sanctissimum iusiurandum erat, ut iurans terram tenens, cœlum deosq; contestans,

ceſtans, conceptis uerbis ſe & caput ſuum, ac ſtirpē & familiam, b[redacted]a & fortunas, quib[redacted] additis precationibus, deuoueret. Alex.lib.5.cap.3.

IIDEM agnum læua manu, dextra ſilicem tenebant: & ſi fallerent, Iouem [redacted] precabantur, ut ità eos ma[redacted] quemadmodum ipſi agnum mactaſſent: & ſic ſecūdum precationem [redacted] pecudis ſaxo elidebant. Liuius lib. 1. & 20. & Polybius. Sextus Pompeius ſcribit, iuraturos per Iouem lapidem, tenere ſilicem ſolitos, eiuſmodi ferè uerba enunciantes: Si ſciens fallo, qui me deſpicit, ſalua Vrbe arceque, bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem. Ad quam uerborum conceptionem alluſit M. Tullius Epiſtolarum familiarium libro ſeptimo. Cælius libro 21. capite 15. Antiquarum Lectionum.

SCLAVIS olim fœdus icturis religioni erat calculum in undas coniicere, ſeq;, ſi pacto non ſtetiſſent, merſi lapidis exēplo perituros orare. Saxo lib.14.

VBI.

Loca Iureiurandi cauſa adiri ſolita pete ex Tit. Impietatis erga Deos euentus, Periurij pœna.

ARMENII iuſiurandum de rebus magnis in templo Anaitidis deæ, quam maximi numinis inſtar habebant, præſtare conſueuerant. Alex.lib.5.cap.10.

GRÆCI in Iouis Olympij templo, & in arce Athenis teſtata, tanquam in adyto quodam, plerunq; tabulis ex antiquo ære confectis ſancta & ſacra habuêre. Iidem libantes diis, in ædibus ſacris iurare, magnum uinculum iuramēti exiſtimabant. Alex. libro 5. capite 10.

ATHENIENSES nonnunquam in Iſthmo, aut ludis Pythiis, fœdera icta, & leges dictas, pactionesque erectis titulis perpetuo tempore duraturis publicabant. Alex.lib.5.c.3.

ROM. liberis, cùm iurant Herculem, hoc facere prohibent ſub tecto, ac ſub dio progredi iubent. Vtrum, ut nonnulli ferūt, quòd domi reſidum ignauiam Herculi non gratam, uerùm uitam ſubdialem & ruſticanam arbitrantur? An potius, qđ deus hic non ſit indigena, ſed è longinquo peregrinus? Neque enim Liberum patrem iurant ſub tecto, qui item eſt hoſpes: ſi modò ille eſt, quem Græci uocant Dionyſium. An potius per iocum, facilitatem ac promtitudinem ad iurandum corripere uolebāt, ut auctor eſt Fauorinus? Nam cū apparatu quod fit, id cunctationem adfert, & permittit deliberare. Plut. in Cent. Rom.

QVI.

Heroes.

Scriptis mandatum eſt, adeò HERCVLEM ad iuſiurādum acceſſiſſe religioſè, ut ſemel modò adiurauerit, atque uni Phili Augei filio. Hinc Pythiam Lacedæmoniis hoc ſacramēti genus propoſuiſſe: quod confirmare abſq; [redacted]do ſatius & melius ſit. Plut. in quæſt. Rom.

Magiſtratus, Reges.

Conſule Titulum, Electionis magiſtratuum.

Apud LACEDÆMONIOS rex ante ſuſceptum imperium iurat, imperaturum ſe iuxta ciuitatis leges. Nicolaus de moribus Gentium, & Stobæus Sermone 42.

Nouem Athenienſium Archontes, uidelicet e ponymus, rex, po[redacted] tiam Plato in Phædro, [redacted] dedicaturos eſſe in urbe, Delphis, & Olympiæ.

Iudices.

HELIASTÆ Athenienſium iudices, antequam ad iudicandū conſiderent, ſolemni tali iureiurando adigebantur: Sententiam feram, ut iubent leges, & decreta populi Athenienſis, & ſenatus quingentumuirum: neque tyrannorum, neq; paucorum dominatum conſtituam: nec, ſi quis euertat popularem ſtatum Athenienſium, aut dicat, aut ſuffragetur aduerſus hæc, patiar: neque nouas tabulas, neque capite damnatos reducam: neq; eos, qui incolumes ſunt, expellam contra leges, quæ extant, & decreta populi Athenienſis, & ſenatus: neq; ipſe, neque alium quenquam cōcedam, neq; magiſtratum creabo, ut imperet, rationibus alterius magiſtratus non relatis, ſiue ſit ex nouem archontibus, ſiue hieromnemon, ſiue quicunque cum nouem archontibus eodem die ſorte leguntur, & præco, & legatus, & ſynedri: neq; bis eundem magiſtratum eundem uirum, neque duos magiſtratus eundem gerere ſinam eodem anno: nec accipiam munera propter Heliææ iudicatum, aut ego aut alius quiſquam mihi, aut alij me conſcio, neque fraude, neque machinatione ulla: & natus ſum annos non minus triginta, & audiam accuſatorem & defenſorem æquo animo ambos, & ſententiā feram de quo eſt actio. Adiuro Iouem, Neptunū, Cererem, & ipſe mihi exitium imprecor, & familiæ meæ, ſi quid horū tranſgrediar. Sin bona fide præſtitero, præclara mihi multa, eaq; bona eueniant. Sigonius de rep. Athen. lib.3.

ROMÆ Iudices capitalium rerum conceptis uerbis ſe nihil odio uel gratiæ uel precibus dare, ſolenniſſimum iuſiurandū præſtare cogebātur: quod mox, deprauatis iudiciis, fieri deſitum eſt. Hoc quidem iuſiurandum apud AEGYPTIOS ſanctius præſtabatur, in hæc uerba: Vt ne regis quidem minæ, aut iuſſa, à recto bonoq; illos deducerent, aut tranſuerſos agerent. Alex.lib.3.cap.5.

Ciues.

Lycurgus in oratione aduerſus Leocratem, inquit: Vobis eſt iuſiurandum, quod iurant omnes ciues ATHENIENSES, poſteaquam in Lexiarchicas tabulas relati, & ephebi facti ſunt, ſe neq; arma dedecoraturos, neq; ordinē deſerturos, ſed patriā defenſuros, melioreq; tradituros. Vlpian⁹ in orat. de Emētita legatione ſcripſit, eos qui ex pueris in ephebos excedebāt, in fano Agrauli armatos iuraſſe, ſe pro patria pugnaturos. Integra uerò huius ſacramēti uerba, prout ſcribit Pollux, ex Ariſtoxeno Pythagorico lib. Apopht. hæc fuerūt: Non dedecorabo arma, nec deſeram patronum (adſtitem in acie) quo cū uictus fuero, ſi in eum incidero: pugnabo pro ſacris, & publicis, & ſolus & cum multis, & patriā haud deteriorem tradam: & nauigabo aduerſus terram, quamcunq; accepero: & legib. quæ extant, & quas populus iuſſerit, prudenter obediam: ſi quis leges tollere uoluerit, non permittam: ſacra patria colam. Teſtes ſint dij Agraulus, Enyalius, Mars, Iupiter. Sigon. lib. 4. de rep. Athen.

Triplex fuit iuſiurandum, quo ſe ATHENIENSES compoſitis rebus obſtrinxerunt. Vnum cōmune, quod in hæc uerba conceptū eſt: οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων, ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. Alterum Senatus: οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. Tertiū eorū qui res iudicabant: οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι· ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. M. Ant. Muretus lib.2. Var. Lect.

Milites.

Apud SCYTHAS, ſi quis fortè læſus eſſet, neque ſuppeteret ulciſcendi facultas, immolato boue carnes minutim ſectas coquebat, ipſe in tergore humi ſtrato ſedebat, manibus in tergum reductis. Accedebat quicunque uellet opitulari, & carnium portione guſtata, dextroq; pede impoſito, pollicebatur pro uiribus auxilio futurū. Atq; hoc fœdus apud Scythas ſanctiſſimum habebatur. Lucianus in Toxaride.

Apud MACEDONES niſi militari ſacramento miles adſtrictus foret, hoſtē gladio percutere, aut militare, minimè fas erat: perindeq; in eum militaris animaduerſio fuit, qui hoſtem militiæ ſacramento non adſcriptus occideret, aut qui claſſico reuocatus tardius parēret, ut qui ciuem aut ſocium iniuria occidiſſet. Alexander ab Alexādro lib.1. capite 20. Genial. dierum. Idipſum quoque ROMANIS in more fuiſſe, ex Catonis ad filium epiſtola uidere eſt, monentis, ne prius quàm ſacramento adſcriptus eſſet aduerſus hoſtem pugnaret. Cauſa erat, ut non niſi coactus ad alios perdendos ire uideretur: & ut ducibus, quibus addicti erant, ſi ex acie fugiſſent, morte eos, quia contra iuſiurandum egerant, multādi ius eſſet. Fulgoſus lib.2.c.1.

Apud LACEDÆMONIOS milites hoc iuramentum præſtare ſoliti ſunt, Eoſdem cum imperatore amicos inimicoſque habituros, utq; bonorum malorumque firma conſenſio inter eos & fœderatio eſſet. Alex.lib.1.c.20.

De ATHENIENSIBVS memoriæ proditum eſt, cùm propter quotidianas contentiones, & uiolatum ius gētium, infenſi Megarenſibus & animo hoſtili eſſent: quoties milites ſolito militari ſacramento adigebant, hoc etiam iuſiurandū illos ſubire cogebant, ſe intra militiæ tempus quotannis, quoquo modo poſſent, Megarenſiū agros fineſq; infeſto exercitu inuaſuros & peruaſtatis agris, nihil intactū relicturos, atq; in eos omni clade belli graſſaturos. Idem.

Bello hoſtibus per fœcialē indicto, militibus ſcriptis dies præfiniebatur à ROMANIS, quo die adeſſent, & ut citati Coſs. reſponderent. Deinde ita concipiebatur iuſiurādum, ut adeſſent: his additis exceptionibus, niſi harunce aliqua cauſa erit: Funus familiare, feriæ uindemiales, Calendæque, quæ non eius rei cauſa in eū diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet: morbus ſonticus: auſpiciúmue, quod ſine piaculo præterire liceat: ſacrificiúmue anniuerſarium, quod nō rectè fieri non poſſet, niſi ipſus eo die ibi ſit: ius, hoſtiſue, ſtatus condictúsue dies cum hoſte. Si cui eorum haruncce quæ cauſa erit, cum ſe poſtridiè quàm per eas cauſas licebit, eo die uenturum, aditurumq; eum, qui eum pagum, uicum, oppidúmue delegerit. Gellius lib. decimoſexto, cap.4. ex Cincij libro tertio de re Militari. Libro eiuſdem quinto, ita ſcriptum eſt: Cū delectus antiquitùs fieret, & milites ſcriberentur, in iuſiurandum eos tribunus militaris adigebat, in uerba hæc: In magiſtratu C. Lælij, C. filij coſ. L. Cornelij P. filij coſ. in exercitu; decemq; millia paſſuum propè, furtū non facies dolo malo, ſolus, neque cum pluribus, pluris numi argentei, in dies ſingulos. Extraq; haſtam, haſtile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, ſi quid ibi inueneris, ſuſtuleriſue, quod tuum non erit, quod pluris numi argentei erit; uti tu ad C. Lælium, C. filium coſ. Læliúmue Cornelium P. filium coſ. ſiue ad quem eorum iuſſerit, proferas: aut profitebere, in triduo proximo: quicquid inueneris ſuſtuleriſue dolo malo, aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe, reddes, uti quod rectè factum eſſe uoles.

Prius ſua ſponte decuriati equites, centuriati pedites, ſacramēta mutuò præſtabant, apud ROM. Bello ſecundo Punico, Paulo Æmilio & Terentio Varrone coſs. tunc primùm; quod nunquā antea factum, per tribunos militum à uoluntario ſacramento, ad legitimum iuſiurandum milites adacti fuêre (Frontinus lib.4. cap.1. L. Flaccum & C. Varronē Coſſ. habet.) Quod quidē Imperator præſtare tenebatur primus: ſuo mox ordine ſubſequebantur legati, inde tribuni, deinde centuriones, poſtea decuriones, mox præfecti caſtrorū, demùm milites: quod ſingulis annis, Calēdis Ianuariis denuò præſtabatur. Iurabant enim per deos ſolenne iuſiurandum, poſtea in acta principum, ſe iuſſu conſulum conuenturos, neq; è caſtris, eorū iniuſſu, quæſitis occaſionibus abituros, non fugæ formidiniſue cauſa extra ordinem receſſuros, niſi teli ſumendi, uel hoſtis feriēdi, aut ciuis ſeruandi cauſa. Neque in exercitu propéue decem paſſuum millia, pluris argētei numi furtum facturos: extraq; haſtam, ligna, pabulum, utrem, follē, ſi quid, quod pluris eſſet, nacti fuiſſent, id omne ad conſules delaturos, aut dominis reddituros. Nōnunquā alio ſacramēto milites adactos cōperimus, tunc cùm ingēs ſubeunda dimicatio foret, & in extremum diſcrimen res ueniſſet: Vt niſi uictis, debellatis, fuſiſq; hoſtib. uictores forēt, ſe ad caſtra nunquam redituros iurarent. Si ab uniuerſo exercitu iuſirandum conſuli præſtandum eſſet, ſatis erat, ſi centurio uel tribunus exercitus nomine, conceptis uerbis, ſublimi uoce iuraret, omniſq; multitudo & ſinguli milites, cōmuni conſpiratione & conſenſu, in eadem uerba ſilentio in ſe quiſq; iuraret. Hocq; iuſiurandū, ac ſi concepta uerba ſinguli expreſſiſſent, ſanctum & illibatum habebatur. Alexander ab Alexandro lib.1. cap.20.

LONGOBARDI olim, ut bellatorum numerum augerent, plures ſeruili iugo ereptos libertate donarunt, utq; rata haberetur eorum ingenuitas, ſanciuerunt more ſolito per ſagittam, immurmurantes quædam patria uerba, Dij te hac ſagitta nobilitent, conficiantq;, ubi patriæ ac principi fueris infidelis. Olaus lib.8. c.10. ex Pauli Diaconi lib.1.

In Hieroſolymitana expeditione Petri Eremitæ ductu cœpta, cùm iam LATINI rem præclarè geſſiſſent, & Balduinus Belga Edeſſam, Tancredus Apulus Ciliciam uirtute ſua adeptus eſſet, ad exercitum nihilominus redire ſunt iuſſi. Simul decretū, ne quis iniuſſus diſcederet: omneſque iureiurando adacti, ſe non niſi ſacro bello cōfecto domum reſpecturos: opem cōmilitonibus in acie, in periculis, in laboribus laturos, ſingulos & inter ſe & uniuerſis, & ſingulis uniuerſos affuturos, ducum imperio obtemperaturos. Æmilius lib.4.

Sontes, Noxij.

Narrat Aeſchines in oratione de Ementita legatione, à patribus traditum ſua etiam ætate obſeruatum eſſe, ut qui rei capitalis REI ſuffragiis in Palladio præſtitiſſent, cæſis uictimis iurarent, iudices, qui ſententiam ſecundùm ſe tuliſſent, uerè & iuſtè ſtatuiſſe, & nihil falſi dixiſſe: ſin minus, ipſum ſibi, & familiæ ſuæ peſtem precari: iudicibus autem, ut multa, eaque bona euenirent, optare. Sigonius libro tertio de Repub. Athenienſ.

Medici.

MEDICORVM Aſclepiadarum iuſiurandum, quod Hippo[redacted]lapium, Hygea[redacted] ac [redacted] omnes [redacted] me hoc iuſiurandum, & hanc conteſtationem con[redacted] integrè ſeruaturum eſſe. Præceptorem ſanè, qui me [redacted] parentum loco [redacted] communicaturum, eaque quibus opus habuerit impertiturum: eos item qui ex eo nati ſunt pro fratribus maſculis iudicaturum, artemque hanc ſi diſcere uoluerint, abſque mercede & pacto edocturum: præceptionum ac auditionum, reliquæq; totius diſciplinæ participes facturum, tum meos, tum præceptoris mei filios, imò & diſcipulos qui mihi ſcripto cauerint, & medico iureiurando addicti fuerint: alij uerò præter hos nulli. Cæterùm quod ad ægros attinet ſanandos, diætā ipſis conſtituam pro facultate & iudicio meo commodam, omneque detrimentum & iniuriam ab eis prohibebo. Neq; uerò ullius preces apud me adeò ualidæ fuerint, ut cuipiam uenenum ſim propinaturus, neque etiam ad hanc rem conſilium dabo. Similiter autem neque mulieri talum uuluæ ſubditiuum, ad corrumpendum conceptum uel fœtum, dabo. Porrò præterea & ſanctè uitam & artem meam conſeruabo. Nec uerò calculo laborantes ſecabo, ſed uiris chirurgiæ operariis eius rei faciendæ locum dabo. In quaſcunque autem domos ingrediar, ob utilitatem ægrotantium intrabo: ab omnique iniuria uoluntaria inferenda, & corruptione, quum alia, tum præſertim operum uenereorum, abſtinebo: ſiue muliebria, ſiue uirilia, liberorúmue hominū aut ſeruorum corpora mihi contigerint curanda. Quæcunque uerò inter curandum uidero aut audiero, imò etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum uita cognouero, ea, ſi quidem efferre non contulerit, tacebo, & tanquam arcana apud me continebo. Hoc igitur iuſiurandum mihi integrè ſeruanti, & non confundenti, contingat & uita & arte feliciter frui, & apud omnes homines in perpetuū gloriam meam celebrari. Tranſgredienti autem & peieranti, his contraria eueniant.

CVR. CAVSA aſſerendæ *Religionis.*

[redacted]

Iuramenta ad reliquias ſanctorum fieri ſolebant olim. Sic IRENE imperatrix Nicephoro iurauit ad precioſa & uiuifica ligna. Paulus Diaconus lib.23. rerum Rom. Rabanus in epiſtola ad Reginbaldum, [redacted]

ENGILTRVDA Nicolao pontifici iurauit per Patrē, Filium, & Spiritum ſanctum, & per quatuor Euangelia Chriſti Dei, quæ ore oſculabatur, & manibus ſuis tenebat, quòd uellet Romam uenire. Regino lib.2.

Innocentiæ.

Vide locum Metaphyſices, de Diuinationis ſpeciebus.

Fidei ſeruandæ.

Vide locum Fidei datæ.

ASSERTIO VERI COMPOSITA CVM Facto aliquo.

Ex loco Diuinationis huc omnes illi ueritatis atteſtandæ modi referātur, qui facto aliquo inſigni nituntur. Cuiuſmodi eſt Sacrorum perceptio, Verborum ſacrorum prolatio, Monomachia, Ignis, Ferrum candens, Miraculorum deſignatio, & ſimilia.

SIMVLARE.

RELIGIONEM.

Sciens Baruc propheta IVDÆOS in Babylonia captiuos eò impelli, ut corā imaginibus è metallo, ligno, lapide procide rent: inſtruit illos in hanc formam, Cùm imagines humeris portari uidebitis, ut reuerentia ipſis habeatur, dicite cū animis ueſtris, Ad te, ô æterne Deus, hic honos pertinet.

IVLIANVS Imp. contra Conſtantium mouens, quū ſomnio obiecto comperiſſet, cū breui è uita deceſſurum (quod uulgo magicis artibus, quibus ab ineunte ætate ſtuduerat, eſt tributum) nihil tamen interim de præſenti ſtatu rerum mutauit, ſed quietè omnia cōſtituit. & ut omnes, nemine impediente, ad ſuas partes attraheret, ſtudere ſe Chriſtianæ fidei finxit, à qua iampridem occultè deſciuerat, atque aruſpicibus, auguribuſq;, & Deorum cultibus ſe tradiderat. &, ut hoc celaret, die Epiphaniæ progreſſus in eccleſiam, ſolenni ritu Deum orauit. Conſtantius contra illum ducens, Mopſ-

n ueſtiæ

uestiæ in Thracia obiit,successorem appellans Iulianum. Sigonius lib.6.Imp.occid.

In [redacted]

SAPIENTIAM.

M.Tullius Tusculanarum quæstionum quinto, scribit EPICVRVM tantummodo personam induisse philosophi. Erasmus in Adagiis.

STVLTITIAM.

VLYSSES ne ad Troianum bellum iret, boue & asina iunctis terram proscindere,& sal serere cepit. Sed astum eis Palamedes detexit. Cicero 3.Officiorum.

METON Atheniensis astronomus, cùm infelicem euentum Siculæ expeditionis præuideret, mente se captum finxit, & domum incendit. Itaque insanus iudicatus, liberè dimissus est. Aelianus lib.13.

NICIAS oppiduli Siciliæ Enguij præfectus ciuibus suis auctor erat,ut à Pœnis ad Romanos deficerent. Illi Pœnis eum ob hanc rem uinctum tradere cùm constituissent, id odoratus, irreligiosè multa de Matribus deabus locutus est,quasi negaret & contemneret earum præsentiam. Tandem cùm uerba in concione ad populum de re quapiam facturus esset,in media oratione abiecit se in terram : pauloq; pòst caput attollens & circumferēs, subtremulam uocem grauémque intendit,concitauitq; paulatim. Vbi conspexit horrore & silentio defixum theatrum,abiecto pallio, tunicaq; scissa exiliit seminudus, cursumq; ad exitum theatri tulit, Matrum se furiis uociferans agi. Cùm nemo inijcere manum homini præ religione auderet, extulit se porta insano similis. Astus conscia sociaq; coniunx assumtis liberis palantem illū præ se ferens quærere,nemine impediente oppido exiit: atque ea ratione Syracusas unà ad M.Marcellum euasere. Plutarchus in Marcello.

L.IVN. Brutus simulata mentis impotentia Tarquiniorum insidias euitauit Liuius.

RAMIRVS ex monacho quintus Aragoniæ rex rumorem diuulgauit, se campanā tā magnā conflaturū, cuius sonus per totam Hispaniā [redacted] Excitôs ea fama proceres, à quibus imperitiæ nomine contemnebatur, comprehē[redacted] interfecit [redacted] Hisp.

PROBITATEM.

Demosthenes in oratione [redacted] Ctesiphonte, [redacted] magicam simiam appellat, [redacted] ipsis tamē uerbis [redacted] Hieronymus in Epistolis [redacted] uulgo in CHRISTIANOS, sed ab impiis [redacted] perinde quasi uultu habituq; sanctimoniam præ se ferrent, quū essent improbi.

SOMNVM.

Romanus [redacted] inuitauit ad cœnā, Mœcenatem. Inde cum & [redacted] cernens inter se annictantes, leni capitis inclinatione dormire simulauit. Interea cùm quidam ex seruis foris arreperet ad mensam, ac uinum interciperet: suspiciens: Nescis infelix, inquit, soli me dormire Mœcenati? Plut. Serm. amatorio.

SINGVLTVM.

Apud Platonem in Symposio ARISTOPHANES, ne diceret in conuiuio, singultum finxit.

AETATEM.

Iuuenalis prouerbiali schemate dixit in VETVLAM, iam ἔξωρον quidem, & ad Veneris lusus prorsum intempestiuam, sed quæ uerborum nequitiis puellam etiamdum ageret,

– Facies tua computat annos.

hoc est, frontis rugæ numerum annorum tuorum præferūt, quanquam libido nondum in te consenuit.

Martialis in QVENDAM, qui affectabat etiamnum uideri puer, In te (inquit) reclamat sed tua barba: uir es. Eras. in Adag.

DIVITIAS.

THEAGENES quidā, quū pauper esset, affectauit tamen haberi prędiues ac magnificus negociator, unde uulgò dictus est κομπαῖος. Aristophanis interpres ex Eupolis Comici fabula, cui titulus, Δῆμοι. Erasmus in Adagiis.

SELLO quispiam, cùm re esset perquam tenui, affectabat uideri locuples. Vnde qui hoc morbo laborabant, σελλίζειν dicebantur, teste Suida. Quo morbo laborabat THEAGENES & AESCHINES, sic ut in prouerbium abierint, Θεαγένους χρήματα, τἀτ' Αἰσχίνου, apud Aristophanem in Auibus. Erasmus in Adag.

AMICITIAM.

IOABVS Dauidis regis polemarchus Amasiam simulato amplexu cōfodit. Similiter Abnerem specie amici colloquij seductum interfecit.

CHVSÆVS Archita, Dauidis consiliarius, Dauide ipso suadente, Hierosolymis Absalomum filium regē salutauit, eiq; se amicum fore simulauit: ut cùm prudētiæ nomine magnæ esset auctoritatis, cōsilia Achitophelis, hominis astutissimi, qui reuera ad Absalomum defecerat, irrita facere posset. Id quod effecit. 2.Regū 16.

ABSALOMVS reconciliationem simulans, Amnonem fratrē inter epulas occidit, propter stuprū sorori suæ uterinę Thamari illatum. 2.Reg.13.

IEHV S occupato regno Israelitarū, interfecto Achabo rege, simulans se Baali deuotū, sacerdotes oēs in tēplo interfecit.

SAMARITÆ uidentes Alexandrum Magnum Iudęos tractare magnificè, se quoq; Iudæos profiteri cepêre. Sūt enim Samaritæ hoc ingenio: rebus Iudæorum afflictis, negant se cognatos (& uerè: sunt enim Chuthæi, ex Babylonia translati, abductis à Salmanassare decem tribubus) cùm uerò affulgere eis fortunam uiderint, confestim in societatem irruunt, à Iosepho eiusq; filiis Manasse & Ephræmo seriē generis sui deducendo. Iosephus lib.11.c.ultimo. Antiq.

ALCIMVS pontifex Iudæorum summus, cum Bacchide Mesopotamiæ præfecto, per speciem amicitiæ Asidęos fortissimos uiros, Iudæ Machabæi milites, circumuenit, & sexaginta trucidauit, reliquis uix fuga elapsis. 1.Machab. 7.

IVDAS Ischariotes osculo falso prodidit filium hominis. Mathæi 26. Marci 14. Lucę 22.

HERODES Antipatri F. Iudæorum rex, in simulanda beneuolentia astutissimus, Hyrcanum socerum, è Parthia aduocauit, quasi regni consortem facturus, eundemq; pòst interemit. Aristobulum Alexandri F. de sanguine regio, pontificatu ornatum, specie colludendi in piscina natantem suffocauit. Iosephus libro 15. Antiq.

Datame ab Artaxerxe Persarū rege deficiente, MITHRIDATES Ariobarzanis præfecti Ioniæ F. pollicitus regi, se eum interfecturum esse; copiis à rege acceptis, tanquam communibus armis oppugnaturus regem, colloquendi tempus & locum à Datame petiit. Quod ubi à Datame didicit, cōpluribus locis separatim gladios obruit, eaq; loca diligēter notauit. Ergo cùm aliquandiu in colloquio fuissent, & diuersi discessissent, iamq; procul Datames abesset, Mithridates eò, ubi telum erat repositum. reuertens, & eruens, Datamen reuocauit, inquiens: digredientem se animaduertisse locum, ad castra ponenda idoneum. Quem cùm digito monstraret, & ille respiceret, auersum ferro trāsfixit. Probus in Datami.

ANTISTIVS Sosianus Satyricus ob carmina in Neronem cō posita in exilium missus, cùm Neronem facilè delatorib. aures præbere intelligeret. Parmenis Chaldæi genethliaci amicitiam iniit, ad quem Romanorum literæ de futurarum rerū euentu crebrò deferebātur. Itaque cùm literas quorundam intercepisset, simul etiam Parmenis libellos clàm furatus, Neroni curiosas de exitu eius & successione imperij indagationes detexisset, sibiipsi reditum ab exilio, cōsultorib. uerò exitium peperit. Gyraldus dialogo 4. Hist. poet.

C. IVL. Cæsar Cn. Pompeio fauere maximè se simulabat: quē tamen non modò non diligebat, sed clàm quoque propter honorum multitudinem in odium plebis trahebat. Ciceroni, à quo multis conuiciis fuerat lacessitus, ne respōdit quidem, ne ab eo aliqua parte offensus uideretur: Clodium tamen in ipsum concitauit, ac per eum, ut Romæ exularet, fecit. Et id quidem semper in Cæsare fuit, ut qui ipsi negotium facerent, eos propter magnitudinem animi despicere simularet, sed per alios ulcisceretur. Idem cùm profligatum Pompeium in Aegyptum fugisse deprehendisset, statim ipse quoque in Aegyptum profectus est: nullam sanè aliam ob causam, quàm si qua causa hominem consequi posset, conficeret. Et tamen ut uidit sibi caput Pompeij adferri, illacrymauit. Dion Nicæus.

TIBERIVS Imp. Seianum collegā fraudulenter maximis honoribus ornatum sustulit. Dion in Tiberio.

ANTONINVS Caracalla Cilonem, qui ipsum educauerat, & à quo multa beneficia acceperat, cùm uita priuare conaretur, misit milites qui hominem interficerēt. Qui cùm eius faciem post bonorum omnium spoliationem lacerassent publicè, plebs indignitate rei permota, Cilonem defendit. Pudore itaq; adductus Antoninus, quasi eius rei auctor nequaquam esset, Cilonem chlamyde contexit: Nolite, inquiens, patrem meum occidere, nolite educatorem meū ignominia aut quauis iniuria afficere. Et ut ex animo Cilonem defendisse putaretur, eos qui hominem læserant interfici iussit. Dion Nicæus.

Ad

Ad Senem orbum, ADVLATORVM & hæredipetarū cateruis obsessum, Martialis Epigram. lib.11.

Orbus es, & locuples, & Bruto consule natus:
Esse tibi ueras credis amicitias?
Sunt ueræ: sed quas iuuenis, quas pauper habebas.
Qui nouus est, mortem diligit ille tuam.

Post Gisulphi Foroiuliensis ducis, ab Chagano Hunnorum rege occisi, mortē, Tasso & Caco filij successere, qui regionis dominatū pariter obiêre. Hos fratres quū GREGORIVS Romanus patricius Opitergium iussisset accersi, ut rasa ex more barba filios adoptaret, urbē ingressos, capi ac obtruncari præcepit: allatoq; Tassonis capiti, ut promissa pręstaret, barbam abrasit. Bonfinius lib.8.Dec.1.

EMMANVEL Gręcorum Imp. cum Stephano Pannoniæ regē Veneti nominis hoste, fœdus & amicitiam iungēs, Spalatū, Tragurium & Ragusium repentè occupauit: inde apertè ui fraudem iunxit, ueterem cum Venetis amicitiam celebrās, uoluisse se dictitans eas urbes idcirco interceptum iri, ut per illarum restitutionem amicum nuper populum, ueteri amicitia interpolata, ad pristinum erga se studium retraheret. Per legatos igitur publicè petiit, ut recenti decreto iuberēt Græciæ emporia à suis hominibus frequentari, fore ut se amicissimum, & non hostem, in cunctis experirentur, memoremq; ipsius populi in se & suum imperium meritorū. Credita res est, factaq; omnibus potestas in Græciam nauigandi: ingens uis nauium quæstus cupiditate domo proficiscitur, sequentibus duobus legatis, spe certa ueteris amicitiæ cum Græco Imperatore renouandæ. Sed uix Byzātium Veneti attigerant, quum Emmanuel die ad id facinus constituta, toto suo imperio Venetos negociatores, cum nauibus, & omni pecunia ex improuisò oppressos, publicè custodiri iussit. Sabellicus lib.5.En.9.

IDEM Conradum III. Imp. illuc ad expeditionem Hierosolymitanam proficiscentem, commeatu se iuuare simulans, gypsum farinæ admiscuit. Volat. lib.23. Anthrop.

THEODORVS Lascaris Imp. à Græcis electus, simulata pace, in Thessalia comiter inuitatum Petrum Altisiodorensem Imperatorem Græcorum nominatum in conuiuio interfecit. Volateranus lib.23. Anthrop.

Alphonsus Aragonum rex, ex Sicilia nauigās, uidens aues marinas circumuolantes triremem, & expectantes cibum à nauigantibus, escam in mare proiecit. Verùm cùm uideret, à uolatilibus certatim rapi, quę deinde cum præda auolabāt, ad suos conuersus ait: Persimiles sunt his gauiis PVRPVRATI & curiales aliquot mei. Simulac enim aliquod officium aut beneficium hiantes & dimicantes inuicē à me acceperunt, aufugiunt, nec reuertuntur, donec necessitate premantur. Panormita in eius uita.

INDICIVM.

DIONYSIVS Syracusiorum tyrannus hospiti cuidam dono dedit talentum, prætextu quòd ab eo audisset insidiatorum quorundam indicia. Eo rumore absterriti fuêre insidiatores, ne conceptam iam coniurationem perficerent. Plutarchus in regum Apophtheg.

DISSIMVLARE

IRAM.

C. MARIVS à L. Sylla Roma pulsus, dum Sylla cum Mithridatis ducibus in Bœotia bellum gerit, audita seditione inter Octauium & Cinnam Romæ orta, manu facta militum, in Italiam rediit, & Cinnæ se cōiunxit. Vrbem ingressi, summa crudelitate in ciues sæuiērunt. Cinna satellitibus cinctus est ingressus. Marius simulatè substitit ad portam, ardensq; ira, exulem se est cauillatus esse, & patria sibi ex lege interdictum: si præsentia sua opus esset, abrogandam alia lege priorem. Quare concione aduocata, antequam tres aut quatuor tribus suffragium tulissent, abiecta simulatione & exilij causatione, iniit urbem circumseptus delectis seruis, qui se contulerant ad eum, quos Bardiæos appellabat. Plutarch. in Mario.

NERO de motu Gallorum & Vindicis defectione cognouit Neapoli die ipso, quo matrem occiderat: adeoq; lentè ac securè tulit, ut gaudentis etiam suspicionem prǫberet, tanquā occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Statimq; in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectauit. Cenæ quoq; tempore interpellatus tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, ut malum iis, qui descissent, minaretur. Deniq; per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliterauit. Suetonius in Nerone.

ERROREM.

HERACLIDI, qui per imprudentiam perperā citarat ex Dionysio, quod erat apud Sophoclem, missum est exemplar, ut ibi conspecto carmine agnosceret suum errorem. Hic quoque tergiuersanti, nec lapsum agnoscenti, dicentiq; casu fieri posse, ut in diuersis poetis uersus cōsentiant, scripsit quispiam, simiam haud capi laqueo:

γέρων πίθηκος οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ·
ἁλίσκεται μὲν, μετὰ χρόνον δ' ἁλίσκεται. id est,
Laqueo uetustus simius non prenditur:
Capitur quidem ille, capitur autem serius.
Erasmus in Adagiis ex Laertio.

MORBVM.

An. 1482. Maximiliani coniunx MARIA, unica Caroli BVRGVNDI filia, prægnans, quum in uenatione equo delapsa grauiter se læsisset, sed læsionem dissimulasset, diem suum Brugis obiit. Cranzius lib.12. Saxoniæ c.29.

IACTVRAM.

Frequens hoc MERCATORIBVS, ut ueras lacrymas naufragiorum propriorū, simulata clade alienorum, dissimulare.

Capta à Carolo V. Imp. an.1521. Genua, plus prædæ eo ipso die ibidem factū est, quàm toto anno per Mediolanensem principatum ex uictis hostibus partum. Id tamen malum GENVENSES quàm maximè potuerunt dissimulauere, ut qa omniū ferè facultates in mercibus cōsistunt, ne minus fidei suis mercatoribus, qui apud omnes gentes negotiantur, aliquando haberetur. Polydorus lib.27. Hist. Anglicæ.

AVDITVM.

ANTILOCHVS Menelaum reuocantem à cursu cùm audiret, perinde tamen quasi non audisset, ita celerius etiam currebat: Iliad. ψ.

Ἀντίλοχος δ' ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἔλαυνε,
κέντρῳ ἐπισπέρχων, ὡς οὐκ ἀΐοντι ἐοικώς. id est,
Quinetiam cursum Antilochus magis accelerabat.
Instigans stimulis, audireque dissimulabat.

Erasmus in Adagiis.

CONIVGIVM.

Timuit ISAACVS Patriarcha periculum de pulcritudine coniugis Rebeccę, cùm habitaret Geratis inter alienos, fecitque quod pater Abrahamus, ut eam sororem diceret, taceret tamē coniugē. Erat enim ei propinqua, & paterno & materno sanguine. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap.36.

FALLERE, DECIPERE, CIRCVMVENIRE.

Mendacij, Simulationis, Dissimulationis siue Effectus siue Adiunctum est Dolus. Qui cùm modò Prudentiæ, modò Astutiæ proxenetam agat, ex iis locis illustrandus erit. Hîc respectu Functionis animi, quam comitatur tam actiuè quàm passiuè, considerandus.

QVI QVOS.

Reges Subditos.

Ioanne Francorum rege ab Anglis capto, & CAROLO Delphino F. patrē recipere contendente, quinquaginta ex Francia uiri optimates Delphini ætati diffisi petebant ab eo iusiurandum, non enunciaturum, quæ ex se audiret. Ille maiestatis tuendæ gratia istud renuit, iussitq; sibi iniurato ea dicere quæ sentirent. Illi inter cætera petebant, ut ex sacerdotio, nobilitate & plebe duodeuiginti uiri eligerentur, quorū consilio ipsius adolescentia niteretur. Ille leges hac ratione sibi imponi, pręceptaq; dari, seditiosisq; audaciam præberi animaduertēs, diem quinquaginta istis uiris indixit, qua de postulatis eorum cogniturus esset. Ea instante, causatus allatas ex Anglia à patre literas de rebus moram non ferentibus, exin alijs atq; aliis frustrationibus dies trahens, moræ tædio quinquaginta uiros sic affecit, ut re infecta domū diuersi reuerterentur. Aemilius lib.9.

QVOMODO.

Iureiurando.

LYSANDER pueros astragalis, uiros sacramentis decipiendos esse affirmabat. Plutarchus.

CVR. CAVSA

Reipublicæ.

In cæteris ædibus Dianæ ceruorum cornua figebātur olim: at boum in Auētino. Nam bos in Sabinis nata Antroni Cora-

tio dicitur fuisse mira specie, & magnitudine præter cæteras præcellente. Cui cùm nunciasset uates quidã, cuius ciuitatis ciuis eam in Auentino immolasset, hanc in fatis esse mansuram, atq; ibi totius Italiæ imperiũ fore: profectus est Romã homo, ut bouẽ immolaret. Eo uaticinio ad regẽ à seruo delato Seruium, à quo ad CORNELIVM antistitẽ: Cornelius Antroni præcepit, ut ante sacrificiũ aqua Tyberis perfunderet se: quod erat solenne iis, qui litare cupiebãt. Illo ad amnem digresso, maturauit Seruius immolare Dianæ bouẽ, ac cornua in tẽplo fixit. Hæc Iuba scripta reliquit & Varro: nisi quòd nomẽ Varro non prodidit Antronis, neq; à Cornelio tradit sacerdote: uerùm ab æditŭo delusum Sabinum. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

NON FALLERE, NON DECIPERE.

Ex loco Iustitiæ profanæ in Contractibus quibuslibet præsens titulus illustretur: quatenus Fidei est, fidem datam seruare, nec scienter fallere.

CONSVLERE ALTERI, SVADERE.

Vide locum Prudentiæ in consulendo. Item, Pacem suadere, sub loco, Clementiæ magistri.

QVID.

Pacem.

Cùm Scipio duras pacis conditiones Carthaginensibus præscripsisset, easq; tumultuosè multitudo audiuisset, & Gisgo ad dissuadendam pacem suggestum ascendisset, ab HANNIBALE ex superiore loco est ui detractus. Quæ insueta liberæ ciuitati species, quum populi fremitũ mouisset, perturbatus Hannibal, imprudentiam excusauit, quòd puer patria profectus, leges & iura ciuitatis, ut homo militiæ assuetus, parum calleret. Inde de pace disseruit, cætera executus, quæ præsenti statui rerum conducerent, pacem ut æquam & necessariam probauit: ac secundùm eam concionem ad mare descendens, ubi nauis ad id prius parata erat, sponte in exilium abiit, ne Scipioni traderetur. Sab. lib. 5. Enn. 5.

Veneficium.

PÆDAGOGVS senex apud Euripidem in Ione consulit ipsi Creusæ, ut tollat ueneno Xuthum maritum, cum nouo filio Ione, inquiens:

ἐκ τῶνδε δεῖ σε δὴ γυναικεῖόν τι δρᾶν.
ἢ γὰρ ξίφος λαβοῦσαν, ἢ δόλῳ τινί,
ἢ φαρμάκοισι, σὸν κατακτεῖναι πόσιν,
καὶ παῖδα, πρὶν σοὶ θάνατον ἐκ κείνων μολεῖν.
εἰ γάρ γ' ὑφήσεις, τοῦδ' ἀπαλλάξῃ βίου.
δυοῖν γὰρ ἐχθροῖν εἰς ἓν ἐλθόντοιν στέγος,
ἢ θάτερον δεῖ δυστυχεῖν, ἢ θάτερον. Eapropter te iã muliebre quiddam facere oportet. Aut gladio, aut dolo, aut uenenis, tuũ interfice maritũ, & puerum, antequam mors tibi ex illis ueniat. Si enim negligẽs fueris, priuaberis hac uita. Duobus enim hostibus uenientibus sub unum tectum, aut alterum oportet infortunium pati, aut alterum.

QVI.

Stulti.

Herodotus CROESVM Lydorum regem insanum, uanum, & ridiculũ dixit in omnibus fuisse: ab hoc nihilominus docet captiuo instructum & correctum Cyrum regem Persarum, quem prudentia, uirtute & magnanimitate longè omnibus regibus præstitisse apparet. Plut. de improb. Herod.

Aegri.

IOANNES Comnenus cognomẽto Batazes morbo oppressus, iussit se in tumulum, unde pugna suorum cum Andronico Comneno conspici posset, in lectulo deferri: & filiis ut acies instruenda esset præcipiens, uictoria illustri potitus est. Nicetas.

QVIBVS.

Ducibus.

Cùm in Atticam incurrissent & depopularentur oram maritimam Macedones, eduxit iuuẽtutem Phocion. Ibi MVLTIS accurrentibus, monẽtibusq;, ut illum tumulum occuparet, hinc instrueret aciem: Papę, inquit, quàm multos duces, paucos uideo milites! sed tamen signis collatos fudit occiditq; ductorem Macedonum Nicionem. Plut. in Apophth.

Legatis.

Homerus in ualde angustis Græcorum rebus (cùm mitterentur legati ad Achillẽ, ut placaretur Agamemnoni, opẽq; ferret exercitui, in magnis periculis cõstituto) fingit NESTOREM, quamuis intelligeret legatos esse sapiẽtes, tamen nõ cessasse ipsis stimulum admouere, & consilio suo eos meliores reddere. Victorius lib. 31. Var. Lect. c. 1.

Hostibus.

CENSORINVS apud Appianum in Lybico auctoritate senatus Romani suadens Carthaginensibus, ut relicta urbe, quæ euertenda erat, locum alium à mari XXC. stadiis distantẽ caperent: Carthaginem nihilominus mansuram dicebat, quòd Viri, non Locus ciuitatem facerent.

QVOMODO.

Symbolicè.

Adolescens quidam Atarnetes, PITTACON consuluit, utra sibi è duabus ducenda esset uxor. Nam duæ offerebantur: altera par opib. ac genere, altera utroq; superior. At ille sublato scipione quo nitebatur, admonuit, uti pergeret ad triuia ciuitatis, quò pueri trochis ludentes conueniunt: eos cõsuleret, & quod illi dedissent consilij, id sequeretur. Pueri ex prouerbiali cantione respõderunt, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, Aequalem uxorem esse ducendam. Itaq; adolescens altera pręterita, duxit æqualem. Laertius & Callimachus.

Prudenter, Astutè, Stultè.

Vide locos Habituum similium.

Hieronymus Syracusanorum tyrannus, XV. annorum puer, ab Hierone ANDRONODORI tutoris impulsu à Romanis breui alienatus est. Obstitit aliquandiu Thraso tutorum unus, qui falsò, Theodori cuiusdam indicio, uelut pupillo capitales tenderet insidias, interfectus est. Eo sublato, puerapertè ad Hannibalem defecit, missis ad hoc ipsum legatis, qui cum eo de fœdere agerent. Sed paucis diebus, quib. hęc citrò ultroq; iactata sunt, quũ fortè in Leontinos uenisset, ibi à coniuratis multis est uulnerib. confossus, & relictus insepultus. Sab. lib. 3. En. 5.

DISSVADERE.

Ex loco Prudentiæ huc exempla transferantur.

Accepit hospitio HANNIBALEM Carthaginensiũ ducẽ Pacuuius, longè princeps Cãpani nominis: cuius filius Romanis gratificaturus, Pœnum hospitem super cœnam interficere cogitauit: peregissetque hauddubiè ferox iuuenis audax facinus, nisi paternis precibus & lacrymis uictus (placuit enim cum patre, priusquam conuiuium iniretur, id consilium communicare) proposito abstinuisset. Potuit ille excidium, quod Campano nõmini imminebat, sua dextera redimere, nisi pluris hospitalem patris sui fidem, domesticorumque larium præsentiam, qui tanti hospitis cæde erant polluendi, quàm patriæ ciuiumque salutem fecisset. Sabellicus libro 7. cap. 6.

Valentem Imp. natura seuerum, & ad audiendas lites promptum, Adulatores & maximè MODESTVS præfectus prætorio auerterunt hominem subagrestem, & literarum imperitum, afferentes infra culmen imperiale causarum priuatarum minutias esse. Sic amoto iuris custode rigido, laxatæ sunt rapinarum fores. Marcellinus lib. 30.

Sophia Russa Vladislao Iagelloni nupta, cùm tres liberos maritus regi peperisset, accusata de stupro, nec audita, remitteres regi peperisset, accusata de stupro, nec audita, remitteretur in Lituaniam asseruanda in custodia, ni Poloni probatur in Lituaniam asseruanda in custodia, ni Poloni proceres, & in primis IOANNES Tarnouius palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat auctoritas, dissuasisset. Is enim, cùm id à rege clàm agi ex apparatu curruum, & moxipsius confessione cognouisset, percõtatus est regem, quid pueris ex ea natis facturus esset? cũq; rex, secum eos fore, & in spem regni educatum iri, respondisset: Apage, inquit Tarnouius: tú ne reges nobis relinquere uis, quos ipse, dum matrem ipsorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm senatus frequẽs eò rem perduxit, ut regina se suo ipsius, & septem honestarum & nobilium feminarum iureiurando purgaret. Cromerus lib. 19.

PERSVADERE.

Vide Titulum, Rhetoricæ uis.

PERICLES dictus est totam miscuisse Græciã eloquẽtia sua, quòd arbitratu suo uersaret omnia. Erasmus in Adagiis.

PYTHEAS etiamnum adolescens accessit ad dissuadendum, quæ in honorem Alexandri Magni ferebantur, rogationes. Ibi cùm diceret quidam: Tu iuuenis tantis de rebus dicere audeas? Atqui Alexander, inquit, quem plebiscito deum appellatis, me est iunior. Plut. in Apophth.

ROMÆ portam unam nominabant olim fenestrã, iuxta quã Fortunæ cubile est, quod uocant: non quòd Seruius, qui rex fuit fortunatissimus, consuetudinem cum Fortuna, quæ ad eũ uentitaret per fenestrã, habuerit: sed quòd rege defuncto Prisco Tarquinio, uxor eius Tanaquil, quæ femina cordata & regalis erat, ex fenestra prospiciẽs, ciues est affata, persuasitq; eis, ut regem dicerent Seruium, inde locus hic appellationem inuenit. Plutarchus in quæst. Rom.

IVDICIVM ALTERI DELEGARE. TRANSlatio iudicij in alium.

PLATO consultus à cõductoribus, de sacræ aræ apud Delios duplicandæ ex oraculo modo atque forma, eos ad Euclidẽ geometram ablegauit: scientiæ eius cedens, imò professioni. Val. lib. 8. cap. 13. Atqui Proclus cubi duplicationem Platoni uerius tribuit, præsertim cùm Euclides iunior fuerit, neque is inuenti huius tam præclari in Elementis nominatim mentionem fecerit: ut P. Ramus in Procemio mathematum ostendit.

Q. MVTIVS Scæuola augur, clarissimus legũ uates, & certissimus, quotiescunq; de iure prædiatorio consulebatur, ad Furium & Cassellium, qui huic scientiæ dediti erant, consultores reiiciebat. Quo quidem facto moderationem suã magis cõmendabat, quàm auctoritatem minuebat: ab his negotiũ aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius usu callebant. Val. Max. lib. 8. cap. 13.

C. Aquilius GALLVS iurisperitus, si quis negotium ad ipsum detulisset, in quo de facto quærebatur, dicere solebat: Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem ito. Sensit Gallus, aliud esse officium iureconsulti, aliud oratoris: nec esse necesse de his, quæ ad aliam professionem pertinerent, respondere. M. Tul. in Topicis.

HADRIANVS Imp. de partu XI mensium, medicorũ & philosophorum sententiam requisiuit. Suetonius.

Cùm uideret HILARIVS Pontifex, in Ecclesia ortam contentionem de tempore Paschatis celebrandi, non nisi arithmeticæ atque astronomiæ opera componi posse: huius rei iudicium Victorino, in eã Galliæ parte, quæ Morinorum olim, nunc Britannorum esse dicitur, orto, qui in utraque illa arte peritissimus habebatur, detulit, ut temporis rationem constitueret, quam catholica tota seruaret Ecclesia. Fulgosus lib. 8. cap. 13.

Propter eandem controuersiam SIXTVS quartus Pontifex, ex Germania Ioannem Monteregium, arithmeticum atque astronomum peritissimum, Romam acciuit. Et quamuis ipse non ob aliam rem, quàm propter ingentis doctrinæ opinionem, ad Pontificatum conscendisset, aliorum doctrinæ, in eo, in quo ipse plurimùm excellebat, cedere noluit. Idem.

APPROBARE, RATVM HABERE.

Sub loco Veritatis & Mendacij.

Cùm sententiam aliquando in concione diceret Phocion, quę probabatur, omnesq; ATHENIENSES ex æquo uideret orationi suæ assentientes: conuersus ad amicos: Nũquid imprudens, inquit, malè dixi? Plut. in Apophth.

POP. Romanum ait M. Cato non purpuræ modò, sed studiis etiam facere auctoritatem. Vt enim infectores, hanc maximè tingunt, quam uident esse gratam: ita iuuentus hæc præ cæteris discit & sectatur, quibus honos habetur à nobis. Plutarchus in Catone.

Trib. pleb. ROMÆ intrare curiam non licebat: ante ualuas autem positis subselliis, decreta patrũ attentissima cura examinabant: ut si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque ueteribus Senatusconsultis T litera subscribi solebat: eaque nota significabatur, illa Tribunos quoque censuisse. Val.

Proditum memoriæ est, GERMANOS cõcilio coacto, si quid quod minus placeret propositum esset, murmure & fremitu dissentire, & sententiam aspernari: si quid uerò complacitũ fuisset, frameas & tela concutere, sonoq; armorum & tripudiis approbare. Alex. lib. 4. cap. 11.

CONSENTIRE.

NESTOR de se & VLYSSE Odyss. γ. hoc profert:

οὐδέ ποτ' ἐν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,
ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ. id est,

Haud unquam neq; concio nos, neq; curia dictis
Audiuit pugnare: animo sed semper eodem
Et sentire eadem, atq; eadem decernere uidit.

In Florentino concilio discussa Græcorum ac Latinorum contentione, tandem eò uentum est, ut GRÆCI rationibus uicti, faterentur Spiritum sanctum deũ à patre filioque procedere: utque in azymo sine fermento, triticeo pane, corpus Christi consecraretur: ac Purgatorij locum esse crederent. Postremò uerò, ut faterentur Romanum pontificem esse uerum Christi uicarium, Petrique legitimum successorem, primum in orbe locum tenere: cui & Orientalis & Occidentalis ecclesia meritò pareret. Cranzius lib. 11. Metrop. c. 43.

DISSENTIRE.

Vide locum, Aemuli in Republica.

PAVLVS & BARNABAS socij coniunctissimi in propaganda & ornanda Euãgelij doctrina, uisitaturi denuò ecclesias quas plantarãt, in grauissimã incidêre dissensionẽ, quando Barnabas Ioannẽ cognomento Marcum sibi adiungendum esse censebat, Paulus uerò negabat, propterea quòd Pãphyliæ ipsos deseruisset. Eapropter disiuncti Apostoli, nõ quidẽ in doctrina, sed in comitibus tantùm differẽtes, diuersas instituêre profectiones. Actorum cap. 15.

Cùm Lacedæmonij, duce CLEOMENE rege, Hippiam tyrãnum Athenas reducere conarentur, Bœotij interim & Chalcidenses Atticum agrum populabantur. Corinthij primi omnium secum reputantes, iniustè à se agi, qui tyrannũ Athenis imponere uellent, discesserunt. Idem fecit DEMARATVS Aristonis F. qui & ipse erat rex Spartarum, & è Lacedæmone copias contraxerat, nec à Cleomene superiori tẽpore dissenserat. Ob quam regum dissensionem lex apud Spartam lata est, non licere utrique regi cum exercitu prodire (nam prius prodibant) & alterum quoq; è Tyndaridis relinqui. nam & isti antehac ab eis euocati, exercitum ambo comitabantur. Herod. lib. 5.

RVMOREM SPARGERE.

Radagaiso Gotthorum rege in Italiam irrumpente, cùm eius fama ubique crebresceret, apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, spargere, iactare PAGANOS, quòd ille diis amicis protegentibus & opitulantibus, quib. immolare quotidie ferebatur, uinci omnino nõ posset ab eis, qui talia diis Romanis sacra non facerent, nec fieri quoque permitterẽt. Cæterùm à Stilicone Honorij Imper. duce in Fesulanis faucibus oppressus, ut terrore sui nominis impios mores Italorum ad frugem reuocauit, sic numinis potentia uictus, idololatrarum perfidiam argumento luculentissimo redarguit. D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 23.

ADMONERE, HORTARI.

QVOS.

Seipsum.

PERICLES, quoties prętor creatus chlamydẽ induebat, ante omnia seipsum solitus erat affari, quasi commonens: Attende tibi Pericle, liberis imperas, Græcis imperas, Atheniẽsib. imperas. Plut. lib. 1. Quæst. conuiual. 4.

D. BERNARDVS Cisterciense cœnobium ingressus, hoc assiduè in corde & ore habebat, Bernarde, Bernarde, ad quid uenisti? Gulielmus Abbas.

Reges.

Narrat Plutarchus libello Aduersus ducẽ imperitũ: regis Persarum certo CVBICVLARIO hoc muneris fuisse mandatũ, ut manè regiũ thalamũ ingressus, his uerbis illũ expergefaceret: ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε, id est, Surge rex, ac negotia cura, quę te Mesoromasdes curare iussit.

Cùm paupercula ANVS postularet, ut Philippus Macedoniæ rex de causa sua cognosceret, cumq; identidem interpellaret, negauit uacare sibi. Ibi uociferãs anus: Ergo noli, inquit,

regem agere. Quo ille dicto defixus, nō istā modo, uerū etiā alios confestim diligēter audiuit. Plut. in Regum apophth.

ATHENODORVS philosophus, cū ob senium impetrasset ab Octauio Augusto ueniam redeundi domum, admonuit illum, ut ne quid iratus diceret faceretue, prius quàm uiginti quatuor Græcorum literas apud se nominatim recensuisset. Plut. in Apophth. Rom.

Duces.

Ciuem optimum, ualdeq; studiosum cōmunis salutis fuisse Q. FABIVM Maximum, significauit T. Liuius, cùm narrauit ipsum sedulò L. Aemiliū, proficiscentē ad bellū cōtra Hannibalē, admonuisse, ut inprimis conaretur in officio retinere collegā, ipsiusq; ferociæ uel amētię potius moderari: intelligebat enim inde maiora penè pericula, quàm ab hoste reipub. impendere. Omnem igitur ipsi rationem eius belli administrandi monstrauit, cùm tamen hæ propriæ ipsius partes tunc non forent. Sed amor ingens, quo prosequebatur rempub. & cura, quæ premebat animum ipsius, præclarè cognoscentis turbidum ingenium Varronis, & callidū uersutumq; Hannibalis, impellebat, ut hoc officio fungeretur. Senes enim potissimùm & magnum rerum usum habētes, his temporibus opitulantur & consilio iuuant eos, qui partem aliquā reip. regendā suscipiunt, impares illi oneri ferēdo.

Milites.

EPAMINONDAS Thebanus, qui Bœotos ex otio dissolutos perpetuò uolebat in armis cōtinere: cùm in Bœotarchā eligeretur, mónens dicebat. Etiam atq; etiam deliberate ciues. Ego enim si dux ero, militandum erit uobis. Plutarch. in Apophthegmatibus.

Conuiuas.

AEGYPTII inter conuiuia in scrinio hominis mortui effigiē seu cadauer aridum circumferunt: nō magis in Osiridis memoriam à Typhone cæsi, & in arca in mare abiecti: quàm ut uino calentes sese hortentur mutuo ad utendum & fruendū rebus præsentibus, quòd omnes propediem tales sint futuri. Plut. de Iside, & in Conuiualib.

S litera foribus cœnaculorum superponi solebat, qua nota DISCVBITVRIS silentium indici uidebatur, ut à conuiuio surgentes, si quid fortè licentius obloquutus foret quispiā, uolentes obliuiscerētur. Hinc tritum illud, μισῶ μνάμονα συμπότην. Cælius lib. 12. c. 18.

Plutarchus in Symposiacis narrat LACEDÆMONIIS hunc fuisse morem, ut si quem amicū aut hospitem in domū acciperent, ostensis foribus dicerent, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος. id est; Hac nō egreditur sermo. Refert idē in uita Lycurgi: ex cuius institutione, qui natu maximus erat, stabat ad ostium; & ad conuiuiū ingredientibus dicebat, ostensis foribus, διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται. Id est, Per hasce nullus sermo progreditur foras. Eras. in Adagiis.

Discipulos.

PYTHAGORAS solebat admonere adolescētes, ut quoties domū ingrederentur, hunc uersiculū suo cū animo uersarēt:
πῇ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; id est,
Lapsus ubi, quid feci, aut officij quid omissum est?
Ea cogitatio sollicitos reddebat adolescentes, ut si quid fortè deliquissent, aut si quid uitij contraxissent ex hominū conuictu, id in posterum cauerent. Eras. in Adagiis.

SOCRATES cicuta hausta, discipulos suos hortatus est, ut sapientiam, quam tantopere expetierant, à solo Deo accepturos se sperarent, non ab hominibus: longè sanctius sublimiusque apud charos sibi homines uerba iam faciēs, quā fecerat ad rudem iudicum populique Atheniensis multitudinem. Plutarchus in Phædone.

Filios.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cùm filium uideret præcipitantius & inconsiderantius pugnantem cū Atheniensibus: ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες, ἢ τοῦ φρονήματος ὕφες. id est, Aut adde uiribus, inquit, aut detrahe animo. Plut. in Laconicis.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes, in cœnobio Crescentiaco animā agēs, filios circūstantes alloquutus est: Stabit incolume uobis, cariss. atq; optimi filij, hoc imperiū qđ relinquo, si concordib. animis cū uirtute tum fortuna uestra utemini: si uerò dissideritis, omnis quālibet eximia uestra uirtus frustra erit, & à uobis ad hostes illico fortuna transfugiet. Nec eius prędictioni tanquā ueri uatis euentus defuit. Inde quū omnib. manarent lacrymæ, integris quidē sensibus, sed collabēte ceruice, supremū osculū liberis dedit, moxq; inter amplexus eorū expirauit: eiq; tot superstites liberi (uti maximè optarat) oculos clausēre. Iouius in eius uita.

CVIVS REI.

Virtutis.

PALLAS in specie Mentoris hortatur Telemachum ad uirtutem, Odyss. α.
καὶ σὺ φίλος, μάλα γάρ σ' ὁρόω καλόν τε μέγαν τε,
ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. id est,
Tuq; age, quando te uideo magnumq; bonumq;,
Strenuus esto, ut tete & postera prædicet ætas.

Horta Dea, apud Rom. in humanis cùm esset, HERSILIA dicta est, uxor Romuli, quam ab hortādo & incitando nominatam ait Labeo. cuius ædes nunquam claudebatur; quòd semper aliquid præclari fieri hortaretur, nec cessandū suaderet. Quæ postea uocata est Hora, prouidētiæ dea, quæ negligentes socordesq; esse non pateretur: nominatā Labeo existimat etiā hac appellatione ab hortando & incitando, Greca uoce παρορμᾶν. Plutarchus.

Officij.

Rex Persarū unū habet CVBICVLARIVM: cuius hæ partes erant, ut mane ingrediēs ad eum diceret: Surge rex, ac cura ea, quorum tibi Mesoromasdes imposuit curam. Plutarchus ad Principem indoctum.

CRATES Thebanus frequenter dixit, in excelsissimā partem urbis se, si fieri posset, scansurum, ibiq; exclamaturum: Quò miseri ruitis, qui in quærenda pecunia omnem mouetis lapidem: liberi uerò, quibus hæc estis relicturi, parum uos solicitant. Plut. de Instit. liberis.

CLAVDIVS Cæsar, cùm Aemyliana pertinacius arderēt, deficiēte militum ac familiariū turba, auxiliō plebē per magistratus ex omnib. uicis cōuocauit: ac positis ante se cū pecunia fiscis, ad subueniendum hortatus est, repræsentaturus pro opera dignam cuiq; mercedem. Suetonius.

Cùm matronæ multæ, quarū uiri mansuetiores erant, quàm Patricius D. Augustini pater, plagarum uestigia etiam dehonestata facie gererent: inter amica colloquia illæ arguebant maritorum uitam, MONICA uerò Patricij uxor earum linguam: ueluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales uocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factę essent, deputare debuissent: proinde memores conditionis, superbire aduersus dominos non oportere. Cumq; mirarētur illæ, scientes quā ferocem coniugē sustineret, nūquā fuisse auditū aut aliquo indicio claruisse, quòd Patricius ceciderit uxorem, aut quòd à se inuicem uel unū diem domestica lite dissenserint, & causam familiariter quærerent: docebat illa institutū suū, nunquā cum irato contendere, placatū uerò admonere maritū oportere. Quę obseruabant, expertę gratulabātur: quæ non obseruabant, subiectę uexabantur. Aug. lib. 9. Confess. c. 9.

Fortitudinis.

Celebratum est LACÆNÆ cuiusdā apophthegma, quę filio tradens clypeum dixerit: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, Aut hunc, aut super hunc. Laconicè significans, aut referendum clypeum, aut in eo moriendum. Erasmus in Adagiis.

Glaucus quidam Carystius cùm terrā aratro proscindenti fortè fortuna uomis excidisset ab aratro, sublatū aptauit manu uice mallei. Quod ubi conspexisset pater DEMYLVS, iuuenem produxit in Olympia, ad pugilum certamen. Verùm ubi iam artis imperitus, plagis afflictus penè deficeret, pater acclamauit: παῖ, τὴν ἀπ' ἀρότρου, admonēs ut sic peteret hostē, quemadmodum uomere soleret uulnerare terrā. Hac uoce rediit animus iuueni, uicitq;. Idē postea bis uicit Pythia, octies Nemea, item octies Isthmia. Paus. in Eliacis.

HYLAS aliptes, cùm uideret ferè succumbentē Agesidamum Locrum in pugillatu, ita ei animum addidit, ut protinus suū aduersarium uincerit. Pindarus Ode 10. Olymp.

Constantiæ.

Memorant Demosthenem, cùm explosus esset à populo, & id grauiter ferret, admonitum à magno natu SENE fuisse, qui Periclem audiuerat: Pericli cùm similis sis, animum despondere noli. Plut. an Seni tractanda respub.

Clementiæ.

Augustus ATHENODORO philosopho senij causa domū dimitti postulanti annuit. Qui cùm salutans eum monuisset, Cùm exarseris iracundia, Cęsar, nihil antè dixeris uel feceris, quàm XXIV literas apud te ipsum recensueris: prehensa eius manu; Præsentia tua etiam num, inquit, opus habeo: detinuitq; eum annum integrum, esse fatus etiam silētij tutum præmium. Plut. in Apophth.

Religionis.

Apud ROM. cùm consul auspicatur uel immolat: Hoc age, proclamant. Qua uoce eos qui assistunt admonent, ut componant se ad id quod agitur. Plut. in Numa.

Concordiæ.

CONSTANTINVS Magnus in Niceno concilio patres oēs conuiuio magnifico excepit, & accūbere ordine iussos, omnib. comitatis ac liberalitatis exēplis excoluit: quinetiā, cū mutilata in multis mēbra, oculósue effossos uideret, atq; ex eo constantiam & fortitudinē eorū in persequutione coniiceret, labia cicatricib. eorū uenerabundus admouit, sibi persuadens, sanctā se illo osculo benedictionē hausturū. Cōuocatos inde alio die rogauit, ut cōmuni paci cōcordięq; studerent,

derent,

derēt, & contentionū ac pertinacię finē facerēt, neq; aut sapientia superiores inuidia, aut inferiores despicientia premerēt: uerùm toto pectore in cōmunē omniū salutē incum-[redacted]

NON HO[redacted]

AGAMEMNON rex in recensendo Græcorum exercitu Aiaces duos ad pugnam suos producentes uidens, inquit Il. α.
σφῶϊ μὲν οὐ γὰρ ἔοικ' ὀτρυνέμεν, οὔτε κελεύω,
αὐτὼ γὰρ μάλα λαὸν ἀνώγετον ἶφι μάχεσθαι.

Cùm Chrysantas Persa lib. 3. Pædiæ apud Xenophontem suaderet Cyro, ut milites suos oratione animaret, ostendens idem iam sedulò fecisse regem Assyriorum, contra quem paulo pòst pugnaturi erant, meliores fieri dicens milites accurata oratione imperatoris: cōtemsit cōsilium ipsius CYRVS, diligenterq; cōtra illud disputauit: negans ullam adeò præclaram inueniri hortationem, quæ non bonos strenuosq;, repentè bonos efficeret, peritosq; earum rerum atq; artiū, quæ in bello requirūtur, nisi diu antea meditati illas fuerint. Cùm autem Chrysantas respondisset, satis eo tempore esse, si animos ipsorum meliores reddiderit: illud quoque inane esse docuit Cyrus, neq; obtineri ea ratione posse: nec enim ea, quæ ualent ad fortitu dinem, subitò in animis hominum [redacted] ma concione finxit Marium hęc dicere: Plura dicerem, Quirites, si timidis uirtutem uerba adderent: nam strenuis abundè dictum puto. Victorius libro 11. Var. lect. capite 7.

DEHORTARI.

NICOCLEM patrem Themistoclis sunt qui dicant reuocantem à rep. gerenda filium, ostendisse ei in litore maris ueteres triremes abiectas & despectas: quòd pariter aduersus duces suos gerat se populus, cùm fructum ultra ex iis non capiat. Plut. in Themistocle.

Aristogiton sycophāta damnatus, cùm esset moriturus in carcere, Phocionem, ut ad se ueniret, precabatur. Hîc retinentibus eum AMICIS, ne ad improbum hominē pergeret: Vbi nam, inquit, malis Aristogitonem cōuenire? Plut. in Apoph.

Qui LACEDÆMONE conuiuiis, quæ phiditia dicunt, sunt præfecti, unum uel tres helotas uino mersos & temulentos publicè iuuentuti ostendunt, quò inebriari quid sit, cognoscant, sicq; id deuitent, & uitam instituant temperāter. Plut. aduersus Stoicos, & in Laconicis.

Athenienses, Alexandro diuinos honores denegantes, DAMOCLES monuit, Videte ne dum cœlum custoditis, terrā amittatis. Plutarchus.

Agidi regi in Arcadia, cùm infesta signa stante in procinctu exercitu inferre hostibus intenderet, ex maioribus natu Spartiatis QVIDAM inclamauit, uelle eum malum malo tollere: præproperū ex Argis receptum significans intempestiua præsente alacritate uelle eum corrigere, ut est apud Thucydidē. Quod cùm audiuisset Agis, obtemperauit, ac receptui cecinit, uictorq; euasit. Plut. an Seni tract. resp.

C. Iul. Cæsar C. Octauium nepotem sororis ex dodrante hæredem scripserat. ACTIA, quæ Marcio Philippo consulari uiro nupserat, Octauio filio Apolloniæ studiis uacanti rescripsit, ne hæreditatem maioris auunculi adiret, néue se quippiam extolleret, sed priuatas præferret conditiones. Monebat etiam amicitiæ specie iuuenem M. Antonius consul, ne tam onerosam adiret hæreditatem: reuerà autem quia pecunias, quas interceperat post Cæsaris interitum, reddere nollet. Octauius autem ubi se hęredem comperit, mox urbe repetita, hæreditatem adiit. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar post Augusti obitum frequēter admonuit Liuiam matrem, maioribus, nec feminæ conuenientib. negotiis abstineret: præcipuè ut animaduertit, incendio iuxta ædem Vestæ & ipsam interuenisse, populūq; & milites, quò enixius opem ferrent adhortatam, sicut sub marito solita esset. Suetonius in Tiberio.

D. Augustinum ante baptismum libris Genethliacorum mirificè deditum, quidam senex MEDICVS ab illarum studio auertit, quia eas, quibus quæstus causa iam olim addictus fuisset, reipsa falsissimas cōperisset. Quòd si quando ueri quid responderent, id non arte, sed forte fieri: quemadmodum interdum sortes ex poetarum libris depromtæ interrogātis rebus factisque consonare deprehenduntur. Testis ipsemet lib. 4. Confess. cap. 3.

Odoacer Herulorum & Italorum rex à Theodorico Ostrogottho Rauennæ obsessus, post multas, sed inanes eruptiones, ac certamina edita, cùm consumtis rebus fermè omnibus, quæ mandi poterant, extrema urgeretur inopia, silentio noctis, auxilio à uirtute petito, uniuersum aduersus Theodoricū eduxit exercitum. Quod ubi ille sensit, & ipse suos in aciē promouit. Cæterùm, cōmisso prælio, tanta ui Odoacer pugnauit, ut Theodoricū cum suis præcipiti fuga se referre coegerit. Cui castra ineunti MATER in porta obuia, Quo tendis, inquit, fili? neq; enim locus superest, quò te fugiens recipere possis, nisi ego uestem tollam, & eò te, unde in lucem prodiisti, recipiam. Quibus uerbis irritatus, ac pudore succensus iuuenis egregius, collecta suorum, quos nancisci potuit, exigua quidem, sed ualida manu, infestus in hostes, qui securi uictoriæ latè iacebant in campo, reuertit, ac magna eorum strage facta, Odoacrem in urbem iterum se cōdere compulit. Sigonius libro decimoquinto Imp. occid.

INSTITVERE, DOCERE.

De Institutione & Doctrina sub Arte, tanquam de Instrumento. Hîc Functionem ab animo prouenientem consideramus.

INDICARE.

Hîc Veri communicationem perpendimus. Quæ ipsa quatenus bonum habet iunctum, ad communicationem Boni, de qua pòst, referri quoque possit.

QVID.

Arcana quæuis.

Ex Perfidia coniugali proditorum arcanorum, quædam exempla peti possunt.

Herodes rex Iudæorū à M. Antonio IIIuiro accersitus Laodiceam, de obiecto necis Aristobuli summi pontificis crimine causam dicturus, IOSEPHO patruo regni curam cōmisit, simulque clam mandauit, ut si quid sibi humanitus accideret, confestim Mariammen reginā interficeret, ne quis pulcritudine illius potiretur. Iosephus creditū sibi regimē administrās, & sępissime Mariāmen cōueniēs, partim propter negotia, partim honoris causa, dū crebrā mētio fit coniugalis amoris, quo eā Herodes prosequeretur: irridentib. hāc eius asseuerationē mulieribus, præsertim Alexandra, matre Mariammes, illē nimio studio approbandi eis affectū regis eò prouectus est, ut mandatū illud proderet, ratus id certissimū amoris argumentū, quòd neq; sine ea uiuere sustineret, neque uel morte ipsa ab ea disiungi. Quæ Iosephi uerba mulieres nō tam ut indubitatū Herodis amoris signū interpretatæ sunt, quàm exhorruerunt illius tyrannicū animum; si uel mortuus sæuiret in earū capita. Cæterùm Herodes placato munerib. Antonio reuersus, cùm inter cōplexus Mariammē mandati Iosepho dati meminisset, rex id secretum consuetudine stupri Iosephū prodidisse existimās, parum abfuit, quin uxorē occideret. Ipsum certè Iosephum ne in cōspectū quidem suum admissum interfici iussit: Alexandrā uerò socrum in uincula coniecit. Iosephus lib. 15. c. 4. Antiq.

Vaticinia.

Vno atq; eodē tēpore HIEREMIAS prophetabat in Hierusalē, & EZECHIEL in Babylone: & illius prophetia mittebatur ad captiuos, & huius ad eos q habitabant in Hierusalē: ut unius in diuersis regionib. Dei prouidētia probaretur, & intelligerēt audiētes, quęcūq; accidebāt populo, nō idolorū potestate, sed Dñi iussione cōsistere. Hieron. li. 7. com. in Ezech. 12.

Thesauros.

Sub loco Opulentiæ, Thesauri acquisiti indicio.

Scelera.

Vide titulos Accusationis.

[redacted]

[redacted]

Insidias.

☞ *Vide Titulum, Miro modo seruati, quatenus indicia habentur iuncta.*

Cùm Bagathan & Thares eunuchi conspirassent contra Artaxerxem Persarum regem, BARNABAZVS alterius seruus, genere Iudæus, deprehensas insidias Mardochæo Iudęo patruo reginę Esterę indicauit. At MARDOCHÆVS p ipsam regi insidiatores prodidit. Rex ueritate per quæstiones inuenta in crucem suffixis insidiatoribus, Mardochæum inter amicos suos necessarios recepit, ac postmodum regio uestitu ac torque ornatum, equo per urbē circumduci iussit, hoc pręconio, quòd sic honoretur, quem rex honorare uoluerit. Iosephus lib. 11. c. 6. Antiq. Esdræ 6.

Crœsum Halyattis F. nouerca pane medicato è medio tollere decreuerat. FAMVLA, cui id negotij datum fuerat, Crœso insidias detexit, & ab eo persuasa, medicatos panes nouercæ liberis ueluti per errorem apposuit. Iis extinctis Crœsus tandē regno potitus, statuam mulierculæ ἀρτοποιῷ inter reliqua donaria Delphos misit, & pietatis illius & suę gratitudinis monumentum. Plut. in lib. Cur Pythia uersibus oracula nulla amplius edat.

Ephorus narrat, Cyrum cū Lacedæmoniis clàm olim re simul composita, bellum fratri ARTAXERXI inferre parasse. Huiusmodi Cyri consilia per certos amicos Alcibiadi exuli significata occultè. Quibus cognitis, Alcibiadem sese ad Pharnabazum satrapam contulisse, remq; omnem, uti cognouerat, explicasse, tum instanter ab eo postulasse, ut sibi uiæ copermites cōmeatumque ad regem præbere uellet, cupere permaximè ut rex à se primo insidias illas acciperet. PHARNABAZVS grati indicij præmium in se deriuare studens, nuncios ad regem misit. Quibus admonitus, contra fratrem sese per ocium parauit. Diodorus lib. 14.

Neoptolemus & Pyrrhus æquato imperio Molossis imperabant. Neoptolemus consortis impatiens, per Gelonem amicum insidias struxit Pyrrho: easq; progressum habere ratus, in comessatione quadam apud sororem Cadmiam effutiit, neminem ratus uerba excipere. Cęterùm PHÆNARETE, Samonis armentarij uxor, quæ sola in conclaui aderat, iacens in lecto, & somnum simulans, postridie Antigone uxori Pyrrhi omnia quæ audiisset detexit. Ea re ad Pyrrhum delata, in sacrificio ad cœnam Neoptolemum uocatum peremit. Plutarchus in Pyrrho.

Cùm Seianus amicorum Tiberij unus, præfectus prætorianorum militum, conspirantibus multis senatoribus & libertis Cæsaris & uiris militaribus, extremum Tiberio cōflasset periculum: ANTONIA Drusi fratris uxor re cognita, totam ei perscripsit accuratissimè: traditisque literis Palanti seruorum suorum fidissimo, misit eum Capreas ad Tiberiū. Quibus ille cognitis, Seianum occidit, & socios consilij: Antoniæque iam antè habitæ in precio, maiorem etiam in posterum fidem habuit per omnia. Iosephus lib. 18. c. 8. Antiq.

Cunipertus Lōgobardorū rex, Aldonem & Crausonē fratres, quorū opera in regnū restitutus fuerat, suspectos habēs, eos tollere de medio cogitauit, idq; fortè cū uno homine stratore suo cōmunicauit. Casu aūt accidit, ut cùm illi de more ad regē uenirent, ab ignoto HOMINE iniqua de regis aduersus se uoluntate cōmonefacti sint. Quo cognito ambo confestim incolumitatis gratia ad arā se S. Romani martyris ꝓximam receperunt. Quod ubi rex audiuit, in eam opinionē uenit, consiliū ab eis suū esse præreptū. Itaq; ira furens stratorē, qui id enunciasset, arguere. Stratore uerò se cū aliquo loquutū esse negante, atq; id ipsum assiduà apud illum præsentia cōfirmante, de Aldone & Grausone, undénam uolun tatem suā intimam perspexissent, iussit exquiri. Illis uerò se à claudo quodā fortè obuiā facto accepisse dicētib. malignū eū fuisse spiritū credidit: atq; eos uenia data dignos, qui in [illegible]

Sigismundus Imp. MARIAM uxorem, quòd auream monetā in Hungaria cudisset, cum hac inscriptione, Maria regina Vngariæ, acerbè reprehenderat. Ea occasione usi quidam, reginæ animum ad conspirandum sollicitāt. Illa assensum simulans, intempesta nocte secū cubantē aggredi iubet: facinus interim conceptū regi aperit. Itaq; ex cōposito ad illam rex ingreditur: sed pòst clàm se subducit. Ipso noctis conticinio cōiurati irrūpunt regis cubile. Regina profundo se simulat sopore stratā. Vbi solā uident, Hæc, inquit unus ex his, proditrix consilia nostra nudauit: uoluitq; eam ferire. At alius, Noli, inquit, innoxiam perdere. Trepidi ergo diffugientes, ante lucem cōprehensi pœnas dederunt. Cranzius libro 10. Saxoniæ cap. 8.

Ferdinandus Daualus Piscarius, quum certiora de hostiū Gallorum cōsiliis, qui Modoetiam se receperāt, cognoscere cuperet, Luponum Hispanum militem robustissimum & uelocissimum pręmio proposito impulit, ut ad munitiones Gallorū excurreret, & aliquid ipsius ingenio & solertia dignū referret. Luponus assumto sclopetario pedite diluculo ad hostium munitiones est profectus, perspectoq; situ, semisopitum uigilem corripuit, procerum sanè Gallum, eūq; sublato clamore frustra reluctantem, ad Piscariū humeris deportauit, ut cuncta sigillatim eo referente proderentur. Iouius in Piscario lib. 22.

Clemens VII. Pp. quod armis apertè non poterat, insidiis Alfonso Atestino Ferrariæ duci perniciem moliri non desinebat. Hieronymus Pius militari præsidio Rhegij præfectus, pontificiis promissis sollicitatus, & urbem se traditurum, & Alfonsum nihil tale à se expectantem confossurum pollicebatur. Cæterùm insidiis per Robertum Boschetum Alfonso detectis, Hieronymus apud Rhegiū captus, perductusq; Ferrariam, in quæstione cuncta cogitati instructiq; sceleris suo ordine proferens, capitale supplicium sustinuit. Iouius in Alfonso Atestino.

Hostiū consilia.

☞ *Consule locum Stratagematum.*

ACHIMAAS Sadoci, & IONATHAN Abiatharis pontificū filij, Dauidem in exiliū pulsum à filio Absalomo, de omnib. illius conatibus certiorem faciebant, ruri latentes, & per ancillam quandam de omnibus rebus, quæ Hierosolymis agerentur, à suis patribus moniti. 2. Regum 15. & 17.

Otho Vicecomes, Archiepiscopus Mediolanēsis, sexies iam à Turrianis, Mediolanensium tyrānis, unà cùm Patritiis, quos inde ab Turrianis eiectos in patriam reducere nitebatur, uictus: tandem Comensium & Ricardi Langusci Laumelli comitis auxiliis adiutus, quum ad Caracam, nobilem olim urbem, de inferēdo bello cum ducibus deliberaret, è Decimo uico, SACERDOS quidam pernici equa deuectus ad eum peruenit. Erat enim Decimi præclarum Othonis nomen. Nā ab adolescentia sacris initiatus, summum in eo pago sacerdotium, à pontifice Vrbano IV. impetrarat: unde postea, & in æde maxima Mediolani, & in Diui Ambrosij templo canonicas dignitates fuerat consequutus. Is sacerdos Othoni nunciauit, Mediolanensiū copias ipsosq; Turrianos principes, sub occasum solis Decimum peruenisse, cuncta ibi militari strepitu compleri, atque acerbius quàm sociorum more milites hospitia, pulsatis hominibus, eiectisq; iumentis occupare. Proinde Turrianos ea nocte posse deleri, si improuisus confecto per noctem itinere dispersos atq; sopitos adoriretur. Hoc nuncio maximè lętatus Otho, Dij, inquit, qui à Decimo dignitatis initia præbuerunt, non inani proculdubiò loci omine, prōmissam nobis de hostib. uictoriam dabunt. Quam & sequenti die 12. nimirū Kalendas Febr. anno Christi 1277. unà cum imperio, deletis hostibus, consequutus est. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Aduentum.

LEGATI Romam undecunq; missi concedebant olim ad tēplū Saturni, ubi à præfectis ærario in acta eorū nominarentur: non tam quia peregrinus Saturnus fuerit, atque idcirco accepti ei sint exteri: quàm quòd olim munera, quæ dicebantur lautia, legatis quæstores mittebant, ægrorumq; curam habebant, & defunctos funerabant de publico. Pòst uerò ob aduenientium frequentiam legatorum hic sumtus expirauit. Mansit tamen hoc, ut præfectos ærarij primo loco per professionem conueniant. Plut. in quæst. Rom.

QVOMODO.

Voce uiua.

Isis, Osiridis mariti corpus à Typhone cæsi quęrens, hinc inde errabunda pręteribat neminē, quē nō affaretur, ipsos etiam PVEROS. Illi indicarūt ostiū, per quod uas Typhonis amici in mare eiecissent. Hinc diuinandi uim pueris fuisse Aegyptij existimarunt, & deinceps ex horum uocibus in delubris ludentium, & quod in buccam uenerit effundentium, omina captare consueuerunt. Plut. de Iside.

Cùm

Cùm olim ad inuestigandam Helenam à Theseo raptam Tyndaridæ cum magnis copiis oram Atticam inuasissent, & populos è sedibus suis eijcerent, ignari quónam loci subducta Helena esset: tunc DECELENSES (sic tribus quædā apud Athenienses uocatur) ferūtur, &, ut quidam uolunt, ipse Deceleus, tum dolore damni, quod Theseo fieret, tum metu totius Atheniensium soli, ne uastaretur, exposuisse illis omnē rem gestam: eosq; deduxisse ad Aphidnas, quas Titacus indigena Tyndaridis proderet. Quo ex facto Decelensib. permansit ad hanc usq; memoriam in Sparta immunitas uectigalium, & dignitas præsidendi. Herod. lib. 9.

ACADEMVS fuit is, qui Tyndaridis indicauit Helenā à Theseo raptā Aphidnis occultari: quocirca honos illi, & uiuo à Castore & Polluce habitus est, & mortuo à posteris Lacedęmoniis: nā quoties populabundi in Atticū agrū sunt ingressi, semper ab Academia abstinuerunt. Lud. Viues in lib. 8. August. de Ciuit. Dei, cap. 12.

Moris fuit antiqui, ut cùm satis uisum esset effluxisse uerborū, oratores ad ultimum dicerent, Dixi, uelut necessitatē sibi imponentes finiendę orationis. Ab utraq; itidē parte oratione consumta, Prætor dimittendi consilij ergò pronunciabat, Dixerunt. Asconius.

VINDICIVS seruus Vitelliorum siue Aquiliorum coniurationem Tarquiniorum & filiorum Bruti detexit, donatúsque propterea libertate ex sententia Valerij Poplicolæ fuit, ex quo postea manumissioni Vindictæ nomen mansit. Plutarchus. & Liuius.

GEORGIVS Pogiebrachius Boemię rex, certior per Michaelem Zilagium Coruinum auunculum factus, Mathiam Coruinum apud se captiuum Vngarię regem esse declaratū: seq; rogari, ut ad regni fines reges, redemtionis precio persoluto, adducat: accubātem sub se in imo loco Mathiā, cōtinuò superius ascendere, sibiq; præsidere iussit. Ast ille rei insolentiam admiratus, ne ludibrij gratia nouitas illa fieret, extimescens: percunctatus, Cur id ita præposterè fieret? cœnare interim iussus est: exacta cœna, faustū ac felix nunciū exauditurus. Subticuit adolescens, & spe plenus cœnare non poterat. Post cœnā, rex, Quid mihi Mathia (inquit) exsolueris, si summā inauditamq; tibi lætitiā nūciaro? nónne cumulatissima pro tanto gaudio mihi pręmia referes, & quod à te postulauero, ultrò cōcedes? At ille: Nihil mihi, rex, libertate lætius esse potest: quā si concesseris, perpetuā, si potero, gratiā, etiā quæcūq; petieris, me recipio relaturū. Qui in aliena manu sunt, quādo cogi possunt, iuberi, nō exorari debent. Tūc ille regem Vngariæ eum salutauit, perpetuūq; ab eo fœdus amicitiæ petiit, oblatis filię nuptiis, quam se ducturum Mathias reciperet: præterea sexagies mille aureūm pro redemtione sibi numerari, ut patienter permitteret, orauit. Postulatis Mathias annuit: maiora quoq; concessurus, dummodo liberaretur. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

Literis, Epistola.

ARCHIÆ tyranno Thebanorum in symposio epistola oblata de coniuratione. Quam cùm ille tanquam rem seriam in crastinum differri iussisset, ea nocte cæsus est. Plutarchus de Socratis dæmonio.

Dionysium tyrannum in Italica expeditione absentem monebat per epistolam Damocrates de Dionis irruptione. Quam cùm lupi improbitate nuncius amisisset, regno Siciliæ excidit. Diodorus.

C. IVL. Cæsari libellus coniurationis Cassianæ index oblatus fuit in Senatū eunti, quem ille in sinū abdidit: & [illegible] ulo pòst [illegible] armis cæsus est. Suetonius.

AV[illegible] M. sontium quæstioni diutius assidentem per cō[illegible] uit Mœcenas; Exurge tandē carnifex. Idem.

Inscriptione.

SPADO qu[illegible] domus inscripsisset, μηδὲν κακὸν εἰσίτω: Diogenes, At herus, inquit, domus quà tandem ingredietur? Erasmus in Adagiis.

Ἐν θύρᾳ καλός: id est, In ostio formosus. De iis qui adamantur, uulgoq; gratiosi habentur. Sumtū à VETERVM consuetudine, qui formosorum aut amasiorum nomina, arboribus, foliis ac parietibus inscribebant, ὁ δεῖνα καλός. Ad id alludit Aristophanes in Vespis, & Acharnensib. Erasmus.

Notis.

☞ *Vide sub loco Notarum, Campanæ pulsu, Manu exerta aliquid indicare.*

Cambyses Persarū rex, cùm in somnis uocē audisset, Smerdem fratrem solio sedere regio, Prexaspē ad eum interimendum misit. Non multo pòst duos catulos, alterū leonis, alterum canis cōmittit: & cùm à leunculo catulus superaretur, alter catulus, huius canis frater, abrupto loro superuenit: atq; cū duo essent, ita superiores leūculo extitere. Cābyse hinc uoluptatē capiēte, SOROR eadēq; uxor ei assidēs illacrymauit. Causam rege quęrente, respondit, se uiso catulo suppetias fratri ferente, ideo flere, quòd subierit memoria Smerdis, cuius sciret neminē fore ultorē. Et ob hoc dictū à Cambyse interemtam memorant. Aegyptij uerò ob id, ꝙ cū ad mensam discumberetur, mulier lactucā sumserit: eiusq; decerptis foliis, Cābysem interrogarit, Vtrū discerpta lactuca, an densa pulcrior foret? isq; respōdisset, Densa. hāc subintulisse, Et tu lactucā aliquādo imitatus es, qui Cyri domū denudasti. Ibi Cambysen indignatione percitū, insiliisse calcib. in prægnātem, eamq; abortu edito decessisse. Herod. lib. 3. & Iustinus.

HERACLITVS flagitantib. ab eo ciuibus, ut sententiā aliquā de concordia diceret: conscenso suggestu, poculoq; frigidæ sumto, atq; asperso farinæ aliquantulo, cùm id pulegio agitasset epotassetq;, discessit: significans eis, Contentū uulgaribus esse, neq; sumtuosa quærere, hoc ipso ciuitates in pace & concordia retineri. Plut. de Garrulitate.

ANACHARSIS inuitatus apud Solonem cùm accubuisset, lęuam uirilibus, ori dextrā tenuit admotam. Quippe freno censebat firmiore opus habere linguam. Idem.

Cùm ARISTOTELES anno ætatis 62. desperatè decūberet, discipuli de successore solliciti erant. Erant tunc in schola eius pręter multos alios duo eximij, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Aristoteles igitur ut discipulorum petitioni satisfaceret, uinū quęri iussit, uel Rhodiū aliquod, uel Lesbiū, usurūq; eo dixit, quod sese magis iuuisset. Eunt, inueniunt, afferunt. Tum Aristoteles Rhodiū degustans, Firmum, inquit, herclè uinum & iucundum. Mox Lesbium similiter degustans, Vtrunq;, inquit, oppidò bonum: sed ἡδίων ὁ λέσβιος. Id ubi dixit, nemini fuit dubium, quin lepidè simul & uerecundè successorem illa uoce sibi, non uinum delegisset. Gellius lib. 13. c. 5. & Laert. lib. 5. c. 1.

ROMANI olim in capitis iudicio, per θ seu η in urnam coniectas literas, signum mortis & capitis supplicio afficiendum notabant (quam Liuius Tristiorem notam uocat) per τ & α absoluebant: per N & L proferebant causam, quū Non sibi Liquere de causa significarent, quæ ampliationis tabella dicta est. Asconius. M. Tullius pro Milone, salutarem in iudicando literam, & tristem uocat, quòd hac absolueretur reus, illa damnaretur. Erasmus. Z quoq; in sortibus inauspicata fuit & mali euentus. Nonnulli in nomenclatura militū per τ superstites, per θ defunctos in acie tribunos annotare prodiderunt. Alij calculo cretæ, absolutionis: carbone uerò, condemnationis symbolum indicarunt: tametsi iudices Romæ per tabellas plerunq; ferre iudicia inueniamus, quæ semel definita reuocare non licebat. Apud GRÆCOS alba faba in sortibus auspicata fuit & boni euentus: nigra uerò, mali. Alex. lib. 3. cap. 5.

S literam habere silentij notam constat, quando taciturnitatē impetrare cupientes, lingua sonum eiusmodi uelut sibilum efformamus: quæ ab hoc ipso Græcè sigma creditur appellata, παρὰ τὸ σίζειν. Vnde eam VETERES foribus cœnaculorum præfigere consueuerant. At ueteres Latini S & T simul agglutinantes effingebant st syllabam, quæ sola (ut Verrius inquit) sine uocali cōpacta uidetur, qua & in Phormione Terentius utitur. Cælius lib. 12. c. 18. A. L.

Apud Romanos mos erat militaris, ut si qua ciuitas ui subacta, hostili incursu diripienda foret, à DVCE exercitus [illegible] dito in loco hasta poneretur: qua significatione illam [illegible] deditione & pacto, sed tanquam ui captam diripi lice[illegible] & in bona & personas grassari designabatur, quæ hasta cruenta fuit nuncupata. Nam captas, non deditas urbes, diripi ueteres uoluére. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 16.

Iustiniano Magno Imp. dolore capitis fatigato, cùm in publicum non exiret, rumor in urbe dispersus est, ipsum morbo esse consumtum. Itaque tumultu suborto, tabernæ direptæ sunt. neque hora tertia uenalis panis inueniebatur. prouectaq; res esset longius, nisi hora nona PRÆFECTVS urbis luminaria per totam urbem accendi iussisset, atq; eo signo Imperatorem ualere significasset. quo conspecto, omnis repentè tumultus elanguit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Boum cornupetentium, quo deuitent eos occurrentes, cornu fœnum alligabant ROMANI. Fortè quia ex saturitate & sagina boues, equi, asini, homines lasciuiūt, ut ait Sophocles:

σὺ δὲ σφαδάζεις πῶλος ὡς εὐφορβία·
γαστήρ τε γάρ σου καὶ γνάθος πλήρης.

hoc est, Pulli instar exultas prę saturitate, uētre & bucca plena. Plut. in quæst. Rom.

QVIBVS.

Vxori.

[redacted]

NVNCIARE.

FAVSTA, FELICIA. Puta

Hostium fugam.

LEPROSI quatuor Israelitæ, ante portam Samariæ degẽtes, cùm illa obsideretur à Syris, famis causa ad Syros transfugere statuerant; ut uel occiderentur, uel suscepti alerentur. Noctu ad castra transgressi, Syros omnes panico terrore diuinitùs incusso fugisse compererunt. Itaq; ad prædam conuersi, multa abstulerunt & absconderunt. Rem inde Ioramo regi indicarunt, qui Syros in insidiis latentes suspicatus, posteaquam reuera eos fugisse comperit, castra corũ inuasit & diripuit. 4.Regum 7.

Mortem inimicorum.

Cùm Asclepiades Hipparchi ATHENAS mortem Alexandri nunciauisset, negauit ei Demades credendum: iampridem enim cadaueris fœtorẽ totum orbẽ fuisse occupaturũ. Cernens uerò populum Phocion ad res nouas propensum, conabatur eum placare, & frænum imponere. uerùm cũ multi in suggestum prosilirent, clamarentq; uera Asclepiadem attulisse, & fato functum Alexandrum: Igitur si hodie, inquit, mortuus est, & cras erit, & perendie mortuus. Itaq; poteritis per otium & tutius deliberare. Plut. in Phocione.

Victoriam.

Cùm Absalomus cæsus esset, ACHIMAAS à Ioabo petiit, liceret sibi nũcium Dauidi ferre. Ioabus renuit, ne qui bonus semper nuncius fuisset, Absalomi mortem nunciando, regẽ tristitia afficeret. Misit ergo CHVSI quendam. At Achimaas Ioabum denuò rogauit: & uenia concessa, compendio uiarum usus, Chusim anteuertit, regiq; uictoriam nũciauit, mortem tamen Absalomi dissimulauit. Chusi superueniens, cùm inconsideratè mortem Absalomi nunciasset, regem in maximum coniecit luctum. 2.Regum 18.

Apud GRÆCOS, si quid faustè & feliciter nuncij afferrent, coronati aduentabant: ipsiq; ciues in cõmunis signum lætitiæ coronati incedebãt, ouantes gratãtesq;. Alex. lib.1.c.27.

Pugnam Marathoniam denunciauit, ut Ponticus Heraclides tradit, THRASIPPVS Eroensis. Plerique ERICLEM memorant currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidentem in ianua primorum, hoc tantùm dixisse: Saluete, nos salui sumus. mox expirasse. Plut. de gloria Athen.

Cùm Græci duce Leutychide Lacedæmonio aduersus Tigranem Persarum ducem ad Mycalem Ioniæ sub uesperam decertaturi essent, incerto AVCTORE exercitum rumor peruasit, eiusdem diei diluculo Mardonium ad Platæas cũ trecentis Persarum millibus superatum, & caduceum supra fluctus eminens apparuit. Eo rumore Græci confirmati, Persas uicerunt. Cùm autem utrunq; prælium circa Cereris delubrum cõmissum fuerit, Deæ indicio Græcos confirmatos fuisse, fama est. Herodotus lib. 9.

Demetrius Poliorcetes insigni uictoria nauali cõtra Ptolemęũ potitus, uictorię nunciũ patri Antigono, Milesiũ ARISTODEMVM misit, inter omnes aulicos primum adulatorem: qui [illegible] laborauit, uti declarauit, maxima adulatione cumulare [illegible] uictoriã. Vt enim ex Cypro trãsmisit, uetuit nauigiũ terrę appelli, sed anchoras iaci, omnibusq; cõquiescere præcepit naui. Ipse scapham conscendens solus est egressus, atq; ad suspensum pugnæ expectatione perrexit Antigonum, itáque affectum, ut uerisimile est tantis de rebus sollicitos. Tunc uerò ubi illum accepit adesse, multo quàm prius magis trepidauit, uixq; ad percunctandum de pugnę exitu Aristodemum misit. Qui ut nihil cuiquam respondit, sed lento gradu uultuq; contracto accessit admodum tacitus: mirè attonitus Antigonus, neque ultrà sui compos, occurrit ei ad ianuam, multa iam Aristodemum prosequente turba, atque in regiam concurrente. Vt ergo propè uenit, protensa dextra exclamauit alta uoce: Salue rex Antigone, uicimus prælio nauali regem Ptolemæum, Cyprum tenemus, militum sexdecim millia octingentos captiuos habemus. Tum Antigonus: Et tu quoque hercle, inquit, salue. Quia uerò ita nos torsisti, lues pœnam. Nam tardius præmium læti nuncij accipies. Hinc occasione capta uulgus Antigonũ & Demetrium reges consalutauit primùm post Alexãdri mortem. Plutarchus in Demetrio.

Fuit receptus mos ROM. ut quoties insigni uictoria consules potiti essent, ob res prosperè gestas, laureatis fascibus prælatis incederent: literasq; laureatas Romã mitti, aut nuncios [redacted] sisse dicitur. Alex. lib.1.cap.27.

MAGO Hamilcaris filius Cannẽsis uictoriæ nuncius Carthaginem missus est. Hic frequenti senatu res à fratre Hannibale in Italia gestas ita exposuit, ut diceret biennio, quo in Italiam uentum erat, ducenta millia hostiũ, plurib. præliis, ductu & auspiciis Hannibalis cæsa, quinquaginta capta, duos cõsules occisos, duos exercitu exutos, unũ sauciũ, magistrũ equitum acie uictum: Dictatorem, quia in pugnam nunquã descendisset, unicũ imperatorem haberi: Capuã post Romanas opes accisas Italiæ caput, Apulos, Brutios, Lucanorũq; & Samnitiũ nõ paruam partẽ ad Pœnos defecisse. Cui tam læto nuncio, ut maior fides haberetur, tantam uim aureorũ anulorum in uestibulo curię effudit, ut metientib. tres modios & dimidiũ expleuerit, ut quidam prodiderunt. Fama tamen tenuit, unũ, quod propius uero est, fuisse modiũ. Adiecit inde in maioris uictorię argumentũ, equitum id insigne, atq; primorũ eius ordinis, apud Rom. esse. Miror equidẽ, Liuium, aureos fuisse anulos, prodidisse: quum Plinius auctor sit, ante C. Marij tempora nullum aurei anuli usum priuatis ciuibus fuisse. Sabellicus lib.3.En.5.

Dignitatem.

Galba à militib. Imp. salutatus, in Hispaniã secesserat. Præcipite in noctem die SICVLVS quidam libertus eius Roma septimo die uenit. Hic cùm Galbam intellexisset solum quiescere, citato cursu ad cubiculũ eius profectus, inuitis cubiculariis aperuit ostiũ, ingressusq; annũciauit, Nerone adhuc uiuo, sed nusquam apparente, exercitũ primùm, deinde populum & senatũ Galbã appellasse Imperatorẽ, mox mortẽ eius allatam: non habuisse tamen ait se nunciis fidẽ, sed perrexisse ipsum ad cadauer, atq; cùm exanimem spectasset, tum ꝓfectum. Hoc Galba nuncio est mirè excitatus, concurritq; ad ianuam eius hominum frequẽtia, qui magnoperè sunt ab eo confirmati, quãuis esset nuncij celeritas incredibilis. Verùm biduo pòst T. IVNIVS cum multis aliis aduenit, ex castris senatusconsultũ ordine perferens. Atq; hic ad splendidum ordinem prouectus est. Liberto ius anulorum aureorum dedit, ac Marcianus Vicellus iam dictus, primum locũ inter libertos eius tenuit. Plut. in Galba.

Carolo V. Cæsare designato, Electores datis ad Carolum literis, & missa legatione, rem omnem denunciarunt: legationis erat princeps Fridericus Palatinus. Verùm interea nonnulli priuatim in Hispaniam contenderunt eius rei nuncij, quos inter VNVS Frãcoforto dicitur nono die Barchinonẽ uenisse. Sleidanus lib. 1.

Dilationem.

Cicero tãti faciebat benè dicere, atq; adeò laborabat in eo anxiè, ut causam apud centumuiros dicturus, instante die, seruum EROTEM, qui iudicium in posterum diem reiectum nunciarat, manumiserit. Plut. in Apophth.

Aduentum.

ROMANI siue rure, siue peregrè redierint, præmisso nuncio adesse se uxoribus significant: properantq; uelut exoptantibus & expectantibus lætum nuncium de se præmittere. An potius de illis audire ipsi cupiunt, saluus ne & cupientes domi inueniant? An pluribus curis domesticis mulieres negociisq;, cùm absunt uiri, sunt districtæ, pluresq; rixas & motus aduersus domesticos habent? Quo igitur his discussis pacatè uirum & hilariter excipiant, hæc datur significatio. Plut. in quæst. Rom.

Partum.

[redacted]

INFAVSTA.

Spartana mulier, cùm quinq; liberos haberet in eo prælio, quo haud longè ab urbe decertabatur, uenientem inde QVENDAM rogauit, Quo in statu rerum summa uersaretur? Respondẽte autem illo, Filios eius omnes interiisse: mulier ad eum, Malo tuo fato, hoc à te non petij, sed ut patria res se haberet rogaui. Cùm is postea subiunxisset, Pulcrè omnia se habere: Lugeant ergo miseræ, inquit: ego uictrice patria beatã me iudico. Plut. in Lacon.

FALSA.

Ex loco Scurrilitatis quædam.

STRATOCLES Thebanis suasit, ut quasi ob lętum rerum benè gestarum nuncium diis honorem haberẽt. At cùm clade uerè allata stomacharẽtur, rogauit populum, Quid cum lęsisset, qui sua opera lætus fuisset triduum? Plutarchus in pręceptis Politicis.

Alexander Magnus, ut Asiaticum bellum à patre Philippo inchoatum facilius exequeretur, in Triballos mouit, ne post se ullam gentem Macedonibus infestam relinqueret: Demosthenes, qui Philippi patris rebus semper infestus fuerat, à Persis corruptus, in concione QVENDAM produxit, qui affirmaret, Alexandrum in Triballis periisse, Macedonũmq; copias ibi occidione occisas, seque interfuisse prælio, cuius rei uulnera in corpore monstrare posset. Atque hoc mendacio Athenienses ad defectionem permouit. Sabellicus libro 4 Enneadis 4.

PROCLAMARE PER PRÆCONEM.

Lapidem quendam æditiorem ROMÆ fuisse, compluriũ auctorum testimonio constat, unde PRÆCONES in auctionib. res uenales nunciabant. Vnde M. Tullius uilissimos homunculos de lapide emtos appellat. Erasmus in Adagiis.

THEMISTOCLES, proscripto agro iussit & hoc pręconẽ addere reliquis dotibus, quòd bonum haberet uicinum. Plut.

NARRARE, RECENSERE.

Ex loco Philologiæ tum urbanæ tum scurrilis huc non pauca.

C. Piso quidam historicus C. MARIVM septimum coss. aduentãte à bello Mithridatico L. Sylla tradit à cœna cum amicis suis inambulantem, sermonẽ de rebus gestis suis habuisse, reductis à capite, & crebris in utramque partem uicibus enarratis fortunæ suę, Non esse uiri prudentis dixisse ultrà ei se committere: Inde salutatis amicis, cùm dies perpetuos septem decubuisset, decessisse septimo decimo septimi consulatus die. Plut. in Mario.

TESTARI. TESTIMONIVM uel

DICERE.

Orator quidam cùm hyperbolicωs diceret, VNI testi non esse credendum: adiecit, ne Catoni quidem. Eras. in Adagiis.

NON DICERE.

Negabat C. IVL. Cæsar testis rogatus se quippiam compertum habere de cæremoniis Bonæ Deæ, quæ à Clodio pollutæ dicerentur. Tum iis, qui in eam rem anquirebant, Cur ergo uxorem eiecisti? respondit, Domum meam non solùm oportuit crimine carere, sed suspicione etiam criminis. Plutarchus in Apophthegmatibus.

TESTAMENTVM CONDERE.

Codicilli, scriptura, qua defunctus leuiter ac sine ulla solennitate uoluntatem suam testatus est, de eo quod post mortem suam fieri cupit. Eorum autem alij sunt fideicommissarij, alij directi. Fideicommissarij sunt, in quibus scriptor uerbis utens precariis, suam de rebus omnibus, quæ testamentis cõprehendi solent, hæredi suo petitionem exposuit. Directi, in quibus directis ciuilibusq; uerbis scriptoris uoluntas de legatis duntaxat alicui relinquẽdis exposita est. Hæc ex Instit. sub tit. de Codicil. summatim. Hotoman. de Verbis Iuris.

VETVS est testantium mos (quod ipsum apud iureconsultos lege sancitur) ut primo testamenti capite, hæredis fiat institutio, siue unus, siue plures sint, qui in uniuersum bona ex defuncti uoluntate capiant: sequenti capite & in ima cera, secundi hæredes, legata, & reliqua testatoris uoluntas, & dispositio ponantur: siue aliquos onere grauat, aut si quib. dari fierique oportere, testator pro sua uoluntate arbitratus est: qui non hæredes, sed legatarij dicti. Siquidem nõ bona in uniuersum, sed legata & res singulares capiunt: idque ex integro asse, atque ex toto patrimonio deducitur. Sic apud Tranquillum cùm primo capite testamenti Cæsar tres fecisset hæredes ex asse, in ima cera & ultimo capite reliqua posuisse dicitur, quæ asscriptis hæredibus deberentur, & C. Octauium in familiam, noménque adoptasse, secundos hęredes & tutores nominasse, populo hortos publicè & uiritim trecentos sestertios legasse. Alex. lib.1.c.1.

HILARION eremita in Cypro insula octogesimo ætatis suæ anno, cùm absens esset Hesychius, eius comes, quasi testamenti uice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens: Euangelium scilicet, & tunicã sacceã, cucullam & palliolum. Nam minister eius ante paucos dies obierat. Hieron. in uita Hilarionis.

LVD. Campisamperius Patauinus nobilis penè impubes Paulum Doctum ob fratris cædem Patauij palàm aggressus interemit. Quare exilio multatus, post aliquot annos in gratiam Mantuani principis, cui iam non amicus tantùm, sed & affinis factus fuerat, à Senatu Veneto in patriam restitutus, Romam pòst rediit, pro controuersia dotis tractanda: atque ibi à sicariis circumuentus interiit, anno salutis 1521. Is liberis carens, testamento cauit, ut in sua hæreditate, non nisi ex propria familia, doctor, qui peritior haberetur, succederet, & post hunc alter similiter doctor, & doctore deficiente, miles, uel ciuis ex ea familia magis honoratus. Bernard. Scard. lib.3. hist. Pat.

CONNVS Calaonis & Cerri comes nobilissimus, Patauinus, circa ann. sal. 1105. cum liberis careret, reliquit arces suas ei, qui prior post obitum suum eas ingrederetur. Estenses fortè fortuna primi ingressi, ex legato & Cerri & Calaonis facti sunt domini. Bern. Scard. lib.3. hist. Pat.

FR. Guerinus architectus Patauinus, uxori iuuenculæ, quam senex duxerat, testamento bona sua reliquit omnia, ea lege, uti secundis nuptiis doctorem duceret, qui Guerini cognomen assumeret cum omni posteritate. Sin uerò sine liberis decederet, bona omnia monialibus B. Antonij Peregrini cederent. Bern. Scard. lib.3. classe 15. hist. Pat.

NON COMMVNICARE, OCCVLTARE, ABSCONDERE uerum.

De Non communicato Bono in sequentibus. Hìc eius quod Verum est, esséue uidetur, negata communicatio consideratur. Etsi propter indiuiduum nexum nihil prohibet idem ut Verum & ut Bonum perpendi, sed diuerso respectu.

QVID. PVTA

Sacra, Religionis mysteria.

Ex loco Iustitiæ religiosæ & Impietatis quædam, quatenus utraq; occultat sua.

Sacra Eleusinia in honorem Cereris agebantur apud ELEVSIM, summa religione, mysticisq; cæremoniis, à quibus arcebantur prophani. Capitale autem erat ex his mysteriis quicquam in uulgus efferre. Talia uidentur fuisse etiam apud Romanos sacra Bonæ deæ: quam eandem C. Bassus apud Lactantium Fatuam appellatam tradidit: nam noctu & in operto fiebant, & exclusis maribus. Eras. in Adagiis.

ORPHEVS ubi quem sacrorum cæremoniis imbueret, initiationis planè in uestibulo aliud nil exegit, quàm iurisiurandi necessitatem, qua horrido more obstrictus propositæ religionis arcana in profanum uulgus non ederet. Cælius lib. 15. cap. 9. Antiq. Lect.

Dirces conditoriũ, apud THEBANOS, iis solis, qui præfecti equitum essent, notum fuit. Qui deponebat magistratũ, successorem solus solum ducebat nocte, & id ei monstrabat, operatiq; certis citra ignem sacris, quorum confundebant & delebant notas, sub noctem diuersi recipiebant se. Plutarchus de Soc. dæm.

ROMANI ex cęteris sacerdotibus, si quis iudicatus sit atq; in exiliũ iuerit, eũ abire sacerdotio cogebãt, ac sublegabant aliũ: augurẽ, dum uiueret, quãuis maximorũ criminũ eũ damnassent, non spoliabant sacerdotio: Vel quia nollent quẽquam, qui sacerdos non esset, arcana scire sacrorũ: Vel quia sacramento deuinctum, ne cuiquam enunciet, quæ ad sacra pertinent, augurẽ nollent, si priuatus fieret, sacramento soluere. Plut. in quæst. Rom.

Deum illum, in cuius potissimũ tutela & præsidio est Roma, siue mas siue femina sit, dicere, quærere, & nominare olim uetitũ erat ROMANIS, & Val. Soranũ, quòd id effutisset, male perisse proditũ: quoniã, ut nõnulli Romani scriptum reliquerunt, deorum euocationes, & fascinationes sunt: quib. quia arbitrabantur euocasse se deos ab hostibus, eosq; ad ipsos migrasse, metuebant ne iidẽ ipsis accideret ab aliis. Vt igitur Tyrij uinculis signa alligasse feruntur, alij sponsores postulasse, cùm ad balnea illa uel ad expiationem aliquam dimitterent: Ita Romani, si secretum esset & ignotum dei sui nomen, tutissimam rati sunt eius & fidelissimam custodiã. An sicut cecinit Homerus,

Omnibus est tellus communis,

quo homines omnes deos uererentur colantq;, terram qui habent in communi: sic supprimebant salutis auctorem prisci Romani: ut non tantùm hic, sed & omnes à ciuibus dij colerentur? Plut. in quæst. Rom.

OCTAVIVS Cęsar Athenis initiatus, cùm postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotiũ Atticæ Cereris cognosceret, & quædã secretiora ꝓponerẽtur: dimisso cõcilio & corona circũstantium, solus audiit disceptantes. Suetonius.

Philo-

Philosophiam.

AEGYPTIORVM philosophia magna ex parte fabulis & rationibus, obscura ueritatis uestigia præ se ferentibus, inuoluitur: quòd etiam ipsi indicant, Sphinges antè templa meritò constituentes, utpote ænigmaticam sapientiam theologia ipsorum continente. Quin & Mineruæ, quam Isidem cognominant, quod in Sai est simulacrum, talem inscriptionē habebat: Ego sum omne, quod fuit, quod est, quodque erit, & peplum meum nemo mortalium reuelauit. Seruius & Stobæus Serm. 4.

SOCRATES apud Platonē in Theæteto disputaturus de reb. subtilioribus, ἄθρει δὴ, inquit, περισκοπῶν, μήτις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. id est, obserua iam circumspiciēs, ne quis prophanus exaudiat. Imitatus est PYTHAGORAM, qui sic præfatur,

ἀείσω ξυνετοῖς· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι. id est,

Cordatis cantabo: fores tamen obde prophane.

Erasmus in Adagiis.

PLATO, Timæum dialogum ab se haud dimittebat, ne secretarum disputationum cōmenta præsignia & diuina insinuaret impuris, qui nec ab limine philosophiæ mysteria cōsalutassent. Quæ Pythagoreis quoq; silentij repagulis à pullato defendebantur circulo. Cælius lib. 15. c. 9. A. L.

ARISTOTELES conquerenti Alexandro, quòd libros acroamaticos in uulgus edidisset: Editos respondit, & nō editos.

Consilia quæuis.

CLEOPATRA à Cæsare ex agro, ubi latebat, Alexandriam uocata, unum secum trahens ex amicis Siculum Apollodorum, exiguo acatio consceso, primis iam tenebris applicuit ad regiam. Cùm nulla alia ratione posset latêre, culcitra inuoluta protendit se in longum: Apollodorus cōstrictam loro culcitram per portam ad Cæsarem intulit. Atq; hoc primo Cleopatræ commento Cęsarem autumant captū, quòd lepidam inuenerit: pellectumq; cætera eius comitate & festiuitate, reconciliauisse eam cum fratre hac lege, ut consors regni esset. Plut. in Cæsare.

M. BRVTVS & C. CASSIVS cùm contra Cęsarem conspirassent, Ciceronem tamen, cui cùm fidebant plurimum, tum diligebant summè, celauerunt de consilio, ne ad insitam timiditatem adiungens ex ætate senilem cautionem, mox singula æstimando ad summam exigens securitatem, alacritatis ipsorum aciem, quæ celeritatem requirebat, perstringeret. Plutarchus in Bruto.

Bellica consilia.

☞ *Consule locum, Stratagematum, Consilia sua hostem celare.*

LACEDÆMONII ueteres, cùm dissimulare & occultare literas: publicè ad imperatores missas uolebant, ne si ab hostibus exceptæ forent, consilia sua noscerentur epistolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, oblongi, pari crassamento, eiusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Vnus imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. Quando usus uenerat literarum secretiorū, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, uolumine rotundo, ac simplici, ita ut oræ adiunctæ undique & cohęrentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro per transuersas iuncturarum oras, uersibus ab imo ad summum proficiscentibus inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis reuolutum ex surculo, imperatori commenti illius conscio mittebant: reuolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat, membraque earum & apices in parteis diuersissimas spargebat. Propterea si id lorum in manibus hostium inciderat, nihil quicquam coniectari ex eo loro quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, capto, ad finē, perinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat, atque literæ per ambitum eundem surculi coalescētes, rursum coibant, integramq; & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Hoc genus epistolæ Lacedæmonij σκυτάλην, id est, loricatum surculum appellant. Erasmus in Adagiis ex libro decimoseptimo Noct. Att. Gellij, cap. 9.

Arcana quæuis alia.

☞ *Vide Tit. Fidei erga magistratum. item locum Morositatis in iis, quæ non oportet, celandis.*

Mortem suam.

PAVLVS Thebæus Eremita ab Antonio monacho sub finem uitæ uisitatus, ut à se recedēti mœror mortis suæ leuaretur, illum ad suum monasterium reuerti, & pallium, quod ab Athanasio episcopo, ad inuoluendum suum corpusculum acceppisset, afferre iussit. D. Hieron. in eius uita.

Sepulcrum.

☞ *Vide Tit. Sepulturæ prudenter consulere.*

CVR. CAVSA

Quæstus.

SOPHISTÆ ueteres, teste Aristotele in Topicis, non præcepta artis, sed exempla tantum discipulis proponebant, ut quò serius artem perdiscerent, eo ampliorem ex illis quæstum perciperent.

Maiestatis.

Sic dogmata recondita PHILOSOPHI occultare consueuerunt: atque etiam Sacrarum literarum auctoritate, Gloria Dei est abscondere uerbum.

RETICERE, NON ENVNCIARE.

Plutarchus in Symposiacis narrat, LACEDÆMONIIS hunc fuisse morem, ut si quem amicum aut hospitem in domum acciperent, ostensis foribus dicerent, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, id est, Hac non egreditur sermo. Ex Lycurgi institutione, qui natu maximus erat, stabat ad ostium, & ad conuiuiū ingredientibus dicebat, ostensis foribus, διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται. id est, Per hasce nullus sermo progreditur foras. Horatius inter iucūdi cōuiuij cōmoditates cōmemorat:

—— Ne fidos inter amicos

Sit, qui dicta foras eliminet. Erasmus.

Narrat D. BERNARDVS de quodam (an fortè de seipso) Sermone 82. super Cantica: Scio hominem aliquid aliquando inter loquendum ex his quæ suggerebat spiritus (etsi non infideli, minus tamen fidenti animo) retentantem sibi & reseruātem, ut haberet quid diceret denuò tractaturus. Et ecce uox ad eum (ut quidem ei uisum est) Donec istud tenebis, aliud non accipies.

MONICA Augustini mater inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se præbębat pacificam, ut cùm ab utraque multa de inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgēs atq; indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas ualeret. D. Augustinus libro 9. Confessionum, capite nonō.

ADMIRARI.

TELEMACHVS, ut erat imprudens, imò ineptus, Nestoris domum cùm uidisset lectis, mensis, uestibus, stragulis, suaui uino instructam, non gratulatus est rerum necessariarū uel etiam utilium compoti. Sed cùm apud Menelaum ebur, aurum, electrum spectasset, obstupefactus ait:

Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή,

ὅσσα τάδ' ἄσπετα πολλά, σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα.

Taliter aula Iouis nitet intus cuncta regentis.

Quæ copia est rerum? cepit stupor aspicientem.

Socrates dixisset, uel etiam Diogenes:

ὅσσα τάδ' ἄθλια πολλά, γέλως μ' ἔχει εἰσορόωντα,

Quę copia est uanę stultitię & miserię? risus capit aspicientem. Plut. de Cupiditate diuitiarum.

Scribit Cicero, quòd cùm Orestem fabulam Euripides componeret, eamq; ita exorsus esset;

Neque tam terribilis ulla fandi ratio est,

Neq; sors, neq; ira cœlitum inuectum malum,

Quod non natura humana, patiendo hæc, ferat.

SOCRATEM statim hos tres primos uersus reuocasse, admiratumq; esse. Gyrald. de Hist. poet.

Hercules cùm ad boues Erythræas nauigaret, leonis exuuio carbasi uice, claua mali loco, pro rudentibus pharetræ loris, pro remo arcu, deniq; pro nauigio lebete usus est. Quod insuetatum profectò nauigandi genus cùm uidissent ACCOLÆ, exclamabant, ἄλλο γλοῖος κώπης. Refertur in Plutarchi collectaneis. Erasmus.

ZEVXIS cùm Helenam pinxisset, NICOSTRATVS pictor stupefactus, imaginem intuebatur, sic ut manifestum esset eum picturam admirari. Accedens quidam rogabat, Quidnam tantū artem admiraretur? At ille: Non, inquit, id me rogares, si meos oculos haberes. Aelian. lib. 14. Var. hist.

ALEXANDER Magnus cum Diogene Cynico apud Corinthum congressus, usque adeò obstupuit admiratusq; est uitam & grauitatem morum eius, ut crebrò mentionem eius faciens diceret: Nisi Alexander essem, Diogenes esse uellem, id est, literarum studiis me dederem, nisi philosophum agerem factis. Plut. orat. 1. de fortuna Alexan.

CLEOMBROTVS Lacedæmonius Plutarchi ætate, cùm Iouem

Ammonem adisset, cætera, quę illic erant, non mirabatur: tantùm ea, quæ de lucerna æterna sacerdotes narrabāt: semper eam minus quoque anno absumere olei: quam notam habebant annorum imparitatis: quæ alterum præcurrente semper tempore breuiorem efficeret: quippe probabile esse, ut angustiore tempore exhauriatur minus. Plutarch. de Def. oraculorum.

CONSTANTIVM Imp. cū è Thracia Lugdunū usq; Magnētium persecutus confecisset, Romam uisendi, ac triumphi agendi cupido incessit, quo populo Rom. pacato, ut rarum, sic uisendum magnificentissimæ pompæ spectaculum ostentaret. Itaq; Mediolano uia Flaminia iter ingressus, magnis stipatus agminibus, Ocriculos omnibus admirandus aduenit. Vbi uerò ad urbem accessit, mirari singula occurrentia oculis cepit: ac senatum quidem, & patricios spectans, asylū totius mundi adesse existimabat: plebem uerò intuēs, quidquid esset hominum Romam confluxisse putabat. Postquā in forū uenit, primùm ipsius fori claritate, deinde, quocūq; se oculi intulerunt, miraculorū crebritate obstupuit. Sequ. dieb. lustrans urbē, quidquid primū uidebat, id inter omnia eminere putabat, Iouis Capitolini templum, Thermas, Amphitheatrum, Pantheon, Forumq; Pacis, & Pompeij theatrū, & Odeum, & Stadium, aliaq; insignia urbis Romanæ ornamenta. Cùm ad Forum Traiani uenisset, singularem in terris structuram est admiratus. Omni uerò spe eiusmodi quidquā conādi abiecta, Traiani equum locatum in atrij medio, qui ipsum principem uehebat, imitari se uelle & posse dixit. Cui propè astans regalis Hormisda, homo Persa, Antè, inquit, Imperator, stabulum tale condi iubeto, si uales: equus, quē fabricare constituis, ita latè succedat, ut iste, quem uidemus. Multis demum cum stupore uisis, de fama conquestus est, quòd ornans omnia semper in maius, in iis, quæ Romæ essent, explicandis obsoletior esset. Sigonius libro 6. Imp. occid. ex Marcellino.

D. AVGVSTINVS lib. 10. Confessionum, admirari satis nequit Memoriæ humanæ uim & thesauros inexplicabiles, q̄ non tantùm eorum quæ sunt imagines, sed & ea quę sciuntur tantùm, insuper uerò & quorum obliti sumus, species in suis receptas abyssis contineat.

THEODERICVS Ostrogotthorum rex Romam ueniens oculis omnia antiqua opera, quibus adhuc urbs ad stuporē aspectantium enitebat, lustrauit, confessusq; est, Traiani Forum uel sub assiduitate uidere, miraculum esse: Capitolia celsa conscendere, nihil aliud esse, quàm humana ingenia superata uidisse. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

ATHANARICVS Vestgothorum rex Constantinopolim ueniens, laxatum omnibus curis animum inspiciendæ ædificiorum operumq; magnificentiæ impendit, urbis situm nauiumq; instructissimos portus miratus. Ac deinceps regiam Imperatoris Theodosij ingrediēs, & obsequia uariaq; officia cōspiciens, quasi in stuporē uersus, Ea, inquit, cerno, quę sæpe incredulus audiebā: sine dubio deus terrenus est Imperator: & si quis aduersus eum manū erexerit, ipse sanguinis eius reus erit. Cranzius lib. 2. Succiæ, cap. 28.

NON ADMIRARI.

THEORICE, *Philosophicè.*

PYTHAGORAS ex philosophia memorat se parasse, ne quid admiraretur. Plut. de Audiendo.

PRACTICE. EX

Stupiditate,

THESSALI Simonidis Lyrici poemata, quæ reliqui Græci maximi faciebant, minimè admirabātur. Itaque rogatus ille, cur solos Thessalos non deciperet & inescaret suis carminibus? Stupidiores enim sunt, respōdit, quàm ut decipi queant. Plutarchus.

Pindarus Ode 9. Pythiorum EOS qui non admirantur Herculem stultos appellat, inquiens:

κωφὸς ἀνήρ τις, ὃς Ἡ-

ρακλεῖ στόμα μὴ περιβάλλει,

μηδὲ Διρκαίων ὑδάτων

ἀεὶ μέμναται, τά νιν θρέ-

ψαντο καὶ Ἰφικλέα. Stultus certè hic fuerit, qui Herculi os nō adiecerit, neq; Dircearum aquarum semper meminerit, quæ illum educarunt, & Iphiclum fratrem.

Magnanimitate.

AGESILAVS rex Spartanorum, quorum alios teneri stupore uidebat, ea simulabat nec nosse. Plut. in Apophth.

INVESTIGARE, INQVIRERE, EXPLORARE.

QVAE.

Cœlestia.

QVIDAM Christi opt. max. concionem de regno Dei audiēs, problema ei de numero beatorū proponere fuit ausus, Putarétne paucos saluos fieri posse? Christus curiosam quæstionem utili & necessaria consideratione correcturus, ad problema non respondit, id tantùm seriò monuit, Omnibus sedulò elaborandum, ut per arctam portam ingrediantur. neque enim qui doctior, sed qui melior fuerit, regnū Dei possidebit. Lucæ cap. 13.

Dei prouidentiam.

FRIDERICVS III. Imp. cùm ad Coloniensia comitia repentè ingens uis mortalium conuenisset, hospitum & ciuium censu instituto, panum quoq;, qui eo die in urbe reliqui ad cœnam seruabantur, numerum iniit: sic ut in quatuor uel quinque capita singuli panes obolares uix responderent. Postero die, ecquinam è tanto numero in tanta panis paucitate esuriuissent, quæstione habita, diuinæ benedictionis memorabili exemplo, omnes affatim satiatos fuisse deprehendit Ioan. Agricola Islebius in Adagio Germanico, Gott bescheret vber nacht.

Euentū quem cunq;.

☞ *Consule locum Diuinationis.*

GERMANI, cum quibus bellum est, captiuū quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quęq; armis cōmittūt. Victoria huius uel illius, pro præiudicio accipitur. Corn. Tacitus de morib. Germanorum.

Scripturæ intelligentiam.

MARCELLA Romana uidua D. Hieronymum, qui Romam uenerat, nunquam conuenit, quin de scripturis aliquid interrogaret, nec statim acquiesceret, sed moueret econtrario quæstiones, non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat: tanto quidem profectu, ut post Hieronymi abitum, si in aliquo testimonio scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia ualde prudens erat, & nouerat illud quod appellant philosophi τὸ πρέπον, id est, decere quod facias: sic ad interrogata respondebat, ut etiam sua non sua diceret, sed uel Hieronymi, uel cuiuslibet alterius: ut in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apostolo: Docere autem mulieri non permitto. ne uirili sexui, & interdum sacerdotibus, de obscuris & ambiguis sciscitantibus, facere uideretur iniuriam. D. Hieron. in eius Epitaphio.

Ingenium.

☞ *Vide Titulum, Indoles cognita.*

CLISTHENES Sicyoniorum tyrānus filiam Agaristiam destinabat nuptui dare præstantissimo Græcorum omnium. Ludis igitur Olympicis nunciari iussit uoce præconis, ut quisquis sese dignum putaret, qui Clisthenis gener esset, is ad sexagesimum diem aut prius Sicyone præsto foret: quoniam Clisthenes, intra annum à sexagesimo die incepturus, exequi nuptias destinasset. Itaque omnes Græci aut sua ipsorum, aut familiæ claritate confidentes, eò proci contenderunt: quibus Clisthenes & curriculum & palæstram ad certandum præparauerat. Ibi eos annum apud se detinens, explorauit uniuscuiusq; & uirilitatem, & iracundiam, & eruditionem, & mores: nunc cum singulis, nūc cum uniuersis cōgressus: & iuniores in gymnasia, educens, pręcipuè tamen in conuiuiis experiebatur. Tandem instituto conuiuio filiam Megacli Alcmæonis filio despondit. Herod. lib. 6.

Vetus mos erat ATHENIS adolescentes, cùm ad pubertatem peruenissent, artificiis statim destinare, hoc modo. Proponebātur omnis generis instrumenta, quibus cùm adhibiti essent adolescentes, ad quod quisq; accommodare se, & quasi oblectari uisus, eius artificio, quasi naturæ ipsius annuenti, adhibebatur. Basilius in epist. ad Eudoxū Rhetorē.

Apuleius lib. primo Floridorum, narrat quemadmodum SOCRATES prouerbiū, Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decē: inuerterit, Pluris est auritus testis, quàm oculati decem. Nam cùm conspexisset adolescentem decorū, sed diutile tacentem: Vt te uideam, inquit, aliquid eloquere. Sēsit itaq; Socrates, aurium iudicium certius esse quàm oculorum: quòd oculis non nisi corporis formā contueamur, ex oratione mentis habitum deprehendamus. Eras. in Adagiis.

CONSTANTIVS Imp. in conseruando milite nimiū cautus, examinator meritorum scrupulosus fuit, Palatinas dignitates uelut ex quodam tribuens perpendiculo. Sub eo nemo celsum aliquid acturus in regia repentinus adhibitus est uel incognitus: sed qui post decennium officiorum magisteriū, uel largitiones, uel simile quicquam esset recturus, apertissimè noscebatur. Valdeq; rarò contigit, ut militariū aliquis

ad ciuilia regenda transiret: contraq; non nisi puluere bellico indurati præficiebantur armatis. Marcel. lib. 21.

Latrunculorum ludus ut ingeniosissimus est, ita ingenium & indolē cuiusq; euidentissimè demonstrat, Rationis acumen, Affectuū impotentiā. Nostra ętate duo insignes DVCES militares, induciarū tēpore inter se ludebant. Vnus illorum ut aduersariū suū moræ impatientia præsenti periculo, cū spe aliqua latendi, sed leui tamen illa & incerta, milites suos, regemq; adeò ipsum, exponere semel atq; iterum uidit: præcipitantia ingenij animaduersa, posteaquā induciarum dies expirarunt, insidias à ludo ad seria transtulit, & temeritatis inconsideratæ pœnas, insignem nactus uictoriam, ab aduersario exegit. Fran. Sansouinus Com. de Equitibus.

Sapientiam.

BIAS Prienæus referente Plutarcho in libello de Audiendo, rursum in alio de Loquacitate, AMASIDI Aegyptiorū tyranno sapientiæ eius explorandæ causa iubenti, ut sibi qđ esset in uictimæ, quam ad illum miserat, carnibus & optimū & pessimum mitteret, linguam resectam misit: innuens huius usum esse præcipuum, siue prodesse cupias, siue nocere. Plut. in Conuiuio.

Fortitudinem.

PORCIA M. Bruti uxor, cū philosophiæ studiosa & uiri amās esset, animosaq; atq; cordata, & maritum magnum quid animo uoluere ex uigiliis ipsius collegisset (conspirauerat autem cū Cassio contra Cæsarē) non antè uirū rogare de arcanis aggressa est, quàm periculū sui fecisset huiuscemodi. Cultellū accepit, quo ungues rescindere tonsores solent, omnibusq; exactis cubiculo pedissequis, uulnus femori inflixit altū, unde effluxit uis magna sanguinis; ingētesq; dolores & febris mox cū horrore grauis comitata sunt. Trepidātē Brutum & discruciatū, cùm esset dolor intētissimus, hoc modo affata est: Ego Brute in domū tuam Catonis filia nupsi, non sicut pellices ad lecti tantū & mensæ consortiū, sed etiam ad prosperorū & aduersorum societatem. Tua quidē causa nihil est, quod de nuptiis conquerar. Sed à me quod documētum aut quod oblectamentū erit tibi, si neq; reconditum animi cruciatum, neq; curā, quæ fidē requirit, tecum feram? Nō me fugit naturā imbecillem haberi ad secreta continenda muliebrē. at est aliqua Brute & probi tyrocinij & honestę consuetudinis ad mores tingendos uis. Mihi uerò hoc obtigit, ut & Catonis filia & coniunx sim Bruti. Quibus antehac minus freta, nunc memetipsa uel ad dolorē probaui esse inuictam. Sic fata, ostendit ei uulnus, & quod fecisset periculū, exposuit. Ille attonitus, manibus ad cœlū extensis deos precatus est, ut consilio suo propitij adesse uellent, quo dignū se Porcia præstaret uirum. Plut. in Bruto.

HAQVINVS Noruagiorū rex uictis nauali prælio Danis, & nō paucis captis, cùm audiuisset eos, uel receptis in uultū ictibus, ne leues quidem superciliorum nictus edere, huius rei periculum facere uoluit. Prior Siualdus dux Danus satellitis fuste percussus, oculos motu uacuos præbuit. Karlshefni uerò alium districta securi capiti suo imminentem pulsu pedis prostrauit, extortaq; securi caput ei amputauit. Haquinus, ut utroque potius bono milite uteretur, quàm in utrunq; animaduerteret, remissionem pœnæ, dummodo partes suas fide atque amicitia colerent, pollicetur. Illi uerò turpi pacto prorogandi spiritus beneficium accipere noluerūt. Itaque ab eo constantiæ admiratione dimissi sunt. Saxo libro decimo.

Pudicitiam.

PSYLLI in Africa liberos genitos sęuissimis serpentibus obijciunt. Quos si feræ refugiant, ut legitimos educant: sin minus, ut adulterinos abdicant. Plin. lib. 2. c. 7.

De GERMANIS memorię proditum est, eos uxorum pudicitiam ita probasse: ut infantes recens natos scutis impositos in Rhenum deferrent: si mergerentur, uxores adulterij conuincerent: sin supernatarent, tum infantes pro suis agnoscerent. Vnde illud inter Græca Epigram.

Θαρσαλέοι κελτοὶ ποταμῷ ζηλήμονι ῥήνῳ
τέκνα ταλαντεύουσι, καὶ οὐ πάρος εἰσὶ τοκῆες,
πρὶν παῖδ' ἀθρήσωσι λελουμένον ὕδατι σεμνῷ, &c.

Hinc Claudianus in Rufinum lib. 2.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

OBSTETRIX uirginis cuiusdam integritatē manu uelut explorans, siue maleuolentia, siue inscitia, siue casu, dum inspicit, perdidit. Non opinor, inquit, August. libro 1. de Ciuitate Dei cap. 18. quenquam tam stultè sapere, ut huic periisse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita.

Religionem.

☞ *Scrutari religionis arcana. Sub loco Impietatis distributiuæ.*

VEDEKINDVS Saxonum princeps magno prælio à Carolo Magno apud Hasam fluuium uictus, se ex fuga recepit in arcem, quæ illi fuit ad ripam Visurgi siue Vuiseræ fluminis. Eā rex cinxit obsidione. Elapsus ipse, peruenit in Daniam. Sed non diu pòst assumto Albione, qui ditionem ultra Albium teneret, quā nunc Holsatiam dicunt, reconciliatus est regi, ad Oram fluuium, in loco Vuolmerstede, in orientali Saxonia. Vicina erat Paschalis solennitas, & rex cum uniuerso exercitu sese parabat ad commemorationem Dominicę passionis, & expiationem criminum. Vuedekindus quo minus nosceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedens, ubi ad eum peruentum est, dexteram & ipse protendit. Qui distribuebat, obseruauit incuruum in manu eius digitū, qualem sciebat habere Vuedekindum: uultum eius diligentius intuetur, agnoscit, & quid ita inter mendicos sederet percōtatur. Ille se ad regē iubet introduci, ipso Paschatis die. Rex hilariter excepit uenientem, percontatus quid sibi uellet indignus principe habitus. Ille sub hæc, Volui lustrare secreta sacrorum: uidique adeò ante biduum (qui dies Parasceues erat) te uultu demisso tristem, itidem hodie: posteaquam uerò mensam adisti sacram, ita hilari mihi conspectus es uultu, ut repentinæ tuæ mutationis me caperet admiratio. Stupebam autem uidens de manu purpurati sacerdotis singulos pulcellum puerum in os suscipere, eundemque aliis arridere, ultrò properare, aliis uerò, auertero uultum: & ip os demissum, non redeuntem adspexi. Cranzius lib. 1. Metrop. cap. 9. & lib. 2. Saxoniæ cap. 23.

EDVINVS Northumbrorum rex ad Christi fidem non prius conuerti uoluit, quàm doctissimorum uirorum ex utraque parte disputationibus perceptis, Christianam pietatem honestati & rationi magis consentaneam esse didicit, quàm idolorum cultum. Polydorus libro 4.

Regionem, Flumina, Vadum.

ALBOINVS Longobardorum rex, progressus pacato agmine usque ad primos Italiæ fines, montem quendam excelsum ascendit, bisontibus, bobus agrestibus eximiæ magnitudinis, quos educat, insignē (is deinde ab illo Mons regius dictus est) atque ex eo, quantum prospicere oculis potuit, subiectam Italiam contemplatus, protinus expeditionis suę cōsilium expediuit: quippe singulari camporum amœnitate ac fertilitate illectus, Italiæ dexteram sibi petendam constituit. atque ita motis castris Venetiam proximam regionem, armato nemine occurrente, ingressus est. Sigonius libro 1. regni Ital.

Cùm traiiciunt BARBARI pedibus amnes, præmittunt uulpes: quæ, si non crassa sit glaciei, sed tenuis crusta (quod percipiunt ex subterfluentis strepitu) retro concedunt. Plutarchus de Primo frigido.

TRIVVLTIVS industrius senex Eburoduni agens multos menses, post acceptam ad Nouariam cladem, & adhibitis locorum peritissimis, ualles montesque Alpium magno labore & incredibili studio collustrauit, etiam tunc animo agitās, quibus maximè itineribus ducendus exercitus foret, si ab Ludouico XII. Gallorum rege iterū armis Italia peteretur. Eo mortuo, Franciscum I. regem mirabili sedulitate per Alpes Argētarias, itinere difficillimo, sed illius industria expeditissimo reddito, contra hostium spem, qui reliquos transitus omnes occuparant, traduxit. Iouius.

Friderico I. contra Mediolanenses ducente, cùm pons Abduæ multo labore longoque tempore reficeretur, ODOLENVS impiger iuuenis, patreque in Boemia nobili prognatus, cui ex uico, quem possidebat, Chyssio cognomen erat, Bernardum Lubnensem contubernalem suum, ad uadum inuestigandum cohortatus est: eoq; reperto, Vladislao II. regi Boemorum illud indicauit. Qui mox clam omnib. trāsmisso exercitu, ad pontem reficiendum præclaram pręstitit operam. Dubrauius lib. 12.

Furtum.

QVI furtum ibat quærere in domo aliena olim, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat, propter matremfamiliæ aut uirginum præsentiam. Plato libro de Leg. 12. in conquirendis furtis iubet, ut dominus rei furtiuæ in ędes alienas ingrederetur, ἢ γυμνὸς, ἢ χιτωνίσκον ἔχων ἄζωστος: ædium autem dominus omnia ei sua patefaceret. Constat autem multa è Platonis legibus in XII. tab. translata esse: in quibus hoc ipsum numerandum putarem, ut χιτωνίσκον, licium interpretaremur, quo pudenda cōquisitor tegeret. Lancem autem ante oculos propterea fuisse adhibitam, ne matrisfamiliâs aut uirginum spectandarum causa introisse putaretur, quod multis in locis propè pro flagitio numeratur. Hotoman. de Verbis iuris.

Aetatem.

Indigenarum ciuium ATHENIENSIVM filij se pro ciuibus gerere non poterunt, nisi planè pueri nomina primùm apud curiales, deinde apud populares professi essent, quam professionem δοκιμασίαν uocârunt. Annus autem prioris professionis legitimus, annus ętatis decimusquintus fuit, ut scriptum est apud interpretem Vesparum Aristophanis ex auctoritate Aristotelis. Cuius cùm haud satis certum sumere argumentum possent ij, qui ei probationi præfecti erant, quos illi δοκιμάζοντας nominabāt, pudenda ipsa puerorum studiosius inspiciebant. Dies autem huic præcipuè professioni dicata est, quæ fuit Apaturiorum tertia, quæ propterea κρεῶτις est appellata. Facta uerò est per parentes iureiurando obstrictos, liberos eos suos esse, quos profiterentur, & quidem ex coniuge sua ciue Attica natos. Posterioris autem professionis annus fuit decimus octauus, quo anno ex pueris in ephebos, atq; adeò in uiros adscribebantur. Sigonius lib. 2. de repub. Athen.

QVALIA.

Necessaria, Vera, Vtilia.

SOCRATES circumibat requirens, quibus sermonibus Pythagoras homines impulisset. Plutarchus.

ARISTIPPVS mercatu Olympiaco congressus cum Ischomacho rogauit, quánam orationis ui adeò permouisset Socrates iuuentutem. Ac pauca quædam sermonum illius & gustum eorum exiguum cùm cepisset, ita fuit incitatus, ut corpore concideret, planeque pallorem & maciem contraheret: quoad Athenas nauigauit sitibundus æstuansq;, atq; ex fonte hausit, uirumq; illum & sermones & doctrinā audiuit: cuius erat finis, ut quisq; sua cognoscat uitia, & ab iis liberetur. Plut. de Curiositate.

Non necessaria, Fabulosa, Inutilia. CVRIOSITAS propriè.

OEDIPODEM summis malis arguta sedulitas inuoluit. Cū enim quæreret semetipsum, quasi nō esset ciuis Corinthius, sed peregrinus, occurrit Laio. Quo trucidato, ductaque in matrimonium præmio regni matre, cùm felix haberetur, iterum quæsiuit seipsum: & non concedente coniuge, multo magis coarguit cōsciū senē, quē omni ui ursit. Ad postremū cū res eū iam suspicioni implicaret, ac uociferaretur senex,

Hei dura res urget me, ut dicam.

ipse uicissim ex motu animi inflammatus & discruciatus respondet: --Et me quidem

Vt audiam: uerùm audiendum sit tamen.

Plut. de Curiositate.

Antagoræ rex ANTIGONVS in castris patinam congrorum coquenti præcincto assistens: Censén' tu Homerum, infit, cùm Agamemnonis res gestas scripto mandaret, congros elixasse? Cui ille apposite: Tu uerò, inquit, Agamemnonem censes, cùm res illas gereret, ecquis in statiuis elixaret congrum, anxiè indagasse? Plut. lib. 4. quæst. Conuiual. 4.

Diogenes Cynicus (cui carmen hoc, quod est Odyss. δ.

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακῶν τ' ἀγαθῶν τε τέτυκται.

semper in ore consueuit esse) GRAMMATICOS nimis ridiculè facere aiebat, qui tanto studio Vlyssis mala inquirerent, sua ignorarent. Erasmus in Adagiis.

QVORVM.

SVA.

GALLVS Cæsar ad tuendum Orientem relictus à Constantino contra Magnentium profecto, noctu cum satellitibus incognitus per lupanaria & tabernas cursitabat, sciscitabundus sub uoce Græca & alterata, Quid de Cæsare sentirent? Malè de ipso loquutos trucidabat, reperto aliquo figmento. Cuspinianus.

ARIPERTVS II. Longobardorū rex ignoto habitu pèr oppida uagabatur, sciscitando & explorando, ecquid de se suisq; iudicibus populi quererentur. Paulus Diaconus lib. 6. cap. 10. & 12. Bonfinius lib. 8. Dec. 1. Polydorus lib. 4. hist. Anglorum. Sigonius lib. 2. regni Ital.

FRIDERICVS senior dux Austrię, imperatoris Friderici III. patruus, sæpe mutata ueste solus inter agrestes uersatus est. Cum quibus diurna mercede & arans, & alia quæuis munia faciens ruris, & de seipso & de purpuratis suis confabulari consueuerat. Interrogatus cur id ageret: Neque enim de me, inquit, alio modo uerū audire possum. Aeneas Syluius lib. 3. Com. in Panor.

ALIENA.

In genere. Curiosi in alienis.

Nostra NOS sanè quàm solutè prosequimur, & cum magna impudētia: aliorum origines excutimus, uicini Syrū auum fuisse, auiam Thressam, tria illum talenta habere æris alieni, neq; usuram dissoluisse. Exquirimus item huiusmodi, unde huius reuersa sit uxor, quid ille & ille seorsum collocuti sint in angulo. Plut. de Curiositate.

Βαλανεύς. id est, BALNEATOR, siue balnei caupo, uulgato cōuicio dicebatur homo alienarum rerum plus satis curiosus. Propterea quòd huiusmodi genus hominū, ut & Tonsorum, quoniam in otio uiuit, neq; suis negotiis distinetur, aliena curare consueuit. Quemadmodum ille Damasippus Horatianus,

-- aliena negotia curans, Excussus propriis.

Festiuiter Martialis OLLVM quendam notat, qui malorum alienorum erat obseruator curiosissimus, & taxator acerrimus, cùm ipse uxorem haberet adulteram, filiam uiro maturam, deberetq; etiamnum pro togula.

Apud Ter. Menedemus CHREMETIS curiositatem his uerbis taxat:

Tantúmne ab re tua est otij tibi Chreme,
Aliena ut cures, eaq; nihil, quæ ad te attinent?

Monachorum.

Indoles eorum, qui in MONACHORVM consortium adoptari uellent, hoc modo olim explorabatur. Ad dies decem & amplius, præ foribus excubare cogebatur, & omniū prętereuntium fratrū opprobriis & iniuriis erat expositus. Deinceps inquirebatur, quid de pristinis suis facultatibus reliquum haberet: neq; enim pecunias quēquam inferre patiebantur, ne eas quidē, quæ monasterij usibus profuturę fuissent. Receptus, propriis uestibus exutus, Abbatis manib. monasterij habitu induebatur, in communi fratrum conuentu. Quòd si uerò paulo pòst ad seculum respicere deprehenderetur, spoliato ordinis uestitu, propria uestimenta reddebant, & monasterio eiiciebant. Satis autem iam probati, nō statim uniuerso collegio associabantur: sed per integri anni spacium, sub cuiusdam senioris disciplina, non ita longè à uestibulo monasterij, peregrinorum & aduenarum curam gerebant. Hinc reliquo cœtui aggregandi, cuidam ex senioribus, cui institutio decem iuniorum commendata erat, cōmittebantur instituendi. Docebantur propriam uoluntatē & concupiscentiam domare, animi motus & subitas cogitationes seniori patefacere: neque de eisdem sibiipsis sumere iudicium, sed quodcunque senior ille pronunciasset, illud solum uel bonum, uel perniciosum credere. Assuefacti tantam obedientiam præstabant, ut non modò cellā quacunque de causa non egrederētur, sed ne quidem ad necessitatem naturæ secederent absque præpositi uenia. Imperata tanta animorum promtitudine expedire cupiebant, ut impossibilia sæpius aggredi non recusarent. Cassianus lib. 3. & 4. de Institutis renunciantium.

HILARIONIS Eremitæ exemplo per totam Palæstinam innumerabilia monasteria esse ceperūt. Ipse statis diebus ante uindemiam lustrabat cellulas monachorum, interdū usque ad duo hominum millia, uiaticum suum ferentium, in comitatu habens: progressu temporis unaquæq; etiam uilla uicinis monachis, susceptione sanctorum gaudens, cibos afferebat. D. Hieron. in eius uita.

STEPHANVS Vngarorū rex quotannis cœnobia, basilicas, ædesq; sacras perlustrabat, ut ædificiis hominibusq; prospiceret. Inter lustrandum non modò sacerdotū, uerumetiam pōtificū mores exacta inuestigatione recognoscebat, increpabat negligentiæ reos: studiosissimum quenq; diligebat, obseruabatq;. Per quæstores autem singulis ferè mensibus, urbanos paganosq; antistites, cunctaq; sacerdotum collegia recensere, recognoscere uitas, & cuiusq; uerba factaque diligentius pensitare studebat, ne quid publicè priuatimq; piaculi cōmitteretur. Illud præcipuè curæ fuisse ei tradūt, ut uiros moribus & doctrina probatissimos in rebus sacris ubiq; præficeret. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

HOGERVS Hamburgensis archiepiscopus ex monacho Corbeiensi factus, uisitabat frequenter fratrum loca, ne quid per incuriam obreperet, quod sanctitati derogaret. Sæpe ab Hamburgo, nocte intempesta, exploraturus quidnam in Ramsola ageretur, ad uigilias properauit matutinas. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 1.

Subditorum.

Sic ARIPERTVS, THEOPHILVS, BASILIVS Macedo, LVDOVICVS Vngarus. De quib. in præcedentibus.

Mathematicorum.

Solent QVIDAM ad tentandam peritiam Mathematicorum afferre ad eos constellationes mutorum animalium, quorum ortus propter hanc explorationem domi suæ diligenter obseruant, eosq; Mathematicos præferunt cæteris, qui constellationibus inspectis dicunt non esse hominem natū, sed pecus. Audent etiam dicere quale pecus, utrum aptum lanicio, an uectationi, an aratro, an custodiæ domus. Nam ad canina fata tentātur, & cum magnis admirātium clamoribus ista respondent. Sic desipiunt homines, ut existiment, cùm homo nascitur, cæteros rerum ortus ita inhiberi, ut cū illo sub eadem cœli plaga nec musca nascatur. D. August. libro 5. de Ciuit. Dei, cap. 7.

Hostium.

Gal. MAXIMIANVS bello Persico fidei speculatorum diffidens, ipsemet cum duobus equitibus ad exploranda ho-

ſtium caſtra proceſſit:ac copiis, apparatuq; eorum perſpe-ctis,mox cum uigintiquinq; millibus militum adortus, uictoriam omnium, quæ de Perſis relatæ antè eſſent, nobiliſſimã ac magnificentiſſimã egit. Sigonius lib.1. Imp.occid.

Dum CONSTANTINVS Magnus cõtra Maximianum Maſſiliæ rem gerit,Bructeri, Clamaſi, Cheruſci, Vangiones,Alemani,& Tubantes, uires conſiliaq; belli conſociarant. Ille Deo ſubnixus,diſſimulato principis habitu, adit eos, benignè appellat,ſpes explorat.Inde regreſſus ad ſuos cum exercitu in eoſdem ſe retulit,ac primo impetu,dum ſociales contrahunt copias,fudit, fugauitque: ac uictor Treuiros in hiberna regreſſus,templo Apollinis uota concepta perſoluit, idq; donis ampliſſimis ornauit.Sigonius lib.2.Imp.occid.

MAIORIANVS Imp.Genſericum Vandalorum regem bello petiturus,Ligurnum progreſſus, ut Vandalorum apparatũ bellicum exploraret, & an Afri bono erga Romanos animo eſſent,exquireret, clàm in Africam ſibi contendendum putauit. Itaque quaſi legatus ab Imperatore ad conciliandam concordiam mitteretur,alio uultu, ac nomine induto, ne quo fortè agnitus detrimento afficeretur, ad Genſericũ peruenit,exceptusq; ab eo occurrente, ut amicus, atque in interiorem domũ perductus,in qua arma, ceteraq; precioſa erãt diſpoſita,oculis omnia perluſtrauit: ac demum animo ſuo ſatisfactum exiſtimãs, ad claſſem,exercitumq; reuertit, ſolertiſſimi ducis magis,quàm prudentis Imperatoris officio functus.Sigonius lib.14.Imp.occid.

MEDIOLANENSES à Friderico I.Imp.obſeſſi,ſæpius cõtra Germanos eruptionẽ fecerant,uehemẽter admirantes,cùm nullus in urbe tam editus locus appareret,unde proſpectus in omnia ipſorum caſtra eſſet, nihilominus obſeſſi nunquã niſi per occaſionem bene gerendæ rei erumperent. Cognito tandem ex captiuis,molem ad portam Romanam proximè ſtatiua Cæſaris erectam,uulgo arcum Romanum dictã, hanc illis proſpiciendi facultatem præbere, locum illum ante omnia occupauit. Dubrauius lib.12.

HENRICVS dux Sleſuicenſis contra Danos oppidum Flenſborg obſidebat. Nocte Dominicæ aſcenſionis clamor (incertum unde)ortus,iam eſſe Hamburgenſium milites in ſeptis hoſtilibus.Dux clamorem audiens: Et me,inquit, laborantibus adeſſe conuenit. Vbi uenit ad hoſtium propugnacula,uidit omnia quieta,miratus unde clamor.Sepem foſſis prætenderant Dani ſudibus & palis. Dux quid intus ageretur contemplaturus, per ſcalam ibi fortuitò relictam aſcẽdebat.Superueniens quidam uir militaris,Quid,inquit,agis princeps? in quod periculum te cõiicis? Danus qui intus excubabat,audiens eſſe principem qui ſcalæ incumberet, lanceam per ſepem uentri ſtantis infixit. A ſuis ſcalę impoſitus, ut in caſtra portaretur,impatientia uulneris ſe uertere niſus, decidit in terram, duplicatoq; ex lapſu uulnere atq; dolore, ſpiritum efflauit triceſimo ætatis anno,princeps multis prę-ditus uirtutibus,& (quod rarum fuit) uerecundus & caſtus. Cranzius lib.10.Saxoniæ cap.ult.

A QVIBVS. AB

Impiis.

ORIGENES Hebræum quendam Rabinum interrogauit, quænam eſſet urbs Ariel apud Eſaiam: eiusque iudicium ſecutus eſt.

Præceptoribus.

CATO Vticenſis, admodum puer adhuc, præceptis parebat quidem magiſtri Sarpedonis,cauſam tamen & rationẽ præcepti poſcebat.Plut.de Aud.poetis.

QVOMODO.

PER SE.

Sortitione.

Vide locum Diuinationis per ſortes.

Viſitatione aperta.

DIOGENES Cynicus caſtra Philippi Macedonis ingreſſus, quo tempore pergebat ille ad dimicandum cum Græcis,atque ad eum pro ſpeculatore attractus:Certè, inquit, ſpeculator acceſſi immodicæ tuæ cupiditatis & amentiæ, qui breui momento aleam iacturus uenis de regno ſimul & de capite.Plutarchus de Exilio.

P.SCIPIO Africanus miſſus à ſenatu tertius, ut eſt Clitomachus auctor,

Quas homines leges colerent ſpeculator & urbes:

ad res ciuitatum, nationum, & regum inſpiciendas. Comitabatur eũ amicus unus philoſophus Panætius, ſerui quinque: quorum in peregrinatione extincto uno, alium, quia comparare nolebat,accerſiuit Roma. Plut.in Apophth.

Fama eſt BASILIVM Macedonem Imp. Conſtantinopolitanum,cùm aliquando ad Diatribam (in quo loco iudicia exercentur)deſcendiſſet, neminemq; inueniret conquerentẽ, ſuſpicatum eſſe, arceri à certis hominibus eos qui ipſum cõpellare cuperent:& ſatellites per urbem dimiſiſſe quæſitum, ſi qui eſſent Imperatoris auxilio indigentes. Quibus reuerſis,ac neminem ſe reperiſſe dicẽtibus,præ gaudio lacrymas emiſiſſe,egiſſeq; Deo gratias.Cedrenus.

BARDAS Theophilo Byzantii imperante crebrò iudicia uiſitans,effecit ut leges refloreſcerẽt,quarũ ob bella & uetuſtatem accurata obſoleuerat tractatio. Cedrenus, & Zonaras.

THEOPHILVS Imp. ſingulis hebdomadibus per forũ equitãs,res uænales inſpiciebat,ac de precio interrogabat: neq; obiter hoc, aut una tantùm aliqua de re, ſed de iis quę eſui ſunt ac potui, de ueſtibus, & in uniuerſum omnibus quæ in foro proſtabant mercibus. Quæ ſi magno uenirent, præfecti culpa, ei uel magiſtratũ abrogabat, uel obiurgato, quid agendum eſſet præſcribebat. Idem.

Viſitatione occulta.

Antagoræ rex ANTIGONVS in caſtris patinam congrorum coquenti præcincto aſſiſtens: Cenſén' tu Homerum, inſit, cùm Agamemnonis res geſtas ſcripto mandaret, congros elixaſſe? Cui ille appoſitè: Tu uerò, inquit, Agamemnonem cenſes,cùm res illas gereret, ecquis in ſtatiuis elixaret congrum,anxiè indagaſſe? Plut.lib.4.quæſt. Conuiualium.4.

LEO V.Imp.uigilum ſuorum fidem exploraturus, noctemutato habitu ſolus è palatio ſe proripuit.Atque deprehenſus à primis cuſtodibus,duodecim ſe aureis redemit: à ſecunda cuſtodia uiginti.In tertiam autem incidẽs, pugnis flagriſq; cæſus, carceri mancipatur. At præfecto cuſtodiarum ſeagnoſcendum præbens,emittitur. Manè cuſtodibus accerſitis,eos qui ſe interceptum flagris ceciderant muneribus locupletauit: perfidos uerò alios bonis multatos urbe expulit:ac urbem ſuam hoc aſtu tutiſſimam reddidit, cuſtodibus ſemper præſentiam Imperatoris expaueſcentibus.Zonaras.

ARIPERTVS II.Longobardorum rex tanta regnum induſtria gubernauit,ut per noctem è regia egrediens, atq; urbẽ mutato habitu luſtrans,quid de ſe ſinguli dicerent,exploraret:ac diligenter,quemadmodum ius à ſuis iudicibus diceretur,inueſtigaret.Sigonius lib.2.regni Ital.

LVDOVICVS I. Vngariæ rex, ne plebs ac ruſtica multitudo grauioribus quàm par eſt tributis & portoriis à quæſtoribus & præfectis oneraretur, néue iniquis iudiciis grauaretur,diſſimulato ſæpe habitu,uicos & oppida luſtrauit, perſcrutaturus mores publicanorum & præfectorum, ut non minus optimatum quàm plebis curam geſſiſſe uideretur. Sæpe etiam de moribus regiis percunctabatur, & è ſimplicium reſponſis ſeſe ipſe quãdoq; correxit. Bonfinius lib. 10. Dec.2.& Cromerus lib.13.

IACOBVS I.Scotorum rex, mutata ueſte uelut priuatum inter priuatos,ac maximè inter mercatores, quòd aliorum ædes non ita cuiuis expoſitæ eſſent,ſeſe immiſcuit, ut omnes omnium mores & apparatus in prandiis ac conuiuiis, aliiſq; conuerſationibus inſpiceret,ac præcipuè mercatorum: in quibus hoc ut inhumanum reprehendit,quòd apud eos ad conuiuium uocati hoſpitaliter, ſoluere uelut in publico diuerſorio factas cogerentur expenſas.H.Boethius lib.17.

Tortura.

Fures,ſicarios,latrones per quæſtionem examinant MOSCOVITÆ, eo modo, quòd aquam gelidã ſuper caput ex alto paulatim dimittant:hocque habent pro intolerabili tormẽto.Iouius in Sarmatia.

Oſculo.

Apud ROM. propinquos oſculo ſalutabant feminæ: quia ut plurimi putant,uinum mulieribus bibere interdictum erat. Quo igitur non fallerent, quæ biberant,ſed deprehenderentur oblatæ neceſſariis,oſculum eis ferre moris erat. Plutarchus in quæſt.Rom.

PER ALIOS. VT PER

Vates,Oracula.

Vide locum Oraculorum.

Exploratores, Inſpectores, Obſeruatores.

DOLON exploratum mittitur ab Hectore ad naues Græcorum apud Eurip. in Rheſo, promiſſione facta equorum Achillis.Inter cætera argumẽta & hoc utitur, quòd opportuna exploratione ſua prius facta Priami illuſtrem domum magis illuſtrarit:

—— πατρὸς δὲ καὶ σὺν εὐκλεᾶ δόμον
νῦν δὶς τοσοῦτ' ἔθηκας εὐκλεέστερον.

Ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέων πολλοί. id eſt, Aures atque oculi REGVM multi, quòd per exploratores obſeruent, quid quiſque dicat faciátue. Ariſtoteles in 3.Politic.Hoc genus homines Græci uocant ὠτακουστὰς, quos primus DARIVS minor Perſarum rex adhibuit, ſibi diffiſus. DIONYSIVS Syracuſanus

addidit προσαγωγίδας: id eſt, exploratores, ſiue emiſſarios. Quos in reip. conuerſione Syracuſani primos corripuerunt,atq; ſupplicio affecerunt. Plut. de Curioſitate.

C.IVLIVS Cæſar legem ſumtuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra uetitum retinerent, deportarentq; ad ſe, ſubmiſſis nonnunquam lictorib. atq; militibus: qui, ſi qua cuſtodes fefelliſſent, iam appoſita è triclinio auferrent. Suetonius.

EVENVS Scotorum rex iudices ſingulis regionibus dedit, qui populis iura dicerent, iuſtitiam colerent & leges. Singulis quoque regionibus ſingulos emiſſarios atque obſeruatores inſtituit, qui fures, raptores, uiarúmque obſeſſores inquirerent: agris ad inhabitandum datis, & ad uictum frumẽto ex publico collato. Extat noſtra memoria id hominũ genus multis in Scotiæ regni locis: tametſi huius officij cura exoleuit. H.Boethius lib.2.

[redacted]

Accuſatores.

ALEXANDER Seuerus Imp. ubi aliquos uoluiſſet uel rectores prouinciis dare, uel præpoſitos facere, uel procuratores, id eſt, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis: dicebatque graue eſſe, cùm id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunę hominum committerentur & capita. Lampridius in Alexandro Seuero.

NON INVESTIGARE.

QVAE.

Arcana.

Scitum hoc eſt AEGYPTII cuiuſdam, erga eũ qui quid ferret inuolutum requirebat: Hac de cauſa inuolutum eſt. Tu uerò quid anxiè laboras de eo, quod abſcõditum eſt: niſi malum foret, non abſconderetur. Plut. de Curioſitate.

Literas.

BELLEROPHONTES ne cùm literas de capite quidem ferret ſuo ſcriptas, reſignauit eas, ſed abſtinuit ut regis cõiuge, ita epiſtola. Plut. de Curioſitate.

Inutilia, Non neceſſaria.

Cõuenire VLYSSES apud inferos ne genitricem quidẽ prius ſuſtinuit, quã didiciſſet ex Tireſia uate, ea quorũ cauſa ad inferos uenerat. Quod ut accepit, uertit ſe ad illam, rogauitq; ex mulierib. aliis, quænã Tyro, quę formoſa eſſet Chloris,

--qua de re extincta Epicaſte,
Et laqueũ infandi lethi trabe nexuit alta. Plut. de Curioſ.

QVOMODO.

Non aſpiciendo.

CYRVS Perſarum rex uidere detrectauit Pantheam captiuam formoſiſſimam. Cui cùm Araſpes ſpectatu dignam mulieris ſpeciem eſſe prędicaret: Ergo impenſius, inquit, ab ea abſtinendum. Si enim abs te impulſus ad eam perrexero, fortaſſe illa me aliàs etiam, cùm non uacabit, ut ipſam adeam, inducet, utq; ſpectem & reſideam apud ipſam, rebus multis poſthabitis neceſſariis. Plut. de Curioſitate.

ALEXANDER Magnus in conſpectum non uenit uxoris Darij, quam forma eſſe uenuſtiſſima ferebant: ſed qui matrem eius inuiſit, iam anum, iuuenem & formoſam non ſuſtinuit aſpicere. Idem.

Non audiendo.

PHILIPPIDES Comicus rege comiter excipienti eum Lyſimacho, qui illi dixit: Quid tibi rerum mearum impertiar? Quiduis, inquit, rex, modò ne ſecreta. Plutarchus de Garrulitate, & in Apophtheg.

OBSERVARE.

Obſeruationem inter Inſtrumenta quoque ſuo loco referemus.

Apud Aeſchylum in Agamemnone initio ſtatim, cùm SPECVLATOR, qui poſitus erat, ut obſeruaret ignem editum (id enim ſignum conuenerat inter Agamemnonem & Clytæmneſtram Ilij capti) ſublato illo, longeque à ſe uiſo, cognouit expugnatam eſſe Troiam. Victorius libro 25. Variarum lect. cap. 14.

HIPPOLOCHVS Macedo, diſcipulus Theophraſti, ſic cum Lynceo conuenerat (quemadmodum ex illius epiſtolis cognoſcere poſſumus) ut ſi magnifico cuipiam intereſſet conuiuio, diligenter omnia obſeruaret. Itaq; utriuſq; Conuiuales epiſtolæ ſeruantur. Athen. lib. 4. cap. 1.

Vt ait Dionyſius, cùm Aſcanio Aeneæ F. uel Aeneæ ipſi in acie aduerſus Mezentium ſtanti fulgur à ſiniſtra uictoriale micaſſet, in augurium id AVGVRES Hetruſci uerterũt, ac deinceps ita obſeruarunt, ut Siniſtras aues pro ſecundis haberent. Plutarchus in quæſt. Rom.

DEPREHENDERE, REPERIRE.

Vide Titulum, Theſauri inuenti. De Inuentione ſuperiore libro, reſpectu Facultatis.

Victis ad Aegos potamos Atheniẽſibus, Lyſander dum ad oppugnandum Samum ſe comparat, Gylippum eum, qui cum nauali auxilio in Siciliam ad Syracuſios defendendos miſſus olim fuerat, cum ſpoliis & argenti mille & quingẽtis talentis Spartam miſit. Pecuniam autem ſacculis impoſuit, in quibus ſingulis ſcytala erat, qua quod cuiq; impoſitum pecuniæ fuiſſet notabatur. Eius conſilij Gylippus inſcius, per iter ſacculis reuinctis trecenta talenta ſubtraxit. Quo per ſcytalas EPHORIS detecto, Gylippus aufugit, capitisque ob id commiſſum damnatus eſt. Diodorus libro 13.

STROPHYLVS ſeruus in Adulularia Plautina, aulam auri plenam à ſene defoſſam, furto ſuſtulerat, eamque rem geſtiens indicare hero, Reperi, inquit. Et rogatus quid reperiſſet, Non quod pueri clamitant, inquit, in faba ſe reperiſſe. prouerbiali nimirum figura magnum quiddam reperiſſe ſe ſignificans. Eſt enim midas uermiculus quidam, qui fabis innaſcitur: hunc ſi quando nacti ſint PVERI, geſtiunt atque exclamant, perinde quaſi magnum quiddam inuenerint. Eraſmus in Adagiis.

[redacted] RE ALIVM.

[redacted] multa huc exempla facient.

[redacted]

Panætium Stoicum philoſophum acciuit P.SCIPIO, cùm ſenatus eum miſiſſet gẽtium improbitatem & benè conſtitutos mores ſpeculatum. Plutarchus com. Principibus eſſe philoſophandum.

C.Lælio idem SCIPIO domi militiæq; ſemper conſiliorũ auctore utebatur: ut dicerent nonnulli hiſtrionem actionũ Scipionem, poetam eſſe Lælium. Plut. an Seni tract. reſpub.

CICERO fatebatur optima ſe & ſumma conſilia ſua, quibus ſalubriter conſul inſiſtens patriam ſeruauit, cum P. Nigidio philoſopho iniſſe. Idem.

TIBERIVS Cæſar, cùm Varianam cladem negligentia Quintilij ducis accidiſſe cerneret, qui ſemper aliàs ſui arbitrij, cõtentusque ſe uno fuerat, tunc præter conſuetudinem cum pluribus de ratione belli in Germaniam ueniens conſultauit. Suetonius.

NERO Cæſar quoties ad conſultandum ſederet, neque in cõmune quicquam, neque propalàm deliberabat: ſed & conſcriptas ab unoquoque ſententias tacitus ac ſecretò legẽs, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem uideretur, pronunciabat. Suetonius.

M.ANTONINVS Pius Imperat. multa de iure ſanxit, uſúſque eſt iuriſperitis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Voluſio Metiano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. Neq; de prouinciis, neq; de ullis actis quicquam conſtituit, niſi quod prius ad amicos retulit: atq; ex eorũ ſentẽtia formas compoſuit. Viſus eſt ſanè ab amicis, & cum priuatis ueſtibus, & domeſtica quædam gerens. Capitolinus.

LAVRENTIVS Medices Petri F. Reipub. Florentinæ prin-

[redacted]

rent, eadem afferri comperisset, in multorum consensu, quę neque præsentium æmulatio diuelleret, neque studium & gratia in mala sententia tueretur, consilium optimum esse & tutissimum arbitrabatur. Brutus libro 5. hist. Florent.

RECORDARI. IN MEMORIAM reuocare.

De Memoria tanquam de Facultate insita præced. libro egimus. Hîc ipsam Functionem consideramus cum Voluntate iunctam.

CROESVS Lydorũ rex in ipsa pyra Solonis recordatus, Nullum mortalium ante obitum beatum dici debere asserentis, eius nomine terq; quaterq; inclamato, à Cyro historiæ seriem edocto liberatus fuit. Herod. lib. 1.

Alexander Magnus Antipatri filium CASSANDRVM capillis arreptum parieti afflixit, quòd Barbaros intuitus regem adorantes, ut adolescens nuper domo profectus, cachinno non abstinuisset. Sed & cùm Antipatrum accusassent quidã, eumque Cassander pro uirili tueretur, offensus ex audacia Alexander, Plorabitis, inquit, si uera esse deprehẽdero ea, de quibus accusamini. Qua minaci denunciatione tãtus timor Cassandrum incessit, ut procedente tempore, quum ipse Macedoniæ & Græciæ imperaret, animaduersa fortè Delphis [redacted] terrore perculsus, ut trepidatio illa aliquãdiu sedari nequiuerit. Plut. in Alexandro.

Cũ reminiscor lacrymas meas, inquit D. AVGVSTINVS lib. 10. Confess. c. 33. ad Deũ, quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoueor, non cantu, sed rebus, quæ cantantur: cũq; liquida uoce & conueniẽtissima modulatione cantantur, magnam instituti huius utilitatem rursus agnosco.

NON RECORDARI. E MEMOria deponere.

Obliuionem hîc Voluntariam consideramus potissimum.

Triplex iusiurandum fuit, quo se compositis rebus, obstrinxerunt ATHENIENSES. Vnum commune totius ciuitatis, quod in hæc uerba conceptum est: οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. Alterum Senatus: οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φυγόντων. Tertium eorum, qui res iudicabãt: οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι· ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. Hæc ita scripta sunt apud Andocydem in oratione de Mysteriis: quibus locis Muretus lib. 2. Var. lect. cap. 15. probat uerbum, quo in sedandis discordiis Athenienses usos esse Cic. in Philippicis ait, non esse ἀμνηστίαν, sed τὸ μὴ μνησικακεῖν.

LEONTIDAS Archiæ Thebanorum tyranni amicus, exulibus Thebanis ad eum irrumpentibus, oblitus fuit lumen extinguere, & tenebrarum beneficio uim intentatam eludere. Plutarchus de Socratis dæmonio.

Manubias Diis dicatas ROMANI, nec conseruare, nec expurgare & extergere, nec restituere uolebant, ut monimenta odij hostilis unà cum ipso tempore perirent. Plutarchus in quæst. Rom.

CONGRATVLARI SIBIIPSI. IN SINV gaudere.

PHARISÆVS in templo Deò gratias agebat, quòd non esset sicut alij.

VLYSSES post reditum in patriam territus crebris somniis aduersis, per interpretes monitus fuit, ut caueret ab insidiis filij. Ita suspectus patris animo Telemachus, in agros Cephalenios relegatur. Ipse secedens in loca abdita, somniorum uim euitare nitebatur. Per idem tempus Telegonus Vlyssis ex Circe F. ubi adoleuit, ad inquisitionem patris Ithacam uenit, gerens manibus hastile quoddam. Edoctus ubi pater Vlysses ageret, per custodes agri aditu prohibetur, resistitque ei, utpote ignoto. Iuuenis dolore percitus multos interficit custodum. Vlysses existimans iuuenem à Telemacho immissum esse, lanceam aduersum Telegonum iacu latur. Ille ictum euitans, certum in Vlyssem iaculum emisit. Quo concidit Vlysses, sibiipsi gratulatus, quòd per uim externi hominis interemtus, parricidij scelere fillum Telemachum liberasset. Dictys lib. 6.

Themistocles è Græcia fugiens, ad XERXEM regem Persarum uenit. Rogante rege per interpretem, quis esset? Adsum tibi, rex, Themistocles ego Atheniensis exul, quem Græci persequuntur. Cui Perses nihil quidem respondit, sed apud amicos sibiipsi gratulatus est, ut de fortuna sua adeò secunda, precatusque Arimanium, hostibus suis semper eam daret mentem, ut præstantissimos de medio sui summouerent, diis sacrificauit: inde mox conuiuiũ iniit, ac præ gaudio nocte in medio somno ter exclamauit, Themistoclem habeo Atheniensem. Plut. in Themistocle.

ZENON Citticus, qui relictis prioribus præceptoribus, Cratetis auditor esse cepit, naufragio ciectus dixisse legitur, εὖγε ποιεῖ ἡ τύχη, προσελαύνουσα ἡμᾶς τῇ φιλοσοφίᾳ. id est, Bene facit fortuna, cũ nos ad philosophiam admouet. Suidas. Plutarchus de Vtilitate capienda ex inimico.

L. SYLLA ut à bellis intestinis Italia purgata appropinquauit primùm urbi, ab ingenti gaudio & gratulatione sicut aura animo euectus, somnium tota nocte non uidit: quod de se ipso scriptum reliquit in Commentariis. Plutarchus an Seni tractanda respub.

AVGVSTVS Cæsar gratulatus est sibiipsi, LXIII. uitæ anno, qui climactericus est, superato. Suetonius.

Alarico Gotthorum rege in Italiam irrumpente, cùm Romanus exercitus in Rhætis, qui defecerant, illigatus teneretur, Stilicho relicto in urbe Hasta Honorio Imp. occulto ac properato itinere in Rhætiam abiit, & rebus Rhætorum compositis, accepto Romano exercitu, & legionibus, quæ Gallicos & Britannicos limites tuebantur, accitis, maximum exercitum, ac propè Gotthico parem confecit. Eodem die, quo ille citra Alpes saluus peruenit, ROMAM eius reinuncius incerto auctore perlatus est. Ibi uerò, atque in singulis Italiæ VRBIBVS, collectis ex magna desperatione animis, ingens gratulatio facta, cẽsentibus singulis Stilichonis uirtute ac diligentia effectum, ne uno ictu Roma Imperiumq; corrueret. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

[redacted]

IACTARE SVA. GLORIARI.

Olim Megarenses Corinthiis erant uectigales. Cæterùm cùm illorum imperium insolentius grauatim ferrent, ac defectionem pararent, missus est LEGATVS Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarensem cùm alia multa ferociter dixit, tum illud indignabundus ac uociferans intonuit: οὐκ ἀνέξεται ὁ Διὸς Κόρινθος. id est, Non feret Iouis filius Corinthus. Id ubi sæpius iteraret, concitatus populus, succlamare cepit, Feri feri Iouis Corinthum. simulque legatum expulerunt. Erat autem Corinthus hic Corinthiorum rex, Ioue prognatus: tametsi Pausanias in Corinthiacis, negat se apud autores serios reperisse, Corinthum Iouis fuisse filium: sed uulgus duntaxat Corinthiorum ita prædicare. Erasmus in Adagiis.

Alectryonem ducem Philippi regis, CHARES Atheniensis confecerat. Cuius facti, cùm nimium crebrò, nimisque insolenter apud populum Atheniensem meminisset, uulgò usurpari cepit prouerb. in iactabundos, φιλίππου ἀλεκτρυών. Erasmus in Adagiis.

ADOLESCENTI cuidam iactanti sese, quòd dum Rhodi esset, admirabiles fecisset saltus: quidam ex auditoribus interpellato sermone, ἰδοὺ Ῥόδος, inquit, ἰδοὺ πήδημα: id est, Ecce Rhodus, ecce saltus. Erasmus in Adagiis.

PHOCION quidam Peripateticus libro suo titulum fecit, κέρας ἀμαλθείας, teste Gellio. Plinius item ostendit Græcos aliquot hanc inscriptionem nimis arrogantem suis cõmentariis imposuisse, tanquam nihil in eis non contineretur, & quiduis inde peti atq; accipi possit.

MYXVS sacerdos quispiam fuit Dianæ gloriosus & magniloquus, qui se fingebat omnia mirari. Hinc in superbos & gloriabundos dici consueuit, Papæ Myxus. Erasmus in Adagiis.

ASTYDAMAS histrio quispiam fuit Morsymi F. Huic statua in theatro ponenda decreta fuerat à populo, quòd in agendo Parthenopęum sese grauiter ac scitè gessisset. Itaque titulum ipse conscripsit, in quo suas laudes complectebatur, eumque in concionem attulit, ut approbatus adderetur statuæ. Verùm suffragiis populi decretum, ne arrogans ille titulus inscriberetur. Ea res primum comœdię iocis agitata, in prouerbium abiit. Ita nunc quoque infacete uulgus dictitat, malignos esse uicinos illi, qui ipse laudator sui fuerit. Titulus extat etiamnum apud Suidam:

εἴθ' ἐγὼ ἐν κείνοις γενόμην, ἢ κεῖνοι ἅμ' ἡμῖν,
οἱ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν.
ὡς ἐπ' ἀληθείας κριθεὶς ἀφεθεὶς παρέμιλλος·
νῦν δὲ χρόνῳ προέχουσ', οἷς φθόνος οὐχ ἕπεται. *id est:*

Vixissent utinam mecum illi, aut inter ego illos,
Quos penes est linguæ suauiloquentis honos:
Præmia prima equidem citra certamen haberem:
Nunc adimunt, in quos nil habet inuidia.

Erasmus in Adagiis.

PARASIVS pictor Ephesius, fœcundus artifex, sed quo nemo insolentius & arrogantius sit usus gloria artis. Namque & cognomina usurpauit, Habrodiætum se appellando, aliisque uerbis Principem artis, & eam ab se consummatam, super omnia Apollinis se radice ortum: & Herculem, qui est Lyndi, talem à se pictum, qualem sæpe in quiete uidisset. Plinius libro 35. capite 10.

Adagium, ἡμεῖς δέκα Ῥόδιοι, δέκα νῆες. id est, Nos decem Rhodienses, decem naues: natum uidetur à dicto THRASONIS cuiuspiam, qui decem homines, decem nauibus opposuerit. Erasmus.

Fertur ANTALCIDAS Spartanus Atheniensi cuidam de uirtute secum ambigenti, cùm dixisset ille: Atqui nos sæpe à Cephiso uos fugauimus: occurrisse, Nos uerò ab Eurota uos nunquam. Argiuo item respondit QVIDAM ex obscurioribus Spartiatis, cùm ille dixisset: Multi in Argolide uestrates iacent: At uestrâs in Laconia iacet nemo. Et AGESILAVS rex dicere consueuerat, Feminam Lacænam fumum non uidisse hostilem. At non multo pòst, uictis ad Leuctra Spartanis, Epaminondas cum LXX millibus Spartam obsedit, cùm per DC. annos antè hostis nullus in fines eorũ penetrasset. Plut. in Agesilao.

ARISTOPHONTEM Aeschines tradit, in oratione contra Demosthenem, apud Athenienses gloriari solitum, quòd quum nonagies quinquies esset uocatus in ius, semper fuerit absolutus. At CEPHALVS homo popularis, iustius gloriabatur, quòd quum plura decreta scripsisset, quàm alius suorum temporum quisquam orator, tamen nunquam coactus sit causam dicere. Certius innocentiæ signum est, ita rem gerere, ut nemo uelit accusare, quàm si postulatus elabatis è iudicio. Elabuntur interdum & nocentes. At qui absoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamẽ criminis circumfert. Erasmus lib. 8. Apophth.

Cùm aliquando Syracusis in tonstrina sermo esset de Dionysio, diceretur q; tyrannidem illius adamantinam esse & inexpugnabilem: ridens TONSOR, Hæccine, inquit, loqui nos de Dionysio, in cuius iugulo ego subinde teneo nouaculam? Quod dictum simulatque Dionysius rescisset, tonsorem in crucem sustulit, atque ita, quod ait Plinius, uoces per iugulum rediere in auctorem. Plut. de Futili loquacitate.

LYSIMACHVS rex quum ad Thraciam peruenisset, uelut occupatis extremis regni finibus: Nunc, inquit, Byzantij ad me ueniunt, posteaquam cœlum attingo lancea. Eam uocem insolentissimam ita castigauit Pasiades Byzantius, qui tum fortè aderat, ut diceret, Abeamus, ne lanceę mucro cœlum pertundat. Erasmus in Adagiis.

Lacedæmonij & Athenienses missis in Siciliam legatis petebant à GELONE Syracusano & societatem & suppetias, aduersus Xerxem bellum inferentem Græciæ. Nec recusauit Gelo, modò se imperatorem uel maritimarũ rerum uel terrestrium copiarum constituerent. Quam cõditionem quum repudiarent legati, iussit eos illicò discedere, ac renunciare Græcis, ὅτι ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ αὐτοῖς ἐξῄρηται: id est, Ver ipsis ex anno sublatum esse: subindicans, suum exercitum præcipuum esse Græciæ florem ac robur, qui si deesset, defuturũ illi quod esset præcipuum. Eras. ex Herodoto.

M. ANTONIVS IIIuir ex Cleopatra Aegyptia geminos sustulit, appellauitque unum Alexandrum, alteram Cleopatram, cognomento hanc Lunam, illum Solem. Et doctus in rebus turpibus ostentare se, iactabat successionibus & sobole multorum regum propagatam nobilitatem. Ita prognatum genitorem suum ab Hercule: qui non uni utero progeniem commendauerit suam, neque Solonis leges uel iudicia de liberis tollendis timuerit: uerùm naturæ cupierit complura familiarum semina & fontes relinquere. Plutarchus in Antonio.

MAXIMINVS Imp. uicta Germania literas Romam ad Senatum & ad populum misit, se dictante conscriptas, quarum sententia hæc fuit: Non possumus tantum P. C. loqui, quantum fecimus. Per CCCC millia Germanorum uicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludũ nos transire non permisisset. Quod credibile est. Quid enim est, quod nõ posset Barbarus miles? Pari sentẽtia & ad populũ scripsit, sed maiori reuerentia, icirco quòd senatum oderat, à quo se contemni multũ credebat. Iussit præterea tabulas pingi ita, ut erat beliũ ipsum gestum, & ante curiam proponi, ut facta eius pictura loqueretur: quas quidẽ tabulas post mortẽ eius senatus & deponi iussit & exuri. Fuerũt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus uictor reuertit, & cum ingentib. spoliis, atq; captiuis. Extat oratio eiusdem missa ad senatum, cuius hoc exemplum est: Breui tẽpore P. C. tot bella gessi, quot nemo ueterum. Tantum prędæ in Romanum solum attuli, quantũ sperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi, ut uix sola Romana sufficiant. Capitolinus.

GALEACIVS Maria Sforzia constupratis nobilissimis matronis, pari impudentia facinus palàm iactare co[...] sueuerat. Brutus libro sexto historiæ Florentinæ.

OSTENTARE SVA.

Ex loco Morositatis huc quædam.

Alexis apud Athenæum libro 6. de PAVPERE ostentatore diuitiarum sic loquitur:

ἐβόα καλῶν τὸν οἰκέτην,
ἕν' ὄντα κἀμόνον, ὀνόμασιν ... μυριακοσίοις. *id est:*

Famulum intonabat euocans
Vnũ atq; solũ, cęterũ uocabulis Vtẽs ad id innumeris.

Nam quum nõ haberet nisi unum famulum, tamen pro foribus euocabat eundẽ uariis nominibus, ut hospites crederent plurimos esse domi. Erasmus in Adagiis.

Ἀττικὸς εἰς λιμένα. id est, Atticus in portum. In eos dicebatur, qui illic uirtutem ostentare solent, ubi tutum est, atque ubi nihil opus. A nautis ATTICIS sumtum, qui portum ingressuri ostentandi sui gratia magnificè sese gerebant: in ipsa re, hoc est, in prælio nauali, non perinde strenui. Eras. in Adagiis.

Morbo, quem exagitat Catullus in EGNATIO, Alexis comicus poeta mulieres etiam teneri docuit, quæ idẽ quod ille bonũ à natura artéue obtinuissent. Cũ enim Egnatius cãdidos haberet dẽtes, cõsuerat, quocunq; uenerat, renidere, ut hoc etiã sępe ineptè atq; importunè faceret locis illis, quib. magis fletus lacrymęq; quàm risus conueniebat. Eadem autem origo erat huius insulsi moris ac uitij in utrisq;, ostentatio scilicet minutæ corporis partis elegãtioris, quę tamen illustri loco posita, multum adiuuat pulcritudinem. Victorius lib. 6. Var. lect. c. 12.

FIDEM DARE.

QVI QVIBVS.

Subditi Magistratui.

Ex sequentibus Epistolis huc quædam.

Milites Duci, Imperatori.

Milites auctorati dicuntur, id est, stipendio & sacramento adstricti. Vt enim in auctione numus datus rem auctoris facit; ita hîc merces militi promissa.

Hostis Hosti.

Apud ROMANOS constitutum erat, ut nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperent, neq; citra senatus autpo-

aut populi iussum societates aut fœdera inirent, ni prius omnia diuina & humana tradidissent, & præsidium accepissent: fœdera in templo Capitolini Iouis columna aut æneis tabulis insculpi curabāt, ut perpetua monumenta extarent: nōnunquam in fastos & annales referebant. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 9.

Quo tempore cum Tegeatis componebant Lacedæmonij pacem, pacta interposuerunt, columnamq; Alpheo communē imposuerunt: cui inter cætera inscriptum fuit, ut Messenios regione exigerent, neq; liceret chrestos facere: quod Aristoteles exponens ait, non licere Tegeatis, quum Lacedæmoniorum studiosi essent, in eorum gratiam interficere Messenios. Plutarchus in quæst. Græcis.

PER QVOS.

Apud ATHENIENSES in usu fuit, ut iusiurandum quod publicè in fœderibus præstabatur, postquam per senatum exhibitum erat, quo sanctius foret, Quæstores: apud ARGOS uerò, Prætores confirment. Iidem Athenieses in fœdere percutiendo mittebant uates Hiceteria, hoc est, oleæ ramo coronatos, quem ἀρεσιώνην appellabant, cum uitta lanea: quo pretenso, ab omni sæuitia hostili & uiolenta incursione tuti erant. Alex. lib. 5. c. 3. ex interprete Equitum Aristophanis.

QVOMODO.

Simplici sponsione.

Christiernus I. Danorū rex an. 1460. sacramēta solenni ritu ab omnibus accepturus, uenit HAMBVRGVM, antiquissimā Stormariæ ciuitatē, quæ comitibus Holsatiæ olim paruerat. De homagio quidem nulla mora: sed de præstando iuramento fit dubitatio. Ostendebant ciues regiæ maiestati ueterem obseruantiam, eamq; chartis priuilegiorum astruebant: orantes ut regia maiestas illis adquiesceret rebus, quibus omnes sui in comitatu patres ac prædecessores acquieuissent. Disceptatum est desuper longa uerborū altercatione: sed bonis ciuium allegationibus cessit rex moderatissimus, permittens ueterem urbis probatamq; diu consuetudinem. Cranzius lib. 8. Daniæ, c. 29. & lib. 12. Vandal. c. 26.

Sponsione cum Iuramento.

Vide Tit. Iuramenti, & locum Veritatis.

Dextra iuncta.

HIRCANOS Medosq; iunctis manibus dextris inire fœdera, & firmare fidem solitos, legimus apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. cap. 3.

PARTHI apud altaria complexi dextras, tanquam diis testibus & arbitris, postquam sacra libassent, pacem mire, fœderaque percutere solebant, & ita se æquissimo iure consociatos putabant. Ibidem.

Contactu manus, pedisue.

Euenus regum primus fuit, qui fidei seruandæ iuramentum à SCOTIS exegit. Mansit institutum multa per secula posteris. Qui tribubus præerant, eandem consuetudinem sequuti, contribulium manu aut pede tacto, dum crearentur, fidē dare cogebant. Neq; is ritus hoc æuo abolitus. Qui in montibus agunt simul cum Hebridianis in rectore deligendo (quem tribus uocant Capitaneū) easdem penè ceremonias obseruāt. Quibus suo more peractis, proximis nundinis per præconem edicunt, sub capitis pœna ne quis ex ea tribu nouum ducem alio quàm trito uetustoque Tribus rectoris nomine deinceps appellet: ubicunque uerò id audiuerit amoto capitis tegmine, flexoque poplite, non secus ac si sacris interesset, reuereatur. Hinc qui montanis in locis Hebridibusq; sedes habent, per manum, pedem, nomēnue sui ducis in contractibus iurare consueuerunt. H. Boethius lib. 2.

Vinculo.

Mos est, inquit Tacitus, ARMENIORVM regibus implicare dextras, pollicesq; inter se uincire, nodoq; pstringere: mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atq; inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Cælius lib. 17. cap. 12. A. L. Itaque Radamistus Pharsamanis, Hyberiæ regis F. simulata cū patre inimicitia ad Mithridatem Armeniç regē, quē pater unicè perditum cupiebat, fugiens, illius quoq; filia in uxorē ducta, cùm ad fœdus æternū stabiliendū gentis more amborum pollices colligandi essent, ut haustū ex eis sanguinem uterq; gustaret: is, cui uinciendi munus erat iniunctum, fingens ad terram funes concidisse, illis Mithridatis pedes implicuit, atq; ita eum cum uxore & liberis cepit. Fulgosus libro 9. capite 6.

Ritus iurandi in uerba regū Neapolitanorū is est. Rex medius sedet, assidēt iuxtà primi ordinis optimates. Ad pedes regis genibus innitēs à dextra procumbit Epistolarum magister, qui nunc Secretarius dicitur, sinistra Antistes, Euangeliorū libros regio in sinu adstratos tenens. Horum medius genibus & ipse illic innisus procumbit, qui in uerba iurat, utraq; manu libris adapertis imposita. Ibi Epistolarū magister uerba præit, quæ iuraturus in uerba sequitur. Exempli causa: Vr sus ego Vrsinus, Nolæ & Atripaldi Comes, Asculi, Lauri, ac Forini dominus, illorumq; & agrorum & finium, ciuium atque popularium, tibi Ferdinando regi, liberisq;, successoribusq; in regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, spondeo pro liberis, successoribusq;, in hisce item urbibus, oppidis, agris, finibusq; meis, fidelē meq; illosq; utiq; futuros, tuisq; illorumq; imperiis ubiq;, meq; illosq; parituros, atq; imperata facturos, cum hisce urbibus, oppidis, agris, finib. popularibusq; perpetua cum constantia & fide. Si quid uerò aduersus teue illósue parari fraudis doliúe insidiarúmue audiero, sciero, compertúmue significatúmue habuero, indicaturum illud euestigiò, ac facturum palàm tibiq; illisq;, officia demùm obiturum meq; illosq; omnia domi forisq;, pace belloq; aduersum quoscunq;, ac pro imperio, quę probi ac fidelis subiecti iure, lege, natura, obeunda ac præstanda sunt regi. Deumq; his Optimum Maximum testem inuoco, perq; sacrosancta hæc Euangelia, sciens uolens libensq; uerbis conceptis iuro. Atq; his dictis manus ipse è libris sustulit. Tum rex Vrsi manus utriusque digitis pollicibus apprehensis, suosq; intra pollices iis insertis, deuinxit illos suis, statuitq; super Euangelia. Hîc rursum Vrsus magistro pręeunte uerba: Ego me, inquit, cum liberis, successoribusque meis, Ferdinandi regis mei, domini mei, liberorum ac successorum eius, Ligium hominem statuo, dedicoque, eumq; me hîc sisto. Hæc ter ubi dixit, regios osculatus est pollices, rexque ore suo illius os excepit, moxq; comiter appellatum dimisit. Hic est usitatus iurandi mos in uerba regum Neapolitanorum, quique Ligios illorum se faciunt, ipsum hunc seruant: dicti inde Ligij, quòd ligatis reges pollicibus, illos fidei imperiisq; sic suis uinciant, atq; obnoxios statuant. Pontanus lib. 2. belli Neapolitani.

Sanguine extracto.

MEDI atque LYDI fœdera ineunt cùm alia Græcorum ritu, tum brachia incidendo, ac mutuum sanguinem delingēdo. Herodotus libro I.

SCYTHÆ infuso in grandem calicem fictilem uino, commiscent eorum sanguinem, qui feriunt fœdus, cultello aut gladio aliquantulum corporis incidentes. Deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, gladium. Hęc ubi fecerūt, sese multis uerbis deuouent: postea uinū epotant, non modò ij qui fœdus fecerunt, sed etiam comites hi qui sunt maximæ dignitatis. Herodotus lib. 4. Sic Sallustius scribit CATILINAM humani corporis sanguinem uino permistum in pateris circūtulisse sociis coniurationis, & eos singillatim degustasse, quò inter se magis fidi forent. Atque hodie illud idem fit inter EOS, qui ad aliquod insigne scelus faciendū conspirant. Polyd. lib. 15. de Inuentoribus.

Princeps SARACENORVM & BYZANTINVS Imperator, amicitiam inter se constituentes, uterq; uena in pectore incisa, suum alteri sanguinem propinauerunt. Nicetas libro 2. de Imperio Isaacij Angeli.

Hispani ductu Ferdinandi Magellanis per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrantes, dum Moluccarum legūt insulas, cum CALAMARO rege Calemandi insulæ societatem inierunt, more gentis, sanguinem de brachio sinistro mittentes, eoq; os & linguam illinentes. Petrus Cieza Tomo 2. Historiarum Peru, cap. 94.

Icturi fœd⁹ ueteres DANI uestigia sua mutui sanguinis aspersione perfundere consueuerant, amicitiæ pignus alterni cruoris cōmercio firmaturi. Eo pacto LISERVS pirata & HADINGVS Grami Danorum regis F. exul arctissimis societatis uinculis colligati, Lokero Curetum tyranno bellū denunciarunt. Saxo lib. I.

Propinatione, Compotatione.

Antiqui REGES epulum publicè præbentes, uinum phialis aureis aut argenteis temperatum à pincernis accipiebant ipsi: coque libato, quod magni amoris signum esset, etiam calicem cui uolebant dabant. Id propinare dicebatur: & dies qua id fiebat, Philothesia, nomine ab amicitia ducto. Suidas.

INDIS maxima societas erat, de Tantali aqua potare: de qua si qui unà bibissent, ea obtestatione tenebantur, ut eiusdem fati & fortunæ fœdus iniisse censerentur. Alexander ab Alex. libro 5. capite 3.

Fidei dandæ consuetudo hæc est apud NASAMONES Pœnos. De manu alterius uterque sumto inuicem poculo bibit. Quòd si nihil humoris habuerint, sumtum è terra cinerē lingunt. Herod. lib. 4.

THRACES & AEGYPTII è cornibus boum uina libare alternà uice, conciliati amoris & mansuræ fidei certissima pignora censuêre: quippe ueteribus cornua boum poculorum pręstabant uicem. Alex. lib. 5. cap. 3.

Hasta

Hasta data.

GRÆCI, qui cum Cyro senserāt, Babylone redeuntes, intra fines Macronum ingressi, fœdus cum illis composuêre, útque fidei pignus certum utrisque extaret, hastam ab illis de more Barbaricam acceperunt, Græcam tradiderunt. Hæc enim sibi à maioribus Barbari dicebant instituta ad fœdus iungendum tradita, certissimaque ea esse fidei mansuræ signa. Diodorus lib. 14.

Gladio.

ROMANI milites in Gallia Iulianum Augustum consalutarant. Iussi proinde uniuersi in nomen eius iurare solenniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub execrationib. diris, uerbis iurauere conceptis, omnes pro eo casus, quo ad uitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. Marcellinus libro 21.

PANNONII olim pacem cum hoste facturi, eductis mucronibus, quos pro numine colebant, iurabant, in amicitia se permansuros. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

Ioannes Albertus Polonorum rex anno 1501. cum TARTARIS fœdus icit multa ceremonia, & iureiurando interposito. Quod quidem Tartari more suo dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei qui fœdus uiolasset. Cromerus libro 30.

Claua.

Mazza apud VALLESIANOS seditionis popularis symbolum est & signum: claua lignea, mōstrosa facie insignis: quicunque nomen dat seditioni, clauum, quo equorum soleæ suffiguntur, in eam adigit, & hoc ueluti sanctissimo iureiurando Mazzarorum libidini sese in omnibus obsecundaturum pollicetur. Coniurati Mazzaphorum secuti, inimicorū domos petunt, Mazzam ante ædes statuunt. Ea posita, liberum est cuiuis tanquam proscriptorum bona rapere, auferre, absumere. Hoc genus censuræ rusticæ, qua improbos & noxios ciues patriæ punire, & in exilium agere solent, anno Domini 1414. primùm inuentum est. Stumpf. lib. 11. Hel.

Boue.

De Septem ARGIVORVM ducib. Polynicem ab Eteocle fratre Thebis pulsum reducturis, Aeschylus sic scribit:

ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θοῦροι λοχαγέται,
ταυροσφαγοῦντες εἰς μελάνδετον σάκος,
καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
Ἄρη, κ' Ἐνυώ, καὶ φιλαίματον Φόβον
ὡρκωμότησαν, ἢ πόλει κατασκαφὰς
θέντες, λαπάξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ,
ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.

Viri septem feroces ductores cohortum, taurum mactantes in scutum ferro cōpactum, & attingentes manu bouinum sanguinem, Martem & Bellonam, & sanguine gaudentem Metum sanctè iurarunt, aut urbe euersa perdituros se oppidum Cadmeorum ui: aut terram mortuos prius cōmixturos sanguine.

Ἐπὶ βύρσης καθίζεσθαι: id est, In tergore bouis desedit, id est, supplex implorat auxilia. Natum adagium à consuetudine uernacula SCYTHIS, quemadmodum testatur Lucianus in Toxaride. Nam apud hos si quis fortè lęsus esset, neq; suppeteret ulciscēdi facultas, immolato boue carnes minutim sectas coquebat, ipse in tergore humi strato sedebat, manibus in tergum reductis. Idque maximum supplicandi genus apud illos habebatur. Accedebat quicunque uellet opitulari, & carnium portione gustata, dextroque pede tergori imposito, pollicebatur pro uiribus auxilio futurum. Atque hoc fœdus apud Scythas sanctissimum habebatur. Erasmus in Adagiis.

Βοῦς ὁ Μολοττῶν, Bos MOLOSSORVM. De iis qui multis negotiis implicantur, & distrahuntur. nam Molossi fœdera inituri, bouem in multa minuta frusta dissecabant. Suidas.

Equo.

E Sparta in Arcadiam proficiscentibus, in itinere est Equi monimentum: quo in loco TYNDAREVS dicitur conuocatis Helenæ filiæ procis, super execti equi testibus iusiurandum concepisse, cuicunque Helena desponsaretur, armis se illius iniuriam, si à quoquam nuptiæ illæ uiolatæ fuissent, uindicaturos. Cùm hoc illos sacramento adegisset, equum eo ipso in loco defodit. Pausanias in Laconicis.

Apro.

Vicus Apri sepulcrum dictus in Stenyclero Messenici agri regione, nomen ex eo habet, quòd HERCVLES eo in loco super apri testibus fœdus cum Nelei liberis, fide ultrò citróque data, & accepta, percussit, sacris ritè à uatibus utrinque factis. Pausanias in Messenicis.

GRÆCI principes pro repetenda Helena consilium habituri, Argis conuenerant. Chalcas uates, filius Thestoris, porcum marem in medium forum afferri iussit, quem in duas partes dissectum, orienti occidentique diuisit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire iussit. Deinde mucronibus sanguine eius oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, inimicitias sibi cum Priamo per religionem confirmarunt, neq; prius se bellum deserturos, quàm Ilium atq; omne regnum euertissent. Queis perfectis, Martem atq; Cōcordiam multis immolationibus sibi conciliarunt. Dictys libro primo de bello Troiano.

Igne.

ZOFALENSIVM Aethiopum rex singulis annis mittit ex suis domesticis & familiaribus, qui ignem nouum Principib. & Regibus, qui in illius ditione sunt, nomine ipsius Regis impertiat, atq; inde reliquis hominibus distribuatur. Quod quidem ad hunc modum fit. Vbi legatus ad domum cuiusuis Principis accedit, ignis extinguitur. Deinde rursus à legato nouus ignis excitatur: tunc omnes eò commeant, ut ignem inde in domos suas inferant. Hoc qui facere recusat, proditor atq; rebellis existimatur, & tanquā maiestatis reus extremo supplicio punitur: & si opus ita fuerit, exercitus in illum comparatur, ut hominem fidei desertorem multis excruciatum suppliciis interimat. Osorius lib. 4. rerum Em.

Mydro.

Apud GRÆCOS mos erat, ut iurantes mydrum tenerent (est autem eo nomine ignitum ferrum) fœdusq; tādiu perseuerare comprecarētur, quamdiu latuisset mydrus, quem mox in mare deiiciebant. Meminit in Antigone Sophocles, & Herod. de Phocensibus. Sed & Callimachus:

Φωκαίων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

Scribit Plutarchus, ARISTIDEM, quum pro Atheniensibus Græcos sacramento adegisset, inter imprecationes, mydros in mare coniecisse: adiurantem ut ita extinguerentur, cum omni stirpe & gente, qui cōtra fœdus irent, uelut ignitum illud ferrum aqua.

Lapide.

ARABES seruant fidem inter homines, ut qui maximè: quam hunc in modum dant. Quoties fœdus inire uolūt, alius quidam medius inter utrunq; stans, acuto lapide ferit uolā iuxta maiores digitos eorum qui fœdus ineunt. Deinde sumto flocco ex utriusq; uestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum inuocās Dionysium & Vraniam. Hoc acto, idem qui fuit sequester fœderis inter amicos contrahendi, uadatur hospitem, aut fortè ciuem, si cum ciue res agitur. Quod fœdus & ipsi, qui amicitiam contraxerunt, seruare iustum censent. Herodotus lib. 3. & Sabellicus lib. 7. Enn. 2.

ROMANI in fœdere cum Carthaginensibus per Lapidem (siue per Iouem lapideum, ut ait Macrobius) secundùm uetustissimum ritum, Martis Quirinique numinibus additis, iusiurandum præstiterunt. Ritus lapidis fuit huiusmodi: Fecialis P. Ro. sumto in manibus lapide, postquā inter partes de fœdere cōuenerat, sic loquebatur: Si rectè & sine dolo malo hoc fœdus atq; iusiurandū facio, Dij mihi cuncta felicia præstent. Si aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulcris, solus ego pereā, ut hic lapis è manibus meis decidet. Nec locutus plura, lapidem manib. deiicit. Hunc uetustissimū iurisiurandi morem apud Rom. Polybius fuisse ait lib. 3. & Gellius lib. 1. c. 21. Quod à Liuio & Dionysio prætermissum miratur Sab. lib. 6. En. 4.

CVR. CAVSA

Fœderis in genere.

Vide Titulum Astutiæ in fœderibus.

Fœdus (ut Grammatici putant) ex eo dictum est, quòd in paciscendo uictimæ fœdè & crudeliter necabantur, eiusq; mors optabatur ei, qui à pace resilisset. Vnde Virgil. Aeneid. 9.

--Et cæsa iungebant fœdera porca.

Est autem pactio quædam pop. Rom. iussu ritè per Fecialem certis legibus facta, & iureiurando firmata. Fœderis autem duo facit genera Proculus in lib. 7. D. de cap. & postlimin. alterum æquum, amicitiæ causa factū: alterū iniquū, siue impar, cū pactio fit, ut is populus alterius populi maiestatem comiter tueatur: quod adiicitur (inquit) ut intelligatur, non pari iure utrūq; populū esse, sed hūc altero superiorē. Liuius lib. 34. eadē ponit genera: & illud prius scribit esse, cū pares bello, ęquo fœdere in pacem atq; amicitiā uenirēt: tūc enim repeti reddiq; per cōuentionē res. Alterū uerò gen⁹ esse ait, cū qui hostes nūquā fuerint, ad amicitiā sociali fœdere iūgendā coeunt: eos neq; dicere, neq; accipere leges: id enim uictoris & uicti esse. Sed pręter illa duo genera tertiū etiam addit, quo bello uictis leges dicūtur. ubi. n. omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quę ex iis habere uictos, quib. multari eos uelit, ipsius ius atq; arbitriū esse. Sed pinguior Liuij partitio est, Proculi limatior: quippe cū Dedititij nō ꝓpriè in fœdere, sed in ditione esse dicatur. Hot. de uerb. Iur. Liui⁹: Cāpanorū aliā cōditionē esse, qui nō fœdere, sed per ditionē in fidē uenisset. Itē de Apulis: Ita in societatē eos esse acceptos, ut nō ęquo fœdere, sed ut in ditione pop. R. essent.

Tria

Tria sunt iungendorum fœderum genera. Vnum, quum inter uictorem & uictum fœdus feriretur: ubi qui uicissent, uictis leges darent. Alterum, quo pares bello populi regesq; in fœdus coirent, quum res æquo iure & ex commodo utriusque partis componi solent. Tertium genus, quando ij qui nunquam hostes fuerūt, ad amicitiam sociali genere iungendā coeunt, ac tum altera partium neq; dat leges neq; accipit. Sabellicus lib. 6. Enn. 5.

Societatis. Fœdus cum Socijs.

Iureiurādo se obstrinxerūt GRÆCI omnes, cùm aduersus copias Xerxis dimicaturi essent, in hæc uerba: Vitam libertate pluris non faciam, neque deseram imperatores, neque uiuos, neque mortuos. Sed eos è sociis, qui in prælio occuburerint, omnes sepeliam: & ubi bello uictor extitero, etiā barbaros. Ex iis ciuitatibus, quę pro Græcia pugnauerint, nullā deuastabo: quæ barbari partes sequi maluerunt, omnes decima: bosanorum, quæ à barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino excitabo, sed sinam impietatis barbaricæ exter in omni posteritate monimentum. Muretus libro 3. Var. lect. capite 10.

GRÆCI, qui cum Cyro aduersus Persas ascenderunt, fœdus percusserunt, mactato tauro, & lupo, & apro, & ariete: in sanguine intingētes, Græci ensem, Barbari hastā: iureiurādo addito, neutri alteros se deserturos, sed belli fore socios. Barbari uerò insuper iurarūt, se sine fraude ducturos esse. Suidas.

L. Papyrio Cursore & Sp. Caruilio Coss. coniurauerat, quod haud antea acciderat, omne SAMNITIVM nomen. Esteq; sacrata lege, ut olim, inter eos fœdus ictum. Iouis sacrū fuit caput eius, qui ad imperatoris edictum non extemplò affuisset, quiue illius iniussu deseruisset signa. Ad quadraginta armatorū millia hac lege uelut initiata Aquilonia conuenerant. Hic in medio castrorum loco linteis & cratibus coopertо aram statuerunt, ad quam multis uictimis cæsis centuriones nudis ensibus circumstabant. Huc sigillatim primores gentis admoti iurare cogebantur, quæ audita ibi uisaq; essent, nulli se enunciaturos: se deinde familiamq; suam cū tota stirpe execrari, nisi ad imperatoris edictū conuenirent, citiusq; in acie occumberent, quàm ex acie metu refugerēt: aut si fugientē uidissent quenquā, nisi pro hoste habituri essent. Pleriq; id sacramenti genus detrectantes ante aram ipsam confossi perierunt, ut corpora inter uictimas proiecta cæteris terrori essent, quo minus id iusiurandū abnuere auderēt. Ouius Paccius homo magnus natu sacro præfuit, qui se ex ueteri Samnitium disciplina morē hunc hausisse affirmabat, tam religiosè, nec aliter à maiorib. suis olim coniuratum dictitans, quum illi adimendæ Hetruscis Capuæ consilium cepissent. Igitur primum agmen ex lectissimo quoque sexdecim millia armatorum habuit, ea legio linteata dicta est à tegumento septi, in quo fuerant sacramento admoti. His arma insignia data, & cristatæ galeæ, ut inter cæteros eminerent. Viginti millium & amplius alter exercitus, nō specie corporum, aut belli gloria, sed armatorum habitu linteatæ legioni dispar, atque hoc hominum robore Samnites ad Aquiloniam consederunt. Victi tamen sunt magno prælio à Papyrio, quanto post Papyrium patrem fuerant à nullo uicti. Sab. lib. 7. En. 4.

CLAVDIVS Cæsar cum regibus fœdus in foro icit, porca cęsa, & uetere Fœcialium præfatione adhibita. Suetonius.

Reconciliationis, Pacis. Fœdus cum Hostibus.

Defecerant à Rom. LATINI, Tarquiniotū exulum suasu. Variis autem cladibus affecti, cùm supplices Rom. Sen. facti essent, ex ueteri formula fœdus est cum ipsa gente renouatum, anno quarto decimo, ex quo reges habere Romani desierant. Fœderis formula hæc fuit: Romanis atque omnibus Latinis urbibus inter se pax esto, donec cœlum terraque eundem habebunt statum: neque bellum inferentibus ullis tutos transitus præbento, bellumque gerentibus opem ipsi ferunto totis uiribus, spoliorumque & prædæ de hostibus communibus utrinque æquam sortiuntor partem: priuatorumque contractuum iudicia intra decem dies conficiuntor. His fœderibus nihil addi adimiue liceat, nisi Romanis omnibus Latinisq; aliquid addendum adimendumque uidebitur. Sab. lib. 8. Enn. 2.

Iusiurandum primo fœdere inter ROMANOS & CARTHAGINENSES factum, quod in tabulis æneis inscriptum ædiles in Iouis Capitolini templo diligentissimè asseruandū posuerunt, hoc est. Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc iusiurandum facio, Dei mihi cuncta felicia præstēt: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis, in propriis patriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulcris, solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem deiecit. Polybius libro 3. Scribit T. Liuius libro primo, tertię Dec. hunc iurandi modum Carthaginensibus fuisse. Inducitur etiam Hannibal agnum læua manu, dextra silicem lapidem retinens: Si falleret, Iouem cæterosque precatus Deos, ita se mactarent, quem admodum ipse agnum mactasset. & secundùm precationem, caput pecudis saxo elisit. Polybius libro tertio Historiarum.

Formulā fœderis inter CARTHAGINENSES & PHILIPPVM Macedoniæ regem, idem lib. 6. tradit.

Perceptione corporis & sanguinis Domini, cōfirmata fuit pax inter HENRICVM IV. Imp. & PASCHALEM Romanorum pontificem. Sigebertus.

Compositis inter Vng. regem VLADISLAVM & AMVRATHEM rebus omnib. quū de modo sanciendæ pacis ageretur, Turcę iuramentū in Eucharistiam à rege postulabant. Gregorius Sauoreus pertinaciter aduersabatur, ne arcana mysteria, quæ nulla ratione, nisi fide tantùm pura, munita sunt, infidelib. proderētur. Conuentū tandē utrinq; est, ut in Euāgelio nostri, illi in Alcorano iurarent. Scriptis igitur eodem argumento, lingua tamen duplici, conditionib. pacis, eas inter se perpetuas inuiolatasq; fore, sanctissimo utrique iuramento asseuerarunt. Bonfinius lib. 6. Dec. 3.

Certaminis.

Olympiæ in curia Iouis Horcij signum est, manu utraq; fulmē tenens, perfidiosis hominibus maximè formidandum. Romani Dium Fidium appellāt. ATHLETÆ omnes, eorūmque parentes, fratres, magistri gymnasij, super execti suis testibus uerbis conceptis deierant, nihil se fraudis facturos, quo minus Olympici ludi ritè fiant. Athletæ ipsi hoc amplius iurant, se X. perpetuos menses in Iudicram exercitationem propositi certaminis consumsisse. Iurant præterea iudices, pecuniā se nullam capturos, nec qua re adducti quēuis aut probarint, aut improbarint, in uulgus prolaturos. Pausanias libro 5.

Imperij.

Singulari prælio decertaturis Curiatiis Albanis cum Horatiis Romanis fratribus, tergeminis, Vtrius urbis imperium esset, quem admodum inter METIVM Sussetium Dictatorem Albanum, & TVLLVM Hostilium regem Rom. conuenerat, fœdus prius inter Albanos & Rom. sancitur, suis cuiusque populi ritibus. Romani ritus hæc formula fuit uetustissima. Fœcialis regem Tullum ita rogauit: Iubésne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente rege, Sagmina, inquit, te rex posco. Rex ait: Puram tollito. Fœcialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogauit: Rex facísne me tu regium nuncium populi Rom. Quiritium, uasa, comitesq; meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fœcialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fusium fecit, uerbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est, sanciendum fit fœdus, multisque id uerbis peragit. Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerāue recitata sunt sine dolo malo, utiq; ea hìc hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tanto q; magis ferito, quāto magis potes, polles q;. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua uicissim carmina Albani, suūq; iusiurandum per suū dictatorem, suosq; sacerdotes peregerunt. Liuius Dec. 1. lib. 1.

VBI. IN *Templo.*

Apud GRÆCOS, qui sanctam & inuiolabilem præstant fidem, in Thesmophoræ, hoc est legiferæ Cereris templum descendere, & quibusdam exhibitis sacris deę purpuram induere: incensisque facibus, uelut præsentibus numinibus, per quicquid est deorum deierare solebant. Alex. ab Alex. libro 4. capite 10.

Conuiuio.

PERSÆ, inter uinum & epulas, frequentique conuiuio, uxores, filios amicosque omnes habent, & tanquā fidei pignora adhibent, ibique inter sacra mensæ, uelut apud hospitales deos, fœdera & pacta ineunt: & sic fidem socialem ratam, & mansuræ pacis pignus inuiolabile esse putarunt. Alex. libro 5. capite 3.

GERMANOS narrat Posidonius in symposiis sese complexos, uenas in fronte scindere, & sanguinem defluentem in poculo miscentes bibere, summum amicitię terminum attigisse existimantes, cùm sanguinem uicissim inter se degustarint. Post huiusmodi potum caput unguentis perungunt, & maximè rosaceo, uel melino, ne offendantur uini uapore: at si neque hoc concedatur, irino utuntur uel nardino.

Athen.

Athen. lib. 2. cap. 2. Verùm Alex. lib. 5. c. 3. & Cælius lib. 18. cap. 32. A. L. hoc CARMANIS tribuunt.

SQVANDO.

Dux ROMANVS à medio dici fœdus non ferit, nec formulam conscribit. Plutarchus in quæst. Romanis.

Plut. in Galbæ uita & Dion lib. 57. scribūt suis temporib. moris fuisse, ut ROMANI milites Kal. Ianuarij in nomen Imperatoris iurarent: cùm antea stante Repub. in Senatus populiq; Rom. iurare soliti fuissent.

FIDEM SERVARE.

Consule locum Iustitiæ distributiuæ. Sed & Iniustitiæ, quatenus fidem sua prę modum seruat.

FIDEM FALLERE.

Vide locum Iniustitiæ, Perfidiæ qualifcunque.

SVFFRAGARI, SVFFRAGIVM DARE.

Apud ROM. æqualibus uotis super uindicando facinore in diuersa trahentibus, pro reo iudicium stabat, quod uidebatur æquissimum. Id quod sæpe ab ATHENIENSIBVS factitatum est. Nam quum de extinguendis Mitylenæis suffragatores paribus uotis dissentirent, Diodoti sententia peruicit, quia lenior. Alex. lib. 3. cap. 5.

VETERES olim Apomagdaliis, hoc est, bucceis, quibus manus in conuiuio abstergebant, easdēq; canibus in uia obiiciebant, suffragia ferebāt, utrum sequentis diei cōuiuio interesse uellent. Eustathius, Pollux, Athenæus.

Cùm olim Colophonij domesticis seditionibus tumultuarentur inter sese, euenit ut aliquot ex illis, mutatis sedibus, ad Smyrnæos demigrarent. Dein accidit, ut cùm bellum gererent Smyrnæi, ac sæpenumero uicti discessissent, tandem adhibitis COLOPHONIIS, quos in ciuitatem receperant, extiterint superiores. Vnde institutum est, ut quemadmodū Smyrnæi non uicerant in bello, nisi Colophoniorum accessione, ita nec in suffragiis uincerent, nisi illorum calculum adiungerent. Proinde cùm Ionij duodecim ciuitatibus imperarent, quarum una Smyrna, in publicis consiliis, si quando Smyrnensium æquales fuissent calculi, pars ea uincebat, cui subscripsissent Colophonij illi, quorum opera uicerant in prælio. Nec abhorrent ab his, quæ refert Iabenus scriptor Græcus. Duodecim Ioniæ ciuitates conuenire solitas: id cōcilium Panioniū dicebatur: in quo si forè calculis hinc atq; hinc paribus nihil decerni poterat, accersebantur Colophonij, qui uictoriam adferebant utricunq; parti fuissent suffragati. Erasmus in Adagiis.

Helychius indicat hunc morem fuisse apud AETOLOS, ut cui alba faba obtigisset, is magistratum susciperet. Vnde ferre suffragia, siue sortiri, κυαμεύειν appellabant, & iudicem κυαμοβόλον. nam & iudiciis quibusdam non uoce, sed calculis ferebantur sententiæ. Idem.

DINON Tarentinus prętura fungens, uir bello egregius, cùm reiecissent quandam eius sententiam ciues, ut pronunciauit præco eam, quæ obtinebat, protensa manu: Hæc, inquit, potior est. Sic Theophrastus. Adiecit in Rytino Apollodorus, cùm retulisset, Hæ plures, præco: At hæ, illum dixisse, meliores: ratumq; fecisse pauciorum suffragia. Plutarchus in quæst. Græcis.

POLLICERI, PROMITTERE, SPONDERE, VOVERE.

SQVID. *Religionem.*

CLODOVEVS Francorum rex ad Tolbiacum oppidum cum Alemannis cōgressurus, humana spe destitutus, ad opē cœlestem implorandam uersus, fidei uxori Clotildi in pacificēdis nuptiis dataę memor, Christum seruatorem se professurum uouit, si uictor domum rediret. Aemylius lib. 1.

Templum.

Victis ad Anienem Gallis, Dictatore Furio CAMILLO, populus domum reuersus magna ui institit, ut alter consul præter morem ex plebe crearetur: quæ rogatio iam aliquot annos durauerat: ita ut nulli consules, sed Tribuni potestate consulari crearentur. Opponebat se Senatus, & Camillo Dictaturam prorogabat, summo eius imperio securitatem suā cooptans. Sedenti pro Rostris Camillo, & ius dicenti, missus à tribuno plebis uiator, sequi iussit ei, manusque iniecit, quasi eum ducturus. Ibi clamor & strepitus occupauit, ut nunquam aliàs, forum: aliis, qui cingebant Camillum, uiatorem à tribunali repellentibus: uulgo ex inferiore loco, ut detraheretur, uociferante. Ille in tali tumultu fluctuans animo, summum imperium tamen non proiecit, sed abducto senatu contulit se in curiam. Quò primùm ingrederetur, ad Capitolium respiciens, deos precatus est, ut præsentem morum in bonum exitum uerterent: ædemque Concordiæ, si esset tumultus sedatus, uouit. Post magnam altercationē permissus tandem plebi alter consul. Insequenti die coacto populi concilio, ædes Concordiæ, quæ foro & concioni imminebat, ob sedatum tumultum extruenda scisciturr. Adiectus insuper Latinis unus, ut quaternis diebus agerentur, utrq; populus Romanus omnis in præsentia sacrificaret coronatus. Plut. in Camillo.

DAGOBERTVS Clotharij II. Francorum regis F. patris iram ob Sadregisillum Aquitaniæ præfectum iniquè à se tractatum fugiens, hinc inde latuit. Tandem ad Catuliacum Parisiorum oppidum, in spelunca peruenit, ubi corpora martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij condita erant. Inde cùm à militibus à patre missis retrahi deberet, oborto horrore, omnibusque membris capti milites, ingredi non potuere. Pater existimans eos filio gratificari regnaturo, ipse ingredi conatur: sed eodem pauore correptus, non antè, quàm filio data uenia, ingredi potuit. Hinc à martyribus aiunt per quietem admonitum Dagobertum, ædem illis uouisse, quam rerum potens excitatam magnificentissimè excoluit. Aemylius lib. 1.

Fridericus Boemorum rex ad Pragam prælio certabat dererum summa cum Sobieslao II. quem Cæsaris Friderici I. auctoritate & auxilio deiecerat. Vxor Friderici ELIZABETHA, pugnam ex fenestra prospectans, eleuatis in cœlum manibus, supplex uouisse dicitur templum sub D. Ioannis nomine in eodem campo à se ædificandum, in quo pauperes & egeni hospitio acciperentur, si Christus uictoriam marito contulisset. Vorúmne, an uirtus militum, an utrumque in causa fuit: tantam, tamque constantem impressionem amplius sustinere Sobieslaus non toleravit, primusque fugæ exemplum cæteris præbuit: quem Fridericus usque ad pagum Prosyka insecutus, uulnus capiti eius, non tamen lethale, sua manu intulit, celeritatique equi magis iam, quàm ulli rei fidentem, destitit persequi. Exul tandem, extorrisque aliena in terra mortuus est. Dubrauius lib. 13.

Votum.

Quondam SABINI feruntur uouisse, si res communis melioribus locis constitisset, se uer sacrum facturos. Quo uoto damnati, fœtum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse. Sed etiam T. Liuius ipsius meminit, qui inquit: Pro his tantis totque uictoriis, uer sacrum diis immortalibus agi, haberique. & in alio etiam loco è libro XXXIV. Ver sacrum uideri pec⁹, quod natū esset inter Kal. Martias, & prid. Kal. Maias, P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo cō sulibus. Victorius libro trigesimo quinto Var. lect. capite uigesimo secundo.

Corporis afflictionem.

MATRIS pro filio intercessionem stultam, Horatius libro 2. Sat. 3. describit:

Iuppiter ingenteis qui das adimisq; dolores,
Mater ait pueri, mensēis iam quinq; cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tyberi stabit. Casus medicúsue leuarit
Aegrum, ex præcipiti: mater delira necabit,
In gelida fixum ripa, febrimq; reducet.
Quòne malo mentem concussa? Timore deorum.

SQVIBVS. *Diis. VOTA propriè.*

IEPHTHE Israelitarum iudex uictoria de hostibus parta, promisit Deo sese quod primum domum reuertens animal obuium haberet immolaturum. Itaque filiam, quæ ipsi prima occurrerat, sacrificauit.

De nauigatione Thesei sic scribit Plato in Phædone: THESEVM

SEVM profectum in Cretam cum bis septem hominib. uotum suscepisse, si ipse saluus saluos suos reduceret, singulis annis spectaculum Delphos ducturum ad Apollinem: quē morem Athenienses adhuc suo tempore seruarent, ut ipsam eandem Thesei nauem coronatam Delum mitterēt: quo toto nauigationis tempore, quousq; ad Piræeum rediit, nefas sit quenquam supplicio capitali afficere.

INSVBRES Galli, qui è Transalpinis prodière, Alpium accolæ, in Romanos arma sumere ausi, Britomaro duce, se non prius balthea soluturos, quàm Capitoliũ ascendissent, sponte iurauerant. Quos ubi Aemilius superauit, ut iuramēta p̄starēt, captiuos Romam duxit, ductosq; in Capitoliũ subinde discinxit. Redintegrato cũ Romanis bello, Ariouisto duce, ex hostiũ exuuiis suo Marti torquē aureum uouêre. Sed Capitolinus Iupiter eorum uotum intercepit, quandoquidē Flaminius de torquibus eorum aureum Ioui trophæum erexit. Viridomaro rege, Vulcano quoq; Romano arma uouerant: sed frustrata eos uota aliò cecidere. Cæso namq; rege, Marcellus, tertius post Romulum, Feretrio Ioui opima spolia retulit. Bonfinius lib. 6. Dec. 1.

Moris erat Rom. ut IMPERATORES quinto, ac decimo quoque Imperij sui anno, dies quosdam festos peragerent: in quibus sacra, ludosq; omnis generis facerent, ac præterea diis uotis se solennibus obligarent, si se incolumes in proximum quinquennium, aut decennium cōseruassent, ut uota superiore quinquennio nuncupata pro retenta incolumitate persoluerent. Sic certè ann. 289. Diocletianus & Maximianus, uterq; quinquennalia apparatu, ut assolebat, maximo edidit. Maximianus ea Treuiris celebrauit, quę tum Gallici sedes habebatur Imperij: Diocletianus in Syria. Sigonius lib. 1. occid. Imp.

ALBANVS rex Britonum, à Normannis afflictus, uotũ uouit, cum assensu subditorũ suorũ, si Deus sibi uictoriam largiretur, sese decimam partem omnium bonorum suorũ Deo & sancto Petro Romam missurum. Regino lib. 2.

Regibus.

Ingressuri olim apud DANOS curiam proceres, famulatus sui principia, alicuius magnæ rei uoto principibus obligare solebant, uirtute tirocinium auspicantes. Sic VIGGO quidā, armillis donatus à Roluone Danorum rege, uoto se obstrinxit, si Roluonem ferro perire cōtingeret, sese uindictam eius persecuturum. Saxo lib. 2.

Subditis.

TITVS Imp. quum admoneretur ab amicis, quòd plura polliceretur interpellantibus, quàm præstare posset: respondit, Non oportere quēquam à Cæsaris colloquio tristem discedere. Suetonius.

Militibus.

M. BRVTVS Philippensi acie donum militibus persoluit: ac promisit, si dimicassent strenuè, duas urbes se eis prædæ & direptioni daturum, Thessalonicam & Lacedæmonem. Hoc Bruti uitæ crimē unum inest inexcusabile. quamuis multò his tristiora militibus præmia Antonius & Cæsar tribuêre, qui omni penè Italia ueteres exegerunt cultores, ut agrum illis & oppida darent aliena. Plut. in Bruto.

Sponsis.

Apud Rom. SPONSA in mariti domum introducta, inquit, Vbi tu Caius, ego Caia. quasi dicat, Vbi tu dominus & paterfamiliâs, ego domina & materfamiliâs. Plutarchus in quęst. Romanis.

Mortuis.

GOTHARDVS Hildesianus episcopus, cùm mensę assidens, Meinuercum Padebornēsem episcopum è rebus humanis exemtum audisset, utraque manu panem, qui appositus erat, album apprehendit: O benedicte, inquiens, Meinuerce, cùm te albus panis à cōmuni morte non potuerit liberare: ego, quamdiu superstes ero, de albo pane nunquam gustabo. Quod suum uotum strictè seruauit. Chronicon Cosmidromij.

QVOMODO.

Cum Imprecatione, Deuotione.

Ex Tit. Fidem dare, huc quædam. Illic Fides, hîc Promissio consideratur.

Lacedæmonij Argiuis agrum, qui Thyrea dicebatur, abstulerant. Concursum utrinque infestis signis, Lacedæmonij tamē uictores euasere. Ex eo tempore ARGIVI tonsa coma, deuouerunt sese, ne prius comam alerēt, néue mulieres aurum ferrent, quàm Thyreas recuperassent. Lacedęmonij cōtrà, cùm tonsi essent, in posterum comati esse uoluerunt. Herod. lib. 1. & Plut. in Parallelis.

SARACENI, capitibus & mentis abrasis, sibi diras horribiles imprecari solent, si è prælio nisi uictores excedant. Osorius lib. 5. rerum Emmanuelis.

GERMANI milites, quum eos Georg. Franispergus & Sithius Caroli V. Cæsaris duces ad Papiam ad pugnam hortarētur, in genua procubuerũt, & truci murmure, quodā carmine enunciato, caua manu, collectum solo puluerem in terra sparserunt: qui mos erat antiquissimus eorũ, qui se p̄ principe uictoriaq; deuouerent, ac iurarent, se nisi uictores domũ non esse redituros. Iouius lib. 5. in Piscario.

Cum Petitione, Restipulatione.

Vide Titulum, Petitionis. Faciam ut facias, promittit simul & petit.

DENEGARE.

Cùm ATHENIENSES quidam honores diuinos Alexādro negarent. Videte, ait Damodes, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Plutarchus.

PERICLES amico, qui falsum testimonium, quod iurato erat dicendum, ab eo flagitabat: Vsq; ad aras respondit se amicum esse. Plut. in Apophth.

EPAMINONDAS Thebanus hominem turpem, qui fraudē non grandem admiserat, deprecante missum non fecit Pelopida: sed oranti amicę concessit, talia dicens accipere meretricibus conuenire, non ducibus. Idem.

QVÆDAM amatorem uetulum à se repulerat. Hic cùm ille barba capillitioq; fucato ad eam sub uesperā redisset, subolfaciens illa fucum, Abi, inquit, nam patri non multo antè tuo quoq; denegaui. Ex Græcis Epigrammatis.

Postulante à PHOCIONE Antipatro, ut quiddam, quod iniquum erat, ageret: Non uales, inquit, Antipater amico Phocione uti & adulatore. Plut.

IDEM Atheniensibus congiarium postulantibus: Puderet me, inquit, uobis si largirer, & huic (demonstrabat autem Calliclem creditorem suum) non persoluerem. Plutarchus de Immodica uerecundia.

Concilio Veronensi ann. 1184. raro exemplo pōtifex LVCIVS III. & FRIDERICVS I. Imper. inter fuêre. Lucio postulāti, ut Fridericus Mathildis hæreditatem, cæteraq; quæ ecclesiæ iuris teneret, restitueret, ille abnuit. Eidē uerò petenti, ut Henricus filius rex insignibus Augustalibus ornaretur, disertè itē à Lucio denegatũ: atq; ita exulceratis utrinq; animis concilium est dimissum. Sigonius lib. 15. regni Ital.

Cùm Rom. pontifex auxilium contra Longobardorum regem Desideriũ à Græco IMP. peteret, respondit ille, Aut teipsum defende, cùm temporalia habeas: aut mihi ea restitue, & ego te defendam. Chronicon Ducum Bauariæ.

Carolus VIII. Gallorum rex, ut Ludouicum patruum Nouariæ a Venetis obsessum liberaret, nouas sibi copias è Gallia mitti per literas petebat. VXOR respondit, Se iam uiros, qui Alpes uelint traiicere, omnino nullos habere: feminas uiduas se permultas habere, quarum uiri in Italia periissent. Bembus lib. 2. Historiæ Venetæ.

PROMISSA ELVDERE.

PHILIPPVS Augustus Galliæ rex, solenni à Friderico I. Imp. Vesontium in Burgundia cōuentu indicto, uenit eò noctu, quòd quidam suorum iurasset, regem uenturum: sed in flumine ad urbis mœnia manus tantùm lauit, retroque abiit, execratus conciliabulum, quod Spiritus sanctus non indixisset. Cranzius.

PRÆSTARE PROMISSA. VOTA SOLVERE.

QVAE, QVALIA.

De Votis piis, impiis, stultis, sub Habituum locis. Huc eadem, quatenus uniuersim materiam ueluti habitibus subiectam continent.

QVIBVS.

Diis VOTA soluere.

Fuit VOVENTIVM mos olim, ut qui cōpotes uoti fuissent, quo potiora sumerent, ueteribus persolutis, nouis se obligarent uotis: utque pater, qui solus auctorādi potestatē habet, uotũ filij nomine concipere, ipsumq; numinibus obligare posset. Alex. lib. 3. cap. 22.

ASA rex Iudęorum, ea, quæ uouerat pater suus, obtulit in domum Domini, argentum, aurũ, uasorumq; diuersam supellectilem. 2. Paral. 15.

ISRAELITÆ & IVDÆI obtulerunt decimas, quas uouerant Domino, 2. Paral. 31.

BERE-

BERENICE, ut Deo uota solueret, nudo pede & abraso capillo Hierosolymis ante tribunal supplicauit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22. ex Iosepho.

Rex ARTAXERXES præcepit Esdræ & populo, ut ferret munera Domino Deo Israel, quæ uouerat. 3. Esdr. 8.

METAPONTINI uoti compotes, auream æstatem Apollini uouerunt, hoc est, uberrimum & quæstuosissimum annum deo & numinibus consecrarunt. Alex. lib. 3. cap. 22.

Captis Godofredi Bolionij uirtute Hierosolymis, BOEMVNDVS & BALDVINVS, quorum alter Antiochiæ, alter Edessę restiterat, quòd in Europa nomina in sacrum bellum dederant, religione se adhuc teneri rati, nec solutum, quod coniurarant, non alibi quàm Hierosolymis arma posituros, in sanctam urbem uenēre. Qui domum redibant ex militib. sacris, palmam absolutæ peregrinationis insigne secum tulere. Aemilius lib. 4.

Hostibus.

Gens quædam Pelasgica, quæ Lemnum incolebat, nauib. trāsmisit in Bæbronem, uel (ut Herodotus) Brauronem Atticæ regionem, atq; ex ea mulieres raptas abduxerunt. Pòst ubi pestilentia laborarent, oraculo iussi sunt Atheniensibus satisfacere, atq; ita futurum, ut pestilentia liberarentur. Athenienses rogati, quo pacto placari uellent? denunciarunt ut Lemno decederent. Hanc conditionem cùm audissent PELASGI, per iocum responderũt id facturos sese, si quis Borea uento unius diei nauigatione domo profectus Lemnũ transmitteret. Euenit deinde ut cùm Darius in Thracia agēs omnia undiq; subigeret, Miltiades dux Atheniensiũ è Cherroneso soluens, Lemnum aggrederetur, Pelasgis denunciās se Borea uniusq; diei cursu adesse domo profectum: nam Cherronesum tenebat, atq; illic habitabat. Itaq; Hermon Pelasgorum princeps Lemno cessit. Idq; cùm Darij metu compulsus faceret, adsimulabat tamen se uolentem cedere, quò gratum faceret Atheniēsibus. Huiusmodi fermè legũtur in Græcorum collectaneis. Aemilius Probus in Miltiade aliquāto diuersius rē narrat. Quũ Atheniēses decreuissent coloniam mittere in Chersonesum, quæ tum à Thracibus tenebatur, consultus Apollo, quem sibi ducem sumerēt ad expellendos Thraces, iussit ut Miltiadem asciscerent. Is Lemnũ aggressus, postulauit, ut se sponte dederent Atheniensibus. Lemnij per iocum responderunt, se id tum facturos, cùm ille domo nauibus proficiscēs uento aquilone uenisset Lemnum. Nam hic uentus aduersus est Athenis proficiscentibus Lemnum. Miltiades ne illic tempus tereret, Chersonesum profectus est. Ea capta, rebusque illic ex animi sententia ordinatis, rediit Lemnum, & ex pacto postulauit insulā. Nam se uento Borea domo profectum uenisse, quòd in Chersoneso domum habeat, decreuerat enim illic manere. Itaq; qui Lemnum tenebant, cessere metu. Erasmus in Adagiis.

NON PRÆSTARE PROMISSA.

Consule locum Auaritiæ perfidæ in promisso.

Plutarchus in uita Pauli Aemylij tradit ANTIGONVM regē, Demetrij nepotē, eo quòd benignè promitteret omnibus, nec prestaret promissa, populari ioco dictũ fuisse Dosonē, quasi Latinè dicas Dabonē, quòd ille quiduis petētibus respōdere soleat, δώσω, id est, Dabo. Tales sunt χρησολόγοι.

TITVS Cæsar Vespasiani F. quũ admoneretur, ne tam facilis esset ad pollicendum, quòd longè plura promitteret, quàm præstare posset: respondit, Non oportere quenquam ab Imperatoris conspectu tristem discedere. Suetonius.

CHARES Atheniēsiũ dux, quiduis cuiuis pollicebatur. At nō pręstabat itē, quod receperat. Hinc prouerbiũ de irritis pollicitationibus, Charetis pollicitationes. Eras. in Adagiis.

SALVTARE.

Hîc de Salutatione, quatenus quis suam beneuolentiam alteri in primo aditu uel discessu proponit. Vt uerò Optat ea, quæ in sua non sunt potestate, ad Vota pertinet. Consule locum Popularitatis.

QVI QVOS.

Faustissima & humano generi felicissima fuit illa salutatio, qua GABRIEL angelus Mariam θεοτόκον in urbe Galileæ Nazaretha allocutus est: ab omnibus Christianis summę cōsolationis loco assiduè recolēda, quòd per benedictũ illum fructum maledictio omnis exterminata fuit. Lucæ 1.

Admirandæ fuerunt illius salutationis uires, qua semper uirgo MARIA Elizabetham cognatam prægnantem impartiuit. Nam quamprimùm Elizabetha salutantis uocē exaudiuit, infans, quem utero gestabat, præ gaudio subsiliit: ut cuius olim præcursor futurus esset, cum in utero etiamnũ existens, quo poterat honoris gestu exciperet. Idem.

Præcepit IESVS Christus discipulis suis, ut in quamcunq; domum intrarent, primùm dicerent, Pax huic domui. Lucæ 10.

AEGEVS, Pandionis, regis Atheniensium, filius ad Medeā inquit, apud Eurip. in Medea:

μήδεια χαῖρε. τοῦδε γὰρ προοίμιον
κάλλιον οὐδεὶς οἶδε προσφωνεῖν φίλοις. Salue Medea. Hoc enim procemiũ pulcrius nullus nouit, ad alloquēdũ amicos.

ALCESTIS pro marito Admeto moritura ualedixit in ædib. singulis, apud Eurip. in Alcestide:

– κοὔ τις ἦν οὕτω κακὸς,
ὃν οὐ προσεῖπε, κὴ προσερρήθη πάλιν. Nullus erat adeò abiectus, quem non allocuta sit, & allocutionem receperit.

Pugnam Marathoniam denunciauit, ut Ponticus Heraclides tradit, THRASIPPVS Eroësis. Pleriq; ERICLEM memorāt, currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidentem in ianua primorum, hoc tantùm dixisse: Saluete, nos salui sumus. mox expirasse. Plut. de gloria Athen.

M. CRASSVS infimi ordinis homines singulos, nominib. semper propriis salutasse dicitur. Plut. in Crasso.

GALBA, qui postea imperauit, ętate nondum constanti, ueterem ciuitatis exoletumque morem, ac tantùm in domo sua hærentem, obstinatissimè retinuit: ut liberti seruiq; bis die frequentes adessent, ac mane saluere, uesperi ualere sibi singuli dicerent. Suetonius.

ATHENODORO philosopho causationem senectutis flagitanti, ut sibi liceret redire domũ, Augustus concessit. At cùm ille Cæsari dixisset uale, uolens aliquod philosopho dignũ monumentũ apud illum deponere, adiecit: Cæsar, cùm fueris iratus, ne quid dixeris fecerisúe, priusquam Græcarum literarum 24 nomina apud te recensueris. Cæsar eius dexteram amplexus: Adhuc, inquit, te præsente mihi opus est. totumq; etiam annum apud se detinuit: Gręcorum illud insusurrans prouerbium, Silentij sunt tuta fidei præmia. Erasmus libro 4. Apophtheg.

Theophilum dominum suum, ab Michaele Imp. in Peloponnēsum reip. gratia missũ Basilius Macedo comitatus est. Theophilus in Achaia precandi gratia tēplum D. Andreæ magno cũ comitatu, Basilio absente, intrauit. Cui MONACHVS fano pręfectus nullũ reuerētiæ signũ exhibuit. At Basilio soli eōdē se conferenti & assurrexit ut magistratui, & more Imperatorũ salutauit, expostulantiq; secum Danielidi mulieri ibi primariæ, respondit: se non ut cōmunis conditionis alicui, sed ut à Deo destinato Rom. Imperatori assurrexisse. Euentusq; præsagium hoc confirmauit. Cedrenus.

Damianus, ecclesiæ Papiensi præfectus, singularis sanctitatis atq; doctrinæ uir, cùm Alahis dux Tridentinus pulso Cuniperto regnũ inuasisset, ne ipse aut ecclesia sua detrimenti aliquid caperet, THOMAM diaconum prudētem ac religiosum uirum ad sacram salutationem offerendam misit. Thomas profectus nunciari Alahi iussit, se pro foribus stare, & ab episcopo benedictionem afferre. Tum Alahis, qui utpote Arrianus præcipuum in clericos gerebat odium, responderi imperauit, si munda fœmoralia haberet, intraret: sin minus, foris se contineret. Tum Thomas, Nunciate, inquit, me fœmoralia mūda habere, quia hodie bene lota induxi. Qđ cùm nunciatum Alahi esset: Atqui ego, inquit, nō de fœmoralibus loquor, sed de iis, quæ intra fœmoralia continētur. Thoma uerò hanc Dei, non illius curam & cognitionē esse subiiciente, Alahis ad se uenire hominē iussit, atq; asperis & contumeliosis uerbis excepit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

QVOMODO.

Modus salutandi uarius. Qui osculum habet iunctum, sub Tit. Osculationis illustrabitur. Qui honoris causa instituitur, ad Fortuita pertinet. Qui beneuolentiæ, huius propriè est loci.

AEGYPTII loco compellandi se mutuò in uiis adorāt, genũtenus demissa manu. Herodot. lib. 2.

PERSÆ si notis & æqualibus in uia occurrant, eos osculantur: si humilioribus, adorant. Strabo lib. 15.

Ἀσπασμὸν GRÆCI salutationē uocant in genere. Propriè tamē uidetur eũ salutādi morē exprimere, quādo dextris iunctis, amicũ ad nos trahimus: ἀπὸ τοῦ σπᾶν, qđ trahere uel stringere significat. Quo salutādi more Germani frequēter utũtur, wañ mañ einen zu sich zeücht/ oder die handt truckt.

GRÆCI non proprio, sed officij nomine, aut muneris, quod gerebant, salutare, religiosiùs putarũt. Si qui tamē pręcipua dignitate & honoribus fulgerent, illos propriis salutare nominibus decorum uidebatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Χαίρειν, Gaudere. Salutationem hāc serò epistolis additam fuisse, quidam censent. OLIM enim alius alij simpliciter scribere

bere solebat, cuiusmodi est: Amasis Polycrati hæc dicit. Primum CLEONEM ait Eubulus comicus, sic scripsisse Atheniensibus è Sphacteria, eaq; re ualde lætatum esse, ignorantem, ueteres etiam ea uoce fuisse usos, atq; ita inter se salutasse, non solùm in primo congressu, sed etiam in discessu: & Gaudere, pro ualere, & sanū esse, usurpasse. Vt aues, quę ab hominibus discunt, Salue, & Sis felix: &, Iupiter propitius est, & hoc genus alia. Suidas.

Salutandi formulæ apud ueteres breuissimæ. PLATONI usitatum εὖ πράττειν, ARISTOTELI ὑγιαίνειν, ISOCRATI χαίρειν. εὐπραξία uirtutis est, internorum scilicet animi bonorū. ὑγίεια externorum bonorum præcipua. Ipsum uerò Gaudiū uelut accidens comitatur bona tam interna quàm externa. Horatius in Epistolis inquit:

Celso gaudere & bene rem gerere Albinouano.

Pyrrhus Epirotarum rex bellum inferebat Antipatro Macedoni. Lysimachus studens Antipatro succurrere, cùm sciret Pyrrhum omnia gratificaturum PTOLEMÆO, misit ad eum literas adulterinas, ut mercede accepta ab Antipatro trecentorum talentorum expeditionem illam omitteret. Soluta epistola, confestim odoratus Pyrrhus est Lysimachi fraudem. Neq; enim scriptā habebat consuetā salutationē, Pater filio S.D. sed, Rex Ptolemęus regi Pyrrho S.D. Plut. in Pyrrho.

Apud ROMANOS id longè præstantissimum fuit, suis nominibus quenq; reuereri & salutare, salutātibusq; reddere salutem. Ideo nomenclatorem, qui nomina suggereret, habuêre. Si autem nomē non succurreret, illum honoris causa Dominum appellabant. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Dion in Adriano, CORNELIVS (inquit) Fronto peruesperi quandoq; ab cœna domum repetens, officium cuidā præstiturus, ἐν στολῇ δειπνιτιδι, id est, ueste cœnatoria est iudicium ingressus, ac iudices ita salutauit, ut non matutino uteretur uerbo χαῖρε, id est, Aue: sed uespertino, ὑγίαινε, quod Salue interpretantur. Cælius lib. 16. cap. 11. A. L.

Salutem & Apostolicam benedictionem, CLETVS Pontifex præfationis loco posuisse primus dicitur. Quem salutandi modum pontifices, qui sequuti sunt, seruarūt. CHRISTVS & suum salutationis genus, Pax uobis, aut huic domui, usurpare consueuit, quemadmodū Gręci peruetusto more χαῖρε, Latini Salue, uel Salutem, Hebræi uerò, Pax tibi. Eam salutationem nunc episcopi ut sibi peculiarem uindicant. Polyd. lib. 8. cap. 2. de rerum Inuent.

BOIEMI ueteres Suantouitum, ubi etiam cæteri Sclauini, coluere. Manent uestigia superstitionis etiamnū, quando excepturi aliquem peregrè aduenientem, Vitei Vitei acclamant, felicem ei aduentum & salutem precantes, quòd olim pestilentia grassante soli Suantouiti cultores ab eo malo immunes fuerint. Dubrauius lib. 1.

Mos est NAVTICVS eiusmodi, ut qui plus aut uiribus aut dignitate pollent, uelint ut quę sibi occurrerint naues uelificationē intermittant, antennasq; demittant, cùm honoris sui causa, tum si quid ab illis quærere aut petere uelint, possint. Id qui nolūt facere, ius est, bello cogere ut faciāt: sæpeq; accidit, ut ea de causa pugnę maximę existant, plurimorumq; hominum cædes consequantur. Bembus Ven. Hist. lib. 4.

PRINCIPES Turcorum, cùm mutua sese reuerentia afficiūt, ter digito labellum cōpescere solent. A quibus uulgatæ istę apud Hispanos, Italos, & Gallos, iam etiā apud Germanos, ut facilis est harum ineptiarum potius, quàm uirtutum imitatio, manuum deosculationes. Cuspinianus.

PAVLVS Chuporus Sigismundi Imp. præfectus Eruoiam Spaletij ducem in aula Imp. quia ipsius aspectus moresq; rusticum hominem præferebant, nunquam aliter, quàm expresso bouis mugitu, salutabat. Hinc factum, ut cùm Eruoia à Sigismundo defecisset, multosque ex ipsius ducibus ac præfectis cepisset, dimisissetque omnes sine precio humanè, unum Paulum detinuerit, eique nudo statim pellem bouis assui iusserit, dicens: Velle se, ut uoci illi personæ quoque imago responderet. Fulgosus libro 9. capite 10.

NVLLA SALVTATIO.

QVIDAM à Socrate salutatus, nō resalutauit: sed hoc nequaquam molestè tulit Socrates. Amicis autem admirantibus, & ob hominis inciuilitatem indignātibus, dixit: Si quis nos præteriret, peius affectus corpore quàm nos sumus, nequaquā illi succenseremus. Cur igitur illi succēseam, qui peius affectus est animo, quàm nos sumus? Eras. lib. 3. Apoph.

ALEXANDER Magnus uicto Dario nulli mortaliū, præterquam Antipatro & Phocioni, in literis salutem dedisse narratur. Aelianus lib. 1. Var. hist. & Plut.

DEMETRIVS præter se & Antigonum patrē, regē nec nominasse quenquā, nec salutasse dicitur: NERO Cæsar nedū salute, sed ne resalutatione quidē aliquē impartiuit. Suet.

HANNIBAL eò insolentiæ processisse dicitur post uictoriam ad Cannas, ut nulli ciuium suorum, nisi per interpretem, responsum aut salutē dederit: & PALLAS Claudij libertus, eius proteruiæ fuisse, ut nō modò nulli ministrorum salutē impartiuerit, sed ne uocem quidem cum familiari communicarit. Alex. lib. 2. cap. 19.

TIBERIVS Cęsar, cùm RHODII ad eum scripsissent, nec essent ei in extrema epistola salutem precati, eosq; ob eā rem accersiri iussisset, tanquam statuisset in ipsos animaduertere: ut uenerunt, nihil fecit acerbius: sed eos, posteaquam uota, quæ deerant epistolæ, subscripserunt, dimisit. Dion Nicęus & Suetonius.

LADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex, cùm ei in Pragensis urbis introitu Magister Rokyczanus Hussitarū antesignanus, archiepiscopatum Pragensem ambiens, cum suis officij gratia in conspectum prodiret, Regemq; salutaret, eum ualde frigidè resalutauit. At occurrente ex arce Pragensi sacerdotum cœtu cum sanctis reliquiis, ipsos sacerdotes hilari ore affatus est, reliquias uerò ueneratus & osculatus. Dubrauius libro 29.

VOCARE.

AD COENAM.

Olim QVI uocabāt ad cœnam, designabant ad quam umbrā solarij uellent adesse cōuiuas. Itidem qui uocabātur, ne uenirent ante tempus, rogabāt, ad quotam lineam esset ueniendum. Porrò umbra decem pedum erat gratissima parasitis, cœnę spem faciēs, quemadmodum & fumus largior exiliens è culina. Erasmus in Adagiis.

TRIVMPHALES Romæ olim Consules & Senatum ad cœnam triumphalē inuitabāt: inde uerò publicè rogabant consules, ne uenirēt, ac per nūcios, ne accederēt ad cœnā, petebant. Nā locus uiro triūphali & sedes dāda erat honoratissima, & ille à cœna deducendus: quæ fas nō est alteri præsentib. consulibus tribui, sed illis. Plut. in quæst. Rom.

AD OFFICIVM.

☞ *Vide Tit. Electio magistratus.*

OFFERRE.

POTVM.

Christo opt. max. in cruce pendenti MILITES in extremo agone potum obtulere acetum cum felle mixtum: ludibrijne causa, an misericordiæ, ut uitales spiritus pabulo conueniente defecti tanto ocyus resoluerentur?

MOSCHI Tartarorum principis legato ad se uenienti poculum lacte equino plenum offerre, in seruitutis notam, cogebātur: tū uerò quicquid legati auidè potantis labra subterfugisset, siue in equi iubam & armos, siue in terram decidisset, id Moschus orator lingua lambebat. Cuius seruitutis indignitate permotus Ioannes, excusso Tartarorum iugo, Moschorum tyrannidem primus arripuit. Sigismundus Herberstein.

NVPTIAS.

☞ *Vide Titulum, Matrimonij honor oblatus.*

MORTEM, CAEDEM.

DIOGENES Sinopensis Antisthenem è morbo decumbentem sica accinctus inuisit, dicens: Nunquid amico est opus? Laertius lib. 6.

EQVVM.

Deletis Cannensi prælio Romanis exercitibus, ubi plus quàm arma Romanos fuga defendit, inter eos, qui prælio uiui excessere, Corn. LENTVLVS Aemilium consulem uulnere confectum extra uiam perspexit. Qui, quanquam hostes insequerentur, plus pudore, quàm mortis metu motus, prope Aemilium Paulum ab equo descendit, atque eum Aemilio obtulit: obtestatus multis uerbis, Ne morte sua grauiorem populo Rom. eam cladem facere uellet. Etenim se iuuenem aiebat corporis robore adiutum, pedibus salutē inuenturum. Quòd si alterutri moriendum esset, referre ad Reipublicæ salutem, ut ipse potius quàm Consul moreretur. Sed Aemilius alterius ciuis morte suam seruare uitam recusans, iuuenem, ut in tutum se reciperet, hortatus, mandata ad Senatum dedit, nec multo pòst ab hostibus oppressus fuit. Liuius.

BENEFICIVM DARE.

Χάρις ab Arist. definitur esse, καθ' ἣν ὁ ἔχων (qui aliquod bonum habet, aut habere uidetur) λέγεται χάριν ὑπουργεῖν (bene mereri, & gratiam sibi conciliare, seu rem gratam facere) δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος (sic enim gratias referret) μηδ' ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι (sic enim non beneficium conferret, sed minore maius, aut æquali æquale fœneraretur) ἀλλ' ἵνα ἐκείνῳ τι. Est ergo animi generosi affectus, à φιλίᾳ tanquam ab affectu effectus prouenicns, χάρις hæc actiua & liberalis. Est alia paßiua, & iusta, Gratitudo propriè, quæ ab alio accepta beneficia uel uoluntate uel beneficio pari rependere studet.

QVALE.

Publicum.

PROBVS Imp. Romanis in uoluptates uinum dedit. Hoc Aurelianus antè facere constituerat: sed à Caro pręfecto prętorio suo prohibitus; qui dixisse fertur, Si uinū Pop. Romano damus, superest ut & pullos & anseres demus. Cuspin.

HADRIANVS IV. Pp. Friderico I. Imp. coronam imperialē Romæ imposuerat. Cæterùm cùm ob non punitos latrones quosdam, qui Lundonensem archiepiscopum Roma redeuntem ceperant, eum grauiter reprehendisset, & per literas imperialis coronæ insigne ipsi collatum, tanquam Beneficium magnum exprobrasset: Imperator eo uerbo offensus grauiss. schisma excitasset, nisi Pp. Beneficij uoce non Feudum, sed Bonum factum se intellexisse declarasset. Sigonius lib. 12. regni Italici.

Priuatum.

Mutuum beneficium CLAVDI & CÆCI Ausonius ex Epigrammatis Græcis sic conuertit:

Insidens cæco graditur pede claudus utroq;,
Quo caret alteruter sumit ab alterutro.
Cæcus namq; pedes claudo, gressumq; ministrat,
At claudus cæco lumina pro pedibus.

QVIBVS.

Pontificibus.

Aistulfus rex Longobardorum sublato Exarchatu Græcorum, Romanos armis cogere uolebat, ut sibi quotannis singuli pro cuiusque capitis defensione aureum solidum penderēt. Id cùm Stephanus II. Pp. ferre non posset, nec quicquam auxilij à Græcis speraret, in Franciam ad PIPINVM effugit. Erat Pipinus magno illo beneficio pōtificiæ sedi obstrictus, quòd Zacharias Pōtifex ipsi nuper, Chilperico rege abdicato, Frācorū regnū addixerat, idq;, quod fieri uix posse uidebatur, sacrosancta auctoritate sua iustum effecerat, cupiebatq; idem ius ad Carolum & Carlomanum filios ab eadem potestate transferri. Ergo ad centum passuum millia Carolum filium, qui postea Magnus est appellatus, obuiam cum suis optimatibus misit, ipse cum uxore ad tertium lapidem sese obtulit, atq; ad eius conspectum de equo descendens, & se ad terram inclinans unà cum coniuge, & filiis, & optimatibus suis, ipsum excepit, & cùm aliquo etiam spacio operam ei stratoris nauasset, cuncto cum canticis & laudibus occurrente populo, in regiam Pontigonis perduxit. Pontifex, solenni pompa Pipinum, & Carolum, ac Carlomanum filios, & uxorem Bertradam reges inunxit, solenni carmine astantes Francorum proceres sacræ detestationis obstringens, ne quando alios, quàm ex superstite ipsorum progenie, super se regnare iuberent. Mox bellum pro recuperando Exarchatu Pentapoliq; suasit, & uerò ne ea redderentur Græco Imperatori contendit. quippe Constantinum Copronymum propter desertam Italiæ tutelam, & inimicitias cum ecclesia apertè susceptas, indignum esse, qui rerum in Italia potiretur. Quòd si Pipinus aut grati hominis officium præstare, aut animæ suæ consulere, aut pontifici laboris & periculi sui præmium aliquod tribuere uellet, qui durissimum ac periculosissimum iter pro salute Italiæ atque ecclesiæ suscepisset, utramque regionem beato Petro præcipui beneficij loco concederet. Tum Pipinus palàm audientibus omnibus, Ego uerò, inquit, si me Longobardicæ compotem uictoriæ Deus fecerit, polliceor, me pro remissione peccatorū meorum impetranda Exarchatū & Pentapolim, Reipublicæ Romanæ ademta, beato Petro & successoribus eius traditurū in perpetuum possidenda. Atque ita præsentem scribam referre in tabulas iussit, easque & suo, & Caroli, & Carlomani filiorum præsentium sacramēto muniuit. Aistulfo igitur ad pacem coacto, Pipinus (multum licet intercedentibus Græcorum legatis) Exarchatum Pentapolimque S. Petro & successoribus eius in perpetuum possidenda concessit, atque ita scribam referre ipsas donationes in tabulas iussit. Neque ita multò pòst Fulrado abbate, qui ab Aistulfo singula acciperet, & pontifici assignaret, relicto, ipse Franciam repetiuit. Fulradus cum procuratoribus Aistulfi in Exarchatum Pentapolimq; progressus, omnes urbes, præter Ferrariā, Fauentiam, & Caballum recepit: & obsidibus de unaquaq; sumtis, ac primoribus secum earum ductis, Romam adiit, atque singularum urbium claues unà cum tabulis ipsis donationis in Confessione sancti Petri deposuit. Cæterùm Exarchatus (qui pòst Romanię seu Romandiolę nomine appellatus est) complexus est Rauennam, Bononiam, Imolam, Fauentiam, Forum Popilij, Forum Liuij, Cæsenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficolas, & Gabellum. Pentapolis uerò Ariminum, Pisaurum, Concham, Fanum, Senogalliā, Anconam, Auximum, Humanā, Aesium, Forumsempronij, Montem Feretri, Vrbinum, Territorium Baluense, Calles, Luceolos, & Eugubium, cum castris & finibus ad hęc oppida pertinentibus, ut ex Ludouici Pij priuilegio apparet, quo hæc donatio confirmatur. Pontifex noua ditione ornatus Rauennatem administrationem archiepiscopo & tribunis ciuitatis concessit: unde archiepiscopus se Exarchum inscripsit. Sigonius Com. de regno Ital.

Sacris hominibus.

LVDOVICVS XI. Francorum rex, cùm precibus piorum uitæ diuturnitatem sibi cōciliari posse persuaderet, sacros homines quosuis maximis affecit beneficiis, presertim eos, qui uel uitæ sanctimonia uel etiam miraculorum dono præstarent. Itaque fratrem Franciscum de Paula, qui postea Minimorum collegium instituit, ex media Calabria nō sine magnis molestiis & impensis acciuit. Claud. Seissellius in hist. Ludouici XII.

Regibus.

Apud PERSAS rex, in principio dominatus, quodcunq; optaret à populo donum ferebat. Alex. lib. 4. cap. 23.

Amicis.

☞ *Vide locum Amicitiæ, Officia.*

Hostibus.

Priscorum superstitio credidit, obseruanda uel maximè munera, à quibus, quo animo mitterentur: propterea quòd quæ darentur ab iis, qui nobis malè cuperent, exitio plerunque fuisse constaret: ita ut fuit pyxis illa fallax, per Pandoram à Ioue Prometheo missa: quemadmodum fuit & uestis, qua MEDEA nouam nuptam Iasonis donauit: rursum uestis illa, quam DEIANIRA misit Herculi. Iliados η. narrātur HECTOR & AIAX inita amicitia, dona inter sese permutasse, atq; Hectorem Aiaci donasse gladium, Aiacem Hectori dedisse baltheum: deinde pariter ambobus suū munus exitio fuisse. Siquidem Aiax uictus ab Vlysse, cognitisq; iis, quę per insaniam tum dixerat, tum fecerat, eodē gladio sibi necē consciuit. Item Hector per occasionem balthei occisus est ab Achille iuxta muros Troianos. Apud Sophoclem Aiax mastigophorus posteaquam mori decreuisset, execratur eū gladium, quem quōdam ab inimicissimo dono acceperat, eumq; sibi fuisse inauspicatissimum ait, neque quicquam omnino postea feliciter apud Argiuos successisse. De quibus extat tale epigramma:

ἕκτωρ αἴαντι ξίφος ὤπασεν, ἕκτορι δ' αἴας
ζωστῆρ'· ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατος.

Aiaci datus ensis ab Hectore, baltheus Aiace
Hectori: utriq; suum donum erat exitio.

Item epigrammate:

οὕτως ἐξ ἐχθρῶν αὐτόκλονα πέμπετο δῶρα,
ἐν χάριτος προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Atq; ita ab hoste hosti ueniunt lethalia dona,
Quæ studij specie fata necemq; ferunt.

Seruius ostendit eōdem Vergilium allusisse Aeneid. 4.

—— ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

Gladium intelligens ab AENEA relictū, quo Dido sese confodit. Erasmus in prou. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα.

PORSENA rex Hetruscorum discedēs ab Ianiculo, ex fœderis lege, castra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ aruis commeatu, Romanis dono dedit, inopī tum urbe ab lōginqua obsidione. Ea deinde ne populo immisso diriperentur, hostiliter uenisse, bonaq; Porsenę appellata, gratiam muneris magis significante titulo, quàm auctionem fortunæ regiæ. Erasmus in Adagiis.

Damnatis.

Aegyptiis fuit in more, ut hi, de quibus sumendum erat supplicium, ceruices fune innexas tenerēt, & frenata ora: pridieq; quàm darentur neci, munuscula & cœnam ex REGIS mensa acciperent. Alex. lib. 3. cap. 5.

CÆSARVM temporibus Romæ, quos morte afficere uolebant,

bant, illis exquisita obsonia & partem cœnæ mittebant. Si uerò indicta causa suppliciũ sumendum foret, tradito libello, supplicium cædemq; demandabant. Alex. lib. 3. c. 5.

QVOMODO AFFECTIS. DARE

Petentibus, Expectantibus.

Hoc propriè Gratificari est, gratum facere, & hoc ipso beneficio ad gratiam mutuam alterum obligare.

Non Petentibus, Non Expectantibus.

Telegoras apud Naxios prædiues quispiam ac præpotẽs erat, cui quòd quotidie multa à NAXIIS missitarẽtur, uulgato sermone receptũ est, ut uenditores paruo licitantib. dicerẽt, μᾶλλον προΐλοιμι τῷ Τελεγόρᾳ δῶναι. id est, Malim Telegoræ dare. Athenæus lib. Dipnosophistarum octauo, ex Aristotele.

ADRIANVS Imp. in balneo ueteranum quempiam, seruuli penuria, sese marmoribus affricantem conspicatus, cum & seruulis aliquot & sumtibus donauit. Quod reliqui ueterani feliciter cessisse uidentes, cœperunt & ipsi complures sub oculis imperatoris sese marmoribus affricare, ut hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille euocatis senibus, iussit ut alius alium uicissim defricarent, atq; ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in uulgi fabulã cessit. Spartianus.

Nolentibus, Inuitis.

Calabri hospitis munera rectè dixeris, rusticana leuiaq;, quęq; magis onerent accipientem, quàm iuuent, aut quæ donantur contemta. Siquidem CALABRI, quòd pyris abundent, consueuerunt ea hospitibus affatim apponere, deinde saturos, bellariorum uice domum auferre iubent. Quòd si recuses, eadem porcis obiiciuntur. Atqui istud haud est dare munus, sed abijcere. Is demum dat, qui simul & preciũ muneris expẽdit, quod largitur, & eius meritum, quem eo donat. Erasmus in Adagiis.

Gratis. Beneficium mutuum.

Exempla ex loco Gratitudinis petantur.

BENEFICIA, MVNERA NON DARE.

Consule locum Iustitiæ profanæ, Non dare indignis.

PHOCION Antipatro regi denegans aliquid, Non potes, inquit, me simul & amico uti & adulatore. Plut. de Immod. uer.

AVXILIARI, OPITVLARI. RESPECTV

MODI. Nempe

Pugnando.

Vide locum Munificentiæ, Auxilium contra hostes liberaliter datum.

Diodorus narrat Priamum, cùm bello premeretur, misisse, qui à TAVTANE Assyriorum rege, cuius imperio & ipse Priamus parebat, subsidium suo nomine peterent. Assyrium decem millia Aethiopum, totidem Susianorum, ac currus ducentos misisse, præfecto illis Memnone Tithoni satrapæ apud regem gratiosissimi filio, cuius Homerus meminit. Nã in eo bello occidit, iuuenis corporis atque animi dotibus præstantissimus, quique pugnando multa ediderat egregia facinora.

Erat Athenis βοηδρομεία festum, q. accursus ad ferendam opẽ, id enim est βοηδρομεῖν: quòd cùm belligerarent cum Eumolpo Neptuni filio, XANTHVS siue Xuthus Cretensium rex magna celeritate Atheniensibus suppetias tulit. Propter qd' in generũ est adscitus ab Erechtheo rege. Ius proinde regni Atheniensis, Androgeus Minois filius, Xanthi nepos, ab Aegeo Thesei patre repetebat. Quo insidiis Aegei sublato, Minos bellum intulit Atheniẽsibus, cum diris execrationibus, quæ Athenienses ita afflixerunt, ut singulis annis septenos pueros & toridẽ uirgines Minoi pendere cogerentur. Lud. Viues in lib. 18. Aug. de Ciuit. Dei, cap. 12.

ARCADES olim inter Græcos bellicosissimi, suis auspiciis, suoq; titulo nunquam hostem ullum superarunt, uerùm aliis suppetias ferentes persæpe. Vnde illud illis fatale uidebatur, aliis uincere, non sibi. Erasmus in Adagiis.

SOCRATES Alcibiadem discipulum suum in pugna ad Potidæam grauiter uulneratum solus defendit, & tum ipsum, tum arma conseruauit. Plato in Symposio.

Patrocinando.

AGESILAVS Spartanorum rex aduersarios suos in aperto quidem non fatigabat: sed efficiebat, ut ex illis aliqui duces & rectores foras mitterentur: quorum detegẽdo in potestate nequitiam & auaritiam, mox postulatis rursus opem ferendo & patrocinando, necessarios sibi reddidit, & ad se traduxit, ut infestum haberet neminem. Plut. in apoph.

Deducendo.

L. ALBINVS, de plebe Romana non postremus, fugiens Gallos, ut est apud Liuium lib. 5. ex rheda uxorem filiosque descendere iussit: & Vestales (quæ cum sacris fugiebant) currui imposuit, quo citiùs fugam adornare possent. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropol.

MINTVRNENSES C. Marium, qui L. Syllam fugiebat, miseratione moti ad mare educebãt. Hic cùm aliud alius ei prõtè præberet, & maturarent omnes, mora interponebatur tamen. Nam lucus Maricus appellatus (quem sacrum habent, seruantque ne quod importatum est inde exportetur) distinebat iter ad mare, & circuitus retardabat: quoad SENEX quidam inclamauit, nullum inaccessum esse uel religiosum, quo seruaretur Marius, iter. Atq; hic princeps arripuit quippiam ex iis, quæ ad nauem comportabantur, ac per locum illum euasit. Ea alacritate omnibus properè suppeditatis, cùm Belæus quidam Mario præbuisset nauem (tabulam postea illarum rerum pictam eo in templo dedicauit) inde euectus Marius uela fecit in altũ, & Africam tenens decucurrit Carthaginem. Plut. in Mario.

PERSONARVM, QVIBVS. Puta

Ciuibus.

EPAMINONDAS Bœotarchatu per inuidiam deiectus, & priuatus militare iussus, cùm exercitum prætores in loca incommoda coniecissent, & obstreperet eis tumultus militaris (nam premebant missilibus eos hostes) euocatus ex cohorte sua, primùm confirmando exercitu tumultum & trepidationem repressit, deinde instructam ac digestam aciem, quæ confusa fuerat, facilè inde recepit, atq; infestam hostib. opposuit, ut concederent illi aliò. Plutarchus an Seni tractanda respublica.

Q. FAB. Max. Dictator, ubi M. Minutij equitum magistri insolentissimi (cum quo ei potestatem adæquarat populus, insigni iniuria) circumueniri turbariq; cõspexit aciem, percusso femore atq; ingenti edito suspirio ad circumstãtes, O dij immortales, inquit, quanto celeriùs quàm timui, seriùs tamen quàm cupiuit, perdidit semetipse Minutius. Et cùm esset ferri raptim signa & sequi iussisset legiones, exclamauit: Nũc milites, si quis memoriam habet M. Minutij, properet: egregius est enim uir, & amans patriæ: quòd si quid, dum se stinat eiicere hostem, offensauit, aliud erit succensendi tempus. Primus Fabij conspectus fugauit ac dissipauit in campo circumuagantes Numidas. Cernẽs pugnam inclinatam Annibal, Fabiumq; pręter ætatem ualida per infestos hostes impressione facta, aduerso tumulo contendere ad Minutium: remisit prælium, signoq; receptui dato Pœnos in castra reduxit. Receperunt se Romani quoq; haud inuiti. Fertur cùm se reciperet, de Fabio Annibal ita ad amicos dixisse iocans: Nónne sæpius uobis prædixi ego, hanc in iugis montiũ sedentem nubem cum turbine aliquando & procella imbrẽ effusuram? Secundùm prælium Fabius lectis cæsorum spoliis in castra regressus est, nec ullum ei superbũ aduersus collegam uel iratum excidit dictum. Plut in Fabio.

Sociis, Amicis.

Antiquitus HEROES assiduè in armis agentes, uelut in clypeo diuersabantur: & si quid opus fuisset amicis, quod armis præstari poterat, id promtè præstabant, utpote sola uirtute diuites. Et apud Homerum, heroes tergoribus bubulis accipiuntur, & apud Maronem Euander Aeneam

—uillosi pelle leonis
Accipit.

Ex tergoribus autem integebantur clypei. Eras. in Adagiis.

Coniugibus.

ELECTRA apud Euripidem Colono desponsata, sui officij memor, sic ad illum ait:

– τὰν δ' ἔμοις δ' ἡμᾶς χρεὼν
ἐξευτρεπίζειν, εἰσιόντι δ' ἐργάτῃ
θύραθεν ἡδὺ τἄνδον εὑρίσκειν καλῶς.

Quod Horatius de Agricolarum uita extulit:

Quòd si pudica mulier in partem iuuet
Domum atque dulces liberos.

Eadem ipsa addit:

δεῖ δή με κἀκ κέλευσον εἰς ὅσον σθένω
μόχθου ἐπικουφίζουσαν, ὡς ῥᾷον φέρῃς,
συνεκκομίζειν σοι πόνους. hoc est, Oportet me in partem iuuare, unà ferre, ac partem aliquam laboris tui in me suscipere. Victorius libro undecimo Var. lect. cap. 5.

AVXILIVM NON FERRE.

Ex Tit. Desertorum pleraq; huc referantur. Illic Desertio, à Perfidiæ habitu promanans: hîc tanquam effectus Perturbationis consideratur.

COMMVNICARE BONVM.

Hoc loco Communicationem Boni, quod in sua quis habet potestate, perpendimus. De Communicatione Veri superius egimus. Etsi uerò idem diuerso respectu & Bonum & Verum, ne tamen classes rerum confunderemus, de Communicatione rei eiusdem subiecto, sed ratione diuersa, distinctis Titulis agendum fuit.

QVID. COMMVNICARE

Bona.

Timæus apud Laertium tradit, hoc dictum τὰ φίλων κοινὰ primùm à PYTHAGORA profectum fuisse. A. Gellius Noct. Attic. lib. 1. cap. 9. testatur, Pythagoram non solùm huius sententiæ parentem fuisse, uerumetiam huiusmodi quandam uitæ ac facultatum cõmunionem induxisse, qualẽ Christus inter omneis Christianos esse uult. Nam quicunq; ab illo in cohortem illam disciplinarum recepti fuissent, quod quisq; pecuniæ familiæq; habebant, in mediũ dabant: quod re atque uerbo Romano appellatur κοινόβιον. id est, cœnobium, nimirum à uitæ fortunarumq; societate. Erasmus.

Vxores.

Sub Amicitiæ officiis, Communicatio uxorum.

NON COMMVNICARE, OCCVLTARE, ABSCONDERE, RETICERE Bonum.

QVID. PVTA

Opes, Thesauros.

Consule Tit. Prudentiæ in conseruandis opibus.

Cadauer.

Vide Tit. Prudentiæ in Sepultura.

LVITPRANDVS Lõgobardorũ rex è Sardinia insula D. Augustini corpus Papiam transtulit, & ne facilè sciri posset quo loco cõditum esset, trib. locis effossis structisq; sepulcris, & noctu clam occlusis, alio loco condi iussit, ut certo loco ignorato, minus promta eius rapiendi occasio foret. Bern. Saccus lib. 9. hist. Ticinensis.

Idola.

RACHEL Labanis patris sui lares furata, eo persequente, fimo camelino obrutos sub uestibus occultauit insidẽs, prętextu menstruorum. Eos ipsos deinde Iacobus sub quercu defodit. Geneseos 35.

Homines.

Ex loco Prudentiæ in uita aliorum conseruanda, quædam huc pertinebunt.

Venerant ex Francis iuuenes duo Rotomagum, ut GISLAM Caroli Simplicis Francorum regis sororem, Roberti I. Normannorum ducis coniugem, de quibusdam interpellarent. Mulier uerita, ne quid maritus suspicaretur de occultis à rege mandatis: in penitiore domus parte lautè curauit tractari. Normanni qui uiderant ingressos, suspicari ceperunt agi nescio quid noui, & Robertum de hoc ipso seriò monuerũt. Ille negotio ab uxore intellecto, ut suspicionem aduersus se suorum purgaret, productos in forum publicum occidi iussit, quòd non in aperto rem omnem peregissent. Mulier dolore animi corporisque confecta mortem obiit. Cranzius libro 2. Noruegiæ cap. 28.

Porcos.

TREMELLI serui scrofam aberrantem in uilla confecerant. Eam ille domi sub centonib. collocauit, super quos uxor cubabat. Cùm uicinus quæstionem exerceret, & uentum esset ad cubiculum, Tremellius uerba iurationis concepit, nullam esse in uilla sua scrofam, præter illã, quæ in centonibus iaceret, lectulum mõstrans. Ex hoc ioco Scrofæ cognomen meruit. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 6.

VBI.

Intra corpus.

IVDÆI, Romanis Hierosolymã obsidentibus, deuoratis numismatis hostium fidei effugij causa sese cõmittebant. Cùm fortuita unius cæde ex intestinis illius aurei numi procidissent, auaritiæ militum occasio data, ut plurimorum uiscera uiuentium perscrutari auderent. Iosephus.

VILLA Bosonis Thusciæ marchionis uxor, baltheum gemmatum, cui Hugo Italiæ rex capto Bosone inhiabat, intra loculos muliebres absconderat, ut nisi ligula dependens arcanum prodidisset, etiam nuda inquisitores fallere potuerit. Luitprandus lib. 3. cap. 5.

HISPANVS quidam Veneti scorti noctem LX aureis pactus, lineam margaritarum insignium, CCC aureorũ precij, singillatim deuorauit. Vesalius in Ventriculi anatome.

In flumine.

DECEBALVS Daciæ rex, Traiano Cęsare urgente, thesauros omnes in Sergetiæ amnis auersi & mox reducti uado recõdidit, artificibus & operis in uestigio perfecti operis interfectis.

Alarici Vestgotthorum regis cadauer, ne quando hostibus ludibrio esset, ab ATHAVLPHO successore in Bussenti amnis alueo cum multis thesauris defossum fuit. Sabellicus libro 9. Ennead. 7.

CVR. CAVSA

Auaritiæ.

Ex loco Auaræ φυλακῆς huc quædam.

Religionis.

Occulta sacra modò ad Iustitiæ religiosæ, modò ad Superstitionis locum pertinent.

OPTARE BONA SIBIIPSI. BENE OMINARI sibiipsi.

Optare Desiderij ueluti effectus est, respectu eius, qui desiderat. Respectu uerò eius, à quo id, quod optat, se consecuturum sperat, Petitio est. Sed & quia conciliandi eiusdem gratia, siue Deus, siue homo sit, uicissim pollicetur aliquid, ad Pollicitationes referri potest atque debet.

QVAE

In genere.

CHORVS apud Eurip. in Hippolyto hæc optat:

εἴθε μοι εὐξαμένᾳ
θεόθεν τάδε μοῖρα παράσχοι,
τύχαν μετ' ὄλβου,
καὶ ἀκήρατον ἄλγεσι θυμόν·
δόξα δὲ μήτ' ἀτρεκής, μήτ' αὖ
παράσημος ἐνείη·
ῥᾴδια δ' ἤθεα τὸν αὔριον
μεταβαλλομένα χρόνον, αἰεὶ
βίον συνευτυχοίην. Vtinam mihi supplicãti diuinitùs hæc Parca præbeat: fortunam bonam, & expertem dolorib. animum: gloria uerò neq; insignis, neq; rursus adulterina contingat: facilem uiuendi modum in crastinum diem commutans, semper uitam beatam cum cæteris degam.

THEOGNIDIS Megarensis uotum tale extat in Gnomis:

εὐδαίμων εἴην, καὶ θεοῖς φίλος ἀθανάτοισι,
Κύρν', ἀρετῆς δ' ἄλλης οὐδεμιῆς ἔραμαι.

Alibi EIVSDEM tale:

εἴη μοι πλουτοῦντι κακῶν ἀπάτερθε μεριμνῶν
ζώειν ἀβλαβέως, μηδὲν ἔχοντι κακόν. Liceat mihi diuiti malis sine curis uiuere innoxiè, nullum habeati malum.

SOLON Atheniensis in Elegiis à Musis hæc petit:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα
Μοῦσαι Πιερίδες, κλῦτέ μοι εὐχομένῳ.
ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε, καὶ πρὸς ἁπάντων
ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν·
εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν,
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.

Scribit Plinius lib. 7. L. METELLVM decẽ maximas res optasse: utpote uoluisse Primarium bellatorem esse, Optimum oratorem, Fortissimum imperatorem, Auspicio suo maximas

res geri, Maximo honore uti, Summa sapientia esse, Summũ senatorem haberi, Pecuniam magnam bono modo inuenire, Multos liberos relinquere, & Clarissimum in ciuitate esse. Quæ omnia illi contigerunt.

Votũ LACONVM erat solenne, ut largirẽtur dij bona ob bonas actiones, nihil præterea. Plut. in Laconicis.

PERSÆ tribus libationibus factis, à diis immortalibus bona precati, conuiuium dissoluebant. Alexander.

Sapientiam.

SOLOMO Iudæorum rex, puer duodecim annorum in somnis à Deo quicquid uellet petere iussus, non opes, non uictoriam, non uitam longæuam petiit, sed sapientiam populos regendi. 3. Reg. 3.

Eloquentiam.

PERICLES Atheniensis prius, quàm concionem haberet, optare solebat, ne ullum uerbũ sibi à re præsenti alienũ excideret. Plut. in præceptis Politicis.

LACTANTIVS facundiam Ciceronianę similem optabat sibi, quo ueritatem fortius propugnaret, & hominib. persuaderet facilius. Lud. Viues de Tradendis disciplinis lib. 4.

Virtutem.

LACONES, si quando suos inuocarent deos, nihil petebãt aliud, quàm ut adderent dij cæteris bonis etiam ea, quæ honestissima essent. Addunt ijdem uotis, ut possint iniuriã pati: quòd neminem iudicarent ad gerendum imperium, aut alioqui magnas res obeundas idoneum, qui quauis iniuria commoueretur. Plut. in Lacon. apophth.

Prudentiam.

APOLLONIVS Tyaneus à diis poscebat, ut bonos cognosceret, malos uitaret. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

Fortitudinem.

AGAMEMNON rex Iliad. δ. duos Aiaces uidens ad pugnam accinctos, Vtinam, inquit,

τοῖος πᾶσιν θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γένοιτο·
τῷ κε τάχ᾽ ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος
χερσὶν ὑφ᾽ ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε περθομένη τε.

Gratitudinis occasionem.

Thyreus (Curtio Thyriotes) eunuchus Statiræ uxoris Darij, cũ ea captus ab Alexandro Magno, ubi illa ex partu obiit, castris elapsus, ad Darium profectus, mortem ei coniugis nũciauit. Quam cùm is non tam ægrè ferret, quàm quòd pudicitiam eius simul & sororis & filiarum à uictore Alexandro uiolatam metueret: Thyreus horrendis sacramentis conceptis, Alexandri castitatem comprobauit. Tum progressus ad amicos DARIVS, atq; ad cœlum manus tendens, hasce fudit preces: Dij patrij & regnorum præsides, primùm mihi cõcedite, ut fortunam Persarum in gradum restitutam, quo cã accepi splendore, relinquam: quò Alexandro gratiam referam eorum, quæ in meo aduerso casu carissimis meis præstitit pignoribus. Quòd si fato hoc adest tempus deorum inuidię & rerum uicissitudini præfinitum, de Persarum regno ut sit factum: ne quis mortaliũ alius in Cyri solio sedeat, quàm Alexander. Plut. in Alexandro.

Ptolemæus Aegypti rex, cùm Demetrium Poliorcetem prælio uictum, etiam impedimentis spoliasset, regium tentorium cum opibus captiuisque charioribus Demetrio remisit, dicens: Inter ipsos de gloria, non de opibus certamen esse. Ei DEMETRIVS cùm gratias egisset, dixit, Deos se magnoperè orare, ut citò parem ei referre gratiam pro accepto munere posset. Nec multo pòst, cùm aduersus Demetrium Ptolemæus Cillem copiarum suarũ ducem misisset, Demetrius prælio uictum, atq; captum, Ptolemæo cum omni captiuorum manu dono remisit. Plut. in Demetrio.

Iustitiam.

Apud Indos, hi qui PEDALII uocantur, inter uota precesq; solam iustitiam petere in usu habent, quasi hoc munus amplissimum esset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

Vitam.

TIBERIVS Cæsar, sub imperij initia, tantisper & uiuere & imperare optabat, dum prodesset Reipublicæ. Zonaras.

Vitam priuatam ignobilem.

PTOLEMÆVS Aegypti rex secundus deliciis emollitus eatenus mente creditur excussus, ut se perpetuò uicturum opinaretur, diceretq; à se uno immortalitatem inuentã. Verùm mox infestante podagra, Aegyptios intuitus ad fluuium incuriosius discumbentes, O me miserum, inquit, ex iis saltem unus, qui non fuerim. Cælius lib. 22. cap. 20.

Apud Senecam in Thyeste act. 2. CHORVS hæc optat:

Stet, quicunq; uolet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cùm transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.

Apud eundem in Hercule fur. act. 1. CHORVS ait:

Aliũ multis gloria terris
Tradat, & omneis fama p urbeis
Garrula laudet, cœloq; parẽ
Tollat, & astris. alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto, tutoq; tegat.

Sanitatem.

GRÆCI si quando territi malis supplicabant, uetustum carmen inter uota precesq; cani iubebant, hoc tenore: Beatorũ antiquissima sanitas, in omni tempore tecum sim. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. An hic Sicyonij Ariphronis Pæan est;

ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων
μετὰ σεῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.

IIDEM in uotis ad Apollinem ἰὴιον & παιᾶνα, quum sanitatem dari sibi precãtur, ἰὴ παιὰν per η literam enunciant, id est, Medere Pæan: quum autem, ἵε παιὰν per ε literam dicunt, cum aspiratione prioris literæ, significãt hoc dici in aliquem aduersa precatione, βάλλε παιὰν, id est, Immitte feriẽdo. Qua uoce ferunt Latonam usam, quum Apollinem hortaretur impetum Pythonis arcessere sagittis: eademq; oraculum Delphicum Athenienses confirmauit, petentes opẽ Dei aduersus Amazonas, Theseo regnante. Namq; inituros bellũ iussit Deus his ipsis uerbis semetipsum auxiliatorem uocari, hortariq;. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 17.

PYRRHVS Epirotarum rex cùm immolaret, nullas effundere precationes solitus erat, nisi quòd ὑγιαίνειν optaret. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. & Cælius lib. 7. cap. 24. L. A.

A LATINIS populis seruatum traditur, ut quo die quis primum gustaret mustum, ominis gratia diceret,

Vetus nouum uinum bibo,
Veteri nouo morbo medeor.

Ex qua uerborum formula Meditrinæ item deæ conceptum nomen creditur. Cælius libro uigesimooctauo, capite uigesimoquinto: ex Plinio.

Somnum.

ENDYMION puer formosus, ac Lunæ adamatus. Cui illa à patre Ioue precibus impetrauit, ut quicquid optasset, id ferret. Optauit Endymion, ut perpetuum dormiret somnum, ἀθάνατος & ἀγήρως μένων. id est, Immortalis perseuerans, & expers senij. Erasmus in Adagiis.

Mortem beatam.

BALAAMVS Beoris F. uates Madianitarum, à Balaco rege Moabitarum conductus, ut diris ageret Israelitas, cogente Domino, eos faustis omnibus prosecutus est: & tandem in hæc uerba prorupit: Vtinam ipse eadem morte moriar, qua probi: sitq, meus idem, qui eorũ exitus. Sed uotum fuit irritum: nam paulo pòst ab Israelitis in promiscua cæde Madianitarum etiam ipse fuit interfectus. Num. 23. & 31.

AVGVSTVS Cæsar tantopere Drusum Claudij pòst Cæsaris patrem & uiuum dilexit, ut cohæredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est, & defunctum ita pro concione laudauerit, ut Deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent: sibiq; tam honestum quandoq; exitum darent, quàm illi dedissent. Suetonius in Claudio.

Mortem citam.

Cùm quondam apud Xenophontem legisset C. IVL. Cęsar Cyrũ ultima ualetudine mandasse quædã de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitã sibi celeremq; optauit. Et pridie quã occideretur, in sermone nato super cœnã apud M. Lepidum, quisnam esset finis uitæ cõmodissimus? repentinum, inopinatumq; prætulit. Suetonius.

Mortem uinolentam.

Xenarchus in Pentathlo MVLIEREM quandam maximè horrendum iusiurandum iurantem inducit hoc pacto, Mihi accidat te uiuente ô filia libera uinum bibenti emori. Athen. libro 10. capite 13.

Gloriam.

ALEXANDER Magnus, ut classe ad Oceanum penetrauit, accessit ad insulam, quam ipse Scillustin, Psiltucin alij appellauère. Ibi exscensione facta sacrificauit: pelagiq; & oræ maritinæ, quatenus assequi ualuit, indolem collustrauit. Inde precatus, ne quis post se mortalium expeditionis suæ transcenderet terminos, regressus est. Plut. in Alexandro.

Amicitiam.

PINDARI uotum extat ode 2. Pythiorum, quo oden claudens, solatur se contra inuidiæ stimulos: pluris faciens paucorum optimorum ęqua iudicia, quàm plurimorum zoilorum sinistros sermones:

—— ἁδόντα δ᾽ εἴη μετὰ τοῖς ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν. Faxint dij ut canentem Me (meis hymnis) bonis conuersari liceat.

Amicorum cognitionem.

THESEVS apud Eurip. in Hippolyto optat:

φεῦ, χρῆν βροτοῖσι τῶν φίλων τεκμήριον
σαφές τι κεῖσθαι, καὶ διάγνωσιν φρενῶν,
ὅστις τ᾽ ἀληθής ἐστιν, ὅς τε μὴ, φίλος·
δισσάς τε φωνὰς πάντας ἀνθρώπους ἔχειν,

τὴν μὲν δικαίαν, τὴν δ᾽ ὅπως ἐτύγχανεν·
ὡς ἡ φρονοῦσα τἄδικ᾽, ἐξηλέγχετο
πρὸς τῆς δικαίας, κοὐκ ἂν ἠπατώμεθα. Heu, oportuit mortalibus amicorum indicium quoddam certum esse, & cognitionem mentis, & qui uerus sit, quiue non, amicus: duplices uerò uoces omnes homines habere, unam quidem iustam, alteram ita ut est: ut ea quę moliretur iniusta redargueretur à iusta, & non deciperemur.

Coniugium.

Chorus SENVM Thessalorum Alcestin pro Admeto marito mortem sponte appetentem uidens, sibi quoq; talem coniugem dari optat:

Τοιαύτης εἴη μοι κύρσαι
συνδυάδος φίλας ἀλόχου.
τοῦτο γὰρ ἐν γε βίῳ σπάνιον μέρος. Huiusmodi liceat me adipisci coniuctricẽ charã uxorẽ: hæc enim in uita rara est pars.

Amicæ contactum.

Archilochus apud Plut. com. de dictione EI,

Εἰ γὰρ ὄφελον, inquit, γένοιτο χεῖρα Νεοβούλης θιγεῖν. id est,
Vtinam manum mihi Neobules detur contingere.

Consiliarios bonos.

Zopyrus DARII regis amicus erat, qui sibi nares & aures cõscidit, & omne corpus flagris cruentauit, ut his argumentis Babylonijs fidem faceret, se Dario malè uelle, à quo tam immaniter esset acceptus. Itaq; Babyloniorum ciuitatem ingressus, eam Dario prodidit. Vnde Darium dixisse ferunt, se unum Zopyrum integrum malle, quàm centum Babylonas capere. Et oblato malogranato, tantum optauit sibi Zopyrorum, quantum ibi granorum inesset. Herodotus lib. 3. & Plutarchus in apophthegmatis.

Tranquillitatem regni.

EZECHIAS Iudæorum rex, cùm propter fœdus initum cum Berodaco Babyloniæ rege minaretur ei Esaias exilium regniq; amisionem, respondit: Non recuso quod abs tẽ ex Ioue mandato dictum est: dummodo sit meo tempore pax, & promissorum iam olim à Domino fides. 4. Regum 20.

LEO Imp. reprehensus ab Eunucho, quòd philosopho Eulogio tesseram frumentariam dedisset, militibus debitam: Vtinam uerò, inquit, is sit mei seculi status, ut non alimenta tantùm, sed omnia in uniuersum ornamenta militaria philosophis tribui posint.

QVI. PVTA

Populi.

ATHENIENSES in solennibus comprecationibus ac sacrificijs bona à dijs precantes reipub. addebant, καὶ Χίοισιν, Sic precatur apud Aristophanem Auibus.

Διδόναι νεφελοκοκκυγιεῦσιν
Ὑγίειαν καὶ σωτηρίαν Αὐτοῖσι καὶ Χίοισι. id est,
Vt detis Nephelococcygiensibus
Bonam ualetudinem & incolumitatem, Ipsis & Chijs.

Interpres huius historiæ testem citat Theopompum in 12. lib. rerum Philippi. Opinor quòd è Chio nonnullam haberent Athenienses commoditatem. Erasmus in Adagijs.

IIDEM in uotis solennibus Panegyricis bona sibi & Platæensibus precabantur. Alex. libro 4. capite 3.

Theognis apud Athenæum lib. 8. declarat RHODIIS solenne fuisse, quotannis publicis uotis inuitare hirundinem sub tempus uernum, quod illi χελιδονίζειν appellabant, acclamantes in hunc modum: ἦλθε ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς. id est, Veni ueni hirundo, pulcra tempora adducens, ac pulcros annos. Erasmus in Adagijs.

Reges.

In Diogene cane diuinum quiddam animaduerterat ALEXANDER magnus, principum, ut uidebatur, omnium κορυφαῖος, cùm animi magnitudinem admiratus, optaturum se diceret, ut ni Alexander esset, Diogenes esset: cùm hoc magis optare debuerit Diogenis animum, quũ Alexander esset. Erasmus in Adagijs.

DEMETRIVS Poliorcetes uictus & liberaliter tractat⁹ à Ptolemæo Aegypti rege, precatus est deos ne diu eius beneficij maneret debitor. Plut. in eius uita. Sic etiam DARIVS. Vide paulò ante, Gratitudinis occasionem optare.

NERO in auspicando opere Isthmi, magna frequẽtia, clarè, ut sibi ac pop. Rom. bene res uerteret, optauit: dissimulata Senatus mentione. Suetonius in Nerone.

Tyranni.

CRITIAS ex triginta tyrãnis Atheniẽsiũ unus optat in Eleg.
Diuitias Scopadum, prolixè facta Cimonis,
Spartani palmas fortis Agesilai. Plut. in Cimone.

DIONYSIVS Syracusanus senior, cùm intra regiã sacrum ex more perageretur, præcoq;, sicuti assueuerat, precaretur, ut per multa tẽpora inconcussum duraret imperiũ: Non tu desines, inquit rex, abominanda nobis imprecari? Sentiens, potius optandam bonam mentem, quàm ea quæ nihil conferunt ad hominis felicitatẽ: quandoquidem animi bona fortunæ bonis semper præferenda sint. Erasm. lib. 5. Apoph.

Philosophi.

SOCRATES in Platonis Phædro, post longã de Pulcro disputationem, in sacello Panis, unà cum Phædro deos orare hũc in modum introducitur: ὦ φίλε Πὰν, καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν, τἄξωθεν δὲ ὅσα ἔχω, τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια. πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν· τὸ δὲ χρυσοῦ πλῆθος εἴη μοι, ὅσον μήτε φέρειν μήτε ἄγειν δύναιτο ἄλλος ἢ ὁ σώφρων.

Poetæ.

THEOCRITVS in Gratijs de seipso sic scribit:

Αὐτὰρ ἐγὼ τιμάν τε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα
Πολλῶν ἡμιόνων καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν.

PINDARVS ode 8. Nemeorum hæc optat:

Εἴη μή ποτέ μοι τοι-
οῦτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ· ἀλλὰ κελεύθοις
ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς
παισὶ κλέος μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω.
χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ᾽ ἕτεροι
ἀπέραντον· ἐγὼ δ᾽ ἀστοῖς ἁδὼν καὶ
χθονὶ γυῖα καλύψαι μ᾽, αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ᾽ ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.

Eiusmodi mihi nunquam contingant mores, ô Iupiter pater! (sut inuideam alijs) uerùm semitis simplicibus uitæ ingrediar, mortuus ne liberis meis gloriam infamem relinquam. Auri sibi copiam exoptent alij, agros alij infinitos: ego uerò ciuibus placens, & terra membra (mea) occuluerim, laudãs honesta, reprehensionem uero aspergens (rebus) iniustis.

THEOGNIDIS Megarẽsis Gnomologi uotum tale extat in Gnomis:

ἥβης μέτρον ἔχοιμι, φιλοῖ δέ με Φοῖβος Ἀπόλλων
Λητοΐδης, καὶ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεύς·
ὄφρα βίον ζώοιμι κακῶν ἐκτοσθεν ἁπάντων,
ἥβῃ καὶ πλούτῳ θυμὸν ἰαινόμενος.

Eiusdem alio loco:

εἴη μοι τὰ μὲν αὐτὸν ἔχειν, τὰ δὲ πόλλ᾽ ἐπιδοῦναι·
χρήματα τῶν ἐχθρῶν τοῖσι φίλοισιν ἔχειν·
κεκλῆσθαι δ᾽ ἐς δαῖτα, παρίζεσθαι δὲ παρ᾽ ἐσθλὸν
ἄνδρα, χρεὼν σοφίην πᾶσαν ἐπιστάμενον,
τοῦ συνιεῖν, ὁπότ᾽ ἄν τι λέγῃ σοφὸν, ὄφρα διδαχθῇς,
καὶ τοῦτ᾽ εἰς οἶκον κέρδος ἔχων ἀπίῃς.

Dicitur mihi alia quidẽ me habere, alia uerò multa donare: opes hostiũ amicos habere: uocari uerò ad conuiuiũ, sedere item iuxta bonum uirum, sapientiam omnem scientem, ut quando aliquid dixerit sapiens docearis, & hoc ad domum lucrum habens abeas.

Idẽ: οὐκ ἔραμαι κλισμῷ βασιληΐῳ ἐγκατακεῖσθαι
τεθνεώς, ἀλλά τι μοι ζῶντι γένοιτ᾽ ἀγαθόν·
ἀσπάλαθοι τάπησιν ὅμοιον στρῶμα θανόντι·
τὸ ξύλον ἢ σκληρὸν γίγνεται, ἢ μαλακόν.

Non amo solio regio sedere mortuus, sed mihi uiuenti contingat bonum. Tribuli tapetibus simile stratum mortuo: lignum aut durum est, aut molle.

HORATIVS sub sua persona, quid uir frugi ab Apolline petere debeat, cui templum dedicauerat Augustus in Palatio, nimirum bonam mentem, & integram corporis ualetudinẽ, cum læta & facili senectute, non ambitiosa illa & ampla latifundia, armentorum gregeis, ebur & eiusmodi: lib. 1. ode 31. docet: ——me pascant oliuæ,

Me cicorea, leuesq; maluæ:
Frui paratis & ualido mihi
Latoë dones. At precor integra
Cum mente nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

IDEM in primo Epistolarum ad Lollium sic scribit:

Sit mihi quod nunc est, etiam minus, ut mihi uiuam
Quod superest æui, si quid superesse uolunt dij.
Sit bona librorum, & prouisæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert,
Det uitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

Optabat IDEM Tyburi consenescere:

Tybur Argæo positum colono,
Sit meæ sedes utinam senectæ:
Sit modus lasso maris & uiarum, Militiæq;.

Ad Frõtonẽ de uoto uitæ MARTIALIS Epig. lib. 1. sic scribit:

Vota tui breuiter si uis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæq; decus:
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator,
Sordidaq; in paruis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus aue,
Cui licet exigui nemoris rurisq; beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flauaq; de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui uillica mensas,
Et sua non emtus præparat oua cinis?

Non amet hanc uitam, quisquis me non amat, opto,
Viuat & urbanis albus in officijs.

IDEM ad Quintilianum Epigram. lib. 2.

Me focus & nigros non indignantia fumos
Tecta iuuant, & fons uiuus, & herba rudis.
Sit mihi uerna satur, sit non doctissima coniux,
Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

Mulieres.

Ionum, qui in Miletum commigrarant, nonnulli seditione mota aduersus Nelei filios, secesserũt Myuntem, atq; ibi sedem constituerunt, multis iniurijs affecti à Milesijs, qui cum illis bellum gerebant ob defectionem, uerùm nec atrociter, nec excluso omni commercio, sed nonnullis diebus festis mulieres è Myunte Miletum itabant. Erat autem ex his qui secesserant uir quidam nomine Pythes, cuius uxor dicta est Hippygia, filia Pieria. Cùm autem Mileti die festo sacrificaretur Dianæ, quam illi Neleidam cognominant, misit eò uxorem & filiam id precatas, ut sibi festo liceret interesse. Ex Nelei uerò filijs longè potentissimus erat Phrygius. is captus amore Pieriæ, cogitabat qua re posset puellæ quã maximè gratum facere. Cumq; illa dixisset, nihil accidere posse gratius, quàm si efficeret sibi liberum, frequenter Miletum Commeare multis uirginibus comitatã: ex his uerbis Phrygius intelligens ab illa quæri pacem & amicitiam ciuibus suis, bellum cõposuit. Hinc Pieriæ nomẽ & apud Milesios & apud Myuntios mirè gratiosum esse cœpit, adeò ut PVELLÆ quæ uiris nuberent, ominis causa precari solerent, Vtinam sic amer à uiro, ut Pieriam amauit Phrygius. Plut. de Mul. uirtutibus.

QVOMODO.

Simpliciter.

Absq; ulla inuocatione & obtestatione deorum, saltem explicata.

Testamentum conditurì olim præfabantur ominis causa, τοῦτο καλῶς ἔςω. id est, Hoc bene sit. Apud Romanos dicturus in concione precabatur, ut felix ac faustum esset Reipublicæ, quod dicturus esset. Erasmus.

Cum Inuocatione deorum.

Exempla ex Petitione & Supplicatione.

Voce.

Συυ δ' ἐ θεοὶ μάκαρες, Felices adsint superi. boni ominis causa olim præfari consueuerant RHAPSODI, hoc est, carminum Homericorum recitatores & interpretes.

CITHAROEDIS item cantaturis mos erat Apollinem inuocare, ἀλλὰ ἄναξ μάλα χαῖρε. i. At multum salue rex.

Hesychius indicat ueteres in iactu quodã solitos ominis gratia præfari Mercurium, quemadmodum in conuiuijs, ἀγαθοῦ δαίμονος, κὴ διὸς σωτῆρος. Idem indicat in sortibus ducendis primam sortem dici solere Mercurium. Erasmus in Adagijs.

M. Varro de lingua Latina secundo, putat mane dici dictum, quòd antiquitus manum bonum uocabant. Proinde GRÆCI cùm lumen infertur, solent dicere, φῶς ἀγαθὸν. Nos item illata lucerna fausta inuicem precamur. Lumen enim uitam interpretantur. Erasmus in Adagijs.

Signo.

Cuiusmodi est, Manus in cœlum tollere, In genua procumbere, de quibus tanquam Notis infra.

Serio.

Exempla præcedentia pleraque.

Ioco.

Xerxes expeditione contra Athenienses suscepta, Græcis urbibus, per quas transibat, imperabat, ut exercitum suum hospitio susciperent. Milites per noctem cõuiuantes, mane reuulso tentorio regio, omniq; apparatu sumto discedebant. Itaque Græci eo sumtu ad summam inopiam deuenerunt. Vnde MEGACREON Abderites suis conciuibus suasit, ut uniuersi delubra adirẽt, deosq; precarentur, ut posthac dimidium futurorũ malorum à se propulsarent. Nam de præteritis magnam se gratiam illis habere, quòd rex Xerxes non bis quotidie cibum capere consuesset. Fore enim ut Abderitæ, si iuberentur etiam prandiũ simile cœnæ instruere, aut non præstolarentur Xerxem aduenientem, aut præstolati pessimè inter omnes homines affligerentur. Herod. lib. 7.

LIMINEORVM olim domus Patauij floruit. Narrant ex ea gẽte duos fratres, cùm per æstatem ruri noctu post cœnã in atrio domus de diuersis rebus inter se loquentes starent, suspicientes & contemplantes innumeras stellas, quas tunc fortè sereno cœlo fulgere uidebant: per iocum alterum uelut ridendo dixisse, precari se, tot sibi boues esse, quot stellas fulgere conspiceret. Alterum mox itidem per iocũ respondisse, Vtinã mihi pratum esset instar cœli latũ: & ad fratrem cõuersum dixisse, Vbi tuas pasceres boues? At illum, In tuo prato, subintulisse. Rursum alterũ, Si uellẽ. Te etiã inuito, alterum respondisse. Tu ne me inuito, inquit? Te etiam inuito, alter respõdit. Et ita altercando risu in iram, & mox ira in rixam & in serium furorem conuerso, dum neuter alteri cedere uult, exertis utrinq; gladijs, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, se inuicem transfixerunt. Et hinc unus, illinc alter humi decidẽtes, exanimes in suomet sanguine uolutabãtur, donec à domesticis, qui eos altercãtes audierãt, delati intra domum, fatali hora properante extincti sunt. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Clam.

Multa sæpe HOMINES secum taciti optant, quæ cùm maiora sint captu illorum, si clara uoce petituri essent, ne contemnerentur, nunquam postularent. Itaque Pythagorici iubentes ea, quæ optanda essent uoce optare, hoc metuisse existimati sunt à Clemente lib. 4. Stromatum I.

Persi⁹ fine Sat. 2. in occulta uota IMPROBORVM inuehitur:

Haud cuiuis promtum est, murmurq; humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto uiuere uoto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat, O si
Ebullet patrui præclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro.

VBI, QVANDO. IN

Templo.

Ex loco Religiosæ Iustitiæ uotorum exempla in templis factorum.

Conuiuio.

AEGYPTII in conuiuijs Manerotem canunt, quem aiunt regem fuisse, & inuentorem Musicæ. Alij hoc non esse nomen proprium contendunt, sed genus loquendi, potantibus & epulantibus conueniens, quasi dicas, Secunda adsint. Plutarchus de Iside.

PRÆDICARE.

EPAMINONDAS Bœotarcha cùm tempore Leuctricæ cladis audisset bonum quendam & fortissimum uirum occubuisse, O Hercules, inquit, quod otium uir hic nactus est? Otium enim mors est, uita negotium. Plutarchus.

PYTHEAS unus ex Atticis oratoribus Demosthenis diligentiã significatur⁹, eius enthymemata dixit lucernas olere.

LAVDARE.

Ex loco Encomiorum huc omnia, si Effectum spectes ipsius Affectus. Illic uerò Laudatio tanquam bonum Fortuitum consideratur.

QVI. Puta

Populus.

Phocioni ducenti quum populus ATHENIENSIS præter morem alacribus studijs assentiretur: conuersus ad amicos, Quid hoc, inquit, est rei? nunquid imprudens perperam? Plut. in Apoph.

Antisthenes apud Laertium, quum dixisset quispiam, MVLTI te laudant, Quid, inquit, mali feci?

Panathenęis ATHENIENSIVM quidam ultimæ senectutis, cùm spectatum ludos in theatrum uenisset, eumq; nemo è ciuibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit: qui hominis ætate moti, canos eius & annos assurgendi officio uenerati sunt, sedemq; ei inter ipsos honoratissimo loco dederũt. Quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ urbis uerecundiam comprobauit. Ferunt tunc unum è Lacedæmonijs dixisse: Ergo Athenienses quid rectum sit sciunt, sed id facere negligunt. Val. libro 4. capite 5. & Plut. in Laconicis.

Tibicines.

TIBICINES olim laudes fortium uirorum decantabant. Erasmus in Adagijs.

QVOS.

Oratores.

Non aliud est hodie populi de sacris concionatoribus iudicium, quàm quod Plinius ætate sua de recitatoribus fuisse scribit: Si quando transibis, inquit, per basilicam, & uoles scire quomodo quisque dicat, nihil est quòd tribunal ascẽdas, nihil quòd præbeas aurem: facilis diuinatio, scito eum pessimè dicere, qui laudabitur maximè. Quapropter Socrates in Critone Platonis, illud in primis uult esse sapienti fixum decretumq;, ne quid opinione uulgi commoueatur, imò ſu spectum habeat, quicquid senserit uulgo uehementer arridere. Erasmus in Adagiis.

Mutuo laudantes.

Fabulã memorat Horati⁹ de duob. FRATRIBVS, q se mutuũ scabebant, ac mutuo officio alterũ alter uicissim efferebant

Frater erat Romæ cõsulti rhetor, ut alter (laudib.
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi foret, hic ut Mutius illi. Eras. in Adag.

CVR. OB

Fortitudinem.

Apud GRÆCOS, qui rem strenuè gessissent in bello, oratione quapiam aut carmine laudabantur: quæ laudatio propriè encomium dicitur. Erasmus in Adagiis.

Antalcidas cũ SOPHISTES Herculis laudes recitaturus esset: Quis, inquit, eum uituperat? Plut. in apophthegmatib.

Eloquentiam.

M. CICERO Platonis dialogos ita scriptos affirmat, ut Iupiter non aliter fuerit locuturus, si loqui uoluisset.

Q. Hortensij admodum adolescentis ingenium, ut Phidiæ signum, simul aspectum & probatũ est à pop. Rom. Is L. Crasso, Q. Scæuola Coss. primùm in foro dixit, & apud hos quidem consules, & quum eorum, qui adfuerunt, tum ipsorum consulũ, qui omnes intelligentia anteibãt, iudicio discessit probatus. Vndeuiginti annos natus erat eo tempore. Erasmus in Adagiis ex Cic. Oratore.

DETRAHERE, DEPRIMERE.

Consule locum Ignominiæ, quæ uoce fit. Hic Effectus propter Affectum perpenditur: illic ut Malum fortuitum est.

DIONYSIVS tyrannus Geloni obtrectando, quem Siciliæ γέλωτα, id est risum appellabat, imprudens ex liuore opum suarum amplitudinem & splendorem depressit. Plutarchus de Sui laude.

HONORARE, VENERARI.

Ex loco Fortuitorum bonorum illustretur, ubi de Honoribus agitur.

CHALCEDONIÆ mulieres si in alienos uiros & magistratus potissimùm inciderent, dimidium faciei retegebãt. Cælius lib. 13. cap. 6. Antiq. Lect.

COLOTES differentem audiens de natura Epicurũ, properè genib. eius accidit. Atq; hæc glorians ipse scribit Epicurus: Postquã uenerantẽ te ea, quę tunc à nobis memorabantur, cepit mirificũ desiderium, ut amplectereris nos, genua nostra attingens, & omnem solitum gustares in deferendis honoribus & supplicationibus stuporem. Efficiebas ergo, inquit, ut nos quoque te uicissim consecraremus & uenerare mur. Plut. contra Colotem.

VESPASIANVS Imp. auiæ Tertullæ memoriam tantopere dilexit, ut solennibus ac festis diebus poculo quoque eius argenteo potare perseuerauerit. Suetonius.

NON HONORARE.

Indignos non honorare, Iustitiæ est: dignos, uel Inurbanitatis uel Iniustitiæ.

Cùm pompã sacram Rokyczanus Hussita Pragæ duceret, LADISLAVS rex de fenestra prospiciens neq; caput nudauit, neq; ullum alium honorem detulit, adeò ut proceres quoque illum tanti contemtus arguerent. Quibus ille: An ego, inquit, uobis tam uenerandum omnibus Christianis sacramentum contemnere uideor, quem quotidie illud per rem diuinam cernuum prostratumque adorare cernitis? Sed non erat hic uenerationi eiusmodi locus, ne dum Christi corpus honoro, simul approbare sacrilegum sacerdotem putarer. Dubrauius lib. 29.

CONGAVDERE, CONGRATVLARI ALIIS.

Sub loco Popularitatis habitus ipse considerabitur.

QVOMODO

Congratulationis signa sunt tum Vox uiua, tum Cõplexus, tum notæ quæuis aliæ, de quib. lib. III, agetur.

CVR. OB

Sanitatem.

BERODACVS Babyloniæ rex legatos misit cum muneribus ad Ezechiam Iudæorum regem, gratulatum, quòd ex morbo difficillimo euasisset. 4. Regum 20.

Mortem.

BARBARIS quibusdam circa Caucasum habitantibus tradunt Euripidis illud in more esse:

Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσα ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα, ὡς πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.
Natum lugere, propter ea, in quæ uenit, mala.
At contrà mortuum, quasi uitæ laboribus
Perfunctum, efferre lætitia plurima ac iocis.

Strabo lib. 11. At Herod. lib. 5. THRAVSIS Thraciæ populis hoc ipsum tribuit.

Victoriam.

Vide Tit. Fortitudinis bellicæ præmia, Gratulationes, &c.

PHILIPPI Macedonum regis legati Romam uenerunt, uictoriamq; de Antiocho Asiæ rege patribus gratulati, coronam auream centum pondo in Capitolio posuerunt. Laudata est fides regis, quòd boni & fidi amici partes eo bello obiuisset: Demetriusq; eius filius, qui diu Romæ obses fuerat, ultrò est legatis restitutus. Sabel. lib. 7. En. 5.

Capturam.

Antias piscis sacer circa PAMPHYLIAM subinde cõspicitur. Quem si quando cõprehenderint ibi, & ipsi coronas sumũt piscatores, & nauiculas suas coronis exornant, plausuq; & acclamatione excipiuntur. Plut. in Compar. animalium.

NON CONGRATVLARI, NON CONGAVDERE.

Ex loco Inuidiæ & Aemulationis huc quædam. Illic doloris ob alienum bonum positio, hic uoluptatis priuatio consideratur.

OPTARE, PRECARI BONA ALIIS, BENE OMINARI ALIIS.

QVID

Spiritum Dei.

Elisæus ab ELIA propheta iam in cœlum rapiendo petiit, ut præditus foret duplo spiritu istius, qui in eo esset. Quod ei Elias spopondit. 4. Regum 2.

Felicitatem.

Apud ISRAELITAS moris fuit, Fortunam Ephraimi & Manassis alicui precari. id quod futurum prædixerat Iacobus patriarcha, cùm hisce duobus Iosephi filijs moriens bene precaretur. Genes. 48.

Sanitatem.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex multa ecclesiis & monasterijs dedit, non pietate motus, sed quòd illorũ intercessione longęuitatẽ se consecuturũ speraret. Cùm ex morbo grauiter decumberet, sacerdotes ad S. Eutropium, cui diuo se se deuouerat, formulam, qua pro eius salute inter sacra uterentur, sibi exhibere iussit. Ea cùm & animæ & corporis sanitatẽ regi precarentur: Enimuerò, inquit, de sanitate corporis in præsens rogasse sufficit: de animo aliàs, quando uidebitur, ne nimium diuis molesti simus. Claudius Seisselius in Ludouici XII. Historia.

Prolem.

Ariston SPARTANORVM rex, cùm è duabus uxoribus liberos non susciperet, Ageti Alcidis F. uxorem speciosissimam certis conditionibus duxit, atq; ex ea septimo mense Demaratum filium genuit. Cui ideo Demarati nomẽ impositum est: quòd ante eum natum omnis populus uota fecit, ut Aristoni omnium ante id tempus regum probatissimo filius gigneretur. Demaratus enim idem est, ac uotis petitus à populo. Herodot. lib. 6.

PHILIPPVS Augustus Frãcorum rex, Adeodati cognomen obtinuit, quòd publicis uotis ritè conceptis Ludouico patri natus fuisset.

Imperium.

P. SCIPIO Africanus posterior, Censor cùm lustrum conderet,

ret, inq; solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solenni eius precationis carmine præiret, quo dij immortales, ut P.R. res meliores amplioresq; facerēt, rogabantur: Satis, inquit, bonę ac magnę sunt. itaq; precor, ut eas ꝑpetuò incolumes seruēt. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modū carmē emēdari iussit. Qua uotorum uerecundia deinceps Censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit, tunc incremētum Romano imperio petendum fuisse, cùm intra septimum lapidem triumphi quærebantur. Maiorem autem totius terrarum orbis partem possidenti, ut auidum esset quicquā ultrà appetere: ita abundè felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Val. lib. 4. cap. 1.

QVIBVS.

Patriæ.

ARISTIDES Atheniensis, quum iret exulatum, sublatis in cœlum manibus, deos comprecatus est, sic prosperarent res Atheniensium, ut illis Aristides nunquam ueniret in mentē. In rebus enim afflictis solet populus ad egregios uiros confugere. Id quod euenit. Siquidem tertio pòst anno, quum Xerxes Atticam adoriri statuisset, Aristides ab exilio reuocatus est. Plutarchus in eius uita.

L. Furius CAMILLVS à L. Apuleio interuersæ prædæ Hetruscæ falsò accusatus, indicta causa damnatus est. Tantæ indignitatis impatiens, domo tacitus ad portam progressus ibi substitit, conuersusq; supinas manus tetendit ad Capitoliū, àc deos precatus est: Si innoxius populi iniuria & inuidia sugillatus in exilium pelleretur, ut primo quoq; tēpore populum Rom. pœniteret, omnibusque mortalibus constaret ope eum egere sua, & desiderare Camillum. Quod uotū urbis à Gallis uastatio paulò pòst secuta ratum fecit. Plutar. in Camillo, & Val. lib. 5. cap. 3.

Ciuibus.

MOSES denunciante Domino iam moriturus, priusquam in montem Nabonem ascenderet, fausta precatus est singulis Israelitarum tribubus. Deuteron. 33.

AARON eiusq; filij sacerdotes Israelitis bene precabātur his uerbis, prout Dominus iusserat: Felicitet uos Ioua, conseruetque: illustret uos Ioua suo uultū, uestrique misereatur: conijciat in uos Ioua suum uultum, uobisque pacem conciliet. Numerorum sexto.

M. CVRIVS incusantibus eum nonnullis, quòd de agro bello capto exiguam in capita portionem assignasset, ac partem magnam publicasset: optauit neminem existere ciuem Romanum, qui pro exiguo habiturus esset agrū illum, qui alere ipsum ualeret. Plut. in apophthegmatib.

HORATIVS ode ultima Epodôn pro pop. Romano uotum concipit tale:

Dij probos mores docili iuuentæ,
Dij senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti datæ remq; prolemq;
Et decus omne.

Virginibus.

VLYSSES apud Homerum Nausicaæ Alcinoi filiæ uirum & domum optat, & concordiam: quo nullum melius est in uita bonum, aut magis expetendum. Nam quum concorditer uir atq; uxor degunt, multos inimicis dolores afferunt, multa amicis gaudia, & primum omnium sibi ipsis. Lud. Viues de Christiana fœmina lib. 2.

Sponsis.

Cùm Rebecca seruū Abrahami sequeretur, ut Isaaco desponsaretur, LABAN frater eius fausta his uerbis precatus est: Prolem tibi, nostra soror, optamus centies centenariam millenariam, & eam quidem, quæ hostium suorum portas obtineat. Genesis 24.

Cùm Boozus Bethlehemita, uir militaris & locuples, Rutham Moabitidem uxorem cognati defuncti duxisset, in præsentia senatorum, ILLI tanquam testes his faustis precationib. eum sunt prosequuti: Faxit Ioua mulierem, quæ domum tuam uenit, Rachelis & Liæ similem, quæ duæ Israelis domum sobole instruxerunt: utq; tu Ephratæ præclara facias, & nomen Bethlehemæ pares: sitq; domus tua similis domui Pharis, quē ex Thamare Iudas sustulit, per progeniem, quam tibi dederit Iehoua ex hac puella. Ruth cap. 4.

RAGVEL Tobiæ genero suo & Saræ filiæ cum fausto omine bene precatus est: Deus Ioua, Deus maiorum nostrorum, uos fœcundet, mihiq; ex uobis liberos mares ostendat, qui Iouanæ legi uacent. Tobiæ 10.

RVFVS Ausonianus grammaticæ ut artis se peritum ostenderet, in nuptijs uota dixit, ut maritus & uxor & masculini & fœminini gignerent, generisq; neutri filios: per neutrum intelligens embryonem in utero adhuc latentem, qui nisi præcedat, partus fieri nequit.

GALIENVS Imp. prosa & carmine clarus, cùm fratrum suorum filios matrimonio iungeret, omnesq; poetæ Græci epithalamia dixissent per dies plurimos, ille cùm nubentiū manus teneret, ita cecinisse fertur:

Ite simul pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter uos: non murmura uestra columbæ,
Brachia non hederæ, non uincant oscula conchæ.

Quod carmen inter centum poëtas præcipuum habitum fuit. Gyraldus.

Exercitui.

Belisarius in Africam contra Vandalos dux constitutus, paratis rebus in tempore omnibus, cum Antonina uxore Constantinopoli soluit, salutari precatione ab EPIPHANIO urbis episcopo unà cum tota classe atq; exercitu ad felicem uictoriam impetrādam expiatus. Sigonius li. 17. Imp. occid.

Militibus.

ACHILLES in uotis, quæ facit pro Patroclo suis armis inituro prælium, duo quædam rogauit, alterum ut cum laude pugnaret, alterum ut peracta pugna referret arma, incolumis & ipse. Quorum alterum annuit Iuppiter, nempe ut fortissimè pugnaret: cæterum Achillis arma non retulit, nec incolumis rediit. Erasmus in Adagiis.

Hostibus.

BALAAM à Deo inspiratus, quamuis summoperè instāte Balaco Moabitarum rege ne faceret, populo Israelis benedixit, & tanquam propheta rationem reddidit: Nam neq; incantator est, inquit, neq; magus in isto populo, sed Deus ipsi, cùm opus est, exponit uoluntatem suam.

Antisthenes omnia hostibus dixit esse bona optanda præter fortitudinem. Quippe recidere ita illa non ad possessores, sed ad uictores. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

Familiæ.

ROMANI Genetæ Manæ (quæ puerperiis præest) canem immolabant, & precabātur ne ullus domi natus fieret bonus, hoc est moreretur. Boni enim, hoc est placidi, appellantur mortui. Plut. in quæst. Rom.

Filijs.

ISACVS patriarcha filijs suis benedixit de ijsdem bonis, sed ordine tantùm inuerso. Iacobo quidem, Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam. Esao uerò: In pinguedine terrę & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Desiderium namq; bonorum æternorum & temporalium utrisq; inest, tā pijs quā impiis: sed hi posteriorū, illi priorū maiorem habent curam. D. Bern. ser. paruo 33.

HECTOR Iliados ζ, pro filio suo Scamandrio siue Astyanacte sic deos precatur:

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν·
καί ποτέ τις εἴπησι, πατρός δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,
ἐκ πολέμου ἀνιόντα· φέροι δ' ἔναρα βροτόεντα,
κτείνας δήιον ἄνδρα, χαρείη δὲ φρένα μήτηρ.

IOCASTA regina Thebana Iouem precatur, ut Eteoclem & Polynicem filios, causa regni dissidentes, concordes faciat apud Eurip. in Phœnissis:

ὦ φαεννὰς οὐρανοῦ ναίων πτύχας
Ζεῦ, σῶσον ἡμᾶς, δὸς δὲ σύμβασιν τέκνοις.
χρὴ δ', εἰ σοφὸς πέφυκας, οὐκ ἐᾶν βροτὸν
τὸν αὐτὸν αἰεὶ δυστυχῆ καθεστάναι.

O splēdida cœli habitās uolumina Iupiter, serua nos: da uerò concordiam liberis. Conuenit enim, si sapiens es, non sinere hominem eundem semper infelicem existere.

Ferrando maiori filio regis Castulonensis nupserat Blancha D. Ludouici Francorum regis filia: cautumq; nuncupandis conditionibus, ut si Ferrandus ante obitum patris moreretur, superstite etiamnum Sanctio minore fratre, soboles tamen Ferrandi auo decedenti in regnum succederet. Moritur Ferrandus relictis duob. filiis. Sanctius neglectis conditionibus superioribus, neque aui morte expectata, populares in uerba sua iureiurando adigere conabatur. ALPHONSVS pater rei indignitate motus cum furiali carmine deuouit, & iure paterno maledixit. Qua execratione & popularium animos à Sanctio alienauit. Sanctius inde supplex patri factus, ita patris mutauit animū, ut fausta feliciq; obsecratione diras auerterit, & in benedictionem conuerterit, publicoq; diplomate testatus sit, si quando fato ipse raperetur, nihil esse futurúmue charius filio Sanctio: cuncta illi optare, apprecari, sperare læta, secunda, felicia, ipsi popularibusque. Aemylius lib. 7.

Nepotibus.

Cæsar AVGVSTVS, cùm Caium ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat à dijs, ut illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, suijpsius autem fortuna comitaretur. Quod in singulis erat præcipuum, id optabat uni contingere. Plut. in Rom. apoph.

ROMANI olim apud Matutā deam proprijs liberis non precabantur bona, sed fratrum & sororum. Vel quia sororis amās Ino fuerit (quę Latinis Matuta dicitur) & sororis filium ablactauerit, propriis in filiis fortuna usa parum prospera: uel etiam alioquin ciuilis est & honestus hic mos, magnámque necessitudinibus beneuolentiam conciliat. Plutarchus in quæst. Rom.

Seruis.

Mos fuit ATHENIS, cùm nouitius seruus in ædes introducebatur, ut domin⁹ aut domina ficubus, palmulis, nucibus, & aliis bellariis eum perfunderent, quæ à conseruis raperentur. Idem fieri solitum tradunt etiam legatis, & sacrorum curatoribus nouitijs, & sponsis: ijs deniq; omnibus, quibus bene ominarentur. quòd signum id esset prosperitatis & abundantiæ. Theopompus Hedychare: Affer tu catachysmata celeriter, perfunde sponsum & puellam. Rectè sanè dicis. Suidas in uoce καταχύσματα.

Mortuis.

VETERES mortuis precabantur, λάθοι νύ σε βῶλος ἐλαφρά. ὦ χθὼν κούφη καὶ πρηεῖα κεῖσο. γῆ σοῦ ἐπάνω ἀβαρής. Vnde Euripides, κούφῃ κατεμπίσχωσιν ἐν τύμβῳ χθονί. Latini, Sit tibi terra leuis. Christiani longè rectiùs, non tam optandi, quàm suæ erga pios manes charitatis significandæ ergò, Animæ fidelium defunctorum requiescant in pace.

Canibus.

ROMANI Genetæ Manæ (quæ puerperiis præest) canem immolabant precabanturque ne ullus domi natus euaderet bonus. Acerbos nimirum & truces canes esse oportet, non mites. Plut. in quæst. Rom.

QVOMODO.

Voce.

☞ *Huc pleraque exempla præcedentia.*

Signo.

ATHENIENSES bellariis caput serui recèns emti perfundere solitos, paulò antè diximus.

Clam.

AGRIPPA Herodis Magni nepos, quodam die dum unà in lectica gestatur cum Caio, Tiberij nepote, incidit in confabulationem de Tiberio: & quia soli erant, precatus est Tiberio, ut quamprimùm principatus locum Caio digniori cederet. Hac uoce audita Eutychus, libertus Agrippæ & auriga, Romam profectus indicat eam Cæsari. Tiberius Agrippam statim in uincula duci iussit. Pòst mortem tandem Tiberij solutus est à Caio. Iosephus libro 18. c. 8. Antiq.

Apertè.

PYTHAGORICI iusserunt ea, quæ optanda essent, clara uoce optare, ne maiora captu suo petentes riderentur, deosq; offenderent. Clemens lib. 4. Stromatum.

ACCEPTARE.

MVNERA.

☞ *Vide locum Liberalitatis, item Auaritiæ ἐν λήψει.*

L. LVCVLLVS in Aegyptum missus fuerat à L. Sylla ad contrahendam classem. Vt uerò belli terrore Ptolemæus societatem repudiauit: naues autem, quæ prosequerentur eum in Cyprum, attribuit, & consensuro salutandi colendique causa preciosum smaragdum auro illigatum dedit: primùm recusauit Lucullus donum. Cæterùm ubi insculpatam imaginem suam monstrauit rex, ueritus est reiicere: ne, si discedere inimico animo existimaretur, insidiæ sibi mari pararentur. Plutarchus in Lucullo.

GERMANIÆ & GALLIÆ famuli arcium, armamentariorum, templorúmq; custodes munera hospitū, nulla humanitate nec decore seruato, non tantùm non recusant, quod facere non nouerunt, sed antea, quàm offeras, præbēt ipsi manus: sic ut qui sub arcis præfecto meretur, ianitor, custos, pincerna, pistor, lotrix, cocus, oēs demū quotquot sunt, prędam inter se, antequā des, calculis diuidant. Pariq; modo in familiis amicorum fit. à quibus amicis antea, quàm discedas, oēs famuli inter se cōputatione lucrū aduentantis liberalitatis diuidunt. quę res ita increbuit, ut pro dedecore iam non habeatur. Damianus Goes in Hispania.

HONORES.

☞ *Locum Magnanimitatis ἐν λήψει consule.*

NON ACCIPERE BENEFICIVM, REPVDIARE.

QVID.

Consilium.

☞ *Vide locum, Bonis consiliis non parere.*

Munera.

☞ *Consule locū Liberalitatis, Non accipere, quæ honestè possis.*

Cùm Corinthiorū legati munera, quæ eis DIONYSIVS maior dabat, uetante abdicarent lege, qua sancitū erat, ne à dynaste munera legati caperent: rem absurdā ostendit eos facere, qui quod tyrannides unum habent bonum, abolerent, docerentq; beneficium à tyranno horrendum esse accipere. Plutar. in Regum apoph.

CRATES Thebanus Demetrio Phaleræo indignatus est, ꝙ sibi panes ac uinum misisset, dicens: Vtinam fontes etiam panes ferrent. Sentiens, uino philosopho nihil opus esse: atq; hoc ipsum esse submolestum, quòd panis non æquè parabilis esset ac potus. Laert. lib. 6. cap. 5.

Alexander Macedo, posteaquam in expeditionem profectus, regias opes penè omnes in milites ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ: Quid tibi nunc rex superest? Spes, inquit. Hic PERDICCAS: Hæc, inquit, nobis cōmilitonibus tuis futura communis est. & prædiū, quod ipsi designarat Alexāder, recusauit. Tanta erat fiducia, bene successuram expeditionē. Plut. in Alexandro, & orat. 2. de fort. Alex.

In ITALIA & HISPANIA, dum templa, arces, armamentaria, ædificia, huiusq; generis alia inspexeris, uel à domo amici alicuius tui, apud quē hospitabaris, discesseris, si custodibus, uel operariis, aut amici famulis, aliquā gratuitā pecuniolam dare coneris, efficies pro amico, ut inimicus abeas. Tanta est eorū magnanimitas, ut peregrinis hominibus, gratis officium suum exhibere contendant. Et si aliquando talia munera istis accipere contingat, id ui coacti, & omnino reluctantes faciunt. Damianus Goes in Hispania.

Salutationem.

☞ *Vide Tit. Non salutare*

Hospitium.

DIOGENES Cynicus cùm à Cratero prædiuite quodā inuitaretur, ut ad se ueniret, usurus hospitio suo, suaq; liberalitate, respondit se malle salē Athenis lingere, quàm apud illum opiparis mensis frui. Erasmus in Adagiis.

A QVIBVS. A

Coniuge.

Apud ROM. munus capere uiro ab uxore, aut à uiro uxori uetitū fuit: ne mercenarium, sed gratuitum esset, & propter se, non propter aliud, mutuo amare. Plut. in quæst. Rom.

Socero, Genero.

ROM. à genero & à socero accipere est interdictum donum. A genero, ne per patrem uideatur ad uxorem peruenire donum: à socero, quòd uisum æquum est, ut is, qui non dat, etiam non accipiat. Plut. in quæst. Rom.

QVOMODO.

Sincerè.

☞ *Ex Loco liberalitatis in non accipiendo: item Magnanimitatis in honoribus repudiandis.*

Fictè.

☞ *Consule Tit. Astutiæ in captandis honoribus.*

Ἀκκίζειν, id est, Accissare, Græco prouerbio dicebantur, qui cùm maximè cuperent accipere quippiam, tamē fictè recusabāt: qui mos hodie quoq; multis durat. Scribunt ACCO mulierem fuisse quampiam notæ stultitiæ, quæ solita sit ad speculum cum imagine sua, perinde atq; cum alia muliere, confabulari: ut hinc uulgò, quæ stultiùs aut ineptiùs aliquid agerent, accissare dicerentur, & Accûs nomine compellarentur. Apparet illud etiam moribus huius mulieris adfuisse, ut recusaret quæ tamen cupiebat: unde & Accismus ficta huiusmodi recusatio dicatur.
Erasmus in Adagiis.

GRATIAS AGERE, HABERE, REFERRE.

Hostimentum, autore Festo, beneficij pensatio est, à prisco uerbo hostire & redostire, quod est paria referre. Ab eodem hostem dici putat Nonius, quòd ex æqua causa pugnam suscipiat.

ADRASTVS, agens gratias Theseo, pro cōfecta mortuorum sepultura, apud Eurip. in Supplicib. inquit:

Χαίρειν τ' ἀγήρω γ' ἕξομεν· γενναῖα γὰρ
παθόντες, ὑμᾶς ἀντιδρᾶν ὀφείλομεν.

Et gratiā nō senescentē habituri sumus. Generosa officia enim cū acceperim⁹, uos uicissim afficere beneficiis debem⁹.

DARIVS Persarum rex moriēs per Polystratum Macedonem militem Alexandro uictori ob clementiā in matrē suā, uxorem & liberos, felicia omnia precatus, dextrę pignus illi gratitudinis ergò detulit. Sab. lib. 6. En. 4.

M. MINVTIVS magister equitum, cùm insolentia sua exercitum in maximum discrimen contra Annibalem adduxisset: sed

sed Q. Fabij Max. Dictatoris beneficio seruatus esset, in castra reuersus, suumq; errorem fassus, cùm signa tolli imperasset, & omnes sequi, agmine ad Dictatoris castra proficiscitur. In castris ubi ad prætorium rectà contendit, conuertit omneis in admirationem & stuporem. Antè progressum Fabium, constitutis signis, parentem ipse eum alta uoce, exercitus milites eius patronos appellauit. Silentio facto, Minutius, Geminam uictoriam, inquit, obtinuisti Dictator hodierno die: uirtute de hostibus, consilio & humanitate de collega: illa nos seruasti, hac erudiuisti: nosq; cùm turpiter essemus ab Annibale superati, honestè sumus abs te & saluberiter uicti. Quare quando nomen uenerabilius nō habeo, mitem te appello parentem: cùm tamen beneficium mihi abs te hoc quàm à parente maius extiterit. Illi enim uitam solus, tibi, cùm meam uitā tum omnium horum debeo. Secundùm hæc amplexus Fabium & osculatus est. Idem erat cernere per totum exercitum: nam complexu sese mutuo & osculo exceperūt: unde in lætitiam tota castra effusa, ut præ gaudio omnibus lacrymæ manarent. Plut. in Fabio.

CATVLLI elegans est epigrāma, quo Ciceroni patrono gratias agit, dignum quod hic adscribatur:

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotq; fuerunt Marce Tulli,
Et quot pòst alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

NON AGERE GRATIAS.

L. PAVLVS Aemylius candidatus iterum consularis honore deiectus est. Quem ut bello Macedonico, quod cum Perseo gerebatur, ducum imperitia & ignauia extracto, consulem creauerunt, gratiā eis negauit se habere. Neq; enim, quòd ipse honorem requireret, sed quòd illi imperatorem, mandatum sibi magistratum. Plut. in apophthegmatib.

EXPECTARE BONA.

Consule locum Spei. De Expectatione mali infrà.

ARCHIAS tyrānus Thebarū dum in cœna bene potus Phyllidam scribam assiduè ad fores speculatum emittit, adsétne mulier quam expectabat, à Pelopida & coniuratis irrumpentibus cæsus est. Plut. de Socratis dæmonio.

INVOCARE SIMPLICITER.

QVEM.

Deum.

Vide locum Religiosæ Iustitiæ, Preces ad Deum.

Pausaniæ auctoritate annotat Eustathius, in cuiuslibet rei auspicatu VETERES dicere solitos, celeusmatis instar, θεὸς θεός. i. Deus Deus: quod obseruasse non temerè uidetur Plato in principio librorum de Legibus, ubi quum Atheniensis hospes dubiè dixisset, uideri à Deo aut ab homine quopiam inuectas esse leges, respondet Clinias, θεὸς, ὦ ξένε, θεὸς, hoc est, Deus, ô hospes, Deus eiusce rei autor est. Hadr. Iunius centuria 8. Adagiorum.

Plutarchus in cō. de Osiride & Iside tradit mulieres HELEAS publicis ac solennibus uotis solitas Bacchum inuocare, ut accederet βοέῳ ποδὶ. id est, Bubulo pede: siue quòd huic animanti, cùm sit uiribus immensis preditum, deinde tanta corporis mole, tamen peculiare uideatur molliter, quasiq; pedetentim ingredi, nulloq; strepitu: uel quòd bouis pedes arua calcatu reddunt meliora, quum reliquorum animātium noceant. Erasmus in Adagiis

ANTIGONE Thebana audiēs Capaneum inuitis etiam diis gloriantem se expugnaturum Thebas, apud Eurip. in Phœnissis Deos inuocat:

Ἰὼ νέμεσις, καὶ Διὸς βαρύβρομοι βρονταὶ,
κεραύνιόν τε πῦρ αἰθαλόεν,
σύ τοι μεγαληγορίαν ὑπεράνορα
κοιμίζεις.

Io Nemesis, & Iouis grauisona tonitrua, fulmineusq; ignis ardens, tu certè superbi loquentiam insolentem compescis.

Machon comicus in fabula quadam hanc orationem σὺν θεῷ & σὺν θεοῖς, tribuit PHILOXENO Cytherio, poetæ optimo, uentris gutturisq; uitiis inquinatissimo, cùm appropinquante morte de suis rebus loqueretur, ac quid in tabulis sui testamenti contineretur facetè explicaret: Τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω ἠνδρωμένους, καὶ πάντας ἐστεφανωμένους. apud Athenæum lib. 8. Dipnosoph.

M. BRVTVS, rebus in summam desperationem adductis, in acie Pharsalica, quum è ducibus atq; amicis paucos apud se haberet, sublatis oculis in cœlum stellis plenum, dixit hunc uersiculum Græcum è tragœdia quapiam:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε, τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν. *id est,*
Nec te latuerit, ô supreme Iupiter,
Horum malorum quisquis autor extitit.

Volumnius narrat illum & alterum dixisse carmen: sed negat se meminisse. Plutarchus.

STEPHANVS pōtifex, quē Blondus Gregorium III. uocat, pacis formulam, perfidi Aistulphi Longobardorū regis chirographo exaratam, de uexillo crucis pendentem, prætulit, cunctis Deum cōtra perfidiam inuocantibus. Blondus Decad. 1. lib. 10. Liber pontificalis.

Homines.

ROMÆ olim ui oppresi, Quirites inuocabant, hoc est, ciues Romanos. Ab eo Latini ueteres Quiritari prouerbiali metaphora deduxere, hoc est, Quiritum fidem implorare. Erasm.

QVANDO.

Sternutando.

Sternutantes olim ζεῦ σῶσον sibiipsis, uel etiam alteri precabantur. Vnde festiuum epigramma in Proclum nasutum, sub Tit. Nasutorum leges.

Pugnando.

SCOTI in aciem prodeuntes, Galdi regis nomen, qui Romanum exercitum penè ad internecionem ceciderat, inuocare olim consueuerunt. H. Boethius lib. 6.

HISPANI in bello Dei & S. Iacobi auxilium implorant, iam inde à Ranimiro II. Asturum rege, cui cōtra Saracenos pugnaturo insomnis D. Iacobus apparuisse, & in ipsa acie equo albo insidens, uexillum manu uibrans, conspectus fertur. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hisp. c. 13.

Laborando.

Cùm AGASONIS cuiusdam asinus luto infixus hæreret, deberetq; illi succurrere, otiosus Herculem implorabat. Huic respondisse deum ferunt, uti interim manum admoueret asino laboranti, atq; ita demum numen adfuturum. Alij quendam, cùm esset decertaturus, Mineruam consuluisse aiunt, num futurum esset, ut uictor discederet. Respōsum est, fore. Verùm cùm ille ingressus theatrum, in certamine manibus staret otiosis, percussum ab aduersario uictum fuisse. Hinc natum adagium, σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Erasmus.

Compotando.

POLONI Plutonem olim colebant, quem Ladon siue Ladonem uocabant: Castorem item & Pollucem, Lelum & Polelum appellantes. Et adhuc hodie in compotationibus illa gens nomine eorum utitur, Lelum Polelum uociferantes. Post Pascha etiam ad D. Ioannis Baptistæ festum, mulieres & uirgines diebus festis ad choreas turmatim conuenire solent, Ladonemq; canentes, & Lado Lado frequentiùs ingeminantes, manibus complaudentes, in gyrum chóreas ducunt. Guagninus in uitis regum Polonorum.

PETERE, IMPLORARE SIMPLICITER, ORARE, OBSECRARE.

QVID.

Consilium.

Vide locum Prudentiæ consultricis.

Beneficium.

Extat apud THEOGNIDEM in Amicum parùm officiosum tale distichon, epistolæ loco missum:

εὖ ἔρδω (ualeo ego) εὖ πράττε (ut te ualere intelligam beneficium aliquod exhibe) τί κ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλεις; quid mittēdis per nuntios literis sollicitus es?

τῆς εὐεργεσίης ῥηιδίη ἀγγελίη (beneficium datum, munusq; missum omnium nuntiorum & literarum loco erit)

Mutuum.

Cabades Persarum rex facta cum Rom. pace, ab ANASTASIO Imp. pecuniam mutuo accepturus erat. Ibi cum Anastasius cautionis syngrapham postularet, indignatus Cabades fœdus rupit.

Auxilium contra hostes.

VNVS ex Niobes filiis, apud Sophoclem, cùm iaculis Dianæ & Apollinis peterentur, nullius alterius implorat opem & suppetias, quàm amatoris sui:

Ad me ô amice perge. Plut. sermone Amatorio.

ACHILLES Iliados υ, rem strenuè contra Troianos gerens, in auxilium nihilominus reliquos Græcos uocat:

ἀλλ' ἄγ', ἀνὴρ ἀντ' ἀνδρὸς ἴτω, μεμάτω δὲ μάχεσθαι.
ἀργαλέον δέ μοί ἐστι, καὶ ἰφθίμῳ περ ἐόντι,
τοσσούσδ' ἀνθρώπους ἐφέπειν, καὶ πᾶσι μάχεσθαι·
οὐδέ κ' Ἄρης, ὅσπερ θεὸς ἄμβροτος, οὐδέ κ' Ἀθήνη,
τόσσης δ' ὑσμίνης ἐφέποι στόμα, καὶ πονέοιτο·
ἀλλ' ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε,
καὶ σθένει, οὔ μ' ἔτι φημὶ μεθησέμεν οὐδ' ἠβαιόν.
ἀλλὰ μάλα στιχὸς εἶμι διαμπερὲς, οὐδέ τιν' οἴω
Τρώων χαιρήσειν, ὅς τις σχεδὸν ἔγχεος ἔλθῃ.

Apud Homerū Iliados χ. HECTOR iā impar Achilli, Deiphobū fratrē inuocat, uti ferat suppetias. Pallas enim illi apparuerat Deiphobi specie, ac decept⁹ Hector, frustra inclamat,

Δηίφοβον δ' ἐκάλει λευκάσπιδα, μακρὸν ἀΰσας.

Deiphobum fratrē intētò clamore uocabat. A quo destitutus, diem fatalem adesse intellexit. Erasmus in Adagiis.

BALEARIVM incolæ olim cùm infestarētur à cuniculis, quū & unguibus terram effóderent, & radices frugum euellerēt, uastitatemq; inferrent: legatos Romam miserunt petentes auxilia. Itaq; præstitis auxiliis, plures ad eas capiēdas repertæ sunt uenationes: potissimum uerò catellæ agrestes ex Africa adductæ (uulgari idiomate furones appellant) funiculis alligatæ intra foramina immissæ, aut unguibus extrahūt, aut foras profugere cogunt. Strabo lib. 3. & Io. Gerund. lib. 1. Paralip. Hispaniæ.

Aistulfus Longobardorum rex firmato cum STEPHANO II. Pp. in XL. an. fœdere, imperij propagandi libidine Rauennam occupauit, Exarchatum Grecorum, qui per CC. fermè annos Italiæ imperauerat, sustulit: agrū Narniēsem & oppidum iuris sui effecit: nuncios ad Pontificē misit, per quos se Romanam ditionem, agrum Vrbemq; armis oppressurū ostendit, nisi Romani sponderent, se quotannis aureum solidum sibi pro cuiusq; capite depensuros. Pp. cùm nec placare Aistulfum posset, nec à Constantino Copronymo quicquam auxilij speraret, in Franciam ad Pipinum confugit, ut eum cōtra Lōgobardos excitaret. Sigonius lib. 3. regni Ital.

TRANSEMVNDVS, Dux Spoletan⁹, defectionē à Luitprādo rege Longobardo moliens, pacem cū Gregorio III. pōtifice, urbis Romanę dominatum adepto, cōposuit, & fœdus atq; amicitiā iunxit, castro Galliēsium reddito, cuius caussa Romanū ille Ducatū diu habuerat infestissimū. Ea societate subnixus, regis imperata facere detrectauit. Cæterū cùm impetum regis nō ferret, urbe elapsus, ad pontificem cōfugit, atq; eum, ut se tueretur, orauit. Pontifex ipsum recepit in fidem. Luitprandus Ducatu Spoletano propè sine certamine in potestatē redacto, legatos ad Pontificē misit, ac Transemundum sibi dedi postulauit, & ni dederet, bello se persequuturum Vrbem ostendit. Pontifice id negante, Luitprandus exercitum in Romanum ducatum traduxit, atq; Ameriam, Ortam, Polimartium, & Beldam oppida occupauit. inde in Vrbis fines ingressus, uastato agro, Vrbi demum obsidionem admouit, castrisq; in Campo Neronis statutis, multos nobiles Romanorum, more Longobardorū attōsis, ad se attraxit. GREGORIVS regē precibus, ut obsidionē solueret, instituit missis oratorib. fatigare. Quas cùm irritas atq; inanes animaduerteret, neq; ex Italia subsidium ullum speraret, ad Carolum Martellum Proregem in Franciam legatos misit, ut sibi cōtra Lōgobardos succurreret. Luitprādus Carolo petenti, ut Romana ditione sine maleficio cederet, haud grauatè cōcessit: oppida tū quatuor, q̄ occupauerat, sibi retinuit. Transemundus cōfestim Ducatū armis repetit, atq; ei Gregorius pōtifex & Godescalc⁹ Beneuēti Dux, Luitprando grauiter ægrotāte auxilia pstiterūt. Sig. li. 3. reg. Ital.

Satione Duce Spoletano mortuo, Berengarius II. Italiæ rex illam sibi ditionem asciuit. Ioanne uerò XII. pontifice pugnante, ac ius suum, quoquomodo poterat, retinente, idem arma intulit, atque episcopos ecclesiasque exagitare instituit. Ioannes legatos cum literis in Saxoniam ad Othonem I. misit. Summa legationis fuit: Berengarium atque Adelbertum F. occasione occupationum eius impulsos multò quàm antè truculentius ecclesiam atque adeò totā Italiam diuexare: pertinere ad eius non dignitatem solùm, sed securitatem etiam, ipsorum adeò infirmas opes esse, ut nemini aut nocumento, aut formidini esse pòssint. Quocirca orare eum se, ut pro Christianæ religionis atque Italiæ salutis amore exercitum deintegrò in Italiam adduceret, atque Ecclesiam Italiamque Caroli Magni exemplo ab sæuā eorum tyrannide uindicaret. Id si fecisset, se illum Augustalibus insignibus ornaturum, ac tanquam summum ecclesiæ propūgnatorem Imperatorem Romanorum, qui titulus tum uacabat, appellaturum. Valpertus itidē Mediolanensis archiepiscopus, sæuam eiusdem Berengarij rabiem fugiens, regni se, si tyrannos extinxisset, insignia traditurum promisit. Assensit Otho. Itaq; Mediolani primùm, ferrea corona cōdecoratus, regis Italiæ, mox Romæ aurea, Imperatoris Rom. titulos assumsit. Sigonius lib. 6. regn. Ital.

Opem.

PLANVS scurra sponte sua sæpe cadens, tanquàm crure fracto miserandis uocibus prætereuntes implorabat, ut humo tolleretur. Peregrinus autem quispiam ac doli ignarus, si quando alleuaturus accessisset, à scurra ludibrio habebatur. Verùm ubi iam illius simulatio plerisq; innotuisset, isq; aliquādo crure uerè fracto tolli precaretur: nemo subuenit, omnibus planum solitos agere ludos arbitrantibus. Versus Horatij in Epistolis sunt hi:

Nec semel irrisus triuijs attollere curat
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lacryma, per sanctum dicat iuratus Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, uicinia rauca reclamat.

Clementiam.

PORVS rex Iudæorum captus & ad Alexandrū raptus, rogāti, quemadmodum de ipso statueret? Regaliter, inquit, Alexander. Quo iterū requirente, Num quid aliud? Nihil, inquit: siquidem in hoc uerbo regaliter sunt omnia. Plutar. orat. 1. de Alexan. fortuna.

Bello Germanico Protestātium Io. FRIDERICVS Saxoniæ Dux captus & in conspectum Caroli V. Cęsaris productus, suppliciter petiit, ut principali more tractaretur. Cui ille, Tractaberis pro merito, respondit.

Licentiam sepulturæ.

Apud ueteres dum acies armis decernerēt, petere ut defuncta corpora liceat sepelire, uel post prælium abire, cōcessum de uictoria uidebatur. Eos enim qui uicerunt, precariò aliquid ab hoste petere non decebat. Alex. lib. 4. c. 7.

PRO QVO.

Pro seipso.

Exempla præcedentia pleraque.

Pro alio. INTERCEDERE.

Accedētes DISCIPVLI ad Dominū, rogabāt eū pro muliere Chananæa, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

A QVIBVS. A

Statuis.

DIOGENES Cynicus in Ceramico stipem à statuis petebat. Causam rogatus, Repulsæ ferendæ meditatio hæc est, inquit. Plut. de nimia Verecundia.

Hominibus.

Huc præcedentia exempla pleraque.

QVOMODO.

Simpliciter.

Petitio hæc simplex est, absque ulla conditione seu restipulatione.

Cum permissione.

Votum duabus partibus constat, Petitione boni, quo caret, & Sponsione boni, quod habet: Da ut dem, Fac ut faciam. Respectu prioris, inter Preces cōnumerari debēt: respectu posterioris, huius sunt loci. Consule Tit. Iusiurādi & Fœderū, quatenus mutuam petitionem & sponsionem habent.

NON PETERE.

HORATIVS suam moderationem lib. 2. ode 16. celebrat:

—nihil supra Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito:
Satis beatus unicis Sabinis.

SVPPLICARE IN GENERE.

QVOMODO.

Apud ASSYRIOS supplicis indicat formam, si quis curuatis membris, humumq; uultu penè contingens, manus post tergum connexuerit. Cælius lib. 15. cap. 18. A. L.

Narrat Plutarchus com. de Primo frigido, morem fuisse apud PERSAS, ut supplex in fluuiū descenderet, ignē gestans, minitās, ni cōsequeretur, quę petebat, se ignē missurū in aquā. Atq; ad eū modū impetrabat quidē, quæ rogabat, sed multabatur, q minatus esset se facturū, id quod esset cōtra rerū naturā. Nā aqua hostis est ignis, eumq; semper extinguit. Id supplicandi genus apud barbaros maximū habebatur, & in quo non esset fas recusare, qđ petebatur. Erasmus in Adag.

DARIVS Persarum rex, accepto nuncio Sardeis captas incensasq; ab Atheniensib. atq; Ionibus, arcū poposcisse dicitur, eoq; sumto sagittam, quam imposuerat, in cœlū excussisse, & dixisse, O Iupiter, contingat mihi, ut Athenienses ulciscar. Atque hæc locutus, cuidam famulorum præcepit, ut sibi semper apposita cœna, ter diceret: Here memento Athenien-

nienſium. Herodotus libro quinto.

Ἐπὶ βύρσης καθέζεσθαι, In corio ſedere. Moris apud SCYTHAS fuit, ſi quis ab alio iniuria afficeretur, quã ulturus, ſe aduerſario fore parem non putaret: ut boue immolato, carnes in fruſta conciſas elixaret, & corio humi extento inſideret, manibus in tergum reiectis: quo nullum eſt apud Scythas maius ſupplicandi genus. Qui uerò uolebat, parte carnium acceptà, & dextro pede corio inſiſtens, ſe pro uirili opem ei laturum pollicebatur. Eſtque id ſanctiſsimum iuſiurandum. Suidas, & Herodotus.

Apud GRÆCORVM antiquiſsimos, in ſupplicando oleæ ramum, uelamenta ſupplicum offerre, uſurpatum fuit. SPARTANIS cruda exta in manib. obtuliſſe. Apud SCYTHAS & LATINOS populos ſupplicem ad Veſtã ſiue Larem ſedere tacitum, abiurationis & maximum ſupplicandi genus notabatur: ſicut GRÆCIS, humi inter cineres conſidere ad ignem. Erat autem Veſta, ſacrificalis ara in primis ingreſsib. & ſpaciis domorum erecta: unde & Veſtibulum dici uidetur Latinis. Erat MACEDONVM mos, ſi quid ſuppliciter expoſcerent, ſeminudos & interiori tantùm amictos tunica, obteſtari: quod à ROMANIS quoq; uſurpatum meminimus, ut nudo pectore & deiecta toga ab humeris, deprecentur genu nixi, nonnunquã humi deiecti, quæ infima obteſtatio putabatur. SICVLORVM uerò & GRÆCORVM inualuit mos, ſqualida ueſte, capillo & barba promiſſa, illuuie & ſqualore obſitos, ad miſerationẽ adducere. Pedibus quoq; obuolui, & humum uerrere crinibus, aut paſsis protenſisq́; manibus obteſtari, præcipuum ſupplicandi genus fuiſſe multi prodiderunt. Sicut manus in cœlũ tẽdere, à diis opẽ expoſcere, uel puluerẽ crinib. ſpargere, intimũ doloris ſignum notabatur Cæl. lib. 15. c. 18. A. L. & Alex. lib. 2. cap. 19.

Veteribus GRÆCIS recepti fuit moris, ut ſupplicãtes caput, dextram, genua eius, cui ſe ingererent ſupplices, contingerent: nec totum tamen caput, ſed mentum modò, ut ſtatuere Homerus uidetur, uel barbæ meditulliũ, quod probat Euripides. Mentum dextra, genua ſiniſtra. Plin. li. 11. c. 45. Id quidẽ διὰ τὸ ἡγεμονικόν, quia ſit in nobis pars ea principalis. Dextrã uerò, διὰ τὸ πρακτικόν, quoniam inibi maxima inſit ad agendum facultas. Genua, propter motus & progreſsionis neceſſitatem. Tria uerò hæc ſymbolicè, cõſenſum, actionem, progreſſum, ad ea, quæ peterentur, præſtanda, complecti uidentur, & ueluti οἰωνισμοὶ τῆς ἱκετείας τέλους, id eſt, auguria finis ſupplicandi. Siniſtram certè attigiſſe, ominoſum cenſebatur, id eſt, δυσοιώνιστον: quando & improſpera uocabant σκαιὰ & ἐπαρίστερα: bona uerò & fortunata, δεξιά. Cælius lib. 15. capite 18. Antiquarum Lect. Vel certè ut oſtenderent, in amplexandis genubus ſuam humilitatem & miſeriam, auxilio & ope aliena egentem. Attrectando autẽ mento ſiue barba, & prenſanda dextra, implorare ſe inſinuarent, tum prudẽtiam eius (quæ in capite reſidet: nullam autem capitis partem commodius tangere poterant, quàm mentum) ut ſibi conſilio adeſſet: tum iuſtitiam in tribuendo cuique quod ſuum eſt, cuius fundamentum eſt fides, fidei autem ſymbolum dextera: qua etiam opus facere, & auxilium ferre conſueuimus. Euſtathius Iliad. α. Hecuba Euripidis illud Vlyſsi præfracto obijcit, quòd dextram occuluerat, præciſa ſpe ueniæ omnis. De genubus, quòd ea ſupplices attrectabant, multa fit apud auctores utriuſque linguæ mentio: certè miſericordiæ ſedem in genibus conſecratam fuiſſe à uetuſtate memorat Seruius, quod diſertiſsimè his uerbis extulit lib. 11. cap. 45. Plinius: Hominis (inquit) genibus ineſt & quædam religio, obſeruatione gentium: hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant: fortaſsis quia ineſt iis uitalitas, quippe quorum inanitate perfoſſa, ceu iugulo, ſpiritus fugiat.

CRATES Thebanus philoſophus, quum pro quodam ſupplicaret gymnaſij principi, procumbens attigit coxam illius loco genuum. Indignanti gymnaſiarcho: Quid, inquit, annon hæc æquè tua ſunt, ac genua? Laert. lib. 6. c. 5.

Fulco Andegauenſis comes, poſtquam uiuens Comitatus honorem filio GAVFREDO tradidit, armis poſtea laboreq́; magno, quia acerbè populis imperabat, honore eum deiecit: nec tamen multo pòſt eum reſtituit. Nam filius agnita culpa ad fratrem uenit, iumentariaque ſella in tergum recepta, patris pedibus obuolutus ueniam petiit. Fulgoſus lib. 5. capite 9.

GVLIELMVS quidam Normannus cùm Roberto Normãnorum duci rebellaſſet, fame compulſus, occurrit principi ſuo nudis pedibus, ſellam equeſtrem humeris baiulans. Is erat tum ſatisfactionis ritus ſubditorum. Placatus dux eum admiſit in gratiam precantem ac pœnitẽtem. Cranzius lib. 3. Noruegiæ cap. 23.

Cùm interceſſore Vladiſlao II. Boëmię rege Fridericus I. Imp. MEDIOLANENSIBVS obſeſſis pacis cõditiones dediſſet, eaſq́; populus acceptaſſet: duodecim urbis Senatores in caſtra uenere pœnitentium habitu, ſaccis induti, pedibus nudi, facie & barba ſqualidi, ſtrictosq́; ſinguli enſes collo ſuo ſuccollantes, quaſi ſtatim decollandi, in genua procubuêre, collaq; uelut ad feriendum porrexere: diuq́; ſic adgeniculati proſtratiq́; iacuere, antequam Cæſar claues portarum urbis ab illis reciperet: detinuitq́; eoſdem in caſtris, donec ipſe triumphantium more urbem ingrederetur, Senatoribus ceu captiuis ante currum actis. Dubrauius lib. 12.

Cùm Ferrariam urbem Veneti armis occupaſſent, Clemens V. Pp. Venetum nomen graui anathemate inſectabatur. Profectus eſt ad eum publico nomine FRANCISCVS Dandulus orator, & quum aliquoties ab ipſius conſpectu reiiceretur, noua arte ad prandentem Pont. in palatio quadrupes acceſsit, ferrea collo iniecta cathena, flexo quantum potuit in terram capite, ſupplex petens, ut Veneto Senatui ueniam daret. Admiratus pontifex rei nouitatem, complexus hominem: Cape, inquit, exhibiti pudoris à me ueniam: Duciq; tuo & Senatui ſcribito meo nomine, ſolutos eos meа omni poſthac execratione, chariſsimosq́; mihi ſemper ab hoc die futuros. Egnat. lib. 4. cap. 5.

QVI QVIBVS ſupplicarint.

Pontifices Regibus.

Totilæ Gothorum regi, Roma proditione occupata, ad Vaticanum occurrit PELAGIVS Pp. ſacris indutus, euangelia Chriſti baiulans, & genubus nixus miſericordiam implorabat. Num tandem, inquit rex, Pelagi uenis ſupplicatũm? At ille, Quando ſuperna maieſtas te mihi populoque dominum impoſuit, ſupplicare pro hoc grege populi non erubeſco. Parce, miſerere. Motus rex iuſsit gladios recondi, neminem deinceps iugulari. Prædam militi permiſit, corpora libera eſſe mandauit. Cranzius lib. 3. Sueuiæ c. 12.

Ea tempeſtate, qua Atila Italiam inuadebat, IOANNES Rauennatium antiſtes, Ariana perfidia infectus, qui ſe pontificem cum duodecim cardinalibus Romano more dixerat, & ad ſuſtentandam dignitatem multum auri congeſſerat, infulatus, pontificio habitu, cum uniuerſo collegio ſacerdotum aduentanti Atilæ occurrit, procidit ad pedes hoſtis, patriæ ruinam deprecatus. Deinde monuit regem, ut opinionem in fide ſuam ultrò ſectaretur, & in cæteros Chriſtianos irrueret: quod ſi faceret, ſe operam daturum, ut ſine ullo periculo Italiam pariter & Africam ſubiugaret. Atila magis Imperij ſpe, quàm fidei gratia exoratus, reſpondit humanitatis & dignitatis ſimul habendam eſſe rationem. Proinde ſe oblata deditione ita cõtentum, ut calcanda portarum hoſtia in limine deponantur, honorificus ac tutus ſibi ſuoque exercitui aditus pateat. Rauennates crates ſibi ſtrictos continuò, ferreosque poſtes humi ac in limine depoſuere, liberum cum maxima humilitatis ac fidei oſtentatione fecere aditum. Atila exercitum per mediam urbem ſine alicuius detrimẽto traduxit, & pro arbitratu ſuo in urbe manſit. Bonfinius lib. 6. Dec. 1.

Pontifices Pontificibus.

IOANNES XXIII. Pp. à concilio Conſtantienſi pontificatu deiectus, prope Heydelbergam longo tempore captiuus detinebatur. Tandem Florentiam ad Martinum V. ſucceſſorem uenit, & eundem ſuppliciter exoſculato pede audientibus omnibus, ut uerum pontificem & Chriſti uicarium canonicè electum, ſalutauit. Martinus uiciſsitudine rerum humanarum motus, eum poſt aliquot dies in numerum cardinalium recipiẽs, epiſcopum Tuſculanum creauit atque deinceps in eo habuit honore, quo reliquos cardinales tam publicè, quàm priuatim. Platina.

Imperatores, Reges, Pontificibus, Epiſcopis, Monachis.

Zonaras refert, ARCADIVM & HONORIVM Impp. fratres miſiſſe ad Arſenium olim præceptorem ſuum, qui tum exulabat, ut eis delicta condonaret: Arcadium ob inſidias, quas ei tetendiſſet, totius Aegypti uectigalia unius anni pro munere obtuliſſe. Quæ quidem Arſenius reſpuit, tanquam homini mortuo mundo pecunia eſſet inutilis. Cuſpinianus.

THEODOSIVS Magnus contra Maximum tyrannum mouens, Theſſalonicæ ſeptem millia hominum in theatro barbara crudelitate interfici curauerat. Victo Maximo, quia hoſtes in acie ſtrauerat, tandiu ſe à ſacramẽtis abſtinuit, donec filiorũ aduentu Dei gratiã erga ſe uigere perſpexit. Poſtquã aũt uenit Honorius filius Conſtãtinopoli, tũ Mediolanum proceſſit. Eo uerò aduentãte, Ambroſius epiſcopus ſeceſſit Aquileiã, ne neceſſariò aut infamẽ eius perfidiã ac crudelitatẽ Theſſalonicenſem turpi ſilẽtio cõprobaret, aut irã eius iuſta obiurgatione accẽderet, queãdmodũ ipſe epiſtola ad eũ ſcripta oſtẽdit. Poſt triũphũ inde Romę actũ, cũ Theodoſius in Paſchate ad tẽplũ religiõis gratia perrexiſſet, Ambroſius epiſcop⁹, raptim ad fores occurrit, eũq́; ut hominẽ nefariũ ab ingreſſu eccleſię repulit, & piorũ cõmunione deiecit, eo nomine, quòd ſe contra fidem epiſcopis datam innoxio ciuium Theſſalonicenſium ſanguine maculaſſet, neq; eam labem aliquo adhuc, ut par erat, piaculo publicè diluiſſet. Theodoſius lacrymis perfuſus, nullã uim fecit, ſed domum ſe mœſtiſsimus retulit. At uerò poſtquam Natalitia Domini acceſſerunt, cùm per octo menſes communione priuatus uixiſſet, iterum cupidine templi adeundi flagrabat: ſed ſpectatam Ambroſij ſeueritatem formidans, propius accedere non audebat. Qua re animaduerſa, Rufinus, qui apud illum plurimùm ualebat auctoritate, negotium Ambroſij placandi ſuſcepit, atque, illo conuento, iuſtum Imperatoris deſiderium demonſtrauit, eumque, ut aliquando tandem de priſtina ſententia cederet, atq; ipſum Imperatorem in gratiam eccleſiæ reciperet, ſummis precibus obſecrauit. Quas Ambroſius eadẽ, qua antè, conſtãtia reſpuit, ac ſe ante mulies mortem oppetiturum, quàm tantum dedecus in eccleſia permiſſurum, reſpondit. Hoc audito, Theodoſius acceſsit, &, cùm ad Ambroſium, qui in Salutatorium uenerat, perueniſſet, ad pedes procubuit, rogans, ut ſe uinculo eccleſiæ ſolueret, ac ſibi pœnitenti aditũ tẽpli concederet. Interroganti uerò Ambroſio, quo ſe pœnitẽtiæ genere expiaturus eſſet? eo, reſpondit, quod tu iniũxeris. Tũ Ambroſius piaculũ impoſuit, atq; illũ ſeſe præſente ac flente populo expiantẽ, eccleſiæ cõmunioni reſtituit. Hunc in modũ de pœnitentia Theodoſij ſcripſit in uita S. Ambroſij Paullinus, itemq́; D. Auguſtinus Homilia XXXII, Deus, inquit, uoluit, ut Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicã in cõſpectu populi: maximè, quia peccatũ eius celari nõ potuit. & libro V. de ciuitate Dei: Quid fuit Theodoſij religioſa humilitate mirabilius, quãdo in Theſſalonicenſiũ grauiſsimũ ſcelus, cui iã, epiſcopis intercedentibus, promiſerat indulgentiã, tumultu quorundã, qui ei cohærebant, uindicare cõpulſus eſt? & eccleſiaſtica coërcitus diſciplina ſic egit pœnitentiã, ut Imperatoriã celſitudinẽ pro illo populus orans magis fleret uidẽdo proſtratũ, quã peccando timeret iratũ? Addidit etiã edictum in eandem ſententiam, atq; illud Valentiniani, Ne capitales pœnæ ab Imperatore iniunctæ, niſi poſt triginta dierum ſpacium, ſumerentur. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

FRIDERICVS I. à Venetis uictus, cum Alexandro III. pacẽ facere coactus, Venetiis ad portas D. Marci ſe humi proſternere iuſſus, paruit. Ibi cùm Pp. collũ eius pede premeret, ſcriptũ eſſe, inquiẽs, Super aſpidẽ & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis catulum leonis & draconem: & Fridericus diceret, Non tibi, ſed Petro: Pp. ingeminauit, Et mihi & Petro. Nauclerus uolum. 3. gener. 40.

HENRICVM IV. Imp. Gregorius VII. Pp. anathematis fulmine eò redegerat, ut Auguſtæ ad cauſam dicendã ſe cõpariturũ, ꝓmitteret, & ibi celebri cõuentu habito graue ipſum Pontificis iudiciũ ſubiturũ. quòd ſi ante annũ anathemate non eſſet ſolutus, nè amplius repetere regnũ poſſet. interim abſtẽtos oẽs à ſe abire iuberet, ac Spirã exercitu dimiſſo ſecederet, ibiq; uno Virdunenſi epiſcopo & paucis miniſtris, quos principes ipſi probaſſent, contentus uitam priuatam traduceret. Henricus in ſummum diſcrimẽ amittendi regni adductus, omnemq; ſuã ſalutẽ in eo poſitã arbitratus, ut ante annũ anathemate ſolueretur, ſimulq́; metuendũ rat⁹, ne, ſi ſe Auguſtæ infenſis iudicibus, ac multò infeſtioribus accuſatorib. traderet, annus ipſe ante abſolutionẽ efflueret: prope Canuſsiũ uenit, an. 1077. ubi Pp. agebat, apud Mathildin comitiſsã, eiusq; interceſsione uſus, paratũ ſe Auguſtæ cauſam dicere aſſeruit, modò in præſens anathemate liberaretur. Vix tandẽ Gregorius auctoritate & precibus Mathildis, & cæterorum, qui aderant, uictus: Si ex animi, inquit, ſententia pœnitet, coronã & reliqua inſignia in argumentum ueræ pœnitentiæ tradat, & ſe poſt tantam contumaciã regio nomine & honore poſthac indignũ profiteatur. At cùm hãc etiam ſententiam, tanquã nimis duram, ut tẽperaret, Mathildis cæteriq́; petiſſent, tandem exoratus: Propè, inquit, accedat, & culpam, quam imperiũ detrectando aduerſus apoſtolicã ſedem cõtraxit, decretis eius obtemperando expurget. Acceſsit ergo propius, ut iuſſus erat Henricus, atq; intra ſecundum murorũ ambitũ (nam triplici oppidũ cingebatur) receptus, extrà omni comitatu relicto, regium cultum abiecit, ac ſine calceis ſæuiente hyeme ieiunus uſq; ad ueſperam reſpõſum Pontificis expectauit. Quo non reddito, idem ſecundo & tertio die fecit. Quarto demum Gregorius conſtãtiam hominis admiratus, ac uerè eũ pœnitere ratus, ſimulq́; aſpera hominum aduerſus ſe conuitia ueritus, in conſpectum admiſit, V. kalend. Febr. Tum res ita conuenit, ut Henricus anathemate ſolueretur, ac ſe die & loco, quem Gregorius conſtituiſſet, in communi Germanorum principũ conuentu in iudicio ſiſteret, & criminibus, quæ obijciebantur, ipſo, ſi ita è re publica fore uideretur, quæſtionem exercente Pontifice, reſponderet, atq; extremo illius iudicio ſtaret, nullam in perpetuum à quoquam huius uindictam iniuriæ exacturus. Interim omnia regiæ dignitatis ornamenta deponeret, ac de rebus publicis nihil pro ſuo iure eos, quorum conſiliis ſe, remq́; publicam pe[...] in perpetuum familiaritate depelleret: qui ſ[...] dixiſſent, religione omnes exolueret. Quò[...] nuiſſet, ſemper Pontifici ſe obſequentem a[...] eccleſia labes delendas præberet. Si quid ho[...] irrita hæc noxæ abſolutio eſſet, neque ultrà [...] innocentia ſua iudicium impetraret, princip[...] religione iuriſiurandi ſoluti alium ſubſtitue[...] ſent. Has læto animo conditiones ſacramen[...] Henricus accepit. His confectis Gregorius H[...] des proiectũ, ac miſericordiam pontificiã in[...] themate liberauit: ac protinus ad rem diuinã [...] tulit. Inde ubi ſacram oblationẽ confecit, He[...] mnibus, qui ſacro aſtabant, ad aram accedere [...] rensq́; manu auguſtiſsimũ corpus Domini, [...] ſeſe illi ob multa crimina ſuſpectũ eſſe ſciret [...] ſed diuino iudicio ſe innocẽtiam ſuam decla[...] partemq́; Dominici corporis de more come[...] cùm populus, qui aderat, laudans Deum, inn[...] pe ingeminatis eſſet uocibus gratulatus: tan[...] ſilentio regẽ ad reſiduam dominici corpori[...] dã, & ad eorũ, quę obijciebãtur, criminũ ſuſ[...] dam inuitauit. Ad hæc ille nec opinata re per[...] re, tergiuerſari, & cum ſuis familiarib. à multi[...] tus, quemadmodum tam horrendi examini[...] euaderet, rationem inire. Collecto inde ani[...] hoc faceret, haudquaquã in animum induce[...] amicis ſuis inconſultis, & abſentibus accuſa[...] atq; exiguæ fidei futura eſſet, quęcunq; pro [...] centiã ſuã à ſe ſuſcepta ſatisfactio eſſet: proi[...] orare, ut rem integrã ad conuentũ futurũ re[...] citatis accuſatoribus, & cognitis ex lege cri[...] controuerſiæ modũ imponi permitteret. Hu[...] quieuit Gregorius, & ſacrificio expleto regẽ [...] pit, ac diligenter de omnibus rebus, quas eu[...] tebat, edoctum cum pace dimiſit. Sigonius li[...]

Reges Regibus.

Nero Cæſar TYRIDATEM Armeniæ regẽ m[...] tionibus ſolicitatũ, cùm deſtinato per edictũ [...] populo propter nubilum diſtuliſſet, produxi[...] niſſimè potuit: diſpoſitis circa fori tẽpla arm[...] curuli reſidẽs apud Roſtra triumphantis hab[...] militaria, atq; uexilla: & primò per deuexum [...] euntẽ admiſit ad genua, alleuatumq́; dextr[...] dein precãti, tiara deducta, diadema impoſu[...] cis interpretata prætorio uiro multitudini [...] Perductum inde in theatrum, ac rurſus ſuppl[...] ſe latere dextro collocauit. Ob quæ Imperat[...] laurea in Capitolium lata. Suetonius.

Duces Militibus.

AGATHOCLE Siciliæ tyranno in Africa co[...] nẽſes res pręclarè gerẽte, Lyciſcus ducum u[...] uocatus, uino poſtquã incaluit, in Agathocl[...] iecit. Ea Agathocles quidẽ tolerauit: ſed Arc[...] pilo traiecit. Exercitu Archagathũ ad ſupplic[...] gathocles exuta purpura, indutaq́; uili ueſte [...] us rebus ab ſe antea geſtis, paratum ſe eſſe [...] petere, ſi id milites expedire cenſerent. Moxq́ [...] ſeipſum iugulaturus ſtrinxit. Exercitus eo m[...] tri condonauit. Diod. lib. 20.

Hoſtibus.

☞ *Vide Tit. Pax temerè repudiata, quatenus [...] cem petentium exempla continet. Item Cleme[...] hoſtes in poteſtatem redactos.*

Apud Homerum Iliados ω ſenior PRIAMVS [...] gitur in genua abiectus Achilli, qui Hectorẽ i[...] deret cadauer Hectoris. quare inquit ibidem

ἔτλην δ' οἷ' οὔπω τις ἐπιχθόνιος βροτὸς ἄλλος,
ἀνδρὸς παιδοφόνοιο ποτὶ στόμα χεῖρ' ὀρέγεσθαι.

THEMISTOCLES Athenis pulſus ad Moloſ[...] giens, hoſtem exiſtentem, in lare tacitus con[...] greſſus, ad ipſum Xerxem Perſarũ regẽ profu[...] primùm Artabanum conuenit tribunum mil[...] Græcum ſe eſſe: uelle autem cum rege maxim[...] de iis, quæ potiſsimùm eum ſolicitent, agere [...] ſi adorato rege ei aditum patere. Quod cũ [...] promtè Themiſtocles oſtenderet, tum Artab[...] nam ex Græcis referã ueniſſe? neq; enim uul[...] præ te fers ingenium. Cui Themiſtocles: Id [...] rege audiet nemo. Introductus ad regem eſt [...] conſtitit tacitus. Imperauit interpreti rex, ut q[...] Rogante interprete, reſpõdit, Adſum tibi, rex [...] ego Athenienſis exul, quẽ Græci perſequũtu[...] ſuæ diuinũ oſtentum, quod fuerat ei in Nic[...]

oblatum, subiunxit: & Iouis Dodonęi oraculum, quo ad cognominem deo pergere iussus, cōceperat animo remitti se ad illum. Magnū enim utrunq; & esse & dici regē. Postquam dicendi finē fecit, nihil ei respōdit Perses, quāuis animos eius stuperet & audaciā: sed apud amicos eū fuisse sibi ipsum gratulatū, ut de fortuna sua adeò secunda, precatumq; Arimaniū, hostibus suis semper daret eam mentē, ut præstantissimos de medio sui summouerent, diis ferūt sacrificasse, inde mox conuiuiū iniisse, ac præ gaudio nocte in medio somno ter exclamasse: Themistoclē habeo Atheniensem. Vbi illuxit, & in cōspectū regis uenit, & denuò eum adorauit, rex salutauit appellauitq; eum benignè: Ac iam tibi ipsi, inquit, ducenta talenta debeo. Cùm enim temetipse adduxeris, meritò, quod in caput tuū fuit pronunciatū præmiū te ducenti, feres. Multò his plura promisit ei, eumq; confirmauit, atq; liberè iussit, ut diceret de reb. Gręcorū, quę uisa essent. Cui responsum Themistocles reddidit, sermonē hominis instar esse pictorū stragulorū. Nam ut hæc, ita illū aperire expansum imagines, contractū tegere & deprauare. Itaq; esse tēpore sibi opus. Capto ea similitudine rege, & ut sumeret imperāte, annuum postulauit. Interea lingua Persica abundè percepta, appellauit per se regem. Plutarchus in Themistocle.

Bœotij adiunctis socijs Locris & Phocensibus in Peloponnesum contra Spartanos proficiscebātur, ducib. Epaminunda & Pelopida, quibus reliqui Bœotarchi ductum belli ultrò concesserant, ob prudentiam militarem, & singularem fortitudinem. Cùm uerò prope Arcadiam uenissent, obuiā eis processit uniuersus populus Arcadum, Eleorum, & Argiuorum, & cæteri socij omnes, congregatisque plus 50000. duces eorum habito concilio decreuerūt rectà Spartam inuadere, & uniuersam Lacedæmoniam depopulari. LACEDÆMONII, cùm multos in Leuctrica clade amisissent, nō paucos etiam ex aliis pugnis desiderarēt, breuiter planè exiguum numerum ciuium bellatorum haberēt: ad hæc cùm ex sociis alij defecissent, alij ad inopiam uirorum maximam essent redacti: coacti sunt ad Atheniensium opem confugere: quib. triginta Tyrannos præteritis annis obtruserant, urbis mœnia ædificare prohibuerant, quorumq; urbem à fundo euertere & Atticam uastare uoluerant. Nam necessitate atq; fortuna nihil est ualentius, quæ docuerunt Lacedæmonios etiā infestissimis hostibus se supplices abijcere. Populus Atheniēsis ergo, cùm esset magnanimus iuxtà & facilis, Thebanorum uires non reformidauit, & Lacedæmoniis de libertate periclitantibus suppetias tulit: & duce electo Iphicrate, misit iuuenū pugnatorū duodecim millia. Diod. li. 15.

C. MARTIVS Coriolanus ad Volscos fugiens, supplicū more ad Larē consedit Volscorum regis. Plutar. in Coriolano.

LOCRENSES à Q. Pleminio propretore crudelissimè tractati legatos decem squallore & sordibus obsitos, ramosq; oliuarum Græcorum ritu manibus gestantes, ad consulum conspectum miserūt, coram quibus in comitio fortè sedentibus, cum flebili lamentatione humi procubuerunt, Locrensesq; & à Pleminio & Romanis militibus passos esse dixerunt, quæ ne Carthaginenses quidem Romanus populus pati uelit. Legati Locros missi ad causam cognoscendam. Pleminius cum aliis triginta sacrilegij sceleris conuictus damnatusq; est. Sab. lib. 5. cap. 5.

CHONODOMARIVS Alemannorum rex à Iuliano Cæsare ad Argētoratū captus, primùm se inclinauit, deinde humi suppliciter fusus, ueniā petiit, ac bono esse animo iussus est. Inde ductus ad comitatū Imperatoris, missusq; exinde Romā, morbo ueterni cōsumtus est. Sigon. lib. 6. Imp. occid.

Mediolano ab Friderico I. Imp. euerso, BRIXIANI legatos ad eum miserūt, qui nudatos tenētes gladios pacem supplices peterent. Data est ea lege, ut muris deiectis, fossisq; cōpletis præfectum à se acciperent, & certam pecuniæ summā persoluerent, ac secum expeditionem Romanam Apulámque susciperent. Sigonius lib. 13. regni Ital.

Pueris.

IPHIGENIA supplex apud patrem Agamemnonem, mactationem deprecatur, apud Euripidem in Iphigenia Aulid. Ad extremum quoq; ad fratrem Orestem etiamnum infantem conuersa, patheticè admodum inquit:

ἀδελφέ, μικρὸς μὲν σύγ' ἐπίκουρος φίλοις,
ὅμως δὲ συνδάκρυσον ἱκέτευσον πατρὸς,
τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν.

O frater, pusillus quidem tu auxiliator amicis, at tamē cum lacrymis supplex fias patri, tua soror ne moriatur.

Filij Parentibus.

Cùm Alfonsus rex Castulonensis Ferrando maiori filio cum suis liberis post se regni successionē destinasset, excluso Sanctio fratre minore natu: SANCTIVS etiānum superstite patre regnū inuasit. Pater filiū furiali carmine deuouit. Qua execratiōe apud subditos effecit, ut aduersus Sanctiū arma ceperint, regnoq; ferè exegerint. Is patri supplex factus, ueniā, piacula, ac, si uideretur, iustū in se suppliciū exposcit. At paterno animo motus Alphonsus nō tantùm filio ignouit, sed & benedixit, dirasq; fausta feliciq; obsecratione auertit, retexuitq;. Aemilius lib. 7.

CVR. CAVSA

Auxilij contra hostes.

ADRASTVS Argiuorū rex Atheniensiū regi Theseo fit supplex, aduolutus ad genua, ut se iuuet cōsilio & re, quo interfectos Argiuos ad Thebas sibi sepelire liceat, apud Eurip. in Supplicib. inquiens:

ἀλλ' ὦ κατ' Ἑλλάδ' ἀλκιμώτατον κάρα,
ἄναξ Ἀθηνῶν, σὸν μὲν αἰσχύνας ἔχω,
πίτνων πρὸς οὖδας, γόνυ σὸν ἀμπίσχων χερί,
πολιὸς ἀνὴρ, εὐδαίμων ὢν ἴσως πάρος·
ὅμως δ' ἀνάγκη συμφοραῖς εἴκειν ἐμαῖς.
σῶσον νεκρούς μοι, τἀμά τ' οἰκτείρας κακὰ,
καὶ τῶν θανόντων τάσδε μητέρας τέκνων,
αἷς γῆρας ἥκει πολιὸν εἰς ἀπαιδίαν·
ἐλθεῖν δ' ἔτλησαν δεῦρο, καὶ ξένον πόδα
θεῖναι, μόλις γεραιὰ κινοῦσαι μέλη.

O per Græciā fortissimū caput, rex Athenarū, turpe quidē duco, procumbēs solo genua tua amplecti manu, canus uir, pari forsan in felicitate constitutus prius: tamē necesse est calamitatibus cedere meis. Serua mortuos mihi, mea miseratus mala, & mortuorū hasce matres filiorū, quibus senectus uenit cana ad orbitatē: uenire uerò sustinuerunt huc, & peregrinum pedem ponere, uix senilia mouentes membra.

Dignitatis, Magistratus. CANDIDATI.

CANDIDATI Romæ in toga, sine tunica, prensabant. Nam magistratu dignos non imaginibus, nō censu, non dignitate, sed uulneribus & cicatricib. censebant. Quo igitur hæc conspicua essent appellantibus eos, sine tunica ad comitia descendebant. Plut. in quæst. Rom.

Liberationis à Tyrannis.

Vide Tit. Petere auxilium contra hostes.

ORESTES Menelaum sibi auxilio & consilio succurri apud Euripidem in Oreste his uerbis precatur:

Εἰς σ' ἐλπὶς ἥ μὴ καταφυγὰς ἔχει κακῶν.
ἀλλ' ἀθλίως πράσσουσιν εὐτυχὴς μολὼν,
μετάδος φίλοισι σοῖσι τῆς εὐπραξίας,
καὶ μὴ μόνος τὸ χρηστὸν ἀπολαβὼν ἔχε.

In te spes mea refugium habet malorum. Quare ad miserè agētes beatus cùm ueneris, impartire amicis tuis tuam felicitatem, & nō solus bonum nactus habeto.

Friderico rege Germanorū Constantiæ ius dicēte, duo humili loco atq; obscura cōditione homines ultrò accesserunt, ac fœdo miserabiliq; habitu sumto, & crucibus supplicantium more prætētis, ad tribunal eius in die Cinerū adierūt. Quærenti, quinā essent, quidue peterēt: se LAVDENSES esse dixerunt, ob id ad eū profectos, ut patriæ suæ calamitates exponerēt, quas ipsa sub impotēti & superbo Mediolanensiū imperio per annos amplius quadraginta perferret: nō diffidere, ubi ille cognouerit, quin pro sua in oēs æquitate atq; iustitia ruenti amicæ urbi præsens auxiliū afferat. Iussi cætera exequi, omnia Laudensiū, quib. à Mediolanensib. affecti fuissent, detrūnēta narrarūt. Quibus accepis Fridericus haud mediocriter pro re cōmotus bonū eos habere animū iussit: nā se propediē maturū auxilium allaturū. ac cōtinuò literis ad consules Mediolanensiū datis, ut à Laudensiū Comensiumq; abstinerent iniuriis, imperauit. Laudenses clauē aureā per Gulielmū Marchionē Montisferrati miserunt, handquaquā simulatæ deditionis argumento futurā. Quin etiā ipse Marchio ac legati Papiensiū ad Fridericū profecti, eadē de intoleranda Mediolanensiū insolētia, & non dubiis eorū ad Lombardiæ occupandū imperiū conatib. retulerūt. Quæ quāquā Friderico grauia, neq; ullo modo ferēda suntuisa, tamē in præsens se contēnere simulauit. Nam Mediolanēses his reb. cōpertis territi, craterē aureum cū ingenti pecuniæ summa miserūt, ac se ad redimendā eius gratiā ultrò coronā ei tradituros promiserūt: cuius paradę caussa reliqua ille omnia sibi posthabenda existimabat. Sigon. lib. 12. regn. Ital.

Pacis.

AEGYPTIORVM mos traditur, ut supplice ueste sumta, & prælatis omnib. sacris, pacē deprecētur: GALLORVM, occurrere magistratus cum pueris & fœminis. Alex. lib. 4. c. 7.

Dextris exertis, & sublatis manib. incedere, apud GRÆCOS & PERSAS pacis signū erat: sicut ASSYRIIS & MASSILIENSIBVS cū infulis, GRÆCIS cū oleę ramo (quē icetico ἱκετηρίαν uocabant) aut lauro accedere, & BARBARIS florentes capite corollas gestare. Idem.

OENYCYNVS Scytha, Zanclæorū rex, cū ad Dariū ascēdisset in Asiā, omnium hominū, qui ex Grçcia uenerāt, existimatus est ab illo iustissimus esse, eo quod in Siciliā ad regē profectus esset, pacis exposcēdę caussa, rursumq; è Sicilia retrorsum ad regem iter fecisset. Itaq; in Persia summa cum felicitate usq; ad mortem ætatem egit. Aelian. de Var. hist. lib. 8.

GILI-

Cibi.

GILIMER Vandalorum rex Carthagine amissa prælio etiam à Belisario uictus, iuxta Hipponem in montem Papuā cum suis confugit. Obsessus autem à Phara Belisarij duce, petiit, ut sibi citharā, & panem unum ac spongiam mittere uellet, quòd his opus haberet. Phara animi pendente, tabellarius ostendit, Gilimerem cupere panem uidere ac gustare, quòd nullum uidisset, ex quo Carthagine excidisset: Spongia autem ad abstergendas uti lacrymas: Citharam requirere, ad decantandas suas miserias. Procopius libro 4. Vandaliæ, & Cedrenus.

NON SVPPLICARE.

QVIBVS.

Deo.

Deo non supplicare, sub loco Iniustitiæ religiosæ.

Hominibus.

Apud Hom. legimus in potestatem hostium Troianos uiuos complures uenisse, ACHÆORVM neminem: atq; illorum nōnullos fuisse hostibus supplices: ut Adrastum, Antimachi filios, Lycaonem, ipsum, de sepultura qui orauit Achillem; Hectorem: horum neminem. quòd barbarorū sit supplicem esse in conflictibus, & summittere se ad pedes: Græcorum uincere dimicantem, aut occumbere. Plut. de Aud. poëtis.

AGESILAVS rex Spartanus Hellespōto transmisso, dum permeat Thraciā, nemini fuit Barbarorum supplex: cęterum ad unumquemq; misit legatos quæsitum, pacatā an hostilem terrā transiturus esset. Ac cæteri eum oēs receperunt ac prosecuti sunt amicè. Illi uerò, qui Troades dicuntur (in Vitis, Tralles) quos Xerxes quoq; donis, uti fama est, redemerat, transitus mercedē ab Agesilao centū talenta & totidem fœminas poposcerunt. Quos ludens ait: Quin ergo statim adfuerunt, accepturi ea? Ita procesit, illosq; signis collatis fudit, multisq; cæsis transiuit. Plut. in apophthegmatib.

Anno 1495. CAROLVS VIII. rex Galliæ parto Neapolitano regno domum repetiturus, certum hominem ad senatū Venetum misit, qui ei diceret, suum regem nulli unquam homini supplicauisse: scire tantùm uelle, utrum ciuitas amico in se, an hostili animo esset. Ad ea princeps ita respondit: Prudentium esse hominum, planeque sapientum, aliorum interdum uoluntati se permittere, aliorum opem poscere, precari: illud in ipso esse, amicúsne an inimicus reipublicæ uelit esse. Bembus lib. 2. Venetæ Hist.

CVR.

Vel Magnanimitatis, uel Superbiæ, uel Iræ & Indignationis causa.

FIDEM EXIGERE.

Consule locos Fidei datæ, quatenus exactionem habet præcedentem.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, patria excedens, iureiurando ciues suos adegit, ne priùs leges suas mutarēt, quàm ipse reuersus esset. Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres suos in mare proijci iussit: ne fortè illis in patriam relatis, ciues se sacramēto solutos arbitrati, saluberrimas leges abrogare uellent. Plut. in Lycurgo.

Iolaum, quem dilectum ab Hercule fuisse putant, nunc quoque colunt, & uenerantur PHOCENSES, amorisque iusiurandum & fidem super sepulcrum eius exigunt ab amasiis. Plutar. sermone Amatorio.

M. Pomponius Trib. plebis L. Manlio Imperioso Dictatori, ob acerbè habitum delectum belli Hernici causa, diem dixit. T. MANLIVS F. quem ob ingenij tarditatem rus ablegarat, cultro succinctus omnibus insciis sub lucem Romam abiit, & à porta Pomponij Tribuni domum petiit, ibi ianitorem nunciare Tribuno iussit, T. Manlium Lucij F. ad ianuam stare, qui eius colloquium peteret. Introductus tanquam patri iratus aliquid occulti in reum criminis afferret, confestim omnibus abire iussis incautum Tribunum stricto cultro inuasit, atque iacenti incubans, Nisi, inquit, in ea uerba, quæ uoluero, iuraueris, te à patris accusatione destiturum, ego te hîc Pomponi iacentem transfigam. Ad ea pauidus Tribunus periculo adactus in Manlij uerba iurauit: eiq; dimisso præstitit tribunus fidem, quam coactus dederat. Val. Max. lib. 5. cap. 4. & Sab. lib. 3. En. 4. & Cicero libro tertio Officiorum.

Fama est, inter Venetos celebrē admodum fuisse quempiam, qui in faciendis uadimoniis studio non medioeri teneretur. Is in VENATORES incidens, qui irretitum haberent lupum, & illis rogantibus, uellétne pro lupo uadem se constituere, ut illata ab eo damna persolueret, sic è retibus beluam dimissuros: Fideiubere se confessus est. Emissum deinde lupum, magnum equarum armentum agitantem, nullo notatum cauterio, ad fideiussoris stabulum adduxisse. recepta gratia, equabus lupi notam inussisse, & inde lupiferas (λυκοφόρους) nominasse, uelocitate magis, quàm pulcritudine præstantes. Strabo lib. 5.

IONIVS prætorio præfectus cùm Alarico Gotho Honorij Imp. literas temerè ostendisset, quibus sese Honorius nullo pacto præfecturam Alarico concessurum profitebatur (cuius oblatione delinitus Alaricus arma positurus fuerat) iisque irritatus ille rectà Romam peteret: Rauennam regressus, ut se omni suspicione criminis (hoc est, arcani proditi) liberaret, Honorium sacramento adegit, se nunquam pacem cum Alarico facturum: atque ipse tacto eius capite eodem se iureiurando deuinxit, atque ab omnibus, qui cum potestate erant, idem exegit. Sigonius de occid. Imp.

CONSTANTINVS Ducas Imperator Romanus, cùm ex Eudocia uxore tres mares suscepisset, moriens à populo sigillatim iuramentum exegit, nullum imperatorem quàm filiōs facturum. Volat. lib. 23. Anthrop.

EVENVS Scotorum regum primus fidei iuramentum à suis exegit, suorum subditorum manu aut pede tacto. Boëthius libro secundo.

LVDOVICVM Lucemburgium, Magistrum equitum, Ludouicus XI. Gallorum rex quauis ratione reconciliaturus, ne ad Carolum Burgundum apertè deficeret, ueniam tentatæ defectionis dederat. Vxore mortua (quæ eadem soror reginę, lacrymis affinitateque, & uirum ne omnino deficeret, & regē ut iræ moderaretur, permouerat) renouato metu, ne suis quidem satis fidebat, quos in se iam sollicitari ab rege sentiebat. A rege iussus in colloquium descendere, uenturum se respondit, si Andibus in D. Laudi æde tacta cruce sacra, iureiurando fidem daret. Id se facturum ulli mortalium negauit rex. Itaque per legatos res gesta: sed ita, ut tandem Lucemburgius Carolo sese dedens, ab illo regi Gallo traditus, & Lutetiæ ultimo supplicio fuerit affectus. Aemilius lib. X.

FIDEM REPVDIARE.

Vide Tit. Non credere. cuius ueluti accidens est, Fidem, quæ datur, suspectam habere.

COMMENDARE ALIIS.

Consule locum Iustitiæ distributiuæ.

QVOS.

XENOCRATES philosophus etsi austero uir ingenio, ex rubore tamen inflexus, hominem Polyperconti Macedonum præfecto per epistolam commēdauit minus probum, ut res ipsa declarauit. Quem cùm esset Macedo amplexus, rogassetque, Ecqua re esset ei opus? petiuit talentum. Quod ei ille dedit, sed per literas admonuit Xenocratem, ut diligentiùs probaret deinceps eos, quos commendaret. Plutarch. de Immodica uerecundia.

Narrant POLYCRATEM Samiorum tyrannum, matres militum, qui in bello interissent, recensuisse, easque locupletioribus ciuibus nutriendas tradidisse, unamquamque his commendantem uerbis, σοὶ ταύτην μητέρα δίδωμι. id est, Hanc tibi do matrem. Vnde prouerbium, Polycrates matrem pascit, quoties aliquis in commendandis amicis est benignior. Aut ubi quis alieno sumtu de quopiā benè mereri studet. Erasmus in Adagiis.

In Agraria actione TIB. Gracchus ad populi gratiam totum sese componens, quo plebem cōtra Senatum magis inflammaret, uestem mutauit, & liberos producens quasi deplorata salute sua, commendauit eos matremque eorum populo. Plutarchus.

MESSALA C. Iul. Cæsari Stratonem philosophum commendans, iam reconciliatus Cęsari, lacrymās inquit, Hic ille est, Cæsar, qui Bruto meo extremū præstitit officiū. Subiecerat enim ille Bruto in cāpis Philippicis desperata uictoria obnixè petenti gladium, cui incumberet. Plut in Bruto.

QVOMODO.

PLATO, cùm Heliconem quendam Dionysio tyranno datis

 literis

literis commendasset, scribens illum uirum probum ac modestum, adscripsit in calce epistolæ, χρῆσθαι τούτῳ ὡς ἐμοὶ αὐτῷ, ὡς φύσει ὑμετέρῳ. id est, Hæc autem tibi scribo de homine, uidelicet animate natura mutabili. Plut. de Impud.

IDEM, quum à Dionysio fastidiretur, popposcit congrediendi copiam. Ea data, hunc in modum disseruit: Si quem sentires in Sicilium appulisse hoc animo, ut tibi malè faceret, qui tamen non data opportunitate nihil mali faceret, an hunc impunè dimitteres? Quum Dionysius respondisset, Nequaquam, ô Plato: oportet enim hostium non facta solum, uerùm & animi propositum ulcisci. Plato subiecit: Tum si quis tibi bene uolens uenisset in Siciliam, ut tibi boni quippiam adferret: non faciat autem, destitutus occasione: num par esset hunc nulla relata gratia contemptum, abijcere? Dionysio percontante, Quis esset ille? Aeschines, inquit, uir morum sanctimonia cum quouis amicorum Socratis conferendus: & qui possit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat consuetudinem. Is cùm huc, multum maris emensus, adnauigarit, ut suam philosophiam tibi impertiret, hactenus neglectus est. Hæc tam commoda oratio effecit, ut rex & Platonē, cui prius erat infensior, amplecteretur, & Aeschinem splendidè magnificè; tractaret. Laert. lib. 2. & Plut. de Discern. adul.

AVGVSTVS Cæsar filios suos nunquam populo commendauit, nisi cum hac exceptione: Si merebuntur. Honorem non auctoritati, sed meritis tribui uolens. Suetonius.

MANTONINVS Pius Imp. rogatus, cui filiū Commodum commendaret? Vobis, inquit ad Senatum, si promeretur, & diis immortalibus. Fauorē noluit suę auctoritati tribui, sed filij meritis. Iulius Capitolinus.

NON COMMENDARE.

Quidam petiit ab AGESILAO rege Spartanorum, ut se scriptis ad hospites & amicos suos Asiaticos literis commendaret, quò apud illos ius suū consequeretur. Respondit: Nihil esse opus literis cōmendatitiis: nā mei, inquit, hospites sunt spōte, quæ iusta sunt, faciūt, etiam si illis non scripsero. Plutarchus in Laconicis apophthegmatis.

OPTARE MALA, IMPRECARI, DETESTARI, DEVOVERE.

QVOMODO.

Pronunciatione, seu Voce uina.

Cùm NEHEMIAS Iudææ præfectus opulentis persuasisset, ut æs alienū pauperib. remitterent, in concione uestis gremiū excutiens: Sic excutiat Deus, inquit, omnē, qui non hoc præstiterit, ex sua domo atq; labore, & ita excussus esto atq; uacuus. Et uniuersa concio, Amen, respondit. 2. Esdræ 5.

Quoties grauia & acerba ac miserā & intoleranda quispiā pateretur indignè apud ROM. uoti & imprecationis genē maximū erat, ut pōstris humi genib. ambas palmas crebris ictibus solo inculcaret, aut torrē ignitū ianuæ apponeret, illiq; obuiāti, delibatis sacris, madēte lacrymis sinū, deos superos atq; inferos, cœlū noctēq; cōtestās, necē, exiliū, diras q; calamitates furiali carmine imprecaretur: & sæua quędā numina aduocās, illū cū omni stirpe & gēre, caput, domū, fortunas deuoueret, & prætereuntē execraretur. Alex. lib. 3. c. 22.

M. Crassus cū per uim consulatum obtinuisset, Syriam prouinciam sortitus, bellum contra Parthos gestienti animo suscepit. Quia uerò ATTEIVS tribunus plebis parabat profectionem eius interpellare, multiq; coibant indignantes, quòd pacatis & fœderatis gentibus bellum moturus proficisceretur: timēs Crassus orauit Cn. Pompeium collegā, ut sibi præstò esset, & prosequeretur se. Erat enim magna eius ad plēbem auctoritas. Atq; in præsentia frequentes ad impediendū & conuitiis lacerandū Crassum paratos, cōspectus ante Crassum placido intuitu ac uultu leniuit Pōpeius, ut silēdo locum darent per medios progredientibus. Atteius uerò occurrit ei: ac primùm, ne proficisceretur, uerbis interdixit, & testato denunciauit. Deinde uiatori iussit manu corpori iniecta eum retinere. Aliis tribunis intercedentib. non dimisit uiator Crassum, & præcurrit ad portam Atteius. Ibi focum accendit. Quò cùm peruenisset Crassus, suffitibus iniectis factisq; libaminibus, diras capiti eius atroces & horrendas imprecatus est: ad hæc immanes deos & tetros ibi inuocauit & appellauit. Has Romani arcanas & uetustas deuotiones ea præditas ui ferunt, ut nemo, aduersus quem conceptæ sint, cuitare illas queat, nec bene cedant etiam cōcipientibus eas. Vnde neque qualibet de causa has, neque inultos imprecari. Ac tunc quoque Atteium reprehenderunt, quòd cuius reipub. gratia Crasso infensus erat, deuotionibus eam tanta obstrinxisset religione. Plut. in Crasso.

Scripto.

In concilio Remensi, cap. 12. Excommunicationis formula his uerbis extat. AVCTORITATE omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, interueniente & adiuuante beata Maria semper uirgine: auctoritate quoq; ac potestate Apostolis tradita, nobis que relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ separamus, uos Remensium prędonum auctores, factores, cooperatores, fautores, & à propriis dominis rerum suarum sub nomine emtionis abalienatores. Obtenebrescant oculi uestri, qui concupiuerūt: arescant manus, quæ rapuerunt: debilitentur omnia membra, quæ adiuuerunt. Semper laboretis, nec requiem inueniatis, fructuq; laboris uestri priuemini: formidetis & paueatis à facie persequentis & non persequentis hostis, ut tabescendo deficiatis. Sit portio uestra cū Iuda traditore Domini in terra mortis & tenebrarum, donec corda uestra ad plenā satisfactionem conuertantur. Hic autem sit modus plenæ satisfactionis, ut omnia iniustè ablata, præter cibum & potum, propriis dominis ex integro restituatis, coramq; Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiam reueriti non estis: nec cessent à uobis hæ maledictiones, scelerum uestrorum persecutrices, quandiu permanebitis in peccato persuasionis. Amen, fiat, fiat. Centuria decima Ecclesiasticæ historiæ.

Sunt quædam aliæ formæ, & inter eas etiam hæc: CANONICA instituta & sanctorum patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei uiolatores, uidelicet raptores, deprędatores, & homicidas, N. in nomine Patris, & Filij, & uirtute Spiritus sancti, nec non auctoritate episcopis per Petrum principem Apostolorum diuinitus collata, à sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuo maledictionis anathemate condemnamus: sintq; maledicti in ciuitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ requies illorum, maledictus fructus uentris eorum, & fructus terræ illorum: maledicti sint ingredientes, & maledicti egredientes: sintq; in domo maledicti, in agro profugi: ueniantq; super eos oēs maledictiōes, quas Dominus per Mosen in populū diuinæ legis pręuaricatorē se esse missurū minatur. Sintq; anathema maranatha, id est, pereāt in secūdo aduētu Domini. Nullus eis Christianus aue dicat, nullus presbyter missā celebrare præsumat, uel sanctam cōmunionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium sint super faciē terræ. Et sicut hæ lucernæ de manib. nostris proiectæ hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur: nisi forte resipuerint, & ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem & condignam pœnitentiam satisfecerint.

Regino libro secundo, formulam excommunicationis: qua NICOLAVS III. Pp. contra Valdradam, quam Lotharius Imp. repudiata Thietberga duxerat, usus est, describit.

GREGORIVS VII. Pp. Henricum IIII. Imp. diris deuouit. Formula apud Platinam extat, in hæc uerba: Beate Petre Apostolorum princeps, inclina quæso aures tuas, & me seruum tuum exaudi, quem ab infantia educasti, & usque ad hunc diem ab inimicorum manibus uindicasti, qui me pro mea in te fide oderunt & persequuntur. Tu mihi testis es optimus, & pia Iesu Christi mater, & frater tuus Paulus, tecum martyrij particeps, me non sponte, sed inuitum Pontificatus gubernacula suscepisse. Non quòd rapinam arbitratus sim, sedem tuam legitimè conscendere, aut locum tuum pro fama & gloria tantùm occupare. Fateor ego, & meritò quidem, mihi tua gratia, non meritis meis, populi Christiani curam demandatam esse, concessamq; ligandi & soluendi potestatem. Hac itaq; fiducia fretus, pro dignitate & tute la ecclesiæ tuæ sanctæ, omnipotentis Dei nomine, patris, filij, & spiritus sancti, Henricum regem, Henrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimium & temerè in ecclesiam tuam manus iniecit, Imperatoria administratione regiaq; deijcio: & Christianos omnes Imperio subiectos iuramento illo absoluo, quo fidem ueris regibus præstare consueuerunt. Dignum est enim, ut is dignitate careat, qui maiestatem ecclesiæ imminuere conatur. Præterea uerò quia monita mea, imò tua, ad suipsius populorumq; salutē pertinētia contempsit: & se ab ecclesia Dei, quam seditionibus pessundare cupit, separauit: eum anathematis uinculo adstringo: certò sciens te esse Petrum, in cuius petra, ut in uero fundamento, rex noster Christus ædificauit Ecclesiam suam.

Inscriptione.

Alcibiades exul capitis damnatus est ob profanata mysteria Cereris. EVMOLPIDÆ sacerdotes à populo coacti eum deuouerunt, eiusque deuotionis, quò testatior esset memoria, exemplum pila lapidea incisum, positum fuit in publico. At postquam ab exilio rediit, ijdem illi Eumolpidæ sacerdotes rursus execrare sunt coacti, qui eum deuouerant, pilæq; illæ, in quibus deuotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Probus in Alcibiade.

Apud Viseum ciuitatem Portugalliæ inscriptus tumulus inuenitur continens execrationem Iuliani Comitis. Hic iacet Rodericus ultimus rex Gotthorum. Maledictus furor impius Iuliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura, & nefanus furia, animosus indignatione, impetuosus furore, & ultus fidelitatis, immemor religionis, contemtor diuinitatis, & cæde lis in se, homicida in dominum, hostis in domesticos, ultator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amarescat, & nomen eius in æternum putrescat. Rodericus Toletanus lib. 3. rerum Hispan. cap. 19.

Loco.

SOSIBIANO Martialis Epigram. lib. 4. mortem iocosè & argutè imprecatur:

Plena laboratis habeas cùm scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina. Quando?
Tempus erat iam te, Sosibiane, legi.

QVANDO.

Ἀεὶς ἐπιτάξαιμι. id est, Execrationes serere, dicebantur, qui diris deuouerent aliquem: inde natum, quòd apud CYPRIOS esset solenne, quoties fererent hordeum, addito sale, deuouere quibus malè uellent. Hesychius, & Erasmus.

QVAE MALA.

In genere.

Ædes extruere, & equos alere, sumtuosa esse uidētur: id quod LACONICA cōpertum est execratione tali: Οἰκοδομεῖ τις οἰκίδιον, ἢ ἐμβολάδιά τι ποιεῖ, ἢ ἅρμα τι ποιεῖται, ἐς ἃ χρωμά τοι μηχὸν ἴχει. id est, Aedificatio te occupet, procrastinatio, & equorum alimonia, & uxor tua adulterum habeat. Suidas in uoce, οἰκοδομεῖ.

LACONES imprecationib. nil aliud adiiciunt, quàm ut possint lædi. Plut. de Institutis Laconicis.

Diabolum.

An. 1551. in Germania Vuilstadiensi agro MVLIEREM, quæ indesinenter iurabat diabolum, cacodæmon toto populo spectante sustulit: similiterq; HOSPITEM crumenam hospitis, qui ad se diuerterat, furatū, & se in iure dedentem diabolo, si res ita esset, rapuit diabolus, teste Vicro de Præstigiis. De PVERO aliud narrat Fernelius lib. de Abditis rerū causis repentè sublato, cùm diabolum accerseret. Bodinus lib. 3. Dæmonomanię, cap. 1.

Malam consuetudinem.

CRETENSES cùm acerbissima execratione aduersus eos, quos uehementer oderunt, uti uolunt, ut mala consuetudine delectentur, optant. Valerius lib. 7. c. 2.

Munerum talionem.

Olympias post Antipatri obitum Polyperchontis auxilio ab exilio reuersa in potestatem redegit EVRYDICEN cum Philippo Aridæo, Philippi Amyntæ F. & conclusis in exiguo loco per angustum receptaculum necessaria suppeditabat. Philippo tandem miserè excarnificato Eurydici gladium, laqueum & cicutam misit, optione data, quónam istorū uellet uteretur ad mortem. Eurydice comprecatā deos, præsente eo, qui attulerat, ut Olympiadi talia dona euenirent, cùm se cingulo suspendisset, finiit uitam. Diod. lib. 19.

Saltationem.

Henrico I. imperante, PRESBYTER in Magdeburgensi ditione ipso Natiuitatis prouigilio sacris operatus, rusticis in cœmeterio choreas ducentibus, nec quamuis moniti essent desistere uolentibus, ut integro anni spacio saltarent, ipsis imprecatus est. Itaque confestim insano stupore correpti, attonitis similes, anni curriculum saltando exegerunt, cibi, potus, somni, omnis deniq; sensus expertes, nec rore, nec niue, nec pluuia cœlitus rigabantur. Anno exacto cùm archiepiscopus spiritualem nexum soluisset, partim exanimes concidere, partim profundo oppressi somno uix tandem ad se redière, insolito tremore toto reliquo uitæ tempore exagitati. Vincentius lib. 25. cap. 19. & Nauclerus.

Sterilitatem.

COSMAS Atticus Patriarcha, patria Aegineta, cùm in honore ob eximias uirtutes esset, apud Manuelem Comnenum Imp. accusatus est, quasi in Isaacium fratrem illius imperiū transferre cogitaret. Solio itaq;, sub prætextu familiaritatis

cum Nephono monacho, pertœtas opinionis in religione suspecto, deturbatus, Imperatricis uterum execratus est, ne mares liberos pareret. Nicetas lib. 2.

Πολυπαιδίαν.

Margarita Florentij comitis Hollandiæ filia, mulierculam stipem petentem, & gemellos in ulnis gestantem acerbè increpauit: neq; eam uno partu duos producere potuisse, nisi duorum quoq; uirorum cōmercio esset usa, affirmauit. MENDICA precib. à Deo contendit, uti in signum pudicitiæ suę comitissa grauida tot pareret infantes, quot essent in anno dies. Precesq; exauditæ fuerunt. Nam exacto gestationis tēpore anno M CCLXXVI. ætatis suæ 42. ipso die parascues Margarita peperit CCCLXIV. infantes, partim mares, partim fœmellas. Lud. Viues. Eras. Rot. & Lud. Guicciardinus in Topographia Flandriæ.

Mortem insolentem.

POPIELVS I. Polonorum princeps execrandi formula hac crebrò utebatur, Nisi hoc sit, à murib. deuorer. Successit ei filius eiusdem nominis, qui propter crudelitatem in proceres à muribus cum uxore & liberis deuoratus traditur. Alex. Gaguinus in uitis regum Poloniæ.

HENRICVS de Suuartzberg comes, habebat in prouerbio, Si hoc fecero, mergar in latrina. Ominosa uox fuit. Nam an. 1184. Erfordiæ in cœnobio Dominicanorum, cœnaculi pauimento præ pondere hominum ruente, cū multis aliis nobilibus in subiecta cloaca periit: ipse Imp. Fridericus I. uix ad clathros fenestræ ferreos adhærēs seruatus est. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, c. 45. & lib. 7. Metrop. c. 8.

Mortis difficultatem.

Hadrianus Imp. SEVERIANVM & Fuscum huius nepotem, eo quòd molestè ferre uiderentur, L. Cōmodum imperij sui cessorem designatum, iussit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem & octo. Senex autē quum esset iugulādus, popposcit ignem: incensoq; thure dixit, Vos dij testor, me nihil sceleris cōmisisse: nec aliud imprecor Hadriano, nisi ut quum uolet, mori nō possit. Idq; euenit, adeò ut barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. Suetonius, & Dion.

Partum monstrosum.

NOBILIS quidā Germanus magiæ nomine infamis in uxorem exardescens, cùm imprecatus esset ut diabolum pareret, illa peperit monstrum aspectu horridum. Bodinus lib. 2. cap. 7. Dæmonomaniæ.

Naufragium.

HORATIVS ode 10. Epodon imprecatur Męuio poetæ æmulo suo nauigaturo subitam tempestatem, & tale naufragiū, quale passi sunt Græci in monte Caphareo, ob uitiatam ab Aiace Oilei filio Minetuæ sacerdotem, quum à Troiæ excidio reuerterentur.

Damnum fortunarum.

Cùm PAVPER quidam circiter annum Domini 608. à nautis eleemosynam petiisset: illi uerò respondissent, se nihil præter lāpides habere: mendicus inquit, Omnia ergo quæcunque manducabilia sant in naui uertantur in lapides. Itaq; lapidū duritiem omnia sortita sunt, licet & color & forma illis rebus manssisset pristina. Sigebertus in Chronico.

Iter infelix.

VETERES cùm aliquem execrabantur, quòd ὁδὸν ipsis ob quod piam insigne facinus foret, si fortè tunc aliquò ille, profecturus erat, precari solebant, ut ea uia ipsi perpetua foret. Quibus uerbis petebant, ut nunquam ille in ea loca rediret, sed quò magis iter facere pergeret, eò magis è conspectu se ipsis eriperet. Hoc in oratione contra L. Pisonem posuit Cicero, & Turpilius Thrasyleone apud Nonium. Victorius libro 2. Var. lect. cap. 1.

Chlidonis Thebani VXOR uerberib. grauiter accepta à marito imprecata est illi equitaturo κακὰς, ὁδὸς, κακὰς δ' ἱππασόμενος, Malum iter, malumq; reditū. Plut. de Socratis Dæmonio.

Victoriam nullam.

In Dymæorum (qui Achæi sunt) finibus ŌEBOTÆ cursoris uictoriæ monimentum extat: qui cùm primus ex Achæis Olympiæ coronam meruisset, neque ullum apud ciues suos eo nomine præcipuum honorē esset adeptus, imprecatum Achæis aiunt, ne quis ipsorum unquam palmam Olympicam ferret. Achæi mirantes, se Olympicarum palmarum cōpotes fieri nunquam amplius potuisse, Delphos ad oraculum miserunt. Et tunc quidem, cùm & alia in Oebotæ honorem instituissent, uirique statuam in Olympiam misissent, mox Sostratus Pellenæus in stadio pueros uicit. Et hac etiamnum ætate Achæis athletis solenne, ut priusquam in certamen descendant, Oebotæ parentent, eiusq; statuæ uictores coronam imponant. Pausanias in Achaicis.

Seruitutem.

C. GRACCHVS L. Opimij coss. armis pressus, in Dianæ templum concessit, conatusque sibi manum inferre, à Licinio & Pomponio amicis fidissimis prohibitus est. Mox ex templo fugam molitus, priusquam egrederetur, procumbens in genua deam precatus dicitur, ut populus Romanus pro præsenti in se ingratitudine, in perpetuam seruitutem incideret, quando suæ libertatis assertores perfidè trucidandos percussoribus proderet. Sab. lib. 1. En. 6.

Exilium.

CATVLLVS Vibennios execrans, inquit,

Cur non exilium malasq; in oras Itis?

Eam formulam Itali adhuc retinēt, Va in mal ora. Victorius lib. 30. Variarum cap. 2.

γυναικοκρατίαν.

ARISTOTELES quidam Meliacus deducendæ coloniæ præfectus, cùm multi detrectantes nauigationem, uaria causarentur, & alij dicerent uxores suas aduersa ualetudine teneri, alij naueis suas perstillare, atq; his prætextibus domi manerent: ille indignatus, imprecatus est illis, ut nunquam haberent naues integras, & semper sub uxorum imperio uiuerent. Inde prouerbium, Meliacum nauigium, de homine futili & rimarum pleno. Erasmus in Adagiis.

QVIBVS

Sibiipsi.

MEDEA impatientissimè ferens Iasonis mariti perfidiam, apud Eurip. in Medea semetipsam deuouet:

αἰ αἰ, διά μου κεφαλᾶς φλὸξ οὐρανία
βαίη. τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος;
φεῦ φεῦ, θανάτῳ καταλυσαίμαν,
βιοτὰν στυγερὰν προλιποῦσα. Eheu, per meum caput flamma cœlestis eat. quid enim mihi uiuere ampli⁹ utile est? Heu heu, utinam moriar, uitam odiosam relinquens.

GODVINVS Cantianorum comes, Anglis, mortuo Canuto III. Alfredum Etheldredi regis exulis F. reuocantibus, ipsius uirtutes reformidans, calumniis circumuenit, per insidias in itinere necauit: auctorq; fuit Anglis, Edouardū III. Alfredi fratrem ad regnum uocandi. Hic Goduino scelus in fratrem commissum cōdonauit. Accidit, ut Haraldus filius, qui regium poculum miscebat, Edouardo prandenti potū præbere uolens, uno pede ferè lapsus, auxilio alterius pedis sese sustentarit. Tum pater, Nunc, inquit, frater fratrem iuuit. Ad quam uocē Edouardus turbatus animo in Goduinum conuersus ait: Sic mihi meus frater auxilio esset, si per te licuisset. At Goduinus iram regis ueritus excusare se cepit, diuinumq; numen ad innocentiam declarandam, cum iureiurando appellare, dicens: Si unquam rex quicquam in necem fratris tui, aut in te machinatus sum, precor, ut Dei nutu, istud panis frustum me strangulet. Quæ ubi dixerat, sumto pane, subitò præclusis faucibus suffocatus est. Polyd. lib. 8.

Humano generi.

NERO Cæsar dictum poetæ cuiusdam,

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, uolens corrigere, dicebat, ἀλλ' ἐμοῦ ζῶντος, Etiam me uiuente. Suetonius.

Patriæ.

☞ *Consule Tit. Perfidia erga patriam.*

Subditis.

THESEVS factione inimicorum, Menesthei præsertim, pulsus, liberos in Eubœam clam ad Elenephora Chalcodontis misit. Mox in Gargetto deuotis Atheniensium capitibus, ubi nunc Araterion est, in Scyron nauigauit. Pauſ. in Atticis.

Mors CAII Caligulæ nunciata paucis luctum, omnibus lætitiam attulit, dicti eius recordantibus, quod aliquando iratus protulerat: Vtinam populus Romanus unam ceruicem haberet. Respondit ille: At tu unam ceruicem habes, nos uerò manus multas. Zonaras.

Ciuibus.

Fur. CAMILLVS Romanorum dictator, in exilium pulsus, Achilleum uotum fecit, ut Romani aliquando Camillum desiderarent: eiusq; non multo pòst reus est factus. Nam cùm Galli urbem tenerent, plebs ad Camillum confugit, eumq; rursus dictatorem dixit. Plut.

CLAVDIA Vestalis per confertum forum proficiscens, ægrè ferens iter suum multitudine hominum impediri, fratrē suū Appium Claudium (cuius inscitia classis Romana horrendum passa fuerat naufragiū) reuiuiscere optauit, cuius improbitate tanta populi luxuria amputaretur.

Filiis.

NOACHVS Chamum F. diris deuouit, ob pudenda patris denudata & irrisa.

Eteocles & Polynices, de more patri OEDIPO ex unoquoq; sacro partem anteriorem mittebant. Cùm autem aliquando per incogitantiam, coxam, hoc est, posteriorem partem misissent, ille existimans id contumeliæ causa factum, imprecationibus diris eos est prosecutus. Alij narrant, Oedipum, simul atq; cognouisset se parricidam esse, & cum matre consuetudinem habuisse, suis ipsius manibus oculos sibi eruisse. Quæ res ubi eius loci incolis cognita est, Oedipum expulerunt urbe. Ille in exilium abiens, filios, quòd patrem in calamitate non defenderent, execrationibus deuouit. Iuuenes mutua cæde extincti sunt, mater sibi mortem consciuit, Oedipus ipse fulmine ictus interiit. Euripides in Phœnissis tradit; Oedipū peccato suo cognito, oculos sibi ipsi præ dolore eruisse. Filij ut dedecus istud patris occultarēt, & tegerent, patrem incluserunt, neque exeundi etiam copiam fecerunt. Ergo diras contra filios euomuit, & ut Iocasta mater, inquit, ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας, ut uel uterque malè perirent, uel ferro acuto bona paterna diuiderent. Metuentes filij, ne ratas imprecationes efficerent, si habitarent simul, conuenerunt, ut alternis imperio præessent: & Polynices interea alio, quocunq; uellet, discederet.

Idem Euripides in Oedipo Coloneo, OEDIPVM imprecantem facit Polynici, ut fraterna manu occideretur, uicissimque occideret:

τοὺς δὲ συλλαβὼν ἀρὰς
ἅς σοι καλοῦμαι, μήτε γῆς ἐμφυλίου
δορὶ κρατῆσαι, μήτε νοστῆσαί ποτε
τὸ κοῖλον Ἄργος, ἀλλὰ συγγενεῖ χερὶ
θανεῖν, κτανεῖν θ' ὑφ' οὗπερ ἐξελήλασαι.
τοιαῦτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τοῦ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος. id est,

Hæc te sequantur agmine imprecamina,
Tibi quæ imprecor, uti néue uitali solo
Potiare bello, néue ad Argos postea
Redire liceat: imò fraterna manu
Perimaris, ac uicissim eum dedas neci,
Qui te expulit, fratrem. Ista uobis imprecor,
Testorq; patrij triste numen Tartari. Eraſ. in Adagiis.

Parentum in liberos deuotiones esse formidandas, Homerus quoq; testatur Iliados I. cū Phœnix narrat se PATERNIS execrationibus obnoxium fuisse:

μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράς.

Orat ne in genibus proles aliquando sederet
Ex me nata suis: diique audiuere precantem.

Erasmus in Adagiis.

Timophanē Corinthiorum tyrannum fratrem Timoleon subornatis sicariis trucidādum curauerat. MATER ut factum intellexit, deuouere caput ipsius, dirasque imprecari cepit: cumque ad se profectum in conspectum suum nequaquam admisit, sed fores ipsi præclusit: ut ille oppressus dolore atq; animo perculsus, seipsum inedia cōficere instituerit. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

Cùm ALFONSVS rex Castulonensis Ferrando maiori filio eiusq; liberis, excluso fratre minore Sanctio, successionem regni destinasset: isque superstitibus duobus ex se filiis paulo pòst decessisset: Sanctius ne morte quidem patris expectata, regnum inuasit, turbasq; excitauit. Alfonsus furiali cum carmine deuouit, & iure paterno maledixit. Qua execratione etiam apud subditos effecit, ut communia cum patre aduersus eum arma sumserint. Aemil. 7.

Erat Edgaro regi Scotorum soror nomine MATHILDIS, quæ post mortem parentum inter monachas degebat. Hāc Hēricus I. Anglorum rex de suorum consiliariorum sententia sibi uxorē depoposcit. Puella à connubio abhorrēs, eum repudiauit. Iuuenis amore flagrans iterum Edgarum per legatos rogauit, ut suam affinitatem ne aspernaretur, quæ utrique commodo foret. Edgarus magni regis iram timens, & amicitiam cupiens, sororem inuitam Henrico in matrimonium dedit. Dicitur hæc puella, cùm uidisset sibi uotum uirginitatis esse uiolandum, omnibus precibus execrata esse prolem, si qua ex se nasceretur: quod omen haud fuit uanum. Nam XX annis pòst Gulielmus Normanniæ dux ex Mathilde genitus, & Ricardus, ut quidam sentiunt, ex concubina natus, ac Maria soror nauem ingressi, ut ex Normannia Austro leniter flante in Angliam nauigarent, subitò per nautarum incuriam naui scopulo illisa, perierunt, cum omni comitatu, numero ad centum & quinquaginta, uno duntaxat incolumi, qui nauem tenaciter complexus, ad terram, quæ non procul aberat, postero die delatus est. Gulielmus, euestigiò in scapham descendens, ad terram contendebat, cùm eius opem soror implorauit. Hic cùm scapham naui admoueri iussisset, ut sororem exciperet, præcipitantium multitudine obrutus fuit. Sed & Mathildis filia, quæ Imperatori Henrico quinto nupsit, aduersis rebus conflictata est. Henricus haud multo pòst, alteram uxorem duxit, Adeliciā Lotharingam: ex qua tamen nullum sustulit filium. Mathildem filiam uiduam Gaufredo cognomento Plantagenetæ,

filio Fulconis Andegauorū Turonū & Cenomanorū comiti, locauit. Itaq; stirpe Gulielmi Conquestoris Normāni deficiente apud Anglos, successit stirps Gallica. Polyd. lib. 11.

Henrico Lotharingo, qui primus Portugalliæ ditionem ab Alfonso VI. Hispaniæ rege [redacted] Santius [redacted]

BAIAZETES Turcorum Imper. regno blandè exutus à Selimo F. experiri uolens quónā pacto regimē filius ordiretur, gazophylacium (ubi thesauri reconditi erant) ingressus, omnes diuitias reperit breui dissipatas tempore. Dehinc armamentarium, ubi spolia hostibus ademta & prædæ reseruabātur, recensuit, & pariter uacuū reperit: omnia enim suis iam donauerat. Lustrauit deinceps cameram argentariam, ubi uasa ac pocula aurea atq; argentea à principibus & regibus finitimis dono missa custodiebantur: quæ pariter iam distributa euanuerant. Postremò stabulum regiorum equorū ingressus inuisit, ubi delectos ac insigniores equos nullos inueniens, altè ingemuit, & dolore exacerbatus, cepit pessima quæque suspicari de filio malè in imperium intruso. Cogitabat itaq; uindictam quærens, cū reliquo, qui supererat, thesauro, abire in Natoliam ad maiorem filium, per hortū quēdam maris portui uicinum, ubi naues quasdam ordinauerat, quib. traiiceret. Priusquam autem quæ nauibus erant necessaria, pręnararentur, sub amœnissima consides pyro, arreptis duobus lapidibus, ad Austrum conuersus cepit filio Cęsari omnia aduersa imprecari, eumq; diris deuouere: ut eius cœpta infeliciter, ut hi lapides, quos manibus concussit, ab aduersariis contunderentur: ut lethalia uulnera & discrimina periculosissima sentiret, ut lapides illi quatiebantur: ut uxor aut infœcunda, aut filios parturiret debiles, nec diu superstites, quòd se patrem despexisset, Mahometi legem pręuaricasset. Inde urbe excedens, in medio itinere ui ueneni, à F. clàm propinati, periit. Cuspinianus.

Patruis.

Dimætas ambiit Trœzenis fratris filiam EVOPIN. Quum autem perciperet ipsam cum fratre rem habere, indicauit id Trœzeni. Illa ob timorem & pudorem seipsam suspendit: multa mala prius imprecata ei, qui huius calamitatis sibi fuisset causa. Nec multo tempore pòst Dimætes in mulierculam quandam incidit specie ualde pulcram, à marinis fluctibus eiectam, atque cum ea cupidè penitùs congressus est. Cuius corpus cùm ob longum situm marcesceret, ingentem ei tumulum extruxit: atque cùm ne sic quidem remitteret dolor, insuper seipsum mactauit. Parthen. de Amat. cap. 31. ex Philarcho.

Fratribus.

Selimus Turcorum potitus imperio, incredibili dominandi libidine, CORCVTHVM fratrem philosophico otio deditum Prusiæ chorda arcus strangulauit. Constat eum, quum fidibus gutturi admotis à carnifice strangularetur, impetrasse horam, cuius spacio amarulenta in Selimum carmina intrepido constantique animo conscripsit, quibus exprobrata sæuitia, eius capiti omnes diras imprecabatur. Selimus uerò, quem uiuum uidere noluerat, necatum spectare sustinuit, perlegitque carmina de se conscripta, nec temperauit à lacrymis, usùsque est lugubri ueste, ut immanis animi crudelitatem in tanta omnium inuidia falso dolore cōtegeret. Iouius.

Hostibus.

ARTAXERXES Persarum rex Themistoclem exulem suscepit, precatusq; est Solem, hostibus suis semper daret eā mētem, ut præstantissimos de medio sui summouerent. Plutarchus in Themistocle.

C. Fabricius ad Pyrrhum legatus à Senatu, dum moram trahit apud regē, audiuit à Cynea, qui à rege legatus ad Senatum uenit, Athenis esse quendam, qui sapiens haberetur, disputare solitum ac diffinire: Omnia, quæ agimus in uita, ad uoluptatem referri, illam finem esse ac præmium actionum laborumq; omnium. Eo audito, uir temperantissimus obstupuit. Quod cùm domi narraret, Titum CORVNCANVM & M. Curium sic optasse ferunt: Dent dij talem sapientiam hostibus pop. Rom. Plutarchus.

ANTISTHENES inimicis optauit omnia, præter sanam mētem: quam si haberent, confecturi essent, quæ uellēt, omnia. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

C. PONTIVS Samnitum imp. Vtinam, inquit, ad id tēpus me fata reseruassent, quo Romani dona accipere cepissent, non essem passus eos diutius regnare. Cic. in Off.

Herodotus libro primo tradit, olim Lydios præ cæteris equitatu ualuisse, nec aliter ferè, nisi ex equis, pugnasse. Proinde CROESVS rex optabat Ionibus eam mentem, ut equitatu Lydos inuaderent.

DIDO, ut est in fabulis, irritata Aeneę discessu, diras illi serisq; nepotibus imprecata est. Quæ multis pòst seculis in Romanos Troianorum posteros & Carthaginenses, bello crudelissimo, ad interitum usq; Carthaginis sunt grassatæ. Verba ex 4. Aeneid. adscribere operæprecium est, cùm præclaram deuotionis formulam contineant:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuq; harum interpres curarum, & conscia Iuno,
Nocturnisq; Hecate triuiis ululata per urbes,
Et diræ ultrices, & dij morientis Elisæ,
Accipite hæc, meritumq; malis auertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et si fata Iouis poscunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi uexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, uideatq; indigna suorum
Funera: nec cùm se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena.
Hæc precor, hanc uocē extremam cum sanguine fundo.
Tum uos, ô Tyrij, stirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis, cineriq; hæc mittite nostro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroq; sequare colonos,
Nunc, olim, quocunq; dabunt se tempore uires.
Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipsiq; nepotes.

Rodolfus HENRICI IV. à Pontifice proscripti in imperio æmulus, in prælio cæsus, regali pompa sepultus est. Quod cùm plerique ægrè ferrent, regique Henrico indignum esse diceretur, quererenturque non decere, tyrannum regiis insignibus mortuum etiam honorari: Sinite, inquit rex, eum ita ornatum sepeliri. Vtinam omnes mei aduersarij eo ornatu sepulti iacerent. Cuspinianus, & Bonfinius libro tertio: Decadis primæ.

Vicinis.

Quondam Pyrrhæos, quotquot erant VICINI, graui odio persequebantur: unde si quod malum aliquando uideretur impendere, id abominantes, precabātur, ut in Pyrrhęos auerteretur, dicentes, εἰς τὴν Πυρραίων. id est, in Pyrrhæorū regionem. Est autem Pyrrha, Lesbi insulæ ciuitas, auctore Stephano. Erasmus in Adagiis.

Arboribus.

HORATIVS lib. 2. ode 13. execratur arborem, quæ se, quum in agro Sabino spaciaretur, repentè delapsa penè oppresserat, uituperatq; eam à consitore, quem scelestissimum fuisse putat & impiissimum: neq; enim à bono uiro potuisse seri tam pestilentem arborem. additq; grauissimam sententiam, neminem sic posse cauere periculum, quin ubi minimum suspicabatur, periculi necessitatem incurrat. Se nāq; tam parum à morte abfuisse, ut uisus sit uidere apud inferos Aeacum iudicem, Sappho & Alcæum canentes fidibus, cum omnium umbrarum admiratione. Alibi tamen prouidentiam diuinā in se seruando ex hoc ipso prædicat,

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset, Mercurialium
Custos uirorum.

Tempori, Diei.

IOBVS fortunis omnibus amissis, ulceribus scatens, ab uxore irrisus, ab amicis grauiter reprehensus, diem suæ natiuitatis execratus est.

Turcorū tyrānus MAHOMETES II. repulsus à Belgradi obsidione, ipsis castris, quæ facilè tueri poterat, ignē subiecit: illū inter alios insequēte signifero cū signo crucis, quod signū ille in Cōstantinopolitana expugnatione nuper cōtumeliosissimè tractauerat, ut maiore uicissim cōtumelia ipse sęuitiæ & superbię mancipiū confunderetur. Neq; enim amplius idē cladis ignominiæq; suæ obliuisci potuit, quin ad men-

mentionem illius barbam manu demulcens, & caput quassans, pugnam diemq; fuerit detestatus, qua cum Christianis certamẽ ad Bellogradum inierat, & plus quàm centum ænea tormenta raræ magnitudinis amiserat. Dubrauius libro uigesimonono.

Equis.

Equabus equitentibus extra fines abactis admissuram dant Elei, quòd regum omnium OENOMAVS equorum studiosissimus, qui hoc animal dilexit plurimùm, multa & dira execratus est in capita equorum, qui ineunt Elide equas: cuius metu deuotionis auersantur eas. Plutarchus in quæstionibus Græcis.

CVR. OB

Delictũ alienum.

ACHILLES ob ereptam sibi ab Agamemnone Bryseida, diris persequitur Græcos omnes, Iliados α. matrem rogans, ut Iouem supplex adeat:

αἴ κέν πως ἐθέλῃσιν ἐπὶ Τρώεσσιν ἀρῆξαι,
τοὺς δὲ κατὰ πρύμνας τε καὶ ἀμφ' ἅλα ἔλσαι ἀχαιοὺς
κτεινομένους, ἵνα πάντες ἐπαύρωνται βασιλῆος,
γνῷ δὲ καὶ ἀτρεΐδης εὐρυκρείων ἀγαμέμνων
ἣν ἄτην, ὅτ' ἄριστον ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισε.

Scedasi Bœoti FILIÆ à Spartanis quibusdam uitiatæ, contumeliam eam non ferentes, patriam iuuenum diris deuouerunt. Neq; uerò irritæ preces cecidêre, quando multis tandẽ pòst annis grauissima clade Leuctrica à Thebanis affecti sunt Lacedæmonij. Diod. Sic. lib. 15.

Impietatem.

Cum MILLES episcopus, qui in persecutione sub Sapore in Persia martyrium passus est, in ciuitatem quandam Persiæ ingressus, ciues, ut Christo nomina darent, hortaretur, neq; illi parerent, maledixit illi ciuitati. Paulo pòst cùm magistratus ciuitatis illius regem læsisset, missus eò exercitus urbem deleuit. Sozomenus lib. 2. cap. 14.

Contumaciam.

ARISTOTELES quidam Meliacus deducendæ colonię præfectus, cùm multi detrectantes nauigationem, uaria causarentur, & alij dicerent uxores suas aduersa ualetudine teneri, alij naueis suas perstillare, atq; his prætextibus domi manerent: ille indignatus, imprecatus est illis, ut nunquam haberent naues integras, & semper sub uxorum imperio uiuerent. Vnde prouerb. Melia cum nauigium, ubi quis causas fingit, quo suffugiat officium. Est autẽ Melia Carię ciuitas, auctore Stephano. Erasmus.

Perfidiam.

IOTHAMVS Gedeonis filiorum natu minimus, cùm solus è LXX fratribus euasisset, & Abimelechi fratris spurij sceleratas manus euasisset: cùm sciret, Sichemitas Abimelechum apud quercum extra urbem producturos, & regem creaturos, in uertice montis Garizimi stans, ad eos prætereuntes clara uoce hunc apologum dixit: Cùm coiuissent aliquando arbores ad ungendum sibi regem, petebant ab olea, ut regnum in arbores capesseret. At illa se suam pinguedinem, diis hominibusq; gratam, relicturã negauit. Ficus similiter suam dulcedinem: uitis suum mustum se non deserturã pronunciauit. Tum uniuersæ arbores à rhamno postularunt, ut in se regnaret. Quibus rhamnus: Si ergo hoc bona fide petitis, accedite, & umbra mea confidite: sin minus, ignis à me exiens Libani cedros consumat. Sic etiam uos, ô Sichemitę, si bona fide egistis, qui Abimelecho consanguineo uestro pecuniam dedistis, qua sicarios conduceret, & Gedeonis de uobis optimè meriti 70 filios necaret, eumque regem unxistis, fruimini sanè Abimelecho, & ipse uobis inuicem fruatur. Sin autem secus, emanet ignis ab Abimelecho, qui Sichemitas Melloniamque domum comburat: rursumque emanet ignis à Sichemitis, qui Abimelechum comburat. Hęc locutus Beram fuga petiit. Triennio pòst imprecatio hęc Iothami rata fuit. Nam Abimelechus Sichemitas, quia defecerant, partim ferro, partim igni excidit: & ipse uicissim in oppugnatione turris Thebes urbis molæ fragmine ictus interiit. Iudicum cap. 9.

DAVID rex, Ioabo polemarcho suo, suęq; sororis Saruiæ F. (qui Abnerẽ polemarchũ Isbosethi regis Israelitarũ specie amici colloquij perfidè interemerat) eiusq; domui dira ob hoc facinus imprecatus est, nimirum, ut nunquam ex paterna eius familia deesset, qui geniture fluxu laboraret, qui leprosus esset, qui baculo inniteretur, qui ferro trucidaretur, quiq; uictu indigeret. Potentior enim erat Ioabus, quàm ut pœna capitali eum plectere posset. 2. Regum 3.

ANNIBAL Prusiæ regis Bithyniæ proditione Q. Flaminio legato Romanorum tradendus, hausto ueneno seipsum necauit, multis prius execrationibus Prusiam detestatus. [redacted]

Vrbis restaurationem.

IOSVÆ ducis Israelitarũ imprecationes in eũ, qui Hierichuntem instaurasset, ratæ fuerunt. Hiel enim Bethelensis Hierichuntem instaurans, duos amisit filios. 3. Regum 16.

Scribit Strabo morem fuisse, execrationes in eos diras proferendi, qui euersam urbem instaurare adorti forent. Quod in Ilio fecit AGAMEMNON, & in Sidena CROESVS, hic Lydorum, ille Græcorum rex. Cælius lib. 26. c. 5. A. L.

Cædem suam.

Oenomaus Pisæorum rex, fraude Myrtili aurigæ à Pelope superatus, regnoque exutus, diras ultrices Myrtilo imprecatus est. Myrtilum igitur Pelops non multo pòst in mare præcipitauit, eo quòd Hippodamiam de stupro sollicitasset. MYRTILVS in mare præcipitatus, Pelopis domum diris egit. Itaque Pelopis filij Atreus & Thyestes nefandis sceleribus sese obstrinxerunt. Thyestes fratris uxorem & filiam constuprauit. Atreus Thyestæ filios epulandos proposuit. Aegisthus Thyestæ F. Agamemnonem Atrei F. capto Ilio in balneo interfecit, cùm uxorem eius Clytæmnestram stupro sibi conciliasset. Orestes Agamemnonis F. Aegisthum adulterum & matrem interfecit. Tanta fuit dirarum uis. Eustathius Iliad. β.

SEVERIANVS ab Hadriano Imp. mori iussus iam nonagenarius, incenso thure, Deos testatus est, nihil se sceleris commisisse: nec aliud imprecari Hadriano, quàm ut, quum uellet, mori non posset. Nec irritæ fuêre preces. Suet. & Dion.

Cædem brutorum.

Pompeij altero consulatu, dedicatione templi Veneris uictricis, pugnauere in circo uiginti, aut, ut quidã tradunt, XVII. elephanti, Getulis ex aduerso iaculantibus. Pompeiani uicti, amissa fugæ spe, misericordiam uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauere, quadam se lamentatione complorantes: tanto POPVLI dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ suæ exquisitæ, flens uniuersus consurgeret, dirasq; Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Plinius lib. 8. cap. 7.

Amicitiam fictam.

THEOGNIS in Gnomis amicitiæ simulatæ imprecatur, Castorem & Pollucem inuocans:

εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν, αὐτὸς ἔχοιμι·
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοὶ, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

Si unquam consulam amico malum, ipse habeam: Si uero aliquod ille mihi, bis tantum ipse habeat.

IDEM in amicum fictum:

ἔρρε θεοῖσιν τ' ἐχθρὲ, καὶ ἀνθρώποισιν ἄπιστε,
ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν.

Peri ô diisq; inimice, & hominibus infidelis,
Frigidum qui in sinu uarium habebas anguem.

Profectionem ad ludos.

Hercules contra Augeam, agrorum suorum purgationis præmium denegantem, expeditionem instituẽs, à filiis Actoris ætate & audacia uigẽtibus repellebatur. At cùm illi ad Isthmicos ludos proficiscerentur, eos Hercules ex insidiis ad Cleonas occidit. Quod cùm MOLIONE Actoris uxor resciuisset, diris Eleos ciues suos deuouit, quotcunq; imposterum Isthmicis ludis non abstinuissent. Pausanias lib. 5.

NON DEVOVERE, NON IMPRECARI.

Est dira res & tristis deuotio. Quare solenne non est SACERDOTIBVS deuouere. Atque commendata Athenis est antistes ILLA, quæ execrari in caput Alcibiadis imperante populo, recusauit. Voti enim, non deuotionis, inquit, sacerdos facta sum. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

DEPRECARI MALA.

PRO QVO. PRO

Seipso.

EZECHIAS rex Iuda, cùm responsum accepisset, thesauros quos Babyloniis gloriæ cupiditate ostentauerat, iisdem futuros prædam, delicti conscius: Bonus est, inquit, sermo Domini, sit tantùm pax & ueritas in diebus meis. Non negauit, iustum esse Dei aduersum se iudicium, sed mala differri precatus est: ob hoc solũ, ne thesauris chariorem pacem amitteret. Et quoniam pro pace, non pro diuitiis orauit, quoad uixit, postea hostem non uidit. Marul. lib. 3. cap. 6. Pro sui seculi tranquillitate orauit, de posteris parum sollicitus. An uerò plurimum? Sciebat sibi cum Deo misericorde rem esse: à quo si ipse, qui peccasset, dilationem pœnę impetrasset, multo magis posteros ueniã deprecando adepturos cõfidebat.

Aliis.

ABRAHAMVS pro Sodomitis apud Dominum, qui sub forma angeli apud se diuerterat, intercessit, tãta gratia, ut si uel decem fuissent iusti in urbe, propter illos cæteris omnibus parciturus fuerit. Genes. 18.

Deprecatus est Dominum DAVID rex pro paruulo ex Bersabea suscepto, & ieiunauit: & ingressus cũbile, iacuit super terram. 2. Regum 7.

APVD QVEM. APVD

Deum.

ROMANI si quando horrẽda prodigia uisa uel audita essent, circa omnia delubra fanaq; & puluinaria, in quibus honos diis dabatur, cõcurrebant. Senatores & patricij cũ coniugibus & liberis plerũq; coronati, nonnunquã oẽs tribus & ordines, præeunte pontifice maximo, aliquando duumuiris, præcedentibus pueris ingenuis & libertinis, item uirginib. patrimis & matrimis coronatis, uel lauream tenentibus manu, uoce modulata pronunciantib. carmẽ, prælata pompa, frequentes supplicare, & pacẽ deûm exposcere solebãt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26.

Homines.

☞ *Sequentibus exemplis illustretur.*

QVAE MALA. PVTA

Vitiositatem.

Chorus SENVM Atheniensium apud Eurip. in Heraclidis optat sibi dari modestiam, quia Deus puniuisset superbũ Eurysthea, Argiuorum regem:

μή ποτ' ἐμοὶ φρόνημα,
ψυχά τ' ἀκόρεστος εἴη. Vtinam nunquam sit mihi spiritus insolens, & anima insatiabilis.

Ignominiam.

Cùm PERSEVS Macedoniæ rex bello captus deprecaretur, ne in triumphum duceretur: Id in tua, inquit L. Paulus Aemylius, est situm manu, potestatem ei faciens se ipsum necãdi. Plutarchus in apophtheg.

Reditum in patriam.

Aenienses excitati à Lapithis, primùm circa Athaciam incoluerunt, deinde apud Molossos & Cassiopos. Eam regionem cùm parum commodam experirentur, grauesq; haberẽt accolas, in campos Cirrheos rege ductore Onoclo concessere: ubi Onoclum, quòd ingentes squallores successissent, ex oraculo, ut fama obtinet, lapidibus cooperuerunt, iterúmque palatos hęc accepit regio, quam nunc obtinent bonam & feracem. Hinc illos, qui bouem abducunt Aeno Cassiopeam, prosequentes VIRGINES usq; ad fines accinunt,

μήποτε νοστήσαιτε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.
Isthinc uos nunquam dulcem in patriam remeetis.

Deos scilicet precantes, ne ueterem patriam repetant, cæterùm illic in felicitate hæreant. Plut. in quæst. Græcis.

Casum aduersum.

C. IVL. Cæsar dictator pòst unum ancipitẽ uehiculi casum semper ut primùm consedisset, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solebat. Cuius exemplum multi postea imitati sunt. Plin. lib. 28. cap. 2.

Condemnationem, Supplicium.

ROMÆ mos erat, ut tam ipse reus, qui capitis accersitur, quũ ad populum producitur ad iudicij diem, quàm amici & necessarij, quiq; proximi aderant, prius quàm in suffragia tribus irent, squalida obsoletaq; ueste, flentes & sordidati, barbam capillumq; summittant, & pœnam deprecentur: ut eo squalore & habitu deformi, populum ad miserationem pietatemq; adducerent. Alex. lib. 3. c. 5.

Apud EOSDEM reo laudatio iudicialis seruabatur, ut nisi crimen obiectum dilueret, aut merita præualerẽt, amici ad miserationẽ populum flecterent & circumagerent. Quod deinde Pompeius lege lata fieri uetuit, laudationesq; solitas ꝓ reis usurpari prohibuit: qui quum Numatium Plancũ in iudicio laudaturus postea accessisset, Cato qui iudex aderat, aures manibus obserasse fertur, dicẽs, laudationẽ, quam lege à se lata fieri prohibuerat, lege auersante audire nolle, quòd legum ipse lator & euersor esset. Idem.

C. LECTORIVS adolescens patricij generis, in deprecanda grauiore adulterij pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegauit, se esse possessorem ac uelut æditúum soli, quod primùm D. Augustus nascens attigisset, petiitq; donari quasi ꝓprio ac peculiari Deo. Decretum proinde, ut ea pars domus consecraretur. Suet.

Mortem.

IPHIGENIA apud Euripidem, patrem Agamemnonem mortem deprecatur patheticè admodum.

Mortem senilem deprecatur SOLON apud Ciceronem libro de Senectute his uerbis:

μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. *id est,*

Ne mi illugubris ueniat mors, sed mihi charis
Mœrorem potius adferat & gemitus.

Vult enim Solon mori charus ac desiderandus suis.

QVOMODO.

Simplici optione.

MEDEA respondens Iasoni, indicanti causam quare ducat filiam Creontis, apud Eurip. in Medea, inquit:

μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος,
μηδ' ὄλβος, ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα. Ne mihi contingat molestiam habens locuples uita: neque diuitiæ, quæ meum discrucient animum.

SOLONIS uotum paulo antè recensuimus: cui quidem contrarium est ENNII illud:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito uiuus per ora uirûm.

Coniuncta cum obtestatione, inuocatione, ceremonia.

Mos erat olim apud GRÆCOS famẽ uirgis ex ædib. eiicere, ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν. id est: Foras famem, intrò diuitias & sanitatem. Erasmus in Adagiis.

EXPECTARE MALA.

☞ *Consule locum, Metus futurorum malorum. Illic Affectus per se, hîc Effectus eiusdem perpenditur.*

INSTIGARE, ACCENDERE, IRRITARE alios.

PROCLES Epidauri tyrãnus, cùm gener illius Periander Corinthius Melissam uxorem necasset, duos ex filia nepotes ad se accitos, liberaliter erudiendos curauit. Tandem ad patrẽ Periandrum eos remisit, monuitq;, ut interfectorem matris ulciscerẽtur: scilicet, ut parricidio pietatẽ erga matrẽ declararent. Id uerbũ iuniori Lycophroni tam altè insedit, ut Corinthum reuersus, parentis & aspectum & colloquiũ fuerit abominatus: maluitq; exul ad Corcyręos relegari, quàm cũ interfectore matris uersari. Herod. lib. 3.

EVRYMNVS, cùm conaretur serere dissidium inter Castorẽ & Pollucem, alterum apud alterum insimulans, pòst deprehensus, utrique grauissimas pœnas dedit. Idem euenit Athenis HYPERBOLO, qui Niciam & Alcibiadem conatus est committere. Erasmus in Adagiis.

P. CRASSVS [redacted]

crebris uocib. & scriptis ad factū illud ciues prouocauerunt & impleuerunt. Nā statuæ progenitoris eius Bruti, qui regium imperiū oppresserat, inscripserunt, Vtinam nunc Brute esses: &, Vtinam uiueres Brute. Ipsius Bruti tribunal prætoris reperiebatur manè huiuscemodi scriptis refertū: Dormis Brute? &, Non es germanus Brutus. Plut. in Cæsare.

DETERRERE ALIOS A MALO INFERENDO.

Plutarchus indicat, Acco & Alphito mulieres fuisse, per quas FOEMINÆ deterrerent pueros à peccando. Vsurpat hanc uocem & Plato in Gorgia, ἀλλ' ἀκκίζῃ ὦ Καλλίκλεις. Erasmus in Adagiis.

HIERONYMVS ad beatum Augustinum scribens, eum deterrere uoluit, ne iuuenis senem prouocaret, Bos lassus, inquiens, fortius figit pedem. Propterea quòd tardius quidē ad pugnam excitantur hi, qui iam sunt ætate quasi fessi: uerùm ijdem grauius sæuiunt atque urgent, si quando senilis illa uirtus irritata recaluit. Idem.

D. BERNARDVS Comitem Pictauiensem (qui Petri Leonis siue Anacleti Antipapæ partes tuebatur contra Innocentium II. & nonnullos suæ ditionis episcopos loco mouerat) hortatus erat, ut Innocentio obedientiam præstaret. Tergiuersante Comite, finita Missa hostiam patinæ imponit, & extra templum Comitem alloquitur gestibus & uoce terribili, An ne filium Virginis, rerum omnium dominum suúmque iudicem, ita uelit ut sese cōtemneret, qui ad ipsum iam processisset? Comes perculsus, in terram corruit, saliua per barbam defluente, ita quidem, ut epilepticus uideretur circumstantibus. Quæ res tantopere hominem terruit, ut protinus & reconciliaretur papæ, & episcopum loco restitueret. Auctor uitæ libro 2. capite 6.

ACCENDERE, IRRITARE SEIPSVM.

Huius sunt loci, qui seipsos ad audendum, ad ulciscendum, ad persequendum hortantur: ut sit ueluti effectus quidam Spei & Confidentiæ & Iræ.

MINARI, COMMINARI.

Minarum sub loco Veritatis, Occasiones ueritatis sectari: itidem sub loco Seueritatis & Morositatis, meminimus.

QVID. MINARI

Suspendium.

Circa an. sal. 1349. in Saxonia episcopus Halberstadensis aduersus comites de Regensteen bellum susceperat. Comites nocte sacra Dominici natalis, quum omnes diuino interessent officio, murum ciuitatis aliquot locis perforatum ingressi, ciues multos cepere, resistentes interfecere. Episcopus Ducē militiæ habebat uirum fortem, qui multa damna comiti irrogarat. Sanctè iurauerat Comes, se illum captum, arbori proximæ appensurum. Non abiit annus: cùm æquis uiribus in campo congressi præliarentur, & comes superaretur. De arbore uolens suspendere comitem præfectus, cùm nullam reperiret, gladio transfossum, lanceæ in terram fixæ uelut appensum alligauit. Cranzius lib. 9. Saxoniæ c. 28.

MAGNVS dux Brunsuicensis, Magni F. consilio maiorum ad ducatus Luneburgensis administrationem uocatus, omniū expectationi probè respondit. Sed ita insolentia eius creuit, ut Albertum Vēceslai Saxonis eo repudiato susceperint. Pater multis literis eum monuit, ut ad sanam mentem rediret: ad extremum etiam minis, fune (ut aiunt) semper ad manū habito, ut ubicunq; filium obuium haberet, in proximā arborem appenderet. Filius eas patris minas risu fertur excepisse, catenam argenteam in collo semper ferens: ut pater reste ad se iugulandum argenteo uteretur. Vnde cognomē traxit, ut Dux catenatus diceretur. Tandem acie ab Othone de Scouenborg cæsus est. Cranzius libro nono, cap. 36. & 39. Saxoniæ.

Hussitæ, Nicolaum ab Husynecz subornarant, ut apud Regem VENCESLAVM VI. ageret, quo illis liceret plura loca sacra occupare, in quibus cōmodè pro multitudine populi calix distribui posset. Respondet Rex ei, Quantumuis tenuiter filum torqueas, nequaquam mihi tamen adeò hebetes oculi sunt, ut uel tenuissimè deducta fila haud cernam, non unde tu, quemadmodum fortasse speras, telam texas, sed laqueum collo induas, si nere, uti cepisti, perseueraueris. Nicolaus, qui nosset regem non frustra minari, repentè se è conspectu illius subduxit, & auctor suis fuit in montem Tabor secedendi. Dubrauius lib. 23.

Tabem.

Baptista Ziletus Iurisc. consilio 79. cuiusdam Germani ANTONII Zund exemplum adducit, qui necis Valentino cuidam illatę accusatus est, eo quòd paulò ante mortem illius dixisset, non esse præteriturum annum, quin ille tanquam baculus exaresceret, itaq; ille obiisset. Fuit autem Magus in quæstionem raptus ob comminationem istam. Bodinus libro 4. Dæmon. cap. 4.

Castrationem.

[redacted]

Bellum. INDICERE *bellum.*

LYSANDER Argiuis, qui de controuerso agro adferre uidebantur quàm Lacedæmonij æquiora, districto gladio: Qui hoc, inquit, potiatur, hic de agri finibus dicet optimè. Plutarchus in apophth.

GRÆCIS in usu fuit, ut fœciales post res repetitas, si ad constitutam diem non darentur, arietem hostium agris statim immitterent: eoq; modo bellum indictum, & armis uti licere arbitrabantur. Alex. lib. 5. cap. 3.

CORINTHIIS & plerisq; aliis gentib. per caduceatorē bellum indicebatur: qui in pacis argumentū, caduceū circumdata effigie anguiū inuicem connexorū, deferebat. Ibidē.

A LACEDÆMONIIS per præcones sæpe bellū indictū est: apud quos mittere legatos cum lana, cōminatio censebatur, nisi paritum fuisset, se mandata exequuturos. Ibidem.

Apud CARTHAGINENSES hastam mittere, uel caduceū, belli pacisq; signum erat. Ibidem.

GALLORVM mos fuit, ut Druydis iubentibus, cùm bellū indicendū foret, armatum conciliū indicerēt, penes quos arbitrium bellorū & pacis erat: & qui nouissimus accederet, nouis exemplorum modis afficeretur. Hęc principiū bellorum esse, & arma legitimè indicta putabant. Ibidem.

ROMANI bellum suscepturi, Iani portas recludebant, uariis adhibitis cęremoniis. Ad Iani enim templum, bellum suscepturus consul, frequēti senatu, primoribus patrum ac militibus comitatus accedebat. Ipse cinctus ritu Gabino, solenni more fores tēpli recludebat. Is uerò amictus erat, toga sup tergum sic reiecta, ut lacinia reuocata hominē cingeret. Qui habitus & uestitus ex eo sumsit ortum, quòd Gabini, cùm operarentur sacris, repentino hostium incursu, ut erant accincti zonis, ab aris ad prælium profecti, insignem de hoste reportarunt uictoriam. Ante ædem Bellonæ uersus portam Carmentalem Columna marmorea erat non magna, quam Bellicam uocabant, ad quam bellum auspicaturi conueniebant, & hastam post tergum in eam partem, quam bello petituri essent, mittebant. Hinc Ouidius:

Prospicit à tergo summum breuis area Circum,
Est ubi non paruæ parua columna notæ.
Hìc solet hasta manu belli prænuncia mitti
In regem & gentem, cùm placet arma capi.

Pyrrhus Ligorius lib. de Circis. Pręterea ancilia in Martis sacrario, aut in curia Saliorum mouebātur prius: quasi commotu Martē è sua sede excirent: eoq; propitio & uolente arma expediri, legiones conscribi, exercitus parari, atq; omnia hostilia esse designarent. Alex. lib. 1. cap. 26.

Repetendarum rerum, belliq; indicēdi ratio talis apud ROM. fuit. Fœciales (quos Oratores nuncupant) uerbena coronatos mittebant, ut deos fœderum ultores testes facerent. Ex quibus uerbenarius gramen cum terra auulsum ferebat ex arce, legatusq; ubi ad eorum fines, unde iniuria orta erat, uenisset, operto capite laneo uelamine: Audi, inquit, Iupiter, audite fines (ac cuius sint populi nominat) audiat fas. Ego publicus sum Pop. Rom. nuncius, iustè pieq; legatus uenio. Peragit deinceps postulata: inde Iouem testem facit. Si ego iniustè impieq; illos homines, illasq; res dedier P. R. exposco, nunquam me patriæ compotem esse finas. Hæc quū fines transcenderet, quum aliquis occurreret, quum portas urbis ingrederetur, hæc ubi forum ingressus esset. Tum si quos poposcisset, nō dediti essent, tribus & triginta die-

bus,

bus, tot enim solennes erant, peractis, ita bellum indicebat. Pater patratus fœcialium princeps coronatus uerbena: Audi Iupiter & Iuno, Quirine, & dij cœlestes, terrestresq;, uosq; inferni dij: ego uos testor, populū (ac tum quis esset nominabat) iniustum esse, neq; ius persoluere. Sed de his rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Tum eo Romam reuerso, de bello in curia cōsultabatur. Quod si ut pium iustumq; decretum esset, fœcialis hastam ferro prefixam ex sanguine arbore præustam habēs, ad eorum fines, quibus erat bellum indicendum, reuersus, tribus, nec minus, puberibus præsentibus dicebat: Quòd populi priscorum Latinorum hominésue prisci Latini pop. Romano Quiritum uim fecerunt, deliquerūt: quòd pop. Rom. Quiritum bellum cum priscis Latinis iussit esse, Senatúsue Pop. Rom. Quiritum, censuit, consensit, consciuit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusq; Rom. populo priscorū Latinorū hominibusq; priscis Latinis, bellum indico, facioq;. Idq; ubi dixisset, hastā in eorū fines contorquebat. Hęc Liuij uerba ex Annalibus, ut credo, ab eo accepta, Gellius lib. 16. cap. 4. Noctium Atticarum, parū ab his discrepantia, ex Cincij lib. 3. de re Militari recenset. Sab. lib. 4. Enn. 2. Vide Plut. in Numa & Problem. 62.

FRIDERICVM I. cōtra Mediolanenses exercitum ducētem, sed missis legatis ueniam deprecantes, Anselmus episcopus Rauennas cum Papiensibus & Cremonensibus à misericordia auertit, cùm polypis similes diceret, pro motu quemcunque colorem æmulantes. Ergo Imp. pro usurpato tunc Cæsaribus more, chirotheca manu detracta, & in mediū proiecta, hostes imperij Mediolanenses declarauit, iussitq; legatos eorum illa hora castris discedere. Dubrauius lib. 12.

Conuenerant Veronā Lucius Papa, & Imperator Fridericus I. Venit eò nūcius SALADINI Aegyptij Sultani, qui se in literis suis Saladinum, Felicem, Iosephum Aegypti, & superbi dominatorem Damasci nominabat, & principem Babylonis: minatus, se repetiturum Hierosolymam, quam ad se asserebat hæreditario iure pertinere iam inde à Sara. in fine literarum subiungens: Sic me adiuuet propheta meus Mahumeth. Neque quicquam cunctatus, quod minatus erat perfecit, Hierosolymā cepit, cūctantibus Christianis, anno 1187. Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 10.

Dux Moschouiæ DEMETRIVS Iwanowicz potentia sua elatus, minatus est, se armata manu uno mense elapso Olgerdi Magni ducis Lituaniæ ditiones uastaturum, & Olgerdū in Vilna gladio & igne sub paschatis tempore uisitaturum. OLGERDVS tunc temporis in Vitebska agens, fomitem accensum illi misit, antequam ille extingueretur, se Moschouiæ futurum, arcique eius hastam illisurum professus. Confestim ergo Moschouiam contendit, eaque obsessa tyrannū compulit ad pacis conditiones: hastam ipsemet ad arcem fregit, finibusq; Lituaniæ ultra Mozaiskum sex miliaribus ex una parte promotis, à Moschouia urbe duodecim miliaribus, ex alia ad Vhram fl. in Lituaniam triumphator rediit. Vniuersam uerò Russiam ditioni suæ subiugauit, cuius principib. olim Lituani tributa soluere cogebantur. Gwagninus in descriptione Lituaniæ.

Pugnam.

ROMANI obsessi ab Alarico Gottho, & fame coacti, legationem ad Alaricum destinarūt, docentes, & senatores paratos esse ad pacem accipiendam, si tolerabilia imperaret, & populum ad pugnam faciendam, si illius copiam faceret. Quibus Alaricus auditis, atque in primis, quòd populus paratus ad conserendum prælium esset, ingenti effuso risu respōdit, se nihil ea re commoueri: nam spissius fœnum rariore faciliùs desecari. pacem autem se aliter dare non posse, nisi omne aurum, atq; argentum, quod in urbe foret, atque omnem supellectilem, & mancipia barbara uniuersa ad se deferrent. Quem cùm alter legatorum rogasset, Si hæc Romanis abstulisset, quid tandem relicturus esset? Animas, inquit. Sigonius de Imp. occid.

Rege Gallorum Carolo VIII. Florentiæ suscepto, affectoque omnib. humanis honoribus, Florentini de fœderis cōditionibus agere cœperunt, certatumq; est aliquādiu, & subinde liberi hominis inter armatos uox audita. Quum enim Galli periniquas cōditiones dicere uiderentur, ob idq; abnuentibus insolenter obstreperent, PETRVS Caponius indignabundus, libellum conscripti fœderis palàm concerpsit, addens clara uoce: Postquam Galli ui agere atq; impotēter cōtendere uellent, non defuturos, qui campani æris sonitu, tubarum cantibus essent responsuri. Sed demum cum rege fœdus ea conditione percussum est, ut Florētini centū & quinquaginta millibus aureorum numûm in bellicos sumtus regem iuuarent. Iouius lib. 2. Historiarum.

Accusationem.

Plutarchus in uita THEMISTOCLIS, narrat illum aliquando dono rogasse equum à Philide nutritore equorum. Eum is ubi negasset, cōminatum fuisse, se breui ex illius domo facturum equum δούρειον: significans se crimina ipsius ac domesticorum prolaturum in lucem. Eras. in Adagiis.

Infamationem.

Lucianus in Pseudologista scribit ARCHILOCHVM poetam, iambographum, & ad malè dicendum egregiè instructum, cuidam, à quo fuerat conuitio prouocatus, ad hunc modum respōdisse, τὸν τέττιγα πτεροῦ συνείληφας, Cicadam ala corripuisti. Erasmus in Adagiis.

QVIBVS.

Regibus.

Ioachin rex Iudæorum Hieremiæ librum propheticum, uastitatē Hierosolymis denunciantē, conscissum cultro in ignē abiecerat. Eapropter HIEREMIAS illi minatur: Quoniam tu combussisti uolumē illud, nō erit ex te qui sedeat super solium Dauidis, & cadauer tuum proiicietur ad ęstum per diē, & ad gelu per noctem. Hieremiæ c. 37.

Poetis.

Asconius Pedianus in oratione pro Milone, refert Næuij poetæ senarium iactatum in familiam Metellorum, quòd consules designarentur arbitrio fortunæ, quę campi domina dicitur, uerius, quàm suis meritis:

Fato Metelli Romæ fiunt Consules.

Ad id tum METELLVS Cōsul iratus respondit senario hypercatalectico, quem ait & Saturnium appellari:

Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.

Ad id rectè allusit M. Tullius, quum ait, Te non fato, ut cæteros ex nostra familia. Erasmus in Adagiis.

Vxori.

C. CALIGVLA, quoties uxoris uel amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona ceruix, simulac iussero, demetetur. Suetonius in Caligula.

Filiis.

Chiorum exules, qui uenerant Spartam, Pædaretum grauiter criminabantur. Quibus mater acceptis TELEVTIA, auditisque eorum querelis, ut filium in noxa esse est ei probatū, scripsit ei: Mater Pædareto. Aut rectiùs age, aut ibi mane, deposita spe saluum posse te Spartam redire. Plutarchus in Lacænarum apophthegmatis.

SPARTANA, quæ filiū intellexerat apud peregrinos improbè uersari, scripsit: Turpis de te fama uulgata est: hanc discute, aut noli uiuere. Idem.

QVOMODO.

Simpliciter.

PHILIPPVS rex Thessalis respondens, minacem hanc clausulam adiecit, Nondum omnium dierum solem occidisse. Erasmus in Adagiis, ex Liuij Dec. 4. lib. 9.

In Truculento Plautina militi atrociter minitanti COQVVS respondet: Sis tu in legione bellator si uis, at ego in culina Ares. Auxit coquus bellatoris uerbum. Mars enim deus belli est. Erasmus in Adagiis.

Cum conditione.

Apud PERSAS summum fuit supplicandi genus, quod abnuere nefas esset: si ignem tenens supplex, atq; amnem ingressus, denunciaret, si reiectus esset, ignem se in aquam missurum. Assequebatur enim, quod postulabat: at uoti compos, minarum causa, ut nefariarum & à natura abhorrentiū, plectebatur. Plut. de primo Frigido.

Iamblichus in Mysteriis scribit narrare Porphyrium sacerdotes AEGYPTIOS consueuisse uiolentis quibusdam minis aduersum superos uti, ueluti, Nisi uos ita feceritis: uel contrà, Si feceritis aliquid, cœlos constringam, uel occulta Isidis patefaciam, uel arcanum in abysso recōditum diuulgabo: aut sistam barim, id est, nauem quandam apud Aegyptios sacram, aut mēbra Osiris Typhoni dispergam. Ipse uerò Iamblichus negat in deos cœlestes eiusmodi minas dirigi: sed esse in mundo genus quoddam potestatum ualde indiscretum, & inconsideratum, quod minitationibus lacessitū protinus irritatur, & efficit quod iubetur.

QVANDO. IN

Funere.

ATHENIS cognati eorum, qui uiolenta morte periissent, in efferendo funere hastam adhibebant, aut in tumulo defigebant, eaq; ratione interfectoribus ultionem denunciabant. Suidas in uoce ἐπενεγκεῖν.

Periculo.

Ann. sal. 704. iuxta Sigebertum, cùm IVSTINIANVS Rhinotmetus Imp. Constantinopolitanus Chaianū Bulgarorū regem fugiens, in naui esset, & tempestas coorta periculum extremum minaretur, Maiaces satelles eius inquit: Ecce morimur, Domine: uoue Deo ꝓ salute tua, si Deus imperiū tibi

restituat, te nullum ex inimicis tuis peremturū. At ille respōdit: Si pepercero cuiquā eorū, in hoc loco Deus me demergat. Cū hæc locutus esset, fluctus quieuere, & ille sine periculo Danubiū trāsiit. Paulus Diac. lib. 20. Zonaras tomo 3.

MALA INFERRE. MALEFICIVM.

Huc Iniustitia omnis, quatenus immerenti malum qualecunque infert. Illic Habitus, hîc Actiones ab habitu prouenientes perpenduntur.

ANIMARE AD MALA SVPERANDA.

Consule locum Prudentiæ bellicæ, Milites animare.

ARISTIDES Cimonem, MNESIPHILVS Themistoclē inuisos initiò & malè audientes in ciuitate, ut impudentes & insolentes, erexerunt & confirmauerunt. Plutarchus an Seni tractanda respub.

SOCRATES Alcibiadem adolescentem, primùm ob imperitiam trepidantem, ut fit, apud tantam multitudinem uerba facere, lepida ἀπαγωγῇ animauit: Annō putas, inquit, ô Alcibiades, contemnendū sutorē? Annuit. Annon præconē? quū & hîc annuisset: Annon contemneres, inquit, tabernaculorū opificem? Quum similia quædam proposuisset, & is fateretur hos esse contemnendos: tum Socrates: Atqui, inquit, ex his constat Atheniensium populus, quem tu uereris. Quorū si singulos putas contemnendos, qui minus etiam contemnas condensatos? Sensit, non referre apud quàm multos dicas, sed apud quàm cordatos.

Demosthenem explosum à populo, & propterea animum despondentem, SENEX quidam animauit: Cùm Pericli similis sis, animum despondere noli. Plutarchus an Seni tractanda sit respub.

Alaricus Gotthorum rex consilio diripiendæ Italiæ, Gothis, Alanis, Hūnisq; aliquot subsequētibus, ex inferiore Pannonia digressus, incredibili uictoriæ cursu, per Venetiam in Italiam uenit: & traiecto Abdua in Liguriā transiit, atq; ire ad Padum recto cursu cōtendit, ut Hastam demū, ubi erat Honorius Imp. perueniret. Qua re prouisa, tantus tumultus in ea urbe factus est, ut non solùm ciues, sed etiam aula regia consilium capessendæ in Galliam fugæ inierint. Quos STILICHO Honorij socer accommodata ad tempus oratione securo animo esse, ac bene sperare iussit. Sigonius libro 10. Imp. occid.

TOLERARE, FERRE.

Effectum hîc Affectus seu cum ratione seu præter rationem consideramus. De Tolerantia laudabili & uitiosa suis pòst locis.

Mirum & uel præcipuè notabile in NERONE fuit nihil eum patientius, quàm maledicta & cōuitia hominum tulisse: neque in ullos leniorem, quàm qui se dictis, aut carminibus lacessissent, extitisse. Transeuntem illum Isidorus Cynicus in publico clara uoce corripuerat, quòd Nauplij mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret: & Datus Atellanarum histrio in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, ut bibentem natantemque faceret: exitum C. Claudij Agrippinæque significans: & in nouissima clausula, Orcus uobis ducit pedes, Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil amplius, quàm urbe Italiaq; submouit, uel contemtu omnis infamiæ, uel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia. Suetonius in Nerone.

CONSOLARI.

De Consolatione etiam inter Amicitiæ officia.

QVI QVOS.

Seipsum.

IPHIGENIA pro Græciæ salute deuota, immortalis uitæ spe semetipsam erigit, apud Eurip. in Iphig. Aulid. inquiens:

> ἰὼ, ἰὼ, λαμπαδοῦχος ἁμέρα,
> Διός τε φέγγος, ἕτερον
> ἕτερον αἰῶνα
> καὶ μοῖραν οἰκήσομεν.
> χαῖρέ μοι φίλον φάος.

Io, io. Lucifera dies, ætherisq; lumen, alterum alterū æuum & fatum habitabimus. Vale mihi charum lumen.

ARISTIPPVS philosophus amisso egregio prædio percunctatus est unum ex illis, qui maiorem in modum ingemiscere eius calamitati & dolere uicem eius prę se ferebant: Nónne prædium tibi unicum, mihi tria sunt reliqua? Assentiente illo: Quin igitur, inquit, nos potius casum dolemus tuū? Insani est enim cruciari perditis, saluis non lætari: sed puerorum more pusillorum, qui si quis ex multis ludicris unū ademerit, etiam reliqua omnia deficiunt, plorantq; & eiulāt, nos item si una icti clade simus à fortuna, reliqua reddere nobis ipsis sterilia lamentantes & queribundos. Plutarchus de Tranquil. animi.

SYPHAX Massessulorum rex, qui Masinissam regno expulerat, cum P. Corn. Scipione fœdus contraxerat: cæterùm ducta Asdrubalis Barchini filia Sophonisba, ad Carthaginēses defecerat. Tandem à Scipione in Africa captus cum multis nobilib. interrogatus quæ ipsius defectionis causa esset, fidenti animo respōdit, se cōiugis Sophonisbæ amori indulgentē, hoc facinus admisisse. Sed in extremis malis hoc sibi esse solatij, quòd Masinissam eadem insania, qua ipse laborasset, correptū uideret. Nam post uictum captumque Syphacem, Masinissa Cyrrham caput regni occupans, Sophonisbam multis precibus sibi blandientem ardere ceperat, mulieriq; fidem dederat, se eam à Romanorum manibus uindicaturum: & ut id commodius præstare posset, nouis nuptiis sibi deuinctam uxorem duxerat. Auctor eius uitæ.

PAVLA Romana matrona sanctissima in mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare uultus mei, & deus meus. Hieronymus in Epitaphio.

Philosophi.

Niceratus Heracleota & Antimachus Colophonius Lysandria poemata egerunt. Lysander Nicerato coronam aureā, Antimacho nihil donauit. Antimachus indignatus, carmina sua aboleuit. At iuuenis adhuc PLATO Antimachi ingenium admiratus, eum sic solari cepit: Id uerò est ignorantium uitium, ut meliora deteriora iudicent. Plutarchus in Lysandro.

Demetrium memorāt Phaleteum, cùm patria profugus apud Thebas inglorius ac demissus ageret, accedentem non libēter uidisse CRATETEM, quòd correptionem expectaret cynicam, orationemq; asperam. Verùm ut appellauit eum Crates leniter, ac de exilio sermocinatus, nihil ei accidisse mali, uel quod grauiter ferendum esset, qui rebus exolutus esset lubricis & fluxis: simul hortatus est eum, ut in seipso atque animi sui dotibus fiduciam collocaret: remissior factus ac recreatus, amicis ait, O indignas actiones illas & negotia, quibus districti talem uirum non cognouimus. Plut. de Dignosc. adul. & Laertius lib. 5. cap. 5.

M. Tul. Cicero Tulliolæ suæ, quæ defuncto Pisone priore marito Dolabellæ nupserat, & ex partu decesserat, mortem indignissimè tulit. Itaque ad eum consolandum undiq; concurrerunt PHILOSOPHI. Plut. in Cicerone.

Duces suos Milites.

Consule Tit. Metum militibus eximere.

AENEAS apud Virgil. 1. Aen. naufragos socios præclarè consolari introducitur:

> O socij (neq; enim ignari sumus ante malorum)
> O passi grauiora: dabit Deus his quoq; finem.
> Vos & Scylleam rabiem, penitusq; sonantes
> Accestis scopulos: uos & Cyclopea saxa
> Experti, reuocate animos, mœstumq; timorem
> Mittite. forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
> Per uarios casus, per tot discrimina rerum
> Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
> Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
> Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

C. IVL. Cæsare Pompeium Dyrrachij obsidente, Pompeiani eruptione facta magna clade Cæsarianos affecerant. Cæsar concione aduocata milites consolatus est, hortatus ne deficerent animis: debere enim eos unum, & idipsum non nimis graue prælium ac infaustum, multis felicibus compensare, & fortunæ gratiam habere, quòd Romam, quòd Italiam, quòd Hispaniam utramque sine sanguine quasi diuinitùs recepissent: non posse, præsertim in bello, prospera omnia euenire, uerùm tristia lætis temperanda esse, aduersamque fortunam uirtutis ope leniendam. & his quidem uerbis exercitū constrenatū animauit. Quosdam uerò signiferos, quorū culpa clades accepta fuerat, notatos infamia à gradu militiæ amouit. Ioan. Gerund. libro nono Paralip. Hispan.

Mæstissimi mæstos.

L. PAVLVS Aemilius amissis duobus filiis optimæ indolis tēpore triumphi Macedonici, in concionem progressus, grauissima oratione populum, infortunium suum dolentē, consolatus est. Plut. in eius uita.

ALFONSVS Aragonius Neapolitanorum rex amisso Petro fratre, quod ab aliis expectare debuerat, ipse aliis præstitit, & Petri amicos literis consolatus est, exercitum uerò oratione. Panor. lib. 3. de Rebus gestis Alfonsi.

Aegroti sanos.

CHRISTOPHORVS Longolius Belga, Ciceronis sua ætate simia, cùm grauissimè ex febre laboraret, ex qua etiam periit, eodēq; tēpore ab Hieronymo Sauorniano amico suo, qui tum filium summa spe & indole adolescētem amiserat, literas accepisset ualde miserabiliter de morte filij scriptas, in mediis doloribus literas ad eum consolatorias, morbum suum silentio tegens dedit, & tunc alium cōsolatus est, cùm magis consolatione ipse egeret. Auctor uitæ.

Morituri Superstites.

OTHO Imp. moriturus, fratris filium Cocceium adolescentem adhuc amplexus bono animo iussit esse, neque formidare Vitellium. Quippe matrem eius se, liberos, coniugem, quorum habuisset curam ut suorum, conseruasse. Idcirco enim, quòd in animo habuisset, non adoptauisse eum: sed in aliud id reiecisse tempus. Meminisset autem, distulisse Cæsarem adoptionem, quò cum uictore se imperaret, nō unà periret cum uicto. Illud uerò, infit, te moneo, fili, nouissimùm, ne prorsus obliuiscaris, neque nimium meminerís patruum Cæsarem habuisse. Plut. in Othone.

M. ANTONINVS Verus Romanorū imperator, iamiam moriturus, cùm suos ad grabbatum stare, dolere atq; angi uideret: Humanum est, inquit, humanis casibus ingemiscere: multoque magis misericordiam prouocant, quæ oculis usurpantur. Herodianus lib. 1.

Amici Amicos.

Ouidius 1. de Ponto 4. AMICI pium erga se officium his uerbis describit:

> Vtq; Machaoniis Pæantius artibus heros
> Lenito medicam uulnere sensit opem:
> Sic ego mente iacens, & acerbo saucius ictu,
> Admonitu cepi fortior esse tuo:
> Et iam deficiens sic ad tua uerba reuixi,
> Vt solet infuso uena redire mero.

Iobo multiplici malorum genere oppresso, tres amici eius uenerūt singuli de loco suo, ELIPHAZ Themanites, & BALDAD Suhites, & SOPHAR Naamathites, ut consolarentur eum. Iobi 2.

Pellices.

ASPASIA pellex post mortem Cyri ab Artaxerxe capta fuit, & ab eo summè dilecta. Cùm autē Teridates eunuchus mortem obiisset, formosissimus omnium in Asia iuuenum, rex acerbissimo mœrore affectus est, ac publicus per uniuersam Asiam luctus fuit, omnibus in hoc regi gratificantibus: neque tamen aliquis ad regem accedere, uel consolatione aliqua dolorē eius leuare audebat. Exacto triduo, Aspasia uestem lugubrem induta, ueniēte rege ad balneum, stetit lacrymans, oculis humi defixis. Rex consternatus causam rogauit. & illa, Te rex, inquit, lugentem mœrentemq; consolatū ueni, si tibi sic uisum sit: sin minus, retrogrediar. Gauisus hac cura Persa, iussit ut in thalamum rediens præstolaretur, donec ueniret. Illa mandato paruit. Reuersus uestem eunuchi supra pullam Aspasiæ circumdedit, magisq; splendere forma ipsius hac ratione uidebatur. Cumque semel his captus esset rex, rogauit eam, ut sic amicta semper ad se accederet. Sic Græca meretricula sola regem Artaxerxem cōsolata est. Aelian. de Var. hist. lib. 12.

Parentes Liberos.

LACÆNA quædam, quum illi filius redisset ex acie, atque ex uulnere pedis uehementer doleret: Si uirtutis, inquit, memineris, ô fili, non solùm non dolebis, uerùm etiam bono futurus es animo. Plutarchus in Laconicis.

AMATRICIANA femella, cùm intellexisset filium nimis demisso animo ad supplicium trahi: filio occurrens, sedare illum lacrymas atque abiicere metum iussit: cœlum ac solem ut respectaret, subinde admonēs. Quod ille cùm faceret: An, inquit, ignoras fili, confestim te in illas arces migraturum? ac uix unius momenti dolorem, perpetuam tibi & quietem & uoluptatem pariturum? Pont. lib. 2. c. 9. de Fort. domestica.

Coniuges.

Cornelia Scipionis F. Cn. POMPEII uxor, bello ciuili Mitylenem securitatis gratia traducta fuerat cum filio. Post aciem Pharsalicam missus ad eam à Pompeio nuncius monet, ut maturet, modò aspicere Pompeiū in una & aliena naui uelit. Quæ ubi in conspectū eius uenisset, multisq; lacrymis & eiulationibus sortē utriusque deplorasset, respondisse Pompeium ferunt: Tu uerò unam nosti Cornelia fortunam secūdam, quæ tibi quoque forsitan imposuit; quòd solito diutius me sit comitata. Cæterùm hæc nobis, qui nati homines sumus, sunt ferenda, iterumq; periclitanda sors. Neq; enim abiicienda spes est illa recuperandi ei, huc qui ex illis recidit. Plut. in Pompeio.

Domini Seruos.

HERCVLES famulum Admeti regis propter mortuam herā Alcestidem lugentem consolatus, sic inquit, apud Euripidem in Alcestide:

> εὔφραινε σαυτόν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν
> βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα, τῆς τύχης.
> τίμα δὲ καὶ τὴν πλεῖστον ἡδίστην θεῶν
> Κύπριν βροτοῖσιν· εὐμενὴς γὰρ ἡ θεός.

Exhilara teipsum, bibe: quæ hodie datur, uitam existima tuam, cætera uerò fortunæ. Cole præterea & longè suauissimam dearum Venerem mortalibus: benigna enim dea.

PROPTER QVID. OB

Cædem commissam.

Alexander Magnus cùm Clitum amicum hasta ebrius interfecisset, reuersus ad se, & amicos cernens stupētes silentio stare, euulsit ex mortui corpore telum: quod uertere cùm in iugulum suū pararet, inhibitus est à stipatoribus, qui manus eius corripuerunt, eūq; ui detulerunt in cubiculū. Vt noctē miserè plorando transegit, ac proximo die eiulando lamentandoq; defessum uox defecit, iacuitq; alta trahens suspiria, metuentes amici silentium, ui sunt ad eum ingressi. Cæterorum quidē non admisit sermonē. At cùm uates ARISTANDER uisum illi, quod de Clito fuerat ei repræsentatum, & prodigiū subiiceret, iamdudum hæc in fatis fuisse; sed & in Deorū iram cædē ipsam referret, quòd eo anno Bacchi anniuersarium sacrum intermissum fuisset: uisus est animū relaxare. Ita CALLISTHENEM philosophum introduxerūt Aristotelis necessarium, & Abderitam Anaxarchum: quorū Callisthenes placidè tentauit & modestè oratione subeundo & lenibus ambagibus reprimere mœrorem eius: ANAXARCHVS peculiari quadam ab initio in philosophia incedens uia, despectorq; & contemtor habitus sodaliū suorum, simul atq; ingressus est, exclamauit: En Alexander ille, in quem orbis cōiicit oculos: en abiectus in lacrymis instar mancipij iacet, legem & probra exhorrescens hominū, quibus ipse lex esse & terminus deberet: si modò, ut imperaret, & rerum potiretur, uicit: non ut uictus ab inani gloria seruiret. Nescis, inquit, assessorem Ioui iustitiam & fas esse, quo quicquid actū ab dominante fuerit, id ius & fas sit? Huiuscemodi adhibita oratione ægritudinem Anaxarchus regis alleuauit, mores eius multò fluxiores reddidit & uiolētiores, seipsum uerò mirificè insinuauit in gratiā eius, & Callisthenis consuetudinem, uel aliàs ob austeritatem parum gratā, insuper reddidit inuidiosam. Ipsi quinetiam MILITES adhibuerunt suum leuamen, coràm affirmantes, Clytum iure cæsum, nec passuros se fuisse eum sepeliri, nisi rex id fieri imperasset. Plut. in Alex. & Curtius.

Mortem.

AMASIS rex Aegyptius ad quendam filio priuatum dixit: Si non tristatus es, quum nondum filius esset, ne nunc quidem dolere debes, cùm non amplius est. Stobæus serm. 121.

CHORVS senum Thessalorum consolatur Admetum, mortua iam Alcestide coniuge, apud Euripidem in Alcestide, his uerbis:

> Ἄδμητ', ἀνάγκη τάσδε συμφορὰς φέρειν.
> οὐ γάρ τι πρῶτος οὐδὲ λοίσθιος βροτῶν,
> γυναικὸς ἐσθλῆς ἤμπλακες. γίγνωσκε δέ,
> ὡς πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται.

O Admete, necessitas has calamitates ferre cogit. Non enim primus, neque ultimus mortalium, muliere optima orbatus es. Cognosce uerò, quòd omnibus nobis mori necessum est.

Itē:

> τόλμα δ'. οὐ γὰρ ἀνάξεις ποτ' ἔνερθεν
> κλαίων τοὺς φθιμένους ἄνω.
> καὶ θεῶν σκότιοι φθίνουσι
> παῖδες ἐν θανάτῳ.

Sed sustine: non enim reduces unquam ab inferis, flens, mortuos, ad superos. Etiam deorum illegitimi pereunt filij morte.

HORATIVS lib. 2. ode 9. consolatur Valgium amicum suum, uirum consularem, impatienter ferentem mortem Mystæ pueri carissimi, atq; omnium rerum uicissitudinem esse ait: non semper flare uentos, oriri tempestates & imbres: non semper Nestorem & Priamum fleuisse filios suos extinctos. quare à fletu tandem cessandum, & Cæsaris triumphis congratulandum.

Vulnus.

LACÆNA, ad quam filius ex acie rediit saucio pede grauiter cruciatus: Si uirtutis, inquit, fili memineris, cùm solutus dolore, tum bono animo eris. Plutarchus in Laconicis apoph.

Cùm Philippus Macedonum rex in Triballis femore lancea traiecto è periculo quidem euolasset, sed claudicate angeretur: Bono animo pater es, inquit ALEXANDER, ac prodi in publicum: quò uirtutis ingrediendo memineris. Plut. orat. 1. de Alexandri fortuna.

Cæcitatem.

AVGVSTVS Cęsar, Gallum Terinium senatorẽ minus sibi familiarẽ, sed captum repentè oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando reuocauit ad uitam. Suet.

Morbum.

Odè tertia Pythiorum PINDARVS consolatur Hieronem calculo laborantem, ut malum istud fortiter perferat: nec dolore uictus, quippiam indignum sua persona, & regia maiestate faciat: quin potius infortunium quodcunque, & ualetudinem corporis aduersam, status sui culmine celet: quòd turpe sit & inhonestum, uiro præcipuè magno, frangi & uinci doloribus.

Cladem.

ANVS Ebronita, oraculo edocta, fore ut postridie illius diei Saulus Iudęorum rex, qui eam dissimulato habitu consulebat, cum filiis eo prælio caderet, quod cum Philistæis instabat, iacentem & afflictum regem consolata est: saginatúmque illi uitulum apposuit, ut nõ solùm animum, sed affectũ etiam corpus reficeret, magis pristinæ quàm præsentis fortunæ memor. Sab. lib. 3. cap. 8.

Q. FAB. Maximus, qui ante pugnam Cannensem timidus habebatur & pusillanimis, tunc omnibus immenso luctu inaniq; oppressis trepidatione, solus per urbem placido incedebat gradu, uultuq; intrepido & benigno alloquio planctus muliebres sedabat, cœtus arcebat eorum, qui in comploratu familiarum in publicum prorumpebant. Auctor etiam Senatui fuit conueniendi. Plut. in Fabio.

CRATIPPVS Mitylenæus Peripateticus, quem Athenis docentem audiuit Ciceronis filius (ut est in Officiorum procœmio) Cneum Pompeium è Pharsalica clade fugientem, apud Mitylenem occurrens, ultrò solatus est uerbis philosophicis, ad spemque hortatus, cùm quiddam de prouidentia disseruisset, resq; Romanas tandem labi esse necesse, adfirmaret. Plutarchus in Pompeio.

Exilium.

Cùm Dauid exul & uagus in saltu Ziphi cum suis lateret, insidias Sauli regis metuens, IONATHAN Sauli F. ad eum ꝓfectus, cum diuinitùs cõfirmauit, & sine metu esse iussit: neque enim in Sauli potestatem esse uenturum, sed regnum in Israelitas obtenturum. Itaque fœdus denuò cum Dauide renouauit. 1. Regum 23.

Demetrius Phalereus, quum apud Thebanos exul inglorius uiueret, & intellexisset CRATETEM Cynicum philosophũ se uisendi gratia aduentasse, ad se uocauit. Quem ut de fortiter & moderatè ferendo exilio disputantem audiuit: Malè sit, inquit, omnib. negotiis & occupationibus, per quas hactenus talem uirum non licuit audire. Laertius lib. 5. cap. 5. & Plut. de Dignos. adulatore.

ANAXANDRIDAS Spartanus Leontis filius, cuidam acerbè ferenti, quòd cogeretur urbe exulare: Ne, inquit, uir optimè exhorrescas exulare ciuitate, sed à iustitia exulare horrẽdum est. Sensit, non esse miseros, quibus pręter meritum acciditaliqua, sed qui sua sponte discesserunt ab honesto, etiamsi nulla sequatur calamitas. Plut. in Lacon. apoph.

Cùm Alexander in Olympiis ius fecisset omnibus exulibus, in suam cuiq; patriam redeundi, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit EVDAMIDAS, præconiũ, sed uobis, ô Thebani, gloriosum. Solos enim uos metuit Alexander. ne scilicet reuersi in patriam, molirentur uindictam. Plutarchus in Lacon. apophth.

QVOMODO.

Oratione.

Παραμυθεῖσθαι, aut παρηγορεῖν, propriè est alloqui alium, leuandi & minuendi doloris causa. Sic apud Senecam in Troade Vlysses:

Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est.

Et ad locutum mulieres ire aiũt, cùm eunt ad aliquam locutum, consolandi causa. Varro lib. 6. de Lingua Lat.

Scripta.

M. T. CICERO liberos habuit duos, Marcũ, & Tulliã. q̃ primũ Pisoni Frugi Crassipedi denupsit, pòst Cornelio Dolabellæ, apud quẽ è partu interiit: cuius mortem impotẽtissimè Tullius accepit. Cõsolati sunt eum per epistolas Cn. Pompeius, C. Cæsar, Ser. Sulpitius, & præsentes alij magni uiri quamplurimi. Sed cùm illi nihil Ciceroni uiderẽtur prodesse, ipse se decreuit consolari, scripsitq; librum, quem Consolationẽ dixit, de filiæ morte. In 1. Tuscul. quæst. dicit se luxisse uitam hominum in eo libro, in quo seipsum, quantum potuit, consolatus est. L. Viues in lib. 19. Aug. de Ciuit. Dei, c. 4.

Anutius Seuerinus BOETHVS Romanus cõsul, à Theoderico rege Gothorum falsis criminibus in exilium Ticinum relegatus, Ciceronis imitatione librum de Consolatione scripsit carmine & prosa, uti Iul. Martianus Rota in eius uita scribit. Cæterùm Henr. Glareanus Boethi uix esse putat, quando nulla Christi ab homine Christiano, in argumento maximè conueniente, mentio fiat.

Prophetia.

Cùm in mari Adriatico ad Melitam insulam nauis, qua uehebatur PAVLVS Apostolus, naufragium passura uideretur, consolatus est illos omnes Apostolus: in somnis se ab angelo didicisse asserens, nauim quidem cum mercibus perituram, at Deum sibi omnes, qui unà ueherentur, condonasse, numero CCLXXVI. Actorum 27.

Poesi.

ANTIMACHVS Colophonius extincta coniuge sua Lyde, leuamen sibi doloris elegiam condidit, quæ Lyde uocatur: enumerauitq; ad eleuandum miseriis alienis mœrorem sui ærumnas heroicas. Plut. in consol. ad Apollonium.

Cantu.

Messorum cantus λυτιέρσης fuit, quemadmodum apud Theocritum scriptum est. Ferunt Midæ Phrygis F. Lytiersam Celęnas habitasse. Eum, agrorum cultui quum præter modum studeret, uiatores ad conuiuia inuitatos cogere solitum, ut secū essent in opere messorio: pigriores etiam uerberibus afficere. Alij addunt defatigatione sopitos etiam obtruncare: corumq; capitib. abiectis, tum inter manipulos conditis cadaueribus canere. Nonnulli aiunt in messe nimio studio capiū atq; delassatum labore interiisse. Quidam ab Hercule prætereunte, atq; de more inuitato, uictum interfectumq, ac in Mæandrum fluuium proiectum. Redarguitur hoc temporũ supputatione. Non enim Midæ atq; Herculis secula conueniunt. Quocunq; fato usus sit, illud constat: COLONOS ad patris solatium lugubrem cantum condidisse, quem posteri anniuersario cultu ad aras Messorias celebrarent. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 4.

Vino.

ARCHILOCHVS dum languet ob sororis uirum, qui in salo perierat, uino & lusu obniti statuit ęgritudini suę: causam afferens haud improbabilem:

οὔτέ τι γὰρ κλαίων ἰήσομαι, οὔτε κάκιον
θήσω τερπωλὰς καὶ θαλίας ἐφέπων.
Non etenim flendo medebor, nec uoluptates sequens
Apud epulas, quicquam mali afferam.

Plutarchus de Audiendis poetis.

Ioco, Scurrilitate.

Cùm rapta fuisset Proserpina, ac Ceres eius mater ieiuna illam quæreret, ab Hippothoõte Neptuni & Alopes filio, & à Meganira hospitio fuit excepta. Meganira illi & mensam parante & uinum miscente Dea mœrens recusauit. IAMBE Meganiræ ancilla deam mœstam uidens, ridiculas narratiunculas & sales iambico metro ad commouendam deam ad risum & sedandum dolorem interponebat. Quare genus illud carminis non antè obseruatum Iambicum ab illa dictum fuit, Nicãdro teste in Alexipharmacis. Natalis Comes Mythol. lib. 3. cap. 16.

Obsecundatione.

Vladislao Hungariæ & Boemiæ rege obitum Annæ reginę ex puerperio defunctæ impotenter lugente, PRINCIPES hanc unam regem consolandi rationem inuenere, ut Ludouicum infantem, licet præter morem, se diademate coronaturos, & regnorum consortem facturos pollicerentur. Quo ille nuncio recreatus, habitum purpureum sumsit, & lotus atq; tonsus epulo interfuit publico. Dubrauius lib. 32.

QVALITER.

Artificiosè.

ANTIPHON Atheniensis tragicus cõmentus est artem ad animi mœrorem leuandum, qua ueluti medicus ægris animis subueniret. Atq; ideo cùm Corinthi uersaretur, propè forũ domicilium habuit: scripto professus, se ægris animis curationem adhibere. Gyraldus de hist. Poetarum.

Aptè, Accommodatè.

SOLON Atheniensis cùm ex amicis quendam grauiter mœrentem uideret, in arcem perduxit, hortatusq; est, ut per oẽs subiectorũ ædificiorũ partes oculos circumferret. Quod ut factum

factum animaduertit: Cogita nunc tecũ, inquit, quàm multi luctus sub his tectis olim fuerint, hodieq; uersentur, insequẽtibusq; seculis sint habitaturi: & mitte mortalium incõmoda, tanquam propria, deflere. Quã cõsolatione demonstrauit, urbes nihil esse aliud, quàm humanarum cladium consepta miseranda. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Cùm Magnus ALEXANDER ob Clytum interfectum modò non desperaret, Plutarchus partim Aristandri monitu lenatum scribit, partim Callisthenis suauissimo sermone: sed multo plus Anaxarchi peropportuno adagio, qui ad eum repentè ingressus, quum alia ad regiam potestatem pertinentia, tum illud inclamarit: Ius & Fas proinde, si nescis Alexander, Ioui comminus assident, ut quicquid regibus facere libuerit, licere id, ac rectè fieri intelligatur. Sabellicus libro 6. Enn. 4.

ARISTIPPVS philosophus, cùm quidam ex necessariis eius uehementi & acerbo luctu seipsos conficerent, cũ alia multa ad sedandum mœstitiam in medium attulit, tum hæc exordij uice: At ego nõ uenio, ut ad uestros dolores meũ adiungam, sed ut uobis omnem mœrorem ex animis eximam. Aelianus lib. 7. de Varia historia.

Philosophus QVIDAM priscus, sed ἀνώνυμος, huiuscemodi sermone Arsinoes reginæ luctum compescuit: Quum Iupiter, inquit, inter dæmones rerum faceret partitionẽ, Luctus non aderat: sed distributione iam peracta, uenit. Huic igitur quũ Iupiter aliquid honoris tribuere uellet, nec esset, quod daret, quippe iam consumtis omnibus, tandẽ assignauit illi cũ honorẽ qui mortuis impenditur, ueluti lacrymas & mœrores. Quemadmodũ igitur, inquit, cæteri dæmones bene uolunt ijs, à quibus coluntur, itidẽ & Luctus. Quòd si fuerit abs te contemtus, ô mulier, haudquaquã uẽturus est ad te: contrà si diligenter abs te colatur honorib. illi designatis à Ioue, mœroribus ac lamentis, diliget te: semperq; tibi suppeditabit aliquid earũ rerũ, quibus abs te perpetuò possit honorari. Plut. in Consolatione ad Apollonium.

Ineptè.

ELIPHAS Themanita, BALDADVS Suhita, & SOPHAR Naamathita, Iobum, fortunis omnibus amissis, & corpore miserrimè affecto, nudum in fimo sedentem procul cõspicati, ploratum magna uoce ediderunt, & lacerata toga, & puluere in capita consperso, sederũt apud eum humi per septem dies, totidemq; noctes taciti, cùm uiderent, quanta esset doloris magnitudo.

Serò.

ILIENSES tardius ad Tiberiũ Cæsarẽ, mortẽ Drusi deploraturi, uenerant. Quib. ille hoc unũ reposuit, se quoq; uicẽ illorũ dolere, qui Hectorẽ ciuẽ pręstantissimũ amisissent. Suet.

Ludicrè.

Pacuuius flens Ario uicino suo ait, Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, iam nunc tertia. Cui ARIVS, Miror te in tot successib. lacrymas inuenisse. & iterum, Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit? & tertiò, Amice, dede mihi ex arbore illa, quos serã, surculos. Cic. 2. de Orat. & Quintil. lib. 6. Cælius lib. 14. cap. 14.

CONSOLATIO NVLLA.

Ex Tit. Desperationis, item Eorum, qui sibiipsis manus uiolentas intulerunt, huc quædam, quatenus Consolationem omnem uel ab amicissimis oblatam respuunt.

CONDOLERE.

Condolere & Popularitatis est, & Amicitiæ, & Iustitiæ. Vide loca illa.

Sybari à Crotoniatis direpta, MILESII omnes puberes comas totonderunt, in signum luctus. Herod. lib. 6.

THESEVS priusquam ueniret in Atticam, instituit sacra quædam, quæ ludis ac lætitia peragerẽtur, quædam contrà, quæ mœrore luctuq;. Cæterùm cùm appulisset in Atticam, quoniam multos reperit squalidos ac mœstos ob mortem regis Aegei, qui desperato filij reditu, præ dolore semet è saxo præcipitẽ dedit: multos contrà lætitia gestientes ob filij reditũ: institutũ est, ut in ὠσχοφορίᾳ (id est nomen festo à gestandis ramis) non nuncius ipse, sed caduceũ coronaretur: deinde qui sacris interessent, emitterẽt has uoces, ἐλελεῦ, ἰοὺ ἰοὺ, id est, eia heu, quarũ prior gratulationis est, & in bellicis pæanib. cani solet (quod liquet ex Aristophanis Pace, ubi crebrò repetuntur illa, ὢ ἔα, ἔα μάλα, ὢ ἔα, ἔα ὤ) altera luctus est. Vnde & ὀφρὺς dictus Gręcis, & αἰάζειν. Hęc uidelicet est imago uitę mortalium. Plutarchus in Theseo. Erasmus in Adagiis.

Tiberius Cęsar ILIENSIVM legatis paulò serius eũ ob mortuũ filium Drusum consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria irridens: Se quoq; respondit uicẽ eorũ dolere, quòd egregium ciuem Hectorẽ amisissent. Suetonius.

Nerua post Domitianum Imp. creatus, cùm in curia à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnib. ARRIVS Antoninus, uir acer, eiq; amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimẽs, amplexus eũ, gratulari se ait Senatui & populo, prouinciisq;, ipsi aũt nequaquã: cui satius esset malos semper principes eludere, quã tanti oneris uim sustinentẽ, haud molestiis modò & periculis subiici, sed famæ etiam inimicorũ pariter & amicorũ esse obnoxiũ: qui cùm se mereri omnia præsumant, si non quod concupiuerint extorqueant, atrociores hostibus fiunt. Cuspinianus.

NON CONDOLERE.

Ex loco Inurbanitatis & Perfidiæ in non condolendo huc quædam.

CONQVERI.

Senis IPHIDIS querela, simul aspicientis tria funera, filij Eteoclis, filiæ Euadnæ, & Capanei generi percussi fulmine, apud Eurip. in Supplicibus talis est:

εἴ μοι τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε,
νέους δὶς εἶναι, καὶ γέροντας αὖ πάλιν;
ἀλλ' ἐν δόμοις μὲν ἤν τι μὴ καλῶς ἔχῃ,
γνώμαισιν ὑστέραισιν ἐξορθούμεθα·
αἰῶνα δ' οὐκ ἔξεστιν. εἰ δ' ἦμεν νέοι
δὶς, καὶ γέροντες, εἴ τις ἐξημάρτανεν,
διπλοῦ βίου λαχόντες ἐξωρθούμεθ' ἄν.

Heu mihi, cúrnam mortalibus non datur hoc, iuuenes bis fieri, & senes deinde iterum? In re domestica si quid perperam fit, cura posteriore corrigimus: uitam uerò non licet. Quòd si fieremus iuuenes bis, & senes, si quis peccasset, duplicem uitam adepti corrigeremus.

STREPSIADES in Nubibus Aristophanis, malè acceptus in schola Socratis, sic ait:

φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροιά,
φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς,
καὶ πρὸς τούτοις ἔτι κακοῖς,
φρουρᾶς ᾄδων ὀλίγου φροῦδος γεγένημαι. id est,
Cassi nummiq;, cassusq; color,
Cassa est anima, cassæ soleæ:
Hisque malis accedit & illud,
Dum canto uigil penè interij. Erasmus in Adagiis.

THEOPHRASTVS moriens naturam accusasse dicitur, quę ceruis atq; coruis uitam longæuam dedisset, hominib. non item, qui uita longa maximè digni essent. Laertius.

CORNELIA Mitylene Cn. Pompeio marito ex acie Pharsalica profugo occurrit. Procedẽte ei obuiam Pompeio, exanimatamque atque in ipsum se reiicientem complexo: Video te, inquit, iactari uir non pro tua fortuna, sed mea una huc eiectum scapha: qui ante Corneliæ nuptias quingentis nauibus hoc mari es prouectus. Quid me uidere uoluisti, nec duræ reliquisti sorti, quæ tanta te quoque obruit calamitate? Quàm sim mulier fortunata, si ante nunciatam Publij Crassi, cui uirgo nupseram, apud Parthos cædem expirassem: ac sapiens, si eo defuncto uitam, ut institueram, profudissem? Atqui seruata sum, ut essem & Magno Pompeio cladi. Sic fatam perhibent Corneliam, ac Pompeium respondisse: Tu uerò unam nosti Cornelia fortunam secundam, quæ tibi quoque forsitan imposuit, quòd solito diutius me sit comitata. Cæterùm hæc nobis, qui noti homines sumus, sunt ferenda, iterumq; periclitanda sors. Neq; enim abijcienda spes est illa recuperandi ei, huc qui ex illis recidit. Plutarchus in Pompeio.

TITVS Imp. cùm in itinere ad Sabinos febre correptus lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum: multumque conquestus, eripi sibi uitam immerenti. Neque enim extare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. Suetonius.

Seruitores MOSCHI de dominis suis sæpe conqueruntur, quod ab eis non uapulent. Credunt enim se dominis displicere, signumq; indignationis esse, si non frequentius uerberentur & obiurgentur. Guuagninus in descriptione Moschouię, cap. 4.

VLCISCI. PVNIRE.

Vltio in malis abigendis per talionis legem: Ira uerò in succensendo ei, qui auctor est mali, spectatur. Iræ interdum iungitur ultio, interdum non iungitur. Vltio plerunque ab iratis, sæpe etiam à non iratis obitur. Proinde inter Effectus Affectuum meritò numeranda. Consule locos Seueritatis & Crudelitatis & Iustitiæ in puniendo.

QVI.

Magistratus.

Fuit magistratus apud CVMÆOS, quem Phylactum uocant, cuius erat munus, in frequentem senatum uenire, reosque manu apprehensos, de quorum iudicio agebatur, detinere: donec de illorum præmio aut pœna patrum decreto statueretur. Alexan. lib. 3. cap. 5.

Apud PERSAS moris est, ut quos rex exitio destinat, zona apprehensos apparitorib. tradat interficiendos. Diod. lib. 17.

Vincti, Capti.

LEHEL Hunnorum princeps quidam à Conrado Imp. ad Augustam Vindelicorum captus, &, Quid ita contra Christianos sæuirent? interrogatus: Humanorum (inquit) scelerum sumus ultores, & quum uos persequi desinimus, tunc capimur, & obtruncamur. Admiratus hæc Imperator, optandæ mortis potestatem obtulit. Lehel antequam optaret, tubā, qua in bello utebatur, postulauit: qua data, Conradi caput fregit: Præibis (inquit) ad inferos, & ibi mihi seruies. Credebant enim Scythæ, quoscunq; in hac uita cæderent, eorū se in altera seruitio esse potituros. Bonfinius lib. 10. Decadis 1. fabulam esse putat.

MONS accola montis Silicei, in Patauino agro, proditionis cum Arnaldo fratre insimulatus, ad Ecelinū tyrannum deductus, animos ei faciente innocentia, magnis clamoribus uociferabatur, Neque se, neque suorum quenquam proditionis infamia ac crimine unquam laborasse. Quæ uerba cū tyrānus è palatio audiret (Veronę res agebatur) descendit, toruoq; uultu, Proditor etiā hiscere audes? exclamauit. Quo uerbo Mons commotus, nequaquam excusare obiectū crimen amplius cogitans, in tyranni collum inuasit, eundemq; prostrauit, & pugionem quo cinctus erat adimere contēdit. Id cùm nequiuisset, in terram prostratum unguibus atque dentibus ita deformauit, ut uix multis diebus sanari uulnera possent: tandemq; oppressum interfecisset, nisi ab astantibus, præsertim à Iacobo Schinello milite Patauino interfectus fuisset. Fulgosus lib. 9. cap. 3. & Bernard. Scardeonus lib. 3. classe 13. hist. Pat.

QVOS.

Seipsum.

OLAVS rex Noruegiæ animum aliis rebus occupatū habens, cultello baculum fortè in sarmenta conscidit. Cùm autem ab astante per iocum de uiolatione diei Dominici admoneretur, scindulas studiosè collectas, manuiq; suæ impositas incendi iussit: ut in se ulcisceretur, quod contra diuinū præceptum incautus admiserat. Cranzius lib. 4. cap. 8. Metropoleos. ex Saxonis lib. 10.

Patriam.

ALCIBIADES cùm audiuisset se mortis à ciuibus condemnatum esse: Re ipsa igitur, inquit, demonstrabimus, nos adhuc in uiuis agere: ueniēsq; ad Lacedæmonios, Decelicum bellum aduersus Athenienses mouit. Aelianus de Var. hist. libro decimotertio.

Monachos.

Monachi illi ueteres, quinto post Christum seculo, habuerunt corrigendorum delictorum disciplinam, quam publicā pœnitentiam subinde nominat Cassianus. Ea fuit eiusmodi, ut qui deliquisset, in synaxi seu publico omnium fratrum congressu in terram prostratus, tamdiu ueniam demissè peteret, quamdiu solennitas orationum esset finita. quam quidē impetrabat, ubi Abbatis iudicio de terra surgere iussus fuisset. Ea autem emendatione tantùm leuiora delicta expiabātur: qualia sunt, si quid per negligentiam fuisset uel fractum uel perditum, si non in tempore ad conuentus accessisset, si durius aut contumacius etiam respondisset, si in Psalmorū modulationibus titubasset: si mandata item statuta officia minus diligenter expediisset, si dimisso congressu non rectà ad cellulam rediisset, si cum alio præter suum contubernalem confabulatus fuisset, si cum suspenso ab oratione orasset: si cum parentibus uel amicis, hominibus politicis, absque Senioris permissu collocutus fuisset: si denique literas sine Abbatis auctoritate uel dedisset, uel accepisset. Nam grandiora illa & magis atrocia, ut sunt conuitia, manifesti contemtus, contradictiones tumidæ, nimis dissolutus & effrenis incessus, cum mulieribus familiaritas, iræ, rixæ, simultates & iurgia, auaritiæ contagium, rerum minus necessariarum affectatio & possessio, postremò & extraordinaria & furtiua cibi refectio: plagis uel eiectione ex sodalitio puniebantur. Cassianus cap. 16.

Seruos.

VEDIVS Pollio seruum, qui uas crystallinum ruperat, ad supplicium rapi iusserat, & murænis dari prędam. Et iam actum erat de seruo, nisi ad Cæsaris Augusti pedes se prouoluisset, non mortē deprecaturus, sed mortis genus. Demiratus crudelitatem Cæsar, ueniam exorauit puero, & omnia Pollionis uasa confregit.

COMMODVS Imp. ira percitus, balneatorem in fornacē ardentem coniecit, quòd balneum intraturus, tepidiusculum inuenisset. Rauisius.

QVI uernam suum Romæ de aliquo flagitio iudicasset, huic imperabat, ut duplex lignum, quod plaustris subdunt, sustolleret, atque per uicum uel uiciniam sub omnium oculis transiret, ne ei fiderent in posterum, sed ab eo cauerent. Hoc lignum Græci στήριγμα, Romani appellant furcam. Vnde dicitur, qui hoc circumtulit, furcifer. Plut. in quæst. Rom.

Hostes.

Antonino Caracalla Imp. post captum Augarum Osroenorū regem, bellum cum Cennis gente Celtica gerente: CENNI tanta ira in Romanos irruebant, ut tela, quibus uulnerati erant, dentibus euellerent ex corporibus, ne manus in illis cędendis defatigaretur. Dion Nicæus.

Proscriptos.

Diuiso inter se Romano imperio, LEPIDVS, ANTONIVS, atque OCTAVIVS, triduum continuum, eorum notandis nominibus, quos morti designarant, consumserunt, morem sibi inuicem de iis, quos odio habebāt, gerentes: in eorum numero fuit Lepidi frater, item Antonij auunculus, & Octauij quidam amici, quos alij odio insequebātur. Proscriptorum igitur numerus, quorum capita ad Triumuiros deferebantur, fuit trecentorum senatorū, ac duûm millium equestris ordinis, qui inter epulas, aut cum uxoribus cubantes, ut fortè deprehensi erant, occidebantur: quorum corpora, quia sepeliēdi facultas sublata erat, passim inhumata iacebant. Dion & Xiphilinus.

Condemnatos.

LACEDÆMONIIS Lycurgi lege cauetur, ut nisi in cōuictū & prætoris iudicio condemnatum, nulli pœna noxæ merita inferatur. Quam legem Agesilaus, cùm de reo omniū nequissimo sumendum supplicium foret, quòd in patriam cōiurarat, abrogauit: ne diu negotium discutiendo pœnam iure debitam frustraretur. Alex. lib. 3. cap. 5.

Apud ROMANOS, ubi quis noxium & exitiale crimen admisisset, nisi die ad populum dicta, & reo de crimine accusato & conuicto, dieque constituta causę dictionis, causaque populi iudicio probata legitimè, supplicium capitis de Romano ciue sumere non licebat. Dicebatur autem dies ad populum, à magistratibus uel tribunis plebis, quibus ius dicendi diem data facultas fuit: nonnunquam à priuatis. Siquidem Lucullus, quum nullum magistratum gessisset antea, Seruilio auguri peculatus diem dixit: & M. Cotta, uirili toga sumta, Cn. Carbonem reum postulauit. Eoque producto ad populum, accusatoribus testibusque adductis, si noxæ capitali & uero crimini locus erat, de reo supplicium sumebatur iudicio populi. Quinetiam non solùm de ciuis Romani capite, sed nec de bonis, nisi ex decreto senatus & populi placito, aut eorum, qui ius dicunt, omnibus sententiis statutum fuisset, decerni lege nihil poterat. Ipsi tamen, qui reus agebatur, ne imparatus & insciens accederet ad causam, cūcta, quæ ab accusatore mouēda erant, per custodē debebāt innotescere & significari, ut diluēdi criminis & obiecta purgandi facultas foret. Accusatori uerò subscriptores aderant, qui ea, quæ accusationi conferrent, summissius suggerebāt & præibant. Idem.

Innocentes.

SAVLVS rex Abimelechum sacerdotem, quòd Dauidē hospitio excepisset, simul etiam Nobeam hospitalē urbem incendit, ciuibus omnis sexus & ætatis peremtis. 1. Regum 22. Idem contorsit spicula nonnunquam in Dauidem, ut cū träsfigeret. 1. Regum 18.

SENNACHERIBVS Assyriorum rex fugiens è Iudæa, ultionis causa in multos Iudæos sæuiit. Tob. 1.

HERO-

HERODES rex uidens sibi illusum à Magis, iratus occidit omnes pueros. Matth. 2.

IOANNES Andreas Lampugnanus Mediolanēsis ciuis, qui patrimoniū alea ac prodigalitate decoxerat, in iudicio contendebat cū Branda Castilionēse, Comēsi episcopo: cumq; litis detrimenta grauiter faceret, & ut fieri solet, in Galeaciū principem malorum suorum causas conferret: in tantam rabiem exarsit, ut neglectis, quæ supererant, fortunis, cùm sextum mensem in ea animi perturbatione perseuerasset, ingressum sancti Stephani fanum principē tribus comitibus adiutus interemerit. Dum apparitorum telis confoderetur, sæpius, Ita mori uolo, horrenda uoce exclamauit. Fulgosus libro nono, capite tertio.

QVOMODO. PER MALA ANIMI. Puta

Mœrore, Desperatione.

In Meroe apud Aegyptios si quid REX deliquit, nulla afficitur pœna: sed cunctis auersantibus, & quotidianum cōgressum negantibus, mœrore & tabe conficitur. Alex. li. 3. cap. 5.

Si PATER filium occidisset, ut continuo triduo circa defuncti corpus genitor assiduus filij spectator esset, sanciuerūt AEGYPTII: nulla iustiore pœna, quàm facinoris conscientia ipsum puniri arbitrati. Alex. lib. 3. cap. 5. ex Herodoto.

CORPORIS. PER

Supplicia in genere.

Plato in Gorgia & philosophi pleriq; nō ignobiles, duplicem puniendis peccatis putant esse causam, unam commonitionis, alteram animaduersionis, τιμωρίας καὶ κολάσεως. Commonitio delinquentis causa fit, quum ei, qui peccauit, uel pecunia, uel leui coërcitione multa dicta est. quod eò fit, ut deinceps qui deliquit, ad bene honesteq; uiuendum promtior & emendatior fiat. Ea pœna per leges inferri solet, quum leuiter delictum fuit: ut si iudici aliquid præcipienti contumaciùs paritum est, uel si prætoris dicto quis audiens non fuit. Animaduersio uerò, non ipsius, qui pœna afficitur, sed reliquorum, qui supersunt, gratia adhibetur: ut metu pœnæ, ne simili exemplo fiant, reliqui eadem nota deterreantur. Nam delictum, quo impunitius, eo effrenatius fit: quia nisi fuerit uindicatum in noxios, proposita impunitatis spes mortalium animos criminibus inuitat. Ea animaduersio infertur in uiros facinorosos, & magnis criminibus obnoxios, ut in reos sacrilegij, maiestatis, parricidij, peculatus, aliosq; nefarios & consceleratos, qui propter aliquod inauditum facinus pœnas scelerum iure & lege persoluunt. Alex. lib. 3. c. 5.

ROMANORVM secures fascibus alligatæ erant. Etenim leuiter delinquentes, nudatos uirgis cædere, aut in latomias dare solebant: qui locus erat custodiæ destinatus, iuxta Tullianum & forum Piscarium, à Tarquinio Superbo primùm institutæ. Grauioribus uerò criminibus obnoxij, tergo & capite luebant, uel de saxo & robore deiiciebantur: erat enim rupes uasta in Tarpeio, foro superstans. Aut resoluto plumbo necabantur, uel unco tracti in scalas Gemonias dabantur præcipites. Alex. lib. 3. cap. 5.

Coërcitio, animaduersio in facinorosos, duplex est, Grauis & Modica. Grauis est, ueluti cū gladio, aut metalli pœna, aut deportatione, aut uerberibus animaduertitur: quæ etiam Capitalis dicitur in l. noxis, 200. ff. de uerb. signific. Modica est, ueluti ut quis in carcerem ducatur, aut uirgis cædatur. Hotom. de Verbis iuris.

Supplicia capitalia.

Mos est AETHIOPIBVS, neminem subditum, etiam damnatum, morte punire: sed quidam ex lictoribus præferens mortis signum ad reum mittitur: quo accepto, reus domum abiens sibi mortem consciscit. Commutare mortem exilio, ueluti mos est apud Græcos, nefas habetur. Ferunt quendā misso ad se mortis signo, cogitasse ex Aethiopia fugere: quod præsentiens mater, zona ad filij collum posita, nequaquam manibus reniti ausum, ne suis dedecori esset, strangulauit. Diod. lib. 3. cap. 1. & Herodotus lib. 2.

In INDIA maiori, regnum est Var, in quo D. Thomam & occisum & sepultum tradunt. Capitali supplicio afficiendus precibus à rege contendit, ut sibi in honorem dei alicuius occumbere potius liceat, quàm carnificis manu inglorium interfici. Si rex clemēs uotis annuat, à propinquis suis magno cum gaudio per urbem ducitur, celebri pompa, cathedræ insidens, cultellis acutissimis collo circumquaque imminētibus. Vbi ad supplicij locum deuentum est, magna uoce se in huius uel illius dei honorem moriturum asserens, cultello uno arrepto, uulnus sibi qua parte uult infligit, inde altero, & itē tertio, donec uiribus deficiens, ab amicis honorificè comburatur. M. Paulus Venetus lib. 3. Orient. rerum, c. 24.

Τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον, Tria mortis genera. Capitis condemnatis tria proponebant, GLADIVM, LAQVEVM, CICVTAM. Qui ad mortem ducebantur, ijs ea dabatur licentia, ut cibo & potu impleti, tria dicerent, quæ uellent: postea os eis obturabatur. Suidas.

CLEOMENES tyrannus Methymnæorum tres uel quatuor lenas, quæ apertissimè lenocinari solebant, liberasq; mulieres prostituere, in saccis ligatas iussit mergere. Hermippus in libris de septem Sapientibus hoc ipsum fecisse narrat PERIANDRVM. Athenæus lib. 10.

Cædebatur uirgis morti addictus apud ROMANOS, deinde necabatur. Interim cùm facinus non erat graue, satis habebant uirgis cædere. Tum etiā qui creditoribus propter debita à iudicibus addicebantur, multa turpia & miseranda patiebantur nexi apud creditores, multasq; seruili more in tergo plagas. Huic malo subuenēre leges Porcia & Semproniæ, quæ liberum corpus Romani ciuis uirgis aut alijs uerberibus cædi uetant.

Supplicia non capitalia.

MOSYNOECI ultra Carambim flumen, regem, quem delegere, si quid prauè deliquisset, totius diei inedia multabāt. Alexand. lib. 3. cap. 11.

SABACVS Aethiopum rex, Anysin Aegyptiorum regem cæcum regno expulit, & 50. annos in Aegypto regnauit. Hic neminem facinorosorum morte multabat: sed pro sui quēque delicti magnitudine ad agendam certam mensuram aggerum ad urbem, quam quisque incolebat, cogebat. Ac ita urbes sunt subliniores effectæ, ne Nili inundatione periclitarentur. Herod. lib. 2.

Aethiopum REGEM quendam fuisse legimus, qui delinquentium crimina non mortis pœna, sed Nasi mutilatione puniret: ut eam moris turpitudinem ueriti, circumspectius à criminibus abstinerent. Persarum rex quidam, quum ciuili tumultu, fœdo esset conuitio iactatus, adeò exarsit, ut totius populi nares rescinderet. Alex. lib. 3. cap. 5.

Homo quidam CHIVS, ira contra seruum incensus: Non, inquit, in pistrinum ego te detrudam, sed Olympia ducam. Rectè enim ille putabat, multò durius esse supplicium, si Olympiæ in spectaculis à radiis solaribus coqueretur, quàm si in molam ad molendum dederetur. Ael. de Var. hist. lib. 14.

DRACVLAM Transalpinæ Vngariæ præfectum memorant Turcis sæpe captiuis pedes excoriasse, contusoq; sale perfricuisse: mox lingentes salsis plantis capras adhibuisse, quæ linguæ asperitate cruciatum augerent Bonfinius lib. 10. c. 3.

Olaus Magnus lib. 11. cap. 31. Aquæ Gelidæ pœnam seruis contumacibus, aut iis, qui sacra statis diebus non accesserint apud SEPTENTRIONALES irrogari scribit. Eos namq; testes, accusatores, & iudices sonoro æris tympanorumq; strepitu, ad congelatas aquas eductos, genibusq; innixos, nudato collo, cernuos guttatim gelida aqua omnium applausu perfundunt. Interdum ea gratia conceditur, ut simul & semel toto nudato capite aquę urna perfundantur. Aliud glaciale supplicium est, ut glacie duobus in locis perforata, reus funi longo alligatus, & in aquam præcipitatus, subtus glaciem celerrimo motu per alterum foramen extrahatur.

FORTVITA. Vtputa

Publicatione bonorum.

Sectio Latinè dicitur, quæ postea Confiscatio appellari cepta est, quum alicuius bona publicantur: deriuata ex eo appellatione, quòd prædam ex hostibus captam milites inter se secabant ac diuidebant. Hotoman. de Verbis iuris.

Vastatione.

Gothorum rex TOTILA, recepta urbe Roma, quam ei Belisarius à Iustiniano in Italiam missus ademerat, oratores ad Iustinianum Constantinopolim misit, petitum, ut ipsius Iustiniani auspicio ac nomine, obtinere ac regere urbem ipsam liceret. Cùm autem Iustinianus conditionem repudiaret, urbem incendio ruinisque totam deformauit, murisq; nudauit. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

Sterilitate.

Fabula narratur, cùm uetitum fuisset à SENATV Rom. mulieribus carpentis, quæ equis iuncta essent, uti, coitionem eas ad ulciscendū uiros inter se fecisse, ne conciperent, nec parerent: dum mutata sententia hæc eis indulsere. Matres autem factæ liberorum proborum & multorum, Carmentæ Euandri matri fatidicæ, Nicostratæ aliàs dictæ, quasi Carpentæ, ædem extruxerunt. Plut. in quæst. Rom.

Ignominia.

Corona ex lana ignominiæ loco adulteris deprehensis & conuictis imponitur GORTINÆ ciuitate Cretæ. Ipsa coronatio redarguebat eius mollitiem, timiditatē, mulierositatem. Itaq; æstimata ei publicè quinquaginta staterum summa, ad turpissimam infamiam redacto, omnes ad gerendam in rep. dignitatem uiæ interclusæ erant. Ael. lib. 12. Var. hist.

Apud INDOS, qui maximi criminis reus agitur, hanc luit noxam, ut à rege Tonderi iubeatur. Stobeus serm. 42.

HEBRÆIS uino abstinere, maxima censebatur multa. Alexander lib. 3. cap. 5.

Excommunicatione.

Apud DRVIDAS & CERCETES Galliarum populos, sacrificio interdicti, inter impios consceleratosq; habebantur. Alex.lib.3.cap.5.& Stobæus Serm.42.

Friderico Barbarossa coronam imperij suscipiente in Italia, Arnoldus Moguntinus archiepiscopus, & Hermannus Palatinus comes igni ferroque se mutuo attriuerant. In comitiis Ratisponensibus causam dicere iussi. Episcopo propter ætatem & dignitatem uenia data. Hermannus uerò cum aliis decem nobilibus, qui consiliorum participes fuerant, canes per milliare Germanicum portarunt Auentinus ex diplomatibus Cæsaris, anno Salutis 1156. Otto Frisingensis libro secundo de gestis Friderici.

Tantum apud ANGLOS ordini tribuitur, ut sacerdoti uel de maiestate damnato, aliisue sontib. qui reliquis initiati sunt ordinibus, uita concedatur, iis etiam, qui legere sciunt, præter maiestatis crimen dãnatis, uita cõceditur, carceribus. inclusis. Quòd si casu euaserint, ne spes ulla uitæ amplius sit, in palma manus sinistræ sub pollice inuritur homicidis M. littera, quia Anglicè *murdre* homicidium dicitur: furibus uerò T, quòd fur *Theft* uocatur: qui sic stigmatiæ effecti, si in peccato rursus inuenti fuerint, tum meritas illicò dant pœnas. Cuius instituti author fuit Henricus VII. in cõcilio, anno regni secundo. Polyd.lib.26.Angl.hist.

Insectatione.

Plato dicitur amicos admonere solitus, ne quẽ HOMINEM poeticum sibi redderent inimicum. Est enim, ut ait Flaccus, genus irritabile uatum, & in his sunt, qui fœnum habeãt in cornu. Itaque ARCHILOCHVS maledico minabatur, τέττιγα πτεροῖς συνείληφας, Cicadam ala corripuisti: uirulentum iambum meditans, quali Lycamben cum filia, nuptias eius aspernante, ad laqueum compulerat.

Auersatione.

Apud MEMPHITAS homicidij reus, ab oppidis & commercio hominum exterminabatur: donec à Gymnosophistis expiatus, in patrium solum & lares proprios restitui merebatur. Alex.lib.3.cap.5.

In TAPROBANA insula si quid rex delinquat, morte multatur, nullo interimente, auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. Festa uenatione absumitur: gratissima ea tigribus elephantisq; constat. Plin.lib.6.cap.22.

Nonnullæ circa Caucasum GENTES, etiam pro criminibus maximis nullum morte afficiunt, sed exilio multant, urbeq; & agro exterminant: quod in Seripho insula fieri adnotatum est. Strabo.lib.11.

Sataspes Theaspis F. cùm uitiasset filiam uirginem Zopyri, Megabyzi F. MATER, Darij soror, ne à Xerxe in crucem ageretur, maius se ei supplicium irrogaturam dixit, & ut Africam omnem pernauigaret, usque ad Arabicum sinum, iniunxit. At is extra columnas Herculis euectus, tædio peregrinationis in Aegyptum rediit, quòd nauigium ultrà agi nõ potuisset, causam afferens. At Xerxes locutum uera negans, hominem in crucem sustulit. Herod.lib.4.

CLAVDIVS Imp. quosdam nouo exemplo relegauit, ut ultra lapidem tertium uetaret egredi ab urbe. Suet.

ALEXANDER Seuerus Imp. notarium, qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis, ita ut nunquam posset scribere, deportauit. Lampridius.

QVANDO.

Noctu.

LACEDÆMONII, quos mortis supplicio dignos putarunt, noctu, non die plectere consueuerunt: causas uerò iudices occlusi, neminem uidentes, ex clamore concionis iudicabant. Alex.lib.3.cap.5.

Apud ROM. noctu sumere supplicium de nocente non licebat: quia nota esse supplicia ad aliorum emendationem publicè censuêre. Idem.

Tardè, Serò.

TIBERIVS in eos, qui grauioribus rebus contra se deliquerant, ab initiò non animaduertit: quanquanquam progrediente tempore de plerisq; supplicium sumpserit. Dion Nicæus in Tiberio.

CVR.

Consule locos Iustitiæ Correctiuæ tum Profanæ tum Religiosæ.

Ob Ignorantiam.

NABVCODONOSOR rex Chaldæorum, occidi iussit omnes sapientes Babyloniæ, eo quòd somnium, quod uiderat, non poterant interpretari. Daniel.2.

Ob Cædem.

AVGVSTVS bellorum ciuilium, quorum quinq; gessit, causam habuit, ut necem auunculi Iulij Cæsaris uindicaret, & acta tueretur. Suetonius.

Domitiani Imp. mortem grauissimè tulerunt MILITES, qui Petronium uno ictu, Partheniũ amputatis genitalibus & in os coniectis iugulauêre, tanquam autores cædes. Sueton.

OLHA Plescouiensis, Igori Russorum principi nupta, cùm ille à Malditto Dreuulianorum principe cæsus esset, & Dreuuliani XX. legatos ad eam misissent, ut Malditto nuberet: eos uiuos terra obruit: suosq; interim legatos ad eos misit, si se principem & dominam expeterent, ut plures atq; præstantiores legatos mitterent. Mox alios selectos quinquaginta uiros ad se missos in balneo suffocauit: aliosq; legatos misit, qui aduentum suum annunciarent, iuberentq; apparari aquam mulsam, aliaq; ex more ad parentandum marito defuncto necessaria. Ad Dreuulianos cũ uenisset, maritum planxit, Dreuulianos inebriauit, quinq; millia illorum occidit. Chiouuiam reuersa, exercitum conscripsit. Dreuulianos fugientes in castrum persecuta, obsidione ad integrum annum pressit: pòst interpositis conditionibus, tributum illis de qualibet domo, tres uidelicet columbas, totidemque passeres imperauit: acceptasq; in tributum aues, continuò alligatis sub alas igneis quibusdam instrumentis, dimisit: quæ cùm ad columbaria sua reuolarent, incendium secum attulerunt. Itaque occupatis omnibus Dreuulianorum castris, ulta mariti mortẽ, Chiouuiam reuersa, & anno mundi 6463. in Græciam profecta, baptismum sub rege Ioanne Constãtinopolitano suscipit: commutatoq; nomine Olhæ, Helena uocata est. Hæc prima inter Ruthenos Christiana fuit, ut annales eorum testantur, qui eam soli æquiparant. Sigismundus Herberstenius de reb. Moschouiticis.

Ob Minas.

Apud PERSAS summum fuit supplicandi genus, quod abnuere nefas esset: si ignem tenens supplex atq; amnem ingressus denunciaret, si reiectus esset, ignem se in aquam missurum. Assequebatur enim, quod postulabat. Sed uoti compos, minarum causa ut nefariarũ & à natura abhorrentium plectebatur. Plut. de Primo frigido.

Ob Reprehensionem.

Eò bello, quod cum Belisario Gothi gesserunt, cùm unus militum Constantini tribuni, Romano iuueni insignem speciei ensem ademisset, atq; Constantinum Belisarius reprehenderet, quòd tam insolenter agi à sui ordinis milite pateretur, reprehensioniq; minas pro imperio adderet, nisi gladius restitueretur: CONSTANTINVS præ iracundia pugione Belisarij pectus petiit. Propter quod facinus statim laqueo enectus fuit. Fulgosus lib.9.cap.2. ex Procopio.

Ob Mendacij obiectionem.

Engerranus Marinius apud Philippum Pulchrum Francorum regem omnia poterat. Is per iurgium CAROLVM Valesij comitem, regis fratrem, mentiri dixerat. Mortuo Philippo, Carolus sub Ludouico Hutino Engerranum falso peculatus crimine circumuentum ad furcam adegit. Aemil.lib.8.

NON VLCISCI, NON PVNIRE, IGNOSCERE.

Ab ἀοργησίᾳ hoc differt eundem in modum, quo ab Ira Vltio. Exemplis scatet locus Clementiæ, & Indulgentiæ, Fidei erga patriam. Iustitia correctiua non punit insontes: Iniustitia huic contraria sontibus ignoscit.

QVI. Vtputa

Reges.

DOMITIANVS Imp. inter initia usqueadeò ab omni cæde abhorrebat, ut absente adhuc patre, recordat⁹ Vergilij uers.

Impia quam cæsis gens est epulata iuuencis,

edicere destinauerit, ne boues immolarentur. Suetonius.

ANTONINVS Pius Imp. quum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluit placare, quàm ulcisci seditionem. Lampridius.

ALEXANDER Mammeæ natura mitis, & mansuetus, cùm imperium ad annos quatuordecim tenuisset, sine cædibus regnauit. Suidas.

NERVA Imp. usqueadeo abstinuit ab omni cruoris effusione, ut cùm ab eo poscerentur ad exitium Domitiani percussores, ita commotus fuerit, ut neque uomitum, neque impetum uentris posset differre. Obstitit autem quoad potuit: æquiùs esse mori dictitans, quàm auctoritatẽ imperij fœdare, proditis auctoribus, à quibus summam rerũ accepisset. At milites neglecto principe (uisus enim ob ætatem cõtemtior) requisitos, uno ictu Petronium, Parthenium uerò excemtis prius genitalibus & in os cõiectis, iugulauêre, ut tradit Aurelius.

THEO-

THEODOSIVM iuniorem Imp. tanta animi moderatione fuisse aiunt, ut nunquam ira commotus fuerit, neque grauiùs unquam animaduerterit in eos, qui sibi iniuriam intulissent. Eius rei causam cùm quidam ab eo quæsiuissent, respõdisse ferunt: Vtinam & eos, qui iam dudũ mortui sunt, in uitam reuocare possem. Immò clemẽtia usqueadeo excelluit, ut non defuerint qui eam grauiter reprehenderent, quòd nimirum sæpius manifestorum criminum reos, & iam morti adiudicatos, dũ ad supplicia educerentur, absolueret & dimitteret. Socrates lib.7.cap.22. Nicephorus lib.14.cap.3.

D. LVDOVICO Francorum rege nemo unquam lenior faciliorq; ueniæ supplicibus dandæ fuit. Aemilius lib.7.

SIGISMVNDVS I. Polonorũ rex, cùm à uiro senatorio ob nimiam clementiam reprehenderetur: Si seueritati plus quàm clementiæ sit tribuendum, inquit, quî scis, à quo exordiar? innuens, neq; illum culpæ exortẽ esse, & ad multa nonquam conniuendum esse Rempub. administranti. Proinde multos capitis reos uita donauit, nõnullis inustam iure infamiam sustulit: nullius propemodum bona confiscauit: cõfiscata etiam iis, quorum fuerant, reddidit: exules & proscriptos reuocauit: sine accusatore quidem & indicta causa neminem damnauit. Cromerus in primo Epitaphio.

QVIBVS. IGNOSCERE

Damnatis.

SABACVS Aethiopum & Aegyptiorum rex, adeò sanguinis animaduersionẽ exhorruit, ut capitis reos damnatosq;, uinctos cathenis, operas ciuitatibus præstare iuberet, ne scilicet interimerentur. Herod.lib.3.& Diod.Siculus.

NERO Imp. sub imperij initia, cùm ei de more damnationis li belli exhiberentur, quibus subscriberet, gemebundus exclamauit: Vtinam nescirem literas. Suetonius.

Patriæ.

Amilcar Carthaginensium ductor excellentiss. multis bellis feliciter confectis, in inuidiam uocatus, & affectatæ tyrannidis falsò accusatus, morte multatus est, eiusque frater GISCON in exiliũ actus, publicata bona. Carthaginẽses inde aliis ducibus usi, cùm plerunq; turpiter superarẽtur, & in extremum seruitutis periculum uenissent, Gisconem ab exilio reuocarunt, eique summa belli commissa, suos fratrisq; inimicos ad supplicium tradiderunt. Giscon uinculis affectos iussit in conspectu populi in uẽtrem humi procumbere, atque ter incitato pede singulorũ colla conculcauit, inquiẽs, se satis magnas pœnas fraternæ cædis ab iis repetiuisse. His factis, inimicos dimisit, inquiens: Non malum malo ultus sum, sed bonum pro malo rependi. Poliænus lib.5.

CVR. CAVSA

Infamiæ augendæ.

Chij quidam quum apud SPARTANOS peregrinarentur, à cœna non solùm uomuerunt, uerùm etiam incacarunt in sellas Ephororum. Primùm diligenter inquisitum est, quínam essent tanti facinoris autores, daturi nimirum pœnas, si ciues fuissent. Cæterùm ubi compertũ est factum à Chiis, Spartani per præconem publicè proclamari fecerunt, Chiis licere intemperanter agere. Plutar.

Honoris defendendi.

Conuitiatorẽ ut expelleret PHILIPPVS Macedo monẽtibus amicis, negauit se facturũ, ne ipsum passim apud plures cõuitiis proscinderet. Plut. in apophteg.

Natalium.

Cùm unus de Euryclis accusatoribus insolenter & odiosè loqueretur, atque eò progressus esset, ut eiuscemodi quid iaceret: Si hæc Cæsar non uidentur tibi magna, iube ei, ut mihi Thucydidis septimum uolumen recitet. ira percitus AVGVSTVS ad cædem rapi eũ mandauit. Cæterũ ut ex stirpe intellexit hunc esse Brasidæ reliquum, accitum, atque modicè castigatum, dimisit. Plutarchus.

TOLLERE.

QVID. NEMPE

Leges, Consuetudines abrogare.

Sub loco Iustitiæ, Leges iniustas abolere.

Lex Oppia, lata fuit M. Oppio & T. Romuleo tribunis populi, Q. Fabio & T. Sempronio Coss. in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plusquàm semunciam aurei gestaret, neque uestimento diuersi coloris uteretur, neque uehiculo curruque in urbe oppidóue ad mille passus, nisi sacrorum causa, uteretur. At recepta Hispania, & subiugata Africa, tulerunt ad plebem de abroganda lege M. Fundanius & L. Valerius tribuni populi. Brutus & Titus Iunius legem Oppiã tuebantur, nec etiam abrogari se passuros aiebant. Ad suadendum uerò dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fauentium aduersantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec auctoritate, nec uerecundia, nec uirorum imperio contineri limine poterant. Omnes enim uias urbis aditumque in forum obsidentes, uiros descendentes ad forum orabant, ut florente republica, ac per consequens crescente in dies etiam priuata, omniumque fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc mulierum frequentia in dies: nam etiam ex oppidis conciliabulisque conuenerant. Iamque consules & prætores publicè rogare audebant, habebant tamen alterum Consulem Marcum Portium Catonem inexorabilem, qui pro tuenda lege publicè orationem habuit. Contrà uerò Lucius Valerius pro rogatione mulierum confutauit Marci Portij Catonis orationem. Vicit itaque mulierum petitio, ut lex abrogaretur. Omnes enim urbis matronæ & mulieres una acie in Capitolium conscendentes rogarunt omnes magistratus ac tribunos. Ex qua re tantus fuit mulierũ fauor, quòd omnes pariter iudicauerũt legem Oppiam esse abrogandam, quæ uicesimo, postquam lata fuerat, anno abrogata est. Io. Gerund. libro sexto Paralip. Hispaniæ.

ROMANI olim lege neptes ducere prohibebant, quæ ipsa tamen pòst sublata est tali occasione. Vir quidam pauper, cæterùm bonus, & cum primis popularibus acceptus, quum neptem, cui dos ampla esset relicta, in matrimonium accepisset, locuples ex eo & copiosus factus est. Eius rei accusatus, iudicio multitudinis absolutus est. Plebiscitum deinde factum, ut in ducendis uxoribus, ad neptes usque ascendere liceret, superiore necessitudine prohibita. Plutarchus in quæst. Roman.

Scripta abolere.

Consule locum Ignominiæ, Libri exusti.

IOACHIN Iudæorum rex scriptum Hieremiæ prophetæ in die ieiunij populo per Baruch amanuensem eius propositum sibi per ludi prælegi curauit. Sed uixdum tribus pagellis prælectis, quòd regis Assyrij incursionem, & Hierosolymorum deuastationem minaretur, arreptum codicillum scalpello discidit, & in ignem proiecit. Hierem. c.36.

Chaldæorũ REGES libros Mosaicos & propheticos omnes, capta Hierosolyma, exusserunt, teste Eusebio in libro Temporum. Quam deinde iacturam Esdras scriba uiuaci reparauit memoria. Vide Tit. Memoria excellentes.

Ephesiorum urbs MAGOS plurimos aluit. Qui ad fidem conuersi, congestos libros in conspectu omnium cremauerunt. Quorum precium L. numorũ millia superauit, hoc est, V M. ducatorum. Actorum 19.

AVGVSTVS tragœdiam scribere adortus erat Aiacem. Eam, siue iã quòd displicuisset, ut Macrobius refert, siue stylo nõ succedente, ut Suetonio uidetur, aboleuit & interrogantib. amicis, Quid Aiax suus ageret? In spongiam, inquit, incubuit.

Edidit Caligula Cæsar certamen Græcæ Latinæq; facundię in Gallia Lugduni, quo certamine ferunt uictoribus præmia uictos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. EOS autem, qui maximè displicuissent, scripta sua, spongia linguáue delere iussos, nisi ferulis obiurgari aut flumine proximo mergi maluissent. Suetonius in Caligula.

STILICO Honorij Cæsaris socer concitaturus in generum seditionem, uersus omnes Sibyllinos curauit abolẽdos. De quo facto loquens Claudianus inquit:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Antè Sibyllinæ fata cremauit opis. L. Viues in lib. 18. August. de ciuit. Dei, cap.23.

Saracenos ubiq; ROMANAS literas deleuisse, & libros exussisse, & suos substituisse, Iacobus Curio li.2. Chron. annotat.

IO. PICVS Mirandula elegiaco carmine amores luserat. Eos quinq; exaratos libris religionis causa ignibus tradidit. Multa itidem rhythmis lusit Hetruscis, quæ pari causa par ignis absumsit. Ioan. Franciscus in eius uita.

Edicta.

Diocletianus Imp. Nicomediæ edicto mandârat, ut qui ecclesiis præsiderent, ubique gentium in uincula traderentur, nisi uictimas Diis ritu gentilitio immolassent, ad quod omnibus tormentorum generibus cogerentur. Hoc edictum in publico propositum CIVIS quidam Nicomediensis ubi audiuit, raptim ad eum locum accurrit, ac tanquam impium manibus auulsum conscidit. Itaque primus omnium sacra martyrij corona donatus est. Sigonius li.1. Imp. occid.

Testamenta corrumpere.

Mortuo Philippo Maria, MEDIOLANENSIS populus ad liberta-

bertatem proclamauit, duodecim uiris electis, qui rempublicam administrarent. Castrum portæ Iouis captum ac dirutum est, & testamentum Philippi dilaniatum, quo Alfonsum Aragonium hęredem instituerat. Aen. Syl. c. 49. Europę.

CVR. CAVSA

Tranquillitatis.

CN. Pompeius Sertorij monumentis in Hispania potitus, in quibus multorum epistolæ principum erant, qui cùm præsentem rerum statum mouere & uersare remp. cuperent, Sertorium in Italiam acciebāt: omneis concremauit, pœnitentiæ locum dans, & ut corrigere se improbi possent. Plutarchus in apophthegmatibus.

Ignominiæ.

Vide locum Ignominiæ, Statuæ euersæ, Domus demolitæ, & similia.

CORRIGERE, EMENDARE.

SCRIPTA.

L. VARVS & PLOCIVS Tucca, uiri doctissimi, amici Virgilij, hæredesque ex parte testamenti relicti, iussu Augusti carmina Aeneidos emendauerunt, hac lege, ut nihil adderent. Seruius.

ARISTARCHVS Grammaticus obeliscis iugulare solitus erat, quæ parum probabat. Erasmus in Adagiis.

OVIDIVS de suis carminib. 1. de Ponto 6. hæc scribit:

Cùm relego, scripsisse pudet: quia plurima cerno,
Me quoq;, qui feci, iudice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic, quàm scribere maior,
Mensq; pati durum sustinet ægra nihil.

Idem 3. de Ponto 9.

Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem,
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.
Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

PERSII Satyrici notus est uersiculus:

Auriculas asini quis non habet?

Ferunt nonnulli primùm à poeta scriptum fuisse,

Auriculas asini Mida rex habet:

deinde metu Cæsaris scripturam mutasse, Quis non habet? Erasmus in Adagiis.

HIERONYMVS de sua uersione sic scribit in procœmio Paralip. Vbicunq; asteriscos, id est, stellas hoc in uolumine radiare uideritis, ibi sciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur. Vbi uerò obelus, transuersa scilicet uirga præposita est, illic signatur, quod LXX. interpretes addiderunt uel ob decoris gratiā, uel ob spiritus sancti auctoritatem, licet in Hebræis uoluminibus non legatur. Hæc ille. Quem laborem sic conferendi interpretationes & annotandi, primus sumsit ORIGENES, collata uersione Septuaginta cum Theodotionica, ut Hieron. est auctor, scribens ad Augustinum: qui quum hoc Origenis studium alibi uehementer probet, in epistola ad Aug. incesit, non sic emendatos codices dicens, sed per obelos & asteriscos deprauatos: quod ut diceret, transuersus est affectu impulsus, quòd interpretationem eius Augustinus nollet attingere, apud quem sacrosancta erat Septuaginta. L. Viues in lib. 18. August. de ciuit. Dei. cap. 43.

RELIGIONEM.

Vide sub Iustitia, Cultus diuini correctio.

MALEDICERE.

Maledicentiæ exempla sub loco Inimicitiæ, item Superstitionis in sacris.

Cicero pro Cælio: Aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, nomine ut notet, argumento probet, teste confirmet. Maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam: quæ, si petulantiùs iaciatur, Conuitium: si facetius, Vrbanitas nominatur. Muretus lib. 8. Var. lect. cap. 19.

Plutarchus in 2. libro συμποσιακῶν, capite primo, quid intersit inter σκῶμμα & λοιδορίαν docet. Cùm enim utriusq; rei uim inuolutam explicuisset, exemplis quoq; idem cōfirmare uolens, inquit: Qui salsamētarium quempiam apertè uocauit, cōuitium in eum iecit: qui uerò in eundē dixit, Meminimus cùm tu cubito emungebaris, scommate est usus. Victorius lib. 14. Var. lect. cap. 50.

Strabo lib Geographiæ XIIII. scribit, fluuiū esse nomine Letheum uicinum Libybus Hesperiis: huic imminere mōtem, cui nomen Thorax, in quo fama est, DAPHIDAM grammaticum cruci suffixum fuisse, quòd maledico carmine reges incessiuisset. unde dictum illud manarit in uulgus, φύλαττε τὸν Θώρακα, id est, Caue à Thorace.

REPREHENDERE, OBIVRGARE.

QVID. PVTA

Ignorantiam.

Pomponius testatur: Seruium Sulpitium, cùm in causis orandis primum locum post M. Tullium obtineret, ad consulendum MVTIVM de re amici sui peruenisse. Cumq; eum sibi respondisse de iure Seruius parum intellexisset, iterū Quintum interrogasse, & à Q. Mutio responsum esse, nec tamen percepisse: & ita obiurgatum esse à Mutio. Namq; eum dixisse, Turpe esse patricio, & nobili, & causas oranti, ius, in quo uersaretur, ignorare; Ea uelut contumelia Seruius tractatus, operam dedit iuri ciuili. Hotom. descript. Iurisconsultorum.

Stultitiam.

Cùm Androcles Pitensis legem quandam reprehendens dixisset, δέονται οἱ νόμοι νόμου διορθώσοντος, id est, Egent leges lege correctrice: exclamauit POPVLVS cū irrisione, καὶ γὰρ ἰχθύες ἁλός, Nam & pisces sale. Leges in hoc datæ sunt, ut ad harū regulam corrigantur hominum actiones. Quòd si ipsæ leges indigent correctione, leges non sunt. idque non minus absurdum sit, quàm si pisces marini dicantur egere sale. Aristoteles in Rhetoricis. Erasmus in Adagiis.

PHILIPPVS rex Macedonum epistola quadam Alexādrum, quorundam Macedonum beneuolentiam largitione ad se attrahere conatum, sic increpuit: Quæ te, fili, ratio in hanc tam uanam spem induxit, ut eos fideles tibi futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui compulisses? A charitate istud præstatur. At uerò antè Philippus maiore ex parte mercator Græciæ, quàm uictor. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Cùm LAMACHVS quendam manipuli ducem increpasset, quòd perperam quiddam egisset, isq; responderet, se non iterum commissurum quod commiserat: In bello, inquit Lamachus, ne licet quidem peccare bis. quòd primus error sæpe uitam adimat. Erasmus in Adagiis.

Ignauiam.

THEMISTOCLES, ut in ipsius uita refert Plutarchus, Eretrieo cuidam exprobrans ignauiam dixit: ἦ γὰρ καὶ ὑμῖν περὶ πολέμου τίς ἐστι λόγος, οἱ καθάπερ αἱ τευθίδες μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχετε. id est, Sanè, inquit, & uobis aliquid de bello dicēdum est, qui Theutidum in morem gladium quidem habetis, cor autem nō habetis. Quidam Theutidas putant esse, quas nos uocamus sepias. Sepia autem de genere mollium est, & arbitror huic generi cor non inesse. Erasmus in Adagiis.

THERICION, cùm uideret Philippi copias Isthmicas angustias occupasse, sic ait, κακοὺς πυλωροὺς ὑμᾶς ὦ Κορίνθιοι ἡ Πελοπόννησος ἔχει. id est, Malos ianitores uos ô Corinthij Peloponnesus habet. Siquidem angustias locorum Græci pylas, id est, portas appellant. Erasmus in Adagiis.

Impudicitiam.

DIOGENES Cynicus cùm adolescens quispiam, insigni forma, fœdum quiddam atq; obscenum dixisset: Ex eburnea, inquit, uagina plumbeum gladium educis. Erasm. in Adag.

Superbiam.

Apud Aristophanem in Ranis sub BACCHI persona Euripides reprehenditur ipsemet anteponens se Aeschylo:

Ὦ δαιμόνιε ἀνδρῶν, μὴ μεγάλα λίαν λέγε. id est:

Mirande uir, ne magna nimium dixeris.

THEMISTOCLES altercatam aliquando esse cum die festa posteram dixit. Siquidem illam laboribus & sudoribus esse districtam multis: se uerò fruenda præbere per otiū & quietem ad festum apparata. Ad quæ respondisse festam: Rectè sanè: at ni ego fuissem, tu non esses. Id Themistoclés Atheniensium ducibus, qui ei successerunt, ait: quasi nunquā conspicui fuissent, nisi urbē ipse cōseruasset. Plut. in quæst. Rom.

Formam.

SCVRRA quispiam Athenis iecit in Syllam, συκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας, ἀλφίτῳ πεπασμένον. id est, Morum est Sylla, farina uariegatum. Notauit autem formam Syllæ, in cuius facie alioqui candida, sublucebat rubor nō perpetuus, sed ueluti maculis inspersis. Ex Plutarcho Erasmus in Adagiis.

Scurrilitatem.

Plutarchus li. 7. Symposiacō 7. LACONIS uocē refert, qui Athenas profectus, nouis tragœdis pugnātibus, cùm cerneret choragorū apparatus, studiaq; doctorū & cōcertationem, dixit Insanire ciuitatem, quæ tanto studio luderet.

QVOS

QVOS. VTPVTA

Claros & illustres.

Vel tenuissimæ titubationes uirorum illustrium & clarorum traducuntur à POPVLO. Cimoni improperabatur uinum, somnus Scipioni, Lucullus splendidarum cœnarum causa obterebatur. Plut. ad Principē indoctum. & in Pręcep. polit. Lacydi cōma certo modo cōta, ac delicatior incessus, mollitudinis obiiciendæ locum dedit. Et Cn. Pompeio, quòd uno digito caput scalperet, qui à mulierositate & lasciuia erat alienissimus. Idem de Vtil. ex inimicis cap.

Populum.

Cùm Phocionis F. PHOCVS ad Atheniēses uerba faceret pro concione, reprehendens quandam in ipsis ingratitudinem, doctissimè & subirata uoce dixit: Malo damnum à uobis accipere, quàm ipse uobis damnum dare. Ael. lib. 2. Var. hist.

AVGVSTVS cùm pubem Romanam institutis austerè castigaret, obstrepentibus illis: Audite, inquit, iuuenes senem, quē iuuenem senes audierunt. Plut. an Seni resp. tractanda.

Senatum.

Victo ad Sirin amnem Leuino Coss. magna strage, misit Pyrrhus Epirotarum rex Cineam legatum ad Romanos, pacis explorandæ causa. APPIVS Claudius, qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens rep. abstinebat, rumore delato, decreturum senatum pacem, non potuit sibi temperare, quin seruis iuberet, ut tollerent se, & lectica per forum deportarent in curiam. Vt ad ualuas peruenit, exceperunt eum filij pariter & generi, cingentesque latera eius introduxerunt: Senatus autem reuerentia & honore eius conticuit. Ille graui oratione patres reprehendit, & ad bellum inflammauit. Plut. in Pyrrho.

C. CALIGVLA in ludicra illa sua expeditione Germanica absentem Senatum populumque grauissimo obiurgauit edicto, quòd Cæsare præliante, & tantis criminibus obiecto, intempestiua conuiuia, Circum & Theatra, & amœnos secessus celebrarent. Suetonius in Caligula.

Duces.

AELIVS Mantia Formianus, libertini F. ultimæ senectutis, L. Libonem apud Censores accusabat. In quo certamine cùm Pompeius Magnus, humilitatem ei ætatemque exprobrās, ab inferis illum ad accusandum, remissum dixisset: Non mentitis (inquit) Pompei, uenio enim ab inferis L. Libonem accusaturus. Sed dum illic moror, uidi cruentum Cn. Domitium Aenobarbum, deflentem, quòd summō genere natus, integerrimæ uitæ, amantissimus patriæ, in ipso iuuentutis flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate cōspicuum Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem, acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu cathenis, quas tu ei iniici iusseras, uinctum, obtestantem te aduersus omne fas & nefas, cùm in summo esset imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu prætorium uirum Perpennam, sæuitiam tuam execrantem: omnesque eos una uoce indignantes, quòd indemnati sub te adolescentulo carnifice cecidissent. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

Sophistas.

Scitum est illud Herodis Attici in palliatum, crinitum, barba ad pubem usque porrecta: Video barbam & pallium, philosophum nondum uideo. Erasmus in Adagiis.

Discipulos.

THEODORVS Gadareus Tiberij Cæsaris in arte rhetorica præceptor, perspiciens in eo adhuc adolescente sæuitiam quandam cum ingenij stupore coniunctam, inter obiurgandum illum subinde uocare solebat, πηλὸν αἵματι συμπεφυραμένον. id est, Lutum sanguine maceratum: luto tarditatem innuens, sanguine crudelitatem. Suetonius.

QVOMODO.

Blandè.

Consule locum Popularitatis.

NESTOR apud Homer. Iliad. 1. in concilio Græcorum dissidentibus proceribus, & Agamemnone fugam suadēte, Diomede uerò bellum, confidentia prudentiæ longo rerum usu cōparatæ Diomedis iuuenilē audaciā blādè reprehēdit: ἦ μὴν καὶ νέος ἐσσί, ἐμὸς δέ κε καὶ πάϊς εἴης.

CIMON quoties aliquid in Atheniensium suorum moribus reprehenderet, dicere solebat, ἀλλ' οὐ Λακεδαιμόνιοί γε τοιοῦτοι. id est, At non tales Lacedæmonij. Erasmus in Adagiis.

APELLES Alexandro Magno in officina multa imperitè dissereti de pictura, comiter suasit silentiū, admonēs illū rideri à pueris, qui colores terebant. Plinius lib. 35. c. 10.

Orta falsa fama, Asiæ regē Eumenem, Persei insidiis mortuum esse: Attalus frater, sumto diademate, uxorem eius in matrimonium duxit. Sed cùm postea Eumenes rediret, Attalus autem obuiam profectus, ut uenientem exciperet, timoris expers non esset, ob ea, quæ falsa inductus fama egerat: EVMENES minimè se commotum ostendēs, summissa uoce Attalo in aurem dixit: Nolito aliàs uxorem ducere, nisi antè certò sciueris, qui mortuus fuerit. Plut. in Apoph.

POMPONIVS Lętus cùm sua omnia dicta atque facta ad uetustatis imitationem componeret, Romanam quoque iuuentutem, si quando uel desidia uel improbitate peccaret, cum gemitu reprehendere solebat: At maiores uestri tales non fuerunt. Viues.

Seuerè.

VALENTINIANVS II. cum Iustina matre à Maximo tyranno ex Italia fugatus, Thessalonicam Aquileia naui uenerat, Theodosij Magni Imp. auxilium implorans. THEODOSIVS ubi Thessalonicam accessit, eum acriter obiurgauit, quòd à paterna fide recessisset, atque Arrianā hæresim tot Conciliorum sentētiis profligatam amplexus esset: adeoq; monitis, præceptis, & precibus circumuenit, ut ad Catholicorum partes attraxerit. Inde consilia de Maximo ulciscendo, ipsa etiam præsente Iustina, peracta. Posteaquam uerò Maximum bis uictum, Aquileię obsessum, milites dedidere, eo cæso, uictoriam insignem haud magno admodum certamine consequutus, Valentiniano ad se reuerso Imperium Italiæ reddidit, diligenter monito, ut, consiliis matris posthabitis, idem de Trinitate sentiret, quod à Nicenis patribus constitutum fuisset. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

MENEDEMVS Eretriensis, in obiurgādo summę erat auctoritatis & grauitatis. Cùm Eurylochus Cassandreus discipulus eius, cum Cleippide Cizyceno adolescente à rege Antigono accerseretur, renuit, metuens ne id Menedemus persentisceret. Cùm autem adolescens animi dubius hæreret, non quidem compellauit eum Menedemus: sed sumta festuca, in puluere depinxit illorum discessum. At cùm inspectantibus omnibus adolescens se magna notari ignominia uideret, pudore suffusus abiit. Laertius lib. 2.

NON REPREHENDERE.

Dignos reprehensione non reprehendere, Blanditiæ est, & Iniustitiæ tum profanæ tum religiosæ.
Indignos econtrà reprehendere nolle, & Veritatis & Iustitiæ.

VITVPERARE, CRIMINARI, VERA VITIA OBIICERE.

Sunt qui scribant, ANTIMACHVM recitantem apud Thebanos librum Thebaidos, cùm uidisset attentum neminē, clauso codice dixisse, ἀκούετε κάμινοι Βοιωτοί· βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε. id est, Iure uocamini Bœoti, qui quidē aures habeatis boum. uidelicet alludēs ad etymologiam nominis. βοῦς enim bos, & ὦτα aures, atque ex his Bœotorum nomen uidetur compositum. Erasmus in Adagiis.

Dionysius senior duos IVVENES acceperat multis probris se dominatumq; suū inter pocula aspersisse. Hos inuitauit ambos ad cœnam. Quorum cùm uideret alterū debacchantē, ac multas nugas per uinū euomentē, alterū non temerè, sed cautè poculis indulgentē: illum noxæ exemit, ut natura debacchatum, atq; ex crapula in cōuitia effusum: alterū ut infestū sibi & hostem, ex cōposito sustulit. Plut. in apophtheg.

Alcibiades cani, quem habebat mira specie septem millibus drachmarum comparatum, caudam truncauit: Vt hoc de me, inquit, loquantur ATHENIENSES, nec in aliis sint curiosi. Plut. in apophthegmatib.

Olim in Theophrastū philosophū præcipuū meretricula quædā nomine LEONTIVM ausa fuit scribere. Itaq; Plinius in præfatione Historiarum naturæ: Ceu uerò nesciā aduersus Theophrastū, hominem in eloquentia tantum, ut nomen diuinum inde inuenerit, scripsisse etiam fœminā, & prouerbiū inde natum, suspendio arborem eligendam.

Tiberius Cæsar ARTABANI Parthorū regis laceratus est literis, parricidia & cædes & ignauiam & luxuriam obiicientis, monentisq; ut uoluntaria morte, maximo iustissimoq; ciuium odio, quamprimùm satisfaceret. Suetonius.

CALVMNIARI, OBTRECTARE, FICTA CRIMINA OBIICERE.

Exempla octo memini legere, earum mulierum, quæ uiros à se impudicè appetitos, cùm eos ad restinguendum libidinis suæ ardorem flectere nequiuissent, calumniatæ sunt postea, tanquā ab ipsis tentatæ forent: eisq; partim crearunt ingēs pericu-

periculum, partim etiam exitium attulerunt. Horum unum est in sacra historia, de Iosippo Iacobi filio, qui cùm obtemperare heræ suæ, Putipharis VXORI, noluisset, structis ab ea calumniis in uitæ discrimen adductus est: atque hoc, ut quod omnibus notum sit, nihil est necesse pluribus uerbis exponere. Hippolytum quoq; Thesei filium ut PHÆDRA nouerca tentarit, seq; ab eo spretam uidens, reuerso ab inferis marito persuaserit, eum sibi uim afferre uoluisse (quanquam paulò aliter est apud Euripidem) utq; castissimus adolescens crudelissimè ob eam rem discerptus dilaniatúsq; sit, & lippis, ut ait Horatius, & tonsoribus notum est. Sed & Tenni Cycni filio, Neptuni nepoti, idem contigisse memoratur. Eius enim ephebi iam, &, ut Græci dicunt, ἀνδρόπαιδος desiderio tacta nouerca PHYLONOME, seu, ut alij uocãt, Peribœa, sermonem cum eo de stupro contulit. Reiecta & repudiata, insimulauit eum apud patrem, eodem planè modo quo Hippolytum Phædra. Credulus parens inclusum in capsam quandam filium proiecit in mare: tulit opem Neptunus innocenti nepoti, delataq; est capsa ad insulam Leucophryn: quam cùm incolæ aperuissent, remq; cognossent, non tantùm Tenni regnum detulerunt: sed etiam de nomine ipsius insulam Tenedon nominarunt:, quin & mortuum coluerunt pro deo. Eodem modo propè perditus est Bellerophon ab ANTÆA Prœti uxore, & Peleus ab HIPPOLYTE uxore Acasti: de quibus apud Horatium sunt illa:

Vt Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat pene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens.

HIPPODAMIA quoque, cùm eam ueheret Pelops, siti aliquando correpta esse dicitur. Cumq; Pelops, quærendæ aquę caussa descendisset è curru, iamq; longiùs abiisset (magnæ enim circùm solitudines erant) illa Myrtilum aurigam, cum quo sola remanserat, sollicitare cœpit, ut secũ rem haberet. Sed cùm Myrtilus morem gerere noluisset: accusatus est apud reuersum Pelopem, quòd ipsam uiolare conatus esset, ob idque proiectus in uicinum mare, quod ex eo Myrtoum usurpari cœpit. Philostratus lib. 6. de uita Apollonij. Timasionem quendam Aegyptium à NOVERCA. frustra adamatum, deinde illius calumniis solum uertere coactum esse narrat. etsi illa quidem alio quodam modo, quàm cæteræ, priuignum calumniata est. Deniq; FAVSTA, Maximiani filia, Constantini Magni uxor, eodem modo, ut Phædra, Crispum priuignum suum accusauit. Itaque Imperator optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus, immerentem filium morte multauit: idemq; postea, re cognita, etiam de uxore supplicium sumsit. Muretus lib. 1. Var. lect. c. 12.

ANAXIMENES Lampsacenus, Alexandri Magni præceptor & comes, ut Theopompum Damostrati F. inimicum suum ulcisceretur, librum scripsit ad Athenienses & Lacedæmonios, historia maledica exquisitissimè expressa: inscripto que Theopompi nomine, cuius stylum eleganter imitatus erat, eis librum misit. Itaque inimicitiæ aduersus Theopompum tota Græcia exarserunt. Suidas.

IVLIANVS Apostata contra Constantium mouens, orationem in Constantinum Maximum omnibus probris, contumeliisque refertam ad senatum misit. Quæ cùm, Tertullo adhuc urbis præfecturam gerente, recitaretur, succlamatum ab omnibus est: Auctori tuo reuerentiam rogamus. Nam & Constantinum ut nouatorem, turbatoremque priscarum legũ, & moris antiqui recepti carpebat, & apertè uitio dabat, quòd primus barbaros usque ad fasces & trabeas consulares auxisset. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Nero Imper. nullo conuitio magis offensus est, quàm quòd QVIDAM illum malum citharœdum appellasset. Erasmus in Adagiis.

EXPROBRARE.

QVID.

Impotentiam.

VALERIVS P. Clodio infenso sibi, Quid ait, duriùs minaris, quàm ut eam Dyrrhachium, & reuertar? Sumta iocandi materia de exilio Ciceronis, qui eò in exilium perrexerat, agente Clodio, confestimq; redierat. Macrobius, & Plutarchus.

Ignauiam.

AGAMEMNON rex Græcis ignauiam exprobrat, murum contra Troianos segniter defendentibus. Quũ priùs in Lemno sacrificantes inter pocula gloriati essent (Iliados θ.)

Τρώων ἀνθ᾽ ἑκατόν τε διηκοσίων τε ἕκαστος
στήσεσθ᾽ ἐν πολέμῳ· νῦν δ᾽ οὐδ᾽ ἑνὸς ἄξιοί εἰμεν
Ἕκτορος.——

Aetolus quidam Archedemus T. QVINTIO Procos. improperauit, dum ipse stricto gladio in pugnantes & conglobatos Macedonas currens se inferret, illum passis manibus ad cœlum tensis stetisse, & uota diis nuncupasse. Plut. in comparatione Flaminij & Philopœmenis.

Proditionem.

Lasthenes cùm apud PHILIPPVM regem quereretur, sese à nonnullis ex comitatu eius proditorem appellari: rudes natura esse & rusticos ait MACEDONAS, ac scaphã scapham uocare. Plut. in Regum apoph.

Beneficium.

Marcellinus, cùm in Senatu CN. Pompeium grauiùs proscinderet, quoniam ad Cæsaris partes inclinauerat, quantumuis multis à Pompeio beneficiis ornatus: Pompeius commotior, Nónne erubescis, inquit, ô Marcelline, dum honestè minus de meis rebus loqueris? An excidit, opera mea ex muto te uocalem factum, ex famelico uomitorem? Cælius lib. 21. cap. 9. Antiq. Lect.

Peloponnesus uarias urbes complectitur, & quidem clarissimas, Argiuorum, Spartanorum, Messeniorum, Arcadũ: quas ut quis quàm maximè muro uno complectatur, non iccirco tamen urbem unam efficiat. Quod ipsum Peloponnesiis Athenienses obiecisse LYSIAS in epitaphio Atheniensium memoriæ prodidit, Isthmum contra irruptionem Persarum munientibus: illos ne, si murum etiam uniuersæ Peloponneso circumducerent, saluos inde futuros, cùm nauibus eò facilè Barbari peruenire possent: se aũt à cæteris destitutos necessariò ipsos cum omnibus suis opibus adiuturos.

TOTILAS Gothorum rex Roma capta Romanos grauiter coarguit, quòd bonorũ ab Gothis immemores (quũ Theodericus Odoacrem tyrannum sustulisset, tributis liberos omni honore affecisset) nulla ab Gothis affecti iniuria, tam facilè ad Græculos defecissent: qui nullis rebus, nisi emungendis thesauris, studerent, ciuitates tributis onerarent, uectigalibus premerent. Meritò illos luisse luiturosque pœnas tam inhumanæ ingratitudinis. Cranzius lib. 3. Succiæ, c. 13.

HADRIANVS IV. Pp. Fridericũ I. Imp. ob non punitos latrones quosdam, qui Lundonensem archiepiscopum Roma redeuntem ceperant, grauiter reprehenderat, & per literas exprobrarat, Imperialis coronę insigne illi collatum, tanquam Beneficium illi magnum dedisset. Eo uerbo offensus est plurimùm Imperator, adeoq; res ad grauiss. schisma spectabat, nisi Pp. Beneficij uoce nõ se Feudum, sed Bonum factum intellexisse declarasset. Sigonius lib. 12. regni Ital.

CVI.

Dijs.

MYCERINVS Aegypti rex, cùm ex urbe Buti oraculum accepisset, fore ut sex omnino annos uiueret, septimo defuncturus, ægrè tulit: uicissimque misit ad oraculum contumeliosas querimonias, quòd cùm pater suus & patruus, qui deorum immemores templa clauserant, hominesque perdiderant, tam diu uixissent, ipse piè faciens tam citò foret uita defuncturus. Rursus ei oraculum respõdit: propterea eum properè uitam finiturum, quòd nõ id faceret, quod deberet. Oportere enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi: idq; qui ante eum fuissent, reges fecisse, ipsum uerò nequaquam. Herodotus lib. 2. in Euterpe.

Senibus.

ADMETVS rex Thessaliæ patri Phereti seni pro se mori recusanti exprobrat nimiam hanc uitæ cupiditatem. apud Eurip. in Alcestide.

Viris.

Ob factum Telesillæ (sub Tit. Mulierum bellicosarum.) ARGIVI celebrant Numenia cuiusq; mensis, mulieres uirilibus tunicis & chlamydibus, uiros autem peplis muliebribus amicientes, Hybristica, id est, probrosa appellata. Polyænus lib. 8. & Plut. de Virt. mul.

Inimicis.

SALLVSTIVS & CICERO inter se inimicissimi fuere. Ille huic impingit, quòd eloquẽtiam pudicitiæ iactura apud M. Pisonem perdidicerit, uxoremq; sacrilegam & filiam matris pellicem habuerit: hic uerò illi, quòd impudicissimi corporis quæstu uictũ sibi parauerit, patrem mori coegerit, quòd eo nondum mortuo pro hærede omnia decoxerit, bis item ad iudicum subsellia tractus in extrema steterit fortuna.

Discipulis.

Plutarchus in uita Periclis refert ANAXAGORAM Periclis in administrãda Rep. magno adiumẽto fuisse. Verùm ubi iam grauaret senectus, & à Pericle publicis intento negotiis negligeretur, decreuerat inedia finire uitam. Id ubi resciuit Pericles, accurrit ad ædes philosophi, precibusq; & lacrymis conatus est illum ab instituto reuocare; idq; sua ipsius caussa magis, quàm Anaxagoræ. At ille iam agens animam dixit, ὦ Περίκλεις, καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσιν. id est, O Pericles, & quibus lucerna est opus, infundunt oleum. exprobrans illi neglectum amici, unde non uulgarem capiebat utilitatem: quum qui egent lucerna, ob usum quemcunq; curent illam, abstergentes atq; infundentes oleũ: & quibus opus est fructu, stercorãt agrum. Erasm. in Adag.

QVOMODO.

Ioco.

Consule locum Vrbanitatis.

Seriò.

Ex præcedentib. pleraque huc, diuerso respectu.

ABOMINARI.

Differt ab Imprecatione: quòd illa absens Malum optat, hæc Malum, tanquam præsens, uoce detestatur. Vide locum Religiosæ Iustitiæ.

Krodo nomen erat idolo SAXONVM, à Carolo Magno euerso, quod Saturnum sunt arbitrati. Locus cultus eius, in Har- [redacted] uocabulum, ut quoties abominanda res est uisa, *Krodo* cum indignatione dicant. Cranzius lib. 1. Metropol. cap. 3.

[redacted] ACCVSARE.

[redacted]

Ath[redacted] sculptus stabat, lupin[redacted] SYCOPHANTÆ pecunia corrupti uersari cõsueuerunt, uelut apud deum quempiam sui quæstus præsidem, eiq; in dies singulos triobolus secabatur. Auctor Zenodotus, quanquam attigit & Hesychius. Suidas addit, Sycophantas fuisse decẽ numero, ueluti decem uiros referentes.

Erat hoc quæstus genus apud ueteres inuisissimũ, eorum qui in ius uocabant, ut ex damnato dicta multa portionem aliquam præmij loco ferrent. Vnde & Sectores dicti sunt, & Quadruplatores. Erasmus in Adagiis.

QVOS. PVTA

Seipsum.

MAGDALENA Crucia Cordubensis Abbatissa, cùm se infamem esse, plurimumq; suspectam magiæ nomine animaduerteret, seipsam consortij cum Sathana triginta annis habiti accusauit. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 3.

Probos, Innocentes.

FIMBRIA homo longè audacissimus, & quod inter omnes cõstat, nisi inter eos, qui ipsi quoq; insaniunt, insanissimus, cùm curasset in funere C. Marij, ut Q. Sceuola uulneraretur, diem Sceuolæ dixit, posteaquam comperit eum posse uiuere. Cùm ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commodè posset? aiunt hominem (ut erat furiosus) respõdisse, quòd non totum telum corpore recepisset. Cicero pro S. Roscio Ammerino.

Absentes.

Adnotari dicitur, qui absens in reos refertur. nam in grauioribus criminibus magistratus, qui absentẽ in reos recipiebat. edicta proponebat, quibus illi denũciabat fore, ut nisi intra annum adesset, eius bona confiscarentur: uti Martianus docet l. 1. & l. 2. ff. de requir. uel absent. Hinc adnotatio, apud Marcũ in l. 4. cod. tit. illa in reos relatio. Hot. com. Ver. iuris.

QVID.

Fama est τὸν ἀλιτήριον, id est quadruplatorem uel delatorem, ex sedulitate nomẽ inuenisse primùm. Nã cùm Athenis fame laboraretur, nec quibus triticum esset, id in medium afferrẽt, sed silentio & nocte domi molerent, quod Græcè ἀλεῖν dicitur, circumuersantes captabant molarum strepitum. Hinc ἀλιτήριοι sunt nominati. Perinde inuenisse sycophantam nomen uolunt. Siquidem cùm exportare uetitum esset ficos: qui indicabant & deferebant exportantes, sycophantæ uocati sunt. Plut. de Curiositate.

QVOMODO.

Scripto.

Apud SCOTOS est consuetudo (quæ MEDIOLANI est recepta, Indictum uocant) ut in cauum truncum, qui in Ecclesia est, liceat cuique chartulam iniicere, nomen Magi, rem gestam, locum, tempus, & testes exponentem. Is truncus præsente Iudice, Procuratore item Regis aut fisci (quibus singulis [illegible] clauis trunci, bina sera occlusi, commissa est) quindeno quoque die reseratur, ut clàm de iis inquiratur, quorum deprehensa fuerint nomina. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 1.

Voce uiua.

Ex præcedentibus quædam.

VBI.

In iudicio.

LVSTRICVS Bructianus, cùm Montanum Atticinum comitem suum in multis flagitiis deprehendisset, ad Traianũ Cæsarem accusauit. ATTICINVS contrà & Bructianum Præsidem suum accusabat. Etsi in odium prioris accusationis id facere uideretur, atq; recriminando magis, quàm accusando: tamen recepta cognitio est, amboq; simul & caussam dicere, & accusare iussi. ita enim uisum est potentiam Præsidis, comiti suo in accusando non nocere, & æquiore iudicio certari inter summam & humilem personam, si ambo rei, ambo accusatores essent. P. Aerodius ex Plinij libro sexto Epistolarum.

CVR. CAVSA

Patriæ.

Lex quædam Charondæ Thurij statuit, ne indicare homines affines alicui culpę haberet in se dedecus ac turpitudinẽ ullam apud LOCRENSES: uoluitq; nomina eorũ deferre, qui iniustè aliquid fecissent, honestũ esse: purumq; etiam ac pium illum haberi, qui secũ etiã sanguine maximè coniunctos, & omni deniq; necessitudine copulatos, indicasset. cuius sententiæ suæ rationem hanc reddidit: dixitq; nihil esse tam necessarium nobis, quàm patriam. Victorius lib. 26. Variarum lect. cap. 1.

Vindictæ.

Nero Cæsar intimos & familiares quosq; curauit interfici ex sermone MORIENTIVM: qui tamen nihil aliud inter moriendum spectabant, quàm ut de aduersariis ultionem sumerent. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 4.

Præmij. Quadruplatores.

Festus, Atticos quondam iuuenes solitos, ait, in hortos irrũpere, ficosq; delegere. Quam ob causam lege est constitutum, ut qui id fecisset, capite truncaretur. Quam pœnam qui persequerentur ob paruula detrimenta, SYCOPHANTAS appellatos.

QVADRVPLATORES, inquit Pedianus, accusatores siue delatores publicorum criminum, sub pœna quadrupli: siue quòd ipsi ex damnatorum bonis, quos accusauerãt, quartã partem consequebantur. Hotom. de Verbis iuris.

Lege Papia, certa delatoribus præmia constituta sunt. Nam quum facinorosi & perditi homines clandestina facinora admitterent, quæ ad aliorum perniciem & commune tendebant exitium: utileq; uideretur, plures delatores esse, qui offensas specularentur in principem: ne quid impunè perditissimi homines moliri possent, delatoribus certa præmia constituit: eaque quum dimidium illatæ multæ antea fuissent, Nero princeps delatorum licentiam uolens comprimere, eadem præmia ad quartas reuocauit: quare quadruplatores dicti, quòd quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequerentur Alex. lib. 4. c. 22.

NON ACCVSARE.

Hîc affectus Effectum consideramus. Ipse alioqui Habitus affectum regens, cum ratione uel absque, ad alios atque alios titulos pertinebit, Veritatis, Iustitiæ, Amicitiæ.

EXCVSARE.

Consule locum Veritatis, Popularitatis, & Vrbanitatis: sed & Amicitiæ Officiorum.

QVID.

Luxum.

ARISTIPPVS reprehensus quòd homo philosophus sumtuosè uiueret, Si, inquit, hoc esset crimen, dij non paterentur in suis sacris. Erasmus in Adagiis.

Tarditatem.

TRANIO seruus apud Plautum in Mostellaria, obiurgatus est ab hero, quòd non maturiùs redisset. Cùm ille se aliubi fuisse diceret, nec simul apud herum esse potuisse, & illud quod iussus fuerat, peragere; Si uoles, inquit, uerbum hoc

cogitare, simul flare sorbereque, haud factu facile est. Erasmus in Adagiis.

Limitationem.

MARONI cùm Zoili quidam uitio darent, quòd non paucos uersus Homeri pro suis usurpasset, respondit, hoc ipsum magnificum esse facinus, uel Ioui fulmẽ eripere, uel clauam extorquere de manu Herculis. Macrobius lib.5.Saturnal.

Formam.

Hector apud Homerum PARIDI comam, formam, & imbellem citharam opprobrarat:

Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης,
Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.
Ni tibi profuerint cantusq; & dona Diones,
Vel coma, uel species, in puluere congredienti.

Ad ea sic respondet Paris:

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης.
Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
Ὅσσά κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο. id est,
Ne mi opprobraris Cithereæ optabile donum.
Haudquaquam aspernanda deûm pulcerrima dona,
Quæ ultrò dant: neq; mox si quis uelit, auferet illa.

Erasmus in Adagiis.

QVI EXCVSARINT.

Pueri.

ALCIBIADES etiamnum puer cùm in palæstra ita prehensus esset, ut expedire se nequiret: manum eius, qui ipsum luctatione deprimebat, contra legem palestræ momordit. Qui cùm diceret: Mulierum more Alcibiade mordes: Minimè uerò, inquit, sed leonum more. Plut. in Apophtheg.

QVOS.

Milites.

CONSALVVS Magnus solebat dicere, quum humana iura uiolaret, Imperatori æqua uel iniqua ratione omnino esse uincendum, ut parta demum uictoria detrimenta illata miseris cumulata liberalitate sarcirentur. Iouius in C[illegible]o.

QVOMODO.

Ioco.

LYSANDER Lacedæmonius carpentibus eum, quòd astu tantùm, & fraude non apertè res gereret: Vbi desit, ait, leonina, ibi uulpina assuenda.

[redacted]

Seriò.

HIEREMIAS in matris utero sanctificatum se audit, & tamen ait: Eheu Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et tunc demum ad prophetandum populo se accinxit, cùm Dominus non iam inuitaret, sed imperaret, dicens: Noli dicere, quia puer sum: quoniam ad omnia, quę mittam te, ibis, & uniuersa, quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ad hæc ne quid dubitaret, tangit os eius: Et ecce dedi, inquit, uerba mea in ore tuo.

DEFENDERE.

QVOS.

Seipsum.

Mauricius Imp. D. GREGORIVM Pp. per literas Simplicem appellauerat. Id ipse epistola 75. lib. 4. ut urbanam stultitiæ exprobrationem interpretatur, & uerò candidè seipsum excusat, & modestè Imp. reprehendit, quòd eos, quos Deus Deorum appellatione dignetur, ipse fatuos uocare ausit.

Clientes.

Fuit apud ROM. non modica laus illis, qui ex claris familiis erant, quàm plurimos clientes, non modò cateruas togatorum, sed & tenuiores amicos habere, à quibus obseruarentur quotidie & colerentur, cumque his ad forum deducerentur frequenti comitatu: nanque maximi decoris erat, amplos uiros illustresque etiam ab infima plebe quotidie salutari, appeti, deduci, reduci, & consuli, eisq; decedi & assurgi. Nec nõ populis & fidelibus sociis, patronos publicè fuisse Romę homines honestissimos, summo loco natos, qui fortunarũ ꝓpugnatores erant, & ciuitatum defensores nõ pœnitendi, quorum studio & fide singula negotia in senatu facesserent, & promouerent. Siquidem Syracusani in clientela MARCELLORVM fuêre, Lacedæmonij in CLAVDIORVM, Puteolani BRVTORVM, Neapolitani LICINIORVM, Bononienses ANTONIORVM. Allobroges patrono FABIO Sanga usi sunt. MARIVS Herẽnijs, CÆSAR quoque Grecorum patrocinio plerunque affuit. Plebs denique ipsa sub patriciorum equitumq; Romanorum tutela per clientelas diuisa erat. Quod à Romulo à primis originibus institutum ferunt, ut plebeij singulos patronos ex patribus legerent, quorum consilio & auctoritate niterentur. Alexan.lib.5.cap.24.

Lege Elia fuit cautum, ut locuples in iudicio clienti adesset, in hæc uerba: Assiduo uindex assiduus esto. Dixêre autem assiduum, qui pluribus assibus & fortunis locuples foret. Alexan.lib.6.cap.10.

Insontes, Sontes.

☞ *Defendere Insontes, Iustitiæ est: Sontes, Iniustitiæ.*

Amicos.

ARCHEDEMVS Atheniensis, dicendi quidem agendique peritissimus, sed pauper, non quauis ex re lucrum quęrebat: sed quum bonorum studiosus esset, aiebat facillimè lucrum ex sycophantis obtineri posse. Huic igitur Crito (à Socrate persuasus, homines probos & opulentos bonorum amicitiis ueluti custodiis se munire oportere dictitante) quoties uel frumentum, uel oleum, uel uinum, uel lanas, uel quid aliud rerum in prædio suo nascentium, & ad uitam utiliũ colligeret, partem donabat: eundem quoties sacra faciebat, inuitabat. Archedemus uicissim Critoni patrocinabatur: & quendã ex calumniatorib. Critonis in iudiciũ protractũ eò redegit, ut & Critonẽ dimitteret, & multã insuper penderet. Id posteaquã iam Archedemus, aliaq; cõsimilia perfecisset: tũ uerò non aliter atq; ubi pastor aliquis bonũ canẽ habet, cæteriq; pastores haud ꝓcul ab ipso greges suos adducere cupiũt, ut eius canis opera fruãtur, ita & cõplures Critonis amici obsecrabãt, ut & ipsis Archedemũ custodẽ suppeditaret. Itaq; nõ iam solus Crito quiete fruebatur, sed etiã ipsius amici: ac si quis eorũ, quibus erat in odio, exprobraret ei, ꝙ perceptis quibusdã à Critone cõmodis, eidẽ adularetur: Verũ, inquit, turpe est, eũ, qui à probis hominib. beneficiis adfectus sit, uicissim beneficiũ præstantem eiusmodi homines amicos facere, & à prauis dissidere: an honestos & egregios homines lædere conantẽ, hostes eosdẽ efficere, peruersos aũt iuuando amicitiã eorũ cõciliare, horũq; potiùs consuetudine, quã illorũ uti? Ex eo tẽpore Critonis amicorũ in numero Archedemus, & apud cæteros amicos eius in honore fuit. Xenophon.lib.2.Memorab.

QVOMODO.

Iureiurando.

Mortuo in Sicilia Vigilio Pp. PELAGIVS diaconus haud dubiis totius cleri suffragiis est suffect⁹. Cũ aũt pleriq; religiosi, sapiẽtes, ac nobiles ab eius se cõmunione secernerẽt, ꝙ se ditionis cõtra Vigiliũ excitatę auctorẽ fuisse dicerẽt: cõsilio capto, unà cũ Narsete eunucho à S.Pancratij ęde ad S.Petri, hymnos ac cãtica canẽs processit, ibiq; euangelia & crucẽ Domini super caput suũ ponens, in ambonẽ ascẽdit, ac sanctissimum iusiurãdum iurauit, se illius seditionis prorsus expertem fuisse. Inde illud à clero populoq; astantẽ sibi confirmari postulauit, ne quis in Ecclesia ab ostiario usq; ad episcopum pecunia, aut promissis, sed doctrinæ tãtùm, ac uitæ meritis proueheretur. Sigonius lib.20.Imp.occid.

Bassus excõsul, & Marinianus Patricius, ob acceptã gratiæ postulatæ repulsam XYSTO Pp. infestiores effecti, crimẽ perdendi hominis gratia cõfixerũt, eumq; apud Valentinianũ III. & Placidiã matrẽ Augustos de stupro Chrysogonitę sacratæ uirgini illato insimularũt. Quo crimine audito, Augusti ac maxima pars populi ab eius se cõmunione remouit. Quod ubi Xystus animaduertit, Deo atq; innocẽtia fretus, in basilicã S.Petri cõcessit, & astante populo per Leonẽ diaconũ aduersarios ad ꝓbanda, quę intulerãt, crimina inuitauit. Cui populus eiusmodi iudiciũ Augusto aut clero mandandũ esse respõdit. Itaq;, cũ Valẽtinianus senatũ, Xystus clerũ ac monachos aduocassent: Epiphanius presbyter manantibus lacrymis aduersarios monuit, ut ao[illegible]rent, ne tã turpis infamiæ labes in Ecclesia reside[illegible]ximus excõsul, Immò uerò quiescãt, inqt: neq; enim fas est iudiciũ de põtifice Romano cõstitui. Quibus auditis Xystus subiecit: Quanquã ego eiusmodi recusare iudiciũ pro potestatis amplitudine possim, tamen subire placet, ut ueritas ad liquidũ exploretur. Tũ Valẽtinianus ad Bassum: Explica accusationẽ tuã, memor, te, nisi probaueris, põtifici atq; Ecclesiæ pœnas daturũ. Postquã autẽ ille perorauit, conuersus ad Xystum, Maximi sententiã collaudauit, ita ut ei defensionis suæ aut suscipiendæ aut prætermittendæ arbitriũ se concedere diceret. Tum Xystus, repugnante clero, defensionem suam instituit, illud præcipuè in dicendo denuncians, ne exẽplo suo ad dicendã caussam sui aliquãdo successores adigerẽtur. Atq; ita semet cõflata suspicione atq; infamia liberauit. Bassus & Marinianus cõmuni omniũ cõsensu digni, qui

qui communione excluderentur, existimati sunt, ita tamen ut uiaticum morituris non negaretur. Valentinianus & Placidia bona eorum Ecclesiæ addixerunt. Post tres inde menses Bassum mortuum Xystus omnibus pietatis o[illegible]ciis usq; adeo prosequutus est, ut corpus etiam eius in pa[illegible]um sepulcrum inferri permiserit. Sigonius lib.12.Imp.occid.

Armis, Vi.

LYSANDER Argiuis, qui de agri finibus ambigebant cũ Lacedæmoniis, ferebantq; causam tueri se, quàm illos, æquiorem, districto gladio: Hoc qui potitur, inquit, hic optimè disputat de agri terminis. Plut. in Apophthegmatib.

Cùm ad BAIAZETHEM Amuratis F. legati à Sigismundo rege Hungariæ uenissent, iniuriam querẽtes, quòd à nemine Hungarorum lacessitus aliena inuaderet, Bulgaros infestan[illegible]regno Hungariæ subiectos: iussit in parietibus suspe[illegible]ersi generis arma, tela, sagittas, acinaces, clypeos, sarissas, atq; in conspectũ legatis admissis: Dum, inquit, ista, quæ [illegible] nobis supersunt, superest ius quoq; nõ ad Bulgariam modò, sed ad Croatiam, Dalmatiam, & ipsam Hungariam. Secuta paulò pòst funesta ad Nicopolim pugna. Dubrauius lib.25.

Ismaël Sophus Persarum rex, à rege Armuzij insulæ, qui se Lusitanorum regi Emmanueli subiecerat, tributum solitum petebat. ALFONSVS Albuquercius Lusitanorum dux, rege admodum sollicito, legatos admonuit, ciuitatem illam & Armuzii regnũ Regis Emmanuelis esse, belli iure subactum, & Armuzii Regem in fidem Emmanuelis receptum, ita, ut sibi necesse esset iniuriam ab illo propulsare. Quod uerò ad tributum attinebat: se tributum regis ipsius nomine continuò soluturum. Ferculum deinde, in quod tributum erat in[illegible]stum, coram legatis ipsis euolutum fuit. Erant autem [illegible]ò globi ferrei; & sagittæ, & hastarum cuspides, & [illegible]stulæ. His explicatis, & in legatorum conspectu [illegible]itis, adiecit is, quem Albuquercius miserat: Hoc est tributum, quod Emmanuel Portugaliæ, & Algarbiorum, & Indiæ, & Armuzij Rex, pendere solet iis; qui à Regibus sibi subditis tributum exigunt. Osorius lib.6.rerum Em.

Oratione simplice.

Apud AREOPAGITAS fuit lege cautum, ut qui causam dicit, ne prooemio utatur; nec ad miserationem aut inuidiam adducat: quippe mouere affectus per præconẽ prohibebatur orator, ne cui pl⁹ in misericordia quã in causa spei esset.

Commemoratione meritorum.

EPAMINONDAS Thebanus postquam domũ ex Laconia repetiit, in iudicium capitis cũ collegis uocatus, quòd præturã suã contra legem in menses quatuor prorogasset: collegis iussit in se culpam transferre, quasi ui coactis: se quidem negauit meliorem gestis habere orationem. Sin omninò quid apud iudices dicendum sit, flagitare se, si damnent se rei capitalis, ut in pila condemnationem inscribant: quò intelligant Græci, nolentes Thebanos ab Epaminonda cõpulsos Laconiam uastasse annos intactam quingentos, Messenem ab annis triginta & ducentis cultoribus frequentasse, unum in corpus centuriasse & contraxisse Arcadas, restituisse Græcis immunitatem & leges suas. Hæc enim gesta fuerunt illa expeditione. Iudices igitur in cachinnos effusi exiere, ac ne calculos quidem in eum accepere. Plutarchus in Apophthegmatibus.

NON DEFENDERE.

Quidam uir Prætorius à Senatu petierat, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur. At cùm primò Legatis Veicetinorum cõtradicentibus TVSCILIVS Nominatus adfuisset, atque dilata causa esset: proximo Senatu uenerat quidem paratus ad agendũ, sed repentè abierat, deserta & destituta aduocatione. Rogatus causam, respõdit nõ fidem sibi in aduocatione sed constantiam defuisse: descendisse ut ageret, ideoq; se ab omnibus uisum esse in curia: sed amicorum sermonibus perterritum, discessisse: monitũ ne desiderio Senatoris, non tam quasi de nundinis, sed gratia, fama, dignitate certantis, adeò pertinaciter, præsertim in Senatu, repugnaret. Plinius Nepos lib.5.Epist.

RETORQVERE, REGERERE MALEDICTA, PROBRA, Dicteria, Accusationem, Reprehensionem, Criminationem.

☞ *Vide locum Vrbanitatis, & Veritatis.*

TEVCER in tragœdia quapiam in Agamemnonem sibi generis uitium probro uertentem, quòd nothus esset, regerit huiusmodi conuitium, quòd & ipse genus duxisset à Clisthene effœminato:

Μὴ τοὐμὸν ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν φῦλον σκόπει. id est,
Age non meũ, uerùm & tuũ inspicito genus. Eras. in Ad.

Adrasto improperarat Alcmęon: Cognatus es, uirũ quæ occidit, fœminæ: ADRASTVS uerò proprium non alienum flagitium reposuit illi: Tu parricida matris es, quæ te edidit. Plut. de Vtil. ex inim.

Clytęmnestra obiurgans ELECTRAM filiam, quòd per eam traduceretur, ut uiricida, uicissim audit,

Αἰσχροῖς γὰρ αἰσχρὰ πράγματ' ἐκδιδάσκεται. id est,
E turpibus enim facta turpia discimus.

significans, quòd filia de matre parum honestè loqueretur, ei imputandũ, quę necãdo maritũ, & filij necẽ moliẽdo, docuisset liberos odisse matrẽ. Id paulò pòst dicit explanatiùs:

Τὰ δ' ἔργα τοὺς λόγους εὑρίσκεται. id est,
Porrò ipsa facta, uerba reperiunt sua. Erasmus in Adag.

Cauilla & Dicteria potissimùm decent lacessitos: & repungenti ueniam dat & festiuitatem conciliat occasio. Ita DEMOSTHENES illi, q fur habebatur, cũ irrideret ipsius lucubrationes: Non ignoro, inquit, quòd lucernam accensam habeam, molestum tibi esse. & ad Demadem clamantem: Demosthenes me corrigere uult, sus Mineruam: Atqui hæc Minerua nuper in adulterio est deprehensa. Plutarchus in Præceptis politicis.

ANTALCIDAS Spartanus, cùm Atheniensis dixisset, Enim uerò nos subinde à Cephiso uos sumus insecuti: Nos uerò, inquit, uos ab Eurota nunquam. Plut. in Apophthegmatib.

PLATONI Diogenes dicebat, se cyathos & mensas uidere, cyatheitates ac menseitates, quas Plato cõmemorabat, non uidere. Sed uicissim audiuit, Nimirũ oculos, quib. cyathi & mensæ uidentur, habes: mentem, qua cyatheitates ac mẽseitates cernuntur, non habes.

CLEOMENEM Spartanorum regẽ cùm homo quidã turpis probris lacesseret: Ideóne, inquit, omnes tu probris lacessis, quo purgantibus nos de tuis uitiis uerba facere non uacet? Plut. in Apophthegmatib.

EPAMINONDAS Thebanus Callistrato Atheniẽsi, qui Thebanis & Argiuis improperabat Oedipodis parricidiũ patris, & Orestis genitricis: Atqui hos, respõdit, parricidas nos exterminauimus, uos recepistis. Plut. in Præceptis politicis.

DEMETRIVS Poliorcetes aulam Lysimachi Thracum regis nihil differre à scena comica dicebat: omnes enim ab ea exire dissyllabos (cùm Bithem Paridemq;, qui maximi erant apud Lysimachum, subsannaret, nonnullosq; alios amicos) à se uerò Peucetas, Menelaos & Oxythemides proficisci. At Lysimachus, Ego igitur, inquit, meretricem exeuntem ex scena tragica non uidi? Lamiam tibicinã intelligens. Tum Demetrius: Sed quæ est apud me meretrix, multò est continentior, quàm illius Penelope. Athen.lib.14.cap.3.

CRASSVS censor murenæ extinctæ illacrymauit. Qui, cùm ei diceret Domitius collega: An non murenã tu mortuam luxisti? occurrit: Nónne tu, qui tres extulisti uxores, nullam lacrymam effudisti. Plut. de Animantium comparatione.

CONVITIARI APERTE.

HECTOR Iliados θ. Græcos cõtumeliosè canes à Parcis agitatos uocat, κύνας κηρεσσιφορήτους, quos fata in propriam perniciem agant, ut sub Troiæ mœnibus pereant.

ATHENIS erat festum quoddam, in quo ius erat dicteriis & conuitiis in alios ludere. Vnde στηνιῶσαι dici cœperunt, qui liberiùs in quempiam debacchabantur. Festo nomen erat στήνια. στῆνος enim propriè dicitur, quod asperum auribusq; molestum est. Ita Hesychius & Etymologus.

Apud LYNDIOS in Rhodo insula, Herculis sacra maledictis & execrationibus peragũt, eaq; pro uiolatis habent, si quando inter solenneis ritus uel imprudenti alicui exciderit bonum uerbum. Lactantius lib.1.Instit.relig.Christ.

In sacris Eleusinijs, quæ magna uocantur, MVLIERES curru uehebantur, atq; interim dum ueherentur, ex more mutuis conuitiis sese lacessebant. Erasmus in Adagiis.

CAVILLARI TACITE, SCOMMA IACERE, Dicteria serere, Dicacem esse.

☞ *Ex loco Vrbanitatis & Scurrilitatis illustretur Titulus præsens. Quando hic Effectum affectus, illic Actionem habitui attestantem consideramus.*

Scomma quod non loco fit, neq; congruè, contumeliam præ se fert & maleuolentiam. Id si qui faciant, hi, ut est à Platone dictum, uerborum rei leuissimæ pœnam grauissimam soluunt. Qui uerò opportunitatem norunt & obseruant, ipsi Platoni suffragantur, rectè instituti esse scitè & iocari. Plut. lib. 2. Con. quęst. 1.

Cauilla habent potissimum gratiam, cùm lacessiti respondemus. Nam ex destinato, & si exordiaris, scurrile est & risum captantis, nec caret maleuolētiæ suspicione: quod dicta Ciceronis & Catonis maioris habebant, & Euxithei alumni Aristotelis. Hi enim crebrò dicteriis sunt usi. Plut. in Politic.

Rogatus SIDONIVS quidam homo dicax, quid esset quòd cùm nulli togatorum parceret, à M. Crasso incessendo pertinaciter abstineret? Quia Crassus, inquit, fert fœnum in cornu. Quæ uox inde frequens usurpata est in eos, qui sua sponte nocerent, ut boues, quibus alterum cornu fœnu religatur, quia uiatores petant. Sab. lib. 9. cap. 11.

IRRIDERE, ABSQVE VEHEMENTI COMMOTIONE.

QVID.

Prophetiam.

ABRAHAM ꝓmissionē risit de filio ex Sara: risit & Sara. Risus aūt Sarę fuit reprehēsus à Dño: Abrahæ nō fuit. Gen. 17. & 18.

Antiquitatis studium.

Vlyssipone, eodem anno, aut paulò pòst, quàm Emanuel Portugalliæ rex Indiam subegit, Hermicus Caiadus Lusitanus, Angeli Politiani auditor (cuius est Epigrammatū libellus) Latinis carminibus commentus est Sibyllinam uaticinationem in columnis marmoreis tribus incisam, quæ per ambages significabat, Indos sub imperium & ditionem Lusitanorum esse uenturos: eosque lapides data opera detruncatos, ut aliqua inessent antiquitatis uestigia, obrui præcepit (conscio rege) in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram oppidum. Vbi uerò defossa marmora ex humore terreno uitium fecisse iudicauit, anno M. D. V. die Augusti nona, inuitat amicos in uillam, ei loco proximā. Cùm accubuissent omnes, ecce uillicus nūciat Hermico, mercenarias eius operas, dum in fundo fossionibus incumberent, incidisse in lapides, indices magni cuiusdam thesauri, eodem loco defossi. Accurrunt omnes, & columnas intuentur, in quibus incisa huiusmodi erant carmina:

Sibyllæ uaticinium occidiis decretum.
Voluentur saxa literis & ordine rectis
Cum uideas Occidens orientis opes
Ganges Indus Tagus erit mirabile uisu
Merces commutabit suas uterq; sibi.
Soli æterno ac Lunæ decretum.

Continuò ad regem rumor perfertur: qui commenti huius conscius, mirabundo similis, optimatibus ostēdit. illi describendum curant, & mercatorum cura Vlyssiponensium per uniuersum orbem Christianum euulgant, cum præfatione etiam cuiusdam Valentini Moraui. Sic Hermicus antiquitatis simulatione uniuerso orbi imposuit, seu potius stultos antiquitatis admiratores solerti astu reprehendit & irrisit. Caspar Varrerius in censura Berosi.

Consilium bonum.

Darius rex Macedones intra Ciliciæ angustias opprimere moliebatur. Amyntas transfuga quidam Macedo, contrarium ei suasit, ut in Mesopotamiam exercitum reduceret: camporum enim uastitate opus esse, ut hostis Persicis uiribus uinceretur. Idem consilium ei dedit Etymocles, qui à Pharnabazo Græcos milites acceperat. At non tam regi quàm purpuratis ea sentētia displicuit, Etymoclis & Gręcorum, qui cum eo erāt, fidem apud Darium criminantibus. Sed euentus ostendit, consilium horum, si secutus esset Darius, optimum fuisse. Sab. lib. 4. En. 4. ex Plut. Alexand.

Imperitiam.

Erant Romæ Fabio Ambusto filiæ duæ, quarum maior Seruio Sulpitio tum cōsulari potestate Tribuno nupserat, Licinio Stoloni altera, illustri quidē, sed plebei generis uiro. Erat fortè minor Fabia apud SORO REM, tēpusq; cum ea serebat sermonibus. Accidit interea ut lictores, qui magistratū præcedebant, ostium Tribuni, se domū recipientis, uirgis de more percusserint. Quo sonitu exterrita minor Fabia, consuetudinis ignara, ludibrio fuit sorori, urbanarumq; rerum rudis iudicata. Ex quo cōtemtu magnæ tragœdiæ postea in urbe Roma excitatæ fuerunt. Sab. lib. 2. En. 4.

Ranimirus nothus Sanctij maioris è cœnobio à Tarraconensibus primus è Gothorum prosapia sub annū Christi 1017. rex constitutus, cōtra Saracenos suscepta expeditione, cùm sinistro brachio scutum, dextro lanceā adaptasset, mox frena equi apprehendere iuberetur: Quî possum, inquit, utraq; manu occupata, nisi dentibus hæc retinenda quis porrigat? Hîc risu solutis PROCERIBVS, tantam concepit indignationem, ut Osteam euocatos primarios XI securi percusserit, id unum uernacula dicens lingua, *No sabe la uolpeya Con quien tropeya*, Nesciebat uulpecula cui illuderet. Collenutius lib. 1. hist. Neapolitanæ.

Curiositatem.

Quærenti, quid fecisset Deus antequam creasset cœlum & terram? QVIDAM respondit, ea scrutantibus gehennas parabat. Quam ipsam non responsionem, sed irrisionem D. Augustinus lib. 11. Confessionum reprehendit.

Impudicitiam uxorum.

Apud quasdam nationes hodie uernis mensibus, quum auditur coccyx (si tamen hic est cuculus, id quod sentit Gaza) CONIVGATI mutuis salibus inter sese ludunt, dicentes, Tibi canit hæc auis. significantes uxorem parum uigilanter custoditam. Erasmus in Adagiis.

Iacobus Appianus. Plumbini Hetruriæ oppidi princeps, cùm ex coniuge uirilem sobolem non susciperet, extra matrimonium hæredem quærens, concubinam amare cepit. Cuius cùm uenter intumuisset & iam pariendi tempus præstò esset, Florentinos ac Senenses, legatos uti ad se mitterent, ac pàrtum de sacro fonte leuarent, magnis precibus inuitauit. Venêre ad diem dictam legati. Mulier inter obstetricum manus diu laborans, ęthiopem tandem peperit. Quæ res ut risum in POPVLO excitauit, ita & compaternitates & lætitiam principis interrupit. Credebat autem natus esse puer ex tibicinę Mauro, qui detecto hoc flagitio, fuga saluti suæ consuluit. Aen. Syluius cap. 56. Europæ.

Voracitatem.

HELIOGABALVS parasitis exhibuit cœnas & de uitreis, & nonnunquam picta mantilia in mensam mittebat, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus, ita ut de acu aut de textili pictura exhiberentur. Nonnunquam tamen & tabulę illis pictæ exhibebantur, ita ut quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Lampridius.

Ambitionem.

Cato minor dum Asiam peragrat comitatu exiguo, Antiochiā petēs extra portam Cateruam hominum spectauit ex utraque parte uiæ digestorum: inter quos in chlamydibus stābāt decorè seorsum adulti, seorsum pueri: candidas uestes aliqui & coronas gerebant. Ratus omnino Cato honorādi & excipiendi sui causa ea à ciuitate institui, iussit amicos descendere, atq; incessit cum iis pedes. Vt propè uentū est, ille, qui omnia ista adornabat, uir ætate iam prouectiore, uirgā & coronam manu tenens, obtulit se præ aliis Catoni, ac ne salute quidem data quæsiuit, ubi Demetrium Pompeij libertum, in cuius gratiā hæc adornauerant, reliquissent, & quando esset adfutur⁹? Ibi AMICIS Catonis usque adeo cachinnātibus, ut interea, dum transirēt per cœtum, se non possent colligere, Cato pudore suffusus: O miseram, inquit, ciuitatē. Nec quicquā præterea locutus est. Pòst aūt, quoties id narrabat uel meminerat, solebat ipse quoq; ridere. Plut. in Cato.

Liberalitatem, Dona.

CLEOMENES Cleombroti, donanti ei pugnaces gallos gallinaceos, quos referebat pugnantes animam deponere de uictoria: Tu uerò, inqt, da mihi ex illis aliquos, qui eos perimūt: quippe his illi sunt præstantiores. Plut. in Apophtheg.

Adulationem.

Ferunt magnum illum AGESILAVM, cū à Thasiis apotheosi honoratus, & inter diuos relatus fuisset uiuens, illos interrogasse, ut si deos faciendi potestatem haberent, prius seipsos consecrarent, postea se deificarent. Plut.

CASSANDER Antipatri filius, Barbaros, contra morem Macedonum, regem Alexandrum adorantes irrisit: propterea Alexander caput eius parieti illisit. Plutarchus.

Tarditatem, Negligentiam.

TIBERIVS Imp. Iliēsiū legatos [redacted] consolantes ob Drusi mortem, sibi quoq; dolere respondit, quòd Hectorē ciuem fortissimum [redacted] Suetonius. [redacted]

Olim qui fuissent in re quāpiā parū [redacted] ꝓbro Cuculi dicebātur. Id ortū à uinitoribus, qui serius cœpissent putare uineā, nec hoc munus absoluissent, priusquā audiretur ea auis, uelut cessationē exprobrās agricolis. Huius uocē imitātes VIATORES deridebāt uinitores. Ita Plin. lib. 18. c. 26. In hoc tēporis interuallo quindecim dieb. primis agricolæ rapiēda sunt ea, quib. peragēdis antè æquinoctiū non suffecerit, dū sciat inde natā exprobrationē fœdā putātium uites per imitationē cantus alitis tēporarij, quē cuculū uocant. Dedecus enim habetur opprobriumq; meritum, falcem ab illa uolucre in uite deprehendi, ut ob id petulantiæ sales etiam cum primo uere ludantur. Erasmus in Adagiis.

Superstitionem.

Sophocles cùm in tragœdia quadam sacra Eleusinia ita commendet, quasi initiis horum sacrorum etiam sceleratissimi, sanctiores diisq; gratiores efficiantur: DIOGENES Cynicus simile quid audiens: Meliore ergo, inquit, conditione erit Patæcion fur, quia initiatus est, quàm Epaminondas Thebanus, uir cætera optimus, nisi quod non est mysteriis istis imbutus? Plut. de Audiendis poëtis.

Sabinus Vespasiani Imperatoris pater, cùm ex quercus prodigio futuram filij fortunā præuidisset, matrique suæ TERTVLLÆ renunciasset; nepotem ei Cæsarem genitum: illa in cachinnum soluta; Mirari se dicebat filium tam uirēti ætate delirare, cùm ipsa longè prouectior mente constaret. Suetonius.

Staturam.

TACCHAS rex Aegyptiorū, cū Agesilaus Lacedæmoniorum rex ad eum uenisset, suppetias illi laturus in bello, corpore pusillo, in hæc uerba prorupit: ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν id est, Parturiit mons, Iupiter autem metuit, at ille peperit murem. Agesilaus dicto offensus respondit, φανήσομαί σοί ποτε καὶ λέων id est; Atqui aliquando tibi uidebor leo. Euenit pòst, ut exorta seditione apud Aegyptios, cùm Agesilaus non adesset regi, coactus sit ad Persas fugere. Erasmus in Adagiis.

Constantius Imperator triumphali curru Romam nunquam antea uisam ingressus, POPVLVM Romanū ad risum mouit, quòd portas urbis subiens, celsas & fastigiatas, arcúsque triumphales præaltos & latos, homo paruæ staturæ caput incuruaret, more anserum læsionem ueritus.

Canitiem.

Erginus filius fuit Clymenis, unus ex Argonautis. Cùm autem Hypsipyle Thoantis Lemniorum regis filia funerales ludos manibus parentis proposuisset, Erginus adulescens præter ætatis rationem iam canus, accessit inter reliquos decertaturus. Irrisus est autem à MVLIERIBVS Lemniacis, ob intempestiuam capitis canitiem, & prouerbio locum fecit, hoc insignior, quòd superatis omnibus athletis pulcerrimā uictoriam reportarit. Erasmus in Adagiis.

Caluitiem.

PVERI irriserunt Elisæum prophetam dicentes: Ascende calue. Duo ursi ex sylua prodeuntes lacerauerunt quadraginta duos. 4 Regum secundo.

Præcipitium, Casum.

Thales in foueam incidens, à Thracense SERVA derisus fuit: ea quę in cœlo sunt curiosè contemplatus, corū quæ in terra, negligens. Plato in Thæteto.

Magistratus abdicationem.

M. VOTACILIVS Pitholaus, cùm Caninius Reuilius uno tantùm die consul fuisset, dixit: Antè Flamines, nunc Consules diales fiunt. Macrob. lib. 2. cap. 2. Saturn.

Caninius Reuilius, qui uno die consul fuit, Rostra cùm ascendisset, pariter honorem iniit consulatus, & eierauit. Quod CICERO gaudens, omni occasione urbanitatis increpuit: λογοθεώρητος est Caninius consul. Deinde, Hoc consecutus est Reuilius, ut quæreretur, quibus Coss. consul fuerit. Dicere præterea non destitit, Vigilantem habuimus cos. Caninium, qui in consulatu suo somnum non uidit. Item, Magnū ostentum anno Vatinij factum est: quòd illo Consule, nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuit. Querenti dein de Vatinio, quòd grauatus esset domum ad se ægrotantem uenire, respondit: Volui in consulatu tuo uenire, sed nox me comprehendit. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 3.

QVOS.

Humanum genus.

DEMOCRITVS philosophus omnes deridebat, & aiebat homines insanire. Vnde etiam Gelasinū, id est Risorem, eum ciues sui appellarunt. Aelian. lib. 4. de Var. histor.

Pontifices.

[redacted]

Principes.

BIAS Halyatti regi Lydorum, sibi per nuncium denuncianti, ut quamprimùm ad se ueniret, respondit ad hunc modum: ἐγὼ ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυ' ἐσθίειν. id est, Ego iubeo Alyattā cepas edere, hoc est κλαίειν καὶ οἰμώζεσθαι. id est, Flere & eiulare. Quibus uerbis extremum regis contemtum indicabat. Erasmus in Adagiis.

Vitellius Imp. Vespasiano aduentāte, à POP. captus, religatis post terga manibus, iniecto ceruicib. laqueo, ueste discissa seminudus in forum tractus est, inter magna rerū uerborumq; ludibria, per totum uiæ Sacræ spaciū, reducta coma à capite, ceu noxij solēt, atq; etiā mēto mucrone gladij subiecto, ut uisendam præberet faciē, néue submitteret, quibusdam stercore & cœno incessentibus, alijs incendiarium & patinarium uociferantibus, parte uulgi etiam corporis uitia exprobrante, tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificat⁹ est, & inde unco tractus in Tiberim. Suet.

Hostes.

SANABALLATVS & Tobias audientes quòd ædificarentur muri Hierusalē, irriserunt Iudæos ædificātes. Nehem. 4.

Deposcentibus pœnas Spartanis, oraculi iussu, à XERXE, ob interfectum Leonidam regem ad Thermopylas: admiratus Xerxes facti insolentiam; alto sublato cachinno; Mardonium, quē cum XXX. myriadib. in Græcia relicturus erat, digito ostendens, ominosā uoce dixit; Hic pœnas uobis dignas dabit. Herod. lib. 8.

Defuncto Alexandro DEMADES orator cernere ait se Macedonum exercitum ex licentia occæcato Cyclopi similem. Plutarchus in Regum apopht.

Cùm Laurone Hispaniæ urbem obsideret Q. SERTORIVS; mouit eò omnibus copiis Cn. Pompeius ad ferendam urbi opem. Inde Sertorio tumulo, qui aduersus urbem opportunus erat, occupante, Pompeius admoto exercitu inter urbē & copias suas Sertorium deprehensum esse ratus missis, ad Leuconitas nunciis, bono animo eos esse iussit, atq; in muris considere spectantes Sertorium obsideri. Sertorius eo nunciato risit: & se discipulum Syllæ (ita enim Pompeium per ludibrium appellabat) ait edocturum, debere Imperatorem plus respicere, quàm prospicere. simulque ostendit obsessis sex millia peditum ab se relicta in prioribus castris; qui uersum in se Pompeium à tergo aggrederentur. Ita ut Pompeius adoriri Sertorium non auderet: & interim præsens & desidens spectator esse cogeretur sociorum pereuntium. Plut. in Sertorio.

Ludouicum Frācīæ regem, qui Othonis I. sororem in uxorem habebat, Hugo Capetus, captum sub custodia publica, Lugdunum miserat. Otho conscribit exercitum in Francos ualidum. HVGO misit, qui per contumeliā regi nunciaret, Domi sedeto, utere consule. per animam patris sui iurās; plura sibi esse arma, quàm unquā Otho uidisset. Quid enim possent Saxones, quorū tria tela una (si libeat) potione hausturus esset? OTHO uicissim eundē regi suo renunciare iussit, plures sibi esse fœninos pileos, quàm unquam uidisset Hugo: eos præsentari Hugoni oportere, ut pileatus fiat pro Capeto. Habebat tum Saxonicus ritus, ut omnes per æstatē fœninis (hoc est stramineis) uterētur pileis. Et quum rex Otho duceret legiones triginta duas, non erat, qui nō ad solem huiuscemōdi sciadio uteretur, præter Fuldensem abbatem tum paucis sequacibus, non amplius tribus. Iam quum [redacted]nes nominasset effœminatos; iussisse ferunt O[redacted] milites in capite gestarēt colos fœmineos subtiliter tortuatos cum fusis; ut irrisioni Gallorum ipsa specie responderent. Quod & nostri temporis imitantur milites, qui cauda uulpium ornant lanceas, ad contemtum hostium. Hugo metu adductus regem Ludouicum mox emisit. Iunctis uiribus obsedere Lugdunum. Sed quum inexpugnabilis ciuitas uideretur, Remos petunt, in qua urbe Hugo nepotem suum pontificem fecerat: eoq; deiecto, uerum restituere. Multis locis in deditionem receptis, quum nusquam Hugo prodiret, Otho in Germaniam rediit: Hugo non multò pòst regi suo recōciliatus est. Crāzius lib. 3. Saxoniæ, c. 23.

Rhetores.

ANTIPATER Demadis oratoris, iam ætate grauis, dixit sicut uictimæ sacrificio perpetrato solum superesse uentrem & linguam. Plut. in Apophthegmatib.

Poetas.

Iocatur ARISTOPHANES ἐν ἀχαρνεῦσιν in Euripidem, tanquā dialecticis utentē argutiis (id quod indicat etiā Quintilianus in Institutionibus) his uersibus:

Οὐκ ἔνδον ἐστὶν, εἰ γνώμην ἔχεις.
Πῶς ἔνδον; εἶτ' οὐκ ἔνδον; ὀρθῶς ὦ γέρον,
Ὁ νοῦς μὲν ἔξω συλλέγων ἐπύλλια,
Οὐκ ἔνδον· αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
Τραγῳδίαν. *id est;*
Est intus, haud est intus idem si sapis.
Quínam intus, & non intus? optime senex.
Nam mens foris abest, colligens epyllia,
Non intus: ipse at intus est, tragœdiam
Scribens supinus.

Epyllia uersiculos dicit, uoce diminutiua ab epos. Erasmus in Adagiis.

Philosophos.

Diogenem Epicurum, patria Babyloniū, Antiochi Epiphanis F. Alexander Syriæ rex purpurea ueste & corona aurea, quæ Virtutis imaginem contineret, donauerat, precib. illius & scurrilitati hoc dans. At ille eam meretrici Dionysiacę dono dedit. Eo comperto ALEXANDER philosophos aliquot, & inter eos quoq; Diogenē, cōuiuio excepit, petiitq; ab eo

ut in sui honorē ueste & corona, qua donatus fuerat, in signis accumberet. Illo uerò honestatis prętextu se excusante, intro ducta est psaltria, Virtutis corona insignis: & Diogenes ab omnibus irrisus, ut suæ libidini pari impudentia patrocinaretur, exurgens coram omnibus de psaltriæ laudibus orationem eo tempore habuit. Athen. lib. 5. c. 10.

Coniuges.

MICHOL Sauli F. Dauidis uxor, uidens regem saltantem ante arcam Domini, irrisit eum, quia saltando sese denudasset. 2. Regum 6.

Deambulantes.

VETONES Hispaniæ populi barbari, cū primū Romanorū castra intuentes, quosdā cēturiones deābulationis causa in uia progrediētes reflecti cernerēt, insanire homines suspicati sunt. Itaq; eis uiam ad tabernacula cōmonstrabant, quasi semper aut quiescere aut pugnare necessarium arbitrarētur. Strabo lib. 3. Affine huic, quod de INDIS narrāt, cùm saltantes uidissent Hispanas fœminas. Viues de Christ. fœm. lib. 1.

Bruta.

Cū SVLPITIO Galbę in prouinciā exituro, cāntherius in porta cecidisset: Rideo, inquit, te cantheri in porta, cùm tam longū iter sis iturus, iam lassum esse te, cùm uix dum sis ingressus. Quod dictum in prouerbium abiit. Festus Pompeius in dictione, Ridiculus, iis indicat conuenire; cùm quis in principio rei uix inchoatæ deficit animo.

Simulacra deorum.

PARMENISCVS Metapontinus uir ditissimus, cùm in Trophonij lucum descēdisset, ac ascendisset postea, nō amplius ridere poterat. Percūctatus ideo oraculū, respōsum accepit:

De risu percunctaris me difficilis uir:
Ipsa tibi mater dabit, hanc uenerare reuersus.

Fortè igitur in Delum ueniens, ad Latonæ imaginē contendit: atq; cùm existimaret matris Apollinis statuā aliquā esse eximiam, ubi eam ligneam ac deformem uidit, præter opinionem risit, ægritudineq; liberatus, magnificè deum honoribus condecorauit. Athen. lib. 14. cap. 2.

INSVLTARE AMARVLENTER. ΣΑΡΚΑΣΜΟΙ.

QVIBVS.

Pijs.

Excæcato Tobia, PARENTES & cognati eius irridebant uitam eius, dicētes: Vbi est spes tua, quare eleemosynas & sepulturas faciebas? Tob. 2.

VXOR Iobi, maritum amissis omnibus, toto quoque corpore ulcerosum, in sterquilinio sedentem, irrisit.

Improbis.

Νῦν θεοὶ μάκαρες. id est, Nūc dij beati. Vox erat olim ueluti adgaudentis & adgratulātis, quoties nocentib. suppliciū meritis dignum contigisset. perinde quasi diis & iucūdum & honestū sit, ut scelerati dent pœnas: contrà probrosum, si uiris improbis res secūdę sint: uidelicet iuxta sentētiā ꝓuerbialē,

Θεῶ δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν. id est,
Probrū est Deo, si res malis sint prosperæ. Erasm. in Adag.

Calamitosis.

DEMONAX Hadriani tempore philosophus insignis, miseros in calamitate positos assiduè deridebat, tanquam nescientes, quòd breui tempore malorum obliuione, ac libertate perpetua post mortem adficerentur. Volaterran. libro decimoquinto Anthrop.

HENRICVM IV. Imp. ab HENRICO V. patri substituto, prope Coloniam in pugna captum, & in castris filij cunctis ludibrio expositū fuisse, Helmoldus tradit c. 53. historiæ Sclauorum. Insultabāt, inquit, & amici, illudebant & inimici. Ac [redacted] Tunc Cæsar suspirans & illacrymans, ad circumstantes ait: Miseremini mei, miseremini mei, uos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Victis, Supplicibus.

Tradunt Hebræi huiuscemodi fabulam. Vsque ad septuagesimum annum, quo Hieremias captiuitatem populi Iudæorum dixerat esse soluendam (de quo & Zacharias in principio uoluminis sui loquitur) irritam putans Dei pollicitationem BALTHASAR rex, falsumque promissum, uersus in gaudium, fecit grande conuiuium: insultans quodammodo spei Iudæorum, & uasis templi Dei. Sed statim ultio consecuta est. Hieron. in Danielem.

Herodes à Senatu Rom. rex declaratus contra Antigonum regem Iudæorum, Hierosolymam ceperat. Antigonus neque ueteris neque recentis suæ fortunæ ratione satis habita, descendens è turri, SOSIO Romanorum duci ad genua accidit. At ille nihil miseratus mutatam eius fortunam, insultauit homini, Antigonam appellans: non tamen incustoditum reliquit tanquam fœminam, sed uincto custodes addidit. Iosephus in Antiq.

LAMBERTVS Italiæ rex Albertum Tusciæ marchionē rebellem ceperat, à Bertha uxore instigatum, & quidem in præsepio latitantem, eiq; insultauit. Enimuerò Bertha tua te nō regem in solio, sed asinum in præsepio futurum prædicere debuit. Fama enim erat Bertham marito regnum certò prædixisse. Cuspinianus.

BRENNVS Gallorum dux, appēdentibus aurum pro redemtione Romanis, ensem cum baltheo lanci appendit, & Sulpitio consule, quid hoc rei esset, quærenti, Quid aliud, inquit, quàm uæ uictis? respondit. Iam cùm L. Camillus Dictator, Gallos auro intentos ex improuiso adortus cæcidisset, & Brennus quereretur contra fœdus fieri, retorsit in eum suam uocem Camillus, Væh uictis. teste Festo & Plut.

Mortuis.

PHRYGII pastores, cùm pecudes morbo conficerentur, ad Aiacis tumulum, qui in Sigæo est littore, congregati, uariis maledictis heroa lacessebant: unus Hectoris inimicum, alter Troianorum hostem atque pastorum (per insaniam enim oues & arietes mactauerat, Græcos se mactare ratus) tertius insanum & furiosum appellabat. Tandem improbissimus pastorum Homeri uersus Iliad. ο. occinere cepit, ubi Aiacem fugientem describit, ἄιας δ' οὐκ ἔτι μίμνεν. Eo audito, uox truculenta è sepulcro emissa, ἀλλ' ἔμιμνον, pastores territos fugere coëgit. Philostratus in primo dialogo Heroicorum. & in primo Græcorum Epigrammatū sub Titulo ἀνδρείων.

M. Crasso contra Parthos dimicante, Publius filius ab hostibus ita circumuentus in cliuo, ut nulla salutis spes superesset, ab armigero interficitur. PARTHI cliuo potiti, Publij caput suffixum hasta ferentes, propius aduecti ostentabant id Romanis, ac per ludibrium parentes eius & gentem quærebant: neque enim oportere Crassi patris ignauissimi & fœdissimi tam fortem & præstantem filium esse. Quam irrisionem Romanis iniquissimè ferentibus, Crassus æquissimo tulit animo. Plut. in Crasso.

NERO Cæsar etsi Claudij Imper. necis non auctor, conscius tamen fuit: neque dissimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere uenenum is acceperat, quasi deorum cibum, posthac prouerbio Græco collaudare sit solitus. Certè omnibus rerum uerborumque contumeliis mortuum insectatus est, modò stultitiæ, modò sæuitiæ arguens. Nam & morari eum inter homines desiisse, producta prima syllaba iocabatur: multaque decreta, & constituta, ut insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique bustum eius consepiri, nisi humili leuique materia, neglexit. Suetonius & Dion.

Iugulato Galba Cæsare ad lacum Curtij, ac ibidem relicto, ita uti erat, gregarius miles à frumentatione rediens, abiecto onere caput ei amputauit. Et quoniam capillo præ caluitio arripere non poterat, in gremium abdidit: mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille LIXIS calonibusque donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem, Galba Cupido fruaris ætate tua: maximè irritati ad talem iocorū petulantiam, quòd ante paucos dies exierat in uulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam & uegetam, respondisse eum: Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Suetonius.

QVOMODO.

Imprecatione.

STRATONICVS citharœdus apud Athenæum libro octauo, iratus discipulo Macedoni, quòd nihil rectè faceret, ἐκ Μακαρίας, Μακεδονίαν, inquit: ex Macaria faciens Macedoniam. Erasmus in Adagiis.

Munere fœdo.

Cùm Cardamus Bulgarorum dux [redacted] ret, irritatis à CONSTANTINO VI [redacted] egestionibus. Iterum ergo ad arma uentum est. Sed Bulgari timore perculsi, in fugam sunt uersi. Cuspinianus.

Lusu.

Strabo Geographiæ suæ lib. 8. scribit, euersa funditùs à ROMANIS, propter uiolatos legatos, Corinthiorum urbe, milites in opera quoque nobilia, quibus ea ciuitas præter cæteras abundabat, ludibriis insultasse: citatque testem Polybium, qui prædicet, præsentem uidisse sese, tabulas quasdam abiectas in solum, in quibus milites talis luserint: quarum una fuit ab Aristide depicta: argumētum erat Bacchus. Hinc, inquit, quidam aiunt manasse, quod prouerbio dicitur, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. id est, Nihil ad Bacchum.

NON

NON INSVLTARE.

Consule locum Clementiæ erga hostes.

CN. Pompeius Mithridatis cadauer ad se à Pharnace F. missum non admodum ex facie cognitum (nam cerebrum, qui corpus curauerant, omiserant macerare: uerùm agnouerunt eū ex cicatricibus, qui id spectaculi desiderabant) ipse non sustinuit uidere, sed auertens deorum inuidiā illud Sinopen amandauit. Vestem, qua amicire solitus erat se, armorumq; molem & splendorem miratus est. Plutarchus in Pompeio.

ACCOMMODARE SE ALIIS.

DOCENDO, Captui Auditorum.

Sub loco Exercitationis, de hac ipsa Accōmodatione.

CONVIVENDO.

De hac sub Popularitate & Adulatione.

NON ACCOMMODARE SE ALIIS. EX

IMPERITIA.

Consule Tit. Theologi uel Oratores inepti.

MOROSITATE.

Vide locum Morositatis.

BLANDIRI.

QVIBVS.

Populo.

Aristophanes in Equitibus, CLEONI obiicienti, quod facilè populum sibi concillasset blanditiis, respōdet Alantopola, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸς πολὺ μικροτέρων τούτων δελεάσμασιν εἷλες, recriminans quòd ipse abiectius blandiendo populum inescasset. Erasmus in Adagiis.

Rusticis.

Olim ATHENIENSES agricolis blandiri solebant, ut ab illis ficos præcoquos acciperent, bene ominantes ac precantes, ut in annum sequentem fici feliciter prouenirent. Rustici uerò posteaquam senserunt ciuium blandiloquentiam eò spectare, ut ficos acciperent, in prouerbium uerterunt, ut cō modi spę adulantem, ficos petere dicerēt. Eras. in Adagiis.

Coniugibus.

Solon pręcepit, ut SPONSA uorato malo cydonio cū sponso cōcubet: obscurè nimirū significās, oris & uocis debere gratiam primùm comem esse & suauem. Plut. in Præcept. conn.

Amasiis.

Iuxta Venerē VETERES Mercurium uno in sacello collocauere: quòd uoluptas genialis præcipuè sermonem postulet, Suadamq; & Gratias: blandimentis ut impetrēt à se mutuo ea, quæ fert animus, non certamine neq; contentione. Plut. in Præcept. connub.

Aelianus miram esse murum salacitatē auctorum, testimoniis docet, lib. 12. cap. 10. Atq; inter multa illud addit, Epicratem in fabula quapiam, quum mulierem significare uellet prodigiosæ libidinis, μυωνίαν appellasse, citatque prouerbium, μῦς λευκός, ex Philemonis comœdia. Vnde receptū uidetur, ut inter AMATORVM blandimenta, quemadmodum passerculi, columbulę, & id genus aliorum, itidem & muris cognomentum usurpetur. Martialis:

Nam cùm me murem, cùm me tua lumina dicas.

Brutis.

Pindarus in Pythiis hymno secundo, καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός. id est, Formosus Pithon semper apud pueros formosus. Interpres ostendit sumtum à PVERIS adulantibus simiæ, subinde dictitantibus, καλὸς πίθων. Videtur autem pithon esse diminutiuū huius dictionis πίθηκος, quasi dicas simiolus. Taxat Pindarus obliquè quendam, uel quòd ab indoctis laudatus tolleret cristas, uel qđ ipse adularetur Hieroni, laudans non laudanda. Eras. in Adagiis.

QVOMODO.

Oratione.

DIOGENES orationem ad gratiam comparatam, auriumq; pruritum, μελιτίνην ἀγχόνην, id est, Melleam præfocationem appellabat: quòd assentatione quidem delectaret, cæterùm mendacio strangularet admittentem. Eras. in Adagiis.

Epithetis, Nominum diminutione.

Ἀδελφίζειν dicuntur, qui uocabulis adoptiuis alicui blandiuntur, quod hodieq; apud ITALOS est uulgatissimū, ut quib. blandiuntur, fraterculos appellent. Dictum est autem ἀδελφίζειν, appellare fratrem, quemadmodum dicimus εὐδαιμονίζειν & μακαρίζειν. Horatius in Satyris, ambientiū blandas salutationes taxans, ——Frater, pater, adde:

Vt cuiq; est ætas, ita quemq; facetus adopta.

Rursus alibi,

——Pater Audisti corā, nec uerbo parcius absens.

Erasmus in Adagiis.

Aristophanis interpres admonet, apud GRÆCOS quod cuiq; uehementer charū esset, id pullū illius appellari solere. Blandimur autem uerbis diminutiuis, eoq; in Equitibus quidam populo blandiens appellabat illum δημίδιον, id est, popellū: eoq; mox audit, ὡς ἀπὸ μικρῶν εὔνους αὐτῷ θωπευματίων γεγένησαι. id est, ut è pusillis blanditiolis beneuolus illi factus es: parua uocat blanda. Atq; is uicissim audit, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸν πολὺ μικροτέροις τούτων δελεάσμασιν εἷλες, quòd ipse multò abiectius adulatus esset populo. Erasmus in Adagiis.

HECALE, & q̃ de illa fabula hospitij & conuiuij cōmemoratur, non omnino apparet ex uano esse. Sacrum Hecalesiū circumiecti populi concilio indicto Ioui Hecalo faciebant, & Hecalen colebāt, diminutiuo nomine Hecalenen appellantes: quòd illa quoq; iuuenem admodum hospitio excipiēs Thesea, senum more salutasset, & blandita fuisset ei diminutis nominibus. Quæ quia pro eo ad pugnam cum tauro Marathonio progrediēte, si sospes reuertisset, Ioui uouerat hostias, diem aūt suum ante illius reditum obierat, hæc retulit hospitalitatis THESEI iussu præmia, ut Philochorus tradidit. Plutarchus in Theseo.

Reprehensione.

Plutarchus in commentario de Dignoscendo ab amico adulatorem, ait uersum Homericum, ex Odyss. κ.

σοὶ δέ τις ἐν στήθεσσι ἀκήλητος νόος ἐστί. id est,
At tibi non unquam placanda in pectore mens est.

obiici solitum M. Antonio Triumuiro, ad bellum Parthicū profecturo, ab ASSENTATORIBVS, quòd Cleopatræ efflictim amanti, non responderet in amore. Eras. in Adag.

Gestu.

Κερκωπίζειν, id est, Cercopissare dicuntur, uel qui lasciuiunt, aut qui adulantur. Metaphora ducta ab animantibus, quæ mota cauda adblandiuntur, ut Chrysippo placet, Suida teste.

PROVOCARE.

QVEM.

Amicum.

CYRVS [illegible]rum rex, quibus rebus concedebat amicis, ad hæc cùm prouocaret eos, suauis his erat & iucundus. Plutarchus lib. 2. Quæst. conuiual. 1.

Riualem.

THERON Thessalus pollicem sinistræ manus parieti admotum præscidit, spectante amasio, riualem prouocans. Plutarchus in Amatorio.

Hostem.

Consule locum Monomachiæ.

AD QVID. AD

Iudicium Dei.

Vide locum Diuinationis: item, Veritatis occasiones amplecti.

Iudicium humanum.

Appellationes & peregrina instituere subsellia GRÆCI primùm ob mutuam diffidētiam cōmenti sunt, quasi ascititiā iustitiam, sicut rem necessariam aliam, quæ apud ipsos non proueniret, desiderarent. Plut. de Nat. char. in progeniem.

Agesipolis Pausaniæ, ATHENIENSIBVS de controuersiis mutuis aduersus eum ad ciuitatē Megarensem prouocantibus: Turpe est, inquit, Athenienses Græcorum duces minus quàm Megarenses, quid æquū bonū sit, scire. Plut. in apoph.

Formæ periculum.

PHRYNE meretrix in cōuiuio, cui cōplures aderant feminę, iuxta morē ioci cōuiualis, qđ unus quispiā faceret, idē oēs facere cogerētur, prior manū bis aquæ immersam admouit faciei. Quoniā aūt oēs erant fucatæ, aqua per liturā fucorū defluens, rugarū specie uultus earū deformabat: quum ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior etiam appareret, abluta facie. Eras. lib. 6. Apophth.

Certamen, Bellum.

Totilas Gothorum rex cùm Romanos Ariminum præteriisse audisset, Tusciã omnẽ hos conquirẽdo emensus ad Apẽninũ ꝑuenit, atq; ad Tãginã uicũ castra fecit. Quò eòdẽ haud ita multò post NARSES Græcorũ dux aduenit, ac nõ longè stadiis centũ in ipsa planicie cõstitit ei locõ propinqua, in quo Camillus quondam Gallos occidione occiderat, ita ut adhuc eius cladis monumenta extarẽt. ac statim nuncios ad Totilam misit, monitũ, ut aut pace agenda sibi consuleret, aut, si belli auidior esset, ut diẽ prælio constitueret. Quibus Totilas certare se uellẽ respondit. Cõmisso prælio, Gothorũ millia multa cæsa, Totilas in fuga lethali uulnere accepto periit. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

MAGNVS Sfortia, missus à Ioanna Neapolitana regina, ut urbem Romam impotenti Braccij Montonensis dominatu liberaret, missa per præconem cruenta chirotheca, ut iusto prælio certaretur, Braccium prouocauit: suprà q; Ostiam Tyberi ponte constrato exercitum traduxit, uictorięq; fiducia, pontem rescindi iussit. Braccius omnibus ferè relictis, in Vmbriæ fines citato agmine abiit. Iouius in uita Sfortiæ.

CERTARE, RIXARI, CONTENDERE.

Certamina uaria ad suos quoq; locos referenda. Hîc solàm Animi commotionem perpendimus.

QVI.

Populi.

Notati sunt LYDI, quòd ad bellum capessendum æquo propensiores essent. Hinc adagium, Lydum in campum prouocas, in eum competebat, qui lacesseret iam dudũ ad id propensum ac promtum. Erasmus in Adagiis.

Philosophi.

EMPEDOCLEM aiunt iis fuisse moribus, ut assiduè simultatem cum aliquibus susciperet, easq; pertinacissimè exerceret. Inde natum prouerbiũ, Empedoclis simultas, in eũ, qui dicebatur pertinax & irreconciliabilis. Eras. in Adagiis.

Senes cum iuuenibus.

C. MARIVS VI. Consul, cùm ob corporis imbecillitatem senilem imperiũ sociali bello deposuisset, Sylla uerò res præclarè gessisset contra Mithridatem, æmulatione motus se à Sulpitio Tribuno pl. proconsulẽ appellari passus est. Quã rem Syllæ exercitus indignè ferens, cum Sylla Romam infestis signis contendit, & Marium urbe expulit. Plutarchus in Mario.

Amatores.

Agathonem poetam amabat Pausanias figulus. Aliquãdo uenerunt ad Archelaum regem Macedoniæ ambo. Archelaus non minus amoris, quàm literarum studiosus, cùm uideret crebrò esse cõtentiones inter PAVSANIAM & AGATHONEM, arbitratus amatorem ab amasio sperni, interrogauit Agathonem, Quid sibi uellet, quòd frequenter simultates exerceret cum eo, à quo summoperè amaretur? At ille: Non rustica morositate id facio: sed quia tum ex aliis, tum ex arte poetica, iucundissimum amantibus esse reperio, si ex contentione & litibus in gratiam redeant. Huius ergo uoluptatis persæpe eum participẽ facio, frequenter litigando. Gaudium enim capit, si continuam cum eo contentionem dissoluam & reconciliem. Amauit eundem Agathonem Euripides poeta, & drama Chrysippum in eius gratiam elaborasse dicitur. Aelian. lib. 2. de Var. hist.

Mulieres.

Anus quæpiam fuit PTOLEMAIS, quæ quoad uixit, lites agitabat, nec unquam à causis agendis erat feriata. Itaque in prouerbium abiit: Πτολεμαὶς ἡ δίκη, Ptolemaica lis. Diogenianus.

QVOMODO.

Virtute.

Consule Tit. Virtutis certamina in genere. & in specie, Liberalitatis, Iustitiæ, &c.

Amore.

Cũ apud INDOS uetus esset lex, ut q ducerẽt uxores, & quæ uirgines nuberent, non secundùm parentum præscriptum, sed mutuo consensu nuptias contraherent: superiori tempore factis sponsalibus per iuniores, plerunq; accidebat, ut iudicia immutarentur, & statim utrisq; pœnitentia ductis, multæ mulieres corrumperentur, & per intemperantiam alios adamarent: tandem cùm non possent honestè deficere ab iis, quos primùm elegerant, in eodem contubernio habitantes ueneno necabant. Regio autem nõ exiguas occasiones ipsis dabat, quæ multas & uarias plantarum uires ad necandum comparatas ferebat, ex quibus quædam in usu ciborũ & potus interitum adferrent. Hac fraude uigente, & multis ad eum modum pereuntibus, postquam puniendo sontes, alias auertere non poterant à maleficiis, legem tulerunt, ut uxores simul cum maritis concremarentur: exceptis grauidis, aut habentibus natos: & ut ea, quæ decreto nollet parere, uidua esset, & ipsi perpetuò interdiceretur sacrificiis & aliis iure constitutis, tanquam impiè se gerenti. His ad eum modum iure stabilitis, accidit ut uxorum improbitas in cõtrarium prolaberetur. Nam propter nimiam infamiam, cùm unaquæq; libenter perferret mortem, non solùm procurabant salutem secum habitantium, tanquam quę communis esset, sed inter se certabant, ueluti de summa gloria. Quod ipsum in Cetei Indorum ducis, qui Eumeni in Gabiene contra Antigonum pugnanti auxiliatus affuerat, sepultura accidisse, Diod. lib. 19. testatur.

Improbitate.

Vide locum, Improbitatis certamina uniuersim. in specie uerò, Libidinis, Perfidiæ, &c.

Consilio.

Vide Certamina Prudentum.

Mendacio.

Πρὸς κρῆτα κρητίζειν. id est, Aduersum Cretensem cretiza, aduersus mendacem mendaciis utere.

Corporis agilitate.

TOKO Haraldo IV. Danorum regi eius artis, qua Finij niuales saltus peragrant, peritiorem iactanti se in consimili genere conferens, eius rei experimentũ darę coactus fuit. Saxo.

Equorum cursu.

Lesco I. Polonorum principe sine liberis defuncto, placuit indicto ad certam diem maculosorum equorũ cursu, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus ut princeps esset cunctæ Poloniæ. Figitur meta apud Prandinicum amnem, ad Septentrionalem plagam Cracouiæ. Ibi LESCVS quispiam, procerum & competitorum unus, cùm stadium uafro consilio stratis clàm in sabulo ferreis hexagonis, quib. currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, ipse obliquo & minimè impedito tramite primus ad metam peruenit. Miraculo attonitis omnibus, & iam uictorem atq; principem diuinitùs sibi oblatum Lescum conclamantibus, techna deprehenditur. Protrahitur Lescus in medium, conuincitur, damnatur, concerpitur. Cromerus lib. 2.

Armis.

Cùm de finibus Argiui atq; Lacedæmonij contenderent, & Argiui potiora sua dicerent iura esse, LYSANDER stricto gladio affirmauit, Huius potiora esse iura. Plutarchus.

Sacramento.

Sacramento contendere quid sit apud Ciceronẽ de Oratore & Valerium Max. lib. 7. enucleauit Varro fragmentorum linguę Latinę secũdo: QVI petebat, inquit, quiq; inficiabatur, de rebus aliis utriq; quingẽtos æris ad pontem deponebãt, de aliis item rebus certum numerum assium: qui uerò iudicio uicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, uicti ad ęrarium redibant. Cælius lib. 12. cap. 12. A. L.

Voto.

Romæ solenni Veneralium uinum ex delubro Veneris affatim effundunt hac de causa. Thuscorum dux Mezentius legatos ad Aeneam fœderis iciendi causa misit hac lege, ut acciperet uinum, quod eo anno natum esset. Quod abnuente illo, Thuscis pronunciauit, uictorem prælio se uinum prębiturũ. Cuius AENEAS acceptis promissis, uinum diis consecrauit, atq; post uictoriam obtentam, coactum, quod erat natũ, profudit pro fano Veneris. Plut. in quæst. Rom.

Sponsione.

Cæso ab Heluetiis ad Nanceium Carolo Burgundo, cùm gelu facies intumuisset, dignosci difficilè poterat. Frater primis eius Antonius, physicus deinde eius, assensere Caroli esse: puer qui galeam duci præferebat, itidem, qui aderat dum caderet, is monstrauit etiam cædis locum. Alij uiuum abreptũ in manus Francorum regis peruenisse: alij fuga elapsum, sed sponte exulantem abiisse, rediturum post prẽfinitum à se tẽpus ferebant. MERCATORES magna leuitate in eum casum & emebant & uendebant plurima, primùm exoluenda in ducis reditu. Cepit (ut fieri solet) res in quęstum uerti. Qui enim ea conditione uendidit rem æstimationis centum, ab aliis suo facto in opinione confirmatis, submisso socio emit, & lucratus est mille. Inuentus est Bruxellis quem homines post aliquot annos Carolum esse dicerent, ipso pernegante. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap. 15.

Verbis.

Verbis. Verba cõmutare.

Ex Tit. præcedentibus exempla pete.

PROPTER QVID. Causa Eruditionis, Doctrinæ. Disputationes doctorum.

Vide Certamina Grãmaticorũ, Poetarũ, Logicorũ, &c.

PRISCVS philosophus, Maximi collega, Iuliano apostatæ familiaris, omnes ueterum opiniones cognitas habuit: uidebatur tamen literarũ imperitus, eo quòd ægrè ad disputationes adduci poterat, dogmata premens nõ aliter ac thesaurum prodigos & decoctores nominans, qui promtè quauis occasione de iis uocem profunderent. Aiebat enim in disputationib. uictum non tam ueritatis amatorem euadere, cum pudore uerum fateri coactum, quàm philosophiæ osorem. Quinetiam Aedesium præceptorem in conferendo & disputando familiarissimum, proditorem maiestatis philosophiæ nuncupabat. Eunapius in eius uita.

Dignitatis, Regni.

LAMPERTVS Hundiperti filius, superato Ausprando, quem Cunibertus Longobardorũ rex moriturus filio suo Luitberto tutorẽ constituerat, Longobardorũ regnum inuasit: post annũ pulsus est. Aripertus eius filius, reparato exercitu, cùm Luitpertum apud Ticinũ in pugna uiuũ cepisset, paulò pòst in balneo strangulauit: Ausprandum in Recomacina insula obsedit, qui ad Teutpertum Bauarorum ducem per Rhetos confugit, ubi sex annis latuit. Sigiprandus eius filius, ab Ariperto deinde captus, oculis priuatus est: cęteri eius cognati uariis suppliciis afflicti sunt. Alter Ausprãdi filius, minor natũ, in liberali custodia seruatus, ad regnum pòst peruenit. Eius matri Theoderadæ & sorori Auronæ, abscissis auribus & naso, facies dehonestatæ sunt. Bonfinius lib. 8. Dec. 1.

An. 1189. Gulielmus Siciliæ rex absumtus est. Cùm nulla stirps eius superesset, regnum eius uoluntate ad Constantiã HENRICI VI. Regis Germanię uxorem perueniebat. Verùm Siculi extẽplò suffecêre Tancredum, Rogerij Ducis Calabriæ filium, Rogerij Regis nepotem ex concubina susceptum, ut Hugo Falcandus scribit, qui ipsum uidit, siue metu Saracenorum, siue odio Germanorum, siue auctoritate Clementis III. Pp. Henricus extemplò Siculos bello se persecuturũ regni repetendi causa denunciauit: atq; omnes eò cogitationes suas intendit. Sigonius lib. 15. regni Italici.

Diuinorum honorum.

ATHENIENSES Alexandro diuinos honores decernere renuentes, Damocles monuit, Videte ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Plutarchus.

Προεδρίας.

Vide locum Ambitionis.

IVO episcopus Cracouiensis, cùm in contentionẽ de loco cũ Laurẽtio Vratislauiensi episcopo in synodo prouinciali uenisset, nec ei quamuis probanti prærogatiuam suã sedis Apostolicæ diplomate Vratislauiensis cederet: profectus ad Pontificẽ max. Boleslao Pudico Poloniam regente, metropoliticam dignitatem Cracouiensi ecclesiæ, quam Lampertus Zula episcopus ante CL. an. negligẽtia sua amiserat, recuperauit. Verùm cùm Romam religionis ergò Perusia profectus esset, reuertens æstate media, æstu & itineris labore confectus, in morbũ incidit: ex quo non multò pòst prope Mutinam decessit, cùm duodecim annis episcopus fuisset. Nec postea curæ fuit successoribus eius episcopis, ut metropoliticum honorem resumerent. Cromerus lib. 8.

Iuris electionis.

Tacitus sexto mense post Aurelianum Imp. creatus fuit. Peperit eã morã honestissimũ SENATVS & EXERCITVS certamen. Nam Aureliano interfecto, exercitus qui cum eo erat ad senatum scripsit, ut ipsi suo arbitrio legerent Imperatorẽ, obseruaturos se quemcũq; honoratissimus ille ordo dedisset. Patres quia uidebant fieri non posse, ut exercitus in summa animorum inconstantia eundẽ probaturus esset, quẽ ipsi creassent, eam declarationem ad milites reiecerũt: tenuitq;, quod nũquã antea acciderat, mutua illa denegatio plures menses. Quo temporis interuallo tanta fuit quũ patrum modestia, tum militum uerecundia, inter ordines cõcordia, tanta domi forisq; tranquillitas, quanta ab urbe condita ad id tempus nunquam antea. Nec senatus dissimulauit suum gaudium, quum iam in antiquum statum rempublicam restitutam arbitraretur: quin de ea ordinum concordia, deque auctoritate creandi principis sibi à militibus restituta publicè literas ad Aquileienses dedit, ad Mediolanẽses, Treuiros, Carthaginenses, Corinthios, Achæos, aliasq; illustres ciuitates, populosq; Rom. imperio subiectos. Patres uicti militari consensu, Tacitum uirum grauem singulariq; eruditione Imperatorẽ crearũt, concordi uoce testati, neminem aut iustius quàm grauem uirum, aut prudentius quàm doctum imperare. Sabellicus lib. 7. En. 7.

Rerum uilium.

Parnus ob nauiculam ereptam POPVLO molestissimus fuit, cumq; eius rei causa frequenter ad populum deferretur, tandem in popularẽ iocum abiit, τὸ Πάρνου σκαφίδιον, id est, Parni scaphula: de iis, qui ob res minutulas multum litium & querelarum mouent. Diogenianus.

Corporis mortui.

Cùm Viterbij inter SACERDOTES cathedralis Ecclesiæ & FRATRES Prædicatores de corpore Clementis IIII. Pp. eius, qui Conradino extincto Carolum Andegauensem regem Neapolitanum creauit, orta contentio esset (uterque enim ordo sanctissimum corpus apud se requiescere uolebat) Innocentius V. adiudicauit id fratribus committi debere, quòd diceret sanctissimum Pontificem id ita, dum uiueret, instituisse. Platina.

Asini.

DVO quidam, cùm in desertis locis asinum quempiam fortè fortuna nacti essent, contendere inter sese ceperunt, uter eũ uti suum domũ abduceret: nam utriq; pariter à fortuna uidebatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est. Atq; hinc quidam prouerbium natum autumant, Ab asino delapsus. Erasmus in Adagiis.

Iudicij.

Fabula narratur, QVENDAM ne in facinore deprehensus manifesto opprimeretur, iussum fuisse sibi ꝓspicere & fuga consulere, demõstratũq; locũ, quà euadere cõcederetur, ubi nimirũ in area puteũ uidisset, nam ibi maceriã cõcidisse, ut fugæ exitus pateret. At iste cùm ad locũ uenisset & nõ reperisset puteũ, sed ruinas quasdã ueteris putei, recurrit, & expostulauit cũ monitoribus, negans puteũ esse eo loco, sed ruinas putei. Quid tua? inquiũt illi, nõ enim ut biberes, sed ut fugeres suasimus. Reperistíne aũt demonstratã maceriã? Reperi, inquit ille. At uos nõ debuistis putei, sed ruinarũ ueteris putei facere mentionẽ. nõ enim iste iam puteus est, sed aliquando fuit. Tu uerò, inquiunt illi, tibi prospice, & maceriæ ruinas quærito, non disputato de putei ruinis, si tibi tua salus curæ est. At uos, inquit ille, tamen malè monstrastis. Nõ nos quidem, inquiunt hi, malè monstrauimus, sed tu malè tibi consulis rixando alieno tempore. Dumq; non desinit iste nugator altercari, à lictorib. comprehẽsus pœnas dedit. Ioachimus Camerarius in uita Philippi.

NON RIXARI, NON CONTENDERE.

Plinius scribit, discordiam ignotam esse HYPERBOREIS iustissimis & frugalissimis uiritim gregatimq; degentibus.

RECONCILIARE, PACEM FACERE.

Vide locum Clementiæ: item Amicitiæ auctorum.

INTER QVOS. INTER

Episcopos.

CONSTANTINVS Magnus in synodo Nicena libellos accusatorios & querelas sacerdotum utriusque partis comburi curauit, & ad ὁμονοίαν mutuam exhortatus est: etiam hoc addens, suum non esse, eiusmodi causarum cognitionem & iudicium sibi sumere: sed pertinere id ad eum iudicem, qui omnium corda scrutetur. Socrates libro 1. capite 8. & Sozomenus libro 1. cap. 17.

Hostes.

Cleone Atheniense & Brasida Lacedæmonio simul uno in prælio ad Amphipolim cæsis, qui pacem Græciæ distinebant: NICIAS Atheniensis sua industria inter Athenienses & Lacedæmonios pacem fecit. Sperabant plerique planè se è malis emersisse, habebantque in ore Niciam, quem dicebant uirum diis charum esse, illiusque religioni tribuisse deos, ut traheret ab eo maximum & summum bonum nomen. Reuera autem pacis existimabant Niciam auctorem esse, ut Periclem belli: siquidem hic leuibus ex causis in magnas clades coniecisse Græciam uidebatur: Nicias contrà induxit eos, ut grauissimis obliteratis iniuriis redirent in gratiam. Vnde pacem illam uocant etiamnum Niciceam. Quia uerò cautum in fœdere erat, ut præsidia & oppida, quæ erant hincinde occupata, & captiuos redderent, utque sorte ducti redderent primi: sortem Nicias, ut tradit Theophrastus, clàm pecunia redemit, primi ut restituerent Lacedæmonij. Cùm iam Corinthios & Bœotios appareret auersos ab his, quæ agebantur, elaborare ut criminationibus & querimoniis bellũ denuò exuscitarent: permouit Athenienses

ſes & Lacedęmonios Nicias, paci pro neruis & uinculo ut adiicerent ſocietatem, qua terribiliores deſciſcentibus & firmiores inter ſe efficerentur. Eam pacem tamen Alcibiades uafritia ſua turbauit. Plut. in Nicia.

Coniuges.

Poſteaquam Troiani in Italiam peruenêre, feminę illorum incenderunt claſſem: quòd explicari omnino ab erroribus & pelago cuperent. Quòd aũt timerent uiros, ſalutauerunt occurrentes propinquos & neceſſarios oſculo & complexu. Poſtquã ſic ira deferbuit, & reconciliata eſt gratia, hac comitate deinceps erga illos uti perrexere. Quarum imitatione apud ROM. quoque mulieres oſculo & complexu propinquos excipere conſueuêre. Plut. in quæſt. Rom.

CVR. CAVSA

Honeſtatis.

Narrant Hiſpani nautæ, eſſe in nouo iſto Orbe, quem repererunt, INSVLAS quaſdam, inter quas ſi bellum incidat, honeſtiſſimus & ſit, & habeatur, qui pacem ab hoſte roget: alterum ſceleſtum, & omnibus in cõmune hoſtem, qui rogatam neget: & indigniſſimè eos ferre, quorum hoſtes in poſtulanda pace ipſos anteuerterint, officio pulcerrimo, ad illorum ſententiã, atq; ampliſſimo. Lud. Viues in epiſt. ad Ioannem epiſcopum Lincolnienſem.

Quietis.

EDGARVS Anglorum rex, inito principatu, omnia humana ſtudia præ pace, cuius nomen ſciebat dulce eſſe, & rẽ ipſam ſalutarem, ſpernere cepit. Quæ deinde parta ut ne ab externis turbari poſſet, ingentem claſſem parauit, eamq; tripartito circa oram maritimam locauit, quæ barbaros continenter infeſtam reddentes ab ingreſſu inſulæ arceret. Item Scotos & Vuallos in officio retinuit. Polyd. lib. 6.

Patriæ.

Cùm Græci ad Salaminẽ contra Xerxem pugnare nollent, ſed in Peloponneſum fugere properarent, quamuis Themiſtocle maximè repugnante, ARISTIDES Lyſimachi F. Athenienſis, iuſtitiæ nomine patria eiectus, ex Aegina uenit, & THEMISTOCLEM, quãuis ſummũ inimicum, conuenire non dubitauit, & depoſitis in præſens inimicitiis, indicauit, claſſem Græcorum à Perſis circumuentam, abſq; pugna euadere non poſſe. Quod nuncium Themiſtocli iucundiſſimum extitit, ut qui maximoperè cuperet Græcos eo in loco manus cum hoſte conſerere. Herod. lib. 8.

Societatis.

ARTAXERXES Perſarũ rex bellũ aduerſus Aegyptios geſturus, cupiẽs magnũ peregrinũ exercitum colligere, decreuit oẽs per Græciam bellicos tumultus ſedare. Sperabat enim Græcos ab inteſtinis ſuis bellis liberatos, promtiores ad exterã militiã fore. Quapropter miſſa in Gręciã legatione hortatus eſt ciuitates, ut cõmunem inter ſe pacẽ conſtituerent. Cui ſententiæ Greci, quotidianis præliis defatigati, libenter obtẽperantes, pacẽ inter ſe oẽs confirmarunt, ut ex ſuis ſingulæ ciuitates uiuerent, & ab omni præſidio liberæ eſſent. Cõſtituerãt itaq; Græci duces quoſdã, qui circumeuntes et ſingulis urbibus præſidia educerent. Solis aũt Thebanis cõſentire nolentibus, ut fœdus illud ad omnia ſe oppida prorogaret, ſed uniuerſam Bœotiam Thebanorum tributariam ſtatuentibus, nécnon Athenienſibus pertinaciſſimè illis cõtradicentibus, res ad cõmune Græcorum concilium relata eſt. Ibi Athenienſium quidẽ cauſam referente Calliſtrato oratore, pro Thebanis uerò Epaminunda loquente, oẽs alij Græci concordi ſententia ſub fœdus illud recepti ſunt: Thebani autem ſoli à fœdere excluſi, Epaminunda ſua uirtute animum ciuibus faciente. Diod. lib. 15.

IMPERARE, MANDARE.

CVI.

Dæmoni.

Apud Hieronymũ presbyterũ in uita Hilarionis Palęſtini eremitæ, legitur de QVODAM Conſtantij Imperatoris candidato, ex Francia Germanię orto, quẽ à teneris unguiculis dęmon obſederat malignus. Ductus ille Gazam ad Hilarionẽ, exponẽsq; tam Syra quàm Græca lingua (quas tamen nunquã didicerat dęmoniacus) multiplicẽ obſidionis cauſam, ei reſpondit uir ſanctus: Nõ curo, quomodo intraueris, ſed ut exeas, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti impero.

Maritis.

Vide Tit. γυναικοκρατουμένων, ſub loco Blanditiæ, & Imperij domeſtici.

Populis.

Plutarchus in uita Lycurgi ſcribit urbẽ LACEDÆMONIORVM ἀπὸ σκυτάλης μιᾶς καὶ τρίβωνος ἄρχουσαν τῆς Ἑλλάδος ἑκούσης καὶ βουλομένης, id eſt, Scytala & ſago imperantem Græciæ ſpontaneæ uolentiq;. Eraſmus in Adagiis.

Famulis.

GORGO apud Theocritum in Syracuſiis, profectura duo mãdat famulæ, ut infantem uagientem placaret, & catellum reuocaret intrò. Eraſmus in Adagiis.

QVID.

Silentium.

De ALEXANDRO Magno memorant, cùm matris ſecretam epiſtolam ſoluiſſet, tacitusq; ſecum legeret, admoto Ephęſtionem ſenſim capite unà eam legiſſe: Et illum quidem interpellare non ſuſtinuiſſe, ſed detracto anulo admouiſſe Ephęſtionis ori ſigillum. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

Iudiciũ. Euocare ad cauſam dicendam.

Si is, qui reus agitur, & capitis accerſitur, prędicta die in iudiciũ non ueniſſet, uel domo abeſſet, mos ROMANVS erat, ut ante fores ædiũ nomẽclator tuba illum ad cauſam dicendam quatuor diffinitis in locis citaret. Alex. lib. 3. cap. 5.

Cædem ſui.

ATILA Hunnorum rex poſtquã ſe ab Aetio Valentiniani III. duce in cãpis Catalaunicis ſuperatũ uidit, intra carrorũ ſepta confugit: ſcutatisq; in circuitum (ut ualli ſpeciẽ pro carris ſtantes exhiberent) diſpoſitis, ſagittarios adiunxit, uim hoſtium, quæ improuiſa fieret, quoad acies inſtrueretur, ꝓpulſaturos. Et ne aut uiuus in hoſtium ueniret manus, aut mortuus careret ſepultura, iumentorum clitellas in ſtruem congeſſit: in qua, ſi durius quid accidiſſet, ſe gladio à domeſticis confodi, & ſubiectis ilico flammis cremari iuſſit. Cranzius lib. 3. Sueciæ, cap. 4.

Voluntatem ultimam.

Hæc Teſtamenta, uoluntatis ultimæ Inſtrumenta. De quib. ſuo loco. Hîc Mandata morientium ſola conſideremus.

SERVIVS Oppidius Canuſi duo prædia diues
Antiquo cenſu natis diuiſſe duobus
Fertur: & hoc moriens pueris dixiſſe uocatis
Ad lectum: Poſtquam te talos, Aule, nucesq;
Ferre ſinu laxo, donare, & ludere uidi:
Te Tyberi numerare, cauis abſcondere triſtem:
Extimui, ne uos ageret ueſania diſcors,
Tu Nomentanum, tu ne ſequerêre Cicutam.
Quare per diuos oratus uterq; penateis,
Tu caue ne minuas, tu ne maius facias, id
Quod ſatis eſſe putat pater, & natura coercet.
Præterea ne uos titillet gloria, iure
Iurando obſtringam ambo: uter ædilis fuerit, uel
Veſtrûm prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.

Horatius libro 2. Sermonum, Sat. 3.

HERODES Magnus Iudæorum rex moriens Iudæorum primarios in Hippodromo cõcluſos interfici præcepit, ut quãdo morte ſua gauiſurũ ſciret populum, domeſtico luctu nobiliſſimas inuolueret familias. Sed ſoror Salome huic tam tyrannico mandato minimè paruit. Ioſephus.

MAXIMILIANVS I. Imp. Gregorio Carthuſienſi confeſſori ſecreto præcepit, ut mox ſibi mortuo ſubligaculum induceretur, ne pudenda ſua poſt mortem quiſpiam uideret. Erat enim omnium mortalium uerecundiſſimus, adeò ut nemo unquam ex cubiculariis eius uiderit naturæ opera exercentem: nemo neq; meiere, neq; egerere. Pauciſſimi medici eius urinam, dum ægrotaret, uiderunt, tantæ erat uerecũdiæ. Dehinc præcepit, ut poſtquam animam efflaſſet, pilis eius tonſis toto corpore, omnes dentes euellerentur, in foueaq; ſuppoſitis carbonibus ac igne in cœmiterio obruerentur: corpusq; flagellatũ, triplici ſacco, ex lino, ſerico albo, Damaſceno, inuolueretur cũ calce ac cinere mixto. Voluit etiã, ut corpus ſuũ toto die palàm omnib. ipſum adeuntib. oſtenderetur, ac poſtremò incluſum pheretro (qđ ſecũ annis quinq; & amplius in eũ uſum factũ circũuexit, interius ferramentis optimè munito) in Nouã ciuitatẽ Auſtriæ ductũ, in ſacello arcis, S. Georgio dicato, ſub magno altari ſepeliretur, ita ut à pectore ad caput foris cadauer extẽderetur: Sacerdos aũt diuina myſteria celebrans, pedibus pectus calcaret. Cuſp.

Curam canis.

Lucianus ſalſiſſimè ludit in Stoicũ barbatũ, cui in eodẽ ſedenti uehiculo DOMINA catellã cõmittit, obteſtans illum per ea, q̃ ſunt in uita dulciſſima, ut diligẽter curet. Eraſ. in Adag.

PLACITA, CONSILIA, VOLVNTATEM aliorum ſequi.

IN THEORICIS.

ARISTOTELES in quæſtione de numero ſphęrarũ cœleſtiũ lib. XII. Metaphyſicorum hæſitans, & ad Aſtrologos tanquam iudices idoneos recurrens, nõ alias hypotheſes, quã Eudoxi

Eudoxi & Callippi & ſuas de concentricis orbibus numerauit, neq; tamen ſibi ſatisfecit. Itaque ad primum mathematicum fontem, ad Aſſyrios uidelicet, recurſum eſt. Alexander Aſiam tum fulminabat, & Calliſthenes pro Ariſtotele datus Alexandro, monitus eſt, ut ſi Babylon caperetur, Aſtrologia Babyloniorũ à Chaldæis exquireretur, atq; in Græciã mitteretur. Hæc enim opima Orientis ſpolia à philoſopho expectata ſunt. Et certè Babyloniæ obſeruationes annorum 1903. ad Ariſtotelem à Calliſthene miſſæ memorantur. P. Ramus lib. 1. proœmij mathematici.

ORIGENES in Eſaiæ prophetæ interpretatione cùm quęnã urbs Ariel eſſet ambigeret, Hebræum quendam Rabinum conſuluit, eiusq; iudicium ſecutus eſt. Fulg. lib. 8. c. 13.

D. AVGVSTINVS in enarrãdis calamitatibus, quę ante Chriſti religionem Romano imperio accidere, Pauli Oroſij hiſtoriam ſecutus eſt. Fulg. lib. 8. cap. 13.

MAHOMETVS homo illiteratus prorſum, habuit magiſtros & conſultores Chriſtianos duos, Sergium monachum Arianum, & Ioannem Neſtorianũ: cum Iudæo Thalmudiſta. Sergius illi pertinaciam Arianam, Ioãnes Neſtorianam, Iudęus cõmenta Thalmudica cõmendauit. Ergo ut facilius ad ſe omnes nationes traheret, ex Iudæo tradidit circumciſionem: ex Chriſtianis frequẽtes ablutiones, & quaſi baptiſmata: & Chriſtum negauit eſſe Deum, etſi Dei uerbum eſſe fateatur. Lud. Viues de Veritate fidei lib. 4.

BARTOLVS I.C. neotericorũ princeps, cũ quid cõmẽtaretur, neq, leges in promtu reperiret, Franciſcum Tigri Piſanũ ꝓfeſſorem conſulebat. Richardus ex Diplouatio recitat.

IN PRACTICIS. Obedientia.

Obedire alteri, huius eſt loci. Vt hoc uel rectè, uel ſtultè, uel libidinosè, uel crudeliter fit, ad alios atque alios titulos referri debet.

Chriſti Saluatoris auctoritatem apud ſuos DISCIPVLOS quis ſatis oſtendere poteſt? qui eius dictis obedientes fuêre, cùm eos mitteret in caſtellum, ut aſinam cum pullo adducerent. Non interrogabant, cur iam equitare uellet, qui hactenus pedes fuerat: non diffidebant quicquam: non dubij erant, an abducendi aſinam facultas daretur. In nuptiis Canæ Galileæ iuſſu eius citò hydriæ replebantur aqua. Petrus hamum in mare mittere iuſſus & extrahere piſcem, ut inueniret numum tributi, ſine mora paruit.

AETHIOPVM traditur mos, ut delinquentes aureis catenis uinciant: & quos morti deſtinaſſent, per lictorem ſignũ mortis illis rex mitteret: ipſiq; accepto ſigno, protinus mortem ſibi conſciſcerent, eo genere lethi, quod quiſque delegerat. Alex. lib. 3. cap. 5.

AGIDI regi Spartano in Arcadia, cùm infeſta ſigna ſtante in procinctu exercitu inferre hoſtibus intenderet, ex maiorib. natu Spartiatis quidam inclamauit, uelle eum malum malo tollere. præproperum, ex Argis receptum ſignificans intempeſtiua pręſente alacritate uelle eum corrigere, ut eſt apud Thucydidem. Quod cùm audiuiſſet Agis, obtemperauit ac receptui cecinit, uictorq; euaſit. Plut. an Seni tract. reſp.

Magiſtro Sarpedoni CATONEM iuniorẽ dicto audientẽ ꝑhibent fuiſſe, & feciſſe, quicquid ille iuberet: ſed cauſam requiſiſſe ſingulorũ, & rationẽ percunctatũ. Plut. in Catone.

SIALANDI Regneri regis licet pueri conſilium ſequuntur. Vide Tit. Indoles prudentiæ.

Vitoldus dux Lituaniæ tam terribilis erat SVIS, ut ad leuem ipſius nutum iuſſi ſemetipſos ſuſpendio necarẽt. Aen. Syl.

IN MECHANICIS.

EVPHRANOR Athenis duodecim deos pingens, de idea Iouis Grammaticum conſuluit. Is Homericos uerſus Iliad. α. de Ioue recitauit: ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον, quibus recitatis, iam ſe archetypũ habere Euphranor reſpondit. Alij uerò PHIDIAM ſtatuariũ Iouis Olympici ſtatuam ex ebore ex his Homeri uerſib. ſculpſiſſe teſtantur, in ſolio ſedentis, & uertice ſuo ad tecti lacunar uſq; pertingentis. Euſtath. Iliad. α.

PLACITA, VOLVNTATEM aliorum non ſequi.

IN THEORICIS.

CREON dum mauult animo ſuo quàm rectis conſiliis obtẽperare, & ſuos & ſe funditus perdidit, apud Sophoclem in Antigone. Proinde Chorus exclamat:

πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. *id eſt,*
Vt ſis felix, longè primum Sapere eſt.

PLATO Cyrenęis rogantibus leges ſcribere noluit, ob nimiã illorum felicitatem. Plut. ad Principem indoctum.

PERICLES à populo ſubinde excitatus, non geſſit ei morem, allegans non eſſe commentatum ſe. Plut. de Inſtit. liberis.

DEMOSTHENES, uocantibus eum ad conſilium proponendum Atheniẽſibus, denegauit: ac, Non ſum, inquit, meditatus. Idem.

IN PRACTICIS. Non obedire.

Conſule locum Stultitiæ, Monita aliorum ſpernere. Item Perfidiæ ſubditorum, Liberorum, Vxorum, Seruorum, quatenus non obediunt.

SVBIICERE SE ALTERI. DEDERE.

Conſule locum Seruitutis. Illic fortuita ſubiectio, hîc uoluntaria, perpenditur.

BELLICE.

Apud PERSAS, terram & aquã offerre, deditionis ſignũ erat. Quare Darij legati cùm ab Atheniẽſib. magnificis uerbis terram & aquã peterent, ab eiſdem alij in barathrum, nonnulli in puteos præcipites acti ſunt. Alex. lib. 4. c. 7.

Apud LACEDÆMONIOS ſcutis poſitis, manus excutere: in ſingulari pugna, uox, Herbam do, ſe uictum fateri ſignificat: ſicut olim bello capti, cùm ſalutem peterent, in diſcrimine extremo ſalutem dicere ceperunt. ζώγρει. Idem.

ATHLETARVM mos erat, ut in certamine uicti, digitum aut manum exerendo, pacem peti oſtenderent. Idem.

Apud GALLOS & Hiſpanos brachia & manus inermes tendere: apud ROMANOS capita ſcutis ſubdere, & arma tradere, deditionis ſignum erat. Quare Pompeiani in pugna Pharſalica paſſis palmis ſalutem petiere.

Iunctis uelatisq; manibus ſupplicare, aut cum infulis & uelamentis prodire, apud GRÆCOS manus inermes dare, INDIS cum pateris occurrere, & uina libare, aut ex Solis ara accenſis facibus obuiam prodire, in fidem uenire & poteſtatem, ſignum fuit. Neq, enim decebat illos, qui paſſis palmis in deditionẽ ueniſſent, morte afficere, aut in eos uelut hoſtes inſultare. Ibidem.

OECONOMICE.

Vide Titulum γυναικοκρατουμένων.

THEMISTOCLES uxori nihil denegare poterat. Eapropter filius eius Diophantus per iocum dicere ſolebat: Quod mihi placet, idem & matri. Quod matri, idem Themiſtocli patri. Quod Themiſtocli, idem Atheniẽſi populo. Quod Athenienſibus, idẽ Græcis reliquis. Ergo quod Diophanto, etiã Græcis. Plut. de Lib. educatione.

NON SVBIICI.

Vide locum, Libertatis ſtudium.

EVAGORAS Cypri tyrannus à Teribazo Perſarum regis Artaxerxis duce arcta obſidione preſſus, regi quidẽ annuũ tributũ pendere, & relictis cęteris Cypri urbibus unius Salaminis poſſeſſione contentus uiuere uoluit, ſed ut regi Perſarũ tãquam ſeruus hero ſe ſubiectum fore profiteretur, nunquã adduci potuit. Diod. lib. 15.

Vngari cõtra Sigiſmundũ Vngarię & Bohemiæ regẽ XXXII. cõiurarãt. Detectis inſidiis, capiũtur oẽs, Budãq; deducti ſecuri percuſſi ſunt. Stephanus Contus cõiuratorũ princeps, cũ ſupplicio afficeretur, armiger eius CHIOKA ingẽti eiulatu mortẽ Domini proſecutus, à Sigiſmundo cõpellatur: Iã dominus tuus ego ſum, qui tibi magis q̃ truncus ille ꝓdeſſe poſsũ. Ad hęc puer: Nunquã ego, inquit, Boęmico porco inſeruiã: in partes mille diſcerpi malo, q̃ à domini magnanimitate deſciſcere, cui Boemi, oẽs parẽ animũ ꝓſtare nõ poſſent. adeoq; ceruicẽ lictori ultrò præbuit. Bonfin. lib. 2. Dec. 3.

PERMITTERE, LIBERTATEM DARE, POTESTATEM FACERE, Concedere.

QVID.

Arcanam criminationem.

ALEXANDER Magnus allatam à matre Olympiade epiſtolam, qua arcana crimina & delationes contra Antipatrũ cõtinebantur, unà legenti, ut ſolebat, non prohibuit Hephęſtioni: cæterùm ea lecta, detraxit ſibi anulũ, atq; ori illius ſignum impreſſit. Plut. in Apoph. & orat. 1. de Alex. fort.

Nuptias.

Nuptias.

CALLIAS Athenienſis uir clariſs. & ſummus Piſiſtrati hoſtis, filiabus tribus, poſteaquã nubiles extitere, hoc magnificentiſſimũ munus eſt gratificatus, ut quem ſibi unaquęq; uellet ex omnib. Athenienſib. ſponſum deligeret. Herod. lib. 6.

Inceſtum.

QVIDAM ex Perſarum conſiliariis, cùm CAMBYSES rex ab eo quæſiuiſſet, an ſororem legitimè poſſet ſibi matrimonio iungere? Nulla lex, inquit, rex hoc permiſit unquam: ſed alia maior lex eſt, licere regi facere quicquid libeat. Sab. li. 9. c. 11.

Adulterium.

STRATONICA Deiotari Galatarum regis uxor, cùm aduerſante ualetudine ſe concipere nõ poſſe uideret, uiro perſuaſit, ut cum alia coiret: ad cumq; deduxit Electram cubicularem ſuam miniſtram, moribus atq; forma inſignem: ex qua Deiotarus aliquot filios procreauit, quas Stratonica, poſt uiri mortem, non ſecus ac ſuos aluit, atq; in regno ſuccedere permiſit. Fulgoſus lib. 6. c. 7.

Regis eligendi arbitrium.

MARTINVS rex Aragonũ XV. moriẽs ſine liberis, Aragoniæ regnũ ſubditorũ iudicio reliquit, ut ſcilicet propinquiorẽ ac meliorẽ uirũ, & cui iuſtius regnum deberi uideretur, ac tutius cõmitti poſſet, eligerent. Illi ergo Ferdinandũ Ioãnis Caſtellæ regis F. ex Leonora Martini ſorore, multis aliis ſpretis competitoribus, elegerunt. Marineus lib. 11. rerum Hiſp.

Cædem hoſtis.

Apud ROM. ſtipendia nõ facientibus, licet aliàs uerſarẽtur in caſtris, hoſtem feriẽdi uel uulnerãdi ius nõ erat. Proinde Catõ maior in epiſtola quadã ſcribens ad filiũ, ei præcepit, ſi exauctoratus eſſet completis ſtipendiis, ut reuerteretur domum: aut ſi remaneret, copiam à duce uulnerandi & occidendi hoſtis peteret. Plut. in quæſt. Rom.

Mortem. Mortis optio data.

Eurydicę OLYMPIAS poſt mortem Alexandri Magni in poteſtatem redactæ gladium miſit, laqueum, & cicutam, utro uellet uteretur. Plutarchus.

QVIBVS.

Improbis.

Chij quidam Spartæ peregrinantes à cœna peruomuerunt & percacarũt ſellas Ephororum. Quod ubi compertum eſt factum à Chiis, per præconẽ edici iuſſere SPARTANI, Chiis licere intemperanter agere. Plutarchus.

Damnatis.

Εἰπεῖν τὸ τρίτον στραφὲ τῆς αὐλῆς, id eſt, Dicas tria de curia. ANTIQVITVS iis, qui in dicum ſententiis fuiſſent ad capitale ſupplicium cõdemnati, prius, quàm ad mortem ducerentur, ea facultas concedebatur, ut uino ciboq; expleti, tria quędam, quæcunq; lubitum eſſet, dicerent. Quæ ſimul atq; dixiſſent, promulgata damnatione producebantur ad ſupplicij locũ, αὐλὴν olim uocatum. Eraſmus in Adagiis.

PROHIBERE, VETARE.

Batto, cùm in Cleanthem uerſum in comœdia feciſſet, interdixit ſchola ARCESILAVS. Vbi uerò pœnitentia ductus ſatisfecit Cleanthi, rediit cum eo in gratiam. Plut. de Dignoſcẽdis adulatoribus.

Plato in Theæteto ſignificat apud Lacedæmonios hunc fuiſſe morẽ, ut in publicis certaminib. neminem cogerent ad congreſſum, ſed legẽ edicebant, ἢ ἀπόπεσε, ἢ ὄσσω ἐγένου, id eſt, aut abire aut exui, hoc eſt, ſe parare certamini, quòd campeſtriati luctarentur olim, cætera nudi. Eraſ. in Adagiis.

Mithridates rex à Cn. Pompeio ad Euphratẽ fuſus, in Armeniã ad TIGRANEM ſocerũ cõtendit. Qui & regno ipſi interdixit, & centũ talenta in caput eius pronũciauit. Plut. in Põp.

Ferũt IVLIANVM Cęſarẽ, cũ feminã Chriſtianã iuuenẽ uideret cũ puero mãmq; admoto procurrere ad ſupplicii manyrij cõſequendũ, uetuiſſe ne Chriſtiani plecterẽtur morte: nõ ut feminã feſtinantẽ ad mactationẽ ſeruaret, ſed quia illos poſt mortẽ ab aliis Chriſtianis in Deorũ numerũ referri criminabatur. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 3.

IMPEDIRE ALIVM.

QVID.

Venerem.

CERCOPAS, Lydius Hercules, quòd ſibi cum Omphale cubanti petulantiùs obturbarent, amicæ iuſſu uinctos de claua ſuſpendit. Vnde κερκωπίζειν, obſtrepere, obturbare. Eraſmus in Adagiis.

Acrogaſin.

C. PLINIVS cùm recitatorem quiddam perperam pronunciantem amicorum quiſpiam reuocaſſet, & ut repeteret iuſſiſſet: Quid, inquit, an intellexeras? Quũ ille annuiſſet, Cur ergo, inquit, reuocabas? Decẽ amplius uerſus iſta tua interpellatione perdidimus. Eraſ. lib. 8. Apoph.

Iter.

SPITIGNEO II. Boemorũ principi, equitanti occurrit quædam uidua, rogans, iuſtitiã ſibi adminiſtrari. Expectare princeps illã, dum reuerteretur, iubet. Contrà illa, morã hãc ſibi periculoſam allegat, quoniã ua dimoniũ in proximã horam cõſtitutum ſit. Ablegat illam Princeps ad alios iudices ordinarios. At illa exclamat: Illum, nõ alios, ſibi à Deo conſtitutum eſſe iudicem. Ergo ab equo deſcendit, cognitionique amplius duas horas uacauit. Dubrauius lib. 8.

QVOMODO.

Voce. Interpellare.

Philippus Macedo, cùm paupercula ANVS poſtularet, ut ipſe de cauſa ſua cognoſceret, eumq; idẽtidem interpellaret, negauit uacare ſibi. Ibi uociferans anus: Ergo noli, inquit, regnũ agere. Quo ille dicto defixus, nõ iſtã modò, uerumetiã alios confeſtim diligenter audiuit. Plut. in Apoph.

Facto. Interturbare.

Cyrus rex Perſarum, relaxata aliquantum captiuitate Iudæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad inſtaurãdum templum regredi fecit. A quibus prima cepta fundamenta, & altare conſtructum eſt. Incurſantibus autem hoſtibus VICINIS, & præſertim SAMARITANIS, dilatum opus fuit uſq; ad Darium. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 26.

NON IMPEDIRE.

P. Piſo orator, interpellari nolens, præcepit ſeruis ſuis, ut ad q̃ſita reſponderent, nihil præterea loquerentur. Poſt cùm conſulem Clodium demereri uellet, imperauit eum inuitari: & magnificum, ut fit, epulum parauit. Inſtante hora, cæteri aderant, Clodius expectabatur: miſitque ſæpius SERVVM ſuum uocatorem uiſum, uenirẽne. Veſpera iam, cùm ſpes non eſſet uenturum: ibi famulo: Quid, inquit, uocaſti eum? Ego uerò, inſit. Quin igitur uenit? Ibi ille: Nempe negauit. Cur ergo id non ilicò dixiſti? Quia non rogaſti hoc. Plutarchus de Garrulitate.

COGERE, VIM INFERRE.

VI, ARMIS.

HERCVLI mos erat res alienas ui abducere, non dolo. Hinc natũ prouerbiũ, ἀκὴν παρ' ἡρακλέα. Fruſtra Herculi, ſubaudi, calumniam ſtruxeris. in eos, qui ſic omnia ſua negotia gerũt, ut nemo queat aut audeat calumniari. Eraſmus in Adagiis.

Cùm Diomedes & Vlyſſes cõmuni opera ſublato Palladio, redirent noctu, Vlyſſes quo ſacti gloriã in ſe unum trãsferret, deſtinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladiũ ſecum portantem. Itaq; cùm enſem in capus illius à tergo uibraſſet, DIOMEDES, animaduerſa ad lumen lunæ gladij umbra, ſubtraxit ſe plagæ, correptumq; Vlyſſem, uinctis manib. præcedere cõpulit, gladio lato ſubinde cędens illius tergum. Hinc Diomedea neceſſitas. Suidas ac Zenodotus.

Pyrrhum filij adhuc pueri rogarũt, cuinam relicturus regnum eſſet? Reſpondit, Ei, qui gladium habebit acutiſſimum. Plut. in Regum apophth.

FOEDERE.

GELO Syracuſanorum tyrannus cùm fortiſſimè arma cũ Carthaginenſibus contuliſſet, conſecutus ingenti prælio uictoriam, non antè pacem orantibus dedit, quàm hoc quoq; fœdere cauiſſet, ne deinceps liberos ſuos Saturno immolarẽt. Plut. de Tarda dei uindicta.

LEGE.

NVMA Romanorũ rex ut uites putare cogerẽtur agricolæ, pigri alioqui circa pericula arbuſti futuri, religionis neceſſitatẽ illis impoſuit, quando ex imputata uite diis libari uina, nefas ſtatuit. Plin. lib. 14. cap. 12.

LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO.

- Eius, *qui perturbatur. Vide ſignum* I.
- Hominum, *in quos ob animi motum quomodolibet agit. Vide in ſequentibus ſignum* III.
  - Actiones conſiderationis reſpectu
    - Aliorũ, *qui tamen non perturbãtur, tum*
      - Rerum, *quas per animi motiũ quomodoli bet tractat. Res conſiderantur*
        - Equus.
        - Canis.
        - Muſca. *Muſcas* → Abigere. Configere
        - Inſignia *dignitatis* → Non *depoſita.* Abiecta, *Depoſita.* Occultata.
        - Veſtimenta → Mutata. Sciſſa, *Lacerata.* Excuſſa. Læta. Lugubria. Lota, *Mundata.* Sordida. Sublata *in altum.*
        - Calceus → Traditus. Proiectus *in faciem.*
        - Vnguenta.
        - Mẽſa. *Huc pertinet* MENSAM → Plenã *re. Inquere.* Euertere.
        - Coronæ.
        - Scutum → Quatere, *mouere.* Abiicere.
        - Haſta.
        - Gladius → Oſtenſus. Strictus.
        - Sceptrum, *Baculus.*
        - Calamus. Fuſus, *Colus.*
        - Caduceus. Ramus *oleæ.*
        - Allium. Campanæ *pulſus.*
        - Ædificia *qualiacunq;.*
        - Mœnia → Deiecta. Veſtita.
        - Porta.
      - Reſpectu Agentis. Qui
        - Colligit → Arma. Pediculos.
        - Abiicit, *Proiecit* → Quid → Merces. Scyphum. Venenum.
        - Cur *præ* → Ira, *Indignatione.* Supſtitione.
        - Mundat, *Abſtergit, Lauat.*
        - Non *mundat* → Veſtes. Spolia. Manubias.
        - Oſtendit → Ignem. Indicia *annonæ.* Gladium. Pannos *muliebres.* Pudenda.
        - Occultat, *Abſcondit.*
        - Porrigit → Herbam. Manum.
        - Tangit.
    - Per *ſe.* NOTAE *Affectum, Res per ſe conſideratæ. Sic ad Animi agitationem exprimendam facit*
  - Paſsiones. *Vide in ſequentibus ſignum* V.

IN *Corpore propter Animi agitationes motuſq; uarios, & præſertim rationis expertes, uaria apparent indicia, atq; notæ ſenſibiles. Namq; Intellectus ipſe, ut naturæ ductu princeps eſt, cuius nutum Appetitus ſequi debeat: ita Appetitus ſæpenumero tyrannide arrepta Intellectũ ſibi ſeruire cogit, & corpus ipſum in conſenſum trahens affi-cit, unde etiam nomen habuit. Et ſanè è duobus perturbationum generibus Voluptas tanquam naturæ amica corporis organa omnia tum in acquirendo, tum in perfruendo diffundit atq; dilatat: Triſtitia uerò naturæ inimica contrahit hominem in ſeipſum, tum perferendo, tum amoliendo mala qualiacunque. Diuidi poſſe uidetur partim in*

I. Sic Actiones perpendendæ sunt

- Animales,
  - Internæ agitationis, tũ
    - Rationis,
      - Raptus mentis, Extasis
        - Sacra.
        - Profana, impia, magica.
      - Impotentia animi, Stupor, Furor, Eliquatio, præ
        - Timore. Mœrore.
        - Ira. Amore.
        - Gaudio. Admiratione.
        - Studio.
    - Memoriæ. OBLIVIO.
  - Externæ, tum
    - Motus. Vide signum II.
    - Sensus. SENSVVM notæ. Vt quo ad
      - Visum
        - In cœlum suspicere.
        - Respectare. Non aspicere.
      - Auditum. Non audire. Olfactum.
      - Gustum. Tactum, Non sentire.
- Vitales. VITALIS facultatis notæ in
  - Genere
    - Remisse, in
      - Animi deliquio.
      - Animi eliquatione.
    - Abolitæ per Mortem, ex impotentia affectus obortam. De qua sub Passionibus.
  - Specie per
    - Pulmonis Respirationem
      - Liberam. GEMITVS, Suspiria.
      - Interceptam
        - Singultus.
        - Anhelitus retentio.
    - Cordis Pulsum.
    - Diaphragmatis titillationem. Vnde RISVS
      - ALIQVIS:
        - Qui riserint. In genere.
        - Quos. Ridiculi casus.
        - Quomodo
          - Modestè. Effusè.
          - Fictè.
        - Quando. In
          - Ortu. Morte.
          - Sacrificiis. Inter sacra.
          - Lectione. Acroasi.
        - Vbi.
        - Cur. Ob
          - Stultitiam. Astum. Iocum.
          - Vltionem. Tyrannidem. Defensionem.
          - Metum inanem. Repulsam.
          - Cladem hostium.
          - Fortunæ inconstantiam.
      - NVLLVS:
        - Qui.
        - Vbi.
        - Cur. Ob
          - Spectra. Scurrilitatem.
          - Calamitatem.
          - Præsentiam virorum gravium.
- Naturales. NATVRALIS facultatis notæ tum
  - Principis.
  - Famulatis. Respectu
    - Appetitricis:
      - Fastidium, Auersatio, Abstinentia cibi.
      - Appetitio cibi.
    - Concoctricis, Cruditas.
    - Expultricis, tũ
      - Totius. Sudor.
      - Partis, per
        - Oculos, Lacrymæ, Fletus
          - Aliqs. LACRYMAE. Tũ
            - Qui fleuerint. In genere.
            - Cur. Ex
              - Gaudio.
              - Mœrore. Ob
                - Peccata. Obliuionem.
                - Seniũ. Mortẽ suã suorumue.
                - Mortem brutorum.
                - Nuncium triste.
                - Spectaculũ. Defectionẽ.
                - Calamitatem, Cladem suam suorumue.
                - Seruitutem. Exilium.
              - Cõmiseratione. Æmulatione.
              - Pudore. Deprecatione.
              - Desiderio. Ira. Indignatione.
            - Quõ
              - Facilè. Difficulter, diu reluctando.
              - Fictè. Verè.
            - Quãdo. In
              - Spectaculo. Opere, Labore.
              - Conuiuio. Oratione, Precibus.
          - Nullus.
        - Os. Sputum, Expuitio.
        - Ventrẽ. EXCRETIO, Vomitus, Lotij emissio præ
          - Ira.
          - Timore.
          - Indignatione.

II. Mo

II. Motus alius

- Vocalis. Huc Vox, Oratio,
  - Aliqua, considerata ratione
    - Quantitatis, quo ad
      - Magnitudinem
        - Magna, Alta. Clamor, Exclamatio. Causa
          - Indicij. Suffragij. Gaudij.
          - Luctus, Mœroris.
          - Metus. Admirationis.
          - Iræ, Indignationis.
          - Contemtus, Desperationis.
        - Parua, Humilis, Submissa.
      - Multitudinẽ. Oratio
        - Multa. Multiloquium, Loquacitas, Garrulitas.
        - Pauca.
        - Prolixa, Prolixitas sermonis.
        - Breuis. Breuiloquentia.
    - Qualitatis. Oratio
      - Blanda. Affectata. Simplex.
      - Aperta. Obscura. Obmurmuratio.
      - Mollis, delicata, effœminata.
      - Queribunda. Libera. Modulata, Cantus.
      - Impedita. Linguæ hæsitantia.
  - Nulla. Oratio
    - Quid. In
      - Genere.
      - Specie. Silere
        - Religionis mysteria. Visionem.
        - Consilium, Institutum.
        - Arcanum commissum.
        - Peccatum, Crimen.
        - Hostium aduentum.
    - Omissa. SILENTIVM, Taciturnitas.
      - Qui
        - Monachi. Philosophi. Medici. Discipuli.
        - Reges. Cardinales. Iudices. Milites.
        - Mercatores. Pueri. Mulieres. Serui.
      - Quando. In
        - Precibus, Oratione ad Deum.
        - Lectione. Iudicio. Conuiuio.
        - Prouocatione. Obtrectatione. Pugna.
        - Rixa, Iurgio, Contentione. Tortura.
      - Cur. Præ
        - Sapientia. Ira, Indignatione.
        - Metu. Pudore. Mœrore.
        - Valetudinis studio.
    - Intercepta. OBMVTESCENTIA. Tum
      - Qui. Vt
        - Doctores. Oratores, Legati.
        - Musici. Histriones.
      - Propter quid. Ex
        - Pudore. Ira, Indignatione.
        - Mœrore.
- Localis, Corporis
  - Totius, cõsideratur
    - Motus, ut currit, deambulat, saltat. Huc
      - Circumactio. Exurrectio.
      - Exultatio. Saltatio.
      - Deambulatio. Statio. Volutatio.
    - Quies. Puta
      - IMMOBILITAS.
      - SESSIO.
      - DECVBITVS.
  - Partis. Vt
    - Capitis
      - Inclinatio. Erectio.
      - Sustentatio ambab. manibus.
    - Vultus compositio. Tum
      - Blanda, Læta.
      - Austera. Tristis, Seuera.
    - Frontis
      - Corrugatio.
      - Exporrectio, Compositio.
    - Superciliorum elatio.
    - Oculorum
      - Auersio. Deiectio, Auomia.
      - Constantia. Clausio.
    - Aurium arrectio,
    - Narium
      - Contractio. μυκτηρισμὸς, Naso suspendere.
      - Ronchus.
    - Dentibus frendere.
    - Labiorum exporrectio. Linguæ exertio.
    - Ceruix rigida, immota.
    - Manuum motus
      - Gesticulatio. Applicatio ad quamcunque corporis partem.
      - Extensio. Demissio.
      - Occultatio. Motatio.
      - Significatio:
        - Crucem effingendo.
        - Cauam ostendendo manum.
    - Digitorũ motus
      - Crepitus. Elatio.
      - Pressio. Ostensio. Implexio.
    - Pedũ motus
      - Impositio.
      - Flexio, Ingeniculari.


Conuersatio. Vide in sequentibus signum I V.
III. Huius generis sunt
COLLOQVIVM. Colloquutionis notæ. Aut
OBSERVATIO. Custodia hominum, cõsiderata quo ad
Personas
Mulieres. Grauidas.
Supplices. Captiuos.
Modum:
Leuis, Libera.
Arcta, Seuera.
Locum.
Finem. Causa
Iustitiæ. Amoris.
Odij.
Cũ alio. Respectu
Vtriusque, in
Genere:
Colloqui, respectu
Materiæ.
Personarum
Homines cum Dæmone.
Mulieres. Coniuges.
Modi: siue fiat
Scripto.
Viua uoce. Colocutio
Libera.
Suspecta.
Occulta. Insusurratio.
Loci.
Non colloqui.
Specie:
Interrogare. Respondere.
Occlamare. Interpellare.
Alterius:
Alloqui. Appellare, Compellare:
Quos, ut Sponsum, Sponsam.
Quomodo
Viua uoce.
Scripto.
Acclamare
Quibus. Puta
Episcopis. Principibus.
Militibus. Athletis. Pueris.
Ebriis. Calamitosis.
Cur. Causa
Honoris. Animandi.
Adulandi. Funeris.
Inclamare
Quibus: Puta
Vxoribus.
Mortuis.
Cur.
Secum. SOLILOQVIVM.
CONIVNCTIONIS notæ. Tum respectu
Modi:
Complecti se mutuo.
Oculari
Qui quos
Mulieres. Pueros. Puellas. Reges, Principes. Legatos.
Filios, Vxores. Cognatos. Fratres. Mortuos.
Qua parte:
Os. Humerum.
Manus. Pedes.
Cur. Causa
Congratulandi. Salutandi. Valedicendi.
Religionis. Reconciliationis. Amicitiæ.
Amoris ueneréi. Fidei. Indicij. Proditionis.
Non oculari. Repellere ab oculo, contactu.
Gestare. Sustinere innitentem.
Ferire, Verbera re:
Quẽ
Vxorem.
Discipulos.
Quâ parte
Malas. Faciem, Alapam impingere.
Manum.
Quo instrumento
Manu.
Calceo. Ferula.
Cur. Causa
Religionis. Amoris.
Libertatis. Ignominiæ.
Impetere. Petere
Malis. Rosis. Calceo. Dẽtibus, Mordere. Lapidibus, Lapidare.
Sputo, Conspuere. Lotio, Stercore perfundere.
Partis
Caput
Alterius
Tangere. Demulcere.
Perfundere, unguento, fructibus.
Suũ in alterius sinũ reponere.
Aurem uellere alterius.
Dextram alteri
Porrigere
Qui quibus.
Quomodo
Per se.
Per alium.
Cur. Causa
Fidei, in genere. Licentiæ.
Recõciliationis. Salutationis.
Non porrigere, Subtrahere.
Manumittere. Genua complecti.


IV. Affectuum notæ ad Conuersationem pertinẽt aliæ in
Genere:
CONVERSARI:
Qui:
Populi. Commercia gentium.
Probi cum improbis.
Improbi cum probis.
Quomodo.
Cur.
Vbi:
Domi. In domo eadem.
Peregrè. In conuiuio.
NON Conuersari:
Cum quibus. Cum
Ciuibus, Peregrinis.
Viduis. Pupillis. Hostibus.
Vbi. in
Balneo. Conuiuio.
Templo.
Cur. Causa
Pudoris.
Magistratus.
Odij. Religionis.
Accedere, Adire, Visitare, Congredi.
Qui quos adierunt
Pontifices & Reges,
Reges inter se. Regum congressus.
Subditi Reges.
Sani Ægros.
Monachi Monachos.
Pontifices Monachos.
Vbi. Ad
Conuiuium. Concionem.
Ægrum.
Recedere, Abire.
Comitari:
Quos
Parentes.
Mortuos.
Ad quid. Ad
Conuiuium. Sacrificia.
Explorandum. Exilium.
Quando: ut Noctu.
Conuiuere. Combibere, Præbibere.
Adhærere.
Sectari:
Quos
Matronam.
Fugientem hostem. Insectari proprie.
Cur. Causa
Amoris.
Vltionis.
Aduocare. Euocare.
Reuocare. Deferere.
Abigere, Expellere.
Repellere à congressu.
Specie:
Excludere. Non admittere. Declinare.
Non insequi.
Fugere:
Quos
Nouercas. Hostes.
Amatores.
Quid
Conuersationem hominum. SOLITVDINI dediti uel
Studio
Religionis.
Superstitionis.
Philosophiæ.
Consultandi.
Otij, Quietis. Voluptatis.
Odio
Vitiositatis.
Gloriæ. Gloriæ fuga.
Mœrore ob
Cædem. Cædis conscientia.
Cladem.
Iudicium.
Perfecutionem.
Quomodo
Deferendo
Patriam.
Loca munita.
Subsistendo frequenter.
Dissimulata persona.
Vnde, ex
Acie. Prælio nauali.
Obsidione.
Seditione.
Non fugere.
Occultare sese causa
Insidiandi.
Metus.



Voluminis Primi Liber III.

De ANIMI FACVLTATVM atque Functionum notis.

ANIMI RAPTVS. ECSTASIS.

Ecstasin quis non immeritò inter Passiones subsequentes Animi motũ referat, quatenus Priuationẽ functionum animalium consuetarum denotat. Cui ipsi tamen propter earundem ut insolitam sic liberiorem agitationem inter Actiones primum locum iure assignabimus.

SACRA.

Exempla quædam ex Contemplationis loco peti possunt: item ex Tit. Prophetarum. Est autem uelut mors quædam philosophica, expaciante animo contemplationis alis, mox tamen ad suum reuertente carcerem.

PAVLVS apostolus in Apostolatu cõfirmatus, raptus est usq; ad tertiũ cœlũ, utrũ in corpore an extrà corpus, nescit, Deus scit: audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui. Hinc demũ in illã prorupit uocẽ: O altitudo diuitiarũ sapiẽtiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula, amen. Marul. lib. 2. c. 4.

SIMON Petrus cùm in cœnaculum circa horam sextam orationis ascendisset, cecidit super eum mentis excessus: & uidit cœlum apertum, & indè uas quatuor initiis submitti, immũdis animalibus plenum, sed quæ à Deo mundata dicerentur. Ex quo significatũ est, gentiles quoq;, qui planè immundi erroris inquinatione erant, per fidem Euangelicæ ueritatis mundandos, & ecclesiæ gremio excipiendos esse, sicuti & Iudæos. Ibidem.

IOANNES apostolus: Fui, inquit, in spiritu, Dominica die, & audiui & uidi, ea utiq; quæ in Apocalypsi cõmemorat. Quorum præstantiam D. Hieronymus admiratus, ait: Apocalypsis Ioannis tot habet sacramẽta, quot uerba. Parum dixi, in uerbis singulis multiplices latent intelligentiæ, & pro merito uoluminis laus omnis inferior est. Ibidem.

ROMVALDVS abbas, ordinis Camaldulensis auctor, cùm ad Sutrij montis monasterium uenisset, & ibidem sacra celebraret, aliquamdiu in ecstasi raptus stetit: & Psalmorum interpres factus est, quorum paulo antè ne lector quidem satis idoneus fuerat. Ibidem.

FRANCISCVS in ecstasi uidit fulgentẽ Saluatoris nostri crucẽ, uidit sanctũ Seraph, à quo Seraphicus dici meruit. Inde singulari quodã priuilegio Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter gessit. Idem, & Sab. lib. 2. c. 6.

ELIZABETHA uirgo, Comagiensis monasterij decus, cùm sese cœlestiũ cõtemplationi penitùs dedidisset, obstupefactis interdũ corporis membris ac sensibus, diu ueluti exanimis iacebat. Inde illi non pauca, quę futura erant, diuinitùs reuelata fuisse perhibent: librum etiam, qui Viariũ Dei dicitur, angelo dictante, ab ea scriptum. Marul. lib. 2. c. 4.

D. THOMAS Aquinas iugi & assiduæ contemplationi ita sese assuefecerat, ut frequenter in mentis ecstasim cadẽs, astãtibus mortuus uideretur: interim tamen recondita diuinarũ literarum mysteria hauriebat: & ad se reuersus, fructum huius philosophicæ mortis docendo simul & scribendo aliis quoq; communicabat.

Prædicari audio IOANNEM Scotum, quo nemo subtilius diuinas tractauit literas, animo in qui solitum, ac uelut exanimem eodem, quò deprehẽsus esset, loco, per diem interdũ, & amplius, immobilem sedisse, mẽte & sensibus sopitis, aut certè procul à corpore aberrantibus: atq; ita demũ ab hominibus eius rei ignaris pro defuncto elatum. Sab. lib. 7. c. 4. Exemplorum, & Iouius in Elogiis.

PROFANA, IMMIA, MAGICA.

EPIMENIDES Cretensis, item ARISTEAS Proconnesius, poetæ & philosophi clarissimi, corpus quandocunq; libitũ esset relinquere, & animo liberè per orbẽ uagari, atq; in corpus denuò redire potuerunt: quod tamen alij de contẽplatione & ecstasi intelligi uolunt. Aristeę certè animã corui effigie è corpore egressam narrant. Quam nacti occasionem inimici, Cantharidæ dicti, corpus ita affectũ flammis cõcremarunt, estq; menti peregrè redeunti uelut uagina gladio ademta. Plinius lib. 7. c. 52.

DE HERMOTIMO Clazomenio huiusmodi fabulæ narrantur. Animam eius extra corpus euagatã, per multos annos peregrinatam, uariis in locis futura prædixisse: ut imbres magnos, siccitates, terræmotus, pestilentias, aliaq; id genus, iacente interim corpusculo: tum eam longo tẽporis internallo corpus, ueluti exuuium quoddam intrasse, idq; excitasse. Id cùm sæpenumero egisset, uxoriq; mandasset, ut à suo discessũ nemo neq; ciuis neq; alius homo corpusculum attingeret: quidam domũ ingressi, à muliere precibus impetrarunt, ut nudum immobilemq; humi iacentẽ spectarent Hermotimum, quem ij igni facto cremarunt: existimantes, anima reuersa, & quò se reciperet non inueniente, ipsum prorsus moriturum. quod & accidit. Cæterùm Clazomenij Hermotimo fanum dedicarunt, in quod mulieribus ingredi nõ licet, ob causam expositam. Apollonius in Historiis mirabilibus. Plut. uerò de Socratis genio animam corpore nõ excessisse scribit, sed dum obsecundat & laxat genio uinculũ, permisisse ei liberum & uagum cursum, ut multa foris conspecta & audita renunciaret. Eos uerò, qui corpus sopiti extinxerunt, supplicium in hodiernum usque diem in Tartaro persoluere.

Presbyter fuit quidã nomine RESTITVTVS in parœcia Calamensis ecclesiæ, qui quãdo ei placebat, rogabatur autẽ, ut hoc faceret ab eis, qui rem mirabilẽ corãm scire cupiebant, ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis uoces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, ut nõ solùm uellicantes atq; pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiã igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodũ ex uulnere. Non aũt obtinendo, sed non sentiendo non mouere corpus, eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus: hominum tamẽ uoces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audisse postea referebat. August. lib. 14. de Ciuit. Dei, c. 23.

LAMIÆ non absurdè συναυγεῖς assimilari possent: qui uelut rapti extra sese, sensuq; omni & motu priuati, iacent exanimis similes, & pòst ceu ex profundissimo expergefacti somno, aut à morte ad uitam reuocati, redeunt ad sese, & miras fabulas, miraq; cõmenta narrant. At in has cogitationes se ingerens dæmon, earum seriem texit, hancq; uariat mira arte & scitè, repetitis præteritis, annexis præsentibus, & aspersis etiam quibusdam admonitionibus de futuris, ne in suspicionem anilium fabularum, aut temerè cogitatarũ ineptiarũ ueniant: inducta etiã persuasione, ut coràm spectasse, quę diabolus offudit, imaginentur. Ita dementat eos, quos ad talia usurpat, ut sui prorsus non sint compotes: sed uelut κεκαθαρμένοις, ea agitent mente, in eaq; intueantur, quæ dẽmõ obiicit: ex sese nihil faciant, nisi quantum aliquando permittitur, & id quidem utplurimùm est ridiculum. Vierus lib. 2. cap. 28. de Præstig. dæm.

Iacobus Sprangerus ex maleficarum quas igni damnauit confessione id MAGOS conficti narrat, se in ecstasi eadem res percipere, quas, si corpore adfuissent, pariter percepissent. Augustinus quoq; lib. 19. de Ciu. Dei ait, Præstantij patrẽ tanta ecstasi sæpe abreptũ fuisse, ut reuerso spiritu se fuisse uersum in equum affirmaret, cõmeatumq; in castra cum equis aliis importasse: cùm tamẽ ipsius corpus exanime iaceret domi. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 5.

Turretanus Præses, MAGAM quandam in Delphinatu cubantẽ ad ignem, manente domi corpore, in ecstasin abreptã fuisse asseruit: & quia nihil intelligebat, neq; clamore excitabatur, grauissimis uirgæ ictibus ab hero cæsam, tum etiã ut

uiderent an de hac uita decessisset, ignem partibus, quę maximè ualent sensu, fuisse subiectum, nec propterea euigilasse. Eam itaq; iacentem ab hero heraq;, mortuam esse existimantibus, ibi derelictam esse: manè iacentem in lecto inuentam. Quod cùm miratus herus quęsiuisset, quid rei contigisset ipsi, exclamantē suo sermone dixisse: Ah here quàm uerberasti me? Id hero apud uicinos narrante, aliquem dixisse, Saga est: ideoq; nō destitisse herum, donec illa rem fassa indicauisset se animo cœtum Magorum adiuisse. Bodinus lib. 2. Dæmon. cap. 5.

HIER. Cardanus Mediolanensis de seipso scribit lib. 8. de Var. rerū, cap. 43. quoties uelit, sese in ecstasim transire, ita ut uoces quidem astantium leuiter audiat, non tamen intelligat, uellicationem ualidam & ne podagræ quidē dolores prorsus sentiat, idq; solum sentiat, quòd sit extra seipsum. Huius initium à capite fieri, maximè à cerebello, diffundiq; per totam dorsi spinam. Sentire se in principio quandam circa cor separationem, quasi anima abscederet, totiq; corpori cōmunicari rem hanc, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Addit & illud, uidere se omnia, quæ uelit, oculis, non ui mentis, & imagines illas perpetuò moueri, utputa lucos, animalia, orbes, & quæcunq; cupit. Causam esse putat uirtutis imaginatricis uim, uisusq; subtilitatem. Bodinus uerò libro secundo Dæmonomanię, cap. 5. eos, qui uoluntariè inter uigilandum patiuntur istud, Magos esse confirmat: præsertim cùm Cardanus ipse fateatur in lib. de Rerū uar. ad finē, patrē sui triginta annos familiarē spiritū habuisse. Sic plerunq; patres sortilegi informant liberos, ut in mentis excessum rapiantur: quò pertinet illud Virgilianum de Maga Aeneidos 4.

—quæ se promittit soluere mentes.

ANIMI IMPOTENTIA ET STVPOR EX

TIMORE.

NABAL Ziphæus nuncios Dauidis regis exulis cōmeatū placidissimis uerbis petētes ebrius inhumaniter reiecit. Dauid ad excindendam Nabalis domum se accingēs, ab Abigaele Nabalis coniuge placatus propositum mutauit. Quæ cùm postero die Nabali rem omnem indicasset, præ animi defectione intra decem dies interiit. 1. Reg. 26.

MACEDONES contra L. Paulum Aemilium ad Pydnam pugnaturi, conspecta noctu eclipsi, obstupuêre penitùs, Perseo regi & Macedonico imperio exitium portendi augurantes. Plutarchus in Aemilio.

Conspirauerat M. Brutus cum Cassio in Iul. Cæsarem, & arcanū ipsum Brutus PORCIÆ uxori, Catonis filiæ, detexerat. Quo die aūt facinus aggressuri erant, Porcia uehementer euentus expectatione commota, ac moli impar curarum, ægrè cōtinebat se domi, atq; ad omnem strepitum ac uocem in modum bacchico furore percitarum exiliens, ut quisq; à foro regrediebatur, quid ageret Brutus, requirebat: alios mittebat eò assiduè. Postremò longiore temporis tractu nō substiterunt ultrà corporis uires, sed animo fluctuatione æstuante fatiscens elanguit: ac prius, quàm recipere se in cubiculum potuit, repentè inter suas sedentem, animi defectus, atq; immensus animi stupor corripuit, colorq; immutatus est; ac suppressa semel uox. Ancillæ eo uiso clamorem sustulere, concurrentibusq; ad fores uicinis repentè fama dilata est ac sermo dissipatus, mortuam esse. breui tamen animum recepit, & ad se redeuntem mulieres refouêre. At Brutus eo sibi allato rumore haud immeritò cōmotus, non reliquit negocium publicum tamen, neq; ex animi motu ad priuatum incōmodum decucurrit. Plut. in Bruto.

MOERORE.

HECVBA Troianorū regina, cùm in seruitutē abduceretur, in canē fertur transformata, quòd præ stupore hominē exuisse, ob maledicentiam aūt canis uideretur naturā induisse.

NIOBE Amphionis uxor, sex filiis marib. totidemq; filiab. ab Apolline & Diana, quorum matrem Latonam præ se contemserat, interfectis, præ dolore diriguit: itaq; à poetis in saxum conuersa fingitur. Ouid. lib. 6. Metam.

PSAMMENITVS uel Samnietus Aegyptiorum rex à Cambyse regno exutus, cùm uideret filiam ancillari uestitu indutā, ad hauriendam aquam mitti, & filium cum plerisq; ęqualiū ad supplicium abduci, immoto stetisse uultu dicitur. At cùm ex amicis quendam olim ditissimum circumire uideret stipē mendicatum, effusis eum prosecutus est lacrymis. Rogatus causam à Cambyse, cur in liberorum calamitate tacitus unius seniculi calamitatem tam impotenter ferret? respondit: Fili Cyri, domestica mala grauiora sunt, quàm ut lacrymas recipiāt: at amicus deplorādus erat, qui è multis opib. in extremo senectutis limine ad summam inopiam redactus est. Herod. lib. 3.

Cùm Albani à Romanis defecissent, M. Horatius Albā ablegatus fuit, ut supplicium de Metio sumeret, urbēq; solo æquaret. Is ubi ciues in potestatē redegisset, oppidū à fundamentis diruit, pepercit templis, multitudinem omnem Romam traduxit. In ea diruēda neq; tumultus fuit, neq; pauor, qualis captarum urbium esse solet: sed inopinatū malū animos ALBANORVM silētio defixerat, & in primis obliuio quędā eorū, quæ agenda essent, subierat ciuiū mentes: haud enim, quæ asportanda crederent, quæq; relinquenda, in subito stupore expedire poterant. Pars domorū postib. hærere, pars errabundi cū gemitu atria lustrare, ut quæ scirent haud multo pòst interitura: & iam equitū clamor migrare iubentium instabat, exaudiriq; fragor tectorū in ima parte urbis procumbentium. Tum quisq; pro se curribus & iumentis, quæ poterat, quæq; ad manus fuere, raptim extulit, & quū continenti penè agmine abirent, publicam priuatamq; fortunā miserantes alius alium cum lacrymis intuebatur. Sabellicus lib. 4. En. 2.

Fusis ad Alliam ROMANIS, tanta urbem incesserat perturbatio & stupor, ut si Galli ex acie uestigiis institissent fugientiū, haud dubiè Roma funditùs euersa fuisset. Plut. in Camillo.

PERSEVS rex Macedonū prelio superatus à Rom. prę mœrore penè amens, in amicissimos sęuiit. Plut. in Aemilio.

SIVARDVS nuncio accepto de Regneri patris, Danorum regis, ab Hella Britannorum rege serpentibus obiecti, morte, stupore attonitus, dum cogitabundus hæret, hastili, quod manibus tenebat, pedem absque ullo doloris sensu perforauit. Saxo lib. 9.

IRA.

MALACHVS poeta Syracusanus ira furens rationis usum amittebat, eratq; tum præstantior in carmine pangendo. Gyraldus in Hist. poetarum.

AMORE.

Obtutus eorum, qui in ætatis sunt flore, mutuus & quod emicat ex eorum oculis, siue id lumen, siue fluor sit, eliquat AMANTES, & perdit cum uoluptate dolore coniuncta, quā illi γλυκύπικρον quasi dulcem amaram uocant. Neq; enim cō tactu uel auditu perinde uulnerantur & afficiuntur, ut cùm aspiciuntur & aspiciunt. Namq; adeò penetrat & inflāmat contuitus, ut semel rudes amorum sint censendi illi, qui Medicam naphtham, quòd ex interuallo ab igne incendatur, admirantur. Quippe speciosorum lumina, etiamsi ex spacio multum remoto mutuò amantes aspiciant, flammam tamē in amantium animis accendunt. Plut. lib. 5. Cō. quęst. 7.

ALEXANDER Magnus, deuictis Persis, ut memoriæ prodidit Plutarchus, cùm captiuas spectaret specie corporis magnitudineq; præstantes, iocans inquit, ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες; cùm enim posset oculorum desideria satiare, noluit tamen parere libidini, temperanterq; se admodū in ea uictoria gessit. Apud Herodotū quoq; in Terpsichora LEGATI Persarum, molles eneruatiq; uiri, accepti magnificē ab Amynta Macedonū rege, cùm quererētur, quòd adductas in cōuiuium mulieres, cōtraq; se sedentes, non liceret attrectare, dixerunt, Præstitisse ipsas primò non uenisse, quàm profectas eò, è regioneq; sedentes, oculorū dolores ipsis gignere. Eustathius in tertium librum Iliadis, cùm uerba illa Homerica interpretaretur, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ: dictum istud nimis grāmaticè reprehendit, quòd nequeant ægritudinē afferre oculis, quæ dulce desiderium uisæ inserunt. Plautus quoq; Asinaria eundē modum loquēdi usurpauit, ubi induxit intemperantem perditūq; patrē cum amica FILII, inspectante illo, accubantem, atq; ipsum ita interrogantem: Nunquid nā tibi molestū est, mi gnate, si hæc nūc mecum accubat? Cui filius respōdet: Pietas pater oculis dolorem prohibet: quanquam ego istanc amo, possum equidem inducere animum, nē ęgrē patiar, quia tecum accubat. Victorius lib. 2. Var. lect. c. 5.

GAVDIO.

Interfecto Caligula, cùm CLAVDIVS, qui sese metu periculi abdiderat, in angulo latens à militibus ad imperium raperetur, præ gaudio simul & metu pedibus insistere minimè ualens, sublatus in humeros in castra deportatus fuit. Iosephus lib. 19. c. 2. Antiq.

ADMIRATIONE.

Romā petentib. Gallis, fugientib. Vestalibus, deorū sacerdotes, senesq; consulares & triumphales, nō sustinuerūt urbē relinquere: sed quæ augustissima uestis est thensas ducentibus triumphantibusq;, ea uestiti, & Pontifice maximo præeunte uerba Fabio, deos precati, quasi pro patria semetipsi deuouētes, in foro eburneis sellis, cum eo consederunt ornatu, quod sors ferret expectantes. BRENNVS Gallorum dux tertio pòst die ad urbem signa tulit. Ingressus urbem apertam porta Collina, relicto ad Capitolium præsidio, per forum descendens substitit, miraculo uirorum eo ornatu & silentio considentium: quòd nec assurgerent aduenientibus hostibus, neq; uultum colorémue mutassent: sed soluti & intrepidi scipionib⁹, quos manu tenebāt, inniterētur, & in se mutuò uersi, quiescerent. Huius rei cōmoti Galli miraculo sunt, diuque cunctatio eos attrectandi accedēdiq; uelut augustiores tenuit. Plut. in Camillo, & Val. lib. 3. cap. 2.

STVDIO.

MARACHVS, uel Malachus, Syracusanus, non nisi mente alienatus uersus faciebat: ut non suo, sed dei cuiusdā ore loqui uideretur. Gyraldus in hist. Poet. ex Aristotele.

OBLIVIO.

Obliuionem hîc consideramus non tanquam Animalis facultatis uitium (sic enim ad Primum librum pertineret) sed ut Perturbationis pedissequa interdum atq; nota existit.

Carolo VIII. pòst regnum Neapolitanum occupatum in Galliam reuersuro, Veneti cum Pontifice Alexandro VI. Maximiliano Imp. & Ludouico Mediolanensi principe fœdus pcussere tanto silentio, ut PHILIPPVS regis Gallorū legatus, Venetiis quotidie in curiam ueniēs, & à legatis reliquis appellatus, nihil tamē eius cognoscere potuerit. Itaq; postridie quo scripta lex est, in curiā uocatus à principe, fœdus pcussum ubi intellexisset, & nomina fœderatorum cognouisset, mēs penè hominē reliquit: tametsi Princeps ei dixerat, ea quæ fecissent, nō propterea esse facta, uti bellū cuiquā inferrēt, sed ut, si inferretur, propulsarēt. Demùm reuocato ad se paulisper animo: Quid, inquit, meus rex in Galliā reuerti nō poterit? tū Princeps: Ille uerò, inquit, poterit, si redire amicus uolet, nosq; illū rebus omnib. iuuabimus. Quo respōso accepto discessit: atq; ubi curia egressus, in areā descendit, ad scribā Senatus, qui eū comitabatur, cōuersus: Rogo te, inqt, sodes, mihi eū sermonē recenseas, quē princeps mecum habuit: nihil enim iam eius memini. Bembus lib. 2. Ven. hist.

SERMO, ORATIO, considerata respectu

QVANTITATIS.

MAGNA, ALTA. CLAMOR, Exclamatio. Causa

Indicij.

LACONES morem habebant non pulsandi fores, sed foris clamandi. Plut. in Laconicis.

Suffragij.

Apud SPARTANOS electio magistratuum sic fiebat. Delecti uiri in propinqua domo inclusi clamorē concionis, per quā candidatorum singuli transire taciti cogebantur, obseruabant: ignorantes cui fieret, tantū primū uel secundū uel tertiū esse scientes. Cui plurimū & maximū clamorē factū animaduerterent, hunc renuntiabant. Plut. in Lycurgo.

Gaudij.

THERAMENES Atheniensium tyrannus, collapsâ domo, in qua cœnabat cum plurib. seruatus unus, cùm ab omnib. beatus esset appellatus, elata uoce clamauit: In quod tandem, inquit, tempus Fortuna me seruas? Hunc non multo pòst collegæ in tyrannide excruciatum necauere. Plut. in Oratione consolatoria.

PHILIPPVS Macedo, cùm eodē tempore accepisset hęc tria nuncia: quòd equestri cursu quadrigarum Olympia uicisset: quòd eius dux Parmenio Dardanos expugnasset: quòd demùm uxor Olympias ei filium Alexandrum peperisset: illicò tensis manibus in sublime: At tu, ô Fortuna, pro tātis bonis leui aliquo me malo affice, exclamauit.

ROMANI in nuptiis acclamabant Talassium, sicuti Græci Hymenæum. Plut. in quæst. Rom.

P. SCIPIO Africanus ad Numantiā primùm nunciato Tiberij exitu exclamauit Homericum illud Odysseæ α,

Sic pereat, quisquis designet talia facta. Plut. in Tiberio.

Luctus, Mœroris.

CROESVS Lydorum rex iam pyræ impositus, ut cremaretur, Solonis recordatus, Ante obitum neminem beatū dici debere, contendentis, alta uoce nomen illius inclamare cepit. Cyrus admiratus insolentiam exclamationis, cùm causam huius ab eo didicisset, liberum esse iussit. Herod. lib. 1.

Nonis Iulij, quibus è uita cōcessit Romulus, quas Caprotinas & Vulgi fugam appellant, ROMANI urbe excedentes, ad Capreæ paludem sacra facere consueuerant: dumq; ad rem diuinam uadunt, ueterum prænomina, ut Caium, Lucium, Martium, aliaq; prisca nomina inclamabant: sicut in Oschophoriis Athenienses, ob Aegei mortem, dolentium uoces imitabantur. Alex. lib. 5. c. 4.

Metus.

ISIS dum Osiridis à Typhone cæsi cadauer persequitur, regis Aegyptiorum Malcandri & reginæ ASTARTES puerum nutriēdum suscepit, māmę uice digitum pueri ori inserens, & noctu quod in eo mortale erat amburens. Regina infantem conflagrare animaduertens, uociferare cepit. Sic illum immortalitate priuauit. Plutarchus de Iside.

Admirationis.

M. ANTONIVS è Parthis exercitū reducens, fame confecto exercitu, cùm multi milites degustata herba lethifera morerētur, nec Parthi abscederent, identidem exclamasse fertur: O decem millia. admiratus Xenophontis copias: quòd illi, cùm longiore uia ex Babylone recepissent se, atque cum hostibus dimicassent longè pluribus, euasissent incolumes. Plut. in Antonio.

Indignationis.

ARCHIDAMVS, Agesilai filius, telo conspecto catapultico, quod tunc allatum ex Sicilia primū erat, exclamauit: Papæ periit uiri uirtus. Plut. in Apoph.

DEMOSTHENES in exiliū abiens, ad arcē manus tendens, Ecquibus uerò, exclamauit, belluis ô Minerua armipotens delectaris, Noctua & Populo? Plutarchus.

LYCVRGVS rhetor quū ob immodicā linguæ libertatē è concione eiiceretur, exclamauit, ὦ Κερκυραία μάστιξ, ὡς πολλῶν ταλάντων ἀξία εἶ. id est, ô Corcyræa scutica, quàm multa uales talenta? Notans populum inutilem, magno tamen alendū. Plut. in uita Rhetorum.

Contemtus, Despicientiæ.

GILIMER Vandalorū rex à Belisario in triumpho ductus Cōstantinopoli, purpurea ueste indutus, unà cū omnib. propinquis suis, & Vandalis, qui proceritate corporū & oris pulcritudine præcellebant, præcipuè spectaculum præbuit. Is, postquā in circo cōstitit, & Iustinianū in celso throno sedētē, & populū circūsistentem aspexit, fortuna sua ad rationē reuocata, illud Salomonis effudit: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. atq; ipse pariter unà cum Belisario iussus ab iis, qui purpuram Imperatoriam sustinebant, Imperatorem suppliciter adorauit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

PARVA, HVMILIS, SVBMISSA.

Talis ferè in Supplicibus reperitur. Quam Latinorū poetarum princeps Maro TVRNO erga Aeneam supplici tribuit.

MVLTA. MVLTILOQVIVM, Loquacitas, Garrulitas.

Loquacitas dicitur tum respectu Quantitatis multorum uerborū, ubi pauca sufficiebant: tum respectu Subiecti, de qua re nō oportet, ut quādo Arcana produntur, uel ubi non oportet, uel quādo nō oportet. si spectes fidem, perfida interdū: si conuersationis gratiā, molesta persæpe, & propterea popularitati cōtraria. Gellius lib. 1. c. 15. Noctiū λάλους uocat.

EVA mater uiuentium prius legitur cum serpente, quàm cum uiro habuisse colloquium: quod illi & posteris damnosum fuit. Genes. 3.

CYRVS puer, Cābysis Persarū regis F. loquacior erat, partim propter institutionē, quòd more Persarū à magistro cogeretur & factorū suorū rationē reddere, & ab aliis poscere, quū ius diceret: partim ꝙ quū discēdi studiosus esset, multa semper ex præsentibus, quo pacto se haberent, ipse percunctaretur, & sciscitantibus aliis ob acumen ingenij expeditè respōderet. Has ob causas loquacitatē sibi conflauit. Verūenimuerò ut in eorū corporibus, qui admodū iuuenes supra ætatē creuerunt, elucet iuuenile quiddā, quod annorū paucitatem arguit: sic è Cyri loquacitate non audacia relucebat, sed simplicitas & propensus ad amorē animus, ut quis ex ipso plura potius audiendi desiderio duceretur, quàm si tacenti adesset. Progressu inde ætatis, cùm parū à pubertate abesset, tum & oratione breuiore utebatur, & sedatiori uoce. Tanta item uerecundia replebatur, ut etiam erubesceret, si quādo cum senioribus esset. Neq; iam amplius adeò præceps erat, catulorum more, in adeundis omnibus. Itaque fiebat, ut & quietior esset, & in congressibus tamen omnino gratus atq; iucundus. Xenophon de Instit. Cyri lib. 1.

Interpres Pindari admonet IONVM esse multiloquentiam.

Tonstrinas Theophrastus propter CONSIDENTIVM illic loquacitatem ἄοινα συμπόσια, h. e. sicca conuiuia appellauit. Plutarchus lib. 5. con. quæst. 5.

Apud ROMANOS Citeria effigies erat quædam arguta & loquax, quæ ridiculi gratia in pōpa uehebatur. Vnde M. Cato in M. Cæcilium: Quid ergo dicerem amplius? quem ego deniq; credo in pompa uectitatum iri ludis pro citeria, ac spectatoribus sermocinaturum. Erasmus.

Horatianus ille GARRVLVS, qui uadato respōdere debebat, dubitat utrum mallet Horatium deserere, an uadimonium. Erasmus in Adagiis.

Homo nullius iudicij, sed tamen impēdio uerbosus & loquax, Talpa dictus est populari cōuitio. Quod primū dictum est

in

in IVLIANVM Capellam, posteaquam uenerat in publicū odium: nam talpæ nostri, ut cæci sunt, ita sunt æquè muti. Idē dictus est πίθηκος ἐν πορφύρᾳ, id est, simia purpurata. Ammianus lib. 17.

PAVCA.

Oratio Pauca à Breui differt: quoniam ex iis, quæ de subiecto afferri possunt, res paucas affert: cùm Breuis res quidem omnes afferat, sed uerbis paucis.

LONGA. PROLIXITAS SERMONIS.

BATTVS Lyricus dum simulacra & statuas uersibus ac hymnis celebraret, mensum excedebat legitimū, eandēq; sæpiculè cantilenam recinebat. Quod iterationis uitium & nimietatis inde etiam Battologia nuncupatur. Quo & Ouidium laborasse, Seneca scribit. Gyraldus de Poetis.

Cleomenes Cleombroti filius, quum ALTER quispiam uteretur oratione plus satis prolixa, Τί, inquit, μοὶ μικρῶν πέρι μεγάλα φροιμιάζῃ; ὅσον γὰρ ἂν πρᾶγμα, τοσοῦτον καὶ ὁ λόγος, ᾧ χρῆσαι, id est, Quid mihi de paruis magna facis procemia? Nam quanta res fuerit, tanta sit & oratio, qua uteris. Erasmus in Adagiis, ex Plut. apoph. Lacon.

PINDARVS breuitatis studiosus, ode 4. Pythiorū ualde prolixus in Iasonis Colchica nauigatione explicanda, seipsum colligens, inquit:

μακρά μοι νέεσθαι κατ' ἀμαξιτόν· ὤ-
ρα γὰρ συνάπτει, καί τινα
οἶμον ἴσαμι βραχύν·
πολλοῖσι δ' ἅγημαι σοφίας ἑτέροις. Sed redeo post longum tempus in uiam: nam urget hora. Sed tamen & ego uiā noui cōpendiariā, cùm & multis aliis præcesserim in sapiētia.

BREVIS. BREVILOQVENTIA.

Λακωνισμὸν, ueluti prouerbio breuiloquentiam uocant, siue quod LACEDÆMONII factis magis quàm eloquentia præcelluerūt, siue quòd in Apophthegmatis præcipuè ualuerunt. Horū aūt præcipua gratia, ut paucissimis uerbis plurimum sententiæ cōplectantur. Cuiusmodi sunt illa, αἴκα, id est, Si, responsum prolixæ orationi legati. & αἶν solum totam occupans epistolam. & ἢ ταν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, aut hūc, aut super hunc. Erasmus in Adagiis.

Homerus MENELAO ceu Lacedæmonio argutam breuiloquentiam affingit, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. id est, Pauca quidem, uerùm planè argutissima. Idem.

Laertius ex auctoritate Aristagoræ Milesij refert, CHILONI, uni è septem, peculiarem fuisse breuiloquentiam. unde genus hoc dicendi Chilonium appellat. Idem.

Interpres Pindari breuiloquentiam tribuit quoq; ARGIVIS, citans illud ex Vlysse furente Sophoclis, μῦθος γὰρ Ἀργολιστὶ συντέμνειν βραχύς. id est, Argiua paucis multa fert oratio. Idem.

De PYTHAGORÆ breuiloquentia hæc refert Ausonius epist. 12. ad Paulinum:

Est etenim comis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, cùm multa loquaces
Ambiguis sererent uerbis, contra omnia solum
Est, respondebat, uel non. O certa loquendi
Regula: nam breuius nihil est, nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.

QVALITATIS. ORATIO

Blanda.

Solon congressus cum Crœso rege Sardeis, ab eo spretus est, quòd de felicitate nimiū liberè respōdisset. Vbi cùm AESOPVS fabularū scriptor admoneret illum, ὅτι τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν, Quòd cū regib. aut quàm minimè aut quàm iucundissimè colloquendū esset: Solon retorsit dictum hūc in modū: μὰ Δία, ἀλλ' ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἄριστα. id est, Nō per Iouem, imò potius aut quàm minimè, aut quàm optimè.

Aiunt locum quempiā esse in Eleusine, uicinum Anactoro, uocatum θεῶν ἀγορὰν, in quem non ingrediebantur, nisi bene ominantes. Hinc prouerbium de maledico, οὗτος κἂν θεῶν ἀγορᾷ δυσφημήσει. id est, Hic uel in deorū concione malè ominata loquetur. Erasmus in Adagiis.

Affectata, Simplex.

OCTAVIVS Cæsar genus loquēdi secutus est elegans & tēperatū, uitatis sentētiarū ineptiis, atq; incōcinnitate, & recōditorū uerborū, ut ipse dicit, fœtoribus. Suetonius.

Aperta.

OCTAVIVS Cæsar præcipuā curā duxit, sensum animi quàm apertissimè exprimere. Quod quò faciliùs efficeret, aut nec ubi lectorē uel auditorem obturbaret ac moraretur: neque præpositiones uerbis addere, neq; coniunctiones sæpius iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios, ut diuerso genere uitiosos, pari fastidio spreuit. Suetonius.

Obscura. Obmurmuratio.

Aristophanes Nebulis SOCRATEM scribit βρενθύει ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τὼ ὀφθαλμὼ παραβάλλει. Quod ipsum Alcibiades apud Platonē in Symposio cōfirmat, in fuga ad Deliū Socratē frementē & oculis audacter hostes simul & socios intuentem lento passu ex acie se illæsum recepisse.

OTHO Imp. postridie suscepti imperij fertur in augurando tēpestate orta grauiter prolapsum, identidem obmurmurasse: τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Suetonius.

Mollis, Effœminata.

Συβαριτικοὶ λόγοι. Hesychius narrat ἄκωπον quempiam, SYBARITAM opinor, apud Grecos summo studio incubuisse, ut orationis quoq; genꝰ haberet lautū & opiparū: indeq; iocū prouerbialē ortū, ut oratio nitidior & accuratior, Sybaritica diceretur. Ea solet carere fide. Nam ueritatis simplex ac breuis est oratio: talis enim solet hominis oratio esse, qualis uita. Erasmus in Adagiis.

Queribunda.

Vide Titulum, Conqueri.

Libera.

De Libertate dicendi consule locum Veritatis.

Modulata. Cantus.

Huc ex loco Vrbanitatis quædam.

Libro de Musica memorat Theophrastus, radices musicæ tres esse, animi mœrorē, uoluptatē, & afflatū quasi furoris: quorum unūquodq; de statu suo deflectat uocē & diuertat. Etenim mœstitię flebile & lamentabile genus delabescens in cantū habent. Hinc oratores in epilogis & histriones in lamentationib. delabentes uidemus ad modulamina & uocē intendentes. Iam ingentes exultationes animi uel totū corpus, corū quidē, qui ingenio sunt agiliore, excitāt, ut in motū numerosum exiliant plaudantq;, si tripudiare nequeant, insaniasq; edāt alias, atq;, ut Pindari uerbis utar, insolēti cū iactatione ouent: modestiores uerò hoc motu conciti, solā uocē ad cantandū & uociferandū atq; ad modulandū conuertant. Supra cętera diuinus afflatus tam corpus quàm uocē de statu suo & gradu dimouet ac deflectit. Hinc fit, ut numeris bacchantes utantur, & metris oracula fundant numine afflati: fanaticorumq; quotumquēq; cernas citra metrū & cantum delirantes? Plut. de Musica.

AEGYPTII canunt in cōuiuiis Manerotē, quē aiunt regē fuisse & inuentorem musicæ. Alij hoc non esse nomen propriū contendunt, sed genus loquendi, potantib. & epulantibus conueniens, quasi dicas, Secunda adsunt. Plut. de Iside.

Apud ueteres mos erat, ut in cōuiuiis singuli CONVIVÆ suā cantionē canerent. Quòd si quis citharā accipere recusasset, utpote musices ignarus, is per iocum accepto ramo laureo seu myrteo, cogebatur ad eū canere. Porrò priscis hūc canēdi fuisse morē testatur & Fabius, libro Institutionū primo: Vnde, inquiens, etiā ille mos, ut in cōuiuiis post cœnā circū ferretur lyra: cuius cùm se imperitū Themistocles confessus esset, ut uerbis Ciceronis utar, habitus est indoctior. Sed ueterū quoq; ROMANORVM epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Plutarchus primo Symposiacōn libro scribit, olim fuisse morē, ut in cōuiuio primùm uoce cōmuni deum canerent παιανίζοντες, ut ait: deinde myrteū ramum unicuiq; tradi solere, quē αἴσακον uocatū existimat, quòd is, qui eum accepisset, caneret. Pòst lyra circūlata, qui peritus artis fuisset, eā accipiebat, canebatq;, sonū chordarū ad uocē attemperans. Recusantib. aūt musices imperitis, σκολιὸν carmen dicebatur, quod nō esset uulgare, neq; cuiuis facile. Alij dicūt myrtū nō solere ordine circūduci, sed à sponda ad spondam transferri, ut posteaquā cecinisset is, qui in prima spōda primus sedebat, ei traderet, qui in secundo lecto primus accūberet, hic rursum tertij lecti primo: Deinde rursum primi lecti secundus, secundo loco in secunda accumbenti sponda traderet, eumq; ad modum per omneis iret. Hæc fermè Plutarchus. Erasmus in Adagiis.

Sunt qui putant Pæanas dictos fuisse non quidē ἀπὸ τοῦ παίειν, à feriendo: sed ἀπὸ τοῦ παύειν, quod placare significat: quoniā canebātur OLIM istæ cantilenæ, ubi uel famē, uel pestē cessare precabantur, uel aliquod imminens malū diuertere, diuino implorato auxilio. Inde Aesculapius Pæon dictus fuit ab Aristoph. in Pluto, quia morbos mitigaret. Natalis Comes Mythologiæ lib. 4. c. 10.

Καλλίνικος genus cantilenæ est, quod canebatur uictoribus, quos etiā honoris causa καλλινίκους appellabant: ut, Io pæan, aut, Io triumphe: idq; disertè tradidit Athenæus libro 14. Tripudiantes autem eam cantilenam canebant. Muretus lib. 3. Var. lect. cap. 11.

BOEOTII primū liberā ac pacatā agebāt uitā, deinde mortuo Laio in uarias calamitates inciderunt, ut illorum cantilena à læto initio in luctū desiisse uideatur. Inde prouerbiū, Bœotica cātica Zenodotus usurpare uidetur. Eras. in Adag.

REGNERVS Danorū rex ab Hella Britannorū rege uictus, & in antrū serpentib. obiectus, totius uitæ suæ cursum alta uoce decātauit, & epilogi loco adiecit, Si sucçulæ (filios suos tres intelligēs) uerris suppliciū scirent, hauddubiè perrupta hara opem ferrent. Saxo lib. 9.

Athenis facilis ac tuta in Delum nauigatio. Vnde fiebat, ut qui illuc soluerēt, inter nauigādū securi, nihilq; periculi metuētes, cauerēt. Mos aūt erat ATHENIENSIBVS, ut quotannis nauim solenni apparatu, religionis causa, Delum mitterent, id quod indicat Plato in Critone. Vnde consentaneum est, qui hac uectabantur, hymnos quosdā in Apollinis laudem solitos decantare. Erasmus in Adagiis.

Impedita. Hæsitantia linguæ.

Balbuties corporis uitium est. Quæcunque uerò ab animi perturbatione prouenit, ab ira, timore, gaudio, huius est loci. Nonio Fringultire est præpeditè loqui.

SILENTIVM, TACITVRNITAS. QVO AD

SVBIECTVM. QVID.

IN GENERE.

ANGERONA dea, præses silentij, obsignato ore antiquitùs efficta est, sanctèq; semper à Romanis culta, ut silentio apto nil melius esse ostenderent. Alex. lib. 4. c. 16.

IN SPECIE. Silere

Religionis mysteria.

Apud ELEVSINIOS capitale erat, qcquā ex mysteriis in uulgus efferre. Pariter apud ROMANOS in sacris Bonæ deæ. Hoc Interpretationē Pythagorici nominātes, nihil respōdebant de diuinis rebus, quoquo modo interrogarentur.

NVMA Pompilius quū uaticiniorū plurima in Musas referre cōsuesset, unā ex iis præcipuè ab Romanis coli uoluit de silentij ratione, Tacitam nomine. Cælius lib. 21. c. 45. A. L.

Visionem.

SAMVEL dormiens in tabernaculo, ostensam sibi uisionem non indicauit Heli Pontifici, donec interrogatus & adiuratus fuit ab illo. 1. Reg. 3.

Quum Telemachus apud Homerum dixisset,

ἦ μάλα τις θεὸς ἔνδον, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

VLYSSES pater subiecit,

σίγα, καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε, μηδ' ἐρέεινε,
αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

Consilium.

Consule locum Stratagematum, Consilia sua occultare.

IVDITHA uidua, obsessa Bethulia ab Oloferne duce Nabucodonosoris, ciuibus animū despōdentibus, & post quinq; dies se Oloferni dedituros dicētib. principes urbis increpauit, qui Domino diē auxilij præscriberēt: & se, Dei ductu, urbē liberaturā asseruit. Consilium tamē suū nulli uoluit reuelare, donec Olofernis caput Bethuliam retulit. Iudith 8.

PYLADES apud Euripidem Orestem silere iubet, ne consilia à mulieribus exaudiantur:

ὡς γυναιξὶ πιστὸν βραχύ. Nam mulieribus fido parū.

Fama est, cùm adolescētulus etiamnū Demetrius Pollorcetes ex ANTIGONO patre quæsisset, quando castra essent moturi? illum respondisse stomachabundum: Times, ne solus tubam tu non exaudias? Vsqueadeò consilia sua arcana habebat. Plut. in Demetrio.

Cæcilius METELLVS, Macedonicus, quū in bello omnia ꝓprio & subito consilio ageret, amico cuidam interroganti, Quidnam iam acturus esset, post Arbachos in Macedonia subactos? Tunicam, inquit, meā exuerem, si eam consilium meum scire existimarem. Plin. cap. 61. de Viris illustribus. Plutarchus in Apoph. Rom. Front. lib. & cap. 1.

TIBERIVS Cęsar, cùm quodam tempore interrogaretur, cur sua consilia non cum aliorum quoque, qui ei non malè uellent, cōsiliis cōmunicaret? respondit: Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere. Dion.

BELGÆ, si quid publico concilio statuendū erat, miro silētio decernebāt: si quis autem fremeret aliquo cōcionante, parte uestis multabatur. Alex. lib. 4. c. 11.

Arcanum commissum.

Vide Tit. [illegible] in arcano commisso.

Peccatum, Crimen.

Orestes ad Menelaum, rogantem PYLADEM, an etiam particeps fuerit cædis Helenæ, quam interemtam putabat Menelaus, inquit apud Eurip. in Oreste:

φησὶ σιωπῶν, ἀρκέσω δ' ἐγὼ λέγων.

Fatetur tacens, sufficiam uerò ego loquens.

TITVS Imp. morti proximus, in cœlum suspiciens, immerenti sibi uitam eripi conquestus fuit, nullius enim facti se pœnitere, præter unius, quod quale esset nemini unquam indicauit. Suetonius.

CAROLVS Magnus Imp. Aegidium eremitam, ut pro peccato suo occulto oraret, induxit: eiusdemq; pietate illud sibi condonatum esse scheda in altari reperta cognouit.

Hostium aduentum.

Cùm apud AMYCLEOS subinde nunciaretur hostium aduētus, idq; falsò, & ob eam rem ciuitas frequenter inani terrore quassaretur, lata lege cautum est, nē quis unquam hostis nunciaret aduentum. Atqui pòst euenit, ut uerè iam aduenirent hostes. Quod cùm nemo nunciaret, propter legis interdictum, ciuitas de improuiso capta est. Hinc prouerbiū, ut dicerent, Amyclæ silentio periere, si cui sua taciturnitas fuisset incommodo. Seruius.

PERSONAS. QVI.

Monachi.

Quanta diligentia silentium ab AEGYPTIIS monachis seruatum sit, Ioannes Cassianus de Cœnobiorū institutis tractās testatur: Cùm solēnitates, inquit, quas illi synaxeis uocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentiū præbetur, ut cùm in unum tam numerosa fratrū multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum penitùs adesse credatur: ac præcipuè cum consummatur oratio, in qua nō sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta diffutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promūtur: nulla uox absq; sacerdotis uoce precem concludentis auditur, nisi fortè hæc, quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæq; insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atq; intolerabili spiritus feruore succenso, dum ea, quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quēdam gemitum ex intimis ac abditissimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Post hæc qualiter se gerant, describit dicens: Finitis itaq; psalmis, & quotidiana congregatione (sicut superius cōmemorauimus) absoluta, nullus eorum uel ad modicū subsistere aut sermocinari audet cum altero: sed ne quidem per totum diei spacium à cella sua progredi, aut deserere opus, quod in ea solitus est exercere, præsumit, nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusq; operis euocati. quod ita explent foras egressi, ut nulla inter eos sermocinatio penitùs cōferatur: sed sic unusquisq; opus exequitur iniunctum, ut psalmum uel scripturā quamlibet memoriter recensendo, non solùm conspirationi noxię uel consiliis prauis, sed ne ociosis quidē colloquiis ullam copiam uel tempus impartiat, oris pariter & cordis officio in meditatiōe spiritali iugiter occupato. Sūma nāq; obseruantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè iuniores, uel ad punctum temporis pariter substitisse, aut uspiam secessisse, uel manus suas inuicem tenuisse deprehendantur. Marulus lib. 4. c. 6.

D. Hieronymus eo libro quem de Institutione sanctarū uirginum ad Eustochium scripsit, PLEROSQVE se in eremo reperisse testatur, qui per septennium nullum prorsus uerbum homini alteri emiserant, scientes quòd non in multiloquio Dominus potest haberi. Ibidem.

D. Hieronymus ad CELANTIAM scribēs: Sit intentus, ait, ac uigilans, & aduersus peccata semper armatus animus tuus: sermo in omnibus moderatus & parcus, & qui necessitatē magis loquendi indicet, quàm uoluntatem. Idem EAS, quę in monasterio sacris initiatæ sunt, instruens, etiam silentij tempora obseruare monet, dicens: Volo, charissimæ, ut in conuentu uestro ter aut pluries in hebdomada, exceptis festiuitatibus, loqui omnino, nisi urgente causa perutili & necessaria, nullatenus liceat, nec simul, nec cum aliis extrà. Diebus uerò omnibus, quibus & pro remedio & pro salute loqui conceditur, non singulis horis uacandū est uerbis, quæ uix proferri sine peccato possunt: sed hæc inuiolabilis obseruatio uigeat, quòd singulis noctibus post peractam horam completorij usq; post missam, & à tertiis usq; ad nonā, sacra obseruentur silentia: quatenus & linguæ Deum laudandi cōcedatur oportunitas, & inutilia uerba penitùs abscindantur. In choro uerò ecclesiæ ad diuinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, claustro ac capitulo, omni tempore loqui non deceat, nisi ea quæ ordinata sunt in laudib. Dei: ut iam & tempus & locus religionis uestræ prædicent sanctitatem, & loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem uestram sancta desideria incitent, & affectus ad cœlestia moueantur. Ibidem.

PAVLVS monachus, cognomento Simplex, Pauli primi anachoretę discipulus, cū quęsisset, essétne Christus prior ꝓphetis? insulsam interrogatiunculam silentio diluere iussus, per triennium nemini quicquam proloqui est ausus. Ibidem.

PAMBO abbas, cùm ipse discere prius quàm loqui proposuisset, ad illum qui 38. Psalmū sibi legere ceperat, Dixi, custodiā uias meas, ut nō delinquā in lingua mea: Sat est, inquit, reliqua audiam, cùm istud opere impleuero. Multo deinde tempo-

tēpore pōst reuersus, cùm interrogaretur, Cur tātum ad magistrū redire distulisset? Nondū se illud, quod didicerat, perfecisse dixit: & Apostolicū esse prçceptū, Estote factores uerbi, & nō auditores tātùm. Die uitæ suæ supremo affirmauit, ex quo eremum incolere cepisset, nullum se unquā protulisse uerbum, quod prolatum nollet. Marul. lib. 4. c. 6.

BEONEM abbatem, in Thebaidis deserto habitātem, in summo silentio uixisse accepimus, ita ut perquàm rarò loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere uidebatur necessitas: taciturnitatem eadem opera seruās, & simul officio fungens charitatis. Ibidem.

THEONEM in cellula sua clausum annos XXX. silentij habuisse continentiā perhibent: & quantum ea re profecisset, miraculis postea ostendisse, neminem non sanum dimittendo, qui ęger ad eum curationis gratia accessisset. Ibidem.

In Tabernēsi monasterio, quod in eremo Scythiotica positum erat, Amos abbas mille quingētis MONACHIS prçfuisse dicitur. Et cùm tot essent, horis, quib. silentiū indictū erat, sępenumero aduenę locū adeuntes, neminē ibi adesse putauerunt: donec ingressi, illos unumquēq; seorsum in suis cellulis orantes, aut aliquid aliud faciētes cōspicerent: adeò non strepitus aliquis, nō susurrus, nō saltē screatus audiebatur, deniq; multitudo solitudinem taciturnitate æquabat. Ibid.

AGATHONEM abbatē lapillo assiduè ori indito tacere didicisse ferunt, idq; ab eo annos tres obseruatū: ne etiā cū fari uellet, expeditum sibi foret. Legerat illud in Prouerbiis: Qui custodit os suum, custodit animā suā: qui aūt incōsideratus est ad loquendū, sentiet mala. Marul. lib. 4. c. 6. Dicebat tria esse necessaria ad Dei cultum: Silentiū, Orationē, & Mansuetudinē. Rauisius de Temperantia, & Volat. lib. 21. Anthrop.

HOR abbas per totā fermè ætatē unicè taciturnitatis munere dotatus fuit. Tria enim ab eo cōmemorat in sua historia Heraclides: Quòd nunquam sit mentitus, nunquam alicui maledixerit, nunquam citra necessitatem locutus sit.

ROMVALDVS abbas, ordinis Camaldulēsis auctor, dū montem solitarius incoleret, septenni silētio spiritalē psalmorū intelligentiā meruit percipere. Quos cùm argutè eleganterque exponeret, dicere uidebatur: Dedit mihi Dominus linguā mercedem meā, & in ipsa laudabo eum. Post hæc etiam miraculis nobilitatus est: ut qui propter Deum tādiu tacuerat, propter eum signa loquerentur. Ibidem.

Philosophi.

PYTHAGORICOS, Athenæus scribit, animantes quidē reliquas attigisse, uerùm moderatè, quasdam etiā immolasse: pisces autem nec gustasse omnino, echemythiæ, id est, silentij ratione. Cælius lib. 13. cap. 5. A. L.

Zeno Citticus ad quendam dicentē, breues esse PHILOSOPHORVM sententias: Vera prædicas, inquit. oportet enim & syllabas illorum, si fieri posset, esse breues. Veritas multis uerbis non eget: & rectiùs meminimus, quæ paucis uerbis comprehensa sunt. Eras. lib. 7. Apoph.

APOLLONIVS Tyaneus, quinquennium integrum ne uerbum quidem locutus traditur. Philostratus.

Medici.

MEDICORVM taciturnitatem iureiurādo adstringit Hippocrates, ne ea quæ cælanda sunt ægrorum uitia, quæ fidei cōcredita, cuiquam exoterico effutiant.

Discipuli.

In Pythagoræ schola quinquenne silentium indicebatur AVDITORIBVS, quam ἐχεμυθίαν uocant, à cohibēdo sermone, ne quæstionibus & altercationib. implicarentur, neq; à temeraria ꝓuocatione, sed à sobrio & attento silentio sapientiam auspicarentur. Laert. lib. 2. c. 1.

Reges.

Regium est apud INDOS barbaros, aliena semper uti lingua, & in infantia grauitatem positam arbitrari. Osorius libro 6. rerum Emanuelis.

Cardinales.

QVICVNQVE in sacrum Senatum purpuratorū patrū à Pontifice cooptantur, iis primo consessu Pontifex os claudit, ut muto silentio seniores audire discāt. Altero uel tertio ex patrum sentētia os illis aperit, & potestatē dat in Senatu ea, quæ ex dignitate Ecclesiæ uidentur esse, modestè & sincerè ꝓferēdi. Adumbratio quædam Pythagorici silentij: an potestas clauium à Christo concessa? Liber Ceremoniarum.

Iudices.

Ἀρεοπαγίτου σιγηλότερος. i. Areopagita taciturnior, dicebatur, q̃ cōmissum arcanum optimè cōtineret. Translata uoce à uasis solidis, nec ulla ex parte perstillantibus. Athenis in AREOPAGO causæ capitales audiebantur, idq; noctu, magna attentione. Et fortassis nefas erat illis, quæ ibi fuissent acta, apud uulgꝰ effutire. Extāt & hodie apud VESTPHALOS reliquiæ generis iudicū: Certi uulgò dicuntur. Qui in hunc ordinē admittuntur, magna religione adiguntur ad silentium. Est enim ratio quædam deprehendendi crimina, quā nullus intelligit, præter illos iuratos. Erasmus in Adagiis.

Milites.

In TVRCORVM castris noctu tam pertinax silentiū, ut patiātur captiuos dilabi, ne tumultus excitetur. Cuspinianus. Solymanno Turcorū Imp. triginta millib. hominū Rhodū ingresso, ne unū quidē uerbū est unquā ex alicuius ore auditum, adeò ut milites per urbē incedētes, monachi obseruātes, quos uocant, esse uiderentur. Iouius in eius uita.

Mercatores.

VENETORVM mercatorū mira in negotiādo taciturnitas. Habent adagiū etiamnū hodie, Mutus mercator, & surdus. His enim duobus breuissimè, omnia ea, quæ in bono & integro mercatore requiruntur, comprehendi existimant.

Pueri.

THOMAM Aquinatem, dum inter scholasticos uersaretur, naturaq; taciturnus esset, & corporis habitu reliquis paulo obesiore, Bouem mutum appellabant. Magister uerò ubi ingenium illius disputatiunculis experiri cepisset, deprehendens quorsum eius tenderent silentia: Bos iste mutus, inquit, talē mox edet mugitū, ut sonum eius totus admiraturus sit mūdus. Marulus lib. 4. c. 6.

Mulieres.

Paulus apostolus, MVLIERES, inquit, in ecclesiis taceāt. Non enim ꝑmittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autē uolunt discere, domi uiros suos interrogēt. Turpe est enim mulieri, loqui in ecclesiis. Marul. lib. 4. c. 6.

MARIA Magdalena peccatrix, ueniens ad pedes Domini in domo Simonis, lacrymis cepit rigare pedes eius. Lucæ 7. Similiter sorori de ipsa conquerenti, nihil respondit. Discipulis indignè ferentibus effusionem unguenti, & in eā frementibus, tacita pertulit. At Dominus pro ea respondit, & eam ubiq; defendit. Luc. 10. Matth. 26. Mar. 14. Ioan. 10.

EVRYCLEA nutrix Vlyssem XX. demum anno domū reuersum ex cicatrice, dū pedes eius lauat, agnouit: & ne eū ꝓderet, sed silentium teneret, rogata, respondit,

ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος, ἠὲ σίδηρος.

Serui.

Apud Plautum in Bacchide SERVVS frugi ait Act. 4. Scena 6.
Scio me esse seruum, nescio etiam id quod scio.

TEMPVS. QVANDO. IN *Precibus, Oratione ad Deum.*

ANNA mater Samuelis prophetæ, ueniens ad tabernaculum Domini, loquebatur in corde suo: tantumq; labia eius mouebantur, & mox penitùs non audiebatur. 1. Reg. 2.

Lectione.

D. AMBROSIVS Mediolanensis episcopus tacitus legere cō sueuerat, seruandæ uocis causa, quæ illi facillimè obtundebatur. August. lib. 6. Confess. c. 3.

Iudicio.

SVSANNA, de flagitij crimine pertinaci silentio se purgauit, nō meditata oratione. D. Ambrosiū audiamus: Susanna mulier tacuit, & inimicos suos uicit. nō enim apud Danielē iudicē uerborū se ratione defendit, nō patrocinij sermone tutata est: sed in sancta femina, tacente lingua, pro ea castitas loquebatur. Lud. Viues de Christiana femina, lib. 1.

Demosthenes cùm improbitatē Midiæ significare uellet, & q̃ cōtumeliosus importunusq; ciuis foret, ostendere, docuit STRATONEM, graui iniuria ab ipso affectū, ne in iudicio quidē audere quicquā cōtra illū loqui, & q̃ malè acceptꝰ ab eo esset aperire: tanta uis timoris eū oppresserat, tāq; firma memoria in animo ipsius impotentiæ Midię adhęserat. A silentio igitur illo Stratonis, innocētis ciuis, inuidiā facere Midiæ uoluit, culpāq; ipsius augere. Victoriꝰ lib. 1. Var. lect. c. 5.

Conuiuio.

Cœnaculum, in quo ESSENI Iudæi olim cœnare cōsueuēre, neq; clamor unquam, neq; tumultus inquietat: cùm etiā loquendi ordine aliis alij cedant: eorumq; silentium aliis extra tectum constitutis arcanum quoddam uideatur & uenerabile. Cuius quidē rei perpetua sobrietas causa est, quodque apud eos edendi aut potādi modus saturitate definitur. Cū simul sederint decem, nullus unus nouem loquitur inuitis. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici.

Ὁ Ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν, id est, Mercurius superuenit, dicere cōsueuerant olim, si quando silentium oriretur in conciliabulo uel conuiuio multorū, significantes, non esse fas loqui Mercurio prçsente, qui sermonis sit auctor. Ominosum & hodie putatur, si quando in cœtu, aut conuiuio, subitum omnium silentium fuerit obortum. Plut. de Garrulitate.

Simonidi in cōuiuio assidebat HOSPES nihil loquens. Ei Simonides, Si fatuus es, inquit, sapientis opus facis: si sapiens, fatui. Plut. lib. 3. Symposiacōn.

Prouocatione.

Apud Homerum Iliad. η. Hectore quemlibet è GRÆCORVM ducibus ad singulare certamen prouocante,

—οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ,
αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. id est,
—tenuere silentia cuncti,
Detrectare pudor, formido subire uetabat.

Erasmus in Adagiis.

Gallis uia Salaria Romam petentibus, ad tertium lapidē, quidam Gallus pontem intermedium occupans, ingenti statura, alta uoce fortissimum Romanorū ad singulare certamen prouocauit. Ibi silentium aliquādiu inter ROMANOS fuit, quum & certamen abnuere erubescerent, nec temerè quisquam periculum subire uellet. Tandem T. Manlius L. filius à Dictatore licentia accepta cum hoste congressus, uictor eua sit. Gellius lib. 9. cap. 13.

Obtrectatione.

XENOCRATES cùm maledico sermoni quorundā summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus linguā suā cohiberet? Quia dixisse me (inquit) aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Val. Max. lib. 7. cap. 2. Quod alij SIMONIDI tribuunt.

Pugna.

HECTOR apud Hom. Iliad. ε. à Sarpedone ad opem ferendā uocatus, ne uerbum quidem profert, non maledicit, non minatur,

ἀλλὰ παρήϊξεν λελιημένος.
Quin mage cominus insiliit.

Iurgio, Rixa, Contentione.

TOBIAS, auditis uerbis iniuriosis ab uxore, non respondit: sed ingemuit, & cepit plorare cum lacrymis. Tob. 2. & 3.

Cùm Agar ancilla SARAM dominam multis onerasset maledictis, Sara tacens cessit liti, & pergens in cubiculum domus suæ, deuotè cepit orare. Tob. 3.

PERICLES conuitiatorem è foro ad fores usque comitantē ne uerbo quidem repulit, quin seruo ut illum redeuntē deduceret imperauit. Plut.

Tortura.

AEGYPTIOS aiunt patientissimè ferre tormēta: & citius mori hominem Aegyptium in quæstionibus tortum, quàm ueritatem prodere. Aelian. lib. 7. Var. hist.

FINEM. CVR. Silere præ *Sapientia.*

DEMARATVS Spartanorum rex in consessu quodam rogatus, utrum ob stultitiam, an ob sermonis inopiam sileret? At qui stultus, inquit, ne possit quidem silere. Plut. in Lacon. apoph. Idem SOLONI tribuit Laertius.

Ira, Indignatione.

Patij & Saluiati contra Mediceos Florentiæ coniurarant, & Iulianum Laurentij fratrem in templo interfecerant. Sed Medicū armis oppressi sunt & capti. Inter eos FRANCISCVS Patius, cōiuratorum princeps, cùm à multitudine irata, nullo non conuitij genere afficeretur: nulla ratione aut ui cogi potuit, ut uerbum efferret: sed obstinato silētio, & defixis in eos oculis, à quibus uinctus trahebatur, crebra ab imo pectore suspiria ducens, altam irarum molem animo premēs, capitali supplicio affectus est. Brutus lib. 6. hist. Flor.

Metu.

Animaduertit C. Iul. Cæsar unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent, sed tristes, capite demisso, terram intueri. Eius rei quæ causa esset miratus, ex ipsis quæsiuit. Nihil SEQVANI respondere, sed in eadē tristitia permanere. Cùm ab iis sæpius quæreret, neq; ullam omnino uocem exprimere posset, Diuitiacus Heduus respondit: Hoc esse miseriorem & grauiorem fortunam Sequanorum quàm reliquorum, quòd soli ne in occulto quidē queri, neque auxilium implorare auderent: absentisq; Ariouisti crudelitatem, ueluti si coràm adesset, horrerent. Victorius lib. 1. Var. lect. cap. 5.

Pudore.

☞ *Vide locum Morositatis, Pudoris rustici.*

MVLIER in adulterio deprehensa, coram Domino accusata, tacuit. Dominus autem pro ea locutus est, & eam absoluit. Ioannis octauo.

Duo consulares exercitus ROMANORVM à Samnitibus ad Caudinas furcas circumuēti, & sub iugum missi, Capuā ante noctem ingredi noluerunt, incertum, sociorum fidem ueriti, an ut pudorem suum celarent. Ingrediētibus senatus & populus obuiam sese effudit, multaq; hortando monēdoq; consolati sunt. Neq; tamē ulla sociorum comitas tanti fuit, ut aut in sermonem prorumperet quisquam, aut oculos attolleret. Sab. lib. 5 En. 4.

Summa fuit Tiberio Graccho cum C. OCTAVIO collega in Rostris ob legem agrariam concertatio. Tiberius uidens legem se, in tribunatu existente Octauio, perferre non posse: conuocato populo conscendit Rostra, annisusq; denuò est Octauium inducere ad desistēdum. Qui ut fuit inflexibilis, legem rogauit, qua Tribunatus ei abrogabatur: populumq; extemplò misit in suffragia. Cumq; omnes tribus præter unam in suam pertraxisset sententiam, prius precibus eum aggressus est obsecrās, ne admitteret, ut tā acerbi sibi & tristis causa actus inureretur. His precibus memorant Octauio lacrymas obortas fuisse, ac perdiu silentium tenuisse: tandem conuersis ad locupletes oculis, rubore ac metu perfusum, dixisse: Ageret quod ei uisum esset Tiberius. Ita perlata lege imperauit Tiberius uni ex libertis, ut Octauium de Rostris detraheret. Plut. in Tiberio.

SEVERVS Sulpicius presbyter in Aquitania, cùm multa catholicè scripsisset (ut Gennadius presbyter tradit) in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usq; ad mortem tenuit, ut peccatū quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret. Marulus lib. 4. cap. 6. ex Sigeberti Chronicis.

Mœrore.

LAERTIVS Diogenes seruauit perpetuum silentium, ex eo quòd matri ex eius sermone ac tentatione mors accidisset: nec illum Hadrianus imperator ad loquendum, etiam capitis pœna indicta, commouere potuit: cuius constantiam admiratus pepercit, & petiuit data ei tabula, ut ad aliquot problemata proposita responderet manu saltem. id quod non grauatim fecit. Amantius.

Valetudinis studio.

Triennio Mecœnatem MESSIVM accepimus, silentium sibi imperauisse, à conuulsione reddito sanguine. Plinius libro 28. cap. 6. nat. Hist.

OBMVTESCENTIA.

QVI obmutuerint. *Doctores.*

HERACLITVS Lycius sophista cùm olim apud Seuerū principem extemporali facultate præsentibus quoq; aulicis diceret, exterritus sermone excidit. Volat. lib. 15. Anthr.

SIMON Grinæus, [redacted], cùm Viennæ Austriæ publicum munus profitendi suscepisset, ter obmutuisse dicitur, quo ad priuatis exercitationibus confirmatus, Academiæ conspectum ferre didicit, tanto cum profectu, ut in αὐτοσχεδιαστικῷ dicendi genere [redacted] euaseruit. Io. Oporini acroama.

Oratores. Legati.

TALTHYBIVS & EVRYBATES prçcones Agamemnonis ad Achillem pro abducenda Briseide missi, præ timore muti redditi, taciturni Achillem adorarunt, eaq; ratione heroem flexerunt. Iliad. α.

τὼ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένω βασιλῆα
στήτην, οὐδέ τί μιν προσεφώνεον.

THEOPHRASTVS Eresius, cùm in Areopago uerba faceret, defecit: & hanc excusationem prætendit, se perterritū fuisse senatus auctoritate. Amarulenter uerò, & aptissimè ad hunc eius sermonem respondit his uerbis Demochares: O Theophraste, Athenienses erant, nō duodecim numina, qui præerant. Aelianus lib. 8. Var. hist.

Cùm DEMOSTHENEM in Macedonia uerba ingeniūq; deficerēt, Aeschines multū reliquos legatos ore, animo cōsilioq; superabat. In causa fuit Philippi amicitia, & eius munera, & quòd Philippus placidè libenterq; eum audiebat. Quę uniuersa fuerunt Aeschini quasi ephelcia & incitamenta ad dicendi audaciam, & uerborum profluentiam. Aelianus libro 8. Variæ historiæ.

HERODES Atticus, orator insignis, cùm peroraret coram M. Antonio in Pæonia, & timore perculsus obmutesceret: ignominiæ tædio affectus, ad Istrū secessit, quasi moriturus. Vitā enim eloquētiæ glorię posthabuit. Philostratus in eius uita.

BARTHOLOMÆVS Soncinus, nomine suæ ciuitatis Alexādro VI. pontifici maximo gratulaturus, in media propè oratione excidit. Sic FRANCISCVS Barbarus Venetus apud Philippum Insubrum ducem. Rauisius.

IO. OPORINVS, Græcarū literarū in Academia Basiliensi doctor erat. Erasmū Roterodamū, qui Friburgo Basilęam redierat, cùm γερουσίῳ uino Academici honorare uellent, Oporinum huic muneri prçfecerunt. Ille pulcrè meditata oratione discipulis comitantibus, & dona ferentibus stipatus, accedit. Erasmus primo congressu (ut facetissimus erat) porrecta dextera Oporino, cùm is more patrio aliquantum dextram eius cōpressisset, ex improuiso: Hei quàm grauiter me læsisti, exclamauit. chiragra enim digitos penè exolutos habebat. Ea re territus Oporinus obmutuit: nec prius animum recipere potuit, quàm ab Erasmo mensæ assidere iussus, honorario uino degustato, Academiæ munera oratione splendida commendauit.

LEGATVS quidam Germanus uerba facturus coram principis gynæceo, præ pudore & consternatione crepitum uentris emisit. Omnib. oborto risu, uirginib. præsertim, ille mente recollecta, ut extẽporali ioco solœcismũ admissum corrigeret, Nesciebam ego, inquit, mihi à principe meo adiunctũ fuisse prodromon & anteambulonẽ. Sed quando ille anticipauit, esto sanè. Vos, si ita uidetur, ô Virgines, huic hospiti per uices pari applausu excepto primùm respondete: mox ego ea, quorũ causa ueni, exequar. Maiore hîc cachinno exceptus, orationem porrò tam elegantem subiunxit, ut nouo potius hoc more beneuolentiam captasse, quàm metu perturbatus oppedisse uideretur.

Musici.

HIPPARCHION ueniens in certamen cum Ruffino citharœdo, spe omnium elusa conticuit. Hinc adagium, Mutus Hipparchion, Erasmus.

Histriones.

Lucenses ciues hisce annis comœdiã publicè agebant. IVVENIS quidam patricius, magni ingenij, prologi munus obiturus, repentè obmutuit, easq; notas sui affectus dedit, ut omnibus non simulato metu correptus uideretur. Mox recepto animo, non quidem prologi partes absoluit, sed tanquã impræmeditatus, seipsum summorum uirorum exẽplo, qui præ maiestate eorum apud quos uerba facturi erant obmutuissent, excusare cepit: & simul in laudes urbis, hinc patriciorum, matronarum, uirginumq; Lucensium dicendo euectus, tanta felicitate institutum suum peregit, ut quãto prius mœrore amicos, obmutescentiam eius ęgerrimè ferentes, affecerat, tanta omnium mentes admiratione repleuerit: atque adeò plerique eloquentiam, cordatiores uerò ostentandæ eloquentiæ modum inusitatum maximis eueherent laudibus. Manfredi Balbani acroama.

PROPTER QVID. EX

Pudore.

Cleomenes Spartanus, contra Antigonum Macedonẽ à Ptolemæo Aegypti rege auxilium petebat. Rex liberos eius & matrem Cratesicleam obsides postulabat. CLEOMENES diu indicare id ueritus est matri, ac subinde ad eam ingressus, & sermonẽ exorsurus, obmutuit: ut illa quoq; suspicaretur, & ex amicis eius exquireret, ecqua res sit, de qua cupiẽs agere secũ dubitaret? Postremò auso Cleomene rẽ effari, cachinnauit: Et hoccine erat, inquit, quod sæpe dicere aggressum destituit animus? Non impositos nos nauigio prius mittis, ubicunq; hoc corpus Spartæ censes maximè usui fore, ã senio hîc reses extinguatur? Plut. in Cleomene.

M. ANTONIVS ad Actiũ Ambraciæ promontoriũ cum D. nauibus cũ Augusto congressus, cõspectis Cleopatræ nauib. uela facientibus, omniũ oblitus, secutus est, proditis & desertis illis, qui pro ipso certabant. Ad Cleopatrã naui delatus, neq; aspexit illam, neq; aspectus ab illa est: sed solitarius transiit in proram, atq; ibi tacitus cogitabũdusq; consedit, ambabus manibus caput tenens. Plut. in Antonio.

Ira, Indignatione.

C. MARIVS L. Syllam fugiens, equitibus persequẽtib. in nauem quandã onerariã, duorũ seruorum opera supra aquã elatus, impositus, paulo pòst à dominis nauis Syllã metuẽtibus sub prætextu curãdi corporis expositus, & derelictus, diu in litore mutus iacuit. Minturnensium inde commiseratione in Africam delatus, cùm Sextilij prætoris lictor eũ terram attingere prohiberet, prę dolore & indignatione, horrendũ interim lictorẽ intuens, diu conticuit. Plut. in Mario.

NERO Imp. audita Galliarum defectione obmutuit. Suet.

Zizimus à BAIAZETHO fratre pulsus ann. 1482. ad Rhodios confugit, cùm id prius epistola quadam fratri, sagittæ alligata, ac uiolenter arcu in exercitum excussa, significasset, Qua perlecta, ita in lacrymas est resolutus Baiazethus, ut amẽti similis, tacitus in tabernaculo diu sederet, ægerrimè ferens fratrem ad eos Christianos defecisse, ob quorũ fortitudinem pater Mahometus interiisset. Cuspinianus.

Mœrore.

Romani à Totila rege grauiter obsidebantur. BELISARIVS Græcorum dux cõmeatum & auxilia obsessis laturus, pontem à Gothis in Tiberi constructum prius expugnare cogebatur. Reliquerat Isaacem ad Portuensis urbis pręsidium, illiq; mandauerat, ut oppidum tueretur. Belisario turrim hostium incendente, uolant confestim nuncij ad Portuensem urbem, atq; uictoriam grandius extollunt. Isaaces præceptorum Belisarij oblitus, accepto hoc nuncio, hostium stationẽ inuadit, & capitur. Huius rei certior factus Belisarius per equites, ita perculsus est, ut nihil ultrà percõtatus, quia loqui non ualebat, classem ac militẽ cursim reduxerit, existimans oppidum cum uxore & omnibus impedimẽtis captum esse. Cæterùm cùm ad urbem Portuensem peruenisset, & eam saluam ac se deceptum cognouisset, tantum dolorem ex hoc errore suscepit, ut in acutissimam febrem, qua diu periclitatus est, inciderit. Fulgosus libro 9. capite 9. & Ioan. Magnus lib. 13. ex Procopio.

CORPORIS TOTIVS MOTVS. Cuiusmodi est

CIRCVMACTIO.

Numæ præceptum est, CIRCVMAGAS te, dũ deos adoras, Sedeas, cùm adoraueris. Cõuersio adorantiũ simulacrũ orbis mũdi dicitur esse: quo magis uideatur, qui adorat deos, (quando Orientẽ spectantib. templis auersus est ab ortu) eò se flectere, & mox conuertere ad Deum, orbem conficiens, & cõmittens ex ambobus consummationẽ precũ. Nisi quid herclè similiter Aegyptiis rotis inuoluit, & significat hæc figurę mutatio, nihil esse in reb. humanis stabile, sed quò uerterit & uoluerit uitam nostram deus, contentos esse nos, & boni debere consulere. Plut. in Numa.

Veteres ROM. in adorando dexteram ad osculum referebant, totumq; corpus circumagebant. Quod in læuum Galli maiore cum religione se facere putabant. Plin. lib. 28. ca. 2. Plut. in quæst. Rom. filios operto capite sese ad patrũ busta περιστρέφειν ait, hoc est, in gyrum circumagere, & hoc ipso tacitã quandam ἀποθέωσιν insinuare, quando primo osse inter cineres reperto, Deum aiunt eum, qui defunctus sit, factum.

EXVRRECTIO.

Singulis Psalmorum locis ubi legitur Sela (legitur autẽ sæpissimè) CANTORES qui canebant illud, unà cũ corpore attollebant uocẽ, ut Dauid Kimhi Hebræis commentariis in Psalmos notat: etsi eandem uocẽ Chaldæus æternitatem exponit, Symmachus & Theodotion διάψαλμα, Abrahã Abben Hezra אמתת id est, uerè. Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 4.

EXVLTATIO.

Apud Nonium Frigere & frigetire & feritinare, subsilire est cũ sono, uel erigi & excitari: quòd quæcũq; frigũtur, uel frigent, nimio calore uel frigore cum sono sursum subsiliunt.

AGESILAVM regem Spartanorum Xenophon tradit, cùm locupletaret amicos, exultasse: qui interim pecuniam ipse contemnebat. Plut. in præcepris Politicis.

THEOGENES mathematicus cùm Octauij etiamnum priuati genituram secessũ Apolloniæ inspexisset, exiliuit repentè & adorauit eum. Suetonius.

NERO defectione Vindicis è Gallia nunciata, urgentibus aliis super alios nunciis, Romam prætrepidus rediit: leuiterque modò in itinere friuolo auspicio mẽte recreata, cùm annotasset insculptũ monumento militẽ Gallum ab equite Rom. oppressum, trahi crinibus, ad eam speciẽ exiluit gaudio, cœlumq; adorauit. Suetonius in Nerone.

Venerat ad Augustinum filium MONICA mater Mediolanũ usq; ex Africa. Cui cùm ille indicasset, se non quidẽ iam amplius esse Manichæum, sed neque catholicum Christianum: exiliuit præ lętitia, certò sibi persuadẽs, illum porrò Ambrosij episcopi concionibus ad ueritatem perduci posse. Testis ipsemet lib. 6. Confess. cap. 1.

SALTATIO.

Saltatio inter Corporis Exercitia referetur. Hic eam ceu pedissequam Animi motuum consideramus.

Priscos HEBRÆOS in tẽplum apportantes munera, cùm prope altare accederent, saltauisse constat, ut Dauid Kimhi in Psal. 41. annotauit: DAVIDEM quoq; ad testificandam lætitiam animi sui, cùm præiret arcæ, canẽtem Psal. 47. & psallentem saltauisse. SAVLEM etiam legimus à Samuele ad prophetas ablegatum esse saltantes & laudantes Deum instrumentis musicis; prout musica hominibus ad Dei laudes læto & hilari animo potissimùm efferendas fuit attributa. Sed corporis motus nihil habebat insolens, quin potius lenitas illius animum in cœlum quodammodo extollebat, quod officium est Deo acceptissimum. Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ, cap. 4.

DEAMBVLATIO.

Hæc ipsa ad Corporis Exercitia pertinet. Vt uerò Animi relaxandi causa suscipitur, huius est loci.

Apud Athenæum lib. 4. refert Xenophon quiddam non infestiuum de SOCRATE, qui frequenter ad multam uesperam ambulare consueuerat ante ædes suas, percontantib. quid illic ageret? Obsonium, inquit, comparo in cœnam.

STATIO.

Veteres DANI lecturi regem affixis humo saxis insistere, suffragiaq; promere consueuerant: subiectorum lapidũ firmitate facti constantiam ominantes. Saxo lib. 1.

VO-

VOLVTATIO.

C. CALIGVLA nouissimè cõtrectãdę pecunię cupidine incẽsus, sæpe super immẽsos aureorũ aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquandiu uolutatus est. Suetonius in Caligula.

MAXIMINVS Imp. S. C. de se hoste declarato accipiẽs, homo natura ferus sic exarsit, ut nõ hominẽ, sed beluã putares. Iaciebat se in parietes, nõnunquã terræ se prosternebat. Exclamabat inconditè, arripiebat gladium, quasi senatum posset occidere: cõscindebat ueste regiã, alios uerberib. afficiebat: & nisi de medio recessisset, ut quidã sunt auctores, oculos filio adolescentulo sustulisset. Causa aũt iracundiæ contra filium hæc fuit: Quod eum Romam ire iusserat cumprimum imperator factus est: & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem, quòd si ille Romæ fuisset, nihil ausurus fuisset Senatus. Capitolinus in Maximino.

CORPORIS TOTIVS QVIES. Huc pertinet

IMMOBILITAS.

Qui in insidiis latent, ipsa corporis quiete ad institutum suum celandum utuntur.

CONSTANTIVS Imp. Magnentio superato Romam ueniens, faustis populi uocib. Augustus salutatus, alto uocum simul lituorumq; fragore cohorruit, atq; immobilem se, qualis in prouinciis uisebatur, exhibuit. Nam & corpus perhumile curuabat, portas celsas subiens, & uelut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra, nec læua uultũ flectebat, nec spuens, aut os, aut nasum tergens uel fricans, manúmue mouens. Marcellinus lib. 21.

SESSIO.

Apud SCYTHAS & Latinos supplicem in lare sedere, tacitũ obiurationis & maximum supplicandi genus notabatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 9.

Considere ab adoratione, omen esse dictitant ROMANI ratarum precum, & felicitatis in posterum durabilis. Aiunt etiam hanc requiem dispertitionem esse negotiorum: quasi actionibus explicatis prioribus, considеant coram diis, ut auspicentur ab iisdem alias. Plutarchus in Numa: & in quæst. Rom.

DECVBITVS.

Vt quies hæc est corporis, ad Corporea pertinet. Vt Animi perturbationis nota, huius erit loci.

PARTIS ALICVIUS CORPORIS MOTVS, COMPOSITIO. Cuiusmodi est

CAPITIS TOTIVS

INCLINATIO.

Consule locum, Honoris significatio, quatenus capitis inclinatio submissionis index est. Sed & Timoris & Pudoris signum esse, ex Horatij lib. 2. Serm. Sat. 5. constat. Stes capite obstipo, multum similis metuenti.

ERECTIO.

Gestus hic & Confidentiæ est & Superbiæ.

SVSTENTATIO AMBABVS manibus facta.

M. ANTONIVS ad Actium Ambraciæ promontorium ab Augusto uictus, Cleopatram fugientem insecutus, ab eademq; in nauim receptus, solitarius in proram transiens ibi tacitus cogitabundusque consedit, ambabus manibus caput tenens. Plut. in Antonio.

VVLTVS COMPOSITIO. Tum

Blanda, Læta.

OCTAVIVS Cæsar uultu erat uel in sermone, uel tacitus, adeò tranquillo serenoq;, ut quidam è primoribus Galliarũ confessus sit inter suos, eo se inhibitum & remollitum, quò minus, ut destinarat, in transitu Alpium per simulationẽ colloquij propius admissus, in præcipitium propelleret. Suet.

Σινωπίζεις, id est, Sinopissas, id est, lasciuis. A SINOPE scorto quodam nobili, celebratæque lasciuiæ, cui nomen hinc inditum uidetur, quòd noxiis esset oculis. Athenæus lib. 15. docet fuisse Aeginensem. Erasmus in Adagiis.

Tristis, Seuera.

Ἀτρέως ὄμματα, id est, Atrei oculi. de toruo truculentoque aspectu dicebatur. His enim oculis in tragœdiis inducebatur ATREVS, qui Thyestæ fratri filios ipsius epulãdos apposuit, propter uxorem adulterio uitiatam. Eras. in Adagiis.

Plato demonstrat hunc SOCRATI fuisse morem, taurinis oculis obtueri. Idem.

Cùm ad Delium uicti essent Athenienses, fugientibus aliis, SOCRATES solus cum Lachete pedetentim abibat, βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων, ἠρέμα παρασκοπῶν καὶ τοὺς πολεμίους καὶ τοὺς φίλους, δῆλος ὢν παντὶ καὶ πάνυ πόρρωθεν, ὅτι εἴ τις ἅψεται αὐτοῦ, μάλα ἐρρωμένως ἀμυνεῖται. Itaque illæsus rediit. Alcibiades in Symposio Platonis huius se facti spectatorem fuisse asserit.

Nero Cæsar cùm promiscuè optimos quosq; è medio tolleret, PÆTO Thraseæ obiecit tristiorem & pędagogi uultum, ne sine causa in eum sæuire diceretur. Suet.

FRONTIS CORRVGATIO, EXPORRECTIO.

Sic Satyrica, Caperata fronte CATONES leguntur: & apud Plautum Epidico, Caperat CVIDAM fraus seueritudine.

SVPERCILIORVM elatio.

Supercilia tollere signum esse uoluit Catullus irati hominis, & qui malum alicui minaretur: his enim indiciis uultus animi sensus aperiuntur. Diphilus uerò Comicus eadem hac nota usus est, cùm tristem hominem, mœrorisq; plenum, significare uellet. Vini namque suauitatem celebrãs, & quantoperè eos, qui largè bibãt, immutet in melius, ostendẽs, inquit: ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύ τις εἶ, ὅταν ταπεινὸν μεγαφρονεῖν ποιῇς μόνος· τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν· τὸν δ' ἀσθενῆ τολμᾶν· τὸν δειλὸν θρασύ. Victorius lib. 8. Var. lect. cap. 1.

OCVLORVM MOTVS. Nempe

AVERSIO.

AGAMEMNON deprecantis mortem Iphigeniæ filiæ argumentis impar, faciem auertebat. Hinc pathetica illa Iphigeniæ uerba apud Eurip. Iphig. Aulid.

βλέψον πρὸς ἡμᾶς· ὄμμα δὸς, φίλημά τε,
ἵν' ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ' ἔχω σέθεν
μνημεῖον, εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις. Respice ad nos, oculum da, & basium, ut saltem hoc moriens habeam tui monumentum, si non meis persuasus fueris dictis.

DEIECTIO. δυσωπία.

Αἰσχυντηλία est uerecundia plus quàm modica. Quapropter δυσωπίας appellationem inuenit: quòd unà cum animo perturbetur flaccescatque uultus. Nam quomodo κατήφειαν definiunt oculos deiicientem tristitiam: ita uerecundiam, hactenus quæ concedit rogantibus, ut nec contrà intueri sustineat eos, δυσωπίαν dixere. Plut. de Nimia uerecundia.

Apud Euripidem HECVBA præ pudore fingit se non audere obtueri Polymnestorẽ. Pudere enim, in tam calamitoso rerum statu, conspici ab eo, cui aliquando uisa sit florens.

Lycurgus Spartanorum legislator uolẽs naturalem PVERIS conciliare pudorem, imperauit ut in uiis manus intra palliũ haberent, silentioq; incederent, ac nusquam circumspicerẽt, sed humi defixos oculos tenerent. Xenophon in Laconum Repub. Stobæus serm. 42.

ROMANI ad Furcas Caudinas à Samnitibus sub iugũ missi, à Campanis sociis benignè licèt suscepti, noctu Capuam ingressi, præ pudore & iracundia oculos demisere. Liuius.

Octauius Cæsar oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam existimari uolebat inesse quiddam diuini uigoris: gaudebatq;, si QVIS sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorẽ Solis uultum submitteret. Suetonius.

CONSTANTIA. NON conniuere.

Græcis ἀσκαρδαμυκτεῖν uel ἀκαρδαμυκτεῖν est fixis & immotis oculis contueri. Eodẽ pertinet, ab externo obiecto incidente palpebras nõ claudere. Quo signo olim fortissimi DANORVM milites dinoscebantur, qui ne clauæ quidem, nedum pugni ictu oculos claudere consueuerant Saxo lib. X.

CLAVSIO. Conniuere.

Homerus Iliados ρ. AIACEM corpus Patrocli scuto suo obtegentem introducit. Quemadmodum leo pro catulis dimicans, clausis oculis insilit in uenantium agmen,

ἑστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσι,
πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων. id est:

Stabat uti leo depugnans sua pignora circum,
Deducto prorsum cilio sua lumina uelans.

Erasmus in Adagiis.

ALIPIVS D. Augustini amicus, Romam profectus Iuris discẽdi causa, à condiscipulis inuitus ad spectaculum gladiatorium ductus: Vt corpus cogatis, at oculos & animum non cogetis, inquit. adeoq; clausis oculis sedebat. At cùm ingẽs clamor populi ortus esset, curiositate uictus, sibique fidens,

quòd quicquid tādem id esset uidere & contemnere uellet, aperuit oculos, sanguinem uidit, & immanitatem simul ebibit, cruentaq; illa uoluptate in præsens delectatus, ad eandem sæpe postea & ipse rediit, & alios eòdem pertraxit. Augustinus lib. 6. cap. 8. Confessionum.

AVRES intendere, arrigere.

Notum est illud ex Andria ad PAMPHILVM, metaphora ab equis & asinis traducta: Arrige aures Pamphile.

NARIVM CONTRACTIO. Μυκτηρισμός. Naso suspendere.

Irridentium hic gestus est, Contemtus indicium, Superbiæ assecla.

DENTIBVS Frendere.

Belluina hæc extrema Iracundiæ seu furoris potius & rabiei nota.

LABIORVM exporrectio.

Gestus familiaris cogitabundis uel admirabundis. Vnde Satyricus de MATHEMATICIS: Atq; exporrecto trutinantur fata labello.

LINGVAE exertio.

Hoc in PVERIS naturæ peruersæ ductu uidere est, qui tū irrisionis tum uindictæ causa linguæ maledicę uirus omne hac ratione effundere gestiunt.

IVDÆOS Christo opt. max. lingua exerta insultaturos multo antè diuinus uates prȩuidit Psalmo 22.

Gallis Romam petentibus, ad tertium lapidem Salaria uia ꝓximè urbem, quidam GALLVS ingenti statura pontem intermedium occupans, alta uoce fortissimū prouocauit Romanorum ad singulare certamen. T. Manlius L. filius, à Dictatore petiit, ut sibi cum hoste liceret dimicare. Excepit Gallus eum cum derisu, exerta in despectum, ut mos est gentis, lingua. Sed uictus à Manlio, tantam Barbaris trepidationē incussit, ut sequenti nocte, relictis castris, in Tyburtem agrū concesserint. Sab. lib. 3. En. 4. & Gel. lib. 9. c. 13. ex Q. Claudij Quadrigarij primo libro Annalium.

CERVIX RIGIDA, Immota.

CONSTANTIVS Cæsar nunquam in publico in partem alterutram uultum transtulisse, collo ueluti munito & rigente, uisus est. Marcellinus lib. 21.

MANVVM MOTVS. Cuiusmodi est

GESTICVLATIO.

TIBERIVS Cæsar incedebat, sermone nullo, aut rarissimo, aut tardissimo, & cum molli digitorū gesticulatione. Suet.

APPLICATIO ad Caput aliámue corporis partem.

TIBERIO Graccho Tribuno, post legem Agrariam aduersus tyrannidem opulentorum latam, in Capitolio cōcionanti, Ful. Flaccus Senator nunciauit, deliberatum habere opulentos per se interficere Tiberium. Quod ut circumstantibus aperuit Tiberius, præcingere hi confestim togas, frangentesq; apparitorum hastilia, quibus cœtum summouent, arriperet fragmenta, quibus repellerent uim inferentes. Id fieri mirantibus longinquioribus, admouit manum Tiberius capiti, discrimen suum ea specie demonstrans, quando non assequebantur uocem. Quod cùm aduersarij intuerentur, properauerunt ad senatum, afferētes poscere Tiberium diadema: cuius significationem esse, quòd caput attigisset. Itaque facta manu Scipio Nasica illum adorsus interfecit. Plut. in Tiberio.

Corn. Gallum Aegypti præfectū apud Augustum accusauerat Largus. Cùm sibi mortem consciuisset Gallus, multi in partes Largi transierūt: in quibus tamen non fuerunt optimates. Nam PROCVLVS factus ei obuiam, cepit nares suas & os manu occludere: atq; ita significare præsentibus, tutum non esse coram eo respirare. Dion in Augusto.

EXTENSIO.

Apud GRÆCOS manus ad cœlum tendere, uel puluerem crinibus spargere, uulgaris supplicandi mos fuit. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 19.

Apud APHROS & NVMIDAS in dextra magnam uiro inesse auctoritatem maiestatemque, omnes putarunt. Dextra quippe manu pacem imperabant, & silentium. Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 3.

Polybius de MILITIBVS non paucis C. Flaminij, inquit, qui uicti in acie in lacum se coniecerant, ac quousque altitudo ipsius patiebatur, progressi sunt: cùm equites hostium eò ingressos uiderent, exitiumque appropinquare, manus ex aqua exerentes ac tendentes, uoceq; etiam precantes, ut uitæ suæ parcerent, aut trucidati ab ipsis sunt, aut se mutuis uulneribus, diffidentes saluti, confecerunt. Victorius lib. 12. Var. lect. cap. 23.

Virgilius idem significare uolens quod ἐξαίρειν χεῖρας, in XII. Aeneidos, cùm simile tempus Turni exponeret, cecinit:

Ille humilis supplexq; oculos dextramq; precantem
Protendens. Et paulo pòst:
——uicisti, & uictum tendere palmas
Ausonij uidere. Victor. lib. 12. Var. lect. c. 23.

DEMISSIO.

Παραστέιειν, manus demittere, & demissas agitare, ut festinantes solent uel in cursu uel incessu. Hinc φεύγειν παρασείοντα, manibus demissis fugere apud Aristot. lib. 4. Ethicorū, & Plautum Epidico.

Cato maior aiebat, odisse MILITEM se, in ambulando qui manus, & in præliando moueat pedes, stertat altius, quàm fremat. Plut. in Apoph.

OCCVLTATIO.

Hecuba apud Euripidem VLYSSEM supplex accedebat pro filia Iphigenia deprecatura. At ille dextram, quam tangere parabat, occuluit, præcisa omni spe ueniæ.

Aeschines in oratione contra Timarchum, de sobrietate priscorum Rhetorum loquens, ὥστε ὃ νυνὶ πάντες ἐν ἔθει πεποιήμεθα, τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε τοῦτο θρασύ τι ἐδόκει εἶναι, καὶ εὐλαβοῦντο αὐτὸ πράττειν. id est, Itaque quod nunc omnes ex more facimus, ut inter dicendum manum extra pallium habeamus, tum temporis confidentię tribuebatur, ac uerebantur id facere. Addit, Salamine spectari statuam Solonis, manum intra pallium habentis. Quintilianus uerò lib. 12. damnat eos, qui nunquam commouentur inter agendum, semperque manum, quod aiunt, habēt sub pallio. Quapropter, inquit, mihi falli multum uidentur, qui solos esse Atticos credunt tenues & lucidos & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. Qui languent, manum occultant sub pallio: qui commoti sunt, proferunt: & agitatione manus brachijq; pronunciabantur ea, quæ contentionis plusculum haberent. Erasmus in Adagiis.

MOTATIO.

An hoc Græcorum est ὀνοτάζειν, quasi ὦτα ὄνου intendere, manu mobili auriculas albas imitari, ut ait Persius:

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.

SIGNIFICATIO. Nempe

Innuendo.

Vide Nutum. Illic Significationis, hîc Significantis habetur ratio.

Sunt qui Syracusis saltationem primò exortam prodant, à tyranni Hieronis immani sæuitia: qui inter alia dicta immitia, SYRACVSANOS etiam mutuis uti colloquiis uetuerit: quæ uerò necessaria forent, pedum, manuum, oculorum nutibus indiciisq; iusserit petere, unde mox saltationi exortum peperit necessitas. Cælius lib. 5. cap. 3.

Cauam ostendendo.

VESPASIANVS Imp. nunciantibus legatis, decretam ei publicè non mediocris summæ statuam colosseam, iussit ut continuò ponerent, cauam manū ostentans, & paratam basim dicens. Suetonius.

Crucem effingendo.

Tertullianus scribit in lib. de Corona militis, ueteres CHRIstianos frontem suam sæpe signasse cruce. D. Hieronymus Demetriadem hortatur, ut crebrò signaculo crucis frōtem muniat, ne locum in ea exterminator Aegypti inueniat. Origenes quoque, Epiphanius, Chrysostomus & Augustinus multa scribunt de uirtute sanctæ crucis. D. Athanasius in lib. de Humanit. uerbi, eiusque aduentu, Olim, inquit, dæmonia inani specie ludibrijsque rerum intricabant homines, insessis alibi fontibus, alibi fluuiis, lapidibus, aut lignis, atq; ita præstigijs fatuos in stuporem agebant. Nunc uerò cùm apparuerit Dei uerbum, spectra huiusmodi & ludibria imaginum cessauerunt. Lactantius diuinarū Institut. lib. 4. 26. & 27. dicit ad illos, qui frontem cruce signant, diabolum non habere accessum, nec lædere eos posse. Addit, Christianos hac cæremonia antiquitus in expellendis dæmonibus & sanandis morbis usos esse.

DIGITORVM MOTVS. Puta

CREPITVS.

SARDANAPALO Assyriorum regi effeminatissimo defuncto statuam lapideam fecerunt, secum ipsam tripudiantem ritu barbarico, digitisq; supra caput uelut concrepitātem: cui inscripserunt: Ede bibe, ueneri indulge: cætera nihil sunt. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna. Athenæus libro duodecimo prodidit, hoc gestu digitorum significasse, res humanas omneis prorsus esse contemnendas, ac ne digituli quidem crepitu dignas.

Qui arrogantius fastuosiusque iubent quippiam, digituli crepitu significare dicūtur. Id D. Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum usurpauit, in superciliosum QVENDAM & fastidientem, qui dicturus, digituli crepitu silentium imperabat: deinde simili fastu, singulas uoces, per interualla promebat: ut singultire crederes, non proloqui. Videtur autem hic gestus fuisse DOMINORVM, seruis humilius aliquod ministerium innuentium. Martialis lib. 3. in Zoilum:

Digiti crepantis signa nouit Eunuchus.

Item in Distichis:

Cùm poscor crepitu digitorum. Eras. in Adagiis.

ELATIO, PRESSIO.

Digitum tollere, uidetur esse gestus comprobantis, aut se profitentis emtorem, siue conductorem. Siquidem & hoc pacto OLIM ferebantur suffragia, & in auctionibus eodem, qui uolebat, declarabat se emtorem aut conductorem. Erasmus in Adagiis.

Antiquitùs in pollice fauoris erat studijq; significatio. Qui faueret, pollicem premebat: qui minus faueret, pollicem conuertebat. Qui gestus in prouerbiū abierunt, ut iam premere pollicem dicatur, qui quoquo pacto fauet: conuertere, qui malè uult. Plin. lib. 17. cap. 2. Pollices, cùm faueamus, premere etiam prouerbio iubemur. Iuuenalis:

— conuerso pollice uulgi,
Quemlibet occidunt populariter.

In factionibus Italicarum urbium inter GVELFOS & GIBELLINOS illud quoq; notatum, hos quidem in affirmando, loquendo, ostendendo indicem, illos uerò pollicē exerere.

BIORNVS accepto nuncio de morte Regneri patris, Danorū regis, quem acie uictū Hella Britannorū rex serpentib. obiecerat, cùm fortè tesseris luderet, tanta ui correptū manu calculum pressit, ut è digitis sanguis exiliret. Saxo lib. 9.

OSTENSIO.

Persuasum habent plerique, in uersu Iuuenalis Satyræ decimę, dum inquit:

— quum Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet unguem:

per hæc uerba id notare, quod uulgò omnes contumeliis conciti faciunt, ubi interiecto pollice inter medios proximos digitos, obscœnum in modum probrum obiiciūt: quo argumento illum fastidire, & despicere ostendunt. Quod tamen longè secus in ueteri usu fuisse apparet: quippe infamis digiti obiectu, qui medius est, ipsum in quem obiicitur, infamem notari duxerunt. Fuit enim PRISCI moris, ut si quos floccipenderent, aut insigni contumelia uel deformi conuitio afficerent, id obiectu medij digiti protenti, aut non compressi, denotarent: quod est à Græcis usurpatum, ut contractis reliquis digitis, medium ignominiæ causa protenderēt, qđ σκιμαλίσαι dixere. σκιμαλίζειν enim, prætentari est digito, an gallinæ oua cōceperint. Quare ab Atheniēsibus, medius catapygos, quasi cinędus adnominatur, quòd infamiam incuteret, & conuitium faceret. Alex. lib. 4. c. 26.

MITHRIDATES Ariobarzanis F. simulata amicitia cū Datami, qui ab Artoxerxe rege defecerat, congressus, ostendēs ei digito locum à tergo quasi castrametationi oportunum, respicientem sica transfodit. Probus in Datami.

Apud Laertium DIOGENES Cynicus hospitibus quibusdā Demosthenem uidere cupientibus, non indice digito, sed medio porrecto demonstrauit, parum uirum innuens & effeminatum. Ac paulo pòst eodem in loco, satis indicat porrectione digiti medij quippiam obscenum significari, cùm ait, Insanos haberi, qui medium porrigant digitum: qui indicem, non item. Erasmus in Adagiis. Quare uerbum Diogenis proditur, multos per digitum insanire, quòd medio digito se philosophantes peregrinis demonstrarent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 26.

IMPLEXIO.

Adsidere grauidis, uel cùm remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, ueneficium est: idq; cōpertū tradunt, Alcmena Herculem pariente. Peius, si circa unū ambóue genua. Plin. lib. 28. cap. 6. Nat. hist.

PEDVM MOTVS. Vt est

IMPOSITIO.

PYTHAGORICIS in perpetua fuit obseruatiōe dextero femori nunquam læuum imponere, neq; par eligere loco imparis, si nihil aliud referret. Plut. de Immodica uerecundia. Item Plin. lib. 28. c. 6. sic scribit: Poplites alternis genibus imponi, ueneficium habebatur. Ideo hæc in consiliis ducum potestatúmue fieri uetuere maiores, uelut omnem actū impedientia. Vetuere & sacris uotisue simili modo interesse.

FLEXIO. INGENICVLARI.

TARTARIS tota nocte orientem uersus nouies inflexis genubus orantibus, miraculosè apertum est mare. Vide Tit. Somnia sedis imperij.

SENSVVM NOTAE. HVC PERTINET

IN COELVM SVSPICERE.

M. BRVTVS in acie Pharsalica reb. desperatis, sublatis in cœlum oculis à Ioue Cæsari uindictam imprecatus est. Plut.

TITVS Imp. cùm in itinere ad Sabinos febre correptus lectica transferrētur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlū: multumq; conquestus, eripi sibi uitam immerēti. Neq; enim extare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. Suetonius.

D. MARTINVS Turonensis crebrò in cœlum suspicere cōsueuerat, illic thesaurum suum repositū sciens. Iccirco Briccius eius æmulus, homini Martinum quærenti respondit: Si delirum illum quæris, prospice eminus: ecce cœlum solito sicut amens respicit. D. Bern. in festo S. Martini.

AMATRICIANVS quidam demisso animo ad suppliciū tractus, à matre in cœlum oculos eleuare iussus, cùm id faceret, En tibi arces illas, fili, inquit, in quas mox transfereris. Pont. lib. 2. c. 9. de Fort. dom.

RESPECTARE.

AIAX apud Hom. perturbatus repentè iniecto metu à Ioue animo ipsius, discedit ē prælio ἐντροπαλιζόμενος (crebrò oculos conuertens ad hostes, quos à se tunc relinqui spei lætitiæq; plenos molestè ferebat) ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων. Liuius etiā narrat HANNIBALEM reuocatum à patria inuitū mœstumq; ex hostium terra excessisse, sæpeque Italiæ littora respexisse.

DATAMES respiciens ad locum, quem ei Mithridates Ariobarzanis F. simulata amicitia ostendebat, quasi castris metandis oportunum, ab eodem sic transfossus periit. Probus in Datami.

DEMOSTHENES ob accepta ab Harpalo munera in exiliū pulsus, Aeginæ & Trœzene ferè sedens, Atticā lacrymis oppletus respectabat. Plut.

PYRRHVS cùm spe lapsus potiundæ Sicilię inde solueret, respectans retrò ad amicos: Qualem, inquit, Romanis & Carthaginensibus palæstram relinquimus? Plut. in Apoph.

IVGVRTHA Numidarum rex discedens ab urbe, reflectensq; oculos: O urbem uenalem, inquit, & citò perituram, si emtorem inuenisset. Sallustius.

TIBERIVS Iuliam Augusti filiam ducere coactus, uxorem Agrippinam, M. Agrippæ filiam, neptem Pomponij Attici, ex quo Drusum filium accepit, & quam uehementer amauit, grauidam inuitus dimisit: eamq; pòst semel ex occursu uisam, adeò contentis & tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne unquam in conspectum eius posthac ueniret. Suetonius.

NON ASPICERE.

Tiberius Imp. cùm nurum ac nepotes post damnationem catenatos obsutaque lectica loco moueret, prohibuit per militem obuiis ac VIATORIBVS respicere usquam uel consistere. Suetonius.

NON AVDIRE.

Non hîc Corporis affectum, ob læsum audiendi organū, consideramus: sed integris organis Obauditionem, siue ueram, animo ad alia intento, siue simulatam.

Cicero ad OCTAVIVM, quem ex Africa ferebāt ortum, cùm non exaudire se eum dicētem assereret: Atqui aures, inquit, habes perforatas. Plut. in Apoph.

NON SENTIRE dolorem.

Stupiditas inter Corporeas passiones connumeranda, sed & ad Facultatis tactilis defectum. Heic integris organis & facultate integra eam, quæ ex mentis intentione uel perturbationis impotentia fit auersionem, intelligimus.

D. THOMAM Aquinatem tradunt ecstasi tam profunda rapi solitum, ut interdum candelā accensam tenens, ea demū ad manum usq; consumta, flammæ calorem non senserit. Id quod non pauca in digitis adustionis uestigia ostendebāt. Marul. lib. 2. c. 4. & Sab. lib. 2. cap. 6.

Missus à Florentinis legatus ad ALFONSVM Aragoniū Iannottus Manettus, prolixam & elegātem orationem habuit. Rex eloquentiæ illius admiratione, non aures tantùm attentissimas ei dedit, sed & muscam naso insidentem tum demū cùm legatus perorasset abegit, oculis gestus illius intentis obseruans. Panormita, & Lud. Dominicus lib. 1. Var. hist.

VITALIS FACVLTATIS NOTAE.

SVSPIRIA. GEMITVS.

C.IVLIVS Cæsar Gadibus uisa Alexandri Magni imagine, ingemuit, æmulatione gloriæ eius, qui XXX. ætatis anno totum Orientem domuisset. Plutarchus.

CN. Pompeius ex acie Pharsalica fugiens, & in Cyprum appellens, ubi portum κακοβασιλέα appellari audiuit, dirum omen auersatus, dolorem gemitu patefecit. Valerius Maximus lib. 1. cap. 5.

VERGILIVS uates suspirabundus ubiq; obseruatus est. Vnde facetum illud Augusti responsum, inter hunc ipsum sedēte, & Flaccum Horatium, qui ab oculorũ lippitudine laborabat: rogatus à quodam amicorũ, quid ageret? Sedeo, inquit, inter suspiria & lacrymas. Sabell. lib. 7. cap. 4.

Amasis Aegyptiorum rex, admirabile attulit in urbem Saim ędificium ex solido saxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium consumserunt duo millia delectorum uirorum, qui omnes erant architecti. Domus hæc ad ingressum templi Mineruæ collocata est, non autem in templum pertracta. Nam cùm tecto aduecto, suspirasset eius uehendi ARCHITECTVS, utpote pertæsus diutino tempore operæ: stomachatus Amasis, non permisit hominem ulterius trahere. Herod. lib. 2.

SINGVLTVS.

Non Stomachi conuulsionem, sed interceptum Arteriæ tracheæ meatum intelligimus, quando ex reciproco, eoq; conferto motu inspirationis & expirationis Singultatio quædam oritur, qualis potissimùm in pueris eiulantibus, & uel pudore uel metu lacrymas supprimere conantibus, conspicitur.

ANHELITVS RETENTVS.

Rugianorum Vandalorum urbe Arcone Suantouiti idolum colebatur. Semel quotãnis post lectas fruges, mactatis ante ostium uictimis, solenne gentis epulum erat. Aedem SACERDOS purgabat, spiritu oris cõpresso: quem quoties renouare opus erat, ad ostium decurrebat, ne humano halitu numinis præsentia offenderetur. Cranzius lib. 5. Vuandalię, ex Saxonis lib. 14.

RISVS.

Gaudij sedes cor est: & propterea etiam accidens gaudij Risus in septo transuerso prope cor habitat, oriturq; ex spirituum frequentia, qui confertim musculum diaphragmatis impetunt, & titillant. Quo musculo agitato uehemẽtius, Risus συγκρύσιος & concutiens oritur, ita ut abdomen quoque ex nimio motu doleat. Irrisionem inter Effectus Affectuum superiore libro connumerauimus. Vide Titulum, Risu mortui.

QVI. In genere.

Isaacus Abrahami F. appellatus fuit: quoniam cùm angeli SARÆ prædicerent conceptum, risit illa, neq; dictis illorum fidem adhibuit, eo quòd iam nonagenaria esset. Genes. 21.

Homerus PROCOS Penelopes introducit φιλογέλωτας, Od. σ. ubi describit certamen Vlyssis cum Iro:

—ἀτὰρ μνηστῆρες ἀγαυοὶ
χεῖρας ἀνασχόμενοι, γέλῳ ἔκθανον.

προπετὴς γέλως autem μανικὸν esse uidetur, teste Isocrate.

HIPPATENSES Thessali deum Risum colunt, cui quotannis in lætitia sacrificant, teste Apuleio. Plutarchus similiter autumat Lacedæmonios risui aras extruxisse.

OSYRIN cupidissimum risus fuisse, testatur Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. de Rebus antiquis.

XENOPHANTVM risum cohibere non potuisse, Arist. lib. 7. Ethicorum, asserit.

QVOS riserint. RIDICVLI casus.

Thales Milesius domo fortè egressus contemplandorum siderum causa, in subiectam fossam decidit. Tum ANCILLA uetula, Qua ratione Thales cœlum inuestigabis, exclamauit, cùm ne quidem ea, quæ ante pedes sunt, uideas? Laertius libro primo.

Socrates Aristodemo persuaserat, ut non uocatus, secum ad Agathonis conuiuium accederet. Accidit tunc ARISTODEMO ridiculum quiddam. Siquidem cùm inter eundum non sentiret Socratem à tergo relictum, prior ingressus est planè uelut umbra corpus præcedẽs, lumine à tergo sequẽte. Plut. lib. 7. Symposiacôn, ex Platonis Symposio.

Rex Fessensis, uir bellicosus & impiger, anno 1520. agrum Tingitanum populatus est, & prædas non ualdè magnas abegit. Et cùm nemo illi obuiam prodiret, Arzilam contendit. Erat Arzilæ quidam plebeius homo, qui lento atque diuturno morbo paulatim intabescebat. Medici præceperãt, ut testudinibus uesceretur. Is propter probitatem erat charus uniuersis. Cùm uerò testudines non haberet, cõquestus est, quòd unico illo morbi remedio careret. Tum equites uiginti operam suam ad eam rem polliciti sunt, modò excũdi potestas illis à Ioanne Coutigno urbis præfecto fieret. Coutignus eam facultatem non grauatè concessit. Illi prodeũt, & in proximum fluuium Dulcem dictum se conferunt: equis frena & ephippia detrahunt, eosq; capistris ad arbusta deligant, & hastas in terra defigunt. Tum omni metu soluti arma deponunt, & omnes uestes exuunt, & toto corpore nudi in fluuium se demittunt. Erat autẽ æstus, & illi cùm essent natandi studio dediti, tum ut calorem depellerent, multò libentius atq; iucundius natabant, & magnam interim uim aquatilium testudinum manibus capiebãt. Speculator quidam hostium cùm illos equites uiginti egressos animaduerteret, multo maiores esse copias arbitratus est, quæ silenti agmine, ut fieri solebat, exirent, ut montes & syluas insiderent, ut ex insidiis in hostes incautos impetum facerẽt: illos uiginti, primi tantùm agminis partem esse credidit. Id igitur ad regem continuò detulit. Rex ducentis equitibus Hamelicẽ itinerum ductorem, eundem ipsum, qui Lusitanos speculatus fuerat, præfecit, eumq; iussit fluminis transitũ, quá eos transmissuros opinabatur, obsidere. Aliis ducẽtis equitibus alium fluminis aditum custodiri præcepit. Hamelix omnes uias, quib. illos ingressuros sperabat, oculis perlustrabat: & cum nulla uestigia reperiret, in fluuium se contulit. Non potuit Hamelix tanto silentio aciẽ ducere, quin ab Arzilæ speculatoribus conspiceretur. Itaq; ingentis tormenti ictu, qui foras exierant, admonentur, & qui in urbe se tenebant, æris sonitu ad arma uocantur. At natatores egregij cum tanta animi relaxatione atq; iucunditate ludebant, ut uix possent ullo tormentorum strepitu de periculo, in quo uersabantur, admoneri. Piscatio enim felicissimè procedebat, & alij in alios conuitia iaciebant: omnia clamorib. & risu immodico personabant, cùm repentè hostes apparent. Nostri hastas euellunt, & nudi in equos nudos insiliunt, & in urbem confugiunt. Hostes illos insequũtur. Lusitani interdum ita nudi ut erant, in hostes equos conuertebant, & eorum impetum, ut poterant, repellebant. Vnus tamẽ ex equo decidit. Antonius Coutignus (is fuerat Saracenus, & se ad Christi nomẽ & religionem aggregârat) ut equiti, qui deciderat, auxilium afferret, in hostem, qui reliquos antecesserat, impetum dedit, eumq; ex equo deturbauit, sociumq; iacentem manibus iuuit, ut faciliùs post se equi eiusdem tergo supersederet. IOANNES Coutignus, ut fugiẽtes exciperet, ex urbe cum instructis copiis egressus fuerat. Cùm igitur agmen nudũ cerneret, risu propemodum corruit. Deinde (erat enim urbanissimus) tam multa dicta dixit, & tam facetè in omnes lusit, ut omnes cachinnos tollerent. Factum uerò Antonij Coutigni multis laudibus celebrauit. Postremò autem adiecit, Ne cõmilitones nostri hoc cultu uirginibus, quibus inseruiũt, offensionem inferãt: par est, ut eos, antequam in urbem inuehantur, contegamus. Tum quilibet partem sibi uestium detraxit, qua sociorum corpora contegerent: & sic demùm in urbem cum omnium incidentium iocis ingressi sunt. Hamelix cùm casum illum Regi Fessensi nunciaret, magni illius & omniũ qui aderant risus consequuti sunt. Spolia deinde legit, nempe uestes, & parmas, & retia, frena, & ephippia, & unum equum: & sic demum Rex ille Mauritaniæ potentissimus, cum tam opulentis manubiis domum reuersus est. At Coutignus nudis uestem sumtibus suis præbuit, præcipuè uerò Antonium Coutignum munere donauit, & factum hominis publicè collaudauit, ut alios ad eiusdem uirtutis exẽplum acrius incenderet. Osorius lib. 12. rerum Em.

QVOMODO.

Modestè.

PLATO iuuenis tam compositus fuit, ut nunquam nisi modicè risisse deprehensus sit. Laertius lib. 3.

Effusè.

ANTONINVS Heliogabalus adeò inhonestè ridebat, ut publicè in Theatro solus audiretur. Lampridius.

Fictè.

Homerus Odysseæ υ. narrat è procis quempiã, CTESIPPVM nomine, Vlyssẽ arrepto è sportula bouis pede petiisse: cũq; ille capite deflexo declinasset ictum:

—μείδησε δὲ θυμῷ σαρδόνιον μάλα τοῖον.

Eustathius admonet eum ridere risum Sardonium, qui diductis modò labris rideat: cæterùm intus aut ira, aut molestia discruciatus. Veteres enim risum Sardoniũ uocasse, quoties aliquis despectim nõ solũ ridet, sed etiã irridet. Dictum autẽ παρὰ τὸ σεσηρέναι τὰ χείλη, i. à diducendo labia: quomodo ferè rident, qui apud sese perniciem alicui destinant. Quemadmodum VLYSSES mox sublaturus è medio procos, idque iam tũ in animo statuẽs, risit risum quendã subamarulentũ. A ca-

A canibus ducta metaphora, quibus hoc iræ indicium est, nudare dentes. Quem morem aiunt equis etiam inesse, si quando parent mordere: unde uulgò nunc risum huiusmodi, risum equinum uocant. Parasitus Plautinus conqueritur, quòd suis dictis nullo pacto iuuenes arrisissent, ac non saltem canes fuissent imitati, ut dentes ostenderent. Homerus Iliados ο de Iunone inquit:

—ἡ δ' ἐγέλασσε
χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη. id est,
Illa quidem labiis ridebat, nubila porrò
Frons minimè renidebat. Erasmus.

QVANDO.

In Ortu.

Solum, quando natus est, ferunt risisse ZOROASTREM Persarum regem, nec ei boni aliquid monstrosus risus ille portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor: quæ quidem illi nec ad præsentis uitæ uanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cùm esset ipse Bactrianorum rex, bello superatus est. August. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 14. & Solinus cap. 4. Polyhist.

In Morte.

Zenodotus in Collectaneis suis Aeschylum citat, qui huiusmodi fermè tradiderit in opere de Parœmiis: Gentem esse quandam Carthaginensium coloniam, quæ Sardonem regionem inhabitet: ei morem esse, SENES septuagesimum prætergressos annum Saturno sacrificare, ridentes interim, ac mutuo sese complexantes. Nam turpe ducebant, in funere aut eiulatum edere, aut lacrymas profundere. Hinc adsimulatum risum, Sardonium uocari cœptum. Timæus apud eundem Zenodotum ait, Sardoniis consuetudinem fuisse, ut filij PARENTES iam grandæuos iuxta fossam, aut præcipitium, in quo sepeliendi forent, collocarent, atque inde fustibus cædentes, in eam darent præcipites. At illi interim pereuntes ridebant, existimantes eam mortem felicem atque egregiam, quòd liberorum impietate interirent. Alij perhibent, apud Sardinios fuisse receptum, ut ex CAPTIVIS pulcerrimos quosque, ac natu maximos, qui septuagesimum excessissent annum, Satutno mactarent, ridẽtes in morte, propterea quòd id forte ac uirile uideretur. Erasmus in Adagiis.

Liuius lib. 21. scribit, SERVVM quendam barbarum, qui Hasdrubalem interfecerat, comprehensum à circũstantibus, facti nequaquam pœnitentem, inter cruciatus & tormenta semper ridentis speciem præbuisse.

Inter Sacra.

TIRYNTHII cùm φιλογέλωτες essent, & ob id à uicinis malè audirent, Delphicum oraculum consuluerunt. Respondit Pythia: ità tandem eos hoc malo liberari posse, si Neptuno taurum immolarent, & ἀγελαστὶ in mare proiicerent. Illi re deliberata, pueros omnes à sacrificio isto excluserunt, ne quam occasionem ridendi haberent. Sed cùm fortè puer quidam sese cœtui intermiscuisset, & seriò absque risu omnia administrari uideret, nouitate rei perterritus, uultum & ipse tetricum finxit. Quam prosopopœiam astantes admirati in maximum cachinnum effusi, reipsa ostenderunt, ὡς ἄρα πολυχρόνιον ἦθος ἀμήχανον ἐστὶ θεραπευθῆναι. Hæc ex Athenæo Eustathius Odyss. σ.

In Lectione.

CLAVDIVS Cęsar cùm primùm historiam, quam conscripserat, frequenti auditorio commisisset, & initio recitationis defractis compluribus subselliis, obesitate cuiusdam, risus exortus esset: ne sedato quidem tumultu temperare potuit, qn ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnosq; reuocaret. Suetonius.

In Acroasi.

Euripides, cùm, canticum quoddam docente ipso, concentum factum VNVS risisset: Nisi tu stipes, inquit, & truncus esses, modos canente me, cum Lydiis mistos, non rideres. Plutarchus de Audiendo.

HELIOGABALVS ridebat sic nonnunquam, ut publicè in theatro solus audiretur. Lampridius.

VBI.

MYSON Strymonis F. Cheneus genere, à uico quodam Laconiæ, Apemanti & Timonis moribus fuit, hominum osor, ut qui in solitudine solus riserit. Cumq; à quodam, qui fortè interuenerat, rogaretur: Cur præsente nemine risisset? At ob hoc ipsum rideo, respondit. Laertius.

CVR. OB

Stultitiam.

CLEOMENES rex, Sophista quodam de fortitudine disserente, effusus est in cachinnos. Qui cùm diceret: Quid cachinnaris Cleomene, dum de fortitudine dicentem audis, idq; qui rex es? Quia, inquit, hospes, de ea si etiam hirundo diceret, idem facerẽ: si aquila, planè quiescerem. Plut. in Apophtheg.

Astum.

Cùm Darius aduersus Saccas expeditionem suscepisset, RISACES equiso sibiipsi nares & aures abscindẽs, ad Persas trãsfugit: atq; sic à Saccarũ regib. se tractatum clamauit, quòd si Persæ per compendia uiarum se ducem uindictæ cupidissimum sequantur, Saccas imparatos debellari posse. Persæ creduli, per uastas solitudines Risacem sequuntur. Tandem chiliarchus Rhanosbates dolum suboratus. Quamobrem, inquit, regem magnum decipere statuisti & in locum omni aqua carentem Persas deducere, unde neque progrediendi neque reuertendi potestas conceditur? At ille complosis manibus in cachinnum effusus: Vt à Saccis ciuibus meis periculum depellerẽ, inquit, siti ac fame Persas enecaui. Chiliarchus confestim Risaci caput abscidit. Polyæn. lib. 7. Iustinus ex Trogo.

Iocum.

Passalus & Achemon fratres latrones à matre Semnone cauere iussi sunt, ne quando in Melampygũ, hoc est, eum qui nigro esset podice, inciderent. Multo pòst tempore cùm HERCVLEM sub arbore dormientem & arma in eandem reclinantem inuenissent, propriis armis eum aggredi tentarunt. Ille ꝓtinus sentit insidias, & correptos ac uinctos de claua à tergo suspẽdit, leporum ritu, capitibus deorsum demissis. Illi cùm Herculis posticum nigris pilis horridum uiderent, materni moniti memores, ea de re inter se cõfabulabantur. Quod simulac audisset Hercules, hoc cognomine delectatus, & in risum effusus, eos uinculis solutos dimisit. Plut. in libello de Discrimine amici & adulatoris.

Annibal ad Cannas, acie instructa, hostes ex molli cliuo iam in ordines eũtes speculabatur. Ibi cùm ex comitib. Giscon, admirari se diceret tantas hostium copias, fronte Annibal contracta: Aliud Gisco, inquit, fugit te, eo magis mirandum. Quidnam illud esset, requirente Gisone: Quòd nimirum tanto in numero, inquit, ne unus quidem sit, qui Gisco uocetur. Hoc dictũ nec opinantibus oblatum, OMNIBVS risum mouit. Itaque de cliuo digredientes, ut quisque occurrebat, illum narrarunt iocum: tantusque per multos motus risus est, ut qui Annibalem comitarentur, continere se non ualerent. Quod POENIS cernentibus animum confirmauit, ex magno & insigni contemtu motum arbitrantibus eum risum, ut etiam ipse instante dux discrimine iocos cieret. Plut. in Fabio.

Vltionem.

Iliad. β. Thersites turpissimus animo ac corpore, tumultuãdo, maledicendo, ac sese iactando Vlyssem concitans, ab eoq; uerberatus, OMNIBVS risum mouit:

Quantumuis mœstis, suauem tamen omnibus ille
Elicuit risum.—

Et apud intẽperantes procos, Irus mendicus fingitur cum Vlysse præstantissimo uiro palæstra congredi, ipsaque in actione fit ridiculus. Plut. de Aud. poëtis.

Sardonium risum Homerus Iliados η. tribuit AIACI Telamonio, singulare certamen ineunti,

Τοῖος ἄρ' Αἴας ὦρτο πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν,
Μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασιν. id est,
Sic ingens Aiax surgebat murus Achiuûm,
Terribili ridens uultu. Erasmus in Adagiis.

Tyrannidem.

C. CALIGVLA lautiore cõuiuio effusus subitò in cachinnos, Coss. qui iuxtà cubabant, quídnam rideret, blandè quærentibus: Quid, inquit, nisi uno meo nutu iugulari utrumq; uestrûm statim posse? Suetonius in Caligula.

Defensionem.

Epaminondas ob Bœotarchatum diutius quàm lex sineret gestum, capitis accusatus, in iudicium uenit, nihil eorum negauit, quæ aduersarij crimini dabant, neque recusauit, quò minus legis pœnam subiret: sed unum ab iis petiuit, ut in sepulcro suo inscriberent, Epaminondas à Thebanis morte multatus est, ꝙ eos coẽgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se imperatorẽ nemo Bœotiorũ ausus fuit aspicere. In acie quoq; uno prælio, nõ solùm Thebas ab interitu retraxit, sed etiã uniuersam Græciã in libertatẽ uindicauit: eoq; res utrorumq; perduxit, ut Thebani Spartã oppugnarẽt, Lacedæmonij satis haberẽt, si salui esse possent: neq; prius bellare destitit, ꝗ̃ Messena cõstituta, urbẽ eorũ obsidione clausit. Hæc cũ dixisset, risus OMNIVM cũ hilaritate coortus est, neq; quisquã iudex ausus est ferre suffragiũ. Sic à iudicio capitis, maxima discessit gloria. Probus in eius uita.

Metum inanem.

Quum anno 1536. Carolus V. Imper. & Galliæ rex Franciscus hortatu Pauli III. Pont. ad Nicæam Prouinciæ, ducis Sabaudiæ urbem, perpetuæ pacis ineundæ gratia uenturi crederentur: & Cæsariana classis in Villafranchæ portu consisteret: nonnulli sub meridiem egressi, ut maria prospectarent, densam nubem fumi instar in altum eleuatam con

ſpexere, rati plerique eſſe ſignum aduentantis Turcicæ claſſis. Compertum tandē eſt, à uillico eam nubem excitatam fuiſſe, in area fabarum aceruum cribrāte & uentilante. Quo cognito, omnes ex ſumma trepidatione in riſum inconditosq; cachinnos ſoluti fuêre, ſicut ipſorū PRINCIPVM & DVCVM, intellecta præproperæ credulitatis contumelia, non obſcurus pudor mentes perfunderet, atque is inauditæ trepidationis inanis metus iocoſis omnium ſermonibus celebraretur. Iouius lib.37. Hiſt.

Repulſam.

PÆDARETVS Spartanus, cùm non eſſet inter trecentos allectus, qui ordo in ciuitate erat dignitate primus, hilaris ridensque digrediebatur. Reuocatum autem Ephori rogauerunt, quid rideret? Quòd congratuler, inquit, ciuitati, quę ciues me habeat trecentos meliores. Plut. in Apophtheg.

Legimus C. Gracchum in ambiendo magiſtratu repulſum, aduerſus INIMICOS inſolētius ridentes inclamaſſe, eos Sardoniū ridere riſum, ignaros quàm magnis tenebris ex ſuis actibus circumfunderentur. Eraſmus in Adagiis, ex Plut.

Cladem hoſtium.

EDOARDVS III. Anglorum rex inter ſacra, ſtatim prorupit in riſum. ac interrogatus, Ecquid eſſet? reſpondit, ſe uidiſſe Dacos infeſtis armis Angliam inuadere, ac continuò prætoria naue demerſa, in Daciā contendere. Id quod paulò pòſt accidit. Polyd. lib. 8.

Fortunæ inſtabilitatem.

HANNIBAL cognita cæde Haſdrubalis fratris, & clade totius exercitus, compoſito uultu conditionem humanam riſiſſe fertur.

IDEM cùm iniquiſſimæ pacis leges à Romanis præſcriberentur Carthaginenſibus, flentibus reliquis ſolus riſit Plutar.

Agareni Italiam ſub Ludouico Pio Imp. uaſtantes, eius ductu, & Baſilij Imp. Conſtantinopolitani ope breui ſunt fuſi, eorumque dux SOLDANVS captus, toto anno Capuæ in captiuitate delituit, nunquam ridere uiſus, quoad ſemel uidit rotam currus circumuolui, & imam partem nonnunquā in altum erigi: Sic, inquit, res uertuntur humanæ, quod ſine cachinno neſcio explicare. Et fortè ego, qui ad ima detruſus iaceo, exurgam quādoq;, & denuò regnabo. Cedrenus.

NON RIDERE.

QVI.

ANAXAGORAS Clazomenius philoſophus per totam uitam nunquam riſit. Aelianus lib. 8.

ARISTOXENVM ualde à riſu abhorruiſſe, ſcribit Aelianus eodem loco.

PHOCION Athenienſis à nemine ridere uiſus uel lacrymari. Plut. in Apophthegmatibus.

M. CRASVS Licinius, auus eius, quem rapuerunt bella Parthica, nunquam in tota uita riſiſſe fertur: ideoque etiam Agelaſtus nuncupatus eſt. Plin. lib. 7. cap. 29. & Solinus cap. 4. Polyhiſt. Alij ſemel tantùm riſiſſe tradunt, cùm aſinum uidiſſet carduos comedentem. Vnde prouerbium, Similes habent labra lactucas. Cic. Tuſc. quæſt. lib. 9. ex Lucil. & lib. 5. de Fin.

M. CATO Cenſorius nunquam in uita riſiſſe dicitur. Vol. lib. 13. cap. 2. Antrop.

NERVAM Imperatorem omnium laude dignum Apollonius Tyaneus apud Philoſtratum ſe nunquam ridentem neque ludentem uidiſſe aſſerit. Cuſpinianus.

Iul. Philippus Imp. ex uxore Seuera filium iuniorem PHILIPPVM genuit, quem Sextus Aurelius Gallum Iulium Saturninum appellatum ſcribit: qui agelaſtos fuiſſe, hoc eſt, irriſibilis traditur, & adeò ſeueri ac triſtis animi, ut iam tum à quinquenni ætate nullo prorſus cuiuſquam commento ad ridendum ſolui potuerit: patremque quondam in ludis ſecularibus petulantius cachinnantem (quanquam adhuc tener) uultu notauerit auerſo. Hic patre Veronæ cæſo, Romæ à prætorianis occiſus eſt. Cuſpinianus.

VBI.

Apud ATHENIENSES in Academia ridere prohibitum erat, quia ab iniuria & ignauia purum & inacceſſum hunc locum ſeruare conabantur. Aelian. lib. 3. de Var. hiſtor.

CVR. OB

Spectra.

Agelaſti reddebantur, QVICVNQVE in Trophonij ſpecum oraculorum cauſa deſcenderant apud Trœzenios. Hinc adagium, In Trophonij antro uaticinatus eſt: in hominem triſtem & ſeuerum. Ariſtophanes in Nubibus,

Ὡς δέδοικ' ἐγώ
Εἴσω καταβαίνων ὥσπερ ἐς τροφωνίου. id eſt,
Vt uidelicet horrui,
Haud aliter, ac ſubiens ſpecum Trophonij.

Eraſmus in Adagiis.

Scurrilitatem.

Athenæus libro 14. narrat ANACHARSIM philoſophum, Scytham, quum in conuiuium inducerentur homines ad riſum mouendum edocti, ſolum omnium non riſiſſe. Tandem quum inducerentur ſimiæ, cœpit ridere. Rogatus cauſæ, Hæ, inquit, natura ſunt γελωτοποιοί, illi fingunt. Eraſmus in Adagiis.

Calamitatem.

IOANNES Gallorum rex in Pictonibus ab Edouardo Edouardi III. Anglorum regis F. captus, anno 1356. & in Anglia regio more habitus, cùm equeſtri ludicro intereſſet, & frontem exporrigere rogaretur, dolorem quàm maximè poterat premens, fertur ſubridendo illud propheticum iam celebre carmen repetiſſe, Quomodo cantabimus canticum in terra aliena? Polyd. lib. 19.

HENRICVS I. Anglorū rex Francorū proceres contra Ludouicum Craſſum regem ſollicitabat, iuuabat, armabat. Ac ut undique Craſſum premeret, cum Henrico IV. Cæſare fœdus icit: eique unicam filiam Mathildem in ſpem regni deſpondit. Cæteri enim eius liberi, Gulielmus, Henricus (Ricardus aliis) Sibylla (aliis Euphemia uel Maria) cùm tranquillo mari ex Normannia ſoluiſſent, in medio curſu atroci exorta tempeſtate, naufragio periere. Sobole iam orbus, in mœrore reliquum uitæ tranſegit, nec unquam poſtea ridere uiſus. H. Boethius lib. 12. & Aemilius lib. 5.

Præſentiam uirorum grauium.

Tanta Areopagitis SENATVI ab omnibus ciuibus habita reuerentia eſt, ut in conſpectu eorū ridere nefas exiſtimarint. Cùm enim producto, inquit Aeſchines, in concionem ex Timarchi decreto Areopago, magnus riſus populum, neſcio qua de cauſa, eſſet complexus, tum Pyrrhander increpans populum, quæſiuit, cur non riſum Areopago præſente continerent? Illi uerò reſponderunt: Non ignoramus, ô Pyrrhander, non oportere in horum præſentia ridere: uerùm tantæ ſunt ueritatis uires, ut omnes hominum ſuperent rationes. Sigonius libro tertio, de rep. Athen.

NATVRALIS FACVLTATIS NOTAE.

CIBI AVERSATIO, Abſtinentia.

Conſiderans IONATHAS filius Sauli, nequitiam patris ſui contra Dauide, ſurrexit à menſa in ira furoris ſui, & non comedit panem illa die. 1. Reg. 20.

DVX Mediolani bellum contra Florentinos gerebat. Cùm ei aliquando non ſatis felix nuncius aduenıſſet, turbatus mente, allatis ad menſam epulis, cùm ſapores neſcio quos improbaſſet, accitum cocum ueluti ignarum artis aſperè increpauit. Tum ille, Si Florentini, inquit, tibi guſtum atque appetitum auferunt, quæ mea eſt culpa? & cibi enim mei ſapidi ſunt, & ſumma arte compoſiti: ſed te nimiùm calefaciunt & appetitum auferunt Florentini. Riſit ille, ut erat humaniſſimus, coci facetam in reſpondendo libertatem. Poggius in Facetiis.

LACRYMAE, FLETVS.

QVI FLEVERINT.

In genere.

DAVID Iudæorum rex, uir ſanè fuit optimus, & uerum eſſe prouerbium fecit, ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Præter exempla uaria, ipſe de ſeipſo inquit, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis. Pſalm. 6. Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte. Potum nobis dabas in lacrymis, in menſura. Poculum meum cum fletu miſcebam. Pſalm. 14. & 79. & 101. Deus uitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Pſalm. 55. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, & ad lacrymas meas ne ſileas. Et alibi: Ploremus coram Domino, qui fecit nos. Pſalm. 94.

Dominus noſter IESVS Chriſtus, agnus immaculatus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, lacrymas ter fudiſſe dicitur, riſiſſe nunquam. Fleuit Hieroſolymam uallo inimicorum circumdandam, funditusque diruendam: id eſt, animam uitiorum ſeptam multitudine, diaboli prædam futuram. Fleuit in monumento fœtentem Lazarum, hoc eſt, peccatorem longa delinquendi aſſuetudine mortuum, & ſcelerum putredine corruptum, de quo dicitur: Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Et flendi ergo nobis exemplum reliquit, & cur flere debeamus, ſimul monſtrauit. Fleuit etiam in cruce, quādo ſeipſum pro mundi peccatis hoſtiam offerebat: ut ait Paulus, Preces cum lacrymis & clamore ualidè offerens. Heb. 5. Marul. lib. 4. cap. 1.

MARIA Magdalena legitur ter fleuiſſe. Primò, pro peccatis ſuis ad pedes Domini: ſecundò, pro morte fratris: tertiò, pro paſſione Domini. Ioan. 11. & 20.

PAVLVS apoſtolus cùm ualediceret fratribus, Vos ſcitis, inquit, qualiter uobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum humilitate & multis lacrymis. Per triennium nocte & die non ceſſaui cum multis lacrymis, monens unumquemque ueſtrûm. Actor. 10. Cum lacrymis ſcribebat epiſtolas ſuas. ait enim: Nam ex multa tribulatione & anguſtia animi ſcripſi uobis per multas lacrymas. Multi ambulant, quos ſæpe dicebam uobis: nunc autem flens dico. Philipp. 3.

HERACLITVS philoſophus ad omnem hominum occurſum fleuiſſe dicitur. Dolebat enim nihil ſani eſſe in uita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. Sabel. lib. 5. cap. 2.

D. MARTINVS lacrymis ita abundabat, ut pro detrectatorū quoque ſuorum peccatis flere ſoleret. D. Bern. in feſto eius.

CVR. PVTA

Ex Gaudio.

IACOBVS in Meſopotamiam profectus, obuiam habens Rachelem conſobrinam ſuam, præ gaudio fleuit. Gen. 29.

ESAVS collum Iacobi fratris ex Meſopotamia redeuntis complexus, & oſculans eum, fleuit. Gen. 33.

IOSEPHVS fratribus ſuis ſeſe poſt multas ambages agnoſcendū præbens, cum fletu in hæc uerba prorupit: Ego ſum Ioſeph. Irruens inde in collum Beniamini fratris, fleuit, & oſculatus, plorauit ſuper ſingulos fratres. Idem cùm aſcendiſſet obuiam patri fleuit, & ſuper patre mortuo iterum fleuit. Gen. 45. 46. & 50.

SAVLVS rex audiens uocem Dauidis qui pepercerat ei, eleuata uoce fleuit. 1. Reg. 24.

RAGVEL cognoſcens Tobiam iuniorem, cum lacrymis oſculatus eſt eum, & plorauit ſuper collum eius. Tobiæ 7.

Exurgens cæcus TOBIAS, occurrit filio ſuo redeunti, & ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum uxore ſua, & cœperunt flere præ gaudio. Tob. 11.

Veniens GABELVS ad domum Raguelis, uidens Tobiam iuniorem diſcumbentem, fleuit, & benedixit eum. Tobiæ 9.

Cùm reædificaretur templum à IVDÆIS qui redierunt de Babylone, non poterat quiſquam agnoſcere uocem clamoris lætantium, & uocem fletus populi. 1. Eſdr. 3.

AESON reuerſo è Chironis Centauri ſchola Iaſone filio, apud quem per XX. annos fuerat, lacrymans eum excepit apud Pindarum ode 4. Pythiorum,

ἐκ δ' ἄρ' αὐτοῦ πομφόλυξαν
δάκρυα γηραλέων γλεφάρων·
ἂν ἑὰν ψυχὰν ἐπεὶ
γάθησεν, ἐξαίρετον
γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν.

Ex illius inſtar bullarum deſtillabant lacrymæ ſenio confectis palpebris: quoniam ex animo gauiſus eſt impensè, pulcerrima longè mortalium conſpecta prole.

PTOLEMÆVS Philadelphus miſſos ad ſe LXXII. interpretes cum ſacris Bibliis honorificentiſſimè excepit, & lacrymis etiam obortis ſuum gaudium teſtatus eſt. Ioſephus libro 12. capite ſecundo Antiquitatum.

M. Minutio Magiſtro equitum ex hoſtium ui erepto opera Q. Fabij Max. Dictatoris, in lætitiam tota caſtra effuſa ſunt, ut præ gaudio MILITIBVS omnibus lacrymæ manarent. Plutarchus in Fabio.

M. Cato minor Trib. mil. creatus, & in Macedoniam ad Rubrium prætorem miſſus, ita ſe accommodauit militibus, ut gloriam & beneuolentiam & eximium honorem ſtudiúmque MILITVM aſſecutus ſit: adeò ut expleta militia, non uotis eum, neque præconiis, ſed lacrymis complexibusque proſecuti ſint, ſubſternentes in uia, qua pergebat, ueſtes, manusque eius deoſculantes. Plut. in eius uita.

Ob Peccata.

ISRAELITÆ omnes peccatum ſuum deflētes, loco nomen dederunt, ut Bocchos diceretur. Iudicum cap. 2.

Cùm audiſſet IOSIAS rex Iuda, comminationes in tranſgreſſores legis ſcriptas in libro legis Domini, ſcidit ueſtimenta ſua, & fleuit. 4. Reg. 22.

Cùm audiſſet NEHEMIAS miſerabilem ſtatum Hieroſolymorum, fleuit diebus multis, & ieiunauit, & orauit ante faciem Dei cœli. Nehem. 1.

Orante ESDRA, & flente, propter commixtionem populi Gentilis cum Iudæis, collectus eſt ad eum cœtus grandis uirorum & mulierū: & fleuit populus multo fletu. 1. Eſdr. 10.

IVDÆI ex captiuitate Babylonica reuerſi, cùm librum legis ab Eſdra ſacerdote lectum audiuiſſent, ob tranſgreſſiones ſuas plorabant. At Leuitæ eos monuerunt, ne plorarēt, cùm feſtus is dies Domino eſſet, ſed lautè epularentur, & lætitiam agitarent. 2. Eſdræ 8.

Poſt negationem tertiam cùm gallus ceciniſſet, & Chriſtus miſericordiæ oculis PETRVM aſpexiſſet, egreſſus foràs, fleuit amarè. Luc. 22.

BASSIANVS Imper. apud Aelium Spartianum lacrymabatur, quoties aut mentio fieret, aut imagines uideret Getæ fratris, quem ceciderat. Eraſmus in Adagiis.

SERAPION eremita, errore Anthropomorphitarum infectus, cùm aliquando Photinum diaconum de imagine illa Dei & ſimilitudine, ad quam Gen. 1. homo conditus ſcribitur, diſputantem audiuiſſet, reliquit ſuam de corporali Dei forma opinionem phantaſticam. Verùm cùm paulo pòſt in gratiarum actionem exurrexiſſet, ſenſit inter precandum ex corde ſuo elabi atque euaneſcere eam quam oraturus Anthropomorphi imaginem ſibi proponere conſueuerat. Conſternatus igitur mente, prorupit in amariſſimos fletus: inſuper & humi procidens, hanc maximo eiulatu lamentabilem edidit uocem: Heu me miſerum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, uel quem adorem aut interpellem iam neſcio. Caſſianus cap. 3. collat. 10.

Ob Obliuionem.

Scotiæ inſulæ accola fuit IOANNES Suiſſet, cognomento Calculator: in cuius ſolius unius argumēti ſolutione, quod contra experimentum eſt de actione mutua, tota laborauit poſteritas: quem ſenem admodum, nec inuenta ſua dum legeret intelligentem, fleuiſſe referunt. Cardanus de Subtilitate, libro de Scientiis.

Ob Senium.

Apud Ouidium lib. 15. Metamorphoſeon:

—Fletq; MILO ſenior, cùm ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidarum more ferarum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in ſpeculo rugas adſpexit aniles
TYNDARIS, & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.

Ob Mortem ſuorum.

Sciſſis ueſtibus IACOBVS indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum Ioſephum, reuera autem à fratribus uenditum, quaſi à fera laceratum. Gen. 37.

DAVID rex Abnere à Ioabo perfidè interfecto, funus illius comitatus, magnum coram omni populo ploratum edidit. 2. Reg. 3. Interfecto Amnone filio ab Abſolomo, propter conſtupratam Thamarem, cum ſuis omnibus ingentem fletum edidit, filiumque ſuum Amnonem quotidie deplorauit. 2. Reg. 13. Cùm Abſolomum in conflictu cæſum cognouiſſet, tanto luctu correptus eſt, ut exercitus in urbem furtim intrare, non triumphantis, ſed fugientis ſpecie cogeretur. 2. Regum 18.

ASSYRII principes ingentem fletum & clamorem ediderūt, & ueſtimenta ſua diſcerpſerunt, quādo Olofernis truncum ſine capite in lecto repererunt. Iudithæ 14.

Cùm ueniſſet Petrus Ioppen, circumſteterunt eum omnes VIDVÆ flentes, & oſtendentes ei tunicas & ueſtes, quas faciebat illis Dorcas. Quorum precibus motus, uitæ eam reſtituit. Actorum 9.

Ἀδειν τὸ Τελαμῶνος, id eſt, Canere cantionem Telamonis, de querulo ſermone dictum prouerbium, quòd TELAMON impotentius fleuerit, Aiacem filium periſſe apud Troiam. Eraſmus in Adagiis.

PERICLES filio Paralo mortuo coronam imponens, quod in reliqua uita nunquam fecerat, erupit in eiulatum, & magnam uim profudit lacrymarum. Plut. in Pericle.

Darius uictus ab ALEXANDRO Magno ad Gaugamela, in Parthienen intendens, à Beſſo Bactrianæ præfecto capitur, aureisque compedibus uincitur: aduentante autem Alexandro, cùm fugere nollet, ſed Alexandri fidem imploraret, iaculis ab ipſo conficitur. Per Polycratem Macedonem huius rei Alexander factus certior, ad eum uidendum accurrens lacrymis temperare nequiuit, demtaque ſibi chlamyde iacentis corpus contexit, regioque more funerauit. Sabel. lib. 6. Ennead. 4.

D. AVGVSTINVS mortua matre Monica cohibebat iuuenili robore lacrymas, ut neque in ipſo funere ullum ſignum doloris ederet, neque ante funus, ſed cum amicis conferebat de rebus neceſſariis: magnum interim ſub pectore dolorem premens. Poſt funus item in balneum iuit. Poſt ſomnum cùm magna ex parte dolorem mitigatum cognouiſſet, paulatim matris uitam examinans, in lacrymas erupit uberrimas. Teſtis ipſemet lib. 9. Confeſs. c. 12.

Vni Curiatiorum deſponſata fuerat Horatiorum SOROR. Hæc poſtea quàm ſponſi ſpolia in uictore fratre conſpexit, ab eodem fratre, quoniam fleuit, occiſa eſt. Auguſtinus lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 14.

NVMERIANVS, q comes patri Caro Imp. bello Perſico fuit, nimio

nimio fletu ob paternam necem sibi oculos corrupit. Cuspinianus.

Ob Mortem brutorum.

VLYSSES mortuo cani illacrymatus est: sed uxori assidens ploranti, fuit ab eo motu remotus. Huc enim contulerat se consilio frenata, quam antè represserat, ægritudine: in illum incautus atque repente nec opinãs incidit. Plutarchus de Tranquil. animi.

Paulus Aemylius domum ex foro reuersus, filiolamque reperiens TERTIAM lacrymantẽ, causam requisiuit. Quæ cùm diceret: Perseus nobis mortuus est (catellus fuit ita dictus) Quod felix faustumque sit, inquit, filia accipio omen. Plut. in Apohthegmatibus.

Q. HORTENSIVS murænam, quã in deliciis habebat, mortuam fleuit.

Ob Nuncium triste.

Fleuit EZECHIAS rex, audito mortis nuncio sibi per Esaiam prophetam oblato, fletu magno. 4. Regum 20.

Ob Defectionem.

DAVID rex audiens Absalomum F. Hebrone contra se conspirasse, cum suis omnibus Hierosolymis nudis pedibus excessit, plorans & cinere caput conspergens. 2. Regum. 15.

Ob Calamitatem, Cladem suam, suorúmue.

IOBVS de seipso inquit, Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in uocem flentium. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Iob. 30.

DAVID rex exul, cùm Sicelegam Amalechitæ expugnassent, duas uxores Dauidis cum magna præda captiuas abduxissent, reuersus, tantum edidit ploratum, ut iam lacrymæ deficerent. 1. Regum 20.

HIEREMIAS propheta euersis à Nabucodonosoro Hierosolymis ait: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Hier. 9. Vide Threnos eiusdem.

Audiens NEHEMIAS miserabilem statum ciuitatis Hierusalem, fleuit diebus multis: tandem consilium adhibuit & auxilium oportunum. Nehem. 1. & 2.

HERCVLES extremis malis oppressus, apud Euripid. in Hercule furente, sic ait:

> Ἀτὰρ πόνων δὴ μυρίων ἐγεύσάμην,
> ὧν οὔτ' ἀπεῖπον οὐδὲν, οὔτ' ἀπ' ὀμμάτων
> ἔσταξα πηγάς, οὐδ' ἂν ᾠόμην ποτὲ
> ἐς τοῦθ' ἱκέσθαι, δάκρυ' ἀπ' ὀμμάτων βαλεῖν.
> νῦν δ', ὡς ἔοικε, τῇ τύχῃ δουλευτέον.

Sed enim labores infinitos gustaui, quorum nihil omnino detrectaui, neque ab oculis stillaui fontes: neque credidissem unquam eò uenturum, lacrymas ab oculis ut eiicerem. Nunc autem, ut apparet, fortunæ seruiendum est.

Phalancho Spartano coloniam deducturo, Delphis oraculum redditum est, cùm sub Aethra pluuiam animaduertisset, tunc se agri & urbis compotem fore. Cùm classem in Italiam applicuisset, uicissetque Barbaros, neque tamen uel urbe uel agro ullo potiri posset, oraculum è re nata interpretatus est, quasi impossibile esset sereno cœlo (quam Aethran Græci uocant) pluere. Hunc uxor multis modis cõsolata, & eius caput genibus aliquando sustentans, dum pediculos legit, lacrymas super uiri caput largiùs effudit. Tũc primùm euolutæ sunt oraculi ambages. AETHRÆ enim uxori nomen fuerat. Ea itaque nocte, quæ diem illum insecuta est, Tarentum hostium urbem maritimam maximam & opulentissimam cepit. Pausanias in Phocicis.

Capta à Cleomene Megalopoli, cùm id ARATO Sicyonio Achæorum prætori, qui cum Antigono rege Aegij consilium habebat, nunciatum esset, conscenso suggestu faciem chlamyde integens diu fleuit. Mirante autem concione, atque ut diceret, conclamante: Megalopolis, inquit, à Cleomene euersa est. Tum conuentus euestigiò dissipatus est, Achæis celeritate & mole attonitis calamitatis. Plutarchus in Cleomene.

GILIMER Vandalorum rex, à Belisario uictus, in montem Papuam præruptissimum confugit. Ibi à Phara Belisarij duce obsessus, petijt ab eo, ut sibi citharam, & panem unum, ac spongiam mittere uellet. Dubitante Phara, quid sibi uellet: tabellarius ostendit, Gilimerem cupere panem uidere, quòd nullum uidisset, ex quo Carthagine excidisset: spongia autem ad abstergendas ùti lacrymas: citharam requirere, ad decantandas suas miserias. Pharas omnia illa ei misit. Procopius lib. 4. Vandalico, & Cedrenus.

MAXIMILIANVS I. à Brugẽsibus, tributorum exactionem iniquè ferentibus, captus, & urgentibus Gandauensibus, qui primi seditionem mouerant, de capite periclitatus, aut ne in manus Gallorum traderetur, in concione Brugẽsium lacrymas ante uerba fudit, sic ut commiseratione regiæ fortunæ plerique collacrymarentur, & sanctè pollicerentur, nihil se in illum grauiùs commissuros. Cranzius libro decimotertio, cap. 9. Saxoniæ.

Ob Seruitutem.

Tryzus tyrannus adeò uexauit suos, ut legem etiam ferret, ut nemo cum altero neque priuatim neque publicè sermones misceret: postea etiam, ne oculorum manuumque gestibus & nutu animi sensa mutuo significarent. QVIDAM desolationem illam ægrè molesteque ferens, in forum progressus est, ibique stans, cùm multas lacrymas effunderet, reliquam etiam multitudinem ad fletum permouit. Id cùm tyrannus in forum procurrens prohibere uellet, à ciuibus interfectus est. Aelianus lib. 14. de Varia historia.

Secundo bello Punico uicti à Romanis CARTHAGINENSES, annuum stipendium populo Rom. usque ad certum tempus soluere tenebantur. Cùm uenisset prima pensionis conferendæ dies, & ingemiscerent omnes ad uocem tributi, ferunt Annibalem commotum inutili lamentatione Pœnorum risum effudisse, quòd in leuiore malo copiosiores effunderent lacrymas, quàm antea, cùm Romani ad Zamam uictores, classem, arma, & amplissima spolia ipsis detraxissent, uictisque leges imposuissent. Auctor uitæ Annibalis.

Ob Exilium.

DANIEL propheta lugens, trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedit, & caro & uinum non introierunt in os eius. Danielis 10.

AGATHOCLES Syracusanorum tyrannus senex, ubi nullam amplius regni spem reliquam superesse uidit, THEOGENAM uxorem & liberos, quos ex ea tulerat, adhuc pueros, cum omni pecunia & regali instrumento, nauibus impositos in Aegyptum dimisit, unde uxorem duxerat. Diu coniunx reluctata dicitur, charitate uiri commota. Filij nauem conscensuri flebili eiulatu patrem amplexi tenebant: Theogena & ipsa maritum, ut nunquam amplius uisura, oculis fatigabat. Nec senis lacrymæ minus erant miserabiles. Flebant pueri morientem patrem: ille exules liberos. Est enim statim regis mors proficiscẽtes secuta. Sab. lib. 8. En. 4.

Ex Commiseratione.

AGAR ab Abrahamo domino expulsa cum filio Ismaele, præ nimia siti penè examinatum puerum derelinquens, ne morienti adesse cogeretur, ubertimè fleuit. Genes. 21.

Pugnaturi ISRAELITÆ contra filios Beniamin, fleuerunt coram Domino. Iud. 20. Et postmodum habita uictoria, fleuerunt propter excidium fratrum suorum. Iudicum 21.

ELISEVS propheta uidens Azaelem regem Syriæ coram se, cœpit flere, propter mala quę ille erat illaturus Israelitis, regno Syriæ occupato. 4. Reg. 20.

XERXES Persarum rex in Abydenis campis, cùm partem multò maximam Orientis subiectam haberet oculis sub signis stantem, lacrymas emisit: testatus, non se felicitatem flere suam, quòd tot gentibus imperare contigisset, sed tot hominum sortem: qui cùm innumeri essent, ad breue tempus aut fato aut alia ui essent omnino defuncturi. Herodotus libro 7. Valer. Max. lib. 9. cap. 13.

HOMINEM Laconicũ, sed ruri agentẽ quidam obiurgauit, quòd prorsus fletui & lacrymis ex intimis uisceribus manitibus indulgeret. At is liberè, reiectaq; omni dissimulatione respondit: Quid facerem? inquiens. non enim ego, sed natura mea mihi luctum excutit. Aelianus lib. 9.

HERACLITVS res humanas perpetuo fletu prosequi solitus erat. Erasmus in Adagiis.

Agis Lacedæmoniorum regum postremus indicta causa ab ephoris damnatus, cùm conspiceret, dum ducitur ad laqueum, ex MINISTRIS quendam flentem: Mitte tu me, inquit, deflere. Etenim ego, qui ita nefariè & uiolenter pereo, præstantior sum interfectoribus. Ita fatus, collum ultrò laqueo obtulit. Plut. in Apophthegmatibus.

ALEXANDER Magnus, cùm Darium regem ad Gaugamela uictum, & à Besso satrapa perfidiosè iaculis confixum uidisset, dicitur lacrymis temperare nequiuisse, demtaque sibi chlamyde iacentis corpus contexisse: postremò regio more funeratum, reliquias corporis maiorum tumulis inferri iussisse. Plutarchus auctor est, corpus ab Alexandro ad matrem, quæ Susis erat, missum. Sab. lib. 6. En. 4.

Alexander Macedo, cùm uictis Persis, in Indiam expeditione suscepta, triginta mille puerorum exercendos & instituendos reliquisset, & uirili eos corpore ac specie decora inuenisset, debiles & inutiles milites remisit domum. MACEDONES ferentes id iniquè, missionem omnes flagitare ceperunt. Inde concitatus Alexander frendensque, Macedonibus amotis, corporis sui custodiam Persis commisit. Videntes hoc Macedones, cum clamore & plangore inermes & tunicati ad regis tabernaculum deprecandi gratia contendunt: Vteretur saltem ipsis quasi improbis & ingratis. Ille uerò quamuis iam placatior non admisit eos. Non abscesserunt illi: sed duos dies & noctes ita pro tabernaculo eius lamentantes, dominumque appellantes, perdurauere.

Tertio die prodiit: ac cùm lamentabiles abiectosque uidisset, in lacrymas longo spacio est effusus. Inde modicè castigauit eos, tum appellauit humaniter, & dimisit inutiles, ubi eos magnificè donauit. Plut. in Alexandro.

Cùm Alexandri Magni pedibus Darij regis mensa supponeretur, ut in sella altiori commodiùs sederet: in adstantium turba SPADO tantam fortunæ uarietatem considerans, animo affectus lacrymari cepit. Alexander hominem cùm interrogasset fletus causam: ille, In præsentia quidem, inquit, tuus sum seruus: sed cùm priùs Darij fuerim, naturaq; domi nos meos diligere soleam, non potui non dolere, rem quæ tantopere ab illo honorabatur, abs te nunc contemtui haberi animaduertens. Diod. lib. 17.

Cùm Timophanes dux mercenariorum, multis principibus ciuitatis Corinthiorum indicta causa necatis, tyrannum se declararet: TIMOLEON frater primò solus eũ à proposito dehortari cepit. At cùm nihil proficeret, adsciuit sibi ex necessariis fratrem uxoris Timophanis Aeschylum, atq; ex amicis uatem, atque paucis pòst diebus iterum fratrem adiit, & tunc saltem resipisceret, inuerteretque se, obsecrauit. Sed cùm eos Timophanes irrideret, recessit paululum Timoleõ à fratre, obuolutoque capite lacrymabundus constitit. Illi strictis gladiis hominem confestim obtruncarunt. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

Arete filia Aristomaches, Dionis Syracusani uxor, pulso eo in exilium, Timocrati nubere cogebatur. Reduci uerò Dioni, pulso Dionysio, Aristomache socrus, cum Arete flens occurrit, filiamque his uerbis admonuit: Miseræ, exule te, Dion, fuimus. Redux uerò & uictor omnibus nobis mœstitiam detraxisti, extra quam uni huic, quàm aspexi ego misera uiuo te alteri uiro coactam nupsisse. Quando igitur arbitrium tibi fortuna nostri dedit, quomodò dispensas ei illam necessitatem, ut auunculum ne te, an etiam ut uirum salutet? Ad ea DION profusis lacrymis excepit uxorem indulgenter, traditoq; ei filio iussit ei domum suam concedere, ubi ipse quoque agebat. Plut. in Dione.

ALEXANDER Pherensium tyrannus maximè truculentus Theodoro tragico poeta acri animorum affectu & commiseratione Aeropem agente, lacrymas profudit, surgensque de theatro recessit. Causam Theodoro reddens, quòd puduisset ipsum histrionis incommodis & affectionibus misericordem uideri, suis uerò ciuibus & subditis non item. Aelian. lib. 4. de Var. hist.

M. MARCELLVS Syracusis captis, florentissimæ urbis commiseratione fleuit. Augustinus libro tertio de Ciuitate Dei, cap. 14.

P. SCIPIO Africanus, ubi Carthaginem penitùs excisam uidit, illacrymasse dicitur, rerumq; humanarum haud immemor, Homericum illud cum fletu protulisse:

> Iamq; dies aderit quo concidat Ilion ingens,
> Et Priamus Priamiq; ruat plebs armipotentis.

Astabat tum fortè illi Polybius, eius studiorũ comes ac preceptor, qui ab eo sciscitatus, Ecquid poëticum illud sibi uellet? Romam, respondit, de qua humanis rebus pensatis, non possum non esse sollicitus. Sab. lib. 9. En. 5.

Victo ad Thermopylas Antiocho, M. Attilius Glabrio consul Naupactum, quam Aetoli tenebant, obsidebat. Miseratus T. QVINTIVS Flaminius legatus Græcos, transmisit ex Peloponneso ad consulem, obiurgans eũ quòd relictis multis gentibus & regibus, qui à Macedonibus in ditionẽ redigerentur, ad unam desideret ciuitatem. Deinde obsessis, ut ex muro Quintium conspexerunt, implorantibus opem eius, & manus tendentibus precantibusq;: nullo dato responso, conuertit se, & lacrymabundus discessit. Plut. in Flaminio.

L. LVCVLLVS bello Mithridatico Amasum urbem nobilissimã ad mare Ponticum sitam expugnauit. Quàm cũ sub primam militum irruptionem, hostium consilio insensam, seruare nõ posset, dedit illius excidio lacrymas, questus quòd non ut Syllæ Athenas, ita sibi Amasum seruare licuisset. Ex Plut. Lucullo Sab. lib. 4. En. 6.

M. CATO uictis ad Dyrrachium Cæsarianis, cadauera cæsorum intuitus ciuium, temperare à lacrymis non potuit. Plut. in eius uita.

TITVS Vespasianus euersis Hierosolymis recordatione splẽdoris pristini lacrymas tenere non potuit, & diris deuouit seditiosos Iudæos, qui intestinis dissensionibus se ad excidium tantæ urbis uel inuitum compulissent. Iosephus lib. 7. cap. 24. belli Iudaici.

Mahometes II. Turcorum rex mortuus, anno 1481. duos reliquit filios, Baiazetem II. & Zizimum. Horum nomine Byzantij confestim tumultuatum est. Circa Iconium à fratre penè circumuentus Zizimus, naui subitò conscensa ad Rhodios aufugit: & à litore paululum progressus, literas ad fratrem dedit, sagittæ alligatas: se non fidei, non gentis odio, sed fratris iniuria subactum ad Christianos fugam intendere, hosque aditurum, qui omnium maximè Othomanico essent nomini infensi. BAIAZETES eâ epistola fertur commotus lacrymis temperare nequiuisse, animoque consternato tabernaculum ingressus aliquandiu tacitus sedisse, amenti similis. Sabellicus lib. 8. Ennead. 10.

Ex Aemulatione.

Iudæi cum Zorobabele templum Domini restaurantes, cum cymbalis & tubis Deum laudabant læti. Sed multi SACERDOTVM, qui prius templum uiderant, flebant ingenti uoce. Itaque fletu lætitiæ commixto ingens strepitus edebatur. 1. Esdræ 3.

C. IVL. Cæsar cùm in Hispania legeret per otium Alexandri historiam, diu secum cogitabundus sedit, inde lacrymas profudit. Mirantibus causam amicis, dixisse fertur: An non uidetur nobis gemendum, cùm hac ætate Alexander tot iam regna subegerit, me nihil dum gessisse præclari? Plutarchus in Cæsare.

Ex Pudore.

AGAMEMNON rex, Iliados ι. Græcorum concioni reditum in patriam Iouis auctoritate suasurus, contra animi sententiam,

> ἵστατο δάκρυ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,
> ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ,

Phocion de Atheniensibus optimè meritus, cùm suæ fidei creditum Nicanorẽ Cassandri ducẽ, qui Munychia occuparat, dimisisset, & ad Polyperchontem Antipatri ducem secessisset, missus est à populo Agnonides rhetor, qui eum cũ amicis accusaret. Rex Atheniensibus causæ cognitionem permisit. Reduxit ergo Phocionem cum amicis Athenas Clitus, ubi capitis damnatus est. OPTIMATES ciuitatis Phocione conspecto, qui octogesimum annum superabat, & quinque & quadraginta præturas cum laude administrarat, rubore perfusi sunt, capiteque deiecto lacrymas profuderunt. Plut. in Phocione, & Aelianus lib. 12.

Ex Precatione, Deprecatione.

IPHIGENIA Aulidensis apud Eurip. supplicans patri Agamemnoni ne se mactari sinat, ait:

> Εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον,
> πείθειν ἐπᾴδουσ', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι πέτρας,
> κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν οὓς ἐβουλόμην,
> ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον· νῦν δὲ τἀπ' ἐμοῦ σοφὰ
> δάκρυα παρέξω· ταῦτα γὰρ δυναίμεθα.

Siquidem Orphei haberẽ, ô pater, facundiam, persuadendo incantans, ut sequantur me saxa, & delinire quos uellem dictis: in hoc uersarer. Nunc autem pro mea uirili, sapientes lacrymas præstabo: hæc enim possumus.

ISRAELITÆ in deserto flagrantes desiderio carnium, flentes dicebant, Quis dabit nobis carnes ad uescendum? Numer. 11.

Stetit IVDITHA ante lectum Holofernis, orans cum lacrymis, ut Deus id, quod cogitabat, perficere dignaretur. Iudith. 13.

BETHVLIENSES obsessi ab Oloferne, cùm maxima siti premerentur, in concionem coiuerunt, ibique maximum edidere ploratum, & Dominum pro auxilio inuocarunt. Iudith 7.

Mithridates Eupator Ponti rex audita Pharnacis F. defectione, uenenum miscere cœpit, quod ad similes casus in capulo ensis gestabat inclusum. Aderant illi duæ FILIÆ, quæ reliquæ ex omnibus apud illum educabantur, MITHRIDATIA & NYSA. Hæ cum lacrymis ad pedes patris prouolutæ, suppliciter precabantur, ut si uitæ exitum quæreret, sui fati comites amantissimas traheret filias, priusque utranque tolleret, quàm de se aliud statueret. Pater lacrymis uictus, exitiale uirus ambabus impertiuit. Sabell. libro quarto, En. 6.

Ex Ira.

Eiulatu magno fleuit ESAVS, quòd benedictionem patris sibi præripuisset frater Iacobus. Gen. 27.

Apud Aeschylum septem ARGIVORVM duces fœdere inito contra Thebanos:

> φίλοις ἄρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον δάκρυ
> λείβοντες, οἶκτος δ' οὔτις ἦν διὰ στόμα.
> σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων
> ἔπνει, λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων.

Adrasti tumulũ manibus coronarunt, lacrymas fundentes: luctus nullus erat in ore. Bellicosus enim animus fortitudine ardens spirabat, tanquam leonum, Martem tuentium.

Ex Indignatione.

Flebant AMICI Susannæ, cùm uiderent presbyteros aduersus eam testimonium proferentes. Ipsa etiam flens suspexit in cœlum. Danielis 13.

C. GRACCHVS, cùm leges agrarias ab eo latas Opimius cõsul antiquare uellet, iamq; ad seditionem manifestam res specta-

spectaret, foro digrediens substitit ante patris statuam, diúque eam intuitus nullum uerbum fecit: tantùm lacrymis effusis atq; edito gemitu abscessit. Id multi spectantes misereri uicem Caij cœperunt: ac semet ipsi culpantes, quòd deserent & proderent eum, profecti sunt domum eius, ubi ad fores excubuerunt. Plut. in Caio.

Cùm Tiberio Graccho Tribuno legem agrariam ferenti OCTAVIVS collega aliquoties sese opposuisset, nec à proposito dimoueri posset, legem tulit Gracchus, qua Octauio Tribunatus abrogaretur, populumq; adstipulantem hac in re habuit. Sed ne infamia ista Octauio inferretur, aggressus est illum ex integro Tiberius precibus, conspiciente populo, supplexq; rogauit, uti cederet. Quibus precib. lacrymas quidem Octauio expressit, constantiam tamen flectere non potuit. Plut. in Tiberio.

Q. Cæc. METELLVS amicorum literis factus certior, Numidiam C. Mario consuli plebiscito datā, illacrymasse dicitur.

C. MARCIVS Coriolanus in exilium abiens tacitus illacrymauit. Plutarchus.

C. IVL. Cesar traiecto Rubicone, pro concione fidem militum flens ac ueste à pectore discissa inuocauit. Suetonius.

FERDINANDVS rex Neapolitanus, cum audisset Alexandrum VI. Pp. renunciatum, uxori suæ cum lacrymis, à quib. uel in filiorum morte abstinere consueuerat, significauit, eum creatum esse pontificem, qui toti Christiano orbi perniciosiss. esset futurus. Guicciardinus lib. 1.

QVOMODO.

Verè.

EPHIALTES Athenis Demostrati nomen deferre coactus est. Huius filius erat Demochares, ob formę pręstantiam ab Ephialte amatus. Qui cùm patris ergò eum accessisset, quò parcius eius criminib. insisteret: uenientem neq; repellere, neq; supplicem genibus suis ad uolutum intueri sustinuit: sed operto capite flens & gemens preces expromere passus est: nihiloq; minus sincera fide accusatum Demostratū damnauit. Val. Max. lib. 3. cap. 8.

Fictè.

Bacchius quidam Corinthius, Clytij Megarēsium regis filiam uxorem duxerat. Ea defuncta Clytius complures VIRGINES & adolescentes Corinthum misit: qui in funeralibus pompis puellam deplorarent, lacrymis utique fictis:

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Erasmus in Adagiis.

QVANDO. IN

Spectaculo.

Cæsare interfecto, cùm Brutus exul desperata semel rep. Italiam statuisset relinquere, ac per Lucaniam pedestri itinere Eleam ad mare uenisset: inde Romam PORCIA eius uxor reditura, comprimere nitebatur animi dolorem: uerùm fortem alioquin pictura quædam detexit. Ea argumentū Græcum continebat, quemadmodum prosecuta sit Hectorem Andromache, & receperit ab eo filium suum, oculis autem fuerit in illum defixa. Hanc Porcię spectanti, expressit sui affectus imago lacrymas: & crebrò indies ad eam commeans flebat. Cùm uerò Acilius quidam Bruti amicus Andromaches ad Hectorem uerba Iliad. ζ recensuisset:

Ast Hector pater es mihi tu, ueneranda q; mater,
Tu frater mihi, tu florens ætate maritus:

subridens Brutus: Atqui mihi, inquit, non uenit in mentem ad Porciam Hectoris uersus fari,

Tu præscribe tuis telas & pensa puellis.

Nam corporis quidem eius indoles paria ac nos facta non assequitur: animo uerò æquè strenuè pugnat pro patria. Plutarchus in Bruto.

Opere, Labore.

ARSENIVS abbas dum opus faceret, semper lacrymabatur. Marul. lib. 3. cap. 9.

Oratione, Precibus.

☞ *Vide Titulum, Preces ad deum.*

D. AVGVSTINVS circa XXX. ætatis annum contrariis cogitationum fluctibus agitatus, uxorem ne duceret, an cœlibatu religioso tantùm sese diuino cultui manciparet: quorum hoc religionis studium, illud consuetudo pristina multum licet reluctanti suadere uidebatur: solus sub fici arbore prostratus habenas dolori dimisit, & flumina lacrymarum emisit. Et tu Domine usquequò? Vsquequò Domine irasceris in finē? Ne memor fueris iniquitatum nostrarū antiquarum. Tandem uoce incerta confirmatus, carnis illecebris protinus ualedixit. Testis ipsemet lib. 8. Confess. cap. 12.

LACRYMAE NVLLAE.

DAVID rex noluit flere pro filio paruulo mortuo, sed fleuit pro infirmo. lib. 2. Regum 12.

VLYSSES mortuo cani illacrymatus est, sed uxori assidens ploranti fuit ab eo motu remotus. Huc enim contulerat se consilio frenata, quam antè represserat, ægritudine: in illum incautus atque repentè nec opinans incidit. Plutar. de Tranquillitate animi.

Dido Vergiliana AENEÆ duritiem incusans, ait:

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas uictus dedit, aut miseratus amantem est?

PSAMMENITVS uel Samnietus Aegyptiorū rex, à Cambyse regno exutus fuerat. Eius filiā ancillari ueste indutā, cum aliquot nobilium uirginibus, Cābyses mitti iusserat ad hauriendam aquam, ut hoc spectaculo patentum captiuorum animos discruciaret. Cæteris lacrymantibus, solus Psammenitus nihil motus, demisit tantùm oculos. Mox iussit duci filium illius, cum aliis plurimis eiusdem ætatis, uinctis ceruicibus, & ore frenato. Atque hoc etiā spectaculo solus Psammenitus ad lacrymas commotus non est. Idem quum uidisset familiarem quendam exutum opibus, mēdicantem obambulare: ingenti fletu hominem amicum compellans, caput suum barbarico more cædebat. Ea re cognita, quū Cābyses per nuncium causam sciscitaretur, cur in liberorum calamitate tacitus, unius seniculi calamitatem tam impotenter ferret? respōdit: Fili Cyri, domestica mala grauiora sunt, quàm ut lacrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad summam inopiam redactus est, idque in extremo senectutis limine. Herod. lib. 3.

CARTHAGINENSES suos ipsi liberos Saturno immolabant. Liberis qui carebant, hi comparabant à pauperibus pueros, sicut agnos uel pullos auium, eósque mactabant. Assistebat rigida sine gemitu mater ἀστένακτος, ἀδάκρυτος. Si ingemuisset uel illacrymata esset, fraudabatur precio, neque puer minus immolabatur. Plut. de Superstitione.

CRATESICLEA à Cleomene rege Spartanorū filio suo, in Aegyptum obses ad Ptolemæum regem, auxilia contra Antigonum Macedonem pollicentem, mittenda, cùm Tænari nauē conscensura esset cum liberis Cleomenis, seduxit Cleomenem remotis arbitris in fanum Neptuni. Ibi complexa deosculataq; mœrentem & commotum: Age, inquit, rex Lacedæmoniorum caue, ubi foras egressi erimus, quisquā nos lacrymantes cōspiciat, aut quid Sparta indignum admittentes. Hoc enim in arbitrio nostro est unū: casuum uerò, prout permiserit Deus, erit exitus. Sic fata, uultu composito perrexit ad nauem puerum tenens, iussitque gubernatori, ut properè solueret. Plut. in Cleomenem.

PHOCION Atheniensis à nemine ridere uisus uel lacrymari. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Gerardo D. Bernardi Clarçuallensis fratre mortuo, cuius cura & solicitudine negotia totius cœnobij præclarè administrabantur, BERNARDVS ipse mœrorem dissimulauit, siccis oculis ad tumulū stetit, solitas in eum precationes sacerdotali habitu compleuit, terram suis manibus iniecit, flentibus omnibus & mirantibus quòd non fleret ipse, qui tamen iustissimas haberet lugendi occasiones. Ille uerò qui fidei uiribus reluctabatur affectui, dolorem in eo sermone, quē 26. in Cantica Canticorum instituerat, supprimere amplius nō potuit, sed docta & pathetica oratione & defuncto gratulatus est, & suam defleuit miseriam.

Hieronymi Cardani Mediolanensis philosophi matertera TOMAXINA, cùm coniugem & duos filios ac filias totidem peste amisisset, & neque flere aut lamentari ex more uoluisset, uerecundia sororij patris sui uiri grauis & asperi, repentè magno edito crepitu disrupta intùs mortua cecidit. Cardanus de Subtilitate, libro de Hom. natura.

Mirabile est, non posse MAGOS, quocunque tandem dolore tormentorum opprimantur, lacrymam unicam oculis emittere: quo signo Germani iudices, uelut præsumtione certissima, mulierē Sagam esse arguunt. Nam procliues ad lacrymandū esse mulieres nemo nescit: uerūtamen Sagas cōpertū est nunquam lacrymari, utcunq; oculos sputis conentur madefacere. Bodinus lib. 3. cap. 4. Dæmon.

Antonius Lonanensis regius uicarius apud Ribemontenses, unam Sagarum (de quibus cognouit) in iure confessam narrauit, SAGARVM dexterum solummodò oculum ternas lacrymas eijcere. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 4.

SPVTVM, EXPVITIO.

Apud Israelitas si leuir glorem suam, mortuo fratre, in uxorem ducere noluisset, illa coram iudicibus calceum ei detrahebat, & in faciem eius inspuebat. Deuteron. 25.

Exspuere in medium, uel in dexteram sui partem, ESSENI deuitant. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici.

Apud PERSAS non solùm exspuere, & emungi, & flatus plenos uideri, turpe ducitur: sed etiam uel meiendi, uel alterius alicuius eiusmodi rei gratia euntem aliquò palàm cōspici. At enim hæc præstare non possent, nisi & modico nutrimento uterentur, & humorem laborando ita consumerent, ut aliò quopiam secederet. Xenophon de instit. Cyri lib. 1.

Quod hodie manet in uulgi moribus, ut si quid audiant execrandum, quod sibi nolint euenire, despuant uelut abominātes: id hæsit ex VETERVM superstitione, qui sibi persuaserant desputationem esse remedium aduersus imminentia mala, præcipuè aduersus morbum comitialem (cui non hinc tantùm est nomen inditū, quòd in hominum frequentia sæpius oboriatur, uerumetiam quòd prohibeat comitia fieri) & in admouendis remediis ter expuere habebatur salutare. Simili superstitione contra improbæ spei fascinum ter in sinum expuebatur. Erasmus in Adagiis. De eo sic Plinius lib. 28. cap. 4. scribit: Si quem pœniteat ictus eminus cominusúe illati, & statim expuat mediam in manum, qua percussit, leuatur ilicò percussus à pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim à tali remedio correcto animalis ingressu. Quidam uerò aggrauant ictus, ante conatum simili modo saliua in manum ingesta.

EXCRETIO, VOMITVS, Lotij emissio.

Præ Ira.

ALEXANDER Seuerus Imp. si iniquos iudices casu aliquo uideret, commotione animi choleram stomacho euomebat, toto uultu inardescente. Lampridius.

Præ Indignatione.

NERVA Imp. usqueadeò abstinuit ab omni cruoris effusione, ut cùm ab eo poscerentur ad exitium Domitiani percussores, tantum sit conterritus, ut neque uomitum, neque impetum uentris posset differre. Cibum enim sæpe reiectabat, ita ualetudinarij erat stomachi. Cuspinianus.

Præ Metu.

ARATVS Sicyonius instante prælio præ timore excrementa emittere solebat, teste Plut. in eius uita.

HORATIVS lib. 1. Sermonum, Satyra 8. Canidiæ & Saganæ ueneficarum sacra magica se uidisse scribit, & præ timore crepitum uentris emisisse:

Nam quantum displosa sonat uesica pepedi
Diffisa nate ficus.

Vulgò circumfertur ORATORIS cuiusdam ad Germanum principem missi, anxietate extorquente, prudentia condiente, facetum dictū. Verba facturus coram principe & gynæceo, præ pudore & consternatione crepitum uentris, sic ut aures omnium impleret, emisit. Omnibus oborto risu, uirginibus præsertim, ille mente recollecta, ut extemporali ioco solœcismum admissum corrigeret, Nesciebam ego, inquit, mihi à principe meo adiunctum fuisse prodromon & anteambulonem. Sed quando ille anticipauit, esto sanè. Vos, si ita uidetur, ô Virgines, huic hospiti, per uices pari applausu excepto primū respondete: mox ego ea, quorū causa ueni, exequar. Maiore hîc cachinno exceptus, orationem porrò tam elegantem subiunxit, ut nouo potiùs hoc more beneuolentiam captare uoluisse, quàm metu perturbatus oppedisse uideretur.

CONVERSATIONIS NOTAE.

CONVERSARI.

☞ *De Conuersatione etiam sub loco Exercitationis. item sub loco Honorifici occursus, congressus. Hic ut Animi affectuum nota est.*

QVI.

Populi. Commercia gentium.

☞ *Conuersatio gentium mutua, uel pacis est, uel belli. Pacis quidem, partim religione, partim mercimonijs. Sic Persæ, Scythæ, Bactriani bellis Orientalibus innotuerunt, Romani Occidētalibus. Sic Phœnices & Aegyptii mercaturæ celebritate uniuersum orbem repleuerunt. Maximum tamen ad conuersandum momentum habet locus ipse, utputa si regio maritima sit, ut cōmodè in omnes nationes excurrere possint. Hæc causa est, cur de Iudæis, qui continentem Asiæ habitabant, Phœnicibus à maritimis secludentibus, Græci historici nullam fecerint mentionem: neque prius Romanos fama cognouerint, quàm eorum arma sensere: cùm tamen tempore Herodoti & Tucydidis Romana ciuitas multis iam esset uictoriis nobilitata. Iosephus lib. 1. contra Appionem.*

Probi cum Improbis.

In aula Achabi regis Israelitarum sceleratissimi ABDIAS uir pius fuit procurator domus regiæ, qui Iezabele regina prophetas omnes persequente, eorum centum in speluncis absconditos pane & aqua aluit. 3. Regum 18.

IORAMVS rex Iudæorum ab uxore Aethalia Achabi Israelitarum regis filia seductus est, & uestigia Iosaphati patris iustissimi reliquit. 4. Regum 8. & 2. Paralip. 21.

Improbi cum Probis.

Saulus misit lictores ad capiendum Dauidem, morantem cū Samuele & alijs prophetis. At ILLI prophetare cœperunt. Venit Saul, & prophetauit ipse quoq; cum eis. 1. Reg. 11.

VBI.

Domi, in Domo eadem.

AELII sedecim in eadem domo Romæ habitabant, tanta concordia, atq; si una familia esset.

ROMANIANVS & D. AVGVSTINVS, oratoriæ doctor, communicipes, cum quibusdam alijs amicis, numero ferè decem, Mediolani uitam communem uiuere instituerāt, turbulentas humanæ uitæ molestias detestati: sic ut bonis suis in medium collatis, una res familiaris ex omnib. conflaretur, & singulis annis bini œconomiæ præessent, cæteris quietis. Verùm cùm hoc consilium mulierculæ, quas quidam ipsorum habebant, neq; dimittere uolebant, non uiderētur laturę, irritus fuit conatus. Augustinus lib. 6. Cōfessionum cap. 14.

BRASILIENSES una in domo (sunt enim lōgissimæ) multi simul habitant. Et ij inter se fraternè agunt, libenterque alij pro aliorum, qui cum illis uiuunt, salute uitam in quoduis discrimen inijciunt. Osorius lib. 2. rerum Em.

Peregrè.

☞ *De Peregrinatione copiosius sub loco Exercitationis. Patriæ uti per se bonum est: ita patria cedere, per se malum, per accidens interdum bonum. Proinde coloni, qui aliò migrant, quoniam è patria migrant, seruitutis quādam speciem quo ad locum subire uidētur: quæ tamen ipsa alio respectu ad libertatem referri potest. Nam uel sponte migrant, uel coacti. Sponte, uel propter patriæ è qua proficiscuntur incōmoditatē, uel propter regionis in qua proficiscuntur commoditatem. Patriam fugiunt, tum quo ad locum qui sterilis est, pestilens: tum quo ad eos qui locum inhabitant, quorum multitudinem terra alere nequit, quorū religionem mores' ue abominantur. Vide Tit. Exules populi. Regionem peregrinam petunt, tum Imperii acquirendi, conseruandi, propagādi' ue causa (huc Tit. Respub. coloniis illustres) tum Vitæ commodorum gratia, ut fertilitatis, opulentiæ, de quibus sub loco Diuitiarum, Regiones acquisitæ. Coacti uerò emigrant uel ab hominibus eiecti abducti' ue, uel à feris pulsi. Quorum exempla aliquot sub Titulo, Seruitutis auctores hostes, feræ. item, Regiones belluis infestæ, connumerabuntur.*

Vt hominum, ita quoq; nationum quædam uagabundæ & errabundæ reperiuntur, per uniuersum terrarum orbem dispersæ. Tales olim fuere LELEGES, PELASGI, CAVCONES, GALLI. Eustathius Iliad. β. Et euersis Hierosolymis, in hodiernum usq; diem IVDAEI.

Est Coloniarum deducendarum ratio quadruplex. Aut enim incolæ uiribus hostium expulsi sedes alias quærūt: ut Troiani post urbis euersionem in Latium: Hetrusci, qui & Tusci dicti sunt, à Gallis de Italia deiecti in Rhetiam colonias deduxerunt, unde appellatio prima Germanis Tuscorum: ita quoque Aegyptiorum colonia duce Danao in Græciam: Normanni in Galliam, Britanni ab Anglis pulsi ad litus Celticum: Phocenses tyrannide prefecti regis Persarum afflicti, in Celticam sedes mutarunt, ut Iustinus scribit, & omnium quæ unquam extiterunt, florentissimā Rempub. ut Tullius affirmat, instituerunt. Chananæi ex agro Palæstino ab Hebræis eiecti, in Illyricum & Pannoniam nauigarunt, ut Rabbi Dauid Kimhi ad finem Abdiæ testatur. Vandali Francorum armis coacti, in Hispaniam, hinc à Gothis pulsi in Africam transmiserunt: nec ita pridem Rhodij à Turcis fracti in Cretam migarunt: atque eius migrationis infinita sunt apud Pausaniam & Strabonem exempla. Alterum coloniarum genus deducitur, abundante multitudine, uel propter inopiam agrorum, aut intemperiem cœli: ut Scythæ ferè semper ab Aquilone in medias regiones cū infinitis legionibus concesserunt. Nam Cimbri, & Cimbrorum reliquiæ Aduatici, Nemetes, Vbij, Tungri, Vangiones, Sicambri, Saxones, Gothi, Longobardi, Gepidæ, Vandali, Pictones, Normanni (addit etiam Olaus, Getas, Alanos, Herulos, Hunnos, Turcilingos, Vuinulos, Rugios, Suecos, qui nunc Suisij uocantur) à Scandia in Europam inuasere. Quinetiam Procopius & Albertus Cranzius tradunt Sclauos ex eadem Scandia Iustiniani temporibus in Pannoniam irrupisse. Postea gens illa sui nominis ac linguæ fama Europam uniuersam impleuit. Sic enim audio

Polonos, Bohemos, Russos, Lituanos, Moscouitas, Bossinios, Bulgaros, Seruios, Croatios, Dalmatas, Vandalos, eadem Sclauorum uti lingua; quæ in Scandia usurpatur, ac sola dialecto differre. Consimiliter ab Asiaticis Scythię populis, Parthi, Turcæ, Tartari origines traxerunt. Tertium genus coloniarum imperij propagandi ac tuendi causa susceptum est, quo potissimùm usi sunt Romani, tum ut ciuitatem domestica seditione liberarent, tum etiam ut uictos populos in fide & obsequio retinerent. atq; hæc una causa est, cur imperium illud tam longè lateq; propagarint. Ita quoque Genuenses in Tauricam Chersonesum coloniam Theodosiam, quæ Capha dicitur, Veneti in insulas, Hispani in Americam & Indiam colonos deduxerunt. Postremũ genus coloniarum est in captiuis abducendis: ut cùm decem tribus Hebræorum primùm, deinde octogesimo pòst anno reliquiæ in Chaldæam abductæ sunt. Decem enim tribus huc illuc dispersæ in Asia feruntur. Tribus Iuda & Beniamin, ut reditum in patriam impetrarunt, sic sex centesimo pòst anno à Romanis in seruitutem rursus abductæ sunt, ac toto terrarum orbe ab ultimis Europæ ac Scythiæ oris in Africam & Asiam uniuersam diffusæ: qui exemplo nobis sunt, omnes populos coloniarum multitudine confusos: quòd hæc una gens his quoq; temporibus in Chaldæa, Parthia, India, Gallia, Græcia, Italia, Hispania, Germania, Africa, dispersa uideatur. Io. Bodinus Methodi hist. c. 9.

EXECESTIDES quidam uulgò malè audijt, quòd immodicus esset in peregrinationibus, ut omneis uias quàm maximè cognitas haberet. Hinc adagium de negocio perplexo atq; inexplicabili: Ne Execestides quidem uiam rectam inuenerit. Erasmus in Adagijs.

Aeschines apud Theocritum Idyllio 14. Cynissæ absentiam non ferens inquit:

χ᾽ ὤ,τι τὸ φάρμακόν ἐστιν ἀμηχανέοντος ἔρωτος·
οὐκ οἶδα. πλὰν σῖμος, ὁ τᾶς ἐπιχάλκω ἐρασθεὶς,
ἐκπλεύσας ὑγιὴς ἐπανῆλθ᾽, ἐμὸς ἡλικιώτας.
πλευσοῦμαι κἠγὼ διαπόντιος, οὔτε κάκιστος,
οὔτε πρᾶτος ἴσως, ὁμαλὸς δέ τις ὁ στρατιώτας.

Et quod nam sit remedium perplexi amoris, nescio. Verùm SIMVS, qui Epichalci filiam amauit, æqualis meus, post maris nauigationem sanus redijt. Ego etiam per mare nauigabo, neque pessimus, neq; primus fortassis, sed unus ex aliorum numero miles.

PLATO cùm esset Atheniẽsis, honesto apud suos loco natus, & ingenio mirabili, parum tamen putans perficiendę philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quã longè lateq; potuit peregrinatus est, quaqua uersum eum alicuius nobilitatæ scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Aegypto didicit, quæcunque illic magna habebantur atque docebantur, & inde in eas Italiæ partes ueniens, ubi Pythagoreorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus, facillimè comprehendit. Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem ferè in omnibus sermonibus suis faciens, etiam illa, quæ uel ab alijs didicerat, uel ipse, quanta potuerat, intelligẽtia uiderat, cum illius lepôre & moralibus disputationibus temperauit. Aug. lib. 8. de ciuit. Dei c. 4.

Terentia, Mecœnatis uxor, cũ Liuia Augusta de forma certare uoluit: iampridẽ enim Augustũ in sui amorẽ pellexerat. Dion in Augusto ait, AVGVSTVM ex urbe in Gallias profectũ, ut sermones, qui de se & Terẽtia ferebãtur, effugeret.

Paulò ante Pythia, quæ Plutarchi memoria sub Callistrato acta sunt, ex diuersis orbis terræ finibus uiri duo sancti Delphos concurrerunt, DEMETRIVS grammaticus, ex Britannia Tarsum recipiens se domum, & Lacedæmonius CLEOMBROTVS, diu in Aegypto & finibus Troglodyticis palatus, qui longè à mari Rubro naui est reuectus, nõ negociandi gratia, sed qui esset homo spectandi & discendi auidus, facultatesq; haberet lautas, & plus quàm satis esset non magnifaceret posside re, otium ea in re posuit, composuitque historiam uelut syluam philosophiæ, quæ theologiam, ut ille appellauit, finem propositum haberet. Plut. de Def. oraculorum.

D. AVGVSTINVS inscia matre Monica Romam rhetoricæ docendæ causa & gloriæ & quæstus ergò proficisci constituerat. Mater, quæ filium apud se retinere cupiebat, eum properè usque ad mare secuta est. Sed ille fefellit eam uiolenter se tenentem, fingens se amicum nolle deserere, donec uento facto nauigaret, inde cum ea reuersurum, nisi illa comes esse uellet itineris, persuasit, eique ut in loco, qui proximus naui erat, memoria B. Cypriani insignis, maneret per noctẽ. Sed ea nocte clanculo ille profectus est: ipsa aũt remansit orando & flendo, petens à Deo multis lacrymis, ne filium nauigare sineret. Testis ipse lib. 5. Confess. c. 8.

In Conuiuio.

GALLI & GERMANI, humanissimi in peregrinos sunt: quicquid uisendum in suis ciuitatibus habent, ostendunt, omneq; officium benignè exhibent. Sed peractis spectaculis, ubi diuersorium repetis, siue frigide, siue ardenter ipsos inuitas, faciles eos habes, nec opus est magna contentione precum. Nonnulli improbiores, se ultrò tuæ mensæ ingerunt, idq; magno numero, quos antea nec noueras, nec uideras, ijque non quia amici sunt, sed se amicos aliquando futuros sperant, pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum communia credunt, homines me hercle non malè ad uentrẽ philosophantes. Damianus Goes in Hisp.

NON CONVERSARI.
CVM QVIBVS. CVM
Ciuibus.

Omnes ferè Atheniensium principes tantum se ab inuidia putabant abfuturos, quantum à conspectu suorum recessissent. Itaq; CONON plurimùm Cypri uixit, IPHICRATES in Thracia, TIMOTHEVS Lesbi, CHARES in Sigæo. Probus in Chabria.

PERICLES Atheniensis, hominum conuictum & conuersationem fugit, ut nunquam etiam apud summos amicos conuiuia celebraret. Nimirum nullam aliam ob causam, quàm ne malorum hominum conuersatione suos mores in peius mutaret. Plut. in eius uita.

Peregrinis.

☞ *Consule Tit. Odium peregrinorum. quatenus uitiorum causa illorum conuersationem fugiunt.*

EPIDAVRII, cùm cernerent sceleratorum consuetudinem plurimùm bonis moribus officere, scirentq; Illyrios multorum uitiorum labe infectos, mercatoribus suis commeandi ad eos facultatem interdixerunt. Ne autem ijs commodis destituerentur, quæ Illyriorum regio afferre poterat: ætate grauem uirum inter Epidaurios deligebant, Poleten dictum, cuius fama moresq; probarẽtur, illum solum penetrare ad Illyrios sinebant: isque solus in emendis uendendisque rebus aliorum ciuium desideria explebat. Fulg. lib. 2. cap. 1. ex Arist. 3. Politicorum.

Viduis & Pupillis.

De moribus CLERICORVM lectum est edictum Valentiniani I. Imp. in ecclesijs III. Kalend. Augusti ad Damasum urbis episcopum missum: Ecclesiasticis, aut execclesiasticis, uel qui continentium se uolunt nomine nuncupari, uiduarum ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminẽtur iudicijs, si posthac eos affines earum, uel propinqui putauerint deferendos. Sig. lib. 7. Imp. occid.

Hostibus.

ATHENIENSIBVS quandoque lege cautum fuit, ne quis Atheniensium Megaram pedem inferret, multa capitis indicta, quòd odio eos prosequerentur perniciali. Alexand. lib. 4. capite 10.

VBI. IN
Balneo.

Tanta ROMANAE uerecundiæ obseruatio & morum exẽpla fuêre, ut nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauaret. Plutarchus in quæst. Rom.

Templo.

VICTORINVS rhetor Romanus eloquentissimus iam senex sæpe ad Simplicianum senem sanctiss. clam dicebat, Noueris me iam esse Christianum. Illo uerò respondente, Non credam neque numerabo te inter Christianos, nisi in ecclesia Christi te uideam. ridens ille dicebat, Ergóne parietes faciunt Christianos? Nimirum timebat amicos potentes quos habebat plurimos, idolorum cultores. Sed posteaquam illa Christi uerba hausit, negaturũ se eos coram patre cœlesti, à quibus coram hominibus negaretur: quodam die nihil minus expectantem Simplicianum secum ad Ecclesiam ire hortatus, fidem suam professus est palam de suggestu, quamuis id clam facere potuisset, cum maxima piorum congratulatione. Non multò pòst cùm Iulianus Christianis literas interdixisset, maluit ille scholam loquacem, quàm uoracem deserere. D. Aug. lib. 8. Conf. cap. 2.

Conuiuio.

AEGINETAE, qui bello Troiano meruerunt, frequentes in prælijs, plures in cursu ui tempestatis ceciderunt. Paucos ergo, qui reliqui erant, excipientes necessarij, cùm ciues alios in luctu esse & mœrore conspicerent, neq; exultare in propatulo ducerent oportere, uel dijs honorem habere, occultè & domi sospites epulis quisque comiter accepêre, atq; ipsi ministrauêre genitoribus, gentilibus, fratribus, & necessarijs, alieno nullo admisso. Hoc repræsentantes, Neptuno solenne faciunt, quod Thiasos dicunt: in quo dies sedecim soli silentio epulantur, nec interest seruus: inde sacro Veneri facto festum soluunt. Hinc dicuntur Monophagi. Plut. in quæstionibus Græcis.

Cùm

Cùm ad ITALORVM Hispanorũq; ciuitates ueneris, amicitia contracta, officiũ suum unusquisq; gratis offeret: quicquid dignum uisu sit, ostendet: circunspectis, uisisq; omnibus, te ipsi in hospitium tuum deducent. At si quenquam illorum, dum gratus esse cupis, in prandio, uel in cœna retinere uolueris, uix ab eis illud impetrabis, id præcauentibus ipsis, ne homini peregrino, & sumtui, & molestiæ sint. Tandem ex uiginti, si tot comites habueris, uix unum aut alterum retinebis, nec id efficies, donec clarè intelligant, ex animo, & non fictè, eos tibi conuiuas uelle. Damianus Goes in Hispania.

CVR. Causa
Pudoris.

Plutarchus in Pręceptis coniugalibus refert, Phidiam Heleorum Venerem ita finxisse, ut testudinem calcaret: tacitè significans, VXORIBVS domi manẽdum esse, silendumq;. Idem narrat, Aegyptijs hunc fuisse morem, ut nuptæ sandalijs non uterentur, ne uidelicet domo unquam prodirent.

Apud Romanos SPONSA ædium limen non transibat, sed transferebatur, sublata à deductoribus: ut significaret, neq; excessurã, nisi coactã. Eandẽ ob causam apud BOEOTOS axis currus pro ianua incendebatur: quasi semper ibi mansura esset sponsa, sublato curru, à quo abducatur. Plutarch. in quæst. Rom.

Maiestatis.

SABÆIS post constitutum regem, primus ex nobiliorib. iure gentis, ad successionem aspirat regni: cui hoc proprium est, ut extra septa ꝓdire non audeat, quò uenerationis plus inesset. Quòd si extra regiam conspicitur, lapidibus impetitur. Alex. lib. 4. cap. 23.

Odij.

☞ *Consule Inimicitia notas.*

Luctus.

☞ *Vide Tit. Luctus pro mortuis.*

Mortua Drusilla sorore, quam in modum iustæ uxoris CAIVS Cæsar propalam habuit, iustitium indixit, in quo risisse, lauisse, cœnasse cum parentibus, cum coniuge liberisúe, capitale fuit. Suetonius.

ACCEDERE, ADIRE, VISItare, Congredi.
QVI QVOS.
Pontifices & Reges.

Sanguinis ex imagine Crucifixi Saluatoris in Syria effusi portio delata Mantuam fuerat: eaq; multis editis miraculis omnium Christianorũ pectora incredibili religione persuaderat. Huius rei fama an. 804. cùm ad aures CAROLI Magni Imp. accidisset, LEONEM III. põtificem per literas obsecrauit, uti accuratè horum miraculorum ueritatem uellet ad liquidum explorare, & compertã sibi significare. Ob id Leo Roma egressus Mantuam Nouembri mense uenit, & re cognita, ad Carolum scripsit, cupere se illum, ubicũq; terrarum esset, conuenire, & cum eo Dominica Natalitia celebrare. Quo nuncio, Carolus excitatus, Carolum filium obuiam ei ad S. Mauricium misit, atq; ipse subsequutus Remos occurrit: ibiq; exceptum primò Carisiacum, ubi solẽne Natalitium actum, deinde Aquas perduxit, & post octo dies multis magnisq; munerib. prosequutus, per Baioariã in Italiam remisit, datis Rauennam usq; comitibus. Sigonius lib. 4. regni Italici.

CAESARES coronandi, priusquam urbem Romam ingredi antur, noctẽ unã in castris atq; tentorijs agunt: siue ut Pontifici dies cedat ad ꝓuidendũ, ne Cæsare ingrediẽte tumultus fiat: siue ut Cæsares urbis statũ explorãtes, tutiùs ingrediantur: siue aliqua cõsuetudine antiquã id introductũ est, quæ nunc pro lege habetur. Sic mansit etiã Fridericus III. cũ Imperatrice ante urbẽ, paucis ingrediẽtibus. Cuspinian.

Reges inter se. Regum congressus.

Cùm DIOCLETIANVS Imp. sæuam tyrannorũ in dies orientium libidinem ægrè ferret, consilia rerum agendarũ coràm sibi cum MAXIMIANO Herculeo cõmunicanda putauit, ac propterea illũ, Mediolanũ in Italiam è Gallia ut adiret, admonuit an. 289. nam se eò quoq; colloquij gratia è Pannonia conuenturũ. Vterq;, quacunq; iter fecit, frequẽtissimo populorũ longo eos interuallo uisere gestientium concursu exceptus est, præcipuè agricolæ concursare, inter se nunciare, aras ponere, thura adolere, hostias immolare, uina libare, deos laudibus gratijsq; cõcelebrare: usq; adeò ut passim fructus percipi expectatissimi triũphi potuerit. Erat iam tum Mediolanũ ea nobilitate, opulẽntia, publicorũ operum magnificẽtia, & ciuiũ inquilinorumq; frequentia prẹditũ, ut facilè secundũ à Roma dignitatis teneret, atque amplitudinis gradũ. Itaq; urbẽ ingressi, ambo ea põpę magnificentia, atq; occurrentis ciuitatis honore excepti sunt, qui maximus, ac splẽdidissimus adhiberi per ea felicissima Italiæ tẽpora potuit. Geminata inde maiestatis Augustalis pręsentia omniũ animos inusitata admiratione defixit. Ambo in eodẽ Palatio hospitati comiter eos, quib. Augustos salutare per dignitatẽ gradus licebat, duplicato maiestatis numine admiserũt. Vt uerò limine egressi per mediã urbẽ equis simul inuecti sunt, certatim uiri, fœminę, pueri, & ætate maturi, aut ꝑ fores in publicũ ꝓdierũt, aut per superiores ædiũ partes se proiecerũt; clarã ac libera inter se uoce rogãtes; Vides Diocletianũ, Maximianũq;? uides? ambo sunt, unã sunt, quàm inuicti sedent; quàm cõcorditer eloquũtur, quàm citò transeunt? Affuerũt ex omnib. urbibus honestissimæ legationes, sed in primis Roma lumina ipsa senatus, ac ciuitatis principes misit. nemoq; omniũ fuit, quin per eos dies Mediolanensiũ ciuitatẽ beatissimã duceret, quæ duos tantos, ac tã concordes Imperatores gremio cõplexa teneret. Cęterùm ipsi secretò inter se colloquuti fraterna inuicẽ officia præstiterunt, ille dona Persica, hic spolia Germanica ostendendo, ac summè in omni consiliorũ ratione concordes, præcipuè de Cæsaribus adiungendis inter se consenserunt, ut partẽ instantiũ bellorũ in eorum curã, sedulitatẽq; transferrẽt. Vbi uerò per aliquot dies unà fuere, tum eadẽ, qua uenerant, celeritate sese ad exercitus recepêre. Sigonius lib. 1. Occid. imperij.

VALDEMARVS Friderico I. Lubecæ occurrit. Cæsar eum amplexu atque osculo excipiens, dextra apprehensa, deposita chlamyde, per media castra perduxit, præconis more cunctos ei uia cedere iubens. Tentorio præ nimio multitudinis concursu collapso, planiciem campi petijt: ibíque sedandæ pressuræ gratia extenta uirga, quàm poterat, alta uoce cunctos locis suis considere præcepit. Valdemarus considere iussus, sellam suã se expectaturũ respondit, ne imperialis cathedræ honorẽ usurpare uideretur. Magnates nullo ordine, ut quenq; casus iactauerat, sedilia habebant: uultus militum conscensis inuicem humeris illum uidere gestiebant, hunc regem, hunc dominum, hunc imperio dignum asserentes, Cæsarem regulum homuncionemque uocantes. Imp. Valdemari Danorũ regis binas filias, totidem filijs suis, quorũ alterũ successioni imperij destinarat, alterum Sueuiæ satrapam constituerat, per legatos in matrimonium postulauit: non quòd sanguini suo bonæ fidei nuptias quæreret, sed ut Henricum Saxoniæ ducem hostem suum auxilijs spoliaret. Saxo lib. 15.

An. 1473. circa festum Michaelis, conuenêre Treueris, Imp. FRIDERICVS III. & dux Burgundiæ CAROLVS, eo splendore, quo nusquam uisus est princeps alius in apparatu armorum, in æstimatione uestium, & omni principali magnificentia. Medio quodam ad urbem itinere, descendens equo dux accidit Imperatori: ille leuauit ad osculum assurgentem. Deducit Imperatorem dux in hospitiũ. Longo desuper habito certamine, cessit urbe dux Imperatori: & propter exercitum, quẽ secum duxerat, foris in monasterio mãsit. Conuenêre crebriùs ad colloquium, palam quidem de bello in Turcum gerendo, deq; rebus Franciæ colloquuti: clam uerò inter eos agebãtur alia quædam. Carolum quidam putauere Imperij creandũ uicariũ, ut omnia, quæ trãs Rhenum ad Imperium pertinerent, reduceret. Per integrum mensem crebræ fuere principũ colloquutiones, crebra munera: sed longè superabant, quę dux Imp. largiretur, ditissimus & munificentissimus princeps. Tandẽ minori alacritate digressi quã congressi sunt uisi. Cranz. l. 13. Vuandal. c. 10.

Subditi Reges.

Apud PARTHOS regem adire uel salutare sine munere, nulli licitum erat. Alex. lib. 5. cap. 24.

Sani Aegros.

In pestilentia meniorat Thucydides EOS, qui unicè uirtutem sectabãtur, unà cũ affectis amicis interisse. Nam salutis suæ rationem, ut accederent ad necessarios suos, nullam habebant. Plut. de Amicorum multitudine.

Cùm C. Cassius Q. Ligarium in societatem coniurationis cõtra Cęsarẽ pertraxisset, eundem M. BRVTVS inuisens ęgrotum: Quali, inquit, tẽpore, Ligari, ægrotas? Ille statim cubito innixus, arrepta dextera eius: At ego, inquit, si quid te, Brute, dignum cogitas, ualeo. Plut. in Bruto.

Pontifex Monachos.

EVGENIVS III. Pp. an. 1148. Claram uallem, ubi paucis antè annis D. Bernardi discipulus monachus sederat, uisitauit, ac gloriã põtificatus Rom. insigni humilitate repræsentauit.

Monachi Monachos.

ANTONIVS monachus Pauli Thebęi eremitę latebras quærẽs, tertio demũ die dubia adhuc luce ꝓcul intuetur lupã, sitis ardorib. anhelantem, ad radicem mõtis irrepere. Quam secutus oculis, & iuxta speluncã, cũ fera abijsset, accedens, intrò cepit aspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus uisum. Verùm (ut scriptura ait) perfecta dilectio foras mittit timorem, suspenso gradu & anhelitu tempera-

to.

to, callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusq; subsistens, sonũ aure captabat. Tandem per cæcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dũ auidiùs properat, offenso in lapidem pede, strepitũ concitauit: post cuius sonitũ beatus Paulus ostiũ, quod patebat, occludẽs, sera obfirmauit. Tunc uerò Antonius pro forib. corruens, usq; ad sextã & eo ampliùs horã, aditum precabatur, dicens: Qui sim, unde: cur uenerim, nosti. Scio me nõ mereri conspectũ tuum, tamen nisi uidero, non recedam. Qui bestias recipis, hominẽ cur repellis? Quæsiui, & inueni: pulso, ut aperiatur. Quod si nõ impetro, hîc moriar ante postes tuos: certè sepelies uel meũ cadauer. Talia prestabat memorãs, fixusq; manebat. Ad quẽ responsum paucis ita reddidit heros: Nemo sic petit, ut minetur: nemo cũ lacrymis iniuriã, uel calũniam facit. Et miraris, si non recipiam, cùm moriturus adueneris? Sic arridẽs Paulus patefecit ingressum. Quo aperto, dũ in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutauere nominib. gratias Domino cõmunes referẽtes Hieron. in uita Pauli eremitę.

QVO, VBI. Ad

Conuiuium.

Sentire uidetur Plato, Homerum fecisse MENELAVM, deteriorẽ licet, inuocatũ ad præstantioris accessisse conuiuium, quòd Agamemnon bello ualuerit, Menelaus fuerit imbellis. Erasmus in Adag.

Concionem.

Panegyris apud GRÆCOS dicebatur solennis ille populi cõuentus, ad ludos festos celebrandos: uoce hinc composita, quòd festis diebus uniuersi conuenirent. Erasm. in Adag.

RECEDERE, ABIRE.

CATO Censorius cùm non posset sumere uultum Floralium licentiæ conuenientem, discessit è Theatro. Erasm. in Adag.

COMITARI.

QVOS.

Parentes.

Vide Tit. Fidei erga parentes.

Mortuos.

Vide Pompæ funebris honorem.

Apud ATHENIENSES mortuorum filiæ, innuptæ etiam, cæteræq; cognatæ mulieres in funus prodibant, ac mortuum usq; ad rogum sequebantur. Hoc ipsorum institutum tetigit Terentius Andria. Victorius l.3. Var. lect. c.12.

Lysias in defensione, quam scripsit ERATOSTHENI, qui adulterum, domi deprehensum, occiderat: affirmat interitum matris originem fuisse omnium suorum malorum: quòd uxor, cùm in funus processisset, spectata primò ibi sit à delicato illo adolescente, cum quo postea consuetudinẽ stupri habuit. Victorius l.3. Var. lect. c.12.

AD QVID. Ad

Conuiuium.

Vmbræ uidẽtur ab Socrate esse ortæ, qui ARISTODEMVM induxit non uocatum, ut iret secum ad Agathonem: cui iocularium quiddam accidit. Imprudens ille reliquit in uia post se Socratem, ac ingressus prior est, planè umbra antecedens corpus, quod à tergo lumen habet. Pòst tamen in præbẽdo hospitibus conuiuio, maximẽ principibus uiris, necessarium fuit, ut cùm ignorarent comites, qui in honore apud eos erant, hospiti permitterent inuitandi arbitriũ, sed definirent numerum, ne accideret eis idem casus, qui accipiẽti epulo ruri regem Philippum. Is MVLTOS secum traxit, cùm ueniret, & cœna instructa paucis erat. Conspicatus ergo perculsum hospitem, significauit per internunciũ amicis, ut placentæ locum relinquerent. Quam dum expectabant, parciùs attingebant apposita. Ita affatim cœnæ omnibus fuit. Plut. lib.7. Con. quæst.6.

ROM. olim absq; FILIIS adhuc in ætate positis puerili non cœnabant foris. Vti etiam Lycurgus in phiditia sua PVEROS induxit: ut assuescerent non incompositè, sed cautè delicijs frui, quòd maiores natu custodes haberent & speculatores. Præterea ut patres ipsos hoc in maiore uerecundia & frugalitate præsentibus filijs contineret. Vbi enim impudentes sunt senes, ut Plato ait, ibi iuuentus quoq; impudentissima fit, oportet. Plut. in quæst. Rom.

Sacrificium.

Cùm Petitius & Quintus P. Scipionem maiorem longa oratione in concione accusassent: Hoc, inquit, die cum Carthaginensibus & Annibale signis collatis feliciter pugnaui. Itaque corona sumta in Capitolium sacrificatum ascendo. Cui cordi est, ferat de me suffragium. Ita fatus ascendit, & POPVLVS uniuersus Accusatores relinquẽs, concionãtes, est eum secutus. Plut. in Apophthegmatibus.

Explorandum.

Apud Homerum Iliad. K. Diomedes iturus exploratum castra Troianorũ, comitẽ postulauit: datusq; illi est VLYSSES.

Exilium.

Arist. de Poetica scribit, cùm Lydi ab Aeolibus premerentur, & Smyrnam relinquere statuissent, principesq; per præconem edixissent, ut quicunq; ipsos sequi uellet, urbe egrederetur: ibi tum HOMERVS quoque adhuc puer (Melesigenes dictus) ait, & se uelle ὁμηρεῖν, id est sequi. Hinc Homeri nomen ductum. Plutarch.

QVANDO.

Noctu.

Tiberius Gracchus cùm legem Agrariam tulisset aduersus opulentorum tyrannidem, Q. Metellus exprobrauit illi, patre eius censore, cùm reuerteretur à cœna domum, lumina ciues restinguere solitos, quòd timerent, ne longiùs quàm oporteret, conuiuijs & poculis indulsisse uiderentur: huic uerò nocte audacissimos quosque & mendicissimos de PLEBE prælucere. Plut. in Tiberio.

CONVIVERE, COMBIBERE, Præbibere.

Pleræque nationes Græciæ, quæ bonam disciplinam habuerunt, & instituta retinuerunt prisca, in uino magistratus cõtinebant. Nam Andria apud CRETES appellara, & apud SPARTIATAS Phiditia, curiarum arcanarum & cõciliorum optimatum instar fuere: sicut apud THESSALOS Prytaneum & Thesmothesium. Plut. l.7. Quæst. con.9.

PITTACVM Alcæus, non quod tardè cœnaret, uocauit ζοφοδορπίδαν, sed quòd obscuris ferè & abiectis compotoribus gauderet. Plut. lib.8. Con. quæst.6.

Theocritus in Hyla, HERCVLEM & HYLAM amicos fidissimos eodem conuictu usos scribit. Οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν, id est: qui ad mensam semper eandem Cœnabant ambo, fidi nimirum ut amici.

ALEXANDER Macedo ad unumquenq; calicem multo colloquio sermonem protrahere solebat. Curtius.

Zenodotus & Aristophanis interpres in Vespis ex Theopompo & Apollodoro ostendit, OLIM peracto conuiuio sublataque mensa meracum inferri consueuisse. Is calix ἀγαθοῦ δαίμονος, id est, boni genij appellabatur. Athenæus libro Dipno Sophistarum 11. palàm demõstrat, à lotione, quã cœnati utebãtur, calicẽ inferri solére, qui dicebatur ἀγαθοῦ δαίμονος. Qui sanè mos hodieq; durat Germanis. Id poculum dictum μετανιπτρον, quòd à lotis manibus adferretur. Qui mos & hodie religiosè seruatur apud BRITANNOS. Hũc calicem quisquis accepisset, præbibebat alteri cuipiam. Erat autem mos apud ueteres, ut propinantes, aut bibituri, deum quempiam, aut hominem ominis causa præfarentur, cumque gignendi casu proferebant. Quemadmodum apud Lucianum in Lapithis ALCIDAMVS Cynicus, spõsæ Herculis nomine propinat. Idem Horatius:

Da lunæ propere nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris. Erasm. in Adagijs.

Fertur Vticensis CATO quandoque ad auroram cum amicis perpotando uigilasse, non ut mergeret, sed ut reprimeret curas: quod Plato non improbauit, quum largiori uino aliquanto refici animos putaret. Plut.

MARIVS septimo consulatu suo, redeunte Romam L. Sylla, quum ante oculos errores, exilia, periculaq; maris ac terræ adduceret, in uarias dubiasq; partes distrahebatur, & nocturnis turbulentisq; somnijs perterrebatur. Videbatur enim continuò quendam audire dicentem, Dura sunt cubilia leonum. Sed quum maximè uigilias pertimesceret, intẽpestiuis potationibus & ebrietatibus indulgebat, tãquam per somnum animi cogitationes uitaturus esset. Plut.

ADHAERERE.

Aristophanes in ANVM, quæ ægrè à iuuene diuellebatur,

Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμ' ὡς εὐτόνως
Ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσείχετο. id est,
O Iupiter, quàm fortiter conchæ modo,
Isthæc anicula adhæret adulescentulo.

SECTARI.

QVEM.

Matronam.

Assectari matronam in iure ciuili pro iniuria habetur, hoc est, tacitum frequenter sequi, lib. 15. de Iniur.

Hostem fugientem. Insectari propriè.

Ex loco Stratagematum, Hostem fugientem retardare, opprimere.

CVR. Causa

Amoris.

Vide locum, Amatorii astus.

Vltionis.

Vltionis.

EVENVS Marte & Sterope genitus, ex coniuge Alcippe Oenomai filia natam tulit Marpissam, quam uirginem asseruabat. Aphareus ea rapta, ex regione profugit. Hunc insectatus pater, ubi non comprehendit hominem, in amnem se Lycormam proiecit. Ex Dosithei lib.1. de rebus Italicis. Plut. de Græcorum & Rom. comparat.

Tuscorum rex ANNIVS, cui filia erat formosa Salia nomine, seruabat eam uirginem. Hanc Cathetus nobili genere natus, contemplatus ludentem, Romam deportauit. Eum consectatus pater nec adeptus, insilijt in fluuium Pareusium, qui mutato nomine est Anien dictus. Ex Aristide Milesio & Alexandro Polyhistore libro tertio de rebus Italicis, Plut. de Græcor. & Rom. compar.

NON INSEQVI.

Consule locum Stratagematum, Hostem non insequi, Cum desperatis non pugnare.

CHABRIAS Atheniensis ad Naxum magno prælio uicta Lacedæmoniorum classe, cui Pollis præerat, omnibus hostium nauibus in fugam conuersis, ab insecutione prorsus cessauit: recordatus ueteris illius in Arginusis commissi naualis prælij, in quo populus potitus uictoria, duces pro ingenti beneficio morte multauerat, non aliam ob causam, nisi quòd occisos non sepeliuissent. Cessans igitur ab insequendo, ciues in mari nantes collegit, mortuos humari iussit. Circa quam curam nisi occupatus fuisset, facilè uniuersam hostium classem deleuisset. Diod. libro decimoquinto.

Irrumpente in Italiam Alarico, primùm ad Hastam, deindè ad Polloniam signis collatis, magno prælio uicti sunt Gothi à STILICONE Romani Imper. socero. Is cùm Alaricum fuga intercludere posset, consultò dimisit, ne hostem usque ad Apenninum progressum, ac citra Padum Romanis iam propè mœnibus imminentem, in noui prælij faciendi, & uirtutis, ut in extremis rebus, experiendæ necessitatem adduceret: neúe, incommodo aliquo accepto, uiam petendæ Romæ subitò patefaceret. uerùm fœdus cum eo postulante percussit, ac, redditis captiuis, trans Padum pacatè se referre, permisit. Ita Alaricus cum dimidio copiarum, earumque inermium, ac pauentium, se recepit. Languenti inde atque infirmo agmine in Veronensium campos regressus, refectis uiribus, suorum instinctu iterum fortunam prælij uoluit experiri. Non longè aberat cum exercitu Stilico. Is, quòd & hostis ab Roma longiùs aberat, &, Pado interiecto, pugnandum erat, procliuior ad nouum conferendum prælium fuit. quòd in ijs locis minore se cum periculo rerum Romanarum dimicaturum existimaret. Itaque, instructa utrinque acie, signo dato, iterum acerrimè est concursum. pulsique iterum, ac profligati Gothi. dux Alaricus uix pernicis equi beneficio euasit. Collectas inde, quæ reliquæ erant, copias cùm adducere ad Rhætos uellet, Stilico sese obijciens uetuit. Qua re conspecta Alaricus, ut tutior ab incursu hostium esset, in collem excelsum, in quo premi non poterat, se recepit: ubi per aliquot dies ab exercitu Romano obsessus, probris ac contumelijs omnibus est affectus. Cùm autem exercitus eius morbis tentari, & fame affligtari grauiùs incœpisset, plerique salutis desperatione, aut fuga sibi consuluerunt, aut ad Romanos transiuerunt, aut cum suis fœdissimè contracto certamine conflixerunt. Alaricus autem, antequam ab omnib. destitueretur, ex colle erupit, atq; instante in terga Stilicone, trans Alpes, unde uenerat, inglorius abijt. Alarico elapso, Stiliconi crimini uersum est, quòd ipsum, cùm posset, perdere noluerit, & quidẽ prauo cõsilio, ut Honorium in difficultatem adduceret. quod Orosius innuit, cùm Alaricum cum suis sępè uictum, sæpè conclusum, semperq; dimissum, scripsit. Sigonius lib 10. Imp. occid.

ADVOCARE

Auxiliarios.

Sub Tit. Petere auxilium.

Conuiuas.

SYBARITARVM erat, anno antè ad diem certum uocare conuiuas. Aelianus.

EVOCARE.

Alcibiadem ducem mysteriorum profanatorum reum, missa naui è Sicilia ATHENIENSES ad dicendum causam euocarunt. Plut. in eius uita.

REVOCARE.

Agesilaum regem suum præclarè contra Persas rem in Asia gerentem SPARTANI reliquorum Græcorum armis petiti reuocarunt, Persico auro corruptorum. Itaque ille per iocum myriade sagittariorum Persarum (alludens ad nomisma Darij regis, sagittario insignitum) se ex Asia pulsum dicebat. Plutarchus.

DESERERE.

DISCIPVLI Christi omnes, Christo capto, fugerũt. Petrus, qui eũ à longè subsequebatur, ab ancilla agnitus, interposito iureiurãdo eũ ter negauit, priusquã gallus bis cecinisset.

Perseus Macedoniæ rex à L. Paulo Aemilio ad Pydnam uictus, turpiter fugiens, quò cum AMICIS in itinere colloqueretur, ad pedes digressus traxit equum manu. Illorũ alius calceum simulans solutum astringere, alius adaquare equum, alius sitire, à tergo relicti & paulatim dilapsi sunt: quòd nõ tam hostes, quàm illius formidarent sæuitiam: quippe miserijs perculsus, in omnes quærebat à se causam auertere cladis. Postquam Pellam nocte ingressus, Euctum & Eudęũ ærario præfectos, qui ei præstò fuerunt, eum de superiorib. peccatis increpantes, & intempestiua libertate admonẽtes consiliaq; suggerentes, infensus ambos pugione cõfodit: nemo hæsit apud eum, extra Cretensem Euandrum, Archidamum Aetolum, & Neonem Bœotium. Plut. in Aemilio.

C. Marius à L. Sylla Roma pulsus, in Africam nauigio properabat. Verùm aduerso uento in Circeios eiectus, ala equitũ procul conspecta, cùm naues duas onerarias præteruehentes conspexisset, ad mare decurrit, & licet corpore grauis & imbellis, duorum seruorum opera supra aquam elatus, naui impositus est. DOMINI nauis minas equitum spernentes, Marium nec dedere, nec eijcere uoluerunt. At ubi equites frendentes abiere: mutato iterũ consilio, terram petẽtes ad ostia Liris fluuij, ubi in paludes diffunditur, iactis anchoris hortati sunt eum, ut ascenderet in terram, atq; ibi cibo se reficeret, corpusq; uexatum curaret, dum afflaret uẽtus. Id fieri demonstrabant stata hora, cùm uentus marinus caderet, & auram ederent paludes sufficientem. Eorum consiliũ executus est Marius. Expositus à nautis in terram decubuit in prato quodam: nec quicquam minùs, quàm id, quod impenderet, uenit ei in mentem. At illi e uestigiò conscenderunt, anchorisq; solutis fugam intendere: quasi neq; tradere Marium ipsis foret honestum, neque expediret seruare. Plutarch. in Mario.

Nero hostis à senatu iudicatus ad mediam ferè noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit è lecto, misitq; circũ AMICOS. Et quia nihil à quoquã renunciabatur, ipse cũ paucis hospitia singulorum adijt. Verùm, clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum redijt: unde iam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide ueneni. Ac statim, Spicillum mirmillonem, uel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto: Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum? procurritq; quasi præcipitaturus se in Tyberim. Suetonius in Nerone.

ABIGERE, Expellere.

Hagar Aegyptia ancilla, cum filio suo Ismaele ex Abrahamo suscepto, domo pellitur à SARA, eo quòd Isaacum filium irrisisset. Genes.21.

Corcyram insulam Eretrienses habuere. Cùm autem classe profectus cum copijs Corintho Charicrates, illos bello superasset, conscensis Eretrienses nauibus uela ad patriam fecerunt. Quod odorati CIVES, arcuerunt eos terra, exscensionemq; fundis prohibuere. Quos ubi inducere uerbis nõ ualuerunt, nec ui adigere multos & implacabiles: in Thraciam cursum flexerunt, occupatoq; agro, urbem Methonẽ dixerunt, ipsi ab accolis cognomento appellati sunt Aposphendoneti. Plut. in quæst. Græcis.

Cùm simultas inter Augustũ & M. ANTONIVM in apertum exijsset bellũ, Antonius misit Romã, qui Octauiã uxorẽ, Augusti sororem, domo expellerent. Illa omnib. Antonij liberis comitata, præter unum, qui cũ patre erat, in priuatã domum transijt, mœsta & lamentabunda, quòd ciuilis discordiæ causa haberetur, cuius tollendæ semper auctor fuisset. Ea res indigna admodum uisa est ciuibus, sed ijs multò indignior, qui Cleopatram Aegypti reginãm, cuius amorib. Antonius irretitus erat, uiderant, quæ neq; ætate, neq; forma esset Octauiæ præferenda. Sab. lib.9. En.6.

REPELLERE, EXCLVDERE à congressu, Non admittere.

SPONSVS quidam pertæsus sponsam exclusit ædibus: quũque illa pulsaret fores, cupiens recipi, sponsus respondit, ἔνδοι πᾶσαι, id est, omnes sunt intus. quod ipsum in prouerbium abijt. Erasmus.

Petro rege Aragonũ sine liberis mortuo, proceres PETRVM quendam, cui Ateres cognomen erat, dominum Boriæ ciuitatis, Regem dixere, ad quem magis Aragoniæ regnum spectare uidebatur. Ad hunc autem legati missi nomine to

tius tam Nauarræ quàm Aragoniæ regni cùm uenissent, eius mores & arrogantiam admirati, qui uenientibus legatis, quibus obuiam exire de more debuisset, domus ianuas clauserat, ꝓpter negotia, quibꝰ districtus esset, siue (ut alij) quòd sub tonsore esset, auctores fuere proceribus, ut eo ob superbiam præterito, Ramirum Regis Petri fratrem Regem deligerent, qui iam diu in Gallia religioni sancti Benedicti seruiebat, in monasterio, quod dicitur sancti Pontij de Tomerijs. Marineus lib. 8. rerum Hisp.

NICOLAVS Perottus Bessarionis Cardinalis cubicularius, cùm ad illum Cardinales principes uenirent, eum pontificem renuntiaturi, is hero suo nõ uacare respondit. Ea inurbanitate offensi illi, alium pontificem dixere. Iouius.

DECLINARE.

☞ *Ex Tit. Declinationis malorum, exempla petes.*

HECTOR, cùm in reliquos omneis impetum faceret, tamen Aiacem ut se præstantiorem declinauit. Vnde Hom.

Αἴαντος δ' ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο. id est,

Cõgressum Aiacis fugit Telamone creati. Eras. in Adag.

IOANNES Apostolus balnea cum discipulis ingrediens, ut eos, qui illic conuenirent, Euangelium doceret, uidit inter lauantes Cerinthum hæreticum: atq; inde relato statim gradu ad suos conuersus, Fugiamus hinc, ait, ne balnea nos opprimant ruina, in quibus Cerinthus lauat, ueritatis inimicus. Adeò non fidem solùm, sed etiam uitam periclitari cum hæreticis conuersantium existimauit. Marul. lib. 3. c. 7.

M. Crassum ROMANI fœnum habere in cornu dicebãt. Declinabant enim eum illi, qui alios in rep. uellicabant, ut ad uindictam acrem atq; durum adorientibus. Verumenimuerò postea rursus dictum est, Crasso Cæsar detraxit fœnũ. Hic enim Crasso primus se actionibus eius obiecit, eumq; despexit. Plut. in quæstionibus Rom.

FVGERE.

QVOS. Vtputa

Nouercas.

PHRYXVS & HELLE frater & soror nati sunt Athamante Aeoli filio & Nephelæ. Quæ postquã furore correpta in saltus & solitudines abijt, Athamas Inũ Cadmi duxit. Huic cũ odiosi essent Phryxus & Helle, priuigni nempe nouercæ, operam per matronas omnes regni dedit, ut fruges corrumperentur. In remedium horum malorum cùm missi essent qui Apollinem consulerent, Inò illos oraculum ementiri coegit, deposci à numine Nepheles liberos: quorum miserata Iuno, arietem aureum misit, quo per mare ueherẽtur. Helle in mare decidit, quod Asiam & Europam intersecat, deque eius nomine Hellespontus nominatur. Phryxus per Propontidem & Bosphorum Thracium dextramque Ponti Euxini oram delatus est in Colchos. Hîc cùm terram tenuisset, arietem mactauit Ioui, pellem uerò auream Marti sacrauit, in templo à se condito. Apollonius tamen lib. 4. nõ Marti erexisse templum scribit, sed Διὶ φυξίῳ, id est, Ioui fugio, hoc est, fugæ seu comiti seu duci. Diodorus lib. 5.

Hostes.

HERCVLES Troia rediẽs, nauibus fractis, una sola ad Coõ eiectus, cum Antagora pastore luctatus, cùm Meropes pastori, Græci Herculi auxilium ferrent, multitudine tandem oppressus, fugiens sub amictu mulieris Thressæ abscondit se. Superatis pòst Meropibus, uxorem ducens Alciopi filiam, uestem pictam induit in memoriam latebræ. Quo loco commissa fuit pugna, sacerdos rem diuinam postea ueste muliebri indutus faciebat, & sponsi sponsas ueste muliebri tecti complectebantur. Plut. in Græcis quæst.

C. Cornificius poeta, Vergilij æmulus, à MILITIBVS destitutus interijt, quòd eos sæpè fugientes, Galeatos lepores appellasset. Eusebius in libro Temporum.

Ad Actium Ambraciæ promontoriũ M. Antonius prælio nauali cum Augusto decertabat. Aequo adhuc marte CLEOPATRA cum LX nauibus aufugit (ut quæ classe depugnãdum ob id unum censuerat, uti facile effugere posset) Eam fugientem uidens Antonius, perditam perditus cum quinque nauibus secutus est, proditis & derelictis ijs, qui pro salute & imperio eius non timidè decertabant. Plut. in Ant.

C. CALIGVLA aduersus Barbaros minacissimus, cùm trans Rhenum inter angustias densumq; agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternationẽ, sicunde hostis appareat, equum illicò conscendit: ac propere uersus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Sueton.

SARRA Columna Bonifacij VIII. Pp. Guelforum studiosissimi furorem fugiens, per nemora diu oberrauit, macie & squallore confectus, & capillis demissis, barbaq; promissa feræ, quàm homini, similior, furtim à pastoribus cibos emẽdicans, cùm sese nemini concredere auderet. Fulgosus lib. 6. capite 11. & Platina.

Cùm Galli ad Frangetum oppidum, instructa acie, Aragonios adoriri statuissent: ea insita ARAGONIORVM animis de externo hoste uirtutis & crudelitatis opinio fuit, ut pleriq; prçda onusti, ardentib. ac semiustis Frangeti in tectis se conderent, aut turpi fuga dilaberentur: necesseq; esset regem ipsum Ferdinandum II. Aragonium sua manu alios laqueo suspendere, alios intentato gladio uulnerare ac interficere. Iouius lib. 4.

Amatores.

☞ *Vide locum Pudicitiæ.*

QVID. Fugere

Conuersationem hominum, Solitudinem amplecti, causa

Religionis.

☞ *Vide Tit. Eremitarum & Monachorum.*

SAMVEL solus in templo Domini cubans, à Domino uocatus est. 1. Reg. 3.

DAVID rex in spiritu uidit ea, quæ in carne Saluatori nostro cõtigerũt, postquã à frequẽtia hominũ se subtraxisset. Ps. 54.

ELIAS Thesbites propheta, cùm famem toto triennio duraturã, propter Achabi regis Israelitarũ scelera, prçdixisset, ad orientem digressus, apud Carithum fluuiũ contra Iordanẽ positum latuit, de fluuio bibens, & panem cum carne à coruis allatum mane & uespere comedens. Triennio pòst iterum apparuit, & pluuiam à Domino impetrauit. 3. Reg. 17.

PROPHETÆ oẽs, uel in ipsa solitudine orãtes, Deiq; legem meditãtes, ad munus diuinum uocati sunt: uel certè ex media hominum turba in solitudinem à spiritu sunt rapti, ut contemplationibus absque impedimento uacare possent.

IESVS Christꝰ Dei filius, interdiu in templo turbas docebat, noctu monte Oliueti conscenso contemplabatur. Lucç 10. Discamus igitur Domini exemplo, locum, modum, tempusq; seruare, ut & proximi utilitati inseruiamus, & à theoria interim non distrahamur. Marulus lib. 2. cap. 4.

Est illud in primis memorabile, quòd Christi MATER, cum præfatione laudis semper ab omnib. nominanda, ab illius acerbissimo cruciatu nunquam temerè ab ullo uisa est: in priuato egit, aut orationi intenta, aut diuina legens, sanctissimi filij tam pia, quàm sedula cultrix. Sabellicus l. 3. c. 4.

Superstitionis.

Tatia Tatij filia, qui Romuli fuit collega in regno, postquã in NVMÆ Põpilij matrimonio tredecim annos fuisset, decessit. Hinc Numa relicta urbana uita plerunq; rusticari & errare solus uoluit, egitq; in lucis deorum sacrisq; pratis ac solitudinibus. Vnde potissimùm nata est hæc fama, nullo Numam illum mœrore aut perturbatione mẽtis in secessu uiuere, sed sublimioris gustu contubernij, & cœlestibus nuptijs potitum, ex deæ Aegeriæ ipsius amore flagrantis congressu atque consuetudine uitam beatam esse adeptum, & rerum diuinarum scientiam hausisse. Plut. in Numa.

Philosophiæ.

PYTHAGORAS anno integro in subterraneo quodam specu latuit. Vt hominibus aliquando prodesset, ab hominum commercio tantisper abstinere, deorumque colloquio frui uoluit. Laert. lib. 6.

PYRRHO Eliensis, Scepticorum princeps, solitudinem amabat, & rarò apparebat hominibus. Laert. lib. 9.

CHRYSIPPVS Stoicus solitus erat dicere, Si inter plurimos me exercerem, nunquam philosopharer. Lud. Viues de Tradendis disciplinis.

Habitauit Sinopeus DIOGENES in Cranio, extra Corinthũ, declinans sedulò hominum congressum, pallio tantùm & pera contentus. Sic quoq; felicissimus ab Alexandro rege iudicatus, qui eum in Cranio uidit: ut Diogenem se esse optarit, nisi Alexander esset. Ipse Cynicus haud dubiè regem multo se inferiorem iudicauit, cui ad se uenienti ne assurrexit quidem. Sabellicus lib. 2. cap. 2.

TIMON Nicæus gaudebat hortorum secessibus ac solicitudine. Vnde Hieronymus Peripateticus de illo dixisse fertur: Quemadmodum apud Scythas, & qui fugiunt, & qui insequuntur, torquent sagittas: itidem inter philosophos, alios persequendo discipulos capere, alios fugiendo. Sequitur fama fugientem, & ob idipsum auidiùs expetitur, qui celebritatem uitat. Laert. lib. 9. cap. 12.

CICERO conuersa in regnũ republ. reduxit se à publicis actionibus, ac studiosis philosophiæ iuuenib. uacauit. Quorũ ex consuetudine (erant enim nobilissimi & primi) potentiã parauit denuò in ciuitate propè summã. Industriam suã ponebat in dialogis cõscribẽdis philosophicis, alijsq; interpretandis, & uerbis quibusq; dialecticis aut physicis in Romanam conuertendis linguam. Tempus hoc penè totum in Tusculano suo transigens, Laertis se uitam scripsit amicis agere, siue ioco pro more suo, siue præ ambitione ad rempublicam gestiens, & statum pertæsus præsentem. Plutarchus in Cicerone.

HORATIVS solitudinis studiosiss. in hæc uerba prorumpit lib. 2. Sermonum, Satyra 6.

O' rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit
Nunc ueterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda obliuia uitæ?
O' quando faba Pythagoræ cognata, simulq;
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O' noctes cœnæq; deûm, quibus ipse meiq;
Ante larem uescor proprium, uernasq; procaces
Pasco libatis dapibus, prout cuiq; libido est.
Siccat inæquales calices conuiua, solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis humescit lætiùs. Ergo
Sermo oritur, non de uillis domibúsue alienis,
Nec malè nécne Lepos saltet: sed quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitamus: utrúmne
Diuitiis homines, an sint uirtute beati:
Quidúe ad amicitias, usus rectúmue trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumq; quid eius.

Proinde etiam lib. 2. Epistolarũ, ad Iulium Florum, de studiis suis hæc affert, digna sanè memoratu:

—Romæ méne poemata censes
Scribere posse, inter tot curas totq; labores?
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes,
Ritè cliens Bacchi, somno gaudentis & umbra.
Tu me inter strepitus nocturnos atq; diurnos
Vis canere, & contracta sequi uestigia uatum?
Ingenium uacuas sibi quod desumsit Athenas,
Et studijs annos septem dedit, insenuitq;
Libris & curis, statua taciturnius exit
Plerunq;, & risu populum quatit. Hîc ego rerum
Fluctibus in medijs & tempestatibus urbis
Verba lyræ motura sonum connectere digner?

FRAN. Petrarcha curiæ pontificiæ, quæ Auinione residebat, pertæsus, ut poetica & humaniora studia persequeretur, in Vallem clausam XII. millibus passuum Auinione distantem, locum amœnum, solitarium, fonte Sorga irrigatum, sese contulit: ibi multa ingenij sui monumenta edidit, & Lauram illam suam amare cepit. A' Corrigiensibus Parmensium dominis archidiaconatu ornatus, elegit locum solitarium amœniss. trans amnem Enciam in Regij Lepidi finibus, quem Planam syluam uulgò dicunt, & ad poetica studia intermissa redijt. Sed paulo pòst ad Vallem clausam reuersus est, amore Lauræ. Canonicus Patauinus à Iacobo Carrariense iuniore creatus, Arquati inter Euganeos montes solitudinem literariam elegit, ubi etiam mortuus est. Hieron. Squarzaficus in eius uita.

Consultandi.

Nota est uox illa maioris AFRICANI, qui rogatus quid ageret, cùm solus esset, ita occurrit, ut nunquam se minùs solũ esse dixerit, quàm cùm solus esset. Demonstrauit id responsum, quoties uir ille senatorijs fuisset forensibusúe curis uacuus, non otio & inertiæ deditum, sed magna & utilia meditari solitum. Sab. lib. 2. cap. 9.

Anno 1302. MARTINVS Turrianus exul uicinorum armis adiutus, MATTHEVM Vicecomitem Mediolanensi urbe expulit: is iam senio confectus, cùm se Veronam recepisset, ad Canem Scaligerum, non multo pòst ad Benacum lacum se contulit. Missus ad eum Martini nomine quidam, per ludibrium petijt, quid ageret, quomodo & quando reuersurum se in patriam speraret? Ei Mattheus, Piscor, inquit, & solus, ne quis piscationem meam impediat. Ea autem uia in patriam regredi cogito, qua inde profectus sum, quando aduersariorum meorum crimina, peccatis meis præponderabunt. Inde sub Henrici VII. in Italiam aduentum pulsis ob nimiam insolentiam Turrianis in patriam restitutus, rerum moderamen recepit. Fulg. lib. 7. cap. 2.

Quietis, Otij.

ALCMÆON limum recenti compactum Acheloi alluuie incoluit, fugiens, ut poetæ perhibent, Eumenidas. At Plut. 1. lib. de Exilio, illum fugiẽtem ciuiles magistratus motus, & furiosas calumnias, maluisse exiguum prædium in otio & quiete incolere, putat.

Horatius l. 1. Epist. 1. de VEIANIO gladiatore emerito inqt:
—Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Voluptatis.

TIBERII Cæsaris secessus in Capreas insulam fœdissimus, integro septennio imperium Romanum afflixit. Dum ille libidines suas sectatur, Respub. negligitur. Suetonius.

Vitiositatis odio.

PERICLES Atheniensis conuictum & conuersationem hominum fugit, non aliam opinor ob causam, quàm ut salubriores Reipub. cogitationes aleret, quas alioqui importuna populi conuersatione plurimùm corrumpi sentiebat. Plutarchus in eius uita.

Gloriæ fuga.

HILARION prope Maiomam Gazæ emporium in solitudine habitans, sexagesimotertio uitæ suç anno, cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diuersis languoribus & immundis spiritubus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominum solitudo per circumitum repleretur, flebat quotidie, & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus, quid haberet, cur se conficeret? ait: Rursum ad seculum redij, & recepi mercedem meam in uita mea. En homines Palæstinæ & uicinæ prouinciæ existimant me alicuius esse momenti, & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, uilem supellectilem habeo. Seruabatur autem à fratribus, maximè ab Hesychio: qui miro amore uenerationi senis deditus erat. Mirentur alij signa, quæ fecit Hilarion (inquit D. Hieronymus) mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem. Ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant episcopi, presbyteri, clericorum & monachorem greges, matronç quoque Christianorum, grandis tentatio, & hincinde ex urbibus & agris uulgus ignobile, sed & potentes uiri & iudices, ut benedictum ab eo panem & oleum acciperent. At ille nihil aliud, nisi solitudinem meditabatur, in tantum, ut quadam die proficisci statuerit: & adducto asello (nimis quippe exesus ieiunijs, uix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cùm percrebuisset, & quasi uastitas Palæstinæ indiceretur, plus quàm decem millia hominum, diuersæ ætatis & sexus, ad retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille ad preces, & baculo arenas discutiens loquebatur: Fallacem dominum meum non faciam: non possum uidere subuersas ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. Vniuersi autem, qui aderant, intelligebant, reuelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet confiteri: & nihilominus custodiebant eum, ne proficisceretur. Decreuit ergo, publicã omnes uoce contestans, non cibi se, non potus quicquam sumere, nisi dimitteretur. Et post septem dies inediç, tandem relaxatus, ac ualedicens plurimis, cum infinito agmine prosequentium abijt: mox persuasis turbis ut reuerterentur, elegit quadraginta monachos, qui haberent uiaticum, & possent ieiunantes ingredi, id est, post solis occasum cibum sumere, & in Aegyptum abijt. Eum deinde Hesychius in Cypro insula, duodecim milibus à mari procul, inter secretos asperosque montes perduxit, & quò uix reptando manibus genubusque posset ascendi. Quò introgressus, contemplatus quidem est terribilem ualde & remotum locum, arboribusque hinc inde circundatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, & hortulum peramœnum, & pomaria plurima (quorum fructum nunquam in cibo sumpsit) sed & antiquissimi iuxtà templi ruinam, ex quo (ut ipse referebat, & eius discipuli testantur) tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum uoces resonabãt, ut exercitum crederes. Quo ille ualde delectatus, scilicet ut antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: & sæpè inuisente se Hesychio, in hoc extremo iam uitæ suæ tempore refocillatus est, quòd propter asperitatem difficultatemque loci & umbrarum (ut ferebatur uulgò) multitudinem, aut nullus aut rarus ad se posset uel auderet ascendere. Hieronymus in uita Hilarionis.

Cædis conscientia.

TIMOLEON Corinthius, cùm fratrem Timophanem tyrannidem affectantem occidi curasset, eiusque rei nomine à matre diris deuoueretur, oppressus dolore, instituit se conficere inedia. Sed impeditus ab amicis, priuatus in solitudine degere maluit, & uiginti propè annis urbe abstinuit, mœrensque & uagans in prædijs maximè solis egit. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

Cladis mœrore.

M. ANTONIVS post cladem Actiacam in Aegyptũ uectus, relicta urbe & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum extruxit, proiecto in altum aggere, idque Timonium uocauit, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat se imitari & çmulari Timonis: quòd res suæ eodẽ loco essent. Quippe uiolatum se ab amicis suis, atq; ingratitudinem eorum expertum: ideo omnibus diffidere, & ab omnibus abhorrere hominibus. Plut. in Antonio.

Iudicium.

ALCIBIADES cùm è Sicilia citaretur ab Atheniensibus, ut

criminibus responderet, abdidit sese, negans litigādum esse, si quo modo liceret effugere. Subijcientibus alijs, Non igitur fidis patriæ de te iudicaturæ? Imò, inquit, ne matri quidem crediderim. Metuerem enim, ne fortè imprudens albi calculi loco nigrum immitteret. Aelianus lib.13.

Persecutionem fugere.

PAVLVS Thebæus sub Diocletiano persecutionem fugiens in Thebaidis eremum, primus illic admirabilem paucisq; imitabilem uitæ solitariæ rationem instituit.

Imperatore Decio Christianos religionis gratia diuexāte, septem PVERI Ephesi ex ijsdem parentibus nati, cùm palàm Christum profiterentur, timore persequutionis exanimati urbe secesserant, ac sese in speluncā proximi mōtis abdiderant. Cuius aditū industrij ꝑsequutores extrinsecus ita obsepserunt, ut euadendi etiā enixè molientib. facultatē eriperent. Pueri ut se clausos uallatosq; senserunt, in mœrorem cōuersi, repentè somno acriore oppressi sunt, atq; ita usq; ad annum sal. 446. sopiti manserūt. Tum uerò molibus speluncæ fortè remotis experrecti, perinde quasi unam tātùm noctem dormissent, unum ipsorum in urbem uictus cōparandi causa miserunt. Cùm aūt ille nummos Decij Imperatoris iampridem inusitatos proferret, thesaurum inuenisse existimatus ad magistratū deducitur, ac summis, ut aurum proderet, tormentis afficitur. Tandem, cùm Deciū Imperatorem auxilij gratia inuocasset, error agnitus est. historiāq; à principio repetere iussus, & illos, quid actum esset, edocuit, & ab ijs, qui status esset rerum præsentiū, didicit. Qua re cognita, Theodosius II. Imp. pietatis studio inflāmatus, Ephesum properauit, ac fratres alloquutus omni officio caritatis excoluit. Post septē uerò dies, cùm eosdē uero mortis sopore mersos uidisset, in eodem sepeliri antro iussit, ac summo eis honore adhibito, Cōstantinopolim se recepit. Ex ea re intellectum est, qui pueros illos post ducentos annos saluis corporibus excitasset, eundem pro magnitudine potentiæ suæ cunctos etiam homines suscitare in die nouissimo posse. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

D. Augustinus Genserico Africam uastante, consultus est ab HONORATO Thabennēsi episcopo, Num episcopi tātis se subducere calamitatibus deberent? Cui ita ille respōdit, ut rationem fugæ uniuersam in tantis malis patefacta doctrina euangelica demonstrarit. Sigonius li.12. Imp. occid.

QVOMODO. Nempe

Deserendo patriam.

Strabo lib. Geographiæ 14. tradit TEIOS, cùm Persarum contumelias ferre non possent, urbe relicta, Abdera Thracum urbem demigrasse. Atq; hinc illud uulgatum fuisse:

Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία, id est: Abdera pulchra Teiûm colonia. Hoc ænigmate prouerbiali significamus, non deesse, quò confugiamus, si quis pergat præter modum esse molestus. Erasmus in Adagijs.

Syloson munificentia Darij, in crucem sublato Polycrate, SAMIORVM adeptus tyrannidem, cùm acerbiùs exerceret imperium, ita ut ferè solent ij, qui ab humili fortuna repente ad res amplas prouehuntur, & ob hanc causam insula desereretur ab incolis, prouerbio dici cœptum:

Ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη. id est,

Spaciosa regio est Sylosontis gratia. Erasm. in Adagijs.

Irruente in Italiam Attila, Venetię POPVLI, qui æstuariū maris Adriatici accolebant, quòd primā tam immanis & tetri hostis impressionem se excepturos uidebāt, passim patrias suas in continenti sitas relinquere, ac familias cū preciosa supellectile transportare ad insulas, si uis hostilis ingrueret, statuerunt: ea spe ducti, Attilā aut inopia lintriū eò non peruasurū, aut, si copia suppeteret, has insulas, intento Romā uersus itinere, neglecturum. Dicuntur aūt Aquileienses Gradum animo destinasse, Concordienses Caprulas, Altinates Torcellū & Maurianum, Patauini Riuum altum, Opitergini Equilium, Atestini & Monsilicenses Philistinā, Metamaucū, & Clodiā. Reliqui uerò aspera Alpiū, & Apēnini iuga, & syluas, quib. se ignorantia hostium tegerent, sibi cogente necessitate depoposcerunt. Sigon. lib.13. Imp. occid.

Deserendo loca munita.

Captis iam Hierosolymis, & incenso templo, SIMON Gerasenus, & IOANNES Giscalensis, seditionum principes, in turres munitissimas urbis, Hippicon, Mariammen & Phaselum confugerunt, quæ nulla arte, præterquam fame, expugnari potuissent. At cùm muros urbis à Romanis subuerti conspexissent, metu territi, turres reliquerunt, & in cloacas se abdiderunt: Tito gratias agente Deo, quòd hostes ex turribus nulla arte expugnabilibus depulisset, & bello finem imposuisset. Ex cloacis deinde extracti, ad duo millia perierunt, præter eos, qui fame uel mutuis uulneribus cecidēre. Iosephus lib.7. cap.16. belli Iudaici.

Subsistendo frequenter.

Post obsidionem Mutinensem fugiens M. ANTONIVS, creberrimè bibebat, subsistebatq; per singulos passus, ubi bibē di facultas afforet, mox fugā præcipiti consternatione resumebat. Interrogatus unus ex familiarib. eius, Quidnam Antonius ageret? Respondit: Quod canis in Aegypto, bibit & fugit. certum est enim, canes Aegyptiacos crocodilorum metu in ripa Nili fugere & bibere. Plut. in Antonio.

Dissimulata persona.

☞ *Vide Tit. Fugam tutam moliri dissimulato habitu. Illic Habitus, hic Actio consideratur, perturbationis nota.*

MAXENTIVS Imp. cùm certamen cum Constantino inijsset, propter repudiatam conditionem de Galliarum regno accipiendo, amisso ferè omni exercitu, dimisso equo, cui insidebat, uti mortis fidem faceret, aufugit, misitq; ad Constātinum de ineunda cōcordia. Verùm coactus rursus pugnare, ac superatus, Lugdunum aufugit, ubi se demum necauit. Volater. lib.23. Anthrop.

OTHO secundus, Othonis primi filius, cùm aduersus Basilij & Cōstantinū Impp. qui Calabriam in Italia occupauerāt, bellū suscepisset (unde Saracenos eiecerat) turpi fuga solus scaphā cōscendit: & à piratis pro ignoto captus, in Siciliāq; ductus, cognitus à Siculis, & redemtus est. Vol. l.23. Anth.

CONRADINVS Sueuus regnum Siciliæ & Neapolitanum repetens, fusus à Carolo Andegauense ad Fucinum lacum, calonis sumto habitu, ad mare Inferum peruenit. Nauiculam conspicatus, orat dominum, ut se Pisas deportaret: pro naulo anulum se daturum, quam unam rem loco pecuniæ haberet. Homo & specie anuli, & forma adolescētis multo quàm calonis liberaliore motus, id clàm non habuit. Concursu facto Sueuus comprehēsus ad Carolum, ut uictorib. omnes adsunt, retrahitur. Sunt auctores, Carolū per literas ad Pontificē retulisse, quid de Sueuo agi placeret: illū respōdisse, nō intercedere se, quò minùs lege ageretur. ita securi ꝑcussum, nec Friderico Austriæ duci tēperatū. Aemil. lib.7.

VNDE. FVGERE EX

Acie.

☞ *Ex loco Timiditatis declinantis.*

BENIAMITARVM DC. ex tota tribu fuga elapsi, à reliquis Israelitis ad reparationem generis uita donati fuere.

DEMOSTHENES Atheniensis orator, qui clypeo suo literis aureis inscripserat, ἀγαθῇ τύχῃ, in pugna ad Chæroneam, ubi graui clade à Philippo Macedonum rege Athenienses sunt affecti, fugit. Id quū illi probro daretur, quòd ῥίψασπις esset, elusit uulgato uersiculo:

ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Id est:

Vir qui fugit, rursum integrabit prælium.

indicās, utilius esse patrię fugere, quàm in prœlio mori. Mortuus enim non pugnat: at qui fugā quæsiuit salutem, potest porrò uirtute infamiam delere, & in multis prælijs patriæ usui esse. Plutarchus in uita Demosthenis, & Gellius libro decimoseptimo capite 21.

Gn. Ful. FLACCVS, Q. Fuluij frater, prætor in Apulia, ab Hannibale superatus, XX. millib. de exercitu amissis, cū CC. equitib. aufugit. Ex quo Sempronius Blæsus eū accusauit. Liu.

Rex Macedonum PERSEVS, ut Polybius tradit, prælio superatus à L. Paulo Aemilio, in oppidum Pydnam se magna ignauia subduxit per causam sacrificij Herculi faciendi, trepida à trepidis non recipienti sacra, nec uota admittēti nefanda. Inde Pellam profugit. Equitatus eius penè integer euasit ex pugna. Pedites uerò cùm assecuti equites essent, eosq; tanquam imbelles & proditores insectātes ex equis deturbarent, ac uulnera ijs infligerent: metu Perseus tumultus equum uia deflexit, & ne nosceretur, detractam chlamydem præ se posuit, tenuitq; manibus diadema. Noctu Pellā ingressus est. Plut. in Aemilio.

Mithridates à Cn. Pompeio ad Euphratem fusus cū octingentis equitib. per Romanos erupit. Mox cæteris dilapsis, solus relictus est cū tribus: in quib. Hipsicratia fuit pellex. Veniēs aūt ad arcem Inora, ubi regia pecunia & thesauri erant, uestes preciosas confluentib. ad ipsum ex fugā distribuit. Præterea lethale uirus cuiq; amicorum ferendum secum dedit, ne quis in manus hostiles ueniret inuitus. Inde in Armeniā ad Tigranem socerum contendit. A quo cùm excluderetur, præteritis Euphratis fontibus, fugam per Colchidem intendit. Plut. in Pompeio.

COSROES Persarum rex, superatus ab Heraclio Romanorum Imperatore, ad Ctesiphontem urbem fugit: ubi à Siroe filio interfectus est, quòd alteri filio natu minori regnum tradidisset. Volat. lib.23. Anthrop.

Prælio nauali.

XERXES Persarum rex post rem malè gestam apud Salaminem, fugiens in Asiam, Abdera peruenit, & exceptos conuiuio Abderitas, acinace aureo, ac tiara auro intertexta donauit, & ut ipsi oppidani aiunt, postquam ex Athenis retrò fugit, illic primùm zonam resoluit, tanto fuerat terrore correptus. Herod. lib.8.

Obsidio-

Obsidione.

SENNACHERIBVS Assyriorum rex diuina manu amisso exercitū, obsidionem Hierosolymorū relinquere, & Babylonem inglorius fugere coactus fuit.

Turcorum tyrānus MAHOMETES, repulsus à Belgradi obsidione, castris, quæ facilè tueri poterat, ignem subijcere, indeq; fugere maluit. Iouius.

Seditione.

CAIVS Gracchus in seditione agraria L. Opimij Coss. armis pressus, nullam defensionem meditans, in ædem Dianæ cō fugit: ibi cùm manus inferre sibi conaretur, à fidissimis amicis Pomponio & Licinio (Val. Max. habet Lectorio) est interpellatus. Hi enim præsentes gladium ei abstulerunt, perpuleruntq; cum ad fugam capessendam. Ibi dicitur positis genib. tensisq; ad deam manib. pop. Rom. imprecatus, ut ista pro ingratitudine & proditione perpetua seruitute promereretur. Fecerunt enim propalàm pleriq;, pronunciata per præconem impunitate, transitionem. Igitur in Caium fugā capessentem inferentib. se hostib. & assecutis eum ad Pontē sublicium, duo illi amici hortati sunt eum, ut iter antè caperet. Ipsi sustinuerunt instantes, dimicantesq; pro ponte, nemini, quoad occubuerūt, uiam dedere. Comitem fugę Caius unū habuit seruū, Philocratem nomine. Adhortabātur quidem eum ut in certamine oēs, sed subueniebat nemo, neque subministrare petenti quisquam animum induxit equum: quippe inhærebant tergo illi, qui eum persequebantur. Cùm ergo preoccupasset in lucum Furinæ fugere, illic à Philocrate impetrauit, ut se interficeret. Plut. in Caio.

Sacro.

Romæ in foro iuxta comitium solenne sacrificium à Rege sacrificulo fiebat: quo peracto, REX è foro fugiens raptim se subducebat. Plutarch. in quæst. Romanis.

NON FVGERE.

Victus M. BRVTVS in Philippis, quum ab uno amicorū moneretur, fugiēdum esse priùs, quàm hostis adesset, tum ille, Fugiendum quidem, sed manibus, non pedibus. adeoque manus sibijpsi intulit. Plut.

Apud Persas ferreus stabat tripus ante regiam perpetuò. Si CVI uerò Persarum factus esset iratior rex, in templū defugere haud licet, non item aliò, sed apud tripodem regis cogitur expectare sententiam, nemine prorsum custodiente. Mittitur uerò sæpe post dies aliquot ab rege, qui hominem iugulet. Ex Procopij libro primo de bello Persico, Cælius libro 18. capite 18.

OCCVLTARE SESE, CAVSA

Insidiarum.

Troianos murum oppugnātes Græcis magno animo repellētib. TEVCER sub Aiacis Telamonij scuto sese occultans Iliados 1. στῆ δ᾽ ἄρ᾽ ὑπ᾽ Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο, & collineans aliquē inimicorum sub lato scuto sagitta petebat, mox rursum, παῖς ὣς ὑπὸ μητέρα δύσκεν εἰς Αἴανθ᾽, ὁ δέ μιν σάκεϊ κρύπτεσκε φαεινῷ.

Metus.

C. MARIVS, qui septies consul fuisse dicitur, cùm Sulpicia rogatione prouinciam ei Sylla eripuisset, armis ab eo uictus Minturnensium paludibus latuit: ubi inuentus, in carcerem coniectus est. Plin. cap.61. de Viris illust. & Plut.

DIOMEDES Augusti dispensator, simul ambulans, incurrēti repentè fero apro, Augustū per metum obiecit. Augustus rem non minimi periculi, quia tamē fraus aberat, in iocum uertit. Suetonius.

CLAVDIVS Cæsar interfecto Caio, cùm omnia seditionib. & cædibus plena esse uideret, in angulo quodā latebat, nullā periculi causam habens pręter claritatem nataliū. A militib. ergo agnitus rapitur ad imperium. Deprecabatur ille ueniā, & sibi illudi putabat. Cumq; præ metu simul & gaudio pedib. insistere non ualeret, sublatum in humeros milites in castra pertulerunt. Iosephus lib.19. cap.2. Antiq.

CVSTODIA, OBSERVATIO HOMINVM, respectu.

PERSONARVM OBSERVARE.

Mulieres.

PARTHI gynæconitin in secreto domus à uiris semouent non modò uxorum, sed pellicum pudicitiam custodientes, ut nisi capite operto, & uelato uehiculo, illas in publicū ꝓdire patiātur nemineq;, ꝓpius accedere liceat. Alex. l.5. c.24.

Grauidas.

CONSTANTIA Fridericū II. Imp. in foro Salernitano sub publica custodia peperisse fertur, ne partus uideretur suppositītius. Collenutius.

Elizabetha Sigismundi Imp. filia, uxor Alberti II. Imp. grauida relicta uidua, cùm ex Hungaria Posonium uersus discederet, tempore partus accelerante, in castello Comarum, octauo Calendas Martij, quadragesimo anno post millesimum quadringentesimum, peperit posthumum, Ladislaū filium, fores cubiculi patulas PALATINO Rheni, qui tum castrum possidebat, custodiente, contra pudorem femineum, ne suppositītius partus Hungaros falleret. Cuspinian.

Supplices.

Apud Chalcidenses locus erat ad Pyrsophion, Acmæon lesche, id est, iuuentutis conuentus dictus. Nauplium ferunt, cùm insequerentur eum Achæi, quòd ad filij Palamedis necem ulciscendam, simulata Pharo, Græcos ad Eubœæ permontorium appellentes, naufragium pati coegisset, supplicem se ad CHALCIDENSES contulisse, ac partim crimen diluisse, partim inuicem criminatum fuisse Achæos. Quem cùm dedere Chalcidenses non statuissent, uererentur autem, ne per dolum trucidaretur, custodem ei florē iuuentutis dederunt, collocaueruntq; eum in eo loco, quē postea ἀκμαίων λέσχην, hoc est Iuuenū conuentū dixere, ubi conuersabātur inter se, ac Naupliū asseruabāt. Pl. in q̄st.

Captiuos.

☞ *Ex loco Seruitutis Carcerum exempla petantur.*

MODI. CVSTODIA

Lenis, Libera.

☞ *Ex Tit. Clementiæ erga captiuos huc quædam.*

Arcta, Seuera.

☞ *Ex Tit. Seueritatis & Crudelitatis erga captos, hostes.*

LOCI.

☞ *De Carceribus, de Gynæceis, de Monasterijs, suo loco.*

FINIS. Causa

Iustitiæ.

☞ *Sic magistratus sontes custodit.*

Amoris.

☞ *Sic Zelotypi amores suos arctè custodiunt.*

Odij.

☞ *Sic inimici inimicos obseruāt, & in potestatē redactos detinēt.*

COLLOCVTIONIS NOTAE.

COLLOQVI RESPECTV

MATERIÆ.

PERSARVM reges ante sacrificia de pietate disserunt: antequam bibant, de temperantia: pugnaturi uerò, de fortitudine. Stobæus sermone 42.

PERSONARVM. COLLOQVVNTVR

Homines cum Dæmone.

PRIMI hominum, quoniā callidissimi serpētis colloquio usi sunt, uirulentis mortiferisq; eius suasionib. sollicitati, à mādato Dei desciuerunt: & amissa paradisi amœnitate, ad huius uitæ miserias redacti sunt. Hinc discitur, nequaquā miscendos esse sermones cum ijs, qui soli sibi uidentur sapientes, & dedignari cum multis quæ uera sunt sentire, captiosis argumentorum sophismatibus peruertere fidelium simplicitatem moliuntur. Marul. lib.3. c.7.

Mulieres.

Diogenes conspicatus duas FOEMINAS inter se conferētes clàm sermonē, ꝑtulit uersiculū è comœdia quapiā sumtū,

ἀσπὶς παρ᾽ ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται. id est,

Sumit uenenū à uipera aspis mutuo. Eras. in Adag.

Coniuges.

Veteres Venerem iuxta Mercurium uno in sacello collocauēre, quòd uoluptas genialis præcipuè sermonem postulet, Suadamque & Gratias, blandimentis ut impetrent à se mutuo ea, quæ fert animus, non certamine, neq; contentione. Plut. in Præceptis connubialibus.

MODI. Siue fiat

Scripto.

ANTONIVS monachus Aegyptius audiens conuersationē Hilarionis, scripsit ei, libenterq; eius epistolas sumsit. Hieronymus in uita Hilarionis.

Voce uiua.

☞ *Exempla pleraq; huius sunt ordinis.*

QVALITATIS. COLLOCVTIO

Libera.

FERDINANDVS Magnus Aragoniæ rex, post generi sui Philippi

Philippi Maximiliani I.Rom.Imp.F.mortem Castellæ admi nistrationē repetiturus,an.1507.è regno Neapolitano discedēs, Sauonā, ubi cū Galliæ rege LVDOVICO colloquiū erat constitutum, nauigauit. Galliæ uerò rex, qui hanc ob causam in Italia hæserat, quamprimum illum Neapoli soluisse cognouit, se Mediolano eò contulit. In hoc congressu omnia utrinq; libera & raræ fiduciæ plena fuerūt:& talia, ut post hominum memoriā, nullo in congressu similia fuerint. Quoniam cæteri principes, inter quos aut æmulatio, aut ueteris iniuriæ, aut suspicionis causæ erant, ita conueniebant,ut neuter in alterius potestatem ueniret:hic autem omnia secus. Nam quamprimum Aragonia classis ad Sauonensem portum appulit, Galliæ rex, qui ea conspecta in portus molem descenderat, per ligneum pontem,ad id extructum,cum paucis è suis & absq; custodia,in regiæ triremis puppim transiit: ubi incredibili lætitia à rege & regina nepte sua acceptus, cùm aliquandiu iucundissimis uerbis inter se confabulati essent, per eundem pontem egressi pedibus, non mediocri per ingentem uirorum ac mulierum, qui ex omnibus uicinis locis concurrerant, multitudinem transeundi difficultate,urbem sunt ingressi,& ibi per triduum occultissima habuere colloquia, ut euentus indicauit, belli potissimùm coniunctis uiribus,conciliato Maximiliano Cæsare,Venetis inferendi.Guicciardinus lib.7.

Suspecta.

LVDOVICVM Lucenburgēsem magistrum equitum dubiæ fidei Ludouicus XI.Gallorum rex quacunq; ratione,ne Carolo Burgundo hosti sese adiūgeret,recōciliaturus,ad colloquium inuitabat. Ille memor tentatæ in caput suum pactionis,inermem se nullo loco commissurus erat.Iustus uisus metus.Venia data.Pons in amne factus:in eo medio cā cellatæ uelut fenestræ excitatæ , ut conspici inter se exaudiriq; colloquentes possent, ac dextræ interiungi. Res noua, & si per se spectetur,indigna,Magistrum equitum ex æquo cum rege suo ad colloquium descendere,quo pacto hostes data fide congrediuntur. Ad primum conspectum regis genu posito,exorsus ab excusatione,quòd armatus cū armatis adesset,de rege dissimulans,nominauit quos in comitatu eius hostes salutis suæ esse diceret. Reliquum colloquiū in uulgus editum non est. Exitus is fuit,ut repagulis reuulsis,clathrisq; disiectis,ad regem transiret. Quintiniani eius fidei etiam in futurum permissi,& stipendia, quæ intermissa fuerāt, eius equitibus ipsiq; persolui iussa.Aemilius l.10.

Occulta.Insusurratio.

C.CALIGVLA cum Ioue Capitolino interdiu secretò fabulabatur,modò insusurrans,ac præbens inuicē aures,modò clarius,nec sine iurgijs. Nam uox comminantis audita est: Εἰς γαῖαν Δαναῶν περόω σε. Suetonius in Caligula.

P.SCIPIO Africanus à senatu Rom.missus ad inspiciendos hominum mores,ut Alexandriam appulit,atque egressus è naui incessit iniecta capiti toga:petierunt circumcursitātes Alexandrini,ut aperiret se, ostenderetq; desiderantibus faciem suam.Vbi aperuit caput,clamorē sustulerunt,ac plausum dederunt.Progredientes autem illos,ægrè ob ignauiā & mollitiem corporis rege comitari contendente: Scipio submissim Panætio philosopho comiti suo insusurrans ait: Hunc iam fructum ex aduentu nostro ceperunt Alexandrini,quòd regē suum uiderunt inambulantē. Plut.in Apoph.

LOCI.

VETERES in conuiuijs eruditis confabulationibus uti consueuerant.Pòst cantores,histriones, saltationes induci cœptæ. Vnde quidam molestè ferentes interrumpi sermones suos,dicebant, ἐκκέκοπται ἡ μουσική. Quæ uox in prouerbium traducta est, quoties aliquis interueniens sermonem institutum interpellaret.Erasmus in Adagijs.

Λέσχαι Græci dixerunt nonnunquam sedilia quædam publica, in quibus ATHENIENSES otiosi complures pariter sedebant,quibuslibet de rebus inter se nugantes,qualia sunt hemicyclia. In testimonium proferunt hoc carmen ex Homero, οὐκ ἐθέλεις εὕδειν χαλκήϊον ἐς δόμον ἐλθὼν, ἠέ που ἐς λέσχην.Hęc sedilia fuisse Apollini consecrata scripsit Cleanthes. Quidā eum deum appellant λεσχηνόριον.Erasmus in Adagijs.

NON COLLOQVI.

LAPONES commercia permutatione & pecunia agunt,mutuo consensu tātùm, & nullo sermone communicato: atq; istud non propter ingenij inopiam & mores brutos , sed quòd linguam habēt peculiarem & ignotam uicinis.Zieglerus in Scandia.

INTERROGARE.

Vide Tit.Inquirere,Inuestigare,quatenus Interrogationem habet pedissequam.

LYSANDER,fluctuantes,utris se partibus darent,cùm agrū eorum permearet,Bœotos cernens, missis legatis rogauit, directis an inclinatis hastis per fines eorum transiret. Plutarch. in Apophthegmatibus.

AEDESIVS sophista Cappadox, Iamblichi discipulus,professor Pergamenus , nunquam uel deambulādo otiosus erat,sed olerū uenditrici obuius,de precio, de cultu,de prouentu olerum interrogabat, ipse quæ norat addebat.Idem factitabat apud textorem,fabrum,cæterosq; mechanicos, ut nihil aliud , uoculas saltem quibus uterentur addiscere studens. Eunapius in Prisco.

ORIGENES puer,parentem suum Leonidem sæpè de abditis Scripturæ sensibus interrogauit, ita ut pater ab eiusmodi præcoci sapientia retrahere illum cogeretur.Eusebius li. 6. cap. 3. & Suidas.

GALEACIVS Vicecomes,princeps Mediolani,cū Baldo Iurecos.congressus,eius sapientiæ experiundæ causa(nam nihil eum penitùs in Iure ciuili latere, constanti hominum rumore uulgò prædicabatur) interrogauit, utrum de uespo. nibus uinarijs Iura aliquid traderent? Baldus, ut erat diuino ingenio, promtissimè allegauit legem, quam ipse,quia studebat,reperit,tu qui non studes(inquit Lud.Rom.singulari 375.quod incipit, Scires tu mihi probare, quòd uinum nouum debet incipi potari sub initium mēsis Nouembris) nunquam reperies. Allegat ibi Romanus l. iubemus. ff. de erog.mil.an.quam fortassis Baldus ad uespones,qui musti comites esse solent,detorsit.

RESPONDERE.

Philippus Macedo cùm QVIBVSDAM scripsisset, Essent'ne ipsum in urbem accepturi?Nō,magnis literis in charta scriptum remisere. Plut.de Garrulitate.

Scribente Philippo, quando in LACONVM finibus signa habebat: Vtrum uellent, pacatus an hostis ueniret?responderunt:Neutrum.Plut.in apophtheg. Laconicis.

Plutarchus in commentario . περὶ ἀδολεσχίας, admonet, ut qui uelit accuratè respondere , mentem rogantis diligēter perdiscat,ne illud fiat,quod prouerbio dici cōsueuit, ἄμας ἀπῄτουν. Est aūt senarius prouerbialis apud Suidā & Zenodotū: Ἄμας ἀπῄτουν, οἱ δ' ἀπηρνοῦντο σκάφας. id est, Falces petebā,at hi ligones denegant. Erasmus in Adagijs.

P.SCIPIO Africanus Caio & Fuluio in concione rogantibus eum , quid ei de morte Tiberij Gracchi à Nasica cæsi uideretur:Non placere sibi,respondit,illius acta.Inde concionāti populus obstrepuit,quod antea fecerat nunquā:&ille eò est prouectus,in populum ut inueheretur. Plut. in Tiberio.

D.AVGVSTINVS quęrēti,quid fecisset Deus,antequā crearet cœlum & terram? respondeo , inquit,non illud, quod quidam respondisse perhibetur , ioculariter eludens quæstionis uiolentiam: Alta,inquit,scrutantibus gehennas parabat.Aliud est uidere,aliud ridere.Hæc non respondeo.Libentius enim responderim , Nescio quod nescio : quàm illud,unde irridetur,qui alta interrogauit,& laudatur qui falsa respondit.Sed dico te,Deus noster,omnis creaturę creatorem: & si cœli & terræ nomine omnis creatura intelligitur , audenter dico , antequam faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid.Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat?Confess.lib.11.cap. 12.

OCCLAMARE.

Zenodotus ait , antiquitùs in choris Dithyrambos in Bacchum cani solitos. Deinde poetas mutata consuetudine, Aiaces,Centauros, atq; id genus fabulas cœpisse describere. Proinde SPECTATORES per risum acclamasse,Nihil ad Bacchum. Quo conuitio moniti,deinceps satyros inducere cœperunt, ne dei prorsus obliti uiderentur. Suidas refert Epigenem quēdam Sicyonium tragœdiam de Baccho conscripsisse, quæ cùm indigna deo uideretur, quosdam è spectatoribus acclamasse,Nihil ad Bacchum:eamq; uocem in prouerbium abijsse. Verùm magis approbat priorē sententiam, Plutarchus in 1.lib. Symposiacôn,ostendit ab Aeschylo & Phrynicho natam parœmiam, qui fabularum argumenta ad historias & calamitates deflexerint. Theætetus apud Suidam, in opere de prouerbio , scribit Parrhasiū pictorem, Bacchum summa arte finxisse. Itaque cùm apud Corinthios pictorum inter ipsos de arte certamen ageretur, & complures Bacchum pictum proferrent, quorū nullus ad Parrhasij Bacchum accederet,succlamasse populum, Nihil ad Bacchum.Erasmus.

ALLOQVI, APPELLARE, Compellare.

QVOS. utputa

Sponsum,Sponsam.

Inter priscas nuptiarum cæremonias inauspicatum habebatur , uel sponsum uel sponsam proprijs appellare nominibus. Quin & in hodiernum usque diem obseruatur,

obseruatur, ut sponsa relicto cognomento gentilitio transeat ad cognomen uiri , ut Hectoris Andromache. Erasmus in Adagijs.

QVOMODO.

Scripto.

ANTONIVS monachus Aegyptius audiens conuersationē Hilarionis,scripsit ei, libenterq; eius epistolas sumpsit: & si quando de Syriæ partibus ad se languentes perrexissent,dixit eis : Quare uos tā longè uexare uoluistis,cùm habeatis ibi filium meum Hilarionē?Hieronymus in uita Hilarionis.

ACCLAMARE.

QVIBVS.

Episcopis.

Cyriacum uirum opt. & sanctis. in episcopum ordinatum fuisse, Mauricius patricius , PETRVS , DOMITIANVS, & ELPIDIVS episcopi D.Gregorio Pp.significauerant,quātoq; gaudio & faustis acclamationib. exceptus esset : inter cætera his quoq; uocib.usos,Sicut solem in Ecclesia apparuisse,ex Sapiētiæ 10.item ex Psal.117.Hęc est dies,quam fecit Dominus , exultemus & lætemur in ea: Benedictus, qui uenit in nomine Domini. Quas quidem acclamationes ut soli Christo debitas Gregorius disertè & piè reprehendit,& gaudij immoderationi tātùm tribuit. Quin potius in id sedulò eos incumbere iubet, ut asiduis precib.talis,qualem omnes fuisse hactenus scirent , permaneret , quàm nimijs blandimentis ad superbiā euectus,se simul & populum sibi commissum iræ diuinæ obnoxium redderet.lib.6.epist.171.

Principibus.

Agrippæ regi Cęsareæ in theatro IVDAEI acclamarant,Deū uideri,non hominē.At paulò pòst graui morbo oppressus, En ego ille deus uester,inquit,morior.

Victo Artaxerxe Persarū rege ab ALEXANDRO Seuero,talis acclamatio senatus Romani fuit:Alexander Auguste dij te seruent.Persice maxime dij te seruent. Verè Parthicus,uerè Persicus. Trophæa tua & nos uidemus, uictorias & nos uidemus. Iuueni imperatori , patri patrię, Pontifici maximo:per te uictoriam undique præsumimus: ille uincit, qui milites regit.Diues senatus,diues miles, diues P.R.Lampridius in Alexandro Seuero.

Cùm ANASTASIVS imperatorio habitu sumto in circo sederet,uniuersus populus ueluti uno ore directè inclamauit:Sicut uixisti,ita etiā impera Domine. Quippe ante galli cantum templum adire solebat, ibiq; dum concio dimitteretur,adstabat Deum placans, frequenter ieiunabat, & sua pauperibus & mendicis erogabat.Cedrenus.

Militibus.

Eleleu,acclamatio bellica.Achęus Eretriensis in Philoctete sic adhortantem milites Agamemnonem facit: Tempus est opem ferre,dux ego ero:accipiatur gladij capulus manu:tuba alius quamprimùm det signum : tempus est, accelerate, Eleleu.Suidas.

Athletis.

Quum apud Isthmum pugilum certamē spectaret Aeschylus, cognouit ex duobus concertantibus alteri uehementi impacta plaga , ab uniuerso THEATRO maximum edi clamorem:quum tamen percussus nil admodū quereretur. Id admiratus,Ionem Chium,qui fortè astabat,leniter tangēs: Aduertis(inquit)quàm efficax meditatio sit, & cōsuetudo? Plagis affectus non clamat,clamant spectantes.Cælius lib. 8.cap.7.Antiq.Lect.ex Plut.de Audiendis poetis.

Pueris.

D.AVGVSTINVS in libris Confesionum narrat sibi etiam tum puero in scholis frequenter acclamatum fuisse,ubi Iunonis apud Maronem in Troianos stomachantis uerba & affectus feliciùs cæteris adumbrasset.

Ebrijs.

Narrat Athenæus lib.15.Dipnos.cùm quispiam è conuiuio discessisset probè potus,ac magnopere somnolētus, cæteros CONVIVAS in eum acclamasse per iocum ἰὴ παιάν.

Calamitosis.

Ἰσσα.id est,Issa,prouerbialis erat acclamatio in eos, quib. ζ litera forte cecidisset , quiq; modis omnibus essent infortunati.Suidas prouerbium citat ex Messenia Menandri. Coniectare licet, eam literam in sortibus , inauspicatam fuisse. Martianus Capella in nuptijs Philologiæ & Mercurij,testatur hanc literam inuisam fuisse Appio Claudio , quòd dentes mortui,dum exprimitur, imitetur. Erasmus in Adagijs.

CVR. Causa

Honoris.

Cicero lib. 1.Epistolarum ad Atticum ἐπισημασίας uocat plausus, acclamationes, & similia, quibus POPVLVS bonum suum animum erga quempiam significare solitus erat, & lætitiam , quam ex illius aspectu caperet, ostēndere. Hoc enim Gręci uocant ἐπισημαίνεσθαι.Nonnunquam contigit,ut cùm quispiam alicui parti multitudinis carus & acceptus erat, cæteris autem odiosus & inuisus, partim plausu exciperetur,partim sibilo.Plaudētibus enim ijs, quos aspectus ipsius hilarabat,cæteri sibilabant. Ergo Cicero ut ostendat ἐπισημασίας illas suas eiusmodi non fuisse , sed puras omnino & ἀσυρίκτους , ait eas fuisse sine ulla pastoritia fistula : id est,sine sibilo, cuius similem sonum notum est è pastoritijs fistulis reddi. Itaque Græci in utroq; dicunt συρίζειν:ijdemque interdum σύριγγα, id est, pastoritiā fistulam pro sibilo dicunt.Muretus lib.1.Var.lect.c.19.

Q.Sertorium, quòd bello Marsico prçclara edidisset facinora, ingredientem theatrum plausu excepit & lętis acclamationibus POP.Roman. quod quidem non temerè uel honoribus & ætate prouectis deferebat.Plut.in Sertorio.

Cyrus urbis Constantinopolitanæ præfectus, terrestrem Constantinopolis murum demolitus est: alijsque duobus interuallis additis , alium murum intra sexagesimum diem extruxit. Cuius operis pulchritudinem & festinatam absolutionem obstupescēs POPVLVS,Imperatore Theodosio in circo sedente,exclamauit:Constantinus condidit, Cyrus instaurauit. Eapropter in inuidiam uenit : & Græcis rebus studere per calumniam dictus , publicatis eius bonis raso capite Smyrnæ episcopus deligitur. Cedrenus.

Animandi.

Clearchus Solensis libro Prouerbiorum primo LATONAM scribit ex Chalcide Eubœæ in Delphos Apollinem Dianāque portantem accessisse ad Pythonis serpentis spelūcam. Mox cùm in eos Python ferretur, Latona alterum puerorū habens in ulnis, ad lapidem accessit, qui nunc etiam sub æreæ Latonæ extructæ pede spectatur, apud platanū in Delphis. Acclamauit illa igitur, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, Feri fili, percute fili. A qua uoce deinceps sacrę acclamationes in Apollinis honorem, epihymnij loco cœperunt, ἰὼ παιάν. Athen.l.15.c.23.

Adulandi.

Proditum memoriæ est , Commodum Cæsarem in æstuationibus ingens uini poculum hausisse, CVNCTIS acclamātibus, Viue Cæsar.

Iustinianus II.Imp. cùm ope Terbellis Bulgarorum regis Cōstantinopolim cuniculis actis recepisset, Leontium patricium(à quo eiectus fuerat)& Apsimarum(qui Leontium naribus & auribus trūcatum in monasterium detruserat)uinctos in pompa sibi præduci fecit:eosdemque pedibus conculcans, acclamante POPVLO, Super aspidem & basiliscū ambulabis , & conculcabis leonem & draconem : tandem iussit decollari. Paulus Diaconus lib.19.

Funeris.

Dicebatur Ilicet in funerib. ROM. consumto cadauere & collectis cineribus. Vnde Vergilius lib.6. Dixitque nouissima uerba: id est, Ilicet. nam Vale dicebatur post tumuli quoq; peracta solennia. Varro dicit pyras ideo cupresso circundari, propter grauem ustrinæ odorem , ne offendatur populi circumstantis corona , quæ tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, id est, principi planctuum, quamdiu cōsumto cadauere , & collectis cineribus diceretur nouissimum uerbum, Ilicet, quod Ire licet , significat. Seruius.

INCLAMARE.

Vxoribus.

P.SCIPIO Africanus cùm Tiberio Graccho filiā Corneliam despondisset, domum reuersus, à uestibulo Antistiam uxorem inclamauit, Corneliæ se maritum inuenisse. At illa, Ecquid uerò maturato opus erat, nisi fortè illā Tiberio Graccho elocasti? Plutarchus.

Mortuis.

Plinius libro Historiæ nat. septimo , inter ademtæ memoriæ exempla commemorat Coruinum Messalam oratorem , qui nominis etiam proprij fuerit oblitus : quū id defunctis etiam agnosci creditum sit aliquandiu. Atq; hinc mos PRISCIS, priusquam rogo imponerent cadauera, nomē proprium inclamandi. Erasmus in Adagijs.

SOLILOQVIVM.

Μονῳδία, cùm quis solus secum loquitur. At cùm oratio sit inuenta,ut sensum animi nostri alicui patefaciamus, qui soli loquuntur, uel insani uel animo cōmoti uidentur esse. Eaq; propter apud scenicos non nisi iratis aut lætis: aut cura alia pturbatis conceditur. Sic apud Terent.in Hecyr. BACCHIDIS monodia est, apud Eurip. in Med. NVTRICIS. Vict. lib.31.Var.cap.8.

ANTISTHENES Atheniēsis philosophus, cùm, quid ex philosophia præsidij cepisset, interrogaretur: Vt alterius colloquio solus non egeam, respondit. Laert.lib.6.

CONIVNCTIONIS NOTAE.

COMPLEXVS MVTVVS.

MEDEA disputans secũ, an debeat interficere liberos, eos ultimo complexu excipiẽs inquit apud Euripidem in Medea:

——Ω γλυκεῖα σαρκὸς ἁφή,
ὦ μαλθακὸς ζόης πνεῦμά θ' ἡδὺν τέκνων.

O dulcis applicatio, ô tenerum corpus, anhelitusque suauissimus liberorum.

M. MINVTIVS equitum magister, à Q. Fab. Maximo dictatore ab imminenti periculo liberatus, cum amplexus & osculatus est. Idem erat cernere per totum exercitum: nam complexu sese mutuo & osculo exceperunt. Plut. in Fabio.

M. CATO Censorius, Stoica uir disciplina, nunquam se, nisi tonante Ioue, à Martia uxore complexum dicere solebat. Plutar. in eius uita.

M. CATO Vticæ moriturus amplexu arctissimo suis omnibus ualedixit, pòst pugioni incubuit. Plut.

Roma secũdùm à Totila Gothorum rege capta, Paulus equitum præfectus ex Sicilia, cum quadringentis EQVITIBVS põtem & molem Adriani insedit. Eius uerbis incensi equites, cõplexi inuicem & osculati, certissimo moriendi proposito in proximã Gothorũ stationẽ irruere uolebant, factaq; permagna hostiũ cede, pugnãdo interiere. TOTILAS caduceatore ad eos misso optionẽ permisit, an receptis armis & equis militare uellent Totilæ. Statim omnes militare regi elegerunt, præter Paulum præfectum, & Isaurum quendam, qui quòd uxores haberent & liberos, ire Constantinopolim maluerunt: quos rex uiatico & cæteris rebus adiutos abire permisit. Cranzius lib. 4. Sueciæ, cap. 18.

OSCVLATIO.

Φιλήσεως hoc signũ est, semperq; fuit, & intimæ dilectionis indicium, nunc uerè, nunc simulatæ. Per accidens autem uenerationis quoque symbolum esse potest, quatenus scilicet uenerationi beneuolentiam secum habet iunctam. Sic summo Pontifici, summi honoris ergò, reges terræ pedes deosculantur: sic in Sacris literis passim ex linguæ Hebraeæ proprietate Deosculatio pro uneneratione ponitur, teste Calo.

QVI QVOS.

Mulieres.

LEGATI Persarum à Dario missi in Macedoniam, terram aquamq; petentes, à rege Amynta magnificè excepti, in cõuiuium Græcas mulieres quoq; introduci petierunt. Amyntas nihil denegare ausus, introduxit quidem, sed ex aduerso sedere iussit. Ibi cùm legati earum aspectu eliqueſcerent, & assidere sibi rogarẽt: etiam hac in parte morem illis gessit Amyntas. Tũ illi assidentes patrio more contrectare & suauiari cepere. Quam intemperiem indignatus Alexander regis F. ablegato patre, mulieres tanquam ad concũbitum cuocans, illarum loco adolescentulos habitu muliebri introductos singulis adiunxit, à quibus ficas clàm gestantibus Persæ interfecti fuere. Herod. lib. 5.

ROMANI cognatas mulieres oris osculo salutare consueuere. Cuius rei Plut. in Problem. & de Claris mul. cap. 1. alias ponit causas, sed & hanc, quòd mulieribus Romanis uini usus interdictus esset, & idcirco ne bibentes laterent, sed domesticorum congressu redarguerentur, osculandi consuetudinem introductam.

ANGLORVM mulieres non cognatos modò, ut Romanæ, sed quoscunq; generatim osculo tantùm salutant, resalutantes, & illud quidem prioribus, uti dicitur, labris, tam decentissimè, quàm honestissimè faciunt. At quæ regio sunt sanguine editę, non osculo inferioribus libant, sed manũ auersam porrigũt, perinde ac uiri inter se salutationis causa solent dextrã iungere dextræ. Polyd. l. 4. c. 13. de Inuent.

Pueros.

ALEXANDER Magnus, cùm Darij matrem, uxorem & filium in potestatem redegisset, puerum in amplexum sustulit. Qui cùm ab osculo & complexu eius aliquãdiu pependisset, Alexãder ad Ephestionẽ conuersus, Quàm uellẽ, inquit, Darius uel tantillum ex hac indole habuisset. Diod. lib. 17.

Puellas.

RODOLFVS I. Imp. senex puellas osculari in summis habebat delicijs. Cuspinianus.

Reges, Principes.

Chares Mytilenæus Alexandrum magnum prædicat in conuiuio quodam, cùm bibisset, phialam uni ex AMICIS porrexisse: illum phiala accepta ad aram uersum assurrexisse, ac cùm hausisset, adorasse primùm, deinde osculatum Alexandrũ in conuiuio, mox accubuisse. Atq; id similiter deinceps omnes feciſſe, unico excepto Callisthene. Plut. in Alc.

ROMANOS principes peregrè profecturos, & mox urbem repetentes, condito more senatores osculo excipere solitos, testatur Cælius. Iisdem milites dextras uictrices deosculabantur, seruatæ fidei gratia. Alex. ab Alex. lib. 2. ca. 19.

Legatos.

Seuerus, qui postea Imperator fuit, legatus pro consularis in Aphrica, municipem suum LEPTITANVM fustuario admouit, quòd se, quem diu non uiderat, ueteri consuetudine fretus, ex occursu, complecti & osculari ausus esset, adhibito elogio, Legatum pop. Rom. plebeius homo nõ remerè amplexaberis. Sab. lib. 5. En. 7.

Filios.

ISAACVS filium Iacobum priùs osculatur, quàm benedicat: Esao, qui tardiùs uenerat, prospera quædam precatur, uerùm absq; osculo. Genes. cap. 27.

DAVID rex Absalomum filium ab exilio reuocatum deosculatus est. 2. Regum 14.

Vxores.

M. Cato Censorius MANLIVM senatu mouit, quòd interdiu præsente filia uxorem suauiasset: asserens, se nunquam, nisi cùm tonaret, à sua complexum. Alex. lib. 2. cap. 25.

Maritos, Cognatos.

Pleriq; capta Troia profugi, tempestate & nauigandi imperitia ignoto pelago in Italiam delati fuere. Cumque ad Tyberim fluuium ægrè tenuissent stationem & portum necessarium, uiriq; per agrum uagarẽtur, ut aliquos exciperẽt, ex quibus, qua in regione essent, discerent: mulierib. TROIANIS subijt cogitatio, quamcunq; sedem in omni errore & nauigatione hominibus aspirante fortuna esse amplectendam, patriamq; faciendam, cùm recipere amissam non ualeant. Vnde coitione facta naues, una precunte, ut aiunt, Roma, incenderunt. Quo perpetrato, uiris se, qui ad mare opem laturi accurrebant, obuiam dederunt. Cumq; infensos timerent, hinc uiros, hinc necessarios complexæ osculatæq;, abunde hac comitate eos placauerunt. Hinc inolenit mos, qui etiam nunc manet, ut mulieres Romanæ osculo propinquos salutent. Nam cùm necessitatem cognoscerent Troiani, simulq; incolarum aduersus se benignitatem & humanitatem experirentur, collaudarunt fœminarum factum, ibique unà cum Latinis consedere. Plutar. de Virtutibus mulierum.

Fratres.

ESAVS Iacobo fratri in Cananæam redeunti ex Mesopotamia obuiam factus, in collum eius insilijt: eumq; complexus, flens flentem osculatus est. Genes. 33.

Mortuos.

IOSEPHVS patriarcha, mortuo Iacobo patre, eius faciem cum fletu osculatus est. Gen. 50.

QVA PARTE. Osculari

Os.

PERSAE si in uia sibijnuicem occurrant, salutationis loco sese mutuò osculantur. Quòd si alter fuerit humilior paulò, genas osculantur duntaxat: sin autem fuerit alter multò ignobilior, prostratus adorat honoratiorem. Herod. lib. 1.

Chyrra Polluci, uel Chytron Suidæ, modus osculandi apud ANTIQVOS, cùm apprehensis utrinque auribus pueros puellasúe exosculabantur. Hinc Tibullus:

Oscula comprensis auribus eripiet.

Plut. in eo qui De audiendo inscribitur, rationem affert, quòd puerorum aures bonis sint imbuendæ colloquijs. Gyraldus Dialogo 6. Hist. poet.

Humerum.

GEMES Othomannus ad Alexandrum VI. Pp. missus à Rhodiensium militum magistro, nõ pedes illius pro more, sed humerum osculatus est.

Manus.

ROMANI milites Imperatorum uictrices dextras deosculabantur, quòd fideli illorum imperio hostes uicissent. Alex. lib. 5. cap. 3.

Nostri ANTISTITES dexteram manum auersam adeuntibus religiosè osculandam porrigunt, inquit Polyd. de Inuent. Plin. 11. dicit religionem aliquam esse in dextera, quæ in fide porrigitur, quæ osculis auersa appetitur. Testatur idem Apuleius libro Asini sui secundo.

Pedes.

Testis est Seneca lib. 2. de Benef. cap. 12. C. IVL. Cæsarem porrexisse ad osculandum sinistrum pedẽ Pompeio Pœno, ut ita ostẽderet fœculum auratum, margaritis q; distinctũ.

C. CALIGVLA Imp. osculabatur paucos: manum suam pedemúe plurimis ijsque senatoribus ad osculandum præbebat: ita ut ij, quos ipse osculatus esset, ei etiam in senatu gratias agerent: licet talcatores quotidie in conspectu omnium oscularetur. Suet.

Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, pòst suis manibus subleuabant ad oris osculum, uel gus genua exosculabatur. DIOCLETIANVS edicto sanxit, ut omnes, sine generis discrimine, prostrati pedes sibi exoscularentur: quibus etiam uenerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, & margaritis. Pomponius Lætus.

MAXIMINVS Imp. ob corporis robur superbissimus, pedes osculandos offerebat se allo quentibus. Alex. lib. 2. cap. 19.

Sacerdotibus ROMANIS pedes olim reliqui osculabantur. Plutarchus.

ROMANI põtifices deosculandos pedes exhibendi morem à Christo accepisse uidentur. Christus Magdalenæ osculandos pedes permisit sponte peccata fatenti, & suam misericordiam non solo amplexu genuum, ut ethnici, sed etiam osculo pedum imploranti: hoc ipsum honoris genus alioqui nõ minus repudiaturus, etsi sibi reuera debitum, quàm appellationem Magistri boni.

Carolus Magnus ADRIANI põtificis pedes osculatus scribitur à Blondo Dec. 2. lib. 1. Crãzius in Metropoli lib. 2. c. 1. Iustinianus Imp. CONSTANTINI papæ. Platina. Luitprãdus rex Longobardorũ STEPHANI II. Blondus Dec. 1. lib. 10.

Henricus V. Imp. ad pedes PASCHALIS II. Romani pontificis corruit, exurgensq; in nomine Trinitatis, in ore, in fronte, & oculis, pacis osculum ei fixit, stratorisq; impleuit officium: moxq; dexteram pontificis apprehendens, ad templũ simul iuere. Chronicon Cassinense lib. 4. cap. 41.

Crescentius Romanus, Othonis Imp. aduentũ formidans, IOANNEM XVII. Pp. à se profligatum, ex Hetruria reuocauit: eiq; cũ cæteris senatorij ordinis uiris, ac plebis ingenti multitudine obuiam processit: & ad pedes eius pronolutus, eos osculatus est, supplexq; ueniam impetrauit. Platina.

IVSTINIANVS Imp. Nicomediæ pedes papæ Constantini populo aspectante osculatus est. Liber pontificalis in eius uita.

Roberti Normãnorum ducis minister quidam NORMANNVS, cui Carolus Simplex Francorum rex ad osculandum pedem protenderat, mordicus apprehenso pede, regem resupinauit. Cranzius lib. 2. Norua giæ, c. 26.

CVR. CAVSA

Congratulandi.

PHILIPPVS Macedoniæ rex Alexandrum F. qui solus Bucephalum equum domare poterat, omen inde futuræ felicitatis & uirtutis sumens, præ gaudio deosculatus fuit. Plutar.

M. LIVIVS & Cl. NERO consules, ob rẽ aduersus Hasdrubalem ad Metaurum prosperè gestã, decreto patrum Romam ambo uno tempore uenerunt. Eos circũfusa multitudo non solùm salutauit, sed dextras etiam uictrices, quæ Romano Populo salutem peperissent, certatim osculati sunt ciues. Inde senatu ad ædem Bellonæ illis dato, quũ petijssent ut pro rebene gesta diis immortalibus gratiæ agerẽtur, sibiq; triũphus decerneretur, responsum est, & eos iusta petere, & senatum libenter ea decreturum. Sab. lib. 5. En. 5.

M. Cato minor Trib. mil. in Macedoniã missus ad Rubriũ prætorem, ita se cum MILITIBVS gessit, ut explera militia lacrymis cõplexibusq; prosecuti sint, substernẽtes in uia, qua pergebat, uestes, manusq; eius deosculãtes. Plu. in eius uita.

CONSTANTINVS Imp. in Nicæna Synodo, si quos uidebat ex Episcopis ob Christianã professionem aliqua parte corporis læsos, uel mutilatos, & manibus suis stigmata contre ctauit, & deosculatus est.

Salutandi.

IACOBVS patriarcha in Mesopotamiam profectus, cùm ad puteum Racheli filiæ aununculi sui Labanis occurrisset, eam cum fletu osculatus est. Genes. 29.

AARON Mosi fratri, in Aegyptũ à Domino misso, pro liberando Israelitico populo, in deserta obuiam processit, eiq; in monte Orebo occurrens, deosculatus est eum. Exodi 4.

Iethro Madianitarum pontifex, audita uictoria Mosis generi sui de Amalecho, cum Sephora filia uxore Mosis & duobus liberis Gersonio & Eliezere, in castra ad montem Sina uenit. Cui MOSES obuiam profectus, eum honorificè osculatus est. Exodi 18.

PERSARVM mos erat, ut si pares essent, osculo impartirent quos honorabant: inferiores uerò salutando, potentiorum genas manu tangerent. Cognatos reliquosq; necessarios, ubi diutius abfuissent, aut longius essent abfuturi, se inuicẽ osculari frequens usus erat. Alex. lib. 2. c. 19.

Valedicendi.

LABAN ictò fœdere cum Iacobo genero in monte Galaado, nepotes & filias suas deosculatus manè abiit. Genes. 31.

EPHESII fideles magno cum fletu in Pauli apostoli collum illapsi, eum deosculabãtur: eo maximè dolentes, quòd Hierosolymam proficiscens, se posthac præsentem uisuros negasset. Actorum 20.

Osculari manum ualedicentes apud ROMANOS solebant. Vide Tit. Morbos tolerare.

Religionis.

Olim in CHRISTIANA Ecclesia festa luce quicũq; sacrorũ Christianorum causa sacerdotibus assistebant, dum rem diuinam facerent, pio instituto osculo pacis mutuam inter se firmabant charitatem. Sab. lib. 6. cap. 1. Exemplorum. Occasio huius ex D. Pauli uerbis ad Rom. 16. fluxit, ubi inquit, Salutate inuicem osculo sancto. Haymo super eum locum.

Reconciliationis.

Seneca lib. de Benef. 2. c. 12. C. IVL. Cæsar dedit uitam Pompeio Pœno, si dat qui nõ aufert. Deinde absoluto & agẽti gratias porrexit ad osculandum sinistrũ pedẽ. Qui excusant eũ, negant id insolentiæ causa factũ: aiunt fœculum auratũ, imò aureum, margaritis distinctum, ostendere cum uoluisse.

Amicitiæ.

Chares Mytilenæus Alexandrum prædicat in conuiuio quodam cùm bibisset, phialam uni ex AMICIS porrexisse, illũ phiala accepta ad aram uersum assurrexisse, ac cùm hausisset, adorasse primùm, deinde osculatum Alexandrum mox accubuisse. Quem postea secuti omnes similiter fecerunt. Plut. in Alexandro.

Amoris uenerei.

THRASYMEDES, Philomelæ filiæ Pisistrati amore captus, eam in pompa ingredientem accurrens osculabatur. Fratribus uirginis ægrè ferentibus, & non ferendam contumeliam existimantibus: Pisistratus, Si, inquit, amantes pœnis afficerimus, quid istos faciemus, qui nos odio prosequuntur? Polyæn. libro quinto. [redacted]

EVRIPIDES tragicus dixit, cùm Agathonem illum formosum, qui iam barbam germinabat, amplecteretur & suauiaretur, Pulcrorum etiam autumnum pulcrum succedere. Plutar. sermone Amatorio.

AGESILAVM Spartanorum regem MEGABATES Spiridatæ F. more Persarum osculãdi eos, quos in honore haberẽt, osculari aggrediebatur. Ille uerò, licet puerũ ualde amaret, quo minus id fieret, seriò repugnauit, ita ut se Megabates iniuria putaret affectum. Plutarchus, & Xenophon.

Fama tenet Herculem cum LAVRENTIA formosissima puella Romę in suo fano congressum, iussisse ei, ad forum manè se conferret, & in quem incidisset primùm, eum osculo dato amicitia sibi iungeret. Occurrit ei quidã ex ciuibus opulentus uir & magno locò natus Tarrutius, liberis orbus & cælebs. Hic Laurentiam complexus, multorum & luctorũ prædiorum reliquit moriens hæredem. Plut. in Romulo.

[redacted]

ALOYSIVS Antonij Venerij ducis Venetorum F. puellę amasiæ suæ in publica occurrenti uia inuitæ etiam osculum obtulit. Repudiatus autem ab ea, ianuis eius bubula cornua affixit. Egnat. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 3. Fulgos. lib. 5. c. 8.

Fidei.

Carolus Simplex Francorum rex ROLLONEM Normãnorum ducẽ fœderis sanciendi causa euocarat, sacro iam fonte lotum, & Robertum dictum. Erant ex Francis, qui horrarentur Robertum procumbere, & osculũ pedibus regis imprimere. Horrebat liber animus ducis inuicti seruile ministerium: alium ex astantibus officio uicarium dedit, cui rex pedem protendit. Ille mordicus apprenso pede regem resupinauit. Indignati nõnulli ex Frãcis infremuere: alij altiùs secum populi libertatem & fero citatem reputantes, regẽ placauere. Cranzius lib. 2. Norua giæ c. 26.

Indicij.

EMERICVS Vngarorum regis filius, à puero literarum studiis deditus, cœnobium D. Martini montanũ ingressus, monachis impari numero osculum fixit. Cuius rei causam quærente patre Stephano, respondit: Continentiæ discrimen se hoc pacto ostẽdisse. Cùm aũt filius Maurum septies exosculatus esset (qui numerus perfectionis est) pater cum Quinq; ecclesiensi præfecit episcopatui. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

Proditionis.

IVDAS Ischariotes osculo prodidit Iesum Christum Saluatorem nostrum. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 18.

NON OSCVLARI.

NVMIDÆ reges more gentis suæ nulli mortalium osculum ferebant. Quicquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit uenerabilius, uacuum esse conuenit. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

SEMPRONIA Tib. & C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Aemyliani, à trib. pleb. producta ad populũ, ut Equitio, cui Sempronię gentis falsum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij

berij fratris sui osculum daret: illum,ut portentum, execrabili audacia ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem,repulit.Val.Max.lib.3.cap.8.

D.AMBROSIO (à Valentiniano Imp. ad Maximum tyrannum Treuerim misso ad fratris Gratiani ab eo occisi corpus repetēdum) cùm Maximus assurrexisset, ut osculo eum exciperet: ipse se ne cùm uocaretur quidem mouit, quin potiùs eum propter proditionem increpauit.Fulgos.lib. 6. c.2.

ROLLO Normanniæ dux in Caroli Simplicis Gallorum regis amicitiam receptus, pedes eius osculari renuit, sed suo loco uicarium adhibuit.Cranzius lib.2.Noruag.c.26.

REPELLERE AB OSCVLO, Contactu.

Apud Theocritū ἐν βουκολίσκῳ, EVNICA puella ciuilis, rusticum,basium dare conantem,ab se repellit,dicens:

— ἔῤῥ' ἀπ' ἐμεῖο.
Βουκόλος ὢν μ' ἐθέλεις κύσαι, τάλαν; οὐ μεμάθηκα
Ἀγροίκως φιλέειν, ἀλλ' ἀστυκὰ χείλεα θλίβειν.
Μή τύγε μευ κύσης τὸ καλὸν στόμα, μηδ' ἐν ὀνείροις. id est:
—Aufer te hinc procul,inq; malam rem:
Tu mihi suauiolum dare uis homo rusticus?atqui
O miser haud didici dare basia agrestibus unquam,
Sed magis urbanis soleo oscula figere labris.
Non mihi tu nitidum os labris sordentibus unquam
Contigeris,nec per somnum.

[redacted]

FERIRE, VERBERARE.
QVEM. PVTA
Vxorem.

CHILIDON ab Hipposthenida Thebano missus ad exules Thebanos, Archiam tyrannū opprimere cogitantes, ne eo die uenirent: dum domo equum petit, uxor eius se uicino frænum commodasse respondit. Fremente illo, ad diras imprecationes conuersa, malum illi iter,malumq; reditum imprecata est. Ille ad uerbera usque ex flamma prouectus, mox concursu facto uicinorum & fœminarum fœdissimè illam accepit & acceptus est: adeoque mandatum peragere non potuit.Plut.de Socratis dæmonio.

Discipulos.

[redacted]

AESCHINES apud Theocritum Idyllio 14. Cyniscam animaduertens ad Lyci riualis nomen erubescere inter compotandum:

——πὺξ ἐπὶ κόῤῥας
ἤλασα, κἄλλαν αὖθις. hoc est, pugnum in faciem impegit,moxque rursus alium,inquiens.
——ἐμὸν κακὸν οὔτι ἀρέσκω;
ἄλλος τοι γλυκίων ὑποκόλπιος, ἄλλον ἰοῖσα
θάλπε φίλον.

Manum.

Antiquitùs LITERATORES discipulorum manus ferula cædebant. Hinc natum adagium,Manum ferulæ subduximus: id est,nos quoque literas didicimus, & præceptorum opera sumus usi.Erasmus in Adagiis.

QVO. VERBI CAVSA,
Manu.

Planesium meretrix apud Plautum,AMATOREM admonēs, ne seruum,'qui iam ad plagas obduruerat occalluerat que, pulset, manui potius quàm illi nociturus,Noli,inquit,amabò uerberare lapidem,ne lædas manum. Erasmus in Adag.

Calceo,Ferula.

Fames ex squallore infestauit Delphos, qui ad fores REGIS supplices cum liberis & coniugibus proiecti sunt. Ille farinam & legumina nobilioribus eorum prębuit.Neque enim sufficiebant omnibus. Cùm obtulisset se Charila puella adhuc paruula parentibus orba, quæ precibus eum urgebat: percussit hanc calciamēto, incussitque id illius faciei. Quæ, quamuis paupercula & desolata, moribus tamen non degener abscessit, solutòque cinctu seipsam suspendit. Gliscēte fame,accedentibusque morbis, respōdit regi uates, propitiaret uirginem Charilam, quæ sibi mortem ipsa obtulerat.Vt tandem id nomen cæsæ calciamento puellæ compererunt fuisse, mistum lustrationi sacrificium susceperunt: quod etiam nunc nonò quoque annò perpetrant. Præsidet rex, farinam & legumina omnibus peregrinis & ciuibus largiens. Adducitur Charilæ pueroli specie simulacrum. Postquam omnes iam acceperunt, cædit rex simulacrum calciamento, quod princeps Thyadum tollit, portatque ad locum cauum, ubi loco simulacri funiculum deligant, idque defodiunt, quo loco strangulatam tumulauerunt Charilam.Plut.in quæst.Græcis.

CVR. CAVSA
Religionis.

Romæ ancillis ædes est Matutæ inaccessa: unam uerò FOEMINÆ solam inducunt, cuius maxillam cædunt, & alapis percutiunt,fabulæ causa.Siquidem Ino ancillam de uiro habens suspectam,in filium sæuisse perhibetur.Ancillam illam memorant Aetolia oriundam Græci, dictamque Antipheram fuisse. Hinc Chæroneæ pro fano Matutæ tenens æditUus flagellum proclamat: Ne seruus introeat, neu ancilla, nec Aetolus uel Aetola.Plut.in quæst Rom.

Amoris.

MOSCHÆ mulieres nisi à uiris & sæpe & uehementer pugnis fustibúsue dedolētur, odiose ab illis se haberi suspicātur.Idem de SERVIS traditur.Guagninus in Moscouia.

Libertatis.

Ῥαπίσματα Iustinianus appellat colaphos, quibus cædi liberi, cùm manumitterentur, solebant. Hunc autem cædendi morem etiam in seruorum manumissionibus seruare solitum, Isidorus testatur lib. Etymolog.9. cap. 4. Cornutus in Persium: Quoties, inquit, manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde Manumissio dicta est eò,quòd manus eis immitteretur. Existimare licet, colaphos & alapas illas in liberorum emancipationibus propterea institutas, quòd pro seruis eiecti,& de potestate ac familia dimissi fingerentur. Hotomannus de Verbis iuris.

Ignominiæ.

Anno 1153. PARMENSES adiunctis Mutinensibus in agrum Regiensem hostiliter incurrerūt, ac Regium præteruecti effuso cursu usque ad amnem Siclam populabundi processerunt. Abeuntium inde extremum agmen Regienses adorti, manum cum eis, sed infelici euentu, conseruerunt. Nam usque ad urbem à Parmensibus fugati, plerique capti, ac Parmam traducti,quarto inde die festo Assumtionis dimissi,singuli baculo, infulaque, alapa in ceruicem inflicta, donati. Ab ea ignominia Regij Scoppacciatorum pòst nomen increbuit.Sigonius lib.12.regni Italici.

IMPETERE, PETERE.
Malis, Rosis.

Plutarchus in Symposiacis indicat olim fuisse morē,ut in eos, qui semper uincerent, malá,rosas,nonnulli etiam mala Punica iacerent.Erasmus in Adagiis.

Calceo.

Limigantes Sarmatæ excursione in Romanorum Pannoniam facta, pacis exposcendæ simulatione ad Constantium Imp. Syrmij agentem admissi erant. Ibi uiso Imperatore ex alto suggestu iam sermonem parante lenissimum, meditanteq; adloqui uelut morigeros iam futuros, QVIDAM ex illis furore percitus, calceo suo in tribunal contorto, Marha, marha, quod est signum apud eos bellicum, exclamauit: eumque secuta incondita multitudo, uexillo elato repentè barbarico ululans, in ipsum principem impetum fecit. Qui cùm ex alto despiciens, plena omnia discurrētis turbę cum missilibus uidisset, quia neque cunctandi aderat tempus neque cessandi, equo ueloci impositus cursu effuso euasit. Marcellinus lib.19.

Dentibus.Mordere.

Apud Spartanos IREN puerorum præfectus & ipse puer à cœna pueros uel cantu,uel laconicis problematis exercebat.Si quis malè respondisset, pro pœna mordendum Ireni pollicem præbebat.Plut.in Lycurgo, & Laconum Rep.

ALCIBIADES etiamnum puer in lucta deiectus ab aduersario, manum illius mordicùs apprehendit.Tum ille, Siccine mulieres imitaris?exclamauit.At puer,Non mulieres,sed leones.Plut.in Apophthegmatibus.

Lapidibus.

☞ *Locum Lapidibus obrutorum uel uulneratorum consule. Hîc solus impetus, licet nulla subsequente læsione, perpenditur.*

Sputo.Conspuere.

Apud Israelitas,si noluisset quis fuā glorē ducere,& illa leuirū apud senatores accusasset:in præsentium senatorū, ad eum glos accedere, eiq; calceūm de pede detrahere,& faciem eius conspuere tenebatur,ita dicēs,Sic fit homini, qui fratris sui domum sobole non instruit.Deut.25.

DIONYSIVS tyrannus Aristippum conspuerat. Aegrè id ferentibus aliis,At uerò piscatores, inquit, ut gobium capiāt, marinam neque ipsi asperginem metuunt.Laërtius lib.2.

Cùm CONSTANS Imp. germanum suum fratrem Theodosium interfecisset: crebrò per quietem fratrem uidit habitu diaconi,poculum sanguine plenum porrigentē, atq; dicentem: Bibe frater. Eius uisi acerbitate uictus, statuit in Siciliā abire:relictisque in urbe uxore & tribus filiis, celocem conscendit:conuersusq; retrò, urbem,Imperij sedem, conspuit. Cedrenus.

PVELLA barbara cùm funus Heraclij Imper. uxoris defunctæ duceretur, de loco superiore in illud expuens, capite multata fuit.

Lotio, Stercore.

CORINTHII quòd legatos Rom. stercore conspurcassent, urbis suæ excidio luerunt.

CAPVT ALTERIVS
Tangere.

IAVÆ Indorū insulæ incolæ, si quis caput alicuius manu tangit, eam iniuriam armis acerrimè persequuntur. Osorius libro 8.rerum Em.

Demulcere.

DEMEA apud Terentium,Syro reconciliatus,inquit:
Huc ad me,Syre,tibi ut caput demulceam.

Perfundere Vnguento,Fructibus.

Moris ATHENIENSIVM fuit, nouitiis seruis primùm ingredientibus domum, prope focum perfundere per illorum capita palmaceos fructus, collybos, id est, numos, legumina, caricas, nuces, id genus plura, quæ à conseruis sic effusa rapiebantur, & à re dicebātur catachysmata, quoniam catachysis, profusio est. Erat hoc illis εὐετηρίας σημεῖον, hoc est, annuæ ubertatis indicium. Quin & sponsi caput perfundere sic quoque assueuerant: quorumcunque item, ominis boni captandi gratia.Instituti eius meminit Theopompus. Cælius libro 26. capite 6. Antiquarum Lectionum,ex Suida.

PLATO lib.3. de Repub. Homerum & reliquos eiusdem generis poëtas, quoniam mores optimos, quos ipse summo studio instituerat, corrumperent, ut in quorum cantu diuersæ formæ mutationum essent, è ciuitate emitti iubet, redimitos coronis laneis, & unguentis perfusos. Apud Cic. in 6. Verrina, SEGESTANÆ mulieres cùm Dianæ simulacrū exportaretur ex oppido, unxere unguentis, coronis & floribus compleuere.

Themistij PATER cùm Epicurum exturbaret è choro philosophorum, unguēto supra caput effuso exprobrare ei uoluit, quòd toto corpore persecutus fuisset uoluptatem.

CAPVT SVVM
In sinu alterius deponere.

PHALANTHVS Spartanus coloniam Tarentum deducturus,oraculum Delphis acceperat, cùm sub Aethra pluuiam animaduertisset, tunc se agri & urbis istius compotem fore. Cęterùm uariis bellis agitatus,cùm neque urbe neque agro ullo potiri posset, mœrore perculsus in Aethræ uxoris sinu caput reposuit. Quæ dum pediculos legeret, sortem simul mariti effusis lacrymis deplorauit.Ille lacrymas in caput decidentes sentiens, oraculi recordatus, sequenti nocte Tarentum urbem maximam & opulentissimam cœpit. Pausanias in Phocicis.

SAMSON fortissimus Israëlitarum iudex in Dalilæ scorti sinu capite deposito obdormiens, cæsarie fatali ab ea priuatus, à Philistæis captus est.

Pectere.

LACEDÆMONII cum hostibus conflicturi comam prius pectebant. Sic Clearchus apud Xenophontem.

SVEVI olim præ cęteris Germanis obliquare crinem,radioq; substringere solebant. Ea cura formæ, sed innoxiæ. Neque enim ut ament amentúrue:in altitudinem quandam & terrorem adituri bella comti, ut hostium oculis, ornabantur, ita ut uel capillum retro sequerentur, uel in solo uertice religarent, principes præsertim. Corn.Tacitus.

AVREM VELLERE.

Vt frons antiquitùs erat sacra Genio, ueluti scribit in Maronis Silenum Seruius, ut digiti Mineruæ, gemma Misericordiæ, ita auris Memoriæ deæ, quam Græci μνημοσύνην uocant. Ideo si quem facti alicuius admonebant, imam aurem ueteres tangebant. Propterea tinnitū ferunt aurium, absentium de nobis sermones præsentiri. Alex.lib.2. cap.19.

Prisco ritu in ius ducturi quempiam aurem uellicabant, attestantes eum, quem quasi testem meminisse uolebant. Inde Horatianum illud in Sermonibus,
—&, Licet antestari? Ego uerò
Oppono auriculam. Erasmus.

MYRTIS Argiuus Cleonymum saltatorem & adulatorem, iudicibus sese ingerere solitum aure apprehensum ex subsellis extraxit, inquiens, Neque hîc saltabis,neque arcana audies. Athen. libro sexto,cap.sexto.

DEXTRAM PORRIGERE, Manum dare.
QVI QVIBVS.

Dum exules Thebani Archiam tyrannum interficiunt, Leontidas CEPHISODORVM ex coniuratis unum pugione prostrauit: sed Pelopidas Leontidam super Cephisodorum iugulauit. Cephisodorus simul ac conspexit cadentem hostem, dextram porrexit Pelopidæ, ac cæteris simul salutatis lætus expirauit.Plut.de Socratis dæmon.

QVOMODO.
Per se.

IEHVS Iosaphati F. occupato regno Israelitarum, cùm Samariam contenderet,in uia incidit in Ionadabum Rechabi F. uirum optimum, eumque in suas partes dextra data pertraxit,seque comitari iussit,spectatorem suæ erga Baalis sacerdotes uindictæ.4.Regum 10.

Per alium.

Mentor Rhodius, Græcorū mercenariorum, qui Sidoniis ab Artaxerxe rege deficientibus auxilio uenerāt,dux proditione urbis gratiam à rege impetraturus, Thessalionem misit ad regem.Hîc cùm Thessalio sibi à Mētore, ut eius dextram fidei causa reciperet,iniunctum dixisset: rex, ueluti fides dicto suo non haberetur, Thessalionem capite plecti iussit. Is ad regem conuersus inquit,Facies quidem, quod tibi libuerit: sed Mentor, cui illa omnia peragere in promtu est,quòd fidem dare detrectaueris, nihil prorsus promissorum efficiet. Admonitionem eam rex secum uoluens, resipuit: apparitoribusque reuocatis, dimisso Thessalioni dexteram porrexit: quæ res apud Persas pro firmissima fide habetur. Itaque in societatem proditionis adscito Tenne, quem Sidonii regem crearant, urbs Persis prodita est. Diodorus libro decimosexto.

DARIVS Persarum rex à Besso perfidè iaculis confossus, à Polystrato Macedone aquæ haustu refectus, Alexandro ob clementiam in matrem suam,uxorem & liberos,felicia omnia precatus,dextra pignus illi gratitudinis ergò detulit, & ne corpus suum insepultum iacere pateretur rogare iussit. Sabellicus lib.6.Ennead.4.

CVR. CAVSA
Fidei,in genere.

Dextram in fide porrigi, quis uel ex Plinio non nouit? Cuius rei causam Varro Callimachum secutus esse ait, quòd omnis ueterum auctoritas dextræ manus uirtute constaret. Propterea, inquit, maiorum hæc fuit salutatio, ut hac potissimùm se corporis parte uenerarentur. In Nebulis Aristophanes item ait: κύσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. At interpres, ἔθος δ' ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις βεβαίαις, τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. Cælius lib.4.cap.3.Antiq.Lect.

Apud PERSAS si quid firmum illibatumque uolebant, illud dextræ & fidei pignore sanciebant.Diodorus.

HIRCANOS & Medos dextrām dextræ iungentes conuentiones facere, pactaque sancire solitos, legimus apud Alexand.lib.5.cap.3.

PARTHI apud altaria complexis dextris, tanquam diis testibus & arbitris,pacta faciebant.Ibidem.

NVMA Pompilius fidem in ipsa dextra sacratam esse uoluit: sacrumque Fidei instituit: ad quod flamines curru arcuato, manu in digitos inuoluta, solenni pompa uehi iussit: magno argumēto,illam in dextris sanctam sacratamq;,& propterea minimè uiolandum residere.Alex.lib.2.cap.19.

Licentiæ.

ARTOXERXES Persarum rex data dextra Mithridati Ariobarzanis F. Datamen se interfecturum pollicenti, licentiam dedit impunè ea, quæ uellet,faciendi.Probus in Datami.

Reconciliationis.

C. MARIVS, cùm in Romanos maxima clade sæuiret, quos seruare uoluit, dextra porrecta, aut salute data, incolumes fecit.Alex.lib.5.cap.3.

Salutationis.

Fiebat salutatio more prisco dextram iungendo dextræ: nonnunquam osculo, plerunque assurgendo, caputque denudando.Alex.lib.5.cap.24.

DEXTRAM NON DARE, SVBTRAHERE.

Cùm milites Iulianum Augustum salutassent, & à Constantio Imp. defecissent, solus omnium Nebridius quæstor iusiurandum contra Constantium abnuit, quòd maximis ei se diceret obstrictum officiis. Qua uoce audita, proximi milites eum trucidandum appetierunt. Verùm IVLIANVS hominem ad genua sua prolapsum paludamento protexit. Inde reuersus in regiam, cùm antegressus ille, supplexque ia-

cens oraret, ut ad leuandum timorem dextram porrigeret, Et quid, ait, præcipuum amicis seruabitur, si tu manũ meam attigeris? Sed hinc quò libet abi securus. Hocque audito, ille innoxius domũ in Tusciã abiit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

SOBIESLAVS cùm contra Vladislaum II. Boëmiæ regem patruelem res nouas in Morauia attentasset, Olomucij captus, in arce Prinda aliquot annis detentus, tandem Friderici I. Imper. intercessione liberatus fuit. Sordidatus Pragam adductus, ueste attrita, barba & capillo promisso, templum primò ingressus, Deum adorauit, magna spectantium cum miseratione: inde ad regem uenit, offensionis culpam deprecaturus, à quo leniter & clementer acceptus. Non item à Friderico filio, regni consorte, qui manum illi, prætextu chiragræ, non porrexit. Sobieslaus sibi à Friderico cauens, ne ab eo luminibus priuaretur, ad Cæsarem confugit, & tantum apud eum potuit, ut cùm Fridericum Cæsar confirmare nollet, sed Vladislaum solum regno præesse iuberet, Fridericus sponte exulatum in Hungariam abierit. Mortuo interim Vladislao, Sobieslao tanquam maiori natũ fratri Vdalricus regnum à Cæsare acceptum detulit. Cæterùm non multò pòst Cæsar Sobieslaum, ob Austriæ ducem Perfectum & Emericum Vngarum supplicem fratri proditum regno priuauit, eodemque Fridericum inuestiuit. Dubrauius libro decimotertio.

Edgaro regi Anglorum, licet nondum excommunicato, DVNSTANVS episcopus, ob uitium uirgini Deo dicatę oblatũ, manum porrigere detrectauit, eumq; grauiter obiurgauit: Tu, inquiens, manum audes contingere meam, qui uirginem Deo sacratam non es ueritus rapere? nolo ei esse amicus, cui Christus fuerit inimicus. Mox septem annorum pœnitentiam ei iniunxit. Quibus peractis, absolutus est, & infans baptizatus. Vincentius lib. 24. cap. 87.

MANV MITTERE.

Manumitti seruus dicebatur, quum dominus eius aut caput eiusdem serui, aut aliud membrum tenens dicebat; Hunc hominẽ liberum esse uolo: & eum emittebat manu. Hotomannus de Verbis iuris.

Est differentia obligatorum propter pensionem, & eorum quæ ex conuentione manifestaria pignoris nomine tenentur: quòd manumittere mancipia obligata pignori non possumus: inhabitantes autem manumittimus, scilicet antequam pensionis nomine præcludamur: tunc enim pignoris nomine retenta non liberabimus. & derisus est NERVA iuris cõsultus, qui per fenestrã mõstrauerat detentos ob pẽsionẽ liberari posse. l. pen. ff. in qb. caus. pig. uel hyp. tac. cõtr.

GENVA COMPLECTI.

VETERES gentiles supplicantes, & piè exorare aliquid uolentes, deorum hominumq; genua amplectebantur, manus apprehendebant, & ad genua procumbebant: in his membris numen & sedem miserationis esse arbitrati. Græci mentum tangebant dextra, sinistra genua apprehendebant. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 19. ex Plin. lib. 11. cap. 45.

NOTÆ RERVM PER SE CONSIDERATARVM. CVIVSMODI EST

EQVVS.

PERSEVS Macedoniæ rex magno prælio ad Pydnam uictus à L. Paulo Aemilio, cum equitibus fugiens, ut cum amicis colloqueretur, ex equo descendens, equum manibus traxit: quòd nunquam antè officium sibijpsi præstiterat. Plutarchus in Aemilio.

CANIS.

HEROES olim in concionem prodeũtes canes habebant comites, teste Polluce lib. 4. Ita Hom. Odyss. β.

βῆ ῥ' ἴμεν εἰς ἀγορήν, παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος,
οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.

Et Vergil. lib. 8. Aeneidos:

Necnon & gemini custodes limine ab alto. Item:
—gressumq; canes comitantur herilem.

MVSCA. MVSCAS

Abigere.

POLYTECNVS faber Colophonius ob constupratã Chelidonem sororem uxoris suæ Aëdonis à Pandarei soceri sui seruis uinculis constrictus, nudus melle delibutus in Sole muscis expositus fuerat. Vxor miserta uiri, illi assidens, flabello muscas abegit. Quod factum cùm indignè ferrent serui, à Ioue ille quidem in pelicanum, hæc in alcyonẽ mutata dicitur. Antoninus Liberalis in Transmutationibus.

Configere.

DOMITIANVS Imp. secretum captans pomeridianis horis muscas stilo ferreo uenari solebat. Suetonius.

INSIGNIA DIGNITATIS.

Non deposita.

FLAMINIS Dialis apud Romanos proprium est neque equo uti, neq; plus tribus noctib. extra urbẽ agere, neq; deponere pileũ, unde etiã est flamẽ dictus. Plut. in quęst. Rom.

Abiecta, Deposita.

TIGRANES Armeniæ rex ad pedes Cn. Pompeij abiecto diademate regnum ut prædam captam fœdè deposuit. Plut. orat. 2. de fortuna Alexandri.

SCLERVS Bardas sub Basilio II. Imp. tyrannidẽ affectans, uictus à Phoca, ad Persas confugit. Inde reuersus, cum Phoca contra Imper. conspirauit. Post Phocæ interitum (à quo in uincula coniectus fuerat) iterum res nouas molientem desistere hortatus est. Ergo Basilij literis motus, sese illi traditurus, ad regis tentorium ducitur, tremebundus senex, corpore procero ac prægrandi. Quem ubi rex aspexit inter duos firmatũ ac obambulantẽ: Ecce (inquit) quẽ timueram, nutabundus adducitur & cæcutiens. Cæterũ ubi uidit purpurea calceamenta Scleri (reliquũ enim omnẽ imperatoriũ ornatum abiecerat) oculos cõtinuò auertit, nec illũ alloqui dignatus est, quoad exueret. Egressus itaq; scenã, calceos abiecit: & iterũ ingressus, regem occurrentẽ sibi & assurgentẽ uidit: dextra primũ, hinc mẽsa ab eo dignatus, & Curopalatæ honore ornatus. Cuspinianus, ex Zonara & Cedreno.

Occultata.

PERSEVS Macedonũ rex è prælio ad Pydnã cõmisso cũ equitatu fugiens, peditib. equites ob desertionẽ accusantibus, & quosdã illorum ex equis deturbantib. metuẽs sibi, diadema manibus occultauit, & chlamydẽ detractã ante se tenuit, & per deuia Pellam abiit. Plut. in Aemilio.

LITERAE.

Apertæ, Resignatæ.

☞ *Quod ipsum & Curiositatis & Perfidiæ est.*

Discerptæ.

Florentini Carolũ VIII. Gallorũ regẽ Neapolim proficiscentẽ, ut eo minus infesto uterentur, in urbẽ admiserãt armatũ: domos tamẽ suas singuli militibus clam impleuerant, & si qua uis ab hospitib. fieret, ad maioris cãpanæ pulsum omnes in armis ad certa loca adesse iusserant. Iam cùm rex urbis dominatũ postularet, & intolerabilẽ pecuniæ summam exigeret, quatuor primariis ciuib. Reip. negotiũ cum regis transigendũ committitur: inter quos & PETRVS fuit Caponius. Is cùm à regio scriba compositionis capita iniquissima recitarentur, libellũ scribæ extortũ spectante rege discerpsit, & exclamauit, Vestras uos tubas inflate, nos campanas nostras pulsabimus. Carolus hac uoce motus, ab incepto destitit. Et hinc prouerbij loco iactatum: Gallum à capo uictum fuisse. Guicciardinus.

Boëmis indignè ferentibus Ioannẽ regẽ Boëmiã cum Bauaria cõmutare uelle, eoq; nomine cum LVDOVICO Roman. Imp. iam pepigisse: de rege actũ erat, nisi Imperator Luticiis ueniens, Boëmis pactionẽ, quã cum rege inire ceperat, scriptam ostendisset, in qua disertè appositum erat, ita illam ratam & firmam fore, si communi Boemorum assensu confirmaretur. Itaque in cõspectu omnium diploma discerpsit, atque hoc modo Boemos cum Rege in pristinam beneuolentiam reduxit. Dubrauius lib. 20.

VESTIMENTA.

Mutata.

☞ *Vide locum Scurrilitatis. item Prudentiæ in uita conseruanda, carceribus effugiendis.*

Quum in exiliũ Cicero ageretur, præter senatũ uniuersum, ultra uiginti millia HOMINVM sordidas uestes & fœdũ corporis habitũ induère, ut ob illius calamitatẽ se quoq; funestos & in graui dolore esse ostenderent. Alex. lib. 3. cap. 5.

VLADISLAVS Hungariæ & Boëmię rex, ob mortem uxoris Annæ ex puerperio defunctæ atratus, & intõsus, cùm à proceribus consolandi sui causa audiuisset, Ludouicum infantem regnorum insignibus coronandum esse: felicis nuntij causa habitum lugubrem abiecit, & lautus tonsusq; epulo interfuit publico. Dubrauius lib. 32.

Non mutata.

Cùm M. Manlius causam ad populum diceret, causa affectati regni, ne CONIVNCTIS quidem sanguine, in capitis dimicatione & dubijs rebus, uestem mutarunt.

APPIVS

APPIVS Claudius, quum à tribunis plebis dicta illi dies esset, non modò facie reorum non fuit, sed tanto spiritu & tã contumaci uultu causam egit, ut manente ferocia animi, tribunos perterrefaceret.

SCIPIO Aemylianus, quum esset sibi dies dicta ad populum à Claudio Asellio tribuno pleb. & reus causam diceret, in discrimine mortis, pręter reorum morem, barbam rasitauit, & nitida ueste fuit.

Scissa, Lacerata.

CAIPHAS summus Iudæorum pontifex tanquam blasphemiam audisset, Christi opt. max. sacrosanctam audiens uocem, sic ira excanduit, ut uestem à pectore consciderit.

Excussa.

Cùm NEHEMIAS Iudeę præfectus opulentis persuasisset, ut æs alienum pauperibus remitterent, in concione uestis gremium excutiẽs, Sic excutiat Deus, inquit, omnẽ, qui nõ hoc præstiterit, ex sua domo atq; labore, & ita excussus esto atq; uacuus. Et uniuersa concio, Amen, respondit. 2. Esd. 5.

FRIDERICVS, frater Godefridi Cardinalis, missus à papa legatus Constantinopolim, indicta ibi synodo, cùm Imperator Constantinopolitanus & patriarcha eidem obtemperare dedignarentur: egressus urbe, sandalia sua more Apostolorum publicè super eos excussit. Quo quidem facto, tantum terrorem omnibus Constãtinopolitanis incussit, ut Imperator & patriarcha cũ clero & populo, sequẽti die sacco & cinere obuoluti ad eum prociderent, & Apostolicã authoritatem in eo proni adorarent. Henricus de Erfordia.

Lugubria.

Basilius Macedo Imper. magna Dominica in ædem Apostolorum ueniẽs, CIVESQVE quosdam uidens tristi uultu, eos interrogauit, cur non ipsi quoq; splendido amictu ad eã solennitatem accessissent: sed ueluti in magna aliqua ciuitatis calamitate mœrerent? Vnus eorum respondit: Tibi quidem & tuis splendidè uestiri & lętari conuenit: nõ nobis, qui ob famẽ in extremo mortis discrimine constituti sumus. Tum ille conuocatis & reprehensis frumenti curatoribus, ex suis horreis quamprimum frumentum suppeditauit. Cedrenus.

Lota, Mundata.

Antiquitùs mos erat, Homicidio pollutis uestes suas bis septem inundationibus immersionibusq; lauare. Testis Suidas. Erasmus in Adagiis.

Sublata in altum.

Roma à Gothorũ rege Totila obsessa, Vigilius Romanus Pontifex, cùm in Siciliã ab itinere, quò Cõstãtinopolim à Theodora Imperatrice citatus petebat, diuertisset, magnã uim frumenti nauibus impositã, ad Romanos (quamuis ab eis graui iniuria affectus) mittebat. Quod cũ Gothi præsensissent, naues eas in portũ præueniunt, & post turres ædificiaq; latentes insidias struunt. MILITES, qui in præsidiis erant, de mœnibus & propugnaculis, uestibus sursum eleuatis, manibusq; & clamore, nautis significabãt, insidias in portu collocatas: proinde cauerẽt, ne illuc accederent. Nautę uerò signum non intelligentes, putabant Romanos, qui in portu erant, præ gaudio id signũ dedisse. Ergo celerrimè intra portum cum nauibus aduecti, à Gothis capti, omniq; frumẽto spoliati fuerunt. Procopius, & Sigonius lib. 19. Imp. occid.

CALCEVS

Traditus.

Apud ISRAELITAS qui proximus genere defuncti cognati uxorem assumere nollet, calceum coram iudicib. exuens, alteri, cui & bonorum & uxoris successione cederet, eum tradebat: hæcq; adeò calcei traditio erat perfecta in possessionem missio. Deuteron. 25. & libro Ruth.

Proiectus in faciem.

☞ *Vide Titulum, Proiicere Calceum.*

VNGVENTA.

☞ *Vide paulò antè, Caput perfundere.*

MENSA. HVC PERTINET, MENSAM

Plenam relinquere.

ROMANI mensam non sinebãt sustolli uacuã, sed semper in ea aliquid superesse, fortè seruorum causa. Neque enim ita, quod capiãt, ut quòd participes sint, delectat seruos, cõsortes quodãmodo arbitrãtes se mẽsæ dñorũ. Plut. in quęst. Rom.

Euertere.

NERO Cæsar simulans se cõtemnere & floccifacere Galbam: simul atq; est allatũ, à legionib. Gallicis Imp. salutatũ (fortè lotus tunc prandebat) euertit mẽsam. Plut. in Galba, & Suet.

CORONAE.

☞ *De his, ut Honoris sunt indicia, inter Fortuita.*

Apud barbaras GENTES, inquit Polybius, florentes capiti corollas imposuisse, pacis ferè est atq; amicitiæ signum.

SCVTVM

Quatere, Mouere.

MACEDONVM fuit mos, ut in publica cõsultatione si quid improbarent, hastis scuta quatientes obstreperent, & auersarentur. Alex. lib. 4. cap. 81.

Iulianus Augustus salutatus à militibus, palàm à Constantio Imp. deficientibus, placata ritu secretiore Bellona, milites in concionem uocauit: rebusque à se actis expositis, hortatus est, ut se iurati sequerentur ad prouincias Illyricas, dum maioribus præsidiis uacuæ essent, occupandas. Quam orationem MILITES immani scutorum fragore cõprobauerunt, uniuersique statim in eius nomen gladiis ceruicibus suis admotis, atque execrationibus diris uerbis conceptis iurarũt, se omnes pro eo calamitates, quoad sanguinem profudissent, si necessitas urgeret, perlaturos: quos sequuti rectores, omnesque principes proximi, fidem simili religione firmarunt. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Abijcere.

Vsque adeò probrosum habebatur antiquitùs clypeũ abiicere, ut Lacedæmonij ARCHILOCHVM è finib. suis iusserint excedere, quòd scripsisset, satiùs esse clypeum abiicere, quàm interire, teste Plutarcho in Apophthegmatis Laconicis. Id Archilochi distichon refertur ab Aristophane in fabula, cui titulus, εἰρήνη, estque huiusmodi:

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων. id est,

Scuto aliquis gaudet Saiorũ, ego quod bene pulcrum
Deserui nolens inter opaca rubi.

Interpres admonet, Saios esse Thraciæ populos, aduersus quos bellans Archilochus, fugerit abiecto clypeo. Erasmus.

Apud Aristophanem, CLEONYMVS, in Vespis,

Ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα. id est,

Abiecit clypeum. Erasmus in Adagiis.

DEMOSTHENI probro datũ est ab inimicis, quòd in prælio, quo Philippus Macedonũ rex Atheniẽses apud Chæroneã uicit, clypeo abiecto fugisset, eaq; gratia ῥίψασπις ignominioso cognomine uocatus. Verùm id probri Demosthenes prouerbiali uersiculo elusit:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Erasmus in Adagiis.

Apud GERMANOS scutum reliquisse præcipuum flagitium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multiq; superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. Corn. Tacitus de moribus Germanorum.

HASTA.

GRÆCI qui Cyro militarãt è Perside redeuntes, in fines Macronum ingressi, fœdus cum illis composuere, hasta ab illis (pro more gentis) barbarica accepta, & Græca illis uicissim tradita. Diod. lib. 14.

GLADIVS. GLADIVM

Ostendere.

☞ *Vide paulò pòst, Ostensio gladij.*

Stringere.

POLYNICES Thebas ingressus per inducias, ut cum fratre Eteocle colloqueretur, gladio stricto uenit, insidiarum metu. apud Eurip. Phœnissis.

SCEPTRVM, BACVLVS.

BABYLONII tanto studio sceptra prosequuti sunt, ut extra domum sine sceptro prodire aut conspici, nefas ducerẽt: in quibus diuersas effictas species figurasq; habebãt: quippe mali, rosę, uel lilij, aut aquilæ, alteriúsue auis in summo insignia ferebant. Alex. lib. 1. cap. 28.

Cùm attolleret EVRYBIADES baculũ, ut Themistoclẽ pulsaturus: Pulsa, inquit, sed audi tamen. Plut. in Apophtheg.

CALAMVS.

DEMOSTHENES in cogitando & scribendo calamum ori admouere & mordere solebat. Eodemque gestu Calauriæ in templo inclusum calamo uenenum hausit, ne in manus Macedonum ueniret. Plutarchus.

FVSVS, COLVS.

Apud Rom. SPONSA in mariti domum inferebat secum colum lana circumuolutum, & fusum, lanaque uiri fores obducebat. Plut. in quæst. Rom.

CADVCEVS. RAMVS OLEÆ.

Caduceum esse pacis insigne apud GRÆCOS, caduceatorum quoque nomen demonstrat: sic enim uocantur, qui ad pacem mittuntur legati. κηρύκειον autem lignum erat rectum, utrinque duos continens serpentes, non cristatos, implexos inuicem, ita, ut se mutuò & exaduersum intuerentur, quales illi uocant ἀντιπροσώπους. Ferunt id caduceatores,

tores, & inde illis iniuriam intulisse, maximum habebatur nefas. Et rectum quidem lignum συμβολικῶς & opertè orationis rectitudinē significat: serpentes uerò impliciti castra castris iuncta nobis innuūt occultiùs, quibus se, diffidentes conciliatura uoluntates, orationis inserit uirtus. Cælius lib. 21. cap. 16. A. L. De eo sic Plinius libro 29. capite tertio: Exteræ gentes caduceum, in pacis argumentis, circumdata effigie anguium non cristatorum, fecêre: quoniam animal hoc ferum alioqui æstate coeat, ita ut innumeri complexu artifici glomerati, saliuis faucium corporumque spumis in sublime iactent Anguinum appellatum, oui specie, quod ad uictorias litium ac regum aditus mirè conducere, Druidæ Gallorum affirmant.

Εἰρεσιώνη, ramus oleæ lana implexus, arborum fructibus, quæ acrodrya uocant, circumpendentibus, ante ianuas ædium poni erat solitus in honorem Apollinis. Cuius historiam pluribus exequitur in Equitibus Aristophanis interpres. Hunc ramum à supplicationis usu ἱκετηρίαν uocabāt. Quod in Thesei uita testatur Plutarchus: ubi in Delphinio positam ab Theseo hiceteriam Apollini scribit. Cælius lib. 12. capite 19. Antiq. Lect.

ALLIVM.

GVELFORVM olim & Gibellinorum factiones Italicæ, non modò signa bellica habebant diuersa, sed colores, terræ fructus, habitus corporum: ipse hominum incessus, digitorum concrepitus, & oris hiatus, suam habebat partium significationem. Brixiani Bergomensesque allium (cuius apud eorum plebem frequens est usus) quo scindas modo, plurimum à ratione partium existimant interesse. Auditúmque aliquando est, fuisse in Bergomensium montibus, qui aduenas ex Calabris Apulisue aut Hetruscis uiatores hospitio receptos, allium (quod suo ipsius hospitis iudicio in spicas natura distinctas diuidi oportuit) gladio scindentes, tanquā diuersarū partiū interfecerint. Cranz. lib. 6. Saxo. c. 8.

CAMPANAE PVLSVS.

Indicij species est, quæ campanæ fit sonitu, sacra, politica, bellica. Hic ipsa Campana tanquam nota materialis cuiuscunque animi agitationis consideratur.

AEDIFICIA QVALIACVNQVE.

Ex loco Liberalitatis & Studij honoris huc multa. Illic Habitus ratio habetur: hîc Affectus, quem ille moderatur, uterq; circa Aedificium, tanquam materiam, occupatur.

RVBENITÆ, GADITÆ & MANASSEORVM media tribus trans Iordanē habitantes, posteaquā confecto bello in Terræ sanctæ possessionē fratres suos Israelitas introduxere, ad suos bona cum pace à Iosueo duce dimissi, in ripa Iordanis Aram ingentem extruxere, eius quæ Silunte iussu Mosis extructa erat æmulam, non ut ibi sacrificaretur, sed ut monumentum esset posteris, Vltraiordaninis idem ius esse in ara & tabernaculo Domini Silūtio, quod Cisiordaninis. Iosue,

MOENIA.

Deiecta.

Vide locum Ignominiæ.

Vestita.

CARTHAGINENSES in publico luctu mœnia urbis pannis nigris tegere consueuerant. Quod etiam tunc fecere, cùm classis illorum contra Agathoclem missa in Siculo mari naufragio periit. Diod. lib. 20.

PORTA.

CALETII, ad horā undecimā iussi claudere portas ciuitatis, statim ad primū nolæ ictum occludunt, repulsis & qui foris stāt, & qui egredi cupiūt, utrisq; portæ proximis. Eras. in Ad.

NOTAE RERVM RESPECTV AGENTIS.

COLLIGERE

Pediculos.

Phalanthus Spartanus classe in Italiam uectus, cum Tarentinis congressus & repulsus caput præ mœrore in sinu AETHRÆ uxoris reposuit. Illa marito pediculos legēs, profusis lacrymis sortem eius aduersam defleuit. Itaque oraculum Delphicum de sede ibi figenda, ubi ἀπ' αἴθρας imbrem decidere animaduertisset, Phalanthus intelligens, non multò pòst Tarento potitus est. Pausanias in Phocicis.

Mortuos.

ISIS Osyridis mariti membra à Typhone cæsi magna cura cōquisiuit. Plut. in Iside.

Cùm AEETES Colchorum rex Medeam filiam cum Iasone profugam classe insequeretur: illa Absyrtum fratrem discerpsit, ut in legendis filij membris occupatus parens, ab insequendo desisteret.

ABIICERE, PROIICERE.

QVID. PVTA

Merces.

De CATVLLO sic Iuuenalis Satyra 12.

Accidit & nostro similis fortuna Catullo.
Cùm plenus fluctu medius foret alueus, & iam
Alternum puppis latus euertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere iactu
Cœpit cum uentis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno
Testiculorum, adeò medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Præcipitare uolens etiam pulcerrima, uestem
Purpuream, teneris quoque Mœcenatibus aptam.

Scyphum.

NERO, nuntiata prouincialium exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit: duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri uocabat, solo illisit. Suet. in Nerone.

Venenum.

THERAMENES Atheniensis cùm à XXX. tyrannis uenenū bibere cogeretur, quod in fundo reliquum erat pauimento illidens, Propino, inquit, hoc pulcro Critię, qui causa potissimùm eius mortis fuerat. Cicero in Tusc. quæst. & Aelianus de Varia hist. lib. 9.

CVR. PRÆ

Ira, Indignatione.

Reuertens MOSES, cùm appropinquasset ad castra, uidit uitulum, & Israëlitas ducentes choreas: & iratus, proiecit de manibus tabulas, & confregit eas ad radices montis. Exod. 32.

SPEVSIPVS Eurymedontis filius, ira aliquando percitus, catulum in puteum deiecit.

Superstitione.

Vide locum Superstitionis, Lapidum iactus.

NON RETINERE. EXCIDERE.

Iliados χ. cùm ANDROMACHE Hecubam de turre plorantem audisset, dum telā domi texeret, præ metu, ne quid Hectori marito aduersi contigisset, excidit illi radius, quem manibus tractabat:

τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς.

PVRGARE, LAVARE,

Abstergere.

AMASII olim abstergebant loca, in quibus sederāt, ne quod suæ uenustatis simulacrum amatoribus relinquerent. quod Suidas uocat συμψήσαι.

NON PVRGARE

Vestes.

De Vestimentis sordidis paulò antè.

Spolia, Manubias.

ROMANI inter ea, quę diis sunt dedicata, solas manubias negligunt excolere & conseruare, neque uenerantur eas aut restituunt: uel quia gloriam cum primis putant deflorescere, ut semper recens monimētum enitantur uirtutis referre: uel quòd, cùm dies notas cum hostibus controuersiæ obliteret, si ipsi eas reponant & renouent, inuidiosum sit & odiosum. Neq; enim apud Gręcos, qui lapideū primi & ęneū trophæū excitauerunt, cōmendati sunt. Plut. in quæst. Rom.

OSTENDERE

Ignem.

Apud Septētrionales, Danos, Suecos, Noruegios, Vvandalos, ORATORES in hostilem terram ingressi, pacis causa ignē in littore accēdere solēt. Cranzius lib. 5. Vvandalię c. 22.

Indicia annonæ. Proba.

Iouiniano protectori domestico Iuliani Imper. datum officium cadauer Iuliani regia pompa è Perside Constantinopolim usq; deducendi. Ei igitur uehiculo insidenti, ꝙ portabat reliquias principis, ut principibus solet, annonæ militaris indicia, quę Proba dicuntur, oblata fuêre, & animalia publica monstrata. Marcellinus lib. 21.

Gladium.

Natura ipsa fert & cupiditas gloriæ, ut qui iniustum aliquem hominem & sceleratum interfecisse sibi uidentur, aut suas ipsorum atroces iniurias ulti, aut publicas, statim cruentum gladium ostendant. Sic M. BRVTVS occiso Cæsare cruentum pugionem tenēs, ostendit apud Ciceronem in 2. Philip.

Apud Euripidē in Oreste chorus, de facto ORESTIS loquēs, quod pium & nefarium eodem tempore, sed diuersa mente, uocari poterat, in quit: μελάνδετον δὲ φόνῳ ξίφος ἐς αὐγὰς ἀελίου δεῖξαι. Victorius li. 35. Var. lect. c. 13.

Pannos.

HYPATIA Alexandrina sophistria formosiss. adolescentem amore sui insanientem, prolatis quibusdam pannis muliebribus, & hoc esse, quod amaret exclamans, pudore & stupore indecoræ ostensionis ad meliorem mentem reuocauit. Eunapius.

Pudenda.

BAVBO Eleusinia Cererem ob filiæ raptum mœstissimā, cùm alia ratione non posset, denudato corpore, ostensisque genitalibus, ad risum primò, inde ad cibum sumendum prouocauit. Arnobius lib. 5.

Cyrus ter uictus à Medis, quartò prælij aleam ad Pasargadas, ubi Persarum VXORES & liberi erant, experiri uoluit. Ibi cùm Persæ uicti in urbem fugerent, PERSIDES sublatis uestibus obuię illis procurrunt, An in matrum uentres sese abdere uellent, exclamantes. Ergo pudore correpti, animoque recepto, Medos effusè insequentes magna strage superarunt. Polyænus lib. 7.

MILES Romanus in Scenopegiorum festo Iudæis pudenda ostendens, seditionis maximæ primùm, inde belli Iudaici [redacted] extitit. Iosephus.

[redacted]

[redacted]

OCCVLTARE, ABSCONDERE.

Consule Titulum utrumque, Communicationem Veri, & Boni. Illic Occultatio tanquam Effectus, hîc ut Nota animi agitationum perpenditur.

PORRIGERE

Herbam.

ANTIQVITVS cursu, aut alio quopiam certamine superati, herbam ex eodem statim loco decerptam, aduersario porrigebant, uictoriæ agnitæ symbolum, teste Festo. Plinius lib. 22. cap. 4. loquens de corona obsidionali graminea: Dabatur, inquit, uiridi è gramine, decerpto inde, ubi obsessos seruasset aliquis. Namque summum apud antiquos signum uictoriæ erat, herbam porrigere uictos, hoc est, terra & altrice humo & humatione etiam cedere. Quem morem, inquit, etiam nunc durare apud GERMANOS scio, Erasmus in Adagiis.

Manum.

Vide Dextra data.

Plethon Gemistus rerum Græcarum libro secundo: Manus porrectio μεγίστη παρὰ πέρσαις πίστις. id est, maxima inter PERSAS censetur fides. Cælius libro 9. capite 22. Antiq. Lect. ex Plut. Numa.

TANGERE.

Romæ SPONSAM nubentem attingere ignem & aquam iubent: quia ignis purgat, & aqua expiat. Debet autem munda & sancta, quæ nupta est, permanere. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

PASSIONES ANIMI MOTVM CONSEQVENTES, QVAS PERCIPIT IS, QVI PERTVRBATVR.

MORS EX

Gaudio.

Vide Titulum, Gaudio mortui.

Nostra ætate in Gallia, VXOREM Iudicis uici Fezensaci in comitatu Armeniacensi, sexagenariam, cùm amici nulla alia ratione à conuersatione quorundam auertere possent, nunciari illi iusserūt, properè ad filiam ueniret iam animam agentem. Credula illa concito gradu uenit: sed filiam sanā & incolumē uidens, repentè mortua cōcidit. Laur. Iaubertus lib. 1. de Risu, cap. 11.

Mœrore.

Sub Tit. eorum, qui Mœrore obierunt, Effectus ipsius, Mortis scilicet per hoc ueluti instrumentum illatæ, habetur ratio: heic uerò Causæ siue instrumenti.

Timore.

QVIDAM natura timidus, audita Herculis fama abdiderat se præ metu in specum quandam: deinde cùm aliquando prospectaret, & Herculem fortè fortuna prætereuntem uidisset, immodico metu exanimatus est, ac protinus diriguit, in saxum uersus, quod adhuc uisitur specie uiri, uelut à specu prospicientis. Vnde τὸν παρακύπτοντα, saxum illud uocant. Suidas & Zenodotus. Inde natum prouerbium, Timidior es prospiciente. Erasmus in Adagiis.

MORBI EX PERTVRBATIONE.

HERCVLES ob nimiam bilem sacro morbo fuit obnoxius.

C. MARIO VII. Consuli cùm quidam nunciaret ea, quę apud mare cōtra Mithridatem à Sylla facta erant, nouis timoribus perculsus, partim futura timens, partim tanquam præsentium uulnere malè affectus, paulo post exilium restitutus, ut Posidonius philosophus scribit, in malam ualetudinem incidit, ex qua periit. Ioan. Gerundensis libro 8. Paralip. Hispaniæ.

VIGILIAE.

Vigilias heic Animi uehemētem agitationem consequētes perpēdimus. Quæ ipsæ alioqui inter Corporeas passiones quaque referri debent. At Vigilantia, studio & uoluntate suscepta, inter Instrumenta secundaria suo loco commemorabitur.

Ob Studia.

ARISTOPHANIS & CLEANTHIS lucerna propter insignem studij diligentiam in prouerbium abiit: ut is ad Aristophanis aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui summò studio exquisitaq; cura singula pensitat. Varro lib. de lingua Latina 1. Erasmus in Adagiis.

CICERO L. Murænam, quem accusauit Cato, defensurus, totam noctem lucubrauit, dum Hortensium contendit, cuius mirè placuerat oratio, superare: ut prę nimia solicitudine & uigiliis ita affecerit ualetudinem, ut concedere illi uideretur. Plut. in Cicerone.

Ob Gaudium.

ARTOXERXES Persarum rex, cùm Themistocles supplex ad se uenisset, noctu ter euigilans exclamauit, Themistoclem habeo. Plut. in Themistocle.

L. SYLLA ut à bellis intestinis Italia purgata ꝓpinquauit primùm urbi, ab ingenti gaudio & gratulatione, sicut aura animo euectus, somnum tota nocte non uidit: quod de seipso scriptum reliquit in commentariis. Plutarchus an Seni tractanda Respub.

Ob Metum.

Regi INDORVM interdiu dormire non licet, nocte cogitur cubilia per horas mutare, idque propter insidias. Strabo libro decimoquinto.

C. MARIVS septimo consulatu suo L. Syllæ prosperis contra Mithridatem successibus territus, uigiliis nocturnis agitari cepit, cùm uocem incertam subinde sibi uideretur audire, Dura sunt leonum cubilia. Cui malo uti mederetur, ad intempestiua sese pocula conuertit. Plut. in Mario.

Ob Aemulationem.

THEMISTOCLI Miltiadis trophæa somnum excutiebant, Plutarchus.

SOPOR, OBDORMITATIO.

De Sopore idem quod de Vigiliis iudicium, diuerso respectu ad diuersas classes referendo.

DISCIPVLI Iesu Christi nostri præ mœrore in Oliueti monte obdormiuere.

[redacted] corporis [redacted] lassitudo, & cutis pruritus oriatur.

SYNCOPE, MENTIS defectus, ANIMI deliquium.

SAVLVS rex Israelitarum ubi à Samuelis spectro imminens exitium sibi & exercitui cognouit, exanimis cõcidit, nec nisi multa Pythonissæ cura animum recepit.

ESTERA regina cũ duabus pedissequis ad regem Artaxerxẽ profecta, cùm eum in solio sublimem conspexisset, maiestate territa, & animo delinquens concidit. Rex accurrens, eam ulnis excepit, & securam esse iussit. Esteræ 5.

ACHIOR Ammonitarum dux, conspecto Olofernis capite, quod Iuditha retulerat Bethuliam, animo deficiens, prę stupore in media concione concidit. Iudithæ 14.

ANDROMACHE Iliad. χ. cùm de turri uideret raptatum ab Achillis curru Hectorem maritum:

τὴν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν·
ἤριπε δ' ἐξοπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσε.

In seditione illa agraria, in qua ab Opimio Coss. cæsus est C. Gracchus, dum Auentinum cum suis peteret, solo pugione accinctus, ad exeuntem accurrit apud ianuam uxor LICINIA, tenensq; una manu illum, altera puerum, uti maneret obsecrabat. At Caius sensim amplexibus eius laxatis processit tacitus cum amicis. Illa cùm arripere togam eius anniteretur, humi delapsa diu sine ulla uoce iacuit: quoad animo defectam sustulerunt serui, & ad Crassum fratrem deportauerunt. Plut. in Caio.

CORNELIA Scipionis F. Cn. Pompeij uxor, Mitylenen securitatis gratia traducta fuerat cum filio, bello ciuili: quæ ex nunciis & scriptis ad gratiam ex decreto ad Dyrrachium bello unum sperabat reliquum esse Cæsaris consectationem. Post aciem Pharsalicam missus ad eam à Pompeio nuncius non sustinuit eam salutare: uerùm pleraq; ac maxima mala lacrymis magis, quàm uoce exprimens, monuit eam ut maturaret, modò aspicere Pompeium in una & aliena naui uellit. Quibus nunciatis illa abiecit se in terram, diuq; de mentis statu dimota & muta iacuit. Vix tandem recepta mẽte intelligens non esse lamentationũ & lacrymarum tempus, ad mare media urbe decucurrit. Plut. in Pompeio.

CORDIS PALPITATIO.

Iliad. η. HECTORI singulari certamine contra Aiacem pugnaturo, cor palpitat, cùm splendidis armis in campum descendentem uideret:

Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσε.

METEΩPICMOC. RAPTVS CORPORIS in sublime.

MARIAM Magdalenam, cùm in solitudine ageret, statis diei horis supra cœlum ab angelis euectam tradũt. Assidua Dei meditatio prius carnem ipsius cœlo dignam fecerat, quàm terrena labe liberam. Marul. lib. 2. c. 4.

MARIAM Aegyptiacam, quæ urbanæ luxuriæ mollitiẽ eremi asperitate fregit, Zosimus abbas orantem, corpore supra terram suspenso altitudine fermè cubitali, uidit. Ibidem.

THOMAM Aquinatem, dum de Deo diu multumq; cogitat, à solo attolli, & altitudine ferè cubitali in aere pendêre uisum ferunt. Neq; deinde tantæ cõtemplationis fructum dissimulare potuisse, uultu prodente iucunditatem, quam intima conceperant præcordia. Ibidem.

D. STEPHANVS Vngarorum rex cùm nocte intempesta in diuinitatis contemplationem abreptus esset, corpus euectũ in aera mentem subsequutum dicitur. Quin & tabernaculum ipsum, ne uehementissima cõtemplatio interciperetur, simul tractum, in aere diu pependisse tradunt. Quum patefactum cuidam sancto uiro miraculum intellexisset, interminatus est, ne quid de hac re se uiuẽte proderet. Bonfinius libro 1. Decad. 2.

Cubicularius Vngariæ regis LADISLAI ad postes templi præstolans, ac nimio moræ tædio affectus, repetita basilica, uidit regem diuina contemplatione ita subtractum, ut in aere penderet. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

CALOR

Auctus.

Apud Theocritum Idyllio 14. CYNISCA in compotatione tristis sedens, Lyci amore correpta, cùm quidã per iocum illam alloqueretur,

—οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες;

Non loqueris? Lupum uidisti?

illa ad nomen Lyci commota est,

κἤφθη, εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις.

& incensa, ut facilè ab ea lucernam accendere potuisses.

Imminutus.

Vt in Timore perculsis, quibus frigidus ludit circum præcordia sanguis.

TREMOR, HORROR.

TROIANI cùm fulgentibus armis coruscum Aiacem uiderent in campum descendẽtem, regi suo Hectori, cum quo ille singulari certamine depugnaturus erat, metuentes, tremebant:

τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον.

CICERO non modò in bello timidus erat, sed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in causis uix tandem horrere & tremere medio desinebat ardore & statu orationis. Cùm Clodium occidisset Milo, & senatus iussu Cn. Pompeius, ad securitatem urbis & iudiciorum, ante lucem summa fori cum armatis insedisset: metuens Milo, ne spectaculo insolito Cicero territus minus rectè causam diceret: persuasit ei, ut lectica delatus in forum quiesceret, dum conuenirent iudices, & frequens esset corona. Ad iudicium lectica delatus, & Pompeium contemplatus locis superioribus uelut in castris considentem, atque circumfulgens undiq; armis forum: obstupuit, & orationem ægrè cum tremore corporis & linguæ [redacted]

PALLOR faciei. EX

Studiis.

CHÆREPHON tragœdiarum scriptor Heraclidarũ res prosecutus est. Quoniam autẽ nocturnis lucubrationibus erat maiorem in modũ extenuatus confectusq;, macilentiæ & palloris nomine taxatus est: ut de macilento pallidoq; diceretur uulgò, Nihil differs à Chærephonte. Eras. ex Suida.

Terrore.

MELIBOEA & AMYCLA solæ seruatæ sunt ex Niobes & Amphionis liberis, quoniam Latonam deprecatæ fuerant. Cęterũ illa præ terrore statim uiridis facta, ab eo colore postea nomen obtinuit, ut Chloris diceretur. Cuius statua in Latonæ æde Argis uisitur. Pausanias in Corinth.

Metu.

ARATVS Sicyonius instante prælio præ timore pallescere solebat. Plutarchus in Arato.

Cùm commisso inter Romanos & Veientes prælio nunciatũ esset Tullo Hostilio Rom. regi Albanos desciscere, pallereq; & pauere ROMANOS ob eam rem uideret, ipse in re trepida templum uouit Pallori & Pauori. Lud. Viues in lib. 4. August. de Ciuit. Dei, cap. 23.

Iuuenalis in Satyris, pallorem metus & consternationis comitem tribuit RHETORIBVS, qui ad Araris & Rhodani confluentem literario certamine olim, ara ibi dicata Iul. Cæsari, decertabant, inquiens:

Palleat, ut nudis qui pressit calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Nam si uicti essent, uel scripta sua lingua delere cogebantur, uel in uicino flumine mergi.

RVBOR faciei.

Diogenes Cynicus philosophus, ADOLESCENTI cuidam erubescenti, atq; ob id perturbato: Bono animo es, inquit, fili: istiusmodi est uirtutis tinctura. Laertius in eius uita.

Cato maior IVVENES placere sibi ait potius eos, qui erubescerent, quàm qui expallescerent. Plut. in Apoph.

OCVLORVM

Squallor, Cœcauitas.

Qualis ex multis Vigiliis, Curis, Tristitia prouenire consueuit.

Ardor, Radiatio.

EDOVARDVS I. Anglorum rex facie uenusta, oculis subnigris fuit, qui, dum ira inflammabatur, subitò subrubri efficiebantur, ac inde ignem emittere uidebantur. Polydorus libro decimoseptimo.

A V.

AVRIVM TINNITVS.

Plinius testatur, uulgo quandoq; creditum fuisse, ut qui laudaretur absens, ei dextra tinniret auris: qui uituperaretur, sinistra. Erasmus in Adagiis.

PILORVM MVTATIO. Puta

Casus.

Ex metu & terrore interdum, & tunc huius est loci.

Canities.

Hæc inter Corporis passiones referenda, per se considerata. At respectu Causæ, huius est loci.

ORIS MADOR.

Ex uehementi desiderio cibi, quod aspectu aliorum comedentium magis magisq; excitatur, aqua os repleri solere, experientia docet.

GENVVM EXOLVTIO.

Ex uehementi affectu raptis ad suum principium spiritibus, extrema tremunt, & destituta suo calore exoluuntur. Licet id in uehementi timore & mœrore, sed & gaudio, uidere.

CLAVDIVS, occiso ab cõiuratis Caio, præ metu latebras petiit. A militibus inuentus, & protractus, pedibus consistere nequibat. Itaque sublatum in humeros in Prætorium extulerunt, & Cæsarem fecerunt. Suetonius.

PASSIONES, QVAS EX ANIMI MOTV quis infert sibiipsi.

CORPORIS IN GENERE

Vulnera, Laniatio, Scissio.

Sub loco Iustitiæ religiosæ & Superstitionis, Flagellationem perpende.

ISRAELITIS in funere corpora lacerare, aut synciput decaluare nefas erat, Domini interdicto: eo quòd sacer Deo populus essent, & ab eo electi, præ omnibus totius orbis nationibus. Deuter. 14. & Leuit. 19.

Sunt inter BARBAROS, qui se membris aliquibus mutilant, ... corpus relinquunt flagris cædunt: quòd defunctis, si à moderatione in hisce ægritudinibus naturali discesserint, rem gratam se putent facere. Plutarchus in consol. ad Apol.

Cultus, Ablutio.

ROMANÆ matronæ Idibus Augusti maximè tergere & mundare corpus studebant, imitatione forte ancillarum, quibus is dies propter Seruij Tullij regis è serua nati natales festus erat, ne illis minus comtæ forent. Plutarchus in quæstionib. Romanis.

D. AVGVSTINVS tumulata matre Monica, doloris abstergẽdi causã lotũ abiit, quòd Græcos βαλανεῖον, ab anxietate ex animis pellenda appellasse audiret: sed parum profuit. Testis ipsemet lib. 9. Confess. c. 12.

Contectio, Denudatio.

PERSARVM instituto nudum conspicere hominem, ac si immane scelus admissum foret, capite luebatur. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25.

Ἀνεσάζειν olim dicebantur, qui corpore parum decorè nudato incedebant: ductum à VIRGINIBVS, quæ in Pelopõneso discinctæ, & absque tunicis esse consueuerant, tantum pallio tectæ utrinque fenestrato, per quod patebant nuda corporis. Erasmus in Adagiis.

Panthei Lacedæmonij VXOR, uirum secuta in Aegyptũ, quò is cum Cleomene se receperat, post uiri mortem, cùm Ptolemæus ipsam quoque cum cæteris Lacedæmoniis mulieribus, quæ illic erant, occidi iussisset, prius quàm occideretur, uestem diligenter pedibus obuoluit, omnẽq; aliam corporis partem texit, nudo iugulo relicto: ut honestè cadens, pudorem, quem per omnem uitam seruauerat, inuiolatum relinqueret. Plut. Cleomene.

CANDIDATIS Romæ moris erat in toga, sine tunica, ut tradidit Cato, prensare, ne ad nundinandum in sinu pecuniam ferrent. Plut. in quęst. Rom.

Translatio de loco in locum.

Apud Rom. SPONSA à deductoribus sublata, supra ædium limen transferebatur. Fortè quòd primæ uxores raptu paratę non ingressæ, sed in domum illatæ fuerint. Plutarchus in quæst. Rom.

CAPITIS

Apertio, Denudatio.

ROM. Saturno aperto capite sacra faciunt, quia obnubere caput proditum ab Aenea est, cùm Saturni sit peruetustum sacrificium: uel quòd ueritatis nihil inuolutum sit uel inumbratum. Veritatis autem habent Romani Saturnum parentem. Plut. in quæst. Rom.

Apud EOSDEM mulieribus tegere caput nefas erat. Proinde Sulpitius Gallus secundus fuit à Sp. Caruilio, qui uxorem repudiauit, hanc solam ob causam, quòd capiti uestem iniecisset. Plut. in quæst. Rom.

ROMANI inter adorandum deos obnubunt caput: at hominibus occurrentes reuerendis, etiamsi uelatum habeant toga caput, adaperiunt. Sic etiam Aeneas olim Diomede prętereunte sacrum obuelato capite peregit. Hominibus nimirum aperiunt caput potentioribus, non honoris illorũ causa, sed inuidiæ eorum gratia magis leuandæ: ne pares deorum postulare uideantur honores, néue sustinere uel gaudere pariter ac illi coli. Deos autem ad eum modum uenerantur, uel quòd demittant semetipsi caput operiendo: uel magis quòd prouident, ne qua uox ipsis accidat precantibus inauspicata uel ominosa, ad aures usque uestem iniiciunt. Nam quantoperè id uitarent, patet ex eo, quòd cũ consulendis diis uacarent, æramenta adhiberent, quorũ tinnitu personabant. Plut. in quæst. Rom.

Apud EOSDEM parentes filij obuelatis, filiæ nudis capitibus capillisq; resolutis efferunt. Quoniam luctus proprium est, quod insuetum sit. Assuetum porrò est feminis tecto capite, uiris aperto in publicum prodire. Ibid.

Capita aperiri aspectu magistratuum, non uenerationis causa iussere ueteres, sed (ut Varro auctor est) ualetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. Plinius lib. 28. cap. 6. Nat. hist.

Obuolutio, Tectio.

AGAMEMNON, cùm uideret ad mactationem duci filiam Iphigeniam, auerso uelatoque uultu lacrymas profundit, apud Euripidem Iphigenia Aulidense:

ἀνεστέναξε, κἄμπαλιν στρέψας κάρα,
δάκρυα προῆγεν, ὀμμάτων πέπλον προθείς.

Quod ipsum Timanthes pictor imitatus uidetur apud Plinium libro decimoquinto, cap. 10.

Cùm Statyra Darij Persarum regis uxor ab Alexandro capta, ex partu periisset: & Tyreus ex intimis eunuchis unus nuncium mortis eius DARIO attulisset: is diu uelato capite, manibus ad os reductis, amantissimæ coniugis defleuit interitum. Sab. lib. 5. En. 4.

Athenis Ephialtes inter cęteros Demostrati nomen deferre cogebatur. Habebat hic puerum Democharẽ ab Ephialte ob eximiam formam adamatum. Qui cùm ad EPHIALTEM mitteretur, orans, ut patris criminibus parcius insisteret, genibus suis aduolutum intueri non potuit: sed operto capite flens & gemens preces exprimere passus: nihilo minus sincera fide accusatum Demostratum damnauit. Val. Max. libro 3. capite 8.

TIMOLEON Corinthius fratrem Timophanem ciuitatis custodiæ præfectum, tyrannidi inhiantem, amicis interficiendum tradidit: sed interim paululum à fratre recedens, obuoluto capite lacrymabundus constitit. Plutarchus.

XENOCRITA ab Aristodemo Cumanorum in Italia tyranno adamata præ cæteris, quodam die illum aduenientem conspicata, pudoris prætextu obuelauit uultum. Posteaquã discessisset, adolescentes per risum quæsiuerunt, quid solum præ uerecundia declinaret Aristodemũ? Tum illa, Nam solus inter Cumanos uir est. Hac uoce icti iuuenes, ad liberandam patriam eiusdem auxilio animos recepere. Plutarchus de Virtutibus mul.

ROM. Honori reuelato capite sacrum faciunt: quia res est clara gloria, splendidaque, & aperta. Qua de causa etiam bonis & ornatis uiris adaperiunt caput, ac proinde consecratum honori deum ita adorant. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

A. Gellius Noctium Atticarum 8. cap. 4. scribit, SERVOS eos uenire solitos pileatos, quorum nomine uenditor nihil pręstaret. Eius rei Cælius Sabinus iureconsultus hanc fuisse causam scribit, quòd eiusmodi conditionis mancipia insignia esse in uendendo deberent, ut emtores errare & capi non possent, neque lex uendundi operienda esset, sed oculis iam

iam perciperent, quódnam esset mancipiorum genus. Erasmus in Adagiis.

C. CASSIVS post Philippicam cladem desperatis rebus, chlamyde obuoluto capite ceruicem apertam præbuit Pindaro liberto, quem ex Crassi clade ad hanc necessitatem secum habebat destinatum, præcidendam. Plut. in Cassio.

Scalptus, Frictio.

Τρίψις κεφαλῆς, Capitis frictio, indicium animi dubij & perturbati. Cicero ubi inducit L. Pisonem reprehendentem C. Cæsarem cupidum triumphi, meminit SCRIBÆ, caput sinistra manu perfricantis: indicās perturbatum illum, incertique animi fuisse. Item Aeschines oratione contra Legatos ad Philippum, DEMOSTHENEM caput fricasse ait, sollicitudinem animi molestiamq; hac nota indicans. Victorius lib. 8. cap. 6. Variarum.

Lucianus in Rhetorum præceptore, deliciis effeminatum HOMINEM describit, his uerbis: ἐν τούτοις δὲ πάνσοφόν τινα, καὶ πάγκαλον ἄνδρα, διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα, τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον. id est, Inter hæc autem uirum quendam egregiè sapientem atq; insigni forma, lubrico incessu, fracta ceruice, muliebri aspectu, uoce mellita, olentem unguenta, caput summo digito scalpentem. Erasmus in Adagiis.

Inspersio.

☞ *Consule Tit. Pœnitentiæ religiosæ.*

Qui triste aliquid nunciarent, scissa ueste & capite puluere consperso dolorem suum testabantur, apud ISRAELITAS. Sic 1. Sam. 4. & 2. Sam. 1.

Morem in luctu grauissimo antiquitùs, calamitateq; ingenti, caput cinere conspergere, siue puluere deturpare, Homerus non uno in loco testatur: ut Odyss. ω.

ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κὰκ κεφαλῆς πολιῆς ἁδινὸν στεναχίζων. *id est:*
Ambabus manibus capiens puluerem, exustum
Cinerem, inspersit capiti cano, miserè ingemiscens.

Et Iliad. 18. idē locus est, de ACHILLE. Eurip. in Supplicib.
ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρᾳ κεχύμεθα.

Eiusdem rei mentio apud Virgil. lib. 10. Canitiem immūdo deformat puluere.

Allisio.

☞ *Consule Tit. Capitis allisione mortui. Illic ut causa est Mortis, hîc ut Impotentis animi nota.*

PETRVS de Vineis Capuanus I.C. à Friderico Imp. propter cōiurationis suspicionem relegatus, capite parieti sæpe illiso seipsum necauit. Volat. lib. 23. Anthrop.

AVRIVM

Amputatio.

CIRCASSI Tartari montani in funere amicorum auriculam integram uel partem eius, amoris testificādi ergò, amputare sibiipsis solent. Alex. Guagninus in Tartaria.

Contactus.

Quum ueniam sermonis à diis poscimus, proximo à minimo digito secus aurem locū Nemeseos tangere, & os obsignare solemus: in eo uenam quādam tenuissimam usq; ad ima cordis penetrantem, peruagata opinione arbitrati. Ideo in sponsalib. & solēni die nuptiarū, digitum minimo proximū anulo excolebant, & uelut pignus amoris præcipuū ducebant, ut is summo honore foret, quo duce mutuus amor usque ad cordis ima penetraret. Alex. lib. 2. cap. 19.

Obturatio.

IVDÆI Stephanum protomartyrem ne audirent, aures suas obturasse in Actis leguntur. Sic quoque Psalmographus de impiis ait:

—ut callida aspis,
Quæ magicos metuit susurros.

FACIEI

Abstersio, Expiatio.

Frontem abstergere, superstitiosos olim solitos, natum est ex 2. Satyra Persij:

—Frontemq; atque uda labella
Infami digito & lustralibus antè saliuis Expiat.

E simili superstitione profectum est, quod indicat Atheneus lib. 1. priscos ad depellenda mala solitos ter abstergeri. Refert uersiculum hunc Cyrenæi,

τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον. *id est,*
Ter uerò abstersis, melius bona numina donant.

Erasmus in Adagiis.

Denudatio, Contectio.

Apud SPARTANOS, ut aperta facie uirgo, si conuelata nuptæ in propatulo uisebantur. (Hinc fortassis Homerus Helenam, utpote Spartanam, passim τανύπεπλον uocat.) Cuius eam Charilaus reddebat rationem, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας: quoniam uirginibus uiros sibi prospicere, necessarium sit: mulieribus autem, quos compararint, custodire. Cælius libro decimotertio, cap. 6. Antiq. Lect.

Tradente Harpocratione in Lexico Atticorum oratorum, ἀνακαλυπτήρια appellabantur apud GRÆCOS, munera donáque, quæ darentur à sponso nouæ nuptæ, ut illa pateretur se uideri, faciemque detegeret: cùm consuetudo temporum eorum esset, ut adhuc est quarundam gentium, ut uirgines uultum uelo tegerent, nec potestatem alicui spectandi sefacerent. Victorius lib. 27. Var. lect. c. 3.

CHALCEDONIARVM mos est, si quando inciderint in uiros alienos, præsertim eos, qui honores gerunt, ut alteram maxillam obnubant, hanc ob causam. Bellum his contra Bithynos erat, quòd ex quauis concitarentur occasione. Cùm autem regnum apud eos ageret Zipœtes, omnibus copiis suis adiunctisq; ex Thracia auxiliaribus igni & ferro regionem uastabant. Qui adorto eos apud Phalion appellatum Zipœte, ob ferociam & aciem incompositam malè pugnauerunt: quo in prælio plus octo millia militum desiderauerunt: non tamen ad internecionem tunc sunt cæsi, quòd Zipœtes in Byzantinorum gratiam fœdus cum eis fecerit. Cæterùm quia magna infrequētia uirorum ciuitas laborabat, pleræque mulieres necessariò libertinis & incolis matrimonio se iunxerunt. Aliæ, quòd mallent sine uiris agere, quàm eiuscemodi nuptias conciliare, per se procurabant, quæ apud iudices & magistratus opus erant, detrahentes ex altera faciei parte uelum. Quas nuptæ ex pudore ut se meliores imitantes, eundem modum usurpauere. Plutarchus in quæstionibus Græcis.

Exules Thebani, DAMOCLIDAS, PELOPIDAS, THEOPOMPVS, & alij, clàm Thebas uespere ingressi, accepta ex tempestate occasione, ut faciem operirent, & sine periculo transirent, Archiam tyrannum interfecerunt. Plutarchus de Socratis dæmon.

POPPEÆ Sabinæ Neronis coniugis raros fuisse in publicum egressus, idq; uelata parte oris, ne satiaret aspectū, uel quia sic decebat, Tacitus tradit.

NERO hostis à Senatu iudicatus, in suburbanum fugiens, media nocte equum conscendit adoperto capite, & ante faciē sudario obtenso. Equo autem odore abiecti in uia cadaueris consternato, detecta facie agnitus est à prætoriano quodam. Suetonius.

Demulsio.

Plutarchus scribit, gestū hunc peculiarem fuisse M. TVLLIO, ut dicturus læua faciem demulceret: eoq; gestu etiam excuicem percussori præbuisse.

OCVLORVM

Contectio.

Apud Platonem Socrates dicturus de amore, ob pudorem oculos tegit, nimirum alludens ad prouerbium, Pudor in oculis. Hinc & poetæ Cupidinem, quòd sit improbissimus, cæcum fingunt. Erasmus in Adagiis.

CAPILLORVM, BARBAE

Cultus.

☞ *De hac etiam inter Corporea. Heic tantùm ut nota est interni motus animi.*

INDORVM reges cùm iura dabant, aut exteros legatos admittebant, tum capillum pectere, atq; ornari solebant eximiè. Alex. lib. 1. cap. 28.

SPARTANI acie cum hostibus dimicaturi capillum componere & pectere solebant, ut specie heroica hostibus apparerent: multum diuersi à Germanis equitibus quibusdā, id unum satagentibus, ut cacodæmonibus quàm heroibus similiores uideantur.

Euulsio.

Mos hic fuit apud ueteres, & usq; hodie in quibusdā permanet IVDÆORVM, ut in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciāt: quod etiam Iob fecisse legimus. Hieronymus lib. 3. comment. in Hieremiæ c. 16.

TELEGONVS cùm patrem Vlyssem per errorem interemisset, pœnitens utraq; manu caput laniauit. Diod. lib. 6. Vide Tit. Mortis somnia.

ACHILLES Patrocli mortem lugens, indignum tanto heroe, uestes conspurcat, genas lacerat, capillos euellit, apud Homerum Iliad. σ.

—τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.
ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον·
νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.

Domini insaniam imitantur stultæ ANCILLÆ, quæ quidem, ut idem ait,

θυμὸν ἀκηχέμεναι, μεγάλ' ἴαχον, ἐκ δὲ θύραζε
ἔδραμον ἀμφ' Ἀχιλῆα δαΐφρονα, χερσὶ δὲ πᾶσαι
στήθεα πεπλήγοντο, λύθεν δ' ὑπὸ γυῖα ἑκάστης.

Rasio, Tonsura.

Apud GRÆCOS, quando calamitas aliqua est accepta, mulieres tondentur, uiri comam summittunt: quòd his tonderi, illis solenne sit comam promittere. Plutarchus in quæstionibus Rom.

Ἀνδραποδώδη τρίχα ἐπιδεικνύειν. id est, Seruilem capillum præ se ferre dicuntur, qui agrestibus & inelegātibus sunt moribus. Inde ductum, quòd Athenis SERVI manumittendi capitis pilos deradebant. Plato scribit in Alcibiade, quosdam seruiles pilos in animo gestare, indoctos & stupidos significans. Erasmus in Adagiis.

NICOMEDES rex Bithyniæ raso capite sumtoque pileo libertum se esse populi Romani est professus. Plutarchus orat. 2. de fortuna Alexandri.

LONGOBARDI primam barbam apud amicissimos deponere solebant, futuræ in posterum amicitiæ symbolum. Paulus Diaconus.

CAROLVS Martellus filium Pipinum regiæ indolis adolescentem in Italiam misit, adductus cupiditate summę necessitudinis per filium cum Luitprando Longobardo contrahendæ. Iuuenem rex ille magnificētissimè exceptum coluit, paternamque animi indulgentiam religionemq; sibi in eo constituit, capillo eius succiso: qua ex re Luitprandus Pipinum filium sanctè salutauit, ac ab eo pater uicissim resalutatus est. Aemilius lib. 2.

PECTORIS TVNSIO.

CLEOPATRA uicto ad Actiū Antonio ab Augusto prę mœrore pectus tundit & exulcerat. Plut. in Antonio.

MANVS PROPRIAE

Ablutio.

PILATVS coram Iudæis manus suas abluit, hoc ipso testatus, præter uoluntatem suam Iesum sese Iudæorum impulsu condemnaturum.

Schismate durante inter Alexandrum III. & Victorem pontifices, Fridericus I. Imp. q Victorē fouebat, Bisuntij, in Imperiali Burgūdia, quòd uideretur esse ueluti in medio Germaniæ, Franciæ, Britanniæ, solennem indixit conuentum, ut de uero pontifice uno statueretur. Contemsere euocationē illam reges Hispaniarum atque Angliæ: Franciæ uerò REX, quòd quidam suorum circumuentus iurasset regem uenturum, uenit quidem nocte, & in flumine ad urbis mœnia manus lauit, sed retro abiit, scilicet execratus conciliabulum, quod Spiritus sanctus non indixisset. Quippe de summa ecclesiæ potestate constituere non secularium esse principum, sed sacrorum pontificum. Cranzius lib. 6. Saxoniæ c. 18.

Implexio.

Digitos manuum cancellatim & ueluti per ginglymum insertos habere, VETERES ad cuiusuis actionis impedimentū facere credebant. Itaq; cùm apud Ouidiū Alcmenæ Herculem parturientis nixus consertis digitis sedens cluderet uenefica, Historis Tiresię filia falso nūtio peperisse Alcmenā clamitans, astum illius soluit. Pauf. in Bœoticis.

Deosculatio.

Diuina (ut equidem reor) agente ui, fuit in adoratione ueterum crucis figura summè religiosa: quoniam ueneratione supplici, dum ori dextram admouerent, indicem super pollicem residentem (quod & tempestate hac ferè à plerisque fit) exosculabantur. Quod Plinius quoque significasse uidetur: In adorando, inquit, dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus. Et in Apologia item Apuleius: Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia manum labris admouere. Hinc factum opinantur, ut Hebræi iuxta linguæ suæ proprietatem pro ueneratione deosculationem ponant. Cælius libro decimo, capite octauo Antiq. Lect.

VNGVIVM PVRGATIO.

VVLTEIVS, Mena, apud Horatium,
--uacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgabat leniter ungues.

PEDVM

Denudatio.

Anno secundo Imperij Iustiniani, ut Vrspergensis scribit, Antiochia terræmotu concussa est. Tantus autem pauor occupauit POPVLVM, ut omnes preces facerent discalceati. Addit autem, pio cuidam & Deum timenti homini reuelatum, ut omnes signarent ædes suas hac inscriptione: Christus nobiscum, state. Tandem uerò terræmotum quieuisse. Cedrenus.

ALIPIVS D. Augustini studiorum assiduus comes, cum eodē ad baptismum uenit Mediolani, indutus humilitate sacramentis congrua, & fortissimus domitor corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum, insolito ausu, inquit D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 6.

Positio.

PYTHAGOREI in congressibus & consessibus hoc unicè cauebant, ne crus cruri superimponerent, quòd id successum eius, quod susciperetur, negotij impediturum uideretur.

Obuolutio.

Cn. POMPEIVS cùm ulceris causa crus fascia circumcinxisset, in affectati regni suspicionem incidit. Erant enim qui affirmarent, nullam aliam ob causam crus ligasse diademate, quàm ut diadema sibi adscriberet, nihilque referre qua in parte corporis gestaretur.
Plutarchus.

VOLVMINIS PRIMI
FINIS.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Volumen Secundum

EA
quæ uulgò CORPORIS Bona
Maláque dicuntur

SEPTEM LIBRIS
comprehendens.

Nobiliſs. Baroni

CAROLO ZEROTINIO
BOEMO

THEODORVS ZVINGERVS
BASILIENSIS

Secundum hocce THEATRI
VITAE HVMANAE
Volumen

SEPTEM LIBRIS digeſtum

QVORVM

I. *De FOETV humano in utero, tractat.*
II. *De CORPORIS Subſtantia, Sexu, Ætate, Forma.*
III. *De VITAE propagatione, conſeruatione, reſtitutione.*
IV. *De SANITATE & MORBIS.*
V. *De ACTIONIBVS corporis integris, aut læſis.*
VI. *De SECVNDARIIS Bonis Maliſq; humani corporis.*
VII. *De MORTE, eiusq; Accidentiis diſſerit.*

SPEI
quam de præclaro illius ingenio
doctipiiq. concepere

M. O N.

D D D

TOMI SECVNDI
LIBRORVM
DISPOSITIO.



CASTOR & POLLVX gemini fratres, filij Iouis & Ledę, qui mare tueri solebant à piratis (unde & dii maris dicuntur) ille mortalis, hic immortalis fuit. Plin. lib. 2. cap. 37. Relati sunt in cœlum, & positi inter duodecim signa cœlestia.

Aegina Aristodemi Spartanorum regis uxor GEMINOS peperit. Herodotus.

ROMVLVS & REMVS gemini fratres ex Rhea Syluia, à Marte compressa, nati sunt, teste Liuio, & omnibus aliis astipulantibus, qui de Romanorum historia scripserunt.

Trigeminos HORATIOS apud Romanos, totidemq; CVRIATIOS apud Albanos fuisse, quorũ certamine Romani & Albani imperiũ locarũt, testatur Liuius l. 1. Dec. 1. & Plin. l. 7. c.

GESTATIO FOETVS.

PERFECTA. IMPERFECTA.

☞ *Septem mensium rarò, nouem frequẽtius, auctore Hippocrate, sensu iudice. Neq; in re manifesta de exemplis multum laborandũ. De Abortiuis paulo post: hic ut Gestãtur, illic ut Eduntur in lucem.*

FACILIS, LABORIOSA.

OLYMPIADEM in partu Dianam inclamantẽ audiẽs philosophus, Ecquos, inquit, clamores ederet, si mortalẽ pareret! Notum est Maronis illud de Pollionis filio,

MATRI longa decem tulerunt fastidia menses.

FOETVS IN LVCEM EDITVS. QVO AD

SVBSTANTIAM. VEL

Integer.

☞ *Exemplis hic non opus est.*

Non integer.

LVDOVICVS Vngariæ & Boemiæ rex sine extrema cute, quã ἐπιδερμίδα uocãt, editus est. Omine non obscuro, extremæ cladis Christiano nomini illo regnante inferendæ.

HABITVM. VTPVTA

Diadematus.

Macrinus Imp. filium habuit DIADVMENVM, formosissimum, sic dictum, quòd diadema Triuiæ, cùm nasceretur, in capite haberet, ita forte, quòd rumpi nõ potuit, ueris intercedentibus neruis. Et hinc Diadematum puerum appellatũ credunt plerique. Licet quidam de nomine aui sui materni Diadumenum uocatum scribant. Cuspinianus.

MODVM.

Præposterè editus.

AGRIPPÆ, ueluti ægrè parti, à Rom. appellantur, quorũ in nascendo nõ caput, sed pedes primùm exeunt, ab ægritudine & pedib. dicti, teste Gell. lib. 16. c. 16. ex Varrone, & Solino cap. 4. Polyhist. qui infelices eos plerunque esse scribit. In M. Agrippa felicitatis argumentũ fuit, nec tamen usq; adeò inoffensę, ut nõ plura aduersa pertulerit, quàm secunda. Nã & misera pedũ ualetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis retrouersi ortus omen luit. Plin. lib. 7. c. 8. Eutrop. lib. 7. cap. 2. Huius autem periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus, quarũ altera Postuerta nominata est, Prosa altera, à recti peruersiq; partus & potestate & nomine. Gellius.

Domitius Nero Imp. toto principatu suo hostis generis humani, pedibus genitus est, ut scripsit parẽs eius AGRIPPINA, teste Plinio lib. 7. cap. 8.

In uterum reuersus.

In uterum protinus reuersus INFANS Sagunti, quo anno ab Annibale deleta est. Plin. lib. 7. cap. 3.

Editus moriente matre.

☞ *Vide Tit. In partu mortuæ, Illic Matris, hic Fœtus ratio habetur.*

Thalia nympha Sicula iuxta Symetum fl. à Ioue compressa, gemellos concepit. Metu Iunonis optauit ut sibi terra dehisceret. Vbi uenit tẽpus maturitatis infantũ, reclusa terra est, & infantes ex aluo emerserunt, appellatiq; sunt PALICI, ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quoniam prius in terrã mersi, nunc denuo reuersi essent. Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 19.

Mortuo Enechone Arista rege primo Nauarrorũ, regnauit Garsias Enechonis, filius eius. Eum quadã die in uiculo Larũbe residentem, superuenientes Arabes occiderunt, & Vrracam uxorẽ eius prægnantẽ in utero lancea percusserunt. Latrunculis fugatis regina per uulnus lanceæ infantulũ enixa periit, qui miraculo omnũ est seruatus, & Sancius Garsiæ fuit uocatus. Eum quidã nobilis suscepit, & diligẽtissimè educauit. Cùm ad adolescentiam peruenisset, ætatem indole, & indolẽ strenuis operibus superãs, successit in regno regi Garsiæ, an. DCCCCXVIII. Rodericus Toletanus lib. 5. rerum Hisp. c. 22. & Marineus lib. 8. rerum Hisp.

VENCESLAVS Imp. ignauissimus matrem in partu interfecit, & baptisma primo ingressu fœdauit: ut iam omen illud esset improbitatis. Cuspinianus.

Elapsus mortua matre.

In Tegeatum agro est mons Cresius nomine, in quo fuit Aphnij sacellum. Nam ubi cum Aerope congressus est Mars, ueluti memorãt Tegeatæ, natus inde APHNIVS, matri nihilominus inhæsit, partui quamuis immortuæ, ac ex uberibus ui numinis paterni multũ copiosumq; lac suxit. Qua ratione in deos tralatus, Aphnios, id est diues, fertur nũcupatus. Cælius lib. 20. capite 25. Antiq. Lect.

GORGIAS Epirota, fortis & clarus uir, in funere matris suæ utero elapsus, inopinato uagitu suo lectum ferentes consistere coegit, nouumq; spectaculum patriæ præbuit, nõ tantùm ex ipso genitricis rogo lucem, sed etiam cunas affectus. Val. lib. 1. cap. 8.

Excisus. Cæsares, Cæsones.

☞ *Cæsuræ huius & methodum & exẽpla peculiari commẽtario nostra ætate edidit Franciscus Rousetus medicus Gallus, eo, quem de Partu Cæsareo inscripsit.*

Aiunt quidam Coronidem prægnantem cum Ischiæ Elati filio concubuisse. Quod grauiter ferens Diana, illam interemit, quia fratri factam iniuriam perferre non posset. Illa postea cùm rogo imposita fuisset, Mercurius è uentre mortuæ AESCVLAPIVM extraxit, uel ipsemet Apollo: ut testatur Ouidius lib. 2. Metamor. Natalis Comes lib. 4. Mythol. cap. 11.

P. SCIPIO Africanus prior, defuncta parente excisus utero, in diem uenit. Ideoq; etiam primus apud Romanos Cæsaris nomine salutatus est. Simili modo natus est MANLIVS, qui Carthaginem cum exercitu intrauit. Solinus cap. 4. Polyhist. & Syllius Italicus lib. 13. Plin. lib. 7. cap. 9. Fortè hic est M. MANLIVS Torquatus, qui cum L. Martio Censorino consul fuit.

Cæsares dicebantur Romanorũ Imp. à C. IVLIO Cæsare, qui natus non est. nam matrem eius nono mense mortuam dissecuerunt, eumq; protulerunt: & Cæsarem dixerunt, à cæsa matris aluo. Suidas. Sed fabella hæc est Græca. Namq; matrem habuit Aureliam, feminam primariam & singulari pudicitia mulierem (ut Plutar. inquit) quã amisit cùm bellum Gallicum gereret. Sed primo fortè, qui hoc nomen sortitus est, euenit, ut è matris utero cæsura erueretur. Licet aliqui etymon hinc ducant, quòd à cæso elephanto in pugna, qui lingua Maurorum Cæsar dicitur, uel quòd oculis fuerit cæsiis, hoc est glaucis, uel à cæsarie, qua natus prodit, primus, quisquis is fuerit, Cæsaris nomẽ indeptus sit. Cuspinianus.

GEBHARDVS, Vthonis Comitis de Bregentz F. ex matris utero exectus, Cõstantiẽsis episcopus factus est anno 1001. & monasteriũ Petershusium, item templũ Cerciacense (in emporio nobili Heluetiæ Zurzach dicto) extruxit. Bruschius.

Anno 959. BVRCARDVS comes de Lintzgovu, Buchorn; & Mõteforti, liberalitate in pauperes præstans, post Cralonis obitũ abbas Sãgallensis designatus est, cõfirmatione ab Othone Magno per baculũ & ferulã accepta. Dictus uulgò Ingenitus, eo quod ex mortuæ matris aluo exectus esset. Bruschius.

Circa an. sal. 1500. in pago Sigershusen, præfecturæ Gotliebanæ, comitatui Turgauiensi subiecto, rusticus quidam Iacobus Nufer, uxori suæ Elizabethæ Alespachin, per aliquotiã dies parturiẽti, desperata iam salute, consilium suũ communicat, Velle se, si cõsentiat, suã in ipsa experiri industriã (erat autem is ὀρχοτόμος, porcos castrari solitus) Illa necessitate urgente annuit. Hinc rectà ad præsidem Fravuenfeldensem contendit, conatum aperit, licentiam impetrat. Itaque duabus cordatioribus obstetricibus ex tredecim quæ aderant secum in conclaui retentis, sumen uxoris primo ictu feliciter aperuit, femella elegans prosiliit. Consutum uulnus more ueterinario rectè coaluit: ita ut sequentibus annis semel gemellos, quatuor inde alios enixa sit eidem liberos. Excisa filia ad annum ætatis octogesimum peruenit, fœcunditate nobilis.

TEMPVS. PARTVS

Præcox.

Aristonis Lacedæmoniorum regis VXOR septimo mense Demaratum peperit. Ex qua re magnæ postea turbę inter Cleomenem & Demaratum ortæ. Plutarchus.

Asclepiades auctor est, NAXIAS mulieres ὀκτάμηνα, id est, octimestria ædere puerperia, uel Iunonis munere, id illis gratificantis ob Dionysij beneuolẽtiam: uel quia Bacchus ipse sic creditur natus, quo nomine Naxũ insulã unã è Cycladibus nũcupari Dionysiã. quãuis de uinearũ fertilitate appellari ita magis Plinio placeat. Cælius lib. 22. cap. 23. Antiquarum Lectionum, ex Suida.

In AEGYPTO etiam octauo mense partus uitales esse aiunt. Plin. lib. 7. cap. 5. & Aristoteles. De HISPANIA idem narrat Auicenna. Cælius lib. 20. cap. 1. A. L.

VESTIL-

VESTILIA C. Herdicij, ac postea Pomponij Orfiti clarissimorum ciuium coniunx, ex his quatuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit, Suillium Ruffum undecimo, Corbulonem septimo, utrumq; consulem: postea Cæsoniã Caij principis coniugem, octauo. Plin. lib. 7. cap. 5.

Gellius testatur, Romæ suo tempore accuratè quæsitum, an 8. mense infans ex utero editus, & statim mortuus, ius trium liberorũ suppleuisset: cùm abortus, nõ partus, uideretur quibusdã mensis octaui intempestiuitas. Gell. l. 3. c. 16. Noct. Att.

Serotinus.

ROMANI, teste Varrone, partus mulieris non tantùm nono, sed & decimo mense, secundùm naturã & legitimos esse iudicarũt: & propterea tribus Parcis nomina fecere à pariendo, unicæ literæ mutatione, & Nonam atq; Decimã, à partus tẽpestiui tempore appellarunt. Proinde etiã usu uenit, ut cùm femina non ambiguæ pudicitię XI. mense post mariti obitum peperisset, lis mota sit ab hæredibus, quasi mortuo marito concepisset. At Hadrianus causa cognita, ueterũ philosophorum & medicorum sententiis requisitis, in XI quoque mense partum edi posse asseruit. Item in Satyra Varronis, quæ Testamentum inscribitur, hæc uerba leguntur: Si quis mihi filius unus pluresue in X. mensibus gignuntur, ij si erunt ὄνοι λύρας, exhæredes sunto. Quòd si quis XI mensẽ κατ' Ἀριστοτέλη natus esto, Accio idem quod Titio ius esto, apud me: hoc est, eodem iure erit XI mense natus, atq; is qui X. quoniam de rebus inter se nihil distantibus uulgò dici solebat, Idem Accij quod Titij. Gell. lib. 3. cap. 16.

Apud Varronem obseruatum est, Gracchum ideo nuncupatũ, quòd eum MATER mensibus duodecim in utero gestasset, quia legitimum pariendi tempus esset supergressa. Cælius lib. 24. cap. 4. Antiq. Lect.

Massurius auctor est, L. Papyrium prætorem, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm MATER partum se XIII mensibus diceret tulisse: quoniam nullum certum tempus pariendi statutum uidetur. Plinius lib. 7. cap. 5.

COMMORTVVS MATRI.

☞ *Quædam exempla ex Tit. Earum, quæ in Partu obiere, petantur.*

ABORTIVI.

☞ *Ex Tit. Abortitionis exempla petantur: illic Affectionis morbosæ, hic ipsiusmet Fœtus ratio habetur.*

EXTERRICINEI dicuntur Festo, ante tempus nati, tanquã eos mater exterrita aluo eiecerit. Græcis ἠλιτόμηνοι, ueluti fallentes in mense. Cælius lib. 22. cap. 13. A. L.

P. Val. Poplicola quartum consule, quia Sabini & Latini conspirauerant, erat belli suspicio. Religionem insuper ciuitati attulerat, quòd omnes mulieres Rom. quę ea hora prægnãtes erant, PARTVS imperfectos eiicerent, neque esset suo tempore ullus editus. Itaque Poplicola ex libris Sibyllinis placatis diis inferis, ludisque ex oraculo Apollini instauratis, & fiducia diuini numinis erecta ciuitate, iam ad hominum se conuertit minas. Plutarchus in Pop.

INFANTVM CVRA POST PARTVM.

QVI CVRANT.

Parentes.

M. CATO cùm uxor peperisset, nullo tam urgenti, nisi publico negotio impediebatur, quin ei infantem abluenti & fasciis inuoluenti assisteret. Illa etiam proprio lacte nutricabatur infantem. Frequenter etiam seruorum pueros admouebat mammæ, quò beneuolos eos ex educationis consortio erga filium redderet. Plutarchus in Catone.

Patres.

In CYRNO insula mulier puerpera editæ prolis nullam curã gerit: sed uir domi abditus, infantilis educationis curam atque onus fert. Alex. lib. 2. cap. 25.

Magistratus.

THEBANORVM hæc lex rectissimè & sanctissimè posita est: Ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abiicere, capitis supplicio. Verùm si in extrema mendicitate sit constitutus pater, cogitur statim infantem ad magistratum cum ipsis fasciis adferre, qui acceptum alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedũt, ut per suam fidem infantem alat, & adultum serui uel seruæ loco habeat, sic ut alimentum & educatio seruitute compẽsentur. Aelian. lib. 2. de Var. histor.

QVOMODO. VTPVTA

Indolem explorando.

BRACHMANES editos infantes statim diiudicabãt publico in cõcilio, ex facie & corporis mẽbris, cuius essẽt indolis. Cuius indoles probatur, bonis disciplinis formandũ curabãt: si improbaretur, statim occidebant. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.

Ex Lycurgi instituto SPARTANI pueros statim à partu uino abluebant. Si debilis esset fœtus, epilepsia corripiebatur, & exponebatur. Si nihil læderetur, educabatur, ad omnes militiæ labores futurus idoneus. Alex. libro 2. capite 25.

GERMANI siue CELTÆ infantes primùm natos Rheno flumini immergebant, ut iudicium facerent de puero, mollis an robustus esset futurus: sed etiam ut matris pudicitiam explorarent. Nam si mater castitatem seruasset, fluitabat in summo flumine: si adulterium cõmisisset, mergebatur. Testis Iulianus in quadam epistola ad Maximum, item Theophylactus, & Gal. in primo de San. tuenda. & in primo Græcorum Epigram. εἰς κελτούς.

Alimenta subministrando.

☞ *Ex Tit. Nutricum huc quædam. Illic Officium, quod impẽditur: hic Fœtus, cui impenditur.*

Putat in Heroicis Philostratus, dici AMAZONAS, quòd mazo, id est mamma, non alantur: sed roris fauis, qui in mellis modum calamis fluuialibus insidet, lacte præterea equino adiecto. Cælius lib. 9. cap. 12. Antiq. Lect.

ROMANI infantẽ matris lacte educari potiùs quã apud coẽtas nutrices ali permittebant: cùm ingenuitas à matre sola, non patre proficiscatur. aut si permisissent, magna cura prędpuas illi nutrices Laconicas, uelut educationis magistras, admouebãt. Quod æquè GERMANIS est habitum nefas, apud quos mater filium suo lacte alit. Alex. lib. 2. cap. 25.

Sanitati & Robori consulendo.

RVTVLI infantes primũ natos flumini immergebãt, ut corpora eorũ firmarẽtur, non secus atq; ferrũ candẽs aquæ immissum. Virg. 9. Aen. —Natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq; gelu duramus & undis.

Idem de IAZYGIBVS scribit Valerius Flaccus:
—Sæuo durauimus amne Progeniem, natosq; rudes.

THRACES, SCYTHAS, eundem morem habuisse, Sidonius Apollinaris testatur: —Et matris ab aluo
Artus infantum molles nix Cimbrica durat.

AETHIOPES, ab ipso natali die editos infantes in frõte inurũt, & stigmate notãt, quo capitis & oculorũ humor exiccetur. Hodie quoq; LIGVRES aiunt infantũ occipiti carbonẽ ignitũ adhibere, eadẽ ratione (sua lingua Incendere uocant, si ferro ignito fiat) ad arcendam epilepsiam. Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 25. ex Herod. lib. 4.

POENI pastorales, ubi filij ipsorum quadrimi effecti sunt, uenas uerticis illorũ lana succida inurũt, nõnulli uenas tẽporum, ne pituita defluẽs è capite, officiat. Et sunt reuera Pœni inter oẽs homines saluberrimo corpore. Quòd si pueris inurẽdis spasmos existat, urina hirci aspera eos liberãt. Hero. 4.

SPARTANI infantes uino abluebãt à partu, argumentũ sumturi an epilepsiæ obnoxii forẽt. Nonnulli sale & aqua, ad firmandũ corpus. Eosdem Lycurgus frigidissima aqua foueri, nudosq; in labore enutriri uoluit, ut labori & dolori assuescerent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

Apud ROM. in testudineis alueis, aut ex tergore marinarum testudinum factis, caldã pueros abluebant, mox oleo & butyro perungebant. Alex. lib. 2. cap. 25.

EXPOSITITII PVERI.

☞ *Quicunq; exponuntur, quocunque consilio, huius sunt loci. Qui ipsi etiam ad locum Mortis pertinent, quatenus moriuntur in prima ætate. Sin conseruentur, ad Tit. Vitæ conseruatæ. Porrò Sanguinolenti, infantes expositi Latinis dicuntur, quòd recèns nati efferrentur.*

Diodorus lib. 4. Menoem, uetustissimũ Phrygiæ regẽ, ex uxore Dindymene filiã procreasse scribit, quã exponi iusserit in mõte Cybelio. Infantẽ à feris enutritã euasisse in admirabilẽ pulcritudinẽ, inuentamq; à muliere pastoria educatã pro sua, dictamq; à monte, in quo esset exposita, CYBELEM.

Psamathe, Crotopi regis Argiuorum F. FILIVM ex Apolline conceptum metu patris exposuit. Ille à canibus regij pecoris custodibus dilaceratus fuit. Pausanias in Atticis.

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Naturalia, *quæ illi insunt per naturam uel insitam uel aduentitiam. Vide signum* I.
- MATERIALITER *consideratum corpus, quædam no bis suggerere uidetur consideratu digna: uel tanquam*
  - Artificialia, *quæ nõ tam à natura, quàm à uoluntate studioq; humano pendẽt.* CVLTVS *nimirũ Corporis respectu*
  - Subiecti. CVLTVS *Corporis considerati respectu Subiecti*
    - Totius: *uel*
      - Obseruatus.
      - Neglectus.
    - Partis: *utputa*
      - Capitis, *Faciei.*
      - Dentium. Scapularum.
      - Pilorũ
        - Cultus, *eos*
          - Nutriẽdo. PILORVM *cultus:*
            - Qui. Qua *parte.*
            - Quomodo:
              - Pectendo, *Purgando:*
              - Componendo.
            - Cur.
          - Nõ nutriendo. PILORVM
            - Abrasio, *Tonsura. Coma, Barba tonsa, rasa:*
              - Qui. Quomodo. Quando.
              - Cur. *Causa*
                - Religionis.
                - Necessitatis, *Ponderis.*
                - Pugnæ.
                - Indignationis.
                - Luctus. Dignitatis.
                - Decoris. Ignominiæ.
                - Pœnæ. Quæstus.
            - Vstio. Eulsio.
        - Fucus. *Coma, Barba*
          - Tincta.
          - Ficta.
      - Vnguium.
      - Ani *extersio, Lotio.*
  - Modi. *Cultus corporis quo ad*
    - Colorem. FVCVS *Corporis*
      - Obseruatus.
      - Neglectus.
    - Odorem. VNGVENTA.
    - Mundi*tiẽ d*
      - Sordibus. BALNEA, *Thermæ:*
        - Quæ.
        - Qualia
          - Calida.
          - Frigida.
          - Sordida.
        - Quando.
        - A quibus.
        - Quo *studio*
          - Frequentata.
          - Contemta.
      - Animalculis. PEDICVLORVM
        - Possessio.
        - Ablatio.
    - VESTIMENTA
      - Lauta, *Elegantia.*
      - Vilia, *Sordida.*
    - MONILIA.
    - Ornatum *per se*
      - Materia
        - Lapis.
        - Metallum.
      - Forma.
      - Vsus. *qui gestarint.*
      - Qua *parte.*
      - ANVLOS *Horum*
        - Finis. *Cur, nempe, causa*
          - Amoris.
          - Libertatis.
          - Dignitatis.
          - Signi.
          - Magiæ.
        - Studium.
        - Contemtus.
    - Staturam.

- Totius
  - Subſtãtia. Vt
    - Quanta, *quo ad Habitum corporis secundum*
      - Longitudinem
        - PROCERI.
        - PVSILLI.
      - Latitudinem
        - Pingues. OBESI.
        - Macilẽti. *Huius*
          - Causa
            - Natiua.
            - Aduentitia, *ut*
              - Fames.
              - Studium.
          - Certamina.
    - Qualis, *quo ad*
      - Speciem, *ut*
        - Est,
          - Natura*lis:*
            - Vsitata.
            - Nõ *usitata,* CORPORIS *nota insignis, secundum*
              - Effigiem *quandam.* Maculas.
              - Colorem
                - Album. Flauum.
                - Nigrum. Rubrum.
              - Conformationem.
              - Odorem, *Corporis odor*
                - Iucundus.
                - Teter.
          - Non *naturalis.* MONSTRÓSA *species.*
        - Mutatur. HOMINES *mutati in*
          - Saxa.
          - Bruta.
      - Pilos. CORPVS
        - Glabrum, *Læue.*
        - Hirsutum.
  - Accidens. *Vide signum* II.

1. Hucpertinere et referri posse uidentur

- Partis *cuiusque tum substantialiter tum accidentaliter consideratæ.* PARTIVM *corporis accidentia naturalia considerata*
  - Caluariæ.
  - Capitis
    - Figura.
    - Magnitudo.
  - Capillorum
    - Pulcritudo.
    - Color: *ut* Rubedo. Albedo, *Canities.*
    - Quantitas
      - Copia.
      - Raritas, *Calnities.*
    - Scintillæ.
  - Faciei
    - Splendor. Mores, *Torvitas.*
    - Color. Tumor. Figura.
  - Oculorum
    - Splendor. Color.
    - Magnitudo.
  - Nasi
    - Magnitudo. *Nasuti.*
    - Figura
      - Grypi.
      - Simi.
    - Superficies. Pustulosi.
    - Sordes. *Muccosi.*
  - Historicè: *ut*
    - Labiorum.
    - Dentium
      - Ortus. Ordines.
      - Distinctio. Color.
    - Menti. *Huc Barbæ*
      - Possessio
        - Barbati
          - Viri.
          - Mulieres.
        - Barbara.
      - Vsus. *ob*
        - Decorem. Pudorem.
        - Luctum.
    - Colli
      - Figura.
      - Strumæ.
    - Ceruicis. Neruorum. Thoracis. Mammarum.
    - Dorsi
      - Gibbus.
      - Incuruitas.
    - Cordis. Ventris.
    - Pudendi: *ut Curti, Præputio carentes, Apella, Verpi.*
    - Testiculorum. Natium.
    - Brachiorum, *Manuum, Digitorum. Coxæ, Femorum, Crurium*
      - Conformatio.
      - Magnitudo.
      - Longitudo.
    - Pedum
      - Conformatio.
      - Magnitudo.
  - Logicè, *ut inter se similes sunt & homogeneæ.* Puta
    - Nerui. Venæ. Arteriæ.
    - Ossa. Ligamenta.

II. Inter *Accidentia cōnumeratur*

- Sexus *ut*
  - Distinctus
    - Est.
    - Mutatur. Sexus *mutatus.*
  - Confusus.
- Ætas *ut*
  - Est.
  - Mutatur.
- Forma *ut*
  - Est. *Considerata*
    - Per *se ut*
      - Elegans. Formae *dignitas, Pulcritudo. Perpendenda*
        - Acquisitio
          - Publica. *Popularis pulcritudo, ex ipsa regione.*
          - Priuata.
        - Possessio. *Qui Pulcri, Pulcræ. Personæ considerata respectu*
          - Professionis
            - Philosophi.
            - Poetæ.
            - Milites. Athleta.
          - Habitus
            - Fortes, *bellicosi.*
            - Cinædi. Inpudicæ.
          - Aetatis
            - Adolescentes.
            - Virgines.
          - Staturæ
            - Magni, *Proceri.*
            - Parui.
          - Dignitatis
            - Pontifices, *Episcopi.*
            - Reges, *Imperatores.*
            - Reginæ. Duces.
          - Coniugij
            - Matronæ. Concubinæ.
            - Viduæ.
          - Libertatis. Serui, *Serua.*
        - Vsus, *Fructus. Pulcritudo occasionem præstat*
          - Amoris *Deorum.*
          - Amoris *insani.*
          - Raptus. Incestus. Adulterij.
          - Concertationis. Furti. Mortis.
          - Coniugij *honorifici.*
          - Regni. Libertatis.
      - Turpis. Deformes.
    - Respectu *aliorum*
      - Similitudinis. Formae *similitudo spectatur in ijs, qui sanguine ortuq; uel iuncti*
        - Sunt. *Sic similes forma sunt*
          - Maioribus *Minores.*
          - Parentibus *Liberi.*
          - Fratres.
          - Cognati.
        - Non *sunt, & uel nationis*
          - Eiusdem.
          - Diuersæ.
      - Certaminis. Certamina *Formæ.*
  - Mutatur. Ex
    - Deformibus *formosi redditi.*
    - Formosis *deformes.*

Voluminis Secundi Liber II.

De Corporis Substantia, Sexu, Aetate, Forma.

PROCERI. GIGANTES.

GIGANTES, ut rem fabulosam, maior hominum pars deridet. Quorū etsi Sacris fit mentio, allegoricè tamē locū illum Theologi interpretari malūt. Suetonius in Augusti uita scribit, eum uillas suas ossibus magnarum belluarum, quæ gigantum fuisse dicta sunt, exornasse. Non tamē inanē omnino historiā esse Gigātum, uulgatissima fabula cōuincit, atq; etiamnum monumenta quædam inusitatæ magnitudinis ossibus referta.

Apud Amorræos olim ENAQVINI gigātes dicebātur, Enaquo pgeniti, cū quib. collati Israelitarū exploratores, uidebātur esse locustę. Num. 13. In urbe etiā Are gigantes Enaquinis pares, EMES Moabitis dicti, ab iisdē exacti sunt & deleti. Apud Ammonitas ZAMZVMES gigātes dicti olim habitarūt, quos posteri Loti deleuerūt. Deut. 2. Cū Israelitę in Amorręos irruisset, duce Mose, solus adhuc è gigātū reliquiis supererat OGVS Basanę rex (cuius cubile ferreū adhuc ostēditur Rabbathæ Ammonitarū, longitudine 9. cubitorum uiriliū, latitudine quatuor) qui 60 oppidis imperabat, & tamen cum omnibus suis ad internecionem cæsus est. Deut. 3.

ARBA gigas maximus, pater Enaqui, à quo nomen habuit urbs Cariatharba, Hebron postea dicta, è qua Calebus Iephonis F. expulit tres Enaquinos, Sesaim, Achimanem, & Tholmaim. Iosua cap. 14. & 15.

Berosus lib. 5. Antiquitatū, NOACHVM reponit inter gigantes & astrologos. Facit idē TVISCONEM gigantem, cuius filius Mannus apud Sarmatas regnarit, ętate Semiramidis.

GOLIATHVS Gethæus Palæstinus singulari certamine à Dauide ictu fundæ prostratus. Iosephus, nisi parum integrè id in eo legitur, auctor est, septenum pedum Philistæum quadrante minus fuisse, quę proceritas ne nostra quidē tēpestate sit in aliquo cōspicua. Veriora itaq; mihi uidentur, quæ in Bibliacis libris traduntur, senum cubitorum & palmi fuisse eius staturam, quæ denos quadrāte minus habuerit pedes: quū aliquāto pceriore Orestes fuerit. ex Herod. Sab. l. 8. En. 1.

IESBIBENOBVS gigas Palæstinus Dauidem regē pugnando defessum interemisset, nisi Abisæus Saruiæ F. regi succurrens, gigantem (cuius hastæ ferrum trecentos æris siclos pēdebat) interfecisset. 2. Regum 21.

SAPHVS gigas, à Sobochæo Husathense, Dauidis regis milite, apud Nobam interfectus. Idem.

GOLIA-

GOLIATHVS alius fuit frater Goliathi à Dauide cæsi. Eius hastæ lignum instar erat iugi textorij. Apud Gobam ab Elehana Iaarei F. textore Bethlehemita, Dauidis regis milite, interfectus fuit. Ibidem, & 1. Paralip. c. 20.

QVIDAM alius Gethæus, sex cubitos procerus, senos manuū & pedum digitos habens, 24 numero, Israelitis cōuitiatus, à Ionathane Samaæ Dauidis regis fratris F. interfectus fuit in prælio. Ibidem.

Selenetidas mulieres Herodotus ait oua parere: indeq; nascentes HOMINES, quinquennes, decies esse nobis ampliores. Rauisius ex Athenæo.

HEROAS omnes mira fuisse proceritate, apud Philostratū legimus, uno Tydeo excepto. Eapropter in tragœdiis cothurno histriones utebantur, ut eius accessione Heroum magnitudinem æquarent. Scaliger lib. 13. Poeticæ.

ATLANTEM poetę fabulantur gigantem omnium maximū, qui cœlum humeris sustinuerit. Quod fingitur, propter eiusdem nominis montē in Mauritania tantæ altitudinis, ut nubes contingere uideatur. Vergilius: --Vbi cœlifer Atlas Axē humeris torquet, stellis ardentibus aptum.

BRIAREVS, siue Aegæon centimanus, à Neptuno maris Aegæi scopulis fuit alligatus. Verg. 10. Aen.

ENCELADVS, in Sicilia fulminatus, ex 2. Aen. PORPHYRION, ADAMASTVS, CEVS & OROMEDON apud Propert. libro tertio: NVMAS quoque sub Prochyta conclusus, Syllio lib. 12.

GYGEM Hesiodus in Theogonia facit Cœli & Terræ filium, & Briarei fratrem. Ouidius Centimanum Gygem uocat.

ALOVS ex Iphimeride, à Neptuno uiolata, filios habuit, Aloidas dictos, Othum & Ephialten. Verg. 6. Aen. & in Culice. Othus in Creta fulminatus est.

TITYVS nouem iugerūm altitudine, Latonę stuprum inferre tentans, ab Apolline sagittis interficitur. Ad inferos detrusus, hepate & corde suo subinde renascentib. uulturem pascit. Verg. 6. Aeneid. Apud Panopenses in Phocide ad torrentem est Tityi sepulcrū, aggeris ambitus nihilo maior unius stadij triente. De Tityo uersus in Odyssea est,

Porrectumq; nouem Tityon per iugera terræ.

Hunc uersum nō ad Tityi magnitudinē, sed ad illam, in qua situs est, aream pertinere existimant, quòd nouē ea iugerum sit. At Cleon Magnes se facilè adduci posse ait, ut crederet, & Tityum, & alios ea magnitudine, quā fama prodidit, fuisse. Venisse enim fortè se aliquando Gades, & ab ea insula cū tota sui comitatus turba, quòd id Hercules imperasset, mox iterum Gades reuersum, marinum hominem in litus eiectū inuenisse, nihilo breuiorem iugerū V. spacio, qui fulmine ictus conflagrarat. Pausanias in Phocicis.

Erat TYPHOEVS admirabili corporis magnitudine, omniū montium altior uerticē uel crurum tenus: caput astra tangebat, altera manus ad orientē, altera ad occidentem tendebatur. Ex his centum capita draconum eminebant, in cruribus maximas habebat uiperarum spiras. Corpus totum pennis obtectum, crines impexi, barba prolixa, oculi ignei, ignis ex ore multus feruebat. Hunc fugiētibus diis Iupiter insecutus, ad Casium montem Syrię fulmine sauciauit. At ille Iouē deinde captū detinuit, & harpe Ioui ademta manuū pedumq; neruos secuit, inq; Ciliciā impositū humeris transportauit. At Mercurius Iouē furatus restituit in pristinā formā. Tum Iupiter iterum illum insecutus fulmine uulnerauit apud Hemum montē, qui ita dictus fuit à copia sanguinis, qui ibi de uulnere effluxit: mox in Siciliā fugienti Aetnā superiniecit, ut testatur Euphorion. Pindarus in Olympicis Typhonē centum capitum sub Aetna occultari, inquit. Alii nō à Ioue, sed ab Apolline confossum sagittis, testantur. Scriptum reliquit Strabo lib. 16. Typhonem serpentē, non hominem fuisse: qui fulminibus ictus dum latebras quæreret, terram secuit longis tractibus non procul ab Oronte fluuio, in agro Apamiensi Antiochiæ, iuxta Seleuciam. Quidam putarunt, Typhonem regem fuisse Aegypti, hominem inhumanū ac ferū, ob cuius crudelitatem propè uniuersa Aegyptus fuerit deuastata & euersa: qui ita fuit uocatus, quòd more draconis Aegyptū popularetur. Eum, teste Herodoto in Euterpe, Osiris de medio sustulit. Natalis Comes Mythol. lib. 6. c. 22.

Cretensi bello exundantium fluuiorum impetu siue motu terræ, in imum discissa humo, inuentum est cadauer XVI cubitorum longitudine, quod alij ORIONIS, alij OTI fuisse uolunt. Ad quod spectandū, admiratione moti, Lucius Flaccus legatus ac Metellus iuerunt. Plin. lib. 7. c. 16.

Orontem Syriæ fluuiū, ad mare non per campos ubiq;, sed per ualde decliuia & prærupta citato cursu descendentem, Romanorum Imp. Antiochiam contendens, classi peruium reddere conatus est. Magno itaq; labore & impensa, fossa deducta, in eam flumen auertit. Vetere uerò alueo exiccato, urna fictilis reperta est cubitorum XI. & in ea cadauer nihilo breuius, humana specie ex omni parte corporis. Hunc ORONTEM fuisse ex Indorum gente, Clarij Apollinis oraculū Syris consulentibus, responsum fuit. Quòd si uda initio terra, & humore grauida, sole concalefacta, primos edidit homines, ecquæ nam mundi pars humidior? Vel quę terra omnino maiores gignere homines debuit, quàm quæ his etiam temporibus uastissimas & miranda forma belluas alit? Pausanias in Arcadicis.

Apud Milesios ante ipsam urbem est Lade insula. Ea rursus in duas paruas scinditur insulas. Earum alteram Asterij dicūt, quòd fuerit in ea sepultus ASTERIVS Anactis filius (Anactem terræ filium fuisse tradunt) cadauer eius nihilo est decē cubitis breuius. In superiori Lydia nō magna urbs est, quæ Temeni porta dicitur: ibi ambeso tempestatibus sepulcro, Adriano imperante, ossa detecta sunt: quæ nisi humanorum ossiū figurā retinuissent, propter magnitudinē nemo ea hominis fuisse ut crederet, adduci facilè potuisset. Vulgò Geryonæ illud esse dictabant. At Pausanias in Atticis negat, quoniam Geryon Gadibus habitarit, sed HYLLI Terrę filij fuisse asserit, à quo regionis fl. nomen acceperit.

HERCVLEM, scribit Heraclides Ponticus, quatuor cubitorū & unius pedis longitudinis fuisse. Natalis lib. 7. cap. 1. Mythologiæ. Scythæ in Exampeo loco, medio inter Borysthenem & Hypanim, uestigium Herculis ostendunt, petræ impressū, uirili uestigio simile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuium Tyrem. Herod. lib. 4.

ARISTÆVS, siue Aristius, unus ex Gigantibus, in Aetna Siciliæ monte solus euasit, nec igni cœlesti tactus, nec Aetna oppressus. Suidas.

ANTÆVS gigas in Libya, cui in Herculem luctanti Terra mater augebat uires, quotiescunq; eam attigerat. De quo Lucanus lib. 4. In oppido Mauritanię Tingi Antæum tradūt Afri cōditū. Eius tumulum eruit Q. Sertorius, cùm urbē cepisset, nō habita Barbaris fide ob magnitudinē. Vt corpus offendit sexaginta cubitos longū: cęsis uictimis tumulū adaggerauit, honoresq; & famā eius amplificauit. Fabulātur Tingitani, Antæo defuncto, uxorem eius Tingen concubuisse cum Hercule, ex quibus editum Sophacē, regnum ea in regione obtinuisse, atq; oppido matris indidisse nomen. Plut. in Sertorio, & Strabo lib. 17. ex Gabinio.

ORESTIS corpus oraculi iussu refossum, septem cubitorū fuisse, monumentis proditur. Plin. lib. 7. c. 16.

AIAX Telamonius, qui ad Troiam pugnauit, in Salamine insula sepulcrum habuit: quod cùm alluuione apertum esset, inuenta sunt miræ magnitudinis ossa, ita quidem ut genuū uertebræ, quas molas medici uocant, disci instar essent, quo quinquertiones utuntur. Pausanias in Atticis.

POLYPHEMVS Cyclops, Neptuni filius ex Thoa, propter immanem corporis molem numeratur inter Gigantes, Homeri Odyssea.

POLYDAMAS Niciæ F. Scotussæus, omnium hominum, heroibus exceptis, suæ ętatis statura corporis maximus fuit, & præter Olympicas uictorias de pancratio, peculiari fortitudinis gloria illustris. Pausanias lib. 5. & Suidas.

PHYA Atheniensis mulier, è tribu Pæanica, tribus digitis minus statura quatuor cubitorum, alioqui formosa. Hanc Pisistratus Mineruæ habitu instructam, exercitū præcedere iussit. Eam ut uiderunt Athenienses, Palladem Pisistrati partes fouere arbitrati, iugo colla supposuerunt. Herod. lib. 1.

Xerxe in expeditione contra Græcos apud Acanthum urbem agente, cōtigit ut ARTACHÆES, qui fossæ ad Athon mōtem faciundę præfuerat, morbo decederet, uir Xerxi spectatus, genere Achæmenides, statura inter Persas procerissima. Quippe cui quatuor omnino digiti deerant, à longitudine quinq; regiorū cubitorū. Xerxes magno damno ducens maximum hominū fato functū, apparatiss. eum funerauit, exhibito etiam epulo, eiusq; tumulū omnis exercitus extruxit: cui tanquam heroi ex oraculo Acanthij sacrificant, nomine eum nuncupantes. Herod. lib. 7.

BASTERNÆ cuiusdam meminit Athenęus lib. 5. Dipnosoph. πεντεπήχυς, quinque cubitalis (more Græco, quibus cubitus è duobus pes quatuor palmis, palmus 4 digitis, pedibus constat) à Mithridate capti, una eademque catena uincti, sed equitis, post se trahentis M. Aquilium consularem uirū peditem. Victorius lib. 25. cap. ultimo.

Apud Theocritum in Syracusanis Praxinoa de MARITO loquitur, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς. id est, uir tredecim cubitorū: hyperbolicôs significans enormiter procerum, quum esset tam insulsus, ut è mercatu pro nitro salem afferret. Erasmus in Adagiis.

In STRATONICVM Ammianus in 2. Epigram.

τῷ στρατονικείῳ πόλιν ἄλλην οἰκοδομεῖτε,
ἢ τούτοις ἄλλην οἰκοδομεῖτε πόλιν.

EVRYBATES Argiuus, quinq; palmorum proceritate, ter ex prouocatione uictor, cùm Argiorum uoluntariorū dux esset factus contra Athenienses Aeginam occupātes, à Sophane Decelis F. interemtus est. Herod. lib. 6.

PORVM Indiæ regem ab Alexandro uictum, pleriq; scripto-

res

res conſentiunt, quatuor cubitos palmo excedentē, ob corporis eminentiā & molem elephanto, quo uehebatur, quātumuis fuerit grandis, equitis portione reſpondiſſe. Plut. in Alexandro. Eius magnitudo cubitis quinq; pectus in latum duplo eius, quod uiri robuſtiſſimi ſit, porrigebatur. Propterea, q̄ cōiiciebat Sunia (ſic uocant Indi haſtilia) eo ferebātur impetu, quo fermè ſi ex catapulta fuiſſēt intorta. Diod. li. 17.

GANGES rex Aethiopū, ab Alexandro occiſus, ſtatura X cubitorum: ea formæ præſtantia, qualis nemo unquā mortalium fuit, fluuij Gangis filius. Hic patrem ſuum Indiam inundantem, in mare Rubrum auertit, & cum terra reconciliauit. Vnde terra illi & uiuēti copioſas fruges peperit, & mortui necem ulta eſt. Suidas.

SYRBOTÆ, gens Nomadum Aethiopum, octona cubita longitudine excedere dicuntur. Plinius lib. 7. capite 2. ex Crate Pergameno.

AETHIOPES Macrobij feruntur eſſe maximi omnium hominum, atque pulcerrimi, diuerſisque uti à cæterorum hominum ritibus, cùm aliis, tum uerò hoc circa regnum, quòd quem è popularibus maximum pro magnitudine, ualidūq; iudicant, hunc regem deligendum cenſent. Herod. lib. 3.

Parthorum rex Artabanus miſit Tiberio filium Darium obſidē cum multis muneribus, inter quę etiam uirum ſtatura cubitorum quinq;, genere Iudæum, ELEAZARVM nomine: qui propter uaſtitatem Gigas cognominatus eſt. Ioſephus lib. 18. cap. 6. Antiq.

Meſſenę, ut Apollonius auctor eſt, teſte Phlegonte lib. de Mirab. & Longæuis, dolium ex lapide confectū, ui tempeſtatū & alluuione copioſæ aquę ruptū eſt: & ex eo dolio effuſum caput triplæ ad humanū quantitatis, duos habens dentiū ordines. Erat inſcriptū, ΙΔΕΩ, IDÆ. Publico itaq; ſumtu aliud doliū Meſſenij curauerunt, inq; id caput repoſuerunt: atq; accuratiùs herois eius reliquias coluerunt, cū uiderēt hunc eſſe, cuius Hom. Iliad. I. meminiſſet.

In Dalmatia, in ſpelunca, quæ Dianæ dicitur, uidere licet multa CORPORA, quorū coſtę XVI. ulnas excedūt. Phlegon.

Apollonius grāmaticus narrat, Neronis ætate terræmotū fuiſſe, quo multæ ac celebres Aſiæ urbes funditùs deletę ſint, quas deinde Tiberius ſuo ſumtu inſtaurauit. Propter quod beneficium, Aſiani coloſſum ei cōfecerunt, ac poſuerunt in foro Romano, pone fanum Veneris, & ſingularū deinceps urbiū ſtatuas ſubiunxerunt Sed & Siciliæ non paucæ numero urbes eo terræmotu afflictæ fuerunt, & loca Rhegio uicina: & Ponticæ eum non paucæ gentes ſenſerunt. Enimuerò quibus locis terra à ſe diuulſa fuit, ingētia ſunt reperta CADAVERA, quorū magnitudine ſtupefacti incolæ, non auſi ea loco mouere, indicij cauſa Romam miſerunt dentem unum exemtum, qui pedis menſuram non attigit modò, ſed etiā ſuperauit: quem legati Tiberio oſtendentes, ſimul etiā quęſiuerunt, uellét ne ad ſe heroem, cuius is fuerat, afferri? Ibi Tiberius prudenter conſilium eò direxit, ut neq; cognitione magnitudinis ſeipſum priuaret, & ſpoliandorum cadauerū flagitium euitaret. Inſignem quendā geometram, nomine Pulcrū, quem ob artem apud ſe honorificè habebat, accitū, faciem iuſſit fingere proportione denti reſpondentem. Qui dimenſus, dentis quātitate perſpecta, quanta facies, & quæ totius corporis moles futura eſſet, celeriter opus abſoluit, & ad Imperatorē attulit: iſq; ſufficere ſibi hoc ſpectaculū dicens, dentem eò, unde erat allatus, remiſit. In Aegypto locus eſt, Litræ appellatus, ubi CORPORA iſtis non minora oſtenduntur, non obruta terra, ſed in conſpectu poſita, neque confuſa aut conturbata ea, ſed ordine ſuo collocata: ut qui accedit, cognoſcere poſſit, quæ femorum oſſa ſint, quæ crurum, aut aliorum membrorum. Rhodi oſſa tanta ſunt, ut cōparati cū iis noſtri homines ſint multò minores. Idem ait, prope Athenas inſulam eſſe quandam, quam Athenienſes cùm uellent muris munire, dum foderent fundamenta, inuenerint ſepulcrum longitudine C cubitorum, atq; intus cadauer ad oſſa uſq; abſumtum, cum hac inſcriptione:

> Sepultus ego MACROSEIRIS in longa inſula,
> Vitæ peractis annis mille quinquies.

Eumachus in Periegeſi, ſcribit: Carthaginenſes, cùm circum ſuam prouinciam agerent foſſam, dum terrā exhauriunt, incidiſſe in duo oſſea CADAVERA, condita arcis: quorum alterius compages longa fuerit XXIV cubitos, alterius XXIII. Phlegon Trallianus de Mirab. & longæuis.

Theopompus Sinopenſis in libro de Terræmotibus ſcribit, in Boſporo Cimmerio, ſubita terræ concuſſione quendam colliculum diſſiluiſſe, eiectaq; ingentia fuiſſe oſſa, ita ut compage eorum in morem humani corporis compoſita, longa ea fuerit XXIV cubitos. aitq; circum accolentes Barbaros, oſſa ea in Mæotidem abieciſſe paludem. Phlegon Trallianus Adriani libertus lib. de Mirab. & longæuis.

NÆVIVS Pollio tam proceræ fuit ſtaturæ, ut populi ſpectaturi concurſu penè interemtus fuerit. Plinius lib. 7. c. 16.

In CLAVDIAM Martialis Epigram. lib. 8. ſic ludit:

> Summa Palatini poteras æquare Coloſſi,
> Si fieres breuior, Claudia, ſeſquipede.

Claudij Cæſaris temporibus gigas quidam GABBARA nomine, Arabs, fuit longitudine nouem pedum ac totidem unciarum: quæ ſi in noſtram redigatur menſuram, implet ſeptē brachia lignea, & quartam partem cum ſextadecima. Cardanus de Subtil. ex Plinij lib. 7. c. 16.

AGATHO Athenienſis, uir monſtroſæ fortitudinis ſimul & magnitudinis, tempore Hadriani principis, de quo Philoſtratus in uita Herodis Attici ait: Adoleſcens prima lanugine ſimilis ingenti Gallo, magnitudine octonum pedum, uaſta coma, hirſutis oculis ac iunctis, ut unus uideretur, læta facie, naſo aquilino, ceruice toroſa, pectore uaſto, pulcreq; compacto, cruribus breuibus, ac extrà incuruatis. Erat ei tegmen lupina pellis: certamenque cum apris, thois, lupis, tauris, quorum omnium uulnera oſtentare ſolebat: ueſcebaturque lacte aſinino.

PROÆRESIVS ſophiſta, qui Athenis docuit, formæ elegantia omnes ſuos æquales uicit, pede uno procerior cæteris omnibus. Itaque cum Galli (Conſtantem enim Cæſarem in Galliam comitatus fuerat) ob ſtaturæ eminentiam, uelut coloſſum & ſtatuam quampiam auguſtiorem ſuſpectabāt. Eunapius in eius uita.

MAXIMINVS Imp. octo pedū & ſemis procerus fuit. Calceamentū eius quidam in luco, qui eſt inter Aquileiā & Aricij, poſuerunt, quod conſtat pede maius fuiſſe hominis ueſtigio. Vnde etiā uulgò de longis & ineptis hominib. dici cœpit, Caliga Maximini. Fuit enim Thrax, alioqui barbarus, & crudelis, omnibusq; inuiſus. Idē uxoris dextrocherio (id eſt ornamento brachiorum) pro anulo utebatur. Capitolinus.

IOVIANVS Imp. uultu fuit lætiſſimo, oculis cæſiis, uaſta & ardua proceritate, adeò ut diu nullum regium indumētum ad menſuram eius aptum inueniretur. Incedebat motu corporis graui, & æmulari uolebat Conſtantium. Cuſpinianus. Anus quædam, pulcritudinem & magnitudinem eius conſpicata, cū ſtupidum eſſe didiciſſet: Quanta, inquit, eſt longitudo & profunditas, tanta eſt ſtultitia. Suidas & Nicephorus libro 10. cap. ultimo.

AMMONIVS, DIOSCORVS, EVSEBIVS & EVTHYMIVS fratres monachi in Scethi cœnobio montis Nitriæ in Aegypto, temporibus Arcadij & Honorij Imp. Longi propter corporis proceritatē dicti, uita & doctrina celebres. Nicephorus lib. 13. c. 10. & Sozomenus lib. 6. c. 30.

Ioannes Boccatius in Deorū genealogia ſcribit, temporib. ſuis in Sicilia haud longè à Drepano urbe, non ſine corū, qui rem uiderunt, ingenti admiratione, GIGANTIS corpus inuentū: quod cùm attrectatū fuit, in puluerem eſt reſolutum. Coniectura aūt ex coxæ oſſe initiis, quod integrū remanſerat, longitudinis 200 cubitorū fuiſſe exiſtimatū eſt. Tres autem illius dentes, qui ſoli inuenti fuêre, idem ponderis triū rotulorum (ita regia pondera nominat) fuiſſe ait: qui ut memoria rei ſeruaretur, ante aram Virginis (cuius titulus Annunciationis dicitur) poſiti fuerunt, pleriſq; exiſtimantib. illud Erycis corpus fuiſſe.

Vidi ipſe non ſolus, inquit D. Auguſt. lib. 15. de Ciu. Dei, cap. 9. ſed aliquot mecū in Vticenſi litore molarē HOMINIS dētem tam ingentē, ut ſi in noſtrorū dentiū modulos minutatim concideretur, centum nobis uideretur facere potuiſſe.

ODOACER Herulorum & Rugiorum rex, per Noricum cum exercitu tranſiens, Seuerinum eremitam in alpibus ſolitariū adiit, ut ex illo uentura prædiſceret. Ille igitur, Vade, inquit, Odoacer in Italiam, nunc quidem pellibus tectus uilibus, mox multis multa daturus. Quumq; uir proceræ ſtaturæ ad ſuperliminare caſulæ caput impegiſſet, ait Sanctus, Humilis caſa ſublime caput magnis multisq; dominaturum non capit. Cranzius lib. 1. Vandal. c. 36.

Paulo ante Gothicam uaſtitatem Romæ uiſa eſt FEMINA, q̄ corpore quodammodo giganteo longè cæteris præeminebat: quod eo mirabilius eſt uiſum, quoniam uterq; parens nec ſtaturoſorum quidem hominum proceritatem aſſequebatur. Cælius lib. 2. c. 6. A. L.

Recitat Hector Boëthius in Scotię deſcriptione in tēplo Pettę, regionis Morauię, q̄ pars eſt Scotiæ, ſeruari adhuc oſſa LITILIHON, id eſt parui Ioannis, atq; inter cætera coxendicis os, nō breuius humano crure, quod ſuræ craſſitudine cerat, & in quod totū brachiū inſeruerat: ut cōiectura aſſequeretur, hominē illū quatuordecim pedū altitudinē habuiſſe: ideo per ironiam, Paruus appellatus eſt. Idem teſtatur anno M D XXI. detectis ſepulcris in Croiudain agro Buthouhanię, uidiſſe plurimorum gigantum omnia oſſa.

Simplicius com. in Categorias meminit mulieris natione CILISSÆ, quæ ſuo tempore uixerit, longitudine 4. cubitorū.

FYNNANVS filius Coëli (Fyn mak Coul, uulgari uocabulo) ſeptenum cubitorum proceritate, Scotus ſanguine, uenatoria arte inſignis, ſub Eugenio II. Scotorum rege uixiſſe perhibetur. H. Boëthius lib. 7.

Anno 1171. oſſa cuiuſdā GIGANTIS in Anglia alluuione detecta ſunt, cuius longitudo fuit pedum quinquaginta. Sigebertus. DANICAM regionem à gigantib. olim habitatā fuiſſe, eximiæ magnitudinis ſaxa ueterum buſtis ac ſpecubus affixa teſtantur: montium item uerticibus cautes ſtupendæ magnitudinis impoſitæ. Saxo in Præfatione.

In regno Helſingorum, qui nunc parent regi Suecorum uerſus Septentrionem, gigas fuit HARTBENVS nomine, nouem cubitos longus, habebatque XII. athletas contubernales: quorum inſignis proceritas dimidio inferior uidebatur. Saxo Grammaticus lib. 7.

Scheningiæ, Oſtrogothorum in Scandia oppido uetuſtiſs. in foro ſtabat gigantea ſtatua, TVRONIS Longi, ad cuius genua publica quæſtione corripiebantur malefactores, præcipuè adulteri, qui inter brachia ſtatuæ connexa ferreis catenis ſaxa in collo eleuata tenebant. Olaus lib. 6. c. 18.

CAROLVS Magnus ſeptem ſuos pedes procerus fuit. Cranzius lib. 2. c. 7. Saxoniæ.

Carolo Magno Imp. Gigas quidam equo meruit, cui nomen AENOTHERO, quòd exercitum æquipararet: ortus ex Durgia pago Sueuiæ. Flumina, quæ pontibus iuncta non erant, poſt ſe, equum ſuum trahens, ſuperare ſolitus fuit, adiecto in reluctantem ſonipedē hoc ioco: Ita meus Deus adiuuet me, uel ingratus ſequare neceſſe eſt. Is Venedos Auareſq; hoſtes in modum fœni demetebat, & in morem auiculārum haſta uelut cuſpide fixos, humeris ſuſpendebat. Auētinus lib. 4. Annalium Boiorum.

MARTINVS Turrianus Mediolanenſis, qui ex inuſitata proceritate corporis Gigantis cognomen tulit, Chriſtianis Damaſcum ann. 1148. obſidentibus ſtrenuè pugnans captus, ac tormentis excruciatus, ſacro martyrio coronatus eſt. Ab eo Mediolani clariſſima Turrianorum familia propagata. Sigonius lib. 11. regni Italici.

ERICVS II. Bonus cognomine, Danorū rex, præter ingentia animi decora, ſingularibus naturæ incremētis euectus, cæterorum uertices humeris ſuperabat. Itaque peregrinationis Hieroſolymitanæ uoto ſuſcepto, ut granditatis ſuæ ſpeciem conſentaneo corporū habitu minueret, proceriſſimos quoſq; peregrinationis participes legit, ſicq; alienæ ſtaturæ ſpectaculo, ſuæ miraculum tēperauit, ne ſingularis eius magnitudo uiſentibus exteris ludibrio foret. Saxo lib. 12.

Cùm ædes S. Menæ Cōſtantinopoli repurgaretur, magna multitudo oſſium GIGANTVM in ampla quadam foſſa eſt reperta. Quæ Anaſtaſius Imp. conſpicatus, in palatio ut rē admirabilem repoſuit. Suidas.

Henrico III. imperante, ann. ſal. 1028. corpus giganteæ molis incorruptum in ſepulcro Romæ inuentum eſt: quod erectum, urbis mœnia ſuperauit: in cuius pectore (ut inquit Nauclerus) uulnus fuit quatuor pedum & dimidij: ad caput uerò facula ardens, epitaphiumque præterea eiuſmodi adſcriptum:

> Filius Euandri PALLAS, quem lancea Turni
> Militis occidit, more ſuo iacet hic.

Id corpus in ſtillicidia platearum proiectum, tandē putruit. Lucerna ad caput illius ardēs, nec flatu, nec humore extingui poterat, quo ad perforato uaſe admiſſus fuit aer. Cranzius libro 4. capite 15. Metropoleos. Martinus in Chronico. Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

Sub Carolo VII. Gallorum rege, in montana Narbonenſis Galliæ parte, iuxta Valentiam urbem, Rhodanus ſepulcrum detexit, cuius magnitudo permultos ad eam rem uiſendam pertraxit. Aperto enim tumulo, inuenta in eo ſunt HOMINIS oſſa, cuius dimēſio triginta pedes impleuit. Nos quoque cùm eò iter faceremus, ſepulcrum uidimus, & oſſium aliquam partem, quæ ab accolis tanquam res mira aſſeruatur. Fulgoſus lib. 1. c. 6.

Cæſis captisq; ad Budam Chriſtianis, Solymanus Imp. Turcorum è conſpectu abductos captiuos ſupra octingentos tyronibus trucidandos dedit. Inter quos eminebat excelſę proceritatis NORICVS miles: hunc in contemtum Germanicæ gentis pumilioni, qui erat in deliciis filiorum, capite prę alta captiui genua uix adæquanti, occidendum tradidit, ita ut indignæ necis iniuriam crudeli contumelia cumularet. Iouius.

Tam ingentium uirorum OSSA inuenta ſunt in Mexici ab Hiſpanis expugnati (Themiſtitan alio nomine dicunt) ſepulcris, ut partium ad totum habita ratione, uiginti palmos excederent magnitudine, hoc eſt, triplum iuſtæ magnitudinis fermè hominum noſtræ regionis & æui. Cardanus de Rerū uarietate lib. 8. cap. 43.

In Peruana regione, quæ ad Auſtrinum noui orbis latus ſita, omnium totius mūdi ditiſſima, eoq; nomine perpetuis bellis obnoxia memoratur, GIGANTVM oſſa reperta ſunt, Trugillio non procul, immaniſſima: dentes trium digitorū craſſitudine, latitudine uerò quatuor fuiſſe, monumentis hiſtoriarum eſt proditum. Io. Metellus.

Conſtat, iuxta fauces freti Magalliani in Boreali litore ad quinquaginta duas partes altitudinis, eſſe PATAGONES gigantes octo palmis longiores, magnis pro ſtatura pedibus, qui crudis carnibus ueſcuntur, piſcibus aſſatis, pane carent. Vna bucca libras duas carnis aut piſcium ſumunt: tantū aquæ uno hauſtu bibunt, ut duodecim hominibus ſufficere poſſet. Cæterùm forma decenti ſunt, membrisq; pro altitudine cōmenſuratis. Curſu ueklociſſimi, hilares, fortes, robuſtiſſimi etiam ſupra magnitudinis rationem. Furtis mirū in modum delectantur: crudeles tamen (quod mirum eſt) non ſunt, nec humana carne ueſcuntur. Sagittas adeò profundè in gulam demittunt, ut in uentriculum peruenire exiſtimentur, quod ipſi pro egregio ſpectaculo habent. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. c. 43.

Referunt in CHICORA litorali regione Indiæ Mexicæ eſſe gigantes, quorum rex & ipſe gigas egregius, & tamen in circumuicinis inſulis uix ſunt mediocres. Aliqui in obſtetrices, alij in philtra cauſam referebant. Veriſimilius eſt, ubi longinquitas regionis cauſa nō ſit, uictus eſſe rationem, ſitum loci (ut etiam Hippocrates recitat) aquarum uim, quæ uarietatem maiorem ſuſcipit breui ſpacio, delectum denique aliquem ac proprietatem alicuius edulij. Cardanus de Rerum uarietate libro primo, capite quarto.

PARVI, PVSILLI, PVMILIONES.

PYGMAEI, NANI.

PYGMÆORVM qui longiſſimi ſunt, duos pedes & quadrantem non excedūt, ſiue tres ſpithamas, hoc eſt, ternos dodrantes, unde Spithamiæi dicuntur. Hinc prouerbium, Pygmæo breuior. Habitant in extrema parte montium Indiæ (ſiue Aegypti, ut Scholiaſtes in tertium Iliados) agricolationi dediti. Horum mulieres quinto anno pariunt, & ſeneſcunt octauo. Infeſtantur maximè à gruibus ſemina ſublegentibus, in quas turmatim prodeunt. Inſidentes arietum caprarūq; dorſis, & ſagittis armati, ueris tempore uniuerſo agmine ad mare deſcendunt, & oua pulloſq; earum alitum conſumūt. Ternis menſibus eam conficiunt expeditionem, aliter futuris gregibus non reſiſterent. Caſas luto, penniſque & ouorū putaminibus conſtruunt. Nonnulli in cauernis degunt. Plinius lib. 7. cap. 2. Ariſtoteles, in Aethiopię regione Troglodytica PYGMÆOS dicit uiuere, ſubireq; cauernas, & ob eam cauſam Troglodytas uocari: fabulamq; eſſe negat, qd' uulgo de ſtatura eorum, deque pugna cum gruibus fertur, quam Homerus cantauit, qui etiam ad meridiem terræ Pygmęos dixit agere, nempe in Aethiopia, ut etiam Strabo interpretatur: in qua regione tanta eſt gruum per hyemem noſtram frequentia, quanta in Thracia per æſtatem, uidelicet eiſdem gruibus pro tempore migrantibus & remigrantib. Mela in Arabia interiore ſcribit fuiſſe Pygmæos, minutū genus, & quod pro ſatis frugib. contra grues dimicando defecit. Sunt qui eſſe non putent. Ariſtot. & Plin. putant. Lud. Viues in lib. 16. Aug. de Ciuit. Dei, c. 8.

CONOPAS, in deliciis Iuliæ neptis Auguſti, duos pedes & palmum longus. Cuiuſmodi etiam fuiſſe fertur ANDROMEDA, liberta Iuliæ Auguſtæ. Plin. lib. 7. c. 16.

Fuerunt ſemipede maiores ſub Auguſto PVSIO & SECVNDILLA, quorum corpora miraculi gratia aſſeruata ſunt in conditorio Salluſtianorum hortorum. Idem.

MANIVS Maximus & M. TVLLIVS equites Rom. binum cubitorum fuêre, Varrone teſte: eoſq; ſe in loculis aſſeruatos uidiſſe, teſtatur Plinius lib. 7. cap. 16.

M. Antonius SISYPHVM pumilionem habuiſſe fertur intra bipedalem ſtaturam, ingenio tamen uiuacem. Auguſtus exhibuit ſpectaculis LVCIVM adoleſcentulum honeſtè natum, bipedali minorem. Rauiſius.

De COLONO, Martialis Epigram. lib. 11. ſic ſcribit:

> Hæredes nolite breuem ſepelire Colonum,
> Nam terra eſt illi quantulacunq; grauis.

MENESTRATI ſtaturam Lucillius in Græcis Epigram. eleganter irridet, inquiens:

> ἱππεύων μύρμηκι Μενέστρατος ὡς ἐλέφαντι,
> δύσμορος ἐξαπίνης ὕπτιος ἐξετάθη·
> λακτισθεὶς δ' ὡς εἶχε τὸ καίριον, ὦ φθόνε, φησὶν
> οὕτως ἱππεύων ὤλετο καὶ Φαέθων.

Ea conuertit Auſonius, ſed ſub FAVSTVLI perſona:

> Fauſtulus inſidens formicæ ut magno elephanto
> Decidit, & terræ terga ſupina dedit:
> Moxq; idem ad mortem eſt multatus calcibus eius,
> Perditus ut poſſet uix retinere animam.
> Vix tamen eſt fatus, Quid rides improbe liuor,
> Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

PVELLAM nouē annorū à ſe uiſam ſcribit Albertus, q̄ magnitudine unius anni uideretur. Card. de Var. rer. lib. 8. c. 43.

PVMILIONEM uirum perfecta ætate cubiti longitudine in psittaci cauea in Italia uisum refert Cardanus de Subtilitate, libro de Hom. necess. & forma.

BREVIS STATVRAE homines.

ZACHÆVS publicanorum Hierichuntiorum princeps, statura pusillus, in sycomorum ascendit, ut Iesum transeuntem uideret. Luc. 19.

MELISSVM Thebanum, qui Isthmio equo uicit, Pindarus ode 4. laudat. Inter cætera statura corporis paruum, sed animo magnum facit:

ἐ γὰρ φύσιν ὠαριώ-
νειαν ἔλαχεν·
ἀλλ' ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι,
συμπεσεῖν δ' ἀκμᾷ βαρύς. Simili illustrat:
καί τοί ποτ' Ἀνταίου δόμους
Θηβᾶν ἀπὸ Καδμειᾶν μορ-
φὰν βραχύς, ψυχὰν δ' ἄκαμπτος
προσπαλαίσων ἦλθ' ἀνήρ. de Hercule loquens.

Ephori regi Archidamo multam dixerunt, quòd pusillam staturà VXOREM ducere sustinuisset, addito elogio, quòd nō reges ipsis, sed dare regulos deliberasset: ὀ βασιλίας, ἀλλὰ βασιλίσκ. Plutarchus de Instit. liberis. Et certè natus ex eo coniugio AGESILAVS, pusillus fuit, & specie aspernanda: proinde moriens interdixit, ne quis effigiem suam fingeret pingerétue. Idem in Agesilao.

PANÆTIVS cocus, paruæ staturæ, quem perstringit Aristophanes, quòd uxorem suam in adulterio deprehenderit. Nā cùm magna illa esset, ab ea regebatur. Suidas.

HIPPONACTEM poetam dicunt non solùm exigua breuique statura, uerùm etiam deformi exilíq; specie fuisse. Ael. lib. 10. Variæ historiæ.

Duo fuerunt MOLONES, nota corporis breuitate, quorū alter histrionicā exercuit, alter latrociniis famosus factus est. Inde natum adagium: Pusillus, quantus Molon. μικρὸς ἡλίκος μόλων. Erasmus ex Suida.

ASINÆVS Iudæorum dux, statura parua, animo excelso. Iosephus lib. 18. cap. ult. Antiq.

C. LICINIVS Caluus, orator summus, qui cum Cicerone de eloquentiæ primatu diu contendit, statura paruulus admodùm erat. Cùm uideret olim à clientibus Catonis rei sui Asinium Pollionem accusatorem suum circumuentum in foro Cæsaris, imponi se supra cippum iussit (propter quod eū Catullus in hendecasyllabis Salicippium uocat, quasi salientem supra cippum) & iurauit, si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum iuraturum calumniam. Nec unquam postea Pollio à Catone aduocatisq; eius, aut re aut uerbo uiolatus est. Gyraldus ex Seneca, Dialogo X. Hist. poet.

L. ACTIVS poeta breuis staturæ, statuam tamen sibi in æde Camœnarum Romæ maxima forma posuit. Plinius libro 34. capite 5.

M. Tul. Cicero QVINTVM fratrem ac LENTVLVM habebat generum, homunciones pusillæ admodum staturæ: in utrūque igitur cauillatus est. Venerat in prouinciam, cui frater præfuerat: illic imaginem eius clypeatam amplissima forma ad pectus usq; depictam cernēs: Frater, inquit, meus maior est dimidius, quàm totus. Generum ingēti gladio accinctum uidens: Quis generum meum gladio alligauit? Macrobius lib. 2. cap. 3. Saturnal.

ASINIVS Gallus, Drusi frater uterinus, etsi Claudio Augusto insidiatus esset, non tamen extremo supplicio, sed exilio tantùm multatus est, ideo quia neq; ad suum facinus exercitū parauerat, neque pecuniam contraxerat: item quòd statura minima, ac summa deformitate præditus despiceretur, ridiculusq; magis quàm metuendus esse uideretur. P. Aerod. ex Dione lib. 60.

In oppugnatione Hierosolymorum Titus milites suos hortatus est, uti Antoniam arcem munitissimam caperent. Cæteris magnitudinē periculi præsentis timentib. SABINVS Syrus, gregarius miles, statura pusillus, sed animo heroico præditus, animam suam se Cæsari daturum professus, ad murū properauit: sequentibus XI. aliis, uirtutis eius æmulis. Iosephus lib. 7. cap. 1. belli Iud.

Aetate Iamblichi uixit ALYPIVS Alexandrinus, in dialecticis exercitatissimus, philosophus insignis, corpusculo exiguo admodū, pauloq;, quàm cubitale aut Pygmæi, maiore: qđ intuenti uideri poterat anima spiritúsue esse, usqueadeò qđ corruptioni obnoxiū erat, nihil adolescebat, sed in diuinam quandā naturam consumebatur. Eunapius in Iamblicho.

PIPINVS, Childerico Francorum rege fugato, qui in prætorij præfectum ex Austrasia migrans creatus est, tā breuis corpore fuisse dicitur, ut Pusilli cognomen illi inditum sit. Michael Ritius lib. 1. de Francorum regibus. Et sunt sanè qui nomen hinc putent traxisse, quasi Bübtin diceretur, quod idiomate Germanico puellum significat.

Dedita à Gotthis Rauenna, Belisarius cum exercitu Rauennā contendens, naues frumento & rebus necessariis onustas confestim ad Classem Rauennæ portum deduci iussit, atque inde urbē intrauit. Gotthorum uxores, quæ ROMANOS corporis magnitudine excellere audierant, ubi eos exiguæ staturæ uiderunt, de eis cōtemtim loqui, & uiros suos conspuere, atq; eis pusillos uiros ad ludibrium ostentare, & socordiam atq; animi mollitiem identidem obiectare, quòd tantulis hominibus cōcessissent. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

EDGARVS Britannorum rex statura pusillus, Rinandum Scotorum regem, staturę paruitatem sibi exprobrantem, ad certamen prouocans, ei ostendit, uirtute se, non sorte electum regnare. Fulgosus lib. 3. c. 7.

CHARACVX corpore pusillus, Saladini Sultani consiliarius prudentissimus. Aemylius lib. 6.

GALEACIVS Gonzaga statura pusillus superauit in singulari certamine gigantea statura Bucicaldum Gallum, Caroli VI. regis mareschalcum: qui ob id uoto se obstrinxit, arma non amplius induturum. Iouius in uita Baiazetis I.

BARTOLVS Iurecons. neotericorū princeps statura corporis mediocri fuit. Ex Bapt. Seue. in tract. de Modo studēdi, Thomas Diplouatius in uita Bartoli.

PINGVES, OBESI.

EGLO rex Moabitarum obesus. Iudicum 3.

Crates Thebanus cōspicatus ADOLESCENTVLVM athleticum, uino, carne & exercitatione corpulentiorem fieri: O miser, inquit, desine aduersus temetipsum carcerē munire. Maximus monachus Sermone 27.

HERACLIDES Pōticus poeta propter obesitatem tardè incedens, Pompicus cognominabatur.

Pythagoras uidens QVENDAM è discipulis attentiorem curādo corpori, idq; agere ut obesus esset, ac nitida cute: Hic, inquit, non desinit sibi carcerem molestiorem struere. Sēsit, hominem esse animum, corpori seu carceri inclusum: quod quo reddas habitius, hoc magis grauatur animi uis. Erasmus lib. 8. Apophth.

Gordij regem creare solebant EVM, qui esset inter ipsos quàm maximè corpulentus. Erasmus in Adagiis.

LEO Byzantius, auditor Platonis, & sophista nobilis, cū præpinguis esset, procedēs in concionem, ab omnibus derisus est. Ad quos conuersus: Quid ridetis, ait, Athenienses, quòd uobis uidear pinguis? Scitote mihi uxorem longè pinguissimam esse: talesq; ac tantos, cùm simus cōcordes, breuis admodum lectulus capit: discordes ne tota quidem domus. Philostratus. Cæterùm Athenæus lib. 12. c. 28. hoc PYTHONI Byzantio oratori tribuit.

POLYEVCTVS Sphettius, quū longam haberet orationem de suscipiendo in Philippum bello, atq; præ pinguitudine, præq; æstu sæpius aquā biberet, urbanè Phocion: Dignam, inquit, rem, uiri Athenienses, ut huic de gerēdo bello credatur. Quantum enim illū in medio marte sua galea & thorace facturum existimatis, quem ipse loquendi labor in animę exhalandæ discrimen impulerit? Plut. in Phocione.

Nymphis Heracleotes libro Heracleæ secundo, DIONYSIVS, inquit, filius Clearchi eius, qui primus in Heraclea patriæ fuit tyrannus, ob multas delicias quotidianamq; uoracitatem, iusto corpulentior euasit, ita ut ob crassitudinem respirādi difficultate suffocationeq; premeretur. Quamobrem statuerunt medici, ut acus pertenues ac longę ualde pararentur, quibus latera uentremq; pungerent, ubi in profundiorem somnum incidisset. Donec igitur per adipē pinguē adigerentur, nihil sentiebat: ast ubi ad carnem uiuam acus tangens accederet, tum expergiscebatur. Respōsa dabat iis poscentibus arcam corpori opponens, ita ut reliquæ corporis partes absconderentur, sola facie exerta. Mortuus est, cū annos quinquaginta & quinq; uixisset, quorum triginta & tres imperauit, omnibus regibus, qui eum antecesserunt, & facilitate & humanitate præstantior. Athen. lib. 12. cap. 26. & Aelianus lib. 9. de Var. hist.

Epaminondas Thebanorum dux, dicere solebat: Militum corpus exercitatum esse oportere non solùm athleticè, uerùm etiam militariter. Vnde cùm obesum MILITEM uidisset in suo exercitu, expulit è castris, dicens, Quòd uix clypei tres quatuórue tegerent ipsius uentrem, per quem nunquam uidisset sua pudenda. Plut. in Græc. apoph.

ANAXIMENES rhetor obeso aqualiculo erat onustus. Huic adiens Diogenes, ita loquutus est: Impartire & nobis tenuibus uentrem: nam & ipse leuaberis onere, & nobis cōmodabis. Laertius lib. 6.

POLEMÆVS, qui septimus regnauit in Aegypto, Euergetes dictus, ualde obesus fuit: ueste talari manicas ad palmas usque habēte obesitatem tegebat: neq; unquam pedestris incessit, nisi quando Scipioni Africano legato obuiā processit. Crassus

Crassus etiam euasit filius eius ALEXANDER, qui matrē suam unà imperātem interfecit, multis in deliciis uiuens, ut neq; ambulare posset, nisi duobus fulcitus incederet. Athenæus lib. 12. cap. 27.

Agatharchides libro rerum Europicarum sextodecimo MAGAM scribit Cyrenes regem per annos quinquaginta bellum non sensisse, ac deliciis deditum obesum esse factum, ac ita præter modum iuxta extremum ætatis, ut ob corporis desidiam ipsa crassitudine sit suffocatus, tum propter nutrimenti copiam. Athen. lib. 12. c. 27.

Præpinguem QVENDAM obterēs M. Cato, Quî tale corpus, inquit, utile sit reip. in quo, quod inter gulam & inguina interest spacij, omne occupat uenter? Plut. in Catone.

LVDOVICVS Crassus, Gallorum rex, ex uasta corporis mole sumsit cognomentum.

SANCTIVS I. Hispanorū rex, ab habitu corporis cognomento Crassus, tantam saginę molem habuit, ut ferre uix posset, & ad eam leuandam nihil intentatum relinqueret. Cordubam profectus ad Abdemari regiam, qui Saracenis imperabat, inter experimenta medicorum, quorum magna turba apud Abdemarum erat, herbæ cuiusdam ui ad maciem deductus est. Ritius lib. 2. Regum Hispaniæ.

GVLIELMVS Conquæstor Angliæ rex obesus. Polydorus libro nono.

NICOMACHO Smyrnæo corpus ad tantam increuit molē, ut loco moueri non posset. Ab Aesculapio tandem curatus. Celius lib. 11. c. 13. Antiq. Lect. ex Galeno, qui se QVENDAM uidisse scribit, cuius lingua citra ullum omnino doloris sensum extra modum excreuerit.

[redacted]

Quidam HISTRIO ob nimiam pinguedinem, teste Alberto Cranzio, eo quòd quotidie decem hominum cibos deuorare soleret, ne utilium laboratorum escas quasi publicus depopulator consumeret, iussu Danorum regis est suspensus. Olaus lib. 15. cap. 15.

Nobilis quidam ciuis regiæ ciuitatis Holmensis in Suetia, è Diethmarsia oriundus, CLAVS Boya, anno MDXX. cùm iussu regis Daniæ Christierni II. in carcerē missus ob nimiā pinguedinem per carceris ostium intrudi non posset, indignatione satellitum, ad aliorum torturam festinantium, seorsum ad angulum est eiectus; & ita seruatus. Olaus libro 15. capite 14.

LEO X. Pontifex, ita abdominosus euasit, ut etiamnū hodie Romæ eius crassities locū habeat, in obesos adagio torqueri solita. Garimbertus lib. 6. de uitis Pontificum.

ARLOTTVS plebanus Florentinus cùm abdominosus esset, & Florentiam petens, sub crepusculum obuiam factum rusticum interrogaret, Posséne per portas intrare? respondit ille, Currus fœno onustus posset, nedum tu. ([redacted]

MACILENTI.

Monogrammi à ueteribus dicuntur homines macie prætenues, decolores, strigosíq;, translata à picturis metaphora, quæ priusquam coloribus corporentur, lineis ad umbram finguntur. Hinc est, quòd Epicurus monogrammos deos commentus est, teste Cic. lib. 2. de Nat. deorum, hoc est, non habentes corpus, sed quasi corpus. Cælius libro octauo, capite 19. Antiq. Lect.

CAVSA MACILENTIÆ. Vel *Natura.*

SANNYRION comicus, à Stratide poeta Canabus uocabatur, teste Polluce. Est enim canabus lignum gracile, in quod pileū uitilibus aut cētonibus intexitur. Gyraldus Dialogo 7. Hist. poet. Athen. lib. 12. c. 29. In hunc tortum fuisse adagiū, σκυτίνη ἐπικουρία, id est, coriacium auxilium, cùm præter pellem nihil haberet, Athenæus lib. 12. indicat.

MELITVS tragicus ab Aristophane in Gerytade ob maciem perstringitur. Similiter & CINESIAS mimographus, qui Philyrini nomen apud Aristophanem obtinuit, quòd cortice philyræ circumcingeret se, ne à uento inflecteretur.

ARCHESTRATVS uates, captus ab hostibus, & ad lancem appensus, inuentus est habere pondus unius oboli. Aelian. lib. 10. Var. hist. & Athen. lib. 12. c. 29.

PANARETVS Arcesilai auditor, Ptolemæi Euergetæ familiaris, tenuissimo erat corpore, sed natura salubri. Athen. ibid.

HIPPONACTEM poetā nō solùm paruo corpore fuisse scribit Metrodorus Scepsius lib. 2. de Aliptica, uerumetiā tenui: at ita ualidum, ut uacuam lecythum per maximū spaciū cōiiceret: cùm leuiora corpora non uiolentam habeant lationem, quia aerem disrumpere nequeunt. Ibidem.

PHILETAM Coum elegiographū, aiunt macerrimo corpore fuisse, Alexandri Magni ætate. Ferunt eū ferreas plumbeásue habuisse soleas in calceis, ne à uentis prosterneretur uel abriperetur. Aelian. lib. 9. de Var. hist. & Athen. lib. 12. c. 29.

Athenęus lib. Dipnosophist. 12. c. 20. & Aelian. lib. 10. aiunt, PHILIPPIDEM comœdiarū scriptorem sic tenui fuisse corpore, ut eriā πεφιλιππιδῶσθαι dixerint, pro macruisse. Refertur prouerbium ex Aristophonte, ἐν ἡμέραις αὐτὸν τρισὶν ἰσχνότερον ἀποφανῶ Φιλιππίδου: id est, Intra triduum graciliorem illum reddam Philippide. Suidas hoc tribuit Philippidi uni illorū, qui rempublicam administrabant apud Athenienses.

Λεπτότερον Λεωτρεφίδου καὶ Θαυμαντίδου: id est, Gracilius Leotrephide ac Thaumantide. LEOTREPHIDES insigni macilentia corporis, comicorum salibus locum dedit, in quem Hermippi uersus referuntur apud Athenæum lib. 12.

θύουσιν ἤδη βοΐδια,
Λεωτρεφίδου λεπτότερα καὶ Θαυμαντίδου.
Immolant nunc buculas
Exiliores Leotrephide ac Thaumantide.

Erasmus in Adagiis.

M. TVL. Cicero erat corpore gracili atque macilento, & propter stomachi infirmitatem modicum & exiguum cibi uix admodum serò capiebat. Plutarchus in Cicerone.

Venusta Epigrammata in graciles scripta, pete ex 2. Epigr. Grecorum, εἰς λεπτούς.

Franciscus Quaratensius mercator Florentinus morabatur Ianuæ cū uxore & familia. FILII eius macilenti erant & graciles corpore, cùm Ianuensiū filij habitiores essent & robustiores. Petiuit quidā ex eis ab Francisco, cur filij eius ita tenues essent & natura imbecilles, Ianuensiū uerò non ita? Tum ille: Causa est, inquit, in promtu: ego enim solus filios meos creo, uobis uerò peregrè profectis ad filios procreādos multorum subsidia opitulantur. Poggius in Facetiis.

Fames.

Pylus ciuitas quæpiam Laconiæ, quā obsessam Cleon expugnauit. QVI superfuerant à cæde, eos secum abduxit Athenas, extenuatos, confectos, pallidos, deformi specie, sicuti consentaneum est accidisse, tum ob diutinam obsidionem, præsertim in insula deserta, quæ rerum necessariarum copiā malignè suppeditabat, tum quòd post expugnatam urbem complureis dies in uinculis habiti fuissent. Eras. in Adagiis.

Studium.

Apud Athenæum lib. 13. Antiphanes PHILOSOPHOS macilentos notans, μετὰ σοφιστῶν νὴ Δία λεπτῶν, ἀσίτων, σκυτίνων. id est, Cum sophistis per Iouem macilentis, impastis, pelliceis. Tales erant olim philosophi, & hodie sunt, qui uultu tristes uendunt sanctimonias. Erasmus in Adagiis.

CHÆREPHON tragœdiographus (qui res Heraclidarum prosecutus est) nocturnis lucubrationibus sese adeò extenuauit, ut per iocum νυκτερίς, Noctua diceretur. Hinc etiam natum prouerbium, Nihil differs à Chærephonte. Athenęus libro 12. cap. 29.

CERTAMINA macilentiæ.

Certamen gracilitatis inter HERMONEM, DEMADEM & SOSIPATRVM describit Nicarchus in 2. Epigr. εἰς λεπτούς:

τρεῖς λεπτοὶ περὶ τῆς λεπτοσύνης ἐμάχοντο,
τίς προσκρουσθεὶς εἴη, λίαν ἐπιλεπτότερος.
ὧν ὁ μὲν εἷς, Ἕρμων, μεγάλην ἐνεδέξατο τέχνην,
καὶ διὰ ῥαφίδος τρῆμα λίνον κατέχων.
Δημᾶς δ' ἐκ τρώγλης βαίνων, εἰς ἀράχνιον ἔστη,
ἡ δ' ἀράχνη νήθουσ' αὐτὸν ἀπεκρέμασεν.
Σωσίπατρος δ' ἐβόησεν, ἐμὲ στεφανώσατ'· ἐγὼ γὰρ
εἰ βλέπομ', ἥττημαι· πνεῦμα γάρ εἰμι μόνον.

[redacted]STRA.

[redacted] Conradi Lycosthenis, & Iulij Obsequentis Ostenta, ab [redacted] integritati suæ restituta.

Apollo[redacted] At nim-is [redacted] concepit. Dionysio [redacted] sit, illumq; coronans sequi quidem noluit, quia puderet, ꝙ nupsisset: at in Lampsacum recedens, ibi parere decreuit. Tū Iuno capta zelotypia, simulans se opem ferre, manu uenefica uterum attigit, fecitq; ut puerum deformem, & præ ceteris incredibilem membri pudendi magnitudinem habentē pareret, quem PRIAPVM nominauit, & in Lampsaco reliquit. Is cùm adoleuisset, pergratusq; foret Lampsacenis mulieribus, Lampsacenorū decreto ex agro Lampsaceno exulauit. Cùm Lampsacenos grauissimus pudendorum morbus inuasisset, Dodonęum oraculum adeuntes percunctati sunt, an ullum esset eius morbi remediū? His responsum est, morbum non prius cessaturum, quàm Priapum in patriam reuocassent. Id cùm fecissent, templa & sacrificia illi statuerunt, Priapumq; hortorum deum esse decreuerunt. Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 15.

GORGONES natæ ex iisdem parētibus, quibus Medusa, quā Perseus interfecit, è Phorco & ceto marino. Harum quędam quia canæ natæ, Grææ uocatæ (de quibus Hesiodus in The-[redacted] à patre Phorcides, habitarunt in Scythia, unú-[redacted] unum dentem communem habuerunt, quo [redacted] fecit Iuno ut in [redacted] dolorem deformis facta, [redacted] alio-rumq; inuidiam, in cunis infantes uorare sol[redacted] a-mia à gutturis amplitudine. Pausanias tamē in Phocicis Lamiam scribit nupsisse Neptuno, & primam omnium mulierum fuisse uaticinatam, Sibyllam dictam ab Aphris. Atheniensis Apollodorus lib. 2. diuersis nominib. appellauit, Pemphrado, Erito, Dino. Melanthes in libro de Mysteriis Iæno addidit iis, quæ numerantur ab Aeschylo & Hesiodo. His oculū & dentem communem rapuit Perseus, cùm ad cædendam Medusam proficisceretur, ut ait Simonides in Perseo, quos tandiu retinuit, quādiu illæ Nymphas, quæ alatos calceos haberent, indicassent. Porrò Grææarum Gorgonum tres sorores, teste Apollodoro lib. 2. capita spiris anguium obsita habentes, dentes aprorum, manus æreas, alasq; aureas, in extremis Iberiæ partibus ad occidentem ab Hesperidibus haud procul distantes habitarunt. Nymphodorus lib. 3. Historiarum, & Theopompus lib. 17. Gorgonas capita draconum squamosorum, dētesq; aprorum habuisse, scribunt, oculum singulas, manus ferreas, alasq; quibus uolarent. Zonæ loco geminæ uiperæ inter se connexæ. Omnes illos in lapides conuertebant, à quibus aspicerentur, Aeschylo teste. Cùm Perseus Medusam obtruncasset, illum deglutire cupientes, conuolarunt. At quia cerni Perseus ob galeam Plutonis non poterat, ab instituto itinere recesserunt. Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. cap. 12.

Meles Sardium rex ex pellice LEONEM sustulit. Herodotus libro primo.

Non est ab Dione prætermissum, inter munera Augusto missa ab Indis, fuisse triges Romæ tunc uisas primò: & ADOLESCENTVLVM sine humeris, qui tamen pedibus manuum functionem obiret: namq; arcum intendebat, sagittas etiam excutiēs: quin & tubas, inquit, inflabat, οὐκ οἶδ' ὅπως, χερσὶ γὰρ τὰ λεγόμενα. Cælius lib. 4. cap. 12. Antiq. Lect.

Arabiæ urbs est Sauna, in ea inuentus est HIPPOCENTAVRVS in monte admodū excelso, qui lethali abundat ueneno: cui ueneno idē est cum urbe nomen, omniū pestiferorū acutissimū atq; efficacissimum. Hippocentaurū rex cùm cepisset uiuum, cum donis ad Cæsarem aliis in Aegyptū misit. Vescebatur carnibus, sed aeris mutati impatiens, mortuus est. Eū conditum præfectus Aegypti Romā misit: primumq; in palatio est monstratus. Facies quàm humana fuit truculentior: manus & earū digiti pilis intecti, latera uentri & prioribus pedibus contigua, ungulæ equinæ solidæ, iuba subfulua, quanquā condimenta eam ferè cutis in morem nigram fecissent: magnitudo non quanta pingitur, non tamen exigua. Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longæuis.

Imperante Constantio legimus, editum INFANTEM ore gemino, dentib. binis & barba, oculis quatuor, auriculis duabus quidē, sed breuissimis. Qui partus (inquit Marcellinus) Rempub. in statum reclinaturam deformem, planè portendebat. Cæsius lib. 24. cap. 3. [redacted]

Ante annos aliquot, nostra certe memo[redacted] 16. de Ciuit. Dei [redacted] perio[redacted] pita, duo pectora, quatuor manus [redacted] des duo, sicut uni homini: & [redacted] uidendum fama contraheret.

Apud HIPPONEM natus est homo quasi lunatas habēs plantas, & in eis binos tantummodo digitos, similes & manus. Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 8.

Tradit Synesius se FEMINAM in Africa uidisse quasi formicam arte insectam, ut spectantibus uoluptatem præberet. Ioannes Bodinus Methodi histor. cap. 5. Quo loco ex obstetricum cura & uestium forma corporis figuram immutari posse ostendit.

Imperantibus Constantino Leonis Philosophi Imp. F. & Romano Lacapeno, ex Armenia allatū est monstrum Constantinopolim, PVERI masculi concreti, uterini, iijq;, ut infelix omen, urbe sunt eiecti, redierunt sub Constantino: & cùm alter mortuus esset, peritiores medici cadauer à uiuo resecuerunt, parum tamen diu alter superuixit. Cedrenus.

Natus est Martini IV. pontificatu ex illustri femina pontificis pernecessaria, PVER uillosus, & in speciē ursi unguiculis armatus. Quo monstrifico partu permotus pontifex, omnes ursorum imagines, quæ fortè in eius domo fuerūt, iussit deleri: manifesto argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu sæpius repræsentari. Sabell. lib. 7. Enn. 9.

CORPORIS NOTA INSIGNIS.

EFFIGIES quædam.

In SELEVCI fœmore ancora effigta uisebatur, cuius imago posteris familiæ natiua apparuit. Sicut Thebis habere lanceam genitiuis notis SPARTORVM nomini & familię datum erat. Inter quos fertur in brachio DACORVM notam originis quarto quoq; partu regenerari. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 19.

Ex PYTHONIS Nisibensis, quem fama erat cognatione Spartos attingere, liberis ille, qui ætate Plutarchi decessit, figurā edidit in corpore lanceæ: tanto interuallo extulit se & emicuit sicut ex profundo affinitas gentilitia. Perinde frequenter mores & motus animi recondunt & supprimunt primæ soboles, post uerò & per alias germinat & refert uitiorū uel uirtutum natura exemplar. Plut. de tarda Dei uindicta.

AVGVSTVS Cæsar corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atq; aluū genitiuis notis, in modū & ordinē ac numerum stellarum cœlestis Vrsæ: sed & callis quibusdā ex prurigine corporis, assiduoq; & uehementi strigilis usu, plurifariam contractis, ad impetiginis formam. Suetonius.

GEORGIVS Castriotus, Scanderbechus, Epiri princeps, militari fortitudine antiquis Impp. comparandus, gladij effigiē in dextro brachio in natiuitate habuit. Pontanus libro 2. belli Neapol.

MACVLAE.

NERO Cæsar corpore maculoso fuit atq; fœdo. Suet.

COLOR

Albus.

Cùm iussu Agesilai captiui ASIANI detractis uestibus sub corona uenirent, auctionem fecerunt prædæ, qui ei rei erāt præpositi: cumq; uestes quidem complures licerentur, corpora uerò ex uita umbratili candida & mollia deriderent, ut inutilia & uilia, assistens Agesilaus: Hi sunt, inquit, quibuscum dimicatis: illæ, propter quas dimicatis. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Flauus.

SCYTHARVM gens fului coloris est propter frigus ingens. Nam cùm solem minimè ardentem habeant, à frigore albedo illorum exuritur, & fit fulua. Hip. de Aere aquis locis.

Niger.

Elide MVLIEREM ab Aethiope adultero impręgnatam, filiā peperisse albam, tradit Arist. atq; ex hac natū Aethiopē. Antigonus in Mirab. narrat.

CHÆREPHONTEM Socratis familiarem, quia nigricantis erat coloris, interfuso pallore, nycterida cognominatum, aiunt, hoc est, uespertilionem: atque item pyxinon, id est, buxeum. Hic est Chærephon, cui respondisse Pythiam ferunt, σοφὸς σοφοκλῆς, σοφώτερος εὐριπίδης, ἀνδρῶν δὲ πάντων σωκράτης σοφώτατος: id est, Sapiens quidem Sophocles, sapientior uerò Euripides, at omnium sapientissimus Socrates. Cęlius lib. 13. cap. 1. Antiq. Lect.

Ruber.

Ruber.

Diodorus lib. 2. Cùm TYPHON, qui Osiridem fratrem interemit, ruffus esset, ut melius placaretur Osiris magnus deus, institutum boues ruffos, homines etiam ruffos ad eius sepulcrum immolari. Hac de causa cùm pauci ruffi Aegyptij reperirentur, externi complures, materia fabulandi Græcis fuit data, Busiridem hospites necasse. Sed ea crudelitate Osiridis sepulcrum notatum est. Lud. Viues lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 21.

CONFORMATIO uitiosa.

FILII insigniti Plauto, qui ex uentre matris notam accepere, uari, ualgi, campernes, peti, bronci.

ODOR SVAVIS. SVAVEOLENTIA totius Corporis.

Isis regis Aegyptiorum Alcandri nutrix facta, dum Osiridis à Typhone cæsi cadauer persequitur, ANCILLIS reginæ Astartes mirificam fragrantiam aspirauit. Plut. de Iside.

ALEXANDRI Magni odorem ex cute gratissimum afflasse, os eius totumque corpus reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in cōmentariis Aristoxeni legimus. In causa fuit fortassis feruidū & igneū corporis eius temperamentū. Gignitur enim odoris suauitas, ut Theophrasti est opinio, cōcoctis à calore humoribus. Vnde aridi & ferui di tractus plurima & optima aromata edūt. Exhaurit enim sol humorē in summis corporibus existentem, ut putredinis materiā. Alexandrum autem calor corporis uinosum reddidit & iracundum. Plut. in Alex. & lib. 1. Con. quæst. 6.

ODOR FOETIDVS. GRAVEOLENTIA totius Corporis.

IV[redacted]olidi[redacted] esse, & uirulentum ex se odorē [redacted]tere. Siue id ex mala uictus ratione accidat, siue ex eo ꝙ cùm mensarij ferè sint, nullaq; exercitatione utantur, alimētum probè non concoquunt: unde fœtidę fuligines per corpus uniuersum expellantur. Fr. Philelphus in Epistolis suis. Alludit huc fortassis & Martialis, quando inquit,

—Et ieiunia Sabbatariorum.

Causam referūt in id, ꝙ ieiuni malè olentē habēt anhelitū.

OZOLÆ Locri indigenæ fuisse narrantur. Cumq; uestem texere nondū didicissent, uelarunt corpora ad frigus propulsandum ferarū recentib. coriis, pilo extrorsum cōuerso, quo uestitus plus decoris haberet. Itaq; cùm consimilem tergoribus odorem membra redolerent, à uirulento illo odore nomen obtinuerunt, ἀπὸ τοῦ ὄζειν. Pausanias in Phocicis. Myrsilus uerò Lesbius, Ozolas ait gentile cognomen adeptos à fœtore suæ regionis, maximè mōtis, qui Taphius appellatur, unde in mare defluat quasi riuus puris. eo in monte sepultum fuisse Nessum centaurū, ab Hercule interfectū. Antigonus de Mir. nar. Alij ob Pythonem draconem mari eiectum, qui illic computruerit. Alij ob regionem, magnam uim anthemi ferentem. Plut. in quæst. Græcis.

LEMNIAS mulieres fœtorem cōtraxisse aiūt, cùm ad eas Medea cū Iasone ueniens, uenenis regionem infecisset ac maximè eo tēpore, quo Medea ibi fuit, ita eas oluisse, ut uiri earum abstinerent cōgressu. Antigonus de Mir. nar. Alij aliter. Nempe cùm Lemniæ mulieres Veneris sacrificia spreuissēt, dea irritata tantum fœtorē illis immisit, ut à suis maritis cōtemnerentur. Zelotypiā inde motæ, uiros, captiuorum opera, unanimi consilio omnes per noctem trucidarunt. Natalis Comes Mythol. lib. 4. c. 13.

Catullus RVFVM omnibus mulieribus inuisum ob graueolentiam insectatur.

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
 Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt oēs, neq; mirum: nam mala ualde est
 Bestia, nec qui cum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
 Aut admirari desine cur fugiant.

In TELESILLAM hircum olentem Lucianus in 2. Græcorum Epigram. εἰς δυσώδεις:

αὐτὴ χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακὸν ἡ καθ' ὅμηρον,
 οὐκ ἀγέλη ταύρων ὡς ὁ λόγος πυρίπνους,
οὐ λήμνος σύμπας, οὐχ ἁρπυιῶν τὰ περισσὰ,
 οὐδ' ὁ φιλοκτήτου ποὺς ἀποσηπόμενος.
ὥστε σε παμψηφεὶ νικᾶν τελέσιλλα χιμαίρας,
 σηπεδόνας, ταύρους, ὄρνεα, λημνιάδας.

Ibidem in DEMOSTRATIDEM quandam:

οὐ μόνον αὐτὴ πνεῖ δημοστρατὶς, ἀλλὰ δι' αὐτῆς
 τοὺς ὀσμησαμένους πνεῖν πεποίηκε τράγου.

In GELLIAM, Martialis Epigrammatum lib. 3.

Quòd quacunq; uenis Cosmum migrare putamus,
 Et fluere excusso cinnama fusa uitro:
Nolo peregrinis placeas tibi Gellia nugis:
 Nam puto posse meum sic bene olere canem.

In CORACINVM, idem Epigram. lib. 6.

Quòd semper casiaq;, cinnamoq;,
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Niceroniana,
Rides nos, Coracine, nil olentes.
Malo, quàm bene olere, nil olere.

De THAIDE, idem Epigram. lib. 6.

Tam malè Thais olet, quàm non fullonis auari
 Testa uetus, media sed modò fracta uia:
Non ab amore recens hircus, non ore leonis,
 Non detracta cani transtiberina cutis:
Pullus abortiuo nec cùm putrescit in ouo,
 Amphora corrupto nec uitiata garo.
Virus at hoc alio fallax permutat odore,
 Deposita quoties balnea ueste petit:
Psilothro nitet, aut acida latet oblita creta:
 Aut tegitur pingui terq; quaterq; faba.
Cùm bene se tutam per fraudes mille putauit,
 Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.

De PHILÆNI idem Epigram. lib. 9.

Tinctis murice uestibus quòd omni
Et nocte utitur, & die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba,
Delectatur odore, non colore.

MEDICVS quidam Asianus hircum sub alis tam putidum alebat, ut uir nullus elegātior eius accessum ferre posset, nisi odoratis quibusdam inspersionibus uirorem hunc prius mitigasset. Gal. lib. 6. Epidem. com. 4. aphor. 9.

FORMA HOMINIS MVTATA.

Metamorphosis, seu transformatio humanæ formæ in quamuis aliam inferiorem, si Vitæ humanæ per functiones humanas sese exerentis ablationem spectes, ad locū Mortis pertinet. Sin uerò simplicē formæ mutationē perpendas, quam uel propria uoluntate uel magica libidine mutat, huius erit loci. Inter Magica miracula titulus quoq; recensetur, Formæ mutatio. Nempe quòd illic Efficientis, hîc Patientis habetur ratio.

IN SAXA.

Cùm Apollo & Diana Niobes filios interemissēt, Iupiter omnes HOMINES in lapides per nouem dies cōuertit, ac decimo die priori formæ restituens permisit ut illi sepelirētur. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 13.

IN BRVTA.

NABVCODONOSOR rex potentiss. superiore parte boui, inferiore leoni similis factus est: illa ꝓpter intēperantiā uoluptatū, hac propter iracundiā & tyrannidem. Cedrenus.

Euanthes inter auctores Græcię celebris, tradit Arcadas scribere, ex gente ANTÆI cuiusdam sorte familiæ lectū ad stagnū quoddā regionis eius duci, uestituq; in quercu suspenso tranare, atq; abire in deserta, transfigurariq; in lupū, & cū cæteris eiusdem generis cōgregari per annos nouē. Quo in tēpore si homine se abstinuerit, reuerti ad idem stagnum: & cùm tranauerit, effigiem recipere, ac pristinū habitū, addito nouē annorū senio. Idquoq; Fabius, eādem recipere uestē. Mirum est, quò procedat Græca credulitas. Nullū tam impudens mendaciū est, ut teste careat. Itaq; Agriopas, qui Olympionicas scripsit, narrat DEMÆNETVM Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Ioui Lyczo humana etiā tum hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupū cōuertisse: eundem decimo anno restitutum athleticæ, certasse in pugilatu, uictoremq; Olympia reuersum. Plin. lib. 8. cap. 22. & Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 16. ex Varrone.

NEVRI Scythiæ populi, fontium Borysthenis accolæ, feruntur quotannis semel singuli ad aliquot dies effici lupi, & rursus in pristinum habitum redire. Herod. lib. 4. Bonfinius lib. 1. Dec. 1. Neruos uocat.

Vincentius lib. 18. Hist. scribit PVDICAM feminam, in quam amore uesano exarserat Aegyptius quidam, à malefico in equam uersam, & à D. Macario Aegyptio eremita restitutā.

Refert Vincentius in Spec. natur. lib. 3. c. 109. & Gulielmus Malmesburiensis monachus, in sua historia, tempore Petri Damiani fuisse duas uetulas in uia publica, qua Romam itur, quales August. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 18. appellat stabularias, id est transeuntes ad hospitia pro mercede suscipientes (nā stabulum propriè hospitiū uenale, & publicum dicitur) quæ in uno cōmorantes tugurio, una quoq; arte malefica imbutæ, hospitē quādoq; solū aduenientem, in equum uel suem uel asinum mutabant, & certo precio mercatorib. diuendebant. Quodam die IVVENEM histrionicis gesticulationib. uictum exigentē, hospitio exceperunt, & in asinū uerterunt,

multum eo lucrifacientes, qui gestuum miraculo distineret transeuntes: nam ad anus mandatum nutu[...]q; quocunque modo mouebatur; non enim illi intellectus perierat, sed loquela. Ingentem inde quæstum fecerant uetulæ. Quo cognito, uicin[...] carè asinum redemit. Cautio tamē hæc à mulierculis adhibita est, ut custodiretur ne in aquam descenderet. Seruatus diu ab aqua, & tandem incautiorem nactus custodem, in lacum proximū se coniecit: ibi se aliquandiu [...] tans, propriæ restituitur formæ. Cūq; ab eodē obuius sciscitaretur eius custos, num asinū uidisset? ille se esse respondit. Famulus ad herū retulit: herus ad Leonē Pp. sanctissimum. Conuictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmauit Petrus Damianus, uir eruditiss. prolato exemplo de Simone mago, qui suam Faustiniano imaginē impresserat.

Quidam nomine Præstantius, inquit D. Augustinus loco paulo antè citato, PATRI suo contigisse indicabat, ut uenenū illud per caseum in domo sua à stabulariis illis mulierculis exhibitum sumeret, & iaceret in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies cum uelut euigilasse dicebat, & quasi somnia enarrasse quæ passus esset, caballum se scilicet factū, annonām inter alia iumenta baiulasse militibus, quæ dicitur retica, quoniā ad retia deportatur. Quod ita ut narrauit, factum fuisse, cōpertum est: quæ tamen ei sua somnia uidebantur.

LVCIANVS in Thessaliam profectus, ut magicas artes disceret, in hospitium fortè diuertit, ubi mulier se unguento illinens, in coruum mutabatur. Lucianus eodem linimento se uolens inungere, in aliud errore incidit, quo unctus uertitur in asinum. Inductus autem in theatrum uariis conspersum herbis, ex ancillæ institutione per rosarum esum restituitur. Id opus sic Latinum fecit Apuleius, ut ad uerbum expresserit pleraq; omnia, additis plurimis, quò iucundior esset lectio iis, qui Milesiis fabulis delectantur, & condiuit sua illa partim antiquaria, partim nimis audaciter nouata dictione, rem alioqui futuram subinsulsam, atq; subfatuā. Lud. Viues in lib. 18. Aug. de Ciuit. Dei, cap. 18.

CORPORIS TOTIVS PILI.

HIRSVTIES.

Notum est illud Ouidij de VIRIS:

Barba uiros, hirtæq; decent in corpore setæ.

C. CALIGVLA fuit capillo raro, ac circa uerticem nullo, hirsutus cetera. Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino, quacunque de causa, capram nominare, criminosum & exitiale habebatur. Suetonius in Caligula.

SEXVS.

DISTINCTVS, sed MVTATVS.

De mutatione puellarū feminarū in masculos legimus apud Hippocratem lib. 6. Epidem. sect. 8. Plinium lib. 7. c. 4. Gell. lib. 9. c. 4. & Amatum Lusitanum Cent. 2. curatione 39. Extat de iisdem Ausonij epigramma.

Hesiodus, Dicæarchus, Clitarchus, Callimachus, aliiq; nōnulli narrāt, TIRESIAM Eumaris F. in Arcadia, cū esset mas, in monte Cyllene, serpentum, quos coire uidebat, alterum uulnerasse: ilicoq; mutato sexu, in feminam mutatū esse, ac cum uiro concubuisse. Monitum autem oraculo Apollinis, ut cùm coeuntes serpentes iterum deprehendisset, alterum itidem sauciaret, ita enim in pristinum sexum rediturum, obseruata oportunitate, consilium dei fuisse executum, itaque recuperasse pristinam naturam. Porrò Ioue cum Iunone altercante, illoq; contendente, plus uoluptatis è re uenerea feminas percipere quàm uiros, Iunone contrarium asserente: placuisse, ut accitus ea de re pronunciaret Tiresias, utpote utrunq; sexum expertus. Hunc interrogatum respondisse: decem in partes uoluptate ista diuisa, unam uiro, nouem mulieri obtingere. Iunonem iratam, eum oculis cōfossis excæcasse. Iouem ei uaticinādi artem dono dedisse, & uitam VII. seculorum. Phlegon de Mirab.

Iidem perhibent, apud Lapithas Elato regi filiam fuisse, nomine CÆNIDEM: cum hac Neptunum congressum, promisisse, facturum se ei quodcunq; uellet: ipsam petiisse, ut ab eo in uirum mutaretur, fieretq; inuulnerabilis: prestitisse id Neptunum, nomēq; uiro Cæneus factum. Phlegon, & Ouidius lib. 11. Metamorph.

Filia Eurytij Spartonis Galatea, Phęsti nupsit Lampro Pandionis F. uiro natalibus nō obscuris, sed inopi. Is cùm uxor grauida esset, uoto masculam sibi prolem expetens, edixit mulieri, si filiam peperisset, uti ne eam tolleret: simul ad oues pascendas digressus: Galatea filiā partu edidit, & miserta infantis, solitudinemq; familię reputans, insomniis adstipulantibus, & ariolis pro filio eam educare iubentibus, Lamprum decepit, filium se enixam professa: puellamq; nomine LEVCIPPI donatam, tanquam filius esset, enutriuit. Cùm adoleuisset puella, & ineffabili esset pulcritudine, metuēs sibi à marito Galatea, cū res diutius tegi nō posset, in fanū Latonę cōfugit: multisq; à dea precib. cōtendit, si filia in marem mutari posset. HYPERMESTRA uendita pro muliere inuenit preciū: cùm aūt in uirū esset mutata alimēta Aethoni patri attulit. Cretensis quoq; SIPROETA mutatus est, cū inter uenandū lauantē uidisset Mineruā. Latona cōtinēter lamētantem & deprecantem miserata est Galateam, puellāq; in puerum mutauit. Huius mutationis etiamnū Phæstij meminerunt, Latonæq; Phytiæ sacrificant, quòd uirilia puellæ creauerit: festumq; Ecdysia appellant, quòd peplum puella exuerit. Ant. Liberalis ex Nicandri lib. 2. Alteratorum.

Antiochię, quę est ad Męandrum sita, homo mixto sexu, quem androgynum appellant, fuit, præsidente Athenis Antipatro: Romæ M. Vinicio, & T. Statilio Tauro, cui Corbilij cognomentū fuit, Coss. Etenim VIRGO quædā parentib. nata illustribus, cùm annorū esset XIII. multis procis petita ob pulcritudinē, postquā de parentū sententia desponsata est, nuptiarū die appetente domo ꝓgressura, subitò dolore uehemētissimo correpta exclamauit. Domestici eā reductā in ædes, ita curauerūt, ut quę dolorib. uentris & cōuersionib. intestinorū laboraret. Verum dolore per triduū continuū permanēte. cùm omnes eius urbis medici nullam affectus causam inuenirent: quarta die sub aurorā intendentib. se acrius doloribus, puellaq; magno cū eiulatu exclamāte, subitò uirilia prodierūt, ac è uirgine uir est factus. Qui aliquāto pòst Romā fuit ad Claudiū Cæsarē adductus; atq; hic, prodigij istius causa, in Capitolio Ioui Auerrunco a[...] fuit androgynus Meuaniæ, [...] rio Agrippinæ Augustæ, p[...] Athenis Dio[...] mæ D. Iunio Syllano Torquato, & Q. Asterio A[...]ton. Coss. Nā uirgo quædā Smyrnæ nata, PHILOTIS nomine, cùm matura uiro nuptū tradita esset à parentibus, masculino enato mēbro in uirū abiit. Eodemq; tēpore Epidauri alius fuit androgynus, natus inopibus parentibus, cui nomē prius erat SYMPHERVSA: in uirū aūt mutatus, Sympheron cœpit uocari, uitamq; colendis hortis triuit. Quin & Laodiceę, quæ, est in Syria, mulier AETETA nomine, etiamnum cum marito degens, è femina uir extitit, cui nomē Aetetus: præside Athenis Macrino: Romę consulatū gerentibus L. Lamia, & Aeliano Vetere. Hunc ipse quoq; Phlegon Trallianus Adriani libertus lib. de Mirab & longæuis se uidisse scribit.

Inuenimus in annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini PVERVM factum ex uirgine sub parentibus, iussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus ꝓdidit uisum à se Argis ARESCONTEM, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & uirilitatem prouenisse, uxoremq; duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se uisum. Plinius se in Africa uidisse narrat mutatū in marem nuptiarum die, L. COSSICIVM ciuē Tisdritanum. Plin. lib. 7. c. 4.

Liuius secundi belli Punici tēpore tradit, Q. Fabio Maximo & M. Claudio Marcello Coss. VIRVM ex muliere Spoleti factū. Hippoc. aūt scribit lib. 6. Epidem. part. 8. aphor. 45. PHAETVSÆ cuipiā Pythei uxori corpus uirile & in uniuersum hirsutum & pilosum fuisse redditū, barbamq; eam emisisse, uocem item asperā fuisse effectā. Quod ipsum etiā NAMYSIÆ Gorgippi uxori in Thaso euenisse, subiungit.

Neapoli regnante Ferdinādo I. cùm Ludouicus Guarna, Salernitanus ciuis, quinq; filias suscepisset, quarum natu maioribus duab. alteri FRANCISCÆ, CAROLÆ alteri erat nomen: posteaquā ad quintumdecimum annum peruenerit, ambabus genitalia membra in mariū morē erupere: mutatoq; habitu pro marib. habiti sunt, Frāciscus & Carolus nūcupati. Itē Ebuli sub eodē rege, PVELLÆ, quę iam quatuor annos uiro promissa spōsæ habuerat nomē, qua nocte primùm uiro tradita cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam, quæ ignota sit, effractis membranis, quæ ut mulier uideretur efficiebant, uirilia membra prodierunt: domūq; reuersa, in iudicio dotem repetiuit, in uirorum numero postea habita. Fulg. lib. 1. c. 6.

In oppido Esguerra, nouē leucis à Conybrica, nobili apud Lusitanos ciuitate, puella quędā genere nobilis erat, cui nomē (si rectè memini) MARIA Pacheca erat: quę cùm ad ætatē peruenisset, in qua mulieres primū menstrua emittere solēt, uice mensiū priapū usq; ad id tēpus intus latitantē extrà eiecit. Et sic ex femina factus est masculus: & uirili toga indutus, ac sacra aqua respersus, Manuel fuit uocatus. Qui ad Indos pueniēs, & diues ac clarus factus, postea ad suos rediit, & uxorē duxit. Sed an liberos genuerit, nō satis cōpertū habeo. Conscij tamē sumus, imberbē hūc semper mansisse, inquit Amatus Lusitanus Cōsult. med, centuria 2. curat. 39.

CONFVSVS. ANDROGYNI, HERMAPHRODITI.

Anno sal. 1461. in urbe Lythquho Scotiæ ANDROGYNA herilē filiā, in eodem lecto cubantē, grauidam fecit. A matronis simplicem puellam sic deceptam esse indignantibus accusata, uiua tumulata est. H. Boethius lib. 8.

AETAS.

MVTATA.

Fuerunt qui dixerunt, IASONEM senescentem ab ipsa Medea coctum iuuentuti fuisse restitutum, ut scripsit Pherecydes, & Simonides poeta, & Lycophron. Quòd AESON præterea Iasonis pater fuit à Medea coctus, & iuuētuti restitutus, scripsit is poeta, qui Reditus cōposuit. Aeschylus in Bacchi nutricibus, nutrices ipsas Bacchi unà cum illis coctas fuisse inquit, & ita ab eodem iuuētuti restitutas. Natalis Comes Mythol. librō sexto, capite octauo.

PROPAGATA.

Nicander in Theriacis, tradit: HOMINES, ad quos ignē Prometheus detulerat, furtū Ioui indicasse: Eiusq; rei pmiū ppetuā iuuētutē à Ioue impetrasse. Natal. Comes Myth. li. 4. c. 6.

FORMAE PRAESTANTIA, DIGNITAS. FORMOSI, PVLCRI.

Pulcritudinem hìc consideramus non modò absolutam, sed & conuenientem eius, qui ea præditus est, ætati, uitæ, conditioni. Illa simpliciter Formæ elegantia dici potest: hæc uerò Formæ dignitas, à qua uel primo aspectu quis regno, imperio, sacerdotio dignus iudicatur.

ACQVISITIO FORMAE.

Publica, Popularis ex ipso loco.

Hesiodus lib. 3. Melampodię, Chalcidem in EVBOEA pulcras mulieres habentem nominat: nam formosæ ibi mulieres nascuntur, uelut testatur Theophrastus. Athen. lib. 13. cap. 32.

HYPAEPENAS mulieres fuisse pulcerrimas, traditur. Est uerò urbs Hypæpa, quæ à Tmolo descendentibus occurrit, ad Caystri campestria, nomine imposito, quia sit sub monte, qui Aepos nuncupetur, sita ac dicata Veneri. Cælius lib. 14. cap. 1. Antiq. Lect.

Apud Tenedum, Troianis adiacentem insulam, esse omnium quotquot sint MVLIERES speciosissimas, in Asiæ periplo scribit Nymphodorus. Cælius lib. 24. cap. 9.

SENENSES fœminæ inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij singulare decus, cōstanti omnium ferè fama obtinent. Sab. supplem. lib. 20. ex Iouio.

Priuata.

PHAONEM omnibus hominibus elegantia formæ præstantem, Venus in lactucis abscondit. Alij dicunt eum portitorem fuisse, & Venerem traiicere uolentem, nescientē quænā esset, libenter prompteq; recepisse. Ei alabastrum cum unguento dea donauit, quo unctus omnium hominum speciosissimus euasit: atque eius amore Mitylenenses fœminæ captæ sunt, præsertim Sappho poetria, Scamandronymi filia. Deprehensus in stupro, periit. Aelianus lib. 12.

VXOR Ageti Lacedæmonij, Alcidis F. quam postea duxit rex Ariston, speciosissima fuit, ex turpissimā talis facta. Siquidē eam clarię ortam parentibus nutrix infantem adhuc singulis diebus baiulabat ad Helenæ templum, quod est in Therapne, supra fanum Phœbi: & stans ante simulacrum, deam precabatur, ut alumnam deformitate liberaret. Cui aliquando exeunti de templo, mulier quædam apparuisse fertur, atque interrogasse illam, quídnam in ulnis gestaret? Et cùm nutrix se infantem gestare respondisset, iussit sibi ostendi. Cumq; negaret nutrix se id facturam, quòd infantem parentes sui uetuissent ostendi cuipiam, institit prorsus ut sibi ostēderetur. Nutrice puellam ostendente, demulsit illa caput puellæ, & dixit, futuram eam omnium Spartanorum formosissimam. Ab eo igitur cùm ea pristina species decidisset, posteaquàm ad nubilem peruenit ætatem, eam duxit uxorem Agetus: Ariston uerò astu Agetum persuasit, ut eam sibi concederet. Herodot. lib. 6. & Pausanias in Lacon.

POSSESSIO. PVLCRI QVI. PVTA

Philosophi.

PYTHAGORAS philosophus tam formosus, ut illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis uenisset. Cùm nudatus aliquando esset, femur eius aureum apparuisse, fama est. Laertius.

DEMETRIVS Phalereus, philosophus, ob formam χαριτοβλέφαρος & λαμπετὼ à meretrice quadam appellatus fuit, ut testis est Didymus in Symposiacis, referente Laertio lib. 5.

NICOLAVS Damascenus, uir doctissimus, procero admodum & formoso corpore, ingenio etiam mansueto & iucundo, adeò ut Augustus Imp. eo maximè delectaretur: & ab eius nomine palmarum balanos pulcerrimos & maximos, Nicolaos dici præciperet, quibus maximè delectabatur. Suidas, & Gyraldus Dialogo 8. Hist. poet.

SYRIANVS Magnus philosophus, corpore optimè constituto, procero, supra modū formoso. Suidas in Ammoniano.

Poetæ.

TAMYRAS poeta & musicus, cùm pulcritudine omnes præcelleret, ab initio mares dilexit: deinde præter suā consuetudinem Musas amauit, ac cum eis cantu certauit. A quibus demum uictus, luminibus & lyra priuatus est. Hinc Prouerbium, Θάμυρις μαίνεται. Volat. lib. 20. Anthrop.

Ferunt TIBVLLVM, poetam elegiographū, corporis forma admodum præstanti fuisse. Vnde Horat. de eo loquens:

Non tu corpus eras sine pectore: dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi.

Milites.

CALLICRATES formosissimus Græcorum omnium ad Platæas. Plut. in Aristide.

Athletæ.

A uictoria pancratij Isthmica, à corporis & animi pulcritudine, à bonis literis, STREPSIADEM Thebanū laudat Pindarus ode 7. Isthmiorum:

—— σθένει
τ' ἔκπαγλος, ἰδεῖν τε μορ-
φάεις, ἄγει τ' ἀρετὰν
οὐκ αἴσχιον φυᾶς·
φλέγεται δ' ἰοπλοκάμοισι Μοίσαις. id est:

Robore quidem stupendus, cuius formosa mens non minorem corporis pulcritudine uirtutem ducit: lucetque nunc uiolacea cæsarie decoris Musis.

CRATINVS formosissimus, & luctator fortissimus. Pausanias lib. 6.

Viri fortes, bellicosi.

Homerus heroum præstātissimos HECTOREM & ACHILLEM, formosissimos facit: quia uera & uirilis pulcritudo cum omnium actionum bonitate iungitur. Itaq; non ab re Socrates pulcros præ cæteris ad philosophiæ studium admittebat: quoniam ubi uera adest pulcritudo, illic quoque ingenij acumen aderit. In fucata uerò & muliebri pulcritudine omnia contrario modo se habent.

TVRNVM à forma plerisq; in locis commendat Vergilius, ut libro 7. Aeneidos:

——Petit ante alios pulcerrimus omnes,
Turnus auis atauisq; potens.—— Item:
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto uertice suprà est.

P. SCIPIO Africanus maior formæ dignitate barbaris in Hispania admirationi fuit. Plutarchus.

Imbelles, Ignaui.

NIREVS apud Hom. Iliad. β. κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην. & uicissim apud Troianos PARIS γυναιμανής τε καὶ εἶδος ἄριστος esse dicitur, probrique loco audit, quòd omnium formosissimus esset.

Cinædi.

MAGNES Smyrnæus puer, præ cæteris mortalibus formosus, Poëtica insuper & Musica ornatus, corona insignis, aureoque retinaculo redimitus, ac habitu molliore indutus, ciuitates obibat, multis dilectus, præsertim Gygi Lydorum regi. Mulieres certè omnes, Magnesiorum præsertim, ad insaniam redigebat. Quarum cognati per causam quòd Magnes in cantico, de Lydorum equestri contra Amazones uictoria, ipsorum nullam mentionem fecisset, comam eius raserunt, uestem ornatumq; lacerauerunt. Iratus Gyges, Magnesiorum urbem diripuit. Suidas, & Pausanias.

TERIDATES eunuchus, formosissimus omnium in Asia iuuenum. Eum cùm Artaxerxes rex Persarum mortem obiisse audisset, p uniuersam Asiā & luctū indixit. Ael. li. 12. Var. hist.

PHAEDRVS Eliēsis Socrati Platoniq; familiaris & dilectus, cuius nomine liber inscribitur περὶ τοῦ καλοῦ: puer forma præstanti à lenone domino ad merendum coactus, & ab Alcibiade redemtus, philosophię traditus est. Gellius lib. 2. c. 18.

GALETA formosissimus adolescens, ob pulcritudinem & animo insitas peculiares quasdam uirtutes, à Ptolemæo rege Aegyptiorum amatus est. Aelianus de Varia hist. lib. 1.

GYGIS Gnidij formosissimi meminit Horat. lib. 2. ode 5.

——Gnidiúsue Gyges:
Quem si puellarum insereres choro,
Mirè sagaceis falleret hospites

Discrimen obſcurum,ſolutis
Crinibus,ambiguoque uultu.

ANTINOVS Bithynicus ex Claudiopoli, Adriani Imp. concubinus,ſummæ pulcritudinis. Qui cùm in profectione Aegyptiaca uel ab Adriano immolatus,uel ſpõte ſua mortuus occubuiſſet, quũ Imp.anima hominis deuoti indigeret, inter diuos relatus eſt. Adrianus eius à ſe ſtellam uiſam aſſeruit, templum ei apud Mantineam & Hieroſolymis extruxit,ciuitatem apud Nilum de eius nomine condidit, imaginem eius inſculpſit numiſmatis. Cælius lib.11. cap. 5. Antiq. Lect. & Volat.lib.23.Anthropologiæ.

Impudicæ.

PANTICA Cypria,ſcribit Phylarchus lib.10. Hiſtoriarũ, cùm eſſet apud Olympiadem Alexãdri matrem, eam Monimum Pythionis filium in matrimonium popoſciſſe. Verùm cùm intemperans eſſet mulier, inquit Olympias, O infelix, ex oculis, nõ autem ex mente ducis uxorem. Athen.lib.13.c.32.

THEODOTA fœmina formoſiſſima, Socratis diſcipulos, à philoſophiæ ſtudio, ſuo amore captos, abſtraxit. Aelianus lib.13.de Var.hiſtor.

PHRYNEM non erat facilè nudam uidere, quia longam ueſtem geſtabat,neq; popularibus balneis utebatur. Cerealiorum uerò Neptunaliorumq; tempore in omnium Græcorum conſpectu poſita, ueſtes ſoluens ac comas, ad mare ueniebat, & ab ipſa Apelles Venerem ἀναδυομένην, hoc eſt, emergentem pinxit. Praxiteles uerò ſtatuarius Venerem Gnidiam ab ipſa formauit, cùm illam amaret. Athen.lib.13.c. 22. In conuiuio, cui complures aderant fœminæ, quum iuxta morem ioci conuiuialis, quod unus quiſpiam faceret,idem omnes facere cogerentur, prior manum bis aquæ immerſam admouit fronti. Quoniam autem omnes erant fucatæ, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum ſpecie uultus omnium deformabat: quum ipſa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat,ſpecioſior etiam appareret, diluta facie. Eraſm.lib.6.Apophthegm.

LAIS Corinthia meretrix, ob formam celeberrimam, certatim ad eam è tota Græcia confluentibus amatoribus. Vnde illud,Non cuiuis homini cõtingit adire Corinthum. hoc eſt,Laide potiri.

LAMIA,ſcortum ſpecioſiſſimum à Demetrio Poliorcete rege adamatum, quæ & tibiis optimè cecinſſe dicitur. Plutarchus in Demetrio.

FLORA meretrix uſque adeò floruit,ut Cecilius Metellus, cũ ſignis & tabulis pictis ædem Caſtoris exornaret, unà illius pictam imaginem ob uenuſtatem ibi dedicarit. Plutarchus in Pompeio.

Adoleſcentes.

HYAS Atlantis ex Aethra filius. Ouid.lib.5.Faſt.

Nondum ſtabat Atlas humeros oneratus Olympo,
Quum ſatus eſt forma conſpiciendus Hyas.

ACANTHVS,AMARANTHVS & HYACINTHVS, pulcerrimi adoleſcentes,in ſui nominis flores mutati fingũtur.

Herodotus ſcribit, HIPPOCLIDEM Tiſandri filium Athenienſem,diuitiis & forma inter procos Cliſthenis Sicyoniorum tyranni F.Agariſtiæ præcipuum fuiſſe.

ALCIBIADEM & puerum & adoleſcentem & uirum cum omni eſfloreſcens ętate corporis forma amabilem reddidit & iucundum. Neq; enim, ut Euripides dixit, omnium pulcrorum etiam pulcer autumnus eſt: uerùm Alcibiadi id inter raros alios ex corporis indole & temperatura ſuppeditauit. Plutarchus in Alcibiade.

Virgines.

VIRGINES formoſas Homerus ἑλικώπιδας appellat,uel quia nigris oculis præditæ eſſent,uel quia ἑλίσσουσι ὦπας,id eſt,cõuertunt omnium oculos in ſeſe. Eaſdẽ olim ἀλφεσιβοίας uocabant,eleganti epitheto, quòd propter pulcritudinem, facilè amatores & procos inuenirent, à quibus boues aliaq; munera acciperent,nondũ inuento pecuniæ uſu. Hinc Meſtra Eriſichthonis filia in uarias ſe mutaſſe formas dicitur.

THAMAR Abſolomi filia formoſiſſima, Roboami Salomonis filij uxor, quæ ei peperit Abiamum. Lib.2.Reg.cap.14.

Iobo filię tres poſt reſtitutionem in integrum natę, IEMIMA, CASSIA,& QVERENAPPVCA, quibus pulcritudine pares nullæ in orbe extabant. Iobi ultimo.

ATALANTA Arcadis Iaſonis filia, à patre expoſita, & urſino lacte nutrita, mox à uenatoribus inuenta, pulcerrima omnium uirginum euaſit ſuo tempore:non fucata illa, ſed uera ſolidaq; pulcritudine:ut quantum proceritate corporis, & ſymmetria omnium membrorum reliquas uincebat,tantundem & robore. Aelianus lib.13. Var.hiſt.

Parui.

Ariſtippus MVLIEREM paruam, ſed pulcram cõſpicatus: Paruum,inquit,malum,ſed magnum pulcrum. Vel ſi mauis inuertere ſententiam:Paruum quidem pulcrum,magnum autem malum. Nam καλὸν & κακὸν apud Græcos facilè permutari poſſunt. Ant.in Meliſſa,par.2.ſermone 33.

Pontifices,Epiſcopi,Sacerdotes.

PAVLVS II. Pp. Formoſi nomen ſibi indere uoluit, quòd id nomen ei maximè conuenire uideretur, propter proceritatem corporis & maieſtatem. Quo minus autem id faceret, deterruêre eum Cardinales quidam hiſtoriæ non ignari, ne poſt mortem id ei accideret, quod olim Formoſo: cuius acta Stephanus VI.reſcidit, cadauer ignominia affecit. Tulit id ægrè Paulus, quia nil ei præter hoc nomen ad ſummam felicitatem deeſſe uidebatur. Platina.

INNOCENTIVS VIII. Pp. ſuo tempore inter Alfonſi Siciliæ regis miniſtros omnium formoſiſſimus fuiſſe dicitur. Volaterranus lib.22.Anthrop.

GVNTHERVS epiſcopus Babenbergẽſis, qui in itinere, cùm proficiſceretur Hieroſolymas ad terram Sanctam, mortuus eſt, anno Chriſti 1064. princeps præter morum gloriam, & animæ diuitias, corporis quoq; bonis apprimè ornatus fuit: ſtatura & formæ elegantia, totiusq; corporis integritate ita ceteris pferebatur mortalib. ut in illa Hieroſolymitana profectione, ex urbibus & agris ſpectandi eius ſtudio quã plurimi homines confluerent. Herueld. de Geſtis German.

Reges,Imperatores. FORMA principe digna.

SAVLVS Cis F. Iemınienſis, è tribu Beniamin, nulli Iſraelitarum pulcritudine cedebat, & cæteros omnes humeris ſuper eminebat. Hic à Samuele rex fuit electus. 1. Regum 9.

ADONIAS Dauidis regis F. ex Hagitha concubina, frater Abſalomi, ſingulari pulcritudine præditus fuit, & ut forma, ita etiam ſtudio fratri ſimilis in Imperio affectando. 3. Reg.1.

AGAGVS rex Amalechitarũ tam pulcer fuit atq; procerus, ut cùm Saulus Iſraelitarum rex Amalechitas omnes ex Domini iuſſu interfeciſſet, ſoli Agago pepercerit. Ob, quod facti grauem Domini indignationem incurrit. Samuel propheta Agagũ Galgalis fruſtratim diſſecuit. Libro primo Regum, capite decimoquinto.

ABSALOMVS regis Dauidis F. à ueſtigio pedis uſq; ad uerticem nullo præditus erat uitio. 2. Regum 14.

IASON Iolci rex, Argonautarũ princeps, forma ſua Medeam ſibi conciliauit. Teſtis ipſamet apud Ouid. ita loquens:

Et formoſus eras, & me mea fata trahebant,
Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.

Iliados γ. Priamus in mœnibus Troianorum, accerſitam Helenam percontatur, quínam eſſent, quos procul in Grecorum exercitu conſpiceret, & AGAMEMNONIS formam laudat ad hunc modum:

Ὅς τις ὅδ' ἐστὶν Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε;
Ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασιν,
Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρὸν, βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν. id eſt,

Ille quis eſt, cedo, Graius homo, magnusq; bonusq;?
Sunt alij hunc, fateor, ſuperantes uertice plures:
Verùm æque pulcrum memini me cernere nunquam,
Nec reuerendum æquè, regem præferre uidetur.

Eraſmus in Adagiis.

Habuit XERXES in exercitu LXVIII. myriades, quæ ratio habet bis & quinquagies centum octoginta tria millia hominũ. Herodotus tamen ſcribit, in tãto mortalium numero neminẽ fuiſſe pulcriorem rege ipſo, aut proceriore ſtatura.

ALEXANDRVM Philippi filium, ſine curatione formæ ſpecioſum extitiſſe perhibent. Capillos enim diſiectos confuſosq; ei pependiſſe, qui erant flaui. Ferunt etiam, formidabile quiddam in facie Alexandri fuiſſe. Homerus cùm uult ſignificare formoſos, arboribus eos comparat: uelut,

Οἱ δ' ἀνέδραμον ἔρνεϊ ἶσοι. Aelian. de Var. hiſt. lib.12.

PORVS rex Indorum pulcerrimus, ea proceritate, qua uir nemo poſt Troianum bellum fuit. Cum Alexandro Magno admodum adoleſcens bellum geſſit. Suidas.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni Aſiæ regis F. corporis proceritate, quamuis procerus, minor parente fuit. Forma uerò & faciei uenuſtate adeò mira atq; excellenti, ut plaſtes uel pictor exprimere nullus imaginem eius poſſet. Eadem enim uenuſtatem & grauitatem, terrorem & hilaritatem habebat, confuſaq; erat cum iuuenili & feroci uultus aſpectu penè inimitabilis heroica quædã ſpecies & maieſtas regia, adeò ut qui eum adibant peregrini, cùm decorem uiderent, regali excellentia ornatum, admirarentur, & in profectionibus ſpectandi gratia ſubſequerẽtur. Perinde mores inerant ei pariter formidabiles hominibus & grati. Vt enim iucundiſſimus per otium in familiari conſuetudine, atque inter pocula, in deliciis, in uictu regum omnium molliſſimus: ita uigilantiſſimus rurſus & intentiſſimus erat in rebus gerẽdis aſſiduitate & ſtrenuitate: qua in re præ ceteris diis Liberum patrem æmulabatur, ut qui optimè uti bello noſſet, contráque pacem ex bellis alere, eſſetque ad hilaritatem ac uoluptates maximè compoſitus. Plutarchus in Demetrio, & Diodorus lib.20.

AVGVSTVS Cæſar forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus

gradus uenuſtiſſima: quanquam & omnis lenocinij negligens, & in capite comendo tam incurioſus, ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret, ac modò tõderet, modò raderet barbam: eoq; ipſo tempore aut legeret aliquid, aut etiam ſcriberet. Vultu erat uel in ſermone, uel tacitus, adeò tranquillo ſerenoq;: ut quidam è primoribus Galliarum, confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minùs, ut deſtinarat, in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquij propiùs admiſſus, in præcipitiũ propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiã exiſtimari uolebat ineſſe quiddam diuini uigoris: gaudebatq;, ſi quis ſibi acriùs contueneti, quaſi ad fulgorem ſolis uultum ſubmitteret: ſed in ſenecta ſiniſtro minùs uidit. Dentes raros, & exiguos, & ſcabros: capillum leuiter inflexũ, & ſubflauũ, ſupercilia cõiuncta, mediocres aures: naſum & à ſummo eminentiorẽ, & ab imo deductiorem: colorẽ inter aquilum candidumq;, ſtaturam breuem: quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinq; pedum & dodrantis fuiſſe tradit: ſed quæ cõmoditate, & æquitate membrorum occuleretur: ut non niſi ex comparatione aſtantis alicuius procerioris intelligi poſſet. Suetonius.

CLAVDIO Cæſari auctoritas dignitasq; formæ non defuit uel ſtanti, uel ſedenti, ac præcipuè quieſcenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat: & ſpecie canicieque pulcra, opimis ceruicibus. Cæterùm & ingredientem deſtituebant poplites minùs firmi, & remiſsè quid uel ſeriò agentem multa dehoneſtabant: riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus: plectra linguæ titubantia, capútque tum ſemper, tum in quantulocunque actu uel maximè tremulum. Suetonius.

COMMODO Imp. pulcra facies & uirilis, tranquillæque faces oculis micantes, & criſpa cæſaries: quæ cùm ad Solem uelut igni rutilaret, multi credere eã aurea ſcobe ſuffuſam. Sabellicus lib.5. Enneadis 7.

MAXIMINVS F. formoſiſs. fuit. Epiſtola quam Maximinus pater ad ſenatum de eo dedit, hoc habuit: Ego cùm propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum Imperatorem appellari permiſi, tum etiam ut Pop.Ro. & ſenatus ille antiquior, iurare poſſit, ſe Imperatorẽ nunquam pulcriorem habuiſſe. Eam ob cauſam paſſim amatus fuit à procacioribus fœminis, quæ de eo optauerunt concipere. Scribit Aelius Sabinus, tantam pulcritudinem oris fuiſſe in eo, ut etiam caput eius iam morte nigrum, iam maceratum defluenti tabo, pulcerrimum tamen uideretur. Deniq; cùm caput patris pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium eſſet, propè par mœror erat, quòd & filij caput pariter portaretur. Capitolinus in Maximino Iuniore. & Sab. libro ſexto, Ennead.7.

DIADVMENVS Antoninus Macrini Imp. filius, cùm ſciret ſe forma omnium eſſe pulcerrimum, purpura aſſumta, equoque inſidens, exercitui ſe ſpectandum magno fauore dedit. Capitolinus.

Interfecto Conſtante in Sicilia, milites MEZENTIVM quendam coronarunt, hominem adeò formoſum, ut nec pictæ imagini cederet. Hoc uerò natu maximus Conſtantis filius Conſtantinus Pogonatus audiens, quem ipſe pater inſignibus imperij ornarat, in Siciliam cum magna claſſe perrexit, & Mezentium cum interfectoribus patris ſuſtulit.

CAROLVS Magnus dignam imperio formam habuit: corpore robuſto, ſeptem pedes ſuos procero, capite rotundo, oculis prægrandibus & uegetis, naſo paulò maiore, facie læta & hilari: inceſſu firmo, uoce clara, ualetudine proſpera, ceruice interim breuiore, & uentre proiectiore. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.7.

HENRICO I. Imp. principi prudentiſſimo, forma etiã corporis regiæ dignitatis decorem auxit. Cuſpinianus.

CONRADVS Hẽrici IV. Imp. filius, extra uirtutes regias, decoręque gratioſę formæ, & pceræ ſtaturæ fuit: omnib. amabilis, affabilis & humanus. Hedio in Chronico Germanico.

ARNVLFVS Imp. corpore procero & forti, cui regia maieſtas natura ineſſe uidebatur. Eloquio blando: literis, ut tempora ferebant, ſatis eruditus, & in primis Chriſtianæ religioni deditus. Cuſpinianus.

FRIDERICVS Barbaroſſa Imp. ſtaturę mediocris, robuſti pectoris, corporis ſucculenti, uiuidæ formæ, uultus gratioſi, barbam & pilos in capite rubros habuit. Hedio in Chronico Germanico.

CONRADVS filius Friderici II. Imperatoris, Siciliæ rex & Neapolis, tam formoſus fuit, ut Abſolon uulgò appellaretur: uerùm ignauus, & à parentis uirtute multùm degenerans. Leander Bonon. in Italia ſua.

RODVLFVS I. Imp. ſpecie fuit regia, forma quadrata, capite haud magno, crinibus raris, naſo aquilino, Habſpurgenſis familiæ peculiari indice, cibi potusque temperantia miranda. Cuſpinianus.

FRIDERICVS dux Auſtriæ, ob elegantiam formæ cognomento Pulcer dictus, captus in prælio à Ludouico Bauaro; aliquandiu in cuſtodia detẽtus eſt. Sed liberatus, & ad ſuos Viennã rediens, uenit demiſſa barba horridus, & ſquallore obſitus, qui pulcritudine & elegantia corporis alios omnes principes ſuæ ætatis ſuperabat. Cuſpinianus.

SIGISMVNDVS Imp. humaniſſimus, proceræ ac inſignis ſtaturæ, pulcra facie, crinibus criſpis, barba prolixa, quam in Hungarorum gratiam nutriuit. Cuſpinian.

PHILIPPVS Francorum rex, qui initio ſimultates cum Bonifacio Pontifice Max. deinde profeſſas exercuit inimicitias, tam formoſus fuit, ut ab omnib. cognomento Pulcer ſit cognominatus. Ritius Neapolitanus lib.2. Regũ Francorum.

IACOBVS III. Scotorum rex corporis forma, & robore, inter principes ſuæ ætatis facilè primus fuit. Appendix Hiſtor. Scotorum.

MAXIMILIANVS I. Imper. humaniſſimus ſtatura fuit quadrata, in qua Cæſarea maieſtas reſplenduit. Nemo non hunc Imperatorem eſſe, etiam externus, inter triginta maximos Principes, antea non uiſum, agnouiſſet, tanta erat oris probitate. Cuſpinianus.

Reginæ.

ARGIA Adraſti Argiuorum regis filia, & uxor Polynicis, fuit mirum in modum ſpecioſa. Statius lib. 2. Theb. Egregiam Argiam, nec formæ laude ſecundam Deiphylem.

HIERA uxor Telephi regis Myſorum mulier omnium (quas Proteſilaus uidit) maxima & pulcerrima.

ALCESTIS Peliæ Theſſaliæ regis filia, Admeti uxor, formoſiſſima fuit, teſte Homero Iliad. β. ubi inquit:

ἄλκηστις Πελίαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη.

Procis eam ambientibus conditionem propoſuit pater, qui leoni aprum iunxiſſet, ei ſe filiam datturum. Admetus Apollinis conſilio uſus Alceſtidem obtinuit. Euſtathius.

OMPHALE regina Lydorum, facie adeò præſtanti, ut ei ſe ſubmiſerit Hercules. Propertius lib. 3. Monſtrorum reliquorum domitor, monſtrorum ut blandiſſimũ ſic infeſtiſſimum Amorem uincere non potuit.

SISIGAMBIS uxor Darij, nulli ſuæ ætatis fœminæ pulcritudine ceſſit, teſte Curtio: quam tamẽ uicto Dario Alexander non ſolùm nõ uiolauit, ſed & ſummam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet.

ANVTIS Bagazi uxor, ut aſſerit Dinon lib. 5. Rerũ Perſicarũ, ſoror fuit Xerxis ex eodẽ patre, ut pulcerrima omniũ mulierũ, quæ eſſent in Aſia, ita intẽperãtiſſima. Athen. lib. 13. c.32.

Scribit Theopompus libro Hiſtoriarũ 56. XENOPITHAM Lyſandridæ matrem, omnibus mulieribus pulcriorem fuiſſe, quæ ſunt in Peloponneſo: quam Lacedæmonij unà cum Chryſe ſorore interfecerunt, poſtquam Ageſilaus rex ſeditione excitata fecit, ut inimicus ipſius Lyſandrides à Lacedæmoniis in exilium fugaretur. Athen. lib.13. c.32.

Alexandra Hyrcani filia, ex Alexandro Ariſtobuli regis filio liberos habebat, alterum formoſiſſimum, nomine Ariſtobulum, alteram MARIAMMEN Herodis coniugem, inſigni pulcritudine fœminam. Gellius M. Antonij Triumuiri amicus, ex Aegypto ob quædam negotia in Iudæam profectus, ut uidit Ariſtobulum, delectatus eſt eius forma, admiratus ſtaturam adoleſcentis ſimul & pulcritudinem, nec minùs Mariammen regiam coniugem, felicemque prole Alexandram prædicans, cum ea colloquutus, perſuaſit, ut depictas amborum effigies ad Antonium mitteret: fore enim, ut his conſpectis ille nihil non à ſe impetrari pateretur. His uerbis excitata mulier, eas effigies ad eum tranſmiſit. Ioſephus lib.15. cap.2. Antiquit.

CLEOPATRA mulierum omnium, quas C. Iulius Cæſar, dum Pompeium inſequeretur, in Aegypto inuenit, formoſiſſima: cuius uenuſtate & oris facundia captus, non tantùm amauit ipſam, ſed in eo etiam diſſidiò, quod cum fratribus habuit, pro ipſa, parùm iuſtus iudex aduerſariis uiſus, ſtetit. Dion.

ZENOBIA Palmyreorum regina ſubaquilo fuiſſe colore traditur, oculis nigris, ſupra modum uigentibus, uenuſtate eximia, dentibus adeò candidis, ut margaritas plerique dentium loco eam ſibi concinnaſſe crederent: uox clara, & uirilis. Sabellicus lib.7. Ennead.7.

Saxo Grammaticus lib. 8. Danicæ hiſtor. ſcribit SVAVILDAM reginam tantæ fuiſſe pulcritudinis, ut quum uincta loris, expoſita eſſet equinis calcaribus obterenda, ipſis quoque iumentis horrori fuerit, artus eximio decore præditos conculcare.

ALVILDA Siuardi Gothorum regis F. uirgo pulcerrima. Io. Magnus lib.7. c.10.

ALFREDA Horgerij Cornubiæ ducis F. pulcerrima. Polyd. lib.6. & Ranulphus lib.6. c.11. & Vilhelmus Mamelsburienſis lib.2. c.46.

GISELA ſoror Henrici II. Imp. formoſiſſima. Cuius ſpecie captus Hungarorum rex, eam tandem impetrauit, cũ ſacro baptiſmatis fonte ſe tingi pateretur. Annales Hungarorum.

Regem

Regem Franciæ narrant captum AEGIDIÆ Roberti II. Scotorum regis F. amore, pictorē misisse in Scotiam, ut per occasionem bene inspectam depingeret. Quumq; ille imaginem expressam eleganter reportasset, tanta accensum fuisse uirginis potiundæ cupiditate, ut extemplò legatos ad eam poscendā miserit. Sed præuentus à Gulielmo Douglas iuuene fortissimo, cui ob singulare robur pater filiā despōderat, spe frustratus est. H. Boëthius lib. 16.

Duces.

TIGRANES cum LX. millibus ad tutandam Ioniam à Xerxe relictus, omnium Persarum & specie & statura eminentissimus fuit. Herod. lib. 9.

XENOPHON Grylli filius, Atheniensis, pago Archieus, uerecundus admodum fuit, & formosus. Laert. lib. 2.

EPHÆSTION Macedo, unus è ducibus Alexandri, apud regem primas tulit ob corporis pulcritudinem atq; præstantiam. Cui rei argumento est, quòd cùm Alexander deuicto Dario tētoria cum solo Ephæstione inuiseret, ubi regiæ mulieres erant: mater Darij obuiam illis procedens, Ephæstionem pro Alexandro adorauit, quòd forma maiore & angustiore uisus esset. Arrianus Græcus de gestis Alexandri.

Tanta specie ad exprimendum militare decus in MAGNO Sfortia dissimilium rerum partes ratione atque ordine respondebant, ut à rudibus rusticanisq;, qui eum nunquam uidissent, pari inter multos cultu, & sæpe sine comitatu, uti omniū princeps ac imperator nosceretur & salutaretur. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

Matronæ.

SARA Abrahami patriarchæ uxor, pulcerrima fuit, adeò ut Pharao Aegyptiorum rex eam matrimonio sibi copularit, cùm Abraham sororem suam esse diceret, non uxorem, ne ab Aegyptiis interficeretur. Genesis duodecimo. Eadem nonagesimo ætatis anno ab Abimelecho Gerarorum rege rapta fuit. Geneseos cap. uigesimo.

REBECCA Isaaci uxor pulcerrima, adeò ut Isaacus Geraris peregrinatus, sororem suam esse dixerit: ne si uxorem esse diceret, à Palestinis interficeretur. Genes. 26.

PENELOPES formam Homerus commendat inquiens:

> Ἡ δ' ἐκ θαλάμοιο περίφρων πηνελόπεια
> Ἀρτέμιδι ἰκέλη, ἢ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ.
> Ex thalamo prodibat prudens Penelopea, Dianæ similis & aureæ Veneri.

PANTHEA uxor Abradatæ Susiani (quam Cyrus expugnatis Assyriorum castris duxerat captiuam) Araspæ Medo seruanda tradita est, qui apud Cyrū affirmauit, nondū esse ortā, aut omnino inuentam tota Asia pulcriorem. Xenophon.

THARGELIA Milesia, quæ quatuordecim uiris nupsit, forma fuit omnino perpulcra, & sapiēs, uelut testatur Hippias sophista. Athen. lib. 13. c. 32.

LVCRETIÆ formam tanti fecerunt Romani, ut eam suis monumentis ubiq; celebrauerint, & uindicauerint à mortalitate non solùm ob eximiam pulcritudinem, uerùm etiam ob castitatem, quòd uim Tarquinij gladio sit ulta.

Plutarchus in Lucullo scribit, PRÆCIAM quandam fuisse in urbe Roma fœminam, uenustate formæ nulli secundā, quæ sua pulcritudine Cethegum sibi deuinxerit: adeò ut nihil probaretur Cethego, quod Præcia non iussisset.

Viduæ

IVDITHÆ Manassis uiduæ Bethuliensis pulcritudo singularis fuit, eamq; Dominus ipse adauxit, ut Olofernem deciperet, populumq; liberare posset. Iudithæ 10.

Concubinæ.

Phylarchus TIMOSAM contendit lib. 19. Oxyartæ pellicem omnes alias mulieres forma superasse, quam rex Aegyptiorum Statiræ regis uxori dono misit. Athen. lib. 13. c. 32.

THERMVSA ob pulcritudinem Phraati Parthorum regi acceptissima. Iosephus lib. 18. c. 3. Antiq.

Famuli, Serui.

IOSEPHVS Iacobi patriarchæ F. formæ singulari uenustate fuit: eapropter ab heri sui Putipharis uxore ad stuprum fuit interpellatus. Genesis 39.

Bartholomæus Capranus, Mediolanensis ecclesiæ antistes, idcirco se MINISTROS forma præstantes quæsiuisse dicebat: quoniam turpes animi, turpia corpora incolerent: improbitatem autem in egregia forma perrarò compertam esse. Aeneas Syl. lib. 2. comment. de Rebus gestis Alphonsi. Aspasio Rauennati, magistro epistolarum Imperatoris Alexandri Mammeæ F. hoc etiam dicterium adscribitur.

Seruæ.

BRISEIDIS amore Achilles flagrauit, licet captiuæ. Horatius: —priùs insolentem,

> Serua Bryseis niueo colore Mouit Achillem.

VSVS, FRVCTVS. FORMA OCCASIONEM PRÆBENS

Deorum Amori.

Deæ rapuerunt pulcerrimos, quibuscum & uersantur: Aurora cum CEPHALO, CLITO, & TITHONO. Ceres cum IASIONE, Venus cum ANCHISE & ADONIDE. Athen. libro 13. capite 7.

ENDYMION pastor à Luna in montibus Cretæ adamatus dicitur.

GANYMEDES Trois filius, regis Troiæ, ob admirandam pulcritudinē suam ab aquila raptus est in cœlum, ut Iouis pincerna esset. Pindarus.

HYLAM Thyadamantis filium ob formam adamauit Hercules, & Nymphæ rapuerunt.

ANTIOPE filia Nyctei, & uxor Lyci regis Thebarum, propter formam à Ioue adamata est, ex quo Zetum & Amphionem suscepit.

TYRO puella, Salmonei filia, ob formā à Neptuno adamata.

AEGINAM Asopi regis Bœotiæ filiam, ob excellentem pulcritudinē adamauit Iupiter, iacuitq; cum ea in specie ignis.

Amori insano.

MEDVSA incredibili sua pulcritudine amatores partim in saxa, partim in bruta conuertit. Saxei autem fiunt homines, & in brutorum transeunt naturam, qui mulierculārum forma & illecebris capti, uitam agunt intemperantem & libidinosam. Platina Dialogo ad Stellam. & Viues 18. lib. de Ciuit. Dei, capite 13.

Hecubæ ad Menelaum, de HELENA, apud Eurip. in Troadib.

> Ὁρῶν δ' ἀπελῶδε, φεῦγε, μή σ' ἕλῃ πόθῳ.
> αἱρεῖ γὰρ ὄμματ' ἀνδρῶν, ἐξαιρεῖ πόλεις,
> πίμπρησι δ' οἴκους· ὧδ' ἔχει κηλήματα.

Sed cernens hanc, fuge, ne te capiat amore: capit enim oculos uirorum, delet ciuitates, accendit ædes: sic habet mulcimenta.

SPVRINA Hetruscus adolescens egregia forma, cùm fœminas uirosq; ad libidinem aspectu decoro inuitaret, oris pulcritudinem uulneribus spōte dehonestauit. Valerius de Verecundia, & Ambrosius lib. 3. de Virginitate.

Raptui.

GANYMEDES Trois Phrygij regis filius, adolescens fuit speciosissima forma, quem Tantalus uenantem maxima celeritate rapuit, & in Cretam perlatum Ioui dono dedit: hunc Iupiter habuit in deliciis concubinum. Fabulantur poetæ, Iouem in aquilam uersum cum rapuisse, præfecisseq; poculis loco Hebes & Vulcani, Iunonis liberorum: uertisseque in signum cœleste, quem nunc Aquarium dicimus. L. Viues in lib. 7. August. de Ciuit. Dei, cap. 26.

HELENA filia Iouis, ex Leda uxore Tyndari regis Laconiæ, ob eximiam pulcritudinem bis rapta fuit. Primùm adhuc puella à Theseo, secundò iam Menelao nupta à Paride. Propter quam recuperandam Græci Troianis decennale bellum intulerunt. Eiusdem pulcritudo flexit apud Homerum senes Troianos, qui Scæam portam conscenderant, Paridis & Menelai certamen inspecturi. Eò namq; cùm mulier tanti certaminis præmium ascenderet, elegantia formæ adeò mētes sapientissimorum uirorum cœpit, ut tantum belli meritus causā meritò dicerent esse concitatum. Platina Dial. ad Stellam, contra amorem.

HERMIONE filia Helenæ & Menelai, matrem forma ferè & fato imitata, cùm Oresti despōsata esset, à Pyrrho rapta fuit.

Incestui.

BELLEROPHON à Sthenobœa, Prœti Argiuorum regis uxore, nouerca sua, propter formam adamatus, cui tamen assentiri noluit.

HIPPOLYTVS Thesei filius, pulcerrimus, & formæ nomine à nouerca Phædra expetitus.

Adulterio.

☞ *Vide Tit. Adulterorum. Hic incentiuum, illic factum consideratur.*

Credibile est BERSABEAM, Vriæ uxorem, eleganti fuisse forma, quæ sapientissimum illum regem & prophetam sanctissimum Dauidem usque adeò titillauerit, ut religionis oblitus, adulterio & homicidio (Vriam enim deuouit morti) suam contaminauerit sanctitatem. Stroza pater: Ille sacri uates operis Iesseia proles, Præfecit populo quem Deus ipse suo, Bersabeæ captus forma est.

Certamini, Concertationi.

☞ *Vide Tit. Riualium.*

Herodotus scribit AGARISTAM Clisthenis Sicyoniorum tyranni filiā, adeò formosam extitisse, ut ad habendas eius nuptias celebrata sint procorum spectacula & certamina, ad quę speciosissimi quiq; Græciæ adolescentes confluxerint.

Ad HIPPODAMIÆ Oenomai Eleorum regis F. impetrādas nuptias celebrata sunt certamina procorum nobiliss. ex tota Græcia concurrentium. Victo mors præmium erat, uictori puella. Multis ab Oenomao iugulatis (quo nomine Ischomache Propertio dicta uidetur) tandem arte uicit Pelops.

Fumo.

Hetruscarum mulierum opinio est, & tanquam prouerbium quoddā patrio sermone celebratur uox, qua fertur fumum PVLCRIOREM totius domus persequi. Opinio uana, sed quæ multis seculis & apud diuersas etiā gentes, uiguit: anti qui enim quoq; Græci hoc ita se habere existimabāt. Aristophontis comici parasitus apud Athen. lib. 6. Dipnosoph. de seipso inquit, —τὸν καλῶν πειρῶν καπνός: se in formosis tentandis fumum esse, hoc est, exploratorem egregium: ut testimonio comici poetæ intelligitur. Victor. lib. 3. Var. lect. c. 21.

Morti.

NARCISSVS filius Cephisi, & Lyriopes. Eius desiderio quū Nymphæ intabescerent, mutatus est in florem sui nominis. Ouidius lib. 3. Metamorph.

Musæus poeta formā LEANDRI pueri ex Abydo (q Erō puellā adamauit, & ab ea redamat⁹ est) multis laudib. celebrauit.

DEMOCLES Atheniensis, ob formam Pulcer Democles ab omnibus uocabatur. Sed eidem (quod paucis admodū formosis contingit) tanta quoq; extitit pudicitiæ cura, ut ad declinandam uim Demetrij Poliorcetis (à quo petebatur ad stuprum) se in plenum feruentis aquæ lebetem (cùm aliter effugere non posset) coniecerit. Plut. in Demetrio.

Coniugio fortunato.

ABISAGA Sunamitis, puella formosissima, ex omnib. Israelitidis electa fuit, quę regē Dauidē iam senio cōfectū, neq; uestium iniectu calescentē, suo complexu foueret. 3. Reg. cap. 1.

HADASSA, siue ESTERA, puella utroq; parente orbata, à Mardochæo patruo suo Iudæo Babylone educata, propter formæ elegantiam Artaxerxis regis Persarum coniugio dignata est. Esteræ 2. & Iosephus lib. 11. cap. 6.

ARIADNE filia Minois, forma fuit eleganti, quam propterea Bacchus duxit in uxorem, eiusq; coronam stellis ornatam in astra retulit.

De SEMIRAMIDE alij alia dicūt. Ea fuit inter oēs fœminas speciosissima, tametsi remissiùs & negligētiùs formā curabat. Cùm uenisset ad regē Assyriorū, uocata propter formæ pulcritudinē, ille ubi uidit, statim deperire cœpit. At illa petiit ab rege munus, stolā regiā, adiæq; imperiū ad quinq; dies, & eorū, quæ in hoc gererētur, potestatē. Neq; frustrata est eā petitio. Cùm uerò collocasset eam rex super thronū, & ipsa iam manu sententiaque cunctorū potēs esset: mandauit satellitibus, ut regē interficerent. Atq; sic Assyriorū imperium obtinuit. Refert hæc Dion. Aelian. lib. 7. de Var. hist.

RHODOPE omnium in Aegypto mulierum fuit formosissima: cui lauāti cùm aquila calceum abstulisset, Memphimq; deportatum Psammeticho regi in sinum iniecisset, ipse mirātus calcei pulcritudinem, inuestigauit cuius calceus esset: & Rhodopen inuentam in uxorem duxit. Ael. de Var hist. li. 13.

ASPASIA Hermotimi Phocensis filia, quę postea Cyro minori nupsit coacta, omnes sua ætate uirgines formæ elegantia superauit. Eius formam Aelian. lib. 12. Var. hist. describit, coma flaua, capillisq; paulum crispantibus præditā. Oculos habebat maximos, & aduncū quodammodo nasum, aures breuiores. Cutis tenera, & uultus color ad roseum accedebat: ob quā causam eam Phocēses, cùm adhuc infans esset, Miltō nuncuparunt. Labra rubicunda, dentes niue cādidiores. Plantis etiā pedum ualebat, quemadmodum Homerus pulcerrimas fœminas suo quodā uocabulo καλλισφύρους nominat. Vocem habebat suauē & teneram, ita ut ipsa loquente Sirenem audire te diceres: ab omni curiositate muliebri & ornatu aliena, utpote ab inope parente enutrita. Cyrus itaq; minor Persarum rex, eius pulcritudine simul & pudicitia motus, eam in uxorem duxit, & post hunc etiam Artaxerxes. Aelian. lib. 12. de Var. hist. à principio.

PHYAM corollas uendere solitam, quæ Pisistrato tyrannidē stabiliuit, instar Palladis pulcram fuisse Phylarchus scribit. Eam Hipparcho filio ad communes nuptias Pisistratus tradidit. Athen. lib. 13. cap. 32.

Magnus Alexander, totius propè Orientis uictor & imperator, RHOXANAM, satrapis barbari filiam, matrimonio sibi iunxit, ob solam eius pulcritudinem. Curtius lib. 5.

CONSTANTINVS Angelus Philadelphiensis, genere non admodum nobili ortus, sed procera statura, & insigni forma præditus: Eudociam (non Theodoram) Alexij aui Manuelis Comneni Imp. filiam, pulcritudine pronuba, uxorem duxit. Nicetas lib. 11. de rebus Manuel.

Paulus Diaconus scribit, THEDOTEM puellam Romanam, flauis promissisq; capillis ad pedes usq; pendentibus, pulcritudine sua Cunibertum regem Longobardum mouisse.

ROXIENA Hengisti Saxonum ducis F. & ethnica formæ causa à Vortigerno Britannorū rege christiano, repudiata priore, in uxorem ducta, Britannorum regnum Saxonibus contulit. H. Boëthius lib. 8.

Regno.

BARBARI corporis maiestatem imperio dignam iudicant. Sabel. lib. 5. En. 4. ex Strabone.

BASSIANVS Solis sacerdos apud Phœnices, ob formæ elegantiā (nam Baccho simillimus uidebatur) à militibus occiso Macrino Imperator dictus est. Sab. lib. 6. En. 4.

Libertati.

Niciæ Atheniensis SERVVS Bacchi habitu in choragio quodam transiens, ob formam & proceritatem corporis eximiā ita commouit populum, ut in eius gratiam Nicias seruū statim manumiserit. Plut. in Nicia.

DEFORMES.

PHASIANI formā corporū à reliquis hominib. habent longè diuersam. Sunt enim magnitudine ingēti, ac crassitie mōstrosa: neq; iuncturæ corū ullæ, neq; uenæ cōparent: pallidumq; præ se ferūt semper colorē, quemadmodū qui regio sunt obnoxij morbo: uocē aūt, ut si qui alij, omniū hominū maximè grauē habent, cùm aere utantur non claro, sed caliginoso, & supra modum humido. Sunt insuper ad laborem à natura ipsa segniores. Hip. de Aëre aquis locis.

BROTHEVS Vulcani & Mineruæ filius, deformi facie dicitur fuisse. Ob quam dum plerisq; esset ridiculus, animi dolore se in rogum coniecit. Ouidius in Ibin:

> Quodq; ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
> Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

THERSITES Aetolus, secundùm quosdam, Agrij F. Diomedis affinis, πιθηκόμορφος à Lycophrone appellatur, & ab Homero deformosissimus iuxtà & nequissimus omnium Græcorum fuisse scribitur, Iliad. β.

> —αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν·
> φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
> κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε· αὐτὰρ ὕπερθεν
> φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.
> ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆϊ μάλιστ' ἦν, ἠδ' Ὀδυσῆϊ.

Sub cuius persona alij uolūt poëtā æterno dedecore notare uoluisse quendā tutorem suum, hoc nomine dictum, qui mala fide tutelā administrasset. Vtut sit, in ea sententia uidetur eo in loco fuisse, corporis turpitudinē animi quoq; improbitatem ferè comitari: uti etiam Socrates censuit.

Ferunt AESOPVM è Phrygia fabulatorē omniū turpissimum extitisse. Fuit enim nigerrimus, unde illi datum nomen: nam Aesopus & Aethiops idem ferè significāt. Corpore prætereagibbosus: uerùm ingenio (quo deformitatem illam pensauit natura) clarissimus. Cælius lib. 15. c. 26. A. L.

HIPPONACTIS poëtæ iambographi deformitatem suis tabulis expresserunt Bubalus & Antherinus pictores: eamq; imaginem, quòd notabili esset uultus fœditate, proposuere in ridentium circulis, magno suo malo. Indignatus Hipponax, utrumq; suis satyris tanto retaliauit fœnore, ut ambo laqueo se præfocauerint. Plin. lib. 36. cap. 5.

Κορυθαίου ἀειδέστερος, id est, Corytheo deformior. Aiūt CORYTHEVM quempiā fuisse hominē insigniter stultū ac uæcordē, ad hoc forma infelicissima fœdissimaq;, cui liberi itē fuerint oēs patrē referētes: unde uulgaris dictus est iocus, in hominē bardū, ac perinde deformē. Ex Zenodoto Erasmus.

CRATES Thebanus Cynicus, cùm deformi esset corpore, in certaminib. tamen corpus suum denudare, pro more pugnātium, non erubuit. Verùm cum à spectatorib. ob id derideretur: De oculis, inquit, ô Crates, & reliquo corpore bono esto animo: mox enim uidebis eos, qui corpus tuū deforme modò turpiter derident, morbo cōtrahi, & omnibus uirib. destitui: & tum te beatum esse sentient, deformem quidem, sed sanum, robustum, & laboris patientem. Laërt. lib. 6. c. 5.

Aiunt SOCRATEM philosophū fuisse simis naribus, recalua frōte, pilosis humeris, & repādis crurib. Propterea quū duæ uxores Xāthippe & Myrto zelotypia quadā in contentionē uenirēt, illis inter se iurgantib, dicebat: Quid ꝓpter me iurgia simul exercetis, quē adeò deformē pepit natura? Rauis. Apud Athenęū libro quinto adolescens Critobulus irridēs Socratem senem ac deformem, dicebat illum πολὺ τῶν σειληνῶν αἴσχιω, multò Silenis deformiorem.

Quidam in conuiuio uidens VXOREM Anacharsidis: Vxorem, inquit, duxisti satis deformē. Cui Anacharsis: Prorsus ita mihi uidetur: sed heus puer, infunde mihi meraciùs, ut reddam eam formosam. Athen. lib. 9. Dipnosophistōn.

AGESILAVS rex Spartanus, moriens interdixit, ne quis fingeret uel pingeret corporis sui effigiem. Dicitur autem pusillus fuisse & specie aspernanda. Cæterùm hilaritas eius & alacritas omnib. horis, urbanitasq; aliena ab omni uel uocis uel uultus morositate & acerbitate, amabiliorem eum ad senectutem usq; præbuit omnibus formosis. Archidamo eius patri, ut Theophrastus auctor est, multam dixerunt Ephori, quòd paruam uxorem duxisset. Non enim reges, dixerunt, sed regulos nobis gignet. Plut. in Agesilao.

GEL.

GELLIAS Agrigentinorum omnium ditissimus, facie deformis, mente pulcerrimus, missus ad Centoripinos legatus, cùm processisset in conuentum, multitudo in eum conuersa, prorupit in risum intempestiuum, cùm uiri illius cernerent aspectum, nomini eius tam celebri & laudato minimè parem. At ille excipiens respondit, eos minimè admirari debere, Agrigentinis de more esse ad celebres præstantesque urbes, uiros forma præstantissimos: ad humiles uerò pari specie legatos mittere. Diod. lib. 13.

DYOCEVS claudus, luscus, omniq; ex parte corporis deformis. Iustinus lib. 3.

De ANTIPATRA Ammonides in 2. Epigram.

αὐτὴ πρότεραν γυμνὴν εἴ τις πάρθοισιν ἔδειξεν,
ἔκτοθεν ἂν στηλῶν ἡρακλέους ἔφυγεν.

De DEMOSTHENIDE Lucillius ibidem:

ψυδρὸς ἔσοπτρον ἔχει Δημοσθένις. εἰ γὰρ ἀληθὲς
ἔβλεπεν, οὐκ ἂν ὅλως ἤθελεν αὐτὸ βλέπειν.

PHILOPOEMENES Achæorum prætor, fuit omnium illustrium ducum, quos Græcia habuit, nouissimus, maiore prudẽtia quàm forma præditus. Proditum memoriæ est, quum Megaris eius aduentus expectaretur, parareturq; conuiuiũ apud hospitem, apud quẽ diuersaturus erat, magno studio, illeq; interim tenui ueste hopitalẽ domum ingressus, creditus à matrefamiliâs seruorũ unus, qui ab ipso duce præmissus esset, iussus est ab ipsa ligna scindere. Quod quum ille sedulò faceret, superuenit interim hospes, qui tum fortè ex foro domum redibat. Is Philopœmenem operantem intuitus, indignitate rei cõmotus, Quid hoc est, inquit, Philopœmenes? Cui ille, Expendo, inquit, pœnas meæ deformitatis. In hunc quoq; Flaminius aliquando cauillatus, Pulcras, dixit, Philopœmenes habet manus, & pulcra crura: at uentrem non habet. Qui etsi reuerà circa medium ualde remacruerat corpus, inopiam tamen in eo Romanus imperator suggillabat. Habebat ille pedites optimos & equites, pecuniarum tamen indigus. Ex Plutarcho, Sab. lib. 6. En. 5.

ACMES deformitatem suis uersibus celebrat Catullus:

Salue nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani:
Tén, prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O seclum insipiens, & inficetum.

C. Iulius HELIO mancipi sæpius obstrepenti sibi, dixit: Etiam ostendam qualis sis. & Helio instanti, ut ostenderet qualis esset: Iulius digito demonstrabat Gallum in Mariano scuto Cimbrico depictum, nodis distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus, cui manceps tũ simillimus est uisus. Taberna aũt erat apud forum, ac scutum illud signi gratia positum. Ingẽs omnium risus consecutus est. Expectarant enim, ut aliquid in mores illius obijceret. Erasmus lib. 6. Apoph.

L. MALLIVS pictor deformosissimos filios habuisse dicitur. Accidit ut apud eum Seruilius cœnaret, filiosq; deformes uidẽs, diceret: Non similiter, Malli, fingis & pingis. Macrob.

Cicero quum VOCONIVM fortè obuium haberet cum filiabus tribus, insigniter deformibus, tacitè ad amicos dixit uersiculum Græcum:

φοίβου ποτ' οὐκ ἐῶντος ἔσπειρεν τέκνα. *id est*:
Phœbo haud sinente hic seminauit liberos.

Sentiens, illum inuito Apolline liberis operã dedisse: siue quod Apollo pulcer à poëtis fingitur, siue quòd oriente sole fœtus existiment concipi feliciores. Plut. in Rom. Apoph.

CAIVS Cæsar Caligula statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis & crurum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa uerticem nullo, hirsutus cætera. Quare trãseunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quacũque de causa capram nominare, criminosum & exitiale habebatur. Vultum natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferebat, componens ad speculum in omnẽ terrorem ac formidinem. Suetonius.

Antipater Hierapolites, quum ducturus esset Seueri Cæsaris FILIAM, forma parum felici: & familiarium quispiam interrogaret, quando laturus esset τὰ ἀνακαλυπτήρια (sic appellabantur munera, quæ sponsæ amici deferebant sponso tertio die, quo sponsa debebat exhiberi spectanda) Hermocrates lepidissimè respondit, ἐγκαλυπτήρια μὲν ὄν, τοιαύτην λαβών: id est, Encalypteria potius, quum talem ducat. ἀνακαλύπτω est retego, ἐγκαλύπτω tego. Quod deforme est, tegi magis oportet quàm retegi. Philostratus in Sophistis.

Olim creditum est, eos septem diebus formosos fore, qui leporem esitassent. Propterea Martialis GELLIÆ deformitati illudens, ait eam nunquam esitasse leporem, his uerbis:

Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si uerum dicis, si uerum lux mea narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Mart. lib. 3. ait, VETVSTINAM tres habere dentes, tres capillos, pectus cicadæ, crus formicæ, rugosam frontem, mammas aranearum cassibus pares, os rictibus crocodili simile, cantum ranarum & culicum, noctuæ uisum, hirci fœtorem, & plerasq; alias deformitatis inhonestas notas.

Martialis PHILENEM puellam luscam fuisse, & altero lippã oculo, scribit lib. 1. Epigr.

Oculo Philenis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? Lusca est. Item lib. 2.
Cur non basio te Phileni? calua es.
Cur non basio te Phileni? ruffa es.
Cur non basio te Phileni? lusca es.

Idem lib. 12. ZOILI sui deformitatem sic depingit:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus:
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Fuit ATTILA Hunnorum [illegible] pite grandiore [illegible] oculis [illegible] troq; colore, incessu superbus, oculorum aciẽ huc illuc torquẽ circunferens, extabatq; in ipso motu corporis animi elatio. Sabellicus lib. 1. Enn. 8.

COLOMANNVS rex Pannoniorum, post Ladislaum, ore improbo, luscus, claudus, gibbosus, & lingua blæsus. Volaterranus.

VENCESLAVS Rom. Imp. in gratiam Caroli IIII. patris ab Electoribus precio corruptis electus, tam corpore quàm animo deformis fuit, atque ineptus. Corpore quidem distortus, animo effeminato ac segni. Degenerans à patre atque auo, nihil unquam memoria dignum aut cogitauit, aut fecit. Cuspinianus.

CAROLO VIII. Gallorum regi, qui regnum occupauit Neapolitanum, erat fœda quædam oris & corporis totius deformis effigies: summa tamen animi fortitudo, digna rege liberalitas, humanitasque popularis. Pontanus lib. 2. cap. 34.

Ant. VRCEVS Codrus, grãmaticus, deformis, cuidam periocũ corporis tenuitatẽ sibi obijcienti respondit: Nõ mihi deformitatẽ corporis, sed ipsi rerũ omniũ fabricatori Deo obijcis, qñ nobis ab illo omnia ad suum ipsius arbitriũ collata sunt: quæ si ex nostro penderent uoto, nihil utiq; esset qđ in nobis desideraremus. Barthol. Bononiensis in eius uita.

FORMAE SIMILITVDO.

De similitudine oris, & totius corporis, altiore doctrina præditi subtiliùs disputant: eorumq; alij in ea sunt opinione, ut existiment illam origini & contextui sanguinis respõdere. Nec paruum argumentum ex cæteris animalibus trahunt, quæ ferè gignentibus similia nascuntur. (Sic Hesiodus inquit, τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν, *de casto loquens coniugio) Alij negant certam hanc esse naturæ legem: sed species mortalium, prout fortuita sors conceptioni obtulit, attribui, atque ideo plerunque ex speciosis deformes, ex robustis inualidos partus edi. Val. Max. lib. 9. cap. 15.*

INTER SANGVINE IVNCTOS.
SIC SIMILES SVNT
Minores Maioribus.

In primo prælio, quo PYRRHVS Epirota Demetrij ducem Pantauchum fudit, non ita incendit & offendit Macedonas, ut opinionem & admirationem de se uirtutis & sermonem præbuit his, qui facta sua conspexerant, & in pugna fuerant secum congressi. Nam uultum existimabant & agilitatem motumque referre eum Alexandri, illius etiam impetus & feruoris inter pugnandum cernere se umbras in hoc & imagines: cùm alij reges purpura, satellitibus, flexu colli, & elatiore sermone, Pyrrhus factis militaribus & strenuitate unus Alexandrum redderet. Plutarchus in Pyrrho.

M. ANTONIO Triumuiro formæ ingenua dignitas fuit, & barba promissa: frontisque amplitudo & nasus aduncus faciem uirilem repræsentare pictis & sculptis Herculis simulacris germanam uidebatur. Fuit etiam uetus fama, ducere ab Hercule Antonios genus, atque esse ab Antone Herculis filio prognatos. Quem rumorem corporis specie & uestitu cõfirmare existimabatur. Quippe cùm proditurus in multorum conspectũ esset, semper tunicam ad coxã incinctam habebat, grandem gladium suspendebat ex cingulo, & rigido cilicio amiciebat se. At quæ etiam importuna alijs uidebantur, iactantia, dicacitas, perpotatio in publico, sedere inter nescendum, & cibum sumere assistentem ex militari mensa: incredibile dictu, quantam beneuolẽtiam ei & desiderium conciliauit militum. Iam nec amores eius uenerib. carebant: uerùm & his allexit multos, dum amantes adiuuit, neq; ægrè tulit in amores suos dicta. Plut. in Antonio.

THEODOSIVS I. Imp. referebat genus suum in Traianum, cui & moribus & corpore persimilis fuit, tam uultu quàm incessu. Nam & eminens utriusq; fuit statura, & par cæsaries, ingentes oculi, uterq; comis ac clemens. Violentiam tamen & triumphandi cupiditatem, plùs detestatus est Theodosius, quàm Traianus. Quemadmodum autem Traianus labentem Remp. in pristinas uires restituit: ita hic Imperiũ Romanum, quod otio & negligentia trium principum, Valentis, Gratiani & Valentiniani cõsenuerat, dissensione partium dilaceratum, ueluti noua pelle iuuenescere fecit, & lacertos mouere. Cuspinianus:

Liberi Parentibus.

LIMYRNII uxores habent communes, & liberos communiter alunt, usq; ad annos quinq;. Deinde sexto anno [illegible] ris omnibus congregatis; similitudines ipsorum ad uiros coniectant, & unicuiq; similem tradunt puerum ceu parenti: quem ille acceptum pro filio educat. Stobæus Serm. 42. ex Nicolai historia de Gentium moribus.

Euander Arcadum rex, simul primùm est AENEAM contuitus, in patris Anchisæ memoriam est illum complexus: Vt te fortissime Teucrum (inquit) Accipio agnoscoq; lubens: ut uerba parentis, Et uocem Anchisæ magni, uultusque recordor. Lud. Viues de Christiana fœmina lib. 1.

SEMIRAMIS Nini primi Assyriorum regis uxor, omnium bellicosissima, lineamentis oris persimilis filio Nino: nudæ utriq; genæ, nec erat per ætatem dissona à puerili fœminea uox & statura corporis: nil, uel modicum, grãdiuscula differebat à gnato. Eius itaque personam & sexum mentita, multis annis post mariti mortem Assyrijs, magna cum laude & imperij incremento, imperauit. Diodorus Siculus, Iustinus lib. 1. Sab. lib. 1. En. 1.

Proconesia ancilla, duplici adulterio GEMINOS edidisse fertur utrumq; patri suo similem. Solinus cap. 4. Polyhisto- [illegible] patrem simillimus: 3. Reg. 1.

Vrbem Gerundam condidit GERYON Chrysaori F. Hispaniæ rex, quẽ Hercules interfecit. Fingitur triceps à poetis, secundùm Iustinum lib. ultimo, quòd essent tres fratres & forma & moribus ita similes; nõ facilè discernerentur. Cui sententiæ tribuit argumentum urbis fabrica triangularis, in singulis angulis arcem habens pro numero fratrum, ut uulgò creditur. Io. Gerundensis lib. 1. Paral. Hispaniæ.

Mulier cùm peperisset; à partu septima die concepit, genuitque FILIVM ex toto priori similem, quamuis non eodem partu edidisset ambos: Cardanus de Rerum uarietate, lib. 8. cap. 43 ex Alberto.

SERVILII gemini, ut Cic. in 4. Acad. quæst. significat, & MENÆCHMI Plautini, adeò inter se similes fuere, ut eos neq; nutrix, ac ne mater quidẽ, quę pepererat, dignosceret. item GEMINI languentes; quos declamatione inducit Quint.

Mechliniæ; FILII fuere gemelli Petro Apostolio senatori Mechliniensi prudentiss. (cuius amico hospitio Viues usus est) [illegible] egregia forma; in quibus dignoscendis non modò extranei, [illegible] ipsa sæpè, dum uiueret; errauit mater: sæpè patet, sed errore gratissimo; Petrum pro Ioanne uocans, Ioannem pro Petro. Viues in lib. 21. de Ciu. dei, cap. 8.

Cognati.

SYRIANVS philosophus, & AMMONIANVS grammaticus, forma inter se similes, cognatione etiam iuncti fuêre. Suidas in Ammoniano:

INTER SANGVINE NON IVNctos. Siue iam sint Nationis uel Gentis

Eiusdem.

NICOCLEM tyrannum Sicyoniorum, quem Aratus eiecit, germanissimum facie Periandro Cypseli autumant fuisse: ut Alcmæoni Amphiarai ORONTEM Persem, Hectori ADOLESCENTEM Lacedæmonium; quem tradit Myrsilus ab spectantium caterua fuisse; ubi id intellexerunt, obtritum. Plutarchus in Arato.

PERICLES metuit in iuuentute populum: uidebatur enim facie Pisistratum tyrannum referre. Cumq; uocis eius suauitatem grauiores ætate considerarent, linguamq; in dicẽdo rotundam & uolubilem, horrebant eam affinitatem: Huic accessit opulẽtia, natalium claritas, &, quorum maximæ opes erãt, amici. Quare timens, ne in exilium pelleretur, abstinuit se à Republica. In bello fortis fuit & imperterritus. Plutarchus in Pericle.

Regi Syriæ Antiochò unus ex æqualibus, & ipse regiæ stirpis, nomine ARTEMON; perquàm similis fuisse traditur: quẽ Laodice uxor Antiochi, interfecto uiro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo, perinde quasi ipsum regem ægrum collocauit: admissumq; uniuersum populum & sermone eius & uultũ consimili fefellit: crediderunt q; homines, ab Antiocho moriente, Laodicen & natos eius sibi commendari. Val. Max. lib. 9. cap. 15. Plin. tamen lib. 7. cap. 12. Artemonem plebeium fuisse scribit.

HIBREAM Mylasium copiosæ atq; concitatæ facundiæ oratorem, Gymnicorum seruo stramenta gymnasij colligenti tam similem fuisse ferunt, ut tanquam germanum fratrem totius Asiæ oculi assignarent: ita lineamentis oris & omnium membrorum compares erant. Valerius:

BABYRTHAS patria Messenius, extremæ sortis homo, Dorymacho uultu & omnibus corporis lineamentis, uoce deniq; ipsa tam similis fuit, ut si quis ei capitis ornatum, chlamydemque illius addidisset, haud facilè fuisset, uter eorum esset, discernere. Vnde cùm ante Messeniorum bellum Dorymachus captus à Messenijs, ad Scyronem urbis præfectum duceretur, ac nimium insolenter proceribus responderet, Scyron dixisse fertur: Putásne nobis te seu temeritatem tuam curę esse, Babyrtha? Polybius lib. 4. Historiarum.

Eximiæ nobilitatis adolescens CORN. SCIPIO, cùm plurimis & clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret, in seruilem Serapionis appellationem uulgi sermone impactus est, quòd huiusce nominis uictimario persimilis erat: nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginũ, quò minùs hac contumelia aspergeretur, opitulata est. Val. Maxim. libro 9. capite 15. Plin. libro 7. capite 12. suarium negotiatorem scribit.

SCIPIONI alteri eiusdem familiæ, cognomen Salutio, mimus dedit. Plin. ibidem.

M. MESSALA consularis & censorius, Menogenis: & CVRIO omnibus honoribus abundans, Burbuleij: ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, uterque histrionis nomen coactus est recipere. Val. l. 9. c. 15.

L. Plancus orator, histrioni RVBRIO cognomen imposuit. Ibidem.

CASSIVS Seuerus orator adeò Mirmilloni armentario similis fuit, ut ei pro crimine obijceretur. Plin. lib. 7. cap. 12

Generosissimus consulatus collegio LENTVLI & METELLI fuit, qui ambo in scenam propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter, ex quodam asseclarum, cognomen Spintheris traxit: alter, nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili retiarij, cui simillimus esse ferebatur, habuisset. Val. Max. lib. 9. cap. 13. & Plin. lib. 7. c. 12.

Cn. Pompeij PATER eousque Menogenis coci sui similis esse uisus est, ut uir & armis præpotens, & ferox animo, sordidum eius nomen repellere à se non ualuerit. Val. lib. 9. cap. 15. & Plin. lib. 7. cap. 12.

Magno Pompeio VIBIVS ingenuæ stirpis, & PVBLICIVS libertinus ita similes fuerunt, ut permutato statu, & Pompeius in illis; & illi in Pompeio salutari possent. Certè quocunq; aut Vibius aut Publicius accesserant, ora hominum in se obuertebant, unoquoq; speciem amplissimi ciuis in personis mediocribus annotante. Val. lib. 9. cap. 15.

M. Agrippam, Agrippæ & Iuliæ Augusti filiæ, quem cum Tiberio adoptauerat, filium, Augustus ob sordidũ ac ferox ingenium abdicauit; seposuitq; Surentum, uel (ut Tacitus scribit) in insulam Planasiam. Mortuo Augusto, à quodam tribuno iussu Tiberij est occisus. Tum CLEMENS quidam Agrippæ seruus, domino, quantum ad lineamenta oris attinet, planè persimilis, cùm se Agrippam esse diceret, atque eo pacto magnam pecuniam conflaret, comprehensus tãdem à Tiberio, interrogatusq;, quomodo Agrippa factus esset? Eodem (respondit) modo factus sum Agrippa, quo tu Cæsar Romanus: sentiens, Tiberium fraude imperatoriam dignitatem esse nactum. Itaq; iussu Tiberij ipse etiam est occisus: ut iam Tiberius certus esset, uni sibi spem successionis incumbere. Ex Tacito & Dione Cuspinianus.

SPORVS Neronis Imp. libertus, Sabinæ formosissimæ fœminę ab Imperatore adamatę fuit persimillimus. Quam adeò omnibus lineamentis referebat, ut eum exsecari iusserit Nero; quo Sabinæ loco pro uxore turpiter eo uteretur. Xiphilinus in Nerone.

Pater Othonis Imp. L. OTHO materno genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum, tam charus; tamque non absimilis facie Tiberio principi fuit, ut pleriq; procreatum ex eo crederent. Suetonius.

Illud in duobus GORDIANIS memorabile; quòd senior Augusto fuit principi tam similis, ut non ore tantùm illum referret, sed uoce, moribus & statura. Filius Magno Pompeio simillimus. Tertius Gordianus, quem hic procreauit, Asiatico Scipioni, q maioris fuit Aphricani frater. Sab. l. 6. En. 7.

SIGISMVNDVS Malatesta, Ariminensis princeps, adeò ef-

figie Marchesino mimo persimilis fuit, ut cùm Mediolanū peteret, à socero ipsius Francisco Sfortia Mediolanensi duce Marchesinus (eius enim suppudebat) aliò ablegaretur. nam aliquanto dicacior Marchesinus, ob similitudinem, Sigismundum filium suum esse dicebat. Fulg. lib. 9. cap. 15.

Vidimus nos, inquit Fulg. lib. 9. cap. 15. FRANCISCO Sfortię Mediolanensi duci, cuius aspectu nihil gratius, nihil principe magno dignius erat, IVVENEM in leui ipsius armatura uultu adeò similem, ut aulæ totius consensu, ob eam similitudinem cognomento Princeps appellaretur: cùm Frāciscus, utpote omni in re humanissimus, non sine uoluptate in eo tanquam in speculo imaginem suam, ac plerisque in rebus gestus suos ac uocem agnosceret, & nonnunquam contemplaretur.

IO. Oporinus typographus Bas. HENRICO VIII. regi Angliæ, maximè uerò Marchioni ALBERTO Brandenburgensi adeò similis fuit facietenus, ut germani fratres uideri possent. Est & in hoc ipso similitudo quædam, quod alter bellis Germaniā, alter libris Christianū orbē repleuerit.

MARTINVS Guerre, & Arnaldus Tillius forma & oris lineamentis adeò similes fuere, ut Martino in militiam profecto Tillius formæ similitudine Martini uxorem, circumuenerit, quatuorque ipsius sororibus alijsque nonnullis propinquis & uicinis imposuerit, & aliquot annis coniugali quasi consuetudine cum illa uersatus sit. Henricus Stephanus in apologia Herodoti.

Diuersæ.

☞ *Consule Tit. eorum, qui in Clariss. familias se dolo ingerere sunt conati.*

SVRÆ proconsulis etiam rictum in loquendo, contractionēque linguæ, & sermonis tumultum, non imaginem modò, PISCATOR quidam in Sicilia reddidit. Plin. lib. 7. cap. 12.

CN. Pompeius uultu initiò preditus fuit non mediocriter gratioso, qui præueniebat eius orationem. Nam ueneres eius grauitatis erant cum humanitate coniunctæ plenæ, atq; in uigore floreq; iuuentutis senilis elucebat & regia maiestas. Iam modicè surrecta coma, oculorumq; lenis modulatio reddebat faciei eius usurpatam magis sermonibus, quàm repræsentatam cum Alexandri regis statuis similitudinem: ob quam nomen etiam multis ei Alexandri in principio tribuentibus, nō defugit id Pompeius. Vnde appellabant quidam eum iam per ludibrium Alexandrum. Quapropter L. Philippus uir consularis agēs pro eo, nihil ait facere se absurdi, quòd Philippus cùm esset, cupidus foret Alexandri. Flora meretrix formosiss. eius forma mirum in modum tenebatur. Plutarch. in Pompeio.

Toranius M. Antonio Triumuiro, eximios forma PVEROS, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos uendidit: tanta unitas erat. Postquam deinde sermone puerorum detecta fraude à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem precij conquerente (nam ducentis mercatus erat sestertijs) respondit uersutus ingenij mango, ob idipsum se tanti uendidisse, quoniam non esset mira similitudo in ullis eodem utero æditis: diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem. Adeoque tempestiuam admirationem intulit, ut ille proscriptor animus, modò & contume[redacted]ens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret. Plin. lib. 7. cap. 12.

IVV[redacted]IS quidam Romam uenit, forma corporis tam similis [redacted]gusto, ut omnem populum spectaculi admiratione suspenderet. Augustus re audita, ad se iuuenem euocatum interrogauit: Fuitne unquam, ô adolescens, mater tua Romæ? sensit ille quò pergeret: &, Minimè (inquit) mater: at pater meus sæpe. Facetè & illatam suspicionem repulit, & nouam peperit: & hæc quidem historia sic in Saturnalibus tradita est. Valerius autem Maximus lib. 9. cap. 15. non Augusti, sed innominati prætoris: neq; matris, sed duorum patrū mentionem facit: præterea non Romæ, sed in Sicilia interrogatum responsumúe commemorat. Percunctante enim magistratu Romano quendam eius prouinciæ, sibi forma corporis simillimum, & mirari se dicente, unde hæc tanta similitudo, cùm pater suus nunquam in Sicilia fuisset: ille respondit: Pater meus sæpe Romam uenit.

Occiso Nerone, scribit Suetoni⁹ se ADOLESCENTEM post uiginti annos serum uidisse, quem Tacitus ex Ponto fuisse prodit cithara & cantu peritum, oris lineamentis Neroni simillimum: qui se Neronem esse iactabat: à Parthis acceptus, sed à Calphurnio Asprenate postea occisus. Cuspin. [redacted]

FORMÆ ET PVLCRITVDINIS CERTAMINA.

Artaxerxes rex Persarum, repudiata Vasti regina, nouam ex procerum suorum consilio inducturus, mandauit certis hominibus, ut forma celebres uirgines ex toto regno selectas ad se adducerent. Id mandatum illis diligenter exequentibus, inuenta est Babylone ESTHER, Abichailis F. puella utroq; parente orbata, quæ apud patruum Mardochæum educabatur: is erat tribus Beniamiticæ, unus ex Iudæorum primatibus. Hæc puella præ cæteris omnibus excellebat pulcritudine, & gratijs uultus in se oculos conuertebat. Itaq; Hegeo eunucho commendata, tractata est apud eum delicatissimè, sex mensibus oleo myrtino, & totidem odoramentis atque unguentis preciosissimis, quibus principes feminæ corpus curare solent, quotidie delibuta. Atq; hac tractatione per 12. menses usæ sunt quadringentæ numero uirgines. Quando uerò satis iam curatas existimabat, & regis lecto tempestiuas, unā singulis diebus mittebat ad eū, qui post complexus eam ad Sasagazum alterum eunuchū remittebat. Perducta uerò Esthere, quæ nullum ornatū alium, præter consuetum, habebat, natiua illius specie delectatus rex, & amore correptus, legitimam coniugem eam sibi adiunxit, nuptiasq; celebrauit anno regni sui septimo, mense XII. qui Ader dicitur: dimisitq; quos angaros uocant, per omnes gentes nuptiale festum eis indicens. Ipse uerò Persas & Medos, & primates aliarum gentium accepit conuiuio nuptiali per mensem integrum: & ingressę regiam uxori diadema imposuit: atque ita cum ea conuixit, nunquam interrogata, quónam esset nata genere. Esterę 2. & Iosephus lib. 11. cap. 6.

Hacius MEDVSAM inquit fuisse omnium mulierum suæ ætatis pulcerrimam. Quæ cùm magnopere capillorum pulcritudine gloriaretur, seq; uel Pallade pulcriorem affirmaret, auderetq; de forma cum dea contendere, Pallas Perseū ad illam misit, qui eam obtrūcauit. Pausanias in Corinthiacis inquit, Medusam fuisse filiam Phorci, quæ mortuo patre regnum ab illo acceperit eorum populorum, qui ad Tritonidem paludem accolunt, solitamq; in uenationes & pugnas exire. A' Persei copijs, quas ille ductabat ex Peloponneso, in acie noctu per insidias in castris trucidata est. Cuius uel mortuæ pulchritudinem admiratus Perseus, ut omnib. esset spectaculo, præcisum caput in Greciam portauit. Quo uiso, homines admirati, dicti sunt in lapides conuerti. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 11.

In certamine formæ OLIM præmium malum erat aureum, Itaq; Paris Veneri, quam pulcerrimam iudicarat inter tres deas, pomum tribuit. Eam ob causam pomum Veneri sacrū fingitur, & μηλοβολεῖν, pro εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν, sumitur apud Theocritum & Aristophanem, & Hippomenes iacto malo Atalantam superauit. Sic & Vergilius: Malo me Galatæa petit lasciua puella. Artemidorus propter mollitiem, suauitatem, & fragrantiam, Veneri dicatū scribit. Brodeus in 4. Epigram. Græcorum.

Καλλιστεῖα certamen erat LESBI de formæ muliebris præstantia, ut docet Homeri glossographus. Brodeus in 6. Epigr.

Diadumenus, formosus omnis adolescens olim appellabatur, id est, diadematus & uittatus. Nam in ELIDE formæ certamen haberi solitum, Dionysius & Theophrastus scribunt, uincentem quoq; [redacted]mis donari, ac uittatum ab amicis ad templum deduci, coronariq; myrto, arma i[redacted]neruæ consecrari. Volat. lib. 15. Anth. & Alex. lib. [redacted] cap. 8. ex Athen. lib. 13. cap. 7. Fuit alio qui Diadumenus elegantissimus iuuenis, cuius effigiem Polycletus expressit iuuēta molliore. Eiusdem nominis fuit alter, Augusti prægustator, qui in formæ certamine apud Elidem palmam meruit. Volaterr.

In CERERIS Eleusiniæ festo, prope Alpheum speciei certamen erat, in quo Tenediæ mulieres omniū quotquot sunt in Asia uenustatis palmam tulerunt: tametsi Hypæpas, tanquam uenustatis præcipue, alij celebrarint, & Homerus formosissimas in Hellade asseueret. Alex. lib. 5. cap. 8. Illic uictrix apparuit prima Herodice, Cypseli uxor, qui certamen instituit. Mulieres certantes χρυσοφόροι appellabantur. Ex Athen. lib. 13. cap. 33. Cælius lib. 13. cap. 9.

DVÆ sorores SYRACVSANÆ rustici cuiusdam filiæ, de formæ præstantia inter se decertabant in uia publica. Accessit adolescēs, qui formas admiratus, patri seni ostēdit. Eo maiorem preferente, eius amore captus est. Profectus in urbē, lecto cœpit decumbere. Morbi causam exposuit fratri natu minori. Is rus profectus, conspectis puellis, minoris amore correptus est. Pater uirginum collocat eas huius filiis, quas ciues ob insignem formam appellarūt καλλιπύγους. Harum opib. extructum est Veneri templum, quā & ipsam à puellis dixere καλλίπυγον. De quibus Cercidæ Scazontem citat Athenæus lib. 12. cap. 32. Ἦν καλλιπύγων ζεῦγος ἐν Συρακούσαις. id est, Par callipygōn quondam erat Syracusis. Erasm. in Adag. & Gyral. Dial. 7. hist. poet.

Celebra-

Celebrabatur in Grecia conuiuium, multis mulierib. frequēs. Inter oblectamenta epulantium, cùm alij sunt nonnulli lusus inducti, tum ille, ut per uices unusquisq; cōuiuarum cæteris omnib. quicquid esset collibitum imperaret. Quū esset uētum ad PHRYNEN meretricem insigni specie, & ingenio non inamœno, eaq; animaduertisset adesse complures feminarum, cerussa, purpurisso, & alijs pigmētis incrustatas: ad pudorem incutiendum, Rem (inquit) leuem iubebo, quam & ipsa obibo prima: ut unaquæq; nostrûm madidas manus per os circumducat, ac linteo extergat. Ipsa prima est suum ipsius iussum executa. Sed quum nihil gereret fuci, ex lotione illa pulcrior remansit: fucatę uerò absurdas inprimis & ridiculas facies retulerunt, ludibrioque tunc habitæ, abstinuerunt deinceps eiusmodi medicamentis, & contentæ natiua facie, spreuerunt emtitiam. Viues de Christiana femina lib. 1.

TERENTIA Mœcenatis uxor, adeò fuit uenusta, ut sit aliquando ausa cum Liuia de pulcritudine contendere. Fuit autem Liuia Augusti Cæsaris uxor, quę eo tempore omniūm esse formosissima puta batur. Dion in Augusto.

FORMÆ MVTATIO. PVTA

EX DEFORMIBVS FORMOSI redditi.

Aristo Agasiclis F. rex Lacedæmoniorum, PVELLAM duxit [redacted] nias in Laconicis. Vide Titulum Acquisitio pulcritudinis.

EX FORMOSIS DEFORMES.

Huc illud Nasonis de HELENA:

Flet quoq; ut in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris, & secum cur sit bis rapta requirit.

[redacted] ACCIDENTIA SECVNdùm Magnitu[redacted]erum, Conformationem, Situm, Vnitatem.

CALVARIAE.

In Platæensi strage PERSÆ caput repertum, Herodotus lib. 9. scribit, nulla prorsus futurarum commissura. Cui Aratus succinere uidetur:

πολλοὶ δ' ἀρραφέες κεφαλὰς πάγον ἀνθρώποισι.

id est, Capitū pleraq; hominib. citra suturas compacta sunt. Arrian⁹ AETHIOPVM capita suturis nullis esse laxa prodidit. Cælius lib. 13. cap. 28. A.L.

Herodotus auctor est, spectasse se ad Pelusium eorū ossa, qui acie illa occubuere, utraq; ab alteris discreta, animaduersamq; à se & ijs, qui secum aderant, rem memoratu dignā, quòd PERSARVM capita adeò fragilia essent, ut uel talitro perfringerentur: contrà quæ AEGYPTIORVM fuisse dicebantur, tam solida, ut ne lapidis quidem ictu temerè comminuerētur. Compertū ex his habuisse, Aegyptiorum caluarias, quia ab initio ea gens raderetur, & ad solem obdures[redacted] diutius cœlesti iniuriæ restitisse: contrà in Persis euen[redacted]ui pileis mitrisque tegerent capita. Sabell. libro septimo Enneadis secundæ.

CAPITIS

Figura.

MACROCEPHALIS Scythis nulla gens est, quæ similia capita habeat. A' principio igitur institutum hominum causam dedisse uidetur, ut tam sint longis capitibus. Nunc autem natura ipsa cum lege conspirauit. Si quidem generosissimum apud eos putatur, caput habere quàm maximè lōgum. Legis uerò hæc ratio est. Quum recens infans natus est, caput eius adhuc tenerum ac molle existens quàm celerrimè refingunt manibus, constringendoq; cogunt in lōgitudinem augeri, uinculis adhibitis, alijsque instrumentis oportunis, quibus rotunditas capitis inhibeatur, longitudo augeatur. Ab huiusmodi lege siue instituto principium naturæ datum. Temporis deinde progressu in naturam penitus abijt, ut non esset necesse [redacted] legem adhibere. [redacted] nunc non tam longis [redacted] nascuntur capitibus quemadmodum priùs, lege p[redacted]uram hominum non am[redacted] de Aere, aquis, locis.

TH[redacted]ος ἴλω κεφαλῶ. Sub Tit. Deformium.

PE[redacted] Atheniensis forma fuit reliqui corporis decenti, [redacted]capite oblongo, nec congruente. Vnde statuæ eius galea[redacted] sunt penè omnes: tegentibus artificibus hoc uitium. At poetæ Attici Schinocephaleum eum uocauerunt: Scillam enim nonnunquàm schinon appellant. Teleclides nūc præ multitudine negotiorum sedere consilij inopem ait eum in urbe capite grauatum, nunc ex capite hendecaclino (quasi dicat, sesquipedali) ingentem exoriri tumultum. Plutarchus in Pericle.

PHILOCLES, comicus poeta, capite acuto & fastigiato, instar upupæ, Aeschyli ex sorore nepos. Alij Halmiona eum dicunt, quasi salinatorem, ob acrimoniam. Suidas.

Ex Aristophanis Auibus colligimus PHILOCTETI cuidam turbinato capite deformato, fuisse nomen Corydo.

Magnitudo.

PERICLES Atheniensis caput maximū habuit, Comicorum dicterijs exagitatum, teste Gal. lib. 6. Epid. com. 1. aphor. 37. Cratinus uerò etiam κεφαληγερέταν ab dijs uocatum comminiscitur, ut qui nimio plùs in caput extumuisset. Cælius lib. 20. capite duodecimo A.L.

MAHOMETVS pseudopropheta caput immensum habuit, faciem albedine & rubore mixtam, barbam prolixam, pedes agillimos. Chronicon Saracenorum.

CAPILLORVM

Pulcritudo.

☞ *Consule Titulum Pulcrorum.*

NISVS Megarensium rex, ob pulcritudinem capillos aureos fertur habuisse.

ALFVS filius Sigari Danorum regis, tam excellenti forma ac cæsarie, ut argenteis nitere crinibus putaretur. Saxo. lib. 7.

Rubedo.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex pessimus, fuisse traditur capillo rubro, unde cognomen inuenit. Polyd. lib. 10.

Canities, Albedo.

ERGINVS filius fuit Clymenis, unus ex Argonautis. Cùm autem Hypsipyle Thoantis Lemniorum regis filia, funerales ludos manib. parentis proposuisset, Erginus adolescēs præter ætatis rationem iam canus, accessit inter reliquos decertaturus. Irrisus est autem à mulieribus Lemniacis, ob intempestiuam capitis caniciem, & prouerbio locum fecit, hoc insignior, quòd superatis omnibus athletis, pulcerrimam uictoriam reportarit. Erasmus.

Tyrrhenus TARCON, & CYCNVS Troianus, ætatis primordio statim memorantur cani. Cælius lib. 13. cap 27. A.L.

PSAVMIS Acronis F. Camarineus, quadriga uictor in Olympia, quātumuis iuuenis, canus fuit. Proinde Pindarus hymno 4. Olympiorum canos eius sic excusat:

φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον.

PANDORÆ Indiæ populi, ut refert Ctesias, in conuallibus siti, ducentos uiuunt annos, in iuuenta candidos habentes capillos, in senectute nigros. Plin. lib. 7. Val. lib. 8. cap. 14.

CELTARVM pueri ut plurimùm cani sunt, ætate prouecti colorem paternum assumunt. Diod. lib. 5. cap. 9.

LVDOVICVS dux Bauarię, cùm uxorem Mariam Brabantinam occidi iussisset, ob falsam suspicionē de milite quodā, horrendam noctu habuit uisionem, ex qua subitò canus factus est, & pœnitentia ductus, monasterium condidit Furstenfeld. Cuspinianus in Lud. Bauaro Imp.

IACOBVS quidam Osorius Erigini in carcerem coniectus, adolescens etiamnum, una nocte incanuit totus. Lud. Viues in præfat. in Som. Scipionis.

LEGATI duo apud Rodolfum Imp. alter canis capillis, & barba nigra, alter barba cana & capillo nigro, cùm huius rei rationem Imp. reddere cogerentur: Ego, inquit, primus, canam habeo barbam, quia omnis mea cura fuit, ut ori satisfacerem & gulæ, de nulla alia re sollicitus. idcirco caput mansit cum suis capillis nigris, & mentum uestitum est barba cana. Alter inquit, capilli mei, simul cùm egressus sum uterum matris meæ, creuerunt: post uiginti quatuor annos demum erupit barba: quæ cùm eādem ætatem assequetur, quā nunc capilli habēt, eundē quoq; colorē sortietur. Cusp.

Ex timore caniciem sequi, alimento uitiato, historia nostrę tēpestatis sub Francisco Gonzaga Mantuæ principe luculenter ostendit. Is AFFINEM suum suspectum coniurationis cùm in turri portæ Cæsareæ ad quæstionē aut supplicium seruari iussisset, nuntiatū est manè totū repentè canū factū. Quod quasi ꝓdigiū flexit principis animū, ut ei ꝓpterea & ueniæ & uitæ fecerit gratiā. Iul. Cęsar Scal. exercitatione 32.

Copia.

Scribit Ambrosius in Hexaemero lib. 6. comam esse reuerendam in senibus, uenerandam in sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum, tota pulcritudo

flacces-

flaccescit. Præstò est Ouidiana id comprobans sententia:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus:
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Sed & Apuleius, Mulierem uenustissimam, si capillitio nudetur, licet illa cœlo deiecta, mari edita, fluctibus educata: licet, inquã, Venus ipsa fuerit: licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinũ populo comitata, & baltheo suo cincta, cĩnama fragrãs, & balsamo rorãs, si calua processerit, placere nõ poterit, ne Vulcano quidẽ suo. Cęlius l.18.c.10.

De ABSALOMI Dauidis regis F. cæsarie Iosephus in historijs prodidit, tantam illius magnitudinem fuisse, ut ducentis siclis appenderetur, qui quinas, ut idem scribit, conficiant libras. Sabellicus lib.9. Enneadis 1.

HISPANI quondam oblectabantur capillorum longitudine. Vnde Martialis:

Hispanis ego contumax capillis.

Crines ibi sine ullo artifice formosi quatiebant, non aliter quàm iubam generosa animalia.

De HERMOGENE hirsuto Lucillius in 2. Epigrammatum:

τὸν δασὺν Ἑρμογένην ζητεῖ ποτε ἀξεῖθ' ὁ κουρεύς
κείρειν τὴν κεφαλήν, οὐθ' ὅλον ὡς κεφαλήν.

Caluities, Raritas.

ELISÆVS propheta ex sacra historia ob caluitiem à pueris irrisus fuit.

MYCONII insulares capillo carẽtes gignũtur. Plin.l.11.c.37. Eapropter Myconios quidam caluos appellãt. Strabo l.10.

In Scythia propè Ripheos montes ARYMPHÆI incolũt sub excelsorum montium radicibus, homines quidam ab ipso natali calui, mares pariter & feminæ: simis quoq; naribus, & ingenti mento, proprio quodã oris sono, Scythicam gestantes uestem, ex arboribus uictitantes. Herod.lib.4.

ORGENIPEI neq; domos habent, nec animante uescũtur. Sunt autem calui, non ipsi modò, uerũ etiam mulieres, idq; aiũt accidere, ꝓpter aquę uim natiuã, quã bibũt. Er. in Ad.

AGATHOCLES Siciliæ tyrãnus, cùm caput ei paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus, myrtea corona crinem obtexit, quæ quasi uelum erat & tegmen caluitiei. At id Syracusios latere non poterat: silentio tamen inuoluere cogebantur, propter impiam tyranni mentem. Aelianus lib.11. de Varia historia.

C. IVLIVS Cæsar caluitij deformitatem iniquissimè ferre solebat, obtrectatorũ iocis obnoxiam sæpè expertus: ideoq; & deficientem capillum reuocare à uertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi à Senatu populoq; honoribus, non aliud aut recepit aut usurpauit libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ. Milites certè in Gallico triumpho iocabundi uociferabantur: Vxores uestras seruate ciues, uobis mœchum adduximus caluũ. Suetonius, & Dion.

Erat caluitio deformior TIBERIVS: proinde in spectaculo quodam Seianus ad eius ludibrium, per caluos effici omnia curauit à matutina hora in uespertinum: quin & puerorum capite deraso, ad quinq; millia exeuntib. è theatro prçluxére: unde Seiani ex eo dicti omnes calui, inquit Dion. Porrò in Caligula scribit hic idem, quum is turbam esset intuitus seu uinctorum, seu aliorum quorundam, imperauit τοὺς ἄρ, τὸ λεγόμενον, ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ πάντας αὐτοὺς σφαγῆναι. Cæl.lib.13.cap.29.A.L.

C. CALIGVLA capillo raro, & circa uerticem nullo fuit, hirsutus cætera, ut Capram nominare capitale fuerit illo imperante. Sab.lib.2. Enneadis 7. ex Sueton.

In MARINVM Martialis Epigrammatum lib.10.

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, caluæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt iubente uento,
Redduntúrq; sibi, caputq; nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt,
Inter Splendophorum, Telesphorumq;,
Cidæ stare putabis Halmyroten.
Vis tu simplicius senem fateri?

OTHO Imp. caluus fuit, maleq; pedatus. Suetonius.

Ad PHOEBVM Martialis Epigram.lib.12.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora uerticemq; caluæ,
Festiuè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

DOMITIANVS Imp. sæuitia Neronem exuperans, quia caluus erat, maledictis populi Nero caluus appellabatur. Propterea de eo Ausonius:

—Quem caluum dixit sua Roma Neronem.

Turnebus lib.12. c.8. Aduersariorum. Caluitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alij ioco uel iurgio obiectaretur: quamuis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, & illum simul seque consolans inseruerit: οὐχ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; Eadem te manẽt mecum capillorum fata, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quicquam decore, nec breuius. Suetonius.

CAROLVS II. Imp Calui cognomen à caluitie usurpauit. Scripsit in eius laudem Hugobaldus monachus Eluonẽsis Eclogam de Caluis centum trigintasex uersuũ, qui omnes cum singulis dictionibus à c litera incipiunt. At si quis laudes caluorum uberiùs legere cupit, is Synesium Cyrenensem adeat, qui caluitij encomiũ Græcè elegantissimè scripsit, à Ioanne Phrea Britanno latinitate donatum: contra Dionẽ Chrysostomũ, qui comatos extulit. Vbi argumẽta ingenij plena inuenies pro caluis cõtra comatos. Quod ideò hoc loco annotaui, quoniam & ego ex eorũ numero sum, inquit CVSPINIANVS, & lata calua sępè quibusdã risum moueo puellis, quib. admodũ placui adolescens comatus.

Scintillæ.

[redacted]

FACIEI

Splendor.

MOSIS facies ex diuino colloquio per XL dies & noctes cũ Domino in monte Sina habito ita radiabat, ut eius splendorem Israelitæ ferre non possent, sed facie uelamento tecta cum illis loqui cogeretur. Exodi 34.

Mores.

☞ *De Vultus compositione uoluntaria, Affectuum animi indice, Volum.1.libro.III. egimus: At hic natiuam consideramus.*

PYRRHVS Epirotarum rex prætulit uultu atrociore quàm augustiore maiestatẽ regiã. Itaq; Argis regula despicitus, cùm Zopyrus Macedo, ut caput ei decuteret, gladiũ strinxisset, adeò eum intuitus est toruè, ut ille expauescens uix longo spacio tremebũdus caput ei amputarit. Plut. in eius uita.

PHOCION Atheniensis quamuis moribus esset mansuetissimis facilimisq;, uultũ tamen morosum & tetricum repræsentabat: unde nemo facilè eum alienior conuenit solus. Itaq; cùm Chares aliquando supercilia eius [illegible] ringeret, arrideretq; populus Atheniẽsis: Nihil hoc uobis, inquit, mœroris intulit supercilium: at horum risus multas ciuitati lacrymas inuexit. Plut. in Phocione.

C. MARIVS septies consul ea fuit faciei truculentia, ut Minturnis immissum percussorem solo aspectu deterruerit. Plutarchus in Mario.

VESPASIANVS Imp. statura fuit quadrata, compactis firmisq; membris, uultu ueluti nitentis. Vnde quidam urbanorum non infacetè: siquidem petenti, ut & in se aliquid diceret: Dicam, inquit, cùm uentrem exonerare desieris. Suetonius. In eum, sed mutato nomine, quidam referunt illud Martialis Epigram.lib.3.

Vtere lactucis, & mollibus utere maluis:
Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

Britannorum rex CADOVALLO, Anglici nominis hostis crudelissimus, qui Eduinum, Osricum & Enfredum Northumbrorum reges interfecit; fuit natura & uultu multò terribilior [illegible] causa ferunt [illegible] illi postea statuam [illegible] fuisse, ut hostibus [illegible] formidini esset. [illegible] ab Osualdo Northumbrorum rege pietate [illegible] suis occubuit. Polydorus lib.4.

Color.

Olim uulgari conuitio COSSI dicebantur homines [illegible] rugosi, à similitudine uermium, qui lignis innascuntur [illegible] tura rugas habent, ut se contrahant ac porrigant. Quorum Plin. meminit lib.11. cap.33. rursus lib.30. cap.13.

Mnesaretę meretrici famosissimæ nomen fuit, PHRYNÆ cognomen, palloris causa. Plut. de Pythiæ oraculis.

M. CATO facie fuit subrufus & cæsius, ut declarat cum felle ille, qui hoc minutum epigramma fecit:

Ruffum, mordacem, glaucum, ne quidem exanimatum
Porcium in infernum Persephone recipit.

Plutarchus in Catone.

DIOSCORIDES medicus Phacas cognomẽto dictus est, propter nigras in facie maculas. Suidas.

L. CORN. Syllæ oculos glaucos, qui perquàm erant amari & truces, color faciei magis efferabat aspectu. Efflorescebat enim aspera rubedo albedine sparsim interfusa. Vnde fertur nomen traxisse ex colore appositum. Et sannio quidam Athenis obliquè hunc uersum in eum iaculatus est:

Mora si spargas farina, talis extat forma Syllæ.

Plutarchus in Sylla.

PAVLINA cùm Senecæ marito uenas Nero Imp. secari iussisset, ut ipsi fidissima in morte comes esset, etiam sibi secandas curauit. Nero re cognita misit qui ei sanguinẽ sisterent.

Itaque

Itaq; illa quidem in uita permansit, pallida tamen semper extitit, pudici amoris sui signa retinens.

VITELLIO Imp. facies rubicunda plerunque erat ex uinolentia. Suetonius.

CONSTANTIVS Imp. Chlorus cognomento, quasi uiridis, à colore appellatus est. Cuspinianus.

MAGNVS Sfortia erat facie subagresti, parumq; hilari, uti à plumbeo quodã pallore subfuscã, quũ & oculi colore cęsij minaci specie intra cauos orbes multũ recederent, & super cilia maximè pilosa ꝓminere uiderẽtur. Sed nasus à medio elatus, nec aduncus tamen, labra decentia, & candidissimi dentes, illud os ꝓbum effingebant. Iouius in uita Sfortiæ.

Tumor.

TIBERIVS Cæsar erat facie honesta: in qua tamen crebri, & subiti tumores. Suetonius.

Figura.

PHILOPOEMENES Tegeates siue Megalopolitanus, dux Arcadum bellicosissimus, corporis magnitudine & robore nulli Peloponnensium inferior fuit, sed facie fœdissima. Pausanias in Arcadicis.

Cùm maiores nostri (inquit Bodinus cap.5. Methodi hist. de GALLIS) uultus oblongos formosiores esse putarent, obstetrices sensim perfecerunt, ut longissimæ uiderentur. Id quod uidere est in antiquis statuis & imaginibus.

AVRIVM.

Auriculas in tantum magnitudinis gentibus excrescere quibusdam legimus; ut totum corpus ijs contegatur uestium modo, FANESIOS uocant, siue SATMALOS, ut Pomponius. Græci, ut author Strabo est, ἐνωτοκοίτας dicunt: quoniam strati uice, quum dormiunt, auribus utantur. Cęlius lib. 3.cap.29. Antiquarum Lectionum.

Prouerbialis est uersus in aures oblongas habentes.

Μίδας μὲν ἦν, λῦ ὦτ' ὄνου λάβοντε. id est,
Midas quidem itaq;, si asini aures sumatis.

Vel quòd Phrygiæ rex MIDAS ob contemtũ aliquãdo uituperatumq; Bacchi numen, in asinum fuerit cõuersus: uel quòd cùm aliquando præteriret asinos huius dei, atq; eos affecisset iniuria, iratus Bacchus, Midæ auriculas asininas addiderit. Alij malunt illi aures natura prælongas fuisse, & asininarum instar prominentes, atq; hinc fabulæ iocum ortum esse. Erasmus.

MACRINO Imperatori aurium alteram fuisse perforatam, scribit Dion, Maurorum ritu, unde erat oriundus. Cælius lib.3. capite 29. Antiq. Lect.

OCVLORVM

Splendor.

AVGVSTO fuère clari & nitidi oculi, & quibus credi uolebat aliquid diuini uigoris inesse: gaudebatq; si quis sibi acriùs intuenti quasi ad fulgorem solis uultum demisisset. Plinius, quod penè diuersum est, glaucos fuisse ait, iracundeq; ferre solitum, si quis eos intentiùs spectasset. Sabell.li.1.En.7. Sextus Aurelius scribit, Augustum fuisse toto corpore pulcrum: sed oculis magis, quorum acies clarissimorum siderum modo promicabat.

Io. Chius HERCVLEM memorat, igneum splendorem ex [redacted]

[redacted]agnitudo.

TIBERIVS prægrãdib. fuit oculis, & qui (quod mirum esset) noctu etiam & in tenebris uiderẽt, sed ad breue, & cùm primũ à somno patuissent, demũm rursum hebescebant. Suet.

Color.

ANASTASIVS Imp. Dicorus appellatus est, quoniam diuersi coloris pupillas in oculis haberet: dextra enim nigrior, læua pupilla magis glauca fuit, ut scribit Zonaras.

NERO Cæsar oculis fuit cæsijs & hebetioribus. Suetonius.

BVDINI Scythæ, ingens natio, uehementer cæsijs oculis omnis ac ruffa est. Herodotus lib.4.

Compositio.

C. CALIGVLA uultum natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferebat: compõnẽs ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Suetonius in Caligula.

NARIVM. HVC PERTINENT

Nasuti, Nasones.

De CASTORIS naso in 2. Epig. εἰς δυσώδεις·

Ἢ ῥὶς Κάστορός ἐστιν ὅταν σκάπτῃ τι, δίκελλα·
σάλπιγξ δ' ἂν ῥέγχῃ· ἣν δὲ τρύγῃ, δρέπανον·
ἐν πλοίοις, ἄγκυρα· κατασπείροντι δ', ἄροτρον·
ἄγκιστρον ναύταις, ὀψοφάγοις κρεάγρα·
ναυπηγοῖς κένδυλα, γεωργοῖς δὲ πρασόκουρον·
τέκτοσιν, ἀξίνη· τοῖς δὲ πυλῶσι, κόραξ.
οὕτως εὐχρήστου σκεύους Κάστωρ τετύχηκε,
ῥῖνα φέρων πάσης ἄρμενον ἐργασίας.

De HERMOCRATE Theodorus ibidem:

Ἑρμοκράτης τῆς ῥινός· ἐπεὶ τὴν ῥῖνα λέγοντες
Ἑρμοκράτους, μικροῖς μακρὰ χαριζόμεθα.

De SOSIPOLI ibidem, Leonides:

Ἰχθῦς ὁ γρυπὸς Σωσίπολις οὐκ ἀγοράζει,
προῖκα δ' ἔχει πολλὴν ἐξ ἁλὸς εὐθύθριον·
οὐ λίνον, οὐ κάλαμον προσάγων, τῇ ῥινὶ δὲ προσθεὶς
ἄγκιστρον, σύρει πάντα τὰ τηχόμενα.

Idem de ANTIMACHO:

Ζηνογένους οἶκος κατεκαίετο· πολλὰ δ' ἐμόχθει,
ἐκ θυρίδος ζητῶν αὐτὸν ὑπερχαλάσαι·
ἱκρία συμπήξας, οὐκ ἔφθανεν· ὀψὲ δ' ἐπιγνούς,
τὴν ῥῖν' Ἀντιμάχου κλίμακα θείς, ἔφυγεν.

De RHETORE quodam, ibidem:

Τοῦ χρυσοῦ ῥήτορος ὁρῶ τὴν ῥῖνα, Μένιππε,
αὐτὸς δ' οὐ μακρὰν φαίνεται εἶναι ἔτι.
πλὴν ἥξει· μένωμεν ὅμως· εἰ γὰρ πολύ, πέντε
τῆς ῥινὸς σταδίους, οἴομαι, οὐκ ἀπέχει.
ἀλλ' αὐτὴ μὲν ὁρᾷς, προπορεύεται· ἢν δ' ἐπὶ βουνὸν
ὑψηλὸν στῶμεν, καὐτὸν ἐσοψόμεθα.

De PROCLO Ammianus ibidem:

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν,
τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ· οὐ γὰρ ἀκούει
τῆς ῥινός· πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

De QVODAM Traianus Cæsar ibidem sic lusit:

Ἀντίον ἠελίου στήσας ῥῖνα, καὶ στόμα χάσκων,
δείξεις τὰς ὥρας πᾶσι παρερχομένοις.

[redacted]

Aquilini, Grypi.

Persæ amant HOMINES adunco naso; quos Græci grypos appellant, eosq; pulcerrimos esse putãt: eo quòd CYRVS, quo non alius regum populo fuit charior, eiusmodi speciẽ nasum habuerit: Est autem duplex grypom genus: unum cui statim à fronte nasus insurgit, quod Aristoteles putat esse signum impudentis animi, & ad coruos refert: alterũ, cui curuatura nasi à fronte separata est, sed circa medium intumescit; & ad extremum tendens unci speciem præbet. id Aristoteles putat esse notam magnanimitatis, & ad aquilam pertinere. Plutarchus in Apoph. & Politicis, & Cælius Rhodig.lib.8.cap.2.A.L.

MAHOMETES II. Turcorum rex, homo neruosi ac robusti corporis extitit, habuit nasum usqueadeò aduncũ, ut summitas cõtingere labra uideretur. Iouius in uita eius.

CAROLO V. Cæsari nasus à medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam regibus antiquis fuit obseruatum. Iouius lib.27.

RODOLFVS Imp. naso aquilino, in decliui semita obuium habuit dicaculum, qui regis facetias & clementiam norat. Is ex angusta semita regi cedere à satellitibus crebrò iussus, Regis, clamat, nasus uiam implet; ut præterire nequeat. Subridens rex, flexo in alterum latus naso; Progredere fili, inquit: nãq; nasum meũ digitis amoui, ne te impediat. Cus.

Simi.

Theophrastus Eresius in QVENDAM Cassandri amicum, simis naribus, fecit hoc scomma: Demiror, inquit, oculos tuos non canere, quum illis nasus sit additus: quod nasus fistulæ speciem præberet. Plut. in Symposiacis. Laert.l.5.c.2.

HORATIVS Cocles, sic dictus, ut quidam uolũt, quòd naso ita depresso esset, nullum ut esset inter oculos interstitium, & supercilia haberet commissa. Val. lib.3. cap.2. & Liuius. Plin. de Viris illust. c.11. Gell. lib.4. cap.1. Florus lib.1. cap.10.

Pustulosi.

Apud Theocritum in Aita amans nihil se de amica mentiturũ innuens, inquit, ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω: Non mihi nascẽtur nares mẽdacia supra. Scholiastes addit, apud SICVLOS, qui supra nares haberent pustulas albas, quas illi uocant ψυδράκια siue ἰόνθους aut ὀνθίους, pro mẽdacibus haberi solitos uulgò. Quin & hodie uulgò dicũt, Nasus tuus arguit mihi te mentiri. Idem iocus est uulgi de maculis unguium. Quin & ipsas narium pustulas Græci ψεύσματα uocant: ut indicat idem Scholiastes. Erasmus.

Muccosi.

Cratini Comici iocus in obesæ naris HOMINEM, ὕλιζε τὰς ῥῖνας, iubet illũ defecare & quasi percolando nares repurgare, plenas λέμφῳ, hoc est mucco cõcreto. Sic enim ὑλίζειν &

 διυλίζειν

διυλίζειν τὸν οἶνον dixit Plutarchus, percolare seu defecare uinum. Hadr. Iunius centuria 7. Adagiorum.

LABIORVM.

Vnam infelicitatem pleræq; mulieres Aquilonares uterũ gerendo incurrunt, ut uel esu, uel saltu super caput leporis facto, pariant INFANTVLOS oris leporini, inter os & nares diuisa labia perpetuò retinentes: nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerrimi pulli, adhuc sanguinolenti. Olaus lib. 18. cap. 11. Sept. reg.

DENTIVM

Ortus.

Historiæ scriptor ait, ARSAMEN Persam natum esse dentatum. Antigonus de Mirab. narrat.

ZANCLEN Samothracenum ciuem, cui renati essent dentes post centum & quatuor annos, Mutianus uisum à se prodidit. Plin. lib. 11. cap. 37.

M. CVRIVS & CN. PAPYRIVS Carbo, uiri clarissimi, cum dentibus nati sunt: eam ob causam Curius Dentati cognomen meruit. Plin. lib. 7. cap. 16.

VALERIA Romæ cũ dentib. nata, regũ tẽporibus, Suessam Pometiã illa tempestate florẽtissimam urbẽ deportata est, responso aruspicum uaticinante, exitio ciuitati, in quã delata esset, futuram. Veridico exitu consecuto. Plinius l. 7. c. 16.

Mithridatis regis filia DRYPETINE, Laodice regina nata, duplici ordine dentium, deformi admodum, comes fugæ patris à Pompeio deuicti, fuit. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

Recitat Albertus, se uidisse HOMINEM anno octuagesimo, cui nascebantur dentes. Neq; tamen hoc adeò mirum est, cùm supra uiginti octo omnibus communes, quatuor sint, qui sapientiæ nocantur, qui post trigesimum annum oriuntur. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. cap. 43.

HARALDVS Danorum rex Vvasetũ Scaniæ præfectum tyran[redacted] omnib. mero ac somn[redacted]a- peruit. Eius buccam [redacted]one fuste quassauit, ut binos [redacted]actura postmodũ insperata molarium eruptio sarciuit. Inde Hyldetæ cognomen traxit: quod eum quidam ob eminentem dentium ordinem assecutum affirmant. Saxo. lib. 7.

Ordines.

HERCVLEM fuisse triplici dentium serie, Ionis Chij proditũ monumentis est. Cælius lib. 4. cap. 3. A. L.

TIMARCHVS Nicoclis filius Paphij, duos ordines habuit maxillarum. Frater eius non mutauit primores, ideoque prætriuit. Plin. lib. 11. cap. 37.

Distinctio.

EVRYPHÆVS Cyrenæus in superiore maxilla unicum os continuum uice dentium habuisse legitur. μονόδους Festo Pompeio dicitur.

Post pugnam ad Platæas cõmissam, in qua PERSARVM innumeri ceciderunt, cùm mortuorum ossa cõportarent unũ in locum Platæenses, inuenta est maxilla cum eo quod super maxillam est, habens dentes etsi distinctos, tamen ex uno osse uniuersos tam molares quàm cæteros. Herod. li. 9.

PYRRHVS Epirotarũ rex, dentes non habuit discretos, sed erat superiore gingiua perpetuũ os distinctum quasi lineis, quib. designabatur dentium interpunctio. Plut. in Pyrrho.

PRVSIAS Prusiæ regis filius, pro superiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, nec ad speciem deforme, nec ad usum ulla ex parte incommodum. Plin. lib. 7. cap. 16. Solin. cap. 9. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

[redacted]nobilis è gynæceo ducis Luneburgensis duo ossa gingiuis insita loco dentiũ habuit, [redacted].

Color.

☞ *Vide Tit. Formosorum.*

ZENOBIA Palmyrenorum regina, fuit inter cæteras formæ laudes tanto dentium nitore, ut inter loquendum ridendumq; non dentibus, sed candidis margaritis plenum os habere uideretur. Petrarcha ex Trebellio.

BARBA.

QVI gestarint. PVTA

Viri barbati.

AESCVLAPIVM alij imberbem, alij barbatum putarũt. Lucianus in Ioue Tragœdo, prægrandem barbam fuisse Aesculapio tradidit. Pausanias tamen in Corinthiacis imberbis Aesculapij statuam erectam apud Phliasios fuisse inquit. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11.

OSIRIDEM Aegyptium regem expeditione in totum orbẽ suscepta, & rebus omnib. compositis, oratis dijs, comam, quoad in Aegyptũ rediret, nutrisse aiunt, ac uersus Aethiopiam profectum. Quæ consuetudo usque ad hæc tempora inoleuit apud Aegyptios, ut peregrinantes, quoad domum reuertantur, nutriant comas. Diod. lib. 1. cap. 2.

Προνόμου πώγων id est, PRONOMI barba, de prælonga dicebatur. Aristoph. in Concionat.

Αργύρριος γὰρ τὸν προνόμου πώγων᾽ ἔχων λέληθε. id est,
Hucusq; latuit ergo Pronomi Argyrrhium gestare barbam.

Pronomus tibicen quispiã fuit prolixa barba, gestamine nõ admodum apposito professioni. Erasmus in Adagijs.

Taxatur apud Aristophanẽ in Cõcionatricib. EPICRATIS oratoris cuiusdam barba, cui ob id ipsum uulgari ioco cognomen inditum σακεσφόρου, teste senario, quem Aristophanis interpres citat ex Platone comico:

Αναξ ὑπήνης Επικράτης σακεσφόρε. id est,
Rex barbæ Epicrates scutifer.

Barbam ob similitudinem scutum uocat. & alibi, ὑπήνῃ καὶ μίσει σάκει πρὸς τῶν γνάθων ἔχουσα. Aristophanes in eundem:

Κἀγὼ ᾽Επικράτους οὐκ ὀλίγῳ καλλίονα, id est,
Mihi barba multo pulcrior atq; Epicratis. Eras. in Adag.

PHILOSOPHI olim barbas alebant. Hinc prouerbium, Pallio & barba tenus philosophus. Barbatum hoc crede magistrum Dicere, sorbitio quem sustulit atra cicutæ, inquit de Socrate Satyricus. Lucianus passim hoc genus hominũ insectatur. Extat epigramma Græcum:

εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν,
καὶ τράγος εὐπώγων εὔστολός ἐστι Πλάτων.

DEMONAX percontanti, quã philosophię sectã potissimũ amplecteretur? Quis, inquit, tibi indicauit me esse philosophũ? Moxq; uehemẽter secũ ridẽs, abijt. Interrogatus quid rideret? Annõ magnoperè ridiculũ, inqt, si tu me ex barba iudicas philosophũ, ipse barbã non habens? Eras. li. 8. Apoph.

Dionysij quæstor, nomine SIMVS, natione Phryx, ostendit Aristippo suas ædes undiquaq; splendidas, etiã pauimento preciosis tessellis constrato. Itaq; omnib. circũspectis, Aristippus sputũ oris reiecit in barbã Simi: & ob id indignãti, hoc colore se excusauit, quòd in tota domo nihil uideret ad excipiendũ oris recrementũ oportunius. Innuens, in tota domo nihil esse fœdius, aut immundius, barbati facie. Quanquam hoc dictum magis quadrat in Cynicum aliquem, quàm in Aristippum, utcunq; illi ascribatur. Laert. lib. 2. c. 8.

Apparet apud ROMANOS prouerbiali ioco barbatos dici cõsuesse homines priscis ac simplicib. moribus, rusticaneq; ueritatis: quòd illic serò receptũ sit, barbã radere autõderi. Si quidem auctore Plinio, P. Ticinius Mena primus è Sicilia tonsorem induxit, anno ab Vrbe condita 454, quum hactenus fuissent intonsi. M. Tull. lib. de Finib. 4: Hoc uerò te ferre non potuisse, quod antiqui illi quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere, crediderunt? Erasm. in Adag.

LONGOBARDI, ut plures affirmant, à barbæ prolixitate nomen sunt adepti, quia soli propè Germanorum barbam alerent. Sabellicus lib. 5. Enneadis 8.

OTHO magnus Imp. more ueterum Germanorum barbam in pectus promissam gestare solebat, & per candẽ, si quando feriò loquebatur, iurare. Cuspinianus.

IODOCVS Marchio Brandenburgensis, Barbatus dictus, quòd barbã nutriret, qua solá se uirũ ostẽtabat cũ nullas alias animi haberet uirtutes. Anno ætatis XC in locũ Vẽceslai Ignaui Imp. electus, & 6. mense mortuus, nõ est coronatus. Cus.

C[redacted] Peda[redacted] CERDOS mulier Palladi sacram b[redacted]ter illis accidisse putatur. Herod. lib. 1.

GALLA Symmachi consulis ac patricij Rom. sub Iustiniano Imp. filia, barbam enatam sibi ob conspersionẽ corporis igneã medicorum consilio atq; arte euellere noluit. Maluit ita Deo placere, quàm barba uacua ad secundas nuptias transire. Auentinus lib. 3. Annalium Boiorum.

QVOMODO. Barba

Rara.

Pogõ Gręcis barbitiũ est; sed & appellatione eadẽ Trœzeniorũ portus. Vnde per iocum barba rariore hominib. insusurrabatur, εἰς τροιζῆνα δεῖ βαδίζειν. Cælius lib. 3. c. 25. Antiq. Lect.

CALIGVLA Imp. capræ in morẽ barbatus, cùm eo nomine se irrideri sciret, capitale erat si quis eo præsẽte capram nominasset. Suetonius.

IVLIANVS Apostata ab Antiochenis ob hirsutiẽ & raritatẽ sugillatus, quasi barba minimè philosopharetur: ad petulãtiam illorum coercẽdam scripsit librum μισοπώγωνα dictũ.

VSVS Barbæ. OB

Luctum.

Ludouico Sfortia à Galliæ rege Ludouico XII. capto, Mediolanoq; occupato, multi ciuiũ MEDIOLANENSIVM barbam promiserunt: ut edicto publico de cute læuigãda, deq; pilis radendis cautum sit: & ne paupertatem prætexerent, ex fisco numerandum impendium pręcones admonerent: tanto risu omnium, ut uix ægreq; pauci admodum edicto paruerint. Exinde barbam alẽdi mos inoleuit, usque adeò ut iuuenes iuxtaq; senes, nullo discrimine, ferociter intonsi fortes sint, & barba tenus sapientes. Arlunus Mediolanensis Historiæ sectione 1.

Decorem.

ADRIANVS Imp. ut uulnera, quæ in facie erant naturalia, tegeret, primus Cæsarum, Dione teste, barbam nutriuit.

Pudorem.

Sophistes Bion FORMOSORVM pilos Harmodios & Aristogitonas uocauit: quòd simul pulcra tyrannide ab eis amatores liberarentur. Plut. sermone Amatorio.

COLLI

Color.

Isocrates in Panegyrico Helenæ, idcirco ait existimatam HELENAM ab olore genitã, quòd collo esset oblõgo & cãdido.

Figura.

Γυλιαύχενας Græci uocant prætenues homines, & colli oblongioris. Nam est gylius, militare uas contextum, in quo cibus seruaretur cum oliuis & cæpis: unde & militaris opsothecæ nuncupata. Cælius lib. 4. cap. 2. Antiq. Lect.

Strumæ.

VATINIVM, cui strumæ erant in collo, cùm causam diceret, tumidum oratorem Cicero appellauit. Cùm nunciatum ei esset de illius morte, mox intelligeret incolumẽ esse, Malè pereat, inquit, qui malè mentitus est. Plut. in Cicerone.

CERVICIS.

Cùm ALEXANDRVM Lysippus primò finxisset supino ore cœlum suspectantem, exprimens Alexandri intuentis morem ceruice leuiter inflexa, adiecit epigramma quoddam haud illepidum:

Aereus aspectans cœlum proferre uidetur;
Asserui terram, sidera habeto deus.

Quapropter præcepit Alexander, ne quis se præter unũ Lysippum fingeret. Quippe unus hic ære sensus eius repręsentauit, ut redderet lineamentis uirtutem. Cæteri ceruicẽ inflexam, oculorumq; hilaritatem & blandimẽta dum exprimere student, nõn seruarunt uirilem eius & leoninum obtutum. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

Pescennius NIGER Imp. fuit statura prolixa, forma decorus, oris uerecundi & semper rubidi: ceruice adeò nigra, ut, quẽ admodum multi dicunt, ab ea Nigri nomen acceperit: cætera corporis parte candidus, & magis pinguis. Sed miles optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, domi forisq; conspicuus, Imperator infelix, à Seuero scilicet uictus & interfectus. Cuspinia.

NERVORVM.

TRITANVM gladiatorem Varro prodit, itemque eius filium, & rectos & transuersos cancellatim toto corpore habuisse neruos, uirium elatione prodigiosa. Cælius lib. 7. cap. 4. Antiq. Lectionum.

THORACIS

Compositio.

Ap[illegible]; qui ad Lethæum sunt, quidam fuit PROTOPHANES, qui de pancratio & lucta eadem die in Olympia uictor renuntiatus fuit. In huius sepulcrum aliquando latrones spe prædæ ducti penetrarũt, post illos alij multi, ut cadauer duntaxat spectarent. Eius certè costæ non ita, ut cæterorum hominum, discretæ fuerunt, sed pro illis continens os habuit ab humeris ad eas costas, quæ mendosæ siue nothæ à Medicis appellantur. Pausanias in Atticis.

Cicatrices.

MOSYNÆORVM in Ponto humeros ac pectora cicatricib. in[illegible] Græci milites è Cyri expeditione redeuntes obseruarunt. Diod. lib. 14. Hippocrates com. de Aere aquis locis ad pituitæ à cerebro defluxum inhibendum SCYTHAS scribit brachia inurere solere.

MAMMARVM.

Vidi sanuæ, inquit Cardanus, ANTONIVM Benzum ex oppido portus Mauricij, anni. agentem 34. pallidũ, barba rara, pingui habitu, è cuius mamillis lactis tantum profluebat, ut infantem fermè lactare potuisset: nec solùm effluebat, sed impulsu ferebatur. Cardanus de Subtilitate, libro de Hominis natura.

Nuper Martino Borglino amico nostro, VXOR iam quindecim annis sterilis filium enixa est, quæ primo mense & lac emisit è papillis copiosum, & mammæ intumuerunt atq; obduruerunt adeò, ut obstetrices adhibitis repellentibus, uomitum lactis non curato priore affectu excitarint. Cardanus de Subtilitate, libro de Hominis natura.

DORSI.

Gibbus.

Orator quidam clarus, sed gibbo prominenti deformatus GALBA (de quo Lollij uulgatissimus iocus erat, Ingeniũ Galbæ malè habitare) coram Cæsare Augusto causam agens, & uelut eloquio gloriabundus, sæpe iterans: Corrige in me, si quid corrigendum uideris, Auguste. hoc ab eo tandem responsum habuit: Ego, inquit, Galba, monere te possum, corrigere non possum. Corrigitur, quod reprehenditur: corrigitur, quod ex distorto fit rectum. Erasm. lib. 4. Apopht. ex Macrobij lib. 2. cap. 4. Saturn.

GALBA, Galbæ Imp. pater, Liuiam Ocellinam, ditem admodum & pulcram uxorẽ habuit, à qua tamen nobilitatis causa appetitus ultrò existimatur, & aliquãto enixius, postquã subinde instanti uitium corporis gibberum secretò posita ueste detexit, ne quasi ignaram fallere uideretur. Sueton.

GALBÆ Imp. tam grandis gibbus dextro eius latere excreuit, ut ægrè fascia substringeretur. Sab. l. 2. En. 7. ex Sueton.

Incuruitas.

M. ANT. Pius Imp. fuit statura eminenti. Sed quum iam senex curuaretur, tenuibus ex tilia tabulis, fascia ad pectus obligatis, pro remedio usus est: uideturq; materia ad id petita, quæ frigido esset corpori perutilis. Sab. lib. 4. En. 7.

CORDIS.

LEONIDÆ Spartanorum regis (qui cum trecentis sese Xerxi ad Thermopylas opposuit) cadauer aperiri Xerxes uoluit, & pilosum cor reperit. Plut. Paral. ex Aristide Milesio.

ARISTOMENEM Messenium, omnium Grecorum optimũ Apollinis oraculo iudicatum, attestatur in Messenicis Pausanias. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. inquit, Aristomenis Messenij hostis cor Athenienses ob eximiam caliditatem exectum pilis refertum inuenerunt, cùm eum aliquoties captum, & astutia elapsum cepissent. Erratum μνημονικόν. Rhodi siquidem è uita migrauit, nec ab Atheniensibus captus est unquam, sed à Lacedæmonijs semper. Posteriori clausulæ consentit Plinius lib. 11. cap. 37. Brodeus in Epigram. At periti naturalium risu id excipiunt, fabulosum opinati. Propterea in carmine Homerico λάσιον κῆρ nõ densum pilis cor accipi putat Eustathius, sed prudens, ἐξ οὗ τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα uti est apud Aeschylum. Quãquam, inquit, ex historia in quibusdã repertum sit pilosum cor, ut in LYSANDRO, necnon in Alexandri cane. Illud uerò Platonis, ἔχων τὰς ἀνδραποδώδεις ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας: id est, habẽs in anima seruiles pilos: in fatuitatem rude scomma est, quod de seruorum ducitur tonsu, qui appellatur Thrix seruilis. Cælius lib. 4. cap. 16. Antiq. Lect.

Scribunt Græci, HERMOGENEM Tarsensem, cuius de Rhetorica libri extant, multum præferentes ingenij lumen, cor habuisse hirsutie ac magnitudine extra mortaliũ reliquorũ rationem insigne. Cælius ibidem, ex Suida & Philostrato.

VENTRIS

Tenuitas.

Titus Quintius in PHILOPOEMENIS Achæorum prætoris habitum cauillans: Quàm pulcras, inquit, manus, Philopœmene, & crura habes, uentrem non habes? fuit enim medio corpore gracilior. Cæterùm id dictum potius est in uires eius detortum. Quippe egregium peditatum & equitatum habebat, sed deficiebatur sæpenumero pecunia. Plutarchus in Philopœmene.

Obesitas.

☞ *Ex Tit. Obesorum huc pleraq; quatenus uenter illorum eximiè luxuriat.*

C. MARIVS obesus & uentricosus, teste Plutarcho.

PVDENDORVM

Magnitudo.

Citatur Theophrastus, qui senserit NANOS dici, quibus pudendum membrum sit iusto maius, quod in humilioribus siue nanis inueniri probabile est. Erasm. in Adag.

PRIAPVM Seruius scribit pulsum è Lampsaco, ubi erat natus, propter nimiam uirilis membri magnitudinẽ. Lactantius scribit inter Priapum & asinũ Sileni, qui omnes erãt in comitatu Bacchi, ortũ certamen de membri uirilis magnitudine, Priapumq; ab asino uictum, interemisse uictorem. Ideoq; Columella Priapum uocat deum terribilis mẽbri.

Habuit Cõmodus Cæsar hominẽ quendã ONON nomine, magno pudẽdo pditũ, quẽ & ditauit & sacerdotio Herculis rustici præfecit. Cælius l. 4. c. 6. A. L. ex Herodiano, Lamp.

Curti.

Circumcisione utebantur IVDÆI secundùm legem. Sed ne alios præter Iudæos circumciderent, suæque sectæ adiungerent,

gerent, Constantius cum fratribus suis lege interdixit. Sozomenus lib.3. cap.17. At etiam à circumcisione præputiati fiunt; arte quadam medica per instrumentum attractorium, Spathisterem appellatum, internam membrorum cuticulam attrahi sinentes, suturamq; admittentes, & glutinatorijs circumdatis, præputium rursus superinducũt. Habes & testimonium apud sanctum Apostolum, ubi dicit: Circũcisus aliquis uocatus est? ne attrahatur ipsi præputium. In præputio aliquis est? ne circumcidatur. Hanc autem traditionem diabolici inuenti, Esaum fratrem Iacobi reperisse aiunt, ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius. Epiphanius libro de Mensuris.

Ατρητοι.

CORNELIA Gracchorum mater concreto genitali nata fuit, infausto omine, quòd magnum aliquando malum Reip. productura esset. Plin. lib.7. cap.16.

TESTICVLORVM

Numerus.

AGATHOCLES Siciliæ tyrannus à Timæo τελόρχης dictus est, siue quòd aui Triorchi, quem Buteonem uocant Latini, rapinis similis esset, siue ab efferata libidine. Nam egressus puberratis annos, libidinem à uiris transtulit ad feminas. Traditur item, quũ esset perfunctus fato, uxorem querulam flebilibus modis illud subinde ingessisse, τί δ' οὐκ ἐγώ σοι, τί δ' οὐκ ἐμοὶ σύ; Quid non ego tibi, quid tu non præstitisti mihi? Cælius lib.24. cap.4. Antiq. Lect.

Arrianus Iureconsultus scribit, Digestis de re militari, SYLLAM & COTTAM uno tantùm fuisse testiculo insignes. Auctor item Vlpianus est Digestis de ędilitio edicto, Sanũ uideri, qui unum testiculum habeat, quoniam possit generare. Cælius lib.4. cap.7. Antiq. Lect.

Bergomi familia COLEONVM illustris (Bartholomeô Coleono, & fortitudine & fide apud Venetos clarissimo insignis, cuius equestrem statuam Venetijs in area D D. Ioannis & Pauli uidere licet) hoc peculiare habere fertur, ut multi ex ea familia mares tres habeant testiculos. Cui rei attestatur, uel saltem suspicioni occasionem dedit gentilitium familiæ symbolum, tres nigros continens testiculos. Hinc prouerbium Italis usitatissimum, Coglioni da Bergamo: de re monstrosa & inaudita: non autem, ut uulgus autumat, de homine stupido & obsceno.

FRANCISCO Philelpho tres fuisse testes, proditum scio. Cęlius lib.17. cap.12. A. L.

NATIVM.

ATHENIENSES ἀπύγλωτοι & hypolispæ, siue depyges à Comicis appellantur, quòd nautici magna pars quum essent, ob sedendi assiduitatem depyges reddebantur. Additur & fabella, THESEVM cum Perithoo inferos petentem, in petra quadam Proserpinæ imperio coactum sedere: à qua quum ab Hercule auelleretur, affixas petræ natium partes reliquisse: quamobrem honoris eius ergò, cæteris item Atheniensibus hæsisse cognomentum. Ad eam uerò petram allusisse credi Vergilius potest, ubi Aeneidos sexto ait:

——Sedet, æternumq; sedebit Infelix Theseus.

Cælius lib.4. cap.8. Antiquarum Lectionum, ex Suida.

Melampygus Græcis significat eum qui nigro sit podice: quo quidem cognomento notatus est HERCVLES, quòd eam corporis partem, non Lydorum more uulsam, neque candidam, quemadmodum effeminati solent; sed nigris pilis hirsutam ac syluosam haberet. Nam Græci quemadmodũ molles & imbelles, fractosq; delicijs πυγάργας καὶ λευκοπύγους appellant: itidem è diuerso fortes ac strenuos μελαμπύγους uocare consueuerunt, ut auctor est Lycophronis interpres. Erasmus in Adagijs.

Duas elegantes formosasq; FILIAS uiro cuidam rustico Syracusano esse contigit olim, quæ contendentes inter se in uiam publicam accesserunt, ut quæ pulcriores nates haberet, dijudicaretur. Accedenti uerò adolescenti, qui patrem habebat senem, seipsas ostenderunt, qui eas admiratus, seniorem iudicauit. In cuius amorem cùm incidisset, uenit in ciuitatem, ac fit ægrotus: tum fratri suo, qui erat grandiori ætate, rem totam declarauit. Hic etiam in agrum excurrens puellasq; intuens, in alterius amorem incidit. Hos cùm pater nuptias honorificentiores hortaretur expetere, neq; tamen quippiam persuadere posset, filias ex agro patre carũ non inuito duxit, filijsq; in matrimonium dedit. Illæ igitur à ciuibus Callipygæ postea sunt uocatæ, uelut testatur Cercidas Megalopolitanus in suis Iambis. Illæ cùm amplas diuitias essent consecutæ, Veneris sacellum erexerunt, quam appellarunt deam Callipygam: ut narrat Archelaus in Iambis. Athenæus lib.12. cap.32.

Q. FABIVS, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quòd eius natis fulmine icta foret, pullus Iouis appellatus est. Cælius lib.8. cap.5. Antiq. Lect.

D. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi IRRISORES, qui equi illius caudam amputarunt, mutorum animaliũ instar caudati facti sunt, cum omnibus suis posteris. Polyd. lib. [illegible]

BRACHIORVM

Magnitudo.

Brachia non omnibus paria sunt. STVDIOSO Thraci in C. Cæsaris ludo notum est dextram fuisse prócceriorem. Plinius libro 11. capite 43.

DARIVS Longimanus Persarum rex omniũ hominum pulcerrimus fuit; excepta brachiorum & ulnarum longitudine: quæ tanta erat, ut genua contingeret. Strabo lib.15.

Nota.

GEORGIVS Castriotus Scanderbechus, Epiri princeps, militari fortitudine antiquis Impp. comparandus, gladij effigiem in dextro brachio iam inde à natiuitate habuit.

MANVVM.

GIGANTES ἑκατόγχειρας poetæ fabulantur.

STARCATHERVM Storaerki F. in ea Danię parte, quæ Suetiam ab oriente complectitur, quam Estones obtinent, giganteo ortu senas manus habuisse tradunt: Thor uerò magum quatuor ex his auulsisse; ita ut duabus tantũ relictis, corpus, quod antè in giganteam molem assurrecturum uidebatur, intra humanę speciei limites retineretur. Saxo l.6.

IOANNI Aragonum regi XIIX. etiã formosissimæ mulieres cãdidissimas manus inuidebant. Marinus lib.12. rer. Hisp.

DIGITORVM.

GIGAS quidam Gethæus, senos & manuum & pedum digitos habuit. 2. Reg.21. & 1. Paral.20.

Digitos quibusdam esse in manibus senos, sedigitorum monstrat appellatio: de quibus item quæritur Digestis de ædilitio edicto, an morbosi credi debeant. Diodorus Bibliothęces sexto, dactylos putat IDÆOS ob parem digitorum numerum appellatos. At Geographus Idæos dactylos in Ida Cretæ ferrum elaborasse scribit, & ab numero ita nuncupatos: quod repetit Eustathius quoque. Alij etiam aliter. Cælius lib.4. cap.3. A. L.

Digiti quibusdã in manib. seni. M. CVRIATII ex patritia gente filias duas ob id Sedigitas appellatas accepim⁹, & VOLCATIVM Sedigitum, illustrẽ in poetica. Plin. lib.11. cap.43.

Ipse uidi, inquit Cælius, Bononię QVENDAM de plebeio, pem senis in manu utraq; digitis, imò in pedibus quoque. Superfluens digitus inter auricularem anularemq; intersitus agnoscebatur, magnitudine ad reliquiorum respõsum: mobilis præterea, & ad omnem usum, ut assolet, accommodus. Manus insigni erant latitudine: nil prætereà quod deceret minus. Cælius lib.17. cap.12. Antiq. Lect.

FEMORVM.

HOMERVS, Aegyptiæ sacerdotis filius ex Mercurio, in utroque femore crines promissos habuit, unde nomen meruit, ὁ μηρός, ille femorosus. Plutarchus.

SELEVCVS Mentor, rex Syriæ, postea etiam Asię, coxam anchoræ figura insignitam iam inde à partu habuit: nec ipse tantùm, sed omnes quoq; illius posteri. Fulg. lib.1. cap.6.

CRVRVM, TVM

Conformatio.

Quibus introrsum obtorta sunt crura, ῥαιβοὶ Græcis, auctore Polluce, Vari Latinis: quibus extrorsum, Vatij & Blæsi. Cælius lib.4. cap.11. Antiq. Lect.

Ad PHOEBVM, Martialis Epigram. lib.2.

Cùm sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras Phœbe lauare pedes.

Est autem ῥυτόν, teste Athenæo l. 2. poculum cornu assimile incuruatum, ad instar Græcæ literæ υ.

NERO Cæsar gracillimis fuit cruribus. Suetonius.

Magnitudo.

GERMANICVS Drusi F. formosissimus fuit. Formæ minus congruebat gracilitas crurum. Sed ea quoq; paulatim repleta, assidua equi uectatione. Suetonius.

Longitudo.

CONSTANTINVS Imp. breuissimis cruribus & incuruis fuit: unde saltu ualebat, & cursu. Cuspinianus.

SELYMVS Turcicus Imp. uentrem admodum demissum breuioribus cruribus sustentabat. Vnde etiam eques magis quàm pedes commendabatur. Iouius in eius uita.

EDVARDVS I. Angliæ rex, à tibiarum longitudine Langscanx dictus. H. Boethius lib.14.

PEDVM

Conformatio.

DEMONIDES amissis furto crepidis, precatus est, ut eius qui sustulerat pedibus conuenirent. Visus est bene precari, quum illi magnum precaretur malum: uidelicet pedes distortos, quales ipse habebat Demonides. Plut. in Lac.

Magnitudo.

Scribunt Græci, PITTACVM Mitylenensium principem, unum è septem, ab Alcæo poeta exule appellatum Sarapoda, quòd latos pedes traheret, nec non Chœrapoda, quod ulcera in pedibus sentiret, quæ uocant chœradas. Cælius libro 4. capite 11. A. L.

CORPORIS CVLTVS QVO AD SVBiectum consideratus.

TOTIVS CORPORIS CVLTVS

Obseruatus.

Consule Tit. Luxuriosorum circa uestitum, cultum.

THAMAR nurus Iudæ, Iacobi neptis, uolens socerum allicere, ut ex illo conciperet, depositis uiduitatis uestibus, ornauit se, & assumsit theristrum. Gen.38.

IVDITHA uestes uiduitatis exuit, corpus aqua perluit, unguento unxit, discriminauit capillum, uestes induit elegantes, quibus uiuente adhuc Manasse marito ornari consueuerat, armillis, brachialibus, anulis, inauribus, uti Olofernẽ decipere posset. Testatur ea ipsa, quòd ornamenta, quæ assumsit, deceperint Holofernem. Iudithæ cap.10. & 16.

Persarum reges gynæceo suo præpositos habebant Spadones, quorum munus erat 12 mensibus CONCVBINAS regis comere, sex mensibus oleo myrtino attributis, & totidem odoribus & pigmentis muliebribus. Ita demùm puella ad regem ex gynęceo intromittebatur, & mane in alterũ gynæceum redibat: neq; ampliùs ad regem intromittebatur, nisi ea delectato rege uocaretur nominatim. Esteræ 2.

MEDORVM mos erat, oculis pictis incedere, colorato capillo, coma protensa, circa collum monili, & armillis circa manus, capite uelato, ueste pellucida, & fluida. Alexander ab Alexandro lib.5. cap.18.

Veteres ATHENIENSES, purpureas uestes induere soliti sunt, & uarijs amiciri tunicis. Corymbis implicarunt capillos, & os aureis cicadis, alijsq; ornamentis ex auro apposititijs circumdantes, in publicum processerunt. Aelian. lib. quarto Var. histor.

Diogenes Cynicus uidens VETVLAM deformosissimam curiosiùs se exornãtem: Frustrà te ornas, ait. nam si uiuos tuo lenocinio allicere uoles, plurimùm falleris insana: si uerò defunctorum umbras, ne quæso differas diu. Stobæus.

CLISTHENES olim (an Sicyoniorum tyrannus?) malè audijt, & comicorum conuicijs laceratus est, quòd parum uir haberetur, seseque cultu indecoro uelut in mulierem trãsfiguraret, Sardanapalum illum Assyrium imitatus, sic ut in prouerbium abierit. Aristophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις,

Ὁρᾷς σεαυτόν; οὐ μὰ Δί', ἀλλὰ Κλεισθένην. id est,

Teipsum uides? non per Iouem, sed Clisthenem.

Suidas ait conuenire in eos, qui leui, derasaq; sunt cute. Nã hic mos Clistheni, barba derasa semper esse, quo iuuenis etiamdum uideretur. Erasm. in Adagijs.

PHILOSTRATVM Aristophanes quendam lasciuiuscule se ornantem, Cynalopeca uocabat, uocabulo ex cane & uulpe concinnato.

ARISTOTELES Stagirita philosophus decorus habitu, & nitido uestitu fuit, tonsa coma, digitis redimitis auro. Alexander ab Alexandro lib.5. cap.18.

HIPPODAMVS Milesius naturâ seuerus, ob ambitionem morosus, crinium prolixitate & sumptuoso ornatu. Ari[illegible] 2. Politicorum.

Dio[illegible] QVENDA[illegible] [illegible], uestibusq;, quæ res huiusmodi [illegible] [illegible], Se prius quæsiuisse, dixit, quid foret insigne scortum; nunc demum reperisse. Athen. lib.13. cap.6.

HANNIBAL Carthaginensiũ dux appositios parauit capillos, qui cõuenirent pro insigniorib. ętatũ discriminibus elegantiori uestitui: hisq; subinde mutatis utebatur. Suidas.

NERO circa cultum adeò pudendus fuit, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone uerticem summiserit: ac plerunque synthesin indutus, ligato circa collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu, & discalceatus. Sueton[illegible] Nerone.

Neglectus.

De [illegible] A legitur, quòd quando debuit intrare ad regem, non quæsiuit muliebrem cultum, sicut faciebant aliæ mulieres. Estheræ cap.2.

ASPASIA Milesia cum alijs quibusdam Ionicis uirginibus in gynæconitin Artaxerxis regis Persarum introducta, cùm reliquę fuco cultuq; corporis sese regi insinuare conarẽtur, illa simplici & natiua forma regi acceptissima fuit. Aelian.

LACEDÆMONIORVM feminis omnis ornatus & mundus muliebris ereptus est. Neq; enim comam nutrire dabatur, neq; aurum gestare. Heraclides in Polit.

PHRYNE meretrix famosissima in conuiuio surgens, faciem in conspectu omnium aqua pura abluit, & ad id imitandũ ex lege certaminis propositi reliquas amicas perpulit. Itaque reliquarum purpurisso defluente, ipsa sola inter omnes ob genuinum oris decus pulcrior apparuit.

CAPITIS, FACIEI.

Vide Fucos.

Audito aduentu Iehu, qui occiderat Ioramum regem Israelitarũ, IEZABEL uidua, spe fortassis inescandi specie sua uictorẽ, pinxit oculos stibio, & ornauit caput suũ. 4. Reg. c.9.

DEMETRIVS Poliorcetes rex, post ampliss. uictorias in uenustate conseruanda comparandaque multos annos consumsit, capillos decorè pectendo, & rufos faciendo, faciem pinxit & inunxit, quo formosissimus ab omnibus indicaretur. Aelianus lib.9. de Varia historia.

THRACIB. punctas notis habere frontes, nobile iudicatur: non habere notatas punctis, ignobile. Herod. lib.5.

BRASILIENSES uiri à fronte ad medium uerticem caput abradunt. Qui uerò elegantiùs ornari uolunt, aures, & nares, & labia, & facies etiam perforant, & in locis illis lapillos uarijs distinctos coloribus infigũt. Mulieres aũt pro lapillis, minutis conchylijs, quæ apud illas in magno precio sunt, similiter excoluntur. Osorius lib.2. rerum Em.

DENTIVM.

De THAIDE & LECANIA Martialis Epigram. lib.5.

Thais habet nigros, niueos Lecania dentes.
Quæ ratio est? emtos hæc habet, illa suos.

EGNATIVS quidam Hispanus Catulliano carmine innotuit. De eo namq; sic scribit:

Egnatius quòd candidos habet denteis,
Renidet usquequaque: seu ad rei uentum est
Subsellium, cùm orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pij ad rogum filij
Lugetur, orba cùm flet unicum mater,
Renidet ille. quicquid est, ubicunq; est,
Quodcunque agit, renidet. Hunc habet morbum
Neq; elegantem (ut arbitror) neq; urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Tu præter omneis une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ, fili
Egnati, opaca quem bonum faciat barba,
Et dens Hibera defricatus urina,
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut parcus Vmber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuuinus ater, atq; dentatus,
Aut Transpadanus (ut meos quoq; attingam)
Aut quilibet qui puriter lauit dentes:
Tamen renidere usquequaq; te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiberus Celtiberia in terra
Quod quisq; minxit, hoc tibi solet manè
Dentem, atq; rufam defricare gingiuam:
Vt quò iste uester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

SCAPVLARVM.

Analectides dicuntur, quibus ex xylino lino, uel quauis materia, tanquam puluillis constipant scapulas prominentes PVELLÆ, ut uideri habitiores possint. Hinc Ouidius:

Conueniunt tenues scapulis analectides altis,
Angustũ circa fascia pectus eat. Cælius lib.13. c.31. A. L.

PILORVM CVLTVS.

QVI coluerint.

Flamen DIALIS apud Rom. nisi liber homo esset, capillum non detondebat. Vnguium & capillorum segmina subter arborem filiquam terra operiebantur. Gell. lib.10. cap.15.

NAZARÆI apud Iudęos ex uoto comam alebant. Num.6.

Moris olim fuit in CRETA, ut barbã & capillos magistratus summitterẽt. Proinde, quũ ab Appio proconsule, cum quo in Cretã Sabinus iuerat, in theatro Græci postulare instituissent, ut Sabinus maximũ magistratum gereret: surrexit Sabinus, & silentio manu facto, Hunc magistratũ, inquit, ego Romæ bis gessi. Bis enim reus causam dixerat. Græci nõ bene intellexerunt: sed bene interpretari petebãt, ut illum honorem Sabinus tertiò gereret. Cælius lib.14. cap. ult. A. L.

Apud LACEDÆMONIOS ingenui alebant comam: nanq; oẽs comati erant, cùm seruos crines habere nõ deceret. Idẽ in omni ferè GRÆCIA, ubi seruis nutrire comã nefas erat. Adagiũ refertur à Suida, extat apud Aristophanẽ in Auib⁹,

Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; Id est,

Ac deinde seruus cùm sies, portas comam?

HADRIANVS Imp. primus ex Cæsaribus promissa barba incessit, & capillo. Alex. ab Alex. lib.5. cap.18. ex Dione.

QVA parte.

PROCOTTA uocatur, ubi anteriores nutriuntur comæ, qa Cottis apud Dores dicitur caput. Quamuis alij ante frontē capillos dici Procottam putent. Cælius lib.7. cap.23.

THRACES quosdā appellant Acrocomas, qui antias in frōtem muliebriter demitterēt. EVBOICOS opisthocomas Pollux uocat, qui comam per terga fusam alerent, qualis ferè Hectorea dicitur coma, ut auctor Timæus est. Nec Lycophron prætermisit, ubi Cassandram inducit sic nuncupare comam, uelut incederet eo modo Hector. Celius lib.7. c.23.

QVOMODO.

Pectendo, Purgando.

INDI capillum pectunt sæpius, quàm tondent, barba semper intonsa. Alex. lib.5. cap.18.

Colunt Aegyptum uersus Pœnorum primi ADYRMACHIDÆ, qui eisdem ferè, quibus Aegyptij, moribus utuntur. Vxores eorum capitis comam alunt, quarum quæque suos (quos capit) pedunculos præmordet, & abijcit. Herod. li.4.

LACEDÆMONII tempore pugnę comam pectere & discriminare solebant, quòd illa formosis splendorem quēdam diuinum, deformibus horrorem cōciliaret, ex Lycurgi sententia. Plutarchus in Lycurgo.

SEMIRAMIS regina Assyriorum dum capillos discriminat, nuntio accepto de defectione subditorum, præproperè collecto exercitu non priùs comam colligere uoluit, quàm defectores subegisset.

Componendo.

MAVRIS & BRITANNIS in more fuit, cincinnis ornari rutilis comis: & tam composito capillo, ut in incessu uix se cōtingi paterentur, omni corporis parte abrasa, præter caput & labrum. Alex. lib.5. cap.8.

Iulius Pollux in tonsuræ generibus: CORYMBE (inquit) Atticum non est, sed crobylus potius. CROBYLVM interpretantur aureum corymbum è capillis propendentem. Sunt qui putent capillorum contextum tendentem in acutum. Meminit Xenophon, nec omisit Thucydides. Ab nonnullis hæc profertur distinctio, ut in uiris dicatur crobylus, in feminis corymbus, in pueris scorpius. Cælius lib.28. cap.5. A. L. Thucydidis interpres inquit, κρώβυλος δέ ἐστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν, ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον. ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλος· τῶν δὲ γυναικῶν, κόρυμβος· τῶν δὲ παίδων, σκορπίος. Lucianus in Votis, καὶ τοῖς προγόνοις ἡμῶν ἐδόκει καλὸν εἶναι κομᾶν τοὺς γέροντας, ἀναδουμένους κρώβυλον ὑπὸ τέττιγι χρυσῷ ἀνειλημμένον. Brodeus in 6. Epigr.

AETHIOPES tortos habent crines, Orientales quidem planiores, Africani uerò crispissimos.

SICAMBRI Germaniæ populi, ad utranq; Rheni ripam habitantes, flauos habent capillos, quos ubi satis creuerunt, quodam artificio in nodum complicant. Martialis lib.1.

Crinibus in nodum tortis uenere Sicambri.

GALEACIVS II. Vicecomes comam aurei coloris promittere, complicatamq; sæpè in tricas, & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expansam, reticulato pileolo, aut florea corona castigare solebat. Iouius in uita eius.

Σφηνοπώγωνες Græcis dicūtur, qui barbam in duas partes ceu cuneo diuisam habent. Quam personam Comœdijs usitatam fuisse scribit Lucianus. An potiùs, qui barbam habent acuminatam, non latam, instar cunei? ein geißbart,

CVR.

SCYTHAS & PARTHOS, quo maiorem terrorem hostibus incutiant, hirsutis barbis & crinibus fuisse legimus. Alexand. lib.5. cap.18.

Homerus passim GRÆCOS uocat καρηκομόωντας, id est, cæsarie insignes. Nam, ut nonnulli uolunt, tonsis secundùm magnum conflictum ad Thyreā Argiuis, qui uicti erant, SPARTIATÆ ex aduerso comam uictoria elati summisere: nec non cùm Bacchiadę, qui Lacedæmonem ex Corintho profugerunt, sordidam & fœdam speciem tonsis capillis præferrent, comam cœperunt LACEDÆMONII in honore habere. Cæterùm est hoc quoque ex institutis Lycurgi: quē dixisse aiunt, formosos comam speciosiores aspectu, & turpes reddere horridiores. Barbam tamen ad cutem usq; radere uoluit. Xenophon in Rep. Laconum, & Plut. in Lysan.

Diphilus comicus maledicens improbo cuidam, qui pisces Athenis uendebat, affirmat IPSVM cùm compunctus esset notis Threicijs, ne notæ illæ fronti inustæ uiderentur, cæsariem gestasse tanquam integumentum quoddam. Victorius lib.6. Var. lect. cap.22.

TIBERIVS Cæsar capillo pone occipitiū submissiore, ut ceruicem etiā obtegeret, quod gentile in illo uidebatur. Suet.

AVGVSTVS Cæsar ob cladem Varianam comam aluit. Sab. lib.9. Ennead.6. ex Suetonio.

PILORVM ABRASIO, TONSVRA. Coma, Barba rasa.

QVI tonsura SVNT VSI.

Sacri homines.

SACERDOTES Iudæorum tondere comam, nō radere, Moses in Leuitico iussit, & apud Ezechielem prophetam: Christianorum uerò, summum radunt uerticem. Vel ut liberam mentis in capite residentis cum cœlo coniunctionem esse debere insinuent, & influxum cœlestem liberiorem externo hoc symbolo indicent: uel ut Petrum imitentur (Beda auctore in Hist. eccles. Anglorum) cui Antiochiæ concionanti ab impijs ludibrij causa uertex rasus est: uel imitatione NAZARÆORVM, qui post magnam uitæ continentiam rasos capillos in sacrificij ignem immittebant, pietatis suę perfectionem Domino ea ratione consecraturi: ut Iosephus lib.4. Antiq. testatur. Hieronymus uerò rasum caput diuitiarum relictionem significare autumat: reliquias uerò pilorū in circumferentia capitis, opes ad sustentationem uitæ necessarias. An fortè uti presbyterorum nomen sacerdotibus; ita & rasus uertex tributus est? Senib. peculiare est caluitiū. Presbyteros aūt morib. senes esse oportet. Gestant ergo artificiale caluitium, quando naturali propter ætatē carent.

Anacletus I. sub Traiano constituit, ne PRÆSVL, neúe clerici barbam uel comam nutrirent. Platina.

Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, cui regis Ludouici Iunioris frater Philippus dignitate propter eruditionem cessit, barbas PRESBYTERORVM & MONACHORVM radi curauit. Anno Christi 1160.

Moris est in Aegypti & Syriæ monasterijs, ut tam VIRGO quàm VIDVA, quæ se Deo uouerint, & seculo renunciantes omnes delicias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea cōtra Apostoli uoluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter & uelato. Nec hoc quispiam præter tondentes nouit & tonsas, nisi quod quia ab omnibus fit penè scitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob causam de consuetudine uersum est in naturam: uel quia lauacrum nō adeunt: uel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne à paruis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus opprimantur. Hieronymus ad Sabinianum.

SACERDOTES Christiani, qui in orientis Solis regionibus habitant, in capite ita sunt attonsi, ut Crucis imaginem in uertice summo contineant. Vino ex passis uuis confecto in sacrificijs utuntur. Osorius lib.3. rerum Em.

Herodotus in Euterpe & Plinius scribunt, sacerdotes AEGYPTIOS consueuisse derasis capitibus mœrere, & in luctu esse, ex morte Apis, q in Aegypto numinis uice colebatur: ac demum totum corpus eradere, ut nequid eis inter deorum cultum aut pediculi aliarumúe sordium crearetur. Polyd. lib.4. cap.8. de Rerum inuent.

Profani homines.

AEGYPTII oēs capillos nutriūt, barbā tamē radūt. Her. l.3.

ARABES mitrati degunt, aut intonso crine: barba abraditur, præterquam in superiore labro. Alijs & hæc intonsa: minúsque dictu, ex innumeris populis pars æqua in commercijs aut latrocinijs degit. Plin. lib.6. cap.28.

Scribit Aristoteles, magistratū ineūtes Ephoros pcipere solitos [redacted] barba [redacted] Cælius l.3. capite 23. [redacted]

Cùm lex esset in Rhodo, ne quis raderetur, nullus est repertus qui eam seruaret, quoniam omnes RHODII radebantur. Cùm multa constituta fuisset Byzantij tonsoribus, qui nouaculam habere comperirentur, omnes nihilominus ea utebantur. Athen. lib.13. cap.6.

SERVIS apud Græcos comam nutrire nefas habebatur. Cælius lib.7. capite ultim. Antiq. Lect. In eandem sententiam alicubi dixit Alexis:

Si quem recisa fortè barba uideris,
Tonsáue, facturum quid ho[redacted]dicito:
Mihi uidetur militare uelle, uel
Fecisse barbæ cuncta quæ contraria.
Ingensúe contigisse prorsus huic malum.
Quid per deos uilli molestiæ afferunt,
Ob quos uiri uidemur esse singuli?
His quid putas fecisse'ni contrarium. Athen. lib.13. cap.6.

QVENDAM abrasum mentum habentem cùm uidisset Diogenes, dixit: Nunquid naturam accusas, quia te uirum, non autem mulierem fecerit?

ROM. Patricij olim, medię ętatis, barbā rasitabāt. Eáq; ob causam plerçq; ueterū imagines non admodū senū, sed in medio ætatis, ita factæ erant. Hinc de P. Scipione Africano, Pauli F. scriptum est, cùm uictis Pœnis censor fuisset, & eidem Claudius Asellius Trib. pl. (cui equum in censura ademerat) diem ad populum dixisset, neque barbam desijsse radi,

neque candida ueste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Eo autem tempore minor erat Scipio quadraginta annis. Gell. lib.3. cap.4. Noct. Att.

NERO Imp. certamine Gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & preciosissimis margaritis adornatam in Capitolio consecrauit. Suetonius.

MAGNVS Sfortia tonso capillo, & derasa barba semper incessit: quòd ita conclusa casside utentibus expediret: coccineo capitis tegumento semper insignis, quod duobus gradibus in prælaltam striatamque pyramidem exurgebat. Iouius in Vita Sfortiæ.

SELIMVS Turcicus Imp. dicere consueuerat, se non nutrire prolixam barbam ueluti Bafazetes pater effecerat, ne Bassę manib. in illā iniectis, ducerent principē quò uellent, quē admodum euenerat patri suo Iouius in Vita eius.

QVI raserint.

HELIOGABALVS in balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipse psilothro curaret. Ipse quoq; barbā psilothro accurans, quodq; pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabatur, & eadem hora. Rasit & uirilia subactorib. suis, nouacula, manu sua, qua postea barbā fecit. Lamprid.

QVO Modo.

RASVRA uidetur diuidi posse ratione capitis, quod raditur. Nam uel totum raditur, & hæc κουρὰ ἐν χρῷ, id est usque ad cutim dicitur, siue nouacula fiat (ut hodie Turcæ, & baiuli apud Venetos) siue forfice. Vel raditur parte tātùm, uel σκάφιον, uel κῆπος erat. σκάφιον similitudine ducta à scapha, in rotundum tondebatur per capitis ambitum, uti hodie apud nos rustici, uertice comato, nulla cæsarie promissa, ceruice nuda: neque alio cultu egebat tonsura ista, cuius Aristophanes in Auibus meminit. κῆπος uerò, id est hortus, cæsariem denotare uidetur promissam in humeros, & cincinnis ornatam, facie libera, horti instar assiduo cultu egentē, ne cincinni turbentur, & cæsaries implicetur.

Est indecora prorsus, ac cinædica tondendi ratio dicta MOECHVS, qua infamatur in comœdijs poeta Cratinus. Cuiusmodi ferè apud Martialem Epaphęresis, etiam si pro tōsu simpliciter quidam intelligi epaphæresim malunt. Cælius lib.7. cap.23. Antiq. lect.

Priora capitis tondendi more ABANTAS primùm usos, auctori Homero credimus. τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες (non ab Arabibus, ut quorundam fert opinio) neque æmulantes Mysos: sed quòd bellatores essent, cominusq; pugnarent, & præter cæteros conserere manus didicissent cum hostibus, ut testatur Archilochus, ne nexū hostibus capillorum præberent. Id Alexandrum quoque Macedonem animaduertentem, edixisse aiunt ducibus suis, ut barbas Macedonum raderent, quòd ansa sit hæc in prælijs promtissima. Plut. in Theseo.

Circa maritima Africæ, occasum uersus, MACÆ populi summum capitis uerticem radunt, in medio capillos crescere sinentes, hinc atq; hinc in orbem tondentes. Herod. lib.4.

MAXYES Africæ populi, dextra capitis parte comam gestāt, sinistram radunt, corpus minio tingunt: asserentes, se à Troianis esse oriundos. Herod. lib.4.

MACHLYES Afri, occiput crinitum gestant, tonsa anteriori [redacted] AR[redacted], quema[redacted] pellar[redacted] lum tondere aiunt. Tondentur autem in rotundum, tempora subradentes. Herod. lib.3. IIDEM barbam abradūt, præterquam in superiore labro. Rauisius.

SPARTANI pueri ad cutem tondebantur. Sab. lib.1. En.2.

M. ANTONINO Commodi patre imperante, omnes familiares eius ad cutem usq; tondebantur. Lucius uerò Antoninus Mimos eos appellabat, & comam nutriebat. Gal. 6. Epidem. com. 4. aphor.9.

In QVENDAM uariè se[redacted] Martialis Epig. lib.8.

[redacted] axillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
[redacted] nulla est. unum quis putet esse caput?

LONGOBARDIS mos erat à ceruice ad uerticem usque radere, à fronte capillos discriminatos ad os usque demittere. Bonfinius lib.8. Dec.1.

Homines iniurijs affecti, ad uæcordiam conuerti solent: id quod & VENETIS accidit sub Iustiniano, inqt Suidas ex Procopio. Ac primùm factiosi, nouam capillorum rationē inierunt. Radebant enim eos secus quàm alij. Nam mystacem & barbam nusquam attingebant, sed quàm promississimam semper alere, more Persico, studebant. Capillos uerò anteriores usque ad tempora detondebant: posteriores quàm longissimos dependere, nulla ratione, ut Massagetę, sinebant. Qua de causa tonsura illa Hunnica dicebatur.

TARTARI caput ex transuerso, ad utraque usque tempora radunt, præter uerticem, & ad equinæ soleæ speciem rasuram obducunt. Radunt item occiput, longosque capillos ab aure demittunt: qui quidem mos, Turcorum, Saracenorum, & Cumanorum olim erat. Bonfinius lib.8. Dec.2.

TVRCI à Caspijs portis erumpentes, Armeniamque infestantes, cùm pestilentia fuisset grauissima, suasu Christianorum in modum crucis se totonderunt: & quia per hoc signum salus patriæ reddita est, hunc tondendi ritum tenuerunt. Sigeb. in Chron.

QVO Instrumento.

Rasura olim fiebat uel nouacula, διὰ ξυροῦ, & hæc ξύρησις pprię dici uidetur: uel διὰ ψαλίδων, ἢ διπλῆς μαχαίρας, forficibus: & hæc fortassis κουρὰ propriè erit. Plautus in Captiuis, Actu 2. Scen.2. inquit, Strictímne attonsurum putem, an per pectinem. illa per nouaculam (sic Iuuenalis, cùm stricta nouacula supra est) hæc per forficem. An uerò utraque ἐν χρῷ. usq; ad cutim, cùm totum caput tonderetur?

SABINORVM sacerdotes æneo cultro tonderi solebant.

QVANDO.

Aegyptiorum SACERDOTES tertio quoq; die totum corpus radunt, ne quid eis inter deorum cultum uel pediculi uel alterius sordis creetur. Herod. lib.2.

Apud GERMANOS Cattosque nefas fuit barbam capillumúe tondere, nisi quis ex acie hostis caput retulisset. Alexand. lib.5. cap.18.

PELVSIOTÆ Aegyptij capillum tondent senescente luna. Herodotus libro secundo.

Mentum radere Alexandri temporibus est in GRÆCIA inuentum, ut asserit lib.4. de Voluptate & bono Chrysippus, cùm non raderetur prius. Nam & Timotheus tibicen cùm magnam haberet barbam, tibias inflabat, & Athenis non ualde antiquum esse inquiunt, qui primus fuit tonsus, qui tonsoris denominationem obtinuit. Athen. lib.13. cap.6.

P. Ticinius anno ab Vrbe condita 454. primus tonsores ROMAM è Sicilia adduxit: & inde ut iuuenes rasitarent barbam, capillumque tonderent, institutum mansit. Plinius libro septimo capite 59.

Barbam quotidie rasitandi, togatorum primus morem P. SCIPIO Aphricanus induxit, cùm intonsa olim esset Romana ciuitas. Retulit consuetudinem hanc Aphricani omnium studiosissimè Cæsar AVGVSTVS, cunctorum alioqui principum, qui Romæ rerum potiti sunt, laudatissimus. Sab. lib.6. cap.2.

Lothario Imp. rebellantibus Friderico & Conrado fratribus, Alsatiæ ducibus (quòd Friderico summa spes esset consequendi regnum) peruenit res ad apertum bellum: obsedit Lotharius Spiram. Qua in expeditione quum ferè omnes per temporum consuetudinem nutrirent comam, multis GERMANORVM in exercitu Cæsaris fulmine sunt exusti capilli: & credita est ultio diuina: cessauitque ea abusio nutriendorum & tantopere excolendorum capillorum. Cranzius lib.6. Metrop. c.10.

Circa annū salutis 1481. Germani PRINCIPES cepere capillos tondere sibi suisque. Misêre inuicem sibi literas, inclusis forcipibus cum mandatis. Erant qui capillos seriò tutarentur. Sed ijs uel uigilantibus per uim iocumúe, uel dormientibus, insidiabantur cæteri, militaribus uiris indecorum arbitrati, si ut puellæ comas alerent. Cranzius libro 13. Vandalis, capite 23.

CVR. Causa

Religionis.

NAZARÆI, quorum secta apud Iudæos celebris erat, priùs seruato pilo, denuò post magnam uitæ continentiam, caput abradebant, capillosq; in sacrificij ignem inijciebant, ut eo modo suæ pietatis perfectionem Domino consecrarent. Meminit & Iosephus de huiusmodi more dedicandi capillos, quem Nazaræi obseruabant, lib.4. Antiq.

Capillus resectus deorum honori, dicebatur, θρεπτήριος, ut est apud Aeschylum. Reliquus uerò πενθητήριος, ab luctu ita nuncupatus: quòd usitatissimi foret moris in Gręcia, per luctum comam recidere: & inter nauigandum tempestate urgente peruellere (item fusis precibus, quod scribit in libro de sua ipsius uita Libanius) alio tempore omni connutrire, nisi ubi uigore ætatis præcisus, offerretur Deo capillus, quem inde quoq; Threpterium nuncupari solitum conjectamus: nam & threptra à Græcis connutricationis dici collata præmia, compertum est. Cælius lib.7 c.23. Ant. lect.

M. Varro in Cato, uel de liberis educandis, apud Nonium refert, AMBRACIÆ primùm capillum puerilem demtum, item cirhos ad Apollinem ponere solitos.

Frequens tonsuræ nomen est Theseis, ab Theseo ATHENIS producta. Etenim inoleuerat mos uetus, ut qui ephebi essent, capillum & barbam fluminibus, & Apollini primùm tonderent, quē Curotrophon uocabant: sicut apud Homerum Achilles facit, & in Theseo à Plutarcho est repetitum: eo argumento, quòd ex humecta feruidaq; natura constāt animantium incremēta. Delphos itaq; profectus Theseus, comæ

comæ primitias obtulit Deo, anteriore capitis parte abrasa. Nam alij temporum comam offerebant, alij posteriorem, ut est apud Pollucem.

Ex uetere instituto legimus, in Ponto Comana nuncupari, ab excisa inibi ab ORESTE coma: quòd, ut scribit Procopius Persici belli primo; & significat Strabo; ex Tauris cum soro re profectus, in ualetudinem incidens, oraculum accepisset, non desiturum morbum, ni ædificato, quale apud Tauros reliquisset, templo: Quare conspecto in Ponti regione prærupto monte; ciuitatem condidit, illum Tauro consimilem arbitratus, ac Dianæ templum, lugubri coma presecta, extruxit. Verùm grassante nihilo secius mali ui, rursum in Cappadocia montem nactus Tauricis persimilem, altera excitauit Comana, de comæ rursum præcisæ argumento. Morbum non alium fuisse augurantur, quàm insaniæ, qua sit, eiecta matre, correptus. Cælius lib. 7. cap. 23.

Herculis simulacrum rati insertum, è Tyro mari delatum, incerta de causa; cùm ad se pertrahere Iones & Chij contenderent: Erythræus quidam Phormio; piscator cæcus; somnio monitus; indicauit, si Erythrœenses ex capillo uxorum suarum deraso funes contexuissent, ratem facile ad se pertracturos. Ei somnio ut obtemperarent cùm ciues fœminæ in animũ sibi non inducerent, è Thracia MVLIERES, quæ uoluntaria seruitute, ingenuæ cùm orta essent; uictum sibi apud Erythræos quæritabant, se tondendas pbuerunt. Quare iam rate potiti Erythrei edixerũt solis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire ut liceret. Ostendunt autem funiculum illum è comis hac etiam ætate, à se diligenter conseruatum. Et piscatorem illum oculorum calamitate liberatum, in reliquum omne uitæ tempus oculis probè usum affirmant. Pausanias in Achaicis.

Necessitatis, Ponderis.

ABSALOMVS Dauidis F. caput quotannis tondebat, capilli onere pressus: & cæsaries detonsa ducentos siclos, pondere regio (hoc est, quinque minas) pendebat. 2. Regum 14. Addit Iosephus, uix octo diebus tonderi potuisse, libro 7. Antiquitatum capite 8.

Pugnæ.

Archemachus Eubœus CVRETAS inquit Chalcidē Eubœæ incoluisse: assiduè uerò de Lilanto campo bellum gerētes, cùm hostes Aetoli anteriorem captarent cæsariem, eosque distraherent, ab occipite capillatos extitisse, à fronte detonsos. Vnde ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, tonsura, κουρῆτας, id est, detonsos appellatos, & in Aetoliam habitatum migrasse: cumq; Pleuronis loca postmodum occupassent, trans Acheloum oram incoluisse. Vbi cùm intonsa seruarent capita, Acarnanes uocati cœpisse; quasi ἄνευ κουρᾶς, hoc est intonsi. Strabo libro decimo.

ALEXANDER bellum gerens imperabat ducibus, ut barbas Macedonum raderent, ne facilem ansam hostibus ad capiendum præberent. Polyænus lib. 4. Cum Dario certè conflicturus, omnibus ad conflictum instructis, requisiuerunt duces, Nunquid præterea uellet? Nihil, respondit, nisi ut Macedonum menta raderentur. Demirante Parmenione: Ignoras, inquit, nexum in pugna non esse barba meliorem? Plut. in Regum apophthegm.

Indignationis.

CVRETES, ait Phylarchus libro Historiarum undecimo scripsisse Aeschylum, ita fuisse dictos, ex eorum delicijs:

Cincinnus est comæ, uelut est & uirgini:
Curetes inde populus ipse dicitur.

Agathon scribit in Thyeste, Pronactis filiam in matrimoniũ petentes, cùm reliquis omnibus ornatos accessisse, tum caput comtum habentes. Verùm ubi nuptias non sunt consecuti, coma detonsa, gloriosum nomen acquisiuere Curetum. Athen. libro 12. cap. 11.

ARGIVI à Spartanis Thyreç possessione exuti, cùm antea comati fuissent, legem sanxerunt, ut tonsis capitibus uiri non priùs capillum alerent, nec mulieres aurum gestarēt, quàm Thyream recuperassent. Sabell. lib. 3. En. 2.

Luctus.

Sybari à Crotoniatis direpta, omnes MILESII capita barbasq; raserunt, & ingentem luctum ediderunt. Herod. li. 2.

SCYTHÆ ob calamitatum, quæ eos inuaserunt, multitudinem, comas per totam nationem deposuerunt. Hinc Græci ob iniuriam totondisse appellarunt ἀποσκυθίζειν. Athen. libro 12. capite septimo.

Dignitatis.

VITOLDVS Lituaniæ dux, adeò diuersum moribus & habitu à suis popularibus sese præbuit, ut illos tonderi edicto iusserit, sibi tanquam maiestatis insigne barbam intonsam retinuerit. At quum id non succederet, caput ipse genasq; rasit: capitalem pœnam Lituanis comminatus, qui suo exemplo barbam aut comam deponerent. Hic dicere solebat, Plebem legi, legem autem principi subiectam esse oportere. Aeneas Syl. lib. 4. Commentariorum in res gestas Alphonsi. & cap. 25. Europæ.

Decoris.

THEOPHILVS Imp. cùm natura caluaster esset, edicto iussit capillos ab omnibus tonderi, neq; ultra collum demissos gestari, sub graui flagrorum multa. Cedrenus.

Ignominiæ.

Suetonius in uita C. CALIGVLÆ, de eius inuidia contra omnes scribens, cum ait pulchros & comatos; quoties ei occurrerent, occipitio raso solitum deturpare.

Lib. 2. Regum capite 10. Anon Moabitarum rex rasit dimidium barbæ SERVIS Dauid, præciditque uestes usque ad nates, nimirum ignominiæ causa. Quę res atrocis belli causa fuit. Erasm. in Prouerbijs.

Pœnæ.

Apud INDOS comam tonderi iussu regis, maximi supplicij loco habebatur. Stobæus serm. 42.

Quidam Ianuenses habitantes Peræ (ea fuit Ianuensium ciuitas opposita Constantinopoli) cùm negotiandi causa Cōstantinopolim uenissent; orta inter eos ac Græcos discordia, partim ex eis interfecti; partim uulnerati sunt. Imperator barbam GRÆCIS homicidis in pœnam sceleris radi iussit; quæ multa apud eos ignominiosa habetur. Prætor Ianuensium qui erat Peræ, se delusum putans, consanguineis Ianuensium permisit, ut ipsimet suas iniurias ulciscerentur. Ergo Constantinopolim ingressi, nonnullos Græcos occiderunt ac uulnerauerunt. Ingens querela statim ad prætorem Peræ ab Imperatore defertur, pœnam maleficij postulante. Ille se puniturum maleficos liberè asserens, die ad pœnam præstituta, captos homicidas reliquosq; in publicum produci iussit, tanquam illos capite multaturus. Conuenerant ad famam rei, tum Græci permulti, tum populus uniuersus Peræ, expectantes pœnam, sacerdotesque aderant parati cum crucibus, ueluti elaturi cadauera mortuorum. Tum prętor silentio per præconem facto, OMNIBVS maleficij reis nates radi fecit: asserens Ianuenses barbam non in facie, sed circa nates ferre. Poggius in Facetijs.

Quæstus.

Erat apud Mausolum Cariæ regem Condalus, cuius postregem facilè erat primus dignitatis gradus, Hyparchum Græci uocant, atq; is (ut uidetur) Lyciæ præerat. Quum operæ precium arbitraretur, quàm plurimùm posset pecuniarum ad regem mittere, aut etiam sibi congerere, lepido commēto LYCIOS circumscripsit. Siquidem intuitus illos ἐγκομῶντας τὸ τρίχωμα φέρειν, hoc est, comam gratè impendioq; enutrire: finxit sibi à Mausolo allatas esse literas, quibus iniungeretur, ut capillos mitteret εἰς προσθέματα (ea uidetur fuisse celebritas quædam deponendæ coma) quo nomine oportere illos attondi. Quòd si præstitutam pecuniarum summã exoluere in animum inducerent; missurum se, qui ex Græcia capillitium affatim afferrent. Id quum Lycij ampliùs perpendissent, & comæ delicias in magno reponerēt, gratissimè conditionem admisere. Atq; ex faceto mox commento magna uis pecuniarum est congesta. Cælius lib. 29. cap. 20. A. L. ex Aristotele.

[redacted]

PILORVM VSTIO.

COMMODVS Imp. & ALEXANDER Phereus tyrannus pari metu, nullum tonsorem admiserunt. Alexand. ab Alexand. lib. 5. capite 18.

DIONYSIVS Syracusiorum tyrannus cùm nulli tonsori crederet, neq; etiam filiabus proprijs, ipse sibi candentibus iuglandium putaminibus barbam adurebat.

AVGVSTVM Cæsarem [redacted] nuce ardenti [redacted] urere, quò mollior pilus surgeret. [redacted]

PILORVM VVLSIO.

IVLIA Cæsaris Augusti filia, cum maturè canos habere capillos cœpisset, habebat complices, quæ canos capillos sublegebant. Verùm quum Augustus pater interuenisset clàm, canos capillos super uestes filiæ uidit, quos euulserant. Cũ autem aliud agens, rem dissimulasset, demùm post multa interrogauit filiam, Vtrùm post aliquot annos cana esse mallet, an calua? Quumque illa respondisset, se canam esse malle: Cur ergo, inquit, tuo iussu & instinctu istæ ante tempus caluam te facere student? Suetonius.

IAPONVM gens caluitium, non sine magno dolore lacrymisq; pilos euellens, procurat Io. Metellus.

BRASILIENSES sunt colore subnigro, capillum habent mollem, nigrum, atque promissum. Sunt omnes imberbes, propterea quòd uolsellis omnes corporis pilos euellunt. Osorius lib. 2. Rerum Emmanuelis.

IAVÆ insulæ Indorum incolæ, teste Osorio lib. 8. Rerum Emmanuelis, barbas euellunt: anteriorem capitis partem radunt: reliquam studiose crispant.

PILORVM FVCVS.

Coma, Barba tincta.

AGATHYRSI, Scythis uicini, capillos habēt cæruleos, quos unà cum toto corpore diuersis coloribus inficiunt. Proinde Picti à Marone uocantur.

Flauus crinis matronam non decet. Ergo Vergilius de DIDONE loquens, Nondum illi flauum Proserpina uertice crinē Abstulerat, à criticis notatur. Matronæ (ait Seruius) nunquã datur flauus crinis, sed niger. Quid uerò si natura flauum crinem habuerit, ipsa sibiipsi fuco nigrum parabit?

Λυσικράτης ἕτερος, Alter Lysicrates. LYSICRATES quidam in uulgi fabulam abiit, quòd capillos iam canos nigro tingeret, quo iuuenis etiamnum uideretur. Cuiusmodi ridetur apud Martialem OLLAS, comam tingēs, cùm barbam non posset. Erasmus in Adagiis.

Archidamus rex, cùm Spartæ HOMINEM fucata barba & infecto capillo concionantem audiuisset, profari uetuit, & in medio affatu exigi iussit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

De QVODAM sene, qui capillos tingens, caluus factus est, sic Nicias in 2. Græcorum Epig. εἰς γραίας:

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τίς, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς,
καὶ δασὺς ὢν λίαν, ὠὸν ἅπας γέγονεν.
τοῦτο βαφεὺς ἐπόησε, τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν,
μήτε κόμην λευκήν, μήτε μελαινομένην.

PHILIPPVS Macedo, cùm ex amicis Antipatri arbitrum delegisset, quem aduertisset barbam & capillum inficere: protinus gradu deiecit, & iudicare uetuit, uelut mendacem. Adeò barbam uel comas inficere coloribus, imbellis & eneruati hominis esse putauit. Alex. lib. 5. cap. 18.

Domitius NERO in cæteris uitæ suæ portentis, capillos quoque coniugis suæ Poppeæ in electri nomen adoptauerat, quodam etiam carmine succina appellando Et quoniã nullis uitiis desunt preciosa nomina, ex eo tertius quidam hic colos capillorum cœpit expeti à matronis. Plin. lib. 37. cap. 3.

Martialis de LENTINO in Epigrammatis sic scribit:

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis,
Tam subitò coruus, qui modo cygnus eras.
Non omneis fallis, scit te Proserpina canum,
Personam capiti detrahet illa tuo.

Lais Corinthia, insigne scortum, MYRONEM salsissimè repulit. Sed præstat hoc Ausonij uerbis referre:

Canus rogabat Laidis noctem Myron:
Tulit repulsam protinus,
Causamq; sensit: & caput fuligine
Fucauit atra candidum,
Idemq; uultu, crine non idem Myron,
Orabat oratum prius.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similemq; non ipsum rata,
Fortasse & ipsum, sed uolens ludo frui,
Sic est adorta callidum:
Inepte, quid me, quod recusaui, rogas?
Patri negaui iam tuo.

Coma adulterina, Barba ficta.

Πλευσιάδας Τροιζῆνα id est, Nauiges Trœzenem. Eusthathius enarrans secundum Homericæ Iliados librum ait, dici solitum in EOS, qui cùm mento imberbi essent, tamen appostitiis pilis barbam uirilem mentirentur. Addit inde natum, quòd Trœzenis portus quispiam uulgò celebratus sit nomine Barba. Est autem alter Trœzen in Massilia. Erasmus.

Ad CHARINVM, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Quòd lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

Fortè caluitij uel defluuij tegendi causa, prætextu otalgiæ, lana caput tegebat. quemadmodam C. Iul. Cæsar eandem ob causam laurea corona uti consueuerat.

VNGVIVM CVRA

Aliqua.

Ῥυπαρονύχους uocant Græci eos, qui sub unguibus sordes congerunt. EVCLIO Plautinus è tonstrina etiam unguiũ præsegmina referre solebat.

Apud Horatium VVLTEIVS Mena, præco,

—uacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgabat leniter ungues.

Flamen DIALIS apud Rom. unguium præsegmina subter arborem siliquam terra operiebat. Gell. lib. 10. c. 15.

Nulla.

Nos uidimus IOAN. PETRVM Bosisium fabri lignarij Bononiensis filium, iuuenem annos 20. plúsue natum, cui ungues nunquam secare aut necesse fuit aut contigit. Cardanus de Subtilitate, libro de Hom. necess. & forma.

ANI EXTERSIO, LOTIO.

Allio ueteres ATHENIENSES copiosè sunt usi. Eodē posteriores pro tergēdis natib. usos, Aristophanes ironicè innuit: Abstergemus nos non pumicibus ampliùs, sed cauliculis allij præ luxu. Suidas in uoce σκορόδια.

Aristophanes in Vespis: Πρωκτὸς λουτρῶν περιγιγνόμενος. id est, Podex peruincens loturam. Ex ueterum monumentis deprehensum, fuisse morem publicũ, ut post exoneratam aluum adhiberetur eius partis lotio, quæ tamen subinde erat repetenda. Martialis inter Issæ catellæ laudes cōmemorat, quòd post depositum uentris onus rogaret lauari Legimus & barbarum quendam seruitutis impatientem, ligno, cui spōgia erat addita tergendo podici, in gulam adacto, sibi consciuisse necem. Erasmus in Adagiis.

FVCVS CORPORIS.

OBSERVATVS.

ZYGANTES Afri, qui simiis tantùm uescuntur, corpus minio inficiunt. Herod. lib. 4.

HYPOREAE Aethiopiæ populi, atri coloris, tota corpora rubrica illinunt.

De M[redacted]TRICVM fuco uide Athen. lib. 13. cap. 9.

Scytharum mulieres, captiuarum Thracum corpora fibulis distinguebant ac uariabant, picturamq; imprimebāt. THRACENSES, ut iniuriam abolerent, reliquã corporis partem pictura uariegarunt: ità ut iniuriæ pudorisq; impressi nota, in uarietatem conuersa ornamenti nomine, priorem ignominiam deleret. Athen. lib. 12. cap. 7.

PAVLVS II. Pontifex erat magni ac uasti corporis, adeò ut dum ad rem diuinam proficisceretur, solus emineret. Circa cultum corporis etsi morosus non erat, nequaquam tamen negligēs habebatur. [redacted]

NEGLECTVS.

PHRYNE meretrix cùm fuisset in conuiuio quodam, cui cōplures aderant fœminæ: quumq; iuxta morem ioci conuiuialis, quod unus quispiam faceret, idem omnes facere cogerentur, prior manum bis aquæ immersam admouit fronti. Quoniam autem omnes erant fucatæ, aqua per liturã fucorum defluēs, rugarũ specie uultus omnium deformabat: quũ ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior appareret, etiam diluta facie. Eras. Rot. lib. 6. Apoph.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm triumphalem currum ascenderet, non defuerunt, qui admonerent, ut triumphantiũ Rom. more uultum minio illineret. Tum rex dixisse fertur, minium Baccho soli conuenire, qui non solùm triumphi, sed uini etiam repertor extitisset. Antonius Panormita de Rebus gestis Alphonsi.

DACI & SARMATÆ corpora sua succis herbarum inscribebant. BRITANNORVM feminæ quibusdam in sacris glasti succo totum corpus oblitæ incedebant, Aethiopũ colorem imitantes. Plin. lib. 22. cap. 1. Ipsi quinetiam uiri plasto corpus inficiebant, ut hostibus horridiores uiderentur. Hinc passim à poetis picti Britanni uocantur.

VNGVENTA.

De unguentorum uarietate & speciebus, consule Plinium libro decimotertio, capite primo.

Queritur apud Aristophanem in Pluto ANVS quædam, adolescentem amatorem pridem ita solitum sibi adulari, ut diceret, illam suauissimè olere. Ad id per iocum respondens Chremylus, negat esse mirum, si ita uisum fuit adolescenti, cùm illi uinum Thasium odoratissimum proponere sit solita. Interpres addit, ἐνέχεις dictum, pro ἐμίγνυες. id est, infundebas, pro miscebas. Erasmus in Adagiis.

Scribit Myronides in libro de Vnguentis & coronis, hinc esse ortam occasionem, ut caput ANTIQVI ungerent inter pocula: quia quod præassumtum fuerat ab iis, quorum caput est aridum, superiùs fertur atq; attrahitur. Idcirco accidit, ut cùm febres corpora adurãt, capitis tempora humectent, ne huc ad siccum ac uacuum impetum suum intendant fercula præassumta. Hoc cùm ratiocinarentur, uiniq; lationem ad superiora in potu pertimescerent, caput pingui perungi oportere dictitarunt, quia minor impetus caput ipsum inua-

deret, si id humectassent. Athenæus libro 15. cap. 18.

C. PLOTINVS Plancus, Munatij Planci consularis & censorij frater, cùm à Triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore uitæ genere & odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit. Istis enim uestigiis, corū qui miserum persequebantur sagax inducta cura, abditum fugę eius cubile odorata est. Valerius lib. 6. c. 8.

Festus Pompeius indicat olim schænicolas appellata SCORTA plebeia ac uilia ab unguento uilissimo, quo oblinuntur. Plaut. in Pœnulo, Miseras, schęno delibutas, schęniculas sordidas. Erasmus in Adagiis.

MVLEASSES Tunetanus rex, ex infelici prælio fugiens, odore unguentorum, quibus utebatur, è latebris protractus fuit & captus. Iouius.

BALNEA, THERMAE.

QVAE.

AETHIOPES Macrobij fonte abluūtur, in quo loti, perinde ac oleo uncti, membris agiles fiunt, & uiolam olent. Alex. libro quarto, capite uigesimo.

Cutem in facie erugari & tenerescere, & candorem custodire, lacte asinino putant. Notumq; est, QVASDAM quotidie D. custodito numero fouere. POPPEA hoc Neronis principis instituit, balnearum quoque sic solio temperato, asinarum gregibus ob hoc eam comitantibus. Plin. lib. 28. cap 12. & lib. 11. cap. 41. inquit: Poppea Neronis coniux, quingentas secum asinas per omnia trahens fœtas, balnearum etiam solio totū corpus illarum lacte macerabat, nitidiorem reddi & extendi quoque cutem credens.

CELTIBERI cùm in uictus munditia elegantes existant, una in re uidentur immundi, & spurcitiæ pleni. Vniuersum enim corpus lauant urina, dentesq; fricant: hanc optimam corporis curam existimantes. Diod. lib. 5. cap. 9.

QVALIA.

Calida.

Interpres Aristophanis in Nebulis scribit, Ibycum auctorem esse, Vulcanum (alij Palladem & Nymphas) muneris uice submisisse HERCVLI feruida balnea. Atque inde omnia calida balnea, Herculana dici cœpta testatur Athenæus lib. 12. Porrò Aristoteles in Problemat. sectionis 24. probl. ultimo, ostendit huiusmodi balnea apud ueteres habita sacra, propterea quòd ex sulphure ac fulmine, rebus natura sacris, pro ueniant. Pisandrus autem tradit, Mineruam Herculi fesso calidum balneum suppeditasse. Erasmus in Adagiis.

Antiquitus calida balnea deliciarum nomine taxata fuisse, uel Homerus testis est Odysseæ θ. Inter uoluptuarię uitæ PHÆACENSIVM delicias ea commemorans,

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροί τε,
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί. id est,
At semper cordi nobis epulæq; choriq;,
Cantusq; & uariæ uestes, & balnea calda.
Concubitusq;. Erasmus in Adagiis.

Olim in thermis etsi calida priùs abluerent, postea ut à balneis corpora multa frigida stringerent, constitutum ferunt: nec priùs ungi, nisi lauissent. Alexander lib. 4. c. 20.

Frigida.

ARGOVM Iluæ insulæ Tyrrheni maris portum, Strabo lib. 5. dictum ostēdit à naui Argo, quòd & ipsa eum subierit. Cùm enim nauis ea uocem edidisset, non priùs Iouem placatum Argonautis fore, quàm ipsi necem Apsyrti expiarint, rationem eius rei docente Circe, Argonautæ sedem Circes quęrētes illuc deuecti sunt. Quo in portu cùm spacium aliquod temporis mansisset, ipsi nomen dedit. Adiungit autem in littore quoque uicino inueniri lapillos uariis coloribus distinctos, qui ortum inde habuissent, cōformatique essent è guttis sudoris congelatis. Cùm enim illic Argonautæ manerēt, in littore se lauabant, strigilibusq; corpus fricabant. Apollonius Rhodius in 4. libro Ἀργοναυτικῶν hoc exponit, canitq; Argonautas, relictis Stœchadibus insulis contra Massiliam positis, eò accessisse. Victorius lib. 19. Var. lect. c. 10.

GERMANI non in balneis, sed fluminibus lauabant. Ideo nandi periti, & summi urinatores habiti. Si quando tamen lauerent balneis, calida abluebantur, lautique uescebantur. Alexander.

LVSITANIS frigida tātùm lauare licet, sicut Spartanis, quibus calida corpus abluere uetitum est. Alex. lib. 4. c. 20.

AETHIOPES Macrobij fonte abluuntur, in quo loti, perinde ac oleo uncti, mēbris agiles fiunt, & uiolam olent. SCYTHÆ nullo fonte lauant, sed uxoribus aquam fundentibus, corpora scabro lapide conterunt, cupresso, cedro, thuris ligno confricantes.

EPHESII, cùm præpositum balnearum lapidibus appeterēt, quòd balneum non calefecisset, summoperè restitit, cùm frigida aqua lauare satiùs duceret. Alex. lib. 4. cap. 20.

Cremona, anno, quàm condita fuit, ducentesimo octogesimo sexto à Vitellianis militibus ita direpta est: quum ANTONIVS Vespasiani dux in balneum concessisset cruorem abstersurus excepta uox eius est, quum fortè balnearum tepor excusaretur, futurum ut statim incalescerent: ac tum demum quasi signum dedisset ad urbem incendendam, quadraginta millibus militum uno agmine irrumpentibus, ciues indifferenter cæsi, res direptæ, tecta & parietes quatri-duo ignis absumsit. Sab. lib. 3. Ennead. 7.

Sordida.

DIOGENES ingressus balneum sordidum, Qui hîc, inquit, lauant, ubi lauant? indicans talibus balneis conspurcari corpora potiùs, quàm purgari. Laertius.

Apud CELTIBEROS obseruatū est, ut in balneis non aqua, sed lotio diu seruato lauēt, dentesq; & gingiuas pumicent: quod & CANTABRI factitarunt, hanc optimam curationem, & exhaustis uiribus mirè proficere arbitrati. Alex. lib. quarto, capite uigesimo.

QVANDO.

ASSYRIIS licet lauare diebus singulis peculiare sit, tamen post uenerem, & in morte præcipuum. Alex. lib. 4. cap. 20.

Vicerat ALEXANDER Magnus in Cilicia Darium, & confestim armis exutis ad balneum processit, dicens: Eamus ad abluendum Darii balneo cōtractum ex pugna sudorem. Ibi quidam ex amicis: Minimè uerò, inquit, imò Alexādri. quæ enim ad uictos pertinuere, ea & esse & dici debent uictoris. Vt holcia uidit, crossos, ampullas, alabastros, ex auro fabrefacta omnia, domusque præstantissimo odore ex aromatibus & unguentis fragrauit: inde in tabernaculum transiit, fastigio, laxitate, lecti, mensurarumq; & cœnæ illius splendore admirandum: oculos ad amicos intendens: Hoc nimirum, inquit, erat regnare. Plut. in Alexandro.

Hora balnei, hyeme nona, æstate uerò octaua fuit. Balneæ enim apud maiores nocte, aut ante auroram nulli patuere: utque sine metu cuiquam lauare liceret, à primis tenebris ad auroram sequentem clausa fuēre: siquidem noctu lauare ueteribus interdictum erat. Hadrianus uerò Cæsar antea octauā, nisi ualetudine laboraret, publicis balneis neminem admisit. Tempusq; lauandi à meridie ad uesperam destinauit (quo tempore prostrare meretricibus permissum) lauacraque pro sexibus separauit. Alexander postea Seuerus, ne quid populo incommodaretur, nocturna concessit balnea, oleo pro luminibus præbito. Alex. lib. 4. c. 20.

A QVIBVS VSITATA.

CARTHAGINENSIBVS distincta fuisse balnea satis constat, patriciorum & plebeiorum: moremq; præualuisse, ut in quibus patricij lauabant, ad illa plebeij non accederent. Alex. libro quarto, capite uigesimo.

Apud GRÆCOS nulla fuit personarū uel ordinis in balneo distinctio. Diuites namq; cum pauperibus lauare, & patricios cū plebeis, nullo discrimine licebat. In quibus tāta plerunq; hominum cuiusq; ordinis turba conuolabat, ut balneatores pertæsi æris, granū, quod uertigines facit, carbonibus iniicerent, ut tædio odoris exirent. Alex. lib. 4. cap. 20.

Suidas ait, OLIM fuisse morem, ut diuites unà cum pauperibus lauarent: ut quibus propria supellex strigilum, spongiarum, guttorum, atq; id genus rerum non esset, diuitum uterentur supellectile. Citat idem Aristophanem ex Anagyro, ἀλλὰ πάντας χρὴ παραλοῦσθαι, ἐ τοὺς σπόγγους ἐᾶν. id est, Verum oportet omneis unà lauare, ac spōgias omittere. Tanquam hoc cōmoditatis laturi sint tenues, si cum diuitibus balneum ingrediantur, ut spongiis suis parcant. Quod ipsum mihi uidetur non inconcinnè dici posse, ubi quis leuiculam aliquam commoditatem, quam citra suum incommodū præstat, perinde ut ingens beneficiū imputat. Erasmus in Adag.

Cùm antea promiscua essent uiris æquè & mulieribus, Alexan[redacted]sophum lauacra mista summouit, sæpeq; [redacted] de T. Vespasiano legitur, ut plerunque in thermis [redacted] plebe, lauaret. Alex. lib. 4. cap. 20.

Cōcilio Basiliensi, à Patribus institutum, ut discreta essent uirorum & mulierum balnea: priùs promiscuè lauare solitis BASILIENSIBVS.

QVO STVDIO VEL

Frequentata.

Licet à primis originibus, cùm pauca essent balnea, & nullius cultus, Romani rarò lauarent, brachiaque & crura labore fatigati tantùm abluerent, & toti nisi in nundinis lauarent: tamen post aliquot ætates, balnea & thermæ publicis usibus multimodę fuerunt, magna mole & sumtu constructæ, Alexandrino & Numidico marmore, latis specularibus, miracælatura & arte. Nam præter Agrippinas, Neronianas, Vespasiani & Titi, celebrantur Domitianæ, Alexandrinæ, Gordianæ, Seuerianæ, Aurelianæ & Cōstātinianæ, solidissima structura & sumtu profuso: constatq; Marcum Agrippam, ut populo placeret, centum septuaginta balnea seu lacus in prouinciarū formam, Romæ gratuita præbuisset: cumque pro singulis olim daretur quadrās, diuus Antoninus ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit. Alexan. libro 4. capite 20.

COMMODVS Imper. septies atque octies diebus singulis lauabat. Alex. lib. 4. cap. 20.

GORDIANVM & GALIENVM æstate quinquies, hyeme uerò bis in die lauasse legimus. Alex. lib. 4. cap. 20.

Nouatianorum episcopus SISINNIVS, [redacted] in ratione uictus delicatus, & uarius fuit. Interrogatus enim, quam ob causam bis lauaret? respōdit, Quòd ter lauare mihi commodum non est. Suidas.

CAROLVS Magnus, animi laxandi causa, lauacris oblectabatur: sæpius calidis utebatur, lauādoq; crebro natatu se exercebat, adeò ut omnes nando superaret. Ideo ad aquas Graneas (Aquisgranum) regiam extruxit, ibiq; extremā ætatem egit: Ad balneum nōn modò liberos, sed proceres etiam ac amicos admisit. Nonnunquam & cæteros aulicos, custodésque corporis inuitauit: interdum plus quàm cum centū hominibus lauit. Auentinus lib. IV. annalium Boiorum.

TVRCI balneis plurimùm delectantur, tum uoluptatis tum religionis causa. Triplici enim lotione ad orationem se pręparat. Prima *Zeodrgimeg* uocatur, quæ est perfusio totius corporis. Altera *Tachriat* dicitur, q̄ necessaria est cùm opus naturæ exercetur, uel uentositates erumpunt, tum enim aliquo secreto loco uerenda abluunt. Tertia *Abdas* dicitur, alij Aptam uocant, quinque sensuum organis pernecessaria: qua manus & brachia ad cubitos usq; abluunt: dehinc os, nares & totam faciem ad aures usq;: tum manu cum aqua superducta capiti, descendit ad pedes, ablutisq; cruribus ad tibias hæc lotio peruenit. Cuspinianus.

Neglecta.

SCYTHÆ nullo fonte lauant, sed uxoribus aquam fundentibus, corpora scabro lapide atterunt, cupresso, cedro, & thuris ligno confricantes. Alex. lib. 4. cap. 20.

DARDANENSES Illyrides lege uetabantur balneare, contra consuetudinem. Ter enim solùm per uniuersam uitā lauari solebant: post partum, cùm nuptias inirent, & cùm morerentur. Aelianus lib. 4. de Var. hist. & Alex. lib. 4. cap. 20.

LVSITANIS simul & SPARTANIS calida aqua corpus abluere, lege uetitum est. Alex. lib. 4. cap. 20.

ANIMALIA CORPVS INFESTANTIA, PEDICVLI, PVLICES, ET SIMILIA. HORVM

POSSESSIO. PEDICVLOSI.

PHANOSTRATE meretrix Atheniensis pediculosa. Vnde Φθειροπύλης dicta, quòd in porta stans pediculos colligeret. Apollodorus lib. de meretricibus Atheniensibus. Suidas ex Athenæi lib. 13. cap. 19.

ABLATIO.

PISCATORES Arcades in litore Iensi pediculos quærentes, otiosi nimirum propter piscium penuriam, Homero quærenti, Nunquid haberent? responderunt:
ὅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ', ὅσσ' οὐχ ἕλομεν, φερόμεσθα.
indicantes, quòd pediculos captos & occisos reliquissent & abiecissent: quos uerò non cepissent, in uestimentis gestarent. Plutarchus in eius uita, & Herodotus.

Cùm AGESILAVM Lacedæmoniorum regem, aræ Palladis astantem, ut bouem immolaret, momordisset pediculus, arreptum palam omnibus occidit, inquiens, Insidiatorem uel in ipsa ara confodere fas est. Plut. in Lacon.

ADYRMACHIDÆ Pœni capitis comam alunt, earumque uxores pediculos, quos capiunt, præmordent & abiiciunt. Herodotus libro quarto.

VESTIMENTA.

LAVTA, ELEGANTIA, MVNDA.

Ex loco Luxuriæ & Prodigalitatis huc quædam transferri poterunt.

Quantum momenti cultus uestium adferat, ad conciliandam homini formā dignitatemq;, satis indicat Homerus Odys. ζ. cùm Nausicaam puellam ita de VLYSSE loquētem facit:

Πρόσθεν μὲν γάρ δή μοι ἀεικέλιος δόκετ' εἶναι,
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν. id est,
Antè uidebatur specie fœdissimus esse,
Nunc diuis similis, magnus quos pascit Olympus.

Nam antè nudus, iam uestes nitidas induerat Vlysses, ac protinus alius esse uisus est. Erasmus in Adagiis.

VILIA, SORDIDA.

Consule Tit. Frugalitatis in uestitu. Illic Temperantiæ ratio habetur, hîc solius Vestitus.

NVLLA.

IAVÆ insulæ Indorū incolæ nullum integumentum in capite gerūt. Indignū enim hominis pręstātia cēsent, hominis principatum, quē in capite constituunt, aliquo uelamento quasi rem probrosam tegere. Osorius.

MONILIA.

Ex Tit. Magnificentiæ & Prodigalitatis in gemmis & monilibus huc quædam.

Elephanti dentium tantus est in operibus, & instrumentis, monilibusque usus apud INDOS, ut ex regione Sofalæ & Melindi interiecta quotannis in Indiam deuehātur millies sexcenta pondo: præter eos dentes, qui ex plerisque Indię prouinciis conuehuntur. Huius eboris aliqua pars in Chinarū regionem defertur: maxima uerò Cambaiam. Propinquis enim mortuis, fœminę illico omnia monilia, quorum uiginti genera, ex ebore confecta, singulæ in brachiis gestant, confringunt, & posito luctu noua inducunt. Io. Metellus.

ANVLI.

MATERIA. PARTES.

Latini leuis materiæ anulum, qui minimo gestatur, æstiuum nuncupant. Alex. lib. 4. c. 26.

Gemma. Lapis.

Anulorum uetustatem quidam à rupe Caucasea repetunt, & PROMETHEI uincula eò detorquent: quasi primum saxi huius fragmentum, inclusum ferro, ac digito circundatum, anuli usum præbuerit. Plin. lib. 37. cap. 1.

NO[redacted]toris anulus præ cæteris laudibus celebratur, cuius gemmā XX. millibus sestertiis taxata est, unde & ab M. Antonio proscriptus fuit. Alex. lib. 2. cap. 19.

SCIPIO Africanus Sardonychen, quòd sola gemmarum ceram non auferret, in anulo suo habuit. Alex. lib. 2. cap. 19.

Metallum.

LACEDÆMONII, ex Lycurgi instituto, auri odio & cōtemtu, ferreo utebantur anulo.

Ferreo olim anulo omnes præter Tribunos Romæ utebantur. Appianus lib. 3. belli Punici.

POLYCRATES Samiorum tyrānus, smaragdum habuit pro gēma signatoria, ex omnibus opibus preciosissimū, quem tamen in mare abiectum, capto pisce recuperauit, anno Romæ cond. CCXXX. Plin. lib. 33. cap. 1.

Moris fuit ROM. aureos anulos in luctu & funeribus, funestisq; casib. Reip. deponere, & ferreos sumere. Alex. li. 2. c. 19.

Claudij Cæsaris principatu ROM. nō gemma signare, sed auro cœpere, quòd uiolare signis gemmas nefas ducerent. Alex. libro 2. capite 19.

FORMA.

BATTI anulus apud Cyrenæos gratitudinis habet atque honoris argumentum, condita ab eo Cyrene, ex responso, sicuti Aristoteles quoque commeminit. Quo nomine ciuitatis consensu conflatus est anulus, ciuium conditori suo, ueluti parenti, silphium offerentium nota, quod esse inter olera constat preciosissimum: comici ueteris astipulante uersiculo, quo ille ait, Ne Batti quidē silphio adduci posse, ut faceret, quod rogabatur. Cælius lib. 6. cap. 12. Antiq. lect.

SELEVCI anulus fatalis scriptis celebratur, in quo anchora efficta uisebatur, cuius imago in femore posteris familię natiua apparuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

PYRRHVS Epirotarum rex, gemmam in anulo habuisse dicitur, in qua Apollo & Musæ cum suis insigniis, non tantùm efficta, sed natiua specie fuerunt. Alex. lib. 2. cap. 19.

LACEDÆMONIORVM rex Arius aquilæ sigillo utebatur, draconem tenentis unguibus. Iosephus lib. 12. cap. 5.

CLEARCHVS Grecorum dux qui Cyro militarunt, in anulo suo habebat Caryatides saltantes: siue nymphæ illæ cū Diana, siue uirgines Spartanę, anniuersario sacro in uico Laco-

niæ Caryis dicto, Dianam Caryatidem, cui sacer est, colentes & saltantes intelligantur, cuius ritus Pausanias in Laconicis meminit: anuli uerò Plut. in Artoxerxe, quem Ctesiæ, suæ erga familiares Lacedæmone necessitudinis insigne, dono dederit moriturus.

Apud Aristotelem legimus, ueteres MEDICOS implicamentis qbusdā, id est (ut ipse ait) plegmatiis digitos inserere consueuisse, quæ contexta forent, uelut acetabula & cirramēta in piscium quandoq; pedibus. Cælius lib. 6. c. 12. Antiq. Lect.

FLAMEN Dialis apud Rom. anulo non nisi peruio cassoque utebatur. Gell. lib. 10. cap. 15.

Epicuri imagines frequenter in anulis habuere eius DISCIPVLI, hoc fausti ominis generi & nomini suo esse arbitrati. Alexand. lib. 2. cap. 15.

Celebratur ensifer leo Magni POMPEII in gemma. Idem.

Aphricani FILIVS ut suam in patrē pietatem declararet, eius imaginem perpetuo anulo insculptam digitis gestauit. Alexan. lib. 2. cap. 19.

LENTVLVS aui sui figuram & imaginem anulo suo insculpi fecit, ne eius amor citiùs, quàm par esset, animo excideret. Alexander lib. 2. cap. 19.

L. SYLLA dictator traditione Iugurthæ semper signauit. Est apud autores & INTERCATIENSEM illum, cuius patrē Scipio Aemilianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie signasse: uulgato Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturū eum, si Scipio à patre eius interemtus esset? Diuus AVGVSTVS inter initia sphinge signauit. Duas in matris anulis tam indiscretæ similitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia, absente eo, amici signauere epistolas & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium, ænigmata afferre eam sphingem. Quinetiam MOECENATIS rana, per collationem pecuniarum, in magno terrore erat. Augustus postea ad euitanda conuitia sphingis, Alexandri Magni imagine signauit. Plin. lib. 37. cap. 1. Naturalis historiæ. Postremò & sua signauit imagine, Dioscoridis manu sculpta. Qua, ut prodit Tranquillus, & Imperatores alij postea usi. At Galbam excipit Dion: hic enim signatorium habuit anulum maioribus suis familiarem, cuius erat scalptura, canis è prora sese proclinans. Cælius lib. 6. cap. 12. Antiq. Lect.

ROMANI corruptis iam moribus Harpocratem statuasque Aegyptiorū numinū in digitis gestabant. Claudij principatu nemini principis imaginem in anulo ex auro gerere licebat, nisi quibus admissionē liberti eius dedissent. At Vespasianus æquam omnibus libertatem concessit. Plin. lib. 33. c. 3.

C. PLINIVS Iunior proconsul Bithyniæ, eruditione & dignitate illustris, Quadriga in sigillo utebatur. Ioan. Catanæus in eius uita.

MACRIANORVM familiam ferunt hoc habuisse proprium, ut Magni Alexandri imagines tam uiri quàm feminæ in anulis deferrent. Alex. lib. 2. cap. 29.

COMMODVS Imp. signo Amazoniæ signasse dicitur. Idem.

QVI GESTARINT.

IVDAS Thamar nurum suam imprudens corrupit, & promisso hœdo fidei causa anulum suū cum armillis & baculo ei seruandum dedit. Quæ mox anulo ostenso, à pœna stupro debita sese liberauit. Anulum illum signatorium fuisse Sanctes Pagninus autumat. Gen. 38.

Iezabel literis adulterinis ACHABI uiri sui Israelitarum regis anulo obsignatis Nabothum perdidit. Ex 3. Regum, Polyd. lib. 8. cap. 2. de rerum Inuent.

Iosephus in 3. Antiquit. de uestibus SACERDOTVM, quas Moses constituerat (qui, ex testimonio Eusebij, fuit ante CCCL. & eo ampliùs annos, quàm est gestum bellum Troianum) anulis etiam in uestibus, aliisque operibus, ueteres Hebræos Iliacis temporibus esse usos, testatur.

MIDAS rex anulum habuit, quo circumacto habētem nemo cerneret. Plin. lib. 33. cap. 1. Nisi forte id de Gyge, errore paronomasiæ, intelligi debet.

ATHENIENSIBVS etiam seruis nequissimis ferreo anulo signare permittitur: sicut BABYLONIIS, qui anulo signatorio utuntur omnes. Alex. lib. 2. cap. 19.

POLYCRATIS Samij tyranni anulum, quem in mare demersum in uisceribus piscis reperit, antiqui celebrant. Sardonychem gemmam fuisse constat: ostenduntq; Romæ, si credimus, in Concordię delubro, cornu aureo Augustę dono inclusam, & nouissimum propè locum tot prælatis obtinentem. Post hunc anulum regia fama est gemmæ PYRRHI illius, qui aduersus Romanos bellum gessit. Nanq; habuisse traditur achatem, in qua IX. Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut musis quoq; singulis sua redderentur insignia. Nec deinde alia quę tradatur magnopere gemmarum claritas extat apud autores, pręterquam ISMENIAM Choraulem multis fulgentibusq; uti solitum, comitante fabula uanitatem eius, indicata in Cypro sex aureis denariis smaragdo, in qua fuerat sculpta Amymone, iussisse numerari. Et cùm duo relati essent, imminuto precio, Malè me Hercules curatum, dixisse, multum enim detractum gemmæ dignitati. Hic uidetur instituisse, ut omnes musicæ artis hac quoq; ostentatione censerentur, ueluti DIONYSODORVS æqualis eius & æmulus, ut sic quoque par uideretur. Tertius qui eodem tempore fuit inter musicos, NICOMACHVS, multas gemmas habuisse traditur, sed nulla peritia electas. Plin. lib. 37. cap. 1.

ISMENIAS Thebanus legatus ad regem Persarum missus, quum sciret ex consuetudine gentis nihil ab ipso rege impetrari posse, nisi pronus quis adorans procumberet: ubi in eius fuit conspectu, anulum de industria ad [illegible] fit, ut in eo colligēdo reclinatus uideretur adorasse regem.

Icetes Leontinorum tyrannus cùm Timoleontis exercitū, trāsmisso Danyria, transitu prohibere uellet: Decuriones Timoleontis mirificum incessit certamen & contentio, cùm quisque priores pugnæ partes postularet, essetque confusionis plenus transitus impellentium se mutuò & præcurrentium. Ergo Timoleon iussis sortiri PRÆFECTIS, accepit anulum à singulis. Quas cùm in lacernam suam coiecisset & cōfudisset, primum fortè eduxit qui sigillo trophæum habebat insculptum. Quod ubi iuuenes uiderunt, læto clamore sublato, non ultrà ullam expectantes sortitionem, pro se quisque ocyssimè superato fluuio conseruerunt cum hostemanus. Plut. in Timoleonte.

Cœnabat PAVLVS prætorius imaginem Tiberij habens in gemma: matellam poposcit. Id factum Maro ex notis illius temporis uestigatoribus notauit. At seruus eius, cui nectebantur insidiæ, ebrio anulum extraxit, quum Maro conuiuas testaretur, admotam esse imaginem in obscenis, & iam subscriptionem componeret. Cælius lib. 7. c. 26. A. L.

Tiberij principatus nono anno, anulorū auctoritati forma cōstituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss. anno urbis conditæ DCCLXXV. futili penè de causa, cùm C. Sulpitius Galba, dum iuuenalem famam apud principē popinarū pœnis aucupatur, questus esset in senatu, uulgò institores eius culpæ defendi anulis. Hac de causa constitutū, ne cui ius id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri auoq; paterno sestertia CCCC. cēsus fuisset, & lege Iulia theatrali in XIIII. ordinibus sedendi. Postea gregatim insigne id appeti cœptum. Plin. lib. 33. cap. 2.

QVA PARTE GESTARINT.

Anulus signatorius OLIM gestabatur quacunq; manu, quolibet digito. Postea usus luxuriantis ætatis signaturas preciosis gemmis cœpit insculpere. Hinc factum est, ut usus anulorum exemtus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuā relegaretur, quæ otiosior est, ne crebro motu & officio manus dexteræ preciosi lapides frangerentur. Electus autē digitus minimo proximus, quasi aptior & tutior cęteris, cui anulus preciosus commendaretur. Fabulosum est, quod ex Aegyptiorum sententia de neruo exiguo à corde ad eum digitum pertingente narrant. Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 13. ex Atteio Capitone.

Cùm reliquos auro gemmisque insignirent, prisci ROMANI Medium nudum & honore destitutum reliquere, ueluti infami contumelia notaretur ab Atheniensib. καταπύγων quasi cinædus & scortū dictus. GALLI uerò & BRITANNI medio tantùm anulos adiiciunt, illum præcipuo honore excolentes. Alex. lib. 4. cap. 26.

Qui minimo gestatur anulus, ACHARES dicitur: quo uerò index ornatur, Coriannos.

ANTIQVITVS digitum minimo proximū in nuptiis & sponsalibus anulo exornabant, eo quòd ex Aegyptiorum sententia (ut auctor est Appion in Aegyptiacis) tenuissimus inde neruus ad cordis penetralia tendere diceretur. Alex. libro 4. cap. 26. ex Gell. lib. 10. cap. 10.

NVPTIALEM anulum in sinistra manu tantùm habere fas erat, ne usu attereretur. Quod erat propriū nuptiale [illegible] ex ferro durissimo facti. Reliquos uerò anulos, siue ex ferro, siue auro, quacunq; manu deferre licuisse compertum est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Anulos singulis primò digitis geri mos fuit, qui sunt minimis pximi: sic in Numæ & Seruij Tullij statuis uidemus. Postea pollici proximo induêre, etiam deorum simulacris: dein iuuit & minimo dare. Galliæ Britanniæq; in medio dicuntur usæ. Hic nunc solus excipitur, & honore destitutus relinquitur, cæteri omnes onerantur, atque etiam priuatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres uni minimo congerāt: alij uerò & huic unum tantùm, quo signantem signent. Conditus ille ut res rara, & iniuria usus indigna, uelut è sacrario promitur: & unum in minimo digito habuisse, preciosioris in recōdito supellectilis ostētatio est. Iā alij pōdera eorū ostētāt. Alij plures quàm unū gestare labor est. Plin. lib. 33. cap. 1.

CVR

CVR CAVSA

Amoris.

Apud PERSAS non solùm anuli, sed monilia, & alia huius generis ornamenta deferre nequaquam licebat, nisi regis munere collatum esset. Proinde donari anulo à rege, amicitiæ signum erat: eo argumento illos in intimam sodalitatem & uinculum maximi fœderis admittere significantes. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

Anulus apud ueteres ROM. pronubus sponsæ dono mittebatur à uiro, ferreus, durissimus, & sine gemma, antiqui uictus parsimoniam ac frugales mores significans. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 5.

Libertatis.

Apud ROM. cùm promiscuus anulorum usus esse inciperet, libertus anulo donatus, uelut ingenuus iudicabatur uiuens: ita ut haud secus quàm quiuis liber magistratus & honores gerere, & reliqua ingenuorum munia obire posset, & equestris nomen assumere. Morte autem obita, hæreditatis & bonorum partem, ut quilibet libertus, & seruitute exemtus, patrono dare cogebatur. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 29.

Augustus cùm iam conclamatus uideretur, saluti ab ANTONIO Musa est restitutus ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις: quo nomine pecunia est ampliter donatus, & anulo aureo, quoniam erat libertus. Concessum & idem iuris non præsentibus modò, sed & futuris, qui medicos se profiterentur. Cæterùm Marcellus quum mox grauiter afficeretur, non est tamen ratione illa sanatus ab Musa: unde coniectatum, felicitatem priorem non hominis fuisse, sed Dei. Cælius lib. 6. capite 12. Antiq. Lect.

Dignitatis.

CARTHAGINENSES pro numero expeditionum milites plurimis anulis donabant. Alex. lib. 2. cap. 19.

ROMANI iudicibus & equestri ordini, hisque quibus & auo paterno sestertia CCCC. census fuisset, ferreos primùm anulos, deinde aureos dabant, quo insigni equester ordo à senatorio discretus noscebatur. Legatis ad exteras gentes profecturis anulum aureum, uelut insigne munus dabant. Sed foris tantùm aureo, domi ferreo utebantur. Apud eosdem licet Equites aureis interdum anulis ornati sint, non omnibus tamen passim deferre licuit: quia nisi ex primorib. militum, aut si re magna & existimatione magna forent, aut præfectus, centurio, decurio, aut tribunus exercitui preessent, uel à principe aut prætore aureo anulo donati fuissent, illis impunè uti nō licebat. Ferreo quippe militibus uti permittebatur tantùm. Idem.

Signi.

VETERES non ornatus, sed signandi causa anulum circumferebāt. Vnde nec plus habere quàm unum licebat, nec cuiquam nisi libero: quos solos fides deceret, quæ signaculo continebatur. Macrob. lib. 7. Satur. cap. 13.

ALEXANDER Macedo, deuicto Dario, quas destinabat in Asiam literas, Darij anulo imprimebat: quas uerò in Europam, suo. Alexander libro 2, capite 19.

Magiæ.

APOLLONIVM Tyanæum anulos ab Iarcha principe Gymnosophistarum dono datos, instar numinis habuisse ferunt, ita ut singulis diebus per uices uariatis, maximorum secretorum particeps fieret. Alexander ab Alexandro libro secundo, capite 19.

STVDIVM.

E Græcia ad ROM. anulorum usus peruenit, serò tamen. Priscorum regum statuæ in Capitolio anulis carent, præterquam Numæ & Seruij Tullij. Longo certè tempore ne senatus quidem habuit aureos: sed iis tantùm, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publicè dabantur, uulgoque sic triumphabant, ut in publico tantùm aureis, intra domos uerò ferreis uterentur. C. Marius aureum non ante tertium consulatum sumsisse traditur. Sponsæ anulus ferreus mittebatur, sine gemma. Plinius lib. 33. cap. 1.

Frequentior usus anulorum non ante Cn. Flauium Annij filium deprehenditur, anno urbis CCCCXLVIII. Hic namque publicatis diebus fastis, quos populus à paucis principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, alioquin libertino patre genitus, & ipse Appij Cæci scriba, cuius hortatu exceperat eos dies, consultando assiduè sagaci ingenio, promulgaueratque, ut ædilis curulis crearetur cum Q. Anicio Prænestino, qui paucis antè annis hostis fuisset, præteritis C. Petilio & Domitio, quorum patres consules fuerant: additum Flauio, ut simul & tribunus plebis esset. Quo facto, tanta senatus indignatione exarsit, ut anulos ab eo abiectos fuisse, in antiquissimis reperiatur annalibus. Plinius lib. 33. cap. 1.

Promiscui usus anulorum exēplum extat secundo Punico bello: neq; enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Annibale mitti. Idem.

Inter CEPIONEM & DRVSVM ex anulo in auctione uenali, inimicitiæ cepere: unde origo socialis belli, & exitia rerum. Idem.

HELIOGABALVS Imp. adeò anulorum multitudine delectatus est, ut singulis diebus nouos uariarit, eundemque interdum bis induerit.

L. ARVNTIVS Stella Patauinus, poeta insignis, Imp. Rom. aulam sub Nerone ad Domitianum usque secutus, prætor, duûmuir, consul deniq;, uestitu elegantiore utebatur, gemmis item & anulis. quod Martialis hoc Epigram. indicat:

> Sardonychas, smaragdos, adamantes, iaspides uno
> Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
> Multas in digitis, plures in carmine gemmas
> Inuenies: inde est, ut puto, culta manus.

Gestare in digitis anulos ingentis precij ALPHONSVS senior Siciliæ rex consueuerat: & ne lauandis manibus gemmis officeret, loturus anulis digitos exuebat, seruandosque ministris, qui oportunius se offerrent, dare solebat. Cuidam igitur semel cùm anulos tradidisset, qui oblitum regem arbitrabatur, & propterea in usum suum eos uerterat: Alphonsus rem dissimulauit, atque pro eis alios induit anulos, consuetumque morem seruauit. Itaque post aliquot dies loturo Alphonso cùm idem astaret, qui primos habuerat, & non restituerat: manum porrexit, tanquam à rege anulos, ut olim egerat, accepturus. Alphonsus autem retracta ad se manu in aurem, submissa uoce ei dixit: Hos obseruandos tibi anulos dabo, si prius alios, quos dedi, restitueris. Liberali profectò rege humanoque, atque animo ingenti prædito, digna uox, & æternis literarum celebranda encomiis. Fulgosus & Egnatius libro quarto, capite octauo.

CONTEMTVS.

TROIANIS temporibus anulorum nullus fuit adhuc usus, cùm Homerus codicillos missos epistolarum gratia indicet, & scrinia nodi non anuli nota colligata fuisse asserat. Plinius libro 33. capite 1.

Apud CATTOS anulum gestare, ignominiæ loco ducebant, tanquam uinculo nexi forent: quo se aliter liberari nō posse ducebant, nisi aliqua hostili cæde se exoluissent. Alexander ab Alexandro libro secundo, capite 19.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- VITAE perpendenda
  - Χρῆσις, Vsu fructus ipse. VITAE
    - LONGAE VITAE
      - Qui
        - Populi. Patriarchæ. Sacerdotes.
        - Reges. Duces, Milites.
        - Politici, Senatores.
        - Literati homines.
        - Quiuis alij. Mulieres.
      - Quam ob causam. Ob
        - Regionem salubrem.
        - Alimenta certa. Medicamenta.
        - Amuleta. Sobrietatem. Pietatem.
    - BREVITAS.
  - Mutationis. Huc ergo Mutatio, de qua sub Forma.
  - Φυλακὴ, uel respectu
    - Subiecti, hoc est, eorum, qui in uita seruantur. QVI in VITA cõseruati, respectu
      - Ætatis
        - Pueri
          - Expositi.
          - Insidiis uel ui aperta impetiti.
        - Senes.
      - Sexus, Mulieres.
      - Professionis: ut Philosophi.
      - Dignitatis
        - Sacri homines.
        - Reges.
    - Vitæ conseruatæ
      - Efficiẽtis. h. est, quibus conseruatur. VITAE conseruatio respectu Autorum. In uita conseruati à
        - Dæmonibus, spectris.
        - Hominibus agentibus
          - Cõsultò: ut
            - Magistratus. Mulieres.
            - Liberi. Coniuges.
            - Hostes. Tutores.
            - Serui, Famuli.
          - Fortuitò.
        - Brutis: ut ab
          - Auibus.
          - Quadrupedibus
            - Cicuribus à
              - Canibus.
              - Porcis.
            - Feris: ut à Vulpibus, Lupis, Vrsis, Ceruis.
          - Piscibus.
        - Inanimatis; ut à
          - Tempestate.
          - Fluctu.
      - Instrumenti. Quomodo. VITAE conseruatæ instrumenta:
        - Sacra.
        - Odores.
        - Ventus.
        - Alimenta.
        - Medicamenta.
        - Zona.
    - Corruptionis. Contrariorum cõtrarij motus æquipollent, Vita conseruata, & Mors propulsata. Etsi igitur uno generali titulo Conseruatæ uitæ comprehẽdi poterant in aliis tamen euidẽtior habetur ratio
      - Mortis siue Periculi depulsi. Hic rursus perpendatur
        - Periculum. Vide signum A.
        - Modus, quo periculi lethale euitatur, declinatur, depellitur. MORTIS euitatæ, depulsæ modus. Vt puta
          - Diuinatione.
          - Indicio qualicunque.
          - Persuasione.
          - Adulatione.
          - Defensione, Protectione.
          - Aspectu toruo.
          - Habitu mutato.
          - Funere simulato.

A. Peri

A. Periculũ Mortis cõsiderari potest

- Efficientem, à quo intentatur. SERVATI à morte considerata respectu Inferentis, intentatà scilicet à
  - Homicidis, Puta ab
    - Hostibus
      - Communibus. A Latronibus,
      - Peculiaribus
        - Manifestis.
        - Occultis. Ab Coniuratis, Insidiatoribus, Sicariis.
    - Furiosis.
  - Brutis.
- Essentialiter, quo ad
  - Instrumentũ, per quod intentatur. SERVATI à morte cõsiderata respectu Instrumenti, per quod infertur. Cuiusmodi est
    - Fulmen. Ignis. Ab incendio seruati.
    - Aqua. Huc
      - Seruati in
        - Diluuio, Inundatione.
        - Naufragio.
        - Tempestate.
      - Præseruati à
        - Naufragio.
        - Submersione.
    - Gladius, Securis.
    - Baculus, Fustis.
    - Sagitta, Iaculum.
    - Bombarda. Laqueus.
    - Ruina ex
      - Terræmotu.
      - Causa quauis alia: utpote ruina
        - Ædificiorum.
        - Arborum.
    - Casus ex alto, Præcipitium.
    - Venenum
      - Non haustum, auersum.
      - Innoxiè haustum.
    - Pharmacum. Inedia. Sitis. Morbus.
  - Accidentaliter. SERVATI à morte considerata respectu
    - TEMPORIS atque Loci. In
      - Templo, Ad aras, Inter sacra.
      - Lecto, Cubiculo, Somno.
      - Balneo.
      - Iudicio. Condemnationem qui effugere.
      - Prælio. Bello.
    - SOCIORVM. Vnus uel pauci è multis superstites.

Voluminis Secundi
Liber III.
De VITAE humanæ propagatione, conseruatione, restitutione.

LONGAEVITAS. VITAE DIVTVRNITAS.

QVI.

Populi.

Iosephus lib. 1. cap. 3. Antiquitatum decem historicos laudat, qui HOMINVM tradunt modò sexcentos, modò nongentos annos superasse: Manethonem, inquam, Berosum, Mochum, Hestiæum, Hieronymum, qui Phœnicum ueteres historias collegit, Hesiodum, Hecatæum, Hellanicum, Acusilaum, Ephorum: his etiam addemus Xenophontem, cuius auctoritate Plinius ac Valerius utuntur. is enim regũ maritimorum ætates aliquot complexus, unum quidem uixisse tradit annos DCC. alterum DCCC. Ioan. Bodinus Methodi historicæ capite 8.

Hellanicus ait, quosdam ex gente EPEORVM, quæ est pars Aetoliæ, ducentos explere annos, eiq; subscribit Damiates uel Damastes: hoc amplius affirmans, FITORIVM quendam ex his maximarum uirium, staturæq; præcipuæ, trecentesimum annum cumulasse. Valerius Maximus libro octauo, capite decimo quarto. Plinius libro tertio, capite 48. Pictorum uocat.

MVSICANI Indiæ populi, centum & triginta annorum ætatem agunt. Sabellicus.

SERES Indi tam longæ dicuntur uitæ, ut ducentesimum annum excedant. Strabo lib. 15.

In Tmoli montis cacumine locus est TEMPSIS dictus, in quo uulgò CL. annos uiuunt. Plinius lib. 7. cap. 48.

CYRNOS Indorum genus Isigonus annis centenis quadragenis uiuere tradit. Aethiopas item MACROBIOS & SERAS, & QVI Athon montem incolant: hos quidem, quia uiperinis carnibus alantur: itaque nec capiti nec uestibus eorum noxia corpori inesse animalia. Onesicritus, quibus in locis Indiæ umbræ non sint, corpora hominum cubitorum quinũm & binorum palmorum existere, & uiuere annos CXXX. nec senescere, sed ut medio æuo mori. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat, non pauci Macrobios. Ctesias gentem ex his, quæ appellatur PANDORÆ, in conuallibus sitã, annos ducentos uiuere, in iuuenta cãdido capillo, qui in senectute nigrescat. Plin. lib. 7. c. 2. & Val. Max. lib. 8. c. 14.

Scripsit Solinus, Athon montem Macedoniæ, qui inter sex altiores mundi mõtes adnumerarri debet, arcẽ Acroathon in uertice habere, cuius INCOLÆ dimidio plus cæteris mortalib. uiuunt, nec ibi cineres aut aquis dilui, aut uentis euolui. Cui etiã sentẽtię de uitę diuturnitate Mela Pomponius subscribit. Cardanus de Subtilitate, lib. de Elementis.

Pone montes Rhiphæos, ultraq; Aquilonẽ, gens felix, si credimus, quos HYPERBOREOS appellauere, annoso (ut Plinius inquit) degit æuo, hoc est, annis mille, ut alij prodũt, & retulit Strabo. Ibi credũtur esse cardines mũdi, extremiq; siderũ ambitus. Viritim gregatimq; discordia ignota, & ęgritudo omnis. Mors non nisi satietate uitæ, epulatis delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe salientibus. Hoc illis sepulturæ genus beatissimum. Cælius lib. 16. c. 22. A. L.

SEPTENTRIONALES populi licet sub frigidissimo cœlo, uulgò centũ sexaginta & amplius annos uiuunt. Olaus lib. 4. c. 4. Septent. regionum.

ISLANDENSES quamuis ichthyophagi, sine medicina, etiã supra centum annos uiuunt. Olaus lib. 21. c. 4.

Patriarchæ.

ADAMVS protoplastus annos natus CXXX. procreauit Sethũ, & superuixit DCCC annos, alios interim liberos utriusq; sexus procreans.

CAINVS ob interfectum Abelum fratrem flagellantis conscientiæ stimulis actus, omnium se insidiis expositum fore metuebat. Cæterùm clementiss. Deus ei uitam in septimam usq; generationem concessit, ut millies moreretur, & perpetuo mortis metu puniretur, diuturnoq; conscientiæ igne ueluti expiaretur, expiatus demum à Lamecho imprudẽte interficeretur. D. Hieron. ad Damasum.

SETHVS anno ætatis C. genuit Enossum, & superuixit DCCCVII. ENOSSVS annorũ XC. procreauit Cenanem: & postea uixit DCCCXV. CENAN LXX. genuit Mahaleelẽ, & superuixit DCCCXL. MAHALEEL LXV. genuit Iaredum, & uixit postea DCCCXXX. IAREDVS CLXII. genuit Enochum, & superuixit DCCC. HENOCHVS LXV. Mathusalam, & post CCC. annos à Deo sublatus nusquam extitit. MATHVSALA CLXXXVII. genuit Lamechũ: supuixit DCCLXXXII. LAMECHVS CLXXXII. Noachũ procreauit: superuixit DXLV. NOACHVS D. genuit Semum, deinde Camum & Iaphetum. Ex Genesis cap. 5. Superuixit CCCC. annos. Genes. 9.

SEMVS filius Noachi anno centesimo ętatis, biennio post diluuium, genuit Arphaxadum, & uixit postea D. annos. Arphaxadus CCCLXV. eius filius CAINAN DXXXIII. Cainan genuit SALAM, qui anno XXXIX. genuit Hebrem, & superuixit CCCCIII. Heber anno XXXIIII. genuit Phalegum superuixit CCCCXXX. PHALEVS anno XXX. genuit Reum: superuixit CCIX. REVS anno XXXII. genuit Sarugum, uixit postea CCVII. SARVGVS anno XXX. genuit Nachorem, uixit postea CC. NACHOR anno XXIX. genuit Tharam, superuixit CXIX. THARA Abrahami pater ex Vre Chaldæorum in Chananæam migrans, anno ætatis CCV moritur. Genes. 11.

ABRAHAMVS CLXXV. annos natus, obiit. Genes. 25. ISMAEL Abrahami ex Agare ancilla spurius, CXXX. anno uita functus est. Genes. 25. ISAACVS patriarcha CLXXX. annorum obiit, & à filiis Iacobo & Esao sepultus est. Genes. 35. IACOBVS patriarcha annorum CXLVII. in Aegypto moriens, Iosephum filium sacramento obstrinxit, ut sese in Chananæa sepeliret. Genes. 47.

IOBVS CXL. annorum, numerosa nepotum serie, ad quartũ usq; genus, obiit. Iobi ultimo.

Sacri homines.

MOSES propheta centum ac uiginti uixit annos: uegeto corpore, & integris sensibus, ac si annum quinquagesimum nõ superasset. Deuter. ultimo.

AARON pontifex primus Israelitarum, in monte Hore obiit, anno XL. post egressos ex Aegypto Israelitas, primo die mẽsis quinti, annos natus CXXIII. Num. 33.

ELI sacerdos summus XCVIII. annos uixit. Vide Tit. Casu & Ruina mortui.

IOIADA pontifex, qui Ioam cædi Athaliæ ereptum regem fecerat, annos CXXX. natus mortuus est, & regio sepulcro Hierosolymis sepultus. 2. Paral. 24.

TOBIAS senior obiit anno ætatis CLVIII. Niniue sepultus, cum Anna uxore. Tobias filius annos natus CXXVII. Ecbatanis in Media obiit. Tobiæ 14.

SIMON Cleophe, secundus Hierosolymorum episcopus, sub Traiano principe crucifixus, senex robustus, cùm iam centũ & uiginti ageret annos. Fulgos. lib. 8. c. 14.

Reges.

NESTOR Nelei F. rex Pyli, senex ab Homero Iliad. α. introducitur, quando inquit:

τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Item Odysseæ tertio:

τρὶς γὰρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν. id est,
Illum iam exegisse hominum tria secula fama est.

Interpretantur quidam γενεὰν, spacium 30. annorũ: & sic Nestor superauerit 60. annum: quandoquidem ex Arist. quoq; sententia in 8. Politic. ætas hominis Oeconomiæ & Reip. muneribus apta est anno 35. tunc enim iubet uxorẽ ducere, & ad Remp. accedere. Alij uerò, quod uerisimilius est, & ætatem Nestoris magis illustrem reddit, existimant, Nestorẽ duabus ætatibus hominum, hoc est, ciuium suorum, superuixisse, cumq; reliqui omnes uel bello, uel fame, uel morbo periissent, solus Nestor bis omnes has calamitates euasit, & iam tertiæ ætati imperabat. Auis, quibuscum adoleuerat, superuixit: superuixit etiam patribus, qui iam uiro existente Nestore adolescebant: imperat nunc filiis, qui iam sene Nestore primùm ad Rempub. accedebant. Demus enim, Nestoris adhuc iuuenis coæquales fuisse ciues, qui antequam ad 50. peruenissent annum, omnes perierunt, relictis post se liberis. Hæc prima est ætas. Liberi, qui cum patribus uiginti annis uixerant, iisdem mortuis superuiuunt 30. & relinquũt post se liberos. Hæc altera ætas. Sic iam, subductis rationibus, octoginta annis duas ætates hominum superauerit Nestor, & tertiæ ætati uirorum imperauerit. Hoc est, quod Germani dicunt, Er hatt die statt zwey gantze mal überlebt. Iuuenalis Satyra 19.

Rex Pylius (magno si quicquam credis Homero)
Exemplum uitæ fuit à cornice secundæ.
Felix heu nimium, qui per tot secula mortem
Distulit, atq; suos iam dextera computat annos.

Ephorus ARCADVM reges quosdam CCC annis uixisse testatur. Plin. lib. 7. c. 48.

CYNIRAS rex Cypriorum 160. teste Anacreonte. Idem.

ARGANTHONIVS Gaditanus, siue Tartessius, tamdiu regnauit, quamdiu etiam ad satietatem uixisse abundè foret. Octoginta enim annis patriam suam rexit, cùm ad imperiũ quadraginta annos natus accessisset: cuius rei certi sunt auctores. Asinius etiam Pollio, non minima pars Rom. styli, in tertio Historiarum suarum libro, centum illum & triginta annos expleuisse commemorat, & ipse numerosæ uiuacitatis haud paruum exemplum. Val. Max. lib. 8. cap. 14. Plin. lib. 7. cap. 48. ex Anacreõte poeta CL. annos ei tribuit, & 80. regnasse scribit, 40. cepisse.

Xenophon com. περὶ γήρως, Latinorum REGEM octingentis uitæ annis donauit: ac ne pater eius parũ benignè acceptus uideretur, ei quoq; sexcentos assignauit annos. Val. Max. libro 8. cap. 14. & Plin. lib. 7. c. 48. qui annos hos non solares fuisse opinatur, sed ad lunæ cursum uel menstruum uel trimestrem referendos arbitratur.

NVMÆ Pompilij excessus non fuit subitus neque repentinus, sed senio & lenta ægritudine pedetentim contabuit, ut scripsit Piso. Decessit non multò plus quàm octogenarius. Plutarchus in Numa.

HIERO Siciliæ rex, amicus Rom. pop. ad nonagesimum peruenit annum. Val. Max. lib. 8. c. 14.

ATILA Hunorum rex CXXIIII. annos natus in nuptiis periit, uti supputat Nicolaus Olahus in eius uita, Sabellicũ reprehendens, qui LVI. annos tantùm ei tribuit.

ALBERTVS II. Saxoniæ dux, princeps pacificus, & qui singulari zelo insectabatur latrones insidiantes publicis itinerib. supra centum annos uixit, sic ut filiis & nepotibus & pronepotibus ante se defunctis, Rodulphum in quinta generatione nepotem habuerit Electoralis dignitatis primũ successorem. Nam filios genuit Rodulphum atque Ottonem, ante patrem defunctos. Otto filios non reliquit: sed Rodulphus Ioannem, qui etiam auum moriens reliquit, & Ioannem filium, qui & ipse superstitẽ fecit proauum, relinquens filios Ioannem & Albertum, quorum uterque reliquit prolẽ masculam. Sed mortui sunt & illi, auo superstite Alberto, qui per omnium horum tempora sustinuit solus dig[illegible] Electuræ, eamq; reliquit Rodulpho Alberti filio. Crantzius lib. 8. c. 29. & lib. 9. Saxoniæ, cap. 5.

Duces, Milites.

IOSVA Nunis F. ex tribu Ephraimitica, dux populi Israelitici post Mosem, annos natus CX. obiit, & sepultus est in finib. sui patrimonij Thannathseræ, in monte Ephraimitico sitæ, ad septentrionem Gaassi montis. Iosua cap. 24.

CALEPHVS Iosuæ in terra sancta exploranda socius, octoginta quinq; annorum, nullum omnino nec corporis nec animi defectum sentiebat. Iosue 14.

Sub Ludouico Iuniore Francorum rege obiit IOANNES à Stampis, quẽ, per errorẽ, A temporib. multi uocitant, ob diuturnam uitam. Plus trecentis sexaginta uixisse annis cum fama ciũt: sub Carolo Magno meruisse: Ludouico Crassi filio decessisse: cũ interea nulla in tot motibus mẽtio eius facta fuerit: nec latere ignorariue potuisset uirtus, quę specimen sui iam inde à clarissimi Imperatoris ætate præbuisset. Libentius crediderim eum militasse sub Carolo Simplicis nepote: quem regnum paternum auitumq; petẽtem, & in Carolum Magnum originem suam referentem, Capetus regni ęmulus cepit, speque rerum potiendarum exuit: nec trecentorum sexaginta, sed centum circiter & sexaginta annorum uitam ei contigisse: id quod etiam consenescente mundo magnum & memorabile sit. Aemilius lib. 5. Fulgos. lib. 8. cap. 14. uocat Ioannem Equitem de Tampes, & obiisse scribit anno sal. 1146. Ritius lib. 2. regum Francorum, Ioannem de Temporibus appellat.

Scribit Guido Bonatus, astronomus ingentis doctrinæ, Salutis anno 1223. hominẽ à se uisum, nomine RICHARDVM, qui se cum Carolo Magno stipendia fecisse dicebat, & iam CCCC annũ uixerat. Fulg. lib. 8. c. 14. & Egnat. eodem.

Senatores, Politici homines.

Decessisse ARISTIDEM alij in Ponto memorant, quò nauigauerat reip. causa: alij Athenis ex senio, à ciuibus honoratum atq; celebratum. Plut. in Aristide.

M. Furius CAMILLVS ætate iam longè exacta, grauia & periculosa obiuit bella: non minori consilio & cõstantia, quàm cùm integra fuit ætate. Sab. lib. 1. c. 7.

APPII Claudij Cęci æuum clade metirer (quia infinitũ numerum annorũ orbatus luminibus exegit) nisi quatuor filios, quinq; filias, plurimas clientelas, rem deniq; publicam hoc casu grauatus fortissimè rexisset. Quinetiã fessus iam uiuendo, lectica se in curiam deferri iussit, ut cum Pyrrho deformẽ pacem fieri prohiberet. Hũc cæcum aliquis nominet, à quo patria, quod honestum erat per se parùm cernẽs, coacta est prouidere? Val. lib. 8. c. 14.

M. VAL. Coruinus, tribunus militũ, sub Camillo reliquias Senonum persequente, centesimum annum compleuit, cuius inter primum & sextum consulatum quadraginta sex anni intercesserunt. Sella curuli semel ac uicies sedit, quoties nemo alius: suffecitque integris uiribus corporis, non solùm speciosissimis Reipub. ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum suorum culturæ, & ciuis & patrisfamiliæ optabile exemplum. Idem.

Huius uitæ spacium æquauit L. METELLVS, quartoq; anno post cõsularia imperia senex admodũ põt. max. creatus, tutelam ceremoniarum per duos & uiginti annos, neq; ore in uotis nuncupandis hæsitante, neq; in sacrificiis faciẽdis tremula manu, gessit. Val. lib. 8. c. 14. & Cæl. lib. 19. c. 20.

Q. FABIVS MAX. duobus & sexaginta annis auguratus sacerdotiũ sustinuit, robusta iam ætate id adeptus. Quæ utraq; tẽpora si in unum cõferantur, facilè seculi modũ expleuerint. Val. lib. 8. c. 14. & Plin. lib. 7. c. 48.

M. CATO propè ad tertiã ætatem, sicut Nestor, uita & actionibus peruenit. Namq; cũ Scipione Africano maiore magnis contentionibus in repub. habitis, peruenit ad Africanũ minorem, qui fuit illius adoptione nepos, filius Pauli, qui Persen & Macedonas debellauit. Plut. in Catone.

M. PERPENNA uixit annos 98. & omnibus, quos in Senatu togauerat, superstes fuit: septemq; tantummodo, quos Censor collega L. Philippus legerat, è patribus C. reliquos uidit, toto ordine amplissimo diuturnior. Val. lib. 8. c. 14. & Plin. li. 7. c. 48. qui idem L. VOLVSIO Saturnino tribuit.

Literati homines.

Fertur epigramma quoddam Pindari de HESIODO:

χαῖρε δὶς ἡβήσας, καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας
Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

Eum bis pubuisse dicit, extremã senectam significans, quasi pueritiam referat. Bis item sepultum, quòd cùm in Locris occisus, & in mare abiectus esset, Locrenses cadauere agnito, auctores cædis comprehensos in mare præcipitarunt, & Hesiodum in Nemeo sepelierunt. Plut. in Conuiuio septem sapientum. Eras. in prouerb. Hesiodi senecta.

EPIM[illegible]DEM Gnossium Theopompus dicit septẽ & quinqua[illegible]ta & centum annos uixisse. Val. Max. lib 8. cap. 14. & Plin. lib. 7. cap. 48. Laertius, ex Phasgone. At Cretẽses eũ 299. uixisse aiunt.

DEMOCRITVS Abderites, anno CIV. mortuus est abstinentia cibi. Totidẽ annos uixit CTESIBIVS historiæ scriptor, & (ut in annalibus Apollodorus refert) inter deambulandũ uiuendi finem fecit. Agatharchides libro historiæ Asianę nono scribit, HIERONYMVM historicum, cùm is & temporis multum in expeditionib. bellicis tolerasset, & in pugnis permulta accepisset uulnera, annos natum totidem, decessisse. Phlegon Trallianus.

HIPPOCRATES Cous medicus, uixit apud Perdiccã Macedoniæ regem, excessit annos natus CIV. Larissæ. Volater. lib. 6. Vrban. comment.

SOPHOCLES Tragicus iam extremæ senectutis, à filiis accusatus est dementiæ. At is pro apologia iudicib. recitauit fabulam, quam proximè scripserat: rogans, num ea uideretur delirantis. Fertur & hoc dixisse: Si sum Sophocles, non deliro: si deliro, non sum Sophocles. Eras. lib. 8. Apoph.

ORBILIVS Beneuentanus, grãmaticus Ciceronis tempore insignis, & plagosus, uixit propè ad centesimum annum, amissa iampridem memoria. Testis est Tranquillus de claris Grammaticis, & Vol. lib. 17. Anthrop.

EVPHRANOR grammaticus Latinus, cuius discipulus fuit Appion, centesimum excessit annum, & per eam adhuc ætatem docere solebat. Guido Bituricensis.

DEMONAX Hadriani tempore philosophus, decessit ferè cẽtenarius, funeratus publicè magna ciuium frequentia, teste Luciano, & Vol. lib. 15. Anthrop.

Apollonij Tyanæi AVVS, philosophus, annos centum ac triginta uixit: ut testis est Philostratus in uita Apollonij, & Vol. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

GALENVM philosophum & medicum singularem, Pergamenum, memoriæ proditũ à nonnullis est, centũ & quadraginta annos uixisse, tantaq; in cibo & potu abstinẽtia usum, ut ad satietatem nunquam comederit aut biberit, nec crudũ quicquam unquam gustarit: unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret: sed quod longè apud me mirabilius est, citra ullam omnino affectionem, sola defecerit senectute. At Suidas Galenũ annos LXX. uixisse ait: & ipsemet Galenus multis in locis morbos, quibus laborarit enarrat. Cælius lib. 30. cap. 12. A. L.

Quiuis alij.

Cælius scribit MARIN quendam uixisse annos CXXIII. cuius antica corporis humana fuerit, postica equina.

AEGIMIO CC. annos uitæ tribuit Anacreon poeta apud Plinium lib. 7. cap. 48.

LONGÆVORVM ex censoriis tabulis Romanis catalogum Phlegon Trallianus lib. de Mir. & longæuis contexuit.

Eo censu, quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani, pater filiusq;, censores egerunt, in media Italię parte, inter Apenninum Padumq;, centum uiginti annos Parmæ tres edidere, Brixelli unus. CXXV, Parmæ duo. CXXX, Placentiæ unus. CXXXI, Fauentiæ una mulier. CXXXII, Bononiæ L. Terẽtius Marci filius. Arimini uerò M. Aponius C & L, Tertulla CXXXVII. Circa Placentiam in collib. oppidum est Velleiacium, in quo CX. annos sex detulere, quatuor centenos uicenos, unus CXL. M. Mutius M. filius, Galerius Felix. In regione Italiæ octaua centenum annorũ cẽsi sunt homines quinquagintaquatuor, centenum denum homines quinquagintaseptem, centenum uicenumquinũ homines duo, centenum tricenum homines quatuor, centenũ tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres. Plin. lib. 7. c. 49.

Alexander Cornelius in eo uolumine, quod de Illyrico tractu composuit, affirmat DANDONEM quendam ad quingentesimum usq; annum nulla ex parte senescentem processisse. Val. Max. lib. 8. c. 14.

T. FVLLONIVS Bononiensis, in Claudij principis censura, dinumeratis ab eo diligenter annis, ne qua inesset fraus, inuentus est, annos centum ac quinquaginta superasse. Fulgosus lib. 8. cap. 14.

Mulieres.

SIBYLLÆ uiuacitas prouerbio locum fecit. Propertius Elegiarum libro secundo,

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.

Sibyllæ ætatẽ pro quantumuis longa posuit. Hãc Vergilius 6. Aeneid. libro longæuã sacerdotem uocat. Et Seruius cum enarrans locum, adscribit Apollinem amore Sibyllæ captũ, ei poscẽdi quod uellet arbitrium dedisse: illam haustis arenis, tantũ poposcisse uitæ. Id Apollo fieri posse respondit, si Erythræam insulam relinqueret, nunquam patriam terram reuisura. Venit itaq; Cumas, ubi corporis uirib. defecta, in sola uoce uitam retinuit. Quod ubi cognouissent illius ciues, incertùm inuidia, an commiseratione, epistolam ad eam miserunt, creta, antiquo more signatã. At illa, uisa terra patria, in mortẽ resoluta est. Ita uati suæ uerba dedit Phœbus. Eras. in Adagiis. Ouidius lib. 14. Metamorphoseon:

—— Nam iam mihi secula septem
Acta uides: superest numeros ut pulueris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta uidere
Tempus erit, quum de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet, consumtaq; membra senecta.

Hinc Statius libro 1.

—— Tu Troica dignus
Secula, & Euboici transcendere pulueris annos.

Sibylla Erythręa uates, annos uixit nõ multò pauciores, quã ipsa in oraculis suis cecinit. E quib. cõstat eã decẽ ætates inter homines exegisse: & postquã è uiuis excessit, animam in aerẽ elatã effecisse, ut ad aures hominũ omnia & sermones de futuris acciderent. Cadauere autẽ insepulto iacẽte, aues

eius

cius carnibus uescentes, auspicio uentura indicasse: reliqua parte computrescente, & terram penetrante, pecudes, quę è terra ea enatas herbas depascerent, diuinationem, quæ è iocinorum fit inspectione, inter homines introduxisse. Cæterùm ætatem Sibylla annis CX definit in oraculo Romanis dato de ludis, quos ipsi Seculares uocant. Phlegon Trallian. lib. de Mir. & longæuis.

TANAGRA Aeoli uel Asopi filia, Pœmandri uxor, qui Tanagrã urbẽ Bœotiæ à nomine uxoris condidit. Ea eò ętatis uiuendo processit, ut à proximis uicinis γραῖα, id est, anus, fuerit appellata. Quod nomen etiã Tanagræ inditũ, Homerus in Catalogo nauium recenset. Pausanias in Bœoticis.

Ex feminis LIVIA Rutilij nonagintaseptem annos excessit. STATILIA Claudio principe ex nobili domo nonagintanouem, TERENTIA Ciceronis CIII. CLODIA Ofilij CXV. hæc quidem etiam enixa quindecies. LVCEIA mima centum annis in scena pronũciauit. GALERIA Copiola Emboliaria reducta est in scenam, Cn. Pompeio, Q. Sulpitio Coss. ludis pro salute diui Augusti uotiuis, annum centesimum quartum agens: quæ producta fuerat tyrocinio à M. Pomponio ædili plebis, C. Mario, Cn. Carbone consulibus, ante annos nonagintaunum: & à Magno Pompeio magni theatri dedicatione, anus ꝓ miraculo reducta. SAMVLLAM quoq; centum decem annis uixisse, auctor est Asconius Pedianus. Plin. lib. 7. cap. 48.

LESBIAM Martialis Epigram. lib. 10. ob senium irridet:

Consule te Bruto quid iuras Lesbia natam?
 Mentiris, nata es Lesbia rege Numa.
Sic quoq; mentiris: namq; ut tua secula narrant,
 Ficta Prometheo diceris esse luto.

QVAM OB CAVSAM. Ob *Regionis salubritatem.*

Vide Titulum, Regiones salubres.

Mediam Italiæ partem, inter Padum & Apenninum, regionem itidem Italiæ octauam longæuos MVLTOS proferre solitam, ex Plin. lib. 7. c. 49. fide censoriarum tabularũ constat.

BRASILIA Americæ regio fertilis & amœna, & tanta salubritate prædita, ut uix sit opus ulla medicina. Omnes enim fermè, qui moriuntur, non aliquo morbo, sed senio consumti moriuntur. Multis & ingentibus fluuiis alluitur: fontes habet aquæ dulcis atque perennis innumerabiles. Campi sunt latissimi, lætissimaque pabula profundunt. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

Alimenta certa.

AETHIOPES Macrobij pleríq; ad centũ uiginti annos perueniunt. Hoc beneficij uidentur habere ex fonte, cuius aqua adeò inualida est, ut in ea nihil innatet, sed omnia submergantur, quam assiduè bibunt. Herod. lib. 3.

Auctor Athenæus scribit, CYRNIOS, qui Corsicã incolunt, ideo esse macrobios, siue polychronios malis dicere, quoniã mellis cibo utantur assiduè, quod apud eos in buxo natum (ut Bibliotheces sexto scribit Diodorus) habetur copiosius. Et interrogatus Democritus, quonã pacto sanus quis possit agere? Si interna, inquit, melle rigaris, oleo autẽ extima. Quin Pythagoræ consectatorum mensa pane cõstabat melleq;, sicuti prodit Aristoxenus. Cælius lib. 21. c. 3. A. L.

POLLIO Romulus, qui centesimum excesserat annũ, Augusto percontanti, qua tandem ratione illum corporis animique uigorem seruasset? Intus (inquit) mulso, foris oleo. Tradit Plinius, naturam hominib. duos dedisse liquores optimos, oleum foris adhibendũ corpori, uinum intus. Mel autem ob humidam calidamq; uim, admodũ senibus incommodum est. Nunc mel in totum à mensis submouimus, & oleum corpori infundimus. Eras. lib. 8. Apoph. & Cælius lib. 28. cap. 27. ex Plin. lib. 22. cap. 24.

IVLIA Augusta LXXXII. annos uitæ uino Pucino retulit acceptos, nõ alio usa. Gignitur in sinu Adriatici maris, nõ procul à Timauo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquẽte amphoras. Nec aliud aptius medicamẽtis iudicatur. Hoc esse crediderim, quod Græci celebrantes miris laudib. pyctanon appellauerũt ex Adriatico sinu. Plin. lib. 14. c. 6.

Medicamenta.

Fabulæ tradunt TITHONVM adamatum ab Aurora in cœlum sublatum fuisse, atque illius succo perfusum, ad tantam peruenisse senectutem, ut tandem optauerit in cicadam uerti. Lucianus in quodam dialogo: κᾲ ὑπὲρ τιθωνὸν ἔζη ὁ γέρων id est, Atque ultra Tithonum uiuebat senex. Huius Tithoni personam inducit Aristo Chius in libro de Senectute, propter uiuacitatis miraculum, ut testatur in Catone M. Cicero. Erasmus in Adagiis.

Amuleta.

Scribit Damis, sapientum Indorũ principem IARCHAM tam scitè, tamq; doctè anulos septem compegisse, qui & stellarũ septem nominib. essent præsignes, ut Apollonium Tyaneũ dono acceptos singulis diebus singulos, iuxta dierum nomina eos distinguẽtem, gestasse proditũ sit. Ampliùs Iarchã id quoq; Apollonio insinuasse, auum suũ philosophiæ mysteriis itidem initiatum, annum centesimũ tricesimumq; uiuendo attigisse. Id uerò anulorũ beneficio contigisse, quãuis non satis constanter, grauissimi auctores interpretantur. Quinimò Apollonium ipsum eodem munere iuuentę nitorem prætulisse, quamuis annum iam centesimum excessisset. Cælius lib. 6. cap. 12. A. L.

Sobrietatem.

ESSENI Iudæi uiuunt quàm longissimè, ita ut plurimi eorũ ad centum annos pertingant, propter simplicitatem uictus, & institutionem bene in omnibus ordinatam. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iud.

Pietatem.

Magna pars mercedis Mosaicæ legis in longa uita consistere uidetur. Vnde ait Moses: Oculi uestri uiderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit, ut custodiatis uniuersa mãdata illius, quæ ego hodie præcipio uobis, ut possitis introire & possidere terram, ad quam ingredimini, multoque in ea uiuatis tempore. Cæterùm terra sancta symbolum fuit patriæ cœlestis. Deuteronom. 11.

VITAE BREVITAS.

Consule Tit. eorum, qui Morte intempestiua & immatura sunt extincti, quatenus magna de illis adhuc expectari poterant. Nos hîc solam uitæ breuitatem consideramus, illic causam, cur longiore uita digni fuerint, complectimur.

Propter Phineis & Ophnis filiorum Elis sacerdotis summi Israelitarũ scelera, stupra, & rapinas, minatur Dominus per uatem ipsi patri, effecturũ se, ut omnes eius POSTERI in ętate uirili moriantur, neq; ad senectutem perueniant. 1. Regũ.

Apud INDOS Pediæos nulli ferè senes conspiciuntur: quoniam ægrotos similiter & senes occidunt, eisq; uescuntur. Herodotus lib. 3.

MANDROS Indorũ gentem scribit Clitarchus & Metasthenes quadragenos non excedere annos, iunctos Macrobijs, quorũ feminæ semel pariant, idq; & Agatharchides tradit. Præterea locustis eos ali, & esse pernices. Trecentosq; eorũ uicos annumerat. Feminas septimo ætatis anno parere, senectam quadragesimo anno accedere. Plin. lib. 7. c. 2.

In CALINGIS Indiæ gente quinquẽnes concipere feminas, octauũ uitę annũ nõ excedere tradunt. Quod ipsum repetit. Plinius libro septimo, capite secundo.

AETHIOPAS anno tricesimo consenescere, Asclepiades arbitratur, ex adustione solari. Nã frigoris ratione diuersa, in Britãnia ætatis anno centesimo ac uicesimo seniũ cõtingere. Obstipari siquidẽ in iis locis corpora, obseptũq; seruari genuinũ calorem, qui euanescat in Aethiopibus, Solis uilaxatis eorum corporibus. Cælius lib. 21. cap. 3. A. L.

Tempore Andronici iunioris Imp. PVER circa Traianopolim uisus est, qui anno tertio balbutiebat, ut infans: sed iis erat præditus uiribus, quibus uir uiginti annorum, & uiro nõ minus comedebat, & circa pubem pilos habebat uiri ætate integra. Sed priusquam annum quintum explesset, febri correptus expirauit. Nam penuria humoris, infantili ętati debiti, tantam ariditatem in eius corpore excitauit, quanta uel in uicenario sit. Gregoras lib. 10.

IN VITA CONSERVATI.

Vitæ conseruatio inter Corporis bona potissimùm referri debet. Sin Modum spectes, non pauca exempla inter Fortuita quoque locum merebuntur.

INFANTES, PVERI, EDITI quidem IN LVCEM, sed postea uel *Expositi.*

MOSES Amaramo patre & Lochabetha matre natus, tres ꝓpemodũ mẽses secretiori parte domus educatus, tandẽ metu tyranni Pharaonis inclusus cistæ, & in Nilũ proiectus, à Thermuthi Pharaonis filia inuentus, cũ Aegyptia ubera respueret, matri ꝓpriæ alẽdus traditur. Ablactat⁹ in regia porrò educatur, Pharaoni quoq; ob filiã charus. Verùm ubi diadema manib. discerpens, specimen indolis suæ dedit, sacerdotis Aegyptij hortatu (qui regem ad Hebræos pueros necandos prius compulerat, quòd ab illorũ uno ingẽs clades Aegyptiis inferenda esset) Pharao de tollendo puero consiliũ ceperat, nisi partim filiæ precibus, partim pueri imprudẽtia (qui uiuos carbones ori ingerens, perpetuũ linguæ uitiũ contraxit) à proposito destitisset. Exod. 2.

MELITEVS, Ioue & nympha Othreide natus est. Eum mater, Iunonis metu, quòd cum Ioue concubuisset, in syluam exposuit. Puer Iouis uoluntate seruatus, & ab apibus nutritus, adoleuit. In eum oues pascens incidit Phagrus, frater eius uterinus, Apollinis F. miratusq; molem corporis, magisque etiam apum facinus, secum eum domũ transtulit, magnoq; studio educauit: imposito Melitei nomine, quòd esset ab apibus nutritus. Venit ei etiam oraculi in mentem, quo illum Deus aliquando salutem fratri ab apibus nutrito allaturum monuerat. Puer simul atq; uirilem attigit ætatem, præclarè se gessit, plurimisq; uicinorũ præfuit: & in Phthia urbem Melitam condidit.

Brasiæ Eleutherolaconum oppidum est. Cuius incolæ narrant diuersa à cæteris. Semelen scilicet Ioui LIBERVM patrem peperisse, à Cadmo uerò deprehensam, cũ puero recens nato in arcam coniectam: eam arcam æstu iactatam, in fines suos expositam. Ibi Semelen, quæ iam mortem obierat, à se magnificè sepultam, superstitem puerum educatum. Eam fuisse causam, quòd urbs sua, quæ ad illud usq; tempus Oreatæ appellata fuerat, iam mutato uocabulo Brasiæ diceretur, sumto nomine, ab arcæ in eam oram appulsu: quando ætate etiam nostra, quæ maris æstu ad terram deferuntur, ἐκβράζεσθαι, id est, maris agitatione propelli à multis dicũtur. Pausanias in Laconicis.

Fuit Phlegyas omnium sui temporis bellator acerrimus, quippe qui in quamcunq; partem excursiones fecisset, ex ea cùm frumẽta, tum reliqua omnia agebat & rapiebat. Is cùm iam Peloponnesum intrasset, filia Coronis, quæ patrem sequebatur, cùm adhuc se uterum ex Apolline ferre patrem celasset, in Epidauriorum finibus puerum AESCVLAPIVM enixa, illum in monte exposuit, cui hac ipsa etiã ætate Titthion nomen est, ac si Mãmillam dicas, cùm ante Myrtion appellaretur: mutari nominis causa, quòd exposito infanti lac præbuit capra, quæ cũ cæteris in eo saltu pascebat, dum interea cũ canis custodiret. Ibi Aresthanas caprarius cùm à reliquo grege in pecore recensendo, capellam unam, cũq; ea canem aberrasse animaduertisset, totũ eum saltum quæritans peragrauit. Inuentũ uerò puerum cùm tollere uehementer cuperet, ac iam propiùs accederet, effulsisse aiunt cœlestem ab illo ignem: quo deterritum prodigio pastorem, cùm diuinum quiddam esse, uti erat, suspicaretur, statim retrocessisse. Mox fama per terras ac maria omnia uulgauit, sanari ab illo quouis morbo laborantes, mortuos etiam excitari. Pausanias in Corinth.

PERSEVS Iouis filius arcæ ab Acrisio cum matre inclusus Danae, beneficio piscatoris uixit. Adultus cùm in maximã spẽ ob egregiam indolem uenisset, & aui iniuriam ultus est, & suo euentu comprobauit, nullos fermè mortalium in reliqua uita clariores fortunæ benignitate, quàm quos illa à primo statim ortu ueluti sæuissima nouerca uideatur abiecisse. tanquam enim suæ potestatis ostentandæ cupida, eos potissimùm ab initio periculis obiectat, quos ad rerũ summam felicitatem euehere mater indulgentissima postea facta uelit. Sab. lib. 1. cap. 2.

Alcmena ex Ioue grauida post partũ Iunonẽ uerita, HERCVLEM in loco exposuit, quẽ nũc ab eo Herculeũ campũ dicũt. Quo tempore Minerua unà cũ Iunone profecta, cùm infantis naturam admiraretur, Iunoni suasit, ut illi mammam præberet. Qua præter ætatem uiolentiùs sumta, Iuno dolore mota, puerũ abiecit. Minerua illũ matri detulit nutriendũ. Mirabitur meritò quis rem insuetam accidisse, ut mater, quã ad filiorũ amorem natura compellit, ex se natũ perditum iret: nouerca, quę natura odisse priuignos solet, ignorans saluaret infantem. Diod. lib. 4. cap. 2.

Hercules in Arcadiam ex Laconia reuersus, apud Aleũ regem hospitaliter diuersatus, Augen eius filiam uitiauit. Post Herculis digressum utero prodita, nautis à patre, ut eã alto mari mergerent, tradita est. Sed tantisper dum ad mare ducitur doloribus repentè obortis, quũ per speciem curandi corporis paululum uia diuertisset, PVERVM enixa inter folia dẽsaq; uirgulta occulit. Ductores regiæ puellæ fortunã miserati, Caribus inde soluentibus in alias procul terras asportandam tradiderunt. Pastores interim puerum inuentum, ad stabula detulerunt: cùm ceruam iacenti illi ubera præbuisse deprehendissent. Ergo inter pastores educatus, TELEPHVS est dictus. Delphos ueniens, de matre consulturus, in Mysiam nauigare est iussus. Ad Teuthrantem itaq; profectus, qui per id tempus in ea terra regnabat, Augenq; Telephi matrem à Caribus dono acceptam in regia habebat, certis indiciis à matre agnit⁹, in summo honore fuit apud Teuthrantem. Ducta deinceps Argiope eius filia in coniugem, successor est regni ab eo ascitus. Sab. lib. 6. En. 1. ex Pausaniæ Achaicis. Diod. lib. 4. c. 2. Strabo lib. 13.

Creusam Erechthei regis Atheniẽsis filiam Apollo grauidam fecit, Athenis. Illa uerò cupiens celare furtiuas nuptias: natũ sub arce exposuit, in loco ubi cũ Apolline ante menses decẽ concubuerat. Eum infantem Mercurius expositũ, & prędam feris & auibus propositũ, rogante Apolline, ad limẽ templi Delphici in arcula inclusum detulit: ubi à Pythia sacerdotissa Phœbi manè inuentus, & deinde de sacrificiis, quæ aræ imponebantur, altus & educatus est. Cũ uerò iam adoleuisset, æditũus & custos templi Delphici constitutus est, quod scopis mũdare & frondib. ornare solebat. Creusam deinde duxit uxorem Xuthus, ab Aeolo & Ione natus, accipiens eã præmiũ fortitudinis, quòd cũ Atheniensib. Eubœã depopulatus esset. Cæterùm quia in matrimonio aliquandiu sine liberis uixissent, nec spes ulla prolis adesset, profecti sunt simul Delphos ad oraculũ. Ibi Xuthus solus remota Creusa Apollinem de liberis interrogauit. Respondit Deus: eũ suũ esse filium, qui sibi templo egredienti primus occursurus esset. Cũ aũt ION primò sibi obuiam uenisset (unde nomen illi inditũ, Ion ἀπὸ τοῦ ἰέναι) eum pro filio habere cepit: putans eum fortè aliquando sibi adhuc adolescenti natum fuisse ex furtiuis nuptiis. Creusa ignara Ionem suum esse illum filiũ, ex Apolline sibi olim clàm natum, excitata à sene pædagogo & famulabus, quas secũ Athenis adduxerat, Ionem malis artibus è medio parabat tollere. Quibus detectis, cùm Delphici ciues ipsi mortem minitarentur, ad aram supplex confugit. Interea protulit Pythia arculam, in qua expositum inuenerat Ionem. Quam cùm uidisset Creusa, simul & fascias quibus inuoluerat, & alia signa animaduertisset, Ionem suum salutauit filium, & eum Athenas ut suum & Xuthi cõmunem filium abduxit, regnique hæredem constituit. Euripides in Ione.

Alcimedon heroum unus fuit: cuius filiam nomine Phillonem uitiatam ab Hercule Phigalij memorãt: à patre uerò statim à puerperio in proximum montem feris expositam cũ puero. Ibi uagientem infantem cùm pica imitaretur, ad auis uocẽ, quòd puerilem esse credidisset, Herculem fortè illac iter habentem conuersum, puellam & à se genitũ puerũ, quem AECHMACORAN appellatum tradunt, agnouisse, ambosq; uinculis liberasse. De rei euẽtu fontem proximũ Cissam, id est, picam nuncupatũ, in monte Arcadiæ Ostracina dicto. Pausanias in Arcad.

Laius Cadmi pronepos, si Herodotus uerus est auctor, Iocastam Creontis filiam duxit uxorem. Ex qua quum nullam diu prolem habuisset, oraculum adiit consulturus, an filios esset habiturus? Responsum, expedire ei sine liberis esse: fore, ut si unquam filium tolleret, ineuitabili fato ab eo obtruncaretur: Suidas uerò, filium cum sua matre congressurum. Laius ergo infantem ex Iocasta non multo pòst editum, traiectis ferro pedibus, ne in eo uel ministri fraude seruato deciperetur, in solitudines abiici iussit. Vnde OEDIPODIS illi nomen datum. Ministri, Polybæ seruilis fortunæ mulieri furto alendũ tradiderunt. Hæc Diodorus. Papinius, si quis in hac parte poetis relinquitur locus, à Polybo eum, non Polyba, nutritum significare uidetur: Suidas uerò à Melæbo. Procedente deinde tempore Laius Delphos ad oraculum iturus, in Phocide Oedipodi iam adulto occurrit. Tum neuter alteri notus, uiarum angustias uno tempore occupant: ortaque inter eos rixa, Oedipus senem obtruncat: & quoniam ænigma ab Sphinge propositum unus omnium soluisset, diraque illa infestatione Thebanum purgasset agrum, Iocastæ matris imprudens connubium adeptus, ex ea plures liberos procreauit, uirilis stirpis, Eteoclem & Polynicem, Antigonam alterius sexus & Ismenem. Sabellicus libro 7. Enn. 1.

Philonomen Nyctimi & Arcadiæ filiam, dum uenatur cum Diana, Mars uestitu pastorali prægnantem fecit. Quæ ut gemellos enixa est, timens patris, in Erymanthum infantes proiecit. Hi deorum ope circumuecti ad cauam quercum appulẽre. Lustra sua ibi habebat recèns enixa lupa, quæ catulos proprios in profluentem proiecit, infantibusque mammam præbuit. Cuius rei cùm pastor spectator Tyliphus fuisset: accepit pueros, ac quasi suos eduxit: quorum hunc LYCASTVM, alterum dixit PARRHASIVM, qui pòst in regnum Arcadiæ successerunt. Id apud Zopyrum Parrhasium libro tertio historiarum reperitur. Plutarchus de Græc. & Rom. comparat.

Dicunt prægnantem Hecubam somniasse se facem ardentem, quæ uniuersam Asiam inflãmaret, peperisse. Ariolos percunctanti responsum fuit, futurum ut infans, quem in utero gestabat, esset causa excidij patriæ. Ouid. in epistola Helenæ. Natũ infantem PARIDEM Priamus Archelao exponendũ dedit. Expositũ per dies quinq; ursæ lac suxisse memorant. Cura-

Curauit Hecuba, ut à pastoribus in Ida monte nutriretur: alij ab Archelao ut filium educatum tradunt. Cùm adoleuisset, & regia armenta latrones abigerent, illos armis insecutus cæcidit, armenta recuperauit: unde Alexãder dictus est. cumq; in Agonalib. ludis fortissimus apparuisset, quę per id temporis apud Romam locum agebantur, à Priamo deniq; cognitus, & in regiam receptus est. Natalis Comes Mythol. lib. 6. c. 23. & Cælius lib. 19. c. 19. A. L.

Est Syriæ urbs Ascalon. Haud procul ab hac stagnum est piscibus plenum, iuxtaq; templum insigne deæ, quã appellant Dercetam, facie hominis, reliqua parte corporis piscẽ. Huic Venerem aliquando obuiam factam, magnum amorem cuiusdam speciosi adolescentis sacrificantis ei iniecisse, exque eorum coitu filiam natam aiunt. Derceta sui peccati pudore ducta amouit adolescentem, filiam uerò in loca quædam deserta ac saxosa, in quibus aues erant plurimæ, exposuit: ibique quasi diuino nutu ab auibus infans nutritur: ipsa pudore doloreq; compulsa, in lacum se abiecit, atq; ibi in piscem conuersa. Vnde & Syri usq; ad hæc tempora his piscibus abstinentes, eos pro diis colũt. Aues infantem alis confouentes, coagulato lacte è proximis pastorum mapalibus rapto, nutriuerunt. Acto anno, cũ firmiori cibo egeret, aues caseum eodem ex loco raptum ori infantis admouerunt. Qua re à pastoribus ex corrosione casei animaduersa, infantem speciosa forma reperiunt, nutritamq; apud se dono postea præsidi pastorum regio, nomine Simma, dedêre. Hic liberis carens, ut filiam magna cura nutritam, SEMIRAMIDEM ab auibus (eo enim nomine lingua Syra uocantur) appellauit. Quas postmodum Syri omnes, ut deas honorarunt. Ea cùm iam nubilis esset, ac pulcritudine cæteras excederet uirgines, missus à rege Assyriorum Nino ad recensendos greges præfectus Syriæ Menon, cùm apud Simmam diuertisset, conspectæ uirginis amore captus, uxorẽ illam duxit, exque ea duos Iapetem atque Idaspem liberos genuit. Diodorus lib. 2. cap. 2.

Pytane nympha è Neptuno Euadnen peperit. Hanc, ubi ætate adoleuit, Apollo deuirginauit: è quo IAMVM peperit.

ἦλθε δ' ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠ-
δῖνός τ' ἐρατᾶς Ἴαμος
ἐς φάος αὐτίκα. τὸν μὲν κνιζομένα
λεῖπε χαμαί· δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν
δαιμόνων βουλαῖσιν ἐ-
θρέψαντο δράκοντες, ἀμεμφεῖ
ἰῷ μελισσᾶν καδόμενοι,

ait Pindarus ode 6. Olympiorum, celebrans Agesiæ Olympionicis generis auctorem. Nempe relictus à matre Iamus, à duobus serpentibus mel suggerentibus nutritus fuit, obtectus herbis, uiolisq; flauis & purpureis, à quib. nomẽ obtinuit, ἀπὸ τῶν ἴων ἴαμος dictus.

CYRVS, ex Mandane filia Astyagis Medorum regis, & Cambyse Persa natus, iussu aui (qui territus somniis, ne se regno exueret metuebat) ab Harpago exponendus erat in uastissimo monte. Harpagus scelus illud detestatus, facturum tamen sese id metu regis promittit. Negotium committit Mitridati bubulco regio. Cuius uxor Spaco nomine, lingua Medica, Græca uerò Cyno, cùm eodem tempore infantem mortuũ enixa esset, Cyrum pro suo clàm educandũ suscipit, suum pro Cyro iam mortuũ feris exponit. A Cyno igitur bubulca Cyrus nutritus, fabulatoribus occasionem dedit, ut à cane alitum dicerent. Tandem cùm iam adoleuisset Cyrus, ab Astyage auo agnitus, in Persiam amandatus fuit. Verùm postea ductu Harpagi in Mediam irrũpens, Astyagem auum uiuum cepit, & imperium Medorũ ad Persas transtulit. Herod. lib. 1.

HIERO, qui post profectionẽ Pyrrhi è Sicilia creatus est dux aduersus Carthaginenses, & ultimò quoque Syracusiorum rex, genitus erat patre Hierodoto, nobili uiro, cuius origo à Gelo antiquo Siciliæ tyranno manabat: sed maternum illi genus sordidum fuit. nam ex ancilla natus, ac propterea à patre expositus est. Verùm paruulũ & humanæ opis indigentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis dieb. aluere. Iustinus lib. 23.

Carcinus Reginus patria exulans, habitauit Thermis Siciliæ, ciuitate Carthaginensibus subiecta. Cùm autem ciuis cuiusdam uxorem, grauidam reddidisset, continuè in somnis perturbabatur. Oraculo Delphico consulto responsum est, natum illum Carthaginensibus & toti Siciliæ fore magnarum calamitatum auctorem. Ergo infantulum publicè exposuit. Mater noctu, clàm puerulum subtraxit, & apud fratrem Heraclidem deponens, AGATHOCLEM nominauit, aspectu formosium, & corpore multò ualentiorem, quã pro ætate. Cùm ad annum septimum peruenisset, inuitatus Carcinus ab Heraclide ad quoddam sacrificium, & intuitus Agathoclem colludentem cum æqualibus, admirabatur & formam & robur. Dicente uerò uxore, quòd tãtę magnitudinis foret ille expositus, si modò educatus fuisset: dixit se facti pœnitere, & assiduè lacrymabatur. Illa exploratũ habens animum uiri, rei ueritatem exposuit. Qui filiũ quidem assumsit, sed Carthaginenses formidans, cum tota sua familia Syracusas commigrauit: cũq; pauper esset, Agathoclem docuit artem figlinam. Eo tempore Timoleon Corinthius superatis à se Carthaginensibus, donauit ciuitate Syracusana omnes, quotcunq; uellent. Sic ergo etiam Carcinus cum Agathocle in ciuium numerum adscriptus, obiit. Mater uerò filij statuam lapideam in quodam luco erexit, apud quam examen apum considens, in femoribus ceram confecit: signo non obscuro, eum peruenturum ad summũ splendorem. Nam aliquot pòst annis Syracusiorũ tyrannidem arripuit, & contra Carthaginenses res gessit amplissimas. Consule Diod. Sic. lib. 19. & 20.

Lagus Arsinoen duxit, PTOLEMÆI Soteris matrem. Hunc Ptolemæum, ut sibi alienum, fertur in æneo clypeo exposuisse. Macedones autem perhibent, aquilam accedere solitã, & expansis alis ardorem solis ab eo prohibuisse: & imbrẽ, & gregales uolucres abegisse: & coturnicib. laceratis, sanguinem pro lacte instillasse. Suidas.

Procas Albanorum rex, Numitore & Amulio filiis superstitib. fatalem mortem obiit. Amulius, neq; ius gentium, neq; fratris ætatem ueritus, Numitore, quem regnare oportebat, in ordinem redacto, regnum occupat, eiusq; filiam, quò perpetuo cœlibatu & uirginitate liber ab huius partu foret, Vestæ sacerdotem legat, quam Iliam alij uocant, alij Rheam, sunt & qui Syluiam. Non multo pòst deprehenditur contra uirginum Vestalium legem prægnans. Ne ultimo supplicio afficeretur, regis filia à patre precibus Anthò obtinuit in custodiam tamen, ne inscio Amulio pàreret, data est, & remota ab hominum consortio. Illa gemellos edidit mira corporis proceritate & specie. Quare magis Amulius cõmotus, imperat ministro, ut eos exponat. Huic Faustulo quidã nomen: alij non huic, uerùm ei, qui hos sustulit, fuisse tradunt. Minister infantes imposuit alueo, atq; expositurus eos descendit ad fluuium: quem inflatum cùm cerneret & rapidũ, non est ausus accedere, sed ad proxima ripæ expositis, recessit. Fluuio euagato, suscipiens alueum alluuies, & leniter subuehens, in loco destituit satis molli, Cermanum uocant nunc, quondam mea opinione Germanum à fratribus. Erat iuxtà ficus, quam Ruminalem dicebant, ut multorũ est opinio, à Romulo: uel, quia pecora ruminantia illic captabant umbram: uel, quod maximè probatur, propter puerorum lactationem. Mammam enim uocabant Rumam prisci, & deã infantium educationis præsidem Rumilam dicunt, eiq; sacrificium faciunt absq; uino, in quo lac libant. Pueris ibi iacentib. lupam tradunt lactantem amissis catulis, cùm leuari onere cuperet, mammam prębuisse: & picum Martium leniter infantum ore unguiculis diducto, turundã escæ suæ ingessisse concisam. Marti ea animalia sacra habentur. Picum Martium præcipuo honore uenerantur Latini: unde puerperæ maior habita fides, ex Marte peperisse se asseueranti. Quamuis deceptam ferant ab Amulio, qui armatus eam stuprauerat, in eam opinionem uenisse. Sunt qui ferãt nutricis nomen ex uocis ambiguitate fabulæ locum dedisse. Lupas enim Latini præter notam significationem etiam uocabant eas, quæ corpus uulgabant: cuiuscemodi Faustuli uxorem puerorum nutritij fuisse, Accam Laurentiam nomine. Huic etiam sacra Romani faciunt, & mense Aprili flamen Martialis libat. Laurentalia uocant festum. Faustulus infantes regius subulcus clam omnibus sustulit. Alij ueritati consona magis referunt, conscio Numitore, & alimenta suppeditante secretò nutritiis, pueros literis omniq; liberali disciplina Gabiis institutos: qui tradunt præterea, quia sugentes nisi essent lupam, à papilla ROMVLVM & REMVM uocatos. Plut. in Romulo, & de Rom. fort. Liuius lib. 1. Dec. 1. Iustinus lib. 43. Eutrop. lib. 1. cap. 4. Orosius lib. 2. Dionys. Halicar. lib. 1. & 2. Lactan. lib. 1. c. 20. & 21.

ANTONIVS Gnypho, ingenuus in Gallia natus, sed expositus, & à nutritore suo manumissus, Romæ docuit rhetoricam, cuius etiã scholam Cicero & alij clari uiri frequentasse dicuntur. Suet. cap. 6. de Illust. Gram.

OTILIA uirgo apud Bauariam cęca nata fuerat, paternas deinde uix effugerat manus, qui eò processerat insaniæ, ut propter ipsum corporis uitium ei necem intentaret. Illa uerò in omnibus angustiis Deo gratias agens, uisum tandem recepit, inq; patris gratiam rediit. Marul. lib. 5. c. 3.

LAMISSII Longobardorum regis mater, cùm septem uno partu filios enixa esset, eos in piscinam quandam proiecit. Verùm rex Agelmundus iter faciens, eos hasta reuoluit: ubi cùm Lamissius hastam eius firmiter teneret, ab eo nutritus, eò uirtutis processit, ut in regno ei succederet, & necem eius in Bulgares ultus sit. Sigebertus in Chron.

Irmentrudis Isenberti comitis de Altorf uxor, eo quòd impossibile crederet, ex uno marito plures cõcipere liberos, eoq; nomine pauperem quandam feminam grauiter reprehendisset,

sequenti anno XII. infantes mares, absente marito, enixa est. Quo casu territa, obstetrici undecim in proximo torrente Schercio mergendos committit. Quæ in uia à Comite, quid portaret, interrogata, VVELPHOS, hoc est, catulos deformes se submersuram prætendit. Donec retecta fraude Comes infantes esse cerneret, eosque inscia matre cuidam nutrici educandos traderet. Bruschius de monasterio Vinearum.

Insidiis uel Aperta ui impetiti.

ADADVS puer, è regio Idumæorum sanguine, cùm Ioabus Dauidis regis polemarchus omnes Idumeæ mares, qui sex menses superassent, interfecisset, solus cum quibusdam seruis patris sui in Aegyptum fugit ad Pharaonem, cui Pharao Raphim uxoris suæ sororem in matrimonium dedit. Is morte Dauidis audita, patrium regnum recipere conatus, sed frustrà, Razoni Eliadę F. latronum duci, qui Damascum occuparat, se coniunxit, & Syriæ regnum occupauit: & Solomoni regi, Deo ei propter idololatriam infenso, aduersarius extitit. 3. Regum 10.

Cùm Athalia auia crudelissima, omnes Ochoziæ regis Iudæorum filios interficeret, solus IOAS cum nutrice sua à Iosaba Ioiadæ pontificis uxore, amita sua, cædi ereptus, & per sex annos in templo occultatus, septimo tandem in regem electus fuit. 4. Regum 11.

Cæso per dolum Agamemnone, regnoque Argiuorum occupato, Aegisthus liberos quoque ipsius intermere uoluit. ORESTES infans è media cæde à sorore Electra ereptus, seruo in aliam terram asportandus traditus, tandem paternam cædem ultus fuit. Eurip. in Electra.

Regis Volscorum filia fuit CAMILLA, regiaque domo orta. Verùm lubrica & uolubilis humanarum rerum sors, infantem adhuc (nisi poetæ ubique fabulantur) paterni exilij fecit comitem, eandem teli iactu subere inuoluti, à uiolenti & uorticosi fluminis impetu seruauit, armentali lacte aluit, uenatibus exercuit: restituitque demum paterno regno, ut regina ignobili manu, bello non ignobili, caderet. Sabellicus lib. 1. cap. 2.

Eetion Echecratis, è Petra tribu, cùm è Labda Amphionis filia clauda filium procreasset, de quo Delphicum oraculum mira quædam antè prodiderat: Corinthij, ut primùm Labda enixa est, miserunt ad eam decem uiros, qui puerum interficerent. Illi uerò cùm puerum suauiter ridentem uiderent, misericordia moti abeunt. In itinere alter alterum neglecti imperij accusare ceperunt: & tandem uno impetu ad atrium Eetionis accessere, ut participes fierent omnes simul cædis. Id ut animaduertit Labda, puerum in mensura frumentaria occuluit. Illi cùm puerum non inuenissent, re infecta abierunt. Puer CYPSELVS dictus est, à cypsela, id est, mensura frumentaria: qui postea Corinthum occupauit, & tyrannidem exercuit, pater Periandri tyranni. Herodotus libro 5. Ea de causa cellam extruxit apud Delphos Cypselus: quasi eiulatum eo articulo deus, quo falleret inuestigatores, compressisset. Plut. in Conuiuio.

Aeacides Molossorum rex, ob bellorum assiduitatem populo inuisus, regno per Neoptolemum eiectus, PYRRHVM admodum puerum reliquit. Qui & ipse quum patris odio ad necem quæreretur, qui periculo infantem subtraxerant ad fluuium, qui iuxta Megaras Macedoniæ locum labitur, cursu deuenissent, ne à percussoribus opprimerentur, infantem saxo alligatum seruatorum unus in ulteriorem ripam incolumem emisit. Alij tragula alligatum affirmant. Quem Pyrrhi casum uideri potest Maro in Camillam à Metabo patre seruatam transtulisse. Alij scribunt, seruatores pueri, cùm incolas aliquot animaduertissent in ulteriore ripa stare, orasse eos, ut ad traiiciendum opitularentur sibi, Pyrrhũque iis cum clamoribus & supplicibus precibus ostendisse. At illos ob undarum asperitatem & strepitum non exaudiuisse: quousque uni uenit in mentem, ut detractæ quercus cortici inscriberet fibula literas, quibus necessitatem & fortunam pueri significauit. Tum circumuolutam corticem lapidi, quo uelut iactus libramento usus est, misit in ripam ulteriorem. Alij ferunt eum tragulæ alligatam corticem iecisse. Illis lectis literis, qui trans fluuium erant, pręcipitem temporis punctum intelligentes, cæsis lignis & rate facta transmiserunt. Ac fortè qui primus traiecit Achilles nomine, accepit Pyrrhum. Cæteros alij alios, ut quisque cuique occurrit, transuexere. Ita cùm emersissent incolumes, euitato periculo insequentium, in Illyricum contulerunt se ad regem Glaucum (Plut. Glauciam) quem ubi domi reperissent cum uxore sedentem, deposuerunt puerum in medio humi. Ille quòd Cassandrum timeret inimicum Aeacidis, diu deliberabundus conticuit. Interea spontè Pyrrhus arrepens, cùm apprehenso manibus pallio ad genua se Glauciæ sustulisset in pedes, risum primùm, deinde quòd suppliciter precantem & lacrymantem repræsentaret, commiserationem mouit. Alij auctores sunt non summisisse Glauciæ se ad genua, sed tacta deûm ara manibusque ei iniectis humo se erexisse, eamque rem uisam Glauciæ diuinam. Quare tradidit confestim Beroe uxori suæ Pyrrhum, præcepitque ut unà cum liberis suis educaretur: & breui pòst deposcentibus hostibus, Cassandro etiam ducenta talenta promittenti, nõ dedidit eum. Quem Glauciæ fauorem Epirotæ deinceps secuti, puerum undecim annos natum, in regnum restituere, datis illi qui regnum ad adultam usque ætatem tuerentur. Tantis inde Pyrrhus est auctus successibus, ut unus omniũ regum sit creditus, qui à Tarentinis & sociis, Populi Romani uiribus tutò opponeretur. Ex Iustino & Plutarcho Sabellicus lib. 8. En. 4.

Conradus Sueuus Imp. lege sanxerat, ut rebelles principes capite plecterentur. Lampoldus Comes Germanus, Imperatoris furorem metuens, cum uxore in insula quadam sese occultauit, pastoris habitu. Fortè eò Imp. uenabundus accessit, & nocte oppressus in Lampoldi tuguriolo (quem tamen propter habitus & uictus mutationem non agnouit) diuerti cogebatur. Media nocte uocem audit, Conrade successor tibi natus est. Excitus, Lampoldi uxorem puerum enixam esse uidet. Imperat ergo suis, ut puerum medium dissecent, & cor eximant. Famuli pietate moti leporis cor Imperat. offerunt: puerum in sylua arbori impositum & alligatum relinquunt. Illac cùm fortè nobilis quidam iter faceret, infantem suscipit, & pro suo educat, Henrici nomine imposito (qui postea HENRICVS II. Imp. fuit dictus) Mox in Imperatoris aulam cooptatus, cùm formæ elegantia & robore, ingenijq; dexteritate omnes ad se alliceret, Imperatori suspectus redditur, ne is fortè esset puer, de quo nocturnam uocem audiuisset. Eum igitur è medio tollere statuit. Literas Henrico ad Imperatricem deferendas committit. Paret ille, & fortè ex uia fessus, in sacerdotis cuiusdam domum diuertens, in scamno somno opprimitur. Reuersus domum sacerdos, literas (quas sudariolo imposuerat Henricus) clàm aperit, & hæc uerba legit: Tabellarium hunc, quamprimum ad te uenerit, charissima coniunx, clàm interfici curato. Scelus tantum exosus presbyter, manum Imp. imitatus, & erasis literis, substituit hæc: Filiam nostram ei in matrimonium dato. Doli ignarus Henricus, ad Imperatricem literas perfert. Illa filiam ei collocat. Conradus tandem spe sua frustratus, cùm generum eum se habere intellexisset, quem omnibus modis perditum cupiebat, diuinæ uoluntati cessit, & Henricum porrò pro genero suscepit: utq; in imperio succederet, moriens confirmauit: eo deniq; loci, ubi nocturnam uisionem habuerat, cœnobium extruxit, quod Visanã appellauit. Bern. Corius in uita Conradi Sueui Imp.

Frotho Danorum rex fratre Haraldo interemto, eius quoq; filios HARALDVM & HALDANVM persequebatur. Eos fidi tutores in specu subterraneo catulorum specie seruabant. Frotho Magam consulit. Quæ cùm carminum ui pueros latebris educeret, accepto ab illis auro repentinam extasim simulans, inscrutabilem puerorum fugam esse prædicauit. Olaus Magnus lib. 3. cap. 14.

NONDVM EDITI, in utero impetiti.

Garsias Ennicus dux sextus Aragonum, contra Mauros, cum Vrraca uxore grauida & partui iam uicina, per Nauarræ mõtes & aspera loca exercitum ducens, hostibus occurrens occisus est. Vxor in utero lancea grauiter uulnerata, inter fugiendum quasi mortua concidit, in ualle montis cuiusdam, qui dicitur Aiuar. Nobilis quidam, Guiuara nomine, dum Vrracam mortuam cum lacrymis intuetur, infans manum per uulnus extulit. Ille ergo statim cæso uentre mulieris eduxit infantem, & pannis inuolutum domum suam properè detulit, testibusque adhibitis, baptismatis lauacro SANCTIVM Garcesium nominauit, & uxori suæ tradidit, ut clàm & diligenter aleret. Qui iam puer factus, ne fortè cognosceretur, crassioribus pannis indutus, etiam peronibus ex corio crudo pro calceis utebatur. Post aliquot annos cùm Aragones ad eligendum principem Iaccam conuenissent, illuc adolescens annos natus circiter quindecim, cum equite, qui eum clàm nutriuerat, ueluti pastoris filius, peronatus adducitur, argumentisque euidentibus recognitus, in principem electus, & à peronibus (quos Hispani auarcas appellant) Auarcæ cognomen accepit: Eques autem, à quo clàm fuerat educatus, Latronis: quæ familia in Hispania adhuc extat non ignobilis. Marineus libro octauo, rerum Historiarum.

SONTES, NOXII.

☞ *Vide Titulum, Absoluti innocentes, sontes. Quorum hoc Iniustitiæ, illud Iustitiæ est.*

VITAE CONSERVATIO RESPECTV AVCTORVM sive Conseruantium. IN VITA CONSERVATI A

DAEMONIBVS, SPECTRIS.

Poenis & Siculis societatem contra populum Romanum molientibus, dux Metellus uni sacrum non fecit Vestae. Hęc uentum nauibus aduersum excitauit. Ibi C. Iulius aruspex quieturum ostendit, si natam immolasset. Ille exprimente necessitate METELLAM altari admouit. At miserans eam Vesta buculam loco eius subiecit, puellamq; in Lamusium deportauit, sacerdotemq; draconis, qui apud eos colitur, creauit. Vt est auctor Pythocles libro tertio rerũ Italicarum. Plut. de Graecor. & Rom. comparat.

IPHIGENIA filia fuit Agamemnonis & Clytaemnestrae, cũq; classis Graecorum in Aulide Boeotiae, quae est contra Euboeam insulam, staret, Agamemnon ceruum Dianae occidit. Ob quod factum dea aduersos uentos flare iussit, tum & pestẽ immisit in copias. Diis consultis, renunciauit Calchas placandam esse Dianam sanguine Agamemnonis. Vlysses Mycenas missus, specie nuptiarum Iphigeniam à matre abduxit: cumque ad aram sub ictu staret, miseratione diuae subtracta est, & ceruа substituta, ipsaq; uirgo in Tauricam Chersonnesum ad Thoantem regem adducta, praefecta est sacerdotio Dianae Tauricae, cui homines mactabantur. Eò cùm uenisset Orestes frater eius, ambo communicato consilio regem occiderũt, migraruntque Ariciam Italiae. Eurip. Iphigenia. Antoninus Liberalis ex Nicandro affert translatam in Euxinum pontum, ad Thoantem Borysthenis F. nomenq; ei genti fecisse Tauros, quia loco Iphigeniae ad aram apparuisset taurus.

Dion Traianum Imperatorem scribit in horrendo terraemotu Antiocheno per miraculum seruatum esse, cùm ab aliquo humana statura maiori inter tectorum ruinas per fenestram subtractus esset. Quieuit dehinc aliquot dies ob formidinẽ sub diuo, & tabernaculis publicis in Hippodromo.

AMVRATHES II. in secretiori loco noctu sedens, è tabula quadam praecipitatus in cloacã, cùm nec clamore ullo, nec labore proprio praesens periculum effugere posset, mox sanctum aliquem, qui huic necessitati opitularetur, inuocauit. Et ecce habitu religiosorum quidam apparens, regem lecto suo illaesum restituit, ac euanuit. Cuspinianus.

HOMINIBVS.

CONSVLTO. Puta à

Magistratu.

SANDOCEM Thaumasij F. Cumae Aetolidis praefectum, Darius in crucẽ abigi iussit, quòd cùm è regiis iudicibus esset, iniquam sententiam ob pecuniam tulisset. Sed eius in cruce suspensi Darius reputans plura peccatis esse beneficia in domum regiã collata, hominẽ soluit. Ita tunc uita donatus, ad Artemisium in Graecos delatus, cum XV. nauibus periit, sub Xerxe. Herodotus lib. 7.

Q. METELLVS fortunatissimus ille, in ipso dignationis flore à Catinio Labeone Macerione Trib. pleb. (quem è Senatu censor eiecerat) reuertens è campo, meridiano tempore, uacuo foro & Capitolio, ad Tarpeium raptus ut praecipitaretur, aegrè Tribuno, qui intercederet, reperto, alieno postea uixit beneficio. Et tamen inter tot Metellos scelerata Catinij audacia mansit inulta. Plin. lib. 7. cap. 44.

Mulieribus.

MARDOCHAEVS Iudeus cùm Amani Amalechitae honorẽ adorando exhibere nollet, quòd eum honorẽ soli deo conuenire sciret: Aman tanto eum odio prosequi cepit, ut apud regem Artaxerxen, apud quem in maxima erat auctoritate, edictum impetrarit, uti die 12. mẽsis Adar omnes Iudęi, sub Persarum regno habitantes, interficerentur: crucem quinetiam quinquaginta cubitorum erexit, in qua Mardochaeum suspenderet. Verùm cùm mane ad regem peruenisset, supplicium Mardochaei impetraturus, rex qui eam noctem insomnem egerat, & temporis fallendi causa commentarios regios perlegi fecerat, atque Mardochaeo Iudaeo, pro detecta iam olim duorum spadonum coniuratione, gratiam nondum relatam cognouerat: Amanem accersiri curauit, eiusque consilio usus est, quomodo optimè meritum amicum honorare deberet. Aman eum honorem sibi à rege conferendum sperans, hominem in equum tolli consuluit regiis uestibus indutum, torque donatum, praecedente regis amico, qui proclamaret: Sic à rege benemeriti honorabuntur. Tum rex Amani tanquam amico intimo imperauit, ut Mardochaeum ea ratione per urbem circumduceret. Paruit Aman inuitissimus. Mox Esthere regina intercedente, & pro Iudaeis supplicante, cùm Artaxerxes Amanis maleuolentiam perspexisset, Amanem in eam, quam Mardochaeo parauerat, crucem tolli, cum decem filiis suis, imperauit: & Iudaeis, ut die 13. mensis Adar, qui eorum exitio destinatus fuerat, de suis inimicis poenas sumerent, edicto permisit. Itaque caesi sunt Susis eo die 500. Iudaeorum inimici: in reliquo uerò regno, 75. millia: eorum tamen bona non diripuerunt. Die 14. regis iussu diem festum egerunt omnes Persarum imperio subiecti: & Iudaei dies illos quotannis adhuc festos seruant, Phuraea nominantes, à sortis nomine, quam Aman in Iudaeorum perniciem iecerat: uel certè, quòd sortem excidij à Iudaeis in inimicos Deus transtulisset. Iosephus Phruraea, id est, conseruatoria appellat. Mardochaeus autem Amanis locum apud regem obtinuit, & regis anulum, omnesque Amanis facultates ab Esthere regina dono datas occupauit. Estherae historiam uide, & Iosephum lib. 11. cap. 6.

Liberis.

Ex Titulo, Fidei in parentes, huc non pauca.

ANTIOPE Nyctei filia cùm esset à ciue quodam uitiata, pater eam, ad fratrem Lycum misit, ut de ea supplicium sumeret. At ille, quòd uterum ferre uideret, misertus, pepercerat. Itaq; peperit Zethum & Amphionem, quos ille in montem abiecit. Erat autem huic uxor nomine Dirce, quae simul atque sensit uirum suum Lycum Antiopae captum amore, puellam in montem abductam tauri ceruicibus alligauit, suspensis à cornibus tedis ardentibus. Verùm ad uociferationem Antiopae concursum est, cùm à uicinis rusticis, tum ab Amphione & Zetho, qui matrem agnitam eripuere, & à Dirce poenas sumsere. Eras. in Adagiis.

Praeterierat L. Metellus Macedonicus, quum censor esset, in recensendo senatu C. Attilium Labeonem. Is postea Trib. pl. factus, Metellum iam priuatum è campo meridiano tempore & iam uacuo foro reuertentem uiolenter raptum ex Tarpeia rupe praecipitari iussit. Trahebatur uir nobilis ad crudele supplicium, periturus, nisi FILII trepido de patre nuncio domo exciti, praestò illi affuissent. Qui uix Tribuno uno reperto, qui pro patre intercederet, ab ipso mortis limine reuocarunt. Sabellicus lib. 1. Enn. 6.

Coniugibus.

Vide Tit. Fidei in Maritos.

LINCEVS Aegypti F. trucidatis XLIX. fratribus à suis sponsis filiab. Danai, qui Aegypti frater erat, unus superstes misit Hypermnestrae sponsae beneficio. Pausanias in Corinth.

Hostibus.

FERDINANDVS Daualus Caroli V. peditum in Italia dux, Pisteonẽ oppidum obsessurus, dum medius inter Bustium & Mercadum centuriones ponticulum transiret, & quidam ex hostibus in eum sedulò collineret, ignemque iam iam immitteret: Ticinensis centurio, cognomento Fraterculus, iniecta manu accensum funiculum auertit, alta uoce inclamans, Dij prohibeant, ut hodie ducum fortissimus, atque idem militum parens, & qui nos uel hostes alit, nostra saeuitia concidat: quin potius seruemus, ut superstit, qui bella ex bellis serat, ne nobis, qui stipendia sequimur, segni in pace, fame sit pereundum. Erat enim adeò propinquus arci, ut ab toto corporis habitu, & à rutila praesertim barba facilè nosceretur. Iouius in Piscario lib. 3.

Tutoribus.

FROTHO Danorum rex, Haraldi fratris, cui res maritima credita erat, successibus inuidebat. Eorum quinetiam coniuges Sygne & Vluilda, altera Suetiae rege Syuardo, altera Carolo Gothiae praefecto orta, crebra nobilitatis contentione rixãtes maritorũ iras exasperauerant. Frotho fratrem per insidias interfecit: eiusque filios Haraldum & Haldanum ex Sygne susceptos ad necem quaerebat. Eorum altores lupinos pedes calceis subsuentes, per opertam niuibus humum oberrantes, subinde uernularum trucidatorum artus hinc inde spargentes, deuoratorum à lupis puerorum fidem fecere. Pueri inde à tutoribus caua conclusi ilice, sub canum specie nutriebantur. Solus Frotho latebrae locum ex maga cognoscere instituit. Cuius carminum tanta uis erat, ut rem quamuis uel è longinquo ad contactum euocare posse uideretur. Haec Regnonem quendam occultè circa illos educationis officium peregisse, eosque tegendae rei gratia caninis insigniuisse nominibus astruebat. Pueri cùm se inusitata carminum uiolentia latibulis extrahi sentirent, gremium ueneficę accepto à tutorib. auro perfuderũt. Illa recepto munere, repentina morbi simulatione par exanimi concidit, & inscrutabilem filiorum Haraldi fugam existere affirmauit, quorum uis etiam atrocissimos carminum temperaret effectus. Post haec Regno in Feoniam utrosque deuexit. Frothoni reconciliatus, pollicitus est, si quid ab illis nouaretur, se id regi indicaturum. Ergo cùm illi multò pòst Sialandiam petiuissent, Regno noctu regiam petit, seque promissae rei indicem uenire tacitè asserit. Dormientem tamen excitare noluit, eo quòd Frotho excitationis suae poenas morte punire solitus erat. Frotho mane cõtracto milite illos circumdare statuerat. Caeterùm illi cùm se ex improuiso occupari conspicerent, perinde ac furiis acti discurrere ceperũt. Quos cùm Frotho mente captos putaret, deforme existimauit amentes aggredi. Illi noctu regiam adorti, reginam in primis lapidib. obruere: igne deinde iniecto, Frothonem in excisae specus recessus compulsum, uapore & fumo suffocauère. Saxo lib. 7.

Seruis, Famulis.

Telamon, Aeaci & Endeidis filius, ingressus Euboeam, cõpressit VIRGINEM quandam, ac nocte profugit. Quod ut pater resciuit, puellam dedit cuipiam ex satellitibus suis submergendam. Hic misericordia eius ductus, distraxit eam. Cùm nauis Salaminem applicuisset, mercatus est Telamon puellam, quae edidit Aiacem. Id apud Aretadem Gnidium est libro 11. de Rebus insularibus. Plutarchus de Graecor. & Rom comparat.

L. Troscio filia fuit FLORENTIA nomine à patria sumto. Hãc compressit Calpurnius Romanus. Puellam ille fluctib. dedit obruendam: quae stipatoris miseratione fuit uenundata. Cùm fortè ad Italiam nauis appulisset, Calpurnius comparauit eam, tulitq; ex ea Contruscum. Plutarchus de Graecor. & Rom. comparat.

Ceruus ramo uno cornuum zonae BASILII Macedonis Imperat. infixo, eum cornibus suspensum sublimem ferebat. Ibi quidam accurrens, ense dissecta zona, Imp. eripuit: cui is mercedem salutis suae praeclaram reddidit ille capitis truncationem: speciosa causa quaesita, quòd ensem contra Imp. strinxisset. Zonaras.

Anno 1544. cùm exercitus Germani Imperij Pestã oppidũ frustrà oppugnasset: MAVRICIVS Saxoniae dux eo in bello uoluntariè militãs; è castris quodã die progreditur, uno solùm comitante satellite: incidit in Turcas aliquot, manus conserit, & equo confosso in terram effunditur. Ibi famulus Germanus, genere nobilis, corpore toto superincumbens iacentẽ protexit, & tãtisper illos sustinuit, donec equites superuenirent, & principem eriperent. Sleidanus lib. 15.

FORTVITO.

IASONI Pheraeo hostis in acie uomicam gladio aperuit, quã sanare medici non potuerant. Cic. 3. de Natur. deor. Plut. lib. Quid intersit inter adulatorẽ & amicum, PROMETHEO Thessalo hoc euenisse ait. Simplicius in 2. Nat. ausc. Prometheum tyrannum uocat.

Heliogabalus Imp. FABIVM Sabinum Iurecos. occidi iusserat. Centurio surdaster in exiliũ agendũ subintellexit. Itaq; alieno uitio seruatus est. Spartanus.

Hieremias Thriuerus Brachelius, medicus Louaniensis eruditus, & in medendo felix, Antuerpiã uocatus ad AEGRVM quẽdam magni nominis, cùm toto die cum amicis comessatus esset, noctu diuersorium uino madidus petit, insalutato aegro dormitum se confert. Accidit ut ea nocte aegrum noua uis catarrhi in pectus decumbens uehementer affligeret. Assistentium unus, de suffocatione metuens, ad cubiculum Brachelij properat, stertentem excitat, consilium petit. Brachelius semisomnis, de ientaculo se consuli ratus, quia sitiebat, Ceruisiam calidam cum saccharo & panis mica affer, inquit. Alter id aegro consilij datum putans, offam protinus obtulit, & pituitam faucibus tenaciter adhaerentem hoc potus genere diluens, & abluens, momento temporis aegrum restituit.

Venerat ad Ioannam Reginam SFORTIA Magnus, quum illa, graui tum ad Neapolim Autumno, Caietam cum Sergiano amatore secessisset, atq; unà rex Alphõsus à regina adoptatus in Formiano litore inter fontes & citriorum syluas, uitandi aestus causa uersaretur, ut cum ambobus, post redditas Acerras, de stipendiis ac oppidorũ possessione disputaret. Inuasit repente Regis animum saeua libido Sfortiae tollendi. Is enim unus erat, qui uirtute animi, & bellicis uiribus terribilis, offuturus esse uideretur, si ambitioso animo spes suas proferre, & apertè regnum inuadere uellet. Sed Sfortia magno & planè regio comitatu, multisq; fortibus alarum praefectis semper stipatus, nequaquam sine ancipiti periculo comprehendi posse uidebatur. Excogitauit itaq; dolum Rex peracutus, trirememq; conscendit, inuitato Sfortia, ut honoris causa secum legato pontificio obuiã uenire minimè grauaretur. Is erat Fonseca Cardinalis, qui ad eã à Martino V. mittebatur. Nec dubitauit Sfortia, quin pariter conscenderet, nihil de Catalanorum perfidia suspicatus, utpote qui adaperta ingenui animi fiducia, nihil sibi insonti timendum arbitraretur. Paratae iam erant compedes, & laqueus, more gẽtis, saccusq;, quo inuolutus profundo mergeretur, quum id promontorium, in quo mirabile Planci sepulcrum latè conspicitur, transuectis celeriùs opinione omnium, è Speluncano litore Legati triremis apparuit. Tum uerò Alphonsus, qui iam in recessum extremae puppis sceleris ministros euocarat, ab incepto destitit, ne publici officij caeremonias, tanti facinoris atrocitate conturbaret. Ita Sfortia seruatus est, quum eum Sfortiani omnes, tanquam fato functum, uerissimis lacrymis eluxissent. Iouius in uita Magni Sfortiae.

GERMANVM quendam militem Turcae in Vngaria ceperãt, & ut de eo conseruando trucidandóue deliberarent, uestibus exuerant. In sinu ille palimpsestum nostris hominibus usitatum habebat, memoriae causa, in quo unus contubernalium paucos ante dies stulti effigiem per iocum descripserat. Ea delineatione Barbari delusi, picturae peritum hominem esse coniicientes, ut ex captiui arte quaestum facerẽt uberiorẽ, uita donant, & Constantinopolim abducunt. Ibi demum Gallorum regis legati opera redemtus est. Ergo ut alij sapientibus, hic certè stulto uitam debere uidetur.

BRVTIS. Seruati ab

Auibus.

PENELOPE ab Icaro & Periboea parentibus in mare proiecta, à Penelopibus auibus nutrimentum suscepit, & nomen, quum prius Arnea diceretur.

Dum in Graecia decem & sex messores QVENDAM è sociis aquatum misissent, reperitis apud fontem serpentem, qui complexus aquilam arctissimis eam spiris implicatam suffocabat. Ille ut falce messoria armatus erat, audacter progressus, ferro serpentem dissecuit, aquilam liberam abire permisit, cumque hausta in urnam aqua redisset, sociis singulis poculũ ministrauit: mox cùm & ipse quoq; bibere uellet, praestò adfuit aquila, quę poculum ab ore dispulit eiectum procul: dumque messor factum miratur, & aquilam, quam probè nouerat, increpare, eamq; apud socios ingrati animi reã agere meditatur, uidet eos & hic & illic concidentes uitam exhalare: unde simul & aquam, quam illi biberant, ueneno infectam, & se periculo subductum intellexit, beneficiumq; in uolucrem optimè collocatum, manifestissimè cognouit. Historiam latè descripsit Crates Pergamenus philosophus. Stesichorus Graeco carmine prosecutus est. Pierius Valerianus lib. 19. de Hieroglyphicis.

LEO Basilij Macedonis Imp. F. à quodam monacho Theodoro Sandabareno, apud patrem insidiarum causa delatus, in carcerem cõiectus, tandem hoc modo liberatur. In palatio psittacus in cauea suspensus, uociferari sępius solebat. Heu, heu domine Leo. Quod ipsum cùm quodã tẽpore, quo ad cõuiuiũ Imperator Senatores praecipuos uocasset, aliquoties reiterasset, moestitia oborta, cõuiuae cibo potuq; omisso cogitabundi sedebant. Quod animaduertens Imp. causam tristitiae perquirit. Illi oculos lacrymis oppleti: Quî (inquiunt) Imperator cibum capiamus, uoce bestiae huius obiurgati, nos qui rationis compotes, & dominorum studiosi credimur? Bruta haec auis domini sui nomen inuocat: nos luxui dediti, insontem obliuioni mandamus. His uerbis mitigatus Imperator, Leonem carcere eductum in conspectũ suum admittit, uestem lugubrem demit, comã superfluã auferri iubet, dignitatemq; Caesaris pristinã reddit. Cedrenus.

CHANGIVS Tartarorum primus Imp. dum bellis bella serendo neque labori, neque periculo parcit, pugna quadam parum feliciter commissa, profligato exercitu, ex fuga in proximum uepretum sese coniecit. Haerebat uictor hostis à tergo legens fugientis uestigia, & iam qui ad caedem festinabant, adorti erant locum perscrutari, quum bubo auis alioqui inauspicata ad strepitum aduentantium excita, praepete uolatu regem seruauit, quum uacuae fecisset latebrae indicium. Et quia rex per eum modum seruatus est, in magno iam inde honore fuit auis ipsa apud eam gentem. nullũ gestamen pulcrius in his, quàm pennę eius uolucris cono affixae. Sabel. lib. 6. En. 9.

Insectis, Apibus.

PINDARVM, cùm è patria domo fuisset expositus, aluerunt apes, pro lacte mella praebentes. Aelianus de Varia historia libro duodecimo.

HIERO rex Syracusanorum, à patre, quòd ex ancilla natus esset, expositus est. Sed paruulum & humanae opis indigentem, apes, congesto circo iacentem melle, multis diebus aluère. Iustinus lib. 23. Alex. lib. 2. c. 31.

COMATES in Sicilia heri diuitis pecora pascens, consueuerat nonnunquam Musis aliquid de gregibus domini offerre. Id cùm resciuisset herus, duriter seruulum increpauit. O-

rat Comates ne succenseat: fore enim, ut Musarum beneficio omnia cumulatè reddantur. At herus, Age (inquit) experiamur, an Musæ te sint alituræ. Et seruum in arborem excantatam inclusit, atque ab eo discessit, relicto, ut fame moreretur. Exacto anno, cùm ad eum locum rediisset, seruum niuum atque incolumem inuenit, & multum fauorum circum eum in arbore, unde uicitauerat inclusus. Apes enim in eam arborem per rimas penetrantes, suauiter ipsum aluerant. Ex Theocrito Gilbertus Coguatus libro primo Narrationum.

Quadrupedibus feris.

ATALANTA à patre exposita, ab ursa susceptа & enutrita fuit. Aelianus lib.13. de Varia historia.

TELEPHVS Herculis filius, ex Auge (siue Agaue) filia Alcæi, Arcadiæ regis, aui iussu expositus, in syluis à Cerua nutritus, deinde dono datus Teuthranti regi Mysiæ, pro filio educatus est, Telephusq; appellatus, quasi à cerua nutritus. Diodorus, & Aelianus lib.12.

In Creta MILETVS ex Apollinis & Acacallidis (quæ Minois erat filia) congressu est natus. Eum mater Minois metu in syluam exposuit, ubi eum lupi accedentes iussu Apollinis custodiuerunt, ac per uices lactauerunt. Deinde bubulci superuenientes sustulerunt, ac domi suæ enutriuerunt. Antoninus Liberalis ex Nicandri lib.2. Mutationum.

ARISTOMENES Messenius lapidis ictu humi afflictus, à Lacedæmoniis captus, & in Ceada foueam, in quam capite damnati abiiciuntur, præcipitatus, cùm in imò iam spectu constitisset, ueste obuolutus decubuit, extremâ, quam proximè adesse putabat, nitæ horam expectans. Triduum erat ibi iam commoratus, cùm audito strepitu quodam per subluſtres tenebras uulpem uidit cadauera appetentem. Cogitans itaque per hostiolum omnino aliquod bestiam illuc pénetrasse, eam, quantisper propius accederet, operiebatur. Id cùm uti uolebat accidisset, feram manu altera prehendit, altera quoties se illa conuertisset chlamydem mordicus prensandam obiiciebat. Et currentem quidem, quà se uia dabat, cursu consequebatur: trahendum uerò se bestiæ per inuia præbebat. Vidit postremò cuniculum nihilo ampliorem, quam inde posset ulpes euadere, per quem luminis se aliquid ostendebat. Per illum quadrupes, ut primùm dimisit eam, quasi manumissam Aristomenis, lustrum suum repetiit. At Aristomenes angustam illam, ac minus peruiam cauernulam manibus aperiens, in Eram ad suos tandem euasit. Vbi saluum Lacedæmoniis renunciarunt perfugæ quidam, Aristomenem ad suos rediisse, non plus credi posse uisum est, quàm si mortuum hominè renixisse audissent. Pausanias in Messenicis, & Polyænus lib.2.

ROMVLVS & Remus infantes, à Rhea Syluia uirgine Vestali editi, Amulij iussu in Tiberim proiecti sunt, & à lupa seruati: Romam postmodum pastorum auxilio condiderunt. Liuius.

Sub Lotharij imperio fames grauissima afflixit Germaniam. Quidam à Rheno cum uxore & filio suo puero in Turingiam, ubi remissior erat annonæ caritas, proficiscens, in itinere cum uxore de PVERO mactando & comedendo deliberabat. Mater tantum facinus marito dissuadet. Cùm autē ille fames non diutius ferre molestiam posset, & iam gladium in puerum strinxisset, conspicit duos lupos ceruam dilaniantes, eosque continuò abigit, & carne cruda se à fame uindicat, anno Domini 851. Sigebertus, Mutius, Chron. Hirsaugiense, Nauclerus.

Quadrupedibus cicuribus.

CAMILLA Volscorum regina, infans adhuc exposita, in ripa relicta, & armentali lacte nutrita est. Sabell. lib.1.cap.2. Vergilius lib.7. Aeneidos.

CYRVS Persarum rex potentissimus, cuius latè imperium ualuit, ab Astyage auo per Harpagum expositus erat. Canis Spaco ubera infanti præbuit, & à feris, tam diu defendit, donec à pastore inuentus est. Herodotus libro primo: & Iustinus libro 1.

Magnum cum Dario prælium ab Alexandro Magno non apud Arbela, ut multi prodidêre, sed fuit apud Gaugamela commissum. Eam uocem denotare domum cameli aiunt: quòd REX quidam olim, qui hostes effugerat camelo dromade, hoc loco locauerit eum, certis uicis uectigalibusque ad eurram eius attributis. Plut. in Alexandro. Strabo lib.6. regem DARIVM Hystaspis F. eo camelo Scythica expeditione seruatum scribit.

Regnante apud Gallos Carolo sexto, qui penè amens habebatur, apud eum Philippi Burgundiæ ducis opera accusatus est IOANNES Iuuenalis Vrsinus, Parisiorum urbi præfectus: & causa iis demandata fuerat, qui in Præpositum hostili erant animo. Iamque circiter quinquaginta testes clàm interrogati falsum dixerant, cùm contigit, ut iudices in eadem caupona omnes simul cœnarent: & cùm cœnati scripturas recognoscerent, uolumen illud, quo testiū dicta cōtinebantur, sub mensam delapsum, iudicum diligentiam fefellit. ita enim abierunt, ut penes aliquem ipsorum esse uolumen arbitrarentur. Catellus autem qui sub mensa erat, lasciuiens, libellum sub lectum detulit, ubi uesperè iam facto, cauponis coniunx illum inuenit, ac uiro tradidit. Caupo, ut rem ad præfectum pertinere uidit, uolumen ad eum detulit. Cùm ergo iudices aliud non haberent exemplum, & præfectus apud testes iis esset usus remediis, quæ ad causam suam necessaria putauit esse, repetitis testibus, iudicum errore, atque catelli casu, absolutus fuit. Fulgosus libro octauo, capite 1.

Creuomyslius Boemorum princeps ægrè ferens se ab HORTMIRO reprehensum, quòd ad metalla subditos cogens, agros incultos iacere sineret, metallariis, falsum incendij crimen illi intentantibus, aures dedit, & innocentem damnauit. Ferunt Horymirium post damnationem suā precibus egisse cum principe, ut sibi ante supplicium inscendere equū, ac bis terque intra arcem Vicegradensem, portis occlusis, obequitare liceret. Illum precibus friuolis annuisse. Horymirius ergo dum sellam sternit, uerba quædam equo insusurrat. Mox illo inscenso, arcem perequitans, librato saltu à porta ad portam, per muros, & flumen transuolauit, in alteram Vltauiæ ripa, eo loci, ubi è regione arcis Vicegradensis pagus Zlischow, ab aspersione cognominatus, situs est: quem idem equus (seu cacodæmon potius, equi formam præferens) ad alteram ripam, aqua consperſus, hoc uerbo Zlischow usus narratur. Dubrauius lib.2.

Obsessi à PHILIBERTO Aurantiæ principe Florentini, anno Sal.1530. noctu in Cæsariana castra ad D. Margaritæ Montichiæ templum irruptionem fecerant. Accidit autem magno casu, ut irrumpentibus per ædificia Hetruscis, & multam cædem in obuios per tenebras edentibus, lanij cuiusdam castrensis stabulum reuulsis postibus aperiretur, indeque magnus grex suum cum ingenti atque horrisono grunnitu prosiliret, tam graui atque inexpectato impetu per centa militum peruadens, ut oppugnantium cateruas perturbaret, & Germanorum castra tanti tumultus terror dissonuit & incertus, cunctis ad arma cōclamantibus, peruaderet, atque accurrentium undiq; auxiliorum accensæ faces, appropinquantisq; ipsius Aurantij funalia spectarentur, aliquanto maturius, quàm Florentini crediderant. Proinde Florentini infecto negotio rediere, magna alioqui clade hostes affecturi. Iouius lib.28. Historiarum.

Aquatilibus.

Vlyssem in clypeo, Delphinis prætulisse insigne, auctor Stesichorus est Zacynthij, ut Cittheus prodit rationem protulere huiusmodi, quòd illapsum in mare TELEMACHVM subiens Delphin incolumem præstiterit. Quo beneficio pater, uelut remunerans, id in clypeo habuerit insigne, & signatorio quoque insculpserit anulo. Cælius libro 8. capite 5. Antiq Lect.

Fuit ARION citharœdus ex Methymna Lesbi insulæ oppido, temporibus septem Græciæ Sapientum: nam Periandro fuit charissimus. Sunt qui putent eum Tragici carminis fuisse inuentorem, chorumque instituisse, & cecinisse carmen dithyrambicum. Hic cùm ex Italia magno facto quæstu domum rediret, uideretque pecuniæ gratia coniurare in suam perniciem nautas, rogauit ut sibi, cæteris captis, uitam solam relinquerent: cumque id non impetrasset, blandiùs exorauit, ut fidibus paulisper liceret canere, quò mortem suam cantu illo consolaretur. Ad suauitatem sonitus congregatos ferunt Delphinos aliquot, ipsumque Arionа non ignarum naturæ illius animalis, antequam inde dilaberetur, cum cithara & toto cultu desiliisse in dorsum unius ex illis, qui eum placidè ad Tænarum deuexit: ibique uisitur simulacrum Delphini uehentis, & hominis insidentis. Plutarchus in Conuiuio.

Oraculum datum fuerat deducentibus coloniam Lesbum, cū in cursu nauis in scopulum nomine Mesogeum incurrisset, tum ibidem Neptuno taurum, Amphitritæ & Nereidibus uiuam uirginem demitterent. Cùm essent autem principes septem, octauus Echelaus Apollinis oraculo coloniæ deducendæ dux pronunciatus (erat hic etiam tum celebs) ac septem illi sortes in urnam missent eorum, quibus innuptæ puellæ erant, exiit sors filiæ Sminthei (alibi Phinei) quam ueste & auro comptam, ut in locum ipsum uenèrе, erant uotis factis demissuri. Erat in nauigantium cœtu quidam, qui eam adamabat, non ignauus, ut apparet, adolescens, nomine ENALVS. Hic incredibili studio succurrendi ea in calamitate uirgini incensus, sitibitò impetum cepit, complexusque illam se unà cum ea in pontum abiecit. Mox fama quædam sine certo auctore, quæ tamen fidem fecit multis in exercitu, manauit, fuisse eos incolumes ueectos: ac postea incolæ loci Enalum autumant in Lesbo uisum narrasse uectos delphinibus per æquor, ac saluos se in continentem euasisse. Plut. in Conuiuio. & de Animal. compar. ex Myrtilo Lesbio.

INANIMATIS. Vtà *Tempestate.*

Cùm APPIVS Pulcer ad populum causam diceret, quòd nauali prælio uictus, per contemtum religionis classem amisisset, omnesq; tribus in eius noxam suffragia ferrent, beneficio tempestatis adiutus, pœnam effugit: nam subito imbri & turbine coorto, sublatis comitiis iudicium euasit. Alex. ab Alex. lib.4.cap.3.

Fluctu.

REMIGEM quendam in litore Tyriorum sentinam haurientem, cùm è naui fluctus abiecisset, altero latere repercussum contrarius fluctus in nauem retulit. Itaque miseri simul ac felicis complorationi, permixta fuit gratulatio. Valerius Maximus lib.1.cap.8.

VITAE CONSERVATAE INSTRVMENTA.

Ex sequentibus non pauca exempla huc transferri possunt: quatenus Mortis instrumentum contrario aliquo Vitæ, ut ita dicam, organo impeditur, abigitur.

SACRA.

Gregorius II. Pp. tres spongias benedictas, quæ ad usum mensæ eius apponi solebant, misit Eudoni Aquitaniæ duci. Eas ille in frusta concisas distribuit EXERCITVI, quem cōtra Saracenos educebat: ac euenit, ut nullus ex eis, qui particeps facti fuerant, uulneratus aut interfectus sit. Eudo in epistola sua ad Gregorium indicat, in lib. Pontificali.

ODORES.

HERCVLES odore coturnicis seruatus ab Iphiclo, cū in certamine defessus succubuisset.

DEMOCRITVS, quum ingruerent Thesmophoria, ne domū funestaret rogatus, dies aliquot uitam produxisse dicitur sola mellis anaphora, id est euaporatione: quanquam alij calentium panum odore id factum malunt. Alioqui melle oblectatus assiduè philosophus is, in annū centesimū nonūq; fati distulit diem. Cælius lib.21.cap.3. A.L. ex Athenæo.

Pomi præsuaui odore prorogatam aliquandiu ARISTOTELI uitam, in eius tituli libro (quisquis sit auctor) adnotatū est. Cælius lib.24.cap.21. A.L.

VENTVS.

Hercules, postquam Iolæ nuptiis excidit, Oechaliam expugnauit. IOLE sese de muro præcipitem dedit. Verùm contigit, dum uestem eius uentus inflat, nihil ut læderetur. Id memoriæ prodidit Nicias Maleotes. Plutarchus de Græcorum & Rom. comparat.

Bello, quod cum Tuscis gerebant Romani, consulem fecerūt Valerium Torquatum. Hic Tuscorum regis filiam contemplatus Clusiam nomine, postulauit eam à Tusco. Reiectus expugnauit urbem. Ibi Clusia se ipsam de muro in præceps iecit. Atuenti ope sinuata ueste salua est ad terram delata: quam imperator stuprauit. Quorum omnium causa publico decreto in exilium à populo Romano in Corsicā obiectam Italiæ insulam expulsus est. Ita Theophilus libro tertio rerum Italicarum. Plut. ibidem.

ALIMENTA.

MVLTI senectam longam mulsi tantùm nutritu toleraūêre, neq; alio ullo cibo, celebri POLLIONIS Romuli exēplo. Centesimum annum excedentem cum diuus Augustus hospes interrogauit, quānam maximè ratione uigorem illum animi corporisq; custodisset? At ille respondit: Intus mulso, foris oleo. Plinius lib.22.cap.24.

MEDICAMENTA.

Vide Titulum, Morborum curatorum.

ZONA.

TIRGATAO Mæotis nupsit Hecatæo regi Indorum. A quo cùm ex instinctu Satyri Bosphori tyranni, qui ei suam filiam locare uolebat, repudiaretur, inque custodia uitam agere deberet: clàm custodibus aufugit, ac noctu iter faciens ad Ixomatas deuenit, ubi regia erat amicorum & cognatorum suorum. Hos ad bellum aduersus Hecatæum & Satyrum inflammat, regionemque eorum incursionibus infestat, donec utriq; pacem obnixè peterent. Illa consentit. Satyrus autem duos ex amicis supplices ad eam transfugere iubet, eique insidias collo care. Qui cùm illam adorti essent, cingulo ictus eorum excepit: donec à satellitibus ambo comprehēsi sint & interfecti. Polyænus lib.8.

Cùm GALEACIVS Vicecomes ingentes fundos muro sepiret, iuxta arcem Papiensem, ut eis ad uenationem uti posset: eoq; muro possessiones Bartholini Sistri ciuis Papiensis incōmodè diuiderentur, & priuatim & publicè de eo monitus est: inter cætera dicente Bartholino: *Si hoc ipsum incōmodo afficeret, quid tandē tot filiabus, quas iā nubiles habebat, agendum foret?* Galeacius iracundiæ plenus respondit: *Si nesciret, quo alio eis modo consuleret, illas ad prostitutarum cellas mitteret.* Quo dicto Bartholinus excandescēs, pugionem, quem ferebat, strinxit: arbitratusq; Galeacij pectus se petere, in zonæ fibulam gladij mucronē impegit, qui inde delapsus, coxam perfodit: neq; multò pòst Bartholinus occisus fuit. Fulg. lib.6.c.1.

SERVATI A MORTE CONSIDERATA RESPECTU eorum, qui intentant mortem. Vtputa

LATRONVM.

OCHOZIAS Iorami F. unus ex omnibus fratribus latrones Arabas effugit. Vide Tit. A latronibus interfecti.

OTHO II. Imp. à Saracenis in Calabria uictus, Rhosanam in sinu Carentino urbem, ubi Theophania uxor subsiderat, fugam intendens, urgentibus hostibus in mare desilit. Natando elabi conatus, ab prædonū nauibus intercipitur, atq; in nauim sublatus: se gregarium militem esse simulat, & magnū pondus auri depositum habere iuxta Rhosanam. Dum deprecio, quo se redimeret, cum Græcis colloquitur, pacisciturq;, & nautę ad litus, ubi Rhosana condita erat, appellere conantur, rursus Imperator se ex nauigio deiiciens, ad naues in portu stantes adnatauit, atq; ad uxorem euasit. Auentinus lib.5. Annal. Boiorum.

IOANNES Coruinus, post triduanæ pugnæ in campo Meruliæ commissæ cladem à Turcis acceptam fugiens, dies tres equo uectus, per auia loca iter fecit, cibi & potus expers: quarto incidit in duos latrones, dimisso iam equo, qui præ nimio labore defecerat. Quum esset inermis, se spoliandum dedit. Direptis uestibus, ex aurea cruce, quæ à collo eius pēdebat, inter latrones oborta contentio. Dum salutis uiā circumspicit, latronis gladio rapto, litigantes adoritur, alterū lethali uulnere conficit, alterum in fugam uertit. Sic qui pro cruce dimicarat, crucis auxilio liberatus est. Vltrà progressus, ac itinere, siti inediaq; confectus, quinto die pastorem offendit: qui audita Vngarorum fuga, spe prædę latè uagabatur. Pastor perspecta Coruini uultus maiestate, ab iniuria se cohibet. Coruinus ab eo non sine diuinæ charitatis præfatione panem exorat. Audita uiri fortuna, pastor commisse ratione percitus, & promissis oneratus, Coruinum in proximam casam ducit: panem cum cepis, & aquam apponit hospiti: qui in iucunda sæpe miseriæ memoria, nunquam lautiùs se quàm ibi cœnasse affirmauit. Hinc ad Sinderouiam à pastore ductus, à Despote ingratissimo homine captus est, & sic conuentum inter eos, ut Mathias Coruini filius, Despotis filiam, comitis Ciliæ neptem, uxorem duceret, & Ladislaus alter Coruini filius daretur obses. Bonfinius libro septimo Decad.3.

Anno Sal.1537. Cùm in Butrotio litore SOLYMANNVS Turcorum Imp. haberet castra, Acroceraunij agrestes feriq; homines, qui Chimæram incolunt montem, immane consiliū susceperunt tabernaculi regij noctu inuadendi, concitante eos Damiano quodam latronum duce, abstrusorum colliū, qui sunt in iis rupibus & syluis, peritissimo: ut incredibili præda atque usitati facinoris gloria potirentur, si longè maximum terrarū orbis Imperatorem in tabernaculo semisopitum, & frustrà tot custodiis confisum occiderent. Sed Barbaris ad id audendum facinus fortuna defuit. Conspectus enim Damianus in arbore ex fragore abruptæ frondis, utī erat semipensilis & speculabundus, à Janizeris est comprehensus, & per tormenta detectis insidiis, iussu Imperatoris belluæ captæ modò discerptus est: unde mox magna illis agrestibus clades illata est, emissis scilicet in eos Aspis & Acanzis uenationis modo, ad trucidandam, & quammaximè possent, delendam horridæ atque infamis gentis stirpem. Iouius lib.36.

CARNIFICVM, LICTORVM.

Vercellis, Ligurum urbe, à uiro VXOR adulterij accusata, dū torqueretur, constanter crimen semper negauit. Iuuenis autem, quo cum adulterasse dicebatur, tormentorum impatiens, quod non patrarat, patrasse se fassus est: atque ob eam

rem ambobus à consule morte damnatis, prodigio ueritas detecta est. Iuuenis enim mendax, gladio percussus, caput semel ictus amisit: septies autem cùm femina gladio percussa esset, non cæsim modò, uerumetiam iugulo punctim petito, ferrum retrò ab eius carne ueluti à silice semper resiliit, præterquam in extremo ictu. Tunc pro mortua, ut sepeliretur, elata, in loculo uitam recepit, in hæc uerba prorumpēs, Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciat mihi homo. Anus quædam interim, quæ ecclesiæ sustentabatur opibus moritur, & in tumulo illo cōponitur. Quo delusus carnifex, qui incerto rumore septies percussam reuixisse intellexerat, eamq; ad supplicium denuò rapere conabatur, abiit. Illa clàm secto crine cum uirginibus quibusdam uirili habitu rus abducta & curata fuit: neq; tamen nisi Euagrij intercessione apud Imp. uitam & libertatem impetrare potuit. D. Hieron. ad Innocentium.

HOSTIVM ex professo.

Quomodo euaserit AENEAS ex Ilio capto, uarias scriptorum sententias refert Dionysius libro 1. Nam ut alij tradiderunt, ipse occupata arce dum in se impetum Graiorum conuertit, præmisit ad naues impedimenta & imbellem multitudinem, pueros, senes, mulieres. Deinde arce deserta, ex urbe se proripuit, nactusque suos, qui præcesserant, munitissima Idæ tenuit, quò ex Troade tota, qui Græcorum imperia exhorrebant, confugēre: ita manus non contemnenda breui coacta est, mansitque ibi plus paulò quàm annum. Sed cùm in eos Græci pararent arma, conditionibus pacis oblatis iussi sunt agro Troiano excedere, data fide fore illos cum suis rebus tutos omni Graia ditione, dum sedes sibi quærerent. Sic Hellanicus scriptor alioqui fabulosus, sed multi nominis. Menecrates uerò Xanthius liberatum dicit Aeneam à Græcis, quòd urbem prodidisset: prodendi uerò causam fuisse Alexandrum, qui illum contemnebat, aliisque proceribus Troianis præbebat contemnendum. Sunt qui putent eum in portu fuisse, dum Ilium caperetur: alij missum à Priamo scribunt ad opus militare. Latini seruatum à Graiis perhibent cum Antenore uetusti iure hospitij, & quia semper auctores fuerant reddendæ Helenæ.

C. MARIVS à L. Sylla pulsus, circa Ostiam nauim ingressus, læuam Italiæ oram circumuectus, sæuiente mari, Circeiis est eiectus, & paucis comitantibus omnem hominum occursum uitabundus aliquamdiu per deuia errauit. Inedia inde adactus, quum ad pastores diuertisset, ut ab eis esculenti aliquid sumeret, monitus est ut cautius fugam teneret: uenisse ad se dudum Syllanos equites, qui sollicita indagine eum uestigarent. Marius profundum & deuium nemus adeptus, ibi proxima nocte quieuit. Repetita inde fuga quū iam uiginti stadia procul à Minturnis esset, hîc duab. hostium turmis in proximo conspectis, ad litus sese proripit. Nauigio uix bene conscenso, Syllani equites affuerunt, minacissimè nautis denūciantes, daturos eos Syllæ & Populo Romano pœnas, nisi Marium hostem iudicatum sibi dedant. Contrà Marius supplex & cum lacrymis orare, ne inimicorum uerba audirent, quin suæ fortunæ misererentur. Nautæ paululum litus circumuecti, quoad ex Syllanorum cōspectu abiere, Marium curandi corporis specie in litus expositum, sublatis repentè anchoris solum destituere. Ille ubi se proditum uidit, per palustria loca ad tugurium senis peruenit. A quo in proximam scrobem demissus, calamoque & palustri herba instratus, uix quiescere ceperat, quum aduentantium fremitus, eius aures perculit: itaque abiectis uestibus, in altam sese immersit paludem. Mox hinc ab iis, qui ex Terracina à Geminiano missi fuerant, extractus, Minturnensibus necandus traditur. Hi decretum tulerunt, ut Marius, quando à Romano Pop. hostis iudicatus esset, publicè necaretur. Ex ciuibus nemo erat, qui tanti uiri cæde contaminari uellet. Gallus eques siue Cimber ibi fortè repertus est, qui in ultionem gentis stricto ferro ad Marium est ingressus. Erat locus, in quo captiuus custodiebatur, subobscurus. Ferunt ignem uisum illi ex Marij oculis micare, uocemque terrificam ex abdito redditam ad percussoris aures peruenisse, Túne homo Mariū interficere audes? Quibus ille prodigiis territus, abiecto ferro consternatus sese in apertum proripuit, clamitans, non licere sibi Marium occidere. Minturnenses pœnitentia ducti (satis enim constabat ingratè fieri, ut is, qui Italiam sua uirtute seruasset, ad explendam paucorum inuidiam interficeretur) carcere eductum ad mare euntem comitantur. Naui igitur ablatus, cùm aquæ inopia Siciliam petiisset, parum abfuit, quin apud Erycen ab insulæ sit quæstore interceptus. Aliquot itaque ex pręsenti comitatu amissis, infesto litore digressus in Aphricam nauigauit. Sub primum in eam terram appulsum per lictorem à Sextilio prætore iussus prouinciæ finibus excedere, mœstus & exanimatus inter Carthaginis ruinas aliquamdiu iacuit. Interim subita fortunæ mutatione plerique ex amicis illi affuerunt. Ergo in Cercinam proximā continenti insulam subitò trāsmisit, ibique de nouo motu ciuitatis certior factus, paucis equitibus Mauris, & ex iis qui ex Italia cesserant circiter mille in naues impositis, Italiam repetit. In Hetruriam secunda tempestate delatus, seruos ad libertatem uocat, ut paucis diebus ad sex millia hominum in unum coiuerint. His ille copiis instructus, sese L. Cinnæ cos. per legatos id petenti socium adiunxit. Plutarchus.

Eo prælio, quo prope urbem Pictauiensem Alaricus Vestgothorum rex cecidit, uictor CLODOVEVS Francorum rex, ad extremum periculum uenit: siquidem à duobus Gothis infestis in latera eius incurrentibus appetitus, uix se firmæ loricæ, & opportuno pernicis equi subsidio texit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Gothi, Istro superato, an. 379. in Macedoniam usque procurrerunt, nocteque summa ad castra Imperatoris, igne accenso conspicua ducti à transfugis, contenderunt, atque ita, prælio cum Romanis commisso, cùm THEODOSIVS Imp. uix euasisset, inde se in Macedoniam ac Thessaliam effuderunt: ac mox, ne tentatis quidem oppidis, cum ingenti præda se receperunt. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Bello Gothico ad pontem Anienis, tribus passuum millib. ab urbe distantem, BELISARIVS turrim constituerat, ac præsidium imposuerat, ut aliquantisper incursum hostium retardaret, quoad Romani ex agris in urbem necessaria comportarent. Vitige autem Gothorum rege Romam cum CL. M. proficiscente, qui in præsidio pontis erant, multitudinē Gothorum conspicati, clàm eruptione facta, noctu in Campaniam secesserunt. Itaque sequenti die Gothi, refractis turris foribus, transierūt. Belisarius autem huius irruptionis ignarus cum mille equitibus ad pontem pergere cepit, locū exploraturus, ubi castra commodiùs collocaret: atq; ità ex inopinato in hostes incidit pontem traiicientes, atque inultus cum nonnullis eorum manum conseruit. Cùm autem equo insigni ueheretur, Gothi à transfugis eum Belisarium esse docti, omnes in eum iaculari, hortantibus se inuicem singulis, institerunt. Ille uerò se in omnes partes conuertens, quos obuios habebat, obtruncabat, fortuna in eo secundissima usus, quòd ab omnibus petitus, nullo uulnere sit affectus. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

VALDEMARVS Danorum rex occultè cōparata classe uicinas Rugiæ Vandalorū insulas inuasit, ut incolæ produxis de fenestra capitib. principes Pomeranos loci dominos aduentare rati, Casimarúsne an Buggislaus adesset rogarent. Itaq; prædā agentes opimam Dani ad naues redibant. Interea hostes clasē armant, egressurū regē intercepturi. Classi Danicæ præfectus cohortē in paucas naues impositā hostib. opposuit & fugauit. Rege litori cū præda appropinquante, adsunt maiori nauium numero hostes: nec diu cunctati adoriuntur Danos. Quorū magna pars ad conspectū tantæ multitudinis uela pandit, deserto rege. Rex solis septē nauibus inter tot hostiū nauigia relictus, unà & dimicare, & fugere cogebatur. Aspirantibus tamen uentis, ingēti præda, sed maiori fortitudinis gloria, hostiles impetus euasit. Cranzius lib. 5. Vandaliæ cap. 18.

INSIDIATORVM, CONIVRATORVM, SICARIORVM.

Impiū & execrabile sit opinari, quæ in CHRISTO recens nato euenerunt, casu & non diuinitùs contigisse. Enimuerò licet ipse Deus esset, atq; idem rex regum, omniūq; rerum cōditor, cæterùm humanitate amictus: tam salutare mysteriū interpolari potuisset, nisi tres illi magicę disciplinæ affectatores, qui peregrè cū munerib. ad eū uenerant, per quietem moniti essent, ne ad Herodē reuerterētur, qui capitaliter puero imminebat. Frustra humanū genus laborat in iis, quæ prouidentia diuina fiunt. Quid Aegypti latebra Iosepho in somnis demonstrata, quàm in eo nō obscura numinis uoluntas apparuit? Necari nō potuit is, qui ut unus periret, multa puerorum millia periisse simul constat. Sab. lib. 1. cap. 2.

Attilius ciuis Romanus, post damnationē exul ad MITHRIDATEM Regem populo Romano infestissimum, sibi uerò antea familiarem, se contulerat: sperans, eo quòd sua opera aduersus Rempublicam uteretur, nactus apud eū fidē & auctoritatem, fore ut ex insidiis Regem aliquando occideret, itaque & reditum, & multæ remissionem impetraret. Hoc enunciato consilio, in carcerem ducitur, & qui cum eo conspirauerant, itemq; omnes Attilij serui. De Attilio ita decreuit, ut quando ciuis Romanus Senatorijque ordinis esset, de eo non palàm, sed priuatim supplicium sumeretur: de cōiuratis, suo more. Sed quod ad seruos attinet dimitti placuit, cùm non sua sponte, sed domino parendo deliquissent. P. Aerodius, ex Appiani Mithridate.

Bello Mithridatico erat Octalcus (aliis Olthacus dicitur) Dandarius genere, ex his, qui circa Mæotim incolūt, q in Romana castra pro trāsfuga uenerat, nec Mithridate inscio, eratq; Barbati nomē apud Romanos iam antea haud obscurum, eaq; res fecit, ut à L. LVCVLLO in amicitiā receptus, cum ipso duce sæpius secretos haberet sermones, amicorūq; cōuiuio interesset. Vbi igitur is destinatę cædis tēpus adesse uidit, strato equo extra uallum misso, ipse ad prætorium proficiscitur, ducis secretū petens. Dormiebat tum fortè Lucullus. quo contigit, ut Barbarus à Menedemo cubiculi custode exclusus, quia penè ui irrūpere fuit ausus, ne paulo pòst destinati facinoris conuinceretur, castris trepidè egressus, pernicitate equi in regiā castra ablatus sit. Sic Lucullus seruat' est somno, qui multis alioq exitialis fuit. Sab. li. 4. En. 6.

AVGVSTVS Cæsar belli Perusini tempore L. Antonium fiducia consulatus, quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res nouas molientem, confugere Perusiam coëgit, & ad deditionem fame compulit: nōn tamē sine magnis suis & ante bellum, & in bello discriminibus. Nam cùm spectaculo ludorum gregarium militem in XIIII. ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus diuulgato, quasi eundem mox discruciatum necasset: minimum abfuit quin periret, concursu & indignatione turbæ militaris. saluti fuit, quòd qui desiderabatur, repentè comparuit incolumis, ac sine iniuria. Circa Perusinū autem murum sacrificans, penè interceptus est à manu gladiatorum, quæ oppido eruperat. Suetonius. Multas quinetiam conspirationes ac coniurationes prudentia fatoq; euasit, priusquam fastigium Imperij attingeret, rerumq; potiretur. Cùm enim quidam felicē eius statum odissent, L. Murena & Fannius Cepio diuersis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit uideri bonus: Cepio & ante hoc erat pessimus) cū inìissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod ei facere uoluerant, iure passi sunt. Neq; multo pòst Ruffus Egnatius per omnia gladiatori quàm Senatori propior, collecto in ędilitate fauore populi, quem extinguēdis priuata familia incendiis indies auxerat, in tantum quidem, ut ei præturam continuaret, mox etiam cōsulatum petere ausus, cùm esset omni flagitiorum scelerumq; conscientia mersus, nec melior illi res familiaris quàm mens foret, aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarē statuit, ut quo saluo saluus esse non poterat, eo sublato moreretur. Sed neque hic prioribus in occultando felicior fuit, abditusq; carceri, cum consciis facinoris mortem dignissimam uita sua obijt: ut Velleius scribit. Cuspinianus.

HERODES Iudæorum rex pugna contra Antigonum commissa lassatus, in quoddam cubiculum lauatum abiit: ubi maximum discrimē adiit, quod tamen euasit Dei prouidentia. Cū enim esset nudus, & unius tantū pueri ministerio lauaret, intus in eisdē ædibus latebāt quidam hostiū armati, quos metus eò cōpulerat. dūq; ille se abluit, primus prodiens stricto gladio ꝑ fores se proripit, deinde alter & tertius, armati similiter, adeò attoniti, ut illæso rege contenti essent sibi ipsis fuga salutem quærere. Iosephus lib. 14. c. 27. Antiq.

CLAVDIVS Cæsar nō expers insidiarum usquequaque permansit, sed & à singulis, & per factionem, & denique ciuili bello infestat' est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolōne ac uenatorio cultro præstolantes, alter ut egressum theatro, alter ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autem ad res nouas Gallus Asinius, & Statilius Coruinus, Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius, atq; seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus: uerùm intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutauerant, in pœnitentiam religione conuersis, postquàm denunciato ad nouum Imperatorem itinere, casu quodam, ac diuinitùs, neque aquila ornari, neque signa conuelli mouerique potuerunt. Suetonius.

Lucilla COMMODI Imp. soror Vero principi nupsit, qui fuerat cum patre Imperator. Post illius obitum Pompeiani connubio cessit, irataque erat fratri, quòd ille imperatoria insignia, quæ fuerant sibi post prioris mariti interitum seruata, in Crispinam coniugem suam transtulisset. Quadratum adolescentem nobilem, cuius stupri cōsuetudine tenebatur, ut fama erat, multis illecebris eò perpulit, ut cum plerisque senatorij ordinis in Commodum cōiurarit. At destinatę cædis conuicta interficitur. Est & Quadratus, & qui cum eo cōiurarant, capitali supplicio affectus. Sab. lib. 5. En. 7.

Seuerus Imperator cùm tabellarios aliquot ex iis, qui literas Imperatorias perferebant, cum literis mandatisq; ad ALBINVM delegasset, ita ut post publicè ac palàm redditas literas, quædam habere se dicerent, quæ apud eum remotis arbitris loquerentur: & tam facto impetu Albinum interficerent: sensitæ atque intellectæ sunt insidiæ. Igitur Albinus in comprehēsos tabellarios animaduerti iussit. P. Aerodius ex Herodiano lib. 3.

Ab Arianis sicarius quidā conductus fuit ad GREGORIVM Nazianzenum tollendum. Ad quem ægrotantē cùm irruisset, conscientia sceleris ductus, flens sese ad pedes eius abiecit, ac facinoris sui ueniam petiit. Greg. Nyssenus.

CONSTANTIVS Imp. Syrmij agens, certior factus, Sarmatas Limigantes, locis assignatis pòsthabitis, regiones limitibus proximas occupasse, legatis ad eos missis, rogauit, cur agro assignato contenti non fuissent. Quibus illi respondēre, se, si ille pateretur, in Romano solo dicturos, & libēter in Romana prouincia habitaturos. Itaq; Constantius lætus cūctos admisit, uallo propè Acumincum Valeriæ (quæ Panno niæ pars est) locato, celsoq; aggere in speciem tribunalis erecto: naues, uehentes quosdam legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare sunt iussæ, ut, si barbaros tumultuari sensissent, aliorsum intētos post terga inuaderent. Accesserunt igitur Limigantes, uisoq; Constantio ex alto suggestu lenissimū sermonē instituente, quidam ex illis furore percitus, calceo suo in tribunal contorto, Marrha martha (quod est signū apud eos bellicum) exclamauit: eumq; sequuta multitudo ululans in ipsum principem ferri cœpit. Quod ut sensit Constantius, periculo exanimatus, equo pernici impositus, statim euasit. stipatores aliquot occisi, sellaq; regalis cum aureo puluinari direpta. Exercitus Cōstantium euasisse ignarus, ira frendens, sese in barbaros intulit, atq;, antequàm cædibus satiaretur, aceruos mortuorum stipauit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

An. 562. Ablauius, Marcellus, & Sergius homines nō ignobiles insidias IVSTINIANO Imp. moliti sunt, re cōposita, ut ipsum in triclinio ac sub noctē inuaderēt. Cùm aūt Ablauius consilium cum Eusebio exconsule & Ioanne Logotheta cōmunicasset, ex eorū indicio re detecta, principes cōiurationis capti, & cum gladiis deprehensi sunt. quorū Marcellus statim sibi gladium intulit. Sergius aūt interrogatus Isaaciū & Belisarium patricium, triumphalem hominem, eiusque seculi principē coniurationis participes prodidit. Iustinianus missis, qui Belisarij familiam comprehenderent, ipsum domi suæ in custodia habuit. Postero anno, re ad liquidum explorata, tanquā innocentē emisit, ac bona dignitatemq; pristinam reddidit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

FRIDERICO I. Imperatore ad amnem eum unico famulo deābulante, emergens quidam Friso natione, qui eū obseruabat, coriaria, sed stricta ueste, Imperatorem medium implicuit, conatus pertrahere in amnem ut abriperet, peregissetq;, nisi gladio ministri abacto latrone Imperator se explicuisset, illo per amnē ad suos natando reuertente. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, c. 38. & lib. 7. Daniæ, c. 18.

BELISARIVS Iustiniani dux obsessus Romæ à Gothis, quū acriùs instaret, ut gladius preciosè ornatus, uiq; Romano ciui ablatus, domino restitueretur, idq; Constantinus iniuriæ auctor se facturum negaret: orto super ea re iurgio, accersitisq; à Belisario apparitoribus, ratus ille fore ut ad supplicium accerseretur, stricto ferro Belisarium paululum infra stomachum sauciauit, fuissetq; tantus uir ad exitium repetitus, nisi circumstantium occursu inhibita uis esset. Constantinus paucos post dies, quia maiestatem læserat, Belisarij iussu interfectus est. Sab. lib. 3. En. 8.

D. MARTINVS in pago Heduorum templū idolorum euertebat. Vnus rusticorum stricto gladio eum petebat. Martinus reiecto pallio, nudam ei ceruicem præbuit. Ille iamiam percussurus, subitò prosternitur, & diuino pauore consternatus ueniam petit. Alius quidam cultro eum ferire uolens, in ipso ictu ferro ei excusso, non ampliùs postea comparuit. Sulpitius in eius uita.

ALEXIVS Comnenus Imp. uariis conspirationibus agitatus est. Quas tamen omnes statim à principio uixdum pullulantes leui negocio oppressit.

CAROLVS Magnus, ab hoste armato inuictus Rex, semel atque iterū propè fuit ut domi parricidio extingueretur. Austrasianæ iuuētutis aliquot proceres, ꝙ inde orto Rege summum gratiæ dignitatisq; locum apud eum se obtinere æquum censebant, postquam uirtutem aliorū sibi præferri uiderunt, auctore duceq; Arderico, in illius uitam cōiurationem faciunt: dumq; plures in dies in societatē sceleris incautiùs adsciscunt, delati comprehensiq;, qui sceleris manifesti fuere, capite luerunt: quos leuis suspicio aspergebat, exilio solum uerterunt. Indignū uisum, quibus præcipuè salutem Regis cordi esse oporteret, eos principes nefarii conatus inuentos. Sed illud eo indignius, quo propius. Pipinus Regis nothus à nouis cōiuratoribus in spē regni adductus, tēpus locumq; circūspiciebat patris necandi. Randulphi Longobardi prudētia deprehensis ac fidè detectis insidiis, iuuenis attonsus sacrum cilicium induit: cæterorū pauci securi percussi: maxima pars tantùm in exilium missi. Odio Sostradæ Reginæ cōspirasse se dicebant. Mulier enim atrox ferebatur, & quæ uiri animum suopte ingenio lenem, immitē in multos efficeret, efferaretq;. Eo mitior puniēdis sontib. fuit Rex, ut à quibus coarguebatur, illos testes lenitatis ad refellen-

dam inuidiam haberet, ad causſamque religionis reditum. Aemilius libro ſecundo.

EDOARDVS IIII. Eboracēſis dux, Henrico VI. ſublato, regnum Anglorum inuaſit, & omnes Lancaſtriæ familiæ mares ſuſtulit, excepto HENRICO Richemondiæ Comite, qui ad Franciſcum Britanniæ ducem exul confugit. Ducem Edoardus auro & pollicitationibus permouit, ut legatis ſuis Henricum de deret, in generum ſeſe cum cooptaturum ſimulās. Verùm Ioannis Chenſetti principis Britānī induſtria Edoardi fraude cognita, legatorum manibus ereptus eſt Hēricus. Edoardo mortuo, Ricardus III. tyrannus tollendi Henrici nullam prætermiſit occaſionem, iamq; ægrotante duce Britanno, Petrus Quæſtor in Ricardi gratiam Henricum cum reliquis Anglis principib. exulantib. capere & in Angliam mittere parabat, cùm Henricus de inſidiis certior factus ad Carolum VIII. Gallorum regem confugit. A quo pecunia & armis adiutus, quinq; millibus militū in Angliā auctus, cùm errore nocturno in hoſtium manus ferè incidiſſet, tandem Ricardum regem uno prælio uicit, dimidio maiorem habentem exercitum, mille hoſtium cæſis, centum tantùm ſuorum deſideratis, anno 1486. Corona Ricardi inter ſpolia reperta (qua ornatus in aciem proceſſerat, ut rex uel uiueret uel moreretur) capiti eius à militibus impoſita. Inauguratus poſtea Londini, & Henricus VII. dictus, ductaque in uxorem Elizabetha Edoardi F. Lancaſtriam & Eboracenſem familias regias, quarum odiis Anglia miſerè lacerata eſt, uno eodemque matrimonij uinculo in perpetuum colligauit. Polydorus.

Anno ſal. 1266. Henrici III. Anglorum regis F. EDOVARDVS cum ingenti claſſe in Aſiam traiecit, Syriæ recuperandæ cauſa, uſq; eò Ptolemaide commoraturus (ita enim inter Chriſtianos duces conuenerat) dum Ludouicus rex Frāciæ, qui eodem tempore aduerſus Saracenos bellum gerebat, ex Africa uictor accederet. Interea dum Edouardus belli ſocios expectat, nihil factum propius fuit, quàm ut dome ſtica fraude periret. Nam cùm aliquando in cubiculo ſolus eſſet, ab Arſacida quodam, quem ipſe, quòd multa de ſuæ gentis moribus narrare ſoleret, paulo antè in familiaritatem acceperat, tribus petitus uulneribus, ægrè ex mortis periculo euaſit, adiuuante cubiculario, qui manum Arſacidæ retinuit, donec à reliquis famulis in ueſtigio trucidatus eſt. Saraceni Arſacidas uocant ſicarios, qui arbitrantur ſe æternam promereri beatitudinem, ſi hoſte publico quouis modo interemto, ipſi morte etiam crudeliſſima afficiantur. Edouardus autem ubi ex uulneribus conualuit, audiens Ludouicum, quem expectabat, per idem tēporis in Africa morbo confectum interiiſſe, amiſſa ſpe bene gerendæ rei, in Angliā, factis cum hoſte induciis, rediit incolumis. Polyd. lib. 16. & Platina in Gregorio X.

SOBIESLAVS Boëmorum princeps iter faciens Glacium, uiſis duobus ſibi ignotis propiùs ſe ingerentibus, Deſlaum comitem proximè aſtantem interrogat: Noſſer ne illos? Negante illo, Quī ſcimus, inquit, an non rendant inſidias? corripiq; ſtatim, & ad ſe adduci iuſſit fugientes. Sua ſponte faſſi, precio à Miroſlao & Streſemirio fratribus, materno genere Verſouicenſibus, corruptos, propoſitum interficiendi principis habuiſſe (coniurationis principe Bretiſlao, qui regnum ambiebat) extremo ſupplicio ſunt affecti. Sobieſl aus è tanto periculo liberatus, per omnia Pragæ templa nudis pedibus, aperto q; capite ambulauit: mendicis ubique largam ſtipem porrexit, ac domi apparato conuiuio, pauperes menſa participauit. Dubrauius lib. 11.

IAROMIRIVS Boëmorum princeps à Cochano Verſouicēſe in gratiā Polonorum regis ſub uenationis ſpecie in altiſſimam ſyluam deductus, ligatus ad arborem, ſagittis confixus fuit, & pro mortuo à ſicariis relictus, ſuperuixit. D. Ioanni Baptiſtæ ſalutem acceptam referens, cuius inuocato numine innoxia tela corpori infixa fuerint, eodemq; loci areā pro templo metatus eſt. Dubrauius lib. 6.

VLADISLAVS Boëmorum rex ab expeditione Vratiſlauien ſi contra Matthiam Hungariæ regem Pragam reuerſus, impias in caput ſuum à ueneficis inſidias reperit, comprehenſis duobus, altero Pragenſi, altero Cuthnenſi ciuibus, regi Matthiæ addictis, qui uenenum Venetiis Pragam attuliſſe conuincebantur. De altero in arce Carloſteyna ſuppliciū ſumtum, alter Pragæ in arce mortuus, ſuppreſſo in eum indicio, à quo ſubornati ad hoc facinus erāt. Dubrauius li. 31.

CAROLVS Vngarorum rex circa annum 1328. ferè cum uxore & liberis ſublatus eſt. Felicianus enim quiſpiam de Zaachorum familia ſtricto gladio in cœnaculo ipſum adortus, ſed fruſtratus ictum, dextram eius leui ictu perſtrinxit: Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputauit: filios uerò eius, pædagogi accurrentes obiectu corporum ſuorum protexēre. Parricida à Ioanne Patocio, nobili iuuene, proſtratus, concurſu ſatellitum membratim diſſectus eſt. De cauſa ſceleris uariant auctores. Nonnulli affectaſſe eum tyrannidem uolūt (ut Bonfinius) alij ſtuprū Claræ ſorori ſuæ à Cazimiro reginæ fratre, ipſa conſcia & conciliatrice, illatum, ulciſci uoluiſſe memorant. Cromerus libro undecimo, & Bonfinius lib. 9. Dec. 2.

HENRICO VII. Imp. Mediolanum ingreſſo cum exercitu, & modis omnibus cōtrouerſias Guelforum & Gibellinorum componere ſtudente: Guido Turrianus Guelfæ factionis princeps ægrè ferens Matthæum Vicecomitem Imp. reconciliatum, & ab exilio reuocatum, proditionem Cæſaris diu meditatam, tandem ad exitum deducere parat. Quendam enim de ſodomia condemnatum, ad ſupplicij locum educere iubet ad concremandum: ut maxima Germanorum militum parte ad ſpectaculum progreſſa, clauſis portis regiæ palatio deſertum opprimeret. Hoc conſilium dum Turrianus cum quibuſdam factionis ſuæ domi iniret, adoleſcens quidam audiens, Matthæo aperit Vicecomiti. Is diſpoſitis clàm armatis, regi omnia detegit. Orto tumultu, fratres Teutonici ordinis ſanctæ Mariæ, qui officij gratia Cæſarem comitabantur, primi irruentes in palatium regis, coniuratos repellunt, & portā aperiunt urbis, qua Leopoldus Dux Auſtriæ ducentis cum armatis irruit. Turrianus fuga elapſus euaſit. Domus eius ſolo æquata, bona direpta, trucidati obuij quiq;. Tum primùm Guelphis Cæſar cœpit eſſe inuiſus, Gibellinis q; adhærere, cùm priùs factionem illam (quæ tam occuparat Italiam) delere pro uiribi laboraret. In exitū igitur acti Turriani, Matthæo autem Vicecomiti cura Mediolanenſis urbis demandata eſt. Cuſpinianus.

Medicēos fratres adoriri ſtatuerant coniurati inter ſacra in D. Reparatæ templo. Id uerò temporis momentum protelari ad ſtringendas ſicas cunctis eſt datum, quo mediis in ſacris Euchariſtia populo oſtēderetur. Franciſcus Paccius, Bernardus q; Bandinus Iulianum Medicem, quem familiariſſimè & comiter fabulando mediū tenebant, repentè confodiūt. Alij eodem tēporis puncto LAVRENTIVM adorti, ei ſupra iugulum in ceruice cōuulnerant. Sed ille amicis haud impunè protegentibus, in proximum ſacrarium ab ædituis receptus, coniuratis ſubinde ianua prohibitis, ſeruatur. In tanta trepidatione ac fuga, omnis ætatum ac ſexus hominū longè tumultuoſiſſima, populus incredibili ſtudio acpietate erga Mediceos arma capit, ac eorum nomen ingeminat: optimi quiqui eo immani execrabiliq; ſcelere permoti, coniuratos perſequuntur, alios trucidant, alios uinos ad ſupplicium in curiam perducunt. Ionius in Leone X.

Duodecim ingenui adoleſcentes Poloni Adrianopoli, cùm ab AMVRATHE Turcorū principe, poſt interfectum ad Varnam Vladiſlaum regem, ex omni captiuorum numero propter eximiam formam electi, ut circumciſi pro catamitis & cinædis eſſent, in cubiculum tyranni deducti fuiſſent, in necem eius coniurarūt: peregiſſentq; facinus præclarum, & omnibus ſeculis memorabile, niſi in ipſo articulo à Bulgaro, quem unum ſocium conſilij adhibuerant, proditi eſſent. Atque ij tamen, ubi rem palàm eſſe cognouerunt, ne tyranni, ſiue libidini, ſiue crudelitati eſſent obnoxij, obditis oſtio perſulis, armati inter ſe concurrerunt, & mutuis uulneribus fortiter conciderunt. Cromerus lib. 21.

PIO II. Pp. primum ab Auerſo tyranno inſidiæ bis ſtructæ, adiutore Boccardo: cuius intercepta ſunt ad eum literæ, habere ſe uenenū, quo ſimul paululum lectica illinereтur, ſtatim periturum: ſe quidem corrumpere aliquos ex lecticariis uoluiſſe, uerùm neminem inuentum, qui facinus recepiſſet adhibendam eius auctoritatem, & præmia maiora proponenda. Quod ubi reſciuit, tantùm admonuit Pancalium præfectum cuſtodiæ corporis, ne quem parum cognitum lecticarium admitteret. Alteræ à ſicariis Tyburtianis. Ii ex Hetruria ad exitum autumni redeuntem, nonnullos ſubornauerant, qui ueluti libellum porrecturi pugione conficerent. Sed illo properante, nondum confirmatis ad ſcelus animis, priuſquam ueniſſet ad locum inſidiarum, pateſacta res eſt. Campanus in eius uita.

CIVIVM SEDITIOSORVM.

XYSTVS IIII. Pontifex Max. cùm in mitræ ſolennibus apud baſilicam Lateranenſem in magna populi frequentia lectica deportaretur, orto ſubito tumultu Pop. Rom. maximum uitæ ſubiit periculum. Ita enim ſaxis ſalutabant ipſum, ut à lecticariis deſtitueretur. Res tamen Latini cardinalis auctoritate eſt ſedata. Volat. lib. 22. Authrop.

FVRIOSORVM, STVLTORVM.

ADRIANVS Imp. Tarracone hyemans, parum abfuit, quin furioſi hominis incurſu fuerit interfectus. Quem, dum ſeorſum à ſuis inambularet, in ſe ſtricto ferro irruentem nix à tergo cōtinuit, quoad miniſtri trepido affuerunt. Tum uerò ob perta hominis ualetudine, non modò non ſupplicio affecit ullo, ſed medicis quoq; curandum tradidit. Sab. lib. 4. Enn.

FERDINANDVS Caſtulonenſis, item Sicilię atq; Aragoniæ rex, qui Bætices partem (hanc Granatam nuncupatam) octingentos annos à Mauris poſſeſſam recepit, cùm Barchinonem ueluti in ſpeciem triumphi ueniſſet, fœlicíſſimus ab omnibus habebatur: & tamen illic uariante res humanas fortuna, parum abfuit quin uitam regnumq; ſimul amitteret. Quidam enim Canemas nomine Catheamus, qui iam diu atra bili laborare uidebatur, gladio eum confodere conatus, collum ingenti uulnere petiit. neq; eius facti per omne tormentorum genus alia elici cauſa potuit, niſi quòd interemto Ferdinando regem ſe futurum ſperabat, id quod ſibi ſæpius ab angelo nunciatum dicebat. Adeò paruo momento regna conſtiunt. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Inſanus quidam ad Collem Senenſis agri oppidum, dum ioco militari intemperanter laceſſeretur, & ob id irritantem ſaxo petere uellet, Magni SFORTIÆ inuictiſſimi ducis tegumentum capitis, ſummo cum uitæ diſcrimine decuſſit. Ionius in uita Magni Sforciæ.

MAXIMILIANVS I. Imp. quod quidem ex Teuredanci hiſtoria conſtat, in comitatu Tirolenſi arcis cuiuſdam armarium luſtrabat. erat enim tormentorum cum primis ſtudioſus. Suitus quidam, quē loci dominus in deliciis habebat, periocum inſtigatus ab auliciis, proſpiceret tormentis ſuis, illa enim Maximilianum cuncta aucturum: candelam later næ impoſitam ſub ueſte clàm cunctis infert, eamq; in cadū pyrico puluere plenum iam iam immiſſurus erat, cùm ſplendore conſpecto Maximilianus magno ſuo cum bono & omnium qui aderant ſalute uix eam uiolenter ſtulti manibus excuſſit. Tā propinquus interitui fuit heros magnanimus.

DE BELLVARVM.

Conſule Tit. Pueri expoſitiuij. quatenus expoſiti, à bellis intacti permanſ. re.

Mirum fuit, quod prophetæ IONÆ euenit, qui cùm ab Ioppe Tarſum uerſus nauigaret, & orta graui tempeſtate iactis ſortibus ipſe inuentus is eſſet, cuius culpa tempeſtas orta erat, faſſus quòd contra Dei imperium ubem Niniuen fugeret, in mare à nautis, ut periculum ipſi euāderent, præcipitatus eſt. Sed cùm Cete ingens ipſum deuoraſſet, tertio die, pòſt ad Euxinum mare incolumem eum in ſicco reuomuit. Fulgoſius lib. 1. cap. 6.

DANIEL propheta ſub Cyro rege propter confractum draconis æreī idolum, à Babyloniis uel inuito rege ſeptem leonibus obiectus, incolumis euaſit, & poſt ſeptem dies à rege eductus eſt. Dan. 14.

Ptolemæus Phyſcon, cùm mortuo patre Ptolemæo Philometore, Aegypti rege, Cleopatram matrē & filios regis regno uellet expellere: at Onias Iudæus Philometoris dux & amicus, reginæ regiorumq; liberorum patrocinium aduerſus Phyſconem ſuſciperet: Phyſcon omnes IVDÆOS in oppidis comprehenſos cū filiis & uxoribus nudos atq; uinctos elephantis uino ebriis conculcandos ſubiecit. Sed elephanti diuina quadam ui agitati, Iudæis illęſis, impetu in ſpectatores regis amicos facto, multos ex ipſis interemere. Ioſephus lib. 2. contra Appionem.

Omnium maximè illud memorabile, quod in EVSTACHII filiis euenīſſe proditum eſt. Fuit is militię magiſterio clarus, Traiano principe: ſed poſt multò clarior martyrio factus. Exercebatur uir fortis per clades & ærūnas ad cœleſtis militiæ præmia, bonisq; fortunæ aliis alio caſu amiſſis, uxore poſtrēmò piratica ui ademta, quum filios duos nondū crepundiis egreſſos, uado fluminis traiiceret, unum poſt alterum amiſit. Enimuero repetens, quem priore ripa reliquerat, dum medium tranat amnem, amborum ſollicitus, uterque, hic feræ lupæ, ille leonis incurſu è patris conſpectu abripitur. Sed quàm flebiliter fuerunt illi amiſſi, tam feliciter poſtea ſunt prouidentia reperti, parentibusq; non ſperantibus reſtituti. Sabel. lib. 1. cap. 2.

ANATOLIAM uirginem anguſto carcere unà cum terribili ſerpente concluſam, nec tamen ab eo læſam, cùm tandem conſumtam putarent, carceriſq; oſtium reſeraſſent, ſerpens Audacem, à quo immiſſus erat, morſu apprehenſum & colligatum extinxit. Virginis oratione ſerpens fugatus, Audax uitæ reſtitutus fuit. Marul. lib. 3. c. 3. & Sabel. lib. 5. c. 3.

CHRISTIANA uirgo in oppido Italiæ Tyro patris ſui Vrbani Tyri præfecti idola argentea confringens, egenis diſpertiuit. A quo cùm blandimentis primùm fruſtra tētaretur ad apoſtaſiam: flagellis & ungulis dilaniata fuit, uariiſq; tormentorum generibus excarnificata. Defuncto patre Dion ſucceſſor eius eam in oleo primū, reſina & pice coquit, ſed illæſam. Huic Iulianus ſubrogatus eā in fornacē ardētē fruſtra immiſſam ſerpentibus deuorandam obiecit. At ſerpentes illa dimiſſa, uenefico inuaſerunt, quem interemtum ipſa ſuſcētauit, & ſerpentes in defertum fugere compulit. Marul. lib. 5. cap. 6.

Relegati in ſolitudines CHRISTIANI ab Hunerico Vandalorum rege Ariano crudeliſſ. in Africa, uenenatorum animalium atq; ſcorpionum refertiſſimas (adeò ut ſi quis longiori ab illis ſpacio oberret, ſolo tamen flatu ueneni uim ſentiat) illæſi ſeruati ſunt. Victor lib. 2.

MALCHVS ex uico Maronia Antiochiæ propinquo oriundus, nuptias fugiēs fit monachus: at à Saracenis captus, ſeruā Chriſtianā matrimonio ſibi iungere cogitur. Tandē ſubreptis duobus hircis eximiis, ex pellibus utres ſibi & uxori, eum qua nunquam rem habuit, confecit, fluuiumq; unà tranarunt. Inſequente domino, in ſpecum leænæ confugere, quæ & Malchum cum ſerua ſeruauit, & dominum occidit. D. Hieronymus in eius uita, ex ipſiuſmet ore.

HERCVLES, ſi poetica fides in his recipienda eſt, quū in crepundiis infans iaceret, nouercalibus eſt anguibus petitus: potuitq; facilè obnoxia iniuriæ ætas ui ſubita extingui, niſi tantus à cunabulis fuiſſet, quantum cum eſſe oportuit, qui omnium terrarum monſtra adultus ſuſtulit. Sabel. lib. 1. c. 2.

ANTIOPE à quodam uitiata, pater Nycteus, ad fratrem Lycum miſit, ut de ea ſupplicii ſumeret. Sororis ille miſertus, pepercerat. Itaq; peperit Zethum & Amphionem, quos ille in montem abiecit. Erat huic uxor Dirce, quæ ſimul atq; ſenſit uirū ſuum Lycum Antiopes captum amore, puellam in montem abductam tauri ceruicibus alligauit, alligatis ad cornua tedis ardentibus. Ad uociferationem Antiopæ concurſum eſt, cùm à uicinis ruſticis, tum ab Amphione Zethoq;, qui matrem agnitam eripuerunt, & à Dirce pœnas ſumſerunt. Ex Suida Eraſmus in prouerbio, Antiopę luctus.

Dionyſiocles ANDROMEDAM ceto expoſitam à Perſeo liberatam fuiſſe ſcribit, cùm is oſtenſo capite Meduſæ cetum in lapidem uerſiſſet.

Regem Aegypti MENAM cùm ſui canes perſequerētur, fugiſſe aiunt in Myridis paludem, ibiq; à Crocodilo ſuſceptum, mirabile dictu, in continentem fuiſſe delatum. Igitur ut gratiam animali redderet, condita ciuitate paludi propinqua, quā Crocodilium appellauit, mandauit accolis, ut pro Deo ea beſtia coleretur, paludemque in earum cibum uouit. Eo quoq; in loco pyramidem quadquauerſus quadratam in ſepulcrum ſibi, arcem multis admirandam ſeculis Labyrinthum ædificaſſe uolunt. Diod. lib. 1. cap. 7.

ARTAXERXES Perſarum rex cùm in uenatione quadā curru ueheretur, duo leones cum inuaſerunt, & diſcerptis iam duobus quadrigæ equis, in ipſum quoq; regem irruiſſent, niſi tempeſtiuè Teribazus ſatrapa interuentu ſuo leonibus occiſis, à periculo regem eripuiſſet. Quod quidem beneficium tanti fuit, ut accuſatus poſtea ab Oronte de proditione, iudicum calculis fuerit abſolutus. Diod. lib. 15.

ANDRODVS ſeruus cū leone in theatro poſitus, quia morti damnatus erat, præ timore penè exanimis iacebat. Cui leo appropinquās, magna totius populi admiratione, Androdi crura lambere, & cauda, quantum poterat, blandiri cœpit. Androdus reſumto animo, cùm ex hoc leonem agno uiſſet, ipſe quoque leoni cœpit blandiri. Itaque cùm admiratione capti omnes eſſent, à Cæſare, ut Androdo ignoſceretur, petierunt. Annuit Cæſar, deductumq; ad ſe Androdum rogauit, quæ huius rei cauſa fuiſſet? Cui Androdus in hæc uerba reſpondit: Gubernante Africam domino meo, nimiis uerberibus ab eo profugere coactus, in Africæ deſerta me cōtuli. ibiq; fortè in quoddam antrum me recepi. Haud multo pòſt leo quoque in eandem ſpelunca tum uenit, qui querula uoce pede ſe debilitatum oſtendebat: unde perteritus penè concidi. Sed tandem à leone conſpectus, qui pede ſublato, querulus ad me uenit, etſi uehementer terrore mouebar, cùm aliter mihi conſulere non poſſem, neceſſitatem, in qua conſtitutus eram, in uirtutem audaciamq; conuerti. Manu feræ pedem apprehendi: atque conſpicatus in eo confixam grandem ſpinam, ut melius potui, à pede euulſi. Itaque ab eo die fera ex uenatione ſua partem meliorem mihi ſemper impartita eſt. Ego autem triennium cum ea moratus, non alio cibo, niſi quem leo afferebat, uixi, eū in ſole, quia ignis copia nulla erat, decoquens. Sed cùm hæc uita grauis mihi uideretur, profecto in uenationem leone, ſpelūca egreſſus, haud lōgè abij, cùm captus ad dominum, quem antè habebam, perductus fui, qui me ad beſtias damnauit: & nunc ab hoc leone agnitus, ex ſignis eum ipſum eſſe aduerto, quocum in antro triēnium uixi. His auditis, populus Romanus à Cæſare ſerui liberationē impetrauit, & ſimul ut cum libertate leo quoq; ci munus daretur. Quem ſeruus dum per urbem duceret, lucri ad uitam ſuſtinendam adiutorē habuit. Gellius, ex Aphione Polyiſtore, in Noctibus Atticis.

Narrat Euſebius lib. 8. cap. 7. ſe in perſequutione Diocletiana in Paleſtina, & in Tyro Phœnicię, ſpectaſſe ſuis oculis, quòd ferociſſimæ beſtiæ, ut urſi, pardi, tauri, & ſimiles, quibus martyres erant obiecti, licet fame & ferro ignito ad furorē irritatæ eſſent, tamen ad MARTYRES aut accedere noluerint aut in eos imperium facientes, obturatis faucibus reſtilierint: & alios quidem accedentes extrinſecus arripuerint, & malè tractarint, ſolis uerò martyribus pepercerint. Nicephorus

phorus eandem referens historiam libro primo, cap. 7. scribit taurum cuidam MARTYRI lingua pedes lambisse, & religiosè quodammodo ab eo discessisse.

In Pangæo Thraciæ monte ursa leonis lustrum ingressa, catulos eius interemit, mox superuenientibus leone & leæna arborem properè conscendit. Leæna ad radices excubat, descensum ursæ obseruans: leo per montes excurrens, LIGNATOREM inuenit, & securim, quæ præ metu manibus eius exciderat, ore eidem offerens, ueste mordicùs apprehensa, primò quidem ad speluncam duxit, occisos catulos ostendit, mox ad locum ubi ursa obseruabatur, signoq; uti poterat dato arborem succidi imperat. Ea concidente, ursam leo & leæna crudeliter laniarũt: lignatorem leo ad materiam cędendam sine noxa reduxit. Aelianus libro 3. cap. 21. de Animal. ex Eudemo.

ROBERTVS I. Scotorum rex in sylua Caledonia feras persequebatur, obuium habuit taurum syluestrem, ictu uenabuli in furorē actũ, nec quicquã erat, quo imminens periculũ subterfugere posset. Vniuersis propè metu stupentibus, quidam arreptis feræ cornibus quanta potuit maxima ui renitens, non modò cursum impetētis retinuit, sed belluam quoq; prostrauit: qua confestim accurrentiũ uenabulis confossa, impēdens regi exitium auertit. Hunc uirum rex ob seruatam salutem magnificè donatũ, Turnbul, id quod tauri deiectorem significat, appellari exinde uoluit. Extant huius nominis familiæ nobiles. H. Boëthius, in Scotię descriptiõe.

HENRICVS cognomento Ferreus, comes Holsatiæ, regi Angliæ Edoardo III. ob uirtutem acceptissimus fuit. Vrebat id Anglorum proceres. Itaq; absente rege, apud Reginam conqueruntur, Saxonem hunc ignobilem multis nobilibus Anglicis præferri: cuius ignobilitas uel leonis periculo deprehendi queat (hunc enim naturâ internoscere nobilē sanguinem ab ignobili) Ergo Reginæ permissu leo noctu laxatur, ut Henricum ante lucem auras captare solitum aggrederetur. Hēricus de more seminudus, baltheum cum gladio appensum gestans, in gradibus leonem habuit obuium. Cæterùm interritus, Quiesce, inquit, quiesce ferox canis. Ad quę uerbum leo ad pedes eius procubuit: quem ille incolumis reduxit in caueam. Cranzius lib. 9. Saxon. c. 24.

PIVM II. Pontificem adhuc puerum constat à boue impetitum cornibus, ac ter iactatum præter spem euasisse, multis in locis confossum. Campanus in eius uita.

SFORTIA Magnus inter tria præcepta, quæ filio Francisco dedit, hoc fuit unum, Ne unquam indomiti oris equo, aut molli suffulto ungula uteretur: quòd se ab equo alioqui lõgè optimo, sed in frenum contumaci, cui Draconi ob id nomen erat, suborto ex insidiis Bracciano hoste, irrita habenarũm contentione abreptum se, & in Auersæ fossam præcipitatum memoraret. In Vmbris autem tumultuaria in pugna, quum ex equo, cui à colore auis, Picæ nomen erat, depugnaret, eo inter colluctationes omnibus soleis discalciato, uix ipse pedibus eo relicto è manibus hostium effugisset. Iouius in uita Sfortiæ.

IVLIVS Camillus, Foroiuliensis, in politiori literatura uersatissimus, sed Theatri inprimis ingenioso commento Gallorum regi acceptissimus, Lutetiæ ludos spectabat. Leo claustris perruptis, cùm in summum cœnaculum euasisset, fuga reliquis omnibus dilapsis, à tergo Camilli femora complexus, lingua lambere cepit. Conuersus ille obstupuit: ac leo supplicantis instar sese innoxiè demisit. Causam ipse metiri Theatri sui Idea refert in Solaris uirtutis symboleitatē, qui naturæ ductu bestia agnosceret & amplecteretur.

SERVATI A MORTE CONSIDERATA RESPECTV instrumenti, per quod infertur. Vt est

FVLMEN.

Elide fulmen in domum Dorothei rhetoris delapsum multa miracula edidit. Vinum ex dolio exhausit, uase illæso. HOminem somno stratum transuolans, neque illum offendit, neque uestem attigit: sed eius cinctum, in quo succinxerat nũmos æreos, liquefecit & fudit totum. Pythagoricus, quidã aduena cùm accessisset, multùm interrogauit eũ. Sed ille rem abominatus, iussit, ut secum eam perpenderet, ac deos obsecraret. Plut. lib. 4. Quæst. con. 2.

MILITIS, qui Romę ædem sacram custodiebat, fulmen, propè delapsum, ambussit calceamentorum corrigias: neque aliud quicquam incommodi attulit. ac pyxidicularum argentearum, quæ ligneis inclusæ capsulis erant, argentum quidem colliquatum & conflatum fuit, lignum intactum & integrum inuentum. Plut. lib. 4. Quæst. conuiualium 2.

MARCIA princeps Romana, flumine icta grauida, partu exanimato, ipsa citra ullũ aliud incõmodum uixit. Plin. li. 2. c. 51.

SCOPELIANVS, pontificis Asiæ filius, sophista, dum in cunabulis esset, à fulmine occiso fratre, qui unà cum illo natus erat, ipse euasit incolumis, atq; per maximos labores ad extremam etiam peruenit senectutem. Cardanus de Rerũ uarietate libro 8. cap. 43.

In horrenda illa Macliniæ urbis conflagratione, quæ anno 1546. ex fulmine accidit, caupo quidam nomine CROES erat, apud quem conuiuæ chartis ludebãt. Quibus deficiente zetho, quum caupo in cellam uinariam ad hauriendum descenderet, tantus tēpestatis extitit impetus, ut auulsa domus, procul abiecta sit: repertiq; sunt lusores illi, chartas adhuc manibus habentes: nemine illius domus saluo, præter cauponem, qui concameratæ cellæ beneficio seruatus est. Gilb. Cogn. lib. 8. Narrat.

IGNIS. AB INCENDIO EREPTI.

LOTHVS ob hospitalitatem piam erga angelos, quos ille peregrinos putabat, à Sodomeo incendio cum duabus filiabus seruatus, in uicinum oppidũ migrare iussus. Segor inde dictum, cùm priùs Bala uocaretur. Genes. 19.

Tradunt Hebræi, quòd ABRAHAM in ignē missus sit, quia ignē adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne, profugerit in Mesopotamiã. Vnde scribitur egressum esse Tharã cũ sobole sua de regione Chaldæorum, pro eo quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum. Itaque mortuum dici Aram ante conspectum Tharę patris sui in terra natiuitatis suæ in igne Chaldæorum, quòd uidelicet ignem nolens adorare, igne consumtus sit. Iosephus scribit Tharã, cùm odio haberet Chaldæam, propter luctum Aran filij, migrasse cum tota domo Charras, sepulcrumque Aran ostendi in Vr Chaldæorum. Viues in lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 15.

Nabucodonosor anno regni 19. aureum colossum erexit, cubitorum 60. latitudine sex, in campo Babyloniæ Dura, & omnes præfectos suos conuocauit ad eius dedicationem, ut audito tubæ & aliorum musicorum instrumentorum sonitu prociderent, eumque adorarent. Paruerunt omnes, exceptis tribus Iudæis, eunuchis, quos rex Iudæis exulibus præfecerat in Babylonia, MISACO, SIDRACO, & ABDENAGO, qui soli Deo adorationis cultum deberi constanter asserebant. Vincti igitur coniiciuntur in fornacem ardentem, quam septuplo magis iratus rex incendi curauerat. Verùm in media flamma, solis uinculis consumtis, ambulabãt Deum laudantes, & cum ipsis quartus conspiciebatur angelica specie. Ignis è fornace erumpens milites ipsos absumsit, & uicinos quosque Chaldæos depopulatus est. Nabucodonosor miraculo territus, eos euocatos honorificentissimè tractauit, néue Deo illorum quispiam malediceret, sub pœna mortis & publicatione bonorum omnium edixit. Danielis tertio.

COPRVS, siue Copres, Aegyptius monachus, cùm de fidei Christianæ articulis cum Manichæo monacho, uiro pertinacissimo contenderet, ut re aliqua mira ea probaret, quę uerbo dixerat: medios ignes ingressus, in eis horam dimidiam mansit, non incolumis modò, sed ne minima quidem læsa capillorum parte.

BENEDICTVS iunior à Totila rege (cùm in cella eum comburere frustra tentasset) fornaci ardenti propter Christum immissus, sequenti die incolumis exiit: anno Christi 538. in Campania Italiæ. Sigebertus, & Greg. Turon. Dialogorum libro tertio, cap. 18.

Tres PVERI ligatis manibus & pedibus, in ardentem caminum abiecti à Gothis, altera die, Totila requirente, in camino illæsis uestibus deambulantes reperti fuerunt. Greg. Turon. ibidem.

Lauduni MVLIER morte multanda, cùm in æde S. Mariæ cõcubitum & cædem generi, palàm Deo & hominibus esset confessa, ac Mariæ precibus meritisq; se commendasset, nullis flammis rogi, in quem ligatis manibus & pedibus coniecta erat, læditur, lignis in cinerem redactis. Mox itaque ab actoribus reparatur incendium: uerùm illa denuò illæsis etiam uestibus euadit: & applaudente populo, ad templum Dei genitricis progressa, pro sui protectione Deo & Mariæ egit gratias: paucis tamen deinde exactis diebus, moritur. Anno 1094. Sigebertus.

Inter alios filios & ACHILLEM Thetis Peleo genuit: quos cùm sub igne per noctem occultaret, ut quod mortale esset absumeretur, mortui sunt. Achilles uerò ambrosia per diem inunctus, & sub igne per noctem occultatus, dicitur aliquãtulum perdurasse: donec re à Peleo deprehensa, Thetis irata se in numerũ Nereidum recepit. Eapropter Achilles primò uocatus fuit Pyrisous, tanquam ab igne seruatus, Chironi educandus datus: at postea Achilles, quòd exusto labro careret, ut ait Agamestor. Fuerunt qui dixerint Thetidem non sub flamma solitam esse occultare filios, sed in lebetem aquæ bullientis iacere, ut experiretur an mortales geniti essent. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 2.

Cùm dimisso exercitu in Aegyptum reuertisset SESOSTRIS rex, ac circa Pelusium uacuus bello laxaret curis animum, frater ei apud se cum uxore ac filiis cœnanti insidias parauit. Nam illis post cibum à uino quiescentibus, lignis aridis ad id antea occultè præparatis, ignem in cubiculum noctu iniecit. Increbrescente flamma, qui ad curam regis positi erant, sublato more ebriorum clamore, regem excitarũt: qui ambas extendens manus, salutemque filiis & uxori deos orans, illæsus præter opinionem, cùm saluus flammam euasisset, tum cæteris diis, tum maximè Vulcano ut liberatori uota persoluit. Diod. lib. 1. capite 4.

Olympiade octogesima prima Aetnam igne fluxisse aiunt, quo tempore PHILONOMVS & Callias Catanei (alliis Amphinomus & Anapias) patres suos apprehẽsos per mediam flammam extulerunt, spretis opibus reliquis. Quamobrem auxilium diuinitus ipsis collatum est. Ignis etenim currentibus ipsis ea parte diuulsus est, qua ingrediebantur. Aelianus apud Stobeum orat. 79.

Moris erat Constantinopoli eulogias seu panem benedictum pueris scholam frequentãtib. distribuere. Cum iis forte fortuna Iudæi cuiusdam uitriarij filius unà accessit, & de reliquiis benedicti panis comedit. Domum reuersus, à parentibus ubi fuisset, & quid comedisset, interrogatur. Is rem totam indicat. Pater ira commotus, eam ob rem PVERVM in ardentem furnum, ubi uitrum formari solebat, inclusit. Mater uerò cùm diu quæsitum puerum inuenire non potuisset, triduo pòst stans ad mariti officinam, lacrymabili uoce filium uocat. Mox puer agnita matris uoce, è furno respondet. Mater apertis foribus, uidet puerum illæso corpore in medio ardentium stare carbonum. Qui interrogatus, cuius opera seruatus fuisset? respondit: Mulierem quandam purpura uestitam crebrò ad se uenisse, & porrecto cibo & aqua carbonibus uicinis extinctis, se conseruasse. Hac re Iustinianus Imp. cognita, filium matremq; baptizari, patrem uerò ut homicidam necari iussit. Euagrius lib. 4. cap. 36. Cedrenus sub Iustino Curopalate.

Quidam Parisiis cum CAROLO VI. Gallorum rege personati syluestrium uirorum, totum uillosi corpus, formas sumserant. Regis fratre Aurelianẽsi duce accensum funale, ut eos diligentiùs intueretur, propiùs admouente, flamma unius uelum, quod tenui lino pice illitum erat, corripuit, & ignis ob picē ita sæuiit, ut ab eo in alios transiens flãma duos ex personatis combusserit: Rex autem ex eo periculo uix eripi potuerit. Fulgosus lib. 9. c. 12. & Aemilius lib. 9.

AQVA. PVTA

In Inundatione, Diluuio seruati.

NOACHI historia ut antiquissima, sic notissima, ut de ea nec tacendum nec loquendum uideatur intelligentibus.

Cùm uitæ integritate, & sanctitate, DEVCALION & PYRRHA uxor cæteris hominibus præstarent, in quadam arca, uti moniti fuerant à Prometheo, rebus necessariis eò comportatis, seruati fuerunt, quam Lucianus in Timone κιβώτιον appellauit, at Adron Teius λάρνακα: unde Parnassus, quòd eò scapha illa appulerit, Larnassus dictus, deinde mutata prima litera Parnassus. Cùm terra multos dies sub aquis latuisset, ut experiretur an aquæ decreuissent, & an longè abesset à terra Deucalion, columbam emisit, ut testatur Plutarchus in libello de Industria animalium. Cùm citissimè eò re uolasset, quia non habebat ubi consisteret, intelligebat aquas nondum satis decreuisse. Verùm cùm non amplius rediisset, intellexit siccum iam alicubi esse terræ solum, & id non longè abesse. Deucalion igitur eò cum scapha traiecit, & Themidis oraculum adiuit, sciscitaturus quo pacto posset humanum genus reparari. Responsum tulerunt, ut uelatis capitibus ossa matris post se iacerent. Res partim difficilis, cùm omnia limo obducta essent, partim etiam impia uisa, si mortuorum ossa, quæ ubi essent, nescirent, effodere & mouere iuberentur. Tandem uenit in mentem Deucalioni, communem omnium matrem & altricem esse terram, cuius ossa saxa dici ob duritiem possent. Rem expressit Ouid. lib. 1. Metam. Arrianus tamen libro secũdo rerum Bithynicarum Deucalionem in arcem, locumq; eminentiorem Argi confugisse inquit, & post illam inundationem Ioui Aphesio, liberatori scilicet, aram erexisse, qui locus postea Nemea à pabulo pecudum, quæ frequentes ibi pascebantur, fuerit nominatus. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 17.

Regnantibus Autarico Longobardorum rege, item Mauritio Augusto, in Pelagij pontificatu, cùm Athesis, qui Veronam urbem mediam secat, adeò excreuisset, ut superato alueo, eius aquæ iam usq; ad fenestras fani, ubi Zeno colitur, ascendissent: in ipsum tamē fanum, neq; à ualuis, neq; à fenestris, etsi apertæ erant, eius humoris pars ulla ingressa est. Sed magis etiam illud mirum uidetur, quòd HOMINES, qui fortè in fano inuenti sunt, ubi aquæ sæuiebant, à porta ex eis biberunt, & in uasa exceperunt. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

In Naufragio seruati.

Nauis Alexandrina, quæ 276. capita HOMINVM uehebat cũ Paulo Apostolo, qui uinctus Romam ducebatur à Iulio centurione, in mari Adriatico ad Melitam insulã, iactura priùs & mercium & armamentorum, tandem & frumenti, facta, undarum ui dissoluta est. Nullus tamen periit, sed omnes enatarunt. Act. 26.

Cùm VLYSSIS socij in Sicilia fame urgente Solis boues mactassent, ipso dormiente, id scelus omnes naufragium passi morte luerunt. At Vlysses expers eius sceleris, arrepto malo nauis, nouem dies in mari fuit undis & uentis agitatus: tandem ad Ogygiam insulam delatus, & à Calypsone nympha in hospitium acceptus, septem annos cum illa uersatus est, atque ex eius congressu filios etiam suscepit. Inde domum repetens, cùm non procul abesset à Phæacia, Neptunus illi propter casum Polyphemi filij grauissimam tempestatem immisit. Fracta rate miserta eius Leucothoe tabulam subiecit. Cui innixus, in portum Phæacum adnatauit, nudusque inter frondes arborũ ibi se occultauit, & cùm uestes à Nausicaa filia Alcinoi accepisset, Palladis opera ad Areten Alcinoi coniugem perductus est, à qua nauibus & sociis acceptis, in Ithacam cum muneribus dormiens expositus, & à Pallade excitatus, sumto mendici habitu, domum suam à lasciuis ac sceleratis procis purgauit. Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap. 1.

NAVFRAGVS filius patris iam submersi cadaueri innitens euasit. De quo sic in 1. Græcorum Epigr. Philippus:

Νῆα μὲν ὤλεσε πόντος· ἐμοὶ δ' ἔπορεν πάλι δαίμων
πλαζομένῳ φύσιος νῆα ποθεινοτέρην.
πατρὸς ἰδὼν γὰρ ἐγὼ δέμας εἰς ἐμὲ καίριον ἐλθόν,
μυνεγέτης ἐπέβην, φόρτος ὀφειλόμενος.
ἤγαγε δ' εἰς λιμένας με, καὶ ἔσπειρεν δὶς ὁ πρέσβυς,
νήπιον ἐν γαίῃ, δεύτερον ἐν πελάγει.

ALFONSVS Aragonius subacta Ischia insula, ad uicinũ templum, Deo gratias pro uictoria acturus, profectus, cùm nauicula, qua uehebatur, subuersa esset, Caietani nautæ opera seruatus, alimenta ei liberalissimè dedit & quinq; illius filias honestissimè elocauit. Lud. Dominicus lib. 1. Variar. histor. ex Panorm.

FRIDERICVS & IOANNES Saxoniæ duces ex Argelia in Albi Vitebergam hyeme nauigabant, magno cum periculo quassata undique glaciei molibus naui. Cùm Vitebergam esset uentum, & iam Principes ex naui egressi essent, priusquam reliqua multitudo in ripam ascendit, dissoluuntur tabulæ. Principes fatentur se diuinitùs seruatos esse. Fridericus etiam addidit: Vtinam hæc nauis non significet naufragium domus Saxonicæ. Nec multùm à scopo aberrauit, capto Ioan. Friderico Electore filio, bello Germanico. Laur. Lindemannus in oratione de duce Ioanne.

ALFONSVS Albuquercius Indiæ prætor regno Malacense occupato, cùm Zamatræ oram præteruheheretur an. 1512. coorta subitò tempestate, & cùm nullis anchoris nauis prætoria firmari posset, ad rupem allisa, puppi in saxo subsidente, è fluctibus eminebat. Nox erat densa, caligo, turbines atque procellæ, tonitrua & fulgura terrorem cunctis iniecerant, & spem salutis inciderant. Albuquercius animaduertẽs infantem aquis in nauem influentibus penè mergi, illum sublatum humeris tantisper sustinuit, dum alia ex naui auxilium adueniret, sic effatus: Huius innocentia fretus, confido me Christi benignitate è fluctibus emersurum. Itaque cùm ex alia naui, scapha demissa, & in nauem prætoriam remis uehementer impulsa fuisset, Albuquercius & reliqui in nauem Alpoemi aducti, uix tandem Cochimum peruenêre. Omnes opes amissæ sunt, & inter eas duo leones è ferro singulari opere facti, & armilla, quæ sanguinem sistebat, cum multis donis Emmanueli Regi destinata. Osorius lib. 8. rerum Em.

In Tempestate seruati.

Argonautis Colchos petentibus, tempestate coorta, cæteris salutem desperantibus, solum Orphea tradunt religionis peritum, uota pro salute Samothracibus fecisse: exemploq; tempestate sedata, cũ duo astra super POLLVCIS & CASTORIS capita cecidissent, omnes eo miraculo stupentes credidisse, deorum prouidentia se à periculis exemtos. Quo facto cõtigit, ut quos postmodum maris agitaret tempestas, Samothracibus uota pro salute facerent: astraq; apparentia ad Castorem Pollucemq; referrent. Diod. lib. 4. cap. 4.

XERXES rex è Græcia fugiens, Phœnissa exceptus naui cursum in Asiam tetendit, ac tum fœda tempestate coorta in discrimē uitæ perductus est. Cui percõtanti, an nulla spes salutis superesset, rector nauis hanc unam esse respondit, si uectorum multitudine leuaretur nauis. Tum rex suos hortatus est, ut si quam sui curam haberent, suo in mare desultu nauem exonerarent. Quę quum dixisset, plurimi nobiles rege adorato cõfestim è naui in fluctus desiliêre. Idem quum

alij

alij non pauci fecissent, leuata naui rex incolumis Asiam tenuit. Tum ibi gubernatorem nauis, quia regis animam seruasset, aurea corona donauit: donatumq́; ob eorum iacturam, qui in subiectum mare sese è naui deiecerant, capite multauit. Sab. lib. 2. En. 3.

Tradit Zonaras, Iustinianum II. Imp. cùm ad Trebellium Bulgarorum regem naui fugeret, oborta tempestate, penè fuisse submersum. Quum à quodam comite itineris admoneretur, ut Deo promitteret, omnes iniurias inimicis sese cõ donaturũ, is id se facturum recepisset, à fluctibus liberatus, & Bulgarorum opera imperio restitutus, uoto tamen minimè stetit, sed in hostes suos crudelissimè sæuiit. Cuspinianus. At uerò alij nemini se inimicorũ parciturum iuramento interposito minatum scribunt.

Greg. Turonensis narrat Dialogorũ lib. 3. cap. 36. MAXIMIANVM quẽdam, postea Syracusanum episcopum effectum, cum aliis in Adriatico mari in grauem tempestatem incidisse. Desperata salute, quilibet alteri dedit pacem, atque corpus & sanguinem acceperunt, Deoq́; sese commendarunt. Nauis duodecimo demum die in portũ delata, simulac homines ex naui sunt egressi, in conspectu omnium submersa est. Ioannes diaconus Romanus in uita Gregorij, Maximiano Roma domum reuertenti à Gregorio, qui tum sub Pelagio papa scriba palatij erat, id contigisse scribit.

A Naufragio præseruati.

Episcopum Carthaginensem QVODVVLTDEVS, Hunericus rex Vandalorũ cum maxima turba clericorum nauibus fractis imponi iussit, nudos & expoliatos. Sed hi Dei miseratione, prospera nauigatione Neapolim Campaniæ ciuitatẽ perducti sunt. Victor de Persecutione Vandalica lib. 1.

SIMONIDES nauigaturus, per quietem monitus est, ut corpus inhumatum, quod in litore erat, sepulturæ mandaret. Illic moram trahens, cùm reliqui naufragium fecissent, solus periculum imminens effugit. Val. Max. lib. 1. cap. 7. de Somniis. Cic. lib. 1. de Diuinatione.

Cùm APPIVS proscriptum se à Triumuiris nosset, opes, quas habebat, seruis suis diuisit: & cum eis nauem conscendit, ut in Siciliam traiiceret. Orta ingenti tempestate, serui eum in lembum demiserunt, monentes, illic à tempestate tutiorem fore: & ipsi cum naue atque opibus abierunt. Serui paulo pòst cum naui demersi sunt. Appius in Siciliam uentorũ ui incolumis perlatus est. Fulgosus libro 6. capite 11.

PIVS II. Pp. transfretatione Britannica sereno die cùm ad nauigandum inuitatus, seriùs ad nauem iam soluentem uenisset, quàm posset admitti, exorta mox tẽpestate, nauis & qui in ea erant haud ꝓcul à litore, ipsius in oculis demersi sunt. Idem iam factus pontifex, apud paludes Pontinas, cùm noctu per flumen Ligulam nauigaret, tribus horis limo inhæsit, naui, quæ eum sequebatur, cum undecim uiris absorpta. Ad Cumas quoq; nocte cùm appulisset, nauis oppressa est, sed citra discrimen, quòd haud procul à litore, nec profundo admodum mari subsedisset. Campanus.

Andreas Auria CAROLI V. Cæsaris classis contra Barbarussam (quæ Tunetanum regnum occupauerat, & iam Siciliæ litori imminebat) præfectus, quum in Africam traiiceret, & in Vticæ portum, quem Farinam nautæ uocant, leni Coro remigum laborem subleuante, uniuersam classem inferret, magno casu una omnium prætoria quadriremis, qua Cæsar ipse uehebatur, dũ intraret, sabuloso in uado hæsit. Quo animaduerso periculo Auria expedito consilio dimidiam partem uectorum & remigum in aduersam spondam declinare iussit, tanta agilitate, ut ad imperium canentis fistulæ, quadriremis uti pondere subleuata impulsaq; demum dextro remigio eum arenæ tumulum euaderet, & incolumis cum plausu uniuersæ classi redderetur. nequaquam leuiter commoto Cæsare, qui simile uitæ discrimen Philippum patrem subijsse memorabat: quum ille in Oceano transuersa abreptus tempestate, in arenæ cumulos periturus incidisset, nisi ingentis fluctus beneficio elata nauis, atq; ultra extantem sabuli cumulum transportata, magno miraculo in Britanniæ litus euasisset. Iouius lib. 34. Historiarum.

A Submersione præseruati.

Diuina prouidentia MOSES, ut omnem Israelis progeniem seruaret, infans seruatus est: quem parẽtes crudelissimo Pharaonis edicto subacti, alueo inclusum, in profluentem abiecêre. Reddidit eum terris tumidus amnis, tanquam fatorum conscius: redditum regiæ aulæ intulit fatalis necessitas, ut unde illi nuper mortis tenebræ intendebantur, regalia sint alimenta exhibita: & quæ nuper domus exitio illi penè fuerat, eadem ad imperium extolleret. Sab. libro 1. capite 2.

Cycnum aiunt Neptuni filiũ regnasse Colonis. oppidum hoc in Troade fuit, ad Leucophryn insulã. Filiam is habuit HEMITHEAN, & TENNEN (Diodoro Tenem) filiũ ex Proclea Clytij filia, Caletoris illius germana sorore, quem ab Aiace in prælio interfectum memorat Homerus, cùm faces in Protesilai nauem immitteret. Proclea mortua, alterã Cycnus uxorem duxit Philonomen, Craugasij filiam. Ea cùm in priuigni incidisset amorem, repulsam ægrè ferens, Tennem ficta calumnia apud uirum criminata est suum, quòd ille inuitam & repugnantem constuprare conatus esset. Cycnus iuuenem tum sorore in arcam inclusum, in mare abiicit. Incolumes illi in insulam exponuntur: cui cùm antè Leucophrys nomen fuisset, de Tenni postea nomine Tenedos fuit appellata. Pausanias lib. 10. & Diod. lib. 5. c. 17.

Vlyssem in clypeo delphinis prætulisse insigne, auctor Stesichorus est. Zacynthij, ut Cirtheus prodit, rationem protulẽre huiusmodi, quòd illapsum in mare TELEMACHVM subiens delphin incolumen præstiterit. Quod beneficiũ pater uelut remunerans, id in clypeo habuerit insigne, & signatorio quoq; insculpserit anulo. Cælius lib. 8. cap. 5. A.L.

Sunt qui putẽt, DECREN Veneris filiam in mare prolapsam, à piscibus in cœlum mox tralatis fuisse seruatam: quo nomine, Syros in mensam pisces non admittere, ut scribit Theon. Cælius lib. 23. cap. 5. A.L.

Staphylus, Dionysij F. RHÆO filiam suscepit, quam Apollo compressit. Id ubi resciuit pater, coniectam in arcam demisit in mare. Illa uerò diuinitùs ad Eubœæ antrum appulsa, puerũ peperit, ac Anium dixit, διὰ τὸ ἀνιαθῆναι δι' αὐτόν, quia ob eum multam sensisset tristitiam. Cælius lib. 7. cap. 15. A.L.

PHRONIME à nouerca falsò prẹter aliàs iniurias, coram patre Etearcho Oaxensiũ in Creta rege, impudicitiæ etiam accusata est. Persuasus Etearchus, negotiatori cuidam Theræo mandat (quem priùs iureiurando adstrinxerat, quicquid ab eo petiturus esset, facturum esse) ut abductã filiam in mari demergeret. Themison ancipiti animo inter nefas operis, & hospitij perfidiam, accepta puella mare ingressus, cùm in alto fuit, ut iureiurando Etearchi satisfaceret, reuinctam funibus puellam demisit in pelagus: ea denique retracta, Theram peruenit. Ibi Polimnestus, uir inter Theræos spectatus, in concubinatum Phronimam accepit, ex qua interiecto tẽpore filium sustulit, cui Batto nomen impositum est.

C. IVL. Cæsar Alexandriæ circa oppugnationẽ pontis eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eòdem præcipitantibus, cùm desiliisset in mare, nando per ducentos passus euasit ad proximam nauẽ, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicùs trahens, ne spolio potiretur hostis. Suetonius.

MYRTILVS miles bello nauali in mare cadens, scuto incubuit, & euasit natando. De quo sic Iulius Leonides in 1. Epigram. Græcorum-

> Εἰν ἐπὶ κινδυνόεις ἔφυγεν δύο Μυρτίλος ὅπλῳ,
> Τὸν μὲν ἀριστεύσας, τὸν δ' ἐπινηξάμενος,
> ἀργύρης ὅτ' ἔδυσε νεὼς πρόπιν· ἀσπίδα δ' ἔσχον
> σωθεὶς κεκρυμμένῳ ὕδατι καὶ πολέμῳ.

REMIGEM quendam in litore Tyriorum sentinam haurientẽ, cùm è naui fluctus abiecisset, altero latere repercussum, contrarius fluctus in nauem retulit. Itaq; miseri simul ac felicis cõplorationi, permixta fuit gratulatio. Val. Max. lib. 1. c. 8.

ZENOBIA uxor Rhadamisti Pharasmenis Iberorũ regis F. qui patruo Mithridate necato Armeniam occupauit, cùm propter populorũ rebellionem unà cum uiro fugeret, & in uia pariendi dolore capta esset, ita ut ultrà progredi nõ posset: uirum rogauit, ut se occideret, neq; in hostiũ manus uenire pateretur. Vir post multas lacrymas uxorem amplexus, ne dedecus pateretur apud hostes, ferro iugulũ eius petiit: & mortuam esse arbitratus, in Araxem fluuium, qui propè erat, proiecit, ne corpore hostes potirentur. Sed postea à quibusdam inuenta pastoribus, cùm adhuc uiuere conspiceretur, ad Teridatem Vologesi Parthorum regis fratrem, mariti hostem, perducta fuit. Aen. Syl. cap. 39. Asiæ.

SOBIESLAVS Boëmorum princeps in gratiam Lotharij Cęsaris ad oppugnandam Bambergam se conferẽs, transiẽsque flumen quoddam in Bauaria, parum abfuit, quin ab aquis uehementioribus absorberetur, equo super quem sedebat submerso. Dubrauius lib. 11.

ALEXANDER Oliuus prope Saxoferratum rustico patre natus, puer hinc inde stipis causa uagans, in puteum incidit, & exanimatus à uicina quadam extractus est. Mater uotum fecit, monachum se filium facturam, si ad se rediisset. Voti rea, Augustinianis illum commisit, apud quos tantũ promouit, ut tandem Cardinalis sit factus. Garimbertus lib. 4. de Viris Pontificum.

In lacu uastissimo Vether in Gothia, glacie congelato, RVSTICVS quidam plaustrum fœni in aliud litus transuecturus, audiuit crepitum fieri, atque glaciem in rimas exiguas paulatim rumpi. Quocirca intelligens naturam eius, ac fuga opus esse, ut quàm celerrimè suæ cõsuleret saluti, relicto plaustro fœni, equis citatis uelocissimè festinauit ad proximum litus. Quod cùm quatuor armati EQVITES eum sequentes uidissent, eum quasi latronem insequuntur, atq; in litore apprehendunt: & causa intellecta, quòd ob crepitum glaciei mox resoluendæ aufugisset, ualde lætati sunt, se prę ter spem liberatos fuisse. Rusticus iisdem in litore dẽmõstrauit, plaustrum suum non in glacie, sed aqua natare. Olaus lib. 20. cap. 18. Septent. reg.

NIX.

PIVS II. Pontifex, alpes Vindelicas hyberno æquinoctio ingressus, paulum abfuit, quin liquentium niuium lapsu obrueretur, semel ingenti globo deiectus. Campanus.

POMPEIVS COLVMNA Franciscum Galliæ regem, redeuntem domum ex Italia, ut patruum Prosperum Columnã captũ liberaret, subsequutus est media hyeme per Pœninas alpes, ubi deuoluta ingens è summis alpium iugis niuium moles, permultos omnis generis mortales, & in his integrã Sedunorum legationem paucis ante illum passibus oppresserat. Iouius in Pompeio Columna.

SAXA, LAPIDES.

PAVLVS apostolus, cùm unà cum Barnaba Lystris euangeliũ prædicasset, à Iudæis lapidatus, extra ciuitatẽ tractus, & semimortuus ibi relictus est. Act. 4.

GLADIVS, SECVRIS.

Vide Tit. Seruati à morte intentata ab Insidiatoribus.

ZENOBIÆ exemplum paulo antè (A submersione præseruati) retulimus.

Eo tempore, quo Lodouicus rex Francorum in Africam nauigauit, EDOARDVS Henrici III. regis Angliç filius, ex Anglia cum ingenti classe in Asiam traiecit, à Theobaldo Leodiense archidiacono (qui postea Gregorius X. Pontifex creatus est) excitatis Christianis, recuperandæ terræ sanctę causa. Verùm dum Ptolemaide tamdiu immoratur, quo ad Lodouicus rex, ut pollicitus erat, eò ex Africa uictor traiiceret: ab Arsacida Saraceno familiari, dũ solus in cubiculo esset, tribus uulneribus petitus, ęgrè mortis periculum euasit, adiuuante altero familiari, qui manum sicarij tamdiu retinuit, donec à domesticis discerptus & extractus è cubiculo scelẹratus Arsacida est. Platina in Gregorio X.

GALEACIVS II. Vicecomes arcẽ Mediolanensem extruẽs, & uiuarium quoq; addens, fundos iustis possessoribus niquo precio ademit. A Bartolo Xysto, paterni agri iniuriam frustra deprecante, equitans cultello in uentre petitus, cùm cuspis in ipsam balthei fibulam incidisset, seruatus est. Iouius in eius uita.

BACVLVS, FVSTIS.

Festo die Pentecostes LEO V. Imp. cùm sacris interesset, cancellis adhærens, quidã ex ambone (ut fit in multitudine ob pressuram) in caput Imperatoris baculum impegit: cui nisi candelabrum obstitisset, actum erat de uita regis: sanguinẽ enim eructauit, & mente alienatus semimortuus iacuit. Auctor facti, ampũtatis manib. ac pedibus, in ignem est proiectus. Monachus autem Marcus miraculũ adaugẽs, Ab hoc, inquit, ô Rex, anno, non amplius decem regnabis. quod & euenit. Cuspinianus & Cedrenus.

SAGITTA, IACVLVM.

Boleslao III. Boëmorum duci, Mescho Polonorum princeps Cracouiam per fraudem eripuit. Per inducias ambo duces apud Cracouiã conuenerunt. Boleslaus in cõuiuio captus, luminibus priuatur, comites eiusdẽ crudeliter necati, exceptis Vrisbuicensibus (Dubrauius Versouicenses uocat) insidiarum consciis, scelerisq́; participibus. Iidem quoque IAMVREM Boleslai fratrem dolo necare conabãtur. Cochares enim, adolescentem sub specie uenationis in syluam tractum ad stipitem arboris alligatum, sagittis confici iusserat. Fama est, D. Ioannem Baptistam ab eo precibus exoratum, hirsũto tegmine sagittas excepisse, uxoremq́; eiusdẽ per uisum cõmonuisse, periclitanti uiro opem ferret. Interea famulus principis Ouera elapsus, proditionem populo exposuit. Qui proditorib. occisis, ducẽ saluũ reduxit. In eo loco, monasterium ordinis S. Benedicti, quod Veliscã appellant, constructum, & ara maior ibi sita, ubi arbori religatus Ianures fuerat. Aen. Syluius in hist. Boem.

TORMENTA, BOMBARDAE.

MATHIA Coruino Vng. rege Eberstorfum oppidum Austriæ oppugnante, emissa ex urbe glans ferrea tugurium, in quo rex discumbebat, tanta ui transuerberauit, ut parũ abfuerit, quin regem exanimarit. Bonfinius lib. 6. Dec. 4.

Bellici tormenti usum habent Gothi, quod Blidan uocant. Eo fundæ instar grauissima pondera emittuntur. Tradunt olim in obsidione urbis Calmarnensis ANVM Gothã in tormenti fundum quietis captandæ gratia se collocasse, & incautè soluto obice per aera in hostilẽ urbẽ emissam, diuino nutu in fœni struem incolumem decidisse, & in multos annos superuixisse. Olaus lib. 11. c. 34. Septentr. regionum.

FERDINANDVM Daualum Piscarium S. Angeli oppidũ oppugnantem Deus propè temerè ab aperto loco subeuntem haud dubiè protexit. Nam plumbea glans infra costas adacta, miraculo quodam interiore in tunica segnis hæsit, & altera pila crassior ita caligam detersit, ut in crure liuorem tantùm cum graui nota relinqueret. Sed nihil eo periculo territus, instaurata pugna, deiectisq́; defensoribus, oppidũ cępit. Iouius lib. 5. in Piscario.

Nouam arcem Neapolitanam, Petri Nauarri ingenio cuniculis tormentario disiectis puluere, HISPANI intrarunt, & Gallos inopinato malo perterritos, per triumphalem portã in interiorem arcis aream refugientes, ita urgebant, ut occupatum pontem pondere degrauantes à Gallis custodib. attolli prohiberent. In ea perturbatione Galli, æneæ cælatæq́; portæ ualuas inductis pessulis turbæ irrumpentium celeriter opposuerunt, adegereq; item colubrinam ad fores, ut ea introrsus displosa, cõsistentium & in ponte & in area Hispanorum strages ederetur. Sed admirabili casu pila ferrea in ipsa ualuarum crassitie hæsit, non planè penetrato metallo, quæ hodie pro insigni miraculo peregrinis arcem inuisentibus ostenditur. Iouius in Consaluo.

IVLIVS II. Pont. cum Venetis contra Alfonsum Atestinum, Ferrariæ ducem, icto fœdere occupatis aliquot iam oppidis, etiam Mirandulæ muro tormẽta admouit, magno quidem salutis suæ periculo, quum ferreus globus maiore tormento turre emissus, in eius tabernaculum terrefactis familiaribus incidisset. Iulius in uindictam exardens, prolato omni tormentorum apparatu, murum corona & defensoribus nudauit, & Alexandro Triuultio, qui præsidio prẹerat, deditionis necessitatem expressit, sic ut euocato ad colloquium M. Antonio Columna, in certam spem clementiæ oppidum saluis ciuibus dediderit. Iouius in Alfonso Atestino.

LAQVEVS.

Auarus quidam thesaurum sub tecto occultauerat. Superuenit PRODIGVS, qui desperatis rebus, dum laqueum trabi aptat, thesaurum reperit, relicto que reste lætus abit. Auarus rediens, thesauro non inuento, laqueum à prodigo relictũ collo aptat. Sic de utroq; Plato in Epigram. εἰς φιλαργύρους, etiam Laertio teste:

> Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν, ἔλιπε βρόχον· αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
> ὃν λίπεν οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Quod sic conuertit Ausonius;

> Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
> Thesauriq́; loco deposuit laqueum.
> At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
> Aptauit collo quem reperit laqueum.

RVINA, SIVE *Terræmotus.*

Sub TRAIANO horribiles terræmotus quatuor in Asia urbes (ut Eutropius ait lib. 10.) & tres Galatiæ subuerterunt. Quo tempore & Antiochia, ubi tum fortè Imperator erat, & omnes propè Romani imperij nationes conuenerant, sic concussa est, ut ipsi quoque uicini montes conuulsi, inter quos Casius mons in Syria maximus fuit, subsederint, fluuij defecerint, & terra horribilem quendam mugitum & mare fremitum ediderit, tantusque fuerit & tectorum ruentium fragor, & hominum obrutorum clamor, & cum mixto puluere caligo, ut nemo alterum uel uidere uel alloqui uel audire posset. Dion ipsum Imperatorem per miraculum seruatum esse, cùm ab aliquo humana statura maiori inter tectorum ruinas per fenestram subtractus esset, narrat. Quieuit dehinc aliquot dies ob formidinem sub dio, & tabernaculis publicis in Hippodromo.

Henrico III. imperante, terræmotu quędam urbes adeò concussæ sunt, ut Syracusis maior basilica corruens, dum Vesperę celebrarentur, omnes, qui tum in templo aderant, contriuerit, duobus tantùm diuinitùs seruatis, DIACONO scilicet & SVBDIACONO. Platina.

Ædificiorum.

SIMONIDES, cùm apud Scopam in Cranone Thessaliæ oppido cœnaret, & omnes discumbentes iam in medio conuiuio constitissent, nunciatum est, duos iuuenes (Castorem & Pollucem fuisse ferunt) uenisse, qui Simonidem allocuturi euocarent. Ille egressus dum quærit iuuenes illos, interea cœnaculum, ubi epulabatur Scopas, corruit, & omnes, qui in eo cœnabant, obruti sunt. Valerius Maximus lib. primo, cap. de Miraculis.

PINDARVS Lyricus, cùm in honorem Castoris & Pollucis carmina scripsisset, simili ratione è conuiuij loco, cui ruina imminebat, ne cum cæteris interiret, uocatus est. Solinus, & Cicero lib. 2. de Oratore.

THERAMENES Atheniensis, cùm in quadam domo uersatus, inde ꝓdiisset, illa subito lapsu corruit. Atq; cùm reliqui Athenienses alij aliunde ad eum confluerent, & inopinatæ

saluti congratularentur, ille præter omnium opinionem respondit: O Iupiter, cui nam me tempori reseruas? Nec multo pòst à triginta tyrannis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere. Aelian. de Var. hist. lib. 9.

HERODES Iudæorum rex, cùm Hierichunte conuiuium optimatibus exhibuisset, peractaq; cœna dimissis conuiuis recepisset se in cubiculum, triclinium illud, in quo cœnatum fuerat, iam uacuum, sine cuiusquam noxa concidit: quo factũ est, ut omnes Herodem Deo charum crederent, ut qui miraculosè seruatus uideretur è tanto periculo. Iosephus lib. 14. cap. 27. Antiq.

TIBERIO Imp. iuxta Tarracinam in Prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incenante, complura & ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt: multisq; conuiuarum & ministrorum elisis, præter spem euasit. Suetonius in Tiberio.

HOMICIDÆ ruinosum iuxta murum dormienti nocte astitisse aiunt Serapin in somnis, & aliò migrare iussisse. Excitatus mutauit locũ: & murus subitò casu corruit. Manè salutis sacrificia diis ille faciebat, delectari putans deum homicidis. Sed iterum Serapis per noctem astans dixit: Mortem sine dolore futuram nunc effugisti: at crucem non effugies. Stobæus, & in Epigr. Græcis.

De REGVLO, Martialis Epigrammatum lib. 1. hæc scribit:

Hæc quæ puluere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu.
Tectis nam modò Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratq;,
Victa est pondere cùm suo repente:
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

ARCADIVS Imperator paulo ante obitum, cùm ędem quandam pulcerrimam Constantinopoli uiseret (eam χαρέαν uocant, quòd in ea media, arbor nux, ex qua Acacius martyr suspensus fuerat, spectaretur) & in uicino oratorio preces peregisset: simulac discessit, funditùs diruta ædes illa concidit, nemine tamen læso, quamuis maxima multitudo propter Imperatorem eò confluxisset. Nicephorus libro decimotertio, capite trigesimooctauo. Sequebatur autem exclamatio, ob preces pij principis, ruinam imminentem suspensam, tantamque multitudinem fuisse seruatam. Paulus Diaconus libro 15.

LVDOVICVS Pius Imp. anno 817. dum Aquisgrani tertio die ante paschalia è templo redit, porticus sublicia, per quam transibat, corruit, Imperatorem & uiginti optimates ruina operuit. Imperatoris auris dextra uulnerata, femur dextrum iuxta genitalia trabe collisum: pars sinistra imi pectoris capulo gladij afflicta: sed cura medicorum intra uicesimũ diẽ curatus est. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorũ, & Sigonius lib. 4. regni Italici.

Anno 1184. FRIDERICVS I. Imp. Erphordiæ supra latrinam periclitatus est in conuentu fratrum diui Petri, uix hærens ad cancellos fenestræ ferratos: quum confractis trabibus, multitudinem hominum non ferentibus, centum homines ex nobilibus perirent, in quibus Hericus de Svvarzenburg Comes, qui exitus sui præsagio quodam habebat semper in ore, Si, inquit, hoc fecero, mergar in latrina. Cranzius libro sexto Saxoniæ, capite 44. & libro septimo Metropoleos, cap. 8.

Apud Flammarosæmos Ribuariorum pago, dum LVDOVICVS Boiorum rex in diuersorio cœnaculum ascendit, contignatio uetustate laxata collabitur: Rexq; tigno latus afflictus, casu duas costas fregit. Aulicis continuò prouolantibus, locumq; detergentibus ac purgantibus, illicò prosiliit, se incolumem, dissimulato uictoque dolore, proclamans. Auentinus libro 4. Annalium Boiorum.

Arborum.

ISACIVS Comnenus, Imp. Constantinopolitanus, contra Scythas Pazinacas bellum gerens, cùm sub quercu quadam cum primoribus consultaret, repentè exortus est incerto auctore magnus strepitus. Cùm ergo omnes attoniti fugissẽt, quercus radicitùs euulsa corruit. Ille Constantinopolim reuersus, D. Theclæ (cui dies illa, in qua periculum quercus effugerat, sacra erat) extruxit templum magnificentissimum, quod tamẽ postea pronepos illius Ioannes Alexij filius deiecit, templum nimis magnificum pro dignitate Theclę existimans, & multo splendidius Christo Saluatori illic ædificauit. Zonaras.

SOBIESLAVS Boemorum princeps, cùm in Lusatia per syluam transiret, tantus repentè uentus incubuit, ut radicitùs euulsas arbores in terram prosterneret. Ex qua ruina septẽ itineris comites amisit, nec ipse robore cadente intactus: nam plagam à casu illius in læua manu accepit. Dubrauius libro undecimo.

CASVS EX ALTO. PRÆCIPITIVM.

IOLE Herculis uxor repudiata à marito, è muro sese deiecit. Verùm cùm uehemens uentus amictum, quasi sinum inflasset, illæsa descendit: ut scriptum reliquit Nicias Malcota, & Plutarchus cap. 26. Parellorum.

PVER iam casui proximus, à matre ostensa mamma seruatus. Sic Antipater Thessalus in 1. Epigr. εἰς φιλοστοργίαν:

Παιδὸς ἀφ' ὑψηλῶν κεράμων ὑπὲρ ἄκρα μέτωπα
κύψαντος μοῖραν νηπιάχοις ἄφοβον,
μήτηρ ἐξόπιθεν μαζῷ μετέτρεψε νόημα·
δὶς δ' τέκνῳ ζωὴν ἐγκεχάραγε γάλα.

ARISTOMENES Messenius Amyclis direptis rediens, Lacedæmoniorum manipulos dimidia parte plures cum ambobus regibus nactus, facto cum illis prælio, præsentique se animo defendens, & uulnera alia accepit, & lapidis ictu corruit. Lacedæmonij, semianimem, & cum eo quinquaginta de eius prætoria cohorte, captiuos Spartam protraxere. Quos cùm in Ceadam abiiciendos censuissent (sic altè dehiscentem foueam uocant, in quam maximis criminibus capite damnatos præcipites mittunt) alij quidem omnes ad unum periere: Aristomenis uerò scutum (eum namque uirtutis opinione cum armis præcipitem dedere, reliquis nudis deiectis) sua concauitate aerem concipiens, molliorem fecit casum. Alij aduolasse dicunt aquilam, quæ cadentis corpus passis alis subiens, ita librauerit, ut omni ex parte illæsus ad eius barathri ima delatus fuerit. Exitus ei è tetro illo hiatu à uulpe monstratus est. Pausanias in Messenicis.

CLVSIA Tuscorum regis filia, ne à Valerio Torquato uiolaretur, è turri sese deiecit. Ea tamen à uestibus tumefactis sospes in terram delata est. Ex Theophilo lib. 3. Rerum Italicarum Plut. cap. 28. Comparatorum.

In oppugnatione Metulij, cùm milites Augusti Imp. remissiores essent, OCTAVIVS arrepto clypeo per pontem cursu ferebatur. Sequuntur eum Agrippa & alij primores. Tum milites pudore ducti, certatim eò aduolant. Quorum pondere pons depressus, cum fragore & strage hominum ab imo corruit. Inter quos Octauius crus dextrum, & utrunque brachium consauciatus, in pedes sublatus, ex eminentiore loco sese militib. ostendit, ne eius morte temerè credita prælium remitteretur. Sab. lib. 9. En. 6.

MAXIMIANVS Vagaiẽsis episcopus in Africa orthodoxus, à Donatistis de excelsa turre deiectus, Dei beneficio sanitati restitutus, ad loca transmarina sese contulit. Augustinus contra Cresconium lib. 3. c. 43.

D. MARTINVS cùm aliquando de cœnaculo grauiter lapsus esset, noctu uisus est angelus eius uulnera abstergere, & unguento illinere. Manè integrè conualuisse deprehensus. Seuerus Sulpitius in eius uita.

MAGNVS Sfortia cùm Braccium Montonensem Martini V. Pp. auspiciis in Vmbria persequeretur, & Capito oppidum defenderetur acerrimè à Braccianis, adeò ut Sfortiani quater redintegrata pugna, & irrito semper conatu, multis acceptis uulneribus segnius murum subirent: id dedecus se præsente admitti, minimè ferens, comprehensam sua manu scalam mœnibus admouit, & subiit. Hostes in eum ingentia trabium pondera, molaresque lapides prouoluebant. Decidit Sfortia è summo ferè muro deturbatus, adeò ut multis fomentis, uix post horæ spacium ad uitam sit reuocatus. Eo tamen casu nequaquam intermissa pugna recruduit, infestatoque ardore Sfortianorum militum corona muri occupata, oppidum est direptum, & Bracciani duces capti, ipso propè spectãte Braccio, qui laturus opem cũ magnis copiis aduentabat. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

PIVM II. Pont. Max. puerum penè trimum decidisse præcipiti loco, & propè exanimatum constat. Campanus in eius uita.

CAROLVS V. Bononiæ inaugurandus, per pontem factitium, ut ab omnibus conspici posset, sub umbella cum ornatissimo procerum comitatu, ad templi uestibulum peruenit. Eo uix paucis passibus prætervecto, tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba, fracta sunt. Ibi plerique militibus immixti, fœdo casu procidentes, sese pilis atque securibus induerunt. Minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed intrepidè respectans Cæsar, leniter arrisit, ita ut fortunam suam certius agnoscere uideretur, quæ ceptis & uotis omnibus benignissimè semper aspirasset. Sabellici supplementum libro duodecimo, ex Iouio. Inter cos ALBERTVS Pigius, Bataurus, homo non indoctus, qui contra Lutherum scripsit, & Adriani pontificis fortunam secutus, Romæ uixerat. Iouius in Elogiis.

PHAR-

PHARMACVM.

PIVS II. Pontifex Mediolani cùm in febrim incidisset, accepto pharmaco, penè cõsumtus profluuio est. Cùm alterum medicus supparasset, pyxide casu effracta, periculo exemtus est. Campanus.

INEDIA.

Ex Tit. Seruati in uita à belluis, exempla quædã huc trãsferri poterunt. Item ex Tit. Pueri exposititi. Illic simpliciter Vitæ conseruatæ habetur ratio: heic uerò Instrumenti, per quod uita impugnabatur.

ELIAS Thesbites propheta apud Carithum fluuium latens, è regione Iordanis, cùm regio tota triennio integro fame miserè affligeretur, propter Achabi regis idololatriam: coruos diuinitùs ei panem atq; carnem, mane & uespere afferentes, habuit. 3. Regum 17. Eidem in deserto angelus panẽ & aquam dormienti attulit: cuius cibi ui 40. diebus & noctibus usq; in montem Horebum iter fecit. 3. Regum 19.

Romę, C. Quintio, M. Acilio Coss. MVLIEREM ingenuã prætor, capitali crimine damnatam, triumuiro in carcere necandam tradidit. Quam receptam is non protinus strangulauit: sed aditum ad eam filiæ, diligenter excussæ, ne quid inferret, dedit. Intercedentibus autem diebus aliquot, cùm miraretur sustentationem mulieris, cui nihil cibi subministrauerat, animaduertit filiam exerto ubere famem matris, lactis sui subsidio, lenientem. Quod ubi ad Consules delatum fuit, remissionem pœnæ filiæ pietas matri impetrauit. Valerius libro 5. capite 4. Sabellicus libro 3. capite 6. & Plinius lib. 6. cap. 36.

COMATES in Sicilia heri diuitis pecora pascens, consueuerat nonnunquam Musis aliquid de gregibus domini offerre. Id cùm resciuisset herus, duriter seruulum increpauit. Orat Comates, ne succenseat: fore enim, ut Musarum beneficio omnia cumulatè reddantur. At herus, Age, inquit, experiamur, an Musæ te sint alituræ. Et seruum in arborem excauatam inclusit, atque ab eo discessit, relicto, ut fame moreretur. Exacto anno, cùm ad eum locum rediisset, seruum uiuum atque incolumen inuenit, & multum fauorum circum eum in arbore, unde uictitauerat inclusus. Apes enim in eam arborem per rimas penetrantes, suauiter ipsum aluerant. Ex Theocrito Gilbertus Cognatus libro primo Narrationum.

Cùm Germanis Romanas prouincias uexãtibus Probus Imp. resisteret, bello diutius durante, ex penuria cõmeatus periclitatus est. Fertur autem, maximo imbri in castra eius delato, multum quoq; frumenti depluisse: quo MILITES collecto, & famis periculum effugerint, & hostes profligarint. Zonaras Tomo 2. Annalium.

Cosroes rex Persarum cum Baza seditioso duce cõgressus, eũ profligauit. Qui ex Bazæ fœderatis Turcicæ nationis erãt, eos ad Mauricium Imp. (cuius auxilio regnum recuperarat) misit: quorum multi cruces in frontibus gerebant, compunctis superciliis in crucis modum, infusoq; atramento. Cuius rei quæsita causa, responderunt, superiori tempore, cùm TVRCORVM gens fame periclitaretur, à Christiano quodam monitos, nullum ex iis, qui cruce frontes signassent, fame periisse. Zonaras.

SITIS.

SAMSON mille uiris asini maxilla interfectis, siti cõfectus maxima, riuo diuinitùs è maxilla profluente reficitur. Iudices.

IORAMVS Israelitarum rex cum Iosaphato Iudæorum rege contra Moabitas exercitum ducens per deserta Idumeæ, septem diebus aqua destitutus miserè affligebatur. Elisæus uates consultus, fidicinem sibi canere iussit. Eius cantu excitus, uictoriam ei contra Moabitas denunciauit, & postero die copiosissimam ex Idumæorum regione aquam affluxuram. Quod & factum est. Moabitæ exoriente iam sole aquam illam lustrantes, sanguinis in modum rubentem conspicati, Israelitas mutuis se cædibus interfecisse rati, ad castra eorum diripienda aggressi, ingẽtem stragem passi sunt. 4. Regum 3.

MORBVS.

Vide Tit. Morborum cura, quatenus ex iis mors impendere uidetur.

VENENVM SIVE IAM illud sit

Non haustum, Auersum.

THESEVS Trœzene Athenas profectus, quum publica omnia & priuata grauiter turbata offendisset, Medeam sub primũ accessum domo atq; urbe expulit: cuius fraude nondũ agnitus pęnè periit. Persuaserat illa Aegeo, quem muliebribus illecebris totum sibi deuinxerat, ut nouum hospitẽ, tanquam ab eo capitales insidiæ imminerent, ueneno tolleret. Eratq; iam exitiali mensæ admotus Theseus: quum paterno cultro per speciem ministerij exerto, Aegeus iam grandis natu sensit filium adesse. Quo agnito, confestim Aegei iussu uenenum est è mensa sublatum, filiumq; senex complexus, cõcione aduocata, eum in ciuium conspectum dedit. Medea Theseum pertimescens, Aegei opera & auxilio in Syriã nauigauit. Sab. lib. 6. En. 1. ex Plut. Theseo.

Dum in Græcia decem & sex messores QVENDAM è sociis aquatum misissent, repertis apud fontem serpentem, qui complexus aquilam, arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille ut falce messoria armatus erat, audacter progressus, ferro serpentem dissecuit, aquilam liberam abire permisit, cumq; hausta in urnam aqua rediisset, sociis singulis poculũ ministrauit: mox cùm & ipse quoq; bibere uellet, præsto adfuit aquila, quæ poculũ ab ore dispulit eiectũ procul: dumq; messor factum miratur, & aquilam, quã probè nouerat, increpat, eamq; apud socios ingrati animi ream agere meditatur, uidet eos & hic & illic concidentes uitam exhalare: unde simul & aquam, quã illi biberant, ueneno infectã, & se periculo subductum intellexit, beneficiumq; in uolucrem optimè collocatum, manifestissimè cognouit. Historiã latè descripsit Crates Pergamenus philosophus. Stesichorus Græco carmine prosecutus est. Pierius Valerianus lib. 19. de Hieroglyphicis.

Cùm purgans medicamentum accepturus esset IOANNES Michaelis Paphlagonis Imp. frater, Zoë Augusta certior facta, fidelissimi suorum eunuchorum Sguritzæ opera medicum non exiguis muneribus corrupit, pollicita se eum ad uitæ summum splendorem & amplissimas diuitias elaturã, si medicamẽto adminisceret lethale uenenũ. Sed puer quidam medici famulus Ioanni insidias detexit: iisq; demonstratis, medicus Antiocheam, quę ei fuerat patria, relegatur. Constantinus Mukupela protospatharius, qui uenenum miscuerat, urbe eiicitur, & de Augusta eò deteriores auctæ suspiciones. Cedrenus.

LEO IX. Pp. calicem, cui subdiaconus suus uenenum miscuerat, de altari tollere haud potuit. A Domino causam facti inquisiturus, cũ populo ad orationẽ prosternitur, statimq; ueneficus à dæmone corripitur. Ergo Papa calicem cum sanguine dominico cuidam altari iussit includi, & pro reliquiis in perpetuum conseruari. Schafnaburgensis.

[redacted]

Innoxiè haustum.

TITVS Vespasianus, Vespasiani Cæsaris & Domicillæ filius, natus est eo anno, quo C. Caligula Cæsar occisus est, & in aula cum Britannico simul educatus, sub eisdem magistris ac eisdem disciplinis, tanta familiaritate à cunabulis ei coniunctus, ut cùm ex eadẽ uenenata potione, qua Britannicus Neronis opera periit, biberet, graui morbo diu afflictaretur. Vnde postea memor rerum gestarum, ei auream statuã collocauit, equestremq; alteram ex ebore. Suetonius.

Cùm uxor mœcha VIRVM ueneno necare studeret, mira ille fortuna seruatus est. Sed præstat Ausonij carmen audire:

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum,
Miscuit argenti lethalia pondera uiui,
Cogeret ut celerem uis geminata necem.
Diuidat hæc si quis, faciunt discreta uenenum:
Antidotum sumet qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ:
Protinus & uacuos alui petiere recessus,
Lubrica deiectis quà uia nota cibis.
Quàm pia cura deûm? prodest crudelior uxor:
Et cùm fata uolunt, bina uenena iuuant.

SABINVM Canusinum episcopum, senem & cæcum, donoq; prophetandi clarum, archidiaconus episcopatus desiderio è medio tollere laborabat. Itaq; pincernæ persuadet, ut ei uenenum propinet. Paret ille. Senex poculum oblatum respuit, dicens: Bibe tu, quod mihi proponis bibendũ. Quod cùm puer metu pœnæ faceret uellet, impediit eum Sabinus, inquiens: Vade & dic auctori harum insidiarum, me quidẽ poculũ bibiturũ, sed cũ episcopatu nunquã potiturũ. Sic accidit, ut uenenũ Sabino bibenti nõ noceret: & archidiacono non bibenti, ea ipsa hora causa mortis existeret. Greg. Turo. lib. 3. Dial. c. 5. Vincent. lib. 21. c. 66.

CONRADVS Constantiensis episcopus, araneum, qui inter sacra in calicem fuerat delapsus, cum uino sine ualetudinis offensa ebibit. Nauclerus & Schedelius.

SERVATI A MORTE, CONSIDERATA Accidentaliter; respectu

TEMPORIS ET LOCI. PVTA

In Templo, ad Aras, inter Sacra.

Icetes Leontinorum tyrannus obsidebat arcem Syracusanam, & frumẽtatione Corinthios prohibebat. Is duos milites externos ad interficiendum per insidias TIMOLEONTEM ducem clàm misit Adranum. Ille nec aliàs cingebat se statione armata, & tunc planè dei Adrani fiducia securè & citra ullam suspicionem feriabatur cum Adranitis. Qui missi fuerant, cùm fortè sacrificaturum intellexissent, gladiis sub pallio succincti in templum concesserunt, immistique circumsistentibus aram, sensim mouerunt propiùs. Tantum non his mutuò ad inuadendum eum cohortantibus, quidam alterũ eorum gladio secundùm caput uulnerat. Quo prolabente, nec percussor restitit, nec socius saucij: sed ille gladiũ tenens ad rupem quandam profugit editam: alter ara apprehensa indicium totius rei professus, fidem dari sibi petiit. Qua data, indicauit se, & illum, qui fuerat occisus, ad ipsum interficiendum missos. Interea illum à rupe alij retraxerunt, uociferantem nihil cõmeritum se, iure occiso illo homine, paciferantem nihil cõmeritum se, iure occiso illo homine, patri, parentasse defuncto, quem prius in Leontinis interemerat ille, testesq; ex corona nõnullos citauit, stupentes artificium fortunæ, quæ aliorum ministerio alia moueat, atque omnia, quamuis remota, connectat & complicet his, quæ plurimùm uidentur dissidere, nec communione inter se sociata ulla: atque assiduè illis ita mutuò utatur, ut uicissim alterius finis primordium sit alterius. Corinthij huic homini præmium decem minas donauerunt, quòd deo Timoleontis tutelari iustam iram suam commodasset, nec antè inueteratam illam simultatem effudisset, uerùm cum priuata causa sua forte fortuna reseruasset ad illius salutem. Præsens felicitas spem quoque in futurum erexit spectatorum, ut uelut sanctum uirum & ad uindicandam Siciliam à deo missum Timoleontem uenerarentur, ac custodia sepirent. Plutarchus in Timoleonte.

Paccianorum coniuratione Iulianus Medices in templo D. Nunciatæ [redacted] Quum quatuor proceres in [redacted] gem iam senem, & ob id remissiùs regni munia obeuntem, coniurassent, ex composito ex his unus imminente uespera, antequam lucernæ adhiberentur, tecto gladio cubiculũ regis clàm ingreditur. Dumq; cauto gradu, ubi ille recumberet, inter tenebras percontaretur, nescio qua gladius incuria decidit, fragoremque non paruum edidit. Rex inquisita statim casus huiusce causa, quamuis diuinitùs admonitus non ignoraret, emissarium tamen aduocat; quid sibi uelit, interrogat. At ille mox rem uniuersam prostrato ante pedes corpore retexit, amplexusq; genua multis ueniam lacrymis precatus est. Rex eum concessa impunitate dimisit. Eius edicto in coniuratos subinde quæsitum: de quib. re comperta pœnæ legitimæ sunt exactæ. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

CONRADVS Cæsar, Friderici II. F. Ratisponensis Episcopi arces incendiis uastauerat. Ergo cùm Ratisponæ Natalẽ Domini celebrasset, & cum quatuor famulis in cubiculo solus dormiret, Conradus de Hohenfels cum coniuratis irrupit, & in tenebris, tribus captiuis abductis, duos interfecit, inter quos Cæsarem quoq; esse arbitrabatur. Verùm Cæsar audito tumultu, sub sella latitabat. Casu autem superuenit famulus, in quem impetum fecere: & sic tribus captis, duobus occisis, cùm quinque tantùm in cubiculo fuisse suspicarentur, Cæsare illæso, abiere. Conradus periculo liberatus, Abbatis D. Haimerani agros ac possessiones diripuit, & flammis deuastauit. Nec sæuire in proximos cessauit, donec mors Friderici manifestaretur. Tum collectis copiis, maturãs in Italiam, occupauit regnum Siciliæ. Cuspinianus.

ADELSTANVS Anglorum rex, contra Godofredum & Analaphum Northumbrorum principes, quos regno expulerat, castra posuerat. Analaphus paucis suorum comitatus, mutato uestitu, in castra Anglica introiuit, & noctu in tabernaculum regium incurrit, tanto impetu, ut Adelstanum de somno excitarit. Qui, custodibus ad arma uocatis, gladium è uagina arripere conatur. Quo, ut in metu accidit, qui mentem consiliũq; mortalibus eripit, fortè nõ reperto, aliquantisper animi dubius, ut se humana ope destitutum sentit, diuinam illicò implorat: eodemq; momento iterum ad uaginam manum admouet, inuentoq; ense, hostem aggreditur, ac facta strage, in fugam conijcit. Ille gladius tanquam cœlitus maximi Dei beneficij, diu inter regia instrumenta asseruatus fuit. Polyd. lib. 6.

An. Christi 1236. unus ex militibus regiis, ut acceptã à rege Anglorum HENRICO III. iniuriam uindicaret, & sine suspicione tempus & locum edendi sceleris liberiùs obseruaret, se amẽtem simularat. Erat per eos dies rex in Vodestocano suo. Qui, postquam omnia accuratè explorauerat, de media nocte accedens ad cubiculum, clàm per fenestram introit, ac ferro puluinar frequentibus ictibus percutit, arbitrans se regem fodere, qui ea nocte, ut fortè accidit, cubiculum mutauerat. Cognita re ab una puella reginæ cubicularia, quæ uigilabat, fit clamor, & cum clamore concursus regiorũ ministrorum: qui hominem capiunt, captumq; ad supplicium dandum trahunt. Ita nihil fuit propius factum, quàm ut rex occideretur. Polyd. lib. 16.

Cõtra SIGISMVNDVM Imp. Hungari proceres conspirarunt, & in societatem sceleris Mariam reginam, cui cum Imp. parum conueniebat, pertrahere studuerant. Simulat illa consensum. Noctu Imp. rem totam detegit. In cubiculum ingressi coniurati, sic uti conuenerat, Imp. non inuento, delusi, comprehensi, pœnas dedere. Bonfinius.

In Balneo.

HERODES Iudæorum rex, pugna contra Antigonum commissa, lassatus, in quoddam cubiculum lauatum abiit: ubi maximum discrimen adiit, quod tamen euasit Dei prouidẽtia. Cùm enim esset nudus, & unius tantùm pueri ministerio lauaret, intus in eisdem ædibus latebant quidam hostiũ armati, quos metus eò compulerat: dumq; ille se abluit, primus prodiens stricto gladio per fores se proripit: deinde alter & tertius armati similiter, adeò attoniti, ut illæso rege contenti essent sibiipsis fuga salutem quærere. Iosephus libro 14. cap. 27. Antiq.

In Venatione.

☞ *Ex Titulo, Seruati à belluarum impetu, huc non pauca.*

MAXIMILIANVS I. Imp. ut uenationis studiosissimus fuit, ita stupenda quoq; pericula adiit: ex quibus tamen omnibus, diuina bonitate liberatus est. Teste Theurdancko.

In Iudicio. Condemnationem effugere.

☞ *Vide Tit. Absoluti iustè uel iniustè. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.*

Argonautæ in Thraciam ad regnum Phinei profecti, duos ADOLESCENTES offenderunt: qui uirgis cæsi, uiui in terram defodiendi erant. Filij erant Phinei & Cleopatræ, quam ex Orithyia Erechthei ac Borea natam ferunt: Idæ, Dardani Scytharum regis F. nouercæ falsis calumniis circumuenti. Ergo ab Argonautis auxilium implorarunt. Qui cum Hercule in naui erant Boreades, Cleopatræ fratres, propter cognationem primi è naui auxiliũ adolescentibus tulere. Hercules Phineo & pluribus aliis obtruncatis, captaq; regia, liberauit Cleopatram, & filiis paternum regnũ restituit. Quibus de nouerca suppliciũ sumturis, suasit Hercules, ut ad patrem in Scythiam mitterent: rogarentq;, ut ipse ob filiæ in se iniurias, puniendæ eius auctor esset. Quo facto, Scytha natam morte multauit: Cleopatræ filij apud Thracas suæ modestiæ gloriam tulere. Diod. lib. 4. c. 3.

Cùm MITYLENÆI ab Atheniensibus ad Spartanos defecissent, & rursus à Pachete Atheniensium duce subacti essent, decretum à populo Atheniẽsi factum est, ut missa ad Pachetem triremi, Mitylenæi puberes ad unum omnes obtruncarentur. At subit statim Athenienses tam atrocis decreti pœnitentia, legatis Mitylenæis id suppliciter deprecantibus. Igitur altera triremis ablegatur, quæ irrequieto cursu cũ recentiore decreto in Lesbum tenderet, priùsque decretum abrogaret. Satisque feliciter Mitylenæis cessit, quòd decreto cædis iam lecto, altera lætioris nuncij Pacheti iam sese ad cædem expedienti superuenerit. Sabellicus lib. 6. Enneadis tertiæ, ex Thucydide.

Hermocrates Syracusanus exul noctu clàm occupauit Syracusas. Ciues re cognita cum armis in forum concurrunt, Hermocratem & maximam gregariorum partem obtruncant, reliquos, qui ex eius cædis tumultu euaserant, die dicta in iudicium tractos exilio damnant. Eorum nonnullos ipsum periculum eo iudicio liberauit, qui cùm multis saucij uulneribus essent, fuêre à cognatis & parentibus denunciati pro mortuis, ne furori populi obiicerentur: in quibus DIONYSIVM fuisse proditum est, qui pòst patriæ sibi dominationem uendicauit. Diod. lib. 13.

Die imbribus aut turbine procelloso, uel si tonitrua aut uenti fierent, uel si in frequenti multitudine quispiam morbo conciderent comitiorum die, cũ populo agi non licebat: habitaque in his & promota, tanquam fœda tempestate facta, dirimi oportebat augurum respõso, qui, quid uitij intercessisset, renunciabant, idque lege Aelia & Susia. In quo id fuit memoriæ proditum, cùm APPIVS Pulcer ad populum causam diceret, quòd nauali prælio uictus, per contemtum religionis classem amisisset, omnesq; tribus in eius noxã suffragia ferrent, beneficio tempestatis adiutum, pœnam effugisse: nam subitò imbri & turbine coorto, sublatis comitiis iudicium euasit. Alex. lib. 4. c. 3.

Iunius (aliis Ouinius) qui cohortis prætoriæ præfectus sub Nerone fuit, & apud Galbam plurimùm potuit, iuuenis adhuc cùm prima stipendia sub Caluisio Sabino faceret, lasciuam ducis uxorem noctu in castra ueste militari tectam introduxit, atq; in principiis stuprauit. Ob id coniecit eum C. CÆSAR in uincula: quo defuncto, magna cùm felicitate est liberatus. Plut. in Galba.

Narrat Zonaras, Anastasium Imp. paulo antè obitum, nunciatis sibi insidiis, multos cõprehẽdisse: atq; inter alios IVSTINVM & IVSTINIANVM, qui pòst rerum potiti sunt: atq; in animo habuisse, eos neci tradere: sed somnio deterritum, cũ uir terribilis ei astitisse uisus esset, ac dicere: Iustino & Iustiniano nequid mali feceris, nam uterq; suo tempore Deo inseruiet: illos crimine læsæ maiestatis absoluisse.

ROMANVS Diogenes, rebus bello aduersus Pazinacas præclarè gestis, cognito Constantini Ducæ Imp. obitu, se ad occupandum regnum parabat. Imperatrix Eudocia eum comprehendendum curauit. Byzantium perductus, ad tribunal Imperatorium damnandus sistebatur. Imperatrix eius miserta, sententiam damnatoriam in absolutoriam cõmutauit, & crimine solutum ex itinere in patriam reuocatum Magistrũ & ducem copiarum designauit, tandem quoq; thori & regni consortem adsciuit. Zonaras.

MICHAEL Balbus comes Excubitorum in Leonem Armenium Imp. conspirarat. Captus ad ignem ducebatur, comburendus in camino lauacri regij. Sed intercessione Imperatricis supplicium pòst festum Natiuitatis differtur. Rex ne elaberetur, claues uinculorum ad se recepit, ipsum tradẽs Papiæ custodiendum. Vxori autem uehementer indignatus, quòd hunc supplicio eximeret, à quo sibi timendum omnino esset: Tu, inquit, uideris, & filij tui: præstaret multò & liberis & regno nostro, illum nunc nunc omni abiecta mora trucidari. Ea nocte, carcerem ingressus, cùm Michaelem somno profundo & suaui oppressum nullam solicitudinẽ præ se ferentem offendisset, iram agitatione manus declarauit. Quod cùm Papias cognouisset ex uigile, iram Imp. metuẽs, cum Michaele conspirauit, & Imp. natalis Christi nocte trucidauit. Zonaras.

Capta à Totila Gothorum rege Roma, RVSTICIANA, siue Iustiniana mulier nobilis arrepta in iudicium est, quæ Theoderici Regis statuas frangi delerique fecisset, in patris Symmachi, & Boetij coniugis ultionem, qui Theoderici iussu fuerant interfecti. Factum etsi notum omnibus, plus tamen apud clementem Totilam ualuit mulieris pietas & amor in defunctos, quàm regia maiestas: estq; à rege absoluta immunis. Procopius.

Ladislaus Hungariæ rex ob occisum Vlricum Ciliæ Comitem duos Ioannis Huniadis Hungariæ gubernatoris filios Budæ ceperat: Ladislao securi percusso, MATHIAM in uinculis Pragam secum duxerat. Ibi cùm Magdalenæ Francorum regis filiæ nuptias expectat, peste seu ueneno periit. Hungari Huniadis rebus præclarè gestis moniti, Michaele Zylago pronepote intercedente, & armis quoq; aduersarios territante, recõciliatione prius inter proceres ob Ladislaum securi percussum peracta, Mathiam à Georgio Poggiebracio Boemiæ gubernatore, & paulo pòst rege, liberatum in regem elegere. Ita Mathias octo decem natus annos, nono Kalen. Februarij, inter quadraginta millia uirorum, qui medio in Danubio tum glacie constricto, impatientes magni frigoris, secretæ electionis exitum expectabant, rex acclamatus est. Singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum, ex duobus adolescentulis, ætate moribusque pene paribus, alter ex regio solio, dum nouæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: alter, dum capitale iudiciũ trepidus expectat, ex carcere uocatur ad regnum. Aeneas Syluius, cap. 1. Europæ.

In Prælio.

LEITVS unus ex omnibus Bœotorum ducibus è bello Troiano domum rediit. Cuius sepulcrum Plateis in sacello Ceteris Eleusiniæ fuit. Pausanias in Bœot.

Athenienses in Aeginam triremem miserant, ad repetendas statuas quasdam Epidauriis ablatas. Aeginetæ Argiorum opẽ implorarunt, qui exercitum Atheniensium ad internecionẽ ceciderunt, VNICO tantùm superstite. Qui cùm Athenas se recepisset, clademq; renunciasset, ab uxorib. interemtorũ fibulis uestimentorum fuit occisus. Herod. lib. 5.

Argiuis & Lacedæmoniis bello inter se de agro Thyreatide disceptantibus, iudicarunt Amphyctiones, ut utrique acie decernerent, cessurum uictoribus agrum. Igitur creauerunt OTHRYADEM Lacedæmonij ducem, Argiui Thersandrum. Commissa pugna, duo ex Argiuis superstites fuerunt, Agenor & Chromius, qui uictoriam ciuitati suæ annunciauere. Solitudine facta Othryades ex cadaueribus excitauit se, semifractisque innitens hastis, spoliauit cæsorum corpora, ac clypeos eis detraxit, erectoq; tropheo sanguine suo inscripsit, IOVI VICTORI. Mouentibus illis duobus controuersiam, Amphyctiones re inspecta secundùm Lacedæmonios pronunciauerunt. quod apud Chrysermum extat libro 3 rerum Peloponnesiacarum. Plut. de Græcorum & Rom. comparatione.

Romani inito cum Samnitibus bello ducẽ POSTHVMIVM Albinum legere. Hic ad furcas Caudinas (locus est angustissimus) insidiis exceptus, treis amisit legiones, atque ipse uulnere lethali accepto cecidit. Nocte adulta aliquantulum recepto spiritu, detraxit hostium cadaueribus clypeos, tinctaque in sanguine manu trophæum excitauit, cum hac inscriptione, Romani de Samnitibus Ioui Victori. At Marcus cognomento Gurges dux missus, cõspecto tropheo accepit lætè augurium, signisque collatis uictoriam retulit: ac regem, qui captus fuit, Romam misit: ut est apud Aristidem lib. 3. de rebus Italicis. Idem.

Leuinus consul Rom. propè Sirim amnem PYRRHO Epirotarum regi occurrit: Oplacus Italus, alæ Ferentanæ præfectus, regem ex insigni crista & hircinis cornibus agnitũ obseruãs, infesta eum lancea petiuit. Pyrrhus euitãdi causa periculi chlamydem suã & arma uni tradidit ex amicis Megacli, & armis illius quodammodo texit se, atq; ita incurrit in Romanos. Plut. in Pyrrho.

BANTIVS Nolanus nobilitate & uirtute præstans, cùm acerrimè ad Cannas pro Rom. certasset, multis interfectis hostiũ, ad postremum in aceruo cæsorum cadauerum inuẽtus, & coopertus iaculis, ab Hannibale uirtutis ergò honoratus fuit, & non modò sine precio domum remissus, sed addita insuper dona, atque ius cum eo amicitiæ & hospitij contractum. Ob eius gratiam meriti unus pòst fuit eorum, qui trahebant rem ad Annibalem, pollensq; opibus populum ad res nouas sollicitabat. Et pertraxisset sanè, nisi M. Marcellus Prætor cum prudentia & humanitate sua Romanis reconciliasset. Plut. in Marcelli uita.

L. SYLLA ciuili bello cùm alios hostium duces egregiè profligasset, à Telesino Samnite, qui præter expectationem omnium Romam adoriebatur, [redacted] certamine cùm cornu sinistro laboraret, & inclinato iret subsidio, albo equo insidens feroci & pernicissimo, in eum hinc cognitum duo ex hostibus lãceas connixi ad emittendum direxerunt. Id non aduertit ille, sed uerberato ab equisone equo hactenus est præterlatus, ut secundùm caudã equi spicula delapsa defigerentur in solum. Plut. in Sylla.

C. IVL. Cæsar consul quartum designatus, in Hispaniam cum exercitu profectus est contra Pompeij liberos: qui licet iuuenes etiamnũ, immensum tamẽ numero coëgerant exercitũ, animosque ostendebãt ei imperando parem. Vnde in periculum extremum est adductus Cæsar. Magnus cõflictus est ad urbem Mundam commissus: in quo inclinatam aciẽ suã Cæsar & ægrè resistentem cernẽs, clamauit per medios discurrens armatos & ordines: Ecquid eos puderet, quòd pueris se proditum irent? Hostibus tandem acri contentione pulsis, triginta millia ex illis oppressit, ex suis mille desiderauit fortissimos quosq; Reuertens à pugna dixit ad amicos, sæpe se pro uictoria, in præsentia uerò pro uita primùm dimicasse. Hanc uictoriam obtinuit Saturnalibus: quib. Pompeius Magnus quoq; ad bellũ profectus dicitur, spacio annorum quatuor interiecto. Ex Pompeij liberis minor est elapsus. Maioris paucis pòst diebus Didius caput retulit. Hoc Cæsar bellum gessit nouissimum. Plut. in Cæsare.

TRAIANVS Imp. rebellantes in Arabia Agarenos adortus, cùm urbi Agaræ adequitaret sine regio ornatu, uulneratus penè fuit: ex canicie namque, orisque uenerandi maiestate hostibus coniectura cognitus. In eum igitur, quem principem suspicati erant, sagittas adeò frequentes coniecere, ut equitem, qui ponè Cæsarem sequebatur, transfigerent. Cuspinianus.

AVRELIVS Ambrosius unus propemodum superfuit cædi, qua Valentiniano III. imperante Romani à Saxonibus in Anglia sublati sunt. Ergo sumta purpura, & Imperatoris appellatione recepta, aliquãdiu cum Saxonibus bellauit: sed postremò acie uictus occubuit. Idem.

RODOLFVS Habspurgensis Comitem Burgundię bello aggressus, circa Moratum ab equo deiectus, armatus in lacũ insiliit, & miro corporis robore euasit. Cùm enim procerus esset, palis innixus adhæsit. Ab Harmanno de Vualdek eductus, Friburgum delatus, auxilioq; soceri Bernardi de Ho-

henberg, collectis militibus ex omni Sueuia, amissa recuperauit, Moratum ac Paterniacum expugnauit. Cuspinianus.

IDEM, Iacobi Mulleri Tigurini fortitudine atq; fide, cōtra Baronem Regenspergium pugnans, multisq; uulneribus affectus, & à suis plerisq; desertus, equo suo impositus, & ex hostium manibus liberatus est. Stumpfius.

Magnus SFORTIA uersatus est in lōgè maximo uitę discrimine, cū media in urbe Roma cōtinuato per tres dies cruento certamine, pugnaretur aduersus Vrsinos, contrà urgentibus Columnis atque Sabellis, quibus Sfortia dux aderat. Non longè enim à Mineruæ templo, quà itur ad Aemilianum arcum, è fenestra ingenti saxo brachium est ictus, adeò uehementi dolore, conuulsisq; neruis, obortaq; oculis caligine, ut exanimatus ab equo proruerert, & à suis pariter ac hostib. fœdè proculcaretur. Sed uir nequaquā dolore uictus, in genu sese fortiter erexit, læuaque proximi equitis lora stapedis comprehendit. Is erat Laurentius eques Romanus, cognomento Surdus, qui claua ferrea obuios pertundens, ut opem ferret, proturbatis disiectisq; hostibus, ad Sfortiā ferocem equū adegerat, cohortans & monens, ut galeæ bucculam eleuaret, raptariq; se equi uiribus pateretur. Atq; ita correptus per bucculam, innixusq; stapedis loro, ęgrè pertrahente Surdo, in pacatum locum peruenit, magno prorsus miraculo seruatus sanatusq;: quandoquidem quadraginta amplius diebus cùm brachij, tum dextræ manus sensu usuq; caruerit. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

SOCIORVM. PAVCI E MVLTIS SERVATI.

Ex præcedente Tit. In prælio seruatorum, huc quædam.

Saulus ex proditione Doëgi aduersus Achimelechū sacerdotem ira accensus, quòd Dauidi fugienti & uictum & Goliathi gladium suppeditasset, satellitibus suis, ut sacerdotes interficerent, imperauit. Quibus cunctantibus, Doëgus iussu regis eos inuasit, & 85 (aut ut Iosephus, 305) peremit, Nobā oppidum ferro deleuit, nulli ætati, sexuíue, ne brutis quidē parcens. Solus Achimelechi F. ABIATHAR ephodum sacrosānctum arripiens euasit, & Ceilam ad Dauidē cōfugit. 1. Reg. 22. & Iosephus lib. 6. Antiq. c. 13.

Alato Morauiæ oppido, Vrquhart hodie dicto, ab Eduardo I. Anglorū rege, in subigenda Scotia capto, cæsi omnes mortales: una duntaxat FEMINA pregnante excepta, quam hostes ob fœtus reuerentiam uerebantur uita priuare. Erat ea Alexandri Bois loci eius domini uxor: sed quæ habitū mutauerat. Itaque in Hebrides extemplò abiit, inde in Hiberniam, ubi & peperit filium. Qui aliquot post annos per Robertum Brusium pulsis Anglis in patriam rediit: & hæreditatem paternam restitui sibi petiit. Robertus ne semel assignata fortibus uiris præmia repeteret, néue iustum hæredē fortunis suis excluderet, agros ac prædia quædam in Maria illi donauit, haudquaquam amissis inferiora. Cognomē uerò illi pro Bois, Forbest indidit, quoniam eo loci ursum immanem confecerat. H. Boethius lib. 14.

MORTIS EVITATAE, DEPVLSAE MODVS. Vtputa

DIVINATIONE.

Huc confer Tit. Diuinatio periculi euitandi: quatenus reipsa insidias & pericula effugerunt.

SIMONIDES cùm cadauer mortuum sepeliuisset, ab eo in somnis admonitus, ne se mari cōmitteret, naufragium effugit. Val. Max. lib. 1. c. 7. Cic. lib. 1. de Diuinatione.

Cùm ob tyrannidem Anastasij Imp. multæ fierent cōtra ipsum conspirationes, multi sunt deprehensi: inter quos fuit IVSTINVS & IVSTINIANVS, qui ambo pòst imperarunt. Eos cùm interficere deliberaret, nocte specie horribilis cuiusdam uiri deterritus est, qui dicere illi uisus est in somnis: Iustino & Iustiniano nil facias mali, quandoquidem uterq; suis temporibus Deo seruiet. Ob id Anastasius illis culpam remisit. Cuspinianus.

INDICIO.

Captis à Cyro Sardeis, cùm miles gregarius Persa stricto acinace CROESO Lydorum regi immineret, filius eius mutus antea magnitudine periculi paterni in uocem insolentē prorupit, ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον, & sic uitam patri seruauit. Herodotus.

Trogus auctor est, Xerxem ob res in Græcia infeliciter gestas, adeò inter suos euiluisse, ut Artabanus spem nactus occupandi regni, septem filiis stipatus cum in regia trucidauerit, mox ARTOXERXEN armarit in Darij fratris interitum. Quo sublato, etiam Artoxerxen dolo necare uolens, assumsit in consilij societatem Bacchabassum quendam. Is præsenti rerum statu contentus, rem omnem ad Artoxerxen defert, docetq; insuper, patrē ab Artabano & filiis interfectū, fratremq; falsa cædis suspicione peremtum: postremò, quæ ab ipso cædis auctore pararentur, ordine explicat. Artoxerxes natorum Artabani gregem ueritus, noui belli inferendi specie ingentem contraxit exercitum. Tum ibi tanquam copias recogniturus, armis tectus in medium processit, Artabanumq; familiariter compellans, seque breuiorem habere loricam, quàm ut sine tædio gestari posset questus, Vellem, inquit, tuam mecum commutare. Paruit Artabanus, confestimq; suam ibi coràm exuit. Rex hominem iniuriæ opportunum ferro transfixit, filiosq; simul uinciri imperauit. Sabellicus lib. 3. En. 3.

Cùm Dario in Cilicia superato præda capta Damasci fuisset: multis capitib. in castra adductis, mulier inter captiuos reperta fuit genere Pydnæa, eximia forma, Antigone dicta. Hanc tenebat Philotas Parmenionis F. qui ut iuuenis, apud amicam & per uinum arrogauit, quicquid præclarè esset gestum, sibi & patri. Alexandrum appellauit adolescentulum, qui ipsorum beneficio nomen regis teneret. Hæc mulier illa familiari cuidam enūciauit: ille, ut fit, alteri: ita ad Craterum sermo tandem est perlatus. Ille mulierem clàm introduxit ad ALEXANDRVM Magnum. Qui his auditis, consuetudine uti eam iussit Philotæ: & quicquid intellexisset ex eo, id ut mox ad se deferret. Eadem tempestate Macedo nomine Dimnus, Chalestræus, capitales Alexandro insidias struens, adolescentem quendam Nicomachum, cuius flagrabat amore, inuitauit ad consilij societatem. Qui cùm id repudiasset, & fratri indicasset Balino tentatum se: ille ad Philotā profectus, petiit introduci se cum fratre ad Alexandrum. Ille non introduxit eos ad illum, maioribus negotiis regem districtum causatus. Bis id fecere. Itaque cepit iis Philotas esse suspectus: & ad alium conuersi, atque per eum ad Alexandrum immissi, primùm Dimni coniurationē detulerūt, deinde obiter adiecere, cū bis interpellassent Philotam, nō fuisse rem ei curæ. Enimuerò id Alexandrum stimulauit: atque ubi ille, qui ad comprehēdendum Dimnum missus erat, defendentem se interfecit: impendio magis est commotus, iudicem ratus amissum initæ in se cōspirationis. Regis in Philotam exacerbatus animus, concitauit ueteres inimicos eius: quorum instinctu Philotas tortus fuit, assistentib. quæstioni regis amicis, & Alexandro pone obtensam aulæā foris exaudiēte. Necato Philota, Parmenionē quoq; certos misit in Mediam qui interficerent, uirum, qui magnificas res cum Philippo gesserat, solusq; aut pręcipuè ex ueterib. amicis ad transeundū in Asiā incitauerat Alexandrum. Ex tribus filiis, quos in castris habuit, duos antè uiderat defunctos: cum tertio est unà trucidatus. Plut. in Alex.

Magnentius tyrannus à Constantio Imp. uictus, & à suis desertus, sicarium multis pollicitationibus Antiochiam misit, ut GALLVM Cæsarem Constantij patruelem in Oriente confoderet: qua re patrata, cogeretur Cōstantius propter Persas, relictis Hesperiæ rebus, Orientem petere. Sed res prodita per uetulam: in cuius domo parricida, ubi in cœna liberalius bibisset, rem quibusdam cōmunicauerat: quæ Gallo singula detulit. Comprehensi omnes supremo sunt affecti supplicio. Cuspinianus.

Basilius Pectes, quum cædem LEONI Philosopho Imp. meditaretur, arcanum suum Samonæ exposuit cubiculario, origine Agareno. Samonas statim Imperatori totam insidiarum rationem detexit. Imperator illicò Basilium in Macedoniam amandat, ueluti Zoæ Imperatricis amitæ suæ cuius egressæ ibi iusta curaturum. Paulo pòst reuocatum, inquisitioni subdidit, conuictumque, per mediam urbem in triumpho duxit, Athenasque relegauit. Inde uniuerso senatu conuocato, Samonam protospatharij munere decorauit. Cedrenus.

Coniurauerant contra PETRVM Medices Florentinorū principem nobilissimi quiq; & potentissimi ciues, & syngraphā quoque à sociis coniurationis exegerant, ne fidem fallere possent: nec dubium erat, quin Medicum familia eo tempore peritura fuerit, si coniuratio occultari potuisset. Erat in numero cōiuratorum Nicolaus Fedinus ex scribarum ordine: cui negotium datum erat, ea quæ à principibus coniurationis agebantur, perscribendi. Is siue sua sponte ad uberioris quæstus spem animum adiecisset: siue à Petri amicis sollicitatus magnitudine pręmij esset: accepta fide, fraudi nunquā futurum, quòd cum Medicum aduersariis societatem coisset: omnia illi coniuratorum consilia aperuit: editis singillatim eorum nominibus, qui aduersus illum, syngrapha etiam fide obstricta, coniurassent. Sic detectis feliciter insidiis, nec minus prudenter dissimulatis, ne coniurati ad facinus peragendum celeritate adhibita, Petrum imparatum adhuc opprimerent, fatali urbis seruitute coniuratio compressa est. Brutus lib. 3. hist. Flor.

Bello

Bello quod MATHIAS Vngariæ rex contra Stephanum Vaiuodam Moldauiæ gessit, Valachorum XII. millia Vngaros noctu opprimere statuerant. Et successisset dolus, nisi Sythothus quidam Vngarus ad regem adductus, qui rerum omnium ignarus in Moldauiam ob priuata negotia properabat, Valachorum facinore intellecto, summa celeritate illos præuenisset, & Mathiam ea de re admonuisset. Valachi nocte intempesta oppidum adorti, excitato tribus in locis incendio, irrumpunt. Sed Vngarorum uigilātia & fortitudine repulsi sunt. Sic unius hominis fide inuicti regis exercitus seruatus est. Bonfinius lib. 1. Dec. 4.

Ioanna, regina Neapolitana, Ladislai defuncti regis soror, ut impudicitię probra accepti coniugis imagine tegeret, IACOBO Martiæ Comiti, uiro è Narbonensi Gallia regiis natalibus orto nupsit. Ille Neapolim ueniens, Magnū Sfortiam, quasi reginæ consuetudine uteretur delatum, in carcerē coniecit: sed & reginam in custodia continuit, solis Gallis cuncta deferens, Italicos homines usque ad fastidium reijciens atque contemnens. Hac indignitate permotus Iulius Cæsar Capuanus, cuius perfidia præcipuè Sfortia in carcerem erat coniectus, Reginam adit, communes omnium miserias deflet, quibus se prebuisse initium fatetur: sed acceptā fide seriò promittit, cōfossurum se sua manu pseudoregem, ut reginam simul & patriam à barbarorum tyrannide liberet. Regina fictis lacrymis, & præbita dextra, ad se triduò reuerti iussit, ut cuncta interim aptius instruerentur. Non oblita autem illo potissimùm auctore & necatum Pandulphū Alopum amatorem, cuius memoriam occultis fletibus assiduè percolebat; & Sfortiam tutorem regni tormentis excruciatū, seq; adeò regio fastigio deiectā; in custodiā barbaris traditā: detulit cuncta ordine ad maritū, ut incorrupti amoris fidem animo eius insereret. Iacobus compositis insidiis in Reginę cubiculo Iulium Cæsarem eadem de patrāda cędepromittentem conopeo tectus audiit. Prosilientib. igitur armatis, extemplò Cæsar est comprehensus, & in foro securi percussus. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

PERSVASIONE.

IOSEPHVS Galileæ præfectus, uir fortiss. excisa Iotapata, in spelunca quadam cum XL uiris latens, forte ducta mutuis uulneribus confectis reliquis, ipse diuinitùs cum socio seruatus est. Vide Tit. Capti ab hostibus, ex Iosephi lib. 3. cap. 14. belli Iudaici.

ADVLATIONE.

VLYSSES, destructa iam Troia, cùm domum nauigaret, uentorum procellis à uera uia in Siciliam abiectus fuit: ubi Polyphemus & cęteri Cyclopes, homines feri & immanes, nec Deum nec homines curantes, uiuebant. Inuentens autem ibi seruientes, ut captiuos, cùm Satyros Bacchi olim ministros, tum quoque senem Silenum Bacchi alumnum & pædagogum, uino dato, agnos lac & caseos contrà in cibum, absente Polyphemo tunc in leonum uenatione, à Sileno accepit. Quę cùm efferrentur iam, superueniens de improuiso Polyphemus, causam quare ex antro, quæ sua sunt, efferant percunctari incipit. Ei Silenus perterritus, cùm quod responderet subitò non haberet, metuens dominum crudelem & tyrannicum, Vlyssem ut prædonem incusat. Ergo cùm Polyphemus, hospitum omnium mactator, dictis Sileni facilè acquiesceret, Vlyssi necem simul & sociis minitatur. Deinde cùm interfectis duobus Vlyssis sociis, prandium iam inde præparasset, Vlysses, qui se οὔτιν, id est, Nullum nominabat, cùm ei de uino Maroneo multum bibere dedisset, & iam in somnum grauatus uino conuersus esset; trunco oleagino preusto oculum, quem unicum in medio frontis habebat, effodit: & sic cædem sociorum ultus, unà cum Sileno & Satyris & superstitibus adhuc sociis, illudens & insultans cæco Polyphemo, saluus & incolumis aufugit. Euripides in Cyclope.

DOMITIVS Afer, mortis periculo proximus, mirabiliter euasit. Nam cùm Caius Caligula in curia longam contra eū orationem recitaret (omnes enim oratores se uincere putabat, & Domitium uirum eloquentiss. superare conabatur) neque quicquam contrà dixit, neque se defendit, sed eloquentiam hominis se mirari, eaque obstupescere simulans, orabat & supplicabat, seque oratorem magis timere, quàm Cæsarem, profitebatur. Quibus rebus Caligula delectatus, & Domitium à se dicendi ui superatum credens, irasci desiit. Zoharas.

DEFENSIONE, PROTECTIONE.

Cùm in senatu Catilinarios C. IVL. Cæsar defendisset contra Catonem: ei curia exeunti multi ex iuuentute, qui tunc Ciceronem consulem stipabant, concursu facto intentabant strictos gladios. Verùm Curio ibi dicitur toga sua eum texisse & eripuisse: atq; ipse Cicero, intuentibus eum iuuenibus, cędem uel populi metu, uel quòd prorsus iniquam & uiolentam arbitraretur, abnuisse. Plut. in Cæsare.

ASPECTV TORVO.

C. MARIVS cùm ex ciuili pugna prima solus fugeret, Minturnas Campaniæ oppidum peruenit. Minturnenses eum, ut gratum Syllæ uictori facerēt, immisso percussore tollere decreuerant. Cumque is aspectu & increpatione Marij fugisset, in religionem oppidanis uenit, tanquam in numinum protectione Marius esset. Ita eum ad proximum oppido lucum produxerunt, qui Maricæ Deæ (siue Circe illa, siue Venus, siue Fauni uxor fuit) sacer erat, ut inde, quò liberet, abiret. Plut. in uita Marij. Velleius paludem Maricæ dicit. L. Viues in lib. 2. Aug. de Ciu. Dei, cap. 23.

HABITV SIMVLATO.

DOMITIANVS Imp. sub bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarū. Sed irrumpentibus aduersariis, & ardente templo, apud æditum clàm pernoctauit: ac manè Isiaci uelatus habitu, interque sacrificulos uanæ superstitionis, cùm se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno cōtulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui uestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit. Suetonius.

FVNERE SIMVLATO.

Aeson cùm Peliam patruum Thessaliæ regnum totum sibi uendicare uidisset, metuens filio IASONI, cum sub funeris specie à mulierculis tanquam mortuum efferri, & Chironi Centauro educandum tradi curauit per XX annos. Pindarus ode quarta Pythiorum.

LIBRI QVARTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- AGAMVS *benè uertente Numine de*
  - Sanitate, *eius considerando*
    - ἀφ' ὧν. SANITATIS *Acquisitio*
      - Obseruata:
        - Qui.
        - Quomodo.
      - Neglecta.
    - φυλαχθ. SANITATIS
      - Studium, *cura, custodia.*
      - Neglectus, *contemtus.*
    - χρῶντ. SANITATE *perfruentes, respectu*
      - Regionis. *Populi.*
      - Ætatis
        - Iuuenes.
        - Senes.
      - Sexus. *Mulieres.*
      - Professionis
        - Sacri *homines.*
        - Literati. Reges.
  - Morbi *in*
    - Genere, *illorum perpendendo*
      - κτῆσιν. MORBORVM *acquisitio:*
        - A quo. *Morbi à*
          - Dæmone *immissi,*
          - Hominibus. Brutis.
        - Quãdo. *Morbi*
          - Noui.
          - Veteres.
        - Quomodo: *Conciliati*
          - Crapula, *Ebrietate.*
          - Libidine, *Venere.* Osculo. Impietate.
      - χρῶντ. MORBIS *affecti*
        - Qui. *Valetudinarij, Morbis obnoxij.*
        - Quando. *Constitutiones morbosæ uel salubres.*
        - Vbi. *Loca morbosa.*
      - φυλαχθ. *Morbi*
        - Curati, *Abacti.* MORBORVM *curatio in genere. Videlicet*
          - Qui *à quibus sanati. Vtpote à*
            - Deo. Dæmone.
            - Hostibꝰ. Brutis.
          - Quo-*modo:*
            - Baptismate. Sacrarum *rerum usu.*
            - Precibus. Magia. Contactu.
            - Suffragiis. Metu.
            - Lectione *historiarum.* Pharmaco.
        - Non *curati.*
    - Effectus. *Vide signum* I.
    - Causæ *morbificæ, à quibus generatur et fouetur morbus. A causis differentiæ sumũtur, consideratis uel ut*
      - Sũt. *Vel*
        - Dæmones. *Hinc* DAEMONIACI *tũ*
          - Cu-*rati*
            - A quib. *à*
              - Deo. Angelis. Sanctis *hominibus.*
              - Dæmonibus. Magis.
            - Quo-*modo: puta*
              - Fide. Oratione, *Iciunijs.*
              - Imperio, *Minis, Exorcismis.*
              - Manum *impositione.* Crucis *signaculo.*
              - Peregrinatione *sacra.* Lucta.
              - Sacris *reb. Reliquijs.* Potu. Inunctiõe.
              - Amuletis. Medicamentis. Flagellis.
          - Non *curati.*
        - Aer. PESTILENTIAE *curatio*
          - A quibus. *Ab*
            - Angelis. Sanctis.
            - Magis.
          - Quo-*modo: facta*
            - Precibus. Supplicationibus.
            - Sacris, *Victimis.* Cultu *rerum sacrarum.*
            - Ludis, *Initiatione.* Arietis *gestatione.*
            - Clauo *fixo.* Loci *mutatione.*
            - Cadaueris *exustione.*
        - Humo-*res. Nẽpe*
          - Aqua. HYDROPS.
          - Pituita. LEVCOPHLEGMANTIA.
          - Bilis. ICTERVS.
          - Melancholia. LEPRAE, *Elephantiasis*
            - Infestatio.
            - Curatio.
        - Animalia. ANIMALES *morbi. Vt*
          - Pediculi. Phthiriasis.
          - Dracones.
        - Res *quæuis corpus subingressa. Qualcs sunt*
          - Hirundines. Serpentes.
          - Acus. Acies *cultri.*
          - Sagitta. Spinæ.
      - Agũt. *Vt*
        - Venena. VENENI *cura*
          - Cuius
            - Serpentum.
            - Canis *rabidi.* Plantarum.
          - Quomodo: *facta*
            - Medicamẽto. Vomitu.
            - Balneo. Mulo.
        - Venus. *Hinc* LVES *Venerea, Morbus Gallicus.*
        - Casus *ex alto.*

t. Respe-

- t. Respectu affectiõ cõsiderati Morbi differũt, non quo ad
  - Subiectum *cui inest. Sic Morbi diuiduntur respectu partis quam principaliter afficiunt, & per quã ceu metropolim reliquũ corpus uel saltẽ partes aliquas in consensum trahunt. Distinguitur Corpus secundùm partes considerandas*
    - Ventres *tres. Vide signum* II.
    - Histo-*ricè, diuisum in*
      - Artus. *Affectus*
        - BRACHIORVM, MANVVM, Digi-*torum: ut*
          - Præcisio, *Mutilatio.*
          - Tremor.
          - Extenuatio.
          - Fractura.
          - Debilitas.
          - Resolutio.
          - Connati *digiti.*
        - FEMORIS, *Coxæ, Tibiæ, Pedum: ut*
          - Præcisio. Luxatio. Vulnera.
          - Inflammatio, *Dolor, Podagra.*
          - Vlcera. Tumor. Exolutio.
          - Sceletyrbe.
          - Claudicatio
            - Possessa.
            - Curata.
      - Logicè, *ut sunt homo geneæ, siue simplices, siue compositæ. Sic Affectus dantur*
        - Ossium. *Articulo-rum: puta*
          - Dolor. *Arthritidis, Chiragræ, Gonagræ, Podagræ, Ischiadis*
            - Infestatio.
            - Curatio
              - Felix.
              - Infelix.
          - Luxatio.
        - Neruorum: *ut*
          - Resolutio, *Paralysis.*
          - Dolor.
          - Tremor.
        - Musculorum.
        - Cutis: *nempe*
          - Scabies.
          - Variolæ.
    - Intempiè-*riè.* FEBRIS
      - Infestatio
        - Quomodo.
        - Quando.
        - Quamdiu.
        - Vnde.
      - Curatio
        - Felix.
        - Irrita.
  - Formã. *Sic Morbus alius in*
    - Compositi-*one secundùm*
      - Magnitudinem. *Cuiusmodi est*
        - CRASSITIES.
        - TABES.
      - Numerum.
      - Conformationem *in*
        - Figura.
        - Superficie.
        - Cauitate.
        - Meatu.
      - Situm.
    - Vnita-*tis*
      - Decentis *sublatione.* MORBI *solutæ unitatis secundùm*
        - Diuisi-*ónem*
          - Carnis: *utputa*
            - Vlcera
              - Accepta *ab*
                - Muribus.
                - Serpentibus.
              - Curata.
            - Vlcera.
          - Ossis: *ut*
            - Fractura.
            - Luxatio.
        - Ablationem, *Mutilationem.*
      - Indecentis *introductione. Coaditus.*


Superiorem. Vide signum I. I. I.
Mediũ. THORAX in partem
Cõtinentem & Externam
Superiorem. COLLI
ANGINA.
SCROFVLAE.
Inferiorẽ. THORACIS affectus externi
VLNERA.
MAMMARVM
Vlcera
Acquisita.
Curata.
Inflammatio, Tumor.
COSTAE fractæ.
SEPTVM.
Posteriorem. DORSVM.
Contentam. THORACIS cõtentorum affectus: puta
MEMBRANAE, Pleuritis.
CORDIS, Syncope.
ARTERIARVM.
PVLMONIS
Tussis.
Empyema.
Phthisis.
THRACHEAE.
II. In Ventres tres totus truncus diuiditur: uidelicet in
Infimũ, qui Venter eximiè dicitur, diuisus in
Primũ. Affectus
VENTRICVLI
Appetitio cibi
Immodica. Bulimia, fames canina.
Deiecta.
Concoctionis debilitas.
Dolor. Cardialgia.
INTESTINORVM
Dolor colicus.
Fluor alui.
Vermes.
Indiuidui, quo ad alimentum
Secundum, respectu
Cõfectionis. Affectus
HEPATIS
Debilitas.
Icterus.
Lapides.
LIENIS.
Elaborationis. VENARVM affectus.
Expurgatiõis. Affectus
RENVM sunt est
Calculus.
Inflammatio.
VESICAE. Cuiusmodi est
Calculus.
Diabetes.
Contenta, quorum alia conseruationi inseruiunt
Speciei. GENITALIVM, pudẽdorum affectus uarij: ut sunt
Impotentia. Sterilitas.
Concretio pudendi.
Testium defectus. Eunuchi, Spadones, Castrati:
Qui.
A quibus: à
Natura. Seipsis.
Regibus.
Hostibus.
Imprudentibus.
Brutis.
Quomodo.
Cur: causa
Religionis.
Stupri, Adulterij.
Libidinis.
Quæstus.
Accusationis effugiendæ.
Vlcera. Priapismus.
Ueri tumor.
Gonorrhœa.
Fluxus muliebris.
Abortio. Partus difficilis.
Fœtus immortuus.
Continentia. Huc AFFECTVS
ABDOMINIS.
PODICIS: ut sunt
Hæmorrhoides.
Ficus.
Vlcera.
Concretus anus.

III. C...


Summas. Huc
Vulnera. Tumor.
Tremor. Capillorum defluuium.
Genere. FACIEI
Contusio
Acquisita.
Curata.
Vulnera.
Ablatio oculi
Vtriusque.
Alterius. Monoculi, Coclites, Lusci.
Acquisitio.
Curatio.
Vulnera.
Inflammatio. Ophthalmiæ, Lippitudinis
Acquisitio.
Curatio.
Peruersio. Strabi.
Anteriores in
Continẽtes, uarios, prosus respectu uarios. Afficiuntur itaq; partes Capitis
Specie. Quales sũt Affectus
OCVLORVM. In quo genere sũt
Qui cæci fuerint
Reges. Duces. Politici.
Sacri homines.
Docti homines.
Possessio & Acquisitio, tum
A quibus uisu priuati: à
Natura, à primo ortu.
Spectro. Seipsis. Hostibus.
Hospitibus. Mulieribus. Amasiis.
Parentibus. Fratribus. Soceris.
Dominis. Hirundinibus.
Quomodo, quo instrumento: à
Sole. Igne.
Niue. Gypso.
Ætate. Somnio.
Inflammatione.
Lacrymis. Sagitta.
Cæcitas. Huius perpẽdenda
Cur: ob
Sacra contrectata, profanata, euulgata.
Sacrilegium. Blasphemiam.
Impietatem. Perfidiam.
Ignauiam. Libidinem.
Æmulationem imperij.
Robur suspectum.
Curatio CAECITATIS. Eius hic
Qui curati: ut
Episcopi.
Principes.
Puerperæ.
A quibus: à
Deo. Dæmonibus.
Hominibus sacris.
Principibus.
Quomodo: puto
Verbi diuini auditione.
Baptismo. Precibus.
Contactu rerum sacrarum.
Sputo. Hymno.
Medicamentis. Insomnio.
Dolore capitis.
Vbi.
III. CAPVT diuisum in partes
NARIVM. Cuiusmodi est
Mutilatio.
Sanguis.
ORIS: puta
Mentagra. Tumor. Vlcera.
Stomacacia.
Dentium
Dolor.
Amissio.
Linguæ
Tumor.
Amissio. Muti
Facti.
Curati.
Posteriores. CERVICIS affectus.
Laterales. AVRIVM affectus.
Contentas. CEREBRI interni affectus uarij. Cuiusmodi est
Dolor. Huius
Possessio.
Curatio.
Vertigo.
Epilepsia. Huius
Inuasio.
Curatio.
Apoplexia. Caros, Sopor. Catarrhus.

Voluminis Secundi Liber IV.

De SANITATE & Morbis humani Corporis.

SANITAS INCULPATA. QVO AD

ΛΗΨΙΝ. ACQVITIO SANITATIS.

Quomodò.

MEDEAM Diogenes non ueneficam, ſed prudentem feminã eſſe dixit, quæ exercitiis gymnaſticis molles & effeminatos homines, otioq; corruptos, ad integram ſanitatem traduxerit, & laboribus in locis calidis firmauerit. Eam ob cauſam fabulæ occaſio data, quaſi homines coquendo in iuuentutem reſtituerit. Brodeus in 2. Epigr. Græcorum.

PERSÆ propter exercitationes pueriles modicas, eã ſunt cõſequuti corporis ſiccitatem, ut neq; ſpuerent, neq; emungerentur, nec ſufflato corpore eſſent, inquit Varro ex Xenophontis lib. 1. παιδείας. Victorius lib. 10. uar. Lect. c. 15.

INDI incolumitatem exercitio quærũt & perfrictionib. Adhibentur ſtrigiles ex hebeno præcipuè corporũ expolitioni, in qua deprehenduntur curioſiores. Cæl. lib. 18. c. 31. A. L.

M. CATO corporis conſtitutionem laboribus ſuis, ſobrio uictu & expeditionibus, in quib. à prima ætate adoleuit, perquàm parauit habilem, ad roburq; & ſanitatem iuxtà cõparatam. Plut. in Catone.

GALENVS in libris de Sanitate tuenda, ſcribit ſe (iam ætate prouectiorẽ) ex laſſitudine nonnunquã febricitaſſe, nullum aliàs morbũ multis iam annis expertũ: quinetiã percuſſus, inquit, certis corporis partibus, unde alij phlegmone bubo neq; contractis febricitarũt, ipſe nunquã phlegmonẽ bubonémue ſenſi, nec febre laboraui: non aliunde certè, quàm ex ſeruandæ ſanitatis arte, tanta cõmoda cõſecutus: cùm alioqui nec ſalubrem corporis ſtatum ab ortu ipſo ſim nactus, nec uitã planè liberã ſortitus, ſed in qua tũ artis officiis ſeruierim, tum amicis, cognatis & ciuibus compluribus inſeruierim: tum plurimam noctium partem, nonnunquã ęgrotantiũ ipſorum cauſa, ſemper autẽ dulcedinis ſtudiorũ gratia, peruigilauerim. Cũ circa annũ ętatis XXVIII periclitaretur, ne ea pars, qua iecur ſepto tranſuerſo annexũ eſt, abſceſſu corriperetur, ab eſu horæorum omnium penitùs abſtinendum eſſe propoſuit, exceptis ficubus uuisq;.

PHILOPOEMENES, Achæorũ prætor, per otiũ aut uenando corpus ſubigebat, qua ratione parabat agilitatem ſimul & robur: aut agrum colendo, quem lautum uiginti ab urbe ſtudiis poſſidebat. Eò ſe à prandio uel à cœna conferebat quotidie, corpusq; in thorum uernaculum, ut quilibet operariorum, ad quietem abiiciebat. Prima luce ad opus ſurgebat cum uinitoribus aut aratoribus, inde remeabat ad urbẽ, & negotia publica tractabat. Pauſanias in Arcad. & Plut.

M. Tul. CICERO haud temerè ante occaſum ſolis accumbebat, non tã diſtrictus occupationibus, quã ualetudinis cauſa, ob ſtomachi imbecillitatem. Fuit alioquin in corporis cura curioſus & nimius, ut ad certũ numerum frictionibus & ambulationibus uteretur. Ad hũc modũ habitum, ualidum & firmum ad labores conſeruauit. Plut. in Cicerone.

VESPASIANVS Imp. ualetudine proſperrima uſus eſt: quàuis ad tuendã eam nihil amplius quã fauces, cęteraq; membra ſibimet ad numerũ in ſphęriſterio defricaret, inediãq; unius diei per ſingulos menſes interponeret. Suetonius.

GALENVM (inquit Cælius Rhodiginus libro 30. cap. 12. A. L.) memoriæ proditum à nonnullis eſt, centum & quadraginta annos uixiſſe, tantaq; in cibo & potu abſtinentia uſum, ut ad ſatietatem nunquam comederit aut biberit, nec crudum quicquam unquam guſtarit: unde ſit factum, ut odorificum ſemper anhelitum ſpiraret: & citra ullam omnino affectionem, ſola defecerit ſenectute. Ipſe de ſeipſo ſcribit, quòd ſanus per infantiam & pueritiam ferè patris beneficio perſeuerarit. Adoleſcens factus, ob fructuum temporariorum eſum, adueniente autumno, ægritudine laborauit acuta, ita ut uenæ ſectione opus habuerit. Ad priſtinum uictum à patre reſtitutus, anno ætatis octauodecimo ſanus permanſit: ſequente, uictu ſociorum uſus ęgrotauit iterum ſimiliter, ac rurſus ſanguis ei detractus eſt. Poſterioribus ſimiliter annis, uſq; ad uigeſimumoctauum, uel ſingulo uel tertio quoque anno, morbo aliquo laborauit. Poſt uigeſimumoctauum, poſtquàm ſalubrem methodum inueniſſet, nullum deinde morbum paſſus eſt, præter febrem ephemeram, ob immodicos labores. Geſnerus in eius uita.

MAGNVS Sfortia adeò robuſta ac indomita corporis temperatura ſemper fuit, ut facilè morborum initia exercitatione diſcuteret, & ſi quæ febres incidiſſent, eas incredibili patientia ad ciendum ſudorem lodice coopertus, & inedia præſertim, repudiatis pharmacis, ſuperaret. Iouius in eius uita.

HADRIANVS VI. Pont. per ſe cibi parciſſimus erat, & in tuenda ualetudine apprimè diligens & moroſus, tanta horarum definitione, ut denuntiante architriclino paratas eſſe epulas, uel maximarum rerum colloquia protinus abrumperet. Iouius in Hadriano VI.

ΦΥΛΑΚΗΝ. SANITATIS CONSERVANDÆ STVDIVM.

Apud INDOS propter uitę frugalitatẽ, & uini abſtinẽtiã, aut morbi nõ ſunt: aut ſi q ſunt, eos ſophiſtę curãt. Strabo lib. 15.

Singulis menſib. triduo purgãt ſe AEGYPTII, uomẽdo, atq; inteſtina diluendo, gratia ſanitatis conſeruandę: exiſtimantes omnes languores hominibus creari ex cibis. Herod. li. 2.

NVMIDÆ æſtate, pariter atq; hyeme equites pellicea talari tunica utuntur, quòd ea peregregiè ſuſtineat uentos, & in magnis feruoribus ſoles non admittat: capiti linteum intortis à mento ſpiris, non indecẽs tegumentum: deſilientes ab equis in clunes conſidunt, parcũtq; pedibus, ut uix exiguis ſpaciis obamulent: plicatione uerò aſſidua, contentioneq; artuum, itemq; frictionibus calorem excitãt. Hac exercitatione, procul à morborum cruciatu, medicinæque periculo ad ſummam perueniunt ſenectam, adeò ut fatalem horam minimè pręſentiãt, & euaneſcente potius quàm intercepto ſpiritu leniter expirent. Iouius lib. 32. Hiſtoriarum.

Omnes ferè corporis robore, ſenſuum integritate, ingenio uegeto, memoria firma exuperaſſe GORGIAS Leontinus uidetur, etiamſi ætatis annum attigiſſet octauum ſupra centeſimum. Cuius rei quum ab eo rationem ſcitaretur quiſpiã, reſpondit: οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πέπραχα: id eſt, Ad id ætatis perueni, quòd uoluptatis cauſa nil mihi unquam permiſi facere. Cælius lib. 19. c. 20. ex Cic. de Seneċt.

Apud Lucianum in 2. lib. Verarum narrationum legitur, nõ licuiſſe CHRYSIPPO philoſopho Stoico in beatorũ inſulã immigrare, niſi quartum iam ſumto elleboro. Nimirũ illuc alluditur, quòd ter in uita bibiſſe memoratur, ut teſtatur etiã Petronius in carmine quodam. Eraſmus in Adagiis.

ΧΡΗΣΙΝ. SANITATE FRVENTES

Populi.

Obſeruatione dignum eſt, ISRAELITAS ex Aegypto egredientes, diuinitùs ea ualetudine præditos fuiſſe, ut ne unus quidem è ſexcentis & amplius hominum millibus infirmus eſſet. Id quod Pſalmus 105. notat: Nec tot inter millia unum languor attentauerat.

Sunt AEGYPTII omnium hominum, poſt AFROS, maximè ſalubri corpore, aëris (ut mihi uidetur) beneficio, qui nunquam immutatur: cuius mutationibus præcipuè oriuntur morbi. Herodotus.

In TAPROBANA inſula longiſſimam uitam, ſine ullo languore, traduci, Artemidorus teſtatur apud Plinium libro ſeptimo, capite 2.

POENI paſtorales, ubi filij ipſorum quadrimi effecti ſunt, uenas uerticis illorũ lana ſuccida inurunt: nonnulli uenas temporũ: eam ob cauſam, ne ullo unquã tẽpore pituita defluẽs è capite officiat: eaq; de re ſe aiunt eſſe optima ualetudine. Et ſunt re uera Pœni inter omnes, quos nouimus, homines ſaluberrimo corpore. Herod. lib. 4.

Senes.

Ex Tit. Longæuorum, exempla nunc pauca petes, quatenus uitæ longitudo ſanitatis beneficio protenditur.

CALEBVS Iephonis F. qui è tribu Iuda, explorator fuerat miſſus à Moſe, & ſolus cũ Ioſua ueritatem nũciarat, terram Sanctam intrauit, annos natus 85, integris uirib. ad quæuis munia bellica. Itaq; in terræ Sanctæ diuiſione Hebronem ſibi aſſignari petiit, in qua ſciebat Enaquinos gigantes ferociſſimos habitare. Ioſua cap. 14.

Conſul SERVILIVS cùm ad annũ nonageſimum uixiſſet, toto corpore fuiſſe incolumis perhibetur, & omnes ſenſus integros ſingulari quadam felicitate conſeruaſſe. Suidas.

PATER Auſonij poetæ de ſeipſo in Epicedio ſic loquitur:

> Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
> Exegi cunctis integer officiis.

Paternus Petrarchæ proauus GARSIAS Aretinus uſq; ad annos centum ac quatuor uixit, proſpera ſemper uſus ualetudine, deceſſitq; nullo antè affectus morbo, qui appareret, ni ſi quòd aliquantiſper debilitatas uires ſentiebat. Ex Petrarcha recitat Fulg. lib. 8. cap. 14. & Egnat. eodem.

Mulieres.

Zonaras in uita Tiberij tradit, LIVIAM Auguſti uxorẽ octogeſimum annum attigiſſe ſine ullo morbo. Mortua elata eſt adhibitis quibuſdam imaginibus cum luctu mulierum Romanarum ad annum, iuſſu ſenatus. Cuſpinianus.

Sacri homines.

MOSES annos natus 120. cùm neq; oculis caligaret, neq; uiriditatem amiſiſſet, iuſſu Domini in mõtem Nabonem (qui eſt in finibus Moabitarum, e regionè Hierichũtis) aſcẽdens, terram omnem, quam Dominus Iſraelitis daturus erat, oculis perluſtrans, ut quam propter ſuum peccatum intrare nõ poterat, uideret tantùm, ante os Iouæ mortuus eſt, & ab eodem ſepultus in ualle quadam Moabitica ſecundùm Bethphegor: neq; quiſquam hominum hactenus eius ſepulcrum ſciuit. Deuteron. 34.

L. METELLVS poſt conſulatum pontifex maximus, ita bonis uiribus extremo ætatis tempore fuiſſe narratur, ut adoleſcentiam non requireret.

OTHO Vicecomes, archiepiſcopus Mediolanenſis, debellatis Turrianis, imperioq; conſequuto, quum ad Claræuallis cœnobium amœniſſimis in hortis tuendæ ualetudini operam daret, frequentiq; comitatu inſignium philoſophorum & ſacratorum uirorũ oblectaretur, ſenio potius quàm morbo confectus è uita diſceſſit, Auguſto menſe, anni 1295. Impleuerat ſeptimum & octogeſimum annũ, nullis paulò moleſtioribus morbis obnoxius. Iouius in eius uita.

Literati homines.

SOCRATES adeò moderatè cibo potuq; uſus eſt, ut abſq; medico ualetudine inoffenſa uixerit. Laertius in eius uita, & Aelian. lib. 13. de Varia hiſt.

ZENO Citticus Stoicorum pater uixit morborum expers, in ſumma frugalitate. Necauit ſemetipſum inedia. Suidas.

CLEANTHES Aſſius philoſophus, ad quendam contumelię cauſa obiicientem ſenectutẽ: Et ego, inquit, abire cupio: uerùm ubi reputo me omni ex parte ſanum, ſiue legẽdum eſt, ſiue ſcribendum, rurſus maneo. Laert. lib. 7. c. 2.

XENOPHILVS Chalcidenſis Pythagoricus celeberrimus, (ut ait Ariſtoxenus muſicus) omnis humani incommodi expers, in ſummo perfectiſſimæ ſplendore doctrinæ extinctus eſt. Valerius Maximus libro octauo, capite decimo quarto. Plinius lib. 7. cap. 50.

GORGIAS Leontinus, Charmantidæ F. Empedoclis diſcipulus, Poli, Periclis, Iſocratis, & complurium magni ingenij uirorum præceptor, cùm centeſimum & ſeptimum ageret annum, interrogatus quapropter tamdiu uellet in uita remanere? Quia nihil (inquit) habeo, quod ſenectutem meam accuſem. Valerius Maximus lib. 8. cap. 14. & Philoſtratus in Sophiſtis, & Cic. in Catone Maiore. Anno pòſt obiit. Plinius libro 7. cap. 48.

ISOCRATES quarto & nonageſimo anno uitæ librum edidit, quem Panathenaicum inſcripſit: ſuperfuit operi annos quinq;, fuitq; extrema ætas par ſuſcepto labori, uiribus, iudicio, memoria. Sab. lib. 1. cap. 7.

PHILEMON Comicus, qui anno ætatis CI riſu periit, corpore fuit integro, atq; etiã omnes ſenſus illæſos felicitate quadam conſeruauit. Suidas.

ASCLEPIADES Pruſienſis medicus, cum fortuna ſponſionẽ fecit, ne medicus crederetur, ſi unquã inualidus ullo modo fuiſſet. Eſtq; uoti compos factus, ſubito ſcalarum lapſu ſuprema ſenecta exanimatus. Sab. lib. 10. c. 8. ex Plin.

Reges.

CYRVS Perſarum rex in eo ſermone, quem moriens habuit, quum admodum ſenex eſſet, negat ſe unquam ſenſiſſe ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. Xenophon in Cyri pædia.

AGESILAVS Lacedæmoniorũ rex, iam ſũma ſenectute grauatus, ſæpe per brumam uiſus eſt diſcalciatus ac ſine tunica incedere, nullam aliam ob cauſam, quàm ut iam ſenex iuuenibus patientiæ daret exemplũ. Aelian. de Var. hiſt. & Vol. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

MASINISSA rex Numidiæ regni ſpacium ſexaginta annis emenſus, & ante omnes homines robore ſenectæ admirabilis eſt. Conſtat eum (quemadmodum Cicero refert de Senectute) nullo unquam imbri, nullo frigore, ut caput ſuum ueſte tegeret, adduci potuiſſe. Eundem ferunt aliquot horis in eodem ueſtigio perſtare ſolitum, nõ antè moto pede, quàm conſimili labore iuuenes fatigaſſet: ac ſi quid agi à ſedente oporteret, toto die ſæpenumero nullam in partem conuerſo corpore in ſolio duraſſe. Ille uerò etiam exercitus, equo inſidens, noctem diei plerunq; iungendo, duxit, nihilq; omnino ex iis operibus, quæ adoleſcens ſuſtinere aſſueuerat, quo minus in ſenectute ageret, omiſit. Veneris etiam uſu ita ſemper uiguit, ut poſt ſextum & octogeſimum annum, filium generaret, cui Methymato nomen fuit. Val. Max. lib. 8. cap. 14. & Diod. lib. 32. & Plin. lib. 7. cap. 48. Suidas filium ultimum uocat Stembam.

MITHRIDATES Ponti rex, qui XLII. annis cum Pop. Rom. bellum geſſit, ſtatura ingenti (ſicuti ex armorum forma, quæ delata Delphos ſunt, coniectatum eſt) ualetudine proſpera uſus, ad ultimum uitæ tẽpus equitabat, iaculabaturq;, & per mille ſtadia, diſpoſitis per interualla equis, una die diſcurrebat. Currus ſex & decem equis agitauit. Cælius lib. 29. cap. 17. Antiq. Lect.

C. IVLIVS Cæſar fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris uegetisq; oculis, ualetudine proſpera: niſi quòd tempore extremo repentè animo linqui, atque etiam per ſomnium exterreri ſolebat Suetonius.

TIBERIVS Cæſar, tempore principatus penè toto ualetudine fuit propè illæſa: quamuis à trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adiumento conſiliõue medicorum. Idem.

NERO Cæſar, licet luxuriæ immoderatiſſimæ eſſet, ter omnino per XIV. annos languit: atq; ita, ut neq; uino, neq; conſuetudine reliqua abſtineret. Idem.

CAROLVS Magnus ualetudine proſpera fuit, præter quòd antequam decederet, quadriennio crebris febribus corripiebatur: ad extremum etiam uno pede claudicauit. Cranzius lib. 2. cap. 7. Saxoniæ.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, etiam extrema ætate iuuenili facie, corpore omnium ſaluberrimo: quia neq; delicatus, neq; uorax, neq; bibax erat, ſed ut Homerici Heroes aſſis plerunq; ueſcebatur. Vnde nemo eum ructantem uidit. Si quando ex ſtomacho laboraret, totius diei exercitatione & ieiunio, uel exiguum faſtidium propulſabat. Die ad occaſum uergente, fruſto panis & modico uino corpus recreabat. Pharmaco [illegible] imperaſſit ſemel tantùm uſus eſt, idq; inuitus, hortatu medicorũ. Se omnis generis morbis uel annum integrum reſiſtere poſſe, aſſerebat. Nicetas lib. 2.

IOANNES Aragonum rex XVIII. ualetudine proſpera ſemper uſus perhibetur, niſi quòd octogenarius podagræ morbo laborauit, & oculorũ aciẽ per interualla debilem ſenſit. Eius per tot annos proſperæ ualetudinis præter naturam cauſæ tres præcipuę fuêre, mundities ſcilicet, cuius ſtudioſiſſimus erat, abſtinentia potus & cibi, & laboris uſus aſſiduus. Marineus lib. 12. rerum Hiſt.

MORBORVM ACQVISITIO, IN GENERE conſideratorum.

A. QVO. MORBI CONciliati, immiſſi à

Dæmone.

IOBVM, conſentiente Deo, dæmon ulcere peſſimo à planta pedis uſq; ad uerticem percuſſit deformauitq; tam fœdè direque ſatanas, tu in ſterquilinio ſedens miſerabiliter, saniẽ teſta abraderet, atrociq; excruciatus dolore, etiam mortem ſibi imprecaretur. Iobi 1.

In idolo Aſtaroth apud INDOS dæmon erat, qui ſe curare lãguidos, & cæcos, quos ipſe lædebat, illuminare profitebatur. Is D. Bartholomei mandato faſſus eſt primò corpus hominum à ſe lædi, uerùm in animas nullam ſibi cõceſſam eſſe poteſtatem, niſi ſacrificauerint. At ubi pro corporis ſui

F ſalute,

salute, inquit, sacra fecerint, tùc ab afflictione desinimus, quod in illorum animabus dominari incipiamus. Et quando à læsione quiescimus, eos curare uidemur, & uelut dij colimur, dæmones interim existentes. Abdias lib. 8. Certam. apost.

Apud RVGIANOS in urbe Karentina olim dæmonũ illusione primùm stupra hominũ prouocata sunt, & tandem illicò sub ipso spurcissimo actu detestabiliter punita. Siquidẽ mares in ea urbe cum feminis in concubitũ accitis, canũ exemplo cohærere solebant, nec ab ipsis diuelli poterant. Interdũ utriq; perticis è diuerso appensi, inusitato nexu ridiculũ populo spectaculum præbuêre. Ea miraculi fœditate solennis cultus statuis accessit: creditumq; est earum uirib. effectum, quod dæmonum erat præstigiis adumbratum. Saxo lib. 14.

Antonius Beneuenius lib. 8. de Abd. morborum causis ita scribit: MVLIER sextum decimum agens annum, ab ima uentris parte dolore exorto conuellebatur manibus. Cumq; in horrẽdum clamorem erumperet, intumescebat illicò totus uenter, adeò ut uterum crederes gestasse octo menses: & uoce exhausta, ubi per totum cubile hinc inde reiectans sese, & plantas interdùm ceruici connectens resiliebat in pedes, iterum procidens ac exiliens, isthuc ipsum identidem factitabat, quoad paulatim ad se reuersa, quoquo modo recrearetur. Interrogata quid egisset, penitùs ignorabat. Nos uerò eiusmodi morbi causas inquirẽtes, arbitrati sumus hoc malum ex matricis suffocatione, & uaporibus malis sursum elatis, ac subinde cor & cerebrum ferientibus, prouenire. Sed quum medicamentis nihil promoueretur, ea ferocior facta, ac toruis oculis circumspiciens, tandem prorupit in uomitum, quo longiores & recuruos clauos, æneasque acus, unà cum cera & capillis conglomeratis reiecit: & nouissimè ex ientaculo frustum tantæ magnitudinis, quale integrum nullius deglutiissent fauces. Cumque idipsum sæpius etiam uidente me factitasset, teneri eam arbitratus sum spiritu malo: qui dum hæc ageret, spectantium oculos perstringeret. Quare ecclesiasticis medicis commendata, manifestioribus deinde signis & argumentis rem comprobauit. Nam & nos eam uaticinantem audiuimus, & ea preterea agentem uidimus, quæ omnem morbi uim supergressa, humanum etiam captum excederent.

Commemorat Cardanus de Varietate rerum libro decimoquinto, probum quendam RVSTICVM & amicum, qui faciliùs decipi poterat, quàm decipere, sic ipsi narrasse, quòd morbo incognito plures laborarit annos: quo tempore excantationibus sæpius uitrũ, clauos & capillos euomuisset: & quanquàm demùm restitutus fuisset, tamen in eum diem quo hæc referret, sentire se in uentre asseuerabat maximam uitri confracti congeriem, sonumq; non leuem, quasi quis saccum uitri fragmentis plenum concuteret, à quo non parum uexaretur: tũ uerò singulis octodecim noctibus, septima hora, etiamsi horarum numerum nõ obseruaret, totidẽ ictus annis octodecim, quibus iam sanatus fuerat, in corde maxima cum molestia perferre.

In pago Leuẽsteet, sub duce Brunsuicẽsi, puella nomine MARGARITA, Henningi Achils filia, annum agens uicesimum, anno 1562. die diuæ Virginis uisitationi sacrę, calceos absterſura, cultrum extrahit, seque in humiliorem sedem demittit, propterea quòd uiribus diuturna febri consumtis imbecillior adhuc esset. Præter opinionem domum ingreditur uetula, num puellam febris etiamnum fatigaret rogãs, & quo modo sese ex morbo haberet? Responsum illi ut fuit à puella, rursum extra ædes nullo uerbo facto egreditur. Calceis mundatis cultrum in sinu deponit: qui quum postea studiosè ab illa quæreretur, horribili specie canem nigrũ sub mensa uentri incubantem animaduertit: qui eum fremitu dentes ostentans abiit. Mox puellæ uidebatur à capite uersus dorsum defluere quiddam tanquam humoris frigidi, cui etiam accessit animi deliquiũ, perdurauitq; ea uelut mortua sine sensu ad diem tertium: quo tandem nonnihil respirare cepit: & se certo certius scire affirmauit, cultrum illum, è sororis uagina à se extractum, in sui corporis latere sinistro defixũ hærere: eo enim in loco se dolorem persentiscere à quo ita exercebatur, ut totam incuruatam baculo inniti oportuerit. Post tres menses prominere cepit in sinistro latere supra lienem intra infimas duas costas spurias, uomica, oui ferè gallinacei magnitudine, & lunæ instar cuius incremẽto aut decessu uel intumuit, uel resedit. Tricesimo Iunij erupit ex ulcere tanta copia puris, ut tumor nonnihil sese remiserit, & inde cuspis uelut cultri apparuerit. Chirurgus ducis Henrici ex arce Vuolffenbüttel accersitus, cultelli cuspidem sub costis prominentem instrumentis traxit, & ulcus sanauit. Ioan. Vierus lib. 3. c. 12. de Præstigiis dæm.

In Flandria Antonio Suqueto Equiti ordinis Vellerei, consiliario in priuato consilio Brabantiæ, filius erat nothus, qui antequam uxorem duceret, familiaritatem cum altera, quę Saga credebatur esse, coluerat. Hæc PVELLÆ nobili, quæ amatori nupsit, inuidens, ita cum Satana egit, ut mulier iuuenis incesseretur à maligno spiritu, uexaretur in maxima frequentia, & quãuis obnitentib. uiris in altum attolleretur, & huc illuc proijceretur. Instante partu dum accerseretur obstetrix, Saga quã metuebat oderatq; mulier grauissimè ingreditur: mulier defecta animo & soporata corruit, fœtumq; paulo pòst eiectum sentit. Discedit Saga, accedit obstetrix, puerperam solam offendit, partus nunquam ex eo tempore uisus est. Creditum est uulgò Satanam in corpus feminæ ab inuidente Saga immissum esse: uerùm hoc non aliter quàm secreto Dei iudicio effectum est. Bodinus libro 3. Dæmonomaniæ, cap. 6.

Hominibus.

Iouius libro 4. pro suo in GALLOS odio, Vbi & quando cœperit morbus uenereus, inquit, diligentiores uestigabunt, & uerius nomen imponent: consensu certè multarum gentium Gallici cognomen tulit, ita ut ea natio inquieta & uehemẽs, quæ infestis armis felicitati Italiæ sæpius inuidit, & hoc quoq; pestilenti uulnere inflicto, sempiternam nobis odij sui memoriam reliquisse uideatur. Cęterùm Guicciard. lib. 2. & Bẽbus lib. 3. hist. Ven. & Sabell. lib. 9. En. 10. ab hac infamia Gallos uindicãt, & ab HISPANIS è nouo orbe Neapolim primùm importatum aiunt, subinde Gallis occupata Neapoli communicatum fuisse.

Brutis.

OEONVS Herculis consobrinus, Lycimnij Alcmenæ fratris F. cùm adolescentulus adhuc esset, cum Hercule Spartam uenit. Cumq; uisendæ urbis causa obambulans, ad Hippocoontis ædes fortè accessisset, in eum canis domus custos inuasit. At ille lapide canẽ percussit. Hippocoontis filij cursim egressi, puerum fustibus conficiunt. Hercules Hippocoontis filios armis adortus, uulnere accepto, se clàm periculo subduxit. Mox copiis cõparatis, patre & filio malè mulctatis, Oeoni cædem ultus est. Pausanias in Laconicis.

QVANDO MORBI noui, nuper orti.

Κάταῤῥος nouum morbi genus GRÆCIS, ætate Socratis. Plato lib. 3. de Rep. Vide Hier. Mercurialis lib. 1. cap. 1. de Gymnastica, ubi de nouis morbis præclara quædam.

Mentagra Tib. Claudij Cæsaris principatu primùm in ITALIAM per Perusinum quendam equitem Rom. irrepsit. Carbunculus ex Narbonensi Gallia in Italiam uenit, L. Paulo, Q. Marcio censoribus. Elephantiasis ante Cn. Pompeij Magni ætatem ROMÆ non accidit, & celeriter etiam restincta est. Sicut & morbus ille, quem Gemursam appellauère prisci, inter digitos pedum nascens, nomine etiam ipso oblitterato. Plinius lib. 20. cap. 1.

Circa NIVERNAM in Galliis, quo prima in Terram sanctam suscepta est expeditio, mirabile genus morbi innotuit. Tacti homines igne inuisibili ardebant, qui facilè penetrabat præcordia. Alij pedes, alij manus ea occasione præciderũt. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 15.

Sub Carolo Caluo Imp. serpsit in SAXONIA tumor linguarum, uindicante fortasse Deo, linguarum loquacium perniciosa uenena. Intumebat in ore lingua maximo dolore, nec ualebant medicorum ulla remedia, donec Bertholdus Mimigardeuordensis episcopus quintus, litanias & ieiunia populo indixit. Cranzius lib. 2. Metrop. c. 18.

Alexandri III. Scotorum regis anno XXXIV pestis SCOTIAM inuasit, morbus antea Scotis incognitus, magnaq; populum clade affecit. H. Boethius lib. 13.

Anno Christi 1486. sub Henrico VII. nouum morbi genus peruasit totum regnum ANGLIÆ, dira lues, & quam nulla sit tas antea, quod constet, perpessa. Subitò enim Sudor mortifer corpus tentabat, ac simul dolor caput stomachumque uehemẽti caloris ardore affectum angebat. Quo in morbo homines qui à principio erant, quia alij æstus minus patientes, si in lecto erant, stragula dimouebãt: si uestiti, uestes deponebant: alij sitientes frigidum potum sumebant, alij demùm patientes caloris fœtorisq;, nam sudor graue olebat, additis stragulis, sudorem prouocabant: æquè omnes aut illicò, aut non multò postquam sudare cepissent, moriebantur, ita ut ex omni ægrotantiũ numero uix centesimus quisque euaderet. Neq; ulla interim medicorum ars aut scientia quicquam opitulabatur, quòd morbi nouitas omnem illorum excluderet peritiam. Verùm post uigintiquatuor horas (tanto temporis spacio uis eius morbi durabat) abeunte sudore, nonnulli confirmabantur: non eo tamen ita expurgati erant, quin iterum atq; iterum in morbum reciderent, multique inde perirent. Post ingentem mortalium stragem, remedium promtissimum inuentum est: Si quis interdiu sudore corripiatur, cum uestitu protinus cubatum eat: sin noctu, & in lecto, tum quiescat, nec se è loco moueat, usq; ad uigintiquatuor horas exactas: interim ita se stragulis oneret, quò non prouocetur sudor, sed sua sponte molliter stillet;

ubi nihil capiat, si tamdiu famem tolerare possit, neque plus potionis consuetæ ac calfactæ hauriat, quàm modicè satis sit ad sitim extinguendam. Inter hãc curationem in primis caueat, ne manum quidem aut pedem sui refrigerandi recreãdiq; causa extra stragula proferat: quod facere lethale est. Morbus hic tantùm Angliam id temporis peruasit, & posthac sæpe grauiter afflixit. Polydorus libro 26. Sed anno Domini 1529. cùm æstas præcessisset humidissima, totam quoque peruagatus est Germaniam. Stumpfius, & Sleidanus libro 6.

HISPANI nouo orbe inuento, luis ueneræ, quã uulgò Gallicum uocant morbum, contagio infecti sunt. Et uicissim incolæ PERV & Indiæ ab Hispanis & Lusitanis Variolarum morbo contracto miserrimè perierunt. Vsqueadeò natura rerum & bona & mala uult communia. Lud. Bertomanus apud Petrum Ciezam Tomo 2. c. 29. rerum Indicarum. Guicciard. lib. 2. & Bembus lib. 3. hist. Ven. Sab. lib. 9. En. 7.

QVOMODO.

Crapula, Ebrietate.

☞ *Consule Tit. Crapulæ & Ebrietatis, quatenus ex his sibi morbos conciliant.*

DIONYSIVS iunior Syracusanorum tyrãnus ex crapula assidua lippus factus est.

Libidine, Venere.

De calamitate Gallici morbi ex nouo orbe per Hispanos Neapolim importati, inde per Gallos uictores in Italiã & Galliã dispersi, nostri seculi HOMINES iure queri possẽt, si in eos citra propriã culpã perueniret: propterea quod omniũ eorum cõsensu, qui huiusce morbi naturã sedulò explorarunt, cõpertũ est, aut nũquam omnino, aut perquã rarissimè, in aliquem, nisi ueneris contagione peruenire. Guicciard. lib. 2.

Osculo.

Mentagram osculo contrahi solitam ex Plinio liquet.

VALETVDINARII, MORBIS AFFECTI. QVI VEL pluribus morbis, uel eodem morbo sæpius diùtiue affliguntur.

Ἀλιτάρμοι, quasi salo marisue conspersi, dicũtur homines ualetudinarij, squallidi, similes mari, quod nec fructum, nec sementem profert. Eustathius in Odyss. 17.

Apud Platonem Socrates lib. de Repub. ex Aesculapij instituto EOS qui natura sunt ualetudinarij, & propterea Reip. inutiles, è medio excedere, & locum dare sanis iubet. In quã sententiam quoq; Euripides:

Exosus est mihi, quisquis producere
Vitam cupit dapibus, simulq; poculis,
Magorum & artibus deflectens riuulum
Deuitet ut fati: quem, cùm prosit nihil
Orbi, decebat emori, & facessere,
Dantem locum statim efflorescenti pubi.

Plutarchus in consol. ad Apollonium.

HERODICVS Selymbrianus, Hippocratis Coi præceptor, quum esset pædotriba & ualetudinarius, dum morbo suo, qui lethalis erat, accuratè inuigilaret, neque sibi tamen posset commoda & oportuna remedia adhibere, & omne tamen tempus in medendo consumeret, cæteris omnibus rebus prætermissis: uitam ita miserè tolerauit, seipsum excrucians, & in nouos subinde casus incidens, si uel tantillum à consueto uictu declinasset: ac proinde hoc pacto ægrè moribundus illa sua se sapientia sustinuit, & ad senectutem peruenit, commixta cum Gymnastice Medicina. Plato 3. de Legibus.

Fuit DEMOSTHENES orator à prima ætate gracilis & ualetudinarius, unde cognomen probrosum Batulum deridẽtibus corporis eius debilitatẽ pueris dicitur inuenisse. Fuit Batulus, ut quidam uolunt, tibicen effeminatus, ac fabellam huius rei causa eum mordens fecit Antiphanes. Plutarchus in Demosthene.

AVGVSTVS Cæsar graues & periculosas ualetudines per omnem uitam aliquot expertus est: præcipuè Cantabria domita, cùm etiam distillationibus, iecinore uitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationẽ medẽdi necessariò subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa. Quasdã & anniuersarias, ac tempore certo recurrentes experiebatur. Nã sub natalem suum plerunq; languebat: & initio ueris præcordiorum inflatione tentabatur: austrinis aũt tempestatib. grauedine. Quare quassato corpore, neq; frigora, neque æstus facilè tolerabat. Suetonius.

CLAVDIVS Cęsar infans relictus à patre Druso Germanico, ac per omne ferè pueritiæ atq; adolescentiæ tempus, uariis & tenacibus morbis conflictatus est: adeò ut animo simul & corpore hebetato, ne progressa quidem ætate, ulli publico priuatoq; muneri habilis existimaretur. Diu etiam atque post tutelam receptam, alieni arbitrij, & sub pædagogo fuit barbaro, & olim superiumentario, à quo quibuscũq; de causis quàm sæuissimè coercebatur. Idem.

TEMPORA MORBOSA.

Ἰσθμιάζειν olim dicebantur, qui parum cõmodè, parumq; saluбriter uiuerent, propterea quòd ISTHMIORVM ludorum tempus morbis esset obnoxium, ob ingentem hominũ conuentum. Suidas & Hesychius.

LOCA MORBOSA.

☞ *Locorum insalubritas ad Fortuita pertinet mala, respectu Possessionis. At hic quo ad Effectum inter Corporea numeratur.*

SARDINIA insula turbidi & pestilentis aeris causa, ob salis concreti copiam, & Austri uiolentiã, insaluberrima, maximè cùm Borealibus uentis, siue ob montium propriorũ altitudinem, siue ob Corsicæ uicinæ obiectum perflari nequeat. Pausanias in Phocicis.

ACADEMIÆ gymnasium Athenis suburbanum insalubri aere famosum fuit. In quo tamen ipso Plato philosophari uoluit.

MORBORVM CVRA IN GENERE.

QVI A QVIBVS curati. Vtpote ab

Deo, Sanctis.

INNOCENTIVS Aduocatus uicariæ præfecturæ, cùm ulceribus chironiis in ano laboraret, sinu quodam medicos latente, factum est, ut ad necessitatem secundæ sectionis deuentum sit. Quam cùm ille magis quàm mortem formidaret, orarunt pridie quàm secaretur pro illo Saturninus episcopus Vzalensis, uir sanctus, Gelosus presbyter, diaconiq; Carthaginensis ecclesiæ, inter quos Aurelius, qui postmodum fuit episcopus, prostrati in terram flentesque uberrimè. Aderat & ipse D. Augustinus cum fratre Alipio. Factum itaque est, ut manè sequẽti, dum medici adessent, ut, qui inter manus secantium moriturus existimabatur, absq; sectione sanus inuentus sit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. cap. 81. ex D. Augustino.

Cùm nuper Vzali (quæ colonia est Vticæ uicina) essemus, Petroniam clarissimam feminam, mirabiliter ex magno atq; diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore sanatã fuisse cognouimus, inquit D. Augustinus lib. 22. de Ciu. Dei, c. 8. Etenim à quodã Iudæo persuasa, anulum capillatio cingulo inseruit, quo sub omni ueste ad nuda corporis cingeretur: qui anulus haberet sub gẽma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quasi reme[redacted] cùm is æruginem hastæ derasam ulceri superimitet.

PROMETHEVM quendam Thessalum quum Lacydes Argiuorum rex uellet interficere, & tum fortè is phymate laboraret (tuberculum est id furunculo maius, rotundius atque planius) transuerberans ense persanauit. Io. Grammaticus, & Plu-

& Plutarchus, Quomodo quis ab inimico iuuari possit. Idē de IASONE Pheræo memorant. Similiter Smicynthes NICANORA ephippo percutiens, salutare intulit uulnus. Ex Seneca de Beneficiis secundo: Tuber TYRANNI quidam ferro diuisit, qui ad eum occidendum uenerat. Cælius libro 7. cap. 21. Antiq. Lect.

QVIBVS PRAESIDIIS.

Baptismo.

Gothos, qui in Thraciam irruperant, THEODOSIVS Imp. cum Gratiano multis magnisque præliis uicit, ac è Thracia expulit, anno Domini (iuxta Eusebij Chronicon) 382. Post uictoriam uerò, cùm Constantinopolim properaret, uenit Thessalonicam, ubi morbo subito correptus, ab Acholio Thessalonicensi episcopo baptizari postulauit. Episcopus accersitus primùm eum interrogauit, quam fidem profiteretur? Respondit Imperator, se eam amplecti & profiteri fidem, quam ecclesiæ in Illyrico, Ariano dogmate nondum infectæ, obseruarent: eam nimirum, quæ ab Apostolis iam olim tradita, & in Nicæna Synodo postea confirmata esset. Ita ab episcopo cupidissimè baptizatus, & à morbo liberatus est. Socrates libro 5. capite 6.

Sacris rebus.

Per quos dies sacrosancta Crux Ptolemaide anxiè conquisita nusquam comparuit: alia passi Domini monumenta miraculo mortalibus extitêre. Lutetiæ LVDOVICVM filium Philippi Augusti regis trimulum (rege in sacra expeditione absente) tanta uis inuasit morbi, ut animam agere, ac tantùm non expirare uideretur. Sacræ spineæ coronæ particulam eam, quæ ad ædem diui Dionysij asseruabatur, ac sacrum clauum obsecrationibus factis Lutetiam reuerentissimè attulit Mauricius Parisiorum pontifex, uir sanctus, ac corpori pueri admouit. Morbus depulsus, ualetudo restituta. Aemilius lib. 6.

ALEXIVS Comnenus Imp. cùm ægrotaret, & iam deficere uideretur, Saluatoris imagine est restitutus. Diuinum enim peplum in Chalce repositum, quod faciem Christi impressam habebat, ad lectum, in quo iacebat, expansum est, & ipsius corpus eo inuolutum. Itaque morbi uehementia remissa, surrexit, cibum sumsit, ac conualuit, morbusque desiit. Sed cùm parum constans uisa esset hæc ualetudinis recuperatio, ut populum uana suspicione liberaret, eques in forū descendit. Cuspinianus.

QVIDAM lethaliter sauciatus, gustata buccella panis à D. Bernardo consecrata, ualetudinem suam recuperauit. Is panis permultos annos incorruptus seruari poterat, nec colore, nec sapore mutato. In Tolosana prouincia MVLTI infirmi, gustatis quibus D. Bernardus benedixerat panibus, sanitatem receperunt. Quidam CIVIS Salernitanus aqua, qua manus lauerat D. Bernardus abbas, sanitati restitutus. Auctor uitæ.

Precibus.

☞ *Consule Iustitiæ religiosæ, Superstitionis quinetiam, locos.*

Magia.

Morborum curationes magicas & præstigiosas Io. Vietus lib. 4. de Præstigiis dæmonum recenset & confutat.

Suffumigiis.

SABÆI Arabes, qui regionem incolunt odoriferā, longa uexati ægritudine, cùm natura debilis, adeoque exhausta est, ut recreari nequeat, ex asphaltho hircíq; barba uapores faciunt, quò malus odor boni immensiq; uim nimiam infringat. Bona enim cum modo sumta, hominibus prosunt, & afferunt uoluptatem: sine mēsura uerò, & alieno tempore, inutilia redduntur. Diodorus lib 3. cap. 3.

Lectione historiarum.

ALPHONSVS Aragonum rex, Capuæ laborans aduersa ualetudine, medicis multa medicamenta adhibentibus, in grauissimo morbo, Quinti Curtij historias de Alexandri Magni rebus gestis descriptas legere cepit: cuius lectione delectatus, cùm omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus: Valeat, inquit, Hippocrates Imperator, Galenus Rex, Auicenna Princeps (hisce enim epithetis coryphæos suos medici exornare consueuerunt) uiuat Curtius, restitutor sanitatis meæ. Meminit Antonius Panormita de Reb. gestis Alphonsi, & Aeneas Syl. de eius dictis. Similiter quoq; LAVRENTIVS Medices historiarū lectione à morbo curatus. Sub Tit. Historiæ utilitas.

Contactu.

VESPASIANVS Imp. Alexandriæ quendam manu sideratū pede tactum sanauit. Alterum quendam cæcum saliuæ illitione percurauit. Suetonius, & Tacitus.

Pharmaco.

GLAVCVM præter omnium expectationem, gustato mellito pharmaco, reualuisse dicunt. Eamque rem in iocum popularem uersam fuisse. Quidam enarrant in hunc modū: Glaucus quidam poto melle, ob bilem penè exanimatus est. Ad hunc multis accurrentibus medicis, polyidos herba, quam draconem uocant, eum restituit. Eras. in Adagiis.

MORBI NON CVRATI.

☙ *Huc irritarum Curationum exempla pertinent, respectu Patientis: inter cuius bona corporea uti Ablatio morbi refertur, sic inter mala eiusdem, ablationis Frustratio. Sin Agentem consideres, ad artis Medicæ euentum pertinebunt.*

CAPITIS EXTERNI AFFECTVS. Cuiusmodi sunt

VVLNERA.

DAGOBERTVS Clotharij II. Francorum regis F. Austrasianos trans Rhenum duxit: utque indolem suam patri gentique probaret, cum Bertario Saxonum duce, prouincias Frācorum urente, pugnauit. Graue in capite uulnus accepit. Capillum cruore infectum Austrasiani ad patrem detulere. Ille ira percitus suorum delectu habito, in hostem irruit, Bertariumq; cum suis magna strage cecidit. Aemylus lib. 1.

TVMOR.

[redacted]

TREMOR.

CLAVDIVS Imp. lingua titubāte, capite quum semper aliâs, tum quantulocunq; actu uehementer tremulo fuit. Sabellicus libro 2. Ennead. 7.

CAPILLORVM Defluuium.

☞ *Caluitium inter Naturales affectiones libro Secundo retulimus.*

Extat Niciæ perelegās tetrastichon, quo ridetur nescio QVIS, uti apparet, tingendi capilli affectator summus: qui dum ei rei nimiū studet, effectum sit, ut uitiata cute defluxerint crines omnino, nec ullo medicamento succreuerint amplius: propterea turpiter nudato capite, ouum esse factum totum, facetissimè poeta hic cauillatur. Id est huiusmodi:

τὴν κεφαλὴν βάπτων τις, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς,
καὶ δασὺς ὢν λίαν, ὠὸν ἅπας γέγονεν.
τοῦτο βαφεὺς ἐβόησε, τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν,
μήτε κόμην λευκήν, μήτε μελαινομένην.

Cælius libro 29. capite 10. Antiq. Lect.

Accidit aliquando, ut Romanæ MVLIERES prurigine pestilenti laborarent: & cùm omnes raderentur, nulli eis usui pectines fuerunt. Sed uotis Veneri nuncupatis, receptisq; capillis, eam statua honorarunt, pectinē ferente, & barbata, quę & mascula & femina habeat instrumenta, quippe omnis generationis præses. Ac à lumbis quidem & supernè uirum dicunt, cætera feminam. Fingunt & equo insidentem: quòd Aeneas filius eius, cùm usq; ad occasum nauigasset, equo conscenso tali statua matrem sit ueneratus. Suidas, & Cælius lib. 29. cap. 18. Antiq. Lect.

De LYGIA, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Toto uertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Lygia, trima est.

In CHARINVM capillorum uitio laborantem, illudque prætextu otalgiæ lana obuelantem, Martialis Epigrammatum libro duodecimo:

Quòd lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

FA-

FACIEI AFFECTVS.

CONTVSIO. Huius

Acquisitio.

OLYMPIONICES quidam luctator cùm pugnando ita mutilatus esset facie, ut sibi planè dissimilis uideretur, hæreditate quoq; paterna excidit, quoniā frater imagine illius picta iam olim, corā iudice prolata, eū non esse fratrem suum conuicit. Dé quo sic Lucillius in 2. Epigr. Grecorum:

Οὗτος ὁ νῦν βέλτιστος ὀλυμπικὸς, εἶχε τὸ πρόσθεν
ῥῖνα, γένειον, ὀφρῦν, ὠτάρια, βλέφαρα.
εἶτ' ἀπογραψάμενος πύκτης, ἀπώλεσε πάντα,
ὡς ἐκ τῶν πατρικῶν μηδὲ λαβεῖν τὸ μέρος.
εἰκόνιον γὰρ ἀδελφὸς ἔχων προενήνοχεν αὐτοῦ,
καὶ κέκριτ' ἀλλότριος, μηδὲν ὅμοιον ἔχων.

Idem de STRATOPHONTE:

Εἰκοσέτους σωθέντα ὀδυσσέα εἰς τὰ πατρῷα,
ἔγνω τὴν μορφὴν Ἄργος ἰδὼν ὁ κύων.
ἀλλὰ σὺ πυκτεύσας Στρατοφῶν ἐπὶ τέσσαρας ὥρας,
οὐ κυσὶν ἄγνωστος, τῇ δὲ πόλει γέγονας.
ἣν ἐθέλῃς δὲ πρόσωπον ἰδεῖν ἐς ἔσοπτρον σεαυτοῦ,
οὐκ εἰμὶ Στρατοφῶν αὐτὸς ἐρεῖς, ὀμόσας.

Idem de APOLLOPHANE:

Κόσκινον ἡ κεφαλή σου Ἀπολλόφανες γεγένηται,
ἢ τῶν σητοκόπων βυβλαρίων τὰ κάτω.
ὄντως μυρμήκων τρυπήματα λοξὰ, καὶ ὀρθὰ,
γράμματα τῶν λυρικῶν Λύδια, καὶ φρύγια.
πλὴν ἀφόβως πύκτευε. καὶ ἢν τρωθῇς γὰρ ἄνωθεν,
τοῦθ' ὅτ' ἔχεις ἕξεις, πλέονα δ' οὐ δύνασαι.

Cura.

Thapsiæ NERO Cæsar claritatem dedit initio imperij, nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi cum thure ceráq;, & sequuto die contra famam cutem sinceram circumferens. Plinius lib. 13. cap. 22.

VVLNERA.

Apud Horatium scurra iocatur in SCVRRAM accepto conuitio minitantem capite moto, quum in fronte fœdam haberet cicatricem. Quid faceres, inquit, si cornu tibi non esset exectum, quum sic mutilus miniteris? Eras. in Adagiis.

M. ATTILIVM Regulum consulem captum Carthaginenses Romam miserunt, ut de permutatione captiuorum ageret. At is permutationem Rom. senatui dissuasit, quòd se uenenum tabificum hausisse diceret. Itaq; Carthaginem rediit. Carthaginenses eum in profundissimo carcere incluserunt: mox resectis palpebris splendidissimo soli exposuerunt: machinæ præterea, in qua undiq; præacuti stimuli eminebant, inclusum, uigilantia pariter & continuo tactu doloris necauerunt. Valerius Maximus libro 9. capite 2. Gellius libro 6. capite 4. Polybius lib. 1.

Gothicis bellis, constat ab hoste barbaro TRAIANO cuidam super oculi dextri partem sic adactum spiculum, ut mox collapso ligno occultaretur omnino ferrum, nec uim doloris ullam uulneratus persentisceret: quin anno demùm quinto citra molestiam prorsus promi spiculi summum cepit, atq; inde amplius emergens, liberum deniq; Traianum comparebat relicturum. Cælius lib. 11. cap. 13. A. L.

Quum Romanæ copiæ in agro Kesmarkensi, in Pannoniæ capite sito, ab Hunnis profligatæ ac cæsæ essent, & alter ducū Macrinus, fortiter redintegrato prælio occubuisset, THETRICVS Macrini collega fronti infixa sagitta, saucius cum his, qui superfuerant, euasit, truncumque sagittæ, quem excutere nequiuerat, in senatum usq; Romanum retulisse fertur. Bonfinius lib. 3. Dec. 1.

HALDANVS Borcari Daniæ ducis F. pòst Danorum rex, cum parente primitias ingressus militiæ aduersus Russos piraticam agentes, deuictis hostibus, trophæa retulit non uulgaria. Sed in congressu uulnus faciei accepit, quod nulla medicinæ artis peritia potuit in integrum restitui, adeò excrementa carnem putrem alebant, ut deformitatem oris insignem faceret. Cranzius libro 2. Daniæ, cap. 8.

OCVLORVM AFFECTVS.

VTROQVE oculo priuati.

☞ *Consule Tit. Cæcorum. illic Actionis Lesæ, hìc Instrumenti ablati ratio habetur.*

LVDOVICVS Bosonis filius, Burgundiæ rex, cùm in Italiam aduersus Berengarium II. Imp. descendisset, ab eo prælio superatus ac captus, ut insigne Berengarij humanitatis testimonium extaret, liberatus est: iureiurando promittēs, se Berengario uiuo, in Italiam amplius non rediturum. Sed cùm ipse pro accepto beneficio ingratus, haud multo pòst cum ingētibus copiis Italiam repeteret, prope Veronam captus, quia se ipse fide priuarat, oculis à uictore erutis, lumine quoq; priuatus est. Fulg. lib. 9. cap. 6.

Albericus Marsorum episcopus, ab Othone Magno Imp. ius monasterij S. Angeli de Barregio, quo ad uiueret, impetrauit: quo defuncto, ad Cassinenses ut rediret, inter ipsos conuenerat. Cæterùm Albericus filio suo Cassinense monasterium ut impetraret, cū Capuanis agit, ut ABBATEM Cassinensem oculis priuent, promissa ingenti pecuniæ summa. Ergo Abbatem in urbem iuris dicundi causa inuitant, interposito iuramento saluum & incolumem se ipsum ad S. Benedicti monasterium perducturos. Abbas Capuam ueniēs, in monasterium S. Benedicti quod Capuæ erat introducitur, ibiq; uinculis iniectis, oculis priuatur. Quos linteolo inuolutos per legatos ad Albericum ferri curarunt Capuani. Chronicon Cassinense lib. 2. c. 4.

IO. Zisco Hussitarum dux, grauiter ferens arcem Rabij, quam nuper occupauerat, ab aduersariis esse interceptam: castris è regione arcis collocatis, ad arborem pyrum substitit, ut militum operam specularetur, qui ex arce telorum multitudine repugnabant. Vnus illorum bombarda pyrum illam adeò concussit, ut frustillatim dissiliret, & fragmine minuto alter Zisconi oculus, quem reliquum habebat, excuteretur. Dubrauius lib. 26.

ALTERO oculo priuati. MONOCVLI. Coclites. LVSCI.

Acquisitio.

☞ *Hic Membrum tanquam organum uel ablatum, uel corruptum, consideramus. Paulo pòst de Facultatis uisiuæ læsione acturi.*

ISRAELITIS dexter oculus effossus fuit, à rege Ammonitarum Naa, ne sagittas & iacula collineare possent.

CANDACE Aethiopum regina, altero capta oculo fuisse dicitur. Volat. lib. 18. Anthrop.

PHILIPPVS Macedonum rex, in expugnatione Methonis Magnesiæ urbis, ab Astere milite sagitta percussus, dextrum amisit oculum. Vnde & Aristides ipsum hoc scōmate ridebat, Arimaspis cognatus es. Arimaspi enim, populi sunt monoculi. Plin. lib. 7. cap. 37. & Iustinus. Plutarchus uerò inquit, quosdam scribere, Philippum cùm per rimam ostij uxorem uidisset cum dracone concumbētem, eum oculum ob Deū conspectum amisisse.

ANTIGONVS rex Macedoniæ potentissimus, in oculi sui cladem ludere solebat. Allato namque instrumento prægrandibus scripto literis, ταυτὶ μὲν καὶ τυφλῷ δῆλα, id est, Hæc quidem uel cæco perspicua sunt, inquit. Plutarchus in Symposiacis. Sed idem Theocritū Chium, cui etiā iureiurando interposito parsurus fuerat, occidit, propter scomma intempestiuum. Cùm enim ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis, ac spem pollicentibus, quòd omnino clementiam regis experturus esset, simulatq; ad eius oculos peruenisset, respondit: Ergo impossibilem mihi dicitis spem salutis. Macrob. lib. 7. c. 3. & Plut. lib. 2. Conuiu. quæst. 1.

HERMIPPVS Atheniensis, poeta insignis, & frater Myrtili, altero captus oculo. Suidas.

LYCVRGO Lacedæmonio, seditione ob mutatam Rēp. orta lapidibus impetito, Alcander iuuenis in iurgio oculum, respicienti, baculo excussit. Quā iniuriam non modò non inique tulit, uerūetiam adolescentem ad suppliciū pertractum domi suæ perhumanè & sapienter instituit. Plut. in Laconicis, & Lycurgo. Stobæus serm. 17.

TIMON Nicæus, in quēdam omnia mirantem, ita lusit: Quin & illud miraris, quòd quum tres simus, quatuor habemus oculos? Timon enim luscus erat, unde & Cyclops dictus est: & discipulum habebat luscum DIOSCORIDEM. Socrates apud Platonem. Laert. lib. 9. c. 12.

ANTIGENES Philippi F. Philippi Macedonis, pòst etiā Alexandri miles, iuuenis etiamnum, cùm Philippus Perinthum obsideret, intorto ex catapulta in oculum suum telo, non priùs pugnam remisit, quàm pepulisset intra murum hostes. Plut. in Alexandro, & Diod. lib. 17.

DYOCEVS claudus & luscus, omniq; ex parte corporis deformis describitur à Iustino lib. 3.

Horatiorum antiquissimus COCLES, id cognomentum assecutus, quòd in prælio oculū amiserit. Ex quo Plautus seruum, qui altero captus erat oculo, nobilem, ac de Coelitum familia appellauit. Plutarchus in Poplicola. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. & Liuius.

Victis ad Trebiam Romanis, ANNIBAL superatis Apennini iugis, per Ligures ea uia, qua ad paludes ac planitiem fluminis Arni est iter, in Hetruriam descēdit. Arnus uehementius excreuerat per eos dies, atq; omnes circum adiacētes cam-

pos aquis inundauerat. Itaque ingens hominum ac iumentorum iactura facta. Ipse dux, etsi elephãto, qui unus superfuerat ex multis, sublimis ueheretur, plures tamẽ dies ac noctes aeris intemperie uigiliisq; confectus, alterum amisit oculum. Auctor eius uitæ.

Q. SERTORIVS in pugna alterum oculum amisit, eaq; orbitate tanquam perpetuo fortitudinis testimonio, quod secũ assiduè circumgestaret, gloriari solebat. Plut. in eius uita.

MARIVS Rom. exul, à Sertorio ex Hispania in subsidium Mithridati missus, altero oculo captus, ad Granicũ captus est. Edixerat autem ante certamen Lucullus militibus, ne quẽ luscum interficerent, quò probris & cõtumeliis uexatus necaretur. Plut. in Lucullo.

SERVI sui oculum stylo excusserat Imp. Hadrianus, factique pœnitens potestatem dedit seruo quodcunq; munus pro ea iactura petendi. Tacebat miser ille. Tandem instanti uehementiùs Hadriano respondit, Nihil se aliud petere: optare uerò oculũ quem amisisset, cui nec Midæ opes conferri possent. Galenus de Cognosc. animi morbis.

De PHILÆNIDE, Martialis Epigram. lib. 12.

Quàm sit lusca Philænis indecenter,
Vis dicam breuiter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

Et rursus de EADEM lib. 4.

Oculo Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

In LÆLIAM, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Dentibus atq; comis, nec te pudet, uteris emtis:
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

ACACIVS orator, socius Libanij sophistæ, unico tantùm uidit oculo. Vnde μονόφθαλμον uocabant. Volater. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

ALBERTO I. Imp. Conradus Saleburgensis episcopus hostis uenenum propinari curauit. Medici regem in caput inuerterunt, machina ad hoc ingeniosè fabrefacta, ut continuò uomeret, non tamen suffocaretur. Exclusum est itaque uenenum per os, per nares, per oculos: uisq; eius tanta fuit, ut alterum ei oculum corrumperet. Vnde Monoculus rex dictus est. Cuspinianus. At Stumpfius Albertum ueneno potionatum, consilio Medicorum oculum sibi exsculpi curasse, scribit, ut per uulnus uenenum euacuaretur.

EDELFREDVS Saxo Northũbriæ rex in pugna contra Aidanum Scotorum regem oculum amisit. H. Boethius lib. 9.

SVATOPLVCVS Boemorum princeps contra Vngaros Morauiam populantes mouens, dum noctu saltum transit, ut prima luce improuisus Hungaris superueniret, ramus arboris à præcedente equite laxatus, læuum Suatópluco excussit oculum. Dubrauius lib. 10.

VENCESLAVS III. Boemorum rex, dum inter uenandum parùm cautus in ramum obuium impingit, alterumq; amittit oculum, monoculus deinceps pro Othogaro nuncupatus fuit. Dubrauius lib. 16.

Bello Prussico, quod fratres Teutonici contra Borussos, qui se Polono dediderant, gessere circa an. sal. 1458. Commẽdator de ELBINGEN, multis stratagematib. hostes fefellit & superauit: uir luscus, sed qui unius oculi iacturam pectoris prouidentia compensaret. Cranzius lib. 12. Vuandal. c. 23.

IOANNES II. Vuagriæ Comes in Holsatia, qui Erici regis Danorum uiduam duxerat, sedebat ad mensam in arce Kilonis. Inter ioca plurima morio quidam exasperatus ab adolescentibus, qui de more seruiunt nobilitati, osse proiecto, comitem altero lumine exoculauit. Cranzius libro 8. Saxoniæ, cap. 40.

FEDERICVS Vrbinas altero oculo captus, tam æquo animo cæcitatem tulit, ut in seipsum interdum iocatus sit. Pontan. lib. 2. cap. 8. de Domestica fortitudine.

PETRVS abbas Claræuallensis graui ualetudine uexatus, oculum amisit, & se gaudere dixit, quòd è duobus inimicis alterius molestia iam liber esset. Marulus lib. 5. cap. 4. & Sabellicus lib. 5. cap. 7.

Curatio.

PHILIPPVS Amyntæ, Macedonũ rex, in oppugnatione Methones urbis Magnesiæ, alterũ oculum sagittæ ictu amisit. Critobulus medicus eius uulneris curatione magnã est famã adeptus, quòd extracta ex regis oculo sagitta, citra oris deformitatem, curasset luminis orbitatem. Sab. lib. 3. En. 4.

VVLNERA OCVLORVM.

Gal. 1. de Sympt. causis 1. PVERI meminit, cui cũ stylo pupillæ locus esset pũctus, aquosus humor profluxit, & pupilla minor est reddita, tũ tota cornea apparuit rugosior. Cæterũ sanatus postea rectè uidit, magna omnium cũ admiratione, collecto scilicet paulatim in eo, qui effluxerat, humore.

OPHTHALMICI, Lippi. Lippitudinis

Acquisitio.

LIA Labanis F. Iac. patriarchæ 1. uxor, oculis lippa. Gen. 29.

Ex trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas duo, EVRYTVS & ARISTODEMVS, feruntur ob extremã lippitudinem è castris ab Leonida rege remissi, & in Alpenis decubuisse. At cõmunicato inter se consilio, cùm liceret aut salutẽ sibi parare, aut unà cum aliis occumbere, cùm inter se discreparẽt, Aristodemus quidẽ præ ignauia remansit, Eurytus uerò audita Persarum per montem circuitione, petiit arma, & duce seruo ad pugnantes deductus, dato in Persas impetu, occubuit. Aristodemus Lacedæmonem reuersus, probro & ignominia notatus est: probro, quòd eum nemo neq; igni, neq; alloquio impertiuit: ignominia, quòd Aristodemus fugax appellatus est. Verùm postea hic omnem sibi obiectam culpam, in pugna apud Platæas gesta, deleuit. Herod. lib. 7.

DIONYSIVS iunior Syracusanorum tyrannus, ex perpetua crapula lippus factus. Theopompus lib. 40. Hist.

Vt auctor est Liuius de bello Macedonico, quum PHANEAS legatus Philippum Macedoniæ regem uiolentius in Aetolos dicentem interfatus dixisset, Rem in uerbis nõ uerti, aut bello uincendum, aut parendum melioribus: Philippus respondit, Apparet id quidem etiam cæco. iocatus in ualetudinem oculorum Phaneæ.

SEX. CLODIVS rhetor è Sicilia, Latinæ & Græcæ eloquentiæ professor, malè oculatus fuisse dicitur, familiaris & præceptor M. Antonij Triumuiri. Cicero in Philip. & Suetonius.

HORATIVS Flaccus uariis in locis lippum se fuisse docet, ut Satyra quinta: Hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere. Item: Lusum it Mecœnas, dormitum ego, Vergiliusq;. Namq; pila lippis inimicum & ludere crudis. Augustus Cæsar cùm inter Vergilium Maronem, qui ubiq; suspirabũdus obseruatus est, & Horatium, consedisset, rogatus à quodam amicorum, quidnam ageret? Sedeo, inquit, inter suspiria & lacrymas. Sabellicus.

Sub Hunerico Vandalorum rege orthodoxis Christianorum episcopis miraculis clarescentibus, Cyrola Arianorum episcopus cacozelia motus, HOMINEM conduxit, qui innatam se prætereunte cæcitatem simulans, opem eius imploraret in hanc sententiam: Quæso te beatissime Cyrola, religionis nostræ antistes, ut edas exemplum gloriæ ac uirtutis tuæ, meosq; adaperias oculos. Accedit ad eum Cyrola, hæreticus, & admotis manibus ad oculos cæcum se mentientis, Secũdùm fidem, inquit, nostram, qua rectè in Deum credimus, aperiantur oculi tui. Ad quæ uerba dolor tantus oculos illius inuasit, ut digitis ui comprimere eos, ne creparent, cogeretur. Gregor. Turonẽsis lib. 2. c. 3. Ergo tandẽ detecta fraude Cyrolæ, precibus orthodoxorum dolore liberatus est.

De POTORE quodam idem Epigram. lib. 6.

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroq; lippus:
Huic dicit medicus, Bibas caueto
Vinum: si biberis, nihil uidebis.
Ridens Phryx, oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit uenenum.

Arlottus plebanus Florentinus, Florentinas naues in Angliam comitatus, Londini missa finita, calici sacro aquam infudit, & ANGLIS uolentibus oculos perfricuit (quod genus remedij ea gens contra lippitudines singulare putat esse) illud singulis lingua Italica insusurrans, Beuete meno, che il mal pro ui faccia: Bibite temperantes, intemperãtes pœnam luite. Ex crapula enim, non ex aeris subtilitate id uitij illis contingere coniectabat. Rex Edoardus hominis facetia delecta tus XXX. illũ coronatis aureis & uestib. donauit. Auctor uitæ.

Curatio.

Aesculapij fanum Naupacti à fundamentis olim erexit uir priuatus PHALYSIVS. Ei aliquando grauiter ex oculis, & fere usq; ad cæcitatẽ laboranti, qui Epidauri colitur deus Anyten misit, nobilẽ uersib. faciendis feminã, cũ tabulis obsignatis. Eas per uisum in quiete mulier sibi accipere uisa fuerat: sed uero euentu res est comprobata: tenuit enim manibus iam uigilans obsignatas tabulas. Naupactum igitur cùm appulisset, iubet Phalysium amoto signo literas inspicere. Ille primò putare literas à se aspici non posse, qui oculis captus esset. In spẽ deinde erectus, salutare sibi fortasse aliquid ab Aesculapio apportari, tabulis resignatis, in ceras aspexit, & simul se oculorum calamitate leuatũ sensit. Et Anytæ quidẽ, quæ ei in illis tabulis scripta fuerat, pecuniam expendit, bis mille numûm aureorum. Pauss. in Phocicis.

Ex oculis PAVSON quidã laborabat. Adstitit illi per noctẽ Aesculapius, iussitq; apri pinguedine aceto liquefacta inungere oculos. Is cũ rẽ cũ suo medico cõmunicasset: ille causas afferre conatus est. Nã acrimonia aceti sisti tumorẽ, pinguedine uerò paulatim inungi & ali oculos. Hinc prouerb. Aesculapius Pausonẽ & Irũ, & quẽuis aliũ inopẽ sanauerit. Suid.

M. SERVILIVS Nonianus princeps ciuitatis Rom. in metu lippitudinis, priùs quàm ipse eam nominaret, aliúsue prædiceret, duabus literis Græcis P & A chartã inscriptã, circũligatã lino, subnectebat collo. MVTIANVS ter consul, eadem obseruatione uiuentem muscam in linteolo albo: his remediis carere ipsos lippitudine prædicantes. Plin. lib. 28. cap. 2.

Paulus Diaconus, libro 2. de gestis Longobardorum, cap. 9. tradit, FELICEM & FORTVNATVM oculorum dolore uehementi cruciatos, ad altare Martini sese contulisse, ibiq; in oleo lucernæ, quæ cineribus Martini erat accensa, paululum intincto digito oculos illeuisse: quo facto, uisum recuperarint.

PVERO quodam continuas effundente lacrymas, quæ nulla cõsolatione uel arte medica curari poterant, D. Bernardus, cùm priùs puer suorum peccatorum cõfessionem edidisset, solo osculo morbum sustulit. Auctor uitæ lib. 1. cap. 12.

De se AVENZOAR Albumaron medicus scribit: quòd oculo laborans, cui remedium non inueniebat, per quietem uisus est sibi medicum, non multò antè mortuum, tanquã uiuentem se alloqui, & ab eo remedia audiuisse, quibus liberaretur. Quæ sequutus, liberatus est. Fulgos. lib. 1 c. 5.

Ad MVLIERCVLAM quandam oculorum lippitudine aliquandiu laborantem, casu nebulonẽ diuertisse narrant, qui sanationem oculorum certissimam pollicitus, suspensa in ipsius collo schedula, tam cauit strictè, ne ea auferretur, aut aperiretur, aut legeretur, ut nihil hinc prorsus expectandum iuuamenti asseruerit, si aliquo hîc modo delinqueretur. Mulier in multam erecta spem confidens, à lacrymis se quoq; continuit, quibus antea oculorum accrescebat malum: atq; hac ratione paulatim conualuit. Demùm ob adeptam sanitatem schedula negligenter habita decidit: eiusq;, cui hactenus unicè fidebat, animaduersa dein iactura, redeunt lacrymæ, malumq; recrudescit. Schedulæ interim ab alio inuẽtæ, reseratæ & lectæ, inscripta Germanico idiomate hæc aiebãt fuisse uerba: Diabolus eruat tibi oculos, & foramina merda sua repleat. Vierus lib. 4. cap. 15. de Præstigiis dæmonum.

PETRVS Ramus Veromanduus Lutetiæ literis operam dans, ex immodicis uigiliis in ophthalmiam incidit. Iacobus Syluius, summus alioqui medicus, ex Hippocratis aphorismo, Oculorum dolores meri potio soluit, uino generosissimo uti hominem iussit. Cuius haustu ita creuit malum, ut uix tandem multis remediis extingui potuerit.

STRABI.

THERSITES omnium Græcorum, qui ad Troiam nauigauerant, deformosissimus, altero oculo strabo fuisse dicitur. Homerus lib. 2. Iliados.

MENANDER Atheniensis, Diopithis & Hegesistrates F. celebris apud omnes nouæ Comœdiæ poeta, strabis quidem oculis, sed acuto ingenio fuit. Suidas.

ROSCIVS Gallus obliquis oculis depingitur à Cicerone de Oratore.

CAECI, EXCAECATI. VISVS ablatus.

QVI CÆCI, VEL EXCÆCATI.

Reges.

SESOSRIS, uel (ut alij appellant) Sesosis, Aegyptiorum rex potentissimus, & bellicosissimus, post multas res egregiè gestas uisum amisit. Diod. Sic.

Huius filius PHERON cùm patri in regno successisset, eodẽ oculorum casu afflictatus est, siue propter communem patris naturam, siue ob impietatẽ in Nilum, in cuius uortices medios, cùm supra decem & octo cubitos agros transcendisset, spiculum contorsit, statimque oculis captus esse dicitur. Herod. lib. 2.

ANYSIS rex Aegyptiorum cæcus fuit, ex urbe Anysi. Herodotus libro secundo.

LYCVRGVS à Thracibus (quib. imperabat) excæcatus est, quòd feminas quasdam sequentes Bacchũ simulata cum deo amicitia interfecisset. Diodorus.

PHINEVS, Agenoris & Cassiopeæ filius, uel Agenoris & Phœnicis, uel, ut Apollodorus, Neptuni, Paphlagoniæ rex, cùm optionem haberet, ut uel cæcus diutissimè uiueret, uel post exiguũ tempus moreretur: cæcus consultò à Sole factus, ab Agenoris temporibus usq; ad Argonautarũ nauigationem uixit. Sophocles Cleopatrã illius uxorem fuisse narrat, Boreæ & Orithyiæ filiam, è qua Phineus duos filios Crambim ac Orythũ, uel Thynum & Mariandynum susceperit. Postea repudiata Cleopatra, Idæã Dardani Scytharũ Regis duxit. Ab ea adolescentes accusati, quòd stuprũ nouercæ obtulissent, & à patre capitis damnati, tandem ab Argonautis, cognita illorum innocentia, multis barbarorum cæsis, & ipso etiam rege obtruncato, liberati sunt. Non defuerunt, qui ob eam accusationem oculis captos fuisse adolescentes inquiant. Indignatus Neptunus, ob eam crudelitatem illum etiam cæcum fecit, & Harpyias immisit. Alij à Ioue excæcatũ & perpetua fame discruciatum aiunt, cùm Iouis canes Harpyiæ uel ex ore comedentis cibum eriperent. Acusilaus Argiuus, quia, cùm uates esset, Iouis ac Deorum arcana mortalibus patefecisset, his suppliciis addictum scripsit. Ad quem profecti Argonautæ, perbenignè accepti, pro præmio monstrati itineris in Colchidem, & pro liberalitate hospitali, alatos Boreæ filios cum sagittis miserũt, qui Harpyias à mensa Phinei depellerent. Quas cùm ad Plotas usq; insulas, quas alij Echinadas uocant, insecuti fuissent, atq; inde ad Argonautas iterum reuertissent, quòd illæ iurassent se non amplius Phineum infestaturas, insulæ dictæ sunt Strophades. Apollonius libro 2. Argonauticorum. Natalis Comes Mythol. libro 7. capite 5.

CONSTANTINVS VI. Iconomachus cũ matre Irene peregrè profectus, nũcio accepto, natũ sibi filium, matre relicta, festinauit Constantinopolim. Mater filiũ exosa, simul dominãdi libidine mota, duces donis ac promissionibus onerat, ut filiũ iugulent. Assensere omnes, detestati regis crudelitatẽ, qui ante annos quinq; Nicephorum patruum ob affectatum imperium excæcauerat, aliosq; lingua priuauerat. Idcirco dum filium nuper natum, cui Leonis indueratnomẽ, pater infelix lugeret, festinantes in regiã solum capiunt, & oculos effodiũt. Ille maternæ cõtumeliæ impatiẽs, pro luctu & mœrore expirauit. Paulus Diacon. Sigebertus, & Zonaras.

IOANNES Boëmorum rex cæcus, pro Gallis aduersus Anglos pugnans fortiter occubuit.

IOANNES Zisca Boëmus Trosnouiensis, post Vẽceslai regis mortẽ utroq; oculo amisso, Sigismundum Imp. Boëmiæ regnũ hæreditario iure repetentẽ, cum exercitu Cruce signatorũ in fugã cõpulit. Orta inter Boëmiæ proceres & Pragensem populũ discordia, ab aduersariis pulsus, ubi se in locũ, quẽ animo reb. agendis designauerat, perductũ intellexit, in hostes se cõuertit, in fugã eosdẽ cõiecit, Pragã obsedit: & quoad superstes uita fuit, Boëmiæ rerũ potitus est. Fulg. li. 3. c. 2.

Duces.

BELISARIVS præfectus Iustiniani Imp. deletis Vãdalis, acto de Persis triũpho, Italia à Barbaris non semel liberata, propter prosperos successus Imp. formidolosus & suspectus factus est, ac propterea ab eodẽ oculis priuatus. Quo facto tuguriolum in uia frequenti sibi statuit, ubi uictum à prætereũtibus mendicabat, his uerbis: Viator da obulum Belisario, quẽ uirtus extulit, cæcauit inuidia. Procopius, & Crinitus lib. 9. c. 6. Volater. lib. 23. Anthrop. Fulg. & Egnat. lib. 5. c. 3.

Politici.

APPIVS Claudius, Cæcus cognomine, mentis oculis pacem cum Pyrrho patriæ inhonestã fore præuidens, eam magno animo & felice euentu dissuasit.

CN. AVFIDIVS prætorius, in cæcitate sententiam in senatu dicebat, nec amicis deliberãtibus deerat: Græcam scribebat historiam, & uidebat in literis. Pontanus lib. 2. cap. 8. de Fortitudine domestica.

C. DRVSVS cæcus fuit: tamen domus eius implebatur consultoribus, qui in suis causis cæcum adhibebant ducem. Valerius de Studio.

Sacri homines.

ELI sacerdos summus Israelitarũ, 98. ann. cæcus fuit. 1. Reg. 4.

PYGMENIVS presbyter Romanus cæcus gaudere se dicebat, gratiasq; Deo agere, quòd inimicos Ecclesiæ & præcipuè Iulianum apostatã non uideret. Marul. li. 5. c. 4. & Sabel. li. 5. c. 7.

MAIOLVS Cluniacensis monachus cæcus, sapientiæ tamẽ & sanctitatis merito factus est abbas Maticensis. Ibidem.

OTILIA uirgo cæca, ob hoc ipsum corporis uitiũ à patre ad necem postulata, à Deo uisum recepit & in patris gratiam rediit. Marul. lib. 5. cap. 3.

AVDOMARVS præ senio cæcus, dũ precibus præsentiũ episcoporũ & meritis Vedasti illuminatus esset, ægrè ferẽs se liberatũ esse à cæcitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissã esse gaudebat, rursus ad uotũ suũ excæcatus est. Sigebert. in Chron.

BEDA Venerabilis Anglus, ob senectutem cæcus, cùm in templum ingrederetur, quidam irridendi causa frequentem populum adesse dixit, qui eius concionem auidè expectaret. Credidit bonus senex, & suggestum ascendens, cõcionatus est. Tandem cùm peroraret, & diuina Trinitate implorata conclusisset, Per secula seculorum: lapides respõdere, Amen Venerabilis presbyter. Corius in Iustiniano.

CONSTANTINVS, Paulo pontifice mortuo, subitò ex laico sacerdos ordinatus, tyrannica ambitione pontificatum inuasit: ubi cùm Ecclesiæ Christi scandalo esset, tandem per zelum fidelium ab ecclesia deturbatus, oculisq; priuatus est. Sigebertus in Chronicis.

IOANNES XVII. Pont. à Crescẽtio cõsule in locũ Gregorij V. creatus, cũ Otho III. Imp. Gregoriũ affinẽ restituturus Romam cum exercitu ingressus esset, effossis priùs oculis, pontificatu simul & uita priuatus, Gregorio undecimo mense, postquam pulsus fuerat, in pristinã sedem restituto. Platina.

CALLINICVS patriarcha, qui Iustinum III. Imp. cepit, & in exilium in Pontum misit: uicissim captus ab eodem, opera Terbellis Bulgarorum regis, effossis luminibus Romam relegatus est. Volaterranus lib. 23. Anthropologię. ex Sigeber.

Hildesemensis episcopus BERNARDVS cùm ferè per annos decem cæcus fuisset, renunciauit pontificatui: & cessit Brunoni decano. Cranzius lib. 6. Metrop. c. 41.

HEROLDO archiepiscopo Salisburgensi ab Henrico Boiorum duce oculi effossi, quòd per Vngaros Bauariam horribiliter, saltem propter pallij dignitatem ereptam, uastasset. Auentinus lib. 4. & 5.

Orta inter Iouem & Iunonem ludicra quæstione, utri scilicet maior esset libido, uiróne, an fœminæ: TIRESIAS Thebanus iudex electus, quum pro Ioue sententiam tulisset, dixissetque mulierem esse lasciuiorem, ab irata Iunone excæcatus est. Indignatus Iupiter, cæcitatem uaticinio pensauit. Ouid. in Ibin:

Qualis erat, pòstquàm iudex de lite iocosa
Sumtus Apollinea clarus in arte senex.

Idem lib. 3. Metamor.

OPHIONEVM, Messeniorum uatem, Pausanias in Messenicis scribit, semper à natali statim die luminibus captum, & priuatim & publicè uaticinia peregisse, & post uehementem capitis dolorem uidere cœpisse, ac mox relapsum ad cęcitatem denuò.

Docti homines.

Inter POETAS cæci plurimi fuisse connumerantur. Artemidorus in Somniis rationem affert, quòd cùm summo studio poetæ nitantur, in contemplando crebrò oculis conniueāt atq; claudant: aut etiam, quòd lucubrationibus assiduis oculorum aciem uehementer lædunt. Somnium cæcitatis ingruentis, in poetis bonum esse omen asserit Gyraldus in 2. dialogo hist. Poet.

In Messenia urbs est Dorium: in qua THAMYRIDI, Argiopæ nymphæ Parnassi incolæ & Philammonis filio, oculorum calamitatem contigisse, uersibus testatum suis Homerus reliquit, quòd scilicet Musas ipsas cantu se superaturum fuisset gloriatus. At Phoacensis Prodicus pœnas Thamyri suæ in Musas petulantiæ apud inferos propositas scripsit. Ego uerò ex morbo luminibus captum Thamyrim crediderim, cùm idem etiam Homero acciderit, qui tamen infortunio non succubuit, neq; iccirco quę instituerat non perfecit. At malo uictus Thamyris prorsus desijt carmina facere. & in Messenia Balyra amnis est, sic dictus, quòd Thamyris in eum lyram abiecit. Pausanias in Messenicis.

XENARCHVS è Seleucia Ciliciæ Peripateticus, qui Alexandriæ docuit, Arrij primùm philosophi, deinde Cæsaris Augusti usus amicitia, paulò ante mortem uisu orbatus est. Strabo lib. 14.

DIODORVS Stoicus post uisum amissum, ut Cicero refert, multò etiam magis assiduè quàm antea in philosophia uersatus est, cùm & fidibus Pythagoreorum more uteretur, & quod fieri posse uix uidebatur, Geometræ munus tueretur. Pontanus lib. 2. cap. 8. de Fortitud. domest.

ANTIPATER Cyrenaicus mulierculis quibusdā cæcitatem ipsius deplorantibus: Quid agitis, inquit? an nobis nulla uidetur uoluptas nocturna? Nocte omnes cæci sumus, nec tamen lamentamur. Habet animus quo se delectet, etiam occlusis sensibus. Responsum Antipatri conueniebat feminis, omnia uoluptate metientibus. Cic. lib. 5. Tuscul.

ASCLEPIADES nobilis philosophus interroganti cuidam, Quid incommodi ei cæcitas attulisset? respondit, Vt puero uno ambulem comitatior. Erasmus lib. 8. Apoph.

NICOLAVM quendam cæcum describit Pontanus libro 2. capite 7. de Fort. domestica, qui festis diebus, Etruscis numeris aut sacras historias, aut annales rerum antiquarum è suggestu decātare solitus erat, ad quem doctorum hominum, qui Florentiæ tum multi erant, concursus fiebat.

LIPPVS Florentinus, oculis orbatus, animo acutissimè uidit, cùm assiduè rhetorum & philosophorum auditoria nō paruo cum fructu frequentaret. Pont. lib. 2. c. 8. de Fort. domest.

A QVO. A

Natura. Ab ortu.

CEDONIVS unus ex discipulis Christi, cæcus natus est. Rauisius.

SALABERGA puella ex agro Lugdunensi (quæ temporibus Dagoberti Francorum regis uita & sanctitate floruit) cæcitatem ab utero matris attulit. Rauisius.

In LEPIDORVM familia Romæ tres, intermisso ordine, obducta membrana oculo geniti sunt. Plin. lib. 7. cap. 12.

Spectro.

Narrat Gregorius in Dialogo, cùm EPISCOPVS Longobardus, id est Arrianus, Spoletum uenisset, ædem, in qua sacris operaretur, à Catholico episcopo flagitasse. Illo uerò daturum se abnuente, Arrianum se postridie accessurum, atque Basilicam beati Petri apostoli per uim occupaturū, esse minatum. Quod ubi æditus sensit, continuò ædem occlusit, serasque obiecit, ac lampades omnes, postquam aduesperauit, extinxit, seque ædis in penetralibus abdidit. Postridie manè Arrianus ad ædem cum armata multitudine uenit, eo animo, ut si clausas ianuas inuenisset, postes effringeret. Ecce autem ubi accessit, repentè omnes simul ianuæ patuerunt, atque uniuersæ sua sponte lampades exarserunt. Ipse subitò luminib. captus, alienas inter manus ad hospitium est reductus. Quam rem ubi Longobardi ex Ducatu Spoletano nouerunt, ultrò manus inde à Catholicis templis abstinuerunt. Sigonius lib. 1. reg. Ital.

Herodotus in Erato ait, ERIZELVM Atheniensem in pugna Marathonia contra Datim ducem Persarū, cùm quendam augusta forma coram se in aduersa acie uidisset, & hostem, quem comitari uidebatur, occidisset, luminibus captū fuisse, neq; saucium ulla corporis parte, neq; ictum. Plutarchus in Parallelis Polyzelum appellat.

Seipso.

OEDIPVS ubi agnouit se Iocastæ matri concubuisse, & patrē Laium dedisse morti, sceleris horrore oculos sibi eruit. Ouid. in Ibin. Seneca in Oedipo.

Hostibus.

SAMSONI oculi effossi à Palæstinis. Iudicum 17.

SEDECIAS Iudæorum rex ex urbe fugiens obsessa à Nabucodonosoro, comprehensus cum filiis, & in conspectum regis adductus, cùm filios suos coràm occidi uidisset, tandem excæcatus, & in carcerem detrusus periit. 4. Regum 25.

LVDOVICVS Imp. Rom. dū Berēgarium, Foroiuliensiū ducem, imperium Italiæ affectantem acie uicisset, apud Veronam fisus uictoria, securior esse cœpit. Sed cùm minùs circumspiceret, insidiis captus, castratus & excæcatus est. Cranzius lib. 2. cap 23. Metropoleos: & Sigebertus, & Volat. li. 23. Verùm alij affirmant, errorem in nomine esse. Nam Ludouicum, filium Bosonis, regis Prouinciæ, accersitū fuisse in Italiam: quem Berengarius tanta crudelitate deformarit.

Basilius II. Imp. uictoria cōtra Samuelem BVLGARORVM regem potitus, XV. millia captiuorum adducta ad se excæcauit, uno è singulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret: de hinc omnes iussit ad propria reuerti. Cuspinianus è Zonara.

Hospitibus.

POLYPHEMVS Neptuni ex Thosa filius, cùm duos Vlyssis comites deuorasset, & ab ipso Vlysse simulata amicitia uino fortissimo inebriatus esset, unico, quem habebat in fronte, oculo ignito sude priuatus est. Fabulam habes apud Homerum lib. 9. Odyss. Vergil. lib. 3. Aeneid.

Mulieribus.

POLYMNESTOR rex Thraciæ, cùm Polydorum Priami & Hecubæ filium, fidei suæ tempore belli Troiani creditū, auri (quod ille habebat) cupiditate occidisset: indignata mater Hecuba, eidem per simulatam amicitiam euocato oculos eruit. Ouid. in Ibin. Euripides, & Plut. in Paral.

Amasiis.

In Sicilia ex Mercurio & Nympha puer natus in laurorū sylua, appellatus est DAPHNIS. Educatus à Nymphis, boū pecora multa possedit armēta: à quorū cura Bubulcus dict⁹ est. Cū esset ingenio acri, studiumq; plurimū gubernandis bobus impenderet, carmen Bucolicū, quod etiā nunc usq; à Siculis in precio habetur, inuenit. Tradunt insuper illum in Dianæ gratiam uenandi studio impendisse operā, camq; fistula & cantu bucolico apprimè oblectasse. Huius amore captam Nymphā (Echonaidem uocat Parthenius cap. 29. Eroticōn) prædixisse illi tradunt, si cui alteri iungeretur, se illum uisu priuaturā. Ergo pòst quadam regis filia ab ebrio stuprata, oculis captus fuit. Diod. lib. 4. cap. 14.

Parentibus.

Rex Thracū Bysaltiorū, cùm Xerxes Græciæ bellū inferret, aufugit in montē Rhodopē. Sex uerò suis FILIIS cōsulebat, ne contra Græciam arma caperent. At cùm illi patri morem non gessissent, reuersis omnibus oculos eruit. Aelian. de Varia histor. lib. 5. & Herod. lib. 8.

Irene imperatrix rerum potita, filium CONSTANTINVM VI. Iconomachū, in potestatē redactū excæcauit. Egnatius.

BERNARDVS rex Italiæ, conspirationis contra Ludouicum Pium Imper. accusatus, reusque maiestatis iudicatus: priùs oculis, deinde regno, tertiò uita quoque priuatus est. Sigebertus in Chron.

Filijs.

MVLEASSES rex Tunetanus à filio Amida qui defecerat, regnumque inuaserat, excæcatus candenti scalpello. Sab. supplementum lib. 27. ex Iouio.

Soceris.

VALERIVS Bestius, dum Ruscium L. Imbrici soceri sui filium, fidei suæ creditum, cupiditate auri interfecisset, ab ipso postea Imbrico correptus & excæcatus est. Plutarchus.

BARDAS Sclerus, cùm rebellaret Basilio Romanorum Imp. cuius filiam duxerat, oculis orbatus est. Volaterranus libro 23. Anthrop.

Fratribus.

ISACIVS Angelus Imperator, ab Alexio fratre (quem prius magna pecunia à Turcis redemerat) excæcatus est, & in carcerem coniectus. Egnatius. Volat. lib. 23. Anthrop.

ALMVS ab fratre Colomanno Vngariæ rege excæcatus, & ab huius filio Stephano II. rerum potito in Thraciam relegatus est. Vbi à Græco Imperatore honorificè exceptus est, & Constantius cognominatus: quum singulari constantia propriam miseriam tolerare uideretur. Quinetiam pagis ac oppidis in Macedonia donatus, Constantinam ciuitatem ædificauit: quam eò confugientibus Vngaris, aut amicitiæ gratia, aut tyranni metu, compleuit. Bonfinius lib. 6. Dec. 2.

Boleslai II. Boemorum ducis filij duo, alter BOLESLAVS III. qui patri successit, à Meschone Polonorum principe, alter IANVRES ab Vdalrico fratre, regnandi cupidine excæcatus est. Aeneas Syl. cap. 18. Hist. Boem.

VAREMVNDVS, Minius & Phronilla, Ordonij Gothorū regis filij, cùm in necē Alphōsi Magni fratris, qui imperiū defuncto patre sibi arripuerat, cōspirassent, ab eodē fratre oculis orbati sunt. Ritius Neapolitanus lib. 2. Reg. Hispaniæ.

ALPHONSVS IIII. Hispanorum rex, cùm regnasset lustro, mensibusq; septem, iurauit in uerba Christianæ religionis, Ordonio filio, quem susceperat ex Imena, superstite, cui cognomentum Malo fuit: regnumq; Raymiri germano dimisit. Sed cùm paulo pòst eum facti pœnitētia subiisset, captus à Raymiro fratre, effossis oculis luce priuat⁹ est. Ritius Neapolit. lib. 8. de Regibus Hispaniæ.

Dominis.

SCYTHARVM serui omnes lactis gratia à dominis excæcātur. Herodotus lib. 4.

Hirundinibus.

TOBIAS Nephthalensis, inter captiuos Niniuæ, cùm hirundinum, quæ supra lectum illius nidificarant, stercus calidum in oculos dormiēti incidisset, excæcatus est, & per quatuor annos cæcus mansit, oborto argemate: sanatus tandem felle piscis à Raphaele angelo. Tobiæ 2. & 11.

QVOMODO. EXCÆCATI A

Sole.

DEMOCRITVS physicus luminibus se priuauit, ut intentiùs omnia contemplaretur. Dignus sanè, qui plus unus uiderit quàm uniuersa Græcia. Nihil enim est in toto mundo, de quo scribere illi cura non fuerit. Sab. lib. 2. cap 1. Cicero lib. 5. Tuscul. quæst. Gell. lib. 10. cap. 16. Laberij poetæ uersus hac de re affert elegantes sub persona senis auari, qui omnē pecuniam sese absumturū minabatur, ne filio suo prodigo aliquando bene esset: & suo proposito Democriti excæcationem accommodat:

Constituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere ut posset splendore æreo, ita radiis
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Esse ne uideret ciuibus. Sic ego
Fulgenti splendore in pecuniam uolo
Lucificare exitum ætati meæ,
Ne in re bona uideam esse nequam filium.

MVLTI, dum solis eclipsim intentis spectant oculis, uisum amisere. Gal. lib. 10. de Vsu part. cap. 3.

Igne.

Cùm Constantinus Rom. pontifex FELICEM Rauennæ archiepiscopum ordinasset, is uerò pontificem sperneret, Iustinianus Apsimarus Theodorū patritium ex Sicilia cū classe misit: qui Rauēnates bello uictos maximis affecit cladib. & Felici archiepiscopo catenas iniecit, eumq; cum multis ciuibus Constantinopolim relegauit. Quem Imperator candēs uas æneum diu inspicere cogens, lumine orbauit, damnatumq; exilio relegauit in Pontum. Blondus lib. 10. Dec. 1.

Palæologus Imp. IOANNI Lascari ignito crepitaculo (ἠχείῳ πυρωθέντι) uibrato, adussit oculos, ut paulatim uisus extingueretur. Pachymerius.

HENRICVS Dandulus, Sebastiani Ziani ducis tempore missus Constantinopolim orator ad Manuelem Comnenum principem, Veneto nomini infestum: quum aliquanto liberiùs publicam causam ageret, in grauissimum Manuelis odium incurrit, ut tandem illi candelas igneas oculis obiecerit, quibus lumen oculorum penè integrum amisit. Egnatius libro 6. capite 2. At capite 6. splendidum lebetem oculis obiectum esse asserit.

Niue.

Xenophontis MILITES è Perside redeuntes, per multam niuem iter facientes, oculis læsi fuerunt. Galenus libro decimo, de Vsu part. cap. 3.

Gypso.

Dionysius tyrannus si QVOS usu oculorum priuare uellet, è carcere obscurissimo in domum superiorem splendidissimam, gypso illitam, deduci curabat, ut lucis splendidæ occursu repentino & conferto excæcarentur. Gal. lib. 10. de Vsu part. cap. 3.

Aetate.

IACOBVS patriarcha præ senio cæcutiebat, ita ut filios Iosephi, quibus bene precaturus erat, uidere non posset, sed tangebat tantùm. Genes. 48.

TIMOLEON Corinthius, Siculorum libertatis uindex, ætate iam grauior, amisit uisum. Neq; pauci ex illius familia referuntur, qui emarcescente ex senio lumine orbati fuere. Alij bello etiamnum cum Hippone Messenæ & Mamerco Catanæ tyrannis flagrante, aciem eius uitiatam glaucomate fuisse aiunt, omnibusq; patuisse, imminere ei cęcitatem: nec ideo tamen obsidionem cum soluisse, sed in bello perseuerantem tyrannos cepisse. Plutarchus in Timoleonte.

Q. ASCONIVS Pedianus Patauinus, qui sub Nerone cōmentarios in Ciceronis orationes scripsit, 73. ætatis anno cæcus factus, duodecim superuixit, quibus de pristino studio nihil remisit, quinimò historias eo tempore discipulis suis dictauit. Bernard. Scardeonus in hist. Patauina, ex Eusebio. & Cælius lib. 11. capite 13. Antiq. Lect.

Somnio.

P. CORN. Ruffus, M. Curij in consulatu collega, dormiens oculorum uisum amisit, quum id sibi accidere somniaret. Plinius libro septimo, capite 50.

Inflammatione.

HOMERVS Troiani belli scriptor, cùm è Tyrrhenia rediret, ductus à mercatore Mente nomine, apud Ithacā in oculorū morbum incidit, & Mentori hospiti familiari suo se curandum tradidit. Conualescens, Colophonē profectus, ibidem rursus in eundem incidens morbū cęcus effectus est, & cùm priùs Melesigenes diceretur, lingua Ionica Cumis ὅμηρος dictus est. Iones enim cæcos ὁμήρους uocāt, per metathesin, ἀπὸ τοῦ μὴ ὁρᾶν. Plut. & Herod. Ouid. in Ibin, apum aculeis excæcatum scribit: & Pontanus de Stellis lib. 5 confirmat.

DIDYMVS Alexandrinus, uir doctissimus, puer cùm grammaticam disceret, suborta repentè inflammatione cæcus factus est. Studio tamen discendi oculorum cladem uicit, ita ut eruditissimus euaserit. Socra. libro 4. cap. 25. & Sozomenus lib. 3. cap. 15.

Lacrymis.

FARA uirgo (quæ sub Heraclio Imperatore floruit) dū ab Hagerico patre ad nuptias compelleretur, in tantas prorupit lacrymas, ut inde cæcitatem contraxerit. Rauisius.

Sagitta.

IO. ZISCA Boëmus humili loco natus, multa ui animi & corporis Hussitarum dux, amiserat oculum unum in pueritia, dum inter æquales luderet. Altero in obsidione Rabi urbis sagitta ictus priuatus est. Sed neque oculo utroque cassus imperio se abdicauit. Sequebantur eum ingentes copiæ, ab eoque non Boëmi tantùm, uerùm etiam Teutones magnis cladibus affecti sunt. Is moriturus cū rogaretur de suo corpore, quid fieri mandaret: Pellem, inquit, mortuo demite, relictoque feris cadauere, ex ea tympanum facite, quo in præliis utamini. Nam ut hostes uiuentis aspectum non ferebant, ita mortui strepitum non ferent. Aen. Syl. lib. 3. Com. in Panor. & cap. 44. hist. Boëm.

CVR. OB

Sacra contrectata, euulgata, profanata.

ILVS, quum in Troia Mineruæ templum arderet, demissum cœlo Palladium eripuit, statimq; oculis captus est. Postmodum placata ira deæ, pristinum recuperauit uisum. Dercyllus apud Plutarchum in Parallelis.

Q. METELLVS Macedonici pater orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio, cùm Palladium raperet ex æde Vestæ, memorabili causa, sed euentu misero. Itaq; à Senatu pro munere ei datum est, ut curru in senatū ueheretur. Plin. lib. 7. c. 43. & Liuius lib. 19. De eo sic Plutarchus in Parallelis: Metellus unus procerum, cùm peteret suburbium, interpellatus est à coruis, qui alis uerberabant. Is trepidans augurium repetiit urbem. Qui cùm ædem Vestę cerneret flagrantem, rapto Mineruæ simulacro luminibus orbatus est. Verùm pòst placata dea uisum recuperauit. Ita Aristides Milesius in rebus Italicis.

THEODECTES Phaselites propter uulgatos libros sacros Iudæorū, cæcitate diuinitùs ꝑcussus est: & uix tandē multorū dierū supplicatione & precibus Deum Opt. Max. placare potuit. Ex Aristea, Iosephus. lib. 12. Antiq. & Eusebius.

APPIVS Claudius, cùm Potitiorum sacra (quę in Herculis honorem fiebant) pacta mercede ad seruos transtulisset, ira numinis excæcatus est. Potitij, qui ex ea supererant familia, breui omnes periēre. Viguit nihilominus ingenio Appius.

Rexit numerosam familiam senex & cæcus: rexit quoque, quod maius est, rempublicam Rom. & turpem pacem cum Pyrrho suis dissuasit. Plut. in Pyrrho.

Sacrilegium.

Milesia Ceres, Mileto ab Alexãdro Magno capta, MILITES, qui templum spoliaturi irruperant, flamma obiecta, priuauit oculis. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

FRANCOS à Pipino Floriacum missos, ut ossa Benedicti in Cassinense cœnobium reportarent, cùm ingressi essent templum, excæcatos uirtute Benedicti, & re infecta reuersos esse, ac censuisse non æquum esse, ut Gallia tam sanctis ossibus priuaretur, scribit Sigebertus anno Domini septingentesimotertio. Vincentius lib. 23. cap. 155.

Blasphemiam.

ANCHISAM Bocaccius cæcum fuisse scribit, ex Seruij testimonio, ac propterea Troianorum consiliis non interfuisse. Cæcitatem autem contigisse ei, quòd gloriaretur se cum Venere concubuisse.

STESICHORVS poeta, quum Helenam suis carminibus infamasset, excæcatus est. Vbi tamen palinodiam cecinit, recepit uisum. Politianus in Nutricia: Et damnans Helenam, laudansque uicissim, Amittit recipitq; oculos tuus Himera ciuis Stesichorus. Ex Suida.

Impietatem.

Bariesum ELYMAM magum Iudæum Paulus priuauit lumine oculorum, eo, quòd Cypri proconsulem Sergium Paulũ à fide auertebat, & Apostolis uerbum Dei prædicantibus resistebat. Actorum 13.

Perfidiam.

RASTRIX Sclauorũ princeps, cùm fidem uiolasset, à Ludouico Germanorum rege excæcatus est. Sigebertus in Chron.

Ignauiam.

PHOCAS dux, qui pedestrem exercitum contra Simeonem Bulgarorum regem duxit, eo quòd turpis fugæ auctor fuisset, oculis priuatus est. Sigeber. in Chron.

Libidinem.

Aiunt Hero puellam fuisse, Oenopionis & nymphæ Helices filiam, eamq; ipsam ab ORIONE Hyrei filio adamatã, petitamq; à parente eius Oenopione: eiusq; gratia insulã cicurem factam esse, quæ tum feris multis erat referta, nimirum quum magnam prædam ipsarum à se captarum pro donis sponsæ offerret. Verùm Oenopione semper nuptias differẽte, quòd eum sibi generum adsciscere dedignaretur, Orionem ex ebrietate amentẽ factum, thalamũ effregisse, in quo puella cubabat: atq; ob id factum ab Oenopione oculi illi sunt eruti. Parthen. de Amat. cap. 20.

Imperij æmulationem.

Constantinus Copronymus Imperator, ARTABASDVM primæ nobilitatis hominem, Imperatorẽ ab orthodoxis creatum, biennio pòst captum, oculorum uisu cum liberis priuauit. Egnatius, & Sigebertus.

Constantinus Imp. Leonis & Irenes filius, NICEPHORVM imperatorij stemmatis hominem (in quem suffragia multorum inclinabant) oculorum & linguæ usu priuauit. Egnat.

VAZVL patruelis Stephani Vngariæ regis excæcatus à Gysla secunda regis uxore, per Seban Budæ F. ꝙ cũ rex, immatura morte sublato filio Emericô, regni successorẽ statuere uellet: cũ illa mallet, ut Petrus Stephani ex sorore nepos, & Gulielmi F. Alemanico genere natus, regnum assequeretur. Bonfin. lib. 1. Dec. 2.

Robur suspectum.

PETEDEVS Longobardus Rosimundæ & Helmichis adulteri consilio Alboinũ Longobardorũ regẽ occidit, & Rauennam primùm, inde Constantinopolim fugit. Ibi cũ ingentẽ leonẽ in arena confecisset, à Iustino Imp. uires tantas suspectas habente excæcatus est. Bonfin. lib. 8. Dec. 1.

CAECITATIS CVRATIO.

QVI CVRATI.

Episcopi.

SEBASTIANVS, Strigoniẽsis metropolitanus, nescio quo casu cæcus effectus erat. Eius officium, Pontificis permissu Astricus Colociensis episcopus suppleuit. Tertio pòst anno, instauratis luminibus, in pristinã is dignitatem à Romano pontifice restitutus est. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

Principes.

MIECISLAVS Polonorum princeps cæcus natus, anno septimo, quo prima coma pueris gẽtili ritu attõderi, & nomẽ imponi solebat, absq; ulla medicorũ, aut cuiusquam omnino ope, uisum recepit. Cromerus lib. 2. & 3.

Puerperæ.

In primo Græcorum Epigrammatum de MVLIERE cæca curata tale carmen extat:

πηρὸς ἄπαις, ἢ φέγγος ἰδεῖν, ἢ παῖδα τεκέσθαι
εὐξαμένη, δοιῆς ἔμμορεν εὐτυχίης.
τίκτε γὰρ εὐθὺς ἄελπτα μετ' οὐ πολὺ, καὶ τριπόθητον
αὐτῆμαρ γλυκερὸν φέγγος ἴσειδε φάος.
ἄρτιμις ἀμφοτέροισιν ἐπήκοος, ἥτε λοχείης
μαῖα, καὶ ἀργεννῶν φωσφόρος ἢ σελάων.

A QVIBVS. A

Deo.

Cæcos DVOS sanauit Christus Matthęi 9. & ne cuiquam hoc diceret præcepit. Bethsaidę CÆCVM manu eduxit extra uicum, in oculos eius expuit, & manũ imposuit bis. Matth. 16. Marci 8. CÆCVM à natiuitate Hierosolymis in Scenopegię festo, lutũ oculis illinẽs, sanitati restituit. Ioan. 9. Ascendens Hierosolyma, paulò ante passionẽ suã, CÆCVM in itinere sedentem, & opem suam inclamantem, prope Hiericho urbem sanauit. Matthæi 20. Marci 10. Lucæ 18. Egressus è Hiericho, BARTIMÆVM, Timęi F. cęcum mendicum, Marci 10. Item alios duos cæcos Matthæi 20, illuminauit.

LEO Pont. Rom. Caroli Magni tẽpore quum pompã in agendis supplicationibus per urbẽ duceret, ad sancti Syluestri ædẽ, à Paschali primicerio, Pampuloq; presbytero, quorũ turpissimã uitã uerbis sæpe corripuerat, pontificis insignibus exuitur, & lingua cum oculis priuatur. In diui Erasmi cœnobiũ delatus, Albini cubicularij opera, in D. Petri basilicã relatus, in eo cœnobio linguã & oculos diuina ope recepisse fertur. Sigebertus anno 799. & Bonfinius li. 9. Dec. 1. Sed Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. nihil nouit de præcisa lingua, & expresse dicit, uisu eum non esse planè orbatum.

SPEM abbatẽ, sanctimoniæ fama celebrẽ, oculis captũ fuisse, in Dialogis Gregorij traditur, & XL. tandẽ anno uisum diuinitus recuperasse, audisseq; sibi dictũ, uti proxima monasteria inuiseret, & fratribus perfectiùs uiuendi præcepta daret. Eo functus officio, postquam ad suos rediit, in fratrum cœtu psallens expirauit. Ab ore morientis columbam exisse, & ad cœlum euolasse ferunt. Marulus lib. 5. cap. 4.

Angelis.

TOBIAM uirum sanctissimum, dum supinus dormit, stercus de nido hirundinum cadens excæcauit. Nihil tamen eo contristatus dicitur, sed gratias egisse Deo. Ob quam patiẽtiam anno à cęcitate sua quarto, uisum recepit angeli ministerio: & rursum gratias Deo agens: Ipse, inquit, castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Ex Tobiæ 2. & 3.

Dæmonibus.

ILVS, quum Iliacæ Mineruæ templum arderet, cursu cõcitus, demissum cœlo Palladium eripuit, statimque oculis captus est: haud enim mortalium lumine cerni licet. Postmodum placata ira deæ, pristinum recuperauit uisum. Dercyllus in libro Aedificiorum, apud Plutarchum in Parall.

METELLVS homo patricius, suburbanum suum petens, ubi Vestæ templum incensum uideret, accurrit, ac Palladium ex incẽdio eripuit, statimq; oculis captus est. Sed postmodum deæ ira placata, uisum recuperauit. Ex Aristide Milesio de rebus in Italia gestis, Plutarchus in Parallelis.

Sacris hominibus.

Turonensis lib. 2. cap. 3. dicit, CYROLAM episcopũ Arianum Dei ultione execęcatum, cùm pœnitẽtiam egisset, & facinus suum confessus esset, ab Eugenio episcopo Carthaginense curarum esse hac forma precationis: In nomine patris, & filij, & S.S. ueri Dei, quem trinum in una æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.

D. Bernardus Brenæ cæcam FEMINAM stipem mendicantem prætereriit. Eam aliquantulũ intuitus dicit: Tu argentum petis, & Deus tibi uisum donabit. Cumq; eã tetigisset, uisum protinus recepit. In Germania, in agro Constantiensi, circa uicũ, quem uocãt Doinguent, uno die undecim CÆCOS, mancos decẽ, claudos octodecim curauit. Treueris DVÆ sorores, quatuor annis oculorũ lumen amiserant. Quarum utriq; cùm crucis signum impressisset, protinus ipsum secutæ sunt. Auctor uitæ.

D. Genouefa MATREM ad sacra ituram comitari uolebat. Ita mater contra suum præceptum id à filia fieri, colaphum ei impegit, & mox cæcitate percussa est. Nono pòst mense filiam orat, ut è proximo puteo aquam sibi pro lauandis oculis afferat. Paret illa, matrisq; miserta, Deum pro illa exorat, ut lucem restituat. Nec mora, lustrata crucis signo aqua, materni oculi aperti sunt. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

Augustinus Anglorum episcopus à Gregorio Pontifice in Britanniã missus, cùm Iesum Dei filiũ asseruisset, in certamẽ cũ idolorũ pontificibus uenit. Qui cùm miraculis certare contenderent, CÆCVM quẽdã in medium producunt. Pro eo ut uisum reciperet cùm diu suis diis frustra supplicassent, tãdem Augustinus Christum suum deprecatus, sine cunctatione hominem sanum reddidit, & reliquam plebem conuertit. Marul. lib. 2. cap. 8. & Polyd. lib. 4.

LVCILLA uirgo, filia Nemesij tribuni, cæca fuit primò. Demum

mùm à Stephano pontifice recepit uisum. Sub Valeriano passa est. Volaterranus.

ISFRIDVS Raceburgensium Vuandalorũ episcopus, quum circuiret cœmeterium cum processione, uidit CÆCVM sedentem secus uiam, & mendicantem: quẽ adspergens aqua benedicta, uersiculum illum dixit propheticũ, Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Et statim cæcus est illuminatus, & uisum recepit. Cranz. lib. 6. Metrop. c. 40.

Principibus.

Hadriano Imp. grauiter laboranti cùm mulier quædã diceret, per quietẽ à diis se monitã, ut eum hortaretur, ne sicut morbi tædio uidebatur constituisse, se occideret; quoniã breui ualetudinẽ recepturus esset: MVLIER ipsa, quia principis ualetudo in tempore dictis non respondebat, se excæcauit. Denuò etiam monita, ut Adriani genua oscularetur, & aqua quæ in templo erat, oculos lauaret, statim uisum recepit. Similiter QVIDAM à natiuitate cęcus è Pãnonia profectus, tacto Adriano, oculorũ lumen recepit & Adrianus ad pristinam bonam ualetudinem restitutus. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

QVOMODO.

Verbi diuini auditione.

SAVLVS persecutor ecclesiæ, cęcitate affectus per triduũ, quã primũ Ananiæ uocẽ audiuit, delapsis ex eius oculis quibusdam ueluti squamis, uisum recepit, & baptizatus est. Act. 9.

Baptismo.

OTILIA Vdalrici F. cæca à natiuitate, in baptismo recepit uisum, ab Erhardo Episcopo Treuerẽsi. Mũsterus in Cosmog.

Hunerico rege Vandalorum sæuiente contra orthodoxos, FELIX quidam Carthaginensis cæcus, sæpius in somnis monitus, ad Eugenium episcopum accessit, & uisum sibi restitui petiit, cuius spes sibi in somnis à Deo facta esset. Detrectare id Eugenius, se peccatorẽ fateri, neq; suarum id uiriũ esse. Importunè tandem instantem cæcum ad baptisterium duxit: ibiq; ingenti cum gemitu ardentissimas effudit preces: mox ita compellauit cæcum: Iam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego sum. Sed q te dignatus est uisitare, præstet tibi secundùm fidem tuã, & aperiat oculos tuos. Simul crucis uexillo oculos eius consignauit, & cęcus uisum recepit. Victor lib. 2. Vandalicarum persecutionum.

Precibus.

ALGARVS regulus, Cuthredo regnante, Fridesuidam ducis Didani filiam, uirginem Oxoniensem, ad stuprũ cogere uolens fugientem persequitur. Illa se protinus in oppidum recipiente, ei porta clauditur, lumenq; oculorum eodem momento adimitur. Verùm mox uirgo suis precibus Deum Algaro placauit, qui rursus uisum recepit. Polyd. lib. 4.

MEZELINDIS femina incomparabilis pudicitiæ ab Ardenio amatore petita, & uariis cruciatibus affecta, etiam pro persecutore, ob crimen Dei nutu obcæcato, ita orauit, ut eius precibus homini scelesto & intemperanti lux tandem sit reddita. Platina in Dono pontifice.

NAVTVLPHVS puer natura cæcus, precibus sancti Senoch uisum recepit. Gregorius Turonensis.

Anno Domini 658. AVDOMARVS cæcus, ad preces episcoporũ & abbatum uisum recepit. Quod cùm ęgrè ferret, propterea quòd pro sua salute cæcitatem sibi immissam existimaret, denuò excæcatus est. Sigebertus in Chronico.

Greg. Turon. lib. 5. cap. 6. scribit, LEONASTEM Bituricum archidiaconum, cataractis decidentibus, oculorum beneficio priuatũ fuisse. Frustra medicorum opem implorans, tãdem ad Martini basilicã per aliquot menses ieiunio & precibus se macerans, uisum recipere ardenter petebat: quem instante festo Martini, recepit.

CÆSARIENSIS quidam patricius (cuius consuetudine Zosimas Sindenus Phœniciæ monachus familiarissimè utebatur) monacho uxoris suæ calamitatem & oculorum iacturam narrauit. Zosimas mox in suam se proripiens cellulam, relicto Arcesilao (quod nomen erat illi Cæsariensi) preces ad Deum pro more suo fudit, & uisus sanitatem Arcesilai uxori impetrauit. Euagrius lib. 4. cap. 7.

Rerum sacrarum contactu.

Ad aquas Tibilitanas episcopo afferente Proiecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam ueniebat magnæ multitudinis concursus & occursus. Ibi cæca MVLIER, ut ad episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores quos ferebat dedit, recepit, oculis ad-[redacted]

MONTANVS monachus [redacted] Remigij iam nati, oculos suos liniens, illuminatus est. Sigebertus in Chron. & Hincmarus in eius uita.

Sputo.

Facidia uicus est Rhinocoruræ urbis Aegypti. De hoc cæca MVLIER adducta est ad beatum Hilarionem: oblataq; ei à fratrib. (iam enim multi cum eo monachi erant) omnem se substantiam expendisse ait in medicos. Cui respondit: Si quæ in medicis perdidisti dedisses pauperibus, curasset te uerus medicus Iesus. Clamante autem illa, & misericordiã deprecante, expuit in oculos eius: statimque Saluatoris exemplum uirtus eadem prosequuta est. Hieronymus in uita Hilarionis.

Hymno.

STESICHORVS poëta lyricus ex Himera Siciliæ ciuitate, Olymp. 38. dicitur scripsisse Helenæ uituperationẽ. Ob id oculis priuatus, ob palinodiam uisum recepit. Suidas.

Medicamentis.

TOBIAS senior ex stercore hirundinum calido in oculos delapso excæcatus, post quatuor annos uisum recepit, cũ monitu Raphaelis angeli Tobias filius patris oculos felle piscis in Tigri fluuio capto obleuisset, cuius acrimonia argema detersum est spacio mediæ horæ. Tobiæ 11.

Defuncto Sesostre Aegyptiorum rege, eius FILIVS (quẽ Herod. uocat VAHRONEM) assumto patris nomine, nulla in re gloriam paternam est imitatus: eodem tamen quo pater casu afflictatus est: oculis enim captus, siue propter communem patris naturam, siue (ut quidam fabulantur) propter impietatem ergã Nilum, in cuius alueum spiculum torsit, coactus est ad deorũ auxilium confugere, ac plurimo tempore uarijs peractis sacris ad placanda numina, nulla ope adiutus est. Decimo pòst anno responso ei reddito, ut placato deo, qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullũ nisi propriũ nosset uirum, ab uxore propria incipiẽs, cùm multas expertus esset, nullam reperit incorruptã, præter hortulani cuiusdam: quã uisu restituto uxorẽ cepit, reliquas omneis in uilla quadã uiuas combussit. Quem locum postea Aegyptij Sacram glebam uocitarunt. Deo aũt Heliopolis gratias secundùm oraculum acceptum reddẽs, duos erexit unius lapidis obeliscos, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum. Diod. lib. 1. cap. 4.

Insomnio.

PHORMIO piscator Erythręus cęcus, cùm somnio monitus, Erythręis indicasset, quo pacto Herculis simulacrum è Tyro ad se aduectum, in suam terram pertraherent, oculorum calamitate liberatus est. Pausanias in Achaicis.

Sub Erico Aorsel Sueonum rege; dùm SACERDOS quidam idolis suis sacrificia offerret, repentina percussus cæcitate in terram corruit: ac diu multumq; à suis diis uisus restitutionẽ, sed frustrà, postulauit. In ædes deductus sacerdos cæcus quieti se dedit. Ibi Maria uirgo illum in Christũ credere iubet, & uisum restitutum iri pollicetur. Credidit ille, atque confestim uisum recepit, statimq; Christianæ religionis prędicator effectus est diligentissimus. Io. Magnus in Gothica historia lib. 17. cap. 15.

Erat in Falderensi parrochia, in uilla Horgene, matrona quædã ADELBVRGIS nomine, Vicelino episcopo Aldeburgẽsi, Vandalorũ apostolo, propter uitæ simplicitatẽ admodum familiaris. Hanc pòst luminib. orbatã ille consolari frequentiùs solebat. Post obitũ eius uidit mulier cæca in uisione nocturna assistentẽ sibi Vicelinũ, & de statu suo percunctantẽ. Cui illa, Quę, inquit, mihi salus, quę in tenebris sum, & lumẽ nõ aspicio? Ille statim prętendens dexterã, signũ crucis oculis eius impressit, adhibẽs benedictionẽ, & abiit. Mane facto euigilans mulier, uisu recepto, prona cecidit in terrã, prorũpens in gratiarũ actionem. Fecit postea manu propria uelũ, ad operiendum sepulcrum beati pontificis, in testimonium & monumentũ suæ illuminationis. Cranzius lib. 4. Vandaliæ, cap. 20.

Dolore capitis.

OPHIONEVS Messenius poeta, à natiuitate cęcus, uehemẽti capitis dolore uisum consecutus, denuò cæcus factus est. Pausanias in Messenicis.

Gaudio.

IOANNES Aragonum rex 18. præ senio oculis interdũ destituebatur: sed eosdẽ iterum per interualla recipiebat. Sic uictoria Ferdinandi filij ad Calusum oppidum de Petro Lusitano regni æmulo audita, uisum præ gaudio recepit. Subinde cùm Ferdinandus à Ioanne Andegauense (quem mortuo Petro Debelles regem optarant) uictus esset ad Gerundam, prę dolore & anxietate uisum paulo antè amissum recepit. Marineus lib. 16. & 17.

VBI CVRATI.

Mediolani, cũ illic esset D. Augustinus, illuminatus est cæcus, & ibi erat tunc Imperator, & immẽso populo teste res gesta est, cõcurrente ad corpora martyrũ Protasij & Geruasij. Ea namq; cũ laterẽt, & penitùs nescirẽtur, episcopo Ambrosio per somnum reuelata reperta sunt, ubi cæcus ille depulsis ueteribus tenebris diem uidit. Aug. de Ciuit. Dei, lib. 22. c. 8.

NARIVM AFFECTVS.

MVTILATI NARIBVS.

GRÆCI octingenti turpiter mutilati à Persis, ab Alexandro Magno, cùm in patriam pudore ducti redire nollent, magnificè donati in Asia remansere. Diod. lib. 17.

LATRONES naribus mutilatos exulare iussit in ultimis deserti Aethiopum rex Actisanes, ubi urbem Rhinoceram ædificarunt. Diod. lib. 1. cap. 4.

HERACLONAS Heraclij ex Martina filius, abscisso naso in exilium pulsus est cum matre. Sigebertus in Chronicis.

CONSTANTINVS Pogonatus Imp. Heraclium & Tiberiũ minores fratres interfecit crudeliter: ueritus ne quandoque sibi imperanti officerent. Eos pueros adhuc ablatis naribus deturpasse, quidam tradunt, ne ad imperium quandoq; aspirarent. Nam Orientales populi Chrysopolim post Constantis obitum conuenerant, magnis clamoribus petentes, ut duo fratres Constantini pariter coronarentur: ut sicuti crederent trinitatem, ita & à principibus tribus regerentur. Cõstantinus promisit: sed seditionis auctores capite multauit. Cuspinianus.

Hunericus Genserici Vandalorum regis in Africa F. uxorem suã Theodorici Vestgothorum regis FILIAM auribus & naribus mutilauit, ob leuem suspicionem parati ueneni, patriquè suo in Gallias remisit. Cuspinianus.

IVSTINIANVS II. Imp. à Leontio Patricio regno priuatus, & naso linguaque mutilatus fuit. Sigebertus in Chronicis. Paulus Diaconus lib. 20. rerum Romanarũ, Blondus lib. 10. Decadis primæ, Iuo in Chronico, Zonaras Tomo tertio.

LEONTIVS Patricius Constantinopolitanus, pulso Iustiniano, cùm tres imperasset annos, à Tiberio cognomento Apsimaro, Constantinopolitano, qui Africæ præerat exercitui, captus, & truncatis naribus in custodiam missus est. Sigebertus Leonem uocat.

Mortuo Heraclio Constantinus hæres regni à patre constitutus, cæterùm dolo Martinæ nouercæ ueneno sublatus est. Timebat enim ne filius suus HERACLONAS unquam in regno succederet. Regnum autem cùm nondum biennium cum filio administrasset, conspiratione Senatus capti & in exilium in Cappadociam missi sunt. Mulieri lingua præcisa est: puero abscissus nasus. Ex Sigeberto Cuspinianus.

A Baiazetho II. maxima clades CHRISTIANIS in Liburnia (quam nunc Croatiam dicimus) illata est, & septem millia hominum uno prælio interfecta. Conflixerunt in ea pugna nouem millia Hungarorum, Croatorumq;, quorum terram assiduis excursibus uastabant Turci. Victor hostis, ut eq; forum numerus commodius iniretur, nares iacentium excetas, baltheolisq; insertas, secum extulit. Cuspinianus.

TONSOR labris ac naso mutilatus ab Vngariæ rege Matthia Coruino, quòd is in regio cubiculo ministris Aragonij Cardinalis legati, uxoris suæ fratris, posteriores uestium partes per iocum mutilasset, & eius facti causam risu regi fassus esset. Fulgos. lib. 6. cap. 3.

Ludouici Malani Flandriæ ducis uxor, Brabantiæ regulis, PVELLAM ex marito grauidam dolis ad se accersiuit, & inopinanti nares abscidit. Quæ tertio post die præmaturo partu gemellos masculos enixa, statim unà cum infantibus expirauit. circa an. Christi. 1383. Iac. Marchãtius de reb. Fland.

Felicianus Zaachus Caroli I. Vngarorum regis familiaris, ut regno potiretur, solus regem de more adiens, stricto ense ferit. Itaq; à satellitibus membratim discerptus est: & CLARA filia, reginæ famula, labiis, naribus, octoq; digitis mutilata, per compita circumducta, in triuiis alta uoce proclamare fuit coacta, En digna proditionis præmia. Bonfinius libro nono, Dec. 2.

Robertus Antisiodorensis Imp. Constantinopolitanus uirginem insignis formæ Græcam nobilem sibi despondit uxorem: haud ignarus priùs eam uni purpuratorũ Burgundo, qui ordines in Latinorũ ductabat exercitu, à matre PVELLÆ esse desponsatam. Burgundus contumeliæ impatiens, noctu facto impetu, cum amicis & commilitonibus in regiam irrupit, puellæ palatium effractis cubiculi foribus ingressus est: dehoneſtataque naribus puellam occidit. Cuspinianus.

HAEMORRHAGIA.

☞ *Ex Tit. eorum, qui Sanguinis fluxu sunt mortui, quadam huc transferri possunt exempla.*

ORIS AFFECTVS, TAM EXTERNI QVAM INTERNI.

MENTAGRA.

Mentagra, Lichenis species, à mento orta, osculi contagio, & inde faciem occupans, fœdo cutis furfure, Tiberij Claudij Cæsaris principatu medio irrepsit primùm in Italiam, quodam Perusino EQVITE Romano quæstorio scriba, cùm in Asia apparuisset, inde cognationem eius importante. Nec sensere id malum feminæ, aut seruitia, plebsque humilis, aut media, sed proceres, uelociori transitu osculi maximè, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam tolerauerant, cicatrice quàm morbo. Causticis namque curabatur, ni usque in ossa corpus exustũ esset, rebellante tædio. Aduenerunt q; ex Aegypto genitrice talium uitiorum medici, hanc solam operam afferentes, magna sua præda. Siquidem certum est, MANILIVM Comutum ex prætoriis legatum Aquitanicæ prouinciæ, H—S CC. elocasse in eo morbo curando. Plinius lib. 26. cap. 1.

FESTVS Domitiani amicus, dum mentagra usq; ad desperationem remedij laboraret, gladio se traiecit, priùs tamen amicos consolatus. Eius mortem Martialis lib. 1. describit.

TVMOR.

ASPASIÆ Hermotimi filiæ Phocensi elegantissimæ (quæ postea Cyri iunioris, eoq; cæso Artaxerxis fratris, Persarũ regis nuptias meruit) adhuc puellæ, enatus est tumor in mento, aspectu deterrimus. Pater pauperrimus eam ad medicũ adduxit, qui se curaturum recepit, si tres sibi stateres persoluerentur. Aspasia in acerbissimo luctu uersans, cùm præ dolore non cœnasset, planè oportunus eã somnus inuasit, unaq; cum somno columba accessit, & in mulierem mutata: Bonum animum, inquit, geras, ualeantq; medici cum suis pharmacis: tu uerò rosea serta Veneris, quæ iam arueriint, cape, eaq; contrita tuberi impone. Cùm somnio illa parusset, tuber euanuit. Aelian. lib. 12. Var. hist.

VLCERA.

IOANNIS Orphanotrophi, Michaelis Paphlagonis Imperatoris fratris, os ulcus depascebatur. Cùm uerò medici de ope ferenda desperassent, per insomnium ei uisus diuus Nicolaus, monuit ut quam primùm Myra iret, ibi sanitatem recepturus. Celerrimè igitur eò profectus, Nicolai clericos unguentis aliisque sumptuosis rebus demeritus, metropolim Myra muro ualidissimo cinxit, morboque solutus rediit. Cedrenus.

DENTIVM AMISSIO.

HIPPIAS tyrannus iam senex sternutatione & tussi uehementiore oborta, cõcussis gingiuis unum dentem expuit. Quod illi infelicis pugnæ omen fuisse tradit Herod. lib. 6.

In PICENTEM Martialis Epigram. lib. 8. sic ludit:

Treis habuit dentes, pariter quos expuit omnes,
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum:
Collegitq; sinu fragmenta nouissima fracti
Oris, & aggesta contumulauit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres,
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

Ad AELIAM, idem libro primo:

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes,
Expuit una duos tussis, & una duos.
Iam securà potes totis tussire diebus,
Nil istic quod agat tertia tussis habet.

APOLLONIÆ uirgini Alexandrinæ sub Decio Imp. dentes excussi. Polyd. lib. 8. c. 7. de rerum Inuent.

Pragenses Hussitæ munitissimum castellum in mõte situm oppugnabant, quod Lapidem Caroli uocant. Hîc Sigismũdus Imp. quatuor centurias MILITVM præsidio liquerat. Castra tribus locis posita sunt, obsidio sex ducta mensibus, neque die, neq; noctu omissa oppugnatio. Quinq; balistæ maiores ingentia saxa intra mœnia iactauerũt. Vasorũ circiter duo millia, cadaueribus & humano excremento plena, in arcem emissa, tantum miseris obsessis fœtorem attulêre, ut omnibus infectis dentes aut decíderent, aut nutarent. Tolerauerunt tamen forti animo, & ad hyemem usque protraxêre certamen, accepto clàm ex Praga medicamento, quo dentes contineri possent. Aen. Syl. c. 44. hist. Bohemicæ.

Non longè à regia ciuitate Holmensi in Suetia locus est, Quatuordentium mons appellatus, eò quòd rex Daniæ CHRISTIERNVS primus infeliciter pugnans, quatuor dentes ictu bombardæ illic amiserit. Olaus lib. 7. cap. 15.

[redacted]

STOMACACIA.

AELIVS Gallus, sub Augusto Imp. quum in Arabiam exercitum Rom. traduxisset, in Albo nico, maximo Nabatheorum emporio, per integrum annũ exercitum relinquere fuit coactus, ut ægri milites reficerentur, qui sceletyrbe siue stomacacia laborabant, hoc est, oris & gingiuarum putredine, & cruorum maculis. Strabo lib. 16. circa finem.

Cùm GERMANICVS Cæsar in Germania trans Rhenum castra posuisset, in maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua potabant intra biennium dentes decíderẽt, compagesque in cruribus dissoluerentur. Stomacacen medici uocabãt, & sceletyrben. Ei malo reperta auxilio est herba, quæ uocatur Britannica, Frisiorum in dicio. Plin. lib. 25. cap. 3.

ODONTALGIA.

D. AVGVSTINVS consilio capto baptismi suscipiẽdi, dolore dentium excruciabatur. Qui cùm tantum ingrauesceret, ut non ualeret loqui, ascendit in cor illius admonere omnes suos, qui aderant, ut deprecarẽtur Deum, & scripsit hoc in cerã, & dedit eis ut legeretur. Mox ut genua supplici affectu fixerunt, fugit dolor ille. Expauit Augustinus uehementer, nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fuerat, & gaudens in fide, laudauit Dei nomen, & ad suscipiendum baptismum magis confirmatus fuit lib. Confessionum. 9. c. 4.

LINGVAE ABSCISSIO, EXECTIO.

Aegyptij EOS, qui secreta in uulgus spargerent, aut belli consilia hostibus indicarent, lingua priuabant, ne posthac nocitã linguæ licentia Reipublicæ obessent. Diodorus Siculus libro 1. capite sexto.

ZENO philosophus ne inuito quidem se quid secreti adactũ ui corpus proderet, arrosam linguam expuit in tyrannum. Plutarchus de Garrulitate.

In Typaserpi Mauritaniæ maioris ciuitate, CHRISTIANI aliquot Cyrilam episcopum Arianum, quòd minis eos ad fidem compellere conaretur, irriserunt, & mysteria diuina publicè celebrarunt. Quos ille ad regem Hunericum Vandalum Carthaginẽm detulit: qui in medio foro linguas eis & manus dextras abscindi iussit. Ac illi Spiritu sancto præsente, nihilominus ut antea locuti sunt. Repertus ex illis unus adhuc sub Zenone Imperatore fuit Constantinopoli, REPARATVS nomine, sub diaconus, sermones politos sine ulla offensione loquens. Victor de persecutione Vandalica lib. 3. Iustinianus lib. 1. Cod. de officio præf. præt. Procopius lib. 3. de bello Vand. Gregorius lib. 3. Dialogorum, ca. 32. Sigebertus, circa annum Domini 530. addit unum ex his superbientẽ hac gratia, rursum priuatũ hoc beneficio fuisse.

Iustinus Imp. SEVERVM episcopum Antiochenum, Acephalorum principem, ab episcopis an. 519. cum cæteris hæreticis anathemate iugulatum, lingua multatum in exilium egit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

FLORENTINVS & HILARIVS martyres Christi apud Sedunenses, linguis priuati, rectè nihilominus loqui potuere. Petrus de Natalibus, & Sigebertus.

Cùm in uenatione Vladislaus II. Polonorum princeps & PETRVS Danus Comes Scrinnẽsis, humi straris penulis, pro statuũ esset: Vladislaus ioco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc, Petre, uxor tua cum abbate Scrinnensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut iocum ioco retũderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat is iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiarius Christina Vladislai uxor utebatur. Domum reuersus princeps, uxori blandienti rem detexit. Christina Petrum è medio tollere studẽs, eum è filiæ nuptijs abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Cromerus lib. 6.

TVMOR.

Gal. uidisse se testatur, CVI linguæ substantia nõ intumuisset, sed in enormem magnitudinem excreuisset: uti Mulieribus interdum mammæ, uiris testiculi. de Diff. morb. cap. 9.

Sub Carolo Caluo Imp. serpsit in SAXONIA lacrymabilis morbus. Intumescebat in ore lingua maximo cum dolore, nec ualebant medicorum remedia: donec Bertholdo Migardeuordensi episcopo quinto in Deum respicere iubente, quum litanias & ieiunia populo indiceret, Arnulfo imperante, plaga cessauit. Cranzius lib. 2. Metrop. cap. 18.

Io. Stridelius, Io. Friderici Saxoniæ ducis tubicen, tuberculũ sub lingua absq; dolore aliquot annis habuit. Eo mox accrescente & uocem impediente, chirurgorum opera suppurationibus usus, aperto tumore & expresso, lapillũ duorum pisorum magnitudine rotundum, lauri baccæ similẽ, excreuit. Io. Kentmannus de Calculis in hum. corpore.

MVTI *Facti.*

ZACHARIAS sacerdos, pater Ioannis Baptistæ, ob incredulitatem ad uerbum angeli mutus effectus est ad circumcisionẽ usq; pueri, & tunc demũ loquela ei restituta est. Luc. 1.

CHOROMANDÆ gentes sunt sine uoce, stridoris horrẽdi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Sic etiam TROGLODYTÆ.

Nausimenis Atheniensis VXOR, cùm filij ac filiæ suæ stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, obmutuit. Illi nefarium concubitum uoluntaria morte pensarunt. Valerius lib. 1. cap. 8.

Q. PEDIVS, nepos Q. Pedij consularis triumphalisque, à Cæsare dictatore cohærẽdis Augusto dati, cùm natura mutus esset, cum Messala orator, ex cuius familia pueri auia erat, picturam docendum censuit, idque etiam diuus Augustus comprobauit. Puer magni profectus in ea arte obijt. Plinius libro 35. capite quarto.

Curati.

ZACHARIAS sacerdos uocem amiserat, angelo conspecto Gabriele, cuius uerbis credere nolebat. At eandem recepit, quamprimùm uxor eius Elizabetha Ioannem F. edidit, præcursorem Messiæ. Qua recepta, Spiritu sancto plenus elegãtissimum hymnum cecinit. Lucæ 1.

Christus dæmoniacum MVTVM, dæmonio ejecto, curauit, Matthæi 9. Lucę 5. Item MVTVM simul & surdum, cùm spũtum linguæ illius imposuisset, digitos auribus immisisset. Matthæi 13. Marci 7. MVTVM dæmoniacum, ejecto dæmonio, loqui fecit Christus. Lucæ 11.

D. Martinus in Carnotena ciuitate PVELLAM ab utero matris ad 12. usque annum ætatis mutam, infuso sacro oleo, & oratione, uocalem fecit. Seuerus Sulpitius ab initio tertij Dialogi.

Remigius Remensis episcopus, in Synodo Aurelianensi sub Clodoueo Gallorum rege, Arianum QVENDAM summũ dialecticum, miraculose mutum reddítum, & ad Remigij pedes procidentem, sic affatus est: In nomine Domini nostri Iesu Christi, ueri filij Dei uiui, loquere: siquidem ita rectè de eo sentis, & de illo, sicut catholica ecclesia credit, crede & cõfitere. Hac uoce ille usum linguę recepit, & dãnato Arij errore, catholicus factus est. Hincinar⁹ in uita Remi.

ZOE uxor Nicostrati martyris, septẽ annis muta fuit ex morbo. Demum à beato Sebastiano curata fertur.

Quidam MERCENARIVS, qui annis septem mutus fuerat, ad basim columnæ in Benedicti ecclesia obdormijt, cùm alij cantarent laudes Deo. Apparuit autem ei Benedictus, & inquit: Surge protinus, & tribus in terram uicibus expue. Id cùm uigilans fecisset, recepit loquendi facultatem. Chronicon Cassinense lib. 1. cap. 25.

D. Bernardus IOSBERTO de Firmitate, sanguine ipsi iuncto, mente & loquendi facultate priuato, promisit leuationem, si ablata ecclesijs restitueret, & onera, quibus pauperes premerat, relaxaret. Posthæc ad secretam, conuersus orationem, ecce nuncius adest, qui refert, Iosbertum & loqui, & petere ut ad se ueniat, & sacramenta impertiat. Auctor uitæ.

CONSTANTINVS Leonis V. Iconomachi F. post patris cædem in insulam Primam relegatus, cùm loquelam amisisset, D. Gregorium Magnum pro sanitate à Deo impetrãda orauit. Fertur igitur illi Gregorius in somnis apparuisse, ac iussisse, ut templum ingrederetur, & lectionem illam, quæ exorditur, Rursus Iesus meus, &c. coram omni plebe legeret. Parẽt ille, & lectionem sine omni impedimento linguæ ita pronuntiat, ut nemo non admiraretur. Zonaras, Cuspin. Cedrenus hoc alteri filio Leonis, Balio nomine, tribuit.

BATTVS cum Cyrenæis in Africæ deserta excurrens, leonem conspexit. Re improuisa territus, magnum & clarum sustulit clamorem, cùm antè penitus mutus fuisset. Pausanias in Phocicis.

ATYS Crœsi regis filius, cùm mutus ad id usque temporis esset, cùm Cyrus Asiæ oppidum Sardeis, ubi tunc Crœsus latebat, intrasset, in uocem erupit præ timore, & exclamasse dicitur: Parce patri meo, Cyre, & te hominem esse uel casibus disce nostris. Solinus cap. 7. Polyhist. Gellius lib. 5. cap. 6. Valerius lib. 5. cap. 4. Iustinus lib. 1. Herod. lib. 1. Crœsum à gregario milite iam iam interficiendum, filij inspectantis inexpectata uoce seruatum scribit, ἄνθρωπε μὴ κτείνε Κροῖσον, O homo ne occidas Crœsum.

AEGLES Samius athleta cùm in sacro certamine sortitione inter antagonistas facta, sortem nominis falsam subijci animaduertisset, repentè in eum, quid faciebat, sese uidere quid faceret, alta uoce clamauit, & inde per omne uitæ tempus uocem retinuit. Gellius libro quinto capite sexto, & Val. libro 1. capite 8.

AVRIVM AFFECTVS.

MVTILATIO.

MALCHVS seruus pontificis Hierosolymitani à Petro dextra auricula mutilatus, Christi Iesu benedicti attactu curatus est. Lucæ 22.

HYRCANVS rex & pontifex Iudęorum auriculis mutilatus. Egeſippus lib.1.Iudæorum excidij.

Capta Troia Menelaus DEIPHOBVM, poſt Alexandri interitum Helenæ maritum, exectis primò auribus, brachijsq; ablatis, dein naribus, ad poſtremum truncatum omni ex parte fœdatumq;, ſummo cruciatu necauit. Dictys lib.5.

SMERDES magus, ambabus auribus mutilatus fuit à Cyro rege. Poſtea cùm regnum inuaſiſſet, ſub ſpecie Smerdis Cyri F. hoc ipſo ſigno à Phædyna concubina, Otanis F. deprehenſus fuit. Herodotus lib.3.

Cùm PATARBEMES ab Aprie Aegyptiorum rege ad Amaſim rebellantem miſſus, ut eum ad regem perduceret, infecta re rediſſet: Apries ira percitus nullo uerbo edito, Patarbemi aures naſumque pręcidi iuſſit. Hoc indignum factum uidentes cæteri Aegyptij, ab Aprie ad Amaſim ſtatim defecerũt, belloq; commiſſo Apries ab Amaſi ſuperatus, ab Aegyptijs repugnante licet Amaſi ſtrangulatus. Herod.lib.2.

ILLVS Zenonis Imp. officiorum magiſter, ſecretò quædam de Ariadne Auguſta Imperatori narrans effecit, ut ei mortem intentarit. Cæterùm fuga periculum euitans Auguſta, & Zenoni per Acatium epiſcopum reconciliata, ſubornauit quendã, qui Illum obtrectatorẽ ſecuri feriret. Is ictu aberrans, dum auidiùs in ceruicem bipennem librat, aures illi amputauit. Sic Illus mutilatus auribus, ab urbe diſceſſit, & Zenoni infeſtus Orientem inuaſit. Cuſpinianus.

POLONORVM ſtrages à Tartaris facta circa annum 1240. tanta, ut auriculis præciſis Tartari nouem ingentes ſaccos explerint. Cromerus lib.8.

AVDITVS LAESVS.
SVRDITAS
Poſſeſſa.

De SVRDORVM trium iudicio Nicarchus in ſecundo Epigrammatum, εἰς κώφους:

Δύσκωφος δύσκωφον ἐκρίνετο, καὶ πολὺ μᾶλλον
ἦν ὁ κριτὴς τούτων τῶν δύο κωφότερος.
ὧν ὁ μὲν αὐτ' ἔλεγεν, τὸ ἐνοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν
μηνῶν πένθ'· ὁ δ' ἔφη, νυκτὸς ἀληλεκέναι.
ἐμβλέψας δ' αὐτοῖς ὁ κριτής, τί μάχεσθε;
μήτηρ ἐσθ' ὑμῖν· ἀμφότεροι τρέφετε.

Id Thomas Morus uertit hunc in modum:

Lis agitur, ſurdusq; reus, ſurdus fuit actor,
Ipſe tamen iudex ſurdus utroq; magis.
Pro ædibus hic petit æs, quinto iam menſe peracto,
Ille refert, Tota nocte mihi acta mola eſt.
Aſpicit hos iudex, Et quid contenditis? inquit.
Annon utriq; eſt mater? utriq; alite.

M.CRASSVM ferunt ſurdaſtrum fuiſſe. Cicero libro quinto Quæſtionum Tuſculanarum.

HADRIANVS conſul Rom. ſurdaſter, manus cauas, quo facilius audiret, à poſterioribus ad anteriora ſpectantes auribus obtendebat. Gall.lib.11. de Vſu part.cap.12. At Cælius lib.3.cap.29. A.L. ad Imp. HADRIANVM hoc refert.

CENTVRIO ſurdaſter iuſſus ab Heliogabalo Imp. occidere Fabium Sabinum iùrecoſ. in exilium agi debere ſubintellexit. Itaq; ſeruatus eſt Sabinus. Spartianus.

Curata.

Chriſtus ad mare Galileæ SVRDVM impeditæ linguæ ſanauit, immiſſis in eius aures digitis, ſputo linguam illius tangẽs, in cœlum cum gemitu inſpiciens, & dicens, Epphata, hoc eſt, Aperitor. Matthæi 15. Marci 7.

SIGGO ferentarius regis Gallorum Sigeberti, ſurdaſter, cùm uerba faceret cum Gregorio Turonenſe, auditum recepit. Vincentius lib.21.cap.125.

D.Bernardus rediens aliquando ad ſuum monaſterium, præ foribus ſurdum & mutum reperit PVERVM. Expuit ergo, & tetigit linguam eius, atq; digitos in aures eius immiſit, & protinus curauit. Metis cùm illi oblatus eſſet SVRDVS, conuerſus ad nobilem quendam Henricum de Salinis, qui ciuitatis incolas grauiter afflixerat, dixit: Tu nos audire contemnis, quos continuò coram te audiet ſurdus. Imponit ſurdo manum, ſignat, digitos auribus eius immittit, protinusq; ſanat. Quod cùm Henricus uidiſſet, ad pedes ipſius ſeſe proſternit, confitetur delictum, promittens omnia ſe poſtulata facturum. Auctor uitæ.

CAPITIS INTERNI AFFECTVS.

DOLOR
Infeſtans.

ANDRONICVS Iunior Imperator Didymotœchi agens, cùm lauiſſet in ſummo rigore hyemis, neque frigus à balneo cauiſſet, cùm reliquum corpus eſt denſatum, tum uerò caput ita afflictum, ut ex grauiſſimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur. Gregoras lib.9.

IOANNES Baptiſta Modoëtienſis, ſingulo die, ſole exoriente, dolore capitis ſupra nares corripiebatur: inde creſcebat dolor, donec ſol meridiem attigiſſet: ubi decederet, minuebatur, ſic ut ſub ueſperam ceſſaret. Quid hoc? niſi quòd ſol aſcendens, uapores ſurſum in corpore trahit, quib. cerebri membranæ uexantur. Trahit autem, quia lentus eſt humor ac frigidus, qui non remittit niſi ui ſolis. Cardanus de Rerum uarietate lib.8.cap.44.

Curatus.

Ariſtoteles Amatoriorum lib. 2. & Ariſton Peripateticus Ceus libro Amatoriarum rerum nono, inquiunt, quòd ANTIQVI ob dolores capitis, quibus propter uinum uexabantur, uinciendorum temporum gratia uincula, quæcunque contingerent, inuenerunt: quæ res illos iuuare uiſa eſt. Poſteriores autem ornamentum etiam quoddam peruenuſtum addere uoluerunt temporibus, atq; in congreſſibus per uinum coronas ſunt machinati. Athen.lib.15.ca.5. & 14.

Conſtantinus epiſcopus Cypri narrat in quarta actione Nicena, QVENDAM, qui clauum in parietem adigendo, apoſtoli Petri depicti in pariete frontem transfodiſſet, indeque dolorem capitis ſenſiſſet, iuſſum eſſe clauum eximere, & ſic ſanatum eſſe.

AVICENNA Medicus dolore capitis uehementi laborans, & de inflammatione metuens, niuem panno lineo exceptã capiti impoſuit, & repentè cõualuit. Sorzanus in eius uita.

VERTIGO.

TYRONEM, quem milites decliuo in dolio demiſerant, uertiginoſum ac ſtupidum factum, Iul. Cæſar Scaliger contrario motu, ſed leni, repetito ſeſe curaſſe ſcribit in comment. Hippoc. de Inſomnijs.

EPILEPSIA, COMITIALIS MORBVS, CADVCVS.
Inuaſio.

Ἡρακλειον νόσον, Herculanum morbum, Dicæarchus apud Zenodotum eum exiſtimat eſſe, quem alij ſacrum, alij comitialem appellant, quòd abominabilis plane, etiam comitia Romana differri faceret. Incidiſſe HERCVLEM, propter uel immenſos labores, uel Iunonis nouercæ ueneficio. Ariſtoteles Problematũ ſectione trigeſima, probl.1. putat Herculem uerè ſacro morbo obnoxium fuiſſe, atque omneis adeò, qui uel ingenio, uel ſtudio philoſophiæ, uel in adminiſtranda repub. uel in alijs artibus excelluerunt, atræ bili obnoxios fuiſſe. Eraſmus in Adagijs.

Fertur CAMBYSES Perſarum rex, ab ipſis natalibus laboraſſe morbo ſacro: at haud ab re fuerit, cuius corpus magna ægritudine inualidum eſſet, eius ne mentem quidem ſanam fuiſſe. Herod.lib.3.

C.IVL. Cæſar inter res agendas bis ſacro morbo correptus eſt. Suetonius. Dum in Africa ad Tapſagum urbem aciem inſtruit contra Scipionem, fertur ſolito morbo correptus: quem ut primùm ſenſit ingruentem, prius quàm inuaderetur & occuparetur prorſus à malo ſenſus, tremens iam in proximam turrim ablatus fuiſſe dicitur, atque ibi quieuiſſe. Victoria tamen penes ipſius fuit milites. Plut. in Cæſare.

PLOTINVS Platonicus, Aegyptius natione, præceptor Porphyrij & aliorum doctiſſimorum, morbo ſacro obnoxius fuit. Suidas, & Eunapius, apud Volater.lib.18. Anthrop.

MAHOMETVS pſeudopropheta Turcorum, cùm ad Chadigam cognatam prædiuitem primò ut mercenarius, deinde ut ſponſus ueniſſet, ægrè tulit illa caduco illum morbo uexari. Ille uerò dicebat, archangelum Gabrielem ſe interim uidere, & quia aſpectum eius ferre non poſſet, mente defecta cadere. Paulus Diaconus libro 18. rerum Romanarum. Hac fraude mulier delinita, quem odiſſe cœperat euentus atrocitate, commenti uerſutia ut diuinum ſuſpicere uirum coacta eſt: quæ illuc denique prorupit fraus, ut moriens illum ex aſſe hæredem inſtitueret. Quæ res potentiæ, quam mox indeptus eſt ampliſſimam, exordia præbuiſſe narratur. Idem, & Sigebertus.

Romanus Argyropylus, de ſuæ coniugis cum MICHAELE Cappadoce conſuetudine turpi, uulgi fama edoctus, ſacramento adulterium inficiantem ſe purgare iuſſit. Cumque ille peieraſſet, ſtatim atrox morbus eum inuaſiſſe fertur. Nam certis interuallis mente alienabatur, oculos diſtorquebat, tremore corripiebatur, & in terram procidebat, deinde ad ſe redibat. Zonaras tomo tertio.

Curatio.

Refert Diogenes Laertius, EVRIPIDEM Platoni comitem fuiſſe peregrinationis, quum Aegyptum adiret: ubi cùm morbo ſuo corriperetur (comitiali, ni fallor) ſacerdotes Aegyptij merſione marina ſanarunt hominem. Hinc poſtea uerſiculum hunc compoſuiſſe fertur,

Κλύζει θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Tanquam aqua marina morbis omnibus mederetur.

POENI infantes ſuos hirci urina aſpera à ſpaſmo liberant. Herodotus libro 4.

Liuium DRVSVM, tribunorum popularium clariſſimum, cui ante omnes plebs ſtans plauſit, optimates uerò bellum Marſicum imputauêre; ellebori medicamento liberatum conſtat comitiali morbo in Anticyra inſula. Ibi enim tutiſſimè ſumitur, quoniam ſeſamoides admiſcent. Gell. lib. 17. cap.15. ex Plinij lib.25.cap.5.

C.IVLIVS Cæſar Cordubæ primùm morbo comitali correptus cecidit. Verùm ne ampliùs eo tentaretur, optima & exquiſita uictus ratione effecit.

Conſtat ex Septimij Florentis apologetico, in harena iugulatorum nocentum ſanguinem recentem de iugulo decurrẽtem auida ſiti ſolitum ab ETHNICIS olim hauriri, quòd ſic comitiali morbo remedia quæri opinarentur. Cælius lib.6.cap.9. Antiq. Lect.

Edouardus III. Anglorum rex anulum, quem diu antè pauperi cuidam pro amore, quem erga diuum Ioannem euangeliſtam habebat; eleemoſynam petenti, clàm dederat, à quibuſdam Hieroſolymis uenietibus recepit. Idẽ anulus in templo Veſtmonaſterij, in quo & Edouardus ſepultus eſt, multa ueneratione aſſeruatus, ſalutaris dicebatur membris ſtupentibus, ualereq; aduerſus comitialem morbum, cùm tangeretur ab illis, qui eiuſmodi tentarentur morbis. Hinc natum, ut reges poſtea Angliæ conſueuerint in die paraſceues, multa ceremonia ſacrare anulos: quos qui induũt, hiſce morbis nunquam corripi dicuntur. Polyd.lib.8.

APOPLEXIA.

☞ *Vide Tit. Apoplexia mortui. Illic Euentus morbi, hìc Paroxyſmus conſideratur.*

CAROS, SOPOR.

Somno arreptus Cynicus DIOGENES, cùm exceſſurus iam uita eſſet, excitante eum medico percunctanteq;, ecquam moleſtiam ſentiret? Nullam, inquit: nam frater ſororem anticipat, ſomnus mortem. Plut. in conſol. ad Apollonium.

CATARRHVS.

IVLIVS Frontinus Britanniæ legatus in morbum grauem incidit ob exundantem pituitam, habitatione graui ac nubilo aere, crebris nubibus madente, qualis illis in regionibus eſt perpetuus, & ob immenſam montium altitudinem, & ob lacuum fluminumque uicinitatem. Auxit morbum frigus immoderatum atque inſolitum, quod nec à ceruice nec à pedibus arcere ulla arte potuit. Ei proinde in Italiam reuocato ſucceſſor datus Iulius Agricola uir conſularis. H. Boethius libro quarto.

COLLI AFFECTVS.

ANGINA.

ROMANI angina peſtilente grauiter affecti, deæ Angeronię annua ſacra in ſacello Volupiæ 12. Calend. Ian. inſtituerũt, & liberati ſunt. Macrobius libro primo Saturn. capite 10. ex Iulio Modeſto recitat.

NIGER, qui in Galatia rhetoricam docebat, fortè ſpinam piſcis deglutiuerat. Cùm autem rhetor alius peregrinus aduenisset, qui declamabat: quòd erubeſceret illi concedere uideri, inhærente adhuc ſpina declamauit. Graui inſecuta & dura inflammatione, doloris impatiens inciſionem altam foris accepit. Atq; ſpina quidem ex uulnere euulſa eſt: cæterùm uulnus, quod ſæuum euaſit & deſtillans, hominem abſumſit. Plut. in Præceptis ſalubribus.

VVVLA affecta.

Prætorij uiri PATER, Hiſpanię princeps, propter impatibiles uuæ morbos, radicem portulacæ filo ſuſpenſam è collo gerens, præterquam in balineis, ita liberatus eſt incommodo omni. Plinius lib.20.cap.20.

SCROFVLAE.

Tranſpadanorum agreſtes FEMINÆ, monilium uice ſuccina geſtant, maximè decoris gratia, ſed & medicinæ: quando tonſillis creditur reſiſtere, & faucium uitijs, uario genere aquarum iuxta illos infeſtante guttura ac uicinas carnes. Hinc locus fabulæ datus, quaſi ad Padum naſceretur. Plinius lib.37. capite 3.

THORACIS AFFECTVS EXTERNI. Vtputa

VVLNERA THORACIS.

Eſt in Euxino circa Nili oſtia inſula Achilli ſacra, cui Leuce nomen. Patet ea ſtadiũm XX ambitu, ſyluis undiq; condenſa, & cùm feris, tum mitibus beſtijs referta. In ea Achillis delubrum & ſimulacrum eſt. Nauigaſſe in eam primus omnium Crotoniates LEONYMVS dicitur. Cùm bellum enim inter Crotoniatas & Locros in Italia gereretur; ac Locri ob eam, quæ ipſis erat cùm Opuntijs propinquitatem, Aiacem Oilei filium, eius ductu & auſpicijs prælium commiſſuri, inuocaſſent; Leonymus Crotoniatarum dux in eam hoſtilis aciei partem impreſſione facta, quam cùm imperio obtinere Aiacem audierat, uulnus in pectore accepit. Ex eo cũ uehementer laboraret, Delphos opem ab oraculo imploratũ uenit. Reſpõſum uerò tulit, ſi in Leucen inſulam profectus eſſet, Aiacem ei uulneris remedium monſtraturũ. Cùm uerò iam ſanatus domum reuertiſſet; commemorauit Achillem ſe, Aiacem Oilei filium, & Telamonis item Aiacem uidiſſe: cumq; illis unà Patroclum & Antilochum: & Achilli quidem nuptam Helenam. Mandaſſe eam ſibi, ut Himeram appulſus, nunciaret Steſichoro, oculorum calamitatem ob Helenæ iram ei accidiſſe. Ex eo factum, ut carmen contrario argumento, quam Palinodiam uocant, Steſichorus fecerit. Pauſanias in Lacon.

VLCERA MAMMARVM.
Acquiſita.

GALLA uidua Romana, Symmachi uiri patricij filia, ſub Theoderico rege, laborabat ex carcinomate in mamilla, eumque morbum ita tolerauit, ut iam morti proxima, non ut curaretur, rogarit, ſed an ſibi peccata ſua cõdonata eſſent, quæſierit. Quæ dimiſſa eſſe audiens, multo plus ex hoc cõſolationis cepit, quàm ex ægrotatione ceperat doloris. Marul.lib.5. capite quarto.

Curata.

ATOSSA Cyri F. Darij uxor, ulcere mamillę laborabat: quod Democedes Crotonienſis medicus curauit. Herod.lib.3.

Carthagini quædam primaria matrona pietatis ſtudioſiſſima, INNOCENTIA nomine, in mamilla cancrum habebat. Cùm à quodam medico ſuę familię familiariſſimo cognouiſſet, malum id eſſe huiuſmodi, quod nullam prorſus curam admitteret; nec poſſet ullis unquam medicamentis curari, conuerterat ſe ad preces. Sub ipſum ergo Paſchatis tempus in ſomnis monita, ut in parte feminarum obſeruaret ad baptiſterium, & quæcunq; ex feminis baptizatis prima ei occurriſſet, ſignaret ei locum affectum ſigno crucis Chriſti: ſic fecit, & ſtatim ſanitas eſt ſecuta. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei, capit. 8.

COSTA FRACTA

LVDOVICVS II. Imp. ruinoſum ingreſſus hoſpitium, grauiter periclitatus; duas in thorace coſtas perfregit. Dolore tamen diſſimulato; perendie in expeditionem contra fratrem profectus eſt. Regino lib.2.

IN THORACE CONTENTORVM affectus.

PLEVRITIS.

Pleuritis apud ANGLOS rara eſt. Polyd.lib.26.

SYNCOPE, ΛΕΙΠΟΘΥΜΙΑ, DEFECTVS animi.

☞ *Variæ à Medicis cauſæ afferuntur defectus animi: nos ſolius effectus rationem habemus. Et quia inter tres animæ facultates Vitalis quò ad eſſe principatum obtinet; eo fit, ut uel naturali uel animali ablata, aut debilitata, non dicatur homo animo linqui, ſed ſolà uitali. Differt ergo ab ecſtaſi: quòd Ecſtaſis mentis eſt raptus, & quædam ueluti intellectus abſtractio, quam mortem philoſophicam Platonici nominarunt: Syncope uerò eſt uitalis animæ defectus, hoc eſt, quies & intermiſſio.*

Acquiſitio.

C.IVLIVS Cæſar extrema ætate animo linqui conſueuit, atque etiam per ſomnium exterreri. Tranquillus.

INNOCENTIVS VIII. Pp. ex morbo horis ferè uiginti arteriarum motu immobilis apparuit. Fama mortis quoquò uerſus perlata, cùm Cardinales de ordinandis circa ſucceſſorem omnibus conueniſſent, ſubitò uiuus adparuit, exceſſitq; biennio pòſt eodem morbo. Volat.lib.22. Anthrop.

Curatio.

BOETHIVS Seuerinꝰ carceri Papiæ incluſus ac ſemianimis, guſtato uino Ticinenſi, quod generoſiſſ. in uicinis Ticino tumulis naſcitur, ad ſeſe rediens exclamauit: O felicia huius urbis uina, quæ ciuib. ueſtris lętitiam, exulibus etiam uitam reſtituitis. moxq; ad librum de Conſolatione ſcriben-

dum conuersus est. Bern. Saccus libro 5. Ticinensis historię.

FERDINANDVS Aragonum rex ex frequentiore edulio cucumeris, quem malignanũ uocant, & assidua mãsione sub dio, cum domesticis colloquens, subita corporis defectione in Alfonsi filii nuptiis Valentiæ collapsus est. Medici ut in extremo casu opitularentur acciti, dicuntur se occultasse præ metu, néue in præteritum negligentię, néue in præsens inscitiæ pœnas luerent. Accitis tamen indigenis medicis, fomenta adhibita sunt, atq; ita reuixit. Valla lib. 3. Histor.

TVSSIS.

In PARTHENOPÆVM, Martialis Epigrammatum lib. 11.

Leniat ut fauces medicus, quas aspera uexat
Assiduè tussis, Parthenopæe, tibi
Mella dari, nucleosq; iubet, dulcesq; placentas,
Et quicquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe, gula est.

CANONICVS Ratisbonensis, nobilis de Sparneck, ob lapidem in tonsillarum abscessu concretum continua tussi affectus, eo emollito, calculum gypseum topho similem chiragrico excreuit. Io. Langius lib. 2. Epist. med. & Io. Kentmannus de Calculis in hum. corp.

EMPYEMA.

IASON Pheræus, desperata salute in uomicæ morbo, quia in medicis opem nullam inueniebat, in prælium, ut morbi molestiam morte finiret, descendit: uulnereq; in aduersum pectus accepto, & pure copioso profluente, præter spem seruatus est. Plin. lib. 7. cap. 50. & Val. lib. 1. cap. 8.

PTOLEMÆVM Philadelphum regem Aegypti, podagrico alioqui morbo obnoxium, Plinius lib. 7. ait & uomica laborasse, uulneratoq; pectore (quum mortem in acie quęreret) medicinam inuenisse.

SANGVINIS SPVTVM. PHTHISIS.

Acquisita.

Phocensium dux PHAYLLVS, frater Onomarchi, sub initia sui imperij uisus est sibi in somnis se effigiei cuidam æreæ (quę Delphis inter donaria spectabatur, ab Hippocrate medico dedicata) hominis, cui carne consumta sola essent reliqua ossa, similem factum. Nec multis pòst diebus tabe periit. Pausanias libro 10.

ANTIGONVS Demetrij filius, Macedonię rex, in grauem tabem ex destillatione incidit. Non succubuit tamen huic malo: cæterùm hactenus restitit ad tuenda domestica, ut in maxima uictoria atque ingenti barbarorum strage expiraret gloriosè. Vt uerisimile est, & perhibet Phylarchus, uociferationibus in prælio pulmonem dirupit. In ludis narrabant clamantem præ lætitia post uictoriam, O faustum diem, uim sanguinis effudisse, atq; acri febre correptum expirasse. Plutarchus in Cleomene.

Triennio MECOENATEM Messium accepimus silentium sibi impauisse, à conuulsione reddito sanguine. Plin. l. 28. c. 6.

Curata.

THEOPOMPVS phthisi laborans ab Asclepiade medico sanatus est.

Raphanorum succum tradunt præcordijs necessarium: quando phthisin cordi intus inhærentem, nõ aliò potuisse depelli compertum sit in Aegypto, regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus. Plin. lib. 19. cap. 5.

Damocrates medicus in ualetudine CONSIDIÆ M. Seruilij consularis filiæ hæmoptoicæ, omnem curationem austeram recusantis, diu efficaciter usus est lacte caprarum, quas lentisco pascebat. Plin. lib. 24. cap. 7.

ANNEVS Gallio post consulatum cùm in phthisim incidisset, nauigatione in Aegyptum suscepta conualuit, non propter Aegyptum ipsam, sed propter nauigandi longinquitatem mutato aere. Plin. lib. 31. cap. 6.

DORSI AFFECTVS.

CVRVITAS.

ANTONINVS Pius Imp. forma conspicuus, & statura decorus, ac longus fuit. Cùm uerò senectute incuruaretur, tiliaticijs tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. Cuspinianus.

TVMOR. GIBBVS.

Byzantius Leo, cui PASIADES gibberus ualetudinẽ oculorum obiecerat: Humanum, inquit, uitium infligis mihi, qui dorso portas Nemesin. Plut. de Vtil. ex inim. At lib. 2. Quæst. con. 1. non de Pasiade, sed de filio eius hoc pronunciatum à Leone asserit.

INGO Haraldi Hyberniensis, Noruagiorum regis F. omnibus honestatis numeris instructissimus, infantiæ suæ tempore per incuriam nutricis fortè sinu delapsus, confracto dorso gibbum contraxit. Cum Siuardo & Osteno fratribus, sed spurijs, Magnum regnum repetentem, uicit. Eius milium scelere frater uterq; peremptus. Tandem ab Haquino quodam exulum duce penè ad internecionem cæsus. Saxo lib. 14. & Cranzius lib. 5. Noruagiæ cap. 9.

ABDOMINIS AFFECTVS.

TVMOR. ABSCESSVS

GALENVS anno ætatis XXVIII. abscessu dextri hypochondrij laborans, duobus euidentibus insomnijs monitus, arteriam, quę inter pollicem & indicem dextri brachij sita est secuit: & donec sanguis sponte sisteretur (nam hoc quoque insomnium dictarat) expectauit: substitisse autem sanguinẽ Puta scribit, in lib. de Curãdi rat. per phlebot. antequam integrã libra effluxisset, & continuò diuturnum dolorem, in illo p̃cipuè loco fixum, qua iecur cum diaphragmate cõmittitur, cessasse. Similiter sacerdotem dei (Aesculapij) in Pergamo, insomnio monitum, secta in summa manu arteria, diuturno lateris dolore liberatum fuisse.

STOMACHI AFFECTVS.

BVLIMIA. FAMES canina.

M. BRVTVS post cædem Dictatoris, cùm ex Macedonia in Epirum properaret accipere legiones Gabinij: per multam niuem iter faciens, prope Dyrrhachium ex labore & algore bulimia est correptus. Quod mali apprehendit ferè & pecudes & homines, cùm per niuem lassescunt: uel quòd calor ob corpus frigore astrictum, ubi coactus intrò omnis est, alimentum statim consumat: uel quòd emissus halitus à niue fusa acris & tenuis penetret corpus, & calorem ex eo foràs dispersum dissoluat. Quippe sudores efficere calor ni detur occursu in superficie frigoris extinctus. Quia uerò Brutus animo deficiebat, neq; ullus in exercitu quicquam habebat cibarij: necesse fuit ministris eius ad hostes confugere, atq; ad portam pergentes panem petierũt à statione. Qui audito Bruti incommodo, accurrerunt ipsi, cibumque & potum attulerunt. Pro quo beneficio Brutus, ubi deditum est ei oppidum, non in hos modò, sed horum etiam causa clementem præbuit se in omnes. Plutarchus in Bruto, & lib. 6. Con. quæst. cap. 8.

APPETITVS DEIECTVS.

Cibi & potus fastidium morbosum hîc consideramus. Famis alioqui & sitis naturalis tolerantia, uel etiam abstinentia cibi & potus, ad Actionum bonitatem potius referenda uidetur.

DEBILITAS.

ARISTOTELES Stagirita, cùm debili maximè uentriculo esset, utrem calentis olei stomacho imponere consueuerat, pro concoctione adiuuanda. Laert. lib. 5.

D. BERNARDVS natura debilis, assiduis ieiunijs ita stomachum afflixit, ut perpetuis ferè cruditatibus & uomitionibus laborarit. Gulielmus abbas in eius uita.

DOLOR. CARDIALGIA.

CLAVDIVS Cæsar ualetudine sicut olim graui, ita princeps perprospera usus est, excepto stomachi dolore. Quo se correptũ, etiam de consciscenda morte cogitasse, dixit. Suet.

GALENO Pergameno medico inter alios morbos & symptomata, per iuuentutem uentriculus bile assiduè infestabatur: ad quem refrigerandum lactuca utebatur. Cùm uerò ad ætatem declinantem peruenisset, eodem olere aduersus uigilias uespere uescebatur, iunior quidem crudo, senex uerò, cùm ex dentibus malè haberet, elixo.

INTESTINORVM AFFECTVS.

DOLOR COLICVS.

PVBLII Melitensium principis pater à Paulo apostolo à torminibus & febre liberatus est, cùm in eam insulam naufragus cum socijs eiectus esset Paulus. Act. 28.

In Græcorum thesauris legimus, RVSTICVM intentum opeṙi, ubi colica affectio grauis infestare adorta eum est, remedio usum hoc genus. Nempe extra morem se primùm præcinxit, mox & cum pane allium esitando uentri satisfecit, ac malo intulit leuamentum: sic, uti ex ijs, quæ adsuerat, nil omnino interpellatum omitteret. Interdiu uerò bibebat nihil, in uespera autem meracius, ac somno fusim nocte tota perfruebatur, ita ut mane consurgeret ἀνώδυνος, id est, citra doloris sensum. Ex quo 12. Method. Galenus, τῶν ἀγροίκων θηριακὴν agrestium theriacen allium nuncupat. Cælius lib. 4. cap. 14. A. L.

Consularis ASPRENATVM domus est, in qua alter è fratribus colo liberatus est, aue galerita assa in cibo sumpta, & corde eius armilla aurea incluso: alter sacrificio quodam facto crudis laterculis in formam camini; atque ut sacrum peractum erat, obstructo sacello. Plin. lib. 30. cap. 7.

Scribit GALENVS lib. 2. de Locis aff. sibijpsi accidisse dolorem uehementissimum, ut uideretur in uentre intimo terebrã perforari, in eo potissimùm spácio, per quod à renibus ad uesicam ureteras scimus extendi. Mox excretum à se grauissimo cum dolore humorem, uitreum à Praxagora nuncupatum, quòd sit uitro fuso similis, aut ob frigiditatem. Cælius lib. 4. cap. 21. Antiq. Lect.

Meminit P. Aegineta lib. 3. de Re medica cap. 43. colicæ affectionis epidemiæ, ab ITALIA ortæ, & per multas regiones grassatæ: in qua plerisque ad morbum comitialem, alijs ad artuum resolutionem, seruato sensu, quibusdam ad ambo delapsus contigit. Quibus ad comitialem, utplurimum periere. Eos Italus quidam medicus curauit, incredibili quodam ac temerario frigefactorio uictu constituto, non potentia tantùm sed & actu. Fortè quia ex acri & mordaci humore malum ceperat.

BALTHASAR Arnoldus, ecclesiastes Torgensis, qui XII ætatis climactterem superauit, ab ineunte pueritia colico dolore excruciatus, anno tandem ætatis LXIII. Christi 1564. grandem lapidem, teretem, glabrum læuemque, articulis duobus pollocaribus coniunctis similem, basi utraq; concaua, uenulis albis & luteis in colore spadiceo discurrentibus, excreuit. Basis utraque concaua speciem præ se ferebat, alios quoque lapides eidem insertos fuisse, & à natura sensim absque obseruatione ægri adstantiumúe expulsos: cùm ne huius quidem excretio cognita fuisset; nisi transuersus rectum intestinum obstruxisset, ita ut chirurgica manu eximendus fuerit. Eo pondere leuatus, dolores quoq; colici cessauere. Itidem FR. Frizimelica Patauinus medicus, præceptor noster, colicis doloribus crebrò obnoxius, lapidem oui magnitudine per aluum excreuit. Io. Kentmannus de Calculis in hum. corpore.

MAVRITIVS à Thimen Vitebergensis nobilis singulis mẽsibus silente Luna lapides ex intestinis aliàs maiores aliàs minores pisis, rotundos, oblongos, subasperos, absq; maiore molestia eijcere consueuerat. Interdum ex arenulis cõglobatos, instar ammoitis, fuluos, subduros, sed leuiores. Io. Kentmannus de Calculis hum. corp.

FLVOR ALVI.

THEOPHILVS Imp. mole calamitatis oppressus, propter excisam patriam Amorium, & trucidatos captiuos, omnem penè cibum ac potum auersatus; tantumq; aquam ex niue expressam admittens, in dysenteriam incidit. Cedren.

Tyrach Pazinacum Scytharum princeps sub Constantino Monomacho Imp. cùm Ister frigore congelaretur, cum tota gẽte Istrum pedes transijt. PAZINACÆ, reperta esculentorũ ac uini copia, aliorumque potuum ex melle confectorum abundantia repleti, morbum contraxerunt cœliacum uocatũ. Itaque abiectis armis Romanis sese dediderunt. Horum multi ferro obtruncati, quidam uenditi, reliqua turba in Bulgarorum terras, quæ penè desolatæ fuerant colonis, traducta. Tyrach cum primoribus gentis ad Imperatorem ductus, accepto baptismate, splendidis dignitatibus honestatus fuit. Cuspinianus.

VERMES.

In insula prope Mascum, RVSTICVS quidam post continuum uentris dolorem, & sumtam aliquando aduersus id mali theriacam, uermem excreuit octo pedum longitudine, & digiti unius, quasi cornuto ore, non admodum dissimili anatis rostro. Vierus lib. 3. cap. 15. de Præstig. dæm.

Anno 1549. commemorantur in Vngaria circa Thayse flumen inuenti HOMINES, in quorum corporibus absolutæ lutræ & lacertæ essent inuentæ. Num uerisimile uideatur, aliorum esto iudicium. Vierus lib. 3. cap. 15. de Præstig. dæm.

HEPATIS AFFECTVS.

DEBILITAS, OBSTRVCTIO.

In MELONEIS relata est uitij hepatici nota, si mures domestici sedulò obseruent & sectentur: quod nunc fieri nusquã comperitur. Plut. lib. 8. Quæst. con. 9.

ICTERVS.

Χαράδριος, auiculæ nomen, cuius aspectu facilè sanantur, qui ictero siue regio morbo laborant: eamque ob causam, qui uendunt, occultant eam, ne eo morbo laborantes gratis sanentur. Hinc prouerbium, χαράδριον μιμούμενος, Charadriũ imitans: dici solitum de ijs, qui occultantur. Suidas.

LAPIDES.

Quum Venetijs AVGVSTINI ducis ex Barbadica gente dissecaretur defuncti cadauer, ut eximerentur interanea, in hepate inuentus est lapis prope cystin fellis, magnitudine grãdioris oliuæ, coloris serpentini, in nigredinem tendentis. Cælius lib. 4. cap. 17. Antiq. Lect.

LIENIS AFFECTVS.

TVMOR. OBSTRVCTIO. SPLENETICI.

Affectio.

STRATON F. Corrhagi, cùm esset ex illustri familia oriundus, & diuitijs abundaret, non antè corporis exercitia usurpauit, quàm ex splene laborare cepit. Aelianus de uaria historia, libro quarto.

In terra Caria prope Rhodum CAVNII pestilente cœlo sunt, & lienosi, uulgato apud Strabonem aliosq; Stratonici citharœdi sale: qui illos intuitus colore admodum uiridi, dixit hoc illud esse, quod poeta Homerus cecinisset:

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Quumque illum incusarent, quòd urbem ut morbidam carperet: Ego, inquit, eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant? Cælius libro 4. capite 18. Antiq. Lect. & Plinius libro 11. capite 37.

Curatio.

Epirotarum rex Pyrrhus, solo contactu pollicis dextri pedis, splene LABORANTES curabat: & cùm in funere eius corpus rogo cremaretur, combustis alijs partibus, solus is digitus incombustus remansit. Fulg. lib. 1. cap. 6. ex Plut. Pyrrho.

Orchomenium LAOMEDONTEM ad depellendum splenis uitium aiunt ex medicorum præceptis longis cursibus usum, atque ita corpore laboribus subacto certaminibus sese dedisse sacris, & inter optimos euasisse dolichodromos. Plut. in Demosthene.

RENVM AFFECTVS.

CALCVLVS.

EVCHARIVS presbyter ex Hispania, Calamæ in Africa habitans, ueteri morbo calculi laborans, per memoriam Stephani martyris, quam Possidius illò aduexit episcopus, saluus est factus. August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8.

In Cassinensi cœnobio, HENRICVM II. Imp. à D. Benedicto, monachorum patre, ferro calculum ipsi in somnis leniter execante, omnibus deinceps, quos calculus gignit, doloribus liberatum, Nauclerus Vol. 2. Generat. 34. narrat. Cum urina tres lapillos effusos, in Cass. Chronic. lib. 2. cap. 44. scribitur. Vide Tit. Reuelatio sanitatis.

Mirabile est MVLIERIS exemplum, quam diu molestum uexarat onus spondylorum ac renum. Ea cùm scabendo, pruritu titillante, cutem lancinasset, lapilli exciderunt numero decem & octo, magnitudine quanta in tesseris uisitur, colore planè gypseo. Cælius lib. 3. cap. 12. Antiq. Lect.

VESICÆ AFFECTVS.

CALCVLVS.

AVGVSTVS Cæsar, uesicæ dolorem calculis per urinam eiectis sanabat. Suetonius.

PVER quidam Ceruuicensis, in ditione Anhaltinorum ducum, XIII ętatis anno ab imperito lithotomo incisus fuit, ita ut per uulnus urina manante, glutinosus humor uulneris labijs adhærescens, in cinereum lapidem coalesceret, & crudeliss. dolores excitaret. Itaque repetita sectione à perito lithotomo probè curatus fuit. Io. Kentmannus de Calculis in hum. corpore.

VVLNERA.

CONRADVS à Bernheim nobilis Marchicus sclopeto petebatur seriò. Cùm ictum crumenę ferreę lamina excepisset,

globus resiliēs infra umbilicū uesicā traiecit. Desperantib. medicis Lipsensibus, Torgam aductus, Io. Kentmanni medici hortatu à Leonardo Vuolcio chirurgo susceptus fuit. Vstulatis uulneris labijs lapidosa substātia tophi instar undiquaq; accreuerat, ita ut exiguus tantùm urinę meatus pateret. Ea ablata, ampliato meatu, expurgataque uesica à sanie & ramentis globi ab urina absumpti, uulnus II. hebdomade coaluit. Kentmannus de Calc. hum. corp.

DIABETES.

CRATINVS Atheniensis poeta uini adeò fuit appetens, ut supra pelles recumberet, & in ijsdem etiam meieret. In prouerbium ergo abijt, Cratini κώδιον, id est, pellis uillosa, turpis & putrida. Gyraldus Dial. 6. hist. poet.

Anno salutis M CCCCLXXXI. PVELLA 18. annorum mingebat singulis diebus urinæ libras circiter triginta sex: assumebat autem ex potu ac cibo non plus septem libris: ita ut sexaginta diebus emiserit ultra cibi & potus substantiam libras 1740. hoc autem est longè maius pondere puellæ, etiamsi tota in urinam fuisset resoluta: nam puella non poterat excedere ad summum pōdus CCL. librarum, cùm neq; attingeret CL. Quæsitum fuit à Ioanne Marliano, unde hoc contingere posset? Respondit, aerem, qui in arterijs ubiq; contineretur, in substantiam aqueam conuerti, eaq; eiecta alium succedentem similiter conuerti in aquam, atque ita multiplicari. Quod uerò omniū maximum fuit, puella hæc post illos duos menses exactos sanata est à Francisco Busto medico. Causa efficiens huius affectus fuit frigida & humida intemperies, cum leuitate superficiei, arteriarum & membrorum, per quæ urina permeat, scilicet renū, ureterum, ac uesicæ: propter quas causas, uapores omnes qui in aere humido continebantur, in aqueam substātiam uertebantur. Et ob id credendum est, tempus tunc fuisse humidum: nā & hoc in marmorib. templorū uidemus. Cōstitutione cessante sanata est potius, quàm auxilijs, quāuis & illa nōnihil ꝓ fecerint. Cardanus de Rer. uar. lib. 8. cap. 44.

GENITALIVM, PVDENDORVM AFFECTVS.

IMPOTENTIA.

Hæc ipsa, si Facultatem spectes, ad actiones læsas pertinet. Sin Instrumenti affectionem, huius est loci.

VXorem quam duxit AMASIS rex Aegyptiorum, alij uolunt filiam fuisse Batti, filij Arcesilai: alij Critobuli, inter suos populares uiri spectati, nomine Ladicen. Cum qua concumbere non poterat, cùm tamen alijs mulieribus uteretur. Amasis ueneficio id fieri suspicans, mortem illi minatus est. Illa cùm pernegando nihilo placatiorem redderet Amasim, uouit intra se Veneri, si ea nocte secum coiret Amasis, statuam Cyrenas se illi missuram. Voti rea statuam Cyrenas misit, quæ ad Herodoti usque memoriam extitit extra urbem Cyrenensem. Hanc Ladicen Cambyses, Aegypto potitus, Cyrenas illæsam remisit. Herod. lib. 2.

HENRICVS IIII. Hispaniæ rex cùm adhuc princeps esset (sic autem uocant Hispani filium Regis primogenitum) Blancham Ioannis Nauarræ atque deinceps Tarraconensium Regis filiam duxit uxorem, sed ab illius nuptijs se continuit, siue impotentiæ suæ conscius, siue alia de causa. Facto diuortio Pontificis auctoritate, alteram superinduxit, Ioannam Eduardi Regis Lusitanorum filiam, ex qua nihilo magis quàm ex priore liberos genuit. Etsi autem omnibus constaret Regis infœcunditas, idque multis experimentis testatum esset, quinto tamen anno postea quàm conuenerant, Regina præter omnium spem deprehensa est concepisse. Sunt qui opinentur Regem ipsum ex cacozelia per manus, uti aiunt, in manus amico potiundā tradidisse, ut & regni hæredē, & suę uirilitatis argumenta relinqueret. Eam rem cùm proceres indignissimè ferrent, coactus fuit rex Alfonsum fratrem XI. annorum regni successorem declarare. Nebrissensis lib. 1. Dec. 1. cap. 1.

STERILITAS.

RACHEL Iacobi uxor sterilis ex nimia uteri æstuatione, mādragoræ pomorum usu refrigerata, quę Ruben Lię sororis F. rure attulerat, fertilitatem adepta est. Leuinus Lemnius de plantis Biblicis, ex libro Geneseos.

SVNAMITIS sterilis Elisæi precib. filiū impetrauit. 4. Reg. 4.

MVLIER quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à uiro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionē in eremo prope Gazam uiuentē, & nihil tale suspicantē, repente genibus eius aduoluta: Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? Noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis uisa muliere, interrogauit causam aduentus eius & fletum. Et postquam didicit, leuatis ad cœlum oculis, fidere iussit, euntemq; lacrymis prosequutus, exacto anno uidit cum filio. Hoc signorum eius principium. Hieronymus in uita Hilarionis.

Dicunt quidam, IVNONEM aliquando ab Apolline in domum Iouis ad conuiuium fuisse euocatam, atq; inter alias epulas lactucas agrestes appositas fuisse: quas ubi comedisset, cùm antea esset sterilis, repentè fit grauida, atq; Hebē filiam postea peperit. Natalis Comes lib. 2. cap. 5. Mythol.

COSROES rex Persarum, audiens Sergium martyrem esse datorem omnium, quæ petebantur: petijt ab eo auxilium in defensionem regni, & fœcunditatem coniugis sterilis. Quibus impetratis, misit ad Gregorium auream crucem, discum, poculum, thuribulum, & alia dona in honorē Sergij martyris. Euagrius lib. 6. cap. 21.

Narrant locum fuisse uicinum Hymetto, cui nomen fuerit χωλῆ πήρα, id est, claudi mantica. in eo fuisse templum simulq; fontem, unde FEMINÆ steriles bibebant, & fiebant fœcundæ. Erasm. in Prou. ex Suida.

Saracenorum princeps ZOCOMVS, ad celebrem quendā abbatem monachum, queritur se prole destitui. Monach⁹ prolē certam promittit, si in Christum credat. Principē bono esse animo & in regiam suam reuerti iubet. Interea pro principis sobole preces assiduas ad Deum fundit. Exauditur, ac nascitur suo tempore Zocomo filius hæres. Ex quo non tantùm ipse Christianus factus est, sed tandē religionē omnib. simul subditis amplecti præcepit. Sozum. lib. 6. cap. 38.

CONCRETIO PVDENDI.

CORNELIA Gracchorum mater, concreto genitali nata dicitur, infausto omine filiorum, quos paritura erat patriæ pestes. Plinius lib. 7. cap. 16.

EVNVCHI, SPADONES, CASTRATI.

Εὐνοῦχοι, qui ab ortu. Θλαδίαι, qui aliquando uiri fuerunt, ijdemque fortè Spadones, ἀπὸ τοῦ σπᾶσθαι. item ἀπόκοποι, ἐκτομίαι. Lucianus in Eunucho. Hic ipsius corporis mutilationem consideramus. Quatenus uerò sic affecti gynæceis regū præficiuntur, alterius erunt loci.

QVI, SIVE

Mares.

ABDEMELECHVS Aethiops spado regis Sedeciæ, Hieremiam prophetam è tetro carcere liberauit. Hier. 38.

Nabucodonosor rex cum Ioacimo rege Iudæorum abduxit ex Israelitis nobilissimos quosq; & inter eos quoq; ex Iudę genere DANIELEM, ANANIAM, MISAELEM & ASARIAM, quos castrari fecit, & Asphenazo spadonum magistro commisit, qui eorū nomina mutauit, & Danielem uocauit Baltasarem, Ananiam Sidracum, Misaelem Misacum, & Azariam Abdenagonem. Dan. cap. 1.

HEGÆVS eunuchus Persarum regis Artaxerxis concubinas comebat, ut ad regem intromitterentur. Easdem ad regem admissas, SASAGAZIVS in alterum gynæceum manè recipiebat. Esteræ 2.

BAGATHAN & THARES eunuchi, contra Artaxerxem Persarum regem conspirantes, serui Barnabazi indicio deprehensi, & in crucē sublati sunt. Esterę 2. Iosephus l. 11. c. 6. Ant.

ATHACHVS eunuchus, Esteræ reginæ nuncius ad Mardochæum, per quem Amanis consilia regina resciuit, & Dei auxilio euertit. Esteræ 3.

HARBONA spado, SABVCHADES Iosepho, Artaxerxi regi Amanis consilium contra Mardochæum indicauit apud Esterem reginam. Esteræ 7. & Iosephus lib. 11. cap. 6.

BAGOAS eunuchus Olofernis ducis Nabucodonosoris, qui Iuditham ad conuiuium uocauit, & in eodem cum Oloferne tabernaculo conclusit. Iudithæ 12.

CANDACES eunuchus reginæ Aethiopum, qui ex Aethiopia orandi gratia Hierusalem uenit. Act. cap. 8.

ACDESTIS Iouis F. ex petra genitus, roboris summi, ferociæ intractabilis, insanæ & furialis libidinis ex utroq; sexu fuit. Huius audacia ut cohiberetur & infringeretur, Liber familiarē illi fontē, quo ardorē fuerat sitētus & sitiēdi lenire flagrantiā ludo & uenationib. excitatā, ualidissima succendit ui meri. Acdestis soporem in altissimum deprimitur. Liber ex setis scientissimè complicatis unum planta inijcit laqueum, parte altera genitalibus iniecta. Exolutus ille ui meri corripit se impetu, & adducente nexus planta, suis ipse se uiribus eo quo fuerat priuat sexu. Arnob. lib. 5.

DEMO-

DEMODOCVS & PHEMIVS fratres, ἀοιδοί, custodes relicti, ille quidē Clytæmnestræ, hic uerò Penelope. Nec prius Clytęmnestrę pudicitiā Aegisthus expugnare potuit, quàm Demodocū (alij Chariadē, alij Glaucū fuisse appellatū asserunt) è medio sustulit. ἀοιδοὶ aūt ambigua significatione dicūtur, uel ἀπὸ τοῦ ἀείδειν, à canēdo: uel ἀπὸ τοῦ παιδία μὴ ἔχειν. Vtraq; fortassis significatio locum habet. Eunuchi erant simul, & Musici. Eustath. in 3. Odysseæ.

SICINVS eunuchus, Themistoclis filiorū præceptor, ad Xerxem simulata proditione missus, Xerxem ad naualem pugnam cum Græcis ad Artemisium induxit. Herodotus.

ARSACES eunuchus obses, per quem falso metu Themistocles Xerxem fugere coegit. Plut. in Themistocle, & Polyæn. lib. 1. Frontinus lib. 2. cap. 6.

THYREVS eunuchus Statiræ uxoris Darij. Plut. in Alexand.

MESABATES Artaxerxis Persarum regis eunuchus à Parysati Artoxerxis matre, ob Cyri caput & manum pręcisa, more Persarum & regis iussu, excoriatus fuit. Plut. in Artoxerxe.

HERMIAS eunuchus ter uenditus, Atarnites (quę prouincia est Mysiæ ad Hellespontum, cui præfuit, regi Persarū dicto audiens) seruus Eubuli Bithyni principis & philosophi, animum scripsit esse immortalem, Aristoteli familiaris, cuius filiam adoptiuam in matrimoniū accepit, & licet θλαδίας esset, filiam ex ea Pythiadem suscepit. Suidas.

GANYMEDES eunuchus, & nutricius Arsinoes, de quo Lucanus lib. 10. A famulo Ganymede dolis peruenit ad hostes Cæsaris Arsinoe.

ARISTONICVS Ptolemæi regis Aegypti eunuchus unà cū rege educatus à puero, ingenio militari fuit, & in armis plurimùm sese exercuit: nec in ijs minus quàm in congressibus ualuit, & sensu communi (quod rarum est) præditus fuit, & ad bene merendum de hominibus propensus. Suidas.

PHOTINVS eunuchus Ptolemæi Aegyptij regis in gratiam Cæsaris uictoris Pompeium suasit interimendum. Plutarchus in Pompeio. Lucanus:

Ausus Pompeium letho damnare Photinus.

HALOTVS eunuchus Agrippinæ, & prægustator Cæsaris Claudij, suasu imperatricis boleto medicato dominum interfecit. Suetonius.

PHAVORINVS philosophus, Arelatensis, Hadriano principi maximè infensus, tria de se mira prædicabat, Se Gallum Græcissare, Eunuchū mœchum putari, Inimicum Imperatori uiuere. Volat. l. 16. Anthrop. Erat illi nuda barbitio facies, uox acuta & tenuis, qualis ferè eunuchorum natura perno scitur, quos esse tertium genus hominū pronunciauit Alexander Cęsar, nec uid endum, nec in usu habendum à uiris, sed uix à nobilibus feminis: tametsi Barbaris uno fidei nomine fuisse integris eunuchos preciosiores, Herodoto credimus. Cælius lib. 19. cap. 12. A. L.

HYACINTHVS & PROTVS, eunuchi Eugeniæ filiæ Philippi præfecti, sub Maximiano martyres. Volat. lib. 16. Anthro.

PARTHENIVS & CALOCÆRVS eunuchi Tryphoniæ uxoris Decij, martyres facti sunt sub eodem principe.

EVTROPIVS eunuchus, procurator Theodosij Imperatoris, ut ait Eunapius, Rufino successit, Imperatoris etiā Arcadij cubicularius, nullum facinus prætermisit, tū magistrat⁹ publicè uendendo, tū milites calumniando, tum proceres relegando, tum omnib. contumelijs senatum afficiendo. Cùm aliquando etiā eos, qui in templa cōfugissent, cōprehendere uellet: legē promulgauit, quę concederet illos uel ab aris abstrahi. At ea lex uix ꝓmulgata erat, cùm ultio crudelitatis est secuta. Nec enim multo pòst, in templum cōfugiēs, sub altari iacuit, Ioanne Chrysostomo episcopo: indeque abstractus, noctu capite plexus fuit, & è Consulum catalogo deletus, solo collega Theodoro inscripto. Sub hoc gens eunuchorum, ob illius potentiam, ita creuit, ut nonnulli iam barbati, Eutropij splendorem affectantes, unà cū testibus uitam quoque amitterent. Suidas.

NARSES eunuchus, Iustini principis cubicularius, è chartulario & bibliopola princeps copiarum factus post Belisarium: multis rebus præclarè gestis, tandem siue inuidia, siue fortuna, siue populi accusatione, in odium Iustini & uxoris eius deuenit, adeò ut Imperator literas ad eum dederit plenas ignominiæ, quibus eum monebat, ut ad colū, pensum & lanas rediret. Tum ille iratus: Ducam (inquit) tale pensum, talemq; ordiar telam, quam non facilè sit uobis explicare. Itaq; ut iniuriam ulcisceretur, Longobardos Romam iamdiu inuadere cupientes, euocauit. Paulus Diac.

ABLABIVS, EVRYTHRIVS eunuchi. Eunapius in uita Aedesij, & Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

In ęde S. Procopij, magni martyris, in testudine, cuiusdā eunuchi statua sita est, cuius in pectore scriptū est: Qui loco mouerit hic sita, stranguletur. Fuit autem statua illa PLATONIS cubicularij, qui temporib. Basilisci crematus est. Cùm autem parentes eius postulassent, ut is eunuchus monimēti ergò, aduersus ços qui Imperatori aduersarentur, statua donaretur; impetrarunt. Cùm uerò ædes magni martyris renouaretur, translatus est in circum equestrem. Suidas.

Feminæ.

Xanthus Lydius in secundo Lydiacorum Gygen omnium principem scribit, dum Lydis imperaret, γυναῖκας εὐνουχίσαι, id est, MVLIERES eunuchas fecisse, ὅπως αὐταῖς χρῷτο ἀεὶ νεαζούσαις, ut illis perpetuò tanquam ætate florescentibus uteretur. Cælius libro 19. capite 29. At libro 20. capite 14. id tribuit regi Andramyti.

A QVIBVS. Eunuchi facti à

Natura.

Apud Didymæos Didymenæ matri & Attæ dedicatum est fanum. ATTEN Hermasianax elegorum scriptor uersibus ꝓdidit, Calai Phrygis filium fuisse, & ad uenerem planè inutilem editum à matre. Cùm iam adoleuisset, in Lydiam migrasse, ibiq; Magnæ matris cæremonias monstrasse. Tanto uerò in honore apud deam fuisse, ut id molestè ferens Iupiter, immanem aprum in Lydorum segetes immiserit, à quo & alij è Lydis, & ipse Attes interemtus fuerit. Fidem rei faciunt Gallogræci Pessinuntis incolæ. Sue enim tanquam impura bestia omnino abstinent. Pausanias in Achaicis.

DOROTHEVS præsul Antiochenus, uir eruditissimus, Græcè & Hebraicè doctus, eunuchus ab ipsa genesi fuit: quo magnopere Aurelianū principē dicunt delectatū fuisse. Eus.

Seipsis.

ATYS (alij Attes) insania correptus, testes sibijpsi amputauit. Arnobius lib. 5. contra Gentes.

ORIGENES Adamantius, ut corpus ab omni uenerea labe mundum seruaret, omniq; suspicione careret, sectis genitalibus membris eunuchum se fecit. Fulg. lib. 4. cap. 3.

STEPHANVS Mareotidis regionis anachoreta, cùm uerendas corporis partes exulceratas taboq; diffluētes haberet, inter chirurgicas ustiones & sectiones nullum emisit eiulatum aut gemitum. Marul. lib. 5. c. 4. ex Sozomeni li. 26. c. 29.

Regibus.

Proditum memoriæ est, Semiramidem reginam omnium principem teneros MARES adortam castrare. Cælius lib. 13. capite 29. A. L.

Apud Eleos regnauit Pantaleon, iniuriosus & immanis. Is LEGATOS, qui ad se uenissent, castrans, proprios testiculos edere coegit. Heraclides.

Hostibus.

Posteaquam Persæ potiti sunt urbibus Ioniæ, sub Dario rege, formosissimos quosq; PVERORVM seligentes castrauerunt, exectis testibus facientes eunuchos: uirginesq; speciosas ad regem transportarunt Susa: & super hæc, urbes cum templis cremauerunt. Herod. lib. 6.

PHOCAS Imperator Mauricij Imperatoris interfector, cùm libidinibus & multorum cædib. sese adeò polluisset, ut nec propinquis parceret: Priscus gener ei⁹, & alij Senatores, ex Africa Heraclium & Nicetam cum exercitu euocant: à quibus Phocas uictus, castratur, & ignibus crematur, cùm imperium obtinuisset annos octo, anno Domini 612. Sigebertus: Paulus Diac. lib. 4. cap. 11. de gestis Lōgobardorum. Nicephorus lib. 18. cap. 56. & Zonaras Tomo 3.

Cæso Leone V. Imp. quatuor eius FILII in insulam, quæ Prima cognominabatur, exules missi sunt à Michaele Traulo, qui imperium occupauit, exectis priùs uirilibus, ubi Theodosius quartus ordine diem suum obijt. Cusp.

Theobaldus Camerinorum princeps cùm Beneuentanis suppetias mitteret, & cum GRÆCIS manus consereret, fugauit eos: & quotquot cepit, euiratos remisit, addens ignominiæ risum: Quandoquidē, inquit, Imperator uester Constantinus eunuchis gaudet, quotquot emiserit gallos, capos remittam. Cranzius lib. 3. cap. 9. Metropoleos, & Luitprandus lib. 4. cap. 4. rerum in Europa gestarum.

GVLIELMVS III. Neapolitanus rex, uirilib. exectis ab Herico VI. Im ꝑatore castratus in Germaniā deportat⁹. Collen.

Imprudentibus.

De TVSCO haruspice, Martialis Epigrammatum lib. 3.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
  Hircus, Bacche tuis uictima grata sacris.
Quem Tuscus mactare deo cùm uellet haruspex,
  Dixerat agresti fortè rudiq; uiro,
Vt citò testiculos peracuta falce secaret,
  Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super uirides aras luctantia pronus
  Dum resecat cultro colla, premitq; manu,
Ingens iratis apparuit hernia sacris:
  Occupat hanc ferro rusticus, atq; secat:
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
  Talibus & fibris numina prisca coli.
Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,
  Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

Brutis.

SINAMBASSA, summæ apud Selimum Turcorum Imp. auctoritatis, ignobili Epiri uico in montanis Ambraciæ natus, memorabili casu in eam uirtutis atque opulentiæ magnitudinem euectus est. Nam porcam, quę domi alebatur, ei adhuc puero, ac fortè in umbra dormitanti, adprehensa morsu uirilia excidisse ferunt: protinusque eum ueluti eo corporis uitio nobilitatum, à conquisitoribus insignium puerorum Constantinopolim ad Mahometem fuisse perductum. Vbi eum mox fortuna, quem paulo antè non temerè, at sæua tamen sorte castrauerat, fatalis uirtutis auspicijs ad destinatos honores extulit. Iouius.

QVOMODO.

GALLVS quidam nobilis, ex Narbonensi prouincia oriundus, ex itinere captus à Turcis, & in Thraciam abductus, dynastæ cuidam donabatur, & (ut opinor) Belerbeco, qui cis Bosphorum Thracium per Macedoniam præfectus militum dicitur. Ab hoc ille non asperè cœpit tractari more Barbaro, sed perhumaniter, eo quòd gynæceo destinatus esset ob formam ac ætatem. Quodam die lauto sed medicato exceptus conuiuio in somnum triduanum incidit. Quum experrectus mingere uellet, exectos sibi testes animaduertit: ac tum demum attonitus cognouit, quàm diu dormisset, & cur tam lautè semper ac affluenter tractatus esset. Redijt tamen ad suos, & hanc attulit causam, cur nuptijs facilè carere posset. Vierus lib. 2. c. 34. de Præstig. dæm.

CVR. Causa

Religionis.

MATERNIANVS episcopus Auelinus testium diuulsione tortus fuit. Vide Tit. Sæuitiæ bellicæ erga hostes uiuos.

Magnæ matris SACERDOTIBVS sibi uirilitatem amputādi, idque Samia testa, nec aliter, ut putarunt, citra perniciē, mos ex ea fortassis historia originem sumsit, quam Lucianus longo sermone narrat in opusculo de Syria dea. Fabellas percurrunt Ouid. Fastor. 4. Phurnutus in Rhea, Festus in dictione Galli, Catull. in Berecynthia & Aty, & Pausanias in Achaicis. Brodeus in primo Epigrammatum.

GENVTIVS Gallus matris deûm, eo quòd sibijpsi genitalia amputauerat, à Surdinio ab hæreditate iniusta & deiectus est. Aerodius, ex Valerij libro septimo capite 7.

Adulterij, Stupri.

In Esa non longè à Nicæa in Narbonensi prouincia mulier quædam noctu dormienti VIRO genitales partes abscidit: factū excusans, quòd ipsa uiro fidem præstaret, uicissim quoque æquum esset eandem à uiro seruari: & quia is coniugalem fidem uiolarat, plecti debere ea corporis parte, qua peccauerat. Fulg. lib. 6. c. 1.

PÆDERASTÆ execti à Iustiniano Imp. Interrogatus causam, Annon, inquit, si sacrilegium commisissent, manus illis amputandæ fuissent? Zonaras tom. 3. Paulus Diac. lib. 16.

Libidinis.

HELIOGABALVS abscissis genitalibus Matri se magnæ sacrauit, ut Aurelius probat, ut probris se omnibus contaminaret: & cupiditate stupri, muliebri nomine se Bassianam pro Bassiano iussit appellari. Cuspinianus.

PÆZON è spadonibus Seiani, à Sutorio Prisco in ipso ciuitatis luctu III. M. D. emptus fuit, non tam formæ quàm libidinis ergô. Plin. lib. 7. cap. 39.

EARINVS eunuchus, plurimùm à Domitiano Imp. adamatus: quem tamen mox repudiauit, cùm in Titi Vespasiani, qui Sporos amauerat, contumeliam, ne quis in posterum intra fines Romani imperij castraretur, edixit. Xiphilinus. Hic à Martiale celebratur lib. 9. Epig.

Quæstus.

Panionius quidā Chius, magno HERMOTIMVM Pedasensem elegantissimum puerum ab hostibus captum atq; uenundatum emerat, eumque castrauerat (eunuchos enim maximi faciunt Persæ, fidei causa) & Sardis uendiderat. Deductus ad regem Xerxem Hermotimus, breui temporis spacio inter eunuchos primum locum obtinuit. Mox Xerxe contra Græcos expeditionem suscipiente, Hermotimus quoque regem comitatus, è Sardibus in agrum Mysium, qui Atarneus dicitur, descendit, ibique inuentum Panionium, simulata beneuolentia, magnificis pollicitationibus, ut ad se migraret, induxit. Postea quam igitur eum cum uxore & quatuor liberis adeptus est, patrem coegit, ut filijs suis genitalia excinderet: mox filios, ut patrem castrarent. Et sic pœnas à Panionio sumsit. Herodotus lib. 8.

Amasgorum & Alanorum principum auaritia eò creuerat, ut parentibus PVEROS, qui indole & elegantia corporis pręstabāt, ui raperent: & testibus exectis, magno precio Romanis eunuchorum studiosis uenderent, patribus interfectis, ne ob filiorum orbitatem aliquid molirentur contra ipsos. Cuspinianus in Leone III. ex Zonara.

Accusationis effugiendæ.

Anno 1553. in Iunio, quidā monachus HERMANNVS Vuolfrāctgen: custos templi in monasterio Cruciferorum Duseldorpij, ubi societatis uenereæ cum muliere nupta insimularetur à monachis, & hinc actionem aduersus se coram Generali, grauiter timeret, morbum fingit, nimirum rupturam in umbilico. Accitur Engelbertus Holter Cliuēsis principis chirurgus, malum hoc curaturus. Huic detecto figmēto animi morbum insinuat Hermannus, meditaturq; quibus rationibus collegarum manus euitare possit. Priori à chirurgo persuadetur, rupturam non posse restitui, nisi ægrotus apud se aliquandiu decumberet, ac interea temporis uterque illi testis execetur: ut se in iuuentute fuisse castratum, & propterea impotentem, falsoque accusari, quandocunque eo nomine iudicio coram Generali sisteretur, conuinceret. Inducitur Prior ab Engelberto, ut secum ille transigat de mercede. Inde Hermanno uolenti utrunque testem clàm domi execuit Engelbertus. Vierus libro tertio cap. 18. de Præstig. dæm.

VLCERA.

GALERIVM Maximianum Imp. fœdissimus inuasit morbus: quippe ortum circa pudenda ulcus instrumenta libidinis eius tabefecit, uermibusque ex putrefactione contractis malum insanabile factum. Ex quo in eum furorem adactus est, ut medicis etiam intulerit manus tam ijs, qui de salute desperauerunt, quàm qui rem aggressi promissa non præstiterunt. Deniq; ueritum, se propter iniustas Christianorum uexationes à Deo iuste affligi, grauis pœnitentia subijt, atque edictum suo & Cōstantini nomine edidit, ut Christianis posthac parceretur, ac templa conuentusque darentur, simul orans, ut ipsi solennes pro Imperatore preces effunderent. Nec multo pòst obijt. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

HVLDRICVS Leodiensis episcopus, cùm circa anum cancro laboraret, nullamque medici salutem sponderent, iussit se in Turones ad beati Martini fanum deferri. Illic cùm septimum diem inter lacrymas gemitusq; iuxta aram ageret, & fessus in somnum incidisset, uisus est uidere Martinum Briccium que simul de ipsius morbo loquentes: atque Martinum crucis signo frontem eius notare, ac pedo morbosam contingere partem. Itaque à somno experrectus, liber à morbo inuentus est, sola cicatricis parua nota, ubi cancer erat, relicta. Fulgos. lib. 1. cap. 5.

Recenset Io. Langius lib. 1. Epist. medic. epist. 38. historiam de quadam MVLIERE, quæ, cùm is Bononiæ rei medicæ operam nauaret, circa pudenda ulcere sanioso, meliceri de scilicet, laborabat: simulatque uerò spem consolidationis maximè læto chirurgo ostentaret, tum repētè nouus ichor humor melli simillimus ubertim erumpebat: donec dęmō, quo obsidebatur, deprecationibus diuinis expelleretur: tum eadem nocte, nullo relicto cicatricis uestigio, ulcus sua sponte consolidatum fuit.

PRIAPISMVS.

Baccho dicatum poema est simul & celebritas Phallophororum (qui phallos ferentes eundo canebant. Ithyphalli uerò ebriorum persona, & coronati stantes pronunciabāt) propterea quòd ex oppido Bartiæ, cui nomen erat ἐλευθεραί, Pegasus quidam mysteria detulit ATHENAS, unà cum Liberi patris signo. Quod populus cùm segnius accepisset, eius contemptionis pœnas dedit: correptæ namque sunt morbo pudoris partes. Multis ergo frustra tentatis remedijs, ex oraculo φαλλὸς, hoc est, perticas, atque in earum fastigio coriaceum genitale, tum publicè tum priuatis in ædibus erexerunt. Simile quiddam legimus in historia Palæstinorum. Scaliger lib. 1. Poetices, ca. 10. Nimirum religio talis, in qua impium quàm pium esse multo sit præstabilius.

TVMOR VTERI.

Boethi uiri consularis VXOR Romæ, cùm uenter ei tumuisset, & in muliebrem fluorem aquosum incidisset, obstetricibus optimis usa primum, deinde etiam præcipuis medicis, sed frustra. Tandem Galeno soli curatio est demandata. Petierat autem is dies decem sibi dari, & intra eos si quid proficeret, alios totidem addi. Cumque iam mense transacto & bene colorata esset mulier, adeò ut ad naturalem habitum nihil penitùs desiderari posset, nec amplius fluoris indicium superesset ullum, aureos quadringentos ad eum Boethus misit (quæ summa, ut Gemusæus computauit, ualet aureis Rhenensibus plus 1300. uel ut Lacuna, mille coronatis solaribus,) & nobilium medicorum inuidiam auxit. Gal. de Præcognit. ad Posthumum, cap. 8.

GONORRHOEA.

Visa in quiete uenerea, sponte naturæ erumpentia, usque in morbi genus, plumbeis laminis CALVVS orator cohibuisse

isse traditur, uiresque corporis studiorum labori custodisse. Plin. lib. 34. cap. 14.

CVLENVS Scotorum rex ueneris ac uini abusu uiribus eneruatis, seminis profluuio correptus est: sic ut exanime cadauer, ambesa carne, cute uix ossibus hærente, etiam aulicis haberetur derisui, & quod infelicis superfuit uitę, cum summa transigeret ignominia. Boethius lib. II.

FLVXVS MVLIEBRIS.

Christus MVLIEREM hæmorrhoissam, quæ XII annis sanguinis fluxum passa fuerat, & fimbriam uestimenti illius tetigerat, curauit. Matthæi 9. ALIAM simili affectam malò curauit Iesus. Marci 5. Lucæ 8.

PARTVS DIFFICILIS.

Aquam consecratam pariendi difficultate laboranti CVIDAM mulieri propinante D. Bernardo, fœtus statim in lucem prodijt. Auctor uitæ lib. 4. cap. 4.

ABORTITIO.

Abortitio huius est loci. Abortus ipse ad primum librum pertinet respectu diuerso: Fœtus hic, illic Matris.

In uico Arcadiæ Condylea dicto, fanum est priscum Condyleatidis. Cùm pueri aliquot circa templum luderent, funiculo, quem repererant, Dianæ signum obligato collo per lusum trahentes, Dianam strangulari dictitabant. Eos CAPHYENSES ciues uiolati numinis crimine damnatos, lapidibus obruerunt. Vnde communis pestis feminis incessit, ut omnes quæ uterum ferrent, fœtus per abortum abijcerent: neque, antè malum cohiberi potuit, quàm oraculi iussu pueros sepelissent, & quotannis illis inferias mitterent, quòd insontes peremti essent. Pausanias in Arcadicis.

FOETVS IMMORTVVS.

Anno Christi M D X L V. Viennæ Austriæ MARGARITA Carlinia, uxor Georgij Volzeri cauponis, prægnans, doloribus partus agitata, in medijs nixibus, cum nescio quid in uentre crepuisse sensisset, neque fœtus uitales motus ulterius ederet, uehementissimis integro quadriennio symptomatis cōflictata, & iam semianimis, à medicis deplorata habebatur. Cùm natura circa umbilicum abscessum molita, copiosum pus excreuisset, & ulcus ipsum denuò coaluisset, tandem anno XLIX. noua materia collecta, in ipso orificio ulceris os brachij fibulare apparuit, cum summa uitium deiectione. Itaq; extremo morbo extremo remedio, sectione uidelicet, adhibito, abdomen apertum, & fœtus masculus semiputridus frustillatim extractus est, regiorum chirurgorum opera, & consilio Mathiæ Cornacis, medici regij, qui libello edito historiam hanc descripsit. Vlcus feliciter absq; sutura coaluit, mulier probè conualuit, ut etiam de nouo conceptu spes haberetur.

PODICIS AFFECTVS.

HAEMORRHOIDES.

AZOTII Palæstini grauissimo podicis morbo & dysentericis passionibus affecti, ob arcam Domini in ędem Dagonis illatam, arcam Gethæis transmittere cogebantur. 1. Reg. 6. & 7. item 2. Reg. 6.

Traditur monumentis Græcorum, ob Paridis necem in morbum femineum mox PHILOCTETEN incidisse. Quo nomine is erubescens, deserta patria, ciuitatem condidit, quā ex re Malaciam dixit. De pica intelligit Cælius lib. 6. cap. 1. Antiq. Lect. Rectius hæmorrhoides homini melancholico superuenisse suspicantur.

PHIL. Beroaldus grammaticus insignis sæpissimè hæmorrhoidum morbo infestabatur, non sine maxima sanguinis profusione. Postremò admoto igne sanatus est. Bart. Blanchinus in eius uita.

FICVS.

De familia ficosa ROMANI cuiusdam, Martialis Epigrammatum libro 7. sic scribit:

Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus:
 Filia ficosa est, & gener atq; socer.
Nec dispensator, nec uillicus ulcere turpi,
 Nec frigidus fossor, sed nec arator eget.
Cùm sint ficosi pariter iuuenesq; senesq;:
 Res mira est, ficos non habet unus ager.

VLCERA ANI.

INNOCENDIVS exaduocatus uicarię pfecturæ, Augustinū & fratrem eius Alipium, iam Deo seruientes, ut erat cum tota domo sua religiosissimus, ex Italia uenientes, Carthagine susceperat. Curabatur à medicis propter fistulas, quas numerosas atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte. Iam secuerant eum, & artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores. Sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustrà impendebatur labor. Ergo cùm etiam hunc ferro aperturi essent, pios ille uiros, Saturninum Vzalensem episcopum, Gelosum presbyterum, & Diaconos Carthaginensis ecclesiæ, (qui eum, sicut solebant, uespere uisitabant) rogauit, ut manè dignarentur esse præsentes suo funeri potius quàm dolori. Consolati sunt eum illi, & hortati, ut in Deo fideret, eiusque uoluntatem uiriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus, inquit diuus Augustinus. Vbi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ita proiecit, tanquam fuisset aliquo impellente grauiter prostratus, & cœpit orare tanto cum animi impetu & gemitu & fluuio lacrymarum, & singultibus succutientibus omnia membra eius, & penè intercludentibus spiritum, ut ego prorsus orare nil possem, & hoc tantummodo breuiter in corde meo dicerem: Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi uidebatur addi iam posse, nisi ut expiraret orando. Surreximus, & accepta ab episcopo benedictione discessimus. Cùm illuxisset, aderant serui Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat. Nudatur locus, inspicit medicus, & sinum inquirit modis omnibus: inuenit firmissimam cicatricem. Iam illa lætitia & laus atque gratiarum actio misericordi & omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lacrymantibus gaudijs, non est committenda meis uerbis: cogitetur potius quàm dicatur. August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8.

CONCRETVS ANVS.

Vaccam fuisse Perinthi, accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per uesicam transmittebatur, dissectus que anus denuò coalescebat properè, nec resecando euinci potuit uitium. PVERVM eiusmodi natum in patria mea Ioanni Ludouico Stellæ uidimus, qui dissecta parte obducta, etiamnum superstes est. Cælius libro quarto, cap. 19. A. L.

BRACHII, MANVVM, DIGITORVM AFFECTVS.

PRAECISIO MANVS. DIGITORVM MVTILATIO.

CILICON siue Achæus, Miletum patriam prodiderat Prienensibus. Cuius perfidiam lanius quidam Theagenes sic ultus est. Cilicon adijt Theagenem in macello, empturus carnes. Lanius dissimulato odio, porrigit carnium partem ueluti resecturus, quod superesset. Cilicon profert dexteram, ex aduerso retenturus carnes. Theagenes machæra sublata, proditoris manum amputauit. ac ne id uideretur errore factum, addidit: Ista saltem manu posthac non proditurus es ullam ciuitatem. Applaudebatur lanio, quòd impium pro dignitate tractasset. Hinc adagium, Ciliconis exitium. Suidas.

CYNEGIRO Atheniensi in pugna nauali ad Artemisiū nauē Persicam detinenti detruncatæ fuere manus. Herod.

AEGINETIS pollices abscissi ab Atheniensibus, ut classe potens populus, in certamen maritimarum uirium secum descendere nequiret. Valerius libro nono, capite secundo. Quamuis Cælius libro decimoquinto, capite uigesimoseptimo, ex Aeliani libro secundo de Varia historia, causam aliam afferat, ut ne hastam gestare possent, possent autem remis uti.

Alexander Magnus octingentos GRÆCOS, qui olim capti à Persis, & præcisis manibus mutilati erant, humanissimè excepit, & magnis muneribus consolatus est. Suidas.

EXPLORATORI Carthaginensium, qui bello Punico secundo, biennium Romæ fefellerat, manus præcisæ. Sabellicus libro primo, Enneadis quintæ.

Asdrubal rex capta Sicilia bellū populo Romano denūciauit. Aduersus quem missus cum imperio Metellus, fudit eum prælio: in quo L. GLAVCO, uir nobilis, dum Asdrubalis nauem retinet, iacturam fecit manuum suarum: ut scribit

Milesius.

Milesius Aristides, à quo argumentum mutuatus est Dionysius Siculus. Plut. de Græcorum & Rom. comparat.

D. MARCVS Euangelista, ut sacerdotio reprobus haberetur, pollicem sibi amputasse dicitur. Marul. lib. 1. cap. 6.

Anno 937. Sigebertus & Vitichindus scribunt CVIDAM manum ferro præsectam, post annum dormienti restitutam fuisse, & locum coniunctionis sanguinea notatum linea.

RODOLFVS Sueciæ dux, æmulus imperij Henrici IV. Imp. dextra in prælio amputata perijt. Bonfinius lib. 3. Dec. 1.

MOSES Baiazetis Turcorum regis F. bello contra Mahometum fratrem, dum Chasanem Ianizarorum ducem, qui ad fratrem defecerat, perimit, à seruo Chasanis manu truncatus est. Calamitate ducis motus exercitus, ad Mahometum perfidè defecit. Chalcocondylas lib. 4.

LACTANTIO Florentino, olim à secretis Clementis VII. postea uerò principis Florentię, cùm manus sinistra pręcisa fuisset, & Nursiæ MEDICO dextra, dum simul fabularentur, quisq; affirmabat in trunco brachij sensum digitorum mansisse, iuxta neruorum in digitos descendentium rationem. Et quod mirabilius est, pruritu eos neruos in memoriam quasi digitorum uexante, alterius manus digitorum correspõdentium scalptu cum ore pruritum in neruis cessare solitum. Cardanus de Rer. uar. lib. 8. cap. 44.

Anno 1498. Florentini Butrium aggressi, per deditionem oppidum cepêre: omnibus tormentorum MAGISTRIS, ne amplius exercere artem possent, manus dextras præciderunt, suaque cuiusque collo appensa eos dimiserunt. Bembus libro 4. histor. Ven.

HORVCIVS Barbarussę frater pirata, Bugeam oppugnans, tormenti ictu dextra amissa ferream sibi fieri curauit. Iouius libro 33. Historiarum.

TVMOR.

Timocrates Heracleotes, quum IVVENIS quidam ex agro non mediocre pondus in urbem dextra manu tulisset, ob eamque causam impleta manus fuisset: iussit ut pari pondere sinistræ imposito tantundem itineris conficeret: ita enim fore, ut manus tumor euanesceret. Qua re cõfecta, statim tumor cessauit. Oribasius lib. 8. Med. collect. cap. 19.

EXTENVATIO.

HIEROBOAMI regis manus aduersus Iadonem prophetã, eum ob idololatriam reprehẽdentem, extenta, arida facta, siue stupore resoluta est: sed precibus Iadonis restituta. Marul. lib. 4. cap. 4. & 3. Reg. 13.

Christus QVENDAM manum habentem aridam die Sabbathi in Synagoga sanitati restituit. Matthæi 12. Marci 3. Luc. 6.

PICTORI cuidam Constantinopolitano anno 462. Christi Iouis forma pingere auso, repentè manus exaruit. eumque scelus suum confessum, Gennadius episcopus, qui iampridem Anatolio successerat, precatione ad Deum facta, sanauit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Expulsis Orthodoxis ab Hunerico Vandalorum rege Ariano in agrum Vticeseri ad labores durissimos, confessori CVIDAM manum habenti aridam, Christianos precibus coniunctis restitutionem impetrasse, scribit Victor libro secundo, de persecutione Vandalica.

D. Bernardus PVERVLO habenti manum brachiumque aridum ab ineunte ætate, sanitatem restituit, cùm pro illo orasset. Auctor uitæ.

FRACTVRA.

Cùm Russorum quidam principes Vilnam uenissent ad Casimirum Polonorum regem: intromissi non sunt ad regem. Cumq; VNVS ex ijs importunius urgeret, ac digitum foribus paululum adapertis inseruisset, ianitor eum attractis uehementius foribus pressit & confregit, sed facinus capite luit. Cromerus libro 29.

DEBILITAS.

OCTAVIVS Cæsar dextræ manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem contractumq; frigore, uix cornei circuli supplemẽto scripturę admoueret.

RESOLVTIO.

Tacitus ac Suetonius affirmant, se ab ijs, qui uiderũt, audiuisse, Vespasianũ Alexãdrię in Aegypto, initio imperij, QVENDAM manũ ceu sidere debilitatum, pede tactum sanasse.

DIGITI CONNATI.

HERAISCVS fertur ex utero matris prodijsse, indice silentij digito labijs admoto, quomodo Aegyptij fabulantur natum esse Orum: & ante Orum, Solem. Itaque cùm is digitus labijs adhæreret, sectione illi fuit opus, & labium semper incisum permansit, conspicuum omnibus signum arcanæ illius natiuitatis. Suidas.

PEDVM AFFECTVS.

PRAECISIO.

HEGESISTRATVS Heleus aruspex captus à Lacedæmoniis, & in uincula coniectus, quum ferratis soleis uinctus esset, dimidium pedem præcidit, ut se compedibus illis eximeret: demum subruto muro periculum effugit, deceptis excubitoribus. Herod. in Calliope.

Hannibal ROMANOS captiuos, oneribus & itinere fessos, prima pedum parte succisa relinquebat. Val. lib. 9. cap. 2.

DIVITI cuidam Asiano quum pedes forent abscissi, qui frigoris nimietate computruissent per niues iter facienti, ut aliquo modo calamitatem leniret, ligneos sibi pedes conficiendos curauit, quibus subligatis interim etiam seruis innixus incederet. Sed ridiculus eo præcipuè fuit, quòd summa cura scienter politeque confectas soleas comparabat subinde, quib. ligneos illos pedes pfulciret. ueluti uisenda planè res esset, lignũ crepidis inductũ. Cælius l. 30. c. 15. A. L.

Apud SEPTENTRIONALES populos si quis in castris adustione frigoris perpetuò debilitatus fuerit, ei iuxta qualitatem honoris & generis, liberale subsidium, quo in reliquum tempus commodissimè uiuat, more ueteris militiæ deputatur à fisco: quod & Principis munificẽtia ampliatur. Pro remedio tamen adusti corporis in frigore, utuntur cinere pellis leporinę. Olaus lib. 11. cap. 27. Septen. regionum.

LVXATIO.

DARIVS rex in uenatione ab equo desiliens, talum luxauit. Aegyptij medici cùm frustrà remedia adhibuissent, Democedes tandem Crotoniata eum sanauit. Herod. lib. 3.

FRACTVRA.

Monachi Malmendrenses, postquam frustrà lacrymis & precibus liberam restitutionem sui cœnobij à Cæsare, qui id Colonienti antistiti subiecerat, petijssent: ossa S. Remacli Reodium deferunt, mensęq; regis cõuiuium agentis imponũt: quæ onere fracta, crus pedesq; VIRI cuiusdam nobilis cõtriuit, qui tamẽ per intercessionem Remacli, implorata Dei ope, pristinam sanitatem ita recepit, ut ne cicatricis quidẽ ullum remaneret uestigium. Cumq; etiam alia ad reliquias istas ederentur miracula, rex & ablata restituit, & munera monachis contulit, anno 1071. Schafnaburgensis.

VVLNERA.

HERCVLES à uulnere in coxa sanatus, quod in pugna prius contra Hippocoontẽ acceperat, templum Cotyleo Aesculapio, in uia, quæ è Sparta Therapnam ducit, extruxit. Pausanias in Laconicis.

CAROLVS Zenus Venetorum dux contra Ligures clarissimus cùm uulnus accepisset in genu lethale, nec imposita medicamenta quicquam proficerent: ferunt Gallogrecum medicum sano genu medicamentum imposuisse, ex quo conualuit. Cardanus de Rer. uar. lib. 8. cap. 44.

INFLAMMATIO.

AGESILAVS rex Spartanorum, Megaræ exercitum ex agro Thebano reducens, dũ ad curiam in arcẽ scandit, cõuulsione & ingẽti cruciatu sanũ crus eius correptũ est, mox intumuit, & sanguine distentũ apparuit, immanẽq; excitauit inflammationẽ. Cùm medicus quidã Syracusius uenã ei secuisset sub talo, dolores sedati sunt: cęterùm copioso manente & prorũpente sanguine, qui sisti nequibat, uehemẽs animi defectus & præceps inde periculũ circũstetit Agesilaũ. Suppresso tandem sanguine delatus Lacedæmonem, perdiu imbecilla ualetudine fuit. Plut. in Agesilao.

DOLOR.

Vide Tit. Articularis morbi, Podagram quoque complectentis.

VLCERA.

Cùm in tibia diu QVIDAM ulcus haberet, uena superposita, quę uaricosior erat, excisa, illicò qdẽ ex ulcere antiquo curatus est, sed quoniam incisione uena exẽta est, ulcus insanabile permãsit. Deinde uerò aliquãto post annũ, cùm unus præceptorũ Galeni, quos Pergami habuit, Stratonicus nomine, Sabini Hippocratici discipulus, uenã in cubito hominis secuisset, spectassetq; sanguinẽ crassum atrũq; excerni, postero die rursus parũ detraxit, tũ tertio & quarto similiter parũ. Cumq; alijs tribus medicamine atrũ humorẽ euocante purgasset, atq; ei uictum boni succi præmolitus esset ad Vlceris curationẽ descendit. Galenus de Atra lib. 3. ca. 4.

TVMOR.

DEMONACTI seni crura intumuerant. Id uidens quidam, Quid isthuc, inquit, mali est Demonax? Tum ille, Charon, inquit, me momordit. Pro cane dixit Charontem: innuens, senectutem morti uicinam. Eras. lib. 8. Apoph.

IOA-

IOACHIMO Kobel Saxoni, Schueinicensi præfecto, in sinistro crure steatoma enatum ultra annum durauit, absque dolore. Illud cùm in equestri certamine grauiter offendisset, inflammatione uehemente coorta, tumor tandem apertus, lapidem auellanę magnitudine, angulosum, rotundum tamen & spadiceum, cum pellicula sanie plena exhibuit. Io. Kentmannus de Calculis hum. corp.

RESOLVTIO. SCELETYRBE.

Consule Tit. Paralyseos. Sceletyrben sub Stomacaciam superius retulimus, pro symptomatum diuersitate.

CLAVDICATIO.

Affectio.

IACOBVS patriarcha fuit claudus: quoniam femur eius angelus, cum quo luctatus fuerat per totam noctem, perstrinxerat. Genes. cap. 32.

MEPHIBOSETHVS Ionathani F. Sauli regis nepos, quinq; annos natus, cùm à nutrice in ulnis gestaretur, illa audita clade Israelitarum, in qua Saulus & Ionathan ceciderãt, trepidantiùs fugiens, puerum cadere permiserat. Itaq; ille luxatis ex casu pedibus claudus factus est. 2. Reg. 4.

THERSITES omnium Græcorum, qui ad Troiam nauigarunt, deformissimus, altero pede claudus fingitur ab Homero libro 2. Iliad.

Amazones bello captos trucidabant: PVLCERRIMOS autem uel pede uel dextro brachio mutilabant, ne aufugerent, insidiasúe molirentur. Scythis certè, illarum congressum petentibus, & mutilatos claudosq; uiros illis esse dictantibus, Antianira respondisse fertur, ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ. Claudus quidem est pede brachio inutilis: at in palæstra tamen lecticaria uirum se præstat. Eustath. Il. γ. & Strabo, & Theocriti interpres, & Cælius libro 14. capite 5. A. L. Feruntur claudi salaciores esse, quòd alimentum cruri uitiato debitum inguina ad se trahant.

MEDON Codri F. rex Atheniensium, claudus. Pausanias in Achaicis.

LABDA Amphionis Bacchiadarum apud Corinthios filia, clauda, Eetioni Echecratis, è Petra tribu, marito Cypselum patriæ tyrannum peperit. Herod. lib. 5.

PERDIX caupo quispiam erat claudus, ab Aristophane locis aliquot notatus: unde & in prouerbium abijt, Πέρδικος σκέλος, id est, Perdicis tibia: itẽ περδίκειος πούς, Perdicis pes. Eras. in Adag. ex Suida & Aristophane grammatico.

DORION tibicen cùm esset claudus, calceumq; claudi pedis in symposio perdidisset, Nihil, inquit, peius in eum qui abscondit imprecabor, quàm ut eius pedi conueniat. Athen. libro octauo capite quinto.

DAMONIDES pædotriba claudus cùm crepidas furto amisisset, imprecatus est, ut furis pedibus maximè congruerent. Plut. libro de Audiendis poetis.

TYRTÆVS ludimagister claudus, ab Atheniensibus, Lacedęmonijs auxilia contra Messenios petentibus, irridendi causa missus est: quem hi exercitui bonis auspicijs pręfecerunt: suis namq; carminibus animos iuuẽtutis ad fortitudinem accendit. Pausanias in Messenicis.

AGESILAVS Archidami F. claudus. De quo tale uidebatur editum oraculum Delphicum:

> Sparta caue, quamuis te maxima gloria tollat,
> Heu tibi ne claudus recti cruris noceat rex!
> Tunc inopinatos longum patiere labores,
> Lethiferiq; undam miscentem cuncta duelli.

Pausanias in Lacon. & Plut. in Agesilao. item Ath. l. 12. c. 16.

DYOCEVS claudus & luscus, omnique ex parte deformissimus à Iustino describitur lib. 3.

ANDROCLIDAM Laconem legimus, debilem crure, ac inutilem, quum bellatoribus se immiscuisset: ac præstò ibidẽ fuisset, qui prohibere niteretur, quòd parum robustus uideretur: intulisse grauiter ac animosè, in aciem astitui oportere, qui de prælio cogitet, non de fuga. Plut. in Laconicis.

Lacæna claudum FILIVM mittens in prælium, τέκνον, εἶπε, κατὰ βῆμα ἀρετῆς μέμνησο: Fili, inquit, per singulos gradus memento uirtutis. Plut. in Laconicis.

PHILIPPVS Macedo quum in Triballis coxa esset debilior factus lanceæ percussu, ac eiusmodi angeretur incommodo, Alexander Magnus, Confide (inquit) pater, ac prodi in apertum, ἵνα τῆς ἀρετῆς κατὰ βῆμα μνημονεύῃς. quod est, Vt per gradus singulos in uirtutis memoriam redigaris. Plutarch. de Alexandri fortuna.

ARTEMON faber machinarius, tempore Periclis, quũ claudus esset, suas passim machinas circũferebat. Eras. in Chil.

Horatius COCLES, quum ei cruris uitium obiectaretur: Per singulos, inquit, gradus admoneor triumphi mei. Digna uox liberatore principis terrarum populi. Quippe pertinax occupatio pontis aduersus Hetruscam uim grauius assultantem, eam illi conciliauerat calamitatem, cui tamen non defuit obtrectator. Cælius libro 14. capite quinto A. L.

AVGVSTVS Cęsar coxendice, & femore, & crure sinistro, nõ perinde ualebat, ut sæpè etiam inde claudicaret: sed remedio arenarum atq; arundinum confirmabatur. Suetonius.

Augustus Cæsar in ludicro Troiæ ludo abs se instituto C. NONIVM Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donauit: passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Suetonius.

EPICTETVS philosophus Hierapolitanus, claudus fuit. Vnde apud Macrobium hoc modo inducitur loquens:

> Seruus Epictetus genitus sum corpore claudus,
> Paupertate Irus, dijs at amicus ego.

Demonax in RVFFINVM quendam claudum, multo tempore familiarem Peripateticis, dixit, nihil esse turpius Peripatetico claudo. Allusit huc, quòd Peripatetici dicuntur ab inambulatione, quæ non conuenit claudo. Erasmus Rot. libro 8. Apophthegmatum.

In CLAVDVM quendam Palladas in 2. Epig.

> Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα, καὶ γὰρ ἀληθῶς
> εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Idem in ALIVM:

> Υἱὸν ἔχεις τὸν ἔρωτα, γυναῖκα δὲ τὴν ἀφροδίτην,
> οὐκ ἀδίκως, χαλκεῦ, τὸν πόδα χωλὸν ἔχεις.

TAMERLANES, magnus ille Scytharum Imp. cùm priuatus adhuc latrocinia exerceret, & murum conscendisset, ut in stabulum pecoris abigendi causa sese demitteret, conspectus à pastore præcipiti saltu desiliens, crus fregit, sic ut postea claudicarit. Chalcocondylas lib. 3.

GENSERICVM, Vandalorum regem, Iornandes descripsit uirum statura mediocrem, equi casu claudicantem, animo profundum, sermone rarum, luxuriæ contemtorem, ira turbidum, habendi cupidum, ad solicitandas gentes prouidentissimum, semina contentionum iacere, odia concitare paratum. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

HADINGVS Danorum rex Asmundum Sueonum regem hasta traiecit. Asmundus inter exiguas uitæ reliquias, uulneratum interfectoris pedem perpetua claudicatione affecit. Saxo. libro primo.

Sunt qui scribant HENRICVM II. Cæsarem in Italica expeditione captum ab hostibus illusisse capiẽtibus, ut ex arce, qua teneretur, desiliens coxam læserit: unde per reliquum tempus claudicarit. Certum est quòd Papiæ grauissimum tumultum armis magno suo periculo sedarit: ibi fortè in palatio aliquandiu obsessus, crure lædi potuerit. sed quòd captus in carcere detentus & elapsus fuerit, difficile est creditu. Cranzius lib. 4. Saxoniæ cap. 32.

Hæmatites planta Indica sanguinem sistit. Cùm enim Chili, oppido S. Iacobi, horrenda fames grassaretur: captiui quidam INDI, suras sibi amputarunt, easq; præ fame comederunt. Huius plantæ folia uulneri imposuere, sanguinemq; stiterunt. Ioann. Metellus.

Curatio.

CLAVDVM, per XXXVIII annos ad piscinam Probaticam Hierosolymis decumbentem, Christus solo uerbo sanauit die Sabbathi. Ioannis 5.

Petrus cum Ioanne in templum ascendens, CLAVDVM quẽdam à matris utero, qui ad portam fani, Speciosam dictã, stipem petebat iam per XL. annos, in nomine Iesu Nazareni eleemosynæ loco curauit. Actor. 3.

Paulus apostolus Lystris Lycaoniæ claudum QVENDAM ab utero matris, fide illius perspecta, sanauit. Act. 14.

Greg. Turon. ca. 11. de gloria Confes. narrat, PRESBYTERO cuidam obuiam factum S. Martinum, eius pedem debilem in nomine Christi sanasse. Hunc presbyterum iussum à puero, Martini comite, extruere templum in eo ipso loco, quo S. Martinus steterat, cùm ipsius pedẽ restitueret: in quo paralytici & cæci sanitatem oculosq; recuperarint.

D. Bernardus claudũ PVERVM crucis signaculo signãs curauit, cùm primùm fuisset nonnihil reluctatus, & diceret, hoc esse Apostolicæ, non suæ uirtutis. Auctor uitæ l. 1. c. 12. Spiræ in præsentia Conradi III. claudo PVERO & VIRO ab ortu claudo ubi manum imposuisset, sanitatem reddidit.

In territorio Tolosano apud Viride folium PVER mancus & claudus à prima ætate, ad cuiusdam martyris memoriam utriusq; pedis & alterius manus sanitatem acceperat. Eò cùm uenisset Bernardus, alteram manum, tanquam sibi reseruatam, benedicendo curauit.

Ad Rutinense cœnobium, quod in Treuerensium diœcesi situm est, quidam Guntranus de Sura FEMINAM claudam reptantem offerri fecit, ubi eo tempore missam celebrabat D. Bernardus. Cumq; præ nimia hominum multitudine ipsi se sistere non posset, in media basilica repentè cõualuit. Ibidem eodem die subita lux cælitùs delabi uisa est, ex qua CLAVDÆ duæ feminæ, & cæci uiri duo sanitatẽ receperunt. Nantonis in territorio Senonensi cuiusdam IVVE-

NIS

NIS pedem, qui fistula laborabat, tetigit, & protinus curauit. Hæc auctor uitæ lib.1.cap.9.

ALEXANDER II. Pp. Aquinum prætergrediens, pede captam MVLIEREM maxima cum astantium admiratione curauit, aqua, qua post sacrificium manus abluerat, potui ministrata Sigon.lib.9. regni Ital.

AFFECTVS PARTIVM CORPORIS HOMOGENEARVM.

ARTICVLORVM DOLOR. PVTA ARTHRITIS, CHIRAGRA, GONAgra, Podagra, Ischias.

Infestatio.

ASA Iudæorum rex iam senex pedibus ægrotauit. Libro 3. Regum, capite 15.

AGESILAVS rex quum arderet podagræ doloribus, cumq; Carneades inuisisset, atq; exiret tristis: Mane, inquit, Carneade: nihil enim illinc huc peruenit: ostensis pedibus & pectore. Sentiens, pedes quidem dolere, sed animum dolore uacuum esse. Plut. in Laconicis.

PTOLEMÆVS Philadelphus Aegypti rex, delicijs ita fuit corruptus, ut se semper uicturum crederet, ac diceret se solum immortalitatis rationem inuenisse. At cùm dies nonnullos podagra infestaretur, ac postea conualuisset, uidisserque per clathros Aegyptios prandium apud fluuium parantes, atq; uilia comedentes, fusimq; in arena proiectos; dixit: Heu me infelicem, qui neque unus ex ijs esse possum. Athen. libro 12. cap. 17.

ENNIVS podagra uehementer laborans, de poetico tamen studio nil intermisit. Gyraldus.

Agenti Athenis L. SYLLÆ, post deuictum Mithridatem, dolor cum grauedine torpidus decubuit in pedes, quem podagræ balbutiem Strabo ait esse. Quare Aedepsum nauigauit. Ibi aquis calidis usus est ferians, simulq; tempus traducens cum mimis. Plut. in Sylla.

VATINIVS podagræ morbum (qui ferè omnium mos est) dissimulare nitebatur, dicens: Se iam mille passus per diem ambulare. dixerat hoc ille, forsan post hyemale solstitium. Hinc irridendi materiam Augustus arripuit: Et minus, inquit, miri est: longiusculi dies incipiunt. Macrobius libro 2. capite 4. Saturn.

GALBA Imp. manibus pedibusq; articulari morbo distortissimis, ut neq; calceum perpeti, neq; libellos euoluere, aut tenere omnino ualeret. Excreuerat etiam in dexteriore latere eius caro, propendebatque adeò, ut ægrè fascia substringeretur. Suetonius.

DIODORI podagram Martialis irridet: Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat.

De CÆLIO, idem Epigrammatum lib.7.

> Discursus uarios, uagumq; mane,
> Et fastus, & aue potentiorum,
> Cùm perferre patiq; iam negaret,
> Cœpit fingere Cælius podagram.
> Quam dum uult nimis approbare ueram,
> Et sanas linit obligatq; plantas,
> Inceditq; gradu laborioso
> (Quantum cura potest, & ars doloris?)
> Desit fingere Cælius podagram.

SEVERVS Imp. cùm podagra laboraret, & ob id à quibusdã irreuerenter tractaretur, qui filium eius Antoninum imperatorem dixerant, lectica se in tribunal deferri iussit: citatisque contemptoribus, securi percuti iussit. At cùm errati ueniam petijssent: Nunc demum intelligitis, inquit, non pedes, sed caput imperare. Fulgos. lib. 2. cap. de Militari disciplina. Quum Parthos, Arabes, Adiabenos deuicisset, triumphum, quòd consistere in curru ob articularem morbum nequiret, filio concessit. Cuspinianus.

CONSTANS Imp. ob delicias articulorum dolore uexatus, difficilis, morosus, austerus, & tam prouincialibus grauis, quàm erga milites illiberalis factus est. Quum quæreret solatia morbi ubicunq; esset, uenatibus operam dabat, cum formosis iuuenibus ludebat, cùm interim in eius necem conspirarent aliquot militares, adiutoribus Crescio & Marcellino, à quibus interfectus est, Magnentio tyrannidem arripiente. Cuspinianus.

MARCELLINVS Anconitanus, episcopus podagricus, in lectica incendio oblatus, solo attactu extinxit, quod nulla alia ui extingui poterat. Gregor. Turon. libro primo Dialog. capite sexto.

NICEPHORVS Botoniates Imp. Rom. cùm podagra uehementer laboraret, ac studijs bonarum artium uacaret, inutilis reipublicæ uisus est. Volater. lib. 23. Anthropologiæ.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. mirum in modum podagra laborasse fertur. Idem.

ALEXIVS Angelus Imp. Byzantinus, morbo articulari per certa interualla laborabat, & dolore pedum in primis affligebatur. Quadam die foribus cubiculi clausis, arcanum nemini præterquam cubicularijs indicat: & ferramentis candentibus in tibias profundè impressis, dolores animo philosophicè tulit, & contumeliosis dictis medicos repudiauit, quòd in solis purgationibus uersari didicissent, neque quicquam remedij ultra euacuationes adhibere scirent. Vstionibus uerò inflammatis, medici non singillatim, sed omnes simul conuocati sunt, cognatis eius metuentibus, ne decursus humorum ad crura impeditus, necem illi subitò inferret. Illi ergo curauêre, ut commotio simul & redundantia humorum egestionibus sisteretur. Nicetas lib. 2. de rebus Alexij Angeli.

Podagra ita HONORIVS IIII. Pp. laborabat, ut ei instrumentis quibusdam ad id aptè fabrefactis sacrificare necesse esset. Consilio tamen & prudentia tantùm ualuit, ut non multum corporis uires in eo desiderarentur, quippe cùm solus plura propè uideret, quàm omnes simul qui tum in urbe aderant. Platina.

FRIDERICVS Marchio Misnensis ob arthritidem repudiauit oblatum Rom. imperium. Cuspin.

COSMO Florentino podagra non parum ad amplitudinem contulisse uidetur. Nam cùm se domi contineret, non tantùm Florentinæ res, sed penè Italiæ totius, quæ tunc in magnis erat belli ardoribus, ad eum deferebantur. Cuius domus non priuati ciuis, sed curia potius iudicari poterat: cùm interea magnificentissima templa ædificanda curaret, & libros undique in bibliothecas suas congereret, non minore diligentia quàm sumtu. Pontanus libro 2. capite 8. de Fort. domestica.

AENEAS Syluius (qui post Pius II. Pp. fuit) in Scotiam, uotis soluendis, quæ inter fluctuum æstus Virgini matri nuncupauerat, initium morbi contraxit articularis, qui permansit ad uitæ exitum, glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad phanum usq; calcata, ut redire in oppidum non aliter quàm lectica potuerit. Chiragra ferò offensus & rarò, Astrologas se manus habere iocabatur, quòd æquinoctiũ tumore prædicerent. Dolores adeò patienter tulit, ut constet legatione Germanica, impeditum grauiter podagra, tamen à collega, ut diem unum subsisteret, adduci nequiuisse; & in aquis Patriolanis pertulisse duas in horas fistulam deuncem: Romæ quoq; inter maximos calculi dolores cõtinuasse orationem, uix obtorto leuiter ore, ac submorso paulum labro deprehensum. Campanus in eius uita.

BAIAZETES Turcarum Imp. propter pedum dolorem Adrianopoli & Constantinopoli mansitans, inuisus factus militibus, à Selimo filio natu minimo regno eiectus est: ueneno q;, ut creditum est, extinctus. Cromerus lib.30.

ACTIVS Vicecomes, usqueadeò improbè, urgente fato, articulorum doloribus assiduè lacessitus est, ut ne lodicibus quidem in lectulo sine intolerabili cruciatu integeretur. Iouius in uita eius.

PETRVS Medices licet sæuissima conficeretur arthritide, potentissimam tamen coniurationem contra se Florentiæ initam & consilio & armis ita oppressit, ut quem priùs hereditario iure populariter imperantem ferre non poterant, armatum uictorem pati cogerentur, Anno 1466. Eo deq; morbo non ita multò pòst uictus decessit. Brutus li.3. hist. Flor.

MATTHÆVS Aquilanus licet pedibus & manibus captus, mirum quantum Neapolitanis in studijs profuerit, philosophiam, theologiam, naturales res assiduè docens. Pontanus lib. 2. cap. 8. de Fort. domest.

ANTONIVS Leua Hispanus, exercitus sub Carolo V. dux clariss. podagricus fuit. Guicciard. lib. 5. & Iouius lib. 27. hist.

Curatio felix.

Olympiæ podagricus QVIDAM morbo sedato cursu uicit. Aretæus lib. 2. cap. 12. de arthritide.

Ismenias Thebanus, Antigenidis discipulus, tibicen peritissimus, MVLTOS arte sua ischiadicos sanauit, seu (quod uerisimilius est) animis illorum delinitis, morbi dolorem mitigasse uisus est.

Legimus QVOSDAM morbo articulari laborantes proscriptione bonorum, ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, conualuisse. Cælius lib. 13. cap. 25. A. L.

M. Varro tradit, SERVIVM Clodium equitem Romanũ magnitudine doloris in podagra coactum, ueneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni æquè quàm dolore in ea parte corporis. Plin. lib. 25. cap. 3.

M. AGRIPPA supremis suis annis conflictatus graui morbo pedum, cùm dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, ignorante diuo Augusto, tãtĩ putauit

putauit usu pedum sensuq; carere, dummodo & dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi. Plin. lib. 23. cap. 1.

SEX. Pomponius, uel Pompeius, prætorij uiri pater, Hispaniæ citerioris princeps, cùm horreis suis uentilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua: leuatusq; siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est. Plin. lib. 22. cap. 25.

Sanati sunt Calamę per Stephanum martyrẽ podagrici DVO, unus ciuis, peregrinus unus: sed ciuis omnimodo, peregrinus autem per reuelationem quid adhiberet, quando doleret, audiuit: & cùm hoc fecisset, dolor continuò conquieuit. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

MEDICVS podagricus Carthaginensis cùm dedisset nomen ad baptismum, & pridie quàm baptizaretur, in somnis à pueris nigris cirratis (quos intelligebat dæmones esse) baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eisque licet conculcantibus pedes eius nõ obtemperasset, in dolorem acerrimum, qualẽ nũquam expertus erat, incidit. Cæterùm cùm nihilominus lauacrum regenerationis, ut uouerat, non distulisset, in baptismate ipso non solùm dolore, uerumetiam podagra liberatus est, nec ampliùs, cùm diu postea uixisset, doluit. Testis oculatus D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

LANIVS Budẽsis podagricus, uicinus habitabat cœmeterio. In quo cùm aleator quidã, qui omnes pecunias, in Dei nomine ludens, amiserat, Saluatoris crucifixi imaginem saxo percussisset, ex qua multus sanguis profluxit, lapide uulneri inhærente, lanius per quietem uocem incertam audit: Surgeret, & cultro proximum quemuis sibi obuiam factũ confoderet. Quam uocem cùm tertiò iteratam multis cum minis instantem audiuisset, impigrè surgens, cùm antè neque pedem mouere posset, laniario cultro arrepto, in cœmeterium descendens, aleatorem furibundum sibi obuiam factũ cultro confixit. Hoc facto iudicis ædes accedit, somnium & cædem indicat. Cùm iam illuxisset, ad cœmeterium cõueniunt. Vbi dæmones cum terribili ululatu in sublime raptũ cadauer ex hominum conspectu abstulerunt, eoque ipso lanium à periculo liberauerunt. M. Fritschius in Meteoris.

Curatio irrita.

POLEMON Laodicensis sophista, quum articuli morbo lapidescerent, medicos admonuit, ut effoderẽt inciderentq; Polemonis lapicidinas. dicebatq; (ut Herodes Atticus apud Philostratum testatur) Comedendum est, manus nõ habeo: ambulandum est, pedes non habeo: dolendũ est, & manus & pedes habeo. Pergami in tẽplo obdormiẽti apparuit Aesculapius, iubẽs ut à frigido abstineret. ad quem Polemon, O præclare, inquit: quid autem si bouem curares? subindicans, iam diu assuetum duris, frustrà uocari ad delicias. Tandem uictus doloris magnitudine, sepulcrum ingressus, inedia sibi mortem consciuit. Philostratus & Suidas.

ARTICVLORVM LVXATIO.

De hac respectu Subiecti, hoc loco: respectu Formæ, infrà.

NERVORVM

RESOLVTIO, PARALYSIS.

Infestatio.

Quum SPEVSIPPVS paralysi resolutus, uehiculo deportaretur in Academiã, ac Diogeni fortè obuio dixisset, χαίρειν: respondit, At non tu, qui ad istum affectus modum, sustineas uiuere. Cynicè sentiens, esse ueri philosophi, spontè mortem asciscere, posteaquam desijt esse usui ad uitam humanam. Idq; fecit postea Speusippus. Eras. lib. 3. Apoph. Eundem cruribus resolutum Diogenes hortabatur, ut seipsum uita priuaret. Cui ille: Non cruribus, inquit, uiuimus, sed mẽte. Stobæus serm. 116.

SERVVLVS mendicus, ut in homeliis & in dialogis Gregorij refertur, toto uitæ tẽpore paralysi laborauit. In doloris accessionibus Deo gratias agere, hymnos cantare, & concitatiore quodam spiritu, aliquid de Scripturis, quod audiendo didicerat, recitare solebat. Marul. lib. 5. cap. 2.

SIDERATVS quidam altera corporis parte ab Adriano Imperatore stipem petebat, lib. 1. Epigrammatum.

> Ἥμισύ μευ τέθνηκε, τὸ δ᾽ ἥμισυ λιμὸς ἐλέγχει·
> σῶσόν με, βασιλεῦ, μουσικὸν ἡμίτονον.

Respondit Adrianus:

> Ἀμφοτέρους ἀδικεῖς, καὶ πλευτέα, καὶ φαέθοντα·
> τὸν μὲν ἔτ᾽ εἰσορόων, τοῦ δ᾽ ἀπολειπόμενος.

Auicenna scribit, fuisse QVENDAM, qui, quum uellet, corpus suum paralysi oblædebat: nec à noxis feriebatur animalibus, nisi quum ea ipse cogeret, quæ tamen mox intermorerentur. Cælius lib. 20. cap. 16. A. L.

Pontanus scribit MATTHÆVM Aquilanum pedibus & manibus captum fuisse: neque tamen à Theologiæ & Philosophiæ professione destitisse.

GEORGIVS Fronspergus, Germanorum in Italia Caroli V. nomine dux, aureum laqueum, quẽ sinu deferebat, Pontifici, & totidem singulis Senatoribus purpureos sericos, ut se carnifice necarentur, comminatus, in paralysim incidit. Hũc Alfonsus Atestinus dux Ferrariæ curandum medicis Ferrariam deuehi iussit, contulitq; ei liberaliter cuncta hospitalis amicitiæ officia. Qua benignitate tanquam intempestiua inuidiosaq; Clemens VII. pontifex non mediocriter est offensus. Iouius in Alfonso Atestino.

Curatio.

Iesus Christus Centurionis Capernaitani FAMVLVM paralyticum solo sanauit uerbo absens, cùm Centurio indignum se fateretur, sub cuius tectum Dominus ingrederetur. Matthæi 8. Lucæ 4.

In urbe Capernaum PARALYTICVM per tectum domus funibus demissum Christus curauit. Marci secundo. Matthęi 9. Lucæ 5.

MVLIEREM, quę XVIII. annis spiritum infirmitatis habuerat, & contracta erat, Christus in synagoga sabbatho curauit manuum impositione. Lucæ 13.

Paulus Apostolus Lyddæ AENEAM octo iam annos in grabbato iacentem paralyticũ in nomine Christi sanauit. Act. 9.

IVDÆVS quidam ex multis annis paralyticus lecto decubuerat. Quem cùm nec medicorum ars, nec Iudæorum preces subleuare ualuissent: tandem ad Christianorum baptisma confugit, quo tempore episcopatũ Constantinopoli administrabat Atticus, Ioãnis Chrysostomi successor. Qui in fide prius Iudæum institutum, & de spe in Christi auxilium edoctum, deportari cum lecto ad colymbethram siue baptisterium iussit: ubi baptismũ sincera fide consecutus, è colymbethra baptisterij susceptus, à morbo subitò liberatus, inter sanos egit. Socrates libro septimo, capite 4.

Gazanus MAIOMITES haud longè à monasterio D. Hilarionis, lapides ad ædificandum de ora maris cudens, totus paralysi dissolutus, & ab operis sociis delatus ad sanctum, statim ad opus reuersus est. Hieronymus in uita Hilarionis.

Quodam die Hilarion in Cypro insula solitarius uiuens, egressus hortulum, uidit HOMINEM toto corpore paralyticũ iacentem ante fores: interrogauitque Hesychium, quisnam esset, uel quomodo fuisset adductus? At is respondens ait: procuratorem se fuisse uillulæ, ad cuius confinia hortulus quoque, in quo ipsi erant, pertineret. At ille collacrymans, tendensque ad iacentem manum, Tibi (inquit) dico, In nomine domini nostri Iesu Christi surge & ambula. Mira uelocitas. Adhuc uerba in ore loquentis uoluebantur, & iam membra solidata ad standum hominem surrigebant. Hieronymus in uita Hilarionis.

Ad diem festum Albini Andegauensis episcopi, cùm paralyticus QVIDAM curru uectus adesset, in somnis per noctẽ uidit ad se uenientem uirum, ac dicentem: Hora tertia surge, & basilicam ingredere: futurum enim est, ut ea hora Martinus cum Albino ingrediatur. Si eo momento adfueris, sanitatem recuperabis. Quod ita factũ esse, multis idipsum spectantibus, sicuti fuerat ei in somnis prædictum, Greg. Turonensis cap. 96. de gloria Confessorum confirmat.

PRESBYTER quidam paralyticus ad Dunstani Cantuariensis archiepiscopi tumbam delatus, statim sanitati restitutus est. At cùm inter pocula id beneficij soli Dunstano adscribere nollet, pristino morbo correptus cõcidit, & horrẽdo boatu spiritum emisit. Vincentius lib. 24. cap. 95.

Gandaui, anno 1010. ad corpus S. Bauonis, quod tũ fortè transferebatur, MENSVVINDIS puella Antuerpiensis paralysi liberata est. Iacobus Meier in Chron. Flandriæ.

D. Bernardus ad ripã Rheni, in uico qui Bobardus dicitur, PARALYTICVM sibi oblatũ sanitati restituit. Auctor uitæ.

In Hispaniis ALBERTO fabro, in loco cui nomẽ est Superadum, paralytico absens D. Bernardus opem tulit. Nam eadem hora cùm in Claraualle pro ipso orasset, conualuit. Tolosæ clericum QVENDAM regularium S. Saturnini, paralyticum, moribundum, & iam animam agentem sanauit, ubi primùm hoc modo orasset: Quid expectas, Domine Deus? Generatio hæc signa quærit. Alioquin minus apud eos nostris uerbis proficeremus, nisi abs te fuerint confirmata signis sequentibus. Auctor uitæ.

SENEX quidam paralyticus, homo notus & honoratus, Francoforti à D. Bernardo Clarauallẽse abbate post breuissimũ precationis carmen sanatus est. Illo uerò ualidè abeunte, cũ alij quidam lectulũ, in quo delatus fuerat, tollere uellent, tũ reuocans eum unus ex circumstantibus, Hugo Tullẽsis ecclesiæ archidiaconus, euãgelici paralytici recordatus: Non sic, inquit, nõ sic inanis abibis: tolle grabatum tuum, & ambula. atque imposito in humeros eius lectulo dimisit, uniuerso, qui intererat, populo acclamãte, ac Deũ magnificentissimis laudibus efferente. Sigonius lib. 11. regni Ital.

DOLOR.

CAROLVS Nauarrensis rex, Christi anno 1386. cũ senio con-

fectus, neruorum quoq; dolore laboraret (Aemilius lib. 9. ut libidine exhaustum corpus reficeret) medicis ita suadentibus, assui toto corpori linteũ aqua (quæ uita dicitur) perfusum iussit. Cùm autem qui linteum consuerat, candelæ igne abrumpere filum peracto opere uellet, & parum considerate linteum lumine contigisset, statim totum concepto igne exarsit: neq; antè ferre opem quisquam potuit, quàm rex combustus est: cùm pedes ac manus lintei inuolutione uinctus, unam tantùm linguam mouere posset. Fulgosus libro nono, capite duodecimo.

TREMOR.

CLAVDIO Cæsari, quum improspera foret ualetudine, & tremulum erat caput, tremulæ item manus, quin lingua etiam titubabat, primusq; Romanorum δίφρῳ est usus κατασέγῳ. Nam antea Augustus ac Tiberius in scimpodiis quando ferebantur, cuiusmodi mulieres quoq; uel nunc. Scimpodion præterea κατάστεγον nominat idem historicus, in quo ex debilitate ferri solitum scribit Seuerum, Britanniam dum obiret. Cælius lib. 27. cap. 25.

In urbe regia Cappadociæ Mazaca siue Cæsarea, cùm matri uiduæ DECEM liberi, septẽ mares, tres feminæ patũ obtẽperarent, ab ea diris deuoti, membrorũ omnium tremore horrendo correpti, per orbem uagi: duo ex illis, Paulus & Palladia, apud monumentum S. Stephani martyris sanitatem sunt consecuti. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. oculatus testis.

FILIVS Bernardini Komeri lignorum mercatoris Mediolani, annorum trium, cùm ex febre & conuulsione conualuisset, tanta sub femoribus distentio ac palpitatio relicta est, ut immotis pedibus corpus perpetuò resiliret: uelut in circulatoribus quibusdam. Cardanus de Subtilitate, libro de hominis necess. & forma.

CVTIS. PVTA.

Scabies.

In scabiosum POLYGITONEM in thermarum solio constitutum Ausonius sic ludit:

Principiò tremulis gannitibus aëra pulsat,
Verbaq; lasciuos meretricum imitantia cœtus
Vibrat, & obscenæ numeros pruriginis implet.
Brachia deinde rotat, uelut enthea dæmone Mænas:
Pectus, crura, latus, uentrem, femora, inguina, suras,
Tergum, colla, humeros, luteæ Symplegadis antrum,
Tam diuersa locis uaga carnificina pererrat,
Donec marcentem calidi feruore lauacri
Blandus lethali soluat dulcedine morbus.

Variolæ.

CAROLVS VIII. Galliæ rex, bellum in Aragonios parans, eo morbo, quas uariolas nostri uocant (ueteres papulas appellabant) correptus, Astæ mensem unum morari coactus est. Guicciardinus, & Iouius lib. 1.

AFFECTVS PARTIVM FORMALITER consideraṫi.

FEBRIS QVALISCVNQVE. VT INFESTAT. TVM

Qualis.

GALENVS Pergamenus medicus per æstatem ardente febri laborãs, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in uestibus esse putabat: quos auferre tentans, nihilq; sub digitis eductũ inueniẽs, accuratius uehemẽtiusq; id efficere conabatur. Audiens autem duos ex amicis, qui tum aderant, dicẽtes: Vidés ne hunc & floccos euellere, & festucas colligere? statim intellexit, idipsum, quód dicebant, se fecisse. & conuersus ad illos, Rectè, inquam, dicitis: proinde, ne phrenitis me arripiat, auxilio estote. Illi autem, quum idoneis rigationibus caput fouerẽt, tota die sequentiq; nocte, grauibus insomniis turbatum, ut interim & clamare, & exilire uideretur, postero die sanitati restituerunt.

Circa Niuernam in Galliis, quo prima in Terram sanctam suscepta est expeditio, mirabile genus morbi innotuit. Tacti homines igne inuisibili ardebãt, qui facilè penetrabat præcordia. Alij pedes, alij manus ea occasione præciderũt. Crãzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 15.

ANDREAS Osiander, Norimbergensis theologus, cùm esset adolescens, quartanaque laboraret, sub ipsius accessionis tempore uidebatur in nemore esse, atq; à feris ac serpentibus diuersi generis impeti. Cùm pater accederet, illicò menti pristinæ restituebatur, agnoscebatque domum, cubiculum, amicosq; assistentes, absque ulla formidine. Recedente patre, denuò species illa obseruabatur oculis, redibántque imagines omnes: perseuerauitque hoc malum, donec & febris, quæ diu illum afflixit. Cardanus de Subtilitate, libro de Mirabilibus.

Quando.

ANTIPATER Sidonius poeta, omnibus annis, uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cumq; ad ultimam ætatem peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumtus est. Valerius Maximus libro primo, capite octauo.

Quandiu.

C. MOECENAS, dum uixit, febri laborauit, trienniog; suæ uitæ postremo nunquam dormiuit. Plinius lib. 7.

VIDVS grammaticus Thrasimenus annis quatuor & uiginti quartana febri fuit mirè infestatus. Cælius libro 22. capite octauo Antiq. Lect.

RADVLFVS eremita febribus perpetuò ex uoto laborauit. Gerardus à Nazareth cap. 36. & 37.

Cùm quartanam & longissimè in XII. annum extẽdi Auicenna libro tertio, Fen. 1. tract. 2. cap. 61. asserat: Ioannes tamen Vierus medicus, longiorem durationem obseruatione deprehensam asserit, sequentibus exemplis. HENRICVS Hassen agricola, in peninsula uulgò Steinsvuert dicta, supra Embricam ad Rhenũ, XXXIII annis quartana laborauit, & eam ob causam cœlebs semper mansit. Febris quandoq; dies aliquot uel paucas hebdomadas intermittebat, ut lecto nõ affigeretur æger, ea tamen semper recurrebat, ita ut ea tandẽ extinctus sit. COMES à Morual, cùm totidẽ annis quartana fuisset exagitatus, inter aurei uelleris equites cooptatus à Carolo V. post tres dies præ gaudio expirauit. DOMINVS de Role, œconomus Cęsaris Maximiliani I. octodecim annis quartana laborauit. Ab ea curatus, post annũ interiit, quod sibi prædictum fuisse aiebat. Hæc ille in libello Obseruationum medicarum.

Vnde, Qua de causa.

ALEXANDER Magnus ob frigidam lotionem in Cydno Ciliciæ fl. summo æstu, febre correptus fuit. Curtius.

BELISARIVS in defensione urbis Romæ à Totila grauiter obsessæ, cùm audiuisset Isaacem fratrem ab hoste captum; ratus fuit oppidum Portuẽse cum uxore & liberis, ac rebus omnibus à Gothis teneri. Sed accedens ad urbem Portuensem, cùm inuenisset omnia salua, seq; deceptũ esse animaduertisset, tantũ dolorem ex hoc errore suscepit, ut in acutissimam febrim, qua diu periclitatus fuit, inciderit. Fulgos. lib. 9. cap. 9. & Io. Magnus lib. 13. ex Procopio.

GODEFRIDVS Bononiensis siue Bolionius in expugnatione Romæ largo uini haustu febrẽ contraxit, qua non continuè, sed per interualla laborauit: donec expeditionis Hierosolymitanæ se comitẽ fore uouit, si sanitatem reciperet. Eo enim uoto statim uires recuperauit. Malmesburiẽsis li. 4. c. 70.

CVRATVR. CVRATIO

Felix.

Centurionis Capernaitani SERVVS malè habens, & iam animam agens, à Christo absente curatur, cùm centurio seniores Iudæorum legatos ad eum misisset. Lucæ 7.

Reguli Capernaitani FILIVS lethali febre correptus, patre intercedente, à Christo Domino, quamuis in Cana Galilææ absente, solo uerbo sanatus est. Ioan. 4.

SOCRVS Simonis febri magna apprehensa, à Christo sanata, cùm apprehensa manu eius, febrem increpasset. Itaq; statim surgens ministrauit illis. Marci 1. Matthæi 8. Lucæ 4.

PATREM Publij febrib. & dysenteria laborantẽ, Paulus apostolus facta oratiõe & manuũ impositione sanauit. Act. 28.

Refert Diogenes Laërtius, EVRIPIDEM Platoni comitem fuisse peregrinationis, quum Aegyptum adiret: ubi cùm morbo suo corriperetur, comitiali, ni fallor, sacerdotes Aegyptij mersione marina sanarunt hominem. Hinc postea uersiculum composuisse fertur,

Κλύζει θάλασσα πάντα τἀνθρώπων κακά.

Tanquam aqua marina morbis omnibus mederetur. Erasmus in Adagiis.

Q. FABIVS Maximus consul apud flumen Isaram prælio commisso aduersus Allobrogum Auernorumq; gentes, ad VI. idus Augustas, CXXXM. perduellium cęsis, febri quartana liberatus est in acie. Plin lib. 7. cap. 50.

Scribit Spartianus, ex Pannonia uenisse quendam ab natali cæcum ad febrientem ADRIANVM: A quo mox contactus exuit cæcitatem, ac Imperatorem reliquit febris. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiquarum Lectionum.

Aristæneta Helpidij præfecti prætorij uxor, reuertens cum marito & tribus liberis à beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatem remorata est. Ibi enim hemitritæo pariter arrepti omnes, à medicis pro deploratis relicti sunt. MATER cognito quòd esset monachus in uicina solitudine, oblita matronalis pompæ, uadit comitata ancillulis & eunuchis. Cùm ad eum peruenisset: Per ego te, ait, Iesum clementissimum Deum nostrũ obtestor, per crucem & sanguinem, ut reddas mihi treis filios, & glorificetur in urbe gentilium

nomen Domini saluatoris, & ingrediatur seruus eius Gazam, & Marnas (idolum Gazensium) corruat. Renuente illo & dicente, nunquam se egressurum de cella: nec habere consuetudinem, ut non modò ciuitatem, sed ne uillulam quidem ingrederetur: prostrauit se humi crebrò clamitans: Hilarion serue Christi, redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Aegypto, à te seruentur in Syria. Flebant cuncti, qui aderant, sed & ipse negans fleuit. Quid multa? Non priùs mulier recessit, quàm ille pollicitus est, se post solis occasum Gazam introiturum. Quò postquam uenit, singulorum lectulos & arentia membra considerans, inuocauit Iesum. Et ô mira uirtus, quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit: eadem hora acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes, & benedicentes Deum, sancti manus deosculati sunt. Quod postquam auditum est, & longè lateque percrebuit, certatim ad eum de Syria & Aegypto confluebãt, ita ut multi crederent in Christum, & se monachos profiterentur. Necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquã monachum ante sanctum Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in ea prouincia fuit. Hieronymus in uita eius.

D. Bernardus GALDRICVM auunculum febricitantem manu tetigit, & febrem discedere iussit. Auctor uitæ cap. 10.

Populus herbulas sparserat super tumulum Nicetij Lugdunensis episcopi. Aigulphus diaconus Roma ueniens, de hisce herbis, sacerdote porrigente, secũ asportauit, ac FEBRICITANTIBVS cum haustu aquæ frigidæ exhibuit, ac sanitati euestigiò restituit. Greg. Turonensis hæc sua ætate facta esse, pro certo affirmat.

Albanensis EPISCOPVS febri laborans, cùm ex patella, ex qua D. Bernardus cibum ceperat, panem & aquam gustasset, mox conualuisse dicitur. Auctor uitæ lib. 2. cap. 3.

Greg. Turon. de gloria Confessorum cap. 85. de Syluestri Cauillonensis episcopi lectulo funibus ligato, mira quædam narrat. FEBRICITANTES positi subtus hunc lectum, recreati & refocillati sunt. Multos dicit sese uidisse, qui abscissis particulis de funibus lectuli, cùm infirmos hisce tangerent, pristinæ restituisse ualetudini. Matrem suam ait, particula abscissa de istis funibus, puellam febricitantem, cùm de collo suspenderet, sanasse.

ADELBERTVS Boëmiæ episcopus, infans grauissima febre correptus, ad diuæ Mariæ uirginis ædem perlatus, à parentibus nuncupato religionis uoto, si morbo euaderet, repentè conualuit. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

FERDINANDVM Daualum Piscarium Neapoli uenationi & falconum aucupiis magno apparatu & incredibili patiẽtia deditum, nec grauia sæpe & palustria loca uitantem, febricula ita lentis inuasit accessibus, ut corpus per se gracile, & à naturali ignea ui facilè exustum, corrupto iam oris habitu, & tabefactis membris uix ambiguam spem salutis retineret. Sed conuersa demùm tota uictus medicinæ ratione, repudiatisque remediis calidis, saluberrima epoti lactis & lactucæ refrigeratione sanatus est. Iouius in Piscario libro primo.

Irrita.

In LENTINVM, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usq; gemis.
Gestatur tecum sella, pariterq; lauatur,
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpè, & sæpè Falerno,
Nec nisi post niueam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma purpureoq; toro.
Cùm sic tam pulcrè, tam bellè uiuat apud te,
Ad Dammam potius uis tua febris eat?

GOAR monachus ad Treuerensem episcopatum à rege Metẽsiũ Sigeberto uocatus, febricitare maluit, quàm episcopus fieri. Marulus lib. 1. cap. 6.

CRASSITIES, OBESITAS.

SCYTHARVM, qui ad Riphæos montes habitant, formæ sunt crassæ & carnosæ: iuncturæ uerò humectæ & eneruatæ, uentresque humidi omnes, maximè tamen inferior aluus: nequit enim ipsa exsiccari in huiusmodi tum regionis, tum naturæ & temporis constitutione. Sed præ pinguedine & glabritie carnis etiam foris inter se sunt similes, masculi masculis, & feminę femellis. Multos proinde ipsorum, præcipuè qui Nomades sunt, reperias exustos humeros ac brachia habentes, manuumque iuncturas, pectora, coxas, & lumbos: nullam sanè aliam ob causam, nisi ob naturæ humiditatem & mollitiem. Nam neque arcus intendere, neque telum torquere possunt præ humiditate & impotentia. Quum autem uruntur, humor ipse à iuncturis euacuatur, fiuntque corpora ipsorum ualidiora, meliùs nutriuntur, & articuli magis firmantur. Fluida uerò fiunt ac uasta, primùm propterea quòd fasciis non colligantur, quemadmodum fieri solet in Aegypto. Fasciis autem communi consensu abstinent, equitationis causa, ut ad insidendum aptiores reddantur. Deinde etiam propter desidiam. Masculi enim eorum priùs, quàm equos conscendere queant, plurimum temporis desident in curribus, raroque prodeunt ut inambulent, propter peregrinationes & itinera perpetua. Muliebrium autem corporum formæ ad stuporem usque fluxæ existunt. Hip. de Aëre aquis locis.

NICOMACHO Smyrnæo ad tantam molem corpus increuerat, ut loco moueri non posset. Is ab Aesculapio curatus est. Gal. lib. de Differ. morb. c. 9.

DIONYSIVS Heracleotes tyrannus fuit adeò uentricosus, & corpulentus, ut noctu dum quiesceret, cogeretur suis lateribus hirudines admouere, quæ humorẽ superfluum paulatim exhaurirent, eoq; modo aliquid adimerent de crassitudine. Aelianus tamen libro nono, subtiles acus per abdomen iniici solitas scribit, ut humor superfluus educeretur.

SANCIVS I. Asturum rex intolerabili pinguedine aggrauatus, dictus fuit Sancius Crassus. Consilio Gorsiæ Nauarræ regis auunculi sui pacem cum Abderramo principe Cordubæ fecit, & Cordubam ueniens ab Abderramo magnificè susceptus, opera medicorum antidoto cuiusdam herbæ à grauitate pinguedinis liberatus est. Rodericus Toletanus lib. 5. rerum Hisp. cap. 10. Cardanus lib. de Subtil. de Plantis agens, semen herbæ fuisse existimat, quam Linguam auis uocant: sed uel ueneno adiecto, uel in contrarium mutata corporis temperie, breui pòst obiisse.

TABES, EMACIATIO.

OEDIPVS, deplorans suam miseriam, cura, dolore & senio se confectum ostendit apud Eurip. in Phœnissis,

Πόλιον αἰθέρος ἀφανὲς εἴδωλον,
ἢ νέκυν ἔνερθεν, ἢ πτανὸν ὄνειρον.

Canum aëris tanquam simulacrum, aut mortuum inferum, aut uolatile somnium.

Alexan. Trallianus libro quinto, capite quarto, uidisse se VIRVM affirmat, qui cùm tussi sicca ad tabem usque maceraretur, diæta conueniente usus, oborta tandem tussi uehementiss. lapidem leuem atque durum ex pulmone reiecerit, tussique lèuatus fuerit.

Paulus Aegineta libro 3. capite 31. historiam narrat de QVODAM, qui post sanguinem è pulmone reiectum temporis progressu maxima cum tussi & sanguinis copia calculos quatuor aut quinque, tribulis similes, magnitudine quatuor siliquarum reiecerit: inde leuatus dolore, paulo pòst tabe consumtus interierit.

DVFFVS Scotorum rex nobilis, complures uagos & per insulas Hebrides debacchãtes, dignis pœnis affecerat. Cæteri, aut fugerunt in Hiberniam, aut manuariæ arti sese addixerunt. Procerum id quidam ægrè admodum ferre, rati indignum splendidis parentibus prognatos seruili opera uictũ quæritare. Ergo Moraui proceres ueneficorũ arte regi perpetuas uigilias nocturnas cum sudore incredibili intentauere, sic ut lenta tabe conficeretur. Militis cuiusdam indicio, cui concubina matris suæ arcanum scelus detexerat, deprehensæ noctu ueneficæ cereum regis Duffi simulacrum ligneo affixum ueru ante ignem torrere, & carminibus recitatis liquore medicato perfundere. Dum simulacrum igni adhibitum torreretur, rex in sudorẽ soluebatur: carminibus autem recitatis, perpetua tenebatur uigilia, & ad liquescentem ceram macie conficiebatur. Consumta cera regi mortem afferebat. Perfracto simulacro, ueneficæ supplicio flammę sunt affectæ. Ea ipsa nocte, qua hęc in Forressensi arce sunt acta, regem languore leuatum, & nocte absque sudore quieuisse: postridieque redeuntibus uiribus, omnia promtè egisse, perinde ac si nulla aduersa ualetudine fuisset detentus, memorant. H. Boëthius lib. 11.

VVLNERA. VEL ACCEPTA AB

Hostibus.

ALEXANDRI Magni corpus uulneribus à uertice usque ad pedes concisum, traiectum, afflictum, & ictibus contusum hostilibus fuit,

Hastaque & gladio atque ingenti pondere saxis.

Ad Granicum dissecta capillo tenus eius galea. Apud Gazam telo percussus humerus. In Maragandis sagitta tibia, ut radij diffractum os ictus ui exiliret. Ceruix in Hyrcania saxo, unde caligine luminibus offusa in periculo multos dies cæcitatis fuit. Apud Assacanos Indico telo talus: quo tempore ad assentatores ridens ait: Nempe hic sanguis est non sanies, non ichor ille Homericus,

—Diis ut solitus manare beatis.

Apud Issum femur gladio à rege Dario, qui cum eo, ut est auctor Chares, congressus erat. Ipse ingenuè & citra omnem fucum scribens ad Antipatrum Alexander: Contigit, inquit, mihi quoque ipsi pugione uulnus accipere in femore: cæterùm nihil grauius uel in præsentia uel pòst inde est secutum.

Muribus.

BRASIDAS Spartanus in carycis captum murem, morsus ab eo, missum fecit. Mox assistentibus: Nihil adeò est, inquit, pusillum, quod non sit magnum, si aduersus aggredientes defendere se audeat. Plut. in Apophthegmatibus.

Agesilaus murem conspicatus ex fenestra trahi à PVERO, qui eum tenebat: ut flectens se manum momordit mus tenentis, profugitque, ostendit id illis, qui præstò erant, aitque: Quando animal minimum ita propulsat iniuriam, quid uiros facere deceat, perpendite. Plutarchus in Apoph.

CVRATA.

ALEXANDRO Magno in Gandridis crus, apud Mallotas telo arcu misso atque altè infixa eius cuspide pectus uulneratum: item pistilli ictu secundùm collum uulnus accepit, quando admotæ muris scalæ confractæ sunt. Ibi eum fortuna unum inclusit, non claris aduersariis, sed obscuris barbaris facinus tantum largiens. Quòd nisi pelta eum protexisset Ptolemæus, & Limnæus, diruissentque ira & ui Macedones murum, fuisset barbarus ille & ignobilis uicus Alexandri tumulus. Plut. in Alex. for.

TELEPHVS Mysorum rex ab Achille uulneratus, ab eodem rubigine hastæ eius, uel certè herba sideritide Achillea sanatus fuit, non autem (ut quidam somniant) secunda plaga. Aerugo plurimum exciccat, & sanguis quoque concretus, in puluerem redactus, certa ratione præparatus. Vide Titulum, Prædictiones sanitatis.

PHORMIO (cuius etiam Theopompus in Philippicis mentionem facit) Crotoniata, in prælio ad Sagram uulneratus est. Vulnus autem cùm difficulter curaretur, oraculum accepit, Lacedæmonem esse eundum: eum enim eius medicum fore, qui eum primus uocaret ad cœnam. Cùm ergo Spartam uenisset, & è uehiculo descendisset, adolescens eum ad cœnam uocauit: & cœnatum rogauit, qua de causa ueniret? Oraculo intellecto, abrasit hastam, & ramenta uulneri imposuit. Inde cùm à cœna rediens, currum conscendere uideretur, ianuam ædium suarum Crotone apprehendit. Suidas.

LATTILIVS Calatinus, cum CCC. militibus eruptione facta, acriter in prælio pugnãs cecidit: & semianimis demum inuentus, sanatus est. Liuius lib. 19.

SYVARDVS Regneri Danorum regis F. in acie contra Haraldum tyrannum immedicabili uulnere affectus iacebat. Desperantibus medicis, quidam stupenda magnitudine ægri lectulum adire conspectus, si sibi illorum, quos armis oppressurus foret, animas dedicasset, protinus incolumitate gauisurum promisit: & se Rostarum dici subiunxit. Syuardus cupidè paruit. Tunc senex manu subitã uulneri cicatricẽ induxit, & oculos eius puluere aspersit, cuius ui serpẽti naseritas oculis eius accessit: ita quidẽ ut anus illi ministrãs inusitata luminũ acie territa, linqui animo ceperit. Inde Syuardus serpentini oculi cognomen accepit. Saxo lib. 9.

Cùm EDVARDVS regis Angliæ primogenitus ad Domini sepulcrum transfretasset, fuissetque in uia à Mauro quodam gladio uenenato percussus, in Angliam sine salutis spe est reuersus. Eius uxor, regis Hispaniæ filia, plagam mariti lingua quotidie lingebat, iugebatque humorem uenenosum quidem, at coniugalis amoris melle conditum. Sic ille rectè curatus, illa incolumis euasit. Rodericus Sancius parte prima hist. Hispan. cap. 4.

IAROMIRIVS Boëmorum princeps sagittis confixus à Versouicensibus proditoribus in uenatione, inuocato D. Ioan. Baptista, præter expectationem incolumis euasit. Dubrauius libro sexto.

Vladislaus Locticus Polonorum rex Cruciferis memorabili strage affectis, cæsorum numerum recognoscens, conspicatus FLORIANVM Sharum, hominem equestris ordinis, multis uulneribus debilitatum, resupinato corpore iacentem, & ilia per uulnus effluentia manibus cohibentem: conuersus ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius uiri cruciatus. Respondet ille: Maiorem esse eius, qui in eodem pago malum uicinum habeat, qualem ipse expertus sit. Rex contrà, Bono, inquit, animo es. Isthoc ego te malo liberabo, si uixeris. Itaque sublatus, curatusque, totum pagũ amoto uicino malo regia munificentia adeptus est. Cromerus libro undecimo.

VLCERA.

Sexta AEGYPTI plaga à Domino per Mosem immissa fuit, quando fauillam de calcaria plenis uolis in aërem sparsit, quæ in puluerem mutata, tam homines quàm bestias pustulis exulcerauit, ita ut ne Magi quidem præ pustulis coram Mose consistere possent. Exodi 9.

Interdictum fuit SACERDOTIBVS Romanis, qui ulcere laborabant, auspicio operam dare. Vtrùm hæc nota est, non debere uitium habere in animo illos, qui rebus diuinis uacant, uerùm expertes esse ægritudinis? An conueniens est, si nec uictima utitur quis ad rem diuinam ulcerosa, neque ad auspicium auibus, ut multo magis in semetipsis ea uitent, mundique & sani atque integri ad capienda auguria ab diis procedant? Videtur enim ulcus mutilatio corporis & pollutio esse. Plut. in quæst. Rom.

Memoriam Stephani martyris, in castello Synicensi, quod Hipponensi coloniæ uicinum est, eiusdẽ loci LVCILLVS episcopus, populo præcedente atque sequente portabat. Fistula ergo, qua iam laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus, illius piæ sarcinæ uectatione, repentè sanata est, sic ut deinceps eam in suo corpore non inuenerit. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

ESKYLLVS Lundensis archiepiscopus in Dania, senio iam grauis, archiepiscopatu sponte resignato, Claram uallem abiturus, igne (quem sacrum uocant) quadam corporis parte afflatus abscedere maturauit, perinde ac diuinitus iniecti sibi supplicij cruciamenta sortitus. Quem cùm Absalon, quem is sibi successorem uel inuitum designarat, Scania excedentem castelli sui hospitio excepisset, seq; tanto pedum frigore teneri, ut noctu quietem capere non posset, conquerentem audiret, calidum laterculum cistula crebris foraminibus distincta inclusum plantis applicuit, eoque fomenti genere præfrigido seni patientem quietis calorem restituit. Cuius medicamenti beneficium hoc Eskyllo gratius fuit, quòd ab artificis charitate, non scientia aut professione manauit. Saxo. libro decimo quarto.

Dominicus Syluius Venetorum dux VXOREM habuit, Græci fastus & superbiæ plenam, patria Constantinopolitanam: quæ, ut Damianus scripsit, adeò morosa fuit elegantia, ut communi aqua ad se lauandum nunquam uteretur, sed rore tantùm collecto: cibaria digitis non attingeret, sed aureis furculis apprehensa ori applicaret: eius cubiculum ea odorum uarietate fragrabat, ut nimia suauitate ingredientium sensus penè obrueretur. Ferunt, insolentissimum illius cultum in fœtidissimã tabem se uertisse: ut quum nobilissimo elemento, quia quum aliis sibi commune cerneret, pertinaci stomacho abstinuisset, non modò nõ aquæ sed ne ulla quidem ope tabidi corporis saniem posset abstergere. Sab. lib. 4. Dec. 1. & Vincentius lib. 25. cap. 51.

FRACTVRAE.

Peculiaris est Alpinis maximè fluminibus Conferua appellata, à conferruminando, spongia aquarum dulcium uerius quàm muscus aut herba, uillosæ densitatis atque fistulosæ. Curatum ea scio, omnibus ferè ossibus confractis prolapsum ex arbore alta PVTATOREM, circumdata uniuerso corpori (aquam suam inspergentibus, quoties inaresceret, raroque nec nisi deficientem herbam mutationis causa resoluentibus) conualuisse uix credibili celeritate. Plinius libro 27. capite octauo.

MVTILATIO.

Consule Tit. Manuum & Pedum Affectus.

Masistis fratris Xerxis VXOR ab Amestre Xerxis uxore, ob incestum mariti cũ Artaynta filia Masistis (cuius illa matrem auctorem esse falsò credebat) mammillis, naribus, auribus, labris, lingua mutilata fuit. Herod. lib. 9.

PHOCAS tyrannus ab Heraclio Imp. nauali prælio superatus, ubi in conspectum Heraclij uenit, ei illicò manus & pedes, mox humeri & pudenda amputata fuere, tandem & caput. Cedrenus.

AFFECTVS CONSIDERATI RESPECTV CAVSAE MORBIFICAE.

DAEMONIACI A DAEMONIO OBSESSI.

SAVLVS rex Israelitarum, cùm propter inobedientiam à Deo reprobatus, & Dauid Isæi F. à Samuele propheta in regem unctus esset, Iouæ spiritu (qui ad Samuelem transierat) destitutus, à malo spiritu uexari cœpit. Suasu igitur amicorum Dauidem fidibus doctum accersiuit, qui cithara suum malo spiritu correptum mitigaret. Dauidis musi allectus

Saulus à patre Isæo petiit, ut apud se maneret Dauid, armigeri loco, simul & citharœdi: hoc ut ab inuisibili- [redacted] inuasit, neq; ante finem [redacted] nomine malum id uolebant uelare, insaniam animi appellabant. Sanè neq; humanum neq; diuinum auxilium miserabilibus eum istis cruciatibus ac torturis eripuit. Cedrenus.

GEILANA ducissa Herbipolensis dæmoniaca, ob Chilianum interfectum, qui Duci suaserat, uti Geilanã, fratris priùs coniugem, dimitteret. Sigebertus.

LATRO Longobardus, Mennæ eremitæ aluearia deprædatus, contemtis uiri sancti dehortationibus, ne aliena raperet, à dæmone correptus. Marul. lib. 1. c. 8. ex Greg. Dial. li. 4.

ANTONIVS Burdegalensis, cuiusdam negociatoris famulus, annos natus duodecim, in cellam quandam angustam se conclusit, tenui uictu contentus, degitque in ea annos circiter octo. Postea eum diabolus corporaliter etiam occupauit. Greg. Turonensis lib. 8. cap. 34.

Antonius Sucquetus, eques auratus, in aula Brabantica consiliarius, filium reliquit nothum, qui Brugis duxerat VXOREM. Hæc paulò pòst nuptias à malo genio cœpit uexari miserè, ita ut ubicunque locorum esset, etiam corona honestarum matronarum cincta, è cœtu abriperetur, perque cubicula traheretur, ac sæpenumerò coniiceretur modò in hunc angulum, modò in alterum, etiam reluctantibus omnique ui illam retinere conantibus, qui illic aderant: id tamen accidit sine magna admodum læsione corporis. Persuasum omnibus erat, hoc malefica arte fieri à pellice illi inuidente maritum, cuius amore deuincta tenebatur: erat enim iuuenis forma non ineleganti. Cœpit interea gestare uterum, at nihilo minus aut leuius uexabatur. Tempore partus instante, cùm una tantùm adesset mulier, ea famulam ablegante, ut obstetricem accerseret, uisa est illi intrare pellex, quæ ei obstetricis officium præbuit. Ipsa præ angustia in mentis cecidit deliquium. Vbi ad se rediit, liberatam se sensit ab onere: at puer nusquã apparebat, mirantibus id omnibus supra modum. Accidit autẽ postridie, ut dum è somno expergisceretur, reperiret infantem iuxta se in lecto, fasciis inuolutum: cui & ubera semel atq; iterum præbuit. Atqui non ita multo pòst, rursus illa dormiente, à latere infans abripitur, nec postea inuentus est. Aiebant nescio quas schedas magicis notis in ostij sera repertas. Vierus libro 2. cap. 8. de Præstigiis dæmonum.

[redacted]

MONIALES Verteti occlusæ in comitatu Hornensi diris modis à dæmone sunt uexatæ. Paupercula femina in quadragesima salis libras tres mutuò à uirginibus acceperat, seque duplum circa Paschæ solennitatem restituerat. Hinc in dormitorio inueniebantur sphærulæ candidæ, uelut incrustata saccaro semina, at gustu salsæ. Eodem in loco obseruabatur incessus spectri ingemiscentis, audiebatur item quandoque uox, plerasque uirgines ut surgerent, & ad ignem secum accederent, se ægrotam commonefaciens. Si quando in arrepta matula meiere tentarent, ea uiolenter erepta, lotio conspurcabant lectum. Aliquoties pedibus è lecto ad passus aliquot subtrahebantur, atque adeò sub plantis titillabantur, ut præ nimio risu modò non morerentur. Quibusdam carnis particulæ euellebantur: plerisque in aduersam partem prorsus intorquebantur tibiæ, brachia & facies. Quædam sic excarnificatæ, licet ad dies quinquaginta duos nihil præter raparum ius citra panem sorpsissent: attamen atri liquoris, uelut atramenti scriptorij, multa uomitu reiiciebatur copia: tam acris, ut etiam pelliculam ex ore abraderet. Aliquæ supra hominis caput euehebantur, & mox deiiciebantur. Cùm ægrotas recreaturi circiter tredecim numero amici uenissent, illæ è mensa deorsum citra uocem & intellectum dilabebantur, nonnullæ inuersis tibiis & brachiis tanquam mortuæ iacebant. Vna in altum sustollebatur, & quanquam manibus iniectis obluctarentur assistentes, tamen supra eorum caput abrepta, denuò præcipitabatur. Nonnullæ incedebant tibiarum extremitatibus innixæ, uelut ἄποδες, citra pedum usum, qui uidebantur trahi tanquam ligamentis nimium laxatis in sacculo penduli. Arbores quoque conscendebant ut feles, ab iisq; proserpebant, nulla corporis immutatione. Contigit item, ut cœnobij præfectæ (quam matrem uocant) in eius ambitu colloquenti cum Margarita comitissa Burensi, ex femore erueretur caro. Vulnus partim liuebat, partim nigricabat, sed curabatur. Durauit ea carnificina ad annos tres manifesta, quam postea celarunt. Vierus libro tertio, capite nono, de Præstigiis dæmonum.

[redacted]

VIRGO nobili nata loco, cùm feruentissimè adamati iuuenis, sed ignobilioris, coniugio potiri non posset, reluctantibus parentibus, mœrore confecta, dæmonem sub specie amasij obuium habuit. A quo persuasa, D. Brigidæ cœnobium non procul à Xanctis ingreditur. Ibi furore correpta, exilibat, balabat, mugiebat, in sublime rapiebatur, strangulabatur. Id malum quodam ueluti contagio in reliquas deriuatum moniales. Ex ea deinde aliò auecta prolem bis sustulit carceris custos, quoad ad se rediit. Vierus lib. 3. cap. 9. Præstigiorum.

MONIALES in Hessimonte Neomagi dæmonium aliquot annos infestauit. Dormitorium noctu uelut cum turbine ingressum, testudine citharaq; uidebatur ludere suauissimè, ut ad choreas induci potuissent uirgines. Inde canis instar in unius lectum insiliebat, in quam muti peccati, quod uocant, cadebat suspicio. Vierus ibidem.

Noui aliud non ignobile COLLEGIVM in Coloniensis prouinciæ limitibus, ubi ante annos octo dæmon canis specie interdiu procurrens, conscendensq; sub interiori religiosarum uirginum indumento, spurcæ uelitationis indicia exteriore uestium motu ostendere uidebatur. Vierus lib. 3. cap. 9. de Præstigiis dæmonum.

VIRGINES in cœnobio Kẽtorpio prope ueterem Marcam, in Marchiæ comitatu iuxta Hammonem, inclusæ, monstrosis conuulsionibus fuerunt exagitatæ. Fœdissimum illæ halitum ore spirabant, in ipso, & paulo post ipsum paroxysmum: qui aliàs semel interdiu, aliquando sæpius inuadebat, aliquoties in horas aliquot multas protrahebatur. In accessione mali quædam conuulsæ intelligentes erant, au-

diebant, astantes etiam internoscere se pleræque postea affirmabant: at propter linguæ conuulsiones, loqui minus poterant. Torquebantur aliæ aliis mitiùs. Sed hoc commune propè omnibus erat, ut cùm ex iis una agitaretur, cæteræ quoque in seiunctis etiam cubiculis correptæ, solùm tumultuantis strepitum audientes, simili miserrimo modo uexarentur. Prima sic affligi cœpit ANNA Lemgou, quum primùm ex sinistro doleret hypochondrio, epilepsiaque correpta putaretur. Ad ariolum itum est, is opinione ingessit, ab Elsa Kamensi coqua (quæ postea cum matre uiua exusta est) cunctas maleficio læsas esse. Hinc neruum sortitus diabolus, non solùm eas multiuariis cõuulsionum generibus torquere incipit, sed incitare quoque, ut se mutuò & alios morderent, cæderentque, subueherentur item & deijcerentur citra noxam, sicut plumæ sibi uisæ: unde etiam non suæ potestatis se esse sentirent. Si autem à percussione uel quacunque alia uiolentia inhiberentur, cor afficiebatur grauiter: at suæ libertati relictæ, etiamsi seipsas lædere, concutere aut mordere uiderentur, nihil inde sentiebant mali: at in proprium sæuire corpus, necessarium esse imaginabantur. Si quando Anna in paroxysmo loqueretur, fiebat id quasi altero inspirante & expirante: ipsa interim seipsam dum loqueretur intelligebat, sed finito sermone penitùs menti exciderant prolata uerba. Nequiuit ulli rei uel bonæ uel malę seriò attendere, tanquam mente stupida, sine sensu, discretione & iudicio. Si pius aliquis eam alloqueretur, tũ quasi à diabolo puniri uidebatur. Si quando autem huic loquerentur aliæ feminæ de rebus suis ludicris, mirè iis afficiebatur, leuabaturque. Quum exorcisaretur, incredibilem sanguinis copiam uidebatur fundere per os. Omnibus uerò [redacted]

poris [redacted] uallis laborasse: qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiã digitum unicum, aliàs crus alterũ, aliàs utrunq;, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitaret, ut uix à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum iacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesq; sensus integri, uel in conuulsionis ferocia. Decies ut minimum quotidie corripiebatur: in interuallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia iudicari poterat, si mentis sensuumq; læsio accessisset. Peritissimi quiq; adhibiti medici, conuulsionem epilepsiæ finitimam à maligno uenenatoq; humore, spinæ dorsi impacto, censuerũt: è quo uapor in eos neruos emanaret, qui à spina in artus quoquouersum, nõ autem in cerebrum disseminantur. Hæc credita causa ut summoueretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & ualidæ, cucurbitulæ infiguntur neruorum initijs, fotus, unctiones, emplastra primùm, quæ discuterent, dein quæ roborarent, uenenatamq; malignitatem obtererent. His parùm proficientibus, sudores proliciuntur balneis, æstuariis, & Guaiacinæ hebeni decocto: quæ nihilo magis profuerunt, quoniam omnes longè aberamus à cognitione ueri. Nam mense tertio primùm deprehensus dæmon quidam totius mali auctor, uoce insuetisque uerbis ac sententiis tum Latinis tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa medicorum secreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumuenisset, quodque irritis pharmacis corpus hoc penè iugulassent. Quoties laborantem pater inuisebat, is procul à conspectu inclamabat, Appellentem hunc arcete, & ab ingressione propulsate, aut

torquem è ceruice detrahit: ex hoc enim, ut Gallorum torquatis equitibus in more est, diui Michaelis imago propendebat. S [redacted]. Interrogatus porrò quis esset, aut quo modo, & qua hæc potestate moliretur? dixit, multa intus esse domicilia, in quibus se recondat, & in quiete ad alios commigrare: se in hoc corpus iniectum à quodam, cuius nomen non efferret: à pedibus ingressum in regia, & à pedibus egressurum, cùm præstitutus dies aduentarit. Vierus libro tertio, capite decimoquarto, de Præstigiis dæmonum.

A Christi natiuitate 1539. in quodam Eistettensis episcopatus pago Fugestal, VLRICVS Neusesser agricola, cùm crudelibus dolorum tormentis circa alterum hypochondrium conficeretur, subitò clauum ferreum sub illæsa cute manu apprehendit, quem chirurgus illic balneator nouacula exciderat: nec tamen cessarunt dolores, sed indies magis incrudescebant. Quapropter cùm nec aliud doloris remedium fore miser, quàm mortem, suspicaretur, arrepto cultello, sibi guttur abscidit. Itaque dum tertio die ad sepulcrum mortuus efferretur, aderant tum Eucharius Rosenbader ex Vueissemburg, Noricorum oppido, ac Ioannes ab Ettenstet balneator, qui astante magna hominum frequentia, demortui agricolæ uentriculum inciderunt, in quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera repererunt, quorum singula spithami longitudinem excedebant: aderat & capillorum instar globi inuolucrum. Sed quid potissimùm hîc admiraberis? an quomodo tot & tanta ferramenta in uentriculi cauitate contineri potuerint: an qua arte sint ingesta? Certè non alia, quàm dæmonis astu, & dolo. Ioan. Langius lib. 1. Epist med. 28. & Vierus libro tertio, de Præstigiis dæmonum, cap. 8.

DAEMONIACI CVRATI

A QVIBVS. A

Deo.

Christus in Galilæa dæmoniacos MVLTOS sanauit, semper tamen dæmonum testimonium, filium Dei eum esse clamantium, respuit, & spiritus tacere coëgit. Matth. 8. Marci 1. Lucæ 4. DÆMONIACOS duos sæuissimos sanauit idem in regione Gergesenorum. Dæmonibus permisit, ut egressi porcorum gregem præcipitem in mare agerent. Matthei 8. [redacted]

Hilarione in Sicilia latente, SCVTARIVS qui[redacted] basilica beati Petri Romæ torqueretur, clamauit in eo immundus spiritus: Ante paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion seruus Christi, & nemo eum nouit, & putat se esse secretum, ego uadam & prodam illum. Statimque cum seruulis suis ascensa in portu naue, appulsus est Pachynum, & deducente se dæmone, ubi ante tugurium senis se prostrauit, illicò curatus est. Hoc initium signorum eius in Sicilia, innumerabilem ad eum deinceps ægrotantium, sed & religiosorum hominum abduxit multitudinem. Hieronymus in uita Hilarionis.

D. Hieronymus in uita D. Hilarionis eremitæ scribit: Gazensis emporij oppido, VIRGINEM Dei uicinus iuuenis deperibat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent morituræ uirginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, ut confesso uulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad uirginem. Igitur post annum, doctus ab Aesculapij uatibus, subter limen domus puellæ tormenta quædam uerborum, & portentosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Illicò insanire uirgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis: magnitudo quippe amoris eam in furorem uerterat. Perducta à parentibus ad monasterium, seni traditur, ululante statim & confitente dæmone: Vim sustinui, inuitus sum abductus: quàm bene Memphis somniis homines deludebam? O cruces, ô tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex: Grandis, ait, fortitudo tua; qui licio & lamina strictus teneris. Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei? Vt seruarem, inquit, eam uirginem. Tu seruares, proditor castitatis? Cur non potius in eum, qui te mittebat, es ingressus? Vt quid, respondit, intrarem in eum; qui habebat collegam meum, amoris dæmonem? Noluit autem sanctus signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse dæmon uideretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: asserens, fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos. Seuerè autem reddita sanitate increpuit uirginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset. Hæc ille.

D. Germanus Rauennæ ACHOLIVM eunuchum, præpositũ sacri cubiculi, maligni spiritus uexatione liberauit. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Samson Dolensis archiepiscopus EVM, qui sibi ueneni poculum propinauerat, spiritu immundo oppressum miseratus, Deo supplicando sanitati restituit. Marul. lib. 3. c. 3.

FRIDBERGA filia Gunzoni, Sueuorum principis, à dæmone correpta, à S. Gallo liberata fuit. Volateranus li. 16. Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 72.

Luitpertus Moguntinus episcopus, ex CAROLO iuniore F. Ludouici Imp. qui contra patrem conspirauerat, cacodæmonem expulit, anno 873. Sigebertus.

Dæmonibus.

Narrat Eusebius SERAPIN, qui Græcis Pluto dicitur, apud Aegyptios symbola dedisse, quib. dęmones expellerẽtur: docuisse etiam, quomodo assumtis brutorum figuris insidien[illegible] dæmones: quibus maximè obnoxij fiãt, qui [illegible] subinde disten[illegible] lautioribus.

Magis.

In Actis Apost. legimus du[illegible] fuisse MA[illegible], qui malignum spiritum ex hum[illegible] corporibus tentabant [illegible], dicen[illegible] hæc uerba, Adiuro uos per Iesum, quem [illegible] &c. Respondens autem [illegible] nequam dixit eis, Iesum [illegible] uos autem qui estis? & statim diabolus [illegible] inuasit, eo dimisso, quem a[illegible] uexabat.

Eleazarus Iudæus, spectante Vesp[illegible], admota radice ad nares, DÆMONIACVM curauit Iosephus.

Maleficij amoliendi, & demonum expell[illegible] superstitiosas curationes, pete ex Vieri libro quarto, capite 18. de præstigiis Dæmonum.

QVOMODO.

Fide.

AVRIGA quidam Gazensis in curru percussus à dæmone, totus obriguit, ita ut nec manum agitare, nec ceruicem posset re[illegible]. Delatus ergo in lecto ad Hilarionem eremitam, cùm [illegible] linguam moueret ad preces, audit non prius posse sanari, quàm crederet in Iesum, & se sponderet arti pristinæ renunciaturum. Credidit, spopondit, sanatus est, magisque de animæ, quàm de corporis salute exultauit. Hieronymus in uita Hilarionis.

Oratione, Ieiuniis.

Hilarion in Cypro insula latebat. Cæterùm uix ad plenum uiginti transiere dies, cùm per omnen insulam QVICVNQVE immundos habebant spiritus, clamare cœperunt, uenisse Hilarionem seruum Christi, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, & urbes reliquæ conclamabant: plerisque asserentibus, scire se quidem Hilarionem, & uerè illum esse famulum Dei, sed ubi esset ignorare. Intra triginta igitur nec multo amplius dies, ducenti fermè tam uiri quàm mulieres ad eum congregati sunt. Quos cùm uidisset, dolens quòd se non paterentur quiescere, & quodammodo in ultionem sui sæuiens, tanta eos orationum instãtia flagellauit, ut quidam statim, alij post biduum triduumue, omnes uerò intra unam hebdomadam, curarentur. Hieronymus in uita Hilarionis.

Commemorat Prosper Aquitanicus, de prædictionibus & promissionibus lib. 6. quòd suo tempore Carthagini PVELLA quædam Christiana, cùm in balneis quoddam Veneris simulacrum minus pudicè intuita esset, seque eidem assimilasset, mox à diabolo sit obsessa: qui gutturis meatus occuparit, ut circiter dies septuaginta, noctesque totidem fermè, nec cibum nec potum traiicere potuerit. Parentes, cùm nullam leuationem animaduerterent, puellam ad Ecclesiæ ministrum adducunt, eique rem, ut acta erat, bona fide exponunt. Vnum hoc puella confessa addidit: noctis medio uideri sibi auem quandam adesse, & nescio quid ori ingerere. Tandē in templum deducitur, fiunt preces: & cùm ei cœna Domini porrigeretur, quam ægrè accepit, cacodæmone nimirum reluctante, liberata est.

Scio (inquit D. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8.) episcopum semel pro adolescente, quem non uidit, orasse, illumque illicò dæmone caruisse.

Victoriana uilla ab Hippone regio minus triginta milibus abest. Memoria martyrum ibi est Geruasij & Protasij, non multo antè Mediolani repertorum. Portatus est die eo quidam ADOLESCENS, qui cùm de medio tempore æstatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret uel morti proximus, uel simillimus mortuo, ad uespertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis suis & quibusdam sanctimonialibus ex more domina possessionis intrauit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua uoce ille quasi percussus excussus est, & cum terribili fremitu altare apprehensum mouere non audens, siue non ualens, tanquam eo fuerit alligatus, aut fixus, tenebat: & cum grandi eiulatu parci sibi rogans, confitebatur, ubi adolescentem, & quando & quomodo inuaserit. Postremò se exiturum esse denuncians, membra eius singula nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc uerba discessit ab homine. Sed oculus eius in maxillam fusus, tenui uenula ab interiore quasi radice pendebat, totũque eius medium, quod nigellum fuerat, albicabat. Quo uiso, qui aderant, quamuis eum sana mente stare gauderent, rursus tamen propter oculum eius contristati, medicum quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis eius, qui eum illò detulerat: Potens est, inquit, Deus sanctorum orationibus, qui fugauit dæmonem, lumen ei reddere. Tũc, sicut potuit, oculum lapsum atq; pendentem, loco suo reuocatum, ligauit oratio: nec nisi post septē dies putauit esse soluendum. Quod cùm fecisset, sanissimum inuenit. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

Recitat Gregorius libro primo Dialog. capite decimo: Fortunatum Tudertinæ ecclesiæ episcopum oratione eiecisse diabolos.

Norbertus apud Nigellam, PVELLAM quandam à diabolo obsessam exorcizatis, à dæmone irrisus fuit, Cantica canticorum per os puellæ ab initio usque ad finem recitante, eaque postea Latinè & Germanicè interpretante. Sed tandem acriter episcopo instante, expulsus fuit, anno 1122. ut Sigeberti habet Continuator.

Eo die quo Adelbertus Boemorum designatus est episcopus, QVIDAM à diaboli uinculis inter exorcizandum liberatus est, querulâ uociferante uoce, non se in hoc suo theatro deinceps residere posse, quia Adelberti aduentu omnes Bohemiæ regno excedere cogerentur diaboli. Bonfinius libro primo, Decadis 2.

Imperio, Minis, Exorcismis.

MARSITAS fortissimus iuuenis de territorio Hierosolymæ, tantum sibi applaudebat in uiribus, ut quindecim frumenti modios diu longeque portaret: & hanc haberet palmam fortitudinis suæ, si asinos uinceret. Hic afflictus pessimo dæmone, non catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur: multorum nasum & aures morsibus amputauerat, horum pedes, illorum gulam fregerat, tantumque sui terrorem omnibus incusserat, ut oneratus catenis & funibus in diuersa nitentium, quasi ferocissimus taurus ad monasterium Hilarionis eremitæ pertraheretur. Quem postquam fratres uidêre, perterriti (erat enim miræ magnitudinis) nunciauerunt patri. Ille sicut sedebat, iussit eum ad se pertrahi, & dimitti: solutoque: Inclina, ait, caput, & ueni. Tremere ille, & ceruicem flectere, nec aspicere contrà ausus; omnique ferocitate deposita, pedes cœpit sedentis lambere. Adiuratus itaque dæmon, & tortus, qui iuuenem possederat, septima die egressus est. Hieronymus in uita Hilarionis.

CANDIDATVS Constantij Imperat. rutila coma & candore

corporis indicans prouinciam (inter Saxones quippe & Alemanos gens eius non tam lata quàm ualida, apud Historicos Germania, nunc uerò Francia uocatur) antiquo, hoc est, ab infantia possessus à dæmone, qui noctibus cum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto ab Imperatore euectionem petiit, causam ei simpliciter indicans. Et acceptis ad consularem quoque Palæstinæ literis, cum ingenti honore & comitatu Gazam deductus est. Deambulabat tunc S. Hilarion in arenis mollibus, & secum de psalmis nescio quid submurmurabat: uidensque tantam turbam uenientem, substitit: & resalutatis omnibus, manuque eis benedicens, post horam cæteros abire præcepit, illum uerò cum seruis suis & apparitoribus remanere. Ex oculis enim eius & uultu, cur uenisset, agnouit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, uix terram pedibus tangens, & immanè rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore Barbaro, & qui Francam tantùm & Latinam linguam nouerat, Syra ad purum uerba resonare, ut non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquij. Confessus est itaque, quo in eum intrasset ordine. Et ut interpretes eius intelligerent, qui Græcam tantùm & Latinam linguam nouerant, Græcè quoque eum interrogauit. Quo similiter & in uerba eadem respondente, multasque incantationum occasiones & necessitates magicarum artium obtendente: Non curo, ait, quomodo intraueris, sed ut exeas in nomine domini nostri Iesu Christi impero. Cumque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit, audiens, quòd qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent. Hieronymus in uita Hilarionis.

D.Bernardus Mediol[illegible] MVLIERI cuidam, quam spiritus nequam diuexabat, ostiam patinæ imponens, eius capiti superimposuit, hisce uerbis: Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas, iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro salute nostra passurus inquit, Nunc princeps huius mundi eiicietur forás. In eius igitur potestate præcipio tibi, ut ab hac eius ancilla egrediaris. Auctor uitæ libro secundo, capite 3.

Alexander II. Pp. Cassinū reuersus HOMINEM dęmoniacū post precationem diuinam uerbo imperioso sanauit. Sigonius lib.9. regni Ital.

Manuum impositione.

D.Martinus cuiusdam Tetradij SERVVM manuum impositione à dæmone liberauit. Vnde Tetradius, qui prius gentilis fuerat, conuersus est. Sulpitius in eius uita.

Remis FEMINA quædam filium dæmoniacum ad diuum Bernardum attulit, mutum, cæcum & surdum, qui paulo antè matrem penè interfecerat. Quem cùm primùm blandè castigasset, propterea quòd matrem ausus fuisset lædere, caputque demulsisset, incolumem matri restituit. Auctor uitæ.

Crucis signaculo.

Gregorius Lingouicus episcopus, ex ENERGVMENIS ad se adductis tantùm signo crucis iubebat dæmonia discedere. Turonensis in Vitis patrum, cap.7.

Cùm ad Albinum Andegauensem episcopum MVLIER obsessa esset perducta, cepit satan supra oculum eius uesicam sanguineam ostentare. Sed ille signo crucis facto, increpauit eum, dicens: Inimice, oculum quem non dedisti, non potes auferre. Mox ea disrupta, sanguis effluxit: & satan exiuit. Vincentius lib.23. cap.143.

Lucta.

ORIONVS uir primarius & ditissimus urbis Ailæ, quæ mari rubro imminet, à legione possessus dæmonum, ad D. Hilarionem adductus est. Manus, ceruix, latera, pedes ferro onerati erant, furorisque sæuitiam torui oculi minabantur. Cumque deambularet sanctus cum fratribus, & de scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentium, & amplexus eum post tergum, in sublime leuauit. Clamor ortus ab omnibus; timebant enim ne confecta ieiuniis membra collideret. Et sanctus arridens: Sinite, inquit, & mihi meum palæstritam dimittite. Ac sic reflexa super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensoque crine, ante pedes adduxit, stringens è regione ambas manus eius, & plantas utroque calcans pede, simulque ingeminans, Torquere dæmonum turba. Cumque ille eiularet, & reflexa ceruice terram uertice tangeret: Domine, inquit, Iesu, solue miserum, solue captiuum. Vt unum, ita & plures uincere tuum est. Rem loquor inauditam: ex uno hominis ore diuersæ uoces & quasi confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaque, non post multum temporis cum uxore & liberis uenit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui sanctus, Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint: quorum alter accepit precium, alter obtulit: ut ille uenderet gratiā Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret: Accipe, & da pauperibus. respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, & nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum, occasio auaritiæ est: misericordia uerò artem non habet. Nemo melius erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in terra iacenti, Noli, inquit, contristari fili, quod facio pro me, & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deū, & ad te legio reuertetur. Hieronymus in uita Hilarionis.

Peregrinatione sacra.

Per PHILIPPVM Vvosolichium, Coloniensem religiosum in Kuectana Abbatia, obsessum à dæmone, anno M.D.L. dæmon interroganti respondit, se Mathię Durensis Abbatis præcedentis animam esse: eum pictori, qui Mariæ uirginis tam accuratam pinxerat imaginem, nō soluisse mercedem: monachum uerò liberationem non posse consequi, nisi religiosam profectionem Treuiros & Aquisgranum uersus obiuerit. Dictum factum, religiosus morem gerens liberatus est. Hæc historia Coloniæ typis excusa est. Bodinus lib.3. Dæmonomaniæ, cap.6.

Ioannes Vierus lib.5. cap.14. de Præstigiis dæmon. narrat PVELLAM dæmoniacam à se in Germania uisam, & roganti exorcistæ Satanam respondisse, fore opus ut puella Marcodurum Germaniæ oppidum religionis ergò petat, temo quoque passu in genua procidens, & missam in altari S. Annæ celebrari curet, sic futurum ut puella liberetur: adeoque signum liberationis sub finem Missæ uenturum prædixisse. Hoc facto, sub finem Missę puella & sacrificus albam quandam uiderunt imaginem, & illa dæmone soluta est.

Sacris rebus, Reliquiis.

QVIDAM Othonis II. Imp. præfectus à diabolo obsessus, catena, qua S.Petrus uinctus dicebatur, collo circūdatus, mox liberatur, anno 983. ut Chronicon Saxoniæ habet. Vincentius lib. 24. cap. 88. Othonis primi temporibus accidisse refert: Sigebertus uerò secundi.

In primo Greg. dialogo legimus, Sacerdotem quendam, qui MVLIEREM à diabolo occupatā animaduertebat, stolam accepisse, & imposuisse mulieri, statimque diabolum relicta muliere in Sacerdotem irruisse. Bodinus libro 3. Dæmonomaniæ, cap.6.

Chronicō Martini manuscriptum refert, ossa seu reliquias Stephani à nobili quadam muliere ignoranter Hierosolyma Constantinopolim translatas, existimantem se ossa sui mariti habere. Accidisse uerò, ut dæmones in aere ululantes factum prodiderint: quos angeli suauiter canentes fugauerint. FILIAM uerò Imperatoris dæmoniacam exclamasse: Si Stephanus uenerit, statim sanabor.

D.Bernardus VIRVM præstigiis diabolicis ab uxore impudica emaciatum, superposito capiti ci[illegible] uasculo Eucharistiam continente, à dæmone liberauit, in monasterio Clareuallis. PVELLAM [illegible]tem Mediola[illegible] inter sacra impositione pati[illegible]cis, adhibitione hostiæ, guttæ instillatione, sanitati restituit, sic ut dæm[illegible] cum uomitu egrederetur. PVER quidam dæmoniacus, cùm ad pedes eius diu quasi mortuus iacuisset, baculo eius tactus, & cruce [illegible] tergo signatus, infremuit, & [illegible] eos, qui eius curam agebant, sæuiit. Tandem in Bernardi lectum delato, aqua benedicta in os per uim infusa est. Qua recepta, dæmon eiulauit. Auctor uitæ.

In Dania MONACHVS quidam, cùm pro anima nobilis cuiusdam adolescentis, in agone iam existentis, sacra faceret, subitò furore correptus est à satana, ut non tantùm horribilem ederet rugitum, sed etiam sua & astantium membra impeteret atque morderet. Loquebatur quidem articulatas uoces, sed quas circumstantes minimè intelligebant. Omnibus consternatis, uni eorum in mentem uenit de reliquiis, quas anno præterito Aeschillus archiepiscopus [illegible]diderat de capillis & barba D. Bernardi, eiusque dentem unum. Adferuntur solenniter, pectori furiosi superimponuntur. Quo facto, lingua Germanica exclamauit furiosus monachus: Tollite, tollite, amouete Bernardum. Item: Heu quàm ponderosus factus es Bernarde, quàm grauis, quàm intolerabilis factus es mihi. Et protinus liberatus est. Auctor uitæ.

In monasterio Bellaualle DÆMONIACVS erat, ad quem Pontius eius loci abbas stolam, qua inter sacra usus fuerat D.Bernardus, detulit, ut ea dæmonium fugaret. Vix limen attigit cellæ, in qua obseruabatur dæmoniacus, exclamauit nequam spiritus: En egredior, recedo protinus, manere ultrà non possum. Atque dicente Pontio: Per nomen Domini & ipsius beati uiri meritum, cuius hæc stola fuit, tibi præcipio. exi citius, ne moreris, exiuit protinus. Auctor uitæ libro quarto, capite 7.

Potu.

Potu.

MVLIEREM quandam ab immundo spiritu exagitatam, Bruno Cassinēsis abbas aqua, unde manus ipse lauerat, mulieri in potum data, præmissis prius precibus, curauit. Chronicon Cassinense lib.4. cap.47.

Inunctione.

Hipponensem quandam VIRGINEM scio (inquit D. August. lib.22. de Ciuit. Dei cap.8.) cùm se oleo perunxisset, cui pro illa orans presbyter instillauerat lacrymas suas, mox à dæmonio fuisse sanatam.

Amuletis.

Papiæ ad D.Bernardum DÆMONIACA adducta fuit. Eam ille ad ecclesiā S.Syri remisit. Redit obsessa ad Bernardi hospitium, multum garriens: Nō me Syrulus eiiciet, non expellet Bernardus porculos edens, & brassicas deuorans. Tum ille, Non te Syrus, non Bernardus, sed dominus Iesus Christus eijciet. Respondit spiritus: Quàm libēs egrederer, si possem, sed nondum uult magnus dominus. Cui Bernardus: Quis ille? Iesus Nazarenus. Vnde eum nosti, an unquam uidisti etiam? Vidi, & quidem in gloria, unde unà cum Lucifero decidi. Anne eam rursus tibi reddi gloriam cuperes? Hoc, inquit, nimis nunc serò est. His dictis, exire se simulauit, sed mox eam more pristino occupauit. Rursus igitur Cremonā ad Bernardum adducta est. Ille ubi tota nocte orasset, sanitatem ei impetrauit, iussit chartam hæc uerba continentem collo eius appendi, In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc amodò mulierem præsumas contingere. Ab eo tempore nunquam postea aliquid mali perpessa est. Auctor uitæ lib.2. cap.4.

In confinio Biturigum & Turonum Claudiomagus uicus est, celebris quoque ibi ecclesia, in cuius secretario S. Martinus quandoque peregrinando permansit, & in stramēto requieuit. Eo abeunte sacerdotes ac uirgines stramentum ex deuotione partiuntur. Quod cùm ad CVIVSDAM ceruicem suspendissent, qui dæmonio agitabatur, citius dicto conualuit. Bonfinius lib.5. Decad.1.

Medicamentis.

PVELLA quædam in Burgo melancholica, se Virgilij spiritu obsessam esse fatebatur, diu coniurata: quod creditum est facilius, [illegible] admodum pia, & quæ semper domi latuerat, [illegible] Mantuanum, hoc est, Longobardicum idioma, ut subinde Latinum aliquid sonaret. Cùm nihil proficerent coniuratores, medicus ex arte adhibitis melanagogis primùm, & deinde aliis roborantibus, illam restituit. Vierus libro quarto, capite 23. de Præstigiis dæmonum.

Flagellis.

Ad MONACHVM quendam nouicium à diabolo obsessum, aqua benedicta, crux & corpus Dominicum adferuntur: uerùm diabolo recedere detrectante, frater ille scutica cæsus tandem liberatus est. Gerardus à Nazareth cap. 20. de Conuersatione seruorum Dei.

DAEMONIACI non CVRATI.

Adductus erat ad discipulos DÆMONIACVS, mutum habens spiritum, dum Iesus cum tribus discipulis in monte cōmoraretur: quem illi eijcere nequiuerunt. Eum autem descendēs Christus de monte liberauit. Interrogatus causam, cur ipsi eum expellere nequiuissent, respōdit Dominus: Hoc genus nulla re eijci potest: nisi precibus & ieiuniis. Marci 9.

Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 10. narrat Magū quendam à PVELLA obsessa diabolum uoluisse hac ratione propulsare, quòd eam ductam ad fluuium immersit, & incantationes quasdam recitauit: sed postea pluribus est puella correpta & occupata dæmoniis.

In uita Remigij, quæ Hincmaro auctori adscribitur, narratur, quòd Benedictus quidam celebris uitæ sanctimonia, dæmonem à PVELLA eijcere tentarit ieiuniis & orationibus, sed non potuerit, exorcismis tamen ualidis & frequentibus ad respondendum coegerit: sed eundem spiritum tamē postea Remigium tantùm uerbis imperiosis expulisse.

PESTILENTIAE CVRATIO.

☞ *Pestis grassatur necando. Eapropter ex loco Mortis exempla petenda. Hic solius Curationis habenda ratio.*

A QVIBVS CVRATA. A

Deo.

ECBERTVS adolescens peste in Scotia grassante, solus cum Edilo in monasterio relictus, cùm & ipse cum sodale suo eo morbo corriperetur, à Deo obnixè petiit, ne sineret se extingui prius, quàm præteritas negligentias, quas in pueritia sua commiserat, perfectiùs castigaret, & in bonis operibus abundantius se exerceret. Vouit etiam uotum, quòd nunquam in insulam, in qua natus erat, uellet reuerti: & quòd quotidie totum Psalterium in gloriam Dei esset decantaturus, nisi impediretur aduersa ualetudine: & quòd in omni septimana diem cum nocte esset ieiunus exacturus. Impetrauit id à Domino, & conualuit, & mortuo Edilo, ipse in suo uoto seruando multos labores & molestias cepit. Beda lib.3. cap.27. Eccles. hist.

Sanctis.

ROCHVS Narbonensis prouinciæ nobilis iuuenis, cuius pater erat dominus oppidi Agathopolis, in locuplete hæreditate relictus à parentibus, anno ætatis duodecimo patriam patruo permisit gubernandam, ipse Italiam petiit, peregrinatus pro Christo. Vidit plagam crebrescentem pestilentiæ, & misertus laborantium, crucis impressione multos liberauit Romæ, Aquapendente. Cesenæ notior factus, aufugit. Placentiam quoque urbem adiit. ibi quum multos curasset orationis impendio, ipse quoque percussus est eodem morbo, uelut ardente sagitta in coxam eius emissa. illicò urbe eiicitur, ab insultantibus: En qui alios curare præsumit, ipse ægrotat. In nemore, solitæ precis præsidio, integram recepit sanitatem. Tum in Gallias reuersus, patriam inuenit bellis tumultuantem. Eò quum concessisset, à lictoribus capitur, tanquam explorator: in carcerem coniicitur, ubi quinquennium egit in summa patientia. Demùm laxatus, domum patrui, mendicantis habitu, coluit. Anno ætatis trigesimo secundo ægrotus, sacramentis ecclesiæ munitus, migrauit ad Dominum. Inuenta est tabula ad latus demortui his uerbis scripta: Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros significo. Ea res ad patruum eius urbis principem perlata, fecit attonitum. Vbi diligentius rem explorat, uidit ex fratre nepotem. Tum terrefactus, soluitur in lacrymas: sacellum ei dedicat, ubi miraculis fulgescit. Venit deinde in obliuionē Rochi nomen: sed anno Christi circiter MCCCCXV. cùm Concilium Constantiæ ageretur, ibique pestis desæuiret, ex Germanis cepit Italis nomen eius insigne fieri. Anno octogesimoquinto Venetias corpus eius deportatum, dicato sacello coli ceptum. Eius festum decima sexta Calendas Septembris. Cranzius libro nono, Metropoleos capite 25.

Magis.

Iachen Aegyptius, sub Senye rege Aegyptiorum, amuletis & carminibus medens, in doloribus & morbis summus artifex, pestilentiam ab AEGYPTIIS repulit, & sub Caniculæ ortum æstiuum ardores mitigauit. Itaque sumtuosè est sepultus. Quòd si quando publicus morbus inualescebat, ad fanum huius accedentes sacerdotes, & sacris ritè peractis, ex ara eius igne petito, & pyris in urbe incensis, luem igni extinxerunt. Suidas.

QVOMODO.

Precibus.

EZECHIAS rex Iudæorum, pestilentia laborans, precibus ad Deum conuersus, ab Esaia propheta consolationem accepit, simul & emplastrum ex ficubus, quod ulceri imposuit, & trium dierum spacio conualuit. 4. Regum 20.

Gregorius Turonensis libro quarto, capite quinto annotat, Gallum Auernæ episcopum, ardenti ad Deum oratione obtinuisse, ne pestis uel lues illa quam Inguinariam uocant (quæ non solùm GALLIAM, sed alias quoque orbis partes infestabat) Auernam urbem deuastaret. Apud Euagrium libro quarto, capite uigesimonono, prolixa extat huius pestiferæ luis, utpote quæ ipsius tēpore contigit, & annos totos quinquaginta durauit, descriptio.

Expiatione locorum.

Anno secundo belli Peloponnesiaci coorta grauis pestilentia. Eā ex Aethiopia primò egressam, Aegyptū, mox & Libyam corripuisse memorant. In Lemnū inde & loca finitima, demū Athenas transgressam. Credidere ab initio Athenienses, puteos hostium fraude ueneno corruptos. Vulgato morbo tanta funerum frequentia secuta est, quanta nunquam antea hominum memoria. Multos ægrotantium traditum est, ultrò semetipsos in puteos fontesq; præcipitasse, conatos eo remedio flammā intus sæuientē præcordiaq; conficientem restinguere. ATHENIENSES tantæ calamitatis causam ad deos religionēq; retulere, & Delon insulam lustrari iussere, quæ polluta uiolataq; idcirco putabatur, quòd ad sepelienda expirantium cadauera per nefas usurpari cepta esset. Nā ex uetere religionis pręscripto, in Apollinis & Dianæ honorem, nulli hominum neq; nasci neq; mori in Delo licebat. Apertis itaq; cunctis in Delo sepulcris, urnas omnes in insulam Delo proximam, cognomento Rheniam transtulere: tum lege cauerunt, ne cui párere sepulcrúmue fodere in Delo liceret: ludos item & festa Deliorū prisca instaurauere, quæ longo iam tempore obsoleuerant. Diodorus lib.12.

Supplic

Supplicationibus.

Cùm pestilentia toto terrarum orbe grassaretur, Apollinē tam Barbaris quàm Græcis consulentibus, oraculum respondit: Oportere à populo ATHENIENSI uota fieri pro omnibus. Multarum igitur gentium legatis ad eos proficiscentib. etiam Abarim Seuthæ F. Scytham, uatem, Hyperboreorum nomine legatum uenisse aiunt. Tempus aduentus illius cōtrouersum est. nam Hippostratus eum tertia Olympiade aduenisse dicit: Pindarus tempore Crœsi Lydorum regis: alij XXI. Olympiade. Suidas.

Sacris, Victimis.

Orion Hyriei F. in Bœotia, filias habuit Metiocham & Menippam. Hæ, quo tempore patrem Diana ex hominibus sustulit, apud matrem educabantur. Minerua porrò texendi artē eas docuit, Venus pulcritudine donauit. Cùm autem totam AONIAM inuasisset pestis, multique exanimarentur: missi sunt, qui Apollinis Gortynij oraculum consulerent. Iis præcepit deus, ut duos Eriunios deos demulceant: ac irā deûm placatum iri, si duæ uirgines iis immolarentur. In ciuitatē nulla uirginum se ad satisfaciendum oraculo obtulit, donec ancilla id Orionis filiabus exposuit, ad telam sedentib. Eæ oraculo cognito, sponte sua pro omnibus mortem oppetere, priusquam popularis lues ipsas interficeret, delegerunt. Propterea cùm manes ter inuocassent, professæ se ipsis ultrò offerre uictimæ loco, radio clauiculas percusserunt, ruptoq; iugulo in terram corruerunt. At Proserpina & Pluto miserati, uirginum corpora è medio abstulerunt, & eorum loco stellas de terra excitarūt: quæ cùm apparuissent, in cœlum euaserunt, eosque Cometas appellant. Cæterùm apud Orchomenum Bœotię urbem omnes Aones illustre his uirginibus templum dedicarunt, iisq; quotannis pueri & puellæ sacra placandi causa offerunt dona: atque etiamnum ab Aeolensibus eæ Coronides uirgines nominantur. Antoninus Liberalis ex Nicandri lib. 4. Alteratorum, & Corinnæ libro 1. Mutationum.

CLEONÆI cùm pestilentia laborassent, oraculi monitu Sole primùm oriente caprum immolarunt, ac deinde lue sedata æneum caprum Apollini Delphos miserunt. Pausanias in Phocicis.

Aristæus Apollinis & Cyrenes F. pestilentia per GRÆCIAM grassante, in Chio sacris factis, Sirij canis ardores mitigauit, & Etesiarum flatu impetrato Græcos liberauit: qui filiū Actæonem, quo minus à canibus laceraretur, tueri non potuit. Diod. lib. 4. cap. 14.

Cùm seueris legibus Pontifici Hadriano VI. Germano natione, minimè pestilentia coercenda uideretur, contactu ægrotum uehementer exarsit. Ibi tum Greculus quidam, nomine DEMETRIVS Spartanus (nemine propter plebis, quam dementarat, applausum superstitionem uetare auso) ferum taurum, cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato, repentè ita mansuefactum reddidit, ut iniecto tenui filo ad integrum cornu, quò uellet perducens, pestilentiæ placando numini ad amphitheatrū immolarit. Nec credulę multitudinis spem ex toto fefellit, cùm ab ea inanis sacrificij prospera litatione, mitescere morbus cepisset. Iouius lib. 21. Hist. De ea re, & obseruatione & animaduersione digna, sic scribit Cognatus. Anno Christi 1522. grauiss. pestilentia Romam inuaserat. Ibi tum Græcus quidam promissa barba, aspectu tetrico, ἀλεξίκακον se fore professus est, si XXX aurei numi sibi posterisque in singulos menses constituerentur. Romani conditionem acceptant. Is nigrum taurum adduci, fontē in suburbio nouum reperire iubet. Nocte intempesta ad radices Marij montis profectus, quo in loco & taurum paratum & fontem inuenerat, funem texere aggressus est, texendoq; nūc alta uoce, nunc submissa nescio quid Græcè immurmurabat, sonitum uocis multis, qui spectatum conuenerant, audientibus. Post hæc coniecto in ceruicem tauri fune, ferunt illum repentè mansuefactum ter circa fontem perduxisse. Deinde prostratum nulla ui, ter dextro pede calcasse, atque illi demùm minimè reluctanti cornua abscecuisse: quibus peractis, taurum per septē urbis portas, & per septem celebres uias à pastoribus deduci iussisse: postea dimitti, ut in campos & ad pascua nota regrederetur. Aiunt, qui interfuerunt, quà ille hora attollens in cœlum oculos, nescio quid insusurrabat, uisa fuisse decidentia sidera, & innumerabiles canum, luporum, atque id genus animalium imagines passim uolitare. His in hūc modum confectis, magus in urbem reuersus, egit cum Romanis magistratibus, ut publico edicto caueretur, ne quis in triduum quadrupedem bestiam mactaret. Antistites, qui tum urbe aberant, Græcum impostorem comprehendi, & in carcerem duci iussere. Aegrè populi minis dimissus, sed æterno multatus exilio: liber magicus, quo utebatur, publicè exustus est. Gilbertus Cognatus libro octauo Narrationum.

Cultu rerum sacrarum.

Octauo anno regni Numæ, pestilentia, quæ per Italiam uulgabatur, urbem quoque ROMANAM uastabat. Perculsis ciuibus, tradūt peltam æneam in manus Numæ cœlitùs delapsam: de hac mira prædicasse regem ex Aegeria se & Camœnis accepisse: esse ea arma ad salutem urbis missa, & seruanda cum undecim aliis, quæ pari figura, amplitudine & forma facienda erant, ne quis fur commodè propter similitudinē interuertere cœlestia ualeret: Camænis item eū consecrandum campum, & circumiecta prata, ubi plerunq; cum ipso congrediebantur: fontem, quo irrigatur campus, sacrādum uirginibus Vestalibus, cuius aqua lustrarent & aspergerent quotidie penetralia. His fidem factam narrant ex eo, quod morbus statim conquieuerit. Eam peltam obtulit Numa artificibus, excitauitque eos ad similes effingendas. Torpentibus cæteris, Veturium Mamurium insignem opificem ita expressisse effigiem, & imaginem eius repræsentasse, ut neipse quidem dinoscere ultrà Numa posset. Horum custodes & ministros Salios constituit. Dicti autem Salij sunt, ab ipso tripudio, quod saltando obeunt, cùm mense Martio sacras peltas per urbem ferunt trabeati, baltheis latis succinctis æneis, galeasque æneas in capite gerentes, ac minutis pugionibus ad peltas concrepantes. Saltatus huius tripudij pedibus efficitur: motus enim edunt in gyrum haud inconcinnos & uarios, modulis citatis & frequentibus cum robore & agilitate. Eas peltas ancilia ex figura uocant: neque enim circulus est, neque peltæ orbem, sed habent incisuram lineæ tortuosæ, cuius reflexi sæpius apices, recurrentesque coninenter in se mutuo, ἀγκύλον, id est, curuam figuram reddit: aut à cubito, quem ἀγκῶνα Græci uocant, quo gestant ancilia. Plutarchus in Numa.

Iuo in Chronico, & Paulus Diac. lib. 6. cap. 2. de Gestis Longobardorum, narrant: quòd cùm tempore Constantini, circa annum Domini 682. per tres menses, Iulium, Augustum & Septembrem, pestis TICINVM adeò depopulata esset, ut ciuibus inde fugientibus herbæ & fruticeta enascerentur in plateis: reuelatum esse quibusdam uiris, non priùs pestem abituram, quàm Sebastiani martyris altare in basilica Petri construeretur: atque euentum correspondisse. Reliquijs enim Sebastiani Roma Ticinum trāslatis, altari extructo, lues illā quieuit. [redacted]

Anno 932. dira LOMBARDIAM pestilentiæ inuasit lues. Papienses præter cæteros grauissimè conflictati, remediis omnibus aliis desperatis, diuinas ad preces uersi, corpora sanctorum martyrum Synesij & Theopontij, Nonantulano in monasterio condita, ac miraculis ea tempestate fulgētia, ad se deferri curarunt: eaq; Adeleide regina in primis hortante suppliciter uenerati, tristi mox ægritudine leuati sunt. Sigonius lib. 6. regni Ital.

Anno 1006. rei frumentariæ inopiam grauis usqueadeò pestilentia in LOMBARDIA excepit, ut sepeliendi tædio affecti adhuc spiritum ducentes obruerentur cum mortuis. Eo tempore Synesij & Theopontij martyrum corpora in æde Nonantulana recondita, Mutinensis ac Bononiensis populi precibus per utriusque ciuitatis agros atque castra à monachis circumlata, salutem ægris corporibus attulerunt. Sigonius lib. 8. reg. Ital.

Ludis.

Cùm regnante Tarquinio Superbo, ob esum carnium taurorū pestifer annus grauidas mulieres ROMÆ affecisset, in deorum inferorum placamenta ludos celebrarunt, qui Taurij dicti sunt: quòd ob taurinæ carnis morbū inuenti primùm, concelebratiq; sint. Alex. lib. 6. cap. 19. & Polyd. lib. 4. de Inuent. ex Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Initiatione.

Scribit Pollux Onomastici 5. lib. apud Athenienses ἀρκτεύειν uirgines dici, hoc est, Dianæ, priusquam tempus appeteret nuptiarum, consecrari initiariue. Decreto namq; sancitum Atheniensium erat, ne qua uiro puella traderetur, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ, id est, nisi sacra obiisset Dianæ. Quod mense Ianuario fieri consuesse, indicat Libanius in Oratione, quam de Dianæ laudibus dixit. Induebantur autem ueste, quam Crocotam nominant, nec decimo ætatis anno grandiores, nec quinto inferiores. Iis autem placari credebatur Diana, quæ causa eiusmodi indignationem concepisse uideatur. Ferunt quandoq; ursam feram in ATTICA ita cicurem factam, ut homines nihil auersaretur omnino, sed compasceretur, multaq; licentia huc illuc, nemine impedimentum inferēte, peruagaretur. Contigit, puellam quandam lasciuiusculè cum bellua colludere: quæ irritata, puellam facto impetu proscidit. At fratres ursam iaculis impetitam necarunt. Inde pestilens morbus latiùs per regionem grassari cepit. Consultis oraculis, respondit deus, mali non defuturum finē, nisi uirginū nōnullas compellerent τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ἀρκτεύειν, id est, ursæ peremtæ honori Dianæ dicari. Nam & puellæ sic uocabantur arcti, id est, ursæ. Cælius lib. 26. c. 19. A. L.

Arietis gestatione.

Apud TANAGRÆOS Bœotos est templum Mercurij Criophori dicti, eo quòd pestilentiam Mercurius auerterit, circūlato in murorū ambitu ariete, ob eamq; rem Mercurium Tanagræis Calamis fecit arietem humeris portantem. Qui sanè puberibus cæteris forma pręstare iudicatus fuerit, is festo Mercurij die agnum humeris portans muros circumambulat. Pausanias in Bœoticis.

Clauo fixo.

C. Genutio & L. Aemilio Mamerco consulibus, quum uulgò morbi corpora afficerent, Dictator figendi claui gratia dictus est L. Manlius, cognomento Imperiosus. Repetitum erat memoria, clauo aliquando à Dictatore fixo, pestilentiā in urbe sedatam. Sed figendi claui ratio aliunde sumta. Quū perratæ ea tempestate literæ essent, lex scripta fuit, ut qui Prætor maximus in urbe esset, idibus Septembris clauum figeret, ut nota illa uelut annorum esset. Lex ipsa idcirco in Mineruæ tēplo creditur dicata, quia numerus ipsius sit deæ inuentum. Fixus est clauus dextero lateri in æde Iouis, qua parte Mineruæ templum proximum illi fuit. Primùm id consules factitarunt, ad Dictatores inde est id munus translatū, quia maius esset imperium: potestq; ex hoc intelligi, Prætoris appellatione consularem etiam & dictatoriam dignitatem ueteres accepisse. Volsciniis in templo Nortiæ deæ Hetruscæ clauos annorū indices figi solitos tradidit Cincius. Sabellicus lib. 3. En. 4.

Loci mutatione.

Tradunt Indorum eruditissimi, priscis temporibus, cùm adhuc homines dispersi per uicos habitarent, uenisse ad Indos cū exercitu Bacchum, omnemq; peragrasse Indiam, nullis adhuc præclaris constitutis urbibus, quæ ei obsisterent. Cùm uerò ob ingentes æstus EXERCITVS eius peste interiret, ut dux prudens in montes ex locis planis milites traduxit. Vbi cùm uenti frigidi afflarent, & aquæ potu uterentur, quę pura ex fontibus manabat, à morbo sunt liberati. Locum montanum, in quo exercitus à peste euasit, Femur appellauit. Vnde & Græcos tradidisse de eo deo posteris ferunt, in Iouis femore Bacchum esse nutritum. Diodorus lib. 2. cap. 10. & Philostratus.

C. Iul. Cæsaris EXERCITVM in Epiro fames, & ex fame lues infestabat. At postquam mutatis castris Gomphos Thessaliæ urbem cepit: non modò aluit exercitum, uerùm etiam morbo mira ratione explicauit. Quippe illic cùm magnum numerum uini inuenissent, eo largiùs hausto comessabundi inde & bacchabundi in uia ex crapula propulsauerunt alterauerunt q; morbum, conuersi in diuersam corporis habitudinem. Plutarchus in Cæsare.

Cadaueris exustione.

In Malleo maleficarum legitur, pestem de VICO Germaniæ in agro Constantiensi non abiuisse, donec Sagam quādam humo eruissent, & in cinerem redegissent corpus. Bodinus lib. 4. Dæmon. cap. 5.

HYDROPS.

HYDROPE AFFECTI. Hydropici.

HERODES Parthorum rex hydrope laborans, aconito potionatus est à Phraate F. Id cùm morbus uicisset, & unà eum eo esset expulsum, Phraates expeditissima uia eum suffocauit. Plutarchus in Crasso.

HERACLITVS philosophus hydropisi laborans uti noluit medicis, sed totū se fimo bubulo perunxit. Suidas, & Laert.

METRODORVS philosophus, Epicuri socius, laborauit tympanite. Laertius.

ARISTARCHVS grammaticus Alexādrinus (qui floruit sub Ptolemæo Philometore) hydropicus fuit.

BENIAMIN anachoreta (qui annis 80 durauit in eremo) hydrope tandem periit. Eos, qui sui miserabantur, rogare solebat, ne corporis, sed animæ curam haberēt, ueniamq; à Domino sibi exorarent peccatorum, quæ dum sanus esset, commisisset. Marul. lib. 5. c. 2.

VENDELINVS presbyter Schliengensis in Marchionatu Basileæ uicino, hydropicus homo festiuissimus, pręsente Ioan. Hubero Basiliensi medico: An uerò non indignum hoc est, exclamauit, me qui tot expeditionibus, sacerdotis cum dignitate interfuerim, in hac postrema ætate ad tympanistæ officium non tam abiectum quàm inuisum cogi? Ibi cùm plerique adstantium emotæ mentis hoc indicium esse arbitrarentur, Medicus, qui nasum illius satis perspectum habebat. Minimè uerò, inquit: nam quo maior hic est, cuius nunc castra sequi cogitas, Imperator, eo etiā munus hoc licet infimum, altero illo uel honestissimo splendidius erit, teq; dignius. Ergo, respondit Vendelinus, ad uasa & arma excitan-

di mihi estis. Moxq; reiecto tegmine, ambabus manibus uetrem ueluti tympanum feriens, inquit, Sequimini uolentes, nolentes sequemini. Paucisq; pòst diebus obiit.

CVRATI ab Hydrope.

Christus hydropicum QVENDAM sabbatho in ædibus Pharisæi cuiusdam sanauit. Lucæ 14.

Eques Romanus IVLIVS Viator, è Vocontiorum gente fœderata, in pupillaribus annis, aquæ subter cutē fusę morbo, prohibitus humore à medicis, naturam fecit cōsuetudine, atq; in senecta caruit potu. Plinius lib. 7. cap. 18.

De primoribus QVIDAM tumens morbo intercutis, eodem die quo ad Hilarionem in Siciliam uenerat, curatus est: qui postea offerens ei infinita munera, audiuit dictū Saluatoris ad discipulos: Gratis accepistis, gratis date. Hieronymus in uita Hilarionis.

ROMANVS Argyropolus Imp. iam senex incidit in hydropē, tumefactaq; est illi facies, cum uehementi admodum & difficili anhelitu, ut mortuo haud multū absimilis esset, quòd nudata capitis densitate capilli defluerent: attamen medicamentis sedulò curatus est. Cuspinianus.

Ex Mussia uilla uenit ad D. Bernardum HYDROPICVS ad Claramuallem. Cui cùm manus imposuisset, & orasset, proprio illum cingulo cinxit, mandans, ut postquam conualuisset, cingulum restitueret. Rediit homo circa diem uicesimū postea sanus, & gracilis corpore, reportans cum gratiarum actione cingulum. Auctor uitæ.

Hydropicus QVIDAM Romæ decumbens ab uxore impensarum pertæsa bufonis in olla usti puluere potionatus, copiosum reddidit lotiū. Denuò eodē puluere exhibito multo uberiore, exonerata per uesicā saburra aquea, cōualuit præter coniugis expectationē. Nam bufo etiam certę alicui particulæ applicitus, hydropicorum aquas per meatum urinarium expellit. Vierus lib. 2. cap. 50. de Præstigiis dæmonū, ex relatione Gisberti Hœstij.

LEPRA, ELEPHANTIAsis. Lepra

POSSESIO. Leprosi qui.

GIHEZI famulus Elisęi, cū omni sua progenie leprę morbo affectus, propter accepta à Naamane Syro munera. 4. Reg. 5.

AZARIAS siue OZIAS Iudæorum rex, cùm in Iouæ templū ad suffiendum ingressus esset (quod tamen munus sacerdotibus solis à Domino commissum fuerat) ab Azaria pontifice cum 80 sacerdotibus reprehensus, indignè id tulit. Interim terræmotus uehemens exortus, & mons prope Enrogen scissus, & splendor insolitus templum repleuit, ipsisque spectantibus lepra in fronte percussus rex, temploque exturbatus, ad mortem usque leprosus fuit, & seorsim habitauit, Iothamo F. res omnes procurante. 2. Paralip. 26. & Iosephus libro nono Antiquitatum, cap. 11. & Hieronymus in Amos, cap. 1.

LEPROSI quatuor Israelitæ, ante portam Samariæ degentes, cùm illa obsideretur à Syris, famis causa ad Syros transfugere statuerant, ut uel occiderentur, uel suscepti alerentur. Noctu ad castra trāsgressi, Syros oēs panico terrore diuinitùs incusso fugisse cōpererunt. Itaq; ad prædam conuersi, multa abstulerunt & absconderunt. Rem inde Ioramo regi indicarunt. qui Syros in insidiis latentes suspicatus, posteaquam reuerà eos fugisse comperit, castra eorum inuasit & diripuit. 4. Regum 7.

Manethon, Chærephon & Lysimachus historici, multa nugantur de exitu ISRAELITARVM ex Aegypto: colluuiem nimirum eam fuisse leprosorum & scabiosorum, qui regio edicto finibus excedere iussi, Pastoribus (qui tyrannidem occuparant) se coniunxerint, & annis 13 pòst magno labore ex Aegypto pulsi in Iudæam uenerint. Quorum tamen errores & mendacia Iosephus libro primo contra Manethonem pulcrè confutat.

Apud PERSAS si quis è ciuibus psora aut lepra infectus sit, in ciuitatem non admittitur: quoniam dicunt, hunc morbum illi immissum, eo quòd contra Solem aliquid deliquerit. Herodotus lib. 1.

EVNOMIVS pręsul Cyzicenus, Arianæ hęreseos sectator sub Valente Imperatore, lepra & morbo regio laborauit. Rauis.

Habent AVSTRALES ex atra bile, quòd lepra laborant: qui propterea morbus Punicus à ueteribus appellatur: nō propter ruborem (cùm Australis lepra iudicio Mosis & Plinij nihil habeat ruboris) sed quoniam illinc originem habet. Illinc etiam morbus Arabum, qui ἄλφος à quibusdam, ab aliis λεύκη & uitiligo appellatur. Nam ante Pompeium Magnum nullos Italia, teste Plinio, uiderat leprosos, quē morbum Aegypti peculiarē esse tradit. Argumento sit, quòd Moses omniū antiquissimus scriptor, leges de leprosis infinitas, Græci ac Romani nullas tulerunt. Et quidem in eo consentiūt Leo Afer & Aluaresius: nam alter ædes infinitas in

utraque

utraq; Mauritania leprosis constitui: alter leprosos Abissinorum cum populo uersari scribit, ut uulgaris morbus esse uideatur. Io. Bodinus c.5. Meth. hist.

FROILLA II. Alfonsi Magni filius, Ordonij fratris liberis exclusis, in se principatum Asturum trãstulit. Sed uno pòst anno duobusq; mensibus, lepræ morbo correptus interiit. Tarapha de regib. Hispan.

GENOVEFAM Parisiensium præsidem, Volaterranus ait, ob uitæ abstinentiã, multis annis ex lepra laborasse. Rauisius.

Anno sal. 615. Augusto mense, indictione tertia, terra ingenti motu contremuit. Terræmotum fœdissima lues est consequuta. Hoc erat scabiei genus, Elephantię nomine appellatum, quod affectorum ora adeò lacerabat, ut uiuentes, ne dum mortui, haud possent dignosci. Quo tempore Bonifacius IV. Pp. Rom. cùm obuio elephãtiaco homini osculum obtulisset, extemplò pristinæ illũ sanitati restituit. Sigonius lib.2. reg. Ital.

Sub Phoca Imp. & pontificatu Deusdedit, terræmotus accidit: & scabies elephantiæ similis passim grassata est. Platina, Liber pontificalis, Luitprandus.

BALDVINVS Almerici F. rex Hierosolymorum, etsi lepra ac quidem uehementi laborauit, regnum tamẽ constantissimè ac prudentissimè administrauit. Platina.

HVRCATVS Aethiopum rex, cùm Iphigeniam Christo dedicatam uirginem nulla ratione in matrimonium suum pertrahere posset: monasteriũ, in quo habitabat, cremari pręcepit. Sed flammę statim in eius palatium conuersæ totum absumserunt. Demum horrida lepra percussus, cùm nulla foret medendi occasio, sese mucrone proprio interemit. Guido Bitur.

QVIDAM prouinciæ Narbonensis accolæ, lepra correpti, regnante rege Philippo Pulcri F. deprehensi sunt, sanie è suis corporibus manante, aliaq; tabe clàm puteos inficere: ut ad uniuersum populũ, qua ipsi laborabant, lepra transiret: idq; Iudæorum impulsu factum esse. Sed re patefacta omnes uiui in suis domibus combusti fuerunt. Fulgos. lib.9. c.11.

CVRATIO.

MARIA soror Mosis, cùm fratrem ob ductam uxorem Aethiopissam acerbius reprehendisset, à Domino ad oraculi tabernaculum euocata & reprehensa, post illius digressum leprosa apparuit, niuiq; similis. Intercedẽte autem Mose, post septem dies, quibus castris exclusa fuit, sanitati restituta est. Numeri 12.

NAAMAN dux exercitus Benadadi Syriæ regis, leprosus erat: & cùm à puella Israelitide serua audiuisset, Samarię prophetam esse, à quo curari posset, cũ magnis muneribus eò uenit. Elisæus eum se septies in Iordane fluuio immergere præcipit. Naaman ridere primò, sed tandem persuasus amicorũ precibus paruit, seq; septies in Iordane mersit, & sanitati restitutus est. Magna inde Elisæo munera obtulit, at ꝓpheta respuit. Ergo Naaman terræ duorum mulorum onus sibi concedi petiit: neq; enim ullis se diis, nisi Iouæ, rem diuinam facturum: petiitque ueniam, quòd cum rege suo in ædem Remmonis ire, & dum rex manui suæ inniteretur, ipse se submittere cogeretur. 4. Reg. 5.

Christus Iesus LEPROSVM, de monte descendens, in Galilæa curauit. Matthæi 8. Lucæ 4. Leprosum ALIVM manu extensa mundauit: præcepit tamen ei, ne cuiquam hoc diceret. Matthæi 9. & Lucæ 5. Per Galilæam & Samariam iter faciens, DECEM leprosos supplices ad sacerdotem misit. Illi in itinere se mundatos cognouêre. Et nouem quidem, qui Iudæi erant, ad Christum non redierunt, sed sacerdoti se ostensum profecti sunt: decimus uerò Samaritanus, citato cursu ad Christum rediit, & in faciem ad pedes eius procidens, gratias ei submissè egit. Lucæ 17.

D. Marcus, Petri Apostoli socius, quum Romæ ageret, missus fuit ab eo Aquileiam, celeberrimam Venetiæ urbem, quam Romani multo antè coloniam deduxerant. Quò quum ille uenisset, Christo præcipuo auctore spei bonæ plenus, sub ipsum ingressum urbis ATHAVLPHO cuidam adolescenti nobili lepra infecto occurrit: quem blandè primùm appellatum interrogasse fertur, An eo morbo solui cuperet? Quod adolescens primò admiratus, mox pollicentis Marci constantiam complexus animo, ad patrem Vlphium omnem rem detulit. Is uerò statim ad Diuum Marcum aduolauit, utpote salutis filij cupidus. A quo admonitus, unum tantùm esse mali remedium, si Christum ducem sequeretur, relictoque idolorum cultu sacra baptismatis aqua lustraretur: accepta conditione, continuò lepra solutus est. Quod miraculum per uniuersam urbem uulgatum effecit, ut omnis Aquileia in unum Marcum oculos mentemque conuerteret. Egnatius lib.1. cap.6.

CONSTANTINVS Magnus, deuicto Maxentio, crucis sibi cœlitùs ostensæ symbolo, cùm Maximinum quoque Christianis infestũ opprimere cogitaret, subitò elephantiasi corripitur. Medicis omnibus desperantibus, tandẽ adsunt Græci, qui in Capitolio lacum ex puerorum sanguine fieri oportere asserunt: in quo si se Imperator ablueret, certò ualetudinem pristinam recuperaret. (Id remedij genus Aegyptiorum regibus familiare esse, scribit Plin. lib.26. cap.1.) Conuocantur pueri, carnifices adsunt, edictum expectant. Non tulit matrum lacrymas humanissimus Imperator, & pueros suis matribus saluos & incolumes donauit. Nocte proxima Petrum & Paulum diuos ad se uenientes conspicit, & ut Romanum antistitem Syluestrem adeat, atq; ex ea piscina (quã ei monstraturus esset) se lauaret, monetur. Paret, & septem dierum ieiunio indicto, à Syluestro sacro baptismate abluitur cum filio Crispo, sacro prius oleo unctus. Lux interim clarissima locum illustrat, & sonus suauissimus exauditur. Constantinus ipse diuinæ cuiusdam manus attactum sentiens, ex labro sanus atque saluus egreditur. Nicephorus lib. 7. cap.33. & Cedrenus.

Cùm templum in honorem diuorum Dionysij, Rustici & Eleutherij, à Dagoberto extructum, consecrandum esset, CVIDAM leproso in eo pernoctanti, uisus est Christus cum Petro & Paulo, Dionysio, Rustico & Eleutherio per fenestram in basilicam descendere, eamq; consecrare: & quòd mandarit, ut diceret sacerdotibus, non opus esse alia dedicatione: ac in eius rei testimonium lepram ab homine isto sustulerit, & lapidi cuidam agglutinarit, ut ab aliis spectaretur. Rob. Gaguinus lib.3.

Deusdedit I. Pontifex sub Heraclio QVENDAM obuium elephantiæ morbo laborãtem, osculo suo à lepra statim liberauit. Platina.

Agatho Papa LEPROSVM osculando sanitati pristinæ restituit: ut Martinus narrat in Chronico, & Platina.

Normanni adiunctis sibi Dacis omnem fermè Galliam uastabant. Metu incursionis beati Martini corpus Turone Altisiodorum deportatum est, & in basilica sancti Germani collocatum. Accidisse miraculum tum ferunt, orta inter monachos discordia, cui potissimùm sancto nomen basilicæ adscriberetur. LEPROSVS in medio utriusque sancti collocatus, ea parte sanatur, quę ad Martinum uergebat: conuersus deinde in alteram partem, uirtute beati Martini, integer omnino redditus est. Hoc totum à Germano hospitii suo tributum creditur, ne de sanctitate eius ob translationẽ quicquam diminutum uideretur. Platina. Fasciculus Temporum pro Germano Liborium habet: auditamque fuisse Martini arca uocem: Iam te ex una corporis parte mundo, reliquum fratri meo Liborio relinquo: semper enim sunt hospites honorandi.

ANDRAGASINA uirgo, à patre desponsata Ausberto cuidam, qui domesticus erat Vandegisilli comitis Palatini, pro tutanda uirginitate Deum orauit: atque hinc lepræ morbo deformatam exhorruit sponsus, qui sanam antè adamauerat, intactamque repudiauit. Neque illa quicquam pensi fecit tam acre malum, dum multo mallet castè uiuere, quàm sana. Ne autem morbi huius causa in ambiguo esset, ut primùm professa est religionem, sana euasit. Ita palàm factum est, ideo fuisse leprosam, ne esset corrupta. Marulus libro 5. capite 4.

In Eleorum agro, non longè à flumine Alcidante, grauiter olente, antrum est, Anigridum nympharum incolæ appellant. Huc QVI uitiata aliquo uitiliginis genere cute intrauit, [illegible] primum nymphis rite imploratis, [illegible] tis, deinde amne nando [illegible] laborantes corporis partes [illegible], fœditatem cum [illegible] in aquis relinquere creditur, atque inde nitidus ac tersus discedere. Pausanias in Eliacis prioribus.

Elephantiasis ante Pompeij Magni ætatem non accidit in Italia, & ipsa à facie sæpius incipiens: in nare primò ueluti lenticula: mox inualescente per totum corpus, maculosa, uariis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura, ceu scabie aspera: ad postremum uerò nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Aegypti peculiare hoc malum, & cùm in REGES incidisset, populis funebre: quippe in balineis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Qui tamen morbus celeriter in Italia restinctus est. Plinius libro 26. cap.1.

Mentastri foliis commanducatis & impositis sanari elephantiasin, Magni Pompeij ætate, fortuito CVIVSDAM experimento propter pudorem facie illita compertum est. Plinius libro 20. cap.14.

Galenus lib.11. de Simplicibus med. & cap.12. de Opt. secta empirica, scribit, in Asia contigisse, uti quandoque messoribus afferretur uas odorati uini. Id temerè positum arrepens uipera quum intrasset, ac uino distenta periisset, accesserunt mox & rustici sitim expleturi: uisa autẽ mortua uipera, rem co̅auersati, uinum CVIDAM in proximo elephantia iam putrescenti sunt elargiti, conclamatam esse hominis uitam arbitrati. At is nil eorum quum resciisset, ita sese uino proluit haustu frequenti, ut morbi atrocitatem protinus euaserit, cutis modò decussa superficie, pellicula eiusmodi subsistente, qualem in cancris uisimus, testa excussa. Idipsum & prope Pergamum euenisse iterum, prodit idem auctor. Cælius lib.6. cap.16. A.L.

ANIMALES MORBI. Puta

PEDICVLORVM. Phthiriasis.

Vide Tit. Phthiriasi mortui. Illic mors, heic morbus.

ACRIDOPHAGI Aethiopiæ populi, deserto contermini. Veris tempore, flante Zephyro & Libyco, locustas permagnas artificiosè capiunt, quas sale superinfuso, diutius seruant: hic est solus eorum per omne tempus locustarum uictus: Neque enim pecora nutriunt, neque pisces edunt, procul à mari positi, neque ullum aliud uitæ adminiculum habẽt. Corpore leues sunt, ueloces cursu, & uitæ breuis, ut qui longissimè uiuunt, quadragesimum non excedant annum. Finis eorum non solùm mirabilis est, sed etiam incredibilis. Nam propinquante senecta, pediculi alati, non solùm uisu uarij, sed specie horridi ac turpes, in corporibus nati, uentrẽ primò, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primùm ueluti scabiei cuiusdam pruritu allectus, corpus scalpit, uoluptate simul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, simul effluente sanie, morbi acerbitate ac dolore percitus, unguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta uerò uermiũ copia effluit, aliis super alios tanquam ex perforato uase scaturientibus, ut deleri nequeant. Et hoc pacto siue cibi, siue aeris causa, miserum sortiuntur uitæ finem. Diodorus Sicul. lib.3. cap.3. de Rebus antiquis.

DRACONVM.

Maris rubri ACCOLÆ ex morbo, ut Agatharchidas scriptum reliquit, cùm aliis incommodis afflictati fuerunt nouis & inauditis, tum dracones exiles, qui suras eorum depascerentur & brachia, emicuerunt: ac si attingeret quis, refugiebant rursus intrò, inflammationesque inuolutãdo se in partibus musculosis intolerandas creabant. Quam pestem, neq; uiderat ullus antè, neque post alios: sed illos solos tentauit. Plutarchus lib.8. Conu. quæst. 9.

VENENI CVRA.

CVIVS. Puta

Canis rabidi.

Plinij ætate MILES quidam in Lacetania à cane rabido demorsus, matris absentis somnio remedium inuenit. Hæc enim in quiete uidit, ut radicem syluestris rosæ, quam cynorhodon uocant, blanditã sibi aspectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendã in lacte. Quo remedio misso seruatus est ex insperato filius, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Plin. lib.25. cap.2.

In morsu canis rabidi excellit theriaca, in aqua uitæ, uel uino generoso dissoluta, duriusq; parti affricta, sic ut cruore manet, impositis, illo deterso, linamentis eodem medicamẽto imbutis, moxque superpositis alliis uel cepis communibus cum sale uulgari & terebinthina intritis. Hoc solo remedio [redacted] ,à Vulcani sacerdotibus in [redacted] restitutus fuit. Homerus Iliad. β. & Eustathius.

Aegypti præfectus quosdam NOXIOS feris obiicere decreuerat. Iis in theatrum ingressuris caupona quædam mulier oleũ, quod præ manibus habebat, in uia tradidit, quæ prius citrium comederat. Hi postea aspidibus obiecti, nihil passi sunt. Præfectus à custode exquirit, num quid edissent uel bibissent. Vt uerò citrium illis datum eodem die cognouit, huic citrium postero die dari, illi nequaquam iussit. Is qui citrium comederat, nihil passus est: alter uerò morsus statim interiit. Hoc cùm multis in rebus expertum esset, inuentum est denique, citrium omnibus uenenis mederi. Si quis totũ citrium in melle Attico cum semine coctum dissoluat, & ex eo manè ad duos uel tres digitos sumat, nihil prorsus à uenenis patietur. Athen. lib.3. cap.5.

Nesciêre medici, quantum contra aspidas polleret acetum. Nuper ab aspide calcata percussus QVIDAM utrem aceti ferens, quoties deposuisset, sentiebat ictum, aliàs illæso simi lis. Intellectum ibi remedium est, potuque succursum. Plinius lib.23. cap.1.

COQVVS dominę à Castroperseo, cùm lupulum in sepibus

legeret, ictus manũ à colubro, ipsa statim ori admota, uulnus suxit, saniei expressione dolorẽ, ut putabat, leuaturus. Sed extẽplò sic ei lingua intumuit, ut quę sentiret proloqui non posset: brachium præterea totum ad scapulam usque simpliciter in altũ tumorem sublatum, tam acres ei dolorũ cruciatus mouit, ut bis syncope prehensus corruerit, facie flauescente & liuida, mortuo similis. A. Pareus lauit illi os theriaca in uino albo dissoluta, eademq; addita aqua uitæ potionauit. Tumidum brachium multiplici & profundo scarificatu aperuit, quâ maximè parte morsus inflictus esset, sanguinẽ, qui totus serosus erat, fluere copiosius permisit, plagas theriaca & mithridatio in aqua uitæ dissolutis lauit, ægrum deinde in lecto calidissimè statuit, sudore procurato, & uigiliis iugibus imperatis, ne somnus ueneni ad uiscera faceret euocationem. Itaq; iam desperatus sanitati restitutus fuit, Molinis Gallię. Testis Pareus libro uigesimo Chirurgiæ, cap.22.

ANT. Pareus cùm Carolum IX. regem in Montẽpessulum comitaretur, in officina Fargij pharmacopolæ, ubi theriaca magno splendidoq; apparatu conficiebatur, non cõtentus intueri & circumspicere uiperas, quæ eam compositionem subituræ, multæ in ampulla uitrea habebantur, unã tractare manu placuit. Sed dum eius dentes, qui in maxilla superiore sunt, membranula tanquam uagina ueneni asseruatrice inclusi, curiosiùs & incautiùs tractat, fera extremum indicem, qua inter unguem carnemq; hiat, morsu illi prehendit: unde statim subortus est acer dolor, tum partis exquisitissima sensu præditæ, tum ueneni efferi occasione. E uestigio digitum supra uulnus arctissimè constrinxit, ut sanguinem uenenumque, ne se latiùs in corpus effunderet, exprimeret: Theriacam antiquam in aqua uitæ dissoluit, ex qua intinctum imbutumque bombacem uulneri imposuit, atq; intra paucos dies hoc uno remedio planè conualuit. Testis ipsemet lib.20. Chirurgiæ, cap.16.

Plantarum.

Louanij anno 1549. PVER Seruatij Sasseni bibliopolæ mirandis symptomatibus correptus fuit, ex esu unius baccæ fabæ inuersæ (herbam bella donna Itali uocant) quam imprudens ex horto Gemmæ Phrysij uicini sui (qui tum eam plantam prægnantem cum aliquot aliis exoticis herbis alebat) legerat, deuoraratque, cerasium existere arbitratus. Primùm cepit furiosè agere, nec ullum parentem interstinguere, animo & corpore lãguere. Vocatus Hieremias Brachelius medicus ad consilium & curationem, tam subita symptomata grauia miratur: statimque concepta suspicione assumti alicuius ueneni maniaci, sciscitatur ubinam puer fuerit, quid egerit? Eum in Gemmæ horto lusisse narrant, uisumque uersari circa dictam plantam, eiusq; decerpere baccas. Sed priusquam hoc innotuisset, incidit puer in somnum profundũ, ut excitari nequiret: is durauit ad horas uigintiquatuor. Tum puer sponte euigilans, agnouit primùm patrem, deinde alios, sed stupidior: pòst restitutus est. Vierus lib.2. ca.34. de Præstigiis dæmonum.

QVOMODO, QVO Instrumento. Puta

Medicamento.

Alicubi periclitatum in India Alexandri Magni EXERCITVM, prodit historia, imbutis uirulenta sanie gladiis, ut ictu uel leuissimo interirẽt percussi: quanquã mox per quietem herba Alexandro monstrata, quæ remedio prestantissimo tantæ cladi obuiam iret. Cælius lib.23. cap.10. Ant. Lect. ex Curtio & Plut.

Vomitu.

ALBERTO I. Imp. Conradus Salcburgensis episcopus hostis uenenum propinari curarat. Medici regem in caput inuerterunt, machina ad hoc ingeniosè fabrefacta, ut continuò uomeret, non tamen suffocaretur. Exclusum est itaque uenenum per os, per nares, per oculos: uisque eius tãta fuit, ut alterum illi oculum corruperit. Vnde Monoculus rex dictus est. Cuspinianus. At Stumpfius Albertum ueneno potionatum, consilio Medicorum oculum sibi exculpi curasse, scribit, ut per uulnus uenenum euacuaretur.

VENCESLAVS Imp. ignauissimus aliquoties tentatus ueneno, semper illud superauit, uomitus beneficio. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap.6.

Balneo frigido.

ADRIANVS Cardinalis Cornetanus, in cuius uilla Alexander VI. pont. eiusque F. Cæsar uenenum, quod aliis propinaturi erant, hauserant, dixit se eodem mortifero poculo petitum, ita exarsisse ex subito uiscerum feruore, ut obortæ caligines oppressis sensibus sibi rationem excuterent, seseque in solium frigida plenum mergere cogeretur: neque prius perustis interaneis ad uitam rediisse, quàm ei extrema cutis in exuuias abiens toto corpore decideret. Iouius in Consaluo.

Mulo.

LADISLAVS Vngariæ rex veneno hausto, exenteratis mu-
lis se includens, mortem euasit. Volat. lib. 22. Anthrop.

LVES VENERA. MORBVS GALLICVS.

Eodem tempore, quo Carolus VIII. Galliæ rex exercitum in Italiam aduersus Aragonios duceret, morb. qui Gallis Neapolitanus, Italis passim Gallicus, Scaligero Indicus, Indis Pua dicitur, principium habuit. Nam GALLI ea lue, dum Neapoli agerent, correpti, eam pòst in patriam redeuntes, per Italiam uniuersam diffuderunt. Qui quidem morbus, siue nouus omnino, siue in hoc nostro orbe ignoratus, per multos annos fuit horribilis. Nam cùm sese uel pustulis fœdissimis, quæ sæpenumero ulcera agebant, usqueadò malefica, ut omnem curationem resperent: uel doloribus in ipsis totius corporis articulis & neruis, acerbissimis prodere-ret, nec per medicos accommodata remedia, sed non rarò prorsus contraria, ac talia quibus is morbus potius irritaretur, adhiberentur, complures mortales, nec ætati nec sexui parcens, uita priuauit: plures aspectu penitùs deformatos, inutiles, & cruciatib. ferè perpetuis obnoxios reliquit: quin & bona eorum pars, qui sanati uidebantur, breui temporis interuallo in eandem miseriam recidebant. Post autem aliquot annorũ curricula, siue cœlestium siderũ, unde ortũ habuerat, diro aspectu mitigato: siue longa experientia remediis oportunis ad eius curam inuentis, multo mitior esse cepit: in plures etiam species, atq; à prima diuersas, suapte natura cõmutatus. Guicciard. lib. 2. & Bembus lib. 3. hist. Ven. & Sab. lib. 9. En. 10.

BERNARDVS Valdaura morbo gallico miserrimè affectus, ab uxore iuuẽcula humanissimè curatus memoratur à Lud. Viue de Christiana femina lib. 2.

CASVS EX ALTO CVRA.

Syrna Cariæ ciuitas memoratur, à Podalirio condita: qui quũ in Caria à caprarum pastore seruatus, ad Damæthum regẽ foret perductus, eius filiam nomine SYRNAM tecto delapsam, misso ex utroque brachio sanguine, persanauit. quod rex admiratus, generum sibi optauit, Chersonneso illi tradita: in qua Podalirius mox duas condiderit ciuitates: de uxoris nomenclatura alteram Syrnem, reliquam uerò de pastoris, à quo fuisset incolumis factus. Gentile inde nomen Syrnius. Cælius lib. 14. cap. 13. A. L.

Arcis absolutã Propylæa intra quinquennium fuerunt, architecto Mnesicle, Periclis auspiciis. Mirifica uerò fortuna, quæ in hac ædificatione accidit, significauit non inuita dea, sed propitia & secunda perpetrata. Promptissimus enim & maximè sedulus ARTIFEX cùm offendisset, delapsus ex alto est: ita que fuit afflictus, ut haberetur à medicis pro deplorato. Inopi cõsilij Minerua in somnio se Pericli offerens præscripsit medicinam, qua usus ille hominem citò & facilè curauit. Quamobrem Salutaris Mineruæ signum æreum in arce posuit iuxta aram, quam antè memorant ibi fuisse. Plutarch. in Pericle. Aliter Plinius: VERNVLA charus, inquit, Pericli Athenien sium principi, cùm is in arce templum ædificaret, repsisseque super altitudinem fastigii, & inde cecidisset, herba Parthenio dicitur sanatus, monstrata Pericli somnio à Minerua. Quare Parthenium uocari cepta est, assignaturque ei deæ. Hic est uernula, cuius effigies ex ære fusa est, & nobilis ille Splanchnoptes. Plinius libro uigesimo secundo, capite 17.

D. MARTINO è scalarum casu multis uulneribus affecto, insequenti mox nocte angelus contusi corporis ita liuores salubri unguento deliniuit, ut postero die nil sentiret incommodi. Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

RES QVAE VIS CORPVS subingressæ.

HIRVDINES.

Si in ventriculo aut intestinis hæreant, per fœcessum pelluntur, muriæ exhibitione. Si in faucibus hæreant, eger in solio calido ad mentum usq; demersus, frigidam ore copiosam continet, cuius illecebra hirudo allecta, calorẽ fugiens, egrediatur. Agineta lib. 5. cap. 36. & Actius Tetrabib. 4. serm. 3. cap. 56.

SERPENTES.

Cura ipsa Medicorum est. Hîc exempla tantùm referenda si qua occurrent.

ACVS.

VIRGO quædam Veneta crinalem acum quatuor digitorum longitudine, quam inter dentes dormiturã continebat, incautè q; in somno deglutierat, per urinam, post menses decem maximis emisit cruciatibus: quoniã in uesica collecti uiscosis humoribus lapis circum acum coaluerat, gallinacei ouĩ magnitudine. Cuius exemplum plurimos dissectionis ignaros commouit, qui eam per uenas mesaraicas à stomacho ad iecur, ac per uenam maiorem ad renum anguli-as, inde ad uesicam penetrasse arbitrantur, ora fibrarum in uiuentibus patentiora esse ad acum suscipiendam puta-tes. Reuera autem acus sua acie paulatim multoq; tempore per intestina penetrauit (si quidem uiam sibi facit, quod à natura propellitur) hinc per uesicam, qua parte carnosa est, inde per urinarium meatũ excerni potuit. Alex. Benedictus lib. 2. Anat. cap. 9.

Scribit Ant. Benecuenius cap. 20. de Abd. morb. causis, MVLIEREM acu deglutita per incuriam, maximos uentriculi dolores sensisse per decennium. Donec acus perforato uentriculo se prodidit, prodiitq; absq; noxa in posterum.

Io. Vierus lib. 3. cap. 2. de Præstig. dæm. elegantem curationem affert HELVICHÆ Geldriæ matronæ, quę cũm duas aciculas infantem curatura ex metu deglutiuisset Dusseldorpii, à Viero sanitati restituta est, expulsis altero die per secessum aciculis, anno Christi M D LXIII.

ACIES CVLTRI.

Alexander Benedictus lib. 3. Anatom. cap. 9. inquit: Acies scalpelli fracta, dum uenam imprudens chirurgus cuidam incautè secaret, meatus penetrauit diuersos, postq; autem cõstitit, ubi continuis ferè punctionibus sentiebatur: qua molestia sæpe à nobis leuari uoluit.

SAGITTA.

Cũ in Creta essemus, inquit Alex. Benedictus lib. 3. Anat. cap. 9. RVSTICVS in quodam tumultu seditioso sagitta circa dorsum impacta uulneratus fuit: cuulsa sagitta, ferrum in thorace relinquebatur, ac uulnus, perquisita frustra cuspide ferrea, chirurgus sanauit. At post biẽnium per inferna ea excidit: quæ miraculi gratia barbatæ figuræ duorum digitorum latitudinis ostentabatur. Secundùm enim diaphragma prius mucrone penetrauit, ubi pars carnosior est: deinde secundùm intestina delapsa, iuxta aluum sensim podicem secuit, uiamq; sibi ad exitum fecit semiexesa: qua de re magna medicorum fuit concertatio.

SPINÆ.

Ser[redacted]

LIBRI QVINTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.



Φυτικὴ, Naturali. Vidè in sequentibus signum III.

- I. Exercitatio considerata
  - Per se. Sic mouet quis
    - Seipsum, in
      - Aere. AIΘPOBATA.
      - Aqua. NATATIO. Natandi
        - Peritia
          - Vnde. Natura, uel Arte & Studio.
          - Qui. Vrinatores, Natatores.
        - Imperitia. Vsus.
      - Terra. MOTVS localis terrestris uel
        - Simplex, corpore
          - Non librato, uel
            - Sedatus. INCESSVS respectu
              - Quãtitatis
                - Magnus.
                - Tardus.
              - Temporis
                - Nocturnus.
                - Hybernus.
              - Loci. Per
                - Ignes.
                - Glaciem.
            - Concitus
              - CVRSVS. Cursores
                - Veloces.
                - Tardi.
              - MOTVS glacialis.
          - Librato. SALTVS.
        - Mixtus ex incessu, cursu, & saltu. SALTATIO Perpendendum
          - Quæ.
          - Qui. Verbi causa
            - Pueri.
            - Viri. Saltatores.
            - Mulieres. Saltatriculæ.
            - Reges.
            - Duces.
            - Politici uiri.
            - Docti, Philosophi, Poetæ.
            - Proci.
          - Cur. VSVS
            - Religiosus. Bellicus.
            - Conuiualis.
            - Theatralis. Pius.
          - Quo studio.
    - Alium, qualecunque, corpus sit, animatum, inanimatũ, homo, bellua. ROBVR & agilitas in mouendo corpore alieno uel
      - NON renitente, illud uel
        - Retinẽdo, sic ut uel illud
          - Respectu loci
            - De loco attollat, subleuet.
            - Ad locum
              - Portet.
              - Promoueat, ut Nauim, Currum.
          - Per se
            - Seruet.
            - Frangat, deijciat, incuruet.
        - Non retinendo, sed uel
          - Emissione propellendo, siue ioco siue serio, & uel
            - Immediatè, solo robore & agilitate fretum: ut Pilam, Discum, Saxum, Iaculum.
            - Mediatè, instrumento aliquo, in cuius usu non tam robur corporis quàm peritia requiritur: ut Arcu, Funda, Bombarda.
          - Percussione affligendo.
      - RENITENTE & repugnante, ita ut mouens, rem motam uel
        - Complexu suo tã mediato quàm immediato
          - Retineat, Adducat. Vt puta
            - Tauros.
            - Arbores.
            - Nauim.
            - Currum.
            - Arcum.
            - Funem.
          - Moderetur: ut
            - Equos.
            - Currus.
          - Deiiciat uel
            - Homines, cõplectens illos
              - Toto corpore, ut in Lucta.
              - Parte, ut manibus in Ἀπρεχειρισμῷ.
            - Belluas.
        - Absq; complexu
          - Feriat
            - Absque instrumento, pugno, pede, capite, digito.
            - Cum instrumento: ut
              - Cæstu, in Pugillatu.
              - Armis, inter Gladiatores.
          - Repellat.
  - Per accidens, quatenus ei, qui mouet, uel mouetur, accidit, ut contra alium decertet, atq; pugnet. Vide signum II.

II. De Roboris corporei Certaminibus agamus in

II. De Roboris corporei Certaminibus agamus in

- Genere, primum, de
  - Causis. CERTAMINVM
    - Materia. Quæ certamina.
    - Forma, de Modo & Lege certaminis uel
      - Certa.
      - Incerta, tumultuaria.
    - Efficiens, h. e. is qui certat:
      - Qui, puta
        - Populi. Priuati quiuis.
        - Reges. Duces. Politici.
        - Docti. Pueri. Virgines.
      - Quo studio.
    - Finis. Cur.
  - Accidentibus: puta de Certaminis
    - Loco.
    - Tempore.
- Specie, ratione
  - Formæ. Excellũt alij in
    - Vno aliquo prædictorũ. Motus alius uidetur esse
      - Actiuus. Mouet quis
        - Seipsum, motu
          - Simplici. Sic certatur
            - CVRSV
              - Qui
                - Pueri.
                - Viri.
                - Virgines.
              - Quomodo.
              - Quando.
              - Vbi. Locus.
              - Cur. Causa
                - Coniugij.
                - Coronæ.
            - SALTV.
          - Mixto. SALTATIONIS certamina.
        - Alium, motu uel
          - Simplici: et uel corpus
            - Animatum
              - Deiiciendo. Lucta. LVCTATORVM certamina
                - Instituta
                - A quibus.
                - Quomodo.
                - Obita
                - A quibus: à
                - Viris.
                - Mulieribus.
                - Quãdo. In
                - Palęstra.
                - Acie.
              - Feriendo
                - Pugnis. PVGILES.
                - Armis. HOPLOMACHI, Gladiatores, tum
                - Extra Theatrum.
                - In Theatro & spectaculis. Tales sunt
                - Pedites. Gladiatores, Xystici.
                - Equites. Equitũ concursus & pugnæ.
            - Inanimatum. CERTAMINA
              - Pilæ.
              - Disci.
              - Iaculi.
          - Composito. Pancratium. PANCRATIASTAE.
        - Passiuus. Qui mouẽtur
          - Equo. EQVORVM certamina.
          - Curru. AVRIGARVM certamina
            - Instituta.
            - Obita
              - Quomodo
                - Equis, Carpento.
                - Mulis, Reda.
                - Canibus.
              - Qui
                - Viri.
                - Mulieres.
              - Quo studio.
              - Quo euentu.
      - Multis. PENTATHLI.
  - Loci. ATHLETARVM differentiæ, ratione loci. Sic alij sunt Victores
    - Olympiorum. Olympionicæ.
    - Pythiorum. Pythonicæ.
    - Isthmiorum.
    - Nemeorum.


III. Naturalis Facultas alia
Conseruatrix individui tum
Princeps, qua corpus
Nutritur. Augetur.
Vegetatur uitali calore per Pulsum & Respirationem.
Famulans Principibus. Quandoquidē corpus assiduè diffluit, refectione opus habet extrinsecus adueniente. Facultates igitur naturales uel totius corporis uel partis alicuius illæ sunt, quæ id quod
Nō adest uel
Appetunt extra corpus existens. ALIMENTI
Appetitio in
Genere, quo ad
Acquisitionē, Excitata.
Possessionē, secundū
Quātitatē
Magna, Valida.
Pauca, Debilis.
Qualitatē. Appetitio cibi
Legitimi.
Illegitimi.
Depranata.
Depulsionem.
Specie. Appetitio peculiaris
Cibi. Appetunt
Carnes. Pisces.
Olera. Radices.
Horarios fructus.
Legumina. Panem.
Potus. Appetere
Aquam.
Vinum. Lac.
Auersatio in
Genere.
Specie. Auersari
Poma.
Vinum. Abstemij.
Attrahunt in corpus receptum. ATTRACTIO.
Adest, quatenus naturæ ductu uidetur esse
Vtile
Retinent.
Concoquunt. CONCOCTIO
Valida.
Debilis.
Distribuatur reliquis partibus. DISTRIBVTIO.
Inutile abiguntur, uel ut
Expellatur extra corpus. Expultrix cētpore posterior, ex qua uel sola de cæteris facultatibus naturalibus iudicatur. Huic per totū corpus & singulas partes diffusæ subijcitur EXCREMENTA, de quib. infrà sub Passionibus.
Propagatrix speciei, Generatrix. De hac agamus in
Princeps generandi, Fœcunditatis tanquam effectus nomine expressa. Huc ergo
Genere. Sic facultas alia
FOECVNDITAS
Paruulorum.
Adulto rum
Virorum. FOECVNDI. Qui multos habuerunt liberos.
Mulierum. FOECVNDAE, quæ uel
Simul plures gestarunt & pepererunt, ut geminos, trigeminas, &c.
Non simul, sed sæpius conceperunt & pepererunt.
STERILITAS. Infœcunditatis
Ortus. Vnde oriri. Causa sterilitatis
Ira Dei
Ætas.
Coitus immaturus.
Dyscrasia naturalis.
Medicamenta.
Casus.
Possessio.
Depulsio. Ex Sterilibus fœcundi
Qui.
Quomodo.
Non princeps, sed famulans Principi. VENVS. COITVS uenerei tum
Appetitio
Aliqua.
Nulla.
Actus. Venerea
Potentia, uel Impotentia.
Tempus.
Specie, secundùm sexū, quem generationis causa distinxit natura. Ratio habenda tum
Viri tanquam agentis. Hic uel
Præter sexus sui rationem concipit. VIRI qui pepererunt.
Secundùm sexus sui rationem generat, sed præter ætatem: ut
PVERI qui genuerunt.
SENES qui genuerunt.
Feminæ, natura sic institutæ, ut patiatur. Hæc uel
Præter sexus sui rationem concipit & parit. QVAE uirgines & absq; uiri congressu conceperunt.
Secūdū sexus sui rationem
Concipit. Sed uel præter conuenientem
Modum, hoc est ex uiro quidem, sed uel
Non congressa, sola seminis affusione.
Congressa, uel Sepius, toties quoties cōgreditur, cōcipit (Superfœtatio) uel Semel, & prōtē cōcipit.
Ætatem: utputa
Puellæ quæ conceperunt.
Vetulæ quæ conceperunt.
Gestat. GESTATIO uteri Difficilis uel Facilis.
Parit.
Quomodo. PARTVS uel
Absq; dolore.
Cum dolore
Paruo.
Magno, Multo.
Quādo. Partus
Perfectus.
Imperfectus. ABORTIVI.


Quæ. Vide in sequentibus signum V.
IV. PASSIONES Corporis, siue illæ communes sint omnibus, siue propriæ & peculiares quibusdam, considerentur uel
Positiue, quatenus corpori accidūt et suscipiuntur: tum
Quales, cùm uel grauem uel remissam impressionem faciant, & propterea uel faciliùs uel difficiliùs perferantur. TOLERANTIA uel MOLLITIES in passionib. corporis perferendis in
Genere. LABORVM & Dolorum
Patientia, Tolerantia.
Impatientia.
Specie. Quæ passiones accidūt corpori respectu functionum
Animalium considerationi
Vniuersim, respectu scilicet
SOMNI.
VIGILIARVM: Eius
Ferre.
Non ferre.
Singillatim ut
Internarum.
Externarum: puta
Visum.
Auditum. SONOS
Ferre.
Non ferre.
Olfactū. ODORES
Ferre.
Non ferre.
Sentiēdi, quoad
Tactū. DOLORES ferre, uel nō ferre
Aeris calidi frigidi.
Ignis.
Alimētorū.
Verberū, Plagarum.
Partus.
Mouēdi. MOTVS corporis à
Ipso:
Incessus.
Cursus.
Statio.
Alio:
Equitatio.
Vectio.
Naturalium in
Genere. ALIMENTI inopiam
Ferre.
Non ferre.
Specie:
FAMEM
Ferre.
Non ferre.
SITIM
Ferre.
Non ferre.
Priuatiuè, quatenus corpori non accidunt, & uel non suscipiuntur, uel certe ui natiua depellūtur. IMPASSIBILITAS. quo ad
Aspectum. Inuisibiles.
Ignem. Incombustiles.
Aquam. Qui mergi non possunt.
Venena.
Pharmaca.
Vulnera. Inuulnerabiles.
Serpentes.
Bestias.



Voluminis Secundi
Liber V.

De ACTIONIBVS & PASSIONIBVS CORPOREIS.

ACTIONES à Facultatib. animæ pendent, adſtipulante interim corporis Temperie & Conſtitutione. Et quia in ſenſum maximè incurrunt, pleraq; exempla Facultatum (exceptis Animalibus internis, quas Volumine primo exequi placuit) ſub Actionum titulis ſequentibus complecti voluimus. Illic Efficientis principis, hîc Inſtrumenti potiſſimùm ratio habetur.

VISIO, VEL

ACVTA, VALIDA. Reſpectu OBIECTI, VEL *Minuti.*

Ilias Homeri in membranã adeò concisè & minutim à QVODAM olim fertur notata, ut teſta nucis includeretur, teſte Cic. Plinius lib. 7. cap. 21.

MYRMECIDES quidam quadrigam ex ebore fecit, quã muſca alis tegeret: & nauim, quæ apiculæ alis abſcondi poſſet. Callicrates formicas & alia minuta animalia in ebore ſculpſit, quorum partes quædam ab aliis cerni nequibant. Solinus capite 6. Plin. lib. 7. c. 21.

TACITVS Imp. etiam ſenex minutulas literas ad ſtuporem legebat. Cuſpinianus.

FRANCISCO Petrarchæ adeò firma & acris oculorũ acies, ut ſexagenarius literas etiã minutiſſimas legeret, nullo uitreorum præſidio. Hieron. Squarzaficus in eius uita.

LEO X. Pp. habuit oculos extantes, conuolutos q; & hebetes: uerùm ſi ad pupillam inſpicienda propius admoueret, ſupra fidem acutiſſimos: ſupplices enim libellos, uel minutiſſimis literis, & crebris ſyllabarum compendiis properanter exaratos, celeriùm & diſtinctiſſimè lectitabat: admota autẽ cryſtallo concaua, oculorum aciem in uenationibus & aucupiis adeò latè extendere erat ſolitus, ut nõ modò ſpaciis & finibus, ſed ipſa etiam diſcernendi felicitate cunctos anteiret. Iouius in Leone X. lib. 4.

Longinqui.

E Lilybæo Sicilię breuiſſimus in Libyam curſus centum & uiginti ſeptẽ milibus paſſuum à Carthagine diſtat. Varro tradit, ex hoc promontorio STRABONEM quendam bello Punico primo ſolitum naues perſpicere, quæ ex portu Carthaginis proficiſcerentur, ita ut & numerũ exponeret. Sabellicus lib. 9. En. 4. ex Plin. lib. 7. c. 21. Strabo lib. 6. interualłum ſcribit M D ſtadiorum, neq; nomen apponit. Val. Max. lib. 1. cap. 8. LYNCEVM hunc uocat: unde quoq; prouerb. Lynceo perſpicacior. Aelianus lib. 11. de Var. hiſt.

Splendidi.

GYMNOSOPHISTÆ Indorũ philoſophi ab exortu ad occaſum perſtant contuentes ſolem immobilibus oculis: atq; etiam feruentibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtũt. Plinius lib. 7. cap. 2.

MEDII, VEL *Corpulenti.*

LYNCEVS frater Idæ, filius Apharei regis Meſſeniorum, tanta uidendi excellentia, ὥστε τὴν ἀλήθειαν ἑαυτοῦ ὁρᾶν, ut etiã per quercũ ſtipites cerneret. Cæl. lib. 11. c. 13. ex Pauſanię Meſſenicis. Apollonius in Argonauticis ſcribit terrã ipſam oculorũ acie penetraſſe, quę q; apud inferos fierẽt, peruidiſſet

—Λυγκεὺς δὲ τῷ ὀξύτατος ὁράασθαι
ἔμμεναι, ἠὲ ἴνδις γε πέδιλα καλῶ, οἷόν οἱ κεῖνον
ἐφράσσαντο θεοὶ καὶ χθονὸς αὐγάζασθαι.

Plutarch. aduerſus Stoicos aſſerit, famã fuiſſe de Lynceo, q; ſaxa quoq; & arbores oculorũ acie penetraret. Pindarus in Nemeis hymno decimo, meminit Lyncei, qui ex Taygeto monte uiderit Caſtorẽ & Pollucẽ ſub quercus trunco latitantes, & horũ alterum iaculo uulneraſſe. Plin. lib. 2. c. 17. noũiſſimã inquit lunã, primãq;, eadẽ die uel noctẽ, nullo alio ſigno, quàm in Ariete cõſpici: id quod paucis mortaliũ contigit. Er inde fabula cernẽdi Lynceo. Sunt qui tradunt, Lynceũ primũ reperiſſe fodinas metallorũ, æris, argenti, auri, & hinc uulgò natam fabulam, quòd ea quoq; uideret, quę ſub terra forent. Ex Lycophronis interprete.

Tenebricoſi.

TIBERIO Cæſari ea fuit oculorum natura, ut expergefactus noctu paulìſper haud alio modo quàm luce clara contuere tur omnia, paulatim tenebris ſeſe ob ducẽtibus. Suet. Id ipſum & ſibi quãdo q; obtigiſſe CÆLIVS teſtatur lib. 15. c. 2.

HIERONYMVS Cardanus prima iuuẽta cũ Tiberio hoc cõmune habuit, ut experrectus in maximis tenebris omnia luſtraret. Paulo pòſt tamen uis illa euaneſcebat. Cauſam eſſe ait cerebri caliditatem, ſpirituum tenuitatẽ, & imaginatricis uim. Teſtatur ipſemet cap. 43. lib. 8. de rerum Var.

TERRIFICA.

OLO Syuardi F. Noruegus, ex Haraldi Danorum regis ſorore editus, adeò uiſu efferus erat, ut quod alij armis, ipſe oculis in hoſtem ageret, ac fortiſſimum quẽq; uibrante luminum acritate terreret. Saxo lib. 7.

INSOLITA.

Ariſtot. 3. de Cœlo, & 3. Meteor. c. 11. affirmat quẽdã, qui hebetẽ oculorũ acie premebatur, nec acutè uidebat, ſemper ſuiipſius ſimulacrum præcedere uidiſſe cùm ambularet, quod tamen cõuerſum ipſum ſpectaret, cuiuſmodi è ſpeculis imagines redduntur. Alexander Aphrodiſienſis narrat aliis in libris Ariſtotelẽ nomine ipſum appellaſſe ANTIPHERONTEM Oritem ſeu Tarentinum. Quod nomen inuenitur in libro de Memoria: ſed ibi loquitur Ariſtoteles de ipſo, ut de inſano, & qui ea, quæ uiſa forent, facta ob furorẽ illum putaret. Victorius lib. 25. Var. lect. c. 22.

Vitellio Opticorũ ſcriptor refert idem accidiſſe STVDIOSO cuidã amico ſuo, qui cùm noctes aliquot inſomnes duxiſſet, ac peregrè proficiſci cogeretur, per fluminis crepidinem obequitans, ubi aer denſus & caliginoſus erat, alterũ equitem uidit ſibi præeuntem, atq; omnia planè facientem, quæ ipſe faceret. Quod cùm ad Vitellionem detuliſſet, ab eo intellexit, ſe ſibi terrori fuiſſe, nec aliud quicquã uidiſſe, quàm ſuiipſius ſimulacrum ab aere denſo reflexum.

DEBILIS, REMISSA.

Conſule Tit. Luſcorum, Coecitum. Illic Morbus, hîc Actio leſa conſideratur.

ALBANIÆ in ultima terra incolæ, propter debilẽ uiſum noctu tantùm cernũt: interdiu debile lumẽ à fulgore diei diſſipatur. Gellius lib. 9. cap. 4.

In CVMANA regione Peru litorali, homines parũ uidẽt: nebulæ in, in eorũ oculis generãtur, ſeu ex fluminis natura, ſeu ciborũ, quib. ueſcũtur. Cardanus de Rerũ uar. lib. 1. c. 4.

De ASPERO Martialis Epigram.lib.8.

Formoſam planè, ſed cæcus diligit Aſper:
Plus ergo, ut res eſt, quàm uidet, Aſper amat.

PHILIPPVS Vicecomes, princeps Mediolanenſis, ſecreto cubiculo maximè gaudebat, & in id pauciſſimos admittere, arcere ſalutantes, negotia tractare per interpretem, & denique reformidare cœtus hominum ſolebat. Hebetata enim oculorum acie, quòd adeuntium facies non planè diſcerneret, aſſiduo nomenclatore & monitore diſſimulanter utebatur, ne omnino captus oculis à minus familiaribus putaretur. Iouius in uita Philippi.

THEODORVS Bibliander [redacted] ex nimiis ſtudiis in ἀμβλυωπίαν inciderat. Diluculo ſurgens, in hypocauſtum ingreſſus, cùm feles domeſtica menſæ inſidens more ſuo geſticularetur, ille ancillam eſſe opinatus, fauſtum diem Elſæ precatus eſt Feles dominum, qua potuit, uoce reſalutauit. Conr. Lycoſthenis acroama.

VALENTINVS Bolzius Rubeacenſis, Eccleſiaſtes, naturâ luſcus, manè ad ſolita exurgens ſtudia, candelam accenſurus, tædam ſulfure illitã oculis felis, foco aſſidentis, carbonum inſtar lucentibus, admouit. Feles cum ſtridore reſiliens, tantum miſero terrorẽ incuſſit, ut tanquam ſpectro conſpecto in cubiculum tremebundus fugeret, & uix tandẽ errorem ſuum multo cum riſu dilueret.

AMISSA.

Vide Tit. Cæcorũ, ubi de Oculorum affectib. agitur.

AVDITIO

VALIDA. Reſpectu

Loci.

HISTIÆVS Mileſius tyrannus, cùm ratem in Iſtro cum reliquis Ionibus contra Scythas in Darij gratiam tueretur, eam tamen ſoluiſſet, quantum ſcilicet, ne Scytharum ſagittis ſocij infeſtarentur, ſatis erat: cùm Darius rex fugiens ad Iſtrũ nocte ueniſſet intempeſta, & quendam Aegyptium alta uoce Hiſtiæum clamare iuſſiſſet, primam ſtatim uocem exaudiuit Hiſtiæus: ſiue, quia præ cæteris uigilabat: ſiue, quia auditus erat acutiſſimi. Rate nauibus coniuncta, Darium cum exercitu è Scytharum eripuit manibus. Herod.lib.5.

DEBILIS.

Huc Surdaſtri, qui audiunt quidem, ſed debiliter.

AMISSA.

Vide Tit. Surdorum, inter Aurium affectus.

VAZVL patruelis Stephani Vngariæ regis, excæcatus, & plũbo in aures infuſo ſurdꝰ redditus, à Sebo Budę F. idq; Gyſlæ reginæ inſtinctu, ne Stephano ſucceſſor in imperio ſubſtitui poſſet. Bonfin.lib.1.Dec.2.

VOX, PRONVNCIATIO.

Conſule locum Rhetoricæ pronunciationis. item Muſicorum.

QVANTITAS. VOX

Magna.

Homerus HEROIBVS fortiſſimis epithetõ hoc tribuit, quòd ſint βοὴν ἀγαθοί. Nam ubi magna eſt & clara uox, etiã thorax eſt magnus: ergo (ut medici docent) cor quoque calidum, unde animoſitas: & cerebrum robuſtum, unde robur corporis prouenit.

STENTORIS meminit Homerus Iliad. ε. eiq; ferream, hoc eſt inuictam attribuit uocem,

σ**τ**έντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ,
ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Eraſmus in Adagiis.

THRASYBVLVS dux claſſis ſuperauit uocis magnitudine omnes Athenienſes ſua tẽpeſtate. Hic auctor fuit, ut militari ſuffragio Alcibiades ab exilio reuocaretur. Sab.lib.8.En.3.

CARNEADEM Cyrenenſem philoſophum & dialecticum inſignem Plutarchus ſcribit fuiſſe μεγαλοφωνότατον, id eſt, maximæ ac ſonantiſſimæ uocis, adeò ut gymnaſij princeps eũ monere cogeretur, ne tantopere clamaret. At ille: Da ergo mihi uocis modum. Reſpondit Gymnaſiarcha: Modum habes, auditores tuos. Laert.lib.4. Antipater Stoicus eam uocis magnitudinem quum nec poſſet, nec uellet aſſequi, aggreſſus Antilogiarũ concinnare libros, cognominatus eſt καλαμοβόας, calamo uociferans. Cæl.lib.19.c.15.

Parua, Exilis.

CHÆREPHONTEM Socratis perfamiliarem fuiſſe tradunt ἰσχνόφωνον. Cælius lib.13.c.1.A.L.

BASILIVS Magnus, Cæſarienſis epiſcopus, debili & exili uoce fuit, atq; difficili. Sed ad extremũ, priuſquã expiraret, uocalior eſt factus: & cygnorum inſtar, cũ uerbis obdormiuit ueritatis, ut Nazianzenus in oratione de Baſilio teſtatur.

CAROLVS Magnus uoce quidẽ uirili & clara fuit, ſed quæ corporis formæ ſeu proceritati non reſponderet. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.7.

QVALITAS. VOX

Acuta, Alta.

Inter cõuicia, quibus Aeſchines lapidat DEMOSTHENEM, etiam illud obiecit, quòd Bœotorũ more uociferaretur immodicè & indecorè. ταῦτα δέ μου μεταξὺ λέγοντος, ἀναβοᾷ παμμέγεθες Δημοσθένης, ὡς ἴσασι πάντες οἱ συμπρέσβεις ἡμῶν· ὅτι γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς βοιωτιάζει, id eſt, Hæc me loquente uehementer exclamat Demoſthenes, quemadmodum ſciunt omnes qui nobis in ea legatione fuère collegæ. Nã præter alia mala, etiam bœotiſſat. Eraſmus in Adagiis.

Cùm Darius è Scythia fugeret, & ad pontem in Iſtro ueniſſet, quẽ Iones propter Scythas interruperant, penè concidit, ꝙ ſe proditũ ſuſpicabatur. Mox AEGYPTIVM quẽdam, omnium hominum uocaliſſimum, ſupra ripam Iſtri poſitũ, iuſſit inclamare Hiſtiæum Mileſium. Hiſtiæus eum ſæpius inclamantem, ad primam inclamationem exaudiuit. Herod.li.4.

Ficta.

Λαρυγγίζειν Græcis dicuntur, qui non loquuntur naturali modo, ſed dilatato gutture effundunt immanem uocem. Quẽadmodum & canunt nonnulli. Hoc uitium Demoſthenes obiecit AESCHINI, quòd non ex animo loquens uocem præter naturam intenderet. Eraſmus in Adagiis.

QVIDAM uoces auium pecorumq;, & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur atque exprimunt, ut niſi uideantur, diſcerni omnino non poſſint. Aug.lib.4.de Ciu.Dei, c.23.

In QVENDAM uocis abſonæ, Auſonius ſic ludit:

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenumq; pecus, lanigerosq; greges
Balatu aſſimilas: aſinos quoq; rudere dicas,
Quamuis Arcadicum fingere turpe pecus.
Gallorum cantus, & ouantes gutture coruos,
Et quicquid uocum bellua felis habet.
Omnia cùm ſimules ita uerè, ut ficta negentur,
Non potes humanæ uocis habere ſonum.

Clara, Sonora.

AESCHINES Tragicus, qui puer literas cum patre docuit, quum eſſet λαμπρόφωνος, hoc eſt uocis ſonãtioris, poſtmodum tragœdum egit, teſte Plutarch. in Vitis decem Rhetorum: ut uerò Demoſthenes ait, ſcribæ hiſtrioniſque munere fungens apud Ariſtodemum agebat in Dionyſiis. Cælius libro 19. capite 21.

Quum M. CÆLIVS, qui credebatur à parentibus non liberis natus, epiſtolam apud Senatum clara firmaq; uoce recitaſſet: Ne miremini, inquit Cicero, nam hic unus ex his eſt, qui proclamarunt. ſignificans, illum fuiſſe præconem, & hoc uſu contigiſſe, ut eſſet uocalis. Solent autẽ ſerui uenales uoce præconis commendari. Eraſ.lib.4. Apoph.

PESCENNIVM Nigrũ Imp. legimus uoce adeò fuiſſe canora, uti in campo loquens per mille paſſus audiretur, ni obniteretur uentus. Cælius lib.19.c.12.A.L.

ERICO II. Danorum regi robuſtiſſimo & admodum procero uox tam ſonora fuit, ut in actionibus non ſolùm præſentibus, ſed etiã à remotiſs. liquidò exaudiretur. Saxo li.12.

Rauca, Obſcura.

Κυκλοβόρου φωνή. id eſt, Cyclobori uox. de iis dicebatur, quibus uox eſſet uitioſa raucaq;. Eſt enim Cycloborus Atticæ torrens, ingenti ſtrepitu defluens. Ariſtophanes in Equitibus: ἅρπαξ, κεκράκτης, κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων: Clamoſus, auidus, uoce Cyclobori obſtrepens. Eraſmus in Adagiis.

Aſpera.

Φικιδίζειν. id eſt, Phicidiſſare, dicebantur uulgo, puerorum obſcœnis amorib. dediti. Quidã malunt ad eos referre, qui literã ρ immodicè & ad faſtidium uſq; conſueuerint uti. Siquidẽ ea gens literã σ ſolita eſt in ρ cõmutare. Quo quidẽ uitio notantur & ERETRIENSES, atteſtante prouerbio, Ἐρετριέων ῥ. Eretrieſiũ rho. Hodie iocus eſt uulgi in PICARDOS: cùm Lutetianæ feminæ ob linguæ delicias, ρ uertãt in σ, Maſia ſonantes pro Maria. Eraſmus in Adagiis.

Hærens, Impedita, Tarda. Balbi, Blæſi.

ATYPVS, ἄτυπος, q nõ habet in lingua explanatã uocũ impreſſionẽ: ut qui lingua ſunt paulò craſſiore. Hot. de Verb. iuris.

Βατταρίζειν dicebantur uulgò, qui balbutirent, quibusq; hæſitans eſſet & impedita lingua, quod Græci τραυλίζειν appellant. Quod uitium ob humore immodico naſci docet Hippocrates: unde in pueris ac temulentis ferè accidit. Fit potiſſimum in τ & ρ. pro quibus ſonant τλ. unde fit ut ægre ſuum ipſorum uitium pronuncient, τραύλωσιν. Ariſtoteles Sectionis XI. pblemate 30. diſtinguit τραυλότητα, ψελλότητα & ἰσχνοφωνίαν. Traulosin definit, quum quis literam quampiam nõ poteſt exprimere, non quamlibet, ſed certam aliquam: hanc Theodorus uertit bleſitatẽ. Ψελλότητα uero, quũ litera quæpiam aut ſyllaba ſupprimitur, ueluti quum πτελέα dicitur pro πτελέα hanc Theodorus uertit balbutiem. ἰσχνοφωνίαν uerò, quum non ualent expeditè ſyllabam ſyllabæ contexere pronunciando: quam Theodorus uertit linguæ hæſitantiã.

BATTO cuidam Thebano uox fuit exilis, linguaq; parum articulata. Cui Pythia dixit, Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες. id eſt, Batte ad uocem ueniſti. Heſychius, Eraſmus.

MOSES cùm à Deo mitteretur ad liberandum populum à tyrannide Pharaonis, excuſauit ſe ob oris & linguæ tarditatem. Ei igitur Dominus adiunxit Aaronem Leuitam fratrẽ, hominem dicendi peritum, cui Moſes eſſet pro Deo, ipſe uerò Moſi pro ore. Exodi 4.

Apud Rom. in conſecrando templo conſecrationis uerba ritè concipi oportebat, ne ſyllaba uel uerbo cadant. Quare METELLVM potificem ædem dedicaturum, quum balbus eſſet, multum laboraſſe ferunt, ut uerbum Opiferæ ritè exprimere, & ſine offenſione poſſet. Plin. lib. 11. cap. 37.

DEMOSTHENES quia blæſus erat, in exprimẽdo ρ literam multum laboraſſe dicitur, pro qua λ proferebat. Alexand. lib.6.cap.14.

Cicero III. Philip. ſcribit, M. FVNDANIVM neſcio quem cognominatum Bambalionem, ab hæſitantia linguæ. Verba illius hæc ſunt: Tuæ coniugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius, qui propter hæſitantiã linguę, ſtuporemq; cordis, cognómen ex contumelia traxerit. Græci grammatici tradunt βαμβαλίζειν ualere tremere corpore propter frigus, atq; horrere: huiuſcemodiq; aliquem dentium tremorem oſtendere arbitrantur uoluiſſe Homerum, cùm in χ. Iliadis de Dolone iam capto cecinit, ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέν τε βαμβαίνων. tanquã metu ille impeditam linguam haberet, & cùm uellet loqui, exprimere uerba nõ poſſet, ſed balbutiret. Victorius lib.17. Var. lect. cap.14.

Herodotus in Melpomene ait, BATTVM Polymneſti inter Theræos opulenti, & Phronimæ filium, balbum fuiſſe & uocis exilis, indeq; Battum fuiſſe appellatum. Herod.lib.4.

T. MANLIVS Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatem à patre rus relegatus eſt. Liuius lib.9. Dec.1. Valer. Max. lib. 6. cap.9. Plin. de Viris illuſt. cap.28.

MICHAEL Balbus Imp. adeò in literis componendis tardus erat, & ſyllabis conficiendis, ut librum alius facilius perlegeret, quàm ipſe ſui nominis elementa recenſeret. Cedrenus.

LVDOVICVS III. Caroli Calui ex Hirmẽtrude filius, quòd impeditioris & tardioris linguæ eſſet, Balbus eſt cognominatus. Cuſpinianus.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex habuit linguam nequaquam expeditam, quæ hæſitaret, præſertim intumeſcente ira. Polydorus lib.20.

AETAS. VOX

Præcox. Infantes locuti.

Ex loco Diuinationis, exempla aliquot oraculorum ab infantibus editorum petenda.

Semeſtris locutus eſt Crœſi FILIVS in crepundiis: quo prodigio totum concidit Lydorum regnum. Plin.lib.11.cap.51.

Cùm SIGEBERTVS infans, filius Dagoberti, die quadrageſimo à natiuitate, à ſancto Amando baptizaretur, reſpondit clara uoce, Amen. Sigebertus in Chronico, anno Domini 633. Idem Regino aſſerit; & Robertus Gaguinus.

Anno 1117. apud Cremonam quidam INFANTVLVS in cunis iacens, matrem cibum familiæ parantem compellauit, ut à uentris cura ceſſaret, Deum enim grauibus pœnis peruerſam hominum uitam ulciſci cõſtituiſſe: ſed Dei genitricem, ante tribunal Chriſti aſtantem, inſtantiſſimis precibus obſtare. Hæc cùm dixiſſet, iterum conticuit. Dodechinus in Appendice Mar. Scot.

Serotina.

MAXIMILIANVS filius Friderici III. Imperatoris ac Leonoræ Eduardi regis Portugalliæ filię, in noua ciuitate Auſtriæ genitus, ab infantia penè in nonum ætatis annum elinguis, ut plerifq; mutus iudicaretur: tanta difficultate primũ uerba enunciabat, non ſine matris ingenti dolore. Sed ut difficultas illa loquendi in pueritia fuit pleriſque moleſta, ita in perfecta eius ætate, facundia omnibus etiam externis fuit admirabilis, quũ ſupra patriam linguam, Latinè, Gallicè, & Italicè, eleganter loqueretur. Cùm Francofordiæ in Regem Rom. eligeretur, collaudantibus eum certatim principibus coram Friderico Imperatore, & potiſſimùm quòd expeditè Latinè loqueretur & legeret, reſpondit Fridericus aſtantibus: Neſcio, inquit, quo pacto uel legat, uel loquatur: hoc mihi certè conſtat, quòd cùm duodecimum ætatis ageret annum, ſubuerebar ipſum aut ſtultum futurum aut mutum. Cuſpinianus.

CVLTVS. VOCIS STVDIVM, CVRA.

Eſt in Africa fons Zame, ex quo canoras effici uoces M. Varro prodidit. Cælius lib.19.cap.15.A.L.

Græci uocale putant adiumentum, ſi ficis abſtineamus: quòd HEGESIANAX Alexandrinus hiſtoricus tragœdiam optimè credatur egiſſe, quoniã annis duodeuiginti ficos in cibum non admiſiſſet. Cælius libro 19. capite 14. Antiquarum Lect. ex Athen. lib 3. cap.3.

Porro ſectiuo auctoritatem dedit princeps NERO, uocis gratia, ex oleo ſtatis menſium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem, ueſcendo. Plin.lib.19.cap.6.

ROBVSTI IN GENERE.

Conſule Tit. Luctatorum, Pugilum, Athletarum, Gigantum. item Fortium militum, ducum, quatenus animi robur comitatur robur corporis.

NEMRODVS filius Chuſi, nepos Chami, primus fuit in terris fortiſſimus: adeò ut ab eo prouerbiũ manarit, Vt Nẽbrodus fortis uenator. Rex fuit primus Babyloniorũ. Geneſ. 20.

SAMSON Manoæ F. è tribu Dania, qui 20. annis Iſraelitas rexit, uir fortiſſimus, Nazaręus Domino deuotus, cuius caput nouacula nũnquam attigerat, in Thamnathæ uinetis ſola manu leonem rugientem diſcerpſit, perinde ac ſi hœdum diſcerperet. Aliquanto pòſt cùm ad uiſendum leonis cadauer deflexiſſet, uidit in eius corpore examen apum cum melle: quod mel uola ſua exceptum comedit, & parentibus etiã impertiuit. In nuptiis propoſuit 30. iuuenibus Thamnatenſibus ænigma: Ex edace cibus, ex feroci dulcedo. quod niſi ſeptem diebus conuiuij exactis explicaſſent, triginta lintea cum totidem ueſtibus elegantibus ſibi darent. Sin uerò, totidem à ſe acciperent. Accepta conditione, iuuenes illi ſeptimo die animi dubij, à ſponſa Samſonis petunt, ut callidè expiſcetur ænigmatis ſenſum à uiro. Quod niſi fecerit, ſeſe eam cum domo paterna igni abſumturos. Illa metu territa, fletu ſuo à Samſone id impetrauit, & popularibus ſuis clam indicauit. Qui Samſoni ſeptimo die reſponderunt, Quid melle dulcius, quid leone ferocius? At ille, Niſi uitula mea arauiſſetis, meũ ænigma non perueſtigaſſetis. Deſcẽdit poſtea Aſcalonem, cæſiſq; 30. uiris, eorum arma abſtulit, elegantes ueſtes ænigmatis interpretibus dedit, & patriam repetiit. Vxor interea alteri nupſit, qui Samſoni affinitatis huius conciliator fuerat. Samſon iniuria offenſus, trecẽtis uulpibus captis, & earum caudis inter ſeſe obuerſis, ſingulas faces binis caudis interponit, iiſque incenſis, uulpes in Palæſtinorum ſegetes laxat: atq; ita & metas, & ſegetes, & uineta & olineta combuſſit. Palæſtini cùm Samſonem id ob ereptam ei à patre puellam feciſſe comperiſſent, mulierẽ eiusq; patrem igni combuſſerũt. Hinc cùm graui clade Palæſtinos affeciſſet, & illi expeditionem contra Iſraelitas ſuſcepiſſent: Iudæorum tria millia Samſonem in rupe Etami comprehenſum loriſq; uinctũ, Palæſtinis tradiderunt. At ille ruptis uinculis, maxilla aſini, quam humi repererat, mille uiros proſtrauit, eaq; abiecta, locum Maxillæ iactum denominauit. Siti affectus, Dominum implorauit, qui fiſſo maxillæ dente molari, aquam inde elicuit, qui Fons inuocantis dicitur. Gazam ueniens, ad meretricem introgreſſus, cùm ciues urbem inſidiis cinxiſſent, ipſe media nocte ſurgẽs, portæ urbis fores cum repagulis auulſas, ſuis humeris in montis cacumẽ, è regione Hebronis exportauit. Amauit poſtea Dalilam meretricem, apud fluuium Sorec. Quæ cùm blanditiis ſuis omnia ſecreta ab eo expiſcata fuiſſet, eam nimirum tanti roboris cauſam eſſe, quòd à uentre matris Deo deuotus, nunquã capiti ſuo nouaculã admouiſſet: illa Samſonem in ſinu ſuo conſopiuit, uocatoq; homine quodam, ſeptem cincinnos capitis detonderi curauit. Itaq; à Palæſtinis captus, & effoſſis oculis Gazam perductus, duabusq; cathenis uinctus, in ergaſtulum ad molendum fuit detruſus. Renaſcente autem ei poſt tonſuram cæſarie, conuenère Paleſtini proceres ad ingens ſacrificium deo ſuo Dagoni faciendum, & Samſoni illudendum. Ille Dei nomine inuocato, columnas duas medianas, quibus domus fulciebatur, manibus complexus, & ita prolocutus, Volo ex uita cum Palæſtinis diſcedere, eas tanta ui impulit, ut collapſæ ſint ædes, & plures moriens quàm uiuens interfecerit. Ad tria enim millia uirorum atq; mulie-

mulierum ex principibus Palæstinis eo in loco conuenerāt. Illum deinde fratres & cognati sublatum sepelierunt inter Saroam & Estaol, in sepulcro patrio. Iudicū capite decimo tertio, usque ad decimumseptimum.

TELAMON Aeaci F. propter insignem fortitudinem Herculis socius habitus est, & Ilio expugnato Laomedōtis regis F. Hesionem possidere meruit.

Verg. lib. 8. Aen. fingit HERILVM tres animas habuisse, ter letho sternendum fuisse, non aliam ob causam (ut coniicere est) quàm propter inusitatas & portentosas hominis uires. Sic loquitur Euander:

Et regem hac Herilum dextra sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat: terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat, cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.

MILONEM Crotoniatam dum peruncto disco institisset, nemo uestigio educebat: malum tenēti, nemo digitis poterat extorquere. In Olympia bouem per stadiū retento anhelitu portauit, eundemq; ictu pugni interfecit, & uno die integrū deuorauit. Caput neruo nō aliter quā redimiculo aut corona incingebat: intercluso deinde, quāta maxima ui poterat, compressis labiis spiritu, cùm uenæ capitis sanguine plurimo intumuissent, neruum rumpebat. Idē ubi porrecta dextera cubitum lateri admouisset, sublatoq; pollice reliquos digitos iunctim intēdisset, minimum nemo erat qui ullo nisu posset à cæteris abiungere. Iam senex conspicatus hiantem immissis cuneis quercum, in Crotoniatarum finibus, robore suo pristino fretus, truncum illum manibus dicitur rescindere conatus. Ibi cùm relaxatis cuneis, comprehensus manibus Milo detineretur, à lupis (quæ fera frequens est in Crotoniatarū agro) discerptus est. Sic fuit illi fatalis uirium suarum fiducia. Pausanias lib. 6. Plin. lib. 7. cap. 20. & lib. 10. cap. 37. Solinus cap. 4. Herod. lib. 3. Strabo lib. 6. Val. Max. lib. 9. cap. 12. Suidas, Gel. lib. 15. cap. 16. Ael. lib. 2. de Var. hist.

TITORMVS bubulcus Aetolus, cum Milone Crotoniata certare ausus. Abiecta ueste, ex Eueno maximæ molis lapidem primùm quidem ad se traxit, deinde remisit: & hoc bis aut tertium eum usque ad genua sustulit, atque postremò sublatum in humeros, usque ad octo orgias portauit, atque abiecit, quem Milo uix mouere loco potuit. Ad gregem deinde abiit, & stans in medio, maximum fortissimumq; taurum pede prehendit: qui cùm uellet effugere, non ualebat. Alium item accedētem, attractum pede similiter tenuit. Quo uiso, Milo palmas ad cœlum extendit, O Iupiter, inquiens, num hunc alterum Herculem nobis dedisti? Vnde prouerbium natum est, Alter Hercules. Aelian. lib. 12. de Var hist. & Cæl. lib. 21. cap. 36. A.L. ex Athenæo.

POLYDAMAS Niciæ F. è Scotussa Thessaliæ urbe, omnium hominum sua ætate statura corporis maximus fuit, & pancratio nobilissimus, cuius statua è celsa pila, Lysippi opus, in Alti Olympiæ conspiciebatur olim. Eum ferunt in monte Olympo prorsus inermem, Herculis æmulatione (qui in Nemea leonem strauisse dicitur) leonem præferocem confecisse. Apprehensum è grege medio maximum & ferocissimum taurum pedibus posterioribus resilientem, & contranitentem, tam obnixè detinuit, ut uix, & relictis quidem ungulis, effugere potuerit. Aiunt eundem, incitante equos auriga, altera tātùm manu retractos, à tergo currus sistere solitum. Hac fama impulsus Darius Artaxerxis ex pallaca filius (is qui multitudinis Persarum studiis fretus Isogæum legitimum Artaxerxis filium regno expulit) Polydamâtem magnis per legatos donis & promissis inuitatum, Susa ad se euocauit. Quò cùm uenisset, unus ex prouocatione tris de cohorte regia, qui Immortales uocabantur, occidit. Idem, cùm per æstatem speluncam intrasset cum aliquot sociis in opaco accubiturus, fors minus æqua ita tulit, ut superior speluncæ pars latè fatisceret. Polydamas cæteris imminentis periculi metu dilapsis, quasi unus tantam labem sustinere posset, sublatis manibus montem fulcire conatus, ruinæ mole oppressus est. Pausanias lib. 6. & Suidas.

PORVS rex Indorū, uiribus corporis fortissimus, statura quatuor cubitorū & palmæ fuit. Pugnans aduersus Alexandrū, cùm uictus esset, & Alexander eū interrogasset, quid ita ausus fuisset belli secum fortunam experiri? respondit: Quòd neminem me fortiorem esse censebam. Plut. in Alexandro.

TAVREA Iubellius Campanus uir fuit memoranda fortitudine, qui in castris Annibalis Claudium Asellium Romanū ingenti hominem robore ad duellum prouocauit. Idem capta à Fuluio Capua, uxorē, liberos, ac se postremò ante pedes Imperatoris gladio confodit. Liuius lib. 2.

Apud Latinos RVTICELLO cuidam, prodigiosis uiribus, Herculis nomē attributum. Is mulum suum tollebat, ut scribit M. Varro, citante Plinio lib. 7. Erasmus in Adagiis.

A. IVNIVS Valens, qui sub Augusto cēturionis locum tenuit, utrib. onustum plaustrum solus, dum deponeretur onus, sustinebat, currumque magna equorum ui tractum manu retinebat. Quæ fortitudinis exempla, cum multis aliis, illius monumento insculpta fuêre. Plin. lib. 7. cap. 20. Sabel. lib. 10. cap. 9. C. Iunium uocat.

MAXIMINVS Thrax, qui postea ad imperium uenit, Seuero ab initio est conciliatus campestri certamine, quo lixas sedecim, unum post alium prostrauit, cum quibus ob ignobilitatem est primò luctari iussus: mox altero sudore totidem milites. Quare aureo torque ab Imperatore donatus, accitusque inter laterum stipatores, ac tum demum illustrari cœptus est, corporis uastitate & candore insigni, oculisque uegetis sua sponte conspicuis. Miratur Capitolinus ipsum sæpe uno die bibisse uini amphoram. Comedit & libras carnis quadraginta. Cordus sexaginta scripsit. Sudorē sui corporis ubertim fluentē calice excipiebat: ut interdum ex eo tres impleuerit sextarios. Tyronum legionem, quā sub Germanico bello accepit instruendā, quotidie exercuit, unaque ipse exercebatur. Quinos senósue milites quotidie sternebat. Tum tribunorū unus, uir spectatæ uirtutis, cauillabundus: Quid mirum, inquit, si tribunus milites uincit? Hunc ex prouocatione congressum primo impulsu ad terram deiecit, exclamans: Date aliū, sed tribunū. Fuit octonis pedibus, atq; uno digito maior: pollice tāto, ut uxoris dextrocherio pro anulo uteretur: ui tāta, ut equū pugno percussum nudaret dentib. crura calce perfringeret, Topazios lapides fricaret digitis, maiusculasq; arbores dimidiaret. Quę uirtū multiplex experientia effecit, ut Antheum quidā eum uocarent, alij Herculē, Milonē Crotoniatē, Achillē, Aiacē. Capitolin.

FL. CLAVDIVS Imp. fuit digitis usq; adeò fortibus, ut sæpe equis ac mulis ictu pugni dentes excusserit. Militauit sub Decio, & inter fortissimos pugiles in Martiali iudicio, dum luctarentur milites, numeratus est: armillis, torquibusq; donatus. Et cùm quondam adolescēs, qui cum eo luctabatur, genitalia ei attigisset, omnes ei dentes uno pugno excussit: tantæ erat uerecundiæ ac pudoris. Cuspinianus.

MARTIANVS Imp. Rom. in digitis neruos habuisse dicitur, non uenas: tāta ui, ut nullius manus ad scribendum aut impellendum præstantior tradatur. Quippe uenientia carta salutari obnoxius repulit: fortissimum quemque uno sic demum digito afflixit, ut perinde ac claua ferroq; icti torquerentur. Hic est, qui ferrarij traditur fabri filius: propterea in concione, Ars mihi obiiciatur ferraria, dum me ferrum tractasse suis sentiant cladibus exteræ gentes, quæ populum Romanum ferratam gentem putent. Cælius lib. 4. cap. 3. Antiquarum Lect.

ERICVS II. Danorum rex, ut corpore nullum, ita nec robore parem habuit, cum staturæ laude egregia quoq; uigoris ornamenta sortitus. Hastæ aut lapidis iactu sedens stantes uincebat. Eodem corporis situ ex robustissimis duos lucta aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compressum urgebat: nec antè desistebat, quàm prius hunc, deinde illum pedibus subiiciendo, amborum manus post terga uinciret. Nec minori robore funiculorum certamen exhibuit. quippe unum dextra, alterum sinistra continens, eorum extrema quatuor præstantibus robore ex aduerso distrahenda commisit. Quibus eum nequicquam sede sua detrahere laborantibus, ipse funem utrinque modò dextra, modò læua corripiens, ingenti fortitudine effecit, ut aut tenentibus restim excuteret, aut eosdem ad se magnopere renitentes pertraheret. Saxo lib. 12.

STARCHATERVS Helsingus siue Suecus natione, patre Storuercho, paulo post Christū natū, CCC. annos uixit, gigantea mole & robore, in omnibus Aquilonaribus regionibus trophæa erexit. Vicharum Noruegiæ regē, Visinnum latronem Rutenum, Tannam Byzantinum pugilem, Viliscum Polonum, Hamam athletam Saxonem interfecit. Diei noctisq; spatio iter equestre XII. dierum confecit, & Helgonem Noruegiæ regem defendens, XII. athletas simul certamine singulari necauit. Bellica gloria insignis, uictu crudo, ceruisia sola utebatur. Veneris expers. Patria sermone disertus, & non malus poeta. Tandem ætate fessus, ne senij uitio pristinum gloriæ decus amitteret, uoluntarium sibi consciuit exitum. Olim nanq; rei bellicæ deditis morbo oppetere probrosum erat. Quocirca aurum librarum centum & uiginti, quod iam pridem pro Olonis tyranni interfecti cæde meruerat, collo appendit, emendi in se percussoris gratia nihil aptius ratus, quàm aurū, quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ salutis impendere. Itaque Hatherum splendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus, hortatus est, ne à parentis sui interfectore pœnas exigere uereretur, tanto præsertim præmio proposito. Ergo Hatherus obsequuturum se precibus spopondit. Cui Starchaterus cupidè ense præbito, nudam ceruicem exhibuit: ne timidè percussoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter uteretur hortatus, præfatusque, quòd si peracta cæde ante cadaueris lapsum caput ac trūcum medius intersiliret, armis in-

supera-

superabilis redderetur. Quod utrum instruendi percussoris, aut puniendi gratia dixerit, incertum est: fore enim poterat, ut saltantem eximij cadaueris moles obrueret. Igitur caput decussum morsu terram petiuit, ferocitatem retinens uiuentis. Percussor fraudem subesse ueritus, saltu abstinuit: quem si temerè peregisset, fortè nunquam amplius saliisset. Hęc ex Saxone Grammatico Io. Magnus lib. 50. recenset.

VBBO Fresicus, Haraldi regis miles, præter undecim, quos in acie uulnerârat, uiginti quinq; delectorum pugilum interfecit. Idem nemine propius cum ipso congredi audente, sagittis impetitus, 144. ictibus prius perforatus est, quàm lapsis corporis uiribus genua reclinaret. Saxo Gram.

HALDANVS Borchari Nouegiani F. Suconum & Danorum rex, Giurithæ Danæ uirginis nuptias ambiens, à XII. athletis, reginæ thalamum custodientibus impetitus, quercu succisa loco clauæ usus, omnes interfecit. Hildigerum, septuaginta pugilum oppressorem, gladio panniculis, ne carminibus hebetaretur, obducto, occidit. Deinde Siuarum Saxonicum, quòd nuptialibus triumphis sponsam Guirithiam abducere uellet, celeri in Daniam emenso regressu inter conuiuantes oppressit: sponsaq; potitus, ex ea genuit Haraldum Hildetan. A Veseo insigni pugile, in Sialandia pro patria pugnans, occiditur. Olaus lib. 5. cap. 11. Septent. reg.

OLO Vegetus Noruegiorum regis F. adolescens etiamnum comite cane uno Gunnonem latronem cum suis occidit: XII pugiles regis Trondorum filiam rapturos confecit. LXX reges maritimis prælis sustulit. Ringoni Suetiæ regi militans, Danorum classem superauit. Scathum & Hiallum Noruegios pugiles Olai Vermorū regis filiam ad stuprum petentes necauit; & ex ea in uxorem ducta filium sustulit Odmundum. Daniæ rex factus, à Starchatero interimitur. Olaus lib. 5. cap. 12.

ARVARODVS Noruegiēsis pirata naues refecturus, cùm gubernaculū è sylua rude ad litus deferret, à XII filiis Arngrimi ex insidiis impetitus; gubernaculi unicò ictu duodecim illos interfecit. Olaus lib. 5. cap. 14. ex Saxone.

MAGNVS Sfortia eā erat agilitate, ut nullo adiutante, ac impellente, quum sinistrū pedem hemicyclo ferreo, quem stapedem uocant, induisset, uel omnibus contectus armis, & galeatus, in ephippij sellam eleganter insiliret, progredereturque sæpe ad multa passuum millia cataphractus, duratis scilicet membris ad omnes uel iniqui laboris exercitationes, frigusque præsertim. Neque enim in tota uita peregrinis pellibus est usus, quibus aduersus algoris iniuriam uestes fulcirentur. Iouius in uita eius.

ROBVR PARTIS ALICVIVS.

FRONTIS.

Milo Crotoniates frontem uinciebat corda, quasi tenia aut corona, & spiritu intra labia contento, & uenis capitis sanguine repletis, robore uenarum cordam tāquam papyrum disrumpebat. Pausanias lib. 6. & Suidas.

AVRIVM.

Scribit Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 23. fuisse QVOSDAM, qui aures pro arbitrio mouerēt, uel singulas, uel ambas simul. Item qui totam cæsariem capite immoto, quantū capilli occupant, ob cutis laxitatem & robur deponerēt ad frontem, reuocarentq; quum uellent. Cælius lib. 20. cap. 16. A.L. & Cardanus de Rerum Varietate lib. 8. cap. 43.

Vesalius narrat se uidisse Patauij iurisconsultū CLAVDIVM Simeonium Foroiuliensem uirum facetū, & PETRVM Ranascherium Genuensem uirum fortem & strenuum, qui aures pro arbitrio mouere poterant. Cardanus de Rerum uarietate, lib. 8. cap. 40.

BRACHIORVM.

Paulus Diaconus in histor. Longob. lib. 5. cap. 40. CVNIPERTVM Regem Longobardorum tanta brachiorum fortitudine præditum fuisse scribit, ut cùm puer esset, duos ueruces mirę magnitudinis, lana dorsotenus in singulas manus apprehensos, à terra leuarit: cuius exempli nullum inuenit imitatorem.

MANVVM, DIGITORVM.

AGILITAS MANVS

Vtriusque. Ambidextri.

In ambidextris, qui ex æquo ad omnia munia utraq; manu possint uti, consuetudo plurimùm potest: interim tamen robur plurimum adesse uerisimile est, quod efficit, ut uirtus motiua æquè in sinistra, atque in dextra manu uigeat.

GABAENSES septingenti lectissimi, scæuæ omnes, qui manu sinistra pro dextra utebantur. Iud. 19. & 20.

AIOTH ambidexter Israelitarum dux, eos in libertatem uindicauit, cùm Eglon regi Moabitarum octodecim annis seruissent. Marulus lib. 4. cap. 9.

INDACVS ambidexter, sub Leone Marciani Imp. successore floruit, homo audacissimus, & pedibus ualentissimus: tamē læua robustior fuit. Suidas.

Theophilus Imp. Agarenos multos in captiuitatem redegit. Inter quos AGARENVS quidam erat ambidexter, scholæ gladiatoriæ princeps, duabus hastis ex equo pugnans, quē secum Imperator in triumphum duxit. Cuspinianus.

Alterutrius.

TIBERIVS Imp. sinistra manu agilior, articulisq; adeò robustis, ut recens malum digito terebraret, consauciaretq; adolescentis caput talitro. Sab. lib. 1. En. 7. ex Suetonio.

ROBVR.

ARTAXERXI Longimano Persarum regi laudem peperit insignem decentissima corporis amplitudo, quam belli decora non pauca augustiorem fecere. Tenet fama, non ferè inter Persas compertum manu fortiorem. Primus uenationis legem sanxisse narratur, ut quibus affatim uires præstò forent ac uoluntas, iactu primum in feras assultarent, quod Græci πρωτοβολεῖν dicunt. Cælius lib. 12. cap. 20. A.L.

MILO Crotoniates unicum malum ita manu compressa tenebat, ut neque qui conatus esset extorqueret; neque ipse tamen illud elideret. Peruncto disco cùm institisset, omnes ludubrio habebat, qui se detrudere quantouis impetu facto conarentur. Pausanias lib. 6. Eius minimum digitum nemo ulla ui incuruare potuit. Suidas.

Digito indice uel salutari MARTIVM Septimium, qui ex fabro ferrario imperium tenuit, tantum ualuisse dicunt, ut currus ex aduerso nitentes repulerit; & fortissimum quenque colliserit. Quod de CLAVDIO secundo Cæsare traditur, qui digitis ita ualidis fuit, ut ictu digitorum aut pugno, sæpe equi dentes excusserit. Alex. lib. 4. cap. 26.

DEBILITAS.

AVGVSTVS dextræ manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem contractumque frigore, uix cornei circuli supplemento scripturæ admoueret. Suetonius.

PEDVM.

Ex Tit. Cursorum aliquot exempla petantur, quatenus scilicet pernicitas robori attestatur.

DEMOCRATES pugil cùm laboraret ex pedibus, ad certamina uenit: & consistens in stadio, descripsit sibi circum, & iubebat aduersarios, ut se expellerent extra lineam. At illi uicti sunt ab ægroto: & ipse cùm bene & fortiter in statione sua perstitisset, coronam deportauit. Aelianus lib. 4. de Varia histor.

ROBVR CONSIDERATVM PER ACCIDENS.

RESPECTV AETATIS. PVTA

SENES

Robusti.

Consule Tit. Longæuorum, quatenus robur senio iungitur.

Apud Homerum quum poculum plenum cæteri uix tollerent à mensa, solus NESTOR facile nulloque negotio sustulit, quum esset admodum senex, & uiribus multis inferior: uerùm hoc illi dabat usus & exercitatio. Nam Homerus facit Nestorem φιλοπότην. Homeri carmen sic habet:

ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
Πλεῖον ἐόν, Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν. id est,
Vix alij poclum poterant sustollere mensa
Plenum, at grandæuus Nestor facilè abstulit illud. Erasm.

STARCHATERVS iam senex, gemino cinctus ense, totidē baculis infirmam senectutem iuuabat. Cui quum popularium quidam illudens, inutilē & superuacuum dixisset gladiorū usum, ac propterea alterū sibi donari per ludibrium petiisset, iussum accedere spe petitionis Starchaterus gladio transuerberauit. Ad cuius facti ultionem, quum duo Latheri milites magno equorum concursu aduolassent, utrumq; occidit. Facti causam percontanti Hathero, respōdit, se semper pœnas ab irrisoribus exigere solitum, nec unquam impunè sibi à procacibus insultatum. Saxo Gram.

Debiles.

MILONEM Crotoniatem, memoriæ proditū est, quum iam senex esset, athletasq; se in curriculo exercentes spectaret, suos lacertos amplius intueri cœpisse, illacrymantemq; di-

 xisse:

xisse: At hi quidē iam mortui sunt. Verùm, inquit Cicero, nō tam isti, quàm tu ipse nugator: neq; enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus & lacertis tuis. Et post multos item uersus: Ista ipsa, inquit, defectio uirium, adolescentiæ uitiis efficitur sæpiùs, quàm senectutis: libidinosa enim & intemperata adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. Cælius lib. 19. cap. 20.

TIMANTHES Cleonæus athleta, quum senio confectus, arcum non posset complicare, quem intendebat iuuenis, dolore animi in furorem lapsus est, ac propterea uiuum se exussit. Pausanias lib. 6.

SENEX apud Plautum in Menæchmis Act. 5. sc. 2. sic de seipso loquitur:

—Consitus sum senectute: onustum gero
Corpus, uires reliquêre. Vt ętas mala est merx! Mala est ergo.
Nam res plurimas pessumas, cùm aduenit, adfert: quas si autumem
Omneis, nimis longus sermo est.—

SEXVS. ROBVSTAE MVLIERES.

☞ *Consule Tit. Mulierum bellica fortitudine illustrium.*

Cimburga Alexij Massouię ducis F. uxor Ernesti ducis Austriæ, mater Friderici III. Imp. mulier religiosissima fuit, & supra muliebrem sexum fortis, quæ digito sæpe auellanam & iuglandem fregit, ac clauum parieti impegit. Cuspinianus.

AGILITAS, PROMTITVDO IN MOTV.

Huc confer Tit. Scurrarum & Præstigiatorum, qui agilitate corporis freti admiranda quædam & præstigiis similia faciunt.

SALTANDO.

Sunt LAPONES staturæ modicæ, & corpore usqueadeò agili, ut accincti pharetra & arcu, transmittant saltu sese per circulum diametri cubitalis. Iac. Zieglerus in Scondia.

PVGNANDO, FVGIENDO, INSECTANDO.

LVSITANI mobili corpore, leuiq;, ut facilè & fugiant hostem, & insequantur. In pace choreas leui saltu exercēt, cum quadam crurū agilitate. Bella ad numerum aggrediuntur, Pæana, cùm hosti obuiant, cantando. Diod. lib. 5. cap. 9.

FINNI lubricorum stipitum celeri allapsu cursum intendere soliti, arbitraria uelocitatis potentia rapiuntur, promtissimamque propinquitatis uel absentiæ facultatem obtinere creduntur. Mox enim ut hostem læserint, eadem celeritate qua subierūt auolant, nec procursu languidiùs reditum tentant. Itaque & uehiculorum & corporum agilitate instandi fugiendique expertissimam obtinent potestatē. Hac ratione uictorem Regneri Danorum regis exercitum homines imbelles & uilissimi diu eluserunt potius quàm sustinuerunt. Saxo lib. 9.

Bello Sclauico, quod Valdemarus Danorum rex & Henricus Saxoniæ dux sociatis uiribus gesserunt, ESKYLLVS nobilissimus eques Danus militarib. armis onustus, unū ex Sclauis inermem per palustria loca citato cursu fugientem pedibus insecutus, illius uestigiis limi mollitie subsidentibus, ipse nec uoraginum illuuie, nec armorum onere depressus, occupatum barbarum capite truncauit: ac ne plantis quidem cœno infectis, solidam humum repetiit. Quod factum potius cœlesti miraculo, quàm humanæ uirtuti imputandū fuit. Saxo lib. 14.

DISCVRRENDO.

ORION Neptuni filius ex Euryale Minois filia natus fuit, cui concessum est, ut super fluctus curreret, perinde ac in terra super aristas ferretur, nec eas comminueret. Hyginus.

IPHICLVS, inquit Apollonij interpres, Phylaci creditur & Clymenes filius. Eum cecinit Hesiodus tanta fuisse corporis agilitate, ac pedum celeritate, ut curreret ἐπὶ πυρίνων ἀθέρων, hoc est super triticeas aristas, nec oblęderet. Demaratus uerò etiam per mare incessisse prodidit. Inde natum adagium, ut Iphicli agilitatem, pro celeri, inexsuperabiliq; usurpemus. Inditum creditur nomen ex currendi potestate. Cælius lib. 5. cap. 5. Antiq. Lect.

CAMILLA, regina Volscorum, si Vergilio credimus, illæsis segetib. super spicas currebat, & mare superabat nullis corporis partibus aqua tactis præter plantā pedum. Aen. lib. 7.

LADAS cursor Alexandri uelocissimus, ut arenis pendentib. nulla pedum uestigia extarent, sæpeq; uisum falleret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 21. Martialis sæpe eius meminit, lib. 2. & 10. Iuuen. Satyr. 13. Solinus cap. 6. Eius statua Argis in tēplo Apollinis Lycij posita. Pausanias in Corinth. & Laconicis.

HARALDVS Hybernus, Noruagiæ rex, excepta liberalitate nullam ferè uirtutem adeptus, corporis uiribus fretus, apud Helsyngam oppidum pignore cum Erico III. Danorū rege posito, cum lectissimis eius equis cursu contendit, & duobus in certamen admissis utroque metam prior tenuit. Geminis siquidem inter currendum bacillis innixus, crebris corpus saltibus concitabat. Sæpe etiam inter nauigandum è puppi exiliens, in proram per exerta remorum capita decucurrit, indeq; cursu in aliud nauigij latus reflexo, per reliquos remorum ordines locum, quo excesserat, repetiuit. Qui si parē animi uirtutē à natura traxisset, nequaquā se inter amplexus pellicis æmulo obtruncādū dedisset. Saxo lib. 14.

EQVITANDO.

TOTILAS Gothorum rex ad Apenninum cum Narsete eunucho prælio decertaturus, in quo etiam periit, cupiens se hostibus ostentare, qualis quantusq; esset, armis auro cælatis indutus, equoq; insignis magnitudinis, & magnificè phalerato uectus, & purpurea regiaq; ueste ornatus processit. In medio aūt campo ut artē equestrē ostentaret, equū uario modo calcaribus cōcitando in orbē freno agiliter egit, obequitandoq; telū in auras aptè diuerberauit, & ipsum id rursum ad terrā delatū, momentoq; tēporis exceptū uibrauit, & idē alternatim per manus trāstulit, & se super equū supinauit, & uicissim ad terrā, & in latera inclinauit, atq; hæc ludicra peragendo à prima luce ad multū diei dedita opera tempus extraxit, donec equitum duo millia uenerunt, quæ expectabat. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

VOLATVS. PER AERA VECTI. ΑΙΘΡΟΒΑΤΑΙ.

Poetæ fabulātur, DÆDALVM inclusum Labyrintho, propter liberatum Theseum, quum iudicium capitis expauesceret, alas sibi confinxisse, eoq; remigio unà cum filio Icaro periculum euasisse. Vergilius lib. 6. Aeneidos:

Dædalus (ut fama est) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

PERSEVS in Medusam certaturus, accepit à Mercurio talaria & ensem, quibus adminiculis per aerem ferebatur.

ABARIS Scytha αἰθροβάτης dictus, quòd emissa sagitta, quam ab Apolline acceperat, cum ea unà ferretur. Herodotus & Iamblichus.

MVSÆVS poeta, Boreæ dono uolitasse perhibetur. Pausanias in Atticis.

Romæ sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productus est, QVI per aduersum parietem felis modo reptando scanderet: & qui fabrefactis sibi alis, altiusculè terra uolans, per aerem auis modo ueheretur. Sabel. lib. 10. cap. 9.

NATATIO. NATANDI STVDIVM, VSVS.

PERITIA NATANDI.

ACQVISITA, VEL

Natura.

EOS, qui sub Pisciū astro, certo cursu stationibusq; sideribus cōstitutis, editi essent, nādo plurimū ualuisse, naturalium rerum perscrutatores tradiderunt. Iisdem quoq; lienis defectus plurimùm prodesse creditur. Alexan. lib. 2. cap. 21.

Arte, Institutione.

GRÆCI cùm suos adolescentes in omni disciplinarum genere liberaliter erudirent, non minore etiam studio primæ adolescentiæ iuuenes imbuebant gymnasticis disciplinis, iuxta Aristotelis præceptum: quo ad reliqua munia firmiores essent, & etiam natare discerent. Alex. ab Alex. cap. 25. In pugna nauali ad Salaminem contra Xerxem, Græcorum pauci periere. Quippe qui periti natandi, cùm suæ naues corruptæ essent, atq; in pugna perissent, ad Salaminē enatabant: cuius rei quia imperiti erant, Barbarorum plerique in mari periere. Herodotus lib. 8.

ROMANA iuuentus, quæ ad belli destinabatur munera, inter alias exercitationes bellicas, quibus aptiores & agiliores reddebantur tyrones, nandi quoq; studio summopere operā dedit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20. Hinc prouerbiū in adolescentem nullius frugis, Neq; natare neq; literas didicit.

Octauius Augustus CAIVM & LVCIVM, quos sibi filios asciuerat, scientissimè post literas natare docuit. Alexan. ab Alexandro libro 2, cap. 25.

POSSESSA.

Natatores, Vrinatores.

Fuit GLAVCVS urinator Bœotus, Anthedonius, qui spectantibus Anthedoniis è portu enatans, & sub aqua latens, ipso cum longinquum peruenit, unde à nemine ampliùs uideri posset: ibi aliquot dies commoratus, multis spectātibus ad certum diem natans in portum rediit, cùm diceret se tandiu sub undis degisse. Accedebat ad hoc miraculum, quòd hyeme, quum nihil caperent piscatores, ad ciues suos, quoscunque illi pisces poposcissent, continuò apportabat, quos ille multum antè in hunc usum reseruauerat. Tandem à bellua marina necatus est. Gustata quadā herba deus marinus factus narratur. Alij dixerunt Glaucum uitæ pertæsum se in mare pręcipitasse, alij ob amorem Palęmonis, qui cùm non ampliùs uisus fuerit, à bellua aliqua marina fortasse discerptus, creditus est in deorum marinorum numerum recessisse. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 5.

CūTHESEVS Minois, amore Peribœæ capti, libidini aduersaretur: Minos præter alia conuitia, etiam eum Neptuni sobolem esse negauit; quòd quā habebat celatam gemmam in mare si abiecisset, non esset ad se reportaturus. Vix ea locutus, gemmam dicitur Minos abiecisse. Theseum uerò memorant, cum ea & corona, quam ab Amphitrite dono acceperat, è mari emersisse. Pausanias in Atticis.

SCYLLIAS quidam Scionæus, in castris Xerxis contra Græcos omnium ea tempestate hominum optimus urinator fuit: & in naufragio Persarum ad Pelium facto, multam pecuniam Persis seruauit, multam sibi lucratus. Hic iampridem in animo habuerat ad Gręcos transire: sed cùm ad eam diem non fuisset nactus occasionem, apud Aphetas, ubi Persarum classis erat, mare subiit, neque priùs emersit, quàm ad Artemisium peruenit, octoginta ferme maris stadia emensus. Herodotus tamen lib. 8. putat eum nauigio ad Artemisium peruenisse. Is ubi eò peruenit, Græcos certiores fecit & naufragij ad Pelion facti, & nauium ad circumeundā Eubœam dimissarum. De eodem Pausanias in Phocicis in hūc modum scribit: Scionæus SCYLLIS, homo urinandi peritia clarus, artē natandi subter altissimas aquas, CYANAM filiam edocuerat. Ambo itaque cùm circa Pelion uehemens tempestas Xerxis classem oppressisset, anchoris, & aliis (siqua fortè fuerant infra aquas) nauium retinaculis abscissis, perniciem triremibus apportarunt. Eius in Græcos uniuersos meriti memoriā, patri & filiæ statuis positis, extare Amphictyones uoluerunt in Delphico fano.

Aristippus philosophus, cū QVENDAM sibi uehemēter placentem audiuisset, eo quòd egregiè sciret natare, irrisit hominem, dicens: Non te pudet, tam insolenter de his rebus iactare te, quæ & delphinum & ranarum sunt propria? Laert. libro 2. cap. 8. & Eras. lib. 3. Apoph.

PHOCEVM quendam Lucanus commendat, lib. 3. Pharsalię:

—Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam seruare sub undis,
Scrutarique fretum.—

BATAVI olim Rhenum, qui apud eos latissimus est fluuius, armati tranabant. Quorum locum Traiectenses tenent, uiri bellaces, & nandi peritiores quàm cæteri Rheni accolæ. Aeneas Syluius libro 2. Commentariorum de Rebus gestis Alphonsi.

COLA Catanensis, cognomento Piscis, arte piscator, haud secus quàm marina bellua, maxima pelagi interualla spaciaque, utpote D. & ultra stadia, fœda tempestate & reluctantibus aquis excellenti ui & uelocitate natando conficiebat: sæpissimè ab Enaria (quæ inter Pythecusas è conspectu Neapolis insula sita est) Prochytam usque, quod intermedij pelagi est stadiorum ferè L. tempore anni difficillimo emensus, eodemque die reuersus. Verùm cùm semel in portu Messanæ experiri uellet, quantum natando posset, dum pateram auream, munus natantibus in annuo festo tunc à rege in mare deiectam, ab imo eripere conatur: nunquam emersit, nec postea inuentus apparuit. De quo multò plura leges apud Alexan. ab Alexandro. lib. 2. cap. 21. qui ex Iouiano Pontano oculato teste hæc scribit. Viues lib. 1. de Verit. fidei, ex Volaterrano hoc ipsum confirmat, & corrupta uoce Colam, pro Nicolao dictum ait.

VSVRPATA. NATATIONIS VSVS.

PETRVS Apostolus, à resurrectione Christi, cùm in mari Tiberiadis piscaretur, & Dominum in litore stantem uidisset, tunica se succinxit, & sese in mare misit, cùm discipuli reliqui nauigio ueherentur, trahentes rete plenum 153. piscibus. Ioan. 21.

HORATIVS Cocles in ponte sublicio solus Hetrusci Porsenæ exercitum sustinuit, dum à tergo pons solueretur: mox armatus in Tiberim prosiliens, ad suos tranauit. Florus, Gellius, Plinius.

Q. SERTORIVS bello Cimbrico grauiter uulneratus, equum amisit, indutus thorace, scutum atque arma tenens, Rhodanum fluuium rapacissimum per aduersos fluctus nando traiecit, & non sine magna hostium admiratione ad suos peruenit. Plutarchus in Sertorio.

Suetonius C. IVLIVM Cæsarem testatur nando transnatasse flumina, uel innixum inflatis utribus ea uelocitate usum fuisse, ut sæpe nuntios de se præuenerit. Alexandriæ circa oppugnationem pontis eruptione hostium subita compulsus, in scapham pluribus eodem præcipitantibus, cùm desiliisset in mare; nando per 200. passus euasit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. Plutarchus in eius uita.

M. SCÆVA centurio sub C. Iul. Cæsare in Britannia hostium multitudine circumuentus, in profundum pelagi se deiecit, duabusque loricis, & graui scuto onustus, ad Cæsarem nando peruasit: à quo laudatus pro concione, & ex gregario milite cēturio factus, uiris honore donatus est. Val. lib. 3. c. 2.

SIVVARDVS è proceribus Noruagiæ, qui Magni regis partes fouens Haraldo Hybernensi semper obluctatus fuerat, insidiis interceptus; cùm procul à litore mergendus duceretur, à uectoribus inebriatis, extremi beneficij loco impetrauit, ut clauum sibi gubernandum breuissimo permitterent momento. Eo impetrato, nautas remis incumbere hortatus, quum concitatissimum nauigij cursum animaduerteret, præceps in undas insiliit, & priùs quàm nauis impetum suum correxisset, ad litus enatauit. Haraldum, noctu castris egressum, in amplexu pellicis interfecit: & ut iustū belli titulum haberet, Magnum protinus è cœnobio eductum regno restituit. At Hugo, Siuuardus & Estenus Haraldi filij, paternum regnum uindicare conati, aduersus Magni defensores, nauale prælium iniuerunt. Siuuardus solus aliquandiu nauigium suum ab hostibus tutatus, postquam se circumuentum uidet, quanquam hybernum tempus esset, armis militaribus tectus, profundo se credidit. Postea loricam cum reliqua armatura sub undis sibi detraxit: inde etiam tunicā (qua se prodi putabat) sub aquis deposuit. Sed quum ne sic quidem latere posset, suprema etiam se ueste nudauit. Mortis inde simulatione in profundo diutiùs immorans, insidiatoribus an uiueret dubium reliquit. Sed respirationis necessitate, cuiusdam nauigij gubernaculum apprendit: eique aliquandiu tacitus inhæsit. Frigore torpidus tandem intercipitur, & in concionem pertrahitur. Ad mortem raptus, oratione in Deum nunquam abstinuit, etiam quum acerrimis suppliciis torqueretur. Psalterium & quicquid ex sacris precibus meminisset, secum repetens, talem se gessit in tormentis, ac si uacaret deliciis. Distentus in tabulam malleis contusus fuit. Cranzius libro quinto Noruagiæ, capite octauo.

OLAVVS Noruagiorum rex nauali prælio uictus à Suenone Danorum rege, ne uiuus in hostium manus ueniret, armis onustus præcipiti saltu profundum petiit. Saxo lib. 10.

Quum Henricus III. Rom. Imp. Petri Vngarorum regis ab Andrea excæcati mortem ulturus Pisonium obsideret, uir quidā inter Vngaros nandi peritissimus, cui ZOTHMVNDO nomen erat, intempesta nocte præfecti iussu nando clàm hostiū naues subit, sensim eas tenui terebro persodit, ut secūda ac tertia hora diei imo desidere ceperint. Et hac q̃dē arte Alemānorū uires fractę obsidioq; soluta est. Bōfin. li. 2. Dec. 2.

Cùm Alfonsus Siciliæ & Aragonū rex Bonifaciā urbē in Corsica insula Genuensium coloniam obsidione premeret: & in primis nauis una, Caput rotundū dicta, arcis instar in nauali prælio Genuensibus plurimum negocij exhiberet: ANDREAS Mergus Genuensis, urinator, Ioannis Camposulgosi ducis iussu, in medio pugnæ ardore, galea tectus & breui cultro accinctus, clàm se in mare pręcipitem dedit, & ima petens, illius nauis funes anchorarios nullo negocio præcidit. Ita uasta illa moles fluitare primùm, deinde proram aliò uertere, postremò semel mota alias quoq; naues secum trahere cœpit: ut Alfonsus retrocederet, & Genuenses Bonifaciam tutò ingrederentur. Iacobus Bracellus lib. 1. belli Hispanici, & Fulgos. lib. 7. cap. 4.

IMPERITIA NATANDI.

C. Cæsar CALIGVLA, ad cætera ludicra docilis, natare nesciit. Suetonius.

INCESSVS.

MAGNVS.

Magni corporis magnus quoq; motus. Eapropter Homerus in Necyomantia ACHILLIS manibus motus granditatem uel ipso numero tribuit.

—ψυχὴ δὲ ποδώκεος αἰακίδαο
Βῆ μεγάλα βιβῶσα δι᾽ ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

TARDVS.

ANVS Plautina, tarditatē incessus excusans, ait se graue pondus gestare, Tantum, inquit, hoc oneris, quod fero. Quid oneris? Annos septuaginta & quatuor. Erasmus in Adagiis.

ALEXIS comœdiarū scriptor iam extremæ senectutis, quum lento incessu inambulās rogaretur à quodam, quid ageret?

κατὰ πόδας βάσιν, inquit, ἀποθνήσκω. i. pedetentim morior. Idē.

REPETITVS. DEAMBVLATIO.

Vettones Hispaniæ populi barbari, cùm primùm Romanorū castra intuentes, quosdā CENTVRIONES deambulationis causa in uia progredientes reflecti cernerēt, insanire homines suspicati sunt. Itaq; eis uiam ad tabernacula cōmonstrabant, quasi semper aut quiescere aut pugnare necessarium arbitrarentur. Strabo lib. 3.

NOCTVRNVS.

SPARTANIS non permittitur à cœna redeuntibus domum uel aliàs ad lumen incedere, quo discant in tenebris & nocte commeare confidenter & intrepidè. Plut. in Lycurgo.

GLACIALIS.

AENEAS Syluius, qui postea Pius II. pontifex dictus est, legatus ab Eugenio IIII. in Scotiam missus, & graui iactatus tempestate, ex uotis persoluēdis, quæ inter fluctuum æstus Virgini matri nuncupauerat, initium eius morbi contraxit, qui dolore articulorum permansit ad uitæ exitum, glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad phanum usque calcata, ut redire in oppidum non aliter quàm lectica potuerit. Ioannes Antonius Campanus in eius uita.

CVRSVS. CVRSORES

VELOCES, EXPEDITI.

Velocitatem cursus hîc simpliciter intelligimus. Eam uerò, quæ cum aliis certat, paulo pòst sub catalogo Cursorum in stadio referemus.

Astrologi notarunt ILLOS, qui sub delphini sidere in lucem editi fuissent, petaminarios esse, hoc est, præcipua pedum pernicitate ualere: prorsus ut admirabile uideatur, quā pernici cursu, & quàm uolucri meatu magna spacia terrarum breui interuallo emensi fuerint. Quamuis plerique physici rerum nōn ignari, quòd his splen deficiat, propterea cursu ualere contendant. Constat enim, quanto minor in corporibus splen foret, tanto perniciores homines esse. Alexand. lib. 2. capite 21.

ASAEL Asaris F. ex Saruia sorore Dauidis regis, pedum uelocitate syluestribus capris par erat. Ab Abnere polemarcho Isbosethi filij Sauli regis, quem persequebatur, interfectus est. 2. Regum 2.

TROGLODYTÆ Aethiopum omnium, quos fando cognouimus, pernicissimis pedibus sunt, serpentibus, lacertisque & aliis id genus reptilibus uescentes: lingua nulli alteri simili utentes, sed uespertilionum more stridentes. Herod. lib. 4. & Plin. lib. 7. cap. 2. ex Crate Pergameno. THEROTHOÆ gens Troglodytica à uenatu dicta, miræ uelocitatis. Plin. libro 6. capite 29.

MARSI populi, præcipua pedum leuitate cæteris præstantiores sunt. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 21.

In LIBYA ij, qui cæteris cursitando præstantiores essent, reges eligebantur. Alex. lib. 2. cap. 23.

MONOMERI populi sunt septentrionales, singulis cruribus saltuatim currentes, uiuacissimæ pernicitatis. Gellius.

HYLOPHAGI Aethiopes agillimi sunt. Herodotus & Stobæus.

ATALANTA Schœnei F. hominum cōnsortium fugiens, solitudine, montibus & syluis delectata, tanta prædita fuit celeritate, ut neq; fera cursu euadere, neque homines insidiantes, si se in fugam coniecisset, eam consequi possent. Aelian. libro 13. de Varia historia.

ACHILLEM Pelei F. cuius encomium Homerus scripsit, & passim uocat ποδώκεα, pedibus celerem, eādem ob causam in Thetidis epithalamio commendat Catullus:

Nascetur nobis expers terroris Achilles,
Qui persæpe uago uictor certamine cursus
Flammea præuertet celeris uestigia ceruæ.

Claruit OPHELTES nauta cursu apud Sidonium:

Qui uigor in pedibus frustra tibi natus Ophelte,
Sicaniam tribuit palmam, plantasq; superbas.

Pegaso insidentem uolasse PERSEVM, quòd pedum celeritate excelleret, fingunt poetæ. Primum ex hominibus cursu feras assecutum, de Venatione lib. 2. commemorat Oppianus. Ioan. Brodæus in Epigram.

MERMEROS Centaurus pedum leuitate præstantissimus. Ouid. libro 12. Metam.

Quiq; pedum nuper certamine uicerat omnes
Mermeros, accepto tum uulnere tardior ibat.

PYRRHVS Achillis F. à pedum ignea celeritate dictus uidetur. Quo argumento etiam Cinesias dictus est. Cælius libro 5, cap. 3. Antiq. Lect.

Θᾶττον ὁ τόκος ἡρακλείτου τρέχει. id est, Citius usura quam Heraclitus celerrimus currit. Sumtum prouerbium ab HERACLITO quodam, celeritate currendi præter cæteros eximio atque excellenti. Erasmus.

CLYTONEVS Phæacum uelocissimus celebratur ab Homero lib. 8. Odyss. & Alexan. ab Alexan. lib. 5. cap. 8.

THALVS fuit quispiam, quem Iupiter æreis pedibus finxisse dicitur, custodēq; Europæ adhibuisse, ac celeritate ter quotidie Cretam obiuisse. De quo nonnulli uolunt Catullum intellexisse illo carmine: Non custos si ego fingar ille Cretū: Quamuis alij ad Dædalum referant.

ATAS puer, siue Addas (ut Martialis libro 4.) Romæ Fonteio & Vipsanio Coss. à meridie ad uesperum confecit LXXV. M. passuum, perpetuo cursu, cùm uix nonum excessisset annum. Plin. libro 7. cap. 20.

MAXIMINVS Thrax Seuerum Imp. equo currentem comitari, interdum quoq; anteuertere potuit. Capitolinus.

INDACVS sub Leone Marciani Imp. successore floruit, homo audacissimus, & pedibus ualentissimus, læua manu robustior, Euchide, & Asopo, & Chrysomazo, & Euchione, & si quis alius celeritate pedum celebratur, uelocior. In eundo conspiciebatur, & rursus euanescebat, fulguris instar, per præcipitia, non currenti magis quàm uolanti similis. Quam enim uiam homo equis mutatis uno die conficere nōn poterat, eam hic peragebat. Nā à castello Chereo uno die Antiochiam perueniebat, & postridie in idem castellum reuertebatur: ex eoque denuò, quiete nulla interposita, uno die Neapolim Isauriæ proficiscebatur Suidas.

Cauuto II. in regno Anglorum filius HERALDVS successit, cui cognomentum Hairfut, à pedum leporina uelocitate. H. Boethius lib. 12.

STARCHATERVS Suecus gigas fortiss. corporis uiribus excellens, præcipuaq; pedum pernicitate, ut uno die è superiori Suetia in Daniam cucurrerit: quod iter alij uix XII. diebus equo peregerant. Olaus lib. 5. cap. 7. Sept. reg.

Tradunt ETHVM Scotorum regem tanta fuisse pedum uelocitate, ut penè ceruos & uenaticos canes cursu æquaret: propterea alipedem uocitatum uulgò. ineptum interim ad publicum regimen, imbellem, uoluptatis mancipium. H. Boethius lib. 10.

LVPONVS Hispanus cursu & uiribus tantum ualebat, ut ariete etiam humeris imposito uelocissimi cuiusque cursum adæquaret. Iouius in Piscario lib. 22.

TARDI, IGNAVI.

Lucianus in uoracem QVENDAM & ignauum cursorem, sic lusit in secundo Epigram. Græcorum:

Εἰ ταχὺς εἰς τὸ φαγεῖν, ἐς δὲ δρόμον ἀμβλὺς ὑπάρχεις,
τοῖς ποσί σου τρῶγε, καὶ τρέχε τῷ στόματι.

In MARCVM quendam pigerrimum Lucillius in secundo Epigramm. εἰς ὀκνηρὸς, sic ludit:

Εἰς φυλακὴν βληθείς ποτε Μάρκος ὁ ἀργὸς, ἑκών τι,
ὀκνῶν ἐξελθεῖν, ὡμολόγησε φόνον.

De EODEM idem:

Τῆς νυκτὸς τροχάσας ἐν ὕπνοις ποτὲ Μάρκος ὁ ἀργὸς,
οὐκ ἔτ' ἐκοιμήθη, μὴ πάλι που τροχάσῃ.

De PANTÆNETO idem:

Οὕτως εἰς ἀργὸς Πανταίνετος, ὥς τε πυρέξας
μηκέτ' ἀναστῆναι πάντως ἐδέετο θεοῦ.
καὶ νοῦν οὐκ ἔθελον μὲν ἐγείρεται· ὃν δ' ἐνιαυτὸν
κωφὰ θεῶν ἀδίκων ὦτα μεμφόμενος.

MOTVS GLACIALIS.

Nartæ sunt ligneę quædam & oblongę soleæ, duorum triúmue cubitorum lōgitudine, quibus in pedes inductis, baculo oblongo cum cuspide suffulti, MOSCHI celerrimè feruntur, adeò ut nullo modo equi eos cursu assequi possint, quibus asperitas niuis, montes, cæteraq; uiæ obstacula, impedimento sunt. In nartarum autem instrumentis currentes, colles, truncos, foueasque facillimè transiliunt, hocque modo feras omnis generis apprehendere & capere telis configendo solent. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

SALTVS. SALTV QVI VALVERE.

A Græcorum quibusdam cymbe dicitur caput. Vnde CYMBACHVS nuncupatur is, qui in caput saliens, crura tenet surrecta. Cælius lib. 3. cap. 23. Antiq. Lect.

HARALDVS pugil geminis baculis inter currendum innitens, crebris saltibus corpus cōcitabat, sic ut equos uelocissimos cursu præteriret. Saxo Grammaticus.

SAL

SALTATIO. SALTATORES.

Saltatio si per se consideretur, partim ad Animi habitus theoricos, ad Histrioniam scilicet, in imitādo positam, referri debet, ad titulum Mimorum & Pantomimorum: partim ad Corporis motum & exercitationem. Sin per accidens, propter coniunctam uoluptatem agendi spectandiq;, ad locum Vrbanitatis: propter comitantem pietatem, ad Iustitiam religiosam pertinet. Cæterùm quia qualiscunq; sit, motum corporis coniunctum habet, eapropter hoc potißimùm loco de Saltatione agere uoluimus: è quo ad reliquos titulos commodè traduci queant exempla.

QVAE, QVALIS.

Scaliger lib. 1. Poeticæ, c. 18. de Saltationis speciebus ex Athen. lib. 14. c. 12. & aliis sic scribit: Saltatio quædam sine cātu fuit: eaq; uetustissima. Deinde cantus additus, quā postea χορείαν appellarūt, τὴν μετ' ᾠδῆς ὄρχησιν. Ita Chorus apud Aristophanem agebat, cùm canebat, καὶ βούλομαι χορεῦσαι. saltabat enim tūc, τὸν κύκλωπα μιμούμενος. Postremò adiuncta instrumenta. Saltationis differentiæ summæ duæ, Stataria, & Motoria: pro argumentis Fabularum: non quòd non utraq; moueatur, sed quòd hæc magis. A quib. species illæ deductę, contentę, remissæ, seriæ, molles, ridiculæ. Alia uerò nomina uel ab regionibus, ἰωνικὴ: uel ab inuētoribus, πυρρίχη: uel ab argumento subiecto, Achilles: uel à corporis partibus, τραχηλισμός: uel à modo motionis, μηρῶν ποδισμός: uel ab imitatione, γέρανος: uel ab instrumētis, πινακίδες: ab habitu, ἐνόπλιον, γυμνική, cum thyrso, calatho, hasta, aratro, abaco, olla. Summa autē genera, ab usu & loco, duo. Vulgaris, quæ coniugiis ac sacrificiis adhibebatur, & Theatralis. Huius species tres, pro modo, numero, genere fabularum. Vna in Tragœdia, quam uocarunt ἐμμέλειαν: grauis ea, & composita: quemadmodum uox ipsa quoq; declarat. Altera in Comœdia, solutiore licentia, κόρδαξ dicta. Tertia lasciua, inconstans, in Satyris appellata σίκιννις, cuius etiam meminit Euripides. Idem.

Scribit Plut. lib. 9. Con. quæst. 15. Saltationis esse partes tres, φορὰν, σχῆμα, & δεῖξιν, lationem, schema, demonstrationem. Siquidem consurgit saltatio ex motibus & habitibus: sicuti melos ex phthongis & diastematibus, hoc est ex sonis & interuallis. Hîc uerò mansiones motuū fines sunt. Ergo φορὰς uocāt motus: schemata uerò habitus, ubi Apollinis, aut Panos, aut cuiuspiam figuram & modum effingentes, graphicè formam seruant. Δεῖξις, nō imitationem habet, sed rerum subiectarum demonstrationem. Et quidem schema figuras & simulacra adumbrat. Phora motum aliquem animi uel actionē uel facultatem exprimit. Dæxi propriè ipsas ostendunt res, terram, cœlum, ipsos assistentes: quod ordine quodam & numero efficitur, atq; affine est appellationibus in arte poetica propriè cum elegantia quadā & nitore prolatis.

Veteres saltationem per genera & modos distinxerunt: ut Podismus, & Siphismus modus, Comus, & Tetracomus, in hostium congressu fierēt. Colabrismus, Phalicus, Bactriasmus, Strobilus, Apocinus, & Aposisis, aliaq; saltationū genera, diuerso quæq; gestu & modo, erant in quotidiano magis usu frequentia. Alex. lib. 2. cap. 25.

Iulius Pollux lib. 4. capite 14. inter uaria saltationum genera commemorat ἐμμέλειαν tragicorum, κόρδακα comicorum, σίκιννιν satyricorum, πυρρίχην ac τελεσίαν, quas ἐνοπλίους uocat, quòd armati saltarent. unde ξιφισμὸν dictum indicat, quòd gladiis perageretur, & ποδισμὸν, quòd mira pedum celeritate corpus circumagerent. Idem commemorat & alia saltationum genera, quæ belli habebant imaginem, κῶμον & τετράκωμον, quam ait Herculi fuisse sacram. Rursus aliam, quam καρπαίαν dixere, quæ & ipsa armis peragebatur. Plato de Legibus septimo, docet duo potissimum saltationis genera fuisse, alterum bellicum ac tumultuosum, quod Pyrriche dicebatur, alterum moderatius, quod ἐμμέλεια. Et scholiastes in Iliados Homericæ π. commemorat tria saltationū genera, Pyrrhichē, Sicinnin, quę pertinet ad sacra, & Scordacismum, qui sit indecorus & prophanis conueniens.

PYRRHICHE nomē sumsit uel à Pyrrho Achillis filio, quod Plinius lib. 7. capite 56. sentire uidetur, scribens, Armatam saltationem Curetes docuēre, pyrrhichen Pyrrhus, utranque in Creta. Vel, ut putat Athenæus, à Pyrrhicho quodam Lacedæmonio: sunt enim bellacissimi Lacones, apud quos peculiaris erat hæc saltatio, quam mox à quinto anno pueri discebant, quod illi uocant πυρριχίζειν, & Pyrrhichistæ dicuntur hoc genus exercentes. Tranquillus ludū ipsum Pyrrhichē Troiam uocari scribit. Festus lusum equestrem puerorum uocat. Vergilius libro 5. Aen.

Troiaq; nunc pueris Troianum dicitur agmen.

Hæc ex Platonis loco citato uitationes omnium plagarum aciaculorum deflexione corporum, omnique cedendi ratione, submissione ac subsultibus in altū, imitatur. Rursum his contrarios gestus, qui conducunt ad corporis motus, agilitati parandæ idoneos, qui tum in arcuum iaculationibus, tum in hastilium missionibus, denique in omnium plagarum impetitionibus simulacra pugnæ student imitari. In quibus illud rectum, quando robustorum corporum & magnorum animorum fit imitatio, quæ adhibita plerunque confert ad corporis membrorum firmitatem: quod autem his contrarium est, ut non rectum improbatur. Pyrrhichæ pugnæ genus eleganter depingitur ex Xenophonte apud Athenæum libro 1. in conuiuio Seuthæ Thracum regis, quando inquit: Thraces ad tibiam saltabant, subsiliebantque in altum, idque leuiter, interim utentes gladiis. Tandem alter alterum feriebat, sic ut omnibus uideretur hominem percussisse. Ille uerò artificio quodam cadebat, moxque omnes exclamabant. Tum is qui percussisse uidebatur, cùm alterum armis spoliasset, exibat, canens Sitalcam. Porrò cæteri Thraces, alterum efferebant ueluti mortuum, quū nullo esset affectus malo.

ASCOLIASMVS saltatio erat Bacchi dicata festis, quæ uocant Ascolia, quòd theatri medio utres, quos uocant ἀσκοὺς, inflatos obunctosque, uno tantùm insilirent pede, ut delabentes risum excitarent. Hoc agere apud Græcos dicitur ἀσκωλιάζειν. Ad quod apertissimè Virgilius respexit Georgicôn secundo, illo uersu:

Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

Cælius libro quinto, capite tertio.

CASTORIVM uocatum tripudium in honorem Castoris à Lynceo cæsi fuit institutum, de quo meminit Pindarus in Pythiis in Hierone. In eo armati iuuenes tripudiabant. Alij dixerunt ab Dioscuris post uictos gigantes id tripudium fuisse excogitatum: atque Palladem legem Enopliam cecinisse, quam postea Lacones cum tibiis in acie instructi aduersus hostes usurparunt. Nonnulli à Curetibus inuentum inquiunt. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 9.

Proditur memoriæ, THESEVM in Delum insulam appulsum ex Creta, inibi saltationem iniisse cum pueris, quæ Labyrinthi præferret errores, orbibus orbes impediens, apud aram κερατῶνα, ex sinistris modò compactam cornibus. Cælius libro quinto, capite tertio Antiq. Lectionum.

Sunt qui putent, duo saltatorum genera Homerum nouisse, CYBISTERAS, & SPHÆRISTAS, qui sphæra uterētur siue pila, unde & Sphæristica dicatur. Huius inuentionem Anagallis Corcyrea grāmatica Nausicaæ ascribit, ad cuius fortasse gratiam: at Dicæarchus eas Sicyoniis attribuit. Hippasus uerò Lacedæmonios & hanc exercitationem, & alias primos inuenisse affirmat, quam solam inter heroicas se circumuoluentem Homerus inducit. Athen. lib. 1. cap. 8. Aristonicum Carystium Alexandri fuisse sphæristen, prodit historia, quem ob artis excellentiam ciuitate donarint Athenienses, statua quoque erecta.

Cybisteres uidentur esse, qui in caput saltant, quòd κυβιστᾶν dicunt, in caput mittere. Cælius libro quinto, capite tertio Antiq. Lect. Cognouit etiam Homerus eam, quæ fit ad cātum, saltationem. Nam Demodoco canente iuuenes pubescentes saltabant, atque in armis. Significatur autem hic saltandi mos, qui Pindari & Xenodemi temporibus floruit: ea imitans, quæ in ipsis uerbis interpretatis continentur: quam factam fuisse in cōuiuio Seuthæ Thracis Xenophon in Ascensu describit.

Gentiles sunt saltationes, LACONICÆ, Trœzeniorum, Creticæ, IONIÆ, & Mantineæ, quas omnibus aliis Aristoxenus præponit. Athen. lib. 1 cap. 16.

LACONES Tyrtæi poemata in bello commemorantes concinnam faciunt motionem. Scribit Philochorus, quòd cùm Lacedæmonij Messenios uicissent, Tyrtęi poēmatis inflammati, consuetudinem eam obseruarunt, ut si cœnas essent facturi, ac Pæana cantaturi, Tyrtæi poemata canerent. Imperator exercitus diiudicabat, carnemque dabat præmium uictori. Athen. libro 14. capite 12.

Lacedæmonij TRICHORIA utebantur saltatione, ex instituto Lycurgi. Plutarchus com. de Laude suiipsius, & Diogenianus in Græcorum adagiorum collectaneis. Constabat autem ea saltatio triplici choro, senū, puerorum, iuuenum. Senum prima erat cantio:

Ἄμμες πότ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι. *id est,*
Nos fuimus olim strenui iuuenculi.

Secunda puerorum:

Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες. *id est,*
Præstantiores nos futuri olim sumus.

Tertia iuuenum:

Ἄμμες δέ γ' εἰμέν· αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο. *id est,*

At nos sumus:uel experire,si uelis.

Hunc chorum instituit Tyrtæus, iuxta triplex ætatum discrimen. Nam pueritia ingressus est uitæ, uirilis ætas progressus, senecta exitus. Erasmus ex Iulio Polluce,& Plut. Lycurg.

Iidem saltationem BIBASIM dictã, tanquã ad bella utilem, ut gressu composito incederent, inter quotidianas disciplinas habuerunt:& ut concinna fieret motio in aggrediendis hostibus, pueri nudi saltare didicerunt. Proponebantur prẹmia nõ pueris modò, sed puellis quoq;. Saltu erat opus, interimq; nates pedibus contingere. Cælius lib.5. cap.3. & Alex.lib.2.cap.25.ex Quintil.lib.1.Instit.orat.

Ante aulas Septentrionalium Principum hyeme ignes maximi ex abietinis lignis fiunt. Quorum fragore ceu tympanis excitati SATELLITES & AVLICI, circũ ignem choreas tanto impetu in gyrum ducũt, ut necesse sit postremũ quenque in ignem præcipitari. Inde extractus, in sublimi throno positus, ob ignis regij uiolationem cyathum ceruisiæ generosioris ebibit. Olaus lib.15.cap.27.

QVI.

Pueri.

CRETENSIVM pueri simul congregantur, educanturq; duriter, uenationes & cursus accliues pedibus nudis cõficiũt, & Pyrricham in armis saltant, quam primus inuenit Pyrrichus quidam Cydoniates, Cretensis genere. Nicol. de Moribus gent. Stob. Sermon. 42. Inter eos maximè nobilitate præcellentes, summo studio saltationes exercentes, præstantissimi saltatores reddebantur, non tantùm homines priuati, & humili loco orti, sed nobiliores quoq;, & regij sanguinis, & primates in populo. Lucianus de Saltatione.

C.IOCVNDI pueri saltatoris epitaphium Romæ extare scribit Victorius lib.37.Var.hist.c.8.tale D. M. *C.Iocundo C.F.exq. qui* XII.*ann.uixit, & septies, spectãtibus Impp.Ser. Galba, Othone Siluio, A.Vitellio & populo R. saltauit, cãtauit & placuit. Pro iocis, quibus cunctos oblectabat, si quid oblectamenti apud uos est, manes, insontem reficite animulam. Faustus nunc infaustus, pater filio & sibi fecit.*

Antipoli, coloniæ Massiliensium, SEPTENTRIONIS, tale apud eundem extat. D. M. *Pueri Septentrionis, qui annorum* XII. *Antipoli in Theatro biduo saltauit & placuit.*

In prisca illa seuera atque aspera pyrrhichia saltatione pueri Lacones sese exercebant, tecti perfecta integraque armatura, quam propterea πανοπλίαν alij, ipsi παντόδιχίαν nominabant. Hanc IVLIVS Cæsar Scaliger (uir nobilitate stemmatis clarus, sed ingenio clarior: illa principibus par, aut etiam minor, hoc uerò multis parasangis maior) & sæpe & diu coram Diuo Maximiliano, iussu Bonifacij patrui, non sine stupore totius Germaniæ repræsentauit. Quo tempore aliquando uox illa Imperatoris, Hic puer aut thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit. Testis ipsemet lib. 1. Poetices capite 18.

Viri. Saltatores.

Aegyptus saltationis mirata excellentiam, sub fabellæ inuolucro PROTEA illum, in uarias se demutantem rerum facies, non ferè alium intelligunt, quàm saltatorem eximium, ad effingendum in primis docilem, ut nunc humectam liquidamque exprimeret aquæ uim, nunc ignis celeritatem motus uehementia, nunc leonis feritatem, aut etiam pardalis impetũ, furorémue, postremò etiam uirgulti flexum, & quicquid omnino collibuisset, ueluti Empusa quædam, cuius ipsius decantãtur à poetis deformationes. Cælius libro quinto, cap.2. Antiq. Lect.

ARISTONICVM Carystium Alexandri fuisse sphæristẽ, prodit historia, quem ob artis excellentiam ciuitate donarint Athenienses, statua quoq; erecta. Cælius lib.4.cap.8.A.L.

Famosi saltatores fuerunt apud Cratinum & Calliam, BOLBVS: apud Ctesiam ZENO Cretensis, Artaxerxi regi gratissimus. Alexander in ea epistola, quam misit ad Philoxenum, meminit de THEODORO & CHRYSIPPO saltatoribus. Athen. libro 1. cap.16.

Mulieres. Saltatriculæ.

Socrates dicebat, muliebrem sexum uirili non minus esse docilem, & ad disciplinas, & ad omnem uirtutem, etiam fortitudinem (quæ tanquam uiris propria, Græcis à uiro dicitur ἀνδρία) si diligenter instituatur. Id collegit ex puella SALTATRICVLA, quæ inducta in conuiuium, mira arte trochos duodecim in altum proiectos excipiebat, ita temperato altitudinis spacio, numerisq; pedum, ut nunquam falleret: ea demq; inter acutissimos gladios, non sine horrore spectantiũ, impauida saltaret. Eras.3. Apoph. ex Xenoph. Memorab.

PHARSALIA saltatrix Thessalica cùm à Philomelo Phocensiũ duce, spoliato phano Delphico, aureã coronã Daphnes (Lampsacenorum donariũ) accepisset, à Daphnes uatibus ad insaniam redactis in foro discerpta est. Athen. lib.3. c.28.

Senes.

Cùm aliquando Romæ in ipsa ludorũ Circensiũ celebratione Hannibal nuntiatus esset circa portã Collinã adesse, omnes raptis armis occurrerunt. Solus senex quidam saltationem sacram continuauit. Hoc uidẽtes reuersi ciues, prouerbium inde duxerunt: Salua res saltante sene. Verrius C.POMPONIVM libertinum hominem grandem natu hunc saltatorem uocat. Erasmus.

In ludis à Nerone institutis AELIA Catula, XXC. annos nata, nobiliss. & ditissima saltauit. Xiphilinus.

Reges.

PHILIPPVS Macedo recenti exultans uictoria ad Chæroneam de Grecis parta, & uino grauis, cadaueribus insultãs, initium cecinit Demosthenis plebiscit, ad pedem attollens uocem & supplodens:

Demosthenes Demosthenis sic censuit
Pæaniensis.

At Demades orator cum liberè admonuit: Quũ, ô rex, fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit, non pudet te factis agere Thersiten? Proinde discussa crapula, cùm magnitudinẽ secũ reputasset propositi periculi, horror cum perstrinxit eloquẽtiæ & neruorũ illius oratoris: qui in dici momẽto unius, aleam ipsum iacere de imperio & uita compulisset. Plutarchus in Demosthene. Erasmus in Apoph.

Demetrius Scepsius l.12. Troici ornatus hæc scribit. Apud ANTIOCHVM regem, qui Magnus dicebatur, non amici solùm regis in armis tripudiabant in cœnis, sed ipse etiam rex. Cùm uerò ad Hegesanactem Alexandrũ ex Troade oriundum, qui historias conscripsit, choreæ ordo peruenisset, assurgens hæc dixit: Nunquid, ô rex, me malè tripudiantẽ mauis aspicere, an potiùs mea quædam propria poëmata benè pronunciantem audire? Qui cùm dicere iussus esset, ita regi placuit, ut dignus, qui amaretur, unus esse ex amicis regis fuerit iudicatus. Athen. lib.4. cap.17.

C.CALIGVLA Imp. saltatores urbe à Tiberio exactos non tantùm reuocauit, sed ipse etiam plurimùm saltauit: & cùm aliquando de nocte accersiri diligẽter principes senatus iussisset, tanquam de rebus necessariis ab iis esset consilium capturus, postquam conuenerunt, nihil aliud quàm saltationem instituit. Dion in eius uita.

Duces.

MERIONEM Cretẽsem Homerus honestare uolens, ὀρχηστὴν, id est, saltatorẽ nũcupauit. Qua in re is adeò celebre iam indeptus erat nomẽ, ut nõ Græcis modò nota forẽt ea, sed & Troianis hostibus: fortè quia inter bellandũ non tacita quædã agilitas & cõcinnitas, quæ ex huius artis peritia inoleuerat, sese subinde ostentabat. Homerica carmina hæc sunt:

Μηριόνη, τάχα κέν σε καὶ ὀρχηστὴν περ ἐόντα
ἔγχος ἐμὸν κατέπαυσε.——

Cælius lib.5.cap.3.ex Luciano de Saltatione.

PYRRHVS Achillis filius, celebratus saltationis artificio usq; adeò est, ut quum speciem illi pulcerrimam adiecisset, Pyrrhichium sit ab eo nuncupatum. Cæl.5.cap.3. ex Luciano de Saltatione.

EPAMINONDAS dux Thebanus bellicosissimus, probè saltasse & cantasse sæpe dicitur: existimans nimirum, saltatione homines agiliores fieri, ut si quando seriò pugnandum esset, eo promtiores forent. Alex.lib.2. cap.25.

Duris Samius lib.17. Historiarum POLYSPERCHONTEM Macedonem scribit, cùm bibisset, quamuis esset senex, nulloq; uel militari scientia, uel dignitate inferior, tripudiare solitum, ipsumq; crocotum indutum, Sicyoniisq; calciatum, choreis indulsisse. Athen. lib.4. cap.17.

Politici uiri.

APPIVS Claudius uir triumphalis, qui Salius ad usque senectutem fuit, pro gloria obtinuit, quòd inter collegas optimè saltitabat. Ac uno eodemque tempore, tribus nobilissimis ciuibus, non modò studium saltandi, sed etiam (si dijs placet) peritia, qua gloriarentur, fuit, GABINIO consulari Ciceronis inimico (quod ei & Cicero non dissimulanter obiecit) & M. CÆLIO noto inter turbas uiro, quem idem Cicero defendit, & LICINIO Crasso, Crassi eius, qui apud Parthos extinctus est, filio. Macrob.lib.3. cap.14. Sat.

Docti, Philosophi, Poetæ.

Saltationis Memphidis dictæ, studiosus fuit etiam SOCRATES philosophus, & sæpius saltare est deprensus, ut Xenophon testatur: & suis etiam familiaribus dicere cõsueuerat, omnium membrorum exercitationem esse hanc saltationẽ. Athen. libro 1. cap. 16. Plurimum namque tribuebat uenustæ concinnitati & elegantiæ, tum apto motui, neque non mouentis affirmationi. Nec ueritus est, iam natu grandior, saltationem inter serias habere disciplinas. Lucianus de Saltatione ex Pythio.

SOPHOCLES tragœdus præter id, quòd apta ætate pulcer fuit, didicerat & saltationẽ & musicã ex Lampro, cùm esset adhuc puer. Hic post bellum nauale nudus in Salamine unctus saltauit circa trophæum cum lyra: sunt qui uestitum dicant: atq; Thamyrim cùm doceret, ipse citharã pulsabat. Athen. lib.1. cap.16.

Quum Dionysius tyrannus Syracusanorum in conuiuio iussisset, ut singuli in ueste purpurea saltarent (purpura uerò tum regum erat gestamen, nunc sutoribus etiã cõmunis) id Plato facere recusauit, his trimetris, è fabula quapiam:

οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν,
ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος. id est:
Muliebri ego haudquaquam indui queam stola,
Vir natus ipse, & ex uirili germine.

Cęterùm ARISTIPPVS philosophus indutus purpura saltaturus, hos uersus recitauit extemporè:

καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται. id est,
Nam in Liberi patris sacris,
Mens quæ pudica est, nesciet corrumpier.

Laertius lib.2. cap.8.

Proci.

HIPPOCLIDES erat Tisandri filius, qui cum multis aliis iuuenibus Clisthenis Sicyonij filiã ambiebat. Verùm cùm Clisthenes procos toto anno probaret, & Hippoclides in conuiuio inde corã quandã saltationẽ edidisset, sublatis in altũ pedibus, pater offensus inhonesto iuuenis lusu, ait: ὦ παῖ Τισάνδρου ἀπορχήσαό γε μὴν τὸν γάμον. id est: Fili Tisandri, à nuptiis tua saltatione excidisti. At ille protinus respondit, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, id est: Haud curat Hippoclides. Ea uox, ut testatur Herodotus in Erato, in prouerbium abiit.

CVR. VSVS Saltationis.

Religiosus, Superstitiosus.

Moses uidens canentes & saltantes IVDÆOS prope uitulũ, iratus proiecit tabulas, in quas Dominus præcepta & leges scripserat. Exodi 34.

DAVID rex cùm arcã Domini à Gabaa urbe Hierosolymã inferret, tãto zelo tenebatur, ut ephodo linteo amictus, citharam pulsans, coram arca saltaret. Id cõspicata Michol uxor, Sauli F. ægrè tulit, à maiestate regia id alienũ esse existimãs: & Dauidem quoq; ob id factum obiurgauit, quòd sese seruis & ancillis irridendum proposuisset. At Dauid respõdit, Coram Domino Deo meo, qui regnum patri tuo, eiusque stirpi ereptum mihi tradidit, humilis serui: apud ancillas uerò & seruos meos domini imperiosi personã sustinebo. Deo grata est mea deuotio. 2. Regum 6.

IVDITHA, occiso Oloferne, & profligatis Assyriis carmẽ triphale Domino cecinit, oleç ramo coronata, thyrsum gestãs, & chorum mulierum præcedens saltando. Iudithæ 15.

Saltationis rationem non fuisse VETERIBVS uulgarem, argumento esse multa possunt: id uerò in primis, ceremonias nullas, aut teletas, paulò antiquiores fuisse, quibus non adhiberetur saltatio. Quam rem eo grauiorem animaduertimus, quòd à magnis profecta auctoribus uidetur, Orpheo uidelicet, ac Musæo: teste Luciano de Saltatione, qui ut honestissimum quiddam sanxisse traduntur, cũ rhythmo initiari, & saltatione. Quo factũ est, ut qui mysteria prodidissent, eos dictitarent pleriq; ἐξορχεῖσθαι, id est, desaltasse. In DELO sacrum obibant nullum absque saltatione, ac musica. Prodibant autem puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus, è quibus selecti peritissimus quisq; saltabant. Eorum autem cantilenæ, ab saltationis usu dicebantur ὑπορχήματα. Erant autem hymnorum genera tria, prosodion, hyporchema, stasimon. Prosodion, λιτανεία siue supplicatio, dicebatur cum hymno, ubi deos adirent, ac sacrificium ad altare proferrent. Hyporchemata uerò concinebant saltantes in altaris ambitu, ubi iam igni admota forent sacra. Dici hyporchemata putant, quòd inter saltandum ferè generosum quiddam seruarent, ac uirile. Mox autem, quum quiescentes canerent, uocabantur stasima. Cæterùm ubi aram saltantes obibant, ita more condito seruabant, ut ab sinistris dextrorsum pergerent prius, zodiaci quadam imagine, cuius motus cœlo diuersus appareat, ab occasu ad exortum: inde à dextris læuorsum, pro ratione cœlestis uertiginis. Sic Aeneidos quarto:

--Delon maternam inuisit Apollo,
Instauratq; choros, mixtiq; altaria circùm
Cretesq; Dryopesq; fremunt, pictiq; Agathyrsi.

Cælius libro 5. cap.3. Antiq. Lect.

Apud Arrianum inuenimus INDORVM gentem, quibus orientem Solem uenerari consuetum est, non arbitrari plenam perfectamque esse numinis consalutationem, ni adhibita saltatio fuerit: quod & suprema tempestate facere, instituti ueteris fuerat: sed cum taciturnitate, dei, ut opinantur ipsi, effingere conabantur choream. Cælius libro 5. capite 3. ex Luciano.

TVRCI in festiuitate, quam Machia uocant, uel propter uota populi, uel ad assequendam pluuiam, serenitatem, uictoriam, congregantur finitimi unius regionis, occidentes, si habent, animalia: sin minus, ex leguminibus & oryza cœnam instituũt. Refectione peracta, qui primus inter eos est, tympano accepto modulatur: cæteri surgentes, ordine ludunt regulata quadam totius corporis agitatione, motib. honestis omnium mẽbrorum & ualde decentibus, secundũ modulationem instrumenti musici. Tum in modum uertiginis, quodam motu uelocissimo, circulari rotatione, ac corporis reuolutione (in qua uis ludi consistit) ita celeriter reuoluuntur, ut homó ne sit, an statua, haud facilè discernas: ostendentes in hoc quasi supernaturalem corporum agilitatem. Cuspinianus.

Bellicus.

Pyrrhiche CRETENSIVM erat, & in armis peragebatur. Vnde Homerus Merionẽ uirũ in belli muniis agilem intelligi uolens, saltatorem appellat, ὀρχηστὴν περ ἐόντα.

AETHIOPES cùm iam cecinêre classicũ, inferũt signa, saltãt uenerabundi: nec apud illos citra saltationem excuteret aliquis sagittã. Tela autẽ capiti pro pharetra, instar radiorum circumponere, gentium illarum mos est. Eo nãq; modo iniicere sese hosti formidinem opinantur. Lucianus.

Sicut equitare, ita tripudiare PERSÆ discunt, cùm motum huiusce actionis non parum ad roboris concinnam exercitationem conferre arbitrentur. Athen. lib.10. c.11.

Socrates scitè tripudiantes, maximè esse idoneos rebus bellicis scriptum reliquit in poematis, ubi ita inquit:

Qui rectè sciuêre choris decorare deos, hi
Optimi & in bello.–

Nam quasi armorum erat instructo ipsa saltatio, ac neq; solùm cõpositionis reliquæ argumentum, sed certissimũ etiã corporum diligentiæ. Athen. lib.14. cap.12.

Conuiuialis.

Testatur Alexis in Tarentinis, ATHENIENSES in symposiis tripudiare etiam consueuisse. Athen. lib.4. c.3.

Theatralis.

Apud Xenophontem in Ascensu, ubi conuiuium Seuthæ regis Thracum describitur, posteaquam fœdera percussissent, & cantibus celebrassent, surrexerũt primi THRACES, & ad tibiam cum armis saltarunt, simulque altè & leuiter tripudiarunt, ensibusque utebantur: alter deniq; alterum ita percutiebat, ut omnibus is uulnerari uideretur, atque is consultò cadebat, quò efficiebatur, ut omnes exclamarent. Tunc uictor eum armis spolians, Sitalcamq; canens, abibat: alij ex Thracibus, alterum tanquam mortuum auferebant, cùm tamen nihil mali passus esset. Postea AENIANES surrexerunt, & Magnetes, qui etiam Carpeam saltationem dictam in armis tripudiarunt, cuius huiusmodi erat consuetudo. Quidam arma deponens seminat, bouesque agit, sæpe quasi magnoperè timeat se conuertens. Mox latro quispiã accedit, quem ille uidens statim arma arripit, & ante boues cum concinnitate pugnat ad tibiam. Hunc posteaquam latro ligauit, abigit boues: sed furem aliquando bubulcus ipse ad boues ligatum, ambabus etiam à tergo reuinctis manibus exagitat. ARCADES præterea armati, ad armorum rhythmum tibiarum carmina canebant, & saltabant. Athenæus lib.1. cap.8.

Apud Spartianum ADRIANVS Imp. militares pyrrhicas populo frequenter exhibuit.

Pius.

Rheam aiunt, in Phrygia quidem CORYBANTAS, in Creta uerò CVRETAS saltare iussisse. Hæc illi ratio Iouem præstitit incolumem. proindeque is arti præstantissimæ σῶστρα debet, id est salutis contributæ præmium: sic enim paternos euasit dentes. Ea saltatio armata fuit, quam à Curetibus excogitatam primò, Eusebij quoque tempora testatissimum faciunt. Erat uerò gladiorum cum scutis collisio, saltabantque bellicum quiddam & entheon. Cælius lib.5. cap.3. ex Luciano de Saltatione.

STVDIVM SALTATIONIS.

Apud LACEDÆMONIOS, qui inter Grẹcos diu habiti prẹstantissimi sunt, saltandi studium non erat incelebre, quãdo ephebi non accuratiùs ὁπλομαχίαν, quàm saltationem perdiscebant. Ab Castore uerò ac Polluce acceperãt καρυατίζειν, id est, caryatissare. Species uerò ea saltationis erat, uocabulo à Caryis ducto, quæ est in Laconia ciuitas, ubi maximè exerceretur. Eiusdem rei studium eò usque progressum in THESSALIA legimus, ut strenuos uiros, & in dimicando principes, quos uocant προστάτας καὶ προαγωνιστὰς, illi προορχηστῆρας appellarent, hoc est, planipedes primos. Manifestũ id ex statuarum item titulis: quas iis, quorum strenua fuisset opera, excitabãt, προὔκρινε προορχηστῆρα ἡ πόλις. Et alibi: Ἐλατίωνι τᾶς ἀηθίας ὁ δᾶμος εὐορχησαμένῳ τὰν μάχαν. Cæl. lib.5. ca.3. Antiq. Lect. ex Luciano de Saltatione.

ROMANI eo tempore, quod alioqui fuit optimis morib. inter duo bella Punica, saltationi ita studebant, ut & ingenui pueri, & Senatorum filij in ludum saltatorium commearēt, & illic crotala gestantes saltare discerent. Ipsæ quinetiā matronæ & nobilium filiæ saltationi operam dabant, uti ex oratione Scipionis Aemiliani contra legem iudiciariam Tib. Gracchi cognoscere licet. Docent, inquit, præstigias inhonestas: cum cinædulis, & sambuca, psalterioq; eunt in ludū histrionum, discunt cantare, quę maiores nostri ingenuis probro ducier uoluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinædos, & uirgines, pueriq; ingenui. Hæc cùm mihi quisquam narrabat, non poteram animū inducere, ea liberos suos nobiles homines docere. Sed cùm ductus sum in ludum saltatorium, plus mediusfidius in eo ludo uidi pueris uirginibusq; quingentis. In his unum (quo me Reipub. maximè misertum est) puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare, quam saltationem impudicus seruulus honestè saltare non posset. Macrob. lib. 3. cap. 14. Saturn.

In ludis à NERONE crudelissimo Imperatore Romæ institutis, Aelia Catula, femina nobilissima atq; ditissima, ac iam grandis natu (nata autem erat annos octoginta) saltauit: & cæteri quoque, qui propter senectutem, & morbos præcipuè nihil poterant facere, choreas canebant. Se enim exercebat unusquisque ut poterat: erantq; ob eas res scholæ constitutæ, quas frequentabant clarissimi uiri, mulieres, puellæ, adolescentuli, uetulæ, senes. Quòd si quis non posset aliter spectaculum præbere, ad choreas ibat: cumq; multi pudore adducti ea facerent personati, Nero, petente populo, ab eis personas auferebat, eosque patefaciebat hominibus, apud quos ipsi paulo antè magistratus gesserant. Xiphilinus in uita Neronis.

ROBVR ET AGILITAS IN ALIENO CORPORE non REPVGNANTE mouendo. Tum

ATTOLLENDO, SVBLEVANDO.

Fabulantur Iudæi, filiis Iacob patrem suum ad sepulcrum portantibus, filios Esau similiter suum patrem ad sepulcrū deferentes, cum magno comitatu eis occurrisse. Cumq; utrinque magnus esset exercitus, & singulæ partes sepulcrum sibi uendicare uellent, filium DAN montem ascendisse dicūt, & tantæ magnitudinis præscidisse lapidem, quanta multitudo esse poterat totius exercitus Esau, ipsamq; molem capiti impositam attulisse, ut super hostium cuneum eum proiiciens, omnes uno prosterneret ictu. Cumq; adueniens iam ambos cuneos concordes inuenisset, molem, quam attulerat, in mare proiecit: cuius magnitudine aqua maris terminos suos excedens, duas ciuitates sui effusione subuerrit: & ipsæ sunt, quas longo tempore pòst Pharao rex Aegypti filios Israel ædificare præcepit. Petrus Alphōs. tit. 1. cōtra Iud.

Ex eorundem figmento, OG rex Basan, uidens ingentem exercitum Israel, sexcenta scilicet millia, & quatuor millia, & D uiros, à XX annis & supra, exceptis mulieribus & paruulis, molem inauditæ magnitudinis capiti suo imposuit, & cum ea expeditionem totam prosternere uoluit. Sed upupa auis minima moli ipsi insedit, & tam diu rostro suo eam contudit, donec foramine magno iuxta quantitatem capitis eiusdem regis pèracto, moles caput transiliens, in eiusdem humeris subsedit. Capite autem sano, & toto corpore incolumi, fortassis adhuc à collo subleuasset, nisi id auctorum subitò dentium quantitas impediuisset. Mox enim ut lapis in collum descendit, dentes illi repentè ita sunt adaucti, quòd cùm uoluit eum subleuare, minimè potuit. Quod Moses intuens (cuius corpus decem cubitos habuit, & totidem eius uirgulæ) se super terram in modum salientis decem cubitos erexit, ut eum in aliquo corporis loco cum uirga percuteret. Cùm in tantum erectus esset Moses, uirgæ tamen summitas, qua eum percutere intendebat, nequaquam ulterius attingere potuit, quàm ad eum nodum, quo sura iungitur pedi, quæ uulgò cauilla uocatur. In quo quidem cùm eū percussisset, continuò cadens expirauit. Ibidem.

ALCIONEVS gigas HERCVLEM, ad Isthmū Corinthi boues agētem, saxo petiit è mari Rubro sumto, quod uix duodecim plaustra loco mouere potuissent. At illud Hercules claua repulit, & illum occidit. Saxum decidens XXIIII homines oppressit, in Isthmo, ubi agebantur certamina. Natalis Comes lib. 7. c. 1. Mythologiæ.

THESEVS deposita à patre Aegeo indicia (ensem uidelicet & calceos, quæ Aethræ Pitthei Trœzeniorum regis F. ex se prægnanti reliquerat, & ingenti saxo abdiderat, hac lege, ut si filium ex se edidisset, & in uirilem ætatem adultus saxum ualeret attollere & auferre relicta, eum ad se clàm mitteret cum depositis) saxo remoto, sustulit, seque dignum Aegeo patre F. ostendit. Hinc nomen habuit, ut θησεὺς diceretur. Plutarchus in Theseo.

BITON, cùm pompa Nemeorum Ioui ab Argiuis traduceretur, sublatum humeris bouem portauit. Eapropter statua ei dicata in templo Apollinis Lycij Argis, uir humeris taurum portans. Pausanias in Corinthiacis.

RVSTICELLVS, Hercules appellatus, mulum suum tollebat. Varro testis apud Plin. lib. 7. cap. 20.

Paulus Diaconus scribit, AMELONGVM, Romualdi Longobardorum regis militem, quendā Græcum equitantem ictu baculi sella excussisse, & in aera supra caput suum leuasse.

Suam ipsius statuam dicitur MILO Crotoniates intra Altin suis humeris deportasse. Pausanias in Eliacis. Item bouem per Olympia deportasse, mactasse, comedisse.

EVTHYMVS pugil Locrensis, ex Italia, saxum mirę magnitudinis allatum humeris ante portam Locrensium statuit, qđ miraculi gratia uisebatur. Aelianus de Varia histor. lib. 8. Plinius, & Pausanias.

THEAGENES robustissimus athleta, etiamnum puer annorum nouem, dum è ludo domum rediret, æneam statuā, cuius pulcritudine alliciebatur, è sede sua auulsit, & alteri humero impositam, domū portauit. Pausanias in Eliacis lib. 6.

A. IVNIVS Valens centurio sub Augusto, utribus onustum plaustrum solus, dum deponeretur onus, sustinere poterat. Plinius lib. 7. cap. 20.

Plinius libro 7. capite 20. ait, se uidisse ATHANATVM quendam prodigiosę ostentationis, quinquagenario thorace indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum, per scenam ingredi.

FVSIVS Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duobus humeris contra scalas ferebat. Plinius lib. 7. cap. 20.

PROMOVENDO NAVIM, CVRRVM.

MAXIMINVS Thrax Imp. sæpe onustum plaustrum solus loco mouit. Capitolinus.

DEIICIENDO, FRANGENDO, INCVRVANDO.

SAMSON captus, apprehendens ambas columnas, quib. tota domus innitebatur, domum ruina dissipauit, in qua circiter tria millia utriusq; sexus principum Palæstinorum erant. Mortalium namq; omnium fuit fortissimus: & quod magis mireris, fuit robur illud homini in capillis: quibus defectis, uinctus est, & illusus ab iis, quibus terrori fuerat, ac sæpius exitio. Sab. lib. 7. c. 4. ex Iudicum 4.

CLEOMENES Astypalensis, cùm circa Epidaurum pugilem interfecisset, erepto uictoriæ præmio, ludum puerorum ingressus, apprehensam manu columnam, quæ tectum sustentabat, concutiens, mediam fregit, & tectum deiecit. Suidas, & Plutarchus, Sabellicus lib. 1. c. 6.

MAXIMINVS Imp. tophaceos lapides forabat digitis, diuidebat maiusculas arbores manibus. Sabellicus lib. 10. ca. 9. & Fulgosus lib. 3. cap. 6.

Leone Philosopho imperāte, ASOTES uir celebris ferebatur, uirgam ferream, manibus extrema tenens, cōfringere ac flectere posse, duricie ferri manuum robori cedēte. Cedrenus.

VFFO maiore erat corpore, quàm ut armis uti posset alienis. Oblatis compluribus gladiis, manu capulum stringens, frustillatim singulos agitando cōminuit. Nec erat tanti rigoris gladius, quem non, ad primæ cōcussionis motum, in uarias partes frangeret. Saxo Gram. lib. 4.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes, tanto corporis robore præditus fuit, ut soleas equorum ferreas disrumperet. Arlunus historiæ Mediolanensis sect. 1.

CIMBVRGA mater Friderici III. Imp. ea digitorum firmitate, ut sæpe digito uno iuglandem uel ponticam nucem frangeret. Cuspinianus.

PORTANDO.

SAMSON Israelitarū Iudex, hostili urbe deprehensus, ubi sub noctem uim sensit aduersus se parari, demolitus est portas urbis Gazæ, auulsasq; postibus, in iugū montis detulit, qđ hostili urbi imminebat: statuitq; in cōspectu attonitę ciuitatis, ludibrium uerius quàm trophæum. Sab. lib. 1. c. 5.

EMITTENDO, PROPELLENDO. Puta

Pilam.

Pilæ ludus apud ueteres saltationis genus erat. Consule Tit. Saltationis species: item Tit. Pilæ certamina. Nos heic solum motum in alieno corpore mouendo spectamus.

Saxum,

Saxum, Lignum.

IACOBVS patriarcha solus saxum ab ore putei auoluere potuit (quod alioqui non nisi coactis omnibus eius regionis pastoribus amoueri poterat) quando in Mesopotamiam ad auunculum Labanem profectus fuit. Gen. 29.

Athenis Apollinis ædes est, quam Delphinium appellant. Eā cùm ad fastigium perducta iam esset, aiūt incognitū adhuc THESEVM urbē introiisse talari palla, & coma eleganter cōposita. Atq; ut primùm ad Delphinij accessit, rogatū per illusionē ab iis, qui fastigium erigebant, quid ita nubilis uirgo sola erraret? cumq; nihil aliud respondisse: sed disiunctis à plaustro, quod in proximo erat, bobus, culmē tēpli altiùs, quàm fabri statuerant, proiecisse. Pausanias in Atticis.

MONYCHVS Centaurus, arbores & saxa pro telis iaculabatur. Lucan. lib. 6. Ouidius in Ibin. Idem fingitur de RHOETO. Lucanus:

Teq; sub Oeteo torquentem uertice uulsas
Rhœte ferox, quas uix Boreas inuerteret ornos.

TVRNVS singulari certamine Saxum antiquum ingens (campis quod fortè iacebat Limes) in Aeneam contorsit, apud Maronem in Aeneide:

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Iacula. Iaculatores boni.

LYCIA regio minoris Asiæ, populos habuit peritos iaculandi. Vnde Vergilius Lycias uocat sagittas, lib. 8. Aen.

GYMNETÆ Aethiopiæ populi iaculatores optimi euadunt, urgente fame. Impuberes enim pueros exercent ad certū signum iácere, solis cibum præbentes iis, qui signum tetigere. Diodorus Sic. lib. 3. c. 4. de Rebus antiquis.

MAZACES populus prope Namasones, peritissimus iaculandi. Lucanus libro 4.

—Aequaturusq; sagittas
Medorum, tremulum quod torsit missile Mazax.

ILERDES etiam uolucres in medio aere percutiebat. Syllius:

—uolucresq; uagas dependere nube
Assuetus iaculis idem & bellator Ilerdes,
Cui ludus nullam cursu non tollere damam.

CYRVS, apud Astyagem auum puer equum agere, & conclusas horto feras iaculo ferire doctus, postquam adoleuit, aut aprum, aut leonem in syluis petebat. Xenophon.

ROMANI cùm iuuentutem uariis exercitiis ad bellicam disciplinam exercerent, præcipuè tamen iaculandi peritia excellere uoluerunt. Alex. lib. 1. c. 20.

TERIDATES Parthorum rex à Nerone Imperatore uictus, in iis spectaculis, quę apud Puteolanos à Nerone in eius uictoriæ gloriā facta sunt, de superiore loco, in quo sedebat, belluas iaculo traiecit, duosq; tauros uno ictu confecit. Xiphilinus & Dion in Nerone.

COMMODVS Imp. Faustinæ & M. Antonini filius, centum ictibus in arena totidem strauit leones: & tam ualidis fuit uiribus, ut elephantem hasta & orygis cornu transfigeret, ut plures feras interdum uno conficeret ictu: adeò certa illi manus, ut quicquid oculo destinasset, iaculo & sagitta contingeret. Gladiatores, retiariosque circiter mille aut uicit, aut occidit, trecenties sexagies quinquies uiuo adhuc patre in id certamen descendit. Semper penes se, ut Herodianus scribit, Mauros iaculatores habuit, & Scythas sagittarios. Adeò certa fuit illi manus, ut quicquid oculo destinasset, sagitta contingeret. Sabellicus libro 5. Ennead. 7. & lib. 10. capite 11. Exemplorum.

CONSTANTIVS Imperator tam certus iaculator, quàm bonus eques fuit.

Arcu, Balista insignes. Sagittarij boni.

Etsi maiorem rationē artis & peritiæ, quàm roboris, Sagittarij & Tormentarij habent; eamq; ob causam ad locum Mechanicorum exercitiorum potius referri debent: eos tamen συγγενείας causa hoc etiam loco complecti uoluimus.

ISMAEL Abrahami F. ex ancilla Aegyptia Hagare, syluestrem egit uitam, & sagittarius fuit in solitudine Maranc. Genes. 21.

GABAENSES DCC sagittarij peritissimi. Iudicum cap. 20.

EVRYTVS rex Oechaliæ, pater Ioles, Herculem sagittandi artem docuit.

HERCVLES Centaurum Nessum, quamuis in ulteriore ripa Acheloi remotum, & ceruam æripedem certo traiecit ictu, Harpyiasq; uolucres in medio confecit aere.

PHILOCTETES sagittarius optimus. Homerus Iliad. β & Eustathius.

ACASTVS uenator sagittis clarus, qui cum Meleagro ad occidendum aprum (qui Calydona uastabat) profectus est. Ouidius lib. 8. Metamorph.

PARIS Achillem solo talo uulnerabilem interfecit. Hinc ille de se apud Ouidium ad Helenam:

Ne ue putes non me nisi cominus esse timendum,
Figitur in iusso nostra sagitta loco.

Traditur à quibusdam habere maritimos Aethiopas, NISICASTES, NISITAS, quod significat, ternum & quaternū oculorum uiros: non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contemplatione utantur. Plinius lib. 6. c. 30.

ERYTHRÆ, siue Erythra, Asiæ ciuitas, arte sagittandi clara. Sidonius:

Fortè sagittiferas Euan populatus Erythras.

PARTHI & PERSÆ Orientales populi, fugientes à tergo iaculati auersique sequentes hostes lædebant, perinde ac aduersi: qui mos TVRCIS & MOSCHIS & TARTARIS etiamnum hodie frequens.

Ithera seu Ithura; urbs est in Tauro monte Parthiam uersus, cuius habitatores ITHVRÆI, arcu & sagittis claruerūt. Hinc arcum poetæ uocāt Ithuræū, sagittas Parthicas, neruos Geticos, pharetras Sarmaticas.

Tela, quæ INDVS excutiat sagittator, esse Arrianus scribit trium propè cubitorum, ferrique tanta ui, ut non clypeus, non thorax, non aliud quicquam summæ firmitudinis & quàm ualidū obsistere obluctariue queat. Q. Curtius duorum modò cubitorum sagittas facit. Cælius libro 23. capite 9. Antiq. Lect.

CRETENSES sagittarij olim scientissimi. De Dictæis Syllius libro decimotertio:

—Dictæa per auras
Tranat, & in medium perlabitur urbis arundo.

A Cydone Cretæ oppido, tela Cydonia dicuntur, quòd eius loci incolæ periti fuerint sagittarij. Vergilius:

Ire libet, Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina doloris.

De Gnoso & Gortyna urbibus Cretæ; Lucanus:

--Gnososq; agitare pharetras
Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.

Nomen SCYTHIÆ non semper fuit proprium Aquilonarium terrarum, sed à prima origine Ouim, teste Iordane, dicebantur. Deinde ab assidua exercitatione sagittandi dicti sunt Scythæ, quod lingua Gothica sagittariæ artis peritum designat. At Berosus Scythiam à Scytha Noe nepote appellatam scribit. Ioann. Magnus lib. 1. capite 27. Ouidius libro 5. Tristium:

Sarmaticę maior Geticęq; frequentia gentis
Per medias in equis itq; reditq; uias:
In quibus est nemo, qui non coryton & arcum,
Telaque uipereo lurida felle gerat.

Paulus Diaconus ait, GOTHORVM gentem nullo armorum genere magis quàm arcubus uti consuesse. Ne Gothorum & Sueonū pueri otio torpescant, aut damnatis artibus annos transigant, diuersis exercitiis præcipuè instruuntur, ita quidem ut non priùs panis pueris exhibeatur, quàm sagitta tetigerint metam. Reperiuntur itaque pueri uix XII annum egressi, tanta peritia sagittandi instructi, ut iussi telo traiicere caput, pectus, pedesque minimarum auium, à longè positarum, infallibiliter tangant: nec minus senes, oculorum aciem adhuc retinentes. Olaus libro decimoquinto, capite primo.

LAPONES pedestres pugnant arcu armati, ut ferè Tartari. Artem iaculandi docentur à pueris: utque antiquitùs apud Baleares, sic apud Lapones ætate nostra, puero non datur cibus, priusquam attigerit sagitta propositū signum. Iac. Zieglerus in Scondia.

A SARMATIS Scythiæ populis doctissimis iaculorum, arcus uocatur Sarmaticus. Ouid. lib. 1. de Ponto.

ARIMASPI, populi iuxta Riphęos, in torquēdis sagittis (quarum sunt peritissimi) alterum inflectunt oculū, ut altero melius cernant. Hinc & nomen traxerunt. Nā Ari Scythicè unū, & Maspos oculum significat.

ALCONIS Cretensis filium quum rapuisset draco, illæso filio, draconem sagitta confecit. Valerius Flac. lib. 1. Argon.

CAMBYSES rex Persarum quamuis temulentus, Prexaspis filio, in uestibulo regiæ constituto, medium cor sagitta trāsfixit. Herodotus lib. 3.

SMERDES frater Cambysis, regis Persarum, solus ex omnibus Persis arcum ab Aethiopum rege missum ad duos usque digitos trahere potuit. Eius robori inuidens Cambyses, ex Aegypto in Persas remisit, nec multo pòst interfecit. Herodotus lib. 3.

ASTER Olynthius, Philippo Macedonum regi, Methonem & Olynthum obsidenti, telum in oculum immisit, his uerbis inscriptum: Aster Philippo mortiferum mittit telum. Plutarchus in Philippo.

CATENES miles ictibus adeò certis destinata feriebat, ut aues quoque ab ipsis nubibus exciperet. Curtius libro 6. de gestis Alexandri.

INDVS

INDVS quidam (de quo percrebuerat fama, sagittas ab eo tãtà peritia dirigi, uti uel per anulum transirent) ad Alexandrum Magnum captiuus est perductus, cupientem se præsente ostentari artem. Renuit ille. Indignatus Alexãder eum iussit interimi. Dum uerò ad supplicium duceretur, conuersus ad milites: Ego (inquit) per multos dies artem excutiendi sagittas desieram, nec minimum quidem in eo exercebar: proinde ueritus, ne ob insuetudinem uoto exciderem, recusaui quod iniunxerat Imperator. Quum Alexandro nũciata forent ea, mitti hominem euestigiò iussit, multisque etiamnum donis affecit, animi altitudinem miratus, mori præoptantis, quàm uideri opinione minorem. Plutarchus in regum Apophtheg.

DOMITIANVM Imp. centenas uarij generis feras sepe in Albano secessu conficientem spectauêre plerique: atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopulo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per interualla digitorum innocuè euaderent. Suetonius.

De GRATIANO Imp. Ausonius in Panegyrico dixit: Nemo abductiùs iacula contorsit, nemo spicula crebriùs iecit, aut certiùs destinata percussit. & alibi, de leone ab Imperatore occiso,

Quòd leo tam tenui patitur sub arundine lethum,
Non uires ferri, sed ferientis agunt.

TOCHO Gothus miles, auctore Saxone, sermone inter conuiuas habito, iactauit se exiguum quodlibet pomum, baculo procul superpositum, prima sagitta deiecturum. Eius uel iactantiam pœna, uel peritiam præmio dignam iudicãs Haraldus rex, filium eius loco scopi, imposito capiti eius pomo, statui imperauit: cui, nisi promissionis auctor primo sagittæ conatu pomum impositum excussisset, proprio capite pœnas lueret. Tocho in arcto positus, uultum filij, ne uiso telo terreretur, auertit: monuitq;, ut capite erecto & immoto strepitum iaculi uenientis exciperet. Tribus deinde sagittis è pharetra depromtis, scopum tetigit prima. Interrogatus à rege, cur plures sagittas depromisisset, cùm fortunã arcus semel duntaxat experiri debuisset? Vt in te, inquit, primę errorem reliquarum acumine uindicarem. Olaus lib.15. cap. 4. Septent. regionum.

Bello Noruegio, quod Fridleuus II. Danorũ rex gessit, AVO quidam Noruegus, cognomento Sagittarius, Fridleuum regem ad monomachiam prouocauit. Locùm regis Biorno equestris ordinis uir subiit. Vbi ad certamen uentum, Auo ut Biornonem à dimicando absterreret, neque tamen eminus conficeret, quem cominus superare poterat, dum Biorno neruo sagittam aptat, subitò emissa sagitta nerui ipsius summa transfixit. Altera mox sagitta mediis digitorum conclusis impacta successit. Tertia superueniens, in applicatam neruo sagittam incidit. At Biorno constanti mente & uultu discrimen iniit, ita ut nec Auonis quicquam ingenio deferre, neque ex consueta aliquid fortitudine deponere uideretur. Cõmisso duello uterq; saucius excessit. Eos tandẽ Fridleuus sæpius ex prouocatione congressos in gratiam reduxit, ijsdemq; filium Olauum, tres annos natum, erudiẽdum concessit. Pellicem uerò Iuritham, candemque Olaui matrem, recepto in commilitium Auoni, matrimonio copulauit. Saxo lib.6.

ALIGERNES Gothus (cuius sagittæ tanta ui ferebantur, ut si in lapidẽ aliquẽ, aut aliquid aliud durũ & solidũ incidissent, id omne ui impetus rũperetur) Romanũ quendã thoracatũ conspicatus, è superiore loco telo coniecto, statim uirum cũ ipso thorace & scuto transfixit. Suidas ex Agathia.

Quistam Biarmensis SENEX, in ultima regione Arctico polo subiecta, tensa fortissima balista, denos neruo calamos rectissimè dirigere poterat. Olaus lib.15. cap.3.

Saxo Grammaticus scribit, ENARVM tanto rigore arcum intendisse, ut excussum ab eo iaculum corpora uel durissima penetraret.

ALFONSVS senior Calabriæ dux, Alfonsi iunioris auus, bellicosissimus, meridianis horis arcu se cum iuuenibus exercuisse dicitur. Pontanus de Principe.

ALPHONSVS Aragonum rex, iaciebat interdum manu balistæ sagittas quatuor, passibus quadraginta: refixas in suũ quamq; foramen iterum iaciens remittebat: easdẽ confixas tertiò iaciens sigillatim in postremam partẽ feriendo distinguebat, Panormita lib.4. de rebus gest. Alfonsi.

GVLIELMVS Tellus Suitensis patria, Heluetiæ libertatis primordia balista sua iecit. Stumpfius.

Funda. Funditores periti, robusti, boni.

DAVID funda Goliathum Palæstinum occidit.

Apud CADVRCOS, ACARNANES, atque AETHIOPES usum uetustissimum inualuisse legimus, ut saxa ingẽtia fundis intorquere, aut sagittas aut iacula ingentis ponderis uibrare à teneris ediscerent. Alex. lib.2. cap.25.

Insulæ Iberiæ oppositæ, à Græcis Gymnesiæ, ab incolarum nuditate, qui æstatis tempore absq; uestibus incedunt: ab accolis uerò ac Romanis BALEARES, à fundæ iactu, quæ rectiùs, quàm reliqui, lapides iaciunt, appellatæ. Id eis continuus à pueritia usus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signũ, quod iactu petant: neque antè cibum capiũt, quàm panem lapide deiectum pro cibo sumãt permissu matris. Diodorus libro quinto, capite sexto. Quocirca Metellus Balearicus propiùs insulas adnauigans, pelles nauium tectis prætendit, ut aduersus fundarum iactus tegmina essent. Strabo lib. 3. Verg. lib.1. Georg.

Stuppea torquentur Balearis uerbera fundæ.

Bombarda. Sclopeto ferire periti. Sclopetarij boni.

Non sagittandi peritia in ANDREA Agidario (quando sagittarum usus Italiæ non ad modum frequens) sed tormento æneo utendi, quem à sonitu (ut arbitror) Sclopetum appellant, commendari potest. Nihil hic, quamuis exiguum, dum modò oculo consequi possit, non assequitur: ut quam Domitianus & Commodus Imperatores iaculando industriam ostendêre, hic facilè præstare tormento hoc ualeat. Sabellicus lib.10. cap.11.

PERCVTIENDO, FERIENDO.

GLAVCVS Carystius puer etiamnum in agro colendo uomerem (qui ab aratro casu exciderat) manu loco mallei in suũ locum restituit. Ductus postea à patre in Olympiã, quum ab aduersario conficeretur plagis, & iam succumbens deficeret, inclamauit prosiliens pater: Percute quâ aratrum. Quo ille stimulo concitatus, irruensque uiolentiùs, uelut impetu capto, aduersarium uicit, statuamque meruit. Pausanias libro 6.

TIBERIVS Cæsar erat articulis ita firmis, ut recens & integrum malum digito terebraret: caput pueri, uel etiam adolescentis, talitro uulneraret. Suetonius.

CIMBERGA mater Friderici III. Imp. pugno clauos parieti infigere interdum citra offensam consueuerat. Cuspinianus.

ROBVR ET AGILITAS IN MOVENDO ALIENO CORPORE REPUGNANTE: illud uel

RETINENDO, ADDVCENDO. Puta

Taurum.

Poetæ scribunt, CACVM immanem fuisse latronem, Vulcani filium, ignes & flammas ore uomentem, qui boues cauda captos inuersis uestigiis, causa tegendi furti, in speluncã traxerit. Neq; id mirum, cũ cauernam suam obice montis præstruxerit. Ouidius lib.1. Fast.

POLYDAMAS athleta maximum & ferocissimum taurum posterioribus pedibus prehendit: summaque ungula ita tenuit, ut eã taurus saliẽs in manu eius relinqueret. Paus. li.6.

AEGON pugil in Zacyntho insula taurum ferum calcib. prehensum è monte in urbem pertractum Amaryllidi donauit, & XXC. placentas solus comedit. Sic de eo Theocritus Eidyllio 4.

—καλὰ πόλις ἅ Ζάκυνθος,
καὶ τὸ ποτιῷον τὸ Λακίνιον, ᾇπερ ὁ πύκτας
Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κατεδαίσατο μάζας·
τηνεὶ καὶ τὸν ταῦρον ἀπ' ὤρεος ἆγε πιάξας
τᾶς ὁπλᾶς, κἤδωκ' Ἀμαρυλλίδι· ταὶ δὲ γυναῖκες
μακρὸν ἀΰτησαν, χ' ὡ βωκόλος ἐξεγέλασσεν.

SELEVCVS Nicanor Syriæ rex, taurum syluestrem in Alexandri sacrificio elapsum, sese opponens, utraq; manu tenuit.

Arbores.

SCINIS latro prope Corinthum, summas arbores in terram complicabat, hisq; alligatos homines discerpebat, truncis cum magno impetu in aera laxatis. Ouid. in Metam.

Occidit ille Scinis, magnis malè uiribus usus,
Qui poterat curuare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.

Nauem.

CYNEGIRVS Atheniensis, in pugna nauali contra Persas ad Artemisium nauem onustã dextera manu tenuit: ea amputata sinistram iniecit: quam & ipsam quum amisisset, nauem mordicùs arripuit, morsuque retinuit, furenti similis. Trogus, & Herodotus.

Currum.

Currum.

POLYDAMAS athleta currum agitatum sese opponendo, altera manu apprehensum, ex cursu retrahebat: in equosq; insiliebat, deiecto auriga. Pausanias lib.6.

A. IVNIVS Valens centurio Augusti Imp. currũ magna equorum ui tractum manu una retinebat. Plin. lib.7. cap.20.

Arcum.

Penelope telæ commento elusis diu procis, tandem quoq; arcu proposito Vlyssis, ei se nupturam professa est, qui Vlyssis imitatione illum intendens, & per 12 secures directè mittẽs, dignum se Vlysseo ostenderet coniugio. Frustrà laborantibus procis, VLYSSES tandem, sub mendici persona, arreptum sine negotio tetendit, & scopum sciẽtissimè assecutus est. Sic de illo Homerus Odysseæ φ.

ὡς ὅτ' ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιστάμενος καὶ ἀοιδῆς
ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ περὶ κόλλοπι χορδὴν,
ἅψας ἀμφοτέρωθεν ἐϋστρεφὲς ἔντερον οἰός·
ὣς ἄρ' ἄτερ σπουδῆς τάνυσεν μέγα τόξον Ὀδυσσεύς,
δεξιτερῇ δ' ἄρα χειρὶ λαβὼν πειρήσατο νευρῆς·
ἡ δ' ὑπὸ καλὸν ἄεισε, χελιδόνι εἰκέλη αὐδήν.

SMERDES frater Cambysis, solus arcum ad duos digitos adducebat, quẽ nemo Persarũ poterat incuruare. Herod. lib.3.

TIMANTHES Cleonæus, quò uires pristinas exercitationibus tueretur, magnum & robustum quotidie arcum intendebat. Verùm cùm peregrè profectus consuetudinem intermisisset, eam reuersus domũ uoluit repetere. Sed enim cùm sensisset non satis iam ad arcum tendendum uirium sibi superesse, rogo extructo seipsum in ignem coniecit. Pausanias libro 6. & Suidas.

Funem.

GRATIANVS ignobili loco apud Cibalas in Pannonia ortus, robore admirando præditus, Funarius est dictus, quòd funem uenalitiũ portanti quinq; milites extorquere nequiuissent. Eo merito in militiã ascitus, pręturam prætorianam obtinuit, & mox eius filius Valentinianus à Prętorianis Imperator factus est. Paulus Diaconus, & Sex. Aurelius.

MODERANDO, REGENDO. Vtputa,

Equos. Equorum domitores. Equites boni, periti.

Equites in domandis equis mechanicum subeunt laborem. Robur & agilitas, corporis bona sunt, quorum heic solùm rationem habemus.

Quidàm Thessalus rex bobus œstro exagitatis, satellites suos ad eos reuocandos ire cùm iussisset, illiq; cursu non sufficerent, ascenderunt equos, & eorum uelocitate boues sequuti, eos stimulis ad tecta reuocarunt. Sed hi uisi, aut eùm irent ulociter, aut eorum equi cùm circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut CENTAVRI esse crederentur. Dictiq; sunt Centauri, ἀπὸ τοῦ κεντᾶν τοὺς ταύρους. Seruius in 3. Georgicorũ. At Palæphatus refert: Quum tauri præferoces Larissam & eam Thessaliæ regionem uastarent, Ixion rex præmium proposuit iis, qui tauros arcerent. Iuuenes è Nephele pago cùm equos mansuefactos & edoctos conscendissent (nam prius curribus modò utebantur) tauros abegerunt. Accepta ob hoc pecunia, insolentiores facti, iniuriis affecerunt & ipsum Ixiona, & Larissæos, qui tum Lapithæ dicebantur, ita ut inuitati ad nuptias Pirithoi mulieres eorum raperent. Quæ res prębuit occasionem fabulæ, quòd Centauri dicantur, quòd semiequi, quòd filij Ixionis (quia ab eo missi & donati) quòd ex nubibus: nam Nephele est nubes. Lud. Viues in lib.18. August. de Ciuit. Dei, cap.13.

Q. Curtius gestorum Alexandri lib.3. THESSALOS equites, Acarnanas, & Aetolos inuictam esse dicit bello manum. Et in Menone Plato Thessalos scribit, inter Græcos fuisse illustres tum equitatu, tũ diuitiis. Polybius quoq; Thessalicos equites conferto prælio insuperabiles esse confirmat. Quos tamẽ si per partes attentaueris, lacerare carpereq; facillimũ sit. Cælius lib.9. cap.22. A. L.

MAGNETES populi Thessaliæ, optimi equorum domitores. Lucanus:

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.

MASSYLLI & NVMIDÆ populi Libyæ, equos uirga, non freno gubernant. Lucanus lib.4.

Et gens quæ nudo residens Massyllia dorso,
Ora leui flectit, frenorum nescia, uirga.

Hinc Verg. infrenos uocat Numidas. Syllius:

Hic passim exultant Numidæ, gens inscia freni:
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens uirga lupatis.

COLOPHONII aliquando nauales opes satis amplas habuere, & equestribus tantũ excelluerunt, ut ubicũq; difficulter bella cõponi poterãt, Colophonij equitatus auxilio dirimerentur. Qua ex re ductũ est prouerbiũ, Colophonẽ addidit, cùm summa operi manus imponitur. Strabo lib.14.

Proprium hòc habent CELTIBERI in pugna, ut cùm pedites suos laborare uiderint, ex equis descendentes in aciem, equos ordine stantes relinquant. Extremis enim de loris equorum paruos clauos suspendunt, eosq; studiosè defigũt; itaq; parere docent equos, & ordine stare, dum reuersi clauos reuellerint. Suidas in dictione, ἴδιον.

PARTHI equis omni tẽpore uehũtur: his petunt bella, his cõuiuia adeunt, mercantur, colloquuntur, omniaq; publica & priuata obeunt munia equo sedentes. Atq; singulare illud inter ordines discrimen, quòd seruilis fortunæ uiri pedibus cõmeant, ingenui equis uehuntur. Sab. lib.6. En.6.

CASTOR Pollucis frater, equis clar9. Eapropter poeta uocat
Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.

PICVM equorum domitorem facit Vergilius. Idem de MESAPO lib.7. Aeneidos.

At Mesapus equûm domitor, Neptunia proles.

CYRVS, apud Astyagem auum Medorũ regẽ, puer equũ agere, & conclusas horto feras uenari doctus est. Quin equitandi causa apud Medos remansit, neq; cum Mãdane matre in Persidem redire uoluit. Xenophon primo Pædiæ.

Plato in Menone scribit: Audisti n' Themistoclẽ filiũ suũ CLEOPHANTVM in equestri facultate strenuũ effecisse? adeò ut equis rectus insisteret, rectusq; ex equo iacularetur, cæteraq; permulta perficeret stupenda; in quibus ille diligenter erudiri curauit, sapientẽq; in singulis quę præceptores eruditi callebant effecit. Cælius lib.14. c.12. A. L.

ALEXANDER Magnus, adolescens adhuc, Bucephalũ equũ insignẽ à patre nuperrimè emtũ, cùm à nullo subigi posset, ut equitẽ pateretur, primus indomitæ peruicaciæ domandę rationem ostendit. Mox præter omniũ opinionẽ, quadrupedem ascendit, & citro ultroq; effusis aperto campo habenis ad lassitudinem agitauit. Sab. lib.1. cap.4.

MITHRIDATES rex Ponti, natus ex septem illis Persis, qui Magos interfecerunt (ut apud Herodotum lib.3. & Iustinum lib.1. legimus) sexiuges equos regere poterat. Plinius de Viris illustribus.

C. IVL. Cæsar equitandi habuit à puero procliuem usum. Assuefactus enim erat reductis retrò manibus, atq; in tergo cõplicatis, incitatissimè equum permittere. Plut. in Cæsare.

Procopius lib.3. de agilitate TOTILÆ Gothorum regis, eo ipso die, quo cũ Græcis acie dimicaturus erat, inquit: Armis indutus processerat auro abundè cælatis, & ex equo ut ornatissimis phaleris, ita & pilo ac lancea noscitabatur, purpureaq; & regia ueste, & ex prædicto equo præcipuè, quo ille miræ magnitudinis uehebatur. In medio aũt campo ut bellicæ artis peritus ac ludibundus processerat, equũ diuersim calcaribus cõcitando in orbẽ frenis agiliter agere, obequitandoq; telũ in auras sursum uersus aptè diuerberare, & ipsum id rursum ad terrã delatũ impigrè per manus trãslatũ, gloriæ id artis plurimum ducere, supinandoq; se desuper equum, inclinandoq; utrinq; ad terram, & uicissim in latera, ut qui à puero fuisset desultandi ac tripudiandi artem edoctus, & ludicra peragẽdi. Hæc Gothis exercitia iã inde à prima esse inuenta, scribit Olaus lib.8. c.15. Sept. reg.

Tempore Romani III. Imp. quidã PHILORÆVS nomine, iniecta ueste equo celerrimo, ei insistebat rectus, gladiũ manibus gestans, quẽ equo concitatissimè currente rotans, euripũ Circi percurrebat, gladium sursum deorsumq; uersans, & ne minimum quidem uestigio suo elabens. Cedrenus.

TARTARORVM equi statura non magni, sed corpore ualidi, impetu acres, leuitate ueloces, quibus ut mitioribus cõmodioribusque utantur, exceptis admissariis passim illos castrant, singulique binos in prælia trahunt, & alternatim ex uno in alterum, mira celeritate inter ipsum etiam cursum transsultant, acinace, more Persarum, arcuque & sagittis armati, nisi quòd Tartari illas sanie uiperina, cũ sanguine humano commixta, plerũq; tingunt, irremediabili scelere. Dubrauius lib.16.

HORMYRIVS à Creuomyslio Boemorũ principe falsò incendij crimine damnatus, post damnationem egit cũ principe, ut sibi ante supplicium liceret inscendere equum, & in arce occlusa obequitare. Cõsentit princeps. Hormyrius sternens equum, uerba quædam ei ceu intelligenti ad aurem dicit. Mox illo inscenso, saltu à porta usque ad portam, & ab illa per muros & flumen transuolauit, & in altera Vultauiæ ripa incolumis constitit in pago Zlychovv, è regione arcis Vicegradensis, sic ab aspersione cognominato: quum idem eques ad alteram ripam, aqua conspersus, hoc uerbo Zlychovv, usus fuisset. Dubrauius lib.2.

GALEACIVS Bardassimus eques Siculus sub Alfonso seniore Neapolitanorũ rege persæpe armis tectus, ephippio inter coxas accepto, ingentẽ equũ crinib. apprehẽsis saltu cõscendit, statimque nullis firmato uinculis ephippio, cum ad

cursum

cursum adegit, coxarum ac crurum firmitate pro cingulis usus. Fulgosus lib.3.cap.2.

CAROLO V. Cæsari rura erant, uenustissimè extantibus toris, trunci proportione directa. Quod tum maximè apparebat, quum equo ueheretur. Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, ut nullus eo armato, atq; equum incitante, & in gyrum reflectente, uel pulcrior, uel uiuidior, uel in ferēdo armorum pondere patientior eques reperiri posse uideretur. Iouius lib.27.

Currus. Nauem.

Consule Titulum Aurigarum.

MILTIADES Cimonis F. ex Eleunte Chersonnesi Thraciæ (quæ tunc Atheniensium ditionis erat) in Lemnum uno die delatus, insulam Atheniensibus adiecit, quòd Pelasgi, qui insulam incolebant, ita demum se imperata facturos multò antè dixissent, si nauis uento Aquilone acta, uno die ex Attica in Lemnum perueniret, quod fieri non posse sciebāt, quū Attica Australior multò sit quàm Lemnus. Herod. lib.6.

Apud SIGINNOS, qui Persicè uiuunt, quadrigas agitare, erat puellare studium. Nōdum enim adulta uirgo, quadrigas flectere & circumagere magna facilitate callebat: quib. hoc erat priuilegio datum, ut quem uellet ex iuuētute in uirum deligere liceret. Alex. lib.2. cap.25.

Agesilaus animaduertens ciuium nonnullos in equis alendis totos esse, sorori CYNISCÆ persuasit, ut conscenso curru certaret in Olympiis. Hoc pacto Græcis ostendere cupiens, id genus exercitamenta nullius esse ueræ uirtutis, nihilque aliud habere quàm opum & impendiorum ostentationem, eoque feminis esse digniora quàm uiris. Plutarchus in Laconicis apophtheg.

DEIICIENDO

Homines.

Consule Tit. Luctatorum, quatenus aduersarium renitentem deiiciunt.

TRITANVS Samius gladiator omnes aduersarios leui tantùm tactu prosternebat. Solinus cap. 4. Polyhist. & Plinius libro 7. capite 20.

Belluas.

MOSCHOVITÆ cum ursis indomitis & efferis absque armis, solis uiribus confisi congredi audent, ursumq; per aures arreptum tam diu fatigant, donec prorsus debilitatum prosternant. Gvagninus in descriptione Moschouiæ, c.3.

FERIENDO.

Ex Tit. Pugilum, qui πυκτὴ, pugno feriunt aduersarium, petantur exempla.

REPELLENDO.

MARTIANVM, qui ex fabro ferrario imperium tenuit, tam robustum fuisse ferunt, ut currus ex aduerso nitentes uno tantùm digito repulerit, & fortissimum quemque colliserit. Alexander ab Alexandro lib.4. cap.26.

ROBORIS CORPOREI CERTAMINA, in genere.

De Certaminibus ueterum & Græcorum simul & Latinorum, hîc solius roboris causa agimus. Quòd si oblectationem consideres, & ludum ipsum, ad Vrbanitatem: si sumtum, ad Magnificentiam & Prodigalitatem: si religionem, ad Iustitiam religiosam. De iis proinde in Politicis & Ecclesiasticis rectiùs. De Gymnastica arte, nullius uestigia secutus, nostra ætate scripsit doctissimè Hier. Mercurialis, medicus & philosophus summus, professor Patauinus. Cuius eruditis laboribus nostra hæc & dirigi & confirmari & corrigi possunt.

MATERIA. QVAE CERTAMINA.

Multa LVDORVM genera ad summa duo reducuntur. Vtrūque positum est in motu naturali, addita postea arte. Verùm alterum simplex est, alterum cum æmulatione. Nam per initia ubi coissent temerè pastores, aliquid agebant saltu aut cursu. Tandem uerò rediit res ad obtrectationem, atq; inde ad certamen, quum alius alij præstare uideretur. Certamen tametsi est plurium: tamen aliquod uidetur quodammodo unius corporis, ut cursus: aliquod duorum, ut lucta. Ratio est, propterea quòd currere solus quis potest, pugnare non potest. Vtrumq; erat aut nudorum, aut tectorum. A nudis dicta Gymnasia. Certarunt Athletæ, oleo uncti, & puluere aut arena conspersi. Quapropter Augustus uetuit eiusmodi spectaculis feminas interesse. Thucydides in primo Historiarū, Athletas olim fibulatis campestribus certasse, memorię prodidit: nudos autem sua tempestate. Quo tamen tempore à Barbaris in Asia ueterem modestiam seruatam scribit. Tecti uerò aut ueste (ut est apud Hippocratem) uel etiam armis. Vnde ὁπλίτης δρόμος, quum in armis currerent. Aucta etiam exercitatio adiuncto instrumento, eoque multiplici, præter discum ac iaculū, etiam equo, aut curru, aut cæstu, illis quasi sociis, hoc quasi solo. Itaq; quinq; certaminum prima genera, cursus, saltus, lucta, pugilatus, iactus disci, saxi, iaculi. Ex lucta & pugilatu Pancratium componitur. Qui quinq; his uicisset, Pentathlus dicebatur. Opibus inde crescentibus, creuit etiā luxus. Ergo equos primū cursores adhibuêre, mox etiam ad currum biiuges & quadriiuges iunxêre. Scaliger lib.1. Poetices, cap.22.

Gymnastarum differentiæ uariæ. Alij namq; exercentur certaminis uno genere, alij pluribus. Qui uno genere, uel absque instrumento, uel cum instrumento. Absq; instrumento obeunt illud nunc Nudi (unde Gymnasia & Gymnica certamina) nunc Tecti ueste armisúe. Sic rursus exercitatio uel uidetur esse Vnius, quia solus quis saltare potest uel currere (talis est Cursus & Saltus) uel Duorum: isque rursus uel Simplex, in aduersario quidem Retinendo, Lucta: in eodem Feriendo, Pugilatus: uel composita ex retentione & percussione, Pancratium. Quod uerò certamen cum instrumento obitur, fit uel tanquam cū Telo, ut Iactus Disci & Iaculi. uel tāquam cum Socio, utputa Equo aut Curru. Qui multis certaminis generibus exercentur, dicuntur Pentathli, Quinquertiones, cursu scilicet, saltu, lucta, pugilatu, atq; iactu.

FORMA CERTAMINIS. Vel

Certa, Lege constans.

Ex Tit. Monomachiæ ex prouocatione, huc quædam.

Lucianus Athletarum & Pancratiastarum sortitionem describens, In argenteam (inquit) calpin, id est, urnam coniiciebantur minutulæ sortes, faba non ampliores: eo semper ordine seruato, ut binis eadem inscriberetur elementi nota: pro athletarum numero sortibus item auctoribus. Quū impenderet certandi tempus, prodibant ex athletis singuli sortem educturi: nec inspectandi productam ius erat, quando id prohiberet assistens mastigophorus. Peracto autem orbe, ambiēs Alytarches inspectabat sortes, atque ita dispensabat, ut qui alpha esset sortitus, cum eo componeretur, qui eandem eduxisset literam: atque ita deinceps homogrammi certaturi prodibant. Fieri uerò sic moris erat, si certaturi pares fuissent. (Aegles Samius athleta cùm sortitione facta, sortē nominis falsam subiici animaduertisset, qui mutus prius fuerat repentè in eum, qui id faciebat, sese uidere quid faceret, alta uoce clamauit, & inde per omne uitæ tempus uocem retinuit. Gellius lib.5. cap.6. & Val. lib.1. cap.8.) Quòd si quinque aut septem, coniiciebatur in urnam solitaria litera, quæ antigraphon siue antigramma non haberet. Qui uerò eam eduxisset, residebat expectans quamdiu certarent alij, congressurus mox cum fatigatis uigens ipse atque integer uiribus. Quòd sanè uel felicissimum censebatur. Dicebatur uerò hic ἔφεδρος: quæ uox apud Sophoclem in Aiace mastigophoro, indicat nouissimum. Cælius lib.22. cap.18. A.L.

Incerta, Inconstans.

Incertam uoco, quando inter se fortuitò congrediuntur, nulla priùs certaminis lege dicta. Quod sæpe etiam in Monomachia usuuenit.

EFFICIENS.

QVI. ATHLETÆ, PALÆSTRITÆ, Gymnici.

Qui corporis robur cum aliis certando ostentant, pro diuersitate exercitij uarias sortiuntur appellationes: in genere tamen Palæstritæ (speciei uoce ad genus traducta: πάλη enim lucta est propriè) & à fine exercitij, ἀπὸ τοῦ ἄθλου, à præmio honorario, Athletæ, Græcis pariter & Latinis dicūtur. Eosdē quoq; Pugiles interdū appellare consueuerūt, nō tam à pugnis, sic enim Pyctis propriè conuenit, quàm à pugnando. Nos in genere exēpla Athletarum cōnumeremus, qui uel uariis exercitiis innotuerunt, propter quæ singillatim ad alios atq; alios titulos pertineāt: uel saltē palæstra excelluisse memorātur, omisso interim exercitij genere. Consule Tit. Robustorum.

Populi.

Strabo libro Geographiæ suæ sexto, prouerbium, κρότωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος τῶν ἄλλων ἑλλήνων, ait ortū ob insignē CROTONIATARVM præstantiam in certaminibus Græcanicis. Plurimos enim egregios athletas protulit ea ciuitas, adeò, ut in uno certamine Olympico septē uiri, qui reliquos uirtute præcesserant, omnes pariter fuerint Crotoniatę. Huius gentis præcipuum decus Milo, literis omnium celebratus, qui septies continenter uicit Olympia. Est

Et hæc res haud minus quàm alia quęuis admirationi, quòd eadem fermè fortuna MESSENIIS, & patriam, & Olympicorum ludorum gloriam eripuerit. Neque enim postquā è Peloponneso eiecti sunt; aut è Sicilia, aut ex Naupacto (præter Leontiscum & Symmachum freti accolas, quos tamen Siculi non Messenios, sed Zanclæos priscos fuisse contendunt) uictor quisquam declaratus est. At ubi primùm in Peloponnesum rediere, pristinam, hac etiam in parte, quasi postliminiò fortunam recepere: uicitque uno posteaquam restituta est Messene anno Damiscus stadio pueros, annos natus XII. Pausanias lib.6.

Priuati quiuis, sed illustres.

Pellene urbe Achaiæ in gymnasio posita statua est PROMACHO Pellenæo Dryonis filio, una ex Olympicis, tribus ab Isthmicis, duabus è Nemeis ludis de pancratio palmis reportatis. Vnam ei sui ciues ex ære Olympiæ, alteram è marmore, in gymnasio statuam dedicarūt. Hunc Promachum, bello quod inter Pellenæos & Corinthios gestum est, unū hostes quamplurimos pugnantem occidisse, memoriæ proditum. Ab eodem etiam Olympiæ superatum Polydamantem Scotussæum, quo tempore à Persarum rege in patriam restitutus Polydamas, in Olympicum certamen iterum descendit. Pellenenses magno Promachum honore prosequūtur, duasque eius de lucta ad Chæroneam, quatuor Olympiæ acceptas palmas prædicant. Nominare tamen eum respuunt: ob eam causam credo, quòd Pellenensium rempublicā sustulerit. Corruptus enim ab Alexādro Philippi filio, inuidiosissimo dominationis munere se patriæ suæ tyrannum imponi facilè passus est. Pausanias in Achaicis.

THEAGENES Thasius in certaminibus athleticis omnes sua ætate uicit, & coronas quadringentas tulit. Pausanias libro sexto.

NICON, pugnis, & lucta, & pancratio, & cursu, & alijs certaminibus in Olympijs, & Nemeis, & Isthmijs, & alibi uictor: accepit coronas, ut aiunt, mille quadringentas. Cùm uerò è uiuis excessisset, quidam accessit ad statuam eius, quasi uiueret, & flagellis eam cecidit: in quem illa collapsa, hominem contumeliosum ulta est. Interfecti autem filij, cædis ream egerunt statuam. Thasij itaq; eam in mare abiecerūt, secundùm legem Draconis Atheniensis, qui etiam inanimata ob cędem factam in exilium agit. Pythia uerò Thasios, calamitate conflictantes, eam statuam restituere iussit. Qui cùm dubitarent, quo pacto illa è mari extrahenda esset: piscatores retia cùm laxassent, ut pisces caperent, eam extraxerunt, quam Thasij in pristinum locum restituerunt. Suidas. At hæc THEAGENI tribuit Pausanias.

Apud Magnesios, qui ad Lethæum sunt, quidam fuit PROTOPHANES, qui de pancratio & lucta eadem die in Olympia uictor renunciatus fuit. In huius sepulcrum aliquādo latrones prædę spe ducti penetrarunt, post illos alij multi, ut cadauer duntaxat spectarent. Eius certè costę, non ita, ut cæterorum hominum, discretæ fuerunt, sed pro illis continens os habuit ab humeris ad eas costas, quæ mendosæ siue nothæ à Medicis appellantur. Pausanias in Atticis.

ICTYS Tarentinus luctas exercuit, sobriè per uniuersum tempus uiuendo; moderatè cibis uescendo, & à uenere omni abstinendo. Aelianus lib.11. de Varia historia. Pausanias uocat Iccum, Nicolaidæ F.

CLITOMACHVS Thebanus, Hermocratis F. ad Isthmum uiros palæstritas perculit, eodemque die de pugilatu palmam tulit, & eos, qui in pancratium descenderant, luctando uicit. De pancratio Pythicæ eius palmæ fuere numero tres. In Olympia secundus hic Clitomachus Thasio Theageni, de pancratio & pugilatu uictor renunciatus est. Et pācratij quidem palmam centesima & quadragesima Olympiade est adeptus: nam ea, quæ consecuta est, pancratio & cæstibus depugnauit. Prodijt eodem die Eleus CAPER, palæstram & pancratium professus. Delata uerò iam Capro de palæstra palma, docuit Clitomachus ludorum præfectos, ius esse, pancratium committi integris corporibus, priusquam uulnus ullum ex pugilatu acciperetur. Quo facto, in pancratio quidem Capro succubuit: contra pugiles uerò, summa animi præsentia, & corpore usus est firmissimo. Pausanias libro 6.

NICOSTRATVM athletam adhuc penè infantem, neq; obscuro loco natum, è Prymnesso Phrygię urbe prędones abduxerunt, eumque ad Aegeas, incertum cui, uendiderunt. Cùm iam adoleuisset, uisus est per somniū uidere ante fulcra lecti, in quo cubabat, humi stratum leonem. Post id uisum multas de pancratio & lucta palmas ex Olympia abstulit. Pausanias libro 5.

EVTHYMVS Locrensis, omnium Italiæ pugilatorum princeps, corporis robore incredibili & immenso admirabilis fuisse creditur. Locri enim lapidem ostendunt magnitudine maximum, quem portauit, & ante fores posuit, atque Temesensi heroi, qui tributum ab accolis exigebat, hanc potestatem eripuit. Accedēs enim in delubrum eius (quod uulgo inaccessum erat) cum ipso certamen iniuit; coegitque multò plura, quàm prædatus fuerat, rependere. Vnde etiam prouerbium manauit; quod de ijs, qui inutiliter lucrantur, dicitur, Venturū ad eos Temesensem heroa. Aelianus libro 8. de Varia historia. Paulò aliter de eo scribit Pausanias, inquiens: Euthymus post multas uictorias in Italiam reuertens Olymp. LXXXVII. Temeseum genium loci (quem comitem Vlyssis fuisse, ab oppidanisque, quia uirginem stuprasset, interemtum ferebant; & ob id uagari laruas eius, & nisi placaretur quotannis oblata uirgine, grassari solitas) interfecit, & liberatam uirginem in matrimonium duxit.

Pindarus ode 13. Olympiorum laudat XENOPHONTEM Corinthium stadij cursorem, qui uno die geminam uictoriam, alteram quinquatrij, alteram stadij adeptus est: eum etiam à multis uictorijs effert, Delphicis, Argiuis, Thebanis, Arcadicis, Pellenæis, Aeginetis, Sicyonijs, Megarensibus, Eleusinijs, Marathonicis, Aetnæis, & Eubœis. Denique addit, sexagies suauisonam boni præconis uocem insonuisse, hoc est, sexagies uictorem per Hellanodicem proclamatum esse.

Idem in Isthmijs encomio quinto, laudans LAMPONEM quendam inter fortes fortissimum, qualis est Naxia cos inter reliquas, inquit:

φαίης κέ νιν ἄνδρ' ἐν ἀθληταῖσιν ἔμμεν
Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις
χαλκοδάμαντ' ἀκόναν. id est,
Diceres sanè eum uirum inter athletas esse
Naxiam in cæteris saxis ferrique domitricem cotem. Erasmus in Adagijs.

GLYCONIS athletæ inuicti Horat. in Epistolis meminit.

Reges.

ANDROGEVS Minois F. cùm Aegeo regnante Athenas cōsensu omnium Atheniensium concessisset, in certaminibus athletas omnes superauit. Diod. lib.4. cap.5.

TYDEVS, Oenei Calydoniæ regis filius, quum Mycenis moraretur, neminem sibi uiribus conferendum reperit. Missus ad Eteoclem legatus, Thebanos ad quodlibet certaminis genus prouocauit, omniumq; euasit uictor. Quod quum ægrè ferrent, insidias in oportuno loco tetenderunt. Constituerunt enim iuuenes omnium fortissimos, qui transeūtem illac Tydeum interciperent, & obtruncarent. Quos omnes tamen interfecit. Tortellius lib.6.

Duces.

PHAYLLVS Crotoniata, nullam obtinuit Olympicam palmam: Pythicis uerò ludis de quinquertio duas, de stadio tertiam tulit. Idem nauali prælio cum Persis conflixit, cùm propriam nauem ædificasset, & in eā Crotoniatas omnes, qui fortè in Græcia tunc peregrinabantur, imposuisset. Huic Delphis statua posita fuit. Pausanias in Phocicis.

ARATVS Sicyonius Cliniæ F. puer septennis Abantidæ tyrānidem fugiens, cùm ingenuè educaretur Argis in hospitum & amicorum paternorum contubernio, corpusq; insurgere in bonum habitum & proceritatem uideret, ad meditationem contulit se palæstræ. Itaq; quinquertionem certauit, coronasq; obtinuit. Elucet nimirum & in simulacris eius figura athletica: uultusque grauis & maiestatis plenus non diffitetur athleticam uoracitatem & ligonem. Vnde minus forsitan, quàm in uiro in republ. uersaturo requirebatur, ad dicendum incubuit. Plut. in Arato.

EVALCIDAS Eretriēorum dux, donatus laurea in certaminibus, & à Simonide Ceo maiorem in modum celebratus, à Persis Ephesi interfectus est, quando Iones à Dario defecerant. Herodotus lib.5.

Politici.

GORGVS Messenius, nulli ciuium opibus & nobilitate secundus, adulta ætate pugil celeberrimus euasit. Nam & splendore, & uitæ instituto, atque etiam numero coronarum, nemini suæ ætatis cedebat. Idem gymnicis certaminibus relictis, cùm ad Rempublicam gerendam & patriæ negotia procuranda se contulisset, in eo quoque genere gloriam non minorem illa uetere est consecutus. Nam & plurimum abesse à stupore, pugilibus alioqui & athletis uulgò inesse solito, & summa industria prudētiaq; præditus esse in publicis negocijs administrandis putabatur. Suidas.

Docti homines.

POMPONIVS Marullus grammaticus, pugil fortissimus fuit, ut Asinij Galli in eum epigramma ostendit:

Qui caput ad læuam didicit, glossemata nobis
Præcipit: os nullum, uel potiùs pugilis.

Tranquillus de illustribus Grammaticis.

Pueri.

Puerorum certamina nullo ueteris memorię exemplo Elei in Olym-

Olympicis ludis instituerunt. De cursu & lucta trigesimaseptima Olympiade HIPPOSTHENES Lacon luctæ, POLYNICES Eleus cursus palmam accepit. At Olympiade quadragesimaprima, in cæstuum pugna PHILETAS Sybaritanus uicit. Olympiade octuagesimasexta PANTARCES Eleus de lucta. Olymp. 145. pancratio reuocato uicit PHÆDIMVS Aeolensis, cùm prius 38. Olymp. quinquertio uicisset EVTELIDAS Lacon.

Virgines.

SPARTANIS uirginibus magis palæstricus puluis, uenaticus labor, & militia in studio fuit, quàm fertilitas filiorum. Cic. lib. 2. Tusc. quæst. Cursu, palæstra, disco, iaculo, exercebantur, ut otio & muliebribus delicijs sublatis, robustiores ad tolerandos partus fierent. Nudæ, ut pueri, in aperto uersari, saltare, & cantare in sacris quibusdam, præsentib. spectantibusq; iuuenibus. Nudatio illa nihil turpe habuit: aderat namq; uerecundia, petulantia omnis aberat. Hinc illa indoles tempestiuaq; in Laconicis feminis ad omnia prõtitudo. Sabell. lib. 1. Enneadis 2.

QVO STVDIO.

Multo.

Plato in Theeteto significat apud LACEDÆMONIOS hũc fuisse morem, ut in publicis certaminibus neminem cogerent ad congressum, sed legem edicebant, ἢ ἄπιθι, ἢ ἀποδύεσθαι, id est, Aut abire, aut exui. Græcis autem ἀποδύεσθαι dicuntur, qui se parant certamini, quòd campestriati luctarentur olim, cætera nudi. Erasmus in Adagijs. Decertantium in Olympijs corpora oleo perfundi, & nudari, primi edocuere. Vnde primus fuit, qui corpus suum in certamine nudauit, Acanthus Lacedæmonius, cùm antea pudor corpora nudari prohibuisset.

Τὸν ἐν Σάμῳ κομήτην: id est, Samium comatum, dicebant eum, qui antè ignau⁹ habitus, præclariùs expectatione sese gessisset in negotio. Aiunt PVGILEM quempiam apud Samios fuisse, qui cùm ab aduersarijs haberetur ludibrio, quòd comatus esset, commissus cum illis, uicit. Vnde in prouerbium abijt, quoties quis certamen suscipit cum ijs, quos præter opinionem experitur sese uiribus superiores. Recensetur in Plutarchi Collectaneis. Erasmus.

AEGLES Samius athleta mutus, cùm ei uictoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus, uocalis euasit. Val. lib. 1. cap. 8. & Gell. lib. 5. cap. 9.

Nullo.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus dux oderat athleticas exercitationes, quòd audiret athleticũ corpus cum militari omnibus partibus pugnare, & uiuendi atque exercendi ratio alia esset. Plut. in Philopœmene.

FINIS.

Athleticæ finis præcipuus est τὸ ἆθλον, præmium ipsum, corona oleagina, uel quercina, uel quæuis alia. Itaque Xerxe in Græciam irrumpente, cùm Græci otiosi Olympia spectarent, & uictoriæ præmium non precio, sed honore tantum constare Artabanus audiuisset, ad Mardonium conuersus, inquit, Et quæ te ergo mala mens induxit, ut expeditionis suscipiendæ auctor regi esses contra eos, quibus non utilitatis sed uirtutis certamina sunt proposita? Per accidens uerò finem quoq; habere potest sanitatem. At Gymnastica sanitatem per se, præmium per accidens.

STRATON Choragi F. ex splene laborans, ualetudinis causa gymnicis operam dedit: & tantum breui profecit, ut pãcratiastes euaserit nobiliss. Aelian. lib. 4. Var. hist.

HYSMON Eleus, puer adhuc, ob neruorum imbecillitatẽ ad quinquertium animum adiecit: eaq; occasione athleta factus est clarissimus. Pausanias lib. 6.

LOCVS. GYMNASIA Corporum

Generatim.

Athenis tria gymnasia extra urbem fuere, duo liberorum, ACADEMIA (ab Academo heroe dicta) & LYCEVM, uel à Pisistrato, ut Theopompus, uel ut Philochorus Pericle curante factum, ubi ante bellum exercebantur, & lustrabantur. Suidas. Tertium Spuriorum, CYNOSARGES. Nam cùm olim Diomus quidam Atheniensis, autore Stephano (Suidas Didymum ponit) sacrificaret Herculi, canis quidam albus, aut, ut alij dicunt, uelox aquila, uictimæ partem abreptam in locum quendam deposuit. Quo prodigio territus, cùm deum consuluisset, responsum est, ut eo in loco Herculi sacellum extrueret, in quem uictima deportata fuisset: nam eum Herculi placere. Porrò, quoniam Hercules nothus fuit, utpote ex adultera natus, & tamen uirtute sua dijs æquum honorem assecutus: idcirco uisum est, ut inibi qui spurij fuissent, & neq; patris neq; matris nomine ciues, exercerentur. Huc Themistocles adhuc adolescens arte pelliciebat etiã ingenuos aliquot adolescentes, quo paulatim tolleret nothorum & legitimorũ discrimen. Plut. in Themistocle, & Eras. in Adag. εἰς κυνόσαργες.

Speciatim.

Gymnasia antiquorum primò pro corporis exercitijs (ἀπὸ τοῦ γυμνάζεσθαι) instituta fuere, pòst etiã animorum exercitio inseruierunt. Quando quidẽ enim eò cõfluebant iuuenes, Sophistæ primùm eos ibi captare & uenari cœpere (sic in Sophista Plato, Sophistam definit uenatorem ζώων ἡμέρων λογικῶν) mox etiam philosophi. Constat etiam Cleanthem Assium Athenas pugilem profectũ, in gymnasio philosophiæ captum amore, primùm Cratetis Cynici, dein Zenonis Citiæi Stoici discipulum, eidem in schola successisse. Hinc etiam prouerb. Discum quàm philosophum audire malũt. Et Laertius ait Arist. cum discipulis philosophari solitum usque ad ungendi tempus. Gymnasiorum loca uaria, alia exercitijs Animi, alia Corporis destinata. Animi loca primũ tecta contra iniurias aeris, Porticus uariæ, in quibus exedræ erant, philosophis & rhetoribus datæ, ubi sedere licebat & ambulare. Loca aperta, tempore sereno, tum æstate, tum hyeme, in quibus deambulabant: puta in Vijs, quę inter porticus & muros erant sitæ, ad subministrandam porticibus ac cellis lucem: in Xystis item siue Peridromidibus (Plato δρόμους) arena cõspersis. Erant autem, teste Vitruuio, subdiales ambulationes, ubi hyeme tempestate leni uel æstate semper deambulabant è porticu pdeuntes, & uel Nudæ illæ, uel Platanis alijsúe arboribus consitæ. Corporis uerò exercitijs tum præparandis, tum obeundis, loca in Gymnasijs destinata fuerunt. Præparationi primùm ea, in quibus conueniebant & deliberabant, quid acturi, quid exercitaturi, Ephebæum. tum ea, in quib. accingebant se ad corporis exercitium uel cultum, non unius generis. Etenim in alio loco Vestes ponebant, ἀποδυτήριον & γυμναστήριον (Mercurialis putat hoc fuisse Coriceum Vitruuij. An fortè & nudationi & tonsuræ sufficeit, & Coriceum quasi Couriceum, hoc est, Tonstrina dicitur, à digniori nomen trahens?) in alio uerò Vngebantur (ἐλαιοθέσιον & ἀλειπτήριον, Vnctuarium) ante exercitationes (inde statim puluere aspergebatur in altero loco, quem Κονιστήριον dixere) Post etiam exercitationes, defricabantur, & iterum ungebãtur, interdum à mediastinis & reunctoribus. Post balnea itidẽ ungebantur. Et hæc loca præparationi inseruiebãt. At loca exercitijs corporis obeundis commodantia alia ad exercitium, alia ad cultum faciebant. Ad exercitium quidem uel communia omnibus, uel propria athletis. Communia omnibus qui exerceri uellent, sanitatis uel uoluptatis causa, Lucta, Pugillatu, Disco, Cursu, Saltu, (ad quæ reliqua, ut Hastæ, Iaculi, Pilæ, Follis, referuntur. Pancratium ex lucta & pugilatu componitur.) Ex his alia locum peculiarem requirebant, ut Lucta & Pugilatus PALÆSTRAM (ubi etiam Pancratiastæ) Pila, SPHÆRISTERIVM (ibi etiam fortè Discus & Follis) alia non requirebant, ut Cursus & Saltus, cùm fieri possent tum in VIIS, tum in XYSTIS, uel nudis, uel arborib. consitis. Athletarũ uerò, qui præmij causa decertabant, propria erant loca aere Sereno, sub dio Stadium: turbido autem, Xystus tectus siue Arena. Hæc ex Vitruuio, & H. Mercurialis Gymnasticis.

XYSTI fuêre longæ porticus, ampla latitudine, & gymnasia, ubi ambulationes essent, & arbores plerunque digestæ: in quibus athletæ hybernis sæpe temporibus luctabantur: quas Græci hypæthras seu paradromidas dicunt. Alexand. libro 3. capite nono.

Ex Plinij & aliorum auctoritatibus compertum est, SPHÆRISTERIVM locum fuisse circularem, qui plures capiebat circulos, & spacia uarijs lusibus distincta, à sphærica figura dictum, demulcendi laxandiq; corporis, & animi remittendi causa, à summis uiris, & magnis honorib. functis intra ædes, nonnunquam in thermis extructum. Erãt enim loca deambulationi, quieti, & cursui, tum luctę, iaculationi & palæstræ accommoda. Sicut TRIGON locus triquetro similis, ubi pila exercebantur & ludo, Gręcis frequens erat. In hoc enim ad ualetudinem tuendam Vespasianum Imp. remisso à negotijs animo, membra defricare solitum, Suetonius memorat: & Alexandrum Seuerum, teste Lampridio, in sphæristerio luctari, & currere, ac molliter exerceri accepimus. Alex. lib. 3. cap. 14.

TEMPVS.

Quotidie GRÆCOS in gymnasijs exerceri solitos constat, tum ualetudinis causa, tum uerò ut in sacris ludis Olympiorum, quolibet quinquennio celebrari solitorum, ad ludis Olympij, quid Elide est, templum, uirium specimen in totius Græciæ oculis ederent: tanto cum omnium applausu, ut ab hac ipsa panegyri Olympica annorum deinceps seriem deducere Græci instituerint.

CVR-

CVRSVS CERTAMINA. CVRSORES ATHLETICI.

QVI. Puta

Pueri.

POLYMNESTOR Milesius puer, capras pascens, ludicro leporem consecutus est: & ob id statim productus à gregis domino, Olympiade 46. in stadio meruit coronam. Solinus capite sexto.

DAMISCVS Messenius annos natus duodecim, uno posteaquam Messene restituta est anno, ludos Eleis facientibus, pueros de stadio uicit. Et quinque pòst hanc ei partim Nemeæ, partim uerò Isthmicæ uictoriæ obtigere. Messenij ei statuam in Alti posuere. Pausanias lib. 6.

SOSTRATVS Pellenæus pueros in stadio cursu uicit. Pausanias in Achaicis.

Alcinous Eleus DINOLOCHVM, Troilum atque Pyrrhum habuit filios, Olympicis palmis celebres. Vxor Alcinoi per quietem uidere sibi uisa est, filium Dinomachum se coronatum in complexum suum recepisse. Eo somnio monitus puer, strenuè se ad gymnicorum certamina exercuit. Cùm autem pueros competitores cursu anteuertisset, ei statuam posuere in Alti, quam fecit Cleon Sicyonius. Pausanias l. 6.

Viri.

In ludis exequialibus (quos in Sicilia ad Anchisæ tumulum celebrauit Aeneas) stadiodromi seu decursores in stadio fuerunt EVRYALVS, NYSVS, Diores, Salius, Patron, Helymus, & Panopes. Aeneid. 7.

COROEBVS Eleus primus, post restitutos ab Iphito ludos Olympicos, cursu uicit. Extat eius sepulcrum in Eleorum finibus. Pausanias lib. 5.

Grauioris armaturæ peditum cursus in Olympium stadium cum plausu receptus est 65. Olymp. Qui cum scutis decurrerunt, eos primus uicit DEMARATVS Heræensis. Pausanias libro quinto.

HYPENVS athleta primus diaulo uicit. Pausanias.

SOTADES longioris curriculi uictor Olympiade 99. Cretensis, uti fuit, renunciatus est. Ea uerò, quæ consecuta est Olympiade, accepta publicè ab Ephesijs pecunia, Ephesium se prodi maluit. Quo crimine ei exilij pœna est à Cretensibus inflicta. Pausanias lib. 6.

ASBYLVS Crotoniata, ut ait Pausanias, uictor Olympiæ ter, continua serie, stadio ac diaulo. Huius Plato meminit lib. de Repub. ubi eum castitate perpetua ob cursus studium præditum commemorat.

PHILINVS Hegepolidis F. de cursu Olympicas quinq;, Pythicas quatuor, Nemeorum totidem, ab Isthmo unam ampliùs quam decem palmas abstulit. Ei igitur Coi in Olympia statuam posuere. Pausanias lib. 6.

ASTYLVS Crotoniata, Olympicas tris de cursu repetito siue diaulo palmas tulit. Is Hieronis Dinomenis filij studio adductus, Syracusanum se renunciandũ curauit. Crotoniatæ infamiæ causa eius domum ad publici carceris usum destinarunt, & statuam in Lacedæmoniæ Iunonis fano dedicatam euerterunt. Pausanias lib. 6.

In Laconia ad Eurotam amnem LADÆ monimẽtum est, qui pedum celeritate suos omnes æquales uicit. Is in Olympicis ludis de longiore curriculo est coronatus. Atque inde, post uictoriam huc reportatus, cùm diem suum obisset, supra militarem uiam humatus est. Pausanias in Laconicis. Extat in eum tale Epigramma in 4. Epigrammatum:

Λάδας τὸ στάδιον εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,
Δαιμόνιον τὸ τάχος, οὐδὲ φράσαι δυνατόν.

EVPOLEMVS Eleus uicit in stadio ludis Olympicis uiros: è Pythicis uerò coronas duas, unam è Nemeis reportauit. De eo proditus est sermo, cùm ad curriculi metam ædiles tres assedissent, ex ijs duos palmam Eupolemo dedisse, tertium Leonti Ambraciotæ. Leontem eorum utrumque, quorum sententia inferior discesserat, cùm ad Olympicum senatum prouocasset, ære graui condemnasse. Pausanias libro sexto.

DICON Callibroti filius, quinque è Pythico curriculo, tres ab Isthmico, quatuor è Nemeis, unam de pueris, duas de uiris, ex Olympicis palmas tulit. Atque ei quidem totidem statuæ, quot uictoriæ fuêre, erectæ sunt in Olympia. Et puer sanè Caulonates (sicuti fuit, oppidum id est Italiæ, Achæorum colonia) renunciatus est. At uir iam factus, Syracusanus ut nominaretur, precio obtinuit. Pausanias lib. 6.

ERGOTELES Philanoris filius, qui duas longioris curriculi in Olympia, totidem in Isthmicis, Pythicis, Nemeis palmas est adeptus, non Himeræus fuit (quod inscriptio statuæ in Olympia indicat) sed Cretensis è Gnosso, unde seditione pulsus, ab Himeræis, ad quos profugerat, est in ciuitatem receptus, & alijs item honoribus affectus. Quare merito uictor Himeræ adscribitur. Pausanias libro sexto. Extat in hunc Pindari hymnus.

In Dymæorum (qui Achæi sunt) finibus OEBOTÆ cursoris uictoriæ monimentum extat: qui cùm primus ex Achæis Olympiæ coronam meruisset, neque ullum apud ciues suos eo nomine præcipuum honorem esset adeptus; imprecatum Achęis aiunt, ne quis ipsorum unquam palmam Olympicam ferret. Achæi mirantes se Olympicarum palmarum compotes fieri nunquam ampliùs potuisse; Delphos ad oraculum miserunt. Et tunc quidem cùm & alia in Oebotæ honorem instituissent, uirique statuam in Olympiam misissent, mox SOSTRATVS Pellenæus in stadio pueros uicit. Et hac etiamnum ætate Achæis athletis solenne, ut priusquam in certamen descendant, Oebotæ parentent, eiusq; statuæ uictores coronam imponãt. Pauf. in Achaicis.

Stymphalius DROMEVS, congruenti sanè cum exercitatione nomine, de longiore curriculo Olympicas duas, totidẽ Pythicas, Isthmiacas tres, quinq; Nemeacas meruit. Primũ carnibus uesci cœpisse ferunt, cùm athletæ ante ipsum caseo è fiscellis alerentur. Pauf. lib. 6.

EVBOTAS Cyrenæus, cùm ei Ammonis oraculum, uictoriã è curriculo prædixisset, statuam antè ipsi faciundam sibi curauit, eamq;, quo die palmam est adeptus, in Olympia dedicauit. Vicisse eũdem etiam curruli certamine ea ipsa Olympiade memorant. Pausanias lib. 6.

POLIS è Ceramo Thraciæ oppido, omnem in Olympia pernicitatis laudem est meritus. Quod enim curriculi spacium antè lentiùs multo confici solitum fuerat, ad summam ipse breuitatem & celeritatem temporis contulit: eodemq; die de longiore curriculo, deque stadio & repetito cursu coronam cepit: & alterum quidem iterum curriculum ingressus. Neque enim uniuersos, sed quatuor, ut quibusque primis sors obtigerit, è carceribus emittunt: quique ex ordinibus singulis uicerint, ijs rursus, cum aliorum ordinum uictoribus, de eodem præmio decertandum. Quo fit, ut cui fuerit corona decreta, is palmam duplicem auferat. In eo cursus genere excelluit LEONIDAS Rhodius: is enim est quatuor Olympiadum præmia cõsecutus: nempe qui, cùm nulli aduersariorum succubuisset, duodecim palmas unus abstulerit. Pausanias lib. 6.

Plin. lib. 7. cap. 20. suo tempore QVOSDAM in circo CLXM passuum tolerasse scribit.

De PHÆDIMO & DIMANTE, Statius lib. 6. Theb.

Et bis in Isthmiaca uictor clamatus arena
Phædimus, alipedumque fugam prægressus equorum
Antè Dimas. ——

LASTHENES Thebanus ab Choromo Thebas usque cum equo contendit, & uictor fuit. Alexander ab Alexandro libro secundo, cap. 21.

HARALDVS Hybernus, Noruagiæ rex, pignore deposito cursu audebat contendere cum citatissimis equis. Vtrique enim brachio bacillum subijciens, tanta celeritate se promouebat, ut equi illum æquare non possent. Idem inter nauigandum à prora, per remorum capita in puppim currẽs, inde uicissim in proram redibat. Cranzius lib. 5. Noruagiæ cap. 6. & Saxo lib. 14.

Virgines.

VIRGINES quoque cursu in Elide certare posteriorib. temporibus consueuisse, memoriæ proditum.

ATALANTA uenatrix Arcadica uelocissima, cum procis cursu certabat, uictos trucidabat. Astutè tandem ab Hippomene uincitur. Vide fabulam apud Ouidium X. Metamorph. & Statium lib. 6. Thebaid. & Sidonium.

Memoriæ proditum est, CHLORIDEM Amphionis filiam, solam cum unico de marium fratrum numero superstitem è tota sobole, de uirginum cursu Olympiæ in ludis Heræis palmam tulisse. Pausanias lib. 5.

QVOMODO. CVRSVS differentiæ.

Cursus olim à quantitate uariatus. Minimus fuit stadij unius, quod CCXXV passus capiebat. Duplex stadium erat in lõgum δόλιχος: id quod uox ipsa declarat. Quum uerò decursum relegerent stadium sine intermissione recurrendo, δίαυλον nominabant. Apud Platonem in octauo de Legibus δόλιχον maioris esse laboris, quàm δίαυλον, scriptum est. Scaliger libro primo, capite uigesimosecundo. DIAVLVM intelligebant, cursum duplicem, obeundi scilicet stadium, ac mox regrediendi. Proinde Aristophanis interpres locum, qui stadia contineat duo, nomine eo intelligit, aut mensuram cubitorum σ, id est ducentorum. DOLICHVS uerò sæpius est repetitus cursus, aut ubi septem cursum

 Nam

cebantur nudæ. Quod studium Plato nequaquam improbauit: censuitq; ut non modò puellæ, sed & anus luctarentur cum uiris, ut patientes laborum facilè res arduas subirent. Quorū studio in posterū adeò affecti sunt, ut gymnasia & palęstras ita occupasse animos eorum tradant, ut pro fortibus militibus se bonos palæstritas & athletas dici potius exoptarint. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

In CHIO insula in gymnasia cursusq; accedere suauissimum est, iuuenesq; luctantes cum puellis intueri. Athenæus lib. 13. capite 7.

PVGILES. PVGILVM CERTAMINA.

Pugil, πυκτής, qui pugno plagas impingere potest, & solo percussu aduersariū prosternere. Hinc πληκτικός, percussor, ab usu percutiendi, dicitur Arist. & Polluci. Primum certamen olim pugnis nudis factum est, itaq; πὺξ Græcis, & πύκτης pugil: Latinis Pugna inde, atq; etiam Pugnus: quoniam manus, quæ erat antea passa, & μανὴς, unde nomen habet, clausis digitis effecta est πυκνή, densa. Pugnis addita lora ad munimentum: propterea quòd nudi quum ferirent, sæpè plus damni acciperent quàm facerent. Ea lora Græco uocabulo Cestus dicti (κεστὸν enim cingulū) breuia initiò: mox, ne excussa exuerentur in ictibus, tum cubito tum humero alligabātur. Postremò ferrum plumbumq; assutum est, sæuissimo spectaculo. Cerebrum enim ac guttur facillimè elidebant. Idcirco aurium munimenta induebant, ἀμφώτιδας. Pilæ plumbeæ Sphęræ dicuntur, unde σφαιρομαχία & σφαιρομαχεῖν. Tota ars, ictum uitare, non fuga, sed corporis inclinationibus & flexionibus. Tum autē excipere ictum ictu, si sit fortior. Postremò ne inferre ictū frustrà: cōcidebāt enim plumbi onere præcipites acti, si impensius niterentur uerberare. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 22. & Cæl. libro 13. Antiquarum Lectionum.

HERCVLES rediens ex Hispania, cùm per Italiam ad mare descendisset, apprimè angustum, utpote tredecim stadijs latum, sicut Timęus asserit, boues quidem nando in Siciliam appulêre, ipse cornu bouis innixus mare traiecit. Cupiens autem circumire Siciliam, à Peloro ad Erycem cùm peruenisset, perambulanti litus, ferūt Nymphas ei calidas aquas in requiem corporis parasse. Appropinquantem suæ ditionis locis Herculem, ad palæstram prouocauit Eryx, Veneris ac Butæ eius oræ regis filius. Orta præmij contentione, cùm Eryx patriam, Hercules præmiū certaminis boues offerret: indignatus primùm Eryx dicitur, boues minoris æstimationis suæ regioni comparari: Herculem uerò respondisse, boues sibi pluris esse: quibus si priuaretur, immortalitatem esset amissurus. His acquiescens Eryx, in eo certamine uictus, patria spoliatus est. Eam postmodum incolis liberam ea conditione dedit, ut fructibus illius fruerentur, quoad aliquis ex suis posteris ad ea loca transiret. Quod & ita contigit. Multis enim postea seculis Dorieus Lacedæmonius ad Siciliam nauigās, ea regione recepta, Heracleā urbem condidit. Quæ cùm breui creuisset opibus, Carthaginenses tum inuidia, tum timore, ne quando uiribus aucta, Pœnorum imperium deleret, magnis copijs à se obsessam captamq; euertêre. Diodorus lib. 4. cap. 3.

Cæstuum ludicrū Olympiade uigesimatertia restitutū Elide. In quo uicit ONOMASTVS Smyrnæus. Pausanias lib 5.

Ex duobus Tyndaridis Castor fuit equitatu clarus, POLLVX pugillatu. Ouidius:

> Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil. & Horatius:
> Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem Pugnis.

AMYCVS Bebryciorum rex, filius Neptuni, cæstibus clarus, quem occidit Pollux. Sidonius:

> Sparta Therapnæa pugilem cum gymnade pinguem
> Stratum Bebrycijs Amycum suspexit arenis.

BVTES Amyci filius, & ERYX Butæ, illustres pugiles. Butem Dares interfecit. Eryx magister fuit ENTELLI, cuius cæstus Entellus ipse in DARETA certaturus protulit. Vergilius lib. 5. Aeneidos.

In Nemeis ludis cùm CREVGAS Dyrrachinus pugil, & DAMOXENVS Syracusanus diem pugillatu ad uesperum exemissent, inter eos ita conuenerat, cuncta audiente spectatorum corona, ut uicissim alter, in quam iussus esset corporis partem, singulas alterius plagas acciperet. Nondum instituerant pugiles cæstus, attenuato in acutum loro, ad utriusq; manus articulum, quem Græci καρπὸν uocant, religare: sed è crudo bouis corio, implicatis arte quadam uetere inter se torulis (Melichas appellabant) & ad uolas reuinctis depugnabant. Quo fiebat, ut digiti nudi relinquerentur. Tunc quidem Creugas prior Damoxeno in caput plagam inflixit. Iussit hic illum manum immotam sustinere. Quod cùm ille fecisset, Damoxenus infestis digitis partem alui petijt, quæ infra costas est. Ea uerò fuit cùm unguium duritia, tum incursionis impetus, ut immissis utrinque manibus uiscera apprehenderit, eaq; dilaniata extraxerit. Expirauit statim Creugas. Argiui Damoxenum, quòd pactis non stetisset, quippe qui non uno, sed pluribus uulneribus aduersarium confecisset, exilio multarunt: Creugę iam mortuo palmam detulerūt, eidemq; statuam Argis posuerunt, quæ ad Pausaniæ usq; ætatem in Lycij Apollinis fuit. Pausanias in Arcadicis.

CLEOMEDES Astypalæus Iccum Epidaurium pugilem armatum unico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, quum à iudicibus in ius uocaretur, per forum abiens, columnam (qua ludi literarij domus fulciebatur) disiecit, eaq; ruina pueros omnes adobruit. Alij dicunt, fugientem in Mineruæ templo arcam ingressum, operculo se obtexisse, ubi nusquam repertus sit. Plutarchus in uita Romuli: & Pausanias libro sexto.

BYCELLVS primus è cunctis Sicyonijs Olympiæ pueros in pugilatu uicit. Pausanias lib. 6.

GLAVCVS Carystius, ex Anthedone Bœotiorum (oriundū à Glauco marino deo memorant) patrem habuit Carystiū Demylum. In agro uerò colendo à puero uersatum tradūt. Cumq; fortè refixum uomerem manu pro malleo usus restituisset in pristinū aratri locum, patrem, cùm id animaduertisset, puerum in Olympicum pugilatum deduxisse. Vbi cùm Glaucus ab aduersarijs malè multaretur, quippé qui prorsus erat artis eius inscius: cumq; congressus cum eo, cui extrema obtigerat sors certaminis, uulneribꝰ iam propè confectus succumberet, inclamasse dicitur pater, Illam, fili, ab aratro. Ea itaq; uoce puerum excitatum, acri plaga aduersario pulso mox uictorem iudicatum. Coronas idem cepisse dicitur Pythiorum duas, octonas Nemeorum, & Isthmiorum. Glauco filius statuam posuit, opifex fuit Glaucias Aegineta. Vmbratilis pugnę habitum pṛę se fert, quòd omnium suæ ætatis manus ad certā legem mouerit aptissimè. Cùm decessisset, à Carystijs in insula sepultū tradunt, quæ ab eo Glauci nomen habuit. Pausanias lib. 6.

EVRYDAMAS Cyrenæus, quum in cæstuum pugna uictoriam adeptus esset, in ea ipsa pugna dentes ab aduersario decussos absorpsit, ne qui contrà luctaretur animaduerteret. Aelianus lib. 10. de Varia historia.

HIPPOMACHVS Elæus, Machaonis F. pueros cæstu uicit in Olympia, tresq; aduersarios perculit, neq; plaga neque uulnere in ulla corporis parte accepto. Pausanias lib. 6.

Ferunt HERACLIDEM fuisse pugilem, infiniti propè cibi potusque capacem. Non reperiebatur illi par in potando. Alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, ad cœnam alios, postremos ad comessationem. Recedentibus primis iungebantur secundi, omnibusq; sufficiebat solus. Cælius lib. 16. cap. 16.

NICODORVS Mantinæus pugil nobilis, simul & philosophus, quantum gloriæ in certaminibus patriæ attulit, tantum, ætate iam prouecta certare desinens, legibus & institutis consuluit. Aelianus lib. 2. de Varia historia.

DEMARCHVS Parrhasius Arcas, pugil in Olympia uicit. Hunc in Iouis Lycæi sacris in lupum se uertere, ac decimo rursus anno pristinam recipere hominis figuram, fabulati sunt. Pausanias lib. 6.

ARCHIPPVS Mitylenæus, cęstibus illustris. Coronas Olympicas, Pythicas & Isthmicas cepit, cùm annum nondum excessisset uicesimum. Pausanias lib. 6.

EPITHERSES Metrodori filius, ex Erythris Ioniæ, nobilis pugil, in quatuor certaminibus uictor. Pausanias.

ALCOENETVS Lepreates, Theanthi F. puerilem coronam, mox etiam uirilem è cæstuum certamine, Olympiæ retulit. Eius filij Hellanicus 89. mox Theāthus nonagesima Olympiade, de puerili pugilatu uictores sunt renunciati. Pausanias libro sexto.

DIAGORAS pugil, cum ACVSILAO F. & tota prole statuas habent Olympiæ in Alti, Iouis luco positas. Pausanias libro sexto.

DIOXIPPVS Atheniensis pugil Horatam Macedonem ex inuidia se ad singulare certamen prouocantem, uarijsque maledictis insectantem, primo cōgressu superauit. Diodorus libro 17. & Sabellicus libro sexto Enneadis quartæ, & Aelianus libro decimo.

Suidas MVREM ait, athletam quondam, seu pugilem Tarentinum, in Olympiacis certaminibus apud Pisam semel duntaxat uictorem discessisse, idq; plurimis acceptis plagis: atque inde natum prouerbium, Quanta mus apud Pisam. subaudi, tulit. Erasmus in Adagijs.

HOPLO-

HOPLOMACHI. GLADIATORES.

Armorum appellatione intelligimus ea, quæ punctim cæsim'ue aduersarij manu corporis unitatem soluunt, & uulnus inferunt.

EXTRA THEATRVM.

Consule Tit. Monomachiæ.

Apud Nasamones, à uirginibus quotannis ad TRITONIDIS paludem certamen edi, memoriæ proditum est: quo nō cursu, sed pugnis & fustibus certabant. Ex quibus si quę ictu concidisset, falsa censebatur uirgo: uictrix uerò armata uectabatur curru. Alexander ab Alexandro libro quinto, cap. 8. ex Herodoto.

PHRYNONEM ducem Atheniensium clarissimum Pittacus Mitylenæus singulari contendens certamine, reti sub clypeo latēte inuoluit, atq; hoc modo superauit. Herodotus.

ARISTOMENES Messenius solus CCC Lacedæmonas occidit. Tandem uulneratus & captus, mortem per cuniculos subterraneasq; cauernas effugit. Iterum captus, custodib. somno sepultis, accessit ad ignem, & lora combussit. Tertio captum quum Spartani dissecuissent, introspexissentq; qualis esset, repertus est hirsuto corde. Plinius libro undecimo capite 37.

M. SERVILIVS, uir consularis, tricies & uigesies in singulari certamine pugnauit, ac semper trucidauit hostem. Plutarchus in Aemilio.

AEMILIVS Lepidus puer adhuc in aciem progressus, hostē interemit, & ciuem seruauit: cui propter id Romæ in Capitolio posita est statua bullata.

IN THEATRO, SPECTANTIBVS alijs. Sic armati congrediuntur

Pedites, Gladiatores, Xystici.

XYSTICI sunt dicti, quòd in xystis & longis porticibus exercebātur: uel à Græco uerbo ξυστὸς, quod est hasta, quòd hastis depugnarent uelut gladiatores. Hinc xystarchus, qui gymnasio præesset. Alex. lib. 3. cap. 9.

GLADIATORVM genera sunt Retiarij, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces. Horum magistri dicuntur Lanistæ, qui gladiaturam domi exercebant, instituebantq; tyrones, quos uendebant munerarijs. Erant Munerarij spectaculorum exhibitores, qui ludos gladiatorios populo exhibebant, Græcis Agonothetæ. Retiarij pugnabant in Mirmillonem, uocabulo à rete deducto, quod sub scuto ferebant, ut inuoluerent inimicum. Mirmillones nomen habuerunt à Mirmillonio genere armaturę Gallicæ, quo utebantur. Retiarij tunica utebantur, & fuscina. Sueton. Retiarij, inquit, tunicati quinq; numero gregatim dimicantes sine certamine ullo, totidē secutoribus succubuerant: quum occidi iuberentur, unus resumta fuscina, omnes interemit. Secutor galeam ferebat, & clypeum falcemq; supinam: Retiarius galerum tantùm. Iuuen. Satyra octaua:

> Nec galea frontem abscondit, mouet ecce tridentem.

Nicolaus Damascenus Peripateticus, historia CX. de ROMANIS sic scribit: Gladiatorum spectacula non in cōuentibus solùm, aut in theatris Romani exhibebant, quam cōsuetudinem primùm acceperant à Tyrrhenis, uerùm etiam in priuatis conuiuijs. Multi siquidem sæpius amicos ad cœnam inuitarunt cùm alijs de causis, tum ut duo uel tria gladiatorum paria cernerent. Postea cùm uino iam & cibo saturati essent, gladiatores intrò aduocabant: qui dum alter eorum iugularetur, quasi magnopere delectati, applaudebant: usqueadeò ut in testamēto etiam quidam reliquerit, ut formosissimæ mulieres, quas possidebat, digladiarentur: alius impuberes pueros, qui illum amauerant, huic forti exposuerit. Quam tamen iniuriam populus abrogauit. Eratosthenes libro primo Rerum Olympicarū, TYRRHENOS, inquit, pugnis ad tibiam decertare solitos. At Posidonius libro Historiarū uigesimotertio, CELTAS ait inter cœnandum singulari certamine pugnare, ut nisi præsentes eos distraherent, ad interitum usq; pugnaretur. Multis animalium membris appositis, partem is, qui fortissimus esset, capiebat. Si quis autem eum prohibere uoluisset, insurgebant ad mortem usq; singulari certamine dimicantes. Athen. lib. 4. cap. 17.

POLYDAMANTIS athletæ fama permotus rex Darius, Artoxerxis filius, magnę mercedis pactione Susa pellicuit. Eò quum uenisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos (qui unà ex prouocatione arma susceperant in aduersarium) solus contrucidauit. Suidas.

DIOXIPPVS miles Alexandri Magni, mira fortitudine prouocatus à Corrhago milite Macedone, claua eum occidit. Aelianus & Q. Curtius. Alij ob regis interuētum hosti iam resupinato pepercisse scribunt.

Posteaquam Cassander ex Bœotia rediens regem sepeliuit Aegis, reginamq;, & unà cum illis Cynnam Eurydices matrem, reliquosq; honores, quibus decorare conueniebat, instituit, monomachiæ certamē addidit, ad quod quatuor MILITES accesserunt. Athen. lib. 4. cap. 17.

TRITANVS gladiator (quem patria Samnitem fuisse, Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis affirmat) tantùm rectis & transuersis neruis cancellatis non modò in crate pectoris, sed & in manibus & brachijs prȩditus, omnes aduersarios leui tactu, ac penè securis congressionibus uicit. Solinus capite quarto Polyhist. & Plinius libro septimo capite uigesimo.

Eius FILIVM militem patri similem sub Cn. Pompeij patrē meruisse aiunt: & hostem ita spreuisse, ut inermi dextra cum uno digito superarit, & captum in castra sui imperatoris reportarit. Solinus capite quarto Polyhist. & Plinius libro septimo capite 20.

SPARTACVS gladiator Thrax genere, unà cum Chryso & Oenomato, effracto Lentuli ludo gladiatorio, Capua erupit cum LXX gladiatoribus: collectoq; exulum & fugitiuorum non paruo exercitu, bellum ingens cōcitauit. Vide Titulum, Serui perfidi erga dominos.

SABINVS gladiator, ob insigne robur ad Tribunatum euectus, & Germanis Caij Imp. satellitibus præfectus fuit. Iosephus libro 19. cap. 1.

ERSENIVS & PACIDIANVS gladiatores nobilissimi. A quibus natum adagium, Ersenius cum Pacidiano. Cicero de perfecto Oratore: A' me autem (quo maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines tanquam Ersenius, non spurcus homo, sed doctus & acer, cum Pacidiano hìc cōponitur, optimus longè post homines natos.

Horatius VEIANII gladiatoris meminit in principio Epistolarum: ——Veianius armis

> Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
> Ne populum extrema toties exoret arena.

SPICVLVM gladiatorem Romani Neronis statuis subiectū in foro perdiderunt. Plutarchus.

BITHVS & BACCHIVS, gladiatores pares arte & audacia. Hinc adagium, Bithus contra Bacchium, quum duo æqualiter improbi contendunt inter sese. Nam quum multos interfecissēt, tandē cōgressi mutuis uulnerib. se cōfoderūt.

GRACCHVS retiarius apud Iuuen. Satyra 8.

> Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina:
> Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.

TVRBO gladiator apud Horatium lib. 2. Serm.

> Corpore maiorem rides Turbonis in armis.

BATO gladiator cum tribus Caracallæ Imperatoris iussu uno die congressus, duos quidem gladio interfecit, à posteriore uerò occisus, Cæsaris iussu magnifica sepultura ornatus. Dion Nicæus.

HAMA apud Saxones gymnicis palmis clarissimus habitus est, adeò ut magno militaris pompæ tripudio ductus sit ad conflictum, & STARCATHERO inter Danos fortissimo, sed capulari, oppositus. Quum in conflictum ambo descendissent, astarentq; hinc & inde numerosi spectatores, ut suę partis uictori gratularentur: Starcatherus primo quidem insultu propter inualidas uires penè resupinatus est: uerùm ubi pudore resumpsit uires, & se sibi restituit, medium Hamæ corpus dissecuit. Saxo lib. 6.

Equites. Equestres concursus, Pugnæ.

TROIA, equestris pugnæ nomen. Tranquillus in Cęsare: Circensibus, inquit, spacio Circi ab utraq; parte producto in gyrum, Euripo addito, quadrigas, bigas & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit turma duplex maiorum & minorum puerorū. Troia autem erat equestre simulacrum, seu umbratica equitū pugna, in qua equi in orbe se inuicem petebant. Huius ludi originem Verg. lib. 5. Aen. describit.

ANDRONICVS Imp. nato filio Ioanne, duo certamina celebrauit, Olympicorum imitatione. Quorum alterum duelli speciem præ se ferens, Cintzustra dicitur (An hinc Italorū Giostra?) Diuiduntur secundùm tribus, municipia, curias. Deinde utraq; pars armatur, singuli cōtra singulos, qui uolunt, & ab omni parte armis teguntur. Mox utrique hastis ueruto præfixo acceptis, impetu concurrunt, & alij alios fortiter urgent: qui equo alium deiecerit, corolla ornatur. Alterum certamen Torne appellatum (An hinc Germanorum Tornier?) sic se habet: Diuiduntur & hìc secundum tribus, municipia & curias, & simul omnes armantur. Deinde duobus principibus sorte delectis, inter sese concurrunt. Post certaminis huius finem, utraque pars ducem suum secuta est, atque inter cæteros eorum Impera-

 tor

tor etiam subditi ordinem non deserens, cum honorifica pompa & ordine in suum diuersorium deducunt. Vbi ille cuiq; uini craterem propinans, & dexteram porrigens, omnes domum redire iubet. Gregoras lib.10.

CERTAMINA CIRCA INANIMATA CORPORA. QVI CERTANT

PILA. SPHAERISTAE.

Sphæristica saltationis species est. At nos hîc respectu corporis alieni quod mouetur, pilæ ludum per se consideramus.

Βασιλεὺς ἢ ὄνος id est, Rex aut asinus. hoc est, aut uictor, aut uictus. Simile illi, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, Aut ter sex, aut tres tali. Eustathius Odysseæ sextum enarrans librum, ostendit metaphoram ductam ab his, qui ludunt sphæra: quibus qui uicisset, rex appellabatur: qui uictus fuisset, huic asino nomē erat. Plato in Theæteto, ὁ δὲ ἁμαρτών, καθεδεῖται, ὥσπερ φασὶν οἱ σφαιρίζοντες, ὄνος· ὃς δ' ἂν περιγένηται ἀναμάρτητος, βασιλεὺς ἡμῶν id est, Qui aberrarit, is desidebit, quemadmodum dicunt ij, qui sphæra ludunt, asinus: qui uerò nihil aberrans uicerit, rex noster esto. Iulius Pollux lib. de Rerum uocabulis 9. SPHÆRA ludendi quatuor modos commemorat, quorum primus appellatur ἐπίσκυρος, alter φαινίνδα, seu φαινίνδα, tertius ἀπόρραξις, quartus οὐρανία. Quorum postremum (nam is ad prouerbium propriè facit) describit his uerbis: Aliquis resupinans sese, sphæram in cælum mittit: reliquis autem certamen erat, ut eam priùs, quàm in terram recideret, raperent: id quod in Phæacibus significare uidetur Homerus. Sanè uerò cùm aduersus parietem sphæram misissent, numerus subsultuum censebatur: & qui uictus fuisset, is asinus appellabatur: & quicquid imperatum esset, faciebat: rursus qui uicisset, is & rex erat, & imperabat. Erasmus in Adagijs.

Ludebat pila non insuauiter CTESIBIVS Chalcidensis philosophus: & alij complures Antigoni regis amici simul uestes exuebant. Scripsit de ludo pilæ TIMOCRATES Laconicus. Famosissimus fuit DEMOTELES, Theognidis Chii sapientis frater in ludo pilæ, & CHÆREPHANES quidam. Athenæus libro 1. cap. 8.

Pilæ inuentio NAVSICAÆ tribuitur ab Agallide Corcyrea grammatica, Sicyoniis à Dicæarcho: alii uerò Lacedæmoniis, quibus & gymnasia ascribuntur primis. Ex Athenæo Cęlius libro 20. capite 14. Antiquarum Lectionum.

ARISTONICO Carystio, Alexandri Regis sphæristæ, statuam ob artificem ludendi modū Athenienses erexisse, proditum est monumentis. Apud Homerum non uiri modò, sed & mulieres pila oblectantur. Cælius libro 20. cap. 14. Antiquarum Lect. ex Athenæi libro 1. cap. 13.

DISCO. CERTAMINA DISCI.

PERSEVS disci inuentor, Acrisium Argiuorum regem, auum suū, à quo fuerat expositus, dum artem disci Larissæ ostentat, casu interuenientem disci impetu occidit. Pausanias in Corinthiacis.

IACVLO. IACVLI CERTAMINA.

HIPPOCOON, Mnestheus, Eurytion, sagittarij fuerunt: qui, teste Vergilio, cōtenderunt de palma in ludis illis exequialibus, quos Aeneas ad tumulum patris Anchisæ celebrauit, quum relicta Africa in Italiam nauigaturus redit per Siciliam.

PANCRATIASTAE. PANCRATII CERTAMEN.

Pancratium ex lucta & pugillatu cōstare, Gregoras in lib. Synesij de Insomnijs testatur. Licebat enim & luctæ & pugillatus legibus uti. Idem Plut. lib. 2. Sympos. & Philostratus Iconum 2. in Arrichione. Proinde reprehendit Brodeus in primum Epigram. Volaterranum & Hermolaum Barbarū, qui Pancratiasten eundem cum Pentathlo uolunt esse. Παγκρατιαστικὸς corporis totius conatu, pugnis, calcibus, genubus, dentibus, omniq; uirium contentione insurgit in pugnam. Eapropter πάμμαχος quoque dicitur. Ad pugnam uocatus, Gellio teste, proiectis altè brachijs cōsistit, caputq; & os suum manibus oppositis, quasi uallo præmunit: congressus inde, partim apprehendendo luctari, partim feriendo pugilē uidetur agere. Theseus hoc genus inuenisse creditur, quando in Creta absq; gladio Minotaurum aggressus est. Cælius lib. 13. Antiq. Lect.

Pancratij ludicrum Olymp. 28. introductū. In quo uicit LYGDAMIS Syracusanus, qui magnitudine corporis Herculi Thebano par fuit. Eius sepulcrum Syracusis prope Latomias extat. At Olymp. 77. CALLIAS Atheniensis. Pausanias libro 5. De eodem paulo diuersa alij: nempe quòd Lygdamus 33. Olympiade primus ex Olympico certamine pancratij coronam reportauit. Eius ossa medullam non habentia deprehensa sunt. Maximam uirium substantiam neruos facere, certissimum est: quantoq; fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. Plin. lib. 7. cap. 20. & Solinus cap. 4. Polyhist.

STRATON Choragi filius, pancratiastes, non ante corporis exercitia usurpauit, quàm ex splene laborare cepit. Tunc enim primùm ad recuperandam ualetudinem ijs usus est. At cùm egregiè in hac arte profecisset, &, iam specimē eius ederet in ludis Olympicis, una die uicit luctam & pancratium, & sequenti Olympiade etiam Nemea, Isthmica & Pythica. Aelian. de Var. hist. lib. 4.

AVTOLYCVS nobilis fuit pancratiastes, cui statua posita est in Prytaneo: is erat locus Athenis in arce dignissimus, ubi iudices de negotijs reipub. pertractabant. Pausanias.

THEAGENES Thasius, de pancratio uictor Olympiæ, item de pugilatu, Euthymo Locrense superato. Adeptus præterea de pugilatu Pythicas coronas tres, Nemiacas nouem. De mixtis pugilatus & pancratij certaminibus in Isthmo decem. Phthię uerò in Thessalis, omisso pancratij studio, in longiore etiam curriculo cōpetitores uicit: Achillem æmulatus, in cuius patria se uictorem cursus declarari concupiuit. Fuerunt numero coronæ eius omnes quadringentæ. Pausanias lib. 6.

ANTIOCHVS Lepreates, in omnium membrorum, quod pancratium appellant, palæstra, uiros in Olympia semel, in Isthmicis & Nemeis bis eodem certamine superauit. Pausanias libro sexto.

PYTHEAM Aeginetam Lamponis filium, pancratiasten laudat à uictoria pancratij, Pindarus Ode 5. Nemeorum, quam iuuenis adhuc & imberbis uicit,

Οὔπω γένυς φαίνων τέρειναν
ματέρ' οἰνάνθας ὀπώραν,

cùm nondum genæ eius autumnum, teneram uindemiæ matrem, ostenderent.

POLYDAMAS Niciæ F. ex Scotussa Thessaliæ urbe, pancratiastes robustissimus, omniū hominū sua ætate statura corporis maximus fuit, cuius statua è celsa pila Lysippi opus in Alti Olympiæ conspiciebatur olim. Paus. lib. 6. & Suidas.

SOSTRATVS Sicyonius nobilis pancratiastes, Olymp. 104 claruit, cui cognomē fuit Acrochersites, quòd aduersariorum summas manus tam fortiter apprehendebat, ut nō prius eos dimitteret, quàm elisis digitis dolore confectos intelligeret. Duodecim ei partim Nemeorum, partim uerò Isthmiorum, palmæ datæ sunt, Pythicæ duæ, Olympicæ tres. Pausanias lib. 6.

ARRHACHION Phigalensis ex Arcadia, tulit è pancratio palmas duas è superioribus Olympiadibus, & quarta supra quinquagesimam, tam iusta eorum, qui ludis præsidebant, sententia, quàm uirtute sua, oppidò quàm insignem meruit. Cùm enim uictis alijs aduersarijs, unus, quo cum de oleastro certaret, relictus esset, ille eodem impetu & pedibus Arrhachionem in cinxit, & manibus collum obstrinxit. Eius digitum Arrhachion pedis infregit, & dum strangulatus iam animam ageret, præ digiti dolore aduersarius eodem temporis momēto corruit. Elæi itaq; Arrhachionis cadaueri uictoriam præconis uoce adiudicarunt. Statuam ei in foro Phigalenses posuere. Pausanias in Arcadicis.

TIMONI de quinquertio ludis Gręcię omnibus delatę sunt palmæ: Isthmicis tamen exceptis, quibus ei, sicut cæteris Elæis, interdictum fuit. Pausanias lib. 6.

DORIEVS, Diagoræ Rhodij pugilis clarissimi F. natu minimus, tres Olympicas palmas continuas de pancratio tulit: octo cōtinuatas Isthmicas, una pauciores è Nemeis: Pythicam etiam intacto puluere coronam cepit. Hic Rhodo pulsus, & postliminio reuersus, omnium apertissimè Lacedæmoniorū studia professus est, & proprijs triremibus naual i bello cum Atheniensibus pugnans, captus, & Athenas pertractus, simulatque in concionem captiui habitu productus est, tanti uiri, cuiusq; nomē tam insigni gloria fuisset, miseratione adducti Athenienses, eum incolumem dimisere. Pausanias lib. 6.

TIMANTHES Cleonæus, uirilem pancratij coronam Olympicis ludis tulit. Is abiunxerat se ætatis causa ab athletarū certaminibus. Quo uires tamen pristinas exercitationibus tueretur, magnum & robustū quotidie arcum intendebat. Verùm cùm peregrè profectus consuetudinem intermisisset, eam, reuersus domum, uoluit repetere. Sed enim cùm sensisset non satis iam ad arcum tendendum uirium sibi

superesse, rogo extructo seipsum in ignem coniecit. Pausanias lib. 6. & Suidas.

TIMASITHEVS Delphus duas Olympicas de pancratio, tres Pythicas palmas abstulit. Eiusdem fuit & belli gloria insignis, tum uirtute, tum felicitate. Extremi tamen prælij, fatalis ei fuit conatus. Cùm enim Isagoras Atheniensis ipsam Athenarum arcem dominandi cupiditate incitatus occupasset, particeps fuit eius facinoris Timasitheus. Quare ijs oppressis, qui se in arcem concluserant, capitis damnatus, Atheniensibus iniuriæ pœnas dedit. Pausanias lib. 6.

EQVORVM CERTAMINA. CELITES.

Cursu, saltu, lucta, pugilatu, iactu sese olim exercebant uiri, & præter hæc compositis pancratio & pentathlo. Opibus deinde obtinuit luxus, ut etiam equos alerent cursores. Qui priuis equis currerent, κέλητες uocati: unde & priscum Celeris nomen. Sic enim Equites sub Romulo dicti: qui postea Trossuli ab oppidi nomine, quod sua ipsi opera sine pedita tu expugnassent. Scaliger libro primo Poetices, capite uigesimosecundo.

Equorum integra ætate cursus in Olympia introductus Olymp. 25. In quo uicit DAGONDAS Thebanus. Pausanias libro quinto.

HERMOGENES Xanthius, Lycius homo, ludis trinis Olympiacum oleastrum octies abstulit. Quare Equi cognomento à Græcis celebratus est. Pausanias lib. 6.

IASIVS Tegeates in Olympia equo uicit, quo primùm tempore Thebanus Hercules Olympiorum conuentum instituit. Ei Tegeæ in foro statua posita. Pausanias in Arcadicis.

Omnium Græcorum, qui equorum alendi studio clari fuere, primus CLEOSTHENES Pontius ex Epidamno statuam Olympiæ posuit, Olympiade 66. Pausanias lib. 6.

PHIDOLÆ Corinthij equa in curriculo Olympico ab ipsis statim carceribus, sessore suo collapso, & cursum pristinum æquè ac si rectorem haberet retinuit, & circa metam se conuertit. Audito uerò tubæ sonitu concitata est uehementius: cumq; ad ludorum præfectos anteuertisset, iam uictoriæ se quasi compotem intelligens constitit. Elei Phidola uictore renunciato, ei, ut equæ simulacrum dedicaret, concesserunt. Pausanias lib. 6.

CALLIAS Phænippi F. Atheniensis Olympiæ in equorum cursu palmam obtinuit, & in quadrigario fuit secundus: & in ludis Pythijs cùm primas obtinuisset, in uniuersos Græcos sumptuosissimus extitit. Herod. lib. 6.

Apud ueteres GOTHOS mos erat, circa finem Decembris (dum lacus omnes glacie constingerentur) optimos quosque equos, in singulis prouincijs ad edenda publica spectacula colligere: ut quem celeriore cursu reliquis omnibus præcellere uiderent, hunc sacrificio numinum uelut munus preciosum, ad aram mactandum comburendumúe offerrent: opinantes eo dono cunctis hostibus sese fore superiores: prout Herod. libro primo tradit de Massagetis, & Strabo libro decimo, qui solem Deum putant, & eidem equum mactant. Simul etiam ut regi uelocissimos equos offerrēt, quibus contra hostiles motus exploratores uterentur. Olaus Magnus lib. 1. cap. 24.

AVRIGARVM CERTAMINA.

INSTITVTA.

Crescentibus opibus, creuit etiam luxus. Ergo non contenti equorum cursu solo, iuncti sunt etiam bini ad currum, & biiugi dicti: quaterni, quadrigæ. A Græcis illi συνωρίδες: hi τέθριπποι. Iunctæ etiam mulæ carrucis, quas ἀπήνας Græci nominant. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 22.

CIRCENSES ludi ab Argiuis apud Elidem (autore Oenomao) in honorem Iouis Olympici primùm inuenti & instituti sunt. In Elide enim iuxta fluminis ripam angusto tramite, altero latere urgente flumine, altero positis gladijs, ut utrinq; præsens exitium esset, bigarum cursu certabatur, dimicatione perniciosa, adeò ut intra præscriptum illas coercere necesse foret: unde & Circenses dicti, quasi circumenses. Horum duo genera apud Rom. erant. Patricij per patres, Plebeij per plebem agebantur, stato die, mense Nouembri, quos Claudius Imperator sæpe celebrauit. Alex. libro 6. capite 19.

OBITA. TVM

QVOMODO.

Equis, Carpento, Mulis, Rheda.

Olymp. 70. rhedam & carpentum in curriculum receperunt. Rheda uicit THERSIVS Thessalus, carpento PATÆCVS Achæus. Rhedam trahebant muli iugales bini, carpentum masculi equi. Pausanias lib. 5.

Canibus.

A. FABRICIVS prætor, cùm equos cōducere commodè nequiret, canes doctos currus agere pro equis introduxit, magna omniū spectatorum admiratione. Xiphilin. in Nerone.

QVI.

Viri.

Aurigarū exempla aliquot sub Olympionicis & Pythionicis AGITATORVM nomina pete ex Epigram. lib. 5. quo in loco inscriptiones statuarum, quæ in hippodromo Byzantino extabant, leges.

DEMARATVS Aristonis regis, uel potiùs Astrobaci herois F. rex Lacedæmoniorum, primus ex regibus Spartanis Olympiadem palmam quadrijugo certamine reportauit. Herodotus libro sexto.

CIMON Stesagoræ F. Atheniensis, Pisistratum tyrannum fugerat: fugiens, Olympiadem palmam quadrijugo certamine obtinuit, quam uictoriam muneris gratia transtulit in Miltiadem ex matre germanum: proximaq; Olympiade eisdem equabus aliam Olympiadem cùm uicisset, à filijs Pisistrati interfectus est (non iam uiuo Pisistrato) ad Prytaneū, noctu summissis percussoribus: sepultusq; ante urbem trās uiam, quæ uocatur Diacœle: & è regione sepultę sunt equę illæ, quæ treis Olympicas uictorias reportarant. Idē quod istæ, iam aliæ equæ fecerunt, quæ fuerunt EVAGORÆ Laconis. Aliæ præterea nullæ. Herod. lib. 6.

Mulieres.

Bigarum palmam 28. Olymp. tulit BELISTICHE femina maritima Macedoniæ ora. Pausanias lib. 5.

Habuit Archidamus rex Spartanorum præter Agidem & Agesilaum filiam CYNISCAM nomine, quæ ad Olympicas uictorias uirili propemodum animo aspirauit. Prima hæc feminarum omnium equos aluit: prima Olympicam palmam quadrigis tulit. Sepulcrum eius ad platanetum Spartæ conspicitur. Post eam & aliæ, in primis uerò è Macedonia nonnullæ sunt uictrices in Olympicis renunciatæ, quibus tamen illa longè gloria præstitit. Spartani uerò & poeticen, & omnem quæ ex ea hominibus contingere possit gloriam, omnium minimè admirati mihi uidentur. Nisi enim in Cyniscam epigramma fecisset Simonides, qui & antè tripodem inscripsit, quem Pausanias Delphis dedicauit, nihil omnino, quod Lacedæmoniorum reges gessissent, fuisset poetæ cuiusquam carminibus celebratum. Pausanias in Laconicis.

QVO STVDIO.

LACEDÆMONII post irruptionem Persarum in Græciam Græcis omnibus equos alendi studio præstitere. Quare & Olympicis ludis sæpe uictores extitere, eorumq; statuæ ibi uisuntur intra Altin. Cæterùm hi propemodum è Spartanis equis alendis nobilitati sunt: Xenarges, Lycinus, Arcesilaus, & Arcesilai filius Lichas. Et Xenarges quidem Delphica, post hanc Argolica, & Corinthiaca uictoria claruit. Lycinus cùm ad ludos ad Olympiam pullos adduxisset, & eorum unus deterior uisus esset, ad equorum iam adultorum curationem animum adiecit, & per eos uictoriam est adeptus. Lichas, cùm Lacedæmonijs ludorum aditu interdictum esset, Thebani nomine currum introduxit, uictoremque aurigam sua ipse manu tænia redimiuit. Eius temeritatis flagris cæsus, ædilibus pœnas luit. Et ea quidem belli inter Lacedæmonios & Eleos causa extitit, quo bello intra Altin prælium commissum est. Positis autem armis, eo in loco statuam Lichas posuit. Indicant Eleorum literæ, non Lichæ, sed Thebano populo eam palmam decretam. Pausanias libro sexto.

Quatuor fuerunt agitatorum factiones, insania Rom. populi unà cum imperio etiam reliquis communicata gentibus. VENETA aut Cærulea: ALBATA aut alba: ROSEA, russata, rubra uel rubens: PRASINA, quæ & uiridis & uirēs. Domitianus, teste Suetonio, ad has quatuor, alias aurati purpureiq; panni addidit. Alciatus, Pomponius Lætus, & Domitius, horum ludorum præmium mappam fuisse existimant. Coracis aurigæ capiti ut uictoris coronam imponit Ammianus Marcellinus lib. 14. Historiarum. Circensibus signum dari per mappam solitum, tali casu (uti testatur Cassiodorus lib. Variarum tertio) fluxit in morem. Cùm Nero prandium protēderet, & celeritatem, ut assolet, auidus spectandi populus flagitaret: ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, iussit abijci per fenestrā. Hinc tractum est, ut ostensa mappa, certa uideatur esse promissio Circensiū futurorum. Martialis lib. 12. Cretatam prætor cùm uellet mittere mappam. Iuuenalis: Interea Megalesiacæ spectacula mappæ. Tranquill. in Nerone: Aliquo seruo mittere mappam. Brodeus in 5. Epigrammatum.

BYZANTINVS populus in Venetam & Prasinam factiones diuisus, maximis seditionibus agitatus est. teste Procopio.

QVO EVENTV.

Claudij Cæsaris secularium ludorum Circensibus excusso in carceribus AVRIGA, albati Equi palmam occupauere, primatum obtinuere, opposita effundentes, omnia quæ contra æmulos debuissent, peritissimo auriga insistente, facientes: cùm puderet hominum artes ab equis uinci, peracto legitimo cursu ad metam stetere. Maius augurium apud priscos, plebeis Circensibus excusso AVRIGA, ita ut si staret, in Capitolium cucurrisse equos, sedemque ter lustrasse: maximum uerò, eodem peruenisse ab Veijs cum palma & corona, effuso RATVMENA, qui ibi uicerat: unde postea nomen portæ est. Plinius libro octauo, capite quadragesimosecundo.

PENTATHLI, QVINQVERTIONES.

PENTATHLVM, ait Festus, antiqui quinquatrum dixerunt. Id autem genus exercitationis his quinque actibus cõstat, iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione. Budæus in Pandectas disci & iaculi loco, pugilatum & pancratium statuit, ex authoritate Festi. Ea in sententia uide an sit Aristoteles Rhetor. α, cum Suida in uerbo δίαυλος, & Aristophanis enarratore in Auibus, qui cùm octo certationes enumeret (quæ tamen in pauciores recidunt) discum & iaculum præterit. Nam dolichus, diaulus, hoplites, uel hoplitodromus, ad cursum pertinent. Brodeus in primum Epigramm. A Latinis sunt Quinquertiones appellati: quoniam uox hæc Ars prima sua origine robur ac fortitudinem designauit. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 22. eum qui cursu, saltu, lucta, pugilatu, iactu disci iaculiúe uicisset, Pentathlum propriè dici probabiliter autumat.

Pentathli siue quinquertij certamen, quod iam exoleuerat, Olymp. 18. restitutum fuit, in quo uicit LAMPIS Lacedæmonius. Pausanias lib. 5.

ICCVS Nicolaidæ F. Tarentinus, Olympicam coronam de quinquertio cepit: ac deinde in sequentibus athletarum fuit magister sui temporis præstantissimus. Pausanias lib. 6.

PHAYLLVS quidam pentathlus Opuntius, uel Crotoniata, tum saltu, tum disco mirum in modum ualuisse legitur. Hæc fermè Suidas. Extat & inscriptio statuæ illius huiusmodi:

Πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα πόδας πήδησε Φάϋλλος,
Δίσκευσε δ' ἑκατὸν, πέντ' ἀπολειπομένων. id est,

Quinq; supra quinquaginta pedes salijt Phayllus: discum autem iacit centum, exceptis quinq;. Erasi. in Adag.

HYSMON Eleus cùm ad quinquertij certamen uenisset, Olympicis unam, Nemeis alteram palmam tulit. Ab Isthmicis certè æquè hic, atq; alij Elei, exclusus est. Hic cùm puer adhuc neruorum imbecillitate tentaretur, ad quinquertiū animum adiecit. E qua exercitatione cùm morbum depulisset, multas exin in eo certamine & insignes accepit coronas. Statua eius in Alti Cleonis opus est, & halteres, qui salientium libramenta sunt, tenet. Pausanias lib. 6.

ATHLETARVM DIFFERENTIÆ RATIONE LOCI.

Ex præcedentibus Titulis locus iste illustrari potest. Hic eorum tantùm mentionem facimus, qui uicerunt Olympiæ, in Isthmo, ad Pythium, ad Nemeam, uel diuerso genere certaminis, uel certè non expresso certaminis genere. Vt Quatuor olim certamina sacra fuêre, sic quoque Victores sacri quadruplices.

OLYMPIORVM. OLYMPIONICAE.

Olympionicæ Pindari carminibus celebrati:

HIERO Syracusiorum tyrannus equo Pherenico uictor, ode prima.

THERON Agrigentinus curru uictor, ode 2. Item 3. cùm Theoxenia peragenti alteros ipsius equos uicisse nunciaretur.

PSAVMIS Acronis F. Camarinęus quadriga uictor ode 4. & 5. cùm iterum uicisset celere curru.

AGESIAS Syracusanus, Sostrati F. ἀπήνῃ, id est, curru mulabus ducto uictor, ode 6.

DIAGORAS Rhodius pugil ode 7. literis aureis perscripta olim. Eodem die tres filios uictores coronari uidens, expirauit gaudio. Gellius in Noctibus Atticis.

TIMOSTHENES & ALCIMEDON fratres ode 8.

EPHARMOSTVS Opuntius ode 9.

AGESIDAMVS Locrus pugil ode 10. & 11. Hunc ab inimico propè uictum, quum unxisset Ilas socius, acrior ad conflictum rediens euasit uictor.

ERGOTELES Himeræus dolichodromus, ode 12.

XENOPHON Corinthius stadij cursor ode 13.

ASOPICHVS Orchomenius stadij cursor ode 14.

CAPER Eleus, Pythagorę filius, palæstræ pancratijq; eodem die palmam Olympiæ cepit: & ei quidem primo omnium binæ de illis certaminib. palmæ codē die euênere: in palæstra uerò Eleum PAEANIVM strauit, qui superiore Olympiade uictor de eadem palæstra renunciatus fuerat, idéque Pythicis ludis pueros in pugilatu uicerat, rursusq; in uirorū certamine eodem die cæstuum palæstræq; coronam acceperat. Capro igitur haudquaquam paruo negotio aut labore leui suæ obtigere uictoriæ. Pausanias lib. 6.

AMYNTAS Alceræ filius, Macedonum rex, adeò ualidus fuit corpore, ut in Olympico stadio haud unum certaminis genus uno tempore obiuerit. Sab. lib. 7. En. 2.

DIOXIPPVS Olympionices Atheniensis, cùm more pugilū Athenas introiret eques, magnaq; hominū multitudo confluеret, mulierem formosissimam uidens, eius pulcritudine uictus est. Aelianus lib. 12. de Varia historia.

AEGLES Olympionica dum in sacro certamine sortitio inter ipsum & aduersarios non bona fide fieret, repentè (quū priùs esset mutus) in eum, qui id faciebat, sese uidere quid faceret, magnùm inclamauit: orisq; uinculo solutus, rectè postea semper locutus est. Gellius.

Ferunt DEMARCHVM Parrhasium Olympionicam, gustatis pueri, qui immolabatur, extis, in lupum fuisse commutatum: decimo demùm post anno pristinæ formæ restitutum. Plinius.

In fano Aesculapij in Titane monte Sicyoniæ statua posita est GRANIANI Sicyonij, qui in Olympicis palmas tulit de quinquertio duas, de stadio unam, de iterato stadio (diaulon dicunt) duplicem, quòd nudus & cum scuto cucurrisset. Pausanias in Corinth.

ASBYLVS Olympionices Crotoniata, ter in Olympia continua serie uictor, quem perpetua uirginitate fuisse præditum ferunt.

CYLON Olympionices Atheniensis, affectatæ tyrannidis reus compertus à Megacle interficitur. Herod. lib. 5. Heraclides in Politijs, Suidas in Pericle, & Pausanias in Achaicis.

NICOCLES Acriates Lacon Olympionices binis ludis de cursu palmas V. tulit. Monumentum ei erectum est Acrijs inter gymnasium, & eam murorum partem, quæ cum portu coniuncta est. Pausanias in Lacon.

ANTIPATER Milesius, uictor in Olympia Clinopatri filios perculit. A Dionysio pater eius pecunia tentatus, ut filiū Syracusanum diceret. Antipater contemtis tyranni donis, Milesium se esse, & ex Ionibus primùm suam in Olympia statuam dedicasse elogio testatus est. Pausanias lib. 6.

PYTHIORVM. PYTHIONICAE.

PYTHONICAS aliquot recenset Pausanias in Phocicis.

BVTHYS athleta uicit Pythijs ludis: & bouem integrum uno die deuorauit.

Pythonicas Pindarus suis carminibus celebrat:

HIERONEM Syracusiorum tyrannum curru uictorem, ode 1. & fortassis ob munus acceptum, ode 2. & 3.

ARCESILAVM Cyrenæorum regem curru uictorem, ode 4. omnium longissima & celeberrima. item ode 5.

XENOCRATEM Agrigentinum ode 6.

MEGACLEM Atheniensem quadriga uictorem ode 7.

ARISTOMENEM Aeginetam luctatorem ode 8.

TELESICRATEM Cyrenæum ode 9.

HIPPOCLEAM Thessalum, quē pater Phricias & ipse uictor sæpius coronari uiderit, ode 10.

THRASIDÆVM Thebanum stadio uictorem ode 11.

MIDAM Agrigentinum tibicen ode 12.

ISTHMIORVM.

ISTHMIOS uictores Pindarus canit:

HERODOTVM Thebanum, quem Castori & Polluci confert, ode 1.

XENOCRATEM Agrigentinum ode 2.

MELISSVM Thebanum equis uincentem ode 3. & gratitudinis ergò propter acceptum munus ode 4.

PHYLACIDEN Aeginetam pancratiasten ode 5.

PHYLACIDEN, PYTHEAM, & auunculum horū EVTHYMENEM pancratiastas ode 6.

STREPSIADEM Thebanum pancratiasten ode 7.

CLEANDRVM Aegineram pancratiasten ode 8.

NE-

NEMEORVM.

Nemeorum uictores celebrat Pindarus:

CHROMIVM Aetnæum ode prima & 9. curru uictorem

TIMODEMVM Atheniensem pancratiasten ode 2.

ARISTOCLIDEM Aeginetam pancratiasten ode 3.

TIMASARCHVM Aeginetam luctatorem 4.

PYTHEAM Lamponis F. pancratiasten ode 5.

ALCIMIDAM Aeginetam luctatorem ode 6. cuius auus Praxidamas nouies uictor coronatus fuit.

SOGENEM Aeginetam pentathlum ode 7.

DINIAM Aeginetam cursorem ode 8.

THIAEVM Argiuum palæstritam ode 10.

ARISTAGORAM, Tenedi insulæ præsidem, luctatorem & pancratiastē sedecim uictorijs clarū, ode 11.

ALIMENTI APPETITIO.

IN GENERE

ACQVISITA.

SOCRATES cùm ad uesperam usque deambulasset strenuè, interrogatus cur id faceret? respondit: Quo meliùs cœnem. Cicero 5. Tusc. quæst.

PTOLEMÆVS nunquam esuriens comederat. Cui cùm peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, sordidus panis datus esset, nihil est uisum illo pane suauius. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

Quum in Phiditijs apud Lacedæmonios tyrannus cœnauisset Dionysius, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illud coxerat, Minimè mirum, inquit: condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? Labor in uenatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. His enim rebus LACEDÆMONIORVM epulæ condiūtur. Quanquam hæc fabula secus narratur apud Plutarchū in coronide, quam adiectam uidemus apophthegmatis Laconicis, de Lycurgi institutis. Eras. in Adag.

GNEFACTVS Aegyptiorum rex, cùm in Arabiam cum magno exercitu profectus esset, & deficiente commeatu in desertis ac asperis locis cibum uilem sumere cogeretur, fassus est, nullum cibum magis iucundum unquam fuisse: proinde omnem luxum damnauit, & huius frugalitatis tabulam Thebis in templo Iouis poni uoluit. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 1. de Rebus antiquis.

POSSESSA.

Multa Appetitio ualida. VORACITAS.

Hæc uoracitas, quatenus corporis potius affectus, quàm animi uitium est (nam hoc respectu ad intemperantiam referenda uenit) Consule item locos Famis atque Sitis, quæ uti per se sunt Passiones corporis, sic etiam illices actionis appetitricis uehementis.

Creditur Nero polyphago cuidam AEGYPTIO, crudam carnem & quidquid daretur mandere assueto, concupisse uiuos homines laniandos absumendosque obijcere. Suetonius in Nerone.

Pauca.

Optimum condimentum fames, inter apophthegmata Socratica celebratur. Irridebat hoc dicto luxum ATHENIENSIVM, qui uarijs cupedijs & operosis condituris conarentur efficere, ut cibus saperet palato, cùm id optimè præstet fames, condimentum ut optimum, ita & uilissimum. Nihil enim suauius edi, quàm quod editur ab esuriēte. Eras. in Adag.

DIONYSIO tyrāno fastidienti nigrum ius quod in Phiditijs apponebatur, coquus respondit, non esse mirum, cùm deessent condimenta: de palæstra, cursuque ante cœnam sentiens. Erasmus in Adagijs.

Absurda.

MVLIERES prægnantes multarum rerum desiderijs tenentur: sæpe carbones appetunt & cineres. Vidi (inquit Viues in lib. 12. de Ciu. dei cap. 25.) quæ morsum ceruicis iuuenis cuiusdam appetebat, & correpta magnis doloribus abortum fecisset, ni momordisset, exanimato penè iuuene, tam auidè infixis dentibus.

DEPVLSA, ABACTIO

Famis.

Fames inter Fortuita mala connumeratur: eiusdem depulsio inter bona. At hîc non externam copiam uel inopiam, sed Appetitionis mitigationem consideramus.

In eo prælio, quo Cosroes Persarū regnum ope Mauritij Imp. recuperauit, capti sunt cum Persis & TVRCI, quorum tunc nomen primùm auditum est. Interrogati cur sub Barā (qui Cosroem expulerat) militassent, responderunt, fame se patria abactos. Et cùm quidam in fronte inustam crucis figuram atramento haberent, confessi sunt se à Christianis edoctos, ut hoc amuleto famem repellerent. Cuspinianus.

Sitis.

Vt Passio est, sequenti libro enarrabitur. Vt uerò Appetitio, sic hîc tum ut acquiritur, tum ut possidetur, tū ut depellitur & abigitur uel potu uel alia ratione.

DARIVS rex Persarum multis antea epulis & poculis fastiditis, cùm aquam turbidam & cadaueribus inquinatam in fuga bibisset, negauit unquam se bibisse iucundiùs: nunquā enim sitiens biberat. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

MAGNVS Sfortia torquebatur facilè siti, quum in magnis æstatis feruoribus equitare pugnareq; oporteret; adeò ut se armatum, siti potiùs quàm ferro confici posse diceret: atq; id mortis genus maximè uereretur. Qua de causa armigerū puerū instituerat, qui lagenas aquæ uiniq;, & alia ex saccaro sitis subsidia, ualido equo preferret, nec à se unquā uel in extremis pugnę periculis diuelleretur. Iouius in uita eius.

IN SPECIE. APPETERE

Carnes.

ISAACVS patriarcha, cùm ferina delectaretur, Esaum uenatorem præ Iacobo adamabat. Genes. 25.

HERCVLES cum bouinis carnibus ficus uirides comedebat. Athen. lib. 7. cap. 1.

P. SYRVS mimographus nullā cœnā sine abdomine suillo sumebat, & primus etiā Suminis nomē imposuit. Plin. testis.

Plinius lib. 28. cap. 9. scribit leporem in cibis sumtum gratiam corporis in septem dies conseruare. Vnde illud Catulli in Lesbiam epigramma. Lampridius scribit, poetam quendā in ALEXANDRVM Seuerum Imp. quòd quotidie uesceretur leporina, ita lusisse:

Pulcrum quòd uides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos uersus quum quidam ex amicis ad Alexandrum detulisset, respondisse fertur in hanc sententiam:

Pulcrum quòd putas esse uestrum regem,
Vulgari miserande de fabella,
Si uerum putas esse, non irascor:
Tantùm tu comedas uelim lepusclos,
Vt fias animi malis repulsis
Pulcer, ne inuideas liuore mentis.

Erasmus in Adagijs, & Cælius lib. 26. cap. 30. Antiq. Lect.

Pisces.

Antipater Tarsensis Stoicus libro Superstitionis quarto famā esse dicit apud nonnullos, quòd GATIS Syrorū regina ita fuit obsoniorum studiosa, ut per præconem fieri edictum iusserit, ne quis pisce sine Gatide uesceretur: atq; idcirco ob inscitiam Atergatidem à nonnullis fuisse uocatam, non autem quòd à piscibus abstinuerit. Mnaseas idem narrat lib. 2. de Asia, & addit, moris esse, cùm deam precantur, aureos pisces uel argenteos deponere, sacerdotesq; per totum diē ueros pisces in mensa obsonia parantes deponere, assatos ac elixos: quos ipsi postea deæ sacerdotes comedunt. Cùm Atergatis, ut autor est Xanthus Lydus, à Mopso Lydo capta fuisset cum Pisce filio, in Ascalonis stagno immersa fuit per iniuriam, & à piscibus deuorata. Athen. lib. 8. cap. 6.

PHILOXENVS Cytherius parasitus à piscibus Philichthys est cognominatus. Athen. lib. 7. cap. 1.

CALLIMEDON rhetor Demosthenis ætate Carabi nomen est assecutus, quòd pisce isto supra modum delectaretur. Cælius lib. 13. cap. 25. A. L. ex Athen. lib. 7. cap. 1.

Olera.

Polemon in libro de Samothracia, LATONAM, cùm utero gestaret Apollinem, narrat porrū capitatum cupijsse. Quare ita statutum est apud Delphos in Deorum omnium festo, ut qui maximum porrum capitatum Latonæ attulerit, partem capiat ex mensa. Athen. lib. 9. cap. 3.

Radices.

Fertur in templo Apollinis DELPHIS adeò cæteris cibis prælatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapū è plumbo. Scires non ibi genitum Manium CVRIVM imperatorem, quem Samnitium legatis aurum repudiaturo afferentibus, rapum torrentem in foco inuentum annales Rom. prodidere. Scripsit & MOSCHION Græcus unum de raphano uolumen. Plin. lib. 19. cap. 5.

Siser TIBERIVS princeps nobilitauit, flagitatis omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Plin. lib. 19. cap. 5.

Ludoui-

LVDOVICVS XI. Caroli VII. patris metu apud Burgūdos exulans, saltuarij cuiusdā Cononis familiaritatē se oblecta bat. Ad regnum euecto, Conon simplex homo rapa aliquot ab uxore accepta, quibus Ludouicum post uenationis laborem auidè uesci uiderat, oblaturus, Parisios proficiscitur. In itinere fame urgente, omnes rapas, grandissima excepta, deuorauit, eamque regi dono dedit. Rex hominis simplicitate delectatus, mille donauit aureis; & rapam inter thesauros suos collocari iussit. Nobilis quidam obseruata hac liberalitate, beneficium fœneraturus, generosum equum regi dono dedit. Hilari cum animo rex suscepit, & rapam sindoni inuolutam ex ærario depromtam homini dari iussit. Explicato munere indignabundo nobili & se delusum conquerenti: Quæ uerò hæc ludificatio, subintulit rex, mille emptam aureis rapam equo centum aureorum precium uix æquanti opposuisse? Aegid. Corrozetus de Dictis & factis memorab.

Horarios fructus.

Ita magno studio caricæ apud homines omnes dignæ putabantur, ut AMITROCHATES Indorum rex ad Antiochū scripserit, ut caricas, passum, sapientemq; obsonatorem ad se mitteret. Rescripsit ad eum Antiochus, ut testatur Hegesander, Caricas ac passum ad te quidem mittemus: sapientem uendere, non est legibus permissum apud Græcos. Athenæus lib.14. cap.23.

Philosycos dicitur, cui plurimum arrident fici, quas arbitrantur nonnulli uelut duces purioris uitæ mansuetiorisque, quando ἱερὰν συκῆν ATHENIENSES nuncupant, id est, ficum sacram, locum innuentes (ut putant aliqui) ubi ea sit nata primum. Sed & fructum ἡγητηρίαν uocant, quia primus hic cibus mansuetus uidetur fuisse. Quin & ueterem primumque fuisse Atheniensibus cibum inde, scribit Aelianus: sicuti Arcadibus glande uesci, antiquissimum fuit. Sycophantæ inde dicti, delatores eorum, qui ex Attica ficus exportarent. Cælius libro 18. capite 9. Antiq. Lect. ex Athen. libro 3. capite 3.

PLATO Philosycus dictus, quòd ficubus impensè delectaretur. Athen. lib.7. cap.1.

ARCESILAVS philosophus uuis summoperè delectabatur. Athenæus lib.7. cap.1.

PHILIPPVS Macedo. & ALEXANDER eius F. Philomeli dicti sunt: Quin inuentis propè Babylonē optimis pomis, edita ab Alexandro melomachia est, onustis nauibus. Ex Athen. lib.7. cap.1. Cælius lib.13. cap.15. A.L.

Cucumis mira uoluptate TIBERIO principi expetitus est. Nullo quippe non die contigit ei; pensiles eorum hortos promouentibus in solem rotis olitoribus: rursusque hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Plin. lib.19. capite 5.

IASON Maynus Iurecos. clariss. rubro melone, quem Sicomarius ager prope Ticinum profert, sic delectabatur, ut diceret, Si in paradiso essem, ac melone uesci prohiberer, in discrimen fortasse transgressionis Adæ exemplo deducerer. Bern. Saccus lib.4. Ticinensis hist.

Legumina.

CAMATHERVS Logotheta apud Manuelem Comnenum Imp. uiridibus fabis impensè delectabatur, earumque tota arua consumebat. Aliquando igitur in castris, quum trans flumen fabis consitum agellum conspexisset, statim exutis uestibus tranauit: nec maximam partem deuorasse contentus, reliquias in fasciculos collectas, & humeris impositas abstulit: & in tabernaculo suo sedens, fabas suauiter absumsit, quasi longo tempore ieiunasset. Nicetas libro tertio, de rebus Manuelis.

Panem.

ANTONINVS Pius Imp. panem siccum frequenter comedit ad sustentandas uires in senio, antequam salutatores uenirent. Cuspinianus.

Aquam.

☞ *Vide Tit. Abstemiorum.*

Vinum.

☞ *Vide Tit. Ebriosorum.*

AVGVSTVS Cęsar Rhetico uino maximè delectat⁹ est. Suet.

Lac.

TARTARIS lactis equini potus gratissimus est, ut legatis Tartaricis, atque etiam ueredarijs, tributum à Moschis petentibus, uel alia de causa uenientibus, cùm equis ueherentur, dux ipse Moschorum pedester obuiam prodiret, & lactis equini poculum uenerabundus porrigeret: si qua gutta inde in iubam equi destillasset, eam lamberet. Crom.l.29.

ALIMENTI AVERSATIO.

☞ *Ex Tit. eorum, qui Cibo & Potu penitus abstinuere, tanquam ab effectu posteriore, quædam huc transferri possunt.*

IN GENERE.

☞ *Hic solius Appetitus auersantis natiui uel etiam symptomatici rationem habemus. Qui uel religionis, uel frugalitatis nomine abstinent ad alios titulos pertinet.*

IN SPECIE. Auersari

Poma.

CONSTANTIVM Imperatorem Marcellinus scribit, nunquam gustasse pomum.

VLADISLAVS Iagello Polonorum rex, sic à malis abhorruit, ut ne odorem quidem eorum ferret. Cromerus lib.20.

Vinum. Abstemij.

Pythermus unum ex ijs tyrannis, qui Athenis imperarunt, scribit GLAVCONEM abstemiū fuisse. Hegesander Delphus ANCHIMOLVM & MOSCVM in Helide philosophantes donec uixerunt semper aquam bibisse, testatur: atque cùm solis ficubus uescerentur, nihilominus corporibus fuisse robustis: at eorum sudorem ita fuisse grauem, ut omnes odorem uitarent in balneis. MATRIS uir Atheniensis donec uixit, uel nihil, uel certè parum præter myrti fructum comedit: à uino, & ab alijs omnibus abstinuit, præter quàm ab aqua. Abstemius fuit etiam LAMPRVS musicus. Phrynichus laros conquestos esse dicit ijs diebus, quibus mortuus est Lamprus uir aquæ potor, sonorus, ac ualde sapiens. Meminit & Macho comicus MOSCIONIS abstemij. Athen. lib.2. cap.2.

DEMOSTHENEM, oratorum omnium qui unquam fuerūt principem, abstemium fuisse, memoriæ prodiderunt. Cuius exemplo & argumento, eos acrioribus ingenijs homines pronunciarunt, qui uino non utuntur. Cælius Rhodiginus libro 28. capite 36.

SIGISMVNDVS I. Polonorum rex ab infantia quidem ad senectutem usq;, patris auiq; instituto, planè abstemius, & aquæ potor fuit: ingrauescente uerò ætate, medicorum suasu uinum bibere didicit: sed ita tamen, ut nunquam eum quisquam ebrium uiderit. Cromerus.

VLADISLAVS Iagello Polonorum rex abstemius fuit in omni uita. Vti & frater ipsius VITOLDVS dux Lituaniæ, & filius eius VLADISLAVS iunior, Vngariæ & Poloniæ rex. Cromerus lib.20. & 21.

LEONORA Augusta, Friderici III. abstemia. Aen. Syl. lib.2. Com. in Panor.

PETRVS Ramus Veromanduus, infans adhuc in cellam uinariam clàm parentibus irrepsit, & mero copiosè hausto iuxta dolium mortuo similis concidit. Ab eo tempore sic deinceps uinum abhorruit, ut per XX. & amplius annos eo abstinuerit, quoad eū sanitatis ergò Medici uino uti iussere.

CONCOCTIO ALIMENTI.

FORTIS.

☞ *Consule Tit. Helluonum, quatenus copiosum alimentum concoquere possunt.*

PANDAREVS (ut est apud Bœum in Ornithogonia) in agro Ephesio habitauit, quo loco nunc iuxta urbem est Prion. Huic Ceres id largita est beneficij, ut uenter eius cibis nunquam grauaretur, quantūcunq; ingessisset. Ant. Liberalis.

DEBILIS.

Aristoteles in Politicis ἀναγκοφαγίαν appellat ATHLETARVM diætam uiuendique rationem, uelut necessariam ingurgitationem, quòd continuè tumoris molem corpori adijcere studeant, uti Galenus insinuat. Philostratus de RVFO Perinthio sophista loquens, dicit illum durasse corpus, perpetua sagina illud roborando: cuius uerba sunt: διῄτητο δὲ καὶ γυμναστικῇ κρατύνειν τὸ σῶμα, ἀναγκοφαγῶν αὐτὸ καὶ διαπονῶν αὐτὸ παραπλησίως τοῖς ἀγωνιζομένοις. id est, Dictus fuit consuecuisse corpus roborare gymnastico exercitio, semper illud explendo, & non aliter, quàm solent luctatores, fatigando. Hadr. Iun. Cent.7. Adag.

FOECVNDITAS ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑ.

Multos habere liberos, partim Fœcunditatis corporeæ argumentum est, & huius propriè loci: partim fortuitæ, hoc est, diuinæ benedictionis: & inter Fortuita bona connumerari debet.

PO-

POPVLORVM.

Vnius IACOBI proles annis ducentis in legiones innumerabiles excreuit. Io. Bodinus Method. hist. cap.9.

Australes omnibus uoluptatibus ac ueneri maximè deditos, SCYTHAS uerò negat Hippocrates ad uenerem aptos esse, ob nimiam, ut ipse scribit, uentris frigiditatem ac humiditatem, tum etiam ob equitationem, ac propterea infœcundos esse: & cùm frustrà uenerem tentauerint, odio ueneris seipsos castrare. Castrationem uocat alibi uenæ cephalicæ, quæ sub auribus latet, sectionem, qua his quoque temporibus uti quosdam accepimus. Hæc tamen omnibus ferè historicis repugnant. Nam Gothorū, Scytharum & Germanorum tanta fœcunditas est, ut nō modò Septentrionis uastas solitudines ac syluas maximis urbibus decorarint, sed etiā in uniuersam Europam colonias miserint: non tantùm Germani ultra Danubiū, uerùm etiam Scandi in extremis Scythiæ finibus positi: illinc Methodius & Paulus Diaconus, exercitus quasi apum examina erumpere consueuisse tradūt. Iornandes uerò & Olaus appellant hominū officinā: quòd inde Gothi, Gepidę, Hunni, Cimbri, Longobardi, Alani, Burgundi, Normani, Picti, Heruli, Sueui, Sclaui, Suiceri, Rugi originē traxerunt. Cùm aūt Scythæ calidi sint & humidi, unde fœcunditas ingeneratur, dubium non est, quin omnium populorū fœcundissimi sint. Et quidem ad uenerem in uniuersū Australes salaciores: Septētrionales uerò magis sunt idonei. Id summa Dei prouidentia factū est, quòd iis, qui satis habent ad gignendum facultatis, uoluptas non magnopere esset necessaria: iis uerò, qui minus habent humoris & caloris, maiores stimulos uoluptatis optima parēs natura dedit: alioqui nec suū genus propagare, nec societatē colere uellent. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap.5.

Vna legio TVRCARVM, quam Persæ aduersus Arabes euocarant, repentè in tantam hominū multitudinem aucta est, ut Arabes eos eijcere frustra conati, fasces ei & imperiū summiserint. Io. Bodinus Meth. hist. cap.9.

VIRORVM QVI MVLTOS SVSCEPERE LIBEROS.

ADAMVS protoplastus præter Sethum, Abelem & Cainum, habuit XXX liberos.

GEDEON Ioæ F. qui & Ierobaal, dux fortiss. filios habuit septuaginta ex multis uxoribus. Item ex cōcubina, quæ Sichemæ degebat, Abimelechū sustulit, qui patre mortuo tyrannidē inuasit, & fratres suos LXX uno in saxo peremit, excepto Iothamo natu minimo. Iudicum cap.8 & 9.

IAIR Galaadites, Israelitas rexit annis 22. Is triginta filios habuit, in totidem equis equitantes, totidemq; oppida tenentes, qui Iairis uici uocantur, in Galaatide. Iudicum cap.10.

ABESAN Bethlehemites, Israelitarum iudex annis septē, triginta filios habuit, totidemq; filias, totidem nurus, totidēq; generos. Iudicum cap.12.

ABDON Hellelis F. Pharathonita, filios XL habuit, & nepotes triginta, in 70 equis equitantes: qui Israelitarum iudex fuit annis 8. post Elonem. Ibidem.

DAVID rex filios habuit ex legitimis uxoribus nouemdecim, præter eos, quos ex concubinis, & Thamarem filiam. 1. Paralipomenon 3.

ROBOAMVS Solomonis F. Iudęorū rex, duxit uxores IIXX & concubinas LX. Ex iis genuit filios XXIIX. & filias LX. 2. Paral.12. & Iosephus lib.8. Antiq. c.10.

ACHABVS Israelitarum rex LXX filios habuit, quorum Ioramus natu maximus patri in regno successit. Omnes uno die, iussu Iehu, occisi. 4. Reg.10.

IOBVS septem filios & tres filias conuiuantes, ruina domus oppressos, amiserat. Postea cùm Deus patientia illius satis explorata omnia conduplicasset, septem filios ei dedit, & filias tres, Iemimam, Cassiam & Querenappucā, pulcerrimas totius orbis. Causa affertur: liberos non cōduplicauit, quoniam decem illos, qui obierant, habebat adhuc in altero seculo: itaq; decem alios tantùm in hoc seculo superaddidit. Iobi cap.1. & ult.

ENDYMION Aethlij filius, secundus Eleorum rex, à Luna adamatus, ex ea filias quinquaginta suscepisse fingitur. Pausanias lib.5.

Moses propheta dum uagum per deserta populum traxit, Aegyptus, unde Israelitas eduxerat, quum ad id tempus Aeria dicta esset, ab regis nomine, Aegyptus est cepta nominari. Fuit AEGYPTVS Beli filius, qui superiorem Aegypti partē regia potestate aliquandiu tenuit. Fama est, hunc quinquaginta masculæ stirpis liberos ex Europa Nili F. habuisse: qđ in barbaro homine, quorū propriū fuit, siue procreationis, siue uoluptatis causa pluribus mulieribus misceri, haud fabulosum dixerim. Erat illi frater DANAVS nomine, cui par fuit natarum numerus ex Euryopa, Nili itidem F. Is à fratre qui plus poterat natorum fiducia, ex Aegypto pulsus, in Peloponesum est oneraria naui delat⁹: ubi Gelanore à suis per id tempus eiecto, facilè est Argiuorum regnō potitus. Ac tū primùm ferunt onerariā nauim in Græcia cōspectam. Aqua etiam in uisceribus terræ abstrusa, puteis ab eo altiùs effossis, deprehendi cepta est. Danaus quia oraculo acceperat, futurum ut à genero interficeretur, cùm filias suas filiis Aegypti dare cogeretur, omnes prima nocte maritos suos interficere curauit. Sola Hypermnestra Lino pepercit, à quo postea Danaus occisus est. Sab. lib.4. En.1. Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longæuis.

LYCAON Pelasgi F. Arcadiæ rex, antequam in lupum uerteretur, ex Atlantis filia legitima uxore, & nonnullis aliis, supra quinquaginta liberos suscepit. Natalis Comes lib.9. capite 9. Mythologiæ.

THESPIS Atheniensis Erechthei regis filius, è plurib. feminis filias L genuit, cum quib. uocatis ad epulas Hercules sigillatim una nocte concubuit: susceptitq; totidē liberos mares, qui Thespiadæ dicti sunt. Diod. lib.5. & Suidas.

HERCVLES inter LXII liberos unicam tantùm filiā habuit. Antigonus in Mir. nar. ex Arist.

PRIAMVS ex Hecuba coniuge habuit XIX liberos: ex aliis pellicibus 31. Hinc Maro:

Quinquaginta illi thalami, spes magna nepotum.

ARTAXERXES Xerxis filius, Persarum rex, habuit ex pellicibus CX liberos, ex iusto matrimonio III.

SCYLVRVM Chersonnesi dominum ac Scyluri liberos in captiuis habuit Mithridates Eupator. Eos quinquaginta fuisse, Posidonius scribit, cùm Apollonides octoginta affirmet. Strabo lib.7.

Arabum regi HEROTIMO Trogus Pompeius auctor est, sexcētos ex numeroso pellicatu filios fuisse, per quos uariè bella administrabātur. Huiusmodi pręsidio fretus, Syriæ fuit & Aegypto infestus, Syllanis temporibus. Sab. lib.3. En.6.

MASINISSA rex Numidiæ, XLIV filios habuit, auctore Eutropio.

ATILA Hunnorum rex, LX liberis insignis.

CAROLVS Magnus Imp. ex multis coniugibus & concubinis, multos etiam liberos habuit: nimirū ex Hildegarda Suena Carolum, Pipinum, Lotharium & Ludouicum: filias aūt Ruthrudem, Bertam, Gislam, Hildengardam, Adelheydam, Bellixandam, Immam, Gertrudim. Tum ex concubinis, Gersuinda, Adeltrudem, Reginam, Drogonem & Hugonem: Adelinda, Theodoricum: Himmeltrude, Pipinum, in patrem seditiosum: Rothilde, Adelroden, Roynam, Adelindam. Tres filias ex Fastrada Franca suscepit, Theoderetam, Hiltrudim & Rothaydem. Et ita uiginti tres liberos genuit. Hedio in Chron. German. & Bruschius in German. monasteriis.

BABO ab Abensperg & Rœr, Comes, Babonis Schirorū principis F. urbis Ratisponensis præfectus, ex duabus legitimis uxoribus triginta & duos filios atque octo filias tulit, educauitque: totq; simul liberos uiuos superstites reliquit. Eum Henricus II Imp. tum Ratisponæ habitans, secum uenatum cum paucis proficisci iussit. Babo sperans se tempus opportunum nactum, quo tantam sobolem Cæsari cōmendaret, iuuenes iam puberes, scitos admodum & elegantes, cultu quoque & arte ornat, unicuiq; comitem adiungit: cum tali prolis globo uenatum procedit ad Imp. Ille uisa tanta multitudine Babonem accersit, sciscitaturque, cur cum paucis aduenire iussus, tot equites adduxerit? Babo respondet, Cū uno equidem duntaxat famulo præstò sum. Qui igitur alij sunt? inquit Cæsar. Excipit Babo: Et tui, inquit, famuli, filij mei, quos tuæ maiestati exhibeo, committo, quod bonum, faustum felixque siet, talem electorum iuuenum & fratrum cohortem, in pace decus, in bello pręsidium dono do, ut ingenuam decet sobolem, maxima cura tibi educaui. Gratissimum munus tale iuuenum fratrum examen Augusto fuit, dextra & osculo excipit, filios nominat: secumq; in aula cōsistere iussos, præfecturis, uicis, prædiis stipendiariis, castellisque locupletauit. Ab his plurimi comites, nobilesq; Nariscorum, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Boiorū & Francorum genus trahunt. Vtputa Comites & Liberi Barones de Ror, Rietenburg, Stephaning, Raning, Lengfeldt, Calmuntz, Bogen, Roteneck, & alij quidam. Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum, & Hieron. Zieglerus in Historia illustrium uirorum Germ. Anno 1485. Nicolaus huius familię ultimus, à Christophoro Bauariæ duce, quòd partes fratris fouisset, interfectus est.

RODOLFVS Habspurgensis Imp. ex Anna Comitissa de Hohenberg in Sueuia, suscepit septem filios, totidemque filias. Ex quibus postea innumeri principes, reges & imperatores prodiere. Cuspinianus.

ALBERTVS I. Rodolfi Imp. F. primus Austriæ dux, & cæso Adolfo Imperator, ex Elizabetha F. Meinardi Comitis Tyrolensis uiginti & unū liberos suscepit. Quibus uti prospiceret, ad regionem per fas & nefas ampliandam, in Heluetia præsertim, animum adiecit. Horum undecim iustam

assequuti sunt ætatem, cæteri in pueritia mortui. Stumpfius & Cuspinianus.

BARRABAS Vicecomes, Mediolanensis dux, XXXIX liberos suscepit, & per eosdē nobilissimis Christiani orbis principum familiis sese inseruit.

CONRADVS Moscouiæ dux, XXC liberos habuit, ex quib. quatuor tantùm legitimi fuerunt.

MVLIERVM QVAE PEPERERE *Simul multos. Vt Geminos, Trigeminos.*

THAMAR ex Iuda socero, habitu meretricio occultata, concepit: quoniam liberos omnino habere cupiebat. Exactis ad pariendum mensibus, geminos in utero ferebat. Atque in ipso partu alter manum protulit, quam prehensam obstetrix cocco alligauit, dicens priorem exiturum. Sed cùm is manū reduxisset, & eius frater emergeret, obstetrix dixit: Quare obiectum tibi interstitium interrupisti? eoq; Phares appellatus est. Deinde exiit alter, is qui coccum in manu habebat, qui Zara nominatus est. Gen. 28.

REBECCA Isaaci uxor, cùm sterilis esset, concepit tandem gemellos, qui in eius utero conflictabantur, & matrem miserè cruciabant. Consulto Iouæ oraculo, responsum est, duas gētes in utero illius esse: duosq; populos inde orituros, minori tamen seruiturum maiorem. Peperit inde priorem Esaum, rufum totum, & uillosi centonis instar: postea Esai calcē manu tenens, exiit Iacobus. Gen. 25.

MNEMOSYNE Eleutheris imperans, in Pieria Iouis concubitu usa nouem noctibus, anno uertente totidem filias edidit, Musas dictas:

— ᾗσιν ἀοιδὴ μέμβλεται ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις

(ut inquit Hesiodus in Theogonia)

ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ', ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

Mystica interpretatio alterius est loci.

AEGYPTIA quædam uno partu quinq; pueros enixa est, teste Aristotele. Gell lib. 10. c. 2.

Mulierem non ultra quinq; uno partu edere, tradit Arist. memoriæq; fuisse proditum, Antigonus in Mir. nar. scribit, Alexandriæ MVLIEREM quandam quatuor partub. XX fœtus edidisse, quorum maior pars enutrita sit. Eademq; in urbe ALIA mulier quinq; infantes unà peperit, tres masculos, duas feminas, quos suis sumtibus ali iussit Traianus imperator. Eademq; mulier circumacto exinde anno, tres infantes peperit. Phlegon de Mirab. & longæuis.

Annis supremis Augusti, FAVSTA quædam è plebe, Ostię duos mares, totidem feminas enixa, famem, quæ cōsecuta est, portendit haud dubiè. Reperitur & in Peloponneso MVLIER quinos quater enixa, maioremq; partem ex omni eius uixisse partu. Et in Aegypto septenos uno utero simul gigni, auctor est Trogus, ubi fœtifer potu est Nilus. Plin. lib. 7. c. 3.

ANCILLA quædam Augusti Imp. in agro Laurente uno partu quinq; enixa est filios. Eam Augustus in uia Laurentina honorificè sepeliri curauit cum ipsis pueris, & sepulcri inscriptione. Gell. lib. 10. Noct. Att.

PROCONNESIA è duplici adulterio geminos edidisse fertur, utrumq; patri suo similem. Solinus Polyhist. c. 4.

SERAPIAM Alexandrinam, scribit Caius Digestorum libro tricesimo quarto quinque liberos uno enixam partu. Cælius lib. 4. cap. 23. A. L.

Lampridius scribit, FAVSTINAM Pij F. M. Philosophi uxorē, uno partu enixam geminos, Commodum scilicet & Antoninum, qui quadrimus elatus est, quem parem astrorū cursu Commodo Mathematici promittebāt. Cùm Faustina esset prægnans, uisa est in somnis serpentes párere, sed ex his unum ferociorem. Cuspinianus.

Lamissij Longobardorum regis MATER, septem uno partu edens filios, eos in piscinam quandam proiecit. Quos cùm Agelmundus primus Longobardorum rex post Ibor & Agion, iter faciens hasta reuolueret, Lamissius hastam eius firmiter tenuit. Ab eo igitur nutritus postmodum, & regni hæres factus est. Sigebertus in Chron.

Sub Zenone Imp. MVLIER quædam septem liberos uno enixa est partu, quos in piscina crudelis abiecit. Sigebertus, matrem eam fuisse indicat Agelmundi regis Longobardorum: Paulus Diaconus uerò libro de gestis Longobardorum primo, cap. 10. meretricem.

MVLIERIS meminit Auicenna, quæ duos & uiginti abortiuos ediderit. Rauisius.

Eo anno, quo Hēricus II. Rom. Imperator mortuus est, Altaichij, inferioris Boiariæ monasterio, mulier QVÆDAM quinque filios simul est enixa. Auentinus libro 5. Annalium Boiorum.

COMITISSA quædam Querfurtensis, uno partu fertur edidisse nouem infantulos, quos omnes ad unum usque uoluit interimere: sed patre fortè fortunà aduentante, conseruati sunt. Brotuffus libro 4. capite 4. histor. Anhaltinensium principum.

MACHTILDIS Comitissa ab Hennenberg, filia Florentij IV. Bathauini comitis, soror Gulielmi regis Rom. sub Friderico II. Imp. mille quingentos, quatuordecim pueros simul genuit: qui in malluuio ab Othone Traiectensi episcopo aureo culo eius sacra aqua lustrati sunt, & pòst mortui. Auentinus lib. 7. Annalium. Cuspinianus CCCL pueros habet.

Anno Christi 1313. MARGARITA comitissa Holsteinij, imperante Hērico VII. uno partu tot edidit infantulos, quot anni sunt dies, trecentos sexaginta quatuor, omnes maturæ ætatis & humanæ formæ: omnes etiā uiui baptizati sunt. Annales Brunsuicensium, Albertus Cranzius in Vandalia, Ernestus Brotuffus lib. 4. c. 4. historiæ principū Anhaltinensium. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Albertus Magnus scribit, quādam fuisse MVLIEREM in Germania, quę LX filios peperit, quolibet partu quinq;, quorū nullus ad dimidiū annū peruenerit. ALIAM quandam in Germania, configuratis conformatisq; iam in utero duorū & uiginti infantium corpusculis, abortum fecisse: aliā uerò etiam septuaginta: imò, ut amplius increscat admiratio, aliā etiamnum eiecisse in peluim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuscula cētum & quinquaginta. Cuius rei facta fides est, tuniculis, quibus obuoluebantur, conscissis. Addit quoq;, pluribus eorum affuisse dilatationis & constrictionis motum, & signa alia uitæ complura, oculis tamen imperfectioribus. Manuum uerò & pedum digitos fuisse capillares. Cælius lib. 4. c. 23. A. L.

Isenbert⁹ Comes de Altorf, uxorē habuit IRMENTRVDIM. Hæc cùm pauperculam feminam eodem partu tres liberos mares enixam uidisset, & tanquam impudicam reprehendisset, quòd ex eodē uiro tres simul filios suscipere, impossibile uideretur: ipsa post annum (Deo sic eius superbum iudicium confutante) absente uiro XII mares enixa est. Perterrita eo casu, quòd iam de sua quoque pudicitia dubitari posse arbitraretur, obstetrici undecim in proximo torrente Schercio mergendos cōmittit, unicum illa seruat. Paret obstetrix. Obuius fit illi Comes, & quid uelatū gestet interrogat. Illa Vuelfos (sic enim lingua sua catulos uocabant) deformes submersuram sese asserit. Mox ille: At permitte, inqt, ut uideam, sintne aliqui qui uenationi nobis inseruire possint. Repugnat illa. Tandem coacta, infantes XI ostendit, & negotium Comiti ita, ut gestum erat, narrat. Imperat ergo Comes, ut factum apud uxorem suam dissimulet, & filios educari præcipit. Exacto iam sexennio, cùm omnes uiuerent, in arcem adduci iubet, atq; illic coram omnib. amicis imprudentia uxoris detecta, ueniam illi dedit, & filios porrò duodecim æquali iure suos esse uoluit: statuitque ut non Comites de Altorf, sed ex uetulæ obstetricis ominosa uoce, quæ uitā illis XI dederat, Vuelfi uocarētur: & gratitudinis ergò pro diuinitùs seruata tā numerosa prole, in ipso Altorfensi oppidulo cœnobiū monialiū cōstruxit. Hāc istius monastici loci originem esse, ex multorum senum, qui eadem sese à suis parentibus & maioribus audiuisse narrabant, testimonio scribit Bruschius, de monasterio Vinearum.

HELIONORA Saluiata, Bartholomęi Friscobaldi Florentini ciuis uxor, duos & quinquaginta liberos enixa est, nunquā pauciores trib. uno partu. Iacobus Capellus in Fragmentis.

Anno 1270. in Cracouiensi regione honesta quædam matrona MARGARITA, Virboslai Comitis uxor, trigintasex pueros uiuos uno partu edidit, uicesima die mensis Ian. Cromerus lib. 9. & Guagninus in uita Boleslai V.

Mathias Golanceuius episcopus Vladislauiēsis in Polonia fuit sub Vladislao Loctico rege. Eius MATREM ferunt duodecim filios uno partu edidisse: uerùm ex iis unum illū uixisse, reliquis mox, ut nati erant, mortuis. Cromerus lib. 11.

RVSTICA in pago Reswyl prope Acronium lacum, A. D. 1555. quatuor pueros mares uno partu incolumes edidit, nō diu tamen superstites. Stumpfius.

Ioannis Gislingeri Tigurini, sacri oratoris in Bernensium ditione VXOR, circa annum Sal. 1553. cùm gemellos edidisset, anno nondū elapso quinq; simul peperit, tres filios ac duas filias. Lycosthenes de Prodigiis.

DOROTHEA quædā Germana in Italia gemino partu XX filios edidit. Fr. Picus Mirand. in secundum hymnū suum.

Sæpius.

LIA Labanis F. lippis oculis deformis, Iacobo patriarchæ in cōiugiū data, quamuis inscio, cùm à uiro parum curaretur, fœcunditate tamen à Deo fuit donata, ita ut primū quatuor filios, Rubenem, Simeonem, Leuim & Iudam ei pepererit: deinde cùm Zilpam ancillam ei subiecisset, Gadum & Aserē obtinuit. Tandem ipsa rursus peperit Issacharem & Zabulonem, & filiam Dinam. Rachel ecōtrà sterilis diu, ex Bala ancilla, quam Iacobo subiecerat, suscepit pro suis Danem & Nephthalim: multò pòst peperit ipsa Iosephum & Beniaminem. Genes. cap. 30.

IVDÆI stolidissimi promissionem Abrahæ factam de multiplicando semine eius sicuti stellas cœli, & arenam maris, referunt ad tempus cùm Messias uenerit, & eos in terram Sanctam reduxerit. Tunc enim quamlibet mulierem quolibet die filium parituram. Petrus Cluniacensis lib. 2. contra Iudæos, cap. 5.

Veteres scriptores de numero filiorum NIOBES non uidentur consentire. Homerus sex numerat, & totidem filias. Lasus uerò & Euripides bis septem dicit. Hesiodus nouendecim: nisi uerò nō sunt Hesiodi illa carmina, sicut multa quoque alia falsò ipsi attribuuntur. Alcman decem ponit. Mimnermus, Pindarus, Bacchylides XX, Sappho XVIII. Aelianus lib. 12. de Varia historia.

ὥσπερ χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή, id est, Tanquam Chalcidice peperit nobis uxor. De ea dicebatur, quæ liberos quàm plurimos peperisset. Tradunt heroinam quampiam fuisse nomine COMBEN, cui cognomen fuerit Chalcidi, quòd prima arma ærea confecerit. Ea uiro coniuncta centum liberos enixa dicitur. Sicuti proditū est in Euboicis annalibus, & attestatur Aristus Salaminius. Erasmus.

ACCA Laurentia XII filios mares habuit, & ex iis unicū tantùm amisit, cuius locum Romulus subiit. Hi XII fratres Aruales dicti.

Pompeius Magnus in ornamentis theatri mirabiles famà posuit effigies; ob id diligentiùs magnorum artificū ingeniis elaboratas: inter quas legitur EVTYCHE, à XX liberis rogo illata Trallibus, enixa XXX partus. Plin. lib. 7. c. 3.

CLODIA Ofilij CXV annis uixit, enixa quindecies. Plinius lib. 7. cap. 48.

Gracchorū mater CORNELIA duodecies partū alternauit; AGRIPPINA Germanici nouies. Plin. lib. 7. c. 12.

Magno Sfortiæ mater fuit ELISA, uirilis animi mulier, ex Petracina factiosa gente: feruidis asperisque moribus, sed pudicitia mirabili. Peperit alterum & uiginti liberos, quos ueluti ad arma natos ita educauit, ut facilè comtiora indumēta, exquisitasq; epulas, & mollia strata contemnerent: uerterentur autem robusto quodam corporis atq; animi uigore ad tuendum familiæ decus. Iouius in uita Sfor.

VICTORIA mater Aeneæ Syluij, qui postea ad Pontificatū euectus Pij II. nomen obtinuit, duodeuiginti, & ex his gemellos aliquot puerperiis edidit. Ioann. Antonius Campanus in uita Pij.

STERILITAS, INFOECVNDITAS.

ACQVISITA. VNDE, QVOMODO ORTA. CAVSA Sterilitatis.

Ira diuina.

MICHOL Sauli filia, Dauidis regis uxor, quia Dauidem regē coram arca Domini, quæ à Philistæis reducebatur, saltātem irriserat, scurrilitatis suæ pœnas, perpetuæ sterilitatis damno, luit. Marul. lib. 3. c. 1. ex 2. Reg. 6.

Abimelechi Gerarorum regis FAMILIA sterilitate fuit punita, eo quòd rex Saram Abrahami uxorem rapuisset. Eā simul ac restituit uiro, Dominus iram suam remisit. Genes. 20.

OEDIPVS interfecto patre Laio Thebanorum rege, matrem Iocastam in uxorem duxit, filios uerò nullos omnino ex ea genuit, diis incestum hunc detestantibus, & facinus nefandum abolere uolentibus. Eteoclem & Polynicem cum duabus filiabus Euryganea Hyperphantis filia illi peperit. Pausanias in Bœoticis.

LEMNII propter occisas uxores & liberos, sterilitate damnātur. Vide Tit. Prudentiæ in conseruanda libertate.

In SALOMONE rege Vngariæ & DAVIDE illius fratre Andreæ regis stirps defecit, diuina uindicta: eo quòd cum Leuenta fratre in Vngariam reuersus, Vngaris Christianorum interitum, ac fidei sacrosanctæ abrogationem permiserit, & Vatham idololatram principem in pontifices & sacerdotes sæuire passus sit. Contrà Geysa patruelis pius Colomannū genuit, & Almum, filias quoq; nonnullas, à quibus regū Vngariæ seminarium promanauit. Bonfinius lib. 3. Dec. 2.

Dyscrasia naturalis.

AVGVSTVS Cæsar & LIVIA priuata quadam corporū dissociatione steriles inter se fuerunt: cum aliis, fœcundi. Plinius libro 7. cap. 12.

Aetas.

Romanus Argyropolus Imp. summo prolis desiderio tenebatur. Sed uxor eius ZOE effœta & sterilis erat, utpote quinquagenaria, licet unguentis quibusdam usus Imperator, lapillos etiam illi ad conceptionem efficaces appendisset, sic ut nec ab incantationibus & carminib. abstinuerit. At cùm omnia frustrà intellexit fieri, à coitu abstinuit, iam ætate segnior. Ergo regina tum mariti odio, tum libidine, quæsiuit alium quo se oblectaret, Michaelem cubicularium, cui post Romani obitum nupsit. Cuspinianus.

Medicamenta.

Roberti secundi Flandrię Comitis clarissimi uxor, CLEMENTIA Burgunda, Calixti II. Pontif. Rom. soror (quum intra tres annos & eo minus tres filios enixa esset) sterilitatem fertur accersisse, ne sobole numerosa grauaretur. Quę res illi malè uertit, quum filiis omnibus superstes grauiter defleret, alios quàm suos liberos Flādris imperare. Iacobus Marchantius de rebus Flandriæ.

Coitus immaturus.

Triballorum princeps Crales quadragenario maior, cū puella SIMONIDE Andronici Palæologi Imp. ex Irene F. octo annos nata congressus, matricem eius læsit, ut fœtum nullū edere posset. Gregoras lib. 7.

Casus.

Imperatrix IRENE, uxor Ioannis Ducæ, cùm filium Theodorum peperisset, accidit, cùm spectandæ uenationis causa cum marito Imperatore exiisset, ut equo excussa, per longum spacium ab eo traheretur. Vnde læsa matrice, parere desiit. Gregoras lib. 2.

POSSESSA. QVI STERILItate laborarint.

SCYTHARVM gens fœcunda non est, quum uiri minimè cupidi sint cum feminis commisceri, ob nimiam corporis humiditatem, uentrisque mollitiem ac frigiditatem: unde uiros minimè ad coitum aptos reddi uerisimile est. Accedit quinetiam lassitudo ex continua equitatione cōtracta, quæ eos ad commistionem reddit impotentiores. Mulieres uerò pinguedo carnis & humiditas steriles facit, eo quòd uteri genitale semen nequeant ad se rapere. Menstruæ enim purgationes eis nō succedunt, quemadmodum oportebat, sed parciùs & per longius tempus. Ipsum quinetiam uteri os præ pinguedine concluditur, ut nequeat semen suscipere. Sunt enim otiosæ & pingues, uentresque earum frigidi & molles. Cuius rei famulæ earum manifestum indicium exhibent. Etiamsi enim neque ipsæ uiros appetant, cum uiris tamen congressæ facilè concipiunt, propter exercitium frequens, carnisq; gracilitatem. Hip. de Aere aquis locis. At ipsa experientia contrarium docet.

CAMBYSES rex Persarum, cùm septem regnasset annos mēses quinque, obiit in Ecbatanis Syriæ, suo ipsius gladio saucius, nulla unquam prole suscepta. Eapropter Crœsus eum Cyro patre inferiorem esse iudicauit; quia talem non reliquisset filium, qualem Cyrus. Herod. lib. 3.

ARISTON rex Spartiatarum infœcundus, cùm è duabus uxoribus liberos non susciperet, Ageti Alcidis F. uxorem astu singulari duxit, ex qua septimo mense Demaratum progenuit. Herod. lib. 6.

Sp. Carbilius sterilitatis causa VXOREM, carissimam alioqui, primus apud Rom. repudiauit. Dionysius Halicar. lib. 2. Val. Max. lib. 2. cap. 7. Gell. lib. 4. cap. 3. Plutarchus in Comparatione Numæ & Lycurgi.

Stratonica Deiotari Galatarum regis uxor, cùm sterilis esset, ad uirum deduxit Electram seruam, moribus atq; forma insignem: ex qua Deiotarus aliquot filios procreauit, quos Stratonica, post uiri mortem, amanter non secus ac suos aluit, atque in regno succedere permisit. Plutarchus de Mulierium uirtut.

C. IVL. Cæsar ex quatuor uxoribus nullos suscepit liberos. Itaque C. Octauium, ex sorore nepotem, testamento hæredem instituit, in familiamque ac nomen adoptauit. Cuspinianus.

EVSEBIA Constantij Imp. uxor sterilis, Helenæ mariti sorori, Iuliano Apostatæ nuptæ, ob fœcunditatem inuidebat, sic ut medicamētis per dolum abortire illā cogeret. Marcellinus.

LVCARDIS à Præmislo Polonorum duce repudiata ob sterilitatem, & à pedissequis tandē iugulata fuit. Cromerus libro 10. & 11.

CASIMIRVS II. Polonorū rex sine filiis maribus obiit. Cromerus libro 12. & 13.

ABACTA. FACTI EX STErilibus Fœcundi.

Qui.

VXOR Manoæ diu sterilis, tandem Samsonem uirum fortiss. [redacted] audita à Domino. 1. Sam. 1.

ELIZABETHA Zachariæ sacerdotis uxor sterilis fuit, quo ad Gabrielis angeli nuncio Ioannem præcursorem Domini pe perit. Lucæ cap. 1.

LABDA uxor Eetionis, sterilis, Cypselum tandem Corinthiorum tyrannum peperit. Herodotus lib. 5.

ANAXANDRIDÆ uxor sterilis primò, mox tres filios edidit. Dorieum, Leonidem, & Cleombrotum. Idem.

Mortuo patre Ariamne, Cappadocum rege, Ariarathes filius solus regnauit: & è uita discedens, regnum filio suo puero admodum reliquit. Hic duxit in matrimoniũ filiã Antiochi Magni, nomine ANTIOCHIDEM, uersutam admodum. Hanc, cùm liberos non gigneret, supposuisse ferunt sibi filios duos, ignorante uiro, uidelicet Ariarathem & Olophernẽ. Aliquãto pòst tẽpore præter spẽ peperit filias duas, & unũ filium nomine Mithridatem. Tũc uirũ de subiectitiis docuit, & effecit, ut grandior cum mediocribus facultatib. Romam mitteretur, & iunior in Ioniam, ne de regno cũ germano filio contenderent. Diodorus lib. 31.

Quomodo.

Erat persuasum mulieribus ROM. prodesse ad fœcunditatem cædi scuticis pelliũ caprarũ immolatarũ Lupercalibus. Ideo Lupercis currẽtib. offerẽtes se, manus tẽdebãt, ut ferirẽtur.

VENVS. COITVS.

APPETITIO.

Consule Locum, Intemperantia circa uenerea, illic moris, heic naturæ habetur ratio.

MATTHÆVS II. Vicecomes princeps Insubrũ libidinosiss. muliebrib. locis unguenta peregrina instillare solebat, quibus intermortuæ ueneris segnities prodigiosa titillatiõe suscitaretur. Iouius in eius uita, ex Corio.

Non multis ab hinc annis uixisse QVENDAM in uenereis ingenij stupendi maximè, compertum est: qui quo pluribus affectus fuisset plagis, eo impetuosiùs in concubitum ferebatur. Proinde, magnis se precibus diflagellari exposcebat, pridiè quàm id pateretur, flagello aceti asperitate obdurato. Quod si conuerberator lentiùs agere foret uisus, uelut exstimulante rabie, conuiciis incessebat: nec factum sibi satis arbitrabatur, ni inter cædendum sanguis sese ostendisset. Vnus, opinor, mortaliũ inuentus, qui eodem impetu in supplicium ferretur, ac delicias: quique inter tormenta sensuũ titillationes ac æstuantem pruritum uel expleret uel incenderet. Quodque nec mirum minus est, non latebat hominẽ flagitij insitata species, seque in eo execrabatur, ac sibi ipsi erat infestus. Cæterùm cõsuetudine deprauata amplius præualente, utebatur uitio, & improbabat. Irroborarat uerò ea, radicesq; egerat altiùs, quòd ita foret assuetus puer, cõmunicata stupri fœditate inter æquales plagarum allectatione. Documento inde præsigni, quantũ moribus inolescendis educationis possit ratio. Cælius lib. 11. c. 15. A. L. ex Io. Pici Mirandulæ lib. 3. contra Astrologos.

ACTVS. VENERIS

Potentia.

Amazones seruis in bello captis, aut etiam PVERIS masculis crus brachiúmue frangebant, non modò ut & ad fugiendũ & insidiandum inepti essent, uerumetiam ut φιλοιφοι & in uenere eò potentiores. Nam & ipsæ dextram inurebant femellis mammam, ut brachium dextrum copiosiore alimento affluente robustius redderetur: & pari ratione debilitato membro extremo, siue brachio siue pede, potissimùm uerò pede, genitales uires augeri credebant, quod Arist. sect. 10. problem. 36. docet. Hinc exprobrantibus Scythis claudicationem seruorũ, Antianira respõdit, ἄριστα ὁ χωλὸς οἰφεῖ, Claudus uiri officio præclarè fungitur. Eustath. Iliad. γ.

Esse herbas, Theophrastus scribit, & repetit Athenæus lib. 1. c. 11. quæ uel ad septuagesimum coitum uim præstent: sed ita, ut demùm secernatur sanguis. & Phylarchus ab Indorum rege Sandrocotto missa Seleuco scribit, quæ mirè coitum prouocarent, uel etiam sedarent. Cælius lib. 14. c. 3. A. L.

Spongias excogitauerunt sibi supponere olim, quas maximè ad res uenereas inducere existimarunt. Athen. lib. 1. c. 11.

MAHOMETVS Saracenorum pseudopropheta libidinibus adeò indulsit, ut diceret sibi à Deo datũ, ut plus quàm quadraginta uiri in coitu præstaret. Vxores quadraginta habuit. Gigas. Azoara 43 fingit Deum sibi facere potestatem singularem exercendi libidines: Tibi quidem, ô Propheta, mulieres oẽs, quibus donando dederis, & omnes tuæ manui per emtionẽ suppositas, & amitæ tuæ materteræq; filias: oẽs itẽ bonas mulieres, tibi uolenti gratis succumbere cupientes (hocq; tibi soli permittitur) licitas constituimus.

In Carentana Rugianorũ urbe MARES cũ feminis in cõcubitum adcitis, canum exemplo cohærere solebant, nec ab ipsis diuelli poterant. Interdum utriq; perticis ediuerso appensi, inusitato nexu ridiculum populo spectaculum præbebant. Ea miraculi fœditate solennis ignobilibus statuis Rugiæuiti, Poreuiti, & Porenutij, cultus accessit, creditumq; est carũ uiribus effectum, quod dæmonum erat præstigiis adumbratum. Quas statuas Valdemarus tandem Danorum rex euertit. Saxo libro 14.

Impotentia.

Ex Tit. Eunuchorum huc pleraq;. Illic Membri defectus, heic Functionis priuatio consideratur.

[redacted]

atribuunt maleficiis

Legitur apud Callimachum, quòd Venus Adonim inter lactucas absconderit, poetas allegoriam huiusmodi sumsisse, quod ij, QVI sæpius lactucis utũtur, minus idonei fiunt ad res uenereas. Athen. lib. 2. cap. 32.

Solonis lex ridicula uidetur, quæ puellæ opulentæ orbæ gratiam facit, si ille, qui eam uendicauit ex lege & obtinuit, ad complexum sit impotẽs, proximis uiri se substernere. Atqui aiunt nonnulli, fuisse id constitutum rectè in EOS, qui inhabiles ad uenerem cùm sint, pecuniæ causa tamen diuites illas orbas iungunt sibi matrimonio, inferuntq; ob legis priuilegium uim naturæ. Cùm enim cernunt licere puellæ orbæ, quem libeat, admittere: uel abstinebũt ab iis nuptiis, uel retinebunt eas cum macula, auaritiæ & improbitatis pœnam dantes. Sed & non quemlibet, sed quem uelit ex uiri necessariis admittat orba: quo proles de familia sit & de stirpe eius. Plutarchus in Solone.

Hieronymus in Epistolis dixisse Theophrastũ scribit, quòd nõ bene dispositus ad rem uenereã erat ALEXANDER Magnus ob ebrietatem. Olympias Callixenam formosissimam amicam ei miserat, conscio etiã Philippo: uerebantur enim, ne euiratus esset. Athen. lib. 10. c. 11. A captiuarum congressu pertinacissimè abstinuit, tantùm dicere solitus, Persicas puellas dolores esse oculorum. Ad Parmenionẽ scripsit, in sopore & coitu se mortalitatem intelligere. Sab. lib. 4. En. 4.

Antigonus in libro de Dionysio, cognomento Heracleote, DIONYSIVM scribit cũ familiaribus festum agere solitũ Choum: qui cùm amica, quam sibi elegerat, frui nõ posset ob senectutem, conuiuis concedebat. Athen. lib. 10. c. 12.

Erat DIONYSIVS à iuuentute rei uenereæ ualde auidus, ut Nicias Nicæus scribit in Successoribus, atque ad populares puellas, nulla habita differentia, accedebat. Athenæus libro 10. capite 12.

Lanuuinos, testiculos uocarunt antiqui. De quibus arbitror PROPERTIVM intellexisse quadam, ultimi libri Elegia, his uersiculis:

> Cantabant surdo, nudabant pectora cæco,
> Lanuuij ad portas, hei mihi, solus eram.

Cælius lib. 4. cap. 7. Antiq. Lect.

ANTONINVS Caracalla Imp. ex morbo impotens, cùm uirginem Vestalem Clodiam Lætam stuprasse diceretur, & illa uiua sepelienda esset, clamauit, ipsum Antoninũ scire se uirginem esse, quodq; propter impotentiam uirum se præstare non potuerit. Xiphilinus in Antonino.

CONSTANTIVS Imp. natura fuit segnis ad coitum, spadonum amori deditus: inde ad uxores conuerso animo, Eusebiam potissimùm dilexit, Eusebij & Hypatij uirorum consularium sororem, quæ tamen ob mariti impotentiam prius ad tabem redacta, pòst uteri suffocatione periit. Habuit dehinc Faustinam, quam uxorem sibi copulauit, postquam à militibus Iulianus est Augustus appellatus, eamq; prægnantem reliquit: unde edita posthuma Constantia, cùm adoleuisset, copulata fuit Gratiano. Cuspinianus.

METHODIVS de stupro accusatus, purgauit sese monstratis uirilib. exiccatis. Interrogatus de causa, narrabat, se, cũ Romæ fuisset, nimio ueneris æstu concitatum, orasse Petrum & Paulum, ut sibi adessent, ne de castitate periclitaretur: ac noctu, eos comparuisse, & attrectatis pudendis, omnem libidinis appetentiam sustulisse. Zonaras tomo 3.

HENRICVS rex Castulonensis impotens, ex sororis obtrectatione Hispano cuidam iuueni uxorem supposuit, ex qua postmodum filiam habuit, magnorum motuum causam in regno Castulonensi. Fulg. lib. 9. c. 3.

CAROLVS Crassus Imp. impotẽs uxorem Richardem, regis Scotiæ filiam, sanctimonia uitæ insignẽ, adulterij cum Luituualdo Vercellensi episcopo insimulauit. Casta femina, quæ impotentiam uiri tot annis celauerat, integritatem suam obstetricibus & mulieribus honestis explorandam, insuperque ignitis uomeribus contestandam sponte obtulit: reique indignitate permota, dissidio facto à marito, in Alsatiam concessit, ibique extructo monasterio sacrarum uirginum, quod hodie Andalauu appellatur, uitæ dies transegit. Cuspinianus.

CIRICVS seu Chericus Ioannis Iberorum regis ex filia regis Por-

tugalliæ F. matrimonium contraxit cum Granatæ regis filia: quam, quia non poterat cum ea concumbere, repudiatam dimisit. Chalcocondylas lib. 5.

MARTINVS Aragonum rex, amisso Martino F. unico, Siciliæ rege, suasu procerum, & liberorum cupiditate, quamuis senex, obesus, & quartanæ obnoxius, uxorem iuuẽculam duxit Margaritam, Petri comitis Pratensis filiam. At nullo pacto nec medicorum arte, nec multiuariis machinis potuit uel concumbere cum muliere, uel puellæ uirginitatem demetere: licet mater aliæque matronæ uelut ministræ puellæ adessent, licet uiri quoque aliquot auxilio regi essent, qui uentre quasi appensum per fascias à lacunari pendentes, quibus tumor proni uentris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puellæ ac sustinerent. Quinetiam mulieres quotidie, nescientibus medicis, cibaria ad uenerem quàm ad salutem aptiora offerebant, unguentisq; oblinebant. Pridie certè eius diei quàm periit, anserem saginatum opiparè concinnatum assumq; ei porrexẽre: de quo ubi comedit, statim uehementi dolore stomachi conflictari cepit, & ardentiss. febri insecuta, maculis superuenientibus extinctus est, omnium Aragoniæ regum potẽtiss. nam nullus ante eum Siciliam tenuerat. Anno Sal. 1410. Laur. Valla lib. 2. Historiarum.

TEMPVS.

CLINIAS interrogatus: Quando congrediendum cum feminis esset? Quandocunque, respondit, maximè cupis lædi. Plutarchus lib. 3. Quæst. conuiual. 6.

VIRORVM CIRCA GENERATIONEM MI-

[redacted] racula, Vtputa VIRI

QVI PEPERERVNT.

Calliphanes supra Nasamonas credidit MACHLYES habitare, androgynosque esse, utriusque uidelicet naturæ, uicibusque inter se coire. Aristoteles adiicit, dextram his mammam uirilem esse, læuam muliebrem. Sab. lib. 4. En. 1.

Prodit Dion, PSYLLOS esse omnes uiros: neq; enim compertam esse Psyllam feminam: φύονται δὲ, inquit, ἐξ ἀλλήλων. Natos experiundi gratia serpentibus obiectant. Hinc doctè ad modũ & scitè Psylleos nuncupamus, qui Psyllos agũt quodammodo, obtrectatorum occursantes ueneno. Cælius libro 4. cap. 23. Antiq. Lect.

Apud Gymnosophistas Indorum, quasi per manus huius opinionis auctoritas traditur, BVDDAM principẽ dogmatis eorum è latere suo uirginem generasse. Cælius libro 14. capite 1. Antiq. Lect.

Dorotheus medicus in commentarios suos retulit, Alexandriæ in Aegypto CINÆDVM peperisse: fœtum conditum miraculi causa asseruari. In Germania in exercitu Romano, quem T. Curtilius Mancias duxit, SERVVS militis peperit, Q. Volusio Saturnino, & P. Corn. Scipione Coss. Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longæuis.

AETATE AD GIGNENDVM INEPTA QVI GENVERVNT.

Nimirum uel

Pueri.

Craterus, Antigoni regis frater, nouisse se scribit QVENDAM hominem, qui spacio septennij & puer fuerit, & adolescens, & uir, & senex, & uxorem duxerit, & progenerata prole mortuus. Phlego de Mirabil.

HERCVLES puer L uirgines, Thespij uel Thestij Atheniensis filias, una nocte grauidas reddidit: ex quib. L geniti mares, communi nomine Thespiadæ dicti sunt. Diodorus libro quarto, capite 3.

D. Hieronymus hanc recenset historiam: Audiui (inquit) Domino teste, non mentior. Quædam muliercula, quum infantem nutriret expositum, & stillaret cibos, ac nutricis fungeretur officio, cubaretq; cum ea PARVVLVS, qui usque ad decimum annum iam peruenerat: accidit, ut plus quàm pudicitia patitur se mero ingurgitauerit, accẽsaq; libidine obscenis motibus infantem ad libidinem duxerit. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps consuetudinem fecit, necdum menses duo fuerant euoluti, & ecce feminæ intumuit uterus. Cælius lib. 14. cap. 8. A. L.

Senes.

Consule Titulum, Longæuorum.

ABRAHAMVS, iam octogenarius, ex Agare ancilla Aegyptij generis, filium genuit Ismaelem: unde Ismaelitarum genus, qui demùm Agareni dicti sunt, ut Eusebio placet, ad postremum Saraceni. Centum natus annos, ex Sara nonagenaria coniuge, quæ prius fuerat sterilis, Isaacum sustulit. Guido Bituricensis.

M. CATO Censorius, octogenarius tam uiuida senecta, ut ne consenuisse quidem uideretur, filium genuit, è filia Salonij clientis sui. Qua de causa aliorum eius liberorum propago Liciniani sunt cognominati, hi Saloniani: ex quibus Vticensis fuit. Plin. lib. 7. c. 14.

Sexaginta regnauit annos MASINISSA rex, populi Romani amicissimus: nonagenarius sine ephippiis equum ascendit, nudo capite pedibusq; iter fecit. Roboris eius maximũ hoc argumentum est, cùm multi ei filij & nascerentur & morerentur, quòd nunquam pauciores decem habuit, & puerum quadrimum nonagenarius reliquit. Diod. lib. 32. Val. lib. 4. cap. 14. filium uocat Methymatum, Suidas uerò Stembam. Solinus cap. 4. Plinius lib. 7. cap. 14.

SIGISMVNDVS Polcastrus medicus & philosophus Patauinus, qui supra L. an. docuit, in senectute quatuor filiis breui tempore orbatus, septuagenarius ad suscitandam sibi prolem, uxorem secũdã duxit, ex qua ei tres filij nati sunt: quorum primogenitum Antonium doctrinæ insulis utriusq; iuris censuræ uidit de more ab eius præceptoribus decorari. Hieronymũ uerò ipsemet philosophica laurea cum summo gaudio tremulis præ senectute manibus exornauit, & obortis præ lætitia lacrymis tenerrimè exosculatus est. Post hæc autem nõ diu superuixit, annos natus nonaginta quatuor. Bern. Scard. lib. 2. classe 9. hist. Pat.

CONCEPTVS MVLIERVM ADMIRABILIS.

QVAE VEL VIRGINES, VEL ABSQVE VIRI CONGRESSV conceperunt.

Verum exemplum unicum.

Virginis sacrosanctæ MARIÆ puerperium, Propheticum carmen, Sibyllinæ uoces, Ethnica oracula, tam manifesto prædixerunt euentu, ut in nouo & incredibili penè mysterio, cuius ne humana quidem mens sit capax, nihil sit eorum, quæ fide continentur, cui libentiùs accedat humana pietas. Sabellicus lib. 1. cap. 1.

Mendacia exempla.

Scriptum reliquit Homerus in hymno in Apollinem, IVNONEM ægrè ferentem, quòd Iupiter sine se ex capite Mineruam peperisset, cœlum ac terram precatam fuisse, omnesq; deos superos & inferos, ut posset & ipsa sine maris cõgressu parere. Cùm ergo manu humum percussisset, natus est inde Typhon, qui dracænæ educandus traditus est. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 22.

FILIA amnis Sangarij amygdali fructibus grauida facta in fabulis narratur.

Fabulosum est, quod de PERICTIONE Platonis matre circumferũt, Apollinis compressu grauidam, cùm uirgo esset, peperisse. Fabulosum, inquam, hoc est, atq; etiam impium. Nemo de uirgine nascitur uerus homo, nisi qui ui diuinitatis corpus in omnem animæ nutum obediens efficere potest. Cælius lib. 14. cap. 1. A. L.

Ex RACHELE matre adhuc uirgine se natum fuisse, iactabat mendaciter Simon magus, ut deum se mentiretur. Clemẽs libro secundo Recognit.

QVAE ATTRACTIONE SEMINIS FORINSECVS.

Scribit Auerrois, nouisse FEMINAM in uicinia cohabitantẽ, probis moribus & fidei integræ, quæ iureiurando confirmaret, concepisse infantem semine ex balneo attracto, quod profudisset lasciuiens masturbator. Cælius libro quarto, capite 10. Antiq. Lect.

QVAE SVPERFOETARVNT.

Præter mulierem, pauca animalia coitum nouere grauida. Vnum quidem omnino aut alterum superfœtat. Extat in monumentis etiam medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit, VNO abortu 12 puerperia egesta. Sed ubi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, uterque perfertur: ut in Hercule ALCMENÆ F. & Iphiclo fratre eius apparuit, & in ea, quæ gemino partu, alterum marito similem, alterum adultero genuit: item in PROCONNESIA ancilla, quæ eiusdem diei coitu alterum domino similem, alterum procuratori eius: & in ALIA, quæ unum iusto partu, quinquemensium alterum ædidit: rursus in ALIA, quæ septem mensium ædito puerperio, insecutis mensibus geminos enixa est. Plinius lib. 7. cap. 11.

QVAE PROMTE CONCEPERVNT.

THESTIADES (aliis Thespiades) sorores L ab Hercule una nocte compressæ, omnes conceperunt mares: maxima item & natu minima gemellos. Ex quibus duo Thebis mansere, quorum progenies in honore fuit: septẽ Thespiis, quos Demuchos appellant. Diod.lib.4.c.3. Herodotus autem septẽ diebus, non una nocte, mulieres redditas scribit.

Cùm Hercules Eleos uicisset, & Augeã regem (qui pro repurgatis agris preciũ negabat) imperata facere coegisset, Eleorum FEMINÆ uiduatã uiris patriam uidentes, uota Palladi nũcuparũt, si grauidæ ad primos uirorum congressus fierent. Voti cõpotes, templum Palladi extruerũt: isq; locus, in quo primus congressus factus est, Badyn nomẽ obtinuit, atq; etiam flumen uicinum. Pausanias lib.5.

QVAE AETATE INHABILI PEPERERVNT. Vtputa uel

Puellæ.

Megasthenes auctor est, mulieres PALÆÆ habitantes, sex annos natas párere: Phlegon de Mirab. & longæuis.

Vetulæ.

SARA iam nonagenaria Abrahamo centesimum annum agẽti Isaacum peperit. Gen.21.

Intempestiuus ELIZABETHÆ matris uterus, faustum Ioannis Zachariæ filij, salutaremq; terris despondit ortum. Nihil Deus non mirificè & utiliter operatur. Mulier quæ dum per ætatem mater fieri pótuit, sterilis fuerat, iam grandis natũ & decrepita, prægnans facta est. Sabellicus lib.1. cap.1. ex Lucæ 1. cap.

CORNELIA ex Scipionum gente (diuersa à Gracchorũ matre) post sexagesimum secundum annum, ex L. Volusio Saturnino, in præfectura urbis extincto, genuit Volusium Saturninum, qui postea consul fuit. Plinius lib.7. cap.14. & Sabellicus lib.3. Enn.6.

Vidisse se refert Albertus MVLIEREM in Germania, cuius primogenitus ultimum quadraginta annis superabat. Fieri potest, quando quidem ad sexagesimum usq; párere possit mulier. Cardanus de Rerum uarietate lib.8.c.43.

Henrico VI. Imp. CONSTANTIAM Celestinus III. Pp. è cœnobio exemtam despondit, & dotis nomine Siciliæ & Neapolis regna, pro ea quam à Petro habebat potestate, tribuit. Illa iam quinquagenaria cùm uterum preter spem ferre deprehensa esset, [redacted] ne quis fraudi aut suspicioni locus relinqueretur, instante partus tempore in urbe (Iesi) foro medio tentorium erigi, & quotquot uellent uiros & mulieres spectatores esse permisit. Peperit igitur Fridericum II. eumque ducissæ Spoletanæ alendum commisit, anno Salutis 1194. Collenucius lib.4. hist. Neapol. Cuspinianus in tentoriis in pratis Panormi, multis utriusque sexus astantibus, Fridericum peperisse scribit, nec multo pòst peperisse etiam filiam Mariam, quæ Conrado duci Boemiæ ac Marchioni Morauiæ nupsit.

PARTVS MVLIERVM. RESPECTV

MODI. QVAE pepererunt

SINE DOLORE.

Vnicum exemplum est MARIÆ uirginis benedictæ, quę cùm ante, in & post partũ intemerata uirgo, illæsis pudicitiæ claustris permanserit, nemo sanæ mentis eam in partu dolores persensisse dixerit. Potuit enim diuinitas ipsa corpus per medias dimensiones absq; labore traducere, quæ eidem super aquas ambulanti pondus adimere potuit.

CVM DOLORE.

Paruo.

HELVIA mater M.Tullij Cic. tertio nõn. Ian. absq; dolore eũ peperisse fertur. Plut. in Cicerone.

Magno, Multo.

☞ *Consule Titulum, Mortuæ ex partu.*

Scriptum reliquit Pausanias in Bœoticis, Iunonem odio pellicis ALCMENÆ cõmotam, cùm sciret instare tempus pariendi, mulieres ueneficas immisisse, quę partum impedirent. Fertur eo tempore Historis Tiresię filia (alij Galanthidẽ ancillam malunt) ueneficas illas astutia elusisse: nã è loco quodã, unde illæ facilè audire possent, exclamauit, Alcmenã peperisse. Ea uoce illæ territæ abierũt: Alcmena illicò enixa est. Alij diuersam ab hac rationem tradiderunt. Cùm nonũ mẽsem ageret Hercules in utero matris, & septimum Eurystheus Stheneli filius, fama est iurasse Iouem, alterum horum alteri imperaturum: atq; ad illum pertinere imperium, qui prior natus eodem die fuisset. Id cùm sensisset Iuno, septimestrẽ Eurystheum ex utero matris exire fecit, ac Herculi ortum in primum diem mensis X usq; prorogauit, ut ait Theocritus in paruo Hercule. Cælius libro 17. capite 12. & Natalis Comes libro 7. capite 1.

Stratonicus cùm Timothei Atheniensium ducis clarissimi VXORIS dolorem partus audiuisset, Si operariũ, inquit, ac non deum peperisset, quales uoces emisisset? Athenæus lib.8.c.7. Irrisit uir sapientissimus hominũ stultitiã, qui regib. ac potentioribus diuinos ascribunt honores: cùm ex cõmuni illa natiuitate appareat, æquè homines esse, ut nos, qui infima sorte uiuimus. Erasmus in Apoph.

Callæ Suessionensi uilla, tribus hebdomadibus laborans MVLIER è partu, psuasa à uicinis, uoto se obstrinxit, quòd nudis pedibus ad sanctam Mariam itura esset. Ergo statim doloribus leuata est. Primò aũt peperit tres lapides, unũ magnitudine oui ãnserini, alterũ gallinacei, tertium nucis. Hos secutus est infans, qui baptismate tinctus, paucos uixit dies. Chronicon Antonini, circa annum 1070.

ELFREDA Aluuredi Anglorum regis filia, cuidam Ethelredo inter Mercios principi uiro locata, cùm pariendo uehementer laborasset, perpetuò in posterum uiri complexum abhorruit: dictitans, stultissimum esse, eiusmodi uoluptati indulgere, aut operam dare, quæ tantum doloris factura esset. Polydorus lib.5.

LÆTA è Petrarcho Florentino susceptum Fran. Petrarchã poetam eximium, anno 1304. XIII. Kl. Sext. Aretij tanto labore edidit, ut uel Medicorum iudicio deplorata uideretur. Hier. Squarzaficus in eius uita.

TEMPVS. QVÆ partum ediderunt

Perfectum.

☞ *De hoc etiam in primo libro huius Voluminis egimus, respectu Fœtus [illegible] immaturę pro expultricis & retentricis facultatis [illegible] ratrici famulantis, uaria affectione.*

Imperfectũ, Abortiuum.

PSALTRIA quædã insignis utero conceperat. Hera eius, ne uitiata uoce questus sibi periret, Hippocratem seu Polybum eius discipulum iussit ut abortum procuraret. Præcepit illi, ut in terram desiliret. Illa septies ferè id fecit, & genitura non sine strepitu in terram defluxit, sexto die à conceptu. Hæc auctor libri de Natura pueri, & Gal. ca.1. de Formatione fœtus. Veterib. licebat seruos occidere, pueros expõnere, eaq; propter licuit etiam tum Hippocrati siue Polybo, petente id domina, abortum procurare. Christianis non licet.

Eusebia Constantij Imp. uxor sterilis, inuidens HELENÆ Iuliani Apostatæ, Constantini Magni F. fœcunditatem, ueneno per fraudem dato effecit, ut quotiescũq; concepisset immatũrum fœtum eijceret. Marcellinus.

Terræmotu uehemente concussis Venetiis sub annum Christi 1342. per dies XV. omnes ferè grauidæ MVLIERES, quæ tum in urbe erant, abortum fecère. Sabellicus libro 8. En.9. & lib.3. Decadis 2.

ACTIONES QVÆDAM PROPRIÆ, A MAGICA facultate naturali prouenientes, agente in

MORBOS.

PYRRHI regis Epirotarũ pollicẽ in dextro pede, cuius tactu lienosis medebatur, cremari cũ reliquo corpore nõ potuisse tradunt, conditumq; loculo in templo. Plin.lib.7.c.2.

VENENA.

Crates Pergamenus, & Strabo lib.13. in Hellesponto circa Parium, genus hominum fuisse tradit, quos OPHIOGENES uocat, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu imposita uenena extrahere corpori. Varro etiam, nũc esse paucos ibi, quorum saliuæ contra ictus serpentum medeantur. Similis & in Africa gẽs PSYLLORVM fuit, ut Agatharchides scribit, à Psyllo rege dicta, cuius sepulcrum in parte Syrtium maiorum est. Horũ corpori ingenitũ fuit uirus exitiale serpentibus, ut cuius odore sopirent eas. Mos uerò, liberos genitos protinus obiiciendi sæuissimis earum, eoq; genere pudicitiam coniugum experiũdi, non profugientib. adulterino sanguine natos serpentibus. Hæc gens ipsa quidem propè internecione sublata est à Nasamonibus, qui nũc eas tenent sedes: genus tamen hominum ex his, qui profugerãt, aut cùm pugnatum est abfuerant, hodieq; remanet in paucis. Similis & in Italia MARSORVM genus durat, quos à

Circes filio ortos ferunt, & ideo inesse iis uim naturalem eam. Et tamen omnibus hominibus contra serpentes inest uenenum: feruntq; ictos saliua, ut feruentis aquæ contactũ fugere: quòd si in fauces penetrauerit, etiam mori: idq; maximè humani ieiuni oris. Plin.lib.7.cap.2. Syllius lib.8.

—Marsica pubes,
Et bellare manu, & chelydris cantare soporem,
Vipereumq; herbis hebetare & carmine dentem.

Gellius lib.16.cap.11. Priscianus hæc ipsa citat è Varronis lib.1. Rerum humanarum, de Pariis, qui uocantur ὀφιογενεῖς, & in Africa Psyllis.

VITAM. VENEFICI NATVRA.

☞ *De iis, qui Venefici nascuntur, consule Tit. Magorum: quo in loco Electionis secundùm naturam agentis ratio habetur: hic solius Naturæ.*

MINOS Cretæ rex, ueneficus naturâ, cuius è concubitu mulieres moriebantur, cùm serpentes & scorpios & scolopendras parerent, quibus cum rem habebat. Antoninus Liberalis in Metamorphos. Plut. in Paral.

Apollonides perhibet, in Scythia fœminas nasci, quæ BYTHIÆ uocantur: hasq; oculis pupillas binas habere, & perimere uisu, si quem forte iratæ aspexerint. Hæ sunt & in Sardinia. Solinus cap.6. Plin.lib.7.cap.2.

Sub Clemẽte VII. inter Romana prostibula erat QVÆDAM insigni forma, cũ qua si qui rem habuissent, liuente pustula statim glans illorum corripiebatur: qua paucis horis pudẽdum totum ita arrodebatur, ut amputatione tantùm ueretri & ustione ex multis pauci curarentur. Sic Zacheus Cæsarino Cardinali à Secretis cauda plus quàm media multatus à Iacobo Perusino chirurgo põtificio felicis. euasit. Romanis medicis mulieris inspiciũdæ negocium datũ. Cúmque ij nihil in formosissimo corpore labis deprehẽdissent, natiua quadam intemperie id accidere argumentati, quòd simile quid de puella napello nutrita Arabum commẽtariis referrent: clementiss. Pontifex sola relegatione in illam animaduertere fuit contentus. Andreæ Petri Perusini, Iacobi discipuli, hypomnema.

PASSIONES CORPORIS.

SOMNI ACQVISITIO:

☞ *Vigiliarum depulsionem Somni acquisitio comitatur. Nam contrariorum contrariæ affectiones æquipollent. Vide Tit. Vigiliæ depulsæ.*

AVGVSTVS Cæsar noctu si interruptum somnum recuperare nõ posset, lectoribus, aut fabulatoribus accersitis, resumebat, producebatq; ultra primam sæpe lucem. Nec in tenebris uigilauit unquam, nisi assidente aliquo. Suetonius.

SOMNVS SVPRA NATVRAM, MONSTROSVS.

ENDYMION puer formosus, à Luna adamatus. Cui illa à patre Ioue precib. impetrauit, ut quicquid optasset, id ferret. Optauit is, ut perpetuum dormiret somnum in Latmo mõte Cariæ, ἀθάνατος καὶ ἀγήρως μένων, Immortalis perseuerãs, & expers senij. Hinc adagium natum, Endymionis somnium dormire. Cicero lib.1. Quæst. Tusculan. & Plinius lib.7.c.32.

EPIMENIDES Cretensis Gnosius, theologus; à patre Bolo uel Argisarcho (temporibus Pythagorę) missus, ut ouem rure deduceret, æstu meridiano diuertit in specum: ubi somno captus 77 annos, uel 40, ut Pausanias uoluit: uel 47, ut Eudemus: uel 57, ut Plinius & Apollonius: uel 75. uel ut alij, sex tantùm dormiuit. Experrectus ouem quærebat: qua non in- [redacted] in precio habere cœperũt. Vixit annos 150. Plinius lib.7.cap.52. Apollonius in Hist. mirab. ex Theopompo, & Apuleius lib.2. Floridorum, & Laert.lib.1.cap.11. & Gellius.

MAXIMIANVS, MALCHVS MARTINIANVS, DIONYSIVS, IOANNES, SERAPION & CONSTANTINVS, Septem dormientes (ut uulgò uocant) socij, apud Ephesum Decij insectationem in uicinum montem Cœlium fugientes, ac sub cauerna quadam latitantes, quanquam diligenter quæsiti, nunquam inuẽti sunt. Demùm martyrium ferre animati, post cibum Dei prouidentia sopiti, usque ad annum XXX. Theodosij Iunioris, annis CXCVI dormiuerũt. Eo tandem tempore die Resurrectionis excitati, tanquam hesterna die obdormiuissent, ad urbem (uti solebant) accesserunt: ubi rem prodidit noui hominum habitus, sermo, & numi aliter signati. Volat. lib.19. Anthrop. Sigebertus in Chronicis, anno post natum Christum 447.

In extremis Circium uersus Aquilonaris Germaniæ finibus, in ipso Oceani litore, antrum sub eminenti rupe conspici, Paulus Diaconus in principio histor. Longobardorũ, & Methodius testantur, ubi septem VIRI (incertum quo tempore) longo sopore sopiti quiescunt, ita illæsis non solùm corporibus, sed etiam uestimentis, ut ex hoc ipso à Barbaris colantur. Hi quantum ad habitum spectat, Romani esse cernũtur: è quibus dum unum quidam curiosa cupiditate stimulatus uellet exuere, mox eius (ut dicitur) brachia aruerũt: pœnaq; unius cæteros perterruit, ne quis eos ulterius contingere auderet. Olaus Magnus lib.1.cap.3.

M. Damascenus scribit, suo tempore in Germania defessum RVSTICVM sub fœni cumulo per totum autumnum sequentemque hyemem continuò dormiuisse, donec fœno depasto experrectus est tanquam semimortuus, totusque extra se positus.

Carolo IV. imperante IVVENIS scholasticis disciplinis Lubecæ deditus, ut sine interpellatione dormiret, se inclusit nemine sciente in armario cubiculi. Transierant iam septem anni, cùm forte fortuna quidam curiosè scrũtãns quid concameratio muri contineret, uidit iuuenem dormientem, & quũ ignotus illi esset, grauiter concussum excitauit. Tum reuocare ceperunt domestici in memoriam ante septennium disparuisse iuuenem: eundemq;, non mutata facie, esse iudicarunt. Stupor apprehendit omnes. Ille stupet cum stupentibus: neq; enim quid aliud sibi passus uidebatur, quàm solent homines profundo somno oppressi. Cranzius lib.8. Vandaliæ, cap.39.

SOMNVS SECVNDVM NATVRAM. Respectu

QVANTITATIS.

Moderatus.

PLATO tantum duntaxat cibi per omnem uitam sumpsit, quantum satis esset ad uitæ necessitatem. Quem uictũ quantum somni sequi uerisimile est, tantum dormire solitus, scilicet non plus quàm quod satis esset ad euitandam ex nimia uigilia malam ualetudinem. Cæteros etiam, quod ex primo libro de Legibus patet, solebat admonere, ut nocte surgerent ad res tum publicas tũ priuatas obeundas. Somnũ enim immodicum & corpori & animo obesse dicebat, parumq; inter mortuum & dormientem interesse. Cælius libro 30. cap.9. Antiq. Lect.

AVGVSTVS Cæsar à cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius cùm plurimum, quàm septẽ horas, dormiebat: ac ne eas quidem cõtinuas, sed ut in illo temporis spacio ter aut quater expergisceretur. Suetonius.

Multus. Longus.

SMINDYRIDES Sybarita dicebat, se nec orientem uidisse solem, nec occidentem, annis plus minus uiginti. Quod etiam de se prædicabat Ponticus HISTIÆVS. Atheneus.

P. SCIPIO somno nimium deditus fuisse traditur, adeò quidem, ut populus Romanus somnolentiam ei exprobrarit. Plutarchus in Politicis.

IVVENES quidam Athenis in Apaturiorum celebritate ebrij facti, per quatuor eius celebritatis dies dormiuisse dicũtur. Recitat ex Eudemo Simplicius.

Breuis.

☞ *Hic sola Somni breuitas consideratur. De Vigilantia subsequente, paulo pòst agetur.*

CLAVDIVS Cæsar somni erat breuissimi, nam ante mediam noctem plerunque uigilabat. Suetonius.

ARSENIVS Arcadij & Honorij Impp. præceptor, monachus factus, tam breui quidem somno naturæ satisfecit, ut etiam dicere solitus sit, Monacho satis esse, si horam unam dormierit. Marul.lib.1.cap.10.

GEORGIVS Castriotus, Scanderbechus dictus, qui ab Amurathe Turcorum tyranno deficiens, Epiri regnum occupauit, breuissimi somni fuit, adeò ut quo tempore Epirum recepit, duabus horis tantùm per singulas noctes somno indulsisse feratur. Marinus Barletius in eius uita.

QVALITATIS.

Suauis, Lenis.

☞ *Consule Tit. Temperantiæ & Intemperantiæ circa quietem corporis quamcunq;, quatenus illic mollis duri'ue strati mentio fit.*

Ἡράκλειοι στρωματαί, id est, Herculani lecti, dicebantur molles ac

delicati. Testis est Athenæus libro 12. quod dictu mirum est, quum Cynici sibi uindicent HERCVLEM. Sed is, qui hæc loquitur apud Athenæum, hoc agit, ut persuadeat Herculem mollem ac uoluptariam egisse uitam: cæterùm quæ de illius laboribus feruntur apud poëtas, mera esse figmenta. Sic homines blandiuntur suis uitiis. Erasmus in Adagiis.

Durus.

IOANNES Andreæ Iurisperitus, per uiginti annos pelle tectus ursina, citra lecti delicias, noctibus cubabat, frequentibusque uigiliis seipsum macerabat. Volaterranus libro uigesimoprimo Anthrop.

Turbatus. Lenis.

☞ *De hoc sub loco Imaginationis dormientium, quæ per Insomnia uel placida uel turbida exercetur.*

Cum stertore.

D. Bernardus, si quem ex FRATRIBVS stertentem persensisset, parum religiosè illum dormire aiebat: modum modestiamque ab eis exigens, sicuti cæteris in rebus, ita etiam in dormiendo. Marulus lib. 1. cap. 10.

Cum Motu corporis. Dormientes qui ambulant.

THEON Stoicus, dormiēs passim ambulabat. Quo etiā morbo laborauit SERVVS Periclis, adeò ut dormiens in summa tecta reperet. Rauisius.

GALENVS Pergamenus noctu aliquando iter faciens, obdormiuit inter eundum, & stadium fermè integrum dormiendo peregit, somnia uidens: nec priùs excitatus est, quā in lapidem pede impegisset. Lib. 2. de Motu musc. c. 4.

Pharmacopœi FAMVLVS singulis noctibus dormiens surgebat, ut artem gladiatoriā exerceret. ALTER circa mediam noctem tabernam aperiebat & adornabat, mox lectum repetebat. PARISIENSIS quidam gladio cinctus Sequanā tranauit, cumque dormiens interfecit, quem uigilans constituerat, patratoq; scelere domum in lectum rediit. Ioannes Alemanus in Hip. de Flatibus.

Fuit VIR, qui dormiens noctu obambulabat, quē socius, qui cum ipso cubabat, prosequens, cùm in profluentem ire animaduerteret, non processit quidem ulterius, sed ne ille procederet nomine appellauit: sic ille repentè corruit dormiēs & submersus est. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 6.

Cum Iactatione corporis.

☞ *Huius quoque exempla ex Tit. Imaginationis dormientium petenda, quatenus animi motum corporis quoque motio comitatur.*

Cubando.

SAMSON in Dalilæ scorti sinu recumbens, & cæsariem & libertatem dormiens amisit.

Sedendo.

Traditum est, in ea eremo, cui Euagrius abbas præfuit, fuisse MONACHOS, qui sedendo somnum caperent, non iacendo, magis repugnantes sopori quàm dormientes. Marul. libro 1. cap. 10. & Sab. lib. 2. cap. 3.

❧ TEMPORIS.

Matutinus.

AVGVSTVS Cæsar matutina uigilia offendebatur: ac si uel officij, uel sacri causa maturius uigilandum esset, ne id contra commodum faceret, in proximo cuiuscunq; domesticorum cœnaculo manebat. Sic quoq; sæpe indigens somni, & dū per uicos deportaretur, & deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat. Suetonius.

Meridianus.

PROCI Penelopes ab Homero luxuriosissimi introducūtur. Inter cætera somno quoq; meridiano indulgent. Hoc enim innuere uidetur Poeta, Odysseæ α. quando inquit:

μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα,
πάντες δ' ἠρήσαντο παραὶ λεχέεσσι κλιθῆναι.

PHILIPPVS Macedonum rex quum interdiū dormiret, Græcique ad fores conuenientes criminarentur illum: Nolite admirari, Parmenio inquit, si nunc Philippus dormit, nam quando uos dormiebatis, ille uigilabat. Plutarchus.

Vulgari ioco FVRES dicti uidentur ἡμερόκοιτοι, quòd interdiu dormiant, noctu uigilent. Sic enim Hesiodus in Operibus ac Diebus,

Μήποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται. id est,
Ne solitus dormire die tua tollere possit. Eras. in Prouer.

L. LVCVLLVS somnum captans meridianum, Olthaci insidias effugit. Hic enim, qui in presidiariis Mithridatis Dardariorum dynastes erat, uir in bellicis rebus ualdè promtus & audax, Mithridati recepit se Lucullum interfecturum, equóque accepto ad Lucullum transfugit: à quo benignè receptus est, ita ut eum subinde & consilio & mensæ suæ adhibuerit. Dardarius commoditatem suam obseruans, militibus meridiantibus & quiescentibus ad prætorium, ad imperatorem liberè ingredi uolens, & facinus conceptum exequi, à Menedemo cubiculario prohibetur, quòd modò imperator quieti se tradidisset. Olthacus uerò cùm inuito cubiculario ingressurus esset tanquam rem ad eum relaturus magnam: Menedemus contrà, nihil esse tanti, ait, ac Luculli salutem, hominemq; ambabus manibus repulit. Quare metuens ille subduxit se ex castris, atq; conscenso equo in castra Mithridatis re infecta profugit. Plut. in uita Luculli.

AVGVSTVS Cæsar post cibum meridianum ita ut uestitus calceatusque erat, retectis pedibus, paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. Suetonius.

Intempestiuus.

VLYSSES Odyss. ν. à Phæacensibus dormiens in Ithacam exponitur cum muneribus, quas ei Phæacum præstantissimi dederant. Quidam certè ueram historiam esse opinantur: somniculosum enim Vlyssem fuisse, & propterea difficiliùs à multis conueniri potuisse, idq; Tyrrhenorum testimonio. Alij uerò Vlyssem se dormire simulasse. Nam si uigilasset, necesse habuisset Phæacenses deductores suos xeniis prosequi, & ita fortassis magno suo cum periculo à procis agnitus fuisset. Ergo somnum simulans, dormiens in litus expositus, & ingratitudinis crimen & uitæ periculum effugit. Plutarchus in libro de Audiendis poetis.

C. Caligula profusionib. exhaustus, auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subiecit & uenditauit: exquirens per se precia, & usque eò extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, uenas sibi inciderent. Nota res est, APONIO Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Caio præconem, ne prætorium uirum crebro capitis motu sibi nutantem præteriret: nec licendi finem factū, quoad XIII. gladiatores LLS. nonagies ignoranti addicerentur. Suetonius in Caligula.

CLAVDIVS Cæsar noctu somni breuissimi erat: at interdiu nonnunquam in iure dicendo obdormiscebat, uixq; ab aduocatis de industria uocē augentib. excitabatur. Suetonius.

❧ LOCI VNIVERSALIS. SOMNVS SVB *Dio.*

IACOBVS Patriarcha recedens à parentibus suis, & inuisere uolens socerum suum Labanem, in itinere quiescens, post solis occubitum, lapides supposuit capiti suo, & dormiuit. Geneseos cap. 28.

Tecto.

❧ LOCI PARTICVLARIS.

Humi.

M. ANTONINVS Philosoph' Imp. annos duodecim habitu philosophi in pallio uixit, ac humi cubitauit. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

Stramen.

[redacted]

Pelles.

ATALANTA uenatrix pulcerrima strati loco utebatur ferinis pellibus. Aelianus lib. 13. Var. hist.

M. CATO Cēsorius, pellib. hœdinis pro stragulis est usus. Plut.

Vtres.

In BABYLONIA cœlum fama est adeò torrens esse & graue, ut plerique diuitum in impletis aqua utribus captandi frigoris gratia cubent. Plut. lib. 3. Quæst. con. 2.

Retia.

AMERICÆ incolas pensilib. lectis ex reticulis confectis uti, Hispanorum nauigationes nostro æuo explorarunt, quòd hac una ratione culicum infestationem eludere experientia didicerint.

❧ VIGILIAE ACQVISITAE.

PERSARVM regem quolibet mane cubicularius his uerbis expergefaciebat: ἀνάστα, ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε. Id est, Surge rex, ac negotia cura, quæ te Mesoromasdes curare iussit. Plutarchus Aduersus ducem imperitum.

❧ VIGILIAE OBITAE.

❧ QVI VIGILARINT.

Reges.

DARIVS rex somni per noctem expers, problema proposuit suis satellitibus, quisnam eorum de fortissima re existentē sapientissimam proferret sententiam. 3. Esdr. 3. & 4.

ARTAXERXES uigilans noctu, ne tempus frustrà perderet, commentarios rerum gestarum sui temporis excutit. Esteræ 2. & Iosephus lib. 11. cap. 6.

Monachi.

D. Bernardus abbas Clarauallensis, dicere solebat: Dormientem MONACHVM Deo mortuum esse, nec sibi nec ulli utilem. Ex lege igitur contrariorū, Vigilantem monachum Deo uiuere, nec non & sibi & aliis usui esse dicemus. Marul. lib. 1. cap. 10. & Sab. lib. 2. cap. 3.

❧ CVR. OB *Religionem.*

ARSENIVS Arcadij & Honorij Impp. præceptor, surrepenti somno obnixè repugnans, illum improbum seruum appellabat, quoniam non uocatus sese ingereret, & uel inuitum traheret ad quiescendum. Sabbathis omnibus hoc diligentissimè obseruauit, ut cùm occidente sole orare cœpisset, non nisi exoriente cessaret. Itaq; semper sic cum somno pugnauit, ut sabbathorum noctibus nihil ei cederet: aliis tam parum, ut etiam naturam uicisse uideretur. Marul. libro primo, cap. 10. & Sabell. lib. 2. cap. 3.

BERNARDINVS de collegio Minorum, etiam antequam religionem profiteretur, religiosi ultam uixit. Ad offerendū Deo laudis sacrificium noctu consurgens, ne quiete occuparetur, contemtis lecti stratis, super pauimento uestitus iacere consueuerat. Cum hoc uigiliarum præludio ad monasterium uenit. Quod noctu didicerat uigilando, hoc die alios docuit prædicando: multosq; qui peccatorum oppressi ueterno, in morte dormiebant, excitauit ad salutem. Nisi somni semper parcissimus fuisset, nunquā tantū in Dei seruitio profecisset. Marul. lib. 1. cap. 10. & Sabel. lib. 2. cap. 3.

Non mediocre ordinis Prędicatorū ornamentum VINCENTIVS, diem penè totum sermonibus ad populum faciendis, noctem multam obsecrationibus lectionibusque, partem eius minimam somno dicitur impendisse. Cubitasse autem, cùm durius, sarmentis substratis: cùm mollius, paleis: cùm honestius, sacco. Marul. lib. 1. cap. 10. & Sabel. lib. 2. cap. 3. qui Innocentium uocat.

PETRVS eiusdem & ordinis & sanctitatis uir, dum etiam ipse interdiu prædicando excubat, & noctu deprecando, psallendo, legēdoq; uigilat, ad martyrij usq; palmam peruenit: & quia per omnia sanctorum apostolorum uitam expresserat, ad eorum prouectus est & gloriam. Ibidem.

Studia.

☞ *Consule Tit. Studiorum causa uigilias perferre.*

ENDYMIONIS in Latmo pernox cura, dum Lunæ motum curiosè inuestigat, poëtarum fabulis adumbrata fuit. Sabellicus lib. 2. cap. 3.

Curas publicas.

AGAMEMNONEM, cæteris dormientibus, solum uigilantem facit Homerus Iliados κ. his uerbis:

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ,
ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα. id est,
At reliqui Danaum proceres noctem usq; per omnem
Dormibant, placido correpti membra sopore:
At non Atriden pastorem Agamemnona plebis
Somnus habet dulcis, uersantem pectore multa.

AENEAM suum Vergilius Homerica imitatione alijs dormientibus aut uigilantem facit, aut excitat, fingitq; cogitabundum & sobrium, & de futuris agitantem animo.

EPAMINONDAS dux Thebanus, cùm Thebani ciues festis quibusdam diebus solutius compotationibus indulgerēt, ille solus uigil ac sobrius urbis mœnia perlustrabat. Rogatus uerò cur id faceret? Respondit, se νήφειν καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν. id est, Sobrium esse se ac uigilare, quò reliquis liceret temulentis esse, ac dormire. Plutarchus in lib. Aduersus ducem imperitum.

P. SCIPIO Africanus antelucanis horis adolescens Capitolium ascendebat, assidebatq; solus Ioui, futuras hostiū strages & excidiū Carthaginis animo uersans. Sabel. lib. 2. c. 3.

Mœrorem.

C. MECOENAS Terentiæ uxoris amores (nam & Augustus eam deperisse fertur, & ipsa forma cum Liuia Augusta certare uoluit) ægrè ferens, cùm nec mero nec aquarum fragoribus somnum allicere posset, toto triennio uigilauit: & uix tandem per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium sopitus est. Seneca in lib. de Prouidentia.

❧ VIGILIAE DEPVLSAE.

☞ *Somni conciliationem Vigiliarum depulsio præcedit.*

ANACREON Lyricus cùm dono accepisset à Polycrate Samiorum tyranno quinq; talenta, sollicitusq; insomnes egisset propter illa duas noctes, ea reddidit, dicens: non se ea æstimare precio sollicitudinis, qua ipsorum causa afficeretur. Maximus serm. 12. Antonius in Melissa, par. 1. serm. 29.

SIGISMVNDO Imper. cùm quadraginta millia numūm aureorum ex Vngaria allata essent & is sollicitè per noctem cogitaret, in quos usus conuerteret, ocyus consiliarios omnes ac militum duces ad se uocauit per cubicularios, & aperta area, Ecce, inquit crudelissimi hi hostes ac carnifices (numos ostendens) somnum mihi eripuerunt: accipite, ac inter uos diuidite, ut mihi tranquillè dormire liceat. Cuspinianus, & Aen. Syluius lib. 4. Comm. in Alfonsum.

❧ DOLOR QVILIBET.

☞ *Dolorem præcedente libro inter Affectiones corporis connumerauimus, eundemq; pro Partium affectarum diuersitate diuisimus. At hîc non Insalubritatē, sed ipsam, ut ita loquar, Passibilitatē à qualicunq; obiecto quomodocunq; corpori impressam consideramus. Paulo post ipsam Tolerantiam doloris perpendemus.*

❧ A QVO: A *Morbo.*

M. AGRIPPA supremis suis annis conflictatus graui morbo pedum, tanti putauit usu pedum sensuq; carere, dummodò dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi. Plin. lib. 23. cap. 1. Nat. hist.

Ictu.

☞ *Consule Tit. Vulnerum, & Mortuorum uulnere.*

Morsu.

PARMENIO Macedo suæ contra cimices pugnæ in Græcis meminit Epigrammatis:

οἱ κόρεις ἄχρι κόρου κορέσαντό μου· ἀλλ' ἐκορέσθην
ἄχρι κόρου κἀγὼ τοὺς κόρεις ἐκκορέσας.

❧ VECTIO DE LOCO IN LOCVM.

Per Aera uecti.

☞ *De uolatu, superiore loco, eorū, qui propria ui arteue hoc agunt. Itaque Actio est. Hîc de iis, qui aliena ui. Proinde inter passiones connumerari debet. In Euangelio dicitur spiritus Christum in cacumen templi, ac deinde montis transtulisse. Plerique Theologi sentiunt corpore & animo uerè Christum exportatum esse. Abacuc item prophetā fatetur & corpore & animo translatum fuisse in Babyloniam, similiterq; Philippum Apostolum. Ex quibus Thomas Aquinas eruit, si id in uno potuit, in aliis [e]iusdem natura & ponderis fieri potuisse. hoc illius argumentum in caput Matthæi quartum. Bodinus lib. 2. Dæmon. cap. 4.*

HABACVCVS uates in Iudæa cùm edulium quoddā, quod intrito in catinum pane parauerat, rus portaret messoribus, ab angelo uertice prehensus, & capitis coma sublatus, Babylonem deportatus est, ut Danieli prophetæ inter medios leones esurienti cibum afferret. Et mox eodem angelo ductore in Iudæam rediit. Danielis 14.

Theophrastus Paracelsus, MAGOS, qui Christum adoraturi uenêre, ex India dæmone uectore usos tantum itineris tam exiguo tempore emensos scribit. Sed mendacium hoc esse, sacra dictat historia: nec unquā Christus ad gloriam suam manifestandam diaboli ministerio uti uoluit.

PHILIPPVS Apostolus cùm Samariæ euangelizaret, angeli iussu meridie sublatus, & in eam uiam demissus, quæ Hierosolyma Gazam ducit, eunuchum Candaces Aethiopum reginæ obuium habuit, eundemque conuertit & baptizauit. Mox ubi ex aqua egressi sunt, rapuit iterum spiritus Domini Philippum, & Azotum perduxit, nec ab eunucho amplius conspectus est. Actorum 8.

ANTIDIVS Turonensis episcopus, cacodæmonem lætum ac gestientem uidens, quòd Zozimum summū pontificem septennio lacessitum, tandem ad stuprum committendum se impulisse diceret: haud cunctatus, illi præcepit, uti se eadem celeritate, qua uenerat, Romam perferret. Die altero pontificem adit, relatisq; quæ de illo dæmon iactauerat, ruborem ei pauoremq; iniecit: & confitentem protinus ad pœnitentiam conuertit: eodemq; uectore usus, diei spacio Turonum rediit. Marul. lib. 3. cap. 2.

Natum PERSEVM cum Danae matre Acrisius scrinio inclusum in mare abiecit, quòd oraculo acceperat, sibi à nepote exitium imminere. Porrò scrinio forte fortuna ad Seriphum insulam delato, Dictys receptum se Perseum aluit. Polydectes autem, Dictys frater, qui Seriphiis imperitabat, Danaē amare cœpit. Verùm Perseo iam adulto, non potuit ea potiri. Proinde conuocatis amicis, & inter hos Perseo, ait se uelle certamen edicere super Hippodamiæ Oenomai filiæ nuptiis. Perseus existimans si cum Gorgonis capite pugnaret, neminem posse obsistere, præter alia postulauit equos, ductuq; Mercurij ac Palladis, peruenit ad Phorci filias, Mēphedem, Ennyo & Dyno. Has autem statim natas anus fuisse aiunt, tum unicū duntaxat oculum habuisse, unicū item dentem: his uicissim inter se treis utebantur. Hæc cùm Perseus abstulisset, reposcentibus illis, ait, redditurum sese, si uiam commonstrassent, quæ ad Nymphas duceret. Erant his nymphis alata talaria, & cibisis quæpiam, quam arculam seu peram putant fuisse. Habebant & Plutonis galeam, quam qui gestaret, is quoscunq; uoluisset uidebat, ipse nemini conspicuus. His igitur instructus Perseus, ad Gorgonas deuolauit. Erant autem Gorgones tres sorores, Euryale, Sthenò, Medusa. Erant his capita, draconum squamis obsita, præterea dentes maximi, suum instar, ad hæc manus & alæ,

alæ, quibus per aera ferebātur. Aderat insuper ea uis, ut obtuentes sese, in saxa uerterent. Porrò sola Medusa è tribus mortalis erat. Hanc igitur impetit Perseus. Et oculis defixis in clypeum æreum (per quem tamen ipsam Gorgonis imaginem aspiciebat) manum porrigens, quam Pallas in Medusam dirigebat, caput Medusæ desecuit. Aduolantes reliquæ duæ sorores, Perseum quidem insequebantur: uerùm cùm illum ob galeam Plutonis uidere non quirent, retro abiêre. Itaque Perseus reuersus in Seriphum, Polydecten aggressus est, amicorum auxilium implorantem. Quibus ad regiam concurrentibus, Perseus Gorgonis ostenso capite, quotquot obtuerentur, in saxa uertit. Sublato igitur Polydecta, & Dicty in fratris locū substituto, Gorgonis caput Palladi dedit, galeam Mercurio, cumque hac peram ac talaria: ille rursum nymphis restituit. Zenodotus. In prouerbio, Orci galea, Erasmus.

PYTHAGORAM uno momento & in Thuriis & in Metapōtiis fuisse: APOLLONIVM adhęc Tyanæum è Smyrna celerrimè Ephesum uerbō dicto translatum esse, tradit Philostratus. Vierus lib. 2. cap. 7. de Præstigiis.

Religiosus QVIDAM, Hesdinensis pagi incola, in Leodiensi agro, cùm religionis gratia Hierosolymam perrexisset, post comites Hierosolymis substitit, ut Paschatis die diuina illic celebrari, quæ alij omittebant, audiret. Veritus autem postea, ne traiiciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppen ad mare properabat. Itaque defessus in itinere, equitem offendit: qui misericordia se motum ostendens, eum in equi tergum accepit. Ergo eo ipso die, magna omnium suorum admiratione, in pagum suum Hesdinum perductus fuit. Ibi re exposita, ut contigerat, cùm accolæ aberrare eum à recta mente putarent, in Hispaniam ad sancti Iacobi fanum profectus, atq; inde reuersus est, priusquam ab Hierosolymis comites in patriam regrederentur. Ab eis cùm esset affirmatum, pòst ipsos eum Hierosolymis substitisse, tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

Boccatius refert fabellam de nobili LOMBARDO, qui Hierosolymitanæ militiæ nomen dederat, ad occupandam terram Sanctam: discedensq; coniugi suæ partem anuli signatorij reliquerat, cùm hoc pacto, ut si intra triennium ab ea die nō rediret, uxori liberum foret, arra hac & symbolo neglecto, alteri marito nubere. In Iudęa captus, ac in Aegyptū abductus, Sultano (quem iam olim in Europa peregrinantem, attamen ignotum, hospitio receperat pater eius) propter parentis hospitalitatem, uiriq; prudentiam ac dignitatem, mox adeò placuit, ut probatis diutina familiaritate eius moribus, eum omnibus rebus suis præfecerit. Vertente triennio in extremam incidit tristitiam. Cuius causam Sultanus expiscatus, magum aduocauit, qui illum in lectulo precioso consopitum, & magna auri gemmarumq; ui onustum, postrema trium annorum nocte Papiam in summum templum deferendum curauit. Aedituus eo conspecto trepidus fugit: ac dum aliis de spectro narraret Aegyptio, obuiā eum habuit ad ædes uxoris properantem, iam ab alio sponso uesperi domum ducendæ.

In ergastulo detentus LOTHARINGVS quidam Constantinopoli, tam robustus erat, ut Turcæ, ueriti ne catenas ac uincula disrumperet, torquem eius collo ferreum applicarent, quinque digitorum crassitudine latum, ac trium crassum, ferreis catenis innexum. Huic cùm in memoriam rediret sanctus patriæ suæ Nicolaus, eum comprecatus, ut intercederet pro se apud Deum, obdormiuit. Postero manè cùm pagi æditius templum reseraret, captiuum hunc in uinculis dormientem ad fores offendit. Ille è somno excitatus, in fano S. Nicolai de Varenguille (duobus à Nanceo milliaribus distante) quem inuocarat pridie, se esse agnouit. Re peruulgata, populus accurrit: & post aliquot Alleluia decantata à sacrificis, quatuor accersiri iussit fabros ferrarios, qui uinculis eum liberarent. Quæ cùm nulla uiderentur humana ui posse dissolui, ecce in conspectu omnium torques dissiliit. Vierus libro secundo, capite 29. de Præstig. dæmon. ex libello de Galliæ sanctuariis.

INCREMENTVM CORPORIS.

MVLTVM.

Vide Tit. Procerorum & Obesorum.

Totius corporis.

NICOMACHO Smyrnæo cùm uniuersum corpus ita excreuisset, ut semetipsum mouere amplius non posset, ab Aesculapio curatus fertur. Gal. de Diff. morborum c. 9.

Ioan. Vierus medicus in libro Obseruationum medicinalium scribit, uidisse se VIRGINEM gigantea proceritate, quæ ex parentibus mediocris staturæ nata, cùm usque ad annum ætatis XII. paruæ staturæ uulgaris fuisset, eodem tempore quartana correpta fuit. Qua cum mensibus aliquot luctata, eaque tandem remittente, cœpit in eam corporis excrescere molem, cunctis membris æquā dimensione in magnitudine debita respondentibus, ut nihil à iusta proportione apparet alienum: Annum agebat ætatis XXV. cùm eam inspexit, quo nondùm menstruæ fluxionis senserat euocationem. Bona interim fruebātur ualetudine, forma non uenusta, colore subobscuro; ingenio simplici & stupido, ac toto corpore torpido. Cùm matre stipis à spectatoribus exigendæ gratia oberrabat.

Partis.

Galenus CVIVSDAM linguam absq; ullo doloris sensu supra modum excreuisse scribit lib. de Diff. morb. cap. 9. quæ neque prementi manu cederet, ut œdema, nec resisteret, ut scirrhus, nec doleret, ut plegmone.

PAVCVM.

Vide Tit. Paruorum, Macilentorum.

VELOX.

Inuenimus in monumentis, inquit Plinius, Salamine Euthymenis FILIVM, in tria cubita triennio adoleuisse, incessu tardum, sensu hebetem: & iam puberem factum, uoce robusta, absumtum contractione membrorum subita, triennio circumacto. Ipsi nos pridem uidimus eadem fermè omnia, pręter pubertatem, in FILIO Cornelij Taciti, equitis Romani, Belgicæ Galliæ rationes procurantis. Ectrapelos Græci uocant eos: in Latino non habent nomen. Plinius lib. 7. cap. 16.

FAMES NATVRALIS.

Vt tristis Sensus suctionis ob alimenti defectum in uentriculo percipitur, huius loci est. Vt uerò hunc sensum tristem sequitur alimenti Appetitio, inter Actiones referri debet. Consule Tit. Fames memorabilis. illic alimentorum Defectus fortuitus, hic Sensus ex defectu proueniens perpenditur.

CONSTANTINVS Imp. superatus à Persis, frusto panis à quadam uetula porrecto, inediam repulit. Marcellinus.

SITIS NATVRALIS.

Hîc pariter solam Sensationem tristem consideramus. Ipsa Appetitio subsequens alterius est loci.

De PARTHIS uetere prouerbio dictum est, quò plus biberint, eò plus sitire. Erasmus in Adagiis.

HERCVLI sitienti, cùm boues Geryonis per Italiæ agros duceret, femina aquā se non posse præstare respondit, quòd Feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu uiris gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrū detestatus est præsentiam feminarum. Macrob. lib. 1. c. 12.

ARTAXERXI regi Persarum in prælio contra Cyrū fratrem uulnerato tantùm siti non enecto eunuchus Satibarzanes circumcursitans potum inuestigauit. Tandem incidit in unum ex Cauniis Caribus egenis, qui sordido in utriculo aquam putridam & uitiosam habebat. Hunc arripit, atq; ad regem portat. Eumq; totum cùm exhausisset rex, per deos iurauit, nec uinum iucundius unquam se potasse, nec aquā uel leuissimam & limpidissimam. Plut. in Artaxerxe.

DARIVM ad Gaugamela ab Alexandro uictum, & Ecbatana fugientem, Bessus Bactrianorum & Nabarzanes Dracarum satrapę, ut Alexandri gratiam mererentur, aureis compedibus uinctum, pòst etiam iaculis in curru confecerunt. Equi sine rectore aberrantes in conuallem quandam decesserat, ubi non procul fons erat. Ad quem cùm Polystratus Macedo siti confectus bibendi causa uenisset, uidissetq; Darium extremum trahentem spiritum, aqua cum galea hausta ori que admota refecit. Vt frigidam hausit: illum, qui porrexerat, Polystratum militem Alexandri affatus est: Hic mihi terminus, quicunq; es, omnis est felicitatis, quòd beneficium acceptum nequeam rependere. Verùm referet Alexander tibi gratiam, Alexandro dij immortales, quòd tam humanus in genitricem, uxorem & liberos meos fuerit: cui hanc dextram te interprete porrigo. Ita fatus, apprehensa Polystrati manu expirauit. Plut. in Alexandro.

Dionysius tyrannus CROTONIATAS, Elori duce ipsorum occiso, deuicerat. Qui superfuere ad collem quendam confugere, munitum quidem, sed aqua prorsus destitutū. Hunc Dionysius obsidione cinxit. Illi missa legatione, ut redimere se precio aliquo liceat, rogant. Dionysius præcepit, ut armis depositis, seipsos sibi tanquam uictori supplices dedant. Quod licèt inuitè facerent, metuentes eius tyrannidem, ipse tamen eos absq; omni redemtionis precio immunes dimisit. Diodorus libro 14.

C. Marius cùm castra sua Teutonum castris contulisset, loco qui angustam habebat aquationem: MILITIBVS siti laborare se dicentibus monstrauit manu, qui sub hostium castris decurrebat, fluuium, atque, Inde uobis, inquit, potus sanguine uenalis est. Illi duceret conclamauerunt, dum liquidum sanguinem haberent, neq; omnem dum ex siti concretum. Plutarchus in Apophthegmatis.

C. IVLIVS Cæsar siti magna in expeditione Hispanica confectus, à milite gregario aquam in galea apportante reficitur. P. Aerodius ex Senecæ lib. 5. de Beneficiis.

PIVS II. Pont. Max. porrigente pastore cymbium lactis ori admouit, quanquā admodum sordidum. Ridentibus qui aderant, Et hoc, inquit, dulcius, quàm Artaxerxis poculum. Qui sitit, uitro non eget. Io. Antonius Cāpanus in eius uita.

ODOR CORPORIS.

De hoc libro secundo superi[redacted] pertinente ad [redacted] Qualitatem. [redacted] Passio repeti potest.

[redacted]

SVDOR TOTIVS CORPORIS.

Copiosus.

Imperator MAXIMINVS, qui quādoq; uno sudore lixas sedecim uicerat, item ex militibus septē superarat fortissimos, sudores sæpe suos excipiebat in calicem missos, ut sextarios implerent duos: nonnunquam & tres. Cæl. lib. 6. cap. 4. A. L.

Facilis.

D. Augustinus lib. 14. de Ciu. Dei, c. 23. nouisse se HOMINEM testatur, qui, quotiescunq; uellet, sudaret sponte posset.

LVD. Viues cū Brugis tertianis teneretur febribus, quoties salutiferum dicebat medicus futurum sudorem, compresso paulisper spiritu, stragulis opertus sudabat. Testis ipsemet in locum illum Augustini.

Fœtidus.

ANCHIMOLVM & MOSCHVM sophistas apud Elidem, tota fuisse uita hydropotas legimus, ac ficis modò solitos uesci, nec tamen aliis imbecilliores habitos. Cæterùm asper nabilis adeò è corpore promanabat sudor, ut certatim in balneis ab omnibus declinarentur. Cælius lib. 6. A. L. cap. 4.

STERNVTAMENTA.

TIBERIVS Cæsar, tristissimus alioqui, in uehiculo tamen ad sternutamenta salutari exegit. Plinius lib. 28. cap. 2.

MVCCVS.

Multus.

Apud Platonem libro de Rep. primo, Thrasymachus Socrati stuporem obiiciens, optat illi nutricem, quæ muccum è naribus exprimat, ὅτι σε ἔφη κορυζῶντα περιορᾷ, καὶ οὐκ ἀπομύττει, δεόμενον αὐτῆς. id est, Quoniam, inquit, te muccosum negligit, nec emungit, cùm ea tibi sit opus. Erasmus in Adagiis.

Nullus.

CONSTANTIVS Imperator nunquam nares in publico extersit, nunquam spuit. Marcellinus.

LACRYMAE.

De Lacrymis, quatenus Animi affectuum notæ sunt & indices, lib. III. primi Voluminis egimus. At hîc ut Porporis passiones quædam sunt, ab Expultrice facultate prouenientes.

Notum est, QVOSDAM flere cùm uolunt, atq; ubertim lacrymas fundere. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 23.

ANHELITVS. ANIMA

Suaueolens.

GALENVS Pergamen⁹ medicus ut integra uixit ualetudine, & uictus ratione usus est probatissima, ita quoque odoriferum semper anhelitum spirauit. Cælius libro 30, capite 12. Antiquarum Lectionum.

Sanciuit Solon, ut adeso SPONSA malo cydonio conclaue ingrederetur, ut mimus esset molestus & ingratus cōplexus. Plut. in quæst. Rom.

Grauis, Fœtens.

Fœtorem quendam animæ, qui non uitio aliquo oris proueniat, sed in omnibus ferè est, qui nihil gustarint, Græci significare uolentes, νηστείας ὄζειν, quasi ieiunium olere, dicebant. Hoc testatus est Aristoteles in quæstione quadam. Hunc autem ingratum oris odorem significauit Cæcilius comicus, cuius hæc uerba leguntur apud Nonium, edita (ut apparet) ab eo, qui uxoris parum acceptæ, odiosam comitatē, blanditiasq; accusaret. Quæ mihi, ubi domum adueni, assedi, extēplo sauium dat, ieiuna anima. Victor. lib. 4. Var. lect. c. 2.

PARTHORVM populis oris graueolētia peculiaris, iam inde à iuuenta, propter indiscretos cibos: namq; & uino fœtent ora nimio. Sed sibi proceres medentur, grano Assyrij mali, in esculenta addito. Plin. lib. 11. cap. 53.

Dignum scitu est, EVRIPIDEM oris graueolentia laborasse plurimum, quam Græci uocant τὴν τοῦ στόματος δυσωδίαν. Id ei obiectum quandoq; à Decamnicho Archelai aulico. Excāduit poeta maledicto grauius, quàm opinaretur quispiā. Sed est genus irritabile uatum. Querelas apud regem deposuit. Is uerò, ut qui Euripidem amplius amaret, illiq; afficeretur plurimum, Decamnichum permisit, in quem pro arbitrio plagis desæuiret. Qua tam insigni iniuria accepta, Decamnichus in Archelaum grassantibus ducem se præbuit, ac necis illius causa extitit grauissima. Arist. in 5. Polit. Cælius lib. 24. cap. 10. Antiq. Lect.

HIERONI Syracusiorum tyranno quidam exprobrarat oris graueolentiam. At ille cum uxore expostulauit, quòd id sibi nunquam indicasset. Tum illa, Putabam, inquit, uiros omnes ad eundem olere modum. Eximium pudicitiæ argumentum, quæ nulli uiro tam uicina fuerit, ut oris halitū sentire posset, præterquam uni marito. Plut. in Regum apoph.

In graueolentiam oris Nicarchus in secundo Græcorum Epigrammatum:

Εἴ με φιλεῖς, μισεῖς με· καὶ εἰ μισεῖς με, φιλεῖς με·
εἰ δέ με μὴ μισῇς, φίλτατε, μή με φίλει.

Ibidem Lucianus sic de quodam MAGO:

Δαίμονα πολλὰ λαλῶν ὀζόστομος ἐξορκιστής,
ἐξέβαλ' οὐχ ὅρκων, ἀλλὰ κόπρων δυνάμει.

CN. DVELLIVS, qui primus Romæ è nauali pugna triumphū obtinuit, iam senex tremuloq; corpore, in iurgio quodam audiuit exprobrari sibi graueolentiam oris: rediit domum tristis, & expostulauit cum Bilia uxore, quam uirginem duxerat, Cur huius uitij nunquam admonuisset, quo licuisset mederi? Admonuissem, inquit illa, nisi putassem omnibus uiris ad eundem modum olere animam. Si Bilia uerè sensit, quod dixit, argumentum est insignis pudicitiæ: sin finxit, magna est ciuilitas erga maritum: magna item tolerantia, quæ tamdiu pertulerit hoc incommodū absq; fastidio. Erasmus lib. 8. Apophtheg.

TIBERIVM fratrem Caius Cæsar immisso repentè tribuno militū interemit, quòd antidotū oboluisset, quasi ad præcauenda uenena sua sumtum, illud itidem ingeminans, Antidotum aduersus Cæsarem? Etsi reuera propter assiduam & ingrauescentem tussim eo usus esset. Suetonius.

In POSTHVMVM, Martialis Epigrammatum lib. 2.

Esse quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrham,
Quodq; tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectū est quòd oles bene Posthume semper,
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

In HERMVM, idem Epigram. lib. 2.

Quòd nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Herme, non superbè.

In PHILAENIM, Martialis Epigram. lib. 10.

Cur spleniato sæpe prodeam mentō,
Albáue pictus sana labra cerusa,
Philæni quæris? basiare te nolo.

MEDICVS quidam anhelitum natura fœtidum habens, ad ægros accessurus, manè in os odorati quid sumens, huic symtomati medebatur. Gal. lib. 6. Epidem. com. 4. aphor. 9.

SPVTVM. EXPVITIO.

De Expuitione & Desputatione lib. III. Voluminis primi egimus, quatenus Affectuum animi index est. Hîc solius Passionis corporeæ ratio habetur.

Crebra.

ANTIMACHVS poeta quidam melicus (non Colophonius ille) Psecas cognominatus est, quòd sputo eos, quibus cum loqueretur, perfunderet. Est enim Græcis ψεκὰς, leuis illa aspersio. Gyrald. in 3. dialogo Hist. poet. ex Suida.

Catulli uersibus ACMI decoctoris AMICA Formiani inclaruit, cui præter turpiculum nasum, & breues digitos, etiam os nō siccum obiicit, nempe quòd frequēter spuere soleret.

Nulla, Rara.

ANTONIA Drusi nunquam in uita expuisse dicitur. Plinius lib. 7. cap. 19.

CONSTANTIVS Cæsar nunquam quoad uixit in publico spuisse uisus est. Marcellinus lib. 21.

RVCTVS NVLLVS.

POMPONIVS Consularis poeta nunquam ructauit. Plin. lib. 7. cap. 19. & Solinus cap. 4. Polyhist.

VOMITVS.

Cibi & Potus.

CHII quum apud Lacedæmonios peregrinarentur, pòst cœnam uomuerunt in curia Ephororum, quorum apud eam gen-

gentem erat summa auctoritas, quin & in horū cathedras, in quibus sedere consueuerunt, incacarunt. Ac primùm qui dem diligenter inquisitio facta est, quinam hoc designasset scelus, seueriter animaduersuris, si quis ciuium hoc perpetrasset. Vbi senserunt id à Chiis factum, per præconem edixerunt, Chiis permissum esse intemperanter agere. Erasmus in Adagiis, ex Plut. Apophth. Lacon.

Scribit Augustinus lib.14. de Ciuit. Dei, cap. 23. QVOSDAM repertos, qui eorum, quæ deglutissent incredibiliter plurima & uaria, paulatim contrectatis præcordiis, tanquam de sacculo, quod placuisset, integerrimum proferrent.

M. ANTONIVS III. uir cùm ad Hippiæ mimæ nuptias inuitatus totam noctem perpotasset, manè autem à populo accitus in forum esset, adhuc cibo plenus progressus, uomuit, excipiente amico quodam toga sua. Plut. in Antonio, & Sabell. lib.8. Ennead. 6.

CLAVDIVS Cæsar præ crapula sæpe uomebat. Suetonius.

VITELLIVS Imp. quum diei ac noctis plurimum uoracitati impenderet, mox ut nouis epulis locum uacuefaceret, uomitu redundans ac permolestum onus leuabat. Dion. Cælius lib.13. cap.25. A.L.

NERVA Imp. ob debilitatem stomachi cibum sæpe reiectabat. Cuspinianus.

Sanguinis.

Vomitus sanguinis hic tanquam Passio consideratur. Respectu Expultricis facultatis inter Actiones referri posset. Vti respectu Causæ, ex sanguinis in uentriculum à liene & mesaraicis regurgitatione, ad locum Symptomatum & Morborum.

CLEOMENES Leonidæ F. Spartanorum rex, uictis ad Dymæorum urbem Achæis, iisq; imperata facere uolentibus, dum agmine raptim acto Lernam tendit, aqua intempestiuè hausta uim sanguinis reiecit, sic ut uox ei fuerit interclusa. Ea res non parum impedimenti ei attulit, quo minus Peloponnesum in pristinā restitueret libertatē. Plut. in Cleom.

Sāguinis profluuiū per os stato tēpore accidisse MACRINO Visco uiro prætorio, & omnibus annis VOLVSIO Saturnino urbis præfecto, qui nonagesimum etiam excessit annum, tradit Plinius lib.11. cap.38.

D. Gregorius Pp. MARINIANO Rauennæ episcopo propter uomitum sanguinis ieiunia & uigilias prohibet, quinetiam preces & conciones paschales interdicit, medicorum consilio in his usus, lib.9. Epist. cap.28.

Humorum quorumuis aliorum.

AEGYPTII singulis mensibus per triduum se uomitu purgare consueuerunt, ualetudinis causa. Herod. lib.2.

ALEXANDER Seuerus Imp. si iniquos iudices casu aliquo uideret, commotione animi choleram stomacho euomebat, toto uultu inardescente. Lampridius.

SEMINIS EXCRETIO.

Athenis scimus EPHEBVM copiosa cum genitura bestiolam uillosam frequentibusq; pedibus currentem eiecisse. Plut. lib.8. quæst. conuiual.9.

VRINA.

Apud AEGYPTIOS feminæ stantes mingunt, uiri sedentes. Herodotus libro 2. Sic Hesiodus libro 2. ἔργων, Ne soli obuersus erectus meito,

ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ, πεπνυμένα εἰδὼς,
ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς.

Cùm urinæ difficultate QVIDAM fuisset perdiu tentatus, culmū reddidit hordeaceū geniculatū. Plut. lib.8. Quęst. con.9.

CREPITVS VENTRIS.

Notum est prouerbiū, βὴξ ἀντὶ πορδῆς, de iis, QVI crepitū uentris tussi oblinere conantur.

De BASSA, Martialis Epigram. lib.4.

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat, & lusus deliciasq; uocat:
Et quod mireris magis, infantaria non est.
Ergò quid in causa est? pedere Bassa solet.

De AETHONTE, idem Epigrammatum lib.12.

Multis dum precibus Iouem salutat
Stans summos resupinus usque in ungueis
Aethon, in Capitolio pepedit.
Riserunt comites, sed ipse diuûm
Offensus genitor, trinoctiali
Affecit domicœnio clientem.
Post hoc flagitium misellus Aethon
Cùm uult in Capitolium uenire,
Sellas antè petit patroclianas,
Et pedit deciesq; uiciesq;.
Sed quamuis sibi cauerit crepando,
Compressis natibus Iouem salutat.

De EODEM idem Epigrammatum lib.12.

Ante Iouis statuam crepuit satur histrio Ponam:
Iuppiter indixit, uiuere de proprio.

Cùm [redacted] sonitus edunt, ut ex illa etiam parte [redacted] gust. lib.14. de Ciuit. Dei, cap.23. Talis fuit [redacted] (inquit Viues in com. in August.) in hac terra GERMANVS quidam in comitatu Maximiliani Cæsaris, & Philippi eius filij: nullum erat carmen, quod non ille crepitibus podicis redderet.

ORATORIS cuiusdam ad Germanum principem, cùm præ cōsternatione crepitum uentris emisisset, dicterium pete ex lib. III. Voluminis primi, de Notis affectum à naturali facultate mutuatis.

STERCORIS EXCRETIO.

Copiosa. Cita.

Eos, qui cita sunt aluo, Nonius Foriolos appellat.

PROTAS Rhetor Pergamenus pyris & pomis adstringentibus in ultima mensa usus, presertim cùm debilioris esset stomachi, copiosè per aluū deiiciebat. Idem iisdem suasu Gal. in prima mensa usus, minimè deiecit. Gal.2. de Alim. fac.22.

Rubra.

AMPHIRETVS Acāthius, captus à piratis, in Lemnum deductus, in uinculis asseruabatur, prædonibus magnam pecuniæ uim redemtitiam sperantibus. Ille à cibo abstinens, rubricam aqua salsa mixtam bibit. Cùm igitur aluum uacuaret, prædones existimantes eum in sanguinis fluxum incidisse, uinculis soluerunt, ne ob morbum sè uita discederet. Ille solutus noctu aufugit, conscensaq; naui piscatoria, Acanthum peruenit. Polyænus lib.6.

Intempestiua.

ARATVS Sicyonius instante prælio præ timore excrementa emittere solebat, teste Plut. in eius uita.

Videtur PROCLIDES politicus fuisse, & eloquens: sed fœdasse lectum. Qua de causa χεσᾶς, id est, Cacator dicebatur. Suidas in uoce, χεζητιῶν.

CLAVDIVS Imp. moriens, cùm maiorem sonitum emisisset illa parte, qua faciliùs loquebatur, ultimā hanc uocem inter homines reddidit, Væ me, puto, concaui. Et certè omnia concauit. Seneca in ludo de morte Claudij.

NERVA Imp. cùm ab eo poscerentur ad exitium Domitiani percussores, tantum cōterritus fuit, ut neque uomitum, neque impetum uentris posset differre. Cuspinianus.

Circiter XVI. Honorij annum Thrasimundus rex cupiens Arianismum propagare, PVELLAM quandam nobilem, miris blanditiis ad rebaptisandum inuitabat. Verùm ipsa infracto animo id recusans, iubetur spoliari omnibus facultatibus & torqueri. Tandem per uim in colymbethram immergitur, in qua tamen clara uoce fidem suam proclamauit, Patrē cum filio & Spiritu sancto unius credo & cōfiteor substantiæ essentiæque. hæcque uociferando, digno chrismate lauacrum consecrauit, uentris excrementis aquas polluens. Turonensis lib.2. cap.2.

CONSTANTINVS V. Græcorum Imp. sacrum fontem fæcibus dum puer baptizatur inquinauit. unde Copronymi cognomem meruit. Zonaras. Diaconus lib.21.

ETHELREDVS Anglorum rex similiter. Ranulfus lib.6. c.13.

VENCESLAVS Rom. Imp. Boëmiæ rex, similiter: non obscuro omine religionis sub illius principatu affligēdæ, sub quo primùm emersere Hussitę. Cuspinianus, & Dubrauius.

TOLERANTIA VEL MOLLITIES PASSIONVM CORPORIS.

Tolerantia Dolorum, Laborum, Aestus, Frigoris, Vulnerum, si habitum animi spectes, ad Fortitudinem pertinet: sin, ut hoc loco, corporis firmitatem, inter corporea referri debent. Idem de contraria Mollitie iudicium esto.

LABO-

LABORIS IN GENERE.

Tolerantia.

Consule Tit. Exercitationum corporis, quatenus exercendo se laborem perfert, & agendo patitur. item, Sanitatis conseruandæ [redacted] factis, idq; potissimū hyeme, ut caluaria ad solem indurata, & pedibus ad niues, & caloris & frigoris ubique patientes essent. H. Boethius in Scotia.

PHORMIO dux quispiam, in perferendis militiæ incommodis notæ patientiæ. Hinc natum adagium ab Erasmo positum, Phormionis thori: de stratis minimè delicatis.

Laertius CLEANTHEM philosophū alterum Herculem uulgò dictum fuisse tradit, quòd esset omnium laborū patientissimus, adeò ut noctu hauriendo è puteo aquam uictum diurnum pararet: unde & Φρεάντλης dictus pro Cleanthe.

Cùm in Liburniam uenisset M. Varro, uidit MATRESFAMILIAS eorum afferre ligna, & simul pueros, quos alerent, alias singulos, alias binos, quæ ostenderent, fœtas Italicas, quæ in conopeis iacent dies aliquot, esse luridas, mucidas ac contemnendas. Testis ipsemet lib.2. c.10. de Re rust.

M. CATO, qui Vticensis cognomen tulit, adolescens adhuc per integrum diem sermone nihil intermisso locutus est: calores & niues nudo capite tolerauit, iter pedibus fecit, amicis equo sedentibus. Quoties à febre laborauit, solus esse uoluit, nec quenquam admisit nisi morbo leuatus. Per hæc uirtus illa adoleuit, quā postea ciuili bello reipub. præstitit. Septem cōtinuos dies per loca serpentibus infesta duxit exercitum, non equo, non uehiculo uectus, sed pedibus, & in primo agmine iter faciens: nunquam sedens, nisi cùm cibum aut quietem caperet. Sabell. lib.2. cap.10.

MASINISSA rex Numidarum erat corporis firmitate præstās, & duritiei ac laboribus à pueritia assuetus. Etenim stās in uestigiis totum diem manebat immotus, & sedens non surgebat usq; ad noctem: in equo continenter per diem & noctem sedens, & equitationibus utens, nō defatigabatur. Diod. Siculus libro 32.

VESPASIANVS Imp. ualetudinem & abstinētia & frictione tuebatur. Militiæ acer, agmen anteire, & locum castris capere, & noctu diuq; consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obsistere solebat, cibo fortuito, ueste habituq; uix à gregario milite discrepans. Cuspinianus.

GALENVS in libro (qui ad Thrasybulum de arte Sanitatis tuendę tractat) scribit, se plerunque multis athletis, qui prę stantissimi esse uidebantur, quique multas in certaminibus coronas meriti erant, seipsum ualentiorem esse expertum: quandoquidem illi (inquit) in omnibus itineribus faciendis, in militaribus actionibus, magis præterea in ciuilibus atq; rusticis negotiis, inutiles prorsus reperiebantur.

MAXIMILIANVS I. Imp. erat laborum patientissimus, adeò ut in multam noctem crebrò scriberet, consuleret, res magnas ageret, sæpe etiam arma tractaret, hastis concurreret cum Principibus in ludis, & seriò cum hostibus: æstū ac frigus, inediā & cōmeatus penuriā iuxtà ferret. Cuspinian⁹.

Mollities.

Dionysius Phocensium dux IONVM multitudinem ad bellicam uniā inexercitatam uidens, auctor illis fuit atque ductor, ut quotidie in simulata pugna exercerentur. Pertulêre eos labores ad septimum usque diem. Sed pòst uel laboris tædio uel mollitie uicti, defixis in insula umbraculis naues ingredi neglexerunt, neque multo pòst sublatis uelis recesserunt, Grecos cōtra Persarū classem numerosiss. ad Ladam prope Miletum pugnaturos deserentes. Herod. lib.6.

SYBARITA quispiam iter faciens per agros, quum uideret quosdam fodientes, dixit, Se spectando illos fodientes rupturam capere. Ad hanc uocem auditā, agricola per iocum respōdit: At mihi multò iustiùs te audienti latus dolet. Tanta erat Sybaritarum mollities, ut nullum opificium in ciuitatem admitterent, quod cum strepitu exerceretur: quod genus sunt fabrorū ferrariorum & lignariorum. Atq; adeò ne gallum quidē gallinaceum in ciuitate fas erat alere, ne quid esset, quod illis somnum interrumperet. Athenæus lib. duodecimo. Ex iis QVIDAM, quum Spartam ueniens Lacedęmoniorum duros mores aspexisset: Nō mirum, inquit, prodigos tam miseræ uitæ Lacedæmonios esse, & in bello fortiter mortem appetere.

SONOS.

Ferre.

QVI Nili Catadupa accolūt, uorticosi amnis ex altissimis scopulis in præceps ruentis fragoribus assiduis ita percelluntur, ut auditum amittant, seu potiùs ita firmantur, ut quosuis aliis intolerabiles sonos pati queant, nec nisi altissimè inclamantes audiant. Quod Molitoribus quoque perpetuo molarum strepitu obduratis contingere uulgò uidemus.

Non ferre.

VENCESLAVS III. Boemorū rex campanarū sonitum ægrè adeò ferebat, ut statim ad tinnitum illarum ambas aures ambabus manibus obstrueret. Quare necesse fuit, Rege Pragæ commorante, à pulsu illarum, quæ maiores essent, temperare. Dubrauius lib.16.

ODORES.

NON FERRE.

Animalium.

Cùm Germanus QVIDAM hyemis tēpore nobiscum cœnaturus, inquit Matthiolus, in hypocaustum intrasset, quo plurium amicorum sodalitas conuenerat, mulier quædam huius uiri naturæ conscia, ne is uiso felis catulo, quem educauerat, iratus discederet, illum in arcula quadam in eodem cœnaculo concluserat. Sed quamuis non uidisset ille, nec audiuisset catulum, cùm pauco pòst tempore aërem felis halitū inspirasset, irritata statim ea temperamenti qualitate felium inimica, prorumpēte sudore, pallida admodum facie, omnibus admirantibus, conclamare cœpit tremebundus. Hîc aliquo in angulo latet felis. nec nisi sese foràs elato sibi restitui potuit. A. Pareus lib.20. Operum, de Venenis.

Hominum.

PERSAS ne χέδον quidem suum laturos (cùm ad Granicum contra Darium Alexander Magnus pugnaturus esset) Macedonas per iocum singulari confidentia affirmasse, scriptores Græci tradunt. Est aūt χέδος, hircinus ille odor, qui maximè sub alis latet. Etsi hoc non magis ad Corporis quàm Animi mollitiem referri debet.

Rosarum.

FRANCISCVS Venerius Venetorum dux, festo die sacra auditurus, sacellani opera recentes rosas illatas properè auferri iussit, ne, quod sibi priuato sæpe acciderat, in animi defectum incideret. ὑπόμνημα Francisci sacerdotis.

AERIS CALIDI FRIGIDIVE.

Tolerantia.

Missus Muesarchus ab Alexādro ad GYMNOSOPHISTAS, in patentem campum perductus, nudos homines offendit, feruenti arena sese exercentes. Horum alij alio statu cœli & loci intemperiem ferre: hic uestigio nixus stabat, ille immotis oculis solem ex aduerso intueri: sedebant nonnulli lapidibus & scopulis immoti: alij in arenis iacebāt, hic in faciē, ille supinus: omnes tamen ad tolerantiam & labores perferendos, uelut ad primariam quandam uirtutem, exercebantur. Sab. lib.2. cap.10. & Plinius lib.7. cap.21.

AGESILAVS rex Lacedæmoniorum iam senex, persæpe sine calceis & tunica prodibat in publicum, cū lacera ueste, idque matutino tempore hyemis. Cùm autem quidam eum obiurgaret, quòd puerilius ageret, quàm ætatem illam deceret, respondit: Verùm, inquit, iuniores ciuium, quasi muli, si uestem uirilem induam, omnes oculos in me coniiciunt. Aelianus lib.7. de Varia historia.

PHOCION, Atheniensium dux, ruri aut militiæ nudus semper & absque calceis incedebat, nisi frigus intolerabile incidisset: ita ut per iocum etiam milites intensum gelu significari, amicto Phocione, dicerent. Plut. in eius uita.

Sinopensis DIOGENES, præter nuditatem corporis (solo enim pallio usus est) nudis pedibus uixit, & capite adaperto, frigoris & caloris æquè patiens: abiecto ligneo uase cauis manibus potare solitus. Extremæ uitæ temporibus crudam carnem uesci conatus est, ut nihil esset, in quo ministerio alterius egeret, sobrius naturæ cultor. Sab. lib.2. cap.10.

Cùm aliquando copiosa nix cecidisset, interrogauit rex Scytharum QVENDAM nudum, An ne frigeret? At is contrariò regem interrogauit, Possétne frigere frons? respondente ipso, Non posse. Quare igitur, inquit, ego frigus non tolerē, cùm totus sim nihil aliud præter frontem? Aelianus lib.7. de Varia historia.

SOCRATES corporis erat patientissimi, quod ad omnem laborem occalluerat: ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi. Hinc iocus in Socratis callum. Erasmus in Adagiis.

M. POR. CATO Vticensis, tam patiens laboris & frigoris fuisse dicitur, ut nudis pedibus, aperto capite, breui toga, hyemis tempore in publicum prodiisse dicatur. Plutarchus.

ADRIANVS Imp. frigora & tempestates adeò tulit patienter, ut caput tegeret nunquam. Cælius lib.3. cap. 23. Antiq. Lect. ex Dione.

PESCENNIVS Niger, qui sua uirtute ad imperium conscendit, militans neq; sub tecto mansit, nec tentorium aut frondea tabernacula subiuit, sed sub dio manens, alios exemplo suo ad laboris patientiam hortabatur. Fulg. lib.2. cap.4.

N SEVE-

SEVERVM Imp. Herodianus scribit fuisse frigoris & estus patientissimũ: media quandoq; bruma, & agris omnibus gelu constrictis, aut niue & pruina albicantibus, in montes altissimos iuisse aperto capite, ut suo exemplo milites ad laborem & alacritatem induceret.

VENCESLAVS, Vratislai regis Boemorum filius, per mediã brumam mediasque niues discalciatus incedere solebat. Rauisius.

Diues quidam suffultus uestibus hyeme Bononiam proficiscens, reperto inter montana RVSTICO, qui unica tãtùm, & ea contrita tunica indutus erat, admiratus in tanta ui frigoris hominis patientiam, rogauit, quã ob causam non frigeret? Tum ille, Si tu oẽs tuas uestes ferres, sicuti ego meas, nequaquam frigeres. Poggius in Facetiis.

Mollities.

LAPONES quando ueniunt in Sueciam pro cognitionibus dubiarum causarum, In itinere nec hospitium nec tectum subeunt, sed agunt noctes sub dio, quòd sibi in concluso aëre suffocari uidentur. Zieglerus in Scandia.

IGNEM

Tolerare.

SPARTIATÆ olim pueros suos aris ardentib. admouere solebant. Plutarchus.

ALIMENTA

FERRE

Calida.

PHILOXENVS Leucadius fuit homo gulosus (unde sunt Philoxeniæ placentę) adeò quidem, ut palàm in balneis manum consuefaceret in aquam calidam immittendo, & os aqua calida eluendo, ne calidis facilè moueretur: & coquos assuefaciebat, ut cibos calidissimos apponerent. Consimilia etiam narrant de ARCHYTA. & CROBYLVS ait: Ego ad calida hæc Dactylos Idæos habeo, id est digiti mei minimè læduntur à calidis. Pharynga iucundissimè incendã frustis piscium. Suidas.

PROÆRESIVS sophista tam firmo erat stomacho, ut calidæ potionem nunquam sit expertus, & in Galliis (quò Cæsarem Constantem secutus fuerat) Rhenum tantùm non glaciatum biberet. Eunapius in eius uita.

Multa.

☞ *Consule Tit. Voracitatis & Ebrietatis, quatenus alimenta copiosè assumta citra noxam ferre possint.*

PANDAREVS à Cerere beneficium habuit, ut cibis ingestis non grauaretur. Bœus in Ornithogonia.

TIBERIVS Imp. biduum & duas noctes potu continuasse fertur, & TRAIANVS capacioribus scyphis, sed citra ebrietatem bibisse.

VERBERA, PLAGAS.

☞ *Cõsule Tit. Luctatorum, Pancratiastarum, quatenus corporis robore, in perferendis aliorum ictibus, præditos esse oportet.*

SPARTIATÆ pueros suos uerberibus & uirgis cædebant, quo à primis statim annis discerent fortes esse in rebus aduersis. Plut. in Lycurgo.

FIRMVM inter minutos Romanorum tyrannos connumeratum, tanta ferunt præditum firmitate, ut superpositam pectori incudem aliis tundentibus, perferret. Cælius libro 11. capite 13. Antiq. Lect.

PARTVS DOLOREM

Ferre.

Virgo quædam SPARTANA furtim compressa, eliso partu, tanta patientia dolores tolerauit, nulla missa uoce, ut & patrem & alios, qui propè erant, peperisse falleret. Quippe molem dolorum decori accidens dedecus superauit. Plut. in Lacænarum Apophthegmatibus.

In ILLYRICO prægnantem sæpe, cùm uenit pariendi tempus, non longè ab opere discedere, ibique enixam puerum referre, quem nõ peperisse, sed inuenisse putes, testatur Varro lib. 2. cap. 10. de Re rustica.

Apud TIBARENOS Asiæ populos mulier partu soluta, uirum in lectulo componit, eumq; tanquam pueri auctorem curat. Val. Flaccus lib. 5. Argon.

——ibi deside mitra
Fœta ligat, partuq; uirum fouet ipsa soluto.

Idem de THRACIBVS, SCYTHIS, CANTABRIS & CELTIBERIS legimus: apud quos puerperę adeò dolore partus non mouentur, ut uiris loco illarum decumbentibus ministrent & famulentur. Alex. lib. 2. cap. 25.

Non ferre.

☞ *Vide Tit. Ex partu mortuæ.*

TORMENTA

Ferre.

☞ *Vide locum Tolerantiæ tormentorum. Illic Animi habitus, hic corporis uigor in perpetiendo spectatur.*

[redacted]

Inquisitor [redacted] ium Mediolanensium, unam & 40. SAGAS anno MCCCCLXXXV. ad ignem damnauit, quæ omnes sine quæstione fuerant cõfessæ abraso pilo & mutatis uestibus. Quod olim Domitianus Imperator Apollonio Tyaneo mago fecisse apud Philostratum Lemnium legitur, eum nudari planè & abradi iubens. Nam inquisitor Sprãgerus ait, si Magus penes se silentij fortem habuerit, eum ad tormenta nihil doloris experturum, nec ueritatem confessurum unquam. Idem.

Non ferre.

☞ *Ex Tit. Mollitiei in tormentis, huc quædam.*

STATIONEM

Ferre.

SOCRATES, qui Ethicen induxit, perdius ac pernox à primo solis ortu ad solem alterum orientem immobilis stare solitus est, iisdem uestigiis atque eodem obtutu defixus, ut ad fortuitas uices patientia assuesceret. Sab. lib. 2. cap. 10. ex Platonis Symposio.

MASINISSA rex Numidarum stans in uestigiis totum diem manebat immotus. Diod. Sic. lib. 32.

Non ferre.

SEVERVS Imp. quũ Parthos, Arabes, Adiabenos deuicisset, triumphum, quòd consistere in curru ob articularem morbum nequiret, filio concessit. Cuspinianus.

HONORIVS IV. Pp. podagra laborãs, instrumẽtis quibusdã ad id aptè fabrefactis sacrificare cogebatur, quibus nitere tur. Platina.

INCESSVM, AMBVLATIONEM

Ferre.

M. CATO Vticensis iter pedibus faciebat, amicis equo sedentibus. Plutarchus.

HADRIANVS Imp. ut ex ipsius patientia ferendi laboris exẽplum alij haberent, pedibus interdum uiginti passuum millia peragebat. Spartianus.

Herodianus scribit, SEVERVM Imp. iter facere solitum sine ulla intermissione, neque labores ullos curasse.

Non ferre.

P. SCIPIO Africanus à Sen. Rom. ad contemplandos regum atque populorum mores missus, Alexandriam ueniens, honoris causa obuium habuit regem PTOLEMÆVM, pedib. ægrè incedentem, propter insuetudinem, & podagrę iugem afflictationem: adeoq; ad Panętium, qui eius lateri adhærebat, conuersus, in aurẽ illi insusurrauit, Amplissimum certè fructum aduentus nostri percepere Aegyptij, quòd regem suum uiderunt inambulantem.

VATINIVS podagræ morbum dissimulare nitebatur, dicẽs: Se iam mille passus per diem ambulare. Dixerat hoc ille, forsan post hyemale solstitium. Hinc irridendi materiam Augustus arripuit: Et minus, inquit, miri est: longiusculi dies incipiunt. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.

AENEAS Syluius (qui pòst Pius II. Pp. fuit) in Scotiam, uotis soluendis, quæ inter fluctuum æstus Virgini matri nuncupauerat, initium morbi contraxit articularis, qui permansit ad uitæ exitum, glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad phanum usq; calcata, ut redire in oppidum non aliter quàm lectica potuerit. Campanus in eius uita.

CVRSVM

Ferre.

GALBA substitutus Getulico, præsente Caio Imp. campestrẽ decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per uiginti passuum millia cucurrit. Suetonius.

Non ferre.

☞ *Siue hoc uiscerũ spiritalium, siue pedum uitio fiat, ut in Anhelosis & Podagricis.*

EQVITATIONIS

Tolerantia.

NVNCIIS Persarum regum nihil pernicius transcurrit in rebus humanis. Idq; hunc in modum est à Persis excogitatũ. Quot ex diebus tota uia constat, totidem equos ac uiros ferunt esse distinctos ad singulorum dierum iter faciendum, quos neq; uis niuium, neq; imber, neq; æstus, neq; nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrimè conficiãt. Quorum cursorũ primus mandata tradit secundo, secũdus item tertio: & ita deinceps illa mandata in alium atq; alium pertransẽunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per uices ferre cursores cõsueuerant. Hanc equorum cursitationem Persæ Angareion appellant. Herod. lib. 8.

ALANI Scythæ equites centum interdum millia uno cursu conficiunt: tam patientes sunt laboris. Rauisius.

SCYTHARVM tantam perpetuæ sessionis in equis tolerantiam esse Hip. com. de Aëre aquis locis, esse scribit, ut propter hanc ipsam causam partes generationi destinatæ uelut eneruentur, adeoq; ad uenerem non modò tardi, uerumetiam inepti reddantur, ob assiduam quietem calore natiuo ueluti suffocato.

VECTIONIS

Tolerantia.

☞ *Ex loco eorũ, qui per Aëra sunt uecti, exẽpla mutuãda, quatenus motum hunc uiolẽtum & naturæ humanæ penitus contrarium ferre possunt.*

TIBERIVS Nero urgentibus de Druso fratre grauiter ægrotante nunciis, tribus uehiculis ex urbe in Germaniam festinans, nocte dieq; ducenta millia passuum emensus, quantũ uiæ nullus, quod proditum sit, quadrupedibus fecit unquã. Plinius lib. 7. cap. 20.

PALLADIVM scribit Cassiodorus Theodosij tempore tanta fuisse & animi acrimonia & corporis firmitate, ut ueredis concitatissimis triduo Romani Imperij limites contingeret ac Persarum: & rursum altero triduo Constantinopolim repeteret. Vnde inuulgatum, Romanæ potentię spacia, lata alioqui, illius pernici celeritate reddi perangusta. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. Lect.

SESSIONIS.

SCYTHAS Hamaxobios ob assiduã in curribus sessionem, quibus idem currus & ortus & uitæ & mortis carcerem circumscribit, corpora propter quietẽ uasta acquirere, eamq; ipsam ob causam ad insidendum equis apta, Hip. de Aëre aquis locis auctor est.

ATHENIENSES olim propter rei maritimæ usum, quòd remis addicti, sessione iugi ipsi sibiipsis nates attererẽt, à Comicis per iocũ ὑπόλισποι & ἀπύγλουτοι, hoc est, depyges & natibus carentes fuêre appellati.

De MASINISSA rege Numidiæ memorat Diod. Sic. lib. 32. illum ut corporis quoslibet motus, sic sessionem quoq; cõtinuam per diem integrum ferre potuisse.

ALIMENTI INOPIAM VNIVERSIM

Ferre.

☞ *Potentiam passiuam tolerandi famem hîc intelligimus. Nam qui fame aut siti nulla urgentur, ad Appetitricis locũ pertineat. Ex Tit. Ieiunij, eorum, qui uolentes à cibo potu'ue abstinuerant, exempla huc mutuanda. Qui coacti, sub Tit. Fames memorabilis, enumerabuntur.*

SOCRATES ad famem ac sitim tolerandam exercuerat sese. Post sudorem enim è palæstra collectum, quum alij potum uehementer appetunt, nunquam bibebat de primo cratere. Rogatus quam ob rem id faceret? Ne consuescam, inquit, obsequi affectibus. Interdum enim, licet sitias, noxium est bibere: hîc quum ratio suadet abstinentiam, affectus hortatur ut bibas, magis obtemperandum est rationi. Laert. lib. 2.

Non ferre.

☞ *Mollities hæc est Corporea. Quæ ipsa tamen cùm mollitiem Animi accendat, ex loco Pusillanimitatis inferenda alimenti inopia, exempla huc quoque transferri poterunt.*

FAMEM

Ferre.

SCYTHÆ quando præuident famem tolerandam esse, fasciis uentrem strictissimè circumligant. Ea uentris compressionẽ famem depelli posse, credunt. Hoc argumento Erasistratus in primo διαιρέσεων utitur, ad ostendendum famem fieri propter inanes atq; patentes uentriculi & intestinorum fibras. Gell. libro 16. capite 3.

Non ferre.

D. PROCOPIVS Breunouiensis monachus in Boëmia, nihil in iuuenta ægriùs, quàm famem tolerabat. Ob quam rem præside Breunouiensi aliquãdo indignante, atque id agente, ut abductum in agrum, ieiunare propter cibi inopiam usque ad horam præstitutam cogeret: Procopius famelicus conspecta arbore corno, conqueri de hyeme cepit, per quã corna esui matura nulla reperiret. Induit subitò ad suspiria eius arbor & folia & fructus, cõuertitq; rei nouitate in se omnium oculos: sed & Procopium mirabantur, tam auidè in oblatos fructus inuadentem. Atq; ab eo tempore indulgentiùs in continuandis ieiuniis est habitus. Sed ꝓcessu ætatis abstinẽtiã deinceps sic coluit, ut exẽplo aliis esset. Dubr. li. 7.

SITIM

[redacted] quæ tunc indigentibus Sam[redacted] stus, adeò ut nonnulli quidem una die siti morerentur: multi uerò eiusmodi morti seruitium præferentes, ad Romanos transfugerent. Cerealis primùm eos ad fœdera hortabatur, si arma proiecissent, tutos fore promittens. At quia persuadere non poterat, occidit omnes, numero XIM. DC. Iosephus lib. 3. cap. 12. belli Iudaici.

Fama est SOVM inter Lycurgi maiores clarissimum, cùm in loco arido & aspero circumsideretur à Clitoriis, pactum fuisse, si ipse totusq; exercitus suus ex propinquo fonte bibissent, agrum se, quem iis ademerat, redditurum. Cùm esset id fœdus iureiurando sancitũ, concione aduocata suorũ pronunciasse, regnum se ei, qui non bibisset, dare. Vbi nemo se temperare potuit, sed biberunt omnes: ipsum descendisse omnium postremum: atq; cùm consperstisset aqua se, hostibus adhuc præsentibus, discessisse: itaque agrum, quòd non potassent omnes, retinuisse. Plut. in Lycurgo.

Bessum fugientem secuturus ALEXANDER, relictis cum Artabazo & parte copiarum impedimẽtis, ipse exercitum trahens expeditum, per torridam regionem & siticulosam, noctu potius quàm interdiu iter faciebat, sitiq; interim & æstu penè ad interitum laboratum. Quo contigit, ut repertis aquis tantum humoris hauserit auidus miles, ut ad sustinenda arma penè inutilis sit factus. Fortè accidit, ut quidam utrem aquæ habens filio occurreret, ne intoleranda siti absumeretur. Is regem intuitus æstu & labore affectũ, uas aquæ illi obtulit. Tum rex, Cui, inquit, opem ferre destinaueras? Meo, ait, filio: ueritus, ne priusquam ad flumen uenerit, extinguatur. Restituit Alexander illi poculum, fassus se bibere non posse, tot militibus sitientibus, quorum desideria exiguum uas aquæ explere non ualeret. Atque per hunc modum ad Oxum amnem non multo pòst uentum est, ubi sub noctẽ ignes regis iussu in edito quam plurimi excitati sunt, ut ad eos tardum agmen flecteret uestigia. Misit & qui cum utribus fluuiali aqua plenis uenientibus prodirent obuiã, ut siti & æstu affecta corpora potu leuarentur. Fama est, ibi aquam tam cupidè haustã, ut plurimi intercluso spiritu confestim exanimati sint, nec ullo unquam loco citra pugnam maior est Macedoni clades accepta. Sab. lib. 5. En. 4.

Non ferre.

☞ *Consule Tit. Pusillanimitatis, Non ferre famem, sitim.*

LYSIMACHVS in Thracia superatus à Dromocheta, quum ob sitis impatientiam tum se tum exercitum dedisset, postea quam bibit, iam factus captiuus: O dij, inquit, quàm breuis uoluptatis gratia me ex rege feci seruum? Plutarchus in regum & imperat. Apoph.

Reducebat exercitum è Media M. Antonius, insequẽtibus Parthis. Peruenit ad amnem, cuius erat gelidus & limpidus liquor, sed salsus medicatusque, qui haustus mox aluo concitata & inflammata siti excitabat dolores. Quod quamuis præmoneret Mardus itineris dux: nihilo minus MILITES Romani repulsis, qui prohiberent, potauerunt, & perierunt. Plutarchus in Antonio.

IMPASSIBILITAS CORPORIS.

Causa huius uel naturæ accepta ferenda, uel magiæ, uel diuinæ potestati. Ex loco igitur Miraculorum, tum sacrorum, tum magicorum, huc quædam transferri poterunt.

ASPECTV INVISIBILES.

Obseruatum in ueteribus memoriis, PERSEVM ad Gorgonas profecturũ ab Minerua clypeum accepisse uitreum, per quem uidere, nec uideri posset. Tradunt alij, galeæ uim fuisse hanc à Mercurio eidem oblatam. Alij Orci galea à Nymphis accepta usum putãt, eiusdemq; beneficio insequentes duas Gorgonas Euryclem & Sthenò, Medusæ sororis cædẽ ulturas, elusisse & effugisse. Cælius lib. 6. cap. 11. Lect. Antiq. & Erasmus.

Anulum aliquando fuisse ferunt GYGI Lydorum regi, mirandæ cuiusdam & inusitatæ naturæ. Siquidẽ ubi eius palam, siue fundam malis fuisse (nam σφενδόνην hanc Græci uocãt) ad

ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat: idem rursus uidebatur, quum inuerrisset anulum. Itaque hac oportunitate anuli usus, reginę stuprum intulit, eaq; connitente, regem dominum interemit, tustulitq; quos obstare arbitrabatur, nec in iis cum facinoribus quisquam potuit uidere. Sic repentè anuli beneficio rex factus est Lydiæ. Ex Platone Cælius lib. 6. cap. 11. Lect. Antiq.

AB IGNE. INCOMBVSTILES.

Haud procul urbe Roma in Falisco rum agro familiæ sunt paucæ, quæ uocantur HIRPIÆ: quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struē ambulantes non adūruntur. Et ob id perpetuo senatusconsulo militiæ omniumq; aliorum munerum uacationem habent. Plinius lib. 7. cap. 2.

[redacted]

AB AQ[illegible]. QVI AQVA MERGI nequeunt. QVI SVPER AQVAS AMBVLANT.

Aegyptia MARIA Iordanem amnem sicco uestigio, neq; semel tantùm, transgressa est: qui fluuius, si fola naturę uis inspiciatur, traiici sine naui non potest. Fulg. lib. 1. cap. 6.

ORION Neptuni F. à patre Neptuno impetrauit, ut tam super undas quàm super terram posset incedere. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 13.

A VENENO.

ANVS quædam Athenienſis ab exigua cicutæ portione auſpicata, ſenſim progrediēdo effecit, ut ea innoxiè in magna copia uteretur. Gal. lib. 3. Simpl. med. cap. 18.

MITHRIDATES iunior, qui annis LVI. bellum cum Romanis uaria gessit uictoria, post occupatam Asiam, Q. Oppium & Aquilcium in uincula coniectos, Rhodum oppugnatam, Athenas per Archelaū præfectum occupatas: à Lucullo primū, demūm à Pōpeio superatus, postremò à Pharnace filio adolescēte ingratissimo (qui à patre ad Pompeiū defecerat) bello petit⁹ & obsessus uenenū hausit. Quo nihil ad mortē propter sumtū antidotū proficiens, auxilio Galli cuiusdam militis, Vitigis nomine, se interfecit. Plinius lib. 23. cap. 9.

Arist. scribit, PVELLAM quandam cœpisse initio paulatim uenenis innutriri, consuetudinemq; in naturam abiisse, ut iis perinde uesceretur alereturq;, ac consuetis cibis reliqui. Adiecit, fuisse puellæ cor caloris inops, præterea meatus prætenues, ita ut digestionis ui insigniter demutaretur hausſum uenenum, priùs quàm cor pertingeret. Ipsam uerò educationis ratione uenenosam euasisse, ut sputo, ac quouis humore alio perimeret appropinquātes, ueſtigiò etiamnum expirantibus, qui cum ea coissent. Cælius lib. 11. c. 13. A. L.

Auctor Magnus Albertus est, in Colonia Agrippina PVELLAM se uidisse, quæ in trimatu parietib. arreperet araneas uenatura, quas no raret: eoq; cibi genere oblectata, insigniter alerētur. Cælius lib. 11. cap. 13. A. L.

A PHARMACO.

Theophrastus in ultimo de Stirpibus libro: EVNOMVS, inquit, pharmacopola, cùm aliquot ueratri potiones hausisset, nō est purgatus. Et quadam die re cum idem artificium exercentibus composita, sedens in foro, ad XXII. potiones ebibit, neque tamen à suis uasis surrexit. Tum uerò abiit lotum atque cœnatum, uti adsolebat neque uomuit. Hoc ille faciebat, longa cōsuetudine ita paratus, cùm ab exiguis ad tantum esset potionum numerum progressus. Apollonius de Histor. mirab.

A VVLNERE. INVVLNERABILES.

TALVM natrant fabulæ, à Vulcano ex ære fuisse fabrefactum, Minoique dono, missium ad Cretenſis insulæ tutelam. Erat autem illi unica dūtaxat uena, eaque à summa ceruice, ad imos usq; talos porrecta. Priusquam in Cretam peruenirēt, in Sardiniam accessisse: quumq; à Sardiniis in Cretam transmittere uetaretur, illum in ignem desiliisse, & Sardinios pectori suo admotos necare solitum. Emoriebantur autem ut lut in amplexu, ac ridentibus adsimiles, nimirum rictu inedij ui diducto. Hinc prouerbium ortum, Sardinius risus. Tet in singulos dies Cretam insulam obibat, excubias agens. Itaq; & Argo nauem è Colchide cum Iasone reducentem uectuit in portum Cretensem appellere. Sed à Medea deceptus periit, ut nonnulli dicunt, dato ueneno, quod insaniam immitteret: ut aliis placet, cùm illa pollicita se illum immortalem redditurā, clauū qui summæ uenæ erat affixus, eduxisset, atq; ita sanguine totoq; corporis humore destituto perit. Rursum alij tradunt interiisse percussum arcu à Paride circa talum: Erasmus in Adagiis, ex Zenodoto.

CÆNEVS Elati filius (siue Araeix, ut Nicander lib. 2. Alteratorum scribit) Lapithārum rex, è puella Cænide conuersus est in uirum, annuente Neptuno, quem ad coitum admiserat. Cui illud etiam donatū est, ne saucius ullis uulneribus fieri, ferróue occumbere posset, quemadmodum refert Ouidius XII. Transformationū libro. Ferunt hunc certasse cū Apolline. Præterea morem huic fuisse, ut qui ad se ueniret, iuberet per suam hastam iurare. Enarrator Apollonij Argonautic ōn primo, & Eustathius in primū Iliados, Fixo in medio foro iaculo, præcepit diis, ut illud uenerarentur. Qua ferocia offensus Iupiter, quum bellum gereret cum Lapithis, Lapithæ quercus & abietes in eum iaculantes deiecerunt illum in terram. Iuxta fidem historiæ, Cænum Thessalum quempiam aiunt fuisse, rei bellicæ cū primis peritum, adeò ut cùm multis præliis interfuisset, nunquam uulnus acceperit. Denique cùm Lapithis auxilium ferret aduersus Centauros, deprehensus solus, ab hostiū multitudine obrutus est, citraque corporis uulnus extinctus. Itaque Lapithæ, cadauere integro reperto, sparserunt rumorem, Cæneum in omni uita inuulnerabilem fuisse. Erasmus in Adagiis.

ACHILLEM Iouis filium, ut scribitur Iliad. 10. Thetis mater, ut à Ioue accepit, fato duplici natū, aut longa uita, sed mortali fama: aut uita futurum breui, uerùm cursu gloriæ sempiterno: protinus natum Stygiis demersit undis, ut inuulnerabilis esset, præter calcaneum, quo eum tenebat: traditisque puerum fratri suo Chironi Centauro erudiendum. In eam partem Paris directa sagitta, eum inter sacra interfecit. Homerus in Iliade.

AIACEM Telamonium tradunt reliquo corpore inuulnerabilem fuisse, sola axilla excepta: propterea quòd Hercules cætera corporis membra leonina pelle inuoluerit: illam uerò nō, quòd scilicet pharetram ibi gestaret. Suidas. Iliad. ψ. Ouid. in Ibin:

Mens quoque sic furiis uæcors agitetur, ut illi,
Vnum qui toto corpore uulnus habet.

HARALDVS, Danorum rex, ab Othino dæmone, qui Vpsalę colebatur, obtinuit ut armis inuulnerabilis esset. Ipse uicissim Othino animas eorum quos occidisset pollicitus est. Saxo lib. 7.

A SERPENTIBVS.

TENTYRITÆ insulam in Nilo inhabitant, statura parui, qui soli cum crocodilis congredi audent. Flumini innatant, dorso q; equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os claua, dextra ac læua tenentes extrema eius utrinque, ut frenis in terram agunt captiuos: ac uoce etiam sola territos, cogūt euomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque uni ei insulæ crocodili non adnatant: olfactuque eius generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur. Plin. lib. 8. cap. 25. Cùm crocodili Romam allati essent, ut uiderentur, Tentyritæ eos sequebantur. Facta est illis piscina quędam, & foramen in uno laterum, ut ex aqua in apricum egredi possent. Tentyritæ aderant, qui eos interdum rete educebant ad solem, ut à spectatoribus uiderentur: interdum in aquam intrantes, rursum eos in piscinam retrahebant. Strabo lib. 17.

HEXAGONVS legatus Ophiogenum (qui populi sunt in Cypro) quum Romam uenisset, ibiq; de herbarum uiribus multa differeret, uolens coniectus est à Consulibus in dolium plenum serpentibus experimenti causa, ubi serpentes suis eum circummulsere linguis. Plinius lib. 28. cap. 3. & lib. 7. c. 2.

Scribit Auicenna, tempestate sua uixisse HOMINEM, quem fugerent uenenata omnia, morientibus omnibus, quæ forte morsicùs eum apprehendissent, inde nil omnino læsum.

Quum uerò grandior admota foret serpens, bidui quidem induxisse febrem, cæterùm defecisse ipsam.

LIBRI SEXTI TITVLORVM DISPOSITIO.



- I. Alimentorum perpendatur
  - Κτῆσις. Hoc est,
    - Copia, Acquisitio:
      - Per quos, A quibus: ut à
        - Deo, Angelis.
        - Dæmonibus.
        - Quadrupedibus.
        - Auibus.
        - Insectis.
        - Regibus.
      - Quomodo. Puta
        - Labore,
          - Mechanico.
          - Literario.
        - Fossione.
        - Transmutatione.
        - Precibus.
        - Liberatione.
    - Defectvs Alimentorum, tum
      - Cibi.
      - Potus.
  - Χρῆσις. Vsus Alimentorum
    - Est. Alimentorvm usus
      - Quorum. In
        - Genere.
        - Specie consideratorũ
          - Materialiter. Nempe usus eorum, quæ sumuntur ex
            - Elementis. Aquæ usus.
            - Meteoris: ut Mannæ.
            - Mineralibus: ut Salis usus.
            - Plãtis. Vsus
              - Radicum.
              - Foliorum.
              - Herbarum.
              - Fructuum.
              - Seminum.
              - Leguminum.
            - Animalibus. Sic in usum cibi ueniunt
              - Carnes
                - Auium.
                - Boum, Vaccarum.
                - Caprarum.
                - Leporum.
                - Catulorum.
                - Equorum.
                - Asinorum.
                - Vulpium.
                - Simiarum.
                - Testudinum.
                - Lacertarum.
                - Locustarum.
                - Serpentum.
                - Vermium.
                - Pediculorum.
              - Sanguis.
              - Medulla.
              - Oua. Lac. Mel.
          - Formaliter. Vsus puta
            - Pultis.
            - Panis.
            - Casei.
            - Placentæ.
            - Bellariorum.
            - Vini.
      - A quibus. Alimenta
        - Philosophorum.
        - Athletarum.
    - Non est. Abstinentia ab alimento:
      - A quo. Puta ab
        - Omni alimento.
        - Potu omni.
        - Herbis, Radicibus.
        - Fructibus.
        - Oleo.
        - Animalibus.
      - Cur. Abstinere
        - Voluntate, causa
          - Religionis.
          - Valetudinis.
          - Officij.
        - Necessitate uel
          - Interna, propter Auersationem.
          - Externa.



II. Vs

- II. Vestitvs spectatur tum
  - Corporum. Huiusce
    - Κτῆσις. Vsvs diuisus in
      - Λῆψιν.
      - Φυλακὴν. Huc pertinet uestium
        - Attritio.
        - Integritas.
    - Χρῆσις. Vsvs aliquis uel
      - Est: & is uel
        - Solitus, consuetus, siue tegat
          - Totũ Corpus. Vestitvs consideratus respectu
            - Materiæ. E
              - Corticibus arborum.
              - Iunco.
              - Tergoribus animalium. Pellibus.
              - Lino.
            - Formæ. Quo ad
              - Longitudinem.
              - Colorem.
              - Figuram.
              - Splendorem.
            - Personarum secundum
              - Ætatem. Vestes
                - Puerorum.
                - Senum.
              - Sexum. Vestes
                - Mulierum.
                - Virorum.
              - Professionem. Vestes
                - Prophetarum.
                - Sacerdotum.
                - Episcoporum.
                - Philosophorum.
                - Medicorum.
                - Rusticorum.
                - Pictorum.
                - Militum.
              - Dignitatem
                - Regum.
                - Principum.
                - Ducum. Tribunorum.
                - Prætorum.
                - Candidatorum.
                - Ciuium.
              - Liberalitatẽ. Vestes
                - Liberorum.
                - Seruorum.
              - Nobilitatem. Nobilium, Ignobilium.
          - Partis: ut
            - Capitis.
            - Ventris.
            - Pedis. Calcei.
        - Insolitus. Habitvs insolitus siue
          - Acceptatus:
            - Qui, tũ
              - Populi.
              - Singuli, ratione
                - Sexꝰ. Sumũt
                - Viri muliebrem.
                - Mulieres uirilem habitum.
                - Conditionis. Sic sumunt
                - Reges uilẽ habitum.
                - Plebeij.
            - Cur. Causa
              - Eruditionis. Explorandi.
              - Amoris. Pudoris.
              - Luxus. Spectaculorum.
              - Luctus. Ioci.
              - Religionis.
              - Salutis
                - Suæ.
                - Alienæ.
              - Mortis suæ.
              - Insidiandi alijs. Imperij.
          - Repudiatus. Vestitvs insolens repudiatus. Vestitum patrium qui retinuere.
      - Non est. Vestimentorvm nullus usus in
        - Genere. Qui nudi degunt.
        - Specie. Nudi
          - Caput.
          - Pedes. Calceis nulli usi.
  - Locorum, propter corpora. Huc pertinent Tegvmenta
    - Parietum. Aulæa.
    - Lectorum, in quibus cubatur.
    - Pauimenti.



Voluminis Secundi
Liber VI.
De BONIS & MALIS secundariis Corporis humani.

AER.

Aerem inter Sanitatis & Morborũ causas suo loco retulimus. Hîc uniuersim de eo, quatenus Corpori humano non e(x) uentationis tantùm, sed & alimoniæ spiritalis causa conducere uidetur. Eaq; propter Græci ψυχὴν dixisse uidentur, quasi hoc ueluti fomite anima in corpore conseruetur.

De LAPPIS & FINNIS Septentrionalibus scribit Zieglerus in Scondia, aeris frigidissimi libertate nõ delectari tantùm, sed & iuuari, ut quandocunque in Suetiam negotiorũ causa ueniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantùm uersentur atque cubent pellibus inuoluti.

ALIMENTORVM ACQVISITIO.

PER QVOS. Alimenta subministrata à *Deo, Angelis.*

ISRAELITÆ cũ in solitudinẽ inter Elimũ & Sinam peruenissent, optabãt se in Aegypto adhuc ollis carniũ assidere. Dominus ergo eis coturnices dedit, itẽ & rorẽ cœlestẽ, qui maně humi sparsus iacebat, ad similitudinẽ seminis coriandri, albus, gustu placentarũ, quæ ex melle cõficiuntur. Eam cùm manè conspexissent Israelitę, inter se dicebant, Manhu, quid est hoc? Et ex eo appellationẽ Mannæ obtinuit. Colligebant aũt in singula capita quotidie gomerẽ unũ: neq; ei, qui plus collegerat, supererat, neq; ei, qui min⁹, deerat. Quòd si quis partẽ in crastinũ reseruaret, id enatis uermib. corrũpebatur. At 6. die duplicẽ uictũ colligebant, duos uidelicet gomeres in singulos, ut etiã pro septimo die, Sabbathi scilicet, haberẽt, ex iussu Domini, neq; id quod reseruabatur corrũpebatur. Coquebãt aũt & elixabãt rorẽ hunc. Hac manna per 40 annos in deserto sunt usi Israelitæ. Pręcepit aũt Dominus Aharoni, ut gomeris mensuram mannæ in phialã immitteret, idq; in arca fœderis ad posteros custodiendũ reponeret: nõ obscura salutaris illius panis, qui de cœlo descendit, significatione. Exodi 16. At posteaquã traiecerũt Iordanẽ duce Iosua, & Galgalis Pascha celebrarũt, postridie Paschæ de terræ frugib. comederũt, ac postridie ei⁹ diei, quo terræ fruges gustarũt, mãna desiit: eoq; anno Chananeę prouẽtu sũt usi. Ios. 5.

DANIEL propheta propter destructa Babyloniorum idola in speluncam leonum deiectus, ab Habacuco per medium aerem è Iudæa uecto cibum accepit. Daniel 14.

LVPVS Senonũ archiepiscopus, cũ secũ cœnantib. uinũ defecisset, sperare oẽs in Domino iussit, nec metuere sibi qđ sperassent defuturũ. Vix dum sermonẽ finierat, cùm nunciatum est, cados uini plenos ante ianuã stare, ipso qui attulerat incognito atq; incerto. Neq; inter conuiuantes dubitatũ est, quin à Deo missi fuissent. Marulus lib. 4. c. 2.

Cũ Caroli Magni EXERCITVS in bello Saxonico siti tridua na laboraret, & à destruendo fano Hermansaul desistere ob aquę penuriã cogitaret, Deus per torrentẽ quendam prope montẽ subitò aquas largiss. effudit, ad recreationẽ militũ: anno 772. Sigebertus, & Regino lib. 2. Adon ętate 6. Auent. lib. 4. Annaliũ: Annales Frãcorũ: Aimonius lib. 4. c. 64.

Dæmonibus.

EPIMENIDES Cretẽsis à nymphis cibũ accipere solitus erat, eumq; intra bouis ungulã conditum seruans, paulatim inde sumebat, adeò ut à nullo hominũ unquam uel edere, uel feces per aluum egerere uisus sit. Laertius ex Demetrio.

Quadrupedibus.

Consule Tit. In uita conseruati: quatenus alimenti subiectione & subministratione à feris sustentantur.

Ferũt IOVEM educatum fuisse à capra, à cuius nomine dictus est Aegiochus. Politianus in Nutricia: -Creteą fertur in Ida
Capra Iouem puerum fidis alusse papillis.

POLYPHEMVS Cyclops nutritus est à lupa. Syllius lib. 14.
Aetnæo Polyphemus erat nutritus in antro,
Atq; inde antiquæ nomen feritatis amabat,
Vbera præbuerat paruo lupa.--

PELIAM Neptuni & Tyrus filiũ, ab equa: sed & Alopes Priamiq; filiũ ALEXANDRVM, ferũt à uulpe (alij ab ursa) educatũ: AEGISTHVM uerò Thyestę & Pelopię filiũ, à capra, unde & nomẽ habuit. Aelianus lib. 12. de Varia hist.

AEGIDIVS abbas ad Rhodani ostia latebram sibi eligẽs, triennio nulli cognitus, cerua lac præbente nutritus est. Postea inuentus, atq; inde eductus, præesse monachis cepit. Marulus lib. 4. cap. 2.

Auibus.

HELIÆ post XL. dierũ ieiuniũ coruus panẽ diuinitùs attulit.

PAVLVS I. eremita speluncã habẽs in inferiore Thebaide Aegypti eremo, palmarũ fructus ab initio esitauit. Deinde dimidiatũ panẽ quotidie illi coruus ministrauit. Quũ aũt cò uenisset Antonius, ut Paulũ ipsum uideret, coruus integrum attulit panem, & propter nouum hospitem cibum duplicauit. D. Hieron. in eius uita.

ERASMVS episcopus, Diocletiani persecutionẽ fugiẽs, in mõte Libano à coruis pascitur, ab angelis uisitatur, ferę etiã syluestres posita ferocitate illi blandiũtur. Marulus lib. 4. c. 2.

BLASIVM Sebastæ episcopũ, cùm Diocletiano ecclesiam uastante ad deserta sine uiatico declinasset, aues aluerunt, donec inuentus in Christi confessione uitam finiuit. Idem.

Insectis.

MENNÆ Samnitũ prouinciæ solitario (ut Gregorius tradit) paucula tantùm apum aluearia uictũ suppeditabant. Quæ cùm Lõgobardus quidam latro rapuisset, à diabolo obsessus fuit, donec eum suis precibus Menna liberauit. Marulus lib. 1. c. 8. ex Gregorij Dial. lib. 4.

Regibus.

Aiunt AGAMEMNONEM & circa Aulidẽ, & passim in omni Græcia puteos effodisse, ne per æstũ aquarũ inopia laborari posset: sic ut in prouerbiũ abierint ἀγαμεμνόνεια φρέατα, de operibus nouis & utilibus. Zenodotus.

Liberis.

Consule Tit. Fidei Liberorum erga parentes.

Presbyteris.

BENEDICTO abbati, cùm in saxea rupis spelũca olim clauso panis defecisset, presbyter quidã diuinitùs monitus, prandiolum suum attulit: & quoniam tunc solennis Paschæ dies erat, secum cibum liberiùs capere hortatus est. Deo gratias egit Benedictus, tum quòd sibi de uictu in tempore prospexisset, tum quòd sacerdotem suum sibi in solitudine uidendum obtulisset: taliq; lætus hospite, gratanter ea, quæ allata erant, unà cũ illo comedit. Marulus.

QVOMODO. PVTA
LABORE
Mechanico.

Consule Locum Mechanicarum artium.

ANTIQVITVS ante repertam agricolationẽ, agri spinis infrugiferis occupabantur, mortalesq; duram quandam & agrestem agebant uitam. Deinde ostensa ratione colendi terram, mitior uictus successit. Atq; hinc dici cœptum prouerbio, Non enim spinæ. Erasmus in Adagiis.

Senis agricolæ, FILIOS ad agri cultũ exhortantis, apud Horatium uersus extant: digni quos suo quisq; uitæ generi, qđ diuinitùs nactus est, accommodet:
Viuite contenti casulis & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat & Hernicus olim
Vestinusq; senex: panem quæramus aratro.

Literario.

ISOCRATES Atheniensis rhetor stipem à discipulis lacrymans

accipiebat, quòd artem liberalem, ob corporis necessitatem, ueluti prostituere cogeretur. Quandoquidem Preciũ est artis non uelamentum tantùm, sed & dehonestamentũ.

FOSSIONE.

Quia nec amnes perennes, neq; lacus, neque fontes abundè suppeditant aquam regioni ATTICÆ, uerùm puteis manufactis utuntur ferè: legem scripsit Solon, ubi puteus publicus intra hippicum esset, eo uti ut esset ius (Hippicũ spacium quatuor stadiorum erat) at priuatam aquam peruestigarent, ubi maius interueniret interuallũ. Quòd si fossa decem passus in altum depressa, aquam in suo non inuenissẽt, tunc ut sumerent à uicino, & sex congiorum hydriã bis die implerent. Inopiæ enim subueniendum, nõn alendam existimabat ignauiam. Plut. in Solone.

Colimoueriq; terram, callumq; summæ cutis solui, aquarum interest. Proditur certè in CRETA expugnato oppido, qđ uocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesque qui in eo situ multi erãt. Rursus cõdito post sex annos emersisse, uti quęq; cepissent partes coli. Plin. lib. 13. c. 4.

PRECIBVS.

Ex Tit. Preces exauditæ, quædam huc transferri possunt.

Dion scribit, aduersus Quados bellum M. Antonino Philosopho gestum: in quo quum siti ac æstu præcipuè conflictarẽtur Romani, hostium multitudinę circumsepti, nec ullum omnino effugium patẽret, repentè cœlitùs aquæ uis magna est præcipitata. Id factum interpretatur Dion, quòd Aegyptius Amuphis magicis excantaminibus dæmones quosdam, & aerium aduocasset Mercurium. Qua in rè sciens mẽtitur Historicus aliàs grauis. Christi namq; uirtus largos effudit imbres: erat nãq; in exercitu CHRISTIANORVM τάγμα, id est legio, cuius precibus, id ipsum Imperatore exigente, aquarum effusa est copia, & crebra in hostes fulmina excussa: unde Cerannobolos dicta legiõ, M. Antonino ita sanciente. Cælius lib. 21. cap. 18. Antiq. Lect.

TRANSMVTATIONE.

Christus opt. max. uti præsentia sua nuptias in CANA Galileæ sanctificauit, ita primo illo suo & quidem insigni miraculo; Aquæ scilicet in uinum cõuersione, diuinitatem suam comprobauit, & coniugalem statum inter homines euidenti benedictionis æternæ argumento confirmauit, per quẽ nõ terra tantùm, ut olim, sed & cœlum repleretur.

Mindensis ecclesiæ pontifex DITHMARVS, multis utẽns ieiuniis, die Parasceues misit quendam, qui hauriret aquam, quã sola tum uteretur in potu. Fecit ille quod iussus erat. Aqua, ubi uenit in manũ põtificis, uertitur in uinũ. Illusum sibi arbitratur pontifex à ministro: seuerè iubet, ut aquam, nõ uinum, afferat. Minister sanctè testatur, non uinum, sed aquã se hausisse. Iubetur iterare ministerium: accidit quod prius. Tum uerò non credens fidum ministrum, cum illo egreditur, intuitũs unde ille hauriret. Videns ergo aquam esse mutatam in uinum, Dei bonitatem collaudauit, qui uetera miracula renouaret. Cranzius lib. 7. c. 18. Metropol.

LIBERALITATE ALIENA.

Consule Tit. Adulatorum, quos Græci Παράσιτους propriè appellant, mensæ alienæ assectas, & palati causa aliis assentantes. Item Tit. Liberalitatis in alimentis præbendis.

Αὐλητοῦ βίον ζῇς, id est, Tibicinis uitam uiuis. In eum iaciebatur, qui lautè quidem, sed alieno uiueret sumtu. TIBICINES enim quoniam in sacris olim adhibebantur, adesse solent & in cœnis pontificalibus, idq; immunes. Eras. in Adag.

Gratiani quondam Augusti uxori, ut inquit Zosimus, LÆTÆ, eiusque matri Pissamenæ, ex regio fisco Theodosij instituto sumtus mensæ regiæ Romæ præbebatur. Sigonius libro 10. Imp. occid.

ALIMENTORVM PENVRIA ET DEFECTVS.

De Fame & Siti in superioribus egimus, quatenus Appetitum naturalem alimenti absentis indicant. Hîc uerò quatenus Alimenti, secundarij boni corporis, defectum continent. Sub Tit. Fames & Sitis memorabilis; ut Fortuita ma(x) la considerantur. Hîc quatenus Corpori incommodant. Respectu uerò Effectus siue Euentus, sub Tit. Inedia siti ue mortui. Habitus circa hæc uersans, sub loco Tolerantiæ uel Mollitiei circa famem & sitim.

CIBI PENVRIA.

MIDAS Phrygiæ rex, auri acquirendi cupiditate famè ferè periit. Cùm enim à Baccho, quem hospitio benignè acceperat, optiò ei data esset, petendi quicquid uellet: Midas expetiuit, ut quicquid contingeret, continuò aurum fieret. Itaque etiam cibaria, quæcunque contrectasset, in aurum conuersa fuère, teste Ouidio lib. 11. Metamorph. Donec iterum Deum orauit, ut hoc munus à se auferret. Natalis Comes libro 9. cap. 15. Mythol.

BABYLONIORVM urbem Darius Persarum rex obsidebat, à quo desciuerant, quòd insitum eis à natura in ipsum erat odium. Vt autem commeatus, quos in urbe habebant Babylonij, diutius extenderent, ex toto femineo sexu cùm singulas uiris omnibus delegissent: reliquas, ne eis alendis illorum nutrimenta, per quos urbs defendebatur, consumerentur, strangulauerunt. Fulg. lib. 7. c. 6.

Cùm Gambyses Persarum rex contra Aethiopes Macrobios expeditionem pararet, nondum quinta itineris parte confecta per arenas, tanta cõmeatus penuria EXERCITVM inuasit, ut cùm herbis carerẽt milites, sortiti ex seipsis decimũ quenq; comederint. Cambyses ueritus mutuam suorũ depastionem, retrò redire coactus est. Herod. lib. 3.

Alexandri Magni EXERCITVS aduersus Bessum, Bactrianorum ducem, tanta laborauit fame, ut singulæ amphoræ succi ex silfama, uenirent ducenis quadragenis denariis. Singulæ uerò mellis amphoræ denariis 30. Amphoræ uini totidẽ. Tritici nihil omnino aut exiguum admodum reperiebatur. Itaq; frugum penuria milites herbis & piscibus famem leuabant. His demum alimentis deficientibus, iumenta (quibus onera portabant) interfecerunt, & eorum carnẽ traxerunt uitam. Cumque eos ligna deficerent, crudas carnes deuorabant. Sed tamẽ silphium, quod ibi multum copiosumque erat, adiumentum ad concoctionem præstabat. Aelianus lib. 12. & Curtius lib. 6.

MELVS oppidum est Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux expugnauit, nõn tã machinis bellicis, quàm fame. Hinc fames Melia, prouerbio locum fecit.

L. Sylla, qui postea Romæ dictator fuit, ATHENAS obsidẽte, emit misera ciuitas medimnũ tritici mille drachmis: uulgo & omni ignobili multitudinę graminib. circa urbẽ nascentibus, & calceis coctis auidius uescente. Veniit in eadẽ urbe trecẽtis drachmis tritici modius, Demetrio Antigoni rege Syriæ res Atticas grauiter affligente. Delapso mure è tecto,

PATÈR cum FILIO, etiam pugnis decertauit. Sabellicus lib. 10. cap. 7.

PETILINI, dum suam Rom. pop. fidẽ præ cæteris Brutiis aduersus Pœnos probare contendunt, longa obsidione fatigati, coria ex scutis detraxere, ut quoquo modo possent, inde sibi uictum quærerent. Idem.

Pœnis Rom. pręsidium ad CASILINVM obsidentibus, sorex trecentis est argenteis numis emtus, inuidioso precio, sed auctione magis inuidiosa: quippe quæ uitã emtori tribuit, ademit institori. Idem.

CALAGVRIVM urbs est Hispaniæ, Quintiliani patria: cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, ut fidem Sertorio præstarent, uxores suas ac liberos in usum extremæ dapis conuerterũt, quum nullum aliud animal in urbe superesset.

SAGVNTVS urbs Hispaniæ, amicissima Romanis, longa Pœnorum obsidione eò famis redacta est, ut ciues extructo in foro igni suas res omnes coniicerent, seq; ac suos postremò liberos eodem præcipitarent, ne uenirent in manus inimicorum. Hinc Saguntina fames, dicitur de extrema rerum penuria. Hãc autem famem triste prius portenderat prodigiũ. Nam quum ferè enixa mulier esset, infans in uterum regressus, ciuitatis excidium significauit. Eutropius.

PERVSIVM oppidum Ethruriæ: In quo M. Antonius obsessus ab Augusto, quum extrema fame laboraret, annonæ penuria coactus fuit deditionem facere. Hinc fames Perusina in prouerbium abiit.

Obsessa à Tito Vespasiano Hierosolyma, præterquam quòd IVDÆI omni immundo cibo; quin ipso quoque humano stercore uescerentur, & quotidie permultos fames absumeret: inuenta est mulier, nomine MARIA; Eleazari F. quæ è regione trans Iordanem Hierosolymam fugerat, genere & diuitiis nobilis, cuius bona omnia Zelotæ diripuerant, quę filium trimum, occisum, igne assaret, ut eius carnibus, quem ipsa pepererat, miserandum in modum sibi uitam prorogaret. Detectaque res est per eos, quos stimulante fame assatarum carnium nidor ad eam traxerat: qui præ horroris magnitudine retrocesserunt, minusque graue sibi duxerunt fame confici, & ipsam mortem obire, quàm impio sceleratoq; cibo in eum morem uesci. Iosephus lib. 7. belli Iud. Titum hoc facinus detestatum, in sceleris tanti expiationem se urbem ferro & igni uastaturum, interminatum scribit.

BYZANTIVM, cùm à Seuero Romanorũ Imp. obsideretur, posteaquam cibus Byzantinos defecit, comedêre pelles anima-

animalium maceratas. Quibus postea consumtis, magna pars nauigauit, obseruatis procellis, cæterisque tempestatibus, ut nemo eis posset occurrere. Idque faciebant, ut uel interirent, uel commeatum compararent. Idem fecere in agris etiam. Qui manebant in urbe, etiam ad humanas dapes cõuersi sunt. Xiphilinus in Seuero.

Francisco Sfortia MEDIOLANVM obsidente, tritici modius uicenis aureis numis uenit. Sab. lib. 10. c. 7.

Obsidebant Galli Consaluum Agidarium intra Baruli mœnia (quod Apuliæ oppidum est) tanta obstinatione, ut nihil omnino intra oppidum inferri posset. Quare Cõsaluus & reliqui HISPANI, de scutis suis pelles trahere sunt coacti, quibus elixis uterentur. Egnatius lib. 7. cap. 6. & Sabellicus libro 10. cap. 7.

POTVS.

HAGAR Aegyptia Abrahami ancilla, domo pulsa cum Ismaele filio à Sara, in desertis Bersabæ siti periisset, nisi angelus ei puteum ostendisset. Genes. 21.

In solitudine Raphidimi aquarum penuria ISRAELITAS uexauit. Quas cùm per iurgium à Mose peterent, iussu Domini uirga sua petram in monte Horebo percussit, & aquæ fontẽ produxit. Locus dictus est Massa, à tentando, quòd ibi Deũ tentarint, & Meriba, quòd cum Mose cõtenderint. Exodi 17. In solitudine Sine, ad Cadem urbem Idumeæ, aquæ summa penuria fuit. Moses uirga sua petram percussit, & copiosam Israelitis aquam produxit. Numeri 20. In desertis Moabitarum domini iussu puteum foderunt, ut aquam haberẽt. Tũc cecinerunt hoc carmen: Ascende putee: recinite eum: quem puteum fodêre principes, cauauere populi duces, unà cum imperatore, suis sceptris. Num. 21.

Auster PSYLLIS Pœnorum populis omnia receptacula aquarum arefecerat. Erat autem omnis eorum regio, quæ intra Syrtim est, aquarũ inops. Ob id isti publico colloquio atq; consilio expeditionẽ fecêre aduersus Austrum. Eos cùm ad arenas uenissent, Auster spirans illic obruit. Terram eorũ Nasamones occuparunt. Herod. lib. 4.

NASAMONES populi, in extremis Libyæ finibus Atlantem montem incolunt, ferunt nihil, sed agrestium tãtùm uitium fructu aluntur. Hi nullos habent amnes. Quę enim ab Atlante aqua defluit, etsi in tres alueos discedit, nunquam tamen in modum iusti fluminis excrescit, sed statim ab arena exorbetur. Neq; etiam AETHIOPES flumen aliud præter Nilũ habent. Pausanias in Atticis.

XERXES Persarum rex, cùm in bello magna uini & aquarum simul penuria esset, in exercitu proclamatum est, Si quis aquam ex Choaspe haberet, ut regi eam bibendam daret. Et inuẽtus est quidam, qui pauxillum haberet, idq; putridum. Bibit igitur illam Xerxes, & eum, qui dederat, benefactoris loco habuit. Aelianus lib. 12. de Var. hist.

ARTAXERXI Persarum regi bello contra Cyrum fratrem, iam siti deficienti, Peribarzenes eunuchus, cùm aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum utrem detulit, putris aquæ cotylas octo continentem. Eam aquam cùm rex totam ebibisset, rogatus, Ecquid illi placuisset ille potus? Deos testatus est, se nunquam uinum potasse iucundius: nec ullã aquam, quamuis purissimam, sibi uisam suauiorem. At pòst nactus eum hominem, qui eunucho aquam dederat, è paupere diuitem fecit. Erasmus.

SEVERVS Romanorum Imp. cùm contra Osroenos, Adiabenos & Arabes duxisset, posteaquam trãsiit Euphratem, cùm ea regio naturâ sit in summa inopia aquæ, ac tum magnis solis ardoribus exsiccata atque arida esset, puluis tantam molestiam exhibebat, ut nec iter iam facere milites possent, nec loqui: sed hoc unum uerbum efferre poterant, Aquam, aquam. Quæ ut inuenta est, Seuerus poculum plenum aquę coram omnibus exhausit. Post hunc cæteri omnes biberũt, atq; ita recreati sunt. Xiphilinus in Seuer.

ALIMENTORVM VSVS.

Huc ex Tit. Fames memorabiles, eorum exempla, qui abominandis dapibus præ fame utuntur. Ex Tit. item Anthropophagorum, quatenus uel necessitate pressi, uel feritate inducti, ad humanas dapes conuertuntur.

QVAE ALIMENTA IN usum adhibita.

Consule locum Appetitionis alimentorum. Illic Functio, hic Subiectum consideratur.

IN GENERE.

Pisces secundum cibum AEGYPTIIS fuisse tradunt: post primum usum herbarum & radicum palustrium: Nilo eorum copiam, præsertim cùm decrescens in alueum, redit, ferente. Pecorum quoq; carnibus uescentes quidam eorum, pellib. pro ueste utebãtur. Hac uita plurimo tempore exacta, postmodum aliis fructibus, in queis panis ex loto factus, uesci ceperunt. Diodorus libro 1. capite 4. Pane uescuntur, quem ex farre conficiunt, & Collestem nominant. Vino utuntur facto ex hordeo: desunt enim in ea regione uites. Victitant quoque tum piscibus, partim crudis, & ad solem arefactis, partim falsugine conditis: tum auibus, sed crudis, prius tamen sale conditis, coturnicibus, anatibusq;, atq; paruis auiculis. Cæteris autem uel uolucribus, uel piscibus, quæ ipsis in proximo sunt (præter illa quæ ab eis sunt recepta pro sacris) partim assis, partim elixis. Herod. lib. 2.

IN SPECIE.

Aqua.

Inducitur ab Herodoto libro primo Persarum REX, ex Choaspe apud Susam fluente aquam bibens, etiam in expeditionibus, cùm plurimi currus quatuor rotarum à mulis tracti, huiusmodi aquam ferentes in uasis argenteis eum sequerẽtur. Ctesias Cnidius, eam & leuissimam esse inquit, & suauissimam. Secundus Aegypti rex cognomento Philadelphus, cùm filiam suam BERENICEM Antiocho Assyriæ regi despondisset, magnis impensis curauit, ut Nili aqua ad eam afferretur, quam solam biberet, teste Polybio. Athen. libro 2. capite 2.

DARIVS Persarum rex uulneribus cõfectus, à Polystrato Macedone extremum munus aquæ haustum frigidæ obtinuit. Sabellicus lib. 6. Enn. 4.

IVLIANVS Imp. expeditione contra Persas grauiter uulneratus, frigidæ haustu nocte mortem sibi accelerauit. Marcellinus libro 22.

Manna.

Manna ISRAELITÆ cœlitùs in deserto alti sunt. Erat autem coriandri grano similis, specie bdellij, quam illi passim colligebant, molaq; contusam, aut in mortario distritam coquebant in ollis, & hinc panes depstitios faciebant, sapore libi oleo confecti. Exodi & Numerorum 11.

Sal.

GRÆCI ante reliquas dapes, sal uelut amicitiæ symbolum hospitibus apponebãt: & uino madentes, oleo perungebãt & sale, quod aduersus ebrietatem remedium esse putabant. Alex. lib. 5. cap. 21.

ROMANI ueteres sale pulmentarij uice sunt usi. Esitarunt enim salem cum pane & caseo, ut prouerbio apparet. Plinius lib. 31. cap. 7. ex Varrone.

Radices.

In Aethiopia, quę supra Aegyptum est, iuxta fluuium, quem Astapam uocant, inhabitat gens, quam RHIZOPHAGOS uocant. Radices enim arundinum, quas ex propinquis locis effodiunt, magna cura lauantes barbari, lapidibus terunt, quoad molles factæ cohæreant: deinde placentas ad modũ lateris, quãtum manus capit, factas, atq; ad solem decoctas mandunt. Diod. lib. 3. cap. 3.

Delectantur allio THRACES, utpote calido: cùm regionem incolant frigidam. Suidas.

ATTICI, quoties nauigationem aut expeditionem adornabant, commercabantur allia, eaq; retibus imposita secum ferebant. Item in obsidionibus urbium in precio erat allium. Vnde illud citra nomenclaturam apud Suidam, ἀπόλλυμαι τὰ σκόροδα πολιορκούμενος, id est, Perdo allia in obsidione. Erasmus in Adagiis.

Folia.

HYLOPHAGI Aethiopes cum filiis uxoribusq; ad loca campestria accedentes, arbores ascendunt, ac teneras ramorum summitates auferunt. Tantam autem ex cõtinuo usu ramos ascendẽdi peritiam habent omnes, ut, quod incredibile uidetur, de arbore in arborẽ uelut aues prosiliant, ascendantque tenues absque periculo ramos, macilentia leuitateque corporis nixi. Si quando pedes labantur, manibus ramis cõprehensis se à casu uindicant. Quòd si fortè deciderint, nulla in re propter leuitatẽ corporis lędũtur. Ita ramis tenerioribus dente excisis, uentrẽ farciunt. Hi semper incedũt nudo corpore, cõmunesq; uxores ac liberos habent. Pugnant inuicem ꝓ locis armati baculis aduersus alios, ac dominãtes uictis. Moriuntur ut plurimum fame, cùm deficiente uisu corpus priuetur eo sensu quo cibum quærebat. Diod. lib. 3. c. 3.

THRACES, qui ad Strymona habitant, foliis tribuli equos saginant: ipsi nucleo uiuũt, panem faciẽtes prædulcem, & qui contrahat uentrem. Plin. lib. 22. c. 10.

Herbæ.

Priscis uictũ AEGYPTIIS herbas ac palustres caules, radicesque, quas gustu experti cõprobassent, fuisse tradũt, eãq; quã gramen

dicũt, herbã tum præcipua dulcedine, tum hominib. ac iumentis utilis in primis usus. Eius utilitatis memores ad hoc usq; tẽpus uiri, hac manibus decerpta deos orant, existimantes hominẽ limosum ac palustre animal esse, sumta cõiectura tum ab eius humili naturaliq; ortu, tum quia magis humidis quàm siccis egeat cibis. Diod. lib. 1. c. 4.

AEGYPTIIS palustribus ad uictus facilitatem quædam sunt excogitata. Siquidem cùm fluuius plenus campos inundauit, in ipsa aqua exoritur ingẽs uis liliorum, quæ Loton Aegyptij uocant. Ea ubi demessuerunt, ad solem exiccant. Deinde quod medium loti est, papaueri assimile, postquam coxerunt, ex eo faciunt panes assos. Est autem huius loti radix quoq; esculenta, etiam suauitate præstanti, orbiculata, mali magnitudine. Sunt & alia lilia rosis similia, & ipsa in flumine nascentia: quorũ fructus in alio calyce germinans è terra, simillimus specie est fauo uesparum. In eo esculenta quædam instar nuclei oliuæ coagmentata innascuntur, quæ & tenera comeduntur, & arefacta. Iam uerò iuncũ annuũ ubi è paludibus excerpserunt, superiorem eius partẽ amputant, quam in aliud quiddam cõuertunt: quod relictũ est inferius longitudine cubitali, id edunt pariter, ac uenundant. Eo si qui admodum suaui uti cupiũt, in luculento furno torre factum ita comedunt. Herod. lib. 2.

AEGYPTIORVM mos traditur, ut in familiarib. cœnis brassicam præsumant in primis: quo edulij genere, ebrietatem discuti arbitrantur. Alex. lib. 5. c. 21.

ROMANI olim lactucæ esu cœnam finiebant, somni conciliandi causa. Posteriores appetitus excitandi gratia primo loco sumsere. Hinc Martialis illud:

> Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
> Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes.

GALENVS medicus Pergamenus lactuca frequẽter usus est, ætate quidem iuuenili, cùm uentriculus assidua bile turgeret, refrigerij causa: in senio uerò, aduersus uigilias. Galenus lib. 2. de Alim. fac.

Carduos lactucarum uice etiam in conuiuiis à ROM. apponi solere, testis est Iulius Capitolinus in uita Pertinacis Imp. Plinius item lib. decimonono, de carduis in hũc modũ: Poterãt uideri dicta omnia, quę in precio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore, dicẽda. Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubãq; pręcipuè, sestertium sena milia è paruis his reddere: quoniã portenta quoq; terrarum in ganeam uertimus, etiam ea, quę refugiunt quadrupedes consciæ.

Fructus.

In Scythiæ montanis HOMINES quidã calui habitant, ex arborib. uiuentes, quib. Ponticum nomẽ: magnitudo ferè eadem, quæ fico, fructus fabæ similis, etiã nucleo. Id ubi mite fuerit, uestibus exprimunt: & quod ab eo crassum & nigrum defluit, nomine aschy, id aut lingunt, aut lacte cõmixtũ potant. Ex ipsius quoq; crassitudinis fęce massas ad esum componunt. Neq; enim multum est eis pecorum, utpote non studiosis rei pecuariæ. Herod. lib. 4.

SPERMOPHAGI Aethiopes fructus, qui æstate ex arborib. decidunt colligentes, absq; labore edunt: reliquo tempore herbam in umbrosis nascentem locis decerpunt, quæ uitæ subuenit egestati. Diod. lib. 3. c. 3.

NASAMONES Pœni sub æstatem relictis ad mare pecoribus, conscendunt ad locum Aegilem, decerpturi palmulas. Nam palmæ illic & permultæ sunt, & fructiferæ omnes. Ex quibus ubi palmulas pręmaturas decerpserũt, ad solem siccantes maturefaciunt, deinde lacte maceratas sorbillant. Herodotus lib. 4.

LOTOPHAGI, Africę populi, è solo loti fructu uictitant, qui est instar fructus lentisci, suauitate assimilis fructui palmarũ: ex quo uinum conficiunt. Herod. lib. 4. Horum meminit Homerus Odysseæ lib. 9. narrans, quemadmodum Vlyssis SOCII gustata apud Lotophagos populos herba loto, redire ad nauim noluerint, nisi uerberibus adacti:

> τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπόν,
> οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι,
> ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
> λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.

Plin. lib. 13. & Theoph. 4. de Plantis, cap. 9.

MOSYNÆORVM in Ponto opulentissimorum filij nucibus tostis aluntur. Diod. lib. 14.

VETERES glandibus uictitarunt. Mox inuenta est iuglans arbor, sic dicta, quasi Iouis glans, quòd suauitate saporis cęteris præstaret. Gręcis Διὸς βάλανος. Macrobius lib. 3. Saturn. capite 18. Frugibus cerealibus repertis, mansuetiorem uiuẽdi modum sunt amplexi. Ordeum primum repertum, ὀλή. Hinc ὄλβιος, ὁ ἐκ τῆς ὀλῆς βίος. & ex specie genus, pro opum quarumlibet affluentia.

Frequẽs & diuturnus fuit glandiũ cib. ARCADIBVS, ut quo tẽpore monuit Apollo Lacedemonios, ne Arcades bello lacesserẽt, hũc illis uictũ è glandib. hisce uersib. attribuerit:

> Glande satur multa obsistet tibi plurimus Arcas:
> Nostra tuis non sunt contraria numina ceptis.

Pausanias in Arcad. Mitiorem iis uictum induxisse Arcas dicitur primus, ac panis docuisse rationem, ac texendarũ uestium & lanificij quoq;. Cælius lib. 16. c. 3. A. L.

Diogenes quũ in opiparo cõuiuio uideret PLATONEM nihil attingentem lautitiarum, sed oleis duntaxat uescentem: Quid accidit, inquit, uir sapientissime, ut cũ ob huiusmodi mẽsas in Siciliam profectus, hîc à paratis abstineas? Ad hæc Plato: At hercle Diogenes, & in Sicilia huiusmodi ferè cibo contentus eram. Quid igitur, inquit Diogenes, necesse erat Syracusas nauigare? an tũ Attica nõ ferebat oleas? Hoc dictũ quidã adscribunt Aristippo. Laertius lib. 6.

ROM. ueteres cœnam ab ouis auspicabantur, malis finiebant. Inde adagium, Ab ouo usq; ad mala: id est, toto colloquio, tota nauigatione, aut toto opere. Erasmus in Adagiis.

IOANNES Aragonum rex 18. qui ad 80. annum integra ualetudine peruenit, arborum fructibus libentius uescebatur, quàm carnibus. Ficus uirides & recentes appetebat, & eas maximè quas Aragones Buriasotas appellant, & Latini Duricorias. Marineus lib. 12. rerum Hispan.

Semina.

Papaueris candidi semen tostum in secunda mensa cũ melle apud ANTIQVOS dabatur. Hoc & panis rustici crustę inspergebatur, affuso ouo inhęrens, ubi inferiorẽ crustã apiũ githq; cereali sapore condiunt. Plin. lib. 10. c. 8.

Legumina.

Calendis Maij uescuntur ROMANI uariis leguminum generibus simul coctis, quæ Virtutes appellantur. Hinc iocus cuiusdam, Nequaquam mirum uideri debere, Romanos à suis maioribus tantopere degenerasse, cùm singulis annis uirtutes eorum deuorent. Poggius in Facetiis.

Aues.

Coturnicum magnã copiam in solitudine Sina Dominus ISRAELITIS misit. Exodus.

Eudoxus Cnidius libro primo, Phœnices HERCVLI coturnices sacrificare, inquit: propterea quòd cùm Hercules Iouis & Asteriæ filius in Libyam proficisceretur, ac à Typhone interemtus fuisset, Iolaus illum coturnicis assæ odore refecit. Oblectabatur enim, cũ circumuagaretur, hoc animali. Athen. lib. 9. cap. 15.

OENÆ insulæ Hyrcani maris incolæ ouis marinarũ auium & auena sponte nascente uiuunt. Aen. Syl. cap. 17. hist. Asiæ.

Boues, Tauri, Vaccæ.

Regnante Tarquinio Superbo, cùm magna incidisset pestilentia in mulieres ROM. grauidas, quę fuerat facta ex carne diu uendita populo taurorum, ludi ab hoc diis inferis instituti, Tauri sunt uocati. Festus.

Capræ.

Clitomachus Carthaginensis nouæ Academiæ sectator, dicere solitus fertur, QVENDAM athletam Thebanum omnes suæ ætatis uiros superare, quòd caprinis carnibus uteretur, tenacibus illis & concoctu difficillimis, quarum esu olidus è corpore sudor manaret. Athen. lib. 9. c. 24.

Lepores.

Ἐν λαγῴοις: id est, In leporinis carnibus uiuere dicebantur, qui lautè atq; in deliciis uitam agebant. Nam leporinam olim à ROM. in deliciis habitam declarat Martialis:

> Inter aues turdus, si quis me iudice certet:
> Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Erasmus in Adagiis.

Catuli.

CORSICÆ insulæ accolæ cùm catulis paruis non solùm cicuribus, sed etiam agrestibus uescantur, iracundi sunt, crudeles, infidi, audaces, promti, agiles, robusti: talis enim est natura canum. Cardanus de Varietate.

Equi.

GERMANOS, caballos tum agrestes tum domesticos comedere, Gregorius tertius ad Bonifacium reprehendit, & abrogare iubet. Nauclerus generatione uigesimaquinta.

Quãdo Reges siue Duces TARTARI exercitui suo cõmeatũ distribuunt, quadraginta uiris unum equũ dare solent. Quibus mactatis, milites carnes inter se partiuntur, præstantiores uerò intestina tantùm, ut rem opiparam & suauiorem sumunt, quæ ad ignem parum calefacta, ut uidelicet adhærentia stercora excuti possint, unà cum cineribus & carbonibus de igne ocyùs rapta uorant. Non solùm autem digitos pinguetudine percunctos, sed etiam cultellũ, lignúmue, quo stercora detergunt, suauiter lingunt, suguntq;. Capita equorũ apud eos in deliciis habẽtur, insignioribusq; tantũmodo apponuntur. Gvagninus in descriptione Tartariæ.

Cùm GALLI Nouariæ à Veneto & Sfortiano exercitu obsiderẽtur, dux eorum Ludouicus Aurelianus uidens milites recentium carnium desiderio teneri, eosq; incommodè falitis uesci, pręsertim quòd in mediis ęstatis feruoribus uino

peni-

penitùs carerent, minus generosos equos occidebat, & dissectos per centurias æqua diuisione militibus largiebatur. Iouius lib.3.Hist.

Vulpes.

SARMATIS, VANDALIS, ac innumeris aliis, equorũ & uulpium carnes solatio sunt. Cæl.lib.28.c.2.A.L.

Simiæ.

ZYGANTES Afri minio inficiuntur, ac simiis uescũtur, quarũ affatim gignitur iis, qui in montibus degunt. Herod.lib.4.

Asini.

Quidam cõspecto asini cadauere, SCYTHÆ cuidam, qui fortè aderat, dixit, En quod cœnes. Ille primũ aspernatus, atq; abominatus, postea tamen apparauit, cœnauitq;. Ita fermè Suidas & Zenodotus. Hesychius secus effert, Σκύθης ὄνειον δαίτα, Scytha asininum conuiuium appetit. Eras. in Adagiis.

Testudines.

In Carmaniæ angulo sunt CHELONOPHAGI, testudinum superficie casas tegentes, carne uescentes. A flumine Arbi promontoriũ ipsum inhabitant, præter capita toto corpore hirti, coriisq; pisciũ uestiti. Plin.lib.6.c.24. Testa, quæ concaua est, ueluti cymba nauigant, pro aquæ receptaculo, item pro tentoriis utuntur. Sic cibo, uase, domo, naui, uitã illorum testudo adiuuat. Diod.lib.3.c.3.

Lacerta.

Lacertis uirentibus uesci, in more APHRIS est. Alexander.

Locusta.

Orienti & LIBYÆ grata præcipuè locusta est: quod uerum Ioannes comprobat Baptista, uti inquit Hieronymus, & probat ex Leuit.11.lib.2. contra Iouinianum. Cælius libro 28. capite 2. Antiq. Lect.

Aethiopes ACRIDOPHAGI, deserto contermini, homines paulò cæteris breuiores, macilenti, ac supra modum nigri. Veris tempore Zephyrus ac Libycus uenti infinitum penè locustarum ex deserto ad eos deferunt numerum. Hæ permagnæ sunt, sed colore alarũ turpi ac squalido. Aethiopes ad id assueti, in quandam latam longamq; multis stadiis cõuallem plurimum materiei ex propinquis locis ingerunt. Cùm suo tempore locustarum tanquam nubes à uentis supra uallem defertur, materiem congestam, omnemque loci herbam anteà succisam incendunt. Locustæ desuper uolantes ingenti fumo enectæ, paulùm ultra uallem ad terram tãta decidunt copia, ut uictum omni genti abundè præbeant. Has enim sale, quod regio plurimũ fert, superinfuso, diutius seruant, cibum gustu eis suauem. Hic est solus eorũ per omne tempus locustarum uictus. Diod.lib.3.c.3.

MANDI, Indorum populi, locustis uictitãt. Quadragenos tamen annos non excedunt.

Serpentes.

LACEDÆMONII quandoque à Pythia nuncupati sunt ὀφιόδηροι. Eius appellationis ex historia ueteri hanc promũt rationem. Quadam tempestate serpentium multitudo mira in Laconia succreuit. Facta inde annonę caritas est incredibilis, coactique indigenæ serpentes in escam humanam uertere: unde nomenclaturæ nouæ data occasio. Quod in Admirabilium relatione Aristoteles scribit. Cælius libro 18. capite 2. Antiq. Lect.

CANDEI, seu OPHIOPHAGI, uescuntur serpẽtibus, quorum fertilissima est eorum regio.

Vermes.

PHRYGES ac Pontici, uermes albidos obesosque, capite nigricante, qui è cariosis promuntur materiis, inter delicias habent: ac xylophagia comedisse, luxuria est. Cælius libro 28. cap.2. Antiq. Lect.

Plinius lib.17.cap.24. Vermes grandes roborum, quos Cossos uocant, in cibum delicatorũ ROMÆ receptos testatur, atq; farina saginatos altiles reddi.

Pediculi.

BVDINI, Scythiæ populi, pediculos esitant. Sabellicus libro 6. capite 1. ex Herodoto.

Pisces.

ORITÆ, quos Arabis fluuius ab Indis disterminat, nullũ aliũ cibum nouêre quàm piscium, quos unguibus dissectos sole torrent, atque ita panem ex his faciunt, ut refert Clitarchus. Plinius libro 7. capite 2.

Apud BABYLONIOS tres sunt familiæ, quæ nullo alio, nisi piscibus, uictitant. Quos captos ubi arefecerunt ad solem, hæc faciunt. In pilam cõiiciũt, ac pistillis pinsunt, deinde linteis conseruant. Inde quisquis uult conspergit, offamq; facit: alius uerò in modum panis torret. Herod.lib.1.

Sũt ex AEGYPTIIS palustribus, qui solùm piscibus uictitãt: quos ubi ceperunt, exenteratos ad solem desiccant, exiccatisq; deinde uescuntur. Herod.lib.2.

ICHTHYOPHAGI piscibus pro pane & obsonio utuntur, Neptuno Cereris loco uictum illis subministrante. Diodorus lib.3. cap.3.

PÆONES Prasiadem paludem incolentes, piscibus etiam equos alunt. Herodotus.

Athenæus ex Clearchi auctoritate, SICVLOS ait dicere, apud se mare quoque dulce esse, quòd gaudeant eduliis, quę mare porrigit. Erasmus in Adagiis.

In RHODO qui pisces in deliciis habet, eum populares quasi liberalem cõmendant. Cui uerò magis arridet carniũ esus, ij agrestes & uentres calumniæ causa appellantur. Aelianus libro 1. de Varia historia.

Mel.

Fama est, DEMOCRITVM Abderitem fuisse ob senectutem penè furiosum, atq; cùm uitæ pertæsum esset, subtrahere sibi nutrimentum singulis diebus consueuisse. Sed cùm dies Cerealium sacrorum esset propinquus, rogantibus mulieribus ne moreretur per id tempus, ut sacra celebrare possent, paruit, & uas sibi melle plenum adferri iussit: inde ferũt hūc uirum multos dies uixisse, cũ solo melle uesceretur, atq; deficiente melle, post hos dies mortuum fuisse. Suauissimum mel enim Democrito esse solebat, qui etiam interroganti cuidam, Quomodo quispiam sanus uiuere posset? Si exteriora oleo, inquit, interiora melle irriget. Athen.lib.2.c.3.

Erat PYTHAGORICORVM cibus, panis cum melle. Athenæus libro 2. cap.3.

POLLIONEM Romulum, centesimum annum excedentem, quum interrogaret Augustus, Quánam ratione maximè uigorem illum animi corporisq; custodiisset? respondit, Intus mulso, foris oleo. Cælius lib.28.cap.27.

Lycus scribit, CYRNIOS, id est Corsicæ insulæ populos, esse πολυχρονιωτάτους διὰ τὸ μέλιτι ἀεὶ χρῆσθαι: hoc est, de assiduo mellis usu esse uitæ diuturnioris: etiamsi ridiculum nõnullis id uidetur, quando (ut ferè consentiunt poetæ) mel Corsicum, auctore Diodoro, item notæ censetur pessimæ. Cælius lib. 28. cap.27. ex Athen.lib.2.c.3.

Oua.

Apud ROMANOS cœnæ initia habebant oua, mala finiebant, attestante Porphyrio quoque. Vnde Horatius, Ab ouo usque ad mala citaret, Sermonum primo. Cælius libro 27. capite 17. Antiq. Lect.

Lac.

ARABAS nouimus camelorum lacte uesci, à carnibus suillis uerò abstinere inprimis: copiæ uel raritatis utrunque ratione. At camelos detestantur in Septentrionem reiecti. Cælius lib.28.cap.2. Antiq. Lect.

Refert Aristoteles & Theophrastus PHILINVM quendam, nullo alio cibo per totam uitam usum fuisse, quàm solo lacte. Athen.lib.2.cap.2.

MENISMINI Aethiopiæ uiuunt lacte Cynocephalorũ, quorũ armenta pascunt, maribus interemtis, nisi sobolis causa.

BYZONI mediterranei lacte bubulo uictitant, nec ullo præterea uescuntur cibo. Erasmus in Adagiis.

Sanguis.

BISALTÆ Scythiæ populi, nutriuntur equorum sanguine, permixto lacte. Vergilius lib.3. Georg.

TARTARI cùm aliquò proficiscuntur, & fame sitique cruciantur, equis, quibus insident, uenas incidunt, haustoq; eorũ sanguine sitim famemq; sedant. Equis uerò huiusmodi uenarum incisionem maximè prodesse putant. Equarum lacte supra modum delectantur, quo robustos pinguesq; se fieri arbitrantur. Guagninus in Tartaria.

Medulla.

ACHILLES puer aprorum ursorumq; medullis, ac leonũ uisceribus à Chirone fuit nutritus. Apollodorus lib.3.

Puls.

Pulte non pane uixisse longo tempore ROMANOS, manifestum, quoniam inde pulmentaria hodieq; dicuntur. Et Ennius antiquissimus uates obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca atq; natalium, pulte fitilla conficiuntur: uideturq; tam puls ignota Græciæ fuisse, quàm Italiæ polenta. Plin.lib.18.cap.8.

Panis.

☞ *De panis generibus, uide Cælium lib. 9. cap. 16. Ant. Lect. ἄρτον Græci Mazæ uidentur opposuisse, sic dictum, ἀπὸ τοῦ αἴρω, quasi eleuatum ui fermenti.*

Album panẽ in deliciis fuisse, locis aliquot testatur Lucianus, nominatim in libello de Mercede seruientibus. οὐδ' ὄναρ οὐδέποτε ἄρτου ἐμφορηθείς, id est, Ne per somnum quidem unquam albo pane saturatus. Eras. in Adagiis.

Lotometræ semine, quæ fit ex loto sata, fiunt panes in Aegypto à PASTORIBVS, maximè aqua uel lacte subacto. Negatur quicquam illo pane salubrius esse, aut leuius, dum calet: refrigeratus difficiliùs concoquitur, fitq; ponderosus. Constat eos, qui illo uiuũt, nec dysenteria, nec tenesmo, neque aliis morbis uentris infestari. Itaq; inter remedia eorũ habetur. Plin.lib.22.cap.20.

BRASILIENSES frumentum minimè serunt. Panem è radice unius herbæ conficiunt, portulacæ magnitudine. Hæc autem tam lethiferum uenenum continet, ut qui illam crudã comederit, repentè moriatur. Illi uerò radicem contundũt, contusam exprimunt, ne quidquam in illa succi illius ueneni remaneat: tum ad solem exsiccant: molis deinde conterunt, atq; farinam efficiunt. Panes ex eiusmodi farina facti non modò salubres sunt, sed etiam sciti admodum saporis. Ex ea & milio genus potionis faciũt ceruisiæ persimile, quo quidem ubi se ingurgitarint, quod frequenter illis euenit, tũ omnes fraudes & insidias plus solito machinantur. Osorius lib.2. rerum Emanuelis.

GOTHARDVS Hildesianus episcopus, cùm Meinuercũ Padebornensem episcopum mortuũ audisset, panem albũ, qui in mensa appositus erat, apprehendens, Quãdo te, inquit, ô beate Meinuerce, panis albus à morte non potuit liberare, ipse ego deinceps album panem nunquam gustabo. Idque notum strictè seruauit. Cosmidromij Chronicon.

Caseus.

Tradunt, ZOROASTREM in desertis caseo uixisse annis uiginti, ita temperato, ut uetustatem nõ sentiret. Plinius libro undecimo, capite 42.

Placentæ.

DIOGENES Cynicus, quum placenta uesceretur, percontanti quid comederet, respondit se panem edere bene confectum. Erasmus in Adagiis.

Bellaria.

☞ *De Mensis secundis consule Athen. lib. 14. cap. 17.*

PERSÆ cibis utuntur perpaucis, bellariis permultis. Hinc est quòd dicunt, Græcos etiam à cibo sumto esurire, quoniam mensis secundis parcissimè tantùm utuntur. Herod.lib.1.

ATTICA bellaria fuisse traduntur lauta & eximia. PLATONIS bellaria fuêre, ficus, cicer, faba, myrti baccæ, & ex fago glans prunis tosta. Alex.lib.5.cap.21.

M. TERENTIVS Varro in illa lepidissima satyra Menippea, quæ inscribitur, Nescis quid uesper serus uehat: de secunda mẽsa placentas remouit, his uerbis: Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt: πέμμασιν enim & πέψει societas infida. Significant autem bellaria, omne mensæ secundæ genus. Nam quæ πέμματα Græci, uel τραγήματα dixerũt, ea ueteres nostri appellauere bellaria. Macrob. lib.2.c.8. Saturn. & Gellius lib.13.c.11.

Vina.

☞ *Vide Tit. Vinolentorum.*

TROGLODYTÆ Aethiopes utuntur potu, idiotæ paliuri succo, potentiores uerò quodam flore expresso, qui est deterrimo nostro musco persimilis. Diod. Sic. lib.3. cap.3.

THEODATVS ignauissimus Italiæ rex in summa annonę penuria, per uniuersam Italiam orta, audiens in Veronensi agro acinaticium esse uinũ, saporis odorisq; suauissimi, magnam eius uim summo cum fisci impendio Romam aduehi curauit. Vinum etenim illud asserit Cassiodorus colore purpureo fuisse regium, sapore præcipuum, dulcedo cuius ineffabili suauitate sentiebatur: quum tamen interim tactus eius densitate pinguesceret, ut carneus liquor uel potio edibilis uideretur. Cranzius lib.3. Sueciæ, c.24.

A QVIBVS VSVRPATA ALIMENTA. A

Philosophis.

Lens philosophorum cibus, CYNICORVM præsertim. Vide eius encomium apud Athen. lib.4. c.18.

PYTHAGOREORVM cibus erat, panis cum melle. Athenęus libro 2. cap.3.

Athletis.

Ficus siccæ corpus & uires adiuuãt. Ob id antè athletæ hoc cibo pascebantur: PYTHAGORAS exercitator, primus ad carnes eos transtulit. Plin.lib.23.c.7.

Militibus.

MILITVM cibus olim allia. Inde adagium, μὴ φάγῃ σκόροδα, μηδὲ κυάμους. id est, Ne edas allia & fabas, hoc est, ne bellis, néue iudiciis adsis. Nam in bellum inferebantur allia commeatus militaris. In iudiciis fabas esitabant, ne obdormiscerent. Suidas. Erasmus in Adagiis.

ALIMENTORVM ABSTINENTIA.

Alimentum hîc tanquam bonum corporis, eiusdemq; Abstinentiam ueluti accidens consideramus. Quam ipsam respectu Habitus sub loco Temperantiæ quoque perpendemus, circa subiectum Alimentum uersantis. Eiusdem Auersationem superius inter Actiones Appetitricis facultatis connumerauimus.

SVBIECTVM. ABSTINERE IN GENERE ab

Alimento, siue semper, siue aliquandiu.

Plinius Naturalis historiæ lib.7. ad extremos Indiæ fines ab Oriente, circa Gangis fontem, esse ASTOMORVM gentem prodit, sine ore, toto hirtam corpore, quæ frondium uestiatur lanugine, uiuatque halitu tantùm & odore, quẽ naribus trahant: nullum illis cibum, nullum esse potum: tantùm radicum florumque odores uarios syluestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: grauiore paulò odore haud difficulter exanimari. Horum etiã Strabo ex Onesicrito mentionem facit libro decimo quinto. Cælius lib.24.cap.21. Antiq. Lect.

ABARIS Scytha, Seuthi F. legatus Athenas ueniens, ad suos Hyperboreos rediit, nil comedens. Herodotus.

Timonis in Cilicia AVIAM (siue nutricem) tradidit memorię Aristoteles delitescere solitam quoque anno spacium bimestre: quam nulla re alia quàm spiratione uiuere deprehenderunt. Plut.lib.8. Quæst. conuiual.9.

Olympiodorus Platonicus interpres Aristotelis scripsit, Aristotelis, qui rem uidit, testimonio, fuisse HOMINEM, qui donec uixit, neque manducauit unquam, neque dormiuit. Cæterùm in sole manendo alimentum accepit. His in Phędone persimilia Plato conscribit. Cælius lib.24. c.21. A.L.

Augustinus, cùm Casulano rescriberet, affirmauit, temporib. suis QVENDAM quadraginta diebus sine cibo uixisse. ALIVM quoque Petrarcha ponit, Venetiis idẽ fecisse, à multisque eius rei experimentum fuisse factum. Fulgosus libro primo, capite 2.

In Tullensi territorio, uilla Commerciaco, PVELLA duodennis, post sacram communionem in Paschate à sacerdote susceptam, primùm per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & pòst ad communem hominũ uitã rediit. Anno Domini 823. Sigebertus in Chronicis. Regino libro secundo. Alij ad annum Domini 1322. referunt, ut Fulgosus lib.1. cap.6. Martinus & alij narrant, eam studio ieiunij ita abstinuisse, & nihilominus tamẽ cœna Domini frequenter usam esse.

Memorabile, quod in recentiore obseruatum historia est, fuisse QVENDAM, qui biennio continuo nil prorsum uel comederit, uel biberit. Probabiliora faciunt hæc, quod de Animalibus septimo Albertus Magnus sciptum reliquit, fuisse FEMINAM Coloniæ in Germania sub Friderico II. quę sine cibo dies quandoque uiginti transmiserit, sæpe uerò & triginta. VIRVM quoq; melancholicum se uidisse testatur, qui sine cibo septem perseuerârit hebdomadas, alternis tantùm diebus aquã exorbentem. Visam quoq; in Hispania PVELLAM, grauissimi prodũt auctores, quę comederet nihil, ac haustu tantùm aquę uitã confoueret, & annũ iam ageret secundum ac uigesimum. Cælius lib.13. c.24. A.L.

Perusiæ PALVMBA Interamnensis, annos nata uiginti, sumta sacra hostia, nullo alio sumto cibo, septem annos uixit. Id quod Innocentius octauus pontifex re quæsita diligenter inspexit. Fulg.lib.1.c.2.

Eugenio IIII. Pp. Gallus quidam nomine IACOBVS, in aula Romana amanuensis, graui ualetudine affectus, cùm in patriam rediisset, Hierosolymitanam peregrinationem uouit. Inde Romam, Nicolao V. pont. reuersus, nec bibere, nec esse unquam inuentus est, iureq; iurando affirmauit, se iam biennium ita uixisse. Fulgosus lib.1.c.2. Neq; subitò, sed paulatim in hanc consuetudinem descendisse. Eum se familiariter nouisse, Poggius in Facetiis scribit. Cùm dies Romę multos fuisset, & admirationem sui turbis fecisset, quasi sanctus & Deo charus: postremò captus, uirgisq; cæsus, in exiliũ est actus. Suspectum est enim, quicquid prodigiosum. Aen. Syl. lib.2. Com. in Panor.

Refert Albertus, se uidisse melancholicum QVENDAM, qui cùm diebus penè quinquaginta à cibo abstinuisset, solo aquæ potu interim singulis aut alternis diebus contentus erat. Cardanus de Rerum uar. lib.8. cap.43.

Anno Salutis 1460. NICOLAVS Heluetius Vnderualdensis, post susceptos ex cõiuge quinq; liberos, cùm haud longè à pago solitariam ageret uitam, peracto XV. anno, sine ullo potu ac cibo decessit: ueraq; inuenta fuerunt, quæ prædicebat futura: uitaq; prorsus austera fidem faciebat, nihil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi. Et tamen Constantiensis epicopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum

locum ubi Nicolaus erat, diligenter rē perquisiuit, inuētaq; palàm literis mādauit. Quj ut ea de re certior fieret, sub obedientiæ imperio recusantē parū cibi sumere coegit: ob quā rē triduū grauiter stomachi dolore laborauit. id quod ipse uereri se, antè monuerat. Nec uerò episcopo illi tantùm, uerùm multis quoq; principibus Germanis, Gallis atq; Italis, qui eò profecti sunt, res hæc explorata fuit. Nos quoq; cum his locuti, qui uiderūt, ac sermones unà seruerūt, rem extra ambiguū ponimus: præsertim quòd de hac cibi abstinentia diligentiùs quæsitū est, de qua ipse parcè loquebatur, remq; non miraculo, sed naturæ tribuebat. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Apud Spirenses, in uilla Rhodo dicta, anno Christi 1539. puella quędā MARGARITA, patre nata Suffrido Vueis, & matre Barbara, cùm iam ferè decimū ætatis suæ annū attigisset, capitis & uētris dolore leuiore ad festū diui Michaelis est correpta. Cibū magis magisq; fastidire cœpit. Ad Natiuitatem usq; Dominicam, cùm adhuc comedisset, nullū planè post id tempus aut cibū assumpsit, aut per aluū excrementū egessit: à potu tamen non abhorrebat. Post Pascha etiā potū fastidire cœpit, adeò, ut post Pentecostes festa, æstuosissimo licet anni tempore, ne biberit quidē, aut urinā emiserit. Ferdinādus Rom. rex, ne quid fraudis subesset, per Medicos suos explorari curauit, ut testatur Gerardus Bucoldianus.

SCOTVS quidā melancholicus atq; stultus, cùm quadraginta diebus sine cibo clausus in turri Londinēsi ieiunasset, lac pro primo cibo atq; potu assumsit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. cap. 43.

Sub Clemēte Pont. eius nominis septimo, uir SCOTVS iuuenis, pilisq; rubeis, &(ut uidebatur) habitu bilioso, cùm sponte se obtulisset, diebus XI in custodia habitus absq; cibo, alioquin assuetus usq; ad 20 diem, & usq; ad 30, in eadem inedia perseuerare, miraculi præmium accepit. Cardanus de Subtil. libro de Hominis necessitate & forma.

LEONARDVS Pistoriensis sensim eò se traduxit, ut semel tātùm in hebdomada cibum sumeret. Cardanus ibidem.

Potu.

LASYRTAS Lasionius æstatis tempore per triginta dierum spacium à nulla re salsa abstinens nō bibebat, & mingebat tamē: quòd si liberet, & præsertim in ferculorum uarietate, etiam bibebat. Athen. lib. 2. cap. 2.

Aristoteles in libro de Ebrietate: ANDRON, inquit, Argiuus per omne uitæ suæ tēpus siti potuq; caruit: quanquā multis cibis & salsis & siccis uesceretur. Idemq; ad Ammonē profectus per aquę expertē uiam, sicca farina uescens, nullum adhibuit humorem. Apollonius de Hist. mirabilibus. Idem de MAGONE Carthaginense refert Athenæus lib. 2. cap. 2. ubi Andronem uocat Archonidem, ex eodem Aristotele.

IVLIVS Viator eques Rom. in pupillaribus annis, aquæ subter cutem fusæ morbo, prohibitus humore à medicis, naturam fecit cōsuetudine, atq; in senecta potu omni abstinuit. Plin. lib. 7. cap. 18.

Neapoli QVENDAM ex Tomacellorum gente nunquam bibisse, scribit Cælius lib. 13. cap. 24. A. L.

IN SPECIE. AB

Herbis, Radicibus.

HORATIVS ode 3. Epodon facetè & copiosè ludit in re ridicula: nam detestatur allium, tragiceq; persequitur, ut uirulentiùs quàm aut cicuta, aut uiperæ sanguis, aut Canidię ueneficæ, aut Medeæ, quo tauros sopiuit in Colcho, aut Nessi Centauri uenenum, quo extinctus est Hercules.

Fructibus.

Demetrius Scepsius libro quintodecimo de Troico apparatu, eos bonam inquit habere uocem, qui ficu non utūtur: ac idcirco HEGESIANACTEM Alexandrinū historiarū scriptorē, à principio, cùm esset pauper, tragicū fuisse asserit, & aptum ad fingendum, atq; sonorum, quia intra decem & octo annorum spacium ficus non gustasset. Athen. lib. 3. c. 3.

Oleo.

Solebat esse magnus olei usus in AQVILONARIBVS regnis, & lucrosus quæstus mercatoribus: donec quidam nouitatis cupidi dixerunt populo, quòd Hispani lauarent suos leprosos in oleo, ideoq; nequaquam eo uescendum. Illisq; creditum est, nec quisquam amplius oleum ab illis emere uoluit. Vtuntur eius loco in obsoniis uituli marini pinguedine. Olaus lib. 20. cap. 7. Septent. regionum.

Animalibus.

ATLANTES Africæ populi, nullo animante uescuntur. Herodotus libro quarto.

Ὀρφικὸν βίον. id est, Orphicam uitam Plato lib. de Legibus sexto dixit, à luxu sanguinolentisq; dapibus puram. Huiusmodi siquidem uitæ rationem ORPHEVS instituisse uidetur, ut non solùm sanguine pecudum non inquinarēt aras deorum, uerùm ne uesci quidem ullius animantis carnibus sustinerent, sed libis ac frugibus melle conspersis sacra facerent, nec aliis ipsi uescerentur. Videtur Orpheus hoc conatus apud Thraces, quod PYTHAGORAS tentauit apud Ionios, NVMA apud Romanos. Erasmus in Adagiis.

Philochorus legē apud ATHENIENSES sancitam fuisse dicit, ne quis agnū comederet: quia animalis huiusmodi species aliquando apud eos penè defecerat. Athen. lib. 1. cap. 4.

Alicubi in mensam uitulos admisisse, summum cēsetur scelus. Nam & Imp. Valens legem ORIENTI dixerat, Ne quis uitulinam esitasse carnem uellet. dum agricolationi cōsultum cuperet. Cælius lib. 28. cap. 2. A. L.

FINIS. ABSTINERE

VOLVNTATE. CAVSA

Religionis.

Vide Tit. Abstinentiæ religiosæ, item Superstitionis in cibo.

Valetudinis.

De hac sub Valetudinis cura.

Athenæus libro octauo tradit TERPSIONEM primum præcepisse, de gastrologia: æditis regulis, per quas liqueret à quibus esset abstinendum, quibus contrà uescendum: inter quas erat & hæc de testudine, ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Addit, testudinis carnem, si modicè edatur, uentris tormina facere: rursum si copiose, lenire.

Officij.

CARDINALIBVS Pontificem in Conclaui eligentibus primis tribus diebus nulla erat cibariorum apud ueteres limitatio. Quarta die ad unam speciem redigebantur. Nona uerò, sublatis aliis, solùm panis & aqua electoribus tradebatur. Clemens autem VI. uti clementia cupiens, rigorem legis sic moderatus est, ut quantum satis esset cibi cuique apponeretur, sed unius tantùm generis (uidelicet aut carnes tantùm, aut pisces, aut oua cum caseo) eiusdem quoque speciei: nam qui perdicem habebat, auiculis abstinere cogebatur. Aeneas Syl. lib. 2. Basil. concilij.

NECESSITATE. VEL

Interna.

Nempe propter Auersationem cibi. De qua sub Appetitione auersante cibos suo loco egimus.

PETRVS Aponensis, Conciliator uulgò dictus, à lacte ita abhorrebat, ut ne illud quidem comedentes sine nausea ferre posset, teste Io. Matthæo Gradense.

Bartholomei Marantæ PATER, alienissimus fuit ab esu leporis, & cuiuscunque generis uolatilium. Testis Maranta lib. 3. Methodi cognos. simpl. cap. 13.

ISABELLA Ferdinādi Catholici, regina Hispanię, uinum nō modò non bibit unquam, sed ne gustauit quidem: & propter aquam laxantem stomachum plerumq; ciborum plus capiebat. Marineus lib. 21. rer. Hispan.

CONRADVS Huoer rusticus Tornacensis in Turgouia, athletes insignis, à primis incunabulis ad annū ætatis LX quo obiit, pulmentis tantùm ex farina cum lacte uel aqua confectis usus est: si mica panis uel aliud quid pulmento clam immisceretur, per uomitū reiiciebat. Abhorrebat etiam à crudo lacte. Ciborum quidem odorem ferre poterat dum ne deglutiret. Vinum autem ex uuis & pyris instar aliorum bibebat. Basilij Lucij hypomnema.

Externa.

Propter uim aliquam, alimenti copiam subtrahentem. Cuius exempla sub Famis Titulo non pauca erunt.

HABITATIONES VARIÆ DIVERSORVM.

Hic solius defensionis contra cœli iniurias ratio habetur. Qui sumtum luxumq́ considerare uolet, Tit. Frugalitatis, Magnificentiæ, Luxus in ædificiis, consulat.

QVO LOCO.

Infra terram. In Cauernis, Speluncis.

INDORVM magna pars in subterraneis ædificiis uitā degit.

DARDANII, Illyriorum natio prorsus agrestis, sub fimo speluncas defossas incolunt: studio tamen capti musicæ, tibias & fides, & id genus instrumenta usurpant. Strabo lib. 7.

AETHIOPES in subterraneis domibus cū filiis degunt. Alexan. libro quinto, capite 25.

TROGLODYTÆ specus habent pro domibus. Alexāder ab Alexandro lib. 5. c. 25.

BALEARES in saxis concauis & cuniculis, ad corporis magnitudinem dimensis, habitant. MARDORVM gens specus infodiunt montibus, in quos se, coniuges & liberos recipiunt. LIGVRES montani speluncas & uastissimas specus incolebant. Idem.

In aquis.

PÆONAS, Prasiadem paludem incolentes, non cepit Megabyzus Darij præfectus: tentauit tamen expugnare eos. Incolunt autem hunc in modum. In media palude compactæ erant sublicæ, tenuem à continente ingressum uno ponte habentes. Has sublicas tabulata sustinentes, olim communiter omnes ciues statuebant. Mox è lege hunc in modum statuendum cēsuerunt, ut pro singulis uxoribus, quas quisque duceret (ducunt autem singuli multas uxores) ternas defigeret sublicas è monte sumtas, cui nomen est Orbelus. Hoc habitantes modo, obtinent singuli super ea tabulata tugurium, in quo degunt, & fores inter tabulata compactas, deorsum ad paludem ferentes. Paruulos liberos per pedem reste alligant, metuētes ne illi in aquam deuoluantur. Herodotus libro 5.

Ruri, In agro. In urbe.

Aesculapij delubrum extra muros erat ROMÆ, quia commorationes rusticas urbanis salubriores ducebant. Sic etiā Gręcis in locis celsis ferè & apertis locata sunt Aesculapij fana. Plut. in quæst. Rom.

In Arboribus, Syluis.

Apud AETHIOPES Ichthyophagos arbores quædam iuxta litus plurimæ nascuntur, imminentes mari: has frequentib. foliis, fructu uerò simili nuci castaneæ, simul connectentes, umbracula sibi constituunt: ubi in litore pariter & mari cōmorantes, uitam agunt tum solem effugientes arborū umbra, tum continua maris unda, uentorumq; aura æstum mitigante. Diod. lib. 3. cap. 3.

HEPTACOMETÆ Barbari sunt in Pōti regione, quorū nōnulli super arbores degunt, alij in turribus.

SCYTHÆ calui sub arboribus cubant, per hyemem quidem, ubi arborem pileo albo firmoq; contexerint: per æstatē uerò sine hoc pileo. Herod. lib. 4.

HYPERBOREIS nemora uel luci, aut sparsa tuguria domus sunt. Nam præaltas syluas & rupes inuias incolunt.

In Curribus.

SCYTHÆ Nomades, quia fusi per agros sunt, carris, quocunque sors tulit, pro tecto & lare utuntur. Proinde ex re HAMAXOBIORVM nomen traxere. Hip. de Aere.

LAPONES domos non habēt, sed tabernacula quasi castrēsia: mansionesq; sæpe transferunt, hamaxobij sunt. Iac. Zieglerus in Scandia.

E QVA MATERIA. EX

Arundinibus, Foliis.

AEGYPTII prisci domos ex arundinibus conficiebant: cuius rei uestigia penes Aegypti pastores permansere: nulla alia nisi ex calamis facta habitacula probantibus. Diodorus libro 1. capite 4.

In MEROE ex palma ædes, & ex aliarum arborū ramis & foliis conficiunt.

AFRORVM pastoralium domicilia sunt uirgultis compacta, suspensis circa lentiscos, & ea quoquò uersus uersatilia. Herodotus libro 4.

BRITANNI & SVEVI primitùs in tuguriis unà cum armentis habitarunt. Alex. lib. 5. c. 25.

Lateribus.

ATHENIENSES, cùm antea specus & saltus incolerent, primi lateritias ædes calce & cæmentis construxēre. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 25.

PARAMEDESIDÆ, agreste hominum genus, Bactrianis ad Occidentem coniuncti sunt. Tuguria latere struunt in montibus, foramine supernè relicto, unde lumen accipiunt. Altis præmuniuntur niuibus.

Cratibus, Paleis.

GALLIS domicilia pluteis & cratibus intexere mos erat. MASSILIENSES ex paleis sibi domos conficiebant. Alexander ab Alexandro.

Sale.

In promontorio Africæ, quod porrigitur usq; ad Herculeas columnas, est effossio salis, decē dierum itinere: cuius INCOLÆ domicilia sua faciunt ex micis salis. Isti enim iam tractus Africæ uacant imbribus. nam si plueret illic, nō possent manere parietes salis. Herod. lib. 4.

Piscium costis.

Quj sunt uersus Arctū AETHIOPES Ichthyophagi ex costis cetorū incuruis, quas mare plurimas effert, ex utroq; positis latere, colligatisq;, quas maris alga operiunt, habitacula sibi extruunt, ad euitādos ęstus, natura sibi artem ex necessitate ad se tuendam reperiente. Diod. lib. 3. c. 3.

Testudinibus.

CHELONOPHAGI Africæ populi partim ex alga, partim ex testudinum testis domos aduersus tempestates tegunt: Alex. lib. 5. cap. 25.

Testis ouorum.

SPITHAMIÆI Pygmæi ex ouorum putaminibus & pennis ædificia comparant.

QVO ORDINE.

Sparsim.

HAMMONII populi Africæ, dispersis tuguriis habitant. Medium nemus pro arce habent, triplici muro circundatum.

GERMANI prisci non cohærentibus ædificiis habitabāt, sed suam quisq; domum spacio circumdabat, propter metū incendiorum. Alexander.

Vicatim.

BVRGVNDIONES dicti sunt, quòd olim uicos habitarent, qui eorum lingua Burgi uocantur. Græcis πύργοι, à cōmunione ignis, τοῦ πυρός.

QVA FORMA.

Magnifica, Sumtuosa.

MEDI diuersoria habent magnis recessibus circumdata, & nemoribus manu consitis.

ARABES & SABÆI, limina, postes, cellas, fulcimenta, parietes, & domorum tecta habent augustissima, ex ebore, auro & argento, atq; sumtuoso lapide & smaragdo, luxu ingenti, laquearia uerò citro & ebore extructa, qualē Alcinoi domum Homerus tradit, auro, argento, electro atq; ebore fulgentem. Alex. lib. 5. c. 24.

In tātum magnitudinis ROMANÆ urbis ædificia processere olim, ut tota ædificiis exurgeret, in quatuor aut quinq; cōtignationes, & multa tabulata tecta excitarent, maximasq; domos maximis domibus imponerent, ut orator Aristides professus fuit. Itaq; Augusto Cæsari, ne urbs ruinis laboraret magna mole ædificiorum, ne quis supra septuaginta pedes sublimius ædificaret, inhibere necesse fuit, licet ipse modicas ædes incoleret, & toro modice instrato cubaret. Quod & Nero Cæsar post incensam urbem, dimensis uicorum ordinibus & uiarum spaciis, statuit, ne ultra præscriptū ædificia tollerētur. Quare Aemylius Porcina à L. Cassio accusatus, & pœna multatus fuit, quòd uillam nimis sublimē ædificasset. Produnt TYRIOS adeò editas maximis contignationibus domos aliquando struxisse, ut parū abfuerit, quin tota terræmotu corruerit. Idem.

Vilia, Sordida, Tenuia.

Fuit institutum Lycurgi apud SPARTANOS, ut domorum culmina securi, ianuas uerò serra discindant, ne qs insignius altero ędificaret. Quare Agesilai domus ab inopi & priuata haud dissimilis fuit, sicut Pompeij domus usq; ad tertiū triumphum. Alex. lib. 5. cap. 24.

A principio urbis ROM. tam simplex uitæ cultus, ut rudi cemento constructas domos, & scandulis robusteis aut stramenteis contectam urbem annos quadringentos usque ad Pyrrhi bellum legamus. Idem.

De APRO, Martialis Epigrammatum lib. 11. sic scribit:

Aedes emit Aper, sed quas nec noctua uellet
Esse suas, adeò nigra uetusq; casa est:
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos:
Cœnabit bellè, non habitabit Aper.

Apud CALECVTIOS Indos ædes regię solùm ex lapide structæ sunt: reliquis per leges minimè licet ædificare magnificè, quamuis ditissimi sint. Osorius lib. 2. rerum Em.

VESTIMENTORVM KTHCIC.

ACQVISITIO.

Seres, gens ubi sericum nascitur, quam Gręci olim uestem Medicam appellabant. Sub Iustiniano legatos miserūt CHRISTIANI ad Aethiopes, ut sericum ex India mercati, Romanis uenderent, ipsique magna pecunia potirentur: & id tantum lucri Romanis conferrent, ne pecuniam suam posthac ad hostes transferre cogerentur. Suidas.

Vestium quarundam usus apud ROM. quando ceperit, pete ex Plinio libro 8. capite 48.

CONSERVATIO. Huc Vestium

Integritas.

ISRAELITÆ quamuis per 40. annos in uasta solitudine errarent, ductu Mosis, tamen neq; uestimenta illis obsoleuerunt, neq; calcei sunt detriti. Deuteron. 7.

Miraculosum est, quod de CHRISTI opt. max. inconsutili tunica tradunt, illam à Virgine matre contextam, puellum uestiuisse, adolescentem texisse, adulto contra cœli aerisq; iniurias munimentum præbuisse, quo ad militum impiorum sorti subiecta, regij prophetæ oraculum confirmauit & comprobauit.

Attritio.

ELEVSINIIS sacris obseruatum, ut quam quis, dum initiaretur, uestem fortè gestasset, eam ne unquam exueret, donec uicta tempore omnino fieret ingestabilis. Hinc datus adagio locus, Vestimenta initiatorum, de iis, quæ attrita prorsus sunt, nullaq; temporum uicissitudine uariantur. Cælius lib.16.cap.9. ex Clemente & Arnobio.

VESTITVS VSVS IN TOTO.

De Vestibus ex professo Lazarus Baysius, sed & Cælius lib.16.cap.10. & 11. Antiq. Lect. scripsere. Consule Titulos Vestitus luxuriosi, prodigi, magnifici, popularis. illic Virtutis & Vitij per uestitum sese prodentis, hîc solius Vestitus, quatenus tegit corpus, ratio habetur. Quatenus uerò ornat, sic inter Fortuita bona, Vestitus honoris ergò concessus Regibus, Sacerdotibus, Militibus, connumerandus erit.

MATERIA. Vtputa

Cortices.

MASSAGETÆ ex arborum corticibus amictus intexebant. Herodotus.

Folia, Iuncus.

GYMNESIARVM incolæ iunceo ornantur amictu. Alex. ab Alex. lib.5. cap.18.

Coria.

GELONI Scythæ olim hostium cæsorũ coriis uestiebantur.

MAVRI olim & TROGLODYTAE ex serpentum aut piscium corio uestimenta sibi consuebant. Alexander ab Alexandro lib.5. cap.18.

Pelles.

GRÆCORVM antiquissimos, pelles leonum pardorũmque, ouium & caprarum, item luporum à principio induisse, Homerus auctor est.

Quædam nationes caprarum pellibus sunt uestitæ, ut in GETVLIA & in SARDINIA. Cuius usum apud antiquos quoque GRÆCOS fuisse apparet, quòd in tragœdiis senes ab hac pelle uocantur διφθερίαι: & in comœdiis, qui in rustico opere morantur: ut apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adolescens, apud Terentium in Heautontimorumeno senex. Varro lib.2. c.11. de Re rustica.

HYPERBOREI septentrionales populi, excoriatas belluarũ pelles habent pro uestimentis. Verg. lib.3. Georg.

> Talis Hyperboreo septem subiecta Trioni,
> Gens effrena uirûm Riphæo tunditur Euro,
> Et pecudum fuluis uelantur corpora setis.

SCYTHIÆ magna pars tergore uulpium & murium operta incedit. Alex. lib. 5. cap. 18.

SCRICFINNI, qui extrema Scandiæ deserta incolunt, ut ait Iordanes, preciosiùs induuntur, quàm magni principes: zabellinis & hermelinis pellibus, cuiuscunque fuerint sexus, ætatis, aut ordinis. Hermelinas omnium uilissimas putant, eo quòd fœdissimus sit eorum animalium coitus, lepraque ex earundem pellium contactu generetur. Nullum habent è terra edulium, quandoquidem nec eam colunt, sed cum uxoribus uiri uenationibus student. Ioannes Magnus libro octauo, capite 35.

LAPONES ueste utuntur stricta, & toti aptata corpori, nequid impedimenti faciat operi. Hyeme utuntur pellib. integris phocarum (siue ursorum) artificiosè laboratis: eas nodo adstringunt supra caput, solique oculi patent, corpore reliquo toti contecti sunt, quasique in culeum insuti: nisi quòd hæc expressa per membra omnia, ad commoditatem, non ad pœnam, laborata est. Hinc puto temere creditum esse, quòd sint corpore hirsuto, instar brutorum. Hisce uestibus muniti Lapones, perferunt foris hyemes, & omnem iniuriam cœli. Zieglerus in Scandia.

Linum.

Vestib. amiciuntur lineis AEGYPTII, circa crura fimbriatis, quas Calasires appellant: super quas candida ferunt lanea amicula, tanquã superiecta. Laneæ uestes neq; in ædes sacras gestantur, neq; unà cum cadauere sepeliuntur: profanũ enim id est. Calceos papyraceos gestant. Herod. lib.2.

FORMA. RATIONE

Longitudinis.

Armeniacam uestem, THESSALICAM dicunt, id est, longas tunicas, quas in tragœdiis Aetolicas uocant, cingunt quoque circa pectus. In prætextis etiam tragici Thessalos sunt imitati. Opus enim illis fuit, aliquo tali accommodato habitu. Thessali enim, quia longas uestes gestant, cùm inter omnes Græcos ualde boreales sint, & quia frigidissima loca incolunt, aptissimam imitationem tragicorum personis præbuerunt. Equitandi studium non minus Medi & Armenij quàm Thessali colunt, ita ut Iasonem Thessalum cum uxore Medea illis imperasse, præter reliqua argumenta, etiam hinc colligi queat. Strabo lib. 11. Θεσσαλικαὶ ϖλίγυγες, id est, Alæ Thessalicæ, uestes manicatæ, quas Græci χειροδωτὺς uocãt: quo genere per luxum ac delicias utebantur Thessali. Apud Maronem hoc amictus genus, tanquam parum uirile, Troianis ab hostibus opprobatur:

> Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et apud Plautum quidam cultu Punico, uelut auis exotica, ridetur propter manicas aut angulos alarum instar utrinq; propendentes atq; extantes. Erasmus.

CVRETAS Aetoliã habitantes nomen hoc adeptos esse ferũt, quia sicuti κόραι, hoc est puellæ, muliebres longas stolas induunt. Eiusmodi namque imitationem Græcis esse & Iones ἑλκεχίτωνας, id est uestes trahentes dici. Strabo libro decimõ.

Tyrãni Pisistratidæ coegerũt ATHENIENSES pellibus uestiri, usq; ad genua demissis, quò minus præ pudore in urbem descenderent. Suidas in uoce, κατωνάκη.

ROMANI olim sine tunicis, toga sola amicti fuerunt. Postea substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant, ἐξωμίδας Græcis dictas. Crura enim atq; brachia nuda conspici, uirile ducebant. Feminis solis uestem longè latéq; diffusam, ad ulnas pedesque tegendos, conuenire opinati. P. Africanus Pauli F. P. Sulpitio Gallo homini delicato inter cætera hoc quoque obiecit, quòd tunicis uteretur manus totas operientibus. Huc allusit quoque Vergilius 4. Aeneidos. Gellius libro 7. cap.12. Noct. Att.

LONGOBARDIS in more erat uestimenta ferre laxa, fluitãtiaq; ac linea, Saxonum & Britannorum more, quæ limbo quoq; colore uario exornare solebant: item uti calceis ad pollicem usq; fatiscentibus, eosque ligularum multitudine obligare. Bonfinius lib. 8. Dec.1.

MARDORVM genti proprium fuit, crassiorem uestem, & nõ ultra genua induere, proq; capitis ornatu fundam fronti annectere. Alexander.

Coloris.

MELANCHLÆNI Scythiæ populi omnes indumenta nigra gerunt, unde & cognomen habent: humana carne uescuntur, institutis Scythicis utentes. Herod. lib.4.

Quum Aethiopum Macrobiorũ rex, conspexisset à rege PERSARVM Cambyse missam uestem purpuream, rogauit tincturæ rationem. Eam quum ab Ichthyophagis didicisset, δολεροὺς μὲν ἀνθρώπους ἔφη εἶναι, δολερὰ δὲ αὐτῶν τὰ εἵματα: id est, Non solùm, ait, homines esse subdolos, sed & uestes illorum esse dolosas. Erasmus in Adagio, Tinctura Cyzicena, ex Herod. lib.4.

Apud ROM. Purpura patritium distinguebat ordinem ab equestri: Aurum equestrem à plebeio. Sab. lib. 1. En.7. Purpura plebeia fusca & obsoleta erat, non murice aut cocco, sed herbarum succis infecta. Alex. lib.5. c.18. De huius usu, quando & quomodo introductus fuerit atq; propagatus multa habet. Plinius lib.9. c.39.

Stolas mulieres ROM. in luctu candidas uittasque candidas ferebant. Quomodo defuncti corpus candidis amiciunt, sic uolunt propinquos. Corpus eo modo exornant, quando non possunt animum. Eum uolunt lucidum purumq; prosequi, tanquam auctoratum iam decertato ingenti certamine & uario. Plut. in quæst. Rom.

Figuræ.

Ἀμφιμάσχαλος uestis ingenuorum, manicata & manuleata, binis dependentibus manicis. ἑτερομάσχαλος erat seruilis, unicam habens manicam. Cælius libro 4. cap.3. Antiq. Lect. ex Pollucis libro 2. & 7.

PONTICI populi aduersus frigoris iniuriam braccis utebantur. Ouidius:

> Pellibus & laxis arcent male frigora braccis.

Apud GALLOS, SCYTHAS, aliosq; Barbaros, braccæ longis femoralibus, auro pictæ, intonsæ, & uarij coloris, quas Anaxyrides Græci uocant, in usu fuerunt.

Splendoris.

Consule Tit. Luxus in Vestitu.

Omneis splendidè cultos, εὐπαρύφους appellant Græci. Nam Pàryphis uestimenti genus est, cuius meminit Iulius Pollux libro 7. utrinq; purpuram habens assutam: quòd uirgæ purpureæ intertextæ uesti, Ionum lingua Paryphi uocantur. Idem admonet, εὐπάρυφον nouæ comœdiæ uerbum esse. Cõtrà tenues & humiles, nullo cultu insignes, tunicati dicũtur. Erasmus in Adagiis.

MAXIMINVS Iunior uestibus tam accuratus fuit, ut nulla mulier nitidior esset in mundo. Capitolinus in Maximino Iuniore.

ROMANI olim ad coniugij & sobolis inuitamenta, inter muliebria iura, abundanti auro, mũdoq; muliebri, aureisq; segmentis & purpura, omnibusq; delinimentis uti permisere. Quare in maximis bellis sæpe matronas, auro collato, inops ærarium subleuasse, & magna reipublicæ adiumẽta dedisse, perspectum est. Legimus secundo Punico bello, quum respublica infestis hostibus afflictaretur, scirentq; matronæ ærarium populi Romani bello exhauriri, ipsas cœtibus factis, sponte aurum & ornamenta sua in ærarium contulisse: cuius rei causa, ut festis profestisque diebus, dum ad sacra & ludos irent, carpento ueherentur, à senatu datum est. Camilli quoque tempore, quum à Gallis populum Romanum redimere oporteret, in angustia ærarij, quicquid auri & ornamentorum erat, matronas publicè contulisse, eoque se populum redemisse accepimus: propterea, ut earũ, sicut uirorum, in funere solennis laudatio esset, senatuscõsulto cautum fuit: primáq; Popilia à Crasso filio laudata fertur in funere. Alex. lib.4. cap.8.

PERSONAE. VESTITVS

Puerorum.

IOSEPHO filio natu minimo pater Iacobus tunicam uersicolorem fecerat: eum enim præ cæteris amabat, quia senex eum genuerat. Genes.37.

Toga prætexta (cuius oræ purpura intertexta) pueri ROMÆ ad annum ætatis XVI. utebantur: quo anno puram, quæ & uirilis dicebatur, sumebant. Hotoman. de Verbis iuris.

Virginum.

VIRGINIBVS olim eiusmodi erat uestium usus, quas à re ipsa φαινομηρίδας appellabant. Quales etiam nũc spectamus in picturis Nympharum, quibus brachia detecta, femora quoque apparent. Eius uestis originem inde ductam puto, quòd per initia caprinas pelles ad lumbos utrinque cinxerint, ab humeris nodatas corio crurum anteriorum. Scaliger libro 1. Poetices cap. 4. Apud Laconas certè uirgines eiusce modi utebantur ueste, quibus neque in palæstra denudari rubor erat.

Mulierum.

AFRÆ mulieres super uestẽ amiciuntur nudis pellib. caprinis fimbriatis, ac rubrica delibutis: à quib. ægeis, id est, caprinis pellibus, Aegidas denominauêre Græci. Herod. lib.4.

GRÆCÆ mulieres olim Doride ueste cum fibulis utebantur. Athenienses ab Argiis uicti, Doridem in Iadem & lineam mutari præceperunt. Causam pete ex Titulo, Crudelitatis ob mortem illatam. ARGIÆ tamen & AEGINETÆ Doridem adhuc seruarunt, tanta cõtentione, ut fibulas sesculo maiores quàm priores facerent, quas deorum templis consecrare solebant, cùm nihil præterea aliud Atticum offerrent. Vsque ad ætatem Herodoti fibulas maiores, quàm antea, gestabant Argiæ & Aeginetæ, ut quantum decesserat Atheniensibus, tantum sibi accessisse hoc signo gloriarentur. Herodotus lib.5.

Prophetarum.

PROPHETÆ apud Israelitas & Iudæos uillosa ueste utebantur, cingulo pelliceo latera cincti. Sic Elias ꝓpheta uestitus, lib.3. Regum, & 4. Reg.1. & Zachariæ 13. hoc uelut insigne ꝓpheticum proponitur. In nouo Testamento Ioan. Baptista pelle cameli indutus fuisse legitur.

Sacerdotum.

Consule Tit. Insignia sacerdotum. quatenus etiam Vestitus illic mentio inijcitur.

AEGYPTII sacerdotes ex Pythagoræ præcepto, linteo tantũ uestimento, ex gossypio, siue è linis xylinis (teste Plin. lib.19. cap.1.) ut purissimo mundissimoq; in rebus diuinis utebantur: laneum uerò ut profanum uituperabãt, quia ab animato decerpitur, conficiturq; ex mortali materia. Contrà linea ideo pura uidebantur, & sacrificantibus accõmodata, quoniam linum ex terra oritur: quæcunq; autem ex terra nascũtur, munda & pura existimarunt. Hæc & id genus alia Herodotus libro 2. tradit, & apud Philostratum memorat Tyanæus Apollonius.

Iosephus lib.6. Iudaici belli, scribit sacerdotes IVDÆORVM ad altare templumq; accedere solitos omni uitio carentes, ueste byssina, id est, linea amictos. Et Hieronymus in lib. de Veste sacerdotali ad Fabiolam, dicit tunicam poderin, hoc est, talarem, superhumerale, quod & orarium dicitur, feminalia, cingulum, & tiaram, linea esse indumenta. Polyd. lib. 4. cap.7. de Rerum inuent.

PHÆCASII Alexandrinorum atq; Atheniensium sacerdotes fuêre, quibus candida solùm ferre calciamenta licebat: antistes sacrorum purpuram induit. Alexander ab Alexandro libro 2. capite 8.

Apud NARVALES iuxta Sueuos præsidebat põtifex, qui muliebri habitu semper ingrediebatur. Ibidem.

Episcoporum.

SISINNIVS Nouatianorum episcopus, cùm Arsacium episcopum honoris causa uiseret, à quodam ex illius comitatu rogatus, Cur uestem episcopo non cõuenientẽ ferret? & ubi scriptum esset, ut sacerdos candido amictu uteretur? Tu uerò prius, inquit, dic, ubi scriptũ sit, ut nigris uestiatur episcopus. Illoq; hæsitante, subiecit: Tu quidem istud demonstrare non poteris: me autem Salomon docuit, uestimenta candida esse oportere: &, Seruatorem, ex Euangeliis apparet, candida ueste esse usum, atq; etiã Mosen & Heliam discipulis in candidis uestibus ostendisse. Suidas.

Philosophorum, Studiosorum literaturæ.

CYNICI philosophi Herculis imitatione baculum ferebant, uti ille clauam, & humerum dextrum extra pallium nudum ostentabant, sinu sub sinistram axillam reiecto. Meminit Arriani Epictetꝰ, & itẽ Laertius in Diogene & Antisthene. Brodeus in lib.2. Epigram. in Philosophos.

MENEDEMVS Lãpsacenus Cynicus, tunicã sumsit pulli coloris, baltheo puniceo strictam: pileum Arcadicũ duodecim elementis intextum: tragici ad hæc cothurni, uirga fraxinea manibus erat, & prolixior barba: habitus (ut dicere liceat) magis superstitiosus, quàm sapientiæ affectatore dignus. Sab. lib.2. c.8. ex Laertij lib.2. c.18.

PYTHAGORAS Samius, alba ueste amiciebatur, & gestabat coronam auream atq; anaxyrides. Aelianus lib. 12. de Varia historia, & Suidas.

EMPEDOCLES Agrigentinus præter purpuram, etiam calceamentis æreis incedebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. ex Aeliani lib. 12.

ARISTIPPVS Socraticus, Milesiam chlamydem, aliquando amictum uiliorem induebat, cætera nudus. Alexander libro 5. capite 18.

HIPPIAM & GORGIAM purpureis uestibus amictos, in publico uersatos esse, fama est. Aelian. lib.12. de Varia hist.

DION Prusiæus sophista, pelle leonis uestitus in publicũ processisse dicitur. Volat. lib.15. Anthrop.

APOLLONIVS Tyanæus linteis uestimentis corpus suũ munire consueuerat, interdum etiam purpura. Philostratus.

AGATHO Atheniensis lupina pelle indutus fuit. Philostratus in uita Herodis.

Ferdinandus & Isabella Hispaniæ reges IVVENIBVS, qui literarum studiis operam dabant, usum longarum & sericarũ uestium, promissorumq; capillorum, ademerunt. Marineus lib.19. rerum Hispan.

Medicorum.

HIPPOCRATES Cous medicus in multis imaginibus uelato capite pingitur, ut quidam aiunt, pileo, quod nobilitatis signum est (nam hoc modo etiam Vlysses pileatus cernitur) alij autem pallio uelatum dicunt. Atque ex his aliqui decoris gratia id fieri asserunt, quãdoquidem caluus erat: aliqui uerò ob capitis imbecillitatem id fieri perhibent: aliqui autem significanter id ab eo factum uolunt, nimirum quòd principem rationalis animæ sedem probè munitam & contectam esse oporteat. Alij signum peregrinationes amantis esse ferunt: alij uerò rursus obscuritatem scriptorum ipsius per hoc significari contendunt. Alij postremùm in testificationem id fieri uolũt, quòd etiam sanitatis tempore ea, quæ lædere possunt, cauere debeamus. Quanquam quidam affirment, quòd in administratione rerum gerendarum, nequid à circumfluo pallio manus ipsius impedirentur, idipsum complicatum in caput reiicere consueuerit. Soranus Cous in eius uita.

Rusticorum.

Pollux tradit ornatum fuisse agricolarũ GRÆCORVM manticam, pedum, & pelliceam uestem: & non rusticorum hominum solùm, sed etiam pauperum omnium ac miserorum, ut Philoctetæ, & Telephi, quę tragicæ personæ erant, postquam spoliati regno & fortunis suis amplioribus forent. Eas pelles διφθέρας appellabant: & iis cinctus διφθερίας. Victorius lib.26. Var. lect. c.23.

CVR CAVSA

Eruditionis.

EVCLIDES Megaricus, quum Socraticæ disciplinæ cupidissimus esset, neque tamen auderet Athenas ire (ubi docebat Socrates) quòd capitale foret, si quis Atheniensium Megaris, aut Megarensium Athenis, propter mutuum utriusq; urbis odium, deprehenderetur: muliebri ueste indutus ad audiendũ philosophum sub ipsam noctem ititabat, ac demùm ipso auroræ diluculò reuertebatur. Gellius c.10.lib.16.

Dicæarchus apud Cælium testis est, LASTHENIAM Mantineam, & AXIOTHEAM Phliasiam, Platone usas præceptore, ornatu uirili auditorium nonnunquam intrasse.

Explorandi.

Ex Tit. Explorare, Inuestigare, Inquirere uisitatione occulta, huc pertinent exempla regum aliquot, dissimulato habitu res regni sui explorantium.

HIPPARINVS tyrannus ueste & lingua simulata, ab Achæo amasio, cuius pudicitiæ periculum simulata persona uolebat facere, interfectus est. Parthenius in Erot. cap.24.

Amoris.

HERCVLES monstrorum domitor, amorem uincere non potuit, sed puellari habitu Omphale reginæ seruiuit, eiusdéq; iussu fusos & lanas attrectauit. Deianira apud Ouidium:

Crassaq; robusto deducis pollice fila,
Aequaque formosæ pensa rependis heræ.

Item apud Propertium sic loquitur:

Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colo:
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

P. CLODIVS, inimicus Ciceronis, ut omnibus uitiis inuolutus, ita quoq; mœchus nouissimus fuit. Ille ut suo furori atque libidini satisfaceret, indutus uestimentis muliebribus, sacris Bonæ deæ interfuit: & Pompeiam, Q. Pompeij filiam, Syllæ neptem, ac Cæsaris uxorem, corrupit. Testis est oratio Ciceronis pro Milone, & Asconius Pedianus.

Pudoris.

THEODORA uirgo Antiochena, & martyr, in patria sub Diocletiano ad lupanar ducta, cum milite quodã pio, qui priùs ad stuprum putabatur ingressus, amictum mutauit: ille pro uirgine remansit, illa pro milite discessit. Quumq; alter item ad stuprum ingressus uirum pro uirgine inuenisset, credita magicis hoc carminibus facere, capite miles damnatur. At tum illa accurrens, sese ostendit, ut illum seruaret. Vterq; igitur cæsus. Ambrosius lib.2. de Virginibus.

Luxus.

Assyriorum rex SARDANAPALVS eò illecebrarum se demisit, ut abiecta imperij maiestate, positis masculi sexus indumentis, mentitus sit fœminam, interq; puellas & eunuchos euiratior spadone delituerit. Quæ fuit causa, ut ab Arbace præfecto lasciuiam tam corruptã peroso, ad incendium domus (in quam uictus se receperat) & uoluntariam mortem sit coactus. Diod. Sic.

CLISTHENES malè audiit, & poetarum laceratus est satyris, quòd parum uir haberetur, seq; cultu indecoro in femi[redacted]figuraret. Vnde adagia nata, Clisthenem uideo, [redacted]

ALEXAND[redacted] sumsit. Incertum, ut [redacted] multum existimans ualiturum ad mansuefaciendos homines, si cõsuetudinem & patrios mores eorum usurparet: an tẽtare hac re Macedonas, atq; ad adorandum se traducere, morumq; patriorum ferre conuersionem & transitum in alios, uoluit assuefacere. Habitum Medicũ tamen quòd prorsus barbaricus esset & alienus repudiauit. Sed medium inter Persicum & Medicum scitè temperauit. Plut. in Alexand.

Spectaculorum.

BERENICE (quam Græci Pherenicem appellant) filia, mater & soror Olympionicarum, ut ait Plinius, habitu uirili ludis interfuit. Pausanias in Eliacis. Aelianus de Varia historia. & Valerius.

Luctus.

Sic inter Notas affectuum, Vestitus mutatus, suo loco relatus est.

ANTIOCHVS Hierax, Syriæ rex, cùm de regno cum fratre Seleuco contenderet, atq; eũ à Gallogræcis prælio uictum cæsumque fuisse accepisset, plus fraterno amore, quàm bello quod cum fratre gerebat motus, abiecta purpura, atram inter lacrymas sumsit uestem. Nec multo pòst, cùm resciuisset falsum se de eius morte nũcium accepisse, pro eius salute in uniuerso regno sacra fieri, & diis immortalibus gratias agi, festosque ludos fieri iussit. Plutarch. in regum Apophthegm.

Ioci.

M. ANTONIVS Triumuir ueste famuli (cùm fama esset, Cæsarem in Hispania esse mortuum) noctu ad Fuluiã uxorem uenit, dixitq; se à M. Antonio tabellarium missum esse. Illa rogat, an ualeret Antonius? Ipse nihil. Cumq; epistolam legeret (erat enim scripta amatoriè) protinus in collum eius præ amoris impotentia inuasit. Cicero in Philippicis.

Religionis.

EVPHROSYNA apud Alexandriam uirgo nobilis, nuptias fugiens, in quoddam cœnobium, ubi pater degebat, aufugit, ignota habitu uirili, in quo sub nomine Smaragdi perseuerauit usque ad extremum, annos uidelicet XXXVI, & in morte patri se manifestauit. Volat. lib.15. Anthrop.

PELAGIA Antiochena meretrix nulli rei attentiùs uacans, quàm corpori comendo: tandem meliore ducta spiritu, ubi aspernari cœpit, quod pridem amabat maximè, uirum se finxit. Et ne rediuiuus aliquis pristinæ uanitatis fomes denuò repullularet, relictis hominum colloquiis, secessit in solitarias nemorum latebras, ubi ad mortem perseuerauit cõstantissimè. Marulus.

EVGENIA filia cuiusdam Philippi, inter Romanos potentissimi, uirum mentita est in cœnobio, quo se inclusit, ut Domino commodiùs seruiret. Marul. lib.1. cap.7.

MARINA uirgo, natione Græca, sexum dissimulauit, ut admitteretur in cœnobium quoddam, in quo soli uiri recipiebantur, ubi ad mortem usque sanctissimè uixit nomine Marini. Vol. lib.17.

In ATTIDE uiri ornatu muliebri, mulieres uerò uirili, Veneri rem diuinam faciebant. Alex. lib.2. cap.8.

Apud COOS sacerdos muliebri ueste amictus, & mitra caput ornatus, Herculi sacrum faciebat. Alex. lib.2. cap.8.

NARVALIS iuxta Suenos præsidebat pontifex, qui muliebri ornatu semper ingrediebatur. Alexander ab Alexandro libro secundo, capite 8.

Salutis suæ.

In expeditione contra Syros suscepta, ACHABVS Israelitarũ, & IOSAPHATVS Iudæorum reges habitum mutarunt. Metuebat enim Achabus Micheæ prophetæ uaticinium, & sciebat Syros sibi infensissimos esse, eaq; propter Iosaphato potiùs quàm sibi periculum imminere uolebat. Cæterùm cùm Iosaphatum tanquam Achabum urgerent Syri (Achabus enim priuati habitum sumpserat) ex clamore errorem suum agnoscentes, eum persequi destiterunt. Achabus sagitta fortuitò ictus occubuit. 3. Regum 22.

Græcis ad Troiam proficiscentibus, quum Thetis præuideret ACHILLEM filiũ ibidem interfectũ iri, cum ex antro Chironis dormientem rapuit, & puellaribus tunicis indutum, præmonitumq;, ne se masculum cuipiam proderet, inter filias Lycomedis regis occuluit. Quarum unam Deidamiam grauidam fecit, Pyrrhumq; ex ea suscepit. Verùm quũ Græci oraculo didicissent, Troiam sine Achille capi non posse: missus est Vlysses, ut Græcorum omnium astutissimus, ad explorandam rei ueritatem: quoniam iam facti suspicio & rumor ferebatur. Vt ergo proderet Achillem, mercatoris habitu fusos, acus, monilia, & cætera id genus, quæ puellam decent, cum arcu & sagittis in gynæceum intulit. Ibi tum Achilles puellaribus instrumentis contemtis, arrepto arcu uires suas & sexũ prodidit. Statius lib.4. & Ouid. lib.1. de Arte:

Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles,
Veste uirum longa dissimulatus erat.

THEOPOMPVS rex Spartanorũ captus, & permutato cum uxore habitu, ex custodia uenit ut mulier. Quintilianus libro 2. Instit.

PARISADES rex Ponti, aliam uestem habere solebat, cùm militum inspectionem faceret: aliam, cùm periculum adueisus hostes subiret: in alia, si quando fugam tempus postularet, fugiebat. Nam ordines instruens, ab omnibus cognosci: periclitans, nemini hostium notus esse: fugiens autem, neq; suos, neq; hostes scire quis esset, uoluit. Polyæn. lib 7.

FRIDERICVS Barbarossa Imp. ex Italia fugit in Burgundiã, equisonis habitu, ne agnosceretur ab hostibus. Hedio in Chronico Germaniæ.

ALEXANDER III. pont. max. Venetias habitu serui fugiẽs, manus Friderici Imp. effugit.

Salutis alienæ.

Tlepolemo ad Troiam occiso, uxor Polyxò mortem mariti in Helena ulcisci uolens, cùm eam cum Menelao ad Rhodum appellere audiuisset, cum Rhodiis uniuersis, uiris & mulieribus ferentibus ignem & lapides, ad naues impetum fecit. At cùm Menelaus ob uentorum asperitatem Helenam in ea uam quercum abscondisset, ornamentis uerò eius & diade[redacted] terfi-

perficiunt, & re quasi bene confecta domum redeunt. Polyænus lib.1.

Mortis propriæ.

Rex Atheniensium CODRVS, cùm ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro igniqueuastaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculũ cõfugit: perq; legatos sciscitatus est, quonam modo illud tã graue bellũ discuti posset? Respondit Deus: Ita illi finem fore, si ipse hostili manu occidisset. Quòd quidem non solùm totis Atheniensium castris, sed etiã cõtrariis percrebuit. eoq; factũ est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus uulneraret. Id postquàm cognouit, depositis insignibus imperij, familiarẽ cultũ induit, ac palantiũ hostiũ globo sese obiecit, unumq; ex his falce percussum, in cædem suam compulit. Cuius interitu, ne Athenæ occiderent, effectum est. Val. lib.5. cap.6.

Insidiandi aliis.

VLYSSES post euersionem Troiæ, cæteris Græcis patriam repetentibus, post longos errores tandem in Ithacam, ab Alcinoo rege Phæacum naue donata, ueniens, mendici habitu domum suam ingressus, à nemine cognitus est. Homerus in Odyssea.

Cephaleniæ regnum gessit filius Pronnesi, homo summæ inclementiæ, qui non ultra duo festa suis concessit, neq; plus decem in mense diebus in urbe conuiuium agitare, omnésque uirgines ante connubium ipse cognouit. Eum ANTENOR, arrepto ense, muliebribusq; uestimentis amictus, in lecto trucidauit. Quẽ ob eam causam populus summis honoribus ornauit, atque ducem elegit: & puella, cuius nomine ipse fuerat ingressus, ad magnam gloriam dignitatemq; peruenit. Heraclides in Politiis.

ATHENODORVS Augusti Cæsaris amicus, cùm admonere ipsum uellet, ut ab insidiatorib. sibi caueret, muliebri ornatu in cubiculum Cæsaris, in lectica pro muliere uectus est. Cùm ad eum Cæsar accessisset, tenens pugionem Athenodorus in manu, de lectica prosiliit, atq; Cæsarem in hæc uerba increpauit: Annón times, Cæsar, ne te aliquis eodem modo ingressus interficiat? Cui Augustus non tantùm non iratus fuit, sed ingenteis gratias etiam egit. Dion in Augusto.

Imperii.

SEMIRAMIS Assyriorum regina, cùm certò intelligeret, graue esse populo feminam pati principantem, mortuo marito uirum mentita est: ut tantisper imperaret, dum filius Ninus adolesceret, regnoq; fieret idoneus. Iustinus lib.1. Diodorus lib.3. Sabell. lib.1. Ennead.1.

VESTITVS INSOLENS REPVDIATVS. VESTITVS patrius non immutatus. QVI habitum patrium retinuere.

Vestem lana simul & lino textam ne indueret, ISRAELITIS præcepit Dominus. Deuteron.22.

Moses Domini iussu ISRAELITIS interdicit, ne uiri ornatũ mulier ferat, néue muliebrem uestem uir induat: nam Iouæ Deo inuisus est, quisquis istud facit. Deuteron.22.

LVDOVICVS Germaniæ rex, externos habitus edicto prohibuit. Auentinus lib.4. Annalium Boiorum.

OTHO I. Imper. patrium habitum nunquam in peregrinum conuertit. Henricus Schmedenstadius in oratione de Othone.

VESTIMENTORVM VSVS NVLLVS.

IN GENERE. QVI NVDI DEGVNT.

BALEARES insulæ duæ contra Hispaniam parum inter se distantes, quas Græci ab eo, quòd æstate ibi incolæ nudis agerent corporibus, Gymnesias appellaruit. Sunt & Baleares dictæ. Dubium à teli missu, quia fundæ usus apud eos esset frequens, & ut quidam tradunt, ipsius etiam gẽtis inuentũ: an à Baleo Herculis comite ibi relicto, quum Hercules ad Geryonem nauigaret. Sabell. lib.1. Enneadis 6.

GYMNITES Aethiopiæ nudi degunt. BRITANNI reliqua nudi, uentrem & ceruicem ferro cingebant. Alexander libro 5. capite 1.

HERCVLEM Alcmenæ filium, Nemeæi leonis amictum exuuiis, cætera nudum egisse, uetus Græcia fabulata est. Italia quoque Græcos imitata, id unum tegumenti genus illi assignat: nec (ut uidere est) in uno Hercule figurãdo id faciũt, sed in cæteris quoq; heroibus. At Nessi tunica, qua ille consumtus est, & Homeri carmen de iis, qui ad Troiam militarunt, receptæ opinionis fidem eleuat. Sabellicus lib. 2. cap. 8. Exemplorum.

BRASILIENSES nullis uestibus uulgò tegũtur. Qui tamen inter eos nobilitate præstant, uestes induunt è psittacorum & aliarum auium uariorum colorum plumis confectas. Et hi pileis ex eisdem plumis contextis caput ornant, & brachiis armillas ex plumis similiter factas inducunt. Vestes autem ab umbilico ad genua tantùm demissas gerunt. Osorius libro secundo rerum Emmanuelis.

IN SPECIE. NVDI

Pedes. Calceis nullis usi.

Apud AEGYPTIOS innuptas puellas calceis uti non licet, ut euagandi licentia cohiberetur: cùm nudo pede extra septa prodire, nefas foret. Alexander libro quinto, capite 18. ex Plutarcho.

Lycurgus pro calceamẽtis pedum nuditatem SPARTANIS instituit. Censebat enim huiusmodi exercitatione longè faciliùs & locum accliuem ascendere quempiam posse, & tutiùs decliuem descẽdere, & saltare, & resilire, & celeriùs discalciatum currere, si pedes exercuerit, quàm calceatum. Xenophon in Laconum Repub. Stobæus serm.42.

PHOCION, ARISTODEMVS, SOCRATES, in mediis frigoribus nudi incessisse dicuntur. Alexander libro 5. capite 18. Genialium dierum.

Discalciati & in templis & in mensa sedent TVRCI. Inhonestum enim uidetur, si sedeat aliquis calceatus. Vtuntur ergo genere soleari(quas planellas dicim9) ipsi sua lingua bathmag uocant: his feminæ præcipuè utuntur. Vbi uerò sedent, tapetibus loca sternunt, uel laneis, uel scirpeis, uel iuncinis. Exigente tamen necessitate ob humiditatem uel immunditiam, tabulata à terra parum eleuata ponunt. Cuspinianus.

VESTITVS LOCORVM PROPTER CORPORA. Huc pertinent TEGVMENTA

PARIETVM. AVLAEA.

PYRRHVM Epirotarum regem aulæis usum ex ea, quam in C. Fabricio Plutarchus recenset, historia notum esse potest. Rex enim explorandæ Fabricij fortitudinis ergò, post aulæa occultatum elephantum in media oratione ex improuiso barritum edere fecit. At Fabricius nihil eo territus, id solùm subridens dixit: Neq; aurum tuum me heri, ô rex, nec hodie elephas tuus perterrefecit.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex Ludouici Lucemburgij equitũ magistri legatum Ludouicum Creuillanum audiẽs, post aulæa Caroli Burgundi ducis legatos abscondi fecit, qui omnia ea, quæ à Creuillano recitarentur, audirent, eaq; duci suo (cum quo rex in caput Lucemburgij fœdus icerat) renunciare possent. Aemilius lib.10.

PAVIMENTORVM.

Apud SEPTENTRIONALES pelles ursorum, præsertim alborum, scabellis sacrorum altarium, ne frigus sacerdotibus noceat, substernuntur. Olaus lib.4. cap.15.

LECTORVM.

De his sub loco Somni, cuti inseruiunt. Ai hîc ut inter Corporis bona Secundaria recensentur.

PHARMACA, MEDICAMENTA, VENENA.

Medicamentorum usus salutaris, ἄκος φέρων, Remedium Latinis: insalubris atque noxius, ἄχος φέρων, Veneni appellationem meretur. Ex loco proinde Sanitatis tuendæ, & Morborum curatorũ, exempla Remediorum huc uaria afferri possunt: uti uicissim ex loco Veneno potionatorum & Veneno sublatorum, contraria: sed & ex Medicorum titulo in utranque partem huic loco quædam accommodari, quatenus inter bona & mala Secundaria corporis recensenda ueniunt.

EXERCITIA OBITA.

ANIMI.

De his sub loco Affectuum perso, hîc uerò quatenus corpus unà afficiunt & perturbant, unde Notæ perturbationum, de quibus lib. III. primi Voluminis egimus. Hoc ipso nomine Græci πάθη, Latinis Affectus & Perturbationes dicuntur.

CORPORIS.

Exempla petantur ex Actionibus motiuis, lib. præcedente descriptis. Illic respectu Facultatis, cuius Functiones sunt corporeæ: hîc exercitiove minerua, ut eiusdem cum Alimentis & Medicamentis speciei esse uideantur.

IN GENERE.

GERMANI & CRETENSES laboriosis exercitationibus, currendo, algendo, æstuando, arduas difficilesq; uias peragrando, exercuerunt iuuentutem: item pugnæ quoq; simulacris. Alex. lib. 2. cap. 25.

GYMNOSOPHISTÆ adolescentes nequaquam ad cibum potúmue admittebant, nisi prius quid ea luce laboratum, quidq; effectum esset, coram senioribus bona fide indicassent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

LYCVRGVS Lacedæmonum legislator, pueros impuberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere & labore ib. agerẽt: nihil somni causa substernere, uitamq; sine pulmento degere: neque prius in urbem redire, quàm uiri facti essent. Iustinus lib. 3.

LACEDÆMONII infantes suos non otio & ignauia, sed labore assiduo, iuxta Lycurgi leges educabant. Quare & prouerbio increbuit, solas Lacænas uiros párere. Eorum uirgines nondum adultæ, in discorum iactu, cursibus & palæstra exercebãtur nudę. Id quod etiã Plato probauit, ut nõ modò puellæ, sed & anus luctarentur. Plutarchus in Laconicis.

CYRVS Persarum rex ad prandium aut ad cœnam se non cõferebat, nisi antea ex multo labore & exercitatione corporis sudasset. Idem uoluit ut milites semper opus in castris facerent: nec unquam iuuentus, nisi sudore præuio, cibum sumeret. Xenophon in Pædia.

IN SPECIE.

Vox, Vociferatio, Clamor, Declamatio.

Disputatio, quæ uoce peragitur quotidie, mirifica est palæstra, non ad sanitatem tãtùm, sed & ad ualetudinem, non illam quidem palæstricam, eamq; quæ uestiat carne incrustetque ædificij more cutem: uerùm uitalibus maximè & principibus partibus robur uerum & solidam firmitatem conciliet. Nam uires à spiritu confirmari ostendunt aliptæ, qui athletis iubent, ut renitantur frictionibus, easque obiter interpellent, atq; animum adhibeant semper iis corporis partibus, quæ emolliuntur & contrectãtur. Quippe uox, quæ spiritus motio est, non in superficie, uerùm quasi in fontibus inuale sẽs, circa uiscera calorem alit, extenuat sanguinem, uenam omnem repurgat, omnem arteriam aperit, cogi & coagulari non permittit humorem superfluum sicut fecem in uasis, quæ alimentum recipiunt & conficiũt. Debemus igitur imprimis amare hoc exercitium, atq; ei assiduè dicendo assuescere: sin autem suspectes aliquo modo corpus minus firmum aut defatigatum esse, legendo uel declamãdo. Quod enim gestatio ad exercitationem, hoc ad disputationem est lectio, quæ tanquam in uehiculo alieno in sermone agitur molliter & portat leniter uocem. Disputatio uerò consurrite cum animo corpore contentionem & ardorem addit. Vociferationes sunt tamen declinandæ nimis commotæ & asperæ. Efficit enim spiritus impetus & contentio inæqualiter rupturas & conuulsiones. Plut. Præcept. sal.

Deambulatio.

SOCRATES cùm sæpius ante domũ summo uespere deambularet, interrogantibus, Quid istic agis? respõdere solebat, Obsonium ad cœnam comparo. Athenæus libro 4. cap. 18. & Cic. 5. Tuscul.

Cùm nũciatum esset Ephoris SPARTANOS, qui Deceleam tenebant, deambulationibus uti pomeridianis, miserum ad eos qui monerent, Non oportere Lacedæmonios deambulationibus aut inertia, sed exercitio corporis bonam ualetudinem parare, & tueri. Aelianus lib. 2. de Varia historia.

CHRYSANTHIVS Sardianus põtifex & philosophus à studio surgens animum recreabat prodeambulando in uiam publicam & militarem, spaciaq; longa, sed otiosè lenteque instar podagrici, emetiebatur: tantopere deliniebatur animus narrandi suauitate. Eunapius eius discipulus.

Saltatio.

SOCRATES sufficere dicebat ei, qui saltando mouerse, septem lectorum capacem ad se exercendum domum. Plut. Præcept. sal.

Cursus.

AMASIS regis edicto non priùs cibum capiebat Aegyptiaca iuuentus, quàm 180 stadia percurrissent. Diodorus Siculus.

Militaris exercitatio.

Apud BALEARES insulas, matres pueros à prima statim infantia hoc labore assuefaciebant, ut nisi oblatum cibum baculo aut funda priùs attigissent, eo uesci prohiberent. Alex. lib. 2. cap. 25.

Apud CADVRCOS, ACARNANES & AETHIOPES saxa ingentia fundis intorquere, aut sagittas & iacula ingentis ponderis uibrare, à teneris assuescunt. Alex. lib. 2. c. 25.

AVRELIANVS Cæsar nullum reliquit uacuum diem, quin se pilo, sagittis & armis exerceret. Alex. lib. 1. cap. 20.

ANTONINVS Caracalla Imp. præterquã quòd se cum militibus exercebat, iter semper onustus armis pedes fecit. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 20.

Agricultura.

Consule Tit. Agriculturæ studium. Illic Mechanici habitus, hîc Corporis sola spectatur exercitatio.

NVMA Pompilius, ne populus otio marcesceret, agros diuisit, Terminum agrorum fines separantem deum adiunxit: sigillatim, qui obseruarent, quiq; agros circumirent, statuit, ex operibus ciuium mores coniectans. Plut. in Numa.

Venatio.

Ex Tit. Venatorum, & Venationis studij huc quædam.

LVCANI filijs suis nullum alium cibũ apponebãt, nisi quem è uenatione domũ reportassent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

EXERCITIA INTERMISSA, NEGLECTA.

QVAE.

Gymnica.

AEGYPTII palæstræ non uacant: existimantes quotidianum illius exercitium iunioribus non sanitatem allaturum esse, sed breue robur, & omnino periculosum. Diod. lib. 1. cap. 6.

ASCLEPIADES, cui accedit ferè ERASISTRATVS, tollit exercitationes, ac liquidò damnat: cæteris medicæ scientiæ peritissimis mirificè approbantibus. Cælius lib. II. capite 3. Antiq. Lect. ex Galeno.

Mechanica.

Socrates dicebat, sororem libertatis esse pigritiam. Etenim INDOS & PERSAS propter libertatem segnissimos esse ad laborandum: Phrygas uerò & Lydos seruitute pressos prõtissimos. Aelianus de Varia historia lib. 10.

CVR. CAVSA

Religionis.

Conditor rerum omnium Deus, in hebdomada septimũ quiescere MORTALES diem iussit: ut eo exemplo doceret, post certa spacia, animi atque corporis in labore interlaxamentum quærendum esse: ob id præcipuè, ut cùm eius cultui operam dantes, agendarum pro tot eius meritis gratiarum non immemores simus: tum posthea, ut etiam salutari hoc exemplo doceamur, longos labores, ut leuiores fiant, intermissione aliquando oportere leniri: ut per hunc modũ instauratis uiribus, promtiores animo corporeq; ad nouos perferendos labores reddamur.

Militaris disciplinæ.

LACEDÆMONII, PERSÆ, INDI, & quæuis aliæ gentes, quamprimũ bellicis uictoriis claresceré cepérũt, ab exercitiis mechanicis ad militares exercitationes, earundemque ueluti præludia gymnicas, sese contulere.

Luxus.

SYBARITÆ eo usque prouecti sunt mollitiei, ut non modò strepitum artificũ, quo somnus matutinus interrũperetur, ferre nollent, eoque mechanicos omnes urbe eijcerent: uerumetiam neque aspectum eorum, qui opus facerent, tolerare possent, aut saltem se absque molestia intueri non posse simularent: indigni, qui alimentis sudore rustico comparatis fruerentur.

LIBRI SEPTIMI TITVLORVM DISPOSITIO.



I. Esseri-


I. Essentialiter, respectu scilicet
Agentis, quod mortē infert. Agens consideratur ut
A seipsis: uel
Nolentibus.
Immortalitatis studio.
Legum obseruantia.
Castitate.
Amore patriæ.
Amore ducum, Principum.
Fide coniugali.
Amore dominorum.
Odio coniugali.
Zelotypia.
Laboris tædio.
Morbi impatientia.
Furore, Amentia.
Ambitione.
Pudore, Ignominia.
Sceleris conscientia.
Volentibus, moti uel
Metu
Paupertatis. Ignominiæ.
Condemnationis. Hostium.
Principum odij.
Dominorum iræ.
Mœrore. Ob
Consilium spretum.
Patriæ excidium.
Cladem exercitus.
Victoriam inimicorum.
Repulsam
Imperij.
Amatoriam.
Præmiorum.
Coniugem ereptam.
Iacturam. Æs alienum.
Dignitatis priuationem.
Captiuitatem.
Cædem amicorum.
Morte
Amicorū. Liberorū.
Amasiorū. Coniugū.
Dominorum.
Libros exustos.
Accusationem falsam.
Odium principum.
Ab alijs. Vide signum II.
Persona inferens, & manifeste agēs, quocunque consilio, quocunque instrumēto. Sic interficiuntur alij
Instrumentum, quo mors ab agente infertur. Vide in sequentibus signum III.
Est, tanquam
Agit. MORS considerata respectu modi, quo agens mortem infert, animā à corpore separando. Anima impatibilis, Corpus solum patitur. Infertur ergo mors ab agēte per instrumentū certū uariis modis. Nimirum uel
Materialiter, quo ad substantiam
Solidā
Absumendo. Tū
Exurendo.
Deuorādo. Deuorati ab
Hominibus.
Feris.
Irruendo, Opprimēdo, RVINA, Casu necati
Montis. Antri.
Templi. Theatri.
Turris. Arboris.
Domus, Cameræ, Cœnaculi, Pauimenti.
Muri. Antri. Statuę.
Apri capitis. Hominis. Elephanti.
Impingendo, Feriendo. ICTV necati
Rami. Manus, Condyli, Clauæ.
Fustis. Disci.
Pyri. Stiriæ.
Testudinis marinæ.
Lapidis. Testæ. Tegulæ.
Diuidendo, Secādo, Vulnerando
Excoriando.
Mutilando.
Laniando, Discerpendo, Dissecando. Laniati ab
Hominib.
Belluis.
Arborib.
Fluidam
Replendo. Repletione mortui.
Inaniendo. Inanitione mortui.
Spirituosam, Resoluendo. Spirituum resolutione mortui.
Formaliter. Vide in sequentibus signum V.
Patientis, quod perfert. Vide in sequentibus signum VII.


II. Auctores mortis
Angeli. Ab ANGELIS, DAEMONIBVS, rapti, auecti, interfecti.
Homines, cōsiderati respectu
Voluntatis. A
Scientibus, Volentibus.
Nolentibus, nescientibus, imprudentibus interfecti.
Consilij. Cur, uel causa
Vindictæ.
Auaritiæ.
Ambitionis. Amoris.
Modi. Vel
Vi aperta.
Odio, fraude. Ab insidiatoribus, sicarijs cæsi.
Habitus. Interfecti à
Stultis.
Ebrijs.
Latronibus, Sicarijs.
Officij, Professionis. Occisi à
Monachis, Sacerdotibus.
Medicis. Nauicularijs.
Seruis. Cubicularijs.
Armigeris. Satellitibus.
Militibus. Stabularijs. Rusticis.
Sexus: à
Viris.
Mulieribus, Virginibus.
Ætatis: à
Pueris.
Senibus.
Amicitiæ: à
Populo, Ciuium multitudine.
Parentibus. Liberis.
Fratribus. Nepotibus.
Generis. Affinibus.
Cognatis. Coniugibus.
Amasiis. Amicis. Hostibus.
Conditionis: à
Principibus.
Dispares à disparibus interfecti.
Pares. Reges à regibus.
Subditis. Dominis.
Seruis. Captiuis.
Vestitus. Vt à Personatis, laruatis.
Bruta. A BRVTIS necati tum in
Genere
Fortuitō.
Consultō. Ad bestias damnati.
Specie ut ab
Volatilibus. Auibus.
Aquatilibus
Piscibus, Belluis marinis.
Hirundinibus.
Animalibus
Terrestribus: à
Leonibus, Leopardis, Lupis, Aprис, Vrsis, Cerui, Eleophantibus.
Equis, uel
Præcipitati.
Allisi.
Conculcati.
Distracti.
Deuorati
Bobus, Tauris, Capris.
Canibus
Laniati.
Demorsi. Morsu canum mortui.
Muribus. Mustelis.
Serpentibus. Scorpionibus.
Gorgonibus.
Insectis: ut
Araneis.
Apibus.
Muscis.
Pediculis.

- III. Organa *mortis considerata, ut sunt*
  - Extra *corpus*. MORTIS *instrumẽta, quatenus extra corpus consistunt, considerata tãquam*
    - Substantiæ *quædã tales existentes*
      - Natura. Vt *puta*
        - Fulmen.
        - Ignis. *Igne exusti*
          - Montis. Antri, *Speluncæ.*
          - Vrbis. Arcis, *Turris.*
          - Templi. Regiæ. Domus.
          - Horrei. Fornacis. Nauium.
          - Vestium. Rogi, *Pyræ.*
          - Tauri *ænei.* Peluis. Sartaginis.
          - Craticulæ. Metalli *liquidi.*
        - Aer. Ventus.
        - Aqua. Vinum.
        - Oleum. Pix.
        - Terra. *Terræ*
          - Hiatu *absorpti.*
          - Motu *oppressi.*
          - Iniectione *suffocati.*
        - Arena. Saxum, *Lapis.*
        - Arborum
          - Ruina *oppressi.*
          - Inflexu *discerpti.*
        - Calami.
      - Voluntate *& arte humana, uel tãquam*
        - Instrumenta
          - Bellica, *quæ agunt*
            - Procul. Vt
              - Funda. Sagitta.
              - Telum. Iaculum.
              - Bombarda.
            - Cominus
              - Gladius. Pugio.
              - Lancea. Hasta.
              - Fustis.
          - Scriptoria, *Stylus graphiarius.*
          - Coquinaria, *Culter.*
          - Molitorum, *Rota.*
          - Aurigarum, *Rota.*
          - Nautica, *Nauis.*
          - Rustica, *Falx, Aratrum, Flagella tritoria.*
          - Pastoritia, *Stimuli.*
          - Fabrilia, *Ascia, Serra, Forceps, Clauus.*
          - Medica, *Nouacula, Phlebotomus, Pharmacum, Hirudo. Clyster.*
          - Sutoria, *Acus.*
          - Lusoria, *Discus.*
          - Tortoria, *Carnificum: ut Spinæ, Tribuli, Flagella, Rota, Securis, Gladius, Veru, Æneus taurus, Laqueus, Tormenta, Fidiculæ, Culeus, Crux, Palus.*
          - Oeconomica, *Supellex: Lucerna, Scabellum.*
          - Vestiaria, *Fibulæ.*
        - Ornamenta: *ut*
          - Statuæ.
          - Zona.
          - Diadema.
    - Accidẽtia *quædam. Qualis est*
      - Species *uisibilis. Aspectus.*
      - Sonus. Odor.
      - Tactilis *qualitas*
        - Æstus.
        - Frigus.
  - In *corpore*. MORTIS *instrumenta, quatenus in corpore existunt cõsiderata, uel tanquam*
    - Substãtia
      - Vaporosa. *Spiritus.*
      - Fluida
        - Chylus.
        - Humor. *Vtpote*
          - Bilis.
          - Pituita.
          - Aqua. *In*
            - Toto. *Hydrope, Leucophlegmãtia mortui.*
            - Parte
              - Capitis, *Hydrocephala.*
              - Pulmonis.
      - Solida. Vt
        - Fœtus.
        - Calculus
          - Cerebri.
          - Hepatis.
          - Fellis.
          - Renum.
    - Accidentia. *Vide in sequentibus signum* IV.

IV. ACTIO-

- IV. ACTIONES *& Passiones conspicuæ potissimum in*
  - Animo, *tum*
    - Animales, *in*
      - Genere
        - Somnus.
        - Vigilia.
      - Specie
        - Studium *uehemens.*
        - Sensatio
          - Vehemens.
          - Tristis, *Dolor.*
    - Vitales, *Perturbationes scilicet ut*
      - Amor. Gaudium. Ira.
      - Tristitia. *Ob mala*
        - Animi. *Ob Ignorantiam.*
        - Corporis. *Ob*
          - Morbum *proprium.*
          - Excæcationem *aliorum.*
        - Fortunæ, *tum*
          - Sua. *Ob*
            - Opum *iacturam.*
            - Cladem *bellicam.*
            - Vrbem
              - Non *expugnatam.*
              - Vastatam.
              - Amissam.
            - Accusationem.
            - Damnationem. Exilium *indictum.*
            - Captiuitatem.
            - Dignitatem, *Magistratus*
              - Repulsam.
              - Amissionẽ, *Deiectionem.*
            - Regni
              - Æmulationem.
              - Amissionem.
            - Legationem *irritam.*
          - Aliorũ. *Ob*
            - Coniugum
              - Improbitatem.
              - Alienationem, *Repudium.*
              - Mortem.
            - Liberorum
              - Improbitatem, *Scelus.*
              - Captiuitatem.
              - Mortem.
            - Generis *interitum.* Generi *mortem.*
            - Sociorum *perfidiam, desertionem, ignauiam.*
      - Metus. Inuidia.
      - Risus. Lacrymæ.
  - Corpore. Vt *est*
    - Motus, *tum*
      - Localis. Vt
        - Labor
          - Pugnæ. Venationis.
          - Cursus. Pilæ.
          - Itineris.
        - Circumrotatio.
        - Casus *ex alto. Hic*
          - Vnde. Ex
            - Loco *quouis edito.*
            - Monte, *Saxo.*
            - Arce. Turri.
            - Carcere. Ponte.
            - Domo, *Tecto, Fenestra.*
            - Scala, *Gradibus.*
            - Sella, *Throno.*
            - Equo *præcipitati, excussi.*
          - Quò. *In*
            - Foueam, *Hiatum.*
            - Aquam, *Flumen, Mare, Puteum.*
            - Pauimentum.
      - Vocalis, *Clamor.*
    - Quies, *Desidia.* Ætas, *Senectus.*
    - Venus. Balnea.
    - Alimentũ. *Mortui*
      - Cibo. *Vsu scilicet*
        - Pullorum. Casei. Fructuum.
        - Melopeponum. Fragorum. Fungorum.
        - Raparum. Allij. Piscium.
      - Potu
        - Vini.
        - Aquæ.
    - Pharmacum.

- V. Formaliter *agens instrumentum consideratur*
  - Generatim, *quatenus corrumpit naturã humanam, uel manifesta uel occulta qualitate cõtrariũ illi* VENENVM *dicitur. Perpendamus*
    - Rem *ipsam cõsideratam respectu*
      - Materię. Qd. *Interemti*
        - Aqua *stygia*. Hydrargyro. Gemma.
        - Gypso.
        - Cicuta.
        - Opio.
        - Aconito.
        - Porri *succo*. Fungis.
        - Cantharidibus.
        - Lepore *marino*.
        - Sanguine *taurino*.
      - Formæ. Quomodo:
        - Oblatu
          - Cibi.
          - Potus.
          - Pharmaci.
          - Eucharistiæ.
        - Illitu, *contactu quocunque*.
      - Acquisitionis. *Vnde petitum. Gestatum in*
        - Anulo.
        - Calamo.
      - Effectꝰ, *quòd uel*
        - Citò.
        - Lentè *agit*.
    - Personas. *Tum*
      - Qui *ueneno extincti*:
        - Prophetæ.
        - Pontifices.
        - Cardinales.
        - Reges.
        - Imperatores, *Principes*.
        - Legati.
        - Philosophi.
        - Milites.
        - Sontes.
      - A quo. *Vel consultò uel inconsultò, à*
        - Seipso.
        - Aliis
          - Pontificibus.
          - Carnificibus.
          - Medicis.
          - Præceptoribus.
          - Eunuchis.
          - Parentibus.
          - Nouerca.
          - Socru.
          - Filiis.
          - Fratribus.
          - Marito.
          - Vxore.
      - Cur. *Causa*
        - Amoris.
        - Liberæ *reprehensionis*.
        - Vindictæ.
        - Vitæ *tædij*.
        - Morbi *fugæ*.
        - Regni.
        - Hæreditatis.
        - Sceleris *conscij*.
        - Sceleris *tegendi*.
        - Antidoti *explorandæ*.
  - Speciatim, *quoniã Calorem uitæ fontem uel*
    - Suffocat. SVFFOCATIO *fit uel spiritus*
      - Motu *& commeatu libero intrò foràs intercepto, & uel*
        - Simpliciter, *Anhelitu retento*.
        - Cum *instrumento aliquo, impediente uias animæ. Vide in sequẽtibus signum* VI.
      - Temperie *alterata. Æstu suffocati*.
    - Extinguit. EXTINCTIONE *caloris per frigus necati. Frigore enecti*.

VI. In-

- VI. Instrumento *animæ uias impediẽte mors infertur uel*
  - Interius: *eoq; uel*
    - Aduentitio, *tum*
      - Inanimato. *Necati*
        - Catarrho. Fumo. Vapore.
        - Aqua *cõsiderata respectu*
          - Efficiẽtis. *à*
            - Seipsis
              - Saltu *spontaneo*.
              - Casu *fortuito*.
            - Aliis
              - Demersione.
              - Præcipitatione, *impulsa*.
          - Instrumenti. *Aquæ*
            - Infusione.
            - Illuuione, *inundatione*.
          - Modi
            - Transitu.
            - Natatione.
            - Naufragio.
          - Loci. *In*
            - Mari.
            - Flumine.
            - Puteo. Balneo.
        - Glacie. Niue.
        - Cœno, *Luto*. Fimo.
        - Terra. Viui *sepulti*.
        - Arena, *Pulvere*.
        - Bolo, *Buccella faucibus hærente*.
        - Cibo.
        - Potu
          - Vino.
          - Taurino *sanguine*.
        - Sudario, *Spongia*.
        - Spina. Ficu. Pyro. Pilo.
      - Animato. *Vt est*
        - Musca.
        - Piscis.
    - Connato. *Puta*
      - Aruina, *Pinguedine*.
      - Caruncula.
  - Exterius, *tum*
    - Constringendo. *Suffocati*
      - Laqueo: *Ratio hic habenda*
        - Qui
          - Reges, *Principes*.
          - Consules.
          - Legati.
          - Philosophi. Poetæ.
          - Pictores. Virgines.
        - A quibus: *à*
          - Seipsis.
          - Aliis.
        - Quomodo. *Laqueo*
          - Propriè.
          - Impropriè. *Puta*
            - Diademate.
            - Fascia.
            - Neruo *arcus*.
            - Velo *nautico*.
            - Torque *metallico*.
        - Vbi
          - Ex *arbore*.
          - E' uite.
          - In *cubiculo*.
          - In *carcere*.
          - Ante *portam*.
        - Cur. *Causa*
          - Pietatis, *Martyres*.
          - Sceleris.
          - Repulsæ.
          - Infamiæ.
          - Stupri *uitandi*.
          - Mortis *nuncij*.
      - Scutis, *Armis*.
      - Pressura.
    - Obstruendo
      - Puluino.
      - Veste.

VI. Patiens

- VII. Patiens, *quod mortẽ perfert, considerata læsione quã perfert, & per quã è medio tollitur, differentias mortis exhibiti tum*
  - *Essentialiter, secundùm*
    - Ven- *tres tres*
      - Superio- *rem. Mortui affectu* CAPITIS
        - Totius. *Vt puta*
          - Amputatione.
          - Allisione.
          - Dolore.
          - Vulnere.
          - Tumore.
          - Vlcere.
        - Partis
          - Summi *capitis*.
          - Aurium.
          - Oculorum.
          - Linguæ.
          - Faucium.
      - Mediũ
        - Continẽ- *tẽ. Mortui affectu*
          - Mamillarum.
          - Costarum, *ut* Fractura.
          - Membranæ *succingẽtis. Pleuritide.*
        - Conten- *tũ. Affectu*
          - Cordis.
          - Pulmonis
            - Vlcere.
            - Symphysi.
            - Hydrope.
      - Infi- *mum*
        - Continentem
          - Abdominis.
          - Lumborum.
        - Conten- *tũ. Mortui*
          - Stomachi
            - Imbecillitate.
            - Cruditate.
            - Dolore.
            - Vulnere.
          - Intesti- *norum*
            - Colico *dolore.*
            - Iliaco *dolore*, Voluulo.
            - Vlcere, *Dysenteria.*
          - Hepatis.
          - Lienis.
          - Renum
            - Calculo.
            - Exulceratione.
          - Veficæ.
          - Vteri.
          - Pudendorum.
    - Artus. *Mortui affectu*
      - Brachiorum, *Manus, Digitis*
        - Fractura.
        - Vulnere.
        - Amputatione.
      - Femoris, *Pedis*
        - Vlcere.
        - Dolore.
        - Offensione.
        - Fractura.
  - Accidentaliter. *Vide in sequentibus signum* IX.
  - Historicè, *ut dividitur. Corpus in*
    - Materiam, *siue Subiectum. Mors respectu Partium affectarum Materia liter considerarum tum*
      - Logicè, *ut homogeneæ sunt. Affectibus mortui*
        - Ossium, *Articulorum*
          - Dolore.
          - Luxatione.
        - Neruorum
          - Resolutione.
          - Conuulsione.
        - Musculorum.
        - Cutis. *Excoriati.*
    - Formam *membri morbo affecti. Vide signum* VIII.

VIII. Mors *respectu Partium affectarum Formaliter considerarum, ratione*

- *Sympto- matis sui, si ue actiuum illud sit, siue passiuum, facultatis tum*
  - Naturalis. *Mortui ex symptomate facultatis naturalis conseruatricis*
    - Indiui- *dui tum*
      - Principis: *Nutricis, Auctricis. Ex Tabe, Ematiatione totius.*
      - Fainu- *lantis*
        - Conco *ctricis.* Ex
          - Repletione, *Crapula, Cruditate, Ebrietate mortui.*
          - Inanitione
            - Cibi, *Fame.*
            - Potus, *Siti.*
        - Retentricis. *Retentione euacuationis*
          - Naturalis, *Vrinæ, Seminis, Menstruorum, Hæmorrhoidum.*
          - Præter *naturam: utputa*
            - Vlceris.
            - Alui.
        - Attractricis.
        - Expultricis, *tum respectu*
          - Loci *per*
            - Superiora. *Mortui*
              - Vomitu *stercoris, cibi, sanguinis.*
              - Catarrhi *defluxu.*
            - Inferiora. *Mortui fluore*
              - Vrinæ.
              - Alui.
              - Hæmorrhoidũ.
              - Menstruorum.
          - Materiæ. *Mortui sanguinis fluxu quocunque.*
    - Speciei.
  - Essentiæ. *Mortui uitio*
    - Intẽperiei
      - Manifestæ: *ut* Febre.
      - Occultę *& pestilentis.*
    - Compositionis, *quo ad*
      - Magnitudinem.
      - Situm.
    - Vnitatis. *Puta*
      - Vulnerib. *cõsideratis respectu*
        - Subiecti, *uel*
          - Totius.
          - Partis.
        - Efficientis.
        - Instrumenti.
        - Modi. *Tum*
          - Magnitudinis. *Vulnere*
            - Leui.
            - Graui.
          - Multitudinis. *Confecti*
            - Vno.
            - Multis.
      - Vlceribꝰ. *Vt est*
        - Phthiriasis.
        - Elephantiasis.
        - Gallicus.
        - Carbunculus.
        - Herpes, *Vlcus depascens.*
      - Contusionibus. *Compressione.*
      - Fracturis. Luxationibus.
      - Mutilationibus.
  - Animalis. *Mortui ex symptomate facultatis animalis: utputa*
    - Insania, *Furore, Mania, Phrenitide.*
    - Apoplexia, *Paralysi, Lethargo, Catocho, Catalepsi.*
    - Epilepsia.
    - Dolore *uario.*
  - Vitalis. *Mortui ex facultatis uitalis symptomatibus, tum*
    - Caloris *extinctione.*
    - Perturbationum *uehementia.*

- IX. Accidentaliter considerando læsionē perpendendum
  - Quis. Qvi MORTVI, quo ad
    - Ætatem
      - In primis annis extincti.
      - In extrema senecta mortui.
    - Sexum.
    - Habitum: ut
      - Philosophi. Magi. Hæretici.
      - Fortes. Probi. Improbi.
      - Formosi. Deformes.
    - Dignitatem: Reges.
    - Vestitum:
      - Personati.
      - Nudi.
    - Functionem, Passionémue, ratione
      - Habitus
        - Animi. Immortui
          - Crapulæ, Ebrietati. Adulterio.
          - Raptui. Exercitationi. Vindictæ.
          - Ludo. Salutationi, Congratulationi.
          - Cultui diuino.
          - Baptismi susceptioni.
          - Contemtui religionis, Impietati.
        - Corporis. Immortui
          - Conuiuio. Egestioni. Coitui, Veneri.
          - Tonsuræ. Lotioni.
          - Vestitui. Phlebotomiæ.
          - Deambulationi. Fugæ.
          - Peregrinationi. Somno.
        - Fortunæ:
          - Captiuitati.
          - Exilio. Victoriæ.
      - Functionum. Immortui
        - Occupationibus
          - Literariis
            - Scriptioni.
            - Disputationi.
          - Mechanicis
            - Medicationi.
            - Venationi.
          - Politicis tum
            - Pacis
              - Actioni forensi.
              - Magistratui
                - Petendo.
                - Suscipiendo.
                - Obeundo.
              - Legationibus.
            - Belli
              - Meditationi, Consilio, Apparatui.
              - Expeditioni.
              - Obsidioni.
              - Conflictui. Pugnæ.
          - Oeconomicis
            - Visitationi ægrorum.
            - Nuptiarū
              - Apparatui.
              - Festo.
        - Otio, quieti, remissioni.
  - Cum quibus. Homines cum
    - Hominibus respectu
      - Numeri. Et uel
        - Pauci simul.
        - Multi simul. CLADES, Strages magnæ, ex
          - Morbo, Pestilentia.
          - Naufragio. Inundatione.
          - Submersione. Incendio.
          - Prælio
            - Terrestri.
            - Nauali.
          - Insidiis. Ruina. Suspendio.
      - Dignitatis, Conditionis. QVALES cum qualibus. Puta
        - Reges cum regibus.
        - Domini cum seruis.
    - Brutis.
  - Qualis, Quomodo affectus moriatur. Consideratus
    - Per se, quo ad
      - Cognitionē. Qui mortem
        - Præuiderunt.
        - Non præuiderunt. Mors subita, repentina.
      - Electionē. Mortis optio
        - Data.
        - Erepta.
      - Perpessionē, secūdum
        - Voluntatem
          - Libenter.
          - Inuiti.
        - Visionem.
        - Perturbationē. Motui conscientia
          - Placida.
          - Turbata.
    - Respectu aliorum: ut
      - Dei
        - Religiosa
          - Christianorum.
          - Ethnicorum.
        - Irreligiosa, Impia.
      - Hominum
        - Admonendo.
        - Remittendo.
        - Vlciscendo.

X. Quæ

- X. Quæ Cadaueri accidunt, inter corporis bona malaue, rudi minerua recenseri possunt, quæ per se alioqui ad alios locos commodius referri deberent. Cadauer igitur considerantur uel
  - Per se. Vide in sequentibus signum XI.
  - Respectu Curæ, quæ illi ab aliis impēditur. Aut enim Cadauera
    - Non apparent, ut nulla illis cura possit impendi amplius. CADAVERA non inuenta. Cadauera, quæ disparuere,
      - Verè.
      - Fabulosè.
    - Apparēt, & curæ alienæ respectu considerantur quo ad
      - Λῦψιν. CADAVERVM λῦψις
        - Obita. Cadauera
          - Collecta, Quæsita. Purgata, Lota, Vncta.
          - Redemta.
          - Deportata è loco mortis ad sepulturam.
          - Translata è sepulcro in sepulcrum.
        - Neglecta. CADAVERA non collecta, non quæsita, non curata.
      - Φυλακὴν. CADAVERA
        - Cōseruata CADAVERVM conseruatorum consideratio tum
          - Quid. Vel
            - Totum.
            - Pars.
          - A quibus. Ab
            - Hominibus.
            - Brutis.
          - Cum quibus
            - Comitibus.
            - Muneribus. Pecunia.
            - Libris.
            - Epistolis.
          - Quomodo. Quo
            - Instrumento. Vel
              - Absq; igne cōdita
                - Gypso.
                - Myrrha, Aromatibus, Vnguento.
                - Melle. Foliis.
              - Igni absumta. Mortui combusti.
            - Habitu. Situ.
          - Vbi.
            - Vniuersalis ut Locus
              - Per se. Nempe
                - Terra in genere.
                - Montes.
                - Speluncæ. Insulæ.
                - Lapidum aceruus.
                - Nix, Glacies.
                - Fimus, Sterquilinium.
                - Litus.
                - Alueus fluminis.
                - Arbor.
                - Columna.
                - Vrbs, Domus.
                - Ager, Rus.
                - Templum.
                - Cella uinaria.
              - Respectu personarum
                - Regum.
                - Militum.
                - Plebeiorum.
                - Seruorum.
                - Christianorum.
                - Iudæorum.
            - Particularis, ut Vas. Cuiusmodi sunt
              - Sepulcra. Quæ quorū
                - Fuerint.
                - Nō fuerint.
              - Loculi, Vrnæ.
          - Cur. Vt puta causa
            - Necessitatis.
            - Honoris.
        - NON CONSERVATA:
          - Quomodo:
            - Abiecta in
              - Aquam.
              - Solitudinem.
            - Refossa.
            - Cōsumta
              - Igni.
              - Dentibus
                - Hominum.
                - Ferarum.
          - Cur:
            - Ignominiosè.
            - Absque ignominia.

XI. Per

XI. *Per se consideratur*, Cadauer *quatenus illi inest aliquid tanquam*
- Functio. *Aut enim* Vi*tam*
  - Recipit *rursus*. MORTVI *resuscitati*.
  - Non *recipit, nisi quòd respectu facultatum animæ, quæ uel statim pereunt, uel etiam post mortem aliquatenus manere uidentur, quædam obseruanda ueniunt:* VITAE *scilicet uestigia in cadauere mortuo secundùm facultatem*
    - Anima*lem tum*
      - Motiuá. *Quia*
        - Loquuntur.
        - Scribunt.
        - Orantis *gestum præ se ferunt.*
        - Stant.
        - Mouentur.
      - Sensitiuam. CADAVERVM *sensus.*
    - Vitalem.
    - Natura*lem*
      - Auctricem.
      - Conseruatricem. CADAVERA *quæ*
        - Diu *integra & incorrupta permansere.*
        - Statim *corrumpuntur, absumuntur.*
- Nota *quædam.* CADAVERI *notæ impressæ.*

Voluminis Secundi Liber VII.

De MORTE eiusque Accidentibus.

TRANSFORMATIO HOMINVM IN QVASVIS ALIAS RES.

Cùm uita humana in corporis & animæ humanæ coniunctione posita, per functiones similes sese exerat: si quando corpus non dissolutum in elementa, sed in alia corpora transformatum, ad animæ humanæ exercitia ineptum redditur, mortis quandam speciem repræsentare uidetur, sed diuersæ ab ea, de qua in sequentibus, quæ corruptionem corporis, hoc est, dissolutionem in sua principia præsupponit. Eoq; consilio hîc de Metamorphosi Hominis tanquam entis perfectioris in minus perfecta agere uoluimus, sub loco Mortis: uti Metamorphoseos entium imperfectorum in hominem sub loco Ortus egimus. Nudam alioqui mutatæ formæ considerationem superius etiam libro Secundo instituimus.

IN ANIMALIA BRVTA. PVTA in

Aues.

Daulide urbe Phocidis TEREO filium epulandum apposuisse feminę dicuntur, quod fuit pollutarum mensarum hominibus exordium. In upupā mutatus dicitur Tereus, Progne uxor in hirundinem, Philomela soror in lusciniam. Dignum illud admiratione, quòd intra huius terræ fines, hirundines neq; pariūt, neq; ex ouis pullos excludunt, nec omnino tectorum laquearibus ullos affigunt nidos. De Philomela uerò Phocenses dicunt, etiam auem factam, Terei perculsam terrore, extra eius patriæ fines euolasse. Pausanias in Phocicis. Vide Tit. Incestus cum sorore uxoris.

POLYPHONTE Martis & Terduæ filia, ex urso grauida, duos filios robustissimos peperit, Agrium & Oreium: qui cùm deorū hominumq; contemtores essent, à Ioue Mercurius missus est, ut eos interficeret. At Martis beneficio in aues mater cum filiis conuersa fuit: mater in strygem nocturnam auem, Oreius in leporem semper mali ominis auem, Agrius in uulturem. Ant. Liberalis ex Bœi Ornithog.

Molossorum rex fuit Munichus, Dryantis F. uates egregius, idemq; uir iustus. Is è Lelāta filios habuit, ALCANDRVM, qui uaticinio patri præstabat: MEGALETOREM, PHILÆVM, filiamq; HYPERIPPAM. Eos omnes ob probitatem dij dilexerunt. Quadam nocte eos latrones subitò in agris circum uenerunt: cumq; pugnæ impares de turribus se defenderent, ignemq; latrones domibus iniicerent: Iupiter habita eorum pietatis ratione, miserrima morte perire non est passus, sed in aues transmutauit. Et Hyperippa quidem, quoniam ignem fugiens, aquam subiit, facta est fulica. Cæteri ex igne euolarunt. Munichus buteo, Alcander orchilus factus: Megaletor & Philæus, quòd ignem fugientes per parietem ad terram se demisissent, in exiguas auiculas abierunt: hic in eam, quæ canis dicitur, ille in ichneumonem: mater in piponem, quæ culices muliones legit. Cum hac bellum est aquilæ & erodio, quorum oua confringit, dū querlum cum cædit propter culices. Viuuntq; unà reliqui in syluis & latebris, fulica ad lacus & mare obuersante. Anton. Liberalis ex lib. 2. Nicandri Alteratorum.

AESACVS Priami filius, ęgrè ferens Hesperiam puellam (quā fugientem insequebatur) morsu colubri in herba latentis fuisse interfectam, in aquas se demisit: mutatus postea in mergum, ut poetæ fabulantur. Ouid. lib. 12. Metamorph.

Ceyx Alcyones maritus, ad oraculum nauigans, naufragium fecit, & obrutus est aquis. Quod indignanter ferens ALCYONE, mortem mariti secuta, in mare se deturbauit, & in auem sui nominis mutata est. Ouid.

ALCYONES, Alcyonei gigantis filiæ, cùm se ob patris obitum ex Pallenes promontorio in mare pręcipites dedissent, in aues mutatæ sunt ab Amphitrite. Cælius lib. 14. cap. 11. A. Lex Lycophrone.

CEYX, rex Trachiniorum, cùm se ob nobilitatem & formam corporis Iouem, & uxorem Halcyonem Iunonem appellasset: Iupiter eum naufragio perire fuit. Cadauer inlitus eiectum. Eo uiso cùm Halcyone seipsam in mare præcipitasset: hęc in auem sui nominis, ille in cerylū mutatus fuit. Natal. Comes Mythol. lib. 8. cap. 16.

IYNX Echus filia aut πειθοῦς, quæ ueneficiis præpeditum Iouem in Iûs desideria coniecit: ab irata Iunone est in auium sui nominis transmutata. Cælius libro decimosexto, capite ult. Antiq. Lect.

HARPALICE Clymeni F. eiusdemque uxor, in chalcidem auem mutata. Parthenius de Amat. capite decimotertio, ex Euphorione.

ALECTRYON iuuenis in gallum mutatus à Marte, quòd in excubiis positus, nè Martis cum Venere concubitus à Sole Vulcano proderetur, ille uerò idipsum somno sopitus neglexisset, ita ut ambo à Sole pditi, à Vulcano illaqueati, reliquis diis ludibrio fuerint. Cælius libro decimosexto, capite 13. Antiq. Lect.

CYGNVS Apollinis F. in auem sui nominis mutatus ab Apolline, cùm seipsum in Canopam lacū abiecisset. Liberalis ex Nicandri lib. 3. Alteratorum, & Areo.

Cùm AEGYPIVS Anthei F. à TIMANDRA uidua pecunia data impetrasset, ut ipsi ad se domum uētitanti corporis sui potestatem faceret: NEOPHRON Timandræ F. id ægrè ferens, Aegypij æqualis, multis donis BVLIDEM Aegypij matrem pellexit, ut, cum ea domum suam deducta rem haberet. Horam deinde maturè cognoscens, qua ad Timandram erat Aegypius uenturus, suam matrem domo emisit, inq; eius locum matrem Aegypij introduxit, se ad eam redi turum simulans. Aegypius nihil eorum, quæ machinatus erat Neophron, cognoscens, cum matre corpus miscuit, Timandræ nomine. Eum somno iam captum Bulis agnouit, arreptoq; gladio oculos filio eruere, & seipsam necare statuit. Apollinis interim uoluntate somno Aegypius soluitur: intellectisq; Neophronis insidijs, in cœlū sublatis oculis, omnia secū aboleri optauit. Iupiter porrò eos in aues mutauit: factique sunt Aegypius & Neophron, ægypij, h. e. uultures. Bulis in mergum abiit. Timandra in parum est mutata. Antoninus Liberalis in Transform.

CTESYLLA Alcidamantis filia, Hermochari à patre quidem iureiurādo promissa, at pòst alteri desponsata, cùm clàm parēte Hermochari nupsisset, in partu, propter patris periuriū, decessit. Cæterùm, cùm cadauer ad sepulturā efferretur, columba è sandapila euolauit, corpusq; mortuæ nusqiā apparuit. Anton. Liberalis ex Transform. Nicandri lib. 3.

TERAMBVS pastor ob cōtemtum Pana & conuitiis affectas Nymphas in cerambicem auem mutatus. Anton. Liberal. ex Nicandri lib. de Immutatis 1.

HIERAX ob missa alimenta Teucris, fame à Neptuno, cui sacra non persoluerant, punitis, in accipitrē à Neptuno mutatus est. Anton. Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

PANDAREVS & Aedon uxor commiseratione Iouis in aues haliætum & alcyonem trāsformati sunt. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

LEVCIPPA, Arsippa, & Alcathoë in aues, uespertilionem, ululam & byzam à Mercurio sunt cōmutatæ. Idem.

Diomedis SOCII in aues conuersi à Venere, seu quòd ei maledixisset Agmon Diomedis socius, ut ait Ouid. 4. Metam. seu quòd ipsa Venus & Mars sauciati essent ad Troiam à Diomede: quod uidetur uerisimilius, & congruentius sententiæ Homeri Iliad. 5.

OENOE puella Pygmæa, moribus inuenustis & superbis, ob contemtum Iunonis & Dianæ in gruem mutata. Antoninus Liberalis ex Bœi lib. 2. Ornithogoniæ.

LAIVS, CELEVS, CERBERVS, & AEGOLIVS, ob ingressum in antrū Iouis apibus sacrum in Creta, & mellis furtū, à Ioue in aues mutati. Idem.

CLEINIS Babylonius ab Apolline cum filiis in aues mutatus ob asinorum oblationem. Idem, ex Bœi Ornithogonia, & Simmia Rhodio.

Meleagri SORORES ob defletam fratris mortem, à Diana in aues mutatæ. Idem, ex tertio libro Nicandri de Mutationibus.

PERIPHAS Atticus terrigena, antequam Terræ filius Cecrops existeret, regnum in priscos homines iustè obtinuit, & templa plurima condidit Apollini. Ob excellentiam factorum eius, honores Ioui debitos homines ad Periphantem transtulerunt, Iouisque Seruatoris, Inspectoris, & Benigni nomine coluerunt. Itaque Iupiter succensens, statuit totam eius domum fulmine comburere. Apolline autem deprecante, in domum Periphantis uenit, eumque cum uxore uersantem offendens, utraque manu pressum in aquilam commutauit: uxoremque eius orantem, ut se quoque in auem Periphantis consuetudine utentem uerteret, phanam, id est fulicam fecit. Periphanti porrò ob pietatem, quā inter homines præstiterat, hoc honoris tribuit, ut rex omnium auium esset, sacrique custos fulminis, & ad suum adiret solium: uxori autem Periphantis, ut auis ea ad omnes actiones hominibus secunda appareret. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

Quadrupeda.

IO à Ioue in uaccam mutata, ne à Iunone agnosci posset, eorumq; adulterium patefieret. Natalis Comes Mythologiæ libro 8. cap. 18.

LYCAON Arcadię rex in lupum mutatus dicitur, quia hospites mactasset. Alij Lycaonem lycāthropia morbo correptū, fabulæ locum dedisse autumant: quo affecti, Februario mēse noctu exeunt, in cunctis imitati lupos.

CALLISTO, Lycaonis Arcadum regis filia unica, cùm fratres haberet 26. à Ioue compressa, à Iunone in ursam cōuersa fuit, & tandem sagittis à Diana confixa, cùm puerum Arcadem peperisset, à quo Arcadia regio dicta, quæ prius Pelasgia. Pausanias in Arcadicis.

HECVBA Priami regis uxor, euersa Troia captiua abducta, in canem mutata fingitur. Extat adhuc tumulus illius, Cynosema ductus, siue ex figura canis, siue ex fortuna humili, in quam deciderat, nomine accepto. Mela. Ouid. Metamorphos. 6. Calaber 1. & 14. Gellius libro uigesimo, capite sexto. Euripides in Hecuba. Palæphatus in Niobe. Plautus Hecubam canem propter maledicentiam appellatam autumat.

ATALANTA & HIPPOMENES in leones mutati ob concubitum in templo Magnæ matris. Natalis Comes Mythol. lib. 1. c. 8. ex lib. 10. Metam. Ouidij.

TERIDATES Armeniæ princeps, Gregorium Magnum post multa tormenta in antrum cœnosum & obscurum per annos 14. inclusit, tempore Cōstantini. Tandem uerò cum suis optimatibus in porcos mutatus, se mutuò deuorarunt. Nicephorus libro 8. cap. 35.

Pisces.

Apollonius Rhodius seu Naucratites in Naucratis comparatione, POMPILVM scribit hominem primùm fuisse, ac propter quendam Apollinis amorem in piscem fuisse mutatum. Ocyrhoën enim Samiam uirginem Apollinem aiūt rapere conatum fuisse. Quæ cùm per festum quoddam Dianæ in Miletum aufugisset, ac ibi esset rapienda, Pompilum quendam piscatorem patrium amicum orauit, ut in patriā eam tutam reduceret. Pollicitus est ille: & ubi eam ad litus deduxit, Apollinem apparuisse ferunt, puellamque rapuisse, nauimque in lapidem uertisse, & Pompilum in piscem transmutasse, comitē marinum uelocium nauium. Athen. libro 7. capite 6.

Semiramidem deæ cuiusdam DERCETVS fuisse filiam, fabulosa prodit historia. Eius templum fuerat ad Ascalonem Syriæ ciuitatem, apud stagnum piscibus plenum. Eandem Plinius prodigiosam uocat Atergatin, quòd esset facie hominis, at corporis reliqua in piscem desinerent. Ferunt, Venerem factam deæ illi obuiam quandoque, adolescentis speciosi amorem iniecisse: cui permixta Derceto filiam conceperit: quam pudore ducta mater, in desertis locis, ubi aues forent plurimæ, exposuerit: quæ connutrita puella, causam etiam nomini fecerint: quippe Syrorum lingua, Semiramis auitium signat. At enim dolore percita Derceto ex facti turpitudine, in lacum se præcipitem dedit, deformataque in piscem est: quo nomine piscitij abstinentia sanctissimè à populis illis colebatur. Et hinc Atergatis quoque nuncupata, quoniam illarum gentium uocabulis, a ter priuationem dicat, & gatis piscem. Nam & libro sextodecimo Strabo auctor est, Atergatin à Barbaris dici, quæ sit Athara, quamque Ctesias uocarit Derceto. At Cornutus eandem cum Rhea esse putat. Cælius libro uigesimotertio, capite 5. Antiq. Lect.

Latona cùm in Asteria insula Apollinem & Dianam peperisset, in Lyciam uenit, infantes ad lauacra Xanthi apportans. Et primùm in Melitem fontem incidit: statuitque ibi abluere infantes, antequam ad Xanthum pertigisset. Sed pulsa fuit inde à PASTORIBVS, qui eò potum boues egerant. Reuersa autem à Xantho, cùm adhuc pastores ad fontem inuenisset, uniuersos in ranas conuertit. Antoninus Liberalis ex Menecratis Xanthij Lyciacis, & Nicandro. Ouidius in Metamorphosi RVSTICOS Latonam irridentes in ranas conuersos scribit.

Serpentes.

CADMVS pòst multas filiarum nepotumq; suorum calamitates,

tates, subrogato in regnum Pentheo Agaues & Echionis filio, relictis Thebis, ad Encheliensescum Harmonia coniuge commigrauit. Illi cùm ab Illyriis bello infestarentur, responsum tulerũt, futuram penes ipsos uictoriam, si Cadmum & Harmoniam duces haberent: nam Cadmus & Harmonia apud Drilonis ripas habitabant, qui Illyrios à Liburnis disterminat. Igitur Cadmus Illyriorum regno potitus, aliquãdiu feliciter egit: deinde paulo pòst in draconem & ipse & uxor mutati, à Ioue in campos Elysios dimissi sunt. Dionysius in lib. de situ Orbis. Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap. 14.

Nicãdri interpres tradit ABANTEM, Metaniræ F. à Cerere in lacertã seu ascalabum, seu ascalabotem, ab Atticis galeotẽ dictum, conuersum esse, quòd à matre susceptam hospitio molestè tulisset, & rem diuinam honori illius institutam irrisisset. Cælius lib. 19. cap. 4. A. L.

Insecta.

Aurora TITHONO Laomedontis F. rapto, à Parcis immortalitatẽ impetrauit. Sed cùm oblita fuisset petere etiã ne senesceret, Tithonus ad tantam uenisse senectutem dicitur, ut infantulorum more in cunis agitatus quiesceret. Tandem in cicadam cõuersus: quæ mutatis prioribus exuuiis, licet senio confectę, non occidunt, sed iuuenescunt. Hanc fabulam attigit Horatius lib. 2. Carminum:

Longa Tithonum minuit senectus.

Illud aũt passus creditur propter dolorẽ, quem audita Memnonis filij morte percepit: nam tanquã euolaturus ad uidendum filium brachia concussit, atq; alę tum primùm illi natę dicuntur. Hanc rem qui ad historiam traducere conantur, dicunt Tithonum ex Oriente uxorem duxisse: è qua cùm prædictos suscepisset filios, ad tãtam peruenit senectutem, ut in cunis agitaretur domi infantum more. Datusque est fabulę locus, quòd Aurora illum amauerit, ob temperiem Orientalium locorum, qui illum & maritum & immortalem propè fecerunt. Quòd in cicadam fuerit conuersus, quid aliud est, quàm senilis garrulitas & loquacitas? Cùm enim morosi sint senes, tum gloriosi, & temporis præteriti semper laudatores, contemtoresq; præsentis, cuiusmodi Nestorem finxit Homerus. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 4.

Fertur natis Musis, cantuq; monstrato, QVOSDAM homines uoluptate cantus usqueadeò delinitos fuisse, ut canentes cibum potumq; negligentes imprudenter perierint: ex quib. deinceps cicadarum, genus sit propagatum: munus hoc nactum à Musis, ut alimonia nõ indigeat, sed absq; cibo & potu semper uiuat, postea uerò ad Musas proficiscatur, quam quis hic Musam colat, renũciaturum. Cælius lib. 17. c. 6. A. L.

IN VEGETANTIA.

Mentham, siue minthã, tradit Oppiani interpres ἁλιδυπκῶν tertio, à MINTHA, quæ Nympha fuerit, appellatam uideri, Cocyti filia: quę ubi inaudisset amari à Plutone Proserpinã, indignata eo nomine; constanter illi se præponere ausa est: dictitãs, si inferos peteret, inimiciter infestaturam. Quo puellæ tumore commotior Ceres, Persephones mater, Mintham exculcans, ἐς τὴν ἀγχλιν βοτὰ λω τὴν τὴν, id est, in malam deformauit herbam huiusmodi. Ex qua fabella Oppianus mintham uocauit χαχυπηδω νύμφλω. Cælius lib. 10. capite 22. Antiquarum Lectionum.

PVERI Messapiorum ob contemtas Nympharum Epimelidũ choreas, in arbores à nymphis mutati sunt. Antoninus Liberalis ex lib. 2. Alteratorum Nicandri.

DAPHNE apud poëtas in laurũ, MYRRHA in arborem sibi cognominem.

PITYN puellam scribunt Græci à Borea saxo allisam, quòd in amorẽ Panos foret procliuior, terraq; miserante in arborem sui nominis deformatam. Proinde Pana hinc coronam gestare, quin afflãte Borea etiam flere. Id quod Georgicôn undecimo comperias. Cælius lib. 25. cap. 2.

Eteoclis fabulantur FILIAS, in dearum honorem saltantes, in puteum prolapsas, ab terra miserante in cupressos conuersas esse. Cælius lib. 25. cap. 2. A. L.

SMYRNA, Theiantis F. cùm ob ignis metum abortum, quem ex patre subornante nutrice clàm cõceperat, edidisset, sublatisq; manibus optasset, ut neq; uiuis neq; mortuis sibi interesse daretur: à Ioue in arborem mutata est cognominẽ. Antoninus Liberalis in Metamorph. Ouid. lib. 10. Metamorph. & Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 16.

Tryphon lib. Historiarum secundo, Dorionem scribit in Georgicis causam ficus appellationis reddere, qui SYCEAM quendam ex Titanibus commemorat, Iouis insequẽtis iras fugientem, à Terra matre fuisse receptum: quæ plantam postea in pueri memoriam emisit: unde & ciuitas quædã Ciliciæ Sycea nũcupatur. At eam Pherenicus poëta à Syce Oxyli sorore appellatam fuisse contendit: nam Oxylum Orij filium cũ Hamadryade sorore concubuisse scribit, quæ inter alia nucem, glandem, cornum, oream, alnum, ulmum, uitem, ficumq; peperit: hæcq; omnia postea Hamadryadas nominauit, à quibus multæ arbores nomẽ assumserunt. Hinc etiam Hipponax nigram ficum uitis esse sororem dixit. Athenęus lib. 3. capite 3.

IN INANIMATA. IN

Flumina.

SELEMNVS adolescens amabatur ab Argyra nympha, dum formæ durabat elegantia, cum quo è mari nympha subnatans in fluminis alueo cubare solebat. At deflorescente forma, accessus etiam uirginis desiit. Vnde contabuisse puerũ aiunt, & à Venere in amnẽ mutatum. Pausan. in Achaicis.

Ferunt cũ ALPHEVS uenator ARETHVSÆ amore captus esset, & illa nuptias eius auersata in Siciliã fugisset, ambos in aquam commutatos esse. Pausanias lib. 5.

Fontes.

PYRENE nympha ob nimium luctum in fontem sui nominis conuersa fingitur.

Montes.

Cùm Perseus abscissum Medusæ caput reportaret, peteretque ab Atlante hospitium, reiectus fuit ab eo. Perseus ostenso ipsi Medusæ capite, Atlantem in montem sui nominis mutauit. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 7.

Saxa.

NIOBE, Amphionis Thebani regis uxor, XIV. liberis superbiens, seq; numero filiorum Latonæ præferens, ira Latonæ omnes liberos amisit, & tandẽ præ mœrore in saxum commutata. Ouid. lib. 6. Metamorphos. & Erasmus in Adagio, Niobes dolores.

CRAGALEVS Dryopis F. ob Ambraciam urbem Herculi aduersus Apollinem & Dianam adiudicatã, in saxum mutatus est. Anton. Liberalis in Metamorphosi.

Memoriæ proditũ est, IODAMIAN, Mineruæ Itonię in Bœotia sacerdotium gerentem, noctu intra sacrum templi septũ uenisse: Mineruam se ei obtulisse cum palla, in qua Medusæ Gorgonis caput inerat. Eo conspecto, statim Iodamiam in lapidẽ obriguisse: eamq; ob rem mulierẽ quotidie ad Iodamiæ aram ignem apponentem, ter Bœotorum uoce effari, Iodamen uiuere, ignem sibi deposcere. Pausan. in Bœoticis.

Venus diis irata, quòd passi fuissent ipsam cum Marte à Vulcano in rete ligari, in syluas Caucasias se abdidit ob pudorẽ. Dij omnes cùm frustrà eam diu quæsiissent, ANVS locum, ubi latebat Venus, à deo interrogata indicauit. Quare illam Venus in saxum mutauit. Lycophron:

ἢ πέμπλον ζεαῦν μαςμαςεμένω δίμας.

Anumq; factam marmor ipsam frigidum.

Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 13.

PANDAREVS Meropis F. ob furatum è templo Cretensi aureũ canẽ, à Ioue in saxo mutatus fuit. Ant. Liberalis in Meta.

Dyctem piscatorem Seriphium arcam adduxisse retibus tradũt, in qua Perseus cum matre Danae expositus tenebatur, cùm pater Danaes Acrisius utrumq; abiecisset in mare. Ista in insula educatus fuit Perseus, qui cùm caput Gorgonis allatum SERIPHIIS ostendisset, uniuersos mutauit in lapides, idq; in matris ultionem, quia illis adiutoribus Seriphi rex Polydectes per uim illam in uxorem acceperat. Fabulæ locum dedit insula saxosa existens. Strabo lib. 10.

Cùm Mercurius aliquot armenta boum Apollini abegisset, & accepto silẽtij iuramẽto à Batto, in spelunca Prionis ad Coryphasium abdidisset: ad Battum mutata forma reuertitur, periculum facturus, an ipse iuramentũ seruaturus esset. Data ergo mercedis loco chlæna, percõtatur ánne furtiuas boues præteragi uidisset? Ibi Battus chlæna accepta indicium facit de bobus. Mercurius bilinguem eum esse indignè ferens, adacto baculo in saxum commutat. Antoninus Liberalis ex Hesiodi magnis Eœis, & Didymarchi lib. Metam. 3.

ARSINOE Nicocreontis Salaminiorum regis F. in saxum mutata ob inhumanitatem. Vide Tit. Procorum.

Statuas salis.

LOTHI uxor, conflagrantis patriæ commiseratione respectans, contra angelorum edictum, in statuam salis conuersa est. Genesis cap. 19.

Anno 1348. octauo calendas Februarij, in Norico, quâ Pannoniæ, Illyrico, Dalmatiæ, Carnis, Histriæq; continuatur, maximus terræmotus exortus, continuè durabat, nec ante dies quadraginta sistebatur, uarieq; terra quatiebatur, miraq; e debãtur opera. Morauia, Bauaria superior sensit: sex atq; uiginti urbes & castella prostrata esse, in acta eius anni relatũ est. Homines cũ pecoribus interierunt, mœnia, templa, ędes subuersę sunt, totę urbes corruerunt, mõtes abrupti cladem insuper eam auxere. Nam duo mõtes concurrerunt, urbibus deuoratis, agrorũq; tractu hausto, uillæ elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Hiatus subsecutus partim remãsit, partim cuncta sorbuit, ita inducto solo, ut nulla uestigia extarent. Quinquaginta amplius HOMINES, RVSTICAS item mulgentes, cum uaccis extinctas diriguisse, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redactas, apud Charinos: hæcque simulacra sibi & cancellario Austriaco conspecta esse, refert Conradus de Meidenbuig, eius tempestatis insignis philosophus & mathematicus. Auentinus Annalium Boiorum lib. 7.

QVI DISPARVERVNT CORPORE.

VERE.

ENOCH, qui cum Deo ambulasse perhibetur, in cœlum raptus subitò disparuit. Marulus lib. 5. cap. 10. ex Genes. 5.

HELIAS propheta, curru & igneis equis sublimis assumtus ex hominũ oculis euanuit: nec in terris est ab ullo amplius uisus, præterquã in Christi congressu. Viuit adhuc uitam, &, ut fides recepta est, humanis gentibus testis olim & uindex futurus. Sabellicus lib. 1. cap. 8. ex 4. Regum 2.

Sed quãto ILLI beatiores erunt, qui resumto corpore obuiã Christo in aëra rapiendi sunt: nec ut illi per turbinẽ, sed per resurrectionis gloriam: nec ut illi in cœlum, sed supra cœlũ: nec ideo beati futuri, quia ad inferna non descendent, sed quia diuino semper fruentur conspectu. Vis nosse quantum inter se differant? Etiam ipsi Heliæ in fine moriendum est, Antichristo perimente: deinde resurgendum, Christo resuscitante, ut ad solidam hanc (de qua loquimur) cõsummatámque perueniat felicitatem. Marulus lib. 6. cap. 16.

IOANNES apostolus iam ferè centenarius senex, cùm supremus uitæ dies urgeret, sepulturã sibi in tẽplo Ephesino, Traiano imperante, parari iussit: quam dum palàm intrat, ingenti lumine diuinitùs operitur. Lux recessit, sed ipse non cõparuit. Locus, in quo se animã redditurus collocauerat, manna adhuc scaturire cernitur. Illum itaq; cum corpore ad cœlum assumtum credimus. Nam quemadmodum beata uirgo carne & spiritu sanctificata, post filium, quem genuit, supra cœlum ascẽdit: sic decuit, ut etiam iste adoptiuus filius, carne & spiritu sanctificatus, sanctam sequeretur matrẽ, & integer eò perueniret, quò ipsa, cui commendatus fuerat, integra abiit. Tulit Deus cum corpore Enoch, tulit Heliam: sed ut differret mortem eorum, non ut auferret. Ioannes uerò ita sublatus est, ut amplius mori non possit. Illi futuram in fine corporum resurrectionem expectant: hic multo antè præuenit, priùs resurgens, quàm esset sepultus: priùs cœlum penetrans, quàm putaretur mortuus. Nec mirum, si feruens oleum membris illius nocere non potuit, quæ tanto priuilegio mox donanda erant. Adiicitur miraculo, fontem oleo scatentem ibi repentè ortum, qui iam inde arcano sacroq; liquore tã longo æuo manare non desiit. Sabell. lib. 1. cap. 8. Exemplorum, & lib. 4. Ennead. 7. & Fulg. lib. 9. cap. 12.

FABVLOSE.

Diomedes à capta Troia cùm uenisset Argos, Aegialea uxore ob adulterium reprehensa, Calydonẽ Aetoliæ urbẽ abit. Ibi interfecto cum liberis Agrio, auo suo, regnũ Oeneo reddit. Rursum inde Argos nauigans, tempestate in Ionium mare eiicitur. Eò allatum agnoscens Dauniorum rex Daunius, orat, ut sibi bellum in Messapios gerenti, socium se præbeat: promissa in matrimonium filia, & ditionis parte. Accipit cõditionem Diomedes. cumq; prælio fusis Messapiis agrum esset consecutus, Doriensibus eum, quos secum habebat, diuidit, ipse ex filia Daunij, filios duos procreat, Diomedem & Amphinomum. Senectute consumtum, uitaq; functum Diomedem apud Daunios, in insula tumulãt Dorienses: & ab eo Diomedeã nominant. Proinde agros à rege ipsis datos colunt, & (quòd essent rusticorũ operum periti) plurimũ ex iis fructuum percipiunt. Mortuo Daunio, Illyrij barbari DORIENSIBVS, quibus terram istam inuiderent, insidias struunt, inq; insula sacris operantes uniuersos, subitò adorti, trucidant. Eorum corpora Iouis nutu nuspiam uisa sunt, animæ in aues abierunt. Atq; etiam hodie cùm Gręca nauis appellit, aues eæ accedunt: Illyricam autẽ fugiunt, uniuersæque ex insula abeunt. Antoninus Liberalis in Metamor. Diomedeas uolucres (inquit D. Augustinus cap. 26. de Spiritu & anima) quando quidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas: sicut cerua pro Iphigenia, regis Agamemnonis filia. Neq; enim dęmonibus, iudicio Dei ꝓmissis, huiusmodi pręstigiæ difficiles esse possunt. Sed quia illa uirgo postea uiua reperta est, suppositam pro illa ceruam esse facilè cognitum est. Socij uerò Diomedis, quia nusquam subitò comparuerũt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis, & pro eis aues occultè ex aliis locis, ubi est hoc genus auium, ad ea loca perductæ sunt, ac repentè suppositæ, ideo creduntur esse conuersi. Quòd aũt in templum Diomedis aquam rostris afferunt & aspergunt, & quòd blandiuntur Græcigenis, atque alienigenas persequuntur, mirandum non est fieri dæmonum instinctu, quorũ interest, id est, ad quos persuadere pertinet, deum factum esse Diomedem, ad decipiendos homines, ut falsos deos cum ueri Dei iniuria multos colãt: & hominibus mortuis, qui nec quum uiuerẽt, uerè uixerũt, templis, altaribus, sacerdotibus (quæ omnia quũ recta sunt, non nisi uni Deo uiuo & uero debentur) inseruiant.

SEMIRAMIS Assyriorum regina, cùm mortem instare oraculo cognouisset, filio omnibus præfectis parére iussis, repentè disparuit. Diod. lib. 2. cap. 5.

CLEOMEDES Astypalæensis Olympiæ in pugilatu Iccum Epidaurium interemit: eoq; crimine damnatus ab Hagonothetis. Astypalæam reuersus, cùm in ludum literarium introisset, in quo pueri erant fermè LX, columnam, qua tectũ fulciebatur, deiecit. Oppressis ruina pueris, cùm ciues ipsum lapidibus insectarentur, confugit in Mineruæ, moxque se in arcam, quæ in templo erat, conclusit. Eius arcæ operculum Astypalæenses frustrà tollere conati, arcam postremò effregerunt. Cleomedes neque uiuus, neque mortuus intus uisus. Missis ad Delphicum oraculum de rei miraculo consultoribus, his uersibus responsum redditum:

Vltimus heroum Cleomedes Astypalensis,
Quem iam immortalem superum dignamini honore.

Itaque Cleomedi insequentibus deinceps temporibus Astypalæenses tanquam heroi honores habuere. Pausanias lib. 6. & Plutarchus in Romulo.

EPIDIVM quẽdam olim in Sarni fluenta præcipitatum, mox cum cornibus extitisse, proditum annalibus est, ac momento euanuisse, sed & numinis uice cultum. Cælius libro 3. capite 23. Antiq. Lect.

EVTHYMVS Locrensis athleta fortissimus, longæuus ualde fuit, neque morte, sed alio quodam modo in humanis esse desiit. Pausanias lib. 6.

Anno V. C. XXXVII. quinto die mensis Iulij, quem nunc Nonas Capratinas uocant, sacrificium ROMVLVS publicum extra urbem ad Capræ paludem, quam uocant, faciebat. Aderant senatus & frequens populus. Ibi atrox subitò coorta tempestas, caligoque cum procella & fragore ex aere in terram delata, cæteram turbam perculsam in fugam disiecit. Romulus autem est ex oculis elapsus, nec deinceps uel ipse uel corpus est defuncti uisum. Vnde atroci suspicione Patres contacti, ac manauit uulgò fama, iam pridem regnum exosos, quo eius uim sui iuris facerent, regem interemisse. iam enim asperius cum iis atque imperiosius uidebatur egisse. At eam opinionem decretis ei diuinis honoribus discusserunt, quasi non mortuus Romulus, sed supra fortem humanam foret. Iulius enim Proculus, nobilis uir, uidisse sublimem se cum armis raptum Romulum, adiurauit, uocemque audiuisse, Quirinum appellari se iubentis. Plutarchus in Numa, & Romulo.

Vt D. Augustinus in libro Ciuitatis diuinæ uigesimo scribit, plerique NERONEM minimè occisum arbitrantur, sed subtractum, & uiuum occultari in uigore ipsius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum. Vnde nonnulli Neronem futurum Antichristum suspicati sunt. Cuspinianus.

A SEIPSIS INTERFECTI.

Efficientis tantùm ratio hîc habetur. Ipsum mortis genus ad suos peculiares titulos referri debet. Consule Titulum, Deuoti pro patria. item, Declinatio mortis nimia.

QVI NOLENTES ET CASV SESE PEREMERVNT.

CAMBYSES Rex, audita Smerdis Magi, qui regnum in Perside occuparat, rebellione, & agnoscens sine causa fratris sui Smerdis interemtorem se fuisse, deflebat Smerdem. Mox (ut erat omni clade afflictus) in equũ insiliit, ut celerrimè Susa uersus exercitum duceret in Magum. Insilienti in equum uagina gladij excidit: unde nudatus gladius perstrinxit eius femur,

femur, in ea scilicet parte, in qua priùs ipse tanquam oportuna ad feriendum percusserat Apim Aegyptiorū deum. Vulneratus Cambyses, quódnam illi oppido nomen esset, interrogauit. Illi aiunt, Ecbatana. Sed cùm fuisset iam antea Cambysi redditum ex urbe Buti oraculum, eum in Ecbatanis decessurum: ipse interpretabatur se in Ecbatanis Mediæ, ubi res eius omnis erat, senem uita functurum: at oraculum in Ecbatanis Syriæ loquebatur. Obstupuit igitur, oppidi nomen audiens: tum Magi iniuria perculsus, tum uulnere: uerbaq; oraculi expendens: Hoc in loco, inquit, fatale est Cambysem Cyri decedere. Herod. lib. 3.

CALOIOANNES (qui Maurus dicebatur) Imperator Constantinopolitanus, in Cilicia aduersus aprum pugnans adeò magnis uiribus arcum intendit, ut sagitta manum, qua tenebat arcum, traiiceret. Quæ cùm ueneno, ut in uenatione moris est, ferrum illitum haberet, paucis diebus interiit: relicto Emanuele filio, imperij successore, Christi anno centesimo ac trigesimo post mille. Fulgosus lib. 9. cap. 12.

QVI SPONTE ET VOLENTES sibiipsis manus intulerunt. Αὐθένται.

Vocabant tempus illud Græci, cùm afferre sibi manus sine reprehensione quis posset, εὔλογον ἐξαγωγήν: quod ualet, Adeptum esse causam iustā mortem sibi consciscendi. ἐξάγειν enim ἑαυτὸν significat educere se ex hac uita tanquam è custodia: ut Plato quoque locutus est in Phædone. Victorius lib. 6. Var. lect. cap. 11.

IMMORTALITATIS STVDIO.

Lactantius lib. 3. de Falsa sapientia, cap. 18. inquit: Multi ex his, qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cœlum migraturi essent, sibiipsis manus intulerunt: ut CLEANTHES & CHRYSIPPVS, ut ZENO & EMPEDOCLES, qui se in ardentis Aetnæ specum intempesta nocte deiecit, ut cùm repentè non apparuisset, abiisse ad deos crederetur.

CLEOMBROTVS seu Theombrotus ex Ambracia, quum legisset opus Platonis de animarum immortalitate, Phædonē dictum, sponte se præcipitauit. Ouid. in Ibin:

Vel de præcipiti uenias in Tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.

Lactantius, Quid (inquit) Ambraciotes ille, qui quum eundem librum perlegisset, præcipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quòd Platoni credidit? Quòd si scisset Plato, ac docuisset, à quo, & quo modo, & quibus, & quę ob facta, & quo tēpore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem, nec Catonem. Cicero lib. 1. Quæst. Tusc. Callimachi, epigramma in Cleombrotum extare scribit, qui è muro se in mare abiecerit lecto Platonis libro.

LEGVM OBSERVANTIA.

CHARONDAS Tyrius quum legem tulisset, ne quis armatus ueniret in concionem: & tamen ipse rure ueniens, præter spem aliter fecisset: monitus legis ab eo qui proximè sedebat, uitam spontè reliquit, & gladio suo incubuit: quum tamē culpam dissimulare potuisset, aut defendere. Valerius Maximus de Iustitia.

CASTITATIS CONSERVANDÆ ERGO.

SOPHRONIA matrona Romana, altera Lucretia Christiana, cùm uim Decij principis metueret, consentiente marito, arrepto gladio seipsam transfixit. Eusebius in historia Ecclesiastica.

AMORE PATRIÆ.

Vide Titulum, Fidei erga patriam.

Argiuis Thebas obsidentibus, quū Tiresias uates prædixisset Thebanos expugnatū iri, si eorū (qui serpentinis dentibus prognati fuerant) aliquis se morti deuoueret: MENOECEVS ut patriæ saluti consuleret, in ipsis Thebarū mœnib. gladio se cōfodit, confossum corpus ad hostes deturbauit. Quo uiso, protinus abierunt Argiui. Statius lib. 1. Theb.

OTHO Syluius Imp. ab A. Vitellij militibus pressus, intentúsque iam morti, ne sua causa florentissimas pop. Rom. legiones in discrimen adduceret: tumultu inter moras exorto, ut eos, qui discedere & abire cœptabant, corripi quasi desertores, detineriq; sensit: Adiiciamus, inquit, uitæ & hanc noctem: uetuitq; uim cuiquam fieri: & in serum usque patente cubiculo, si quis adire uellet, potestatem sui præbuit. Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, & explorata utriusque acie, cùm alterum puluino subdidisset, foribus adapertis arctissimo somno quieuit. Et circa lucem demum expergefactus, uno se traiecit ictu infra læuam papillam. Irrumpentibusq; ad primum gemitum, modò cælans, modò detegens plagam, exanimatus est: & celeriter apud Veliternam (ita præceperat) funeratus trigesimo & octauo ætatis anno, & nonagesimo & quinto Imperij die. Suetonius, & Dion, & Plutar.

AMORE DVCVM, PRINCIPVM.

In grauissima illa inter Othonem & Vitellium de imperio contentione, quæ in bellum ciuile excreuerat, superatis iam Othonianis, VNVS ex equitibus cladem Othoni nunciauit. Cui cùm fidem non haberet, eumque fugitiuum atque hostem appellaret: Vtinam, inquit, hæc falsa essent, Imperator: libēter enim te uictore mortem occumberem: nunc autem, utcunque sit, moriar, ne uidear salutis meę causa fugisse. Atque hæc cùm dixisset, manus in omnium conspectu sibi intulit. Xiphil. & Plutar. in Othone.

FIDE CONIVGALI.

ALCESTIS filia Perilai, seipsam interfecit, ut umbra sua contenti manes, Acasto ęgroto marito parcerent. Euripides Alcestide. Seneca in Medea:

Coniugis fatum redimens Pheræi,
Vxor impendit animam marito.

ARIA mater (nam fuit eiusdem nominis filia) damnato Pæto marito, cōfodit corpus gladio: quem uulnere educens, ipsi Pæto quærenti dedit, ut idem faceret. Martialis libro I.

Casta suo gladium quum traderet Aria Pæto,
Quem de uisceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, uulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

AMORE DOMINORVM.

Mithridates à Pompeio superatus, filiam nomine Diraptim Menophilo eunucho seruandam commisit in castello quodam, Sinthorio nomine. Quod quum Manlius Priscus obsedisset, defensoresque deditionem parantes MENOPHILVS sentiret, gladium in uiscera sua adegit, ueritus, ne captiua puella uiolaretur. Ammianus Marcellinus libro decimosexto.

NEÆRA & CHARMIONE, Cleopatræ ancillæ, spontaneam dominæ mortem imitatæ, ac semiuiuæ repertæ, reginæ iam mortuæ coronam capite delapsam reposuere. Plutarchus in Antonio.

ODIO CONIVGALI.

SABINA imperatrix, Adriani uxor, seruilibus propè iniuriis ab eo affecta, ad mortē cucurrit uoluntariam: quod tam immane ingenium, humanique generis perniciem pertulisset. Aurelius.

ZELOTYPIA.

Vide Titulum, Zelotyporum.

LABORIS ODIO.

ROMANA plebs laboris cloacarum ædificandarum tædio sub Tarquinio Superbo rege necem sibi consciuit. Plinius libro 36. capite 15.

MORBI IMPATIENTIA.

SESOSTRIS Aegyptiorū rex, seu senio, seu morbo, siue alia fortuna, oculis captus, seipsum interfecit.

TIMANTHES Cleonæus, pancratiastes, ægrè ferens, uires sibi per ætatem defecisse, rogo extructo seipsum in ignem coniecit. Vide Tit. Pancratiastarum.

M. PORTIVM Latronem, declamatorem insignem, & præstanti uirum memoria, duplicis quartanæ tædio manum sibi admouisse, atque ita functum fato, Chronographi testantur.

Dion prodit EVPHRATEM philosophum sponte de uita excessisse, quòd ueniam esset impartitus Adrianus, ut id citra ignominiam liceret, ac infamiam, quia esset annis fessus, & morbo diuexaretur: quibus malis cicutæ haustu est occursum. At Martianus Digestis de Bonis eorum, qui sibi manum consciuerunt: Qui sibi manum (inquit) inferre uoluit, nec perfecit, puniendus est: nisi tædio uitæ, uel doloris impatientia id agere est coactus. qui sibi non pepercit, multò minus aliis parceret. Cælius lib. 23. cap. 18. A. L.

SYLLIVS Italicus poëta, incurabilis morbi tædio, uoluntariam oppetiit mortem, annos natus LXXV. Politianus in Nutricia:

Ipse obiit plenusq; æui, natoq; superstes,
Aspera congenito fixus uestigia clauo.

FVRORE, AMENTIA.

Virgines MILESIÆ, repentè sine ulla euidenti causa, uoluntatem ceperant obeundæ mortis, plurimæque iam suspendio uitam amiserant. Quare Milesij suasu cuiusdam matronæ decreuerunt, ut quæ uirgines corporibus suspensis mortuæ deprehenderentur, hæ post hanc legem, cum eodem laqueo, quo præuinctæ & alligatæ essent, nudę tota uia publica ad sepulturam efferrentur. Post quod decretum uirgines à spontanea morte pudore solo deterritæ fuerunt. Gell. lib. 15. c. 10. & Plut. περὶ ψυχῆς, & Polyænus lib. 8.

Cùm CLEOMENIS Spartanorum regis perfidiam erga Demaratum collegam (quē falsis criminibus regno priuarat) Lacedæmonij cognouissent, & is exul Arcades contra Spartam sollicitaret, Spartani timentes sibiipsis, Spartam eum reuocarunt ad pristinam dignitatem. Sed eum reuersum statim morbus insaniæ cepit, & iam antea subinsanum. Nam ut cuique Spartiatarum obuius erat, in eius faciem infligebat sceptrum. Hæc illum facientem, ac desipiscētem, propinqui

qui soleis ligneis illigauerunt. Qui custodem digressis alijs solum remansisse cernēs, petiit ab eo gladium. Custode abnuente dare, comminabatur, donec minis territus custos (erat enim seruus quidā) gladium tradidit. Eo accepto, Cleomenes à furiis incipiens sese detruncabat. In longum nanq; discindens carnes, è tibiis ad femora processit, è femoribus ad coxarum uertebras atque ilia, quousq; peruenit ad abdomen, in quo rescindendo expirauit: ut plerią; Græcorum memorant, quia Pythiam corruperat ad ea dicenda, quæ circa Demaratum acta sunt: ut soli Athenieses, quòd adortus Eleusinam, fanū deorum fuerat depopulatus: ut Argij, quia eos qui è pugna fugerant Argios, ex Argi templo abductos obtruncarat, & ipsum lucum, quem in Argia occupasset, incenderat: ut Spartani, ex ebrietate, cui cōuersatione Scytharum assueuerat. Herodotus libro sexto.

MACHO seruus in lectum Iouis Capitolini conscendens, multa & ea quidem grauia uaticinatus, catellum, quem secum attulerat, occidit, & mox seipsum interfecit. Xiphilinus in Caligula.

LVCRETIVS poëta physicus, sumto amatorio poculo, eò furoris raptus est, ut manum sibi intulerit, natus annos plus paulò quadraginta. Quinetiam eò, priusquā moreretur, delirio diu antè fertur laborasse: neq; ad scribendum carmen animū appulisse, nisi intersecta interuallataq; insania. Eusebius & Volater. lib. 16. Vrb. comment.

Ambitione.

PEREGRINVS philosophus Cynicus, glorię causa in pyram ardentem Olympiæ sese coniecit. Lucianus.

Pudore.

Athenienses & Lacedæmonij, quum de Tyreatium agro inter se contenderent, tandem ita pepigerunt, ut trecentis militibus summam rei committerent, qui sua pugna omnium litem dirimerent. Ibi omnes interfecti sunt, pręter unum ORTHRYADEM Lacedæmoniū: qui spoliatis prius hostium corporib. & ad sua castra relatis armis, deinde in scuto sanguine suo, Vici, inscripto, cùm puderet Spartam reuerti ob socios interfectos, sibi mortem consciuit. Plutarchus, Val. Max. Ouidius in Fastis, & Volat. lib. 17.

LVCRETIA rarum Romanæ castitatis lumen, ægrè ferēs suæ pudicitiæ florem à Sex. Tarquinio, Tarquinij Superbi Romanorum regum ultimi filio, corruptum, coram marito & cognatis culpam fassa, gladio, quē sinu abdiderat, semetipsam occidit.

M. AEMYLII Scauri filius, cùm ideo quòd in saltu Tridētino hostibus loco cesserat, in patris conspectum uenire non auderet, uerecundiæ ignominia pressus, mortem sibi cōsciuit. Cæcilius, & Front. lib. 4.

Sceleris conscientia.

PONTIVM Pilatum, patria Lugdunensem, ferunt nefariæ in Christum sententiæ meritas dedisse pœnas, sibiq; mortem intulisse. Gregorius Turonensis.

Aeolus rex Ventorum, audito CANACES filię cum Macareo fratre incestu, ad eam gladium misit, ut scelus uoluntaria morte dilueret. Plut. & Ouid. in Epist.

CYANE puella à patre Cyanippo incognito per uim stuprata, ubi tandem auctorem sceleris agnouit: illum priùs, demum seipsam interfecit. Plutarchus, ex Dositheo libro tertio rerum Sicularum.

BIBLIS Mileti filia ex Cyane, quum fratrem Caunum miserè deperiret, neque eius concubitum posset assequi, se occidit, & in fontem postea Naiadum beneficio mutata est. Ouid. lib. 1. de Arte:

Biblida quid referam, uetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas?

TEREVM regem Thraciæ ferunt perpetrato in Philomelam uxoris Prognes sororem scelere, sibi mortem Megaris consciuisse: mortuoq; sacra instituta anniuersaria, in quibus ordei loco calculis utebantur. Atq; eo quidē in loco primùm upupam, in quam mutatus fertur, uisam memorant. Pausanias in Atticis.

PAPYRIVS Romanus, quum sororem Canusiam grauidam fecisset, & illa gladio à patre misso sibi corpus confodisset, seipsum quoq; mortuæ sorori dedit comitē. Chrysippus li. 1. Rerum Italicarum, apud Plutarchum in Parallelis.

BVSALTIA puella à Calphurnio Crasso (cui patrem prodiderat) relicta, sibi ferro iugulum transuerberauit.

METV VEL *Paupertatis.*

APICIVS Romanus, pronus in omnem luxuriā, cùm iniret secum rationem, quantos sumtus fecisset, & quantum restaret, cognouissetq; sibi reliqua esse aureorum cētena millia, hoc est 250. myriades drachmarum, timēs ne fame mori cogeretur, sibiipsi manus intulit. Dion Nicæus in Tiberio.

Ignominiæ.

SOPHOCLES ultimæ iam senectutis, cùm in certamen tragœdiam dimisisset, ancipiti sententiarum euentu diu sollicitus, aliquanto tamen una sententia uictor, causam mortis gladium habuit. Val. Max. lib. 9. cap. 12.

CLEOPATRA Aegypti regina mortuo Antonio marito, ubi intellexit se ab Augusto in triumphum reseruari, causa declinandæ eius ignominiæ, brachium aspidi mordendum præbuit: Cæsare Psyllos ueneficos, qui serpentis uenenum è uulneribus haustu reuocarent & exugerent, frustra admouente. Plut. scribit, ex aliorum sententia eam habuisse uenenum in acu crinali quod hauserit. Nam neq; corpus deformatū, nec aliud ullum apparuisse ueneni signum: nec aspidem ab ullo conspectam, sed tractus duntaxat uisos: ipsius que brachium duas notas habuisse leuiter impressas, & humidas. Cæsar in triumpho Cleopatræ imaginem tulit, cum aspide mordicus affixa. Plinius lib. 21. cap. 3.

Condemnationis.

ARCHIAS stipulatus à Demetrio quingenta auri talenta, ut Cyprū proderet, re deprehensa, arrepto fune ex his, quib. tēdūtur tentoria, suspendit sese. Erasm. in Ad. ex collect. Græc.

CLEOMENES Spartanorū rex, Alexandriæ exul, cōspiratione contra Ptolemæum Philopatorē facta, cùm ea malè processisset, sibiipsi cum sociis manus intulit. Ptolemæus uerò etiam cadauer Cleomenis imperauit excoriatum in crucē agi, necari insuper liberos eius, matrem, & feminas eius comites. Plut. in Cleomene.

APPIVS Claudius Regillanus, Decemuir, eo quòd Virginiam, Virginij Centurionis filiam, inhonesto amore incensus per fas nefasq; stuprare uellet, in carcere sibi manus intulit. Liuius.

OPPIA & FLORONIA Vestales, stupri compertæ, sibi mortem intulere, grauioris supplicij metu, ne uiuæ sub terra defoderentur. Vol. lib. 20. Anthrop.

FANNIVS Cepio, deprehensus in coniuratione aduersus Augustum, sibi mortem consciuit. Martialis libro secundo Epigrammatum:

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

COR. GALLVS, poeta elegiographus, Virgilij amicus, & coętaneus, ab Augusto præfectus Aegypti designatus, Thebarū ciuitate spoliata, quum repetundarum postularetur, furtiq; & populatæ accusaretur prouinciæ, sibi mortem intulit, anno suæ ætatis XLIII. Marcellinus li. 17. Ouid lib. 3. Eleg. Alij motum uolunt, quòd Augusti domo ei fuisset interdictū, ut scribit Tranquillus. Alij ob linguam nimis effrenē. Quod & Ouidius uidetur probasse, ubi ait:

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

De eo sic Dion in Augusto: Cornelius Gallus ab Octauio Cæsare in Aegyptū missus, suas statuas in omnib. ferè Aegypti partibus collocauit, & res à se gestas in pyramidibus inscribi curauit. Vnde à Largo accusatus, & magno dedecore affectus, mortem sibi ipsi consciuit.

PHOEBE Iuliæ liberta, atq; libidinis socia, mortē sibi uoluntariam post multis prostitutam pudicitiam consciuit: & ob eam rem plurimùm ab Augusto laudata est, qui Iuliā filiam ob nocturnas cum scortatoribus comessationes relegauerat. Dion in Augusto.

CN. CORBANVS, uictus à Sylla, exulauit apud Rhodios, ubi comprehensus, seipsum interemit. Liuius lib. 89.

C. RVFFVS Geminius, impietatis in Tiberium accusatus, tabulas testamēti sui attulit in Senatum, in quibus filios suos & Tiberium hęredes faciebat ex æquis partibus. Tamen accusatus per inuidiā à Tiberio, qui malè ei uolebat, nullam aliam ob causam, quàm quòd mollis & effeminatus esset, domum reuertit, antequam aliquid decerneretur. Pòst ubi intellexit quæstorem adesse ad renunciandam sententiam, qua fuerat condemnatus, se ipse percussit, ac uulnere quæstori demonstrato, Refer, inquit, ad Senatū, fortes uiros hoc modo mortem oppetere. Dion in Tiberio.

PVBLIA Prisca, C. Ruffi Geminij uxor, rea, in Senatum uenit: ibiq; pugione, quem sub ueste condiderat, se ipsa interemit. Dion in Tiberio.

PISO homicidij reus factus, introductusq; in Senatum, ac in eo paululum commoratus, mortem sibi consciuit. Dion in Tiberio.

ASIATICVS apud Claudium Cæsarem accusatus atque condemnatus mortem sibiipsi consciuit. Dion in Claudio.

NERO, hostis patriæ à Senatu iudicatus, urbem egressus, sequentibus libertis semet ictu gladij transegit, ad quartū urbis miliarium, adiuuante trepidantem manum impuro eunucho Sporo, uel Epaphrodito à libellis. Periit anno ætatis suæ XXXII. Ausonius: Matricida Nero proprij uim pertulit ensis. Suetonius, Eutropius.

DVO ad bestias damnati, ut se ea crudelitate ludibrioq; redimerent, quemadmodum Seneca scriptum reliquit, cùm cur

ru ad theatrum deportarentur, alter ipsorum cùm dormire se fingeret, adeò caput inclinauit, ut inter rotæ radios illud inuolueret, rotaq; uertendo collum eius frangeret. Alter autem cùm obtinuisset, ut è curru leuandi uentris gratia descẽderet, spongiam, quæ in publicis latrinis ad purgandum anum ligno affixa manebat, gutturi tanta ui inseruit, ut confestim præclusa anima periret. Fulgosus libro 9. cap. 12.

Interfecto Galba, qui Tigillinum Neronis magistrum à morte seruauerat, torquebat plebem, quòd solem adhuc aspiceret TIGILLINVS, postquã tot & tales uiri eius causa lumen illius non aspiciebant. Misit igitur in eum Otho ad uillam ipsius apud Sinuessam. Illic agebat paratis ibi nauibus, quibus profugeret. Eũ, qui missus fuit ad ipsum, magna ui auri molitus est, ut se missum faceret, inducere. Postquam id frustra fuit, æquè dedit ei munera: orauit autem, ut sustineret, dum barbam rasisset: acceptoq; cultro tonsorio, fauces sibi ipse præscidit. Plutarchus in Othone.

Hostium.

ZAMBRIS tyrannus Israelitarum, cùm Elam regem interfecisset, & Thersam se recepisset, uideretq; se ab uniuerso exercitu ad supplicium exposci, septimo die cum regia semetipsum concremauit. 3. Regum 16.

HIRCANVS II. Iudęorũ princeps cùm Tyrum in Arabia munitissimum locum ædificasset contra uim fratrũ, & Arabum incursiones, metuens, ne in manus Antiochi Epiphanis, qui Seleuco Soteri fratri in regno successerat, incideret, sibiipsi manus intulit. Iosephus libro 12. cap. 4. & 5. Antiq.

Superatis ab Alexandro Magno Atheniensibus, DEMOCRATES Atheniensis (qui Macedonum opibus semper obstiterat) uenia desperata, gladio se transfixit. Curtius lib. 5.

DINOCRATES dux Messenius, uictus ab exercitu Achæorũ, urbeq; amissa, ne ueniret in inimicorum manus, sibiipsi mortem consciuit. Plutarchus in Philopœmene.

DIÆVS Megalopolitanus, Achæorum prætor, cùm efferata animi rabie Rom. obsisteret, à L. Mummio uictus, Megalopolim turpiter fugit, & manu sua uxore, ne in hostium potestatem ueniret, occisa, hausto ueneno occubuit. Pausanias in Achaicis.

PETRONIVS, q Q. Aelij siue Cælij beneficio ex humili loco ad equestrem peruenerat ordinem, cùm Aelius Placentiæ præesset, ne in manus hostium ueniret, gladio incubuit. Valer Max. lib. 4. cap. 7.

P. CRASSVS, L. Crassi oratoris frater, Iurecons. quum factionem sequeretur Marianam, ne in manus inimicorum incideret, seipsum interemit. Volaterranus.

CORNELIVS Merula, Lucij Cornelij consulis nepos, & flamen Dialis, partium Syllanarum, ingresso urbem Mario, in Iouis æde, uenis succisis se necando, mortis contumeliosæ damnationem effugit: sacerdotisque sui sanguine foci uetustissimi maduêre. Valerius Maximus libro nono, capite duodecimo. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 3. cap. 17. Florus libro tertio, capite 21.

C. MARIVS iunior, mortuo patre, in optimates crudelis, Prẹneste à L. Sylla obsessus, uehementerq; uitę retinendę nequicquam anxius, ubi euolare nequiuit, dum capitur oppidum, sibi ipse consciuit necem. Plutarchus in Mario.

C. siue L. FIMBRIA, satelles Cinnæ, Marianarum partium, occiso aduersæ partis consule Val. Flacco, & fusis Mithridatis ducibus in Asia, L. Syllæ imminebat At ubi castra castris apposita habens ad Tiatira, milites suos sagatos cum Syllanis congredi, eosq; in aggere excitando adiuuare uidit, Syllam ut implacabilem metuens, Pergamum reuersus, in templo Aesculapij sibi manum intulit. Sed quum id uulnus minus altè esset impressum, seruum hortatus est, ut inceptum iuuaret. Is herum primò, mox seipsum ferro transegit. Eius exercitum benignè Sylla suscepit, clementerq; sub signis habuit. Sabell. lib. 3. Enn. 6. ex Plut. Sylla.

DOLABELLA partium Cæsarianarum, cùm Trebonium unum ex Cæsaris percussoribus Smyrnæ crudeliter interfecisset, ideoq; à Senatu hostis iudicatus esset, tandem in Syria multis præliis cum Crasso congressus, uictus, sibi manus intulit. Appianus lib. 4. Bellorum ciuilium.

PETREIVS dux Pompeianus, à Cæsare in Hispania superatus, se ferrò & inedia interemit. Appianus lib. 2.

IVBA rex Mauritaniæ à Cæsare uictus sibi mortẽ consciuit. Eius filius puer Romam in triumphum ductus, literis claruit.

M. ANTONIVS Triumuir, cùm ad Actium nauali prælio ab Augusto superatus esset, Alexandriæ ab eodẽ obsessus, gladio sponte incubuit. Plutarchus in eius uita.

DECEBALVS Dacorum rex, à Traiano Imp. uictus, ne caperetur, manus sibi ipsi intulit. Eius caput Romam perlatum est. Dion in uita Traiani.

ALBINVS à Seuero Imper. uictus, in ædem quandam ad Rhodanum confugiens, mortem sibi consciuit. Xiphilinus in Seuero.

ARBOGASTES quum Valentinianum Iuniorem apud Viennam dolo strangulasset, ut eidem in imperio succederet, à Theodosio mortem eius ulciscente superatus, sua se manu peremit. Paulus Diaconus.

MAGNENTIVS tyrannus à Constantio Imp. uictus Lugdunum aufugit. Victori ut comites gratularentur, consiliũ ineunt tyrannum capere, & Augusto tradere. Ille uerò sentiẽs se custodiri, deesseq; locum fugæ, furorẽ simulat: fratri Desiderio uulnera infert, non tamen lethalia, tum quosdam amicos interficit Pòst coangustatus, gladio occultè accepto, ictum pulsu parietis iuuans (ut erat uasti corporis) naribus atque ore cruorem effundens, expirauit, mẽse imperij quadragesimo secundo, anno ætatis quadragesimo. Eius morte audita, DECENTIVS frater, qui Gallias tuebatur, sibi metuens, laqueo fasciæ ad collum posito, apud Senonas uitam finiuit. Alter uerò frater Desiderius accessit ad Constantium, à quo liberaliter acceptus est. Cuspinianus.

GERONTIVS dux, qui Maximo tyrannidem in Hispania, pulso Constante Constantini Galliarum tyranni F. conciliauerat, dum Arelate obsidet, à militibus ad Constãtium Honorij Imp. ducem deficientibus desertus in Hispaniã rediit. Milites eum concursu facto domi circumsederunt, ac strenuè se cum paucis seruis defendere molientem igne tectis iniecto eò desperationis adegerunt, ut post familiarem suũ Alanum, & Nõnichiam uxorem occisam, sibi manum intulerit, ac pectus gladiolo hauserit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Principum odij.

M. SYLLANVS, Caligulæ Imp. socer, postquam sensit se propter uirtutẽ & nobilitatem generis grauem esse Caio, mortem sibiipsi consciuit. Dion in Caligula.

Iræ dominorum.

PACHVS Catonis senioris seruus, cùm tres puellas è captiuis, quę sub hasta ueniebant, emisset: uetitus eas ab hero domum ducere, præ mœrore sibi mortem consciuit. Plutarchus in Catone.

MOERORE, INDIGNATIONE. Ob

Consilium spretum.

ACHITOPHEL consiliarius Absalomi, uir tãtæ existimationis, ut omnia eius consilia pro oraculis haberentur, cùm uideret Chusai Architæ summi Dauidis amici cõsilia ab Absalomo suis preferri, rei indignitate motus, desperatis rebus seipsum domi suæ, datis familiæ præceptis, laqueo necauit. 2. Regum 16. & 17.

Patriæ excidium.

ARISTODEMVS Messeniorum rex ultimus, cùm pro salute patriæ iussu oraculi filiam suam occidisset, & tamen multis aliis indiciis interitum regni instare præuideret, cùm sex & amplius annos bellum contra Lacedæmonios fortissimè gessisset, 20. anno belli Messenici primi ad filiæ tumulum sibiipsi manus intulit. Ithome arx à Spartanis capta, Messenij sub iugum missi. Pausanias in Messenicis.

Cladem exercitus.

AMILCO dux Carthaginẽsis cùm pestilentia oppressum exercitum ferè totum amisisset, mœstamq; ciuitatem & ululatibus plenam audiuisset: ipsos diuos suamq; incusans fortunam, clausis foribus sibi mortem consciuit. Trogus lib. 19.

Victoriam hostium.

SAVLVS rex prælio ultimo, quod aduersus Philistæos in mõte Gelboe gessit, sagittis grauiter uulneratus, ne in hostium potestatem ueniret, armigero imperãs, ut se stricto ense trãsigeret, eo recusãte, ipsemet gladio suo incubuit. 1. Reg. 28. 31.

TAVREA Iubellius Campanus, memoranda uir fortitudine, à Fuluio Capua capta, manu propria coniuge liberisq; interfectis, se postremò ante pedes Imperatoris gladio transfixit. Liuius libro secundo.

M. CATO Vticensis minor, grauatè ferens Pompeium (cuius partes fouebat) à Cæsare superatũ, suo gladio incubuit, lecto priùs Platonis Phędone de Animæ immortalitate. Cuius audita morte Cæsarem dixisse ferunt, & se Catonis inuidere gloriæ, & suæ Catonem inuidisse. Sic autem abiit de uita, ut testimonio Ciceronis, causam moriendi nactum se esse gauderet plurimùm. Dictus est Vticensis ab Vtica urbe Africæ, in qua se occidit. Plinius lib. 5. & Gellius lib. 13. Lactantius Catonẽ in omni uita Socraticæ uanitatis imitatorem, homicidam suiipsius extitisse scribit.

M. BRVTVS, unus ex his, qui Cæsarem XXII. uulneribus in Senatu confoderunt, ab Augusto & Antonio apud Philippos uictus, manum sibi intulit, iuuante Stratone rhetore. Plutarchus in Bruto.

C. CASSIVS post interfectũ Cæsarẽ, ab Antonio & Augusto bello petitus, castra cũ Bibulo iunxit apud Philippos. Verũ quũ inclinatam uideret aciẽ, ultrò sibi mortẽ intulit, eodem pugione, quo in Cæsarem usus fuerat, auctore Plutarcho: uel (ut alij malunt) Pindaro liberto iugulandum se præbuit.

LABEO Marsus in calamitate Macedonica (quum hostis premeret) seque natumque gladio traiecit, ne uictoris Octauij uultum sustineret. Pontanus de Fortitudine bellica.

M. ANTONIVS uictus Alexandriæ, ab Octauio, & à suis desertus, fugiebat. Cleopatra cùm iram eius & desperationem formidaret: confugit ad monumentum, cataractasq; demissa clausstris & repagulis firmatas, ac misit ad Antoniũ nunciatum defunctam se esse. Id credens ille, & secum locutus: Quid ultra moraris Antoni? unicam fortuna & reliquam eripuit tibi trahendi spiritus causam. cubiculum ingreditur, laxansq; & aperiens loricam: Non crucior, inquit, Cleopatra, quia te sum orbatus: mox enim istuc adero: sed quòd tãtus Imperator superari animi celsitudine deprehensus sim à femina. Erat seruus ei fidus Eros nomine. Hunc iampridem orauerat, si res postularet, ut interficeret ipsum. Tunc exegit promissa. Ille districtum ensem extulit quasi illum icturus, uerùm auerso uultu interemit semetipsum. Quo ad pedes suos collapso Antonius: Macte Eros, inquit, qui, quod non sustinuisti mihi ipse facere, quid faciundum sit, doces. Ita uentrem fodit, atque in lectulum demisit se. Ictus non fuit is, qui maturaret mortem. Vnde cursu sanguinis, postquàm decubuit, inhibito refocillatus, orauit assistentes, ut se confoderent. Illi eiecerunt se ex cubiculo, uociferante & discruciãte se Antonio, dum Diomedes scriba uenit à Cleopatra, iussus eum in monumentũ ad illam deportare. Quam ut cognouit uiuere, seruis imperauit ardenter, ut tollerent se: ac manibus ad ianuam ædificij est gestatus. Non reserauit Cleopatra fores, sed ex fenestris spectans, restes & funiculos demisit. His annexum Antonium traxit in altum ipsa & duæ mulieres, quas in monumentum solas secum duxerat. Vt eum hoc modo accepit & deposuit in lectum, pepla cum lamentans dilacerauit: pectusq; suum percutiens & lanians manibus, cruoremq; facie abstergens, dominũ, uirum, imperatorẽ appellauit, ac suorum penè malorum est illius miseratione oblita. Lenito Antonius eius dolore, uini haustum poposcit: uel quòd sitiret, uel quòd celeriùs ita expiraturum se speraret. Postquam bibit, monuit eam, ut rerũ suarum, si absq; turpitudine liceret, consuleret incolumitati, ac præcipuè inter amicos Cæsaris fidem adiungeret Proculeio. Se uerò ob nouissimam rerum conuersionem ne lamentaretur: sed gratularetur ob bona, quæ fuerat consecutus: quòd omnium hominum fuisset clarissimus, & plurimùm potuisset: atq; eo tempore non ignauiter esset Romanus à Romano superatus. Plut. in Antonio.

Imperij repulsam.

MARTIVS, illius filius, qui Numam Pompilium ad regnum Romanũ uocauit, ordine senatorio ornatus, cùm post obitum Numæ in regni disceptationem cum Hostilio uenisset, repulsam passus, uita se priuauit. Plut. in Numa.

Repulsam amatoriam.

MALLONIA Romana nobiliss. à Tiberio Imp. delatorib. falsò obiecta, ecquid pœniteret, interrogata: obscenitatem oris hirsuto atq; olido seni exprobrauit, domũq; relicto iudicio se abripiens ferro seipsam transegit. Suetonius.

Præmiorum repulsam.

AIAX Telamonis filius, ægrè ferẽs mortui Achillis arma (quę supra modum appetebat) Vlyssi data fuisse, in rabiem conuersus, mortem sibi intulit. Ouidius libro undecimo Metamorphoseon:

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq;, Iouemq;
Sustinuit toties, unam non sustinet iram,
Inuictumq; uirum uicit dolor. Arripit ensem:
Et meus hic certè est. an & hunc sibi poscit Vlysses?
Hoc, ait, utendum est in me, mihi, quiq; cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit,
Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi Aiax.
Dixit, & in pectus tum demum uulnera passum,
Qua patuit ferro, lethalem condidit ensem.
Nec ualuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor, rubefactaq; sanguine tellus
Purpureum uiridi genuit de cespite florem.

Coniugem ereptam.

L. SYLLANVS, Claudij principis gener, erepta sibi Octauia, dataq; Neroni, præ dolore gladio suo incubuit: idq; die nuptiarum, ad augendam inuidiam. Corn. Tacitus lib. 12.

Iacturam.

ARISTIDES pauper rustic9, amissa oue & uacca, seipsum de tugurio suspendit. Sic Antipater in primo Epigrã. Græcorũ.

Εἶχεν ἀριστείδης ὁ βουκέρριος, οὐκ ἀπὸ πολλῶν
πολλὰ, μιῆς δ' ὄϊος καὶ βοὸς εὐπορίην.
ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ὁ πένης ἔφυγε φθόνον· ἥρπασε δ' αὐτῶν
θῆρες ὄϊν, τὴν βοῦν δ' ὤλεσε δυστοκίη.
μισήσας δ' ἀβληχὲς ἐπαύλιον ἅμματι πήρης
ἐκ ταύτης βιοτὴν ἀγχόνης ἐκρέμασεν.

Aes alienum.

MELITES diaconus, ex ambitione & sui ostentandi studio, contracto ære alieno, cùm soluendo non esset, nec ullum receptum haberet, abiit ac suspendit se. Pachymerius.

Dignitatis priuationem.

MVRÆNA, cùm Romæ Senatorum numerus ab Augusto diminueretur, dum à Cæsare diminui suam dignitatem animaduerteret, sibiipsi, quasi coactus ab eodẽ, cum aliis permultis mortem intulit. Dion in Augusto.

Captiuitatem.

SARGAPISES Tomyris Scytharum reginæ filius, à Cyro rege Persarum captus, dum manicas & brachiorum uincula eximi sibi impetrasset, seipsum interfecit. Herod.

NICIAS & DEMOSTHENES Atheniensium contra Syracusanos duces, ab iisdem capti, & in carcerem coniecti, sibiipsis manum intulerunt. Plutarchus.

GVALTERVS Brennus ab Innocentio III. aduersus Henricum VI. Imp. rex Siciliæ & Neapolis declaratus, à Theobaldo comite Germano, Henrici polemarcho, in lecto captus, & in arcem Sarni deductus, uulnera suapte manu conscidit, intestina lancinauit, & medicamenta simul & alimenta omnia auersatus, quarto die pòst interiit. Collenucius lib. 4. hist. Neapol.

EZELINVS Romanus, tyrannus Patauinus, captus ad Soncinum, ipse suapte manu uulnera, quæ in prælio acceperat, dilacerans, instar feræ belluæ, periit.

Cædem amicorum.

ADRASTVS Gorgij filius, dum Atym Crœsi filium suæ fidei creditũ in uenatione ab apro aberrans percussisset, se super eiusdem tumulum confodit. Herod. lib. 1.

Amicorum mortem.

Felicis russati aurigæ rogo QVIDAM fautorum sese uiuum iniecit. Plin. lib. 7. cap. 53.

HADINGVS rex Danorum, suspendio se uulgo spectãte suffocauit, præ dolore, quem ex Hadingi Sueonum regis amicissimi morte conceperat. Saxo.

Amasiorum mortem.

PYRAMVS & THYSBE Babyloniorũ iuuenũ pulcerrimus alter, Altera quas oriens tulerat prælata puellis, quũ impediente parentũ custodia suis uotis satisfacere nequirent, pepigerũt, ut certo die in remotũ locũ se reciperent. Quò quũ prior uenisset Thysbe, metu leænæ ibidem repertæ profugit in latebras, relicto capitis tegumento. Quod diripiẽs leęna, uenienti pòst Pyramo coniecturã præbuit & argumentum deuoratæ amasię: mortẽq; is sibi ꝓpterea consciuit. Thysbe paulo pòst reuersa, ubi mortuũ amantẽ conspicata est, longioris uitæ pertæsa, eidẽ gladio incubuit. Ouid. in Metam.

HÆMON Thebanus iuuenis, quum amore incredibili Antigonem Oedipi & Iocastæ filiam deperiret, ad eius tumulũ mortem sibi consciuit. Fuerat autem Antigone iussu Creontis (qui uetuerat Argiuorum cadauera inhumari) iugulata, quòd Polynicem fratrẽ mortuum noctu sepelire uoluisset.

In oppido Italiæ Sybari adolescens mira specie AEMILIVS uenator fuit. Noua nupta alteri arbitrata eum consuescere, ingressa est saltum. Vibrantibus ramis canes eam aduolantes discerpsere: super quam ille se confodit. Sic Clitonymus libro secundo rerum Sybariticarum. Plutarchus in Græcor. & Rom. comparat.

Mortem liberorum.

IOCASTA filia Creontis, & uxor Laij, regis Corinthiorum, uidens filios suos Eteoclem & Polynicem mutuis uulneribus interfectos, mortem sibi intulit. Statius lib. 11. Theb.

AMPHION Iouis filius, interfectis ab Apolline quatuordecim liberis, seipsum gladio interemit.

HIPPO & Meletia SCEDASI Bœoti filię, à iuuenibus Spartanis stupratæ, & in puteum coniectæ sunt, occultandi sceleris causa. Pater domum reuersus cùm iniuriam illatam ad Ephoros frustrà detulisset, ad filiarũ tumulum seipsum confecit, multis priùs diris Lacedæmonios persecutus: quę tandem ad Leuctra ratæ fuere. Plutar. & Pausanias.

Coniugum mortem.

DEIANIRA Herculis uxor ob exustum in Oeta monte maritum sibiipsi manus intulit. Natalis Comes Mythol. lib. 7. c. 1.

HYLONOME centaura interfecto à Lapithis marito Cyllaro (teste Ouid. lib. 11. Metam.)

——telo, quod inhæserat illi,
Incubuit, moriensq; suum complexa maritum est.

IASON ob sponsæ & filiorũ à Medea interfectorum mortem seipsum necauit. Diod. lib. 4. cap. 3.

DIONEM suo gladio incubuisse, pro comperto est: sed non omnes eandem mortis causam asserunt. Scribit Ausonius (& ita se habet rei ueritas) hoc ab ea factum, ut mortuo marito Sichæo castitatem seruaret uidualem, & nuptias Iarbæ Getulorum regis declinaret:

Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Seruaui fateor morte pudicitiam.

Ausoniũ sequutus Marullus, Didonẽ sic inducit loquẽtem:

Nec mihi Phryx nocuit, nec enim Phryga nouimus ullũ:
Cura sed antiqui casta tenaxque thori:
Quam ne coniugio Lybici uiolare tyranni
Cogerer, hac cecidi fortiter usa manu.

Vtriq; succinit Rhemnius, seu (ut alijs placet) Priscianus, in Geographia Dionysij, de Situ orbis, dicens:

Qua regnans felix Dido per secula uiuit,
Atq; pudicitiam non perdit carmine ficto.

Contrà uerò Vergilius hoc ipsum ascribit impatientiæ doloris, quem ex Aeneæ fuga conceperat. Eum pleriq; omnes poetæ Latini secuti sunt. Ouid. lib. 3. Fastorum, & in Epistolis, hoc eius epitaphium facit:

Præbuit Aeneas & causam mortis & ensem,
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

CYANIPPVS Pharacis F. ducta uxore Leucone, uenationi plurimum deditus erat, ita ut diurnis uenationibus defatigatus, noctu sæpe cum uxore nullo sermone habito in profundum somnum laberetur. Leucone exploratura, quid faceret tandem Cyanippus, clàm ministris omnibus syluã ingreditur. Canes fortè ceruum insequuti, & ob longam uenationem ferociores redditi, quum puellam olfecissent, eam inuaserunt & dilaniarunt. Cyanippus superueniens, uocatis ministris illam in extructum rogum composuit, & primùm quidem canes suos ad rogũ mactauit, postea uerò seipsum interfecit. Parthen. in Amat. & Plut. in Parallelis.

Cùm Abradatas in Cyri exercitu aduersus Babylonios militans, cæsus in prælio ab hostibus, ab uxore PANTHEA iuxta gentis morem deploratus ornatusq; esset, neq; aliud iam funeri nisi ut sepeliretur superesset, supra mortui uiri corpus se peremit. Xenophon lib. 7. Pædiæ.

MONIMA Milesia, & VERONICE Chia, duæ Mithridatis uxores, audita eiusdem miserabili fortuna per Bochidem eunuchum, ambæ uitam sponte reliquerunt. Nam Monima ex diademate confecto laqueo primam se suspendit. Sed quum corporis grauitate confractus esset laqueus: O execrandum, inquit, diadema, quo neque in tam tristi ministerio uti possum. Bochidi postmodum se dedit iugulandam. Veronica uerò calicem ueneni hausit: quo per uenas serpente, quum duriùs torqueretur & langueret, Bochidis quoq; auxilio accelerauit sibi mortem. Plut. in Mithridate.

PORCIA filia Catonis, audita morte M. Bruti mariti apud Philippos interfecti, ferrum poposcit ad inferendam mortẽ. Quod quum amici recusassent, carbones hausit, & inaudito mortis genere uitam finiuit. Plutarchus, & Valerius Maximus. Martialis lib. 1. Epigram.

Coniugis audisset fatum quum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis (ait) mortem non posse negari,
Credideram satis hoc uos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

APICATA uxor Seiani, accusatione Liuillæ uxoris Drusi in odium mariti perducta, audita liberorum morte, eorumq; in scalis corpora intuita, digressa inde libellum composuit, in quo cõtinebatur, quomodo Drusus esset interfectus, eóque libello ad Tiberium misso, uita seipsam priuauit. Dion libro 58.

Orestilla M. Plautium maritum in Asiam cum 60. nauibus profectum secuta, Tarenti ex morbo decessit. Cuius dum celebrarentur exequiæ, & cremaretur cadauer, PLAVTIVS doloris impatiens, & appetens mortis, in rogum se coniecit: quem togatum calceatumq; corpori uxoris iunxerunt amici. Valer. Max. de Amore coniugali.

Mortem dominorum.

P. CATIENVS Philotimus, patronum adeò dilexit, ut hæres omnibus bonis institutus, in eius rogum se coniecerit. Auctor Plin. lib. 7. cap. 36.

Libros exustos.

LABIENVS poeta uidens libros suos ob nimiam carpendi libertatem publico decreto comburi, suis superuiuere monumentis renuens, spontaneam oppetiit mortem.

Accusationem falsam.

DIOXIPPVS Atheniensis surrepti inter epulas aurei poculi falsò accusatus, dum oculorum coniectũ & iniuriam ferre non posset, gladio se interemit. Accusabatur autem non sine inuidia. Nam ægrè ferebant Macedones Horratam Macedonem armatum ab eo inermi, spectante rege, duello uictum, & resupinatum. Curtius lib. 8.

AB ANGELIS, DÆMONIBVS RAPTI, AVECTI, INTERFECTI.

Decima AEGYPTI plaga, à Mose iubente Deo immissa fuit, quòd angelus Domini media nocte omnes in Aegypto primogenitos tum hominum tum brutorum occidit: Israelitis solis, quorum postes agni sanguine tincti erant, pepercit. Ea re territus Pharao, populum Israeliticum tandem uel inuitus abire permisit. Exodi 12.

Dæmonium occidit SEPTEM uiros Saræ, filiæ Raguelis: sed fuit eiectum, per boni angeli Raphaelis aduentum. Tobiæ capite 3. & 8.

AEGEAS proconsul post affectum martyrio D. Andream Apostolum, à malo spiritu correptus, momento expirauit.

Angelum mortis Adrielem somniat Mahometus in Alcorano, pomo ex Paradiso allato, cùm nares ad olfaciendũ MOSES adhibuisset, animam ei per nares emunxisse.

VALANDER Gothorum rex bello contra Rethonem piratam Rutenum suscepto, dormiens periit. Creditum à plerisque fuit, ipsum à dæmonio, cui se ob assequendam uictoriam deuouerat, suffocatum. Suntq; historiæ, quæ corpus eius apud Ostrogothos regiis exequiis tumulatum fuisse affirment. Io. Magnus lib. 7. cap. 19.

Othini dæmonis astu, qui Brunonis cuiusdam, Haraldi Danorum regis consiliarij intimi, habitum assumserat, & ultro citroq; commeans, uariis suspicionibus Haraldum & Ringonem Sueonum regem repleuerat, ad apertas inimicitias deuentum, septennio integro in apparatum belli insumto. Inter Vuic & Vuerundiam collatis signis Dani tandem uicti sunt, amissis procerum XXX. M. Sueones uictores XII. procerum millia desiderarũt. Haraldus cæcus falcato curru uectus, Brunonem aurigæ officio fungentem, qualem Ringo in centurianda acie tenorem habuerit, interrogat. Qui paulum soluto in risum uultu, corniculata illum acie præliatum respondit. Quo audito rex trepidare cœpit, ac per summam admirationem percontari, quo doctore Ringo talem ordinandi agminis modum didicerit, maximè cum Othinus disciplinæ huius inuentor extiterit, nec ab ipso quispiam præter se hoc perceperit. Ad quod silente Brunone suspicari cepit rex, hunc ipsum dissimulato habitu Othinũ esse: ei proinde supplicare, uti Danis, quibus hactenus clementer affuisset, supremam quoque uictoriam tribueret: eidem se ex uetere pacto prostratorũ manes muneris loco dedicaturum. At Bruno nihil obsecrantis precibus motus, repentè excussum curru regem arietauit in terram, ereptamq; cadenti clauam in ipsius caput detorsit, proprioq; eum gestamine interfecit. Saxo lib. 8.

HAQVINVS Noruagiæ rex Haraldũ Gunnildæ F. Danorum auxilio regnũ inuadentẽ prælio uicerat. Dum classem repetit, iaculum in medio aëre diu incerto auctore libratum, omnibus metu proprij periculi territis, tandem magna ui in Haquini caput deturbatum cecidit. Arbitrantur quidam matrem Haraldi Gunnildam procurato maleficiis spiculo uicti filij pœnas à uictore sumsisse. Haraldus itaque insperato hostis exitio regnum adeptus est. Saxo lib. 10.

REGINHERVS, qui se cum aliis ab Hẽrico III. Cæsare incitatum precibus, præmiis & minis dixerat, ut Rudolphum Sueuiæ & Bertholdum Carinthiæ duces obtruncaret, ante dictum diem, quo Vlricus de Coshcim commentum monomachia amoliri proposuerat, à diabolo abreptus, horrenda morte periit, anno 1074. Schafnaburgensis.

Vltimo anno imperij sui, Heraclius, cùm contra Agarenos ex portis Caspiis eduxisset copias (de gente sæuissima, quam Alexander Magnus ob immanitatem super mare Caspium inclusisse dicitur) Angelus Domini quinquaginta duo millia de EXERCITV eius concidit: quæ res tantum mœrorem ei conciliauit, ut eo extingueretur. Otho Phrysingensis libro quinto, capite nono: & Gotfridus Viterbiensis parte 16. Chronicorum.

Sub annum Christi 1152. fama celebris est, GVLIELMVM Cauillonensem comitẽ, Ecclesijs infestum, & armis inerme sacerdotum pecus oppugnantem, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodam, in equo pro foribus sedente, euocatum exisse, coactumq; e uestigio conscendere, è conspectu procul raptum, nec deinceps usquam cõparuisse. Et Niuernensium COMITEM, immunitatis Ecclesiarum hostem, obtorquente sponte se in terga uultu, obiuisse. Aemilius lib. 5. de gestis Frãc. sub Ludouico iuniore.

CRATO, seu Craftus, episcopus Misnensis, qui uixit anno Christi 1066. dum suscepto episcopatu Goslariam uenisset, post refectionem in cubiculum, ubi suos thesauros (quorũ nimius amator erat) nullo conscio infoderat, quasi paululum requiescere uolens, sese inclusit. Cumq; iam die urgente in uesperam, præter modum cõsuetudinemq; suam somno indulgere uideretur, rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt. Sed nec pulsantibus, nec uocitantibus dabatur ullum responsum. Tandem effractis foribus

irrumpentes, inuenerunt eum cõfractis ceruicibus colore tetro exanimem, ipsis thesauris suis miserè incubantẽ: Heueldus in gestis Germ.

Ferunt in comitum Andegauensium familia, unde Hẽricus II. Anglorum rex ortus est, principem quandã FEMINAM triuenficã, maleficãq; cõpulsam ad extremũ colere & uenerari eucharistiam, subitò è templo per fenestram à conspectu hominum auolasse, nec comparuisse unquam. Polyd. lib. 13.

MVLIER maga apud Berheliam Angliæ uillam, item PRINCEPS quædam Andegauensis, à dæmonibus abreptę. Vide Tit. Magorum.

Fertur, militarem peditem ante paucos annos iter per Marchã fecisse: ac loculos cuidam suę hospitæ, apud quam decubuit ægrotus, custodiendos tradidisse. Post dies paucos restitutus, pecuniam reposcit. Hospita se eam habere negat, iniuriarum alterum accusans. Iratus miles hospitã uicissim perfidiæ insimulat. Coniugem purgat HOSPES, peditemq; ex ædibus deturbat. Hic rei indignitate permotus, extractum ensem ostio infligit: ob uim illatam in carcerem coniicitur. Iam extremus dies iudicialis aderat, ipsique captiuo moriendum esse, in carcere nunciat dæmon: at si se ipsi dedere uellet, ut nihil sit periculi, se facturum pollicetur. In innocentia se mori malle, respondet captiuus, quàm ea ratione liberari. Proposita denuò periculi magnitudine, ubi se nihil proficere animaduertit dæmon, gratis suam illi defert operam: consulitq;, Quando iudicio sistêris, tibi patronum concedi orabis: atque me non procul stante pileo cyaneo plumis insignito, postulabis causæ defensorem. Annuit captiuus, & postridie in iudiciũ productus, rogat sibi in extrema necessitate permitti patronum. Is conceditur. Multa disputat hic doctor iuris uersutissimus, & argutè defendit, falsò accusatum esse & cõdemnari peditem: hospitem enim illi pecuniã spoliato uim intulisse ostendit: rem omnem ordine quo gesta est, & ubi seposita conseruaretur pecunia, aperiens. Hospite uerò audaciùs inficiante, & imprecante aliquoties, ut à dęmone abriperetur, si pecuniam haberet: destitit tandem ille à defensione causæ LL. doctor pileolo cyaneo ornatus, ac hospitem abreptum per forum in aerem auexit, ut ubi manserit, nemo cognouerit unquam. Vierus libro 3. capite 17. de Præstigiis dæm.

Anno 1551. in Megalopolicis finibus, nõn procul à Vuildstadia, in Pentecostes feriis, plebem cereuisię poculis indulsisse scribitur: cui MVLIER intererat, quæ sæpenumero diabolum suis immiscebat iuramentis: qui, spectantibus omnibus, eã per ostium in aerem altiùs sustulit. Reliqui perterriti insequuntur, uisum quò duceretur femina: cernũtq; eam extra pagum in aere aliquandiu pendulam, inde in agro præcipitatam compererunt mortuam. Ibidem.

MYSTIBOGIVS Gurimensis princeps, Hostiuitij Boemorũ ducis frater, à dæmone humanam speciẽ induto discerptus est. Dubrauius lib. 3.

Fernelius historiam recitat cuiusdam MAGI, quem, cùm accersiuisset dæmonem, superueniens occidit dæmon: roganti autem sortilego sodali istius, quare occidisset eum, id à se factum respondit diabolus, propterea quòd à se nihil postulauisset. Ab hominibus enim rogari, orati, & adorari Satanas percupit, & nonnunquam ueritatem profert, ut mentienti sibi habeatur fides, aut si ignotat uerum, ambages responsat. Bodinus libro 2. cap. 3. Dæmonomaniæ.

AB HOMINIBVS INTERFECTI. Consideratis respectu VOLVNTATIS. A Volentibus.

Horum exempla ex sequentib. Titulis abundè suppetent.

Nolentibus. Imprudentibus.

PELEI filiæ, suasu Medeæ (quæ Aesonem Iasonis mariti patrem iuuentuti restituerat) gladiis adortæ dormientem patrẽ, interemerunt: spe ductæ, quòd à Medea denuò ad uitam iuuenilem reuocandus esset. Sed illa dolum confessa, Peliã à filiabus imprudentibus occisum reliquit. Ouid. in Metam.

MENALIPPVS Oenei filius, dum in syluis aprũ Calydoniũ uenaretur, à Tydeo fratre imprudente occisus est.

OEDIPVS cum Laio patre ignoto apud Phocidem congressus, ipsum nescius interemit: matrem Iocastam, patre interemto, uxorem duxit.

Perseus, Acrisij Arginorũ regis & Abantis F. ex Danae filia nepos, ab eodem expositus, sed diuinitùs seruatus, posteaquã ad maturã ætatem peruenit, uisendi aui materni, eiusq; sibi conciliandi cupiditate incensus, Larissam uenit, quò Acrisius concesserat. Vbi, & ætatis robore, & disci à se inuenti gloria elatus, dum artẽ in hominum conuentu ostentat, ACRISIVM aduerso fato interuenientem, disci impetu occidit. Atq; ita dati olim Acrisio responsi uocem ratã fecit: quem à fati certo euentu uindicare non potuit, uel in filiã, uel in nepotem excogitata crudelitas. Pausanias in Corinth.

Hercules è Calydonia cum uxore Deianira Hyloq; F. ex ea suscepto recedens, cùm ad Euenum peruenisset flumen, Nessũ centaurum reperit, precio uiatores flumen transuehentem. Hunc traductam Deianiram uiolare conantem, muliere uiri opem implorante, Hercules sagitta transfixit. Nessus uerò interea coiens, & ex uulnere moriendo, pollicitus est ei amoris medicamentum, quo nullam præter eam mulierem Hercules aliam appeteret. Iussit adeoq; semine, quod ex eo exciderat, cum oleo & sanguine ex sagitta defluente immixto Herculis tunicam ungere. Quo dato consilio cùm expirasset, illa clàm Hercule, quod mandatum erat, assumsit. Aliquanto pòst cùm Iolem Euryti F. captiuam duxisset, in montem profectus Cineum, sacra facturus, Lycam domesticum quendam ad uxorem DEIANIRAM in Trachinam misit, ut ei uestem, qua in sacris uti consueuerat, afferret. Hæc, cùm à Lyca de amore Ioles percepisset, cupiens se omnibus in amore præferri, tunicam iuxta Centauri consilium tinxit. Hercules medicamenti ui paulatim inualescente, torqueri maximo dolore cepit. Virus enim sagittæ ueneno uipereo infectæ corpus conficiens, dolores ciebat immensos. Itaq; Lycã uestis latorem occidit: tum morbo magis in dies ingrauescẽte, in Delphos Licymniũ ad Iolaum misit, Apollinem morbi remedia sciscitatum. Deianira calamitate Herculis stupefacta, cùm causam tanti mali sciret à se profectam, laqueo excessit è uita. Responsum Apollinis iubebat ferri cum apparatu bellico Herculem in Oetam, ibiq; prope eum ingentem strui pyram: de reliquis, inquit, Ioui curam fore. Qui cum Iolao erant, iussa Apollinis exequentes, quod futurum erat suspicabantur. Hercules desperata salute, in pyram cùm ascendisset, rogabat accedentes, ut ignem subijcerent. Quod cùm nullus auderet, solus Philoctetes in gratiam sagittarũ, quas ei Hercules reliquit, pyram succendit: subitoque pyra exusta est. Accedente Iolao ut ossa colligeret, cùm nullum penitùs repertum esset, credentes Herculem secundùm oraculi responsa ad deos translatum, ei ut heroi sacra fecerunt. Diodorus lib. 4. c. 2.

Tlepolemus Herculis F. ex Astyoche Phylantis filia, cùm uideret LYCIMNIVM fratrem Alcmenæ auiæ suæ iam senem negligentiùs tractari à seruo ductore, baculo arrepto seruum percussurus, cùm is ictum declinasset, Licymnium imprudens occidit. Cædis reus, ex Ephyra in Rhodum profugit, insulamq; seditionibus agitatam occupauit, & bello etiam Troiano interfuit. Iliad. β.

Quum Achilles multam ex Lesbo prædam partam abduceret, TRAMBELVS Telamonis F. ab indigenis ad auxilium ferendum inductus, Achilli se opposuit. In pectore igitur uulneratus, statim concidit. Admiratus robur eius Achilles, spirantem adhuc interrogauit, Quis & unde esset? quumq; cognouit eum Telamonis esse filium, multo luctu ei tumulum extruxit, qui adhuc hodie Heroũ Trambeli appellatur. Parthen. in Erot. cap. 26.

Meminit in hymnis Pindarus, quemadmodum EVRYTIONEM Iri, cui pater Actor, filium, ex Argonautis unũ, secum uenantem, imprudens occiderit Peleus. Hinc uidetur profectum adagium, τὴν θήραν ἁμαρτάνειν, de eo, qui non solùm feram ea parte non ferit, quam destinarat, uerùm toto aberrat captu, ne attingens quidẽ quod appetebat. Eras. in Adag.

Helenus Priami F. dum uenaretur, nescio qua fortuna, CHAONEM fratrem, à cuius nomine Chaonia dicta est, imprudẽs peremit. Seruius in 3. Aeneid.

ATYS filius Crœsi, cum Adrasto custode suo ad uenationem profectus est. Lancea, quæ in aprum ab Adrasto cõtorta fuerat, Atyn transfixit. Herod. lib. 1. & Val. lib. 1.

HESIODVS poeta Ascræus, noctu iugulatus est ab Antipho & Crimeno fratribus: per errorem, dum illi sororis suæ interfectorem eum esse putarent.

Althemenes CATATREI Cretensium regis F. responsum tulit, in fatis esse, ut pater ab eo interficeretur. Euitare fata cupiẽs, sponte cũ plurimis uoluntariis abiit in Camiros Rhodi insulę orã. Catatreus filij unici uidẽdi & reducẽdi in Cretã desiderio actus, in insulã descẽdit. Orta inter suos lociq; incolas cõtẽtione ac pugna, Althemenes suis auxilio accurrẽs, iaculo inscius patrẽ occidit. Qua ex re dolore ingenti perculsus, incertis locis oberrans expirauit. Diod. lib. 5. c. 13.

VLYSSES reuersus in patriã, uariis somniis territus, à filio sibi mortẽ imminere, relegato Telemacho, in loca abdita semotaq; secessit, somniorũ uim euitare conatus. Cęterũ Telegonus F. ex Circe cũ patrẽ reuersum esse cognouisset, eius uidendi desiderio Ithacã uenit, gerẽs manib. hastile quoddã, cuius summitas marinę turturis osse armabatur: insigne sc.

inſulæ eius,in qua editus erat.Sed ut ſuſpectus quidã à Telemacho emiſſarius, à parẽtis aditu repulſus, multos cuſtodum dolore motus interfecit. Tandem cùm etiam Vlyſſes ipſe re cognita prodiiſſet, iaculum,quod manu gerebat,in iuuenem contorſit. Iuuenis ictum ſubterfugiens in patrem ignotum iaculo miſſo eum interfecit. Gratulatuſque eſt ſibi Vlyſſes, quòd per uim externi hominis interemtus, parricidij ſcelere filium Telemachum,quem ſolũ ſe habere putabat,liberaſſet.Dictys lib.6.

HIPPARINVS Syracuſanorum tyrannus,puero Acheo, quẽ in delicijs habuit,hoſtibus irruentibus occurrens,præcepit, ut neminem in aulam ſuam intromitteret: ſed ui irrumpentem ferro occideret. Victor reuertens tyrannus ebrius, deſiderio pueri ardens,Syracuſas rediit: ingreſſuſque domum, quiſnam eſſet non indicans,Theſſalica ſimulata uoce puerũ adoriebatur.Puer indignatus Hipparinũ in tenebris ferit, ut poſt triduum mortuus ſit, Achæum à cæde ſua immunẽ eſſe declarans.Parthenius in Amatoriis,cap.24.

Pauſanias Lacedæmone proditionis reus factus, ad templum Mineruæ Chalciœci in arcem perfugit.Solus tamen ex omnibus,qui eò confugiſſent impunitatem mereri non potuit. Nam obſtructis foribus fame eum ibi enecarunt, matris eius auctoritatem ſecuti,quæ tacita latere in foribus depoſito diſceſſerat.Cauſa autem quòd in eo ſolo ius aſyli uiolatum ſit,ea fuit, quòd cædis piaculum eluere non potuerit. Nam cùm ad Helleſpontum Spartanæ & ſociorum claſſis imperator caſtra haberet,uirginis Byzãtiæ CLEONICES cupiditate incenſus eſt.Cùm uerò prima nocte, quibus negotium datum erat, Cleonicen ad eum perduxiſſent,ſomnum iam capiens,repentè ſtrepitu eſt excitatus. Fortè enim illa accedens accenſam lucernam deiecerat. Ibi Pauſanias, qui ſuorum de Græcia prodenda ſibi conſiliorum conſcius, perpetua animi conturbatione & pauore agitari ſolitus erat,perterrefactus,uirginem acinace tranſuerberat. Hoc illud fuit facinus, cuius fraudem nunquam effugere, nullis expiationibus, nullis Abſolutori Ioui deprecationibus ſuſceptis,cùm in Arcadiam etiam ad Luſtratores eos,qui Pſychagogi,id eſt Animorum curatores appellantur,Phygaleã ueniſſet,luere potuit.Dedit itaq; ille Cleonicæ meritas pœnas. At Lacedæmonij Delphici Apollinis iuſſu æneas ei imagines poſuerunt, & genium uenerantur Epidoten nomine, auerti ab eo interpretantes omnem numinis offenſionem, quæ ex contemta Pauſaniæ deprecatione exiſtere potuerit.Pauſanias in Atticis à Byzantio homine hæc ſe audiuiſſe ſcribit.

Cùm Cinna & Marius infeſta ſigna ad urbem ducerent, quibus occurrit C.Pompeius,Magni pater,Valerius lib.5 dicit, militem Pompeianum occidiſſe FRATREM, qui erat in exercitu Sertorij,& cùm ſpolia legeret, cognito facinore ſemetipſum ſupra cadauer fratris iugulaſſe.Liuius pro Sertorio Cinnam habet. Nam exercitus omnes erant Cinnæ, in quatuor partes diuiſi,quarum unam Cinna ipſe,alterã Marius ductabat,tertiam Q. Sertorius, quartam Cn. Carbo.& Oroſius concurriſſe cum Sertorio Pompeium ſcribit: qua pugna contigiſſe hoc de duobus fratribus refert.Lud.Viues in lib.2.Aug.de Ciuit.Dei,cap.25.

IVL.Manſuetus ex Hiſpania,rapaci legioni additus, impuberem filium domi reliquerat.Is mox inter ſeptimanos à Galba conſcriptus, oblatum fortè patrem uulnere ſtrauit. Quẽ dum ſemianimem ſcrutatur,agnoſcit,exanguem amplexus, uoce flebili precabatur placatos patris manes, ne ſe ut parricidam inſectarentur.Corn.Tacitus.

Leucippus XANTHII F.ex indignatione Veneris in amorem ſororis incidens,à matre petiit, ut ſororem ſibi adiungeret. Conſenſit mater. Sponſus puellæ,re cognita, factum Xanthio indicat.Qui cùm ad thalamum perductus eſſet, ubi cõcumbebant,puella per fores ſpe latendi ingredientes exiliit. At pater ipſam opinatus corruptorem eſſe, machæra tranſuerberauit.Leucippus præ mentis turbatione non prȩuidẽs quem peteret,occidit parentem. Ob quam cauſam relicta Theſſalis domo in Cretam abiit:ſed ab his iterum expulſus in Epheſiam peruenit,ubi Cretinçam regionem occupauit. Captus autem eſt & ipſe poſtea ex uaticinio ab his,qui miſſi erant ex Pheris ab Admeto.Parthen.de Amat.c.5.

Plebs Romana ſtatim à Iulij Cæſaris funere ad domum Bruti & Caſſij cum facib.tetendit: atq; ægrè repulſa, obuium ſibi Helium CINNAM poetam,per errorẽ nominis,quaſi Cornelius eſſet is,quem grauiter pridie concionatũ de Cæſare requirebat,occidit:caputq; eius præfixum haſtæ circumtulit.Suetonius,& Plutarchus in Bruto.

Gilimerem Vandalorũ regẽ ad Tricaranũ uictum à Beliſario, fugiẽtem IOANNES Beliſarij dux inſequutus, ac poſt dies decẽ & octo adeptus,caſu ab amico, fallente, infeſtæ ſagittȩ ictu,dum auem peteret, interfectus, ſpaciũ dedit ad elabendum in montem Pupuam, in extrema Numidiæ. Sigonius lib.17.Imp.occid.

Iulianus cognomento Hoſpitator, cùm ſummo manè domũ reuerſus,in ſuo uxoriſq; cubili PARENTES dormiẽtes offendiſſet, putauit uxorem eſſe cum adultero: & educto repentè gladio,ambos transfixit.Marul.lib.4.c.10.& lib.2.c.11.&Fulgoſus lib.6.cap.9.

CAROLVM Aquitaniæ regem deſtinatũ, Caroli Calui Imp. F.adoleſcentia ferocem,uirium periculum facientem,Albinus militũ fortiſſimus ex uenatione reuerſus obuiũ, armis & equa inſtructum, ignarus quiſnam eſſet,tam graui ruina ſtrauit,ut inter manus ſublatus expirarit. Aemilius lib.3.ex Reginonis lib.2.

CAROLOMANNVS Francorũ rex,quũ in ſylua Baſin uenatui indulgeret, aprũq; acrius inſectaretur: quidã è ſuis, Bartholdus nomine,quum illi auxiliator adſtaret,caſu regẽ uenabulo in tibia uulnerauit. Quo accepto uulnere, ſeptem duntaxat diebus ſuperuixit, atq; eodem in loco defunctus eſt,anno ætatis ſuæ XIIX. Sepultus in eccleſia S. Dionyſij martyris.Cranzius lib.2.Noruegiæ,c.11.

Andronicus Iunior Michaelis F.Imperator, noctu ad nobilem meretricem comeſſatum ibat. Eam cùm adoleſcens quidã formoſiſſimus deperiret,Andronicus gladiatores circa meretriculæ ædes in inſidiis collocauit.Intempeſta nocte MANVEL Deſpota,fratrem Imperatorem quærens, caſu quodam illac præteriit. Spiculatores eum riualem Imp. eſſe putantes crebris telis impetunt.Ille ictu lethali accepto, ex equo delabitur:& concurſu militum facto agnitus, ſemianimis in palatium ægrè delatus periit.Gregoras lib.8.

Gualterus Tirellus,Britannus,dum uenaretur,arbitratus ſe telo ceruum petere,GVLIELMVM Britanniæ regem,cognomento Rufum,patruelem fratrem occidit.Fulg. lib.9.c.9.& Polyd.lib.10. Anglorum hiſt.

ERNESTVS Auſtriæ marchio,anno Chriſti 1015.aprum in ſyluis ſectatus, telo à uenatore, qui aprum figere intenderat, fortuitò traiectus eſt. Munſt.in Coſmographia.

CONSILII. CVR. CAVSA *Vindictæ.*

☞ *Conſule locum Vltionis.*

Anno 656. RODOALDVS rex à Longobardo, cuius uxori ſtuprum intulerat, interfectus eſt. Sigonius libro ſecundo regni Italici.

CARRATIVS,militum reip. Venetæ præfectus, homo impiger egregiaque uirtute, in agro Veronenſi equo inſidens, ab homine ciue ſuo (cui iam olim maledixerat, ſed interea reconciliatus fuerat) interfectus eſt, gladio renibus infixo. De ſicario,quem Mantuanorum dux ſuis in finibus captum magiſtratui Veronenſium tradiderat,pœna ſumta. Bembus libro 7.hiſt. Ven.

Auaritiæ.

☞ *Vide locum Auaritiæ ἐν λήψει. Huc ij,qui à Latronibus & Piratis ſpe prædæ occiduntur.*

Iorami regis Iudæorum FILII omnes ab Arabum latronum manu,qui repentè caſtra inuaſerãt,interfecti & abducti, excepto unico Ochozia,natu minimo, qui patri in regno ſucceſſit. 2.Paralip.22.

IBYCVS poeta à latronib. correptus ſpe prædȩ, dum cultros iugulo uidit inſtare,præteruolantes grues obteſtatus eſt.Aliquanto pòſt tempore,dum homicidæ ſederent in foro,rurſumq; grues ſuperuolarent,per iocum inter ſe ſuſurrabant in aurẽ: Adſunt Ibyci ultores.Quo ſermone audito,homicidij ſuſpectos habuerunt,qui audiuerant,correptoſq; tormẽtis ad uerum coegerunt,& ex eo quæſtionem exercuerunt, atq; re comperta, ſcelus ulti ſunt.Hinc Auſonius:

Ibycus ut periit,uindex fuit altiuolans grus.

ANTIOCHVS & Seleucus fratres,Aſiæ Syriȩq; reges, de imperio contendebant.Victus tandẽ Antiochus à Seleuco fratre,dum per deuia & ignota loca ſalutem quærit, à latronibus occiſus fuit.Guido Bituricenſis.

EDMVNDVS Anglorum rex fortè conſpicatus ante ſe hominem latrocinio inſignem,& ob id diu ſibi antea inuiſum, cũ ſubitò inuaſit, ac in terram ſtrauit. Quem cùm ita iacentem cæderet,ab eo eſt cultro confoſſus, latro uerò in ueſtigio dilaniatus.Polyd.lib.6.

Amoris.

LABEO Antiſtius Cinna Iurecoſ. doctrina & prudentia clarus,pater Labeonis, qui propter iuris ciuilis peritiam celebratur,cùm foſſam in tabernaculo ſuo pro corporis ſui magnitudine effodiſſet,mandataq; ſuis ſeruis de cæteris rebus dediſſet:uxori & liberis,ut uoluit,proſpexit, literaſq; ſeruis ad eos dedit.Tum eorum fideliſſimũ dextra prehendit,eũq; circumegit,ut mos eſt Romanis manumittere, conuerſoq; gladium tradidit,& iugulum præbuit. Illi itaq; tabernaculũ pro ſepulcro fuit.Appianus lib.ult.Bellorum ciuilium.

MODI. INTERFECTI *Vi aperta.*

☞ *Exempla horum plurima ex ſequentib.Titulis mutuanda.*

Dolo, Fraude. Ab Inſidiatoribus, à Sicariis interfecti.

☞ *Ex loco Tyrannorum & Tyrannicidarum huc quædam.*

EGLON, rex Moabitarum,obeſus admodũ,Iudæos 18. annis ſeruitute premens,ab Aodo Geræ F.ſica interficitur.Iudic.3.

HIERONYMVS Syracuſiorum tyrannus à Romanis ad Hannibalem deficiens, quũ fortè in Leontinos ueniſſet,ibi à cõiuratis multis uulneribus confectus eſt.Sab.lib.3.En.5.

M.Brutus & C.Caſſius cum aliis cõiuratis in porticu Pompeij C.Iul.Cæſarem operiebantur. Senatu in curiam progreſſo alij ſellam Cæſaris circumſteterunt,ſimulantes appellare illum uelle.Ibi Caſſius dicitur ore ad ſtatuam Pompeij uerſo ſicut ſentiẽtis opem implorauiſſe.Trebonius circa fores ſeduxit Antonium,& ſermone detinuit extra curiam. Ingredienti Cæſari aſſurrexit ſenatus.Mox coniurati frequentes aſſidentem cinxerunt officij ſpecie,cum Tullio Cimbro,qui erat ex ipſorum cohorte,pro fratre exule precante,omnes unà orantes, manuſq; eius tangentes, pectus & caput deoſculabantur. Quo preces primùm reiiciente: deinde,ubi non deſtiterunt, ui exurgente: Tullius ambabus manibus detraxit ei togam ex humeris. Primus Caſca, qui à tergo ſtabat, diſtricto pugione ferit eum ſecundùm humerũ uulnere non alto. Corripiente capulum Cæſare, atque alta uoce Latinè exclamante: Sceleſte Caſca quid agis? Grȩcè ille fratrem appellauit ad opem ferendam. Cùm iam à multis peteretur, & circumferens undiq; oculos repellere conaretur eos: ut Brutum uidit in ſe ſtringentem gladium, manum Caſcæ, quam tenebat, dimiſit: & toto capite obuoluto, permiſit corpus percuſſoribus. Illi ſe mutuò prementes, dum certatim multis pugionibus corpus Cæſaris cædunt, conuulnerarunt inter ſe: ac Brutus, dum participem ſe facit cædis, uulnus accepit in manu, omneſque cruore ſunt conſperſi. Plutarchus in Bruto & Cæſare.

De inſidiarum cædiſque Domitiani Imp. genere, hæc ferè diuulgata ſunt. Cunctantibus conſpiratis, quando & quomodo,id eſt,lauantem ne, an cœnantem aggrederentur: STEPHANVS Domicillæ procurator, & tunc interceptarũ pecuniarum reus,conſilium operamq; obtulit. Ac ſiniſteriore brachio,uelut ægro,lanis faſciiſq; per aliquot dies ad euertendam ſuſpicionem obuoluto,ad ipſam horam,dolum intericeit:profeſſuſq; conſpirationis indicium, & ob hoc admiſſus,legenti traditum à ſe libellũ & attonito ſuffodit inguina.Saucium ac repugnantem adorti Clodianus Cornicularius,& Maximus Parthenij libertus,&Saturius Decurio cubiculariorum, & quidam è gladiatorio ludo,uulneribus ſeptem contrucidauerunt.Suetonius.

ANTONINVS Caracalla Imp. cùm in Meſopotamia apud Carras urbem,Lunæ deæ, ut Herodianus, uel Luni dei, ut Spartianus,templum inuiſeret, & ad requiſita naturæ diſcederet,inſidiis à Macrino præfecto prætorio poſitis,per Martialem Centurionem pugione per auerſum eſt traiectus, dũ ſubligacula deduceret,uentriſq; oneri ſubleuando intenderet:quòd literas Macrinus acceperat, quibus ſe intellexit ꝓpediem ab Antonino occiſum iri. Fuerunt & alij conſcij cædis,Nemeſianus,& frater eius Apollinaris,& cæteri.Martialis à cuſtodibus corporis,dum fugam molitur,miſſilibus eſt confoſſus.Macrinus ſuper cadauer multa conqueſtus,& per ſimulationem lamentatus,tandem tradito igni corpuſculo, reliquias intra urnam coniectas matri Iuliæ ad ſepulturam remiſit.Spartianus,Dion.

CHILPERICVS Gallorum rex, in uenatione à Landrico uxoris Fredegundæ adultero, in ſaltu quodam obtruncatus eſt.Michael Ritius lib.1.de Regib.Francorum.

THORISMVNDVS Veſtgothorum rex Toloſæ tertio anno regni ſui ægrotans, dum ſanguinem è uena mittit, ab Aſtaldo(Aſculum uocat Sigonius)proprio cliente(ſubtractis antea armis)trucidatus, perfidia fratris Theoderici & Eurici: Vna tamen manu, quam liberã habebat, ſcabellũ tenens, aliquot ex inſidiantibus occidit.Io. Magnus lib.15.c.22.& Crãzius lib.2.Sueciæ c.6.Sigonius lib.13.Imp.occid.

CONSTANTINVS Androeni Britonum in Gallia regis F. regnum Britãniæ maioris in Albione, uictis Scotis atq; Pictis,adeptus,uirtute inuictus,à duobus ſicariis, qui ſe blanditiis ſuis regi familiariſs.reddiderãt, in cubiculo interemtꝰ eſt.Percuſſores igni ſunt exuſti.H.Boethius lib.8.

MALCOLMVS Scotorum rex, quum maiorũ more regnum iuris dicendi cauſa luſtraret, Morauiæ ulcum quinto decimo regni ſui anno, quòd ius in latrones ſeuerꝰ exercuiſſet, paucorum cõiuratione inſidiis petitus, noctu eſt extinctus. Cædis auctores ligatis brachiis pedibuſque equis actis in diuerſum membratim ſunt diſcerpti,eorum inde artus per ciuitates editis locis ſuſpenſi. Qui facinus primùm excogitarant ſubornarantque alios ad id audendum, acutis ſudibus corpora perfoſſi in cruces ſunt acti.H.Boethius lib. 11.

MALCOLMVS II.Scotorum rex ad Glammys,à quibuſdam neceſſariis nobilium iniuſtè cæſorum, noctu intromiſſis interficitur.H.Boethius.

Haraldus atque KNVTO Gormonis Danorum regis filij auſi ſunt Hiberniam bello laceſſere, Dufflinamque urbem regionis metropolim obſidere.Rex gentis, paucos ſpeculandi gratia,quid hoſtis moliretur,miſit in uicinum nemus: qui firmata iam obſidione, quum Danos, terendi temporis gratia,ludis etiam uacare conſpicerent,noctis tenebris ſiſi propiùs acceſſere.Quorum unus ſagittandi arte peritior, quum Knutonem in ſpectandis ludis otioſum cerneret aſtare, iaculum ex inſidiis miſit,iuuenemq; lethali uulnere percuſſit. Ille diſſimulato dolore, illicò præcepit ſuis muros ſcãdere, omniq; conatu oppugnare mœnia: ne ſui uulneris dolorẽ hoſtes perſentiendo,fiduciæ aliquid aut lætitiæ aſſequerentur.Nec antè ſe uulneratum prodidit ad mortem,quàm mœnia à ſuis capta conſpiceret.Cranzius libro 4. Daniæ, ca.18. ex Saxonis lib.9.

Anno Chriſti 1407.Caroli VI.regis frater LVDOVICVS Aurelianorũ dux,cùm à Regina ex puerperio decumbente multa iam nocte rediret, occiditur. Percuſſores, à Ioanne duce Burgundiæ ob regimen regni æmulo immiſſi, ne quis à tergo ultor inſequeretur,murices poſt ſe,dum in ædes Burgũdionis ſe reciperẽt,ſparſere.Inde ſe ex urbe in Atrebates recepere.Aemilius lib.10.

CONRADVM Ferratenſem Marchionẽ, bello ſacro ſub Philippo Auguſto & Ricardo Anglo regibus,Tyri ociosè in foro inambulantem,duo Aſſaſſini occiderunt:retractiq; ex fuga,uelut egregio edito facinore, alacres cũ gaudio ad ſupplicium traditi ſunt.Alij eã Aſſaſſinorũ famam falſam arguunt:occiſum à Toronienſi,percuſſoribus dolore ſponſȩ abductæ ſubmiſſis, credunt. Eliſa, cæſi Ferratenſis uxor, ad quam iure dotali regnum pertinebat Hieroſolymitanum, Anglo conciliante,nupſit Henrico Campaniæ Comiti. Aemilius libro 6.

BARTHOLOMÆVS Cocles Copono cuidam prædixerat, quòd breui ſceleſtus homicida futurus eſſet: ſimiliter Hermeti tyrãni F.futurũ ut exul in acie cæderetur.Hermes igitur fatali metu perculſus, Copono clàm imperat,ut Coclitẽ κακὸν μάντιν interficiat. Præuiderat necis diſcrimen Cocles: ideoq; ſecreta galea caput munierat,ingenti gladio, quẽ peritiſſimè ambabus manib. regebat,ſemper armatus. Verùm à Copono baiuli habitu perſonato, dum ſeræ oſtij, calculo iniecto præpeditæ, clauem inſereret, adacta in occipitium ſecuri interfectus eſt, nullã aliã patrati facinoris cauſam afferente Copono, quàm quòd ipſe Cocles breui homicidam futurum aſſeruiſſet.Iouius in Elogiis.

ALFONSVS Daualus dux clariſs.qui Ferdinandi Aragonij regis in terra Italia copias duxit,Neapoli à ſeruo natiõe Mauro,de proditione noctu in colloquium accitus, ueruto trãſfixus interiit. Brutus lib.4.Hiſt.Flor.

BASSIANVS Landus,Placentinus, philoſophus & medicus clariſs.& publicus Theoricæ profeſſor in Patauina ſchola, Iõ.Bapt.Montani diſcipulus & ſucceſſor, anno 1562. 24. Octobris,noctu domũ rediens,ante ianuã ſuã à ſicario ſubornato à Veneto patricio(qui pòſt in publicis uinculis expirauit,& hoc facinus à ſe inſtitutũ,à famulo peractũ,& Albertũ Allobrogẽ Peripateticum domi lucubrantem ſuapte interfectum manu faſſus)ſeptem uulneribus clàm impetitus, ultima Octobris expirauit,ſecunda noctis hora,& in tẽplo Eremitanorum Patauij ſepultus fuit. Cauſa inſidiarum incerta: atq; ut de ea conſtet,quȩ nam tanta eſſe debuit, quȩ nefarios homines ad tantum Patauini gymnaſij decus extinguendum impelleret?

Ioannes Poltrotus,Merecenſis,patria Engoliſmenſis, bello primo ciuili Gallico, religionis nomine Lud. Borbonij Condei principis caſtra ſecutus, cùm CLAVDII Guiſij Ducis & arte & fortuna bellica plurimum negotij Euangelicis, quos Hugonottos uocant,exhiberi uideret, eius interficiẽdi conſilium cepit:neq; id apud ſuos occultum habuit,cùm iactabundus diceret,Non alia quàm Poltroti manu Guiſiũ caſurum.Et iam toto ferè biennio hoc facinus animo conceptum coquere,ſed rei territus magnitudine, inconſiderãtiã ſuã ſæpe deteſtari ceperat. Cùm tandẽ anno 1562. graui obſidione Guiſius Aureliõs premeret, neq; ſpes ulla obſeſſis ampliùs affulgeret,ſed ad nõ dubiã internecionẽ, quãdo ne infantib.quidẽ hȩreticorũ ſeſe parſurũ Guiſius ꝓfitebatur,res ſpectare uideretur: ipſe ſemetipſum cohortatus, acerrimũ Hugonottorum hoſtẽ è medio tollere ſtatuit. Ergo ad Guiſiũ profectus,arma quȩ cõtra regẽ cepiſſet,in eius manu ſe reponere paratũ ſimulãs,humaniter recipitur. Captata inde occaſione 18. Febr. cũ Guiſius ſpeculandi cauſa Ligerim ſupe-

superasset, in reditu è nauicula egressum, uno solo comitatum, sclopeto tribolo à tergo traiecit, & celere fuga sibiipsi consuluit. Cùm ad traiectum in insidiis lateret, fertur equo ad arborem alligato, flexis humi genubus Dei uel misericordiam in impediendo, uel opem in perficiendo eo facinore, si uoluntas eius esset, suppliciter implorasse: & mox ueluti rediuiuo animi ardore alacrem in incepto perstitisse. Tota ea nocte hinc inde errans, mouens quidem, sed uiarum errore nihil promouens, cùm defatigatus se quieti dedisset, comprehensus, Parisios abductus, & tormentis subiectus, conscios & suasores facinoris detulisse fertur Admiralium, & Theod. Bezam Theologum, quorum ille muneribus, hic æternæ beatitudinis & immortalis famæ spe facta amplissima uel inuitum ad hoc facinus perpulisset. Cæterùm illi calumniam hanc ab æmulis sub Poltroti confictam nomine luculento scripto diluerunt. Et uerò multi Poltrotum spe ueniæ consimilia quædam protulisse arbitrantur, quæ tamen ad extremum, dum quadrigis discerpitur, reuocarit: Sese auctorem facinoris tam præclari solo religionis zelo motum prædicando, ut qui planè persuasum haberet, non nisi sua manu magnanimum illum & πτολίπορθον Guisium occumbere potuisse. Poltrotum septennio pòst pari euentu, causa conatuque dispare imitatus uidetur Montesquius, Ducis Andium, fratris regis Caroli IX. Excubitorum præfectus, qui 12. Martij LVDOVICVM Borboniū principē Cōdeum prope Engolismam in acie captum, & à duobus nobilibus in fidem acceptum, sclopeto à tergo traiecit: sed tanto inferior Poltroto, quòd hic liberum, ille captiuum, hic solius religionis generoso quidem, sed inconsiderato zelo, ille uel odio uel inuidia motus, hostium principem interficere ausus est. Sed parodię loco audiamus P. Ronzardi uotū, quod parænesi suæ, sub bellorum ciuilium initia ad R.P.Q. Gallorum uernacula lingua conscriptę, inseruit, & nostri quoque seculi uatibus numen inesse fateamur. Est autem tale:

Dieu tout grand & tout bon, qui habites les nues,
Et qui cognois l'auteur des guerres aduenues,
Dieu qui regardes tout, qui uoys tout & entens,
Donne, ie te supply, que l'herbe du printemps
Si tost parmy les champs nouuelle ne fleurisse
Que l'auteur de ces maux au combat ne perisse,
Ayant le corcelet d'outre en outre enfoncé
D'une picque, ou d'un plomb fatalement poussé.

HABITVS. INTERFECTI à

Stultis.

Charileus Mæandrij (qui post Polycratem tyrannidem Sami occupauit) frater, stultus & amens, in loco subterraneo uinctus detinebatur. At cùm Persæ duce Otane Sylosontem exulem, fratrem Polycratis tyranni, in insulam reduxissent, à Mæandrio solutus, acceptis militib. Persarū, PROCERES plurimos specie deditionis interfecit, & mox ipse cum suis omnibus cæsus occubuit. Herod. lib. 3.

ATAVLPHVS Vestgothorum rex, & Alarici, qui Romam ceperat, successor, Gallia & Hispania, Vandalis domitis, pacata, demum à Vernulpho breuissimæ staturæ uiro, cui sępe illudere solebat, interfectus est. Bonfin. lib. 2. Dec. 1.

THEVDIVS rex Vestgothorum à quodam insaniam simulante occisus fuit in regia, ann. 587. Dum expiraret, uetuit interfici percussorem, dicens se congruam meriti uicissitudinem recepisse, quod & ipse priuatus cōmiserat in ducem suum. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hisp. c. 12.

LVDOVICVS I. Boiorum dux, Palatinus Rheni, anno 1231. 16. Kalend. Octobris, Kelhaimij, dum post cœnam in ponte deambulat, à Stichio morione, quem per ludum incessebat, cultello lethali uulnere sauciatur, moxq; in conspectu omnium aulicorum exanimatus corruit. Alij dicunt eum ob illatum stuprū alienæ uxori, à duobus feris pueris, quos maritus uiolatæ coniugis, auidus uindictæ, solitos pecudes & quicquid digito monstrasset dilaniare, educarit, dilaceratū esse. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum, & Hier. Zieglerus in Hist. illust. uirorum Germ.

BOLESLAVS II. Monsterbergensis princeps in Silesia, à morione, quem ad iram prouocauerat, iactu lateris occisus est in arce Bolkenhano. Cureus in Silesiæ Annalib.

Anno 1574. 26. Octobris tres Iesuitæ, Coloniæ Agrippinæ à Gerardo Peschio Kempensi, eiusdem societatis, mente tamen correpto, confossi fuerunt: LEONARDVS Kessel Louaniensis, IO. Rhetius Coloniensis, gymnasij rector, Theologiæ doctores, & NIC. Faber, Leodiensis minister. Cùm enim Gerardus ob insaniam, in domesticam custodiam esset inclusus, quo magis coercebatur, eo magis exagitari cepit insania: ut laceratione uestium, diurnis item nocturnisq; clamoribus non modò Collegium, sed & uiciniam perturbaret. Cùm per interualla se furor remitteret, laxata est custodia, & paulatim eò est adductus, ut refectorij cura suscepta etiā ad mensam legeret, & nonnihil operis aliquando faceret. Hoc modo sine maleficio ad triennium inter fratres liberrimè uersatus est. Tandem ob quasdam nugas ab arcularijs obiurgatus, molestè id tulit: cùm alter arculariorum se ad præfectum collegij, cui obtemperare cogebatur, eum delaturum minaretur. Itaque Leonardo cum Rhetio in horto proximo inambulanti, & literas legenti, minas arcularij renuncians, cùm responsum non quale uolebat retulisset: escarium cultrum, ex iis, quorum usus fuerat in refectorio, in latus sinistrum sub costis adegit, ut intestina paulo pòst sequerentur, tam occulto uulnere, ut eum uulneratum nemo antè animaduerteret, quàm ille paululùm progressus, defluentibus è manibus literis, in terram corrueret. Interueniens minister, dum clauibus paulisper se defendit, crebris ictibus, cultro in costis circa cor fracto, deinde fronte cruentata, paulo pòst concidit & ipse. Rhetius interea accedit ad hominē insanū, blandè illum cohibiturus: sed in eo officio ipse quoque uulnus simile accepit in pectus lethale: & delatus in propinquum hypocaustum, antequam chirurgus accersiri posset, exspirauit. Historia extat in Theatro urbium, sub pictura Coloniæ.

Ebriis.

Cùm Alexander Magnus post sacra Castoris & Pollucis in cœna satis uinosa, Pranychi cuiusdam, aut, ut alij uolunt, Pierionis carmina in duces, qui pridem à Barbaris uicti fuerant, scripta decantari summa cum lætitia audiret: CLITVS econtrà uino grauis, cum aliis quibusdam fremeret, negans conuenire, ut inter barbaros & hostes, Macedones præstantiores, etiamsi infesta essent fortuna usi, ludibrio haberētur: multis ultro citroq; acerbè dictis, haud ultrà par iræ Alexander ex malis appositis uno coniecto percussit Clitum, & gladium quæsiuit. Quem cùm Aristophanes satelles subtrahere maturasset, aliiq; cum complecterentur & obsecrarent, tū ablata cuidam satelliti Alexander hasta, obuium Clitum remouentemq; uelum ianuę transfixit. Quo cū gemitu & fremitu cadente, mox ira eius decessit. Plut. in Alex.

OFFICII, PROFESSIONIS. A

Monachis, Sacerdotibus occisi.

ERASINORIX Galliæ tetrarcha, ut Cammam Sinati uxorē ducere posset, maritum ueneno tolli curauerat. Hinc Cammam ambiens, diu licet refragantem, amicis instantibus, cō permouit, ut simularit suum consensum. Venit igitur Erasinorix certa quadam die, comitantibus eum omnibus Gallis. Quem illa perhumaniter exceptum ad aram adducit, & ex aurea phiala bibit: partimq; ipsa ebibit, partim illum bibere iussit. Qui tanquam sponsus à sponsa cum uoluptate acceptum bibit. Illa cùm eum bibisse cerneret, magna uoce exclamauit, deamq; in genua procumbens adorauit, inquiens: Gratiam habeo tibi ueneranda Diana, quòd mihi concesseris in tuo templo, pro marito mea causa interfecto supplicium exigere. His dictis confestim & ipsa mortem obiit, & sponsus cum ea simul ad aram deæ uitam reliquit. Erat enim potus hic uenenum mulso mistum. Polyæn. lib. 8. & Alexander lib. 2. c. 5.

HENRICVS VII. Imp. cùm inuito pontifice à Cardinalibus Gibellinis Romæ coronatus esset, in arce Bonconuenti, à Ioanne de monte Politiano Prædicatorij ordinis monacho in sacrosancta synaxi potionatus, anno 1313. simulac dolum sensit, tacitè ad monachum cōuersus, Pœnitentiam age, inquit, quòd & salutis auctorem Christum prodidisti, & me illius membrū una eadēq; opera pdidisti. Ego Christi innitēs uestigiis, ut prius discedas moneo, quàm à satellitib. meis comprehensus, perfidiæ tuæ pœnas luas. Stumpfius.

Cùm IOANNES Angliæ rex, annonæ uilitate audita, dixisset in quodam monasterio, se intra paucos dies ita facturum, ut multò carior esset: ea uoce monachus quidam concitatus, continuò regi administrauit uenenum uino infusum, ab se priùs degustatum, quò liberiùs ille hauriret: & ita ambo uno ferè temporis puncto animam efflarunt. Polydorus libro 15.

Medicis.

☞ *Consule Titulum, Veneficorum. item, Veneno necatorum.*

Maior DIONYSIVS cū grauiter morbo conflictaretur, quæsiuit à medicis Dion, si fortè maiori esset periculo, ut sibi faterentur: nam uelle se cum eo colloqui de partiendo regno, quòd sororis suæ Aristomaches filiis, ex illo natis, partem regni putabat deberi. Id medici Dionysio filio cùm retulissent, commotus ille, patri soporem medicos dare coegit. Hoc æger sumto, somno sopitus, diem obiit supremū. Probus in Dione.

COSSINVM equitē Romanū, amicitia Neronis principis notū, cùm is lichene correptus esset, uocatus ex Aegypto medicus ob hanc ualetudinem eius à Cæsare, cùm cantharidum potum præparare uoluisset, interemit. Plin. lib. 29. c. 4.

Nero

Nero Imp. eò quòd cū matre Agrippina simultates exerceret, amitam LEPIDAM, à qua fuerat educatus, ex duritia alui laborantem, largiùs purgari à medicis iussit, eiusq; bona diripuit, suppresso testamento. Suetonius.

Senatus factus certior de morte Gordiani III. Marcū quendā uirum grauem ac sapientem, quem Philosophū cognominat Zonaras, Imperatorē legit. Qui subita morte in palatio, ubi habitabat, decessit. Nec successor dilatus est, statimq; lectus à patribus SEVERVS Ostilianus: qui repentè cùm incidisset in morbum, medicis malè uenam soluentibus, occubuit. Interea literæ Philippi missæ, in Senatu lectæ sunt, quibus rogabat, uti patres ipsum Augustum confirmarent, qd' factum est. Cuspinianus, & Sab. lib. 6. En. 7.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, cùm nono die post phlebotomiam, accepto arcu columbam percutere nisus esset; uena brachij eius dirupta est, & supponentibus ei medicis uenenata medicamina, periit. Sigebertus in Chrō. & Paulus Diaconus lib. 5. c. 30. hist. Longobard.

Germani in Italiam, unde petebatur Augustum nomen, irruptionem facturi erant. CAROLVS Caluus, rapto trans Alpes exercitu, arcere hostes transcensu Rheticorum montiū positis præsidiis parabat, cū Mantuæ correptus morbo moritur, accepto ueneno à Sedechia Iudæo medico. Nec tradunt auctores, quo sollicitatore corruptoreque id scelus pperpetrarit Hebræus, neq; sæuitum ne in eum sit: ut domesticis magis insidiis quàm externis petitus oppressusq; Caluus uideatur. Necesse est fuisse parricidij auctores summos uiros, quorum magnitudo nefarium scelus memoriamq; obscurarit, & impunitatem tulerit, dederitque. Aemilius libro 3. Eius corpus dum exenteratum & multis aromatibus conditum, in Franciam aulici efferre cupiunt, cadaueris putredinem ferre non ualentes, Vercellis humauerunt in diui Eusebij martyris æde, anno salutis 878. Post annos septem ad diui Dionysij delatum est, per admonitionem uisionis cuiusdam, quæ filio regi reuelata fuerat. Cuspinianus.

IACOBVS Papiēsis Cardinalis uir doctissimus sub Paulo II. cùm quartanæ morbo laboraret, ad depellendum phlegma quod inhæserat stomacho, ignobilis cuiusdam Picentis medici consilio accepit elleborum, malè, ut creditur, ab illo tēperatum. Quo hausto, altissimo somno correptus, minus diei spacio in oppido Laurento tertio Idus Septembris uita excessit, anno ætatis suæ septimo & quinquagesimo. Iacob. Volaterranus in eius uita.

Romæ omnis ordo, & denique populus uniuersus, diu expectata, & demum audita CLEMENTIS VII. Pont. morte, magnopere lætatus est: iocatique summa libertate nonnulli gratias egerunt Matthæo Curtio medico, qui firma utentē ualetudine, innatoque membrorum robore præualidum, in multa spe longioris uitæ, nouis præceptis, & commutata uitæ ratione (cùm largius prandere solitum liberalioris cœnæ usum ei persuasisset) dubio procul occidisse credebatur. Iouius lib. 23. Hist.

IVLIVS III. Pontifex ad arcendos intolerabiles podagrę cruciatus, quum imprudenti medicorum consilio nouis se pręceptis muniisset, incidit in febrem, quæ in horas grauius lacescēs, intra paucos dies eum extinxit, quum uixisset annos LXVIII. sedisset autem annos V. Panuinius.

BAIAZETHES II. Turcorū Imp. à medico Iudæo Hammone; qui salutiferæ potioni iussu Selimi filij uenenum miscuerat, è medio sublatus est. Iouius in uita Baiazetis.

Nauiculariis.

IVLIANVS Cardinalis, auctor uiolandi inducias cum Amurathe in decēnium pactas, è prælio ad Varnam anno 1444. commisso fugiens, à Trāsalpino nauiculatore, cùm per Danubium ueheretur, propter aurum quod secum ferebat, occisus, & in profluentem nudus deiectus, periit. Callimachus in ualle quadam à latrone spoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conspectum, & cum exprobratione perfidiæ increpitum, periisse scribit. Aen. Syluius cap. 5. Europæ, & Cromerus lib. 21.

Cubiculariis.

DOMITIANVS Imp. in cubiculo à suis ministris, conscia etiam uxore Domitia, multis uulneribus trucidatus est. Senatus Romanus cadauer eius populari sandapila per uespillones, contumeliosè, more gladiatoris, efferri iussit. Suetonius, Eutropius.

SVERCONEM Sueonum regē, seruus qui cubiculo eius pręerat, noctu dormientem occiderat. Quod scelus numen haud segnius, quàm iustius, ultū est. Nam paruo pòst tempore, Magnus, qui occulta regnandi cupiditate seruo peragendi facinoris auctor extiterat, in eo conflictu, quo filiū Suerconis Carolum, quem patre spoliauerat, regno etiam exuere gestiebat, sceleratæ machinationis pœnas morte persoluit. Saxo libro 14.

[redacted]

[redacted]

Armigeris.

ABIMELECHVS Gedeonis F. cùm Theben adortus expugnasset, turrimq; in medio oppido, quò ciues confugerant, oppugnaret, mulier quædam deiecto in eum molæ fragmine, caluariam ei perrupit. Ille protinus armigero suo mandauit, ut se perimeret, ne à muliere interfectus diceretur. Iud. 9.

Satellitibus.

Pausanias Macedo allectus à PHILIPPO Amyntæ F. Macedonum rege, inter regij corporis custodes, cùm ob conuitia quædam alteri cuidam Pausaniæ illata, ab Attalo quibusdā mulionibus uino madidus stuprādus traditus esset, nec Philippus eā iniuriam uindicaret: cōmotus tanta indignitate, in consilium adhibito Hermocrate sophista, cùm Aegis Macedoniæ urbe certamina à rege celebrarentur, regem solum relictum cernens, ad eum cucurrit: perq; latera uulnere adacto, mortuum eum prostrauit. Ad portas, ubi fugę equi erant, contendens, pede in uite hærens cecidit, atq; à satellitibus regiis confossus est. Diod. lib. 16.

ALEBAS rex Larissæ urbis Thessaliæ, à suis satellitibus ob crudelitatem obtruncatus est. Ouidius in Ibin:

Quosq; putas fidos, ut Larissæus Alebas,
Vulnere non fidos experiare tuo.

LIBER Iouis fuit filius, regis Cretici. Hic cùm fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrē studiosius quàm decebat. Vxor Iouis Iuno, nouercalis animi furore commota, patre peregrè proficiscente, & filium custodibus cōmendante, custodes primùm muneribus corrupit. Deinde satellites suos Titanas, in interioribus regiæ locauit partibus, & crepundiis ac speculo fabrefacto animos ita pueriles illexit, ut desertis regiis sedibus, ad insidiarum locum duceretur. Illic interceptus trucidatur: & ut nullum posset necis inueniri uestigium, particulatim membra conscissa inter satellites diuisa, decoctaq; & deuorata fuêre. Iulius Firmicus de Errore profanarum religionum.

ETHODIVS II. Scotorum rex, ob auaritiam, stipatorum tumultu, qui eius lateri ad custodiam fuerant adhibiti, sextodecimo magisterij sui anno cæsus est. H. Boethius lib. 5.

Militibus.

☞ *Consule Tit. Seueritatis, Crudelitatis, Perfidiæ ergà duces, principes.*

CINNA post Marij obitum, ob tyrannidem exosus militibus, eosque impressionem facientes fugiens, occupatus à quodam manipuli ductore, qui stricto ense insequebatur eum, submisit se huic ad genua, eique sigillum suum magni precij obtulit. Ille cùm eum increpasset perquàm insolenter: At ego non ad sponsionem signandam adsum, inquiēs, sed ad sceleratum tyrannum puniendum, eum obtruncauit. Sublato Cinna, imperium suscepit & administrauit longè illo tyrannus uæcordior Carbo. Plut. in Pompeio.

Militari perfidia interemti Impp. GALBA primus, circa lacum Curtium, cùm ad Othonem pretoriani defecissent. VITELLIVS ad scalas Gemonias minutis ictibus excarnificatus interiit. PERTINAX ab iisdem, indignè ferentibus eius frugalitatem. Mox & IVLIANVS, qui primus imperium ab auaris militibus emit. MACRINVS cum filio Diadumeno Antiochiæ. HELIOGABALVS Romæ. ALEXANDER Mammeæ Maguntiæ, uel, ut alii, in Britannia. MAXIMINVS cum filio ad Aquileiam. PVPIENVS & ALBINVS Romæ. GORDIANVS III in Perside. PHILIPPVS pater Veronæ, filius Romæ à prætorianis. GALLVS cum Volusiano F. Interamnæ cæsi, militibus ad AEMYLIANVM deficientibus, qui & ipse militum defectione ad Valerianum cæsus est. GALIENVS cum Valeriano fratre ad Mediolanum. TACITVS in Ponto. FLORIANVS eius frater Tarsi in Cilicia. PROBVS ad Syrmium. DALMATIVS Constantini Magni ex fratre nepos, GRATIANVS Lugduni desertus & interfectus, militibus ad Maximū tyrannum deficiētibus. Sabel. in Enn. MAXIMINVS proditione militum interfectus est, unà cū filio Diadumeno etiamnū puero: quo tempore conclamatum est à militibus, Ex pessimo genere ne catulum quidem esse relinquendū. Allusisse uidentur ad Græcam parœmiam: νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει. Eras. lib. 8. Apophtheg.

ATHAVLFVS Vestgothorum rex cùm interiores Hispanias domuisset, post uaria certamina, tertio anno dolo militum est sublatus apud Barcinonem Hispaniæ urbem, gladio ilia traiectus Vernulfi, cuius staturam solitus erat ridere. Cuspinianus.

HIARTVARI Sueci sororij fraude Rolfo, Danorum rex in conuiuio cum proceribus interemtus erat. Circūspiciente Hiartuaro, si quis è regia familia superesset, magno se illum munere donaturum prædicabat, quòd fideles uniuersi pro

rege

[illegible] in-
[illegible]
illi ex more, capulum [illegible]
milites sacramentum præstare ensibus. Tum Vvigo, At dominus meus Rolfo capulum tradebat militaturo. Hiartuarus nihil moratus, ensem porrigit, obuerso capulo. Tū Vvigo aduersum mucronem defixit in tradentem, manibus regis sui parentans, circumstantium manibus discerptus. Fidus miles, qui domini sui necem proprij sanguinis uindicauit impendio. Ita Hiartuarus quo die regnum iniit, eiam finiuit. Cranz. lib. 1. Sueciæ, cap. 20, ex Saxonis lib. 2.

Stabularijs.

SVERCHERVS Sueonum & Gothorum rex, nocte, qua Christi natiuitas celebratur, à seruo stabulario trucidatus est, dū ad uillam & ecclesiam Tolstada, nocturnam festiuitatē uisurus, iret. Io. Magnus lib. 18. c. 19.

Rusticis.

GVLIELMVS Hollandiæ comes, Romanorum rex, ann. 1256, cum uicinis Frisonibus bellum gerebat, in quos copias duxit expeditas, rusticum & inermē populum facilè ratus sub iuga mittere. Sed circumfusus ab hostibus, qui longis hastilibus transilire fossas didicerant (quò equites peruenire non poterāt) cum multis opprimitur: cæsusq; in limo sepultus, ut ne hodie quidem sciatur, quo sit loco tumulatus rex Romanorum. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, c. 19.

SEXVS. INTERFECTI à

Mulieribus, Virginibus, Puellis.

ABIMELECHVS Gedeonis F. Israelitarum tyrannus, in oppugnatione turris in oppido Thebe, à muliere molæ fragmine interfectus. Iudicum 9.

Iael, uxor Hebris Cenæi, SISARAM ducem exercitus Iabini regis Chananæi hospitio blandè exceptum, dormientē clauo per tempora adacto interfecit. Iudicum 4.

Iuditha OLOPHERNI, Xerxis Persarum regis duci, amore illius simulato, noctu caput dormienti amputauit. Ex Sacris Suidas.

LEVCIPPVS Oenomai Pisæ regis F. ut Daphnes amore potiretur, habitum puellarem simularat. Cæterùm cùm in Ladone amne, cū Daphne & reliquis puellis, Apollinis instinctu, lauare nudus cogeretur, fraude illi⁹ detecta, à Daphnes comitibus iaculis transfixus est. Pausanias in Arcad.

ORPHEVS magnam ex eo est auctoritatem cōsecutus, quòd & deorum initia, & nefariorum facinorum expiationes creditus est adinuenisse: morborum etiam remedia, & iratorū numinum placationes. Thracum feminę insidias ei primùm fecêre, quòd secum uiros quacunque errans huc illuc traheret. Virorum autem metu non statim ausę facinus perpetrare: mero largiùs hausto, quod cogitauerant perfecerunt. Ex eo institutum, ut uiri non nisi temulenti ad prælia exirent. Pausanias in Bœot.

LEMNII uiri incomtis nauigiis usi Thraciam ingressi, multam inde prædam, & cum ea uim feminarum ingentem abduxêre. Quas cùm uulgo pro uxoribus habituri dicerentur, occupasséque temerè is rumor Lemniadum feminarum aures, uiros in insulam reuersos ex composito nocte una obtruncarunt, solo Theante rege superstite, quem filia Hypsipyle procul Lemno ablegarat.

Alexandro Magno Thebas euertente, Timocleæ sororis Theagenis domum inuasit THRAX quidam Hipparchus, qui post cœnam Timocleam in thalamum accersiuit: neq; hoc solùm, sed aurum etiam & argentum, sicubi reconditum haberet, confiteri eam cogebat. Illa se multum quidem ornatum auri argentique dicebat habuisse: capta autem ciuitate, se hæc in puteum aquâ carentem proiecisse. Thrax credidit. Illa duxit eum in hortum ædium, in quo puteus erat, eumq; descendere iussit. Qui cùm descendens argentum & aurum quæreret, illa desuper cum famulis multos lapides & saxa in eum deuoluit, Barbarumq; obruit. Eoque nomine, apud Alexandrum accusata, ab eodem absoluta fuit. Polyænus libro octauo.

Athenienses in Aeginam triremem miserant, ad repetēdas statuas quasdam Epidauriis ablatas. Aeginetæ Argiorum ope exercitum Atheniensium ad internecionem ceciderunt, VNICO tātùm superstite. Qui cùm Athenas se recepisset, cladem q; renunciasset, uxores interfectorum indignè ferentes unum ex omnibus esse reducem, circumfusæ hominem prehenderunt, ac fibulis uestimentorum pupugerunt, percontantes singulæ, ubi suus uir esset. Athenienses cùm alia ratione atrox istud facinus punire non possent, uestem illarū in Iadem & lineam absq; fibulis mutauerunt. Nam antea Doridem uestem gerebant Atticæ feminæ, simillimam Corinthiæ. Ibidem.

PYRRHVS Epirotarum rex, Argos noctu occupauerat. Argiui Antigonum Macedoniæ & Areum Lacedæmoniorū reges in auxilium uocarunt. Pyrrhus hostibus impar sensim se subducere cogitabat. Tandem lancea per loricam ictus, uulnere accepto haud lethali conuertit se in eum, à quo uulneratus fuerat, Argiuus ille erat, non illustri ex domo, sed paupperculæ anus filius. Ea cùm prælium sicut mulieres reliquæ spectaret ex tecto, cernens cum Pyrrho filium congressum, & commota periculo eius, tegulam ambabus manibus sustulit, eamq; in Pyrrhum librauit. Hac in caput, qua tectum casside erat, delata, & uertebris ad basim ceruicis collisis, uisus eius est caligine obductus, frænum defluxit è manibus, ipse prolapsus ex equo ad Licymnij monumentum in terrā concidit. Zopyrus quidam, qui merebat sub Antigono, accurrit: quem, gladium Illyricum ad caput suum decidendū stringentem, Pyrrhus ita intuitus est toruè, ut ille terroris & stuporis plenus non directò, sed secundùm os & mentū detrūcaret; ac uix longo spacio demeret caput. Plut. in Pyrrho.

Sub Galieno Afri, auctore Viuo Passieno proconsule Africæ, & Fabio Pompeiano duce limitis Libyci, CELSVM Imperatorem appellauerunt. Qui priuatus ex tribunis in Africa positus, inagris suis uiuebat: iustitia & corporis proceritate dignus imperio. Sed per quandam mulierem, Galienam nomine, consobrinam Galieni, septimo die interemtus est, & canib. corpus eius dilacerandum proiectum. Cusp.

HERMANNVS, nobilis Saxo, à Saxonibus contra Henricum IV. rex creatus, cùm ab iisdem esset (nescio ob quod delictum) reiectus, ad Hermannum Treuirensem archiepiscopum confugiens, cùm inter uenādum castellum quoddam satis munitum porta aperta inuenisset, quod tamen præsulis erat, experiri uolens robur militum, irrupit. Femina quædam è turri Hermannum Saxo petitum prostrauit, sic ut statim animam exhalaret, Metis sepultus. Idem.

Mahometus II. Amurathis II. F. quo die pater è uiuis excessit, fratrem nomine Thursinem sibi à patre multis lacrymis cōmendatum, mensem agentem infantiæ 18. propriis manibus interfecturus erat: sed à MOSE quodā exoratus, ne fraterno sanguine manus inquinaret, à Mose in suo cōspectu aqua suffocari curauit. Mater diris prosecuta tyrānū imprecationibus, exanimis cōcidit. Is fucatis uerbis dolorem lenire cupiens, adiecit, si quid uellet audacter peteret: illud enim se tanquam matri daturum. Mulier ira ardens, facinoris ministrum Mosen expetit. Quem tyrannus uinctis post terga manibus ac pedibus cathenatum dedendum imperat. Efferata mulier cultello pectus miseri hominis frustrà opem domini corām implorantis, transfigit, latus inde dextrum aperit, iecur abscissum eruit, datq; canibus discerpendum. Hac demū uindicta mulier satiata conquieuit. Cuspinianus.

Libussa Croci Bohemorū ducis F. inortua, Valasca uirago Libussæ famula uirgines & nuptas Bohemas carminibus & poculis magicis à uirorum amore sic auertit, ut coniuratione inita suos quæq; MARITOS, patres, fratres, filios, una nocte interfecerint: mox arce Vicegradēsi obsessa, Primislai regis exercitum ad internecionem ferè ceciderint. Aeneas Sylulus in hist. Bohem. & Egnat. lib. 3. c. 2.

AETATIS. A

Pueris.

GOLIATHVS Gigas à Dauide puero singulari congresso certamine occisus. 1. Reg. 17. & Iosephus Antiq. lib. 6. cap.

Groningensis puer bombardarij F. paternam imitatus artem, hostium DVCIS caput tormento decussit, & patriæ Groningæ Frisiorum urbi quietem fortuito casu peperit. Olaus lib. 9. cap. 28. Septentrionalium regionum.

Senibus.

☞ *Ex Tit. Senes robusti, huc ea quæ cædem iunctam habent.*

AMICITIAE. AB

Populo, Ciuiū multitudine.

☞ *Vide Tit. Magistratus à subditis interfecti. Itē Tyrannicidarum. A populo lapidatorum exempla, pete ex Tit. Lapidatorum. Quod genus mortis crudelissimum esse, Rabi Moses ben Maymon propter hoc ipsum fortè censuit, quòd à toto populo infertur, neque iam unus tantùm, sed innumeri carnifices esse uideantur.*

PHARSALIA saltatrix, cùm à Philomelo auream coronam Daphnes, quod Lampsacenorum erat donarium, accepisset: ipsa uerò Pharsalia quàm citissimè in forum irrupisset, à dementibus Daphnes uatibus discerpta est, quòd ea deę coronam haberet. Athen. lib. 13. cap. 28.

Parentibus.

☞ *Huc exempla Parricidarum. Illic Agentis patris, hîc Patientis filii ratio habetur.*

ALCATHOVS rex Megarensiū habuit [illegible] Echepolin, quem in auxilium Meleag[illegible] contra aprum Calydonium.

Cùm uerò adolescens à fera fuisset interemtus, atq; id natu minor rescisset CALLIPOLIS, ad patrem, qui sacrum Apollini tunc fortè faciebat, in arcem accurrit, ac ligna è sacris focis disturbauit. Quem cùm piaculum cōmisisse Aleathous, qui filium periisse ignoraret, iudicasset, ira incitatus, stipite ex iis ipsis, quæ ille deiecerat, lignis, capiti impacto filium interfecit. Pausanias in Atticis.

Cùm EVRYALVS Vlyssis F. ex Euippe Tyrimmæ filia, à matre in Ithacam missus esset, signis quibusdam ei exhibitis in tabulas expressis, quibus cognosceretur: Vlysse fortè fortunâ absente, Penelope ea cognoscens, Vlyssi redeunti persuasit, ut occideret Euryalum, tanquam qui insidias ei struxisset. Vlysses præ iræ impotentia sua manu filium occidit. Parthen. de Amat. cap. 2. & 3.

Virginius filiam VIRGINIAM, Icilio desponsatam, spectante populo palàm interfecit, ut Appium decemuirum (qui eā stuprare uelut seruam tentauerat) in odium & inuidiā populi traheret. Liuius, & Syllius lib. 13.

Cùm Macheus ob rem malè gestam in Sicilia & Sardinia, à Carthaginensibus cum exercitu proscriptus esset: reuersus in Africam, Carthaginem obsedit. Eo tempore CARTALO Machei F. ex Tyro reuersus, quò missus fuerat ad decimas Siciliensis prædæ Herculi soluendas, quum præter castra iter faceret, à patre accersitus, publicæ religionis munus dixit se obedire malle, quàm priuato officio fungi. Tulit superbum filij responsum Macheus iniquo animo: religionē tamen reueritus, uim illi non intulit. Non multò pòst, Cartalo commeatu in castra à magistratibus impetrato, cū purpura & infulis, cæteroq; sacerdotij ornatu ad patrem uenit. Macheus filio in secretiorem locum abducto: Quia tu nihil, inquit, in patre præter nomen exulis agnoscis, ego quoque non patrio affectu, sed imperatoria & hostili ui te exceptū ulciscar, ut sis cæteris mortalibus documento, ne quis miseris parentibus tam petulanter insultare audeat. Hæc dicens, filium in altam crucem cum ipsis insignibus sustulit. Sabel. lib. 9. Ennead. 3.

Deuteria timens, ne FILIA sua (quam nubilem & formosam habebat) à Theodeberto rege corrumperetur, eam in flumen præcipitauit, apud Viridunum ciuitatem. Gregorius Turonensis.

IACOBVS Carrariensis dux V. Marsiliettum Papifauium ducem IV. Patauinum, imperandi libidine, è medio sustulit. Verùm non multò pòst à Gulielmo spurio suo euocatus à mēsa, multis uulneribus confossus fuit, eo quòd per iurgium Gulielmum bastardum, hoc est nothum uocasset. Bernard. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Liberis.

☞ *Consule Tit. Seueritatis & Perfidiæ parentum erga liberos.*

SENNACHERIBVS Assyriorum rex post cladem ab angelo acceptam, Niniuen reuersus, in templo orās à filiis duobus interfectus est. 4. Regum 19.

Telegonus VLYSSIS ex Circe F. quum patrem quæsitū pergeret, qui somniorum diritate territus latebat, metuens ne à filio interficeretur, ac à custodibus loci repelleretur: ad uim [illegible] quot confecit, & mox tumultu concitat[illegible] Vlyssem, sed in[illegible] confodit, cuius erat summa pars [illegible] marinæ communita, insulæ argumento, in qu[illegible] erat ac [illegible]. Cælius libro 11. capite 17. Antiq. L[illegible].

Medea pollicita Iasoni, se PELIAM Thessalorum regem, ob occisos Iasonis parentes & fratres, suis dolis necaturam: regiam Peliæ adiens, asseruit, Dianam à draconibus per aerē delatam magnam orbis partem circumisse: ut autem perpetuò coleretur, elegisse omnium regum piissimum: mandasse insuper sibi, ut senectam Peliæ in adolescentiam uerteret. Rex obstupescens, iussit Medeam in seipsa experimentum eius rei edere. Illa petens, ut pura aqua ab una ex filiabus afferretur, cùm se in thalamo inclusisset, unxisset corpus, herbarum uiribus in priorem ætatem restituta est. Fecit quoq; ut draconum specie dea per aerem ab Hyperboreis uecta, apud Peliam diuertere uideretur. Pelias plurimi Medeam faciens, diligenter filias obsequi eidē imperauit, quicquid circa corporis sui curam mandaret. Sequente nocte cùm Pelias dormitum isset, dixit Medea, necesse esse, ut Peliæ corpus in uase æneo coqueretur, eiusq; rei fidem in ariete fecit. Arietem multis annis domi nutritum in frusta diuisum decoxit, ac medicamentis quibusdam ex lebete agni speciem eduxit. Filiæ igitur, Medeæ iussu, patrem dormientem pulsando occiderunt. Sola Alcestis ob insignem pietatem à patre abstinuit. Tum Medeam dicunt, ne Peliæ corpus aut inciderent aut coquerent edixisse: sed ascenso culmine regiæ, cum lampadibus filias se comitari iussisse, signumque dedisse Argonautis, rei conficiundæ tempus adesse. Diodorus libro 4. capite 3.

VISBVR Gothorum rex, ob summam auaritiam in omnium odium adductus, à propriis filiis, quibus contemtui fuit, nihil tale timens, duce Domaldro natu maiore (ut ait Ericus Vpsalensis) cum tota familia immisso igne combustus est. Io. Magnus lib. 7.

Fratribus.

☞ *Huc refer Tit. Parricidarum. illic Agentis iniusti, hîc Patientis ratio habetur.*

Typhon OSYRIDEM Aegypti regē fratrem interemtum in sex ac uiginti partes dissecuit, & cuique eorum, qui secū tanti sceleris participes fuerant, partē dedit, ueluti eius facinoris consciis, & simul ut ipsos defensores custodesq; haberet regni fidos. Sed ab Iside postea Typhon unà cum cædis consciis interemtus est. Diod. lib. 1. c. 2.

Miles quidam, dum occiso spolia detraheret, FRATREM nudato cadauere agnouit, ac detestatus bella ciuilia, semetipsum ibi perimens fraterno corpori adiunxit. August. de Ciuitate Dei, cap. 25.

In Gothia meridionali spectantur duo tumuli, ingentibus saxis, cipporum loco, imposita habentes duorū FRATRVM corpora, quibus ab auspice in prima adolescentia prædictū fuerat, fore ut mutuis uulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotissimas maximeque contrarias orbis partes suscepere. In extrema senecta demùm in patriam reuersi, cùm quisque fratrem iampridem mortem obiisse speraret, non procul ab oppido Ionaco sibiinuicem occurrerunt ignoti, & salute ultro citroq; dicta & accepta sub pinu proxima quieuerunt. Mox rixantibus eorum canibus, ipsi quoque ad iurgia primùm, inde ad uulnera mutua proruperunt, animamque trahentes, & fratres se agnoscentes, in mutuis complexibus expirarunt. Olaus libro 1. de ritibus Septentr. cap. 31.

Sororibus.

CHENELMVS, Ceuulfi Merciorum regis optimi optimus F. & ad res diuinas tantùm intentus, opera Quendredæ sororis, longè scelestissimæ mulieris, in prima pueritia ab educatore suo iugulatus, & ne facinus unquam proderetur, in loco deuio terra humatus est. Sed non multo pòst per schedā quandam aureis literis scriptam & super altare in æde D. Petri positā parricidiū hoc manifestatū est, & ubi loci corpus iaceret indicatum. Quod inuentum honorificè in cœnobio Vinchelcumbensi sepultum est. Quendreda oculis capta, diuersisq; cruciatib. afflicta, miserrimè periit. Polyd. li. 4.

Nepotibus.

Ioannes, Rodolfi ducis Sueuiæ F. instinctu nobilium quorundam ab ALBERTO II. Imp. patruo & tutore regiones paternas sibi restitui petiit. Cæsar corona ex arboris uicinæ frondibus pueri caput ornans, Hæc tuam ætatem serta decēt, fili, inquit, non sceptra. Eo facto magis irritatus, cū quibusdam suorū contra patruū coniurauit. Itaq; cùm Imperator Thermis Heluetiis mense Maio Reinfeldam peteret, & Vrsam fl. ad Vindonissensem traiectum naui superaturus esset, Ioannes Imperatorem ponè sequitur officij causa, expectante interim comitatu in ripa, donec nauis rediret. Posteaquam traiecère, occurrunt Cæsari coniurati. Quibus conspectis, Ioannes equo delapsus freno equum Imp. apprehēdit, &, Nunc uindictæ tēpus est, clamat. Accurrunt reliqui, & Albertum in colle, quā à traiectu ascēditur, occidunt, cùm comites eius trans fluuium cędem frustrà spectarēt. Anno Domini 1308. Stumpfius in Chronico Heluetiæ.

Generis.

Ixion Phlegiæ F. Diam filiam DEIONEI, uxorem duxit. Cùm pollicitus esset se multa munera socero daturum, & ad illa accipienda uenisset Deioneus, eum Ixion in foueam carbonariā, quā tenuissimis tabulatis superius instrauerat, detrusit. Ob quā cædem furore tandē correptus est, quia primus esset ausus in affinitate coniunctū manus inferre. Virgil. lib. 3. Georg. Natalis Comes Mythol. lib. 6. c. 16.

L. Tarquinius, occisa legitima uxore, & ducta Tullia uxoris sorore, utraq; SERVII Tullij filia, idq; ex Tullię instinctu, quò commodius regnum inuadere possent: posteaquā exhaustā populo ciuitatem uidit, cū lictoribus regaliq; habitu repentè in forū processit, inde curiam ingressus, per præconē iussit ad se patres uocari. Inuidiosæ orationi superuenit Tullus, trepidè domo excitus, Tarquiniumq; regia sella sedentem intuitus, impetu in eum fertur. Quem Tarquinius intrepidè exceptum, non solùm repulit, sed medium etiam complexum sublatumque in curia, in inferiores partes per gradus deiecit: indeque sublatum, per quosdam latrones in summa Cyprij parte domum properantem interfici curauit. Sabellicus lib. 5. Ennead. 2.

Soceris.

GORDIANVS III. Imp. urbi Ctesiphonti imminebat, cùm Misitheus socer, cuius consilio omnia gerebantur, uita decessit. Persuasum multi habuerūt, Philippi fraude eum sublatum.

latum: qui, quum ægrotaret, parataq; esset potio à medicis ad premendam aluum, summoto poculo, alteram subiecit, quę multo infestius soluit. Quo profluuio senex breui extinctus est. In cuius locū præfectus Philippus exercitui, & Gordiani ætatem nactus insidiis obnoxiam, non contentus malis artibus ad præfecturā fecisse sibi aditum, maiore scelere Imp. circumuenit, & imperium inuasit. Sab. lib. 6. En. 6.

Affinibus, Cognatis.

Anno 1537. Laurentius Medices, gentilem & propinquum suū ALEXANDRVM Medices, Florentinum principem, noctu per insidias interfecit, cùm in suas ædes eum traduxisset, iniecta spe potiundæ cuiusdam matronæ nobilis, uicinæ suę, quæ forma & pudicitiæ laude cæteris anteibat. Eo sublato, summa rei peruenit ad Cosmum Medices, qui de uoluntate Cæsaris in matrimonium postea duxit Petri Toletani proregis Neapolitani filiam Eleonoram. Sleidanus libro 10. & Iouius.

Coniugibus.

☞ *Consule Tit. Perfidiæ erga coniuges: item, Veneficij: itē, Pœna perfidiæ erga coniuges.*

CANDAVLES Lydorum rex, cùm Gygi Dascyli filio, quamuis inuito, pulcritudinem uxoris nudæ ostēdere uellet, eum in secretiorem cubiculi partem pertraxit. Vbi regina rerum omnium inscia, cùm positis uestibus regium cubile ascendēs, Gygem sese occultè foràs proripientem nō sine rubore uidisset, postero die Gygem accersit, eique turbato animo duo proponit: Aut ut ipse moriatur: aut regem interficiat. Gyges siue imminenti motus periculo, siue regni cupiditate, siue utroque, ferro instructus eadem cubiculi parte, qua nuper in insidiis locatus, nocte proxima regem somno oppressum obtruncauit, simulque eius thronum & tyrānidem occupauit. Sab. lib. 3. Enn. 2.

De Apro, qui VXOREM sagitta interfecit, Martialis Epigrammatum libro decimo:

Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta,
Sed dum ludit Aper. Ludere nouit Aper.

AMALASVNTHA Gothorum regina, Aralarici mater, à Theodato (quem mortuo filio regni socium asciuerat) in balneo iugulata est. Paulus Diaconus.

GALSONDA Athanagildi Gothorū regis filia, à Chilperico marito noctu iugulata est, suasu Fredegūdę pellicis. Volat.

GANGVLPHVS martyr suasu uxoris adulteræ, cum qua diuortium fecerat, noctu ab adultero iugulatus est.

Amasiis.

ERIPPE Xanthi, hominis apud Melitenses primi, uxor, à principe Celtarum in Ioniam irruptionem facientiū rapta, cùm Xanthus eam repetiturus esset, impetrassetq; id à principe: Erippe Celtæ indicat auri multitudinem, quod secum Xanthus apportasset, suasitque ut eum occideret: confitens, se ipsius amore plus quàm patriæ & pueri bimuli domi relicti teneri, Xantho uerò se penitùs esse infestam. Occultauit indignationem Celta, & Xanthū comitatus, ubi ad fines Celticæ peruenit, sacrum se facturum inquiens, Erippen uictimæ astare iussit de more, & incautæ caput amputauit: Xanthoq; simul reuelans insidias ab ea paratas, omne aurū illi liberaliter donauit. Parthen. de Amat. c. 8.

Trambelus, Telamonis filius, APRIATES puellæ in Lesbo amore captus, multa faciebat, quo puellam illectaret. Verùm quū illa nihilo mitior fieret, meditabatur dolo ac fraude eam circumuenire. Euntem itaque aliquando unà cū ancillis in paternum rus, non procul à mari situm, ex insidiis adortus apprehendit: & quum illa multo magis pro uirginitate sua tutanda obluctaretur, iratus Trambelus, præcipitauit eam in mare, siue, ut alij uolunt, ipsa seipsam præcipitē dedit. Trambelus non longè pòst ab Achille prædam ex insula Lesbo agente, ignaro quis esset, interfectus fuit. Parthenius cap. 26. Eroticorum.

ANTHEVS à Cleobœa, cuius stuprum recusarat, interfectus est. Parthen. in Erot. cap. 14.

Pausanias cùm ad Hellespontum Spartanę & sociorum classis imperator castra haberet, uirginis Byzātiæ CLEONICES cupiditate accensus est. Cùm uerò prima nocte Cleonice ad ipsum iam dormientem perducta, fortè accensam lucernam deiecisset, repentè strepitu est excitatus: & sibi consiliorū de Græcia prodenda conscius, perterrefactus, uirginem ignotā acinace transuerberauit. Pausanias in Atticis à Byzantio homine hæc se audiuisse scribit.

HIPPARINVS Syracusiorum tyrannus, ab Achæo amasio occisus est eo gladio, quo contra stupratores iussu Hipparini uti debebat: cùm eum noctu incognitus tentaret Hipparinus. Parthenius in Erot. cap. 24.

Hercules Strozza Hippolytæ & CALLIMACHI amantium mortem eleganter his uersibus explicat:

Ruperat Hippolytæ data fœdera, patre coactus
Aemiliam uxorem ducere Callimachus,
Illa furit, sed dissimulat, noctemq; cupitam
Pollicita, incautum transadigit gladio:
Et spectante illo (quid non muliebria cogit
Corda amor?) usa sua dexterà & ense perit.
Non graue obire proco, sed non obiisse repentè:
Non doluit proprio uulnere, sed dominæ.

PRIMACVS seruus quidam in insula Chio, fugitiuus in montes, multis aliis accurrentibus seruorum dux declaratus est. Multis ultrò citroque datis & acceptis cladibus, certis conditionibus fœdus initum est. Sed postea ciuitate edicto multum ei pecuniæ promittente, qui aut illū comprehenderet, aut caput eius afferret: Primacus iam senex amasium suum se interficere, & capite Chiis oblato mercedem accipere iussit, renuentem coegit, tantopere illum amauit. Athenæus libro 6. c. 7. ex Nymphodoro.

Amicis.

☞ *Vide Tit. Ab Imprudentibus occisi. Item, Amici perfidi.*

Alexandro Magno Castori & Polluci sacrificante, CLITVS summus eius amicus etiā uenit ad cœnam. Sed cùm à quibusdam carmina Pranychi, aut Pierionis, in ignominiam quorundam ducum à barbaris uictorum scripta, summo cum applausu regis decantarentur: Clitus iam uino grauis fremere incepit, negans conuenire, præsertim inter barbaros & hostes, Macedones ludibrio haberi. Multis itaq; ultro citroq; dictis, Alexander ira percitus malo petit Clitum, gladiūq; quæsiuit: quo subtracto ab Aristophane satellite, rex cuidam alteri satelliti hastam abstulit, & obuium Clitum remouentemq; uelum ianuæ transfixit. Plut. in Alex.

DION Syracusanos à Dionysij tyrannide liberarat. Erat Dioni amicus quidam Atheniensis Callippus: qui eum ad bellum secutus, honestum ordinem habebat, atque ingressus cum eo Syracusas est primus amicorum omnium coronatus, præbueratque se strenuum & insignem bellatorem. Amicis interim Dionis primariis & optimis bello absumtis, sublatoq; Heraclide nauarcho, Callippus populum Syracusanum cernens duce orbum, & Dionis milites sui cupidos: Siciliam interfecti hospitis habiturum se sperans præmium: & ut aliqui commemorant, insuper uiginti talenta cædis ab hostibus mercedem accipiens: nonnullos mercenarios milites sub ornauit in Dionem, rumoremque dissipauit inter Syracusanos, orbum iam liberis Dionem (eius namq; filius paucis antè diebus ex tecto præcipitem se dederat) Dionysij filium Apollocratem, qui fratris uxoris suæ filius & nepos sororis esset, accire & facere statuisse successorem. Insidiarum itaque tempus in Proserpinalia coniecerunt. Cùm in triclinio sederet Dion cum amicis, pars domum foris cinxerunt, alij ostio ædium & fenestris admouerunt se. Illi, qui manus ei illaturi erant Zacynthij tunicati absque gladiis sunt ad eum ingressi. Simul illi, qui extrà stabant, fores attraxerunt, obditasq; tenuerunt. Alij Dionem adorti instituerunt eum suffocare & strangulare. Vt nihil profecerunt, gladium postulauerunt. Tandem Lycon Syracusanus porrexit per fenestram uni Zacynthiorum pugionem: quo uictimæ modo Dionem oppressum iamdudum & obstupefactum iugulauerunt. Sic Callippus dominatu breui potitus est. Plutarchus in Dione.

[illegible]

Prælio Mediolanensi, Germani, qui cum Gallis militabant, PONTINERIVM, proceritate corporis animiq; uirtute inter Heluetios duces clarissimum adequitantem ordinibus, ac suos clara uoce, adiectis in Germanos contumeliis, cohortantem, sclopetorū ictibus equo deiecere. [illegible] obesiq; corporis adipe atq; aruina patentibus plagis defluente, cruentas lanceas spectātib. Heluetiis inunxerunt. Iouius.

CONDITIONIS. A PRINCIPIBVS, REGIBVS, Ducibus.

☞ *Vide Tit. Fortes duces. Item, Reges crudeles, seueri, perfidi.*

Dispares.

ARRIVM Aprum, Numeriani interfectorem, Diocletianus Imperator coram omnibus iugulauit, non tam iustitiæ gratia, quàm ut Druydæ in Gallia de se olim uaticinium impleret, quod erat: Imperatorem tunc eum futurum, cùm aprum interfecisset. Volater. lib. 24. Anthrop.

Perseus rex Macedonum à Paulo Aemilio funesto prælio superatus, postquam Pellam nocte ingressus est, EVCTVM & EVDÆVM ærario præfectos, qui ei præstò fuerunt, partim eum de superioribus peccatis increpātes, & intempestiua liberalitate admonentes, partim consilia suggerentes, infensus ambos pugione confodit. Plut. in Paulo Aemilio.

Clodo-

Clodoueus Francorum rex uicto Syagrio Aegidij regis F. cùm Rhemis MILES quidam Francus è templo calicem rapuisset, eiusque nomine à D. Remigio rex fuisset commonitus: calicem templo restituit. Anno circumacto cùm recenseretur exercitus, idemq; miles in armis prodiret, prehensa eius hasta quasi inspecturus, inutilem bello dictitans, in terrā rex proiecit. Militemq; e uestigio illam tollere conatum, demittentemq; se, elata altè securi, quo telo reges utebantur, in caputq; deiecta, strauit, repetitumq; interemit. Aemil. lib. 1.

Pares. Reges à Regibus.

Aur. Ambrosius Britannorum rex, in societatem pertracto Scotorum rege Congallo & Pictorum rege Lotho, ad Mahesbellum, HENGISTVM Saxonum ducem, qui se regem dixerat, magno prelio uicit, summique ducis & strenui militis partibus functum, omnium postremum inter aliquot equites fuga se periculo eripientem conspicatus, primo incursu lancea confossum deiectumq; equo interfecit. Qui aderant Saxonici equites regis sui casu territi magis quàm irritati, relicto Hengisti cadauere inter hostes ad ludibrium, Occam Hengisti F. graui uulnere saucium secum deportantes, in proximos montes abiere. H. Boethius lib. 18.

SVBDITIS.

RAGVALDVS Knaphofde Sueonū rex, patriarum legum & regni consuetudinum contemtor, cùm aliquando ad terras Vestgothorum descenderet, præter consuetudinem patriæ illius (habebant enim uetusta consuetudine præscriptum, ne quis regum ad eos accederet, nisi præmissis nunciis & literis, quibus causam aduentus sui declararet) non secus ac patriæ hostem excipientes, in uilla Carlaby occiderunt. Io. Magnus lib. 18. cap. 15.

IACOBVS III. Scotorum rex, exclusis ferè omnibus primæ nobilitatis uiris, ignobiles & obscuros homines, aulæ suæ muneribus obeundis præfecit. Eapropter maximum in se odium nobilium concitauit. Eoq; nomine clanculum conuentus agebantur, & nobiles magno armatorum numero stipati incedebant. Id quum Ioannes Ramsayus, nobilis quidem, cæterùm potentia apud regem nobilissimis quibusuis prælatus, animaduerteret, suasit regi, ut prohiberet, ne quis in aula arma præter se unum deinceps ferre auderet. Stipatus ergo numeroso satellitio Ramsayus, dū nimio fastu sese in populo ostentat, & singulos quosque contra edictum armatos cùm minis tum uinculis coercere studet, ita uniuersam Rempublicam in multiplices coniecit difficultates. Nobiles ergo coniuratione facta Iacobum regis F. quartum decimum annum agentem in suas partes pertrahunt. Rex Australi Scotia rebellante, ex Septentrionali suppetias exciebat. Cæterùm dum illas expectat, necessitate ad pugnam pertractus, uel etiā uindictæ nimia cupiditate illectus, prope Sterlingum commisso prælio, uictus fugatusque, ut lateret, dimisso equo, in pistrinum se coniecit, noctem illic expectaturus. Cæterùm palantis equi indicio deprehēsus, crudeliter occisus est. Appendix Hist. Scotorum.

SERVIS.

☞ *Consule Tit. Seruorum perfidiæ erga dominos.*

Rechabus & Baana, duces militum ISBOSETHI Sauli filij, [redacted] xorem & liberos datis, seruorum fidelis. dextra prehendit, & corporis circumactu manumisit, conuersoq; gladium tradidit, & iugulum præbuit. Appianus libro ultimo Bellorum ciuilium.

PEDANIVS Secundus urbis præfectus à seruo suo interfectus, seu ob negatam libertatem, cui precium pepigerat: seu quòd infensus (& hoc uerius esse dicebatur) exoleti amore, dominum & æmulum ferre non potuisset. P. Aerodius lib. 1. Decret. ex Corn. Taciti lib. 14. Annalium.

Gallis in arcem à Neapolitanis ciuibus, recepto rege suo Ferdinando II. Aragonio, compulsis & continenti tormentorum ictu grauiter uexatis, inopiaque rerum necessariarum pressis, Aethiops quidam seruus apud Gallos, cùm se incensurum Gallicani classem, & ædituum Aragonis in sanctę Crucis templum statuta nocte præbiturum polliceretur, FERDINANDVM Daualum Piscarium perfidia planè seruili, doli ac insidiarum ordine Gallis prius recitato, intempesta nocte ad colloquium euocauit, euadentemque militari scala in summam hortorum maceriem, & in caput exporrectum, sagitta lunata repentè emissa summæ nimirum uirtutis ducem in ipso ætatis flore iugulauit. Iouius lib. 3. & Guicciardinus lib. 2.

CAPTIVIS.

☞ *Consule Tit. E carceribus liberati, quatenus cum aliorum cæde liberantur.*

Amazones à Græcis ad Thermodontem fluuium uictæ, tribus in nauibus captiuæ abducebantur. At illæ GRÆCOS in mari somno oppressos interfecerunt: & cùm nauium regendarum imperitæ essent, uento delatæ sunt ad Mæotidis paludis prærupta, quæ Scytharum liberorum telluris sunt: ibique cum Scytharum iuuenibus commercium habentes, tandem unà cum illis transmisso Tanai, trium dierum Orientem uersus profectæ, sedes fixerunt. Herodotus libro quarto.

VESTITVS. A

Laruatis, Personatis.

BVRCARDVS de Scrapelavv comes, archiepiscopus Magdeburgensis, XIX. annis in pōtificatu peractis, uir sobrius, pius, castus, fortis, prudens, & qui iura ecclesiæ suæ magno semper labore tueretur: cui multa foris bella, à ministerialibus quoque ecclesiæ suæ pericula: sed ubique uictor superabat. Cùm ciues illi Magdeburgenses infesti essent, quòd improbam eorum uoluntatem refrenaret: cessit urbe, cum clero. Erant inter ciues, quibus fideret archiepiscopus, qui multa pro illo ad populum tentabant, ut recōciliaretur suo domino. Pollicebantur eo præsente, se melius omnia, quàm per interpositos, acturos. Venit ergo, & rebus (ut uidebatur) omnibus compositis, iurauit utraq; pars super uenerabili Christi Sacramento. Nō multo pòst à ciuibus capitur, recrudescit irę in populo: & in carcerē tenebrosum, detrusus oneratur catenis, maceratur inedia, mille excruciatur modis. Delecti tandem uiri quatuordecim; de Magdeburgo octo, de Hallis quatuor, de Caluis duo, personati, sed habitu simili (Itali Mattesinos uocare uidentur) Clauas manibus tenentes irruunt in carcerem: uinctum pontificem, ludibundi, chorizantium in morem circumeunt, & ut in tenebris poterant, clauis sæpe innoxiis iacentem tangunt: tandem chorea sæpius in orbem ducta, ne internosci quis cęderet posset, unus ex his claua caput pontificis grauiter percussit: choream tamen continuarunt, donec uerè mortuum esse cognouerūt. Cadauer anno pene toto, in carcere relictum, ignorantibus cædem eius canonicis. Tandem ciues, uelut ignari rerum, spectatum eunt, quid agat archiepiscopus. Repperiūt iam fœtore grauem uermibus scatere, sic ut non posset internosci pontificis nisi in capite signum. Extractus, in medio templo tumulatur. Interdictum urbi diuinis officiis: excommunicati omnes conscij. Episcopus Mersburgensis, gladium distrinxit carnalem. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 13.

A BRVTIS NECATI.

IN GENERE A FERIS, A BESTIIS occisi.

Fortuito casu.

PYRENE puella, Bebrycis filia, in Pyrenæo monte ab Hercule compressa, atq; à feris ibidem laniata est, & sepulta. A cuius nomine monti quoq; impositum nomen.

MILO Crotoniates iam senex cùm iter faciens in Italia quercū in agro cuneis adactis fissam uidisset, uiriū periculū facturus, accessit ad eam, insertisque manibus, diuellere conatus est. Quas arbor excussis cuneis in suam naturā reuocata cōpressit, eumq; cum tot gymnicis palmis lacerandū feris prębuit. Val. Max. lib. 9. c. 12. & Gell. lib. 15. c. 16.

Consultò. Ad Bestias damnati.

IVDÆORVM gente à Romanis subacta, Titus Imp. magnam captiuorum multitudinem uendidit, ad duo millia quingētos in spectaculis per urbes uicinas, Cæsaream, Berytum, editis, bestiis obiecit, aut etiam cateruatim in theatro inter se pugnare coegit. Iosephus lib. 7. c. 20. belli Iudaici.

GERMANICVS sub M. Antonino & L. Aurelio Smyrnę passus est, ac post infinita propè tormēta bestiis obiectus: à quibus fractim comminutus, uitam cum morte mutauit.

SYLVANVS Tyri præsul, sub Diocletiano Imperatore feris obiectus.

FLOCELLVS martyr tēporib. M. Antonini Imperatoris passus est apud Augustodunum, & iussu Valeriani pręsidis à feris deuoratus.

PRISCVS, MALCHVS, ALEXANDER, martyres apud Cæsaream Palæstinæ, sub Valeriani persecutione, pro Christi nomine à bestiis deuorati.

IN SPECIE. A

LVPIS.

MEMPRICIVS uetustus Britanniæ rex, inglorius, cùm inter uenandum à suis longè abisset, à lupis, quibus id temporis insula abundabat, dilaniatus est. Polyd. lib. 1.

In territorio Gebennensi lupus quidam inusitatæ magnitudinis ac ferociæ, in ipso hominum conspectu triginta diuersi sexus & ætatis HOMINES deuorauit; anno Christi 1148. Continuator Sigeberti, Vincentius.

APRIS.

Alcathoi regis filius natu maior ECHEPOLIS, ab apro Calydonio, aduersus quem Meleagro in auxilium missus erat, interfectus. Pausanias in Atticis.

ANCÆVS Neptuni & Astypaleæ Phœnicis filius, cùm uitem sereret, grauiterq; ministris instaret, urgeretq;: quidam operis tædio commotus in herum, negauit futurum, ut ex ea uite herus unquam uinum gustaret. Pòst ubi uitis prouenisset feliciter, atq; uuæ maturuissent, herus exultans ac gestiens, seruum eundem accersit, atque sibi uinum infundere iubet. Deinde iam calicem admoturus ori, seruo, quæ dixisset, redegit in memoriam, quasi uanam exprobrans diuinationē. At ille hero respondit: Inter calicem ac summa labia, multa posse interuenire. Seruili sententiæ fauit euentus. Nam inter loquendum, priusquam ille uinum hauriret, alter quidam minister ingressus, nunciat uinetum ab apro quopiam immani uastari. Quibus auditis Ancæus deposito poculo, protinus in aprum fertur: à quo inter uenandum percussus interiit. Interpretes Lycophronis citat Aristotelem auctorem, qui & ipse de Ancæi fabula meminerit, in qua illud uariat: Ancæo uitem instituenti, uatem accersitum quempiam prędixisse, nō futurum unquam, ut ex ea uinum gustaret, & expresso in calice uino, uatem irrisisse. Lycophron refert ad Agapenorem patrem, & Ancæum Actoris & Eurythemistidis filium, & ad aprum Calydonium. Eras. in Chiliadibus.

IDMONEM uatem licet Seneca dicat à serpente interfectum, Ouidius tamen in Ibin, eumq; imitatus Politianus in Nutricia, ab apro occisum uult:

> Quiq; Lycurgidem laniauit ab arbore tractum,
> Idmonaq; audacem, te quoq; rumpat aper.

Volaterranus facit Ancæum Lycurgi filium: Domitius uerò Calderinus hoc ad Bruthem refert.

ADONIS Cynaræ ex Myrrha filius, Veneri ob formā carissimus, dum uenaretur, ab apro interfectus est. Ouidius libro 10. Metamorphoseôn.

DÆDALVM quendam Martialis lib. 1. Epigram. ait feris obiectum, ab apro laniatum fuisse:

> Dædale Lucano quum sic lacereris ab apro,
> Quàm cuperes pennas tunc habuisse tuas?

In uenatione ab apro interfectus est AISTVLFVS Longobardorum rex. Fulg. lib. 9. cap. 12.

FAFILLA Legionis rex in Hispania ann. 770. plus debito uenationibus insistens, dum ursum insequitur, ab eodem fuit miserabiliter interfectus, anno secundo regni. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hispan.

LEONIBVS.

IADON propheta, eo quòd contra præceptum Domini cibum in itinere sumsisset, deceptus à pseudopropheta Bethelensi, in uia à leone interfectus, at non dilaniatus. 3. Reg. 13. & Sabell. lib. 5. cap. 3.

QVIDAM uates, Michææ uati obedire nolens, ut eum feriret, à leone occisus est: cùm alius quidam eum percutiens seruaretur. 3. Reg. 20. & Iosephus lib. 8. Antiq. c. 13.

PERSARVM satrapę, qui Danielem perdere cogitabant, leonibus obiecti. Danielis 6 & 14.

HYAS Atlantis ex Aethra filius, dum uenaretur, à leæna interfectus est. Ouid. lib. 5 Fastorum:

> Dumq; petit latebras fœtæ catulosq; leænæ,
> Ipse fuit Libycæ præda cruenta leæ.

PAPHAGES rex Ambraciæ, à leæna interfectus est. Ouidius in Ibin:

> Fœta tibi occurrat patrio popularis in aruo,
> Sitq; Paphageæ causa leæna necis.

TIMALCVS Megarei regis Megarēsium filius à leone Cithęronio interfectus fuit.

Cùm PHALÆCVS Ambraciam tyrannide premeret, metusq; omnes ab eius cęde detineret: Diana uenanti tyrāno catulū leonis exhibuit: quē cùm is in manus sumsisset, leæna mater è sylua erupit, & in Phalæcū impetu dato, pectus eius dilaniauit. Ideo Ambraciotæ seruitutis excusso iugo, Dianam principē placarunt: uenatricisq; Dianæ simulacro facto, feram ei apposuerunt. Ant. Liberalis in Metamorphosi.

Cassius Cæsarē cùm aliis nominibus est insectatus, tum ob leones ablatos, quos hic ædilis curulis designatus parauerat: Cæsar autem bello ciuili Megaræ, cùm captum oppidū per Calenū esset, inuentos retinuit. Eas feras calamitatē ingentē memorant MEGARENSIBVS intulisse. Hi enim, dū iam caperetur urbs, refregerūt caueas, & uincula dissoluerūt, ut irruentibus feræ obsisterent: quæ in illos ipsos impetum dederunt, atq; discurrentes discerpserūt inermes: fuitq; spectaculum etiam hostibus luctuosum. Plut. in Bruto.

IGNATIVS Antiochenus, tertius post Petrū præsul, sub Traiano damnatus ad bestias, cùm in rem præsentem uenisset, & rugientes leones audiuisset: Frumentum (ait) Christi nūc dentibus ferinis conterar, ut panis sincerus inueniar. Volat. lib. 16. Anthrop. ex Hieronymo.

EVPHEMIA uirgo, Philophronis senatoris filia, sub proconsule Prisco ursis & leonibus obiecta.

SATYRVS & PERPETVA martyres, quū nullis tormentis, nullisq; cōminationibus ab orthodoxæ fidei cultu diuerti possent, leonib. deuoti sunt, & ab eis deuorati, Valeriani & Galieni temporibus, sub præside Tarnutio. Volat.

LEOPARDIS.

REVOCATVS & FELICITAS martyres, à leopardis deuorati, imperantibus apud Romanos Valerio & Galieno, sub Tarnutio præside. Idem.

VRSIS.

BETHELENSIVM XLII pueri, ob exprobratam Elisæo prophetæ caluitiem, à duabus ursis laniati & discerpti sunt. 4. Regum 2.

FAFILLA Legionis Asturum rex, & Pelagij Portugallensis filius, cùm biennio regnasset, ab urso in uenatione laniatus est: teste Ritio Neapolitano, lib. 2. Regum Hispaniæ, & Fulgoso lib. 9. cap. 12.

CERVIS.

BASILIVS Imp. dum uenatur, ceruum maximū gladio ferit. Cæterùm cornibus zonę irretitis, ab irata bellua in sublime eiectus, & exanimatus fuisset, nisi satelles educto gladio zonam mediam dissecuisset. Itaq; humi tātùm prostratus Imp. seruatus est. At ingratus pro data salute, satelliti caput ademit, quòd nudū ensem in se strinxisset, nō in feram. Sed nō multo pòst uindicta Dei affuit: ictus enim à ceruo, intestinis perruptis uitam cum morte cōmutauit. Cuspinianus.

ELEPHANTIS.

Ptolemæus Physcon, mortuo patre Ptolemæo Philometore, cùm Cleopatram matrem unà cum filiis regis, imperij occupandi ergò expellere conaretur: Onias Iudæus, Philometoris dux & amicus, bellum pro Cleopatra suscepit. Physcon omnes IVDÆOS in oppidis comprehensos cum filiis & uxoribus nudos atq; uinctos elephantis uino ebriis conculcandos obiecit. Elephanti diuina quadam ui agitati, Iudęis illęsis, impetu in spectatores regis amicos facto, multos ex ipsis interemere. Iosephus lib. 2. contra Appionem.

EQVIS. VARIO MODO. Vtpote

Præcipitati, Excußi.

De his sub Tit. eorum, qui Casu ex alto periere.

Allißi.

THEODERICVS Gothorum rex, cùm indomitum equum ascenderet, hastam erectam (quæ ante tabernaculum regiū more gentis suæ erecta erat) concussit: illa obliquè in eum illata, latus eius uulnerauit: quo uulnere etiam obiit. Nicephorus lib. 16. cap. 21.

[redacted]

Mortuo Ludouico Balbo Francorū rege, Ludouicus & Carolomannus Balbi ex pellice filij regium nomen inuaserunt: præclaraq; initio facinora aduersus Normannos piratas ediderunt, & Bossonem eiusq; filium Ludouicum Prouincię finibus continere se coegerunt. Redeuntes maioribus uiribus, Normannos quum armis arcere non possent, ingentem uim auri illis dederunt, duodecim annorum inducias pacti. Interea CAROLOMANNVS in equo ludibundus, dum refugientem domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit. Ludouicus aprū uenabulo premens intorto aliunde telo trāsfixus est. Aemilius lib. 3.

Conculcati.

Iehu, occupato regno Israelitarum, IEZABELEM impiā, quę fuerat multorum causa malorū, iussit præcipitari deorsum. Itaque equorum ungulis conculcata est, sic, ut sola caluaria capitis ad sepeliendum inueniretur. Canes eius linxere sanguinem. 4. Regum, cap. 9.

Distracti.

PYRÆCHMEN Eubϧæ rex bellū Bœotis inferens, ab Herculе pullis equinis alligatus est, ut in duas partes discerperetur. Plut. in Parallelis, ex 3. de Fluminibus lib.

HIPPOLYTVS falsò accusatus de stupro Phædræ nouercæ intentato, dum patris Thesei furorem fugeret, ab equis phocarum aspectu territis discerpitur. Ouid. lib. 5. Metam.

COMMINIVS à Gidica nouerca stupri falsò accusatus, mēu Cōminij patris currum cōscendit, & in fugā more Hippolyti ab equis raptim distractus est. Dositheus apud Plut.

BOETIS Persa, urbi Gazæ præfectus, capta urbe equis raptatus est ab Alexandro Magno. Sab. lib. 4. En. 4.

Hippodorus, unus Codridarum, eo quòd FILIAM apud mœchum deprehendisset, currui eam alligari atq; discerpi iussit. Aelianus.

METIVM Suffetium dictatorem Albanorum, ob proditionē & defectionem, Tullus Hostilius Rom. rex uictoria cōtra Veientes potitus, nudatū regiis ornamentis, alligari quadrigis in diuersa nitentib. præcepit: cuius corpus agentib. lictorib. & ui equorū trahentiū, utroq; spectante exercitu, in partes plures discerptum est. Liuius lib. 1. Dec. 1.

HIPPOLYTVS Romanus martyr, è discipulis Laurentij, sub Decio principe, ductus extra portam Tyburtinā, iussu prefecti Valeriani equis indomitis alligatus & discerptus est. Volaterranus lib. 16. Anthrop.

Carolus Magnus superatis hinc inde bello Saracenis, Ganalonum ad Marsurium & Belingandum adhuc debellandos in Hispanias mittit his conditionibus, uti Christi fidem & pacem acciperent, aut certum auri & argenti sibi pondus tributi nomine penderent. GANALONVS mandatum quidem perfecit: cæterùm auro corruptus, proditor exercitus Caroli factus, consilium tale hostibus dedit, quod secuti illi, Rolandum ducem cum flore totius Gallici exercitus cecidere. Carolus tam atroci nuncio perculsus, debellatis hostibus, Ganalonum, proditionis conuictum, ferocissimis quadrigis distractum, fœdè laniauit. Sab. lib. 8. En. 8.

BRVNECHILDIS Athanagildi Visigothorum regis F. uxor Sigeberti Francorum regis, uno pede & brachio multata, ad caudam equæ indomitæ religata, ex Lotharij regis & procerum sententia, ob inaudita scelera & decem reges extinctos, discerpta est. Regino lib. 1. Sigebertus, Gaguinus lib. 2. Auentinus lib. 3.

Iarmericus Danorum rex comites, duces, PRINCIPES Teutonicæ gentis captos, traiectis fune tibiis, equis in diuersa raptantibus præbuit lacerandos. Saxo Gram. lib. 7.

Sub Hunnorum in Europam aduentum, anno Domini 373. QVÆDAM mulier, quæ in uiri nece deprehensa fuerat, capitis arcessitur: homicidij conuicta pariter & adulterij, usq; adeò regis Gothorum Hermanarici iram facinoris indignitate succendit, ut quatuor equorum discerptu multaretur. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

Brixiani Henrico VII. Imperatori Theobaldo Brussato auctore rebellantes, tandem obsidione longa, fame, ferro, flāmaque perdomiti sunt. THEOBALDVS ante illud Spirę à Cęsare militari parazonio donatus fuit, eiusq; beneficio ab exilio in patriam receptus. Is cum paucis militibus in monte, qui Brixiæ imminet, capitur, & ad Cæsarem perducitur. Quem acerbissimis uerbis ut proditorem incessit, diligentissimeq; per octiduum curatū (uulnus enim lethale habuit) equo alligatum per exercitum raptari, in quatuor dein partes dissecari iussit. Cuspinianus.

Gualia tota ab rege Anglorū Eduardo I. subacta est, princeps in bello cæsus, ac FRATER pedibus ad caudam equi religatus ad locum supplicij tractus, in quatuor partes discerptus, quas in diuersas Angliæ ciuitates misit, ad defectiones cohibendas. H. Boethius lib. 13.

CORSVS Donatus Florentinus cùm ob prosperum rerū suarum successum eius existimatio nimium cresceret, populo in suspicionem uenit, tanquam in urbe tyrannidem affectaret. Furente igitur populo, & ædes ipsius, Libertatis accepto uexillo, oppugnante, clàm in equum conscendit: & cùm milites quidam eum insequerentur, ab equo delapsus, stapedi adhęrens, ab equo miserè conculcatus, sine ullo honore tumulatus. Fulg. lib. 6. c. 11. & Sab. lib. 7. c. 8.

[redacted]

Deuorati, Demorsi.

GLAVCVS filius Sisyphi (qui apud Potniam regnauit) dum equas humana carne aleret, ab eisdem postremò deuoratus est. Verg. lib. 3. Georg.

> Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
> Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
> Potniades malis membra absumsere quadrigæ.

DIOMEDES rex Thraciæ, dum equos suos humana carne aleret, ab Hercule illac iter faciente equis ipsis datus est in pabulum. Ouidius in Ibin:

> Vt qui Threicij quondam præsepia regis
> Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

ABDERVS, unus eorum, qui ab equis Diomedis Thraciæ regis interfecti sunt, & deuorati. Aegidius Maserius in Valerij Argonautica.

Hippomenes Atheniensium princeps, filiam LIMONEM in adulterio deprehensam, unà cum equo feroci conclusit, nec huic nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam deuorauit. Hinc ortum adagium, à Diogeniano positum: Magis impius Hippomene. Ouidius in Ibin.

NEOCLES Themistoclis filius, equi morsu interiit. Plutarch. in Themistocle.

AVIBVS.

AESCHYLVS Atheniensis Tragicus in Sicilia sub dio capite aperto sedens (quòd eo die ex casu sibi periculum instare à uate didicisset) quia caluaster erat, saxi speciem expressit. In eum ergo aquila, testudinis marinæ corticem perruptura, magno cum impetu demisit conchylium. Cuius ictu exanimatus periit.

CRETENSIS cùm aquilam sagitta confixisset, ipsa ex alto decidens ceruicem eius sagitta eadem uulnerauit. De quo sic in 1. Epigr. Græcorum Apollonides:

> Ἰοτύπης δ᾽ιὸς ὄρνις ἐπίσατο κρῆτα φαρέτρης,
> θρεμνόθεν τόξῳ τόξον ἀμειψόμενος.
> κεῖνον δ᾽ εὐθὺς ἄκοντι παλινδρομέοντι κατέκτα,
> ἠερόθεν πίπτων δ᾽ ἔκλαυσεν, ὡς ἔθανεν.
> μηκέτ᾽ ἐφ᾽ ὑμετέροις ἀψαυδέσι κρῆτες ὀϊστοῖς
> αὐχεῖθ᾽, ὑμνείσθω καὶ Διὸς εὐστοχίη.

PISCIBVS, Belluis marinis.

Vide Tit. Submersorum. quatenus à marinis belluis deuorantur.

EPOPEVS ex insula Icaro, cùm piscaretur cum filio, nullumque alium piscem caperet præter Pompilos, omnibus diis in Samothracia, Veneri item & Neptuno sacros, ab iis edendis non abstinuit, sed omnes cum filio unà comedit. At paulo pòst pœnas impietatis luens, à cete in conspectu filij deglutitus fuit. Athenæus libro 7. cap. 6. & Cælius libro 12. capite 12. Antiq. Lect.

Vedius Pollio Romanus, tempore Augusti, quum piscinas magno studio ac diligentia coleret, SERVOS suos occidebat: eosque piscibus dabat in prædam, ut hominum cruore pasti delicatiores essent.

BOBVS, TAVRIS.

DIRCE mulier dolēs maritum suum Lycum Antiopæ amore captum, ANTIOPAM ipsam tauri cornibus alligauit: ad cuius uociferationem protinus accurrerunt Zethus & Amphion, eiusdem filij: qui ad ulciscendam iniuriam matri factam, tauro indomito Dircem alligauerunt, eaque morte extinxerunt. Propertius lib. 3.

Macrinus Imp. geminos boues miræ magnitudinis aperiri iussit: hisq; MILITES singulos (qui ancillæ hospitis pudorem uiolasse ferebantur) inclusit, capitibus boum exectis, ut facilius unà colloqui possent. Sab. lib. 6. En. 7.

SATVRNIVS episcopus Tolosanus, dum acerrimè pro Christiana fide pugnaret, ferocis tauri cornib. alligatus, mēbris confractis, & illiso cerebro, Domino spiritum reddidit.

EGILLVS Suconum & Gothorum rex, quum esset strenuus iustitiæ & æquitatis cultor, non paucos proceres, quibus eā seueritas minimè placebat, offēdit. Hi furiosum taurū maleficio procuratum, regi publica uia incedenti obiecerunt, à cuius cornibus impetitus, uitam pariter & sceptra reliquit. Io. Magnus lib. 8. cap. 13.

CAPRIS.

CRATHIS pastor Sybarita capellam uti amicam amplexabatur, nō sine multa suauiatione: quinetiam munuscula ei offerebat, pabulum lætius amœniusq; molles quoq; substernebat accubitus, quibus uelut Nympha decumberet, & mollius quiesceret. Quod cōtemplatus dux gregis hircus, œstro zelotypiæ agitatus, dormientem adortus est, eiq; syncipiut illisit. Volaterranus, & Cælius.

CANIBVS.

Laniati. Discerpti.

LYCAON Arcadiæ rex, eo quòd hospites trucidaret, & Ioui membra humana epulanda apposuisset, ab eodem in lupū mutatus, à canibus suis in uenatione discerptus est. Volat. libro 16. Anthrop.

In Bœotia Plateas Megaris contendentibus ad dexterã fons, & paulò progressis lõgius saxum est, ACTÆONIS filij Aristæi ex Autonoe Cadmi filia, nuncupant. Nã super eo dormire Actæonem solitum dicunt, à uenatione fatigatum: atque inde Dianam in fonte proximo lauantem aspexisse. Stesichorus Himeræus Actæonem à Diana cerui pelle circumdatum scripsit, incitatis ad eum lacerandum canibus, ne Semelem uxorem duceret. Ego, Actæonis canes, facilè adducor, ut credam rabie percitos, cùm in quem sæuirent furentes non sentirent, in quemuis obuium fuisse impetum factu ros. Pausanias in Bœoticis. Ouidius lib. 3. Metam. & Seneca in Thebaide.

LINVS filius Apollinis, ex Psamata Crotopij Argiuorum regis filia, à matre apud Nemæum fluuium expositus, ibidem à canibus laniatus est.

THRASVS puer Delius, Dianæ carissimus, à canibus interfectus est. Ouidius in Ibin:

Prædaq; sis illis, quibus est Latonia Delos,
Ante diem rapto non adeunda Thraso.

PVELLA prima nocte maritum fugiens, à canibus lacerata fuit. De qua sic Antiphanes in 1. Græcorum Epigr.

Δυσμοίρων θαλάμων ἐπὶ παστάσιν ἐχόμενα,
ἀλλ' αἰδὼς ἔτη πικρογάμου πετάλης.
λείψανα γὰρ Μόβοιν πρωτόζυγα κύπριν ἐν' ὄρφνῃ
φεύγουσαν, ξυνὰν παρθενικῇσι φόβον,
φρουροδόμοι νηλεῖς κύνες ἔκτανον, ἣν δὲ γυναῖκα
ἐλπὶς ἰδεῖν, ἄλφινος ἔχομεν οὐδὲ νέκυν.

NEANTHVS propter chelyn Apollinis temerè affectatã, deo uindice à canibus discerptus est. Politianus in Nutricia:

Improbus hanc stultè chelyn affectare Neanthus
Ausus, Apollinea pendentem sustulit æde:
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas,
Vindice discerpsit rictu nocturna canum uis.

MANES, Diogenis heri sui seueritatem fugiens, deprehensus, & Delphos abductus, à canibus discerptus est. Aelianus libro 13. de Var. hist.

CONSVNGEM reginam, propter liberiorem cum marito Nicomede rege Bithyniæ ac lasciuiorem iocum, fuisse interfectam à regis cane, scribit Plin. lib. 7.

HERACLITVS Ephesius cùm, ut hydropisim curaret, bouino stercore seu fimo, ut Suidas ait, perunctus, capite solo extans, sub sole maneret, & is, qui illi ministrabat, eũ fortè reliquisset, à canibus dilaniatus fuit. Fulg. lib. 9. c. 12.

In Macedonia uicus quispiam est, qui Thracum dicitur, propterea quòd olim à Thracibus sit inhabitatus. Hîc cùm canis quidam Archelai regis Macedonum aberrasset, Thraces de more suo mactatum sacrificarunt, ac deuorarunt. Quod ubi comperisset Archelaus, talentum eis multam dixit. Verùm cùm illi soluendo non essent, Euripidem subornarunt, qui regem exoraret, ut sibi multam remitteret. Postea uerò cùm EVRIPIDES in sylua quadam solus esset, & Archelaus à uenatu reuerteretur, canes Euripidem cinctum discerpserũt, deuorarũtque. Existimatũ est autem, eos canes ex eo prognatos fuisse cane, quem Thraces sacrificarant. Hinc adagiũ apud Macedonas increbuit, κυνὸς δίκην, Canis uindictam passus est. Valer. Max. libro 9. de Morte nõ uulgari, refert Euripidem, cùm ab Archelao rege Macedonum cœnæ adhibitus fuisset, domum à conuiuio repetentẽ, à canibus fuisse discerptum. Eos alij à Decamnicho, qui propter obiectam oris graueolentiã iussu regis uapularat, alij ab æmulo quopiam immissos fuisse, confirmat A. Gellius Noctium Atticarum lib. 15. cap. 20. Suidas addit, hos æmulos fuisse, Aridæum Macedonẽ, & Crateuã Thessalum poetam, quos Eurip. gloria urebat: alij poetam Promerum: fingẽtes eum à regiis canibus dilaceratum fuisse. Sunt qui narrent, eum non à canibus, sed à mulieribus fuisse dilaniatum, cùm intempesta nocte Cratetum adolescentem peteret, Archelai amasium. Testatur enim Gellius Euripidem μισογύνην fuisse. Erasmus in Adagiis, & Gyraldus hist. poet. Hinc est illud Ouid.

Vtq; cothurnatum uatem tutela Dianæ,
Dilanient uigilum te quoq; turba canum.

VXOR Aemilij adolescentis, zelotypiæ morbo affecta, dum suspicaretur maritum alterius puellæ rapi desiderio, in syluas profectum secuta est. Vbi quum ad explorandam rei ueritatem, in dumis & uepribus delitesceret, à canibus ferã esse opinantibus laniata est. Re cognita, Aemilius seipsum interfecit. Plutarchus in Parallelis, apud Sybarim Italiæ oppidum, hoc cõmemorat factum.

Cyanippus genere Thessalus uenatũ assiduè proficiscebatur. Noua uerò nupta LEVCONE, quam habebat, suspicata, quòd subinde in syluis moraretur, consuetudinem habere eum cum alia, uestigiis Cyanippum secuta est, atq; inter dẽsa arbusta delitescens futurũ expectabat. Ramis agitatis canes feram rati accurrerũt, uiriq; amantẽ instar bestiæ rationis expertis dilacerauere. Cõtemplatus rẽ inexpectatã ipse Cyanippus interemit se. Ita poeta Parthenius. Plut. in Parall.

LVCIANVS Samosatensis interiisse fertur à canibus, cùm rabiem suam contra ueritatem exercuisset. Nam in Peregrini uitã perstringit Christianismũ, & ipsi Christo maledicit, homo conscéleratus. Suidas.

BOLESLAVS II. Poloniæ rex ob cædem S. Stanislai Cracouiensis episcopi regno à Rom. pontifice exutus, actusque in exilium, in tantã amentiam incidit, ut uagus per syluas errans, à suis tandem canibus deuoratus esse tradatur. Dubrauius libro 8.

BELLINVS pulsus Patauio, quòd seuerius sanctiusq; quàm ab illis probari posset, episcopum ageret, insectantibusque aduersariis, in palustre agri Rhodigini solũ, quindecim millibus passuum Rhodigio distans, diuertit. Quum manus hominum euasisse uideretur, canum rabiem non euasit, à quibus euestigiò discerptus, interque sanctos relatus est, extructo eidem templo: cuius ea est proprietas, ut si quis clauem quæsierit, qua ædis ualuæ recluduntur, ac ea candente rabiosos attigerit, præsentissimum remedium experiatur. Cælius lib. 17. c. 28. Antiq. Lect.

Anno Christi 1530 IVDÆVS Pragæ in Bohemia, quòd cũ Christiana rem habuisset, dolio picato per foramen uirile pudẽdum indere iussus, serrato & obtuso cultro iuxtà apposito, cùm ui caloris torqueretur, sibiipsi partes, per quas peccauerat, amputauit: cumq; cruẽtus fugeret, immissis atrocissimis canibus laceratus est. Cromerus.

Vitoldus Lituaniæ dux, si QVEM morti destinasset, ursina inuolutum pelle canibus laniandum obiiciebat. Sabel. lib. 8. e. 3. & Fulgos. lib. 9. c. 2.

Franciscus Nouellus Carrariensis, princeps Patauinus, andropha gos canes immanis staturæ habuit, quibus miseros CIVES laniandos obiicere solebat. Sab. lib. 8. Dec. 2.

Demorsi. Morsu canum qui periere.

DIOGENES Sinopeus, Cynicus philosophus, iam senex, à Scytalo pirata captus, uenundatusq;, cùm liberos Xeniadis Corinthij instituerit, & crudum polypum canibus diuideret, ab uno eorum in crure sauciatus, eodem die, quo Alexãder Babylone, obiit. Quamuis alij ex retento spiritu occidisse tradant. Laertius.

Scribit septimo de Animalibus Albertus Magnus, se HOMINEM uidisse, cui in brachio morsum infixisset rabidus canis: anno autem septimo pòst cicatricis locum intumescere cepisse, atque intra biduum interiisse. Cælius libro 17. capite 28. Antiq. Lect.

BALDVS Iuriscõsultus à catulo, quem in deliciis habebat, labium leuiter morsus, cùm rabire ipsum nesciret, & uulnus ob exiguitatẽ negligeret, quarto pòst mense phanaticus interiit, in uanum tum tentatis omnibus remediis. Amb. Pareus Chirurgus lib. 20. Operum, cap. 14.

MVRIBVS.

HATTO Bonosus archiepiscopus Moguntinus, à muribus in Rheno fluuio deuoratus fertur, cùm multitudinem pauperum (quibus se eleemosynam daturum simularat) tempore famis in horreo fecisset concremari. Honorius in Floribus, Martinus in Chronico, & Trithemius de rebus Hirsaugiensium, Marianus Scotus, Schafnaburgensis.

MESCO princeps Poloniæ, an. 1230. à muribus soricibusq;, nulla ui humana, sed neq; fluminib. neq; aquis ad resistendum sufficientibus, deuoratus est. Dubrauius lib. 15. Sed hoc Popielo circa annum 823. Poloni tribuunt: alij MIECISLAO, Conradi Ducis Masouiæ filio.

VVILDEROLPHVS Argentinensium episcopus, à muribus absumtus, anno 997. Lycosthenes de Prodigiis.

QVENDAM, qui S. Clementis templum spoliarat, à muribus deuoratum, an. 1012. in Saxoniæ scribitur Chronico.

Anno 1056. QVIDAM nobilis, in conuiuio genio indulgens, murium gliriumque multitudine circumuentus, per mare nauigio effugere tentans, ab iisdẽ murib. insectantibus, maligno cum nautarum periculo, deuoratus est. Vincentius libro 25. capite 117. Martinus in Chronico, Ioannes de Oppido, & Nauclerus.

MVSTELIS.

ARISTIDES Locrensis morsus à mustela Tartesia, moriens dixit: Multo sibi iucundiorem mortem futuram fuisse, si uel [redacted] QV[redacted] quã ensibus, quos habebant, interfecerũt. [redacted] comã concutiẽs; quæ ante oculos iacebat, eos cõfestim interfecit. Hoc cùm sæpius fecissent alij, morerenturque, & omnes qui appropinquassent, explicarunt quidam animalis natu-

turam, quam ab incolis didicerant. Ergo equites quidam Nomades Mario iubente eminus iaculis percusserunt, ac feram ad ducem accedentes attulerunt. Marium horum animalium pelles Romam misisse, quas nullus ob miram coloris uarietatem, cuius essent, coniectura consequi poterat, & in templo Herculis positas fuisse, in quo triumphantes duces conuiuia ciuibus exhibebant, multi poetæ atq; historici testantur. Athenæus lib. 5. capite ultimo.

SERPENTIBVS.

ISRAELITÆ in desertis montis Horeb, cùm pertæsi mannæ cœlestis & longi itineris, contra Dominum & Mosem insurrexissent, immisit eis presteres Dominus, quibus multi necabantur. Tunc populo peccatum suum fasso, Moses serpentem æneum iussu Domini erexit, quem intuiti liberabantur. Numerum 21.

Seneca in Medea scribit, IDMONA à serpente in Libya cæsum, ibique sepultum, ubi ait:

Idmonem (quamuis bene fata nosset)
Conscidit serpens Libycis arenis.

Ouidius tamen scribit, ab apro interfectum.

HESPERIE puella Aesacum, Priami filium (à quo adamabatur) fugiens, serpentis morsu periit. Ouid. lib. 11. Metam.

Ecce latens herba coluber, fugientis adunco
Dente pedem strinxit, uulnusq; in corpore liquit.

EVRYDICE Orphei uxor, Aristæum (à quo adamabatur) fugiens, à colubro in herba latente interfecta est. Ouidius lib. 10. Metamorph.

OPHELTES (qui alio nomine Archemorus dicitur) filius Lycurgi, regis Nemeæ, dum negligenter ab Hypsipyle nutrice custodiretur, serpentis morsu extinguitur. Strabo lib. 8. Polyb. libro secundo.

LAOCOON Troianus, percussa in uentrem fatali machina, pœnam luisse dicitur, duobus FILIIS à draconibus occisis. Quibus dum præsidio esse uellet, eadem periit morte. Virg. lib. 2. Aen.

Sulpitius in Lucanum ait, CANOPVM gubernatorem nauis Menelai, aspidis morsu apud Canopum Aegypti urbem esse interfectum.

ORESTES, ut scripsit Isacius, ex Erigone Aegisthi filia uxore ducta Penthilum genuit, habitauitque Arcadiæ urbem Orestiam, ubi à serpente ictus extremum uitæ suæ diem conclusit. Pausanias in Arcadicis. Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap. 2.

ARISTON Chius tragicus dum cogitabundus per syluam incedit, & folia arboris manu decutit, decidit serpens, qui eum lethali uulnere in dextra sauciauit. Gyraldus de Poëtis.

DEMETRIVS Phalereus, cùm regi Ptolemæo Soteri cõsuleret, ut filiis, quos ex Eurydice susceperat, regnum traderet: ille uerò filio, quẽ ex Berenice genuerat, diadema imposuisset: ab eo ipso post patris mortẽ carceri inclusus, donec aliquid de eo statueretur, aspidẽ admisit, & ab eo demorsus manum ueluti dormitans obiit, sepultus in Busiritide regione prope Diospolin. Laërtius lib. 5.

CLEOPATRA ab Augusto superata, mordendũ aspidi porrexit brachium, ne in triumphum duceretur. Plutarchus in Antonio. Propert. lib. 3.

Brachia spectauit sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

Heliogabalus Imp. uiui serpentum maximam, per Marsicæ gentis sacerdotes quæsitam, antelucanis horis in MVLTITVDINEM misit, quæ spectaculorum die loca in theatro, ut moris fuit, occupare solebat. Quo terrore multi afflicti sunt, multi illarum morsu examinati. Sab. lib. 6. En. 7. XXX

Narrat Mathiolus uisum sibi RVSTICVM, qui dum falce prata demeteret, uiperã fortè mediam diuisit. Hanc cum putaret mortuam, frustum alterum, è quo caput prominebat, intrepidus manu prehendit. Sed fera irritata, capite uibrato, digitum eius momordit acriter: quem, ut fieri (uel nihil tale cogitantibus) solet, dum ori protinus admouisset, suctu sanguinem saniemq; expressurus, repentè mortuus excidit.

SCORPIONIBVS.

ORION cùm se iactasset, nullum à terra monstrum produci posse, quod non conficeret: Terra ipsa peperit scorpionem, à quo interfectus est. Ouid. lib. 9. Metam.

PRVSSIAM nouo uermium genere per æstatem infestatam, fuisse ferunt anno 1285. qui caudis cancrorum præditi, quoscunque aculeo pupugissent, intra tertium diem extinguebant. Cromerus libro decimo.

ARANEIS.

Lotharius Lotharingiæ rex, cùm Ludouico II. Imp. contra Saracenos in Apulia auxilio adesset, ann. sal. 867. MILITIBVS eius ex insueto æstatis calore, & cœli intemperie grauissimos in morbos lapsis, ac plerisque pestilentibus aranearũ morsibus fœdiore morte consumtis, domum inglorius rediit. Sigonius lib. 5. reg. Italici.

MVSCIS.

POLYTECHNVS faber Colophone Lydiæ habitans, ob stupratam Chelidonem, Aëdonis uxoris sororem, à Pandarei soceri seruis uinculo insolubili constrictus, corpore melle inuncto muscis expositus fuit: donec eius misertus Iupiter eum in haliaætum cõmutauit. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

APIBVS.

HERMONAX, Amyntoris & Lysodices F. infans, cùm ad aluearia mellis desiderio accessisset, apum aculeis confectus est. De quo sic Antipater in 1. Græcorum Epigr.

Τὸ βρέφος ἱεμέναν τὰ διεχρήσαντο μέλισσαι,
φεῦ κύνες, ἑρπυστὴν κηρία μαιόμενον.
πολλάκι δ' ἐξ ὑμέων ἰσχυμένον ὤλεσατ', αἶ, αἶ,
κέντροις. εἶτ' ὄφιων φωλεὰ μεμφόμεθα;
πείθεο Λυσιδίκη, καὶ Ἀμύντορε, μηδὲ μελίσσας
αἰνεῖν· καὶ κείναις πικρὸν ἔνεστι μέλι.

Apud Arethusios MARCVS senex, Constantino imperante, idolorum quoddam tẽplum euerterat. Ob id Arethusij sub Iuliano apostata eum comprehenderũt, nudatum tortúmque uerberibus laceratum in cloacas fœtidas abiecerunt, atque inde retractum, pueris stilis compungendum proposuerũt: postremò in corbe locatum, & melle unctum, sub dio uespis & apibus excarnificandum tradiderunt. Theodoretus lib. 3. cap. 7. & Suidas.

PEDICVLIS

Consule Tit. Phthiriasi mortui. Illic Partis affectæ ratio habetur: hîc uerò Vermiculi in corpore nati, tanquam is Efficiens sit mortis.

MORTIS INSTRVMENTA, VT EXTRA CORPVS EXISTVNT, QVI PERIERE

FVLMINE, IGNE COELESTI.

Dominus pluit super quinque ciuitates, SODOMAM, GOMORRHAM, ADAMAM, SEBOIM, & SEGOL, sulphur & ignem de cœlo, easq; subuertit, detestabili peccato fœtentes. Genes. 34.

CORA cum CCL. VIRIS igne Domini absumtus. Mox etiã 14700 ISRAELITARVM, qui contra Mosem insurrexerant. Numeri 21.

NADAB & ABIHV, filij Aaronis, offerentes ignem alienum coram Domino, deuorati sunt ab igne cœlesti. Leuitici 20.

DVO semicenturiones singuli, cum L. MILITIBVS, Eliam prophetam comprehensuri, igne cœlesti absumti sunt. 4. Regum 1.

Grauiter ferens Iuno pellicum numerum in dies crescere, in anum mutata persuasit ipsi Semele, ut Iouem per Stygiam paludem iurare compelleret, daturum sibi munus, quod uellet. Aiqui pulcerrimum spectaculum fore, si Iupiter cum maiestate ad eam accessisset: eamq; tum demum, se à Ioue compressam fuisse, posse gloriari. Cùm igitur iurasset Iupiter, illa petiuit, ut talis se adiret, qualis ad Iunonem accedere solebat. Dictum factũ. Venit ille, sed illa, cùm esset mortalis, ui fulminis continuò in cinerem est cõuersa. Ouid. lib. 3. Metamorph. & Diod. l. 3. cap. 5. Alij dicunt, Iouem iratum, quòd iurare per Stygiam paludem rogaretur, in illam fulmen contorsisse. Alij Semelen, cùm diceretur cum Ioue congressa, serlò negasse aiunt. Id indignè ferens Iupiter, in eam fulmen iaculatus est, ut ait Euripides in Bacchis. Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 13.

AESCVLAPIVS, Apollinis ex Coronide filius, fulmine percussus est, quòd Tyndaridem ad uitã reuocasset, ut ait Plin. lib. 29. cap. 1. siue Hippolytum, ut Vergilius 7. Aeneidos:

Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad umbras.

MACEDO mulier (à cuius nomine Macedonia dicta est) igne cœlesti unà cum marito absumta est. Ouid. in Ibin:

Vt Macedon icta est rapidis cum coniuge flammis,
Sic precor ætherei uindicis igne cadas.

SALMONEVS rex Elidis, quum Iouis fulmen in æreo ponte mentiretur, ut crederetur Deus, ab ipso Ioue fulminatus est. Vergilius libro 6. Aeneidos:

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi.

CAPANEVS, Hipponoi F. Argiuus, maritus Euadnes, bello Thebano fulmine, ad portam Thebarum Electridem, ictus,

quòd uel inuito Ioue sese in urbem irrupturum clamasset. Alij eum, quum scalis admotis muros uellet conscendere, ictu lapidum oppressum uolũt. Euripides in Phœnissis, Pausanias in Bœot. Statius Thebaid. 10.

PHAETHON Solis & Clymenes filius, dum currum patris temerè regendum suscepisset, equis insolitum aurigam non audientibus, fecit ut totus conflagraret mũdus: ac propterea fulmine percussus, in Padum cecidit, qui ab eo Phaethonteus dicitur.

De GIGANTIBVS, Terræ filiis, fulminatis, pleni sunt poetarum libri, quòd Iouem ipsum cœlo detrudere uoluissent. Sic ENCELADVS, BRIAREVS, TYPHOEVS.

MENIVS Lycaonis filius, quum patre in lupum uerso, & domo conflagrante Iouem detestaretur, ab eodem fulmine percussus est. Ouid. in Ibin.

ADIMANTVS rex Phlyasiorũ, cùm Ioue suis indignũ sacrificiis iudicaret, ab eo fulmine percussus est. Ouid. in Ibin.

PORPHYRIO Sisyphi F. paternę impietatis æmulus, cœlesti suffocatus est igne. Ouid. in Ibin.

AIAX Oilei F. ab expeditione Troiana rediens, à Pallade fulminatus est, quòd in eius templo Cassandram uirginem stuprasset. Vergilius libro 1. Aeneidos:

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecitq; rates, euertitq; æquora uentis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.

PRESTER filius Hippomenis, quum deos detestaretur, fulminatus est. Sabellicus.

ATRAX Hippomenis F. quum Dosithoem filiam uiolatam à Ioue prodidisset, deo ulciscente ictus est fulmine. Ouidius in Ibin.

ZOROASTRES rex Bactrianorum, Oromasi filius, & artis magicæ repertor, igne cœlesti absumtus creditur. Volaterr.

ORPHEVS propter initiorum arcana rudibus profanata fulmine ictus à quibusdam dicitur. Pausanias in Bœot.

Aristippi PVER domus incendium effugiens, fulminis ictu eo dẽ die cõflagrauit. De quo sic Apollonides in 1. Grec. Epigr.

Τήθησαν σεο παιδὸς ἀριςίπποιο τοκῆες,
ἐκλαύσαν, μοίρης δ' ἤμαρ ἐν ἀμφοτέρης.
εὖτε γὰρ αἰθόμενον δόμον ἔκφυγεν, ἰθὺ κεραυνοῦ
Ζεὺς κατὰ οἱ κεφαλῆς ἄσπετον ἧκε σέλας.
τοῦτο δ' ἔπος τότ' ἔλεξαν, ὅσοι νέκυν ἀθρήσαντο,
ὦ πυρὸς δαιμονίῳ τλῆμον ὀφειλόμενε.

SYLVIVS Romulus siue Remulus siue Alladius, Tyberini regis F. Albanorũ rex, cum diis inimicitias exercuisse dicitur, quippe qui in deorum contemtum fulgura & tonitrua imitaretur, colique ut deus postularet. Sed ueris fulminibus, imbrique cœlesti, ac proximi lacus inundatione, qui fuit penes illius regiam, cum tota domo periit. Sabell. lib. 1. Enn. 2. Ouid. lib. 14. Metam.

TARENTINI unam Iapygum ciuitatem Carbinam exciderunt, ex qua pueros uirgines mulieresq; uigentes congregãtes, in sacra Carbinatarum septa ponentes, nuda omnibus corpora per diem conspicienda præbuere: quicunque uolebat, uelut in infelicem gregem insiliens, pro desiderio potiebatur omnium forma. Ita uerò eam rem grauiter numen tulit, ut omnes Tarentinos, qui erant in Carbina, illegitimaq; perpetrarant, fulmine percusserit. Athenæus lib. 12. cap. 17.

TVL. Hostilius Rom. rex cùm Numæ Pompilij imitatione Iouem Elicium cœlo deuocare uoluisset, sacris non ritè administratis, fulmine ictus est. Plut. in Numa, & Valer. lib. 9. cap. 11. & Plin. lib. 28. cap. 2. ex L. Pisone.

Anno V.C. 649. PVELLA Romę nata, in Apuliam proficiscẽs, obiter de cœlo icta est; uestibus & calceamentis sine scissura ulla ademtis, monilibus collo & anulis discussis, nudũ corpus sine uestigio ullo cœlestis iniuriæ exanime iacuit. Sab. lib. 2. En. 6. ex Eutropio.

MARTIA Romanorum princeps, teste Plinio, quum grauida esset, icta est, exanimato que partu, citra omne aliud incommodum uixisse fertur. Idem.

POMPEIVS Strabo proconsul, Mario Cinnæq; se oppositurus, iuxta urbis Romę portam armatus, atque equo insidẽs, fulgure afflatus est. Fulgosus lib. 9. cap. 12.

In Catilinianis prodigiis, Põpeiano ex municipio M. HERENNIVS decurio sereno die fulmine ictus est. Plin. lib. 2. c. 51.

OLYMPIVS quidam Arianus episcopus in Africa, dum in balneis sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito triplici iaculo cœlitus ueniente, uidentibus multis combustus est. Sigebertus in Chron.

Dignum memoratu, quod in Tagis Thusci libris est obseruatum: Tangendos mox fulmine adeò hebetari, uti nec tonitru, nec profundos fragores aliquos queant persentiscere. Quod in Germanicis bellis SEVERO, bellacissimo aliàs equitum magistro, usuuenisse, Iuliano imperante legimus: qui acer priùs, & industria insignis, fato urgente cõmacruit. Cæl. lib. 3. cap. 29. Antiq. Lect.

Sub Alexandro Imp. in tẽplo Iouis Romæ, manus idoli ipsius sinistra aurea liquefacta est: Qua de re sacerdotes idolorũ, Alexandro suadente, deos iratos placare aggressi sunt: Ad quod sereno cœlo, manè, quatuor SACERDOTES fulmine icti sunt, cum ara ipsa Iouis: dies uerò ita obscuratus est, ut extra urbem populus fugeret. Lampridius.

CARVS Imp. contra Persas iam ad Tigrim fluuium processerat, habebatq; circa Ctesiphontem castra, ulteriusq; proferre Romana meditabatur arma, quum subita ui morbi, uel, ut alij aiunt, ictu fulminis periit. Satis constat, sub eius exitum horrendè tonuisse, terribilique fragore edito quosdam circa defunctum exanimatos. Consumtum ne sit incendio tabernaculum cœlesti flamma, an humana fraude, parum liquidò traditur. Manauit rumor, nefas esse Romanis ducib. ultra Ctesiphontem signa promouere, Carumq; ob id extinctum, quia aduersus fatalem necessitatem id facere conaretur. Sabellicus lib. 8. Ennead. 7. ex Vopisco.

Cùm ANASTASIVS Imp. ex oraculo sibi fulmine pereundum esse didicisset, Tholotum ædificium construxit, in coq; uixit, sed frustrà. Nam cùm aliquando tonitrua horrendum in modum creparent, alios atq; alios thalamos subiens, in quodam regio cubiculo mortuus est inuentus. Zonaras Tomo tertio, Sigebertus, Sabellicus, Hericus de Erphordia. Iornandes libro de Regnorum & temporũ successione, ipsum supra octogesimum ætatis annum, regniq; uicesimooctauo, mœrentẽ & furentẽ rebus humanis excessisse ait. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum, subitanea morte periisse. Diaconus, Nicephorus lib. 16. cap. 45.

Sub Ludouico II. Imp. cùm tempestate Coloniæ orta, ciues in basilicam Petri cõfugissent, eius imploraturi auxilium: subitò fulmen ignei draconis forma basilicam discidit, ac tres HOMINES diuersis locis constitutos uno ictu peremit: aliis sex eodem impetu prostratis, non tamen interfectis, anno Domini 857. Sigebertus, Auentinus 4. Annalium.

Afri Calabriam ingressi, Ioanne X. pontificatũ obtinente, cùm iam magnam prouinciæ partem cepissent, oppugnarentq; Cosentiam, eorum REGE in oppugnatione ictu fulminis diuinitùs necato, obsidionem soluerunt: quãdo iam de nomine Italico & de ecclesia actum putabatur: adeò socordes & nullius precij principes tũ erãt. Platina, & Fulg. lib. 9. c. 12.

In Lemno insula, ubi insulæ cornu diuiditur, octo MESSORES sub quercu cœnantes, à fulmine percussos, atq; exanimatos, transisse tradunt, sub ea specie, qua discubuerant: ut unus comedere uideretur, alter ori poculum manu admouere, alter bibere. Cumq; nigri omnes essent, imaginem statuarum repræsentabant. Cardanus de Rerum uarietate lib. 8. capite 43.

CLERICVS quidam in Leodiensi templo ad imaginẽ Christi preces faciẽs, fulmine ictus interiit. Sigeberti Cõtinuator.

HATTO Mogũtinus archiepiscopus, cuius dolo Adelbertus Bambergensis marchio capitis olim damnatus fuerat, cùm Conradi Imperatoris instinctu Henrico Saxoniæ duci necem intentaret, fulmine ictus interiit: eiusq; corpus in Aetnæ montis uoragines à diabolo præcipitatum, hac uoce in aere resonante: Sic peccata lues, sicq; ruendo rues. Vti testantur Sigebertus, Cranzius in Metropoli lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 4. Hermannus Gigas, Schedelius.

Vladislao Iagellone rege Polonorum Posnania Srodam proficiscente, sub uesperum è sereno subitò atris nubibus cœlum obductũ est: inde inter crebra fulgura & tonitrua fulmẽ magno fragore decidens, quadrigas carpento, quo rex uehebatur, iunctas, duosq; STIPATORES regios, itemque Posnaniensis & Sendomiriensis Palatinorum, & nouem alios regiorum comitum equos unà cum regio, cui cubicularius quidam hastam regis ferens insidebat, uno ictu interfecit: auriga & sessoribus equorum illæsis, nisi quòd cubicularij uestis discerpta est. Rex cùm aliquandiu exanimatus iacuisset, tandem respirauit, cætera sospes, nisi quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affectus fuit. Vulgò creditum est, propter incestum matrimonium, cum Elizabetha Pilecia, à cuius matre de sacro fonte susceptus fuerat, diuinitùs eo terrore correptum fuisse. Cromerus libro 18.

Anno 1407. Stoxholm, insigne Sueciæ emporium, fulmine tactum, penè totum conflagrauit: perierunt incendio ad mille sexcentos CIVES. Feminæ plurimæ res suas atque liberos in naues comportauerãt: in quas dum promiscuum uulgus irruit incendia declinans, naues subsederũt, merseruntque omnem illam multitudinem. Crãzius lib. 5. Sueciæ c. 33.

HIER. Fracastorij mater, dum Hieronymum ipsum etiamnum infantem in ulnis gestat, fulmine tacta periit, infante illæso, futuræ gloriæ non obscuro præsagio. Auctor uitæ.

AVTOLEMI fulmine percussi mortem Marullus in Epigrammatis sic describit:

Dixerat Autolemo flammas consultus aruspex
Die cauendas postero.

Credi-

Credidit, & rerum dubius de mane, sub amnis
Delituit Ethrusci uadis.
Sed neque sic factum effugit. Nam dum innatat Arnõ
Ictus crematur fulmine.

Sub initia belli Germanici anno 1546. ad septimũ Augusti diẽ, Mechliniæ, quod est Cæsaris ditionis oppidum Brabantiæ pulcerrimum, puluis tormentarius in turri quadam in mœnibus dispositus, à fulmine correptus & incensus, ipsam turrim primum à fundamentis euertit, proxima deinde ædificia, intra & extra urbem, ad quingentos amplius passus in circuitu inuasit, ex iis pleraq; incendit, plurima euertit, diruit ac disiecit, nonnulla concussit ac dirupit, atq; ex his lapides ingentes correptos, plerosq; ad sexcentos passus longè abiecit: atq; ita corruptis tectis, ac denudatis, uitreis fenestris per omneis uias concussis atq; fractis, totam propemodum urbem deformauit, arbores radicitùs euertit & ambussit. Perierunt in ea calamitate HOMINES plus minus ducenti, partim incendio absumti, partim ruinis ædificiorũ ac lapidibus & tegulis obruti: præter eos, qui grauiter uulnerati mortẽ effugerant, quorũ ingens erat numerus. Ex his cõplures biduo ac triduo, nonnulli quatriduo pòst, è cellis subterraneis, in quas cõfugerant, pleriq; mortui, qui uel fame uel spiritu præcluso extincti erãt, pars uiui, qui penu ibi condito inuento uitam tolerauerant, reperti atque extracti sunt. Præterea ingens numerus iumentorum atque pecorum cum stabulis deflagrauit: murus autem, qua parte turris steterat, ad ducentos amplius passus dirutus, ac solo fuit æquatus. Sleidanus libro sexto. Reperta est inter reliqua cadauera mulier grauida, cuius aluo insecta fœtus uiuus eductus est baptizatus. Gilbertus Cognatus lib. 8. Narrat.

GRANDINE.

Consule locum Fortuitorum malorum. Illic Paupertatis, sicut Mortis efficiens uel saltem instrumentalis causa Grando consideratur.

Cùm quinque REGES Amorræi Gabaonem urbem obsedissent, eo quòd fœdus cum Iosua fecissent, Iosua à Galgalis castra mouit noctu, & ex improuiso eos aggressus, usque ad Azecam & Macedam concidit. Cumq; illi fugerent, Dominus in eos ingentes de cœlo lapides deiecit, quibus plures perierunt, quàm ferro. Iosuæ cap. 10.

SARACENI Constantinopolim obsidentes, sub Leone Isauro, fame, frigore, bello & peste confecti fuere: sed & igneæ grandinis tempestate mare ebulliens, naues eorum omnes præter quinque absumsit: anno Domini 719. & 720. Sigebertus, Paulus Diaconus libro 21. rerum Romanarum, & lib. 6. cap. 14. de Longobardis.

Sainus regis Persarum, Chosrois dux, integro suo exercitu in Theodorum Heraclij fratrem incidens, ad pugnam se parabat. Qua conserta, impetratum est Dei auxilium, ita ut grando inopinata in PERSAS deferretur, multosque eorum feriret: cùm interim omnis tempestatis expers esset Romanus exercitus. Fusi eo prælio sunt à Romanis Persæ, magnaque clade affecti. Cedrenus, & P. Diaconus lib. 18. rerum Rom.

Sub Valente Imp. anno sal. 371. CONSTANTINOPOLI delapsa grando adeò magna est, ut manum globus unus impleret, & lapidibus similis esset. Scribit auctor Fasciculi temporum, grandinem eam tum homines tum iumenta interfecisse: eamq; per iram Dei immissam multi tum affirmarunt, quia Valens ecclesiasticos multos, Eudoxio, communicare nolentes, in exilium egisset. Socrates libro quarto, capite decimo: Hieronymus in Chronico: Paulus Diaconus.

Anno Domini 671. tempestas magna tum hominibus, tum bestiis nocumento fuit. Paulus Diaconus libro decimonono Rerum Romanarum.

Grando in GALLIIS pecora & nonnullos homines interfecit, anno Domini 825.

NIVE.

GRÆCI, qui Cyro militauerant, per Armenię montes redeuntes, summo in periculo fuêre, parumque abfuit quin obruerentur omnes. Turbato enim primum aëre, rara nix sensim è cœlo descendere cœpit, ita ut nullo incedentibus impedimento esset. Mox perflante atque inualescente uento, iam densior assiduè magis ac magis ruere, solumq; altè consternere, adeò ut breui contectis locis omnibus, neque uiarum calles, nec ullam prorsus loci regionisúe species aut situs prospici daretur: densitas quinetiam cadentis niuis lucem prospectumq; circum omnem occuparet. Quo casu exanimati milites, quid caperent consilij prorsus incertum habebant: cùm neque reuerti ad perniciem uellent, neque procedere propter niuium multitudinem possent. Exacerbãte magis & crescente tempestatis sæuitia, superirruere cœpit noua uentorũ uis, flatibus uiolentissimis, cum desissimo grandinis imbre cuncta concutiente. Itaque corpora in terram demittere omnes, uultusque protegere coacti sunt. Cumq; progredi atrocitas mali minimè sineret, quò quisque loco deprehensus fuerat, eodem cõsistere oportuit. In summa rerum omnium difficultate & penuria positi, diei illius noctisque sequentis asperitatem sæuitiamq; tolerauerũt. Sub dio corpora detecta obiicientes, rigebant obstricta gelu ex alto cogẽte membra: nec quietis nocte illa quicquam fuit, quòd urgentis mali uis sollicitos omnes reddebat. Aliqui incenso igne uitam eo præsidio tueri: nonnullis cuncta præsidiis opisue ab semet petendæ adminicula sunt ademta, quibus extrema membrorum contabuerunt. Vbi nox præteriit, plurima iumentorum multitudo frigore enecata comparuit: multi etiam uiri extincti inuẽti sunt: multis spiritus sensusq; uegeti aderant, sed coacta gelu membra mouere non licebat. Aliis occursus niuis aciem uidendi obtuderat: alios penitus excæcauerat. Paulum progressi, in uillas & uicos eua sere rebus necessariis refertos. Diodorus lib. 14. Bibliothecę.

IGNE EXVSTI, SVFFOCATI.

Montis.

EMPEDOCLES se in ardentis Aetnæ specum intempesta nocte cõiecit, ut cùm repentè non apparuisset, abiisse ad deos crederetur. Horatius in Arte:

——Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus Aetnam
Insiliit. In flãmas Aetnę proiectum crepidulę prodiderũt, quas flamma eructauit: æneis enim usus fuerat, uti testatur Laertius. At Strabo negat.

PLINIVS Secundus Veronensis, Vespasiani imperatoris tempore, cùm opus de Natura successiuis temporibus conscriberet, in montis Vesuui incendio, dum eius causam indagare cupit, periit. Volat. lib. 18. Anthrop.

Fama est, CÆSIVM Bassum, poetam lyricum, in suis prædiis, ardente Veseuo, lateq; uagantibus flammis, cum uilla sua conflagrasse.

Antri, Speluncæ.

Saxo lib. 7. historiæ Danicæ ait, FROTHONEM regem in antro, quò confugerat, flamma & fumo fuisse suffocatum.

Vrbis, Arcis, Turris.

ISAVRENSES à Perdicca obsessi, eo quòd uiuente etiamnũ Alexandro Balacrum Nicanoris F. satrapam interfecerant, uidentes sibi certum supplicium imminere, nec uires habere ad resistendum, liberos & uxores, tandem seipsos accensa urbe in ignem præcipitarunt. Diod. lib. 18.

SARNII Galli, Alpium accolæ, à Q. Martio rege obsessi, cùm nullam libertatis spem superesse uiderent, interfectis liberis & coniugibus, se cum omni præda igni absumendos obiecerunt. Eutropius lib. 4. Orosius lib. 5.

M. Brutus interfecto Cæsare Lycios intra Xanthi muros obsidebat. XANTHII machinas quasdam adorti sunt nocte, ignemq; eis ingesserunt. Ventus acrior in pinnas muri concitauit flammam, quæ proxima ædificia comprehendit. Brutus urbi timens, imperauit militibus, ut ignem extinguerẽt, & opem ferrent urbi. At Lycios ingens subitò & incredibilis ad desperationem ardor inuasit. Itaq; cum pueris & mulieribus liberi & serui omnis ætatis hostes petebant ex muris, qui ad reprimendum succurrebant incendium. Quin omne igni aptum fomentum ingerentes, trahebant flammam in urbem, eique quamuis materiam subiiciebãt & augebant: ita ut diffusa flamma urbem undiq; amplecteretur. Postea non uiri modò & feminæ, sed parui etiam pueri, cum uociferatione & ululatu partim insiliebãt in ignem, partim supernè præcipitabant se ex muro. Ita ut omnes in urbe, exceptis 150. isto incendio perierint. Plut. in Bruto.

Cùm Cruciferi, Germanorum quorundam principum auxiliis adiuti, agros LITVANORVM infestarẽt, & arcem Pullem obsedissent: Barbari, qui erant in præsidio, desperatione retinendæ arcis adducti, pyram in medio accenderunt, & facultates, liberos & uxores suas, ac seipsos ad extremum in eam coniecerunt, ne uiui in potestatem hostium uenirent. Anno 1338. Cromerus lib. 10.

Capta à Caroli V. classe anno 1532. Naupacto, TVRCÆ quidã crudelitate Christianorũ territi, media inclusi turre, seipsos & turrim totumq; pene castellum succenso tormẽtario puluere concremarunt. Iouius lib. 31. Hist.

Templi.

Abimelechus Gedeonis nothus, capta urbe SICHEM, sparsõque in eius area sale pro semine, sine sexus & ætatis discrimine omnes passim trucidauit. Profugos inde, qui uelut tutissimum asylum templum Baalberithi occuparant, cum liberis & uxoribus, circumdata lignorũ strue, fumo & æstu crudeliter necauit. Sabell. lib. 8. cap. 3.

In excidio Hierosolymitano, cùm ex populo IVDÆORVM sex millia in porticum templi, quæ sola restabat, confugissent; falso persuasu prophetæ cuiusdam, quasi ibi signa salutis à Deo accepturi essent, igne iniecto à Romanis omnes

ad

ad unum periere. Iosephus libro 7. belli Iudaici.

Cùm PHOCENSES post direptum fanum Delphicum prope Abas, ubi non multum abest Apollinis templum, arcem extruere niterentur, Bœoti in eos inuaserunt: subitoq; pars palantes in oppida proxima fugam arripuerũt: alij ad quingentos in templum cùm confugissent, extincti sunt, miro quodam modo. Erant circa templum lecti & mensæ complures. Cumque in tentoriis Phocensium, qui ad templum se receperant, ignis relictus casu lectum unum incendisset, tanta repentè, adeoq; supra omnium fidem flamma excitata est, ut templum & Phocenses, qui eò se contulerant, uiui cremati sint. Visusq; est deus salutem, quam supplices petiuerant, eis concedere noluisse. Diod. lib. 16.

ARGIVI in Argi luco (ut Herod.) in Martis luco (ut Pausanias in Corintiacis) à Cleomene circũuenti, & ab Argiuis cõbusti (sic Herod.) uel certè ipsi semetipsos combusserunt, uti Pausanias uult.

Cùm Hamilco Carthaginensis Agrigentũ cepisset, GELLIAS ciuis Agrigentinus, crudelitatem Carthaginensium declinans, cum nõnullis sociis in templo Palladis à se incenso cõbustus est. Diod. lib. 13.

Hasdrubalis Carthaginensium ducis VXOR & liberi cum noningentis militibus incenso templo flamma periere. Strabo libro 17.

PATERNVS Scotus monachus, Padeburna Germaniæ ciuitate igne concremata, cum maiori Ecclesia, egredi nolens propter uotum factum, se quoq; comburi ex superstitione passus est. Sigebertus in Chron.

Regiæ.

ZAMBRIS Israelitarum tyrannus, cùm Elam regem interfecisset, & Thersam se recepisset, uideretq; se ab uniuerso exercitu ad supplicium exposci, septimo die cum regia semetipsum concremauit. 3. Regum 16.

Medea ægrè ferens se ab Iasone relictam, sibiq; CREVSAM seu GLAVCAM Creontis filiam superinductam fuisse, nouæ nuptæ dona quædam misit nuptialia, quæ eidem & toti domui incendium attulerunt. Nigidius tamen apud Maserium ait, Corinthi fontem esse Glaucem nomine, in quem se illa præcipitauit, quũ aduersus Medeæ ueneficia ignesq; id sibi speraret profuturum. Diod. lib. 4. cap. 3.

SARDANAPALVS Assyriorum rex, ab Arbacto seu Arbace Mediæ profecto, ob mollitiem muliebresq; mũditias (nam habitum mentitus femineum, inter puellas fusos tractabat & pensa) bello petitus: ubi uidit res suas pessum ire, pyram in regia extrui curauit, ac incendio se dedit, & hoc solo uirum se docuit, quòd non expauerit mortem. Iustinus.

SELEVCVS Gryphi F. regno exutus ab Antiocho Eusebe, fuga delatus in Ciliciam, postquam à Mopseatis receptus est, cœpit ab eis tributa exigere. Qui non ferentes exactionem, unà cum regia & ipsum & amicos concremauerunt. Iosephus libro 13. capite 21. Antiquitatum.

THALANI ciues à Metello Cos. obsessi, ubi disiectis muris apparuit oppidum paulo pòst captum iri, omni auro precio saque ueste, in regiam domum comportata, uino & epulis grauati, subiecto igni sese cum tota domo, & omni gaza incendio consumserunt. Sabel. lib. 2. En. 6.

INGEVALLVS Heroti F. Biornum Danum paterni regni in Gothia & Sueonia occupatorem expulerat. Biorno magno cum exercitu Sueoniam ingresso, repẽtina flamma per proditores immissa aulam ipsam, cum rege & proceribus absumsit. Ioannes Magnus lib. 17. cap. 8.

Vuilhelmus Hollandiæ Comes Romanorum rex contra Fridericum II. Imp. electus, filiam Othonis ducis Brunsuicensis duxerat: ea solennitas Brunsuici peragebatur in palatio Leonis. Ipsa nuptiali nocte, quæ fuit proxima diui Pauli cõuersioni, graue in palatio incendium exoritur, rex & regina uix nudi periculum euaserunt. SARTORES, qui incendio causam præbuerant, perierunt miserabiliter per imprudentiam. Non multo pòst inter Coloniensem archiepiscopum & regem tantus in oppido Nussia tumultus exortus fuit, ut igne per Colonienses admoto ipsi regiæ, rex cum apostolico legato penè conflagrarit. Cranzius li. 8. Saxon. c. 17. & 19.

Domus.

Samsonis SOCER, ciuis Thamnatensis, cum filia Samsoni erepta & alteri nupta, ob damnũ à Samsone per uulpes acceptum, à conciuibus unà cum tota domo igni crematus fuit. Iudicum 13.

ALCIBIADES Clytiæ filius, in Phrygia exulans, percussorũ (qui immissi fuerant) immanitate uiuus in cubiculo crematus est. Ouid. in Ibin:

Clytiadæq; modo circundatus ignibus atris,
Membra feras Stygiæ semicremata neci.

Iustinus. li. 5. & Plutarchus in eius uita diuersimodè.

Sodalitates, quæ passim fuerũt, PYTHAGORICORVM seditione oppressorũ in exilium sunt actæ: & illos, qui adhuc erant consociati, concilium in domo quadam Metaponti agitantes, Cyclonii flamma circumuentos omnes necauerunt, extra Philolaum & Lysiam, qui iuuenes robore & agilitate ignem repulerunt. Philolaus ad Lucanos perfugit, atque inde sospes ad alios amicos iam cõglobatos & Cycloniorum uictores contulit se. Lysis autem, Thebas. Plut. de Soc. Dæmon.

CALLISTHENES tribunus Antiochi Epiphanis, mercedis gratia omnia faciens, Hierosolymę portas sua manu incenderat. Quę ut latére in urbe, post fugatum Nicanorem Antiochi ducem, Iudæ Machabæi fratres intellexerunt: ædiculam, in qua deprehensus erat, cum ipso succenderunt, & dignam pro maleficio mercedem ei retulerunt. 2. Machab. 8.

THEOGENES ciuis Numantinus, perditis & afflictis rebus Numãtinorum, cùm oẽs reliquos ciues nobilitate, pecunia honoribusq; superaret, uicum suum speciosissimum incendit, protinusq; strictum gladium in medium posuit, ac binos inter se dimicare iussit, ut uictus incisa ceruice ardentibus tectis superiaceretur. Qui cùm hac ratione mortis omnes absumsisset, ad ultimum seipsum flammis immisit. Val. libro 3. capite 2.

ADRIANVS, quòd eius auaritiam ciues Rom. ferre non potuerant, Vticæ domi suæ uiuus exustus est: idq; ita illi meritò accidisse existimatum est, ut lætarentur omnes, neq; ulla animaduersio constitueretur. Cicero orat. 3. in Verrem.

VALENS Imp. Rom. pugnans cum Visigothis, dum sagitta saucius, uersusque in fugam, ægrè in cuiusdam uillulæ casam deportatus esset, ab insequentibus hostibus deprehensus, subito igne consumtus est. Blondus Dec. 1. libro primo, ex Sex. Aurelio.

Gregorius Turonensis cap. 81. de Gloria confessorum scribit de Mariano eremita, cuius festum quotannis celebrari solitum fuit, quòd ædes CVIVSDAM (qui propter domestica negocia & necessarias occupationes ad festum ipsius diem non aduenerat, commonefactusque à uicino responderat: Melius esse domi opera facere necessaria, quàm talem sanctum colere, de cuius salute ambigatur) incenderit, & flammis ultricibus absumserit: ita tamen ut ignis non nisi in ipsius ædes grassaretur.

Alexãdro II. in Scotia regnante, Hadintoi, PATRICIVS, comes Atholiæ, in diuersorio noctu trucidatus, cum ipsa domo igne absumtus est, incertis auctoribus. H. Boëthius li. 13.

Horrei.

ERICVS Thrax pirata nobiliss. Venetorum hostis, Ambrosium Contarenum Venetum Thessalonicæ captum contra datam fidem igni excruciatum necauerat. Captus post aliquot annos à Meliis, Pisano Venetæ classis contra Baiazethẽ Imp. traditus, uiuus exustus est. Bembus lib. 6. hist. Ven.

In Valdenses lata fuerat sententia Aquis in prouincia Narbonensi, ut opprimerentur omnes promiscuè, & dirutis ædificiis æquaretur uicus ille Merindolum solo, resecarentur etiam arbores omnes, & locus redderetur desertus omnino. Delati enim fuerant ad regem, quasi magistratum contemnerent, ac rebellionem facerent. Io. Minerius, iudicij atq; senatus Aquensis præfectus, innumeris hinc inde trucidatis, ad quadraginta circiter FEMINAS in horreum staminis atque fœni plenum inclusit, & incendit: cumq; illę uestibus exutis conarentur flammam nascentem restinguere, neque possent, ad maiorem fenestrã, qua fœnum recondi solet in horreum, aduolant, ut sese eiiciãt. Sed ibi repulsæ telis & hastis, conflagrarunt omnes. Sleidanus lib. 15.

Fornacis.

Ixion Phlegiæ F. Diam Einei uel Deionei filiam uxorem duxit. Cùm pollicitus esset, se multa munera socero daturum, & ad illa accipiẽda DEIONEVS uenisset, eum Ixion in foueam carbonariam, quam tenuissimis tabulatis superius instrauerat, detrusit. Virgil. lib. 3. Georg. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 16.

NICIAS uenator, dum feras immissis canib. ardentius insectaretur, in carbonariã præceps decidit. Cæl. in A. L.

Secundo Hadriani anno, Aurelius Comes ALEXANDRVM Romanum episcopum, cum Hermete præfecto urbis, eius uxore, liberis, & tota familia, numero MCCL in carcerẽ coniecit, & tandem in furno ardenti cremauit. Henricus Erfurd.

Carthagine trecenti MARTYRES sub Valeriano & Galieno simul passi sunt. Cũ enim præses appositis carbonibus cum thure ad clibanũ calcis, conditionẽ illis dedisset, ut aut thura carbonibus in honorem Iouis imponerent, aut in fornacem calcariam irent: omnes uno impetu in ignem se iniecerunt. Henricus de Erfordia, Vincentius.

Nauium.

MYGDON piscator cum scapha sua conflagrauit. De quo sic Iulianus Aegyptius in 3. Epigrammatum εἰς ἁλιέας:

Μύγδων τίεμαι βίοιο λαχὼν, αὐτόγερων ἦλθεν
εἰς ἀΐδην, ... ἀκάτιον.
ἣν γὰρ εἶχε ζωὴν βιοδότειραν μάρτυρα μόχθων, ἔρξας

ἔρξας ἀναλλὰξ πολλάκι βενθομένῳ,
ἠνὶ δὴ καὶ ἐν θανάτῳ λάχε σύνδρομον, οὔτε πελάγεσσι
εὗρεν, συλλήξας ὀλκάδι κεισομένη.
ἦν γὰρ σοι ἀβάκην τέλε σκάφος, οἶκον ἄεξον
Μύγδων, καὶ σύμπλουν ἐς βίον, ἐς θάνατον.

Valens Imp. Arianus XXC. VIROS orthodoxos (ex quibus Vrbanus, Theodorus & Menedemus præcipui) qui ad eum Nicomediam uenerant supplices, naui impositos, quasi in exilium relegandos, in medio pelago comburi iussit. Socrates lib. 4. c. 16. & Sozomenus lib. 6. cap. 16.

Vestium.

Otho Antonius, Montis Ferrati comes atq; Vrbinatium princeps, PVERVM, quem in cubilis ministerio habebat, resina to linteo atq; sulphure persuso inuolutum, uiuũ in candelæ morem combussit: quòd hora, quam ei præfixerat, se nõ excitasset. Fulgos. lib. 9. cap. 2.

Carolo VI. Francorum rege ex morbo mente læso, Patruis arbitrium rerum demandatum. Qui uerò soluti publica procuratione, utebantur regis intima familiaritate, illi fermè æquales, ad illum oblectãdum aut noua ludorum lusuumq; oblectamenta ipsi adinueniebant, aut obsecundabant qualiacunq; excogitanti: ut & illud, si modò ipsius, ac non in ipsum alterius id fuit commentum. Adulta uirgo nubebat nobili & in aula gratiosissimo adolescenti: nocturnisq; ludis rex cætero ornatu deposito, uultu in leonini oris imaginem personato, reliquum corpus pice delibutum, multoq; lino depexo, ac in uillos confecto ita contexit, ut hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberet ipse: eodemque habitu quinq; præterea nihilo saniores in cœtum prin[redacted]m matronarum uirorumq; prodeunt, in orbemq; [redacted] ca in regem fortè incidens, repentinum [redacted] sa flamma conflauit incendium. DVO inopes auxilij consilijq; pertinaci conflagratione miserabili ululatu periere, tosti, fœdoq; nidore. DVO inter manus elati, cùm biduum animam traxissent, expirauère: unus ruens in propinquam promi cellam, aqua uinoq; se perluens, salutem sibi peperit. Concursu ad regem facto, uxor Biturigis regem, antequam ad uiuum flamma iam corpus lambens peruenisset, ueste ut caudata fluxaq; erat inuoluit, ac ignem restinxit. Aurelianensis errorem imprudentiamq; excusans, crimine se liberauit. Exin ualetudo mentis regis multo magis suspecta mortalibus fuit, nec ulla piacula cœlestium placandorum omissa. Aemilius lib. 10. & Fulgosus lib. 9. cap. 12.

CAROLVS Nauarræ rex, Io. Francorum regis gener, sub Carolo VI. anno Christi 1387. incẽdio absumtus est, fraude suorum conflato an fortuito. Optimates intolerabilia tributa editq[redacted] extrema metuentes, nihil non ausuri per desperationem erant: & sola morte Nauatri liberati poterant: quæ & in tempore insecuta est, eo miraculo, ut fides rerum commento fabulæ adumbrata uideatur. Ad sexaginta, uti ferunt, natus annos, ac intemperantia libidinis uiribus exhaustis, ut reficeretur, toto corpore excalfactoriis medicamentis delibuto, cùm decubaret, iussit ignem in ænea pila strato linteisq; calefaciendis inferri. Dum improuidè infertur, trepidantq; ministri, scintilla in ipsum fortè prolapsa, continuò fomenta illa inflammauit: ac eum ita affecit, ut quintusdecimus dies tosto finis uitæ fuerit. Annales Francici parum absimili argumento aliam famam edunt: inductum eum insutumq; linteis, aqua uim naphthæ habente, quamq; idcirco Franci ardentem dicũt, perfusis, cùm qui insuerat, candelam ardentem filo ex acu extrẽdo admouisset, flamma protinus fusa, ita ambustum, ut intra biduum expirarit, miro popularium gaudio, non magno suorum luctu. Aemilius lib. 9.

Conuenerant Germani aliquot Comites, in arce Vualdenberga apud Eberhardum Hohenloensem Comitem, cùm amicitiæ nomine, tum Bacchanalium causa: qui mos inter eos, qui Christianæ pietati nomen dedere, nimium frequens est. Vt ergo nobilibus matronis, & uirginibus, quæ aderant, nocturnum ludicrum non uulgare exhiberent, Faunorum personas, multa stuppa lineis uestibus pice resinaq; agglutinata, imitati, sub facibus progrediuntur, & iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum prouocant. Ludo intentis omnibus accidit, ut malè auspicata tessera in terram fortuito ca su delaberetur. Eam puer personatus dũ repetit, funalis incautius adhibiti flamma concepta, opem astantium implorare cœpit. Eberhardus pro sua pietate puero opitulaturus, eodem malo corripitur. Corripiuntur & cæteri, quos Comitis eiusdemq; affinis & hospitis periculum sui fecerat periculi immemores. Nouitate rei astãtes primũ delectari, mox ubi ex horrendis clamoribus rem seriam agi uiderunt, ad labrum proximum, quod in hunc euentum paulò antè, seu diuinatione quadã imminentis mali, seu nobilis unius, quem multum licet deprecantem in eam pertraxerant societatem, suasu & consiliis, aqua adimpleri Comes iusserat, certatim accurrunt. Eò ubi uentum, incertum qua forte, alueus modò nõ exaruerat. Erat qui psycterem aquã plenum afferret, sed in ipso limine præ nimia festinatiõe collabitur. Alterius aquam iamiam infundere parantis cadus ligneus fatiscens, auxilij desperatione calamitatem auget. Vix tandem copiosa ueste iniecta sopitus est ignis, & personæ quidem illæsæ repertæ, nisi quãtum de stuppa picata, flamma absumserat: carnes uerò subiectæ, tam miseris ustulatæ modis, ut nullis medicamentis uel ardor conceptus extingui, uel dolor mitigari potuerit, adeoq; paucis pòst horis GREG. Tubingensis, ALBERTVS & EBERHARDVS Hohenloẽses Comites, in ipso ętatis flore uitam cum morte commutarunt. Anno Christi MDLXX.

Rogi, Pyræ.

BARVCH eo quòd legisset uerba, quæ scripserat ex ore Hieremiæ, coram Ioachimo rege Iudæ, in ignem cum uolumine coniectus est. Hieremiæ 36.

EVADNE Martis filia, in rogũ mariti sui Capanei apud Thebas fulminati (dum celebrarentur exequiæ) se coniecit. Ouidius libro tertio de Arte:

Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitq; rogos.

Martialis lib. 4. Epigram. Statius lib. 12. Propertius lib. 1.

Thetis dea marina indignata, q̃ mortali Peleo nupsisset, SEX masculos, quos ex ipso genuerat, igni absumsit, tãquã se indignos. Vltimum uerò Achillem cùm iam in ignem coniecisset, Peleus superueniens puerum eripuit altero labro iam exusto. Vnde postea ἀχιλεὺς dictus est. Lycophrõ in Cassand.

BROTHEVS Vulcani filius, propter oris deformitatem irrisus in rogum desiliit, ibique uitam incendio finiuit. Ouid. in Ibin:

Quodq; ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

HERCVLES induta tunica, Nessi Centauri à se ob stupratam Deianiram interfecti cruore tincta, in tantas furias raptus est, ut præ impatientia doloris sese in Oeta monte combusserit. Diod. lib. 4. cap. 2.

PARRICIDÆ apud Aegyptios super spinarum aceruos articulatim præacutis calamis cæsi, inde uiui comburebantur. Diod. lib. 1. cap. 6.

AXIOTHEA, Nicoclis Cypriorum regis uxor, magna multitudine militum ueniente à Ptolemęo Aegypti rege ad occupandum regnum, cùm Nicocles seipsum suspendisset, fratresq; eius sibi mortem consciuissent, ipsa conuocatis sororibus, matribus & uxoribus eorũ, fortiter ianuas muliebris aulæ conclusit: & simul omnes ad tecta recurrentes, multitudine ciuium confluente, liberos quos in ulnis ferebãt interfecerũt, & igne tectis iniecto, aliæ gladiis semetipsas occiderũt, alię confidenter in flammam insilientes perierunt. Axiothea uerò cùm uideret omnes egregiè iacere, tum etiã ipsa summisso gladio per cædem se in flammam coniecit, ut ne mortuo quidẽ corpore hostes potirẽtur. Polyæn. lib. 8.

BOGES Persa, amicus Xerxis, ab Atheniensibus & Cimone Miltiadis filio obsessus, licet accepta fide posset egredi, abnuit tamen, & ad extremum perstitit. Inde ubi in mœnibus nihil commeatus fuit reliquum, accenso rogo, liberos, coniugem, concubinas, familiam interemit, eosque omnes in pyram coniecit. Deinde omne aurum urbis atque argẽtum è muris dispersit in Strymonem, ac postremò se in rogum coniecit. Herodotus.

CALANVS sophista Indus, cùm longum uale dixisset Alexandro, Macedonibus, & uitæ, quando seipsum è corporis uinculis liberare uolebat, extructa & apparata pyra in suburbio Babylonis, ex lignis aridis, & ad prouocandam bonam fragrantiam delectissimis, cedro, ulmo, cupresso, myrto & lauro, solitũ exercitium obiuit (erat autem id cursus) & accedens in media strue constitit, coronatus folijs arũdinum, affulgente sibi sole, quem ipse adorabat: atq; hoc dederat signum Macedonibus, ut pyram incenderent. Quod cùm fecissent, ille circumdatus flammis, immotus constitit: neque antè loco cessit, quàm expirasset. Tunc aiunt Alexandrum cum stupore quodam admiratum dixisse, Calanum potentiores hostes debellasse, quàm se. Nam Alexander cum Poro, Taxila & Dario bellum gesserat: Calanus uerò cum labore & morte. Aelian. lib. 5. de Varia hist. Cic. de Diuin. lib. 1. & Tusculan. quæst. Plutarc. in uita Alexand. Strabo lib. 15. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

Antigonus rex, Eumene proditione Argyraspidũ capto, ANTIGENEM Argyraspidum ducem cõprehendit, & lignorum strui impositum, uiuum combussit. Diodorus lib. 10.

Cùm HAMILCAR rex Carthaginensium cum trecentis militibus in Siciliam penetrasset, & pugnãtibus barbaris cum Græcis ipse in castris permanens sacrificaret, solida corpora in

in pyram aggerens: conspectis suis in fugam uersis, sese in ignem immisit. Herod. lib. 7.

ASTAPENSES Hispani, Carthaginensibus aduersus Romanos semper fauerãt. Cũ Pœni ex illorũ urbe eiecti essent à P. Scipione, filios & uxores, & omnem imbellem multitudinem cum preciosa supellectile in forum contulêre ciues, collatam arida lignorum materia in speciem grandioris pyræ circumuallant, quinquaginta inde iuuenibus mandant, dira execratione adhibita, nisi imperata fecissent, si se ad pugnam egressos superari contigisset, confestim in multitudinem grassati ignem pyræ iniicerent, ne quid charissimarum rerũ ad hostes perueniret. Atque sic subita eruptione facta in Romanorum stationes, ancipiti marte aliquandiu pugnantes, multitudine uicti, ad unum cæduntur. Tũ suorum clade animaduersa, iuuenes, qui in urbe erant, imbellẽ multitudinem ferro conficiunt, pyram incendunt, ac incensæ seipsos cum armis iniiciunt. Sab. lib. 5. En. 5.

Scribit Plinius libro septimo Natur. historiæ, AVIOLAM consularem in rogo reuixisse. Sed quoniam subueniri non poterat, præualente flamma uiuum fuisse crematum.

ZAMARCVS Indus sophistes, imperante Octauio Augusto, siue gloriæ cupiditate permotus, siue senectute (ut mos est regionis) uiuus se in ignem coniecit. Xiphilinus, & Dion in Augusto.

IVDAS Sariphæi & Matthias Margalothi Ff. doctissimi Iudæorum, & interpretes legis patriæ præstantissimi, iuuentutem concitauerunt, ut aquilam auream supra maiorem portam templi ab Herodoto dedicatam detraherent, cùm lex uetet imagines statuere, aut consecrare animantium effigies. Itaque claro meridie ascendentes quidam detractam aquilam conciderunt securibus, inspectante congregata in templum multitudine. Dux regius maiorem conspirationem ueritus occurrit eò cum ualida suorum manu, cohibiturus demolitores aquilæ. Facilè reliquis disiectis, circiter XL. iuuenes resistere ausos comprehendit, cumq; his auctores facinoris Iudam & Matthiam, omnesq; ad regem perduxit. Quo rogante, quo freti ausi sint sacratam imaginem demere, aiunt, se & deliberasse id multo antea, & deliberatum executos, ut fortes uiros decuit. Ab Herode igitur uiui sunt exusti. Iosephus lib. 12. cap. 8.

IONATHAS Iudæus, textor, sicariorum unus, qui è bello Iudaico in Cyrenaicam prouinciam perfugerat, à Catulli Pentapolitanæ Libyæ præsidis exercitu captus, uitæ redimendæ uel saltem pœnæ differendæ gratia, Catullo ditissimos Iudæorum Cyrenensium falsò detulit. Quos ille per sicarios trucidauit, bonaq; eorũ occupauit. Petiit igitur Catullus, ut Romam & Alexandriam profecti etiam ibi Iudæorum nobilissimos accusarent. Cui morem gerentes, cùm Romam peruenissent, mendaciiq; Vespasiano cognitore conuicti essent, Ionathas uirgis cęsus & uiuus exustus est. Iosephus lib. 7. cap. ultimo belli Iudaici.

Aquileienses cùm pertinacissimè Iuliani Apostatæ obsidionẽ pertulissent, simulatque Constantium Imp. mortuum, & Iulianum cõfirmatum ab Agilone, ante muros urbis nunciante, audierunt, primùm fidem inhibuerunt, deinde pacti salutem, postquam susceptum in urbem cum iureiurando id affirmantem uiderunt, extemplò deditionem fecerunt, ac culpam defectionis in Nigrinum equitum tribunum paucosq; alios reiecerunt. Itaq; NIGRINVS, Mamertino præfecto prætorio quæstionem exercente, pòst eo nomine uiuus exustus est. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Lego CHRISTIANOS quandoque Sarmentitios & Semassios probrosè nuncupatos, quòd ad stipitem dimidij assis reuincti sarmentis circumiectis amburerentur. Cælius lib. 10. cap. 8. Antiq. Lect.

POLYCARPVS, Ioannis Apostoli discipulus, M. Antonio & L. Aur. Commodo imperantibus, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ spectante proconsule cum uniuerso populo in amphitheatro igni traditus est, & inter Martyres relatus. Ex Hieronymo.

EMERITA, Lucij Anglorũ regis soror, pro Christiana itidem pietate flammis extincta, spiritum Domino reddidit.

Imperante Maximiano conuenerant CHRISTIANI in templum cuiusuis ætatis & sexus, memoriam natiuitatis Christi celebraturi. Maximianus misit eò qui templum incẽderent: sed prius per præconem significarent, ut qui uiuere uellent, exirent è templo, & in proxima Iouis ara adolerent: qui nollent, cùm ipsa æde conflagraturos. Tum assurgens in templo unus cæterorum omniũ nomine respondit: Christianos se omnes esse, atq; unum eumq; solum Deum & regem credere esse Christũ, ipsiq; ac patri eius ac Spiritui sancto se sacrificare. Nunc uerò omnes etiam sese ei offerre paratos esse. Ad hanc uocem ignis succensus, ac concremati sunt homines uicies mille. Nicephorus lib. 7. cap. 6.

LETHVS episcopus ab Honorico Vandalorum rege, incendio cum multis aliis concrematus est. Sigebertus in Chron.

STEPHANVS Persa eunuchus sacellarius, & monachus THEODOSIVS generalis, qui sua crudelitate Iustinianũ II. Imp. in odia omnium induxere, eo per Leontium deiecto, pedibus uincti, per forum tracti ad Bouem combusti sunt. Cuspinianus.

Andronicus Comnenus tyrannus scribam cognomento MAMALVM in Hippico cremauit. Incenso rogo in Sphendone stadij producitur ille funibus uinctus, & nudus. Carnifices adolescentem, cui prima lanugo malas uestiebat, longissimis perticis in medium ignis trudebant. Is doloris acerbitate urgente, nunc ictus illorum euitando in ignem ruebat, nunc ardorem fugiẽdo ictibus obuium se ferebat. Tandem fatigatus supinus concidit, & tetro exustæ carnis fœtore spectatorum nares infecit. Libelli aliquot unà cum eo cremati, qui de secuturis Imperatoribus tractabant, quibus recitandis Alexium ad regni amorẽ impulisse fingebatur. Nicetas.

Tempore Romani Lacapeni Imp. BASILIVS quidam Macedo, ob id quòd se primò Constantini Ducæ filium, deinde pro ipso Constantino Duca uenditasset, & hinc inde uagas urbes ad defectionem mouisset, primò manu truncatus est: postea ærea manu abscissæ loco sibi facta castellum, cui nomen Latum saxum, occupans, unde proxima quęque deprędatus est, ab Imperatoris exercitu captus, & in Amastriano crematus fuit. Cedrenus.

PHOCAS Mauritio Imp. cæso tyrannide arrepta, mutilatus primùm ab Heraclio, qui imperium inuasit, mox ignibus cõcrematus est. Sigebertus in Chronicis.

CHRANNVS Lotharij Francorum regis filius, eo quòd parenti diu multumq; rebellasset, ab eodem captus, & igni cũ uxore & filiabus consumtus est. Sigebertus in Chro[redacted]

Anno 1208. ALMERICVS Carnutensis uir eruditus, sed hæreticus, floruit, cuius sequaces Lutetiæ cum eiusdem ossibus refossis postea sunt usti. Dicebat ideas in mente diuina creare & creari. Chronicon Franciæ.

Sub Bonifacio IX. ex Alpibus descendit in Italiam anno 1399. ante Iubileum PRESBYTER quidam cum magna hominum multitudine. Is albo indutus panno, tantâ modestiam uultu ac uerbis præ se ferebat, ut ab omnibus sanctus haberetur. Magna igitur multitudine hominum eodem habitu indutorum, unde Albati dicti sunt, Romam tendens, Viterbij labore itineris fessus substitit. At Bonifacius fraudem ueritus subesse, quasi pontificatum appeteret, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehensum ad se perducunt. Sunt qui scribant huius fraudem quæstione detectam fuisse, hominemq; in tanto facinore deprehensum igne extinctum meritas pœnas luisse. [redacted] Platina, & Sabel. lib. 9. Ennead. 9.

Eo tempore, quo Romæ Fridericus Barbarossa à Pontifice corona redimitus est, QVIDAM in urbe Romana asseruit regnum sacerdotio præferendum. Ob id dictum comprehensus, populi iudicio mox sistitur, igniq; adiudicatur pari sententia. Cineres collecti hinc inde in mille locis dispersi sunt. Chronicon Cosmidromij.

Sub Rodolfo Habspurgense quidã FRIDERICVS ... magus Fridericum II. Imp. se esse dicebat, eoque multas se urbes pellexit, in Vvezeslaria copias habens. ... dẽ aliquantũ, præter corporis lineamenta non abhorrens, permulta quæ nouerat eius secreta: quippe familiaris olim Imperatori, & penitiora quædam intellexerat. Sed ubi detecta est fraus, Nussiæ captum, Rodulphus igne cremauit. Cuspinianus & Auẽtinus lib. 7. & Crãzius li. 8. c. 16. Metropolis.

Cùm Philippus Gallorũ rex Clementis V. assensu omnes Templarij nominis uno tempore in potestatem redegisset, IACOBVS Burgundus huius militiæ magister, cum tribus aliis asseruatus, Lugdunumq; ad Clementem missus, pontificis hortatu quædam de sua religione confessus dicitur, quæ propter res ipsa meritò afflicta uideri poterat. Parisios deinde retractus, cùm eadem publicè confiteri iuxta pyram extructam rogaretur, ampla uitæ spe ac impunitate proposita, omnia ea, quæ dixerat, tãquam ficta recantauit, eoq; nomine quouis se supplicio dignum esse pronunciauit. Exinde rogo impositus, ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad exprimendam scelerum cõfessionem, sed frustra, crudeliter crematus fuit. Sab. lib. 7. En. 9. & Aemil. lib. 8.

Otho III. Imp. CONIVGEM suã, cuius impulsu olim Comitem quendam, qui eam de stupro sollicitasset, innocentem securi percusserat, igni tradere iussit: Comitis uxore, mariti innocentiam gestatione ferri candentis probãte. Cranzius lib. 4. cap. 22. Saxoniæ.

ANDREAS Seramita & GVLIELMA, sub Mattheo Vicecomite Mediolanẽsi, detecti sunt principes fuisse mares ac foeminas occulto in loco, sub Bariloti nomine, ad Bacchanalẽ exercendarũ licentiã congregandi. Nam peractis sacris, quę Gulielma in sacerdotali ueste obibat, cùm cæteri in clericorum habitu ministrarent, extincto lumine promiscuæ libidinis genus omne permittebatur. Itaq; Andreas uiuens cum aliquot huius sectæ hominibus combustus fuit: additumq; Gulielmæ cadauer, quæ antè mortua erat, & usque ad id tẽpus in Claræuallis monasterio sepulta, sanctarum nomine colebatur. Fulgos. lib. 1. cap. 1.

Cùm Dux Bituricensium, Caroli VI. Gallorum regis patruus, per BETHISACHVM præfectum multa crudeliter & auare apud Auxitanos gessisset, Senatus regij iussu Bethisachus captus est. Qui cùm omnem culpam in dominum reiiceret, cuius imperio fecisset omnia, per fraudem ei significatum fuit, iudicio ipsum, qui tamẽ absoluendus erat, damnatum iri, ut uel strangularetur uel combureretur. Ea re attonitus, ab iis, qui illud nunciarant, monitus est, si se hæreticũ dixisset, fore ut ad tribunal Pontificis Auinionem mitteretur, è cuius manu dux Bituricensis facilè eum postea recepturus esset. Bethisachus ergo hæreticum se, & qui iam multos annos in Christum non crederet, fassus, adeò ira atque indignatione omnem Senatum mouit, ut statim tanquam uir pessimus, nulla defensione audita, Senatus decreto cremaretur. Fulgos. lib. 8. cap. 1.

Cùm Christiani Latini Antiochiam Syriæ metropolim oppugnarent: & in eorum castra sacræ militiæ ergò confluerent uariæ gentes, nostræ tamen religionis: TVRCÆ quoq;, aut Turcicarum rerũ studiosi, periti linguarum institutorumq; eorum, mutato cultu castra ingrediebantur, consiliaq; Latinorum explorata perferebant ad suos: ut nihil iam arcanũ foret. Deliberantibus ducibus, quo pacto magis arcanum concilium haberi posset: Boëmundus Tarentinus dux propriis se è cœtu procerum: Ego, inquit, uos hac cura leuabo. Et produci iussit, quos Turcarum captiuos in custodiã tradiderat, eosq; pro castris palàm iugulatos uerubus figi, & subiectis prunis torreri iussit, mirabundisq; omnibus clara uoce dixit: Id esse Boëmundi obsonium, pœnasq; de speculatoribus exploratoribusq; sumtas. Aemilius lib. 4.

[redacted]

IOANNEM Oldecastellium & ROGERIVM Actonũ Vuicleuitarum duces, Londinum oppugnantes, Henricus V. Anglorum rex uicit, captos igni necauit, anno 1415. Polydorus libro uigesimosecundo.

PAVLVS Crau in Scotiã è Boëmia uelut apostolus missus ad prædicandã Scotis Vuicleui & Ioannis Hus sectã in Academia S. Andreæ, medio foro crematus est. Iacobus I. rex, auctores unicè hac re cõmendatos habuit, & antagonistam illius Ioannem Fogum monachum ordinis Cistetiensis sacrarum literarum professorem Abbatia Melrossensi donauit. H. Boëthius lib. 17.

[redacted]

MILI[redacted] Vngari Albæ Græcæ proditores uerubus assati. Vide Tit. Sæuitiæ bellicæ erga suos milites.

THOMAS Cramerus Cantuariensis præsul, regniq; Anglicani præses, à Maria regina captus, post diuturnum carcerem, religionis uiolatæ prætextu, uiuus exustus est Oxonij XII. Cal. April. anno Sal. 1556. Sab. supplem. lib. 29.

Tauri ænei.

PHALARIS tyrannus Agrigentinus, dum ciues suos multis torqueret suppliciis, à populo unà cum liberis & coniuge crematus est, & in eodem tauro, quo reos puniebat, lege talionis suffocatus. Ouid. in Ibin.

PERILLVS, egregius ære artifex, in æneo tauro, quem Phalaridi tyranno ad concremandos in eo aduentantes hospites comparauerat, crudelissimè, prout dignus erat, exustus est. Plutarchus, Orosius, & alij.

EVSTATHIVS Traiani aulicus, cùm ceruum in uenatione sectaretur, uiso inter eius cornua crucis simulacro, auditaq; hac uoce: Cur me persequeris? statim cõuersus est unà cum Theophyta uxore. Quod ubi resciuit Traianus, ambos in tauro æneo comburi iussit. Volaterranus.

Peluis, Sartaginis.

Olympias Philippi Macedonum regis mariti FILIVM ex pellice in ænea pelui ignibus circumdatis cruciatum enecuit. Pausanias in Arcadicis.

Craticulæ.

LAVRENTIVS & TYBVRTIVS martyres, pro Christi nomine incendiũ uolentes pertulerũt. Ioan. Fr. Mirandulanus lib. 2. Hymnorum: —Iucunda incendia Laurens
Suspicit, empyrea multum irroratus ab unda:
Atq; per ardentes prunas illæsus abibat,
Maiores in corde ferens Tyburtius ignes.

THEODVLVS martyr, cũ imperãte Iuliano sub Phrygię præfecto minoris Amachio cremaretur, alta uoce clamasse dicitur: Volue, si uis degustare iam coctũ. Suid. & Nicephorus.

In Metropoli Phrygiæ, MACEDONIVS, THEODVLVS & TATIANVS, statuas, quas præses Amachius in tẽplis collocauerat, noctu cõfregere. Cũq; pses in alios, quos suspectos de facto habebat, animaduertere uellet, ipsi psiliere, auctores se esse cõfitẽtes. Abrepti igitur, omnis generis tormẽtis subiecti sunt: postremò uerò craticulis impositi, assati sub Iuliano apostata. Socrates li. 3. c. 15. & Sozomen. li. 5. c. 11.

Metalli liquati.

CAR interfector Cyri per dies decẽ excruciatus, ære feruente in aures instillato, à Parisatide matre Cyri necatus. Plutarchus in Artoxerxe.

MANNIVS Attilius legatus Romanorũ, uicto L. Cassio cum legatis & sociis regib. asino uinctus sedẽs circũuectus, inde infuso gutturi auro necatur à Mithridate. Sab. lib. 3. En. 6.

PIPPVS Florentinus, quũ Sigismundi Vngarię regis nomine multa præclara facinora contra Venetos gessisset, auro demum à Venetis corruptus, in Vngariã reuersus est. Quem, detecta uiri auaritia, Sigismundus infuso in os auro necari iussit. Bonfinius lib. 3. Dec. 3.

AERE, VENTO NECATI.

Aer officit qualitate sua tum manifesta, utputa æstu uel frigore (de quibus sub Tit. Aestu, Frigore mortui) tũ occulta, de qua sub Tit. Pestilentiæ. Officit quoq; suo motu tũ uehementer, tum blando quidem, sed non consueto.

ISAACIVS Imp. Constãtinopolitan⁹ à fratre ingrato Alexio, quẽ prius à Turcis captũ magno redemerat, nihil minus expectãs cõprehẽditur, luminib. priuatur, arctãq; in custodiã cõiicitur. Postmodũ à Venetis & Frãcis ex carcere liberatus, aëris mutationẽ repentinã nõ ferẽs, mortuus est. Aemil. li. 6.

[redacted] Vide Tit. Suff[redacted]

IACOBVS Philippus Cærnuſcus Mediolanenſis cuius cloacam in corte ſoli torrido expoſita concamerari curabat, fornicibus extructam, quæ ad aquā uſq; ſcaturientē deſcendebat. Vbi pfecta eſſet, ut fornix cōſolidaretur, cōcludi iuſſit. Poſt uiginti dies aperuit, ut lignei arcus extraherentur. Conductor ubi ad medium ſcalæ peruenit, concidit mortuus. Dominus & ipſe deſcendit, & ſtatim concidit. Aſtantes tertium immittunt, qui cùm in medio ſcalæ eſſet, ubi ſub fornice caput eduxit, ſtatim mortuus concidit, concidit & quartus. Quintus uocatus Mattus, hoc eſt, ſtolidus, uir admodū robuſtus, deſcendit, ſed caput non ſubmiſit fornici, uncoq; ex[redacted]num à mortuis. Inde factus audacior deſcendit [redacted] tulum. [redacted] immiſerunt, ſemimortuus extractus eſt. Quidam Baſiliſcum ineſſe putabant. Cardanus de Rerū uarietate lib. I. c. 9.

Lacharellæ, uilla propè Mediolanum X. M. P. cùm ſepeliretur anus, inuenerunt duas arcas pannis linteiſque plenas, annis iam propè XXX. bellorum metu abſconditas. Quas cùm apertas curioſius requirerent, nihil incorruptū inuenēre. Cæterùm QVOTQVOT interfuerūt, aut quę recondita arcis fuerāt ſeu tūc ſeu etiam pòſt tractauēre, intra triduum mortui ſunt. Idem.

AQVA NECATI. VTPVTA *Submerſi.*

Vide Tit. Suffocati aqua.

Ambuſti feruente aqua.

DEMOCLES puer, dubium maiore pudicitia, an forma pulcriore, quum à Demetrio Poliorcete ad ſtuprum ſollicitaretur, neque uim tyranni poſſet effugere, ſe in proximū aquæ feruentis lebetem præcipitem dedit. Plut. in Demetrio.

QVIDAM imperio inſidians, ab Henrico VI. Imp. in aqua feruente coctus, ferculi loco ſuis remiſſus eſt. Nicetas lib. 2. de rebus Alexij Angeli.

VINO.

Vide Tit. Potu uini necati.

OLEO FERVENTE.

Vide Tit. Pœna adulteratorum monetæ.

TESTES duo falſi ab Huldrico Vvagner caupone Villiſſouičſi corrupti pecunia aduerſus Egidium Spilmannum ciuem Bernēſem, oleo feruente à Bernēſibus exuſti fuerūt. Stumpfius lib. 7. Heluetiæ.

PICE.

Pice quoque torquebant Græci corpora HOMINVM. Hinc κωνειάζειν, cruciatu illo & ſupplicio afficere. Id etiam intellexit Lucretius, cùm pœnas mortalium, tormentaque breui exponens, inquit, Verbera, carnifices, robur, pix, lumina tedæ. Nec non Plautus in Captiuis, cùm inducit Ariſtophontem refellentem aſtutam uocem ſerui, qui dixerat in eum: Atra bilis agitat hominem: ait enim, At pol te, ſi hic ſapiat ſenex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. Plato in Gorgia etiam meminit. Victorius l. 8. Var. lect. c. 14.

Heraclides Ponticus, cùm de diſcordiis MILESIORVM inteſtiniſque malis eius ciuitatis loqueretur, narrat diuites peſſimè tractaſſe plebem, ut ulciſcerentur dolorem ſuum, uictoriam adepti de illa, adeoque μετὰ τῶν τέκνων κωνειάζειν, ſupplicio picis affeciſſe. Victorius lib. 8. Var. lect. c. 14.

TERRA NEMPE *Hiatu terræ uiui abſorpti.*

CHORE, filius Aminadabi, è tribu Leuitica, DATHAN, & ABIRAMVS, quum inſurrexiſſent in Moſen & Aaronem, excitaſſentq; populum ad auferendum huic ſacerdotium, illi principatū, protinus (ut ſcribitur Numeri cap. 16.) dirupta terra, cum tabernaculis ſuis, & uniuerſis opibus ſunt abſumpti, deſcenderuntque uiui in infernum.

TROPHONIVS & AGAMEDES, Ergini Minyarū regis FF. (alijs Apollinis) Delphis Apollini templum, & Hyriæo ærarium erexerant. In eius pariete lapidem unum ſic collocarant, ut extrorſum eum, cùm uellent, adductum eximerent. Quoties itaque libitum eſſet, clàm introeuntes, aliquid repoſitæ pecunię auferebant. Mirante id Hyriæo, præſertim cū & claues & ſigna cætera incorrupta cerneret, pecuniæ tamē numerum imminutum uideret, ad uaſorum, in quibus pecunia repoſita erat, ora laqueos diſpoſuit, quib. ſimulac quis pecuniam eſſet attingere conatus, captus teneretur. Ingreſſus itaque Agamedes, in uinculis hæſit. Trophonius fratris caput ſtatim præcidit, ne agnoſceretur: at eo ipſo in loco terræ hauſtus eſt hiatu etiam Trophonius. Pauſanias in Bœoticis.

BATON, Amphiarai uatis gentilis, è Melampodarum genere, cùm in prælijs Amphiarao aurigæ operam nauaret, reiectis à Thebarum muris Argiuis, eodem terrę hiatu, quo ille, cum curru hauſtus, euanuit. Pauſanias in Corinthiacis.

Apud Celænas Phrygiæ urbem terra ex aquarum ui deſedit, frequentiaque ædificia in cauernam detraxit. Rex autem Midas ſortes accepit: ſi, quod haberet precioſſimum, in eam eluuēi demiſiſſet, tellurem coituram. Ille quidē aurum & argentum ingerendo nihil profecit. At ANCHVRVS Midæ filius reputans ſecum nihil in uita dignius anima eſſe humana, complectitur parentem & coniugem Timotheam: mox equum conſcendit, atque in hiantem locum ſe intulit. Conſtricta terra aram aureā ſtruxit Ioui Idæo manu iniecta. Hæc ara circa illam tempeſtatem, qua labes terræ facta fuit, lapideſcit. Vbi defluxit dies præfinita, aurea uiſitur: ut Calliſthenes in ſecundo Metamorphoſeon. Plut. de Græcorum & Rom. comparatione.

Per medium forum Tyberi ex Iouis Tarſij ira uecto, in ingentem ſinum terræ labes conſedit, multaſq; ædes hauſit. Reſponſum autem oraculo eſt id ceſſaturum, ſi id quod maximo in honore eſſet, eò intuliſſent. Romanis aurum argentumq; iniicientibus, M. CVRTIVS conſpicuus iuuenis expendens oraculum, reputansq; animam maioris eſſe dignationis, conſcēdit equum, ac præcipitem ſe in cauernā illam dedit, ſuoſq; calamitate exemit. Vt libro quadrageſimo rerum Italicarum Ariſtides. Plutarchus de Græcorum & Romanorum comparat.

Ordinum ductoribus, qui Polynicem ſunt ſecuti, comeſſantibus, aquila librans ex alto ſe, ſuſtulit in ſublime AMPHIARAI uatis lāceā, inde dimiſit. Ea terræ defixa in laurū uerſa eſt. Poſtero die dum præliantur, labe terræ Amphiaraus cum curru deuoratus eſt eo loci, ubi nunc oppidū Harma, id eſt, Currus nuncupatur. Vt Thraſymachus libro tertio Vrbium conditarum. Plut. de Græcor. & Rom. comparat.

Moris inter Romanos & Pyrrhum Epirotam armis, Paulo Ae-[redacted] em rerū, quæ poſtea [redacted] ponte-

portendere aruſpices reſponderunt. Sabel. lib. 3. En. 6.

Septimo Iuſtini Thracis Imp. anno terræmotus ac incendium ANTIOCHIAM corripuerūt. Id media urbe exortum, durauit dies ſex, multaſq; domos & homines abſumſitneque ſcire quiſquam potuit, unde eius fuiſſet initium. Tum Dei ira ita urbem concuſſit, ut penè tota corruerit, ac eluuium ſepulcrum facta ſit. Quoſdam obrutos terra, & adhuc uiuentes, ignis ex terra exiens cremauit. Alius ignis ex aere inſtar ſcintillarum decidit: & quos attigiſſet, fulminis in morem combuſſit. Annum ille terræmotus durauit: multa uirorum, mulierum, puerorum & infantum millia collis inſtar coaceruata, proſtratarum domorum materies operiebat. Cedrenus in uita Iuſtini.

In HIRPINIS terræmotu grauiſſimo quaſſata non tantùm ſunt oppida, uerùm etiam funditùs euerſa. Ceciderunt ea ſtrage in Samnio, Lucania, eaq; Campaniæ parte, quæ cis Lirim eſt, ad quatuor & uiginti hominum millia. Pontanus de Fortitudine heroica lib. 1. cap. 8.

EVPHRASIVS epiſcopus Antiochenus, cùm primùm Hieroſolyma ueniſſet, in terręmotu urbis, quo tunc uehementer ſub Iuſtino Imp. affligebatur, periit. Euagrius libro quarto, capite quarto.

Iniectione ſuffocati. Viui ſepulti.

Vide Tit. Suffocati terra.

ARENA, PVLVERE.

Vide Tit. Arena ſuffocati.

LAPIDIBVS ICTI, OBRVTI LAPIDATI.

Blaſphemus in eremo lapidatus eſt FILIVS mulieris Iſraelitidis, de uiro Aegyptio generatus. Leuitici 24. Quod genus mortis crudeliſs. eſſe Rabi Moſes filius Maymon cenſuit.

ACHAMVM lapidari præcepit Ioſue, & totam eius comburi ſupellectilē, eo quòd de præda Hiericuntia deuota quædā interuerterat. Ioſue ſeptimo.

ABIMELECHVS Iſraelitarū tyrannus molæ fragmine à muliere deſuper ictus, interiit. Iudicum 9.

ADORAMVS tributi præfectus, à rege Roboamo ad reconciliandas decem tribus Iſraelitarum, quæ ad Ieroboamum defecerant, miſſus, ab iiſdē lapidibus obrutus eſt. Libro tertio Regum, cap. 12.

N[redacted] Iezraelenſis propter uineam, cui Achabus rex in[redacted] lapidatus, impiæ Iezabelis conſiliis. 3 Reg. 21.

[redacted] ARIAM filium Ioiadæ ſacerdotis, rex Iuda Ioas iuſſit populo lapidari: quamuis pater illius reſtituiſſet illi regnum, & Athaliam occidiſſet. 2. Paralip 24.

SENIORES duo, qui Suſannam adulterij falsò accuſarant, Daniele puero actore, ſceleris conuicti, à populo Iſraelitico Babylone lapidibus ſunt obruti. Danielis 13.

STEPHANVS protomartyr à Iudæis, qui dētibus in eum ſtridebant, eiectus è ciuitate, & lapidatus eſt. Actorum 7.

Contentione inter Hircanū & Ariſtobulum ob regni ſucceſſionē durante, ONIAS uir ſanctus ab Hircani ſectatoribus ad templum deductus eſt, ut rogando infeſtū Ariſtobulo Deū redderet. Ille uerò contrà immobilis nitens, ne ſe eorū contentionibus immiſceret, clarè dixit, Deum ſe rogare, ne ullam alteram partium aduerſus alteram (quòd utraq; populus eius eſſet) audiret. Itaq; ab Hircani fautoribus ſtatim occiſus, ſeu lapidatus fuit. Fulgoſus lib. 3. c. 8. ex Ioſephi lib. 14. cap. 3. Antiq.

Poſt euerſam Troiam HECVBA regina, quò ſeruitium morte abſolueret, multa ingerere maledicta, imprecariq; infauſta omnia in exercitum. Qua re moti Grĕci, lapidibus obrutam [redacted] Dictys lib. 5.

[redacted] NVS Neptuni filius, quum à patre habuiſſet, ut ferro inuulnerabilis eſſet, ab Achille apud Troiam lapide extinctus eſt.

MERMERVS & PHERES Medeæ filij, à Corinthiorum pueris lapidibus obruti, eo quòd munera exitialia ipſi Glaucæ à Medea matre attuliſſent. Verū ex oraculo illis pœnas dederunt Corinthiorum liberi, crinem totonderunt, obſoletamq; ueſtem induerunt, & ſolennia ſacra fieri cœpta, Pauorisq; imago dedicata. Pauſanias in Corinthiacis.

Pauſanias in Eliacis narrat, COMITEM quendam Vlyſſis ob uirginem conſtupratam à Temeſſenſibus occiſum fuiſſe: atque ob id laruas eius, niſi quotannis oblata uirgine placarentur, graſſari ſolitas ac perniciem adferre omni ſexui atq; ætati. Eraſmus in Chiliadibus.

ARISTOCRATES rex Arcadum, cùm ſacram Dianæ Hymniæ uirginem ad ſtuprum pellicere non potuiſſet, poſtremò ad aram deæ fugientem uiolauit. Scelere patefacto, hominem Arcades lapidibus obruerunt, & à uirgine ad nuptā mulierem ſacerdotij honorem tranſtulerunt. Pauſanias in Arcadicis.

MARDONIVS Perſa (quem Xerxes apud Salaminem uictus cum exercitu reliquit, ut belli reliquias confoueret) ab Arimneſto Spartiata ſaxo interemtus eſt. Quo fato præmonuerat cum periturum Amphiaraus. Plutarchus in Ariſtide.

COES Euxandri F. Mitylenæorum tyrannus à Dario conſtitutus, à Mileſiis, qui à rege defecerant, captus, à Mitylenæis lapidibus obrutus eſt. Herod. lib. 5.

NEOCLES & DEMOPOLIS Themiſtoclis filij, quum Athenienſium memoriam refricuiſſent ſuper legibus, quæ aduerſus exules fuerant ſancitæ, à paternis inimicis lapidibus obruti ſunt.

Caphyenſes PVERI ludentes circa templum Dianæ Condyleatidis, funiculo, quem repererāt, Dianæ ſignum obligato collo per luſum trahentes, Dianam ſtrangulari cùm dicerēt, à Caphyenſibus ciuibus uiolati numinis crimine damnati, lapidibus obruti fuerunt. Pauſanias in Arcadicis.

PYRANDER quæſtor urbanus, cùm Athenienſes bellū contra Eumolpum gererent, & illis in maxima annonæ penuria parcè ſuppeditaret triticum, in proditionis ſuſpicionem incidens, lapidibus obrutus eſt. Calliſthenes libro tertio rerū Thraciæ, apud Plut. in Paral.

PYRRHVS Epirotarum rex, Antigonum regem prælio uictū in urbem uſque Argos perſecutus, tegulę ictu à muliere deiectæ interiit: quam Argiui Cererē fuiſſe aiunt, aſſumta mulieris forma, eoque loci Cereri ex oraculo erectum fanum, & Pyrrhus ſepultus. Pauſanias in Atticis.

M. POSTHVMIVS Regillenſis, tribunus militum, & auctoritate conſulari ad bellum contra Aequos miſſus, cùm conſcripto exercitu ad Volas eum duxiſſet, oppidumq; iamiam oppugnare uellet, prædā militis fore edixit. Capto uerò oppido cùm animum mutaſſet, à ſuis militibus lapidibus obrutus eſt. Liuius lib. 4.

CINNA in eo bello, quod Romani aduerſus Gallos ſuſceperant, cùm tritici largitionē ſurripuiſſet, ſaxis necatus eſt. Ariſtides lib. 3. rerum Italicarum, apud Plut. in Parall.

THEOCRITIANVM, ſatellitem Amantij Eunuchi, imperio inhiantem, comprehenſum, ingentibus ſaxis ictum Iuſtinus Imp. iuſſit in mare proijci. Cuſpinianus.

DESIDERIVS Viennenſis epiſcopus, conſilio Brunechildis à Theoderico rege Francorum lapidibus obrutus. Sigebertus in Chronicis.

EVSEBIVS Sardus, præſul Vercellenſis, à Conſtantino principe in Cappadociam exulatum miſſus, tandem ab Arianis lapidibus obrutus eſt. D. Hieronymus.

TELEMACHVS monachus, Romæ celebrato gladiatorio ludo, increpans populum attentiùs ſpectaculo inhiantem, lapidatus fuit à populo. Honorius Imp. ea occaſione gladiatorum ludum in perpetuum remouit. Sigebertus in Chron.

CHRYSANTHIVS Alexandrinus, cum DARIA uxore, ſub Numeriano Imp. pro catholica pietate ſaxis obruti. Volat.

PAVLINA uirgo Romana, Arthemij præfecti filia, lapidata ſub Diocletiano, cum CANDIDA matre, pro Chriſti nomine. Volaterranus lib. 18. Anthrop.

HENRICVS I. Hiſpanorum rex, Alphonſi VIII. regis Caſtellæ F. apud urbem Palantiam, ex cocto latere uulnus accepit in capite, dum luderet cum ſodalibus, ex quo biduo pòſt morte occubuit. Ritius Neapolitanus libro tertio Regum Hiſpanorum.

HVNALDVS dux Aquitaniæ Romam quaſi ibi manſurus ueniens, deinde ad Longobardos fugiens apoſtata, ibi non multo pòſt lapidib. obrutus malè periit. Sigebert. in Chron.

HERMANNVS tyrannus è Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus, caſtellum oppugnans, ſaxo caput ictus periit. Sigebertus in Chron.

BLANCA Rubea Patauina, Baptiſtam à Porta maritum in præſidium Baſſiani municipij Patauini comitata, cùm occiſo marito, ab Acciolino tyranno per uim, ſeruorum opera ligata, conſtuprata eſſet: dolorem diſſimulans, impetrauit ab amicis, ut ad leuandū mœrorem & deſideriū aperto ulcro mariti fœtidū cadauer ſemel tantū poſſet aſpicere. Quo aperto, illa magno emiſſo eiulatu, in ſepulcrū ſeſe precipitauit, ſimulq; tāta uiolētia lapidē impulit, ut unà moreret, eiuſq; ceruicē frangeret. Bernard. Scardeonus lib. 3. Hiſt. Patauinę.

BVRCARDVS Monachus uir nobilis & clarus, legatus à Friderico III. Imp. ad Carolum VII. Gallorū regē miſſus, Delphino in Germaniam irrumpenti dux fuerat. Pòſt prælium in cœmeterio D. Iacobi ante Baſileam cum Heluetiis cōmiſſum, cùm ouanti ſimilis per medios occiſorū aceruos equitans aperta galea uociferaretur: Quàm iucundum ſpectaculum, quàm roſeum pratum obequitamus? ſemianimis quidam Heluetius, genu, uti poterat, innixus, ſaxo arrepto frontem Burcardi tanta ui perculit, ut exanimis equo delapſus, impiæ uocis & perfidiæ erga patriam meritas pœnas dederit. Stumpfius.

Bello, quod Valdemarus III. Danorum rex contra Vandalicas urbes geſſit, nauali plio filius regis CHRISTOPHORVS, ictus lapide, non diu ſuperfuit. Cranzius libro ſeptimo Daniæ, capite 38.

ARBORVM

Reflexu discerpti.

Alexander Macedo BESSVM Bactrianorum ducem bello uictum, curuatis per uim arboribus alligauit: quas demùm tãto impetu concitatas remisit, ut laniata passim membra disiecerint. Auctor Plutarchus.

DERBICCÆ Persarum gens, hoc genere supplicij, quod Disphēdonene dicitur, afficiebāt fontes: uidelicet, quòd proceris curuatis arboribus, & criminoso in deflexis cacuminibus alligato, illisq; repētè laxatis, lacerum corpus in diuersa distrahebant. Alex. lib. 3. cap. 1.

M. Antonino Augusto ecclesiā persequente, dū in Sicilia Sebastiani ꝓconsulis iussu Victor martyr torqueretur, STEPHANA militis cuiusdā uxor uisis miraculis ad fidem conuersa, Christū Iesum Dei F. confiteri cepit. Cumq; nullo pacto ab ea cōfessione reuocari posset, duob. duarū arborū aliquantum inter se distantiū ramis aduerso inflexu ui ad terrā curuatis, alligata atq; dimissa, rapido eorum in diuersum reductu repentè discerpta fuit. Marul. lib. 5. c. 6.

PROCOPIVS tyrannus insurgens contra Valentē Imp. apud Naroliam Phrygię ciuitatē uictus, reflexis per uim arborum truncis alligatus, & discerptus est. Socrates, Sozomenus.

Ruina oppreßi.

Bello Punico secundo Galli L. POSTHVMIVM consulem exercitū per Latinam syluam ducturum, succisis iuxta uiam utrinque arboribus, atque ita libratis, ut minimo impulsū subitam traherent ruinam, ubi ingressum uiderunt, impulsis arboribus, miserabili strage cum omnibus copiis, quæ numerum uiginti quinque milium excedebant, oppresserunt. Sabel. lib. 3. En. 5. ex Liuio.

Casimirus II. Polonorum rex, cùm Stephanum Valachorum Vaiuodam seu Palatinū à Petro fratre pulsum reducere conaretur: Petrus syluam densam, quæ Ploniny à soli sterilitate uocabatur, cum suis ingressus, quā POLONI iter facturi erant arbores succidit, ita ut truncis utcunq; hæreret. Iisq; ingrediētibus, Valachi arbores succisas ab extremis orsi, ui impulerūt, ut cæteræ mutuò sese impellerent. Qua ruina Poloni sic obruti sunt, ut qui obtriti & extincti non sunt, uiui tamen ferè debilitatis & collisis membris in hostium potestatem uenerint. Cromerus lib. 12.

CALAMIS, ARVNDINIBVS.

ALEXANDER Eleus philosophus Alpheum flumen tranatans, pectore in acutam arundinem, quæ aqua tegebatur, impacto, interiit. Fulg. lib. 9. cap. 12.

STEPHANVS, qui Petro Gnaphæo Theopaschitæ hæretico in exilium à Leone Imperatore eiecto (propterea quòd Deū passum esse diceret) in episcopatu Antiocheno substitutus fuit, à pueris Antiochenorum ciuium (qui Petro fauebant) acutis calamis iugulatus, & in amnem qui urbem præterlabitur abiectus fuit. Euagrius libro tertio, capite 10. Nicephorus lib. 15. cap. 28.

ARMIS BELLICIS. VTPVTA

Funda.

GOLIATHVS Gethæus gigas, funda à Dauide interfectus. 1. Reg. 17. & Iosephus Antiq. lib. 6. cap. 11.

Telis, Sagittis, Iaculis.

IOSIAS rex Iudæorum, in prælio contra Pharaonem Nechonem Aegyptiorum regem sagitta uulneratus periit. Libro quarto Regum, cap. 23.

IORAMVS Israelitarum rex, Achabi F. à Iehu duce exercitus sui sagitta inter scapulas ictus, expirauit. Libro quarto Regum, capite nono.

LINVS Thebis natus, ab Apolline sagitta interemtus est. Volat. lib. 19. Vrb. comment.

TITYVS Terræ filius, Latonam uiolare uolens, ab Apolline sagittis confossus, & ad Orcum detrusus, uulturi iecur quotidie laniandum præbet. Virgil. lib. 6. Aeneid.

PROCRIS Cephali uxor zelotypia laborans, clam uiro in syluam profecta, ut amores eius deprehēderet, latitans sub arbustis, à marito (qui feram adesse suspicabatur) telo confossa est. Ouidius lib. 7. Metam.

ACHILLEM poetæ fabulantur nullibi membrorum præterquàm in talo fuisse uulnerabilē, quòd eam partē mater Thetis non abluisset Stygiis undis, ut cæteras. Huc Paris sagitta directa, euersorem Troiæ peremit. Ouid. lib. 12. Metam.

Dædalionis filia LYCHIONE, Dianæ (cui se præferebat) sagittis confossa est. Cuius dum celebrarentur exequiæ, pater in puellæ rogum se coniecit. Poetæ fingunt eum ab amicis (ne in ignem desiliret) impeditum, fuisse mutatum in uolucrem. Ouid. lib. 11. Metam.

NINVS primus Assyriorum rex, cùm deficientem à se oppugnaret urbem, sagitta confossus est. Oros. lib. 1. cap. 4.

ANACHARSIS Scytha, à Sauleo rege sagitta peremtus est, quòd Græcorum ritu sacrificaret. Herod. Sunt tamen qui à fratre interfectum uelint.

Prexaspis FILIVS à Cambyse Persarum rege, ob reprehensionem patris, sagitta interfectus. Herod. lib. 3.

LYCOPHRON poeta iambographus, à quodā æmulo traiectus est. Ouidius in Ibin:

Vtq; cothurnatum periisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.

Sertorius bello ciuili, cùm Cinna & Marius Romam occupassent, & contra Syllanos crudeliter sæuirent, dicitur satellites Marij BARDIÆOS, partim illius permissione & iussu, partim ui, dominos suos opprimētes, dominas uiolantes, liberos constuprantes, omnes eodem in loco metatos, nō intra quatuor millia, iaculis confixisse. Plut. in Sertorio.

Vitige Romam obsidente, apud Salariam portam, GOTHVS quidam proceræ staturæ haudquaquā inter suos obscurus arbori propinquæ insidens, cū sagittando propugnacula diuexaret, notabili casu oppressus est. Siquidē tormento à Romanis ad læuam turris ex improuiso locato traiectus, arbori, ueruto in stipitē altius descendēte, affixus est. Quare conspecta Gothi exterriti extra sagittæ iactū recessere, neq; amplius molesti ꝓpugnaculis extitere. Sigon. lib. 18. Imp. occid.

CHRISTINA uirgo sub Iuliano, sagittis periit. Beatus SEBASTIANVS, ciuis Mediolanensis, sub imperatore Diocletiano.

IO. Comnenus Imp. Alexij F. in Cilicū finibus uenatum egressus, cùm apro solitario ferrum in pectus adegisset, & is illū urgens ferrum in uiscera recepisset, manus Imp. debilitata, atq; impetu feræ reflexa, pharetram de latere obliquè suspēsam euertit, perstrictaque una sagitta uenenata, cute extremos digitos læsit: ex quo uulnere serpente ui ueneni paulò pòst mortuus est. Nicetas Choniates.

Hunnis Ostrogothos bello persequētibus, VINNITARIVS Gothorum rex à Balambre Hunnorum rege sagitta fronti immissa necatus est. Io. Magnus lib. 6. cap. 27.

IAROMIRIVM Boëmorum principem Cochanus Versouicensis sub uenationis specie seductum in syluas, sagittis cōfecit. Dubrauius lib. 6.

EGFREDVS Northumbrorum rex contra Eugenium V. Scotorum regem pugnans, quum multo clamore increpans ... gnanos ut militem accenderet ad pugnam uersaretur, sagitta ictus in faciem (quam armis nudaram hortando ad pugnam tenebat) moribundus cecidit. Saxonum acies declinans, funditur, fugaturq;. Cæsa ad XX. millia hostium. H. Boëthius lib. 9.

RICARDVS Anglorum rex instructo exercitu dum in Pictones pergit, fit in itinere certior, thesaurum à quodā suo milite esse inuentū: eū ad se uocari iussit. Ille in Lemouicēs se recepit, atque intra Calacum oppidum receptus, sui seruandi causa, bonam pecuniæ partem oppidanis dedit. Ricardus secutus militem fugientem, dum parum cautè locum speculatur, per quem cuniculus duceretur, emissa de muro sagitta uenenata, uulnus lethale in læuo brachio accepit. Quo negligēter obligato, duodecimo demum die oppidum expugnauit, nullo tamen eo loci inuēto thesauro. Vulnere male curato, breui pòst obiit, anno 1200. Polyd. lib. 14.

TAGMARVS frater Othonis regis, cùm castrum Heresbruck cepisset, ibi à rege conclusus, telis intra ecclesiam confossus interiit. Sigebertus in Chron.

Eo prælio, quo prope Augustam Ottho I. Cæsar Hungaros maxima strage cecidit, CONRADVS Francorum dux, regis gener bellicosissimus, æstu sitique confectus, dum loricæ fibulas respirandi ergô soluit, sagitta in gutture percussus periit. Cranzius lib. 4. Saxoniæ lib. 6.

ALPHONSVS V. Hispaniæ rex, quum in oppugnatione Visei, quod oppidum præsidio firmatum Mauri tenebant, Portugallia, esset, Mauri telo uulneratus interiit. Ritius Neapolitanus lib. 3. Regum Hispanorum.

Franciscus Nouellus princeps Patauinus, HOSPITES ad colloquium uocatos peracutis spiculis transfigere cōsueuerat: quorum scorpionum duo adhuc uisuntur. Sab. lib. 8. Dec. 4.

Bombardis.

Sub Henrico VI. Anglorum rege THOMAS Montacutus Sarisberiensis comes, cui plurimum fortitudinis ad pericula adeunda, plurimum consilij inter ipsa pericula, dum Aurelianum oppugnans, ex quadam fenestra ædium, quas in excelso loco habebat, oriente sole, subiectam urbem contemplatur: pila ferrea magna ui tormēti ænei è regione domus missa, alterum fenestræ latus percussit, fregitq;, ac illius aliquot fragmenta in faciem eius iecit: quibus ita saucius interiit biduo pòst. Statim post eius mortem fortuna belli Gallici mutata est. Polyd. lib. 23.

STENO Iunior Sueonum rex contra Christiernum Danorum regem pugna glaciali dimicans, anno 1519. ictu bombardæ in femore uulneratus, statimque uehiculo impositus, ad Stocholmiam delatus, animam super constrictum glaciē lacum Meler exhalauit. Dignus profectò longiore uita: quā utique habuisset, si imprudentes & malignos consiliarios à se longius remouisset. Io. Magnus lib. 24.

Albertus dux Saxoniæ, de terra Luneburgensi plurimùm laborans, ad arcem Richeling, machina ictus in crure, mortem obiit, & Venceslaus fratruelis eius successit in ducatu Luneburgensi. Cranzius lib. 10. Metrop. cap. 36.

Dum Pragenses Hussitæ Vicegradum arcem obsident regiam, ab altera arce telum ex maiore bombarda in ueterem Pragam iactum, uno ictu quinque HOMINES interfecit, inter quos mulier prægnans erat, cuius fœtus, uentre euolutus, tantisper fuit superstes, dum baptismate tingeretur. Dubrauius lib. 26.

Gallis, capta Neapoli, ductu Caroli VIII regis, nouam arcem oppugnantibus, accidit memorabili casu, ut multa uis tormentarij pulueris & multitudo ingens uasorum fictiliū sulphure ac resina oppletorum, quæ ad obruendos subeuntes Gallos erant parata, protinus incenderetur, cùm fortè excussa tormenti ictu modica fauilla, cadi eo puluere pleni flammam corripuissent. Multi HISPANORVM flamma, fumo, ruinaq; exanimati sunt: sed multò plures semiambusti, laceriq; artubus ignis uiolentia fœdè abreptis euasere, qui miserabili eiulatu dolorem exprimendo, ac frustra implorando opem, amentes tota arce discurrebant: quibus neq; opportuna remedia, aliis alio periculo occupatis, neque loca ad quietem satis tuta præberi poterant. Iouius lib. 11. Historiarum sui temporis.

IACOBVS II. Scotorum rex Anglos in arce Roxburgo obsidens, quum curiosior propiùs ad machinas accederet, ab una earum impetu rupta grauissimo ictu in inguine læsus cōfestim interiit. H. Boëthius li. 18. hist. Scotorum, & Polyd. lib. 23. hist. Anglicanæ. ann. 1457.

ALFONSVS dux Ferrariensis Bastiam ab Hispanis occupatā oppugnās, muri fragmine tormento icti caput læsus concidens periit. Iouius in eius uita.

LVDOVICO Mirandulano Comiti, uni ex Iulij II. Pont. militum præfectis, qui Ferrariensi duci Alfonso auxilio contra Venetos missi erant, nemine alio in tanta multitudine præter eum læso, bombardæ ictu caput ablatum est. Guicciardinus libro octauo.

Anno Sal. 1517. quum Lotrechius urbem Mediolanum esset in... iturus, eique Prosper Columna & Franciscus Sfortia, cum ...i Insubrum multitudine, egressi urbe sese opposuissent: ...coccam uicum prælio certatum est. Quo Gallis aduerso, ALBERTVS Petra, Heluetiorum dux, legionibus suis sclopetorum procella obrutis, cecidit. Iouius.

CAROLVS Borbonius, dum scalam Romanis mœnibus admouet, per inguen dextri femoris glande traiectus, cecidit. Iouius.

PHILIBERTVS Aurātius princeps, qui capta Roma, & Neapolitano regno contra Odettum Lotrechium Gallum Caroli V. Imp. auspiciis egregiè defenso, summi ducis indolem præ se ferebat, bello Hetrusco, in Gabiniani oppidi expugnatione gemina glande traiectus periit, anno Sal. 1530. Eius cadauer armis omniq; amictu nudatum sub ipsam cataphractorum fugam Tentauilla Gallus, eius familiaris, agnitum collectumq;, extra oculos militū asportauit, & stragulæ lanceæ uesti inuolutū in sacello collocauit, donec parta uictoria susceptus in ceruicem robustioris equi, brachiis & cruribus utrinque pendentibus, lugubri humanæ miseriæ spectaculo, Pistorium est deuectus, nō absimili fati sorte ac Borbonius fuerat ereptus, quum uterque in limine uictorię suæ ceciderit. Iouius lib. 29. Hist.

RENATVS Aurantius regulus, iuuenis omnibus naturę atq; fortunæ muneribus ornatissimus, ideoq; Cæsari longè charissimus, in oppugnatione S. Desiderij anno Sal. 1544. tormēti mortifero ictu uulneratus est. Nam quum fortè ad Gonzagam in fossa munitionis superuenisset, eique honoris causa ille assurgens sellam suam cōcessisset, paulo pòst in eum locum directo ab hostibus tormento, ita globus ferreus aggeri incidit, ut diffracti resilientisq; lapidis frustulo lethaliter in humero sit uulneratus. Iouius.

In pugna Papiēsi, Gallicus dux PALICIA dum suffosso equo annis ac armis grauantibus ad Heluetios ægrè se recipit, ab equitibus Cæsarianis intercipitur. Sed eum iam superuenienti Castalio deditum, Vasurtes Hispanus, quæsitanti captiui precium & laudem equitibus inuideret, apposito ad thoracē crassiore sclopetto, crudeliter interfecit. Iouius libro sexto in Piscario.

FRANCISCVS Siccus Florentinorum dux contra Paulum Manfronum Venetarum copiarum ductorem, cùm præcipitatis in insidias hostibus nobili uictoria potitus hostes persequitur, tormenti minoris glande traiectus cōcidit, magno quidem illudentis fortunæ casu, quando ea pila in spacio trium amplius stadiorum ex oppidi turre in incertum emissa, ipsum unum uictorem ducem, miraculo quodam sustulisse uideretur: ita ut ea uictoria, quanquam insignis, Florentinis haud multum grata fuerit, quæ prudentis simul ac strenui ducis morte constitisset. Iouius lib. 3. Hist.

VALENS Fogacia in obsessione Albi Ingauni cùm ab obsessis deferre literas deprehensus esset, à Nicolao Picinino hoste, côllo ad eius crura alligato, Bricola tormento in urbem transmissus periit. Fulgos. lib. 9. c. 3.

MAVRICIVS Saxoniæ dux Elector, anno 1553. signis collatis cum Marchione Alberto Brandeburgico, in Saxonia, nona Iulij tormento manuario traiectus ilia, biduo pòst uitam finiit. Albertus fuga elapsus est. CAROLVS Victor & PHILIPPVS, Henrici Brunsuicensis FF. eodem fati genere, periere. Sleidanus lib. 25.

CLAVDIVS Guisius in obsidione Aurelianensi, à Io. Poltroto ex insidiis sclopetto traiectus fuit.

LVDOVICVS Borbonius, Condensis princeps, perfidè à Mōtesquio, dū captiuus ducitur, globo hostili à tergo interemtus fuit. Anno sal. 1569. 12. Martij.

Gladio.

SAVLVS rex prælio cum Palæstinis commisso uictus, gladio incubuit. 1. Reg. 28. & 31.

CAMBYSES Persarū rex, ense dum equo insidet delapso uulneratus periit. Herodotus.

PACHES Atheniensis, qui Lesbum in ditionem redegit, rationes referēs gesti imperij, ipso in tribunali stricto gladio semet ipse confodit. Plut. in Nicia.

Cùm Romani equites apud Athesim flumen impetu Cimbrorum pulsi deserto consule Catulo pauidi urbem repeterēt, & inter hos esset M. Scauri FILIVS: pater cum Catulo permanens, filio ob hanc fugam conspectu suo penitus interdixit per nuncium. Quo accepto iuuenis fortiùs aduersus semetipsum gladio utens, quàm aduersus hostes usus fuerat, semetipsum interemit. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 8. & Plutar. cap. 72. Paral.

C. & M. PLANTII ob uxorum mortem gladio incubuerunt. Val. Max. lib. 4. cap. 6. & Volat. lib. 18.

MITHRIDATES Ponti rex, audita Pharnacis F. defectione, ueneno priùs filiabus extinctis, ne uiuus in hostium potestatem ueniret, hoc ipsum togans gladio peremtus est à Bitico Celta. Sab. lib. 4. En. 6.

Anno 1285. Sexto Nonas Octobris, OTHO Thorius præfectus in Oetingen, dum uesperi uenatur, & uulpeculam, quam ca tuli ceperant, atq; dilacerabant, seruaturus equo descendit: eo recalcitrante in ensem uagina elapsum incidens, interiit. Auentinus Annalium Boiorum lib. 7.

Pugione.

P. Magius Chilo M. MARCELLVM pugione interfecit, duo dans ei uulnera: unum in stomachum, alterum in caput secundùm aurem. Seruius Sulpitius lib. 4. Famil. epist. Cic.

GALEOTTVS Manfredus dux Fauentinus, eo quòd cum Fauentina quadam ciue prius coniugium contraxerat, antequam ipsi nupsisset, pugione à Francisca Bentiuola uxore secunda necatus fuit. Fulgos. lib. 6. cap. 1.

Fuste, Clauā.

OEONVS Herculis consobrinus adhuc adolescens cum Hercule Spartam ueniens, cùm fortè ad Hippocoontis ædes accessisset, in eum canis domus custos inuasit. Quem cùm lapide percussisset: Hippocoontis filii cursim egressi, fustibus puerum confecerunt. Pausanias in Laconicis.

Cayrensis CALIPHAS, id est summus pontifex, per simulationem adorandi claua obtruncatus fuit à Saladino. Aemilius.

SIGTHVNIVS Suetiæ rex raptum filiæ suæ à Gramo Danorum regis filio armis uindicaturus, bello Danos persequebatur. Gramus clauam more giganteo gestans, quam auro infuso ponderosiorem effecerat, imminentem audaciùs capiti suo Sigthunium socerum occidit: qui antè per uictimarios responsum acceperat, ab auri metallo supremam sibi perniciem & mortem imminere: à ferro aut chalybe, cæterisq; metallis nunquam uiolari uel occidi posse. Io. Magnus libro 2. capite 6.

Lancea, Hasta, Conto.

ATYS Crœsi regis F. in uenatione ab Adrasti amico, aprū petente, hasta traiectus periit. Herodotus.

Eo bello, quo Totilas Gothorum rex ac Iustiniani duces interse decertabant, singulari prælio Vlaris Gothus & ARTAVADAS Armenus, Rom. eques, haud longè à Trebia amne in cisalpina Gallia dimicauerunt. Artauadas cùm infesta lancea Vlarim deturbasset, & Vlaris hasta, humi fixo cuspide, aliquantisper è terra emineret: in eam Artauadas tam grauiter offendit, ut eo uulnere post paucos dies è uita decesserit. Fulg. lib. 9. cap. 12.

HENRICVS II. Gallorum, & Philippus Hispaniarum reges, post diuturna bella pacem fecere anno Sal. 1559. cùm Gallus filiam Philippo, Margaritam sororem Philiberto Duci Sa-

baudiæ in integrum restituto desponderet: dum nuptiæ Parisijs celebrantur Sabaudi, rex equestribus ludis cum præfecto satellitum suorum Lorgeo, multùm licet reluctante, cõgressus, conti in pectus adacti fragmine galeam non rectè clausam subeunte grauiter uulneratus, oculum primò, inde mentem, undecimo die uitam quoq; amisit, & quas contra Lutheranos conceperat minas Francisco filio exercendas reliquit. Sab. supplem.

STYLIS GRAPHIARIIS.

ERIXO eques Rom. à populo Romano stylis graphiariis in foro occisus est, quòd ab eo filius nimis sæuè uapulasset. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

IOANNES Scotus (sed non ille, qui nouæ sectæ auctor fuit) à coniuratis discipulis, D. Cassiani exemplo graphiis fuit confossus in Britannia. Iouius in Elogiis, ex Crinito.

CVLTRO COQVINARIO.

EVNOMVS Spartanorũ rex, pater Lycurgi, cùm manum cõserẽtes in urbe dirimeret, cultro coquinario ictus obiit. Regnum maiori filio reliquit Polydectæ. Quo non diu superstite, regnũ redibat, ut erat omnium opinio, ad Lycurgum: ac regnauit priùs quàm uxorem fratris constaret esse prægnantem. Plutarchus in Lycurgo.

IESVITÆ tres, & inter eos duo Theologiç doctores, à furioso cultro coquinario enecti. Sub Tit. A furiosis necati.

ROTA MOLINARIA.

VICTOR martyr sub Maximiano Imper. quòd Iouis simulacrum abominatus pede euertisset, pede abscisso molendini rotæ subiectus conteritur. Marul. lib. 5. cap. 5.

ROTA PLAVSTRARIA.

QVIDAM Romæ ad bestias damnatus, curru ad amphitheatrum deportatus, dormire se simulans, caput rotæ radiis inuoluit, eiusdemque circumactu fracta ceruice expirauit. Seneca.

NAVI.

CARTHAGINENSES, milites Romanos in suam potestatem redactos, nauibus substrauerunt: ut earum carinis ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare uiolaturi. Val. lib. 9. cap. 2.

RVSTICIS INSTRVMENTIS. VT

Falce.

BOEMI milites ad tutandos inferioris Vngariæ fines contra Turcarum irruptiones à Paulo Kinisio præfecto conscripti, cùm insolentissimè & iniquissimè rusticos tractarent, idque ad Paulum quotidie deferretur, eos agrestium turba circũuentos, qui falcibus equorum poplites succiderent, trucidauit, reliquos imperata facere coëgit. Bonfinius lib. 3. Dec. 5.

Anno Domini M D LII. BARTHOL. Elias Patauinus, honesto inter suos loco natus, cùm uariis litigationibus cum monachis omnem non solùm consumsisset substãtiam, sed & æs alienum grande, quod soluendo non erat, contraxisset, filiasque insuper haberet nubiles, sed dote omni carentes, ex desperatione eas in lecto cubantes interfecit. Quo facto furore actus è patriis finibus se proripuit, perque inhospita loca nocturnis itineribus errans, in uicum Grignæum inter Alpium prima iuga situm sese recepit. Mox intempesta nocte, cùm nullum aliud telum suppeteret, Furiarum indicio falcem messoriam in angulo hospitij latentem, rubigine erosam & planè hebetem arripuit, eaq; guttur sibi terq; quaterque repetitis ictibus lacerauit, potius quàm præscidit, nec tam ex uulneris uiolentia, quàm sanguinis profluuio infelicem efflauit animam. Extat ea de re elegans carmen Iacobi Ruffini.

Aratro.

Iusso Ericson Danus, Dalacarliæ præfectus, VXORES maritorum crudeliter occisorum, loco iumentorum trahendis aratris applicare non erubuit: immò inter primas delicias duxit, uidere & audire eas inter tantas angustias fœtus mortuos eiicere, & rursus aratro apponi, donec mortuæ aut semianimes collaberentur. Io. Magnus lib. 22. Gothorũ histor.

Flagellis tritoriis.

Debacchantibus per Boëmiam Hussitis, SESEMVS uir nobilis, qui illis in oppidis arcibusq; suis restiterat, à feris & immanibus rusticis interceptus, humiq; prostratus, flagellis rusticanis in modũ manipuli flagellabatur, ad singulos ictus uociferantibus, Non ultra insultabis Hussitis: inde manibus truncatus, ac flammis exustus est. Dubrauius lib. 24.

STIMVLIS PASTORVM.

PALÆSTINI sexcenti à Samgare Anathi F. Israelitarum iudice, stimulo boum cæsi. Iudicum capite tertio.

FABRILIBVS INSTRVMENTIS, VT

Ascia.

IO. Diazius Hispanus Naumburgi, uariis modis ab Alphonso fratre, Romano causidico, tentatus fuerat, ut à Protestantiũ religione descisceret. Cæterùm cùm omnia frustra fierent, Alphonsus sicarium quendam subornauit, qui ad Ioannem literas à fratre scriptas summo mane deferret. Quas cùm Ioannes legeret attentissimè, sicarius à tergo stans, ascia ei caput diffidit. Ad cuius ictum Ioannes amissa cum uoce uita statim concidit, subducente se latrone cum Alphonso in Italiam. Sleidanus lib. 17.

Serra.

ESAIAS propheta serra lignea dissectus à Manasse nepote traditur. Hieronymus, Thomas, Nicolaus de Lyra.

MILITES sertis dissecti à Valente Imp. contra datum tamen iusiurandum, eo quòd Procopium tyrannum, herum suum captum, perfidè Imperatori tradidissent. Cuspinianus.

TEMPLARII milites à Saladino Aegyptiorum tyranno serris dissecti in castro de uado Iacob, anno 1186.

Bello Neapolitano Masius Barresa, Ferdinandi regis dux, Longobuco oppido capto, NICOLAVM Clanceossum Io. Andegauensis partes fouẽtem, serra per dorsum lumbosq; adacta, medium secari iussit. Pontanus lib. 2. belli Neapol.

Anno 1389. in emporio Suetiæ Stocholmensi mercatores Germani SVECOS noctu adorti, magna strage edita, principes in arce serris ligneis dilaniarunt. Io. Magnus lib. 21.

Forcipe.

MAVRISIVS seruus à Neapolitano prætore candenti forcipe concisus est, eo quòd liberũ hominẽ occidisset: tractusq; est per urbem, ridenti similis. Pont. lib. 2. c. 7. de Fortitudine.

IOANNES ab Hornach Vngarus, qui ut Caroli Siciliæ regis mortem ulcisceretur, reginam Vngariæ Ludouici uiduam cum Maria filia, Sigismundo Venceslai Imp. fratri desponsata, cepit, matrem submersit, filiam in uinculis habuit. Cæterùm à Sigismundo domitus, forcipibus candentibus dilaniatus est. Stumpfius.

Vladislao Polonorũ rege ab Vngaris ad regnum uocato, cùm Albæ regiç coronaretur, VNGARVS quispiã, obscuræ sortis, indicauit magnam auri uim ab Elizabetha regina Alberti defuncti regis sibi oblatam esse, ut Vladislaum regem ferro uel ueneno de medio tolleret. Id siue uerũ fuit indicium siue ementitum spe maioris muneris, Vladislaus irremuneratum prætermisit atque dissimulauit, ne quam Elizabeth infamiã suscepti sceleris inureret. Vngari uerò indicẽ ignitis forcipib. immaniter dilaniatũ dissecuerũt. Cromer. lib. 21.

IOANNES Leidẽsis, rex Anabaptistarũ, Monasterij in Vvestphalia cum sociis forcipibus candentibus laceratus. Sleidanus libro decimo.

Clauo.

Iael, uxor Hebris Cenæi, clauum tabernaculi defixit in cerebrum SISARÆ, è clade à Iudæis accepta fugientis, & Israelitas graui liberauit aduersario. Iudic. 4.

SACERDOTES Græcorum sub Romano Lacapeno à Rossis occisi, acutis clauis capiti infixis. Cedrenus.

Henricus VI. Imp. ob crudelitatem quorundam insidiis in Sicilia appetitus, factionis PRINCIPIS capiti coronã æneam cum quatuor foraminibus & totidem magnis clauis affixit, atq; ita hominẽ abire iussit, his uerbis: Habes homo coronam, quam uenatus es: nemo tibi inuidet, fruere usque adeo desiderata re. Is uerò uertigine oborta humi plapsus, paulo pòst in miserabili illo diademate expirauit. Nicetas lib. 2. de rebus Alexij Angeli.

Draculã Transalpinæ Vngariæ præfectũ memorãt, Turcarum LEGATIS pilea Phrygia ex patriç instituto deponere recusantibus, confirmandi moris gratia, tres capiti clauos affixisse, ne amplius amoueri possent. Bonfinius lib. 10. Dec. 3.

MEDICIS INSTRVMENTIS. VT

Phlebotomo.

☞ *Consule Titulum, A Medicis necati.*

Nouacula.

SYLLANVS à Caligula genero compulsus ad secandas nouacula fauces, quòd ingressum turbatius mare non essetsecutus Imperatorem. Suetonius.

Bartholomæus Elias Patauinus, ob litigationes cum monachis ad summam paupertatem redactus, cùm nullum iam superesset patrimonium, quo filias elocare posset, tres paruulas filias LVCRETIAM, Helenam & Lauram, quarto Idus Iunij, M D LII. in lecto cubantes ex desperatione interfecit. Iacobi Rufini carmen.

Hirudinibus.

Hirudines remedij causa corpori adhibitæ, aliquando affixa relinquunt capita, quæ causa uulnera insanabilia facit, & multos interimit, sicut MESSALINVM è consularibus patriciis, cùm ad genua admisisset. Plin. lib. 32. cap. 10.

Phar-

Pharmaco, Clysmate.

CONRADVS Imp. Friderici II. F. recepta Neapoli, Manfredi fratris astu clystere uenenato extinctus est, an. sal. 1252. Ioan. Villanus lib. 6. cap. 45.

ACVBVS.

CATAPHRYGÆ hęretici ex sanguine infantis unius anni, acubus confixi, Eucharistiam conficiebant, & ad socios mittebant. Infans si moreretur, martyr: si superuiueret, pro magico habebatur sacerdote.

FORFICE.

VALTERVS episcopus Herefordensis in Anglia, dum tentat mulierem, forficibus in gula uulneratus obiit. Ranulfus libro 7. capite 2.

DISCO LVSORIO.

Perseus ACRISII Argiuorũ regis, & Abantis ex Danae F. nepos, uisendi aui materni, cumq; sibi conciliandi cupiditate Larissam uenit, quò Acrisius concesserat. Vbi & ætatis robore & disci à se inuenti gloria elatus, dum artem in conuentu hominum ostentat, Acrisium aduerso fato interuenientem, disci impetu occidit. Pausanias in Corinthiacis.

In insula Aegina iuxta Aeaci monumentum PHOCI Aeaci F. tumulus est, incinctus in ambitu crepidine, incumbit aspernum & rude saxum, quo cùm Phocum ad quinquertium fratres inuitassent, pro disco usi sunt: ac eodem Peleus consultò, ex matris, nouercæ Phoci, instinctu, quòd cæteris fratribus à patre præferretur, Phocum, cùm loco ei suo lapis essent mittendus, dicitur percussisse & interfecisse. Pausanias in Corinthiacis.

CARNIFICVM instrumentis. Vt

Spinis, Tribulis.

SOCOTHENSES senatores spinis atque tribulis à Gedeone concisi, eo quòd in persecutione Madianitarum panem militibus suppeditare noluerant. Iud. c. 8.

Virgis, Flagellis.

STVPRATORES Ocellatum sororum, item Varonillæ, mox Corneliæ, uirginum Vestalium, uirgis in comitio ad necem cæsi sunt, sub Domitiano Imp. Suetonius.

L. [...]NINIVS scriba pontificum, incestus Opimiæ & Floro[...] Vestalibus uirginibus illati conuictus, flagris ad internecionem cæsus est. Sabellicus libro 2. Ennead. 5. ex Plutarchi Fabio.

Asiaticus quidam legatus Romam missus, lectica ferebatur per agrum Venusinum. BVBVLCVS quidam per iocum rogauit, Num mortuum in lectica ferrent? Ille statim lecticam deponi, & stupis, quibus deligata erat, usq; adeò uerberari iussit, dum animam efflauit. Gellius libro 10. cap. 3. ex C. Gracchi oratione recenset.

Rota.

Vlasta seu Valasca, Amazonum Boemicarum dux, equitem Boemum STIRADIVM (Aen. Syluius Siradium habet) potione uenefica à Sarca puella circumuentum proximè arcem Vicegradum, rotæ supplicio affecit, & radiis rotarum membra innexuit, ut supplicij dolor principi Premislao increscceret. Dubrauius lib. 2.

Neomagi apud Geldros quidam mendicus, IVSTVS nomine, ut iusta occasione pecuniam emendicaret largiórem, ante templi fores decubuit, dæmonij in se dominium simulans. At ubi in dolosi machinamenti opinionem uenit magistratus: adhibiti lictores, qui à cœmeterio discedenti sub prandio manus iniicerent. In uinculis igitur artem confessus, decimo post editum hoc spectaculum die, propter latrocinium etiam quater patratum, rotæ impositus, horis duabus pòst descendit, eodem tamen repositus die, strangulatus est. Vierus libro tertio, capite uigesimoquarto, de Prestigiis dæmonum.

RODOLFVS Baro à Vuart, qui in necem Alberti Imp. in traiectu ad Vindonissam consenserat, à Burgũdo quodam Comite, ad quem confugerat, proditus, à Leopoldo Austriaco, Alberti F. rotæ supplicio Vitoduri affectus est, in qua tribus diebus, totidemq; noctibus uixit. Vxor magno & Christiano animo eum consolabatur. Stumpfius.

Huldrico Vvagner cauponi Villissouiensi in Heluetia Egidius Spilman ciuis Bernensis loculos suos bona fide seruandos commiserat. Caupo perfidus apertis loculis sigillum Egidij reperit, eoque chirographum Egidij nomine scriptum, magnam pecuniæ uim sibi à caupone commissam in trium testium præsentia fatẽtis, obsignauit. Post aliquot annos Egidius in ius à caupone uocatus, & cũ eo pacisci iussus, uixdum solutionis morã ab eo impetrauit. Interea caupo Lucernæ Archigrammatei ancillam, illo absente, occidere aggressus, ictu aberrans, eiusdẽq; clamore proditus & captus, perfidiam suum erga Egidium fassus, rotæ supplicio affectus est. Stumpfius lib. 7. Heluetiæ.

Securi, Gladio.

☞ *Vide Tit. Decollatorum.*

P. Scipio Africanus superor, cupiens M. Catoni consuli adhuc in Hispania agenti obsistere & res Hispanicas suscipere, perfecit, ut successor in illa prouincia Catonis crearetur. Itaque eò profectus accepit prouinciam à Catone. Cato autem acceptis peditum quinque cohortibus & quingentis equitibus, qui deducerent se, subegit gentem Lacetanorum: à quibus receptos PERFVGAS sexcentos securi percussit. Plutarchus in Catone.

M. Antonius IIIuir regem Iudæorum ANTIGONVM productum securi percussit: qua pœna in regem nullum fuerat antè animaduersum alium. Plut. in Antonio.

CONSTANTINVS Scotorum rex uictus ab Hungare Danorum duce, captusq;, in antro maritimo securi est percussus. Mansit loco nomẽ Nigrę specui aliquot exinde annos, nunc diaboli antrum dicunt, in atrocis facti memoriam. H. Boethius lib. 10.

[redacted]

Vera.

BASSIVS episcopus à Perennio præside in eculeò primùm suspensus, demùm laminis ardentibus circa latera appositis excruciatus, fustibus & scorpionib. cæsus, in ignem missus, duobus postremò uerubus à talo ad uerticem capitis confixus, spiritum Deo reddidit.

Tauro æneo.

☞ *Vide Tit. Igne elementari exusti.*

EVSTACHIVS dux cum uxore & liberis ab Adriano Imper. quòd pro uictoria sibi contra Barbaros concessa diis sacrificare noluisset, primũ leoni obiectus est, deinde in ęreo tauro combustus, illæsis tamen ab igne omnibus partibus corporis. Marulus libro quinto, capite quinto, ex Nicephori libro tertio, capite 29.

Laqueo.

☞ *Hi propriè Latinis Suspendiosi dicuntur. Vide Tit. Suffocatorum laqueo.*

MARSYA Satyrus ab Apolline uictus, pependit laqueo. Plinius lib. 16. cap. 45. Ouid. in Metamor.

LEDA ob Helenæ filiæ raptum impar dolori & infamiæ, laqueo semetipsam necauit, βρόχῳ ἅψασα εὐγενῆ δέρην. Sic de illa Helena apud Eurip.

Λήδα δ᾽ ἐν ἀγχόναις
θάνατον ἔλαβεν, αἰσχύ-
νασ᾽ ἡμᾶς ἐπ᾽ ἀλγέων.

Leda uerò per laqueum mortua est, pudore ducta propter nos, præ doloribus.

DEMETRIVS Philippi Macedonum regis F. falsa fratris Persei apud patrem accusatione, quasi defectionẽ ad Romanos spiraret, à Dida, quem ei comitem Perseus à patre dari antea curauerat, immissis percussoribus strangulatus est. P. Acrodius ex Liuij Dec. 4. lib. 10.

ARCHIADAS Cyprum Demetrio Poliorceti proditurus, deprehensus, & in iudiciũ adductus, fune, de quo aulæa pendebant, se suspendit. Suidas.

GORDIANVS senior Africæ proconsul, ab exercitu Africano aduersus Maximinorũ crudelitatem Imperator creatus, cùm filio Gordiano contra Capellianum Maximinorũ ducem misso, accepisset uictum, atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine se in cubiculo suspendit. Fulgosus libro quinto, capite 7.

Narses eunuchus cùm SINDVALDVM regem Herulorum, quõdam à rege Theodorico in Subalpinis, uicto rege illorũ Odoacre, locatorum, multis beneficiis affecisset: nouissimè rebellantem, & regnare cupientem bello superauit, & captũ è celsa trabe suspendit: eodemq; tempore per Dagisteum magistrum militum uniuersos Italiæ fines obtinuit. Paulus Diaconus.

Iarmericus Danorum rex XL. TEVTONES captos, applica- [redacted] tisper ducem præberet. Cæterùm roga[redacted] cùm Suehlam se diceret, lignator exprobratis ipsi agrorum uastationibus & pecorum deprædationibus cum ad Costolam captiuum duxit. Vbi Matthias duobus crucium ordinibus erectis, eum cum sociis suspendi iussit: in inferiori, ducentos quinquaginta: in superiori uerò, qui magis erant insignes: in medio Suehlam: à dextra sacerdotem eius: à læua puerum, qui ensem gestare solebat. Bonfinius lib. 1. Dec. 4.

ROHACIVS procerum Hussitarum unus, fretus propugnaculo arcis, quam sibi recẽs in loco munitissimo excitauerat (appellauitque montem Sion, quasi à nullo cõmoueri posset) Sigismundum Imp. lacessere cepit, conuitiis, rapinis, dũ in greges boum, & dolia uini, quæ ex Hungaria in Boiemiã Cæsari aduehebantur, insilit, dum terrore & minis exilium minatur. Oppugnata à Cæsarianis arce, atque capta, Rosacius cum suis Pragam ad Cæsarem deducitur. Qui ut contemtum maiestatis suæ, contemtu nobilitatis, quam Rohacius iactabat, ulcisceretur, furcam trium tabulatorum erigi iubet, ac summo loco Rohacium suspendi, ut coruos pasceret: medio sacerdotem eius, qui de secta Thaboritarum fuit: infimo, reliquos latrones circiter septuaginta. eoq; supplicio tantum cæteris metum incussit, ut tam insolenter deinceps latrocinari nemo auderet. Dubrauius lib. 27.

MVSTAFFA Solymanni Turcarum Imp. F. insidiis nouercæ Rossæ, cum de affectatione imperij falsò accusantis, in patris tentorio indicta causa comprehensus & strangulatus est, circa ann. salut. 1554. Ascanius Centorius lib. 6. com. bellorum Transyluaniæ.

Tormentis, Fidiculis.

☞ *Consule Titulum, Tolerantia tormentorum.*

MACAREVS, cùm ob depositam pecuniã hospitem in tẽplo interfecisset, uictus auaritia, tormentis examinatus, in ipsis quæstionibus uitam amisit. Aelianus lib. 13. Var. hist.

Culeo.

SOTADES poeta plumbeo uasi inclusus, in mare demergitur, quòd de rege Lymsiacho & Ptolemæo plura impudentius scripsisset.

HYPERBOLVS Atheniensis, post Cleonis potentiã ad principatum Athenarum euectus sua uersutia, cùm prius lucernas æreas factitaret, & plumbum æri misceret, ut pondere ementes falleret. Sed è Repub. eiectus iterum propter improbitatem, Samumque profectus, culeo insutus, in mare deiectus est, inimicorum insidiis. Gyraldus Dialogo 5. Historię poetarum.

Tarquinius rex, M. TVLLIVM uel Attilium duumuirũ, quòd librum secreta ciuilium sacrorum cõtinentem, custodię suæ cõmissum, corruptus, Petronio Sabino describẽdum dedisset, culeo insutum, in mare abiici iussit. idq; supplicij genus non multo pòst parricidis lege irrogatum est. Iustissimè quidem, quia pari uindicta parentum ac deorum uiolatio expianda est. Valerius Maximus libro primo, capite 1. Dionysius auctor est, M. Attiliũ duumuirum Sibyllinorũ librorum, quia eos temerè transcribẽdos priuato homini dedisset, impiè fecisse iudicatum, bubulo corio insutũ, atq; in mare Tarquinij iussu proiectum.

P. MALLEOLVS maternæ cædis reus, primus omnium, ut Liuius scribit, insutus culeo in mare deiect⁹ est. Sab. li. 2. En. 6.

PAVLVS Chupor Vngarus, à Bossenis, à rege Sigismũdo deficientibus, captus, bouino tergo insutus, in profluẽtem ab Hernoia cum his uerbis demersus est: Qui sub humana specie bouina quondam uoce utebaris, bouinam quoque nũc cum uoce formam indue. Nam cùm os moresq; bouis dux ille præferret, in regia quandoque à Paulo ludibrij loco per mugitum salutatus est: unde cõcepto in eum graui odio, facta uindictæ copia, hoc immane supplicij genus inuenit. Bonfinius lib. 3. Dec. 3.

Vrbanus VI. contra quem Galli Clementem VII. antipapam crearunt, Nuceriæ septem CARDINALES tanquã cũ Clemente sentientes in uincula coniecit, & ex his quinq; saccis inuolutos, in mare demersit. Platina.

Crucibus. Crucifixi.

☞ *Eos heic propriè intelligimus, qui σταυρωθέντες Græcis dicuntur, quiq; in crucem uiolẽter affixi expirant. Impropriè etiam, qui suspendio uitam in furca finiunt, in crucem tolli dicuntur. De quibus sub Tit. Suffocatorum laqueo.*

Omnium, qui cruce perierunt, nemo maiore ludibrio affectus est, nemo pluribus tormentis afflictus, nemo frequentioribus plagis mutilatus, quàm intemeratæ uirginis innocens FILIVS. Nulla in eo peccati scintilla reperta est, nihil deliquit unquam, mundus ex munda matre natus est: mundè uixit, iustitiam & æquitatem uerbo semper & opere docuit. Neque tamen puduit uerpos illos & recutitos canes, liuore & inuidia tabescentes, causam machinari, qua eum morti traderent. Quam licet nullam reperissent, agnum tamen primùm flagellis ubique membrorum lacerauerunt, frontem corona spinea perforauerunt, faciem immundis deformauerunt sputis, colaphis immanibus totum caput contuderunt, latronis more uinxerunt, uinctum ad maiorem ignominiam traxerunt compitatim, & ad extremum inter latrones ueluti latronem suspenderunt. Quod quum ad mortem non putarent sufficere, manus & pedes clauis, latus lancea confoderunt.

Illum ego de Libyca natum iurabo leæna,
Arcadicasq; inter delituisse lupas,
Cui tua crux lacrymas non mouerit, ô bone Christe,
Ille erit & ferro durior & chalybe. Hæc Rauisius.

Cùm quinque REGES Amorræi, qui urbem Gabaonem obsederant, eo quòd cum Iosua fœdus iniisset, à Iosua profligati essent, & in speluncam quandam apud Macedam sese abdidissent, Iosua ingentia saxa ad os speluncę aduolui iussit, & eos ibi custodiri. Post deletos hostes reuersus, à spelunca eos extrahi, & belli proceribus, ut pedes suos illorum ceruicibus imponerent, imperauit. Mox eos in crucẽ sustulit. Occidente sole demissos in speluncã eandem abiici, & fauces speluncæ ingentibus saxis oppilari præcepit, quæ etiãnum manent. Iosua cap. 10.

REX Haiensis à Iosua in crucem actus. Iosuæ 8.

Sauli septem FILII à Gabaonitis crucifixi, quòd eos Saul cõtra fœdus à Iosua ictum perdidisset. 2. Reg. 21.

AMAN Amalechita, uel Macedo, apud regem Persarum Artaxerxem potens, ob intentatam Mardochæo & omnibus Iudæis internecionem in crucem sublatus est cum decem suis filiis, Susis. Esther cap. 7.

DISMAS Aegyptius latro, Christo crucifixo à dextris pependit.

Beatus ANDREAS & PETRVS pro Christi nomine cruci suffixi sunt: hic Romæ sub Nerone, ille in Achaia sub Aegea proconsule: hic capite deorsum demisso, indignum se dicẽs, qui more sui præceptoris crucifigeretur, ille sursum erecto. De utroq; Ioannes Fran. Mirandula sic scribit in Hymnis:

Extenditq; alacer, figendaq; brachia lætus
Porrigit Andreas, uersaq; sub arbore pendet:
Et caput in terram simili sub stipite Petrus
Præbuit, atq; lubens protendit in aera plantas.

SIMEON filius Cleophæ, post Iacobum fratrem Domini Hierosolymorum episcopus, sub Traiano Imp. in crucis patibulo spiritum emisit.

PETRVS Aulanus, tempore Diocletiani & Maximiani Imp. supplicio crucis uitam finiuit, Seuero præside.

ALEXANDER & EPIPODIVS martyres, apud Lugdunũ sub Antonino Vero patibulo crucis affixi sunt.

CLAVDIVS, & ASTERIVS, & MENON, Christiani post multa suppliciorum genera tandem in crucem elati, spiritũ Domino reddiderunt.

IVLIA uirgo Carthaginensis, Christiana, eodem mortis genere animam efflauit.

NESTOR episcopus similiter sub Decio Imperatore, & Pollione præside.

ZOE Nicostrati martyris uxor, in furcam acta, ibidem cũ morte uitam mutauit: partim crucis tormẽto, partim fumo (quẽ carnifices ad arboris radicem posuerant) suffocata.

Ninus Assyriorum rex PHARNVM Medorum regem, quia eius dicto non statim paruisset, cum uxore & septem liberis cruci miserabiliter affixit. Sab. lib. 1. En. 1.

Strabo libro Geographiæ 14. scribit fluuium esse nomine Letheum, uicinum Lybibus Hesperiis: huic imminere montẽ cui nomen Thorax, in quo fama est DAPHITAM grammaticum cruci suffixum fuisse, quòd maledico carmine reges incessuisset. Vnde dictum illud manarit in uulgus, ut diceren, φύλαττε τὸν Θώρακα. id est, Caue à Thorace. Erasmus in Adagiis.

Dario in Græcos bellante, HISTIÆVS Milesius ab Harpago Darij præfecto captus, & cruci affixus est. Herodotus.

SANDOX Aeolidis præfectus à Dario cruci affixus est, quòd pecunia corruptus iniustè iudicasset. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 5.

ARTAYCTES Persa, Sesti præfectus, ab Atheniensibus, Xanthippo Antiphronis filio duce, captus, stipiti suffixus est. Herodotus.

SATASPES Persa Traheaspis filius, à Xerxe rege cruci affixus est, quòd Zopyri filij Megabyzi filiam uirginem uitiasset: quodque etiam totam Africam non peragrasset, quod se facturum ad diluendum stuprum dixerat. Herodotus.

Alexander Iannæus Hircani III. F. IVDÆORVM rex, uictis aliquoties Iudæis rebellantibus, tandem potentissimos eorum compulsos in Bethoniã oppugnauit, & Hierosolymam captiuos abduxit. Vbi epulans cum pallacis excelsiore loco ad DCCC. iussit suffigi crucibus: in conspectu adhuc uiuentium iugulauit uxores eorum & liberos, pœnas exigẽs pro acceptis iniuriis. Iosephus lib. 13. c. 21. & 22.

Tyrum urbem Phœniciæ clarisś inopinata SERVORVM conspiratio oppressit. Cuncti liberæ fortunæ uiri ad unum cum uirili stirpe periere. Alexander itaque Macedo post longam obsidionem Tyro potitus, nefariæ cædis memoriam pertæsus, ac uelut antiquæ Tyriorum iniuriæ ultor, quicunq; bello superfuère, crucibus (seruili supplicio) ad unum affixit, Stratonis tantùm progenie seruata. Sabellicus libro nono, Enneadis primæ.

POLYCRATES tyrannus Samiorum, & pater Sylosontis, quum tota uita felicissimus fuisset, ad extremum ab Orœte Persa comprehensus, in furcam actus est, docuitq; cum Solone, nihil omni ex parte beatum. Herodotus in Thalia, & Strabo libro 14.

BOMILCAR Amilcaris filius, Pœnorum dux, ueniens in suspicionem Carthaginensium, quòd cum Agathocle conspiraret, in medio foro patibulo suffixus est. Vnde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum & ingratitudinem & crudelitatem illis exprobrando expirauit. Trogus libro 33. Iustinus libro 22.

Mortuo Alexandro Magno, Perdiccas expeditionem fecit aduersus ARIARATHAM Cappadociæ administratorẽ Macedonibus rebellantem: prælioq; uictor, interfectis 4000. uiris & totidem captis, Ariaratham eiusque cognatos omnes excruciatos crucifixit. Diod. lib. 18.

HANNO Carthaginensis, Philippi Macedonis regis temporibus, quòd in filiæ nuptiis principes ciuitatis ueneno necare tentasset, captus, ac primùm uirgis cæsus, deinde effossis oculis, & manib. cruribusq; fractis, cruci affixus est. Iustinus lib. 21. & Orosius lib. 4. cap. 6.

Alexander Macedo, mortuo Ephæstione (quem unicè diligebat) medicum eius GLAVCVM (quòd eo in spectaculis absente Ephæstion uinum bibisset) cruci suffixit. Plutarchus in Alexandro.

VAL. BESTIVS à L. Inibrico affixus est cruci, quòd Rusciuum filium suæ fidei commissum interfecisset, ut eius auro poti retur. Plutarchus.

Titus Hierosolymam oppugnans, captum VNVM ex hostibus cruci pro muro affixit, si fortè reliqui uel hoc spectaculo territi deditionem facerẽt. Sed frustra. EOS etiã, qui pabuli causa è ciuitate erumpentes, cum Rom. congrediebantur, comprehensos omnes Titus crucifigi iussit. Capiebantur aũt indies Iudæorum quingenti, & amplius, quos Romani ira & odio suffigebant, cùm tantam multitudinem custodire non possent. Tandem & spacium crucibus deerat, & corporibus cruces. Iosephus lib. 6. c. 7. & 12. belli Iudaici.

PVEROS Christianos à Iudæis crucifixos sub Tit. Hominũ sacrorum contemtores, Religionis odio, leges.

Palis suffixi.

Bladus Dracula, ut sibi stabilem principatum MOLDAVIÆ redderet, occidisse fertur uiginti millia hominum, eosque tam infantes, quàm adultos palis suffixit. Chalcocondylas libro nono.

SVPELLECTILE Oeconomica. Vt

Puluino.

☞ *Vide Tit. Suffocatorum.*

Lucerna.

Brandolinus Comes, à quo Magnus Sfortia ad Viterbium sauciatus, & penè interfectus fuit, erat Braccianæ factioni Sfortiæ contrariæ uehementer addictus: similemque animum TIBERTVS filius aduersus Sfortianos semper exercuit, ne à paterna disciplina discederet: unde illi demùm fatale exitium. Francisco enim Magni F. Mediolani ad principatum tanta felicitate prouecto, quum Braccianas opes undique fractas deletasq; conspiceret, sese turbido ingenio à uetere inuidia odioq; ad perfidiam uertit. Atq; ita deprehẽsus, & custodiæ traditus, ut imminenti supplicio se eriperet, præacuto ferreæ lucernæ manubrio sibi iuguli uenam perfodit, & interiit. Iouius in Sfortia.

Scabello.

LAIS merettix ligneis scabellis occisa à mulieribus quibusdã in Thessalia, per inuidiam, cùm à Pausania quodã Thessalo amaretur Athen. lib. 13. c. 20.

Thorismũdus Gothorũ rex Tolosæ morbo oppressus, cũ eius curandi gratia sanguinem mitteret, à cliente Asculo inimicos falsò adesse nunciante, armis subtractis, occisus est, ita tamẽ, ut scabello arrepto, antequã opprimeretur, nõnullos ex INSIDIATORIBVS strauerit. Sigon. lib. 13. Imp. occid.

FIBVLIS.

QVIDAM Atheniensium solus superstes è bello Aeginetico cùm rediisset domum, à mulieribus fibulis cõfossus est, percontantibus singulis ubi suus uir esset. Herod. lib. 5.

STATVIS.

Mortuo Theagene Thasio athleta nobilissimo, cũ QVIDAM obtrectatorũ ad eius statuã nocte quadã accessisset, eamq; flagris cecidisset, nõn aliter quàm si in eo ære ipsum uiuentem ulcisceretur: statua subitò concidit, percussoremq; suo casu oppressit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 11.

Corcyræi bouem æneam in Olympia dedicarant. PVER paruulus sub ea sedens, cùm pronus luderet, sublatum temerè caput tam uehementer æri impegit, ut ex eo uulnere obierit. Pausanias lib. 5.

PVER nouercæ cippum apio coronans, eius ruina oppressus periit. De quo sic Callimachus in 1. Græcorum Epigr.

Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,
ὡς βίον ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος.
ἡ δὲ τάφῳ κλινθεῖσα, κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι. Sic uertit Erasmus:

Exiguo lapidi puer addit serta nouercæ,
Mutasse ut uitam, sic ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo hæc illapsa. Nouercæ
Priuigni exanimem uel tumulum fugite.

Argiui Milij in seditione trucidati ærea statua, cùm ludi in foro ederentur, collapsa in eius PERCVSSOREM, hũc oppressit. Plut. de Tarda Dei uindicta.

In Cynegium (loci nomen est) abiiciebantur uiolenta morte peremti: eoque in loco statuæ erant quædam. Ac Theodorus anagnostes cum HIMERIO chartulario ibi statuam uiderunt, statura pusilla, sed latam & crassam. Me autem admirante (inquit Suidas) Himerius, Admirare, inquit. is enim est, qui Cynegium condidit. Tum ego: Maximinus, inquam, cõdidit, Aristides est dimensus. Protinus autem statua ex alto delapsa in Himerium, hominem occidit. Me autem perterrito, & ad ecclesiam fugiente, & rem nunciante: cùm nemo crederet, iureiurando fidem feci, & quidam ex regiis

mecum

mecum in eum egreſſi locum, ante conſpectum cadauer hominis, ſtatuæ caſum mirabantur. Tum Ioannes quidam philoſophus, ſe ſcriptum reperiſſe aiebat, clarum uirum ab illo ſigillo occidendum. Quo Philippicus Imperator comperto, ſigillum id eodem in loco iuſſit obrui.

Cùm KENNETHVS rex Scotorum Cruthlintum Fenellæ filium occidiſſet, tum etiam Malcolmum Duffum, regem & affinem Fenellæ: illa ſtatuam mira arte fabricari iuſſit, in cuius manu pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat, quod quicunq; tetigiſſet, ſtatim multis iaculis confodiebatur. Eò regem nihil ſuſpicantem, inuitatum, in Fetircarij oppido occidit, & in Hiberniam euaſit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 12. c. 58.

ACCIDENTIA QVAEDAM.
Cuiuſmodi eſt

VISVS, ASPECTVS.

Huc ij, quos Baſiliſci uel Catoblepæ aſpectus enecat, per accidens quoq; referri poſſunt. Alioqui ratione ueneni, quo perimuntur, ad locum ueneno peremtorum pertinent. Conſule item Tit. Execcatorum.

In Hachmolen oppido ad Vveſeram quidam in area quum foueam teneret rebus ſeruandis, frugibus, aut aliis idoneam, eam iam uetuſtate obſoletam innouare conſtituens, immiſit foſſorē, qui purgaret. ILLE ſubitò cōcidit mortuus. Deſcendit alius, ut uideret quid prior pateretur: & ille quoque ſtatim expirauit. Mirati, qui ſuprà ſtabant, quum clamoribus nemo reſponderet, & hunc mortuum intellexere. Tertius fune immiſſus, iubebat ad primum ſignum ſe retrahi: uix mediam peruenit in ſpecum, & iam ſpiritu cepit intercipi, clamans ut extraheretur. Eductus uix ſpiritum retinuit, multos poſtea dies languens. Baſiliſcum ineſſe putabant, qui uiſu interficeret immiſſos. Quum idem proximis hinc annis Buxtehudæ oppido Bremēſis ditionis accidiſſet, phyſici cauſam dixerunt, aerem in imo corruptiſſimum, qui cōcretis humoribus peſſimis magis atque magis putreſcens, adeò ceperit eſſe uenenatus, ut flatum draconis aut uiſum baſiliſci ſuperaret. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, c. 30.

SONVS.

ODOR.
Cadaueris.

Scapharum ſupplicīū apud Perſas DERBICES tale eſt, quod σκαφεύθῆναι uocant. Scaphas duas inter ſe congruentes accipiunt. In alteram ſupinum eum, qui pœnæ eſt deſtinatus, locant: inde inducunt alteram, & coaptant ita, ut caput, manus & pedes exerantur, reliquum ſit incluſum corpus. Tum cibum homini præbent: quem ſi reiiciat, compellunt eū oculos fodicantes ſumere. A cibo mel & lac confuſum ei ad potum infundunt, tum ad ſolem obuertunt aſſiduè oculos eius, ut incubantium examine muſcarum tota integatur facies. Cùm autem intus faciat, quæ homines, qui edunt & bibunt, neceſſe habent: tineę & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proueniunt, à quibus corpus in uiſcera penetrantibus conſumitur. Poſtquam conſtat exſpiraſſe hominem, ablata ſuperiore ſcapha carnem cernunt corroſam, & eiuſcemodi uermium examina mordicùs affixorum uiſcerib. eaq; adedentiū. Ad hunc modū MITHRIDATES, qui Cyrum, regis fratrem, in prælio uulnerauerat, & huius facti gloriam ſibi non regi uendicabat, ſeptendecim dies tabeſcens tandem interiit. Plut. in Artoxerxe.

Rex Euander apud Vergilium in ſermone cum Aenea de MEZENTII crudelitate inter alia dicit: Mortua quinetiā iungebat corpora uiuis, Componēs manibusq; manus, atque oribus ora (Tormenti genus) & ſanie tabeq; fluentes Complexa in miſero longa ſic morte necabat. Immanis autē huius cruciatus mentionem fecit Clemens Alexandrinus in Protreptico. Victorius lib. 4. Var. lect. c. 18.

Croci.

AGASO quidā Piſaurenſis ſuper duabus croci ſarcinulis dormiens, eadem nocte obiit. Teſtis Amatus Luſitanus in Dioſcoridem, capite de Croco.

Stercoris.

MARCELLVS epiſcopus Romanus à Maxentio Imp. iuſſus erat epiſcopatu ſe abdicare, & Chriſtianum nomen deponere. In cacabulū ad cuſtodiēda animalia publica incluſus, menſe nono pedore & ſitu mortuus eſt. Platina.

AESTVS.
Vide Titulum, Suffocatorum æſtu.

FRIGVS.
Vide Titulum, Frigore extincti.

MORTIS INSTRVMENTA IN CORPORE exiſtentia. MORTVI ex

PITVITA.

KENNETHVS Scotorum rex, qui Pictos excidit, pituitæ redundantia apud Forteuiotum obiit, anno quàm ſupremum inter Scotos iniuerat magiſtratum uiceſimo, Chriſti 855. H. Boethius lib. 10.

AQVA necati

TOTIVS CORPORIS, HYDROPE,
Leucophlegmantia.

HERACLITVS Epheſius philoſophus, intercute laborans, cùm bubulo ſtercore oblitus ſe ſoli expoſuiſſet, à canibus laceratus eſt. Triumphum de clariſſimo philoſopho canes hydropi eripuerunt.

CRANTOR Solenſis, Xenocratis auditor, qui commentarios poemataque uaria ſcripſit, & inter cæteros Homerū Euripidemq; ſemper admiratus eſt, intercutis morbo interiit. Laertius in eius uita.

DOMITIVS pater Neronis deceſſit Pyrgis morbo aquæ intercutis: ſublato filio Nerone ex Agrippina Germanici genita. Suetonius.

ADRIANVS Imp. mortuꝰ eſt morbo intercutaneo, XXII imperij ſui anno, ſepultꝰ Puteolis in uilla Ciceroniana. Platina.

TRAIANVM Imp. ex Arabia redeuntem grauior morbus oppreſſit: uenenum ſibi datum ſuſpicatus eſt. Quidam tradūt, ſiſtente ſanguine, qui ei ſtatis diebus ab imo profluebat, cōtractam ægritudinem fuiſſe. Stupore itaque membra reſoluta ſunt, ut pars corporis ſenſu defecta aliqua manſerit. Demùm aqua intercute repletus, apud Selinuntem Ciliciæ urbem, quæ & Traianopolis pòſt dicta eſt, repentè extinctus eſt: anno imperij undeuigeſimo, ætatis ſexageſimoquarto. Cineres relati Romam, humatiq; Traiani foro, ſub eius columna, & imago ſuperpoſita, ſicut triumphantes ſolent, in urbem inuecta, Senatu præeunte & exercitu. Cuſpinianus.

Victo Eugenio tyranno THEODOSIVS Magnus Mediolani in morbū incidit, qui aqua inter cutē appellatur. Quo ingraueſcente, ſaluti ſuæ metuens teſtamentum condidit, atque Arcadio Orientem, Honorio Occidentem reliquit, atq; illi Rufinum, huic Stilichonem tutorem cōſtituit. Pauliſper inde ex morbo recreatus, ludos Victoriæ edidit, atque eos animi cauſa ante prandium inſpectauit. Poſt prandium uerò cum uehementiùs languere cepiſſet, Honorio, ut intereſſet, mandauit: ac ſubſequente nocte XVI. Kal. Februarij è uita migrauit, anno ætatis LX. Imperij XVI. Mortem eius frequentes imbres, & ſolito tenebroſior caligo, & terrę tremor præcedens nunciauit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

HONORIVS Imp. Rauennæ grauiſſimo aquæ inter cutem morbo tentatus, Romam ſe reuehendum curauit, ibique 18. Kal. Septembris an. 423. eo conſumtus interiit, anno ætatis XLIII. Imperij uerò poſt patris exceſſum XXIX. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

BENIAMIN monachus in Scethi, miraculis clarus, hydropicus in tantum intumuit, ut in uaſta ſella tantùm ſederet, & mortuus nō niſi diſruptis poſtibus extra cellam efferri poſſet. Sozomenus lib. 6. cap. 29.

HERACLIVS Imp. cùm annos XXXI imperaſſet, morbo intercutis moritur, nouo cladis genere, ſurſum uerſo uirili mēbro, & ſemper tento (priapiſmum medici uocant) ut quoties meieret, niſi tabula umbilico admota prohiberet, uultū lotio ſpargeret. Exiſtimant, ob illicitas nuptias cum fratris filia id ei accidiſſe. Cuſpinianus.

MICHAEL Paphlago, Conſtantinopoli à Zoe Auguſta (uxore prius Romani IV.) Cæſar appellatus, cum ea annos ſex imperauit: ſponte ſe abdicauit in monaſterio Anargyrorum, in ſuburbio Byzantij à ſe condito, ubi aliquot dieb. pòſt hydrope obiit, anno Domini 1041. Zonaras.

BELA II. Vngarię rex pacato regno ocio & luxui ſe totū dederat: tādem hydropiſi correptus, nono regni ſui anno è uiuis exceſſit, qui fuit Chriſti 1141. Bonfin. lib. 6. Decad. 2.

GEORGIVS Podiebradius uel Poggiebraccius, Boemorum rex poſt Ladiſlaum, hæreticus à Pont. Max. iudicatus, hydrope periit 22. Martij anno 1470. Cromerus libro 27. & Dubrauius libro 30.

PAVLVS IV. pontifex mortuus eſt ex hydrope XV. Kalend. Septemb. anno Sal. M D LIX. quum uixiſſet quatuor & octoginta, ſediſſetq; annos quatuor. Panuinius.

Pulmonis.

Vide, Pulmonis hydrope mortui.

FOETV. EX PARTV VEL
Aborſu mortuæ.

RACHEL uxor Iacobi patriarchæ, prope Ephratam difficulter peperit: & animam agens, filium Benonim, id eſt, filium mei

mei doloris, uocauit: at Iacobus Beniaminem, id eſt, filium dextræ. Geneſis cap. 35.

VXOR Phineis, cū Iſraelitas magna clade à Palæſtinis uictos, arcam Domini captam, maritum in acie cæſum, ſocerum Elim ſummum pontificem nuncio triſti accepto de ſella collapſum & exanimatum audiuiſſet, iam uicinā partui, doloribus correpta peperit filium; quem moribunda Ichabodū appellauit, hoc eſt, periit gloria, capta nimirum arca diuina. 1. Regum capite 4.

Pæon Amathuſius Theſea ait tempeſtate in Cyprū delatum, cùm grauidam ſecum haberet ARIADNAM, maleq; ex iactatione affectam & languentem ſolam expoſuiſſet, feminas indigenas excepiſſe Ariadnam, mœſtamq;, quòd relicta eſſet ſola, fouiſſe, ac literas obtuliſſe ei adulterinas, ſicut à Theſeo ad eam miſſas, adiuuiſſe etiā, & præſtò fuiſſe in partu, atq; defunctam non edito partu funeraſſe. Superuenientem Theſea & dolore confectum, indigenis argentum reliquiſſe, inſtituiſſeque, ut ſacra facerent Ariadnæ. Plutarchus in Theſeo.

Cùm AEROPÆ Cephei filiæ, qui Alei Arcadum regis filius fuit, uitium Mars obtuliſſet, puella quidem inter pariendum animam efflauit. At puer Aeropus matrē cōplexus iam exanimem, lactis è mamillis eius profluentem copiam hauſit. Id Martis uoluntate fiebat. Eius rei gratia Aphneo (quaſi tu dicas uberi uel lacturno) templum dicatum in Creſio monte Arcadiæ. Pauſanias in Arcadicis.

STATIRA Darij uxor, omnium ſui temporis formoſiſſ. captiua in Alexandri Magni caſtris ex partu obiit. Plut. in Alex.

TVLLIOLA filia Ciceronis, Piſoni Craſſipedi poſt Dolobellam locata, in partu obiit. Volat. lib. 20. Anthrop.

Ariſtoteles tertio de Poetica ſcribit, in inſula Io, quo tempore Neleus Codri filius coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellam indigenam à genio quodā, ex eorum numero, qui cum Muſis choros ducunt, compreſſam, cùm intumeſcente utero facti pudore moueretur, deueniſſe in quendam locū, cui nomen eſt Aegina. Ibi à prædonibus, qui eò excurſionē feciſſent, captam, Smyrnamq; adductam ab his, Lydorum (ſub his enim tūc erat Smyrna) regi Mæoni ſocio ſuo donò datam: ab hocq; pulcritudinis cauſa in matrimonium eam adſcitam. Hanc, cùm ad Meletem fluuium commoraretur, partus doloribus circumuentā, ad ipſum fluuium peperiſſe Homerum, ſtatimq; expiraſſe. Plut. in Hom.

IVLIA Cæſaris F. Cn. Pompeio nupta, filiam enixa, ex puerperij dolorib. expirauit. Nec multos dies ſuperſtes partus fuit. Plut. in Pompeio.

IVNIA Claudilla, M. Syllani F. Caligulæ Cæſaris uxor, ex partu obiit. Suetonius.

Fuit Herodi ſophiſtæ REGILLA uxor nomine. Eam ob peccatum haud ita momenti magni, iuſſit à liberto Alcimedontē cædi. Fortè tunc geſtabat uterum, agebaturque à conceptu menſis iam octauus. Igitur hominis imprudentia ingeſtis in uentrem plagis, non ferens mulier iniuriæ uim, immaturo partu, naturæ conceſſit. Eo nomine poſtulatus cædis eſt Herodes apud Romanum ſenatum ab uxoris fratre. Cælius libro 20. cap. 27. Antiq. Lect.

EVDOXIA uxor Arcadij Imp. cùm ob auaritiam & licentiam caſtigaretur à Ioanne Chryſoſtomo Conſtantinopolitano patriarcha, Arcadium Imp. induxit, ut uiro ſancto exilium indiceret. Eo ad deſerta Armeniæ delato ubi diem obiit, uix trib. menſibus elapſis Auguſta, ob partus dolores, fœtu marceſcente in utero, crudeliſſimè mortua eſt. Cuſpinianus.

[redacted]

Ludouici Malani Flandriæ ducis uxor, dolis ad ſe pellectæ PELLICI nares abſcidit. At tertio pòſt die gemellos maſculos enixa, ſtatim unà cum infantib. expirauit, circa an. Chriſti 1383. Iac. Marchantius de reb. Flandriæ.

FILIA Grammatici cuiuſdam cùm geminos enixa eſſet, doloribus partus ipſa ſimul cum liberis exanimata periit. Pulcrè igitur Palladas in 1. Epigram. Græcorum ſic luſit:

Γραμματικοῦ θυγάτηρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
παιδίον ἀρσενικόν, θηλυκόν, οὐδέτερον.

IRENE uxor Philippi Imperatoris audita ſæuiſſima mariti nece, præ dolore exanimata cecidit, atque aborſum fecit, breuique diem ultimum clauſit, in monaſterio Loricenſi ſepulta. Cuſpinianus.

Laurentij Medicis, Leonis V. Pp. patruelis, VXOR, è familia Bolonia regiæ cognationis, incredibili apparatu Florentiæ ſuſcepta, poſt decimum ferè menſem maritum ad uitæ exitum ultrò feſtinantem quinque diebus anteceſſit, in ſupremo morbi impetu puellam enixa, Catharinam, Henrici II. Gallorum regis uxorem. Iouius libro quarto uitæ Leonis decimi.

IVDITHA Rodolfi Cæſaris F. Venceslai IV: Boemorum regis uxor, anno 1292. in partu periit, puellam enixa Iuditham non diu ſuperſtitem. Dubrauius lib. 18.

ANNA Gandalà, è Vaſconum gente, Vladislao Hungariæ & Boemiæ regi enixa erat filiam. Qui regno tacitè inhiabant, ſi regni hæres nullus eſſet, uerbis ſe conſolabātur, quòd filia, non autem filius, qui legitimus regni hæres haberetur, nata eſſet. Altero deinde partu appropinquante, & nonnullis ex illa factione ſuſpectam reginam habentibus ne puerū ſuppoſuerct, ſi puellam enixa fuiſſet: iuſſit illa partui ex iis ſuſpicioſiſſimum unà cum obſtetricibus intereſſe, ut oculatus eſſe teſtis poſſet, mas an femella naſceretur: natusq; eſt Ludouicus, matre ex illo nixu fato functa, quoniam non ita, ut debuit, procurari ab obſtetricib. potuit, ſpectatore præſente, cui fas nō erat puerperiis ſe admiſcere. Dubrauius libro trigeſimoſecundo.

ISABELLA Ferdinandi Aragonij F. Emmanueli Luſitanorum regi nupta, antequam pareret, ægrotabat, & quò magis appropinquabat partus, eò maiora ſigna imbecillitatis oſtendebat. Cùm uerò filium Michaelem enixa fuiſſet, tanta uis ſanguinis ex illa profluxit, ut uires eam omninò deficerent; uſque eò, dum extremum ſpiritum in complexu patris ederet. Oſorius lib. 1. rerum Emmanuelis.

CALCVLO, LAPIDE
Cerebri.

LIPSENSIS quidam tenuis fortunæ homo per multos annos continuo & acerbiſſimo capitis dolore affectus, quē eſu mori ſe contraxiſſe affirmabat, à Mauritij Saxoniæ Ducis medico Io. Pfeilio, qui diu in Italia medicinam fecerat, & Florentino etiam xenodochio pręfuerat, incaſſum curatus, poſt mortem ſectus, in cerebri ſubſtantia lapidem cinereo colore, forma & magnitudine moro ſimilē habuiſſe deprehenſus eſt. Ioann. Kentmannus de Calculis in humano corpore genitis.

Hepatis.

HIERON. Scriba Norimbergenſis, Valerij Cordi medici ſtudiorum & itinerum comes per Germaniam & Italiam, Lutetiæ anno 1547. cum inſigni medicæ Reip. dolore expirauit. Tres lapides in hepate eius reperti. Maximus dimidiatū columbæ ouum adæquabat, anguloſus, liuidus, ſolidus, panniculo hepatis contiguus. Sic & cæteri. Ioan. Kentmannus de Calculis in humano corpore, ex Gaſparo Peucero de Diuinationibus.

Fellis.

MATERNVS Badehornus, Badehorni I.C. Lipſenſis coſſ. frater, iuuenis eruditus & humanus, ex Italia reuerſus queri ſenſim de ſtomachi & hypochōdrij dextri torſionib. & nauſea cepit. Secuta atrophia, alui adſtrictione, uigiliis, melancholicis imaginibus, ita ut philtri hauſti ſuſpicionem medicis iniiceret, anno 1551. ætatis 29. tabidus expirauit. Aperto cadauere, reliquis uiſceribus integris, cor tantùm tabe aliquantum affectum fuit. In fellis autem folliculo reperti XXII. calculi, ſublutei, anguloſi, piſorum alij, alij fabarum magnitudine. Ioann. Kentmannus de Calculis in humano corpore.

CHRISTIANI regis Daniæ aperto cadauere, anno 1559. in fellis ueſica pares calculi, ſed numero plures, reperti. Maximus uerò unus quadrangulus, colore ad praſinum accedente, in eadem cyſti FRIDERICI III. Saxoniæ Ducis, cognomento Prudentis. Gabriel Fallopius in poſtrema Anatomes adminiſtratione, quam anno 1562. Patauij obiuit, è felle CVIVSDAM CXXIII. calculos exemit, quorum unus ſemioui gallinacei magnitudine, latus magis quàm rotundus, digitum craſſus, multis tuberculis aſper, leuitate tophi, colore luteus erat: pauci modicas fabas, plerique piſa adæquabant. Ioannes Kentmannus de Calculis humani corporis.

Renum.

EPICVRVS Athenienſis philoſophus, cùm calculo urinæ meatus obſtrueretur, in calidæ aquæ peluim deſcendit: & hauſto mero, cùm amicos monitorum ſuorū memores eſſe iuſſiſſet, inter media uerba philoſophicè defecit. Laertius in eius uita.

VIGILIVS Pontifex diuturno carcere excruciatus à Theodora Auguſta Conſtantinopoli, tandem Narſetis opera uinculis ſoluitur. Sed quem tot mala perdere non potuerunt, Italiam repetentem, calculi morbus ſæuiſſimus Syracuſis extinxit. Sabellicus libro 8. Ennead. 8.

Veſicæ.

Veſicæ.

FRIDERICVS III. Saxoniæ dux, Vitebergenſis ſcholæ inſtitutor, ann. 1525. quinta Maij obiit ex calculo ueſicæ prægrandi, cuſpide in ceruicem, qua urinę meatus patet, porrecta, latiore parte in ueſica hærēte. In cyſti itidem fellis quadrangulus lapis, articuli magnitudine, praſino colore inuentus. Denique è dextri renis lacuna alius euulſus, duorū articulorum magnitudine, ſubrutilus, circumcirca à lithotripticis medicamentis eroſus, ut urinę uia pateret. Io. Kentmannus de Calculis hum. corporis.

DOLORE quocunq; corporis.

Conſule Tit. Singularum partium morbis mortui, ut Dolore Inteſtinorum, Capitis, Renum. item Tit. Aborſu enectæ, dolore ſcilicet partus.

ANIMI perturbationibus. Puta

AMORE.

Scribit Ariſtoxenus, eo quòd Iphiclus HARPALICEM ipſum amantem contempſiſſet, illam mortuam eſſe: in cuius honorem certamē fit ode inter uirgines, eaq;, ut inquit, Harpalice appellatur. Athenæus lib. 14. c. 6.

GAVDIO.

CHILO Lacedæmonius, unus ex ſeptem, exceſſit, ut Hermippus ait, Piſę, complexus filium in Olympia uictorem. Volat. lib. 14. c. 2. Anthrop. ex Plin. lib 7. c. 32. & 53.

ATHLETA Crotoniata, cùm uictor è certamine Olympiorū diſcederet ad Hellanodicas, ut corona potiretur, ex nimio gaudio anima deficiens, mortuus eſt. Aelianus lib. 9. de Varia hiſtoria.

AENETVS quinquertio in Olympia uictor declaratus, accepta corona ſtatim è uita exceſſit, præ gaudio. Eius ſtatua Amyclis uiſitur. Pauſanias in Laconicis.

SOPHOCLES Theophili F. poeta tragicus mortem obiit annos natus nonaginta, duodeuiginti uictoriis ornatus. Ferūt eum, quū ultimam ageret tragœdiam, ob adeptam palmā inter congratulantes immenſa lætitia exultantem obiiſſe. Diod. lib. 15. & Val. Max. & Plin. lib. 7. cap. 53.

Rhodius DIAGORAS tres habuit filios adoleſcentes, unum pugilem, ſecūdum pancratiaſten, tertium uerò luctatorem: quos eadem Olympiade uidit uincere & coronis inſigniri. Cùm autē tres ſimul filij coronas patris capiti imponerent, & ſuauiſſimè amplexarentur, præ gaudio in manibus filiorum animam efflauit. Gellius lib. 3. c. 15. Cic. 1. Tuſc. duos tantùm filios coronatos aſſerit.

PHILIPPIDES Athenienſis comicus, ętate iam prouecta cū in certamine poetarum pręter ſpem uiciſſet, inter illud gaudium repentè mortuus eſt. Gel. lib. 3. c. 15.

CRATINVS Athenienſis comicus, 97 ætatis anno periit, uel gaudio, cùm ex Pytine fabula uictoriam retuliſſet: uel mœrore, cùm pleno uaſe uinum (cuius ſupra modum appetentiſſimus erat) effundi cerneret. Gyraldus Dialogo 6. Hiſtoriæ poetarum.

TELLON imperator, cùm ſuos uiciſſet hoſtes, beatus à multis dictus, in illa clara uictoria felix mortuus eſt, in ipſam uictoriæ ueſperam. Zezes Chiliade prima, hiſtoria prima.

POLYCRITA Naxia, cùm ob eximiam formam prudentiāq; ſimul Diogneto atque Erythræis perſuaſiſſet, ut Naxi obſidionem ſoluerēt: ab exercitu in urbem reuertens, ubi publico honore atque omnium lætitia excipiebatur, patriæ liberatrix appellata, dum urbis portam iniret, mortua concidit. Fulgoſus lib. 9. cap. 12. & Plut. de Claris mul. & Gellius libro 3. capite 15.

PTOLEMÆVS Philometor, uicto Alexandro Syrię rege, grauiter è pugna ſaucius, per quatriduum amiſſo ſenſu cùm ſe recollegiſſet, & miſſum à Zabdiele Arabe caput Alexandri cū gaudio ſpectaſſet, & ipſe obiit. 1. Machab. 11. & Ioſephus libro 13. capite 8.

DIONYSIVS tyrānus, regno exutus à Dione, cùm Corinthi ludum aperuiſſet, & de tragœdiæ uictoria nūcium accepiſſet, præ lætitia expirauit. Plin. lib. 7. c. 57.

M. IVVENTIVS Talua conſul, collega Tiberij Gracchi conſulis, cùm in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, receptis literis, decretas ei à Senatu ſupplicationes nunciantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculū collapſus, mortuus humi iacuit. Quē quid aliud, quàm nimio gaudio enectum putemus? En cui Numātia aut Carthago excidenda traderetur. Valer. lib. 9. c. 12.

Victis ad Thraſimenum Rom. eaque clade Romā nunciata, ſollicita & anxia multitudo ſeſe ad portas effudit uiri promiſcuè & feminæ, quæ ſuorum fortuna eſſet exploraturi. Varij hic ſciſcitantium affectus, ut quiſq; de ſuorum morte aut uita certior factus eſſet: mulierum multo maiores planctus & gaudia extitere, quarum VNA ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obuia, complexu eius expirauit. ALTERA cùm falſo mortis filij nuncio mœſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt. Genus caſus inuſitatum: quas dolor non extinxerat, lætitia conſumſit. Val. lib. 9. cap. 12. & Plut. in uita Hannibalis. Gellius libro 3. capite 15. At poſterius exemplum ad Cannenſem cladem refert libro ſeptimo, capite 53.

M. OFILIVS Hilarus, hiſtrio & comœdus, quum populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conuiuiumq; haberet, edita cœna calida, potionem in pultario popoſcit: ſimulq; perſonam eius diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit: taliq; habitu rigens, nullo ſentiente, expirauit. Plin. lib. 7. cap. 53.

LEO X. Pont. Max. nuncio recuperati Mediolanenſis imperij Gallis eiectis accepto, ex nimia lętitia febre correptus obiit. Iouius in Leone X. lib. 4.

Lotharius Imp. an. 825. in Italia Supponi Spoletano Duci mortuo, Adelardum, qui Comes Palatij erat, ſuffecit. Quo intra quinq; menſes febris languore conſumto, MAVRINGVM Brixiæ Comitem, qui pariter ius dicendo magnam laudem pepererat, ſubrogauit. Qui nuncio collati honoris accepto decubuit, & poſt paucos dies uitam finiuit. Sigonius libro 4 regni Ital.

SINAS pirata, cognomento Iudæus, triremium præfectus, filium habuit, Tuneti captum, quando Barbaruſſa à Carolo V. regno pulſus eſt. Is Appiano Iluæ inſulæ & Populini regulo ſeruiebat, & ſacris Chriſtianis initiatus, Barbaruſſę à Gallis euocato, qui Turcica claſſe Italicū littus deprædabatur, inſulæ uaſtationem minanti, redditus eſt. Hunc adoleſcentem Barbaruſſa honoris cauſa ſeptem triremibus præfecit, ſic ut poſtea mitteretur tanquam poſtliminiò redditus ad patrem Sinam, uſq; ad Suetiam Rubri maris portum, Memphi urbi propinquiſſimum, qui antiquitùs Arſinoes fuit. Verùm ſenex inexpectatam ſingularemq; ex recepto filio lætitiam diu ſuſtinere non potuit, quum præ gaudio ſupremum animæ deliquium incurriſſet. Iouius in Hiſt.

RISV.

Arriſtoteles de Partibus animalium lib. 3. ait, ictu etiam traiecta præcordia, in præliis riſum attuliſſe, literis proditum eſſe, idq; accidere calore, quem moueat uulnus.

Mortuus eſt ridendo CHRYSIPPVS, conſpiciens aſinum ueſcentem ficis.

ZEVXIS Heracleotes pictor, qui ad Helenam penicillo formandam ingenium omne artiſque uires expoſuit, cùm uetulam quandam à ſe faberrimè pictam inſpiceret, effuſè ſe cum adeò riſit, ut inter ridendum animam efflauerit. Pomponius. Ex Verrio recitat Cælius lib. 4. c. 18. A. L.

PHILEMON Syracuſanus, nouæ comœdiæ poeta, tempore Alexandri Magni, annos natus XC. paratos ficos, atque in conſpectu poſitos aſello conſumente, puerum, ut illum abigeret, inclamauit. Qui cùm iam comeſtis omnibus ſuperueniſſet: Quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nunc merum aſello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum proſecutus, expirauit. Val. Max. lib. 9. c. 12.

PHILISTION Nicæus comicus, librum φιλόγελων ſcripſit, & riſu obiit. Claruit Olymp. 106. ſub Auguſto. Gyraldus Dialogo 1. hiſtoriæ Poet. ex Suida.

MOERORE, DOLORE ANIMI, Triſtitia. Ob

Ignorantiam, Inuentionem irritam.

CALCHAS Theſtoris F. augur optimus, qui Græcorum ad Troiam proficiſcentium dux itineris fuit, cum Mopſo Ti- [redacted] haberent? Reſponderunt,

ὅσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ' ὅσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.

Significantes, ſe cùm piſces capere non potuiſſent, in litore deſidentes pediculos captos necaſſe: quos uerò non cepiſſent, adhuc habere. Quod reſponſum cùm Homerus explicare non poſſet, fertur mœrore animi expiraſſe. Val. Max. libro 9. capite 12. & Plutarchus. At Herodotus negat, & piſcatores ipſoſmet ænigma ſoluiſſe aſſerit, Homerum uerò ex morbo obiiſſe.

PHILETAS Cous, criticus inſignis, cùm ſophiſma quoddam ſoluere non poſſet, præ mœrore contabuit: præſertim cùm ipſe natura ſua uſqueadeò macilentus eſſet, ut ſoleis uteretur plumbeis, ne impetu uenti deiiceretur. Gyraldus in primo Tomo hiſt. Poetarum.

DIODORVS Cronus, Dialecticæ profeſſor, pudore expirauit, luſoria quæſtione non protinus ad interrogationē Stilponis

bonis diſſoluta. Plin. lib. 7. cap. 53. & Laertius, & Fulgoſus libro 9. capite 12.

ARISTOTELES in Chalcide Euripi ſepties die ac nocte reciprocantis naturam admiratus, cauſas altius ſecum libras, quum minus uoti compos euaderet, animi ægritudine contraxit morbum, ex quo non conualuit amplius. Sunt qui prodant in fretum dediſſe præcipitem ſe, præfatum elogium: Quoniam Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Ariſtotelem. Cælius lib. 29. c. 8. A. L. Brodeus in Epigram. huius auctorem ſcribit Iuſtinum martyrem, illius Gregorium Nazianzenum.

Excæcationem aliorum.

SAMVEL Bulgarorum dux, cùm uideret ſuorū XV. millia à Baſilio Romanorum duce excæcata, uno tantū relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, tertio die pôſt pre animi dolore periit. Volat. lib. 23. Anthrop.

STEPHANVS Vngarorum rex, quum immatura morte ſublato filio Emerico, Vazulem patruelis filium ſucceſſorem in regno declarare uellet: Gyſla ſecunda regis uxor, Gul. Burgundionum ducis F. hoc conſilium impeditura, Sebum Budæ filium Nitriā, ubi Vazul erat, præmittit, qui nominē regiò, Vazuli effoderet oculos, & infuſo aures plumbo compleret. Sebus Nitriam contendens, dira reginæ mādata peragit. Inſequenti die Buda huius ſceleris conſcius Vazulem excætis luminibus & obſtructis auribus ad regē duxit. Quē ita deformatum ubi rex aſpexit, in profuſiſſimas lacrymas conuerſus, confirmato dolore, effœta iam ætate, uitam ultrà prorogare non potuit. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

Opum direptionem, amiſsionem.

CRATINVM Athenienſem comicum ſcribunt quidam periiſſe, cùm pleno uaſe uinum effundi cerneret.

P. TERENTIVS Afer comicus, è Græcia rediens, cū 108 fabulas ex Menādro cōuerſas in mari amiſiſſet, præ mœrore obiit, Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fuluio Nobiliore Coſs: in Arcadia, Stymphali, ſinu Leucadię: quāuis alij in ipſo mari naufragum periiſſe aſſerant. Gyraldus Dialogo 8. hiſt. Poet.

FRANCISCVS Armellinus Cardinalis cū uideret capta per Aurantium opes ſuas à Ceſarianis militibus diripi, præ mœrore obiit. Garimbertus libro 6.

Cladem bellicam.

ELI ſummus pontifex Iſraelitarum, cladis teterrimę Phili ſtæo bello acceptæ nuncio conſternatus, audita triginta millium Iudæorum, & duorū, qui in ea acie ſteterant, filiorum cæde, è ſolio præceps datus mortem obiit. Quòd ſi tantus dolor præuideri potuiſſet, fuiſſet illi hauddubiè talis nuncius luctuoſus, ſed toleratu facillor. Sab. lib. 10. c. 5.

Cùm Amazones ob raptam Antiopen reginam bello Athenienſes laceſſiſſent, à Theſeo ſuperatæ ſunt: cumq; earū multę in prælio cecidiſſent, HIPPOLYTE Antiopes ſoror, cui feminarum illę parebat exercitus, Megara cum paucis aufugit. Ibi cùm rē malè geſta animum deſpondiſſet, præſertim quòd ſe Themiſcyram in patriam ſuam redire poſſe deſperaret, præ animi angore è uita exceſſit: ſepulta uerò apud Megarenſes, eiuſq; monimentum Amazonici clypei formā prę ſe fert. Pauſanias in Atticis.

ANTIOCHVS Epiphanes, è Perſide fugatus, cùm Lyſiam quoq; ducem à Iudæis uictum cognouiſſet, mœrore animi in uarios morbos incidens periit. 1. Macchab. 6. & Ioſephus lib. 12. cap. 13.

IVSTINVS minor ex clade Perſica tantam accepit triſtitiam ac mœrorē, ut in mentis exceſſum inciderit, ac phreneſi correptus, tertiodecimo imperij anno diem extremū clauſerit, ſuperſtite Tiberio, quem adoptauerat. Cuſpinianus.

Mortuo Friderico II, cùm Manfredus nothus Siciliam occupaſſet, INNOCENTIVS IIII. pontifex duoſingentes exercitus in Siciliam miſit cum ſexaginta millibus militum, qui, fuſi fugatiq; ſunt à Manfredo. Pontifex cùm ſe ulciſci nequiret, ex indignatione mortuus eſt. Cuſpinianus.

DONALDVS II. Scotorum rex non expectatis copijs cōtra Donaldum, qui Hebridum inſularum tyrannidem occupauerat, profectus, in Morauia uictus, tertia die pòſt non tam uulnere, quàm mœrore extinctus eſt, primo regni ſui anno. H. Boethius lib. 6.

PHILIPPVM Vicecomitem mortuum ferunt dolore animi, cùm intellexiſſet Franciſcum filium, quem in Piceno cū exercitu reliquerat cardinali Firmano legato, à Franciſco Sfortia ſuperatum. Platina in Eugenio 4.

Vrbem non expugnatam.

VICTOR Capellus, Venetę claſſis pfectus, cū Patras Achaiæ urbē bis tentaſſet, bis magnā cladē à Turcis accepiſſet, adeò dolori indulſit ob rem infeliciter geſtā, ut nō multo pòſt ſedens repentè expirauerit. Sab. lib. 6. En. 10. & lib. 8. Dec. 3.

VRSATVS Iuſtinianus Venetæ claſſis præfectus cùm Mitylenem bis fruſtrà oppugnaſſet circa annum 1458. quinque hominum millibus amiſſis, reliquisq; magna ex parte ſauciis, rei malè geſtæ conſcientia in Methone præ dolore expirauit. Sabellicus lib. 8. Dec. 3.

Quum Scanderbechus Albanię prefectus, ab AMVRATE II. Turcorū tyranno, cui aliàs inſeruierat, defeciſſet, Amurates ipſe maximo exercitu, ac Mahomete etiam proprio filio ſecum ducto, Croiam uenit, atq; urbē ipſam diu machinis bellicis impetiuit. Verùm quum eius capiendæ nulla facultas daretur, amouit quidem inde caſtra: ſed tantū dolorem, uel potius rabiem, ex ea re contraxit, ut mala ualetudine correptus, Adrianopoli demùm è uita exceſſerit, anno ab inſtaurata Salute MCCCCL. Iouius in uita Amuratis.

Vrbem uaſtatam.

BE [redacted]

VR [redacted] quem ex calamitate Chriſtianorum accepera [redacted] Platina, & Volat. lib. 22. Anthropologiæ.

NICOL [redacted] obiit mœrore animi, ob Conſtantinopolim à Turcis captam. Platina.

POMPERANVS Gallus cùm Auerſa à Cæſaris Caroli V. militibus caperetur, cogitatione defixis in cœlum oculis obſtupeſcens, acerbiſſimoq; dolore perculſus, in ueſtigio concidit, quum rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato, uita ſubito deliquio erepta, reſtitui poſſet. Iouius libro 26. Hiſt.

Accuſationem.

TRIVVLTIVS maximus imperator, qui tot uictorias Gallis regibus ſpectata uirtute peperit, accuſante Odetto Foiſſeio Lotrechio, ad dicendam cauſam media hyeme in Galliā uocatus, concepto ingenti animi dolore apud Carnutes obiit. Iouius in Leone X. lib. 4.

Damnationem.

Fama eſt, LICINIVM Macrum & ſuis pręualidum opibus, & M. Craſſi auxilio ſubnixum, ad tribunal Ciceronis Prætoris repetundarum fuiſſe poſtulatum. Hunc iſta fretum potentia & ſtudio, dum iudices adhuc ſententias ferunt, domum reuerſum ilicò comā totondiſſe, ac ſumta toga candida, quaſi foret abſolutus, redire ad forum parantem, cùm Craſſus ad ueſtibulum ei occurriſſet, & cunctis damnatum renunciaſſet ſententiis, recepiſſe ſe intrò: mox decubuiſſe, ac uitā depoſuiſſe. Fuit Ciceroni ea res honori, quòd accuratè ſortitus eſſet iudices. Plut. in Cicerone.

Exilium indictum.

HERMOLAVS Barbarus, Franciſci Barbari ex fratre nepos, ætate florida Romæ ex animi dolore deceſſit, quòd orator à Venetis miſſus, præter auctoritatē ſenatus, Patriarcha Aquileienſis ab Innocentio fuerat creatus, ac propterea contumax & exul à ſuis iudicatus. Volat. lib. 21. Anthrop.

Captiuitatem.

LEO V. Pp. quadrageſimo ſui pontificatus die, à Chriſtophoro cōpetitore captus, animi mœrore extinctus eſt: uidens nimirū, à ſuo domeſtico, quē omnis generis officiis & dignitatib. ornarat, ac uelut lupum in domo ſua fouerat, eam ſibi referri gratiam. Anno Chriſti 905. Platina & Nauclerus.

BONIFACIVS IIX. Pp. animi mœrore, quòd à Sarra Columna ex improuiſo captus eſſet, in furorem uerſus obiit. Fulgoſus lib. 6. cap. 11.

Turci, uicto Michaelis Comneni Palæologi Imp. exercitu, prędam quàm maximam uirorum, mulierū, earum rerū, quæ à uiris expeditis ferri queunt, coegerant, & inter ſe diuiſerant. Inter cætera autem fuerunt & DVÆ adoleſcentulæ SORORES: quæ cùm diuellendæ eſſent, quòd non eidē domino ſorte obuenerant, altera alteram intuens, cùm lacrymis, eiulatu, planctu omnia cōpleuiſſent, in mutuo deniq; complexu expirarunt: quaſi natura rerum corpora nō prius, quàm animas ſeparari pateretur. Gregoras lib. 5.

Dignitatis, Magiſtratus repulſam.

P. RVTILIVS conſulatus repulſam tam ægrè tulit, ut eam ob cauſam repentinam mortem incurrerit. Guido Bitur.

Cæſo à Moguntinis Arnoldo epiſcopo Moguntino tyranno, à plebe eligitur RVDOLPHVS, cognomine Clobelauch. Is ad pallij & reliquarum dignitatum coemtionem ſacrilegia quædam cōmittenda eſſe exiſtimabat. Hanc ob cauſam iactabantur uoces illæ: Quid theſaurus ille nimius eccleſiæ prodeſſet? quid tot calices tanto pondere, ut ad uſum apti non eſſent? Amputauit igitur brachiū de magna & graui illa cruce Moguntina, ſeq; itineri Italico grauis ære atq; argēto commiſit. At quia parum ſe gratum pontifici futurū intelligebat, animi doloribus cōfectus in uia obiit. Conradus in Chronico Moguntiaco.

ALFONSVS X. Caſtulonenſis rex Ferdinandi primogeniti

morte, & repulsa Electorũ, q. eius loco Rodolfum Habspurgensem Imp. elegerãt, maximè uerò filij Sãctij ſcelere, qui in eius abſentia regnũ occuparat, patremq; redeuntẽ recipere noluerat, turbatus, Hiſpali prę mœrore obiit. Cuſpin.

AVGVSTINVS Triuultius Cardinalis cùm Gallorũ animos à ſe abalienatos uidiſſet, quos tamen largitionibus ſibi deuincire ſtuduerat, ut mortuo Paulo III. ad pontificatum aſcenderet: præ mœrore obiit. Gatimbertus libro 6. de Vitis Pontificum.

Dignitatis, Magiſtratus amißionem, deiectionem.

[redacted]

FRANCISCVS Foſcarus princeps, ſub quo longè lateq; promoti erant Veneti imperij fines (quod tum publica felicitate, tum diuturno illius principatu prudentiq; adminiſtratione contigit) quum annis quatuor ac triginta & amplius reipub. præfuiſſet, eſſetque iam nonagenarius, nec ob decrepitam ætatem publicis muneribus omnino uacare poſſet: Paſchalis Maripetrus illi adhuc uiuenti ſurrogatus eſt. Poſitis itaque ſummi magiſtratus inſignibus, atque in ordinem redactus (quia generoſus ille animi uigor in effœto corpore nondum erat extinctus) poſt noui principis creationẽ pauciſſimis diebus expirauit. Decreto Patrum inſignia, quæ uiuo ademta fuerant, defuncto ſunt reſtituta: ducaria pompa ad ædem Minorum elatus eſt: atque ita accidit, ut princeps principem extulerit: quod poſt morem collegæ in principatu cooptandi è repub. ſublatum, nunquam ad eam diem acciderat. Sab. lib. 8. Dec. 3.

Regni æmulationem.

Geſſerat imperium CONSTANTIVS Arianus per annos uigintiquinq;, cùm non multo ante Imperij ſui finẽ Iulianus, quòd contra Barbaros feliciter pugnaſſet, & uictor euaſiſſet, à militib. Imperator creatus eſſet. Ex qua re in ſollicitudinem & periculum Conſtantius incidit, adeò ut exitium ſuũ quaſi præſagiens ipſe ſibi, baptizari ab Euzoio orthodoxo cuperet, & ad bellum aduerſus Iulianũ egreſſus, inter Cappadociam & Ciliciam apoplexia (ut Socrates ſcripſit libro 2. c. 46.) ex mœrore contracta, ſeu, ut Romani de eo ſcriptores indicarunt, febri acerrima, & peruigili ex dolore, impatientia & indignatione cõtracta, in Mopſi uiculo obierit. Hieronymus in epitaphio Nepotiani.

Regni amißionem.

CONSTANTINVS VI. Imp. Conſtantinopolitanus cũ matre Irene peregrè profectus, nuncio accepto, natum ſibi filium, matre relicta feſtinauit Conſtantinopolim. Mater filiũ iconomachum exoſa, de tollendo eo & occupãdo imperio cum ducib. eius clãdeſtina conſilia iniuit. Qui conſentientes, dum filium nuper natum pater infelix lugeret, feſtinant in regiam, ſolum capiunt, & oculos ei effodiunt. Conſtantinus maternæ contumeliæ impatiens, præ luctu & mœrore expirauit. Paulus Diaconus, & Sigebertus, & Zonaras.

IOANNES Anglorum rex regno exutus à Ludouico Philippi Gallorum regis F. ex mœrore animi in febrem incidit, qua expirauit. Polyd. lib. 15.

HENRICVM Superbum Bauariæ & Saxoniæ ducem, Lotharij Imp. generum, cùm Conrado III. Imp. rebellis, & propterea ab illo proſcriptus eſſet, ſcribunt quidam ex animi mœrore miſerabiliter mortuum, quòd ex amicis & nobilib. omnibus, quos amauerat, quatuor tantùm habuerit, quib. confidere potuit, quũ alij oẽs ab eo defeciſſent, qui paulo antè à Dania uſq; in Siciliam, hoc eſt à mari ad mare longè lateq; imperitauerat. Cuſpinianus.

MAHOMETES rex Malacenſis in India ab Alfonſo Albuquercio Luſitano ann. 1510. regno exutus, dolore nimio excruciatus obiit. Oſorius lib. 8. rerum Em.

Legationem irritam.

DANTES Florentinus, poeta in ſua lingua omnium clariſſimus, cùm ſua tempeſtate bellum Veneti Guidoni Poletano (ad quem profectus erat) mouerẽt, ille orator miſſus de pace, re infecta, ex animi dolore, uti exiſtimant, extinctus eſt. Volat. lib. 21. Anthrop.

Coniugum improbitatem.

PHILOMELA & PROGNE ſorores, Pandionis filiæ, cùm Athenas confugiſſent, præ luctu & mœrore, ob ea, quæ & paſſæ fuerant, & fecerant, contabuerunt. Vulgatam certè fabulam, Philomelam in luſciniam, in hirundinem Prognem uxorem mutatam, ex eo exiſtimo, quòd auis utraq; miſerabiles & luctuoſos cantus edat. Pauſanias in Atticis.

LEPIDVS conſul, qui poſt Syllæ obitum bella ciuilia de integro excitauit, & Marianis fauit, à Cn. Pompeio Italia eiectus profugit in Sardiniam, ubi morbo correptus expirauit, fractus animo, non ob res perditas, ut autumãt: ſed cùm eſſet nactus epiſtolium, ex quo ſtuprum uxoris comperit. Plutarchus in Pompeio.

SERENA Diocletiani uxor, dolore martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta eſt.

Coniugum alienationem, Repudium.

CATHARINA Henrici IIX. Anglorum regis uxor, mœrore ob repudium mortua, literis prius ſcriptis, quibus iniuriam ſibi factam Chriſtiano animo regi ignouit. Polyd. lib. 27.

Coniugum mortem.

Alexandri à Philoctete interfecti funus ad OENONEN, quæ ei ante raptum Helenæ nupſerat, neceſſarij pertulerunt. Illa uiſo Alexandri cadauere obſtupeſcens, paulatim per mœrorem deficiente animo, concidit: atq; ita uno eodemq; funere cum Alexandro condita fuit. Dictys lib. 4.

IVLIA, C. Cęſaris F. Pompei uxor, cùm ædilitiis Comitiis mariti ſui ueſtem cruore reſperſam è campo domum relatam uidiſſet, territa metu, ne qua uis ei eſſet illata, exanimis concidit: partumq; utero conceptum ſubita animi conſternatione & graui dolore corporis eiicere coacta eſt: atq; ita expirauit. Val. Max. lib. 4. c. 6. & Plut. in Pompeio.

LIVIA Druſilla, Auguſti uxor, eo uentris profluuio Nolæ abſumto, præ mœrore non multo pòſt expirauit. Guido Bituricenſis. Alij contrà ſentiunt.

IRENE audita Philippi Imp. mariti nece, præ dolore exanimata cecidit, & abortum fecit, in arce quadam, breuiq; diem ultimum clauſit, in monaſterio Loricẽſi honeſtiſſimè ſepulta. Cuſpinianus in Philippo.

MARGARITA Scotorum regina, Macolmi mariti cæde audita, cùm tabe laboraret, quatriduum tantùm ſuperuixit. H. Boethius lib. 12.

Liberorum ſcelera.

SEVERVS Imp. ſuſcepta expeditione Britannica, Getam & Antoninum filios ſecum duxit. Antoninus fratri & patri obtrectans, Seuerum patrem coegit mœrore magis quàm morbo conſumi. Qui Eboraci in Britannia iam ſenex morbo extinctus eſt. Spartianus.

HENRICVS IV. Imp. ob impietatem filij Henrici V. à quo regno perfidè & aſtutè exutus fuerat, Leodij animi mœrore obiit. Cuſpinianus.

CANDIANVS Venetorum dux ex tribus filiis medium Petrum ſibi collegam cooptauit. Is non multo pòſt in tantam prouectus eſt inſolentiam, ut patris conſilia aſpernatus, facinoroſos aliquot homines ad apertam ſeditionem in ciuitate mouendam ſollicitare ſit auſus. Ob quam temeritatẽ ab optimatibus in perpetuum exilium miſſus fuit, demta omni ſpe reſtituendi imperij. Exul ad Guidonem Berengarij F. Rauennam ueniens, à Berengario impetrauit, ut Venetos hoſtiliter inſectari liceret. Inſtructus itaq; ſex nauibus, aliquot Venetas naues circa Rauennæ litora oppreſſit. Quo ſcelere ita pater affectus dicitur, ut mœrore & ęgritudine nimia intra paucos dies expirauerit. Sab. lib. 3. En. 1.

HENRICVS II. Anglorum rex, Adelam Ludouici Gallorum regis filiã iampridem Ricardo filio deſponſam, multis uerborum illecebris ad ſtuprum ſollicitauit, eiusq; uirginitatẽ, uti rumor erat, uiolauit: Ricardoq; filio eam ſibi dari petenti tradere noluit. Quo commotus filius, ad Philippum Francorum regem Adelæ fratrem ſe contulit, quem non multo pòſt Ioãnes frater ſecutus eſt, maximaq; pars militum cum illis ad hoſtem defecit. Quæ res tantum doloris Henrico inuſſit, ut ſtatim ex mœrore animi ægrotare incipiens, nõ multo pòſt uitam finierit. Polydorus lib. 13. & 14. Ludouicus Viues de Officio mariti.

Liberos captos.

Iacobus Steuartus Roberti III. regis Scotię unicus filius, duodecim natus annos, à patre in Gallias miſſus, ut apud principes Francos, mores & linguam gentis addiſceret, fortè in naues Anglicas incidens capitur. ROBERTVS pater cepit ob eum caſum repentè frangi, quòd filium iam pro perdito haberet, atque ita cadere, ut nulla res eum ad æquitatem animi potuerit extollere, ſed breui pòſt è uita migrarit. Polydorus lib. 21. hiſt. Angl.

Liberorum mortem.

ADRASTVS cùm exercitum à Thebarum expugnatione domum reduceret, Megaris mœrore propter filij Aegialei interitum obiit, ibiq; ſepultus eſt. Pauſanias in Atticis.

PHILIPPVS Macedonum rex ob interfectum à ſe iniuſtè, inſtinctu Perſei F. filium Demetrium, mœrore periit. Sabellicus lib. 8. Enn. 5.

EDO-

EDOVARDVS III. Anglorũ rex, amiſſo filio Edouardo, ſummæ uirtutis uiro, mœrore paulo pòſt interiit. Polyd. lib. 19.

In obſidione Budenſi, anno 1540. cùm Germani equites ad oſtentandam uirtutem ex aduerſa acie parem ſibi eum, qui armis ac inſignibus cõſpicuus obuerſaretur, ad ſingulares cõcurſus prouocaret: RAISCIACI Sueui inter Germanos ducis inſignis Filius, adoleſcens impiger, quum ignaro patre in aciem prodiiſſet, ſtrenueq; decertãs à cunctis uel ignotus effuſè laudaretur, prius quàm ſe explicaret, à circũfuſis hoſtibus interfectus eſt. Raiſciacus ignarus ſuæ ſortis, filiumq; fuiſſe neſciens, Omni, inquit, laude perornãdus uidetur hic quiſquis ſit equitum longè fortiſſimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id quum ab omnibus probaretur, cadauer filij ad patrem relatum eſt. Quo agnito, in patre repentinus dolor profundius ad uitalia peruaſit: atq; ita ille paulo pòſt, quum rigẽtibus oculis ſtetiſſet, nihil effatus, interiit. Iouius lib. 39. Hiſt.

Generis interitum.

ZETHVS Amphionis frater, Thebanorũ rex, cùm fratris ſtirpẽ omnem peſtilentia deletam, filium autem ſuum unicũ à matre ob noxam quampiam peremtum uideret, animi ęgritudine contabuit, quòd multis laboribus partum regnum nullis hæredibus relinqueret. Pauſanias in Bœot.

In Patrenſi luco duo ſunt Serapidis templa, in quorum altero AEGYPTI Beli filij ſepulcrum. Aegyptũ Aroen ueniſſe tradunt Patrenſes, filiorum L. à filiabus Danai interfectorum luctu confectum, cùm ipſum Argorum nomen exhorreſceret, & in primis à Danao fratre ſibi plurimùm metueret. Pauſanias in Achaicis.

ARTAXERXI Perſarum regi ex pellice grex conſpicuus filiorum centum & quindecim, ex coniuge uerò tres extitêre. Inter quos natu maximus Darius, ægrè ferens, quòd illi pater Artaxerxes Aſpaſiam nouercã in uxorem denegaſſet, quinquaginta fratribus ſibi iunctis, in Artaxerxis mortem cunctis conſentientibus cõſpirauit. Artaxerxes filios omnes interfecit cum coniugibus, & nepotib. Serò pœnitens, in morbum grauiſſimum incidit: ſuiq; tædio confectus, infelix & anxius expirauit. Plut. in Artaxerxe.

Generi mortem.

Alexandri Magni interitus fama ad Darij matrẽ SISYNGAMBEM delata, abſciſſa ueſte, qua utebatur, lugubrem ſumſit, humiq; ſeſe præ nimio dolore afflixit, & quæ patrem & octoginta fratres uno die ab Ocho regum ſæuiſſimo cæſos uidit, parq; tanto fuit dolori, quæ Dario filio ampliſſimi imperij faſtigio deiecto & extincto ſuperfuit, genero, quẽ magis quàm filium amauit, eſſe non potuit. Enimuerò nepotẽ ac neptem auerſata, quę Ephæſtioni nupſerat (Statyra enim filia, eademq; Alexandri coniux, aberat) luce & cibo pertinaciter abſtinuit, donec quinto die uita deceſſit. Sabellicus lib. 6. En. 4. ex Diod. lib. 17.

Sociorum perfidiam, deſertionem, ignauiam.

BALDVINVS IV. Hieroſolymorũ rex elephantiaſi laborãs, Saladini Aegyptij armis preſſus, cùm fruſtra ad Occiduos principes legatos pro auxilio miſiſſet, deſignato prius ſucceſſore Balduino V. nepote, mœrore & anguſtia magis, quã dolore aut acerbitate morbi extinctus eſt, anno ætatis ſuæ uigeſimoquinto, regni uerò 12, qui erat Chriſti 1185. Tyrius.

PIVS II. Pontifex bello aduerſus Turcas ſuſcepto, cùm Anconæ Chriſtianorum principũ auxilia, ſolis Venetis exceptis, fruſtrà expectaſſet, mœrore obiit, anno Sal. 1464. Brutus lib. 1 hiſt. Florent. & Vol. lib. 22. Anthrop.

NICOLAVS IV. pontifex tædio animi (ut quidam putant) quòd Chriſtianos principes ad expeditionem contra Saracenos permouere nõ poſſet, amiſſa iam Ptolemaide, Romæ apud ſanctam Mariam maiorẽ, pontificatus ſui anno quarto, moritur. Platina.

[redacted]

TIMORE, TERRORE.

NABAL Ziphæus cùm Dauidi cum ſuis in montanis oberranti cõmeatum contumelioſè ebrius denegaſſet, eiusq; rei poſtera die ab Abigaele commonefieret: territus, tanta animi defectione & corporis ſaxeo quodam ſtupore diriguit, ut intra decem dies interierit. 1. Regum 26.

GORGO uetula metu fulminis exanimata. De qua ſic Antipater in primo Epigrammatum:

Χειμέριον καίοντος ἐφ' ἑστίῃ αἰθέρα, γηραιὴ,
τὴν χεῖρ᾽ βροντῆς ἐξεπάταξε φόβος.
πνεῦμα δ' ψυχθεῖσα, κατήμυσεν. ἦ ἄρα μέσση
γῆρας ἐ θανάτου λειπομένη πρόφασις.

Cùm Cn. Pompeius in comitiis ædilitiis ſacrificaturus, hoſtiæ reſpergeretur ſanguine, & infectas cruore ueſtes domũ remitteret: IVLIA eius uxor cruentas ueſtes intuita, ſuſpicata Pompeio uiolentas manus iniectas, præ timore expirauit eueſtigiò. Plut. in Pompeio.

C. MARIVS VII. conſul, cùm fama eſſet L. Syllam, rebus proſperè prouincia geſtis contra Mithridatem, de reditu ad urbem cogitare: reputans ſecum, quantum periculi inſtaret ſibi, & collegæ Cinnæ, à ferociſſimo hoſte atq; eodẽ uictore, uariis curis anxius, nocturnisq; terrorib. inquietatus, in languorem incidit, quo ſeptem dierum ſpacio conflictatus periit, ut C. Piſo prodidit. Sab. lib. 3. En. 6.

THEODERICVS Oſtrogothus, Ioanne Pp. in carcere extincto, Symmachũ & Boetium eius generũ aſſeruatos inuaſit, atq; eorũ utriq; caput deſecari crudeliſſimè iuſſit. cuius temeritatis pòſt breui, ſed fruſtra, pœnituit. Nam paucis pòſt dieb. cœnans, cùm ingentis piſcis caput à miniſtris appoſitũ aſpexiſſet, caput Symmachi ſibi uidere uiſus eſt, eminentib. inferiore è labio dentibus, & toruũ oculis intuentib. furibundè ſibi atq; aſperè minitari. Cuius ſpectaculi fœditate perculſus, ſubito horrore correptus eſt. itaq; in cubiculũ regreſſus, lecto decubuit. atque adhibito Elpidio medico, re expoſita, patratum à ſe in Symmachũ Boetiumq; facinus acerbè flere inſtituit: tantumq; ex ea re dolorem concepit, ut morbum propterea exitialẽ contraxerit. Ex quo cũ ſe moriturũ uideret, Gothos Comites atq; optimates ad ſe acciuit, ac, pręſentib. eis, Athalaricũ, Amalaſuenta filia & Eutharico pridem mortuo natũ, regem declarauit, eosq; palàm ipſum tanquã regem colere iuſſit: & ut ſenatum populumq; Romanum amarent, atq; Imperatoris amicitiam gratiamq; fouerẽt, admonuit. cuius auctoritatem illi non ſolùm uerbis, ſed etiam ſacramento probarunt. neq; ita multo pòſt animam efflauit, die nonageſimooctauo poſt Ioannem Pp. in carcere mortuum. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

An. 840. ſole prodigioſè obſcurato, LVDOVICVS Pius Imp. tantam ex ea re animo triſtitiam cõtraxit, ut in pernicioſum morbum inciderit. Itaq; Vormacia, ubi conuentum inſtituerat, ad Inſulam Moguntiæ proximam ſe deuehi iuſſit, atq; ibi ſolemnibus omnibus præſente fratre Drogone archiepiſcopo ritu Chriſtiano peractis, XII. Kal. Iulij obiit. Sigonius lib. 4. regni Ital.

Bello quod Orchanes Turcorum dux Andronico Iuniori Imp. fecit, cùm exercitus noctu turbaretur, multi MILITVM prę timore ſtantes expirarunt. Gregoras lib. 9.

IRA, INDIGNATIONE.

NERVA Imp. imbecilli aliàs ſtomacho, ut qui ſæpe cibum reiectarit, dum iratus, uoce quàm maxima, cõtra quendã, Regulum nomine, inclamaret, ſudore correptus & febre, morte ſublatus eſt, anno ætatis IIX & LX. Cuſpinianus.

Quadorum legati ad pacẽ petendã miſſi, ſeſe ad VALENTINIANI I. Imp. Brigetione Pannoniæ ſuperioris urbe degentis, genua proiecerunt. Duobus inde modis interrogatos reſponſo ſuo Valentiniani iracundiam accendiſſe, fama eſt. Ammianus, rogatos, cur ad arma deſcendiſſent, publico id conſilio factũ negaſſe, ac plebem munitione extructa offenſam, reſpondiſſe, ſcribit. Socrates, & reliqui omnes, cùm legatorũ habitum ſordidum deſpectumq; notaſſet, quæſiſſe narrãt, nunquid Sarmatę omnes eiuſmodi eſſent. Cumq; legati reſpõdiſſent, Sarmatarũ optimos atq; ornatiſs. ad illum ex conſuetudine miſſos eſſe: ipſum grauiori ira accenſum exclamaſſe, malè ſecũ eſſe actum, quòd, ſe imperante, gens tam ſordida finibus ſuis nollet eſſe contenta. Vtut ſit, Valentinianus ira uehementi ſuccenſus, atq; inter exordia reſpondendi tumidus, gentẽ primũ obiurgare acrius, tanquã beneficiorum immemorem cepit. Inde paulatim lenitus, tanquã telo aliquo ictus, uocẽ ſimul ac uires amiſit, ac lethali ſudore perfuſus ad terram labebatur, ſed miniſtri cõfeſtim eum arripuerunt, atq; inter brachia in cubiculum deduxerunt. Ibi in lecto cõſtitutus, cunctos aſtantes cognoſcebat. nã cubicularij ueriti, ne ueneno necatus diceretur, multos properè intromiſerant. &, cùm uena laxanda eſſet, medicus nullus reperiebatur, quòd eos ipſe ad curandum militẽ peſtilentia laborantem miſiſſet: unus demum inuentus, cùm uenam ſemel atq; iterũ pupugiſſet, ne guttam quidem elicere ſanguinis potuit, uiſceribus nimio calore cõbuſtis. Hoc ita Ammiano ſcribẽte, retulimus. Alij omnes infinitã ſanguinis uomuiſſe copiã tradunt. Vtcunq;, cùm finẽ adeſſe uitæ cerneret, quædam dicere ac mandare uoluit: ſed prę ſingultu, ſtridore dentium, & motu brachiorũ non potuit. ac mox morbi magnitudine uictus, liuẽtibusq; maculis interfuſus, an. 375. XV. Kalend. Decembris expirauit, annum agens ætatis LV. Imperij uerò XII. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

VENCESLAVS Boemorũ rex ira in pocillatorẽ ſuũ percitus, cũ interficere eũ ſuis manib. uellet, paralyſi affectus cõcidit, & paucis diebus poſtea uita exceſſit. Cromerus lib. 18.

VICTOR Piſanus Venetorum claſſis præfectus, uictoriis clarus, cùm legatus eius decem Genuenſium triremes in portu Sipontino repertas per ignauiam fugere permiſiſſet, ab

T 2 iræ

iracundia in febrim incidens, obiit. Carolus Zenus ei suffectus est. Anno Sal.1380. Blondus lib.10. Dec.2.

PRÆTOR Eubœæ ab Icario suo quondam seruo captus, sub Michaele Comneno Palæologo, regiam ingressus, & ut captiuum decet, ante fores stans, cùm Imperatorẽ in solio cõsidentem, Senatumq; splendido habitu circumstantem, Icarium uerò ornata ueste & insolenti gestu introeuntẽ, exeuntem, & Imperatori in aurem insusurrantem cõspexisset, abrupta statim uita pronus humi concidit, iniquæ fortunæ uiolentiam perosus. Gregoras lib.4.

MATHIAS Coruinus Vngariç rex, podagricis doloribus exhaustus, paralysi utriusq; cruris Viennæ prehensus, ipso Palmarũ die, cùm in secunda mẽsa ficus recentes ex Italia allatas posceret, easq; ab aulicis consumtas audiret, præ iracundia apoplecticus corruit, & sequenti die expirauit, anno ætatis 47. Salutis 1490. Ioach. Cureus in Silesiæ Annalib.

LABORE.

Pugnæ.

ROBERTVS Malatesta Venetorum copias ducens, cõtra Ferdinandum Aragonium, pro Sixto IV. Pont. in Veliterno feliciter pugnãs, ex nimio labore febri correptus periit, Romęque sepultus est. Sabel.lib.7.En.10.

BARTH. LIVIANVS dux clariss. qui Venetorum exercitum diu ductauit, cùm prælio ad Mediolanum à Francisco rege contra Heluetios cõmisso tenue corpusculum sub iusto armorum pondere plurimùm exercuisset, equestriq; agitatione uiscera penitùs in herniam abiissent, incredibiles dolorũ cruciatus sustinere non potuit: paucisq; diebus apud Ghedas extinctus est. Sabel. supplem.lib.5. ex Iouio.

Venationis.

HENRICVS VI. Imp. an.1197. per autumnum morbum ex labore uenationis Messanæ contraxit. Quo ingrauescente, in festo S.Michaelis decessit è uita. Cadauer Panormum deuectum sepulturæ mandatum est. Sigonius lib.15. regni Ital.

VENCESLAVS III. Boemorum rex in secessu uillæ, tertio lapide à Praga, uenationi intempestiuè incumbens morbum contraxit, è quo intra paucos dies Pragæ periit. Dubrauius libro decimosexto.

Cursus.

Pugnam Marathoniam denunciauit, ut Ponticus Heraclides tradit, THRASIPPVS Eroẽsis. Pleriq; ERICLEM memorant currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidẽtem in ianua primorum, hoc tantùm dixisse: Saluete, nos salui sumus. mox expirasse. Plut. de gloria Athen.

Victis ad Platæas Persis, Græcis de sacrificio consulentibus respondit Apollo, Ioui Liberatori erigerent aram: at sacra ne antè facerent, quàm extincto per totã regionẽ igne per barbaros polluto, purũ Delphis ex cõmuni foco accendissent. Itaq; ex Platæensibus pollicitus EVCHIDAS, quàm ocyssimè fieri posset, allaturum se à Deo ignem, Delphos profectus est, lustratoq; corpore, & lympha asperso, laurea coronatus, ignem sumsit ex ara, currensq; retrò Platæas contendit, & ante solis occasum reuersus est mille stadiorum iter emensus. Salutatis ciuibus, ubi ignem tradidit, concidit confestim, & paulo pòst expirauit. Plut. in Aristide.

Pilæ.

ALEXANDER Imp. Leonis V. frater, frequentibus deditus conuiuiis & ebrietatibus, cùm nũquam prandium nisi post balneum caperet, immoderatissimè quondam ientatus, ludo pilæ se uoluit exercere, corpus extendendo: statim equum ascendit, ac uenam rupit, qua sanguis è naribus ac pudendis toto die effluxit, ac sic enormi fluxu extinctus est: tutores relinquens nepoti Constantino Leonis V. filio, ac regni moderatores. Cuspinianus.

Itineris.

Mouente contra Darium Alexandro, STATYRA Darij uxor captiua, quæ agmen sequebatur, continui itineris labore, animiq; ægritudine extincta. Plut. dolore partus ait inter socrus & filiarum manus expirasse. Sab.5.En.4.

Vratislai Boemię pòst principis prima VXOR, à Spitigneo II. mariti fratre Olomucij capta, sed intercessione Seueri episcopi Pragẽsis liberata, dum ad maritum exulem in Hungariam grauida festinat, ex nimia agitatione abortiuit, & triduo pòst periit. Dubrauius lib.8.

CASV EX ALTO. PERPENDATVR VNDE. NEMPE E'

Loco edito quouis.

VALERIVS, quia cum Valeria Tusculana filia nescius concubuisset, agnita culpa, se præcipitauit. Aristides apud Plutarchum in Parallelis.

NAVPLIVS Palamedis pater, quum intellexisset Diomedem & Vlyssem naufragio liberatos (quibus tamen hoc malum per insidias machinabatur) seipsum præcipitauit. Seneca;

Igne fallaci moriturus Argis
Naupilos præceps cadit in profundum.

ALTHÆA Thestij filia, & Oenei Aetoliæ regis uxor, quum audiuisset Meleagrũ filiũ suis fratribus intulisse mortem, se præcipitauit, cõbusto prius fatali stipite, quo cremato Meleagrum ex fato periturum audierat. Ouid. Metam.

DANAE à Laodice præcipitata ob seruatũ maritum, quem è medio Laodice tollere decreuerat. Athen.lib.13.c.23.

APRONIA à marito Plautio Syluano pretore sub Tiberio Imp. per fenestras p̃cipitata. P. Aerodius ex Corn. Taciti li.4.

SYRORVM decem millia præcipitata ab Amasia rege Iudæorum. 2. Paral.25.

IOANNES Gradensis antistes, Ioannis Venetorum ducis & Mauricij filij flagitia ac tyrannidẽ priuatim & publicè castigabat. At Mauricius cum apparitorum & clientum manu Gradũ profectus, acceptusq; hospitaliter, piũ antistitẽ ex alta turri præcipitauit. Fertur nec imbres nec intẽperiẽ cœli ullã cruorem diluere potuisse, qui subiectis marmoribus infusus erat. Sabel.lib.9.En.8.

Monte, Rupe.

LYCAS ab Hercule pręcipitatus est, q̃ ei tunicã cruore Nessi tinctã, & ueneno imbutã attulisset. Sabellicus.

MELES uel Melitus Atheniẽsis amatorẽ suũ TIMAGORAM inquilinum hominem fastidiens, per cõtemtũ, ut de summo saxo se abiiceret, iussit. Timagoras, unde iussus erat, impigrè se præcipitẽ dedit. At Meletẽ suæ in illũ acerbitatis adeò pœnituit, ut ex eodem seipsum etiam saxo deiecerit. Ex eo tam atroci rei euentu ab inquilinis, ut Athenis in eo ipso loco Anteros genius Timagoræ amoris uindex coleretur, institutum. Pausanias in Atticis.

THESEVS exul in Scyro apud Lycomedem, post cœnam more suo deambulans per præcipitia montium, nemine impellente lapsus periit. Alij uerò à Lycomede ex insidiis præcipitatum asserunt. Plut. in Theseo.

AESOPVS fabulator Phrygius, quum uenisset Delphos, ibidẽ furti ab æmulis falsò accusatus (phialam enim argenteã inter eius sarcinulas clam posuerant) de rupe insons præcipitatus est. Plut. de Sera numinis uindicta.

THESSALVS (à quo Thessalia nomẽ sumsit) Hęmonis filius, ab Euryalo quodã aduena ex Ossa monte præcipitatus. Ouid. in Ibin: Vtq; dedit saltus è summo Thessalus Ossa.

PHILOMELVS Phocensiũ dux, qui primus Phocensiũ Delphicũ fanũ occupauit, cõtra Bœotos sacrilegij uindices pugnans, multis affectus uulneribus, in locũ quẽdã præruptũ, & unde non facilè posset euadere, inclusus, supplicij metu se illinc præcipitem dedit: & ad eum modum persoluta deo debita pœna, extinctus est. Diod.lib.16.

T.MANLIVS Capitolinus, cùm regni affectati suspicione in carcerem coniectus esset, populi consensu liberatus est. Rursus cùm in eadẽ culpa perseueraret, reus factus, de saxo Tarpeio præcipitatus est, domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlij cognomine iurauit, ne quis postea Capitolinus uocaretur. Suetonius de Viris illust. At Cor. Nepos scriptum reliquit, eum uerberando fuisse necatum.

TARENTINI obsides Romæ in atrio Libertatis custoditi, cùm à Philea Tarentino corruptis ędituis primis tenebris educti simul profugissent, manè uulgata per urbem fuga, missi sunt, qui insecuti comprehensos omnes retraxerunt, ductosq; in Comitio, uirgisq; cæsos, approbante populo de Tarpeia rupe præcipitarunt. Liuius lib.5. Dec.3.

BORCHVS bubulcus in excelsam rupem, in qua apes mellificabant, ascendens, cùm canis lentisci fruticem, quo is nitebatur, melle perunctum arrosisset, præcipitio periit. De eo sic Antiphilus in primo Græcorum Epigr.

Βέρχος ὁ βουποίμην ὅτ᾽ ἐπὶ γλυκὺ κηρίον ἕρπει
αἰγίλιπα χίρα πέτρον ἐπερχόμενος,
ἕσπετο οἱ σκυλάκων τις, ὁ καὶ βοσὶν, ὃς φάγε λεπλὼ
[redacted]

Conradi II. Imp. filius CONRADVS prope [redacted] cem ex scopulo præceps periit. Pater illic cœnobium ædificauit. Bruschius in Germ. episc.

ABRAHAMVS Marocci rex, pugna uictus à seditioso quodã Elmahelo, & urbe exclusus, cùm nullam salutis uel regni recuperandi spem superesse uideret, uxorem carissimam à tergo uehens, equum ex altissima rupe præcipitem egit. Ioannes Leo lib.2. cap.45. Africæ.

Arce.

Sabinis Romam obsidentibus, quum TARPEIA uirgo Capitoliũ prodidisset, armillarũ & anulorum (quos illi gerebãt) pactione, ubi in arcem intro ducti sunt, obsequij immemores puellam præcipitarunt. Plut. & Liuius testes.

AELIVS Saturninus, eo quòd carmina quædam in Cæsarem Tiberium scripsisset, reus in senatu factus, ab eodem è Capitolio præcipitatus est. Dion Nicæus in Tiberio.

Crescentius consul Rom. deiecto Gregorio V. IOANNEM XVIII. Pontificem designarat. Otho III. Imp. obsessos in mole Hadriani hostes capit. Ioannes prius oculis, auribus quoq; & naribus, deinde & dignitatibus, deniq; uita etiam priuatus est. Flores temporum Honorij & Auentinus habent, quòd de Capitolio præcipitatus sit: indeque esse, ut nulli Pontifici Capitolium inuisere liceat. Nauclerus, Bonfinius, & Antoninus.

Bello Neapolitano Masius Barresa, Ferdinandi regis dux, S.Georgij arce occupata, ROGERIVM Orilam equitem Neapolitanum, duosq; item alios nobiles VIROS è summis arcis pinnaculis in rupes maximè præruptas deiici curauit. Põtanus lib.2. belli Neapolitani.

Capta à Ferdinando II. Aragonio arce Rhegij, fabri cuiusdã lignarij proditione, GALLI fermè omnes à muro præcipitati fuerunt, quòd de deditione, dum captas perficerent munitiones, simulanter egissent: ludificatiq; diu crebris colloquiis regem, aliquot demùm milites incautè ante arcẽ obuersatos, tormentis repentè emissis interfecissent. Iouius libro 3. Hist.

Turri, Carcere.

MENELAVS, qui malitiosè obtinuit modico tempore Hierosolymis pontificatum, de alta turri fuit præcipitatus in cumulum cineris. 2. Machab.13.

ASTYANAX Hectoris filius, Troia diruta, Troianisq; omnibus profligatis, ne quid reliquiarum superesset, quod in posterum urbis & populi ruinam ulcisceretur, ab Vlysse præcipitatus est è turri summa crudelitate. Ouidius in Ibin: & Seneca in Troade. Non tamen Græcorum decreto in eum sæuitum, sed priuato Neoptolemi odio, qui sibi eius necẽ depoposcerat; Pausanias in Phocicis tradit.

Magi cùm Persarum regnum per fraudem falsi Smerdis occupassent, inito inter se consilio, statuerunt conciliandum sibi PREXASPEM, qui à secretis Cambysis regis fuerat, & Cãbysis iussu Smerdem Cyri F. occiderat: rogaruntq; ut omnibus Persis sub murum arcis conuocatis, ipse conscensa turri prædicaret, à Smerde Cyri Persis imperari, & ab alio nemine. Prexaspes conscensa turri seriem familiæ Cyri recensuit, eiusq; beneficia in Persas commemorauit. Hisq; expositis palàm fassus est, à se Smerdem interfectum Cambysis iussu, & Magos esse, qui regnent: quod tamen hactenus negarit, quia tutum sibi non fuisset proferre rem gestã. Multis quoq; uerbis Persas deuouit, nisi rursus imperium recuperarẽt, ac Magos ulciscerentur. Hæc locutus sese in caput è turri præcipitem dedit. Herod.lib.3.

Annibale Saguntum urbem Hispaniæ Romanis amicam obsidente, MOPSVS Cretensis fauens Saguntinis, ubi filios uidit interfectos, se præcipitauit è turri. Syllius lib.2.

GRIFFINVS Vualliæ princeps in Anglia dolo à fratre Dauid captus, & regi Henrico III. custodiendus traditus, in turri Londinensi, tentando fugam, lapsus ex summitate muri per funiculum, qui ex ui ponderis fractus est, decidit in terram, & illicò occidit. Polyd.lib.16.

FRIDERICVS episcopus Curiẽsis, rebellis factus Rudolpho I. Imperatori, & captus à Comite Vuerdenbergensi, bienniũ in custodia detentus, tandem elabi cupiens, aliquot linteamina consarciuit, quibus tanquam per funem se demittere uoluit, & euadere captiuitatẽ. Sed demissus propemodum usq; ad terram, lethaliter cecidit, & subsequenti nocte defunctus est. Bruschius in Episcop. Germ.

Ponte.

Caroli V. Imperatoris SATELLITES Bononiæ, cùm coronã à Clemente VII. accepturus esset, & ponte ligneo pensili in D. Petronij ædem pergeret, pontis ruina interierunt. Iouius libro trigesimoseptimo.

Domo, Tecto, Fenestra.

IEZABEL regina Israelitarum, uxor Achabi, cùm interemto Ioramo eius filio Iehus regnum occupasset, eius iussu ab eunuchis de fenestra præcipitata, equisq; & curru conculcata, à canibus dilaniata est, ut cùm eius cadauer sepulturę trãdere Iehus imperasset, nihil præter caluam, & extremas manus atq; pedes inueniri potuerit. 4. Reg.9.

OCHOZIAS Israelitarum rex, Achabi F. per cancellos in cubiculo suo delapsus, ex eo casu tandem periit. 4. Reg.1.

Dionis Syracusiorũ liberatoris FILIVS, pulso parente à Dionysio iuniore in exilium, ita educatus est, sic iubente Dionysio, ut turpissimis uoluptatibus imbueretur, neq; ullum tẽpus sobrio relinqueretur. Redeũte patre, cùm pristini status mutationem ferre nõ posset, è superiore parte ædiũ seipsum præcipitauit. Probus in Dione.

Ludouicus II. Boiorũ & Francorũ rex, dum Ratisbonæ Boiorum negotiis intentus est, LVDOVICVS filius eius impubis ex Lutgarda uxore, de fenestra Palatinarũ ædiũ decidẽs, ceruices fregit, animãq; efflauit. Auent.lib.4. Annal. Boior.

HENRICVS Campanus Comes, Syriæ pretor à Ricardo Anglorum rege constitutus, Ptolemaide, dum superiorem partem ædiũ incautiùs circumit, preceps delatus expirauit. Aemilius lib.6. & Bonfinius lib.7. Dec.2. Crãzius lib.7. Sax. c.10.

GENVENSES Famagustæ in Cypro è regia precipitati, quòd deprehẽsi essent tectis sub ueste gladiis Perino Cypri regi insidiari, ob id solũ, quòd Venetos potius, quàm se ad dextram sibi mallet incederet. Platina in Gregorio XI. & Blondus lib 10. Dec.2.

BALDACCIVS centurio, suspectus inuisusq; illis, qui ciuitate Florentina potiebantur, exturbatus indicta causa fuit è fenestris publici palatij, atq; ita interfectus. Hinc in prouerbiũ abiit, apud Florentinos, Il salto di Baldaccio, quemadmodũ Euripides Astyanactis, è turri deiecti à Græcis casũ πήδημα, id est, saltũ dixit. Victorius lib 29. Variarũ, c.1. Aen. Sylcius c. 54. Europę, ob contumax responsum magistratui datũ pręcipitatum ait, & quamuis iam expiranti ceruicẽ abscissam.

Scala, Gradibus.

ELPENOR socius Vlyssis, ebrius apud Circen factus, scalarũ casu periit. Ouid.lib.3. de Tristibus, & in Ibin.

SERVIVS Tullus rex Romanorũ à genero Tarquinio per gradus in curia instinctu Tulliæ uxoris præcipitatus. Sabellicus libro 5. Ennead.2.

De PHILOSTRATO Martialis Epigram.lib.11.

A Sinuessanis conuiua Philostratus undis
Conductum repetens nocte uigente larem,
Pene imitatus obit sæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usq; gradus.
Non esset Nymphæ tam magna pericula passus,
Si potius uestras ille bibisset aquas.

ASCLEPIADEM medicum Prusiensem suprema in senecta scalarum lapsu fuisse exanimatum, Plinius auctor est lib.7. Sic qui ægrotis mederi consueuerat, qui è funere retulerat mortuum, fati insidias uitare non potuit.

Sella, Throno.

ELI sacerdos summus Israelitarũ 98. annorũ, cęcus, tristi accepto nuncio de capta arca Domini à Palæstinis, & cęsis duobus filiis Hophni & Phinee, de sella in dorsum delapsus, fregit ceruicem, cùm 40. annis præfuisset Israelitis. 1. Reg.4.

Equis. Præcipitati ex equis. Excußi.

☞ *Hoic casum consideramus. De iis, qui quouis alio modo equorum iniuria perierunt, in præced. actum.*

BELLEROPHONTEM quum ad coitum non posset inducere Stenobœa Prœti uxor, eum coram marito stupri postulauit. Stenobœæ uerbis fidẽ adhibens Prœtus, Bellerophontem periculis obiecit, ac primùm ad superandam Chimærã misit. Quam cùm uicisset, elatus uictoria in cœlum Pegaso equo alato uoluit conscendere: sed ulciscente Nemesi, decidit. Ouidius in Ibin:

Quiq; ab equo præceps alienis decidit aruis,
Exitio facies cui sua penè fuit.

AGENOR lapsu equi, inserta ori manu, extinctus est. Ouidius in Ibin:

Vtq; loquax in equo est elisus gutture Agenor,
Sic tibi claudatur pollice uocis iter.

Ad Erythras Bœotiæ Mardonius cum Græcis congressus fuit. Equitatui præerat MASISTIVS Persa. Illius equus Nysæus, præ ceteris eminens, sagitta per latus ictus, & prę dolore in pedes erectus, Masistium excussit: collapsum cõfestim Athenienses ægrè interimerunt. namq; intus gerebat thoracẽ aureis squamis consertum, desuper Phœniceum paludamẽtum. Itaq; non priùs aliquid profecerunt, quàm quidam re animaduersa illum percussit in oculo. Herod.lib.9.

PHARNVCHES equitatui Xerxis contra Græcos cum Harmamithe & Tithæo Datis F. præfectus, cùm Sardibus proficisceretur, canis sub pedes equi intercurrit: quo equus territus, seseq; attollens, Pharnuchem excussit. Hic collapsus sanguinem euomuit, & in phthisim incidit. Equo autẽ iussu domini abducto in eum locum, ubi dominũ strauerat, genua famuli absciderunt. Herod.lib.7.

SELEVCVS Callinicus, Antiochi, cognomento Dei, filius, uicto Antiocho fratre (qui à latronibus tandẽ interfectus fuit) & amisso Asiæ regno, equi casu interiit. Guido Bituricensis.

DRVSVS rebus gestis maximè in Germania floruit, ac decessit iuuenis admodum, ex lapsu equi. Suetonius.

THEODOSIVS Imperator, equo collapso afflictus, inque lectica domum relatus, biduo pòst uitam cum morte commutauit. Cedrenus.

PHOCAS Bardas, tyrannidem affectans, acie cum Basilio II. Imp. dimicare parabat. Cùm Basilius copias suas circumiens, cohortaretur ut strenuè pugnarent: Phocas frenis laxatis in eum irruit. Verùm cùm in colle quodam equus laberetur, ipse humi tractus, lethali uulnere obiit. Cuius interi-

tum sibi rex adscripsit, licet quidam eius corpus inoffensum repertum tradant. Nonnulli scribunt per pocillatorē eius, precio corruptum propinato ueneno interiisse. Cusp.

Eo prælio, quod ad Mæandrum fl. Atapacus Clyzasthlanis Iconij Sultani dux, & Manuelis Comneni Imp. duces commiserunt, Persa quidam in MICHAELEM Aspietem, exercitus Manuelis ducum alterum, inuectus, equū eius in fronte percussit. Equus in posteriores pedes erectus, sessorem in flumen præcipitauit. Nicetas lib.6.

AISTVLFVS Longobardorum rex inter uenandum equo effusus, siue, ut alij narrāt, ab apro fortè percussus, exiguo dierum spatio uitam finiuit. Sigonius lib.3. regni Ital.

HENRICVS II. Austriæ Marchio, dum uoluptatis gratia in glacie obequitat, ex equi lapsu occubuit, an.1172. Cusp.

FRIDERICVS I. Cæsar an.1189. nobilissimo ualidissimoque cum exercitu sacra expeditione suscepta, in Armeniam copias perduxerat. Dum Selephium (Cuspinianus Serram uocat) fluuium transmittit, equo offendente iam grauis ætate lapsus, inter manus sublatus, paulo pòst expirauit. Tyri à filio sepultus. Hoc & ab auctore illius temporis Tyrio traditur, & propius fidem est, quàm quod à Nauclero & aliis fertur, sed ab ætate & grauitate hominis abhorret, eum dum positis armis uesteq; ad æstum leuandum natat, extinctum, anno 1190. Continuò dilapsus maxima ex parte Cæsarianus exercitus. Aemilius lib.6.

Ludouici Crassi Francorum regis filius PHILIPPVS, quem paulo antè coronatū, regē salutandū curauerat, dū in suburbano Lutetiæ equitat, occursu feminæ suis pauefacto equo effusus, ac tam graui ruina stratus est, ut paucis pòst horis expirarit. Aemil. lib.5. & Ritius lib.2. regum Francorum.

Cùm LVDOVICVS Bauarus Imp. Burggrauiā Norinbergensem (quam amabat) adiret, in cōuiuio punctiones iuxta cor sentiens, ueneni suspicionem concepit. Ob id illicò surgens, ut uomitu uenenum eiiceret (sæpius enim ueneno hausto sic sese curarat) cùm nequiret, in uenationem (ut motu atq; labore corpus calefaceret) progressus, ursum ingentem obuium petens, de equo præcipitatus fuit. Mox ubi ad se rediisset, eleuatis in cœlum oculis cum maximo singultu Deum rogauit, ut animæ suæ misereretur, & peccatis ignosceret, deuotissima oratione præmissa: nec multò pòst mortuus V. Idus Octob. an. Christi 1347. Imperij sui XXXIII. Monaci ad D. Virginis sepultus. Cuspinianus.

SVERCHERVS Gothorum rex, ignauissimi patris Fliolmi optimus F. bellum contra Danos adornans, subito equi casu brachium dextrum subiectis saxis ita allisit, ut breui pòst tēpore uitam cum morte commutarit, apud ciuitatem Scarensem, non procul à collibus Kindiæ, unà cum patre tumulatus. Ioan. Magnus lib.7. c.18.

ADELVS Gothorum & Sueonum rex, parta de Danis magna uictoria, fanum Dianæ Scythicę pro agendis gratiis ingressurus, subito equi lapsu attritus periit. Ioan. Magnus libro 8. cap.22.

MAGNVS S. Olaui F. rex Noruagiæ & Danię, dum admisso equo leporem sectaretur, prolapso per pręcipitium equo deturbatur: & baculo, qui frigore duratus extabat, incussus, effracta pectoris crate, uitam non longè pòst finiuit: Suenonemq; in regno Daniæ successorem habuit. Cranzius libro 5. Noruagiæ cap.2.

INGO Nicolai Danorū regis F. dum equitare discit, equo excussus, stapedi hærens obtritus est. Saxo lib.13.

ALEXANDER III. Scotorum rex equo feroci iuueniliter acto pronus in terram pręcipitatus, ad Kyngorn, cōfracta ceruice repentè expirauit, anno 1290. Boethius lib.13.

ALEXANDER III. rex Scotiæ, uir singularis uirtutis, inter cursum unà cum equo in terram corruit, ac repentè ceruice fracta interiit, nullo relicto filio superstite. Id qđ breui pòst tempore tam Scotis ipsis, quàm Anglis multarū cùm simultatum, tum cœdium causa fuit. Polydorus libro 17. & Boethius libro 13.

BELA rex Pannoniorum, frater Andreæ, & filius Vazulis, regum, decessit lapsus equo, membris luxatis & dilocatis, anno regni sui tertio. Bonfinius.

PRIBISLAVS postremus rex Megalopurgensis, anno Christi 1178. cùm rediisset ex Hierosolymitana profectione, cum Hērico Leone duce Saxoniæ & Luneburgēsi, instituit ludos equestres: & inter cursitandum ex equo præcipitatus breui pòst obiit. Albertus Cranzius.

CASIMIRVS II. Magnus, Polonorum rex, anno 1370. ad sextum Idus Septemb. qui dies Mariæ Dei matris natalis celebratur, uenatum in proximas syluas, frustrà dissuadentibus nonnullis profectus, dum curuum fugientem inter uepres persequitur, subtus labente equo homo senex & carnosus ita cōquassatus fuit, ut febre correptus, mala interim uictus ratione usus, obierit sexagenarius. Cromerus lib.12. Guagninus pedem illi fractum scribit.

ALFONSVS Ioannis II. regis Lusitaniæ unicus ex uxore Leonora filius, in adolescentiæ flore Scalabi, quæ ciuitas nunc appellatur Sanctarena, ex equo incitato proiectus, mortem obiit: proinde Emmanuel frater eius patruelis successit. Osorius lib.1. de reb. Emmanuelis.

IOANNES I. Castulonensis rex, qui Henrico patri successit, equi lapsu interiit, anno principatus sui undecimo. Ritius Neapolitanus lib.3. Regum Hispanorum, & Fulgosus libro 9. capite 12.

FVLCO Andegauēsis Hierosolymorum rex, pòst Balduinum socerum aduersus religionis hostes, Edessam Mesopotamię oppugnantes, mouens, dum leporem citato cursu premit, equi lapsu præcipitatus quarto die periit, anno regni XI. Ritius Neapol. de Hierosolymorum regibus, & Platina in Cęlestino III. & Aemil. lib.5. ex Tyrio.

MARIA Caroli Burgundi F. Maximiliani I. Imp. uxor, sexto anno coniugij, uterum ferens, in uenatione, equum lasciuientem moderari nescia, soluta sella, in dorsum decidit. Dolorem diebus multis dissimulauit, ne Maximilianum contristaret, donec immaturo edito partu obiit, ann.1482. Brugis sepulta. Cuspinianus. Cranzius lib.12. Saxoniæ c.29.

LVDOVICVS Borgia ab Alexandro VI. auunculo Cardinalis creatus, Neapoli equum cursu exercens præcipitatus interiit, anno 1510. Garimbertus lib.4. de Vitis pontificum.

QVO. PRÆCIPITATI IN

Foueam, Specum, Hiatum.

ANAXIMENES Milesius, Anaximandri & Parmenidis discipulus, qui primus aera initium rerum & infinitū arbitratus est, sideraq; non supra terram, sed circa moueri dixit: dū noctu intentius sidera contemplatur, in subiectam foueā, quæ in atrio domus fuit, lapsus periit. Sab. lib.6. En.2.

Circa Celænas Phrygiæ oppidum quū hiatus terræ & ingens uorago multos absorberet, essetq; responsum ab oraculo, uoraginem ipsam non prius clausum iri, quàm ad pacanda numina aliquis eò se demitteret: ANCHVRVS Midę regis filius, datis genitori & Cimothec uxori cōplexibus, equum ascendit, & eò se demisit. Plut. in Parallelis.

Romæ quū ingens uorago paulatim excresceret, & pestilentia augeretur, responsum est ab oraculo, hiatum non posse desinere, nisi id, quo Pop. Rom. maximè ualeret, eò demitteretur. Quo audito, M. CVRTIVS armatus equo insidēs illuc desiliit. Liuius lib.17. Propertius lib.3. Ouid. in Ibin.

Paulo Aemilio in Pyrrhum Epirotarum regē bellante, quū ab oraculo responsum fuisset, Romanos fore uictores, si quis eorum in uoraginem se demitteret, VAL. TORQVATVS sponte se obtulit. Crirolaus apud Plut. in Parallelis.

Aquam, Fluuium, Mare, Puteum.

LYCVRGVS Thracū rex (teste Lactantio) à suis in mare præcipitatus est, quòd primus mero aquam miscuisset.

NEÆRA puella in Salentinis, in uico Castriniano, dum obijcitur illi ab inuidis, quòd à Leontio, cui pacta fuerat, spreta ac repudiata esset, nullo dato responso sese statim deiecit in puteum. Pontanus lib.1. c.15. de Fort. heroica.

Pauimentum.

NESTORIVS hæreticus, qui duos finxit Christos Deū & hominem, in Thebeas solitudines relegatus, à uermibus sacrilega lingua corrosa, humo afflictus ex casu periit.

CLAMORE.

Q. HORTENSIVS orator, cùm causas in foro ageret, in media oratione clamore disruptus est. Q. Serenus:

— Sic est Hortensius olim
Absumtus: causis etenim confectus agendis
Obticuit, cùm uox domino uiuente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua palati.

Volaterranus libro 17. Anthropologiæ.

Cùm Scythæ incursionem in fines Romanorum fecissent, magnamq; prædam abegissent: Imp. VALENTINIANVS iratus, & uehementius uociferans, uocis instrumentis ruptis obiit. Suidas.

AETATE, SENIO.

Consule Tit. Longæuorum. quatenus mortis quoque mentionem continet.

PLATONEM, philosophorum haud dubiè principem, sunt qui dicant in celebrandis amici nuptiis, quum quietus decumberet, animam derepentè exhalasse. Nonnulli in morbū incidisse, quem à corruptione pediculoum phthiriasim uocant. Plinius.

VENERE.

Leuitæ VXOR nimio stupro necata à Gabaensibus. Iudicum capite 19. & 20.

Minois Cretæ regis concubitu moriebantur MVLIERES, cùm serpentes & scorpios & scolopendras parerent. Plut. in Paral. Ouid. lib.7. Metamorph.

DVO equestris ordinis Romæ in eodem pantomimo Mytheco forma præcellente æternùm periere. Plin. lib.7. cap.53.

ATILA Hunnorum rex, Hildiconis Bactrianorum regis filiæ pulcerrimæ amore succensus, prima nuptiarum nocte, ex uenere defatigatus, inter dormiēdum, supino corpore, profluuio sanguinis è naribus suffocatus interiit. Experrecta mulier, uirum amplexu repetens, extinctum algentemq; inuenit. Sic qui alienum sanguinem tātopere anhelarat, proprio interiit. Bonfinius lib.7. Dec.1.

THEODEBERTVS, Clotharij Frācorum regis filius maior, omni muliere corruptior, in complexu pellicum maturè discessit. Ritius lib.1. Francorum regum.

LADISLAVS rex Apuliæ, dum Florentiam pergit, in itinere, in coitu mulieris, quæ medicatam opera Florentinorū uuluam habuit, extinctus est. Volat. lib.22. Anthrop.

Inter tres filios Mahometis Turcorum Imp. MVSTAPHA iuuenis præcipuæ indolis primus extitit. Is in prælio contra Vsuncassanum egregiè se gessit: Iosephum Persianum ducē regis Caramaniæ fautorem in fugam uertit. Quum hyemaret Iconij, uenationibus ac uenereis rebus nimium indulgens, in ipso iuuentutis flore decessit. Iouius in Baiazete II.

AVICENNA medicus & philosophus summus, uenereis maximopere deditus, cùm corpus ex iis attenuari sentiret, à purgantibus penitùs abstinuit, de resolutione uirium metuens. Ex collectione autem humorum cùm in colicum incidisset, dum castra regis sequitur, & castra properè mutanda essent, uno die octo clysteres sibi iniici curauit. Quorum calore intestinis exulceratis, & præsertim cùm famuli pro duabus drachmis apij, ad discutiendos flatus præscripti, quinq; subiecissent, in itinere morbo comitiali correptus est. Vbi ad se rediit, mithridatum sibi exhiberi curauit. At serui improbi, cùm extinctum cuperent dominum, à quo liberius reprehensi essent, opium medicamento plurimum admiscuere, sic ut uix tandem conualuerit. Sed ubi ad uenerem reuerti cœpit, uirium imbecillitate perspecta, diæta penitus abdicata, obiit, propè sexagenarius. Nic. Massa in eius uita, ex Sorzano Arabe.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex, cùm pacis causa Henrici VIII. Anglorum regis hostis infensissimi sororem Mariam elegantissimam ipse ætate iam prouecta, & multum antea neruorum doloribus lacessitus, uxorem duxisset, quum intemperatiùs puellaribus complexibus indulsisset, in febrim incidit: nec multo pòst inualescente etiam profluuio uētris extinctus est. Sab. supplem. lib.4. ex Iouio.

IO. MANARDVS Ferrariensis, medicus clarissimus, decrepitus & arthritide confectus, iuuenculam duxit uxorem, & ex intempesta uenere obiit. Iouius in Elogiis.

BALNEO.

De iis, qui in Balneo moriuntur, infrà, quādo de loco Mortis agetur. Hîc ipsam per Balneum alterationem factam intelligimus.

Non paucis fuit balneum exitio, cùm initio non multum mali haberent, nisi quòd non ualerent neque sustinerent illoti cibum gustare: in quibus TITVS imperator fuit, ut ferunt ij, qui ægro ministrauere. Plut. in Præceptis sal.

CIBO. ESV

Pullorum.

BOLESLAVS Brigensis dux in Silesia, cùm in feriis Paschalibus in una mensa XIII gallinaceos absumpsisset, obiit an. sal.1342. Ioachimus Cureus in Silesiæ annalibus.

Casei.

M. ANTONINVS Pius Imp. periit anno septuagesimo, cùm Alphinum caseum in cœna edens auidiùs, nocte reiectaret, febre correptus: qua tertio die grauatus, spiritum reddidit apud Lorium (quod oppidū Ethuriæ est, prope Romā 14. lapide, uia Aurelia) anno imperij 23. Cuspinianus.

Fructuum in genere.

RVDOLFVS Alberti I. Cæsaris F. Boëmorum rex, oppidum Horasditium obsidens, ex nimio esu fructuum æstiuorum fluore uentris correptus erat: cumq; non pateretur sibi persuaderi, ut ab obsidione discederet, in tabernaculo ex dysenteria obiit, cùm unum duntaxat annum in Boëmia regnasset. Dubrauius lib.19.

Ficuum.

POMPEIVS Columna cardinalis, à Cæsare Carolo V. Neapolitani regni administrationem sortitus, post comestas ficus biferas, quas multa niue refrigerarat, in complexu Augustini Niphi philosophi integris sensibus expirauit, anno ætatis 53. Iouius in eius uita.

Persicorum.

THEOGNOSTI cuiusdam F. ex immodico usu malorū persicorum interiit. De quo in primo Græcorum Epigram.

Ἐκ φονίων περσῶν φόνιον φυτὸν ἤγαγε περσεὺς
πρὸς Θεόγνιν τοῦ θανάτου πρόφασιν.

Melopeponum.

ALBERTVS II. Imp. ex melopeponum usu periit, alui profluuio correptus. Cuspinianus.

SOPHIA Vladislai Iagellonis Polonorum regis uxor, febrim ex melopeponibus contraxit, & mox paralysi accedēte extincta est, uno & quadraginta annis, posteaquam Vladislao regi nupserat, exactis, anno Sal.1461. Cromerus lib.24.

PAVLVS II. pontifex apoplexia mortuus secunda hora noctis, solus in cubiculo, nemine uidente, cùm eo die lætus etiam consistorium habuisset, & duos pepones prægrandes deuorasset. Platina.

Fragorum.

MELCHIOR Dux Brunsuicensis, frater Othonis Neapolitani regis, ex Transyluanis ducibus, episcopus factus Zvuerinensis, medone uenenato Rostochij hausto, malè se habēs, profectus in Butzoua arcem, cruciatu agitatus, fragis ad refrigerium magna copia ingestis intumuit, crepuitq; medius. Cranzius lib.9. Vandaliæ, cap.9.

Fungorum.

Vide Tit. Veneno mortui fungorum.

Raparum.

LADISLAVS Vngariæ & Boëmiæ rex, infirmitate incertum unde correptus, diem suum obiit. Medici rapas Boëmicas, quas ille cupidè esitabat, toxico fuisse infectas, suspicati sunt. Cranzius lib.13. Vandaliæ, cap.36.

Allij.

ARNVLFVS Imp. quum creberrimo allij usu corpus distemperasset, tanta uermium scatuiuit multitudine, ut nulla ope medica curari potuerit. Cranzius lib.3. c.3. Saxoniæ.

Carnis.

SEVERVS Imp. Eboraci in Britannia, cùm membrorum omnium, maximè pedum, dolorem pati nequiret, ueneni uice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis sumsit: quē cùm conficere nō posset, cruditate periit. Sex. Aurelius.

Piscium.

DIOGENES Cynicus crudo polypo deuorato periit. Laert.

ANDRONICVS senior Imp. decumbens, utebatur testaceis, propter ieiunium illorum dierum. Post quæ cùm metum bibendum fuisset, ille pro more suo ad restinguendum feruorem sanguinis frigida usus est. Ergo statim fastidio affici, & è stomacho & corde grauiter laborare cœpit. Cùm autem iam spiritus etiam deficere cerneret, & propter intempestā noctem neminem reperiret, qui sibi diuina mysteria impertiretur, surrexit, & gratias egit Deo, & pro salute animæ suæ cum multis lacrymis deprecatus, sacram Dei genetricis imaginē, quam in sinu gestabat, loco diuinorum mysteriorum in os inseruit: cumq; in lecto consedisset, statim, priusquam diluxisset, est defunctus. Gregoras lib.9.

HENRICVS I. Anglorum rex, leuiter ægrotans, muræna, etsi medico uetante, uesci uoluit, quòd eius cibi auidissimus esset. Inde febre aucta breui tempore pòst occidit, Cal. Decembris, anno Christi 1136. ætatis 67. Polyd. lib.11.

POTV.

Vini.

ALEXANDRVM Magnum Babylone Aristobulus narrat, cùm delirio ex febre teneretur, atque ingenti cruciaretur siti, uinum potasse: hinc in phrenesim incidisse, atq; trigesimo mensis Dæsij die decessisse. Plut. in eius uita.

BRENNVS, qui Gallis expeditionem contra Græcos suscipiendi auctor fuerat, cùm malè apud Delphos pugnasset, metu uel pudore potiùs ultrò hausto mero post accepta uulnera mortem oppetiit. Pausanias in Phocicis.

Scribunt nonnulli, Megarensem STILPONEM extremo deficientem senio, merum hausisse priùs, quo celerior contingeret obitus. Cælius lib.28. cap.35. A.L.

ARCESILAS Crātoris discipulus, & Sciti filius, philosophus Cyrenaicus perfectissimus, ex Pithana Colchica ciuitate natus, obiit, cùm uinum immoderatè bibisset, anno ætatis LXXV. Volat. lib.13. cap.4. Anthrop. & Laertius.

CHRYSIPPVS, Cleanthis discipulus, 73 anno ætatis, cùm in sacrificio dulce merum auidiùs hausisset, asthmate correptus, quinto pòst die periit. Laert. in eius uita.

Grammaticus quidam Pergami singulis diebus balneum petens, unum ex pueris secum ducebat, ALTERO domi relicto, qui rem familiarem seruaret, quæq; ad uictum forent necessaria, prouideret. At is uehementiore quandoque correptus siti, quum nec aquæ suppeteret copia, uetus uinum largiùs perpotauit: quo factum, ut in reliquum euaserit uigil: mox febre correptus, cū perpete uigilia oborto delirio, desijt hominē agere. Cælius lib. 28. cap.29. A.L. ex Galeno.

ANDEBVNTVM Anglorū regem in cœna quandoq; tantū uini sumsisse, ut eo suffocatus repentè excesserit, asserunt.

Scaniæ ēpiscopatus in Dania olim in Lundensem & Dalbiensem diuisus fuit. Illi præerat Eginus, huic HENRICVS. Ce-

terùm Henrico ob nimium uini potum extincto, in sceleris pœnam integra dignitas ad Eginum sobrium rediit, Sueno ne II. regnante. Saxo lib. 10.

Erasmus in Adagio, συνάγχη, inquit: Ipse noui Romæ quendam haud uulgariter eruditum, qui hac angina seriò periit. HERMICVS appellabatur, natione Lusitanus. Correptus erat febricula uir corpore supra modum obeso, & ob id spirituosus. Decumbentem inuisit Christophorus Fischerus, patria Anglus. Vin tu, inquit, Hermice, auscultare medicis meras nugas præscribentibus? bono uino rectiùs proluetur hoc malum. simulq; iussit adferri uinũ Corsicum quadrimum. Propinauit ægroto, iubens bono esse animo. Ille persuasus hausit affatim, ac mox intercluso spiritu cœpit animã agere.

Aquæ.

Traditum est Græcorum monimentis, Argiuos, cùm Polynicis filios secuti Thebas cepissent, dum ad Delphicum Apollinem cum reliqua præda uatem etiam TIRESIAM pertraherent, sitientem illum in uia hausta de Tilphusa fonte aqua, prope Haliartum animam statim egisse. Est eius sepulcrum ad ipsum fontem. Vatis filiam Manto ab Argiuis Apollini aiunt sacratam: sed transmisisse eam classe, iubente deo, Colophonem in Ioniam, ibique Rhacio Cretensi nuptam. Pausanias in Bœot.

HENRICVS VI. Imp. maxima & uenationis & aucupij uoluptate capiebatur. Cum uxore & filio Friderico uenatum profectus, ex gelido fonte bibens, breui pòst obiit. Munsterus in Cosmographia.

FRANCISCVS Delphinus, Frãcisci I. Gallorum regis F. summæ expectationis, anno Sal. 1536. quum ex nimia iactatione in ludo paruæ pilæ æstuans, sudoreq; madens, frigidam intemperanter hausisset, præcordia uisceraq; immodico rigore correpta, extincto penitùs innato calore, mortem accersiuere. Non defuere qui suspicarentur, eum ueneno fuisse sublatum. Cuius nefarij criminis repẽtè reus factus quidam Sebastianus Montecuculus, pœnas dedit, quum ab equis in compito in diuersa currẽtibus discerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatum ferebant, tãquam insontem, qui dolore uictus inter immania tormenta, ut calamitati suæ finem imponeret, se reum miser fecisset, & auctores tanti facinoris Antonium Leuam, & Ferdinandum Gonzagam nominasset: qui calumniam à perdito homine impositam uix diluerunt. Iouius.

Hariadenus Barbarussa, à Carolo V. Cæsare regno Tunetano pulsus, cùm fuga sibi consuleret, in transitu Bagradæ amnis HAYDINVM Smyrnæum, inclyti nominis piratam, desiderauit, quum is in magno solis ardore longoq; itinere fessus, & multo adipe prægrauis, cogente siti ex profluente auidiùs potando, in ripa expirasset. Iouius lib. 34. Hist.

PHILIPPVS rex Hispaniæ, Maximiliani Imp. filius, uenatus in Hispania ceruos, & calore feruens, potu sitim restinguere uolens, iecur nimio calore accendit, quo & periit. Hedio in Chron. Germ.

SCODRENSES Macedones à Mahometo II. Turcorũ Imp. obsessi, erant summa aquarum inopia sitisq; intolerantia breui pòst deditionem facturi. Cæterùm hoste præter spem abeunte, sitibundum agmen præceps ad flumen decurrit. Hic multi mortales aquam diu desideratam adepti, auidiùs ripis procumbentes, nimio aquarum haustu obruti, exanimati sunt. Sab. lib. 7. En. 10.

PHARMACO.

Vide Tit. A Medicis interfecti.

GREGORIVS episcopus Antiochenus clarissimus, sub Mauricio Imp. & multis ab eo legationibus adhibitus, cùm podagra laboraret, & hermodactyli potionem sumsisset, obiit. Nicephorus lib. 18. cap. 27.

MAXIMILIANVS I. Rom. Imp. apud Velsium Norici agri oppidum, quum intempestiuè pharmacum incertæ potestatis aduersus morbum, quem sibi imminere putarat, hausisset, anno 1519. mortuus est, uir præstantissimis corporis atque animi dotibus inclytus. Iouius.

MORS CONSIDERATA RESPECTV MODI, QVO AGENS NECEM INFERT. NEMPE

EXVSTIONE.

Vide locum, Igne mortui.

RVINA INTERFECTI

Montis.

An. 1251. in Burgundia imperiali, duo inuicem montes discessere: uallis amborum media magno scissa hiatu, per quinque passuum millia. Omnem plebem rusticam, in ipsa ualle aut montium pede commorantem, aut hiatus absorpsit, aut saxa montibus deuoluta peremerunt. Cranzius lib. 7. Vvandaliæ, capite 25.

Antri.

POLYDAMAS athleta tempestate spelũcam subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente, solùs restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus. Sed pondere omni corpore humano potẽtiore pressus, imbribus petitam latebram dementis fati sepulcrũ habuit. Valerius Max. libro 9. cap. 12. & Pausanias.

Templi.

Anno 1099. Syracusis terræmotu cõcussis, primarium templũ, dum sacra tractarentur, corruit: cunctosq; qui sacris intererant, præter missificantem, & alios duos diaconos, oppressit. Platina, Hermannus Gigas.

Theatri.

Pratinas Phliasius, tragicus, cùm fabulas exhiberet, accidit ut tabulata, quibus SPECTATORES insistebãt, conciderẽt. Multis ea ruina oppressis, theatrum extruxerunt Athenienses. Suidas.

Tranquillus ait, Fidenis theatri ruina duo & uiginti HOMINVM millia periisse, gladiatorio munere. Sabellicus lib. 10. capite quinto Exemplorum.

Turris.

Paulo ante Christi passionem, Hierosolymis turris Siloa ruina sua XVIII. HOMINES oppressit. Christus non tam id peccati pœnam, quàm futurarum calamitatum omen, nisi resipiscerent, esse dixit. Lucæ 12.

Arboris.

Vide Tit. Mortis instrumenta, quatenus extra corpus consistunt.

Domus, Cameræ, Cœnaculi, Pauimenti.

Samson captus, apprehendens columnas, quibus tota domus nitebatur, domum ruina disiecit, in qua circiter tria millia utriusque sexus principum PALÆSTINORVM periere. Iudicum decimoquarto. Sabel. libro septimo, capite 4.

IOBI septem filij, & tres filiæ, conuiuia agitantes, ruina domus, à uento uehementissimo euersæ, oppressi interierunt. Iobi cap. primo.

Alexandri filij, quos ex Helena susceperat, casu cameræ extincti sunt, tres numero, BVNOMVS, CORINTHVS atque IDVS, paulò post cædem patris, parum ante Ilij excidium. Dictys libro quinto.

EVPOLIS Niciæ Atheniensis filius, prima nocte nuptiarum è ruina thalami unà cum uxore extinctus est. Ouid. in Ibin:

Sit tibi coniugij nox prima nouissima uitæ;
Eupolis ut periit & noua nupta modò.

DIOGENES cùm secundam duxisset uxorem, prima nocte thalami ruina cum sponsa periit. Sic Apollonides in primo Græcorum Epigrammatum:

Πρὸς πυλῶν εἶπεν γυνάζομαι, λῶ με θανεῖν
τέλης, μὴ σπεύσῃς δεύτερα φίλτρα γάμου.
εἶπεν. οὐδ' ἐς ἑτέρην ἰσοτέλεστον· ἀλλὰ φίλιππα
Διογένη λήθης πίοντο καὶ φθιμένη.
νυκτὶ γὰρ πρώτῃ θάλαμον χάσε μέλψις ἄφυκτος,
ὡς μὴ λέκτροι ἰδεῖν δεύτερον ἥλιον.

Apud Chios paulò ante cladem à Persis acceptam, domus cẽtũ uiginti PVEROS literas discentes ruina interemit, uno tantùm excepto. Herod. lib. 6.

ATHENÆVS è Seleucia Ciliciæ, philosophus Peripateticus doctissimus, Augusti tempore, à ruina domus, ubi habitabat, Romæ oppressus est. Strabo lib. 14.

IOANNES XXII. pontifex, pollicebatur sibi longam uitam, & diu se uicturum omnibus prædicabat. Interea camera noua, quam in palatio Viterbiensi extruxerat, subitò corruit. Ipse inter ligna & lapides inuentus, septima die pòst, acceptis omnibus ecclesiæ sacramentis, pontificatus sui mense octauo mortuus est, & Viterbij sepultus. Platina, & Fulgos. libro nono, capite duodecimo.

BELA I. Vngarorum rex tertio regni sui anno, ad Demes oppidum ex ruina cameræ ægrotare cœpit. Ad Canisam fluuium, succollantibus prætorianis militibus, delatus, uitæ diem clausit. Bonfinius lib. 3. Dec. 2. & Cromerus lib. 3.

LVDOVICVS, frater Gulielmi de Misna Marchionis, archiepiscopus Magdeburgẽsis, in oppidum Caluen multos suorum militum euocarat, cũ uxoribus & filiabus, diem festum cum suo acturos pontifice. Prætorium, quod erat in oppidum ducẽdo spaciosum, illis usibus instructum, desumsere ad ducẽdas choreas. Ducebãt in gyrum uertiginosam & ridiculam choream: cùm immenso pondere uicta domus subsidere inciperet, crepitum grandem præmittens. Archiepiscopus apprehẽdẽs manu quę ꝓxima stabat dominã, gradus inter primos abiturus petiuit. Quos ubi attigit, miserabili ruina extinctus est cum multis. Cranzius lib. 10. Saxoniæ cap. 5. & lib. 10. Metrop. cap. 23.

BRVNO episcopus Herbipolensis, cùm apud Cæsarem Henricum Nigrum in Austriæ arce Bosenburgo, anno Christi 1045. cœnaret, cum aliis principibus; ruina cœnaculi oppressus post septem dies expirauit. Cæsar Henricus miraculosè inter pòstes fenestrarum saluus & illæsus conseruatus est. Bruschius in episcopatibus Germaniæ.

FLORENTIVS monachus & presbyter, singularis persecutor & osor Benedicti, cùm septem puellas nudas in horto cœnobij iussisset cantare & ludere, ut hac ratione monachi accenderentur amore erga eas, repentino pauimenti collapsu elisus periit. Vincentius lib. 21. cap. 56. & Leo Hostiensis libro primo, capite primo.

Muri.

SYRI prelio uicti ab Achabo rege Israelitarum, cùm in urbem Aphecam fugissent, eorum uiginti septem millia collapso muro oppressa sunt, cùm in acie centum millia cecidissent. 3. Regum capite uigesimo.

IOANNES Britannię dux, Lugduni ruina muri oppressus est, cum multis alijs, dum pompa coronationis Clementis V. pontificis per urbem ducitur. Philippus quoq; rex ea ruina aliqua ex parte debilitatus est. Pontifex autem in tanta trepidatione ex equo deturbatus, solũ carbunculũ ex tiara amisit, precij aureorum sex millium, ut quidam scribũt. Platina.

Statuæ.

Vide locum, Mortis instrumenta, quæ extra corpus subsistunt, Statuæ.

Apri capitis.

Erat VENATOR in regione quę dicitur Andragathia, solitus antea eorum, quę ceperat, capita ac pedes Dianæ dicata arboribus affigere. At cùm aprum ingentem cepisset, contemta dea ait, se caput solum dicaturum: arboriq; cupiã suspenso, cùm meridianum æstum deuitans sub arbore quieuisset, in somnum incidit. Tum uinculo sua spõte dissoluto, caput decidens hominem peremit. Diod. lib. 4. cap. 3.

Hominis.

Romani, duce Tito, templum Hierosolymitanum obsidebant. Iudæi igne porticibus iniecto Romanos expulerant. Inter hos, quos ignis obsederat, Artorius quidam, appellato clara uoce LVCIO quodam cõmilitone & cõtubernali suo: Hæredem te, inquit, relinquo totius patrimonij mei, si me exceperis. Cùm autem ille promto animo accurrisset, ipse quidem, qui se in eum proiecerat, uixit: Lucius uerò pondere oppressus, cõstratoq; lapidibus solo allisus, mortuus est. Iosephus lib. 7. cap. 6. belli Iudaici.

Elephanti.

ELEAZARVS Iudæ Machabæi frater in pugna, quam Iudas contra Antiochum Eupatorem commisit, cõspicatus excellentem elephantum ornatum faleris regiis, & ratus in eo regem inuehi, magno animo in eum fecit impetum, & occisis priùs multis quàm ad eum penetraret, cæteris uerò metu cedentibus, succedens sub eius uẽtrem, confodit belluam, & ipse simul pondere eius illabentis oppressus est. Iosephus lib. 12. cap. 14. Antiq. ex Macchab. 6.

ICTV INTERFECTI

Rami.

Tlepolemus Tirynthius, LYCINVM fratrem Alcumenæ nothum ac filium Electryonis, per seditionẽ oleæ ramo interfecit. Volater. lib. 20. Anthrop.

Condyli, Manus.

Vide Tit. Pugilum. quatenus pugnorum ictibus necantur.

Condylo interemtum ab Hercule in Oenei conuiuio puerum legimus, qui manibus aquã infundebat: quẽ ARCHIAM Hellanicus nuncupatum scribit: Eunomium alij, Architelis filium: alij Cyathum. Quo facto, Calydone excessit is, cæde quanquam non uoluntaria. At in secũdo Phoronidos, Chetiam fuisse nomen, relatum scio. THERSITEM quoque condylis ab Achille interemptum, Græci scribunt, quoniam Penthesileæ ab se interfectæ oculum hasta percussisset. Cælius lib. 4. cap. 3. Antiq. Lect.

Clauæ, Fustis, Disci, Baculi.

Vide Mortis Instrumenta, ut extra corpus subsistunt.

Tlepolemus Herculis F. cùm uideret Lycimnium fratrẽ Alcmenæ auiæ suæ iam senem negligentiùs tractari à seruo ducto, re, baculo arrepto seruũ percussurus, cùm is ictum declinasset, Licymnium imprudens occidit. Homerus Iliad. β.

Pyri.

ANTIPHANES, Demophanis filius, Comicus, obiit in Chio, annos natus LXXIIII. casu pyro ictus. Suidas.

Testudinis marinæ.

AESCHYLO poetæ cùm prædictum esset, eum ruina periturum: is quò caueret, cum diem sub dio perseuerauit. Aquila decepta splẽdore capitis caluitio renidentis ad solem, dum saxum esse putat, testudinem illisit, ut fractæ carnibus uesceretur, eoq; iactu Aeschylum interemit. Val. Max. lib. 9. c. 12.

Saxi, Lapidis.

Vide Tit. Lapidibus necati.

Testæ, Tegulæ.

PASTOR, Ausonij ex filio Hesperio nepos, ut ipsemet in Parentalibus testatur,

Occidit emissæ percussus pondere testæ,
Abiecit tecto quam manus artificis.

EVSEBIVS Samosatenus episcopus orthodoxus, Dolicham Syriæ oppidum profectus, Arianis refertissimum, ut ibi episcopum Macem ordinaret, à muliere Ariana tegula supernè iniecta uulneratus, paulo pòst mortuus est. Theodoretus lib. 2. cap. 32. & lib. 4. cap. 13.

HENRICVS Castellæ rex, etiamnum puer, cum æqualibus ludens, tegulæ ictu è turre petitus periit. an. 1253. Rod. Toletanus lib. 9. rerum Hisp. cap. 4.

Stiriæ.

De PVERO per stillicidium iugulato, Martialis Epigrammatum libro quarto:

Qua uicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In iugulum pueri qui roscida templa subibat,
Decidit hyberno prægrauis unda gelu:
Cumq; peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido uulnere mucro tener.
Quid non sæua sibi uoluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si iugulatis aquæ?

COMPRESSIONE.

Ex loco Suffocatorum Pressura, huc pleraq;. Hic Imprimentis, illic Impressionis habetur ratio.

EXCORIATIONE.

BARTHOLOMÆVS apostolus, excoriatus est. Vnde Ioan. Franc. Mirandula in hymnis:

Huic etiam pellem Ptolemæi filius ardens
Deposuit.——

MARSYAS ab Apolline (quem ad tibiæ certamen prouocauerat) uictus & excoriatus est. Ouidius in Ibin:

Mens quoq; sic furiis uæcors agitetur, ut illi,
Vnum qui toto corpore uulnus habet. Item:
Nudáue direpta pateant tua uiscera pelle,
Vt Phrygij, cuius nomina flumen habet.

Otanis, quem Darius rex oræ maritimæ præfecerat, patrem SISAMENEM, uel Sisannem, unũ è regiis iudicibus, quòd iniustè ob pecuniam iudicasset, rex Persarum Cambyses interemit, interemtoq; detractum coriũ in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intendit: ibidémque eius filium Otanem sedere iudicem iussit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret. Herod. lib. 5. Valer. libro sexto, capite tertio.

IVDICES iniusti excoriati à rege Artaxerxe. Diod. lib. 14.

MESABATES eunuchus iussu Parysatidis reginæ ob Cyri F. præcisum caput & manus, excoriatus. Plut. in Artaxerxe.

IOANNES primus martyr ob refixa contra Christianos decreta ac minutim discerpta sub Diocletiano excoriatus. Sabellicus, & Platina.

SAIS dux Cosrois Persarum regis excoriatus, eo quòd Heraclium Imp. aduersus quẽ magno cum exercitu missus erat, non cepisset. Cedrenus.

HERCVLANVS episcopus Perusinus cùm Totilæ exercitus post septennem obsidionem Perusium expugnasset, ex regis mãdato, ciuibus omnibus interfectis, capite truncatus, deinde excoriatus, tandem è muro præcipitatus.

PHILIPPVS & GVALTERVS Danoysij (Andegauẽses Fulgoso lib. 6 cap. j.) ob Margaritam Ludouici Hutini regis Nauarrę, Blancam Caroli Marchiæ comitis uxores corruptas, à Philippo Pulcro Francorum rege impudicitiam nuruum ulciscente uiui excoriati & suspensi fuere, circa ann. sal. 1313. Chronicon Francorum.

Cùm Mahometus per proditionem CIVIS cuiusdã Constantinopolitani, qui Constãtino VIII. infensus erat, urbem cepisset, magnum auri pondus in medium afferri iussit, & ad proditorem conuersus: Qui, inquit, filiam meam tibi uxorẽ cum dote, quæ præsens est, poscis, cùm Christianus sis, cutẽ hanc exuas oportet, ut dignus Mahometica spõsa fias. Adest carnifex, & excoriat hominem: inde cineres cum sale ca-

lidos

lidos uulneribus inseruit, mox lecto cooperuit, quasi noua cutis ei hac ratione succrescere posset. Cuspinianus in uita Constantini VIII. Imperatoris.

MVTILATIONE.

Israelitæ ADONIBEZECVM regem mutilarunt extremis manibus ac pedibus: quo modo excruciaauerat ipse septuaginta reges. Iudicum primo.

Auidius Cassius nouo exemplo MVLTIS desertoribus manus detruncasse & pedes dicitur: asserens maioris disciplinæ fore, miserabiliter criminosum uiuere, quàm occidere.

CRESCENS Patricius Romæ ab Othone Imperatore debellatus, uictus, & ex fuga retractus, membris truncatus, & ad ultimum ante urbem suspensus est. Sigebertns in Chron.

PHOCAS Imp. truncatis membris necatus ab Heraclio. Cuspinianus.

IACOBVS Persa martyr, Denodatꝰ uel Intercisus dictus, quia membratim ob Christi professionem dissectus. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12.

ARCADIO martyri manus primùm, demùm pedes, eoque modo cætera membra amputata sunt.

LANIENA, DISCERPTIONE, DISSECTIONE, FACTA AB *Hominibus.*

AGAGVS rex Amalechitarum à Saulo rege Israelitarum captus, cæsis omnibus suis copiis, à Samuele propheta Galgalis frustatim dissectus fuit. 1. Regum 15.

Cùm OSIRIS, Aegyptiorum rex, à Typhone fratre impio esset cæsus, corpus eius inter conscios coniurationis est diuisum. Virilia cùm nemo uellet recipere, in Nilum flumē sunt abiecta. Typhone ab Iside Osiridis coniuge deuicto, cæteræ Osiridis partes sunt inuentæ, præter pudenda: quæ Isis sacra uit, colique multis ceremoniis instituit, eique qui in Aegypto initiabantur prima sacra faciebant: nominatusque est Priapus: occulto nomine, quòd ueteres honestiore uocabulo sic nominarent inhonesta. L. Viues in 2. lib. August. de ciuitate Dei, cap. 14.

Medea fratrem ABSYRTVM, & FILIOS ex Iasone susceptos membratim discerpsit. Ouid. in Metamor. & in Ibin:

Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere uias.

ORPHEVS Calliopes & Apollinis filius, quum propter liberalem formam à mulieribus adamaretur, ac nihilominus amore sui captas auersaretur, quòd esset castissimus, aut (ut aliquibus placet) procliuiore in mares libidine: à Mænadibus inter Bacchi sacrificia discerptus est. Nempe qui saxa & arbores cantu duxerat, & leones exarmauerat, mulieres emollire non potuit. Ouid. in Metam.

PELIAS Thessalorum rex cùm Medeæ præstigiis deceptus, senectute deposita, iuuenilem ætatem recipere cupit, à filiabus doli ignaris artuatim discerptus est. Diod. lib. 4. c. 3.

BESSVS Bactrianorum præfectus ob interfectum per seditionem à se Darium, ab Alexandro Magno minutatim concisus est. Diod. lib. 17. & Sab. lib. 8. cap. 4.

CLEOMENES rex Spartanorum post reditum ad exilio insania correptus est. Nam ut cuiq; Spartanorū obuius erat, in eius faciem infligebat sceptrum. Hæc facientem propinqui eius soleis ligneis illigauerunt. Is custodem digressis aliis solum remansisse uidens, gladiū sibi tradere coëgit. Quo accepto, à suris incipiens sese detruncauit. In longum namq; discindens carnes, è tibiis ad femora processit, è femoribus ad coxarum uertebras atq; ilia: quousq; peruenit ad abdomen, in quo rescindendo expirauit. Herod. lib. 6.

Bello Peloponnesiaco PISISTRATVM Orchomenium, qui odium habebat nobilitatis, & uilem plebem complectebatur, destinauit senatus necare: ac discerptū in sinus suos côiecerunt, terramq; raserunt. Enimuerò fex plebis suspicione capta concurrit in curiam. Ibi minor natu regis filius Tlesimachus coniurationis conscius ex concione plebem retraxit, spectasse fatus se parentem subito impetu ad montem Pisæum rapi specie quàm humana augustiore. Ita delusa plebs fuit. Theophilus lib. 2. de rebus Pelopōnesiacis, apud Plut. in Parallelis.

Finitimorum bellorum causa senatus Romanus congiarium publicum antiquauit. Quod ęgrè ferens ROMVLVS, id populo reddidit, multosq; principum multauit. Hi in senatu eum trucidauerunt, concisumq; in sinus suos coniecerunt. Populus uerò cum ardentibus titionibus in curiam concurrit. Ibi Aetius Proculus uir clarus Romulum retulit in monte se conspexisse omni humano modo ampliorem, ac deum factum. Cui attribuens populus fidem digressus est. Ex Aristobuli lib. 3. rerum Italicarum, idem, & Dionysius lib. 2.

BEBIVS, ferarum ritu inter manus carnificum sine ferro discerptus est. Lucanus libro secundo:

—Vix te sparsum per uiscera Bebi
Innumeras inter carpentis membra coronæ.
Discerpsisse manus.—

Protogenes quidam, sæuissimorum Caij Caligulæ mandatorum minister, duos circumferre libellos solitus, quorum alterum Ensem, alterum Pugionem uocabat: curiam ingressus, cùm omnes ei dexteras porrigerent scilicet, toruo uultu SCRIBONIVM Proclum intuitus: Et tu me, inquit, salutare audes, Imperatori tam infensus? Quo cæteri audito, senatorem illum discerpserunt. Ea re delectatus Caius, se reconciliatum esse senatui dixit. Zonaras.

MAXIMVS tyrannus Orientalis, qui Eudoxiam Valentiniani III. Imp. uiduam ui rapuit, à populo membratim discerptus est. Sigebertus in Chronicis.

Anastasius Imp. LONGINVM Selimantheum militiæ magistrum, qui seditione multas Orientis regiones turbarat, Nicææ Bithyniæ tāquam feram dilaniari fecit, cæsis quos secū habebat Barbaris. Cuspinianus.

Theoderici Visigothorum regis in Gallia MILITES, Ariani, quia D. Iuliani Aruernensis templum spoliauerant, ab immundis correpti spiritibus, mutuis morsibus se inuicem lacerarunt. Gregor. Turon. lib. 3. cap. 11.

THEOBALDVS Brussatus Brixianus in patriā ab exilio, Henrici VII. Imp. beneficio, reuocatus, cùm Brixianos ad rebellionem aduersus Henricum sollicitasset, capta Brixia, equo alligatus in quatuor partes discerptus fuit. Cuspinianus.

Bello contra Fr. Carrarium Patauinorum principem suscepto, cū resciuissent Veneti subornatos fuisse QVOSDAM a tyranno, qui aliquot ex patricio ordine uiros trucidarent: deprehensi, tota urbe equis distracti, & ad geminas columnas in quatuor partes dissecti, pœnas concepti sceleris meritissimas luerunt. Sab. lib. 4. Dec. 2.

Arboribus.

Vide, Arborum inflexione mortui.

Belluis.

Vide Tit. Bestiis obiecti. Ab Equis, Leonibus dilaniati.

DEVORATIONE. DEVORATI AB *Hominibus.*

Anthropophagi huc referendi sunt, si patientem personam spectes. Sin uerò agētes, eos, qui his cibis delectantur, ad locum Inhumanitatis pertinent.

CAMBLETA Lydorum regem eò uoracitatis progressum, ut nocte quadam uxorē quoq; absumserit: quumq; summo mane illius manum in ore cōperisset, semet iugulasse, Xanthus apud Cælium auctor est.

Belluis.

Consule Tit. A Canibus, Vrsis, Equis deuorati.

REPLETIONE MORTVI

Consule Tit. Cibo, Vino mortui, suffocati. Item, Pinguedine suffocati. Nam diuerso respectu eadem exempla ad locos diuersos referenda.

PHILOXENVS Cytherius dithyramborum poeta, ex nimio cibo mortuus. Teste Machone Comico. Athen. lib. 8. cap. 6.

Cùm Alexander exequias celebraret Calani Indi philosophi, qui seipsum in pyram accensam cōiecerat, crapula XLI. MILITES in eius funere mortui sunt. Aelian. lib. 2. de Varia historia. Athen. lib. 10. cap. 12. Suidas. Plut. in Alexan.

DIONYSIVS tyrannus, cùm uictor Athenis declaratus esset cum sua tragœdia, in festo Bacchanalium, conuiuio instituto, uino nimis indulgens, ex crapula periit. Hac ueratione oraculū impleuit, quo ipsi fuerat denūciata mors, si meliores superasset. Cùm enim parum bonus esset poëta, uicisse meliores poëtas Atheniensium suffragiis iudicatus est. Diodorus libro 15.

PERSÆ post infelicem pugnam ad Salaminem fugiētes cum Xerxe, Hellespontum nauibus traiecere ad Abydum, quoniam rates tempestate dissolutæ erant. Ibi copiosiorem quā in itinere commeatum adepti, nulla modestia sese reficientes, ac mutatis aquis, permulti interibant ex iis, qui de exercitu superfuerant. Cæteri cum Xerxe Sardis peruenere. Herodotus libro octauo.

HEPHAESTION ex India reuersus cum Alexando Magno, febre laborabat Ecbatanis Mediæ. Vt iuuenis & militaris, exactioris impatiens uictus, dum medicus Glaucus ad spectaculum abiret, prādium sumsit: adesoq; gallo gallinaceo asso, atq; epoto ingenti uini frigefacti cratere, malè habuit, pauloq; pòst decessit. Aegerrimè tulit Alexāder casum huc, defunctiq; cadauer Perdiccæ, uti Babylonem deferri curaret, tradidit: amplissimoq; funere mortuum amicum sepeliret habuit in animo. Glaucum uerò, per cuius absentiam peccandi licentiam æger sumsisset, in crucem sustulit. Diod. lib. 17. & Plut. in Alexandro.

Babylone Medius quidam Thessalus, unus ex amicis regiis, uehementer ALEXANDRVM Magnum rogarat, uti ad geniale conuiuium, quod celebrabat, uenire non recusaret. Ibi mero multo se onerauit. Nouissimè quum repletū magnū Herculis poculum ebibisset, repentè ueluti fortissimo ictu uerberatus, & clamorem & suspiratum ingentē edidit. Sublatus adstātium amicorum manibus, illinc discessit: statimque adhibiti medici, fecerunt uti cubaret, diligenterq; ei adsidebant. Morbo autem inualescente, cùm medici nullo remedio ei possent succurrere, doloresq; acutissimi, & ueluti cruciatus eum torquerent, uitæ omnem spem abiecit, detractumq; è digito anulum Perdiccæ tradidit. Amicis rogantibus, cui imperium relinqueret: Præstantissimo, respondit. At que hac nouissima uoce illud nimirum significauit, magno primorū ducū certamine sibi iri parentatum. Mortuus est, regni sui an. 12. mense 7. maximis rebus gestis, ut regum nullus ei cōparari possit. Diod. lib. 17. Aristobulus febri ex intēpestiuo meri potu decessisse scribit. Plut. in Alex.

Cùm Dionysius Siciliæ tyrannus, Athenis in festo Bacchanalium tragœdiam edidisset, & uictor declaratus suffragiis fuisset, quidam ex cantoribus Chori, splendidum honorificumq; munus se accepturum ratus, si primus hoc nuncium attulisset de uictoria, nauigauit Corinthum. Ibi cùm inuenisset nauem, quę in Siciliam itura esset, conscensa ea secundis uentis usus est, cumq; appulisset Syracusas, continuò retulit Tyranno uictoriam. Dionysius nuncio muneribus affecto, magnam lętitiam ex ea re cepit, gratulatoriaque sacrificia diis offerens, compotationes & conuiuia magno cum apparatu celebrauit. Cùm autem inuitasset amicos atq; familiares suos, & inter pocula nimiū uino indulsisset, in grauissimum morbum delapsus periit, propter ingurgitati uini copiam. Diodorus lib. 15.

DEMETRIVS Poliorceres à genero Seleuco Asiæ rege uictus & captus, & Cherronensi custodiæ mancipatus, primò corpus quouis modo exercuit, uenatione, quatenus licebat, & cursibus utens. Hinc paulatim ab iis ad pigritiam & ignauiam delapsus, præcipitauit se in pocula & aleam, atq; his tempus ferè traduxit. Postquam tertium annum inclusus Chersoneso fuit, ex otio, sagina & uino in morbū delapsus decessit, cùm annos natus esset quatuor & quinquaginta. Plutarchus in Demetrio.

LACYDES philosophus ex nimia compotatione incidit in paralysim, qua mortuus est. Rauisius.

Mortuus est ob ebrietatem EVMENES Pergamenus Philetęri, qui in Pergamo regnauit, nepos: ut Ctesicles narrat lib. 3. Temporum. Athen. lib. 10. cap. 16.

Q. ENNIVS periit septuagenarius ex podagra, quam nimio potu contraxerat. Q. Serenus:

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Cælius lib. 28. cap. 30. A. L.

Reducebat exercitum è Media M. Antonius, magnis itineribus, & rerum omnium inopia, Parthis undique urgentibus. Postquam transmisere Araxem, qui Mediam & Armeniam disterminat, & Armeniam iniere: ut si tunc terram illam e pelago conspexissent, adorauerunt eam ROM. milites, atque in lacrymas se & mutuos complexus præ gaudio effudere. Quia uerò iter faciebāt per affluentem regionem, ut eb antur que omnibus ex magna inopia effusè, euaserunt hydropici & cœliaci. Ibi recensito Antonius exercitu, desiderauit uiginti millia peditum, & quatuor equitum, qui non interierunt ui omnes hostili, sed supra dimidium eius morbo. Plut. in Antonio.

Cùm Hierosolyma à Tito obsideretur, multi IVDÆORVM fame pressi ad Romanos confugerunt. Hos autem sæuior ea, quam intus pertulerant, fortuna cōsequebatur: & fame, quam domi reliquerant, uelociorem apud Romanos inueniebant ad exitium satietatem: aderant nanque inflati ex inedia, & uelut morbo intercutis aquæ turgidi, deinde uacua ta replentes corpora disrumpebantur: nisi qui periti desideria cohibuissent, paulatimq; cibum desueto corpori obtulissent. Iosephus libro septimo, cap. 15. Belli Iudaici.

IOVINIANVM Imp. ciborum in stomacho incoctorum cruditate periisse, ferunt. Egnatius.

DOMITIVS Afer Nemausensis, Fabij Quintiliani pręceptor, Neronis principatu, cibi redundātia in cœna periit. Sab. lib. 2 En. 7. ex Eusebio.

VALENTINIANVS Imp. Quadorum legationi respondēs, uoce impetu sanguinis amissa, sensu integer expirauit. Quod ex intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse multi dixêre. Sextus Aurelius.

ATILA Hunnorum rex, cùm se, ut in Italiam reuerteretur, accingeret, uxore Hildicone, Bactrianorum regis F. ducta, prima nuptiarum nocte, cùm nimio uino ciboque pressus dormiret, sanguine ipse suo enectus est. Paulus Diaconus.

ALEXANDER Leonis Philosophi Imp. frater, pransus, lotus, & inebriatus, à somno ad ludum pilæ se contulit: & oborto uiscerum dolore, multo per nares & ueretrum sanguine egesto, postridie decessit. Cedrenus.

CHILDERICVM Saxonem, quum aliquando ad ambas usque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum fuisse, & repertum in lecto mortuum, Gregorius Turonēsis auctor est.

LEONATVS Clarentius, Britanniæ regis F. quum nouæ nuptæ Violanti, Galeacij II. Vicecomitis filiæ, operam daret, intempestiuisq; conuiuiis ad patrij moris disciplinam, alieni cœli ignarus, intemperantius uteretur, ad Albam morbo consumtus interiit. Violantes demùm Othoni Marchioni Montisferrati, nuptui data est, sed nihilo felicioribus auspiciis, quum Otho in montibus Parmensium ab agresti agaso nē confossus, ignobili fato perierit. Ioulus in uita Galeacij.

Friderici I. Imp. ductu GERMANI in Armeniam bello sacro penetrarant. Mortuo ibi Augusto, siue quòd submersus, siue ex equi lapsu, Fridericus, Sueuiæ dux, filius Augusti, cum reliquis Antiochiam peruenit: hique ibi morbis tentati, insolentia credo cœli, & sibi minimè parcentes, assuetique uictu liberiore largioreque uti, ad extremam propè paucitatem redacti: inde orā maris petitā, nauibus in castra ad Ptolemaidem posita delati sunt, uix mille octingenti iustis armis ornati. Filius patris corpus Tyri sepeliuit, nulla præterea memorabili re gesta. Aemilius lib. 6.

INANITIONE. DEFECTV *Cibi. Fame mortui.*

Consule Tit. Fames memorabiles, quatenus mortis ob famem exempla illic habentur.

VXOR Hircani III. Iudæorum ducis, fame in uinculis à filio Aristobulo necata. Iosephus.

ERISICHTHONEM poetæ fabulantur ob neglecta Cereris sacra ad tantam famem redactum, ut propria membra deuorauerit, seque ipsum corroserit. Addunt & filiam eius Metram in uarias formas Neptuni beneficio mutari solitam, prostitutione corporis patrem alere solitam. Ouidius libro octauo Metam.

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.

ERISTHENES à matre inedia interfectus est, quòd malè in bello pugnasset. Ouidius in Ibin:

Obstrictusq; famem patiaris limine tecti,
Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parens.

SISIGAMBIS Darij Persarum regis mater, ab Alexandro Magno capta, inedia extincta est, quum cibo aliquandiu abstinuisset. Curtius libro 4. de gestis Alexandri, ait eam itineris continui labore, animiq; ęgritudine fatigatam, inter manus filiarum defecisse. Demùm lib. 9. die quinto extinctam, quo mori statuerat, cibo & luce dedita opera sibi subtractis

ERATOSTHENES Cyrenæus, Aristonis Chij, siue Callimachi poetæ discipulus, & præfectus bibliothecæ Ptolemæi, quum diuturno morbo torqueretur, neque remedium inueniret, inedia se peremit, anno suæ ætatis LXX. Suidas.

CLEANTHES philosophus, Zenonis discipulus, ut cuidam morbo mederetur, nimia inedia se peremit, iter iam sibi confectum esse dicens, 98. ætatis anno. Laertius.

PAVSANIAS Lacedæmonius, eo quòd pecuniam accipiēs, Spartam Xerxi se per proditionem traditurum promiserat, à patre Agesilao in Palladis Chalciœcæ templo, quò cōfugerat, clausis cocto latere foribus, fame consumtus est. Chrysermus libro secundo Historiarum, & Plutarchus in Parallelis. Etsi alij matrem eius, primo latere in limine posito, Spartanos officij sui admonuisse scribant.

ARISTO poeta ab Atheniensibus fame extinctus est, ob maledicentiam. Ouidius in Ibin:

Vtque parum stabili qui carmine læsit Athenas,
Inuisus pereas deficiente cibo.

ANAXANDRIDES comicus Rhodius, cùm contra Atheniēses scripsisset, ab illis inedia necatus est. Gyraldus Dialogo 6. hist. Poet.

Alexander insulsum uersificatorem CHOERILVM (quem præconem suorum dedignabatur facinorum) inedia sustulit. Ouidius in Ibin:

Inclususq; necem cauea patiaris, ut ille
Non profecturæ conditor historiæ.

Fames, inquit Ammianus Marcellinus, est ignobile mortis genus: Apocarteresim uocāt Græci. Sic PERSEVS, ut Plut. scribit, Macedonum rex, Romæ ἀποκαρτερήσας, id est, inedia uitam finiuit. Cælius lib. 13. cap. 24. A. L.

NEOCLES Sicyoniorum tyrannus, à suis ob crudelitatem fame & frigore extinctus est. Ouidius in Ibin:

Aut ut oliuifera quondam Sicyone profecto,
Sit frigus mortis causa famesq; tuæ.

IVDÆORVM in excidio Hierosolymitano captorum XII millia fame perierunt, partim quòd illis præ odio custodes cibum dare denegarent, partim quia præ obstinatione cibum sumere renuebant. Iosephus lib. 7. cap. 16. belli Iud.

PEN-

Tacitus lib.12. Xenophontem, medicum ab Agrippina adhibitum refert, qui pinnam rapido ueneno illitam, faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus, summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. Plin.lib.22.cap.22. Quo facto, inquit, illa terris uenenũ alterum, sibiq; ante omnes Neronem suum dedit. Celebre est, Dionis testimonio, NERONIS dicterium, τοὺς γὰρ μύκητας θεῶν βρῶμα ἔλεγεν: id est, esse deorum cibum fungos dicebat: quoniã fungi esu Claudius esset in deos tralatus. Cælius libro 9.cap.12. Antiquarum Lectionum.

Marullus in Epigrammatis scribit, BILIOTVM astrologum, aspersis ueneno boletis, instar Claudij periisse, ubi ait:

Dum cauet astrologus perituris sidera nautis,
Dum sibi boletis non cauet, ipse perit.

SANCIVS I. Asturum rex pomo uenenato à Gũdisaluo principe trans flumen Dorij, quem imperata facere armis cõegerat, sublatus est, ann. 975. Rodericus Toletanus lib.5. rerum Hispan.cap.10.

Carolus, Ioannis Boemorum regis F. (qui pòst ad imperium peruenit) contra Gibellinos patris in Italia uicarius, res gerebat pace & bello. Veneficus quidam Papiæ mutum se esse fingebat, & per hoc quasi naturæ uitium facilè se in aulam, dein per operas suas, quas quotidie promtissimas cocis præstabat, in coquinam se insinuauit. Paschæ dies & festo & epulis celebris erat, cùm ille cibis maturiùs uenenum infunderet, quàm Carolus à solenni sacro rediens ad prandium discumberet. Aulici famis impatiẽtes, ad sumendum ientaculum à sacris se subducunt, & omnes, qui seorsum ientarunt, mortui reperti sunt, inter quos præcipui IOANNES à Quercu, quem pater aulæ Caroli magistrum dederat, & IOANNES ab alta Ecclesia, cibi, sicut SIMON à Ceycla poculi administer. Carolus in alia domo prandiũ sibi adornari iubet. Inter prandendum illò quoq; ueneficus sese ingesserat. Carolus, uiso adolescente in peregrinũ modum detonso, quis nam sit interrogat. Mutũ esse aulici respondent, & satis diu in aula uersatũ. Capiatur, inquit, confestim quisquis ille est, ac quæstioni & tormentis subijciatur, donec exploratum habeamus, uerè an fictè sit elinguis. Tortus fari cœpit, auctorem tanti sceleris Vicecomitẽ Mediolanensem esse prodidit. Dubrauius lib.21.

Galeacius & Barnabas Vicecomites fratrem MATTHÆVM, quòd aliquando in cœna, laudantibus fratribus principatus dignitatem, subiunxisset: Id quidem sine controuersia uerum esse, modò quis principatus socio consorteq; careret: ueneno suillis lumbis, quibus Matthæus mirificè delectabatur, illito, sustulerunt. Iouius in uita Matthæi.

BARNABAS Vicecomes, ab Ioanne Galeacio patruele captiuus factus, & in Tritianã arcem ab se ædificatam deductus, septimo carceris mense, cùm regnasset annos triginta, uixisset sexaginta sex, ueneno faseolis indito, ut fama tũ fuit, extinguitur: eo quidem æquiore animo tolerata calamitate, quòd in manibus Donninæ Porræ adamatæ antea concubinæ, in ipsa extrema uitæ sorte non planè miser, expirarit. Hæc calamitatis ultrò consors supremũ in tantis ærumnis misero seni solamẽn attulerat. Iouius in Barnaba.

Potu.

Cùm VENETI, duce Vitali Michaele, contra Emanuelẽ Constantinopolitanum Imperatorem classem instructissimam misissent: Emanuel sceleratissimus princeps in Chio insula, compositionis specie, Venetos detinuit, & illic fontes & flumina ueneno infecit. Magna igitur pars exercitus amissa, & uniuersa IVSTINIANA familia nobilissima extincta, cùm ex ea omnes, qui per ætatem arma ferre poterant, ad id bellũ exiuissent. Sab.li.7. Dec.1. P. Marcellus in uita Vital.

Occa Anglosaxonum rex, VTERVM Britannorum regem in Vualiam fugauit. Illic dum febre correptus æstuaret, limpidæ aquæ haustu è proximo fonte, quam quidam Saxo ad id subornatus toxico miscuerat, est extinctus: posteaquam Britannicarum rerum potiri inceperat, anno decimooctauo, Christi 522. H. Boethius lib.9.

MERCATORES duo nõ longè ab urbe Tholosana, interim dum pararetur prandium, in hospitij hortum deambulandi causa progressi, folia saluię legerunt, eaq; ut lecta fuerãt, in uinum suum merserunt. Nondum pransi erant, cùm illis repentina uertigine prehensis totũ diuersorium susq; deq; uerti uisum est, tum occæcati in syncopem lapsi sunt, obortis per interualla conuulsionibus interruptam. Cæterùm labris linguaq; nigricantibus balbutiebant, aspectu toruo & horrido, cum effreni uomitu, sudore frigido, mortis, quę mox illis, in altũ tumorẽ toto corpore sublatis, cõtigit, pręnuncio. Cũ de ueneno ipsis exhibito iustitię eius municipij custodibus iniecta esset suspicio, manus in hospitij dominũ omnesq; conuiuas iniectæ sunt. Quæstione habita, constãti & una uoce singuli responderunt: Iisdem mortuos illos cibatos potionatosq;, quibus & reliqui, hoc uno excepto, quòd saluiam uino suo non affudissent. In hortũ ueniunt, subterraneũ foramẽ ad saluię radicẽ inueniunt totũ bufonib. differtũ, qui instillata aqua tepida illecti, fidẽ fecerunt, uenenum à se in plantam illam & saliua & urina illatũ fuisse. Amb. Pareus lib.20. Operum c.24.

Pharmaco.

☞ *Vide Tit. A medicis necati.*

CONSTANTINVS Magnus Imp. iam senex, Persis Mesopotamiam diripientibus bellum indixit, paratasq; ad hoc opus copias eduxit, classeq; transuexit. Ipse Sotiropolim urbem petiit, quæ Pythia antea uocata est, ut aquis calidis senile corpus foueret, uiribus pro ætate conseruandis. Priusquam se ablueret, medici pharmacon dedêre: ministri corrupti precio ab affinibus, nocua immiscuêre. Ille intrepidus poculũ ebibit: pòst paulo incidit in morbũ, quo ingrauescente, ductus est in uillam publicam prope Nicomediã, ibiq; mortuus est, cùm uixisset annos 66. ac imperasset 32. Cuspinianus.

BALDVINVS III. rex Hierosolymorũ, Antiochiæ ante ingruentem hyemem pro more pharmaco quodam usus, cui uenenum immixtum credebatur, dysenteria & febri correptus, interiit (pharmaci certè reliquum cani porrectum, cũ enecuit) anno regni 24. Salutis 1163. Tyrius.

Eucharistia.

VICTOR tertius, Gregorij VII. successor, ueneno calici primæ missæ mixto periit. Malmesburiensis libro 3. cap.39. & Volaterranus lib.23.

HENRICVS Lucelburgensis Imp. exacerbatus à Turrianis, dum Guelfam factionem persequitur, rebellium Florentinorum & Senensium terras ferro igneq; uastabat. Instabat beatissimæ Virginis dies, quo in cœlum ab Angelis assumta est, quo solitus erat Cęsar, omnibus intermissis negotiis, rebus diuinis uacare. Manè itaq; post peracta solẽnia, cùm de more sacrosanctam Eucharistiam acciperet à fratre ordinis Prædicatorum Bernardo sexagenario, à Florentinis & Roberto Siciliæ rege subornato, illicò incepit ægrotare. Ferebatur monachus sub unguibus uenenũ habuisse, quo & hostiam & calicem infecerat: moxq; dehinc abiit. Inualescente morbo, Cæsari consulunt proceres, ut Pisas reducatur. Quibus respondit, se in seruitio Dei esse, nec aliò profecturum. Itaq; Beneuẽtum defertur, ubi animam Deo reddidit. Anno imperij quinto, Christi 1313. Pisas delatus ac sepultus est. Cuspinianus, & Volat.lib.23.

Illitu, Contactu.

Calphurnius Bestia, Romæ VXORES aconiti contactu dormientes interficere solebat. Plin.lib.27.c.2.

Nessus Centaurus stuprũ Deianiræ, Herculis uxori, illaturus, ab Hercule sagitta conficitur. Qui ubi uim grassantis ueneni in se sentire cœpit, Herculę in Eueni traiectu occupato, Deianiræ persuadet, amatorium uirus suo cruori inesse. Fore igitur, ut si eo sanguine, quo Herculis sagitta esset illita, mariti interior inungeretur tunica, si, quando eam maritus induisset, nullã amplius esset puellam, præter eam, quę dedisset, amaturus. Non multò pòst HERCVLES facturus sacra in Cineo monte, ad uxorem Deianaram mittit, ut sibi uestem, qua in sacris uti consueuerat, transmitteret. Deianira per Lycam de Ioles pellicatu certior facta, tunicã concreto Nessi sanguine, in hunc usum asseruato, illinit. Quam Hercules indutus, ueneno tactus, & intolerandis doloribus uictus, Lycam primò interfecit: dein consulto oraculo, seipsum in Oeta monte, extructa pyra, exussit. Sab. lib.6. En.1.

Cùm Manuel Comnenus Græcorum Imp. Hunnis STEPHANVM (cui Mariam ex fratre neptem uxorem dederat) Iazæ (seu Geisæ) Pannoniæ regis fratrem, uellet obtrudere regẽ: Hunni per ministrum quendam eius, Thomam, largitionibus corruptum, uenenum illi propinarunt. Is enim, cùm fortè Stephanus uenam incidisset, ueneno ictum inunxit: quod in totum corpus diffusum, correptis uitalibus, hominem celeriter confecit. Nicetas lib.4.

OTHO II. Imp. uictus turpiter à Græcis, à Piratis captus, & redemtus, ut ignominiam fugamque ulcisceretur, collectis dispersi exercitus reliquiis, Beneuentum incendit, urbemq; uastauit. Sed dum incautè nimis Græcos atque Saracenos persequitur, sagitta uenenata uulneratus, Romam rediens, post paucos dies diem suum obiit, decimo Imperij sui anno, in porticu basilicę S. Petri, labro porphyretico sepultus. Alij tradunt, quòd in montem Garganum secesserit, licet à Pontifice esset prohibitus, ut angelorum uisiones haberet. Sed quòd temerè sacratum locũ introiisset, fertur, prostratus & cæsus manè cruentatus Romam commigrasse, & Benedicto Pontifici reuelasse, dein uehementi languore aggrauatum decessisse. Cuspinianus.

OTHONI III. Imp. uxor Crescentij Romani cõsulis (quem ut seditiosum interfici iusserat) xenij prætextu dono dedit chirothecas ueneno litas, in pignus amoris. Quibus Imperator indutis, corpus infecit, & mortuus est. Albertus Granz. & Munst. in Cosmogr. Sigebertus in Chron.

LADIS-

LADISLAVS Caroli F. rex Neapolitanus, pacem Florentinis anno 1417. dedit ea lege, ut uirginẽ formosiss. omnium indigenarum in uxorem sibi darent. Pater uirginis medicus filiæ pudori metuens, pannum uenenatum, quo in geniali thoro regẽ abstergeret, tradidit. Quo illa parum cautè usa, & regi & sibi mortem accersiuit. Chalcocondylas lib.3.

NELPHVS, de quo elegans Aurelij Augurelli ode, facti continens historiam, extat, cùm in certamine equestri Patauij uictor extitisset, deposita galea ut respiraret, ab inuidis, quod plebeius esset, copioso illito intus opio, extinctus est. Cardanus de Subtilitate, lib. de Mirabilibus.

☞ VNDE SVMTO. Vbi seruato. In

Anulo.

Cn. Pompeij tertio consulatu, duo millia pondo auri è Capitolini Iouis solio surrepta periêre, à Camillo ibi condita. AEDITVVS custodię eius cõprehensus, fractã in ore anuli gemma, statim expirauit, & indicium ita extinctum. Plinius lib.33. cap.1.

ANNIBAL, Amilcaris filius, dux Carthaginensium, post L. Cornelium Scipionem, patrem Scipionis maioris, superatum, Semproniũ ad Trebjam, C. Flaminium ad Thrasymenum magnis cladibus affectos, P. Aemilium apud Cannas cum toto exercitu deletũ, Claudium Marcellum occisum: à Scipione iuniore postremò uictus, & fugatus, ad Antiochũ primùm, deinde ad Prusiam Bithyniæ regem confugit, ubi septem occultos exitus è domo confecerat, ne à quopiam intercipi posset. De cuius fide dubitans, quoniam uidebat Flaminium legatum à Romanis missum, ac se paulatim à militibus circumseptum, uenenum (quod in anulo gerebat) hausit.

Calamo.

DEMOSTHENES orator Atheniẽsis, ex Demadis decreto multandus capite, fugiens in Calabriam insulã Aegei maris, in templo Neptuni ab Archia Tyrio actore tragœdiarum, Antipatri (qui Alexandro successit) satellite, cùm deprehensus esset, sumto calamo, quasi priùs literas ad Antipatrum scripturus, uenenum illic inclusum exhausit, statimq; moribundus cecidit. Cælius lib.8.c.13. A.L.

Crico.

Scribit Eratosthenes, DEMOSTHENEM in crico pertuso, quod esse brachij gestamen quidam interpretantur, præsidio ultimorum casuum, consuesse uenenum gestare inclusum, quod etiam hauserit intrepidè, ne quid indignum tanta uirtute à Macedonibus pateretur. Hinc natum, ut quod speciem quidem habet extrinsecus, & oculos aspectu iucũdo allectat, intus uerò perniciem seruat euidentissimam, Cricum dicamus Demosthenis. Idem.

Cnestide.

CLEOPATRAM in cnestide concaua, crinibus implexa occultataq; uenenum habuisse, produnt nonnulli. Cnestidem sunt, qui laminulam interpretentur. Cælius lib.8.c.13. A.L.

☞ QVO EFFECTV. Veneno confecti

Tardo, lento, tabifico.

Alexander VI. Pont. GEMEM Othomannum, Baiazetis II. Turcarum regis fratrem, quem paulo antè Carolo VIII. Galliæ regi tradiderat, lento ueneno sustulit, lethifero puluere saccatis, quibus Turca pocillis omnibus uteretur, misto. Is erat puluis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum sapore, qui non acriore ui protinus, sicut præsentanea uenena, spiritus uitales opprimeret: sed sensim uenis illabẽdo exitiabili tarditatẽ grassaretur. Quo postea Alexander opulentos aliquot senatores, & postremò seipsum incautè mutata lagena, sustulisse ferebatur. Iouius lib.2. hist. Eius mors à Pontifice procurata fuisse, credita est: siue quòd eum inuitus regi concessisset, atq; idcirco se libris auri quadringentis, quas quotannis à Baiazete acciperet, priuasset: siue quòd Caroli gloriæ inuideret, metueretq;, si fortè aduersus Turcas res ei prosperè cederet, mox suas cogitationes ad ecclesiam Rom. ab antiquis & moribus & ritibus desciscentem, corrigendã cõuerteret. Nec defuêre, qui crederent, Baiazetem, cognito regis Galliæ in Italiam apparatu, per Georgium Pucciardum pontificẽ pecunia corrupisse, ut Gemẽ uita priuaret. Guicciard. lib.2.

Veloci.

Omnium uenenorum ocyssimum est aconitum, ita ut tactis quoq; genitalib. feminini sexus animalium, eodẽ die inferat mortẽ. Hoc fuit uenenum, quo interemtas dormientes à Calphurnio Bestia VXORES, M. Cæcilius accusator obiecit. Hinc illa atrox peroratio, Eius in digito mortuas. Plinius libro uigesimo septimo, cap.2.

☞ QVI VENENO periêre.

Prophetæ.

MAHOMETES pseudopropheta pluribus bellis gestis, aliis secundis, aduersis aliis, postquam annos in suis erroribus ac sceleribus uixisset 40. ueneno periit à domesticis dato in Arabia, per Gardigenæ uxoris cognatos, & suũ quendam consobrinum. Cuspinianus.

Pontifices.

Henricus II. Imp. in Italiam cum magno exercitu ueniens, habita synodo, cùm Benedictum nonum, Syluestrum tertium (quem populus, pulso Benedicto, crearat) & Gregoriũ sextum, (qui pontificatum à Benedicto nono accepit) abdicare se magistratu coegisset: Syndegerum Bambergensem episcopum, cui CLEMENTIS II. nomen fuit, pontificẽ creauit. Verùm abeunte Imperatore, Romani pontificem iniussu suo creatum, ueneno è medio sustulêre, põtificatus mense nono. Venenum ipsum in hos usus à Stephano paratum, qui ei in pontificatu successit, Damasusq; secundus appellatus est. Platina.

[redacted]

ALEXANDER VI. Pp. cũ Cæsare Borgia Valentino duce filio suo constituerat Adrianum Corneti Cardinalem, in cuius uinea cœnaturi erant prope Vaticanum, è medio tollere. Valentinus igitur suum secutus morem, cùm lagenas quasdam uino uenenato plenas pręmisisset, easq; ministro cuidam rei minimè conscio, cùm mandato, ne cuiquã daret, tradidisset: fortè fortuna Pontifex ante cœnæ tempus eò uenit, qui siti, ingentiq;, ut tunc erat, æstu uictus, potum petiuit. Sed quia nondum ex Vaticano ea, quæ ad cœnam erant necessaria, allata fuerant, minister is, qui id uinum uelut præstantius conseruari crederet, ex eis lagenis, quas Valentinus præmiserat, Pontifici infudit. Valentinus patre bibente eò superuenit, atq; ex eodem uino bibit. Alexander postero die, qui fuit 18. Augusti, ann.1503. mortuus, pontificio ritu, in D. Petri ædem, ater, tumefactus, totusq; deformatus, quæ apertissima sunt ueneni indicia, elatus fuit: at Valentinus ætatis uigore, optimis statim, atque ei ueneno accommodatis remedijs usus, longa & graui ægritudine oppressus, uitam tamen conseruauit. Guicciar. lib.6.

Fuêre, qui existimarent, LEONEM X. Pontificem indito poculis ueneno fuisse sublatum: nam cor eius atri liuoris maculas ostẽdit, & lien prodigiosę tenuitatis est repertus: quasi peculiaris & occulta ueneni potestas totũ id uisceris excedisset. Ob id coniectus est in carcerem Barnabas Malaspina minister à poculis, non obscuro indicio, quòd Leonẽ pridie quàm decumberet, in cœna post haustum uini calicem, statim obducta & tristi fronte ab eo quæsiuisse constabat, undénam sibi adeò amarum & insuaue uinũ propinasset. Adauxit quoq; patrati sceleris suspicionem, quòd ipse sub auroram, cùm septima noctis hora Pontifex expirasset, specie uenandi cum canib. Vaticanam portam exiuisset, adeò ut à prætorianis uti fugitiuus caperetur: his scilicet admirantibus dissolutum hominis ingenium, qui intempestiuas absq; ullo pudore quæreret uoluptates, cùm tota aula, extincto beneficentissimo domino, in lacrymis & luctu uersaretur. Sed Iulius Medices insigni prudentia de ueneno quæstionẽ haberi uetuit, ne in nomen alicuius magni principis inexpiabili cum inuidia quæreretur. Sed qualiscunq; Malaspinæ animus fuerit, temerè non affirmauerim: is certè pòst nonũ annum alterius ambigui criminis reus, quasi reseruata à diis in eum diem impij flagitij pœna, Mediolani capitali supplicio punitus est. Sunt & qui potiùs crederent, uenenum pilulis ex aloe, quibus per hebdomadam ad subducendam aluum utebatur, sumtum fuisse, decepto scilicet Serapica cubiculario, qui eas in loculo, uti ad frequentem usum, negligentiùs seruare consueuisset: nam biduo, ãntè quàm Leo moreretur, Lesbius, abaci præfectus, nullo concepto morbo interiit, cùm duas ex his pilulis de more ad tuendam ualetudinem fortè sumsisset. Iouius in Leone X. libro 4.

Cardinales.

IOANNES Cornetanus, patriarcha Alexandrinus, quem alij Vitellicum appellabant, quòd contra Florentinos cũ Philippo duce, inuito pontifice Eugenio quarto, conspirasset, per insidias captus in transitu pontis, ac in Hadriani mole custoditus, ab Antonio Rido Patauino, arcis præfecto, ueneno sublatus est. Volaterranus lib.22. Anthropologiæ.

Reges, Imperatores, Principes.

ARIASPES, Artoxerxis Mnemonis Persarum regis F. ex inani terrore paternæ indignationis, Ocho fratre per regis cubicularios illud subornante, uenenum bibit. Plutarchus in Artoxerxe.

DIOCLETIANVS Imperator Nicomediæ, seu (ut nonnullis placet) Salonæ in patria ueneno sublatus est, cùm uixisset annos 74. imperasset 20. Volater. lib.23. Anthrop. Alij à

V 2 Lici-

Licinio & Constantino grauiter literis obiurgatum, quòd Maxentiũ diceretur fauisse, metu ignominiosæ mortis, sua sponte uenenum hausisse testantur. Aurelius.

LVERVS Imp. Altini perijt, in Pannoniam profecturus. Fuit eius mors suspecta, quasi ueneno à Faustina ostreis indito perierit, quòd ille parum occultum habuisset incestũ, quod cum ea fecisset, sed Lucillæ coniugi suæ, quæ Marci & Faustinæ erat filia, retexisset: quæ fama non multùm à Faustinæ uita abhorret. Est & Marcus ea infamia aspersus, quasi ipse, non alius, in suilla uulua uenenum dederit, collegæ uitam fœdissimósque mores pertæsus. Capitolinus Marcum crimine absoluit, sanctioris uitæ argumento adductus. Sab. libro 5. Enn. 7.

MARTIANVS Imp. quamuis Atilæ atq; Zenonis Isauri, pluriumq; inimicorum exitus infelices uidisset ipse felix, tamẽ non diu uixit [redacted] Cuspinianus.

ROMANVS Iunior, Romani Lacapeni Imp. ex filia nepos, anno imperij 13. ex ueneno perijt. Volaterranus libro 23. Anthropologiæ.

ANTHARIS, Longobardorum rex, Theolidæ maritus, cùm sex regnasset annos, insidiis domesticorum apud Ticinum extinctus est uenenato poculo, Nonis Septembris. Paulus Diaconus lib. 4. de Gestis Longobar.

CAROLVS Caluus Imp. ex Italia reuertens, cùm Alpes attigisset, repentina febri corripitur, & ex Sedechie Iudæi medici sibi dilecti sententia, præsentis remedij gratia puluerẽ quendam mortiferum hausit, atq; inde Cinisium montem ascendere cœpit. Vbi uerò ad locum, qui Brios dicitur, uenit, ingrauescentis morbi magnitudine, & ueneni sæuitie conflictatus, Richildem uxorem, quę apud Mauriennam erat, acciuit, atque in eius complexu undecimo die, pridie Nonas Octobris animam efflauit, anno 877. Sigonius lib. 5.

LVDOVICVS Balbus, cùm biennio cum Carolo Crasso fratre suo imperasset, ueneno sublatus est.

ARNVLFVS Imp. cõtra Guidonem ducem Francorum cum multis copiis Longobardiam ingressus, Pergamum urbem cepit, & comitem eius Ambrosium de laqueo ad portam suspendit. Ea re territæ cæteræ urbes, deditionem fecerunt. Paulo pòst Romam à põtifice Formoso accersitus propter seditionem ciuium, expugnatis muris eam cepit, & hostes Formosi capitali supplicio affecit. Postea contra Guidonẽ mouit. Sed eo fuga elapso, uxor eius obsessa corrupit ministros Imperatoris, qui poculum ueneno infectum ei præbuêre: unde lethargo correptus, post triduum periit, anno Domini 901. Sigebertus.

BAMBA rex Hispanorum, ex haustu ueneni, quod ab Erygio Recisuindi opera datum, rumor est, incidit in grauissimum morbum, & ex eo tandem perijt. Ritius Neapolitanus libro 2. Regum Hispaniæ.

SANCTIVS I. Hispanorum rex, ab habitu corporis cognomento Crassus, à pinguedine ad maciem herbę auxilio deductus, haud multo pòst excessit, non sine dati ueneni suspicione. Ritius lib. 2. Regum Hispan. prope finem.

CHILDEBERTVS à Guntranno Aurelianensium rege adoptatus, atque regni hæres declaratus, haustu ueneni perijt. Michael Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

LVDOVICVS Bauarus Imp. cùm ad mensam haberet Burgrauium de Nurenberga, qui illũ familiariter solebat adire, sensit ex more ueneni punctiones. Crebriùs enim hac arte tentatus, ad uomitum se prouocãs, euaserat periculum. Sed tum uomitus prodesse non poterat, superãte ui toxici. In uenationem progressus, ut incalescente corpore, uenenum superaret, cùm ursum sequeretur, equo delapsus, grauiter læso corpore, breui pòst efflauit spiritũ, tumulatus Monaci. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 22.

LADISLAVS, Vngariæ & Boemiæ rex, dum Pragæ Magdalenam, Caroli Francorum regis F. sponsam expectat, uel peste uel ueneno XXXVI horarum spacio perijt, ætatis suæ XIIX. Fama uulgatum est, regẽ Hussitis infensum, nuptiarum celebrationem consultò Pragam transtulisse, ut confluentibus eò sub specie nuptiarum principibus catholicis, Hussitas circumuentos opprimeret. Id præsentientes Ioan. Rochezana Hussitarum episcopus, & Georgius Poggiebracius regni administrator, regem ueneno necarunt. Aeneas Syluius in histor. Boem. plura se scribere, quàm credere ait. Dira quidem tormina sensit moriens: & medici Germani, posteaquam Boemia excesserunt, uulgarunt, non obscura ueneni hausti signa in eo apparuisse. Cromerus lib. 23. Bonfinius lib. 8. Decadis 3. medicos regem de ueneno assumto monuisse scribit, illumq; respondisse, tacerent, ne unà cum suo rege necarẽtur. Senatus Viennensis edicto grauissimo, ne Boemicam in se ferociam irritaret, eam famã cohibuit; medicos admonuit, ne sua dicta confirmarent.

CAROLVM VIII. Gallorum regem, constans fama est, atq; etiam Volaterranus scribit, ueneno suffocatum. Quod à ueritate non abhorret, cùm in sphæristerio præter spem, ac nihil sibi timens, exanimatus propè concidisse, ac paulo pòst expirasse dicatur.

Franciscus rex Galliæ, anno 1536. FRANCISCVM Delphinũ filium, hæredem regni & nominis destinatum, repentino oppressum morbo amisit. Nec defuêre, qui suspicarentur, eum ueneno fuisse sublatum. Cuius nefarij criminis repentè reus factus quidam Sebastianus Montecuculus, pœnas dedit, cùm ab equis in compito in diuersa currentibus discerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatum ferebant, tanquam insontem, qui dolore uictus inter immania tormenta, ut calamitati suæ finem imponeret, se reum miser fecisset, & auctores tanti facinoris Antonium Leuã, & Ferdinandum Gonzagam, Cæsarianos duces nominasset. Qui obruti tantæ infamiæ nomine, calumniam temerè impositam anxiè diluere cõtendebant. Cùm nonnulli Delphinum ex nimia iactatione, ludo paruæ pilæ æstuantem, sudoreque madentem, frigidam intemperanter hausisse prædicarent (nullis præsertim apparentibus ueneni indiciis) quando pręcordia uisceraq; eo immodico rigore correpta, extincto penitùs innato calore, mortem accerserint. Iouius lib. 35. Historiarum.

Legati.

Aegyptij, cùm uiginti LEGATOS Romam misissent, ut Ptolemæum regem, regno à subditis exutum accusarent: rex per insidias omnes, & Dionem in primis, qui eius legationis princeps erat, & à quo constabat se accusatum iri, ueneno clàm necauit. Dion Nicæus in Pompeio.

GERMANICVS, Caij Cæsaris pater, consul iterum creatus, ac priùs quàm honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, cùm Armeniæ regem deuicisset, Cappadociam in prouinciæ formam redegisset, annum ætatis agens quartum & trigesimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine ueneni suspicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cuius ea natura existimatur, ut tinctum ueneno, igne confici nequeat. Suetonius in Caligula.

GERARDVS Andrianus Mediolanensis, ab Eugenio quarto Cardinalis creatus, & legatus per Lombardiam, à Philippo Vicecomite, suspectam habente eius potentiam, Viterbij ueneno cum 18. comitibus sublatus est. Garimbertus libro 4. de Vitis pontificum.

Philosophi.

ANAXAGORAS philosophus, cùm annis LXXII uixisset, ab Atheniensibus in carcerem coniectus, quòd Solem (quẽ illi reuerebantur) ignitum lapidem uocasset, ibidem epoto ueneno interiit. Hermippus apud Diogenem. Plutarchus in uita Periclis aliter sentit.

SOCRATES cicutam carnificis manu in carcere ebibit.

Milites.

Appianus scribit, PARTHOS ab M. Antonio fugatos, cùm fame premerentur, in quandã herbam incidisse, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiscerentur, aut intelligerẽt, nisi quòd lapides cõtinuè effoderent, quasi quippiam magni operis facturi: & sic debacchati, bilem demum euomentes, interirent.

Sontes.

In AETHIOPIA Elephantina ophiusam herbam sontes bibentes, insani redditi moriuntur. Alex. lib. 3. c. 5.

☞ A QVIBVS. Puta uel à

Seipsis.

PHILA, Demetrij Poliorcetis uxor, ob ereptam à Pyrrho uniuersam Macedoniam, dolore uicta, sumto ueneno moritur. Plut. in Demetrio.

CRITOLAVS Thermopylarum dux (cùm L. Mummius cũ Achæis, qui in auxilium Bœotios & Chalcidenses acciuerant, & Q. Cæcilius Metellus, ad Thermopylas bello conflixisset) ueneno sibi mortem consciuit. Liuius libro 22.

STATYRA & ROXANA, Mithridatis à L. Lucullo uicti sorores, quæ annos ferè XL. uirginitatem seruauerant, hausto ueneno, fraternam mortẽ comitatæ sunt. Item FILIÆ. Sab. lib. 4. Enn. 6.

CAMPANI senatores à Romanis obsessi, ex consilio Vibij Virij, & defectionis eorum, ad Pœnos auctoris, & uoluntariam mortem seruituti præferentis, ueneno seipsos interfecerunt. Sab. lib. 4. En. 5.

LONGINVS, Adriani Imp. legatus, à Decebalo Dacorum rege circumuentus, ebibito ueneno, seipsum interemit. Dion Cassius.

IAM-

IAMBLICHVS Procli discipulus, magus, ueritus Valentis Imp. iram, cui prædixerat, successoris in regno nomen à litera Θ incepturum, cùm ab Imp. quæreretur, sumta ueneni potione, uitam exuit. Socrates lib. 4. c. 19. Sozomenus li. 6. cap. 35. Paulus Diaconus lib. 12. Zonaras tomo tertio.

[redacted]

IOANNES Michael, ciuis Venetus, Cardinalis, qui Pauli II. Pon. Max. sororis filius fuerat, Romę ueneno interiit, quod ei Alexander VI. Pont. à præfecto Michaelis epularum dari iussit. Caussa interficiendi hominem fuit aurum atq; argentũ, quod is habere existimabatur, quarũ omnino rerũ inexplebilis Alexandri animũ cupiditas ad omnem iniquitatẽ incendebat, uti filio pecuniã exercitib. alendis suppeditaret, quò is Italorũ principũ regna occupare celeriùs posset, se iam sene. Minister ueneni haud multò pòst, Iulio II. Pont. Max. re per indiciũ enunciata, in uincula cõiectus, sui sceleris pœnas persoluit. Bembus lib. 6. hist. Ven.

☞ ALIIS. Nempe à

Carnificibus.

In AETHIOPIA Elephantina ophiusam herbam sontes bibentes, insani redduntur, ita ut etiam mortem sibiipsis consciscãt. Alex. lib. 3. cap. 5.

Dinocrates Messenius captũ PHILOPOEMENEM, Achæorum prætorem fortiss. iam sexagenarium in carcerem concluserat: eademq; nocte, cùm illi priuatim quoq; inimicus esset, carnificem ad eum intromisit cum poculo uenenato, tum fortè decumbentẽ in lacernula, nõ somno stratum, sed mœrore & animi motu oppressũ. Animaduerso lumine & homine, qui assistebat, ęgrè ob infirmitatem se colligens, erexit se ad sedendum, acceptoq; poculo, rogauit hominẽ, ecquid de equitibus suis, præcipuè de Lycorta, accepisset. Quo respondente, maximam partẽ saluam esse: annuit capite, placideq; intuitus eum, Bene habet, inquit, quòd non undequaq; fuerimus infelices. Nullo alio uerbo uel uoce missa, ebibit poculum, atq; iterũ reclinauit se: nec multum negotij præbuit ueneno, sed confestim est ob imbecillitatẽ extinctus. Plut. in Philopœmene, & Iustinus lib. 13.

Medicis.

Cùm ægrotanti DIONYSIO maiori fatum imminere uideretur, elaborauit Dion gener eius cum eo de Aristomaches sororis & socrus suæ liberis agere. Verùm medici inseruientes successori Dionysio, quem ex Doride Locrensi susceperat, non dederunt ei locum. Vt autem tradit Timæus, etiam medicamentum poscenti, somnificum propinãtes, sensum abstulerunt, somnumq; morti commisẽre. Plut. in Dione.

ANTONIVS Philosophus Imp. à medicis, qui Commodo gratificabantur, ueneno clàm extinctus est. Dion Nicæus & Xiphilinus.

Bosonem Germanum CAROLVS Caluus regem Longobardorum fecerat, data ei nepte sua in uxorẽ. Quod molestè ferens Carolomannus & Carolus, exercitum contra eum duxerũt. Quo cognito, Carolus Caluus in Gallias fugiturus, Mantuæ à Sedechia Iudęo medico per potionẽ necatur, anno Domini 878. Sigebertus & Regino lib. 2. Aemil. lib. 3.

GVNTHERVS, comes Schuarzaburgensis, à Fridanco medico, Caroli IV. Imp. instinctũ, quo cum bellũ gerebat, potionatus: medico tamen, licet inuito, prægustante, tertioq; pòst die mortuo. Cuspinianus.

LADISLAVS, Caroli F. rex Neapolitanus, puellam Florentinam, medici F. uenustissimam ducturus erat. Pater filiæ pudori metuens, pannum uenenatũ, quo in geniali thoro regem abstergeret, tradidit. Quo illa parũ cautè usa, & regi & sibi mortem accersiuit. Chalcocondylas lib. 5.

Discipulis.

SENECA à Nerone præceptore coactus, ut quod uellet genus mortis eligeret, uenas medico præbuit: ueneno demũ in balneo hausto periit. Suetonius.

Eunuchis.

Andronicus Comnenus ALEXIVM Porphyrogenitum, Manuelis F. cuius tutor erat, ueneno sustulit per spadonẽ Pterygionitẽ exhibito, opera Mariæ Cæsarissæ, Manuelis filiæ, q̃ Alexium Pannonium maritũ cõsimili fraude sustulit. Nicet.

IOANNES Zimisces Imp. cùm ad Saracenos multæ urbes in Oriente defecissent, ipse redactis plerisq; ad obedientiam, domũ rediit: atq; in itinere, uisis præclaris prædiis, quæ eunuchus cubicularius tenebat, cùm dixisset, Dolendum esse, spadonem tanta bona possidere, quæ multorum præstantium uirorum sanguine parta essent: odium eunuchi Basilij sibi conciliauit, qui uenenum ei per pincernam dedit, quo lenta tabe expirauit, cùm imperium gubernasset annos 6. Zonaras, Sigebertus, Cedrenus.

Patre.

DEMETRIVS à patre Philippo, Macedonum rege, ex suggestione Persei fratris, falsis criminibus eum apud patrẽ deferentis, ut ipse solus regno potiretur, ueneno sublatus est. Sab. libro 8. En. 5.

Matre.

ERICVS, Magni F. patre à proceribus deiecto, rex Sueonum creatus, à Blanca, Francorũ orta sanguine, crudelissima matre toxico impetitus extinguitur, præfatus, se ab eadẽ matre mortem accepisse, à qua uitã suscepisset. Hanc omnium primam lego, quæ uenena apud Sueones miscere docuerit. Sed nullas, aut certè paucissimas hactenus habuit in illis terris imitatrices. Ioan. Mag. lib. 21. cap. 5.

Nouerca.

CONSTANTINVS, Heraclij filius, quarto imperij sui mẽse à nouerca Martina, & Pyrrho patriarcha ueneno extinctus est. Sigebertus in Chron.

VORTIMERVS, Britannorum rex, urbanarum ac religiosarum rerum gloria cunctis admirationi, Roxienę nouercę nonnullorumq; Britanniæ magnatum fraude, ueneno est extinctus. H. Boethius lib. 8.

Socru.

STATIRA, Artaxerxis uxor, ueneno sublata à socru Parysatide. Plut. in Artaxerxe.

Filijs.

BAIAZETES II. Turcorum imperio deiectus, ueneno necatus à Selimo filio. Iouius in uita Baiazetis.

Fratribus.

Nero fratrem BRITANNICVM ueneno sustulit, opera Iulij Pollionis tribuni, & Locustæ ueneficæ: cuius corpus ut uidit propter uenenum liuore decoloratum esse, gypso obliniendum curauit. At cum per forum efferretur, maximo imbri de cœlo omne gypsum, quod adhuc molle & tenerum erat, ablutum fuit: ut nefarium scelus non solùm audiretur ab omnibus, sed etiam apertum ante omnium oculos poneretur. Xiphilinus in Nerone, & Tacitus lib. 13.

CONRADVS Cæsar, Friderico II. patre mortuo, cùm duobus quasi annis, quibus tota est potitus Sicilia, post patris obitum regnasset, à Manfredo fratre spurio, qui principatũ Apuliæ ui arripuit, ueneno est extinctus, Neapoli sepultus, anno 1254. Cuspinianus, & Volat. lib. 23.

Marito.

CALPHVRNIVS Bestia aconito uxores dormientes interimere solebat. Plin. lib. 27. cap. 2.

Vxore.

Laodice regina Syriæ, ANTIOCHVM, Deum cognomẽto, maritum suum, ueneno extinxit, ob superinductã sibi Ptolemæi sororem Berenicem.

Veneficij quæstio & moribus & legibus Romanis ignota, cõplurium matronarum patefacto scelere orta est: quæ cùm VIROS suos clandestinis insidiis ueneno perimerẽt, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centũ & septuaginta numerum compleuerunt. Liuius lib. 8. Dec. 1. Val. Max. lib. 2. de Institutis antiquis.

DRVSVS, Tiberij Cæsaris frater, adolescẽs insignis, à Seiano & Liuilla uxore, quæ cum eodem adulterium commiserat, ueneno sublatus est. Dion in Tiberio.

Nupsit Rosimunda (quæ fuit Alboini Longobardorum regis uxor) post uiri cædem (cuius ipsa fuit conscia) HELMECHILDI iuueni, eiusgentis nobilissimo, conataq; est illi regnum astruere. Cæterùm suã spẽ decepta, ex Veronã Rauennam secundo Athesi aufugit cum regia gaza, & nouo sponso. Hic illa Longini exarchi connubio pellecta, uenenũ priori sponso miscuit, obtulitq; ex balneis egresso. Sensit ille confestim receptam pestẽ, toto poculo nondũ epoto, placideq; in coniugem conuersus: Tu, inquit, quod reliquum est, bibe. Negat illa, se potu egere. At quo acriùs recusare, eo iuuenis impensiùs id poscere, & iam minas hortatibus miscere, ac ferrum intentare. Tum illa metu subacta, etsi ueneni conscia, hausit tamen, atq; unà cum eo extincta est. Sab. lib. 10. cap. 4. & Blondus lib. 8. Imperij inclinantis.

LOTHARIVS rex Gallorũ, Ludouici IIII. F. decessit ex ueneno, ab uxore adultera (ut fertur) ꝓministrato. Eius quoq; filius LVD. V. Blãchę cõiugis opera eodẽ fato periit. Volat.

☞ CVR. CAVSA

Amoris, Philtro sublati.

Deianira philtro HERCVLEM sibi conciliatura necauit, missa ei tunica, ueneno & sanguine Nessi Centauri illita. Sab.lib.6.En.1.

Scribit Arist.2.Mag.Moral. MVLIEREM quandam uiro cuipiam poculum porrexisse amatorium, ex quo is subitò decidit mortuus.

Tradiderunt literarum monumentis Corn. Nepos & Plutarchus, L.LVCVLLVM amatorio poculo à liberto Callisthene propinato, primùm mente læsum fuisse, deinde interemtum. Commeminit & Plinius lib.25.cap.3.circa finem.

FRIDERICVS Austriæ dux, electus Rom.rex, & à Ludouico Bauaro captus, è carcere liberatus, paulatim contabescēs, paucos annos superuixit. Fertur enim nobilis quędam mulier, cui maritus erat nomine Fridericus, miles impiger, ut eum indesinenter rex amaret, poculū amatorium regi obtulisse. Quo exhausto, uiribus primùm cœpit deficere, dehinc inualescente morbo, corpus computruit. Tandem dysenteria resolutus, animam exhalauit in arce Austriæ, cui Gutenstein nomen est, anno Sal.1330. Cuspinianus.

Liberæ reprehensionis.

ARATVS Sicyonius, patriæ liberator, à Philippo rege ueneno tabifico sublatus, eò quòd eius uitia liberè carperet. Pausanias in Corinth. & Plut. in eius uita.

BVRVS à Nerone ueneno extinctus est, quòd nimia libertate eum reprehendisset. Xiphilinus in Nerone.

Vindictæ.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus, dux fortissimus, anno ætatis 70. cùm iam octauum Achæorum Imperator renunciatus esset, contra Messenios, quamuis febri laborās, profectus, uulnere accepto uiuus in potestatem hostiū uenit. Plebs Messeniorum eius uirtuti parcendum dictitabat, tanquam Græci nominis parenti. At Dinocrates, ueneno clàm misso, hominem necauit. Non multo pòst Lycortas dux Achæorum, Messeniorum hoc facinus ultus est, ossibus Philopœmenis Megalopolin reportatis. Pausanias in Arcad.

ARISTOBVLVS Iudæorum rex, à Cn. Pompeio Romā uinctus missus, & à Cæsare rerum potito liberatus, & in Syriā missus, ueneno peremtus à Pompeij studiosis, aliquandiu etiam sepultura in solo patrio caruit, corpusq; mortui seruabatur melle conditum, donec à M. Antonio Iudæis missum est in monumentis regalibus sepeliendum. Ioseph.lib.1.cap.7.belli Iud. & lib.14.cap.14.Antiq.

Vitæ tædij.

Apud MASSILIENSES uenenum cicuta temperatum publicè custodiebatur, quod dabatur ei, qui causas Sexcentis (id enim senatus eius nomen est) exhibuerat, propter quas mors sibi expetenda esset. Cognitione uirili, beneuolentia temperata, quæ neq; egredi uita temerè quēquam patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati uiam præbet, ut uel aduersa, uel prospera nimis usi fortuna, cōprobato exitu terminetur. Val.Max.lib.2.cap.1.de Inst.Antiq.

GRÆCOS idem fecisse legimus, à quibus hoc institutum ad cæteros peruenit. Memoriæ enim proditū est, in Iulide Gręcorum oppido summæ dignitatis FEMINAM, reddita ratione ciuibus, cicutam petiisse, ut morte sua in Magni Pompeij conspectu clarior fieret. Idem.

MVLIER Cæa nonagenaria uitæ præsentis tædio, rebus suis compositis, coram Sext.Pompeio uenenum bibit lethale. Valerius lib.2.cap.1.

Morbi fuga.

COORVM insula cùm sit omnium saluberrima, quæq; hominum senectutem producat, præsertim mulierum: in hac senio confecti, mortem non expectant: sed antequam aduersa ualetudine corripiantur, alij papauere, alij cicuta sibiipsis mortem accersunt. Heraclides in Politijs.

Licinij Cęcinnæ, prætorij uiri PATER, in Hispania Bauili, cū ualetudo impatibilis odium uitę fecisset, hausto opio expirauit. Plinius lib.20.cap.18.

Regni.

Henricus, Friderici II. Imp. F. filios habuit gemellos, FRIDERICVM & HENRICVM. Qui duodecimum agentes annum, à Manfredo, Friderici spurio, ueneno sunt occisi, ne Siciliæ regnum sibi auferrent. Cuspinianus.

Ludouicus, Vngariæ rex, Sigismundo Boemo filiam unicam desponderat. Mortuo Ludouico, Vngari proceres CAROLVM Siciliæ regē, filium Andreæ regis, ac Ludouici ex fratre nepotem, ex regno Neapolitano, cui imperabat, euocabant. Qui honorificè susceptus ab initio, cùm se securum arbitraretur, populiq; fauore coronam regiam sortiretur, regina odium dissimulante, tandem uenenato pharmaco miserè periit. Cuspinianus.

Hæreditatis.

LVDOVICVS Arcimboldus, ciuis Mediolanensis, bis aduersa ualetudine correptus, testamento trecentos aureos nummos tonsori, qui ei ministrabat, reliquit. Sed cùm liberatus esset, & post aliquod tempus in ualetudinem quoq; incidisset, tonsor longioris moræ ad consequendum legatum impatiens, ueneno eum necauit. At ut munus impensa sua o[redacted]
sit.Fulg.lib.7.cap.8.

[redacted]
nasset, desperato consilij euentu, ab ipso Cæsare [redacted] ueneno creditur. Auctor Suetonius, & Appianus lib.2.Bel. ciuilium.

Antidoti experiundæ.

Iactabat coram Carolo IX. rege Gallorum, tum apud Claromontanos Aluerniæ agēte, lapidis Bezoartici in hirci uentriculo (quem hircum Persę Pazar uocant) inuenti, aduersum omnia uenena certissimas uires, nobilis quidam, penes quem ex eo genere unus erat ex Hispania importatus. A. uerò Pareo chirurgo singulis uenenis peculiare antidotum deberi profitente, ad periculum in facinoroso edendū prouocatur. Adductus est à latrunculatore coquus, qui ob pelues argenteas duas furto in domini ædibus subductas, patibulo breui affigēdus erat. Resciri tamē ex eo antè Rex uoluit, num uenenū sumere uellet: ea lege, ut si alexiterium, quod uires diuinas contra uenena omnia habere diceba-tur, statim ipsi à ueneno exhibendum eum à morte uindicaret, uita illa sarta tectaq; esset. Alacriter aleam istam subiturum se respondit coquus: grauiora etiam, non redimendæ modò uitæ, sed & infamis mortis uitandæ gratia subiturus. Ergo à pharmacopola, qui tum in officio erat, exhibitum illi fuit sublimatum, extemploq; à ueneno, Hispania aduectum bezahardicū. Quibus ingestis, mox uomere cœpit, & per inferiora multa cum diris torminibus excernere, inclamareque sibi igne uiscera peruri. Tandem uix septima à ueneno assumto hora magno cū cruciatu & ululatu mortuus est. Cadauere dissecto, uentriculi fundus tanquā à cauterio iniecto ater & aridus repertus. Ambrosius Pareus lib. 20. Operum, de Venenis, cap.36.

☞ SVFFOCATIONE. SVFFOCATI

☞ ANHELITV RETENTO.

ZENO Cittieus schola exiens impegit, digito pedis uulnerato. Manu igitur percussa terra, illud ex Niobe ait: ἔρχομαι, τί μ' αὔεις; Venio, quid me uocas? statimque suppresso spiritu decessit, anno ætatis XC. uel, ut alij tradunt, LVIII. ęgrotauit nunquam. Suidas. At Laertius, semetipsum strangulasse, inquit.

DIOGENES Cynicus, senex admodum, pallium capiti obuoluit, & spiritum cōtinendo seipsum interemit. Quamuis alij ex bouis crudo pede comesto periisse dicant: alij, à canibus in cruris neruo demorsum, cùm polypum canib. partiri uoluisset. Laertius.

METROCLES philosophus Cynicus, senex, seipsum retento anhelitu suffocauit. Idem.

COMA, maximi latronum ducis Diogenis frater, ad Rutiliū consulem, Enna, Siciliæ urbe, quam prędones tenuerant, in potestatem redacta, productus, cùm de uiribus & conatib. fugitiuorum interrogaretur, sumto tempore ad se colligēdum, caput operuit: innixusq; genibus, compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, inq; conspectu summi imperij, exoptata securitate acquieuit. Val.lib.9.cap.12.

☞ CATARRHI DELAPSV.

KENNETHVS Keyr, Scotorum rex, quarto regni mense ex defluxu catarrhi subitò periit. H.Boethius lib.9.

☞ FVMO, VAPORE.

Bello ciuili cùm Marius contra ciues crudeliter sæuiret, Q.Lutatius CATVLVS, orator, qui Marij fuerat collega, atque de Cimbris unà triumphauerat, cū orantibus pro eo & deprecantibus hoc modo respondisset, Moriendum est: inclusit se conclaui, & multis accensis carbonibus est suffocatus. Plin.lib.27. Florus lib.3.cap.23. Augustinus libr.3. de Ciuitate Dei. Plut. in Mario. Val. tamen lib.9.cap.21. cubiculum recenti calce illitum, multoq; igni percalefactum, Catulo uitam ademisse scribit.

De L.AEMILIO Victore, Parmę extat tale epitaphiū, ab Paulo Mantitio relatum, uti testatur Hieron. Mercurialis lib. de Gymnastica. D. M. L. Aemylio Victori, qui pridie natalem suum uicesimum & secundum pruna in pensili (balneo scilicet) posita, urgente fato, ipse sanum necauit se: L. Aemylius Victor Principalis & Aelia Veneria filio piētiss. & sibi.

ZOE, Nicostrati martyris uxor, à beato Sebastiano ad catholicam inducta pietatem, crinibus suspensa, fumo subter suffocante periit. Erat Nicostratus Diocletiani scriniorum magister. Volat.lib.17.

IOVINIANVS Imp. cùm urbem Romā peteret, Dadastanę (qui locus inter Bithyniam atq; Galatiā est) nimio prunarum calore, quæ in cubiculo ad ingēs arcendum frigus positæ fuerant, siue uapore cubiculi calce recēns incrustati suffocatus est. Hieronymus in epitaphio Nepotiani, Aurelius Victor.

VETRONIVM Thurinum familiarem suum Alexander Seuerus Imp. eo quòd fumum, ut ipse dicebat, uenderet, ad stipem alligatum, fumo suffocari iussit, excitato è stipulis humidis uiridiq; materia. Nolebat enim ab aulicis suis fumū uendi. Pontan. lib.1.cap.ult. de Magnanimitate, ex Lampr.

Iusso Eriscon Danus, Dalacarlorum regioni præfectus, ex DALACARLIÆ incolis sine numero innocentissimos fumo suspensos occidit. Ioan. Magnus lib.22.

VALDENSES XXV. in antro, non procul ab oppido Mussio, in quod confugerant à tyrannide Henrici II. Gallorum regis, omnes igne & fumo necati fuerunt. Sleidanus lib.15.

☞ AQVA. IN aqua qui periēre.

Saltu spontaneo.

Athamas, rex Thebarum, furiis agitatus, Learchum filium dedit morti. INO Cadmi & Hermiones filia, eius uxor, sibi timens, cum altero filio MELICERTA de Moluride petrā in Megarensium finibus sese in mare præcipitē dedit. Puer à Delphine exceptus, cùm in Corinthiorum Isthmū fuisset expositus, Palæmon fuit dictus, eiq; Isthmici ludi decreti. Pausanias in Atticis.

BRITOMARTIS uenationibus deditissima, Minoen præ amore se insequentem fugiens, in mare se præcipitauit. Pausanias in Corinth.

ILICE, Ibyci Lydij filia, dum amores Martis contēneret, Deo factum ulciscente, in furorem uersa, è scopulo se demisit. Ouidius in Ibin:

Lydia se scopulis ut uirgo misit ab altis,
Dixerat inuito quæ mala uerba deo.

EVENVS, Martis & Sterope filius, ex Alcippe Oenomai filia Marpissam suscepit filiam. Quam ab Aphareo in chorea raptam dum comprehendere non posset, in Lycormam Aetoliæ fluuium se præcipitauit, teste Plutarcho. Alij uolunt, ob filiam ab Ida, filio Apharei, in certamine curruli superatam, ac propterea ex pacto ei nuptam, Euenum se in mare prçcipitasse, eiq; suum nomen dedisse. Domit. Calderinus.

ALCINOE, uxor Polybi Corinthij, Xanthum Samium, relicto marito, secuta, pœnitentiaq; ducta, in mare se præcipitauit. Parthenius in Erot. cap.27.

SAPPHO puella ex Lesbo insula, è Leucade Epiri promontorio se pręcipitauit, quòd à Phaone mutuò non redamaretur.

IVTVRNA, Dauni filia, post interfectum ab Aenea Turnum fratrem, mœroris impatiens, se in aquas præcipitē dedit.

ANNA, Beli regis filia, post mortem sororis suę Didonis, Carthaginem ab Iarba occupatam relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem nauigauit. Quo demùm relicto, mare ingressa, ad Laurentū litus delata est: ibiq; ab Aenea cognita, et hospitio suscepta, nō sine mutuicūeo amoris suspicione, adeò ut in odium Lauiniæ ueniret. Cuius insidias ut declinaret, se in Numycum fluuium præcipitauit. Ouid.l.4.Fast.

Theseo in Cretam ad Minotaurum nauiganti, AEGEVS pater, Athenarum rex, præceperat, ut si confecto monstro incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum albis uteretur uelis, ut prospectantibus è portu amicis, superstitis uitę fidem præstaret. Theseum tamen cepit obliuio mandati. Propterea cùm iisdem (quibus uenerat) remigraret uelis, fecit, ut pater de filio desperans è scopulo in mare se deturbarit, & aquis nouū imposuerit nomen. Plutarch. Quam fabulam Catullus longo admodum prosequitur carmine.

DERCETO, Semiramidis mater, cùm filiam ex adulterio cōceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentia in lacum se præcipitem dedit. Strabo lib.16. Cælius lib.23.cap.5.A.L.

Casu fortuito.

ICARVS, Dædali filius, è Creta cùm patre fugiens, alarum (quas fecerat pater) fiducia, dum altiùs in auras euolaret, liquefactis à sole pēnis cereis in mare decidit, quod ab eius ruina Icarium cœpit dici. Seneca in Hercule Oetæo. Ouid. lib.8.Metamor.

ARGYNVS, puer formosus (quem Agamemnon habebat in delicijs) submersus est. Propertius lib.3.

Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
Qua notat Argyni pœna minantis aquæ.

Apud Maryandinos BORCVM, diuitis cuiusdam uiri filium fuisse narrant, plurimumq; forma excelluisse: quē, cùm suis instaret messoribus, & quod biberent, dare uellet, ad aquā accessisse aiunt, ac inde euanuisse. Perquirebant illum uiri illius regionis cum concinno quodam eiulatu ac uociferatione, quibus his etiam temporibus illius loci incolæ utuntur. Athen.lib.14.cap.6.

HYLAS, Theodamantis filius, inter Argonautas adamatus ab Hercule, in Mysia fortè aquatū egressus, in fonte periit: unde & à Nymphis raptus fingitur. Ad hunc uestigandum missus est Polyphemus, qui ingenti uociferatione nomen inclamabat Hylæ, neq; quicquā tamen profecit. Hinc prouerbium, ὕλαν κραυγάζομαι, Hylam uoco, de iis, qui nihil proficiunt. Suidas. Vergilius uidetur ad nautarum clamorem retulisse, cùm ait:

His adiungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut littus Hyla Hyla omne sonaret.

Meminit huius & Theocritus in Idyllio ν.

τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός,
τρὶς δ' αὖ ὁ παῖς ὑπάκουσεν, ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνή.

Iuuenal. Et multùm quæsitus Hylas, urnamq; secutus.

ION quidam cùm in naui ebrius tripudiaret, in mare cadens periit. De qua re sic Antipater in primo Græc. Epigr.

Μήδ' ἔτ' ἐπ' ἀγκύρῃ ὀλοῇ πίσυνε θαλάσσῃ
ναυτίλε, μηδ' εἴ τοι πείσματα χέρσῳ ἔχοι.
καὶ γὰρ Ἴων ὅρμῳ ἔνι κάππεσεν· ἐς δὲ κόλυμβον
ναύτας τὰς ταχινὰς οἶνος ἔδησε χέρας.
φεῦγε χοροιτυπίην ἐπινήιον, ἐχθρὸς ἰάκχῳ
πόντος, Τυρσηνοὶ τοῦτον ἔθεντο νόμον.

MAXENTIVS Imp. à Constantino Magno in foro Iulij crebris prœliis deiectus, Romam cum exercitu uenit. Solicitus de belli euentu, magam consuluit: illius consilio, cæsis infantibus, placauit aduersa numina. Iusserat autem antè, nauibus ad decipulam compositis, Maxentius fluuium sterni, & superpositis pontibus exæquari. Cùm itaque ei diem ac horam, quando educturus esset exercitum, & manus conserturus, maga præscripsisset, prior ante exercitum suum è portis proruit urbis: immemorque fraudis à se fabefactæ, pontem cum paucis ingressus, in profundum mersus fuit cum equo, nec usquam cadauer eius postea inuentum. Cuspinianus.

Brunsuuicensis ducatus inter fratres diuisus erat. Albertus Brunsuuicum, Ioannes Luneburgum tenebat: retinentes tamen communes titulos, ut uterq; Brunsuuici & Luneburgi dux appellaretur, & alternam successionem expectarēt. Ioannes filium reliquit Othonem: is Vuilhelmum & Othonē. Otho FILIVM habuit paruulum eiusdem nominis. Qui cùm puerili curru infantum more ueheretur, negligentia familiæ decidit in uicinum fluuium de ponte: & dicto citiùs submersus est, hæres masculus unicus. Itaq; ad Ludouicum Magni de Sangerhusen filium, qui Vuilhelmi filiam duxerat, ducatus peruenit. Cranzius lib.9.Metrop.c.20.

Sub Nicolao V. annò MCCCCL. pronunciato anno Iubileo, tanta multitudo Romam uenit, quanta nunquam antea. Vnde cùm semel è Vaticano, uisa Saluatoris imagine, ad urbem redirent, MVLTI à lateribus pontis Hadriani in flumē cadentes, in undis periēre. Itaq; Nicolaus pontifex casulas quasdam angustiorem uiam ad pontem facientes omnino sustulit. Sab.lib.5.En.10. & Platina.

Demersione. Ab alijs demersi.

Multi ex MARTYRIBVS aqua suffocati narrantur, ut Ascla, Anastasius Aquileiensis, Florianus, Hesychius; sub Diocletiano: Theogenes sub Licinio: Claudius tribunus sub Numeriano: Calixtus papa sub Alexandro Seuero: Symphorosa sub Adriano: item Apollonius, Philemon, Bassus, Antonius, Protolycus apud Alexandriam: Calixtus & Charisius apud Corinthū: Iocundianus in Africa, Palatinus, Maxima uirgo, & innumeri alij.

LENAS in saccis ligatas submergi curabat Cleomenes tyrannus Methymnæorum. Athenæus lib.10.

ACHÆVS, rex Lydiæ, cùm noua tributa à populo uellet extorquere, in factione populari suspensus est, pedibus sursum uersum erectis, & capite in aquas Pactoli demisso. Ouidius in Ibin:

More uel intereas capti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera teste perpendit aqua.

Augustus Cęsar PÆDAGOGVM, ministrosque Caij filij, per occasionem ualetudinis mortisque eius superbè auareq; in prouincia grassantes, oneratos graui pondere, ceruicibus præcipitauit in flumen. Suetonius.

Gundebaldus rex, Chilperici Burgundionum regis VXOREM, & Clotildæ matrem, ligato ad collum eius saxo, aquis immersit. Sigebertus in Chronicis:

MARVLVS poeta, Pontani discipulus (qui à Politiano æmulo & hoste suo, Mabilius dicitur, & quem ipse Ecnomũ uocat) in amne Cecina submersus est.

In Puteo.

Phædonis Atheniensis FILIÆ, ut pudicitiam suam tuerentur aduersus libidinem triginta Tyrannorũ Atheniensium; in puteum se præcipitarunt. Lud. Viues de Christiana fœm.

Statyra, Darij filia, Magni Alexandri uxor, ROXANAM, quã Alexander quoq; thori participem esse uoluerat, prægnantem in puteum demersit, solo ducta liuore, quòd Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Plutar. in Alex.

Clodomirus Francorum rex, Gundebaldo Burgundiæ rege superato, SIGISMVNDVM eius filium unà cum sorore in puteum demersit.

LAVRENTIVS Laurentianus, Florentinus medicus, citra ullum corporis incommodum, citraq; euidentem morbi causam in puteum se cõiecit, auctore Cælio & Crinito: qui ait, se auditorem eius aliquãdo fuisse. Qua etiam morte se extinxit PETRVS Leonius, Astrologus summus.

In Balneo.

ARISTOBVLVS, Iudæorum pontifex, Herodis regis dolo in piscina natans, per ioci simulationem submersus est. Iosephus lib.15. cap.3. Antiq.

ROMANVS Argyropolus Imp. cùm ex hydrope conualuisset, natatorium ingressus, ut corpus lauaret, Zoes uxoris & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo, à quibusdam capite sub aqua merso oppressus & penè suffocatus, in stratum reclinatus est. Inde per os, subnigra euomens, sine ulla mortis suspicione, tandem nemine opem ferente, animam egit, cùm annos imperasset quinque & menses senos. Ex Zonara Cuspinianus.

GLACIE.

Percussores MALCOLMI II. Scotorum regis unà cum aulicis, quorum dolo malo rex interierat, pernicibus equis aufugientes, campis ita niue opertis, ut iter nulli pateret, in lacum Forfair glacie constrictum delapsi, & aquis absorpti, perierunt omnes. H. Boethius.

NIVE.

In summis CAVCASI cacuminibus, uiatores baculos secũ ferunt, quos in summam niuem delapsi, respirãdi gratia exerunt, & ut eo signo auxilium à transeuntibus consequantur: quapropter sæpe effossi seruãtur. Aen. Syl. cap.36. Asiæ.

Quum Caroli V. Rom. Imp. post expugnatam Romam anno 1527. mense Maio formidabilis potentia plerisq; uideretur, Veneti cum Galliæ rege Francisco, adiunctis aliis quoque, ad inhibendum Caroli cursum, fœdus percusserunt: Ibi VENETAS cohortes, quas Pisanus unà cum Valerio Vrsino ducebat, præeunte eorum equitatu, à Sulmone iter Romã uersus habentes, ingenti niuosoq; uentorum turbine exorta atrox tempestas, miserabili ac inopinato cladis genere penè totas oppressit. Nondum enim planè exacta hyeme, ut in algidis & montanis euenit locis, seriùs in uer nouum annus aperitur, & culmina montium præaltæ diu insident & occupant niues. Inter duas Apennini arctas fauces imminentium utrinq; altissimorum montium, aduersis iugis nõ multũ lata, uerùm plana, uallis extenditur, spacio quadraginta ferè stadiorum. Hunc locum incolæ Peligni; quinq; millium planum appellant. Hæc autem est eius angusti itineris natura, ut exorti uenti quũ ingruant, contrario in sese & rapidissimo impetu cõuoluantur, sublatas niues è iugis deiiciant, & in gyros per aera uertant, quibus media in ualle iter habentes, intercluso spiritu, repentè suffocent & perimant. Propterea explorare oportet inconstantis cœli serenitatem, quæ subitis sæpe momentis fallax, uiatores decipit: quoniam abditi introrsus specus, conceptum naturali terræ habitu spiritũ, ex illis inflectentium inter se montium anfractibus uiolenter expuant, certo semper exitio deprehensorum, nisi intento cursu celerrimè faucibus elabantur. Periêre in eo turbine trecenti ferè pedites, repertique sunt rigentibus membris enecti, dormientibus planè similes, quum repentinæ procellæ tempestas decessisset. Iouius lib.25. Historiarum.

TERRA. IN sepulcro suffocati.

Hic modus perpenditur. Instrumentum ipsum alterius est ordinis. Locus, sub Tit. In sepulcro mortuorum, considerabitur, siue inedia, siue suffocatione, siue laniatione.

Amestris, uxor Xerxis pro salute sua duodecim sub terrã defodit HOMINES uiuos Plutoni, quẽ dictitat Plato, quòd humanus, sapiens, & opulentus sit, & retineat gratia & facundia animas, ᾅδην dictum esse. Plut. de Superstitione.

Itidem à Xerxe nouem PVERI, totidemq; VIRGINES uiuę defossæ in historiis legũtur. Consule tit. Sacrificia humana.

Cùm Carthaginenses & Cyrenenses de finibus contenderẽt, ac primò placuisset, uti certo die legati domo proficiscerẽtur: quo in loco inter se obuij fuissent, ibi finis haberetur: res autẽ celebriori Carthaginensium itinere cõturbata esset: Cyrenenses optionem illis fecerunt, ut uel illi uiui obruerentur, uel eadem conditione sese, quem in locum uellent, processuros. PHILENI conditione probata, seq; uitamq; suam Reip. condonarũt, ibiq; uiui obruti sunt.

Turnus HERDONIVS Aricinus, insidiarum Tarquinio Superbo & principibus Latinorum intentatarum falsò accusatus, indictaq; causa in concione damnatus, uiuus sepultus est. Sabell. libro 6. Enn.2.

In ea pugna, in qua Ludouicus II. Vngariæ rex in campo Mohach cum Turcis congressus occubuit, INFANTES uiui, ne uagitu proderẽtur, ab infelicissimis matribus in terram defossi sunt, & miserè suffocati. Ioan. Sambucus in appendice Bonfinij.

Galeazius Sfortia, Dux Mediolanensis, cùm plebeiæ uiduæ lamenta audiuisset, defuncti mariti cadauer iam per triduum domi asseruantis, quòd sepulcri ab auaro PAROCHO redimendi facultatem, egestatis causa, non haberet: præsens statim locum redimi, terram egeri, impio Parocho cadauer iniici, unaq; contumulari uoluit, curauit, imperauit. Augustinus Gallus. com. de Agricultura, dialogo 19.

ARENA. PVLVERE.

PSYLLORVM finibus quodã tempore cùm Auster perquam ualidus & diuturnus flauisset, eoq; flatu uniuersa eorum aqua exaruisset, dolore moti, constituerunt ulcisci iniuriam illam. Propterea communi edicto omnes sumtis armis in Austrum, perinde quasi hostem, iure belli profecti sunt. Atque ita profectis, uentus magno spiritus agmine uenit obuiam; & uniuersos cum omnibus copiis armisq;, cumulis arenarum & montibus operuit. Ea ruina omnes ad unum perierunt. Herod. lib.2.

Misit Cambyses, maioris Cyri filius, quinquaginta HOMINVM millia, qui templum Ammonis Iouis diriperent, contemtu religionis, direptum incendio fœdarent. Sed ingens illa hominũ manus, cùm inter Oasim & Ammonios pransa esset, subita uentorum tempestate, priusquam ad locum ueniretur, arenarum cumulis obruta est, ut nemo ex tanto agmine sit nuncius repertus. Ex proximis tamen arenarũ accolis eius rei fama ad posteros manauit. Sabel. lib.4. cap.3. ex Herod. lib.2.

CAMPSON, Aegyptius Sultanus, uictus ad Alepum, Syriæ urbem (quæ Hierapolis olim fuit) à Selimo Turcorũ Imp. cùm annis & ingentis herniæ pondere grauaretur, & æstu mœroreq; deficeret, in puluere exanimatus est. Sab. suppl. lib.7. ex Iouio.

COENO, LVTO.

Suffocatos in luto hîc consideramus. Vt uerò locus cœnosus est, in quo uel suffocati, uel uulneribus confecti pereunt, inter Mortis loca referri debet.

DECIVS Imperator, à Gothis cum toto exercitu profligatus, fugam arripiens, paludis uoragine absorptus est, nec postea inuentus. Sextus Aurelius.

LVDOVICVS Vngariæ rex, Pauli Tomoræi Collocensis archiepiscopi insanis consilijs usus, cum exiguis copiis Solymanno se obijciens, prope Budam ad Mugacium, profligatis undiq; copijs, nudatus eo, quod sperarat parauerat que, præsidio, sese eripiens, in proxima palude, reflectente se equo, sesquipalmis aquæ lutulento in gurgite suffocatus interiit: ita tamen, ut cum locum Cetriscus armiger eius & cubicularius, genere Bohemus, notaret, & post multos dies, decedentibus hostibus, integrum regis cadauer Cetrisci indicio reperiretur, & regio funere tumulandum ad Albam regalem deferretur. Iouius lib.23. Hist.

FIMO.

STEPHANVS II. Vngariæ rex, multos equino fimo infossos enecauit. Bonfinius lib.6. Dec.3.

CIBO

Hærente faucibus, Bolo, Buccella.

HENRICVS Niger Imp. ægritudine correptus, grandi panis portiuncula suffocatus est, in Saxoniæ oppido Bottenfeld dicto, III. Nonas Octobr. anno Salutis MLVI. ætatis suæ XXXIX. Regni XVIII. Imperij X. Regia pompa Spiram delatus, in æde D. Virginis à se constructa, sed imperfecta, iuxta patrem & matrem sepultus est. Cuspinianus.

GODVINVS Cantianorũ Comes, Alfredo Anglorũ rege ea luminis circumuento & necato, Alfredi fratrẽ Eduardum III. regẽ fecit, filiamq; suã ei despondit. Cũ Haraldus F. qui à poculis erat Eduardo, dũ uinũ misceet, pede offenso penè lapsus, auxilio alteriꝰ pedis se sustẽtasset: Goduinus cũ risu, Nũc, inqt, frater fratrẽ iuuit. Ea uoce Alfredi fratris memoriã repetita, turbatꝰ rex: Sic quoq; mihi frater meus auxilio esse potuisset, nisi per te stetisset. Tũ Goduinus se excusare, & dicere, Si necis fraternę culpa uel minima penes me est, ô rex, hoc panis frusto strãgulari me faciat Deus. simulq; buccellã deglutiẽs, diuina ui strãgulatꝰ est. Polyd. l.8. Ang. hist.

Immo-

Immodicò.

Cibi & potus suffocantis rationem hic habemus. At qui quouis alio modo uitæ insidiatur, ad locũ eorum, qui Repletione perierunt, referri debet.

POTV. Huc suffocati

Vino, Cereuisia.

Pelasgorum princeps quidam, PIASVS nomine, Larissæ filiæ stuprum intulit. Illa uindictæ tempus captans, cùm patrem in uini dolium incumbentem uidisset, pedib. apprehensum dolio immersit. Ex Strabone recitat Eustathius Iliados β.

GEORGIVS Plantaginetus, Clarentiæ dux, à fratre Edoardo IIII. Britannorum rege propter insidias damnatus, ut sibi mortis genus eligeret, Cretici uini potu mergi atq; enecari uoluit, ann.1477. Fulgosus libro 9. cap.12. Cranzius lib.12. Saxoniæ cap.19.

FLIOLMVS Gothorũ rex, cùm solito more noctẽ cum suis potãdo duceret, ab ipsis ebrietate suffusis in ingens doliũ Cereali liquore repletũ, quod pro explẽda bibacium gula in media aula collocatum erat, per ludibrium pręcipitatus interijt. Io. Magnus lib.7. c.17.

Sanguine taurino.

MIDAS, antiquissimus ille Phrygię rex, contracta ex somniorum diritate animi ægritudine, cùm formidabilis affectio augesceret indies, tauri sanguine copiosiùs hausto, cõcessit ab humanis. Cęlius lib.14. cap.12. ex Plut. libro de Superstitione, Strabonis lib.1. & Eusebio de temporibus.

PSAMMENITVS rex Aegyptiorum, uictus à Cambyse, cùm denuò ad defectionem solicitasset Aegyptios, hausto sanguine taurino periit. Herod. lib.3.

Cùm ob insperatum Argonautarum reditum Pelias Aesonem Iasonis patrem obtruncare decreuisset, AESON sacrificans, hausto taurino sanguine, fatis concessit: ac mater Iasonis sibi ipsa manum intulit, Promacho infante relicto, quem postea Pelias iugulauit. Natalis Comes Mythol. lib. sexto, capite 7. ex Diodori libro 4. cap.3.

THEMISTOCLES Atheniensis, inuidia ciuium relegatus, ad Artaxerxem confugit. A' quo dum in patriam pugnare cogeretur, uitam cum morte uolens commutauit, inter sacra Dianæ Leucophryos hausto sanguine taurino. Plut. in Themistocle. Tauri sanguinẽ iccirco pestiferum potu scribit Cęlius lib.14. cap.12. A.L. quòd celerrimè coeat, atq; cõcrescat. Proinde anhelitus difficultatem ac præfocationem infert, cũ spasmo prævalido. Aristophanes in Equitib. scribit: βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν. ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος. At ficta uidentur hæc plerisque. Nam Thucydides mortuum modò scribit, & in Attica clàm humatum.

SVDARIO. SPONGIA.

C. LICINIVS Macer, uir Prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum cõscendit: cumq; M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem uidisset, misit ad eum qui diceret, se nõ damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subijci. Ac protinus sudario, quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit. Qua cognita re, Cicero de eo nihil pronũciauit. Val. libro 9. cap.12.

QVIDAM Romæ ad bestias damnatus, ut se ea crudelitate ludibrioq; redimeret, cùm curru ad theatrũ deportaretur, obtinuit, ut è curru leuãdi uentris gratia descenderet. Quo facto, spongiã, quæ in publicis latrinis ad purgandũ anum ligno affixa manebat, gutturi tanta ui inseruit, ut cõfestim præclusa anima periret. Fulgosus lib.9. cap.12. ex Seneca.

SPINA.

TARQVINIVS Priscus cùm ad mensam sederet, os piscis transuersum adhæsit gutturi, ut nocte illa miserabiliter expirarit. Id attestatur Hagiographia Guido Bitur.

FICV. PYRO. ACINO.

SOPHOCLEM Lucianus & Sotades apud Crinitum, contra Plinij sententiam, dicunt acino uuæ periisse. Val. Max. tamen & Volaterranus fouent partes Plinij, quorũ sententiam sequitur Politianus in Nutricia scribens:

Quemq; senem meritæ rapuerunt gaudia palmæ.
nisi fortasse de Philppiide intelligi malis.

ANACREON Teius poeta, 85. ætatis anno, dum passæ uuæ succo tenues & exiles uirium reliquias foueret, unius acini pertinacior in aridis faucibus humor eum suffocauit. Valerius Max. lib.9. cap.12. & Plin. lib.7. cap.7. & Volat. lib.13. cap.3. Anthrop.

TERPANDER citharœdus insignis, Spartæ canens, in Sciade, cùm ore hiaret, quidam ficum temerè iaciens, faucibus eius tanta ui impegit, ut strangulatus fuerit: de quo sic Tryphon in primo Græcorum Epigrammatum:

Τέρπης εὐφόρμιγγα κρέκων σκιάδησιν ἀοιδὰς
κάτθανεν ἐξαπίνης ἐν Λακεδαιμονίοις,
οὐκ ἄορι πληγεὶς, οὐδ' ἐν βέλει, ἀλλ' ἐνὶ σύκῳ
χείλεα. φεῦ, προφάσεων οὐκ ἀπορεῖ θάνατος.

Item Varinus in dictione, γλυκὴ ἴτω καὶ πνιξάτω.

DRVSVS Pompeius, Claudij Cæsaris ex Herculanilla filius, cui paucos ante dies filia Seiani fuerat desponsata, cùm puer ludens iactum in sublime pyrum ore excepisset, idque altè in guttur descendisset, præclusa anima, mortem obijt. Suetonius.

PILO.

FABIVS senator prætorius hausto in lacte pilo, pręcluso spiritu animam egit. Adeò parua re hominis persæpè mors constat, qui superbè agendo, per amentiam Deo se nonnũquam æquare contendit. Fulgosus libr.9. cap.12. ex Plin. libro 7. cap.7.

MVSCA.

ADRIANVS IIII. Pontifex, is qui in Fridericum Barbarussam Cremam obsidentem anathematis fulmen cõtorserat, & Italiæ principes contra Imp. inito fœdere concitarat, Anagniæ cum suis umbræ captandæ gratia expatiatus, aquã ex fonte hausit, & musca in fauces cum impetu impacta, miserè suffocatus interiit. Nauclerus ex Io. Cremonensi.

PISCE.

Quidã SACRIFICVS piscandi & natandi peritissimus, cùm manu in quodam profundo gurgite percam cepisset, oriq; mordicùs inseruisset, ut ad sodales enataret: perca in gulã illapsa, miserum sacrificulum in manibus sodalium, nihil non tentantium, exanimauit. Sic perca Parca fuit. Gilber. Cogn. lib.1. Narrat.

PINGVEDINE.

DIONYSIVS Heracleotes, Clearchi F. tyrãnus, obesitate nimia periit, teste Aeliano libro 8. Variæ hist. Quod ipsum in primo Græcorum Epigrãmatũ Palladas his uersibus complexus est:

οὐ ποιεῖ θάνατον μόνον ἡ φύσις, ἀλλὰ τὸν αὐτὸν
καὶ πολλὴ παχύτης πολλάκις εἰργάσατο.
τοῦδ' ὁ τυραννήσας Διονύσιος Ἡρακλείας
τῆς ἐν τῷ πόντῳ μάρτυς, ὁ τοῦτο παθών.

ADELBERTVS Vormaciensis episcopus, frater Rudolphi ducis Sueuiæ, corpore monstroso (altero enim pedum claudus) supra modum uorax, corpore ita obeso & crasso fuit, ut aspicientibus incuteret horrorem: atq; ipsa adipis mole tandẽ suffocatus est, anno 1070. Chronicon Hirsaugiense.

CARVNCVLA.

IOANNES posthumus Marci Perezij Antuerpiensis, qui religionis causa Basilęam uenerat, puellus optimè habitus, nisi quòd motu uehementiore, puta risu uel eiulatu, sæpe leui deliquio tentari uidebatur, hilaris, lac nutricis sugens, repente anhelitu intercepto, Basileę expirauit, anno sal. 1576. Adaperto cadauere, ipsi laryngi adnata carũcula nucis magnitudine reperta: quæ ubi ad iustam magnitudinẽ excreuit, puerum nouem mensium suffocauit.

LAQVEO SVFFOCATI.

Qui.

Reges, Principes, Tyranni.

BENADADVS rex Syrię, qui multa mala intulit Israelitis, ab Azaele seruo strangulatus est. 4. Reg.8.

APRIES Aegyptiorum rex, populo inuisus, ab Amasi seruo uictus, in urbe Sai strangulatus fuit. Herod. lib.2.

HERMIAS eunuchus trapezitæ cuiusdã Assensis in Phrygia famulus, posteaq̃ cũ eo Assenses & Aternenses subegisset, à Mẽnone Rhodio, hospitalitatis nomine, simulata amicitia accersitus, comprehensus est, & ad Persarũ regẽ missus, suspendio necatus. Strabo lib.13.

COMMODVS post tertium decimum Imperij annum strangulatus est, Læto prætorij præfecto auctore, & Martia concubina. Sextus Aurelius ait, Martiam priùs tentasse, ut eum ueneno perderet.

GORDIANVS senex Imp. ubi filiũ periisse cognouit, cæsum in acie à Capelliano Maximini duce, cubiculũ ingressus, ꝓpria se zona suspendit, cùm annũ unum & dimidium imperasset. Sunt, qui ante filij interitũ eum sibi uim intulisse credant, diffisum suis uiribus: sed eiꝰ mortẽ in occulto habitã, ductuq; Gordiani iuuenis hostib. itum obuiam, ac uictis Aphris una acie debellatũ. Sab. lib.6. En.7. ex Marcel. lib.26.

MAXIMIANVS Daza, qui Orientis Imp. arripuit, à Licinio oppressus, abiectis imperij insignibus, fugitiuus se turbis colonorum immiscẽs, in agris latuit: & ne uiuus caperetur, se strangulauit Tarsi, Imperauit annis septem. Cuspinian.

Narses Exarchus Italiæ, SINVALDVM Britonum regẽ, priùs uictum, donatumq; uenia, cùm iterũ rebellasset, captum in trabe suspendit. Paulus Diac. lib.2. de gestis Longobardorum, & Sigebertus.

HADINGVS Danorum rex, cùm Hunningi Suecorum regis amicissimi mortem audiuisset, seipsum suspendio publicè necandum curauit. Ioan. Magnus lib.2.

GERMVNDVS Gothorum & Sueonum rex Haraldum Danorum regem uicerat, & fœdere cum illo percusso, exerci-

tum

tum in Sueciam remiserat. Dani circumuentum cepêre, & in erecta trabe strangulauêre: quæ causa fuit memorabilis belli. Io. Magnus lib. 8. cap. 5.

Iarmericus Danorum rex Teutonum quadraginta PRINCIPES captos, alligatis totidem lupis, laqueo strangulauit. Reliquos eorũ optimates, primò tibias loris traiectos, mox taurorum pedibus alligatos, molossisq; incessentibus raptim in cœnũ uoraginesq; pertractos, lacrymabili spectaculo consumsit. Io. Magnus lib. 22. cap. 4.

EVENVS III. Scotorum rex ob tyrannidẽ acie uictus, à suis in carcere strangulatus est. H. Boethius lib. 3.

CONSTANTINVS Scotorum rex ignauiss. à nobile Hebridiano, filiæ raptum ulciscente, noctu strangulatus est, anno regni XVII. H. Boethius lib. 8.

MASLAVS quidam, pocillator regis Polonorum Miecislai, tyrannidem eo mortuo in tractu Plocensi arripuit, cumque de suo nomine Masouiam appellauit. Victus tãdem à Casimiro Miecislai F. ex fuga perpetuo cursu in Prussiam contendit. Ibi à Barbaris cognito euentu prælij excarnificatus, in crucẽ actus est: insultantibus, ut alta teneret, qui alta petiuisset. Cromerus lib. 4. de gestis Polonorum.

Selymus Turcorum rex Aegyptium Sultanũ Tomumbeium Alcairo pulsum, acie denuò uicerat. Tandem infelix TOMVMBEIVS per principem quendam Maurum proditus, atq; in palude, ubi inter cannas & iuncos pectore tenus in aqua latitabat, inuentus, ad Selymum perductus est. Selymus autem adhibitis tormentis hominẽ uexauit, ut quónã in loco thesauri Campsonis Gauri præcessoris sui essent, ex ipso agnosceret. Sed Tomumbeius incredibili quadã animi constantia nihil unquam indicauit. Selymus, ut omnem defectionis spem populis adimeret, Tomũbeium mulæ insidentem, atq; annexum gutturi laqueum habentem per totam urbem duci, ac demũ prope portam Bassuelam tertio Idus Aprilis suspendi iussit. Iouius in uita Selymi.

MARCVS Vicecomes Mediolanũ ad Actium patruelem ueniens, multo cum honore & lætis utiq; uultibus exceptus est. Sed dum in rem suam nouandis rebus clientelas exploraret, tentaretq; ueteres amicos, in Arenę curia post epulas in cubiculum colloquendi simulatione deductus, à prætorianis militibus comprehenditur, elisisq; linteo faucibus strangulatur. Iouius in uita Actij.

Consules.

CRESCENTIVS consul Romanus ob eiectum urbe Gregorium V. Pontificẽ ab Othone III. Imp. captus, membrisq; paulatim mutilatus, & uili iumento auersè impositus, per urbem circumducitur. Postremò ante urbẽ suspensus mille uulneribus à militibus confossus est. Cuspinianus.

Legati.

Iulius II. Pont. anno 1504 id unum efficere nitebatur, ut sibi ab Valentino duce Cæsare Borgia, Alexandri VI. F. Foriliuij, Cesenæ, & Bertinorij arces, quas solas in Aemilia possidebat, concederentur. Valentinus Cesenæ arcis tesserã Pontifici dedit. Cum qua profectus PETRVS Douiedus Hispanus, ut eius possessionem Pontificis nomine acciperet: præfecto, domino suo, dum esset captiuus, parére sibi turpe uideri, eumq;, qui talia petere ausus esset, supplicio dignum esse dicente, ab eo suspensus fuit. Guicciardinus lib. 6.

Philosophi.

ZENO Cittiæus, 98 ętatis anno Athenis è schola rediens, pedem offendit, digitumq; perfregit. Manu autem terram feriens, dixit illud Niobes, ἔρχομαι, τί μ' αὔεις: Venio, quid me uocas? Mox semetipsum strangulauit. Laert. in uita eius.

MENIPPVS Phœnix, philosophus Cynicus, quum esset ex eorum numero, qui auri cupiditate pruriunt, amissis diuitijs laqueo uitam finiuit. Laertius.

Philippus Macedonũ rex, ut LEONE Byzantio sophista sublato, faciliùs Byzantio potiretur, literas ad Byzantios scripsit calumniæ plenas, si uoluisset tantũ dare pecuniæ Leoni, quantum petebat, iamdudum urbe potiturũ fuisse. Ciues Leonis domum circumstetêre. Ille præ metu laqueo uitam finiuit: parũ philosophię præceptis obtẽperãs. Suidas.

Poetæ.

HOMERVM poetarum facilè principem, quidam ferunt, quum iam senio cõfectus ad quosdam nautas diuertisset, propositumq; ab eis ænigma nequiisset dissoluere, pudore motum se suffocasse laqueo.

Pictores.

Hipponax poeta iambographus & amarulentus, grauiter ferens & indignãter, se à BVBALO pictore deformi facie pictum, ad propellendam iniuriam, tam grauiter in eum inuectus est, ut laqueo uitã finire coegerit. Horat. in Epodo:

Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo.

Virgines.

MOLPIA & HIPPO Scedasi filiæ, ob ereptã sibi à duob. iuuenib. Spartanis pudicitiã, laqueo uitã finierũt. Dio. Si. l. 15.

MILESIÆ uirgines, ut scribit Plutarchus, furore actæ, nulla de causa uitam suspendio finiebant. Decreuerunt Milesij, eas uirgines, quæ suspendio morerentur, nudas cũ laqueo efferri. Virgines pudore deterritæ tam inhonesti funeris, ad mentem redierunt. Polyæn. lib. 8.

CAPRONIA uirgo Vestalis, stupri comperta, suspendio affecta est.

Tiberij Imp. crudelitate, immaturę puellæ, quia more tradito nefas esset VIRGINES strangulari, uitiatæ priùs à carnifice, dein strangulabantur. Suetonius.

A quibus strangulati. Puta à

Seipsis.

ACHITOPHEL cùm uideret Chusai consilio Absolomum regem potiùs quàm suo obtemperasse, reuertens domum suspendit sese. 2. Reg. cap. 17.

ERIGONE Aegysthi & Clytemnestræ F. posteaquam Orestẽ parricidam Areopagitarum iudicio absolutum cognouit, laqueo uitam præ mœrore finiuit. Dictys lib. 6.

DEIANIRA Herculis uxor, cùm tunicam Herculi à se missã ueneno pro philtro tinctam fuisse cognouisset, eoq; Hercules infectus seipsum exussisset in monte Oeta, suspendio semetipsam necauit. Sab. lib. 6. Enn. 1.

ARACHNE Lydia puella, lanificij peritissima, ęgrè ferens opus suum à Pallade (qua cum certamen susceperat) confractum, laqueo gulam præfocauit, & in araneam cõuersa est. Ouid. lib. 6. Metam.

MENON Syriæ præfectus, & Semiramidis maritus, cùm à Nino Assyriorum rege precibus & minis fatigaretur, ut formosissimam uxorem ei concederet, laqueo uitam finiuit. Diodorus Siculus.

EPICHARIS libertã, metu Neronis, aduersus quem conspirauerat, prodita à Volusio pręfecto naualiũ, seipsam strangulauit. Polianus lib. 8.

Vladislaus Iagello Polonię rex cõtra Cruciferos Borussos Lituanorũ auxilia ducebat. Hi cùm excursionib. & direptionibus pagorum, ac matronarum ac uirginũ stupris omnia replerent, Polonorum fremitu à rege inquisitio facta est: ubi auctores duo LITVANI inuenti, Vitoldi principis iussu sibiipsis patibulum erexerunt, & suis uterq; manibus patrio more sese suspenderunt. Cromerus lib. 6.

Magistratu.

☞ *Exempla ex præcedentibus.*

Quomodo, quo instrumento. Puta

Laqueo.

☞ *Nec hic exempla deesse possunt.*

Diademate, Fascia.

MONIMA regina, Mithridatis uxor, uicto illo à Rom. detractum è capite diadema collo circumligauit, seq; suspendit. & cùm corporis põdere laqueus disruptus esset, dixit: Execrandum diadema, neque in tam tristi ministerio mihi profuisti? Moxq; cùm super illud humi abiectum inspuisset, eunucho regio sese iugulandam obtulit. Plut. in Lucullo.

Velo nauis.

Sub Arcadio & Honorio Impp. GILDO Comes imperium Africæ affectãs, à fratre Mascezel uel Maccezile proditus, & prælio cõmisso uictus, in fuga fratris iussu uelo nauis strangulatur. Cuspianus.

Neruo arcus.

TVRCORVM reges in trucidandis fratribus, uel ijs, qui de stirpe sunt regia, neruo arcus utuntur, non ferro. Chalcocondylas libro 2.

Torque.

INGEMARVS rex Gothorum & Sueonum contra Haraldũ Danię regem bellum susceperat. Vxorem habebat Danam, Haraldi consanguineam: quæ inita cum proceribus conspiratione, admissis clàm intra cubiculum, maritum à summa trabe catena aurea suspendi curauit, non procul ab colosco, in quo nunc Holmensis ciuitas ædificata conspicitur. Io. Magnus lib. 8. cap. 3. & 4.

GRIMMERVS Sueonum & Gothorum tyrannus ab hostib. comprehensus, in sublimem furcam eleuatus, catena ferrea strangulatus est. Ioan. Magnus lib. 4. cap. 3.

Vbi strangulati. Puta

Ex Arbore.

HELENA post mortem Menelai à Megapenthe & Nicostrato filijs Orestis fugata, in Rhodum ad Polyzo uxorem Tlepolemi peruenit. Cui quum suspecta esset, à famulis eiusdẽ mandato in arbore suspensa periit. Pausanias.

Cyzicum Aeneæ filium narrant, quum recens uxorem duxisset Cliten, congressum per ignorantiam cum Argonautis, interiisse. CLITE prostratũ ipsum amplexa, ac uehementer lamentata, noctu clàm ancillis ab arbore se suspendit. Parthenius de Amat. cap. 28.

E Vite.

PRVSÆENSES expugnati ab Andronico suspensi dè uitibus fuerunt, ad terrendas uolucres. Nicetas lib. 1.

In Cubiculo.

VALENTINIANVS iunior Imp. Viẽnæ fraude Arbogasti Alanorũ præfecti, noctu in cubiculo strangulatus est, suasu Eugenij pædagogi, qui tyrannidem inuasit. Cuspinianus.

IOANNES Antonius Vrsinus, princeps Tarentinus, qui bello Neapolitano Ioannem Andegauensem contra Ferdinandũ Aragonium secutus fuerat, longa quartana confectus, cùm Tarentinorum legatos ob initum cum rege Ferdinando consilium suspectos securi se percussurum minatus esset, & puer minas hasce legatis indicasset, ab iis noctu cubiculum ingressis strangulatus est. Pontanus lib. 5. belli Neapolitani. Inualuit opinio, à quodam eius aulico, magnis largitionibus à Ferdinando corrupto, lacinia lodicis elisis faucibus extinctum fuisse. Riccius lib. 4. Neapolit. regum.

In Carcere.

P. CORN. Lentulus Sura, prætor urbis, comprehensus in coniuratione Catilinæ: item CETHEGVS, Statilius & Gabinius, in carcere iussu Senatus strangulati sunt. Salustius.

Ante portam.

Arnulphus Imp. Bergamo capta, AMBROSIVM eius loci principẽ ante portã urbis laqueo suspẽdit. Sigeb. in Chron.

Cur. Causa

Pietatis.

DOROTHEVS & GORGONIVS martyres, pro Christiana pietate uitam suspendio finiuerũt sub Diocletiano imperatore: mortuorumque corpora famelicis canibus obiecta sunt, quæ illæsa remanserunt.

Sceleris.

IVDAS Iscariotes discipulus Christi, posteaquam à Iudæis triginta argenteos accepisset, & Saluatorem humani generis prodidisset, desperans laqueo finiuit uitam. Actorum. 1.

T. Manlius, non is, qui filium securi percussit, sed alter, iuris põtificij peritus, iudex inter Macedones accusatores & filiũ Syllanum constitutus, audita causa ita pronunciauit: Quum probatũ sit, Syllanum filium meũ pecuniã accepisse, ipsum Republ. & prole mea indignũ iudico. Itaq; SYLLANVS à patre repudiatus, dolore animi se suspendit proxima nocte: cuius exequiis neq; pater interfuit, neq; suadẽtibus, ut adesset, aures præbere uoluit. Valerius Maximus, de Seueritate.

ALEXANDER & ARISTOBVLVS Herodis filij, suspecti de factis patri insidiis, accusante patre, Beryti in cõsessu CL. uirorum, capitis damnati, & mox Sebaste strangulati sunt: corpora in Alexandrio arce recondita. Iosephus libro 16. capite 17. Antiquitatum.

Canutus Danorum rex, cùm aliquando LATRONES quosdam suspendi iussisset, unus ex iis hac ratione liberum se fore autumans, regio se natum stemmate proclamauit. Cui Canutus respondit: Turpe est, nobis sanguine iunctum plebeia morte plecti: regij nostri muneris est, aliquid honoris præ cæteris ei exhibere. Itaque de nautica pinu eum suspẽdi fecit. Helmoldus in Sclauorum chron. cap. 50.

PSEVDOBALDVINVS quidam, Bernardus Remensis Fulgoso dictus, Balduinum Cæsarem Adrianopoli cæsum, falsò se uenditans, fraude deprehensa, reste suspensus fuit. Aemilius lib. 7. & Fulgosus libro 9. capite 16. Cranzius libro 7. capite 22. Metropol.

Repulsæ.

CALLYCE filia Lyci, hominis sanguinarij, & hospites immolantis, relicta à Diomede (quem Troia redeuntem benignè susceperat, & à paternis liberauerat insidiis) laqueo se suspẽdit. Iubas lib. 3. rerum Africanarum, apud Plutarchum.

PHYLLIS Lycurgi Thracum regis filia, ægrè ferens se relictã & spretã à Demophoonte Thesei filio, quem unicè deperibat, & ab expeditione Troiana redeuntem hospitio exceperat, laqueo se præfocauit, in amygdalum postea (ut fabulantur poetæ) conuersa. Pontanus lib. 3. de Stellis.

PHÆDRAM Hippolyti nouercam furiæ Veneris usq; adeò torruerunt, ut laqueo spiritum suum interceperit, quod priuigni concubitum non posset exorare.

AMATA Lauiniæ mater, ægrè ferens filiam Aeneæ iunctam, quam contra uotum patris Turno nuptum dari uolebat, seipsam suspendit laqueo. Vergilius lib. 12. Aeneidos.

IPHIS puer liberali facie, quum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, neque tamen redamaretur ab ea, laqueo se suffocauit, Atque onus infelix elisa fauce pependit. Ouidius lib. 14.

GIDICA Comminij Laurentini uxor, dum Comminium priuignum ad concubitum non posset inducere, se suspendit. Dositheus apud Plutarchum in Parallelis.

Infamiæ fugiendæ.

Archilochus poeta Parius, repudium ac repulsam passus in nuptiis NEOBVLES, Lycambis filiæ sibi promissæ, Iambis à se primùm repertis satyricè adeò & grauiter LYCAMBEM ipsum deuouit, & insectatus est, ut eum cum filia ad furcam impulerit. Horatius: Archilochum proprio rabies armauit Iambo. Et Ouid. in Ibin:

Post modò si perges, in te mihi liber Iambus
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

Stupri uitandi.

ASPALIS uirgo stuprum Tartari Melitensis tyranni fugiens, seipsam suspẽdit. Antoninus Liberalis in Trãsformationib.

Mortis nuncij.

ERIGONE audita patris Icari morte, laqueo se suspendit. Ouidius in Ibin. Statius lib. 5. Syluarum:

——Nec enim Marathonia uirgo
Parciùs extinctum sæuorum crimine agrestum
Fleuerat Icarium.——

AVCTOLIA Vlyssis mater, quum falso nuncio audiuisset, filium apud Troiam occubuisse, laqueo uitam finiuit.

☞ ARMIS, SCVTIS.

TARPEIA Tarpeij præfecti F. cupidine ducta armillarum, quas gerentes uidebat Sabinos, oppugnantes Romulum, prodidit ijs arcem, pacta proditionis mercedem, quæ læuis manibus ferrent. Eaque conditione Tatio unam noctu reserauit portẽ, qua Sabinos recepit. Tatius iussit suis, ut cõuentorum memores, quæ sinistris ferrent, omnia congererent in illam. Ipse ante alios detraxit manui armillam, unaque cum hac scutum ei iniecit. Cùm idem facerent omnes, auro illa iniecto scutisque obruta, numero & pondere oppressa est. Plut. in Romulo.

FROTHONI I. Danorum regi soror Vluilda inuiolabilem ferro uestem donauit, ut nulla ui telorum læderetur. Hic dũ Regnerum Suetiæ regem falsò proditionis insimulatum bello lacessit, armorum pondere & æstu suffocatus interiit, Haldano, Roë, & Scato filiis relictis. Saxo lib. 2.

☞ PRESSVRA.

TRIVMVIR quidã regis Iorami in Israel, cùm Samaria à Syris obsessa extrema fame affligeretur, & Elisæus postridianam liberationem urbis, omniumque rerum abundantiam prædiceret, ille quidem mendacij prophetam arguit: at sequenti die iuxta uerbã uatis propter incredulitatem in porta Samariæ turba oppressus interiit. 4. Regum.

Ad spectacula Iul. Cæsaris Romæ edita tantũ undiq; cõfluxit hominum, ut pleriq; ADVENÆ aut inter uicos, aut inter uias tabernaculis positis manerẽt: ac sæpe prę turba elisi exanimatiq; sint plurimi, & in his duo senatores. Suetonius.

COILVS Britannorum rex, bello petitus à Pictis & Scotis: cùm hi castra noctu essent adorti, à tergo uerò illi impressionem facerent, turba fugientium oppressus interiit. Hector Boëthius lib. 1.

BENNO Aldenburgensis episcopus à Vandalis infidelibus pulsus, ad Hildesheimensem præsulem Beruuardũ cõfugit. Ab eo humanissimè susceptus, quum intraret ecclesiam monasterij sancti Michaelis in Hildesheim, quod Beruuardus nuper fundauerat, à populo compressus & attritus, post paucos dies uita functus est. Cranzius lib. 3. Metrop. 51. ex Helmoldi lib. 1. cap. 18.

Albertus I. Austriacus, cũ cæso Adolfo Cæsare Aquisgrani an. Christi MCCXCVII. coronaretur, in tanta hominum multitudine cùm alij, tum uerò etiam Saxonię DVX Alberti sororius pressura periit. Cuspinianus.

Sub Nicolao V. anno MCCCCL. pronunciato Iubileo tantã multitudo Romam uenit, quanta nunquã antea. Vt cùm semel è Vaticano, uisa Saluatoris imagine, ad urbem redirẽt, facta obuiã mula quædã Petri Barbi Cardinalis, cùm neq; uenientes neq; redeuntes ob insequentẽ multitudinem cedere possent, cadente uno atq; altero super mulã illam iam à multitudine oppressam, ad CC HOMINVM corpora & equos tres obtrita & suffocata sint in Hadriani ponte. Sab. lib. 5. En. 10. & Platina.

In nuptiis Henrici Imp. Friderici II. F. Norimbergæ celebratis, multitudine hominum suffocati QVIDAM perhibentur. Cuspinianus.

☞ PVLVINO, VESTIBVS INIECTIS.

POLYCRITA puella cùm Naxios ab obsidione liberasset, Diogneto Erythræorum duce in sui amorem pertracto, ut exercitum proderet: Naxij magno desiderio puellam certatim honorare cupientes, alij uittis, alii cingulis eam circũdederunt, ita ut pondere eorũ, quę inijciebãtur, oppressa suffocaretur. Parthenius in Amatoriis, ex Andrisco de reb. Nax.

DRACO Atheniensiũ legislator, in theatro apud Aeginã pręfocatus sepultusq; est, petasos uestesq; omniuariam conijcientibus in eum uniuersis. Cælius lib. 10. cap. 6. A. L.

MITHRIDATES Armenię rex, à Radamisto nepote & genero unà cum uxore ac liberis, culcitris capiti iniectis, suffocatus est. Fulgosus lib. 9. c. 6.

DEMETRIVS ueneno potionatus, puluino suffocatur à fra-

tre Perseo,ut sol⁹ patris in regnō successor esset.Sab.l.8.En.5.

TIBERIVS Imp. cùm in morbo non acuto aliàs decumberet,aliàs conualesceret,ueritus Caius Caligula,ne ualetudinem recuperaret, nec cibum petenti Tiberio dedit, quasi is incommodaturus ei esset, & multis ac densis stragulis iniectis,quasi calefactione opus esset,eum suffocauit.Zonaras, Suetonius,& Dion.

FRIDERICVS II.Imp.anno imperij 37. ætatis 57.ea die,qua olim Imperator erat designatus, cùm in Apulia apud Florenzolam ex accepto ueneno grauiter laboraret; ac tandem medicorum diligentissima opera ex longa conualesceret ægritudine, à Manfredo spurio ori iniecto puluino suffocatus est. Siue ab hostibus corruptus id fecerit, siue quia Siciliæ regnum affectaret. Alij Florenzolæ illum tradunt sepultum, alij Panormi, quod uerisimilius est, alij Tarenti: tam occultè est mortuus. Cuspinianus,& Iouius in Matthæi Magni uita.

IOANNES XI. Pontifex,seditione militari, maximè uerò à militibus Guidonis Comitis captus,& in uincula cōiectus, ceruicali in os coniecto necatus,pontificatus sui anno 13. Sigebertus & Platina.

Carolus Paruus, Roberti Siciliæ regis filius,IOANNAM fratris sui Andreæ uxorem puluillo ori iniecto enecauit,quòd illa maritum suum interfecisset.Volaterranus.

AESTV SVFFOCATI.

THALES Milesius Olymp. 54. dū spectaret ludos Gymnicos, æstu suffocatus obiit.Laert.lib.1.cap.10.

MINOS rex Cretensium,repetiturus Dædalum in Siciliam fugientem,à Cocalo rege Siculo in balneis nimio æstu suffocatus est.Diod.lib.4.cap.13.

NICO pauperrima anus spicas legens æstu interiit.De qua sic Philippus in Græcis Epigrammatis, ἐς πτωχούς.

Λιμὸν ἐπιζυγίῳ ἀπαμειβομένη πολύγηρως
νικῶ, σοῦ κούρας ἠκρολόγει στάχυας·
ὤλετο δ' ἐκ θάλπευς· τῇ δ' οὐκ ἠμάλλης συνέριθοι
νήσου πῦρ, ἧς ἦν ἄξυλον ἐκ σταχύων.
μὴ νεμέσα Δήμητερ, ἀπὸ χθονὸς εἰ βροτὸν οὖσαν
κὴρ τῆς γαίης σπέρμασιν ἠμφίεσεν.

FAVSTA Constātini Magni uxor, in matris Helenæ gratiam, Prisci filij casum dolentis, quòd ob suspicionē tantū, quasi Faustam nouercam tentasset, fuisset occisus, ab Imperatore balneo feruido imposita suffocata fuit.Suidas.

D.IOAN. Chrysostomus, episcopus Constantinopolitanus, Eudoxiæ Arcadij Imp. coniugis dolo bis in exilium pulsus. Cæterùm cùm reuocatus rediret, æstu ob solis ardorem & languore decessit.Palladius,& Suidas.

Cùm singulari certamine apud urbem Meldensem in Gallia, MAVGOTVS Maubertus, & Fochetus Doriachus, Iulio mēse inter uehementes solis ardores depugnarent: & post primum impetū Fochetus aliquantisper quieturus secessisset, animaduertēs Maugotū in equo nutare, brachium eius inuasit,atq; ad terram ipsum pertraxit:& cùm neq; ad deditionem appellatus respōderet,neq; aliter moueretur,detracta galea inuenit mortuum.Fulgosius lib.9.cap.12.

EXTINCTIONE CALORIS NATIVI per frigus, FRIGORE extincti.

Delphis ostendebantur EORVM, qui ad succurrendum Bacchis,à uento procelloso & niue occupatis, Parnasum conscenderant, uestes ita induratæ à gelu, atq; in lignum obrigētes chlamydes; ut etiā dissecarentur & lacerarentur, cùm distenderentur.Plut.de Primo frigido.

GRÆCI è Babylone redeuntes,qui Cyrum contra fratrem Artaxerxem secuti fuerant,aeris inclementia in Armenia miserè sunt afflicti. Plurima iumentorum multitudo frigore enecata comparuit:multi etiam uiri extincti inuenti sunt:multis spiritus sensusq; uegeti aderant,sed rigida gelu membra mouere non licebat.Aliis frigus oculos immobiles reddiderat. Postremò cunctos ea pestis absumpsisset, nisi paulum progressi in uillas & uicos euasissent rerum necessariarum copia refertos.Diod.lib.14.

MVRITA martyr ab Elpidephoro quodā Ariano in exilium missus,ibi fame & frigore periit.

QuadragintaMILITES martyres sub Licinio Imp.Sebastæ Armeniæ in stagnum gelu concretum collotenus mersi fuere. Postridie eductis & in fidei proposito permanentibus crura confracta sunt.Marul.l.5.c.5.ex Nicephoro,&Sozomen.l.9.

Ann. 1020. frigore hyberno enecti sunt HOMINES nō pauci.

Constantiæ nuper,inquit Poggius lib.1.de Miseria hum.ubi generale Concilium erat, HOMINEM intemperie frigoris mortuum equo insidentem in publicum hospitiū delatum conspeximus, ita stantem ut uiuus uideretur. Obriguerant membra singula, adeò ut corpus equo in hospitium deueheretur. Quosdam præterea audiuimus in iisdē regionibus simili morte periisse.

Anno 1491.hyems sæuissima fuit.Multi ui frigoris periere.In castris Vladislai regis Vngariæ contra Maximilianū Imp.CALONES centū, qui pabulatum exierant,pleriq; obriguere; pauci iumentorū anhelitu seruati sunt. Nimbi terribiles tentoria deiiciebant. Sagati milites regē ualli instar circūsistentes uix à tanta tempestate conseruarunt. Bonfin.lib.1.Dec.5.

Anno 1498. sub finem Nouemb. septuaginta millia TVRCARVM per Valachiā in Russiam sese effuderunt,ferro & igni omnia uastantes, & prædas agentes. Derepentè intensum frigus & gelu extitit,& nix tanta decidit, ut circumsepti undiq; Turcæ neq; progredi,neq; regredi possent. Et insolens id nouumq; hominibus illis pariter & iumentis,mitiore cœlo natis & educatis, accidebat. Ita iumentis plerisq; omnibus frigore & fame confectis,hominum quoque supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur. Multi reperti postea,qui interfectis equis,in uteros eorum exenteratos calentes etiamnum sese illatebrauerant, sed nullo operæprecio: statim enim calor artus, uita & sanguine destitutos,deserebat.Reliqui cùm in Moldauiam euasissent, à Stephano Palatino & Valachis, Polonorū insequentium habitum mentitis,contrucidati sunt,ita ut uix decem millia Istro transmisso salua euaserint.In religionem hæc res cessit Turcis,ita ut sibi persuaderent, gentem Polonam atq; Russam diuinitùs defendi & uindicari: nec temerè deinceps eā gentem bello sibi lacessendam & infestandam esse.Cromerus libro 30.& Sabellicus libro 10.capite 5.

Ea fuit anni 1526.asperitas hyemis apud Moschos,ut multi VEREDARII in uehiculis gelu concreti fuerint reperti, multi PASTORES,dum pecora Moscouiam agunt,perierint,ursi etiam in uicinas uillas irruerint.Sigismundus ab Herberstein in Moscouia.

MORS CONSIDERATA RESPECTV MATERIÆ PARTIUM AFFECTARUM. QVIBVS partibus quomodocunq; affectis mortui. Vtputa morbis & affectibus

CAPITIS TOTIVS.

Amputatione. Decollati.

Si instrumētum spectes, magna ex parte ad Tit. Securi percussi, referenda erant huius loci exempla: quæ alioqui ratione partis affectæ ad hunc ordinem propriè pertinent. Quibus post mortem caput adimitur,sub Cadaueris curam referendi.

Achabi Israelitarum regis septuaginta FILII Samariæ à ciuitatis optimatibus,ex mandato Iehu,qui regnum occupauerat,trucidati, corumq; capita in fiscellis posita Iehu missa sunt.4.Regum 10.

SEBA filius Bochri,concitauit populum contra Dauidem: & fugiens in Abelam ciuitatem,ubi putabat se habere refugiū & auxilium,decapitatus fuit ibidem.2.Reg.20.

ORPHEO Thraciæ mulieres ob pæderastiam, ut Phanocles testatur apud Stobæum ser.62.

τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλὴν χαλκῷ τάμον· αὐτίκα δ' αὐτὴν
εἰς ἅλα Θρηικίην ῥῖψαν ὁμοῦ χέλυϊ
ἥλῳ καρτύναντες, ἵν' ἐμφορέοιντο θαλάσσῃ
ἄμφω ἅμα, γλαυκοῖς τεγγόμεναι ῥοθίοις.
τὰς δ' ἱερῇ Λέσβῳ πολιὴ ἐπέκελσε θάλασσα·
ἠχὴ δ' ὡς λιγυρῆς πόντον ἐπέσχε λύρης,
νήσους τ', αἰγιαλούς θ' ἁλιμυρέας, ἔνθα λίγειαν
ἀνέρες Ὀρφείην ἐκτέρισαν κεφαλήν.
ἐν δὲ χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν, ἣ καὶ ἀναύδους
πέτρας καὶ Φόρκου στυγνὸν ἔπειθεν ὕδωρ.
ἐκ κείνου μολπαί τε καὶ ἱμερτὴ κιθαριστὺς
νῆσον ἔχει, πασέων δ' ἐστὶν ἀοιδοτάτη. hoc est,

Amputarunt caput,idque statim unà cum testudine in mare Thracium abiecerunt, clauo affigentes, ut per mare ueherentur ambo simul glaucis madida undis. Illa uerò mare canum ad Lesbum admouit sacram. Edebatur autem per mare sonus ueluti argutæ lyræ,perque insulas, & litora salsa.Ibi uocale Orphei caput sepelierunt uiri, & testudinem quoque in tumulo posuerunt argutam, quæ etiam mutas petras,& Orci tristem aquam persuasione mulcebat.Post illud tempus & cantilenæ, & iucundus citharæ lusus insulam occupat, quæ omnium maximè musicis artibus oblectatur.

AQVILII,VITELLII,& duo filij L.Bruti Coss.Rom.ob tentatam proditionem securi sunt cæsi. Plutarchus in Poplicola.Liuius lib.2.

C.PONTIVS cùm à Fabio Maximo eiusq; filio contra Samnites pugnantib.uictus esset, ductus in triumphum, securi percussus est.Liuius in Epitome.

M.Antonius Triumuir Iudæorum regem ANTIGONVM ab Herode uictū ad triumphum seruare uolebat. Verùm quia uiuente eo Iudæos res nouas moliri audiebat, perductum Antiochiam securi subiecit: Romanorumq; primus affecit regem hoc supplicio.ratus non aliter posse adduci Iudæos, ut Herodem pro illo regem constitutum admitterent. nam ne tormentis quidem adigi poterant, ut appellatione regis eum dignarentur:tanta apud eos fuit prioris regis existimatio.Quare uisum est ignominiosa morte obscurare eius memoriā,& lenire publicū Herodis odiū.Strab.& Iosep.l.15.c.1.

M.Tul.CICERO cùm tota domo proscriptus à Triuuiris, cū lacrymis à fratre diuulsus, Asturam primò naui delatus est, mox Circeios usq; nauigauit: ibi siue nauigationis tædio, siue quòd nondum spem de Octauio abiecisset, in terrā descendit,Asturamq; pedibus rediit:incertus,an & Romam reuerteretur. Hinc liberorum monitu, repetita naui Formias processit. Appianus Capuam progressum scribit. Eum circa Formias appellentem corui infesto uolatu, ab infausto appulsu arcere uoluisse uisi sunt.Ex litore ad uillam suam, quæ in proximo fuit,lectica est delatus, ubi diutius commorari non est ausus, iisdem alitibus garritu importunoque uolatu omnia infestantibus.Referebatur igitur eadem lectica ad nauem, quum Popilius Lenas, quem ipse capitali iudicio olim defenderat,cum globo militum obuiam occurrit. Sensit Cicero,eos,ad cædem missos, continuoque lecticam deponi iussit,hicque sine gemitu aut querela ulla tacitus, barbamque sibi læua manu,ut mos illi fuisse dicitur,demulcēs, uenientes excepit. Interficitur igitur annos natus quatuor & sexaginta. Caput eius cum dextera ad se delatum Antonius in Rostris suspendit, quum prius inter epulas ad satietatem spectasset. Eius frater Quintus & Quinti filius, haud multò postquàm ipse Roma egressus est, fuerant interfecti. Brutus, Ciceronis morte nunciata, C. Antonium Triumuiri fratrem,ad id tempus incolumem seruatum,Ciceronis filio occidendum tradidit. Sic Antonius prius fraterno sanguine,mox suo,quum ab Octauio uictus,sibi mortem consciuit, Ciceronis manibus, imò Rom. potius eloquentiæ, quam læserat,meritas exoluit pœnas.Sabel.lib.8.En.6.

GALBÆ Imp. cùm ad compescendam seditionem M. Othonis in castra lectica perferretur,caput detruncatum: item PISONI,quem Galba successorem in Imperio Othoni prætulerat.Plut.in Galba.

RVBRIVS Flauius cùm à Nerone defecisset,cùm à lictore admoneretur, ut fortiter ceruicem præberet: Vtinam, ait, tu tam fortiter ferias.Brus.lib.2.cap.1.

Caracalla Imp. cùm interfecto fratre Geta, PAPINIANO I.C.mandaret, ut in Senatu & apud populum facinus dilueret:ille autem respondisset,non tam facilè parricidium excusari posse, quàm designari: securi percuti iussit.Spartian.

DIDIVS Iulianus Imperator à Septimio Seuero successore suo in abditas palatij balneas ductus, extētā damnatorum modo ceruice,decollatus est.Sex.Aurelius.

PAVLVS(eadem die,qua Petrus Neronis iussu cruci fuit affixus, in loco, quem montem Aureum nunc uocant) uia Ostiensi,quia ciuis Romanus, securi percussus. Volaterranus libro 22.Anthropologiæ.

In MARTYRVM turba inenarrabili,infinitos reperias,capite multatos,non clementia persecutorum hominum crudelissimorum, sed quòd consumtis omnibus aliis crudelitatis instrumentis, gladius unicus superesset, quo Christianos è medio tollerent.

THEODORA uirgo Antiochena, sub Diocletiano pari extincta est morte.

IVLIA comes Eulaliæ, sub præside Daciano capite truncata. Adonius apud Volat.lib.16.Anthrop.

MARGARITA uirgo Antiochena,in patria sub Olybrio præfecto,post multa supplicia, capite truncata est, annorū XV. Volat.lib.17.Anthrop.

VICTOR præsul Carteiæ urbis Hispaniæ, sub Maximiniano, non procul Mediolano,hoc supplicio uitam finiuit. Sabell.

ANDRONICVM martyrem Maximus præses circa uentrem papyris inflammatis fecit exuri, clauos ignitos eius digitis apponi, ignitum ferrum in os immitti, dentes excuti, confractis maxillis linguam abscindi, ad extremum capite puniri.

LEODEGARIVS Augustodunensis episcopus ab Ebroino, post famem,carceris squallorem,oculorum euulsionē,plantarum concisionem, linguæ & labiorum excisionem, tandem capite quoq; truncatus est.Sigebert.in Chron.

PHILIPPVS Imp.qui prius Gordianū Imp.suum fraudulenter circumuentum necauerat & imperium arripuerat, à militibus Veronæ cæsus est, medio capite supra ordines dentium præciso, expeditionem suscipiens aduersus Decium, quem inuitum milites Illyriciani strictis ensibus Imperatorem fecerant. Cuspinianus,ex Eutropio & Sext.Aurelio.

SOPATER sophista, Iamblichi discipulus, cùm in magna apud Constātinum Magnum fuisset auctoritate, calumniam ab inimicis passus,quòd causa caritatis annonæ Constantinopoli fuisset, insons eiusdem Imperatoris iussu securi percussus est.Eunapius in libro Sophistarum.

MAVRICIVS genere Cappadox,successor Tiberij, ob auaritiam militibus exosus, à Phoca centurione limitis Scythici captus,securi percussus est.Volat.lib.23.Anthrop.

HERMENGILDVS à Leonegildo Hispanorum rege,licet liberorum natu maximus esset, securi percussus est, quòd Arianorum sectam non probaret. Ritius Neapolitanus libro 1.Regum Hispaniæ.

Ranimirus Gothorum rex ex monacho factus, & à PROCERIBVS ob equitandi imperitiam irrisus, eos securi percussit:id unum uernacula dicens lingua: *No sabe la uolpeya, Con qui en troppeya*, Nesciebat uulpecula cui illuderet. Collenutius lib.1.hist.Neapol.

BOSO rex Arelatensium ob alapam Episcopo Arelatensi impactam,quòd contra suum mandatum in absentia sui sacra natalitia Christi noctu prosecutus esset, ab Othone I. Imp. securi cæsus.Munsterus lib.2.Cosmogr.de Arelato.

HERCVLANVS monachus sanctissimus, & Magni Gregorij pont.nutritor,episcopus Perusinus,à Totilæ regis præfecto (qui post septennem obsidionem Perusium expugnarat) capite truncatus, dein excoriatus, tandem è muro præcipitatus est.Sub Iustiniano Imp. Greg. Turon.libro tertio Dialogorum,capite 13.

CONRADINVS Sueuus à Carolo, quem Neapolitani primum uocant, anno Salutis 1268.in potestatem redactus, octauo die Neapolim ductus, publico iudicio rei capitalis damnatus,& securi percussus est. Ritius libro tertio, de Regibus Siciliæ.

GABRINVS Fundulus Cremonensium tyrannus astu à Philippo Vicecomite Mediolanensium captus, medio in foro Mediolani capite plexus est.Fulg.lib.9.c.11. & Iou. in Philip.

MARSILIVM Carrarium(Francisci filium,qui principatu exciderat,à Venetis bello uictus) ex Pannonia accersitum Philippus Vicecomes bello Venetis illato tandiu penes se occultum habuit, quoad ex Patauinis quosdam magnis pollicitationibus perpulit,ut Marsilio urbem proderent, pecunias,arma, & omnia ad urbem tuendam pollicitus. Etiam Marsilius negotiatorio habitu,paucis comitatus, in Vicetinos processerat:hic demùm agnitus,cum his,qui eius lateri hærebant,captus est,Venetiasq; perductus,cognita reditus causa,cum duobus Philippi amicis, qui dati fuerant illi comites,securi subijcitur:in proditionis conscios publicè animaduersum.Sabel.lib.2.En.10.

LADISLAVS & Mathias, Io.Coruini filij,sublato in Belgradi arce è medio Vlrico Ciliæ comite,regis auunculo, Coruinæ domus perpetuò hoste, regem Ladislaum Themesuaro abeuntem,Budam sequebantur,familiarissimè cum eo uersabantur,habiti inter primos. Vt Budam peruentum est,capti sunt,& cum iis primarij amici, ueluti Cilianæ mortis cōscij, & insidiarum,quæ regi pararentur,artifices. Tertio die Ladislaus capitali supplicio multandus,prætori traditur: & inclinante iam sole, prælato pullo lugubrique uexillo, in plateam,reuinctis post tergum manibus,educitur.Demissis crinibus,arduo capite, & aurea ueste, quam à rege acceperat, incedens, ad necem prodit: huc & illuc gemebundam plebem impauidus aspicit. Quum ad locum cædi præstitutum processisset,lictorem crines colligere iubet:mox pauca pro sui purgatione loquut⁹,& genua flectere iussus, paruit: nullumque trepidationis unquam indicium prætulit. Præco,qui damnatorū facinora ex more publicat, nil aliud impetrato silentio enunciauit,nisi reges tales pœnas à perfidis infidelibusque suis exigere.Lictor à prætore gladium in ceruicem formosissimi iuuenis stringere iussus, commiseratione ac metu iuxtà correptus, ictus tres intulit: & nondum caput absciderat. Ladislaus ne lethali quidem uulnere læsus, ui magna erectus, deorum hominumque iustitiam appellat, se non ultrà à lictore petendum exclamat: quartum lictori ictum, ex lege interdictum esse: miraculum pro læso innocentiæ numine intercessisse. At uerò nonnulli proceres, qui è Sigismundi palatio præsidente rege spectabant, & Ladislai necem anhelabant,lictorem increpitant, ense ceruicem repetere iubent. Quare uix quinto ictu obtruncatur, annos natus quatuor de triginta. Corpus atro panno inuolutum, ad diuæ Magdalenæ basilicam elatum, & ante lucem clàm euectum, in ædicula corporis Christi, quæ in suburbij cliuo sita est, in parricidarum regaliumque proditorū monumenta relatum est. Rex perfidiæ turpitudinem, notam periurij, uiolatæ fidei & execrabilis inconstantiæ cri-

men subiuit, & anno ulx dum exacto periit. Quo mortuo, Mathias è Pragensi carcere eductus, rex Vngariæ declaratus est, Turcorum & Austriacum terror. Michael Zilagius auunculus, cadauer Ladislai ex infami tumulo eruit, Albámque in Transyluaniam translatum, prope parentis monumẽtum collocauit. Bonfinius libro octauo & nono, Decadis tertiæ.

HIERESLAVS scriba & Boëmicarum rerum procurator, de intentatis Mathiæ Vngariæ regi insidiis accusatus, quamuis constanter negaret, Viennę decollatus ignauo uulnere. Bonfinius lib.6.Dec.4.

MARIA Brabantina, à Ludouico Bauaro Imp. ob suspicionẽ adulterij cum Henrico Ruchone decurione equestri, ad quem literas scripserat, indicta causa securi percussa. Cuspinianus in Cæsaribus.

CICHVS Simoneta, uir de ducatu Mediolanensi optimè meritus, à Roberto & Ludouico Sanseuerino ab exilio reuersis, in quos à missi fuerant ob seditionem, secuti in Ticinensi arce iniustè percussus est. Fulgos. lib.6.c.12.& Sabel.lib.7.c.8.

FRANCISCVS Carmaniola rei militaris peritia præstantissimus, cùm à Philippo Vicecomite præter meritum Genuæ præsidatu deiectus esset, ad Venetos desciuit: & Brixia capta, Philippi equitatum omnem cepit. Quem cùm iterum dimisisset, Veneti suspicione ducti, quasi in Philippi gratiam redire cuperet, Venetias euocatum securi percussere, publicatis etiam bonis eius, quæ in belli sumtus contulere. Iacobus Bracellus lib.1.belli Hispani.

PAVLVS Vitelliius, Florentini exercitus contra Pisanos præfectus, ob infeliciter tentatam Pisarum expugnationem, copiarum in hyberna distributionis constituendæ specie ablegatis Florentinorum Cassinam uocatus, captus, indeque Florentiam missus, & eadem nocte, qua cò perductus est, quæstionibus acerbè uexatus, sequenti die securi percussus fuit. Parum abfuit, quin unà cum ipso & frater ipsius, ad quem legati eodem momento, qui eum caperent, miserãt, in eandem calamitatem incideret. Sed Vitellocius ita ut erat, morbo circa Pisas contracto, æger, dum imperio se parẽ uelle fingens strato egreditur, dum se Induendo tempus interponit, aliquot suorum, qui accurrerant, ope, equo conscenso Pisas se, ubi summa cum lætitia acceptus est, contulit. Guicciardinus lib.4.

BALDACIVS pedestrium copiarum haud ignobilis ductor, manu promtus & audax, cùm diu Florentinorum stipendia meruisset, in palatium tandem accersitus, dum magistratui contumaciter respondet, ex altissimis fenestris in forum præcipitatus est, & quamuis iam expiranti, ceruix abscissa. Aen.Syl.cap.34.Europæ.

AMERICVS Cibachus episcopus Vatadinensis, uir præstantissimus, à Ioanne Sepusio rege Hungariæ, Trãsyluanię præfectus, ab Aloysio Gritto, Andreæ Venetorum principis notho, cùm in Pannoniam à Solymão ad Io. Sepusium regem cum amplissimis mandatis ablegatus esset, per fraudẽ Iani Dociæ capite truncatur, quòd ipsi quondam in quadam altercatione uociferanti alapam impegisset. Cæterùm audita Americi cæde, propinqui prouinciales que fermè omnes incredibili dolore concepto aduersus Grittum conjurarunt: & duce Stephano Mailato in oppido Meges Grittum obsessum comprehenderunt, caputque ei ingenti machęra detruncarunt. Docia discriptus est. Iouius li.32.Hist.

Lotrechij Gallici exercitus in Italia contra Cæsarianos Imp. Mediolanum aduentu, ad terrendos insubrum animos, CHRISTOPHORVS Pallauicinus summę nobilitatis & pacati animi regulus publicè securi percutitur: quem antea nequaquam capitalibus, quæ maiestatem respicerent, delatum criminibus, & nihil tale uerentem, Lescurus uiolatis hospitalis mensæ iuribus, direptaque eius opulentissima domo, apud Buxetum ceperat. Iouius in Piscario libro secundo.

THOMAS Morus Anglus, regis cancellarius, & IOANNES Phisicherus episcopus Roffensis, cùm regis Anglorum Henrici VIII. nouum matrimonium, repudiata priore uxore, non approbarent, neque regem supremum caput Ecclesiæ post Christum in terris esse fateri uellent, hic quidem 23. Iunij, ille uerò 7. Iulij, Londini securi percussi sunt, anno Christi 1535. uiri æterna memoria pietatis & eruditionis nomine dignissimi, Angliæ simul & totius Europæ lumina. Sleidanus lib.9.

THOMAS Monetarius hæreticus seditiosus, Franchusij captus, & Mulhusij oppido Thuringiæ gladio percussus est, caput adfixum hastæ, & mediis in campis collocatum. Sleidanus libro quinto.

Allisione.

XENOCRATES Chalcedonius philosophus, hoctu sine lumine domum petambulans, patellæ caput illidens periit. Fulg.lib.9.cap.12.

PERSÆ uteneficos ui eò compellebant, ut in amplo lapide ea put impingerent: rursusq; alio superinducto, illud effringerent. Alexan.lib.3.cap.5.

PVER Elæus ænea boui Corcyrę orum donario, in Alti posto, per lusum caput illidens periit. Pausanias lib.1.

PHASAELVS, Herodis Antipæ frater, per proditionẽ à Parthis captus, & Antigono hosti deditus, muro caput allisit. Iosephus.

Quum L. Opimius consul C. Gracchum agrarias leges contra auctoritatem senatus ferre molientem sustulisset, HERENNIVS Siculus (quo & aruspice & auuico usus semper fuerat Gracchus) comprehensus, dum in carcerem traheretur, capite posti carceris illiso spiritum deposuit. Val.Max.lib.9.c.12.

PETRVS de Vineis Capuanus, iurisperitus, à Friderico II. Imper. cuius ab archiuo fuerat, ob proditionis suspicionem relegatus, capite parieti illiso, mortem sibi intulit, composito prius de Consolatione libello.

CAROLOMANNVS, Caroli Calui F. dum fugientem puellam sequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit. Cuspinianus.

ANDREAS Dandulus classis præfectus, cum quatuor millibus Venetorum captus, cùm Genuam duceretur, toties triremi caput impegit, ut antequã Genuam uentum esset, expirarit. Sabel.lib.1.Decad.2.

PETRVS Bembus Cardinalis, cùm Patauij caput ostio impru dens impegisset, lenta febre consumtus obiit. Hieron. Garimbertus lib.2. de Vitis Pontificum.

Vulneribus.

Vide Tit. Clauo occisorum.

SISARA dux exercitus Iabini regis Cananæi, uictus à Baraco Abinoami F. Nephthalensi, à Iaele uxore Hebris Cenæi in fuga susceptus, clauo per tempora adacto dormiens interfectus est. Iudicum cap.4.

Dolore.

COLOMANNVS Vngariæ rex erga fratrem Almum & nepotẽ crudelis, quorum alterum excæcari, alterum castrari iusserat, ut filio suo Stephano stabile regnum relinqueret, capitis dolore periit. Bonfinius lib.5.Dec.2.

Narrant in osse caluariæ MVLIERIS, quæ iam biennio ex capitis dolore mortua fuerat, nequicquã agẽtibus medicis, inuentum argentum uiuum pondere duarum unciarum. Nempe colligebatur sensim in cerebro, cùm quotidie fluxo uteretur, ob humidum quod sicco cogitur. Cardanus de Subtilitate, libro de Mistis.

Tumoribus, Vlceribus.

DIOGENES Romanus Imp. à Michaele Parapinaceo priuigno suo, oculis orbatus, nullamq; fortitus curam, capite intumuit, ac uulnera putruerunt adeò, ut uermes hinc prodirent. In insulam Praten abductus obiit. Cuspinianus.

Cùm Imperator Leo IIII. Coprony mi F. insano preciosorum lapidum amore duceretur, coronam quoq; Heraclij in magna æde dedicatam gestauit, in publicum progressus. Inde domum reuersi caput carbunculis grauiter est affectum, ut hementissimaq; eum extinxit febris. Cedrenus.

SVMMI CAPITIS.

Vulnere.

Mistauo Vandalorum regi, Bernardus Saxoniæ dux filiã suam in uxorem pollicitus fuerat. Repulsam inde passus Mistauus in Saxonem arma mouit: & quia se canẽ, hoc est Ethnicum nominari audiebat, Aldenburgi sexaginta PRESBYTERIS cutem capitis in modum crucis incidit: sicque eos circumducẽs, probris & uerberibus afflixit, donec uiribus destituti animam efflarent: reliquos canonicos pecudum more iugulauit. Cranzius lib.3.Metrop.

Fridericus II. Imp. contra Gregorium IX, bello suscepto, Roma obsessa, multos SACERDOTES captos, cruce uertici incisa exanimauit. Stumpfius.

AVRIVM

Tumore.

VERVS, M. Antonini Philosophi Imp. F. uomica post aurem obiit. Cuspinianus.

Exustione.

CAREM militem Artoxerxis, de Cyro rege interfecto gloriantem, Parysatis mater ære feruente in aures instillato exanimicauit. Plutarchus.

LINGVAE.

PVSICES martyr Persa, lingua per ceruicem extracta necatus traditur.

FAVCIVM TVMORE, ANGINA.

IO. MAGNVS Vpsalensis archiepiscopus, Gothus, anno 1544. Romæ ex angina periit, anno exilij uigesimo: is qui historiam Gothorum & Sueonum scripsit. Olaus libro decimonono, capite 30. de gentibus Septentr.

MAMMILLARVM.

AGATHA Carthaginensis uirgo, pietatis plena, & martyr, sub Gallo mammillis torta est. Volat.lib.13.cap.3.Anthrop.

COSTARVM

Fractura.

LVDOVICVS, Ludouici Pij F. Germaniæ rex, ex solario casum faciens, costam fregit: & dehinc, licet morbum occultaret aliquandiu, tãdem in palatio Franconefurt mortẽ obiit, sepultus Loriffæ propè Vuormatiam, in cœnobio S. Nazarij. Cuspinianus.

MEMBRANAE SVCCINGENTIS

Pleuritide.

LCRASSVS, cùm esset quæstor, & in senatu multùm contra Philippum consulem esset inuectus, negasseteq; illum sibi uideri consulem, cuius non esset ipse senator, laterum dolore obiit. Cicero libro tertio de Oratore.

PAVLINVS Nolanus episcopus, uir sanctissimus, D. Ambrosij discipulus, pleuritide obiit.

GELASIVS II. Henrici V. Imp. arma fugiens in Galliam, concilium ad ordinandum ecclesiæ statum Vienuæ habuit, & post paucos dies quarto Calendas Februar. Cluniaci sæuo lateris dolore consumtus est. Sigonius lib.10. regni Ital. Cranzius lib.1. Metrop. cap.18.

CAROLVS Magnus Imp. imperij rebus compositis, dum Aquisgrani esset ualetudinis causa, propter aquas calidas, quæ ibi scaturiunt, febre ac dolore laterum septimo die moritur, ætatis anno 72. Platina, Cuspinianus, Sigonius lib.10. regni Ital. Cranzius lib.1. Metrop. cap.18.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. ignauissimus, uentriuenerijq; deditus, podagra mirè excruciatus, pleuritide tandem periit. Cuspinianus.

BONIFACIVS IX. pontifex dolore laterum obiit, pontificatus sui anno quarto decimo. Platina.

CORDIS

Hydrope.

MAXIMILIANVS II. Imp. cùm diu palpitatione cordis laborasset, extinctus est an. 1576. Aperto cadauere in pericardio aquæ copiosa inuenta est, totusq; pulmo aquæ innatabat: in cauitate pectoris supra quatuor aquæ libras repertę. Hydrops ergo pulmonis erat, quem palpitatio consequebatur. Respiratio tam impedita, ut ne sesquicyathum bibere posset. Mingebat ad sex libras interdum uno die, natura aquem humorem per eas uias exonerante. Quj motus cùm uel sponte subsiterit, uel, ut quidam opinantur, Agathæ Streicherianæ medicamẽtis impeditę fuerit, successissent intermissiones, hæmorrhoidum dolores atque uigiliæ, [illegible] Imp. [illegible] Eodẽ morbi genere post XIIII dies FRIDERICVS Palatinus sublatus uidetur, cui cor cerebrò palpitabat. Hunc certè in uctrem delapsum paulo antè hydropicum uideri fecerat. Is denuo auctus, catarrhi suffocantis speciem præbuit. At secto cadauere copiosus in pectore humor repertus est, & cor pituita obsessum. Io. Cratonis medici Cæsarei III. hypomnema.

PVLMONIS

Vlcere Phthisi.

Consule Tit. Tabe & macie confecti, quatenus ex Pulmone macies prouenit: quæ macies Auctricis facultatis & Nutricis accidens esse uidetur.

PHARNVCHES equitatui Xerxis præfectus, contra Græcos Sardibus proficiscebatur. Cane sub pedes equi intercurente, equus territus, sessorem excussit. Eo casu rupta in pectore uena sanguinem uomuit, & pòst phthisi periit. Herodotus libro septimo.

VENCESLAVS IV. Boëmorum rex ex pituitæ assiduo defluxu tabe obiit. an. 1305. ætatis suæ 31. Dubrauius lib.18.

Symphysi.

FERDINANDVS I. Rom. Imp. Viennæ Austriæ phthisicus obiit, anno 1564. XXIII. Iulij. Corpore aperto pulmones sinistro lateri thoracis ita connati, ut præterquam cultello separari nequiuerint, sanie planè corrupti.

ABDOMINIS

Apertione.

In obsidione Hierosolymitana quidam Iudæi auro deuorato ad Romanos transfugerãt, nec à Zelotis, qui tyrannidem in urbe exercebant, deprædarentur. Syri milites, cùm deprehẽdissent quendam transfugarum ex stercore aurum colligentem, existimabant omnes auro plenos esse. Itaq; una nocte duo millia IVDÆORVM uisceribus apertis auri cupidine peremerunt. Iosephus lib.6.cap.15.belli Iudaici.

STOMACHI

Imbecillitate. Cruditate.

Consule Tit. Concoctricis facultatis uitio mortui. item, Vomitu mortui:

A. PERSIVS Satyricus 29. ætatis anno periit, ex stomachi uitio. Eusebius testis.

CLEMENS VII. diuturno stomachi uitio sublatus est, quum uictus rationem suasore medico Matthæo Curtio mutasset iam senex. Sleidanus lib.9.

Dolore.

SEB. Castellio Allobrox, linguarum cognitione, & Bibliorum puriore interpretatione clarissimus, scholæq; Basiliensis ob eruditionem uitæq; sanctimoniam decus eximium, anno Christi MDLXIII. atrophia correptus, quam assiduis studiis, curis & uigiliis, addo etiam uini abstinentia contraxerat, grauissimos stomachi dolores (quos potu lactis intempestiuo magis exacerbauerat) cum lenta febre perpessus, tãdem 4. Cal. Ian. migrauit.

Vulnere.

Tamberlanes Tartarorum Imp. cùm exercitum per minorem Asiam duceret, eiq; lacrymabunda occurreret mulier, conquesta ab eius MILITE nullo dato precio lac parumque casei sibi erepta esse: statim constitere iussit exercitum, atque inde agmen ordinatim incedere, ut mulieri facultas esset agnoscẽdi eum, qui uim fecerat. Eo agniro, rex per pectus se præsente aperiri corpus iussit: in cuius stomacho lac, quod mulieri ereptum erat, fuit inuentum. Eodem supplicio mulierem affecturus, nisi eius rei, qua se spoliatam questa erat, signa fuissent inuenta. Fulgos. lib.2. cap.2.

INTESTINORVM

Colico.

ANTIOCHVS Epiphanes cùm Iudæos insolitis cruciatibus exenterasset, iusto Dei iudicio grauissimis uiscerum doloribus extinctus est. 2. Machab.5.

AGRIPPA Iudæorum rex anno regni tertio ob superbiam percussus ab angelo, torminum doloribus periit. Act.12. Iosephus lib.19.cap.7.Antiq.

RICIMER Sueuus diræptionis eius, quæ Romanæ urbi tertia contigit, diuturnum fructum non tulit: siquidem mox sæuissimis corporis doloribus cruciatus excessit è uita, uir is, qui post Valentiniani obitum, tanquam alter Stilicho, propè in rep. imperauit, in illo etiam Stilichone felicior, quòd nõ plures Imperatores creauit, quàm sustulit. Sigonius libro decimoquarto Imp. occid.

ELIZABETHA, Alberti Imp. & regis Vngarorum uxor, torminibus obiit, anno Christi 1442. Cromerus lib.21.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum colico dolore periit, an. 1496. nonis Octobris, Neapoli. Bembus lib.3. hist. Ven.

Iliaco, Voluulo.

IORAMVS Iudæorum rex biennio integro tanto dolore torminum cruciatus fuit, ut intestina tandem excreuerit. 2. Paralipomenon 21.

IVLIANVS, Iuliani Apostatæ auunculus, qui Antiochenam piorum mensam lotio profanauerat, phthiriasi correptus, tandem exeremenia per os impurum reiiciens periit. Sozomenus lib.5. capite 8.

C. MARIVM septies consulem Possidonius iliaco morbo cõsumtũ scribit, duos & sexaginta annos natũ. Sab.lib.3.En.6.

IO. Huberus Basiliensis poliatrus, quem præceptoris & parentis loco colui, cũ ex sudore familiari manè ad ęgrum euocatus, Aquiloni gelidissimo sese exposuisset, conuersa introrsum materia intestina inflammauit, sic ut cinguli instar uentrem arctissimè constringi conquereretur (Græci χόρδαψον propriè appellant) Auctor malo, neque ullis cedente remediis, cũ extremæ manus atro colore tingerẽtur, & per aluũ nigra, subinde etiam per uomitum fœdissima fœtidissimaq; excernerẽtur, septimo die, quamuis delirans, in piis precibus expirauit, anno 1570. Eodemq; morbi genere post quinquenium MARGARITA Vvolfina uxor, matrona incomparabilis, Thermis Helueticis, quib. uertiginis diuturnæ abigendæ causa feliciter usa fuerat, nihil interim in uictu delinquens, repentè correpta, tertio die sanctè obiit, in cœnobio Conigfeldense tumulata.

Corruptione, Vlcere. Dysenteria.

PALÆSTINI turpissimo podicis morbo, propter arcam Domini captam, siue dysenteria illa fuit (ut Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 1. auctor est) ita ut intestina etiam putredine corrupta excernerent, siue condylomata ani, affecti fuerunt.

Xerxes rex post infelicem pugnam ad Salaminem, Mardonio in Thessalia relicto, ad Hellespontum maturabat: & intra quinque & quadraginta dies ad traiectum peruenit, nullã propemodum partem COPIARVM ducens. Quæ quocũque ueniebant, direptis fructibus uescebantur. Vbi nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, nonnulli delibratis cortici-

bus, & strictis frondibus arborum, tam agrestium quàm mansuetarum, præ fame uescebantur. Quos deinde pestilẽs excipiens dysenteria, magna ex parte deleuit. Herod. lib. 8.

RENVM

Calculo.

Vide Tit. Calculo mortui. Illic Instrumenti, hîc Loci affecti habetur ratio.

Exulceratione.

SELYMVS Turcarum Imperator, apud Ciurlium Thraciæ pagum; pestilenti circa renes enato ulcere, mortuus est, anno Sal. 1517. quum regnasset annis octo, & aduersum Christianos terra mariq; bellũ illaturus crederetur: postquã Hysmaelem Persarũ regem grauissimè contudisset, & duobus Sultanis regibus deuictis atq; interfectis, Aegyptum & Syriam imperio adiecisset. Sab. supplem. lib. 9. ex Iouio.

VESICAE.

ARISTONYMVS, poeta comicus, Ptolemæi Philadelphi tempore, annos natus 77. obiit è stranguria. Athenæus in Dipnosophistis.

GREGORIVS XI. qui Auinione relicta Romam transtulit postliminiò curiam pontificiam, dum accuratè agit omnia, quæ ad pontificem pertinent, intolerabili uesicę dolore moritur, sui pontificatus anno septimo, Christi 1378. Platina.

BEATVS Rhenanus cùm ex uesica laboraret, & ad balneas Badenses profectus esset, maiore ui morbi oppressus, Argẽtoratum deportatus, anno Christi 1547. XIII. Calen. Iunij obiit, ætatis suæ 62.

PVDENDORVM

Amputatione.

IVDÆVS quidam Pragæ in Boëmia an. Christi 1530. qui cum Christiana rem habuerat, dolio picato per foramen uirile pudendum indere iussus, serrato & obtuso cultro iuxtà apposito, cùm ui caloris torqueretur, sibiipsi partes, per quas peccauerat, amputauit, cumq; cruentus fugeret, immissis atrocissimis canibus laceratus est.

Vlcere.

Ex Tit. Phthiriasi mortuorũ hùc quædam, quãdo illæ potissimum partes putredini obnoxiæ sunt.

ISABELLA regina Hispaniç mortua est enato in pudendis ulcere sæua serpigine mortifero. Iouius in Consaluo.

VBERTINVS Carrariensis III. dux Patauinorum ex immodica uenere genitalibus exulceratis periit, an. sal. 1345. Bern. Scardeonus lib. 3. classe 13. hist. Pat.

FRANCISCVS I. Francorum rex ex ulcere circa sedem maligno, quod serpendo ad uesicæ penetralia peruadebat, & cũcta humani ingenij remedia respuerat, interiit. Sab. supplementum lib. 28.

VTERI.

IOANNA Alexãdri II. Scotorum regis uxor, Ioannis Anglorum regis filia, ex putrefacto iam longo tẽpore utero, mortua est, nulla relicta sobole. H. Boëthius lib. 13.

BRACHII, MANVVM, DIGITORVM

Punctura.

Dionysij iunioris FILIÆ, posteaquã is à Dione pulsus est, à Locrensibus prostitutæ, tandem compunctione unguium necatæ fuerunt, ob summam intemperantiam patris, quam antea Locris exercuerat cum filiabus ciuiũ. Aelian. de Varia hist. lib. 9. & Athen. lib. 12. cap. 19. & Strabo lib. 6.

Vulnere.

ANNIBAL, iuxta Pausaniam in Arcadicis, cùm in equum ascenderet, sponte ense nudato digitum læsit, atque inde nõ multorum stadiorum itinere confecto, cùm eius uulneris inflammationẽ esset febris cõsecuta, tertio pòst die interiit.

GRIMOALDVS Beneuentanorum dux arcum tendens, uenam rupit, è qua sanguinem emiserat, nõ dum cicatrice obducta; atq; ita interiit. Blondus lib. 9.

CALOIOANNI Imp. Græcorum uitæ finem attulit uulnus ex uenenata sagitta acceptum inter extremos digitos, dum aprum insectatur in Ciliciæ finibus, ubi tum bellum gerebat. Nicetas, Tyrius lib. 15. cap. 22. 23. Annum Sal. circiter 1142.

Amputatione.

Circa annum Christi 1070. ob usurpationem alieni iuris tanta inter Henricum IIII. Imp. & Gregorium VII. Pont. orta seditio est, ut pontifex eum Augustali dignitate abdicaret, & RODVLPHVS Sueuiæ dux in eius locum à Germanis quibusdam principibus sufficeretur. Qui cùm ad Ellestrum amnem collatis signis cum Henrico uictus esset, abscissa dextera diro uulnere affectus exclamauit: Spectate eheu; proceres, dexteram, qua fidem sacramento munitam, & Henrico meo domino datam, præter æquum & fas temerè uiola-

ui. Bonfinius libro tertio, Dec. 1.

Vlcere.

ALFONSVS II. Neapolitanus rex, ueniente in Italiam Carolo VIII. in Siciliam turpiter fugit: & illic manu à pernicioso cancro correpta, uitæ simul & timori finem fecit. Fulgos. libro 6. cap. 9.

Dolore.

Vide, Podagra mortui.

Offensione.

Q. AEMILIVS Lepidus ianua egrediens, incusso pollice limini cubiculi periit. Plin. lib. 7. cap. 53.

C. AVFIDIVS cùm egressus in Senatum iret, offenso pede in comitio expirauit. Idem.

Fractura.

ADRIANVS martyr extinctus est crurifragio, sub Maximiano Imperatore.

EMPEDOCLES Agrigentinus, dum celebritatis cuiusdam causa Messanam curru proficisceretur, cecidit, coxamque perfregit, & 77. ætatis anno Megaris obiit. Quamuis alij seipsum in Aetnæ crateres, immortalitatis spe, præcipitasse tradant. Laertius.

HENRICVS Austriæ primus dux, uictus à Conrado Znoymę Marchione ad oppidum Austrię Rhetium, an. 1177. ad arcem suam per pontem properans, eo perrupto ex casu equi, crure fracto, tertium post diem obiit. Dubrauius lib. 13.

Anno Domini 1370. CASIMIRVS Magnus rex Poloniæ iuxta Przedboriam ciuitatem inter uenandum, ceruum insequens, equo succumbente pedem fregit, è quo uulnere spiritum exhalauit Cracouię, ibidemq; sepultus. Guagninus in uita Casimiri Magni.

PEDIS, CRVRIS, GENV, COXAE

Vulneribus.

CAMBYSES rex ex uulnere coxæ periit, quod accepit lapso è uagina ense, dum equum ascenderet, quo antè Bouẽ Apim occiderat. Herod. & Sabel. lib. 4. cap. 2.

CHIRON in bello aduersus Cẽtauros ictus ab Hercule, uulnus immedicabile accepit in pede: unde & periit. Hinc nata parœmia, auctore Zenodoto, de immedicabili malo, ut Chironium appelletur.

Vlceribus.

MILTIADES Atheniensium dux contra Persas, uictor in Marathone, ex femoris ulcere, quod ex casu ortum fuerat, periit. Herodotus lib. 6.

MAVRILLVS Cadurcensis episcopus, dum podagræ causa ferro candenti tibiam urit, uel exciccãdi humoris causa, uel certè uti per illud ulcus sensim humor uacuaretur, sibimetipsi mortem accelerauit. Aimoinus lib. 3. cap. 34.

[redacted]

PIVS III. Pontifex max. ex ulcere cruris, è quo diu laborauerat, trigesimo post creationem die discessit, anno à Christo nato 1503. Volat. lib. 22. Anthrop.

HENRICVS IIX. Anglorum rex multo abdomine grauis & iners effectus, lacescente atroci febre, propter sæuam inflammationem in crure uirulenti herpetis, uitam cum morte commutauit, ætatis anno 57. Christi 1547.

ARTICVLORVM. Puta

Dolore, Arthritide, Podagra, Gonagra, Chiragra.

LYCON, seu GLYCON, philosophus Socraticus, periit podagræ morbo, annos natus 74. Laërtius.

Q. ENNIVM, iam septuagenarium, de quo est apud Silium Apollinis celebre uaticinium hisce uersibus:

> Hic canet illustri primus bella Itala uersu,
> Attolletque duces cœlo.—

articulari consumtum morbo, Annales referunt, quẽ ex immodico uini usu contraxerat. Cælius lib. 28. cap. 30. A. L.

TYRANNIO Grammaticus clarus Romæ, & diues; libros amplius XXX M comparauit. Obiit senex, podagra confectus. Suidas.

Sept. SEVERVS Imp. decessit morbo articulari, septuagenario maior.

LVCIANVS Samosatenus sophista podagra consumptus, annos octoginta natus. Cognatus lib. 6. Narrationum.

IVSTINVS iunior Imp. graui pedum dolore, anno imperij sui undecimo, obiit.

ALEXIVS Comnenus Imp. ex pedibus grauiter laborabat. Medici cùm diu multumq; inter se dissiderent, tandẽ ferro curandum esse consentiunt. Sed quia aër palatij Magni non satis commodus uisus est, in palatium Manganorum delatus

est. Sine hoc casu, siue fato euenerit, impellente eum illic mori, & animam efflare. Ita enim uaticinio quodam de eo scriptum est, ustum ferro illic casurum: quod & euenit. Licet monachi quidam uaticinarentur, non eum antè moriturum, quàm Hierosolymas profectus, Saluatoris nostri Christi Iesu sepulcrum adoraret, ibique diadema deponeret. Cuspinianus.

Ioanni Pontifici uita functo SISININVS, an. 707. substitutus (aliis Zosimus) sæuo pedum dolore iactatus, post uiginti dies è uita migrauit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

CONRADVS II. anno imperij sui XV. ex Italia reuertens; podagræ cepit incommodo turbari: & quum Traiecti esset, accedente perniciosiore morbo finiuit uitam, iussitque extinctum corpus Spiram deduci ad sepulturam. Cranzius libro 4. Metrop. cap. 12.

CONGALLVS Scotorum rex anno regni XX expirauit articulari morbo, frigore & multis laboriosis aduersus Saxones & Britannos expeditionibus, contracto. H. Boethius libro octauo.

STEPHANVS Palatinus Valachiæ grauissimo pedum dolore extinctus est, uir magnitudine animi, astu, peritia rei militaris, & rebus contrà Turcarum, Vngarorum, & Polonorũ reges, ac Tartaros feliciter gestis, omni æuo memorabilis. Cui Bogdanus filius luscus in dominatu successit. Cromerus lib. 30. hist. Polon.

FERDINANDVS Gonzaga Mantuanus princeps, cuius forti & fideli opera Carolus Cæsar feliciter multis annis usus est, parta de Gallis ad S. Quintinum uictoria, anno Sal. 1557. iam ætate grauis, & acerbissimis articulorum dolorib. affectus, belli consilia cum morte commutauit. Sabel. supplementum libro 29. ex Iouio.

NERVORVM

Resolutione.

Vide, Paralysi mortui.

Conuulsione.

Vide, Epilepsia mortui.

CVTIS.

Vide Titulum Excoriatorum.

MORS CONSIDERATA RESPECTV PARTIVM Affectarum FORMAE. Hucpertinent

FEBRE MORTVI.

Consule Tit. Animi affectibus mortui. Nam cùm reliquarum partium morbis lethalibus, per cõsensum (ut Medici loquuntur) febris iungitur, tum iis præsertim, qui ex ipsius cordis passionibus ortum ducunt. Idem de iis, qui Veneno pereunt, intelligi debet.

MANASSES Iudithæ heroinæ maritus, ex tribu Simeonia, cũ in agro messoribus adesset, æstu tentatus, febre ardente periit. Iudithæ cap. 8.

ANTIPATER Sidonius poeta insignis, omnibus annis uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cũque ad ultimam ætatem peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumtus est. Plinius libro 7. cap. 51. Val. Max. libro 1. cap. 8.

ALEXANDER Magnus cùm Babylone diem nocti potando iunxisset, Herculis scypho nondum epoto, in febrem incidit. De causa eius mortis non una est opinio. Aristobulus tradidit eum sæuitia febris sitim collegisse, uinoque ab eo epoto mente alienatum, pridie Kal. Iulij diem obiisse. Sabellicus libro 6. Ennead. 4.

Iudæorum rex ALEXANDER ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana laborans, nec tamen abstinens à castrensibus officiis, tandem exhaustis uiribus fato concessit in Gerasenorum finibus, obsidens Ragaba Castellum, quod ultra Iordanem situm est. Iosephus libro 13. cap. 23. Antiq.

PETRO[redacted]A, Petri apo[redacted], uirgo, Romæ febre discessit. Petrus autem [redacted] non succurreret, sicuti aliis, interrogatus: Hoc ei præstare, respondit. Volateranus libro decimooctauo Anthrop.

TITVS Imp. omnibus charus, sic ut eum publicas delicias uocitarent uulgò, periit post biennium, duos menses, & XX. dies imperij, ætatis quadragesimo secundo, febre correptus, in eodem, quo pater apud Sabinos, agro, ut Tranquillus & Sextus scribunt.

De CARO medico Martialis Epigrammatum lib. 10.

> Nequius à Caro nihil unquam Maxime factum est,
> Quàm quod febre perit: fecit & illa nefas.
> Sæua nocens febris saltem quartana fuisset,
> Seruari medico debuit illa suo.

M. ANTONINVS Pius Imp. duodecim millib. passuum ab urbe, apud Loricos in uilla sua febri mortuus est. Aurelius.

TACITVS Imperator apud Tarsum febri absumtus est. Sextus Aurelius.

CONSTANTIVS Imp. Antiochia exercitum mouens contra Iulianum Apostatã, incidit in febriculam semper ęqualem, ratusq; est gestatione eã aboleri. Vectus est lectica per inuia itinera, usque ad radices Tauri montis. Ibi ad Mopsucrenas, febris ita aucta, ut corpus tangi non posset. Moriens Iulianum successorem nominauit, anno imperij trigesimooctauo, ætatis 40. Ammianus lib. 21.

THEODOSIVS iunior Imp. ueluti lõgo imperij potẽtatu afflictus, febre solutus est, cùm regnasset annis XLVIII. Cõstantinopoli sepultus, penè quinquagenarius. Cuspin.

LEO Constantini Copronymi filius, Imp. cùm insaniret cupiditate pretiosorũ lapidũ, magnam coronam ui è loco sacro ablatam capiti imposuit. Carbunculo correptus statim circa caput cum febre periit. Sigebertus in Chron.

FRIDERICVS II. Imp. in arce Florentina Apuliæ prope Luceriam febre obiit, teste Collenutio lib. 4. hist. regni Neapol. anno ætatis 54. Christi 1250. die Luciæ sacro, XIII. Decembris, Etsi alij à Manfredo filio notho culcitra plumaria suffocatum scribant.

LANFRANCVS Cantuariensis episcopus sanctiss. febri expirauit: quod maximè in uotis habuerat, ut aut febri aut dysenteria uitam sibi finire liceret, quòd hisce linguæ usus minimè subtraheretur. Ranulphus lib. 7. c. 6. Polychronici.

ROBERTVS Guiscardus, Calabriæ & Apuliæ dux, uictoriis inclytus, Corcyræ febre acuta periit, anno Sal. 1082. mẽse Iulio, iam sexagenarius. Collenutius lib. 3. hist. Neapol.

PHILIPPVS Augustus, Francorum rex, Meduntæ quartana obiit pridie Idus Iul. MCCXXIII. Aemilius lib. 6.

HENRICVS I. Anglorum rex febre periit. H. Boethius lib. 12.

ERICVS II. Danorum rex, sacra peregrinatione Hierosolymitana in insula Cypro febre obiit. Saxo lib. 12.

VALDEMARVS Daniæ rex nobiliss. febre correptus, cùm sudore difflueret, animam reddidit. Saxo Grãmaticus lib. 14. & 15. Cranzius lib. 6. Danicæ hist.

ALPHONSVS Siciliæ rex, ætate ingrauescente febre correptus, anno Salutis 1458. mense Iunio, in arce Lucullana, quã uulgò uocant Oui, cùm Neapoli regnasset annis XVII. uiuis excessit. Ritius Neapol. lib. 4. de Regib. Siciliæ.

MARTINVS Aragoniæ & Siciliç rex, ducta uxore iuuencula, quartana periit, quã ex filij Martini obitu immaturo acquisiuerat. Laur. Valla lib. 2. Hist.

VLADISLAVS Iagello Polonorũ rex, obiit ualida febre correptus: cùm nocte præcedente, quæ præter temporis rationẽ frigida fuerat, in syluis diutius lusciniç cantu sese demore oblectãs, cœli intemperiem pertulisset. Cromerus lib. 20.

LAVRENTIVM Medicem Reip. Florentinæ principem, torsere aliquandiu cœliaci dolores, subsequenteq; mox lenta atq; tabifica febre, tertio & quadragesimo ætatis anno consumtus est. Iouius in Leone X. lib. 1.

IO. Picus Mirandulæ Comes, anno MCCCCXCIIII. dum secundũ & trigesimum ætatis annum impleret, Florentiæ insidiosissima correptus est febre, quæ illum intra tertium decimum diem sustulit. Io. Franciscus in eius uita.

Rex Hispaniæ PHILIPPVS, Caroli V. pater, iuuenis firmissimo corpore, optimeq; affecto, in ætatis flore, paucorũ dierum febri, Burgij in Hispania, anno 1506. mense Nouembri sublatus est. Guicciardinus lib. 7.

Anno 1513. IVLIVS II. põtifex bellicosiss. ex leui, sed tenaci febricula, fluente sensim aluo periit. Iouius in Leone.

IOANNES Sepusius Vngariæ rex, ad Sibinium Mysię oppidũ æger decumbebat: cùm allatum est reginam felici partu miræ indolis puerũ edidisse. Tum uerò Hungari incredibili lætitia exultantes, regiam cõplent, ad regẽ gratulatũ irrũpũt, tormenta de more disploduntur, adueniunt è castris duces, gaudiũ in exercitu dispensatur, paraturq; conuiuium, in quo uel inuitus rex ipse procerum cohortantium manibus infertur. id ei omniũ lætissimum atq; supremum fuit. Nã quum festæ hilaritati & perpotantib. amicis deesse nollet, incautius ac liberalius genio indulsit: exinde reuocata est febris, quæ iã planè defecerat, cuius ui oppressus est. Iouius lib. 29. Hist.

HERCVLES Estensis Ferrariensium dux; cùm iter in Galliam adornaret, anno Sal. 1559. ardenti febre absumtus est, relicto filio Alfonso. Sab. supplem. lib. 29. ex Iouio.

IVLIVS III. Pontifex medicorum consilio temerè mutata uictus ratione, febre correptus, è uita excessit. Panuinius.

CONSALVVS Ferdinandus, qui solus inter ætatis nostræ imperatores Magni cognomentũ egregia uirtute promeruit, dũ grauantib. annis apud Illiberim in otio degeret, in duplicis quartanæ morbũ, nõ quidẽ natura difficilẽ, sed seni præcipueq; ex euẽtu rerũ minimè læto planè mortiferũ incidit,

Ex Strabonis lib.12.& Græcorum ferè omnium auctoritate insulam Syrum patriam habuit,unam Cycladum, proximè Delon.Stephanus Ioniscam esse insulam docuit in Acarnania,& gentile nomen inde produci,Syrius. Cælius lib.14.ca.13.A.L.Aelian.lib.4.& 5.de Var.hist.& Heraclides in Polit.& Plin.lib.7.cap.51.

Οἱ πλάτωνος φθεῖρες,id est,PLATONIS pediculi,in prouerbiũ abierunt:ut,referẽte Laertio in uita huius philosophi,testatur Myronianus in opere,cui titulũ fecit de Similibus, hinc coniectans hoc morbo periisse Platonem,quòd uulgò pediculi Platonis appellarentur.Erasmus in Adagiis.

CASSANDER Antipatri F.rex sceleftissimus,qui Olympiadẽ Alexandri matrem,& Alexandri filios interfecit,ex hydrope in phthiriasin incidens periit.Pausanias in Bœot.

CALLISTHENES Olynthius,dum carceris custodia teneretur:præterea & MVTIVS iurisconsultus,eadem tabe passim membrorum corrosi sunt.Plut.in Sylla.

SPEVSIPPVM Eurymedontis filium,Atheniensem philosophum,Platonis ex sorore nepotem,sunt qui dicant mortem sibi intulisse.Plutarchus tamen,efferuescentibus toto corpore pediculis interiisse.

PLEMMINIVS legatus à Scipione Locris cum præsidio pop. Rom.præfectus,cùm templum Proserpinæ opulentissimum diripuisset,uinctus Romam senatu iubente ductus est,carceriq; inclusus,pediculari morbo,ante causę dictionem,miserè periit.Liuius lib.9.secundi belli Punici, & Valerius Maximus lib.1.cap.2.

L.SYLLA Metrobium Lysiodum licet exoletum non dissimulabat perpetuò amare.Vnde etiam morbum aluit ex leui ortum occasione, & perdiu exulcerata uiscera sua ignorauit. Hinc putrefactum corpus,& in pediculos totum uersum:ut cùm multi interdiu & noctu tollerent eos,nulla parte potuerit tamen,quod reiiciebatur,æquare illud, quod succedebat:uerùm omnes uestes,balneum, pollubrum, cibus, illo repleretur fluxu & tabe: adeò suppullulabat.Ideo sępius die ingrediebatur balneum,abluens & abstergens corpus. Cæterùm nihil proficiebat,superabatque copia omnem purgationem.Plutarchus in Sylla.Plin.lib.7. Nat.hist. & 11. cap. 33. scribit Syllam periisse,erodente scipso corpore, & supplicia sibi gignente.

Fama est eum, qui bellum seruile mouit in Sicilia,fugitiuũ,EVNVM nomine,postquam attractus Romã captiuus est,morbo pediculari absumtum.Plut.in Sylla,& Diodorus.

Galerio MAXIMINO Cæsari, in Christi nomen arma mouenti,putrefactis introrsum uitalib.(Egnat.genitalia habet) ex auribus,ore,naribusq; non aliter quã ex putredinis cloaca uermes continuè scaturiebant,intolerabili cum fœtore, quocũq; deferretur. Cùm nulla medicorum ope leuaretur, sibiipsi manus intulit.

IVLIANVS,Iuliani Apostatæ auunculus(qui Antiochiæ in tẽplo sacram mensam lotio emisso profanauerat,Euzoio episcopo, ob id eum obiurganti,alapam impegerat)nõ multo pòst graui correptus morbo.intestinorum putrescentiũ, miserè interiit,excrementis non amplius per meatus suos, sed per os sceleratum egredientibus.Theodoretus lib. 3. cap.13. Sozomenus addit lib.5.ca.8. etiam carnem eius putrefactã, in uermes conuersam esse:qui in profundo abditi,uiuã carnem tantisper depasti fuerint, donec eum interemerint.

HONORICVS Vandalorum rex, Arianus, in Africa phthiriasi periit, cùm 444. catholicos episcopos in exilium egisset.Sigebertus.

ARNVLPHVS septimus à Carolo Magno Imperator, Normãnis perdomitis nimio successu elatus,ita contumax in omnes,tũ uel maximè Ecclesiasticos factus est,ut Dei nutu pediculari morbo breui consumtus sit.Platina ex Sigeberto,& Auentinus lib.4.Annalium Boiorum. Cranzius libro 2.Metrop.cap.22.ob societatem Vngarorum contra Morauos introductorum hoc illi accidisse scribit. At lib.3.c.3. Saxoniæ ex immodico allij esu.Alij tradunt,profligatis Formosi pontificis hostibus à proditore quodam ueneno potionatũ, euicto per triduanum somnum pharmaco,in phthiriasin postea incidisse.

In Aruernensi ciuitate, Proiecti episcopi occisor RADBERTVS uiuus est à uermibus corrosus,& consumtus. Vincentius lib.22.cap.119.

FVLCHERVS Nouiomagensis episcopus in Gallia, morbo pediculari interiit:cuius cadauer cùm pediculis scaturire nõ cessaret,ceruino corio insutum,terræ mandatum est.Magnũ punitæ ambitionis & simoniæ exemplum, inquit Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

LEOSTANVS adolescens, famam de crinibus & unguibus Edmundi regis Anglorum sensim crescentibus in dubium uocans,sibi corpus ostendi minis impetrauit. Eo uiso, in amentiam incidit,& phthiriasi haud multo pòst periit. Vincẽtius lib.25.cap.22.

Lambertum uirum sanctissimũ episcopum Vltraiectensem, apud Leodium,quòd Pipinum reprehenderet, qui uxori pellicem Alpiadem superinduxisset, frater Alpiadis DODO necauit,& postea morbo pediculari consumtus est. Platina ex Sigeberto.

LAMBERTVS Constantiensis episcopus phthiriasi (ut Bruschius annotat)periit,anno 1017.iuxta Contractum.

NAPVS Turrianus Mediolanensiũ tyrannus, ab Otthone Vicecomite captus,clatratæque caueæ inclusus, post annum unum,menses septem & dies 23.in eo squallore, fœda illuuie & enatis subinde pediculis cõsumtus est. Iouius in uita Otthonis Vicecomitis.

ANTONINVS Picens monachus eremita,hypocrita, phthiriasi periit,sub Alphonso Aragonum & Siciliæ rege.Anton. Panormita de rebus gestis Alphonsi, & Aeneas Syluius in Commentariis.

Gallico morbo.

FRIDERICVS Casimiri Polonorum regis F. Gnesnensis Archiepiscopus, Cardinalis,aspectu decoro,ingenio nullo,iners, ignauo otio marcescens, ad extremum morbo Gallico confectus est,anno 1503. Cromerus lib.30.

Carbunculo.

L.Paulo,Q.Marcio censoribus,primùm in Italiam carbunculum uenisse,annalibus conscriptum est,peculiare Narbonẽsis prouinciæ malum:quo duo consulares obiere, IVLIVS Rufus,& Q.LECANIVS Bassus:ille medicorum inscitia fectus,hic uerò pollice læuæ manus euulso acu ab semetipso, tam paruo uulnere,ut uix cerni posset.Nascitur in occultissimis corporum partibus,& plerunque sub lingua, duritia rubens uaricis modo,sed nigricans capite, aliàs liuida, corpus intendens,neque intumescens,sine dolore,sine prurito, sine alio quàm somni indicio, quo grauatos in triduo aufert,aliquando & horrorem afferens, circaque pustulas paruas, rariùs febrem: stomachum faucesq; cũ inuasit,ocyssimè exanimans.Plin.lib.26.cap.1.

CONSTANTINVS Copronymus Imp.ob tyrannidem contra imaginum patronos pœnam sensit. Nam carbunculus pedem eius corripuit, & ardentes febres eum infestantes è medio sustulerunt, cùm annos txiginta quatuor & tres mẽses rerum potitus esset.Zonaras tomo tertio, & Paulus Diaconus libro 22.Iuo in Chronico.Blondus Decad.2.lib.1. elephantiæ morbo eum correptum,& adusti spumantisq; sanguinis uitio putridam carnẽ neruos & ossa destituisse,eúq; ulceribus repleuisse, tradit.

HENRICVS V.Imp.an.1126.morbo dracunculi, quo tentari solebat,uehementiùs affici cepit,& ad Pentecosten Vltraiecti peragendam transgressus, XII.Kal.Iunias morbo ingrauescente decessit.Sigonius lib.10.regni Ital.

Herpete,Vlcere depascente.

Esse PLOTINVM humanis perfunctum,scribit Firmicus,quũ per totam eius cutem magnis humoribus nutrita pestis erupit,ut putre corpus,deficientibus membris,corrupti sanguinis more tabesceret,perque omnes dies achoras, serpente morbo,minutæ uiscerũ partes defluerent: & quicquid paulo antè integrum uideras, statim confecti corporis exulceratio deformaret:ut sic corrupta & dissipata facie, tota ab illo figura corporis descederet, ac in mortuo (ut sic dicamus) corpore solus superstes retineretur animus. Cælius libro 21. cap.10.Antiq.Lect.

CYRINVS episcopus Chalcedonensis, Ioan.Chrysostomum falsis conuiciis plurimis proscidit. Factum est, non multo pòst,ut Maruthas Mesopotamiæ episcopus imprudens pedem illius calcando læderet. Malo augescente, crus ei abscissum fuit.Verùm altero quoque pede eo malo correpto, etiam & is resectus fuit.Corrupit deinde uniuersum corpus tabes.Socrates libro sexto,capite uigesimoseptimo, Sozomenus libro 8. capite 27. Nicephorus hãc calamitatem suis in Chrysostomum contumeliis acceptam tulisse Cyrinum, refert lib.13.cap.14.

TVMORIBVS.

IVDAS Iscariothes prodito Christo seipsum suspendio affecit.Verùm superuentu quorundam seruatus, quotidie discipulis reliquis ad pœnitentiam eum hortantibus, non obtẽperans,posteaquam Dominum in cœlos ascẽdisse audiuit, illicò ita intumuit, ut medius crepans perierit. Cedrenus in Historiarum compendio.

FRACTVRIS MORTVI.

Consule Tit.Rotæ supplicio affecti.Item,Fractura Pedum,Costarum mortui.

QVIDAM Romæ ad bestias damnatus,ut se eã crudelitate ludibrioq; eximeret, quemadmodũ Seneca scriptũ reliquit, cùm curru ad theatrũ deportaretur,dormire se fingẽs,adeò caput inclinauit,ut inter rotę radios illud inuolueret,rotaq; uertendo collum eius frangeret.Fulg.lib.9.c.12.

INSA-

INSANIA QVACVNQVE, MANIA, PHRENESI.

CALYDONII populari uesaniæ morbo, qui ebrietati similis erat,correpti perierunt,idipsum precibus impetrante à Libero patre Coreso sacerdote in urbe Achaiæ Calydone, cùm Callirhoen ad sui amorem neq; precum neq; munerum ullo genere flectere potuisset. Pausanias in Achaicis.

THEODERICVS Ostrogothorum rex,Symmacho atq; Boethio interfectis, cùm ei in cœna magni piscis caput appositum esset,uisus est sibi in eo Symmachi caput uidere,inferius labrum in minitantis speciem mordẽtis:quemadmodum ipse medico Elpidio fassus est. Ea imagine territus, in cubiculum relatus,ad extremum usq; timore & mœrore cõfectus obiit.Sigonius.

MICHAEL Balbus,qui in Leonem V.Imp.filiosq; eius crudelis fuit,ac multis aliis piis calamitatem attulit,tandem phrenitide ac intestinorum dolore pœnas luit. Zonaras tomo 3.

LOTHARIVS Italię rex,an.949.in phrenesim incidit,ac mox è uita migrauit.Sigonius lib.6.regni Ital.

MIECISLAVS II.Polonorum rex amẽtia correptus ex iugi crapula,anno Christi 1034.Posnanię obiit.Cromerus lib.3.

ANTONIVS Basseius cùm ei alæ equitum præfecturam rex Galliæ Ludouicus XI. quam in Italia contra Hispanos duxerat,ademisset, quanquam ea Gruerio fratri traderetur, adeò grauiter id tulit, ut exundãte atra bile ad insaniam uerteretur:frustraque dẽposcens, ut sibi dicturo causam regiæ aures paterent, nec aditum impetrans, inter deliria defecit. Iouius in Consaluo.

PETRVS Portucarreus Hispanus,cùm Augustinam quandam adamasset filiam magæ, eamq; postmodũ dimisisset, quòd mater ob ueneficia publicè uirgis cæsa esset:cepit ita animo torqueri,ut perpetuò existimaret hanc,quam amauerat,suo lateri incumbere:atq; ea de causa strenuus alioquin eques, obequitãdo perpetuò pendebat super latus.Tãdem ex diuturno tædio in morbum incidit. Aiebat autem,si adduceretur amasia,se superfuturũ.Sed illa recusante, contabuit. Cardanus de rerum Varietate lib.15.c.80.

[redacted]

APOPLEXIA, PARALYSI, LETHARGO, CATOCHO, CATALEPSI mortui.Siderati.

☞ *Symptomata hæc à Medicis accuratè distinguuntur. Ab Historicis non item, qui persæpe Apoplexiam cum Paralysi & Sideratione confundunt. Quorum nos heic auctoritatem licet parum explicatam sequi, quàm illorum acribologiam cogimur.*

NABAL ex metu,quem ob Dauidis regis indignationem conceperat catocho siue catalepsi comprehensus obriguit. 1 Regum 26.

ALCIMO pontifici sceleratissimo, qui Demetrium Soterem contra Iudæos instigauit, uolenti demoliri ueterẽ adyti parietem,sanctorum uatum ædificium,morbus diuinitus inflictus est,per quem repentè uoce priuatus in terrã procidit,& cruciatus non paucis diebus miserè periit, pòst exactum in sacerdotio quadriennium. Quo defuncto, põtificatum populus cõmunibus suffragiis Iudæ Machabæo tradidit. Iosephus lib.12.cap.17.Antiq.

LACYDES Cyrenęus,nouæ Academię princeps, Arcesilai auditor,à puero maximè studiosus, tenuit ludũ annis XXVI. Excessit ex paralysi,Olymp. CXXXIV.Suidas.

M.LIVIVS Drusus,cùm ex gratia in inuidiam uenisset,anxius quoq;,ut Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant,repentè in publico concidit, siue apoplecticus,siue hausto sanguine caprino, semianimis domũ [illegible] Volat.lib.16.Vrbanorum Com.

T[illegible]ntius Flaminius Thebas ingressus cum exercitu, Thebanos,quasi urbe non potiretur,affatus est: suadens ut in partes Romanorum discederent,adiuuante ATTALO rege,& Thebanos incitante.Sed Attalus quidem, cùm præter ætatem maiore contentione oratorem Quintio præst[illegible]uellet,& uertigine quadam uel pituita esset in media oratione correptus,collapsus est: nec multis diebus pòst in Asiam nauibus deuectus expirauit.Plut.in Flaminio.

P.PAPINIANVS Statius pater anno 65. lethargo obiit.

L.VERVS Antoninus Imp. contra Marcomannos profectus, apud Alpes spectans urbicas uoluptates,statuit Romam repetere. Sed in itinere apoplexia correptus, Altinum diuertens,triduò mutus fuit,moxq; periit, anno imperij XI. Capitolinus,& Herodianus.

CONSTANTIVS Imp. rebus Parthicis occupatus, ad bellũ ciuile contra Iulianum Apostatam conuersus, apoplexia in itinere obiit, inter Ciliciam Cappadociãq;, in Mopsucrenę oppido,anno imperij quarto & uigesimo, ætatis quinto & quadragesimo.Platina.

ATILA Hunnorũ rex,cùm in nuptiis suis nimium crapulę & ueneri operam dedisset,erumpente per apoplexiã sanguinẽ de naribus,in lecto suffocatus est. Sigebertus in Chronicis.

VALENTINIANVS Imp.in Gallia Bregltione oppido, cùm Quadorum legationem, qui latrocinia excusabant, paulò attentius audiret,subita ira accensus incidit in morbum: arescentibus uenis,cùm nihil sanguinis educi posset, uoce amissa,sensu integer expirauit, anno ætatis quinto & quinquagesimo,cùm imperasset annos XI. Cusp.ex Marcellino.

AISTVLPHVS Longobardorum rex, dum Pipini Gallorum regis ex Italia abitum expectans dolum meditatur, intercepturus cõsuetis artibus urbes,apoplexia medio uenatu, uel (ut alij) ictu fulminis absumtus est. Cuspinianus.

CAROLOMANVS rex Bauariæ & Italiæ paralysi oppressus, anno sal.880. VII.Nonas Aprilis,in Bauaria ad Odingas occubuit,uir religiosissimus, & literis eruditus,& laudis bellicæ haud expers.Sigonius lib.5. regni Ital.

HENRICVS I.Imp.cùm iter Romã meditaretur, aduersa ualetudine correptus,conuocato omni populo, Othonem filium suum regem designauit,rebusq; omnibus compositis, tactus paralysi,obiit anno ætatis suæ LX.imperij XVII.Salutis DCCCCXXXVII.ad 6.Non Iulij.Cuspinianus.

STEPHANVS presbyter in locũ Zachariæ I. Pp. substitutus, de more in Lateranum [redacted], graui repentè somno oppressus est.Post triduum cùm experrectus res familiæ componere aliquando instituisset,subitò mente alienatus uocẽ amisit, & postridie eius diei expirauit. Vt proinde inter Pp. non referatur. Successit ei Stephanus Diaconus. Sigonius lib 3.regni Ital.Platina.

PHILIPPVS Vicecomes,Mediolanensium princeps,apoplexia periit sexto Idus Augusti, M CCCCXLVII. Platina in Martino V.

MARTINVS V.pontificatus sui anno 14.mense 3 Romę apoplexia mortuus,ætatis suæ sexagesimotertio.Platina.

[redacted]

VICELINVS episcopus Aldenburgensis, Vandalorum apostolus,in cœnobio Faldetę paralysi correptus est lateris dextri & lingue. Duobus annis & dimidio decubuit, sed ut missatum solenniis & communioni sacræ semper alieno ministerio adesset, tantis gemitibus & interno cordis clamore, ut spectatores uix à fletu temperarent. Obiit ann. 1154. Cranzius lib.4.Vandaliæ,cap.18.

VENCESLAVS Boemorum rex audiẽs consulum Pragensium cædem, ac è prætorio crudelem præcipitationem, pincerna dicente,se hoc præsciuisse futurum, pugione eum interficere decreuerat. Ex ira in paralysin incidens, post dies XIIX.ueluti porcus in uolutabro animam exhalauit; anno ætatis LVII.cùm regnasset LV.annos in Boemia: in imperio autem uiginti. Anno Christi 1419. Cuspinianus.

MATHIAS Vngarorum rex bellicosiss.intulit bellum Austriis, exercitũ Friderici Imperatoris fudit, munitiones Austriæ plerasque,& in his caput gentis Viennam in potestatem suã redegit,Nouam urbem obsedit.Verùm dum ea obsidetur, ipse Viennæ die Palmarum sacris operam dans, quibus sex circiter horas interfuit, ad languorem declinandum ficus poposcit,iisque,quòd cariosę essent,primo morsu uehemẽter offensus,oborta capitis uertigine, apoplexia correptus est. Ingentes ea nocte mugitus edidit.Ingruente demùm aurora,dolore cessante totum diem mutus & resupinus insomnem egit. Tertio pòst die è profluuio sanguinis narium animam efflauit,an.1490.ætatis XLVII. regni XXXVII. In agone pilula,nucis instar,è stomacho repentè eleuata cùm ad epiglottim ascendisset,eum suffocauit. Cromerus lib.29. & Bonfinius lib.8.Dec.4.Dubrauius lib.31.

FRANCISCVS Petrarcha Arquati oppido Euganeo apoplecticus obiit iam septuagenarius, anno Sal. 1374 Squarzaficus in eius uita.

IOANNES Albertus,Polonorum rex,apoplexia uitam finiuit anno 1501.Cromerus lib.30.

IOAN-

IOANNES XIV. Aragonum rex, in montes uenatum profectus, cùm lupum uenatores occidissent, & is lupus an lupa esset, à uenatoribus quæreret, repentè mortuus, mula, qua uehebatutur, decidit. Marineus lib.11. rerum Hisp.

Nocte, quę octauum diem Aprilis anni 1498. antecessit, apoplexia CAROLVS VIII. rex Galliæ, Ambosiæ repentè mortuus est: dum pila ludentes spectat. Ritius lib.3. regum Francorum, & Guicciardinus lib.3. Hist.

FERDINANDVS I. Aragonius, rex Neapolitanus, an. 1494. apoplexia repentè sublatus est, curis magis quàm ætate cōfectus: qui regnum à patre Alphonso I. partum, multis difficultatibus, quæ per regni initia extitere, superatis, conseruarat. Guicciardinus lib.1.

AMVRATES Turcorum rex, Mahometi II. filius, obiit in cōuiuio ictus apoplexia, quam nimiâ uini conciuerat copia, anno 1450. Chalcocondylas lib.7.

HIERONYMVS Fracastorius Veronensis, philosophus, medicus, poeta clarissimus, septuagenario maior, IIX. Idus Augusti anno Christi 1553. dum pranderet, apoplexia correptus est. Post multas aūt herbas in olfactū balbutiente lingua efflagitatas, amisso penitùs sermonis usu, manu sępius in uerticem exporrecta, iis qui aderant innuere uoluit, ut celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro succurrerent. quo remedio ille se Vestalem quandam curasse adhuc meminerat. Sed re ab astantibus nequaquam intellecta, leniter sub noctem expirauit. Auctor uitæ.

AENEAS Vicus Parmensis, antiquariorum nostro seculo facilè princeps, cùm apud Herculē Ducem Ferrariæ urnā fictilem antiqui operis, imaginibus & literis insignem, manibus tractaret, & explicaret, apoplecticus corruit, magno cum ueneradæ Antiquitatis dolore, quæ illius industria de palingenesia iam non dubiam spem conceperat.

IOAN. Cornarius Zuiccauiensis, cuius cura totus Hippocrates primū Latinè loqui cepit, apoplecticus obiit, anno 1558. XVI. Martij.

CONRADVS Lycosthenes Rubeaquensis, [redacted]s, cùm septem annis antè dextro latere resolutus scribendi facultatem ferè amisisset, linguæ tamen pedumq; usu recepto, tandem anno Christi 1561. VIII. Kal. Aprilis, apoplexia grauissima correptus, horæ spacio uitam cum morte expectatissima commutauit, ætatis suæ anno 43.

EPILEPSIA.

HIMERIVS Bithynus sophista, Iuliano Imp. familiaris, obiit in extrema senectute comitiali morbo. Eunapius in uitis Sophistarum.

MA[redacted] ter eius intimauit, minimus digitus [redacted] die à morbo decimaquarta exp[redacted] ta Sigebertum in Chronico: cùm regnasset apud Saracenos annos decem. Chronicon Saracenorum.

Io. Matthæi de Gradis, medici clariss. FILIVS, infans adhuc, repētino tubarum clangore territus, in comitialem incidit, & decimo die obiit. Testatur pater in Com. X. ad Almansorem, capite de Phrenitide.

CALORIS natiui extinctione.

De hac superiore loco egimus, quatenus Mortis instrumēta in corpus agunt, Calorem uel extinguendo uel resoluendo uel suffocando.

PERTVRBATIONVM VEhementia.

Has ipsas inter Instrumenta mortis suo loco semel connumerauimus. Inde igitur petantur exempla, cùm respectus tantùm sit diuersus.

EXTENVATIONE, EMACIAtione, Tabe uniuersi corporis.

Heic Auctricis & Nutricis defectum consideramus. Quatenus uerò uel Hepatis uel Pulmonis uitia hic affectus sequitur, sic ad illarum partium morbos referri debet.

De MELEAGRO scriptum Homerus reliquit, Altheæ matris imprecationibus diris cōfectum è uita excessisse. At alij adiutos ab Apolline contra Aetolos Curetas, ab ipso Apolline occisum Meleagrum narrant. Torrem uerò à Parcis Altheæ datum, quo demum igni consumto, Meleagrum extingui necesse foret, & illum torrem ab Althęa acri ira concitata exustum: primus omnium uersibus mādauit Phrynichus, Polyphradmonis filius, cùm Pleuronem fabulam docuit. Pausanias in Phocicis.

THEVTIS Arcadum dux bello Troiano, cùm inter eū & Agamemnonem simultates essent, cohortem suam domum reducturus erat. At Pallade conante retrahere eum, præ ira dicitur deæ femur percussisse. Rediens igitur domum; lethali tabis morbo extinctus est. Pausanias in Arcadicis.

PHAYLLVS cùm bello sacro Phocensium Onomarcho fratri successisset, miserè contabuit. Erat inter sacra Delphici templi donaria à Phocensibus direpta peruetus effigies ex ære hominis, cui, carne consumta, sola essent reliqua ossa: aiebant Delphi ab Hippocrate medico dedicatam. Huic Phayllus se similem factum uidere uisus est. Ac paucis pòst diebus macie contabescens, somnij euentum impleuit. Pausanias in Phocicis.

TIBERIVS II. Imp. cū cucurbitas serotinas uitiatas edisset, in tabem incidens mortuus est. Cedrenus.

HERODES, cognomento Iulius, genere Aeacides, Atheniensis, è Marathonio municipio, sophistes, obiit anno ætatis circiter LXXVI, tabe confectus. Suidas.

LEO Magnus Imperator profluuio uentris laborans, intus atrocibus conficiebatur cruciatibus. Quoties in matulā desidebat, siue ante, siue post eum ignis esset; is per uentrem eius & dorsum pellucebat: adeoq; extremè attenuatus, uitæ di finem fecit. Cedrenus.

VENCESLAVS IV. Boemorum rex, tabe periit, sanctitate conspicuus, miraculis clarus. Aeneas Syluius historiæ Boemorum, capite 28.

HVNGVS Pictorum rex, extinctus est diutina tabe cōsumtus. H. Boethius lib.10.

ADRIANVS Turnebus, Græcarum literarum in Acad. Parisiensi professor regius, pręceptor noster, cuius 24 libri Aduersariorum doctissimi extant, cùm ex intempestiuis studiis in phthisim, salso catarrho iugiter in pectus decumbente, incidisset, longo cōfectus morbo, tandē anno ætatis suæ LIII. Christi uerò M D LXV. prid. Idus Iunij, Lutetiæ expirauit, & absq; omni funeris pompa (uti suprema uoce mandauerat) elatus, in Scholasticorum cœmeterio conditus fuit. Cuius mortem boni omnes luxerunt, & elegantissimis etiā epitaphiis per compita affixis ornarunt.

Gab[redacted] nano corpor[redacted]

[redacted] focatione. [redacted]

DIO[redacted] uentris dolorem mortuus est. [redacted]

CLODII Pulcri filius nequissimus, abdomine [redacted] to, impurum reddidit spiritum. Val. lib.3. cap.5.

SEVERVS Imp. dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco ueneni cibum plurimæ carnis incoctę auidiùs deuorauit: quem dum concoquere nō posset, cruditatem passus expirauit. Sextus Aurelius.

CATARRHI defluxu.

SOBIESLAVS Boemorum princeps, cùm in arcem quandā suam, iuxta Hradecium oppidum sitam, grauedine & destillationibus laborans secessisset, ibi controuersiam inter Henricum Olomucensem præsulem, & Vratislaum Brunnensem Marchionem, compositurus, inualescēte capitis dolore Pragam deportatus obiit, an. 1139. Dubrauius lib.11.

VOMITV CIBI, HVMORVM, Stercoris, Sanguinis.

Vide Titulum, Sanguinis effluxu mortui. De Volulo, sub iis, qui Intestinorum morbis periere.

TIMAGENES Alexandrinus Grammaticus, sub Pompeio captiuus Romam ductus, periit ex uomitu post cœnam. Volaterranus libro 20.

Anno XII. Constantini Copronymi Imp. impius & profanus ille pontifex ANASTASIVS, anima cum corpore pereunte, mortuus est, ex miserrimo morbo, qui chordapsus dicitur, merdam per os egerens, dignasque dedit pœnas suarum in Deum & præceptorem Germanum patriarcham iniuriarum. Cedrenus.

HIERONYMVS Frobenius, typographus Basiliensis [redacted], cùm iam inde ab adolescentia ductu naturæ uomitui assueuisset, per quem sæpe à grauissimis morbis liberatus fuerat: in senecta, cùm ad stomachum tota uis humorum tanquam ad cloacam præcipitaretur, [redacted] doloribus stomachicis crudelissimis per aliquot annos

annos cùm uomitu assiduo [redacted] perpessus, tandem an. Christi 1563. III. Id. Martij migrauit, ætatis suæ LXI.

ALVI PROFLVVIO QVOcunque.

De hoc quoq; superius egimus. Illic Loci affecti, hic Symptomatis ratio habetur. Dysenteriam pestilentem, pete è Tit. Pestilentiæ memorabiles.

TACHOS Aegyptius in Persas profectus, cùm eius nationis ciborum insolentiam ferre nō posset, dysenteria correptus, uitam cum morte mutauit. Aelian. lib.5. de Varia hist.

AVGVSTVS Imp. profluuio uentris in eodem, quo pater, cubiculo Nolæ mortuus est, anno suæ ætatis 76. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. cōsulatu suo nono Cutylias ac Reatina rura, ubi æstiuare quotānis solebat, petens, cùm super urgentem ualetudinem creberrimo frigidæ aquæ usu & intestina uitiasset: nec eo minus muneribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans: aluo repentè usq; ad defectionē soluta, per iocum, Imperatorem ait stantem mori oportere. dumq; consurgit, ac nititur, inter manus subleuantium extinctus est IIX. Kal. Iulij, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, superq; mensem, ac diem septimum. Idem.

PETILIVS Cerealis, Vespasiani legatus in Britannia contra Scotos, uentris profluuio extinctus. H. Boethius lib.4.

TRAIANVS Imp. apud Seleuciam, quæ postea Traianopolis dicta est, dum rediret ex Syria, profluuio uentris decessit, anno imperij XX. Volat. lib.23. Anthrop.

MISITHEVS socer Gordiani, uir doctiss. & bellicosiss. occisus est insidiis Philippi, qui per medicos curauit (quoniā effusione alui laborabat) ut cùm poculum iuberetur sistendi uentris gratia accipere, poculum daretur, quo magis solueretur: atq; ita exanimatus est. Cuspinianus.

ARIVS Armodij filius, hæresiarcha, quo die Constantinopoli cum Alexandro catholico episcopo disputandum erat, dū leuare uentrem uellet, in sella familiari cum fæcibus omnia intestina effudit. Fulg. lib.9. c.12.

MILITES Belisarij in Africana expeditione contra Vandalos auaritia & inhumanitate Ioannis Prætorio præfecti diarrhœa ex pane uitioso perierūt: periissentq; omnes, ni Belisarij prouidentia alios panes dare iussisset. Procopius lib.3.

PRESBYTER Sidonium episcopatu Auerniensi deiicere studens, ecclesiam mane ingressurus, cùm prius aluum exonerare uellet, cùm sordibus simul animam excacauit.

D. LVDOVICVS Francorum rex profluuio uentris obiit pestilente. Aemilius lib.7.

ANASTASIVS II. Rom. Pp. Theoderico regnante, uir parū secundâ famia, ut qui Acacium hæreticum (quem primò expulerat) ab exilio reuocare tentabat, dum in secessu uētrem soluit, subitò occubuit. Gratianus, & Volater. lib. 22. & Fulgosus lib.9. cap.12.

LEO III. Iconomachus cùm quatuor & uiginti annos imperasset, dysenterico fluxu miserè animā efflauit. Cuspin.

LEO V. Imp. cœliaco morbo periit, cùm annos regnasset quinque & uiginti, cum tribus mensibus. Idem.

MICHAEL Thraulus cùm annis octo & mensibus nouē crudelissimè imperasset, correptus phrenitide, profluuio uentris animam excacauit, filio superstite relicto. Idem.

THEOPHILVS Imp. ob infelicem pugnam cum Agarenis, per multos dies ab omni cibo abstinens, solo frigidissimæ aquæ potu usus, in dysenteriam incidens obiit. Idem.

HENRICVS VI. Imp. cum uxore & filio Friderico II. Siciliā ingressus, quum uenationi indulgeret, mense Augusto, ad calorem leniendum, in terram noctu stratus, Messanæ diarrhœa correptus, obiit anno imperij octauo, Panormi sepultus, anno Sal. MCXCVIII. Idem.

OTHO IV. Imp. dysenteria mortuus. Idem.

HENRICVS VII. Imp. eodem symptomate periit.

AL[redacted] tis Augusti calore uexatus, dum [redacted] ctatur, in alui fluorem incidit, sentiensque periculum, moriturus in patria Viennam repetere statuit. Iter ingressus, cùm iam Strigonium præteriisset, in uilla quæ Longa dicitur, condito testamēto decessit, anno 1439. Aeneas Syluius, cap. 56. historiæ Boemicæ, Cuspinianus, Cranzius libro duode[redacted] Vandal. cap.8.

[redacted] RICVS III. Imp. ex ætate ac labore, fluxuq; ueteri, in tibia gangrenam acquisiuit. Nam pede illo sæpissimè clau[redacted] foresq; ac portas omnes fregerat. Quatuor mensibus continuo dolore agitato, tibia ferro aufertur. Die uirgini Mariæ sacro, quam religiosiùs semper consueuerat uenerari, ab omni alio cibo abstinens, octo melones comedit (quibus quatuor occubuerunt Cæsares) insuper aquam bibens: in stomachi incidit laborem, mox in lienteriam, & sic Lincij expirauit, 19. Augusti, anno Salutis 1493. ætatis LXXVIII. imperij LIII. Cuspinianus.

STEPHANVS Vngarorum rex, Thatharem Chunorum ducem; ob bene nauatam in bello aduersus Græcos operam, magno in precio habebat, tantumq; cæteris Chunis indulgebat, ut pro libidine in Vngaros grassarentur. Vngari regis decumbentis salute desperata, Chunos uicissim malè tractarunt. Thathar apud regem iam aliquantum refocillatum de Chunorum cæde queritur. Rex, quamuis morbo penè consumtus, ad Chunorum lamenta ingemuit: pollicitus, se recuperata ualetudine, pro singulis Chunis denos Vngaros capitali supplicio affecturum: & fidei causâ dextram porrexit. Quam cùm Chuni certatim prensarent, ea pressura tantū defatigatus est, ut redintegrato profluuio uētris, paulo pòst uita decesserit, anno regni sui XIIX. Salutis 1131. Bonfinius lib.6. Dec.2. hist. Vngarorum.

Anno 645. DAGOBERTVS Francorum rex profluuio uētris Spineti propter Sequanam periit, sepultus in æde D. Dionysij, quam extruxerat. Chronicon Francorum.

SAMSONEM Chilperici regis filium, dysenteria expirasse, testis est Gregorius Turonensis. Idem scribit, AVSTRIGILDEM reginam eodem modo periisse.

FERDINANDVS II. Aragonius, Neapolitanus rex, bello à Gallis petitus, multis militiæ laboribus cōfectus, in uilla apud Veseuum montem, dysenteria laborare cepit. Erat habitu corporis ad perferendā omnem aduersæ rei contumeliā ualde firmo: sed cùm intemperantius nouæ nuptæ, quæ Ferdinandi aui filia erat, cōplexibus indulsisset, & iam fermè pestilens esset autumnus, uim morbi sustinere nō potuit. Neminem regū maiorib. omnis generis hominū, aut certè uerioribus lacrymis tumulatum ferunt, quòd ille tanta animi corporisq; uirtute præditus, in medio ætatis flore, ipsoq; partæ uictoriæ ac recepti regni limine, cùm maximè primum laboris fructum capere deberet, iniqua fatorū lege fuisset extinctus. Iouius lib.4. Histor.

ROBERTVS Malatesta, Xysti IV. copiarum dux, cùm Alfonsum Aragonium, Ferdinandi Neapolitanorum regis F. in agro Veliterno acie uicisset, in magna atq; ardenti siti immoderatius aqua hausta, dysenteria correptus periit. Brutus libro 7. historiæ Florentinæ.

PIVS II. expeditione contra Turcas suscepta, Anconæ alui profluuio periit. Campanus in eius uita.

MAXIMILIANVS I. Imp. duodecima Ianuarij, post noctem mediam, anno Sal. 1519. spiritum suum Deo reddidit, profluuio uentris (ut olim Fridericus eius pater) anno ætatis quinquagesimonono, mense nono, die uicesimaprima, Imperij uerò trigesimosecundo. Cuspinianus.

SANGVINIS PER QVAScunq; partes effluxu.

Vide Titulum, Vulneribus mortui.

PHARNVCHES, equitatui Xerxis contra Gręcos præfectus, cùm Sardibus proficisceretur, canis sub pedes equi intercurrit: quo equus territus, seseq; attollēs, Pharnuchem excussit. Hic collapsus, sanguinem euomuit, & in phthisin incidit. Herodotus lib.7.

ARISTOBVLVS Iudęorum rex, cùm matrem & fratrem Antigonum, quem alioqui summoperè amabat, principatus libidine occidisset, dum factum suum continenter detestaretur, crescentibus doloribus sanguinem uomuit. Eum quidā è ministris efferens, ad Stratonis turrim prolapsus, in eo ipso loco effudit, qui Antigoni cædis cruenta habebat uestigia. Quo facto, ingens eorum, qui uiderāt, clamor exoritur, quasi data opera puer illic effudisset sanguinem, ita ut clamoris causam sciscitaretur Aristobulus. Omnibus autem dicere tergiuersantibus, tanto magis contendebat cognoscere. Tandem ubi minis ac terrorib. expressit, ut faterentur ueritatem: conscientia grauiter ictus animum, plurimas effudit lacrymas: & gemitum ex imo pectore ducens, Ergo non latet Deum, inquit, meum impiū ac sceleratū facinus, quando tam citò reposcor pœnas cognati sanguinis. O corpus impudens, quousq; retinebis animā, quā materni simul ac fraterni manes flagitant? cur non semel eā reddis, ne sic per partes opus sit libare meū sanguinem, atq; ita parentare oppressis per nefas & parricidium? Vix ea fatus erat, cùm exhalauit animam, uno tantùm anno in regno exacto. Iosephus lib.13. cap.19. Antiq.

L. CORN. Metula consularis, & flamen dialis, ne ludibrio insolentissimis uictoribus esset, in Iouis sacrario uenis incisis, contumeliosę mortis denunciationem effugit: sacerdotisq; sui sanguine uetustissimi foci maduerunt. Valerius libro nono, capite 12.

PÆTVS Thraseas Patauinus, uir Catoniana disciplina & seueritate, propter suspicionem affectatæ libertatis à Nerone damnatus, sibi uenas soluit. Rauisius.

[redacted] SENECA, 114 ætatis anno, à Nerone iussus sibipsi mor-

mortem consciscere, uenas sibi in brachiis & malleolo aperiri curauit. Verùm cùm sanguis propter frigiditatem constrictus tardius egrederetur, uenenum insuper ebibit. Quod tamen cùm propter constrictionem pororum & uenarum ad cor penetrare non posset, in balneum calidum descendit: cuius beneficio pori aperti, & uenenũ ad cor deductũ, & sanguis liberrimè effluxit. Tacitus lib. 15.

ADRIANVS Imp. familiari morbo, sanguinis è naribus eruptione tentabatur: eodemq; extinctus est, ob nimiã refrigerationem hydropisi tandem succedente. Dion.

QVINTILIVS, Claudij II. Imp. frater, Augustus est à senatu appellatus. Cæterùm paucis diebus, quibus ad id decus euectus est, Aquileiæ sibi uenas secuit, quum audiuisset Aurelianum Imp. ab exercitu salutatum. Sab. lib. 7. En. 7.

FLORIANVS Imp. qui Tacito successit, dolens Probum militiæ peritum à magna exercitus parte fuisse electũ, sibiipsi uenas incidit, effusoq; sanguine consumtus est. Aurelius.

VALENTINIANVS Imp. senior, qui cum Valente fratre annos XI. imperauit, iracunda uocis contentione contra Sauromatas arteriam rupit, & copioso sanguinis uomitu in castro Bergitio obiit. Socrates lib. 4. c. 31.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, nono die, posteaquã medicis curantibus, in lacerto uenam aperuerat, cùm arcu columbam peteret, aperta repentè uena, tantum effudit sanguinis, ut cum sanguine uitam quoq; ageret. Fulg. lib. 9. c. 12. ex Paulo Diacono.

ATHANARICVS Gothorum rex, cùm Christianos tyrannicè persequeretur, sanguine per totum corpus erumpẽte, scelestum exhalauit spiritum.

ATILA Hunnorum rex, ex Scytharum genere, Pannoniã subegit: postmodùm Italiam ingressus, Aquileiam subuertit, & plurimas ciuitates Galliæ & Germaniæ destruxit. Tandem domum reuersus, cùm uino plenus nouis nuptiis operã daret, effuso de naribus multo sanguine suffocatus est. Blondus lib. 2. Dec. 9. & Sigebertus in Chronico.

ALEXANDER Basilij Macedonis filius, qui defuncto Leone V. fratre, in Imperatorem electus est, sanguine è naribus erũpente ob saturitatem extinctus est. Volaterranus libro uigesimotertio Anthrop.

Anno tertio Irenæ Imperatricis, STAVRACIVS tyrannidem est molitus. Quod cùm resciuisset Irene, omnibus eius consuetudine interdixit: isq; mœrore oppressus, sanguinem ex pulmonibus eructans periit. Cedrenus.

CHRYSANTHIVS Sardianus philosophus & magus insignis, octogenario maior, dum sanguinem sibi detrahi more consueto curat, parum à morte abfuit. Restituit tamen illum Oribasius calidis fomentis. Quibus ipsis corpus senile exhaustum, dum sequenti anno phlebotomiam repetit, extinguitur. Eunapius in eius uita.

EPIPHANIVS Syrus, sophista Atheniensis, Proæresij collega, non admodum senex è sanguinis profluuio obiit: eodemque malo etiam uxor eius, formosissima femina interiit. Eunapius in eius uita.

VIDO Italiæ rex, ab Arnulfo Germanorum rege Berengarij à Vidone regno pulsi partes agente pulsus, posteaquam Arnulfum Alpes contra Rodulfum Burgundiæ regem transcẽdere audiuit, collecto animo fugam continuit, & conuerso impetu ipsum insequi cepit. Verùm ad Iarum agri Placentini amnem cùm peruenisset, uomitu sanguinis repentino oppressus interiit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

GVALTERIVS Brennus Comes permissu Innocẽtij III. Pp. & Sibyllæ reginæ dotali iure regnum Siciliæ & Neapolitanum inuadens, Theobaldum Comitem Germanum Henrici VI. Imp. polemarchum in arce Sarni obsedit. Theobaldus rebus desperatis eruptionem facit, Gualterium in lecto deprehensum capit, in arcem abducit, uulnera curari iubet: regni possessionem offert, si quos sub Imperatore habuisset dignitatis gradus, sibi confirmasset. Tum Gualterius, Absit uerò, inquit, ut regnum iure mihi debitum uilissimi proditoris beneficio obtineam. Theobaldus importuna hominis superbia offensus, dira multa interminatus, Gualterio ita bilẽ mouit, ut uulnera suapte manu conscinderet, intestina lancinaret, & medicamenta simul & alimẽta omnia auersatus, quarto die interiret. Collenucius lib. 4. hist. Neapol.

GEORGIVS Seruiæ Despotus arma Turcorum metuens, qui Constantinopolim occuparant, Vngarorum regem Ladislaum adiit. Nec multo pòst cùm Ladislaum Zilagum in uia interceptum occidisset, Michael frater Budæ gubernator eũ similiter prope Danubium aggressus cepit. Obiit in carcere, cùm sanguinis fluxus è trunca manu sisti nõ posset. Aeneas Syluius c. 5. Europæ, & Cuspinianus, & Fulg. lib. 6. c. 4.

ECELINVS Romanus, Patauinorum tyrannus, pòst infinita propè flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turrianum, Mediolani principem, susceperat) uulneratus, more frendentis belluę uulnus discerpsit, eoq; miseram euomuit uitam. Iouius in uita Othonis, & Sabellicus lib. 9. c. 3.

SVPPRESSIONE, RETENTIONE ALICVIVS EVACVATIONIS consuetæ. Puta

Hæmorrhoidum.

TRAIANVS Imp. defunctus est uita, annos natus tres & LXX. ut multi, & ipse quoq; persuasum habuit, ueneno. Alij, quia sanguinis fluxus sua sponte stetisset, qui quotannis illi abimis partibus fluere consuesset. Sab. lib. 4. En. 7.

Fæcum.

IO. BAPTISTA Lignamineus Patauinus, episcopus Concordiensis, cùm Venetiis conuiuio Ducis interesset, & præ pudore uentris onus diutius retinuisset, in grauiss. morbũ incidit, quo etiam periit, Ferrariæ sepultus. Bern. Scardeonus lib. 2. hist. Patauinæ.

Seminis.

IACOBVS Cardinalis Vlyxipponensis, regis Portugalliæ F. Florentiæ ex retento semine mortuus. Hieron. Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.

MICH. VARINVS inter poetas Gallos recentiores primus, ex retentione seminis grauissimè ægrotans, Medicis in una uenere spem salutis ponentibus,

Ne se pollueret maluit ille mori.

Alui.

AMALRICVS Hierosolymorum rex Tyberiade dysenteria laborare cepit. Hierosolymam inde delatus, curata dysenteria, in febrẽ incidit, qua & extinctus est, an. Domini 1173. V. Idus Iulij, regni XII. ætatis XXXVIII. Tyrius.

CASIMIRVS Poloniæ rex, bellum contra Vladislaũ filiũ, Bohemiæ regẽ, propter Vngariã, ducta Beatrice Matthiæ Coruini uidua, occupatã, moliens, quòd illã Io. Alberto filio reseruatã uidebat: cùm diarrhœã esu panis Lituanici durissi ex Monachorũ consilio repressisset, in lentã febrim incidit, & an. Sal. 1492. periit. Ioach. Cureus in Silesię annalibus.

Vlceris.

HENRICVS IIX. Anglorum rex obstructo suppurantis tibię meatu in ardentem febrem incidit, eademq; periit, anno sal. 1546. ad 7. Kal. Februarij. Auctor Chronologiæ Anglorum regum.

QVI MORTVI. CONSIDERATI SECVNDVM

AETATEM.

Infantes, Pueri.

MARCELLVS, Caij Marcelli ex Octauia, olim M. Antonij uxore filius, discessit admodũ puer, magna spe adempta successionis Augusto, qui eũ sibi adoptauerat. Vol. lib. 17. Anthrop.

Adolescentes.

Albius TIBVLLVS, eques Romanus, & poeta elegiarum, extinctus est media ferè iuuentute. Ouidius:

–Nec auara Tibulli Tempus amicitiæ fata dedêre meæ.

M. CÆLIVS orator, acri turbulentoq; ingenio, discipulus Ciceronis, immatura morte, iuuenis admodũ decessit. Multũ in eo ingenij, & præcipuè in accusando, multa urbanitas; dignusq; uir, cui uita longior cõtigisset. Quint. lib. 10. Orat. instit. cap. 1.

EDVARDVS VI. Angliæ rex, an. Sal. 1553. è uita discessit, morbo tabifico, circiter annorum sexdecim adolescens. Eius interitũ maxima est secuta rerũ Angliæ cõmutatio. [redacted]

Senes.

Vide Tit. Longæuorum, quatenus suo mors tandem finem imponit.

HABITVS.

Magi.

Vide Tit. Magiæ pœna.

Heretici.

Consule Tit. Hæreseos pœna.

Fortes.

ACHILLES heros fortissimus, inquit Ouid. 13. Metam.

Iam cinis est, & de tam magno restat Achille
Nescio quid, paruam quod non benè compleat urnam.

Improbi.

Vide Tit. Improbitatis pœna.

In prouerbium abiit: ἅπαντ' ὅμοια, καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή. id est, Similia omnia, RHODOPIS ipsa etiam decens. Eadem est conditio mortalium, formosi pariter ac deformes senescũt, ac moriuntur. Rhodopis nomen est puellæ cuiuspiam formæ celebris, cui nomen à roseo aspectu uidetur inditũ. De Rhodope meretricula multa Herodotus lib. 2. nonnulla Plinius lib. 31.

DIGNITATEM.

Reges.

Vide Tit. Reges suspendio enecti.

VESTITVM.

Personati.

Cùm facerent bellum Atheniensibus Thraces, sortes acceperunt, si à CODRO rege temperassent, uictoriam ipsos relaturos. Ille accepta falce impressionẽ fecit in aduersarios in ueste sordida, unoque obtruncato, ab altero est confossus. Ex Socrate lib. 2. de Thracibus, Plut. in Parallelis.

P. DECIO res gerenti contra Albanos, somnium fuit, si occubuisset, rem Romanam se aucturum. Ergo in medios se intulit hostes, multisq; contrucidatis cecidit. Pari modo filius eius Decius bello Gallico Romanos incolumes seruauit. Ex Aristide Milesio, idem.

FVNCTIONES, PASSIONES'VE uarias, quibus immoriuntur, consideratas

RESPECTV HABITVS, A QVO proficiscuntur. Immortui

Crapulæ, Ebrietati.

Ex Titulo, In conuiuio interfectorum, quædam huius erunt loci.

MICHAEL Theophili F. Imp. Constantinopolitanus, cùm in cœna uino madidus Basilicinum quẽdam, Basilij protostratoris primum remigem, maximè laudaret, quòd optimus esset auriga, & corporis pulcritudine antecelleret omnes sui ordinis, moxq; ipsum regem pronũciaret: Basilius (quẽ paulo antè regio diademate ornarat) uerba quædam Michaeli obiecit. Ad quæ indignatus rex: Nónne, inquit, qui te regem crearim, possum alium quoque regem constituere? Et fortè insignia illi magis quàm tibi conueniunt, ob corporis proceritatem. Ergo Basilius Michaelem, cùm se cubitum contulisset, per coniuratos confodiendum curauit. Cuspinianus.

Adulterio, Scortationi.

PHAON omnium hominum pulcerrimus, à Mytilenæorum mulieribus ardenter appetitus, in adulterio deprehensus, iugulatus est. Cælius.

SPEVSIPPVM philosophum Tertullianus in Apologetico cõtra gentiles ait, de Platonis schola, in adulterio periisse.

TIGILLINVM præfectum uigilum & prætorij, inter stupra concubinarum & oscula, sectis nouacula faucibus, inhonestam clausisse uitam, Cornelius Tacitus testatur.

RODOALDVS Longobardorum rex, in adulterio deprehẽsus, à marito adulteræ interficitur. P. Diaconus, Platina.

[redacted]

Raptui.

Rapuerat QVIDAM sponsam. Vindices persecuti eũ cum sociis interfecerunt. In quos Palladas in 3. Epigr. sic scribit:

Ἥρπασέ τις νύμφην, καὶ τὸν γάμον ἥρπασε δαίμων,
ψυχῶν συλήσας περπομένων ἀγέλην.
εἷς γάμος, ἀκροτατέντι τάφους ἔπλησε θανόντων,
πάνδημος δὲ νεκρῶν εἷς γέγονεν θάλαμος.
νύμφη Πενθεσίλεια πολύστονε, νυμφίε πενθεῦ,
ἀμφοτέρων ὁ γάμος πλούσιος ἐν θανάτοις.

Execrationi.

VRBANVS III. recrudescente schismate de inuestituris, cùm ipse Volmarum, Fridericus uerò I. Imp. Rodolfum Treuerẽsi ecclesiæ præfecisset: Veronam contendit, Imperatorem euocans ad audiendam ecclesiæ sententiam. Habebat in animo excõmunicationis in eum distringere mucronẽ. Quod ubi intellexere Veronenses, Papam orauere, ut ab iniuria illa Imperatoris in sua tẽperaret ciuitate: non se, qui Imperio fidẽ seruarẽt, laturos ut ea afficeretur in illa urbe nota. Motus Papa sententiam distulit. Sed priusquam locum, quẽ ad eam rem destinarat, attigit, rebus excessit humanis. Crãzius lib. 7. Saxoniæ, cap. ult.

Ludo.

Aeaco Iouis & Aeginæ F. filij fuerunt ex Endeide Scyronis F. Telamon & Peleus: & præter hos PHOCVS, ex Psamathe Nerei filia. Hunc ob uirtutem pater cùm maiorem in modũ dilexisset, fratres inuidia moti Phocum ad quinquertiũ inuitarũt, utẽtes aspero & rudi saxo pro disco: eoq; Peleus Phocum, cùm loco ei suo lapis esset mittendus, percussisse dicitur. Pausanias in Corinthiacis.

Perseus Acrisij Argiuorũ regis & Abantis F. ex Danae filia nepos, ab eodem expositus, posteaquam ad maturã ętatẽ peruenit, uisendi aui materni, eumq; sibi conciliãdi cupiditate Larissam uenit, quò ACRISIVS concesserat. Vbi & ætatis robore & disci à se inuenti gloria elatus, dum artem in hominum conuentu ostentat, Acrisium aduerso fato interuenientem, disci impetu occidit. Idem.

THEODOSIVS Magnus Imp. Mediolani, ex senio in morbũ incidit, quo tempore ludos celebrabat pro uictoria contra Eugenium tyrannum, quibus ipse & filius interfuit manè: sed peracto prandio repentè debilior, spectaculo non interfuit, noctu uerò defunctus est, anno ætatis LX, uel (ut qui uerius) L. cùm imperasset annis XVII. Cuspinianus.

In nuptiis quibusdam aulicis sub Carolo VI. Francorum rege, ludis nocturnis unà cum rege quinq; alij prodeunt uultu in leonini oris imaginem personato, reliquũ corpus pice delibutum, multoq; lino depexo, ac in uillos ita confecto, ut hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbem reste data, choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex regia concursus fit ad picatorum spectaculum. Ludouicus Aurelianensis dux, regis frater, studio clarius uisendi, correptam facem propius admouit. Scintilla ex ea in regem fortè incidens, repentinum in omnes illos effusa flamma conflauit incendiũ. Ita ut rege uix seruato, QVATVOR miserè perierint: quintus in propinquã promi cellam ruens, aqua uinoq; se perluens, salutẽ sibi pepererit. Aemilius lib. 10. & Fulg. lib. 9. c. 12.

Similiter in arce Vuartenberga apud Eberhardum Comitem Hohenloensem Bacchanalium causa Germani aliquot Comites conuenerãt: Faunorum personas, multa stuppa, lineis uestibus pice resinaq; agglutinatis, imitati. Ludo intentis omnibus, tesseram in terrã fortuito casu delapsam puer personatus dum repetit, funalis incautius adhibiti flamma cõcepta opem astantium implorare cepit. Eberhardus puero opitulaturus, eodem malo corripitur, corripiuntur & cæteri: ita ut ignis tãdem difficulter, copiosa ueste iniecta, sopitus sit: & personæ licet illæsæ repertę sint, nisi quantum de stuppa picata flamma absumserat; at carnes subiectæ tam miseris ustulatæ modis, ut nullis medicamentis uel ardor conceptus extingui, uel dolor mitigari potuerit. Adeoque paucis pòst horis GREGORIVS Tubingensis, ALBERTVS & Eberhardus Hohenloenses Comites in ipso ætatis flore perierunt. Anno Christi M D LXX.

HENRICVS I. Alfonsi IX. filius, rex Castellæ dictus, anno salutis humanæ 1215. biennio pòst apud Palentiam urbem, dũ cum sodalibus luderet, cocto latere fortuitò uulnus in capite accepit, ex eoq; biduo pòst morte occubuit, absq; liberis. Tarapha de regib. Hispan.

ALEXANDER Albaniæ dux, à Iacobo III. rege Scotorũ fratre ob regnũ affectatũ pulsus, in hastarũ certamine Parisiis ab rege indicto procurrens cum aliis è prima nobilitate, fractæ hastæ frustulo in oculũ per galeã uulnus accepit, & subitò expirauit. Appendix Hist. Scotorum.

Anno sal. 1292. LVDOVICVS II. Ludouici I. Palatini Rheni F. Norimbergæ cum Cratone ab Hohenloe equestri ludo se exercens, tactus ab eodem hasta iugulo, decimo pòst die expirauit. Auentinus lib. 7.

HENRICVS II. Gallorũ rex, inito cum Philippo Hispaniarũ rege fœdere, eiq; data in uxorem filia, Philiberto uerò Allobrogum duci Margarita sorore, ludis equestribus Lutetiæ

per biduū generosè obiit, cùm quatuor decursionib. perfunctus, frustra dehortāte Anneo Momorantio, quintam in Philiberti gratiam se obiturum pronunciasset, Lorgeū Comitem Montegomerium Scotum, satellitum suorum pręfectum, uel inuitum oblata lancea prouocauit. Concurritur. Lorgei hasta in regis pectus fracta, & fragmētum per galeā, non rectè, ut apparuit, clausam, inter duos oculos adactum, regi alterum oculum perfodit, & parte sua cranium subiit. Lorgeus, ingenti dolore metuque perculsus ad regis accidit pedes, eius facti, à quo omnis fraus culpaq; abesset, ueniam petens: cui rex promtè & clementer ignouit. Septimo die, uulneris dolore consumtus est. Ita rex ætate atq; opib. florentissimus inter hostes tutus, inter ipsa nuptiarum solēnia, res mira, à quo casu non uoluntate interficeretur, inuenit. anno sal. 1559. prid. Kal. Iulij. Sab. supplem. lib. 29.

Choreis.

LVDOVICVS, marchio Misnensis, ab Halberstadense ad Bābergensem, hinc ad Magdeburgensem archiepiscopatum euectus, choreas & carmina nō omisit: plus in eo ualebat patrius mos, quàm Christi religio. Ad dies Carnispriuij uocauit ministerialium suorum puellas & matronas in oppidū Caluen, ipseq; primus in prætorio spacioso choreis intererat feminarum, restim ducens. Die lunæ ad horam uesperā apparuit ignis in camera leuiss. qui uel à puero restingui potuisset. Nemo occurrebat, sed ad gradus festinabāt uniuersi tanta contentione, ut pondere uicta domus, crepitu ingenti edito, subsideret, & per scalas lapideas archiepiscopus manu tenens dominam cum CCC. aliis rueret, & postera die moreretur. Ex reliquis tres soli periere. Cranzius lib. 10. Metrop. c. 23. & lib. 10. Saxoniæ, cap. 5.

Sub Rodolfo I. quum TRAIECTI iuuenes, puellæ, uiri, feminæ choreas ducerēt in ponte frequētes, & uenerabile Christi sacramentum deferretur, nec illi prosternerentur, intenti uanitatibus: mox ponte desidente, ducenti propè mortales perierunt. Cranzius lib. 8. Metrop. c. 39.

Salutationi, Congratulationi.

Venceslao Imp. deiecto, successor datus est Robertus Palatinus Comes. Ad cuius salutationem quum ascenderet FRIDERICVS dux Brunsuici, optimus princeps, & digniss. Imperio, non longè à Frislaria impetitus confossusq; est, cùm se dedere nollet. Cranzius lib. 10. Saxoniæ, c. 19.

Vindictæ.

IOANNES XII. à Pontificatu deiectus ab Othone Magno, eo recepto, Leonem IIX. abdicauit, in aduersarios crudeliter desæuiit: ne uerò ulterius sæuiret, repentina mors intercessit. Sigonius lib. 17. regni Ital.

Cultui diuino.

☞ *Consule Tit. Templa cæde polluta. quatenus diuinis rebus intenti occiduntur. Item Peregrinationum sacrarum.*

LAMON monachus Hierapoli in episcopū electus, nullis suasionibus adduci potuit, ut electioni assentiret. Cūq; Theophilus episcopus itidē ab eo flagitaret, diē ad deliberandū impetrauit. Dū aūt in solitario loco genibus prouolutus, toto eo tempore secretæ precationi intendisset, inuentus est efflasse animam. Marul. lib. 1. c. 6.

Baptismatis suscipiendi consilio.

VALENTINIANVS II. Imp. dum Ambrosium Mediolanensem episcopum Viennam accersit, ab eo baptismum suscepturus, Arbogastis Comitis dolo strangulatus est, an. æt. XX. Sigonius lib. 9. Imp. Ital.

Fidei confessioni.

☞ *Vide Titulum, Martyrum.*

APOSTOLI, omnesq; reliqui MARTYRES pro iustitia, pro ueritate, pro Christo morientes, præstantissimū id esse mortis genus testantur, quod ipsi passi sunt. Sed non omnib. hoc contingit: omnibus tamen ea mens esse debet, ut si fors ita ferret, libenter & ipsi sustinerent. Cuius is animus, uel tunc quum è uita egreditur, fuerit, proculdubio Martyrum ipsorum coronæ particeps erit. Corda enim perpendit Dominus, magis quàm facta. Dic ergo cum Paulo: Non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu. Certè talis in moriente charitas eleuabit doloris angustiæq; sensum, & hominem alterius uitæ desiderio accendens, faciet exclamare: Cupio dissolui, & esse cū Christo. Marul. lib. 5. c. 10.

Impietati, Contemtui religionis.

Cùm esset Ebroino aulæ magistro regię nunciatum, quòd ad tumulū Leodegarij fierēt miracula, misit eò MILITEM exploratū. Is aūt calcans locum pedibus, inquit: Moriatur, qui mortuū posse miracula facere credit. Ad eam uocem concidit, & expirauit. Vincen. lib. 23. c. 125.

Conuiuio, Cœnæ, Prandio.

AMNON à fratre Absalomo in conuiuio interfectus, propter constupratam sororem Thamarem. 2. Regum 13.

ELA rex Israelitarum, Baasæ F. dum poculis indulgeret, à Zambre dimidiæ partis quadrigariorum suorū duce interfectus est. 3. Regum 16.

GODOLIAS Iudeæ præfectus à Nabucodonosoro rege, uir optimus, ab Ismaele Nathaniæ F. homine scelestissimo, quē conuiuio exceperat, uino grauis inter epulas interfectus fuit. Iosephus lib. 10. c. 11. Antiq. ex 4. Reg. ult.

Ptolemæus Abubi F. agro Hierichuntio p̄fectus, SIMONEM socerum suum, ducem & pontificem Iudæorum fortissimū, blandè in castello Doco excipiēs, in cōuiuio interfecit, uxore etiam & duobus filiis eius comprehensis. 1. Machab. 16. & Iosephus lib. 13. c. 15.

Φώκου ἔρανος, Phoci collatio. prouerbium in eos, qui conuiuia suo malo instituunt. PHOCVS enim quidam, cùm filiā haberet, cuius nuptias multi expetebant, stipem cogebat: & cōuiuio excipiēns procos, nuptias differebat. Irati igitur illi, in conuiuio Phocum occiderunt. Suidas & Zenodotus. Sed Plut. in Amatoriis narrationib. fabulam hāc diuersè narrat.

CLITVS ab Alexandro Magno amiciss. in conuiuio gladio confossus est, ob id solùm, quòd improbasset cantari in conuiuio carmina cuiusdam Pranychi, in ignominiam Macedonum composita. Plut. in Alexandro.

Thracibus à Persis Megabyzi ductu uictis, in Macedoniā LEGATI Persæ uenerunt, petitum ab Amynta rege aquam & terram. Amyntas regi se dedēs, liberali eos hospitio excepit, & Persarum more, ipsis petētibus, in cōuiuiū cōcubinas introduxit. Quas cùm illi attrectarent, & oscularentur, indignè eam rem ferens Alexander, Amyntæ F. patrem dormitū ablegauit. Ipse postea data optione Persis cùm quacunq; liberet concumbendi, iuuenculas dimisit lotum: & mox sub earum specie introduxit adolescentes ephebos, iisdem amictos uestimētis, & pugionibus clàm instructos. Quos simul ac Persæ attrectarunt, ipsi pugionibus eductis eos interfecerunt. Herod. lib. 4.

Ochus, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex CONIVRATIS, quorū opera Magos oppresserat, aut ueneno, aut ferro, aut ulla ui, aut inopia alimentorū necaret: crudeliorē mortis rationem excogitauit. Septum enim altis parietib. locum cinere compleuit: suppositoq; tigno prominēte, benignè cibo & potu exceptos in eo collocauit: è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem deciderunt. Val. lib. 9. c. 2.

Agathocles Syracusanorum tyrannus, paulo ante Africanam expeditionem, cùm per eam, quę in conuiuiis existere solet, urbanitatem, EOS, qui eius imperium alieno animo ferrēt, deprehendisset, eosdem aliquando priuatim ad conuiuium rursus uocauit, adhibitis unà Syracusanorum magnificentissimis, numero ad quingentos, eosque omnes trucidauit. Diodorus lib. 20.

Habebat ubiq; L. Quintius Flaminius, Titi frater, in deliciis secū puerum quendam: Qui epulante Lucio aliquando cùm per lasciuiam cauillaretur, adeò, ait, se ardenter amare eum, ut spectaculum gladiatorum reliquerit, cùm nunquā hominē spectasset iugulari, uoluptati suæ anteferens in illum obsequium. Lucius, ut ei in hoc gratificaretur, mox VNVM ex damnatis attrahi ex carcere iussit, accitoque lictori inter epulas imperauit, ut eum obtruncaret. Titus Liuius libro nono, Decadis 4.

Campani à Rom. obsessi, & ab Hānibale deserti, cùm de legatis in castra ad Rom. duces mittendis agerent: Vibius Virrius, defectionis ad Pœnos auctor, istud penitus dissuasit: cōsuluitq; uoluntaria potius morte obeundum esse, quàm se suósque perpetuæ seruituti & ignominiæ hostium exponere. Paratæ sunt, inquit, apud me epulæ, quibus, si qui mecum se imminentibus malis subtrahere uolent, adhibebo: poculum postremò omnibus circumferetur; ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis eripiet. Hæc una uia & honesta & libera ad mortem, & ipsi hostes uirtutem admirabuntur, & Hannibal fortes à se socios desertos adhuc magis dolebit. Septem fermè & XX. SENATORES, cum eo curia egressi, mentibus uino & epulis, quātum fieri potuit, alienatis, uenenum ordine hauserunt: inde cum lacrymis se complexi, suam patriæque uicem familiariter flentes, diuersi domum abierūt. Nonnulli apud Vibium extingui maluerunt, ut cum eo unà sepelirentur. Nocte omnes extincti, pauci in sequentem diem spiritum traxerunt. Sabellicus libro 4. Ennead. 5.

L. MANLIVS Torquatus consularis, quum in cœna placentam appeteret, repentè obiit. Plinius libro septimo, capite quinquagesimotertio.

L. DVRIVS Valla medicus dum mulsi potionem haurit. APPIVS SAVFEIVS scriba, quum à balneo reuersus, mulsum bibisset, ouumq; sorberet. P. QVINTIVS Scapula, quum apud Aquilium Gallum cœnaret. DECIMVS Saufeius scriba, quum domi suæ pranderet. Idem.

MOFILIVS Hilarus, comœdiarū histrio, cùm populo admodū placuisset natali die suo, conuiuiūq; haberet, edita cœna calidā potionē in pultario poposcit, simulq; personam eius diei acceptā intuens, coronam è capite suo in eā transtulit, tali habitu rigens, nullo sentiente, donec accubantiū proximus tepescere potionem admoneret. Plin. lib. 7. c. 53.

Q. SERTORIVS dux clariss. magna fortitudine & prudentia bellum contrà Romanos in Hispania gesserat, & Mithridatis insuper formidabilior redditus fœdere, hostibus iam penè par erat. Perpenna spiritibus uanis ob natalium splendorem elatus, conspirationem contra eum moliri ausus cum Aufidio, Antonio & Manlio, uno ex Sertorianis ducibus, ad cœnam ipsum inuitauit cum coniuratis, multisq; precibus obtinuit, ut sibi condiceret. Cæterùm in medio cōuiuio exordium quærentes iurgij, propalàm incesta uerba iecerunt, fingentesq; se uino mersos, quò irritarent illum, multa designauerunt insolenter. Ille uerò, uel quòd licentia ista insolita offenderetur, uel quòd mentem eorum loquendi tarditate aduerteret: figura mutata accubitus, supinum se collocauit, quasi non attenderet, neq; exaudiret ea. Vt uerò phialā Perpenna accepit meri plenam, eamq; inter bibendū è manibus dimisit, unde est editus strepitus, quod erat illis pro signo: Antonius, qui supra Sertoriū recumbebat, ferit eū pugione. Ad ictum circumagente se illo, & parante exurgere, coniiciens se in pectus eius, ambas occupat manus. Ita cùm non ualeret ulla ratione se defendere, multis eum cædentibus, est trucidatus. Plut. in Sertorio.

THEVDISCLVS uel Theodegisilus Gothorum rex in Hispania, ob stupra & cædes Hispali in cōuiuio trucidatus fuit ann. 587. Rodericus Toletanus libro 2. rerum Hispan. cap. 12. & Sigebertus.

Erat inter Gothos Buillas quidam, qui Vraię ab Ildoualdo Gothorum rege cæsi uiduam ambiebat. ILDOVALDVS autē ipsum contra hostes misit, illamq; interim alteri cuipiā, quē sibi fideliorem fore putabat, coniugio sociauit. Buillas è castris reuersus, in conuiuio, quamuis circumstante satellitio, caput regi amputauit, ut in mensam prosiliens dapes inquinaret. Io. Magnus lib. 12. ex Procopio. Sigonius lib. 18. Imp. occid. Bessam uocat.

HIARTHVARVS Succiæ præfectus, ducta in uxorem Sculda Roluonis Danorum regis sorore, libidine regnandi Roluonem per insidias cum optimatibus occidit. Cæterùm eo ipso die, dū triūphali epulo indulget, à Vuiggone, qui unicus ex stipatoribus Roluonis supererat, gladio transfixus occubuit. Saxo lib. 2.

CANVTVS III. Anglorū rex erat suapte natura homo tā mitis, quàm liberalis, & præsertim in cōuiuiis, qui suos conuiuas in prandiis & cœnis ampliter atq; nitidè accipiebat, epulūq; populo frequenter dabat, ter in die escis appositis uesci uolentibus. Solebat etiā apud alios cœnitare. Inuitatus ad nuptias cuiusdam principis, cùm in cōnuiuio discumberet, è regione Vuestmonasterij, ad alterā ripam Thamesis, in uico, quē uocant Lamehithum, inter potationē repentè cecidit, atq; interiit, non sine suspicione sumti ueneni, biennio pòst, quàm regnare ceperat. Polyd. lib. 8.

Otho II. Imp. Romæ instituit insigne conuiuium, regiè acceptis Pontifice, episcopis & ciuibus. Et dum opiparè cibos apposuisset, armatis in formam coronæ circumstantib. grauissimè cōquestus de iis, qui fœdus amicitiæ rupissent (quoties enim Roma disceret, toties pacem pleriq; uiolabant) satellitibus mandauit, ut SONTES à mensa abreptos obtruncarent. Cęteros lætos & hilares conuiuium persequi iussit. Cuspinianus.

Christiernus Danorum rex cùm à PROCERIBVS quibusdā Sueonum anno 1520. Stocholmiæ regni Suetici gubernacula accepisset, & potiorem tamen procerum partem animis à se abalienatam uideret, ad regale conuiuium inuitatos trucidauit, ad XCIV. Ioan. Magnus lib. 24.

CASIMIRVS II. Poloniæ princeps impetrarat à Pōtifice maximo Lucio reliquias Floriani martyris: easq; allatas, ad septimum milliarium à Cracouia cum ingenti omnis generis hominū caterua, & solenni sacerdotū pompa obuiā pgressus, reuerenter exceperat. Insequenti die grande conuiuium instruxit: proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruēte cōuiuio, exhilaratis conuiuis, & multa de præteritis bellis atq; periculis inter se cōferentibus, & principis res gestas & felicitatē celebrantibus, ipse nōnulla de immortalitate a- [illegible] cœlitū beatitudine, non inepta in mediū proposuit. [illegible] haustō mediocri pōculo, subitò cōcidit, & paucis horis animā exhalauit. Subitúsne morbus eū inuaserit, an uenenum à muliercula, quā deperibat, præparatum hauserit, incertum est. Cromerus lib. 6.

Egestioni.

☞ *Consule Tit. Alui profluuio mortui. item, In cloacis mortui.*

GN. Carbo, summā in Repub. auctoritate, cū partes Marianas secutus esset, in tertio consulatu suo in Sicilia, iussu Pōpeij, dum uentrem apud latrinam exoneraret, trucidatus est. Valer. Max. & Plut. in uita Pompeij.

ANTONINVS Caracalla Imp. dū Carris ageret, quæ est Mesopotamiæ urbs, deæ Lunæ templum inuisit, quod in ea regione distans aliquantulū ab urbe, præcipuo honore ab incolis colebatur, eò secum paucos equitū adduxit. Itaq; medio itinere, uno tantū comitatus famulo, ad requisita naturæ discessit: quò Martialis centurio, cùm Macrini pręfecti pmissis adductus, tum proprio odio incitatus (eius enim fratrem Imp. occiderat) tāquā nutu principis uocatus, accurrit illicò, Antoninūq; sibi subligacula deducentē pugione traiecit. Polyd. lib. 2. hist. Anglorū, ex Herodiano & Spartiano.

Constantinopoli cùm Eusebius Nicomediensis episcopus ARIVM per uim in ecclesiā introducere niteretur, Alexander episcopus Constantinopolitanus orthodoxus, comite Macario presbytero, ardentiss. precibus & lacrymis Deum per noctem rogauit, ut si permittere Deus uellet, ut Arius deinceps in communione ecclesiæ esset, dimitteret se seruū suū, nec pium unà cum impio perderet. Sin parcere uellet ecclesiæ suæ, respiceret insolentiam Eusebij, neq; daret in discrimen sortem suam: tolleret Arium, ne eo recepto hæresis simul uideretur recipi. Postera die Arius comitatus turba Eusebianorum, in templum introire cupiens, urgente uindicta diuina ad cloacam secessit, & ibi intestina cū stercore egessit. Theodoretus lib. 1. c. 14.

PRESBYTER episcopatum Auernēsem affectans, cùm Sidonio episcopo uesperi interminatus esset, se eum ecclesia eiecturum esse: manè ecclesiā ingressurus, prius aluum exonerare uolens, obiit. Auctor uitæ Sidonij.

ANASTASIVS II. Papa, natiōe Romanus, patre Fortunato, cùm esset in latrina, ac uellet naturę necessitati subuenire, effudit intestina, subitoq; mortuus est. Gratianus. Guido Bitur.

QVI regis Hierosolymitani titulum habebat, surrexit, ut urinā proiiceret: & cadēs de fenestra, fractis ceruicib. expirauit: & cliens similiter, qui eum retrahere conabatur. Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 17.

AMBIRKELETHVS Scotorum rex in expeditione aduersus Garnardum Pictorum regem post cœnam dubia luce castra egressus ad naturæ requisita, duobus tantùm famulis comitatus, sagitta ab incerto auctore emissa confixus interiit. H. Boethius lib. 9.

Coitui, Veneri.

ZAMBRIS Israelita cum Corbi Madianitide in ipsa uenere à Phinea Eleazari F. interfectus. Num. 25.

Cretenses festum quoddam nouis & absurdis cęremoniis agebant, ostenso hominis simulacro sine capite. Hunc aiebant MOLVM Merionis patrem fuisse, qui constuprata per uim Nympha, sine capite fuerit repertus. Plut. in lib. de Def. orac.

ALCIBIADES Atheniensis cum Timandra meretrice à Lysandro interfectus fertur in actu uenereo: ut credibile est, incertum tamen. Plut. & Valer.

CORNELIVS Gallus Prætorius, & TITVS Aetherius eques Rom. inter usum puerilis ueneris absumti sunt. Val. lib. 9. c. 12. & Plinius lib. 7. cap. 53.

CONRADVS Sueuorum dux, Henrici VI. Imp. frater, contra Berchtholdum ducem Zeringensem expeditione suscepta, Durlaci à ciue, cuius uxorem corrumpebat, confossus est. Stumpfius, & Cuspinianus.

GIACHETVS Geneua Salucianus, inter Salucianos clarus homo, ætate iam ingrauescente, per posticum puellam admittere consueuerat, prætextu utensilium curandorum, uestiumque purgandarum. Quodam die cùm puella diutius, quàm consueuerat, recipere se ad uxorem ac liberos tardaret, seriorque hora uxorem ac liberos in suspicionem adduceret, ne quid marito aduersi contigisset, quia strepitum nullum, in musæo, euoluendorum librorum (ut ei mos erat) exaudiebant: posteaquam uocando pulsandoque non profecerunt, effracto loci ostio, cùm lumen intulissent, inuenerūt, in puellæ complexu eum illius uentri, eo modo, quo uenus exercetur, incumbere, atq; utrumq; exanimem, sine ullo uiolentæ mortis signo, esse. Fulg. lib. 9. cap. 12.

BELTRANDVS Ferrerius in Hispania Barcellone, in uenere expirauit. Pontanus lib. 1. de Obedientia, cap. 10.

Tonsuræ.

PETRVS Calceonus, unus eorum, qui Ioannam puellam Gallicam Anglorum expultricem flammis deuouerunt, dum radendam tonsori barbam committeret, in ipsa tonstrina repētè decessit. Valerandus Varanius:

Sic & Calceonus (qui censuit esse cremandam)
Pendula dum tonsor secat excrementa capilli,
Expirans cadit, & gelida tellure cadauer
Decubat: ultrices sic pendent crimina pœnas.

Lotioni.

☞ *Vide Tit. In balneo mortui.*

Vestiendo.

Nullis euidentib. causis obiere, dum calciantur matutino, duo CÆSARES, prætor, & prætura perfunctus Dictatoris Cęsaris pater: hic Pisis exanimatus, ille Romæ. Plin. lib. 7. c. 53.

Phlebotomiæ.

GRIMOALDVS rex Longobardorum an. 672. migrauit è uita, uena, nono post sanguinis missionem die, dum arcus tendendi causa conniteretur, aperta. Sigonius lib. 2. regni Ital. ex Paulo Diacono.

THORISMVNDVS Visigothorum rex, Tolosæ, dum aperta uena morbi gratia sanguinem exhaurit, ab Asculo cliente (Astaldum Cranzius uocat, à Theoderico & Eurico fratrib. submissum, lib. 3. Sueciæ, cap. 6.) inimicos adesse nunciante, subtractis armis, ipse confoditur: sed ne moreretur inultus, altera manu, quę libera erat, rapto scabello insidiatores nõnullos interfecit. Bonfinius. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

PHILIPPVS Imp. bellis confectis ciuilibus, Babenbergę animum relaxans cum familiarib. sanitatis ergò uenã aperuit. Interea Ottho Palatinus de Vuitilspach, ueluti amicus Cęsaris, cubiculum ingreditur, nemine id prohibente: & uibrato gladio, caput regis lethali ictu ferit. Rex uerba dũ facere incipit, moribundus labitur. Cuspinianus.

Deambulationi.

OEONVS Herculis consobrinus, cum Hercule Spartam ueniens, cùm fortè ad Hippocoontis ædes accessisset, in eum canis domus custos inuasit. At ille lapide canem percutiens, ab Hippocoontis filiis fustibus conficitur. Pausanias in Laconicis.

Fugæ.

PAVSANIAS stipator occiso Philippo Macedonũ rege euasisset, nisi uite hærente ad calceum equo deiectus, à stipatoribus regis fuisset confectus. Diod. lib. 16.

Opilius MACRINVS præfectus prætorio, Antoninũ Caracallam Imp. suũ per Martialẽ centurionẽ in Mesopotamia clàm interfici curauit, & ipse postea factiõe suorũ Imp. creatus est. Dum autem ad Parthos proficisceretur, ut sordes ac infamiam uictoriæ magitudine aboleret, habito conflictu cõtra Parthos, defectu legionum, quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, cognito, omnẽ imperatorium habitũ atq; ornatum abiecit: detonsaq; barba, ueste simplici accepta, conuelato capite, diem noctemq; fugit. Inuentus autem Chalcedone, Bithyniæ urbe, grauissimè ægrotans, ac perpetuo itinere attritus, latitans in suburbano quodam, ibi occisus est. Cuspinianus ex Herodiano.

Peregrinationi.

DAVID Brusius Scotorũ rex regno recepto & pacato, ad Hierosolymitanam peregrinationẽ se accingẽs, obiit anno ætatis 47. Christi 1370. H. Boethius lib. 15.

ERICVS II. Danorũ rex Hierosolymã petẽs in Cypro obiit, BOTILDAM quoq; ei⁹ uxorẽ idẽ casus abstulit. Saxo li. 12.

Ptolemaide diem suum obiit MARGARITA soror Philippi Augusti Franci Regis: quæ mortuo marito Vngarorũ Rege Bela, religionis causa Orientem petierat. Aemil. lib. 6.

Somno. Dormientes mortui.

ISBOSETHVS rex Israelitarum Saulis F. à Banaa & Rechabo Remmonis Berothitis Ff. in lecto suo confossus. 2. Reg. 4.

SISARA Baracum Israelitarum ducem fugiens, à Iaele Hebris Cenæi uxore insomnis clauo per tempora adacto necatus. Iudicum 4.

DIOGENES Cynicus sopore correptus, cũ excessurus iam uita esset, excitãte eum medico percunctanteq;, Ecquã molestiam sentiret? Nullam inquit: nam frater sororem anticipat, somnus mortem. Plut. in orat. Consolatoria.

PINDARVS lyricus, cùm in gymnasio super gremium pueri, quo unicè delectabatur, capite posito, quieti se dedisset, nõ prius decessisse cognitus est, quã à gymnasiarcha, claudere eum iam locum uolente, nequicquam excitaretur. Val. Max. lib. 9. cap. 12.

MILES dormiens ab Iphicrate & Epaminonda cæsus: qualẽ inuenissent, talem reliquisse se dicentibus, ut reliquorum uigilantiam excitarent. Frontinus lib. 3. c. 12.

PORREX Gorbodionis Britannorum regis F. ob Ferrecẽ fratrem, cum quo de regno contendebat, interfectum, à matre dormiens interfectus. Polyd. lib. 1.

ATILA Hunnorum rex quamuis multas haberet uxores, aliã superduxit, Hildiconẽ regis Bactrianorum F. Cum qua dum dormit prima nocte, effuso de naribus sanguine suffocatus est. Blondus.

LAMBERTVM Italiæ regẽ, Meginfredi Comitis Mediolanensis, quòd Berengarij partibus faueret, interfecti, Filius, qui ei à secretis erat, sub arbore dormientem in sylua fuste capiti impacto occidit, quasi aptum insequẽs ex equo præcipitatus ceruicem fregisset. Cuspinianus.

SVGERIVS Sigismundi Burgundorum regis F. dum matrem defunctã nimis laudaret corã nouercà, generosioreq; eam fuisse contenderet, quàm cuius mundo ornamentisq; illam excoli conueniret: adeò stimulos nouercales acuit, ut ea illum appetiti regni insimulante, pater uxori deditus, ad quiescentem filium duos suorum intromiserit, qui laqueo ceruici iniecto spiritum intercluderent. Aemilius lib. 1.

NICOLAVS & BARTHOLOMÆVS Trincij, Fulginatium domini, à pfecto Nucerinæ arcis (qui animaduerterat Nicolaũ uxori suæ uim intulisse) uenationis labore defessi, in lecto dormientes interfecti fuere. Fulg. lib. 6. c. 1.

ALEXANDER Medices Florẽtię dux insidiis Laurẽtij cõsanguinei & amici intimi, in lecto interfect⁹. Sab. sup. l. 22. ex Iou.

HABRAIMVS Bassarũ princeps, sub Solymãno Turcorũ Imp. de pditione suspectus, nocte in cubiculo per eunuchũ carnificis munus obire solitũ, in puluino dormitãs cultro adũco, qd de manu Imp. tradiderat, iugulatus est. Ferũt Habraimũ quũ summa Solymãni gratia potiretur, familiari sermone aliquãdo postulasse, ne se tãtis honorib. onerare cõtenderet, ne demũ amplitudine odiosa supra ęquũ florentẽ, è praedu tanquã è fastigio summę fortunæ præcipitẽ dare, atq; occidere necesse haberet: fidem uerò in ea uerba ita principem dedisse, ut nunquã ei uiuo uitam erepturum polliceretur, sicq; ea inanis iuramenti religione obstrictũ, ne datã falleret fidem, nõ aliter quàm altè stertenti necem intulisse: quoniã Talismanes sacerdos, diuini interpres iuris, dormientẽ nequaquam censeri inter uiuos, cùm una uigilia totius uitę actus constaret, asseuerasset. Iouius lib. 33. Hist.

Captiuitati.

☞ *Heic Passionẽ consideramus. Sub Tit. in Carcere mortui, lecti ipsum. Consule Tit. Veneno mortui, quatenus in carceribus uenenum bibere coguntur.*

IOACHAZVS Iosiæ F. Iudæorũ rex, tertio regni mense à Pharaone Necho Aegyptiorũ rege captus, & in Aegyptum abductus, ibi mortuus est. 4. Reg. 23.

IOANNES Baptista, cùm dixisset Herodi, Non licere ei secum habere fratris uxorem, coniectus est in carcerem, & in eodẽ decollatus. Matth. 14. Mar. 6.

MILTIADES Laciades accusatus proditionis, capitis absolutus, pecunia tamẽ multatus fuit. Cùm lis ei æstimata quinquaginta talentis esset, nec soluẽdo esset, in uincula ductus, diem suum obiit in carcere. Plut. in Cimone.

NICIAS Atheniẽsis, & DEMOSTHENES, duces fortissimi, cùm infeliciter aduersus Syracusanos pugnassent, capti, in carcerę sibiipsis mortem consciuerunt. Plut.

SOCRATES Atheniẽsis philosoph⁹, ꝓpter deorũ cõtemtũ in carcerẽ ab Atheniẽsib. cõiectus, cicutãq; bibere coactus est.

THERAMENES Atheniẽsis philosophus, iussu XXX. tyrannorum, in carcere ueneno extinctus est. Quod cùm bibisset, Propino hoc, inquit, pulcro Critiæ, uni ex XXX. qui causa potiss. eius mortis fuerat. Cicero in Tusc.

VXOR Hircani III. ab Aristobulo rege Iudæorum, filio suo, in carcere fame necatã. Iosephus lib. 13. c. 19. Antiq.

DEMETRIVS Eucær⁹, Antiochi Gryphi F. Syrię rex, à Parthorum rege Mithridate captus, in uinculis morbo periit. Iosephus lib. 13. cap. 22.

ARISTOBVLVS & ALEXANDER, Herodis primi Iudæorum regis filij, à parẽte propter falsam suspicionẽ in carcere interfecti. ANTIPATER, cuius delationib. fratres necati fuerant, non multo pòst ob certas insidias in carcere à satellite occisus est. Iosephus lib. 16. & 17. Antiq.

AGIS rex Spartanorum ob popularẽ factionẽ & Lycurgi legũ conseruationẽ, à Leonida rege, proditione Ampharis Ephori, & Democharis, cum matre & uxore in carcerib. strangulatus. Plut. in Agide.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus septuagenarius prętor Achæorũ, cùm Dinocrates Messenius Messenen ab Achæis alienare diceretur, quamuis febre cõfectus, equites in eũ duxit. Vbi dum incautus in medios sese hostes effundit, equo prolapso humi afflict⁹ & semianimis, à Dinocrate captus, in carcere sumto ueneno periit. Plut. in eius uita.

EVMENES Cappadocię atq; Paphlagonię rex, suorũ fraude uenit in Antigoni potestatẽ: cui⁹ iussu carceri traditus, inter cathenas & tenebras mori coactus est miserrimè. Plut. in Eu.

ARISTONICVS ex Eumene & pellice natus, à Perpenna cõsule captus, in triumphum ductus, & postmodum in carcere necatus est. Liuius lib. 59.

APPIVS Claudius Xuir cùm Virginiam plebeiã uirginem ad stuprum rapi curasset, Virginius autem pater, ut scelus hoc auerteret, filiam lanij cultro confodisset, Roman[illegible] dens Appio diem dixit. Qui flagitij conuictus & in carcerem coniectus, prius quàm dies iudicij adesset, in carcere seipsum necauit. Sab. lib. 4. En. 3.

Q. CÆPIO, prętorę splẽdore, triũphi claritate, cõsulatus decoramẽto, maximeq; sacerdotio quondam cõspicuus, in publicis uinculis spiritũ exhalauit. Cuius corpus funesti carnificis manib. laceratum, & dehinc in scalis Gemoniis magno cum horrore totius fori Romani conspectũ est. Val. Max.

ARI-

ARISTONICVS ab Aquilio consule in triumphum ductus, in carcere necatus est.

IVGVRTHA Manastabilis filius nothus, Micipsæ regis Numidarum nepos, propter Adherbalem & Hiempsalem fratres regni consortes occisos, à Mario bello petitus, uictus, & in triumphũ ductus, de gradu, ut perhibent, deiectus est. Post triumphum in carcerem condito alij tunicam uiolenter dilacerauerunt, alij ui demere auream inaurem accelerantes, unà infimam auriculam auulsere. Vbi detrusus nudus & deiectus in infimum carcerem est, attonitus & cauillans: Papę, inquit, quàm est frigidum uestrum hoc balneum. At hic cũ fame sex dies luctatus, atq; ad extremum usq; uitæ cupiditate hiãs, dignũ sceleribus suis exitum inuenit. Plut. in Mario.

SYPHAX rex Numidarum, quum à Romanis ad Carthaginenses defecisset, uictus à Scipione, & in triumphũ ductus, Tyburi in custodia mortuus est.

P. COR. Lentulus prætor urbis, comprehensus in cõiuratione Catilinę, iussu Ciceronis iugulatus est in carcere. Sallustius.

PVBLIVS, Vitellij Imp. patruus, Germanici comes, post præturæ honorem inter Seiani conscios arreptus, & in custodiã fratri datus, scalpro librario uenas sibi incidit: nec tã mortis pœnitentia, quàm suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit. Suetonius.

Anno Christi 589. Mauricij quinto, HORMISDA Persarũ rex cùm ducem Baram occidere uellet, quòd contra Romanos infeliciter dimicasset, ab ipso captus, & in carcerem coniectus, à Cosroë filio in carcere fustibus necatus fuit. Zonaras tomo 3.

AGATHA uirgo Catanensis, sub Quintiano consule in carcere extincta est. ROMANVS martyr, sub Asclepiade præfecto in carcere præfocatus est.

Aistulphus Longobardorum rex ueritus, ne quid mali in se Stephanus II. Pontifex ad Pipinum profectus moliretur, CAROLOMANNVM monachum ad fratrem Pipinũ misit, qui eum adhortaretur, ne Stephani gratia bellum Longobardis inferret. Pipinus eum in Viennense monasterium relegauit, ubi dolore animi & cruciatu mortuus est. Platina.

ALDEGISIVS Desiderij Longobardorum regis filius, à Carolo Magno uictus, & in carcerem cõiectus, ibi clausit uitã.

Ordonius Gothorum rex in Hispania quatuor Castellæ COMITES per interpositam fidem circumuentos in carcere necari iussit, ob camq; rem Castellæ prouincia defecit ab eius fide. Ritius Neap. lib. 2. Regum Hispaniæ.

GARSIAS rex Galliciæ à Sancio rege Castellæ & Nauarræ quãmuis fratre regno exutus & captus, neq; ab Aldefonso fratre, qui Sancio successit, liberatus fuerat. Aldefonsus quia filium non habebat, proposuerat eum constituere successorem. Itaque cùm esset infirmus, & sanguinem minuisset, præcepit Rex, ut solueretur. At ille, Quãdo, inquit, Deus noluit, ut in uita soluerer, solutionẽ renuo moriturus, quinimo & mando sororibus meis, ut me cum compedibus sepeliant Legione. an. 1117. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hispaniæ, cap. 30.

CAROLVS Simplex Francorum rex, Peronam ueniens, ab Heberto Vitomanduorum regulo, cuius gratia diuerterat, in custodiam coniectus est: ubi quoq; è uita migrauit, duobus lustris euolutis. Ritius Neapolitanus libro 1. Regum Francorum.

HENRICVS IIII. Imp. ab Hẽrico V. filio capt⁹, & Leodij custoditus, pedore carceris miseram exhalauit animam. Egnatius lib. 9. cap. 11. & Aemilius lib. 5. & Cuspinianus.

IOANNES Pontifex, à Theoderico Gothorum rege Rauennę diu multumq; in carcere excruciatus, fame in eodem defecit. Sigebertus in Chron. & Cranzius lib. 2. cap. 2. Metrop. & Volat. lib. 22. Anthrop.

COELESTINVS V. ex eremita Pontifex creatus, magis solitudini quàm rebus agendis natus, persuasus à Benedicto Caietano, qui sub Bonifacij VIII. nomine eius successor fuit, sese Pontificatu abdicauit mense sexto. A quo postea creato Pontifice captus, in custodia interiit. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES XV. post adeptum pontificatum mense tertio à Romanis captus, in mole Hadriani, in publica custodia inclusus, pedore carceris, inedia & molestia animi maceratus, uitam turpiter finiuit. Sunt qui scribant eum ui necatũ fuisse à Ferrucio Bonifacij VII. patre, quòd filio in pontificatu aduersatus fuisset. Platina.

MARCELLVS I. Pontifex à Maxentio Imp. ob christianam professionem in cacabulum ad custodienda animalia publica inclusus, pedore & situ mortuus est. Platina.

SICVLORVM IIII. millia ab Isaacio Angelo Imp. Græcorum, bello à Gulielmo Siciliæ rege illato, capta, miserè fame confecta. Nicetas lib. 1.

NAPVS Turrianus Mediolanẽsis tyrãnus in clathris ferreis circũductus à Simone Muralto, quem illi eodẽ modo septem annis concluserat, tandem in eo carcere periit, fœdã illuuie & enatis subinde pediculis consumtus. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

PETRVS de Corbario Reatinę diœceseos, ordinis Minorum, pseudopontifex à Ludouico Bauaro creatus, & à Bonifacio comite Pisano Romę captus, Auinionemq; ductus ad Ioannem Pontificem eius nominis XXII. in carcere pedore extinctus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

[redacted]

Pisani à Ioanne XXII. pontifice interdicti sacris, libertati eiectis Cæsarianis restituti, expiari promeruerunt, quòd à Cæsare Ludouico Bauaro ab eo damnato defecissent: traditusque est ab eis consensu publico NICOLAVS V. pseudopontifex, quem discedens Cæsar Facio Donoratici regulo commendarat. Is demum pontificiis triremibus Auenionẽ deuectus infelix, & alieno potiùs quàm suo crimine miser, in tetra custodia periit. Iouius in uita Actij.

RICARDVS II. Anglorum rex ob tyrannidem desertus ab omnibus, in carcere necatus est inedia ab Henrico nepote. Polyd. lib. 21.

EDOARDVS II. Anglorum rex, cùm uxorem cæterosq; amicos ac primates Angliæ contumeliosè haberet, ab uxore filioq; Edoardo primã ingresso adolescentiam comprehensus, in carcerem coniectus est: prauorum eius consiliorum sociis, aut instigatoribus uerius, Hugone Spensero, Vualtero Tapilto Ecestriæ episcopo, & Ioanne Harundelo, è medio sublatis. Nec ita multo pòst à carceris custodibus interfectus est. Imposita enim primò mensa in uentrem quadrata, undique summa ui presserũt, si qua animam eius possent expellere. Voto frustrati, per fistulam in anum iniectam, ferro candente intestina perforarunt, ne mors illata, sed sponte obuenisse uideretur. H. Boëthius lib. 14.

BVRCARDVS archiepiscopus Magdeburgensis à XIV. laruatis in carcere claua occisus. Cranzius lib. 9. Vandalię c. 13.

LVDOVICVS Sfortia à Ludouico XII. Francorum rege captus, & in Gallias abductus, erepto omni scribendi & quæ cuperet legẽdi solatio, in cauea ferrata mortuus est. Iouius.

MASIVS Barresa, Ferdinãdi Neapolitanorum regis dux, cùm Ioannem Spathaforum hominem sibi ualdè infestum, qui salutandi regis gratia in arcem ibat obuium in uia obtruncasset: in carcerem cõiectus, aliquot post annos illuuie atq; pedore obsitus illic obiit. Pontanus lib. 2. belli Neapol.

Quum Boemi, regni gubernationem, quoad Ladislaus, Albertũ Imp. Vng. & Boem. regis posthumus F. adolesceret, suscipere ab Friderico III. Imp. iuberentur, in primis Ptarsconẽ & MAINARDVM crearunt. Inito magistratu, simulatam aliquandiu concordiam seruarunt: siquidem alter Romanę fidei propugnator, Hussitarum doctrinæ assertor alter erat, & uterq; factionum princeps: ne tamen ad arma peruenirentur, optimum excogitauere ambo temperamentum, ut pro suo quisq; iudicio uiueret. Haud multo pòst, Ptarsco graui morbo correptus, interiit. Cuius interitu Mainardi auctoritas usque adeò creuit, ut Pragenses, ac potiores Boemiæ ciuitates, huic ultrò parẽrent. Hoc aduersæ factionis homines per quàm molestè tulerunt: ad Georgium Pogiebraciũ confugere, quem sapientia & bellica disciplina, item ingenti gestarum rerum gloria præstantem esse nouerant. Georgius suscepta prouincia, incendio Pragæ de composito excitato urbem occupat. Capitur Mainardus, & in carcerem conijcitur. Multi carceris tædio, nonnulli ueneno absumtum interiisse ferunt. Georgium integram potestatem nactum, sic urbem & Boemiam illicò pacasse, & pacatam in otio diu tenuisse tradunt, ut nemo sit qui ex tanto faciore tantum quietis promanare potuisse crediderit. Bonfinius libro 4. Dec. 3. hist. Vngariæ.

FRANCISCVS Carrariensis cùm Vicentiam Venetis adimere conaretur, superatus & captus, Venetiis cum duobus filiis in carcere strangulatus est, anno 1406. Fulg. lib. 6. c. 11.

GVLIELMVS Montisferrati Marchio, Othonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis contra Turrianos dux, Beatrĩcis uxoris instinctu, quę Castellæ regis Alfonsi filia erat, Othonem per insidias principatu deiicere studens, liberalitate Othonis à diro proposito aliquamdiu suspensus, tandem domestico bello implicatus, cùm nefario scelere Derthonẽsem episcopum necasset, in manus Alexandrinorum ex insidiis captus deuenit: apud quos ferrata in cauea, atrocibus corporis atque animi tormẽtis excruciatus, interiit. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

ALFONSVS Petruccius, Pandulfi Petruccij tyranni Senensis F. Cardinalis, à Leone X. contra fidem datam captus, & falso crimine insidiarum atque ueneficij obiecto in carcerem teterrimum detrudendus: cùm præfecti carceris uicarium, suum olim famulum, oratione flebili ad misericordiam mouere non posset, ut in mitiorem carcerem mitteretur, ad uim

conuersus, dum cum uicario luctatur, pugione caput ictus periit, & sacco immissus, à baiulo noctu sepultus est. Garimbertus lib. 4. de uitis Pontificum.

PETRVS Nauarrus, qui Galliæ regis Francisci in oppugnando Cæsare Carolo V. auspicia sequutus fuerat, in carcerem coniectus est, ea Hicardi custodis indulgentia atq; humanitate, ut extrui sibi in foco uaporarium camini tubum, quo algens calefieret, impetrarit. Sed aliquanto pòst uel æger & senex (quum eum, sicuti alios, qui eo bello defecissent, Cæsar perscriptis ab Hispania literis capite plectendũ esse censuisset) exanimatus in culcitra repertus est. Nec defuêre, qui crederent eum superiniectæ multiplicis stragulæ uestis pondere pressum, ultrò necatum fuisse: quòd Hicardus existimatione fortissimi ducis permotus, eum, qui illam candem arcem aliquando cepisset, reuocata rerum fortiter gestarum memoria, extra Cæsaris inuidiam, carnificis manibus subtrahere uoluerit. Iouius lib. 26. Hist.

IACOBVS Piceninus dux à Francisco Sfortia socero ad Ferdinandum Neapolitanum regem missus, data fide, eum, quoties libuisset, incolumẽ rediturum: Neapoli captus à Ferdinando cũ filio, in carceremq; coniectus, non ita multo pòst uita priuatus fuit. Platina.

CAROLVS Carafa Cardinalis uariorum scelerum reus & cõuictus, nono carceris mẽse carnificis manu in mole Hadriani, sub Pio IV. Pp. strangulatus est. Panuinius.

Exilio.

IASON pontifex sceleratissimus à Menelao fratre pulsus, cùm cædem ciuium crudelissimam fecisset, Spartam fugit, & ibi in exilio ab omnibus contemtus obiit. 2. Machab. 5.

In Arcadia prope Mantineam Peliæ FILIARVM tumuli sunt. Has Mantineẽses narrant paternæ necis inuidiam fugiẽtes huc se recepisse. Medea enim, ubi primùm Iolcon uenit, Peliæ insidias machinata est, re quidem Iasoni ad regnũ uiam muniens, cùm in eum tamen uerbo hostili animo esse uideretur. Persuadet itaq; regiis puellis, earum parentem se medicamentis à summa senectute ad iuuentutẽ reuocaturam. Nam & uetulum arietem dedita opera iugulatum, cùm inter uenena coxisset, tenellum agnum dicitur è lebete eduxisse. Mox uerò cùm Pelian ipsum in frustra dissectum in feruẽtis aquæ lebetem immisisset, senis corpus filię ita resolutum recepere, ut ne reliquum quidem quidquam esset, quod sepulturæ traderent. Hic casus, ut in Arcadiam exilij causa abirent, puellas adegit. Ac fato quidem suo perfunctis sepulchra congesta terra ab Arcadibus extructa. Nomina uirginum, poetarum indicauit nemo. At Mycon pictor earum imaginibus Asteropean & Antinoem adscripsit. Pausanias in Arcadicis.

THESEVS Atheniensium rex, exul in Scyro apud Lycomedẽ, obiit ex præcipitio. Plut. in eius uita.

HELENA, cùm Spartã rediisset, cum Menelao, post aliquot annos Menelaus obiit. Eo mortuo, statim Helenam expulerunt Nicostratus & Megapẽthus ciues Spartani, quòd eius causa tot mala totoque clades fuissent subsequutæ. Igitur Rhodon exul profecta ad Polyzo reginam, à famulis die quadam in hortum egressa de arbore suspensa fuit ex zelotypia. Guido Bituricensis.

THEMISTOCLES, magnus ille Persarum terror, pulsus à suis, apud hostes Magnesiæ hausto taurino sanguine obiit. Plutarchus.

DEMOSTHENES orator, cùm Macedonũ regibus diu aduersatus esset, tandem pòst acceptam cladem Græcorum in Thessaliam à Macedonibus, in Calauream insulam, quę iuxta Trœzenem est, relegatus fuit. Reuocatus paulo pòst, iterum post Lamiacam cladem in exilium eòdem reuersus, ne Archiæ Thurij opera in manus Antipatri ueniret, ueneno seipsum necauit. Pausanias in Atticis.

P. NIGIDIVS Figulus, quem Lucanus astrologiæ peritũ fuisse scribit, mortuus est in exilio, teste Eusebio.

In Cæcilij Minutiani Apuleij fragmentis obseruatum, annis septem in exilio consumtis, functum esse fato OVIDIVM Calendis Ianuariis: qua die Titus quoque Liuius decesserit. Structum item illi à Barbaris per multas lacrymas tymbon ante ianuam. Cælius lib. 13. cap. 1. A. L.

D. IOANNES Chrysostomus, episcopus Constantinopolitanus, in exilio periit, apud Comanam Euxini Põti urbem, dolore capitis & febri extinctus.

Anno 964. BERENGARIVS Italiæ rex lõga obsidione pressus, sese in potestatẽ Othonis I. Imp. cum coniuge tradidit. Is hominibus perfidis & turbulentis non amplius fidem habens, ablegauit eos Bambergam, ubi in exilio expirarũt. Marianus Scotus.

Victoria.

TELLVS Atheniensis, uir felicissimus, cùm potentia esset maximus in patria, & filij præstantissimi atque optimi, tandem urgente bello Atheniensium contra Aristogitonas apud Eleusinam, posteaquam hostes superasset, ipse in bello occubuit. Herodotus libro primo.

Si EPAMINVNDÆ lõgius uitæ spacium fata prorogassent, sine dubio Thebani terrę marisq; imperium (ad quod capessendum illos paulo ante mortem accenderat) in suam potestatem asseruissent. Cùm uerò non multò pòst in Mantineensi pugna, splendidissimam patriæ uictoriam peperisset, strenueq; præliando mortem oppetiisset: statim Thebanarum rerum uniuersus status simul cum eius morte concidit & collapsus est. Diod. lib. 15.

ALARICVS Gothorum rex, Roma capta & spoliata, Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam, & Calabriam ita cum toto exercitu peragrauit, ut locum nullum intactum à uexatione ac direptione reliquerit, atq; in primis, quasi Romana uictoria efferatus, in ecclesias, sacerdotes, episcoposq; extorquendi auri gratia debacchatus, simul omnia humana diuinaq; iura polluerit. Direpta per multos menses Italia, Siciliam petere statuit. Ob id progressus Rhegium, exercitu in naues imposito, cursum eò intendit. Verùm aduersa tempestate reiectus, se retulit in Calabriam. Consentiam expugnatam diripuit. Ibi morans, de rerum gerendarum ratione consultans, repentino morbo opprimitur, atq; in summo blandientis fortunæ articulo paruo horæ momento extinguitur. Quo casu Gothi exanimati, primùm tãtum amissum regẽ miserè defleuerunt, deinde iusta more suo cadaueri quàm amplissima persoluerunt, ac demum sepulturæ occultandæ caussa, iustam Italorum, quos is læserat, iracundiam ueriti, opus insigne moliti sunt. quippe Busentum amnem oppidum ipsum præterfluentem magno militum labore aliò auerterunt, ac locum sepulcro in medio alueo suffoderunt, atque ibi cadauere cum multis opibus condito, deinde amnem suo ire flumine permiserunt. &, ne locum quis scrutari sepulturæ posset, captiuos, qui notasse illum oculis poterant, occiderunt. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

INDVLPHVS Scotorum rex, parta uictoria contra Helricum Danum & Hagonem Noruegum prope Bocnam, campos cum manipulis militaribus lustrãs, in Danorum cohortem in ualle latitantem, quæ sub pugnæ initium eò confugerat, casu incidit. Cum quibus pugna inita, spiculo caput confossus, hostib. ad unũ priùs interemtis, occubuit. H. Boeth. li. 11.

Hungaris ab Othone I. ad Vindelicorum Augustam magna strage cæsis, CONRADVS Sueuiæ dux, gener Othonis, æstu & labore fatigatus, dum loricam resoluit, auræ captandæ gratia, ictu sagittæ cecidit: non sine maximo Francorum planctu, Vuormaciam delatus & sepultus est. Cuspinianus.

CLODOMIRVS Aurelianensium dux, post obitum patris, cùm matris Crotildæ precibus in Gondebaldum arma sumpsisset: exercitu in Burgundiones ducto, in acie fortiter dimicans, suisq; uictoriam relinquens, occubuit. Ritius libro primo de Regibus Francorum.

Victis ad Roncum amnem prope Rauennam Pontificis Iulij II. & Cæsaris copiis, anno 1512 die Paschatis, GASTO Foisseius Gallorum dux, Ludouici XII. Gallorum regis ex sorore nepos, planè uictor, immodica delendi hostis cupiditate impulsus, in recipientes se per aggerem Hispanos pedites impetum fecit, ibiq; aliquot sua manu cædens, ac intemperanter persequens, ab noua manu hostium, quæ fugiens legioni se coniungere properabat, circumuentus atq; interfectus est. Miserabili certè casu, quum summæ indolis & fortunæ imperator à gregariis paucis & fugiẽtibus occideretur. Nemo enim, uel nomen profitenti, & se Hispaniæ Reginæ fratrem ad impetrandam uitam sæpe dicenti, parcendũ putauit, aut è suis maturam opem tulit. Iouius in Alfonso Atestino, & Guicciard. lib. 10.

FERDINANDVS Magellanes Lusitanus, regis Catholici auspiciis ex nouo orbe Meridiem uersus nauigans, fretum Antarcticum reperit, per illud ad Moluccas penetrauit. Sed dũ maiore animo quàm uiribus Mautanos insulanos oppugnat, in prælio occisus, fructum gloriæ amplissimæ Ioan. Sebastiano à Cano, qui ei suffectus est, decerpendum reliquit, anno sal. 1521. Petrus Cieza tomo 2. Rerum Ind. cap. 92.

PER SE, VT LITERARIÆ, MECHANICÆ, Oeconomicæ, Politicę, Ecclesiasticę, Academicæ functiones sunt. Immortui

Scriptioni.

SOLON cùm argumentosam de Atlantico sermone uel fabula inchoasset commentationem, quam ex doctis Sai acceperat, conuenientem Atheniensibus, elanguit, non propter occupationes, ut Plato uult, sed potiùs ex senio, operis magnitudine deterritus. Atqui PLATO argumentum Atlanticum ut amœni loci aream desertam, quæ proximitatis iure ad ipsum rediret, excolere & expolire gestiens: cinxit ingentibus uestibulis, septis & atriis, qualia scriptum nullum aliud nec fabula nec poëma habuit. Sed quia serò admouit ei manum, opus letho anteuertit. At quo magis, quæ scripta sunt, oblectant, eo grauiùs opere angunt non consummato. Vt enim urbs Atheniensis templum Iouis Olympij, ita argumentum Atlanticum inter scripta multa præclara solum reliquit Platonis sapientia imperfectum. Plut. in Solone.

Ang. POLITIANVS, Andronici discipulus, rem assumpserat perutilẽ, si per mortem licuisset, auctores uetustate aut negligẽtia collapsos innumeris locis emendare ac restituere. Volaterranus lib. 21. Anthrop.

GEORGIVS Merula, patria Alexandrinus, apud Vicecomites Mediolani agens, eorum historiam, quam sumserat scribendam, morte præuentus non absoluit. Ibidem.

Disputationi.

Gregorius X. Pontifex Lugdunum conuentum uniuersi nominis Christiani indixit: & quia instaret certamen cum Grecis, doctissima sapientissimaque gente, cùm de multis aliis, tum de almi Spiritus processione: THOMAM Aquinatem, qui Neapoli docebat, ut de Græcorum Latinorumque contentione aliquid monumenti ederet, & Lugdunũ ueniret, hortatus est. In itinere sanctus uir & doctor obiit, anno Christi 1284. Aemil. lib. 7.

Medicationi.

CIVLIVS medicus, dum inungit specillum per oculum trahens. Plin. lib. 7. cap. 53. Quidam ad conspicilia referunt; quæ inserta naribus uisum mirè adiuuant. Sed Varro facilè hos retundit, apud quem ita legimus: Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum. Cælius lib. 15. cap. 13. A. L.

Venationi.

Consule Tit. Venatorum. item, Ab imprudentibus interfectorum.

SARON Trœzeniorum rex, qui Althepo Neptuni F. successit, in uenatione ceruum persecutus in Phœbeam usq; paludẽ, & prædæ cupiditate natando in pelagus usq; prouectus, ibi & labore cõfectus, & maris æstu submersus periit. Cadauer in Dianæ luco ad paludem conditũ, & palus ipsa pro Phœbæa Saronis appellari cœpit. Pausanias in Corinth.

ATYS Crœsi Lydorum regis filius, ab Adrasto Gordij F. Phrygẽ per imprudentiam in uenatione occisus fuit. Cùm enim Adrastus aprum Olympium iaculo configere uellet, Atys ictum excepit. Herod. lib. 1

SMERDES, frater regis Persarum Cambysis, eius iussu à Prexaspe in uenatione Susis occisus est. Herod. lib. 3.

ARCHELAVS Macedoniæ rex in uenatione uulneratus, haud sponte à Cratero suo catamito, mortem obiit, cùm septem regnasset annos: cui successit in regno adhuc puer Orestes. Quo tutor eius Aeropus necato, regnũ sex annis obtinuit. Diod. lib. 14.

BASILIVS Macedo Græcorum Imp. cùm uenatum exisset, in ceruum incidit, inusitata magnitudine, elata in altum cornua gestantem, quem persequendo assequutus, cùm stricto gladio percussurus esset, bellua ramo uno cornuum zonæ Imp. infixo, illum sublimem tulit, quoad stipatoris accursu districta fuit zona: quem propter is strictum gladium securi percuti iussit. Cornu autẽ percussus, læsis intestinis, superuixit non diu. Zonaras.

CALOIOANNES Comnenus, Alexij Imperatoris filius, in uenatione sagitta uenenata, quæ in aprum directa erat, manu leuiter perstricta, periit. Volat. lib. 23. Anthrop.

IOANNES Imp. Constantinopolitanus an. 1142. prouinciam Antiochenam ab Raymũdo Principe accitus iniuit. Verùm ab episcopo Gabulensi, ut ab urbe Latinorum abstineret, admonitus, urbem ille quidem dimisit, sed prouinciam ferro flammaque ita uastauit, ut ne ipsis quidem eremitis peperceriṫ. Postero anno iaculo inter uenãdum percussus, uitam reliquit. Sigonius lib. 11. regni Ital

LAMBERTVS Italiæ rex, uenationi indulgens, dum aprum insectatur, qui multis anfractibus eius cursum ludificarat, fessus quieti se tradidit. Meginfredi Comitis Mediolanensis filius, qui licet regi à secretis esset, paternam necem alto animo reconditam habebat (cum enim Lambertus capitis dãnarat, quòd Berengarij partibus faueret) dormiẽti truncum ligni in caput inflixit, ac ceruicem fregit: quasi aprum insequens ex equo decidisset. Post eius mortem rex Bẽrẽgarius pristinæ dignitati restitutus est. Cuspinianus.

CAROLOMANNVS Galliæ rex uenatum profectus, dum ab apro occupatur, à stipatore Bartholdo opem ferre conãte, uenabuloque feram incautiùs petente, sauciatus, paucis pòst diebus interiit. Verùm ne stipator occideretur, ab apro se percussum simulauit. Auentinus lib. 4. Annaliũ Boiorum.

CHILDERICVS II. Clodouei F. anno regni Francorum 12. à Bodillo aulico satellite, quem ad stipitem ligatum flagellari præceperat, in uenatione unà cum uxore prægnante pugione est confossus: Sigebertus.

CHILPERICVS Gallorum rex, in uenatione à Landrico uxoris Fredegundæ adultero, in saltu quodam obtruncatus est. Michael Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

FHAFILLA Legionis & Asturum rex, Pelagij regis filius, uenationis studiosissimus, semper in montibus syluisquè latitans, demùm ab urso laniatus est. Ritius Neapolitanus lib. 2. Reguni Hispanię. Tarapha, Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hispan. an. 770.

LVDOVICVS Bauarus Imp. in uenatione tactus apoplexia, Monaci sepultus est, an. Christi 1547. Hedio in Chr. Germ.

GODEFRIDVS Danorum rex, tempore Caroli Magni, dum halyaetis anates uenatur, & aquilam à prędà auellit, à filio, cuius matrẽ, pellice superinducta, repudiarat, anno Christi 809. interficitur. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex, uenatum profectus in eos saltus, quos uulgò Nouam forestam uocãt, à quodam Franco milite, Gualtero Tyrello, dum ille parum cautè in ceruũ, seu nimis accuratè in regem iacularetur, sagitta transfixus est, atq; uno gemitu sine uoce edito, animam efflans ex equo in terram cecidit. Gualtherus, nemine persequente, fuga euasit. Polydorus lib. 10. Anglicæ historiæ.

FVLCO rex Hierosolymorum, cùm leporem insequeretur ex improuiso apparentem, equus, cui insidebat, super eum se præcipitem dedit, ipsumq; uita & regno priuauit. Robertus Abbas in Chronicis.

MARIA, Caroli Burgundiæ ducis filia, Maximiliano à patre Friderico III. Imperatore in matrimonium data, postquam Philippum, Franciscum & Margaritam liberos peperisset, in uenatione ex equo cadens, non multo pòst abortiuit, & in ipso flore iuuentæ obiit. Lazius lib. 3. Rerum Viennensium.

EDOVARDVS II. Anglorum rex, Alfredæ nouercæ insidiis à seruo in uenatione interfectus. Polyd. lib. 6.

ATTILVS II. Suecorum rex, à Frouini, quem ipse duello occiderat, filiis in uenatione interemtus fuit. Ioan. Magnus libro 2. capite 30.

Actioni forensi.

BEBIVS, iudex, dum uadimonium differri iubet, obiit. Plin. lib. 7. capite 53.

LEGATVS, qui Rhodiorum causam in Senatu Rom. magna cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus expirauit, progredi uolens. Plin. lib. 7. cap. 53.

M. TERENTIVS Corax, dum tabellas in foro scribit, repentè obiit. Plin. lib. 7. cap. 53.

Plogus quidam, claro inter Iutos loco natus, ad ERICVM III. Danorum regem Rypam ueniens, militiæ titulo stipendium postulans accepit. Fortè Ericus inter populares litem componere rogatus, publica id concione exequi statuebat. In qua quum Plogus cuidam ex plebe de se querẽti satisfacere iuberetur, dicendi simulatione facta cum lancea progressus, regem inermem lancea transuerberauit. Et ne timidius dicere, quàm facere uideretur, regem à se prostratum uocifeians; cæteros ad militum cædem hortatus est. Aulicis passim metu dilabentibus, solus Ericus Haquini filius, diu exanimie regis corpus gladio protexit, dignus qui eidem in regno successerit. Saxo lib. 14.

Magistratus, Dignitatis petitioni.

Q. FABIVS Maximus in cõsulatu suo pridie Calendas Ianuarij subitò periit: in cuius locum M. ORELLIVS paucissimarum horarum consulatum petiit: item VOLCATIVS Gurges senator: omnes adeò sani, ut de progrediendo cogitarent. Plinius libro 7. cap. 53.

ALEXANDER dux Lituaniæ pollicitus erat Sigismundo Romanorum regi, si se regem declararet, centum expeditorum militum millia per annum integrum suis impensis in Boemos militatura. Rex misit archiepiscopum Saleburgensem, & Guntherum Magdeburgensem, coronationem solenni ritu peracturos. Quum essent in itinere archiepiscopi, cognouerunt, Alexandrum iam emigrasse. Cranzius lib. 11. Vandaliæ, capite 22.

Sigismundus Imp. cùm totius imperij uiribus instructus non semel contra Io. Zischam Hussitarum ducem infeliciter pugnasset, imparem se hostibus cognoscens, subire tandẽ, iuxta suum prouerbium, perticam, quam transilire nõ poterat, statuit, ut leui damno honestatis detractę, ingentem utilitatẽ patrię rependeret. Significat igitur occultè ZISCONI, sibi in animo esse, posteaquam mille quotidie imperij & regni Hungariæ curis distineretur, eum pro se uicarium atq; administrum in regno Boemiæ præficere, dummodo ad obsequium regium cæteros ordines cum ciuitatibus hactenus contumacibus redigeret. Assensit ille tam lauto bolo. Sed mox ulcere pestilenti extinctus est. Dubrauius lib. 26.

Legationi.

Ex Titulo, Legatorum, quædam.

Athenienses legatum miserunt ad Antipatrum DEMADEM oratorem, quòd is in Macedonico negotio dextrè uersari uidebatur, postulantes ab Antipatro, ut, quemadmodũ ab initio promiserat, educeret præsidium ex Munychia. Antipater primò animo erat erga Demadem beneuolo: sed postea mortuo Perdicca, & inuentis quibusdam regiis epistolis in-

ter scripta regis, in quibus hortabatur Perdiccā Demades, ut celeriter transiret in Europam aduersus Antipatrum, abalienatus est ab eo, occultasq; fouebat inimicitias. Itaque Demade secundùm data à populo mandata promissum exigente, & liberiùs minato de præsidio, Antipater nullo dato responso, tradidit suppliciorum præfectis tum ipsum Demadem, tum ipsius filium Demeam, qui cum patre legatione fungebatur. Diod. lib. 18.

Cùm oppressa à Iulio Cæsare ciuitate Ser. SVLPITIVS Athenas se contulisset, tandemq; ab illo restitutus, Græciæque præfectus fuisset, Romam reuersus est, legatusque à Senatu ad M. Antonium Triumuirum, qui Mutinæ D. Brutum obsidebat, missus, ut cum à perditis cōsilijs ad sanitatē pacemque reuocaret. Qua in legatione interiit, & statuā equestrē meruit, ut ex eius legatione apud Ciceronem intelligitur, quæ Philippica IX. legitur. Hotoman. in descript. iurisconsult.

AGAPETVS Pontifex Rom. Theodato regi suo Iustinianum Imp. ob necem Amalasuentæ iratum conciliauit, sed in legatione obiit. Procopius.

DONATVS Acciaiolus, literis Grȩcis & Latinis eruditus, missus à Florētinis legatus ad Ludouicum XI. Gallorū regem pro fœdere contra Xystum IIII. Pontificem ineundo, cùm nondum ex Italia profectus decessisset, uirtutis ergô est publico sumtu à ciuitate elatus: eius liberi publici muneris ac rerum omnium uacatione & immunitate donati: tum ad filiarum collocationem pecunia à magistratibus decreta. In huius locum Guidantonius Vesputius suffectus est. Brutus lib. 7. hist. Flor.

IOANNES Cumein Angusianus ad Ludouicum Galliarum regem ab Alexandro II. Scotorum rege missus, priusquam legatione functus esset, mortē in itinere obiit. H. Boeth. l. 13.

Belli consilio, meditationi, apparatui.

Subegerat totum Orientem Magnus ALEXANDER, & iam de Aphrica cogitabat, postea de Europa: sed festinata mors tantas spes abrupit, illustri documento, iuxtà summa & ima æquis à morte spaciis distare. Sab. lib. 10. cap. 13.

PHILIPPVS Macedoniæ rex, magno prælio apud Scotusam à T. Quintio Flaminio superatus, metu trepidās, omnia sua populo Romano permisit, ac moderata multa defunctus acquieuit. Pòst anxius, & regnum obtinere beneficio populi Romani, ratus captiui potius esse, qui uiuere contentus sit in luxu, quàm uiri celso & alto animo prȩditi: cœpit bellum animo uoluere, seque clàm & astutè parare. Nam urbes uiæ propinquas & marinas debilitari permittens, & aliquatenus desolari, quo despectui esset: magnas uires in medio regno coëgit mediterraneas. Præsidia & urbes magna ui armorum, pecuniæ & iuuenum complens, instruebat bellum, comprimebatque uelut in tenebris abditum. Armorū enim, quantum triginta millibus militum sufficeret, congesserat in armaria: frumenti intra muros clausi decies octingenta millia medimnorum: stipendium in decem annos decē millium mercenariorum militum ad tutelam regni præparatū. Cæterùm ille antè, quàm hæc moueret, & in opus educeret, tristitia & mœrore animi est extinctus, quòd alterum filium Demetrium ex calumniis immerentem interfecisset. Superstes filius eius Perseus hæreditarium cum regno in Romanos suscepit odium, tantæ moli ob ignauiam & improbos mores impar. Plut. in Aemilio.

CONSTANTINVS Imp. contra Iulianum in Thraciam mouens, autumno iam senescente Tarsum uenit: ubi leui febre tentatus, ratusque itineris motu eam excuti posse, per uias difficiles Mopsuestiam prodiit, egrediq; postridie conatus, morbo ingrauescente detentus, paulatimque nimio calore uenas urente, extinctus est, successore ipso sibi Iuliano relicto, anno ætatis XLV. Imperij XXXVIII. ex quibus tredecim unà cum patre, uigintiquinque post patris excessum regnauit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

CONSTANTIVS Cæsar ad Scotos subigendos intentus, graui correptus febre, septimo die quàm ægrotare cœperat, est extinctus. H. Boëthius lib. 6.

MAIORIANVS Imp. Rauennas, mortuo Auito, dux impiger, primus Vandalorum Gensericiq; mores ac mentem exquisiuit, & an Aphri bene an malè erga Romanos affecti essent, propriis inuestigauit oculis. Rebus diligenter exploratis, in Liguriam ad suos reuersus, magna confidentia exercitum eduxit: qui ob eius uirtutem totius Aphricæ potiundæ spem conceperat. Sed morbi inopinati ui conatus tantus intercidit. Cuspinianus.

GERMANVS, Iustiniani Magni ex sorore nepos, qui Africā, Stoza tyranno res nouas moliente, seruarat, Italiam quoq; aduersus Gothos uindicare studebat. Nam Matasuentam, Amalasuentȩ filiam, & Theoderici regis neptem, Vitige Gothorum rege marito priore mortuo, sibi matrimonio copulauerat. &, cùm secum eam duceret, Gothos aduersus eam arma laturos non putabat. Itaque & publica, & priuata pecunia magnis conscriptis copiis, ingentes uires in bellum attulit. nam præstantissimi bello uiri, cæteris ducibus fastiditis, eum sequuti fuerāt, Germaniq; ipsius filij, belli miro studio incitati, & barbari multi aut pecunia aut amicitia nomina dederant. Cȩterùm, dum in Illyrico exercitum contrahit, morbo tētatus interiit. Narses eunuchus ei successor datus. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

CONRADVS III. Germanorum rex è sacra peregrinatione reuersus, coronæ accipiendæ, Apuliæ recuperandæ, & Lombardiæ non tam componendæ, quàm comprimendæ studio inflammatus, iurauit, se propediem cum exercitu in Italiā traiecturum. Verùm anno 1152. repētino morbo oppressus, non sine ueneni suspicione à medicis inductu Rogerij Siciliæ regis & Apuliæ ducis dati, uita cessit, cùm insignia regalia Friderico fratris filio tradidisset, eidemq; filium suū paruulum commendasset: atq; in Bambergensi basilica sepulturæ mādatus est. Sigonius lib. 11. regni Ital. & Cranzius lib. 6. Saxon. cap. 14.

VRBANVS III. Pont. principes Christianos dissidentes uidens, de pace reformanda egit, ut expeditio in Asiam procederet. Saladino ubiq; triumphante, iterum capta Hierosolyma. In Francia obiit, anno primo necdum expleto. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 1.

GREGORIVS IIX. Pp. ut expeditio acceleraretur, Pisas proficiscitur, Genuenses & Pisanos grauissimè dissidentes recōciliaturus, ut uno animo nauigarent in Sarracenos. Dū hæc molitur, nondum expletis duobus in pontificatu mēsibus, moritur. Clemens III. uix tandem principes permouit, Fridericum Imp. Philippum Franciȩ, Richardum Angliȩ reges, Odonem ducem Burgundiæ. Idem.

INNOCENTIVS VI. quum classem pararet in hostes Christiani nominis, anno pontificatus sui nono obiit, apud Carthusienses, quos prope Auinionem instituerat, sepultus. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 1.

CALLISTVS III. bello contra Turcas suscepto, & CXV. millibus aureorum in eam expeditionem corrasis, anno ætatis 80. obiit. Platina.

PIVS II. qui Callisto successit, Anconam iam uenerat, & Christophorum Maurum ducem Venetum cum triremibus aduentantem expectabat, contra Turcos iturus, cùm lenta febre confectus naturæ concessit. Idem.

PIVS III. obiit decimosexto sui pontificatus die, Gallum Italia excludere tentans. Platina.

CHRISTOPHORVS III. Daniæ & Sueciæ rex, per diuturnam pacem magno thesauro collecto, meditari ferebatur bellum in litora Germaniæ, & præsertim in ciuitatem Lubecensem: quam nō æquis oculis aspicere solitus credebatur, quòd olim Danici iuris, nunc in eam uidebatur arrogantiā erecta, ut bellum Danis auderet intentare. Sed anno nono regni sui, in arce Helsinburg, aduersa ualetudine sublatus est, anno 1448. Cranzius lib. 8. Daniæ, cap. 25.

VALDEMARVS Danorum rex contra Sclauos Pomeranos expeditionem moliens, febre correptus, eadem malè à monacho medico tractata periit. Saxo. lib. 15.

HENRICVS V. Anglorum rex, anno regni nono, Christi 1421. ætatis 36. in medio conatu Carolum Delphinum opprimendi, & regnum Franciæ in perpetuum Anglis subiiciendi, periit, non sine ueneni suspicione. Polyd. lib. 22.

HENRICVS II. Gallorum rex, posteaquam inito cum Philippo Hispaniarum rege fœdere, Geneuæ in primis excindendæ curam suscepisset, Lutetiæ in hastiludio lancea capiti ictus periit. Nec multo pòst FRANCISCVS II. eius F. dum Hugonottos ferro & igni persequi cogitat, capitis apostemate interiit.

Expeditioni bellicæ.

Quum tristis rumor de capta Hierosolyma & declinatione rerum Asiaticarum, Germaniam & omnes Christianas prouincias repleuisset, FRIDERICVS I. an. 1189. conuocans Moguntiam Imperij cœtum, se crucis charactere insigniuit, & cum eo Fridericus filius eius, dux Sueuiæ, multi archiepiscopi, plures episcopi, dux Boemiæ, dux Austriæ, & sine numero nobiles & magnates: ita ut computarentur in exercitu Imperatoris sexcenta millia pugnatorum. In Armeniam ueniens, dum meridianum æstum in flumine abluit, uel uorticibus abreptus, uel frigore obrigescens periit. Cranzius libro 7. Saxoniæ cap. 1.

MAGNVS, Danorum & Noruegiorum rex, Suenonem regni æmulum sȩpe uictum in Suetiam subsequēs, cùm oppidum Alexthathiā præteriret, succumbente per occursum leporis equo, præacuto stipiti incidens extinctus fuit. Corpus eius in Noruagiam relatum, Throndemi in regiorū monumentorum area sepultum. Saxo. lib. 10.

VENCESLAVS V. Boëmorum rex dum in Poloniam cum exercitu pergit, in Morauia diuertit Olomutiū in domum suburbanam, quȩ Decani uocabatur, ad captandam auram frigidiorem: erat enim dies æstatis calidissima. Ibi exutis usque ad tunicam lineam uestibus omnibus, dum extra cubiculum

culum solus per conclaue ambulat, repentè nescio quis, siue à proceribus ignauiā regis detestantibus, siue ab Alberto I. Cæsare subornatus, in eum irruit, nudumque & inermem adolescentem tribus lethalibus uulneribus confodit. Cum gladio cruento, Conradus quidam natione Thuringus in scalis comprehensus est: sed is ab aulicis antè discerptus, quàm ut uel agnoscere parricidium, uel edere auctores consciosq; cædis posset. Dubrauius lib. 19.

Obsidioni.

D. LVDOVICVS Francorum rex in obsidione Tuneti profluuio uentris pestilente periit. Aemyl. lib. 7.

RENALDVS archiepiscopus Coloniensis, qui trium Magorum corpora Mediolano capto à Friderico I. Imp. Coloniā traduxit, in tertia expeditione Friderici Italica, dum Paschalis III. cōtra Alexandrum II. restituitur, Romam obsidēs, pestilentia periit, an. 1167. Sigonius lib. 14. regni Ital.

Asturum rex ALDEFONSVS V. oppidum Viseum obsidens, cùm inermis speculatum esset egressus, inter scapulas sagitta percussus periit. Rodericus Toletanus lib. 5. ret. Hisp. c. 19.

Conflictui, Pugnæ, In Acie cæsi, In Bello trucidati.

☞ *Consule Tit. Fortes duces, milites, Itē, Clades exercituū. quatenus mortis uirorum fortium rationem habent.*

SAVLVS rex cum tribus filiis, Ionathane, Abinadabo & Malchisua in monte Gelboe cæsus, cum magna manu Israelitarum, à Palæstinis. 1. Regum 31.

Cùm Pharao Necho Aegyptiorum rex contra Medorū regem proficisceretur, IOSIAS Iudȩorū rex, alioqui sanctissimus, Mageddone ei occurrit, Medorum regi gratificaturus, transitumq; eius prohibiturus. Pugna commissa, à Pharaone occisus est. 4. Regum 23.

Cùm EVRYSTHEVS Mycenȩorum rex, ad Marathonem aduersus Herculis filios Iolaumq; duxisset exercitum, auxiliū ferentibus Atheniensibus, in ipso prælio occubuit. Reliqua sanè eius membra Gargetti sepulta, caput autem Corinthi seorsum, quod ab Iolao circa fontem Acariam, secus tramitem, abscissum fuerat. Vnde locus Eurysthei caput appellatur. Strabo lib. 8.

CAPANEVS in oppugnatione Thebarum primus scalis usus est. Verùm tanta ui saxorum oppressus à Thebanis, ut extinctus fulmine dicatur. Vegetius & Diodorus lib. 5. Euripides fulmine ictum scribit, quòd scalis muro Thebarum admotis, urbē se expugnaturū dixisset, Διὸς θέλοντος, κἂν μὴ θέλῃ.

Bello Troiano PROTESILAVS & PATROCLVS ab Hectore: CYCNVS, MEMNON & HECTOR ab Achille: ACHILLES à Paride: ANTILOCHVS Nestoris filius ex Eurydicē, à Memnone interfectus est.

TELLVS Atheniensis ciuis, in Repub. bene instituta uersatus; filios honestos habuit, & bonos, & ex illis nepotes omnésque superstites uidit. Tandem apud Eleusinam pro patria pugnans, deuictis hostibus obiit. Eum Solon beatiorē Crœso iudicauit. Herod. lib. 1.

In Marathone contra Persas, duce Miltiade, occubuit CALLIMACHVS Polemarchus Atheniensium exercitus, egregia nauata opera: item è ducibus decem, STESILEVS Thrasylli F. & CYNÆGYRVS Euphorionis, dum summam puppim manu apprehendit, ea abscissa periit. Multi quinetiam alij Athenienses clari. Summa omnium 192. Persarum 6300. Herodotus lib. 6.

Gryllus Xenophontis F. EPAMINONDAM Thebanum ducem clarissimū in pugna ad Mantineam occidit. Pausanias in Bœoticis.

LYSANDER Lacedæmoniorum dux inuictissimus, cecidit in acie, superatus ab Atheniēsium duce Conone, bello Thebano, terrestri pugna. Volat. lib. 16. Vrb. Com.

MACHANIDAS Lacedæmoniorum tyrannus, prælio ad Mantineam commisso, à Philopœmene Achæorum duce interfectus est. Cui successit non multo pòst Nabis. Pausanias in Arcadicis.

HOSTVS Hostilius, cùm Romulus aduersus Tatium, qui mōtem Tarpeium tenebat, processisset: & in eodem loco, ubi nunc Rom. forum est, pugnam conseruisset, fortissimè pugnando cecidit. Cuius interitu consternati Romani, fugere cœperunt: ut est apud Liuium libro 1. & Plutarchū in Romulo: item Cæcilium.

L. PAVLVS Aemilius Coss. in pugna Cānensi grauiter uulneratus, cùm collega eius Varro cum paucis equitibus profugisset, dolore ex tanto oppressus luctu sedebat in saxo, aliquem operiens ex hostibus, qui interficeret se. Quia uerò caput eius erat & facies cruore oppleta, omnibus ferè incognitum, & necessarij & clientes prȩteriehebant. Vnus ex pube patricia Corn. Lentulus equo delapsus admotum eum capere iubet, & se seruare ciuibus, qui tum ut cùm maximè bono consule haberent opus. Ille huic refragatus petitioni, coëgit adolescentem equum repetere lacrymās. Tum data ei dextera cùm se erexisset: Nuncia, inquit, Fabio Maximo, & ipse esto testis, præceptorum eius Paulum Aemilium memorem usque ad mortem extitisse, sed uictum esse primùm à Varrone, deinde ab Annibale. Cum his mandatis dimittit Lentulum. Mox cùm in mediam stragem se inuexisset, oppressus est. Plutarchus in Fabio.

L. POSTHVMIVS post Cannensem pugnam consul in Galliam profectus, & à Boiis cum exercitu profligatus, ne caperetur, omni ui in prælio occubuit. Cuius inuenti caput præcidentes Barbari, ouantes in templo obtulerunt, idque sacrum uas erat, quo in solennibus libarent. Liuius lib. 22.

P. Corn. SCIPIO, pater Africani, cùm multas in Hispania uictorias consecutus esset, resq; gessisset memoratu dignissimas, demum in quodam prælio aduersus hostes inito, cùm se offert, ubi plurimum periculi erat, subitò occiditur. CN. Scipio frater, simili penè casu paucis pòst diebus fortiter pugnando interiit. Liuius.

C. Quin. FLAMINIVS consul, cum Caio Seruilio inauspicatò iter ingressus, & ab equo, quo insederat, per caput deuolutus, cum Hannibale pugnās, apud Thrasimenum, unà cū exercitu, cecidit: eius uerò cadauer inter mortuos ab Hannibale quæsitum, nec inuentum est. Liuius lib. 22.

SEMPRONIVS Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu cæsus est, teste Liuio.

M. MARCELLVS quintum Coss. collega assumto Crispino, filioq; tribuno militum, cum ducentis uiginti ad summum equitibus, inter quos Romanus nemo, sed erant Hetrusci omnes, præter quadraginta Fregellanos, quorum uirtutem Marcellus & fidem ubiq; perspexerat, speculatū profectus collem quendam. Qui in insidiis locati erant, ab Annibale subitò exorti omnes ac simul undique circumfusi iaculis petere, ferire, fugientium terga cædere, resistentibus instare, donec Crispinus duobus iaculis ictus, equum ad fugam capiendam conuertit, & Marcelli latus lāncea, lata cuspide, fuit transfixum. Fregellani, qui pauci supererant, prolapsum consulem relinquentes, Marcello adolescēte & ipso saucio erepto, in castra profugêre. Ceciderūt haud multò amplius quadraginta: lictores quinque, & duodeuiginti equites uiui in potestatem hostium uenerunt. Crispinus quoq; paucis pòst diebus ex uulneribus moritur. Clades hæc, ut uno in prælio ambo consules caderent, antea inaudita accidit Romanis. Plut. in Marcello.

CONSTANTINVS II. Magni F. non contentus facta diuisione cum fratribus in qua Gallias adeptus erat: sed ob Italiæ Africæq; ius cum Constante fratre contendens, ubi ad Aquileiam peruenerat, in fratris milites incidens, equo deturbatus, cùm iaceret humi sine purpura, incognitus, multis ictibus confossus, obtruncatusque, in fluuium Alsam proiectus est. Hieronymus in Chronico. Socrates lib. 2. cap. 5. Paulus Diaconus lib. 11.

NICEPHORVS Imp. posteaquā Poloniam partim uiribus, partim fraude captam diripuisset, cum Bulgaris in superiori Mœsia congressus, in bello occubuit. Volat. lib. 23. Anthrop.

MEROVEVS Gallorum rex, pro Romanis aduersus Hunnos & Visigothos in campis Catalaunicis pugnans occubuit. Michael Ritius de Regibus Francorum lib. 1.

THEODERICVS I. Hispanorum rex, pro Romanis aduersus Atilam pugnans Hunnorum regem, in campis Catalaunicis occubuit. Ritius lib. 1. Regum Hispanorum.

ALARICVS Hispanorum rex, qui post Henricum fratrem Gothis imperauit annis duodecim, in acie cęsus est à Fulduigino comite, apud Pictauium. Ritius lib. 1. Regum Hispaniæ.

TEIAS Gothorum rex, cùm apud Nuceriam aduersus Narsetem eunuchum ducem Iustiniani Imp. fortiter pugnaret, clypeo nudatus, in prælio periit. Sabel. lib. 4. cap. 6.

RODERICVS rex Gothorū à Mauris, à Iuliano Comite stuprum filiæ ulturo euocatis, bello petitus, acie cecidit. Ritius lib. 2. Regum Hispaniæ.

ALMARICVS Hispanorum rex, cùm è pueris excessit, annis quinque rem per se administrauit (Theodericus enim hactenus infirmam ætatem rexerat) & commisso cum Gallis prælio obtruncatus est. Ritius lib. 1. Regum Hispanorum.

SANCTIVS II. Hispanorum rex in acie cecidit, aduersus Saracenos inito prælio. Ritius lib. 3. Regum Hispanorum.

VEREMVNDVS Hispaniæ rex tertius, in Alphonsi V. fratris locum succedens, contra Ferdinandum sororis suæ uirum, bello suscepto, apud Cauiociem in acie cecidit, anno regni X. Ritius lib. 3. Regum Hispaniæ.

ROMACLVS Scotorum rex, uxore è Pictorum gente ducta Pictis charus, à Scotorū proceribus ob tyrannidem cæsus est. NECTANVS Pictorum rex eam iniuriam ulturus, Angusiano Scotorum regi bellum infert. Victus bellum redintegrat. Victores Picti, sed cum utriusque regis interitu. Nectano succedit frater eiusdem nominis. Ex temerè motis in Fethelmacū regem Scotorum armis, sagitta in acie ictus periit. Qui Nectano successit Heirgustus per sicarios duos

Fethel,

Fethelmactum trucidari curauit. H.Boethius lib.6.

Maximianus Valentiniani III. legatus, atroci prælio contra Scotos, Pictos, atque Britones pugnauit. Cæsi in acie FERGVSIVS Scotorum, DVRSTVS III. Pictorum reges: cum utriusque gentis nobilissimis. Dionethus Britonum rex in Cambriam traiecit. H.Boethius lib.7.

Britannis duce Constantino iugum Scotorum & Pictorum excutere conantibus, DONGARDVS Scotorum rex in acie periit cum XIV. M. suorum. H.Boethius lib.8.

Ad Cressiacum ann.1346. die 26. Augusti cæsus ab Anglis Gallicæ nobilitatis flos. IOANNES item Boemorũ rex cæcus, ADOLFVS Lotharingiæ princeps, LVDOVICVS Flandriæ comes. Carolus IV. Imp. Ioannis F. uulneratus ægrè euasit. Dubrauius lib.21.

Sueno III. Danorum rex à Valdemaro nepote acie uictus, propter senium ex defatigatione fugere nequibat. Captus, cùm quis esset interrogaretur, regis scribã se profitebatur. Agnitus tandem, equoq; ob reuerentiam maiestatis impositus, siue metus, siue spei instinctu, Valdemaro se sisti poscebat. Hæc orantis caput agrestium quidam subitò aduolans securi præcidit. Corpus eius regum omnium superbissimi sepultura plebeia elatum. Saxo lib.14.

Deuicto per Ericum Magno Danorum regis filio, PETRVS Roschildensis & HENRICVS Sueticarum partium pontifices, omnesq; Iutiæ, præter unum, antistites, eodem prælio oppressi dicuntur. Saxo lib.13.

BERTHOLDVS secundus Liuoniensium episcopus, cùm armis religionem suos docere uellet, miserè trucidatus est ab infidelibus, anno 1198. Cranzius lib.7. cap.13. Saxoniæ.

CASSONVS Turrianus, Napi F. post captum ab Othone Vicecomite patrem, ultimo prælio ad Vaprium commisso, hostium multitudine circumuentus, Germanos equites ad pulcerrimam cohortatus mortem, conglobato cuneo ad hostium uexillum prostratis Hispanis penetrauit, occisoque signifero illud arripiens, discerpsit, atq; ibi demum interclusus à legione, interfectusq; est. Tum uerò Turriana acies undique pulsa & profligata est, & Othoni confirmatum imperium. Iouius in Othone.

IACOBVS Scotorum rex, uiolato fœdere Angliam inuadẽs, quarto Idus Septembris, anno 1513. ab Anglis interfectus occubuit. Eius cadauer Bernicum delatũ, diu sepultura caruit: nam ab Anglis, quòd Gallis schismaticisq; fauisset, sancto funeris sepulcriq; honore indignus putabatur. Adnotabãt pleriq; repetita superiorum regum memoria, Iacobum infelici potius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno, atq; idem sortiti nomẽ, ante diem ferro peremti mortem oppetiissent. Sed hunc tanquam ad meritam raptum pœnam nemo defleuit, quòd ipso pugnante, pater in aduersa acie ad parricidij notam fuerit interfectus. Iouius lib.11. Hist.

CÆSAR Borgia Valentinus custodia elapsus, ad Ioannẽ Nauarræ regem cum Alarino regulo, qui à fide defecerat, bellum gerentem perfugit. In eo armorum motu quum egregiam operam regi nauaret, cõserta ad Mendauiam pugna, uictor occubuit, eo euẽtu, ut nequaquam agnitus detractis armis nudus relinqueretur. Sed scutifer eius cadauer equi ceruicibus impositum Pompelonem retulit. haud dubiè rapiente fato ad eam urbem, cuius antistes antea fuerat. Neq; enim quisquam ferè repertus est, qui quum sese susceptis semel sacris abdicarit, tranquillum uitę exitum tulisse censeatur. Iouius in Consaluo.

Nuptiarum apparatui.

PHILIPPVS Macedo Olympiade, ob suspicionem stupri, ut quidam tradiderunt, expulsa, Cleopatram Attali filiam (ut Trogus scribit, ut Plutarchus, Attali sorore genitam) matrimonio sibi iuncturus, medio nuptiarum apparatu, à Pausania nobilissimo adolescẽte interfectus est, diesq; lætitiæ destinatus, luctu est & mœrore regij funeris fœdatus. Sab. libro tertio, Ennead.4.

LIVIA Medullina Claudio Cæsari nuptura, die nuptiis destinato, mala ualetudine extincta est. Guido Bituricensis.

LADISLAVS Vngarię & Boëmię rex, XVIII. annorum adolescens, Magdalenam seu Margaritam Caroli VII. Gallorũ regis F. ducturus erat. Maximè ambigebatur de loco nuptiis legendo. Vngari Budam, Boemi Pragam, Austriaci Viennam oportunam maximè esse contendebant. Vrgente autẽ uehementiùs Georgio Podebradio Boëmiæ gubernatore, Pragæ se nuptias celebraturum respondit. Ergo præstantissimam ad regem Carolum legationem misit. Huius princeps fuit Vdalricus pontifex Patauiensis. Ex principibus Vngarorum ducenti, ex Australibus ducenti, totidem ex Boemis delecti sunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatuque pollerent, & quisque regno dignus uideretur. E Patauiensibus centum delegit Vdalricus. Quare septingenti equites in Galliam abierunt: item uirgines & matronæ, quæ regiam sponsam deducerẽt, quadringentæ, splendidissimo cultu ac uenustate, omnes præterea quadrigæ auratæ, gemmatæq; equi candidi octoginta: inaudita insuper uestiũ, donorumque luxuria. Zdeaconi Sterẽbergio XL. millia auri pro uiatico numerata. Delecti & alij legati, qui ad nuptias inuitarent Cæsarem cum coniuge Leonora, regem Poloniæ, qui unam, & Gulielmum principem Saxoniæ, qui alteram Ladislai sororem in matrimonio habebat: Bauariæ item Rhenique principes & Marchiones Brandeburgenses. Trabes & asseres Pragam conuecti, ex quibus theatrum & orchestra extrueretur, in quibus ludos spectarent, & saltarent. Inter hæc subito & incerto languore tentari Rex, ipseque de recuperanda salute modicam spem habere cepit. Cùm Hinco à Vetouia, unus de consiliariis, regi ad fenestram stanti, lacrymanti interuenisset, ac mœroris causam requisiuisset, non sine gemitu respondit, mortem sibi certam instare. Ne quam tamen cæteris suspicionem infirmitatis daret, more solito cœnauit, & cum purpuratis satis hilares sermones in multam noctem miscuit. Eunti in cubiculum, rapulę, cuius cibi auidissimus erat, oblatę fuere. A quarum esu totam noctem cruciatu doloribusq; uigilem exegit, & post sex & triginta horas, animam Deo tradidit, ann.1458. Dubrauius lib. 29. & Bonfinius lib.8. Dec.3.

Ionathas Iudæorum dux cum Simone fratre, Machabæi, intelligentes Iamris filios NABATHÆOS, celebraturos esse nuptias cum illustris cuiusdam Arabis filia, adducturosq; esse sponsam à Gabatha oppido: occasionem obseruarunt uindicandæ iniuriæ, suis à Nabathæis illatæ. Medabam igitur properantes, insidiis in monte collocatis, expectarunt eorum transitum. Vt uerò in conspectum uenit spõsus cum uirgine & amicorum comitatu, coorti ex insidiis omnes ad unum interfecerunt, usq; ad quadringentorum numerum. Iosephus lib.13. cap.1. ex 1. Machab.9.

Festo nuptiali.

ATILA Hunnorum rex spoliata tota Europa domum reuersus, summo sese otio tradidit: & post multas uxores ductas, ut moris erat illius gentis, puellam nomine Hildiconẽ, specie præstantem, sibi matrimonio copulauit, ac nuptias magna hilaritate animi celebrauit. Quo facto, uino ciboq; grauis in omnem libidinis intemperantiam se effudit. Subinde fatigatione resolutum somnus adeò altus oppressit, ut cùm sanguis è naribus manare cœpisset, ipse nihil sentiens, faucibus ac spiritu interclusis, extinctus sit. Postridie mane illustri iam procedente sole cùm ministri regem contra morem cubare uiderent, tristius aliquid suspicati, cubiculum ingrediuntur, atque ipsum sine uulnere, sanguine mersum, puellamq; demisso uultu sub uelamine lacrymantem offendũt. Sigonius lib.13. Imp. occid. Cranzius lib.3. Succiæ cap. 6. ex quorũdam sententia, Honoriam, Valentiniani III. Imp. sororem fuisse ait: quæ Atilam, precibus Leonis Pp. Romam relinquentem, misso eunucho permouerit, ut ipsam in matrimonium peteret. Igitur missa ad Imperatorem legatione, puellam depoposcisse coniugem: ni daretur, rediturum Italiæ excidio. Qua missa, cum solenni apparatu nuptias Atila celebrarit: tantumq; uini lætus hauserit, ut apoplexia, cruore insuper de naribus erumpente, strangulatus fuerit.

An. sal.1440. non longè ab urbe Lubeca, in uilla Quale, rusticanæ nuptiæ habebantur: ad quas matronæ ac uirgines honesto uirorum comitatu de Lubeca uenerant. Ignis in camino grandior excitatus, tectum rusticum ex calamis apprehendit. Id seriùs ad uesperum, quum resoluti omnes in lętitiam essent, nemo animaduertit. Sedebant conuiuantes, aut choreas (ex more rusticano) ducebant. Cecidit supernè tectum, inuolutiq; fumo & igne, miserabili cõfusione periẽrũt, uiri ac mulieres, numero centum octoginta. Sponsus & sponsa in triclinio, per angustam nudi uix euasere fenestram. Postera luce, illæsa ab igne corpora multa reperta, solo fumo interemta. Hinc prouerbium notum, ut nuptias Qualenses appellent, quoties grande infortunium designare uolunt. Cranzius lib.12. Vandaliæ, cap.12.

Visitationi ægrorum.

Nostra ætate in Gallia VXOREM Iudicis Vicifezensaci in comitatu Armeniacensi, sexagenariam, cùm amici nulla alia ratione à conuersatione quarundam auertere possent, nunciari illi curarunt, properè ad filiam ueniret, iam animam agentem. Credula illa concito gradu uenit: sed filiam sanam & incolumem uidens, repentè mortua concidit. Laur. Ioubertus lib.1. de Risu, cap.11.

Otio, Quieti, Remissioni.

THEOPHRASTVS tantisper uiguit, dum esset in labore. Simulatque remisit studium, interiit. Id quod ex epitaphio eius colligi potest:

Οὐκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τις ἔλεξεν,
Ῥήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον.

Ad

Δὴ γὰρ Θεόφραστος ἕως ἐπόνει μὲν, ἀπηρὸς
Ἦν δέμας· εἶτ' ἀνεθεὶς, κάτθανε πηρομελής. id est,

Frangi, si studij tensum laxaueris arcum,
Veridici sanè uerba fuere uiri.
Nanq; opere assiduo ualuit Theophrastus: & idem,
Laxato studio, membra solutus obit. Erasm. in Adag.

CVM QVIBVS MORTVI. PVTA HOMINES.

CVM HOMINIBVS. ET VEL PAVCI SIMVL.

Consule Tit. Victoria incruenta, cum paucorum sanguine.

MVLTI SIMVL. STRAGES MAGNÆ, Clades. Ex

Pestilentia. Pestilentiæ memorabiles.

De Pestilẽtia hîc loquimur in genere; hoc est, de morbo epidemio, qui contagiosus est, & in multos simul eodem tempore grassatur, qualiacunque symptomata habeat. Datur enim dysenteria, angina, colicus; sudor, catarrhus pestilẽs. Causas etiam nihil moramur, qualescunque fuerint; ex cœli influxu, aeris corruptione, terræmotu, fame, quod frequentius est, & à Græcis affinitate uocabulorum expressam:

Obseruatione diuturna compertum est, pestẽ ab Ortu ad Occasum ferri. Si contrà fiat, pestem ubiq; grassaturam ominatur. Io. Bodinus cap.5. Hist. methodi.

Decima AEGYPTI plaga, primogeniti omnes nocte una ab angelo cæsi fuere. Exodi 10.

ISRAELITAS pestilentia ob recensitum à Dauide populum tribus diebus ita afflixit, ut à Dane ad Bersabam 70. millia hominum perierint. 2. Reg. cap. ult.

Sennacherib Assyriorum regis EXERCITVS cùm Hierosolymam obsideret, angelus Domini una nocte 185. millia Assyriorum pestilentia immissa peremit. 4. Reg. 19. & Iosephus lib.10. Antiq. cap.2. ex Beroso idipsum confirmat. Tradunt Hebræi, decem tantùm ex tãto exercitu incolumes relictos. D.Hieron. lib.4. com. cap.10.

GIGANTES, homines impij, & deorum contemtores fuere, cumq; deos esse negarent, fabulę locum dedere, quòd cum diis bella gesserint. Eos ab Hercule deorum antiquissimo, hoc est, à sole (qui ἥρας κλέος, id est, aëris gloria) immissa pestifera lue interemtos Aegyptij affirmant. Macrob. lib. 1. Saturn. capite uigesimo.

Amphionis Thebani regis FAMILIA tota pestilentia deleta est. Pausanias in Bœoticis.

ECTENÆ, populus Bœotię, cum rege primo Ogyge pestilentia periit, ita ut in eorum locum Hyantes & Aones successerint. Pausanias in Bœoticis.

AEGYPTVM ter grauis pestilẽtia inuasit, cùm Nili rigua pluuiæ amara fecissent. Plin. lib.31. cap.4.

Chij cùm centum IVVENES Delphos misissent, sacrorũ causa, duo tantùm redierũt, cæteris pestilentia absumtis. Omen hoc fuit proculdubiò eius cladis, quã à Persis in pugna nauali ad Miletum acceperunt. Herod. lib.6.

POTNIENSES ob interfectũ Liberi patris in temulentis suis sacrificiis sacerdotem pestilentia affecti, humanã uictimam cedere iussi, Delphici Apollinis respõso. Pausanias in Bœot.

CAPHYENSES pestilentia uexati, propter pueros lapidibus obrutos, qui circa templum ludentes, funiculo quem repererant, Dianæ signum obligato collo per lusum trahentes, Dianam se strangulare dictitauerãt. Pausanias in Arcadicis.

In ORCHOMENO quum atrox debaccharetur pestilentiæ malum, plerosque hominum uis quidem grassantis morbi absumsit: sed & Tiresiæ defecit oraculum. Cælius libro octauo, cap.16. Antiq. Lect. ex Plutarcho.

Apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ uetustatis arculam quandoque inuentam legimus, qua aperta uis pestilentis aëris non modò eos, qui aderãt, infecit, sed longè lateq; grassata, etiam Parthos afflauit. Cælius lib.8. c.12.

M. Antonini & Veri temporibus, apud Seleuciam post direptũ templum, & perlatum Apollinis simulacrum Romam, à MILITIBVS Auidij Cassij inuentum fuit angustum foramen, quod prius Chaldęorum uates occluserant. Eo militari auiditate reserato, atrox adeò uapor exiluit, ut funestum malum ac teterrimum à Persarum finibus in Gallias usq; furẽs sit debacchatum. Ex Marcellino Cælius ibid.

Peste olim LACEDÆMONA diuexante redditũ oraculum, mali uim cessaturam, si nobilem uirginem quotannis immolassent. Quum obtemperarent Lacedæmonij, ac fortè mactanda duceretur suo ornatu Helena, deuolans aquila gladium abreptum, & ad armenta, quæ βουκόλια uocant, delatum, super iuuẽcam demisit. Quo prodigio παρθενοκτονία, id est uirginum immolatio desiit. Plutarchus ex Aristodemo. Idem obuenisse Romæ in Valeria Luperca, ratione consimili, Aristides prodidit libro 19. Rerum Italicarum. Cælius lib.13. cap.20. Antiq. Lect.

Anno secundo belli Peloponnesiaci coorta grauis pestilentia. Eam ex Aethiopia primò egressam, Aegyptum, quę illi proxima est, mox & Libyam corripuisse memorant: in Lemnum inde & loca finitima, demum Athenas transgressam. Credere ab initio ATHENIENSES, puteos hostium fraude ueneno corruptos. Vulgato morbo tanta funerum frequentia secuta est, quanta nunquam antea hominum memoria. Primò acris feruor capitis salubria inuadebat corpora: suffusio deinde ruboris, adustioque in oculis existere: statim lingua introrsum cum faucibus sanguinolenta uisebatur, arctior inde spiritus, & cum fœtido halitu meabat, mox sternutatio raucitasq; prorumpebat, nec diu pòst labor in pectus cum uehementi tussi descendebat: & quum pręcordiis hæsisset, ea grauiter cruciabat: sequebantur guttæ fellis & humoris, quæ à medicis dicuntur apocatharses; & ipsæ cũ ingenti cruciatu: plerisque inanis singultus incidere, acrem spasmum cientes. Exterius interim corpus, neq; feruidum tactu, neque pallidum, sed subrubrum, fuscum, minutis pustulis ac papulis scatens: interiùs autem ita ardebat, ut neque perquàm tenuia uestimenta, aut sindones, neq; aliud quidpiam quàm nuditatem ferre posset. Iucundissimum erat in gelidam aquam se ipsos immergere: quo contigit, ut plerique incustoditi in altissimos se puteos deiecerint; inexhausta siti adacti: quanquam perinde erat nimis ac parcè bibere. Neq; somnus interim ullaue membrorum quies aderat, neque morbo inualescente membrorum languor ullus sentiebatur, sed corpus opinione hominum par morbo resistebat. Plurimi intra septimum & nonum diem, uitalibus ardore exustis, necabantur, adhuc aliquid roboris habentes, nec si quis discrimen illud dierum euasisset, continuò pro seruato haberi: nonnullis pereuntibus, utero ui grassantis morbi acriter conuulso, languoreque ex ipso profluuio inducto. Peruagabatur uniuersum corpus tetra lues, à qua alioqui pernicissima si quis conualuisset, quanta uis eius esset, membrorum detrimenta demonstrabant: ad uerenda manuumque & pedum extrema morbi uiolentia prorumpebat, quibus amissis nonnulli seruabantur, quidam & oculis postremò capti sunt: nonnullos morbo seruatos, omnium fermè rerum cepit obliuio, ut sui quidam ipsorum obliuiscerẽtur. Illud quidem memorabile, quòd quum multa corpora insepulta iacerent, alites quadrupedesq; ea nõ attigerint: aut si quæ id temerè fecissent, simul periere, manifesto argumento maleficij & ueneni, quod in morbo fuit. Accidit & aliud non minus mirum & insolens, quod uni proficiebat, officiebat alteri: quo euenit, ut quum per incuriã multi periissent, alij non pauci nimis diligenti curatione sint absumti, uulgari morborum ministerio, ita ut multæ domus uacuæ factæ sint. Plerique in uiis destituti expirabant, circa fontes & puteos multi aquæ desiderio semineces uolutari. & hæc Athenis. Liuius anno postquam Aul. Posthumius dictator Volscos & Equos uicit, cuius dictatura incidit in primos Peloponnesiaci belli annos, ut Gellius colligit, teterrimo morbo, qui & ipse attactu uulgaretur, Romæ laboratum prodidit. Cæterùm hoc genere, an diuerso, non explicat Thucydides autor est, eam cladem Peloponnesum non attigisse. Sab. lib.6. Enn.3. De eadem audiamus quoque Diodorum. Bello Peloponnesiaco, inquit, grauissima pestilẽtia ATHENIENSES exagitauit. Hyems humida admodum infestis fuit inundationibus. Pabulum inde propter nimium humorem uitiosum extitit & incoctum. Tertia pesti causa accessit, quòd eo anno uenti Etesiæ, qua soliti erant tempestate, minimè spirauere: quorum recenti flatu magna pars molestiæ feruoris æstiui remitti temperariq; solebat. Exacerbato itaque supra modum, sæuienteq; æstu, tum sole æthereq; inflammato, corpora mortalium nullo præsidio defendi, nulla respiratione recreari cùm possent, urentem præcordia trahere spirareq; halitum cogebantur: unde & morborum omnium genera, æstus intra uenas concepti, miseros exurebant. Inde multos ægrotantium traditum est, ultrò semetipsos in puteos fontesq; præcipitasse, conatos eo remedio flammam intus sæuientem præcordiaque conficientem restinguere. Athenienses tantæ calamitatis causam ad deos religionemq; retulere, & Delon insulam lustrari iussere: quę polluta uiolataque idcirco putabatur, quòd ad sepelienda expirantium cadauera, per nefas usurpari cœpta esset. Apertis itaque cũctis in Delo sepulcris, urnas omnes in insulam Delo proximam, cognomento Rheniam, transtulere: tum lege cauerunt, ne cui parere sepulcrũue defodere in Delo liceret: ludos item & festa Deliorum prisca instaurauere, quæ longo iam tempore obsoleuerant. Diodorus lib.12.

Bello Peloponnesiaco, cùm Pericles populum omnem ex agris in urbem congregasset, contra Lacedæmoniorum insultus, cum quibus aperto prælio decernere periculosum esse arbitrabatur: pestilentia grauissima ATHENAS inuasit, cùm tempore æstiuo multi unà, nullo discrimine, angustis

in tectis & tabernaculis coacti æstuosis, in umbra & otio marcescerent, qui antè in aere libero & laxo consueuerant agere. Cuius esse auctorem Periclem dictitabant, qui bello plebem intra muros rusticanam contraxisset, neq; ullam ad rem tam multos uiros adhiberet, sed fineret inclusos ueluti pecora mutua obrui contagione, nec loci commutationem uel refrigerium præberet ullum. Plut. in Pericle.

Himilcone CARTHAGINENSIVM duce Syracusas obsidēte, post suburbij ruinam direptumq; fanum Cereris & Proserpinæ, pestilentia exercitum inuasit. Accessit ad diuinam calamitatem id quoque, quòd plurima hominum millia eodem confluxerant, quodque anni tempus erat ad ægritudines efficacissimum, & illa præterea æstas nimijs feruoribus exarsit. Quin & locus in causa uehementioris cladis fuisse uidetur. Nam & antea Athenienses ibidem metati, è morbo, quòd locus palustris & cauus erat, multos mortales amiserant. Primùm ante solis exortum ob aquarum auræ frigiditatem corpora horrore corripiebantur: per meridiem uerò tanta turba angustum in locum coacta æstu suffocabatur. Attigit labes Aphros primum, è quibus multis obeuntibus primo mortuos humabant. Postea propter & cadauerum copiam, & quòd ægrotos efferentes ualitudine corriperentur, nemo accedere ad laborantes audebat. Sublato igitur omni cultu, destituta ope calamitas erat. Nā propter insepultorum fœtorem, & palustrem putredinem, morbi primùm defluxio occepit: pòst ad collum tumores exoriebantur: deinde mox febres insequi, & ad scapulam neruorum dolores, & crurum grauedines, inde intestinorum dolores, & in corporum superficie pustulæ erumpebant. Plerique igitur eiusmodi lue laborabant: quidam in furorem & rerum omnium obliuionem incidebant, qui circum euntes castra, emoti mente obuios pulsabant. Denique euenit, ut & medicorum auxilium, cùm ob mali uehementiam, tum propter morbi celeritatem, inefficax redderetur. Quinque enim aut sex ad summum diebus grauibus affecti tormentis interibant: ut ab omnibus beati dicerentur, qui in bello mortem oppetiissent. Nam ægrotis assidentes cuncti in ualetudinē incidebant: ut grauis laborantibus calamitas esset, cùm nemo inseruire miseris uellet. Neque enim prorsus alieni tantùm inter sese destituebant, sed frater fratrem, amicus familiarem ob suimetipsius formidinem negligere cogebatur. Supra CL. millia cō malo periere. Diod. lib. 14.

Circa Olymp. C. pestilenti febre Carthaginem inuadente, multi CARTHAGINENSIVM morbo acriter corripiebantur: ita ut de imperio suo periclitarētur. Siquidem & Libyes, & qui Sardonem inhabitabant, putātes se occasionem iam aduersus Carthaginenses nactos, ab eis desciuerunt. Erant quoque perturbationes & metus magni in populo: repentini quidam cum omnium stupore excitati tumultus frequēter per urbē, cum minimè expectarentur, fiebant. Multi arreptis armis tanquam hostes profligaturi, excurrebant, & ferrum in se inuicem, tanquam in hostem quisque suum stringentes, mutuis cadebant uulneribus. Tandem placato numine sacrificiis, & à maximis malis liberati, Libybus rursus expugnatis insulam recuperauerunt. Diod. lib. 15.

Captis à Romulo Fidenis, pestilentia ROMAM inuasit, quæ mortem subitam inferens non trahebat morbum. Vulgabatur & in fruges pecudesq;. Inde magna sterilitas orta. Sanguine quoque pluit. Vbi eadem LAVRENTES lues infestauit, tum pro certo habitū, ob necem tam Tatij regis, quā legatorum iure non uindicatam, ultionem diuinam utramque persequi ciuitatem. Deditis pòst homicidis & supplicio utrinque affectis, perspicuè malum est mitigatū, lustrauitq; Romulus urbes expiationibus. Plut. in Romulo.

Romanæ mulieres, cùm sub Tarquinio Superbo propter annonæ caritatem grauidæ cogerentur uesci bubulis carnibus, & propterea pestilentia VRBEM inuasisset, Taurij ludi diis inferis instituti fuere. Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 19.

ROMÆ pestis anno Vrbis 248. M. Val. Voleso, P. Posthumio Tuberto Coss. Item cum fame, T. Geganio Macerino & P. Minutio Augurino Coss. anno urbis 261.

L. Ebutio & P. Seruilio Coss. cœlum ardere uisum, post V. C. 290. Annus pestilens fuit. A calendis Septembribus tetra uis morbi primò boum equorumq; armēta corripuit, inde ouium caprarumque greges, pastores deinceps & cæteros agrestes attigit: postremò urbem ingressa. Liuius pecus populationis terrore intra mœnia compulsum, multamq; stabulantium quadrupedum colluuionem, prodidit humana corpora insolito fœtore infecisse, ac præter cæteram multitudinem, quæ tāta fuit, ut uulgò cadauera in Tyberim proiicerentur, quartam Senatorum partem morbo cōsumtam, & cum his Consules ipsos. Hæc clades in certam spem Volscos & Equos traxit Romanorum principatus per occasionem euertendi. Icto itaque inter se fœdere, sociorum opes affligere sunt primo loco adorti, ut his fractis commodius rem Romanam, satis per se accisam, funditus perderent. Primò igitur omnium Hernicum & Latinum agrum ferro & igni populantur. Mox Romanos fines inuadunt. Inde per omnia cultu desolata ad tertium lapidem consedere. Iam Ebutius consul diem obierat. Seruilius eius collega exigua spe trahebat animam. Iuuentus militaris morbo cōfecta iacebat. Vigiliarum munus, qui per ætatem & inoffensam ualetudinem poterant, per se obibāt. Circuitio Aedilium plebis erat, ad eos consularis maiestas uenerat. Omnia humano præsidio deserta: unū affectæ ciuitati profuit, quòd prædonum mens magis quàm hostium tum Equis & Volscis fuit, qui potiundæ urbis spe abiecta, à ducibus postularint, ut ex ea uastitate se confestim in ea loca abducerent, unde prædæ aliquid agi posset. Sublatis itaque signis in Labicanos Tusculanosq; colles transiere. Supplicatum est omnibus templis. Matres passim stratæ crinibus templa uerrebāt, cœlestium irarum ueniam pacemq; exposcentes. Interea grauiore anni tempore acto, corpora morbis defuncta, salubriora esse cœperunt. Rediit cum salubritate ipsa reipub. cura. Sabellicus lib. 5. En. 3.

Anno 300. V. C. P. Curiatio & Sexto Quintilio cōsulibus, duo grandia mala VRBEM inuaserunt, fames & pestilētia, omnium memoriæ ad id tempus traditarum maxima: urbs funeribus exhausta, & agri hominum pecorumq; strage penè desolati. Quintilius consul mortuus est, cui Sp. Furius est suffrogatus: mortuus Augur unus; & tres Tribuni plebis, Flamen unus Quirinalis. Sab. lib. 4. En. 3.

Anno urbis 217. M. Corn. Maluginensi, & L. Papyrio Crasso Coss. pestis cum terræmotu ROMAM infestauit. Rursus anno 320. M. Fabio Vibulano, & M. Flossio Flaccinatore Coss. pestis cum fame. Pestis cum fame anno 341. Q. Fabio Ambusto, & C. Furio Pacillo Coss. per duos annos. Similiter anno 361. L. Valer. Potito & M. Manlio Capitolino Coss. quo tempore Aequi sunt uicti.

ROMÆ pestilens annus fuit, L. Verginio & Claudio Iulio Cōsulibus, tantaq; ubiq; uastitas crebris funeribus est secuta, ut Veientes & Fidenates Anienem transgressi, haud procul à Collina porta consederint. Verginius consul A. Seruilium Priscum, alij Structum scripsere, Dictatorem dixit, & Dictatoris iussu omnis militaris ætas, extra portam Collinam, circa signa frequens affuit. Id hostes conspicati, in altiora se loca recipere conati sunt. Sab. lib. 5 En. 3.

C. Sulpitio Bætico & C. Licinio Stolone consulibus, ROMÆ intoleranda uis pestilentiæ orta est: quæ cùm infinitos arripuisset, ludorum instituendorum occasionem dedit. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Instit. antiq.

Anno 419. T. Veturio Caluino & Sp. Posthumio Regillensi Albano Coss. pestilentia. Anno 440. L. Papyrio Cursore V. & C. Iun. Bruto Bubulco II. Coss. Anno 461. Q. Fab. Max. Gurgite, & D. Iun. Bruto Scæua Coss. pestilentiæ causa Aesculapius Romam uectus. Anno 477. Q. Fabio Gurgite II. & C. Genutio Clepsina Coss. pestilentia.

A. Corn. Cosso & T. Quintio Pœno Coss. Romæ mira siccitate laboratum, ut nō cœlestes modo aquæ defuerint, sed terra ingenito humore penè amisso, uix ad perennes fluuios sufficeret. Exaruerunt torridi fontes, pecorumq; siti morientium passim strages edita, pleraq; scabie absumta: uulgariq; attactu in homines morbi, primoque in agrestes & seruitia, mox & ciuitatem corripuit tetra lues: orta ex ea clade multiplex superstitio, ita ut nō minus animi affecti essent quàm corpora. Passim omnibus sacellis uicisque peregrina & insueta sacra fieri, multique sacrificuli tota urbe existere. Id patres indignè ferentes, negotium ædilibus dedere, ut diligenter aduerterent, ne alio ullo in urbe ritu, quàm patrio sacra fierent. Meminit præter Liuium cladis huius & morbi, quæ ea tempestate acciderunt, Thucydides Peloponnesiaci belli auctor. Sab. lib. 5. En, 3.

In GALLORVM castris, Roma capta Capitolium obsidentibus, non solùm frumenti inopia sentiebatur, sed & grauis pestilentia. Aestus & torridum recenti incendio solum, quorum intolerantissima gens est humori & frigoribus assueta, Gallorum corpora languore affecerat: inde morbo sensim uulgato, passim expirabāt, tantaq; uis hominum breui absumta est, ut humandi tædio, plura corpora in unum coaceruata concremarent. quę res ad posteros nomen loco dedit, ut Gallica sint busta nuncupata. Sab. lib. 1. En. 4.

Anno 566. M. Aemilio Lepido & C. Flaminio nepote Coss. pestilentia. Scipio Africanus Linternum exulatum abit. Anno 572. P. Cor. Cethego & M. Bebio Pamphilo Coss. pestilentia iterum. Ingauni Ligures uicti, Corsica subacta.

Anno ab V. C. 620. tanta locustarum uis in AFRICA repentè coorta est, ut fruges, herbas, arborum folia, immensa multitudo absumeret. Ea mox uentorum flatu marinis fluctibus immersa, omnia latè litora proiectarum aceruī contexere. Putrefacta inde congeries tetrum odorem exhalauit, secutaq; statim corrupto cœli tractu ingēs pestilentia, quę in Africa uastitatem fecit incredibilem, undecies [illegible] millib. Numidarum Aphrorumq; breui tempore consumtis. At supra eam Barbarorum cladem Romanorū quoq; multa millia extincta eadem pestilentia tradūtur, qui tum fortè in Africa præsidij causa fuere. Sabel. lib. 9. En. 5.

Sub Herōde rege grauissima pestilentia HIEROSOLYMORVM urbem afflixit, & maximā senatorum partem absumsit, propter iniustè cæsam ob ueneficij & adulterij crimina Mariammen reginam. Iosephus lib. 15. cap. 11. Antiq.

Nono Vespasiani anno lues tanta ROMÆ fuit, ut per multos dies in Ephemeridem decem millia ferè mortuorum hominum referrentur. Eusebius.

Commodo imperante, ROMÆ tanta fuit pestis, ut unō die sæpenumero ad 2000 hominum absumerentur. Multi non solùm in urbe, sed etiam ferè sub omni imperio Romano peribant, cùm malefici homines res oblitas uenenis in alios cōiicerent. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

Gallo imperante, perniciosa pestis undiq; uiguit. Tabis initiū fuit ab Aethiopia, fortè ex nimio solis ardore. Pestilitas primò consumtis meridianis, per Orientem diuagata est: inde cæteras orbis partes inuasit, ubique maximam partem incolentium exhausit; pleraq; loca inhabitata reliquit. Ea labes uix intra decem annos finem inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli Imp. auspiciis uisa est, ut qui proditione imperiū arripuit, Christiani etiā dogmatis hostis. A quo tristi & inusitato malo Cyprianus argumentum sumsit libri de Mortalitate. Eusebius lib. 7. cap. 21.

Sub Maximini & Diocletiani imperio an. 312. post famē grauissimam, pestis in singulas domos & ætates horrenda sæuiit, eos præsertim absumens, quos propter alimentorū copiam fames absumere nequibat. Quæ scilicet premia erant iactantiæ Maximini, & edictorum, quæ per ciuitates contra Christianos publicauerat. Eusebius lib. 9. cap. 8. Vlcera erant carbunculorum similia: quæ toto dispersa corpore ægrotos in magna pericula coniecerunt, præcipuè autem in oculis sæuientia, omnis generis sexusque homines extinxerūt. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

Narrat Nicephorus lib. 15. cap. 10. in grauissima peste sub Martiano Imp. agros per annum integrū coli nequiuisse: ideóq; nec fruges prouenisse. Diuinam igitur prouidentiam illis, qui pestem ex ea superuixissent, alimento quodā aerio prospexisse proximo autem anno, ut sua sponte citra culturam fruges prouenirent, miraculosè effecisse.

D. Hieronymus in Ioelem inquit: Nostris temporibus uidimus agmina locustarum terram texisse IVDÆAM; quæ postea misericordia Domini inter uestibulum & altare, hoc est, inter Crucis & Resurrectionis locū, sacerdotibus & populis Dominū deprecantibus, atq; dicentibus, Parce populo tuo: uento surgente, in mare primū, hoc est in mare mortuum, & nouissimū, hoc est, illud, quod ad Occidentē est, & quod ducit in Aegyptū (in cuius litore sunt Gaza, Ascalō, & Azotus) proiectæ sunt. Cūq; litora utriusq; maris aceruis mortuarū locustarū, quas aquæ euomuerāt, implerētur, putredo earū & fœtor in tantū noxius fuit, ut aerem quoq; corrumperet, & pestilentia tam iumentorum quàm hominum oriretur.

Anno sal. 532. qui fuit Imperij Iustiniani quintus, nouum pestilentiæ genus ORIENTEM inuasit, à Græcis bubonis, à Latinis inguinariæ dictę. quę orta in Aethiopia, sensim inde totum terrarū orbē peruasit, quibusdā ciuitatib. ita prostratis, ut prorsus exhauserit: quibusdā uerò ita affectis, ut afflatu tantū ipso terruerit, nulla certa ratione neq; in adoriendo, neq; in dimittēdo seruata. nā alios ineunte hyeme, alios senescente uere, alios adulta æstate aut autūno inuasit atque in quibusdā oppidis domos oēs attigit, in quibusdā nōnullas. quæq; familiæ priore anno integræ fuerunt, solæ sequēti contabuerūt. quin etiā sæpe qui ex infectis urbibus euadebāt, postquā inter sanos uenissent, soli peribant. Neq; uerò eadē oēs ægritudo tentauit. in quibusdā enim morbus à capite incipiēs, oculos sanguine, & faciem tumore afficiebat. deinde ad guttur accedēs, uitā eripiebat. alij uentris profluuio interibāt, in aliis bubones erūpebant, & febres uehemētes accedebāt. nōnulli biduo aut triduo sana mēte moriebātur. nōnulli uerò de potestate deiiciebātur. erant, qui semel affecti iterū incidebāt. aliis morbū cōsuetudo attulit, aliis attactus, aliis solus fori aditus. Quin etiā quidā integri proximis exitiū importabāt, alij licet cū ægris mortuisq; uersati, morbū tamen, licet cupientes, nancisci non poterāt. Atq; hac tāta malorū uarietate hic morbus pòst orbibus quibusdam sæpius reuocatus, homines in plurimos pòst annos miserè lacerauit. Sigonius lib. 17, Imp. occid.

Ante Iustiniani Imp. excessum & Longobardorū irruptionem, nouū Italiā morbi genus incessit, quo per contagionē uulgato, non integræ solùm stirpes, atq; familiæ, sed ciuitates quoq; frequētes euertebātur. hęc inguinaria, ac bubonis pestilētia nominata. Apparebāt scilicet, ut scribit Paulus, ex im [redacted] aut ulla deleri arte poterant. Nascebantur aut in inguinibus hominū, atq; aliis molliorib. corporis partib. glandulæ, magnitudine nucis, quas mox subsequebatur febriū intolerabilis æstus: quib. qui inciderant, haud facilè diē tertiū superabant. triduo transacto, spes aliqua incolumitatis obiiciebatur. Ea de caussa urbes agriq; aut morte hominū exhauriebantur, aut certè fuga deserebantur, cùm sibi, ut in tantis malis, pro se quisq; cōsuleret. Si quis aūt fortè studio caritatis incensus propinquum aut amicum mandare sepulturæ uellet, mox ipse eadem calamitate oppressus, à proximo relinquebatur insepultus. Sigonius lib. 1. Regni Ital. & lib. 20. Imp. occid.

Anno 31. Iustiniani Imp. CONSTANTINOPOLI adeò pestis est grassata; ut cadauera per triduū insepulta iacuerint, ad ea efferenda non sufficientibus sandapilis. Ideo Imperator aliās CIↃ cōfecit: cumq; ne hæ quidem satis essent, plurimos currus iussit apparari, iumentaq; innumera dedit ad eam rem. Peste aūt intendēte, pleraq; cadauera in litus proiecta; ad sextū diem inhumata iacuerunt: quòd uiui iis sepeliendis non sufficerent, neq; naues iis transuehendis. Sæuiit illa pestis menses duos, Iulium & Augustum. Cedrenus.

Sub Pelagio II. Pp. ex frequētibus pluuiis tāta inundatio ROMÆ facta est, ut urbis muros transcenderet, & magnam bestiarum multitudinem, maximè serpentiū, cum terribili dracone, secum traheret. Secuta est pestis per totā ITALIAM; ex qua Pelagius obiit, anno Christi 590. Platina. Sigebertus.

Anno Domini 654. imperij Constantis XI. cinere pluit, CONSTANTINOPOLI ignis de cœlo decidit, & pestis grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est. Cunctis uisibiliter apparebant bonus & malus angelus noctu ciuitatem circuire: & quoties, iussu boni angeli malus angelus uenabulo, quod manu ferre uidebatur, ostium cuiusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Sigebertus in Chronicis; & Paulus Diaconus libro decimonono rerum Rom.

Anno Domini 682. paulo post Synodum sextam uniuersalem, Constantini decimoquarto, solis eclipsis facta est, & altera lunæ, penè eodem tempore, quam sequuta est grauissima pestis ad menses tres, ROMÆ & TICINI. Narrat Regino, bonum & malum angelum oberrare uisos, & hunc ex illius præscripto uenabulo toties pulsasse fores, quot mori deberent ex eadem domo. Iuo in Chronico, Palmerius, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 2. de Gestis Longobardorum.

Sub Leone Isauro Imp. cùm SARACENI Asiani, Zulemone Admirato duce, Cōstantinopolim triēnali obsidione classe ingenti cinxissent, tandē fame pesteq; discedere coacti sunt: E CONSTANTINOPOLITANIS ad CCC. millia peste periere. Volaterranus libro 23. Anthrop.

Leutheris & Buccellinus fratres, genti Alemanorum Theobaldo Francorum regi subiectæ præfecti, in spem adducti, fore, ut Gothorū ope Italiam ac Siciliā occuparent, cum eis petētibus fœdus, rege nō prohibente, fecerunt, atq; ad id exercitum hominū septuaginta duorū millium ex Francis, Alemanisq; conflarunt. Leutheris præda onustus consiliū domum redeundi cœpit, ac, Buccellino fratre relicto, discessit. Vbi in Venetiā peruenit, & Cenetam urbē suæ tūc ditionis tenuit, exercitū pestilentia inuasit. Leutheris propterea insania correptus, atq; in rabiem uersus, postquam dentib. carnem sibi dilacerauit, & manātem ex uulnere sanguinem degustauit, extinctus est: reliqui omnes aut æstu febris, aut dolore capitis, aut apoplexia, aut mentis excessu agitati periere. Buccellinus à Narsete ad Capuā cum toto suo exercitu est deletus. nam ex Frācis quinq; tantū ex XXX. millibus elapsi. ex Romanis uix octoginta desiderati, qui primam in hostem impressionem fecerant. flumen refertum cadaueribus exundauit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

An. sexto Constātini Copronymi, pestis in Sicilia & Calabria orta, per Græciam & insulas uicinas, tandem CONSTANTINOPOLIN peruenit. In uestibus & uelis, cruces plurimæ, ueluti ex oleo designatæ, conspiciebantur. Multi mente turbati, uidebantur sibi uidere peregrinos homines truculento uultu domos ingredi, hominesque aut uulnerare, aut eiicere: ac plerunq; respondit euentus. Nam lues ista plenas domos euacuauit: tantaq; fuit multitudo morientium, ut omnibus monumentis in urbe & suburbio completis, cisternæ, lacus, uineę & horti sepulcra fierent. Anno Domini 748. iuxta Sigebertum. Sigonius lib. 3. regni Ital. habet an. 746.

Anno Christi 760. cùm Constantinus Copronymus CONSTANTINOPOLIN expugnasset, cùm peste ciuitas esset exhausta, Imperator ex Hellade, ex insulis, & ex aliis locis nouos colonos in urbē introduxit, eamq; populosam effecit, an. imperij 15. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Roman.

Anno decimo Bitrichi, occidentalium Saxonum regis, qui fuit circiter annum sal. 788. uisi sunt flammei dracones in ANGLIA uolitare per aërem: quod signum pestis sequuta est, fames præualida, & infestatio Danica. Ranulphus lib. 5. cap. 28. Polychronici.

Sub Michaele Parapinaceo Imp. nemine prouidente publicis commodis, fames urbanos preſſit, ut publica calamitas manifeſtè deploraretur, cùm interim Imperator literis exerceretur, ac iambos à Pſello conficere doceretur. Ad hæc acceſſit crudeliſſima peſtis, qua tot homines conficiebantur, ut à uiuis ſepeliri non poſſent, ac plurimi ſæpe uno in lecto efferrētur, multiq; in uiis inſepulti iacerent paſſim. Cuſpinianus.

Leontio Imp. CONSTANTINOPOLI Noreſſum portum emundante, bubonis peſtis urbi incubuit, & quatuor menſes multos de plebe extinxit. Paulus Diaconus libro 20. rerum Romanarum.

Anno ſal. 819. propter iuges pluuias, & hominum & boum peſtilentia longè lateque graſſata eſt, per totum regnum FRANCORVM. Frumenta & legumina, uel colligi nō poterant, uel collecta computreſcebant. Vinum etiam acerbū & inſuaue fiebat. In quibuſdā locis nihil frugum ante uernum tempus ſeminari potuit. Annales Francorum.

In Burgundia circa ſolſtitium æſtiuum cruſta glaciei longa pedes quindecim, lata ſeptem, alta duos, de cœlo ruit: peſtis per totam FRANCIAM graſſata eſt. Sigebertus anno 824.

Sub Carolo Caluo & Carolo Craſſo dira lues in boues ſæuiit, maximè circa Rhenū, ubi in agro VANGIONVM, haud procul ab Ingelheim, in pago Vualsheim canes uillatici omnes ad cadauera lanianda conuenerunt. Deinde uno die, una ſimul cohorte, ex iis finibus migrarūt, nec uiui nec mortui cuiuſquam ueſtigium poſtea inuentum eſt, anno Domini 878. Sigebertus, Honorius. Auentinus libro quarto Annalium.

Anno Sal. 1006. peſtis graſſata eſt per totum penè orbem, ut ſepelientium tædio, uiui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cùm mortuis. Sigebertus in Chronico.

Bonifacio IIII. Pp. peſtem, famem, & aquarum inundationē paſſim afflixiſſe mortales, teſtatur Hartmannus Schedelius, & Ioannes de Oppido.

Annum 1094. pluuioſum uocari, eo quòd ab idibus Octobris in menſem Aprilem, perpetuis madauerit imbribus, ac grauiſſimam mox ſubſecutam peſtilentiam, in Flandriæ Chronico Iacobus Meyerus annotat.

Bella inteſtina inter Francorum reges ſub Chilperico, ſæuiſſima lues dyſenterica comitata eſt, quæ totas ferè Gallias occupauit: Gregorio Turonenſe teſte lib. 4. cap. 33 Quo morbi genere periit Auſtrigildis, impia Guntranni regis uxor: & Nantinus comes, Eccleſiaſticorum hoſtis & perſecutor.

Peſtis maxima & fames tāta GERMANIAM ſimul afflixêre, anno Chriſti 1125. ut tertia pars hominum interiiſſe credatur, & uix, qui cadauera ſepelirēt, ſuperſtites fuerint. Cuſpinian.

Annno 1188. quo tertium bellum ſacrum, Gregorio IIX. Pp. cohortāte ſuſceptum fuit, annona ac peſtilentia pariter grauiſſimè laboratum, multis uulgò morientibus, aliis ſtirpium radicibus uix ſe præ uictus inopia ſuſtentantibus. Sigonius lib. 15. regni Ital.

Ceperant Latini Antiochiā Syriæ metropolim, in eā expeditione ſacra, cuius auctor fuerat Petrus Eremita, & centum millia Perſarum, Corbana duce fuſo fugatoq;, interemerant. Victoria opulentiſſima, ex ſumma inopia cunctarum rerum, incredibilem copiam omnis generis diuitiarum, non ad neceſſitatem modò, ſed etiam ad delicias luxumq; attulerat. Nemo egens, beati omnes locupletesq; fruebantur præſentib. bonis, priſtinū quoq; deſiderium abundè affatimq; explētes. Ex hac repētina pręcipitiq; in cōtrarias partes mutatione cultus uictusq;, ſiue alia cauſa, coorta peſtilētia, quinquaginta circiter LATINORVM millia abſūpſit. Aem. l. 4.

Damiatam Aegypti urbē nobiliſs. Chriſtiani Latini arcta premebant obſidione pluſquā annua. In hoſtes grauiſſima peſtilentia graſſabatur. Latini eius mali ignari, cùm inſolentiā hoſtiū in muris admirarētur, ſcalis admotis eam propugnatoribus uacuā cepere. Ex ſeptuaginta millibus HOSTIVM tria tantùm millia puberum (nam infirmior ætas, ac reliqui omnes abſumti miſerrimo fati genere, fame, peſtilentiaque iacebant inſepulti) inuenta: & hi affecti quoq;, uita donati ea lege, ut urbē purgarent. Anno MCCXIX. nonis Nouembribus capta eſt. Præda ingens parta auri, argēti, gemmarū, margaritarū, precioſæ ueſtis ſupellectiliſq;. Aemilius lib. 6.

Sub Henrico V. Imp. crudeliſſima peſtis adeò in homines deſæuiit, ut credatur tertia pars hominū interiiſſe, & uix affuiſſe homines, qui cadauera ſepelirēt. Qua etiam Calixtus II. pontifex obiit. Cuſpinianus.

Obſidente Henrico VI. Imp. Neapolim, an. 1191. per Iuniū menſem cœlo, propter immenſos calores, grauiore atq; inſalubriore effecto, ſæua EXERCITVM peſtilentia eſt adorta: quæ cùm maiorē partem militū abſumſiſſet, Henricus eſt in maximam rerū conſiliorumq; difficultatem adductus. Auxit etiā terrorē Sol, qui IX. Kalend. Iulias furente peſtilentia per aliquot horas mirificè eſt obſcuratus. Quā rem inſignē aliquam principibus plerunq; portendere calamitatem, uulgari hominū obſeruatione compertum eſt. Itaque poſt tres menſes Neapolis ab obſidione liberata. Fama tenet, ipſum quoq; graui fuiſſe morbo tentatum. Sigon. lib. 15. regni Ital.

Sub Philippo Longo Francorum rege, circa annum 1320. peſtilentia ingens exorta. Fama tenet, Iudæos, quos è Francia exegerat Philippus Pulcer, ab Ludouico Hutino filio mox Rege receptos: & ut priſtinum exilium ſuū, bonaq; direpta ulciſcerentur, & priori ſimilem rebus ſuis fortunam præmetuentes, ab Regibus prætereà ſatrapiſq; Turcarum Saracenorumq; pecuniā accepta, elephantiacis, qui ſtipe mendicā da uagi uictitarent, perſuaſiſſe, ut uenena in puteos ſpargerent. Horum quamplurimi comprehenſi. Quęſtione habita, de confeſſis ſupplicium ſumtū. Nihilo ſecius uis morbi iam uiſceribus inſidens, multos mortales abſumſit. Aemil. lib. 8.

Anno ſal. 1342. terræmotu VENETIÆ grauiſſimo ſunt concuſſæ. Succeſſit fames, hinc peſtilentia ab extremo ſeptentrione per totum orbem graſſata. Funeribus ſic exhauſta eſt Venetorum ciuitas, centeſimo quoq; uix euadente, ut ad multitudinem reſarciendam, necnon & ad tollendam uaſtitatē, quæ ciuitatē magnoperè deformabat, lata ſit lex, ut quicunque Venetias habitandi cauſa per id tempus migraſſet, fuiſſetque ibi totum biennium, pro ciue haberetur. Sab. lib. 8. En. 9. & lib. 3. Dec. 2. Quinetiam dux ipſe non multo pòſt obiit, anno duodecimo peracto: & ne quod malum deeſſet, Marinum Faletrum, tyrannidis affectatorem, ſucceſſorem habuit. Egnat. lib. 7. cap. 6.

Anno ſal. 1348. capto ab Anglis rege Scotorum Dauide, peſtis per totam SCOTIAM ſæuiit, ut tertiam partem populi abſumſerit. Et ſecunda hęc fuit peſtilentia, quam Scotia uiderit. H. Boëthius lib. 15.

Comes Douglas ſub Roberto II. Scotorum rege in Angliam irrumpens, cum uiginti militum millibus Pennyr nundinarum tempore diripuit: maximamq; prædam abducens, peſtilentiam quoq; attulit: quæ duobus deinceps annis quanta nunquam antea clade SCOTIAM affecit. Numeraturq; hæc tertia, ex quo primùm uiſa in Scotia fuit anno ſal. 1180. H. Boëthius lib. 16.

Circa an. ſal. 1464. ſæuiit peſtis grauiſſima per VANDALICAS urbes, refugiens omnem opem medicam. Ipſius naturæ beneficio pauci ſuperauere uim ueneni. At ſi manus medētis acceſſiſſet, illicò furens uenenum, atrocius in omnem partem corporis ſæuiebat. Multę hominum myriades breui periere. Cranzius lib. 12. Vandaliæ, cap. 31.

Circa an. ſal. 1424. Ruſſorum urbem clariſſimam NOVGVARDIAM tanta lues inuaſit epidemiæ, ut intra ſex menſes octoginta hominum millia perierint, tantā celeritate, ut ambulantes in plateis mox conderent, & ad ſepulcra mortuorum, qui ſani tumulandis aliis aduenerant, cum mortuis mortui tumularentur. Auxit aeris corruptionem multitudo inſepultorum cadauerum. Cranzius lib. 11. Vandal. cap. 5.

FLORENTIÆ anno à Virginis partu MCCCC. peſtis triginta hominum millia abſumſit.

Anno 1438. GENVAM peſtilentia inuaſit, Piſis aduecta. Nam cùm miles quidam inde profectus, clàm Genuam ueniſſet, ac ſeruā, cui aſſueuerat, contactu infeciſſet, illa in muliercularum grege obuerſata, quarum pleraq; lactantes ſinu geſtabant infantes, morbum in proximas uulgauit. Iacobus Bracellus lib. quarto belli Hiſpanici.

PARISIOS adorta peſtis, anno ſalutis MCCCCLXVI. ad hominum quadraginta millia occidit. Ritius Neapolitanus lib. 3. Francorum regum.

Anno 1529. nouum morbi genus GERMANIAM inuaſit. Sudore peſtifero correpti homines, intra uigeſimam quartam horam aut exhalabant animam, aut, ſi uirus excudaſſent, ualetudinem paulatim recuperabant: &, prius quàm de remedio conſtaret, multa perierunt millia. Malum hoc, inde ab Oceano, per omnem propè Germaniam peruaſit, breuiſſimo tēporis ſpacio, & incredibili celeritate uelut incendium aliquod lōgè lateq; depaſcebat omnia. Vulgò dicitur morbus Anglicus. Nam Henrici VII. Britanniæ regis anno primo, qui fuit ann. ſal. MCCCCLXXXVI. eadem lues ANGLIAM inuaſit, & quoniam in re noua remediū erat incognitum, ingentem hominum ſtragem edidit. Sleidan. lib. 6.

Anno 1500. LONDINI in Anglia peſtis plus quàm triginta millia abſumſit. Polyd. lib. 26.

Sub Clemente VII. peſtis adeò triennio totam ITALIAM peruagata eſt, ut uix decimus quiſque ex milleſimo hominē ſuperfuerit, cùm ob iubileum contagione hominum undique Romam commigrantium, ſqualore, ſitu, pedore, omnia inficerentur. Platina.

Anno Chriſti 1528. peſtilentis morbi lues diffuſa per omnes ITALIÆ regiones, tertiam ferè mortalium partem abſumſit, deficienteque paſſim annona, quę immenſo precio cunctis in urbibus creuerat, multi inopeſque præſertim inſolitis utentes cibis, contacta tabe ſenſim interierunt. Iouius lib. 26. Hiſtor.

[redacted] qua

[redacted]

Grauiſſima fuit peſtilentia illa, quæ noſtris temporibus anno Chriſti 1564. GERMANIAM primùm, deinde etiam GALLIAM peruagata eſt. Baſileæ nulla domus fuit, quam non lues iſta corripuerit. Quo ipſo tempore prima huius Theatri editio ſub prælo erat. Paulo remiſſior illa, quæ hoc anno 82. Rheni tractum ſecuta Baſileam inuaſit: quo tempore tertiam Theatri huius editionem, bene fortunante ſupremo Numine, ſub manibus habuimus.

Fulmine, Tempeſtate.

☞ *Ex Tit. Fulminatorum huc quædam.*

PHLEGYARVM gēs ob direptionem templi Delphici Apollinis crebris fulminibus & telluris uehementiſſimis motibus funditus ferè deleta: qui reliqui fuere, eos peſtilentia abſumſit, præter paucos, qui in Phocidem effugerunt. Pauſanias in Bœoticis.

Primo anno Leonis Iſauri, SARACENI partim in Thraciam, partim in Hiſpanias irruerunt. In Thraciam Zulemon Saracenorum Aſiaticorum dux traiecit cum claſſe nauium trecentarum, ut Sabellicus Ennead. 8. libro ſeptimo, aut octingentarum, ut Paulus Diaconus libro 21. rerum Rom. aut mille, ut Blondus libro 10. Decad. 1. aut trium millium, ut Cuſpinianus. Maſalmas etiam cum exercitu per Abydum irrupit: & poſtea Gizid ex Africa naues trecentas & ſexaginta bene inſtructas adduxit. Vaſtarūt caſtella Thraciæ, & Cōſtantinopolim obſedere. Sed Imperator igniferis nauib. ab Atropoli emiſſis, pleraſq; hoſtiū naues incendit. Hyems etiam aſperrima, equos & camelos & homines confecit. Zulemōne mortuo, Aegyptiæ naues cum frumento Conſtantinopolim uenere, ab hoſte deficientes. Fames in Saracenos adeò graſſata, ut equos & aſinos & camelos cogerētur edere, & homines mortuos, & propria ſtercora in fornace nonnihil toſta: plurimi etiam peſte interierunt. Cùm in Bulgariam prædatum excurriſſent, triginta duo millia, iuxta Sigebertum (Paulus tantùm uiginti habet) amiſerunt. Reliqui cùm triennium Cōſtantinopolim obſediſſent, iuxta Bedam, Reginonem, & Iuonem (licet Paulus Diaconus ſecūdo anno Leonis, ſolutam obſidionem indicet, & Blondus biennium tantùm aſſignet) re infecta nauibus diſcedētes, tempeſtate atque grandine ignea perierunt omnes, præter decem, quarum quinq; à Romanis interceptæ, quinque in Syriam penetrauere. Atque ita diuinitùs Saraceni repreſſi ſunt, qui totum imperium Romanum ſpe iam deuorauerant. Anno Domini 720. iuxta Sigebertum.

Incendio.

☞ *Ex Tit. eorum, qui Igni periere, huc quædam, quatenus multi ſimul occumbunt.*

In turri Sichem mille HOMINES ſubiecto igne cremati fuerunt. Iudicum 9.

Inundatione.

☞ *Vide Tit. Inundationū, quatenus Fortunarū damna Mortes hominum coniunctas habent. Hic reſpectu eorum, qui ſimul pereunt.*

Anno 1020. Albis & Viſurgis redundantes, SAXONIÆ amnes, damna multa intulerunt accolis: ſecuta eſt peſtis, qua extinctorum corpora ſerpentibus plena, non ſine tædio, terræ mandabantur. Chron. Saxoniæ.

BRVNO dux cum exercitu Saxonum, Danos ab incurſione repellens, inundatione repentina obrutus, cum omni exercitu periit, relinquens fratri Othoni Magno ducatum. Cuſpinianus.

Naufragio.

☞ *Vide Tit. Naufragiorum. Illic Nauium corruptarum; hic Hominum ſubmerſorum ſimul habetur ratio.*

EPICLES Spartanus quinquaginta nauibus ad montem Athon uehebatur. Repentè tempeſtas tanta extitit, ut nauigia cuncta naufragio diſcerpta perierint, atq; ex omni uirorum numero ad duodecim ſoli periculo ſuperfuerint. Diodorus libro decimotertio.

Mardonius Gobryæ F. Darij gener, ex Helleſponto claſſem Acanthum miſit: quæ ex Acantho ſoluens, dum Athon circūuehitur, Aquilo uehemens in eam irruens, nauium pleraſq; in Athon perpulſas, ad trecētas afflixit, ut ſupra uiginti millia HOMINVM interierint: partim à feris rapti, partim quòd natare neſcirent, partim quòd petris alliſi (nam ſæuiſſimum circa Athon eſt mare) partim gelu abſumti. Herodotus libro ſexto.

PERSARVM XX. millia circa Athon montem in Macedoniæ ora periere naufragio, uiolento Aquilonis flatu diſiecta ea claſſe, quam Darius Perſarum rex in Græciæ perniciem armauerat. Sicuti altera, quam Xerxes longe maiorem Græciæ immiſerat, non minore cum ſtrage in Chalcide ab Helleſpontia uento afflicta eſt: ut pro libertate Græcorum ipſa elementa depugnare uiderētur. Herodotus libro ſeptimo, & Strabo libro nono.

Nullius caſus cladiſue ROM. memoria atrocior, ac proindè minus debilis, quàm Siculi naufragij, quod in decimū annum incidit primi belli Punici, M. Aemilio & Fuluio Nobiliore Coſſ. qui inter Canis & Orionis ſigna importuoſam Siciliæ oram legentes, ſubita tempeſtate CCCXXCIV. naues amiſêre. Iacuit litus inſtratū cadaueribus & naufragiis, ut nulla hominum memoria maior credatur iactura in mari accepta. Sabel. lib. 10. cap. 5.

Naues Arabum SARACENORVM, quæ cum Haumaro ad obſidionem Conſtantinopolis, Leonis Iconomachi Imp. tempore remanſerant, XV Auguſti die, magno cum dedecore domum diſcedere conatæ, immiſſo diuinitùs turbine partim ad Proconneſum, partim ad Apoſtrophos & reliqua litora ſubmerſæ ſunt. Superſtites cùm in mare Aegæum perueniſſent, ignea grando immiſſa ebullire mare fecit: ac pice liquata, ſolis quinque nauibus in Syriam perlatis, reliquæ omnes cum uectoribus perierunt, potentiam Dei noſtri teſtatæ. Cedrenus.

HOTHEBROTVS Suecorū rex ad rebelles Danos domandos claſſe nauigans, tēpeſtatis ui in mari periit. Io. Magnus libro 2. capite 18.

Ericus Pomeranus, Danorum rex, rebellantes Suecos ad officium redigere uolebat. Exorta grauiſſima tempeſtate, una grandis nauis ſoluitur: centum ac ſexaginta VIRIS demerſis, pauci enatauere. Nauis prætoria quaſſata, dum rex in ſcapham deſcendit, cum uectoribus in conſpectu regis ſubmerſa fuit. Cranzius lib. 5. Sueciæ, c. 36.

Submerſione.

Mortuo Magone TARTARORVM rege, Haalon eius frater è Syria, quam iam ferè ſubegerat, ad occupandum regnum feſtinans, nuncio accipit, Cobillam fratrem regnare, & Barchen alterum fratrem infeſto exercitu ſe petere. Vbi in conſpectū uenere acies (annus is fuit Sal. hum. 1260.) ſorte quadam concurſum eſt in alueo fluminis (nomen Haytonus Armenus non ponit) glacie concreto. Hic medio pugnæ ardore ſoluta eſt glacies uehemētiore ungularum attritu, abſorptaq; cum ſuis equis ad triginta millia hominum utriuſque exercitus: ſicq; marte neutro inclinante, ingenti tamen clade utrinque accepta, diuerſæ inde abierunt acies. Sabellicus libro 7. Ennead. 9.

Prælio terreſtri, Vi aperta.

☞ *Conſule Tit. Victoria cruēta. Illic Victoriæ, hic Calamitatis & Mortium habetur ratio. Item, In acie cæſi. Illic Functionis ſingulorum habetur ratio: hic Deleti exercitus.*

Dicæarchum Peripateticum, uirum doctum, & totius memoriæ antiquitatis peritiſſimum, collegiſſe ſcribit Cicero omnia cladium genera, queis unquam humanum genus eſſet afflictum, peſtes, fames, eluuiones, incurſus beſtiarum, terræmotus: & ex altera parte poſuiſſe bellorum iniurias: has uerò oſtēdit plures HOMINES abſumſiſſe, quàm reliquas omnes. & tamen nondum tot bella, tanta continuatione, tot locis, tanto furore erant geſta, quàm fuerunt poſt illum: nondum cognita erat bombarda, Satanæ inuentum. Lud. Viues de Concord. & Diſcord. lib. 2.

MADIANITÆ omnes ad internecionem ab Iſraelitis cæſi, (exceptis ſolis uirginibus) inter quos quinq; reges illorum fuere, Euis, Recem, Sur, Hur, & Reba: item Balaamus Beoris F. uates, qui Iſraelitas fauſtis ominibus proſecutus fuerat. Numeri trigeſimoprimo.

SEHON rex Ieſeboniorum Amorræorū, cùm Iſraelitis tranſitum per ſuam terram concedere nollet, ab iis cum omni ſua gente ad internecionē cæſus eſt. Deuteronomij 2. Sic etiam OGVM Baſanæ regem, qui unus ex gigantum reliquiis ſupererat, cum toto exercitu deleuerunt, & oppida ſexaginta, præter ingentem numerum pagorum, ceperunt, mulieres & impuberes omnes à ſtirpe exciderunt. Deut. 3.

AMALECHITÆ ab Iſraelitis ſub rege Saulo ad internecionem deleti ſunt ab Heuila uſque ad Sur contra Aegyptum: eo quòd 400. antè annis Iſraelitas ex Aegypto egreſſos in itinere infeſtaſſent. Rex eorum Agagus captus, à Samuele propheta Galgalis in fruſta fuit diſſectus. Libro primo Regum, capite decimoquinto.

Iephtha Galaadites Israelitarũ iudex, XLII. millia EPHRAIMITARVM aduersus se insurgentium, quòd eos ad belli aduersus Ammonitas societatem non uocasset, prope Iordanem uoce Siboleth proditos, interfecit. Iudicum 12.

Propter uxorẽ Leuitæ fuerunt occisa plusquã sexaginta quinque millia BENIAMITARVM, præter mulieres & paruulos, exceptis sexcentis, in tribus reparandæ seminarium seruatis. Iudicum 20.

Sub Heli iudice, quãdo fuit capta area Domini, ceciderunt ex ISRAELITIS triginta millia peditũ pugnatorũ. 1. Reg. 4.

Phinees cũ duodecim millibus debellauit MADIANITAS. Preter uiros & mulieres cęsas, triginta duo millia uirginum in præda fuerunt, animalium maxima multitudo. Num. 31.

Sisara dux exercitus Iabini Chananæorũ regis, Hasore regnantis, DCCCC currus ferreos contra Israëlitas armarat. Verùm à Baraco Abinoami F. & XII Nephthalensium & Zabulonitorum millibus fugatus, EXERCITVS eius ad internecionem cæsus, ipse à Iaele Hebris Cenæi (qui ex cognatione erat Habobi soceri Mosis) uxore hospitio susceptus, clauo per tẽpora adacto, necatus est. Et deinceps Iabin sensim euersus est. Iud. 4.

Gedeon iudex Hebrçorum percussit quatuor reges MADIANITARVM, Oreb, Zeb, Zebeã, & Salmanam: interfecitq; ex eorum exercitu CXX millia hominum apud Iordanem nocte una. Iosephus lib. 5.

Dauid rex, MOABITIS deuictis, tertium quemque incolumem dimisit, reliquis interfectis. Adarezerum Sophenæ regem cum XX millibus peditum, & MDCC equitibus deleuit. Adadum Damasci regem cum XXII millibus occidit. Reuertens in ualle Salis Syrorum XVIII millia, & apud Gebelem XXIII millia interfecit. 2. Reg. 8.

Pekah rex Israelitarum, Hierosolymam obsidens, IVDÆORVM eruptionem facientiũ CXX millia occidit, & ingentẽ prædã abduxit. Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 13. ex 2. Paralip. 28.

Abia rex Iuda, occidit uno die de exercitu IEROBOAMI regis Israëlitarum quingenta millia. 2. Paral. 13. & Iosephus l. 8.

Asa rex Iudæ, habuit in exercitu suo DXXC millia uirorum: Aethiopes uerò decies centena millia. AETHIOPES usque ad internecionem perierunt, quia Domino cædente contriti sunt. 2. Paral. 14.

IOACHAZVS Iehu F. Israëlitarum rex, Ieroboami idololatriam secutus, ab Hazaële Syrorum rege clade maxima fuit affectus. 4. Reg. 13.

SYRORVM centum millia ad urbem Aphecam ab Achabo Israëlitarum rege cæsa, eorumque rex Benadadus captus, XXVII millia ruina muri periere. 3. Reg. 20.

Iudas Machabæus mille militib. NICANOREM Demetrij regis legatum cum IX millib. ad Bethoron uicum ad internecionem cecidit. 1. Machab. 7.

Idem ducenta triginta sex HOSTIVM millia, & septingentos occidisse scribitur. 2. Mach. 15. dum contra Nicanorem, Seronem, Timotheum, Bacchidem, duces Epiphanis & Eupatoris Antiochorum, patriam religionem fortiter defenderet.

Iudæorum tria millia à Ionathane Iudæorum duce ad regem Syriæ Demetrium Nicanorẽ missa, orta seditione, ANTIOCHIÆ centum millia trucidarunt, urbemq; incenderunt, quæ à Demetrio ad Antiochum Sedetem deficere parabat. 1. Machab. 11. & Iosephus lib. 13. cap. 9.

Priscis mos erat, ut uates aciem præcederet, lauro coronatus, ac faeẽ gestans, πύρφορος inde dictus. Ab hoc belli uim abstinebant utrinq;, q nefas ducerent, in uirũ sacrum ferrum stringere. Proinde si crudelem aliquã stragẽ significare uolebant, ne ignifero quidem parcitum aiebant. Meminit adagij Eustathius Iliados μ, enarrans hos Homeri uersus:

Οὐκ ἔτ' ἔπειτ' οἴω ἐσθ' ἄγγελον ἀπονέεσθαι
Ἀψόρρον προτὶ ἄστυ. Erasmus.

Cùm Terra nimia hominũ multitudine se premi cõquereretur apud deos, Iupiter consiliũ iniit, ut uetustissimã dearum aliqua ratione exoneraret. Momus igitur, aliis aliud cõsilium dantibus, suasit, atq; etiam persuasit, ut primò Thebanũ bellum excitaretur, inter Polynicẽ & Eteoclẽ fratres, in quo totus ARGIVORVM exercitus, qui Polynicẽ secutus fuerat, unico Adrasto rege excepto, cecidit: deinde, si illud satis esse nõ uideretur, per Thetidis θνητογαμίαν, & θυγατρὸς καλλῆς γένεσιν, Helenæ scilicet, belli Troiani cruentissimi fundamenta iacerentur. Sic igitur terra fuit exonerata. Euripides in Oreste, & Eustathius in primo Iliados, ubi inquit Homerus:

—Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. Ad Troiam corruere ex ARGIVIS, sicut Dares scribendo tradidit, octingenta octoginta sex millia. Ex TROIANIS usq; ad oppidum proditum 676 millia, per decennium.

Zoroastres Bactrianorum rex, quadringentorũ milliũ exercitu, NINO Assyriorũ regi obuiam factus, qui pedites ad decies septies centena millia, equitum millia ducenta, currus falcatos XM habuit, eum in fugam uertit, & usq; ad mõtes proximos, centum millibus hostium cæsis, persequutus est.

[redacted] qui ad Euxinum uergunt, quos Ponticos uocant. [redacted] ex spoliis festa celebrarent, Persarum imperatores eos noctu adorti, funditùs deleuere: ac petram quandam, in campo sitam, in montis figuram, terra exaggerantes, muro circundederunt, Zela dictum, atque Anaitidis & sociorũ deorum Amani & Anandati, qui sunt Persarum numina, constructo delubro, annua ibi solẽnia instituere, nomine Sacæa. Nonnulli uerò tradunt Cyrum, ducto aduersum eos exercitu, prælio superatum aufugisse: castra bonis omnibus instructa, præsertim uino, reliquisse. Sacæ castra uiris deserta reperientes, immodicè implebantur. Cyrus conuersus uino lentos oppressit, & diem illum patriæ deæ consecrans, Sacæa nominauit. Die ac nocte Bacchanalia agitantur, & uiri simul ac mulieres eo usque potant, donec stupore comprehendantur. Strabo lib. 11.

Diomedes in Daunia Apulia deleuit gentes MONADORVM, DARDORVMQVE, & urbes duas, quæ in prouerbij ludicrum uertẽre, APINAM & TRICAM. Plinius libro tertio, capite undecimo.

Cùm, suadente Pythia, Gręcorum ingens multitudo Cyrenam se contulisset, Batto tertio regnãte, finitimorum Pœnorum agros uastabant, atq; inter se partiebantur. At illi eorumq; rex, nomine Adicran, agris exuti à Cyrenæis, missis in Aegyptum quibusdam, sese dediderunt Aprij Aegyptiorum regi. Iste comparatum grandem AEGYPTIORVM exercitum misit aduersus Cyrenas. Cyrenæi instructa apud Irasa locũ & ad fontem Thestin acie, cum Aegyptiis conflixerunt, eósque superauerunt, utpote inexpertos antea atque contemptores Græcorum: adeoque profligarunt, ut pauci ex eis in Aegyptum redirent. Qua de re Aegyptj succensentes Aprij, ab eo desciuerunt. Herod. lib. 4.

Maior Cyrus, qui Lydorum regnum euertit, trans Araxem fluuiũ cum CC millibus PERSARVM à Scytharũ regina Tomyri tam fœda occidione occisus est, ut ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit. Sab. lib. 6. cap. 5.

In Marathonijs campis ducenta millia PERSARVM uno aiunt prelio deleta: & quod magis miretur posteritas, decem millia duntaxat Atheniensium duce Miltiade, cum Platæensibus mille auxiliaribus, aduersus sexcẽta Barbarorum millia, quos Artaphernes & Datis regis Darij præfecti ducebãt, aciem struxẽre. Sab. lib. 6. cap. 5.

Calamitosius EIDEM genti adhuc bellum haud dubiè habendum, quod Xerxes in Græciam instaurauit, si Salaminiæ pugnæ, & Platæensis damna æqua lance æstimentur: ac uerius uero dixerit, si quis ex nullo unquam bello affirmet maiorem humano generi iniuriam inuectam. Namq; duce Pausania Lacedæmonio, ad Platæas Mardonium Xerxis ducem cum CCC millibus profligarunt. Ad centum millia Persarũ occiderunt, decem millibus suorum desideratis. Diodorus libro undecimo, capite primo. Quid funerum absumtum sit, illud argumento fuerit, quòd cadauera passim strata prælio uel tempestate, corporaque morbo & uastitate enecta, aliosque alia peste absumtos, mare & terra uix ceperit. Quique modò terrestres naualesque copias ultra decies centena peditum, equitum uerò octoginta millia armatorum, in expeditionem duxerat, cuique sexcenta millia frumenti modia diurna cibo, & tot flumina exhausta potui non suffecerint: is cum multa cæde & fuga à paucissimis cæsus & profligatus, inconsulti certaminis, & temerariæ expeditionis insignes pœnas dederit: ipseque tanti exercitus imperator magnificus, tanta clade oppressus, inter mi naue per stragem corporum armorumque uix effugerit. Alex. ab Alexan. lib. 6. cap. 25.

Ad Mycalen Ioniæ, duce Leontychida Spartano, & Xanthippo Atheniense, PERSARVM ad XL millia cæsa: qui superfuêre, partim ad exercitum, partim Sardeis concessere. Diodorus libro undecimo.

ARGII apud Tirynthum à Cleomene rege Lacedæmoniorum cæsi, plures in lucum Argi fuga elapsi sunt. Quos cùm Cleomenes redemtione simulata euocatos interimeret, reliqui re cognita prodire ampliùs noluerunt. Itaq; Cleomenes ignem luco iniecit, & Argiuos omnes uiuos exussit. Ex eo igitur Argos ita uiris desolatum est, ut serui eorum res omnes susceperint, atq; magistratus administrarint, dũ filij cęsorũ ad puberem adolescere ætatem: qui sese in suum ius asserentes, ac reuersi Argos, mancipia eiecere. Serui eiecti, prælio Tirynthum obtinuere, eatenus quidem, dum fuit in eis mutua beneuolẽtia, & donec ad eos uenit uates quidam Cleander, genere Phygaleus, ab Arcadia. Is persuasit seruis, ut dominos adorirentur. Vnde bellum inter eos diuturnum extitit, donec Argij ægrè euasere uictores. Ob hoc igitur aiunt Argij Cleomenem, ad insaniam redactum, malẽ perijsse. Herod. lib. 6.

Ad Leuctra Epaminõdas Thebanus LACEDÆMONIOS ingẽti superans prælio, eorũ calamitatis & cladis initium reperit. Ex eo enim tempore Græciæ principatum ultrà recuperare nequiuerunt, quem prius adepti tenebant, præsertim posteaquam secundò apud Mantineam congressi, rem infeliciter gesserunt. Vnum tamen illis, quanquam hunc in modum afflictis, permansit, ut nullorum aliorum ditioni subiecti sint, usque ad Romanorum imperium, à quibus eis habitus perdurauit honor, propter regendæ ciuitatis probitatem. Strabo lib. 9.

LACEDÆMONII maxima omnium clade, qua Græci Gręcos affecerint, ad Arginusas ab Atheniensibus affecti. Diodorus libro 13.

Cùm bellum esset inter PRIENENSES & Samios, initiò mediocribus damnis inuicẽ sese afficiebant: deinde iusto prælio commisso, mille Samij à Prienensibus occisi sunt. Septimo pòst anno congressi cùm Milesiis, primos quosque ciuium, ac nobilissimos simul uno prælio amiserũt. Post eam calamitatem, Prienensium feminæ per tenebras, quæ circa Quercum erant, obtestati ac deierare ceperunt, quòd liberos, parẽtes, maritos, carissima quæq; pignora eo loco perdidissent. Plut. in Problematis.

Cùm ATHENIENSES ad repetendas statuas Damiæ & Auxesiæ, quas Aeginetæ Epidauriis abstulerant, Aeginam triremim misissent: Aeginetæ Argiuorum ope implorata exercitum Atheniensium ad internecionem ceciderunt, unicó tantùm superstite, qui Phalerum profugit. Alij tamẽ narrãt, Athenienses, dum statuas restibus deuinctas in nauim pertrahere conarentur, furore diuinitùs agitatos, mutuis cõcidisse uulneribus. Herodotus lib. 5.

Cæsa sunt in prælio ad Issum Ciliciæ commisso inter Darium Persarum & Alexandrum Macedonum reges ad centum uiginti millia peditum BARBARORVm, equitum haud minus decem millibus. Macedones pedites circiter trecenti, equites centum quiquaginta desiderati sunt. Diodorus libro decimoseptimo.

Prælio ad Arbela contra Darium ab Alexandro commisso, creduntur in ea pugna BARBARORVM peditum & equitum plures 90000, Macedones ad 500 cecidisse, uulnerati fuisse quamplurimi. Ibidem.

Zopyrion Ponticæ regioni præfectus ab Alexandro, otiosum seratus, nisi aliquid suo ductu ea quoque parte gereretur, cum XX millibus hominum, Scythis, qui supra Pontum incolunt, bellum intulit: cæsusque cum toto EXERCITV pœnas luit innoxiæ gentis temerè lacessitę. Sabellicus libro quinto, Enn. 4.

Pyrrhus Epirotarum rex, ad Sirin fluuium primùm ROMANOS uicit. Rom. cæsa XVM. de GRÆCORVM exercitu XIIIM. Secundo prælio ad Asculum commisso, desiderata exambob. exercitib. Pyrrhi & Romanorũ plus quindecim millia. Ibi fertur Pyrrhus ad quendam sibi gratulantem dixisse: Actum planè de nobis sit, si uno adhuc prælio uincendi nobis sunt Romani. Quippe exercitum, quem portauerat in Italiã, amiserat magna ex parte, amicos ducesq;, paucis exceptis, omnes: nec supererant alij, quos exciret: & socios, quos illic haberet, uidebat segniores: contrà Romanis quasi ex fonte affluente suppleri domo abundè & celeriter legiones, neque infringi cladibus animum, sed pertinaciam & contentionem animi iis ex ira ad prælium crescere. Plutarchus in Pyrrho.

Ad Cannas ROM. ingenti clade affecti. Quadraginta millia peditum, duo millia & DCC equites cæsi, pari propè numero ciuium sociorumque, & præter alterum consulem P. Aemilium quæstores duo, unus & XX Tribuni militum, Consulares, Prætorij, Aedilitij quidam, & in his Gn. Seruilius prioris anni consul. Polybius Attilium quoq;, qui cum Seruilio nuper consul fuerat, ea acie periisse, auctor est. Periit & Minutius, qui sub Fabio equitum magisterium gesserat: LXXX senatores, aut qui tali honore functi essent, ut meritò in senatum legi deberent. Capta in acie tria millia peditũ, & CCC equites: Ex hostibus, ad quinq; millia & sexcentos periere. Anno 540. V. C. Postridie quum uictor Pœnus legeret spolia, multi reperti sunt, qui uulneribus matutino frigore obstrictis, inter cadauerum aceruos surrexerant, hicq; hostiũ iniuriã obruti. Alij non pauci cæsis feminibus poplitibusque iacentes, ad reliquum sanguinis hauriendum porrecto iugulo hostes inuitabant. Quidam tellure effossa caput immerserant, terraq; superiniecta expirauerant. Subtractus est Numida Romano mortuo superincumbẽti, naso auribusq; laceris. Is manibus ad tractanda arma inutilibus factis, in iram & rabiẽ uersus, subiectum hostem dentib. moriens laniauerat. Sab. lib. 1. En. 5. ex Plut. Fabio; & Liuio.

Trebiam, Trasimenũ & Cannas Romanus cruor nobilitauit: sed maior propemodũ clades ad Metaurum Vmbriæ flumẽ POENIS repensa est, ubi sexaginta & amplius Pœnorum millibus cum Hasdrubale duce, ex Hispania ueniente, ut sese fratri Hannibali iungeret, cæsis, Claudius Nero & M. Liuius Salinator Romanorum sanguinem toties eo bello fusum fortiter uindicauêre. Nec uictoria Romanis paruo constitit, octo millibus hominum ea acie amissis. Ingens præda parta est, auri & argenti immensum pondus. Postridie nunciatum est Liuio, Ligurum & Gallorum consternatam manum domum abire sine duce, ac penè inermem, modico equitatu immisso, ad unum occidione occidi posse. Sint, inquit ille, aliqui hostium suæ cladis nuncij, nostræq; uirtutis testes. Adeò hostilis sanguinis satietas uictores ceperat. Sabel. lib. 4. En. 5. & lib. 6. c. 5. Exemplorum.

ROMANI, signa Gallis ad urbem rapientibus, legiones non pauciores numero (erant enim non infra 40 millia peditũ) uerùm tumultuarios plerosq, ac tirones ad bellũ eduxerũt, deorum immemores, non litato, non auspicato, quomodo expetere pacem deum ante certamen & pugnam conueniebat. Iam ducum multitudo non mediocrem confusionẽ rebus gerendis attulit: cùm tamen ad media bella multis tempestatibus antè unicum ducem, quem Dictatorem uocant, dixissent: haud nescij, quanti dubiis temporibus intersit uno animo ciues libero imperio, à quo prouocatio nõ sit, dicto esse audientes. Maximo detrimento Reipub. Camilli indigna fuit fortuna in exilium acti. Profecti ab urbe ad undecimum lapidem castra metati sunt prope flumen Alliam, qui haud procul inde immiscet se Tyberi. Quo loco cum obuiis Barbaris fœdè, quia incondita omnia apud ipsos erant, præliati in fugam uertuntur. Sinistrum cornu in amnem actum illicò hostes oppressêre. In dextro, quod ex campis sensim impressionem declinans ad colles successerat, minus damni acceptum. Horum plerique inde incolumes euaserunt ad urbem. Alios, quos hostis satietate cædis reliquos fecerat, quasi Roma desperata, ac complorata Republica, fuga nocte detulit Veios. Plutarchus in Camillo.

Bello Punico secundo, reuocato in Africam Annibale, urgente P. Scipione, duarum nobilissimarum bello gentium duo clarissimi duces, de imperio orbis terræ prope Zamam, supremas uires quasi in medium effundentes, pugnam memorabilem conseruêre: in quã uictores Romani, primùm hostium elephantos, deindè equites in fugam uerterunt, demùm acrius inferentes pedem, totam aciem profligarunt. Cæsa aut capta ex CARTHAGINENSIVM copiis supra XL millia hominum à Romanis ferunt. Annibal ex tanta cæde incolumis euasit, nullo strenui ducis eo die munere prætermisso. Auctor uitæ Scipionis.

P. Cornelius Nasica Consul Gallos BOIOS ingenti prælio uicit. Ad duodetriginta hostium millia cæsa, auctores quidã tradiderunt. Capta tria millia & amplius, cum signis militaribus CXXXVII. Ex uictore exercitu mille & quadringenti perierunt. Boij ea clade afflicti, haud multo pòst in deditionem uenere. Sab. lib. 7. En. 5.

Q. Fabius Maximus consul, cum Cn. Martio Rutilio apud syluam Cieiniã LX HETRVSCORVM millia partim cepit, partim interfecit. Liuius.

C. Sulpitius SAMNITES apud Maleuentum superauit, cæsis ex eis ad XXX millia. Front. lib. 2. & Liuius lib. 7.

L. Lucretius Tricipitinus, cum T. Veturio Gemino consul contra VOLSCOS profectus, eorum nomine propè deleto, X millibus & CCCCLXX cæsis, triumphum duxit. Liuius libro tertio, Dec. 1.

T. Manlius Torquatus bello secundo Punico, qui Consul antea SARDOS subegerat, rebellantes magna clade affecit, XXX millibus cæsis, Hasdrubale capto. Volaterranus libro 17. Anthropologiæ.

C. Cassio Longino, & Domitio Caluino consulibus, qui annus fuit V. C. 627. primùm Romana arma in Gallos translata, aduersus ARVERNORVM gentem, eorumque regem Virturtum. Is uirorum numero fretus, iactare erat solitus, fore ut Romani ob insignem paucitatem, ad escam canibus, quos Galli in exercitu alerent, haud satis futuri essent. Habebat sub signis ad centum octoginta hominum millia. Cæterùm uictus est Gallus, cẽtum quinquaginta bellatorum millibus partim cæsis, partim Rhodano submersis. Præda ingens ex Gallorum torquibus sublata, Virturtusque uiuus uenit in Romanorum potestatem, deque eo consules Romam reuersi celebrem triumphum egere. Sabellicus lib. 1. Enn. 6.

Fabius Maximus Aemilianus, Pauli nepos, Bituitum ARVERNORVM regem ingenti prælio uicit, cæsaq; sunt una pugna, ut Liuius scribit, centum uiginti Gallorum millia. Strabo ducẽta numero profligata prodidit, quũ triginta, nec amplius, Romanorum millia in acie stetissent. Bituitus Romam profectus, ut senatui satisfaceret, Albæ est iussu patrum custoditus. Sab. lib.1. En.6.

M. Crassus bello seruili uictor fuit, trecentis supra XII millia SERVORVM diuersis in locis cæsis. Plut. in Pompeio.

Ad Tigranocertam Armeniæ, Lucullus Tigranem regem uicit. Centum millia BARBARORVM & amplius eo die cæsa Plutarchus tradidit. Ex tã numeroso nuper equitatu, præter paucos, omnes desiderati. Nullo unquã prelio, ut Liuius scribit, Romani pauciores numero aduersus tot millia hostiũ cõflixerunt: ut uictorum numerus uix æquauerit uigesimam eorum partem, qui uicti sunt. Sab. lib.4. En.6.

C. Manlius & Q. Seruilius Cœpio proconsules, à Cimbrorum gente circa Rhodanũ ingenti prælio uicti, castris exuti sunt, & ex ROMANO exercitu octoginta millia hominum cęsa, calonum & lixarum XL millia. Nullo unquam prælio tanta uis hominũ à Romanis desiderata. Cœpioni, cuius temeritate ea clades accepta est, plebiscito, quod post Tarquinium nulli acciderat, est imperium abrogatum, atq; eius bona publicata. Sabel. lib.2. En.6.

Ad Sextias aquas à C. Mario AMBRONVM & TEVTONVM ad decem & amplius myriades, id est, supra centũ millia hostium, aut cęsa, aut capta dicuntur. Liuius ducenta millia cæsa, & nonaginta capta, auctor est, & in his Theutobocum eorum regem, hominem eximia magnitudine, & qui quaternos senosque equos solitus erat transcendere. Massilienses, quod ad magnitudinem cædis attinet, procedente tempore humanorũ ossium congerie uineas muniuisse dicuntur, terraq; dilutis crebrò imbrium casu cadauerib. humano cruore & adipe macerata, in ubertatem & frugum copiam incredibilem resoluta est. Supra sexaginta millia capta dicuntur, bis totidem & amplius cæsa. Nec multo pòst prope Vercellas CIMBRI à Mario & Catulo uicti. Sab. lib. 2. En. 6. ex Plutarchi Mario.

Nulla Italiæ gens diutius Rom. uires exercuit, quàm SAMNITES. Ferox genus hominum, & ad bellandum natura comparatum. L. Sylla dictator postremò gentem ipsam deleuit: quos prelio uictos, ac ferè ad unum interfectos, ad quatuor millia, ut quidam tradunt, per deditionem recepta in campo Martio ad Ouilia militibus ad cædem immissis triduo iugulauit, fassus nunquam Rom. Pop. pacem habiturum, donec Samniticũ per se nomen consisteret. Quib. fortuna belli pepercisset, eos proscriptione insectatus, ad unum penè sustulit. Sab. lib.3. En.4.

Tres Põpeij COHORTES in Ponto à Mosynœcis siue Heptacometis obtruncatæ fuere: melle furente potos, & mente alienatos milites adorti. Strabo lib.12.

C. Iulius Cæsar, qui postea Dictator fuit, prædicare solitus dicitur, undecies centum, & nonaginta millia HOSTIVM, præter eos, qui ciuilibus bellis periissent, suo ductu & auspiciis cæsa. In Gallia enim bis diurna pugna cæsa sunt centum hostium millia. Quòd si ad unum ducem, qui paucis annis bellauit, tanta humani generis iactura referenda est, quid in tot ducibus tam longa rerum serie euenisse oportet, quanta prima hominum memoria censetur? Plutarchus.

Germani Quintilium Varum cum LEGIONIBVS Romanis tribus apud Bructeros (qui sunt Frisiis contermini) deleuere. Ob quam cladem Augustus consternatus barbam continuos aliquot menses nutriuit. Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim legiones obtruncatæ, signa & aquilæ, à Germanis captæ, quas adhuc hodie in imperij insignibus gestant. Non enim biceps est aquila, ut imperitum uulgus credit: sed duæ simul, quarum altera alteram expassis alis obtegit. Tertiam signifer legionis tertię abstulit, paludeq; demersit, ne in hostium manus ueniret. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usq; diem seruatæ. Licet Tacitus scribat, Germanicum, cùm in Teutoburgiensi saltu reliquias Varianæ cladis inspicere concupisceret, per L. Stertinium apud Bructeros undeuicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam reperisse. Cuspinianus, ex Suetonio.

Herodis Antipæ EXERCITVS, quem aduersus Aretam Arabiæ regem & socerum de Gamalitici agri finibus eduxerat, ab Arabibus ad internecionem deletus. Iosephus lib.18. cap.7. Antiq.

Mortuo Othone, Vitellius ab Occidentalibus, Vespasianus ab Orientalibus exercitibus electus Imp. Ad Cremonam Antonius Primus, Vespasiani dux, XXX millia VITELLIANORVM interfecit, amissis suorum IIII M. Romam inde progressus, Vitellium cum LM auxilio populi trucidauit. Iosephus lib.5. cap.13. belli Iud.

IVDÆORVM captiuorum omnium toto bello Iudaico, nonaginta & septem millia fuere. Mortuorum uerò per omne tempus obsidionis undecies centena millia. Ab omnibus enim regionibus ad Azymorum diem festũ congregati, bello subito circumfusi sunt: ubi primò quidem illis pestifera lues ex loci angustia nata est, deinde fames. Iosephus lib.7. cap.17. belli Iud.

IVDÆI, qui circa Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce, Romanos pariter atq; Gręcos conciderunt, atq; eorũ carnibus usi sunt: uiscera ederũt, eorum sanguine obliniti sunt, pellibusq; induti. Multos à uertice transfixère medios, multos obiecère bestiis, multos etiam certare inter se coegerũt, ita ut interierint hominũ ad ducenta uiginti millia. Dion Nicæus, & Xiphilinus in uita Traiani.

Vespasiano imperante, Cerealis senator, Vespasiani affinis, rebelliones Germaniæ cõpescuit, multis prçliis factis: in quorũ uno tanta ROMANORVM & BARBARORVM multitudo cęsa est, ut mortuorum cadauera profluentis cursum retinuerint. Xiphilinus in uita Vespasiani.

Alexander Seuerus Imp. tripartito agmine contra Artaxerxem Persarum & Parthorum regem mouens, infeliciter dimicauit. Agmen tertium ROM. dum frustra Alexãdri aduentum expectant, hostili equitatu circumuentum, ad internecionem cæsum. Tanta uis hominum ibi deleta est, ut inter insignes clades, quas Romani toto Oriente aliquando adiere, fuerit hæc, ut Herodianus scribit; aut omnium fœdissima, aut certè inter paucas memorabilis. Nec minus afflictæ PERSARVM res, ita ut quadriennio pòst omni bellico conatu abstinuerint. Sabellicus libro 6. Ennead.7. ex Herodiano. Verùm Lampridius felicissimã Romanis eam fuisse expeditionem asserit.

Claudius II. Imp. CCC millia SARMATARVM cecidit ad Martianopolim. Rauisius.

Maximianus Britanniæ tyrannus sub Valentiniano III. imperij propagandi cupiditate in Galliã traiecit, Armoricã subegit. Legionem, quam ad insulæ præsidium Dionetho socero regi in Britãnia reliquerat, euocauit, ARMORICOS rebelles occidit, & ne uiduata incolis in prædam Gallis cederet, centum millia Britannorũ eò deduxit, Conanum Britannũ illis regem dedit. Britanniæ inde nomen traxit, abolito uetere Armoricorum nomine. In hunc modum à Maximino uiris opibusq; Britannia exhausta, à Scotis Pictisq; subacta & tributaria facta, anno 496. post C. Iul. Cæsaris aduentum, à primo rege Bruto 1603. H. Boethius lib.7.

Anno salutis 286. pleræq; Germaniæ nationes, quod sæpe antea fecerant, inter se coniurationẽ fecerunt, atque ultimum propè excidium Galliæ, præsentia Maximiani Imp. posthabita, intentarunt. Hi fuère non solùm Burgundiones, & Alemani, sed etiã CHAIBONES, & HERVLI, uiribus primi, locis ultimi: qui, cùm traiecto repentè Rheno in prouincias proximas irrupissent, omnia cęde, uastatione, atq; incendio miscuerunt. Iam Burgundiones & Alemanos, incõdita multitudine abundantes, primũ sæua fames, deinde sæuior pestilentia adorta erat. Quod ubi Maximianus animaduertit, arma ab illis abstinuit, ac sua sponte duobus malorũ generib. ipsis mortalibus infestissimis, conflictari, consumiq; permisit. Chaibonas uerò, Herulosq; aperto marte aggressus, primo certamine profligauit. Nã exercitus parte in hostes inducta ita conflixit, ut ipse omnib. locis, totaq; acie, & resistẽtibus, & cedentibus, & fugientibus se obiecerit. Quo pacto tanta eos internecione deleuit, ut cladem relictis domi coniugibus non profugus aliquis è prælio, sed ipsamet uictoria nunciarit. Sigonius lib.1. Imp. occid.

Licinius Imp. ad Sacrum promontorium, quod est ad ostium Ponti situm, ducentis à Chalcedone stadiis, cum Constantino Magno congressus, uictus est. De LICINIANIS, qui centum triginta millia fuisse dicuntur, uix triginta millia euaserunt. Sigonius lib.3. Imp. occid.

Magnentius tyrannus ad Mursam Pannoniæ pugnam cũ Constantio Imp. omnium grauissimam iniit. Multis autem utrinque cadentibus, prælium libenter Cõstantius diremisset, ne uiribus Romanorum debilitatis, Imperium incursionib. barbarorum impunè pateret. Tãto uerò ex utraq; parte studio atq; ardore pugnarunt, ut non solùm usq; ad uesperam, sed etiam usq; ad summam noctem dimicando peruenerint, ne tenebris quidem laxationem ullam contentioni præbentibus: ad extremum tamen pars Cõstantij superior euasit, HOSTIBVS in fugam uersis, atq; XXX. millibus interfectis. Sigonius lib.5. Imp. occid.

Vldinus & Sarus Honorij duces, cum exercitu Hunorũ & Gothorum auxiliariorum Radagaiso Gothorum regi occurrerunt, in Hetruria prope Fesulas: ubi multitudo GOTHORVM in angustias cõlecta, cõmeatib. undiq; interclusis, inedia cõfecta est. Radagaisus post res perditas cum paucis fugã molitus, captus, & ex fuga retractus, strangulatus est. Tãtaq; uis hominum capta est, ut seruitiorum greges uno aureo sectores licitarentur numo. Cuspinianus.

Attila

Attila ab Aetio Valentiniani III. duce Aureliis repulsus, ira frendẽs, cùm patentissimos, ac prælio faciendo aptissimos non longè abesse cãpos Catalaunicos audisset, lgõitudine centum leucarum, latitudine septuaginta, qui & Mauricij nominantur: eò castra conuertit; atque Aetio sese summi ibi prælij copiam facturum ostendit: neque illud Aetius detrectauit, uerùm statim cùm Gothis, & Francis, Alanis, & Burgundionibus, & Prouincialibus, Italicisque accessit, seque ad pugnam capessendam prestò esse significauit. Attila, antequam prælium iniret, cùm exta consuluisset, intellexit, à parte Romanorum ducem, à sua exercitum periturum: interpretans autem, Aetium esse casurum, cuius uirtutem ac prudentiam omnium maximè formidabat; de exercitu suo non laborauit, atque alacriter in prælium hora nona processit, eo consilio, ut si acies sua inclinasset, nox imminens diremto prælio subueniret. Signo pugnæ dato, alacriter utrinque concursum est: atque usque ad noctem tanto ardore, tantaque pertinacia depugnatum, ut maiore dimicari non potuerit: tanta porrò cæde, ac sanguine, ut fœdiorem ac cruentiorem pugnam antiquitas nulla prodiderit. Feruẽte autem prælio, Theodericus Vestgothorum rex, dum adhortans suos discurreret, siue equo fortè lapsus, pedibusq; suorum attritus, siue, ut alij tradunt, ab Ostrogotho quodã confossus, interiit. Atque hoc fuit, quod Attilæ aruspices de ducis apud Romanos casu prædixerant, quod ille temerè ad Aetium traxerat. Eo dolore Gothi accensi, ab Alanis secreti, aciem Hunorum inuadunt. quo impetu Attilam oppressissent, nisi ille prouidus se & suos in castra, quæ plaustris obuallata habebat, illicò retulisset. Aetius uerò per tenebras noctis à suis diuisus, cùm inter medios hostes uagaretur, num quid aduersi Gothis accidisset, inquirens, cùm ad castra sociorum peruenisset, noctem scutorum defensione transegit. Postridie, luce orta, cùm stratos cadaueribus campos esse, neque Hunos castris exire audere uideret, atque Attilam intelligeret propter cladem acceptam prælium detrectare, suam esse uictoriam arbitratus est. Attila uerò, quãquam uictum se cernebat, tamen tanquam uictor, in castris strepitum armorum edebat, ac tubis canebat, & terrorem solitum commouebat. Quod ut sensit Aetius, hominem obsidione premere statuit, nimirum breui periturum arbitratus, quia paratam commeatuum copiam non haberet: neque enim propter crebros sagittariorum eius ictus propior ad castra dabatur accessus. Qua re cognita, Attila, salute desperata, rogum ex sellis equorum construxit, eo animo, ut si Romani castra cepissent, sese in eũ ardentẽ cõiiceret, ne Romanus aut se uulnerato gauderet, aut de capto magnificè triũpharet. Hoc est memorabile prælium Catalaunicũ, in quo CLXII. millia HOMINVM cecidisse dicũtur: præter X G. millia Gepidarum, qui Hunis, & Francorum, qui Romanis militabant, qui nocte, quæ prælium præcessit, inter se armis congressi mutuis uulneribus cõcidere. Narrãt, riuulum memorati campi humili ripa labentem, peremtorum ac sauciatorum sanguine concitatum fluxisse: quosq; sitis intolerãtia ad bibendum adegit, eos sanguinem, quem uulnerati fuderãt, potauisse. Sigonius lib.13. Imp. occid. Bonfinius lib.4. Dec.1. Auentinus libro 4.

Hernac filius Attilæ Hunorum regis, cum Ardarico Gepidarũ rege, qui primus seruitium Hunorum detrectauit, confligẽs, triginta HVNORVM millia amisit. Sigebertus.

Cacano Hunorum duce in Forumiulium, anno 664. irrumpente, Lupus Foroiuliensis dux fortiter cum suis occurrit. Pugnatum est per quatriduum tanto animorum ardore à Foroiuliensibus, ut satis constet, Cacanum primis diebus multò plus cladis, quàm intulerit, accepisse. Ad extremum ira simul ac cupiditate uictoriæ inflammatus, tanto se cum omnibus suis impetu in LONGOBARDORVM aciem incitauit, ut non eos solùm loco motos auerterit, sed ipsum etiam in prælio Lupum occiderit. Sigonius libro secundo regni Italici.

Dum Martianus fusos GOTHOS in Illyrico fugientes insequitur, triginta ex his cepit: qui quum euasissent, Scythas in Romani imperij prædas suscitarunt. Gothi igitur dum uariis Claudium Imp. bellis implicitum conspicantur, trecentorum millium exercitu, classe longarum nauium duûm circiter millium, in Romanum imperium irruperũt. Sed breui tempore à Claudio deleti sunt. Duo propè millia capta, Romamq; ducta, bestiis exposita fuère. Bonfinius libro secundo, Decadis 1.

Quinto anno Tiberij, Longobardi subiugata tota Italia, Gallias etiam uastare inceperunt: tantamq; stragem fecerunt in BVRGVNDIONIBVS, ut numerus occisorum nõ posset colligi. Paulus Diaconus lib.3. c.1.

Longobardi duce Alboino, coniunctis copiis cum Hunis, qui Auares dicũtur, regnum GEPIDARVM euertère penitus, anno Christi 547. ita ut ceciderint in uno prælio LXM hominum. Alboinus regis Conimundi caput, hastæ infixum, per castra circum gestari iussit: eiusque cranium postea in pateram inauratam commutauit, atque ex ea bibit, quoties conuiuia aut solennes epulas exhibuit. Quæ res ipsi postea exitio fuit. Blondus libro quarto, Decadis 1. ex Sigeberto.

Cosroes rex Persarum, Palæstinam cum Hierosolyma, ac nongentis millibus CHRISTIANORVM, euertit. Rauisius.

Hadrianopoli Thraciæ urbe capta à Turcis, cẽtũ millia CHRISTIANORVM periere. Idem.

In HISPANIIS uiginti millia fermè militum contra Vandalos pugnantium cæsa sunt; anno Domini 433. Sigebertus in Chronicis.

Syriã & uicinas regiones Saraceni occuparãt. Apsimarus Imp. fratrem suum Heraclium, copiis equestribus & pedestribus instructum, contra eos misit. Is in Syriam irrumpens, Samosatam usque progressus, ad ducenta millia SARACENORVM cæcidit, anno Domini 700. iuxta Sigebertum, & Sabellicum Enneadis octauæ libro sexto. Blondus libro decimo Decadis primæ, 702 anno tribuit. Paulus Diaconus lib. 20. & Zonaras tomo 3.

Mense Maio cùm Heraclius esset coronatus, Persæ in Syriam irruerunt, & Edessam ceperunt: & exercitum ROMANVM apud Antiochiam occurrentem adeò deleuerũt, ut uix duo de exercitu Phocæ remanserint. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus lib.18. rerum Romanarum.

Heraclius Imp. à Saracenis uictus, amisit centum & quinquaginta millia HOMINVM: & postea cùm bellum repararet, ab angelo cęsa fuere noctu quinquaginta duo millia. Vnde animo fractus, ex dolore morbum contraxit, & hydrope extinctus est. Sigebertus.

Quo tempore Samuelem Bulgarorum regem Nicephorus Cõstantinopolitanus Imp. prælio fudit, tanta strages BVLGARORVM facta est, ut murum in Thermopylis extructum ex ossibus apud Rupenam, ad deterrendos Bulgaros, Gręci statuerint. Cedrenus.

Ioannes Tzimisca, magister domesticus scholarum Orientis, in Cilicia multitudinem AGARENORVM deleuit. Quinque circiter millia, equis relictis, in collem quendam euaserant. Tzimisces circumdato colle, pedites eis immisit. Saraceni occisi sunt omnes, & cruoris riui per decliuia in campũ fluxerunt: nomenq; colli ab euentu factum, ut collis Sanguinis appellaretur. Idem sub Nicephoro Phoca.

Manuel Comnenus Imp. uictus à Clizasthlane Iconij Sultano, & turpi pace accepta, alia uia domum redire instituerat, ut aspectum interfectorum declinaret. At uiæ duces, ob id ipsum potissimùm eòdem eum reducebant. Fauces exæquatę erant, ualles in tumulos assurgebãt, saltus cadauerib. GRÆCORVM operiebantur. Prostratis omnibus, cutis capitis detracta erat: nonnullis pudenda præcisa. Id eò factũ à Persis dicebatur, ut circumcisis à Christianis distinctis, uictoria anceps esset. Nam ex utroque exercitu multi ceciderant. Nicetas lib.6.

Anno Salutis 700. ducenta SARACENORVM millia in Syria cæsa sunt. Romani, qui in ea terra adhuc agebant, quum multis ab ea gente incommodis afficerentur, arreptis subita conspiratione armis, insignem Barbaris cladem intulerunt. Blondus Tiberij eos fuisse milites mauult credere. Sabellicus libro 7. Enn.8.

Variis præliis, quæ biennio per HISPANIAM gesta fuerunt, cùm Mauri eam cæso Roderico rege, anno 717. inuaderent, ad 700 hominum millia utrinque cæsa dicuntur. Tarapha de regibus Hispaniæ.

Huni intempesta nocte Danubio sub Sicambria prope ueterem Budam annexis utrinque utribus traiecto, Romanos milites, qui ad Potentianam urbem castra habebãt, oppresserant. Thetricus & Macrinus, Rom. duces, legionibus quæ superfuerant coactis, in Hunos copias eduxerunt. Huni terga uertentes Danubium, adhibitis utribus, tranare contendebant. In eo conflictu ex HVNIS, cum Cheue duce, centum & uigintiquinque millia cæsa: è ROMANIS, præter eos, qui in castris superiore noctu ceciderant (si Vngarorum credendum est Annalibus) ducenta ac decem millia desiderata sunt. Bonfinius lib.3. Dec.1. & lib.7. Dec.1. & Nic. Olahus in Atila.

Gens Bulgarorum ignota in Illyriam & Thraciam impressionem fecit seculo sexto post Christum, & Romanas legiones ferè deleuit. Eam cladem ROMANIS cometa prænunciauit, & corui, qui & supra & ante exercitum exeuntem uolitarunt, & tubicines, qui pro bellico mœstum & lugubrem edebant sonum. Zonaras tomo 3.

Obsidebãtur SARACENI à Græcis & Italis Gatiliani, anno Salutis 915. Cùm acris obsidio ad tres menses producta esset, Saraceni re frumentaria deficiente, inedia solicitati, consilium eruptionis ceperunt; ac rebus suis omnibus inflammatis, ex oppido euaserunt, ac montes syluasque proximas petiuerunt. Sed ad pugnam compulsi mense Augusto ad unum omnes occiderunt, uel fame uel necessitate;

Veru-

Vetustiores scriptores rem non obsidione tentatam esse, sed prælio narrant: & Saracenos, cùm premerentur à Christianis, in Gariliani montẽ se recepisse, ac uiarum angustias insedisse: Græcos autem, qua parte facilior erat Saracenis descensus, locum castello constructo custodiuisse: cumq; quotidie pugnaretur, factum, ut ne unus quidem ex hostibus superfuerit. Hanc Christianorum uictoriam scriptores tanti faciũt, ut sanctos apostolos Petrum & Paulum in iis conspectos esse præliis prodant. Sigonius lib. 6. regni Ital.

Anno 955. HVNGARI Conradi Lotharingiæ ducis ductu tantã multitudine in Bauariam descenderunt, ut nisi à terra absorberentur, aut à cœlo obruerentur, uinci se posse negarẽt. Verùm occurrente cum expedito exercitu ad Lycum amnẽ Othone Imp. amisso Conrado, tanta strage pugnarũt, ut parem se de barbaris uictoriã Germani retulisse non meminissent. Motis inde castris Otho in Sclauos duxit, ac simili eos clade prostrauit. Sigonius lib. 6. regni Ital. ex Sigeberto.

SARACENI ex Hispania ab Eudone Aquitaniæ duce, qui Carolo Martello Gallorum regi uiribus impar erat, euocati, duce Abderama rege ad CCCC millia uelut explorata uictoria in Galliam ad ulteriores sedes proficiscebantur, anno salutis 730. Aduersus tantum terrorẽ belli Carolus Martellus primùm omnium delectum tota Francia habuit. Misit etiam ad Aquitanum Eudonem, qui admonerent, quantum in se suosque ac numen sceleris consciscceret: satius esse reconciliationem gratiæ fieri, simultatumq; memoriam patriæ Galliæ religionique condonare, quàm secum cuncta in omne tempus euersum ire. His motus Eudo, & quòd quos Barbaros Aquitaniæ uindices sperarat, hostes experiebatur, Burdegalamq; dirutis templis euastassent, clandestinum fœdus cum Franco icit, fidemque dat, communi saluti se nõ defuturum. Præstitit id reipsa. Nam cùm ad Turonum urbem signa contulissent, & iam æquo pugnarent marte, Eudo cum suis castra Saracenorũ diripuit. Qua clade Saraceni territi, fugam effusam fecère. Ad CCCLXXV millia Barbarorum cecidère. Francorum mille quingenti desiderati, pauci quidem, & minor quàm pro tanta uictoria numerus: sed hi factis sanguineque nobilissimi: & perpauci integri à uulneribus discessere. Saracenorum calamitas multitudine militũ, & splendore ducum occisorum, nescio an omnium seculorum memoriam superarit. Rex Abderama inter coaceruatos corporum tumulos repertus est, & omnes propè proceres ruina suorũ superfusa occubuère. Ne ab impubere quidem ætate temperatum. Perpaucæ mulieres captis castris superfuère. Earũ animus tolerando in fuga trepida malo fuit: nec ulla ferè in potestatẽ uiua uenit, uiris uel morte, uel perpessione aduersarum rerum sociatæ. Aemilius lib. 2. Sigebertus. Cranzius lib. 4. Sueciæ c. ult.

Theodericus rex Francorũ, ueteribus simultatibus animo repetitis, assumto Clothario fratre, & Theodeberto filio, exercitum in THVRINGIAM aduersus Herminfridum regem eduxit, anno 521. ac superatis, quæ in campis Thuringiæ sibi paratæ erant, insidiis, prælio congressus, eum cum suis omnibus in fugam cõiecit, atque usq; ad amnem Onestrudem insequutus, tantam ibi stragem eorum edidit, ut alueus fluminis alta cadauerum congerie cumulatus sit: per quam, tãquam per pontem transgressi Franci, in potestatem Thuringiam redegerunt. Theodericus Herminfridum, fide incolumitatis data, ad se uenire Tolbiacum iussit, eumque de muris urbis secum ambulantem deiecit. Sigonius lib. 16. Imp. occid. ex Regionis lib. 1.

Anno Domini 629. Saxones Francis consuetum tributum reddere detrectabant. Dagobertus rex cum eorũ duce Berthulfo congressus, & Lotharij præsidiis adiutus, Berthulfum uicit, & interemit. SAXONES fuga sibi consulentes Lotharius & Dagobertus insecuti, omnes interfecerunt, qui gladij longitudinem excedebant: gentem, quæ per Saxoniam remanserat, sub iugum misere, tributo quingentorum boum eis imposito. Trithemius de origine Francorum, Nauclerus Generatione 21.

Cùm Carolus Magnus, anno Salutis 796. Hispaniam subegisset, & Marsurius tantùm & Belingandus debellandi essent, quos Babyloniæ Admiratus ad Hispanias obtinendas miserat: Ganalonum ad hos misit, ut has illis conditiones ferret, ut Christi fidem & pacem acciperent, aut certum auri & argenti pondus tributi nomine penderent. Peregit Ganalonus Caroli mandata: cæterùm hostili auro captus, Marsurio & fratri EXERCITVM Gallicum trucidandum in Pyrenæis obiecit. Itaque Rolandus cum flore totius Gallici exercitus cecidit. Ganalonus proditionis conuictus quadrigis fœdè laniatus est. Sab. lib. 8. En. 8.

Theodericus rex Italiæ, Ibba Comite suo contra FRANCOS misso, XXX millia eorum occidit, in uindictam necis Alarici generi sui. Sigebertus.

Ludouicus rex Germaniæ, Ludouici I. Imp. filius, ubique per Germaniam uictorias suas circumtulit, Boemos, Polabros, cæterosque Vandalorum populos repressit. Eo sublato, Danorum & Normannorum excursionibus Saxonia uastata est. BRVNO dux Saxoniæ; à quo Brunsuicum oppidum, iis occurrit. In loco, Ebbeckstorp dicto, totum Christi agmen cum flore nobilitatis Saxonicæ ad unum concidit. Eo loci sanctimonialium sub regula D. Benedicti congregatio instituta. Cranzius libro secundo Metropoleos, capite 3. & lib. 2. cap. 31. Saxoniæ.

NORMANNI annò Christi 895. in Lotharingia circa Leodiũ pugna cum Christianis commissa uictores euasere, ac Vuormaciam usque progressi, Sunderoldum Moguntinum episcopum trucidauère. Regino lib. 2. Arnulphus Imperator ad fluuium Tiliam illis occurrens, illam barbarorum colluuiẽ adeò concidit, ut uix superessent, qui ad classem eorum nuncium ferrent. Ea Mosam transiẽs, Ribuariam & Arduennam spoliauit, ac trans mare aufugit, anno Domini 895. Auentinus lib. 4. ex Sigeberto.

SAXONES cum Conrado Imp. bellum gessere, tanta clade utrinque, ut uulgò iactaretur, Vbi nam esset ille infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset? Sigebertus in Chronicis.

Coniurauerant Aruiragus Britãnorum, Thara Pictorum, & Caractacus Scotorum reges, contra Romanos. Missus à Claudio Imp. Vespasianus, magna strage HOSTES ulcit, ut capto Aruirago, cæsò Thara, ex LXV. millibus uix ii superfuerint. H. Boethius lib. 3.

EVGENIVS Scotorũ rex, Maximi armis Britannorũ legati & Pictorum regis Hiergusti pressus, ad Cream primùm fl. magna strage affectus: sequẽti anno ad Mundam fl. ferè cum L. millib. cæsus est. H. Boethius lib. 6.

Traherus Constantini Imp. legatus ab Fincormaco Scotorum rege & Octauio Britanniæ tyranno magna strage uictus. Cecidere ex uictoribus XV. millia, ex Romanis XVI. H. Boethius libro 6.

Vortigerno Britãnorum rege, ductu Guiteli, contra Scotos & Pictos pugnãte, cecidere BRITANNORVM XX M. & in illis Guitelus dux fortiss. SCOTORVM & Pictorũ uix millia quatuor. H. Boethius lib. 8.

Britanni, CONSTANTINO Britanniæ minoris regio filio è Gallia aduocato, à Scotorum Pictorumque iugo se liberare conabantur. Collatis signis, Britannorum XVI. Scotorum & Pictorum XIV. millia desiderata, & in iis Dongardus Scotorum rex. Constantinus regnum obtinuit Britanniæ. H. Boethius lib. 8.

Eo prælio, quo Robertus Brusius, Scotorum rex, Eduardum II. Anglum ad fl. Bannafborn profligauit, periere ex Anglis ad L M, & inter eos equites aurati CC. ex Scotis IIII M. cum duob. equitibus. H. Boethius lib. 14.

Sub Iacobo I. Scotorum rege, Angusius Duff à Stranauern, congregata latronum manu, Morauiam & Cathanesiam ingressus, ingentem abegit prædam. Quem Angusius quidam Morauus inuasit. Vtroque non modò duce, sed etiam EXERCITV ad internecionem cæsò, cladis nuncij duodecim, domum reuersi, ex uulneribus periere. Ferũt regem, quum ad eum nunciata ea clades fuisset, respondisse, æquè dolere se Morauiensium interitum, atque Cathanesiorum, sed quem uindicet non superesse. H. Boethius libro decimoseptimo.

In Anglia, anno 1. Phocæ, Domini uerò 603. Edelfridus EDAN regem Scotorum cum omnibus penè suis cecidit. Cæsi etiam sunt de monasterio Bancor mille ducenti monachi, qui orandum pro uictoria conuenerant. Beda libro primo, capite 34. & libro secundo, capite 2. Sigebertus, anno Domini 615.

Cæso Notharo rege Scotorum à Douali factione, & Reuthere adolescente, cui regnum debebatur, euecto, Ferquhardus Nothari gener bellum ciuile excitauit, accitisque Pictorum auxiliis, Scotorum & Pictorum nobilitas omnis prope ad internecionem cæsa, Reuther rex uix fuga elapsus. Ea clade utriusque gentis animati Britanni, Pictos in Orcadas, Scotos in Hyberniam fugere compulerunt. Cæterùm non diu pòst reparatis uiribus Reuther rex regnum recuperauit. H. Boethius lib. 2.

Eo prælio, quo Arthurus rex BRITANNORVM contra Eugenium Scotorum & Modredũ Pictorum reges ad Humbrũ amnem pugnauit, desiderata sunt ex SCOTIS ac Pictis amplius uiginti millia, cum Modredo rege, & utriusque gentis ingenti nobilium multitudine. Ex Britannis & auxiliaribus Armoricis millia prope triginta: inter eos ARTHVRVS rex, & cum eo Gauuanus, Modredi frater, tanta in Arthurum, cui merebat, fide, ut aduersus germanum eo die dimicauerit. Eo prælio sic attritæ sunt Britannorum uires, ut Saxonibus è Germania reuersis prædæ fuerint. H. Boethius libro nono.

Altera clades, pòst Duplynensem illata, Scotis, Dauidis Brusij regis partes sectantibus, ad Halidounhil, anno 1333. Cæsa Scoto-

Scotorũ XIV M. nobiles penè omnes, qui ex superiore clade superfuerant. H. Boethius lib. 15.

FROTHO III. Danorum rex contra Hunos bellum susceperat. Inito prælio prima die præcipui tres Rusciæ fluuij cadaueribus uelut ponte constrati, peruij ac meabiles sunt facti. Præterea quantum quis itineris per triduum equo conficere potuisset, tãtum locorum humanis cadauerib. completũ uidisses. Prælio per septem dies extracto, occidit rex Hun. Septuaginta ac centum reges, qui aut ex Hunis erãt, aut inter Hunos militauerant, subinisere se regi. Saxo lib. 5.

HOLSATORVM tres insignes clades in Diethmarsia, quam sibi subiicere uolebant. Prima anno Salutis 1322. quum Ioannes & Gerardus Comites Holsati rebus præessent: qui tum euasere, cæsis copiis ultra duo millia. Altera anno Salutis 1404. quando Gerardus primus Slesuuici dux, cum magna suorum manu in Hamma, cecidit. Tertia cæteris maior an. 1500. cùm Ioannes rex Daniæ illos maximo exercitu aggressus, in paludibus fœdè uictus est. Cranzius lib. 13. capite 26. hist. Daniæ.

Pugna Cresciacensis, ad Cresciacum in Pontinensi, inter Edoardum III. Anglorum & Philippum Valesium Francorum reges, anno 1347. facta fuit ad decimum Kalendas Septembres, quantum nulla alia funesta FRANCIS, nobilisque strage ducentium. Narrat Froissardus, occubuisse equites auratos mille CC. ex milite reliquo ad triginta millia. Desiderarunt eo prælio Franci ad decem millia hominum, è quibus fortè erant mille sexcenti famuli, reliqui omnes nobiles. Principes autem, Comites & Barones, uexillis suis illustres, occubuerunt ea in pugna circiter centum & uiginti, teste Monstreleto uolumine 1. capite 149. Duces in æde maxima Monsterioli sepulti cura Eduardi regis. Ad uulgus humandum tridui induciæ agrestibus datæ. Aemilius libro nono.

Bello Flandrense per quinquennium trecenta & amplius millia nobilissimorum & fortissimorum Francorum occubuere. Desciuerant à Philippo Pulcro Francorum rege Flandri. Contra eos Robertus Atrebatum Comes missus. Qui cùm odio gentis excæcatus fureret, & frustrà reclamante Reginaldo Magistro equitum castra hostium situ loci munitissima oppugnare aggrederetur, maximæ cladis ad Curtracum accipiendæ auctor fuit. Duodecim millia FRANCORVM, atque horum (ut nonnulli scribunt) equitum, cum nobilissimis ducibus periere, in quibus Reginaldus. In corpus Roberti Atrebatis etiam exanime sæuitum. Aemilius libro octauo.

Anno 1250. Alfonsus IX. Castellæ, Petrus Aragonum, & Sancius Nauarræ reges, cum cruce signatis Mahometum regem SARACENORVM prope Giennium in montib. stragẽ maxima repulere. Prælium de Nauibus Tolosæ uulgò appellant. Cæsa hostium CC M. ex Christianis XXV. tantùm desideratis. Et quod uidetur incredibile, inquit Rodericus Toletanus libro 8. rerum Hispan. cap. 11. & Santius parte 5. hist. Hispan. cap. 34. duobus diebus ad usus omnes nulla alia ligna combussimus, nisi hastas lancearum & sagittarũ, quas secum duxerant Agareni: uix tamen illo biduo potuimus consumere medietatem, quamuis ex industria, non ad necessitatem, ignem apponerent, tantùm ad eorum multitudinem consumendam.

Tartarorum DC M. Poloniam Russiamque crudeliter uastabant, ciuitatibus uillisq; incensis captiuos educebant. Rex Boleslaus V. cum Henrico Pio Duce Silesiæ contra Tartaros acerrimè pugnauit. Iamque Tartari inclinabant, cùm quidam uexillifer Tartarorum cum uexillo, in quo erat scripta litera Græca χ processit: superius uerò in cuspide hastæ erat caput quoddam terribile infixum, arte magica confectum, ore fumum uaporemque ueneficum euomens, quo fascinati POLONI uires amiserunt, & à Tartaris ad internecionem cæsi sunt. Illi ut numerum occisorum inuestiga[redacted] saccos [redacted] & Germaniæ partem, [redacted] que inaudito omnia compleuerunt. Guagninus in uita Boleslai V. & Cromerus [redacted] Russos & TARTAROS [redacted] At Tartari, Lituanis in societatem [redacted] & magnam in Russos stragem peregerunt. [redacted] 9. Vandaliæ, cap. 7. [redacted] Polonia [redacted] Nouembris 24. Stulphus, [redacted]

Nulla maiore clade & dedecore TVRCÆ ab ulla sunt unquã gente affecti, quàm à Mamaluchis Aegyptiis ad Adanam Caramaniæ urbem. Nam celeritate incredibili castrametantes, ex itinere fessi, sole iam occidente oppressi sunt. Iouius in uita Baiazetis II.

Austriæ dux LEOPOLDVS anno 1386. profectus in Suiceros, olim Heluetios, cum omni exercitu suo cæsus occubuit, & omni nobilitate, usque ad Albertum fratrem, qui solus remãsit stirpis propagator: atq; etiam proximo anno conuocatis copiis, ad uindictam processit: sed interuenientibus principibus induciæ factæ. Granzius libro decimo Metropoleos, capite 20.

Cùm Tamberlanes Scytha instar torrentis cuncta prosterneret ac uastaret, Baiazetes Turcorum Imp. à biennali obsidione Constantinopoleos in Asiam reuocatus, ad Stellam montem in Galatiæ Bithyniæque confinio collatis signis ingenti strage superatus, uiuus captus, & in cauea cathenis aureis uinctus ac circumductus, inde dimissus, amissis ducentis TVRCORVM millibus, inglorius paulo pòst diem obiit. Incidit hæc clades Turcis in annum 1397. Salutis nostræ. Cuspinianus. Sabellicus lib. 9. En. 9.

OTHOCARVS Boemiæ rex indignè ferens à Rodolfo I. Cæsare sibi in præstando obedientiæ sacramento illusum, uxoris quinetiam Cunigundis furiis stimulatus, consiliarios omnes, quorum suasu imperium sibi à Germanis oblatum respuerat, & in Rodolfi sibi deinceps substituti uerba iurauerat, multis & proscriptione sæuiit, ac filiã suam, quam filio Rodolphi desponderat, Deo cum aliis decem puellis consecrauit, & ad arma rediit. Cæsar superato Danubio cũ exercitu ad oppidum Lauam inexpectatus adest. Rex contemptu Rodolphi, obuiam ei cum iis, qui ad manum aderant, procedit, accedensque propius, aciem ipsemet disponit: in læuo cornu Milotam Morauiæ Capitaneum, adiunctis ei Polonis, cùm equitatu grauioris leuiorisque armaturæ collocat: ipse in dextro cornu stans, Boemos animabat exemplo suo. Ruebant Boemi cum Rege suo in Rodolphi aciem: cùm Regi nunciatur, Milotam proditorem auro corruptum cedere. Quid mihi, inquit, tam optandum, quàm ut scelere proditorum meorum cadam potius, quàm per ignauiam aut trepidationem fugiam? His dictis, in primam ruere aciem. Eum duo fratres ex Styria, quorum fratrem Rex supplicio affecerat, multo labore fessum, hastis ad terram affigunt, & cæsum clamant Othocarum. Ferunt Rodolphum ab hac uoce aures suas auertisse, nec fratres illos postea in conspectum suum admisisse, adeò grauiter cæsum, non autem captum esse tulit. Dubrauius libro decimoseptimo.

Sigismundus rex Hungariæ contra Baiazethem Turcorum tyrannum duxerat exercitum numerosiss. ex tota Germania. Aderant quoque Galli, cum Ioanne duce Burgundiæ. Expugnatis aliquot Rasciæ & Bulgariæ arcibus, ad Nicopolim castra castris collata. Galli à Sigismundo petunt primum congressum: hoc item & aliæ gentes. Interim dum consultatur, Franci præripiunt pugnam, priusquam uniuersæ copiæ in aciem ordinatæ collatis signis prodirent, & dimissis equis cataphractis, pedites in turmas hostium irruunt. Horum equi cùm castra regia concitato cursu peterent: cæteri hunc morem pugnandi ignorantes, & ad unum omnes arbitrati Francos cæsos, terga uertunt. Oritur ingens in castris tumultus, relinquuntur impedimenta, derelinquuntur stationes militum, ac in fugam uertuntur. Editur magna utrinque strages, multi capti: inter hos quoq; Ioannes Burgundiæ dux. CHRISTIANORVM uiginti, Turcorũ sexaginta millia trucidata. Sigismundus delatus naui per Danubiũ, Cõstantinopolim uenit: inde in Rhodum, tum ad Dalmatiæ & Croatiæ regna, cum fugæ comitibus Ioanne archiepiscopo Strigoniensi, ac Stephano fratre eiusdem, menses penè octo & decem ibi commoratus, priusquam regnũ intraret. XXIII anno regni Hungariæ, in Imperatorem Romanum electus, ut priorem aboleret ignominiam, sub castro Galambog, in rupe Danubij sito, cum Calepino Imperatore Turcorum magnas copias agente congressus, primò uictor, pòst uictus est infeliciter: & uix Danubium transiens euasit. Cùm in concilio Constantiensi esset, tertio eius exercitus prælio succubuit. Cuspinianus.

Pontificia auctoritate ruptis à Iuliano Cæsarino Cardinale fœderibus cum Turca, in decennium ab Vladislao rege Vngarorum pactis: CHRISTIANI magna strage ad Varnã Euxini urbem, Dionysiopolim olim dictam, affecti sunt. Vladislaus rex, Cardinalis, optimi quiq; trucidati. Reliqui in fuga partim fame, partim uoragine paludum absumti supra XXX millia, cùm Amurathes XL millia è suis desideraret. Is eo loci ubi pugnatum est, columnam uictoriæ inscriptionem continentem erexit. Sed & ibidem in hanc usq; diẽ ossium tumuli uidentur, qui indices magnitudinis perpetratæ illic stragis sunt. Perpetrata aũt est anno Salutis hum. 1444. mense

mense Nouembri; eo qui diui Martini festo dicatus est die. Iouius in uita Amuratis, & Cromerus lib.21.

Illa inter Italos Gallósque ad Tarum memorabilis pugna fuit prima, in qua longissimo interuallo in ITALIA cum strage & sanguine pugnatum est. Ante hanc enim paucissimi in cõflictu interibant: hîc autem ex Gallicis copiis uix ducenti, ex Italicis supra trecentos grauis armaturæ equites desiderati, totq; alij, ut tria millia periisse constet. Fuit tamẽ Italis ea strages admirationi longè maiori, tum quòd prælium haud ultra horam productum est: tum quòd propria uirtute armisq; utrinq; decertantibus, tormenta uix locum habuere. Guicciardinus lib.2.

Quum Iulius II. pont. cũ Ferdinando Hispaniç rege, cuius copiis Petrus Nauarrus præerat, Alfonsum Atestinum Ferrariç ducem bello persequeretur, qui Galliæ regis Ludouici XII. auxiliis nitebatur, totius ferè Europæ reges contra Gallos concitauit. Ad Rauennã anno Salutis 1512. sacro die Paschatis, memorabili prælio uicti sunt PONTIFICII & CÆSARIANI. Gasto tamen Foisseius Gallorum dux clariss. occubuit. Iouius in Alphonso. Cecidere utrinque ferè æquata clade cum calonibus & lixis ad uiginti millia, sed in primis flos militum, & ducum fermè omnis interiit. Iouius in Leone X. libro 2. Pugnatum est horis plus sex incredibili uirtute: qua in pugna militum & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt, pari ferè utrorumq; numero, fortuna dispari. Iulij enim & Hispanorum copiæ fusæ, fugatæq;: Galli locum tenuerunt. Bembus lib.10. hist. Venetæ.

Anno Salutis 1514. Selimus TVRCORVM Imp. in Armeniam irrumpens cum CL millibus armatorum, in Calderanis cãpis ad Choin (quæ olim Artaxata fuit) contra XXX millia equitum Persarum cruento prælio conflixit, triginta millibus suorum, flore exercitus, desideratis: ita ut licet uictor, fuga maturè sibi consuluerit, relictis bellicis tormentis, quibus uictoriam dubiam assecutus fuerat. Sabellici supplem. lib.4. ex Iouio.

Solymannus Turcorum rex anno Sal.1526. Vngaris bellum indixerat. Ludouicus infelix rex, omnium Christianorũ principum aliis bellis impeditorum auxilio destitutus (præterquam Clementis VII. Papæ, qui Boemis ac Germanis peditibus nonnullis è suo stipendia exhibebat) hosti obuiam profectus, quadã potius fatali necessitate, quã aut belli ratione aut spe uictoriæ ductus, cũ EXERCITV miserè periit.

Prælio nauali.

ATHENIENSIVM tres prætores, Tydeum, Menandrum & Adimantum, qui Alcibiadi surrogati fuerant, negligentiùs agentes in Aegos flumine, ex improuiso adortus est Lysander. Octo naues cum Conone solæ effugerunt: reliquç paulominus ducentæ captæ atque abstractæ. Tria millia capitũ cepit atque trucidauit Lysander: Athenas quoq; breui pòst in potestatem redegit, naues inflammauit, longos muros diruit. Plut. in Alcibiade.

Clades CARTHAGINENSIVM duce Hamilcare in Sicilia à Gelone Syracusanorum tyranno accepta insignis. Hamilcar singulari astu à Gelonis equitibus ignotis inter sacrificandum cęsus. Naues omnes, quarum supra duo millia fuêre, uiginti exceptis, conflagrauere. Hostium supra CL. millia cecidere: non minor numerus captus. Viginti illæ in patriam remeantes tempestate atroci discissæ sunt. Diodorus libro 11.

Anno Christi 1340. trecentarum nauium classis FRANCICA, additis octoginta Britannicis nauibus, præfectis Hugone ac Nicolao Voriobarbo, pro Clusa Anglicarum partiũ oppido stabat, Edoardum III. regem appulsu litorum prohibitura, simul Flandros, ne se rursus illi coniungere possent, interclusura. Erant in ea uilia capita, paruoq; ære merentia. Anglica classis superuenit: in qua Edoardus, Atrebasq;, ac summi duces proceresq; factis genereq; clariss. erant. Pugnatum est acerrimè sex cõtinenter horas: superiores habiti Angli, uento æstuq; eorum naues concitatas in Francos ferente, & ex litore Flandris propugnantibus, ac terrã præterea infestam Franco facientibus. Hęc pugna numero hominum Francis, nobilitate desideratorum Anglis luctuosior extitit. Vtrinq; circiter triginta millia periisse ferunt. Edoardi femur iaculo traiectum. Angli terram tenuere. Quod reliquum Frãcis fuit, Normaniam petiit. Hugonem in potestatem uiuum redactum Edoardus è summa turri malo suspendit, uulnus suum eius supplicio ultus. Aemilius libro octauo.

HARALDVS Danorum rex, contra Ringonem Sueonum regem, suum ex sorore nepotem, leui de causa bello moto, septennium integrũ in eius apparatu consumsit. Mare quod est inter Sialandiam & Scaniam nauibus ita constrauit, ut pedestri itinere ultro citroq; commeari posset. Ringo 2200. naues habuit. Prçlio in campis Brauellinis inter Vvic & Vverundiã collato, Sueones amissis procerũ XII. millibus, Danorum regem Haraldum cum XXX M. procerum occidere. Saxo lib.8.

FROTHO III. Danorum rex Noruagiis tantam cladem intulit, conserta cum Noruagiensibus pugna, ut è ternis nauium millibus solæ centum septuaginta superfuerint. Normani tanta clade deleti sunt, ut fama sit, ne quintæ quidem uicorum parti remansisse cultorem. Saxo lib.5.

ODDO Danus pirata in magicis præstigiis ita eruditus, ut absque carina maris profunda pererrans, hostium nauigia concitatis carmine procellis obrueret. Cùm Ericus Sueciæ & Rollerus Noruegiæ postea reges, fratres, contra eum bellum gererent, terebro naues illius perforari noctu fecerunt. Et sic paulatim Oddonis classem exceptæ rimatim aquæ depresserunt. Quàm cùm ab aquis defendere conarentur, à Gothis Oddo non solùm uictus, sed omnino deletus interiit, nullo ex tota eius classe superstite, qui acceptam cladem nunciare potuisset. Ioannes Magnus libro quarto, capite decimonono.

ACHO Noruegiorum rex, Arrainam & Boitam, quæ solæ ex Hebridibus insulis adhuc Scotis parebant, fame Scotiam infestante sæuissima, subegit. Mox in Scotiam classe CL nauium transmisit, Air castellum expugnauit. Alexander III. Scotorum rex acie uictor, quinque millibus suorum amissis, XXIV. hostium millia deleuit ad Largis oppidum, anno Salutis 1263. Acho fugiens, cùm eadem nocte classem tempestas in ipso portu oppressisset, cum quatuor reliquis in Orcades reuersus, cùm in sequens uer nouam expeditionem adornaret, moritur. H. Boethius lib.13.

Cùm Canutus Valdemari F. Danorum rex, regni titulum ab Henrico VI. Imp. accipere renueret: Imp. BVGISLAVM Pomeranorum principem contra Danum exciuit. Is quingentarum nauium classe prouectus, ad Strelam insulam à XX. Danorum nauigiis, opera Absolonis archiepiscopi, tanta clade affectus est, ut XXXV. tantùm euaserint. Saxo Grammat. libro decimosexto. Cranzius libro 6. historiæ Danorum, capite 17.

Vi occulta. Insidiis.

☞ *Vide Tit. In insidias præcipitare. Item: Ab Insidiatoribus cæsi.*

L. Bebius, cùm in Hispaniam EXERCITVM duxisset, agmine explorato per abditos saltus & inuias regiones in insidias pręcipitatus, circumuentusque & oppressus à Liguribus ita est, ut Massilienses oportuerit tam luctuosam cladem per nuncios Romanis significare: cùm ne unus quidem euasisset incolumis, qui cæteros occisos ab hostibus referret. Alexander ab Alex. lib.6. c.25.

Redundauit Asia ferè tota circa Taurum uno die, ROMANO sanguine, crudelissimo Mithridatis regis edicto, centũ quinquaginta millibus Quiritij nominis, omnis sexus & ætatis, non in una urbe, sed uno quidem tempore interfectis: fuitque classicum illud renouati belli. Quòd si bellorum tessera tam calamitosa, quàm tristia & funesta esse prælia oportet, quibus aut uincendum est, aut cadendum? Sabellicus libro 6. capite 5.

Cùm Sueno, Angliæ rex, Daniæ regnum mortuo Canuto III. consobrino inuaderet, Goduini F. Haraldum regno præfecit. Is spe improba totius Angliæ regnum complexus, participato cum incolis consilio, Danicum, ut erat per præsidia distributus, exercitũ compluribus separatim uicis uno eodemque tempore magnifico conuiuiorum apparatu per obsequij simulationem excipi iussit, meroque ac somno sopitum noctu per insidias trucidandum curauit. Ea nox uetustam DANORVM dominationem, diuq; maiorum uirtute elaboratum finiuit imperium. Ita Anglia dominãdi ius ignauia perditum scelere recuperauit. Saxo lib.10.

Siculi GALLORVM pertæsi libidinem & auaritiam, Hispanorum regis Petri auxiliis accitis, hora uesperarum Gallos omnes per omnes Siciliæ urbes ex composito interfecere. Collenutius.

Ca[redacted]

[redacted]

[redacted]o.

QVALES CVM QVALIBVS.

Reges cum Regibus.

☞ *Ex Tit. Mutuis uulneribus qui periere. huc quædam.*

Domini cum Seruis.

☞ *Vide Tit. Fidei seruorum ergà dominos, qua uitam dominorum comitantur.*

HOMINES CVM BRVTIS.

Virgilij ingeniosum epigramma in VENATOREM extat:

Sus, serpens, iuuenis pariter periêre uicissim:
Dente perit iuuenis, serpens pede, porcus ab ictu.

QVALES, QVOMODO AFFECTI MORIANTVR. Respectu

COGNITIONIS. Mortem suam qui

Præuiderunt.

☞ *Vide Tit. Mortis suæ præcognitio, sub loco Diuinationis.*

SIMEON Iustus, põtifex Hierosolymitanus, cùm Spiritu Sancto reuelante Messiam benedictum in templo cognouisset, & ulnis excepisset, præclarum illum hymnum cecinit, Nunc dimittis. mortis placidissimæ præsagium.

ANTONIVS abbas, cùm diẽ, qua de terra cessurus erat, multò antè prædixisset, eadem defunctus est. Sed dum adhuc ęger spiraret, monachis uitæ monita dedit, insuperq; iniunxit, ut quum se humassent, curarent, ne qua ibi humationis uestigia apparerent: & locum nemini unquam indicarent, ne ab hominibus honoraretur. Mar. lib.5. cap.10.

Tres pater meus sorores habuit (inquit D. Gregorius Pp. in Euangel. homilia 38.) quæ sacræ uirgines fuerunt, Tarsilla, Gordiana, & Aemiliana. Vno omnes ardore conuersę, uno eodemq; tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem uitam ducebant. Et Tarsilla quidẽ & Aemiliana cùm solo hîc essent corpore, quotidie animo ad æterna transibant. At Gordianæ animus sensim tepescens, ad huius seculi amorem redibat. Quadam nocte TARSILLÆ, quæ inter sorores suas uirtute cõtinẽtiæ orationis, & abstinẽtiæ singularis, in culmine sanctitatis excreuerat, per uisionem atauus meus Felix, Rom. Ecclesiæ antistes apparuit; eiq; mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Die subsequẽti mox febre correpta, animã cœpit agere. Cumq; multi uiri ac feminæ eius lectulũ circumstarent (inter quas mater mea quoq; affuit) subitò sursum illa respiciens, cœpit clamare, Recedite, recedite, Iesus uenit. Et in eum intendens, quẽ uidebat, sancta illa anima à carne soluta est: tantaq; subitò fragrãtia omnium naribus offusa, ut ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illuc auctorem suauitatis uenisse. Cumq; corpus eius ex more ad lauandum nudaretur, in cubitis eius & genibus ex assiduo orationis exercitio, camelorũ more obdurata cutis apparuit. Iam dominici Natalis die transacto, AEMILIANÆ sorori suæ per uisionem noctu apparuit, dicẽs: Veni, ut quia Natalem dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinus de sororis suæ Gordianæ salute sollicita respondit: Et si sola uenio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui illa tristi uultu respondit: Veni, Gordiana etenim inter laicas deputata est. Eã uisionẽ mox corporis molestia secuta est, ita ut ante Apparitionis diem moreretur. Gordiana pòst ut solam remansisse se uidit, oblita dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductori agrorum suorum nupsit.

Cùm Turones urbem Gallicam, ad Martinum, illius urbis episcopũ, propinqui ipsius, CLEMENS, PRIMVS, Theodorus, Gaudentius, Cyriacus, atq; Innocentius profecti essent, ut unà cum eo uiuerent: cùm in monachali habitu diu cum eo mansissent, quinto ac uigesimo anno pòst Martini obitũ Aicardo abbati morituros se prædixerunt: nec multò pòst, nullo corporis languore affecti, Christiana communione refecti, ante abbatem ipsum genibus innixi, animam egerunt: & quia, nisi quòd immobiles erant, & eis calor nullus inerat, reliquis in rebus uiuentibus persimiles uidebantur, Dormientes appellati fuerunt. In Turonibus, ueluti qui sancti haberentur, magno honore sepulti: quorum nos sepulcra religiosè conspeximus, inquit Fulgosus libro nono, capite duodecimo.

Non præuiderunt. Mors subita, repentina, inexpectata.

☞ *Consule Tit. Apoplexiæ. illic Morbi, hic non prouisæ Mortis habetur ratio. Accidit enim apoplexiæ, quemadmodum aliis interdum morbis, ut repentè hominem è medio tollat.*

ANANIAS, & uxor eius SAPPHIRA, quia fraudauerũt Apostolos precio agri uenditi, ad pedes Petri horribiliter expirarunt. Actorum 5.

PHILEMON poeta, dum recitaret partem fabulæ, quam nuper fecerat, ei iam actu tertio iucundos mouenti affectus, coortus imber interrupit. Cumq; postera die populus ad reliqua audienda conueniret, diutiùs expectantibus nuncius aduenit, mortuum eum esse, calereq; adhuc in cubiculo. Apuleius lib.4. Floridorum.

NICANOREM, Parmenionis filium, subita correptum morte, scribit Curtius lib.5.

MITHRIDATES, rex Ponti, morte repentina interceptus, filium reliquit Mithridatem: cuius ea postmodum magnitudo fuit, ut omnium Barbarorum ante se gesta superarit. Volater. lib.17. Anthrop.

CN. BEBIVS Pamphilus, prætura ipse functus, cùm à puero quæsisset horas, obiit. Plin. lib.7. cap.53.

SERVILIVS Pansa, cùm staret in foro ad tabernã, hora diei secunda, in P. Pansam fratrẽ innixus expirauit. Plin. l.7. c.53.

OCTAVIVS, pater Augusti, primus ex sua familia senator, cùm equestris ordinis maiores essent, præturam Macedoniæ summo cum honore (Tullio teste) administrauit, & antequam consulatum peteret, repentina morte sublatus est. Cuspinianus.

THEODERICVS, Italiæ & Ostrogothorum rex, post tricesimum secundum annum sui regni, mortuus est subitò Rauennæ. Sigebertus.

ALARICVS, rex Visigothorum, in Siciliam nauigans, naufragiumq; faciens, non multo pòst apud Consentiam urbẽ subita morte defungitur. Sigebertus in Chron.

IOANNES, episcopus Constantinopolitanus, qui Oecumenici, hoc est, uniuersalis patriarchæ nomen sibi usurpauerat, subita morte obiit. Sigeb. in Chron.

RATHOLDVS, dux Frisonum, prædicatione Vulfradi episcopi ad baptismum adductus, cùm unum pedem in lauacro haberet, retrahens alterum, interrogauit, Vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in paradiso? Et audiens, plures esse in inferno, pedem è colymbethra extrahẽs: Satius est (inquit) ut plures, quàm pauciores sequar. Tertia inde die subita morte periit. Sigeb. in Chron.

CONRADVS II. Imp. subacta Italia, in inferiore Traiecto, Frisiæ urbe, ipso Pentecostes solenni, subitanea morte illicò sublatus est, relicto Henrico filio superstite & successore. Sepultis illic intestinis, corpus Spiram delatum. Cuspin.

OTHO IIII. dux Bauariæ, ut per rusticum quendam prædictum fuerat, cùm tertium diem ante Calendas Decembris apud uxorem & liberos hilarem sumeret, noctu subitò expirauit, anno Christi 1253. Hieronymus Zieglerus in illustr. uirorum Germ. hist.

BAPTISTA Mirandulanus cùm in singulari certamine Ferrariæ hostem ingenti animo inuasisset, & is territus eum fugeret, statim in equo nutare cœpit. Exarmatus, sine ullo uulneris signo, mortuus est inuictus, magna adstantium admiratione, iráne an gaudio nimio expirasset. Inter quos ego quoq; fui ex eorum numero, quibus iudicandi de perduellibus datum munus fuerat, inquit Fulg. lib.9. cap.21.

[redacted]

Data [redacted]

Eurydice [redacted] Alexandri Magni in potestatem redactæ gladium [redacted] utro uellet uteretur. Plutarchus.

SENECÆ ut necessitatem mortis Nero Cæsar, discipulus ingratissimus, imposuit, sic optionem mortis genus eligendi liberam dedit. Ille igitur iam senio grauis, uenas secandas in balneo præbuit.

MAXIMIANVS Imp. cùm capitales Constātino genero insidias struxisset, ab eo Massiliæ captus, & decreto iussus mortis eligere genus, fractis laqueo ceruicibus occubuit. Talem exitum meruit sanguinarius & cruentissimus Imperator in Christianos, cùm annos uiginti regnasset, ætate sexagenarius. Cuspinianus.

DVRINGVS, Comes Boemus, cùm contra ius hospitalitatis filium Vratislai, Boemorum ducis, à Grezomislao uicti, perfidè decollasset, caputque muneris loco Grezomislao Pragæ obtulisset, æmulum regni se sustulisse inquiens: Grezomislaus hominis perfidiam detestatus, genus mortis triplex ei proposuit, gladium, laqueum, præcipitium. Duringus ex alno uicina sese suspendit, quæ postea arbor Duringa dicta est. Aeneas Syluius in histor. Boem. & Munsterus in Cosmographia.

Erepta.

☞ *Huc pleraque eorum, qui uiolenta Morte pereunt, exempla referri possunt.*

VISIONIS. MORIENTIVM

Placida, grata uisio.

Nursię presbyter VRSINVS quum animam ageret, prorupit in uerba salutationis, quasi qui principes uiros ad se accedere conspiceret, & aduentu eorum admodum gauderet: Optatò, inqt, aduenistis domini mei, & grātias ago, quòd præsentia uestra me dignamini, qui uester seruus sum. Deinde tanquam ab ipsis inuitatus: Venio, uenio, respōdebat. Tunc quid uideret, uel quo cùm loqueretur, ab iis qui aderant, interrogatus: Nunquid, ait, non cōspicitis hîc Petrum & Paulum apostolos, qui modò huc intrarunt? Et cùm rursum ad illos conuersus, iam iam se uenire diceret, relicto corpore abiit. Mar.lib.5.cap.10.

Ad PROBVM, Reatinæ urbis episcopum, puer, qui ægrotanti assidebat, uidit duos uiros ingredi candidis uestibus indutos, radiantiq; facie lucentes; & mente consternatus, qui essent, clamare magis quàm interrogare cœpit: donec ab episcopo Probo sedatus audiuit, illos Iuuenalem & Eleutheriū esse, pro Christi nomine olim supplicia necemq; passos. At puer neq; hoc ferre ualēs, è cella prosiliit, & rem aliis detulit: qui mox unà cum ipso ad cubiculum accedentes, offenderunt episcopum iam expirasse, aliumq; ibi adesse neminem. Marul.lib.5.cap.10.

ANTONIO Hispano, cuius corpus Patauij in ueneratione est, cùm aduersa ualetudine oppressus iaceret, Christus apparuit: cuius conspectu lætus, atq; intimis exultās præcordiis, hymnū uoce, qua potuit, decantauit, simulq; hymnum & uitam hanc finiuit. Idem.

ELIZABETHA, Thuringię Lantgrauij uxor, ex febri iacens, cùm ad parietem se uertisset, apiculæ fortè aduolantis tinnulo cantu admodum delectata, quasi iam angelos cœlo, quò mox itura erat, cōcinentes audiret, & ipsa Deo laudes uoce ad languorem tenui pressaque succinere cœpit. Læta mortem expectabat, iugiter orabat: & cùm prope se dæmonem uidisset, ut protinus recederet iussit. Eo fugato, Christum uidit, à quo ad cœlestem thalamum inuitata, mox ire perrexit: & tunc exanime corpusculum diuinum spirauit odorem: quia in odorem unguentorum Christi, dum uiueret, cucurrit. Mar.lib.5.cap.10.

SERVVLVS paralyticus cùm extremos iam anhelitus duceret, & quo modo poterat unà cū adstantibus psalmos concineret, mox, Tacete, tacete, inquit: nunquid non auditis, quanti & quàm dulces cantus resonāt in cœlo? Et dum intentos in cœlum oculos tacitùs teneret, obiit: corpus miro odore fragrauit. Idem.

STEPHANVM abbatem, sanctimoniæ singularis uirum, ij qui ad ægrotantem conuenerant, præ timore fugientes reliquére: pars angelos ad eum intrantes uiderant, pars nihil uiderant, & omnes unus idemq; occupauit pauor. Cùm sedato timore rediissent, defunctum inuenere. Marulus libro 5. capite 10.

Ingrata, horrenda uisio.

☞ *Ex Tit. Insania mortuorum, huc quædam.*

CATVLLVS, Pentapolitanæ Libyæ præfectus, ob interfectos iniustè Iudæos diris agitatus, defluentibus extis, horrendum in modum periit. Iosephus lib.7.cap.ult. belli Iud.

ODI[redacted]

VA[redacted] tiret tentationes à diabolo, [redacted]

EV[redacted] prauitatem: & tam dirus est, ut contrà tueri non ausim. Tūc fratrum supplicationibus dæmones in fugā conuersi sunt. Et diuus Hieronymus apparēs, ipsum ne paueret hortatus est. Eius itaq; cōspectu Eusebius recreatus, in Domino obdormiuit. Mar.lib.5.cap.10.

PERTVRBATIONIS. Morientes

Placida, tranquilla conscientia.

CLEOBIS & BITON, Argiui locupletes, & in sacris certaminibus sæpe uictores declarati, cùm matrem ad phanum Iunonis Argiuæ ducturi essent, neq; boues ex agro præstò adessent, ipsi boum iugū subière, & plaustro matrē p XLV. stadia ad templum pertraxère. Quos cùm omnes pietatis ergò collaudassent, mater etiam ante simulacrum deę procumbens, precata est, ut daret filiis suis id quod optimū esset. Post sacrificium & epulas in ipso delubro quiescentes iuuenes, dormiendo mortui sunt. Quorum effigies Argiui apud Delphos collocarunt. Herod.lib.1. Cicero lib.1.Tusc. Argiam sacerdotem Dianæ scribit. Zezes Chil.1. hist.1. Cydippen uocat matrem. Plut.in Solone.

BIAS Prienæus iam grandis natu, cùm pro hospite causam dixisset, ceruice in nepotis sinum reclinata, expirauit. Sabel. libro 5. Enn.2.

PINDARVS, Lyricorum princeps, cùm per eos, qui à Bœotiis ad oraculum missi fuerant, sciscitaretur, quid optimum homini contingeret? responsum accepit: Id quod AGAMEDI & TROPHONIO accidisset. De his idem Pindarus scripserat, quòd cùm Delphicum templum cōdidissent, & ab Apolline mercedem petiissent, ille in septimam diem eos reiecit, & interea bono animo esse iussit. Nocte igitur septima placidè obierunt. Hoc oraculo intellecto, Pindarus, ea quæ ad mortem pertinerent, cogitare cœpit, neque ita multo pòst diem suum, in gremio pueri ludos spectans, obiit. Plutarchus in Consolatoria oratione ad Apolloniū, & Cicero in Tuscul.

PERICLI lenta consumto peste, & iam animam agenti, assidentes præstantissimi ciues & amici, cōmemorabant, quantis enituisset uirtutibus & opibus: res gestas etiam recensebant, & numerum uictoriarum: nouem enim trophæa ciuitati prætor & uictor excitauerat. Hæc illi inter se, quasi illo non iam intelligente & omni orbato sensu, disserebant. At ille omnia attentè audiuerat, & in medium locutus: Miror, inquit, hæc uos celebrare, & in ore habere facta mea, quorum partem fortuna uendicat, & quæ multis iam obtigerunt ducibus: præteritis autem excellentissimum & maximum. Nemo enim, inquit, ex omnibus ciuibus mea opera pullam uestem sumsit. Præclarū uirum, non lenitate modò & mansuetudine, quam multis in negotijs & inimicitiis retinuit acerbis, sed grauitate etiam, qui in uirtutibus suis præstantissimum existimauit, quòd in tanta potentia nihil inuidiæ aut iræ indulsisset, aut ulli implacabilis inimico fuisset. Plutarchus in Pericle.

Aristippus Socraticus interrogatus, quomodo SOCRATES obiisset diem? Vt ego, inquit, optarim. significans, talem mortem quauis uita optabiliorem. nec potuit breuiùs felicem obitum describere. Dicti tamen argutia in hoc est, quòd philosophus aliud respōderit, quàm expectabat percontator. Ille quærebat de genere mortis, morbo periisset, gladio, ueneno, an præcipitio? ille putans id nihil referre, respondit, illum feliciter esse mortuum. Laertius lib. 2. c. 8.

PLATO uicinus iam morti, sortem & fortunam suam extulit: quòd primùm homo, deinde Græcus, non barbarus, neque rationis expers bellua esset natus: adhæc quòd in Socratis ætatem ortus suus incidisset. Tarsensem refert ANTIPATRVM item sub uitæ exitū ea, quæ prosperè ei obtigissent, uoluentem, ne secundam quidem nauigationem Athenas obliuioni dedisse: quasi propitiæ fortunæ donum quodlibet

quodlibet magna excipientem gratia, atque usq; in finem memoria conseruantem: qua thesaurum habet homo nullum firmiorem. Plut. in Mario.

CERCIDAS, ex Arcadia Megalopolites, cùm iam cōclamatus decumberet, ad suos conuersus, iucundè se à uita demi gra[redacted]ciauit, quòd animo cōcepisset, mox paulò ex sapientibus quidem cum Pythagora congressurū se, ex historicis cum Hecatæo, ex musicis cum Olympo, ex poetis cum Homero: inter hæc autem animā egisse, proditur memoriæ. Cælius lib.21.cap.43.A.L.

TIMOLEON Corinthius, is qui parua manu potentissimos Siculorum [redacted] Regit, & Siculos in libertatem asseruit, rebus maximis gestis, præ senio cæcus, à Syracusanis parētis loco cultus, ex leui morbo expirauit. Plut.in eius uita.

AVGVSTVS Cæsar supremo die exquirens, an iam de se tumultus foris esset, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas labentes sibi corrigi præcepit. Et amicos admissos percontatus, ecquid his uideretur mimum uitę cōmodè transegisse? adiecit & clausulam:

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dū aduenientes ab urbe de Drusi filia ægra interrogabat, repentè in osculis Liuiæ, & in hac uoce defecit: Liuia, nostri cōiugij memor, uiue, ac uale: sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat. Nam ferè quoties audisset, citò ac nullo cruciatu defunctum quēpiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc enim uerbo uti solebat) precabatur. Vnum omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit, quòd subitò pauefactus, à quadraginta se iuuenibus abripi questus est. Id quoque magis præsagium, quàm mentis diminutio fuit: siquidem totidem milites prætoriani extulerunt eum in publicum. Suetonius.

PLOTINVS philosophus cùm iam iam foret animam acturus, perrexit ad eum inuisendum Eustochius (sicuti ab eodem relatum sibi, Porphyrius scribit) habitabat is Puteolis. Adhuc (inquit Plotinus) te expecto, atq; equidem iam adnitor, quod in nobis diuinum est, ad diuinum ipsum, quod uiget in uniuerso, redigere. spiritumque his uerbis emisit. Cælius libro 21. cap. 10.

Turbata conscientia.

☞ *Ex Tit. Impiæ mortis huc quædam. Hîc Perturbatio: illic causa perturbationis Impietas consideratur.*

DEI, RELIGIONIS. Mors

RELIGIOSA.

Iudæorum.

MOSES atq; AARON fratres, cùm longum æuum feliciter uixissent, & uiuentibus ostendisset Deus loca, ad quæ transituri erant: nulla ęgritudine capti, neq; alio grauiore signo ostenso, ad ea ipsa loca, quæ Deus ostenderat, meliorē uicturi uitam demigrarūt, nihil aliud quàm somno se captos ostendentes. Fulgosus lib.9.cap.12.

Christianorum.

Cum omnis Christi actio, nostra sit institutio, illius exemplo & uiuamus, & mori discamus. Passioni proximus, sacrosanctum illud corporis & sanguinis testamentum & Sacramētum instituit. Et nos pariter cùm aliàs, tum præsertim morbo & mortis horroribus ingruentibus, nosmet priùs per pœnitentiam excutientes atq; iudicantes, glorioso hocce cibo & potu, ad animæ spiritualem refectionem utamur, ut in spe, fide, & charitate confirmemur, & Christi morientis ueri imitatores esse possimus. Accedamus inde ad Crucem dominicam, & septem Christi pro nobis passi uerba, seu potius oracula audiamus, eaq; menti nostræ ita imprimamus, ut quandocunq; usus erit, reipsa possimus illa exprimere. Admirabilis autem in ijs sapientia reposita est. Nos methodum tantùm præparandi nos ad mortem placidam uereq; Christianam perpendamus.

CHRISTVS in cruce pendens, & os sacrosanctum aperiens, imitatores nos esse & habere cupit suę mortis. Vt ergo beatè moriamur, rationem habeamus

ALIORVM imprimis. quod amoris & CHARITATIS officiū est. Sic Christus se pro nobis exinaniuit: Moses pro populo ex libro Dei deleri cupit: Paulus anathema pro fratribus fieri desiderat. Maior enim omnium est charitas, & propterea priore loco à Christo in cruce commemorata. Illi autē, quorū ratio habēda est, uel sunt nostri

Inimici. Quòd si nos illos offendimus, ueniam petamus: si illi nos, illis ignoscamus. Itaque Christus orat, PATER ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Primū Christi uerbum.

Amici, illorum curam habeamus, tutores & protectores illis constituamus, sui quemq; officij admoneam⁹. In hunc modum Christus primò dicit Matri, ECCE filius tuus. deinde Ioanni, Ecce mater tua. II. Pauperes semper habemus nobiscum, & eos tanquam Deum diligere in uitā debemus, non eò differre, ut hæredes nostri illis post obitum nostrum benefaciant.

NOSTRI, ut Spe & fide exēplo Christi instruamur, partim

Futuræ uitæ SPEM certam concipiendo: ut quemadmodū Christus latroni dixit, AMEN dico tibi, hodie mecum eris in paradiso: ità eūndem nobiscum loqui putemus, & Christo intrepidi dicamus, Hodie tecum ero in paradiso, ubi sacrosancta illa omnium piorū & gloriosa panegyris. III.

Præsentis uitæ molestias FIDE superando, ut &

Mortis antéambulones, morbos scilicet, dolores, horrores christianè feramus, duob. modis: nempe ut

Caro nostra, quæ propter peccata sua, cū prior Dominū dereliquerit, à Domino derelicta est, & Sathanæ flagellis subiecta ad castigandum, meminerit tamen semper, Deum, Deum suum esse. Dereliquit, non ut condemnet, sed ut castiget. Sciamus etiam, hos carnis gemitus non impios esse: quandoquidem Christus ipse exclamauit, DEVS meus, Deus meus, quare dereliquisti me? IIII.

Spiritus noster ad Deum pro consolatione suspiret, & fontem aquæ salientis in uitā æternam, tanq̄ ceru⁹, desideret, Iesum Christum mediatorē. Hoc est quod Christus dixit, SITIO. V.

Mortem ipsam magno feramus animo, non quia ineuitabilis, sed quia Domino ita placet. Vitæ cupidi sumus naturâ, non propter hanc uitam (quæ mors uerius dicenda est, si cum æterna, quam speramus, conferatur) sed propter ἐνέργειαν talenti nobis concrediti. Consolationem ergo in medio agone percipiemus, cogitantes uitam

Corruptibilem hanc nobis operationis tantùm & militationis causa concessam à summo Imp. nec illius iniussu hinc migrandum. Non habemus hîc manentem ciuitatem. Si passerum habet curā Dominus, multò magis nostri. Itaq; non priùs hinc discedimus, quàm omnia, quorum causa in hūc mundū missi sumus, cōsummata sint. Vnde Christus, CONSVMMATVM est. VI.

Aeternam nobis à patre cœleste deberi. PATER in manus tuas commendo spiritum meum. VII.

MARIA Magdalena, Domini Iesu apostola, cùm diem dormitionis suæ iam proximum præsciuisset, nolens absq; eucharistiæ sacramento decedere, à Maximino episcopo illud accepit, & ante altare humiliter prostrata spiritum tradidit. Corpusculū odore perquàm suaui fragrauit: anima ab angelis in cœlum sublata est. Mar.lib.5.cap.10.

MARTHA, soror illius, reuelato sibi uitæ fine, per annum febre æstuauit. Morti proxima, lampades accēdi iussit, & adstantibus ut uigilarent iniunxit. Nocte propè media uentus irruens luminaria extinxit, dæmones apparuerunt. Sed cū illa orasset, soror è cœlo delapsa affuit, malignos spiritus in fugam uertit: ipsam consolata est, lucernas accendit. Tunc & Christus ei præstò fuit, & ut secum ueniret hortatus est. Ipsa efferri se sub dio fecit, cinereq; cōspergi, & crucem sanctam iuxtà apponi, atq; euangelium Dominicæ passionis à Luca scriptum legi. Postremò in manus Domini spiritum suum commendans, obiit. Mar.lib.5.cap.10.

MARIÆ Aegyptiacæ, uasta in eremo degenti, & ferarum tantùm sociæ, ne in fine uitę sine salutari uiatico decederet, Zozimas abbas occurrit. Cùm postea defunctā reperisset, reperit simul in puluere scriptum: Sepeli Zozima Mariæ corp⁹, & terram terra tege, ac pro me ora. Tunc leo ad cauandam sepulturam operam præstitit, Zozimas ad cadauer cōdendum. Mar.lib.5.cap.10.

IOANNES Aegyptius anachoreta, præter uitæ sanctitatem futurorum etiam uaticiniis clarus, cùm diem postremū sibi imminere cerneret, toto triduo neminem ad se admisit, ut Deum liberiùs expeditiusq; contemplari posset. Triduo elapso, complicatis genibus orando emisit spiritum. Marulus lib.5.cap.10.

PAVLVM, primum eremitam, Antonius abbas orantis gestu expirasse offendit: necdum exanimem putabat, donec nullos (ut solebat) gemitus, nulla suspiria ipsum emittere deprehendit: indoluitq; uehementer, quòd se relicto, mortem obiisset. D. Hieronymus.

HILARION abbas, ad Hesychium monachū testamenti uice epistolā scripsit, omnes diuitias suas ei relinquēs, quę erāt, Euangelium, tunica saccea, cuculla, palliolum. Et cùm plerique religiosi uiri ad ægrotantem conuenissent, omnes adiurauit, ut ne puncto quidem temporis post mortem reseruaretur, sed statim se terra operirent, sicut uestitus erat, cum tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico. Cumq; iam extremo anhelitu laboraret, apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times: egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiuisti Christo, & mortem times? In

hæc uerba beatum exhalauit spiritum: statimq; obrutum, antè urbi sepultum quàm mortuum nunciauerunt. Marul. lib.5.cap.10.ex uita eius à D.Hieron.scripta.

DONATVM presbyterum apud Aureliam Galliarum urbem ferunt, cùm dies dormitionis eius instaret, nũquam preces intermisisse, donec animam exhalaret. Marul.lib.5.cap.10.

FRANCISCVM, Minorum patrem, legimus, nudum se super nudam humũ deponi fecisse, cùm diem expectaret supremum: fratribusq; benedixisse, & dominico exemplo singulis bucellam panis dedisse: sumto demum salutis uiatico, decessisse. Marul.lib.5.cap.10.

D. HIERONYMVS moriturus, humi se collocari iussit, saccoq;, quo induebatur, operiri. Tum discipulis conuocatis, eos, ut in Dei seruitio perseuerarent, multũ exhortatus est: deinde sacramentum corporis & sanguinis Domini in genua erectus, & lacrymis perfusus, reuerẽter hausit. Mox terram prono ore petẽs, dispansis manibus: Nunc dimittis, inquit, seruum tuum, &c. Posthæc lux multa circa eum fulsit. Quidam etiam angelos uidisse se testabantur, uocemq; audisse, illum ad patriam cœlestem inuitantium: & ipsius respondentis, quòd libenter cupideq; ueniret. Mox discedente luce, anima quoq; è corpore discessit. Exanime corpꝰ diuinum spirare odorem cœpit. Eadem hora diuersis in locis uisionibus quorundam ad quantam ille beatitudinẽ translatus esset, liquidò patuit. Idem.

Ipse inter quatuor ecclesiæ candelabra numerandus AVGVSTINVS, cùm febri correptus, uitæ sibi finẽ imminere cõspiceret, Psalmos, qui pœnitentiales dicuntur, conscribi, & ante se legendos parieti affigi iussit: eosq; dum legeret, lacrymas ubertim fudisse dicitur. Neminẽ ad se accedere passus est præter medicum, & Discophorum puerum: ne uariis multorũ interpellationib. ab earum rerum contemplatione auocaretur, ad quas perpetuò fruendas iam se profecturum sperabat. Tandem communione uenerabiliter percepta, spiritum reddidit. Sed priùs & hoc memoratur dixisse, neminem (quamuis sanctum & perfectum uirum) decedere debere, nisi antè confessus communicatusq; fuisset. Nolle enim confiteri, arrogantis esse: nolle communicare, inobedientis. Marul.lib.5.cap 10.

AMBROSIVS episcopus Mediolanensis tum doctrina, tum sanctitate notus, cùm animum esset acturus, communione sacra sumta, expansis latè brachiis, demissaq; ceruice, tacitꝰ intra se orauit. Atq; hoc gestu actuq; illi decedere libuit, ut talis Domino occurreret, qualis ipse pro nobis pependerat in cruce. Marul.lib.5.cap.10.

GERARDVS, D. Bernardi Clareuallensis abbatis frater cõiunctiss. & procurator fidiss. in ipso agone erupit in illud Dauidicum: Laudate Dominũ de cœlis, laudate Dominũ in excelsis, ita ut stupentes omnes Bernardũ uocarent. Iam cùm extrema Psalmi clara uoce compleuisset, addidit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et sępiùs repetito eodem sermone, cõuerso ad Bernardum hilari uultu: Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse: & quanta hominum gloria, Dei filios esse & hæredes? Nam si filij, & hæredes. Ita ut intentus gloriæ fratris, propriæ obliuisceretur miserię Bernardus. Testis ipsemet sermone 26 super Cantica.

LVDOVICVS Pius Imp. religiosissimè perceptis Christianis sacramentis, 40. diebus sine cibo ac potu iacens, 12. Cal. Iunij, anno Christi 840. spiritum suum Deo reddidit, cùm uixisset annis 74. imperasset annis 62. Cuspinianus.

OTHO Magnus Imp. per omnẽ uitam pietati deditus, de uictis hostibus semper egit immensas Deo gratias, & deuictorum à se hostium bona in pios cõtulit usus: unde & piè mortuus est. Cùm pascha in Quedelinborg celebrasset, tertia feria ante pentecosten, uenit ad locũ, qui dicitur Mimilevue. Proxima nocte transacta, hora constituta, lętus ad mensam consedit: uespertinis laudibus interfuit. Peracto cantu Euangelij, æstuare ac fatigari cœpit. Inclinantem aũt caput, quasi iam defecisset, refocillauerunt eum, petitoque sacramẽto dominico, & accepto, sine gemitu cum magna ttanquillitate spiritum reddidit Domino, nonis Maij, anno Salutis 973. regni 37. Imperii 13. Cuspin. Cran. l.3. Metro. c.13.

HENRICVS III. Imp. moriturus, ab omnib. quoscunq; tandem offenderat aut læserat, sibi ignosci petiit: seq; etiam omnib. qui offendissent, aut læsissent, ignoscere uelle palàm dixit. Mandauit etiam nõnulla bona, quę abstulerat, reddi: & ita in uera Christiana pietate diem extremum clausit. Hedio in Chron. Germ.

FRIDERICVS II. Imp. (quanquã ab aliis plerisq; historicis prodatur insidiosè à notho Mãfredo extinctus esse) sentiẽs se moriturum, primùm peccata sua recognouit, atq; inter manus archiepiscopi Panormitani & compluriũ aliorũ religiosorum, se addixit obedientiæ sacrosanctæ Ecclesiæ: simul, tanta contritione & pœnitentia confessus, ut Maynardus episcopus Imolensis, qui plurima de eo scripsit, narret, ex tali cõfessione credi posse, ipsum hominem fuisse à Deo electum. Item Gulielmus de Puteo, & Dandalus scribunt, quòd interdixerit aulicis suis, ne funus sibi facerent tam sumtuosum & magnificum, quàm solet esse Imperatorũ. Condonauit quoq; culpã omnib. suis inimicis & rebellib. exceptis solis regni sui subditis, ipsorũ proditionem iustitię arbitrio committens. Tandem condito testamento, addẽs Cęsari, quæ sunt Cæsaris, & animã suam Deo cõmendans, deuotè ex hac uita in aliam migrauit. Sepultus est ad montem Regalem supra Panormum, in Sicilia. Pandulphus Collenutius lib.4. regum Neapol.

LVDOVICVS Bauarus Imp. in uenatione effusus ab equo, ac destitutus omnibus uiribus & sensibus, se recollegit: eleuatisque in cœlum oculis, cum maximo singultu Deum rogauit, ut animæ suæ misereretur, & peccatis ignosceret, pulcerrima ac deuotissima oratione præmissa. Cuspinianus.

LVDOVICVS V. Gallorum rex, cum ingentibus copiis ad recuperandam Hierosolymã profectus, parteq; iam regionis illius occupata, febris morbo interceptus, nequiuit præstare, quod promiserat. Dum autem ægrotaret, non in sericis, sed in cinere iacere uoluit: & extensis ad instar Crucifixi manibus, animam efflauit. Sic humiliatus regnũ deseruit terrenũ, & cum Christo regnare cœpit in cœlo. Mar.lib.5.c.10.

FERNANDO Asturum & Castellæ regi optimo, anno regni 40. apparuit beatus Isidorus, & diẽ obitus denũciauit. Ergo cùm cœpisset ægrotare, fecit se Legionẽ abduci, & ex more corpora sanctorũ flexis genib. adorauit. In ipsa nocte dominicæ natiuitatis, licet æger, cum clericis interfuit matutinis. Vocatis inde episcopis, percepit corporis & sanguinis Domini sacramentũ. Crastino ad ecclesiam delatus, imposito capiti diademate, & indutus regalib. indumẽtis, corã sarcophago sancti Isidori clamauit ad Dominũ uoce clara: Tua est potentia, tuum est regnũ Domine, tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia sunt subiecta. Quod te donante accepi, restituo tibi regnũ, tantùm animam meã in æterna luce iubeas collocari. Et his dictis exutus regalib. ornamẽtis ueniam exorauit, & recepta ab Episcopis pœnitentia & gratia ultimæ unctionis, indutus cilicio, & conspersus cinere, duobus diebus in pœnitentia atq; lacrymis superuixit. Tertia inde feria plenus dierum reddidit Deo spiritum. Rodericus Toletanus lib.9. rerum Hisp. cap.14.

PIVS II. Anconę decumbẽs, eo die quo è uita migrauit, duas horas ante extremũ uitę spacium Cardinales ad se uocatos constanti animo & uoce ad concordiã in eligendo nouo pontifice adhortatus est: quibus item honorẽ summi Dei, dignitatẽ Ecclesiæ Romanę, bellum à se in Turcos susceptum, salutẽ animę suæ, familiam omnẽ, nepotes uerò maximè, si commendatione dignos se præstarent, cõmendauit. Petiit sponte sacramenta omnia. Acerrimè tũ disputauit cũ Laurẽtio Rouerella Episcopo Ferrariensi, theologo doctissimo, liceret ne extremã unctionẽ iterare, qua semel inunctus fuerat, dum Basileæ pestilẽtia grauissimè ægrotaret. Orationes canonicas ut intermitteret in tanta animi anxietate, neque domesticorum quidẽ precib. exorari potuit. Symbolũ Athanasij constanter pronunciauit, & pronunciatum, uerissimũ ac sanctissimum esse dixit. Non mortẽ exhorruit, non perturbationis, aut inconstãtiæ, dum supremũ spiritum efflaret, signum aliquod edidit. Extinctus profectò magis quàm mortuus dici potest, adeò longis ęgritudinibus maceratus erat. Vt corpus suum Romam deferretur, suis mãdauit. Affirmãt pollinctores, uiuacissimum cor in homine inuentũ. Platina.

BONIFACIVS Amerchius Basiliensis, Iurecons. clarissimus, morte placidissima & sanctè innocenterque transactæ uitæ cõsentanea, corporis ergastulo exemtꝰ est. Vide Tit. Iurecõ.

Ethnicorum.

HERMES Trismegistus philosophꝰ Aegyptius, moriens iam iam, hæc protulit uerba: O cœlum, magni Dei sapiens opus, teque ô uox patris, quam ille primam emisit, quando uniuersum constituit mũdum, adiuro per unigenitum eius uerbum & spiritum cuncta comprehendentem, miseremini mei. Volaterranus lib.15. Anthrop. ex Suida.

ARISTOTELES philosophus cũ extrema sibi ingruere pręsensisset, dolore ac spe in lacrymas amplius profusus, primę causæ misericordiam intentius implorauit. Quin & Homeri sententiam ex Odyssea uehementer approbauit, qua non esse immortalibus diis indecorum pronunciatur, hominis induere naturam, quo ab erroribus seuocentur mortales. Qua in re Christi præsensisse aduentum augurantur nonnulli eius uiri gloriæ in primis addicti. Cælius l.16. cap.34. A. L. uersum non adscribit. An fortè is est, quẽ Odys. η. Alcinous profert, cùm Vlysses mẽdicantis habitu, à nullo cõspectus, in regiam penetrasset,

εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ εἰλήλουθεν,
ἄλλο τι δὴ τόδ' ἔπειτα θεοὶ περιμηχανόωνται.

quibus uersibus innuit, Deum ad homines descendere posse, magno cum mortalium bono.

THRA-

THRASEAS philosophus Patauinus, Neronis iussu præcisis uenis moriẽs, manu extensa exclamauit, Ζεῦ ἐλευθέριε, σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα σπένδω. Teste Dione. Alij tamẽ Senecę hoc tribuũt. Cælius lib.22. cap.2. A.L.

IRRELIGIOSA, Impia mors.

Vide Tit. Desperationis. item, Persecutorum religionis. item, Apostatarum.

CONSTANTIVS Imp. Arianus, moriens, conquestus est de innouata religione, & in iis gemitibus expirauit. Theodoretus lib.2. cap.32. & lib.3. cap.1.

CONSTANTINVS Copronymus Imp. elephantico morbo correptus, maximis consumtus cruciatibus, cùm imperasset annos 35. moriens dixisse fertur: Addictus sum inextinguibili flammæ. Eius nurus Irene, Theodori antistitis hortatu, cadauer refossum publicè cremari iussit, cineremq; iactauit in mare. Cuspinianus.

HOMINVM. MORTVI ALII *Admonendo, docendo amicos.*

Rex DAVID morti proximus, dedit præcepta filio suo Salomoni. Sed cur illi magis, quàm cæteris? Quia cæteris ipse præfuturus erat, & unius præpositi instructio ad omnium utilitatem spectabat. Salomon autem quoniam paternis institutis obsequens fuit, sapientiam, & diuitias, & gloriam à Deo muneri accepit. Marul.lib.5.cap.10. ex 1. Paralip.29.

IOSVE, Naue filius, cùm diem suum esset obiturus, tribubus Israel conuocatis, enumerauit Dei erga illos beneficia: & ut legem eius obseruarẽt, eumq; solùm, non deos alienos, perpetuò colerent, hortatus est. Marul.lib.5.cap.10.

TOBIAS, cùm & ipse se iam decessurũ speraret, sic docuit filium, ut in illo uno omnes docuisse uideatur. Deũ, inquit, cole, parentes reuerere, eleemosynas da, à uitiis abstine, æs alienum libenter dissolue, nemini fac quod factum nolis tibi, sapientum nitere consiliis: benedic Deo semper, & ab eo dirigi pete. Marul.lib 5.cap.10. ex Tob.14.

DOMINICVS, Prædicatorum auctor, ultimo uitę die, ne intestatus obiret, hæc se fratribus suis legare dixit, Charitatẽ, humilitatem, uoluntariam paupertatem. Mar.lib.5.c.10.

Ignoscendo inimicis.

Ex Tit. præcedente, Mortis piæ Christianorum. huc quædam referri poterunt.

Vlciscendo.

HERODES Magnus Ascalonita, phthiriasi laborans, profectus ultra Iordanẽ fluuium, calidis aquis se fouebat apud Callirrhoen, quæ præter uim medicã potu quoq; iucundæ sunt. Hiericuntem reuersus, atra bile prægrauãte, eò immanitatis prolapsus est, ut cùm è tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conuenissent, euocati minaci edicto, pœnam capitis intentante non parentibus; uniuersos conclusserit in Circo: accita deinde Salome sorore, maritoque eius Alexa, ait, instare sibi terminũ uitæ, succumbenti tantis doloribus: illud permolestum esse, si carendũ sit extremo honore luctus, qui debeatur regibus. Non enim ignotam sibi esse Iudæorum mentem, quòd optatam suam mortem lætis accepturi sint animis, quandoquidem uel à uiuente etiã tum non abstinuissent contumeliis: sed illorum esse officij, leuamen aliquod præsentis huius doloris decernere. Ergo quamprimùm uiderint se exhalasse animã, debere eos clausam Circo nobilium multitudinẽ cingere militibus, ignorantibus etiam tum suum obitum, non priùs uulgandum, quàm mandatum executi sint: iubere deinde, ut circumuentos unà omnes iaculis configerent. Quibus hoc modo cæsis, duplicem se eis habiturum gratiam, uel quòd mãdatorum fuerint memores, uel quòd obitum suũ publico luctu honorauerint. Promisit soror se factũ executurã: sed promissis non stetit: Herodes inde pomum simul & cultellum poposcit, more suo. Et nisi Achiabus nepos manũ cohibuisset, sese interfecisset. Clamore exorto in regia, Antipater F. qui in uinculis erat, patrem mortuum arbitratus, cũ custode carceris de missione agere cœpit. Herodes re cognita, cum statim interfici curauit: & quinque diebus pòst sceleratam animã efflauit, iam septuagenarius, regni sui 37. Iosephus lib.17. cap.8. & seq.

C. MARIVS septimò consul, & iam propè septuagenarius diem obiit. Cęterùm propinquus morti, Fortunã crudelem appellauit, quòd priusquam consilia & desideria sua in opprimendo Sylla peregisset, uita abrumperetur. Sab.l.10.c.13.

THEOPHILVS Imp. ex graui dysenteria salutis suæ nullam spem habens, uocato ad se Senatu, iuramentum exegit, ut uxorem filiumq; pro regibus suscipiant, eosq; seruẽt: quod promissum factumq; est. Cœpit autem maximè suspectum habere Theophobum, quẽ ipse Persis præfecerat, à quib. & ipse Rex fuit, licet inuitus, appellatus. Dum igitur paulatim corpꝰ insumitur, Theophilus timẽs ne se mortuo Theophobus regnum inuaderet, intra regiam cõtineri iussit. Et iam animam agens, Theophobũ iubet trucidari, & eius caput afferri: quod manibus suis cõtrectasse fertur, his uerbis: Nec tu post hac Theophobus, nec ego Theophilus ero. Hoc dicto animã efflauit, cũ 12. annos, & menses 3. regnasset. Cusp.

LOCVS MORTIS VARIVS. CONSIDERATVS

PER SE. MORTVI IN *Templo, ad Aras.*

Vide Tit. Templorum sanguine profanatorum. item, Humanæ uictimæ.

IOABVS, polemarchus Dauidis, arę cornua tenens, à Banaia iussu Salomonis regis interfectus est, ut duorum illustrium uirorum, quos peremerat, mors uindicaretur. 3. Reg.2.

SACERDOTES Baalis, Samariæ à Iehu, qui, cæso Achabo, regnum Israelitarum inuaserat, in templo interfecti. 4. Reg. 25. & Suidas.

MATTAN, Baalis sacerdos, Hierosolymæ, Ioa rege electo, iussu Ioiadæ pontificis, ad aram Baalis interfectus est, templumq; dirutum. 4. Reg.11.

SENNACHERIBVS, Assyriorum rex, cùm amisso exercitu Niniuen rediisset, relicta obsidione Hierosolymorum, à filijs suis Adramelecho & Sarasare, in templo Nisrochi dei sui adorans, interfectus est. 4. Reg.19.

ANTIOCHVS Eupator, Epiphanis F. cùm Naneæ fanum ingressus esset cum suis, ut thesauros eius compilaret; sacerdotes, clauso templo, lapidibus per apertum lacunaris ostium regem cum comitibus obruerunt, & capita eorũ extra templum proiecerunt. 2. Mach.1. Videntur autem hęc in gratiam Demetrij Soteris fecisse, qui Antiochum cum Lysia interfecisse dicitur. 1. Mach.7.

ERECHTHEVS, Atheniensiũ rex, bellum cum Eumolpo gerens, cùm ab oraculo accepisset, futurum se uictorem, si filiam diis immolaret, consensu Praxitheæ uxoris, puellam occidit. Euripides apud Plutarchum.

CORESVS, sacerdos Liberi patris, Calydonæ urbe Achajæ, ardens amore Callirrhoes uirginis, cùm eam impetrare nõ posset, supplex ad Liberi signum confugit, uindictam petens. Statim incessit Calydonios ebrietati persimilis furor, ex quo passim populari uesaniæ morbo interibãt. Consultum ea de re oraculum Iouis Dodonæi, respondit: Placandum Liberum, eiusq; unam rationem esse, si ad eius aram Coresus uel Callirrhoen immolasset, uel alium, qui se pro illa deuouisset. Puella cædi destinata, cùm iam ad aram deducta fuisset, Coresus amore uictus, seipsum pro illa occidit. Commota rei spectaculo Callirrhoe; & ipsa semet ad fontem, non procul à Calydonis portu, iugulauit. Pausanias in Achaicis.

PRIAMVS, Troianorum rex, ad Iouis Hercæi arma à Neoptolemo iugulatus scribitur.

PAVSANIAS, Spartanorũ rex, in tẽplo Palladis Chalciœci, obstructis foribus latere, fame periit. Diodorus lib.1. Probus in eius uita.

PHILIPPVS, Macedonum rex, cùm ampla sacrificia in deorum honorem perageret, nuptias Cleopatræ filiæ cum Alexandro, Epirotarum rege, Aegis instituens, in mediis sacris alba indutus ueste, à Pausania, uno ex stipatorib. cæsus est ad Thermodonta fl. ad Chæroneam, ubi paulò antè contra Græcos insigni uictoria potitus fuerat. Diod.lib.16. & Pausanias in Arcadicis.

CLEOPATRA, Antiochi Cyricæni, Syriæ regis uxor, à sororis Gryphinæ militibus in templo iugulata, eiq; manus, quibus cõplexa deæ simulacrũ fuerat, amputatæ. Sab.l.1 En.6.

Q. MVTIVS Scęuola Pont. Max. cùm pro Sylla sensisse crederetur, Marianiq; urbem inuasissent, Vestales amplexus aras, ad Marij funus in Curia Hostilia à C. Fimbria trucidatus est iam grandis natu, ita ut sanguine suo sacrarium Vestæ respergeret. Quem cùm ex uulnere aliquantisper recreatum, ac posse uiuere conspexisset, apud populum se accusaturũ Fimbria ironicè dixit, quòd parcius totum corpore telum recepisset. Sed D. Augustinus lib.3. de Ciu. dei. cap.28. aram ipsam amplexum occisum scribit, ignemq; illum, qui perpetua cura uirginum semper ardebat, illius penè sanguine extinctum fuisse.

A. POMPEIVS in Capitolio, cùm deos salutasset, obiit.

M. IVVENCIVS Talua consul, cùm sacrificaret. Plin.l.7.c.53.

SACERDOS ethnicus repentè ad aras, coram Constantino Magno collapsus expirauit. Vide Tit. Religionis discipuli.

Michael Balbus contra Imp. Leonem Armenium conspiratione inita, accusatus & conuictus ad ignem ducebatur. Vxo-

 re Imp.

re Imp. petente differri supplicium post festum natiuitatis Domini, in carcerem reducitur. Interea socij coniurationis per insidias LEONEM, in templo inter cantores clara uoce sacros hymnos canentē, interfecerũt, & Michaelē ex uinculis Imperatorem salutarunt. Zonaras tomo 3.

Cùm MICHAEL Imp. odis matutinis interesset, & unà hymnos cantaret, à sicariis interfectus est. Idem.

TANCMARVS, qui fratri suo Othoni Imp. rebellarat, ab Imperatoris satellite ad aram in ecclesia S. Petri apud Heresburgenses, lancea per fenestrã missa, cæsus est. Vvitich. l. 2.

Anno Sal. 1127. CAROLVS Flandriæ Comes, Bonus dictus, Brugis ante aram Donatiani à coniuratoribus mactatus, VI. Cal. Martij, sacro Cinerum die. Eò rex Francorum Ludouicus Crassus profectus, seuerè in parricidas animaduertit. Sigeberti Continuator.

Guido à Monteforti, Simonis ab Henrici regis Anglorum filio Eduardo in acie cæsi F. præcipuo certamine animi sumto aduersus regiam Anglorum stirpem, Viterbij in æde sacrarum maxima, pro araq; maxima, HENRICVM, Ricardi Cæsaris fratris regis Angli filium occidit, cùm ab Africana expeditione Carolus Siciliæ rex cũ Henrico rediisset: uiaq; sibi ferro facta, præparatum ad ualuas templi equum conscendit, abiitq; ad socerum rubrum comitem Anguillariũ. Ea res apud omnes, & in primis apud Anglos, cõflauit ingentem inuidiæ flammam Carolo regi, quòd nõ persequeretur cædem factam ab eo, cui ipse uicarius imperij & Hetruriam prouinciam procurãdam dedisset, & nobilissimas nuptias conciliasset. Tandem Guido bello Siculo à Rogerio, classis Tarraconensis præfecto, captus, & ad regem Anglum missus, in perpetuam custodiam coniectus, atq; enectus, pœnas dedit. Aemilius libro 7. & 8.

IOANNES Guilmerius Corbinicus (Corbinium oppidũ est in finibus Heduorum) uir potẽs opibus, & Catoniana propè grauitate, dum in templo ad sacrificium & orationem se reclinaret, incerta causa & inexplorato mortis argumento, repentè expirauit, iam plenus annis.

HOMOBONVS Cremonensis, multà sanctitate clarus, dum sacra genibus prouolutus audit, expirauit. Nemo eum non uiuere putabat, donec, dum Euangelium legeretur, eodem gestu perseuerantem, neq; se, ut solebat, in pedes erigẽtem uiderunt. Marul. lib. 5. cap. 10.

GALEACIVS Maria Sforzia Mediolani in æde D. Stephani, die natalis Christi, sacrorum causa profectus, in templi porta ab Hieron. Olgiato, Carolo Vicecomite, & Ioan. Andrea Lamponiano cæsus occubuit. Brutus lib. 6. hist. Flor.

D. THOMAS, Cantuariensis episcopus, cùm uespertinis interesset precibus, à quatuor sicariis confoditur. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis.

THOMAS, Archiepiscopus Cantuariensis, ob pertinax in libertatis defensione ecclesiasticę studiũ exul, recõciliato per Alexandrum Pp. & Ludouicũ Francorũ regem, & Philippũ Flandriæ Comitem, Henrico II. Anglorum rege, non multis postea diebus, quinto à Natali dominico die, post meridiem in templo Cantuariensi complexatus altare D. Benedicti, per quatuor regios familiares, Vuilhelmũ Bretã, Hugonem Morueil, Vuilhelmum Traci, & Reginaldum Fittes, contra fidem datam trucidatus est. Rex ab expeditione Hybernica in Normãniam traiiciens, prȩsentibus duob. cardinalibus, Alberto & Tertuino, in basilica Rothomagensi diris execrationibus, contacto Christi euangelio, eius se cædis innoxium iurauit. Sed & eodem anno flagitiorum pœnitens, nudis pedibus ac linea tantùm ueste opertus, inuiso sancti Thomę sepulcro, plurimis lacrymis delicta expiauit. H. Boethius lib. 13.

THEODERICVS, Cicensis episcopus, à quodam monasticæ professionis uiro, quem ob uitæ morumq; turpitudinẽ sæpius obiurgauerat, ad aram inter precandum occiditur. Vrspergensis.

PETRVS Zenus, Venetorum classis imperator, ubi cum pontificio legato Smyrnæ, quam expugnauerat, diutiùs moraretur publicæ rei causa, dum litatorio sacro interesset, nihil sibi metuens, iussis militibus suis occurrere tumultuantib. Turcis, nũquam adduci potuit, ut sacrum ipsum desereret. Quare à magna Turcarum multitudine suis oppressis, hostem insultantẽ, in templumq; irruentẽ non extimuit. Itaq; cum pontificio legato in ipso templo cæsus, Deo opt. max. gratiam agens, alta uoce expirauit. Egnatius lib. 3. cap. 6.

IVLIANVS Medices, Patiorum & Saluiatorum coniuratione, Florentiæ in templo D. Reparatæ inter sacra, sacerdote hostiam eleuante, interfectus est: Laurentius frater uix seruatus. Brutus lib. 6. hist. Flor.

Senatu, Curia, Foro.

ANTISTIVS, auctore Plutarcho, in Senatu iugulatus est, ꝙ ob Pompeium Syllanam sequi rationem uideretur.

C. IVL. Cæsar Idib. Martiis interfectus fuit à coniuratis in porticu, quæ unam habebat iuxta theatrum exedram; in qua statua Pompeij à populo Romano locata fuerat, cùm porticibus & theatro locum illum decorasset. Eò Idib. Martiis aduocatus senatus fuit. Vnde deus aliquis Cæsarem eò trahere ad pœnas Pompeio dandas uisus est. Plut. in Cæsare.

GISBERTVS Corregiensis, Senensium copiarum dux contra Iacobum Picininum, in suspicionem actus, tanquam cũ Picinino sentiret, in senatu Senensi trucidatus est, & per fenestrã in forũ præcipitatus. Aeneas Sylvius cap. 55. Europę.

Cloaca, Latrina.

☞ *Vide Tit. Egestioni immortui. Illic Actionis, hîc Loci ratio habetur. Item, Alui profluuio immortui.*

FELICVLA uirgo, cùm nullis tormentis aut pollicitationibus à Christiana religione diuerti posset, iussu Flacci Comitis in latrinam detrusa est, & ibidem mori coacta.

IRENEVM & ABVNDIVM martyres, Valerianus in cloacã detrudi, & ibidẽ emori fecit, quòd sanctę Concordiæ corpus inde extraxissent.

HELIOGABALVS Imp. fœdiss. militum irrumpentium clamore territus, in proximam latrinam se coniecit, quùm nulla oportunior in ea trepidatione occurreret latebra. Hicille cum Sœmide matre, quam Lampridius Symiamiram uocat, & exoletis qui cum illo erant, trucidatus est. Heliogabali & matris cadauera plebi milites tradiderũt, quæ tota urbe raptata sunt, atq; in cloacas proiecta, ut per eas in Tiberim defluerent. Sab. lib. 6. En. 7. ex Herodiano & Lampr.

In Liuonia circa ann. Sal. 1385. cùm Canonici ecclesiæ Osiliensis HENRICVM episcopum suum captum tenerent in Hapsel, nec satis fiderent arci: metu archiepiscopi Rigensis, transmisso mari in insula Osilia, eum arci Arnsborgensi incluserunt, quòd ecclesiam ordini Teutonico subiicere conaretur. Nec diu pòst repertus mortuus in latrina: incertũ, iniectus ab aliquo, an dum fugam parat, in eam delapsus. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 10.

HENRICVS Comes de Schvuarzenburg, in latrina Erfordię periit, exitus sui præsagium quoddam ferens in prouerbio: Si, inquit, hoc fecero, mergar in latrina. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 45. & lib. 7. Metrop. cap. 8.

EDOVARDVS II. Anglorum rex, ab Isabella uxore in uincula coniectus, à custodibus, qui eum inhumaniter tractabant, ne fortè liberato pœnas luere cogerẽtur, dum uentrẽ purgat, ueru per clunes transfixus est. Polyd. l. 18. hist. Ang.

Balneo.

☞ *Hic Balneum tanquam Locum consideramus. In præced. de eo tanquam Instrumento mortis egimus.*

Constans fama est, Dædalum primò in Siciliam nauigasse, nauigio furtim illi à rẽgina dato: ac tum MINOEM eum persecutum, ad Cocalum regem delatum: à quo hospitaliter acceptus, in Dædali gratiam, qui ob excellens ingenium in magna apud regem & Siculos erat admiratione, thermarum sit uapore necatus. Corpus inde Cretensibus redditũ. Subitæ mortis prætextus fuit, ꝙ dũ fortè lauaretur, imprudenter in feruidam aquam lapsus, repentè exanimatus esset. Sabel. lib. 6. En. 1.

AGAMEMNON domũ reuersus Troia expugnata, à Clytæmnestra uxore & Aegistho adultero in balneo trucidatur.

TISAPHERNES, Asiæ præfectus, qui belli cõtra Spartanos in Asia suscipiendi auctor regi Artaxerxi fuerat, Græcorum summus hostis, cùm sæpius ab Agesilao uictus esset, tandẽ à Tithrauste, iussu regis, Colossis Phrygiæ urbe in balneo iugulatus est. Caput eius ad regem missum. Diod. lib. 14.

COMMODVS, Romanorum Imp. cùm post interfectam uxorem Crispinam multos in urbe atq; extra urbem crudeliter occidisset, neq; mulieribus etiam atq; sanguine cõiunctis pepercisset: post longam demum tyrannidem, Læti atque Electi coniuratorũ insidiis, à Narcisso in balneo suffocatus est. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

FAVSTA uxor, à Constãtino Magno in balneo suffocata, in matris Helenæ gratiam, quę cædem Prisci nepotis, de incestu cum Fausta nouerca suspecti, ægrè ferebat. Suidas.

AMALASVENTA, Theoderici regis Italiæ F. à Theodato marito ingratissimo in Vulsiniensis lacus insulam relegata, in balneo strangulata fuit. Bonfinius lib. 7. Dec. 1. & Ritius lib. 1. Regum Hisp.

HELMICHES à ROSIMVNDA adultera è balneo egressus, poculo uenenato potionatus, eam ipsam alterum dimidium ebibere coegit. Paulus Diaconus.

GRIMOALDVS Beneuentanus dux phlebotomia periit in balneo. Paulus Diac. lib. 5. cap. 30. Hist. Longob.

CONSTANS Imp. cùm, Roma spoliata, sex annis in Sicilia fuisset, cõspiratione domesticorũ facta, periit Syracusis in balneo, cui Daphne nomẽ. Quidã n. Andreas balneum unà ingressus, Imperatorẽ, dum is se tergere incipit, cado grauiter capiti inflicto, necauit. De morte Constãtis, ea ipsa, qua extinctus est die, in urbe cognitum est, uoce ex aere delata. Zonaras & Cedrenus.

Aerario.

Occupata Babylone ab Haalone Metonis Tartarorum regis fratre, omniq; populo ferro deleto, CALIPHAS, sacrorũ Mahometanorum summus magister, qui magnum thesaurum cõgesserat, cõprehensus ab Haalone, mediis auri gemmarumq; aceruis impositus est: in quib. cùm per plures dies asseruatus esset absq; cibo, fame periit. Aequum enim esse dicebat Haalon, tam quæstuosum hominem cibis non nisi uesci preciosissimis. Sab. lib. 7. Enn. 9.

CRAFTO, Goslariensis præpositus, suscepto episcopatu Misnensi, Goslariam reuersus, à prandio cubiculũ, in quo ingẽtes thesauros anteà clàm occuluerat, ingreditur. Vbi dũ diutius solito, somno indulgere uideretur, famuli qui neq; pulsu ostij, neq; uociferationibus dominum excitare poterant, effractis foribus irrumpentes, inueniunt hominẽ exanimem, fracta ceruice, atro colore, thesaurisque miserabili modo incubantem: ut refert Schafnaburgensis.

Puteo, Fouea, Palude, Voragine.

☞ *Vide Tit. Præcipitati in Puteum, Foueam. Item, Suffocati in aqua putei.*

PALAMEDES cùm piscatum isset, ab Vlysse & Diomede demersus, in aquis periit. Pausanias in Phocicis, ex carminum Cypriorum auctore.

Persarum PROCERES ab Ocho, qui postea Darius appellatus est, benignè cibo & potu excepti, somnoq; sopiti, dolosè in foueam cinere plenam præcipitati fuerunt. Val. l. 9. c. 1.

Pausanias refert, Macariã esse paludem in Marathone, in qua magna uis PERSARVM perierit, ignoratione uiarum in ipsam prolapsa. Qua ex re natum uideri potest prouerbium imprecantium, ἐς μακαρίαν. Erasmus in Adagiis.

DEMETRIVS Soter ab Alexandro Epiphane uictus, & Syrię regno exutus, abreptus cũ equo in cœnũ profundũ, circundatus corona sagittariorũ, etiã pedes generosè repugnãs, crebris uulneribus confectus occubuit, post exactum regni annum undecimum. Iosephus lib. 13. cap. 5. Antiq.

ANTHEVS Halicarnasseus à Cleobœa Phobij Nelidæ, Milesiorum principis, uxore, ad stuprum solicitatus, sed frustra. Amore cõuerso in odium, cùm perdicem cicurem in puteũ demisisset, iussissetq; Autheum eam extrahere: descendens ab eadẽ petra superiniecta necatus fuit. Parthen. in Erot. c. 14.

Thebas euertente Alexandro, domum Timocleæ HIPPARCHUS Thrax inuaserat: nec concubitu satiatus, aurum etiã & argentum sicubi haberet reconditum, cõfiteri eam cogebat. Illa multum se habuisse dicente, sed in puteũ aqua carentẽ id proiecisse simulante: Thrax credulus, cùm in puteũ descẽderet, multis lapidib. & saxis obrutus fuit. Polyęn. l. 8.

PEROZES, Persarum rex, contra Hunnos exercitum ducens, cum filiis & uniuerso comitatu in scrobibus ab Hunnis effossis periit. Cedrenus in uita Zenonis.

HENRICVS, militaris disciplinæ præfectus, à Carolo Crasso Imp. contra Normannos missus, ab hostib. in fouea ab ipsis effossa obruitur. Auent. lib. 4. Annal. Boiorũ. & Aemil. l. 3.

SIGISMVNDVS, rex Burgundorum, à Clodamiro Aurelianensium rege armis petitus, quòd filium Sugerium instinctu nouercæ iniustè interfecisset, desertus à suis, captusq; cum liberis, quos ex posteriore uxore susceperat, Aurelianumq; ductus, in puteũ cum filiis ꝑcipitatus periit. Aem. l. 1.

Lecto.

☞ *Vide, Dormientes interfecti. Illic Functionis, cui immoriuntur: hîc Loci habetur ratio.*

Pranderat fortè ALEXANDER Seuerus Imp. Germanica expeditione. Et cùm dormiret post conuiuium hora diei ferè septima, unus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, solo tamen Imperatore interuigilãte, uisus est. Cui Alexander, Quid est hic, inquit, contubernalis? num aliquid de hostibus nuncias? At ille metu perterritus, & sperãs non posse euadere, quòd in tentorium principis irrupisset, ad contubernales suos uenit, eosq; ad durum principem interimendum exhortatus est. Qui subitò plures armatiq; ingressi, inermes & obsistentes obtruncauerunt, ipsumq; pluribus ictibus confoderũt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictum, sed tantùm à militibus clamatum: Exi, recede. atq; ita obtruncatum iuuenem optimum. Lampridius in Alexandro Seuero.

MICHAEL, Theophili F. Imp. Constãtinopolitanus, ob prælatum quendam Basilicinum remigem Basilio Protostratori, quem non ita pridem regem pronunciarat, ab eodem ex insidiis ebrius in lecto fuit interfectus. Cuspinianus.

Tugurio, Casa pastorali.

VALENS Imp. Arianus à Gothis magno prælio uictus, in casa pastorali, igne ab hostibus subiecto, periit.

LOTHARIVS Imp. ex Italia in Germaniam intendens, cùm in uallem Tridentinam peruenisset, repentino eoq; exitiali morbo oppressus, ibi in sylua inter Oenũ & Lycũ in uilis. casa subsedit, & 3. Non. Dec. è uita decessit. Sig. l. 11. regni Ital.

Naui.

☞ *Vide Tit. Naufragorum.*

ARNOLDVS Villanouanus à Friderico rege Siciliæ (ad quẽ metũ inquisitionis profugerat, ꝙ Petrũ Aponensem sequi diceretur) ad Pontificem curandum missus, in biremi mortuus, Genuæ sepultus est. Symphorianus Campegius.

Sepulcro. Viui sepulcris immortui.

☞ *Hæc confer Tit. Viui terra obruti. Illic Terræ suffocãtis ratio habetur: hîc Inclusionis in loco. quæ etiã absq; suffocatione, utputa per inediã, mortẽ afferre potest.*

ANTIGONE, Oedipi F. cùm fratri Polynici contra Creontis edictum terrã iniecisset, à tyranno uiua tumulata fuit. Hæmon uerò, Creontis F. desiderio puellæ ad tumulum se mactauit. Eurydice Hæmonis filij morte cognita, laqueo semetipsam strangulauit. Sophocles in Antigone.

POLEMONA sophistem, proditũ memoriæ est, uiuentẽ adhuc suo ipsius iussu contumulatũ, ꝙ articulari morbo uiolentiùs infestaretur: iacentemq; in conditorio identidẽ inclamasse, ἔπαγε, ἔπαγε, μὴ γὰρ ἴδοι με σιωπῶντα ἥλιος: Obducas (inquit) obducas, absit ut tacentem me intueatur sol. Rursumq; flentib. ubertim amicis cognatisq;: Date, inquit, mihi corpus alterũ, & mox emigrabo. At priùs, cũ subinde à medicis dissecaretur, insusurrabat illud, ἐκκόπτετε τὰς Πολέμωνος λατομίας, Excindite Polemonis latomias. Cæl. l. 20. c. 20.

PYTHIVS Bithynus, ob interfectum filium à Xerxe, quem per triduum cũ uniuerso exercitu aluerat, unicumq; hunc filium, ut domi superstes manere posset, orauerat, uiuus tumulũ ingressus, ibi reliquũ uitę cõsumsit. Cæl. l. 19. c. 18. A. L.

VIRGO Vestalis stupri cõperta, iuxta portã, quę dicitur Collina, uiua defoditur. Tumulus ibi intra muros terreus est, in longum porrectus, Agger Latino sermone uocatur. In eo ędicula subterranea extruitur modica, gradus habet, quib. descenditur supernè. In ea lectus ponitur stratus, & lucerna accensa: eorum quoq;, quę ad uictũ sunt necessaria, pauca, ut panis, aqua in ampulla, lac, oleum: quasi corpus abominentur, maximis consecratũ ceremoniis, fame cõficere. Damnatam lecticę indũt, atq; undiq; obnubũt eam, uinciũtq; loris, ut ne uocem quidẽ mittere illa, quæ ualeat exaudiri, queat: ita eam per forũ deuehunt. Decedunt aũt uia omnes taciti, prosequũturq; sine uoce atq; ingenti cum mœstitia. Neq; est spectaculum illic ullum magis horrendum, nec tristior facies ciuitatis ulla alio est die. Vbi ad locũ illum est lectica delata, apparitores ei uincula demunt. Pontifex max. ante supplicium preces quasdã arcanas, tensis ad cœlũ manibus, peragit. Inde educit obuolutã, atq; in scalis, qua descensus est in domunculam, cõstituit: tum auertit se cum aliis sacerdotibus. Postquã illa descendit, retrahuntur scalæ, & ædicula, multa iniecta desuper humo, contegitur, donec complanatũ solum aggeris sit. Plutarchus in Numa. Idem in quęst. Rom. causas affert. Vtrum quia cõburũt mortuos: funerare uerò igne eam, quę sacrũ ignem nõ custodiuit sanctè, non erat æquũ? An corpus maximis cõsecratũ ceremoniis occidere, manusq; sacrę mulieri afferre, nefas ducebãt? Struẽtes igitur, ut sua spõte exanimaretur, deducebãt eam sub terrã in constructã ædiculã. Sed & pòst sacerdotes cum in locum ibant parentatum, ad piaculum procurandum.

MINVTIA Vestalis suspectæ libidinis propter elegantẽ corporis cultum uiua defossa est. Liuius libro 8.

OPPIA, Vestalis uirgo, eò quòd stuprum contra leges commisisset, uiua in terram est defossa. Liuius lib. 22.

T. LABIENVS ob nimiã dicendi & lacerandi alios libertatẽ Rabienus dictus fuit. Ideoq; noua pœna, à Romanis omnes eius libri cõbusti sunt. Quam contumeliam non ferens, in monumenta maiorum suorum se ferri iussit, atq; ibi inclusus, uiuum se sepeliuit. Cælius lib. 11. cap. 13. A. L.

De GALLO Lingono, Martialis Epigrammatum lib. 8.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus à recta Flaminiaq; recens:
Expulit offenso uitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moueret?
Ingenti domino seruulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset uix ferre lacernam:
Succurrit misero casus, opemq; tulit.
Quattuor inscripti portabant uile cadauer,
Accipit infelix qualia mille rogus:
Hos comes inualidus submissa uoce precatur,
Vt quocunq; uelint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataq; tollitur altè
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, uidetur,
Cui meritò dici, mortue Galle, potest.

Imp. ZENO cùm 17 annis præfuisset imperio, periodicis exacerbationibus quasi exanimatus, impositus est sepulcro: illic ad se rediens, suffocatus dicitur, ne iniuriã illatã ulcisceretur. Alij aliter referũt. Quòd cùm ꝓ more se multo mero

onerasset quadã nocte, & moribundus iaceret, Ariadne uxor iussit cum sepulcro inferri, ingenti lapide imposito. Posteaquam resipuit, & ebrietas resoluta est, magnos edidit ciulatus & clamores frustra, nullo opem ferente. Ariadne, XL die pòst Anastasio Silentiario nupsit, cumq; Imperatorem fecit. Cedrenus, & Cuspinianus.

Valramus, Colonienſis archiepiſcopus, ſub Othone III. cùm aperto ſepulcro prædeceſſoris ſui GERONIS, illum fuiſſe uiuum ſepultum cognouiſſet (repertum enim fuit cadauer ſe uertiſſe cum cruoris ſtigmatibus in ſepulcro) conſcientia tactus, de illo, qui in ſyncopē tantùm incidiſſet, ante tempus tumulato, & Romam profectus, culpamq; detegens inconſultæ feſtinationis, meruit abſolui: inq; ſatisfactionem, reuerſus ad eccleſiam, cœnobium diui Martini, uetuſtate collapſum, magnificè reparauit. Cranzius lib.3. Metrop.c.45. & Trithemius in Hirſaugienſi Chronico.

IOANNES Scotus in ultima Britannia ad Caledoniam ſyluã nat⁹, noui in philoſophia dogmatis auctor, apoplexia correptus, nimis feſtinato funere, pro mortuo tumulatus eſt: ut fruſtra ad petendam opem, miſerabili mugitu edito, pulſatoq; diu ſepulcri lapide, eliſo tandem capite perierit. De alio Ioanne Scoto Crimitus ex Gallicis annalibus recitat, cum à coniuratis diſcipulis, D. Caſſiani exemplo, graphiis confoſſum, inulta morte concidiſſe. Iouius in Elogiis, & Sabellicus lib.7.cap.4. Exemplorum.

Cùm Rauennates à Gaſtone, Ludouici XII. Gallorum regis conſanguineo & exercitus ductore, obſeſſi iamiam ſe dedere noluiſſent, & ob id mœnium cuſtodiendorum diligentiam intermiſiſſent, Germani & Vaſcones per muri ruinam ingreſſi, urbem crudeliſſimè uaſtarunt. Rauēnates cladis ſuæ contra ius & fas acceptæ memores, quatuor GALLORVM præfectos, in arce qui fuerant, fide nõ ſeruata, uiuos ſepelierunt, ceruicibus ſupra terram extantibus. Bembus lib.12. Hiſt. Ven. & Guicciard. lib.10.

Carcere.

☞ *Conſule Tit. Captiuitati immoreti. Illic Functionis, hîc Loci habetur ratio.*

Dinocrates Meſſenius cùm priuatim Philopœmeni infenſus, tum aliis ob improbitatem & nequitiam inuiſus, Meſſenen (Coroneam dicit Liuius) ab Achæis alienare tentabat. Tenebatur fortè ea tempeſtate Argis PHILOPOMENES febri iam ſeptuagenarius, & Achæorum prætor VIII. qui ad eum nuncium Megalopolim uno die contendit, ſtadia amplius quadringenta: inde properè ſuppetias uenit cum equitibus. Erant hi ciuium nobiliſſimi, ſed admodum iuuenes: beneuolentia autem ducti Philopœmenis, & laudis ardore, uoluntarii eũ ſequebantur. Cùm prouecti prope Meſſenem eſſent circa Euandri tumulum, in occurrentem illati Dinocratem, Philopœmenem ſenio grauem, & morbo torpeſcentem iam, equus prolapſus in terram effudit. Capite ad durum caſum afflicto, incuit diu ſine uoce: unde hoſtes mortuum rati, uertere corpus & ſpoliare aggrediebantur. Tandem cùm caput attolleret, atq; oculos aperiret, conferti ſuperfuſi, manibus poſt tergum illigatis; abduxerũt eum, nec ullo ludibrij uel contumelii genere abſtiuerunt in uirum, qui nunquam ne per ſomnium quidem eum caſum expectaſſet à Dinocrate. Memorant enim in conſeſſu quopiã laudantib. qui aderant, quendam ut inſignem ducem, dixiſſe Philopœmenem, Quomodo autem memorabilis ille ſit uir, qui uiuus in hoſtium poteſtatem uenit? Meſſenem perductum deportauerunt in cameram ſubterraneam, quem Theſaurum uocant, aeris lucisq; externæ expertem: nec habet ea fores, ſed ingenti clauditur ſaxo, machina ſuperimpoſito. Illuc demiſſo eo, ſaxum obuoluerunt, & locum ſtatione armata circumquaq; cinxerunt. Achæi cladem eam non mediocrem æſtimantes, repoſcere eum per legatos à Meſſeniis ſtatuerunt, ſimulq; parabant ſe ad bellum. At Dinocrates primis tenebris, ubi digreſſa eſt plebs Meſſeniorũ, aperto carcere, intromiſit ad eum carnificem, qui uenenum illi porrexit. Plut. in Philopœmene.

Eduuino Northumbrorum rege impio à Cadoualline Britannorum, & Penda Merciorum regib. cæſo, diuiſo in duo Northumbriæ regno, EVFREDVS & OSRICVS fratres apud Scotos exulantes, & Chriſtiani facti, Ethelfredi, qui ante Eduinũ illic regnauerat, impij regis filij, illud Eugenij Scotorum regis interceſſione obtinuere. Reuerſi ſubinde ad ethniciſmum, Chriſtianos crudeliter perſequebantur. Cõſpiratione igitur Cadoualloniis & Pendæ uicti ſunt, proſligatoq; exercitu capti, atq; in publicam coniecti cuſtodiã: ubi paucis pòſt diebus aſperioris metu ſupplicij, mutuis uulneribus ſeſe confecêre. H. Boethius lib.9.

IVDÆI circa annum 1320. in Francia paſſim comprehenſi, & per elephantiacos puteis infectis, horrendæ peſtilentiæ fomitem ſubminiſtraſſent, in cuſtodiam alij aliò diuiſi. Qui eorum Vitriaci in carcere aſſeruabantur, non dubij, peſtem ſibi à noſtris inſtare: quem ex numero ſuo uirum optimum iudicarunt, eum delegerunt, ut eius manu uitæ finem faceret. Conſenuerat & ætate, & uiribus: adiutorem ſibi iuuenem robore præſtante depoposcit ad cædem perpetrandam. Ii duo cæteros, ſe morti ultrò offerentes, cõpreſſis faucibus necarunt. Deinde ſenex exorauit iuuenẽ, ut eius dextera caderet. Is iam unus ſupererat, nec habebat qui ſe uindicaret à ludibriis morteq; arbitrio noſtrorum obeunda. Ad tignum feneſtræ editiſſimæ partim reuulſis, partim ita patefactis clatris, ut exitus liber foret, reſti religatæ inſerta ceruice, ſe ſuſpendio demiſit: ſed graui caſu laqueo priùs gula fracto, in ſubiectã foſſam decidit, cruscq; fregit. Ad ſtrepitum excitati cuſtodes eum excepere. Furca interiit. Aemilius libro octauo.

Gremio muliebri.

LYSIMACHVS & PHILIPPVS Lyſimachi FF. à Ptolemæo Cerauno, Macedoniæ rege, auunculo & uitrico, in nuptiis inceſtuoſis fraudulenter & perfidè in gremio matris Arſinoes confoſſi. Sab.lib.En.4.

ALCIBIADES in Timandræ meretricis gremio confoſſus à quibuſdam ſcribitur. Plutarchus.

Baſſianus Imp. fratrẽ GETAM, ob diuiſionẽ Imperij, ingreſſus repentè fratris cubiculum, nihil tale ſuſpicantẽ, in gremio matris Iuliæ confodit. Sab.lib.5.En.7.

ALBERTVS II. Imp. poſſeſſionẽ regionum paternarũ Ioannæ Rodolphi ducis Sueuiæ F. cùm tradere differret, ab eodem, Thermis Heluetiis rediens, ad Vindoniſſenſem traiectum in colle confoſſus, in gremio ſcorti expirauit. Stumpfius in Chronico Heluetiæ.

RESPECTV EIVS QVI MORITur. Huc pertinet

Locus Natiuitatis idem & Mortis.

☞ *Huc ij, qui in patria mortui ſunt, referantur.*

LVDOVICVS I. Palatinus Rheni, anno 1294. Heidelbergæ in eodem cubiculo, in quo natus, mortuus eſt. Auentinus libro 7. Annalium Boiorum.

Locus Natiuitatis & Mortis diuerſus. Extra patriam mortui. In exilio mortui.

☞ *Conſule Tit. Exulum. hic Loci, illic formitæ Proſcriptionis ratio habetur.*

Naſcentem Aceam uidit Simois in Aſia: raptum abſorbuit Numycius in Italia. DIDONI patria fuit Phœnicia, Carthago tumulus. Samos genuit PYTHAGORAM; texit Metapontus. ALEXANDRVM Pella genuit, Babylon peremit. CLEOMENI Lacedæmonio tumulum præbuit Aegyptus. CYRVM Perſis tulerat, Scythia truncum tulit. DECII extra patriam ceciderunt: pater cum Latinis pugnans, cum Ethruſcis filius. CATONI principium & nomen dederat Roma, finem & cognomen Vtica. CORNELIOS Scipiones Roma genuit, Hiſpania obruit. VERGILIVM dedit Mantua, Brunduſium abſtulit. Genuit OVIDIVM Sulmo, Ponticum exilium ſuffocauit. TERENTIVM Carthaginenſem, quem Roma docuerat, Arcadia ſepeliuit.

CICERONEM Arpini ortum, nutritum Romæ, ſinus Caietanus uidit exanimem. CRASSVM & POMPEIVM tulerat Roma: hunc Aegyptus, illum Aſſyria ſuſtulit. ANNIBALEM, Africæ lumen, cepit urna Bithynica, ipſa ſcilicet Libyſſa terra. Plutarchus.

HORATIVM Apulum, ENNIVM Calabrum, STATIVM Narbonẽſem, AVSONIVM Burdegalenſem, duos SENECAS & LVCANVM Cordubenſes, PLAVTVM Arpinatem, LVCILIVM Aruncum, PACVVIVM Brunduſinũ, IVVENALEM Aquinatem, PROPERTIVM Vmbrum, VALERIVM Antiatẽ, CATVLLVM Veronenſem, VARVM Cremonenſem, GALLVM Foroliuienſem, ACTIVM Piſaurenſem, CASSIVM Parmenſem, CLAVDIANVM Florentinum, PERSIVM Volaterranũ, tumulauit Roma.

IVGVRTHAM peperit Numidia, mortuũ uidit Roma. PLINIVM infantem lauit Atheſis, grandæuum extinxit Veſeuus. TRAIANVS Imp. in occidente natus, in oriente mortuus eſt. SEVERVS Cæſar ortum habuit in Africa, imperium in Italia, tumulum in Britannia. THEODOSIVM Magnũ ortum in Hiſpania, Mediolanũ terra operuit. Rauiſ.

Locus Facinoris & Mortis idem.

NEOPTOLEMO Achillis filio, qui Priamum in ipſis palatij focis occiderat, uiciſſim euenit, ut & ipſe apud Delphos ad Apollinis aram occideretur. Atq; hinc ortum, ut ubi quis idem patitur quod in alios fecit, Neoptolemi eam uindictã appellent. Pauſanias in Meſſenicis.

ABA, Vngariæ tyrannus, exercitu ſuo ab Cæſare Henrico III. Petrum regem legitimum reducturo, proſligato, traiectoq; Danubio, ad Tibiſci amnis uicum effugit, ubi multas nobilium cædes olim patrarat, nico Scœbe nomẽ erat: ibi à ſuis cæſus

eſſus eſt, & in proxima æde ſepultus. Bonfinius l.2. Dec.2. Turcorum Imp. SELYMVS, Conſtantinopoli agens, ulcus in renibus contraxit, quod cancri in morem ſerpens, omnia bellandi conſilia expulit. Poſt paulũ etiam peſtifera febris hominem inuaſit, ſicq; iam morbi tædio ſibiipſi grauis, uictoriis ac triumphis exſaturatus, mortem obiit. Salutis noſtræ anno MDXX. menſe Septembri, in eodem pago Ciurlano, ubi priùs cum patre conflixerat. Quod non ſine manifeſto Dei iudicio factum eſt, ut quo in loco peccatum commiſerat, ibidem & pœnas ſolueret. Prefuit imperio annis octo, agebatque, quum obiit, ætatis annum quadrageſimum ſextum. Iouius in uita Selymi.

TEMPVS MORTIS VARIVM. CONSIDERATVM

PER SE. MORTVI

Anno Climacterico.

Hominum interitus in ſeptenarios ac nouenarios incurrere, nemini dubium eſt in eam rem penitùs intuenti: ut XIIII, XVIII, XXI, XXVII, XXVIII, XXXV, XXXVI, XLII, XLV, XLIX, LVI. Si uerò ſeptenarius cum nouenario concurrat, annũ periculoſiſſimũ eſſe, omnis antiquitas cõprobauit. Hinc Auguſtus in quadã epiſtola gratulatur amicis, quòd annum LXIII, quem ipſe fatalẽ omnium ſeniorũ appellat, euaſiſſet. Proximꝰ eſt LXX, deinde LXXII, quo mortuus eſt EPICVRVS, qui tanto ſtudio ſuæ ſalutis conſulebat. Hunc ſequitur LXXVII, quem ferè attigit AVGVSTVS, impleuit FRIDERICVS III. hic annos LIII. ille LVI imperauit, uterq; mortuus XIIII Cal. Septembr. Sequẽs quadratus eſt nouenarij LXXXI, quo mortuus eſt PLATO. neq; hunc numerum egreditur Dauid, cùm deſcribit hominum uitam. Pauci LXXXIIII accedũt, qui ſeptenario duodecies ducto coaleſcit. atq; hunc annũ impleuit THEOPHRASTVS, qui moriẽs de natura queſtꝰ eſt, breue ſibi uitæ ſpacium, longum cornicibus dediſſe. Hoc quoque anno PAVLVS III & IIII. Pontifices mortui ſunt. Sunt ramen, qui nonageſimum, id eſt, nouenarios decẽ expleuerunt, ut FRAN. Philelphus. D. HIERONYMVS unũ & nonaginta uixit, id eſt XIII ſeptenarios. Quinetiam illi ipſi, qui diuturnũ illud tempus uixerunt, quod in libris noſtris ac literis teſtatum habemus, ſeptenarios aut nouenarios ferè omnes expleuerunt. LAMECHVS. n. ſeptingentos ſeptuaginta ſeptem annos uixit. MATHVSALA nongenteſimum ac ſeptuageſimum attigit. Ac tametſi uiolẽta mors interdum ob uiolentos fortaſſe radiorum concurſus & traiectiones contingat, ſæpius tamen in ſeptenarios aut nouenarios incurrit, niſi diuina uoluntate natura prohibeatur. Moriuntur enim innumerabiles anno LXIII. ARISTOTELES, CHRYSIPPVS, ERASMVS, M. Luthetus, P. MELANCHTHON, Iacobus Syluius, Hieron. Aleander, Iac. Sturmius, NICOLAVS Cuſanus, Thomas Linacer, omnes affecti morbis. Eodem anno CICERO cæſus eſt. ALEXANDER VI. Pont. Max. LXXII uenenum maleficum hauſit. ISOCRATES nonageſimo nono, accepta dade Chæronenſi, ſeipſum inedia peremit. PLINIVS quinquageſimo ſexto ſuffocatus, CÆSAR occiſus. IO. Oecolampadius mœrore contabuit, ſeu peſte potiùs, anno XLIX. ATTICVS inedia ſeptuageſimo ſeptimo. Io. Bodinus Methodi hiſtor. cap. 6.

Natali ſuo.

ANTIPATER Sidonius poeta, omnibus annis uno die natali, tantùm corripiebatur febre, & ea conſumtus eſt ſatis longa ſenecta. Plinius lib.7.

ALEXANDER Magnus ſexto die Targelionis natus fuiſſe dicitur, & eadem quoq; obiiſſe. Alex. lib.4.cap.20.

ATTALVS, rex Pergamenus, & Cn. POMPEIVS Magnus natalibus ſuis perière. Plut. in Camillo.

C. IVL. Cæſar Martiis Idib. natus eſt, & optimatum conſpiratione in Senatu interfectus. Sab.lib.9.cap.4.

AVGVSTO Octauio idem dies ſuſcepti imperij primus, & uitæ ſupremus fuit. Alex.lib.4.cap.20.

ANTONINVS Caracalla, Carris prope Edeſſam in Meſopotamia occiſus eſt natali ſuo, 6. ſcilicet Idus Aprił. à Macrino præfecto prætorio, anno ætatis 29. imperij 6.

GREGORIVS Magnus, Rom. pont. codẽ die natus & mortuus eſt, uidelicet 4. Idus Martij. Ioannes Diaconus.

CAROLVS Magnus Imp. Aquiſgrani natali ſuo tumulatus eſt, anno 810. Cranzius lib.2. Saxon. cap.20.

GARSIAS, Petrachæ proauus paternus, centum & quatuor uixit annos, moriens ipſo etiã (ut PLATO) natalis ſui die, in eoq; thalamo, quo fuerat natus. Guido Bitur.

PHILIPPVS Melanchthon 13. Cal. Maij, natali ſuo obiit, anno ætatis 63. Chriſti 1560.

Facinoris die.

NERO Cæſar obiit 32. ætatis anno: die, quo quondam Octauiam coniugem interemerat. Suetonius.

RESPECTV ALIORVM. Pura REIPVBLICÆ.

L. LVCVLLVM exceſſus cauſa præcipuè beatum dicas, quòd Reipub. conuerſionem, quam moliebatur bellis ciuilibus, fatum morte præuenerit, uitaq; exceſſerit patria quamuis ægra, libera tamen. Quod quidem præ omnibus ei præcipuè cum Cimone conuenit. Plut. in Vitis.

COMMORIENTIVM. Mortui eodem Anno.

Anno poſt Leuctricam Spartanorũ cladem omnino memorabile quid & rarum contigit. Nam tres uiri in imperio uiuẽtes eodẽ tempore uitam reliquerũt. AMYNTAS Thartharlei filius, rex Macedoniæ, mortuus eſt poſt exordium regni ſui, anno uigeſimo quarto, relictis tribus filiis, Alexandro, Perdicca, & Philippo. Succeſſit in regnum Alexander, & regnũ gubernauit unum annũ. Similiter etiã AGESIPOLIS Lacedæmoniorum rex, uitam cũ morte commutauit, anno primo poſt initium regni ſui. Imperium aurẽ ſuſcepit Cleomenes frater, qui regnauit triginta quatuor annos. Tertius IASON Pherenſis, dux lectus Theſſalorũ, & cum equitate ſubditos regere exiſtimatus, per dolum interfectus occubuit. quemadmodum Ephorus refert, à quibuſdam adoleſcentibus, qui glorię cauſa cohiuraurant: ſed ſi aliis credimus, à Polydoro fratre, qui & ipſe, regno ſuſcepto, imperauit unum annum. Diodorus lib.15.

Annus 397. duorum nobiliſſimorũ antiſtitum morte fuit inſignis, AMBROSII Mediolanenſis, & MARTINI Turonenſis epiſcoporum. Sigon. lib.10. Imp. occid.

IOANNES Huniades, Ladiſlai regis dux, & IOAN. Capiſtranus, legatus Pontificius, memorabili uictoria Mahometo Turcorũ tyranno à Belgrado obſidione repulſo, glorioſi uictores, quemadmodum in uita ſe dilexerunt, ita in morte non ſunt ſeparati. Prior Huniades 10. Septemb. procurante funus eius Capiſtrano obiit, Albæ ſepultus. Mox ipſe Capiſtranus in choro ſuorũ ſodalium, inter hymnos Deo decantatos, ſenilem emiſit ſpiritum, ſepultus Villaci. Dubr. l.29.

HENRICVS VIII. Anglorũ rex, multo abdomine grauis & iners effectus, laceſſenti atroci febre, propter ſæuam inflammationẽ in cruce uirtulenti herpetis, uitũ cum morte cõmutauit, ætatis anno 57. Chriſti 1547. Poſt quinquageſimũ diẽ ab Henrici morte, ipſe quoq; FRANCISCVS I. Francorũ rex è uita migrauit. Natũ ei erat circa ſedem malignũ ulcuſ, quod ſerpendo ad uiſcę penetralia peruadebat, & cuncta humani ingenij remedia reſpuerat. Hic erat duob. ferè annis Henrico ętate minor: cęteris in rebus, uera æſtimatione morũ & naturæ dotium, planè æqualis. Sab. ſuppl. lib.28.

Die.

☞ *Vide Tit. Stragis magnæ ex inſidiis.*

MORTIS OPORTVNITAS. MORS

OPORTVNA, MATVRA. Reſpectu *Ætatis.*

☞ *Vide Tit. Senes mortui.*

Felicitatis.

☞ *Huc exempla eorum, qui in ipſa victoria mortui ſunt.*

Anſonij PATER de ſeipſo ſic in Epicedio loquitur:

Hæc me fortunæ larga indulgentia ſuaſit
Numine adorato uitæ abitum petere:
Ne fortunatæ ſpacium inuiolabile uitæ
Fatali admoſu ſtringeret ulla dies.
Obtinui, auditæq; preces, ſpem, uota, timorem
Sopitus placido fine relinquo aliis.
Inter mœrentes, ſed non ego mœſtus, amicos
Diſpoſitis iacui funeris arbitriis.
Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
Exegi cunctis integer officiis.
Hæc quicunq; leges, non aſpernabere fari,
Talis uita tibi, qualia uota mihi.

Conatus mali.

☞ *Vide locum, Quibus functionibus immortui. Item Tit. Fruſtrationis.*

CAIVS Cæſar, niſi morte præuentus fuiſſet, propoſuerat Antiũ, deinde Alexandriã cõmigrare, interemto prius uttriuſq; ordinis ſelectiſſimo quoq;. Quod ne cui dubiũ uideatur, in ſecretis eius reperti ſunt duo libelli diuerſo titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas & nomina cõtinebant morti deſtinatorũ. Inuenta & arca ingens, uariorũ uenenorũ plena, quibus mox à Claudio demerſis, infecta maria traduntur, non ſine piſcium exitio, quos enectos, æſtus in proxima littora eiecit. Suetonius.

IMPO-

IMPORTVNA. Respectu

Aetatis.

CATVLLVS Veronensis, quem Ouidius Virgilianæ maiestati opponit, summi inter Epigrãmatographos nominis, annum circiter trigesimum agens, Romæ obiit. Crinitus libro 2. de Poetis.

Felicitatis.

AGAMEMNON tot exhaustis laborib. in Troia expugnanda, pro dignitate Græciæ, domum reuersus, ueste inexplicabili inuolutus, interfectus est à Clytæmnestra, auxiliante Aegistho adultero. Erasmus in Adagiis.

Instituti, Conatus boni.

Vide Locum, Quibus functionibus immortui.

IOVINIANVS Imp. optimus & orthodoxus, post Constantium Arianum, & Iulianum apostatam ethnicum (sub quo Athanasius ille magnus suis restitutus est, & Ecclesię à persecutionibus respirare cœperũt) post octauũ imperii mensem, cùm Constantinopolim proficisceretur, ad Bosphorũ uenit, in locum Dadastana. Vbi cùm post largas epulas, in summo frigore, in cubiculo, quod nuper calce incrustatum fuerat, obdormiuisset, à uenenato illo uapore strãgulatus, & à bonis desideratus omnibus, obiit. Atq; ut magis desideraretur, Valentis perfidia, qui eum secutus est, fecit: qui Arianis fauens, nouas turbas in ecclesia Dei, & horrendas persecutiones excitauit. Niceph. lib. 10. cap. 43.

Sub HENRICO VII. Imp. sperabatur Alemanniæ pax, Italicarum factionum cõpositio, & Terræ sanctæ recuperatio. Maximam itaq; passa est Christianitas iacturam immaturo obitu nobilissimi Imp. & religiosissimi. Itaq; coram omnibus principib. Petrus Moguntinus archiepiscopus alta uoce proclamauit: Quingentis antè, inquit, & ampliùs annis nullius mors principis mundo periculosior fuit. Dum Florentinos rebelles armis premit, uenenata hostia sublatus est. Cuspinianus.

LVDOVICVS XI. Francorum rex, populum tributis & uectigalibus plus uexauit, quàm priorum regum quisquam alius. Verùm ex quo æger esse cœpit, eum subleuare atque exonerare proposuit: iudiciorũ controuersias infinitas ferè, & tẽpus litigandi breuius præscribere: imposturas, furta, rapinas, quæ à pragmaticis & forensib. hominib. quotidie fiebãt, abrogare, atq; omnino tollere statuerat. Itẽ morem & ius unũ per totam Galliam constituere, lingua uulgari cõprehensum, & libello breui expositũ. Ad hæc pondus unum & mensurã. Nisi ergo morte præuentus fuisset (ut Philippus Cominius ac cæteri scriptores literis tradunt) plurimarũ in Gallia utilitatũ auctor futurus erat. Auct. Chron.

MARCELLVS II. Pp. primis statim initi Pontificatus diebus ad emendandam morum disciplinam conuersus, multa salubriter instituit, qua de iure rectè administrando, qua de bene curandis per Episcopos subditis. Alexandri fratris filios (quod hisce temporibus & moribus nouum est) eodem uestitu, eodem uti comitatu noluit, quo priùs assueuerant: salutari eos non patiebatur, rarò etiam conspici. Ipse quoque fratrem, qui unus ei superstes erat, Romulo paulo antè extincto, ne Romam quidem ut ueniret, permisit. Dicunt ij, qui familiariùs eum nouêre, complura statim tum cogitasse, quæ ad instaurandam Ecclesiæ dignitatem & disciplinã Christianam pertinebant, ni importuna mors, ad iniuriam Christianæ reipublicæ, communem omnium spem, & saluberrima ipsius consilia impotenter abrupisset. Vix namque uiginti dies in Pontificatu sederat, cùm grauiore sacrorum mora, quibus ipse propter Paschę diei celebritatẽ operabatur, defessum languenteq; primùm inuasit febris, inde corripuit biduo pòst apoplexia, quæ uita dignissimũ uirũ paucis horis uirib. cũctis exspoliauit simul & extinxit. Panuin.

MORTIS ALIENAE COGNITIO.

Cognitionem hîc alienæ mortis humanam & naturalem consideramus. De præcognitione uel propriæ, uel alienæ, sub loco Diuinationis acturi.

CERTA.

Ex præcedentibus Titulis huc quædam: quatenus & Causa & Genus mortis in confesso est.

INCERTA. Vel quia

Genus mortis incertum.

HYLAS, Herculis minister, circa Arganthonium Bithynię (imminet is mons Prusiadi) aquatum egressus, ignoto periit casu. Hunc dum Hercules sollicita inuestigatione requirit, serusq; nimis se ad nauem recipit, Iason Minyæq; , longioris moræ tædio digressi, procul inde abeũt. Ipse diu terras peruagatus, cùm in sui admirationem locorũ accolas uertisset, inter alia uetusta erroris illius monumenta constituisse fertur, ut quotannis locorum indigenæ per syluas & montes uagi, lymphatico cursu Hylam clamitarent. Sabellicus libro 5. Enn. 1.

Vulgò aiunt, ORPHEVM à Mænadibus laceratum, quòd uiros studio philosophiæ ad se pertraheret. Alij uolunt, fulmine ictum concidisse, quòd initiorum arcana profanis & rudibus hominibus tradidisset. Est & illud memoriæ proditum, uxore mortua uenisse illum Aorrhoũ in Thesprotidem, quòd ibi peruetus esset per umbrarum euocationem oraculum. Ibi cùm Eurydices animã adesse putasset, & sua se opinione falsum respiciens animaduertisset, ultrò sibiipsi mœrore confectum manus intulisse. Pausanias in Bœot.

Anno septimo, postquam Aeneas in Italiam uenit, bellum est à Rutulis reparatum, Mezentio & Hetruscis in socios ascitis. Tum haud procul à Lauinio acri prælio commisso, fortunaq; adhuc neutrò inclinante, acies noctis interuentu dirimuntur. fuitq; pugna diei huius extremum Aeneę humanorum operum: incertum quo casu fuerit absumtus, nulli mortaliũ in terris est uisus ampliùs. Multis persuasum fuit, proximo fluuio submersum, ubi postea illi templũ est conditum. Sabel. lib. 7. En. 1.

De morte ROMVLI, regis Rom. non una inter scriptores est opinio. Sunt qui tradũt, eum, cùm fortè ad Capreæ paludẽ concionem haberet, subita procella cum nimbo orta, è cõcionis conspectu ablatum, nusquam in terris ampliùs extitisse. Sed propiora uero sunt, quæ alij scribunt, à primoribus eum interfectum, corporeq; in minutissima frusta dissecto, occultè sub uestibus à singulis per partes asportatum. Quidam, nouos ciues eius parricidij auctores fuisse, memorant, mediaq; tempestate cædis occasionem arripuisse. Sabel. lib. 3. En. 2. ex Plutarchi Romulo.

TVLLO Hostilio Romæ regnante, grauis pestilentia domi militiæq; inualuerat, multiq; utrobiq; uulgò moriebãtur. Tum demũ Numæ pax & religio cœpta est uulgò ad deorum iram placandam desiderari: ad quæ ipse quoque rex repentè conuersus, quum occulta quædam Elicio Ioui sacerет sacra, quia nihil his ritè ab eo ageretur, non solùm nõ spem ullam cœlestem impetrauit, sed sollicitati numinis ira ictus fulmine, cum tota domo conflagrauit. Id tum uulgò est creditũ. Verùm scio, multis, quod propius uero est, persuasum fuisse, cum humana fraude periisse, Martijq; Anci, qui post eum rex fuit, insidiis oppressum, ut cùm procelloso die rex domi sacra faceret, sit ille regiam cum paucis ingressus, ibique Hostilio cum uxore & liberis interfecto, domum incenderit. Sab. lib. 4. En. 2.

L. CLOELII mors incerta. Nam cùm cœnatus cubitum in idem conclaue cum duobus adolescentibus filiis iuisset, inuentus est manè iugulatus, duobus filiis adhuc dormientibus, serioq; fatentibus, ne sensisse quidem tale quid à quoquam per noctem tentatum esse. P. Aerodius ex Cicerone pro S. Roscio Amerino, & ex Val. Max. lib. 8. c. 1.

P. SCIPIO Carthaginis & Numantię euersor, cùm sese Triũuiris agrariis magna cum populi indignatione obiecisset, in lecto sine uulnere noctu mortuus est repertus. Exiit non unus de eius morte rumor. Fuerũt, qui Corneliæ Gracchorum matris fraude extinctum crederent, quæ illi uenenum dederit, ne Tyberij filij lex per eum solueretur: Sempronia, quæ Scipioni erat matrimonio locata, materni cõsilij haud ignara. Erat quidẽ Sempronia deformis, & stoliditate quadam insignis, & ob eam rem Scipioni parũ grata, ita ut neque illam diligeret, neq; ipse ab ea diligeretur. Plerіq; persuasum habuerunt, eum sua spõte uita decessisse, quòd quæ de antiquatione legis ab initio pollicitus fuisset, uideretur sibi præstare non posse. Alij seruorum indicio, qui sunt postea quæstioni adhibiti, compertum ferunt, ab exteris quibusdam & ignotis, qui noctu domi delituissent, eum necatum, nec id palàm dicere ausos, ob populũ iratum, & eius cædis conscium. Cadauer eius oculis fuit omnium expositum, præbuitq; corpus aspicientibus facti suspicionem & sensum. Facti calumnia magna ex parte in Fuluiũ Caij Gracchi in Tribunatu collegam & amicum recidit, Scipionis hostem, qui eodem die Scipionem pro Rostris proscideratcõuitiis. Neque uerò exors Caius suspicionis fuit. Facinus autem adeò nefandum in uirum principem & summum ciuitatis conceptum, impunitum mansit, neque fuit de eo acta quæstio. siquidem interpellauit & oppressit plebs cognitionem, Caio metuens: ne si de cæde illius inquireretur, noxæ comperiretur affinis. Sabellicus libro 1. Enn. 6. ex Plutarchi Caio & Romulo.

Mors AFRANII Dextri consulis incerta. P. Aerodius ex Plinio Nepote lib. 8. Epist.

TIBERIVS Imp. periit in Campaniæ ora, in uilla Lucullana, anno uitæ viij. & lxx. cũ tres & xx. imperasset. Causa mortis incerta. Sunt qui putẽt, uenenum ei à Caio datum, lentum atq; tabificum. Alij in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum: nonnulli puluinum iniectum, cùm extractum sibi deficienti anulum mox resipiscens requisisset. Seneca eum scribit, intellecta defectione, exemtum anulum quasi alicui traditurum, parumper tenuisse: dein rursus aptasse digito, & compressa sinistra manu, iacuisse diu immobilem: subitò uocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul à lectulo deficientibus uiribus concidisse. Suetonius.

IOVINIANVS Imp. è Perside rediens, cùm Dadastanã accessisset, qui locus Bithyniam distinguit à Galatis, nocte exanimatus inuentus est. Cuius mortis uaria fama fuit. Alij recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiuisse putarũt. Quidam, extuberato capite periisse, succensione prunarum immensa. Nonnulli, post diuturnam famem ex colluuione ciborum auida cruditate distentum. Sunt qui scriptũ reliquerũt, ipsum recentes fungos uenenatos comedisse. Alij tradunt, sese multo & meraco uino obruisse, & ita in apoplexiam incidisse, cùm septem mensib. imperasset, anno ætatis tricesimo & tertio: à Valentiniano in diuos relatus. Eius corpus Byzantium delatum, in Apostolorum templo conditum est. Cuspinianus, Sigonius.

Auctor mortis incertus.

L. CLÆLIVS Tarracinensis, homo non obscurus, cùm cœnatus cubitum in idem conclaue, cum duobus adolescẽtibus filiis isset, inuentus est manè iugulatus. Cùm neq; seruus quisquam reperiretur, neq; liber, ad quem ea suspicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent, nomina filiorum de parricidio delata sunt. Tamen cùm planum iudicibus esset factum, aperto ostio, dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni liberati sunt. Cicero pro Roscio Amerino.

P. SCIPIO Africanus, quia Tiberij Gracchi cædẽ probare uisus esset, tanquam perniciosus ciuis iure fuisset occisus, adeò id indignè tulit populus, ut concionanti illi, quod nulli acciderat, obstrepuerit multitudo. Hinc primum odium à plebe est Scipioni ortum. Mox Triumuiris agrariis obiectus, eò usque, ut Liuius & Appianus scribunt, in eum odia exarserunt, ut cùm incolumis domum se uesperi recepisset, tabulamque penes se locasset, noctu aliquid scripturus, quod ad populum postridie diceret, sine uulnere mortuus sit postridie in lecto repertus. Sabell. lib. 9. En. 5. & li. 1. En. 6.

IVLIANVS Imp. apostata (desciuerat enim, cùm esset Christianus, à fide nostra) qui tanto Christianos habuit odio, ut eis literarium exercitium interdixerit, bello aduersus Parthos subita sagitta per ignotum auctorem emissa transfossus est. Vide Tit. Persecutorum.

GEORGIVS Maniaces tyrannidem moliens, fusis Stephani ab Imp. Monomacho missi copiis, cùm iam ab uniuersis Imperator salutaretur, subitò equo delapsus expirauit, non extante uulneris auctore, quod in pectore lethale acceperat. Cedrenus.

LVDOVICVS, Caroli Calui F. inter uenandum aprum premens uenabulo, intorto aliunde telo trãsfigitur. Cuspin.

[redacted]

MORTVI QVI REVIXERVNT: MORTVI RESVSCITATI.

Exempla quædam pete ex Tit. Reuelationum cœlestis gloriæ, & pœnarum inferni. Item Præsagia mortuorum: Item, Miraculorum in mortuis resuscitandis.

PIORVM EXEMPLA:

Viduæ Sareptanæ FILIVS mortuus, ab Helia propheta uitæ restitutus fuit, cùm Helias ter sese super pectore pueri mensus, Dominum inuocasset. 3. Regum 17. Tradunt Hebræi, Ionam prophetam filium esse uiduæ Sareptanæ, quem Helias propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui, quia uir Dei es tu, & uerbum Dei in ore tuo est ueritas. Et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic uocatum. Amathi enim ueritatem sonat, & ex eo, quòd uerum Helias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse di tur Amathi, hoc est, ueritatis. Hier. procœmio in Ionam.

Sunamitidis Elisæi hospitæ FILIVS obierat. Mater prophetã in monte Carmelo adit, remq; indicat. Elisæus eam comitatus, puero incumbit, & os ori, oculos oculis, manus manibus componit: pueriq; corpore tepefacto, iterum per ædes ultrò citroq; semel ambulat: deinde illum inscendit atque fouit. Tum puer septies usq; sternutauit, oculosq; aperuit. 4. Reg. cap. 4.

QVIDAM in prælio cæsus, cùm à commilitonib. suis sepeliretur, illi conspectis latronibus præ metu cadauer in Elisæi prophetæ sepulcrum abiecerunt. Ille simul ac Elisæi ossa tetigit, reuixit, atq; in pedes ingressus est. 4. Reg. 13.

Christus primatis FILIAM mortuam, & iam conclamatam, manu apprehensam suscitauit. Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5. Item FILIVM uiduæ, in ciuitate Nain, q iam efferebatur. Luc. 7. Item Iairi principis synagogæ FILIAM. Marc. 5. Luc. 8. Tãdem quoq; LAZARVM in Bethania, uico prope Hierosolymam, quatriduò antè mortuum & sepultum. Ioan. 11.

Mira sunt, tametsi historica fide & astipulatione multarũ quoque gentium recepta & illustrata, quòd die Dominicę mortis terra horrendè mota sit: sol sine physica deliquij causa obtenebratus: sepulcra sua sponte patefacta: quòd SANCTORVM corpora surrexerint, quorum simulacra sint cũ hominibus congressa. Sed omnium illud maximè excellẽs, ac suprà quàm dici possit arduum, quòd tertio pòst die quã cruci affixus erat CHRISTVS, humanę auctor salutis, propria uirtute reuixit: obtulitq; se suis non uno loco uidendum, tractandumque etiam, ut fides iis accederet, quorum humana ratio non erat capax. Sed desinunt uideri hęc mira, dum in quo facta sint, mens reputat. Potuit omnia, q operatus est: potuit quidem & uoluit, ne ad lucem oculis admotam caligaret humanum genus. Sab. lib. 1. cap. 8.

TABITHAM, feminã piam & eleemosynis clarã, Lyddę mortuã, Petrus Apost. è Ioppe accersitus, omnib. forãs eiectis, positus genib. supplicãs, surgere iussit & uitæ restituit. Act. 9.

PAVLVS Apostolus, Lystris lapidib. ad necẽ usq; obrutus, & extra urbem ueluti mortuus tractus, discipulis circum stantibus surrexit, & in urbem reuersus est. Actor. 14.

Troade cùm Paulus Apostolus in cœnaculo ad mediam noctẽ sermonẽ produxisset, EVTYCHVS iuuenis in fenestrã sedẽs, somno alto oppressus, decidit de tertia cõtignatione: Paulus uerò digressus incubuit ei, eũq; uitę restituit. Act. 20.

D. Martinus, antequam ad episcopatum Turonensem uocaretur, in insula Gallinaria tuguriolum extruxerat, & CATECHVMENVM quendam secum habebat. Is Martino pertriduum absente, apud D. Hilarium Pictauiensem episcopũ, febri correptus obierat. Martinus reuersus, ubi exanimem reperit, cæteris exclusis, solus intrat casulam, seque super demortui discipuli cadauer prosternit, ac oratione ardenti eum ad uitam reuocat, reuocatum baptizat. Vixit postea plures adhuc annos. Idem cùm Lupicini præteriret, & eiulatum in quadã domo audiret, ingressus, SERVVM quendam laqueo uitam sibiipsi eripuisse inuenit: eumque precibus uitæ restituit. Seuerus Sulpitius testis.

MARCELLVS, Tudertinæ urbis non ignobilis ciuis, magis tamen animi probitate notus (ut in dialogo beati Gregorij relatũ legimus) cùm mortuus iaceret, à Fortunato episcopo ad uitam reuocatus est. At uerò non dissimulauit, hoc se oppidò quàm ægrè ferre, quòd diceret, ad quietis beatæ loca iam se perductum fuisse, cùm ad corpus redire iussus est; annuente Domino precibus Fortunati. Marulus.

Ardurus, nomen est fundi prope Carthaginẽ, ubi ecclesia est, & in ea memoria Stephani martyris. PVERVM quendam paruulũ, cùm in area luderet, exorbitãtes boues, qui uehiculũ trahebant, rota obtriuerũt, & confestim palpitauit expirãs. Hũc mater arreptũ ad eandẽ memoriã posuit, & nõ solũ reuixit, uerũ etiã illęsus apparuit. Aug. l. 22. de ciu. dei, c. 8.

SANCTIMONIALIS quædã in uicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cũ ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad Stephani martyris memoriã tunica eius allata est: quæ antequã reuocaretur, illa defũcta est. Hac tunica operuerũt cadauer eius parẽtes, & recepto spiritu, salua facta est. Idẽ.

Apud Hipponem Bassus quidã Syrus ad memoriam Stephani martyris orabat pro ęgrotãte & periclitãte FILIA; eoq; secum uestẽ eius detulerat: cùm ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuã nunciarẽt. Sed cũ, orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerũt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cùm domum redisset, iam suorũ eiulatibus personantem, & uestem filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est uitæ. Ibidem.

Apud

Apud Hipponem, Irenæi cuiusdam collectarij FILIVS ægritudine extinctus est: Cumque corpus iaceret exanime, atque aliis gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum cōsolantium uerba suggessit, ut Stephani martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit. Idem.

Apud Hipponem uir tribunitius Eleusinus, super memoriam Stephani martyris, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum: & post orationem, quam cum multis lacrymis ibi fudit, uiuentem leuauit. Idem.

EVCHARIVS presbyter, morbo quodā præualescente, mortuus sic iacebat, ut ei iam pollices ligarentur. Opitulatione Stephani martyris, cùm de memoria eius reportata fuisset, & superiacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Idem.

ATHENA, Cataldi (qui postea fuit episcopus) mater, in partu mortua, ab ipso Cataldo primùm nato, ad uitam solo amplexu reuocata est. Rauisius.

Comes Richardus nocte quadā orationis gratia solus in templum ingressus, reperit ibi feretrum, in quo cadauer repositum erat. Dum autem oraret Comes, subitò MORTVVS ille magno cum strepitu è feretro exiliit: ac extēsis brachiis, quasi in amplexus eius ruiturus, ad Comitem accessit. Quē cùm Comes, signum crucis fronti suæ imprimēs, frustrà in- [redacted]

M [redacted] libro 25. capite 4. [redacted]

D. Germanus, cùm ad Tornodurū uenisset, cuiusdam DISCIPVLI, qui è Britannia se secutus erat, sepulcrum inuenit: quem cùm euocasset, rogassetq; an ne ulteriùs secum militare uellet? respondit: Sat sibi esse militatum, seq; cumulatissimis militiæ præmiis frui: proinde orare, se missione donaret. Quiesce, Germanus inquit, ac uale. At ille deposito mox capite, in Domino obdormiuit. Bonfin. l. 4. Dec. 1.

D. Benedictus MORTVOS aliquot excitasse traditur à Gregorio Turonense.

Maurilius, Andegauensis episcopus, dum expectatur donec sacrificium peregerit, interim quem baptizaturus erat, uita defunctum comperit: suæq; id negligentiæ imputans, usq; adeò doluit, ut relicta ecclesia, nauim conscendens clàm ef fugeret. Sed peracto septennio, quo principis cuiusdam olitorem egit, à suis clericis reductus, quāprimùm ad PVERI illius urnam prostratus orauit, fama est, ipsum à morte suscitatum baptismo perfudisse. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

TRES uiri mortui sacco D. Hieronymi, quo pro indumento usus fuerat, ad stabiliendum purgatorium, & refutandum errorem eorum, qui defunctorum animas nec beatitudinē, nec pœnas sentire usq; ad resurrectionis diem existimabāt, resuscitati fuêre. Marul. lib. 5. cap. 11. ex epistola Cyrilli, de signis D. Hieronymi post obitum factis, ad Augustinum.

VRSVS Claronensis, à D. Fridolino, cui hæreditatē suam donauerat, resuscitatus: cùm frater Vrsi, Landulphus, pactum negaret, & coram Baldeberto Lantgrauio iudicium expediri non posset, nisi Vrsus donator coram iudicibus sisteretur. Atq; sic Clarona in pagum Rheticum Rancquil per sex milliaria Vrsus deductus fuit.

HIEROSOLYMITANA femina crucis impositione resuscitata. Nicephorus lib. 8. cap. 29. Sulpitius Seuerus lib. 2. sacræ histor. & Sozom. lib. 2. cap. 1.

Amelius iussu angeli occiderat FILIOS suos, & sanguine eorum amicum necessarium suum, Comitis Aluernensis F. à lepra mundauerat. Cùm autem mater filiorum eam rem molestè ferret, & Amelius oraret, reperit liberos suos uiuētes, & in lecto ludentes, quos matri reddidit: atq; ab eo tēpore ipse & coniux usq; ad finem uitæ à consuetudine coniugali abstinuerunt. Vincentius lib. 23. cap. 166.

SEBASTIANVS martyr, sub Diocletiano, cùm multos Christi martyres exhortationibus suis in fide retinuisset, in aperto campo à militibus sagittis transfixus, & in cloacam abiectus est. At Irene, mulier Christiana, ut corpus mandaret sepulturæ, noctu uenit, & ipsum adhuc uiuere cōperit, solutum domi fouit, atque intra paucos dies sanitati pristinæ restituit. Marul. lib. 5. cap. 5.

GAD, frater Gondophori, Indorum regis, reuixit, ut Thomæ Apostoli innocentiæ ferret testimonium, qui magnam uim pecuniæ, in ędificandę regię sumtū acceptæ, absente rege, pauperibus diuiserat, eoq; nomine à rege in carcerē coniectus erat. Quo etiam testimonio Thomas è uinculis liberatus fuit. Marul. lib. 1. cap. 2.

Volusiani FILIVS, qui Sigeuultis Patricij cancellis præerat, ex febre mortuus, à D. Germano Antiosiodorēse episcopo resuscitatus est Rauennæ. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Seuerus sacerdos, uocatus ad CVIVSDAM ægrotantis confessionem audiendam, cùm paulo tardiùs uenisset, uita defunctum offendit. Eaq; de re uehemēter anxius & afflictus, lamentis cadaueri incumbens, cùm acerrimè fleret, reuixit, qui iacebat mortuus, dixitq;: Se, dum ab impiis spiritibus ad horrenda tenebrarum loca raptim traheretur, ab angelo protinus dimitti, atq; corpori restitui iussum, quòd diceret, Deum id Seueri lacrymis indulsisse. Igitur ubi confessus est, peracta septem dierum pœnitentia, iterum obiit. Marul. lib. 4. cap. 11. ex Gregorij Dialogis.

CHRISTIANVS quidam ad Nicopolim à Turcis cæsus, tertio demum anno loqui cœpit, subinde Iesu Christi saluatoris & Marię uirginis nomina resonans. Causam interrogatus, se inexpiatū inconfessumq; in bello occubuisse, respondit. Accersito igitur è proximo pago sacerdote, confessionē ritè transegit, & impetrata errorū omnium remissione, acceptaq; nouissima lustratione, repentè conticuit, perpetuoq; quieuit. Bonfin. lib. 3. Dec. 3.

MONACHVS quidam, dum missa celebratur, reuixit. Vincen. lib. 25. cap. 62.

Aurea abbatissa MONACHAM mortuam, cui claues cōmiserat, excitauit: & acceptis rationibus ab ea, permisit ei mori: ut refert Vincentius lib. 23. cap. 69.

OVO puer suspensus, Vulfrani episcopi precibus reuixit. Vincentius lib. 23. c. 145. Erford. lib. 2. c. 66.

Greg. Turon. de gloria Confessorū, cap. 83. annotat, ad sepulcrum Maximi Regiensis episcopi cęcos uisum recepisse. INFANTVLVM mortuum à parentibus ante sepulcrū ipsius proiectum, & per noctem clauso templo ibi relictū, à mortuis excitatum: exaudita precatione & fiducia parentum, quam de eius meritis conceperant. Turonensis addit, sese ipsum puerum adultum, hæc sibi referentem, uidisse.

Arbogastus, Dagoberti regis FILIVM mortuum in uitā reduxit. Nauclerus Generatione 21.

D. Stanislaus, Cracouiensis episcopus, PETRVM quendam, (alij Petricum uocāt, equitē Polonum) triennio exacto, uita functum sepultumq;, ad ferendum ueritati testimonium contra Boleslaum, Poloniæ regem, ius Ecclesiæ oppugnātem, ad uitam reuocauit, deductumq; sua manu, ante tribunal regium constituit, pauitante quidem ad uocem eius effero rege, non tamen uitia ingenij emendāte. Dubra. l. 8.

CONRADVS Braitenauerus Viennæ Austriæ propter furtū laqueo necatus, cùm horis aliquot pependisset, sub crepusculum à carnifice in gymnasium Medicorū (qui cadauer à magistratu anatomiæ causa impetrarant) deportatus, ad se se rediit, & contra carnificis immanitatem, qui laqueum de collo pendentem denuò cōstringere parabat, ab iis qui cadauer excepturi erāt medicinæ studiosis defensus, scriptorioq; cultello tribus uenis apertis, loqui cœpit & ambulare: hinc uoti persoluendi causa cū Pedello Academię Viennensis Oetingam profectus est. Martinus Isengrinus ex Actis Academiæ Viennensis, libro de sacello Oetingense.

Auorum ætate, QVIDAM è nobili Tatoriediorū familia, Vesulij Burgundiorum peste correptus, & pro mortuo iam deploratus, ad maiorum sepulcra in oppidum Tatoriedā, quatuor milliaribus Germanicis inde distans, loculo impositus deferebatur. Nocte ingruēte, cū à rusticis in horreo loculus deponeretur, animaduertunt, sanguinem purū copiosum per rimas effluere. Loculum aperiūt, humerū summum à clauo per latus loculi profundè adacto uulneratū, ex agitatione insuper currus uehementer dilaceratum, pectus interim totum adhuc calere deprehendunt. Properè igitur è feretro exemtus, & ad ignem positus, tanquā è profundo somno, omnium quæ contigisset ignarus, ad sese rediit. Vxorem inde suo tempore duxit, & ex ea filiam suscepit, quæ Huldrico à Pfirt nupsit: eiq; primo biennio filiam & filium Fridericum peperit: duodecimo pòst anno Conradum: altero duodenario annorum Valentinum. In præfatū Fridericū genus suum referebat Sigismundus à Pfirt, Ecclesiæ Marianæ Basiliēsis Præpositus: cuius hocce acroama, ut rarum, sic memorabile, hic inserere placuit.

ETHNICORVM EXEMPLA.

Isis ORVM filium, à Titanibus interfectum, & in aquis repertum, ad uitam reuocauit. Diod. Siculus.

GLAVCVM quempiam mortuum ferūt, preter omnium expectationē, gustato mellito pharmaco reualuisse. Alij, multis accurrentibus medicis, herba (quam Draconem uocāt) uitæ restitutum dicunt. Erasmus in Adagio, Glaucus poto melle resurrexit.

Clearchus Solensis lib. 7. Vitarum inquit, GLAVCVM Pasiphaes filium fuisse, qui cùm murē insequeretur, in dolium mellis cecidit, atq; ibi suffocatus est. Hunc ubi pater Minos nuspiam inueniret, accepit responsum, hominem illum significaturum, & filium in uitam restituiturum, qui dixisset cui rei similis esset bos tricolor Minois, qui in agro pascebatur. Polyidus fructui rubi similem esse dixit. Minos ergo illum iussit sibi filium indicare. At Polyidus ex arte diuinandi suffocatum esse inquit in dolio mellis. Cùm mortuus inuentus fuisset Glaucus, Polyidus cum illo in domum quādam includitur, ut illum uitæ restituat. Qui cùm serpentem ad cadauer properantem uidisset, uolens illum irritare, ut ipse ab eo necaretur, serpentem interfecit. Tum alius draco ad mortuum serpentem accedens, herbam quandam attulit, qua tacta serpēs reuixit. Hanc herbam captam Polyidus Glauco imposuit, & ita in uitam reuocauit. Coëgit postea Minos Polyidum artem quoq, uaticinandi Glaucum docere, antequàm in patriam Argos liberum dimitteret. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 5.

Coturnicem quandam aiunt HERCVLI in deliciis fuisse, cuius nidore, cùm uiua incēderetur, ille mortuus sit in uitam restitutus. Meminit fabulæ Athenæus lib. 9. cap. 15. scribens Herculem Iouis & Asteriæ filium in Libyam proficiscentem à Typhone fuisse interemtum: reuocatum autem in uitam odore coturnicis, illi ab Iolao admotæ: & ob eam causam Phœnices Herculi coturnice sacrificare. Erasmus in prouerbio, Coturnix Herculem.

Cùm ad mortuam ALCESTIM uenisset Hercules, Mortem abegit, & ipsam marito uiuam restituit. Euripides in Alcesti.

HIPPOLYTVS Thesei filius, Phædræ nouercæ, quòd eius libidini non consentiret, insidiis petitus, discerptusque ab equis suis, dum prope litus maris aurigaret, cōsternatis phocarum marinarum à Neptuno rogatu Thesei immissarum conspectu, in uitam ab Aesculapio reuocatus (cuius rei causa Epidauri in luco Apollinis XX equos dedicauit) patri ignoscere noluit, sed eius deprecatione spreta, in Italiam uenit, ibique dicato Aricinæ Dianæ templo, regnauit; Virbiū se nominans. Ad quod qui singulari certamine dimicarint, premium deę sacerdotium propositum est. Sed in certamen ingenuus nemo descendit: serui duntaxat fugitiui. Pausanias in Corinth. & Aeneidos 7. Iupiter iratus ob inuentam artem, quā homines in uitam reuocari possent, repertorem artis fulmine confecit, uti docet interpres Euripidis in Alcesti. At eodem teste, Amelagoras ob Glaucum, Panyasis ob Tyndarum suscitatum, scribit fulminatum. Alij ob Capaneum, ut Pindari glossator Pythio 3.

Feruntuetustissimum quendam fuisse MARIN nomine, antica corporis parte humana, postica uerò equina, qui equum primus inscenderit, annos CXXIII uixerit: ac ter mortuus, ter itidem reuixerit.

Xanthus Historiarum auctor, in prima earum tradit, occisum draconis catulum ad uitam à parēte herba, quam Balin nominat, eademq; THYLONEM, quem draco occiderat, restitutum saluti. Et Iuba in Arabia herba reuocatum ad uitā hominem tradit. Plin. lib. 25. cap. 2.

PALICOS Iouis & Thaliæ filios, mortuos semel iterum reuixisse, Aeschylus scribit. Macrob. lib. 5.

AESOPVM fabulatorem reuixisse quidam tradūt, inter quos & comicus Plato est. Cæl. lib. 15. cap. 26. A. L.

ARISTEAS Proconnesius, Castrobij filius, multoties defunctus reuixit: qui etiam animam, quoties uoluit, resumere potuit, ita ut assistentes animā cerui effigie ex ore euolantē uiderint. Herodotus, Plut. in uita Romuli, Plin. lib. 7. cap. 52.

Plato de Republica lib. 10. de ERE Armenio, genere Pamphylio, scribit, cùm hic inter multos cecidisset in prelio, decimóque pòst die cadauera cæsorum tollerentur, reliquis putribus, huius unius cadauer integrum atque incorruptum adhuc apparuisse: domumque deportatum, ut iustis cæremoniis sepeliretur, die duodecimo, cùm esset imponendus rogo, reuixisse, ac prodigiosā quædam narrasse, quæ diebus illis decem apud inferos tum iens, tum rediens, conspicatus esset.

Heraclides FEMINAM quandam, septem diebus mortuam, reuixisse scripsit, teste Plin. lib. 7. cap. 52. qui hoc ad uteri suffocationem referre uidetur: & ex Varrone recenset, XX uiris agros diuidentibus Capuæ, QVENDAM, qui feretro efferebatur, domum remeasse pedibus. Idemque Aquini ALIVM fecisse. C. CÆLIVM Tuberonem, functum præfectura, à rogo relatum, idem ait ex testimonio Messalæ Ruffi.

ATTILIVS Auiola consularis defunctus in rogo reuixit, altaque uoce uiuere se exclamans, pędagogi sui auxilium implorauit, sed è flammis eripi nō potuit. Plinius lib. 7. cap. 52. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.

L. LAMIAS, uir pretorius, uita functus, cùm pòst aliquot dies rogo imponeretur, flammis circumdatus, se non mortuum esse exclamauit: uerùm resistentibus flammis, fato subtrahi non potuit. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.

Labeo DVOS dicit uno die fuisse defunctos, & occurrisse inuicem in quodam compitò, deindè ad corpora sua iussos fuisse remeare, & constituisse inter se, amicos se deinceps [illegible] futuros: atque ita esse factum, donec postea morerentur. D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 28.

Asclepiades Prusiensis HOMINEM elatum ad funus uitæ restituit: & cum fortuna sponsionem fecit, ne medicus crederetur, si unquam ægrotaret. Sabel. libro decimo, capite octauo, ex Plinio.

Apollonius Romæ uerbis occultè pronunciatis, PVELLAM nuptiarum die resuscitauit. Philostratus lib. 4. in Apollonij uita. Idem gloriabatur se ACHILLIS animā ab inferis euocasse, ut corporis sui molem ostentaret, & ad interrogata de gestis in bello Troiano ipsi responderet: Non, inquit, sicut Vlysses terram effodiens, agnorum sanguine manes Achillis eduxi: sed omnes adhibui preces, quas placandis heroum animabus sacerdotes Indorum dici iubent.

ENARCHVS à medicis pro mortuo habitus & relictus (ut in libro de Anima Plutarchus scribit) nō multo pòst ad uitam reuersus, uerè resurrexisse, spiritusque eos, qui eum uita abstraxerant, grauiter ab ipsorum principe increpitos fuisse affirmauit, quòd eum pro Nicauda coriario rapuissent, qui eodem die & hora febri correptus, cùm in lecto iaceret, eo morbo decessit. Neque uerò hac re contentus, ad testandam resurrectionem suam, Plutarcho, qui tunc laborabat, breui incolumem eum fore prædixit: atque ita contigit.

Populi quidam in LVCOMORIA, regione Russiæ, habitantes, quotannis uigesimaseptima mensis Nouembris die, uelut hirundines & ranæ, præ intenso frigore brumali mori dicuntur: postea redeunte uere, uigesima quarta Aprilis die, denuò reuiuiscere. Hi cùm mortem sibi imminere sentiunt, merces suas certis in locis deponunt: quas Grustentzij & Serponovutzij uicini populi, suis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi reuiuiscentes eas merces, si iustæ uideantur, pro suis accipiunt: sin minus, easdem repetunt. Vnde lites & bella inter eos sæpissimè oriri dicuntur. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

CADAVERA SECVNDVM VESTIGIA VITÆ CONSIDERATA. RESPECTV FACVLTATIS

ANIMALIS. MORTVI QVI

Loquuntur.

Rhemis captis à Vandalis, NICASIO episcopo post peracta missarum solennia interemto, caput à ceruice defectum diuina eloquia prodidit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Phrygij pastores, cùm pecudes morbo conficerentur, ad AIACIS tumulum, qui in Sigæo est litore, congregati, uariis maledictis heroa lacessebant: Tandem improbissimus pastorum Homeri uersus Iliad. ο. occinere cepit, ubi Aiacem fugientem describit, αἴας δ' οὐκ ἔτι μίμνεν. Eo audito, uox truculenta è sepulcro emissa, ἀλλὰ ἔμιμνον, pastores territos fugere coëgit. Philostratus in primo dialogo Heroicorum.

Intereos, qui ad Neapolim cæsi sunt à Turcis Christiani milites, repertum aiunt cadauer CVIVSDAM, exili murmure Iesum Mariam sonantis, & peccatorum suorum confessionem flagitātis: idemq; adducto presbytero peccata sua fassum, in pace rursus obdormiuisse.

Scribunt.

MVSONIVS & CHRYSANTHIVS episcopi, in synodo Nicena mortem obierunt, antequam fidei omnes subscriberent. Cùm autem episcopi reliqui ad sepulcra eorum uenissent, ac subscriptionem eorum desiderassent, tanquam à uiuis, chartam subscriptionis apud sepulcra reliquerunt. Miraculosè ergo mortui subscripsere: Chrysanthius & Musonius, qui cum patribus omnibus in sancta prima œcumenica Nicena synodo consensimus, quamuis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus. Nicephorus libro octauo, capite 23.

Orantium gestum seruant.

Hoc sua ætate miraculose accidisse, in libro de Anima Tertullianus narrat: Scio, inquit, FEMINAM quandam uernaculam Ecclesiæ, forma illam & ætate integra functam, post unum & breue matrimonium, cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur: ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum simplicem confirmasse, rursumq; condita pace situi suo reddidisse.

Stant.

CALLIMACHVS Atheniensis dux bello Persico inuentus est mortuus, hastis insistens. Suidas.

Mouentur.

Sub Diocletiano Dacianus præses in Hispania innumerabilium martyrum Cæsaraugustæ sanguinem profudit, cū tale promulgasset edictum, ut quicunque Christianum co-

gnoſceret, ſub talionis pœna ſtatim proderet, aut negare cogeret fidem. LAMBERTVS cuidam infideli domino iure ſeruiebat. Dominus ei optionem dedit, aut fidem negare, aut gladio occumbere. Cumque Lambertus intrepida uoce reſpõderet, mori ſe malle, quàm Domini fidem negare: iratus ille, uno ictu caput eius abſcidit. Lambertus uerò proprium caput propriis manibus accipiens, uſque ad eum locum, bobus præeuntibus, peruenit, ubi innumerabilium martyrum corpora iacebant: qui cantans, Exultabunt ſancti in gloria, cæteriſq; nutu diuino reſpondentibus, Lætabuntur in cubilibus ſuis, genibus flexis tanquam in cubili amœno inter reliquos martyres ſe collocauit. Marineus libro 5. rerum Hiſpan.

Eſt & alia relatio apud noſtros, inquit D. Tertullianus lib. de Anima, in cœmeterio CORPVS corpori iuxtà collocando ſpacium receſſu communicaſſe.

VITALIS.

Conſule Tit. Mortui qui reuixere. illic Vitæ reſtitutæ habetur ratio, hîc Cadaueris, in quo uitalis facultatis ſcintilla quædam ſupereſt.

NATVRALIS. TVM

AVCTRICIS.

Huc Cadauera, quorum pili & ungues creuere, pertinent. Id quod laqueo ſuſpenſis, quos (ut Polycratis ſomnium habet) Iupiter lauat, Apollo ungit, quotidie uidere licet.

CONSERVATRICIS. Huc

Cadauera quæ diu integra & incorrupta permanſere.

Cunctis ferè notum eſt, fulmine ictorum non ſentire corpora putredinem. Siquidem multi eos neq; cremant, neq; humo tegunt, ſed relinquunt circumſepta: ut conſpiciantur cadauera, perpetuò à putredine ſarta tecta, Euripidis Clymenen refellere, quæ de Phaethonte dicit:

—Amicus eſt mihi,
Putreſcit aſt hic in conualle mortuus.

Vnde τὸ θεῖον, id eſt, ſulphur dictũ apud Græcos reor, ex germanitate nidoris, quem è cœlo icti efflant, quaſi ex lapide attrito igneum & acrem: quo deterritos apparet canes & aues temperare à fulmine afflatis cadaueribus. Plutarchus libro 4. Quæſt. conu. 2.

Herculis nouem filij, THESPII dicti, ex filiabus Theſtij, cùm in Sardinia interiiſſent, uſque ad Ariſtotelis tempora corpora eorum integra permanſerunt, tanquam dormirent. Ea propter dormire dicti ſunt. Meminit eorum Ariſtoteles in 4. Phyſic. & Heroas in Sardo uocat. Simplicius in eius loci explicatione.

EPIMENIDES Cretenſis legitur perpetuo ſomno dormiſſe quadraginta ſeptem, aut, ſi Laertio credimus, quinquaginta ſeptem annos, neq; paucos poſtea ſuperuixiſſe. Huius pellis ceu res ſacra apud Lacedæmonios adſeruata fuit, ut miraculi monimentum. Vnde Epimenideum corium, de re ſepoſita, miraculiq; loco ſeruata, prouerbio dicebatur. Eraſmus in Adagiis.

Ariſtarchus, qui res Olympicas ſcriptis perſecutus eſt, tradit, ſua ætate, cùm Elei Iunonis ſarta tecta, quod uitium templi lacunar feciſſet, locaſſent: inter tabulatum, quod ad ſpeciem expolitum eſt, & ſcandulare tectum, CADAVER cũ graui armatura ſaucij hominis repertum. Hunc ego uirum exiſtimo pugna inter Altin contra Lacedæmonios cõmiſſa, cùm ſe ꝓpugnatores inter tẽpla Deûm recepiſſent, & inde de ſuperiore loco hoſtem repellerent, uulneribus confectũ, iam moribundũ illuc perreptaſſe: cadauer eius tam diu integrũ permanſiſſe, quòd neq; per æſtatem uaporum, neq; per hyemem, in illis latebris abditũ, frigoris noxam contrahere potuerit. Addidit Ariſtarchus, elatum extra Altin, & cum iiſdẽ armis humatum fuiſſe. Pauſanias lib. 5.

GERMANICVS Druſi F. diutino morbo obiit Antiochiæ, nõ ſine ueneni ſuſpicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoq; cor inter oſſa incorruptũ repertũ eſt. Suet. Cor negatur cremari poſſe in iis, qui cardiaco morbo obierint, negatur & ueneno interemptis. Extat oratio Vitellij, qua reum Piſonem eius ſceleris coarguit, palàm teſtatus, non potuiſſe ob uenenum cor Germanici Cæſaris cremari. Cõtrà genere morbi defenſus eſt Piſo. Plinius lib. 11. c. 37.

Scribit Ammianus Marcellinus, Romanorũ cadauer mox cæſorum fatiſcere ac defluere prorſum, adeò ut nullius morſui facies poſt quatriduũ agnoſcatur: interfectorũ aũt PERSARVM inareſcere ſtipitum more, ut nec liqueſcant membra, nec ſanie madeſcãt perfuſa: quod, inquit, uita parcior facit, & ubi naſcuntur exuſtæ ſolib. terræ. Cælius lib. 26. c. 24. A. L. Fidem huic rei facit id quod Xenophon in Pædia ſcribit, ob uictus temperantiam Perſas nec tuſſire nec emungi.

Cùm ſub Amida ciuitate, quam Perſarũ rex Sapores oppugnauerat, corpora Perſarũ & Romanorum ad ſepulturã requirerentur, per Deſcenũ tribunũ animaduerſum eſt, Romanos cæterosq; Europæos poſt quatriduum putreſcere, taboque corrumpi, ut nõ facilè qui ſint, dignoſcerentur: contrà PERSAS, ſiccatis corporibus, ſine tabo, ut ligna dureſcere. Qd Hieronymus Cardanus in cadauere parẽtis, cùm lapis poſt uiginti annos inſcripto epitaphio reponeretur, animaduertit. Solùm enim labiorũ caro, & naſi ſummitas, & oculi abſumti erant. Cardanus de Rerum uar. lib. 8. c. 40.

Quum pontifex Sixtus IV. Reipub. Chriſtianæ præſideret, cõpertum Romæ in uia Appia eregionè Ciceronis conditorij muliebre cadauer, quod ex inſcriptione coniectatum eſt, fuiſſe TVLLIOLÆ. Id erat aromatibus ita conditũ, ut tẽporis iniuriam non ſentiret. In eo uiſebantur capilli aureo implicíti reticulo, ſumma omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti ferè nil prorſus eualuiſſent. Cæterùm cadauer in urbem delatum tridui mora com putruit, medicamine amoto aut uitiato. Cælius lib. 3. c. 24. Antiq. Lect.

Sanctũ AMANDVM poſt annos cẽtũ & quinquaginta duos, adhuc integro corpore, apud cœnobiũ Eluonenſe inuentũ fuiſſe, ac capillos & ungues habuiſſe, & dentib. eius euulſis ſanguinem profluxiſſe, Sigebertus in Chronico aſſerit.

Cadauer GERARDI Vngarorum pontificis in ſaxis Danubij, quò ex rupe deiectum erat, ſeptennium iacuit: donec à ſacerdotibus lectæ reliquiæ, in ſacellum Chanadini reconderentur, lapisq; in altaris ſuperficie teſtimonium rei collocaretur. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

EGITHÆ uirginis, Edgari Anglorum regis filiæ, corpuſculũ poſt annos aliquot, quàm conditũ fuerat, aperto ſarcophago redactum in puluerem inuentum eſt, præter uentrem & genitalia: quæ membra ſingulari caſtitate & abſtinentia ſanctificauerat. Marulus lib. 4. c. 8.

Corpus ABÆ Vngarorum tyranni, infelici prælio ab Henrico III. Imp. Petrũ regẽ reducente profligati, & à ſuis cæſi, non multis à morte annis effoſſum eſt. Sudarium & paludamentum tum fuêre incorrupta, & uulnera obducta cicatrice curata: ideoq; ex æde ruſtica ad cœnobium Saranenſe, ab eo extructum, translatum eſt cadauer. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

LVDMILLÆ, Boriuorij Boemorum ducis uiduæ, Drahomiræ nurus inſidiis in templo ſtrangulatæ corpus Venceſlaus rex nepos ex arce Thetin in arcem Pragenſem, templo D. Georgij illaturus erat. Aperto ſepulcro, cadauer integrum repertum, tanta cum fragrantia, ut omnium nares delectaret. Dubrauius libro 5.

PODIVINVS, D. Venceſlai Boemorum regis à fratre necati comes indiuiduus, à Drahomira regina in crucem actus, biennio toto in furca integer permanſit, donec poſt hauſtam terræ hiatu Drahomiram ſepultus eſt. Idem.

Sub annum Chriſti 1448. ueteri pariete auguſtiſſimi templi ad Dounfermileyn in Scotia demolito, inuentum eſt ADOLESCENTIS (quem Malcolmi III. regis & D. Margaritæ filium eſſe ſuſpicabantur) in plumbea capſula cadauer byſſo inuolutum, uiuidum adhuc toto corpore colorem ſeruans, nec ulla ex parte corruptum. H. Boethius lib. 18.

CVBOCLASIO monacho, cadauer poſt aliquot à morte annos integrum, ſanctitatis opinionem peperit. Pachymerius.

SVENO rex Daniæ, tyrannidis cauſa diris deuotus à Libentio epiſcopo Hamburgenſe, per LXX annos in ſepulcro integer repertus eſt. Diris ſolutus, confeſtim in cineres abiit. Crãzius lib 3. c. 42. & 48. Metropoleos.

ALBERTI Magni cadauer cùm è ſepulcro extractũ, poſt CC annos in medio choro, extructo tumulo, ſupra pauimẽtum collocaretur, integrum repertũ eſt, nulla deformatione, niſi quòd mandibula parum uideretur collapſa: ſiue balſami beneficio, ſiue Dei miraculo. Quæ oculis conſpexi, hæc ſcriptura conteſtor, inquit Cranzius lib. 8. Metrop. c. 51.

Cadauera quæ citò computruere.

ROMANORVM & EVROPÆORVM cadauera citius putreſcere, quàm Perſarum, Marcellini auctoritate cõſtat.

CADAVERIS NOTAE.

CLARA Eremitarum ordinis uirgo deuotiſſima, in mõte Falcone agri Spoletani claruit: ſanctarũ catalogo aſſcripta. In corde eius, cùm mortua exenteraretur, imago crucifixi Domini cõcreta reperta. Tres quoq; ibi lapilli reperti paris põderis. De IGNATIO primitiuo epiſcopo, qui ſemper in ore habuit, Amor meus crucifixus eſt, ſimile quid ſcribitur, qui in corde eius nomẽ Ieſu aureis literis repertũ poſt mortẽ ſuporem fecerit Chriſti fidelibus. Cranz. lib. 8. Metrop. c. 55.

CADA-

CADAVERA NON INVENTA, QVAE DISPARVERE.

Differt Titulus ab eo, in quo de iis, qui Diſparuerunt, egimus: quoniam illic mors non intercedit, ſed intercedere tantùm uidetur: hîc uerò intercedit, & tamen cadauer poſtea uel rapitur, uel diſparet.

VERA.

MOSES à Domino ſepultus fuit, ſed ſepulcrum illius ignoratur. Deut. 3. & 4.

Aequè memorabile eſt, quod de ſacratiſſimo Deiparæ uirginis MARIÆ corpore tenet pro certo Chriſtiana pietas, fuiſſe id poſt uirginis obitum cœlo illatum. Oportuit ſanè omnis eſſe corruptionis immune corpus, nullaq; humana labe contactum: nec uerò ulla (quod ſatis conſtat) eius ſepulcri ueſtigia extant in terris, ſepultiue corporis memoria, quæ piorũ opinioni repugnet. Sab. lib. 1. c. 8.

D. CATHARINÆ Alexandrinæ uirginis corpus, in terris eſt angelorum miniſterio (ut fertur) in parte Arabiæ, ubi hodie uiſitur, miraculo collocatum. Syna mons diuæ huius cõditorio illuſtratur, colturq; uirgineum corpus uno inſigniter loco, quò fuit prouidentia delatum. Idem.

HOGERVS archiepiſcopus Hamburgenſis ſanctiſs. ex monacho Corbeiẽſe, Hamburgi ſepultus eſt in oratorio S. Michaelis. Cuius corpus quum poſt annos CXX. diruto per uetuſtatem ſacello quæreretur, præter cruces pallij & ceruical epiſcopi nihil potuit inueniri. Vnde creditum eſt, pro uiri ſanctimonia, iam eſſe completam in eo reſurrectionem ex mortuis. Quam quum in Iudæa crebriùs, in aliis quoque prouinciis Deus euidenter oſtenderit, noluit huic noſtræ regioni domeſticum deeſſe teſtimonium. Cranzius lib. 3. Metropoleos, cap. 3.

C. FLAMINII Coſſ. Rom. ad Traſimenum cæſi corpus, ut funeraret id, decoraretq; uirtutis cauſa, magna cum cura inter cadauera Annibal inquiſitum non inuenit, neq; cõſtitit quid eo eſſet factum. Plut. in Fabio.

FABVLOSA.

Duo ſunt, quorum ſepulcra ignorantur, ABITABIL & MOSIS, uti nugatur perfidus Mahometus in colloquio cum Iudæis. Abitabil quidem cùm mortem præſentiret, iniunxit, ut poſt obitum camelus, ſuperpoſito funere ſuo, impelleretur ad eundum quocunq; ſors duceret, eumq; ſequerentur, quouſque ſponte procumberet. Sic facto, ubi funus Abitabilis deferens camelus procubuit, fodiendo repertũ eſt monumentum, quod Noe præparauit Abitabil. Sepulto eo, amiſſus eſt locus, nec unquam poſtea repertus. Moſes uerò cùm ſolus per deſertum uagaretur, fortè ſepulcrum uacuũ & apertum inuenit, rectè ad quantitatem ſuam effoſſum. Quod admirans, incepit ad propriam ſtaturam metiri. Interea angelus mortis aduenit, ad interficiendum Moſen. Quem cùm cognouiſſet Moſes, quæſiuit dicens: Ad quid uenisti? Reſpondit ille; Miſſus ſum pro anima tua. Cui Moſes: Quà ergo putas eam eripere? Per os enim non poteris, quo locutus ſum Domino: neq; per aures, quibus audiui uocem Domini: neq; per oculos, quibus faciem Domini uidi: neq; per manus, quibus donum Dei recepi: neq; per pedes, quibus montem Synai cõſcendi. His auditis, abiit angelus, formaq; mutata, attulit pomũ de paradiſo. Quod cùm olfaciendum porrigeret, recepit Moſes: cumq; naribus apponeret, arripuit eum angelus per nares, per quas tãquam emũgens animam eius extorſit. Quo facto, remãſit corpus eius in ſepulcro, à nemine unquam reperto.

ALCMENAM Herculis Thebani matrem annis confectã cùm efferrent Heraclidæ, Iupiter Mercurium miſit, mandato, ut Alcmenam ſuffuraretur: eamq; in beatas inſulas allatã, Rhadamantho daret uxorẽ. Paret iuſſis Mercurius: & loco Alcmenæ, quam furtim abſtulerat, lapidem feretro iniecit. Heraclidæ cùm ſandapilam geſtantes mole grauarentur, depoſitam aperiunt, & pro Alcmena lapidem inueniunt: quẽ inde exemtum in luco conſtituerunt, ubi ſacellum Alcmenæ eſt Thebis. Antoninus Liberalis ex Pherecyde, & Plut. in Romulo. Sabel. lib. 1. cap. 8.

ARISTEVM Proconneſium, poëtam, Caſtrobij F. aiunt, ingreſſum in Proconneſo fullonis officinam, deceſſiſſe, fullonemq; occluſa officina, abiſſe denũciatum rem propinquis defuncti. Diſſipato iam per urbem rumore, Ariſteum eſſe uita functum: ſuperuenit quidam Cyzicenus, ex urbe Artacia, qui dicebat, ſeſe fuiſſe congreſſum cum Ariſteo apud Cyzicum, atq; collocutum (Plut. in Romulo Crotonem habet) Cùm id iſte contendendo aſſeueraret, propinqui mortui ad fulloniam præſtò fuerũt, habentes quæ ad efferendos homines expediũt. Aperta domo, Ariſteus nec uiuus apparuit, nec mortuus: ſeptimoq; deinde anno, cum in Proconneſo apparuiſſet, eos uerſus fecit, qui nũc à Græcis Arimaſpei uocantur: quibus conditis, rurſus euanuit. Metapontini in Italia, trecentis & quadraginta annis pòſt, aiũt Ariſteum, cùm apud ipſos apparuiſſet, iuſſiſſe aram Apollinis extrui, quæ cognomen haberet Ariſtei Proconneſij, & iuxta eam erigi ſtatuam: quòd diceret Apollinem ad eos ſolos ex Italicis in ipſorum terram ueniſſe, ſeq; cum illo, qui prius coruus fuiſſet. Metapontini Delphos ad deũ miſêre ſciſcitatũ. Pythia dicto audientes eſſe iuſſit. Nũc igitur ſtatua extat cognomine Ariſtei, iuxta aram ipſam Apollinis, in foro extructã, circumſtantibus utrinq; lauris. Herod. lib. 4.

CTESYLLA Alcidamantis filia in partu mortua, cùm ad ſepulturam efferretur, columba è ſandapila euolauit, at cadauer nuſquam apparuit. Antoninus Liberalis ex Transfor. Nicandri lib. 3.

ASPALIDIS uirginis cadauer, quæ ſeipſam ſuſpenderat, ne pudicitiam eius Tartarus Melitenſis tyrannus uiolaret, dum ad ſepulturam deferri deberet, diſparuit. Antoninus Liberalis in Transform.

CADAVERVM ΑΗΨΙΣ.

SVSCEPTA. CADAVERA

Collecta, Indagata.

Eo tempore, quo paſſi ſunt beati Apoſtoli PAVLVS & PETRVS, ex Oriente fideles uenerunt, qui eorum corpora ſicut ciuium ſuorum repeterent. Quæ ducta uſque ad ſecundum urbis miliarium, in loco, qui dicitur ad Catatumbas, collocata ſunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorũ multitudo conueniens niteretur, ita eos uis tonitrui atque fulguris terruit atque diſperſit, ut ea denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorũ corpora leuauerunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt. Gregorius lib. 3. Epiſt. c. 30.

LVCINA uirgo impetrauit à Cornelio pontifice, ut apoſtoli Pauli corpus extra Capenam portam, uia Oſtienſi, ubi capitis fuerat ſupplicio affectus, in ſuum prædium transferret, & Petrum in Vaticanum, quæ & ipſius Cornelij corpus in prædio quoque ſuo ſepeliuit. Polydorus libro 6. cap. ult. de Rerum inuent.

OSIRIDIS cadauer Typhon in XIV. portiones dilaceratum ſparſerat. Iſis eas perueſtigauit, cymba papyracea paludes pernauigans. Hinc ſcaphis papyraceis nauigantes non uiolari à crocodilis aiunt, ſiue eas timeant, ſiue uenerentur, huius deæ gratia. Ea de cauſa frequentia per Aegyptum Oſiridis conditoria ſunt, quòd ut in quamque partem circumuagans incidiſſet, ei funus feciſſet. Alij uerò eam ſimulacra feciſſe diſtribuiſſeque per ſingulas urbes, quaſi corpus daret, quo pluribus locis in ueneratione foret, & ſi ſupereſſet Typhon Horum filium, in buſtum Oſiridis uerum, cùm multa monſtrarentur, ſæuire non poſſet. Vnum ex Oſiridis membris nõ reperit, pudenda: ſiquidem actutùm in amnem fuerant proiecta: guſtaſſe ea lepidoton, phagrum, & oxyrynchum, quos præcipuè piſcium Aegyptij deteſtantur. Illorum umbram expreſſit Iſis, ac conſecrauit Priapum, cui etiã nunc feſtum diem agitant Aegyptij. Plut. in Iſide.

Apud ATHENIENSES ſtatutum erat, ut ſingulæ tribus ſingulas arcas haberent, in quibus cadauera & reliquias illorum, qui bello ceciderant, ſuę cuiuſque tribus inquiſita colligerent, & in expeditionem uehiculis ferrent. Alexander libro 3. capite 2.

CADAVERVM cura

CHABRIAS Athenienſis, cùm ad Naxon memorabili clade Spartanos profligaſſet, totus fuit in legẽdis eorũ, qui ex ſuis ceciderant, cadaueribus, metuens populi ſuperſtitionem. Extra hanc moram facilè uniuerſam hoſtium claſſem delere potuiſſet. Diod. lib. 15.

SPARTANI contra Meſſenios profecti, certo animo uel uincendi uel mortem oppetẽdi, ne milites, qui bello ceciderãt, inſepulti manerent, teſſeras ſiue ſcytalas, in brachiis, inſculptis nominibus habuere, ut ſuos quiq; gentiles cognoſcerent. Alex. lib. 6. cap. 14.

Redemta.

Cadauer VALENTINIANI II. Auguſti, ab Arbogaſte Viennæ Gallicæ necati, à ſororibus eius mercede redemtum, ac Mediolanum, ut ſepulturæ mandaretur, translatum eſt. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Conſueuerunt corpora regum apud Boemos, priuſquam ſepeliantur,

peliantur, octo diebus, aromatibus condita, per sacraria urbis circumferri plangique, & sequentibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in VENCESLAO Ignauo neglectum, non audente Sophia regina ingredi Nouam ciuitatē, propter Hussitarum seditionem. Delatum est cadauer ad ecclesiam S. Viti in arce, & inde ad aulam regiam; ibiq; conditum in sepulcro, quod ipse sibi delegerat. Sed postea cùm monasterium ab Hussitis diriperetur, & sepulcra regū effringerentur, quidam Muscha, pisciculos Venceslao uendere solitus, regis, quem amauerat, corpus clàm in loculo apud se domi condidit. Interiecto deinde tempore, cùm Venceslai corpus inquireretur, acceptis uiginti aureis illud reddidit, tumq; circumgestatio ex more facta, & iustum regi funus exhibitū. Aen. Syl. c.37. hist. Boemiæ, & Cusp. in Venceslao.

Boleslaus Polonorum rex corpus D. ADELBERTI Pragensis episcopi, ad Borussos propagādæ religionis ergô profecti, & ab iisdem interfecti, à Barbaris pari pōdere auri redemit. Cromerus lib.3.

ODETTVS Fuxius Lautrecus, dux Gallus fortissimus, in obsidione Neapolis peste moritur. Negat ei sepulturæ honorē hostis Aurantius. Eius cadauer Hispanus miles Neapolim relatum in cella uinaria multo obrutum sabulo contumulauit, neque emtori Gallo ullo precio dare uoluit, inquit Iouius in eius uita. At lib.26. Hist. neminē unquam suorū illud redimere uoluisse ait. XX pòst anno Ferdinādus Corduba, magni Consalui nepos, Lautreci corpus erutum, precioq; redemtum, quamuis hostis, marmoreo tumulo ornauit.

Purgata, Lota.

Scythæ, cùm REX eorum decessit, ingentem scrobem effodiunt forma quadrata. Accipiūt mortuum corpore incerato, aluo euulsa atq; expurgata (ut etiam Plin. lib. 9. c.45. docet) quam ubi silere contuso & thymiamate, apiiq; semine & anisi expleuerunt, consuunt rursus: impositumq; plaustro cadauer, ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quę regij Scythæ: aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia incidunt, frontem nasumq; sauciant, sinistram manum sagittis traiiciunt. Mox idem ad populos, quib. imperitarit uiuens, cadauer transfertur. Deniq; contumulantes, concubinarum aliquam præfracta gula simul sepeliunt: sed & pincernam & coquum, equi agasonem, ministrumq;, item qui fuisset à nunciis, nec non equos, & omniū primitias. Rursumq; anno circumacto hæc obeunt: quinquaginta ex ministris, qui non alij sunt, quàm Scythæ ingenui, strangulant, totidemque interimunt equos. Alios uerò Scythas, quum decesserunt, proximi in plaustris collocatos ad amicos circūferūt: eos illi excipiētes, epulum cadauer comitantibus præbent. Mox peractis dieb. quadraginta, humo mandant, capite exinanito ablutoq;. Herod. lib.4.

Meminit in lib. περὶ σαρκοφαγίας Plutarchus, AEGYPTIOS uētrem mortuorum eximere, atq; mox in sole aperire, ut omnium peccatorum causam. Cælius lib.13. c.25. A.L.

Qui funera mortuorum apud AEGYPTIOS curant, eo exercitio à maioribus tradito, funeris impensam domesticis descriptam ferunt, scrutantes, quanti uelint celebrari funus. Conuentione facta, corpus eis traditur, ut iuxta impensam curetur funus. Primus is, qui grammaticus siue scriba appellatur, posito humi corpore, circa ilia describit, quantū à sinistra parte incidatur. Deinde qui dicitur scissor, habens lapidem Aethiopicum, quantum lex finit, latus aperit: subitoq; cursu persequentibus, qui adstant, lapidesq; cum execratione in eum iacientibus, fugit. Existimant enim odium inhærere, quicunq; agnati corpus uulnere illato uiolarit. Curatores uerò corporis, hos salitores appellant, honore digni existimationeq; habentur. Versantur enim cū sacerdotibus, tēplaq; pariter ingrediūtur. His apud cadauer adstantibus, unus scissuram per corporis interiora præter renes & cor ducit, quæ singula alter uino Phœniceo ex reb. odoriferis lauat: deinde corpus totū primùm ex cedro cū aliis preciosis unguentis ungunt dies amplius triginta: myrrha deinceps, ac cinnamomo, cæterisq; reb. liniunt: quæ non solùm id seruare diutinè, sed odoriferū reddere queant. Curatū cadauer (per 70 dies, teste Herod.) cognatis tradunt defuncti, ita singulis eius partibus, etiā superciliorū palpebrarūq; pilis integrè seruatis, ut omnis corporis species dormiētis more integra perduret. Multi Aegyptij progenitorū corporib. domi magno sumtu conditis, respicientes suorū imagines, uiuentiū magnitudine & habitu à longa progenie ductas, tanquā uiuentiū aspectu animo oblectantur. Diod. lib.1. c.8. Et hæc prima & sumtuosissima est ratio condiendi cadaueris. Secūda uerò & mediocris talis est. Clysterē unguine, quod è cedro gignitur, cōplent. Deinde ex hac aluū mortui, ipsam neque scindentes, neq; extrahentes, sed per secessum, prehenso uiæ posterioris hiatu, inferciunt: & diebus LXX sale condiunt: quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingesserant, ex aluo egerūt: quod tantam habet uim, ut unà secum aluum atq; intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuiq; tantū cutis & ossa relinquuntur. Vbi ista fecēre, ex quo sic tradidêre mortuum, nihil amplius negotij suscipiunt. Præter has tertia est cōditura. Qui tenuiori sunt fortuna, dilutionib. uentrem abstergunt, arefaciuntq; sale septuaginta per dies, deinde tradunt reportandū. Vxores tamē insigniū uirorū non statim uita defunctas tradunt condiendas: ac ne eas quidē feminas, quæ conspicuæ ualde & maioris momenti fuerint, sed triduo atq; quatriduo defunctas. Id ea de causa faciūt, ne cū feminis salinarij coirent. Deprehensum enim quendā, aiunt, coeuntē cum recenti cadauere muliebri, delatūq; ad eiusdē artificij socios. Herodotus lib.2. Et hæc ideo factitabant, ut cadauera diuturnius incorrupta seruarentur. Nam Aegyptij, teste Seruio in tertium Aeneidos, sequuti Stoicorum sententiā, persuasum habebant, tamdiu animam durare, quamdiu duraret & corpus. Polyd. lib.3. c.10. de Inuent.

GRÆCIS in more fuisse cadauera abluere, Euripidis testimonio cognoscitur: qui Hecubam ita inducit, cum ancilla loquentem, accepto nuncio de nece Polyxenæ:

Σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
βάψας' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλός,
ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν
νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον
λούσω, προθῶμαί θ' ὡς ἀξία.

nec non Creontem in Phœnissis obitu filij cōsternatum, qui sponte sua pro salute patriæ occubuerat,

—— ἐγὼ δ' ἥκω μέτα στείλων ἀδελφῷ γραίᾳ Ἰοκάστην, ὅπως
λούσῃ προθῆταί τ' οὐκ ἔτ' ὄντα παῖδ' ἐμόν.

Victorius lib.10. Var. lect. cap.20.

Mortui, inquiunt Grammatici, calida aqua abluuntur, & per internulla conclamantur, quòd solet plerunque uitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Brodeus in 2. Epigram. Vnde Ennius:

Tarquinij corpus bona femina lauit, & unxit.

Et Philippus libertus Cn. Pompeij truncum in litore Aegyptio aqua marina prius ablutum cremauit, teste Plut. Fit & nostra tempestate, fortassis ex prisca relictum cōsuetudine, ut defunctorum monumentis aquam inspergant consecratam, præsertim apud Germanos, huius rei præter cęteros benignos. Erasmus in Adagiis.

Deportata ad Sepulturā aliò.

☞ *De Funeris honore inter Fortuita agetur.*

Moris erat Laconici, aliorum peregrè defunctorum eo loci, in quo cecidissent, corpora funerare & relinquere: sed regum, domum referre. Posteaquam ergo AGESILAVS ex Aegypto reuersus in portu Menelai decessit, comites Spartiatæ mellis penuria cadauer eius cera conditum Lacedęmonem reportauerunt. Plut. in Agesilao.

AGESIPOLIS rex è Macedonia rediēs prope Olynthum periit, & melle conditus in patriam reuectus est. Xenophon libro 5. rerum Græcarum.

Antigonus adolescens, DEMETRII Poliorcetis filius, audita patris morte in Syria, ubi Seleuci iussu ad extremū uitę tempus custoditus fuerat, eò profectus est, ut eius cineres in Græciam deportaret. Illos uerò cùm obuios habuisset, magna ueneratione complexus est. Vrna clausit aurea, purpura & diademate instrata: regia naui sublimiter collocat: circumstabant hastati iuuenes armorū fulgore conspicui, sacrūq; canebant carmen (Xenophantes modulator ætate illa insignis) tanta uocū suauitate, ut remorum pulsum, nautæ præsertim, modulationi accōmodarent. Inde Corinthum remigrans, ab omnib. circà nationib. adeuntib. honorandos pręb uit: postremò apud Demetriadem regio more tumulauit. Sab. lib.1. c.4. ex Plutarchi Demetrio.

SEVERVS Imperat. Eboraci in Britannia obiit (anno imperij 18. ætatis octogesimonono, secundùm Spartianum: licet Aurelius Sextus sexagesimoquinto interiisse scribat) in sepulcrumq; Antoninorum conditus. Nā corpusculo Seueri ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in uasculum alabastri coniectum, Romam retulerunt filij.

M. Brutus cùm in campis Philippicis corpus CASSII cōplorasset, & Romanorum ultimum appellasset eum, quòd existere deinceps par animus non posset in urbe: exornauit eū misitq; Thasum, ne confusionem ibi funus eius crearet. Milites eius collectos consolatus est: quos reb. omnib. necessariis cernens spoliatos, pro amissis octo millia numūm in capita pollicitus est. Plut. in Bruto.

NARSETIS Eunuchi Romę mortui, qui Gothorum regnum euertit, corpus in plumbea arcula Cōstantinopolim fuit delatum. Cuspinianus.

Quibus LADISLAI Vngarorum regis sanctissimi cadaueris custodia delegata fuerat, dum Varadinum corpus deuehunt, cùm labore, tum assiduo mœrore defatigatos, altissimus somnus inuasit. Currus sine iumētis, quę pabulatum emissa fuerant, per se citatus, ab expergefactis custodib. usquā sisti potuit, donec Varadini constitit, ubi Ladislaus sibi sepulcrum optarat. Inter sepeliendum, quum unus malè id olere diceret, increpantibus cæteris, qui suauissimam odoris fragrantiam sentiebant, os illi in terga retortum est. Exclamans igitur, Sancte Ladislae, miserere mei: & sepulcrum supplex ueneratus, iratum sibi numen conciliauit. Mentum, quod humero inhæserat, non sine cicatrice auelli potuit. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

MAGNVS Ladalaos Sueonū rex, A.S. 1290. mortuus, portatus fuit humeris incolarū ab insula Visingiana ad Stocholmensem ciuitatem, duodecim dierū itinere, ut illic apud Franciscanos sepeliretur. Io. Magnus lib.20. c.9.

LOTHARIVS Imp. ex Italia rediens per Tridentinam uallem, Veronæ morbo correptus, in humili quadam casa inter Oenum & Lycum, mortem obiit. Corpus exenteratum per Augustam & Orientalem Franciam in Saxoniam delatum, in monasterio Luttere, quod ipse extruxerat, sepultum, cum plumbeis laminis, quibus res eius gestæ continebantur. Cuspinianus.

ROBERTVS Brusius Scotorum rex moriens petiit, ut unus eligeretur ex præstantissimis regni ducibus, qui cor suum Hierosolymā ad Christi sepulcrum deferret. Id enim sibi uiuo maximè semper fuisse in uotis, ut eò profectus hostes Christiani nominis oppugnaret. Sed quoniam per frequentia bella, fatumq; suum non licuisset, id saltem modò optare, ut quod est præstantissimū corporis humani, & quò iam sæpe illuc euolauerat, id sepeliendū in templo dominici sepulcri, quod in Golgotha ędificatum est, illuc deferretur. Eo itaq; defuncto Iacobus Douglas uir fortiss. id muneris subiuit. Capsulæ inclusum aureæ, cum nobiliss. uirorum comitatu Hierosolymam uexit, munera regia religiosis locis distribuit, copias suas Christianis reliquis adiunxit. In reditu tempestate in Beticam eiectus, Aragonum regi operam cōtra Saracenos præclaram nauauit: sed tandem in insidias pertractus cum suis ad internecionem cæsus est. H. Boethius libro 14. & 15.

IO. VNGENAD Baro in Sonneck, de Italis, Dalmatis atque Croatis optimè meritus (in quorum linguas maximis sumtibus, solo pietatis studio, Nouum testamentum, hymnos sacros, multosque alios Christianæ religionis orthodoxos libros conuerti curauit, & uel nolētibus, nulla mercedis spe, obtrusit) cùm 27. Decembris, anno Sal. MDLXV in Boemia in arce Vuintrica obdormiuisset, ultimisq; tabulis mandasset, ut in ducatu Virtenbergico sepeliretur: Christophorus dux, non modò defuncti manibus hoc obsequij genere parentare, uerumetiam locum sepulturæ Tubingæ in gentilitio Virtenbergicorum principū sepulcro cōcedere uoluit.

Translata è loco sepulturæ in alium.

☞ *Vide Tit. Corpora sanctorum culta.*

Dauid rex ossa SAVLI regis, & IONATHANIS eius filij, à Iabensibus Galaaditis, qui illorum corpora ex uico Bethsabe, illic à Palæstinis suspensa, surripuerant, abstulit: & simul septem Sauli filiorum à Gabaonitis crucifixorum ossa, Selę in finibus Beniamitarum, in sepulcro Cis Sauli patris condidit. 2. Reg. 21.

IOSEPHI corpus Israelitę secū ex Aegypto portarunt, & post occupatam terram Sanctā Sichemæ sepeliuerūt in agri fundo, quem Iacobus à filiis Hemoris patris Sichemi centum quessitis emerat, quique Iosephæis hæreditate cesserat. Iosuæ cap. ult.

Cornelius I. pontifex sub Decio, priusquam in exilium mitteretur, instāte Lucina matrona sanctissima, corpora PETRI & PAVLI è Catechumbis (uel Catatūbis, ut Gregorius habet) ubi minus tuta esse uidebantur, noctu leuauit. Paulum Lucina in prędio suo uia Ostiensi collocauit, eo loci, ubi interfectus fuerat: Petrum uerò Cornelius apud locum reposuit, ubi crucis martyrium subierat, in templo Apollinis, ad radices Aurei montis, tertio Calendas Iulij. Platina.

TISAMENI Orestis F. cadauer cùm Achæi Helice sepelissent, Lacedæmonij, Delphici oraculi monitu, eius ossa Spartam deportarunt: & hoc ipso tempore monstratur Tisameni sepulcrum, quo loco epulum celebrant Lacedæmonij, quæ Phiditia nuncupant. Pausanias lib.6.

Cimon Miltiadis F. capta Scyro insula, cùm ueterem accepisset THESEA, Aegei filium, profugum Athenis, contulisse in Scyron se, atque ibi ab rege Lycomede ex suspicione dolo sublatum: laborauit sepulcrum eius uestigare. Siquidem oraculum erat Athenis, quod reliquias Thesei in urbem referri, eumq; pro heroe præcipiebat eximiè coli. Cæterùm, ubi conditus esset, ignorabāt, quòd Scyrij fateri nollent, neque concederent inuestigari. Tunc uerò ingenti studio tandem inuenit Cimon conditorium, imposuitq; naui prætoriæ ossa, eaq; omni magnificentia decorata in patriam annis propè quadringentis pòst reduxit. Quamobrem summam gratiam apud populum comparauit. Plut. in Cimone.

Thebani sepultum apud se LINVM uatem fuisse autumant: addentes, Philippum Amyntæ filium, profligatis ad Chæroneam Græcis, somnij cuiusdam monitu Lini eruta ossa in Macedoniam transportasse. Mox itidem alio cōmotum somnio Thebas reportanda curasse. Sepulcri omnem superficiē, ac planè uestigia omnia, temporis diuturnitate abolita, Pausanias in Bœoticis scribit.

THEMISTOCLIS ossa Athenienses ex Magnesia reportari in patriam curarunt, pœnitentia ducti, quòd eum aliquādo proscripsissent: eiusq; filiis reditum cōcesserunt. Sepulcrum in Piræeo erectum. Pausanias lib.1.

CIMONIS, in expeditione contra Persas defuncti, in obsidione Citij, relata in Atticam fuisse ossa, testantur monumenta, quæ hac quoque ætate Cimonia appellantur. At colunt Citienses quoque tumulum quendam Cimonis: quòd deus iis, ut Nausicrates orator tradidit, in fame & sterilitate præcepisset, ne despicerent Cimonem, sed tanquam forte maiorem humana eum honorarent & uenerarentur. Plutarchus in Cimone.

PHOCIONE ab Atheniensibus capitis damnato, uisum etiā inimicis est, ut corpus extra fines proiiceretur, ac ne quis Atheniensis rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum ausus est corpus attingere. At mulier Megarica propriis sumtibus Conopioni cuidam, cui id muneris erat, imposuit, ut cadauer ultra Eleusina exportatum igni combureret. Illa interim cum ancillis assistens, tumulum honorarium aggessit, atque inferias Phocioni dedit, ossa in sinu collegit, eaque nocte domum deportata defodit apud focum, his uerbis: Apud uos, optimi penates, has boni uiri reliquias depono. Eas uos, cùm Athenienses ad mentem redierint, patrio reddite sepulcro. Plutarchus in Phocione, & Aelianus libro 12.

Cùm PHILOPOEMENEM Achæorum ducem Messenij ueneno sustulissent, Lycortas Arcadum & Achæorū dux Messene euersa, ossa eius Megalopolim reportauit, tanquam uiri de patria optimè meriti, in quo bonorum & fortium uirorum omnis propè est in Græcia cōsumta progenies. Pausanias in Arcadicis.

Cùm post annum 35. IOANNIS Chrysostomi episcopi, qui in exilio obierat, corpus à Theodosio iuniore Constantinopolim relatum esset, aiunt, nauem, qua uectum Ioannis corpus fuerat, petram discidisse: ipsum uerò corpus in templū delatum, ad populum dixisse, Pax uobis. Nicephorus libro 14. capite 46.

Leo V. Imperator pius admodum in defunctos, ad Chrysopolim monasterium Philippi misit, ubi corpus MICHAELIS Imp. sepultum erat: quod effodi curauit, in templumq; Apostolorum deferri, ubi marmorea arca includi iussit, adhibitis ceremoniis solennibus & funerali maxima pompa. Cuspinianus è Zonara.

ALVREDVS rex Anglorum, in episcopali ecclesia Vintoniēsi sepultus erat. Sed quia Canonici dicebant, regios manes resumto cadauere noctu per domos oberrare, filius eius Eduardus ossa genitoris sustulit, & in nouo monasterio posuit. Ranulphus lib.6. c.3. in Polychronico.

ADOLFVS Nassauiensis Imp. ab Alberto Austriaco ad Spiram cæsus, honorificè sepultus est apud monasterium, cui nomen Rosarum uallis. Sed post concordiam Principum sub Henrico VII. exhumatus, Spiram est delatus. Vbi hodie amborum mortuorum corpora, Adolphi & Alberti, qui maximè inter se, dum uiuerent, dissidebant, uix palmo iam dissident. Cuspinianus.

AEGIDIVS Carillus Hispanus cardinalis, ab Innocentio VI. Auinione in Italiam missus ad recuperādas urbes, quas per pontificum absentiam in Gallia tyranni occuparant, res maximas quinquennio gessit, & pontificem in integrum armis restituit. Bononiæ collegium Hispanorum instituit. Obiit Viterbi, sepultus Assisij. Inde multo pòst humeris peregrinorum, iubilei gratia Romam petentium, peccatorum ueniam omnibus tam sanctum onus subeuntibus pollicente pontifice, Toletum in Hispaniam delatus est, & denuò sepultus. Hieron. Garimbertus lib.5. de Vitis pontificum.

NON COLLECTA. NON QVÆSITA.

Victis Lacedæmoniis nauali pugna, cùm decem Prætores ATHENIENSIVM, amissis XXV. nauibus, ad naufragos seruandos & cadauera colligenda Theramenem & Thrasybulum misissent, sed illi tempestate impediti officio fungi nequiuissent: nihilominus à populo capitis damnati fuerunt. Xenophon lib.1. rerum Græcarum.

GALLI cruentissima clade à Græcis ad Thermopylas affecti, nullas omnino per caduceatorem, quantisper suos ad sepulturam tollerent, inducias poposcerunt: ac planè ostenderunt, se nihil interesse putare, humó ne tegerentur, an uerò à feris & uolucrib. iis, quæ solent infestę ad cadauera aduolare, di-

re, dilaniarentur. Ac duplex, opinor, causa est; quamobrem nulla illis cura sit eos, qui in pugna ceciderint, sepeliendi. Vna, quòd maiorem ex hac de immanitate sua opinione iniici hostibus terrorem existimant: altera, quòd non est omnino ipsis cum cæteris communis, in eos, qui è uita excesserunt, miseratio. Pausanias in Phocicis.

CADAVERVM CONSERVATIO.

Conseruationem hîc Cadaueris tanquam bonum quoddam Corporis perpendimus. Vt uerò honorifica est uel ignominiosa, inter Fortuita locum merebitur.

QVID CONSERVETVR. Puta
Pars cadaueris.

ESSEDONES purgatum defuncti caput inaurant, illiq; quotannis hostias mactant, & iusta persoluunt. Alex. lib. 5. c. 56.

GALLI olim illustrium uirorum capita cõdientes odoribus, peregrinis ostendebant: nec tantidem auri redimi dignabãtur. Strabo lib. 4.

Apud ROM. Membrum abscindi mortuo dicebatur, cùm digitus eius decidebatur: ad quod seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto. Festus.

RICARDVS Anglorum rex in Calceci obsidione sagitta uenenata percussus, moriens iussit corpus suum terra humari ad cœnobiũ diui Ebrulphi, ad pedes patris Henrici, de quo malè meritus erat: sed cor Rhotomagi seruari, quoniã eam ciuitatem, ut fidã, miro semper amore cõplexus erat, ibiq; multum uersabatur: reliqua uiliora intestina in Pictonum terra, ut suo principi ingrata, recondi. Polydorus lib. 4.

Mos in hũc usq; diem seruatur, cùm antistes HERBIPOLENSIS moritur, ut corpus eius exenteretur: intestina in monasterio ad S. Iacobum apud Scotos in suburbio sepeliantur: cor in amplo uitro in quadriga ducatur quatuor equis Eboracum monasterium Cisterciensis ordinis. Reliquum cadauer in maiore ecclesia, d. uo Kiliano dicata, condatur honorificè, cum insigni pompa funebri. Cuspinianus.

Panebij, si quando REX moritur, corpus quidem defodiunt, caput uerò auratum in templo augustissimo consecrant dĩcantq;. Alex. lib. 3. cap. 2.

A QVIBVS. AB
Hominibus.

Cùm SIMEONIS Stelitis eremitæ corpus Antiochiam transferretur à Martyrio episcopo, sub Leonis Magni imperio, Ardaburius Orientis præfectus exercitu suo idem comitatus fuit, ne uicinarum urbiũ impetu in itinere eriperetur, quòd omnes sese sanctissimi uiri reliquiis felices futuros arbitrarentur. Nicephorus lib. 14. c. 51.

FROTHONE III. Danorum rege clariss. mortuo, salitũ corpus triennio proceres asseruandum curauere, & quasi præ senio nec pedes incedere, nec equo uehi posset, regio currũ circumuexere, prouinciarum defectionem uulgato regis exitu formidantes. At ubi putidos artus extrema corripuit sanies, nec tabes reprimi poterat, secus Vueram Sialandiæ portum regio funere tumulauere corpus, affirmantes Frothonem eo loci mortis ac busti copiam exoptasse, ubi regni eius præstantissima haberetur prouincia. Saxo lib. 5.

Brutis.

IADON propheta Hierosolymitanus, à pseudopropheta Bethelense, cum quo contra Domini præceptum cibum sumserat, domum repetens, à leone occurrente interfectus, ab eodem contra iniuriam auium atq; canum defensus, quoad à pseudopropheta superueniente sepeliretur. 3. Reg. 13.

ONOPHRIO in uastissima Aegypti solitudine moranti, & nulli hominum cognito, & consumtis indumentis nudo, quum iam uita excessurus esset, contigit Paphnutium abbatem uidere: à quo interrogatus, nomen uitamq; exposuit, & ipsum à Deo sibi destinatum, à quo postera die sepeliendus esset, dixit. Quum ergo animam (ut prędixerat) exhalasset, uidit eam Paphnutius ab angelis in cœlum tolli. Cuius corpusculũ suauissimo odore diuinitùs perfusum sepelire uolens, instrumentum, quo terram cauaret, non habuit. Et ecce accurrunt duo leones, telluremq; unguibus scalpentes, fossã hominis capacem fecêre. Sicq; ipse pallio suo inuolutũ, atq; ibi depositũ, humo, quã bestię egesserant, operuit. Eo uix sepulto, cella corruit, & palma, quæ iuxta illã stabat, radicitùs euulsa procubuit, quasi dedignantes aliorũ usui seruire, quę tam exactæ sanctitatis uiro seruissent. Mar. lib. 5. c. 10.

CLEOMENES Spartanus ob insidias à Ptolemæo Alexãdrię in crucem fuit elatus. Draco ingens caput illius circumplicans faciem contexit, ne auis carniuora eam ulla attingeret. Hinc superstitio incessit regi, quasi uirum interfecisset diuinum. Alexandrini quoque heroem Cleomenem deorumq; filium appellabant: usque dum reflexerunt eos doctiores: qui docuerunt apes ex bobus, ex equis uespas putrescentibus germinare, scarabeos ex asinis pullulare eodem deductis: humana uerò corpora tabe medullæ inter se compacta & concreta edere angues. Qua re ueteres animaduersa, inter omnes animantes heroibus draconem consecrauere. Plutarchus in Cleomene.

STANISLAI Cracouiensis episcopi corpus, in plura dissectũ frusta ab impij regis Boleslai II. militib. quatuor aquilę circumuolantes custodierunt: & cùm noctu ea colligere amici contenderent, integrum illud reperêre. Cranzius lib. 3. c. 14. Vandaliæ, & Cromerus.

EDMVNDI Angliæ regis caput, quem supplicem Dani interemerant, ex dumeto suos, qui caput inquirebant, uocauit. Qui cùm accessissent, à lupo custodiri illud conspexerũt: qui etiam usq; ad locum sepulturæ placidè eos comitatus est. Vincentius lib. 25. c 32.

CVM QVIBVS. CONSERVATI, Conditi Mortui cum
Comitibus.

INDORVM mos est, ut uiro defuncto, quæ charissima coniux in uita fuerat, eodem igne absumatur, unaq; cremetur. Alex. lib. 3. cap. 7.

GERRHI & TAVRI, Scythiæ gentes, defuncto rege, in tumulo, ubi cadauer odoribus delibutum erat, præcipuam concubinarum, pincernam, coquũ, agasonem ac ministrũ unà tumulare, equosq; & quinquaginta ex ministris ad rogum præfocare assueuerant. Diod. lib. 1. & Herod. lib. 4.

THRACIBVS & GETIS erat mos, ut uiro defuncto, præcipuè dilecta coniux, maximo cultu ornata, ad tumulum ducta, à propinquiore mactetur, eodemque tumulo humetur. Alex. lib. 3. cap. 7.

AETHIOPES comas ad rogum radunt, corporiq; & igni imponunt boues & pecora: equosq; & canes in ignẽ mittunt, uinum & oleum affundunt. Alex. lib. 3. c. 2.

MEGARENSES tria aut quatuor defunctorum corpora singulis condebant tumulis prona. Idem.

Apud GALLOS in funere omnia, quæ uiuis charissima fuissent, cremabantur cum defunctis, animalia etiam ipsa. Nec multum antea quàm C. Cæsar eam terram debellasset, clientes & seruitia funebri rogo inferebantur. Sab. lib. 1. En. 4.

Apud HERVLOS defuncti uxor sese apud sepulcrum mariti laqueo suspendebat. Procopius de bello Gothorum lib. 2.

Saxo lib. 5. Danicarum historiarum scribit, ARSVITVM Biornonis filium cum cane & equo fuisse humatum.

Principes TARTARORVM antequam expirent, seruum deligunt, qui cum domino uiuus sepeliatur. Bonfin. lib. 8. Dec. 2.

Narrant uespillones, si cum denis uirorum cadaueribus componantur singula feminarum, hæc illa unà secum inflammare: quòd unguinosũm quid & oleosum earum caro, ut cæterorum sit fomentum, contineat. Plut. lib. 3. Quęst. conu. 4.

Apud ROMANOS, singulos singulis sepulcris condi, diu cõsuetudo permansit: quod ab ATHENIENSIBVS quoque usurpatum fuit. Alex. lib. 6. c. 14.

Muneribus, Pecunia.

Qui liberos, coniuges, & amicos amiserunt, esse eos præoptãt uspiam in ærumnis, quàm esse semel sublatos & ad nihilũ redactos. Cupidè enim hæc uocabula, Decedere moriẽtes, & Migrare è uita, ac si quæ alia, quæ conuersionem animæ denotant, non interitum, audiunt, dicuntq; ita,

Ast illic etiam chari reminiscar amici. *Et,*
Quid Hectori uis nunciem aut seni uiro?

Hinc inualuit error, ut arma, instrumenta, uestes consuetas unà cum defunctis, atq; ut Minos cum GLAVCO, Cressas

Cæsi ossa tibias maculis sparsi hinnuli, contumulent,

quasi iis recreentur: ac si quid illos poscere & desiderare suspicentur, læto animo id largiuntur. Sicut Periander tyrannus Corinthiorum simul cum uxore Melissa mundum eius, quasi postularet, id & algere diceret se, cremauit. Plut. contra Epicurum, & Herod. lib. 5.

VETERES olim trientem in os defuncti, tanquam naulum, imponebant: quem apud inferos darent pro portorio Charonti. Apud solos Hermionẽses Argiuos litorales, quia prorsus inde ad inferos descensus esse diceretur, naulo non indigebant obituri, teste Eustathio Iliad. β. & Luciano in Dialogo de Luctu. Is numulus Danace à Gręcis dicebatur, ut scribit Callimachus. Aristophanes in Ranis, duos obolos postea naulũ eiusdem fuisse scribit. Ab Atheniensiũ imperatoribus auctum est aliquando Charonti stipendiũ, ad triobolum usq;. Natalis Comes Mythol. lib. 3. c. 4.

ALBANIS pecuniam cum mortuis sepelire in loculis, mos erat patrius. Strabo lib. 11.

Apud

Apud priscos GERMANOS dum igne accenso corpora defunctorum cremarentur, pro dignitate, proq; opibus, quib. quisq; potens erat, amici & affines, quiq; cõiunctissimi aderant, quæ chara habebant, & præcipui cultus, cũ gemitu & questu miserabili in luctus & grauissimi doloris signum ignibus iniiciebant. Alex. lib. 3. cap. 2. ex Tacito.

Libris.

DICTYS Cretensis historiam belli Troiani sex libris descriptam, secum sepeliri curauit. Suidas.

NVMA Pompilio Rom. rege mortuo, Romani duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt sub Ianiculo. In una cadauer eius positum fuit, in altera libri sacri, quos ipse cõscripserat, quòd ea omnia, quæ in iis expressa erant, uiuens põtificibus tradidisset, omniumque arte & sensu eos imbuisset. Plut. in Numa.

Epistolis.

GALATARVM mos fuit, ut defuncti familiares & affines inscriptas epistolas ad rogum coniiciant, uelut apud inferos mortui illas mox lecturi forent. Alex. lib. 3. c. 7.

QVO INSTRVMENTO. Cadauera CONDITA.
Gypso.

MACROBII Aethiopes corpora salita gypso incrustant, & picturà exornata in uasis condunt uitreis. Herod. lib. 3.

Melle.

BABYLONII & ASSYRII mortuos in melle seruant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Xenophon lib. 5. de rebus Græcorum narrat, AGESIPOLIM Spartiatem, cùm è Macedonia cum exercitu domum rediret, in uicinis Olynthi oppidi locis graui morbo correptum, mortuumq; septima die, in melle conditum Lacedęmonem reportatum, atq; illic regia sepultura ornatum.

Plinius tradit, allatum ex Aegypto Hippocentaurum Claudio Cæsari, & Statius in Syluulis, ALEXANDRI Magni cadauer melle litum putredini non fuisse obnoxium, scribit. Cõseruat enim mel corpora à corruptione, teste Plin. lib. 22. Cęlius lib. 28. cap. 27.

Cera.

MAGI Persarum cadauera non priùs humant, quàm aut ab alite, aut à cane tractã fuerint. Postea cera condiunt, & terra obruunt, non cremant: quoniam nefas esse aiũt Igni, quem pro deo colũt, cadauer attingere. Herod. lib. 1. & Cic. 1. Tusc.

AGESILAVS rex Spartanus, in portu Menelai mortuus, mellis penuria cera conditus Spartam reuectus est. Plutarchus in eius uita.

Aromatibus, Vnguentis.

CHRISTVS Dominus noster cùm corpus suum sanctissimũ in monumento à mulieribus, quamuis festinantibus, ungi non posse præuideret, quoniam resurgens unctione opus non habebat: at uiuẽs tamen honorem hunc non neglexit, sed bis se ungi Bethaniæ passus est, semel sabbatho pedes à Maria Magdalena in ædibus Lazari, iterum caput à muliere innominata, quatuor dieb. pòst, paulo ante suam passionẽ. Priorem unctionem Ioan. 12. posteriorem Matth. 26. Marc. 14. Lucas 22. describunt.

GRÆCI cadauera defunctorum uino & unguento inspergere solebant, cumq; odoribus effusi in lacrymas in urna condere, & linteo uentilare. Alex. lib. 3. c. 7.

SYRI non cremabant, sed condiebant cadauera myrrha, aloe, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina, odoribus & unguentis delibuta. Sudore quoque ligni tedæ concisæ & furnis adactæ, apud eosdem mortuos delibutos seruari prodiderunt, ita lineamentis integris, ut uiui apparerent. In tantumque odores ad defunctos pertinere creditum est, ut quamuis cremarentur, unguenta tamen & odores flammæ iniicerent. Alexander.

Ferdinandus Aragonum & Neapolitanorum rex, & Alfonsus eius F. multos PROCERES ac præclaros duces, interposita fide & sacramenti religione, in gratiã receptos, quòd antea Gallicarum partiũ fuissent, uiolato iure & hospitij & mẽsæ regiæ crudeliter enecarũt. Eorũq; cadauera siccata & cõdita odorib. in eo habitu, quo uiui fuerãt, iisdẽq; insignibus exornata, adseruarunt atq; ostentarunt. Iouius lib. 1. Hist.

Sale.

AEGYPTII ignem animatam belluam esse putant, quæ cùm omnia deuorãdo fuerit expleta, tandem & ipsa emoriatur. Piaculum cẽsent, cadauer ab animato absumi. Eaq; propter cadauera non cremant, sed sale condiunt, ne humata à uermibus deuorentur. Herod. lib. 3.

Foliis.

PYTHAGORÆI non unguentis, sed foliis populi, myrti, & aloes stipati, humi mandabantur: sicut M. CATO condi & humari uoluit. Alex. lib. 3. c. 2.

ABSVMPTA igni. MORTVI cremati.

Conseruationis genus est, Crematio cadaueris: ut quandò totum seruari nequit, seruetur saltem pars, ipsi scilicet Cineres.

Veterẽ fuisse GRÆCIS morẽ cadauera cõburẽdi, quod à Septentrionalibus diu item seruatũ, animaduertimus. Exustionis uerò ratio affertur nõ una, aliis opinantib. quod in nobis diuinũ est, igneo ueluti uehiculo ad superna subuectum cœlestib. inseri, subsidente, quod terrenum est. Alij in eo purificationem quandã intelligere maluerunt: quoniã sit ignis ἁγνιστικόν quiddam, id est, expurgandi uim habens: nã & purgationes, quas cathalmos uocant, non citra ignem fiebant: quod significat Euripides, ubi Clytęmnestrę corpus igni depuratum scribit. Sed sententiã priorem in Scyllę rogo approbare uidetur Lycophron, & præterea Indorũ Gymnosophistæ. Cælius lib. 17. c. 21. A. L.

VETERES quoties plura cadauera & aceruata corpora urerent, aut incendi curarent, solebant funerum ministri, denis uirorum corporibus singula muliebria fomenti loco adiicere, ut unius adiumento cætera faciliùs deflagrarẽt. Alex. lib. 3. cap. 7. ex Plut. lib. 3. Quæst. conu. 4.

Hominem prius quàm genito dente cremari, mos gentiũ non est, ait Plinius. Iuuenalis Satyra 15. Et minor igne rogi. intelligẽs puerum minorem septennio, priusquam omnes geniti dentes forent. Alex. lib. 3. c. 7.

Regum funebres tunicas apud INDOS & AEGYPTIOS olim ex lino asbestino faciebant, quod cùm ab ignibus non absumatur, corporis fauillam ab reliquo separat cinere. Plinius lib. 19. cap. 1.

Cùm Licymnij cuiusdã amici sui FILIVM Argiuũ contra Laomedontem in expeditionem ducere uellet Hercules, pater uehementer refragabatur, quoniam prius in alia expeditione alterum filium Oeonum sub eodem amisisset. Hercules iureiurando sese obstrinxit, filium sese ei reducturũ. Cùm autem Argiuus in eo bello periisset, Hercules cùm cadauer prę fœtore integrum patri restituere non posset, combussit, & cineres urnæ impositos patri infelici remisit. Hinc mos inoleuisse uidetur cremandi cadauera, quæ prius uel terra obruebantur, uel canibus & uulturibus dilanianda obiiciebãtur. Eustathius Iliad. α.

HERACLITVS defunctorum cadauera igni consumi uoluit, ut ad originem suam reuertantur: ex igne enim omnia constare dixit. Alex. lib. 3. c. 2.

PHRYGIBVS igni imponere mortuos, antiquissimus mos fuisse proditur. Idem.

CARTHAGINENSES cũ prius terra obruerent fato defunctos, postea à Dario admoniti, mutato consilio igni tradere cepere. Alex. lib. 3. cap. 2. & 7.

Cadauera cremare, apud ROMANOS non fuit ueteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos seruauere ritus: sicut in Cornelia, nemo ante L. Syllam Dictatorem traditur crematus. idque uoluisse, ueritum talionem, eruto C. Marij cadauere, & in Anienem abiecto. Plinius lib. 7. cap. 54.

CN. Pompeius ab Achilla in litore Aegyptio obtruncatus est. Caput eius desecuerũt, truncũ è nauicula nudũ proiecerũt, reliqueruntq; spectare id cupientibus. Philippus libertus, dũ satiarunt oculos, remãsit apud eũ. Inde aqua marina abluit corpus, ac tunicula quadã sua inuoluit. Cùm nihil aliud ad manũ esset, circũspiciens litus, reperit paruulæ nauiculæ piscatoriæ marcidas quidẽ reliquias, sed quæ sufficerẽt ad rogum cadaueri nudo, nec ei integro. Ita funeratus est Pompeius. Reliquiæ ad Corneliam relatæ sunt: easq; illa in Albano humauit. Plut. in Pompeio.

P. CLODIVS à Milone occisus in curia ex subselliis constructo rogo, Ruffi & Munatij Plãci Trib. pl. persuasionibus, crematus fuit. Quo factum est, ut & tota curia incenderetur, atque hinc etiam rectà plebs ad domum Milonis cum igne cõtenderet. P. Aerodius ex Dionis lib. 40.

BELLINVS Britannorum rex, in omni fortuna Brenno fratri (qui Romam cepit) nequaquam impar, Britannorum regũ primus crematus est. Polyd. lib. 1.

Ferdinandus dux Castellæ regis, cùm Granatensem regem ad Buccam asini (is mons est) magna strage uicisset, XXX mill. SARACENORVM interfectis, & odor cadauerũ æstiuo calore promotus infestaret castra: ad præcauendã pestilentiã præcepit, ut tracta unco, & in aceruos collecta succenderentur. Ex quo intellectum est, quod diuturna desuetudine dedidiceramus, non plurimis lignis opus esse ad cremanda humana cadauera, præsertim ut tum erant solibus incocta, & adipibus, qui diffluebant, nonnihil alimenti flammæ præbentibus. Laurentius Valla lib. 1. Hist.

LITVANI olim corpora mortuorũ cũ preciosissima supellectile, qua uiui maximè utebãtur, cũ equis, armis & duob. uenatoriis canibus, falconeq; cremabãt, seruũ etiã fideliorem

uiuū cum domino mortuo, pręcipuè uerò magno uiro cremare solebant, amicosq; serui & consanguineos propterea magnificè donabāt. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

QVO HABITV.

GRÆCI ueste alba cadauer, coronisq; ornant, & pæana canētes sepulcro inferūt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

MESSENII optimates coronatos & cādida ueste uelatos efferunt. Pausanias in Messenicis.

SPARTÆ cadauera ueste contegebantur punicea, oleæ præterea foliis adiectis. Cælius lib. 17. c. 19. A. L.

CARES morte sublatos milites non exuunt, sed unà cū armis militaribus honorificè sepeliunt. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.

QVO SITV.

Perspicitur fuisse moris GRÆCORVM in curando funere, ut dirigerent membra mortuorum, si fortè, quod plerunq; extremo illo tempore fit, partem aliquam corporis contraxissent: atq; id (ut cōmodius fieri posset) statim anima efflata, cùm adhuc calerent, gerebant. quod etiam nos institutū seruamus. Euripides in Hippolyto coronato inducit ancillā domi clamantem, adhortantemq; alias, mortua iam regina, ut hoc facerent:

Ὀρθώσατ' ἐκτείνοντες ἄθλιον νέκυν,
πικρὸν τόδ' οἰκούρημα δεσπόταις ἐμοῖς.

Voce uerò illa cognouit Chorus, fato functā iam Phædrā: addiditq;, quo signo id intellexerit, morē hūc ipsum tāgēs:

ἤδη γὰρ ὡς νεκρόν νιν ἐκτείνουσι δή.

Victorius lib. 10. Variarum, cap. 20.

Sepeliunt pastorales Afri defunctos, ut Græci: præter NASAMONES, qui illos sedentes sepeliunt, obseruantes, ut dum quis cepit agere animam, eum sedentem constituant, ne supinus expiret. Herod. lib. 4.

PHOENICES Aphri, corpora Occidentē uersus sepeliebant. Quū mortalibus cęteris & in primis Græcis ORIENS amplius placeat. Alex. lib. 3. c. 2. & Cælius lib. 16. c. 3. A. L.

Solon bello de Salamine suscepto, contra Megarenses, uicit eos non eloquentia, sed argumentis ipsis. Aperiens enim uetustos loculos, ostēdit omnes ATHENIENSES uersus Occasum patrio more iacere: MEGARENSES uerò temerè & sine discrimine pronos Orientem uersus, more reliquorum Græcorum sepultos esse. Iudicaruntq; causam Lacedæmonij. Aelian. lib. 7. de Varia hist.

DIOGENES rogatus à Xeniade, quomodo sepeliri uellet? In faciem, inquit. Percontanti causam: Quoniam, inquit, paulo pòst futurum est, ut inferiora fiant superiora. Huc alludens, quòd id temporis Macedones rerum potirentur, atq; ex humilibus fierent excelsi: quòd si inuerterentur omnia, fore ut cadauer etiam ex prono fieret supinum. Laert. lib. 6.

VBI. LOCVS ALIVS

VNIVERSALIS, consideratus

Per se. Conditi in

Terra, in genere.

Antiquissimū sepulturę genus putat M. Tullius, quo apud Xenophontē utitur CYRVS Persarum rex. Redditur enim terræ corpus, & quasi matris operimento obducitur. Sepulcrū antè non est, quàm iusta facta, & corpus incensum. Humatos propriè dicebāt, quos humus iniecta cōtegeret, ex Plin. lib. 7. c. 54. Eum morem ius pontificale confirmat. Nam prius quàm iniecta gleba est, locus ubi crematum corpus est, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis, & humatum est, & gleba uocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Ex hoc ritu enarratur amplius Maronis locus ex sexto Aeneidos:

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terrā Iniice.

Impium porrò censebatur, uiso cadauere insepulto, non iniecisse puluerem, quod in Antigone indicat Sophocles. Et Athenis Buzyges eos est execratus, qui inhumatū cadauer neglectui habuissent. Ad hæc respicit Horatianum illud:

Quanquam festinas, non est mora longa, licebit,
Iniecto ter puluere, curras.

Hinc Græci sepulcra dicunt ἠρία, ut Theocriti interpres scribit in Pharmaceutria, παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν, ab ea, quæ mortuis iniiciatur, terra, quam uocant erā. Sunt qui ēria opinentur dici, non surrecta, sed iacentia sepulcra. Cælius lib. 17. cap. 20. A. L.

THALES Milesius cū omnia ex aquis constare diceret, defunctos terræ mandari iussit, ut humore dissoluerentur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Plato Legum XII. nullum in loco fœcundo & agro ad cultū parato fieri strui'ue sepulcrum iubet: uerùm is, inquit, locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantùm commodus, uiuentibus nil prorsus inferat nocumēti. Neq; enim à uiuis, minus item à mortuis Terrę matris fœcunditas præpediri debet.

ATHENIENSES cum omnibus ferè Græcis corpora nō cremabant, sed funebri ueste terræ mandabant. Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 2.

In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili uena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo, absumi constat intra XL diem, exceptis dentibus. Eius generis & in Lycia saxa sunt, & in Oriente, quæ uiuentibus quoq; adalligata, erodūt corpora. Mitior est aūt seruandis corporibus, nec absumendis Chernites, ebori simillimus, in quo Dariū regē conditum ferunt: Pariōq; similis candore & duritia, minus tamē ponderosus, qui Porus uocatur. Plin. lib. 36. c. 17.

HOMINEM fulmine exanimatum cremari fas non est, condi terra religio tradidit. Seneca lib. Naturalium questionum 2. Artemidorus in Oneirocriticis, eo ipsos in loco sepeliri solitos, in quo de cœlo tacti sunt, asserit.

Montibus, Speluncis.

Prisci reges & satrapæ sub montibus humabantur: ut GYGES Lydorum rex sub Tmolo. PERSARVM reges in monte, qui Persepoleos arci ab oriente incumbebat, nomine regius, sepeliri mos erat. Mirū dictu, in eius meditullio substructiōes uisebantur, quæ reges caperent defunctos: sed ita, ut ascensu nullo, machinis sublata conditoria reponerentur. Cælius lib. 17. cap. 19. A. L. Hac imitatione AEGYPTIORVM reges suas extruxere pyramides, ceu factitios mōtes. Vnde fluxit, ut etiam reliquis sepulcris cippi, statuæ, pyramides adderentur, teste Alex. lib. 3. cap. 2.

ANTÆVS Terræ filius fuit, habitauitque oppidum Tingen in Mauritania, quæ ab eo dicta est Tingitana, freto & Hispanię obiecta. Extare dicit Mela rei signum, parmam elephantino tergore execto ingentem, & ob magnitudinē nulli nūc usuro habilem, quā locorū accolæ ab illo gestatā pro uero habent, traduntq;, & inde eximiè colunt. Est collis in ea terra modicus, resupini hominis imago iacentis: illius, ut incolæ ferunt, tumulus. Vnde ubi aliqua pars exuta est, solent imbres spargi, & donec effossa repleantur, euenīunt.

KIOVIA uetustissima amplissimaq; urbs, ligneis septis circūdata, olim totius Russiæ metropolis, ad fl. celeberrimū Borysthenē sita, à Vilna centū uiginti miliarib. Polonicis distat. Eā quondā magnificā, & planè regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, & monumēta, quę sex miliarib. patēt, indicant. Apparēt adhuc hodie in uicinis montib. & collib. Ecclesiarū monasteriorūq; & ędificiorū desolatorū uestigia. Præterea Cauernæ quædā subterraneæ uastissimæ, longo tractu subtus terras extensæ, quas octoginta miliarib. protendi dicunt: in his plurima antiqua sepulcra corporaq; illustriū quorundā Russiæ uirorū (quamuis antiquitùs posita) carie tantùm cōsumta, integra tamē apparent, præcipuè uerò duorū principū cadauera in uestib. gentili more, prout uiui ambulabant, integra ueluti recèns reposita apparent, sicque insepulta in specu iacent, quæ peregrinis & aduenis à monachis Ruthenici ritus ostendūtur. Guagninus in descriptione Lituanię.

BALDERVS Danorum rex ab Hothero Sueonum rege noctu ex insidiis accepto uulnere, die postera prælium renouauit, & lectica se in aciem deferri iussit. Sequenti nocte eidē Proserpina, postridie se eius complexu usuram, denūciauit. Nec inane somnij præsagium fuit: nam Balderum elapso triduo, nimius uulneris cruciatus absumpsit. Cuius corpus exercitus regio funere elatum, facto colle condendum curauit. Hunc quidam nostra ætate, inquit Saxo, spe thesauri noctu adorti, repentino ceptum horrore liquerunt. Ex ipso namq; perrupti montis cacumine, subita torrentis uis prorumpere uidebatur: ita ut fossores, abiectis ligonibus, ne irruentis aquæ uorticibus implicarērurt, repidi diffugerint. Saxo lib. 3.

Insulis.

Cùm anno secundo belli Peloponnesiaci horrenda pestilentia Athenas inuasisset, Athenięses tantæ calamitatis causam ad deos religionemq; retulêre, & DELON insulā lustrari iussere: quæ polluta uiolataq; idcirco putabatur, quòd ad sepelienda expirantium cadauera, per nefas usurpari cepta esset. Apertis itaq; cunctis in Delo sepulcris, urnas omnes in insulam Delo proximam, cognomento Rheniam, transtulere: tū lege cauerunt, ne cui pârere sepulcrúmue defodere in Delo liceret. Diodorus lib. 12.

CYPRVS insula adeò cadauerum impatiens olim fuit, ut mādata sibi interdiu corpora, proxima nocte reiiceret. Ibi Ericus II. Danorum rex, Hierosolymam cum uxore Botilda petens, febri correptus, cùm uicinum sibi fatum adesse cognosceret, apud celeberrimam Cypri urbem corpus suum funerari petiuit, præfatus tellurem aliorum cineres respuentem, suos quietius habituram. Igitur pro uoto tumulum nactus, corporis sui beneficio uetustam humi indignationem repressit, eamque humanis antè cadaueribus refractantem, non solùm suæ, sed etiam alienæ sepulturæ patientem effecit. Coniugem quoque eius idem peregrinationis labor absumsit. Saxo lib. 12.

Lapi

Lapidum aceruo.

TROGLODYTÆ Aethiopes sepulcra ridiculè penitùs curant. Nam paliuri uiminibus corpus ligantes, defuncti ceruicem cruribus applicant. Deinde cadauer in loco editiori positum lapidibus ridentes obruunt: imposito que super saxorum aceruum capræ cornu, abeunt, nullo dolore moti. Diod. Siculus lib. 3. cap. 3.

Niue, Glacie.

In SCYTHIA gens est, quæ parentum cadauera inter niues & glaciem truncis affixa arborum detinet, illa terræ mandare pro scelere proq; flagitio arbitrata. Alex. lib. 3. cap. 2.

Fimo, Sterquilinio.

NABATHÆI Arabes arbitrantur mortua corpora æquè atque stercus (ut Heraclitus inquit) cadauera stercore abiectiora: quapropter reges etiam in sterquiliniis defodiunt. Strabo libro 16.

Litore.

AIAX Telamonius nō combustus, sed sepultus fuit in Sigæo litore, quoniam sibiipsi manus intulerat. Brodeus in 1. Epigram. & Plato in Phædone.

Paludibus.

Arrianus lib. 7. multos ASSYRIORVM regum in paludibus conditos scribit.

Alueo fluminis.

ALARICVS Gothorum rex, direpta Roma, in Siciliam transmissurus, Cosentiæ obiit. Ne autem Itali cadauer eius effoderent, Gothi Basento amne ad tempus corriuato, in fluminis alueo sepulcrum condidere, opificibus interfectis, ne ubi loculus, cum ossibus multisque diuitiis defossus esset, sciri posset. Id quod huic genti in cadaueribus & thesauris condendis familiare fuit. Aemilius lib. 1. Sabel. En. 7. lib. 9. ex Paulo Diacono. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

Arboribus.

COLCHI mortuos suos in pellibus sepeliunt, & insutos ex arboribus suspendunt. Aelian. lib. 4. de Varia hist.

KYRGESSI uel Circassi Tartari mortuos sepulturę loco in arboribus suspendunt. Alex. Guagninus in Tartaria.

SVEONVM & Gothorum regū cadauera olim in quercubus, tanquam sacris locis suspendi solita testatur Olaus lib. 16. c. 37. Septentrionalium gentium.

Columnis.

PHRYGIÆ populi mortuos sacerdotes nōn defodiunt, sed super lapidibus decem cubitis erectos sublimes constituūt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Vrbibus, Domibus.

LYCVRGVS Lacedæmonius, funerare in urbe extinctos, nō interdixit: quòd & assuescere uellet iuuentutem, ne horrerent mortem. Plut. in eius uita.

ROMANI olim in domibus, quas singuli incolebant, doliis aut uasculis condebant mortuos. Qua ex causa Lares, domesticos deos, colere cœperunt.

Cineres eius, qui triumphasset, aut Imperatoris, qui hostes bello domuisset, uel armis remp. auxisset, in urbem ferre licebat: quibus hoc honoris causa, ut in foro conderentur, tributum fuit. Alex. lib. 3. cap. 2.

Romæ in Campo Martio, Appiano teste, ante L. Syllam reges duntaxat humari consueuerant.

Relatum in Chronicis, TRAIANVM Imp. intra Vrbem solum omnium & in foro sepultum, quum morbo apud Isauriæ Seleuciam interiisset. Sed ducibus etiam datum ac posteris, Plutarchus scribit, ut in foro sepelirentur. Imperatoribus etiam datum & Vestalibus, ut in Vrbe contumularentur. Nā & nocentes uirgines in Campo scelerato intra urbem adobruebantur uiuæ, Cælius lib. 17. cap. 19. A. L.

THVCYDIDES cùm ab Oenobio in patriam restitutus fuisset, paulo pòst dolo interemtus, ad Melitidem portam Athenis fuit sepultus. Pausanias in Atticis.

Agro, Rure.

Nullum Solonis axones sepulcrum in urbem ATHENIENSEM admisere. Hinc Seruius Sulpitius apud Ciceronē: Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent, nec tamen id antea cuiquam concesserāt. Nec SICYONII, teste Plutarcho in Arato: nec, ut opinor, præter paucos, reliqua Græcia, nisi religionis aut uirtutis ergô. Brodeus in Epigram. Græcis.

ATHENIS, in campo extra urbem, tumulus erat, in quo columnæ extabant, in quibus defunctorum nomina per singulas tribus, qui illic conditi erant, continebātur. CORINTHI quoque extra urbem maximorū uirorum monumenta fuere: inter quæ Diogenis Sinopensis, quem Canem Græci cognominarunt, sepulcrum uisebatur. Alexander libro tertio capite secundo.

SOPHOCLEM tragicum poetam defunctum, sepeliri Liber pater iussit, obsidentibus Athenās Lacedæmoniis, & Lysandro eorum rege in quiete sępius admonito, ut pateretur extrā urbem humari delicias suas. Lysander ubi intellexit Sophoclem mortuum, pacem funeri dedit. Solinus.

PLATONIS institutio fuit, ut in agro infœcundo ac sterili sepulcra constituerentur, ne uiuentibus officerent.

Lege duodecim tabularum, ne in urbe sepelirentur, néue urerentur, ROMÆ fuit sancitum: In urbe ne sepelito, néue urito. Existimārūt fortè ueteres, si intra pomerium cuiusquam tumulus foret, huiusmodi feralibus contaminari sanctum municipiorum ius, polluique urbis genium, aut tetro cadauerū odore pestilenti aere affici. Brodeus in 1. Epigram. Vlpianus scriptum reliquit, Diuum Adrianum pœnam statuisse aureorum XL. in eos, qui in ciuitate sepulcrum fecissent, quam fisco inferri iussit: & in magistratus eandem pœnam, qui id passi forent: quin & publicari iussit locum, & inde cadauer transferri. Cæl. lib. 17. cap. 19. In agris proinde quisque suis, aut in fundo suburbano, seu auito & patrio solo, ex senatusconsulto, Cn. Duillio consule, Romæ humari consueuere, cùm priùs in urbe humarentur. In quibus sepeliendi licet toto generi & familiæ ius esset à principio, postea ut in familiam ius sepulcri non descenderet, recentiore cura prouisum fuit. Frequentiùs in Flaminia aut Latina uia, ac suburbiis & anfractibus uiarum, Romanorum gentilitia sepulcra fuere. Ibique Calatini, Scipiones, Seruilij, & Metelli, aliorumq; honestissimæ familiæ condebantur.

Cella uinaria.

ODETTI Foissei Lotrechij, ducis Gallorum, in Neapolitana obsidione mortui, cadauer ex cumulo arenæ refossum, Hispanus miles Neapolim relatum in cella uinaria recōdidit, affuturum sperans è Gallia pecuniosum redemtorem: sed frustra. Iouius lib. 26. Hist. & in eius uita.

Templo.

[redacted]

GVLIELMI Conquæstoris Anglorum regis corpus nobiles Normanni Cadomum deportarunt. Quod magna exequiarum pompa delatum in templum diui Stephani, quod ipse condiderat, antequam ad sepulturam daretur, necesse fuit pro sepulcro solui precium cuidam clamanti, se loci illius esse dominum, ubi ea sacra ædes extructa esset. Polydorus lib. 9. Anglicæ hist.

Respectu Personarum. Cœmeteria

Regum.

SAITANI reges suos intra septa templi sepeliebant. Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Artemisia MAVSOLO coniugi sumtuosissimum condidit sepulcrum, à quo Mausolea denominari cœperunt regum sepulcra.

Iosephus in Antiquitatibus Iudæorum, Danielem Ecbatanis Mausoleum fabricasse perhibet, in quo MEDORVM, Persarum Parthorumque reges sepelirentur.

MACEDONVM reges Aegis Macedonię oppido condebantur. Teste Plinio, & Pausania in Atticis.

Constantinopoli Iustinianus Imp. Templum sanctorum Apostolorum extruxit, in quo Imp. ac sacerdotes locum sepulturæ haberent. Euagrius lib. 4. cap. 31.

Iona insula ueterum SCOTORVM regum sepulcris clara est, teste Polydoro lib. 1. Pòst Macolmus rex Dunelmense cœnobium instituit in regum sepulturā. Balæus de script. Britan. cent. 2. cap. 60.

Sunt qui Lucio regi primo Christiano apud Britannos assignent templum diuo Petro positum, extra urbem Londinū: quamuis plerique alij Sigiberto Orientalium Saxonum regi illud ipsum attribuant. Hic locus in primis regum ANGLORVM sepulturis nobilissimus, uulgò Vuestmonasterium uocatur, quòd ad Occidentem spectet. Polydorus libro secundo.

Regum Hierosolymitanorum Christianorum sepulturæ locus Hierosolymis sub monte Caluariæ. Sic GODEFRIDVS primus rex, sic Balduinus frater, sic patruelis huius Balduinus II. teste Tyrio.

Militum.

CERAMICVS, locus Athenis intra urbem, ubi bello peremtos sepeliebant, & funebres orationes habebant, ut Menecles & Callistratus in scriptis de Atheniensibus tradunt: statuis passim erectis, quæ quo quisque loco occubuisset, indicarēt. Ex Thucydide Suidas. Nomen habuit à lateribus coctilibus. Quò alludens Satyricus, Munitam à figulis urbem, pro sepulcro ponit.

Plebeiorum.

In Exquiliis uel ultrà potiùs, ut Varroni placet, ROMÆ locus publicus erat, quem Puticulos uocabant: quoniam illic esset sepulcrum miseræ plebi. Quod in Sermonibus Horatius significat, & Acron expositi: nam in eo loco ustrinas fuisse publicas, scribit Porphyrio. Antiqua uerò sepulcra in puteorum morem solita excauari, non latuit Pompeium Festum, unde & inflexum puticulorum nomen liquet. ni coniectet quis, quòd inibi computtescerent cadauera. Cælius lib. 10. cap. 17. Antiq. Lect.

Seruorum.

Ante Persicum bellum, cùm ATHENIENSES contra Aeginetas profecti, seruorum fideli opera usi essent, plebiscito sancitum fuit, ut publicæ sepulturæ honor seruis promiscuè cũ dominis in Academia concederetur: & seruorum nomina quoq; columnis incisa fuerunt. Pausanias in Atticis.

Iudæorum.

IVDÆIS in Anglia Londini tantùm ager ad condenda mortuorum cadauera datus erat. Cæterùm ab Henrico II. rege impetrarunt, ut ubicunq; degerent, eo loci agrum sepulturæ suorum assignatum haberent. Polyd. lib. 13.

Christianorum.

CHRISTIANORVM cœmeteria olim ante urbes fuisse, testatur Chrysostomus sermone de Fide & lege. Prosper Aquitanicus episcopus, extra urbem sepultus est, in templo D. Apollinaris. Armenium episcopum Lucanum, extra urbem elatum, refert Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 1. Cœmeteriorum meminit Augustinus epistola 64. Est & apud Euagriũ uox cœmeterij, lib. 1. cap. 16.

Turcorum.

Solent TVRCI sepulcra iuxta uias collocare, nec in ullo alio loco sepelire licet. Sepulturæ autem mandant cadauera lota, & [redacted] Chalcocondylas lib. [redacted]

Monumentum, inquit Florentinus, res est memoriæ causa in posterum prodita. Quòd si corpus uel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum. Auctor Modestinus est Digestorũ XXVIII. in conditionis humanæ memoriam sepulcra strui cœpta: unde, cur eadem dicãtur monumẽta, liquidò perspicimus. Cælius libro 17. cap. 19. & 20. A L.

D. Athanasius Christũ in Golgotha, hoc est, in loco cranij crucifixum putat, quòd illic, ex Hebræorum sententia, ADAMVS sit sepultus. ut ubi Adamus post damnationis sententiam in terram fuerat resolutus, ibi quoque absolutionem ferens, è terra resurgeret. Cedrenus in Cõpendio historiarũ.

Sepultus fuit IESVS Christus Opt. Max. per Iosephum & Nicodemum in sepulcro nouo, exciso in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Mat. 27. Marc. 16. Lucæ 13.

Isaacus & Ismael patrem suum ABRAHAMVM uita functũ sepeliuerũt in duplici cauerna agri, quem ab Ephrone Hettæo uiuus redemerat. Genes. 25.

RACHEL sepulta est à marito Iacobo patriarcha in uia Ephratæ, quæ Bethlehema est, cùm ex partu Beniaminis filij obiisset. Sepulcro eius imposuit Iacobus cippũ, qui etiamnum Cippus sepulcri Rachelis dicitur. Genes. 35.

IOSEPHI patriarchæ ossa Israelitæ ex Aegypto deportata, post occupatam terram Sanctam, sepelierunt Sichemæ, in agri fundo, quem Iacobus à filiis Hemoris patris Sichemi centum quæstitis emerat, quique Iosephæis hæreditate cesserat. Iosua capite ultimo.

MOSES sepultus est ab angelis in ualle Moabitarum, & non cognouit homo sepulcrum eius usque in præsentem diem. In ualle humilitatis sepultus est: sepulcro eius ignorato, ne uel idololatriæ occasio aliis fieret, uel ambitionis speciem præberet. Marulus lib. 5. cap. 10.

ELEAZARVS Aaronis F. pontifex summus Israelitarum, in colle Phineis filij sui, qui ei datus fuerat in monte Ephraimitico, sepultus est. Iosua cap. ultimo.

IOSVA Nunis F. anno ætatis CX mortuus, sepelitur in finibus sui patrimonij Thannathsiræ, in monte Ephraimitico, sitæ ad septentrionem Gaasi montis. Iosue cap. ult.

IOIADA pontifex iam senex mortuus, in regum sepulcro cõditus fuit, propter merita sua erga regem Ioam, suumq; studium erga ueram religionem, tum etiam, quia Iosabam Iorami regis filiam uxorem habuerat. 4. Reg. 12. & 2. Paral. 24.

ARCADIS, Callistûs & Iouis filij, tumulus Mantineæ ad Iunonis ædem conspicitur, deportatis cò è Mænalo ossibus oraculi iussu. Pausanias in Arcadicis.

Argis ad ædem Apollinis Lycij sepulcra sunt LINI Apollinis filij. Ad Nemei Iouis, est PHORONEI regis, & ad forum ipsius uxoris CERDVS. Ad Fortunę fanum, est CHORIÆ Mænadis, quæ Bacchum secuta, à Perseo rege Argiuorum interfecta fuit, cumq; aliis commune monumentum ad Iunonis Antheæ fanum, huic dignitatis nomine suum separatim est positum. Non longè ab Horarum æde statuæ uidentur POLYNICIS Oedipodis F. & eorum omnium ducum, qui ad Thebas cùm illo cecidere. Item DANAI monimentum, & honorarius eorum omnium tumulus, qui aut ad Lunam cecidere, aut iam reduces oppressi sunt. In foro tumulus terræ consurgit, in quo conditum ferunt MEDVSÆ Gorgonis caput. Iuxtà est GORGOPHONES Perfei filiæ tumulus. Ad Cereris Pelasgidis est sepulcrum PELASGI Triopæ F. Item æneus cippus, tria simulacra sustinens, Dianæ, Iouis & Mineruæ, in quo TANTALI ossa reponi, quidam arbitrantur. Ad Neptuni ædem ARGI sepulcrum. Ad gymnasium Cylarabi dictum, LICYMNII Electryonis F. qui à Tlepolemo Herculis filio cæsus est, cuius cædis causa Argis exulauit Tlepolemus. Item SACADÆ, qui primus Pythicum cantum Delphis cecinit, quo placatus Apollo rediit in gratiam cum tibicinibus, cùm antè eos malè odisset propter Marsyæ & Sileni, qui deum ipsum protocarant, certamina. In ipso gymnasio sepulcrum est STHENELI, & eius filij CYLARABI: & commune monumentum *iis Argiuis*, qui cum Athenienſibus in Siciliam profecti sunt. Ad Amphiarai fanum est ERIPHYLES uxoris monimentum. In templo Bacchi Cresij urna fictili ARIADNA ab ipso Baccho condita fuit. Quã ad arcem itur, Aegypti FILIORVM 50 capita sunt humata, cùm corpora ad Lernam, ubi à filiabus Danai interfecti fuere, cõdita sint. Filię enim, quo certum facinoris indicium ad patrem deferrent, capita absciderunt maritis. Pausanias in Corinthiacis.

APtolemaide Syriæ duobus stadiis, ad torrentem Belum, spectatur sepulcrum MEMNONIS, habens iuxta se centum ferè cubitorum spacium, admiratione dignissimum. Est enim specie uallis rotundæ, uitreum emittens arenam: quam cùm exhauserint multæ naues, pariter accedentes, locus idem rursus impletur. Venti siquidem, quasi dedita opera, conuehunt illuc de circumstantibus superciliis arenam istã, utique communem: locus autem metalli, statim in uitreum quod susceperit mutat. Mirabilius quoque illud uidetur, quòd iam conuersæ arenæ in uitrum, quæcunque pars in margines loci ipsius iacta fuerit, in communem arenam denuò conuertitur. Iosephus libro secundo capite nono belli Iud. Strabo uerò lib. 13. in Troade ultra Aesapi hostia, uel quia diuersi Memnones fuere, uel quia heroibus olim uariis in locis cenotaphia extrui solerent. Cælius lib. 22. capite 5. Antiq. Lect. Memnonides appellatas uoluceres, Hellespontij narrant ad Memnonis sepulcrum statis diebus quot annis aduolantes euerrere soli aream, quæ circa tumulum pura, & arboribus undiq; atq; herba nuda sit, & eã, *collecta* pinnis ex amne Aesapo aqua, aspergere. Paus. *in Phocicis.*

PANDIDONIS Athenienſiũ regis sepulcrum *in finibus Megarensium* extat, in loco qui Mergi scopulus dicitur. Nam Megara olim Athenienſium fuit. Eidem tamen Megarenses etiam intra urbem parentant, prope Hippolytæ Amazonis tumulum, & Terei regis Thracum. Pausanias in Atticis.

SISYPHI & NELEI sepulcra circa Isthmum sunt Corinthiacum: incertum tamen, quo loco. Pausanias in Corinth.

IOLAI monumentum Anthedone in Bœotia est. Pausanias in Bœoticis.

ZETHI & AMPHIONIS fratrum monumentum Thebis extat, terræ nõ magnus tumulus. Tumulo Amphionis subiacent saxa nulla arte elaborata, quæ Amphionis cantum secuta esse tradunt. Pausanias in Bœoticis.

TIRESIÆ natis, qui in Haliartia è uiuis excessit, honorarius tumulus est Thebis extra Prœtidem portam. Item HECTORIS monimentum, cuius ossa oraculi iussu ab Ilio deportarunt Thebani. Pausanias in Bœoticis.

ADiò Macedoniæ per montanam uiam stadia XX progressis, columna est ad dexteram. Superimposita columnæ est lapidea urna: in ea ORPHEI ossa cõdita esse, regionis eius incolæ dicunt. Consule Tit. Oracula non intellecta. Addunt Thraces, luscinias, quæ circa Orphei sepulcrum nidos habeant, suauiores quàm cæteras, & uocaliores cantus edere. Pausanias in Bœoticis.

Quã ab arce Pheneatum Arcadum descenditur, stadium est, & in edito uertice sepulcrum IPHICLI, qui frater fuit Herculis, Iolai pater (Herculis laborum consortem magna ex parte fuisse Iolaum Græci testantur) qui cùm in prima Herculis cõtra Augeam Eleorum regem pugna, ab Actoris filiis, qui Molionidæ sunt à Molione matre appellati, uulnus accepisset, à propinquis Pheneon delatus est: ibi cum Pheneates Buphagus, & eius uxor Promne ualde accuratè tractarunt, & ex uulnere mortuum sepelierunt, & Iphiclo hac etiam æstate tanquam heroi parentare solenne habent. Pausanias in Arcadicis.

PENELOPEN Mantinenses tradunt ab Vlysse eo crimine damnatam, quòd ultrò procos inuitasset, domoque exactam, Spartam prius, deinde Mantineam se recepisse, & in ea uia, quæ Mantinea Orchomenum ducit, sepultam, ubi terræ editus agger extat. Pausanias in Arcadicis.

In Sepiã monte Arcadiæ, sepulcrum est AEPYTI Elati F. Arcadum regis, qui in uenatione illic à sepe serpente ictus obiit. Est uerò terræ agger lapidea crepidine in orbem circumseptus: cuius Homerus etiam meminit, quòd scilicet nullum fuerat nobilius monimentum conspicatus. Pausanias in Arcadicis.

In Elide, non longè à templo Dianæ Cordacis, ædes est non utique magna, in qua Arca, & in ea PELOPIS ossa conseruantur. Pausanias lib. 6.

LAOMEDONTIS regis sepulcrum apud Scæam portã Troianam fuit, quæ ab eo nomen habuit, Scæa à scenomate dicta, quod in eius erat superliminio. Seruius.

Megaris in uia, quæ ad Prytaneũ ducit, INVS sepulcrum est, lapidum macieria incinctum, & sponte natis oleis conuestitum. Similiter etiam IPHIGENIÆ, & Adrasti, & Alcathoi Pelopis F. qui Megaram ædificauit. Item Corœbi & Orsippi Olympionicæ. Aegialei Adrasti F. qui ad Thebas cecidit, Pagis in Megarico agro spectatur. Item in montis iugo, propè Moluridem petram EVRYSTHEI, qui ex Attica fugiens Heraclidas, eo loci ab Iolao fuit interemtus & sepultus. Pausanias in Atticis.

*Apud Heraclea*m sub Oeta monte DEIANIRÆ Oenei F. monimentum extat: quamuis illud apud se esse iactitent Argiui. Pausanias in Corinthiacis.

Mycenis olim sepulcrum fuit ATREI, & eorum item omniũ, quos cum Agamemnone à Troia reuersos in conuiuio Aegisthus occidit. Item AGAMEMNONIS. Tum EVRYMEDONTIS aurigæ, & ELECTRÆ. CLYTÆMNESTRA & AEGISTHVS modico interuallo à muris sepulti sunt. Neque enim digni sunt habiti, qui eodem in loco humarentur, quo Agamemnon eiusque comites. Pausanias in Corinthiacis.

Quã *Mycenis* Argos iter est, ad læuam PERSEI monimentum heroicum conspicitur. Ad dexteram deinde in Argiuorum finibus THYESTÆ, quod Arietes uocant, quia ciaries è marmore impositus est. Aurei enim uelleris agnum statri Atreo Thyestes eripuit, cùm eius uxorem stupri consuetudine sibi conciliasset. Ibidem.

Megaris ab ea arcis parte, quæ ad septentriones est, descendentibus, ALCMENES se ostendit monimentum, proximè ad Olympij Iouis ædem. Proficiscentem enim eam Argis Thebas, in Megarensium finibus in ipsa uia mortuam ferunt: interHerculis uerò filios disceptatum, eius cadauer Argos ne reportandum, an uerò Thebis esset sepeliendum: cùm Herculis ex Megara filiorum, & Amphitryonis Thebis essent sepulcra. Respondisse uerò Delphicum Apollinem de ea re consulentibus, eam in Megarico agro sepeliri satius multo esse. Pausanias in Atticis.

Trœzene in foro ad ædem Dianæ Sospitæ est PITTHEI regis, aui materni Thesei, monimentum. Ad Hippolyti templum PHÆDRÆ monimentum est. In insula sacra, Trœzeniorum continenti proxima, est SPHÆRI Pelopis aurigæ: & in altera Calaurea dicta, in fano Neptuni, DEMOSTHENIS oratoris, cùm ibi exulans sibiipsi mortem consciuisset. Pausanias in Corinthiacis.

Thebis spectantur POLYNICIS & ETEOCLIS Oedipi filiorũ sepulcra. Aiunt Thebani & aliis ex iis, qui Heroes uocantur, & Oedipi filiis inferias à se mitti. His certè dum adolent, cùm flammam tum emissum ex ea fumum, in partes duas discedere. Pausanias in Bœoticis.

Ad Neltim portam Thebarum est MENOECEI Creontis filij monimentum, qui seipsum ultrò occidit ex oraculo Delphici Apollinis, quo tempore Polynices cum Argiuorum exercitu Thebas oppugnatũ uenit, ut contra hostilem Argiuorũ uim patriã seruaret incolumem. Ad eius tumulum malus Punica enata est, cuius poma, cùm maturuerint, rupto exteriore cortice, sanguinis nescio quid simile ostendunt. Hæc quidem arbor ad perpetuitatem repullulauit. Pausanias in Bœoticis.

In Elide, in Partheniæ fluuij ripa sepulcrum extat MARMACIS equorum, quem procorum omnium primum ad pertendam Hippodamiam uenisse aiunt, atque adeò primum omnium ab Oenomao interfectum. Eius uerò equas, quarum alteri Partheniæ, alteri uerò Eriphæ nomen fuerit, ad Marmacis tumulum Oenomai iussu mactatas, & ibidem humatas: à Parthenia itaque equarum altera fluuium nomen accepisse. Pausanias lib. 6.

In Elide in ulteriore Gladei amnis parte sepulcrum extat OENOMAI, terræ tumulus lapide circumseptus: supra tumulum ruinæ se ostendunt rectorum, quæ equorum Oenomai fabula putant fuisse. Pausanias lib. 6.

ICARVS undis submersus, dum fugeret Minoem, æstuq; ma-

ris ciectus, in Icaria insula ab Hercule sepultus est. Pausanias in Bœoticis.

NEOPTOLEMI Achillis filij sepulcrum Delphis fuit, cui quotannis parentabant. Pausanias in Phocicis.

Fuerunt olim ex aduerso Ilienſium urbis iuxta Hellespontum in PROTESILAI sepulcro arbores, quæ omnibus ephebiis eius, cùm in tãtum accreuissent, ut Ilium aspicerent, inarescebant; rursusque adolescebant. Iuxta urbem autem quercus in Ili tumulo tunc satæ dicebãtur, cùm cœpit Ilium uocari. Plinius libro 16. cap. 44.

Diomedeæ aues uno in loco totius orbis uisuntur, in insula nobili DIOMEDIS tumulo atque delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum similes. Aduenas barbaros clangore infestant, Græcis tantùm adulantur, miro discrimine, uelut generi Diomedis hoc tributentes: ædemque eam quotidie pleno gutture, madentibus pennis perluunt atq; purificant. Vnde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies mutatos. Plinius libro 10. cap. 44. & lib. 3. cap. 26.

Vlysses Troia discedens, cùm Maroneæ appellere prohiberetur, pugna facta, omnibus Maronitarũ opibus potitus est: ibiq; HECVBAM, quum diris deuoueret exercitum, & tumultus excitaret, lapidibus confectam, iuxta mare tumulauit, locumque Canis sepulcrum uocauit. Alij Hecubam ipsam; post excidium Ilij captiua cùm duceretur, se in mare præcipitasse ferunt. Vnde Cynosemon locum Chersonesi dictum. Suidas.

AEGYPTI Beli F. in Patrensi luco Achaiæ sepulcrum extat in fano Serapidis. Pausanias in Achaicis.

Apud Lacedæmonios in urbe, prope fanum Parcarum, sepulcra sunt ORESTIS & Agamemnonis. Ex Tegea enim illuc deportata fuere Orestis ossa, ex oraculi iussu. Item EPIMENIDIS Cretensis monimentum. In Aphetaide uia heroum monumenta conspiciuntur AMPHIARAI Oiclei F. & LEOCRATIS primi regis Spartanorum. In uico Hellenio TALTHYBII sepulcrum. In Cnacadia Aphetaide, ad ædem Dictynnæ, sunt sepulcra regum Eurypontidarum, à Procle oriundorum. Post Magnæ matris fanum, HIPPOLYTI, THESEI heroica monimenta. Prope Sciadem (ubi conciones habentur) est CYNORTÆ regis sepulcrum. Item CASTORIS. Item IDÆ & LYNCEI. Est Spartæ uicus, Theomelida dictus, in quo sepulcra regum, qui Agidæ sunt dicti, ab Eurysthene oriundi, nisuntur. In agro Spartano ad mare TÆNARI monimentum est, à quo excurrens promontorium Tænarium appellatur. Ad uicum Sebrium est ALCMANIS tumulus, cui in pangendis carminibus nihil patria lingua, quamuis rudis & aspera, obfuit. Ad comitium Varium dictum heroica monimenta sunt CADMI Agenoris filij, & AMPHILOCHI. Ad portas cunti est CHILONIS heroum, unius è septem. In templo Lycurgi est EVCOSMI Lycurgi F. sepulcrum. Ex aduerso templi, THEOPOMPI regis, Nicandri F. & EVRYBIADIS eius, qui ad Salaminem contra Xerxem classi Græcorum præfuit. Ad delubrum Iouis Cosmetę in colle, TYNDAREI. Pausanias in Lacon.

AIACIS sepulcrum in Salamine insula. Pausanias in Atticis.

In Aegina insula Aeaceum est AEACI monimentum. Iuxtà PHOCI tumulus, quem fratres interfecerunt, Aeaci filij, incinctus in ambitum crepidine. Pausanias in Corinth.

In litore Rhœteo Seneca tragicus, in Sigæo ACHILLIS tumulum Strabo, Dictys, Lucianus, fuisse produnt: corpus in Leucen insulam à Thetide delatum, Brodeus in 3. Epigr.

Ienses HOMERVM, qui in ipsorum litore æger obierat, Athenas traiecturus, magnificè sepeliuerunt, & tale epigramma inscripserunt, teste Herod. & Plut.

κεῦθε δὲ τὸν ἱερὸν κεφαλὴν κοσμητορα γαῖα περικλύστη,
ἀνδρῶν ἡρώων, κοσμήτορα θεῖον ὕμνης.

ARCHIMEDIS sepulcrum M. Tul. Cic. Siciliæ quæstor ignoratum à Syracusanis, cùm esse omnino negarẽt, septum undique & uestitum uepribus & dumetis, studiosè indagauit. Tenebat enim quosdam senatiolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperat, qui declarabant, in summo sepulcro sphæram esse positam cum cylindro. Ergo cùm omnia collustraret oculis (erat enim ad portas Agraianas magna frequentia sepulcrorum) animaduertit columellam nõ multum è dumis eminentem, in qua inerat sphæræ figura & cylindri. Immissi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum. Quò cùm patefactus esset aditus, in aduersa basi apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus uersiculorum dimidiatis ferè. Ita nobilissima Græciæ ciuitas, quondam uerò etiam doctissima, sui ciuis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Cic. 5. Tuscul.

Non longe ab Epidauro est MELISSÆ uxoris Periandri Corinthiorum tyranni sepulcrum: item PATROCLI Melissæi patris, qui Epidauriis imperauit. Paus. in Corinth.

THEMISTOCLIS habent Magnetes amplum in foro conditorium. De reliquiis non est addenda fides Andocydi, qui

in libro ad amicos scribit, peruestigasse reliquias eius & diſſipasse Athenienſes. Mentitur enim id, quo principum factionem incendat in populum. Plut. in Themiſtocle.

ALCIBIADIS ſepulcrum in Meliſſa eſt, ubi quotannis bos immolatur, cùm id Imp. Adrianus impetraſſet, qui Alcibiadis imaginem etiam ſuper ſepulcro erexit ex Pario lapide. Athenæus libro 13. cap. 12.

Cùm ſub muris Haliartiorum, bello Bœotico, cecidiſſet LYSANDER Lacedæmonius, Pauſanias rex petitis per præconem induciis, retrò exercitum reduxit, & Lyſandrum abſtulit. Quem, ut primùm finem ſuperauerunt Bœotię, in pacato & ſocio agro Panopæorum ſepultura affecere: ubi nunc quoq; monumentum eius extat ſecus uiam, quæ Delphis Chæroneam fert. Plutarchus in Lyſandro. At Haliarti ſepultum, Pauſanias in Bœoticis tradit.

ARISTIDIS Iuſti tumulus extat in portu Phaleræ: quem ei, cùm ne ſumtum quidem funeris reliquiſſet, publicè ferunt ab Athenienſibus factum. Plut. in Ariſtide.

In agro Corinthiaco trans Aſopum EVPOLIDIS Athenienſis Comœdiarum ſcriptoris monimẽtum eſt. In foro Phliaſiorum ARISTEÆ Pratini F. quorum uterq; Satyris faciundis omnibus, præterquam Aeſchylo, præſtiterũt. Pauſanias in Corinthiacis.

PINDARI Lyrici monumentum Anthedone in Hippodromo fuit. Pauſanias in Bœoticis.

De EVRIPIDIS ſepulcro euariat hiſtoria. In Macedonia id ſtatuit Pliniꝰ: monſtrari Athenis, Pauſanias ſcribit, ſed κενὸν: nam, inquit, τὸ σῶμα ἐν μακεδονίᾳ κεῖται. Strabo etiam in Argiuorum foro, & Palinthum quoq; nuncupatum refert. Sed cenotaphium fuiſſe poſtremum hoc item, facilè peruincitur, quando de Macedonico hiſtoria conſtantior agnoſcitur. Cælius lib. 24. cap. 10. A. L.

NICOCLIS Tarentini citharœdi celeberrimi monimentum in uia, qua Eleuſinem itur, ſpectatur. Pauſanias in Atticis.

Trans Cephiſum amnem, ad aram Ioũis Meilichij, ſepulcra ſunt THEODECTIS Phaſelitis, & MNESITHEI medici clariſſimi. Pauſanias in Atticis.

HIPPOCRATES Cous, medicorum princeps, uita functus eſt apud Lariſſæos, quando & Democritus obiiſſe traditur: atque alij quidem nonageſimo ætatis ſuæ anno, alij octogeſimoquinto, alij centeſimoquarto, qui damnuerò centeſimonono, deceſſiſſe tradunt. Sepultus autem eſt inter Gyrtonem & Lariſſam, ubi uſque in hunc diem monumentum eius cernitur: in quo ſanè ad multum tempus examen apum mellificantium erat, quo melle ad infantum oris ulcuſcula iuxta tumulum illito, nutrices ea facilè perſanabant. Soranus Cous in eius uita.

STESICHORI apud Catanẽſes Siculos monumentum diligenti quadam ratione ex omnibus octonis conſtructum erat, octo columnis, octo gradibus, angulis octo: unde στοιχεῖα talis ludentibus octo erant, & adagium Omnia octo, ſi quoſdam audias.

In Marathoniis campis tumulus eſt ATHENIENSIVM, qui in pugna contra Perſas ceciderunt, & ex eo pilæ eminent, in quibus eęſorum nomina, & tribus inſcriptæ ſunt. Alter item apud Platæẽſes in Bœotia eſt, in quo ſerui conditi ſunt. Tũc enim primùm ſerui ſtipendia fecerunt. Seorſum uerò monimentum eſt MILTIADIS Cimonis filij. In his ipſis cãpis audiuntur per totam noctem equorum hinnitus, & pugnãtium etiam uirorum ſpecies cernuntur. Atque hæc quidem qui de induſtria auditum ſpectatúmue uenerint, malè multati abeunt. Ex ira uerò maniũ, iis qui fortuitò id animaduerterint, nihil omnino unquam triſte accidit. Pauſanias auctor in Atticis.

Proximè Chæroneam eſt commune THEBANIS ſepulcrum iis, qui in acie contra Philippum ſtantes ceciderunt. Nulla eſt appoſita inſcriptio. Inſigne tumuli leo eſt, ad eorum uirorum animi magnitudinem ſignificandam. Inſcriptum (ut opinor) prẽterea nihil eſt, quòd illorum hominum uirtutem dij non fortunaſſent. Pauſanias in Bœoticis.

Poſt pugnam ad Platæas geſtã, cùm ex LACEDÆMONIIS XXXI tantùm occubuiſſent, tria tamen ſepulcra extruxerunt. In eorum uno ſacerdotes, in altero reliquos Spartiatas, in tertio ſeruos humauerunt. Herod. lib. 9.

ARISTOMENES Meſſenius, uir fortiſſimus, Rhodi exul apud Damagetum generum obiit. Mortuo Rhodij inſigne monimentum erexere, & pro dignitate honores habuere. Pauſanias in Meſſenicis.

Athenis in Academia, gymnaſio extra muros, clariſſimorum uirorum ſepulcra oſtẽdantur, THRASYBVLI Lyci F. qui cum 60. ſociis Thebis profectus, Tyrannorum triginta dominatũ euertit. Item PERICLIS, CHABRIÆ, & PHORMIONIS. Eorum omnium, qui aut naualibus aut terreſtribus prælijs oppetiere, iis exceptis, qui ad Marathonem ceciderunt, quibus eodem quo occubuerunt loco ſepulcra erecta fuere. Item SOPHONIS Decelenſis, CLISTHENIS, qui certa iura in tribus deſcripſit: Tolmidæ, Olympiodori, CONONIS, TIMOTHEI, ZENONIS Mnaſei F. CHRYSIPPI Solenſis, NICIÆ Nicomedis F. pictoris animalium præſtantiſſimi: HARMODII & ARISTOGITONIS, qui Hipparchum tyrannum occiderunt: EPHIALTIS oratoris, qui Areopagi inſtituta peruertit. Horum omnium catalogum prolixè recenſet Pauſanias in Atticis.

Spartæ ex aduerſo theatri eſt PAVSANIÆ, qui Platæenſi prælio imperator fuit, ſepulcrum, & ei proximum LEONIDÆ regis ad Thermopylas cæſi. Ad ea quotannis laudationes dicuntur, & ludi fiunt, in quibus eſt ſolis certãdi locus Lacedæmoniis. Et Leonidæ quidem ipſius oſſa XL poſt eius cædem annis à Pauſania è Thermopylis deportata, & hoc loco condita ſunt. Erecta etiam pila eſt, in qua nomina inciſa ſunt, & eorum item paterna nomina, qui ad Thermopylas Perſarum impetum ſuſtinuerunt. Pauſanias in Lacon.

In Ponto circa Heracleam portus eſt, AMYCO Bebrycum rege interfecto clarus. Eius tumulus à ſupremo die lauro tegitur, quam Inſanam uocant: quoniam ſi quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abiiciatur. Plin. libro 16. capite 44.

Ad Orientem Magi obtinẽt Paſſagardas caſtellum, in quo CYRI Perſarum regis ſepulcrum eſt. Plin. lib. 16. cap. 26.

In pugna ad Mantineam commiſſa EPAMINONDAS Thebanus ſaucius ex acie relatus, uulnus oppoſita manu compreſſit, pugnamq; proſpectans ex eo loco, quem ſpeculam poſtera ætas ab ipſius facto appellauit, dolorem coufque pertulit, donec æquatum uidit pugnæ exitum. Inde cùm amota manu animam eſtilaſſet, eo ipſo in loco, quo fuerat prælium commiſſum, eſt ſepulturæ mandatus. Eius tumulo impoſita eſt columna cum ſcuto, in quo ſerpens cęlatus eſt. Indicat hoc inſigne Epaminondam ab iis ortum ducere, qui Sparti ſunt nuncupati, quòd editi in lucem dicantur è draconis dentium ſatione. Pilæ uerò duæ eminent, priſci operis, altera cum Bœotica inſcriptione: alteram Adrianus Imperator dedicauit, & inſcriptionem ipſe addidit. Pauſanias in Arcadicis, & Suidas.

GRYLLI Xenophontis filij tumulus Mantineæ ſpectabatur cum equeſtri ſtatua. Pauſanias in Arcadicis.

Quà Gortynę Megalopolin Arcadiæ iter, ſepulcrum ARCADVM uiſitur, qui contra Cleomenem Spartanorum regem pugnantes occubuerunt. Appellant monimẽtum illud Megalopolitæ Parpaſium, uiolatum nempe fœdus à Cleomene eo nomine teſtificantes. Pauſanias in Arcadicis.

Sami in uia, quæ ad Iunonis ducit, RHADINES & LEONTYCHI ſepulcrum eſt, ad quod uota nuncupare ſolenne eſt Ionibus, quoties acri ſe amore affectos ſenſerint. Pauſanias in Achaicis.

Extat in Alopecis Atticæ buſtum ANCHIMOLII, ſuxta Hercules templum, quod eſt in Cynoſargis: qui Anchimolius Lacedæmoniorum dux à Piſiſtratidis, quos expellere conabatur, cæſus fuit. Herod. lib. 5.

Leone pontifice à Normannis capto, PALLANTIS Romæ corpus ſtupendæ magnitudinis inuentum, adhuc incorruptum, cuius hiantia quoque uulnera cernere erat. Prætereà lucerna ad caput ardens, quæ neque uẽto, neque aqua, nec quouis alio liquore extingui poterat, uerùm adacto ſtilo, per foramen ingruente aëre, lumen euanuit. Talc huic epitaphiũ fuiſſe fabulantur:

Filius Euandri Pallas, quẽ lancea Turni
Militis occidit, mole ſua iacet hîc.

Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

Corpus NVMÆ regis ex præcepto eius, ut fama eſt, non cremauerunt Romani: uerùm duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt ſub Ianiculo. Quarum in una cadauer eius poſitum fuit, in altera libri ſacri, quos ipſe, ut in Græcia legum ſcriptores tabulas, quas Cyrbas uocant, conſcripſerat: & quæ in iis expreſſa erant, quia ea tradiderat, cùm uiueret, pontificibus, omniumque arte & ſenſu imbuerat eos, ſacras tabulas unà cum corpore iuſſerat humari, cenſens non tutò arcana mortuis committi literis. Valerius Antias ſcriptum reliquit, duodecim uolumina de rebus ſacris, duodecim item Græca alia de ſtudio Sapientiæ in ea arca condita fuiſſe. Qua dringẽtis ferè annis poſt, P. Corncio & M. Bebio Coſs. magnis imbtibus cùm tumulus perruptus eſſet, eruit arcas eas cluuies. Earum opercula defluxerant, atque altera prorſus inuenta inanis, ſine ullis reliquiis aut ueſtigio corporis humani. In altera commentarij reperti: quos dicitur legiſſe, qui tum Prætor erat, Petilius, & in ſenatu iuraſſe, non uideri ſibi ius uel fas eſſe, ut ea ſcripta in uulgus ederentur. Quare delati in Comitiũ libri cremati fuere. Plut. in Numa.

Tres POMPEII, pater & duo filij, diuerſis mundi regionibus ſepulti ſunt. Magnus pater in Aegypto, quæ ad Libyam attinet, Ptolemæi iuſſu periit, in Caſio monte prope Peluſium in promontorij modum, aquarum inopę, cõditus. Strabo libro 16. Natorum maior in Hiſpania, à Cæſare uictus, quæ Euro-

Europæ extrema terra eſt. Sextus in Aſia ab Antonio oppreſſus. In quorum buſtis terratum diuerſitate diſtinguendis, non magis uarię fortuna operata eſt, quàm breuiter & lepide Martialis lib. 5. Epigrammatum expreſſit:

Pompeios inuenes Aſia atq; Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes: ſi tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto ſi ſpargitur orbe iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Dolet Cæſar Auguſtus M. ANTONIO licet hoſti, dedit & CLEOPATRÆ reginæ ſepulcrum, opere & materia inter pauca memorabile. Sab. lib. 10. cap. 15.

Tomitani Scythæ OVIDIO poetæ uita defuncto, collata è publico pecunia propter ingenij nobilitatem, tymbon magnifice ſtruxerunt ante oppidi portam in loco maximè celebri, quamuis Ouidius & peregrinus eſſet, & ab Imp. Romano proſcriptus. Pontanus libro de Magnificentia cap. 15. ex ore Georgij Trapezuntij.

ALBOINI regis Italici corpus, perfidia uxoris Roſimundæ interfecti, ſub ſcala palatij ſepulcrum eſt Veronæ. Paulus Diaconus libro 2. cap. 14. de geſtis Longobardorum, Blondus Decadis 1. libro octauo.

MAHOMETI pſeudoprophetæ ſepulcrum in Mecha Perſidis urbe locatum ferrea arca inuiſitur à Turcis, ut à Chriſtianis Hieroſolyma. Totus Oriens hoc colit ac ueneratur. Cuſpinianus.

RECVLIANVM Peruſinũ epiſcopum cùm Totilæ exercitus interfectum extra ciuitatis mœnia ignominioſè proieciſſet: Chriſtiani pietatis affectu compulſi, prope mœnia ciuitatis cadauer eius cum infante quodam ſepelierunt. Gregorius Papa lib. 5. Dialogorum, cap. 14.

VOLTHERIVS patriarcha Aquileienſis, quum ſpectatæ uir ſanctitatis fuiſſet, poſt eius mortem marmorea arca, in qua ipſius corpus conditum fuerat, aliquandiu nullo adminiculo ſuſta in aëre pependit. Nos eam uidimus uno tantùm angulo humo hærentem, inquit Sab. lib. 5. de uet. Aquil.

CLODOVEVS Francorum rex, bello Viſigothico ædem Petri & Pauli (quæ nunc Genouefæ eſt) in ſuburbano Lutetiæ Pariſiorum extruxit, ubi & ſepultus eſt. Ex eo tempore Lutetia aqx caputq; regni cœpit haberi. Aemil. lib. 1. ex Turonẽſe lib. a. Hiſt. cap. 43.

In monumento Hildegardæ matris, quod Metis erat, Mediomaticum urbe, ſepultus eſt LVDOVICVS Pius Imp. in baſilica S. Arnolfi, non ſine celeberrima exequiarum pompa: Drogone fratre ſuo, quem Metenſem Pontificem, ipſe, dum uiueret, creauerat, iuſta perſoluente. Cuſpinianus.

Arthuro rege Britannorum ad Humbrum amnem crudeliſtra gę interẽmto, GVANORA eius uxor ſterilis, in caſtris captа, Pictis prædæ ceſſit, in Hæreſia (hodie Anguſia) ſepulta in agro Nigel, non procul à Deidono oppido. Feminæ monumentum eius, ut peſtilentem locum abhorrent, quòd ſolo calcẽtu ſterilitatem inducere credatur. H. Boëthius lib. 9.

PII II. Pontificis, qui Anconæ deceſſit, præcordia execta in templo diui Cyriaci recondita fuêre. Corpus decreto Patrũ ſubſequentibus ipſis, relatũ Romam eſt, & in cella diui Andreæ ſepultum ad Vaticanum. Campanus in eius uita.

Quibus non contigere.

AEGYPTIORVM regum nullus, qui ſibi pyramides in ſepulcra condidere, in illis ſepultus eſt. Nam partim nimij labores in operibus abſumti, partim crudelitas regum & inſolentia ita populum compulere, ut eorum aut diſſiparent corpora, aut eiicerent ex monumentis. Qua ex re domeſticis mandarunt quidam, ut ſua corpora in loco uili obſcuroque conderent, quò effugerent ſæuitiam plebis. Diodorus libro 1. capite 5.

Vrnæ, Loculi.

Sepulturas defunctorum Aethiopes MACROBII diuerſas ab reliquis faciunt. Salientes enim corpora, gypſoq; inducentes, & pictura ad uiuum exornantes, inque uaſis uitreis nuda condentes, ſupra columnas ponunt. Irá per uitrũ defuncti corpus aſpicitur, quemadmodum ſcribit Herodotus lib. 3. quod Cnidius Cteſias improbat. Ait enim, ſaluti corpora, ſed nequaquam in uitro nuda condi. Vri enim, ideoque corrupta non poſſe ſpeciem ſeruare, ſed ſtatuas aureas cauas fieri, in quibus mortuos ponant, uitro circumpoſito. Quo fit, ut in locis ſuperioribus ſitæ, circũſtante uitro, imago aurea defuncto ſimilis reddatur aſpicientibus. Ethæcditiorum ſepulcra eſſe affirmant. Tenuiores, argenteas imagines ponunt, inopes uerò fictiles. Vitrum abundè, cum plurimum fiat in Aethiopia, omnes habent. Diod. lib. 2. cap. 5.

AETHIOPES ditiorum monumenta ex auro, tenuiora ex argento faciunt, inopes autem fictilibus uaſis ſepeliũt. Alexand. lib. 6. cap. 14.

Mycerinus Cheopis F. Aegyptiorum rex, cùm FILIAM unicam excellentiori aliquo genere ſepeliret, quàm cæteri, fecit ligneam bouem uacuam, quam cùm inauraſſet, in ea filiam ſepeliit defunctam. Neque humo bos hæc condita eſt, ſed ad Herodoti uſque memoriam in propatulo fuit in urbe Sai, apud regiam, in conclaui quòdam exornato depoſita: cui ſingulis diebus omnifarij odores inferuntur, noctibus autem perpetuò incenſa lucerna aſtat. Effertur è conclaui quotannis: quoniam patrem oraſſe dicitur, ut defuncta quotannis ſolem ſemel intueretur. In altero contiguo conclaui imagines ſtant concubinarum Mycerini: ſtant enim coloſſi, id eſt grandia ſimulacra, circiter uiginti, è ligno fabricati, nudi pleriq;. Sunt qui de hac boue & coloſſis hæc fabuloſa referant: Mycerinum amore filiæ ſuæ captum, uim ei intuliſſe: deinde illam, cùm præ mœrore ſe ſuſpendiſſet, patrem in hac boue ſepeliſſe: matrem autem manus miniſtrarum, quæ filiam patri prodidiſſent, præcidiſſe: & nunc earum hæc eſſe ſimulacra eius mali, quod uiuæ paſſæ fuiſſent. Herod. lib. 2.

BALEARES lignis membra defunctorum inciſa, in uas conijciunt, ſupraq; ſaxa accumulant. Diod. lib. 5. cap. 6.

Condebant PRISCI corpora uel arcis lapideis, uel fictilibus; cum funebri tunica: quia nudum iacere cadauer, pro flagitio erat. Alex. lib. 3. cap. 2.

Memorabile eſt quod hiſtoria ſecunda Thucydides prodit, arcas fuiſſe ex cupreſſo, quibus eorum efferrentur oſſa, qui in bello fuiſſent cæſi. Id ſolitum fieri, διὰ τὸ ἄκηπτον εἶναι, quòd putredinem arbor neſciat. Confirmat id fides hiſtorica. In ea nanque materie præter cæteras arbores nitor maximè ualet æternus. Cælius lib. 25. cap. 2. A. L.

ROMANI ueteres defunctos ſeſe fictilibus doliis condi maluere, ſicut M. Varro, Pythagorico modo, in myrti & oleę atque populi nigræ foliis. Plin. lib. 35. cap. 12.

CVR. CAVSA *Neceſſitatis.*

☞ *Et hæc propriè huius eſt loci, quam non tam in parente quàm in agente cõſideramus, cùm ſecundum Diogenis illud Factor ſit, qui ad cadauer ſepeliendum ſuperſtites uel inuitos cogat.*

Honoris.

☞ *Vide locum Honoris cadaueri mortuo collati.*

CADAVERA NON CONSERVATA, NEMPE VEL

ABIECTA.

☞ *Conſule locum Ignominiæ, quæ mortuis infertur, uel à ſepultura prohibendo, uel ignominioſè ſepeliendo, uel ſepultos refodiendo, cineres diſſipando, diſſiciendo. Huc referri debent tantùm ratione curæ, quæ cadaueri nulla impenditur.*

LOTOPHAGIS & Ichthyophagis nulla ſepulcrorum habetur cura, ſed defunctos in mare proiiciunt: parum referre arbitrati, igni, terra uel aqua abſumantur. Alex. lib. 3. cap. 2. & Rhodiginus lib. 9. cap. 42.

AETHIOPES ad certos annos uita exacta, diuerſo fungũntur fato; exanimaq; corpora uel in flumen deiiciunt, uel uitro operta, ita ut integra ſpectentur, & poſteris ſpectaculo ſint, aſſeruant. Alex. lib. 3. cap. 2.

In HIEROSOLYMITANA obſidione partim fame, partim ſeditionibus innumeri intra urbem periere. Et primò quidem ſumitu publico iubebant mortuos ſepeliri, cùm fœtorem ferre non poſſent: deinde quòd non ſufficiebant, in ualles eos ex muro præcipitabant. Quas circumiens Titus, ubi plenas cadaueribus uidit, altamque ſaniem tabefactis corporibus defluentem, ingemuit: & extentis manibus Deum teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe. Ioſephus libro 6. capite 11. belli Iudaici.

ARCHIDAMVS Ageſilai F. rex Lacedæmoniorum, Tarentinis in Italia ſuppetias ferens, in pugna interfectus, ſepulturæ honore caruit, ira Apollinis, quem offenderat, eò quòd Phocenſibus, qui Delphicum templum diripuerant, auxilio fuerat contra Thebanos. Pauſanias in Laconicis.

REFOSSA.

☞ *Ex Tit. Ignominiæ mortuo cadaueri illatæ, huc quædam pertinent.*

CONSVMTA, ABSVMTA AB *Igni:*

☞ *Vide Tit. Hæreticorum pœna ignis.*

Hominibus. Deuorata.

☞ *Vide Tit. Anthropophagorum.*

ESSEDONVM Aſiaticæ Scythiæ populorũ mos erat, parentum funera cantibus proſequi, & proximorũ congregatis coeti-

cœtibus, cadauera ipsa dentibus laniare, pecudumque carnibus mista comedere, ac capitibus auro mendis pro poculo uti, quæ auctore Plin. lib. 4. ultima erant pietatis officia. Herodotus tamen in 4. dicit, illos parentum capitibus non loco poculi, sed pro simulacro usos esse, immolantes illis quotannis maiores hostias multis cum cæremoniis. Polyd. lib. 3. cap. 10. de Inuent.

Indi PADÆI occidunt senes, & quoscunque in morbum incidentes, atq; illis uescũtur. Herod. lib. 3. Indi CALLATIÆ parentibus suis uescuntur defunctis. Igne comburere illos, piaculare ducunt.

MASSAGETIS nullus uitæ terminus propositus est: uerùm ubi quis admodum consenuit, eum conuenientes proximi quique cognati immolãt, & cum eo pecudes aliquot, quarum carnibus pro epulo coctis uescuntur. Quod genus obitus apud eos beatissimum habetur. Morbo extinctos non edunt, sed terra operiunt: calamitatem esse iudicãtes, quòd immolationem non sint consecuti. Herod. lib. 1.

DERBICCVM (est Persica gens) hæc fuit consuetudo, ut parentum & affinium, qui succubuerant, corpora comederẽt, & maximæ pietatis & honestatis munus hoc esse putarent. Alex. lib. 3. cap. 2.

SIDONES parentes deuorant, excepto capite. Nam hoc inuenerant. Erasmus in Adagiis.

HYRNI cadauera sanguine coniunctorum, conuocatis amicis omnibus, lauto conuiuio parato consumebant: & plurimum de cadauere peruolasse, laudi ducebant. Alexan. libro 3. capite 2.

POLYTECHNVS faber Colophonius ob stuprum Chelidoni illatum, filium Itym in frusta concisum & coctum ab Acdone uxore & à Chelidone eius sorore, imprudẽs deuorauit. Antoninus Liberalis ex Bœi ornithogonia.

Apollodorus Cassendrensium dux tyrannidem occupaturus, CALLIMELEM adolescentem macta uit, eumque coquo Leontomeni coquendum dedit: is uiscera hominis cocta coniuratoribus epulanda apposuit. Quibus uescentibus, & sanguinem uino permiscendo atrum efficientibus, corpus eis ostendit, sceleris communione fidem coniurationis firmans. Polyænus lib. 6.

Bellua, A feris discerpta, deuorata.

OPITARVM gens mores & instituta reliquis Indis consimilia habet, uno excepto, quod eis peculiare uix fidem capiat. Obeuntium apud eos cadauera, cognati nudi & lanceas gestantes in syluam aliquam efferunt, atq; ibi umciunt. Post id uestimenta omnia, & totum funeris apparatum diripiũt: relictis corporibus, uti à feris deuorentur: raptas uestes concidũt, ac loci eius genio sacrificant. Inde omnes domum reuertuntur. Diodorus lib. 17. Bibliothecæ.

CASPII septuagesimum annum excedentem fame perimũt. In solitudine namque illum exponunt, euentumque lõgius prospectant: felicem putant, quem ab auibus & fœto distrahi conspicantur: contrà, si à feris & canibus, quàm miserrimum: si à nullo prospexerint infestari, infelicẽ ducunt. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

HYRCANI, canes pro sepulcris habuerunt, qui sepulcrales dicti sunt. Hos affluenti cibo nutriebant: & suos quisque canes nutriebat in uita, à quibus mortuus lacerarẽtur. Atque hoc eximium & solenne putabatur funus. Cic. 1. Tusc. quæst.

BARCHEIS (quæ apud Colchos gens est) agnatos morbo extinctos, uelut ignauos & degeneres tradere igni: in bello autem absumtos, tanquam fortes & ilenuos obiicere ultoribus, mos erat. Alex. lib. 3. cap. 2.

BRACHMANES, IBERI, TAXILLI, cadaueta defunctorum ultoribus exponebant. Alex. lib. 3. cap. 2.

Onesicritus scribit, BACTRIANOS senio morbóue confectos, canibus ad hoc ipsum alitis, quos sepulcrales uocant, adhuc uiuos exponi solitos fuisse. Bonfinius lib. 1. Decad. Quod, ut diuus Hieronymus est testis, quum Alexandri præfectus Nicanor emẽdare uoluisset, penè amisit prouinciam. Polyd. lib. 3. cap. 10. de Inuent.

Hunc ex lege seruant PERSÆ sepulturæ ritum, nudata ut carnibus ossa per campos dispersa facere uelint: quòd in arcẽ urnamue mortuos condere, uel terra obruere, haud quaquam fas esse putent, & Ignem deum suum mortuis inquinari credant. Si non statim adulassent aues, hominem fuisse inquinatis moribus, iudicabant. Si quàm celerrimè deuoraretur, beatum eum putabant: & eius animam pro deo colebant. Vliores homines quando in morbum inciderent, adhuc spirantes exportabant: & panis frustum cum aquæ potu, & baculo, quo se à belluis tuerentur, si possent, apponebant. Agathius lib. 2. & D. Hieronymus.

PARTHI honestissimam sepulturam uulgò auium & canum laniatus putauere: nudaq; tantùm ossa, quæ supererant, terræ mandare assueuerant. Alex. lib. 3. cap. 2.

PÆONES defunctorum suorum corpora in flumina deiiciebant, ut à piscibus & aquatilibus consumerentur. Alex. lib. 3. cap. 2. ex Herodoto.

CVR. VEL

Ignominiosè.

Vide locum Ignominiæ mortuo cadaueri illatæ.

Absque ignominia.

Apud INDOS sepulcra defunctorum nulla sunt: quando uirtus & uitæ integritas propagandæ memoriæ amplius sufficiat. Cælius lib. 18. cap. 31 A. I.

ALBANIS mortuorum curam habere, aut meminisse, nephas est. Cum mortuis pecunias defodiunt. Idcirco pauperes uiuunt, cùm patrimonium nullum habeant. Strabo lib. 11.

MAHOMETVS pseudopropheta præceperat, ne quis sepeliret, eo quòd tertia die assumendus esset in cœlum. Quod cùm ad aliquot dies expectantes fieri non cernerent, amici eius nudum eum proiecerunt: ut Humbram retulit. Verùm Guimbra dixit, eum ab Hali lotum, & uestibus indutum, & sepultum esse. Vincentius. In Mecha cadauer eius arcæ ferreæ est impositum, & colitur à toto Oriente. Sabellicus libro sexto Enneadis octauæ.

VOLVMINIS SECVNDI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Tertium

EA

quæ uulgò FORTVITA Bona
Maláque dicuntur

VNDECIM LIBRIS
comprehendens.

Generoso Domino
IOANNI OSMOLSCIO
DE PRAVIEDNIKIA
POLONO

Tertium hocce THEATRI
VITAE HVMANAE
Volumen

VNDECIM LIBRIS explicatum

QVORVM

I. *De* OPVLENTIA *& Diuitiis tractat.*
II. *De* PAVPERTATE *& Inopia.*
III. *De* NOMINIBVS, NOTIS *&* INSIGNIIS.
IV. *De* MAGISTRATV, *Regno, Imperio.*
V. *De* LIBERTATE.
VI. *De* SERVITVTE.
VII. *De* AMICITIA.
IIX. *De* INIMICITIA.
IX. *De* GLORIA *&* Honore.
X. *De* DEDECORE *&* Ignominia.
XI. *De* PARTICIPATIONE *seu Communione aliorũ Bonorum atq; Malorum exempla proponit.*

AMICAE
Necessitudinis, GRATAEQVE
Obseruantiæ causa

THEOD. ZVINGERVS
D D D

TOMI TERTII
LIBRORVM
DISPOSITIO.



LIBRI PRIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Ἀφέσις. Diuitiarum acquisitio
  - Aliqua. Et vel
    - Primaria. *Vide signum* A a.
    - Secundaria. DIVITIARVM *qualumcunque vel fortuitò amissarum vel consultò abiectarum receptio. Vt puta*
      - Generis *familiæ instauratio.*
      - Liberorum, *Seruorum, Coniugum receptio.*
      - Patriæ *receptio.*
      - Regni *recuperatio.*
      - Vrbium *restauratio, receptio.*
      - Arcium *receptio.*
      - Rerum *sacrarum receptio.*
      - Animalia *recepta.* Liberi *recuperati.*
      - Thesauri *recepti.* Aurum, *Pecunia recepta.*
      - Anuli, *Gemmæ recuperatæ.*
      - Arma *recepta.* Vestes *receptæ.*
      - Vtensilia *nauia recepta.*
  - Nulla. DIVITIARVM *acquisitio nulla. Vt*
    - Donorum.
    - Prædæ.
- Κτῆσις. *Vide in sequentibus signum* B b.
- ΟΡΥΛΕΝΤΙΑΣ
  - Quorũ. *Vtputa*
    - Aliqua. CONSERVATIO
      - Vrbs
        - Munita.
          - Defensa, *conseruata ab*
            - Insidiis.
            - Obsidione
              - Diuina *ui occulta.*
              - Supplicatione.
              - Spectro.
              - Sacris *rebus.*
              - Fulmine, *Tempestate, Terræmotu, Inundatione.*
              - Certamine.
          - Capta *iam, sed*
            - Recepta.
            - A direptione *conseruata.*
        - Agri *defensio.*
        - Insularum *conseruatio à Terræmotu, ab Hoste.*
        - Gentis *conseruatio. Populi non commixti.*
        - Templi.
        - Thesauri.
      - Quomodo.
      - Vbi.
    - Nulla. DIVITIARVM *conseruatio nulla, abiectio, corruptio;*
      - Quorum.
      - Cur. *Causa*
        - Religionis.
        - Philosophiæ, *Eruditionis.*
        - Inuidiæ.
        - Vitæ, *Salutis.*
  - ΦΥΛΑΚΗ. DIVITIARVM *conseruatio, custodia,*
- Χρῆσις. DIVITIARVM *usus in*
  - Propagatione *populi.* COLONIAE *deductio.*
  - Victu. Sacris *donariis.*
  - Muneribus *publicis.*
  - Hospitalitate.
  - Seruis *equis, canibus communicandis, siue publicis siue priuatis.*
  - Ædificiis.
  - Hortis, *Prædiis communicandis.*
  - Ludis. Exercitu.
  - Legato, *Hæreditate relinquenda.*
  - Tributo. Multa.
  - Memoria *nominis conseruanda.*

- Aa. DIVITIARVM *acquisitio primaria eò siderata quo ad*
  - Materiam. *Quid acquiratur. Opes acquirantur*
    - Inanimatæ
      - Loca. *Vtputa*
        - Regiones
          - Natiuæ.
          - Acquisitæ
            - Inuentæ. Occupatæ,
            - Auctæ, *Ampliatæ.*
            - Donatæ, *Concessæ.*
        - Insulæ
          - Occupatæ.
          - Datæ *dotis nomine.*
          - Emtæ.
        - Vrbes
          - Occupatæ.
          - Donatæ.
        - Arces *Conceptæ, occupatæ.*
      - Loca. *Vt a. Huc*
        - Metallifodinæ *repertæ.*
        - Corpora *sancta*
          - Inuenta.
          - Rapta.
        - Res *sacræ quæ in*
          - Inuentæ.
          - Raptæ. *Ereptæ.*
        - Thesauri
          - Inuenti.
          - Detecti, *Proditi,*
          - Rapti. Vindicati.
        - Gemmæ
          - Donatæ.
          - Repertæ.
        - Anuli
          - Reperti.
          - Donati.
        - Numismata.
        - Libri
          - Reperti,
          - Donati.
        - Aulæa. Commeatus.
        - Vtensilia. Arma, *Currus.*
        - Signa, *Statuæ.*
    - Animatæ. *Puta*
      - Ciues. *Vrbes ciuibus, Regiones incolis frequentatæ.*
      - Mancipia, *Serui.*
      - Scorta. Greges, *Armenta.*
  - Formam, *qua specie Diuitiæ obtinguntur.* DIVITIARVM *acquisitio*
    - Consultò
      - Spontè. *Huc*
        - Merces, *Salarium*
          - Institutionis. Bellicæ *operæ. Stipendia militaria.*
          - Ædificationis.
          - Scortationis.
          - Lenocinij.
          - Proditionis.
        - Fructus
          - Mechanicæ *industriæ. Ex*
            - Agricultura.
            - Pastione *qualibet.*
            - Mercatura.
          - Mutui, *Fœnus.*
        - Dos.
          - Imperij, *Vectigalia, Tributa, Exactiones.*
        - Donum, *Munus, Beneficium.*
        - Relaxatio, *Condonatio*
          - Debiti.
          - Tributi.
        - Legatum.
        - Commutatione *acquisitæ opes.*
        - Emtione, *Venditione.*
        - Permutatione.
      - Inuitò. *Cuiusmodi est*
        - Præda. Rapina.
        - Sacrilegium. Furtum, *Peculatus.*
    - Fortuitò. INVENTAE *opes.*
  - Efficientem
    - Principem. DIVITIARVM *auctores*
      - Deus.
      - Rex.
    - Instrumentalem. DIVITIARVM *acquisitio respectu Occasionis tanquam instrumenti. Diuites facti occasione bonorũ uel malorũ*
      - Animi
        - Prudentia.
        - Hospitalitate.
        - Pietate, *Religione.*
        - Corruptela *munerum.*
      - Corporis
        - Forma, *Pulchritudine.*
        - Sanitate.
      - Fortunæ
        - Nobilitate.
        - Amicitia.
        - Impudicitia *filiæ.*



Voluminis Tertij Liber I.

De OPVLENTIA & Diuitiis.

DIVITIARVM ACQVISITIO PRIMARIA, respectu MATERIAE.

REGIONES

Acceptæ à Deo, uel Natura. PATRIA propriè INDIGENAE.

Cùm Israelitæ duce Mose per fines SEIRIS incolarum, qui Esai posteri erant, iter facerent, & illi Israelitas metuerẽt: præcepit illis Dominus, diligenter cauerent, ne eos utpote fratres suos infestarent, sed ribum & potum ab illis emerent: se enim de illorum terrâ ne uestigium quidem pedis esse datum, eò quòd Seirem montem Esaõ concessisset, & Horios inde expulisset. Item uetuit, ne MOABITIS Ari incolis molesti essent, neq; etiam AMMONITIS, quoniam utranque terram, eiectis Zamzumis gigantibus, Lothi posteris habitandam concessisset. Deut. 2.

GERMANOS indigenas crediderim, inquit Cornelius Tacitus, minimeque aliarum gentium aduentibus & hospitibus mixtos: quia nec terra olim, sed classibus aduehebantur, qui mutare sedes quærebant: & immensus ultra, utque sic dixerim, aduersus Oceanus, raris ab orbe nostro nauibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Aphrica, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi sibi patria sit?

Inuentæ.

Consule Tit. Geometriæ usus.

PHOENICES per Oceanum mare iuxta Libyam nauigantes, complures dies tẽpestatibus acti, cùm ad insulam permagnam delati essent, animaduersa eius natura felicitateq; notam ceteris fecẽre. Qua ex causa cùm Tyrrheni, qui classe potentes erant, in eam insulam coloniam mittere decreuissent, à Carthaginẽsibus sunt prohibiti, ueritis, ne loci bonitate allecti ciues eorum, ad eam se conferrent: & sic, si qua forsan aduersa urbi fortuna incidisset, uolebant ignotum, ad quem facilè confugerent, locum esse. Diodorus libro quinto, capite 7.

Occupatæ.

Gentium migrationes huc pertinent, quatenus aliò deductæ coloni, sine sponte sine coacti, regionem alienam occupant, & eatenus locum habitandi acquirũt, qui inter Diuitiarum species recenseri debet. Alio uerò respectu sub Tit. Colonia-rum, alio sub Tit. Ab hostibus expulsorum, considerabuntur.

Dauidici regni tempore IONES ex Attica in Asiam migrasse tradũtur, Androclis ductu, qui fuit Codri filius. Ephesum (ut Pherecydes prodidit) condiderunt. ibiq; Ionum regio ab initio constituta. Quidam Ephesum multo antiquiorem credidere, ut instauratio illa fuerit, non conditio. Cæterùm neq; urbs una in ea ora ab Ionibus condita est: neq; unius ductu ad ea loca, aut semel ex Græcia demigratum. Nam & Miletus Nelei genere Pylij opus creditur. Fama est Nestorem Messenium, & ex Pyliis multos cum Melantho Codri patre Athenas concessisse, totamq; hanc gentem cum Ionibus in Coloniam missam. Cydrelus eiusdem Codri filius, uerùm nothus, Myuntem in eadem terra condidit. Andropompus Lebedum, Andremon Pylius Colophonẽ, Epytus Nelei filius Priencn, Teum Nauclus Codri nothus: quanquam Athamas prius loco originem dedisset, quapropter Anacreon, loci indigena, eam Athamantida nuncupauit. Erythras Gnopus ex Bœotia. Phocæam Athenienses, Philogenis ductu. Clazomenas Paralus, Chium Egertius, Samum Tymbrion, ac deinde Patrocles. Hæque fuerunt Ionum in Asia ciuitates. Quo contigit, ut & terra ipsa sit postea Ionia dictaeuius extrema ora, ob peninsulas multifariam occursantes, mille & DCC. ambitu stadiorum pateat. In hoc breui terræ ambitu philosophiæ incunabula & ortus extitere. Inde sublimia hominum ingenia, cœlum & omnia naturæ opera scrutari ausa. Sab. lib. 9. Enn. 1.

Battus Polymnesti Euriti inter THERAEOS insulanos spectati, ob linguæ uitium Delphos adit. Cui consulenti Pythia respondit, ut in Libyen habitatum iret. Theræi ergo, cùm septem annis in Thera non pluisset, & omnes præter unam arbores exaruissent, ex oraculo Battum cum duabus biremibus in Africam miserunt. Qui tandem à Pœnis ad Cyrenen usq; ducti, illic habitauerunt. Herodotus lib. 4.

Ephorus commemorat, post res Troianas, Græcos Tuscorum latrocinia formidantes, crudelitatemq; barbarorum, ne ad mercaturam quidem in Siciliam nauigare ausos fuisse. Theoclem uerò Athenienscm uentis agitatum, Siciliam contemplatum fuisse, intellectaque mortalium solitudine, & terræ iuritate, remeasse. Is cùm Athenienses inducere nequiret, aeceptis CHALCIDENSIBVS Eubœæ, magno numero, Ionibusq; nonnullis, & Dorienſibus, magna ex parte Megarensibus, eò nauigauit. Ex his igitur Chalcidenses Naxum condiderunt, Dorienses uerò Megaram, cùm prius Hybla uocaretur. Strabo lib. 6.

Iunius Brutus consul in Hispaniam profectus, iis QVI cum Viriato Lusitano, latronum principe, multis uictoriis illustri, militauerant, agrum & sedes ad habitandum assignauit. Valentia oppidum est uocatum. Sabellicus libro nono Enneadis quintæ.

Ex Celtica, quæ ad Comatam pertinet, GALLORVM primi, ut Liuius existimat, Bellouesо duce Alpes transcendere, per id tempus, quo Priscus Tarquinius Romæ regnum obtinebat, cùm tam frequẽs & populosa esset Gallia, ut abundans multitudo uix regi posse uideretur. Ad quam sua mole exonerandam, Ambigatus, qui tum latè regnum in ea terra obtinebat, duos sororis filios Bellouciũm & Sigouesum cũ magnis exercitibus nouas sibi terras quærere iusserit. Illi prouincias inter se partiti: Hercynios saltus Sigouesus sortitus est, Bellouesus Italiam. Is Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes & Aulercos secũ trahẽs, per Taurinos saltus que Iuliæ alpis in Italiam transgressus, Tuscis haud procul Ticino amne prælio fusis, in eo, quo uictores consederant, loco urbem condidit, omen secutus, quòd agrum Insubrium appellari senserant, quo pagũ nomine Hedui, qui in Bellouesi comitatu erant, in Gallia tenuissent. Vrbem ipsam Mediolanum dixere, ob id credo, quòd Aulerci, qui & ipsi eius expeditionis socij fuerant, urbẽ eodem nomine in Belgica habuerunt. Secuti inde diuerso tẽpore alij post alios, Cenomani, Libui, Saluij, Boij, Ligures, iterum Senones, aliæq; ferocissimæ gentes: ut iam præter Venetos, qui amœnissimum Italiæ latus incolunt, quicquid terræ inter Alpes & Padum latè patet, Transalpinæ gentes obtinerent. Polybius Venetos Adriæ accolas, etsi Paphlagonum esse gentem non ignorat, moribus tamen & ornatu corporis, Venetis Gallis, Oceani accolis, uideri sibi aiperquam similes. Idem primi omnium Apennino superato, Clusium Tuscorum urbem oppugnare sunt adorti. Fama est, eam gentem à Clusino Arunte ad id bellum allectam. Is Lucumoni iratus, quòd uxorem suam corrupisset, eam initiam quum in adolescentem opibus præpotentem ulcisci non posset, ad Gallorum opes confugit. Quos ut faciliùs ad id bellum concitaret, fruges indigenas Hetruriæ secum attulisse uinum id fuisse ferunt, & aridas ficus. Ducentesimo fere mè anno post eos, qui cum Bellouesо Alpes transierant, omnium recentissimi in Cisalpinam Galliam uenisse traduntur. Sabellicus lib. 2. En. 4.

CIMBRI cũ Sueuis & Frisiis fame coacti, sorte ducta, sedibus è suis migrarunt, & Rheni tractum secuti, cum Tigurinis & Tuginis societate inita, Alpib. superatis, in Italia à Mario superati fuere. Reliquiæ eorũ, ducibus Suitero, Teschcio, Reslio & Rumo, in Alpes confugere, & Tigurinis sociis sese commiscere. Rumus eam partem, ubi nunc Vnderualdia sita est, occupauit. Reslius fontes Arolæ. Suiterus uerò cum fratre Teschcio Suitensium agrum hodie dictum sorte accepit. Mox orto inter fratres dissidio, cùm uterq; de suo nomine regionem appellari uellet, singulari certamine occiso fratre, Suiterus agrum Suitensem appellauit. Quod nomen etiamnum hodie durat, commune omnibus HELVETIIS confœderatis, eo quòd fœderis huius incunabula apud Suitenses cepere. Stumpfius.

Iordanes Rauennas, & Ablabius Romanus Senator, Gothi ortu, uno ore affirmant, HVNNOS ex Gothis, circa Mœotides paludes commorantibus, prodiisse. Olim enim Gothi ex Scandinauia insula cum suo Rege Berico egressi, tandem sub Filimero, quinto post eum exitum Rege, ad illas paludes peruenerunt. Tum Filimerus nouis regni in illis terris fundator, operæ pretium iudicabat auspicia sui imperij à morum correctione inchoare: factaque de moribus inquisitione, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, patrio sermone Adelcunnas appellatas. Gothico enim sermone Runa arte, uel, aliquando magia significatur: unde etiam hodie lapides complures in Gothia, characteribus Gothicis inscripti, Runalten nominantur. Eosdem mulieres de maleficio conuictas uel suspectas, in remotas Scythiæ solitudines abire coëgit, ne earum commercio reliqua gens contaminata, in nefarias operationes procliui collaberetur. Illæ aliquãdiu in solitudinibus peretrantes, tandem quosdam Scythici generis homines simili errore per deserta uagantes inuenũt: quibus connubio sociatæ, prolem per temporum interualla innumerabilem dederunt. Est enim in regionibus frigidis eò maior hominum fœcunditas, quò rariot est ibi aëris contagio, quæ solet mortalibus fœtificum calorem minuere, fatumq; & mortem plerunque accelerare. Tali ergo stirpe Hunni procreati, uenationibus & arte sagittaria sese plurimum exercuerunt. Accidit interea, dum quidam eorum uenationibus ardentiore studio intenderent, iamque ineuitabile fatum aduenisset, quo Deus in gente stulta humanam superbiam castigare uellet: ecce cerua sese illis insectandam ex improuiso offert: ingressaq; paludem, nunc progredies, nunc subsistens, indicem se uiæ præbuit. Quam secuti uenatores, paludem Mœotidem (quam imperuiam ut profundum pelagus hactenus æstimauerant) pedibus transiere. Vt ignota terra ignotis apparuit, cerua disparuit. Venatores prodigium secuti exploratis nouis sedibus, & uiuendi commoditate, totum Hunnorum genus ad occupandas eas nouas & feliciores terras excitarunt. Persuasi igitur Hunni, tota suorum multitudine collecta, cum coniugibus & liberis, nouas sedes occupaturi, paludes trãsierunt: & primo aspectu Gothos, qui populos & nationes subiugauerant, terruerunt. Erant genæ sine barba, colore atro, oculi sine superciliis, carbonum puncta præferentes: in ore non uox, aut uerba, sed horridus sibilus, aut stridor ignotus. Gothi tamẽ sese in aciem contra insolitos hostes collegerunt, rati se pridem contra homines decertasse, nunc tandem contra dæmonia, aut gigantes pugnaturos. Verùm ab Hunnis profligati sunt, orbati rege Ermanarico bellicosissimo, qui paucis antè diebus ex insidiis occisus fuerat. Ioannes Magnus libro quinto, capite 25 hist. Gothorum, & Bonfinius Decad. 1. libro 2. qui per Mœotidem paludem glacie concretam ex Asiana in Europeam Scythiam ceruam insequentes uenatores peruenisse scribit.

Cùm in Scythia HVNNORVM gens nimis esset aucta, deliberatum est de emigratione in Pannoniã: propterea quòd

Atila, eiusque posteritas, eam ante trecentos annos occupassent. Sorte ergo ex centum & octo tribubus eliguntur, CCXVI. hominum millia, & in septenos exercitus distribuuntur, ita ut in singulis essent 30857. & haberēt suos quisque duces, inter quos tamen summus erat Almus. Stato die prodeunt: liberos, uxores, pecora, & uniuersas facultates secum ducunt, superatoque Tanai, per Roxolanos, Sarmatas, Hamaxobios, & Tauroscythas iter faciunt: & tandem in Transsyluaniam ueniunt, ibique septem castra, unde adhuc hodie regio nomen habet, figunt, & res suas ritè disponunt. In conflictu cum finitimis gentibus, Basternis, Paucinis, Albis, Cumanis & Bessis, Almus periit, & successit ei filius Arpadus. Cùm in Transsyluania aliquamdiu morati essent, desiderio Pannoniæ capti, Cusidum Chundi filium ablegant ad Suathen, seu (ut alij uocant) Zuataplugum, seu Santapoluh Sarmatam, qui latè in Pannonia regnabat. Suathes ratus nil sibi commodiùs accidere potuisse, quàm regionem feracissimam exhaustamque incolis, ab Vngaris, quam rusticam gentem esse opinabatur, postulari, legatum honorificè donatum dimisit. Cusidus uoti compos, nigri soli glebam, item herbas, & aquæ Danubij lagenam, ad indicanda regionis commoda, in Septena castra retulit. Arpadus inspecta terra, herbis & aqua, aduocata concione, omnia è sententia euenisse profatur: ex telluris & herbarum indicio, regionis clementiam & ubertatem auspicatur. Mox cornu aquam infudit, altaque uoce Marti ac Herculi progenitori Istrianam aquam ex more libauit: multasq; uictimas patriis diis per singula castra mactari edixit. Ter ab omnibus feliciter acclamatum. Post quatuor dies omnium consensu idem legatus ad Suathem remittitur, qui terram, herbam & aquam impetret Vngarorum nomine, candidum equum ephippio frenoq; aureo cultum ei dono det, in grati semper obsequij speciem. Legatus ad Suathem cum donis reuersus, terræ amplitudinem pro arbitratu suo impetrauit. His uelut ominibus confirmati Vngari, montes Carpathios transcendunt, Danubioque appropinquantes, legatum ad Suathem tertiò mittendum censent, qui septem ducum nomine significaret, ut terra, quam equo uendiderat, extemplò decederet: quando Vngari, Pannoniam tellurem equo, herbam freno, & ephippio aquam mercati essent, quæ tria, immodica cupiditate ipse abalienasset. Ad hæc ille subridens, equum lignea claua collidendum esse refert, frenum in prata, ephippium in Danubij fluenta proiiciendum. Contrà Vngarorum nuncius, Equum cædens nostris canibus escam obiectabis: frenum in prata deiiciēs aureum, aliquem è nostris insperata inuentione ditabis: in flumen deiecta sella, piscatores beabis. Solum, herbam & aquam mercati Vngari, omnia coemisse uidentur. Suathes in tristitiam repentè conuersus, tumultuarias copias comparat, trās Danubium castra locat. Prælio uictus, in Danubio cum maxima Sarmatarū manu demergitur. Cæteri in ulteriore Danubij ripa cæsi sunt, perpauci capti, circa annum Domini 744. Bonfinius Decadis 1. lib. 9. Ritius lib. 1. de Regibus Vngariæ. Nauclerus generatione uigesimaquinta. Post annos uerò sex, uicinas ceperunt infestare regiones, Carniam, Stiriam, Carinthiam, Morauiam, & Boëmiam. Postea audita morte ducis Boiorum, quæcunque Boij infra Anassum possederant, flamma & ferro uastarunt, Laureacum exciderunt. Auentinus libro 3. Annalium.

Anno salutis CCCCIIII. FRANCI relictis patriis sedibus Rhenum transgressi, in Treuiris ac circūiectis finibus quieti consedēre. Tertio ferè pòst anno Stilico Vandalus, magnis opibus Comes, cùm Theodosij Cæsaris filij duo, Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente imperarent: ut perturbatis rebus Occidentis, imperium ab Honorio Cæsare, cuius & tutor fuerat, & socer erat, in domum suam ad Eucherium filium pertrahere posset: quòd in pace nouis rebus nefariisq; consiliis locus non uideretur, Vandalos, unde oriundus erat, Alanosq;, ac Sueuos, & Burgundiones ad Gallias euastandas ultro exciuit: coactiq; sunt Franci, tot simul gentibus nequaquam pares, in præsens eorum furori cedere, ac domum remigrare. Mox sub Valentiniano, anno 431. duce Meroueo in Galliam regressi sunt, & propter Hunnorū duce Atila irruptiones, Aëtius Patricius cum Francis & Burgundis antiquis hostibus pacem facere coactus est. Sic Franci Galliam tenuere. Aemylius.

Alboinus LONGOBARDORVM rex, à Narsete euocatus in Italiam, nouas sedes quæsiturus, nihil temerè egit. Quos in Pannonia tunc incolebat fines, Hunnis finitimis fœderatisq; conditione tradidit, ut eos uelut fiduciarios interea illi haberent: si redire cogeretur, repetenti sibi redderēt. Viginti præterea millia Saxonū cum liberis coniugibusq; ad eandem secum subeūdam fortunam permouit, ueteres socios, amicosq;. Ipsi Lōgobardi è Scandinauia septētrionalis Oceani insula oriundos se contendunt: inde maiores suos profectos: cumq; per multas deinceps ętates uagati fuissent, uictoria de bellicosissimis gentibus Vandalis parta, tandem in Pannonia consedisse: inde cum liberis uxoribusq; publicè in Italiam emigrasse, anno salutis quingentesimo & duodeseptuagesimo. Aemilius lib. 1.

VANDALORVM gens (ut Damasippus ait) ab Oceano prodiens, uix uno anno ad Gothorum fines peruenire potuit: eam sibi regionem occupauit, quam pòst Gepidæ incoluēre: cui à Solis exortu Gothi, ab Occasu Marcomanni, à Septentrione Hermunduli, à Meridie præterlabitur Ister. Victi à Gothorum rege Geberico hinc emigrarunt, & à Constantino Imp. incolendam Pannoniam impetrarunt. Dum grata se Romanis principibus obsequia præstituros esse pollicentur, annos circiter sexaginta hic habitarunt. Deinde sub Stilicone magistro equitum consulari patricioq; uiro, in Gallias transmigrarunt: ubi quum finitimos malè tractarent, assiduisque rapinis latè uexarent, quietas ibi sedes habere nequiuerunt. Ergo relictis Galliis in Hispanias penetrarunt, neque usquam quiescere potuerunt, donec traiecto Gaditano freto Africam occuparunt. Bonfinius libro secundo Decadis 1.

Sub Constantino V. Imp. BVLGARI primùm Scythiæ finibus egressi, Thraciam tumultuosiùs adorti, omnia terroris compleuerant. Cum quibus Constantinus in Pannoniæ & superioris Mysiæ confinibus conflixit, sed infeliciter. Ob acceptam enim cladem fugiēti similis dum retro fugeret, pax illi à Barbaris pręter spem oblata est: fœdusque percussum, quo inter principem & Bulgaros utraq; Mysia illis concessa est: quam terram Danubio proximam hodie quoq; obtinet gens ferox. Cuspinianus.

Sabellicus Ennead. 8. lib. 2. scribit, SLAVOS à Cimmerio Bosphoro à Sarmatia & Russia bipartitò egressos, partē unam ad dextram deflexisse septentrionē uersus, scissamq; in duos populos, Boëmos & Polonos, cū hos Lechus, illos Cichus fratres ducerent: alteram transmisso Istro, secundùm Sauum amnem ad Dalmatiam usq; sedes tenuisse, nihil mutato nomine. Occuparunt autem relictas à Vandalis sedes Hispaniā, petentibus. Cromerus.

HERVLI atq; TVRINGI exercitus Atilæ reliquiæ, ad Danubij ostia consedere. Post Atilæ mortem anno ferè uigesimo, Odoacre duce, imperante Augustulo, Italiam adoriuntur. Aquileia ad læuam relicta, in Taurisinos, Vincentinosque, ac inde in Brixianos flexerunt. Odoacer Orestem patricium apud Ticinum superauit, superatumque interfecit. Augustulum eius filium imperio eiectum ad Lucullanum Campaniæ oppidum relegauit: ubi deposito paludamento, priuatam uitam egit. Romanum igitur imperium, quod ab Augusto sumsit initium, ab Augustulo exitium accepit. Bonfinius lib. 7. Dec. 1.

Pipinus, iussu Caroli Magni patris, in Orientalem Boiariæ limitem infesta acie contendens, Hunnos ac Auares deleuit, & reiectis Auaribus, fines Boiariæ usque ad Draui fluenta promouit, ibi colonias Boiorum Venetorumque deduxit. Cepere itaque in eo tantum, unde Hunni extrusi fuerant, multiplicari BOII, atque VENETI: qui adhuc ibi mixti Vgris habitant. Sic itaque Boiariæ regnum, usque ad Dranum flumen eiusque ostia prolatum est. Vnde ea regio Osterricha, Austriaque, id est, orientale Boiorum regnum, ac limes posthac cognominata est. Cuius etiam pars nunc supra Litham flumen ad occiduum solem uergens, Teutonicè Osterricha, & ficto nomine Austria latinè uocari solet. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

Sub Constantino Copronymo per Caspias portas TVRCI ex Scythia profecti, Alanos primò armis adorti, in Colchos inde & Armenios latè arma circumferendo, breui assequuti sunt, ut cæteris gentibus formidandi iure essent, circa annū sal. 760. Cuspinianus. De his Blondus Decadis 2. lib. 1. sic inquit: Turci primùm Asiam inuadentes, Alanos primò, pòst Colchos, & Armenios, inde Asiæ minoris populos, ad extremùm Persas & Saracenos, infestarunt. Tantas autem habuit uires Turcorum insultus, ut Saracenis pacem nulla alia ratione dare uoluerint, quàm restituto Persarum regni nomine, quod Saracenus Phocæ & Heraclij temporibus in suum confuderat.

Tattari, siue, ut usus obtinuit, TARTARI, Scythica gens, siue à fluuio siue à multitudine nomen habens, cùm antè ultra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solem obscuri ignotiq; Græcis iuxtà ac Latinis habitassent, circa annū Christi 1202. uel ut alij uolunt, 1188. finibus suis egressi, deuicto & interfecto Indorum rege, cui seruierant, Asiam penè omnem uictores longè lateque peruagati: & Rha siue Volga flumine transmisso, ad Occidentem progressi, uicinis Russorum Polouuciis, campestria ad Tanaim & Mæotim paludem loca habitantibus bellum intulerunt. Polouutii deleti, & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora cum Taurica Chersonneso à Tartaris habitari cœpta. Deinde Russi debellati & subacti sunt, ita ut non modò tributa ipsis penderent, & iussa facerent, sed etiam seruis antè suis Lituanis prædæ essent. Cromerus lib. 7. Hos ultra montem Belgian habitasse, & mari diuisos ab Asia, miraculosè per mare siccum transiisse Haytonus Armenus testatur, reliquias x tribuum Israeliticarum à Salmanassare abductarū, quas olim redituras Esdras lib. 4. uaticinatus est.

SAXONES duce Hengisto occupata Britannia, post Arthuri regis mortem, ne Britannis in Gualiam pulsis in pristinas sedes redeundi locus esset, eorum agris, quos in Albione ui & armis obtinebant, in septem partes ductis, septem Saxonum regna, ut auctor est Beda, constituerunt. Northumbris regno Pictorū tum proximis præfuit Edelfredus, homo impius, Cantio Ethelbertus, Christi religionem amplexus. H. Boëthius lib. 9.

NORMANNI uarijs exundationibus in Galliam effusi, Parisios obsidebāt. Carolus Crassus Imp. occurrit illis. Sed cùm Normannorum copiæ essent ad triginta millia uirorum fortium, nec uiderentur sine magno discrimine cædi posse, pacem cum ijs fecit. Itaque regiones illas, quæ ultra Sequanam sunt, sub Neustriæ nomine, quarum incolæ iugum Imperatoris excusserant, occuparunt: ibique considentes, Normanniam appellarunt, anno Domini DCCCLXXXVIII. Sigebertus, & Regino.

Roberto Normannorum duce in Hierosolymitana peregrinatione mortuo, cùm Gulielmus Nothus successisset, isq; paruos bello superasset, Henrici I. Francorum regis ope subnixus: Gulielmus Comes Montroliensis, soboles & ipse Rollonis iusta, primi Normannorum ducis, cum partiū suarū nobilitate, iisq;, qui notho puero parere turpe sibi speiq; suæ existimabant, cum nobilissimis FRANCORVM ad nouam experiendam fortunam maximo comitatu è Gallia emigrauit. Italia eos excepit: cuius longitudinem uarijs casibus emensi, tandem in Apulia constitere, nomenq; sibi ingens uirtute felicitateq; pepererе, noua semper manu affluente. Sed omnium decus, Roberti cognomine Viscardi, genere Normanni, uirtus felicitasq; anteiuit. Is cum longè lateq; imperium suum terra mariq; propagasset, ipse (ut uerbis Othonis Pontificis utar) Apuliæ Calabriæq; Ducatum tenuit, fratriq; Rogerio Siciliæ Comitatum dedit. Horum soboles non Ducum modò ab illis relicta insignia, nomēq; ac opes tutata est, sed ad Regium titulum fastigiumq; peruenit. Aemilius lib. 3.

Auctæ, Ampliatæ.

STEPHANVS II. Pp. Francorum regis Pipini ope Aistulfo Longobardorum rege uicto, aucta Exarchatu Pentapolique Ecclesia, facilè cum Gregorio Dialogo, qui Romanum Ducatum peperit, conferendus est. Sigonius libro tertio regni Italici.

Donatæ, Concessæ.

VALLIA rex Visigothorum in Hispania, ut notat Prosper, crebris Vandalorum nobilitatus uictoriis, laborum quasi suorum mercedem à Constantio postulauit, ut sibi in Gallia sedes restitueret, ac fœdus confirmaret. Cui Constantius Comes ex Honorij Imp. auctoritate assensit, & sancito fœdere Aquitaniam ei secundam concessit, exceptis paucis urbibus, in primisq; Biturica & Aruerna, atque extra Aquitaniā Tolosam, quam ille sibi regni sedem asciuit. Ea pars Aquitaniæ pòst Vasconiæ nomine insignata est. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Mathildis, Bonifacij ducis Lucani F. ex Boëmorum sanguine orta, fama inclyta, omnem agrum à Radicophano Senensis agri oppido, usque ad Ceperanum donauit PONTIFICI Rom. Posteri patrimonium beati Petri appellarunt. Aeneas Syl. cap. 21. hist. Boëm.

INSVLAE

Occupatæ.

Irrumpente in Liguriam Alboino Longobardo, erant uastæ inter Cremonam Laudemq; paludes, ab Olio, Serio & Abdua amnibus, cædemque multis, sed incultis insulis interstinctæ. Harū quæ magnitudine cęteras superabat, uicinorū POPVLORVM perfugium fuit, cùm eò plurimi instantis uitandi periculi causa, ut in locum tutum se cum rebus suis, omnibus ab ulteriore ripa remotis lintribus, retulissent: ex quibus cùm aliquot perpetuas ibi sedes ponere decreuissent, locum munire cęperunt, cumque à Cremete singularis inter se auctoritatis uiro Cremæ nomine appellarunt. Exiccatis inde paludibus locus incolis frequentatus, atque opibus sensim adauctus est. Sigonius libro primo regni Italici.

SARACENI ob angustiam loci ex Hispaniis colonias eduxere: & passim Romanas insulas populantes, in Cretam delati, eam occupauere, subactis incolis, classe Michaelis Balbi Imp. uicta, & Cratero duce cum suis inter pocula cæso, sub Ludouico Pio Imp.

Datæ, dotis nomine.

In mari Deucallidonico ad Circium & Boream sunt ORCADVM insulæ proximè ad litus Scoticum sitæ numero 28. atque supra Orcades ad centum milliaria & amplius Noruegiam uersus Zetlandiæ numero 18. de quibus magna fuit prioribus seculis inter Scotos & Danos contentio, possessore tamen Dano. Has omnes Christiernus Danorum rex, Iacobo III. Scotorum regi, cum Margarita filia, possidendas pacificè tradidit, pignoris loco, donec dotis nomine quinquaginta millia florenorum Rhenensium reliqua Regi Scoto persoluerentur. Postea uerò, quum Margarita peperit Iacobum Scotiæ Principem, Danus in perpetuum renunciauit iuri suo de insulis maris Deucallidonici. Appendix hist. Scotorum.

Emtæ.

Alexius puer à Venetis & reliquis Occidētalib. in imperiū Cōstātinopolitanū restitutus, Cretā insulā Bonifacio Mōtisferrati comiti sibi cognatione iūcto donauit. Bonifacius regnò Thessaliæ potitus, cùm pecunia indigeret, suadente Balduino, accepta ingenti ui auri, Cretam Venetis dedit. VENETI rebellantem Cretam in fide armis continentes, anno salutis 1214. eandem in coloniæ formam redegere, missis eò ciuibus, qui Cretenses in officio continerent, Iacobo Teupulo primo ibi duce constituto. Blondus libro sexto Decadis secundæ: & Platina.

VRBES

Extructæ, Aedificatæ.

Vrbes per se ad Theatrum pertinent Terrarum. Heic, quatenus inter Diuitias Locus ipse publicæ habitationis recensetur. Consule Tit. Magnificentiæ in Vrbibus.

Inter prophanos scriptores quis urbem primus posuerit, non conuenit. Alij CECROPEM uolunt, ut Plinius, qui eam extruxit, quæ postea ἀκρόπολις, id est, arx dicta est Atheniensibus, prius erat Cecropia. Strabo Argos prius à PHORONEO dicit conditū, quod Homerus Pelasgicon nominat. Aegyptij omnium antiquitatum gloriam ementitis annalibus ad se trahunt, & Diospolim, quæ sunt Thebæ, tempore omnes antecedere asseuerant. Verùm Enochia, ut Iosephus uocat, omniū est uetustissima, quam CAIN, cùm exagitaretur furijs cæsi fratris, nec ullus sibi locus tutus satis uideretur, condidit de filij Enochi nomine, murisque cinxit, & terminos agro posuit: per quam ciuitatem mundum, & diaboli ciuitatem significari, testatur Hieronymus ad Marcellam, & in Ionæ cap. 4. Lud. Viues in lib. 15. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 8.

In Phlegræis Italiæ campis, quo tempore Dauid Iudæorum rex uixit, à Cumæis & Chalcidensibus ex Eubœa profectis, HIPPOCLIS & Megasthenis ductu Cumæ litorali loco conditæ. Fama est duces ipsos inter se pactos, ut gens altera urbi nomen daret, alterius colonia diceretur: atque ita euenisse aiunt, ut à Cumæis sit locus nomen sortitus: Chalcidensium credita sit colonia. Sabellicus libro nono Eneadis primæ.

Anno salut. 856. cùm Capua, quæ & Sicopolis dicebatur, ante annos fermè XXV in monte Trifisco ædificata, sæpius incendio conflagrasset, LANDO Comes, & LANDVLFVS episcopus, cum cæteris propinquis suis, alteram apud Pontem Casulini construxerunt. Sigonius lib. 5. regni Ital.

Bello Marsico oppugnabāt Romanos Samnites, Asculani, Lucani, Picentini, Nolani, & aliæ urbes atque gentes, in quibus erat illustrissima, & maxima, & communis urbs nuper ab ITALIS perfecta Corfinium: in qua cùm cætera, quæ magnam urbem & imperium confirmant, constituerunt, tum forum permagnum & curiam, & cætera omnia ad bellum necessaria copiosè, & pecuniæ multitudinem, & cibariorum largum commeatum. Constituerunt & senatum nouum quingentorum uirorum, ex quibus, qui patriæ imperio digni essent, producerentur, & qui de communi salute consultare possent, iisque belli curam mandarunt, summa potestate consessoribus permissa. Hi legem tulerunt, ut duo consules quotannis crearentur, & duodecim duces. Diodorus libro 37.

CONSTANTINVS Magnus diuiso iampridem Imperio, illud deesse ad integram dignitatem atque amplitudinem repræsentandam intelligens, ut urbs magnitudine ac nobilitate Romę ęqualis pararetur, quę ut illa Occidentalis, sic hæc Orientalis maiestatē Imperij sustineret: magnificū atq; illustre nomini suo fore putauit, si hac urbe cōstituta, tantū ipse decoris inuexisset. neq; enim ego ijs assentior, qui hoc ab illo aut Romanorum, aut Nicomediensiū odio excogitatum affirmant. Igitur cōsilio de noua condēda urbe explicito, locum prope Ilium urbē, in Sigeo promontorio sitā, decēnali quondam Græcorum bello nobilitatam, munire constituit: atq;

atq; eò profectus, non solùm fundamenta iecit, sed muros etiam ad aliquam altitudinem excitauit, ann. 328. Tum uerò eo consilio reprobato, animum ad Chalcedonem, quæ est in Bithynia contulit. Verùm designato uix opere, aquilę deuolarunt, ac fabrum funiculos raptos trans fretum Byzantium detulerunt. Qua re animaduersa, tanquam diuino aduersante numine perturbatus eò adiit, ac situm contemplatus, magnopere approbauit, & translatis eò cum omni parata materia fabris, subinde opus instituit. Oppidi igitur antiquum ambitum dilatauit, ac muros tollere, atq; ædificiis publicis, & priuatis passim ad usum & decus explere instituit, accitis ad nauandam operam non solùm prouincialibus omnibus, sed etiam sociis barbaris, ac præcipuè, Iornande auctore, Gothis. Aedificia uerò publica eo numero dignitateq; fuerunt, ut in omnibus rebus Romanam amplitudinem adæquarent, palatiū, curia, circus, porticus, thermæ, fora, arcus, obelisci, columnæ quæ marmoribus, atq; opificibus aliunde accersitis eximia properatione curauit, ita ut pleraq; propter nimiam adhibitam in ædificando festinationem infirma, succedentibus proximis annis fimiore opere fuerint instauranda. Inter templa, quę & in urbe, & in suburbio erecta sunt, præcipuè memoratur templum S. Sophię, nimirum insignie ipsi Dei sapientiæ consecratum, templum Pacis, & sanctorum Apostolorū. Ex foris id celebratur, qđ ipse à suo nomine appellauit, in quo medio postea columnam ex porphyritide lapide posuit Roma deuectam: in cuius summo signum Apollinis ex Ilio propter operis nobilitatem translatum collocauit, atq; in bali nomen suum inscripsit. Surgētibus iam ædificijs publicis, domos etiam priuatas instituit, & ad frequentandam urbem eximiæ nobilitatis uiros cùm ex aliis ciuitatibus, tum præcipuè ex Romana uocauit, & certa uectigalia ad ædificia perficienda, & copiam annonæ parandam attribuit. Vocatis Orientis episcopis, ante diem quintum Idus Maias magna ceremonia urbē nouam Deo ac Virgini Dei matri consecrauit, eamq; nouā Romam, & Constantinopolim appellauit atq; ad dignitatē urbi addendam, Ecclesiam eius ad honorē patriarchatus, ut Græci scriptores prodiderunt, euexit, eiusq; episcopū Metrophanem post Alexandrinum sedere instituit. Hæc facta ui decimo quinto Imperij anno D. Hieronymus in Chronicis diserte notauit, & Cedrenus in historia, qui annus in Quinquēnalia Cæsarum incidebat, quē maxima celebrare lætitia assueuerat. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

LYBYSSA Premislai Boëmorum ducis uxor, urbē conditura regiam, eo loci prima iussit fundamenta iaci, quo colonū deprehenderent canem dicem detruncare. Parent illi, & inuentum colonum interrogant, quid ex trunco illo paraturus esset? Respondet ille patrię sermone, Prah, hoc est, limen: se suo parare tugurio. Lybussa proinde urbi nomen indidit Prahę, quòd ea magnis olim regib. & intuitu esset datura, & si in illam impingerent perniciem allatura. Dubrauius lib. 2.

In maritimis Vandaliæ, nouam ciuitatem Lubeck, inhabitatam à Saxonibus, ADOLPHVS Comes Holsatiæ primus cepit ædificare, quam Crito Vandalus (qui oportunitatem loci primus conspexerat) inchoatam reliquerat, Friderico I. regnante. Henricus Leo dux Saxoniæ pertinens detrimentum in suo Bardeuico (nam Lubecenses præoccupabant omnes merces) egit cum Adolpho Comite, tanquam feudi dominus, ut urbem nouam sibi relinqueret: sed frustra. Interdixit Lubecensibus, ne ad interiora Saxoniæ merces uehierent: nouam urbem ad Vvokenissam erexit, quam appellauit Leoninam. Tandem quum Lubeca incendio constaglasset, questi ciues, quòd restaurare frustra uiderentur, nisi libera foret mercaturę negotiatio: permisit Comes Ducē ciuitatem. Is iussit proclamari per omnia emporia immunitates ciuium, instituit ordinem reipublicę, delegit senatum, nummisma constituit, & facta est breui Lubeca splendida ciuitas præ cæteris, quæ ante eam fuēre. Cranzius libro 6. Metropoleos, cap. 45.

Occupatæ.

Consule Tit. Prudentiæ bellica, in Verbis capiendis. Respectu Occupantis, ad Opulentiam pertinēt: respectu Ministrantis, ad Paupertatem aut Seruitutem. Ipsa aliaquę Vrbes ad Theatrum Locorum pertinent.

Sardes Crœsi regiam, Lydorum metropolim, inexpugnabilem alioqui, ea parte, quà Tmolum fl. respicit, CYRVS Persarum rex cepit. Nam Hyrcades Mardus, sub Cyro militans, conspicatus quendam Lydum pridie descendisse ad recipiendā galeam illinc deuolutam, adscendit animum atq; considerauit: dehinc ipse conscendit, & post cum alij Persæ subinde atq; alij frequentes. Herod. lib. 1.

IONES à Neleo Codri regis Atheniēsis filio in coloniā deducti, occupata Miletō, mares oēs interfecerunt, præter eos, q fuga sibi salutē quęsiere. Illorū cōiuges & filias, uictores in uxores duxerūt. Nelei quidē sepulcrū nō longè à portis est, ad lęuā eius uiæ, quà Didymos iter. Pausanias in Achaicis.

Veios urbem Hetruscorum nunquam opulentissimam decimo demū anno L. Fur. CAMILLVS dictator expugnauit, non aperta ui, sed cuniculis in arcem actis. Plut. in Camillo.

BELISARIVS Iustiniani I. dux, fugiente in Numidiā Gilimere Vandalorum rege, Carthaginē cū omnibus suis intendit iter: & sequenti nocte, cùm eō peruenisset, extra urbem sub tentoriis mansit, quanquam comiter, ut introiret, à ciuibus inuitatus. nam & aduenięti exercitui portas aperuerūt; ac lumina & ignes tota urbe ad utas illustrandas accenderūt. Vandalis, qui remanserant, ad tēpla progressis: & classi adeuntanti, ferreis cathenis retractis, libertū in portum aditum præbuerunt. Inde cùm iam diluceſceret, omnes suos sub signis, tanquam ad prælium instructos in urbē induxit, ac, ne ſo (quod timuerat) ſeſe hoſte obiiciente, in regiā profectus, in ſede Gilimeris conſedit: tum in Delphico epulatus, predā omnē iuſſit exponi, tanta in omni imperio modeſtia adhibita, ut in magna trepidatione, ſummoq; tumultu ciuitatis, nemo nihilominus tabernas occluſerit, aut mercari uolentia liquid uenale abnuerit. Poſthęc Vandalos ad templa profectos in fidem recepit, ac muros urbis dirutos reficere, urbēque munire aduerſus omnē belli, quæ cieri poſſet, tempeſtatem inſtituit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

ALDEFONSVS Aſturum & Caſtellæ rex, Toletanam urbem populoſiſs. oppugnaturus, quatuor annis continuis agros uaſtauit. Quinto demum obſidionem admouit, ſeptenis caſtris illam circumdans. Itaq; fame coacti ciues, ſed & tyrannide & ignauia regis ſui Hiaie moti, urbē dediderē, ann. 1253. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hiſp. c. 23.

Vrbano II. inſtigante, Petro Eremita ducente, Chriſtiani in terram Sanctā ſuſcepta expeditione, HIEROSOLYMAM quatuor locis oppugnare magnis uiribus adorti, eam Saracenis acriter defendentibus Idibus Iulij (Aemilius habet IV Nonas Iulij) ui cepere, XXXIX. die, poſteaquam obſideri cœpta eſt, anno Salutis MXCIX. & anno CCCCXC. poſteaquam imperante Heraclio à Saracenis occupata fuerat. Præclpua in recuperanda tanta urbe laus Godofredi Bolionij fuit, qui murum primus conſcendit: Balduinoq; poteſtatē fecit, ut in Rubem deſcendens, Chriſtianis portas reclude ret: quibus certè irrumpentibus, tanta cædes facta eſt, cùm in urbe, tum uel maximè in templo, ut morientium cruoris los hominum ſupergrederetur. Cepiſſent eadē quoq; die templum, niſi nox ſuperueniſſet. Verùm ſequēti die repetita oppugnatio eſt, & his uenia conceſſa, qui poſtis armis, ſuppliciter ſalutē petiere. Platina in Paſchali II. Manſere octo dies Chriſtiani, ſacrum ſepulcrum Domini, & cætera ſancta loca uiſitantes. Deinde ſummo omnium conſenſu elatum humeris Godofredum Hieroſolymorū regē acclamauerunt: qui dominium quidē urbis acceptauit, regni uerò titulum & coronam reſpuit, indignum ducēs aureo diademate hominē uti, ubi rex regum ſpineam coronam ſuo ſanguine manantem geſtaſſet. Rurſus poſt octo dies Amulphus presbyter, patriarcha creatus eſt, & ab epiſcopis, qui aderant, conſecratus. Blondus lib. 4. Dec. 2.

Cùm ductu Petri Eremitæ Chriſtiani in Terram ſanctam ſuſcepiſſent expeditionē, ANTIOCHIAM cepere, Pyrrho Antiocheno ciue admodum potēte, urbis ingreſſum prębente (Aemylius Hemirpherum Caſſiani ſcribā habet) Qui Boëmundi Apuliæ ducis, Roberti Guiſcardi F. uirtutē admiratus, dedituram ſe illis urbē ſpopondit, ſi reliqui Chriſtiani eidem cum imperio præeſſe Boëmundū paterētur. Ingreſſi urbē Chriſtiani, omnibus ferè pepetecere, in præſidia Saracenorum tantummodo ſæuitum eſt. Sola arx ſuperetat quam dum Boëmundus acerrimè oppugnat, femur lagitta traijcitur, & adeò grauiter, ut per aliquot dies ab oppugnatione deſtiterit. Senſadolo aūt Caſſiani regis filio noua è Perſide auxilia adducēte, & in montibus ſe continēte, Boëmundus penuria rerum omnium urgēte, decertare omnino inſtituit, etiam iniquo loco. Prælata itaq; lancea illa, tanquam teſtilo, qua Chriſti latus tranſfixum à Longino fuit, in baſilica ſancti Andreæ Antiochiæ reperta, hoſtes acriter reſiſtētes ſuperauit, quorum de numero ad cētum millia perijſſe conſtat. Præterea uerò in eorum caſtris ad quindecim millia camelorum capta traduntur: indeq; tanta præda auecta, ut ab extrema inopia ad ſummam rerum omnium uberatem uētum ſit. Præfectus aūt arcis, cognita ſuorū calamitate, & arcē Boëmundo tradidit, & Chriſti fidē ſuſcepit: qui miſſum & his, qui præſidio erāt, ut ſi Chriſti fidē ample ctērētur, abire cum reb. ſuis liceret, quo quò uellent. Platina in Paſchali II.

Donatæ.

CLEMENS VI. Pp. Auinionē urbē à Ioanna regina Neapolitana obtinuit Aemilius lib. 9.

ARCES

Occupatæ.

Quum DAVID omnium tribuum conſenſu ſuſcepiſſet regnū totius gentis Iſraeliticæ, iamq; conſtituiſſet regiam ſuam ſtatuere in monte Sion, quæ tum erat arx Hieroſolymæ, quam id temporis obtinebant Iebuſæi: denunciatum eſt illi à Iebuſæis, non futurum, ut ingrederetur urbem, ni prius amouiſſet cæcos & claudos. 2. Regum 5. Quidam exiſtimant per cōtemtum dictum, Huc non ingredieris, niſi ſuſtuleris propugnatores mœnium, quibus tuendis ſufficiunt cæci claudiq; noſtri. Hebræi ſolent affingere fabulas, per quas explicēt no dum quæſtionis. Aiunt in mœnibus urbis poſitas fuiſſe duas imagines, Iſaac & Iacob: quorum ille legitur cæcutiſſe ſenio, hic claudicaſſe ex lucta cum angelo. Has ideo collocatas, ut eſſent monumentum fœderis, quòd olim pepigerant cū Abrahamo, Geneſeos 21. His igitur ſublatis, capta eſt arx. Euſtius in Adagiis.

METALLIFODINAE REPERTÆ.

Conſule Titulum, Prudentiæ in acquirendis opibus.

PREMISLAVS Boëmorum dux primus repertis argenti metallis, argentarias in Boëmia coluit. Dubrauius lib. 2.

CORPORA SANCTA.

Inuenta.

AMBROSIVS Mediolanenſis epiſcopus anno 396. corpus S. Nazarij martyris in horto extra urbē inuenit, ſanguine perinde recenti, ac ſi eō dem tempore, quo lęuabatur, lotum, & cōpoſitum in ſepulcro fuiſſet. id ad baſilicam Apoſtolorum pridie ſolēnis eorum deinde cōditum fuit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Circa annum ſal. 477. corpus S. Barnabæ in Cypro inuentum eſt, euangelium S. Matthæi ſua manu deſcriptum ſuper pectore geſtans. Quæ res CYPRI laudi uſque adeò fauit, ut propterea ea eccleſia ad metropoliticanæ dignitatem euecta ſit. Sigonius lib. 15. Imp. occid.

Feruntaliquamdiu VENETIIS D. Marci corporis ignoratum ubinam eſſet conditum: creditum uulgò, qualiſ ſe oculis populi ſubtrahere noluiſſet, in occultiori eum tranſijſſe ſedē. Sed quum deſiderium tāti numinis ſollicitam ciuitatē haberet, ſupplicatione & ieiunio indicto, antiſtites aliquot totusque clerus ſequēte populo ad eius ædem ſupplices uenere: Tum ibi poſt multas preces, miraculo tradunt, altero ex humo exerto brachio ſe ſuis ciuibus oſtēdiſſe. Tum demum ingenti populi lætitia ſublatum inde corpus, atq; in locum auguſtiorem repoſitum: decretumq;, ut ſoli principi tēpliq; procuratoribus id ſacrarium fas eſſet ſcire. Nouam ædem ſumptuoſore apparatu erectam eum illi ſub Vitali Faletio duce dedicatam ferunt. Sab. lib. 5. Dec. 1.

Raptæ.

Armis Chriſtianorum, & inprimis Venetorum, anno Salutis 1120. Tyrus capta, & Hieroſolymæ regno addita eſt: tertiaq; pars Tyri & Aſcalonis, ſi capererur, cum multis priuilegiis Venetis aſſignata eſt. Emanuel Græcorum Imperator Chriſtianis tantam uictoriam inuidens, Venetis imperauit, ut DOMINICVM Michaēlem ducem ſuum reuocarent. Is reuocatus, Rhodum, & Chium Græci Imperatoris inſulas ſpoliauit, & in Chio beati Theodori martyris corpus inuentum rapuit, quod Venetias delatū eſt. Blondus lib. 5. Dec. 2.

BRETISLAVS Boëmorum princeps Gnelnam, Poloniæ metropolim ceperat. De corporibus ſanctis Adelberti, Gaudentij, Chriſtini, aliorumq; ipſius ſodalium, tollendis deliberabatur. Cauſam deliberandi præbuerunt extracti tēplis pro mortuis, ij qui temerè manus admouere ſepulcris ſanctorum tentauerant. Poſt multam deliberationem, Seuerus Pontifex Pragenſis, ſupplicationem & ieiunium triduanum indixit, adhibitis dj deinceps Sacerdotibus, citra cuiuſquam noxam corpora inde omnia abſtulit. Etſi Poloni dicūt Gaudentij corpus pro Adelberti corpore auectum: cum hoc tēpli cuſtodes clām defodiſſent alieno loco. Abſtulit itē Brecislaus donaria templi preciоſiſſima, crucem auream libras auri CCC pendentem: tres item tabulas aureas ex ara, cum gemmis & unionibus, cum argenteis inauratisq; uaſis, & gemelacris. Dubrauius lib. 7. & Cromerus lib. 4.

RES SACRAE QVAEVIS

Raptæ, Captæ.

Sub Eli iudice Iſraēlis PALAESTINI arcam fœderis in prælio ceperant, occiſis Ophni & Phinees duobus Eli filiis, eamq; Azotum tranſtulerunt. 1. Reg. 6. & 7.

NABVCODONOSOR Babyloniorum rex immenſam prædam captis Hieroſolymis, ſub rege Sedecia, abſtulit, ex templo Domini omnibus uaſis ſacris, aureis, argēteis, æreis ablatis. 4. Regum 25.

Rinuſico Carthaginenſis Gelam Siciliæ urbē obſidebat. Strabat tum haud procul extra Gelæ mœnia ſtatua Apollinis ærea miræ magnitudinis, quam inter ſpolia raptam CARTHAGINENSES Tyrum miſere. Hæc à Gelois olim ipſius dei oraculo iuſſis extructa dedicataq; eo loco fuerat. Tyrij uerò quo tempore ab Alexandro Macedone obſidebantur, ea contumelia affecerunt, utpote, quæ pro hoſtibus contra ſe dimicare uideretur. Cuius urbe ab Alexandro, uelut Timeus tradit, ſimili & eiuſdē nominis die & hora, qua quondā Carthaginenſes Apollinē Gelois raptum abſtulerant, eidē ſimulacro per Græcos ſolenni admōdum litatum ſacro, ma ximisq; muneribus, & multo thure gratificatum, perinde ac uictoriæ & urbis obtinendæ præcipuo auctori. Diod. lib. 13.

COSROES Perſarum rex, captis Hieroſolymis, lignum crucis Dominicæ ſecum abſtulit. Sab. lib. 6. En. 8.

GEORGIVS Manięces Protoſpatharius, ſub Romano Argyro Imp. & urbium iuxta Euphratē præſes, Edeſſam inſignē urbē Euphratis ui cepit. Vbi epiſtolam propria Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti manu conſcriptam cùm reperiſſet, regi eam tranſmiſit. Fuit autem hæc epiſtola à Chriſto Ieſu regi Abagaro conſcripta, priuſquam pateretur, & ex Syrorū lingua translata, quæ ab Euſebio primo Eccleſiaſticæ libro eſt inſerta. Cuſpinianus.

Mortuo Caſimiro Magno LITVANI Poloniam inuaſere, ac inter alia Calumnantis monaſterū diripuere. Vnde cùm inter aliam prædam portionem crucis Chriſti auro inclusam asportarēt, & ad fines Poloniæ peruenissent, memorabilis res accidit. Plauſtrum enim, quo crux cum cætera præda uehebatur, nulla ui neq; iumētorum neq; hominum loco moueri potuit: quin ſubitò concidebant exanimati homines, equi & boues, quicunq; id plauſtrum attigerant. Obſtupefacti reliqui Lituanorum duces, cùm ex Ruſſo quopiam miraculi & cladis ſuę cauſam cognouiſſent, mox crucē cū Chorabala quodam nobili captiuo, libertate donato, ad locum ſuum remiſerunt: ipſi cum reliqua præda domos ſuas ſalui peruenēre. Cromerus lib. 13.

Anno 1101. Balduinus Hieroſolymorum rex in Syria Cæſareā GENVENSIBVS adiuuantibus cepit. Ex eius urbis præda uas ſmaragdinum Genuenſibus obtigit, quo Chriſtus in Cœna ultima dicitur eſſe uſus. Itaq; hodie quoq; Genuę eo nomine illud religioſiſſimè aſſeruatur. Sigonius libro nono regni Italici.

IOANNES Moſcouiæ dux, Nouogrado urbe anno 1487. occupata, archiepiſcopi ærarium auro, argēto, gemmis, margaritis, & omni genere opum per multos annos congeſtarum referti ſſimum ac ditiſſimum, ſpoliauit, ſolumq; aurum, argentum, gemmas, atq; uniones recentis curribus asportauit. nam qui cæteram ſupellectilem portabant curtus, fuerunt innumerabiles. Cromerus lib. 29. Ioach. Cureus in Sileſiæ annalib. habet annum 1470.

Capta à MAHOMETO Conſtantinopoli, templum ingens ac ſacroſanctum Sophiæ, Iuſtiniani Cæſaris opus, ſpoliarūt omni ſacra ſepulchrile ac donariis ſanctorum, omnibus patuit ſpurcitiis, lupanar factum ſcortorum, & equorum ſtabulum. Edixit autem tyrannus poſt captam urbem, ut regia ſupellex, omniſq; ſacrarum ædium ornatus, monimentaq; illæſa ſeruarentur, nēue milites ea diriperent. Inuenta ſunt tamen in cœnobio (quod uulgus de Petra appellat) dextra præcurſoris S. Ioannis, ac monimēta Saluatoris noſtri, ſponsia, calamus, ac lanceæ ferrū: cuius aciei lima ſecata à Conſtantino VI. Carolo Magno Francorum regi donata erat, quę ſuperbūs uictor inter regias gazas aſſeruari iuſſit. Quāquam autē multi magno ære has ſanctas reliquias redimere ſæpius annixi eſſent, adlectata tamē ſunt à Turco ob mulierem quandam Græcam, quæ regis libidini inter pellices patuit, cùm à cultu Chriſti nón deſciſſet, quæ ſeſe exoluturam precium pactioni offerebat, ne ad Occiduos transiret ſacræ Byzantiorum reliquiæ. Cuſpinianus.

MAGNVS, Nicolai Danorum regis F. Gothorum rex, ut idolomaniæ materiam deleret, inter cætera trophæorum ſuorum inſignia inuſtrati ponderis malleos, Iouiales dictos, apud inſulam quandam cultos, in patriam deportandos curauit, ipſum quodammodo Iouem exarmans. Saxo libro 13. Cupiens enim antiquitas tonitruorum cauſas uſitata rerū ſimilitudine comprehendere, malleos, quibus cœli fragores cieri credebat, ingenti ære expreſſerat.

Inuentæ, Repertæ.

HELENA, Conſtantini Magni Imp. mater, mulier ſingulari pietate prædita, Hieroſolyma petiit, dominicæ crucis inueſtigandæ cauſa. Difficile id quidem erat: nam ut omne dominicæ paſſionis, quam Theologi noſtri uocant, monimentum aboleretur, Veneris ſimulacrum eo loci, quo crux latebat, conſtitutū ab impiis Chriſtiani nominis hoſtibus erat. Cæterūm loco ruderib. purgato, tres cōfuſo ordine cruces reperæ: una Chriſti fuit, aliæ duæ, unde duo pependerant latrones. Sed ut illa Chriſti ab aliis internoſceretur, triplex titulus, hoc eſt, Ieſus Nazarenus rex Iudæorum, uſcuſtare propemodum abolitus, indicio fuit. Maius ſimul ſignū continuò ſecutū eſt: crux admota mulieri mortuę, uitā reſtituit.

His Constantinus princeps motus, uetuit eo quenquam deinceps supplicio affici, quò rei, quæ antea mortalibus probro fuerat, honor haberi inciperet. Helena confestim ut crucem reperit, condito templo abiens, clauos, quibus corpus Christi cruci affixum fuerat, secum ad filium deportauit: quorum uno Constantinus pro cono galeæ usus, altero bellatorem equum communiuisse dicitur, & tertium in mare deiecisse, ad sedandos fluctus, & commutandam malam tempestatẽ. Partem uerò crucis, quam secum Helena ex Syria attulit, in Sessoriana æde gemmis & auro distinctam collocauit. Polyd. lib. 2.

THESAVRI

Inuenti, Reperti.

Cùm Xerxis classis ad Chalcidem naufragium grauissimũ passa esset, AMINOCLI Cratneo Magnesio ualde fructuosum fuit hoc naufragium. Nam aliquãto pòst, dum circa Sepiadem humum fodit, multa pocula aurea eiecta, multa argẽtea reperit, & thesauros Persarum inuenit, mirificeq; ditatus est, quę tamen utilitas ei ingrata fuit, ac doloris causa, q' erat filijs orbatus. Herod. lib. 7.

MANDRABVLVS quidam cùm thesaurũ reperisset, primùm aureã ouẽ posuit Iunoni Samiæ, proximo anno argẽteam, tertio æream. Hinc prouerb. Ad morẽ Mandrabuli negotiũ procedit. dum in singulos dies fit minus ac deterius, atq; in tergum retrocedit. Erasmus in Chiliadibus.

Corinthus excisa à Mummio, deserta diutius manens, à Cæsare denuò est restituta, ob loci cõmoditatẽ, missis eò COLONIS: qui sepulcra refodientes, plurima inueniebant fictilia toreumata, permulta etiam ænea. Ornata subinde mirati opera, nullum indiscussum dimisere sepulcrum. Vnde inuentis talibus locupletati, urbem Romam Necrocorinthijs repleuere, præda uidelicet de sepulcris erepta. Strabo lib. 8.

BOEOTVS septuagenario maior, cùm thesaurum reperisset, cum tamen reliquit, tanquam nihil ad se amplius pertinentem. Stobæus serm. 12.

AESOPVS fabulator Phryx, thesaurum inter sepulcrorum inscriptiones inuentum, ambigua interpretatione nunc hero, nunc Crœso Lydorũ regi attribuit. Planudes in eius uita.

De PISCATORE naufragi corpus sepeliente, & thesaurũ inueniente, sic scribit Carpyllides in 1. Græcorum Epigr.

> Ἰχθύας ἀγκίστρῳ τις ἀπ' ἠϊόνος ὀστρυχι βάλλων,
> εἵλκυσεν ναυηγοῦ κρᾶτα λιποστεχίας·
> οἰκτείρας δ' ἐκεῖνο τὸν ἀσάμενον, ἐξ ἀπολέχει
> χερσὶν ἐπισκάπτων, λιτὸν ἔχωσε τάφον·
> εὗρε δ' κεκευθόμενον χρυσοῦ κτέαρ, ἦ ῥα δικαίοις
> καὶ ῥέπει εὐσεβίης οὐκ ἀπόλωλε χάρις.

Iulius HERODES Atticus sophista, genus ex Aeacidarum sanguine ducebat, patre Attico. Ei diuitiarum initium ex thesauro prope domum reperto fuit. Itaq; eò peruenit magnitudinis, ut sub Hadriano multis in Asia præsideret ciuitatibus, centum boues uno die Mineruæ sacrificaret, stadium conderet Atheniensibus, & theatrum tecto munitum, & moriens quotannis minam populo Attico uiritim legaret. Philostratus in eius uita, & Suidas.

De Thesauro inuento extat Græcum Epigr. Platonis uel Antipatri, lib. 1. Epigrammatum:

> Χρυσὸν ἀνὴρ ὁ μὲν εὑρών, ἔλιπε βρόχον· αὐτὰρ ὁ μὴ εὑρών,
> ῥίψεν ὃ δ' οὐχ εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Idipsum aliter Satullius Flauus expressit:

> Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν, ἔλιπε βρόχον· αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
> ὃν λίπεν οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Ausonius in Epigrammatis sic interpretatus est:

> Thesauro inuento, qui limina mortis inibat,
> Liquit ouans laqueum, quo periturus erat.
> At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
> Quem laqueum inuenit, nexuit, & perijt.

Idem aliter:

> Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
> Thesauriq; loco deposuit laqueum.
> At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
> Aptauit collo, quem reperit laqueum.

Cn. Pompeio contra Domitium cum sex legionibus in Africam à Sylla misso, prope Carthaginem aiunt rem accidisse ridiculam. Inciderant MILITES aliquot in thesaurum, ac magna ui argenti erant potiti. Re uulgata locum eum alij omnes existimauerunt argenti plenum esse, per superiores Pœnorum clades ibi reconditi. Nihil igitur uti Pompeius militibus potuit permultos dies thesauros scrutantibus: sed obambulauit ridens, cùm contemplaretur tot millia in fodiendo & uertendo campum occupata: quo ad deposita spe, dixerunt Pompeio, duceret quò liberet, satis se pœnarũ dedisse stultitiæ suæ. Plut. in Pompeij uita.

TIBERIVS II. Imp. dum semel per ædes suas contentiùs inambularet, cerneretq; in pauimento marmoream crucem, eam religionis causa, ne pedibus conculcaretur, auferri iussit, meliorique loco atque honestiore reponi. Post hanc uerò una atque altera inuenta est, sub qua tantam uim auri & argenti reperit, quantum hominis beneficentia requirebat: cuius quidem magnam partem pauperibus erogauit. Ferũt etiam Narsetis thesauros ad eũ ex Italia delatos fuisse, quibus conflatis, ad munificentiam & liberalitatem usus est, teste Sigeberto in Chron. Ad Sigebertum namque Francorũ regem, qui se per legatos inuiserat, cum reliquis muneribus, quæ magna fuère, aureos etiam quinquaginta singulorum librarum misit: quorum pars una imagine principis signata erat his literis, Tiberij Constantini perpetuò Augusti: altera uerò pars quadrigam continebat cum ascensore, his literis, Romanorum Gloria. Et ne quid ad integram eius felicitatem deesset, exercitus, quem in Persas miserat, uictor rediens, tantam prædam cum elephãtis uiginti auexit, quantam nullus unquam antea. Hoc requirebant eius merita erga genus humanum: hoc religio in Deum. Platina, & Sabellicus lib 5. En. 8.

LVDOVICVS Pius Imp. dum Ratisbonæ Francofordiæq; sacras ædes, muro hærentes, mœnibus solo æquatis ampliari iubet, thesaurum reperit. Auentinus libro quarto Annalium Boiorum.

Honorij Imperatoris, qui anno Domini CCCCXXVI. obiit, Mariæ & Thermantiæ, filiarum Stiliconis, quę Honorio desponsatæ ante nuptias obiere, sepulcra ad D. Petrum Romę extitere. Verùm propter frequentes Barbarorum incursiones, & mutationes uarias, ita ex hominum memoria exciderant, ut penitùs ignorarentur. Anno tandem M D XLIII. sub Paulo III. cùm fundamenta ecclesiæ reficerentur, Thermantiæ & Mariæ corpora in marmoreo sepulcro preciosissimè exornata inuenta fuère, cum mundo muliebri omni. Corpora attactu in cinerem resoluebantur. Aurum ex regiis deciduum libras pendebat 80. Margaritæ insignis magnitudinis 53. quæ ita computruerant, ut digitis contererentur. Anuli centum uariis gemmis distincti. Aureum pectorale gemmis insigne. Vasa plurima & organa muliebria ex auro, crystallo, succino. In Cornelio & Topazio, aureo iunctis circulo, ex altera facie hæc legebantur, STILIC THER HONORI MARIA VIVATIS. Ex altera uerò, STILIC SERENA HONORI MARIA THERMANTIA VIVATIS. Thesaurus Pontifici cessit. Etsi nõ deessent, qui eum ad Imperatorẽ iure spectare dicerẽt. Stumpfius in Heluetia.

Prope Deuam, Transsyluaniæ urbem, in uetusta arce paucis ab hinc annis, post diuturnos imbres & inundationes, sub arbore uetustate exesa ingens thesaurus, solaribus radiis aurum admirando fulgore detegentibus, repertus est à RVSTICIS. Serpens aureus tanquam custos appositus erat, quem occiso Georgio Monacho Ferdinandus Imperator accepit. Nomismata aurea, tres aureos coronatos nostrates pendentia, innumera, Lysimachi regis Thraciæ imaginem, auersa parte Victoriam præferebant. Ditati inde rustici. Quod superfuit rusticis, 20. millium coronatorum æstimationem adæquauit, & à Ioan. Bapt. Castaldo archistratego ad Ferdinandum regem transmissum fuit, circa annum Salut. M D L. cum duabus imaginibus aureis, Nini & Semiramidis, Carolo V. dono datis. Centum millia coronatorũ thesaurus iste superauit. Ascanius Centorius lib. 4. Com. belli Trassyluaniæ.

EVTYCHVS Sabinus, pransus cùm esset, conuersus ad uxorem: Nescio quid, inquit, boni mihi præsagit animus. Atque e uestigiò cùm Romam properaret, iter ingressus, cùm de æstu, deque itinere fessus sub arborem consedisset, animaduertit uetus ædificium, quod erat secundùm uiam, paulo antè corruisse, factusq; ruinæ propior, in scriniolum incidit argento plenum. Pontanus libro secundo, de Fortuna, capite duodecimo.

Tamerlanes Imp. Tartarorum uas aureæ monetæ à RVSTICO inter arandum inuentum accipere noluit, sed rustico reliquit, cùm Impp. Romanorum effigies in numismatis illis expressas, non autem maiorum suorum, audiuisset.

BARTHOLOMEVS, Antonij Vrcei Codri Grãmatici Brixiẽsis clariss. auus, pauper piscando uitam aliquãdiu tolerauit. Mox dum foderet agrum, casu in fictili quadam urna satis magnam uim argenti inuenit: ex cuius dimidia parte tantũ agri emit, ut eius soli prouentus abundantẽ familiæ alimoniam præberet. Ex reliqua uerò pecunia, aromatoriã instruxit tabernam. Is Cortesium Codri patrem creauit. Bartholomæus Bononiensis in uita Codri.

Detecti, Proditi.

PARIAS portitor Ithacensis latrones transmisit, atq; senem quendam captiuum cum pice, rogante sene, de latronibus emit. Erat autem in pice absconditum & occultatum aurum. Quo reperto, cùm diues euasisset, seni bouem immolauit. Heraclides.

CALLIÆ barbarũs quispiam clam indicauit magnam auri uim in puteum quendam coniectam. Is & occidit indicem, ne proderet, & aurum sustulit. Vbi res innotuit, in comœdia rum iocum uersa est, ut qui malis artibus subitò ditescerẽt, λακκόπλουτοι dicerentur. Refert Plutarchus in uita Aristidis. Attigit & Hesychius. Erasmus. Cælius lib. 28. cap. 26. A. I. λάκκος enim Græcis dicitur locus sub terra continendis uinis ac oleo quoque.

Decebalus Dacorum rex pluribus prœliis uictus, regnoque & regia exutus, ne uiuus ueniret in hostium potestatem, sibi manum intulit. TRAIANVS Imp. regiis thesauris potitus est, quos ille in imo Sargetiæ, uel Sargetiæ flu. alueo barbarico astu defoderat. Corriuato enim fluuio, qui regiam urbem perstringebat, terraq; altiùs defossa, thesauros in imã scrobem coniecit, saxaq; superimposuit, ita compacta, ut ne humectari quidem posset quicquid infra conderetur: mox amnem in pristinum alueum reduxit: captiuos, quorum opera in ea re usus fuerat, ad unum interfecit. Bicilis æqualis amicus regis, & cui uni omnia sua consilia Decebalus credere erat solitus, post illius interitum Traiano aurum patefecit. Sabel. lib. 4. Enn. 7.

GVNTHRANVS Gallorum rex per somnium thesaurum inuenit: cùm anima regis per os egressa dormientis, supra ferreum pontem transmisso torrente, uicinum montem subire uisa esset, spectro tam uano, quàm absurdo.

Robertus Guiscardus Normannus ex Gallia in Italiam profectus, pulsis Græcis & Saracenis, Apuliam occupauit: statuamque reperit circa caput æneum circulum habentem, his literis inscriptum: Kalendis Maij, oriente sole, aureum caput habebo. SARACENVS quidam magicæ artis peritus à Roberto captus, notato termino umbræ ipsius statuæ, Kalendis Maij oriente sole, effosso loco thesaurum inuenit, quo se è Roberti manibus liberauit. Platina in Leonis uita, & Collenutius lib. 3. hist. Neapol. & Bonfinius lib. 2. Dec. 2. Paulò aliter Petrarcha, in lib. Exemplorũ, de Prudentia, inquiens: Erat in Sicilia, ut aiunt, ingens statua, quæ in loco notissimo, ab extrema hominũ memoria intacta permanserat, in qua literis uetustissimis insculptũ erat, Kalend. Maiis habebo caput aureum. Enimuerò id ludicrum commentum quidam credidere: alij nodum uerborum sonum secuti, eò uanitatis excesserant, ut in die Kal. statuæ caput terebrarent: ubi cùm nihil præter solum marmor inuenissent, fabularum ac risus materiam uulgò dederant. Vnus tãdem antiquitatem statuæ simul atque artificium contemplatus, cogitansque in re tam seria aliquid præter fabulam latère, scripturam ab omnibus conspectam, sed à nemine intellectam, acutiori penetrauit ingenio. Siquidem die Kal. redeũte, animo atq; oculis intentus, ortum solis operiens, locum ubi caput statuæ primis radiis umbram iaceret, diligenter animo consignauit. Illic postea clàm fodiens, magnum auri pondus reperit.

ALFONSVS Vastius Daualus, Cęsaris Caroli V. exercitus ad uersus Hariadenum Barbarussam, Tuneti tyrannum, imp. capto Tuneto cum parua manu, ad arcis, à seruis Christianis, quos Barbarussa comburere paulo antè decreuerat, occupatæ portam accessit, & à seruis Christianis, qui se iam in libertatem uendicarant, cum insigni gratulatione receptus est. Inspectanti autem barbaricas opes, & totum arcis apparatum, seruus Ligur absconditę pecuniæ latebras indicauit. Demerserat enim Barbarussa in cisternam ad triginta millia nummum aureæ monetæ, pluribus insutæ culeis. Hoc expiscatus Vastius, à Cæsare prædæ donatiuique nomine, ut sibi concederentur, facilè impetrauit. De se enim omnibus bellis optimè meritum, & ex natura liberalis ingenij inter principes eius ætatis maximè largitorem, eo munere dignissimum existimabat. Iouius lib. 34. Historiarum.

Rapti, Erepti alijs.

Aureum uellus ARGONAVTÆ, duce Iasone, Colchis eripuere, Medeæ regis Aeëtæ filiæ proditione. Hoc alij thesaurũ à Phryxo è Bœotia fugiente asportatum, interpretantur. Thebani uerò tradunt, pædagogum Phryxi uocatum Crion, hoc est, Arietem, qui cum puero in Colchidem delatus, ab Aeëta rege patrio ritu fuerit Dianæ immolatus, pellisq; cadaueri detracta in templo de more suspensa. Adiiciunt, Phryxum Gambro Scytharum regi dono datum: cui ille flore ætatis, uel indole potius conciliatus, postremò sit hæres relictus. Aeëta interim oraculo doctus, fore, ut quando arietis, qui aræ fuerat admotus, ex sacro spolium luco eximeretur audacissimi hospitis manu, tum demùm mortẽ occumberet: eo monitu exterritus, pellem auro illitam, ut diligentiùs asseruaretur, templo intulit, sacerdotes custodesq; loco adhibuit, qui peruigili statione fatales exuuias ab omni ui fraudeque tuerentur. Alij arietem pecus sub Phryxi in Colchidem aduẽtum Aeëtam mactasse crediderunt, ac tum pellem, quam hostiæ detraxerat, quia sibi fatalem cognouisset, inaurari custodirique imperasse, templo multifariam munito, & ad exteras gentes procul inde metu arcendas, rumores dissipari, passim hospites ab rege in Colchide mactari. Cæterùm siue uerus fuit ille sacrorũ ritus, siue ad terrorem factus, satis cõstat, uiros fortissimos ex Taurica regione accitos, custodiæq; adhibitos: qui quum truci essent ingenio, uimq; & robur præ nimia ferocia spirarent, igniuomi tauri à poetis decantentur. Pari ratione & de dracone fabula uulgata est. Sab. lib. 5. En. 1.

In Tolosano Galliæ oppido, à Q. CEPIONE direpto, inuenta sunt auri pondo CX millia, argenti pondo quinquies decies centena millia. Plinius.

LONGINVS Exarchus, extinctis Helmige & Rosimũda, quæ post cædem Alboini mariti Longobardorum regis cũ thesauro Rauennam confugerat, filiam eius Albisindam Constantinopolim misit, atque ipsum Longobardicum thesaurum ex Italica fermè clade collectum, hostilis prædæ loco adiecit. Quæ res grauem aliquantum Iustini Imp. ex amissa Italiæ possessione dolorẽ leuauit. Sigonius lib. 1. reg. Ital.

Carolus Burgũdus uictus ad Granseium oppidũ ab HELVETIIS, & castris exutus, partam antea gloriam magnis gerendis rebus amisit. Dicitur Carolus tum primùm regiam supellectilem in castra aduehi imperasse, quæ esset indicio pertinacis animi, si diuturno bello procul domo manendum, atque agendum in castris esset. Ea uerò multorum annorũ spacio collecta, quibus domus fortunatissima & beatissima floruit, uictoriæ insigne monumentum Heluetiis, & domesticæ uirtutis & frugalitatis documentum illustre fuisse fertur. Nam argenteos lances & pocula ex solido auro, tum gemmarum magnam uim, tanquam è uili materia essent, & quæ eorum speciem referrent, quorũ usum ipsi ignorarent, uenalia in uicinis oppidis exiguo precio habuisse dicuntur. Brutus lib. 6. hist. Flor.

Vindicati.

FRIDLEVVS II. Danorum rex, dum è Noruegia patriam parum prospera nauigatione repetit, ignotæ insulæ litoribus appulsus, thesaurum occultum effodere, custodemque eius draconem uitandi ueneni gratia bouino tergore tectus appetere, cuiusdam per quietem conspecti monitu edoctus fuisse scribitur. Saxo.

Castrum est in Persarum atq; Indorum confinio, nomine Tzudader, in quo multum pecuniæ, margaritarum, & lapidum preciosorum repositum, à dæmonibus asseruabatur. CABADES rex ea re percepta, castrũ occupare est annixus. Cũq; ei à dæmonibus obsisteretur, omnibus & Magorum, & mox Iudæorum tentatis artibus impos propositi fuit. Ergo cùm ei persuasum esset, Christianorum ad Deum precibus eo se potiri posse: hoc à quodam episcopo Christianorum in Persis degentium contendit. Is synaxi coacta, cùm diuinis mysteriis communicasset, ad locum accedẽs, dæmonas ibi morantes exegit, castrumq; Cabadæ nullo labore occupandũ tradidit. Quo miraculo Cabades attonitus, primum in consessu locum episcopo ei tribuit, quem hactenus Manichæi & Iudæi tenuerant; liberam quoq; potestatem fecit iis, qui baptizari uellent. Cedrenus in uita Anastasij Imp.

Hadingo, Danorum regi, filius FROTHO successit. Qui cùm paterno thesauro bellis absumto, stipẽdiorum facultatem, qua militem aleret, non haberet, mõstrato sibi à Mago thesauro, in insulam solus profectus, draconẽ à fonte specum repetentem, sub imo tandem uentre notato loco confodit, & auri uim maximam abstulit. Saxo lib. 2.

GEMMAE

Donatæ.

Theophrastus tradit, in Aegyptiorum commentariis reperiri, REGI eorum à rege Babylonio missum smaragdum munere quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuisse apud eos in Iouis delubro obeliscum è quatuor smaragdis, quadraginta cubitorum longitudine, latitudine uerò in parte quatuor, in parte duorum. Se autem scribente, esse in Tyro Herculis templo stantem pilam è smaragdo, nisi potius pseudosmaragdus sit. nam & hoc genus reperiri, & in Cypro inuentum ex dimidia parte smaragdum, ex dimidia iaspidem, nondum humore in totum transfigurato. Apion cognominatus Plistonices, paulo antè scriptum reliquit, esse iam nunc in labyrintho Aegypti colosseum Serapin è smaragdo nouem cubitorum. Plin. lib. 37. cap. 5.

Repertæ.

IVDÆVS quorundam hortatu, relictis opibus, Christianismũ amplexus est, centuplum sese recepturum ex Euangelij dicto sperans. At ubi ad mendicitatem redactus, in xenodochio æger decumberet, hominum deorumque fidem incusans, hæmorrhoidum doloribus agitatus, in uicinum campum uentris exonerandi causa descendens, linteo inuolutos lapides preciosissimos reperit. Susceptus ergo à medicis, cõualuit, & re iam auctior, Christi benignitatem extollentibus

lentibus respondebat, Centuplum quidem reddidit, postea quam & patientiam meam & uestram frigidam charitatem satis probauit. Poggius in Facetiis.

ANVLI
Reperti.

Erat quidam senex FLORENTIVS Hipponensis, homo religiosus & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & unde sibi emeret non habebat: ad Viginti martyres, quorum memoria apud Hipponenses est celeberrima, clara uoce, ut uestiretur, orauit. Audierunt eum adolescentes qui fortè aderant irrisores: eumque discedentem exagitantes, prosequebantur: quasi à martyribus quinquagenos folles, unde uestimentum emeret, petiuisset. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piscem palpitantem uidit in litore, eumque illis fauentibus atque iuuantibus apprehendit, & cuidam coquo, Carchoso nomine, bene Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestũ sit, trecẽtis follibus uendidit, lanam comparare inde disponens, ut uxor eius, quomodo posset, ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conscindens piscem, anulum aureum in uentriculo eius inuenit: moxq; miseratione flexus, & religione perterritus, homini eũ reddidit, dicens: Ecce quomodo Viginti martyres te uestierunt. August. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8.

NVMISMATA
Donata.

Refert L. Marineus Siculus, lib. 19. rerum Hisp. in ueterib. Hispaniolæ insulæ fodinis, nummum aureum repertũ, in quo & Augusti Cæsaris effigies sculpta erat, & inscriptio, quem nummum Io. Ruffus, archiepiscopus Consentinus, PONTIFICI Max. misit.

Reperta.

LEONARDVS quidam Basileæ circa annum Christi 1520. sartoris F. ingenio simplex, uoce balbus, Lienimannus uulgò dictus, incertum qua arte, cryptam illam, quæ Augustæ Rauracorũ patet, ingressus, & ulterius quàm ulli alij unquã potuerint progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo [redacted] accenso, in cryptam descendẽs, primùm per ferream portam sibi transeundum aiebat: inde ex una concameratione in aliam, atque etiam in hortos pulcerrimè uirentes. In medio aulam magnificè ornatam spectari, & uirginem pulcerrimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, capillis solutis, infernè in horridum serpentem desinẽtem, à qua manu ad scrinium ferreum duceretur. Scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere. At uirginem minabundæ similem eos compescere. Tum clauium fasce, quem collo alligatum gestaret, soluto, arcam recludere, & omnis generis numismata aurea, argentea, ærea, depromere. Quorum non pauca liberalitate uirginis ex ipsa crypta se retulisse ostendebat. Addebat, uirginẽ narrare solitam, diris imprecationibus sese, cùm regio orta esset stemmate, iam olim deuotam, in tale monstrum mutatam fuisse, neque aliam salutis recuperandæ rationem superesse, quàm si ab illibati pudoris adolescẽte ter deosculata fuisset. tunc enim formam pristinam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem, qui eo in loco lateret, liberatori cessurum. Affirmabat quinetiam, bis sese uirginẽ deosculatum, bis tam horribiles gestus in ea præ nimio gaudio speratæ liberationis obseruasse, ut sibi, ne uiuus ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A quibusdam nepotibus in ganeum deductus, nunquam postea aditum ad cryptam reperire potuit, nedum ingredi. De qua re misellus sæpe etiã cum lacrymis conquestus fuit. Phantasma hoc diabolicum fuisse, quis non uidet? at certè tamen uetustissima numismata Romana, quæ ex cauerna illa retulit, & multis ciuium nostrorum uendidit, indicium faciunt, latere fortassis in ea crypta thesaurum, quem auarus quidam dæmon custodiat, nõ secus atq; in aurifodinis cacodæmones strangulatores interdum metallicæ operæ magno suo cum malo experiuntur. Post illum ciuis quidam Basiliensis in summa annonæ penuria, ut familiam commodiùs aleret, spe numismatum eruendorũ in eandem cryptã descendit. Verùm aliquousq; progressus, cùm pter ossa quædã humana nihil aliud inuenisset, maximo horrore correptus, cõcitatissimo gradu è specu rediit, spe sua frustratus, teste Io. Funcio in Chron. Helu.

LIBRI VEL
Reperti.

Dictys Cretensis libri sex de bello Troiano conscripti, quos moriens secum sepeliri iusserat, in GNOSSO ciuitate per terræmotum sepulcro aperto inuenti fuerunt. Suidas.

In sepulcro Numæ Pompilij libri de iure pontificum & philosophia inuenti à ROM. post multa à morte illius secula, & in comitio exusti. Plutarchus in Numa.

In septimo concilio Toletano liber Moralium, quem beatus Gregorius ad petitionem Leandri Hispalensis episcopi cõposuerat, in Hispaniis non extabat. Ergo CINDASVINDVS rex, concilio approbante, Taionem Cæsaraugustanum episcopum ad Romanum Pontificem misit. Sed dum de die in diem responsio differtur, quasi in bibliotheca Romanæ ecclesiæ præ multitudine uoluminum non posset facile reperiri, orationis causa Taio episcopus in basilica Apostolorum principis pernoctauit. Circa noctis medium luce missa cœlitus uidit sanctorum agmina psallentia introire: è quibus duos senes in dealbatis uestibus ad eum accesserunt, & eum iam penè mortuum confirmarunt. Cumque causam, cur uenerat, explicasset, & percũctaretur, qui essent ipsi: alter eorum respõdit, se esse Gregorium, librumq; quẽ quæreret, in armario librorum in theca penultima reconditum affirmauit. Ille oraculo lætus, quærit insuper, utrum in illa tam sancta multitũdine sanctus Augustinus adesset, cuius librorum non minori desiderio teneretur. At ille Augustinum, altiore loco habitãtem, adesse negarit. Et hoc dicto disparuere. Hanc uisionem cum Pontifici Taio reuelasset, eiusq; ueritatem locus indicatus comprobasset, accepto libro ad suum principem est reuersus. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hispan. cap. 20.

Rapti.

P. AEMILIVS uicto Perseo Macedonũ rege, & immensis opibus in ærarium Pop. Rom. relatis, ipse ex spoliis nihil præter bibliothecam regiam sibi retinuit, ad filios suos bonis disciplinis instituendos. Plut. in eius uita.

FERGVSIO (qui pòst Scotorum regnum in Britannia restituit) ex præda Romana, capta urbe sub Alarico Gotho, obtigit præter uasa quædam sacra & preciosam supellectilem, arca libraria H. Boethius.

Lotharius Imp. Innocentium II. Pp. reducens, & Rogerium Siciliæ regem qui Anacleto II. Antipapæ fauerat, bello persequens, Salernum mari oppugnabat. PISANI quadraginta sex triremes omnibus rebus instructas eisdem litoribus admouentes infestam omnem oram maritimam habuerunt. Pridie Nonas Augusti, cùm adorti Amalfim essent, urbem primo impetu expugnarunt. Ex omni autem præda urbis nihil nisi rem unam eximij loco beneficij à Lothario petierũt. Hoc fuit iuris ciuilis Pandectarum uolumen, olim à Iustiniano Imperatore conditum, & priscis admodum litteris exaratum: quod in hunc usque diem Pisis Florentiam translatum, ibi magna, ut ita dicam, religione seruatur. Sigonius libro 11. regni Italici.

AVLAEA.

ROBERTVS Brusius Scotorum rex uicto ad Bannasbornã ſl. Eduardo II. Anglorum rege, aulæa ex bysso & auro preciosis, in regio tentorio capta cœnobiis Prædicatorum per Scotiam diuisit, ad sacrorum ornamentum. H. Boeth. lib. 14.

COMMEATVS.

Ex præda uillarum, quas diripuisset, Ioan. ZISCHA Boemus nihil ad se deferri iubebat, nisi telas aranearum. Sic enim pernas salitasque carnes è rusticano tecto pendentes appellabat. Aen. Syl. lib. 3. Com. de Alfonso.

Tempore Iorami regis & Elisæi prophetæ ISRAELITÆ exclusis Syrorum panico terrore fugatorum tantam commeatus copiam adepti sunt, ut ex summa fame ad summam annonæ uilitatem peruenerint. 4. Reg. 7. & Iosephus lib. 9. c. 4.

GVLIELMVS Langæus, Francisco I. Gallorũ rege in Italiam contra Carolum V. Imp. descendente, cum ala leuis armaturæ equitum ad Montecalerium usque oppidum ad Padum situ præcurrit, ubi Petrus Ciconius Insuber Cæsarianus, expediendis commeatibus præpositus, ingentem frumenti uinique & pecoris, reliquæq; annonæ copiam ex ipsa incolarum messe atque uindemia contulerat. Ad primum Langæi aduentum, occupatum est Montecalerium. Constat Alfonsum Vastium, Caroli V. Cæsaris copiarum in Insubria imperat. ipsi Ciconio uehementer iratũ fuisse, quòd ille in spem priuati quæstus, tantam uim commeatus in alia tutiora uique & commodiora oppida, uti ipse iusserat, non esset dispartitus: & propterea, cũ Ciconianis carris, qui oppido onusti educebantur, occurrisset, trahentibus plaustra bobus crura manu sua præcidisse, interficiq; iussisse, ut ea quoque iactura Ciconius afficeretur. Cui facto fugæque Ciconij peruenieus Langæus, regi non illepidè renunciauit, eo die se luculentissimè cœnaturum, postquàm sibi duo hostium clarissimi, cùm pistoris & cauponis, tum lanij operam præstitissent: Ciconius scilicet, qui dignitate erat Comes, atque ipse Vastius, tanti nominis imperator: postquam hic occisis bobus præpingue parasset obsonium, ille uerò albicantis coctæ cereris, & optimi uini cadis onusta plaustra reliquisset. Iouius lib. 17. Hist.

VTENSILIA.

MILESII iuuenes, cùm iactum retis à piscatoribus emissent, & illi tripodem aureum eduxissent, controuersia inter eos orta, quòd illi pisces uendidisse, hi iactum emisse se dicerẽt. Consulto Apolline, sapientissimo dandum esse, oraculum respondit. Dedit ea res septem Græciæ sapientibus occasionem. Laertius in Thalete.

ARMA. CVRRVS.

ROMVLVS rex Romanorum inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum, atq; eum in templo Vulcani dedicauit, cui imposuit statuam suam à Victoria coronatam. Plutarchus in Romulo.

Sacer Martis gladius apud Scytharum reges olim seruari solebat, quo quicunq; potiretur, ei regnum sperare fas erat. PASTOR quidam, quum suam buculam claudicantẽ offendisset, ut uulneris inueniret auctorem, demissi cruoris uestigia legit. At ubi ad sanguinei riuuli fontem peruenit, ubi bucula pascebatur, dum humi quærit, Martis ensem inuenit, quem bestia fortè calcauerat. Effossum hunc protinus ad Attilam regem Hunorum defert. Qui ubi sacri numinis munus esse à matre sua intellexit, fortunæ suæ admodum congratulatus, bellorum ac cæterarum gentium dominum se perbreui futurum ariolatus est. Bonfin. lib. 3. Dec. 1.

Eo prælio, quod Henricus IV. Imper. contra Rodolphum Sueuum imperij æmulum iuxta Fladechem conflixit, primo congressu territi Saxones, terga dedere. Ibi dux Boëmiæ VRATISLAVS, Henrico militans, regalem Rodolphi lanceam est adeptus: quæ exinde semper quemuis illius gentis, ducatu insignem, in omni festiua processione præcedit. Cranzius lib. 5. Metrop. cap. 15.

SIGNA, STATVAE
Donatæ.

P. Africanus Carthagine deleta, SICVLORVM urbes signis, monumentisq; pulcerrimis exornauit: ut quos uictoria populi Rom. maximè lætari arbitrabatur, apud eos monimenta uictoriæ plurima collocaret. Cicero lib. 4. in Verrem.

Raptæ.

Exciso Ilio, cùm inter se Græci spolia diuiderent, STHENELO Capanei filio Hercei Iouis signum obtigit. Multisque pòst annis cùm Dorienses in Siciliam transmigrarent, ANTIPHEMVS is, qui Gelan deduxit, Omphace Sicanorum oppido direpto, simulacrum à Dædalo fabricatum Gelan deportauit. Persarum uerò regẽ XERXEN, Darij filiũ, præter ea ornamẽta, quæ ex ipsa Athenarũ urbe amouit, scimus & ex Braurone Brauroniæ Dianæ signũ auexisse: eundemq; Milesiis (criminatum, quòd illi de industria nauali prælio in Græcia cum Atheniensibus infeliciùs pugnassent) æneum, qui in Branchidis fuerat, Apollinem ademisse: quem multis pòstannis Seleucus iisdẽ remisit Milesiis. ARGIVIS hac ipsa etiamnum ætate, signa, quæ ex Tyrinthe ablata fuerant, alterum in Iunonis, in Apollinis Elei alterum, reposita sunt. Iam CYZICENI cùm Proconnesios bello adegissent, ut sibi inquilini essent, Dindymenæ matris signum aureum è Proconneso asportarunt. AVGVSTVS uerò Imp. signis ac donis auferendis, & Græcorum & Barbarorum iam usu cõfirmata est exempla secutus. Ac à Tegeatibus quidem Arcadibus Aleæ Mineruæ signum abstulit, & apri Calydonij dentes. Aleæ Mineruæ signũ totũ ex ebore Romani positum habent in eius fori aditu, quod est ab Augusto dedicatũ. Ex apri dentibus, alterũ effractũ dicunt ij, quorum curæ sunt huiusmodi miracula commissa: alter in Liberi patris æde, quæ est in Cæsaris hortis, suspensus uisitur: nihilo ille quidẽ passus unius dimidio breuior. Pausanias in Arcadicis.

Captis Syracusis M. MARCELLVS reuocatus à ciuitate Romana ad propinquum & suburbanum bellum, ad suum illustrandum triumphum, & ad decorandum urbem, deportauit plurima atq; pulcerrima ornamenta Syracusarum. Nihil enim habuerat aut uiderat antè Roma illarum rerum politarum & exquisitarum, neq; quicquã erat ibi huiusce elegantiæ uel fabrefacti uel sciti. Barbaricis armis spoliisque cruore conspersis referta, atq; undique triumphalibus redimita ornamentis & trophæis, non placidum uel amœnum, uel meticulosorum hominum spectaculum, aut delicatorũ erat: sed ut Bœotiæ campos Martis orchestram Epaminondas, Xenophon belli officinam Ephesum, ita mea quidem sententia Romam tum Saturnigenæ templum armisoni, ut Pindari uerbis utar, appelles. Vnde gratior ad populũ Marcellus fuit, qui urbem deliciis exornasset, quæ Græcum haberent lepórem, gratamq; uarietatem præberent spectantibus. Enimuerò gloriabatur ille uel apud Græcos ob id, ꝙ quæ elegantia apud ipsos atq; uisenda essent, rudes ad id temporis eorum Romanos docuisset colere ac suspicere. Plutarchus in Marcello.

SARACENI uicto in Lycia Constante Imp. duce Mauia, cùm nullus eis aduersaretur, liberè loca omnia percurrentes, insulam Rhodon ceperunt: in qua celeberrimum illum colossum destruxerunt, cuius æs à Iudæo quodam mercatore Emeseno emtum, camelis nongentis exportatum fertur. Cuspinianus ex Paulo Diacono libro 19. rerũ Romanarum, Zonara, & Cedreno.

LONGOBARDI ductu Luitprandi regis Rauẽna diu obsessa, tandem capta de Græcis & direpta, inde Ticinum transtulerunt quicquid præclarum in urbe erat. Itaq; credibile est, tum equum illum ęneum cum insessore Papiam aductum, quem accolæ Regis solem uocant. Atq; ita quicquid Thedericus aliiq; reges Gothorum, atq; deinceps exarchi Rauennates Roma Rauennam detulerãt, id postea in uaria loca disiectũ est. Platina. Sigonius lib. 3. regni Ital. Iouius hanc M. Antonini Imp. statuam esse credit. De ea sic Bern. Saccus lib. 10. Ticinensis hist. Theodericus Gothorum rex statuam equestrem M. Antonini Pij Imp. Roma Rauennam transferri curauit, quam uersus Orientem uersam Rauennates Mirasolem appellarunt, & postea corrupta uoce Regisolem. Exorta autem post Caroli Magni tempora contentione inter Papienses & Rauennates, PAPIENSES statuam Rauenna raptam Papiam deportarunt, & faciem equitis uersus Septentrionem conuerterunt, Regisolium, hoc est, soliũ uel sedẽ regis appellãtes: quòd regium potiu[illegible] ess[illegible]uere à Septentrione irruptionem Barbarorum, quàm à Meridie uel Oriente, ubi mare muri instar defendit Italiam.

CIVES, INCOLAE, REGIONES ET VRBES frequentiores redditæ, incolis frequentatæ.

Coloniarum deductione urbes frequentiores redduntur, & ciues acquirunt. Hocq; respectu huius sunt loci. At respectu eorum, à quibus discedunt, ad diuitiarum usum coloniæ pertinent.

CVTHÆI ab Assyriorum rege Salmanassare in coloniam Samariam deducti sunt, cùm illinc abduxisset decem Israeliticas tribus cum rege Osea in Mediam, in æternam captiuitatem. Cuthæi autem cùm deos patrios colerent, iratus Dominus eis leones immisit, à quibus laniarentur. Salmanassar igitur sacerdotes ex Israelitis captiuis misit, qui eos in lege Domini erudirent. Itaq; Mosis Pentateuchum receperunt, & Deo ritu Israelitico sacra facere didicerunt, iuxtà tamen idola quoque coluerunt. Hæc gens à loco Samaritanorum nomen obtinuit, qui postea & religione & animis à Iudæis separati semper fuere. 4. Reg. 17. & Ioseph. lib. 9. Antiq. cap. 15.

Liberata Sicilia à tyrãnis per Timoleontem Corinthium, cùm ob bella penè deserta esset, Timoleon legatis missis CORINTHIOS hortatus est, uti denuo Syracusarum curam susciperent, fierentque de integro eius conditores. Ergo Corinthij non respexerunt res priuatas, sed primùm ad sacra ludicra per Græciam & ad celeberrima concilia missis legatis pronunciari per præcones iusserunt, Corinthios, prostrata Syracusis tyrannide, & eiecto tyranno Dionysio, uocare Syracusanos Siculosq; alios omnes, ut liberi & immunes suis legibus urbem colant, & agrum æquis conditionibus partiantur. Hinc dimissis per Asiam & insulas nunciis, ubi maximam partem acceperant exulum dilapsam consedisse: inuitauerunt omnes Corinthum ut uenirent, præsidium, & naues, & duces, qui securè eos Syracusas usque deducant, Corinthios suis impensis præbituros. Qui Corinthum conuenere, quia minor erat eorum numerus, institerunt ut ex Corintho & reliqua Græcia asscriberentur sibi coloni. Cùm ad decem millia effecissent, nauigauerunt Syracusas. Iam ex Italia quoque & ex Sicilia concurrerant ad Timoleontem frequentes. Vt sexaginta millium expleuit numerum, ut est Athanes auctor, diuisit iis agrum, ædificia mille talentis distraxit: simul relinquens ueteribus Syracusanis ius sua redimendi, & facultatem populo comparans pecuniæ, ita inopi cùm ad alia, tum ad bellum, ut statuas etiam uenundarent. Plutarchus in Timoleontis uita.

Anno à diluuio 836. Bericone rege duce, GOTHI è Scãdia egressi, partim ulciscendi causa, partim imperandi studio, Scythiam inuaserunt & subiugarunt: atq; ut Scythis iugum dedere, ita ipsi illorum nomen deinceps obtinuere. Anno postea 995. à Vexore Aegyptiorũ rege tributum importuniùs efflagitante irritati, Tanausio duce per uniuersam Asiam arma sua effudere. Delectati autem amœnitate Asiæ, totos quindecim annos pacandis finibus impenderunt: donec importunis precibus uxorũ ad propria reuocarẽtur, affirmantibus ipsarum legatis, ni redeant, sobolem se ex finitimis quęsituras, nec permissuras, ut posteritas Gothorum per fœminas intercidat. Igitur Tanausius tot gentium & terrarum uictor, precibus mulierum uictus, ad Gothicas terras redire coactus est. Io. Magnus lib. 1. cap. 25.

SALASSOS Alpinos Cæsar Augustus funditus deleuit, & uniuersos sub corona uenumdedit, ad Eporædiam, Romanorum coloniam deportatos, quoad extincta eorũ natio est. Terentius Varro Imperator cunctos illos acie uictos, sub

hasta uendidit. Trib. Romanorum milibus Cæsar Augustus missis, urbem AVGVSTAM habitandam tradidit, quo in loco Varro castra iam habuerat. Strabo lib. 4.

HELVETII oppidis suis duodecim & quadringẽtis uicis incensis iter capiebant per Romanorũ prouinciam, sicut olim Cimbri & Teutones. quibus nec cedere eos animo apparebat, & numero item erant in summa trecẽta millia capitum. ex quibus arma ferebant centum nonaginta millia. Hos Cæsar domuit, & quod fuit insignius, horũ barbarorum, qui ex prælio supererant, plus centum millia, in unũ contraxit, coegitq; repetere agrum, quem reliquerant, & quæ incendio absumserant oppida, metuens ne agrum uacuum Germani transmisso Rheno inuaderent. Plut. in Cæsare.

Adelbertus, cognomento Vrsus, orientalis Sclauiæ dominus, profligatis oppressisq; Sclauorũ contumacibus, ad Hauelam Albimq; degentibus, Holandos, Flandros & Rheni accolas substituit, quib. VRBES & oppida rursus incolenda dedit. Horũ concursu Brandenburgicus & Hauelburgensis episcopatus plurimũ accepere incremẽti: Ecclesiarũ præterea decimarumq; numerus ubiq; locorũ in immensum ferè accreuit, ut Helmoldus in Sclauorum Chronico c. 89. refert.

Florentini Fesulas, quas aperta ui capere nunquam potuerãt, an. 1010. in festo S. Romuli per inducias occuparũt, atq; oppido euerso ciues FLORENTIAM traduxerũt, & iunctis opibus, ex duabus urbibus unam fecerunt: idq; haud dubium Florentinæ, quæ postea floruit, initium potentiæ fuit. Sigonius lib. 8. regni Ital.

MANCIPIA.

Legimus in Paralipomenon libro, RASIN regem Damasci uicto Achaz multos de Iudæa Damascũ transtulisse. Et PHACEAM filium Romeliæ, regem decem tribuum, quæ appellabantur Israel, & regnabat in Samaria, una die centum uiginti millia percussisse de Iuda hominum bellatorum, & ducenta millia mulierum puerorumq; & puellarũ cum infinita præda in Samariã duxisse captiua. Hieronymus com. in Esaiam lib. 3. cap. 7.

DEMETRIVS Poliorcetes Megaris profecturus, quum seruitia Megarensibus abstulisset, ad Stilponem philosophum conuersus dixit, Liberam uobis, Stilpo, ciuitatem relinquo. Sic Demetri est, inquit ille: nullum in ea seruum reliquisti. Sabellicus lib. 7. En. 4.

MAVRICIVS Imp. ab initio sui regni ciuitates & præsidia Persis accommodatissima cepit: tantamq; prædam abstulit, ut capta mancipia integras insulas, ciuitates, & agros aliquot desertos repleuerint, & tellurem fructiferam reddiderint, quæ antea prorsus fuerat inculta: deniq; exercitum numerosum ex illis cõstituit, qui postea cõtra reliquas gentes admodum strenuè & fortiter pugnauit. Euagrius lib. 5. c. 19.

Anno Christi 1286. TARTARI è Polonia tantam hominum prædam abegisse dicũtur, ut cùm eam apud Vuladimiriam recognoscerent, & partirentur inter se, unum & uiginti millia innuptarum puellarum censa esse dicantur. Eas enim libidinis causa seruant maximè. Prouectiores tum uiros, tum mulieres, itemq; paruos pueros immaniter trucidant. Cromerus libro decimo.

TVRCORVM principum mos est, ex omni captiuorũ numero quintam sibi partẽ uẽdicare: pueros ferè à decimo anno ad sextum decimum legunt. Si captiui desunt, è prouinciis Christiano nomini ademtis, uel parẽtibus inuitis, per inquisitores capiuntur: eos à pio cultu auersos Mahometana superstitione imbuunt, imbutos præceptoribus militari disciplina instruendos tradunt: ubi uerò adulti sunt, cum principe militant, eosq; Ianizaros uocant. Qui ingenio & indole præstant, ad dignitatem promouentur: ex his Subassas, Flambularios prouinciarum, urbium & arcium præfectos legunt: cætera turba partim ad oppidorum præsidia, partim ante ianuam principis excubant: illius latus, si quando domo egreditur, ferro stipant. Ex his lectissima illa & quasi prætoriana cohorte in bello utuntur reges. Sab. lib. 9. Dec. 3.

SCORTA.

DEMETRIVS Antigoni F. Ptolemæũ Aegyptium ad Cyprũ nauali prælio insigni uicerat. Naues 70. captæ. Ex turba, quæ in nauibus onerariis circa litus stationẽ habebant, seruitiorum, amicorum Ptolemæi, feminarumq;, adhæc armorum, stipendij, machinarum, nihil prorsus elapsum Demetrio est: sed omnia cepit, atq; in castra deportauit. In his nobilis illa fuit Lamia, quæ initiò propter artem fuit in precio habita: siquidem scienter tibia canebat. Pòst extitit commercio meretricio celebris. Tunc uerò etiam exolescente forma multò se minorem pellexit Demetrium, adeoq; lepôre deuinxit & cepit eum, ut ab aliis mulieribus amaretur, unius illius esset amator. Plutarchus in Demetrio.

GREGES, ARMENTA.

Aurea mala, inquit Varro, id est, secundùm antiquam consuetudinem capræ & oues, quas HERCVLES ex Africa in Greciam exportauit. ea enim Græci sua uoce appellarunt μῆλα. Consule Athenæuum lib. 3. Dipnosophistõn, & Suidam, sub uôce, Ἡράκλειος ἀγέλη.

Verno tempore armenta, quæ niuosis Præcutinorum Pelignorumq; montibus deducta, in herbidis apricis Apuliæ campis hyemem absumsere, à pastoribus reducuntur, qui non procul à Gargano monte quum transeunt, portorium regiis Neapolitanis publicanis persoluere consueuerunt. Ex eo uectigali supra centum millia aureorũ numũm quotannis penduntur. Quod Galli, recepto iam à Neapolitanis Ferdinãdo II. Aragonio, occupaturi, ad sanctum Seuerum innumerabilem pecoris multitudinẽ coegerunt. Verùm quũ pecuniam ex uectigali se exacturos sperarẽt, FERDINANDVS uniuersum equitatum noctu Fogia Apuliæ urbe emisit: accersitaq; leui armatura Francisci Gonzagæ Mantuani, & tumultuario prælio pluribus simul locis inito, magnam pecoris partem auertit & abripuit, eo euentu, ut Galli gregibus in utriusque partis militum prædam conuersis, & captis dispersisq; pastoribus, fugatisque demùm publicanis, omnem penitùs præoccupandæ pecuniæ facultatem amiserint. Erant, quod uix dictu credibile est, supra sexcenta millia minoris pecoris, maioris uerò circiter ducenta millia. Fuit eius editi facinoris spectaculum ualde deforme & miserabile, quum eo tumultu innocentissimorum populorum opes inexpectata calamitate conciderint. Videre enim erat milites inter se latronum more de præda decertare, armenta ipsa, aspectu armatorum & concursu rapientium, metu consternata undiq; diffugere: pastores uinctos trahi, tumultuosq; contentionis genere cuncta permisceri: & quod propè ridiculum erat, milites desperatione maioris lucri, oues raptim detondere, alios iugulatas excoriare, ut lana ad pellibus potirentur. Iouius lib. 4. Hist.

Xerifius Mauritaniæ regulus, à FERNANDO Ataidio, Safinij urbis nomine regis Lusitanorũ Emmanuelis pfecto, uictus fuit an. 1513. Præda tanta fuit, quanta nunquam antea fortasse ex ullo prælio cum gentibus illis inito capta fuerat. Nam supra ducenta millia pecudum, & boum, & tria millia camelorum, equorum similiter ingentem multitudinem fuisse constat. Osorius lib. 9. rerum Em.

DIVITIARVM ACQVISITIO PRIMARIA, RESPECTV FORMAE CONSIDERATA,

MERCES DATA OPERAE

LITERARIÆ.

Hic Grammaticorum, Rhetorum, & similium, quatenus ex arte quæstum faciunt, exempla pertinẽt. Item Tit. Discipuli grati erga præceptores.

SENECA philosophus, Neronis quondam præceptor, ter millies sestertiûm acquisiuit.

AESOPVS Tragœdus familiarissimus Ciceroni, tam diues ex histrionica factus, ut sestertio centies ei patina stererit: filium Apitium reliquerit adeò prodigum, ut uniones aceto liquefactos cœnis apponeret. Plinius.

ACVSILAVS Atheniensis Romæ ex Rhetoricæ professione ditatus, Atheniensibus moriens reliquit centum millia drachmarum, ex usuris. Suidas.

BELLICÆ. STIPENDIA militaria.

Fuit id HERCVLI peculiare, ut ex captis urbibus detractos homines inauctoraret: inde ubi longiori militiæ assueti strenuè stipendia fecissent, in quæsitas bello urbes ac terras, uelut in colonias ductos, alienis opibus emeritos donaret. Sabellicus lib. 6. En. 1.

M. Varro auctor est, MEZENTIVM Hetruriæ regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse uini mercede, quod tum in Latino agro fuisset. Plin. lib. 14. cap. 12.

Anxure Terracinæ oppido capto à ROM. præda militi concessa est. Ea imperatorum benignitas plebem patribus reconciliauit, auditumque, quod maximè militari fuit ætati acceptum, fore, ut deinceps stipendium miles ex publico acciperet, quum de suo quisq; ad id tempus militari functus esset munere. Nihil unquam tãto gaudio est à multitudine exceptum, concursumq; est ad curiam, prehensatæq; exeuntium manus, magnoq; studio ueri patres appellati: neminem uiuorum esse, qui pro tam munifica patria, donec quicquam uirium superesset, suo esset corpori aut sanguini parsurus. Fremere in ea ordinum lætitia Tribuni plebis, negareq; tam lætum partibus uniuersis fore, quantum à principio uideretur: id consilium multò salubrius specie, quàm re & exitu futurum: haud esse prædicabant, unde ea pecunia in stipendium cõflari posset, nisi tributum populo indiceretur. Ex alieno igitur id patres militib. largituros. Postremò tributo indicto, edixerunt Tribuni, futuros se auxilio iis, qui in militare stipendium tributum soluere recusassent. Cæterùm pendendi initio à patribus facto, qui pro se quisq; enixi æs graue ex censu in medium contulerunt (adhuc enim signati argenti usus nullus erat Romæ) dederunt operam, ut ditissimi quiq; amicorum ex plebe itidem ipsi facerent. Deferebanturq; iam apertè currus ære onusti in ærariũ. Quod ubi magno militaris ætatis fauore fieri animaduersum est, popularestudium cæteri secuti, uulgò Tribunitium auxilium repudiarunt. Atque sic accidit, ut uiginti annorum spacio Athenis & Romæ cœptum sit tributum pendi in militare stipendium, casuq;, non exemplo, utrobique id factum, quando nulla ad id tẽpus inter ipsas ciuitates essent mortalium cõmercia, ut hæc illius, aut huius illa uideri possit exemplum secuta. Sab. lib. 7. En. 3.

BARTHOLOMÆVS Coleo Bergomas dux clarissimus, Venetarum copiarum imperio annos unum & uiginti potitus est. Nullus ducum, qui omni hominum memoria fuerunt, tantum auri congessit legitimo stipendio, nullus ditio rutã decessit. Reliquit is testamento Venetum nomen hæredem. Sab. lib. 7. En. 10.

Bello contra Philippum Vicecomitem numûm auri ducenta ac uiginti millia FRANCISCO Sfortiæ in stipendium decreta sunt: quorum nonaginta millia Florentini, quod reliquum erat, Veneti dissoluerent. quæcunq; ad hæc ex Philippi principatu quærerentur, præter Cremonam, quæ Venetorum imperio cederet, reliqua Sfortiæ quæsita uiderentur: ac si præter Cremonam nihil caperetur, tum eam ipse copiarũ imperator haberet. Sab. lib. 3. Dec. 3.

Veneti iam inde, ex quo bellum cum Mahometo Turcorum Imp. suscepere, Pannonum arma sibi socia iunxerunt, decreto bellicosissimo regi MATTHIÆ Coruino annuo stipendio. Sab. lib. 10. Dec. 3. Põtificij collegij decreto quinquaginta quotannis aureûm millia, pro gerendo bello contra Turcas ad Matthiam in Vngariam mittebãtur, quæ annos multos persoluta sunt. Bonfinius lib. 1. Dec. 4.

MECHANICÆ.

Ex Mechanicarum artium cultu hic quædam, quatenus exempla diuitiarum mechanica opera comparatarum continent.

Aedificationi.

M. CRASSVS seruos habuit circiter quingentos, fabrilis artis & architecturæ peritos: quibus non solùm ad propriæ domus extructionẽ usus est, sed ciuibus ædificare uolentibus eorum operas mercede locauit. Plutarchus in Crasso.

PRACTICÆ. MERCES DATA

Scortationi.

Consule Tit. Meretricum auararum.

Lenocinio.

Martialis THELESINVM turpi quæstu diuitem factum, ridet his uerbis, lib. 6. Epigram.

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscenos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.

Proditioni.

CILLICON prodita patria Mileto Prienensibus, cùm dux esset exercitus, ditatus fuit. Suidas.

FRVCTVS. perceptus ex MECHANICA INDVSTRIA.

Diuitias non nisi magno labore acquiri, præter alia, docet etiam Græcũ etymon. Nam ἔργυρον dictũ esse uidetur ἀπὸ τοῦ τοῖς ἀργοῖς οὐ ῥεῖν, quòd pigris & otiosis hominib. nõ affluat, sed diligentibus tãtùm & industriis. Quanto labore & periculo è terra effodiatur, quanto iam effossum acquiratur, cõstat. Hesiodus in 2. ἔργων duos modos acquirendarũ opũ tradit, Agriculturã & Mercaturã: quarũ illa honestissima est & liberalissima, hæc uerò tam sordida, quàm quæstuosa, & luxus potius, quã necessitatis famula. Græci igitur opes annuatim, ex prouentu terræ frugũ, uidetur appellasse ἄφενος, quasi ἀφ' ἔτους ἐνιαυτοῦ: quas itẽ ὄλβον, ὡς ἀπὸ τῆς ὀλῆς βίον dici uoluit, ab ordeo scilicet, quod primũ inter cereales fruges inuentum traditur, teste Eustathio. At mercatura acquisitas, ναυτιλίῃ eo in loco Hesiodus appellat, quoniam nauigationib. potissimùm comparantur: alij πλοῦτον, ἀπὸ τοῦ πλοῦ, à nauigatione.

Ex Agricultura diuites facti.

Plutonem natum tradunt in Tripodo Cretæ, ex Cerero & Iasione. Quidam nolunt, cùm IASION terram seuisset, adhibita culturæ diligentia, adeò uberẽ percepisse fructũ, ut qui id conspexerunt, à messium fertilitate illũ Plutonem nominarint. Vnde & à posteris is, cui census superesset, habere Plutonem existimatus est. Diod. lib. 5. cap. 15.

METAPONTVS Italiæ urbs à Pyliis, qui à Troia cum Nestore nauigarant, ædificata dicitur. Eos tantum felicitatis è re rustica consecutos fuisse, fama est, ut Delphis donum obtulerint auream æstatem. Strabo lib. 6.

Ex Pastione qualibet.

SCRIBA librarius, libertus eius, qui apparuit Varroni, ex uillæ suæ pastionibus plus quinq; millia capiebat De MATERTERÆ suæ fundo in Sabinis refert Corn. Merula apud Varronem lib. 3. de re rustica, ex eius ornithone quinque millia turdorum uænisse denariis ternis, ut LX millia ea pars uillæ reddiderit eo anno, Scipionis triumpho, & frequentibus collegiorũ cœnis excandefaciẽtibus annonam macelli. L. ALBVTIVS dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper uinci à uilla: agrum enim minus decem millia reddere, uillam plus uicena. Idẽ secundùm mare, quo loco uellet, si parasset uillã, se supra centum milia recepturum. M. Cato cùm L. LVCVLLI accepit tutelã, è piscinis eius XL. milibus sestertijs uendidit pisces. Hæc Varro.

Varro duos milites habuit in Hispania fratres VEIANIOS ex agro Falisco locupletes, quib. cùm à patre relicta esset parua uilla, & agellus non sanè maior iugero uno, circũ uillam totã aluearium fecere, & hortũ habuere, ac reliquũ thymo & cytiso obseuere, & apiastro, quod alij μελίφυλλον, alij μελισσόφυλλον, quidã μέλινον appellant. Hos nunquam minus, ut peræque ducerent dena millia sexterria, ex melle recipere esse solitos, tum eos & uelle expectare, ut suo potius tempore mercatorẽ admitterẽt, quã celerius alieno. Varro lib. 3. c. 16.

M. SEIVS pauonũ greges habẽs, à procuratore ternos pullos exigebat, eosq;, cũ creuissent, quinquagenis denariis uendebat, ut nulla ouis hunc assequeretur fructũ. Præterea oua emebat, ac supponebat gallinis. Varro lib. 3 c. 6.

HENRICVS dux Brunsuicẽsis, an. sal. 1473. nullo masculo herede relicto obiit, cùm opes accruasset maximas ex ouibus, patribus ueteris Testamẽti, ut pietatis, sic pastoritio studio similis. Cranzius lib. 12. Saxoniæ cap. 11.

Ex Mercatura.

IOSEPHVS Aegypti horreis à Pharaone rege præfectus, cùm septem annorum famem præuidens, annonæ maximã uim coëgisset. omnem in primis pecuniam ex Aegypto & Chananæa in fiscum regium retulit, cùm fruges ab eo emere cogerentur. Pecunia exhausti, pecora & iumenta pro alimentis uendiderunt. Consumta pecunia & pecore, corpora & agros suos Iosepho oppignerarũt, & in seruitutẽ addixerũt. Et sic omnem Aegyptiorum agrum Pharaoni coemit Iosephus, populum in oppida transtulit, & semẽ subministrauit, ut sementes facerent, ea conditione, ut prouẽtuum quintas Pharaoni penderent, quatuor partes ipsi ad conserendos agros & familiam alendam haberẽt. Quæ res in legem abiit, ita ut Aegyptij quintas regi pensitent, præter unas sacerdotum possessiones, quæ sunt immunes. Geneseos 47.

LAMPIS Aegineta negotiator interrogatus, quomodo sibi parasset diuitias? Magnas, inquit, haud difficulter: exiguas uerò, cum labore ac tardè. Sentiẽs, initiò paulatim magnáque uigilantia corradi pecuniam: cæterum parta iam ingenti sorte, facile esse amplis lucris ditescere. Plut. in lib. An seni sit capessenda Resp.

SABÆORVM & GERRÆORVM regio non solùm propinquis barbaris, sed cæteris hominibus ditior atq; opulentior habetur. Nam in mercaturarum commercio ex parui ponderis re plurimum precij à mercatoribus in rerum commutatione capiũt. Diod. l. 3. c. 3. & Strabo lib. 16. & Plin. l. 6. c. 28.

AEGINETÆ diuites facti, ex eo quòd à seruis ea, quæ ex præda Platæensi surripuerant, uili precio emerũt. Herod. lib. 9.

AGRIGENTINORVM urbes agri ubertate & magna opũ ui felicissima fuit, antequam ab Carthaginensibus euerteretur. Illic uineta spaciosæ admodum amplitudinis cultuq; admirando ducta conspicere erat, plurimã passim agri partem oleis consitam, uariisq; cæterorum fructuũ arboribus aspectu blandissimo distinctam: inde immensam frugum uariarum copiam oppidani Carthaginem assiduè uenundatum importabant, necdum enim per eadem tempora Libycum solum conseri, colique cœptum, frugibus exteris ali cogebatur. Eo commercio mirum in modum Agrigentinis opes auctæ, diuitiarumque in immensum facultas excreuit, perpetuo commutandarum frugum lucro negotioque congesta. Diod. lib. 13.

M. OCTAVIVS Herennius mercatura ditissimus euasit. Macrob. lib. 3. cap. 6. Saturnal. ex Masurio.

THALES Milesius, unus è septem, cùm obiicerent ipsi, pauperi homini, studium sapientiæ tanquam inutile: aiunt eum cognita futura ubertate olearum scientia siderum, adhuc hyeme, cùm facultatem nactus esset pusillæ pecuniæ, arrabones dedisse omnium torculariorum, quæ forent Mileti & in Chio (ἐλαιουργιῶν, non autem oleatum, ut Cic. 1. de Diuin. & Plinius) conductis illis exiguo precio, quia nullus augeret mercedem. Postquam autem tempus uenit, cùm mul-

ti simul quærerent, subitò locantem quomodo uoluit, magna pecunia coacta demonstrasse, procliue esse philosophis ditescere, si uellent: uerùm longè aliud esse, cui studerent. Arist. lib. 1. Polit. cap. 11. & Laërt. Plin. lib. 18. cap. 28. hoc DEMOCRITO tribuit.

In Sicilia QVIDAM, deposita apud eũ pecunia, coëmit omne ferrum ex officinis. Postea cùm è mercatibus mercatores uenissent, uendebat solus non ualde aucto precio: & tamen è quinquaginta talentis recepit centũ. Hoc cùm Dionysius tyrannus audisset, pecuniã sanè passus est illũ exportare: nõ tamẽ uoluit amplius Syracusis manere, inuenientẽ uias pecuniæ rebus suis detrimentosas. Arist. lib. 1. Polit. cap. 11.

EVTYCHVS Sabinus cũ audiret à præcone uenale fieri oleũ uilissimo precio, ad forũ cùm accessisset, nemine de oleo emendo tunc sollicito, cæteris aspernantibus, cõmouit eum desubitò appetitus quidã. Emit igitur, mercatorib. qui aderant, propositũ irridentibus. Sequẽti uerò anno cùm nullus esset ex oliuis prouẽtus, tertio & quarto siccitas, æstus, uredines, bruchi quoq; frondibus ramusculisq; fecissent iniuriam: quinto anno tantum lucri ex oleo illi obuenit, ut decuplo etiam uendiderit. Pontanus lib. 2. de Fortuna, cap. 13.

COSMVS Medices, qui Florẽtinæ Reip. dominiũ obtinuit, relictas à patre Ioãne opes ita amplificauit, ut cùm nulla alia ratio uideretur potuisse iniri, multi existimarint à Ioanne XXIII. cui est põtificatus Constãtiæ abrogatus, relictã illã hæreditatem creuisse. At uerisimilius est, redimendis illũ ciuitatis uectigalib. quãdo inopiã ærarij suis subleuabat opibus, rem familiarẽ tantã fecisse. Brutus lib. 1. hist. Florentinæ.

MVTVO, FOENORE diuites facti.

Ex Tit. Fœneratorum huc quædam. Illic Habitus, hic Opulentiæ acquisitio perpenditur.

IMPERIO, TRIBVTO, EXACTIONE, Vectigalib. Portoriis ditati.

Exempla aliquot pete ex Titulis, Prudentiæ, Liberalitatis, Auaritiæ, Fidei, Perfidiæ in exigendo tributo: maximè uerò ex Tit. Tributorum. illic Patientis & Seruitutis, hic Agentis & Acquisitionis habetur ratio.

SOLOMO rex omnium sapiẽtissimus & locupletissimus, singulis annis ex prouentibus habuit auri 666 talenta, præter ea quæ pendebantur ei à mercatoribus & institoribus aromatariis, omnibusq; Arabiæ regulis & prætoribus. Libro tertio Regum, cap. 10. & 3. Regum 10.

IOAS rex Iudæorum, cùm ruinosum esset Domini templum, tributum à Mose in desertis institutum Exodi 30. omnibus Iudæis indixit, ut honorarium quisque afferret. 2. Paralip. 24. & lib. 4. Regum, cap. 12.

Cùm Phul Assyriæ rex Israelitas infestaret, MANAHEMVS Israelitarum tyrannus uiritim Israelitarum potentissimus quinquagenos argenti siclos imperauit, & mille talentis argenti pacem ab Assyrio emit. 4. Regum 15.

IOTHAMVS Iudæorum rex, uictis Ammonitis tributum imposuit annuum, centum argenti talenta, & tritici decem corum millia, & hordei totidem. 2. Paralip. 27.

SCYTHÆ à Vexore Aegyptio prouocati, cùm eum fugientẽ persequerentur, XV annis Asiam uniuersam subegere, & domũ reuocati ab uxoribus, maritorũ absentiã ægre ferentib. tributũ modicũ gentibus imposuere, cuius pendendi finem fecit Ninus Assyriorum rex. Sabellicus lib. 1. En. 1.

Aegypti uectigalibus trifariã partitis, primã portionẽ percipit collegiũ SACERDOTVM, magna apud incolas auctoritate, tum propter deorũ curã, tum propter doctrinã, qua multos erudiunt. Hanc partem tum ad sacrificiorum ministeria, tum ad priuatæ uitæ commoda impartiũt. Neq; enim deorũ cultum omittendum putant, neq; publici consilij utilitatisq; ministris æquũ censent uitæ commoda deesse. Adsunt enim grauibus in rebus hi semper cõsilio atq; ope regibus, tum astrorum peritia, tum ex sacrificiis futura prædicentes. Ex libris præterea sacris priorum gesta referunt, quibus reges in agendis noscant quæ sint profutura. Non enim, quẽadmodum apud Græcos, unus homo, aut unica mulier sacris præest: sed plures in cultu deorum honoreq; uersantur, qui eandem sacrorũ curam filiis tradunt. Hi omnes immunes sunt, secundumq; post reges honoris dignitatisq; locũ tenent. Altera portio ad REGES peruenit: quã & ad bella, & ad uitæ cultũ, tum ad liberalitatẽ erga strenuos uiros pro meritis impendunt. Qua ex re fit, ut populares nullo grauẽtur tributo. Tertiam percipiunt MILITES, & qui belli sunt instituti ministerio: ut hoc stipendio accepto paratiorem habeant animum ad bellorum pericula obeunda. Iniquum enim foret, ad tuendam communẽ salutẽ intentos, nulla ex ea, pro qua pugnarent, patria, commoda percipere. Ea uerò præcipua utilitas uidetur, quòd mercede laborum impensa cùm fiant opulentiores, facilius gignendæ proli operã dãt. Quo fit, ut referta multitudine hominum patria, nequaquã externo milite egeat. Hoc militandi ordine à progenitorib. suscepto, parentũ uirtutem à pueritia imitati, bellicisq; exercitati muneribus, milites egregij euadũt. Diod. lib. 1. c. 6.

MYRIS rex Aegyptius uectigal piscium, qui in stagno Myrios à se effosso capiebantur, uxori concessit, tum ad unguentorum usum, tum ad reliquum corporis cultum. Id, talenti argentum singulis diebus pendit. Traduntur duo & uiginti piscium genera in eo esse, tantamq; eorum capi multitudinem, ut abundè præbeat iis etiam, cùm plurimi sint, qui saliendis piscibus operam præbent. Diod. lib. 1. cap. 4.

Anthylla Aegypti urbs insignis, datur peculiaris in calceamenta VXORI regis Persarum, ex quo tempore cœpit esse ditionis Persarum. Herod. lib. 2.

Persarum REGES quisq; suas ædes in monte faciunt, & thesauros & tributa, quæ exigunt, ibi recondunt, bene administratæ rei monumentum. Exigunt ex ora maritima argentum, ex mediterranea, quæ quæque regio ferat, ut colores, medicamenta, lanam, uel aliud tale: eodem modo & pecora. Maxima auri atque argenti pars in ædificiis est, in numis perexigua. Strabo lib. 15.

DARIVS Longimanus Persarum rex, omne regnum in quatuor & uiginti partitus est prouincias, quib. tributum inscripsit. Id ut nouum, ita regi inuidiosum fuit, ut uulgo Cyrus à Persis pater, Cambyses dominus, Darius institor uocaretur. Fuit summa annui tributi, ex tot gẽtibus exacti, si uera sunt, quæ Herodotus scribit, XIIII millium talentorum auri: argenti, quingentorum & sexaginta. Babylonica ea talenta fuere, quorũ singula appendebant Euboicas libras septuaginta. Gentes, quæ tributum pependere, octo circiter & sexaginta, quatuor & uiginti Satrapiis complexæ. Supra id auri & argenti pondus, dabant Aethiopes certum puerorum numerum, Arabes thura, Colchi, & qui Caucasum incolũt, promiscuè pueros & puellas. Sabellicus lib. 7. Enneadis 2. Ex Asia quotannis DLXXV millia talentorum accipiebat præter aliud tributum, quod ex Africa, & iis qui Europam Thessalia tenus incolebant, eidem afferebatur.

In Macedonia ex effusione æris, singula talenta in singulos dies ALEXANDRO Magno regi pendebantur. Alexander ab Alexandro, lib. 4. cap. 10.

Præter alia equidem miror, inquit Plinius lib. 33. cap. 3. populum ROM. uictis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum: sicut Carthagini cum Annibale uictæ argenti põdo annua in quinquaginta annos, nihil auri. Nec potest uideri penuria mũdi id euenisse. Nam Midas & Crœsus in infinitum possederant.

Cùm Mathildis HENRICI I. Anglorũ regis F. iam uiro matura, ab Imperatore Henrico V. cui pacta erat, peteretur, rex causa dotis illi parandæ, tributum iugeratim, hoc est, per singula iugera terræ, soluendum populo indixit: & puellam cum grandi dote ad uirum deducẽdam curauit. Secuti sunt istud institutum quærendarum dotium, ad collocationem filiarum, cæteri deinde reges: adeò posteritas suorum commodorum tenax semper fuit. Polydorus lib. 11.

Nouigrodum urbs Liuoniæ olim principi LITVANIÆ quotannis tributum centum millium aureorum pendebat. Eam Ioannes Moschorum rex an. sal. 1470. occupauit. Ioach. Cureus in Silesiæ annalibus.

CLOTHARIVS I. Francorũ rex tertiã redditũ ecclesiæ partẽ sibi exhiberi iussit. Cui Turonũ archiepiscopus liberè & fortiter intercessit, uaticinatus regno spoliatum iri regem, si pauperum bona attenuaret atq; eriperet. Chron. Frãcorum.

RICARDVS Anglus cõtra PHILIPPVM Galiorũ regẽ bellum gerebat. Cum pecunia nõ suppeteret, & populis partim quotidie noua tributa soluẽdo, partim suis sumtib. bellando, propè ad inopiã redactis, grãde æs alienũ multiplicatũ esset: uisum est utriq; regi, quasi simul consiliũ cepissent, nõ indignũ esse, si adhuc sacerdotibus, quib. cũ religionis causa hactenus esset mitius actũ, ex iisq; nullus haberetur delectus, nouũ tributũ imponeretur: ac ut honesta causa rẽ minus æquã tegerẽt, prædicandũ cõstituerunt, se eã pecuniã facere, ut in stipendiũ darẽt illis, qui in Syria rẽ Christianã armis tuerẽtur, quanquã illud minimè omniũ cogitarant. Itaque Ricardus in Turones profectus, primò à cœtu Turonẽsi, deinde ab aliis sacerdotib. qui in principatu eius Gallicano erant, grandẽ pecuniæ uim exegit. Philippus itidẽ, sed acerbius multò, intolerabiles sacerdotiorũ decimas indixit confestim suis quæstorib. rapacissimis soluendas. Polyd. lib. 14.

EDOVARDVS IV. Anglorũ rex, blandũ exactionis genus excogitauit, idq; Beneuolentiã appellauit. Egit enim cũ amicis, ut spõte in sumtus belli pecuniam corrogarent: qui ipse ex ea re beneuolentiã singulorum mẽsurus esset, ut qui scilicet plus daret, plus diligere se cẽseret. Quo postea Henricus VII. bello Gallico usus magnam pecuniæ uim collegit. Polydorus lib. 24. & 26.

LVDOVICVS XI. Francorum rex de regni prouentibus interrogatus, Nescire se id dixit, sed hoc unum scire, Galliam prati instar à se pro libito, quoties quantumq; uellet, tonderi. Corrozetus de Dictis & factis memorab.

Anno

Anno Christi 1456. ad bellum Prussicum gerendum tributum in Polonia à rege CASIMIRO imperatum, ut rex pariter, & ecclesiasticus equesterq; ordo uniuersus, dimidium annuorum censuum conferrent, ne honorum quidem & magistratuum fructibus exceptis: oppidani uerò, soli iuxtà ac mobilium bonorum æstimatione facta, ut binos grossos à marca pẽnderent: agrestes uerò singulos grossos in capita marium & feminarum: cęterùm equestres homines, qui nullos haberẽt agricolas & adscriptitios, neq; census, uicenos quaternos grossos. Cromerus lib. 23.

DOS.

Consule Tit. Coniuges locupletes. illic Felicitatis ob coniuges, hic Acquisitionis opum ratio habetur.

AESCHINES Socraticus uetula ducta ditescit. Athenæus libro 13. cap. ultimo.

Priscis seculis dos olim apud ROMANOS æs graue fuit: mox decem millia æris, dotes non excessere: postea corruptis moribus, 40. millia. Diuites uxores in dote, ad quadraginta millia supergressæ sunt, in tantum, ut MEGVLIA, quòd quingenta millia dotem dederat, Dotatæ nomen tulerit. Alexan. libro 4. capite tertio.

Erico Danorum regi nupsit PHILIPPA Portugalliæ regis filia, dotem attulit denarium aureum unum, multa millia pẽdentem. Cranzius lib. 11. Vandaliæ cap. 18.

DONVM, MVNVS.

Consule Tit. Munificentiæ.

THEMISTOCLES exul à Persarum rege Artaxerxe honoratus plurimis donis, ac citò factus opulentus, filiis suis, Filij, inquit, perieramus, nisi periissemus. Plut. in Apoph.

Militiæ casus olim dicebatur, cùm alicuius militia, hoc est, munus alicuius eorũ, qui publica Principis negocia gerunt, per eius mortẽ cecidisset, quasi dicas, Caducam militiam. Constitutũ autẽ fuerat apud Rom. ut milite aliquo mortuo, liberi, uel uxor, uel hæredes eius, de commilitonũ sententia (uel usitatis uerbis utamur, ex cõmuni eorum, qui in eadem schola, id est, ordine statuti sunt, placito) beneficiũ aliquod à Principe impetrarent. Hoc beneficium siue commodum casus militiæ dicebatur præcisè, pro commodũ caducæ militiæ: quod non hæreditaris iure, sed priuilegio & beneficio Principis tribuebatur. Hotoman. de Verbis iuris.

Ciuili seditione, quæ in Xysti IIII. Pontificis tempora incidit, POMPONII Læti domo temerè direpta, tam multa sunt hinc inde illi congesta ab amicis & affectatoribus, ut penè plura accepisse credatur, quàm amiserit. Sabellicus in Pomponij uita.

RELAXATIO, CONDONATIO *Tributi.*

Cùm HENRICVS II. Imp. in honorem beati Georgij templum Bambergæ condidisset, cuperetque id in cathedralem ecclesiam consecrari, annuente Benedicto VIII. si quotannis census nomine daret ecclesia ipsa Romano pontifici centum argenti marcas, cum equo albo ac phalerato: LEO IX. dono Beneuentũ ab Imp. accipiens, Bambergensis ecclesiæ tributum remisit. Platina.

Debiti, Aeris alieni.

Nouarum tabularum decreta M. Tullius labefactionem fundamentorum reipublicæ uocat, quum pecuniæ creditæ obæratis condonantur, & nouæ mox cooriuntur tabulæ, quibus nomina contineantur noua. Nam quid habent argumẽti, nisi ut tu emas mea pecunia fundum, cùm tu habeas, ego non habeam pecuniam? Et Seneca appellat rem perniciosissimam beneficiorũ nouas tabulas. ATHENIENSES tamẽ hoc æris alieni laxamentũ ac remissionem, Solone statuẽte, admisere, legemq;, qua statutũ id est, σεισάχθειαν appellauere, hoc est, oneris leuationẽ. Quæ chreocopia item dicitur, quasi debitorũ abscissio. Ex quo Solonis amici quidã chreocopidæ ex debiti retẽtione sunt appellati. Quum enim ij Solonis mentem percepissent, præoccupãtes multas pecunias fœnori acceperunt, agrumq; ex iis maximum astutè compararunt. Ex quo & Solon non minima est aspersus infamia, ueluti iniuriæ particeps. Mox tamẽ tanquam eo nomine diis grãtias agerent, institutum sacrificium Sisachtheam item appellarunt. Cælius lib. 12. cap. 20. Antiq. Lect.

LEGATVM. HAEREDITATE acquisita bona. Hæredes instituti.

Ex Tit. Testamenta iustè uel iniustè rescissa, eorũ petatur exempla, qui etiam inuitis testatoribus hæreditatem adierunt. Item è Tit. Testamenta iniusta, & Adoptatorum. Consule etiam Titulum Liberalitatis erga hæredes. illic Dantis benignitas & magnificentia, hic Accipientis fortuna.

Abrahamus hæredem ex asse filium legitimũ ISAACVM constituit, quem ex Sara susceperat: at Ismaelem spurium cum matre Agare in Arabiam ablegauit. Concubinæ Ceturæ filios sex ornatos muneribus in Orientem dimisit, à quibus Brachmanum gẽs, quasi Abrahamitarum, ortum suum duxit, naturali magia & mathematicarum disciplinarum cognitione celeberrima. Genes. cap. 25.

ATHENIENSES ab Acusilao Rhetore pro legato accepere centum millia drachmarum. Suidas.

APPIVS Claudius Augur pauper, cum duobus fratribus & duabus sororibus relictus, earum alteram sine dote dedit Lucullo. A quo ipso hæreditate cessa primùm & primus mulsum domi suæ bibere cœpit ipse, cùm interea nihilo minus penè quotidie in cõuiuio omnibus daret mulsum. Varro libro 3. capite 16.

L. CORN. Sylla cùm Nicopolim meretricem uulgarem, sed opulentam cœpisset amare: fuit ex consuetudine Syllæ & formæ uenustate illa in amorem eius ita effusa, ut hæredem moriens eum reliquerit. Fuit item nouercæ hæres, quæ loco filij dilexit eum. Ex quibus hæreditatibus satis lautus fuit. Plutarchus in Sylla.

Q. Metellus plurimis & celeberrimis eiusdem nominis uiris in urbe Rom. uigentibus, Claudiorum etiam familia, quam arctissimo sanguinis uinculo contingebat, florente, CARINATEM solum hæredem reliquit: nec hoc testamentum eius quisquam attentauit. Val. Max. lib. 7. cap. 8.

In Gallia IVLIANVS Cæsar à Constantio Augusto desciuerat. Is relictis Persis contra Iulianum mouens, ad Tauri radices, apud Mopsucrenem moriens, testamento Iulianũ hæredem instituit.

Lucina uirgo sanctissima, MARCELLVM pontificem moriẽs prima omnium fecit hæredem. Quo indicio iratus Maxentius, mulierem ad tempus relegauit. Sab. lib. 8. En. 7.

Zelomiro Dalmatarum rege absque liberis mortuo, uxor successit. Quæ fratrem LADISLAVM Vngariæ regem, à quo contra seditiosos protecta fuerat, hæredem instituit. Ex eo tempore Dalmatia & Croatia Vngaris parère cœperunt. Bonfinius lib. 4. Decadis 2.

Ferunt Philippum Vicecomitem iusto odio contra Venetos æstuantem, diu agitasse animo, an Alfonsum regem Neapolitanum genero FRANCISCO Sfortiæ præferret, imperiiq; hæredem relinqueret ut eo incliti opulentissimiq; nominis propugnatore, ambitiosæ & præpotentis Venetæ gentis audacia frangeretur. Sed amore Blancæ filiæ, quæ iam Galeaciam [illegible] ad spem imperij in agro Piceno pepererat, generum, eundemq; solenni adoptione filium prętulisse, præcipuis supremi decreti suasorib. Andrea Birago, & Petro Pustella: cum diuerso studio Brocardus Persicus & Franciscus Landrianus pro Alfonso contendẽtes, uictiq; suffragiis, ab sententia popularis inuidiæ plena discessissent. Fama tamen in uulgus manauit, exaratum fuisse codicillum, quod priori testamento subderetur: sed expirante Philippo, priusquam testibus adscriptis obsignaretur, fuisse discerptum. Quod usqueadeò grauiter Alfonsus, tanquam malignè exclusus, tulit, ut ea suppressi codicilli iura Alfonsus nepos respiciens, sibi totique Italiæ clades maximas & funestissimas pararit. Iouius in Philippo.

Geldubensem Ducem senem adolescens filius in ordinem redegerat, utraq; popularibus dabat. CAROLVS Dux Burgundiæ, Flandriç Comes potentissimus, adolescente pulso, imperium seni restituit: ab eo ob id meritum hæres instituitur, exhærede filio. Tanto imperio præter spem auctus, alia parte comitatum Feretanum satis ingenti pondere auri pignori accepit à Sigismundo duce Austriæ, Augusti fratre. His tam inter se longinquis, diuersaque regione opibus inductus, multo maiorem concepit animo spem, quicquid terrarum hos inter duos tam facili successu partos dominatus iaceret, sui arbitrij faciendi. In Treuiris Cæsarẽ Fridericum conuenit, illata mentione filiæ Maximiliano Cæsaris filio despondendæ. Cæterùm cùm contenderet, ut ipse interea Vicarius imperij designaretur, deprehensa cupiditate Cæsar, eo ne ualere quidem iusso, repentè discessit. Sed non idcirco conatu destitit. Aemilius lib. 10.

COMMVTATIO.

Vide Titulum, Fidei in commutatione rerum.

Omnes GENTES, omnesq; populos apud prius seculũ mercibus res inuicem commutasse, uel coriis boum numorum loco, aut bobus pecudibusq;, aut ferreis uirgis, historiæ tradunt. Alex. lib. 4. cap. 15.

INDI & ESSENI, item Græci apud Homerum, ROMANI similiter, MASSYLI Africæ populi, pecora & mapalia pecuniæ loco habuerũt. ARMENI, SCYTHÆ, SERES & SARMATÆ. Sic etiam in Britannia gens quædam inhospita iuxta Scylliram insulam. Idem.

In uia Apheraide dicta, apud LACEDÆMONIOS, Boeneta sunt: domus ea fuit Polydori regis iustissimi, quæ eo mortuo de eius uxore emta est. Boues precium fuere. Nondum

enim fuerat numus argento auróue signatus : sed priscus fuit mos, ut sibi quæ quisq; uellet, per commutationem, bubus, seruitiis, rudi argento & auro, ultro citroq; datis & acceptis, compararet. Pausanias in Laconicis.

LAPPONES Septentrionales cõmercia rerum absq; pecunia mutuo consensu, nullo communicato sermone, quia gens multiplex est, fideliter agunt : non propter ingenij inopiam & barbaros mores, sed quòd linguam habeat peculiarem, cæteris uicinis parumper notam. Loca quoque constituta uel in cãpestri planitie, uel stagnis gelu cõcretis, singulo anno ad hæc peragenda negotia, quasi nũdinalia retinent. Tales nundinas usq; in hunc diem uocant Dysting, id est, Iudiciarium locum reginæ Dysæ: eo quòd hæc antiquissimis tẽporibus uidens populum multitudine sua laborantem, sedes in alienis terris ultra mare persuasit inquirere, & inquisitas diligenter colere. Olaus lib. 4. cap. 5. & 6.

EMTIO, VENDITIO.

Bona Porsenæ dicebantur, quæ uelut ab hostibus erepta paruo uæneunt. Eam appellationem Liuius lib. ab Vrbe cond. 2. scribit ad suam usque ętatem durasse: putatq; inde natam, quòd in bello soleant bona Porsenæ uenire ROMÆ, eaq; consuetudo unà cum titulo perseuerarit & in pace: quòd alioqui is mos hostiliter bona uendendi non congruat tam pacatæ regis profectioni. Quod si minus probatur, existimat eam consuetudinem à mitiori principio fuisse natam. Illud arbitratur uero proximum, quòd Porsena discedens ab Ianiculo ex fœderis lege, castra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ aruis commeatu, Romanis dono dedit, inopi tum urbe ab longinqua obsidione. Ea deinde ne populo immisso diriperentur, hostiliter uenisse, bonaque Porsenæ appellata, gratiam muneris magis significante titulo, quàm auctionem fortunæ regiæ.

Cùm Paulo II. mortuo, Xystus IIII. Pontifex renunciatus esset, Florentinorum ciuitas legationẽ, cuius erat LAVRENTIVS Medices princeps, gratulandi causa ad illum decreuerat. Ferunt eam legationem gratam in primis nouo Pontifici fuisse: quòd per eius rei occasionem, dari sibi facultatem sperabat, ad suas rationes Laurentium adiungendi; cuius auctoritate, cùm omnia Florentiæ administrari nõ ignoraret, quò magis testata sua in illum studia uiderentur, eum Rom. urbis ærario præfecit: facta potestate, ut per eos, qui in urbe illius negocia procurarent, munus administraret: quæ res magno iis fuit quæstui & emolumento. Cùm enim Paulus Pontifex, clarissimas gemmas, atque sumtu immani quæsitas, reliquisset: eas paruo precio à Xysto redemtas, qui aut earum uim haud satis callebat, aut ægrè ferebat grandẽ sibi pecuniam speciosa magis, quàm utili re occupari, cùm iacturam, si qua esset, celeritate conficiendæ pecuniæ compensaret, regibus plurimùm, ac priuatis, qui earum studio tenerentur, magno addixerunt. Ex his maximè ditatus rem familiarem auxit, Ioannes Tornabonius, Laurentij auunculus: quem ille Romæ suis negotiis administrandis præfecerat. Ea tamen amicitia inter Florentinos & Pontificem non fuit diuturna. Brutus lib. 5. hist. Flor.

PERMVTATIO.

Apud ATHENIENSES si qui Trierarchiam uel quoduis aliud munus sumtuosum Reip. causa obire detrectarent, paupertatis prætextu, & extaret aliquis, qui suam rem familiarem cum illarum re, familiari se permutaturũ & onus illud subiturum profiteretur: tunc ipsi aut munus illud obire cogebantur, aut facultates permutare. Et hæc ἀντίδοσις appellata fuit. Suidas.

LEO IX. Pp. cũ Henrico III. Imp. an. 1053. Natalem Vormaciæ celebrauit. Tũ insignis multorum prædiorũ est inter Imperatorẽ & Pontificem permutatio facta. Possidebat in Germania cõplures Põtifex, easq; opimas ecclesias, superiorũ regũ beneficio ac pietate sancto Petro donatas. Has liberare Henricus cupiẽs, petiit à Leone, ut sibi remitteret, & pro illis Beneuentũ, ac cætera in Ducatu Beneuẽtano iuris regij oppida nomine uicariatꝰ sibi haberet. Leo nihil se eius abnuere uoluntati posse respondit: sed illud adiecit, ut Leo Ostiensis prodit, ea loca cum omni ecclesiastica ditione assiduis Normannorũ incursionibus infesta esse: se adhuc cõpositis in capitis detestationẽ carminibus usum nihil profecisse: armis, non execrationib. diram insolentiũ hominũ ferociã cõprimi oportere. ad rem tantã conficiendã animũ sibi superesse, uires deesse. quamobrẽ orare illũ, ut ad cumulandã beneficij gratiã firmã aliquam Germanorũ manũ auxilio prębeat. Henricus haud grauatè eius petitioni obtemperauit. Itaq; bellum Normannis intulit. Sigonius lib. 8. regni Ital.

PRAEDA EX HOSTE.

Præda per se huius est loci, quia opulentiam bello partam significat. Quod si eum, cui eripitur, consideres, ad Paupertatis locum: si eius, qui eripit, auaritiam, uel iniustitiam, ad Perfidiæ & Auaritiæ locos releganda erit. Proinde considerandi erũt Tit. Fidei uel Perfidiæ in præda. Huc quoq; cõfer Tit. Triumphorum, quatenus in pompa triũphi, præda præfertur. Item Tit. Ab hostibus in seruitutem abducti, quandoquidem Mancipia in prædæ censum ueniunt. Item Spoliorum, quæ ob iunctam opulentiam huius sunt loci : at propter honorem, alterius.

Præda propriè corpora rerum captarum significat. Manubiæ uerò pecuniam per quæstorem populi Rom. ex præda uendita contractam. Gell. lib. 13. cap 23.

PHINEES Eleazari pontificis F. à Mose dux contra Madianitas, duodecim millibus prefectus, eos ad internecionẽ cecidit, & prædã maximã abduxit. Capta enim fuere, prætereа, quæ milites diripuere, balantũ sexcẽta septuaginta quinq; millia, boum 72000. asinorũ 61000. uirginũ autem ueneris expertiũ (nam feminas reliquas, ut quæ Israelitas ad scortationẽ & idololatriam pellexissent, Moses interfici curarat, unà cum maribus impuberibus) 32000. Prædam omnem diuisit in duas partes. Dimidiam dedit militibus, & ex ea animal unũ semper Domino è quingentis tribuit. Dimidiã dedit reliquis Israelitis qui non pugnauerãt, & ex ea quinquagesimũ quemq; tum hominũ tum pecorũ Domino assignauit, & Leuitis tradidit. Duces uerò & tribuni militum cùm neminem in tanta clade è suis desiderassent, sponte sua Domino munera ex his, quæ cuiq; suppeterent, quæq; in direptione obtinuerant, armillas, torques, inaures obtulerunt. Auri igitur huius exceptitij summa fuit siclorũ 16750. quod Moses & Eleazarus pontifex tabernaculo intulerunt ad perpetuam rei memoriam. Num. 31.

RVBENITÆ & GADITÆ Agarenos debellarunt, diuino auxilio implorato, & prædam abegerunt camelorum 50 millia, ouium & caprarum 250 millia, asinorum duo millia, hominum centum millia, multis in prælio cæsis. I. Paralipomenon quinto.

Oloferne cæso, & profligatis Assyriis, ISRAELITÆ triginta dies in castris diripiendis consumserunt, & ingenti præda potiti sunt. Iudithæ, cuius astu cæsus fuit Olofernes, tabernaculum Olofernis cum omni supellectile concesserunt. Iudithæ cap. decimosexto.

CYRVS Persarum rex deuicta Asia, pondo XXXIIII millia inuenit, præter uasa aurea aurumq; factum, & in eo folia ac platanũ uitemq;. Qua uictoria argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Aegyptium pondo LXXX capere, Varro tradit. Plinius libro trigesimotertio, capite tertio.

Post uictoriã è Persis ad Platæas adeptam, GRÆCI exercitus imperator Pausanias, Lacedæmoniorum rex, edicto proposito, ne quis de præda quid tangeret, iussit seruos omnem comportare pecuniam. Illi per castra Persarum inueniunt tentoria auro & argento referta, lectosque auro & argento constratos: crateras etiam aureos, phialasque, nec non saccos super plaustra, interlucentibus intus inclusis ex auro & argento lebetibus. Quinetiam è cæsorum cadaueribus auferebant armillas, & torques & acinaces aureos. Varij generis uestimenta nullius momenti habebant. Ex ea præda non pauca furto subtrahentes serui, Aeginetis uenundabãt quæ occultare non poterant, repræsentabant. Vnde principium extitit ingentium diuitiarum Aeginetis, ut pote aurum à seruis pro ære mercantibus. Collata pecunia decimam Græci selegerunt, ex qua tum deo, qui Delphis est, tripes aureus repositus est, insistens super tricipiti ex ære colubro proxime aram: tum deo, qui est in Olympia, Iupiter æreus decem cubitorum: tum deo, qui est apud Isthmũ, Neptunus æreus septem cubitorum. Hac parte selecta, cæteras inter se diuiserunt, pro suo quisq; merito accipientes. Itemq; pallas, [illegible] aurum, & aurum, & argentum, & reliquã pecuniam cum iumentis. Herod. lib. 9.

Dario uicto, ALEXANDER Magnus regiam Persarum Persepolim ingressus, thesauros qui ibi seruabantur, accepit. In eos à Cyro primo rege Persarum usque ad ea tempora publici reditus semper congesti fuerant, ut argenti & auri magnam uim continerent. Inuenit sanè Alexander auro ad argenti rationem reducto, centum & uiginti millia talentorum: cuius summæ partem secum ad belli usus portare, partem Susa mittere, ut ea in urbe custodiretur, statuit. Itaque ex Babylone & tota Mesopotamia & Susis mulos, qui & dorsuarij & iugales essent, quàm plurimos, & camelos ad tria millia adduci imperauit. Hac iumentorum multitudine totã pecuniam, quò decreuerat, cõportari fecit. In summa, accepit à custodibus thesauri regij octo millium talentorum numerum: ex militibus Darij tum pecuniam, tum ornamenta & pocula, quæ tredecim millia talentorum conficerent. Suppressa & ablata totidẽ, & amplius fuisse existimatum est. Susis potitus, quadraginta millia talentũm argenti signati inuenit: prætereа instrumentum regium aliud, & res preciosas innumerabiles. Vbi etiam purpuræ Hermionicæ quinque millia talentum narrat inuenta, annos seruatæ decem minus ducentos, quæ florem recentem adhuc ac nouitium retineret: cuius ferunt causam esse; quòd puniceorum infectura melle perfecta fuerit; & candido oleo candidorum: quippe horum in pari ætate splendorem integrum & fulgentem conspici. Adhæc ex Nilo & Istro haustum inter cætera Dinon memorat solenne fuisse ut afferri imperarent, atque in thesaurum reconderent reges, tanquam in pignus imperij, & rerum se dominos esse. Persepoli reperit argenti parem ac Susis summam. Reliquum instrumentum regium & opes, decem millibus iugorum mulariũ, & quinque millibus camelorum egesta. Milites uasa immensi precij dolabris inter se partitos constat. Plutarchus in Alexandro, Curtius, Diodorus lib. 17. Sab. lib. 5. En. 4. De eo sic Strabo lib. 15. Victo Dario ab Alexandro Magno, tradunt, in Persia & Susis inuenta fuisse talentorum XL millia. Sunt qui dicunt L. Nonnulli omnia undiq; Ecbatana comportata dicunt fuisse C & LXXX millia talentorum. VIII millia uerò, quæ cum Dario è Media fugiente exportata sunt, ab iis direpta, qui eum occidere.

In Epistola ad Alexandrum PARMENIO, posteaquam cepit Damascum, impedimentisq; Darij est potitus, connumerat prædam, & inter cætera hæc etiam scribit: Musicas pellices regis trecẽtas inueni, ac uiginti nouem. Quadraginta & sex uiros coronarum compositores, obsoniorum artifices ducentos & septuaginta septem, figulos olla[redacted] nouem, lactis artifices tredecim, sexdecimq; potionum temperatores, septuaginta uerò quibus uini cura demandata erat, unguentarios quadraginta. Athen. lib. 13. cap. 30.

PTOLEMÆVS Euergetes, tertius Aegypti rex, ulturus mortem Berenices sororis à Laodice pellice interfectæ, Seleucum Callinicum, qui cum matre Laodice regnabat in Syria, uicit, Syriam, Ciliciam, superioresque partes trans Euphratem, & propemodum uniuersam Asiam cœpit. Cumque audisset in Aegypto seditionem moueri, diripiens Asiam, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & uasa preciosa simulacraque deorum duo millia quingenta: in quibus erant & illa, quæ Cambyses capta Aegypto in Persas portauerat. Hieron. in Danielis cap. 11.

LYSANDER Lacedæmonius captis Athenis, Lacedæmonem profectus, ornamenta captarum nauium, & aureas coronas, aliáq; amplissima munera, quæ à ciuitatibus & insulis uictor dono acceperat, præ se tulit, pecuniam ad id ingentem. Xenophon quadringenta septuaginta argenti talenta fuisse, prodidit. Plutarchus auctor est, ante suum reditum, per Gylippum, qui in Sicilia paucis antè annis Athenienses uicerat, domum ab Lysandro missam. Qui sacculos haud resignare ausus, ne consutis signis manifesti peculatus conuinceretur, latera dissuit, atque ex singulis parte aliqua ademta, multa diligentia resarsit. Id furtũ præter chirographum, quo significabatur, quantum pecuniarum in singulis esset, serui quoque indicio est proditum. Prædicabat ille flagitij conscius sub herili tecto plurimas noctuas cubare: siquidem Athenienses per id tempus noctuæ figura pecuniam obsignabant: ob id credo, quia id uoluerẽ Mineruæ esse sacrum. Constituit sibi sceleris conscius Gylippus uoluntarium exilium. Difficilis inde cõsultatio tenuit, an argentum illud in urbem admitteretur, indignantibus multis, ueterem solui disciplinam, quum ad id tempus ferreo esset numo Spartiatarum ciuitas usa: quod uetus, nec tantùm Laconicum, Plutarchus credidit, quoniam plerique mortales ferreis ab initio uericulis uterentur, id est, obelis, qui oboli postea mutata litera sint nuncupati. Lysandri amicis annitentibus, pecunia publicè recepta est, capitalique lege cautum, si quis aurum argentúmue priuatus possideret. Sabel. lib. 9. En. 3.

DAÆ pop. Asiæ olim longis itineribus per Hyrcaniam, Issæam & Parthorum campos excurrere solebant. Hi uero tributum illis ex pacto pendebant. Id erat permittere, ut statis temporibus regionem excurrerent, atque prædam agerent. Strabo lib. 11.

HIMILCO Carthaginensium dux, capta Agrigento in Sicilia, spoliatis templis & domibus, tantum prædę spoliorumque inde contraxit, quantum credibile est urbem ducentis millibus mortalium habitatã habuisse, quæ scilicet ab ipsa prima sui origine, ex quo condita constiterat, intactis opibus, incolumi re, nihil iniuriæ hostilis, nihil uiolentiæ bellicæ experta, sed perpetuo rerum omnium incremento, successuque adeò prouecta coaluerat, ut Græcas urbes propè cæteras omnes opulentia diuitiisque superasse existimaretur, ciuibus summo studio in omnem operum splendorem incumbentibus. Picturarum, signorum, statuarũ speciosissima quæque Carthaginem missa fuere. in quibus & Phalaridis taurum translatum ferunt. Reliquam supellectilem omnem cum spoliis cæterisque rebus & corporibus sub hasta uendi iussit. Scipio Africanus, ducentis sexaginta fermè annis post huius urbis euersionem, Carthaginẽ per uim expugnauit. Inter cætera, quę apud Carthaginenses ex his spoliis reperta Agrigentinis restituit; hunc ipsum taurum restitutum Annales tradunt Agrigentinorum. Diod. lib. 13.

Sagunti excidio ANNIBAL exercitum suum ditauit, ingenti præda. Preciosa munera ex spoliis Saguntinorum Carthaginem misit, quibus sibi primarios obligauit ciues, paratioresque reddidit ad futurum bellum, quod cum populo Romano, non in Hispania, ut multi arbitrabantur, sed in Italia sibi erat in animo gerere. Auctor uitæ Annibalis.

L. PAPYRIVS Cursor de Samnitibus omnium ordinum consensu triumphauit. Prælata ante currum præter hostium spolia æris uicies centum millia, auri tria & triginta millia: atq; omnia in ærarium, non sine militum indignatione, quòd præda fraudarentur, illata. Consul ædem Quirini dedicauit: Eam ipse, an pater uouerit, parum constat: templum ipsum, forum cæteraque urbis loca sacra & prophana exornauit ex hostium spoliis: quorum tanta fuit copia, ut colonis sociisque finitimis in hunc usum ex urbe transmissa sint. Sabel. lib. 7. Ennead. 4.

Syracusæ ciuitas est in Sicilia, uetusta fama, & opibus ingentibus. Hanc obsedit per triẽnium M. MARCELLVS, tandem expugnauit: tantumq; ex ea prædæ egestũ est, quantum uix capta Carthagine, quæ tum maximè florebat, paribusque cum populo Romano uiribus contendebat, fuisset. L. Viues in August. de ciuitate Dei, lib. 1. cap. 6.

M. FVL. Nobilior Aetolos superauit: de quibus ouans urbem ingressus, triumphansque, multa argenti ac auri pondera in ærarium intulit, præter signa tabulasq; pictas quas abstulit. Volat. lib. 16. Anthrop.

E Carthagine terrarum æmula P. Scipio AFRICANVS quater millies CCCCLXX M. argenti pondo transtulit Romam in triumpho. Deleta Numantia in triumpho militibus XVII millia pondo dedit. Moriens ipse libras 32 tantum hęredi reliquit. Plin. lib. 33. cap. 11.

L. CORN. Lentulus proconsul, tulit ex præda XLIII millia pondo auri, LXXX militibus ex præda CXX asses uiritim diuisit. Liuius libro 41.

L. PAVLVS Aemilius, subacta Macedonia, tantum pecuniæ in ærarium intulit, ut deinceps censum pendere Romani desierint, usque ad Hircij & Pansæ cõsulatum, qui consules primo Antonij & Cæsaris bello fuère. Plutarchus in Paulo.

Tertio triumpho, quem de Piratis, Asia & Ponto, M. Pisone, M. Messala Coss. pridie Calen. Octobres, die natalis sui Cn. POMPEIVS Magnus egit, transtulit alueum cum tesseris lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor: & ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie propè ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit luna aurea põdo XXX. lectos triclinares tres: uasa ex auro & gemmis abacorũ nouem. Signa aurea tria, Mineruę, Martis, & Apollinis. Coronas ex margaritis triginta tres. Montem aureum quadratũ cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circundata uite aurea. Musæum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Imago Cn. Pompeij è margaritis. Murrhina sex pocula Capitolino Ioui primus ex eo triumpho dicauit. Reipublicæ datum mille talentũm, legatis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, H—S bina millia, cõmilitibus singulis quinquaginta. Plin. lib. 37. cap. 2.

L. LVCVLLVS per Bithyniam & Galatiam in regnum Mithridatis inuasit. In principio laborauit usque eò difficultate necessariorum, ut XXX millia Gallogræcorum sequerentur castra, qui medimnos singulos frumenti humeris portabant. Progressus uero omnia subiugando ad affluentiam euasit tantã, ut bos in exercitu drachma, mãcipium quatuor esset uenale: cæteram prædam nullo respectu alij relinquerent, alij corrumperẽt. quippe distrahere prædam, omnibus abundantibus, nulli ualebat. Capta Tigranocerta, urbẽ militibus dedit diripiendam. In qua cum reliqua opulentia octo millia talentũm pecuniæ signatæ inuenta. Octingentas drachmas in singulos de præda diuisit. Cùm repertos in urbe accepisset multos scenicos, quos undequaq; cõquisierat Tigranes dedicaturus theatrũ, quod extruxerat, his ad ludos & spectacula triũphalia est usus. Plutarchus in Lucullo. Occiderat Tigranes Zarbienum Gordianorũ regem cũ uxore & filiis, quia indicio comperisset, eum cũ Romanis societatem initurũ. Eius funus postea Lucullus regali celebrauit apparatu, ornauitq; & tumulum spoliis ex Tigrane captis. Zarbieni thesauri non mediocriter ditarunt Romanos. Reperta sunt in eius horreis tricies centum millia modiorum tritici. Sabellicus libro quarto, En. 6.

Templo Hierosolymitano capto & incenso, ROMANI milites usque adeò præda satiati sunt uniuersi, ut in Syria dimidio, quàm pridem fuerat, precio pondus auri ueniret. Iosephus lib. 7. cap. 13. belli Iud.

ALEXANDER Seuerus Imp. fuso fugatoq; Artaxerxe potentissimo rege (qui cum septingentis elephantis, falcatisq; curribus mille & octingentis, ad bellum uenerat, equitũ multis millibus) statim Antiochiam rediit: & de præda, quã Persis abstulit, suum ditauit exercitum. Lampridius.

Euocatus ab Eudoxia Augusta Gensericus Vandalorũ rex ad Maximũ tollẽdũ, CCC M. Vandalorũ, C. M. Maurorũ classe, Romã cursum intendit, eãq; ab incolis præ metu desertã occupauit. Ita post annũ 43. quàm ab Alarico Gotho capta, ac spoliata fuerat, iterũ à Vandalis occupata, ac fœdissima populatione uastata est. Neq; enim priuatas ac profanas solũ opes abegerunt, sed sacrã etiã supellectilẽ, solido auro atq; argento, & lapidib. pretiosis ad augustorũ templorũ ornamenta constantẽ, cui pepercerat Alaricus, eripuerunt. inter quæ aurea atq; argentea magni ponderis uasa, quæ Titus Hierosolymis quondã attulerat, asportata. quinetiã omnia Augustalia ornamenta, &, si qua erant antiquæ urbis decora, ablata. ex quibus Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarum pars dimidia, ac statuæ pleræq;, quæ egregij operis erant, auectæ. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Eo prælio, quo ad Tricaranũ in Africa BELISARIVS Gilimerẽ Vandalũ uicit, tanta in castris pecunia est inuenta, quãta nunquã antea fuerat uisa, ut quæ ex dispoliatis Romanorũ prouinciis per nonagintaquinq; annos fuerat à Vandalis coaceruata. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

Saraceni cùm intellexissent, in Siciliam prædã de Roma spoliata à Constante Imp. esse reductam, magna classe Alexandria soluentes, Syracusis occupatis, Romanæ urbis ornamenta intercepta secũ Alexandriã auexerũt, sub Constãtino Pogonato. Anno Domini 672. Sigebertus in Chronico, Paulus Diaconus lib. 5. cap. 6. de gestis Longobardorum.

Cùm CAROLVS Magnus Budam ueterẽ, quam Sicambriam priùs appellabant, ubi erat aula Chabæ seu Cacani regis Auarum siue Hunorũ siue Vngarorum, cepisset: Chabas in uincula coniectus, sibi mortẽ consciuit, & Carolus priuatas opes militibus distribuit: thesauros uerò Chabę, ab Hunis per multos annos spoliatione plurimarũ gentiũ collectos, sibi adscripsit: atq; ita Franci, qui hactenus pauperes fuerãt, facti sunt hac præda opulentissimi: & Pannonia ad Romanũ principẽ reducta est, paucis ex Francorũ exercitu desideratis, sed Hunorum nobilitate propemodum prorsus deleta. Per Symium, seu Sabariã, traiecto Danubio per Daciã & Iazyges & Metanastas ad insulã cum classe rediit, in quã Vngari cũ liberis & uxorib. cofugerant, & per triduũ oppugnatã cepit, an. Domini 791. & 792. Regino libro 2. Sigebertus, Adon ætate sexta, Bonfinius Decad. 1. lib. 9. rerum Vngaricarum, Auent. lib. 4. Saxonia Cranzij lib. 2. cap. 6. Annales Francorum, Blondus Decad. 2. lib. 1. Vrspergensis, & Antoninus Tit. 14. cap. 2. Henricus de Erphordia cap. 69.

Præda ex urbe Constãtinopolitana à MAHOMETO II. Turcorũ Imp. capta, quibusdam quater millies millibus ducatis æstimata est. Externi tantùm mercatores Veneti damnũ passi sunt 30000. Genuenses 20000. Florentini 20000. Anconitani 15000 ducatorum. Chalcocondylas lib. 8.

Victo Bela rege Vngariæ ad Taysam Austriæ fl. OTTHOCARVS Boëmorũ rex tantũ auri ex præda nactus est, ut aureũ deinceps pro argẽteo abacũ sibi ad mensam instruxerit, aureosq; calices ad aras, & aurea thuribula facienda curauerit: tantum præterea manubiarũ, ut præter donatiuũ militibus affluenter dilargitũ, tam larga adhuc ex illis superesset pecunia, ut inde nobile atq; opulentũ in Boëmia cœnobiũ, quod Regiam coronã uocari uoluit, conderet. Ac mox in Morauia aduersus Hungaros munitissimũ oppidum, quod ab ipsa munitione *Hradisten* appellant, à fundamentis erexit. Dubrauius libro decimoseptimo.

VNGARI iussu regis Vladislai supra Synderouiam, quã Turcæ tenebant, ductũ Pauli Kinisij, ad dies quindecim per centum millia passuum ferro igniq; omnia uastantes, tantum prædæ coaceruarunt, ut nec iumenta nec currus ad eam reuehendam ulli sufficerent. In castris quinq; boues aureo nummo ueniebant: eodemque precio hordei & auenæ tantum, quantum quatuor equis per annum alendis satis fuisset. Mater cum quatuor puellis duodeuiginti numis uendita est. Qui sine stipendio militabant, prædam in commune conferre non erant coacti. Paulo ultrà progredi, & latiùs populationis circumferre terrorem cupienti, præfecti restiterunt, Turcæ adeò perculsi metu erant, ut prætorianæ cohortes, Constantinopoli, in Asiam repentè traiecerint, imperatore tum in Aegypto absente. Quòd si milites Paulum audissent, potuisset facilè Constantinopolim usq; populatio perduci. Bonfinius lib. 4. Decad. 5.

Cũ VLADISLAVS Boëmiæ & Vngariæ rex Ioannẽ Matthiæ Coruini, cui successerat, nothũ acie uicisset, castraq; cepisset: supellex pretiosa, à militibus, quibus præda cõcessa erat, ut cupidius pugnarent, uariè distracta fuit, adeoq; uili precio diuendita, ut unus orbis argenteus uno aureo nummo permutaretur: lanx, peluis, trulla, phiala etiam inaurata, carissimè decem aureis nummis redimebatur. Dubrauius lib. 31.

CAROLVS V. Imp. uictis Germanis, supra XVI centena millia aureorum à principibus atq; ciuitatibus tum Catholicis, tum [redacted] consecutus dicitur, & ad tormẽta quingenta in Italiam & Hispaniam transuecta. Sleidanus lib. 19.

RAPINA.

CONSTANS Imp. Italiam à Longobardis liberaturus, anno Domini 662. multas Longobardorum urbes cepit, Beneuẽtum obsedit, prælium ad Calorem amnem cum Longobardis iniit, cum suorum iactura. Inde Romam abiens, de sede Imperij eò transferenda deliberauit. Sed Romanos pontifices id ægrè ferre uidens, quinta die sui aduẽtus ad direptiones se conuertit. Nam quæcunq; uidit ex ære aut marmore ad ornatum posita, loco abstracta aut ui discerpta nauibus imposuit, plusq; ipse ornamentorum in septem diebus Romæ detraxit, quàm Barbari antea per ducentos & quinquagintaocto annos. Duodecimo die Roma profectus, Neapolim rediit, & deinde Siciliam petiit: ubi cùm sex annos desedisset, Syracusis in balneo, ab Andrea filio Troilli interfectus est. Paulus Diaconus lib. 19. rerum Rom. anno Imperij 27. Saraceni ab Alexandria egressi, in Siciliam nauigantes, primo impetu Syracusas ceperunt, cædeq; ciuium facta, ornamenta urbis Romæ, quæ Constantinus illuc trãstulerat, & simul Syracusanam gazam nauibus imponentes, celeriter abierunt. Blondus lib. 9. inclinantis imperij.

SACRILEGIVM, FVRTVM, PECVLATVS.

☞ *Consule Tit. Sacrilegorum, Furum, Depeculatorum. Illic Iniustitiæ habetur ratio, hic Acquisitionis opum.*

Cùm primùm Persæ in Eubœam militarũt, DIOMNESTVS uir Eretricus præerat thesaurorũ custodiæ. Omnibus uerò mortuis, cùm & nesciretur Diomnestus habere pecuniam, thesauros istos apud se retinuit. Athen. lib. 12. cap. 17.

INVENTVM. ΕΡΜΕΙΟΝ.

☞ *Ex præced. Titulis, Regiones inuentæ, Thesauri inuenti, Gemmæ repertæ, Metallifodinæ repertæ.*

DIVITIARVM ACQVISITIO PRIMARIA, RESPECTV Occasionis, tanquam Instrumenti, considerata. DIVITES facti,

PRVDENTIA.

☞ *Vide Tit. Prudentiæ in acquirendis opibus.*

ANYTVS Atheniensis, Socratis accusator, diuite & sapiente patre Anthemione natus, nõ casu quodam aut alicuius largitione opulentus euasit (quemadmodum Thebanus Ismenias, Polycratis pecunias nactus) sed prudentia propria, atque uigilantia. Plato in Menone.

PIETATE, RELIGIONE.

☞ *Ex loco, Iustitiæ religiosæ præmia, huc quædam.*

OBEDEDOMVS Leuita facultatibus mirum in modum auctus fuit, cùm per tres menses arcam Domini hospitio fouisset. 2. Sam. 6.

DELPHICVM oraculum superstitione uana, & hominũ inscitia, multoq; amplius immundorum uafriciis spirituum illuc euectum est, ut non omnium modò gentium fieret affluxus, sed passim præpotentium quoq; regum ac principum populorum dona mitterentur opulentissima: ut inde Delphici maximè celebrentur thesauri: & Aphetorias opes, ut immensas præsignesq;, certatim memorent Græci. Nam ab edendis oraculis Aphetora dici Apollinem, nouimus. Cælius lib. 8. cap. 16. Antiquarum Lectionum.

RHODVS insula locuples admodum fuit. Fabulam recenset Pindarus: Rhodios Mineruæ primùm natæ primos sacrificasse. Proinde Iouem ea pietate delectatum, nube aurea in aere suspensa totam insulam irrigasse. Quod ipsum Homerus quoq; Iliados β. uidetur innuere, ubi de Rhodijs ait:

καὶ σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων.

Hercules cùm in Italiam uenisset, ob honorem sibi à Palatinis Aboriginibus impensum, dixisse fertur, eos qui sibi, postquam ad deos translatus esset, decimam bonorum dicarent, uitam felicem uicturos. Quod & euenisse usq; ad hoc tempus, constat. Multi enim ROMANORVM non solùm mediocri censu, sed & qui ditissimi sunt habiti, decimas Herculi uouerunt: posteaque fortunatiores facti, bona sua ad quatuor talentorum millia Herculi sacrarũt. L. LVCVL-

LVS

LVS Romanorum fermè ditissimus, æstimatis bonis decimam Herculi partem dedit, epulas præbens continuè, ac profundens multa. Templum insuper iuxta Tiberim egregium Herculi condidère Romani, in quo ex decima sacra deo offerunt. Diodorus libro quarto, capite tertio. Plutarchus in Problematis, huius consuetudinis aliam adfert causam, puta quòd ipse quondam Hercules, boum, quos Geryoni abstulerat, in Palatino decimam partem immolarit: uel quòd Romanos ab Hetruscis decimari solitos liberarit. Erasmus in prouerbio, Amico Hercule.

Fuit MIDAS Phrygiæ tyrannus: cui, iuxta poetarum figmenta, concessum à diis est, ut propter Bacchum hospitio acceptum, quod uellet optaret, accepturus quicquid optasset. Optauit, ut quicquid corpore cõtigisset, protinus in aurum uerteretur. Historicorum literis proditum est, huic puero dormienti formicas in os grana tritici congessisse: respondisse augures, omnium mortalium illum ditissimum futurum: atq; ita euenisse. Huic Plinius primum attribuit locum inter insigniter diuites, libro tricesimotertio.

HOSPITALITATE.

ALCMÆON Megaclis filius, Atheniensis, eos Lydos, qui Sardibus à Crœso Delphos ad oraculum ierant, comiter accepit. Cuius beneficentiam Crœsus à Lydis, quos ad oraculum miserat, cùm audisset, hominem accersijt: & ubi aduenit, eum donauit tanto auro, quanto semel corpore suo ferre posset. Alcmæon igitur pergrãdem tunicam amictus, ingenti in ea sinu relicto, cothurnisq; laxissimis calceatus, ad thesaurum perrexit, ad quem ducebatur. Ibi in aceruum ramentorum procumbens, primum cothurnos, quibus erat indutus, auro referlit. Deinde omnem sinum suum atque etiam crines ramentis subigens, & parte in os desumta, è thesauro, processit, ægrè trahens cothurnos, cuiuis alteri rei, quàm homini similis. Cuius os cùm turgidum esset, & omnia onusta, id cernens Crœsus, in cachinnumque erumpens, ea omnia illi donauit: nec minora his alia dona dedit. Ita domus Alcmæonidum uehementer locupletata est. Herodotus lib. 6.

HVMANITATE.

CAVNIVS fuit quispiam, qui quum utriculum aquæ sitienti Artaxerxi regi Persarum porrexisset, ab eo ad summam opulentiam euectus est. Plut. in Artaxerxe.

CORRVPTELA MVNERVM.

CALLISTVS, Caij libertus, coniuratis sese coniunxit, qui unus plurimum apud eum poterat, socius quodam modo tyrannidis, & formidatus omnibus, abundansque pecuniis, quas ex munerum corruptelis parauerat: utebaturque immodicè hac potentia, suspectum nihilominus habens principem, cuius ingenium norat implacabile, & in semel destinatis pertinax. Ipsi autem inter alias periculi causas hæc erat non postrema, quòd esset pecuniosus nimium. Iosephus lib. 19. cap. 1. Antiq.

PVLCRITVDINE FORMA.

☞ *Consule Tit. Meretricum & Pathicorum.*

LABORE.

☞ *Huc refer Mechanicorum artificum exempla, quatenus ex arte sordida quæstum faciunt.*

IMPVDICITIA FILIAE.

CANTOR, pater Stratonicæ, ob filiæ amores, repentè diues à Mithridate rege effectus. Plut. in Pompeio.

DIVITIARVM ACQVISITIO SECVNDARIA. AMISSAE opes recuperatæ quomodocunque. Huc

GENERIS, FAMILIAE RESTAVRATIO.

☞ *Huc referri possunt exempla quædam ex Tit. Senes qui genuerunt. Item ex Tit. Cupiditas habendæ sobolis.*

DAVIDIS stirps omnis ab Athalia ferro deleta. Ioas puer euasit. Iterum Sedecia abducto, & in carceribus mortuo, Iechonias, qui ante illum uoluntario carceri se mancipatat, ab Euilmerodaco liberatus, stirpem cõseruauit. Eadẽ stirps in Maria uirgine & Iosepho fabro lignario ferè interciderat. Sed Deus per contemtissima eademq; sanctiss. organa, solium Dauidicum in æternum permansurum, Christum benedictum, excitare uoluit.

Cùm Israelitæ omnes apud Maspham conuenissent, uindicaturi Gabaensium Beniamitarum scelus (de quo sub Tit. Pœna stupri) iureiurando confirmarunt, nullum suorum filiam suam ulli BENIAMITARVM daturum esse in matrimonium. Tota igitur tribu ferro & igne excisa, exceptis 600. qui in rupem Remmonis confugerant, & illic per 4. menses permanserant: Israelitæ Bethel profecti, corã Domino questi sunt, unam Israelitarum tribuum interiisse. At eam consulto Domino reparare iussi, cum sexcentis illis pacem inierunt. Cæterùm quia ad reparandam tribum feminis opus erat, & ipsi iuramento impediti suas illis filias dare non poterant: cùm intellexissent, solos Iabenses Galaaditas in castris ad Maspham non fuisse, miserũt eò 12 millia, qui Iabenses adorti, omnes uiros, pueros & mulieres uirum expertas ferro trucidarunt: uirgines tantùm 400. in castra ad Siluntem adductas, 400 Beniamitis nuptui dederũt. Verùm quia ducenti supererant, qui uxores non habebant, cùm comperissent, festum Iouæ quotannis agi Silunte à Septentrione Bethelis: præceperunt 200 illis, ut quando animaduerterẽt Siluntias puellas ad saltandum exire, ipsi dispositis insidiis prodirent è uineis, & singuli singulas in matrimonium raperent, atque in agrum Beniamiticum discederent: sibi deinde curæ futurum, ut parentum ira placaretur: illos etiam, cùm sponte non dedissent, extra culpam fore. Atque hac ratione Beniamitica tribus reparata fuit. Iudicum cap. 21.

Eo bello, quod contra Emmanuelem Græcorum Imp. Veneti gessere, dum simulata à Græco pace legati citrò ultroque mittuntur, subita uis morbi Venetam classem inuasit, tantaq; uis hominum breui cõsumta est, ut creditum sit uulgò, & fontes & flumina, unde Veneti aquabantur, Emmanuelis fraude uenenis infecta. Et quia pestis in hybernis contracta aliquanto atrocius incubuit, ut remiges sociiq; nauales passim expirarent, turmatim clamoribus, amarisq; criminationib. Vitalis Michael II. Venetus dux deterritus, classem uehemẽter affectã Venetias reduxit. Vulgatus est inde morbus, totaque urbs pestilẽtia infecta, ut multo plures hic paucis diebus, quàm foris, uita defuncti sint. Qua recenti clade tanta orta est Vitali inuidia, ut concione egressus, quũ se purgare uolenti ab omnibus obstreperetur, interfectus sit, anno sui principatus decimoseptimo. Omnes IVSTINIANÆ gentis uiri, qui ad id bellum exierant, ad unum interiere. Quæ domus apprimè nobilis ne prorsus extingueretur, publicè est à Romano pontifice petitum, datumq; ciuitati, ut unus Nicolaus, qui ex ea familia reliquus esset, sacrisque D. Benedicti initiatus, ad reparãdam stirpem daret operam connubio. Ei se dux filiam Annam desponsurum profitebatur, si per Alexandri Pontificis gratiam liceret. Cui petitioni Pontifex assensus est. Ex eo felici coniugio mares liberi, & feminæ aliquot editæ. Nicolaus tandẽ cum uxore de ineunda religione iterum cogitare cœpit. Igitur ad diui Nicolai in litore, maritus rediit, sacris iterum imbuendus: & uxor ipsa non longè à Torcello cœnobium extruxit, quod diuo Adriano dicatum esse uoluit. Egnat. lib. 4. cap. 3. & Marcellus in uita Vitalis, & Sabellicus lib. 5. En. 9.

In nocturna cæde, qua Eduardus Baliolus Scotorum regnum affectãs in Scotos ad Duphyn uicum grassatus est, inter tria millia nobilium cæsus quoq; GVLIELMVS Hay Comestabilis, cum tota familia ad internecionem, ni grauidam domi uxorem reliquisset, unde genus reparari potuit. H. Boëthius lib. 15.

PATRIA RECVPERATA.

☞ *Ex Tit. Libertatis recuperatæ.*

THRASYBVLVS Atheniẽsis exul, cõparato exercitu, XXX. tyrannorum dominationem Athenis sustulit, iuuãte Lysandro Lacedæmoniorum duce, exulesq; reduxit. Insuper plebiscitum tulit, quod ἀμνηστίαν uocant, quâ iniuriarum memoria deleretur, exulibus iureiurando adactis. Cuius Cicero in Philippicis, & Valerius meminêre.

Alboinus Longobardorum rex in Italiam profecturus, XX Saxonum millia in societatem belli pertraxit. In quorum sedes Clotharius & Sigebertus Francorum reges, Sueuos ad Rhenum sedentes trãduxere. Iam cùm occupata Italia Francis Longobardorum nomen timori esse cepisset, SAXONES ab illis auulsos, in Galliam euocauere: sed mox graui clade affectos, in Italiam redire compulere. Inde etiam à Longobardis pulsi, cum Sigeberto Metensium rege pacti sunt, uti ab eo in patrias sedes restituerẽtur, quas anno antè quintodecimo reliquerãt. Sigebertus Sueuis suasit, ut regionẽ partiri paterentur, uellentq; æquo iure cum Saxonibus habitare. Saxones uerò contrà, patriam sibi totam, non dimidiam, ex fœdere adiudicandam contenderunt. Et quum altercationibus aliquandiu res protracta esset, institere Saxones, ut si nollet rex aut nequiret Sueuos aliena deturbare terra, æquo ferret animo, si armis ipsi iustissimis quærerent, quod tantã cum iniuria negabatur. Passus uerò ille est Saxones in Sueuos ducere: neque interea destitit pacem quærere inter eos, fœderaq; componere. Sed nullis uerbis, nullis pollici-

tatio-

tationibus molliri Saxonum pectora potuere, qui ferro potius experiri quàm pacto uellent. Et uentum est ad prælium, in quo superatis & magna internecione cæsis Saxonibus, mansit regio Sueuis: quam, prout initio accessus sui facere cœperant, Sueuiam appellarunt. Sed tamen Saxonibus obnixè instantibus, quum Franciæ reges aliis impliciti bellis tenerentur, arma undecunq; contraxerunt: & cum Sueuis denuò congressi, exturbarunt è regione, & recuperatæ per arma patriç filios & uxores inuexere. Eiectos prouincia Sueuos insuper contumelia affecere. Nam legem sanxerũt, mulieres Saxonici generis, quotquot Sueuis denupserant, alienas à successione paterna haberi: & rursus in suis cõsuetudinibus (quas postea Speculo Saxonum indiderunt) quũ eas Carolus Frãcorũ rex & Rom. Imperator auctoritate (ut ferunt) interposita confirmaret, mulierũ conditionẽ in multis ob eam rem fecere deteriorem. Verum est tamen, quòd inscitia Glossatoris causam refert in eam profectionẽ, quã in Britanniã Saxones fecere, ignorãtis quòd inde nũquam egressi perpetua ditione insulam seruauere, cum uxoribus & liberis ibi remanentes: sed ex hac Italica cum Longobardis expeditione illa, quæ diximus, in feminas sunt constituta. Cranzius lib.1. Saxoniæ c.30.

Henricus Leo, Saxoniæ dux, subactis Vandalis, Obotritorum regionem inter suos milites diuisit, alias aliis, Mekelenborg uerò dedit Henrico cuidam nobili de Scaten, qui SAXONVM eorum, quos Carolus Magnus ex Transalbianis in Brabantiam Flandriamq; trãstulerat, posteros in Vandaliam reduxit an. 1160. uicinam maiorũ patriæ. Cranzius lib.6. Saxoniæ cap.19.

REGNA RECEPTA.

Ex Tit. Variis casibus agitatorum, quædam huc pertinebunt.

Memoriç prodidit Apollodorus lib.1. Medeam post crematam Creontis regiam, currum à draconibus tractum à Sole accepisse, & contendisse Athenas, ibiq; nupsisse Aegeo. Sed cùm insidias machinaretur Theseo, Athenis aufugere coactam, in patriam reuersam, paternum imperium, quod is per fraudem propinquorũ amiserat, cæso patruo Perse, patri AEETÆ restituisse: atq; hoc non sine Iasonis auxilio, cui fuerat reconciliata. Natalis Comes Mythol. lib.6. cap.7.

An.706. IVSTINIANVS, cùm per decenniũ imperio spoliatus exulasset, insidias Chersonnẽsium & Bosphoranorum metuens, è Ponto profugit, atque ad Trebellium regem Bulgarorum se contulit, indeque auxilio eius regnum recuperauit, & Leontium ac Tiberium, qui sedem regni usurpauerant, captos in medio iugulari Circo præcepit. Callinicum uerò patriarcham luminibus exuit, ac Cyrum abbatem, qui se exulem in Ponto aluerat, ei substituit. Sigon. l.2. regni Ital.

VRBES RESTAVRATAE.

HIEROSOLYMA urbs instaurata sub Neheemia fuit & dedicata. Morem dedicationis uide 2. Esdræ 12.

PLATEÆ Bœotiæ urbs bis excisa, & restituta est. Bello primùm Peloponnesiaco à Spartanis, duce Archidamo, expugnata: pòst tamen restituta est, & qui Athenas confugerant, in patriam redierunt, per eam pacem, quam Græcis omnibus à Persarum rege Antalcidas Spartanus confecit. At pòst ex insidiis à Thebanis & reliquis Bœotis, criminantibus, quòd Spartanorum partes fouerent, meridiano tempore, cùm maior pars in agris esset, mœnibus exclusi sunt, anno tertio ante Leuctricam pugnam. Vrbs tota præter deorum templa excisa: uiri cum singulis, mulieres cum binis uestimẽtis dimissæ, Athenas migrarunt. Victis deinde ad Chæroneam Thebanis, Philippus rex exules in pristinas sedes reduxit. Pausanias in Bœoticis. Alexander Magnus Platæensium muros restituit honoris ergô. Vide Tit. Liberalitatis p̃mia.

Epaminondas post uictoriam Leuctricam sempiternæ gloriæ cupidus, Arcadibus, cæterisq; sociis suasit rursus ædificare MESSANAM, quæ multis antè annis à Lacedæmoniis diruta erat, & situm ad infestandam Spartã commodissimum tenebat. Consentiẽtibus igitur uniuersis, omnes, qui de Messanensibus reliqui manserant, requisiuit, item alios, qui uellent, ciuitate donauit, Messanam condidit, conditam multis habitatoribus ornauit, iis terram instauratam sorte dispertiuit: atq; ita urbem Græciæ nobilem intra dies 805. restituit & reparauit, laudemq; apud omnes mortales magnam est consecutus. Diod. lib.15.

ROMA à Gallis fœdè diruta & uastata, cùm Veios migrare populus uellet, Camillo & L. Lucretio sedulò renitentibus, omine felici accedente, mutati animis Romani, promiscuè cœperunt & sine discrimine, prout paratus quisq; fuit, aut quà cuique libuit, in uacuo ædificare. Vnde festinatio & acceleratio curam exemit uicos dirigendi in ædificanda urbe, distinguendique ædificia: nam intra annũ assueuerant nouã tum mœnibus tũ priuatis tectis stetisse urbẽ. Plut. in Camil.

VRBES RECEPTAE.

Romam Totilas, Gothorum rex, proditione quatuor militum Isaurorum ad Asinariam portam excubantium cepit ann. 546. & tertiam partem urbis disturbauit: nobiles omnes (nã plebeij multo antè fame adacti excesserant) secum abduxit, & in Campaniæ oppida hinc inde dispertiuit. BELISARIVS Iustiniani Magni Imp. dux, paucis in præsidio Portus relictis, cum cæteris Romam accessit, ac partem mœnium à Totila deturbatam lapidibus temerè coaceruatis, ac nullo cæmento interlitis sepsit, atq; exterius ingenti sudium ordine fulsit, ut quando instaurare non posset, saltem aliquam speciem ædificij daret. circa muros uerò fossam profundiorem duxit, uniuerso per dies quindecim in id opus exercitu incumbente. Inde Romanos, qui circumiecta tenebant oppida, reuocauit: qui partim desiderio urbis, partim copia rerum necessariarum, quas ille abundè inuexerat, summo studio redierunt. Nondum fores portis præ paucitate opificũ imposuerat, cũ Totilas hac de re certior factus superuenit. Sed post tertiam oppugnationẽ turpiter à muris repulsus, cùm in fugam se contulisset, multos è suis desiderauit, uehementer à reliquis increpitus, quòd Romam semel captam non funditùs deleuisset, ne quando à Romanis recipi posset, atq; ipsi in ea recuperanda tantùm laboris exhauriendum esset, oblitis, quantis nuper eum laudibus extulissent, quòd murorum parte deiecta urbi clarissimæ pepercisset. Belisarius ferratis foribus portis impositis claues earum ad Iustinianum cum literis rem gestam significantibus destinauit. Belisario interim contra Persas reuocato, cùm Iustinianus ducem in eius locũ mittere cunctaretur, iterum Roma, quæ teneri potuisset, amissa est. Isauri quidam, qui ad portam Capenam excubabant, exemplo Isaurorum, qui Asinariam prodiderant, ducti, partim stipendia debita sibi non soluta caussati, in colloquium cum Totila uenerunt, & urbem illi prodidere, an. 549. Sigonius lib.19. Imp. occid.

ARCES RECEPTAE.

Consule locum Stratagematum, Arces recipere. Illic Prudentiæ recipientis, hic Opulentiæ receptæ habetur ratio.

Anno 1466. SLOCHOVIA arcis in Prussia, nomine regis Polonorum, contra Cruciferos præfectus Georgius Dambrouius, Martinũ Sissouicium nobilem Pomeranum, captum, in arce asseruabat, quoad se magno ære redimeret. Insinuarat is se in familiaritatem præfecti ita, ut liberiùs in arce diuersaretur. Erãt ibi in præsidio Pomerani Polonis intermixti. Cum his igitur Sissouicius clàm de proditione pactus, cũ cognitam haberet angustiam rei frumentariæ in arce, ultrò pollicitus est domo aliquantam uim farinæ. Dimissus eam ob rem à credulo præfecto, quatuor currus farina onustos adduxit. His uerò quaternos expeditos pedites quasi custodiæ & præsidij causa adiunxerat. Cum quibus in arcem intromissus, præfectum arcis, & quos de militibus fidos ipsi esse arbitrabatur, adiuuantibus ex cõdicto Pomeranis præsidiariis, comprehendit, & in imam turrim detrusit, arcemq; in potestatem suam redegit. Poloni arcem oppugnare conabantur. Excurrerant eò quadraginta pedites Ioannis Coscelecij palatini Inouuladislauiensis, siue ut fortunam tentarent, siue ut aliquid è subiectis agris raperent. Eos Sissouicius ex arce conspicatus, omnibus militibus, quos in præsidio habebat, deductis, persequi instituit. Sacerdotes tantùm duo cum ludimagistro & aliquot scholasticis adolescentibus in arce remanserant: qui quamuis Pomerani, tamen benignioribus usi Polonis, permolestè ferebant eos per dolũ arce excidisse. Hi ergo solitudinem nacti, occasionem referendi gratiam bene meritis non negligendam sibi esse rati, portas arcis superioris occlusère: ostioque turris refracto, Georgium Dambrouium cum sexdecim sociis cassibus uenatoriis submissis extraxère, & cum his pariter clamorẽ sustulère: quo consternati Pomerani, cùm in arcem se recipere uellent, subeuntesq; saxis supernè deiectis arcerentur, foris uerò à quadraginta illis peditibus, significatione eorũ qui in arce erant animatis, peterentur, correptis & cõscensis eo lestrimè equis Dambrouij, qui in inferiori arce stabulabantur, in Stolpensem ditionem profugerunt. Remunerati à rege sacerdotes & scholastici. Cromerus lib.26.

Antracius Pisanæ arcis ab Carolo VIII. rege Galliæ constitutus præfectus, incredibili Delantiç uirginis ciuis amore deflagrans, in eius gratiam arcem Pisano populo dediturum se promittebat. PISANOS igitur ingens cura conquirendæ pecuniæ magnopere angebat: persoluendum enim erat precium coemptæ arcis, quod publicè & priuatim exhaustis grauissimum erat, quum quadraginta millium aureorũ nũmum summam omnino superaret. Sed tanta erat omniũ alacritas pro defendenda libertate, ut ultrò nobiles matronç ornamenta sua, anulos, monilia, fibulasq; zonarum conferrent: quæ omnia Lucensibus pecuniosis mercatoribus in mutuam pecuniam pignori mittebantur. Tantum enim pecuniæ Pisani uix toto uertẽte anno in bellicos sumtus impenderant, ut nihil iam ueteris argenteç supellectilis usquã reperiretur, & uectigalium reditus multò quàm antea deteriores facti essent, præuertentibus eos publicanorum usuris, qui publicam egestatem ab initio præsenti pecunia subleuarant: adeò ut iam quosdam ciues, si bellum foret diuturnum, recuperatæ libertatis pœniteret. Iouius lib.3. Hist.

RERVM SACRARVM receptio.

Cùm captis Hierosolymis, Nabucodonosor Sedeciam cũ omnibus Iudæis abduxisset Babylonem, Hieremias prophetæ monuit sacerdotes, ut ignem ex ara sumtum in quodam puteo arido abderent. Post 70. annos NEHEMIAS reuersus cum Iudæis, sacerdotum posteros ad ignem illum petendum misit: qui non ignem, sed aquam crassam inuenerunt, eaq; iussu Nehemiæ ligna & holocausta perfuderunt. Interposita deinde mora, cùm Sol, qui nubibus obductus fuerat, effulsisset, tantus exarsit ignis, ut uictimam consumserit. Sacerdotes interea supplicabant. Consumta uictima, iussu Nehemiæ reliqua aqua maiores lapides conspersi sunt. Flamma inde exarsit, & lumine ex altari contrà refulgẽte, absumta est. Et sic expiatio peracta fuit. Ea re audita, Persarum rex Darius putei illum locum obsepsit, sacrumq; fecit, & magna ad id dona contulit. Nehemias locum appellauit Ephthar, id est, purificationem. 2. Mach.1.

Simulacra Deorum MMD, quæ Cambyses rex, capta Aegypto, in Persidem asportauerat, PTOLEMÆVS III. Aegypti rex, uicto Seleuco Callinico Asiæ rege, recepit. Aegyptij iccirco, quia post multos annos deos eorum retulisset, Euergetem appellarunt. Hieron. in c.11. Danielis.

ANIMALIA RECVPERATA.

VLYSSES equas amissas per totam Græciam quærens, tandem reperit, illicque loci Dianæ templum exstruxit. Pausanias in Arcadicis.

ALEXANDRO Magno per Mardos exercitum ducente, pueris, qui equos regios ducebãt, paulò post regem euntibus, Barbari aliquot facto impetu, equum, qui cæteris erat melior, abstulerunt. Hunc equum regi donauerat Corinthius Demaratus, eoq; Alexander in omnibus prælijs Asiæ usus erat. Is, cùm esset nudus, sibi etiam equisonem insidere patiebatur: at cùm ephippiis & regiis ornamentis erat instructus, sessorem alium nullum quàm Alexãdrum accipiebat, cui & ultrò adstabat, corpusq; inscendenti reclinabat. Ob eiusmodi dotes, equum eum sibi ablatum esse, ægerrimè ferens Alexander, iussit loci arbores omnes concidi, perque homines eiusdem linguæ incolis denũciari, nisi equum restituerent, omnes eorum agros & urbes uastari, homines ad internecionem occidi conspecturos. Hæ minæ cùm celeriter reipsa præstarentur, Barbari perterriti, equum cũ magnis muneribus per uiros quinquaginta remiserunt, orantes uti secũ clementer agere uellet. Alexander accepit obsides maximè insignes uiros. Diod. lib.17.

LIBRI SACRI recuperati.

ESDRAS, Saraiæ F. sacerdos, in Babylone captiuus sub Dario rege, ab angelo iussus fuit quinq; scribas uelocissimos adhibere, nimirum Saream, Dabriam, Selemiam, Echanũ, & Asielem, multisq; buxeis tabulis comparatis, in campo posterâ die comparere. Paruit Esdras, & poculum sibi ab angelo porrectum, plenũ quasi aqua, colore ignis, ebibit, actusq; sapientia, per 40. dies & noctes continuas quinq; illis scribis dictauit quatuor & ducentos libros: quorũ 134. populo p̃ponere, at septuaginta ultimos, qui acroamatici essent, doctis popularium suorum tradere iussus est. Et sic libri sacri, quos Chaldæi exusserant, reparati sunt. 4. Esdræ 14. & Eusebius de Ratione temporum.

THESAVRI AMISSI recuperati.

Stamatus quidã Cretensis VENETIIS D. Marci ædes, in quibus thesauri publici conseruantur, ingressus, ex templi parte, quà Puerorum ara sita est, marmoream tabulam exemit: inde nocturno opere defunctus, applicita suo loco tabula, circumductoq; tectorio, ita ut nullum fracturæ uestigium appareret, exhaustam inde materiem ante lucem asportauit. Atq; hoc modo plures noctes operatus, ad intimũ con[redacted] principis conspectum [redacted] facinus, & ne fides rei deesset, gemmam dono acceptam sinu depromsit. Qua conspecta, missi sunt, qui furem comprehenderent: atque ita omnia, quæ sustulerat, recepta sunt, ut nihil ex tam precioso apparatu (cuius æstimatio uicies centena aureorũ numûm millia æquasse dicitur) desuerit. Furti auctor ad geminas columnas est laqueo necatus. Indici præter aurum, quod in præsentia dono accepit, perpetuum est salarium ex publico decretum. Sabel. lib.6. Dec.3.

AVRVM, PECVNIA recuperata.

BELESES, Babylonius sacerdos, Arbaci Medo prædixerat, fore ut Sardanapalũ regno Assyriorum eiiceret. Id cùm ita euenisset, Arbaces præmij loco Belesidem Babyloniæ præfecerat. Sed & quidã olim Sardanapali eunuchus, cùm ad eum clàm ex regia magnam copiam auri argentiq; detulisset, quam sine suspicione aliò transferre non poterat, finxit se uouisse, si regia simul cum Sardanapalo conflagrasset, cineres ex ea se Babyloniam translaturum, quo regni deleti Assyriorum perpetuum monumentum extaret. Concedens hoc Arbaces, Belesis naues uehendis cineribus præparans, thesaurum ex regia auexit. Diod. lib.2. c.9.

Euocatus à præside Atheniensium MILES ad causam dicendam fuit. Hic quicquid haberet auri, in manibus statuç Demosthenis deposuit. Habuit illa digitos inter se implicatos, & iuxtà enata fuit non magna platanus. Ex ea multa folia (siue uentus ea decusserat, siue idem, qui deposuerat aurũ, iniecerat) circumiacentia & circumfusa, aurum longo tempore occuluerunt. Postquam homo ille reuersus, eodem loco inuentum aurum recepit, ac fuit rumor hic dissipatus: multi adolescentes urbani, sumto hinc in Demosthenis abstinentiam argumento, certarunt inter se epigrammatibus. Plutarchus in Demosthene.

ANVLI, GEMMAE recuperatæ.

Israelita quidam ex iis, qui à Salamanassare abducti fuerant, bona sua pauperibus omnia distribuerat, duobus tantùm aureis seruatis, cùm à sacerdote illud audiuisset, Qui miseratur pauperũ, Deo fœneratur. Summa pressus inopia, Hierosolymam iter instituit, cum Deo coràm expostulaturus. In itinere duos medicos obuios habet, inter se de gemma inuẽta contendentes. Rixam illorum uti dirimeret, aureos illos duos pro gẽma tradidit: eamq; aurifabro primùm, inde PONTIFICI ostendit: qui angeli monitu edoctus, affuturum mox peregrinum, qui amissam ex Ephodo gemmam referret: eandem magna pecuniæ summa redemit, & alapa inflicta, ne Deo ampliùs diffideret, admonuit. Cedrenus in Hist. Compendio.

EDOARDVS III. Anglorum rex pauperi eleemosynam petenti, amore D. Ioannis euãgelistæ, anulum de manu detractum dederat. Multo pòst à peregrinis quibusdam Hierosolyma uenientibus anulum illum recepit, & mortem sibi instare per quietem didicit. Polydorus lib.8.

POLYCRATES, Samiorum tyrannus, cùm smaragdũ gemmam signatoriam in mare medium abiecisset, ut tanta iactura diuturnam suam prosperitatem quodammodo refrẽnaret (ita enim persuasus erat facere ab Amasi rege Aegyptiorum) accidit sexto pòst die, ut piscator quidam piscem magnum atq; pulcrum à se captum dono Polycrati offerret. Quo exenterato, in intestinis gemma inuenta, & Polycrati restituta fuit. Herodotus lib.3. & Strabo lib.14.

ARNVLPHVS, Lotharingiæ princeps, anulum, quem abiecerat in fluuium Mosellam, in pisce reperit. Marulus lib.4. cap.10. & lib.2. cap.12. & Fulgos. lib.6. cap.9.

MATTHIAS, Pannoniæ rex, pinxit pro symbolo suo in moneta & alibi, coruum gestantem rostro anulum: cuius caussam hanc reperio. Eripuerat ipsi coruus nobilem smaragdum detractum digito. Rex insecutus, globo sclopeti coruum interfecit, & anulum recuperauit. Cureus in Silesiæ Annalibus.

ARMA RECVPERATA.

M. CATO iunior, prælio contra Perseum ad Pydnam, amisso gladio in pugna, incredibili fortitudine inter medios hostium aceruos repetiit illum. Plutarch. in eius uita.

VESTES RECEPTAE.

EVERMODVS, Razeburgensis episcopus in Vandalia, cùm in pontificialibus quippiam operis nudis manibus esset facturus, chirothecas pontificales deposuit. Festinans autem ad id, quod erat gerendum, non attendit ubi posuisset. Inuentç sunt autem in aere pendere sine adminiculo: quod stuporem uisentibus incussit, & Vandalos in fide confirmauit. Cranzius lib.6. Metrop. c.28.

VTENSILIA RECVPERATA.

Quidam VATES cùm, Elisæo permittente, ad Iordanem materiam pro construendo tugurio cæderet (erat enim locus Elisæi angustior, quàm qui omnes uates apud eum diuersantes caperet) ferrum securis, quam commodato acceperat, in fluuium delapsum est. Elisæus ergo lignum secuit,

& eò deiecit, emersaque securi, illi iussit ut eam tolleret. 4 Regum, cap. 6.

Romuli lituus, quo in cœli regionibus describendis usus est, post cladem Gallicam in cineribus urbis illæsus inuentus a ROMANIS. Plut. in Camillo.

Martianopolis, Thraciæ metropolis, Traianum Imperatorem habuit conditorem, indito nomine germanę sororis MARTIÆ. Nam ea dū cū aurea pelui ad ripam fluminis, nescio quid lotura, consisteret, elapsum de manu uas profunda petiuit. Vbi tristis mulier suam accusaret secum negligētiam, ecce contra uim metalli, aurum emersit, ac se reddidit dominæ mœrenti. Cuius rei miraculo motus Imperator, fertur ciuitatem eo loco condidisse. Cranzius libro secundo Sueciæ, capite sexto.

MAVRILIVS, Andegauensis episcopus, dum expectatur, donec sacrificium peragit, interim is, quē baptizaturus erat, uita defungitur. Suę id negligentiæ imputās episcopus, usque adeò doluit, ut relicta ecclesia, nauim conscendens clàm aufugeret. Fortè sanctuarij claues secum tulerat: quibus de manu in mare elapsis, existimauit eo indicio se prorsus episcopatu indignum: atque inde iam proposuit, nunquam in sedem suam reuerti, nisi inuētas quis claues ad se retulisset. Septennio peracto, clerici eius in itinere capto pisce & exenterato, claues inueniunt, atq; ad Maurilium, qui interea principi cuidam famulatus erat, deferunt, pristinęq; dignitati episcopali restituunt. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

METRON, confessor, pœnitentiæ causa compede ferrea se uinxit, & clauem, qua nexus dissoluebātur, in Athesim fluuium proiecit, atque orauit, ut tunc illam repertam conspiceret, cùm ipse omni culpæ labe purificatus esset. Non post multos annos, intra capti piscis uentriculum repertam, eique restitutam ferunt. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

DIVITIARVM ACQVISITIO NVLLA.

Consule locum Liberalitatis, Non accipere ea, quæ offeruntur.

DONA NON ACCIPERE.

PHOCIONI Atheniensi cùm pecuniarum aceruus à Philippo rege Macedonum dono mitteretur, nequaquā accipere uoluit. Hortantibus autē oratoribus, ut etsi iis carere posset, filiis tamen eas acciperet, quibus esset ualde difficile, paternam dignitatem in tanta paupertate tueri: respondit, Si mihi fiant similes liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit. sin dissimiles, nolo corū luxuriam his opibus alere. Dignus de quo sit diu inter Græciæ sophistas quæsitum, maior ne Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contemsit. Sabel. lib. 8. cap. 5.

C. FABRICIVS, paupertatis exemplum & norma, oblatas à Samnitibus diuitias neglexit: eiusq; filię prę nimia paupertate de publico dotatæ fuerunt. Hunc Pyrrhus, rex Epirotarum, nec auro, nec pollicitationibus expugnare potuit, ut secum esse uellet, ac proximum à rege locum obtinere. Plinius de Viris illustribus.

PRAEDAM NEGLIGERE.

Cùm capta à Q. FABIO Max. Tarento, agerentur omnia ferrenturq;, traditur interroganti scribæ, quid fieri de diis uellet (tabulas & signa significanti) respondisse Fabiū: Deos iratos Tarentinis relinquamus. Herculis tamen signum ingentis magnitudinis Tarento auectum posuit in Capitolio, iùxtaq; statuam equestrem suam ex ære. Plut. in Fabio.

HAEREDITATEM repudiare.

ABRAHÆ Aegyptio eremitæ, uasta in solitudine, clausa etiam cellula, degenti, nihil omnino supellectilis erat, præter catinum, uestemq; cilicinam, & rusticum sagum. Sic usq; ad quinquagesimum ætatis suæ annum (qui uitæ ultimus fuit) dicitur perdurasse, ita ut nihil unquam ampliùs concupiuerit. Bona nō modica, in quibus hęreditario iure absens successerat, egenis dilargiri mādauit, ne obolum quidē passus ex his ad se deferri. Marul. l. 1. cap. 8. & Sabel. lib. 8. cap. 5.

DIVITIARVM POSSESSIO, CONSIDERATA RESPECTV EIVS

QVOD POSSIDETVR, tum MATERIALITER.

Mobiles res. propriè ac præcipuè appellantur, quæ anima carent, ut uasa: Mouentes uerò, quæ per se mouentur: nimirum animalia, serui, quadrupedes, pecudes. Hotomanus de Verbis iuris.

Agrorum possessio. Agris diuites.

TANTALI diuitiæ prouerbio locum fecerunt, quem prædiuitem fuisse ostendit carmen illud ex tragœdia apud Plutarchum de exilio, Viam dierum duodecim sero iugera.

GALESVS ex Virgilij libro 7. Aen. notus.

—— iustissimus unus,
Qui fuit, Ausoniisq; olim ditissimus aruis:
Quinq; greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum uertebat aratris.

DORYLAS, apud Ouidium quinto Metamorphoseōn:
Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri,
Diues agri Dorylas, quo non possederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.

LICINIVS, Cæsaris libertus, tantum agrorum fertur habuisse, quantum peruolarent milui.

SICHÆVS, Didonis maritus, ditissimus agri inter Phœnicas. Quę opulentia ei fuit exitio, impulitq; Pygmalionē, Didonis fratrem, regem Tyri, ut eum interficeret. Eius thesauris profuga Dido, æmulam Romani imperij, Carthaginem ædificauit.

Sex DOMINI semissem Africæ possedère, tempore Neronis. Quorum ille, opibus inhians, interfecit eos. Plin. l. 18. c. 6.

Metallorum possessio. Metallis diuites.

SEMIRAMIS, Assyriorum prima regina & princeps, multis mortalibus subactis, metalla primùm inuenit, & captiuis eorum tractationem mandauit. Suidas.

Ex Callisthenis sententia, TANTALI & PELOPIDARVM diuitiæ à metallis prouenère, quæ circa Phrygiam & Sipylum erant. CADMI è Thracia fuerunt, & Pangæo monte. PRIAMI, ex auro, quod circa Abydum effodiebatur, cuius nunc uix ulla uestigia apparent: multa tamen antiquorum metallorū signa, loca effossa exhibent. MIDÆ, ex metallis, quę circa Vermium montem erant. GYGIS, & Alyattis, & Crœsi, ex iis quæ apud Lydium oppidum desertum, inter Atarneum ac Pergamum, quod quidem loca effossa habet, propter metallorum inquisitionem. Strabo libro 14.

NICIAS, Nicerati F. Atheniensis, tenebat in agro Lauriotico multas & fructuosas argentifodinas: uerùm eas non citra periculum exercebat, manum magnam illic alebat ergastulorum, ac facultates eius erant ferè in argento positę. Vnde non pauci sectabantur eum, petentes & accipientes, quippe non secus his, à quibus metuebat, quàm illis, qui erant beneficio digni, largiebatur. Breui uectigalis erat improbis timiditas eius, & humanitas probis. Plut. in Nicia.

In SIPHNO insula ob metallifodinas ditissimi olim erant incolę, & decimas quotannis Delphos mittebāt. Herod. l. 3.

PYTHIVS, Atys F. Lydus genere, Celænis in Phrygia ad fontes Mæandri habitabat. Hic cùm argenti duo millia talentûm, auri quadragies centena millia numûm Daricorum, septem millibus minus, possideret, Xerxi illac transeunti contra Grecos, ea omnia dono obtulit, sibi è mancipiis atque agricolis uictum suppetere dictitās: & totum illius exercitum hospitio excepit. Xerxes rex & opulentiam & liberalitatem hominis admiratus, gratias egit, eumq; hospitē suum fecit: & ne quadragies centena millia imperfecta essent, septem millia in supplementū de suo addi uoluit. Herod. lib. 7. & Plin. lib. 33. cap. 10. Polyænus Pythen appellat.

Ante 300. ann. solæ uenæ Freibergēses in Misnia HENRICO Principi, qui primus ad Misenam Toringiam adiunxit, tantam argenti copiam largitæ sunt, quanta tum, ut annales loquuntur, sufficeret emturo Boemiæ regnum. Itaq; ille sagittis grandem arborem ex argēto factam statuit prope Nortlinam Turingiæ oppidum: nō ut sub ea, sicut Xerxes quondam sub aurea platano, sederet, sed ut eius foliis, quorum pars erat aurea, pars argentea, omnis ordinis nobiles, qui descendissent in equestre certamē, & decertassent feliciter, donaret: aureis eos, qui alios de equis excussissent: argenteis eos, qui nec ipsi ex equis cecidissent, nec alios de eis excussissent: at neutris eos, qui ex equis cecidissent. Georg. Agricola in Epist. de Natura fossilium, ex Chronco Misniæ.

[redacted]

CONRADVS, fossor metallicus primùm in Schnebergifodinis, cùm sua omnia consumsisset, Pauperis cognomen meruit: mox unà cum loco mutata fortuna, ex metallis Ebersi, quod est oppidum in Lotharingia, diues factus, nomen ex fortuna inuenit, adhuc celebre, Kunt vom glück: in Comitum quoq; ordinem à Maximiliano I. Imp. cooptatus, uti Georgius Agricola lib. 1. de Re metal. scribit. Illud ex Iacobo Rudino, Tribuno Basiliense, V. C. socero nostro, qui familiariter hominē norat, non semel me audiuisse commemini, Conradum integro biennio, & ultrà, in singulas septimanas MD aureorum lucrum ex fodinis illis percepisse. Cæterùm quia fortunam minimè reuerenter haberet, facilè parta profunderet, dilapidaret, affinium & cognatorum pauperum nullam penitùs rationē duceret, nobilium quin etiam artibus, ut formidolosissimus erat, assiduè deplumaretur: qui quinque equis comitatus oberrare solebat, in xenodochio publico aliena pietate infelicē deposuit spiritū.

Domorum possessio.

P. CLODIVS (quem Milo occidit) habitauit domo, emta sestertiis CXLVII millibus.

CICERO, homo nouus Arpinas (ut Salustius ei improperat) præter dignitatem consularem eò diuitiarum peruenit, ut habitaret domū, quę fuerat M. Crassi, Romanorū ditissimi.

Ad MAXIMVM, Martialis Epigrammatum lib. 7.
Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patritius culmina uicus habet.
Hinc uiduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ,
Inde nouum, ueterem prospicis inde Iouem.
Dic, ubi conueniam: dic, qua te parte requiram:
Quisquis ubiq; habitat, Maxime, nusquam habitat.

Hortorum possessio.

Consule Tit. Magnificentiæ in hortis.

Thesaurorum possessio.

Thesauros prisci Latini Flauissas dixère, quòd in eos flata signataq; pecunia, non rude æs argentúmue, conderetur. Ex Q. Val. Sorano refert Gell. lib. 2. cap. 10. Noct. Att.

Iudæi dicunt, quòd CHORE, dum eremum cum Mose & filiis Israel præteriret, trecentos habebat camelos onustos, nihil aliud ferentes, nisi solas claues thesauri eiusdem: quæ claues de uaccarum corrigiis factæ erant omnes, ut leuiùs ferri possent. Petrus Alfonsius Tit. 1. contra Iudæos.

Quantæ fuerint opes DAVIDIS, regis Iudęorū, cōiectare est ex uerbis eiusdem, qui cap. 22. Paralipomenon ita loquens ad Salomonem inducitur: Confortare, & uiriliter age, ne timeas, neq; paueas: ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentûm. Historia regum scribit, Dauidem habuisse argenti mille millia talentûm: id est, decies cētena millia, & auri centum millia, quæ mille millia talenta argenti ualent. Propterea Budæus ait, opes Dauidis decies fuisse maiores opibus Darianis. Eius sepulcro Salomo F. magnas opes intulit. Quod inde colligi potest: quòd post 1300 annos, cùm Hircanus pontifex Antiochum Pium cognomine, qui Hierosolymam obsederat, pacta mercede ab obsidione reuocare uellet, aperuit unum loculum sepulcri Dauidici, & tribus millibus talentorum repertis, partē dedit Antiocho. Multo pòst Herodes rex alium loculum aperiens, plurimas opes reperit. Nullos autem aliorum regum loculos inuenire potuit, quoniam tanta arte conditi erant, ut ingredientibus in monumentum, manifesti esse non possent. Iosephus lib. 8. Antiq. cap. ultimo.

Fuerunt & immanes SALOMONIS diuitiæ, ut testatur, qd' libro tertio Regum, cap. 10. scriptum est, hoc modo: Non erat argentum, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hirami semel per tres annos ibat in Tharsis, deferēs inde aurum & argentum. Et paulò inferiùs: Fecitq; ut tanta esset abundantia auri & argenti in Hierusalem, quanta & lapidum. Consumsit in templi sui columnis & uasis aureis quadragies sexies cētena millia: argēti uerò ad clauos & alia instrumēta MCCXXXII talenta. Aeris uerò in columnis, fornicibus, & cæteris, talenta XVIII millia. Sacris literis proditum est, decem millia talenta auri, totidem & ampliùs argenti ab eo possessa: biiugum equorum quadragena millia, bissena equorum ad pugnam expeditorum: sed auri argentiq; partem multò maximam in apparatum templi, & regiam sumtuosissimè ædificatam, impendit. felix opibus, felix usu: sed multò felicior sapientia, qua mortales omnes antecelluit. Sab. lib. 8. cap. 6.

EZECHIAS Iudæorum rex sanctissimus, magnos thesauros sibi comparauit. 2. Paralip. cap. 32.

THEODORA, Theophili Imp. uidua, Bardæ technis à Michaele F. imperio deturbata, ne sibi uita eriperetur, ultrò cessit è palatio, & accersitis senatoribus, ne rex diceret, regium ærarium inuenisse se uacuum, iussit auri argentique proferre pondera. Prolata igitur argenti tria millia pōdo, auri millę & noningenta centenaria. Cuspinianus.

PIVS II. collegio Cardinalium quinq; & quadraginta millia numûm aureorum, à uectigalibus Ecclesiæ pensum, ob indictum Turcis bellum reliquit. Has pecunias Cardinales & triremes, quæ tum in portu Anconitano erant, Christophoro Mauro, Venetorum duci, qui biduo ante Pij mortē cum triremibus undecim applicuerat, cōmiserunt his conditionibus: ut nauigiis pro eorum arbitrio bello nauali uterentur: pecunias uerò stipendij nomine ad Matthiam, Vngarorum regem mitterent, bellum assiduè cum Turcis gerentem. Platina.

Duodeuicies centum millia numûm aureorum CAROLVS V. Francorum rex moriens reliquisse dicebatur. Nec parui refert, quæ fama diuitiarum apud socios hostesq; increbrescat. Aemilius libro 9.

Pecuniæ possessio. Pecuniosi.

Tantam pecuniarum copiam in AEGYPTO fuisse tradūt olim, ut incensis Aegyptiorum templis à Cambyse, inter cætera parum quid auri, quod tamen ultra trecenta talenta sit pensum, effluxerit: argenti uerò duo millia & trecenta. Diodorus lib. 1. cap. 4.

THEMISTOCLE Athenis pulso, pecunia eius magna ex parte furtim per amicos egesta, & in Asiam est deuecta. Deprehensam & publicatam summam centum Theopompus, Theophrastus octoginta talentûm dicit fuisse: cū uires bonorū Themistoclis priùs, quàm ad rempublicam accederet, trium non essent talentorum. Plut. in Themistocle.

Gemmarum possessio.

CLEOPATRA, Aegypti reginarum nouissima, duos habuit maximos uniones, per manus Oriētis regum sibi traditos. Quorum alterum aceto liquatum in cœna absorpsit, sexcenties H-S æstimatum. Alterum, capta Cleopatra, Augustus in duos diuisum, Veneris auribus in Pantheo Romæ appendit. Plinius lib. 9. cap. 35.

Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine Dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ priuignus Syllæ, SCAVRVS. Diuq; nulla alia fuit, donec POMPEIVS Magnus eam, quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro, aliiq; eiusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo CAESAR dictator sex dactyliothecas in ęde Veneris genetricis cōsecrauit. MARCELLVS, Octauia genitus, in Palatina Apollinis æde unam. Plin. lib. 37. cap. 1.

INSVLANVS quidam gemmam, Turcam uulgò dictam, eximij precij & pulcritudinis gestare solebat. Cùm fatis ille concessisset, gemma illa, tanquam heri sui necem lugens, longè obscurior apparere, adeoq; per medium rimā porraceam trahere cœpit. Cæterùm dum in auctione uænum exposita, dominum mutauit, ad pristinam suam rediit integritatem, non sine Fr. Ruei Insulani medici admiratione, & uerò etiam indignatione, quòd eius comparādæ occasionem ob suspectum uitium sibi præripi passus esset. Testis ipsemet lib. 2. de Gemmis, cap. 18.

Vasorum, Supellectilis possessio.

Arcadicus PYTHEAS poculis aureis & argenteis ualde delectabatur: qui etiam cùm moreretur, non dubitauit familiaribus suis iniungere, ut hæc in ipsius tumulo inscriberētur.
Pytheas hoc tumulo tegitur prudensq; bonusq;,
Pocula cui uiuo multa fuère uiro,
Auri, ac argenti, ac electri splendida, cunctis
Atq; magis priscis qui uariauit ea.
Athen. lib. 11. cap. 4. ex Harmodio.

Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis scribit: Cùm quispiam LAMPEN Aeginetam efferret, tanquam longè ditissimum, propterea quòd multa possideret nauigia: Lacon quidam, [illegible] id est, Nihil, inquit, moror felicitatem de funiculis pendentem. Nimirum innuens, nauticas opes incertas esse, ac fortunæ ludibriis obnoxias. Eras. in Adag.

PERSÆ maximè gloriantur, si plura habeant pocula: neq; ullo pudore capiuntur, etiam si iniustè ea sibi comparasse cōstiterit: quoniam multum uiget apud eos iniusta ac turpe lucri desiderium. Xenophon lib. 8. Pædiæ.

Cæcilius rhetor AGATHOCLEM scribit Siculorū tyrānum multa aurea argenteaq; pocula habuisse, eaq; cùm suis sociis ostenderet, dicerē solitum, quòd ex eo tempore, quo regnauit, ea sibi comparasset.

ACRISIVS in Sophoclis Larissæis quàmplurima & ipse pocula possidebat. Athen. lib. 11. cap. 4.

Possidonius libro Historiarum 26. LYSIMACHVM Babylonium scribit, cùm ad cœnam Himerum uocasset, unà cū trecentis (qui Himerus non solū Babyloniis imperauerat, uerumetiam Seleuceis) post ablatas mensas argenteum poculum quatuor minarum singulis trecētorum tradidisse: atq; cùm fœdera percussisset, omnes poculis prouocasse, dedisseque, ut pocula auferrent. Athen. lib. 11. cap. 4.

TVRDITANI, gens ita diues, ut Carthaginenses illos inuenerint præsepibus utentes argenteis. Strabo.

HELIOGABALVS Imp. mensas & capsas habuit argenteas. Primus etenim cacabos, uasa deinde centenaria argentea sculpta, & nonnulla stigmatibus libidinosissimis inquinata habuit. Aelius Lampridius.

Desierunt esse in humanis, cùm hæc commentaremur, inquit Sab. duo supremi ordinis ANTISTITES (parcitur nominib. religionis causa) tantum congesti auri cælatiq; argenti cum aulico apparatu uterque reliquit, quantum priuatim diu in Italia possedit nemo. Sab. lib. 8. cap. 6.

ANGLI ouibus optimaq; lana abundant. Hoc uellus uerè aureum est, in quo potissimùm insulanorũ diuitiæ consistunt: nam magna auri atq; argenti copia à negotiatoribus eiusmodi, in primis coemendæ mercis gratia, in insulam quotannis undiq; apportatur, ibiq; perpetuò manet, quia aliò terrarum referri omnibus lege uetitum est: unde fit, ut opes maiores nusquam gentium sint. Sanè absq; immani pecunia, quę ultrò citroq; per manus ementium uendentiumq; ubiq; funditur, atq; uasis sacris, quæ præ magnitudine precij æstimari non possunt, nullus fermè adeò tenuis homo est, quin ad usum quotidianæ mensæ habeat salinum, scyphos, uel cochlearia argentea, & quisq; pro fortunis, complura, ac uaria uasa. Polyd. lib. 1.

Armorum possessio. Armis diuites, instructi.

Consule Tit. Arma comparare, conseruare. Illic Prudentiæ bellicæ, hic Possessionis habetur ratio.

Tanta bombardæ eius, qua MAHOMETVS II. Turcorum Imp. Byzantiũ oppugnauit, magnitudo extitit, ut a septuaginta iugis boum & à uiris bis mille trahenda fuerit. Chalcocondylas lib. 8.

Militum multorum possessio. Exercitus numerosi.

Ex Tit. Strages magnæ bellicæ, hæc quædam. Illic Mortis multorum, hic Possessionis habetur ratio.

ISRAELITARVM sub Mosis ductu ex Aegypto migrãtium exercitus habuit DCIII millia. Imbellis autẽ popelli DL millia. Tota summa millies mille & centum quinquaginta. Iosephus libro 3. Antiq.

HIEROBOAMVS, rex Israelitarum, in exercitu (quem contra Abiam Iudæorum regem duxit) habuit XXC millia bellatorum. Abias uerò XL.

IOSAPHATVS, Iudæorum rex, undecies centena millia militum recensuit. 2. Paralip. 17.

SESOSTRIS, rex Aegypti (qui insuetã seruitij Arabiam subegit, maximam Libyæ partem occupauit) habuit in pedestribus copiis sexcenta peditum millia, equitum uerò XXIIII, curruum bello aptorũ octo millia & uiginti. Diodorus lib. 2.

NINVS, Assyriorum rex, contra Bactrianorum regem Zoroastrem, coacto ex singulis gentibus electo ingenti exercitu, aduersus eos profectus est. Tradit Ctesias scriptor, pedites ad decies septies centena millia fuisse, equitum millia ducenta, currus uerò falcatos paulo minus decem millibus & sexcentis, qui militum numerus incredibilis nunc forsan sit audientibus. Sed haudquaquam impossibile uidebitur, Asię magnitudinem multitudinemq; in ea nationum animo aduertenti. Diod. lib. 2. cap. 2.

ZOROASTRES cum Bactrianorum CCCC millib. obuiam Nino progressus, ad centum millia hostium, qui prædandi studio suorum agmen præcesserant, subita ui oppressis, cũ Ninus cum robore copiarum superueniss̃et, acie cæsus est. Sabel. lib. 1. En. 1.

SEMIRAMIDIS exercitus contra Indos habuit peditum, ut Ctesias tradit, ter decies centena millia, equitum millia quingenta, currus ad millia centum. Erant totidem numero homines super camelos, cum gladiis cubitorum quatuor. Naues diuisæ ad duo millia, quas cameli deferebant. Diodorus Siculus lib. 2. cap. 5.

Ad uindicandum Helenæ raptum, GRÆCI armauerunt in Troianos DCCCLXXXVI bellatorum millia. Contrà uerò TROIANI habuerunt DCLXXVI millia. Dares Phrygius. Homerus in Bœotia MCLXXXVI naues recẽset, Dictys MCCLXXXVIIII. Dares MCXL: alij MCLXX: tametsi classis illa χιλιόναυς à poetis, à Strabone χιλιοναῦς uocetur, & mille rates ac mille carinas Vergil. fuisse canat.

DARIVS, Persarum rex, contra Scythas DCCC millia duxit. Diodorus lib. 2. cap. 2.

XERXES Persarum rex, debellata Aegypto, per totum quadriennium comparauit exercitum aduersus Grecos omnium qui unquam fuerunt maximum. Constat certè, septem diebus totidemq; noctibus continuis exercitum eius (qui ex 170 myriadibus, hoc est, decies septies centenis millib. constabat) per pontem, quem in Hellesponto iunxerat, transiisse: eidemq; Scamandrum & Melana fluuios ad potandum non suffecisse. Lissus fluuius Samothraciæ non suffecit copiis Xerxis. Itẽ lacus 30 fermè stadiorũ in circuitu, piscosus admodũ & salsus, prope regionem Pissyrum, à solis iumentis, cùm aquarentur, exiccatus. Similiter etiam Chidorus fluuius è Crestonæis ortus. Herodotus lib. 7. Vbi in locum, cui nomen Dorisco, peruenit, classem illuc acciri iussit, utrasq; in uno loco iunctas munitiùs copias haberet: numerumq; uniuersi exercitus illic recensere placuit: in quo supra octingenta millia hominum pedestris exercitus conscripta traduntur: naues longas simul omnes plus mille ducẽtis, quarum trecentæ & uiginti Græcæ, rege nauium corpora præbente, Græcis eas milite & remige complentibus: reliquæ omnes barbaræ. Præter eas, octingentæ & quinquaginta ad equos portandos paratę, onerariæ tria millia. Aeschylus in Persis, Ξέρξῃ δ' (καὶ γὰρ οἶδα) χιλιὰς μὲν ἦν ὧν ἦγε πλῆθος. Iustinus libro 2. naues quoque decies centum millia habuisse. Contra hanc illuuiem, Græcorum in Artemisio Eubœæ classis uniuersa ducentis octoginta triremibus ad summum coacta erat: quarum cẽtum & quadraginta ab Atheniensibus instructæ: reliquas cætera Græcia collegerat. Huic classi præfectus erat Eurybiades Spartanus: quæ uerò ad classem pertinebant, à Themistocle Atheniense curabãtur. Diodorus lib. 11. Herodotus ex omni genere hominũ, qui Xerxem ad Sepiadem & Thermopylas secuti sunt, colligit myriades quingentas uiginti octo, & amplius: quæ ratio habet bis ac quinquagies centum octoginta tria millia hominum. Mirum est, quod idem auctor prodidit, in tanto mortalium numero, Xerxe, cuius in tot centena millia hominum fuit imperium, præstantiore forma, proceriorẽue statura fuisse neminem. Sab. lib. 2. En. 3.

MARDONIVS Persa (quem Xerxes apud Salaminem reliquit, ut dispalatos milites colligeret) habuit in exercitu 30 myriadas, hoc est, CCC millia. Victus est tamen apud Platæas à Pausania Lacedæmonio. Herod

ARTAXERXES, Persarum rex, cum nouies centenis millib. militum Cyrum fratrem ad Cunaxam Babyloniæ aggressus, XIII M Grecorum uirtute potissimùm fisus, interfecto tandem Cyro à Mithridate Persa, uictoriam obtinuit. Plutarchus in Artaxerxe.

DARIVS, ultimus rex Persarum, ad Issum Ciliciæ contra Alexandrum duxit CCCC millia peditum, equitum C millia. Acie uictus, cùm nullas pacis cõditiones Alexander admitteret, Babylone tanta cura in apparatum belli incubuit, ut hominum numerum, quos ad Issum habuerat, duplicauerit. Octingenta enim peditum, equitum ducenta millia coegisse dicitur: præter hæc, falcatos currus complures. Diodorus lib. 17. Summa copiarũ eius ad Gaugamela, ubi prælium commisit ultimum, equitum quinq; & quadraginta millia, ut Curtius scribit, peditum CC millia. Trogus C millia equitũ, peditum quadringẽta in ea acie stetisse prodidit. Tantum enim copiarum Darius ad bellum reparauit, ut ille auctor est. Plutarchus decies C millia in prælium producta credidit, cui propemodum accedit Curtius, qui exercitum penè duplo maiorem eo, qui in Cilicia fuerat, à Dario reparatum diuerso tẽstatur loco: ut meritò suspicari possit, parum sibi Curtium constare, qui copiarum numerum in acie locatarum adeò extenuat: nisi aliquis dixerit, parum integrè locũ ad posteros custoditum, ut dextro Darij cornu eam Curtius summam, nõ toti aciei tribuerit. Sabellicus libro quinto, En. 4.

ALEXANDRI Magni contra Darium copiarum, qui minimum asserunt numerum, trecenta millia peditum, equitum uerò quinq; fuisse tradũt. Fertur in Asiam traiecisse cum millibus armatorum non amplius XLVIII. Iustin. lib. 2.

ANTIGONVS, Philippi filius, & pater Demetrij Poliorcetis Macedoniæ regis, habuit in exercitu contra Seleucum Syriæ principem, & alios reges, supra LXX millia peditum, equitum uerò decem millia. Item elephantos LXXV. SELEVCVS uerò, & Antiochus eius filius, armarunt in Antigonum XCIII millia peditum, equites supra decem millia, elephantos CCCC, currus centum & uiginti.

ANTIOCHVS Eupator contra Iudam Machabæum peditũ C millia, equitum XX millia, elephãtos duo & triginta ducebat, quantas copias contra Iudęos nullus adhuc Græcorum duxerat. Elephantum quemlibet mille pedites, & D equites comitabantur, turri lignea dorso imposita, in qua duo & triginta homines, qui præliarentur, erant, cum beluę magistro Indo. Solebant autem uuarum mororumque sanguine ostenso, eos ad pugnam incitare. 1. Machab. 6.

ANTIOCHI Asiæ regis exercitus CCC millia armatorum, quibus Romanos inuasit. Falcatis etiam curribus, & elephantis aciem instruxit. Plutarchus.

ATHENIENSES in Syracusanos certaturi, duce Alcibiade, habuerunt supra centum quadraginta triremes, centum & quinq; millia peditum, tum sagittarios & funditores mille & trecentos: tormẽtorum prætereà ac machinarũ in expugnandis urbibus copiam ingentem. Plutarch. in Alcibiade.

Tyrannica Siciliæ urbium Syracusis DIONYSIVS exercitum peditum centum uiginti, equitum XII M confecit. Naues magnas partim triremes, partim quinqueremes ad quadringentas ex uno eduxit portu. Diod. lib. 2. cap. 2.

GALLI primùm Cambaule duce in Thraciam usq; penetrarunt. Lucri inde dulcedine stimulati, maiorib. copiis in Grȩciam mouerunt, agmine tripartito. In Thracas Cerethrius ducebat. In Pannoniam Brennus & Acichorius. In Macedoniam Colgius. Tertiò deinde, duce Brenno, in expeditionem contra Græcos nomina dederunt peditum CL millia, equitum XXMCCCC. Pausanias in Phocicis. Senonũ dux BRENNVS (qui primus Romanam superbiã retudit) habuit CCC millia. NERVII (quos Lucanus rebelles uocat, quiq; nostro tempore Tornacenses uocantur) in bello contra Cæsarem sexaginta hominũ millia amiserunt. Soli ARVERNI ducenta bellatorum millia obiecerunt Aemiliano Maximo ad Isaræ & Rhodani confluenta. Strabo.

HELVETIORVM in Galliam Aquitanicam irrumpere uolentium exercitus habuit trecenta hominum millia. Cæsar in Commentariis.

CARTHAGINENSES Siciliam cum septuaginta millibus militum, ducentis triremibus, & mille nauibus inuaserunt. Eos superauit Timoleon dux Corinthiorum, modica manu. Plutarchus in Timoleonte.

Certum non est, quantæ fuerint ANNIBALIS copiæ contra Romanos. Alij C millia peditum, & uiginti equitũ fuisse dicũt. Quidam aiunt, addita ex Gallis & Ligurib. LXXX millia peditum, decem equitum. Quamuis autem exactus ad fidem numerus dari nequeat, hoc tamen argui potest, numerosum habuisse exercitum, quòd amissis in Alpium traiectu triginta millibus, Romanorum nihilominus potẽtiam non expauerit. Plutarchus,

MITHRIDATES rex Ponti, habuit peditum C millia, equitum decem, currus falcatos nonaginta. Cęlius ad hunc modum de Mithridate: Habuit (inquit) equitum quinquaginta, peditum CCL millia: machinarum uerò ac omnis bellici instrumẽti par eius summa. Depugnabant cum eo reges dynastæq; Armeniæ, ac Scytharum, qui circa Pontum incolunt, supraq; Męotidem paludem. Contra eum duxit L. Lucullus XXX M peditum, equitum MMD.

TIGRANI regi Armeniæ fuere CC quinquaginta quinq; armatorum millia contra Romanos. Conserto prælio, peditum C millia, equitum L amisit. Plut. in Lucullo.

ROMANI paulò ante Hannibalis tempora futuri belli prouidentes magnitudinem, censu in Italia tum ciuium, tum sociorum, qui bello apti essent, habito, decies centena fermè millia hominum descripsére. Diod. lib. 2. cap. 2.

TERENTIVS Varro consul, & Aemilij Pauli collega, habuit in exercitu octo & octoginta hominum millia, contra Annibalem ad Cannas.

ITALIA, L. Aemilio Paulo, C. Attilio Regulo coss. nunciato Gallico tumultu, sola sine externis ullis auxiliis, atq; etiam tunc sine transpadanis, equitũ LXXXM, peditum DCCM armauit. Plinius lib. 3. cap. 20. Quatuor legiones urbanas in Gallos armauerunt, quarum singulis quinq; millia & ducenti pedites, equites uerò CCC inerant. Habebãt & ex sociorum auxiliis triginta millia peditum, equitum uerò duo millia. Cui numero Tusci & Sabini septuaginta addiderũt millia, ubi primùm Galli Apœninum trãsire nunciati sunt. Post hos Vmbri & Sarsennatæ, Apœnini incolæ, uiginti millia contulerunt. Samnites LXX millia peditum, equitũ septem millia. Iapyges & Mesapij quinquaginta millia peditum, equitum tria millia. Marsi, Maricini, Ferentani & Vestini, peditum uiginti millia, Eoq; modo cæteræ totius Italiæ urbes suas suppetias contulerunt, ita ut numerus exercẽ uerit ad septies centena millia peditum, equitũ uerò LXX millia. Polybius.

Exercitus C. MARII & Catuli cõtra Cimbros habuit LM hominum cum CCC militibus. Plutarchus.

Exercitus M. CRASSI contra Parthos habuit peditum legiones septem, equitum quatuor millia, ac totidem uelites.

CN. POMPEIVS in bello contra piratas, habuit quingẽtas nauęs, peditum CXX millia, equitum quinq;. Plutarchus. Eius in Cæsarem dimicantis acies habuit XL millia peditum, equitũ in sinistro cornu septem millia, in dextro quinque. Prætereà Orientis auxilia, totam urbis nobilitatẽ, Senatores, Prætores, Consulares.

C. IVL. Cæsar in acie habuit peditum LXXX millia, equites non amplius mille. Eutropius.

Bellans in Parthos M. ANTONIVS, habuit LX Romanorum peditum millia, & his auxilia equitum adiuncta, Hispanorum & Gallorum decem millia: cęterarum nationum equitum peditumq; trecenta millia. Parthorũ uerò CCCC fuẽre millia equitum. Plut. in Antonio.

Exercitus EIVSDEM contra Cæsarem Augustum habuit peditum centũ millia, equitum XXII, naues quingentas. AVGVSTI uerò naues ad ducentas quinquaginta, peditum LXXX millia, equitum XII. Plut. in Cæsare & Antonio.

In Libyco Appianus, Habent, inquit, ROMANI equitũ quadraginta, peditum ducẽta millia: armorum uim duplo maiorem: minorum nauium duo millia: triremes mille, quinqueremes quingentas: armamenta naualia multò plura, pręter octoginta naues aureã puppe ac prora insignes: adhæc trecentos elephantes, & curruum armatorum duo millia: talentorum uerò in thesauris Aegypti quatuor & septuaginta millia. Io. Bodinus Methodi hist. cap. 4.

Secundum Florum nullo unquam loco tantum uirium ROMANI populi fortuna uidit, quantum in campis Philippicis, trecenta & amplius millia bellatorũ hinc atq; illinc, pręter auxilia Regum & Senatus. Eutropius describit, in eo bello fuisse cum Pompeio peditum quadringenta millia, equites uerò mille & centum: sexcentos uidelicet in sinistro cornu, in dextero uerò quingentos. Cæsar uerò habuit peditum non plenè trecenta millia, equites uerò mille. Huic cõcordat Orosius. Cæsar in Commentariis numerum copiarum non exprimit, sed asserit eodem bello interfuisse mille uiginti duas cohortes. Io. Gerund. lib. 9. Paralip. Hispan.

CONSTANTINVS Magnus, reliquo Occidente pacato, indignum esse statuens, urbem, Imperij sedem, iugo turpissimo seruitutis à Maxentio tyranno oppressam esse, milites ex omnibus prouinciis suis Treuiros conuenire præcepit. Omnes ex Gallia, Hispania, & Britannia tanta animorũ alacritate præstò fuerunt, ut non ab Imperatore accitæ, sed à Deo missæ ab hominibus crederentur. Nonaginta millia peditum, octoginta equitum fuisse Zosimus refert. Exercitum quinetiam crucibus insignitum ducere ad Alpes instituit. Vnde Prudentius:

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum: clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Sigonius lib. 2. Imp. occid.

IDEM contra Licinium ducens, Thessalonicam omnia ad magnum bellum administrãdum necessaria contulit. Nam triremes ducentas, atq; onerariarum amplius duo millia, peditum centum & uiginti, equitum ad decem millia confecit. Licinius uicissim & ipse ex prouinciis suis ingentem numerum utriusq; militiæ conuocauit, ut pedestrium copiarum ad centum quinquaginta millia, equitum ad quindecim in armis haberet: &, cùm Constantinus classem suam in Piræeo Athenarum portu constituisset, ipse suam in Hellesponto locauit, & cum omnibus terrestrib. copiis ad Hadrianopolim in Thracia substitit. Sigonius l. 3. Imp. Occid.

BVNDVICA, Britanniæ regina, contra Romanos, sub Nerone, exercitu ad centum uiginti millia hominum contracto, manus cum Paulino, qui iam Monam insulam subegerat, feliciter conseruit. Xiphilinus in Nerone.

VITIGES, rex Gothorum, ad obsidionem urbis Romæ contra Belisarium cum ducentis armatorum millibus profectus est. Volaterranus.

RADAGAISVS, Gothorum rex (Arcadii & Honorij Impp. temporibus) habuit in exercitu supra ducenta bellatorum millia. Paulus Diaconus

THEODERICVS, Clodouei I. Francorum regis F. in Italia cum LXXX millibus traiecit: quibus impetu repentino Belisarij copias fregit, omnemq; Transpadanam subiugauit regionem. Volaterranus.

CAROLO Martello Gallorum regi fuerunt trecenta armatorum millia contra Abdiramum, Saracenorum regem, ex Hispaniis erumpentem. Victor Martellus CCC Saracenorum millia cæcidit. Cranzius lib. 4. Sueciæ.

Fuit longè memorabilis CHRISTIANORVM expeditio, qua Godofredus Bolionius, rex Hierosolymorũ post creatus, pietate & uirtute bellica insignis, supra quadringenta millia uolũtariorum militum, Syria terrestri itinere petita, ad condendum Hierosolymitanum imperium adduxit. Iouius lib 1. Histor.

ATTILA, Hũnorũ rex, cũ exercitu, quẽ in Scythia ex diuersis cõflauerat gẽtibus, an. 451. castra mouit, ac per Germaniã iter faciens, populos eius omnes ad arma Galliæ secum inferenda solicitauit, cùm aliis spem prædę opulentissimæ ostentaret, alios odio erga Romanos, quàm maximo posset, accenderet, aliis terrorem exercitus sui inuictissimi obiectaret. Itaq; haud ægrè omnes Germaniæ populi Attilæ ad Galliarum excidium contendenti se adiunxerunt, Quadi, Marcomanni, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Turingi, Bructeri, ac demum etiam, qui assidui, ac propè quotidiani Galliarum hostes ab initio fuerant, Saxones, & qui in Germania remanserant Franci. Cum hac tot populorum, gentiumq; colluuie, quæ ad septingenta millia hominum dicitur esse complexa, quasi non terræ Galliæ bellum, sed toti terrarum orbi pestem atq; exitium intentaret. Attila ad

Rhenum peruenit, ibiq; naues tam multas traiiciendi causa construxit, ut Hercynia sylua, quemadmodum inquit Sidonius, subitò secta in lintres abierit. Sigon. l.13. Imp. occid.

Hungarorum Annales, Hunnos in Europam anno Sal.373. traiecisse referunt, duces habuisse Belam Chielæ filium, Zomeiarum familia natum, item Cheuem & Cadicham eius fratres: præterea Atilam, Chemem, Budamq; fratres, Bendecuci filios, Cadarum genere natos: ad domitandam Septentrionalem plagam, ex centum & octo tribubus decies centena & octo milia hominum coegisse: iuri dicendo Cadarem, uirum sapientem, præfecisse: edicta, Dei uoce & reipublicę nomine præcinuisse: expeditionem tumultuariam & excogitatam circumlato cruento gladio, pronunciatoque loco, quem præstituissent, significasse: qui non obtemperassent temerè, eodem gladio per medium cæsos: quæ consuetudo adhuc in Transsyluania, in Turcarum tumultu, obseruatur. Bonfinius lib.2. Dec.1.

LEO I. Imperator immanem Genserici Vãdali in Oriente atque Occidente deprędandi licentiam haud ultrà ferendam ratus, bellum ei internecinum indixit, atque ea de causa classem mille centum tredecim nauium ex Gręcia uniuersa contraxit, quibus totum consternere mare potuit, atque exercitum centum millium hominũ comparauit, atq; in milites & remiges sumtus ingentes impendit: & summæ rerũ Basilisco Verinæ uxoris suę fratre pręposito, Anthemio Imperatori mãdauit, ut ex Italia necessaria omnia ministraret. Sed Basiliscus in ipso pugnæ ardore primus se fugę dedit. Sigonius lib.14. Imp. occid.

RINGO Sueonum & Gothorum rex, contra Haraldum Daniæ regem longè maioribus copiis fulsultum, tantam eduxit militum copiam, ut cùm alterum exercitus cornu esset in portu Vicensi, alterum in Verendiam per distantiã quadraginta milliarium Italicorum, siue CCCI. stadiorũ porrigeretur. Hanc multitudinem locis & ordinibus confusam Ringo circumiens, omnibus militaris disciplinæ præceptis ita satisfecit, ut insignem uictoriam cęso Haraldo reportarit. Io. Magnus lib.8. cap.8.

Frotho Danorum rex Hamundam uxorem ob adulterium repudiarat. HVNO Hunnorum rex, audito filię repudio, non solùm Olimarum Orientalium regem, sed quàm plurimos alios reges & principes, in societatem belli sibi adiunxit: qui tantam multitudinem bellatorum per terras & maria eduxerunt, ut contra totum orbem bellum suscepisse uiderentur. Nam, si Saxoni Danico credendũ est, in nauali exercitu quem OLIMARVS duxit, reges fuére sex, qui totidem classibus præfecti erant: quarum quælibet quina nauiũ millia complectebatur: deinde in qualibet naui trecẽti milites numerabantur. At in terrestri exercitu, cui Huno præerat, triginta millia ducum, excepta gregarij militis multitudine, conscripta fuisse commemorant. Eam tamen tempestatem Frotho prudẽtia Erici, qui postea apud Sueones regnauit, in finibus Russiæ oppressit. Io. Mag. lib.4. cap.26.

FROTHO III. Danorũ rex Noruagiã ingressus, Rollero, quẽ illis regem dederat, rebellantem, ut numerosi exercitus monimentum relinqueret, iussit singulos singula saxa in aceruum congerere. Noruagij & ipsi per ocium saxa congerebãt. Cernuntur hodie cumuli congestorie lapidum. Quum ad prælium uentum esset, summa utrinq; animorum ui certatum est, Victor Frotho ex tribus millibus, quas inuexisse fertur, nauium, solas LXX incolumes reduxit. Cranzius libro 1. Noruagiæ cap.19. ex Saxonis lib.5.

Sub Bela IIII. Pannoniorum rege TARTARI cum quingentis armatorum millibus Pannoniam ingressi sunt, à quibus superatus Bela aufugit. Volaterranus.

Sub Othone I. feruntur VNGARI tam immensam habuisse hominum multitudinem, ut dicerent: Nisi cœlum cadens obruat, aut terra dehiscens nos absorbeat, nemo hostium nos multitudine superabit. Qua cõlisi, in campo, quẽ Lycus fluuius circa Augustam Vindelicam præterlabitur, cõserere manus ausi, fœda strage ab Othone I. Imp. superati: tres reguli capti, & in crucẽ acti, reliqui ad internecionem deleti sunt. Cuspinianus.

TAMERLANES Tartarorũ rex, Euphratem fluuium cum sexcentis peditum millibus, equitum uerò trecẽtis traiecit: quo numero Asiam minorem occupauit, regem Turcarum Baiazetem captiuum duxit: Scythas, Medos, Albanos, Mesopotamiam, Parthiam, Persiam, Armeniã sibi subiugauit. Volaterranus in Geographia.

AETHIOPVM princeps (quem Presbyterum Ioannem uulgò dicunt, cùm GYAM, hoc est, Potens, dicatur) decies centena millia hominum ad bellum instruit, quingentos elephantes, equorum adhæc & camelorum ingentem numerum, & hæc uel mediocri rerum motu. Suntq; in tota gente familiæ stipendiariæ, in quibus orti signo crucis uelut cauterio insigniuntur, cute leniter incisa.

Anno Sal.1476. TVRCÆ tanta multitudine Scodram Epiri urbem oppugnarunt, ut illud omnes affirmarent, multos mẽses, quibus post Othomani discessum tenuit obsidio, & ad furnos calefaciendos, & ad cibaria coquenda, nullo ferè alio lignorum genere, quàm sagittarum fasciculis oppidanos fuisse usos. Sabell. lib.10. Dec.5.

Anno 1529. mẽse Septembri, SOLYMANNVS quinis castris diuerso atq; opportuno loco positis, urbem circumplexus, tãtam per omnes campos tabernaculorum multitudinem Viennensibus è sacra turre, quæ è media urbe excelsissima atq; pulcerrima structura exurgit, prospectantibus ostendebat, ut octona undiq; suburbani agri millia passuum occupare censeretur. Iouius lib.28. Historiarum.

Quum copiarum, quæ contra Solymannum anno 1532. Noricum inuadentem, ductæ sunt, numerus iniretur, repererunt CAROLVM V. Cæsarem, non deductis urbium præsidiis, nonaginta descriptorum peditum, & triginta armatorum equitum millia in aciem esse producturũ, nequaquam adnumeratis peditum atque equitum ministris, qui seruorum loco, si labores officiaque respiceres, æstimari poterant. Iouius lib.30. Historiarum.

Amicorum copia.

☞ *De Amicis suo loco peculiariter. Hoc tantum, quatenus & hi ipsi inter Diuitias referri consueuerunt.*

Apud SCYTHAS, auctore Luciano, is habebatur ditissimus, qui certissimos & optimos amicos possideret. Erasmus in prouerbio, Vbi amici, ibi opes.

Discipulorum copia

THEOPHRASTVS Eresius Aristotelis discipulus summa frequẽtia docuit, adeò ut duo millia auditorum habuerit. Laertius libro quinto.

Seruorum possessio. SERVIS diuites.

Serui multi.

ABRAHAMVS patriarcha ditissimus, seruis quoque ita abundauit, ut uernas 318 armare potuerit: quibus quinq; reges, qui regem Sodomorum prælio uicerant, & Lothũ fratris sui Haranis F. captiuum abduxerant, cum ingenti præda cecidit, & Lothum liberauit. Genes.14.

Carpitur à Thersite AGAMEMNON, uelut multarum mulierum studiosus:

Aere tibi plena tentoria, plurima in illis
Est mulier formosa, tibi quæ cuncta Pelasgi
Nos dedimus primo.

Sed rationi nequaquam consentaneum est, inquit Aristoteles, in usum mulierum multitudinem accessisse, sed in præmium: quando neque multum uini in ebrietatem comparabatur. Athen. lib 11. cap.2.

Vt Theopompus testatur libro Histor. 17. primi CHII inter Græcos post Thessalos ac Lacedæmonios seruis usi sunt, non tamen eodem modo quo illi possidentes. Nam Thessali & Lacedæmonij seruos ex Græcis comparasse uidentur, qui priùs regionem incolebant, quam illi nunc possident, Achiuorum: Thessali uerò Perrhæborum ac Magnetum. Atque in seruitium redactos isti quidem Helotas, illi autem Penestas nuncuparunt. At Chij seruos habuerũt barbaros, à quibus tandem subacti fuerunt. Athenæus libro 6. capite 7.

Libro tertio Historiarum inquit Epitimæus, ita CORINTHIORVM ciuitatem floruisse, ut sex seruorum myriades ac quadraginta possideret: propter quos existimo oraculum eos Chœnicometras appellasse. At Ctesicles tertio Chronicorum supra decima Olympiade cẽtesimam, descriptionem factam fuisse asserit ATHENIS à Demetrio Phalereo, quot essent illi, qui regionem Atticam habitarent, ac Atheniensium uiginti & unum millia fuisse reperta, inquilinorum decem millia, seruorum quadringenta millia. NICIAS uerò Nicerati, ut inquit Xenophon in libro de Reditibus, cùm mille seruos possideret, eos Sosiæ Thraci mercede ad argentifodinas elocabat, nempe ut singulis obolum singulis diebus persolueret. Aristoteles in Repub. AEGINETARVM, apud hos etiam quadraginta & septem myriades seruorum fuisse narrat. Agatharchides Cnidius trigesimo octauo rerum Europicarum, DARDANES seruos inquit possedisse, hunc quidẽ mille, illum uerò plures: quorum singuli pacis tẽpore agriculturam exercebant, iidemq; belligerantes lanceas ferebant, suumq; dominum ducem sequebantur. EX ROMANIS quidam decem, & uiginti millia, uel plures etiam, habuerunt. Athen. lib.6. cap.7.

Theopompus secundo rerum Philippicarum, ARCADES, inquit, trecenta Prospelatarum millia, sicut Helotarum, habuisse. Athen. lib.6. cap.7.

Callicyrij dicebantur exulum serui, qui Syracusis agricolationem exercebant, auctore Timæo. Quoniam autem ingens erat id genus hominum multitudo, prouerbio receptũ est, ut si quos admodum numerosos significare uellent, κιλλικυρίως appellarent. Aristoteles in republica SYRACVSANORVM, ostendit eam seruorum turbam ex omnigenis populis in unum confluxisse. Suidas.

Percontanti cuidã, cur LACEDÆMONII Helotis (sic apud illos dicebantur, quorum conditio media erat inter seruos & ingenuos) committerẽt colendos agros, ac non ipsi potiùs eos colerent? Quoniam, inquit, non ipsorum causa, sed nostra, Helotas nobis comparauimus. Videlicet stultitiam eorum taxans, qui mancipia ad ostentationem alunt otiosa, & seruos socios ac ministros uoluptatum habere malunt, quàm frugiferis operis occupatos. Plutar. in Lacon.

M. CRASSI facultates reliquæ omnes, quantumuis amplissimæ, minimè sunt tamen cum seruorum precio comparandæ: tam multos tamq; habebat excellentes lectores, amanuenses, argentarios, dispensatores, structores. Assistebat ipse discentibus, attendebat, atq; etiam docebat eos. Breui putabat seruorum quasi uiuorum rei familiaris organorũ præcipuè ad dominos pertinere curam. Rectè id quidem Crassus, si, ut dicebat, ita sentiebat, cætera per seruos, ipsos uerò esse per patremfamiliàs regendos seruos. Quippe œconomicam, quæ est disciplina tuendæ rei familiaris, cùm sit in inanimatis quæstuaria, in hominibus artem effici uidemus. Plut. in Crasso.

Nulla maior cura TVRCOS subit, quàm ut plures homines capiant & abducant, uendantq; & lucrentur. Nam Barbarũ genus sæua rapacitate aurum appetit, ob nullamque rem magis regem obseruant, quam ut aureos præbeat indies numos. Cuspinianus.

Auium possessio.

Romæ, Tiberio principe, ex fœtu supra Castorum ędem genitus pullus, in oppositam sutrinam deuolauit, etiã religione commendatus SVTORI officinæ domino. Is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolans in Rostra, in forum uersus, Tiberium, dein Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus. Hũc siue æmulatione uicinitatis mãceps proximæ sutrinæ, siue iracundia subita, ut uoluit uideri, excremẽtis eius imposita: calceis macula, exanimauit, tanta plebis cõsternatione, ut primò pulsus ex ea regione, mox & interemtus sit, funusq; innumeris aliti celebratum exequiis, constratum lectum super Aethiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum usque, qui constructus dextra uiæ Appiæ, ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato, fuit, M. Seruilio, C. Cestio coss. ad V. Cal. April. Plin. lib.10. cap.43.

AGRIPPINA, coniux Claudij Cęsaris, turdũ habuit (quod nunquam antè) imitantem sermones hominum. Habebant & Cæsares iuuenes item sturnum, luscinias, Græco atq; Latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assiduè noua loquentes, longiore etiã contextu. Plin. l.10. c.42.

Anserũ greges SCIPIO, Metellus, & M. Seius habebant magnos aliquot. Varro lib.3. cap.10.

Armentorum, Pecorum possessio.

ABRAHAMVS & LOTHVS, Haranis F. (qui Abrahami frater fuit) ditissimi fuerunt pecore, auro & argento: cumq; simul concordes habitarent, inter pastores tamẽ iurgia subinde oriebantur: eamq; ob causam placuit utriq;, ut discederent à se inuicem: Abrahamus quidem in uallem Mambræ, Lothus uerò Sodomam & Gomorram. Gen. cap.13.

IOBVS uir sanctissimus, balantum habuit septem millia, camelorum tria millia, boum iuga quingenta, asinas quingẽtas, copiosissimumq; seruitium. Quibus omnibus amissis, cùm patientia sua Deũ magis magisq; sibi deuinxisset, conduplicauit ei omnia Deus, ita ut 14 millia balantum, sex millia camelorum, mille boum iuga, & mille asinas habuerit. Iob 1. & ultimo cap.

NABALI stulto pascebant tria millia ouiũ, & mille capræ in Carmelo monte. 1. Reg.26.

MESA, Moabitarum rex, pecudibus diues, Israelitarum regi centena agnorum millia, & totidem lanatorum arietum quotannis pendebat. 4. Reg.3.

Bobus prisci homines ualde delectabantur, & suas opes in iis reponebant. NELEVS, rex Pyliorum, pater Nestoris, à filiæ procis boues Thessalicas sponsalitium munus exigebat. Hinc etiam Homerus uirgines ἀλφεσιβοίας uocat, hoc est, quæ propter formam facilè procorum munera acquirant. Melampus à pastoribus Iphicli in Thessalia captus, pro responsis, quæ Iphiclo dedit, uates cùm esset, mercedem boues accepit. Eurystheus Herculi imperauit, ut ex Hispania boues Geryonis adduceret. Quas cùm per Siciliam ageret, nõ dubitauit Eryx, cum Hercule earum causa in singulare certamen descendere: hinc bobus, illinc regno, loco præmij, uictori propositis. Homerus in Iliade testatur, Iphidamãtem Antenoris filium boues cẽtum sponsalitium munus socero suo dedisse. Pausanias in Messenicis.

Ὀκτάποδες, id est, Octapedes, Scythico prouerbio dicebantur, qui duos possiderent boues, & currum unum. Lucianus in Scytha siue Proxeno.

Κίσσαμις κῷος, id est, CISSAMIS Cous, in prouerbium abiit. Hunc aiunt pecuarijs gregibus supra modum diuitem. Verùm anguillam quotannis apparere solitam, quę pulcerrimam omnium pecudem raperet. Ea cùm in somnis apparens hominem commonuisset, ut sepeliret sese, & ille negligeret, euenit ut tum ipse tum uniuersum illius genus radicitùs interiret. Zenodotus.

POLYCRATES Messenius diues armentis. Pausan. lib.4.

Vltra Orcades centum millium tractu insulæ sunt SCETHLANDICÆ, quarum opes uniuersæ in piscibus sole arefactis ac tergoribus animantium, ut boum, ouium, caprarũ, marterelorum ac reliquorum huiuscemodi constant: quæ quotannis ad eos accedentes Hollandi, Zelandi, ac Germani, aliarum rerum uulgarium permutatione mercãtur. Pauca in eis frumenta, nisi aliunde afferãtur. H. Boeth. in Scot.

Romæ nuper fuére pastoritijs opibus illustres, MARGANI, CRVCEI, BVBALI, & omnium maxime Transtyberina regione duo MATTHÆI fratres, ex quibus semel domestico conuiuio adhibitus, audiui tantum sibi rei pecuariæ rationes creuisse, ut quingentos canes ad stabulorum custodiam in agris alerent. Sab. lib.8. cap.6.

Hispani insulæ Hispaniolæ boues & uaccas, quibus carebat prius, importarunt, tanta fœcunditate, ut carnes mercedis loco offerrent excoriari uolenti. Decanus certè RODERICVS Baptista ex uacca unica octingentos ducatos aureos uiginti annorum spacio collegit, cùm quouis anno bis pareret. Petrus Cieza Tomo 2. histor. Indorum, cap.35. & Cardanus de Varietate rerum, lib.7. cap.27.

Equorum multorum uel rarorum possessio.

EQVIS diuites.

SOLOMO rex quadraginta præsepiorum millia habuit equorum iugalium, & duodecim millia equitum. 3. Reg.4. Idem mille quadringentas quadrigas habuit. Equos ex Aegypto adducendos curabat. 3. Reg.10.

Dardani regis ERICHTHONIVS filius ex Teucri filia, felicitate excelluit, & fortunis: quem & Homerus scribit ditissimum hominem fuisse, cui tria millia erant equi pascentes prata. Diodorus lib.4. cap.12.

AVTONOVS, Melanei F. ex Hippodamia filios nactus est, Erodium, Anthum, Schœneum, Acanthum, & filiam Acanthidem, quam forma pulcerrimam dij fecerunt. Habuit is Autonous equorum armenta plurima, eaq; pascebãtur ab Hippodamia uxore & filiis eius. Cæterùm Autonoo plurimum agri possidenti, nullus cùm fructus perciperetur, ob culturæ neglectum, sed iuncos ei solũ spinasq; ferret: inde nomina filiis Acantho & Schœneo, filiæq; Acanthidi imposuit, maximumq; natu Erodiũ appellauit, quòd ipsum destituisset terra. Is Erodius equorum studiosissimus, eos pastum in pratum compulerat. Vnde cùm ea Anthus expulisset, equæ à pabulo exclusæ Anthum deuorauerunt, multa deos opem flagitantem. Et pater quidem Autonous præ dolore attonitus, equas abigere cunctatus est, itemq; adolescentis famulus. Mater uerò cum equabus depugnans, ob corporis imbecillitatem pestem filio depellere non potuit. Cùm autem hoc modo extinctum Anthum deflerent, Iupiter & Apollo misericordia ducti, uniuersos in aues mutauerunt: Autonoum in ocnum, quòd pater ad ferendum filio auxilium segnis fuisset: matrem in corydum, quòd se aduersus equas armasset pro filio propugnans: ipsum autẽ Anthum, erodium: Schœneum, Acanthum, & Acanthyllidas in aues pristinis suis nominibus insignes: famulam Anthi comitem, itidem in erodium, sed pello longè minorem. Atque hic erodius nusquã Antho assidet, neq; Anthus ephippa, quòd ab equis pessimè fuisset tractatus: atq; etiamnum Anthus equi uocem audiens fugit, simul eam imitans. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

MASISTIVS, Persarum dux, ad Erythras Bœotiæ cum Græcis cõgressus, Nisæo equo præ cæteris eminẽte uehebatur. Qui per latus ictus, & præ dolore in pedes erectus, Masistiũ excussit. Collapsum confestim Athenienses interfecerunt. Herod. lib.9.

ALEXANDRO Magno equi magna raritas contigit: Bucephalon eum uocarunt, siue ab aspectu toruo, siue ab insigni taurini capitis armo impressi. Sedecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalij grege emtum, etiam tum puero capto eius decore. Neminem hic alium, quàm Alexãdrum regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reijciens. Plinius libro 8. cap.42. Tantisper dum in acie instruenda, uel dandis imperiis, uel monendo, uel inspiciendo obequitabat aciem, alio uehebatur equo: quòd Bucephalo, qui iam grauis ętate erat, parceret. Vbi prælium iniret, admouebatur ille: in quem cùm trãsisset, illicò signa iubebat canere. Plut. in Alexandro.

Caius Bassus & Iul. Modestus in 2. Quæstionum confusarum,

CN. SEIVM quempiam scribunt fuisse, cumq; habuisse equum natum Argis in terra Græcia, de quo fama constans esset, tanquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuisset: quos Hercules, Diomede occiso, è Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse haud credibili pulcritudine, magnitudine inusitata, ceruice ardua, uigore & colore exuberãtissimo, quem phœnicem siue spadicem uocant, flaua & comanti iuba, omnibusque aliis equorum laudibus quoq; longè præstitisse. Sed eundem equum tali fuisse fato siue fortuna ferunt, ut quisquis haberet eum, possideretq;, is cum omni domo, familia, fortunis omnibus suis ad interneccionem deperiret. Itaq; primum illum Cn. Seium dominum eius, à M. Antonio, qui postea Triumuir reipublicę constituendæ fuit, capitis damnatum, miserando supplicio affectum esse. Eodem tempore Cornelium Dolabellã consulem, in Syriam proficiscentẽ, fama istius equi adductum, Argos diuertisse, cupidineque habendi eius exarsisse, emisseq; cum H-S centum millibus. Sed ipsum quoq; Dolabellam in Syria bello ciuili obsessũ atq; interfectum esse. Mox eundem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. Quem Cassium postea, satis notũ est, uictis Parthis, fusoq; exercitu suo, miseram mortem oppetiisse. Deinde Antoniũ post interitum Cassij, parta uictoria, equum illum nobilem Cassij requisisse: & cùm eo potitus esset, ipsum quoque postea uictum atq; desertum, detestabili exitio interiisse. Hinc prouerbium de hominibus calamitosis ortum, diciq; solitum: Ille homo habet equum Seianũ. C. Bassus hũc equum se Argis uidisse testatur. Gell. lib. 3. cap. 9.

NERO Imp. ostentauit hermaphroditas subiunctas carpento suo equas, in Treuerico Galliæ agro repertas: ceu planè uisenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Plinius lib. 11. cap. 49.

Equus Imp. PROBI in parœmiæ formam deduci potest. Is erat nec decorus quidem, nec staturosus: uerùm celeritate tanta, ut diurnis spacijs centum obiret milliaria, uel in decimũ diem labore haud interpellato. Eum tamen fugaci magis quàm forti ac strenuo congruere militi pronunciauit Probus idem. Cælius lib. 21. cap. 20. A. L.

Elephantorum possessio.

SIAMENSIS rex in India duodecim millia elephantorũ habere dicitur, è quibus quatuor millia semper ad subitos bellorum casus armata sunt. Osorius lib. 7. rerum Em.

Canum possessio.

HERCVLES cùm in Ponto Geryonem uicisset, in ea ciuitate, quæ dicebatur Tricarenia, id est, triceps, abduxissetq; eius armenta, secutus est boues canis ferocissimus, Cerberus nomine. Vbi in Peloponnesum esset uentum, uir Mycenęus opulentus, nomine Molossus, canem expetiuit, & petiit. Nõ concedente Eurystheo, egit cum pastoribus, ut in Tænari spelunca eum continerent: cui & summisit canes feminas. Eurystheus uerò Herculem ad canem repetendũ misit: qui inuestigatum inuenit in Tænaro, indeq; abduxit ad regem. Hinc nata fabula de Inferorum cane. Palæphatus.

Apud CATHÆOS Indos Curtius tradit, canes sine latratu feras insectari, præcipueq; leonibus esse infestos. Admouit id spectaculum Alexandri & Macedonum oculis rex Sophites, obiecto leone duobus canibus. Breue fuit certamen, belluaq; confestim exanimis iacuit: tantaq; illis conficiundæ ferę auiditas, ut ne crure quidem canis, regis iussu, resecto, à tenacissimo morsu diuelli potuerit. Sab. lib. 6. En. 4.

ALBANORVM regem eidem Alexandro canem dono misisse, aiunt, inusitatæ magnitudinis. Cuius specie Macedo delectatus, ursum illi primò obiecit: quem per cõtemtum intuitus, non modò non allatrauit, sed immobilis etiam iacuit. Iussit rex aprum proferri, nouissimè & damã: his quoque nihilo magis solicitatus, cùm pari contemtu adhuc hęreret, offensus ea corporis segnitie iracundus imperator, canem generosi alioqui spiritus occidi imperat. Nunciauit id fama muneris auctori, confestimq; alterum illi misit pari magnitudine, addidit & preces, ne canis ferociam in paruis, ut fecerat, experiretur, sed in leone aut in elephanto: duos fuisse sibi eiusmodi canes hoc, qui, reliquus esset, interemto, fore pręterea nullum. Nec Macedo distulit rem periclitari, leonemque protinus uidit ab eo prostratum. Elephantus deinde perductus: haud alio magis spectaculo rex lætatus dicitur. Inhorruit canis toto corpore bellua inspecta, inde latratu intonuit, atque in ceruicem assultans, artifici dimicatione, hinc atq; illinc belluam infestare: donec assidua rotatum uertigine, terra grauiter eius casu concussa, solo afflixit. Sabellicus ibidem.

Ceruorum possessio.

Agesilaus Megalopolitanus, cùm LYCOSVRÆ domiciliũ haberet, ceruam uidit, Dominæ deæ dictę sacram, confectã iam ætate, cum torque, in quo incisæ erant literæ: Hinnulus excipior soluente Agapenore Troiam. Pausan. in Arcad.

Scribit Aelianus PTOLEMÆO II, quem Philadelphum dicunt, cerui catulum dono datum quandoque: educatũ autem ea præcipuè ratione, uti ei præfectus curæ Græca ipsũ modò uoce alloqueretur. Quum idiomati insueuisset brutum, loquentem intelligebat perspicuè. Quanquam fuerit uetus opinio, Indicæ sonum uocis à ceruo tantum percipi. Cælius lib. 23. cap. 34. A. L.

Vrsorum.

SVIDRIGAL, Lituanorum dux, ursam nutriuit, quę sueta ex manibus eius panem accipere, sæpe in syluas uagabatur. Redeunti usq; ad thalamum principis, ostia quęq; patebãt. Ibi confricare ac pulsare pedibus ostium, cùm famesceret, consueuerat, cui princeps aperiens cibum præbebat. Conspirauêre nobiles aliquot adolescentes aduersus principẽ, atq; ursæ morem secuti, sumtis armis, cubiculi principalis ianuam confricauêre. Credens Suidrigal ursam adesse, ostio aperto mox ab insidiantibus confossus interiit. Aeneas Syluius cap. 26. Europæ.

Piscium possessio. Piscinarij.

IANO à Berenstein, Gulielmi F. Boemiæ atq; Morauiæ procerum ditissimus, ex reditibus tantummodò piscinarum, quas in Boemia & Morauia atq; Silesia possedit, uno anno amplius duodecies sestertiũm accepit, hoc est pecuniæ summã maiorem, quàm erat, qua senatores & patricij Romani, uel ab ipso Augusto Cæsare, qui censum auxerat, censi fuerunt. Io. Dubrauius lib. 1. de Piscinis, cap. 3.

GVLIELMVS à Berenstein, Boemiæ procerũ unus, rogatus, Quódnam prædium iudicaret maximè fructuosum? Id quod piscinis scateret, respondit. Cumq; duo ex equestri ordine adessent, quorum alter prædium piscinis uacuum, quadringentis sestertiis: alter suum, cum piscinis, dimidio minus emisset, atq; uterq; compari ære alieno prægrauaretur: hũc ex piscibus uenalibus multo celerius, quàm illum ex fœno, hordeo & oleribus, æs alienum cum fœnore diluiturũ affirmauit. Dubrauius ibidem.

Crocodilorum.

Quibusdam Aegyptiorum crocodili sacrosancti sunt: quibusdam non sunt, sed ueluti hostes exagitantur. Sacros admodum esse eos existimant, qui circa THEBAS & MOERIN stagnum incolunt: quorũ utriq; unum ex omnibus crocodilis alunt, cicurum & edoctum manu tractari, appendentes eius auribus uel gemmas, uel ex auro fusiles inaures, & primoribus pedibus cathenam innectentes: cibaria quoq; accommodata ac sacra præbentes, consectantur tanquam pulcerrimè uiuentem. Vbi mortem obiit, sale conditum sacris in urnis sepeliunt. Herod. lib. 2.

FORMALITER. EIVS QVOD possidetur spectanda

Quantitas. Possidentur

Multa.

Ex præcedentibus hæc pleraque.

Qualitas. Si possideantur

Eximia.

Fuit in templo Iouis Capitolini pallium breue purpureum, lanestre: ad quod cùm matronæ, atq; Imp. AVRELIANVS iungeret purpuras suas, cineris specie decolorari uidebantur cæteræ, diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumtum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens: Sume purpuram qualis apud nos est. Nam postea diligentissimè & Aurelianus, & Probus, & proximè Diocletianus, missis diligentissimis confectoribus, requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur autẽ Sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur. Erasmus ex Vopisco.

Zenobia Palmyrenorũ regina capta, duos elephantinos dentes enormi magnitudine AVRELIANVS Imp. pro miraculo Romam deportandos curauit, eo consilio, ut si totidẽ ea magnitudine reperti essent, ex his Ioui sellã cõstitueret. Horũ longitudo traditur denûm fuisse pedũ. Sab. l. 7. En. 7.

Antiqua.

Adiabenorum regio est CÆRON, amomi ferocissima. In ea seruabantur arcæ reliquiæ, qua Noe fertur euasisse diluuiũ, usq; ad Iosephi tempora, ut testatur ipse lib. 20. c. 2. Antiq.

IOPPE, portus Iudeæ est, ad quẽ Hiram rex Tyri ligna de Libano ratib. transferebat, quæ Hierusalẽ terreno itinere perueherentur. Hic locus est, in quo usq; hodie saxa monstrantur in litore, in quibus Andromeda religata, Persei quondam sit liberata præsidio. Hieron. in Ionæ cap. 1.

DELPHIS lapidem uideas modicè magnum, quem singulis diebus, & maximè festis, oleo perfundũt, & succida lana uelant: illum ipsum esse dicentes, quẽ pro puero appositũ ac deuoratũ Saturnus per uomitũ eiecisset. Pauſ. in Phocicis.

Lapis apud MEGARENSES (ad quem Apollo lyram suspẽdit, cùm Alcathoo operam suam esset nauaturus) si calculo feriatur, eundem, quem pulsæ fides, sonum reddit. Pausanias in Atticis.

Bacchus expeditione in Indiam suscepta, Euphratem ponte iunxit, quo loco urbi ZEVGMA nomen fuit. In ea seruatur funis, quo ad pontem religandum usus dicitur, uitigineis & hederaceis contortus sarmentis. Pausanias in Phocicis. Extare ferream catenam apud Euphratẽ amnem, aiunt, in urbe, quæ Zeugma appellatur, qua Alexander Magnus ibi uinxerat pontem: cuius anulos, qui refecti sunt, rubigine infestari, carentibus ea prioribus, quoniam iam inde ab initio temperatura quadam, antipathia dicta, illiti fuerant. Plinius lib. 34. cap. 15.

ARGIS olea nunc etiam durare dicitur, ad quam Io in uaccã mutatã Argus alligauerit. In PONTO circa Heracleam aræ sunt Iouis, Stratij cognomine, ibiq; quercus, quę ab Hercule satæ. Plin. lib. 16. cap. 44.

Apud TROEZENIOS ad Psiphæum mare progressis ostenditur oleaster, quem Rhacum intortum uocant, eo quòd ad eius arboris truncum implicatis habenis submersi fuerint Hippolyti currus. Pausanias in Corinth.

Conspicitur OLYMPIÆ oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiosè. Athenis quoq; olea durare traditur in certamine edita à Minerua. Plinius libro 16. cap. 44.

SPARTÆ delubrum est Ilairæ & Phœbes Apollinis filiarum. E templi lacunari pendet ouum tæniis religatũ, quod Leda peperit. Pausanias in Laconicis.

CYZICI lapis erat, Fugitiuus apellatus. Argonautæ eo pro ancorã usi, ibi reliquerant. Hunc è Prytaneo (ita uocatur locus) sæpe profugum fixêre plumbo. Plin. lib. 36. cap. 15.

Est PANOPENSIBVS in Phocide è crudo laterculo sacellũ, & in eo signum è lapide Pentelico. Quidam Aesculapium, alij Prometheum esse dicunt. Eius rei testimonia haud dubia se habere putant, quòd ad præruptas proximi torrentis ripas saxa iacent magnitudine nihilo minore, quàm ut plaustrum onerare queant singula. Color illis non terreni luti, sed qualis in sabulo riuorum & torrentium cernitur. Odorem etiam humani propè corporis referunt. Reliquias esse aiunt has luti illius, è quo primum illum hominem, uel de uniuersum hominum genus extitit, Prometheus finxerit. Pausanias in Phocicis.

Nauigium, quo cum impuberibus nauigauit in Cretam Theseus, & saluus rediit, agebatur remis triginta. Hoc usq; ad Demetrij Phaleræi ętatem ATHENIENSES conseruauerunt, ueteri materiæ integram aliam sufficientes, itaq; coagmentantes, ut philosophis in disputatione de iis, quæ augentur, ambiguitatis exemplum hæc nauis præbuerit, cùm alij eandem manere, alij non eandem contenderent. Plutarchus in Theseo.

Iouis simulacrum in urbe POPVLONIA ex una uite conspicimus, tot æuis incorruptum. Item MASSILIÆ pateram. METAPONTI templũ Iunonis uitigineis colũnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur uite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec est ligno ulli æternior natura. Plinius libro 14. cap. 1.

RHODI in templo Mineruæ olim thorax ostendebatur Amasis Aegyptiorum regis, cuius singula fila 365 filis constabant, tanta erat tenuitas. Plinius lib. 19. cap. 1.

Marsyæ Sileni ab Apolline excoriati pellis in utrem formata apud CELÆNAS urbem in foro suspensa cernitur, apud fontes Mæandri, in Phrygia. Herod. lib. 7.

In AVLOCRENE, per quam ab Apamia in Phrygiam itur, platanus ostendebatur, ex qua pependit Marsya uictus ab Apolline. Plinius libro 16. cap. 44.

OLYMPIÆ in templo Iouis cõspicitur lignea columna, iam uetustate ruens, ferreisq; incincta uinculis: quam fama peruulgauit, in Oenomai domo fuisse, solamq; stetisse, cùm domus reliqua fulmine conflagrasset. Id elegi testantur in ænea tabella ante ipsam columnam incisi:

> Vna columna ex his, hospes, sum sola relicta,
> In celsis steterunt quæ ædibus Oenomai.
> Nunc exto Iouis in templo circundata uinclis
> Nobilior, nec me flamma uorauit edax.

Pausanias libro quinto.

IBIDEM in Iouis templo Pelopis ensis conspiciebatur, capulo aureo & ebore elaboratus. Pausanias lib. 6.

In Iunonis IBIDEM templo arca posita est è cedro cũ aureis & eboreis emblematis, partim uerò ex eadem cedro cælatis. In arcam hanc Cypselum, qui Corinthi postea tyrannidem est adeptus, mater sua abdidit, cùm recẽns natum Bacchidæ ad necem magna cum solicitudine deposcerent. Arcam deinde in Olympia dedicarunt ipsius posteri, qui Cypselidæ sunt appellati, ob seruatum generis suæ principẽ & parentem. Fuisse uerò hoc nominis Cypselo traditur, quòd Corinthij arcas Cypselas uocant. Pausanias lib. 5.

In templo Pithũs deæ apud SICYONIOS Meleagri hasta reposita fuit, qua aprum Calydonium confecerat. In eodem etiam templo dedicatæ fuerunt Marsiæ tibiæ. Post aduersum enim Sileni casum, eas Marsyas amnis in Męandrũ, deinde in Asopum detulit. Eiectas inde in agrum Sicyonium, pastor quidam sustulit, & Apollini dicauit. Pausanias in Corinth.

CELEIS (distat autem à Phliunte stadiis quinq;) Cereris templum est, quod Anactorum dicitur, in quo Pelopis currus de tholo pendet. Pausanias in Corinth.

Palladia dici ait Pherecydes, omnes imagines, quæ manibus non essent factæ, sed è cœlo in terram delapsæ: cuiusmodi fuit illud Mineruæ celeberrimum Palladium, trium cubitorum, è cœlo in PESSINVNTEM Phrygię ciuitatem demissum, quæ ab eo casu nomen obtinuit, ut Dion putauit & Diodorus. Quanquam nõ defuerunt historici, qui ab alio casu circa Ganymedem raptum ita uocatum fuisse crediderint. Ioannes Antiochcus Palladium illud non quidem de cœlo cecidisse scribit, sed ab Asio quodam philosopho (à quo uocata sit Asia mundi pars) ac mathematico peroptimum horoscopum fabrefactum: ita ut illa ciuitas esset inexpugnabilis, in qua illud Palladium inuiolatum seruaretur: illudq; largitus est Troianis. At Apollodorus scriptũ reliquit lib. 3. quod ubi Ilus Ilium condidit, discolorem bouem secutus, deos precatus est, ut aliquod sibi signum appareret. atq; tunc decidit Palladium trium cubitorũ, quod sponte ambulare uidebatur, dextra hastam tenens, sinistra manu colum & fusum. Huic Ilo postea responsum fuit ab oraculo: tam diu ciuitatem Troiæ incolumẽ futuram, quãdiu inuiolatum illud Palladium in urbe seruaretur. Proinde cùm ab Vlysse & Diomede furto sublatum esset, Troia capi potuit. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 5.

CVMANI in Opicis, in Apollinis tẽplo suspensos monstrant dentes apri Erymanthij, ab Hercule interfecti. Pausanias in Arcadicis.

TEGEÆ in Arcadia in templo Aleę Mineruæ, Calydonij aprĩ corium atq; dentes conseruabantur: quos Augustus Cæsar, uicto M. Antonio (cui Arcades fauerant) una cum signo Aleæ Mineruæ, Romam asportauit: & signum quidem deæ in aditu fori à se dedicati posuit, dentium alterum in Liberi patris æde, quæ est in Cæsaris hortis, suspendit, nihilo illum passus dimidio breuiorem: alter confractus est. Pausanias in Arcad. Primo Gothici belli tradit Procopius: BENEVENTVM olim à Diomede direptum, ac inibi suis Calydoniæ dentes, quos accepisset Meleager uenationis præmium, reliquisse. Hi uerò ad nostra, inquit, tempora perseuerant, magnitudine uisenda, quippe lunari specie pedum trium explent perimetrum. Cælius libro quarto, capite 1. Antiquarum Lect.

Ad Aegos Potamos in Thracia lapis è cœlo cecidit, uti multis ante annis prædixerat Anaxagoras. In ABYDI gymnasio colitur hodieque, modicus quidem lapis, sed quem in medio terrarum casurum, idem Anaxagoras prædixisse narratur. Colitur & CASSANDRIÆ, quæ Potidæa uocitata est, ob id deducta. Ego ipse uidi in Vocontiorum agro paulò antè delatum, inquit Plinius libro secundo, capite quinquagesimo septimo.

DELPHIS Pindari sella est, è ferro fabricata: in qua quoties Delphos uenisset, sedere, & cantica omnia, quæ fecit in Apollinis honorem, decantare solitus dicitur. Pausanias in Phocicis.

Belluæ, cui Andromeda exposita fuit, à Perseo interfectę, ossa ROMÆ, apportata ex oppido Iudeæ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedũ quadraginta, altitudine costarum Indicos elephãtos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali. Plin. lib. 9. c. 5.

Tatius ROMÆ habitabat, ubi ædes nunc Monetę est: Romulus ad Pulcri litoris quos uocant gradus, circa descensum ex Palatio in Circum maximum. Quo loco referũt sacram cornum fuisse, & fabulam attexunt, exercentem se Romulũ torsisse ex Auẽtino lanceã, cuius erat corneum hastile: altè defixam cuspidem cõuellere cùm multi niterentur, neminẽ ualuisse: lasciuientem autem, quæ lignum erat amplexa, humum, ramos & stipitem corni eximia germinasse proceritate. Eam posteri ut rem sanctissimam magna religione uenerantes muro cinxerũt. Quæ si cui uisa esset minus frondescere uel uirescere, sed marcescere & exarescere, id clamore ille illicò significabat obuiis quibusque: qui sicut ad restinguendum incendium, aquam conclamabant, simul concursus fiebat, undiq; uasa plena eò aquæ portantium. Caio autem Cæsare gradus instaurante, cùm opifices tellurem adhærentem arbori circumfoderent, imprudentes planè corruperunt radices, ac contabuit arbor. Plutarchus in Romulo.

Tanæ-

Tanaquilis lana cum colo & fuso in templo Sangi, ROMÆ seruabatur. Plinius lib.8.c.48.ex Varrone.

In Gorgadas insulas Aethiopici maris penetrauit Hanno, Pœnorum imperator, prodiditq;, hirta feminarum corpora, uiros pernicitate euasisse: duarumq; Gorgonum cutes argumenti & miraculi gratia in Iunonis templo CARTHAGINE posuit, spectatas usq; ad urbē captam. Plin.l.6. c.31.

CONSTANTINOPOLI monasterium erat Mariæ, in quo imago Mariæ gestantis puerum in brachio, depicta à Luca fuit, ut refert Vincentius lib.23.cap.147.

In Turingia à familia nobili DVTGERODIA, idolum quoddam ęneum asseruatur, in fundamentis arcis Rotenbergię, (quæ deserta nunc iacet) inuentum in sacello subterraneo. Idolum appellant Pustericium, statura pueri formatum: manum dextram auriculæ dextræ, sinistram genu sinistro appositam habens. Intus cauum est & aqua repletum, atque igne circundatum, cum ingenti sonitu aquam illam in adstantes instar flammarum euomit. Georg. Fabricius de Rebus metal. cap. de Aere.

Effectus. Potentia.

Potentia ipsa respectu opulentiæ qualiscunq; dici uidetur, quòd ea instructus possit hoc uel illud efficere. Quæ ipsa rursus secundum materiæ diuersitatem diuidi potest, cùm Potentes sint alij

Generatim. Potentes in genere.

M.CRASSVS ualebat gratia & metu, uerùm metu precipuè. Vnde qui plurimum negotij sui temporis magistratib. atq; ducibus populi exhibuit Sicinius, roganti cuidam, Quid unum non lacesseret Crassum, sed hunc omitteret? Fœnū habet, inquit, in cornu. Solent autem Romani bobus cornu petentibus, quò obuij sibi cauerent, cornu fœno circumligare. Plut. in Crasso.

NOVGVARDIA, metropolis Russiæ, tam potens fuit, ut prouerbio circumferrent ciues eius, Quis potest contra Deum & magnam Nouguardiam? Cranzius lib.13. Vandaliæ, c.15. At eam Ioannes Basilius Moschorū tyrann⁹ sui iuris effecit.

Militibus potentes.

De his sub Tit. Exercitus numerosi.

Equitatu potentes.

Herodotus docet lib. 1. LYDOS equitatu ualuisse. Proinde Crœsus optabat, Iones equitatu uenire oppugnatum Lydos. Erasmus in Adagiis.

Indicat Strabo libro Geographiæ suæ XIIII, COLOPHONIOS olim cùm naualibus copiis abundasse, tum equestribus usq; adeò præcelluisse, ut ubicunq; gentium bellum gereretur, quod confici non posset, Colophoniorum equitum auxilio profligaretur. Atq; inde uulgò natum prouerbium, κολοφῶνα ἐπέθηκεν: id est, Colophonem addidit. Refertur à Diogeniano prouerbium Erasmus in Adagiis.

CELTARVM appellatio ab Homero, Pindaro, ac priscis scriptoribus semper usurpatur pro equitibus. Appianus à Celto filio Polyphemi ridiculè deducit. Lazius, à Galatis deriuari absurdè affirmat. Est enim Galatarum nomen ueteribus planè inusitatum. κέλης autē equus est à κέλω, quem Latini Sellarium uocant. κελητίζειν uerò & κελητεῖν apud Homerum & Pindarum nihil aliud est, quàm equis ἀζεύκτοις ἱππάζεσθαι, ut scribit Eustath. inde κέλητοι, & κελτοὶ per syncopen. Cur autem Galli primùm Celtæ sunt appellati, ratio est, quod omnium maximè ualerent equitatu. Ac tametsi laudantur à ueteribus Mauri, quòd equitatu longè præstarent, & Annibali de Romanis (quorum precipua uis erat, ut scribit Cęsar, in pedite) illustres uictorias peperissent: præstantior tamen fuit Gallorum equitatus, quo Cesar in bellis ciuilibus semper usus est. Sic enim Hircius: Accidit, inquit, bello Africano res incredibilis, ut equites minus triginta Galli, Maurorum equitum duo millia fugarēt. Idem bello Hispaniensi: Cùm magna manu, inquit, partas Cæsarianorum copias Afranius aggrederetur, celeriter se Galli equites expediūt, & prælio commisso, magnum hostium numerum pauci sustinuêre. Aequè consentaneum est, quod Plinius scribit, Hipporediam Galliæ Togatæ urbem sic appellari ab optimis domitoribus equorum. Quare Cæsar cùm Gallos in tres ordines distribueret, Druidas, Equites, & Agricolas, equitibus tribuit disciplinā militarē. Io. Bod. Meth. hist. c.9.

QVI POSSIDET. Huc pertinent

GENTES

Populosæ.

Si Gentium ipsarum fœcunditatem spectes, huc pertinet. Si Regionem, Vrbem, Patriam ipsam, ad Theatrum locorum pertinebis. Consule Tit. Respublicæ coloniis deductis celebres. item, Recensio populi.

Ex nno Abrahamo non multo amplius quadringentis annis numerositas Hebreæ gentis tanta procreata est, ut in exitu eiusdem populi ex Aegypto sexcenta millia hominū fuisse referantur bellicæ iuuentutis. ut omittamus gentem Idumæorum, non pertinentem ad populum Israel, quā genuit frater eius Esau, nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex semine ipsius Abrahæ, non per Saram coniugem procreatas. D.August. lib.15. de Ciuit. Dei, cap.8.

IVDÆORVM gens, siue multitudine sua laborans, siue à regibus traducta, in toto orbe dispersa fuit, maximè uerò in Aegypto & Cyrenaica regione, eam fortassis ob causam, quod in Heliopolitano agro templū Hierosolymitano simile Onias Iudæus permissu Ptolemæi Philometoris ædificauerat. Iosephus lib.13. & 14. & Strabo.

AEGYPTVS olim numero hominum omnes ferè orbis gentes superauit. Oppida insignia, urbesq; priscis temporibus ultra decem & octo millia habuisse, libri sacri cōtinent. Ptolemæi Lagi tempore ampliùs tria millia annumerata sunt. Vniuersi populi numerum fuisse antiquitùs septies decies centena millia. Sub Romanis haud pauciores ter decies cētenis millibus. Hæc extitit causa, cur tradantur priores Aegypti reges, magnis mirandisq; operibus à se multitudine hominum constructis, immortalia gloriæ suæ monumenta reliquisse. Diod. lib.1. cap.3. Causam uerò frequentiæ huius idem cap.6. hanc affert, nimirum quia filiorum educatio minimo iis constat, propter frugalitatem uictus & amictus, quos radicibus & caulibus palustrib. alūt, & discalceatos nudosq; incedere cogunt: ita ut omnis sumtus in puerum, quoad adolescat, impensus nō excedat drachmas 20.

Gens THRACVM secundùm Indos omniū maxima est: quæ si aut unius imperio regeretur, aut idem sentiret, inexpugnabilis foret, & omnium gentium multò ualidissima. Sed quia id arduum illis est, & nulla ratione contingere potest, ideò imbecilles sunt. Herod. lib.5. Thracia multitudine hominum adeò abundat, ut nisi Galliam fortè excipias, cuius nationi hominum frequentia anteponi posse uideatur. Quod in causa fuit, ut uniuersam ante Romanos nemo imperio suo adiecerit. Philippus tantū Macedo, & Alexander F. mox etiam Lysimachus, partem illius tenuerunt. Pausanias in Atticis.

GADITANI, incolarum frequentia nullis gentibus cedunt. In uno censu equestris ordinis Gaditani uiri quingēti fuêre censi, quot in nulla Italicarū urbium, preter Patauinos, obuenit. Tot autem numero cùm sint, insulam habitant nō longiorem stadiis C, cùm latitudo alibi stadium unum nō excedat. Strabo lib.3. Geographiæ.

PATAVIVM, Venetorum urbs, cunctas eius regionis excelluit olim. Sub Augusto in ea censi fuêre quingenti equestris ordinis uiri: antiquis autem annis C & XX militū millia misisse constat. Strabo lib.5.

Opulentæ, Diuitijs affluentes.

ISRAELITÆ sub Salomone rege locupletissimi fuêre, adeò ut argentum nullius haberetur precij, & auri Hierosolymæ non minor foret copia, quàm lapidum: & cedrorum, quàm sycomororum. 3. Reg.10.

De RHODIIS scribit Hom. in Catalogo,

—καί σφι θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων.

Quidam hunc uersum ad fabulam reduxerunt, dicentes aurum in insula pluisse, cùm Pallas è Iouis capite nata est, ut Pindarus inquit. Strabo lib.14.

CHALCIDENSES in insula Eubœa populi, apud quos locupletes Equitum nomina ferebant, comœdiæ ueteris conuitiis notati sunt, quòd æquè diuites ac auari essent.

SABÆORVM Arabum gens, cùm nullam unquam calamitatem sit experta, auri autem argentiq; copia, præsertim Sabę, ubi regia est, superfit, toreumata argētea aureaq; omnis generis poculorū habent: lectos insuper, tripodasq; argenteis pedib. cæteramq; supellectilem ultra fidē sumtuosam. Magnis quoq; columnis porticus fulciuntur: quarū capita tum argentea tum aurea sunt. Laquearia uerò ac portę aureis phialis preciosis lapidibus intermixtis, totius domus sumtuosissimum ornatum ostendunt. Alia enim auro, alia argento, quædam lapidibus splendent. Nonnulla tum elephantorum dentib. sunt exculta, tum multis pręterea rebus aliis, quæ plurimi apud homines existimantur. Diodor. lib.3. cap 3. & Plin. lib.6. cap.28. Eorum opulentiæ testis est Alexander Magnus, qui eam (ut fama est) regiam efficere constituerat, postq̄ ex India rediisset, si sponte fuisset receptus: si minus, bellū parabat, cùm eos uideret nec prius, nec posterius legatos ad se misisse. Aelium Gallum Augustus Cæsar in Arabiam misit, quo eas gentes & loca pertētaret. Audiebat enim ex omni tempore ditissimos esse, qui & auro & argento, & preciosis lapidibus aromata permutarent, & nihil in rebus extrinsecùs accipiendis expenderent. Aut enim se diuitibus amicis usurum sperabat, aut locupletes inimicos superaturum. Gallus à Syllæo, Nabathæorum legato, deceptus est, qui se iter monstraturum, & in omnibus fauturum pollicitus, fidem fregit, & propterea Romæ tandem securi percussus est. Strabo lib.16.

Strabo lib. Geographiæ 6. scribit, SYRACVSAS eò diuitiarum peruenisse, ut in prouerbium abierint. Siquidem de diuitibus ac splendidis ita dicere solent, Ne decimam quidē Syracusanarum opum partem assequi possent. Significabant autem, aliorum opes, quantumuis amplas, nihil esse ad Syracusanas diuitias. Erasmus.

RESPVBLICÆ opulentæ.

Auri in ærario populi ROMANI fuêre, Sex. Iulio, L. Aurelio coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo DCCXXVII. argenti nonaginta duo millia, & extra numerum CCC & LXXXXVM. Item Sex. Iulio, L. Marcio coss. hoc est, belli socialis initio, DCCCXLVI auri pōdo. C. Cæsar primò introitu Vrbis in ciuili bello suo ex ęrario protulit laterum aureorū XXVIM. & in numerato pondo CCC. Nec fuit aliis temporibus Resp. locupletior. Intulit & Aemilius Paulus, Perseo rege Macedonico deuicto, prædam pondo trium millium: à quo tempore populus Rom. tributum pendere desiit. Plin. lib.33. cap.3.

VENETIIS ne amplissimæ quidē diuitiæ magnæ sunt admirationi, ob ciuitatis opulētiam. Nec enim unius domus opes hic conspicuæ sunt, tametsi domesticæ puellæ (ex gente Cornelia regi Cypri elocatę) mille librę auri olim appēsæ sint, dotis nomine, regio matrimonio locatæ, tantumq; nunc possideat, quantum Venetorum priuatim nemo: nec alij multi, quibus immensæ sunt diuitiæ congestæ, sunt cuiquam admirationi. Vbi ex his, qui sordidum quæstum faciunt, tantum quidam auri congessêre, ut ad inuidiam fortunæ creuerint. Erit itaq; ut uera hæc, ita peculiaris unius ciuitatis laus in hac relatione: ut nulli hominum fuerint unquam (Romanis duntaxat exceptis, quib. totus orbis prædæ fuit) qui publicè priuatimq; plus possederint, quàm Veneti, qui Adriam accolunt. Sabel. lib.8. cap.6.

PONTIFICES opulenti.

IOANNES XXIII. Pontifex creatus Lugduni anno ætatis XC: superuixit annos XVIII, & menses IIII. Obiit anno Sal. 1334. Auinione sepultus. Thesaurum maiorem reliquit quàm ullus alius eorum, qui antecessêre Pontificum. Garimbertus lib.5. de Vitis Pontificum, & Platina.

Moriens CALLISTVS III. Pp. centum & quindecim millia numûm aureorum reliquit, quos in usus bellicos contra Turcos comparauerat. Platina.

[redacted]

REGES, PRINCIPES opulenti.

Vide Tit. Thesauris diuites.

Fiscus PRINCIPIS, Aerarium populi. Spartianus in Adriano, Damnatorū bona in fiscum priuatum redigi uetuit, omni summa in ærario publico recepta. Plinius in Panegyrico: At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes? imò tantò maiore, quanto plus tibi licere de tuo quàm de publico credis. Posterioribus temporibus Aerarium principis dictū est propriè de priuatis rebus Augusti uel Augustæ: Fiscus autem generaliter pro sacris thesauris. Hotom. de Verbis iuris.

ESVBOPES, Colchorum rex, terram uirginem nactus, plurimum argenti auriq; eruisse dicitur in Sannorum gente, & alioquin uelleribus aureis inclyto regno. Sed & illius aureæ cameræ, & argenteæ trabes narrantur, & columnæ atque parastatę, uicto Sesostre Aegypti rege, tam superbo, ut perdatur annis quibusq; forte reges singulos è subiectis iungere ad currum solitus, sicq; triumphare. Plin. l.33. cap.3.

Ταντάλου τάλαντα ταντταλίζεται. Tantali talenta talentizat: id est, librat & accumulat. Celebratus est TANTALVS Phryx ob luculentas diuitias, & in fabulam hominum uenit, ita ut fingatur & apud inferos simile quiddam pati, cuiusmodi solent inter congestas opes tenaces isti diuites.

MIDAS, rex Phrygiæ, cui propter Bacchū hospitio susceptū concessum est, ut quicquid uellet, optaret, uoti futurus cōpos. Optauit autem, ut quicquid corpore contigisset, in aurum uerteretur. Tantæ proinde fuerunt eius diuitiæ, ut in prouerbium abierint

Herodotus scribit, RHAMPSINITVM regem Aegyptiorū immanem pecuniæ copiam habuisse, quàm nemo regum posterorum adæquarit.

GYGES, Lydorum rex, ob opulētiam πολύχρυσος dictus. Plutarchus in Moralibus.

HALYATTES, Lydorum rex ditissimus. Suidas.

PTOLEMÆVM regem Aegypti, Varro tradit, Pompeio res gerente circa Iudæam, octona millia equitum sua pecunia tolerauisse: mille conuiuas, totidem aureis potoriis, mutantem uasa cum ferculis, saginasse. Plin. lib.33. cap.10.

CLEOPATRÆ, Aegypti reginæ, diuitię arguuntur ex coctilibus illis muris, inter septem orbis miracula numeratis: ex cratere, cuius pondus erat XV talentorum: ex apparatu cōuiuij, quo M. Antonium excepit: ex unionum sorbitione, & multis aliis sumtibus. Plut. in Antonio.

Nullus Anglorum rex maiores opes cùm in pecunia, tum in mouentibus rebus reliquit, quàm HENRICVS VII. idq; adeò ea potissimùm de causa, quòd nullis externis uel trāsmarinis bellis exhaustus fuerit, & seditiones domesticæ, quibus toto regni tēpore agitatus est, prius sopitæ sint, quàm uehementiores agerent radices. Polyd. lib.26. & 27.

IMPERATOR Turcorum, cōnumeratis cum prioribus suis, etiam Sultanici regni redditibus, sexagies centena millia aureorū singulis annis habet, ex quibus quinquies & quadragies centena millia expēdit. Nihilominus quoties ei belli tēpore populos censere liber, ex quauis uel minima summa census extraordinariè imposita, pecunias innumerabiles corradit, adeò ut quod ad ęrarium pertinet, ex bellis potiùs lucretur, quàm in damno sit. Præterea plus gēmarum ac thesaurorum solus possidet, quàm cæteri omnes orbis principes simul possideant. Adhæc tantam ærearum machinarum, ac rerum ad illas attinentium copiam, tantumq; papilionum, armorum, nauium, ac triremium apparatum habet, ut quilibet, qui paupertem nostram aliquousq; norit, facilè iudicet, cum pluribus simul principibus uno & eodē tempore bellum inferre posse. Iouius in uita Solymanni.

POLITICI QVIVIS diuites.

NICIÆ Atheniensi cùm aliàs erat grande, tum ex diuitiis & gloria fastigium. Fama est, archontibus aliquando inter se in curia cōsultantibus, iussum ab eo Sophoclem primū sententiā dicere, quòd esset in eo collegio antiquissimus: Equidē, inquit, natu maxim⁹ sum, sed tu antiquissimus. Plut. in Nic.

Nobilitauit census CIMONEM Atheniensem, sed nobiliorē fecit liberalitas. Sunt & CALLIÆ Atheniensis diuitiæ nihil ad posteros obscuræ. Sed SCOPADVM, qui Cranonē in Thessalia habitarunt, omnium in Gręcia celeberrimæ, ut quas Critias tyrānus inter pauca uota sit sibi optare solit⁹. Sabel. lib.8. cap.6. Scopas Thessalus, cùm ab eo peteret amicus quispiam rem eam, quæ nō admodum illi esset usui, diceretq;, nihil se necessarium uel utile petere: Atqui his ego, inquit, beatus & diues sum inutilib. & superuacaneis. Ità diuitiarum admiratio, nulli affectui consentanea naturali, ex uulgari & translatitia opinione oritur. Plut. in Cat.

Aiunt Carystiū quempiā fuisse, nomine CALLICRATEM, qui reliquos ciues opibus longè superauerit. Vnde si quem magnoperè locupletē intelligi uolebant, eum uel Carystij Callicratis facultates uincere dicebāt, ὑπὲρ τὰ Καλλικράτους.

Semper aliq ex Trallianis principales sunt in prouincia, quos Asiarchas uocant, è quibus PYTHODORVS fuit, uir ab initio Nyssaensis, postea propter claritatem eò commigrauit, & singulari cùm Pompeio amicitia iunctus fuit. Is regales opes super MM talentorum possidebat, quas à Diuo Cęsare uenundatas, propterea quòd Pompeij amicus fuisset, postea redemit, & filiis non minores reliquit. Huius filia fuit Pythodoris, Ponti regina. Strabo lib.14.

Quamuis numerosæ fuerint M. Crassi diuitiæ, Plinius tamen facit L. COR. Syllam ditiorem, ubi de Crasso loquens ait: Quiritum post Syllam ditissimus. Sabel. lib.8. cap.6.

L. LVSCIVS, Syllanarum partium, ampliùs sexcenties possedit. Seneca.

TARIVS Ruffus, infima natalium humilitate, cōsulatum militari industria meritus, circiter mille sestertiûm liberalitate Augusti congestum, agris coemendis exhausit.

Idem

Idem Seneca testis est, LENTVLVM augurem, eodem Augusto imperante, quater millies sestertiûm possedisse.

M. CRASSVS, cùm ab initio non excederent facultates eius septuagies bis H-S. indeq; rempublicã tractans, decimam facultatum suarum partem Herculi sacrasset, præbuisset etiam populo epulum, adhæc singulis ciuibus Romanis tesseram annonariam trium mensium de suo dedisset: tamen antequam ad bellum Parthicum proficisceretur, subducto secum fortunarum suarum calculo, reperit in censu millies septingenties quater H-S. Harum diuitiarum pleraque ex igne & bello conflarat. Plutarchus in Crasso. Negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. In agris suis sestertiûm MM possedit, Quiritum post Syllam ditissimus. Nec fuit satis, nisi totum Parthorum esurisset aurum. Plinius lib. 3. cap. 10.

C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Coss. ad VI. Cal. Febr. C. CÆCILIVS Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamuis multa ciuili bello perdidisset, tamẽ relinquere seruorum quatuor millia centum XVI. iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris CC quinquaginta septem millia, in numerato H-S DC. Funerari se iussit H-S XI. Plinius libro 33. capite 10.

Nemo in prouinciis pop. Rom. priuatus plura possedit, quàm GORDIANVS Africæ proconsul, qui postea contra Maximinum Imp. electus est. Sabel. lib. 6. En. 7.

Claruit Florentiæ COSMVS Medices, immenso pecuniarum auctu tam diues, ut hoc nomine nõ Italici solùm, sed Christiani etiam nominis reges omnes, & summi duces, cum eo hospitium iunxerint, literis, muneribus, & omni officio certantes. Mansit claritas familiæ incolumis usq; ad Caroli octaui in Italiam aduentum: quo tumultu Cosmi pronepotibus ciuili seditione domo eiectis, domestica gloria multiplici clade cõuulsa, facilè ciuitatis principatu cessit. Sabellicus libro 8. cap. 6. Ioannes, uigesimus tertius Papa, is qui in cõcilio Constantiensi à pontificatu deiectus est, Balthassar Cossa priùs dictus, patria Neapolitanus, Florentiæ postea uixit, & Cosmo Medice familiarissimè usus est. Quẽ homines existimant pecunia Balthassaris opes suas in tantum auxisse, ut & primarius apud Florentinos ciues, & ditissimus omniũ apud Italos, ac fortassè apud exteros quoque deinceps sit habitus. Platina in Martino V.

ORATORES, SOPHISTÆ, PHIlosophi diuites.

DEMADES orator Atheniensis, plurimùm & opibus & potentia ualuit: ita quidẽ, ut nihil præter Macedonum & Antipatri gratiam quęreret. Plutarchus & Volat. libro decimo quinto Anthrop.

GORGIAS Leontinus sophistica arte amplissi. opes cõgessit.

DAMIANVS Ephesius sophista, circa M. Antonini principis tempora, diuitiis multis ac potentia inter suos non uulgari præditus fuisse dicitur. Philostratus in Sophistis, & Volater. lib. 15. cap. 1. Anthrop.

HERODES Atticus sophista, ex patrimonio locupletissimus fuit.

PICTORES.

ZEVXIS tantas opes arte picturæ sibi comparauit, ut in ostentatione earum Olympiæ aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentaret. Plinius lib. 35. c. 10.

MEDICI.

Ex Tit. Medicorum auarorum, hinc quædam.

GALENVS, medicus Pergamenus, ex patrimonio ita fuit locuples, ut facilè ciues suos omnes uinceret. Decimam partem prouentuum impendebat annuatim, nouem reliquæ adiiciebantur ipsi sorti. Testis ipsemet lib. de Cognosc. animi morbis, cap. 9.

LIBERTI.

Etsi apud Rom. M. Crassus nomen quidem opulenti occupauerit: multi tamen postea seruitute liberati opulentiores fuére, pariterque tres Claudij principatu, PALLAS uicies quinquies centenis millibus, CALLISTVS & NARCISSVS. Plin. lib. 33. cap. 10. Hinc Iuuenalis:

Nec Crœsi fortunã unquam, nec Persica gaza
Sufficient animo, nec diuitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia.

Tacitus scribit, Pallantem sestertij ter millies possessorẽ fuisse. & lib. 14. ait, Neronem ueneno interfecisse hunc Pallantem, quòd immensam pecuniam longa senecta detineret.

SPONSÆ.

Apud Rom. licet priscis seculis dos æs graue fuerit, mox decem millia æris dotes non excessére. Postea corruptis moribus ad 40. millia supergressæ sunt, in tantum, ut MEGVLIA, quòd quingenta æris millia dotem dederat, dotatæ nomen tulerit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

MERETRICES.

PHRYNES meretricis opulentiam inde colligas, quòd se Thebas muris circumdaturam pollicebatur, si hęc inscriberent Thebani: Alexander euertit, Phryne meretrix reparauit. Callistratus in libro Amicarum. Scripsit de diuitiis illius in Neæra Timocles Comicus. Athen. lib. 12. cap. 22.

ACCA Laurentia meretrix locupletata fuit hæreditate mariti Tarutij cuiusdam Tusci: quam is pòst Romulo, quem educasset, reliquit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 10.

MODI, QVO POSSIDETVR. HVC pertinet BONORVM

COMMVNIO.

SCYTHARVM plerisq; communia omnia præter ensem & cyathum. Communes etiam uxores liberique. Cælius libro 18. cap. 24. A. L.

ESSENI Iudæi facultates omnes in cõmune possident. Quales etiam apud Dacos PLISTI dicti. Iosephus libro decimooctauo, cap. 2. Antiq.

In primitiua Ecclesia CHRISTIANI olim omnes in panis fractione unanimes, bona etiam omnia communia habebant, & facultatibus suis quique diuenditis, indigentibus largiebantur. Actorum 2. 4. & 5.

CARTHAGINENSIS legũlator, uno modo patrimoniorũ æquabilitatem maturè induci posse tradidit, Si dotem cõferant diuites, accipiant pauperes, nec contribuant. Cælius lib. 28. cap. 15. ex Arist. lib. 2. Politicorum.

ISLANDIS omnia communia sunt præter uxores. Catulos suos atq; pueros ęquo habent in precio: nisi quòd à pauperioribus faciliùs impetres filium quàm catulum. Ita beatos putant, qui in regionem nostram transportantur. Cranzius in præfatione Noruegiæ.

DIVISIO, PARTITIO.

Quod diuiditur, possidetur. Possessionis nomine, huius est loci. At ut aliis cõmunicatur, ad Acquisitionem quoq; referri posse uidetur.

Imperij, Regnorum.

Inter tres fratres, IOVEM, PLVTONEM & NEPTVNVM subiugatus Orbis diuisus est. Oriens Ioui, Occidens Plutoni, maritima Neptuno obtigere.

ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ
παλλομένων, Ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα,
Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι,

inquit Homerus. Locus in Caria, ἀπὸ τῆς κληρώσεως, ab hac sortitione, Claros dictus est. Natalis libro secundo Mytholo[redacted] imperio, habito cum ducibus con[redacted] gi filio, Aegyptum dedit: LAOMEDONTI Mitylenæo Syriam: PHILOTÆ Ciliciam: PYTHONI Mediam: EVMENI Paphlagoniam & Cappadociam, omnesq; illas finitimas regiones, quas Alexander non adierat, exclusus temporibus, dum bellum gerit cum Dario. ANTIGONO uerò Pamphyliam & Lyciam, & eam, quæ uocatur magna Phrygia. Postea CASSANDRO Cariam, MELEAGRO Lydiam, LEONATO eam, quę est apud Pontũ Phrygiam. In Europa LYSIMACHO data est Thracia, & finitimę gentes ad mare Ponticum. Macedonia uerò & uicinæ gentes ANTIPATRO assignatæ sunt. Ea, quæ ad Caucasum sita, nominatur Paropamisadarum, attribuit OXYARTÆ Bactriano regi, cuius filiam Roxanam duxerat Alexander in matrimonium. Et SIBYRTIO quidem dedit Arachosiã & Gedrosiam: STASAVORI autem Solio Ariam & Dranginam. PHILIPPO attribuit Bactrianam & Sardianam. PHRATAPHERNÆ Parthiam & Hyrcaniam: PEVCESTÆ Persidem: TLEPOLEMO Carmaniam: ATRAPÆ Mediam: ARCHONI Babyloniam: ARCESILAO Mesopotamiam. SELEVCVM præfecit ordini sociorum equitũ, qui ordo erat clarissimus. Huic enim primus præfuerat Hephæstio: secundum eum Perdiccas: tertius Seleucus. Similiterq; TAXILAM & PORVM dominos esse iussit suorum regnorum, quemadmodum Alexãder ipse statuerat. Diod. lib. 18. & 19. & 20.

Perdiccas debellato Ariarathe Cappadoce, & satrapia Eumeni concessa, imperium non obscurè affectabat, & Antipatrũ simul atq; Craterum opprimere cogitans, primò omnium Ptolemæo Aegyptio bellum intulit. Eumenes cum Perdicca sentiens, uno prælio Neoptolemum Antipatri ducẽ & Craterum interfecit. Perdiccas militari seditione in Aegypto interemtus est, & Antipater Procurator regni dictus, satrapias de integro partitus est: & PTOLEMÆO, quã iã habebat, assignauit (hunc enim ut mutaret, fieri non poterat, propterea quòd uidebatur Aegyptum sua uirtute quasi ferro partam habere) LAOMEDONTI uerò Mitylenæo Syriã tradidit, PHILOXENO Ciliciam. Ex reliquis satrapiis Mesopotamiam & Arbelitim AMPHIMACHO, Babyloniam SELEVCO, ANTIGONO Susianam, propterea quòd hic primus auctor fuerat inuadẽdi Perdiccę. PEVCESTÆ Persidem tradidit, TLEPOLEMO Carmaniam, PITHONI Mediam, PHILIPPO Parthiam, STAFANDRO Cyprio Aam & Dranginã, STASANORI Solio Bactrianã & Sogdianam, Paropamisadas OXYARTÆ. Indiæ uerò ea, quæ erant contermina Paropamisadis, assignauit PITHONI Agenoris filio. Ex regnis autem contiguis illud quod est ad flumen Indum PORO: quod uerò apud Hydaspem, TAXILÆ. Hos enim reges mouere non licebat, quin eis concederentur regiæ uires, & illustre imperium. Ex eis autẽ quæ uergunt ad septentriones, Cappadociam dedit NICANORI, magnam Phrygiam & Ciliciam ANTIGONO, sicut antè habebat: Cariam CASSANDRO, Syriam CLITO, Phrygiam eam, quæ iuxta Hellespontum est, ARRIDÆO. Regiarum copiarum ducem creauit ANTIGONVM, cui mandatum erat, ut Eumenem Alcetamque Perdiccæ fratrem, & Attalum Perdiccæ sororium classis præfectum debellaret. Antigono tribunum adiũxit filiũ suum CASSANDRVM, ne posset clàm priuatum negotium agere. Idem.

Iam cùm Antipater sumtis regibus, suisq; copiis, contenderet in Macedoniam, reges in patriam reducturus: Ptolemæus interea per ducem Nicanorem, Laomedonte satrapa Syriæ capto, Phœniciam & Cœlęsyriã occupauit. Antigonus Attalum, Docimum & Polemonem cepit, Alcetam Pisidarum proditione occisum domuit. Antipater animam agens regum tutorem constituit Polysperchontem ducem ferè maximum natu eorum, qui sub Alexandro militauerant: filium autem Cassandrum fecit Tribunum, & potentia secundum. Cassander indignè ferens, secundas se a Polysperchonte tenere, cum Antigono & Ptolemæo conspirauit. Polysperchõ regum nomine Eumenem Asiæ imperatorem constituit. Polysperchonte autem res ignauiter administrãte, Græcorum ciuitates pleræque ad Cassandrum defecere. Olympias Eurydicem cum marito Philippo rege crudeliter interfecit. Antigonus uaria fortuna tandem Eumenem oppressit, Pithonem Mediæ satrapam amicitia simulata circumuentum interfecit. Cassander Olympiadem in Pydna urbe cepit, & è medio sustulit: Polysperchontem è Macedonia expulit. Antigonus cum filio Demetrio Seleucum Babyloniæ satrapã circumuenire uolebat. Is inita cum Ptolemæo societate, belli grauissimi auctor fuit. Tandem Cassander, Ptolemæus & Lysimachus cum Antigono pacem fecerunt, & fœdus scripserunt, cuius conditiones hæ fuerunt: ut CASSANDER dux esset Europæ, donec Alexander Roxanæ filius ex Alexandro Magno adoleuisset, LYSIMACHVS Thraciæ imperaret, PTOLEMÆVS Aegypto & urbibus ei contermimis in Africa & Arabia, ANTIGONVS præesset uniuersæ Asiæ, & Græci uiuerent suis legibus. Neque tamen steterunt hisce pactis: quin eorum unusquisq; speciosas causas quærens, plus occupare niteretur. Idem.

Cæsar AVGVSTVS totum imperium Romanum bifariam diuisit. nam partem sibi asciuit, partem populo dedit. Ac sibi quidem, quæcunque militum pręsidio indigerent. ea est regio barbara, & gentibus nondum subactis finitima, sterilis sanè, & cultu difficilis, ut propter cæterarũ rerum inopiam, & copiam munitionum, iugum detrectent. Populo autem reliquam concessit, quæ pacata est, & facilè sine armis regitur. Vtramque portionem in prouincias complures diuisit, quarum aliæ Cæsaris, aliæ populi dicuntur. In suas præfecturas Cæsar ipse administratores mittit, & alio tempore aliter partitur regionẽ, & ut res postulat, ita uersatur. In populi prouincias populus imperatores uel consules mittit. Sed hæ quoque in diuisiones alias diducuntur, prout usus postulauerit. Strabo libro 17.

Inter BASSIANVM Caracallam & GETAM Seueri FF. Imperij diuisio ea fuit, ut Europa Bassiano cederet, Getæ Asia: ut apud Chalcedonem Bithyniæ hic haberet castra, ille apud Byzantium, loca modico inter se freto discreta. Vt Italici generis milites Bassianum sequerentur, cæterarum gentium Getam. Numidas & Mauros haberet ille: hic reliquum Aphricæ sibi uendicaret, orientem solem uersus. Hæc illis agitantibus, quum cæteri mœstum tenerent silentium, Iulia dolore intersata: Terrã, inquit, & mare, filij, inuenistis, quo pacto orbem inter uos diuideretis. Mater infelicissima quonam modo diuidenda uobis est? Ite, & quando ita placet, hoc miserum corpus in æquas partes diuidite, diuisum ac dimidiatum diuersis mundi partibus humi condite, ut ego quoque eisdem terræ marisq; discriminibus, ut uterque uestrûm ab altero, à me ipsa diuidar. Hæcq; cum lacrymis & flebili lamentatione locuta, conata est ambos reconciliare. Illi maternis lacrymis perturbari, infecta re diuersi abierunt: Multiplices inde insidias sibi inuicem tendere. Quæ quum parum procederent, longioris moræ impatiens Bassianus, ingressus repẽte fratris cubiculum, eum nihil tale expectantem in matris gremio obtruncauit. Sabellicus libro quinto, Enneadis septimæ.

CONSTANTIVS & Galerius MAXIMIANVS Imperiũ, quod commune Diocletianus & Maximianus habuerant, deposuerantque nouo, ut Orosius dixit, exemplo, inter se diuiserunt. Constantio Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britannia obtigit: Galerio Asia, Oriens, Aegyptus, & Illyricum. Ex quibus Oriẽs Syriam, Armeniam, Arabiam, & Mesopotamiam comprehendit: Illyricum uerò Thraciam, Mœsiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam & Dalmatiam. atque hæc tum Occidentalis & Orientalis Imperij nomine comprehensa sunt. Constantius autem tantam animi moderationem adhibuit, ut Italiam & Africam Galerio ultrò dimiserit. Galerius in Italiam ex Illyrico reuersus, duos suorũ filios Cæsares cooptauit, SEVERVM, & MAXIMINVM, atque illi Italiam & Africam, huic Orientẽ cum Asia & Aegypto commisit. ipse uerò sibi Illyricum reseruauit. Sigonius libro secundo Imperij occid.

Constantinus Magnus ut Imperij statum in plures diuisum acceperat, ita ipse quoque uniuersum eius principatum, ueluti hæreditatem paternam, filiis suis tribus distribuit: nempe CONSTANTINO, quem Cæsarem creauit decimo Imperij sui anno, partes Occidentales trans Alpes, nimirum Britannias, Gallias, Hispanias: CONSTANTIO uerò, quem anno uicesimo Cæsarem designauit, partes Orientales, à freto Propontidis: cui, fraude interfecto Dalmatio, Anniballiani Constantini Magni fratris F. patruele suo, Armenia & uicinæ regiones accesserunt. CONSTANTI autem, quẽ tricesimo Imperij sui anno Cæsarem constituit, partes medias, nimirum Illyricum, Noricum, Pannonias, Mœsos, Liburnos, Dalmatas, Thraciam, Græcos, Macedoniam, Achaiam, Africã, Italiam. Auentinus libro 2. Annalium Boiorum, & Pomponius Lætus: Eusebius libro quarto de uita Constantini, Socrates libro 1. cap. 39. Theodoretus libro 1. cap. 31. Sed Sozomenus libro 2. cap. 34. dicit Constantino & Constanti Occidentem contigisse. De eo sic Cuspinianus: Constantinus, inquit, ex Fausta coniuge quinque liberos procreauit: Constantinum II. Constantium, Constantem, quos imperij hæredes reliquit: Helenam filiam, quæ Iuliano: & Constantiam, quæ Gallo nupsere. Cùm autem hos tres filios, multo antè quam moreretur, Cæsares appellasset, singulosque denis annis imperij participes fecisset (hoc modo, ut primus sui nominis Constantinus Hesperiarum partium ageret principatum decennali suo: alter, qui nomen aui habuit, Constantius in uicennalibus suis Orientem gubernaret: iuniori uerò Constans, ut tricennalibus imperaret) cùm iam summo se languore grauatum sentiret, testamento hæredes reliquit. Quibus & Dalmatium Anaballiani fratris extincti filium adiunxit, Cæsaremq; fecit: quòd iam pœniteret crudelitatis, quam in affines perpetrasset. Sed hic Dalmatius anno imperij tertio factione Constantij in Oriente à militibus occisus est.

VALENTINIANVS Imp. à militibus dictus, consortẽ imperij sibi fecit VALENTEM fratrẽ. Cùm Naissum in superiorẽ Mœsiam accessissent, ibi Imperij, ducumque, & numerorum militarium diuisio facta est. Prouinciæ Orientales ad Illyricum usque concessæ Valenti: reliquas ad Occidentem pertinentes Valentinianus sibi retinuit. Præfecti prætorio Sallustius Orientem, Probus Illyricum, Mamertinus Italiam, Germanus Gallias gubernauit. Magistros utriusque militiæ Valens Victorem & Arinthenm, Valentinianus Iouinum & Dagalaisum obtinuit. Eadem quoq; concordia numeri militares partiti. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Defuncto Theodosio Magno, imperium orbis diuisum est inter filios duos testamento. Sed quia nondum ætas matura impe-

imperio erat, ductores legit, qui pueris adessent. Et Rufinũ ARCADIO, qui Orientis erat imperator, adiunxit: Stiliconem HONORIO, qui Occidentem tenebat, nondum decimum annum egresso. Fuit & Gildo tum præses uniuersæ Africæ. Cuspinianus.

Mortuo Attila, FILII eius de diuidendo inter se regno agere cùm cœpissent, contentione orta eò descenderunt, ut populos subiectos in sortem conicerent. Quod ubi Ardaricus rex Gepidarum audiit, indignum esse ratus, bellicosissimas gentes, tanquam uiles pecudum greges sorti committi, cõtra eos exercitum duxit, ac defectione sua non populares solum suos, sed alias etiam nationes ad libertatis studium excitauit, ac prælium in Pannonia iuxta flumen Netad aduersus Hunnos & eorum socios iniuit. Ibi Ellace filio Attilæ natu maximo cum triginta suorum millibus strato, reliqui fratres eius ad litus Pontici maris, ubi uetustas Gothi sedes habuerant, abire compulsi. Ita Hunni, quorum opes terra capere non poterat, tristi dissidio distracti subitò conciderunt. Populi uerò, qui illorum imperio obtemperauerant, sedes à Marciano & Valentiniano Imperatoribus impetrarunt. Sigonius lib.13. imp. occid.

Inter Clodouei filios paternum regnum ita diuisum uelut in Tetrarchias est, circa annum DXV, ut Childeberto Parisij, CLOTHARIO Suessiones, CLODAMIRO Aurelianũ, THEODERICO Mediomatrices imperia forent; Regésque omnes appellarentur. Nec illa ciuitatum modò nomina, sed rerum arces opulentissimæ erant, unde sua cuiusque longè lateque fusa regio iura peteret. Sed dum singuli magnitudinem paternam æquare student, seque angustis finibus clausos putant, primùm externa, mox & domestica exorta bella: quoad cæso à Burgundionibus Clodamiro, duobus aliis morbo sublatis, ad unius Clotharij arbitrium sunt omnia reuocata. Aemilius lib.1.

Clotharius Francorum rex, anno quàm regnare cùm fratribus cœperat quinquagesimo, Christi DLX obiit, filio Grano acie à se cæso annum superstes. Rursus Francorum regnum in Tetrarchias eodem quoq; exitu diuisum est. Chilpericus Clotharij filius, correpto auro paterno (quæ ingens uis emercandorum militum conciliandorumque procerum uidebatur) Lutetiam regni arcẽ occupauit. Optimates Francorum nulla ui artéue expugnari potuerunt, quo minus primo in spem regni nato primas partes maiestatis darent. Simul celeritate conspirationeq; fratrum oppressis consiliis, incœpto destitit. CHEREBERTO Parisij, SIGIBERTO Mediomatrices, CHILPERICO Suessiones, GVNTRANO Aurelianum, regiæ urbes euenere. Aemilius lib.1.

Carolus Martellus graui morbo correptus, suadentibus amicis, regna à se armis occupata filiis suis diuisit. Nam CAROLOMANNO maiori natu Austria & Sueuia, PIPINO uerò iuniori Burgundia & pars Franciæ obtigit. Platina.

Carolus Magnus iam senio grauis, cùm intellexisset, Pipinum filium, quem Italiæ regem præfecerat, Mediolani mortuum esse, LODOVICVM filium minorem natu, Aquitaniæ regem & imperij successorem, BERNARDVM uerò nepotem Italiæ regẽ declarauit, eiq; mandauit, ut Lodouico rebus in omnibus obtẽperaret. Fines imperij hos esse uoluit: in Gallia Rhenum ac Ligerim, qui in Celtis oriens, eos à Biturigibus diuidit: in Germania uerò Danubium & Saum fluuios: his autem prouinciis Aquitaniam, Guasconiam, magnam partem Hispaniæ, cisalpinam Galliam, Saxoniam, utramque Pannoniam, Istriam, Tiburinos addidit. Maritima uero Dalmatiæ imperio Constantinopolitano subiecta erant. Platina, Aemilius lib.3 & Cuspinianus.

Ludouicus Pius Imp. indicto Procerum conuentu, ne filiorum inter se fieret ulla dissensio, regna sua sic partitus est, ut LOTHARIVM imperij consortem faceret, PIPINVM regem Aquitaniæ, LVDOVICVM uerò Bauariæ. Morti proximus LOTHARIVM ex Italia aduocãs, tutorem Iudithæ uxoris ac Caroli constituit. Totum Austrasiæ regnũ à Mosa flumine ad Hungaros usque Lothario attribuit, reliquum CAROLO assignauit, quem Aquitaniæ regem constituit: nam Pipinus iam diem suum obierat. Ludouicus indignè ferens hanc regnorum partitionem, exercitum eduxit, sed frustra, Imperator edito testamẽto, Lothario imperium commisit, simul & tutelam filij Caroli & matris Iudithæ: coronam illi auream & ensem, quo in præliis utebatur, donans, cæteram supellectilem ecclesijs & amicis impartiens. Cuspin.

Mortuo Ludouico Pio exarserat inter eius filios tantum odij propter imperij diuisionem, ut in Antissiodorensi agro apud Frontanicum acerrimè à LVDOVICO & CAROLO contra LOTHARIVM fratrem dimicatum sit: Lotharius tandem uictus, Aquisgranum confugit atque inde quoque deturbatus, Viennam cum coniuge & liberis se contulit. Insecuti & eò cùm exercitu fratres. Ad quos placandos non solùm multi regni ipsius proceres, sed ex Italia quidam iussu Sergij II. Pontificis profecti sunt. Fœdus tandem factum, ut pars illa occidentalis regni, quæ à Britannico oceano usq; ad Mosam flumen pertinet, Carolo obtemperaret, in eáque etiam Francorum nomen maneret: Ludouico Germania usque ad Rhenum & ultra, quicquid pater possedisset. Lotharius autem cum imperij titulo urbem Romam obtineret cum Italia, & ea parte Galliæ, quæ olim Narbonensis, nunc Romana prouincia uocatur: addita ea parte, quæ inter Scaldim & Rhodanum fluuios Lotharingiæ nomen accepit, à Lothario, ut arbitror. Platina in Sergio II.

Lotharius Imp. hæreditariũ filiorũ dissidium ueritus, cõuocatis optimatibus regna sua inter eos diuisit, ac LVDOVICO Italiam cum Imperij titulo, LOTHARIO Lotharingiã, & CAROLO cum parte Prouinciæ Burgundiam tradidit: ac relicta rerum humanarum cura mox monachum Prumiensi in monasterio induit: atque ibi III. Kalend. Octobris extremũ spiritũ edidit, an. 855. Sigonius lib.5. regni Ital. Carolo mortuo Ludouicus Lothariusque fratres sine certamine illius opes diuisere. Ludouico Prouincia, quòd ea cõtinens Italiæ sit, ac citerior Burgundia, reliqua cessere Lothario. Aemilius lib.3. & Cuspinianus.

SVENO III. Danorũ rex regno pulsus à CANVTO & VALDEMARO, Saxonum & Sclauorũ ope reuersus, regni saltẽ partẽ precariò sibi dari petebat: adeòq; Valdemaro, utpote nepoti, cõpositionis arbitrium tradebat, probaturũ se, quæcunque per ipsum taxarentur, affirmans. Igitur Valdemarus regij nominis usurpatione ex equo decreta, trifariam totius regni ditionem partitus, Iutiæ magnitudinem non minus incolarum multitudine, quàm spaciis abundantem in unam portionem secreuit: in altera Sialandiam ac Fioniam, in tertia Scaniam cum attinẽtibus prouinciis locauit. Cùmque penes ipsum ut partitionis, ita optionis quoque potestas existeret, primam sibi, secũdam Suenoni indulsit: priórque Iutiam ipse delegit. Tunc Sueno, cui post ipsum optio debebatur, ne medium inter æmulos locum acciperet, Scaniam poposcit. Ita minores insulæ Canuto cessere. Fides pacti sacramẽto sancita. Cęterum non multo pòst Sueno Roskyldiæ in cœna utrunque ex insidiis aggressus est. Canuto cæso, Valdemarus saucius elapsus, collectis uiribus Suenonem acie congressum occidit. Saxo lib.14.

Agrorum, Regionum.

☞ *De Seditionibus agrariis suo loco. Hic de ipsa diuisione eius, quod possidetur.*

In terra Sancta occupanda & distribuenda, IVDÆ tribus partem optimam & amplissimam trans Iordanem ex Domini præcepto acquisiuit, ultra nonaginta oppida cum suis pagis: iamque suam sortem habebat, & simul etiam Ephraimitæ & Manassenses (nam suam partem cis Iordanem Gaditi & Rubenses iampridem anticiparant) cùm reliquæ tribus septem, delectis ex singulis tribubus tribus hominibus, terram reliquam ex Iosuæ mandato obirent & describerent, descriptam deinde & in septem diuisam partes, de ea sortiri primò, deinde sortitam armis occupare cogerentur. Tantum prærogatiuæ Iudæ tribus habuit, è qua Messias benedictus oriundus erat. Iosuæ cap.15. & seq.

Sesostris Aegyptiorum rex, posteaquam per Aegyptum diuortia aquarum effodisset, quibus Nili aqua exciperetur, tum ad sitim, tum ad uim hostium arcendam (prius enim equis & plaustris agendis opportuna erat regio) in omnes AEGYPTIOS soli quadrati æquam portionem uiritim per sortem diuisit: atq; hinc prouẽtum instituit, imposita certa pensione, quam illi quotannis soluerent. Quòd si cuius portionẽ alluuione fluuius decurtasset, re regi indicata, ex residuo proportione taxatũ uectigal pendebatur. Atque hinc Geometria orta, uidetur in Græciam transcendisse. Herod. lib.2.

Cùm de finibus PELOPONNENSES & IONES sæpissimè disceptarẽt, in quibus & Crommyonia cõtinebatur, inter se pepigerunt, ut columnam sisterent loco certo, qui circa Isthmum est. In qua hic inerat titulus, in parte Peloponnesum spectante, Hæc Peloponnesus, at non Ionia. In parte uerò Megara spectante, Hæc non Peloponnesus est, sed Ionia. Pòst uerò reuersi in Peloponnesum Dorienses, pulsis Ionibus, contra Atticos bellum suscepere, qui exules recipiebãt. Prælio autem uicti, aliam quidem amisere terram, Megaricam uerò tenuere, & Megara urbem mœnibus cinxere, hominesque Dorienses pro Ionibus fecere: columnam quoque Ionũ & Peloponnensium confinia habẽtem deleuere. Strabo libro tertio, & nono.

Cùm immensa esset inæqualitas agri apud SPARTANOS, multique cumularentur in urbe inopes & egeni, opes uerò ad paucos redundarent: Lycurgus quo fastum, inuidiam, auaritiam, luxum, atq; his uetustiores reip. & asperiores morbos exterminaret, opulentiam & paupertatem: perpulit ciues, ut possessiones in medium conferrent, & de integro partirentur, uiuerentque omnes compari inter se & æquabili fortuna: primas autem uirtuti deferrent, neque aliud inter se discrimen aut imparitatem ducerent aliam, nisi quam turpitudinis macula definiret, & decus uirtutis. Hinc uerba rebus executus, diuisit cæterum agrum Laconicum, circumiectis uicis in triginta millia sortium: quod attributum ciuitati Spartanæ fuit, in nouem millia. tot sortes datæ Spartiatis fuère. Sunt qui dicant Lycurgum sex millia diuisisse, tria millia postmodum adiunxisse Polydorum: Alij hunc dimidium nouem millium; dimidium Lycurgum. Sors erat cuiusque tanta, ut pensionem redderet, uiris septuagenos hordei medimnos, feminis duodenos: liquidorum fructuum proportione prouẽtuum. tantum iis cibarij ad bonum habitum, & ad ualetudinem tuendam satis esse, neque re præterea ullà putauerunt esse opus. Ferunt eum, cùm pòst peregrè reuertens agrum frugibus modò demessis peragraret, conspicerétque aceruos æqualiter comparatos & pares, arrisisse, ac comitibus dixisse: Nónne dicas totam Laconiã multorum esse fratrum, qui iam nunc eam inter se sint partiti? Habuit à principio in animo, & res mobiles diuidere, sed inuidiam ueritus, quæ inde imminebat, omnem auri argentiq; usum è medio sustulit, ferreumq; numum induxit, percussitq; decussem, quem iussit minimi ualere. Ac tum demum omnis furandi occasio sublata est. Ignitum ferrum, ex quo numum percussit, aceto extinxit, ut ad rem nullam amplius ob mollitiem utile redderetur. Omnes ad hoc artes ut inutiles urbe eiecit: quanquam artifices ipsi sublato auri usu sua sponte inde demigrarunt, quum ferrei numi apud alios in usu non essent. Sabellicus lib.1 Enn.2. ex Plut. Lycurgo.

C. Marius cùm uiritim agri iugera quaterna dena MILITIBVS diuisisset, plura autem milites cognouisset flagitare: Absit, inquit, ut ciuis Romanus ullus eum, qui alere ipsum queat, agrum existimet exiguum. Plut. in Crasso.

Augustus Cæsar partitis post uictoriam belli Philippensis officiis, cùm M. Antonius Orientem ordinandum, ipse VETERANOS in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset: neq; ueteranorum, neq; possessorũ gratiam tenuit: alteris pelli se, alteris non pro spe meritorũ tractari querentibus. Suetonius.

Fergusius I. SCOTORVM rex in Britãnia, septemuiros agrorum diuidendorum constituit, pro soli fœcunditate & sterilitate partibus auctis uel imminutis, sorteque diuidendis. H. Boëthius lib.1.

Prædæ.

GRÆCI ad Troiam obsidendam partem exercitus relinquentes, duce Achille socios Troianorum ferro igniq; miserè depopulati, ingentem prædã abegere. Consilium de diuidenda præda cœptum: Nestore & Idomeneo in decernendo optimis auctoribus. Itaque cunctorum sententia, ex omni præda, quam Achilles apportauerat, Lyrnesiorum regis coniugem Astynomen, Chrysis sacerdotis Apollinis filiam, ob honorem regium Agamemnoni obtulere. Achilles præter Brisei Pedasiorum regis filiam Hippodamiam, Diomedeam quoq; sibi retinuit, quòd eiusdem ætatis atq; alimoniæ nõ sine magno dolore diuelli poterat: ob id iam antea genibus Achillis obuolutæ, ne separarentur, magnis precibus orauerant. Reliqua præda uiritim ob singulorum merita distributa est. Dein quæ Aiax asportauerat, Vlysses & Diomedes rogatu eius in medios intulère. Ex quibus auri atque argenti quantum satis uidebatur. Agamemnoni regi datum: Aiaci autem ob egregia laborũ facinora Teuthrantis Phrygum regis filiam Tecmessa concessa fuit. Dictys lib.2.

Capta Troia, dum prædam GRÆCI diuidũt, prima omnium Helena sine sorte Menelao conceditur. Polyxena, suadente Vlysse, per Neoptolemũ, Achilli inferias missa. Agamemnoni Cassandra data; postquam forma eius captus, quin palàm desiderium fateretur, dissimulare nequiuerat. Aethram & Clymenã eius filiam, Demophoõ & Acmas habuère. Reliquorum sors agi cœpta. Neoptolemo Andromacha euenit, adiũctis etiam eius filiis: Vlyssi Hecuba. Alij, ut quenq; sors contigerat, prædam, aut ex captiuis, quantum pro merito distribuebatur, habuère. Super Palladio ingens certamẽ inter duces exortum. Aiaci Telamonio pro his, quæ in singulos uniuersosq; uirtute atque industria sua cõtulerat, id cõcessere Græci, cõtradicentibus solis omnium Diomede atq; Vlysse, quorum opera ablatum fuerat. Diomedes honori eius per uerecundiam cedens, à certamine destitit. Vlysses cũ Aiace summã ui contendere, atq; inuicem industriæ meritis expostulare, adnitentibus Agamemnone & Menelao ob seruatam paulo antè opera Vlyssis Helenam. Namq; post captum Ilium, Aiax primus omnium interfici eam iusserat: Menelaus, singulos ambiendo orandoq; perfecerat, ut intercessu Vlyssis Helena incolumis sibi traderetur. Ob seruatam igitur adulteram stulti fratres Vlyssi Palladium adiudicauere: Aiax indignatus, & ob id uictus dolore animi, palàm atq; in ore omnium uitionem se sanguine eorum, à quib. impugnatus esset, exacturũ denunciarat. Itaq; ex eo Vlysses, Agamemnõ, & Menelaus custodiam sui egere, & satellitibus se circumsepsere. Mane Aiax in tentorio mortuus ex uulnere inuentus; grauissimæ seditioni ortum dedit: cùm antè iam Palamedem uirum domi bellique prudẽtissimum, nunc Aiacem inclytum tot egregiis pugnis, utrosque insidiis circumuentos Græci ingemiscerent. Vlysses ueritus uim offensi exercitus, clam mari aufugit: Palladium apud Diomedem mansit. Dictys lib.5.

Hæreditatis.

Apud ROM. olim omnis hæreditas, si supremo morientis iudicio non esset diuisa, ab ipso iure in duodecim partes partiebatur: quas quidem partes omnes in unum collatas, Assem pleraq; antiquitas dixit: singulas uerò disiunctim diuisas, Vncias appellauit. Itaq; si quem hæredem in uncia instituissent, in duodecim partes diuiso priùs toto asse, hoc est, omni patrimonio & fortunis: unica tantùm pars ei institutionis iure debebatur. Cùm uerò hæredem in assem effecissent, solidam hæreditatem & integrum patrimonium, nullis diminutis partibus, transferri uolebant. Hæ autem duodecim unciæ, quæ assis appellatione continentur, propria nomina à ueteribus iureconsultis singulæ nactæ sunt. Nam præter unciam & assem ea pars, quæ sextãs appellatur, duas totius assis partes, hoc est, duas uncias habet, quadrans uerò tres. Triens, tertia pars totius assis: quatuor enim hæc cõtinet uncias. Quincũx uerò quinq;. Semis autem dimidium illius habet, quod asse continetur. Quæ quidem pars, sex uncias ex toto asse uendicauit. Quippe cùm totus as in duodecim uncias diuidatur, quod dimidiũ illius est, sex uncias, id est, semissem efficiet. Septunx autem septem consequitur uncias, bes octo, dodrans uerò nouem. Alex. lib.1. cap.1.

DIVITIARVM CONSERVATIO.

☞ *Consule Tit. Parsimoniæ & Auaritiæ in sumtu & donatione.*

QVAE OPES CONSERVENTVR. VT

AGRI DEFENSIO.

De LADONE nauta, Martialis Epigrammatum lib.10.

Iam senior Ladon, Tiberinæ nauta carinæ,
Proxima dilectis rura parauit aquis.
Quæ cùm sæpe uagus premeret torrentibus undis
Tibris, & hyberno rumperet arua lacu,
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
Impleuit saxis, opposuitq; uadis.
Sic nimias auertit aquas. Quis credere posset?
Auxilium domino mersa carina tulit.

INSVLÆ CONSERVATÆ A *Terræmotu.*

Epaphus uir plurimæ lectionis, lib.17. ait, Delphis quodam tẽpore euenisse, ut templum religiosum antea & intactum, spoliatum incensumque sit. Et adiicit, multas circa Corinthum urbes insulasque proximas terræmotu haustas: DELON præsidio religionis tutam, neque antea neque postea hoc incommodo uexatã, sed semper eodem manere saxo. Thucydides etiam Historiarum libro 3. idem docet. Virgilius ergo ingeniosè saxo uetusto extructum templum Delij Apollinis in Aeneide dixit. Macrob. lib.3. cap.6. Saturn.

Hoste.

Anno 1479. Mahometus Turcorum Imper. terribili armorum apparatu, terra marique RHODVM insulam oppugnare est adortus. Bis omnino muros subiit, fuitque utrunque prælium tam laboriosum Rhodiis, quàm hostibus calamitosum. Mœnia mille & trecentum bombardarum ictibus concussa, propugnatorum sunt uirtute defensa. Tenuit obsidio undenonaginta dies: quo tempore, ut hostium sermone est postea compertum, ad nouem millia Turcorum desiderata fuere, quindecim millia uulneribus debilitata. Adiiciunt, propugnatorum uirtuti omni æuò memorabili miraculum, de quo duplex est fama. Sunt qui dicant, postea ex ipsis Barbaris cognitum, duos uiros forma aliquanto humana augustiore, quamdiu tenuit obsidio, noctu incensis facibus circa muros excubare solitos: ac ubi iam propè captum esset oppidum, minaci occursu illos, pro muris uisos ferrum identidem intentare: atque ita Barbaros religione perculsos cessisse. Credit uulgo, Petri Apostolorum principis ac Pauli simulacra illa fuisse. Sabellicus libro primo, Decad.4. Alij, quibus libentiùs accedo, quoniam bello interfuerunt, crucem auream media oppugnatione in cœlo conspectam ab hoste cum simulacro Deiparæ uirginis, ha-

ſtam uibrantis, uiſam, & Ioannis Zachariæ effigiem cum numeroſa manu præſidentem. Idem lib. 7. Enneadis 10.

VRBIS MVNITIO.

Leo IIII. Pp. turrim in Vaticano extruxit, & urbis ROMÆ mœnia & portas uetuſtate collapſas reſtituit, & quindecim propugnacula urbi à fundamento adiecit: Vaticanum muro cinxit, atque in urbis formam redegit, & Leopolim & Leoninam de ſuo nomine dixit, ſolennique ritu inaugurauit, circuiuit, & tribus orationibus conſecrauit: celebrataque miſſa, aquam benedictam per muros ſparſit, populoque eleemoſynas diſtribuit. Liber Pontificalis & Luitprandus.

VRBS AB INSIDIIS defenſa.

Michaele Paphlagone imperante, Arabes dolo EDESSAM aggrediuntur. Duodecim primores quingentos camelos adducunt: quorum ſinguli duabus arcis, duos armatos intus habebant: ſimulantes ſe ituros ad Michaelem cum muneribus. Petunt itaq; in urbem recipi. Interea mendicus Armenius Arabicæ, linguæ peritus, ſtipem ab eis petens, qui foris manebant, audiuit ex arca quendam interrogantem, ubinam eſſet: & urbem ingreſſus, præfecto dolum aperuit. Qui mox duodecim primores ſplendido conuiuio accepit, ac in urbe detinuit. Ipſe cum ſuis urbem egreſſus arcas perrupit, omnesque armatos occidit: primores gladio trucidauit: unius manus præcidens, naſumque cum auribus truncans, domum remiſit, ut cladis nuncius eſſet. Et ſic Edeſſa eſt conſeruata. Cuſpinianus.

Receptus Gainas Gothus Arianus cum exercitu ſuo CONSTANTINOPOLIM ab Imperatore Arcadio, quo cum paulo antè fœdus fecerat (eo potiſſimũ irritatus, quòd Imperator eccleſiã Arianis Conſtantinopoli cõcedere noluiſſet) palatium regiũ occupare primùm, deinde & totam urbem conſtituit. Cùm autem exercitus barbarici agmen noctu ad incendendum palatium Gainas miſiſſet, conſpecti ſunt denſiſſimi exercitus angelorum, armaturam militarem & corpora inuſitatæ magnitudinis præ ſe ferentium: inde perterrefacti & ſtupefacti graſſatores, ab inſidiis & incendio diſceſſerunt. Nunciata res eſt Gainæ, quæ & mira & incredibilis ei uiſa eſt, ut qui militũ numerũ in urbe excubantium noſſet. Ipſe nocte quadam ſpeculatum progreſſus, rem omnem ſic ſe planè habere didicit, nec in urbem uiolenti poſtea quicquam moliri potuit. Mox cùm ad Orientis partes Gainas iter inſtituiſſet cum exercitu, Romani mari terraque barbaros inſecuti, nauibus ui uentorum ablatis deſtitutos, oppreſſerunt. Socrates libro 6. cap. 5. & Sozomenus libro octauo, cap. 4.

Iacobus Comes Vrgellenſis indignè ferens in regno Aragonio Ferdinandum Caſtellæ Infantem ſibi præpoſitum fuiſſe, res nouas moliens, ILERDAM Catalaniæ urbem noctu adulterinis apertam clauibus occupare ſtatuit. Iámque ſupra quadringentos ſuorum intromiſerat, cùm tubicen quidam, qui haud procul ab ea porta habitabat, loco parum celebri, quo licentius caneret, fortè ea ipſa hora ſurrexerat, eius rei gratia, qua ſolent, qui ſæpius bibunt, quod genus eſt in primis tubicinum: utque ſunt leues atque improbi, per noctem inflare tubam cœpit, ita ut erat nudus (nam meſſis iam inſtabat) & ſocium qui in arce excubabat prouocare. Ille nihil moratus, prouocanti reſpondet. Dumque ad huius cantum prouocator ſubinde requieſcit, ſentit è uicino tumultuari, & diſcurſare armatos. Ad tubam igitur recurrit, & claſſicum canens, ciues conuocat. Qui inſidiis cognitis, hoſtes iam ingreſſos trucidauere, & patriam conſeruauere. Valla lib. 3. Hiſtoriarum.

Ferdinandus Infans Caſtellæ ANTICHERAM Granatæ oppidum Mauritanis parens obſidebat, anno 1410. & cuniculis actis iam propè capturus uidebatur, cùm quidam ex iis qui in ripa foſſæ excubabant, per totum diem fodiendo defatigatus, nocte intempeſta a ſocio ad uigiliarum uicem excitatus, irato ac maiore ſono uocis excuſauit defatigationem, quia illo die ſolem non uidiſſet defeſſus, ac defodiens, in ſepulcro ſtãs, non iacens, humatusque, cùm nondum homo deſiiſſet eſſe: & cùm effodit cuniculos, ipſe cuniculus factus eſſet. Ea uox à quodam, qui muros è regione cuſtodiebat, excepta eſt, ut ſunt acrioribus auribus, qui magis timent, ſtatimq; ad magiſtratus delata. Nec mora, cæteris omiſſis ſumma cura, nunquam intermiſſo opere, ad cuniculos tertia nocte, quo tempore à Chriſtianis ceſſabatur, peruenerunt: eosq;, quantum proximè caput ipſum poterant, obſtruxerunt, & adhibitis cuſtodiis, opus ſubterraneum deſtitui coegerunt. Valla lib. 1. Hiſtoriarum.

Niclotus, Obotritorum regulus, LVBICAM occupare cogitabat, miſſis ambobus filiis cũ expeditis militibus, qui ſpeciem pacis præferentes, necdum bello nunciato, urbem nouam ex improuiſo occuparent. Habitabat tum Lubicæ ſacerdos quidam, Athelo nomine (pòſt præpoſituram Lubicenſem aſſecutus) Huius domus uicina erat ponti, qui tũ iter ſternebat per lacum Vuokeniſſam in Auſtrum. Is quum riuum duxiſſet longiuſculè, effodi iuſſerat terrã, & in aggerem conijci, foſſatumque ponti prætendi temporante, nihil eorum quæ acciderunt proſpiciens aut formidans. Sed ea tum res ſaluti fuit nouæ molitioni. Nã Vandalorum illa inſidiatrix manus quum recto itinere eſſet eo caſu interclusa, quærens hinc atque inde aditum, detecta eſt. Proclamauere quidam ex familia ſacerdotis, hoſtes adeſſe. Accurrit ſacerdos, & ponte pendulo per catenam demiſſo, iam ſtantibus in altera pontis parte Vandalis, aditum præcluſit irruentibus. Dux Saxoniæ Henricus Leo præſidium in urbe co... uit. Cranzius lib. 4. Vand. cap. 34.

VRBS AB OBSIDIONE LIBERATA

Diuina ui occulta.

Vitige ROMAM obſidẽte, nõ lõgè à Pinciana porta erat muri pars lapidum laxata cõpage ſoluta, ab imo ad ſummum ſciſſa, & reliquo muro modò prominentior, modò retractior. Quam cùm inſtaurare Beliſarius uellet, reſtitere Romani, S. Petrum eius curam ſuſcepturum aſſeuerantes. Ea pars à Gothis intacta, miraculo omnibus fuit. Sigonius libro 18. Imperij occidentalis.

Supplicatione.

Syri SAMARIAM obſidebant, eamque fame capere ſtatuerãt, quę tãtùm inualuerat, ut ex omnibus regiis equis quinque tantùm ſupereſſent, & matres etiam liberos ſuos comederent. At precibus Eliſæi prophetæ Dominus fecit, ut per caſtra Syrorum ſonitus quadrigarum & ingentis exercitus audiretur. Syri panico terrore conſternati, Aegyptiorum regem contra ſe ab Iſraelitis conductum rati, caſtra cum cõmeatu omni reliquerunt, & Iordanem traiecerunt: uæniitq; eo die ſimilæ ſatum ſiclo, binaq; hordei ſata ſiclo, uti pridie Eliſæus prædixerat. 4. Regum 6.

EZECHIAS rex Iudæorum Hieroſolymis obſeſſus à rege Aſſyriorum Sennacheribo, ad preces confugit ipſe & Eſaias propheta. Itaque nocte una angelus Domini 185. millia Aſſyriorum interfecit. Sennacheribus Niniuem fugiens, à filiis in æde obtruncatur. 4. Regum 19.

Quum Aniano Aurelienſi epiſcopo, pro ſalute VRBIS ſuæ, ab Atila Hunnorum rege obſeſſæ, Deum precanti, quidam ſacerdos ab hoſtibus captus per contumeliam illuſiſſet, dicens: Fruſtra iam Deum, immemorem fidelium factum, ſollicitari, cùm & ipſi nullam ab eo opem precibus impetrare potuiſſent, præſentanea continuò morte concidit. Deinde quum hoſtes undique tormenta muris admouerẽt, mœnia Anianus conſcendit, & in Barbaros expuit. Vnde tam profuſi mox imbres defluxere, ut tridui ſpacio nemo hoſtium pugnandi cauſa è ueſtigio pedem mouere poſſet. Diluuio caſtra obrui uidebantur: Scytharum multi torrentibus tracti, de cœlo quoque pleriq; tacti, paſſim interierunt. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

Apparitione Sanctorum.

SERGIOPOLITANI ſiue Antiocheni cũ Coſroe rege Perſarũ de ſeruanda ciuitate agentes, ei pro redimenda urbe ſacros theſauros obtulerãt, inter quos & aurea crux erat, quã illuc Iuſtinianus Imp. & Theodora miſerant. Illis receptis, cùm plura poſtularet Coſroes, & inter reliqua, argenteam urnam, in qua Sergij martyris reliquiæ continebantur, auferre tentaret, ſubitò acies quædam in ambitu urbis apparuit, quæ Perſas ab urbe repulit, & in fugam conuertit. Sic urbs ſine milite per miraculum eſt liberata. Euagrius libro quarto, capite 28.

Quum HERACLIVS Imp. contra Perſas exercitum duxiſſet, Auares Conſtantinopolim terra mariq; obſederunt. Viderunt barbari prima luce, cùm ſol oriretur, mulierem quandam illuſtrem eunuchis comitatam porta Blachernarum exeũtem. Quam cùm opinarentur Heraclij uxorem eſſe, & ad ſuum principem ob mariti abſentiam ire pacis petendæ cauſa, tranſitum ei conceſſerunt, ſubſequentem ex urbe hominum turbam adorituri. Vt uerò foſſæ ambitum egreſſam, non ire ad principem uiderunt, inſecuti ſunt uſq; ad locũ, cui Veteris ſaxi nomẽ eſt. Ibi cùm ea ferè iam eſſent aſſecuti, illa cum ſuis ex oculis & conſpectu eorum euanuit: ipſi autem tumultu concitato inter ſe congreſſi, ad ueſperam uſque mutuò ſtrages ediderunt. Manè inſequentis diei, dux cauſam inquirens, quòd maiorem ſuorum partem inteſtino conflictu periiſſe uideret, turpiter domum rediit. Statim quoque claſſis ab obſidione receſſit: quam domum reuertentem in Euxino mari oborta tempeſtas ita afflixit, ut perpauci ad ſuos redierint. Cedrenus.

Anno decimo Leonis Iſauri Imp. Saraceni NICEAM Bithyniæ obſidebant. Verùm diu urbe oppugnata, murorũ partibus

bus deiectis, apparitione ſanctorum, qui ibi coluntur, pauore territi, re infecta turpiter diſceſſerunt. Cedrenus.

THESSALONICENSES à Bulgaris imperante Michaele Paphlagone obſeſſi, quadã die ad ſepulcrũ martyris Demetrij acceſſerũt, ſupplicationeq; per totã noctem tracta, uſiq; unguẽto, quod ex eo ſepulcro ſcaturit, uno impetu apertis portis, hoſtem improuiſa impreſſione perterritum in fugam coniecerunt. Ductor Romanæ aciei fuit martyr, iterq; complanauit: quod Bulgari captiui iuramento confirmarunt, dicentes, uidiſſe ſe iuuenem equitem, qui Romanæ phalangi præiret: ex quo ignis exiliens, aduerſos cremaret hoſtes. Cedrenus.

Tartari VRATISLAVIAM anno 1240. grauiter obſidebant. Ceſlaus unus de comitibus Iuonis epiſcopi Cracouienſis, Romæ diui Dominici uitæ inſtitutum profeſſus, prçerat cõuentui Vratiſlauienſi apud diui Adalberti, & ad primum tumultum cum cæteris ſodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lacrymis Dei miſericordiam, & prçſentis periculi depulſionẽ implorante, ecce columna ignea cœlitùs apparuit, & ſtatiua Tartarorum, omneque territorium ingenti atq; terribili fulgore colluſtrauit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati, obſidionem ſoluerunt. Cromerus lib. 8.

Conradus II. Imp. MEDIOLANVM obſidebat, & æquaſſet urbem ſolo, niſi Colonienſis antiſtitis perſuaſione, qui ei oraculum diui Ambroſij enarrauit, mutaſſet conſilium. Viſus eſt enim Ambroſius Cæſari ac exercitui minari exitium, niſi diſcedat. Referunt hoc aliqui in Brunonem Auguſtanum epiſcopum: qui cùm ſolennia miſſæ in parua eccleſia ſecus urbem in feſto Pentecoſtes, dum coronaretur Cæſar, celebraret, grauiſſima ſunt audita tonitrua & fulgura, quib. pleriq; ſunt exanimati. Cuſpinianus.

Mahometus II. Turcarũ Imp. an. 1480. Rhodũ petiit, militeq; in terram expoſito, primùm in montę S. Stephani, & circa eius mõtis colles, eſt caſtrametatus, & per tres fermè menſes urbẽ bõbardis incaſſum oppugnauit. Fama conſtãs eſt, cœlitùs immiſſos milites Turcis terrori, CHRISTIANIS fuiſſe ſtupori. Hanc uictoriã nõ ſibi Petrus magiſter ac ſuis, ſed cœlo tribuit. Exactis octoginta nouẽ diebus, Turcus, Peluſiũ nauigãs, illic militem & impedimẽta expoſuit: ubi undecim dies moratus, ad domeſticos lares cum clade & ignominia reuerſus, breui periit. Cranzius libro duodecimo Metropoleos, capite 19.

Sacris rebus.

Ciues CARNOTENSES camiſiam Mariæ, per Carolum Caluum Conſtantinopoli aduectam, loco uexilli de muro ſuſpenderunt: quæ Rollonem Danum cum ſuo exercitu cæcitate percuſſum, inde abegit. Ranulphus lib. 6. cap. 2. & Gaguinus libro quinto.

Fulmine, Tempeſtate, Vento, Inundatione, Terræmotu.

Ageſipolis Pauſaniæ F. rex Lacedæmoniorum, fœderum atq; deorum contemtor, contra Argiuos mouens, fecialem illorum, patria quędam fœdera iam inde ab initio inter omnes Dorienſes percuſſa ſancire uolentem, ne audire quidem uoluit. Mox cùm caſtra ſub ipſis ARGIVORVM muris fixiſſet, terræmotus ingens factus, & milites aliquot de cœlo tacti ſunt. Inuitus igitur ex Argiuorum finibus caſtra mouit, & contra Olynthios belli impetum conuertit. Pauſanias in Laconicis.

Spartani, duce Agide Eudamidę F. Megalopolim ARCADVM oppugnantes, admota ad muros præualida machina, turrim ex ea mœnium parte tam uehementer concuſſerunt, ut nihil iam dubitarent, ſe illam poſtero die deiecturos. Sed enim ita accidit, ut Boreas non ſemel imminentem Græcis petraleiem auerteret. Idem enim, qui multas è Perſarum claſſe naues ad Sepiadem promontorium ſcopulis illiſit: quo minus Megalopolis expugnaretur, diſiecta uehementi pertinacis uenti impetu hoſtium machina, perfecit. Ei Megalopolitani aream dicarunt, & anniuerſarium ſacrum faciunt, neq; ulli deorum maiores habent honores, quòd per eum contra Lacedæmoniorum & Agidis conatum ſeruati fuerint. Pauſanias in Arcadicis.

De prodigiis in oppugnatione AGARENORVM, cui Traianus interfuit, Dion ſcribit: Prodigia inibi multa facta ſunt, tonitrua atq; fulgetræ, arcus ingens in cœlo uiſus, tempeſtates & grandines immenſæ. Præterea (quod monſtro ſimile exiſtimatũ eſt) quoties Romanus cum hoſte manus conſereret, ictu fulminis auertebatur. Orta ſubitò muſcarũ uis, edulijs & poculis inſidens, fœdo contactu Romanis grauia & moleſta faciebat, adeò ut Traianus digredi inde cogeretur.

Sexto Mauricij anno impia Longobardorum gens ROMAM oppugnans, aſſiduis imbribus turbinumq; tempeſtatibus perpulſa eſt obſidionem ſoluere. Subſecuta eſt deinde tanta uis aquarum, ut innumerabilis penè hominũ pecudumq; multitudo per Italiam, ac maximè Romæ perierit.

Certamine.

Coſroes Perſarum rex EDESSAM Meſopotamiæ obſidens, omnia cædibus paſſim implebat. Cùm autem in fatis eſſe, quòd Edeſſa non poſſet capi, uulgò crederetur, propter imaginem Chriſti ab ipſo Chriſto fabrefactam, ad Abgarum olim eò miſſam: Coſroes ea ſe irrita redditurum ratus, innumeris modis in eam irrumpere conatus eſt: multumque telluris congeſſit, ſic ut muros quoque ciuitatis tranſilire potuiſſet, & mille alias machinationes adſtruxit: ſed tamen ea non eſt potitus. Nam cùm iam ingẽtem lignorum ſtruem congeſſiſſet, & aggere ſuperſtructo uſq; adeò eam molem in ſublime ſupra muros euexiſſet, ut eos, qui priores ad tuẽdos ciuitatis muros periculo ſeſe exponebant, iaculis expeditiſſimè impeteret: atq; iam in eo conatu eſſet, ut ciuitatẽ pedeſtri impreſſione inuaderet: mox urbani foſſam ſubterraneam machinantur, in qua igni accenſo, ac ſulphure iniecto, magnam illam ſtruem lignorum cum aggere ſuperſtructo, & illis, qui in aggere conſtituti pugnabant deturbarũt, & demoliti ſunt. Sicq; Coſroes quaſi diuina uirtute repreſſus, per legatos cum Iuſtiniano inducias per quinq; annos fecit, anno Iuſtiniani decimonono: & receperunt Romani Lazorum ciuitates, & alia loca, quæ antea ad Perſas defecerant. Procopius libro ſecundo, de bello Perſico. Euagrius libro quarto, capite 27.

Ludouicus Francorum rex anno 1176. ROTHOMAGVM obſidens, die D. Laurentio ſacra, quam religioſiùs præ cæteris colebat, hoſtib. inducias dedit. Ciues ſpe induciarum negligentiùs cuſtodias obibant. Franci ſumtis repentè armis, admotisq; ad eam partem murorum ſcalis, quàm ſine præſidio eſſe rebantur, muros aſcendunt. Fortè duo ſacerdotes, animi cauſa, turrim principis ædis illo temporis momento aſcendentes, hoſtium inſidias ciuibus ſubitò indicarunt. Illi Françós repulerunt. Polydorus lib. 13.

Turcæ incredibili ſuorum clade ab obſidione ALBÆ Græcæ repulſi ſunt. Multa mortuorum corpora ſine uulnere comperta fuere, quæ diuina potius, quàm humana ui cecidiſſe reputabantur. Bonfinius lib. 8. Decad. 3.

Quum anno 1548. Ferdinandus Rom. Rex BVDAM, ubi erat Regina, Ioannis Sepuſij uidua, cum infante Stephano, obſideret, parum abfuit, quin urbs ipſa, quæ ui capi nõ poterat, inteſtina fraude proderetur. Erat inter Budenſes uir Hungarus, in iure dicũdo pretoria functus poteſtate, nomine Bornemiſſa: is Georgium Varmienſem antiſtitem, ſub cuius tutela infans erat, uehemẽter oderat, quòd in iudicio à Iudæo decoctore multũ ſtetiſſet, qui ſuſceptæ mercaturæ rationes conturbarat. Itaq; uindictæ percupidus, Franciſco Reualio, qui in Auſtrianis caſtris ius dicebat, ſe daturũ ad ingreſſum exoletam portulam promiſit, ſi Hungarorum exulum opera tantùm ad id Gulielmus Rogendorfius, Auſtriacarum copiarum Imp. uteretur, quos minus crudeles erga ciues fore ſperabat quàm Germanos. Cæterùm Rogendorfius, ut excluſis Hungaris ſolus conceptæ uictoriæ famam uſurparet, uſurum ſe Hũgarorum opera ſimulat, Reualiumq; decipit, à quo etiam filium obſidem acceperat. Nam ad cõſtitutam horam intempeſta nocte, delectas quatuor Germanorum cohortes ſilentiò ad portulam præmiſit, illæque magna ex parte ſuſpenſis ueſtigiis ſunt introductæ. Sed quum Bornemiſſa ſingulis intrantibus Reualium ſummiſſa uoce requireret, neq; alio quàm Germanico fremitu reſpõderetur, ad arma conclamatum. Mox tanta animorum conſternatione regredi Germani properarunt, ut in anguſtiſſima porta afflictarentur, impedireturq; exitus haſtarum ſtrue, quam primi proiectis armis effecerant, ut lenius ac expeditius in caſtra profugerent. Ita audaciſſimi Germanorum, qui primi irruperant, trucidantur, capiunturque nonnulli, & in his Bornemiſſæ familiares: qui inter primos euaſerat. Iouius libro trigeſimonono Hiſtoriarum.

VRBS CAPTA IAM, SED ſtatim recepta.

Aetoli bellum pro finibus Megaricis gerentes cum Achæis, quorum prætor erat Aratus Sicyonius, Pellenen ceperant: & diſcurrebant milites de præda digladiantes. Duces & ordinum ductores, coniuges & filias PELLENENSIVM rapuerunt, galeasq; illis impoſuerunt, ut galea indicaret quęque dominum ſuum. Hæc agentibus repentè Aratum nunciatum eſt adeſſe. Primi in portis & ſuburbiis commiſſo cum Achæis prælio iam profligati fugam cœperunt. In hoc tumultu una captiuarum, Epigethis illuſtris uiri filia, ſpecie & proceritate corporis mira, fortè in Dianæ fano ſedebat, ubi eam locauerat extraordinariorum militum dux, qui rapuerat eam, galeamque ei impoſuerat tribus inſignem criſtis. Hæc repentè ad tumultum euolans, ut pro foribus

templi ſtetit, pugnanteſque galeam illam gerens ſupernè contemplata eſt: hinc ipſis ciuibus eſt ſpectaculum ſorte humana uiſum auguſtius, hinc ſpectrum diuinum hoſtibus conſpicere arbitrantibus ſe, horrorem & ſtuporem iniecit, ut nemo ad arma ſe conuerteret. Ipſi memorant Pellenenſes ſimulacrum Dianæ reliquo tempore ſtare intactum: ubi uerò à ſacerdote motum effertur, neminem ex aduerſo obtueri, ſed auertere oculos omnes. Neque enim hominibus modò dirum id uiſu eſſe & perniciale, uerùm etiam ſtirpes infœcundas reddere, & corrumpere fœtus, per quos transferatur. Hoc tum ſacerdotem protuliſſe, ſemperque uertiſſe Aetolis ex oppoſito: itaque in amentiam & uæcordiam uertiſſe. Cæterum horum nihil tradidit in commentariis Aratus: refert autem fuſis ab ſe Aetolis, uno agmine ſe cum fugientibus in oppidum irrupiſſe, eoſque ui expuliſſe, trucidaſſeque ſeptingentos. Id factum fuit in maximis celebratum. Timanthes pictor eam pugnam expreſſit, atque oculis quaſi repræſentauit. Plut. in Arato.

A direptione conſeruata.

Captis à Cyro rege SARDEIS, Lydorũ regia, Crœſus rex captus direptionem urbis ſpectans, ad uictorem conuerſus, Enimuerò, Cyre, inquit, non meas ſed tuas opes hi diripiunt. Ea uoce monitus Cyrnus, militum impreſſionem cohibuit. Herodotus.

HERODES rex captis auxilio Romanorũ Hieroſolymis, plurimum negotij habuit in compeſcendis alienigenarum auxiliis. Ruebat enim multitudo cõductitiorum ad uiſendum non fanum ſolùm, ſed intimum etiam adytũ. Itaque alios precibus, alios minis, nonnullos & armis reprimebat: moleſtiorem clade uictoriam exiſtimans, ſi quid eorum, quæ uideri fas non eſt, ueniret in conſpectum profanæ multitudinis. Prohibebat etiam rapinas per urbem fieri, Soſium Rom. ducem rogitans, ſolitudinis ne ſe regem Romani facturi eſſent, exhauſta urbe rapinis ſimul ac cædibus? exiguumque dicens ſibi uideri tantæ ciuium cædis precium, etiam ſi totius orbis dominium contingeret. Illo uerò referente, pro expugnatione urbis direptionem meritò permitti militi, promiſit ſe de ſuo mercedem numeraturum ſingulis. Atque ita redemta ciuitate ab ulteriore uexatione, promiſſa perſoluit. Liberaliter enim militibus, & pro portione ducibus, Soſio uerò etiam regiè dedit munera, ita ut omnes bene numati diſcederẽt. Ioſephus libro decimoquarto Antiquitatum cap. ultimo.

VRBIS INVNDATIO PROHIBITA.

Bartholomæo Gradonico duce, cùm aquæ ſupra conſuetum excreuiſſent, ita ut non leue periculum VENETÆ urbi immineret: manè Piſcator ſenex retulit, dum tempeſtas ſæuiret, à tribus ſe uenerandi aſpectus requiſitum, eos uſque in portus fauces duxiſſe: qui, ſedata tempeſtate, omnes in urbe remanſerint: in ſancti Georgij fano unus, alius in ſancto Nicolao, tertius cùm alios duos Georgium & Nicolaum eſſe dixiſſet, ſe Marcum eſſe Euangeliſtam oſtendit, imperauitque, ut quod uiderat narraret, quia ab urbis principe abundè laboris ſui, quòd eos traieciſſet, mercedem eſſet accepturus. Vt autem iis, quæ narraret, fidem penes homines inueniret, anulum donauit (qui in Theſauro alioqui Marciano religioſè cuſtodiebatur) quem piſcator oſtenderet. Itaque re audita, Veneti conſtituto piſcatori annuo ſtipendio, ſupplicationes decreuerunt. Fulgoſ. libro primo, capite ſexto, & Egnatius eodem.

TEMPLI CONSERVATIO.

Quinto Leonis Magni anno, flamma Conſtantinopolim per quatuor dies depaſta eſt. Martianus autem procurator magni templi, Fanum S. ANASTASEOS ab incendio ſeruauit, cùm Euangelio & ſuffitu adhibitis ad tegulas aſcendiſſet, Deumque lacrymis placaſſet. Cedrenus.

Primo ſtatim Mauricij anno Perſæ (ut teſtatur Sigeberti Chronicon) Armeniam bellis, incendiis, captiuitate epiſcoporum ac populorum atrociter deuaſtarunt. Sed XLIIX. martyrum Eccleſiam, apud Armeniam ſub Licinio interemtorum, nullo modo etiam iniecto igni incẽdere potuere. Gregorius Turonenſis libro decimo, capite uigeſimotertio, & Antoninus.

In maximo incendio urbis Conſtantinopolitanæ, cùm ad templum OSII, Nouatianorum plurimis magnificentiſſimis ædificiis abſumtis, ignis pertigiſſet, Paulus epiſcopus inſiliens ad altare, ſola oratione, irrumpentibus per feneſtras & ianuas omnes flammis magna ui, templum ſeruauit illæſum: adeò ut ædificiis omnibus circumquaque templo uicinis exuſtis, in tabulatis ac parietibus eius deprehendi poſſet. Socrates libro ſeptimo, capite trigeſimonono.

Saxones, occupato Carolo Magno in expeditione Longobardica, Haſſones Francis parentes adorti, ad oppidum FRISLARIAM magna ſtrage affecerunt. Templum eius oppidi, quod Bonifacius Germanorum apoſtolus incremabile prædixerat, fruſtra incendere tentarunt, duobus iuuenibus candidatis incendium reſtinguentibus. Itaque territi Saxones aufugere. Ad oſtium ædis, Saxo miles ingeniculans inuentus mortuus, labiis prominentibus, quaſi ignẽ excitaturus. Cranzius lib. 2. Saxoniæ cap. 19.

Iulio II. Pp. & Aragoniæ rege BONONIAM obſidentibus, omnis ſpes erat in cuniculis, quibus præerat Petrus Nauarrus dux clariſs. Factum eſt autem præſenti Dei auxilio, ut cùm abſoluto opere ſubditis ignibus, exardenteque intus repente tormentario puluere, totum Baracanum ſacellum, diuæ Virgini ſacrum, radicitus cõuulſum, flammarum uiolentia in ſublime iaceretur, adeoq; cõpoſitè concideret, ut directis & exæquatis ad libellam angulorum lateribus, Deæ manu repoſitum eſſe crederetur. Ab ea die Bononienſes magis ac magis captis religione animis ſacellum collatis undique donariis in luculentiorem formam exornare, adiectaque teſtudine & ſacra porticu proferre cœperunt. Ionius in Leonis X. uita, lib. 2.

THESAVRI CONSERVATIO.

Apollo Dicæus eſt quandoque dictus, id eſt Iuſtus: quoniam quum Thebæ ab Alexandro caperentur, aurũ à FVGIENTE ſinu eius ſtatuæ conditum, cęlatum diu ac ſeruatum ſit, teſte Plinio. Cælius lib. 23 cap. 19 A. L.

MAXIMILIANI I. Imp. eximia bonitas cum ſumma liberalitate fuit coniuncta, adeò ut plerique nihil in eo reprehendendum duxerunt, quàm quòd ſæpe ob penuriam rei pecuniariæ res magnas proſperè inchoatas deſerere coactus ſit. Non tamen unquam, etiam in ſumma neceſſitate, uoluit auream argenteamque, & ex gemmis multis ſeculis congeſtam ſupellectilem, à patre, auo, ſocero, ac maioribus ſuis, diſtrahere aut alienare, ſed integram in Noua ciuitate Auſtriæ reliquit nepotibus. Ferdinandus Archidux iuſſu fratris Caroli V. Cæſaris, aperto theſauro ac uiſo, obſtupuit, atque incredibilem theſaurum fratri ſuo in Flandriam trãſmiſit. Adeò ut qui eum pauperem ex tot bellis geſtis arbitrabantur, mirati ſint tantas poſt ſe reliquiſſe diuitias. Cuſpinianus. Quatuor arcas Argentinæ, quatuor Vlmæ, quatuor Auguſtæ Vindelicorum, & quatuor Norimbergæ habuit: in his omnes theſauri continebantur, quos reliquerant Fridericus Imperator tertius, Cæſar Albertus, dux Auſtriæ Sigiſmundus, & Philippus dux Burgundiæ. Hedio in Chronico Germaniæ.

VESTIVM CONSERVATIO.

ISRAELITÆ ductu Moſis per XL. annos in deſerto oberrauere, neque tamen interea uel ueſtimenta illorum obſoleuerunt, uel pedes (ſiue calciamenta, ut Chaldæus interpretatur) detriti ſunt. Deuteron. 8.

QVOMODO CONSERVENTVR.

REGES Perſarum, ex inſtituto Darij, ex tota Aſia & parte Aſiæ colligebant annuatim auri & argenti talenta Euboica 14560. Id tributum hunc in modum theſaurizant. Liquefactum aurum argentumque in fictiles fidelias infundunt: expletas mox fidelias frangunt: ex eoque auro argentóue, quoties pecunia indigent, tantum concidunt, quantum uſus poſtulat. Herodotus lib. 3.

Chryſis Orchomeniorum regis filius fuit MINYAS, à quo ij, quibus imperauit, populi hac etiam ætate Minyæ nominantur. Huic tam ampla fuère uectigalia, ut ſuperiores omnes diuitiis uiceriт: primusq; omnium, de quibus aliquid accepimus, ærarium ad pecuniam ſeruandam ædificauit. Pauſanias in Bœoticis.

NVMÆ libros, cùm eſſent chartacei & cedri ſucco illiti, duraſſe ad annos quingentos trigintaquinque, terrę infoſſos, narrat Plinius libro 13. capite 13.

VBI CONSERVENTVR.

Vide Tit. Ærariorum.

FISCI, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea ſunt utenſilia, ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Vnde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ quàm priuatæ, ut pro cenſu priuato Loculos & arcam & ſacellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærarij, dicitur Fiſcus. Aſconius.

In templo HIEROSOLYMITANO, loci religione freti, tanquam in aſylo, deponebant uiduæ & pupilli opes ſuas. Sub Onia pontifice argenti talenta 400. auri 200. ibi ſeruabantur: quæ Seleucus Philopator Syriæ rex per Heliodorum quæſtorem auferre fruſtra conatus eſt. 2. Machab. 3.

DIVITIARVM NVLLA CONSERVATIO, ABIECTIO, CORRVPTIO.

Ex Tit. Opes honeſtas non conſeruare, huc pleraque. Illic Habitus circa opes uerſantis habetur ratio: hic Opum non conſeruatarum.

CVIVS. VTPVTA

Pecuniæ.

ARISTIPPVS Socraticus ſeruulum, de pecuniæ, quam ferebat, onère cõquerentem, abiicere iuſſit. Eaſdem in mare abiecit, cùm ſibi propter illas à ſceleratis nautis periculum inſtare uideret: Harũ interitus mea ſalus erit, inquiẽs. Suidas.

Anuli.

POLYCRATES Samiorum tyrannus ut fortunæ perpetuũ fauorem minima cum iactura redimeret, ſeu uerius placaret, ſmaragdum, quam ex gemmis cariſſimam habebat, in mare abiecit, ſuaſio Amaſis Aegyptiorum regis.

CVR. CAVSA

Religionis.

Ex Hierichuntis excidio nullam aliam prædam, pręter aurum, argentum, ænea ferreaq; uaſa, in ſacrum fiſcum referri Dominus præcepit IOSVÆ: cætera omnia deuota eſſe uoluit, & partim ferro, partim igni abſumere iuſſit. Ioſuæ cap. 6.

Philoſophiæ, Eruditionis.

CRATES Thebanus ſubſtantiam omnem in mare abiecit. teſte Philoſtrato, illud effatus, Vos mergi quàm mergere præſtat.

Inuidiæ.

Eo bello, quo Clodoueus Francorum rex Syagrium Sueſſionum regem uicit, Epiſcopo cuidam urceus mirificę magnitudinis ac pulcritudinis cum reliquis eccleſiaſticis ornamẽtis ereptus eſt. Quod damnum ille grauiter ferens, nuncio miſſo, urceum à Clodoueo repetiit. Clodoueus, nuncio ſe ſubſequi iuſſo, Sueſſionem adiit, atq; expoſita in medio prędа, petiit à militibus, ut illum ſibi urceum extra ſortem concederent. Cùm cæteri & urceum, & cętera omnia eius arbitrij, iuriſque eſſe reſpondiſſent, VNVS præfractiore ingenio præditus, ſecuri in illum impacta, dixit: Atqui tu nihil hinc accipies, quod ſors non dederit. Qua re cõmotus rex, iram quidem cõtinuit, ſed ultionem in tempus aliud reſeruauit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Vitæ, Salutis.

Hæc illi, qui uitæ ſeruandæ ergò per tempeſtatem merces & quaſuis opes aliàs abiiciunt, uereq; adeò iacturam faciunt.

VLYSSEM Calypſo amiciuit apud Homerum,
Veſtimenta illi iniciens fragrantia, corpus
Immortale ——
quæ redolebant illius amicitiæ dona & pignora. Sed cùm fracta naui demerſus, ægrè caput ex undis attollere ob ueſtem madidam & grauem ualeret, exuit ea proiecitque: ac faſcia pectus nudum ſubcinxit, enatauitq; in terram. Plutarchus de Non fœnerando.

DIVITIARVM VSVS.

Exempla ex Titulo Liberalitatis, Magnificentiæ, & Prodigalitatis, petantur.

PROPAGATIONE POPVLI.

COLONIÆ DVCTÆ.

Si ſpectes eos, à quibus deducuntur, ſuas opes (ſiquidem Reip. opulentia non poſtrema in ciuium frequentia conſiſtit) aliis regionibus communicantes, huius erunt loci coloniæ. Sin uero Regiones & loca quæ nouis colonis frequẽtantur, ad locum Opulentiæ ſecundùm Λαχ… pertinebat, ubi de Vrbibus & Regionibus frequentatis egimus.

Nulla unquam tellus plurium fuit coloniarum mater, quàm ARABIÆ pars illa, quam Chamus paterna domo profugus inſedit. Tantã humano generi cladem intempeſtiuum unius attulit exilium. Nam opibus ſimul & religione paternæ exutus, ob deriſum patrem, & infinitæ cupiditatis & ſuperſtitionis ſummæ auctor fuit. Contrà Semi & Iaphetis prognati, legitimè à maioribus inſtituti, modicis finibus cõtenti, haud tam latè ut illi ſunt per omnes terras euagati. Quo accidit, ut ueritatis ſtudium, pietas dico & ueri Dei cultus, apud unam duntaxat gentem, ad Meſſiæ uſque tempora, in occulto fuerit. Sabellicus lib. 1. Enneadis 1.

Tradunt AEGYPTII, ab eis colonias per uniuerſum orbem deductas. Nam in Babyloniã colonos traduxiſſe Belum Neptuni uolunt, Libyæq; filium: qui ſedem apud Euphratem cùm elegiſſet, ſacerdotes (hos Chaldæos Babylonij uocãt, qui more Aegyptiorum aſtra obſeruarent) phyſicos etiam, aſtrologię qui dediti eſſent, inſtituit. Ferunt Danaum ex Aegypto profectum, antiquiſſimam ferè urbium Græciæ Argos condidiſſe: Colchorum quoque gentem, qui in Ponto ſunt, Iudæos inſuper, qui Arabiam inter Syriamq; conſedere, ab ipſis teſtantur tranſmigraſſe. Quapropter & apud has nationes antiquo more circumcidi pueros, ab Aegypto ea conſuetudine traducta. Quinetiam Athenienſes colonos Saitarum Aegyptiæ gentis eſſe, eo aſſerere nituntur, quòd ſoli Græcorum urbem appellent Aſty, tranſlata appellatione ab Aegyptiæ urbis uocabulo. Præterea ciuitatem Athenienſem eandem ordinationem ac partitionem habuiſſe cum Aegyptia in partes tres diſtributa. Et primum quidem gradum fuiſſe nobilium: qui præ cæteris doctrinæ dediti, maiore honore digni habebantur, in ea re ſacerdotibus Aegyptiis perſimiles. Secundum, eorum quibus agri erant aſſignati, ut armis intenti eſſent pro patriæ defenſione: illis ſimiles, qui in Aegypto agros tenentes, milites ad bellum ſubminiſtrant. Tertius plebis erat, atque opificum, qui artibus mercenariis intenti, neceſſarias operas præberent, ordo ab Aegyptiis ſumtus. Diod. lib. 1. cap. 2.

PHOENICVM potentiam & opes multæ arguunt coloniæ, Inde Carthago illa in Libya Romani imperij æmula, inde Leptis, Vtica, & extra terrarum confinia Gadis, inde Bœotia Thebe. Sabel. lib. 4. En. 1.

Cùm ATHENIENSES Cherſonneſum colonos uellẽt mittere, & multi eius demigrationis peterent ſocietatem: ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui conſulerent Apollinem, quo potiſſimùm duce uterentur. Nam tum Thraces eas regiones tenebãt, cum quibus, armis erat dimicandũ. His conſulentibus, nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem Cimonis F. ſibi imperatorem ſumerẽt, id ſi feciſſent, incepta proſpera futura. Hoc oraculi reſponſo, Miltiades cũ delecta manu, claſſe Cherſonneſum ſubegit. Probus in eius uita, & Herodotus lib. 6.

Oenotrus Lycaonis Arcadię regis liberũm natu minimus, claſſe in Italiam tranſmiſit, cùm frater Nyctimus Arcadiæ regnum obtinuiſſet: hæcq; prima colonia à GRÆCIS deducta eſt. Neq; enim barbaræ gentes ante Oenotrum ad exteras gentes commigraſſe reperiũtur. Pauſanias in Arcadicis.

Euandrum narrant nympha Ladonis amnis Arcadiæ filia, & Mercurio genitũ, conſilio & bellica uirtute ARCADAS cæteros antecelluiſſe. Hunc à Pallantio pago Arcadiæ in coloniam miſſum, deducta in locum Tyberi proximũ Arcadum manu, oppidum condidiſſe, quod urbis Romæ poſtea pars fuerit. Appellatum uerò de Arcadici oppidi nomine ab ipſo Euandro & inquilinorum comitatu Pallantium: quod nomen conſecuta ætas literis duabus ſubmotis Palatium uocauit. Hæc ipſa res Antoninum Cæſarem adduxit, ut Pallantienſibus libertatem & à tributis immunitatem dederit, & ex pago urbem fecerit. Pauſanias in Arcadicis.

Herodotus Colchos AEGYPTIORVM colonos eſſe credidit, & à Seſoſtre qui primus omnium (ut ipſe ſcribit) externis gentibus arma intulit, in ea terra relictos. Trogus Vexorem, non Seſoſtrem nominauit. Hi præterquam quòd capillo & colore atro ſunt, Aegyptiis perquam ſimiles, uerenda circuncidunt, quod proprium eſſe Aegyptiorũ idem auctor arbitratus eſt, unde eum morem Phœnices & Palæſtini Syri acceperint. Sabellicus lib. 5. En. 1.

Fama eſt, Deucalionis filium Hellenẽ fuiſſe. Hunc autem circa Phthiam, Penei & Aſopi mediam, regnum tenuiſſe, & maximo natu filio imperium tradidiſſe: reliquosq; foras dimiſiſſe, ut ſedem ſibi quiſq; conquireret. E quibus Dorus, DORIENSES Parnaſo affines habitatores conſtituit, ſibiq; ſuperſtites à ſe uocatos reliquit. Xuthus autem aſſumta in matrimoniũ Erechthei filia, colonos ad Tetrapolin Atticæ terræ induxit, Oenoam, Marathonem, Probalinthum, & Tricorythum. Ex huius filiis unus Achæus nomine, cædem inuitus patrans, in oram Lacedæmoniã profugus ſeſe recepit, & eius loci accolas ACHÆOS uocari conſtituit. Ion uerò ſuperatis Eumolpi commilitonibus Thracibus, tantum famæ laudiſque conſecutus eſt, ut Athenienſes illi reipublicæ gubernacula committerent. Qui primum quidem omniũ multitudinẽ quaternas diuiſit in tribus, de hinc in quatuor degẽdæ uitæ uias. quoſdam enim agricultores deſignauit, alios opifices, aliquos ſacrorum faciẽdorum curæ præfecit, nonnullos ciuitatis cuſtodes. Talibus quidem ab eo ordinatis,

amplius regionem sui nominis uocabulo appellatam reliquit. Qua indies magis mortalibus referta, Athenienses intra Peloponnesum ex IONIBVS coloniam miserũt, & plagam, quã occupauerant, pro Aegialea Ioniam nominarũt. Eodemq; modo pro Aegialensibus Iones appellati, in ciuitates XII. dispertiti. At enim post Heraclidarum reditum ab Acheis expulsi, denuò Athenas repetiere: illinc uerò cum Codri prognatis in Asiam Ionicam transmisere coloniam. Hi in Lydiæ & Cariæ litore ciuitates duodecim condidere, totidem in partes seipsos diuidentes, quot antea, Peloponnesum occupantes. Strabo lib.8.

Duæ fuere Græciæ primariæ nationes. Græcum nomen adeò priscum est, ut etiam Græcis ipsis iam desitum sit. Apud Aristotelem tamen & Lycophronem & Athenæum atq; alios extat. Recẽtior uox ἕλλην ab Hellene: cuius fuere liberi duo, ἴων & αἴολος. Accepto hi à patre imperio, suam uterq; partẽ ac nationem ab sese denominauit. AEOLENSES inde Doriensium coloni, Ionum autem ATTICI. Cæterùm Athenienses Ionum appellationem abiecere: siue ob rerum gestarum gloriam, siue quòd Iones, qui in Asiam migrarant, atq; ibi Panionium instituerãt, in barbaros mores abiissent. At Aeolenses in Siciliam atque Italiam delati, ita sunt à Doriẽsibus segregati, ut nihil de ueterum morum grauitate remitterent. Integerrimi Doriensium Lacones, Aeolensium Thessali. Thessali nanq; à Doriensibus, Aeoli auspiciis & ducti & dicti sunt. Inde ut ingeniorum & morum, ita uestiũ & festiuitatum & exercitiorum & artium non unus modus. Scaliger lib.1. Poetices cap.19.

Prima Græcorum colonia in exteras terras externis ducibus fuit, quando Herculis fratris filius Iolaus Thebanus ATHENIENSES ac THESPIENSES in Sardiniam deduxit. Vno uerò seculo, priusquam Iones Athenis proficiscerentur, LACEDÆMONIOS & MINYAS è Lemno à Pelasgo eiectos, Theras Thebanus, Autesionis filius, in eam insulã deduxit: quæ cùm antea Calliste appellaretur, ab eo Thera uocata est. Tertiam deduxere IONVM coloniam Codri Atheniensium regis filij, cùm regnum Medonti fratri oraculum adiudicasset. Contribuerunt in eam se coloniam Ionibus è Græciæ populis Thebani primùm Philotam secuti, Penelei nepotem: Orchomeniis Minyæ, ob Codri liberùm cognationem: Phocenses præterea, exceptis Delphis: Abantes etiã ex Eubœa Phocensibus naues ad transmittendum dederũt. Et ipsi classis duces extitere Philogenes, & Damõ Athenienses, Euctemonis filij. Hi omnes cùm in Asiam appulissent, alios alij fines occuparunt. Pausanias in Achaicis.

LACEDÆMONII, regnante Polydoro rege iustissimo, duas colonias in Italiam deduxerunt, Crotonem & Locros ad Zephyrium promontorium. Eodem tempore bellum Messenicum exarsit. Pausanias in Lacon.

Dorius Anaxandri regis LACEDÆMONIORVM F. coloniam in Siciliam duxit, quòd Erycinum agrum ad Heraclidas pertinere putarent, quoniam Hercules Erycen in singulari certamine peremisset, eo pacto ut uel boues Geryonis amitteret, uel regno Erycis potiretur. At Doricus ab Egestæis cum exercitu propè ad internecionem deletus est. Pausanias in Laconicis.

Regionis Corinthiæ TENEVS uicus est, in quo templum Teneatis cõsistit Apollinis. Literis proditũ est, cùm Archias coloniam Syracusas duceret, maximum colonorum numerũ ex hoc loco secutum ducem illum fuisse, eamq; coloniam super alias postea præcipua felicitate floruisse, denique suis institutis remp. tenuisse. Asiano cuidam oraculum interroganti, utrum Corinthum transmigrare præstantiùs foret: ita responsum est, εὐδαίμων ὁ Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης, Felix quidem Corinthus, cęterùm ego Teneates esse malim. Hoc in loco Polybius Oedipum enutrisse fertur. Strabo lib.8.

SABINI olim crebras colonias deduxerunt, propter multitudinem liberorum. Varro lib.3. cap.16.

Samnites à SABINIS oriundos esse, Græcorum quidam arbitrati sunt, & ob eam causam Sabellos diminuta uoce nuncupatos. Ferunt Sabinos, cùm difficile bellum aduersus Vmbros gererent, omnia eo anno nata, si uincere daretur, uouisse. Cuius uoti haud multo pòst damnati, nata partim sacrificarunt: pueros Marti consecrasse cõtenti, adultos in coloniam misere. Hi in Opicorum agro, ueteribus inde incolis bello eiectis, sibi sedes quæsiuere: quorũ opes adeò deinceps creuerunt, ut LXXX millia peditum, & octo equitum, aliquando ad bellum instruxerint. Fuerunt qui scriberẽt, Lacones cum his pòstea habitasse. Alij Pithanas fuisse uolunt, atq; Tarentinis oriundos. Sab. lib.3. En.4.

Tyrrhenos Romani Etruscos appellãt atq; Tuscos. Græci hoc eos nomine nominarunt à Tyrrheno Atyos filio, qui ex LYDIA colonos hanc in regionẽ misit. Atys enim ex prognatis Herculis & Omphales unus, cùm sterilitate ac fame populum emittere cogeretur, è duobus filiis sorte iacta, Lydũ quidem regni successorem habuit, Tyrrheno autem maiorem dans populum, foras abire iussit. Hanc ille tandem ingressus oram, de suo uocauit nomine Tyrrheniam. Cumq; ædificandis urbibus Tarcontem præfecisset, à quo Tarquinij urbs cognomen accepit, ciuitates XII condidit. Hunc ab ineunte pueritia, canum fuisse fabulantur: tanta iam tum in eo efflorescebat sapientia. Strabo lib.5.

VICTV.

DIONIS Syracusani opes immensæ fuerunt, & regia in uiuẽdo propemodum pompa & supellex. Plutarchus.

L. LVCVLLVS, quum reip. infensus, priuatæ uitæ se dedisset, ædibus & prætoriis extructis, hortis & cœnationibus amœnissimis incredibili sumtu paratis, & Bibliotheca libris utriusq; linguæ cumulatissima, opes bello quæsitas conterere non potuit. Idem Pompeio & Ciceroni extemporariam apparauit cœnam impendio quinquaginta millium, tanta epularum & rerum lautitia, ut conuiuas in admirationem traheret. Idem perfodit montem, & flumen immisit in piscinas, quæ reciprocæ fuerunt. Plut. in Lucullo.

AESOPVS tragœdus, amicus Ciceronis, arte histrionica ad tantam peruenit opulentiam, ut sexcentis sestertiis ei patina steterit: reliqueritq; filium Apitium adeò diuitem, ut is uniones liquefactos cœnis apponeret.

SACRIS DONARIIS.

Apud ROMANOS Herculi decimas dare, locupletibus ac nobilibus antiquus mos fuit: & Lucullus, quia hunc ritum seruasset, auctior factus est postea. Festus.

LIBERVM patrem, qui & Bacchus dicitur, post deuictos Scythas, aliosque populos, magno Ioui rerum primitias obtulisse, auctor est Ouidius in 3. Fast. Et CYRVM regem Persarum uictis Lydis, decimam quoque prædæ Ioui dedisse, testatur Herodotus.

MVNERIBVS PVBLICIS.

Iudicium ἀντιδόσεως erat apud ATHENIENSES. Si qui publicum aliquod obire munus sibi mãdatum, paupertatem excusantes, recusarent, reperiebantur alij quidam, qui suam rem familiarẽ cum illorum permutaturi dicebant: Se illorũ opibus acceptis, id munus obituros. Tum ij, quibus id mandatum erat, aut id obire cogebantur, aut permutare facultates. Suidas.

HOSPITALITATE.

Cælius ait, MÆANDRVM Protagoræ patrem tanta rerum opulentia præcelluisse, ut Xerxem Persarum regem domo & donis excipere ausus sit.

PYTHIVS Bithynus uel Lydus, residens Celænis urbe Phrygiæ, Atys filius, platanum auream, uitemque nobilem illam Dario regi donauit: Xerxis copias, hoc est, septies centena LXXXVIII millia hominum excepit epulo, stipendium quinque mensium frumentumq; pollicitus, ut è quinq; liberis in delectu senectuti suæ unus saltem concederetur. Sciscitatus ab eo Xerxes, quantum possideret? Parata habeo, inquit, bis mille talenta argenti, quadragies centum millia aureorum numûm, Daricorum septem millibus minus. eaq; regi ad tam numerosum exercitum alendum dono obtulit, testatus uectigalia prædiorum satis superq; sibi suffectura ad lautè & beatè uiuẽdum. Demiratus rex hominis liberalitatẽ, ut cum eo beneficentia certaret, & aurum hospiti remisit, & quod ad quadragies centũ millia deerat, ex suo hospiti suppleuit. Sabellicus lib. 8. cap. 6. ex Herodoto, & Plinij lib.33. capite decimo.

SERVIS, EQVIS, CANIBVS communicandis, donandis.

Vicinorum seruis, si usus eorum requireret, ut propriis, moris erat uti LACONIBVS, canibusq; & equis, nisi eis domini indigerent: atque in agro, si qua re quis opus haberet, qua careret, aperta uilla exportatisq; commodis domini, cellaria obsignata relinquebat. Plut. in institutis Laconicis.

DONIS PVBLICIS, PRIVATIS.

DAVID rex obtenta uictoria de Amalechitis, misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis: dicens, Accipite benedictionem. 1. Reg.30.

PYTHIVS Bithynicus, metallarius ditissimus, Dario platanũ auream, nobilemq; uitẽ donauit, & Xerxis exercitui stipendium quinque mensium pollicitus fuit. Polyænus.

EVBVLVS demagogus clarissimus, diligẽs atque industrius, cùm magnam pecuniam coegisset, eam Atheniensibus distribuit. Vnde factum, ut ciuitas illo gubernante ignauissima & desidiosissima euaderet. Suidas.

PORSENA rex Hetruscorum, discedens ab Ianiculo, ex fœderis lege, castra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus

bus Hetruriæ aruis commeatu Romanis dono dedit, inopi tum urbe ab longa obsidione. Liuius lib.2. ab Vrbe cond.

LVERIVS Auernus, pater Bititi (qui Bititus cum Maximo Aemyliano & Domitio Aenobarbo ducentorum hominum exercitu conflixit) ostentandarum opum gratia curru uectus, campum ingressus, numos aureos argenteosque huc atque illuc sparsit: quibus colligendis, amici atque comites occupati sequerentur. Strabo lib.4. & Athenæus.

Seruius Honoratus in illum Aeneid. VIII. Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi, Dona recognoscit populorũ, aptatq; superbis Postibus: Aurum, inquit, coronarium dicit, quod hodieq; à uictis GENTIBVS datur. Imponebant autem hoc Imperatores propter concessam uitam. ideo dixit dona. nam si hoc non esset, spolia diceret. Hotomanus de Verbis iuris.

Gellius lib.5. cap. 6. Triumphales, inquit, coronæ sunt aureæ; quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id uulgò dicitur Aurum coronarium. Hæ antiquitus è lauro erant, pòst fieri ex auro cœptę. Posteriorum autem Cæsarum temporibus institutum fuit, ut CIVITATVM decuriones coronas aureas munificentiæ caussa principi darent, uel indulgentiarũ lætitia, uel ob res prosperè gestas, uti patet ex lib. C.TH.12. cap.13. Hotoman de Verbis iuris.

Missilia, munera quę PRINCIPES & magistratus largitionis munificentiæ caussa populo spargebant. Hotomannus de Verbis iuris.

Cn. Pompeius, cùm in Syria accepisset Mithridatem sibiipsi manus intulisse, & PHARNACEM F. cum Romanis facere, Amisum peruenit, inuenitque multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familia regia, ipsum etiam Mithridatis cadauer, uestem & arma. Plut. in Pompeio.

Cùm Cn. POMPEIVS Tigrani regi Armeniorum, patri Artauasdæ, sex millia talentorum argenti scripsisset, mox Romanorum copiis uiritim distribuit, militi quinquagenas drachmas, centurioni millenas, singulis præfectis prouinciæ & chiliarchis talentum. Strabo lib.11.

C. PLINIVS iunior patriæ suæ donauit annua sestertia tricena, quæ à nobis DCCL. aureis æstimantur. Budæus.

AEDIFICIIS.

Plerique suam satis opulentiam prodiderũt arduis conatibus, quibus rerum naturæ faciem mutare uoluerunt: ut NICANOR Seleucus, qui excogitabat perfodere spacium à Bosphoro Cimmerio ad Caspium mare, quod interuallum erat CL. millium passuum.

NERO Pompeij theatrum operuit auro in unum diem, quod Tyridati regi Armeniæ ostendit.

HERODES Atticus sophista tanta fuit rerum opulentia, ut Isthmum Corinthiacum uellet perfodere, & maria coniungere diuersa, si per Imperatorem licuisset: quod tamen frustrà tentauerat Nero. Philostratus in Sophistis.

HORTIS, PRAEDIIS, COMMVNICANDIS, DONANDIS.

NICIAS Atheniensis prædiorum suorum maceriis dirutis, fructum omnem populo communẽ esse uoluit. Plutarchus.

LVDIS.

C. IVL. Cæsar Dictator duodeuiginti millia tricliniorum strauit, Rom. populo immensum auri pondus profudit, in spectaculis & congiario populi. Sed hæc spolia & rapinę orbis [redacted]

CAIVS Caligula in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIIII.

HENRICVS Landgrauius Thuringiæ, circa annum Christi 1227. tantùm fertur corrasisse thesaurum ex metallicis fodinis, ut si licuisset, totam Boemiam comparare potuerit. Nor thusiæ hastiludia instituit: arborem aureis & argenteis foliis erexit: singulis concurrentibus, & frangentibus hastas, sed in sessione permanentibus, argenteum folium: si quis autem aduersarium ex equo deiecisset, aureum folium dabatur. Chronicon Misnense.

EXERCITV.

ANTIOCHVS Magnus, Syriæ rex, in Romanos certaturus, exercitum collegit ornatissimum, in quo pleriq; milites hastis scutisque aureis & argenteis enitebant. Quum ostentasset Annibali copias illas, rogassetque, nunquid satis essent Romanis futurę? Pœnus ignauiam illorum sugillans, Enimuerò, inquit, etiam si auarissimi fuerint Romani. Plut.

M. CRASSVS negabat diuitem esse, nisi qui reditu annuo legionem posset alere. Plutarchus.

LEGATIS, HAEREDITATE relinquenda. Hæredes scribere.

Timæus scriptum reliquit, CINNARVM quempiam fuisse, patria Selinusium, arte lenonẽ, qui hoc quæstu ad summas opes peruenerit. Is quoad uiuebat, pollicebatur se facultates omnes Veneri consecraturum. cæterùm moriens, populo diripiendas exposuit. Hinc prouerbium, Rapina rerum Cinnari: de facultatibus per tumultum direptis. Erasm. in Adag.

FLORA meretrix, hæredem Pop. Rom. instituit: qui gratitudinis ergò Floralia facta in eius honorem instituit. Volaterranus lib.16. Anthrop.

ACCA Laurentia meretrix, quæ suo corpore fecerat maximum, & Pop. Rom. moriens hæredem reliquerat. Ob id meritum à flamine Quirinali sacrificium ei publicè fit, & dies è nomine eius in fastos additus: ut in Valerij Antiatis historia scriptum est. At Massurius Sabinus in primo Memorabiliũ, Romuli nutricẽ fuisse scribit: quæ cùm ex XII filiis maribus unum morte amisisset, in illius locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dedit, seque & cæteros eius filios fratres Aruales appellauit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum Aruallum, numero XII, cuius sacerdotij insigne est spicea corona, & albæ infulæ. Gellius lib.6. cap.7.

LAVRENTIA scortum hæres relicta à Tarrutio ciue Rom. opulento, hæredem ipsa reliquit pop. Rom. Plut. in Romulo.

ATTALVS Philometor, rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, testamentũ in hunc modum scripsit: Populus Romanus bonorum meorum hæres esto. Florus lib.2. cap.20. Plin. lib.33. cap.11. Iustinus lib.36. Strabo lib.14. Appianus in Mithridatico, Eutropius libro 4. capite 3. Orosius libro 5. capite 7. Liuius libro 58.

PTOLEMÆVS Cyrenarum rex, cui Apioni cognomen fuit, populum Romanum hæredem fecit. Is Cyrenas & cæteras eius regni urbes liberas esse iussit. Trogus, in prouincię formam tum primùm redactam Cyrenaicam regionẽ, auctor est. Sabellicus lib.2. Enneadis 6.

CAIA Tarratia siue Suffetia Vestalis, Pop. Romano campum Tiberinum siue Martium dono dedit. Hinc statua ei decreta est à Rom. ut poneretur ubi uellet. Plin. lib.34. cap.6. Gellius libro 6. capite 7.

L. Corn. BALBVS Gaditanus consul, qui animi magnitudine omnes homines suæ ætatis facilè superauit, moriens drachmas 25 populo Rom. uiritim reliquit. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Augusto.

C. IVLIVS Cæsar nouissimo testamento tres instituit hæredes, sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera. C. Octauium etiam in familiam nomenque adoptauit; plerosq; percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. D. Brutum etiam in secundis hæredibus. Populo hortos circa Tiberim publicè, & uiritim trecentos sestertios legauit. Octauius Apollonia Romam properè ueniens, multum licet Actia matre & M. Antonio Cos. dissuadente, hæreditatem adiit. Indignum dehinc æstimans, Cæsaris ultionem non assumere, Brundusium (ubi exercitus erat) accessit: qui ueluti Cæsaris filio obuiam iuit, Cæsarémque salutauit: hocq; deinceps nomen retinuit: hinc omnis ad illum multitudo affluxit: quorum quidam amici Cęsaris defuncti, alij liberti; alij serui, arma, apparatus pecuniasque attulere. Cuspinianus ex Suetonio.

Ioannes Brennus, Hierosolymorum rex, exul in Franciam proficiscens, meliore fortuna quàm antea usus est. Nam PHILIPPVS, rex Franciæ moriens, ei ex testamento quadraginta millia librarum argenti, totidemque magistro templi Hierosolymitani reliquit. Quo adminiculo fretus, in Hispaniam proficiscens, ad persoluendum uotum beato Iacobo promissum, Berengariam regis Hispaniæ sororem in uxorem accepit. Platina in Honorio III.

BONA Sfortia, Sigismundi Augusti Polonorum regis mater, cùm sese Barium in Apuliam dotalem ab Aragoniis principatum, relicto Poloniæ regno, contulisset, inuẽtum est post eius mortem testamentum, siue codicillus, in quo illa Philippum Caroli V. Cæsaris filium scripsit hęredem. Atque ita priuato filio rege, & filiabus quatuor, quas habebat, ad quos iure materna bona pertinebant, alienum adsciuit hæredem. Sabellici supplem. libro 29.

ANTONELLVS Neapolitanus cum turmis equitũ ad resp. Venetæ militiam conscriptus, quòd erat planè diues, confectis in urbe testamenti tabulis, templi Marcij procuratores ex asse sibi hæredes instituit, atque ad bellum, quod Venetis cum Rege Gallię Ludouico XII. erat, profectus est. Bembus libro septimo Histor. Ven.

Sen. Venetus à BARTHOLOMÆO Coleono Bergomense, cuius opera felicissimè in grauissimis expeditionibus usus fuerat, hæres ex asse institutus est. Argenti signati ducenta millia florenorum reperta. Bergomi sepultus, sed equestri tamen

tamen statua à Senatu ornatus Venetiis in DD. Ioannis & Pauli area. Obiit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Bernardinus Corius in historia Mediolanēsi, & Sabellicus lib. 7. Enneadis 10.

AVGVSTVS Cæsar testamenti tabulas fecit, quę post eius statim mortem à Polybio in senatu lectæ sunt. Tiberius priuignus ex belle, Liuia uxor ex triente, ut nonnulli putant, hæredes scripti erant. Nam Augustus, ut eam augeret suis facultatibus, petierat à senatu, ut liceret sibi tātundem ei etiam contra leges relinquere. Ab his hæredibus scriptis multa prædia, magnamq; pecuniam plerisq; hominibus propinquis suis & extraneis legauit, nec senatoribus solùm, sed etiam equitibus regibusq;. Ad hęc reliquit Pop. Rom. aureorum millia quadringenta. Sed & militibus legata reliquit: stipatoribus quidem suis uiritim ad decem aureos, iis autē, qui erant in præsidiis urbis collocati, singulis eius summæ dimidium: cæteræ multitudini urbanæ tres aureos uiritim dari iussit. Præterea mandauit, ut quæ sibi hæreditas testamento obuenisset à parentibus filiorum impuberum, ea cū fructibus perceptis restitueretur iis, cùm in adolescentiam peruenissent. Dion Nicæus.

TIBERIVS Imp. Caium Germanici (quem ueneno necandū curarat) filium, successorem principatus pronunciauit, licet Tiberium nepotem suum maluisset: intelligens ex iis, quę ei obueniebant insperatò, non in hominum potestate esse de Imperij constitutione decernere, sed maiestatis supernæ potentia. Iosephus lib. 18. cap. 15. Antiq. Sed ut Suet. tradit, testamento Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druso nepotes, hæredes æquis partibus reliquit, substituitque inuicem. Tradunt quidam Tiberium, Caium puerum admodum, & quęstura ornasse, & in Imperio substituisse, ignarum eius naturæ. Sæpe enim Tiberio dicere solebat: Tu alios quotidie occidis, at te alij tandem interficient. Rursus alij tradunt, Tiberium substituisse in dignitate, ut huius crudelitate suam obtegeret sæuitiam. Et ob id antiquum usurpasse adagium: Me mortuo terræ ignis misceatur. Mortuo Tiberio, milites & plebs urbana, ob memoriam Germanici patris, miseratio nemq; propè afflictæ domus, irrita uoluntate Tiberij, Tiberio Gemello repulso cohærede, omnium rerum habenas cū summa lætitia, auctore Senatu, ei concessere, cæsis innumeris uictimis. Cuspinianus.

HERODES Iudæorum rex filium Antipam Galileæ simul ac Petreæ tetrarcham constituit: regnum uerò Archelao largitus, Trachonitidem, Gauloniticam, Bataneam, & Paneada regiones tetrarchiæ nomine assignauit Philippo filio, germano fratri Archelai. Iamniam autem, Azotum & Phasaelida Salomæ sorori suæ attribuit, & argenti signati quingenta millia. Habita est & cæterorum cognatorum ratio, abundè: prospectum singulis leganda pecunia & reditibus annuis. Cæsari quoq; legauit argenti signati centies centena millia, præterq; sua uasa tā aurea quàm argentea, magnūq; uestis pretiosæ numerum. Iulię autem Cæsaris uxori, & quibusdam amicis, quinquagies centena millia. His ita ordinatis, quinta die postquā Antipatrum filium occidit, uita defunctus est, iam septuagenarius, post deiectum regno Antigonum anno trigesimo quarto, ex quo autem à Romanis rex declaratus est, anno XXXVII, uir in omnes ex æquo sęuus, irę ferus, iuris dominus: fortuna autem propitia usus, si quis alius. Iosephus lib. 17. cap. 10. Antiquitatum.

TRIBVTO PENDENDO.

Tributum pendere. Seruitutis est. Accipere Tributum, ad Opulētiæ acquisitionem pertinet. Quando uerò nemo dat quod non habet: quo quisque maiora dabunt, eo de maiore aceruo. Vt proinde inter Opulentiæ exercitia referri mereantur.

Ditissimam fuisse MEDORVM tertam (sicut Vergilius ait) ex tributo licet intueri, quod Persis pendebāt: duplo enim maius fuit eo, quod à Cappadocibus exigebatur, quos assent Strabo lib. 11. præter argentum, mille & quingentos equos, mulorum duo millia, & ouium quinquaginta millia pendisse quotannis. Aen. Syl. cap. 33. Asiæ.

Cùm regi magno Persarum omnis plaga, cui imperat, sit distributa in ipsius atq; exercitus eius alimentum, præter tributa: ex duodecim, quibus annus constat, mensibus, quatuor regio BABYLONIA, octo reliquis eum omnis Asia alit. Ita huius regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat: & eius principatus, quam Satrapiam Persæ uocant, omnium prouinciarum longè est optimus: adeò ut Tritechnæ Artabazi filio, qui pro rege tributum hoc exigebat, singulis diebus singulæ argenti plenæ artabæ penderentur. Est autem artaba mensura Persica, capacior quàm Atticus medimnus tribus chœnicibus Atticis. Herod. lib. 1.

LEPTIS in Africa singula indies talenta Carthaginēsibus nectigal pendebat. Alex. lib. 4. cap. 10.

AEGYPTI prouentum Cicero in quadam oratione explicat, dicens: Ptolemæo Auletæ patri Cleopatræ quotānis duodenum millium, & quingentum talentorum tributum afferri solitum. cùm tamen pessimè ac segnissimè regnum administraret. Strabo lib. 17.

Cùm à Seruio Tullio populus in quinq; classes esset diuisus, ut tributum, prout quisque posset, conferret: DITIORES, qui asses dabāt, Assidui dicti sunt: & quoniam soli negotia publicis frequentes aderant, eos, qui frequentes adsunt, assiduos ab assibus dixerunt. Hæc Charisius lib. 1. Hotomannus de Verbis iuris.

GRANATÆ urbis in Hispania ager fertilissimus, sic ut exarborum foliis, è quibus fit sericum, singulis annis, uectigal aureorum millium ferè triginta quinq; Regibus pendat, præter multas serici libras. Cuius ambitus passuum millia centum & decē complectitur, in cuius agri spacio fere millium septem & uiginti, sex & triginta fontes oriuntur. Marineus lib. 20. rerum Hispan.

MVLTA EXOLVENDA.

DEMADEM Athenienſem uel ex eo ditissimū iudicamus fuisse, quòd pecunias amplissimas tā facilè effudit, mirificamq; pecuniæ uim in res turpes contulit. Lege enim Athenienſiū cautū cùm esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum multa indicta ei, qui iudoederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltaret, mercede conductos in theatrū induxit, centies mille drachmis solutis. Pontanus cap. 3. de Magnificentia.

L. NERATIVS, quum (auctore Gellio) pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma uerberare: seruū comitem trahebat, crumenam plenam assium portantem. Et quemcunq; depalmauerat, numerari statim secundū duo decim Tabulas XXV asses eidem iubebat. Ranisius.

MEMORIA NOMINIS CONSERVANDA.

Huc ex loco Magnificentiæ & Ambitionis plaraque transferri possunt, quatenus Opulētia ueluti instrumētū est gloriæ, cum uera tum inanis, per omne genus monumentorum exercendæ. Quineciam ex loco Gloriæ & Honoris huc non pauca, in quibus non simplex animi de alieno bono existimatio, sed pretiosa opera significatio externa, perpenditur.



LL

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM
DISPOSITIO.





VOLV.

Voluminis Tertij
Liber II.
De PAVPERTATE & Inopia.

PAVPERTATIS ACQVISITAE AVCTORES.

IPSE SIBIIPSI. VEL
Liberalitate pia.

Vide Tit. Eleemosynarum.

ABDIAS dispensator Achabi regis Israelitarum, cùm centum prophetas in spelunca absconditos pane & aqua sustentasset, magnum æs alienum contraxit. Eo mortuo, creditor duos natos eius in seruitutem rapere uolebat, cùm uidua non esset soluendo. Illa Elisæum prophetam implorauit. Præcepit ille, ut exolei ampullã, quæ domi unica supererat, uasa à uicinis mutuò accepta impleret: diuinitùs enim oleum non defecturum, donec omnia implerentur. Paruit illa, & iussu Elisæi postea uasa illa uendidit, & debitum dissoluit. 4. Regum 4. & Iosephus lib. 9. cap. 3.

Fide, Integritate.

Apud Persium Satyra quinta his uerbis VARRONEM Auaritia alloqui introducitur:

—regustatum digito terebrare salinum
Contemtus perages, si cum Ioue uiuere rentes.

hoc est, semper pauper eris, si pius esse uoles, & metu deorum pecierare recuses.

Prodigalitate, Luxu, Libidine.

De ALTOLIS scribit Polybius lib. 13. Hist. quòd ob assidua bella, uictusque magnificentiam, ære alieno oppressi sunt, Athen. lib. 12. cap. 10.

ARYCANDEI Lycij, qui Limyrensibus sunt finitimi, ære alieno grauati ob intemperantiam ac nimium sumtum, tum ob eorum inertiam & uoluptatem, cùm non possent fœnus persoluere, in Mithridatis partes se contulerũt, sperantes se præmium debitorum absolutionem inde consecuturos. Athen. libro duodecimo, capite undecimo.

Quemadmodum Irus & Codrus ob inopiam in uulgi fabulam abierunt, ita & SALACON quidam extremæ paupertatis homo effecit, ut omnes fortuna tenui, Salacones dicerentur, & ipsa paupertas, Salaconia. Meminit Hesychius: sed idem indicat, eodem nomine fuisse notatos fastuosos & arroganter: unde ductum sit uerbum, σαλακων ἔφιν ὁ σαλακωνίων, pro eo quod est, fracto delicatoq; gradu incedere. Addunt testem Theophrastum, qui σαλακεύειν dixerit eum, qui sua profundit temerè. Ex his colligere licet, adagij conuitium non hæsisse in quosuis pauperes, sed in eos duntaxat, qui fastu luxuq; redacti sunt ad inopiam. Vox autem dicta uidetur, à uerbo σαλεύω, quod est labefactari, & ad ruinam tendere. Erasmus in Adagiis.

CALLIAS Athenienſis, Diomnesti Eretrici diuitias malè partas dilapidauit, ut apud uetulam quandã barbaram uiuere cogeretur, uictusq; quotidiani inopia laborans, mortuus sit. Athen. lib. 12. cap. 17.

M. CRASSO pecuniæ magnitudo locupletis nomẽ dedit: sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem immisit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidũ præstare non poterat, uenierunt. Itaque amara sugillatione nõ carnit: cùm egens ambularet, Diues ab occurrentibus salutabatur. Val. Max. lib. 6. cap. 11.

ACILIO Butæ prætorio, post patrimonium ingens consumtum Tiberius Imp. paupertatem confitenti: Serò, inquit, experrectus es. ad id alludens, quòd totas inter pocula noctes transegisset, somno impendisset dies. Cælius libro nono, capite 13. Antiquarum Lectionum.

C. CALIGVLA Imp. nõ habuit, ut filiam dotaret, ob sumtus citra modum factos: stetitque Calendis Ianuariis in ædium uestibulo ad captandas strenas & stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu diuersa turba fundebat. Tam pauper euasit uel nimia largitione, uel immodica auaritia ille, qui aliquando super immensos aureorum aceruos, patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spaciatus est, & toto corpore grunniẽtium porcorum instar aliquandiu uolutatus. Sueton.

FRIDERICVS II. Imp. dum Parmæ urbis, quam oppugnabat, æmulam Victoriam condit, editis magnificis spectaculis, Cæsarum ueterum magnificentiam & rerũ splendorem æquare conatus, ad penuriam pecuniæ recidit. Victoriatos, qui antea aurei cudebantur, iam scorteos facere cœpit, cum perparua eius argentea effigie: proposito edicto, ut hi numo aureo conferentur: fiscum suum tantidem illos æstimaturum, acceptarumq;. Aemilius lib. 7.

Mercimoniis ineptis.

PLAVTVS Comicus omnem pecuniam, quam ex scena conquisierat, mercationibus amisit. Gel. lib. 3. cap. 3. ex M. Varr.

Abiectione, Iactura.

Vide Tit. Opes non conseruare. Illic Opes non seruatæ considerantur, hîc subsequens Paupertas.

ALII. VIDENDVM
QVI. PVTA
Dæmones.

Exemplum luce meridiana clarius in IOBO cernimus, cuius, diaboli studio, primùm quinquaginta boũ iuga & 500. asinæ abripiũtur, pueriq; cæduntur: secundò, ouiũ septẽ millia cum pueris igne cœlitùs demisso consumũtur: tertiò, camelorum tria abducuntur millia, & famuli occumbũt: quartò, domus, ob procellas impetuosissimas à Satana excitatas, ab imis sedibus conuulsæ, ruina opprimitur omnis soboles.

CONSTANTINOPOLI incendium maximum ortum, sub Leone Imp. ex igniculo lucernę, quam dæmon quidam, aut mulier certè à dæmone percita, in forum antelucanis horis attulerat, uniuersam urbis, tum publicam tum priuatam magnificentiam, miserabili & horribilissimo spectaculo, in cineres redegit, flãmis durantibus in quartum usq; diem, quę nec ulla aliqua ratione extingui possent. Euagrius libro secundo, capite decimotertio.

SCHILTACVM oppidum in ualle Kintzia à muliere ueneficа, diaboli astu, incensum cõflagrauit, A. D. 1534. Stumpfius. & Erasmus Roterod. ex Henr. Glareani narratione.

Tyranni.

L. Corn. SYLLA Rempub. Rom. ad mendicitatem tantam & pecuniæ redegit egestatem, ut quamuis quotidie publicaret & sub hasta uenderet pecuniosissimas & maximas domos, fœderatis & sociis ciuitatibus tamen libertatem immunitatemque uenundaret argento. Verùm profundendi atque dissipandi in adulatores nullus erat modus. Plut. in comparatione Syllæ & Lysandri.

Meretrices.

THALLVS caupo à Nico meretrice consumtus. Vnde Capra dicta fuit. Capræ enim gaudent ἰώμοις, id est germinibus. Athenæus lib. 13. cap. 19. Suidas Nannio meretrici hoc tribuit, item Cælius lib. 8. cap. 8. A. L.

QVOMODO.
Multa, Proscriptione, Confiscatione, Publicatione, Sectione.

L. Sylla, uicto ad Chæronẽa Archelao Mithridatis duce, THEBANOS, qui cum Mithridate fecerant, dimidio agri multauit, quod Apollini & Ioui Olympio consecrauit: atq; ex prouentibus argentum, quod ceperat, exolui diis imperauit. Plutarchus in Sylla.

P. Decio & Q. Fabio Max. Coss. FOENERATORIBVS quibusdam multatis, Cn. & Q. Ogulnij ædiles currules æneа in Capitolio limina, & trium mensarum argentea uasa, in cella Iouis, Iouemque in culmine cum quadrigis posuere (Plinius fictile id opus fuisse autor est) & ad Ruminalem ficum Romuli & Remi simulacra sub lupæ uberibus statuerunt ænea. Liuius. Visitur hodie Romæ signũ ex ære factum, apud urbis Conseruatores: lupa est, duos ad ubera infantes habens. Sit ne uetus illud signum, de quo Liuius, an aliud recens ab eo diuersum, haud affirmate ausim. Sab. lib. 7. En. 4.

Consueuere Romani, quos pro criminibus oppidò grauibus supplicio affecerunt, illorum bona propter criminis detestādū facinus publicare, illaq; destinare publicis usibus, ut domini supplicium bonorū publicatio sequeretur. Sic Tarquinio rege eiecto, ager qui TARQVINIORVM quondam fuerat, Marti dicatus, cāpus Martius dictus est, de quo Plut. in Poplicola. Sic C. CASSII domus, cui ob affectati regni crimē dies perduellionis dicta fuit, euersa & demolita, area ante Telluris ædē facta est. Domus pterea M. MANLII Capitolini, quę quondā in arce fuerat, qui suspicione regni pœnas dedit, de saxo deiectus, ædes atq; officina Monetę fuit. Et cùm MARCELLVS quidā nequā & criminosus, qui in ganeo & lustris uitā egerat, ppter latrocinia sordesq; uitæ, capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Aemylio & Fuluio censoribus Macellum, ubi obsonia uenderentur, locum extructū ferunt: tametsi forū olitoriū Romæ antiquum macellum fuisse tradant. Sp. quoq; MELII domus, ꝙ turpiter regnum appetere conatus esset, postquā capitis accersitus, pœnas dedit, patrimonio publicato, Aequimeliū dicta est. VITRVBII Vacci quoq; dom' in palatio, ob illius facinoris pœnā, publicata & euersa, Vacci prata locu nomen dedit. M. FLACCI, qui cū C. Graccho seditionē molitus fuit, domus similiter: ubi Q. Catulus de manubiis Cimbricis porticum fecit, quæ Catuli appellatur: ut tantorum criminum facinora nomen denotaret, supplicijq; insignis memoria foret sempiterna. Alex. lib. 3. cap. 23.

Violatorum Bonæ deæ sacrorū crimine absolutus P. Clodius, & factus Tribun' plebis, ptinus apperiuit CICERONEM, ꝙ testimonium in se dixisset: dieq; Ciceroni dicta, quòd Lētulum & Cethegū indicta causa necasset, cùm ille pacis causa cū furioso Tribuno armis contendere nollet, ei in uoluntarium exilium fugienti, aqua & igni interdixit: eoq; exterminato, uillas eius incendit, domum concremauit, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hastæ subiecit, quæ quotidie cùm proclamaret, nemo ad hastam tamē accessit. Plutarchus in Cicerone.

Cicero pro SEX. Roscio, spoliatū esse illum omnib. fortunis à procuratore quodā Chrysogoni ostendere uolēs, ac ne glebam quidē agri ei relictā, qui antea fructuosissimis prædiis abundabat, inquit: Cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius, ne iter quidē ad sepulcrū patriū reliquisset. humabāt enim mortuos in agris ueteres. Victor. lib. 14. Var. lect. c. 21.

Nero, postquā Senatus Galbam, à legionibus Gallicis imperatorem salutatum, hostem iudicauit, iocum captans & ferociens apud amicos, Nō malam, ait, occasionem sibi consilij oblatam pecuniæ egenti. Gallorū bona, ubi domiti essent, in prædam se daturum: Galbæ uerò fortunis hostis iudicati statim uti licere & distrahere. Itaque hic bona GALBÆ sub hasta uendi iussit. Quod intelligens Galba, quæcunq; in Hispania Neronis essent, proscribens, multò inuenit paratiores emtores. Plutarchus in Galba.

ORIGENES Adamantius, decimo Seueri principis anno uigēte in Christianos insectatione, à Leonida patre cū sex fratrib. & matre uidua relictus, annos natus 17. pauper admodum, cùm bona propter religionē confiscata fuissent, uixit. Hieronymus & Eusebius lib. 6. apud Vol. lib. 7. Anthrop.

Exhæredatione.

THEMISTOCLES Atheniensis, cùm minùs esset probatus parentibus, quòd & liberiùs iusto uiuebat, & rem familiarē negligebat: à patre Neocle exhęredatus est. Quæ cōtumelia non fregit eū, sed erexit. Nā cùm iudicasset, sine summa industria non posse eam extingui, totū se dedit reipublicæ, diligentiùs amicis famæq; seruiens. Probus in Themistocle.

POMPEIVS Rheginus à fratre exhęredatus. Val. Max. l. 7. c. 8.

TERENTIVS à filio iniustè exhæredatus, ideoq; à C. Calpurnio Pisone, præfecto urbis, cui hāc iniuriā conquestus erat, in bonorum adolescentis possessionem missus est, hæredésque lege agere non est passus. Val. Max. lib. 7. cap. 7.

Apud SCOTOS olim homicida, mutus, aut parenti ingratus, hæres non erat. H. Boethius lib. 10.

PAVPERTATIS ACQVISITAE INSTRVMENTA TVM

☞ INANIMATA. PAVPERES facti ab

☞ IGNE.

☞ *Ex Tit. Vrbium, Domuum, Templorum exustorum.*

ERETRIENSES simul & CHALCIDENSES Pithecusas insulas habitarunt. Qui cùm terræ frugibus & auri fossionibus beatissimi forent, terræmotibus expulsi, & exhalantib. ignibus & inualescente mari & aquarum feruoribus, excessere. Huius enim generis eructatiōes habet insula. Ob quas missi coloni ab Hierone tyranno Syracusanorum, paratum iam à se murū deserere coacti sunt. Quam ob causam nata est fabula, quæ Typhonē ea in insula sepultū asserat, cumq; is latus uertat, euaporare flammas & aquas. Strabo lib. 5.

☞ GRANDINE.

Septima AEGYPTI plaga à Domino per Mosen immissa fuit grando horrenda, qua, quęcunq; sub dio fuerunt, homines, pecudes, arbores, plantæ, cōtrita fuerunt, excepta Gossene, quam Israelitæ incolebant. Exodi 9.

Anno Domini 676. cùm Adeodatus pontifex Romanus obiisset, per menses quatuor uisa sunt elemēta in urbis ROMÆ & ITALIÆ excidium coniurasse. Nam continuati imbres tonitruis fulguribusq; immixti, armenta & homines interfecerunt, & fruges perierunt omnes, præter legumina, quæ uētis excussa repullularūt. Blondus lib. 9. Dec. 1. Sigebertus.

Initio imperij MICHAELIS Paphlagonis, grando impetu intolerabili delata, nō frugiferas modò sterilesque arbores cōfregit, sed & domos deiecit, & templa ac segetes uitesq; solo allisit. Itaq; eo anno summa fuit sterilitas. Cedrenus.

In MARCHIA Brādenburgensi ad oppidū Vredeland, die Remigij, ceciderūt è cœlo igniti in morem grandinis lapilli, & incensis prędiis, & quibusque rebus in agro comprehensis, ingentia damna rusticæ plebi dedere. Eo tempore Ericus, rex Danię, princeps pacificus, uocatis undecunque de contermini finibus omnium graduum principibus, generalem terrarum pacem firmam constituit. Inter comites Holsatiæ & ciues Lubicenses pacem reformauit, interque ducem Saxoniæ Albertum & comites eosdem. Quo merito ciues Lubicenses defensorem illum suum fecere, annuasque mille marchas in decennium illi assignarunt. Cranzius libro octauo Saxoniæ, cap. 37.

☞ ANNI CONSTITVTIONE.

☞ *Hæc per se ad Chronica pertinet, uel etiam ad Theatrum Elementorum. Respectu Damni quod fortunis infertur, huius est Tituli.*

Calida.

An. 603. ęstas infesta frugibus omnib. fuit. Vredine segetes oēs extinctæ, quam hyems plus solito frigida excepit, quæ uites quoque omnes absumsit. Hæc mala Gregorij Magni Pontificis mortē prænunciasse uisa sunt. Sigonius lib. 1. reg. Ital.

Frigida.

Hyemis stupenda asperitas, diuturnitasq;, haud parum incommodi uitibus, frumentoq; attulit, anno 1060. unde fames, pestisque secuta sunt: ut Contractus habet.

Anno 1076. gelu magnum & glaciem ualidissimam, à calendis Nouembris usque ad idus Aprilis, Sigebertus annotat. unde uineta exaruerunt. Schafnaburgensis.

Anno 1408. fuit in Anglia tanta frigoris uis, ut bona pars ouium perierit. Polyd. lib. 21.

☞ AQVA.

Inundationes, Diluuia, Illuuiones.

Deucalion filius fuit Promethei & Oceanæ, ut inquit Dionysius, qui Pyrrham patrui sui Epimethei & Pandoræ filiam in coniugem accepit, regnauitque in Thessalia, expulsis Pelasgis, cùm in exercitu gentes Parnassi accolas ductaret, id est, Leleges & Curetas. Huius diebus, sicut Aristot. refert, ingens uis imbrium magnā THESSALIÆ & GRÆCIÆ partem oppressit. Ipse Deucalion & uxor Pyrrha in Parnasso seruati, consulto Themidis oraculo humanum genus dicuntur reparasse, iactis post terga parentis ossibus, hoc est, terræ lapidibus: qui à uiro iacti, in uiros, qui à femina, in feminas conuertebantur. Sed reuerà ex montibus in plana deduxerunt homines, qui diluuio superfuerant: ideo fuisse saxa fabulati sunt. L. Viues in lib. 18. Aug. de Ciuit. Dei, c. 10.

IVDEÆ inundatio famem maximam fecit, ut tritici modius ueniret drachmis 15. sub Aristobulo Alexādri F. rege. Ioseph.

Melas fl. prope Mazacam Cappadociæ ex Argeo mōte ortus, cùm non aptum exitum habeat, in lacus ac paludes diffusus, urbis aerem æstate corrumpit, & lapidicinas, cùm utilissimæ sint, efficit inutiles. Ariarathes rex angustiis quibusdam obstructis, ad quas Melas exitum in Euphratem habet, proximam planitiem totam lacu diluit, atque insulas quasdam, tanquam Cycladas, comprehendēs, pueriliter ibi morabatur. Clausura uerò ad imum rupta, aqua soluta est, intumefactusque Euphrates, magnam CAPPADOCIÆ partem traxit, & multas habitationes & consita deleuit: agrum quoque GALATARVM, qui Phrygiam habitant, non paruo affecit detrimento. Qua ex re 30. talentorū damno mulctatus, eius rei iudicio Romanis cōmisso. Idem circa HERPAM contigit. Nā & ibi Carmalæ exitu obstructo, ore deinde rupto, cùm aqua quædam Cilicum loca deuastasset, pœnas dedit iis, qui iniuria affecti fuerunt. Strabo lib. 12.

Sub Iuliano Imper. apostata, ALEXANDRIA maris æstu sic inundata est, ut eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ. Diem eum quo recessit, inter anniuersarios sacrum deinceps celebrarunt Alexandrini, & Deo pro liberatione gratias egerunt. Nicephorus libro decimo, cap. 35.

Anno Domini 690. qui fuit tertius Iustiniani, aquæ diluuium fuit in finibus VENETIARVM & LIGVRIÆ, cæterisque regionibus ITALIÆ, qualē maius post Noe tempora creditur non fuisse. Factæ sunt lacunæ possessionum, seu uillarum, hominumque pariter & pecudum magnus interitus: destructa sunt itinera, dissipatæ uiæ, tantumque Athesis fluuius excreuit, ut urbis Veronensis muri ex parte una subruti fuerint. Fuit autem inundatio illa Calendis Nouēbris. Quin & tantæ coruscationes & tonitrua tunc fuerunt, quantę uix æstiuo tempore fieri solent. Tyberis quoq; Romæ in tātum excreuit, ut aquæ eius supra muros influerent, & maximas in ea regiones occuparēt. Tunc per alueum eiusdem fluuij, cum multa serpentium multitudine, draco etiam miræ magnitudinis per urbem transiens, usque ad mare descendit. Subsecuta est statim hanc inundationem grauissima pestis, quam inguinariam appellant, quæ tāta clade populum deuastault, ut ex inexistimabili multitudine uix pauci remanerent. Lycosthenes de Prodigiis.

Anno quinto Childeberti, qui ferè in initium Mauricij imperij incidit, mense Septembri, continuis uiginti diebus imbres tanta ui deciderunt, ut plurimis in locis sementem facere nemo posset. Fluuij præterea, Ligeris, Flaueris (quem Melacrem uocant alij) Rhodanus, Araris, omnesque torrentes longè lateq; supra ripas effusi, plurimum accolis detrimenti dederunt. LVGDVNENSIS ciuitatis muros Araris cum Rhodano coniunctus, aliqua ex parte subuertit. Gregorius Turon. lib. 5. cap. 35. Aimoinus lib. 3. cap. 31. de Gestis Francorum. Italia quoque magnam cladem perpessa est aquarum inundatione: quæ tanta fuit (referente Simoneta libro 4. c. 30.) ut homines Noe diluuium instauratum putarent.

Anno Mauricij 3. Kalendis Octobris, dira aquarum alluuio, & fulmina sæuissima, VENETIARVM & LIGVRIÆ terras oppressere: & mox ROMÆ atrocissima pestis, ex serpentum fœtore ad litora proiectorum exorta, secuta est.

Sexto Mauricij anno impia Longobardorum gens Romam oppugnans, assiduis imbribus turbinumque tempestatibus adeò perculsa est, ut obsidionem soluere cogeretur. Subsecuta est deinde tanta uis aquarum, ut innumerabilis penè hominum pecudumque multitudo per ITALIAM, ac maximè ROMÆ perierit. Tyberis ita se effudit, ut altitudine Romanæ urbis mœnia superaret, & ingentem serpentum aliarumque uenenatarum animantium colluuiem aduheret. Inde mox anno sequenti, Palmerio auctore, ex cadauerum putrefactione iterum pestis sæuissima orta est, qua Pelagius papa & infinita hominum multitudo Romæ interiit. Henricus de Erphordia, nono Mauricij anno hæc facta esse scribit: nam mirè hic uariant auctores.

Anno 18. Iustiniani Magni, mare THRACIAM operuit usque ad quatuor milliaria, tectis aqua Odryso, Dionysiopoli, & Aphrodisio, multiq; sunt aquis suffocati. Inde Dei iussu aqua in suum rediit locum. Cedrenus.

Smaragdo Exarcho dira aquarum illuuio totam penè ITALIAM obruit, fluminibus passim arua inundantibus. Tyberis omnium maximè, & quantus nunquam aliàs, hominum memoria portentoso auctu fluxit, ut murorū urbis altitudinem quibusdam locis æquarit. Præcessit cataclysmus ille paucis diebus Calendas Nouembris. Quo accidit, ut sata cœno obruta, germinare nequiuerint, nec arua amplius tractari potuerint, aquis & limō omnia obtinentibus. Attulit intemperies illa ingentem Italiæ famem: iam & pestilentia est simul orta, quæ multo maximam mortalium partem absumsit. Sabel. lib. 5. En. 8.

Anno sal. 589. ITALIA ab Authari Longobardorum rege miserè afflicta, continuis imbribus Octobri mense cœlo effusis, tanta aquarum illuuies Italiam totam inuasit, quantam post antiquum diluuium nulla hominum aut literarum memoria prodidit. Nam exundantibus amnibus non campi solùm passim in stagna conuersi, & uiæ, itineraque confusa sunt, sed tecta etiam subruta, atque homines passim, pecudesque nullo discrimine perierunt. Veronæ Athesis amnis ita creuit, ut aqua ad ędem D. Zenonis perueuerit. Quod ueto pro insigni miraculo S. Gregorius scripsit, Authari ipso rege spectante, aqua apertis templi ianuis irruens, templum tamen ipsum non iniit: & paulatim crescens usque ad fenestras, quæ proximæ tecto erant, euasit. Qui uerò in templo remanserant, cùm elabi inde non possent, aquam tamē ad ianuam templi uenientes hauriebant, neque ab eius impetu aliquid noxæ accipiebant. Ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Athesis sita Oratorium S. Zenonis uocatur. Tēplo ipso incolumi, tamē muri urbis ui aquæ multis in partibus subruti prociderunt. Quin etiam Romę Tyberis exitu Octobris adeò intumuit, ut super mœnia scandens, altiores quoque Vrbis regiones latè omnes obsederit. Itaque non solùm innumerabiles domos subuertit, sed horreis etiā Ecclesiæ deturbatis, frumenti numerum ingentem corrupit. quodq; homines nouo stupore defixit; magna serpentū turba cum ingenti dracone secundo flumine in mare delapsa, quæ pòst salsis fluctibus hausta, & ad litus eiecta, intuentibus omnibus memorabile spectaculū edidit. Sigonius lib. 1. reg. Ital.

In urbe Turonica, imperante Tiberio, populo ante lucem in ecclesiam festinante, cœlo nubilo, cum pluuia globus igneus de cœlo lapsus est, tantam & tam claram lucem de se præbens, ut tanquam in meridie, cùm sol ad cœli medium peruenit, omnia cernerentur. Receptus est hic globus à nube: subsecutæ sunt exundationes aquarum insolitæ. Sequana & Matrona in tantum creuerunt circa urbem Parisiorū LVTETIAM, ut prope eam aliquoties naufragia contingerent. Greg. Turonensis lib. 6. cap. 25.

Imperante Constantinopoli Romano Argyropolo, à mense Octobri imbres quoque ingentes usque ad Martium mensem obtinuerunt, & amnium ac lacuum exundatione ferè omnia animalia necata sunt, ac semina terræ commissa per totam GRÆCIAM perierunt: ideoq; insequenti anno graui est laboratum penuria. Cedrenus.

Sub Theodosio III. Tyberis alueum suum egressus, usque ad pontem Miluiū à Vaticano aquas emisit, magnamq; ROM. urbi cladem intulit septem diebus, cum fœda domorum & animaliū strage. Subsequuta sunt & alia prodigia cœlestia: nam Luna per eos dies tenebrata est à prima ad ter[illegible]m uigiliam noctis, sanguineo colore suffusa. Apparuit & crinita stella terrifico aspectu, cauda ad Arctū obuersa. Quibus terrorib. sæpius est Romę supplicatū Gregorij II. Pōtificis edicto, ad malas has tempestates auertēdas. Cuspin. ex Paulo Diac. lib. 6. c. 12. de gestis Longobardorū. Liber pontificalis. Platina. Ann. Domini 717. Sigeber. & Beda lib. 2. de Tēpore.

Anno Domini 791. ROMÆ Tyberis exundans, portam Flaminiam euertit, & pontem Antonini Pij inter Ianiculum & Auentinum, multaq; urbis ædificia & ornamenta. Platina in uita Adriani. Blondus Decadis 2. lib. 1.

Iustini Magni Imp. anno VII. EDESSA, magna atq; celebris urbs, diluuio Scirti amnis, qui per eam fluit, afflicta est. Maris enim instar ille exundans, domos unà cum inhabitantibus abripuit atq; submersit. Diluuio finito, in ripa amnis inuenta est lapidea tabula, inq; eam inscripta hæc hieroglyphicis literis: Scirtus amnis saltabit malo ciuium (Σκίρτος ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις.) Iustinus multum utriq; urbi ad instaurationem contulit. Cedrenus.

An. 1432. ex niuibus atq; pluuiis Albis in BOEMIA excrescēs, multas cum hominib. uillas consumsit: deinde in Misnia pōtem Dresdensem abrupit, homines & iumēta perdidit. Nec minus Sala intumuit ad urbem Hallensem: muros ascendēs æquauit, imò etiam superauit, ac dulces aquas Salinæ miscuit. In regione Turingorum, supra quadraginta uillæ perierunt. Cranzius lib. 11. Vandaliæ cap. 27.

Anno 1513. ad radices Alpium, quà iter in Heluetios, supra Bellizonam, præaltus mons terræmotu cōcussus, ingenti fragore edito, corruit: totaque ea conuulsarum rupium moles in læuam prolapsa, fauces CONVALLIS, per quam Brennio amnis decurrens Ticino miscebatur, obstruxit. Quo casu stagnare amnis, & nequaquam tanto obice ui undarum prerupto, uallis spacium implere coactus est. Vnde mox in centū ferè stadiorum magnitudinem lacus excrescens, accolarum ædificia ac prædia, antequā annus circumageretur, oppressit. Contraria autē ratione Ticinus desertus ab socio amne, nihil alienis uiribus auctus, qui paulo antè Bellizonæ ponte lapideo & ratibus iungebatur, quum suas tantùm undas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamen aquarum uis post uigesimum mensem, cum uastitate pulcherrimi tractus, & miserabili multorū mortalium interitu, effracta mole prolapsi montis erupit. Iouius lib. 12. Hist.

Byrsecus torrēs BASILEAM adstricto undiq; ædificiis alueo medius interluens grauiter inundauit A. D. 1265. Secutū pòst bellum cruentum inter Henricum episcopum Basiliensem & Rodolfum Comitem Habspurgēsem. Anno 1378. Rhenus ita inundauit, ut in foro piscario lintribus uti cogerentur. Anno 1424. & iterum 1480. Rhenus eo usq; excreuit, ut pontis tria iuga abstulerit, minoris Basileæ mœnia superarit. Anno 1446. Byrsecus in foro piscario sex domos abstulit. Anno 1529. 14 Iunij, onerariæ per forum frumentarium, inundante Byrseco, sine offensa uehebantur. Anno seq. 4. Iulij paulo minor inundatio. Secutum bellum ciuile Heluetiorum. Stumpfius.

Naufragia.

☞ *De his respectu Nauium, quæ corrumpuntur, sub Tit. Paupertatis materialiter considerate. Hic respectu Efficientis, Aquæ nimirum.*

ATHENIENSES semper summo studio nauium classem sibi compararunt: & pro tēporis interuallis nunc uictores, nunc uicti, amiserunt triremes in Aegypto ducentas, unà cum sup-

plementis: in Cypro 150. in Sicilia 240. in Hellesponto 200. Armaturæ grauis milites eis perierunt in Sicilia 40000. in Chæronea 10000. Aelian. de Var. hist. lib. 5.

LACEDÆMONII ad Arginusas ab Atheniẽsibus uicti, naufragio LXXVII naues amisere. Diod. lib. 13.

SICVLVS quidam, cùm ficos naui portans, naufragium fecisset, ac deinde sedens in litore, mare placidum ac tranquillum uideret, ueluti inuitans ad iterandum nauigationem, dixisse fertur, Οἶδ' ὃ θέλεις, σῦκα θέλεις. id est, Noui quid uelis, ficos uis. Erasmus in Adagiis.

SICCITATE.

Vide Titulum Sterilitatis.

Sub Achabo rege ISRAELITARVM toto triennio tanta fuit sterilitas, ut omnes fluuij exarescerent, & iumenta pabuli & aquæ inopia cum hominibus morerentur. Accidit autem ea fames propter Achabi idololatriam, prædicente Elia propheta. 3. Regum 17.

Toto imperij Constantini Romani III. F. tẽpore maxima fuit siccitas per totam GRÆCIAM, exarueruntque etiam fontes perennes & flumina. Cedrenus.

Anno Vrbis 325. T. Quintio Penno Cincinnato, & C. Iulio Mentone Coss. siccitas in ITALIA fuit ingens.

Anno Constantini Copronymi 26. tanta siccitas in THRACIA fuit, ut nec pluuia nec ros de cœlo caderet, & cisternę, lauacra, fontes, & fluuij CONSTANTINOPOLI deficerent, ac necesse haberent Valentiniani aquęductum renouare. Paulus Diaconus, & Sigebertus anno 767.

Anno 4. Michaelis Paphlagonis Imp. totis sex mensibus non pluit: eam siccitatẽ grando ingẽs secuta, arbores cõminuit, & tegulas domorũ VRBIS regiæ. Cùm autem fame laboraretur, Ioannes frater Imperatoris, è Peloponneso & Græcia modiorum frumenti CCCIↃↃↃ coëmit, iisq; miseriæ ciuium opem tulit. Cedrenus.

TERRA. TERRÆMOTVS.

Terræmotus per se ad Theatrum Elementorum pertinet. At respectu damni, quod fortunis infertur, Terra inter Efficientes causas rectè connumeratur. Respectu Mortis hominum ad Corporea referri debet. Respectu Vrbium & Insularum, quæ pereunt, sub Paupertatis acquisitione, secundùm subiectum considerata. Vide Tit. Regiones, Vrbes terræmotu haustæ.

In PITHECVSIS insulis, in Campano sinu, montẽ Epopon, cùm repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planicie ferunt. Item OPPIDVM haustum profundo: alióque motu terræ stagnum emersisse: & alio, prouolutis montibus, insulam extitisse Prochytam. Namq; & hoc modo insulas rerum natura fecit. Auellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem & Macrin, Bresbycum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promõtorio. Plinius libro 3. capite 88.

Olymp. 101. anno quarto, magni in PELOPONNESO terræmotus, ac regionis urbiumque inundationes incredibiles factæ sunt, qualia mala omnibus superioribus seculis nunquam in Græciæ ciuitatibus acciderunt, ut unà cum hominibus urbes funditus abolerentur, diuina quadam ultione eam hominum perniciem ac cladem singularem operante. Auxit uerò mali huius magnitudinem ipsum quoque tempus: non enim diurno tempore terræmotus fiebant, quãdo succurrere sibi ipsis periclitantes potuissent: sed noctu clade ea accidente, domus à terrẽmotus magnitudine disiectæ, super se inuicem ruebant. Homines autem partim propter tenebras, partim ob improuisum & subitum malum, salutis & euadendi uiam quærere sibi non potuerũt. Vnde quàm plurimi ædificiorum ruina præuenti perierunt. Diod. lib. 15. & Pausanias in Achaicis.

Anno 343. sub Constantino Imp. Ariano, NEOCÆSAREA ui terræmotus mari absorpta, ecclesia atq; episcopo tãtùm incolumi: & sequẽti, Rhodus insula penè tota subuersa est: & postero, Dyrrachium totum procubuit, quin etiam Roma per triduũ magno cum periculo tremuit: & duodecim Campaniæ urbes funditus eodem impetu corruerunt. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Anno Domini 364. cùm moreretur Constantius Imp. Mopsucrenis, magno terræmotu bona pars CONSTANTINOPOLIS diruta est. Eutropius lib. 11. Honorius uerò, eodem terræmotu multas etiam Orientis ciuitates esse deiectas affirmat. Nec est dubium, quin Deus tot terrẽmotibus, qui acciderũt sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus filium Dei omnino displicere.

Anno 365. XII. Kal. Augusti propè in toto IMPERIO Rom. paulo post lucis exortũ, crebris lapsis de cœlo fulminibus, tota terra uehementissimo tremore cõcussa est. Mare dispulsum reuolutis fluctibus retro abiit, ita ut pelagi profunditate retecta, pisces humo hærentes cernerentur, ualliumq; & montiũ uastitates radiis solis, quos natura negarat, illustrarẽtur. Multis aũt nauibus per undarum reliquias ad capiendos pisces ultro citroq; uagantib. ecce improuiso antiquas sedes marinæ unda repetiuerunt. Quo facto insulis & porrectis continentis spaciis uiolenter illisæ, innumera ubiq; ædificia proruerunt, & multa hominum millia absumserunt, atque ingentia nauigia partim tectorum in culmina contulerunt, partim longè à litore propulerunt. Quam rem tetigit D. Hieronymus in uita Hilarionis. Sigon. lib. 7. Imp. occid.

Anno secũdo imperij Valẽtiniani, Christi uerò 369. ut annotat Hieronymus in Chronico, & Valentis (ut indicat Socrates lib. 4. c. 3.) terræmotus per totum orbem factus, afflixit multas ciuitates, & mare terminos suos mutauit. Quibusdam enim locis usq; adeò exũdauit, ut loca, quę antea peruia fuerãt, undis oppleuerit: & alia loca ita deseruerit, ut arida sint reperta. Nã SICILIÆ & multarũ insularũ urbes, & innumerabiles populos oppressit. ALEXANDRIÆ mare subindè discedens & recurrens, recursu suo cõsuetos terminos trãsiliit, & prolixo spacio aridam inundauit: ita ut in fastigiis tectorum, post undarum delapsum, scaphæ marinæ sint inuentæ: ac narrat Marcellinus, se unam uetustate corruptã uidisse. Meminit etiam Nazianzenus in oratione funebri Cæsarij fratris, & dicit, Nicæam etiam tum esse concussam, & præter Cæsarium, paucos alios periculo esse liberatos.

Anno nono Constantini Copronymi, terræmotus factus est in SYRIA, & ingens ac terribilis casus. Vnde ciuitatum aliæ quidem penitus exterminatæ sunt, aliæ uerò mediocriter, aliæ aũt à montanis ad subiecta cãpestria cũ muris & habitationib. suis integræ migrauerũt & saluæ, quasi ad milliaria sex, uel etiam modicũ quid ultra. Deniq; asseuerarũt hi, qui propriis oculis terrã Mesopotamiæ contẽplati sunt, in longitudine disrupta fuisse ad milliaria duo, & ex profundo eius ascendisse aliã terram albam & arenosam, de cuius medio ascendit (ut aiunt) animal mulinũ incontaminatum, loquens humana uoce, & prænuncians gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes: quod & factum est. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Romanarum. Sigebertus anno Domini 753. Cedrenus. Nauclerus generatione uigesimasexta, putat hæc translationem imperij ad Francos portendisse.

Cùm Carolus Magnus post inaugurationem uenisset Spoletum, pridie calend. Maij, hora noctis secunda, terræmotus maximus totã ITALIAM grauiter cõmouit, & tectũ de basilica Pauli apostoli cum trabibus deiecit, atq; in quibusdã locis mõtes & urbes subruit, anno imperij Caroli primo. Annales Francorum, & Aimoinus lib. 4. cap. 88. Aliquanto pòst etiam quædã loca circa Rhenum & in Gallia contremuerũt, ac propter hyemis mollitiem & intemperiem pestis passim grassata est. Circa palatiũ Caroli AQVISGRANI, & in uicinis partibus terrẽmotus accidit, quem pestis subsecuta est anno Domini 803. Annales Francorum, & Regino lib. 2.

Anno 1114. tantus uniuersam SYRIAM terræmotus cõcussit, ut multas urbes & oppida infinita dirueret funditùs, maximè autem circa Ciliciam, Isauriam & Cœlesyriam. Nam in Cilicia Mamistrã cum multis oppidis solotenus prostrauit, Maresiamq; deiecit cum suburbanis suis, ita ut quorundam uix etiam restarent uestigia. Quatiebantur turres & mœnia: maioribus ædificiis periculosius ruentibus, fiebat populorum strages infinita, & ciuitates amplissimæ, quasi aggerla pidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus uicẽ prẽstabant sepulcri. Fugiebat plebs mente consternata habitationem urbium, domiciliorum ruinã formidantes: & dum sub dio requiem sperant, timore concussi, somnos interrumpũt, oppressiones, quas uigilantes timuerant, in somnis perpessi. Nec erat hoc tam ingẽs in una tantùm regione periculum, sed usq; ad extremos Orientis fines hæc pestis latè se diffudit. Gul. Tyrius lib. 11. cap. 23.

Anno 1116. terræmotus per dies quadraginta continuos ITALIAM afflixit, ac uilla quadam mota, ad alium procul dissitum transuolauit locum, anno 1117. Ranulfus lib. 7. cap. 15.

Bonifacio VIII. Columnenses crudeliter persequente, tantus repentè terræmotus in ITALIA exortus est, quantus nunquã antea: quo quidẽ multis diebus per interualla plurima durante, ędificia passim corruere. REATE pontifex tũ erat cum tota curia: qui ueritus, ne ruina ædificiorum opprimeretur, casulam quandam ex tabulatis subtilibus, in medio claustro fratrum Prædicatorum, prato admodum lato, ædificari iussit, eoq; in loco aliquãdiu resedit, licet horrida sæuiret hyems. In celebritate namq; sancti Andreę hæc perturbatio exorta est. Apparuit tum quoq; cometes, magnæ alicuius futuræ calamitatis indicium. Platina & Sigeb.

Calisto III. sedente, an. 1456. fœdissima procella mense Augusto magnã Italiæ partẽ, & in primis HETRVRIAM, Venetamq; orã populata est. Inde paucis mẽsibus interiectis magna pars Italiæ horrendo motu terræ concussa est. Multa in Amiterno agro, Apulia, ac toto ferè Apuliæ regno, ædificia corruerunt, alia aut conuulsa, aut parietũ hiatu deformata. Sensit eam cladem Neapolis regni caput, sensit & Capua, utraque urbs ruinis oppressa. Circa Benacum nobilissimum

Italiæ lacum, mons in abruptum descedit. Sab. lib. 6. En. 10.

Anno salutis 1509. decimaquarta Septemb. terræmotus grauissimus diebus decem & octo continuis murũ CONSTANTINOPOLITANÆ urbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adiacentibus domibus disiecit, fossarumq; ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinq; turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, qua leones nutriuntur tanquam in uiuario, destruxit. Cuniculos, qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in urbem euehunt, maximis & laboribus & impensis fabricatos, concussit. Sinus autem maris inter Constantinopolim & Peram uiolẽtia terræmotus adeò intremuit, ut in utramq; ciuitatem mare ultra muros aquã iniiceret. Domus tributaria iuxta muros Constantinopolis in mare tota decidit, ut nullum illic appareret uestigium. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. In Callipoli munitissima arx penitus rupta est, nec ulla domus illic integra mansit. totamq; Græciam ad Danubium usq; hic terræmotus longè lateq; peruagatus est. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominũ interiisse. Mirum hic illud, cùm nceret sepulcrum Mahometi patris Baiazeti, maximis extructum impensis, multæq; Turcorum sacræ ædes, quas sua lingua Meschetas uocant, collaberentur: Christianorum tamẽ templa illæsa manserunt, ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali sensit, præter turrim à Turcis post captam urbem templo in fine ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitata periit. Sed & terræmotu illo calx & cementum, quo beatorum imagines post captiuitatem urbis coopertæ fuerãt, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primùm suo splendori essent redditæ. Cuspinianus.

ANIMATA. PAVPERES facti à

Perdicibus.

ANAPHE insula carebat olim perdicibus. Astypalæus quidam par perdicum intulit: quæ breui tempore ita luxuriarunt, ut præ illarum copia incolæ regionem propè deserere cogerentur. Athenæus lib. 9. c. 20. Eustathius Iliad. α.

Graculis.

In Ionia prodit Apostolius, VENETOS Adriatico mari appositos sub sementis tempus solitos cum graculis depacisci, ut libis obiectis cum maza, quæ illis forent ligmata, semina nõ refoderent omnino, uel legerent: stabantq; illi dictis legibus. Cælius libro 24. capite 4.

Passeribus.

In MEDIA adeò ingens passerum inoleuit copia, iacta absumẽtium semina, ut homines ad alia migrare cogerentur loca. Diodorus Sic. lib. 3. cap. 3.

Leonibus.

Quædam Libyæ VRBES leonum ui ab desertis locis ad eas aduentantium desertæ sunt Diod. lib. 3. cap. 3.

Lupis.

SICYONIORVM ouilia lupi uastarunt tanto [illegible], ut nullus iam ex illis capi fructus posset. Apollo mõstrauit, quo loco aridum quoddam lignum iaceret: cuius corticem carnibus permistum cùm ex eodem oraculo lupis Sicyonij apposuissent, statim illi interemti sunt. Hincque Apollini Lycæo Sicyone in foro templum gratitudinis ergô fuit erectum. Pausanias in Corinthiacis.

Leporibus, Cuniculis.

Cùm in CARPATHIORVM insula lepores non essent, illi curarunt importandos aliunde. Verùm ubi eius animantis magna uis increuisset, ut est mira fœcunditas, fruges insulæ populari cœperunt. Hinc adagium, ὁ Καρπάθιος τὸν λαγών. id est, Carpathius leporem, in eos, qui sibi rem noxiam accerserent.

ASTYPALÆA carebat leporibus olim. Postea, cùm Anaphæus quidam par leporum in insulam intulisset, breui tempore ita excreuerunt, ut sata omnia corrumperent. Itaq; oraculo didicẽre Astypalęi, canes nutriendos esse uenaticos. Intra anni spacium capta fuere leporum sex millia. Athenæus libro nono, capite 20.

Cuniculi plantis uastitatẽ inferunt, & satorum radices esitant, per totam fermè Hispaniam, Massiliam usque. Quin & ipsas perturbant insulas. Nempe GYMNESIARVM insularum incolæ missis aliquando Romam legatis terras nouas petiisse dicuntur, quia cuniculis propter multitudinem obsiste re nequirent. Solent alioqui ex Africa feles syluestres afferre, quas quidem funiculis capistratas intra foramina dimittunt. hæ quos capiunt unguibus extrahunt, aut in summa telluris effugere cogũt, egressos autem capiunt uenatores. Strabo lib. 3. Baleares contra cuniculorum prouentum ab Augusto auxilium militare petierunt, cùm populatis messibus ad famem redacti essent. Plinius libro octauo, capite quinquagesimo quinto.

Muribus.

Cùm urbes quædam TROADIS à muribus infestarentur, incolæ Apollini uota fecerunt. Is mures sagittis suis confecit. Templum igitur ei ædificarunt, & ἀπὸ τῶν σμινθῶν, hoc est à muribus, lingua Phrygum sic appellatis, & oppidum Sminthen, & Apollinem Sminthium dixere, sub cuius pedibus mus iaceret. Alij uerò Crinidẽ sacerdotẽ, cùm domus eius infestaretur à muribus, Apollinis opera liberatũ, Sminthio simulacrum tale constituisse asserunt, hoc est, μυοκτόνον. Eustathius Iliados α. Vide Tit. Oracula intellecta.

E TROADE fugati sunt incolæ, murium agrestium copia. Plin. lib. 10. cap. 65.

In ITALIA murium multitudo syluestrium è terra prodiens, plures solum patrium linquere coegit. Diod. lib 3. cap 3.

CHALCIDENSES, qui incoluerunt Cleonas, Elymnio Athi ciuitate pulsi sunt à muribus: qui omnia illorum bona ita deuorabant, ut neq; ferro parcerent. Heraclides in Polit.

Ranis.

Secunda plaga AEGYPTO diuinitùs per Mosen immissa est, quando uirga sua Aaron tantã ranarũ copiã induxit, ut totam regionẽ infestarent: quas tamen, deprecãte Pharaone, Moses suis precibus ad Deũ enecauit, ita ut in cumulos maximos coaceruatæ, fœtidam reddiderint regionẽ. Exodi 8.

In PÆONIA & DARDANIA olim ranis ita pluit, ut præ multitudine illarum & fœtore nouas sedes quærere fuerint coacti. Eustathius Iliados α.

Eos quos AVTARIOTAS uocant, ranæ è nubibus pro guttis aquæ in terram delapsæ adegerũt, relicta patria ad eam, in qua nunc quoq; resident, oram confugere. Diodorus libro tertio, capite tertio.

ABDERITÆ populi ranarum muriumque multitudine patrium solum relinquere coacti, nouas sibi sedes quæsiuerũt. Sab. lib. 7. Enn. 4.

Cete.

Iustiniano imperante, cetus marinus (quem Porphyrium Byzantini uocant) qui circa annum iam quinquagesimũ, BYZANTINIS & finitimis infestior, nauigia plurima depresserat: dum Delphinos acriùs insectatur, litori Euxini ponti impactus, interfectus est. Cuius magnitudinem cum cura emensi, cubitos in longitudinem triginta, in latitudine 20. esse compererũt: quam illi per cœtus partiti, ut cuique libuit, uel sibi sale conditam seruarunt, uel depasti mox sunt. Procopius lib. 3. belli Gothici.

Serpentibus.

NERVI Scythiæ populi, una ante Darij expeditionem æstate. coacti fuerunt solum uertere, propter serpẽtes. Nam serpentum cùm magna uis ex ipsorum solo est edita, tum maior supernè è locis desertis ingruerat, adeò ut relicto suo solo cum Budinis habitauerint. Herod. lib. 4.

AMYCLARVM ciuitatem Italiæ inter Caietam & Terracinã à serpẽtibus deletam tradunt. Hinc prouerb. natũ, Amyclas perdidit silentium. Fuit ea colonia Laconica. Seruius existimat Laconas Pythagoricæ disciplinæ fuisse sequaces. Quoniam aũt interdixisse creditus est Pythagoras ἐμψυχοφαγεῖν, hoc cõmento, quòd diceret humanas animas in animantiũ corpora demigrare, & ob eam rem prohibuisse, ne quod animal occideretur (quemadmodũ attestatur & Iuuenalis: à cũctis animalib. abstinuit qui Tanquã homine) nefas esse ducebant serpentes, qui ex uicinis paludibus nascebantur, occidere. Quorum tanta increuit multitudo, ut ciuitatem eam deleuerint, teste etiam Plinio. Erasmus in Adagiis.

Scorpionibus, Araneis.

Aethiopibus Acridophagis REGIO adiacet perampla, uarietate pascuorum fertilis, sed deserta, & quæ penitus adiri nequeat. Non tamen hominibus à principio caruit, sed postmodum intempestiua ex pluuia deserta est, multitudinem aranearum scorpionumq; ferente. Tantam enim harum bestiarum excreuisse copiam ferunt, ut morsibus pestiferis incolæ uexati, patriam deserere, & ad alia loca confugere cõpellerentur. Diod. lib. 3. cap. 3.

Citra Cynamolgos Aethiopas latè deserta REGIO est, à scorpionib. & solpugis gente sublata: & à scolopẽdris abactos TRERIENSES, auctor est Theophrastus. Plin. lib. 8. c. 29.

Pediculis.

Tertia AEGYPTI plaga à Domino per Mosen immissa, fuit, quòd uirga sua Aaron, iubente Mose, puluerẽ percussit, qui in pediculos conuersus, homines & bestias miserè afflixit per uniuersum Aegyptum, excepta Gossene, quam incolebant Israelitæ. Quod prodigium cùm Magi imitari non possent, confessi sunt digitum esse Dei. Exodi 8.

Locustis.

Consule Tit. Fames, cuius effectrices causæ sunt interdum depastis frugibus locustæ.

Octaua AEGYPTI plaga locustæ, ui Euri inuectę, per integrũ diem & noctem, ita ut tota Aegyptus iis cooperiretur, &

quicquid à grandine superfuerat consumeretur. Eas tandē rursus uento marino uehementissimo Moses in mare rubrū abripiendas curauit, Pharaone deprecante. Exod.10.

Nuper in hac prouincia IVDEÆ, inquit D. Hieron. in cap. 2. Ioëlis, cùm locustarum agmina uenirent, & aërem, qui inter cœlum & terram est, occuparent, tanto ordine ex dispositione iubentis Dei uolitarūt, ut instar tesserularū, quæ in pauimentis manu artificis collocatę sunt, suū locum tenerent, & ne pūcto quidem (ut ita dicā) uel ungue transuerso declinarent ad alteram.

Maximam fuisse siccitatem à Ianuario usq; ad Septembrem, P. Diaconus lib.4. de gestis Longobardorum, cap.1. refert, circa decimum annum Mauricij Imperatoris. Hanc siccitatem inaudita locustarum multitudo subsecuta est: quę absumtis biennio longè lateq; segetibus, grauissimam ITALIÆ intulerunt famem. Palmerius. Greg. Turonensis lib. 6. Historiarum, cap.44. facit mentionem locustarū, quæ per quinquēnium Carpitaniam prouinciam uastauerint, & postea in aliam prouinciam auolauerint.

CASII montis incolæ precibus à Ioue impetrare solebāt Seleucidum auium aduentum, fruges eorum locustis uastantibus. Plin. lib.10. cap.27.

ACRIDOPHAGI Aethiopiæ populi, deserto contermini, adeò locustarum multitudine ueris tempore, flante Zephyro & Libyco, uexantur, ut ni artificiosè ignibus eas cōburerent, penitùs consumerentur. Diod. Sic. lib.4. cap.3.

ITALIAM ex Africa maximè coortæ locustæ infestant, sæpe populo ad Sibyllina coacto remedia confugere, inopię metu. In CYRENAICA regione lex etiam est, ter anno debellandi eas, primò oua obterendo, deinde fœtum, postremò adultas, desertoris pœna in eum, qui cessauerit. Et in LEMNO insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarū ad magistratus deferant. Graculos quoq; ob id colunt, aduerso uolatu occurrentes earum exitio. Necare & in SYRIA militari imperio coguntur. Plin. lib.11. cap.29.

Prima æstate anni 852. grandiores solito locustæ, pollicem uiri æquantes, ab Oriente externa pabula quæsituræ occiduum solem uersus, tanto stridore pennarū peruolarūt, ut alię alites crederentur, solemq; per quinq; millia passuum obumbrarēt. Dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omniaq; morsu eradentes: cortices quoq; arborum atq; fores tectorum. Centum quinquaginta iugera uno die depastas fuisse memoriæ proditur. Viginti millibus passuū uno die per aera, instructa acie, compositisq; ordinibus ferebantur, terræ incumbentes castra faciebant. Duces cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen, quasi loca oportuna castris capturi. Eadē hora, qua antecursores pridie uenerant, uniuersæ copiæ postridie aderant. Ante ortum solis à loco, cui insederant, non mouebātur, orto sole demū per cohortes suas proficiscebantur. Germani inopię metu ad diuina remedia confugere coacti. Tandem illæ à uento sublatę in Oceanum Belgicum actæ sunt, reiectæq; æstu ad continentem, fœtore corruperunt aerem, unde dira pestilentia subsequuta est. Auentinus lib.4. annalium Boiorum.

Anno Constantini Pogonati octauo, locustæ per SYRIAM & MESOPOTAMIAM agminatim uolitarunt. Paulus Diaconus lib.19. rerum Roman. & Honorius in Chronico.

Anno sexto Romani Argyropoli Imp. cū locustæ aliquandiu ORIENTALES essent depastæ prouincias, coacti sunt incolæ liberos suos diuendere, & in Thraciam migrare. Quibus Imperator terna in singulos numismata largitus est, & domum redire iussit. Interim locustas uentus uehemēs corripuit, inq; Hellespontum abiecit, ubi in litus eiectæ, arenam operuerunt. Altero deinde anno examina locustarum sponte sua reuixerunt, & omnia HELLESPONTI loca infestarunt: cumq; prouinciam Thracensem per integrū triennium depopulata essent, apud Pergamum perierunt. Cedrenus.

Anno Christi DCCCLXXIIII. immensa locustarum multitudo, quæ aliis maior, senis alarum remigiis, uolitabat ab Oriente, cum senis pedibus, ac duobus dentibus durissimis, totā penè deuastauit GALLIAM mense Augusto. Et quod mirum est dictu, tanto ordine uolitauit, præmissis ducibus, qui pridie castra metarentur, ut militaris disciplina in iis animalibus cerneretur. Ea segetes depascendo detondebat, ut nihil reliquū esset. Volitabat diurno itinere, quatuor aut quinque millia passuum. Delata ad mare Britannicum, cùm totam penè terræ superficiem obtegeret, uentorum flatu in profundum delata est & submersa. Sed refusione Oceani in litus reiecta, putredinem aeris ex fœtore peperit. Vnde magna nata est fames, & pestilentia, qua tertia pars hominum fertur absumta. Eodem anno Ludouicus II. Imperator obiit. Cuspinianus ex Sigeberto, Reginonis libro secundo, Othone Phrysingense.

Anno 1535. tanta uis locustarum peruagata est POLONIAM, ut uolantes solis aspectum hominibus adimerent: humi uerò stratæ equorum ungulas crassitudine superarēt: quæ depastæ maturescētes segetes, angustiorem annonam fecere. Cromerus libro duodecimo.

Anno 1475. Siradiensem & Lenciciensem oram atque MASOVIAM locustarum uis ingens ex Vngaria, Morauia & Silesia adueniens, peruagata, non modo segetes atque prata, uerùm etiam arborum frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus inter se nonnunquam, & solis aspectum densitate sua terræ adimentibus. Cromerus lib.28.

Erucis.

Annus 1145. cùm cæteris malis, tum ingēti annonæ caritate insignis fuit, quòd erucæ stirpes ac segetes omnes dira quadā proluuie consumserunt. Eo ipso Eugenius III. Romanos rebellantes domuit, & sacrū bellum Latinis in Oriētem indixit. Sigonius lib.11. regni Ital.

Anno decimoseptimo Alexandri III. Scotorum regis, tanta erucarum per totā SCOTIAM & ANGLIAM uis fuit, ut omnes fructus arborum herbarumq; absumerent, olera ad caules usq; arroderent. Eodem insuper anno tanta inundatio nimio plus solito maris æstu per tempestates alueos excedente, facta est, præsertim Tai & Forthea fluuiorum, ut multas uillas ac pagos prostrauerit, maximamq; cladē tum hominum tum pecorum dederit. H. Boethius lib.13.

Muscis, Insectis, Culicibus.

Quarta AEGYPTI plaga à Domino per Mosen immissa, fuit tanta insectorum uis, ut tota Aegypti regio ab iis deuastaretur, excepta Gossene, quam incolebant Israelitæ. Exod.8.

MYVNTEM Ioniæ oppidum in Asia oppidani olim deserere coacti sunt. Paruus enim fuit in agro Myusio ad mare sinus, quem Mæander fluuius aquarum impetu latè summotis ripis, & oblimato hostio, stagnum reddidit. Exclusis itaque marinis aquis, tanta repentè coorta est è palude culicum uis, ut ea lue uicti homines, rebus omnibus suis, deorum etiam signis asportatis, Miletum migrarint. Pausanias in Achaicis.

Eadem uerò calamitas, quæ Myuntem deleuit, ATARNITIS, qui infra Pergamum sunt, exitio fuit. Idem.

PAVPERTATIS POSSESSIO CONSIDERATA respectu SVBIECTI siue RERVM in genere. PAVPERTAS MVLTIPLEX.

Festus Pompeius admonet, homines exili re tenuiq; fortuna dictos olim Canalicolas, quòd circa canales fori consisterent. Erasmus in Adagiis.

IOBI uiri sanctissimi armenta boum & asinarū latrones Arabes abegerunt, greges cœlestis ignis cum pastoribus deuorauit, camelos Chaldæi ceperunt, filij septē cum tribus filiabus in conuiuio ruina domus oppressi interierunt. Iob 1.

HECALE paupertate nobilis est, cuius meminit Plautus in Cistellaria: Si quidem eris ut uolo, nunquam Hecale fies. Erasmus in Adagiis.

TELEMACHVS Acarnensis, ob paupertatē fabis sæpenumero uictitabat. Hinc Telemachi olla prouerbio locum fecit.

TELENICVS usqueadeò notæ paupertatis fuit, ut Seriphij uerbum inde fixerint, dicantque τηλενικῆσαι pro euacuare. Erasmus in Adagiis.

CONNA tibicen pauperrimus, qui nihil habuit præter oleastrum. Fuit & LYSISTRATVS summæ paupertatis homo, adeò ut prouerbio locum fecerit.

APHER apud Martialem in prouerbiū abiit ob paupertatem.
Quum sis tam pauper, quàm nec miserabilis Apher.

In NESTOREM, Martialis Epigram. lib.11.

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:
Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clauis, nec canis, atq; calix.
Tu tamen affectas Nestor dici atq; uideri
Pauper, & in populo quæris habere locum.
Mentiris, uanoq; tibi blandiris honore:
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

PAV.

PAVPERTATIS POSSESSIO SIMPLEX, RESPECTV SVBIECTI seu RERVM inanimatarum considerata.

PATRIAE AMISSIO. POPVLI è sedibus suis eiecti.

Qui patriam deserere coguntur ui Ignium, Leonum, Serpentum, Ranarum, Murium, Leporum, respectu Iacturæ, quā faciunt, huius sunt loci. De quibus paulo antè inter Efficientes causas Paupertatis egimus.

AMMONITÆ omnes & MOABITÆ, restaurata Hierosolymorum urbe, duce Nehemia, eiecti sunt, ex Domini præcepto. Deut.13. & 2. Esdræ 13.

De PHRYGIIS ac MYSIS prouerbium uulgò iactatum fuit uersibus trimetris,

Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα,
Τὸ δ' ἀφορίζειν χαλεπόν. id est,
Sunt separati Mysiorum termini,
Phrygumq;, sed finire perquàm est arduum.

Nempe quòd hi populi non satis stabiliter tutati sint suas sedes, sed subinde aliunde aliò depulsi, terminos incertos reddiderint. Erasmus in Adagiis.

PARTHI Scytharū exules, solitudines, quæ inter Hircanos & Dacos, itē inter Areos, Margianos & Bactrianos iacent, furtim occuparunt, sermonemq; Scythicū cū Medico admiscere cœperunt: ubi Arsacē multis post temporibus sortiti regē præstantissimum, regnum amplificarunt, à quo cæteri quoque reges Arsacidæ dicti sunt. Bonfinius lib.2. Dec.1.

ENETI clarissima Paphlagonum natio, ex qua Pylæmon fuit, cum quo plurimi ex illis militarunt. Amisso autē duce, post captam Troiam, in Thraciam traiecerunt. Errantes uerò in eam regionem deuenere, quæ nūc Venetia appellatur. Quidam Antenorem dicunt, & eius filios, classis huius participes, in interiore Adriæ recessu constitisse. Atque idcirco minimum non est Enetos defecisse, & nusquam in tota Paphlagonia apparere. Strabo lib.12

Post Herculis obitum filij eius, HERACLIDÆ dicti, apud regem Ceicum in Trachina cōsedere. Eurystheus imperio Mycenarū metuēs, Ceico, nisi & Heraclidas & Licymnij filios, Iolaū insuper, ac oēs Arcades qui cū Hercule militassent, eijceret, bellū indixit. At ipsi Eurystheo impares uiribus, decreuerunt sponte Trachinā relinquere. Adeūtes multas urbes, quæ præclaræ erant, rogitantesq; ut se in urbē reciperēt, cæteris timore recusantibus, à solis Atheniensib. suscepti sunt, Tricorytho illis urbe, quæ Tetrapolis nominatur, ad habitādū concessa. Cùm adoleuissent, Eurystheus eorū incremento inuidēs, magno exercitu aduersus illos profectus est. Heraclidæ Atheniensiū pręsidio fulti, Iolaū, Theseum, Hilumq; duces belli constituerūt, & acie Eurystheū superarunt. Ipse curru fugiens, ab Hilo Herculis filio occisus est. Filij quoq; Eurysthei in ea pugna oēs cecidere. Heraclidæ post Eurystheū mutuo cōsilio auxilioq; aduersus Peloponnesum duce Iolao mouerunt bellū. Atreus post Eurysthei obitū capto Mycenarū regno, ascitisq; Tegeatis, ac quibusdā aliis belli sociis, Herculis filiis occurrit. Apud Isthmū cùm utriq; exercitus conuenissent, Hilus hostē, quicunq; is esset, ad certamē ea conditione prouocauit, ut si ipse uicisset, Eurysthei regnū filiis Herculis cederet: si uerò occubuisset, Heraclidę in Peloponnesum, intra annos quinquaginta nō redirent. Descēdit in certamen Echemus rex Tegeatarū, occisoq; Hilo Heraclidæ ex fœdere ab expeditione destiterunt, Corinthumq; reuersi sunt. Paulo pòst Licymnius cum filiis Herculis ac Tlepolemo apud Argiuos sponte illos suscipientes mansit. Reliqui qui in Tricorytho resederant, decursis ex pacto annis in Peloponnesum transierunt. Diod. lib.4. cap.4.

Adrastus Argiuorū rex POLYNICEM ab Eteocle fratre pulsum, generum suum, in regnum restituiturus, magnis nixus copiis, re infecta discedere coactus, cùm è septem ducibus solus ipse superesset. Post bellum uerò Troianum Epigoni, hoc est, posteri eorū, qui ad Thebas superiore bello uel militarant uel perierāt, duce Alcmæone Amphiarai F. THEBANOS eo prætextu adorti, quòd cū cæteris Græcis ad Troiam non militassent, ingenti uictos prælio eò desperationis compulere, ut Tiresiæ uaticinium secuti, urbem clàm reliquerint. In Tilphoseam Bœotiæ regionem egressi, Dorienses suis eiecere sedibus. Sabell. lib.7. Enn.

E Troiano excidio Antenorē euasisse existimāt, propter hospitalitatem quam cum Menelao habebat. Vnde Sophocles in captiuitate Ilij dicit, pardalin ante Antenoris ianuā positam fuisse, signū, ut eius domus intacta relinqueretur. Hinc ANTENOREM ac filios eius cū Enetis ex Paphlagonia profectos in Thraciā seruatos tradunt: inde circa Adriā in eā partem uenisse, quæ nunc Enetia nominatur. AENEAM ob odium erga Priamū seruatum, cum patre Anchise & Ascanio filio multis comitantib. enauigasse. Alij eum dicūt circa Macedoniā Olympū habitasse, alij circa Mantineam in Arcadia Capuas condidisse, & à Capy quodā urbi nomen imposuisse: alij in Siciliam Aegestam profectum, cum Elymno Troiano Erycem & Lilybæum occupasse, & fluuios circa Aegestā appellasse Scamandrum & Simoentem. Inde in Latiū profectū, ibi permansisse, responso quodā iubente, in eo loco sibi permanendū esse, ubi mensas ederet: quod in Latio prope Lauiniā accidit. Ibi enim ingens panis pro mēsa per imprudentiā appositus, cū carnibus, qui super eo erāt, absumtus est. Strabo lib.13. Inde Romani oriundi, hinc Veneti, uterq; populus ad splendorem & gloriam natus. Felix ille magnitudine imperij & rerum gestarum gloria: hic diuturnitate imperandi, & iuris æquatione. Sabell. lib.7. En.1.

Quum Mæonia quondam agrorum sterilitate premeretur, neque alimentis sufficeret, eaq; uictus caritas foret, ut patrias sedes relinquere cogerentur: Lydorum rex, superante multitudine, dimidiam populi partem sedibus excitā ad nouas sedes quærendas TYRRHENO filio tradere coactus fuit. Cui prodigium factum est, ut ab ineunte pueritia incanuisse tradatur. Qui nauibus mare ingressi, pulsis Vmbris, armata iuuentute loca tenuere, ubi nunc Tyrrhenia dicta est. Eos etiam Thuscos, à Thusco rege, qui ex prognatis Herculis, seu cultu deorum, & ritu sacrifico, cuius cultores Thyoscos Gręci uocant, dictos pleriq; autumant. Alexander lib. 3. cap. 28. Vide Titulum, Fames memorabiles.

TEII Iones, cùm illorū urbē Harpagus Cyri regis dux admotis aggeribus cepisset, omnes conscensis nauibus traiecerūt in Thraciam: ibiq; urbem cōdiderunt Abdera, cuius fundamenta iecerat prius Timesias Clazomenius. Herod. lib.1.

Argiui Eratum regem suum secuti, obsessum uenére Asinen oppidum. ASINÆI aliquandiu de muris hostium impetum sustinuerunt, ac de Argiuis cùm alios, tum Lysistratum bellica uirtute clarissimum cæciderunt. Occupata tandem muri parte, uxoribus ac liberis clàm in nauem impositis, urbe & agro cessere. Argiui oppidum solo ęquarunt, agrum finibus suis addidere. Pausanias in Corinth.

AEGINETARVM opes olim tantæ fuerunt, ut naualibus copiis Atheniensibus ipsis ferè fuerint potentiores, & Persico quidem bello secundùm Athenięses maximum nauium numerum dedere. Verùm non multo pòst eiecti sedibus suis ab Atheniensibus, Thyream ab Lacedæmoniis acceptam in Argiuorum finibus incoluerunt. Insulam tamen oppressis ad Hellespontum Atheniensium triremibus receperunt: ad pristinas uerò opes atq; copias nunquam licitum est aspirare. Pausanias in Corinth.

Dædalum persequens Minos Cretensium rex, in Sicilia ad Camicum interfectus est. CRETENSES regis cædem ulturi, iubēte oraculo, omnes (exceptis Polichnitanis atq; Præsijs) cum magna classe Camicū quinquēnio, sed frustra, obsederunt. Domum redituri, naufragio ad Iapygiā facto, illic subsidentes, urbem Hyriam condiderunt, & pro Cretensibus Iapyges Messapij dicti sunt. In Cretam desolatam Græci immigrarunt. Tertia demum post Minoem ætate Cretenses cum Græcis ad Troiam profecti, ea euersa domum reuersi, unà cum suis ouibus fame pestilentiaq; euersi fuere. Et sic iterū desolata Creta, à tertiis Cretensibus habitabatur tempore Herodoti, qui libro septimo hæc scribit.

PHOCENSES cùm ab Harpago Cyri regis Persarū duce obsiderentur, naues cum uxoribus & liberis, opibusq; uniuersis conscenderunt, & in Corsicam abierunt. Harpagus desertam Phoceam occupauit. Quinetiam communi consilio sese mutuis execrationibus deuouerunt: & ferream massam candentem in mare demergentes, iuramēto confirmarunt, non priùs se de repetenda patria cogitaturos, quàm massa illa uadis imis leuata supernataret. Herod. lib.1.

MESSENII bello Messenico secundo, ad Fossam magnā ingenti clade uicti à Lacedæmoniis, proditione Aristocratis regis Arcadum, relictis oppidis à mari longius distantibus in Erā montē sese receperunt, duce Aristomene, & in eo castello per XI. annos obsidionē tolerarūt. Ea expugnata proditione bubulci cuiusdā, anno primo Olymp. 28. Aristomenes cū reliquiis ad Lycæū montē fugit, & ab Arcadib. benignè susceptus est. Cæteri Messenij in seruitutē à Laconibus rapti, pręter eos, qui ad Cyllenē conuenerūt, & duce Gorgo Aristomenis filio in Italiā ab Anaxila Rhegij tyranno uocati migrarunt, & Zanclē Siciliæ urbem occuparunt, eamque Messenē appellarunt. Pausanias in Messenicis & Laconicis.

Bello Peloponnesiaco, ab Atheniensibus accusati DELII, quòd occultam cum Lacedęmoniis societatem iniissent, eorumq; clàm partes sequerentur, ex insula soloq; patrio eiecti sunt omnes, urbemq; ipsi incolis repleuere. Deliis expulsis uagisq;, Pharnaces satrapa urbem Adramytium tribuit habitandam. Diodorus lib.12.

Obsidentibus GELAM Carthaginēsibus, Dionysius tyrãnus, qui subsidio uenerat, urbem relinquendam persuasit. Itaq; sub uesperam præconem ad hostes misit, postulaturum in crastinã diem inducias pro mortuis legendis. Tum prima noctis uigilia turbam omnem ex urbe commigrare fecit. Ipse circiter noctis medium copiis eductis inde discessit, relictis ibidem leuis armaturæ militum circiter duobus millibus, quos iussit totam noctem ignes passim per urbem incendere, uoces in diuersa loca iactare crebras, uariosque strepitus edere, quibus signis hosti fides fieret adesse ibi copias omnes. Hi iussa secuti, simul ac dies illucescere cœpit, inde raptim ad Dionysium euolarunt. Carthaginenses comperta re, copias extemplò intra mœnia inducunt, moxq; per domicilia prædam scrutabundi sparguntur: quicquid ibi reliqui nacti sunt diripiunt. Dionysius interea CAMARINAM profectus, ciues eius loci itidem coëgit omnes cũ uxorib. & liberis Syracusas migrare. Nam Selinuntis, Himeræ & Acragantis excidium adeò perterrefecerant omnes, ut iam sibi quisq; fingeret & cernere uideretur inexorabilem Carthaginensium feritatem sine more sæuientem. Diod. lib. 13.

AGRIGENTINI ab Himilcone Carthaginense obsessi, cùm ab initio alimenta more suo profunderēt, Dexippo Lacedæmonio (qui XIII. talentis ab hoste corruptus fuerat) conniuente, ad tantam penuriam deuenere, ut (dictu miserum) omnes cum liberis & uxoribus octauo mense obsidionis nocturelictis in urbe amplissimis opibus Gelam confugerint, præclarè secũ agi arbitrati, corpora ab hostibus tuta seruare. Relicti senes miseri, & ægroti hostium crudelitati. Fuere plerique, qui emigrationi mortem anteponentes, manus sibimet ipsis iniecere, dulcius iudicantes cum patria cadendo, inter lares suos, & tecta parentum spiritum effundere. Himilco cum copiis intra mœnia irrumpens, cũctos fermè ibi deprehensos trucidauit, eos quoq; qui ad aras intra templa confugerant, templa spoliata incendit. Et sic urbs non Siciliæ modò, sed totius Græciæ opulentissima, nullis antea hostium uiribus oppressa, à CC. millibus hominum habitata, interiit, circa Olym. 94. Diod. Sic. lib. 13.

POLA Istriæ urbs priscum est Colchorum ædificium, qui aduersus Medeam missi fuerant. At uotorum impotes, & fugæ desperatione solliciti, suo sermone Polam appellauere locum, quasi exulum patriam. Vti Callimachus commemorat. Strabo lib. 5.

☞ REGIONES VEL

Submersæ.

☞ *Vide Tit. Inundationum.*

Cùm Stymphaliæ Dianæ solenne sacrum ab ARCADIBVS indiligentiùs omni ex parte factum esset, ac in primis patrij ritus prætermissi, lucus repēte supra eam cauernã irruit, quã subter Stymphalus amnis meat. Obsepto igitur ostio aqua refluens latè omnē campũ haud minus stadiũ CCCC perpetuo stagno occupauit. Quæ tamen palus uno die postmodum siccata traditur, & sacrũ Dianæ apparatius & magnificentius factum. Pausanias in Arcadicis.

Natura in totum abstulit terras, primùm omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spacio. Mox interno, quæ uidemus hodie, mersam ACARNANIAM Ambracio sinu, ACHAIAM Corinthio, EVROPAM Asiamq; Propontide & Ponto. Ad hoc perrupit mare LEVCADA, ANTHIRRHIVM, HELLESPONTVM, BOSPHOROS duos. Plinius lib. 2. cap. 90.

AMBRONES Galliæ populi, quũ subita maris inundatione sedes suas amisissēt, animũ rapinis adiecerũt, & latrociniis.

LIBETHRII Macedones à Sue amne deleti una nocte, iuxta oraculũ Liberi patris, Cùm primùm Orphei ossa, nõ procul inde sepulta, sol aspexisset, à Sue urbē deletũ iri. Cùm enim pastor quidã meridie recubans fessus ad Orphei tumulum obdormiuisset, & in somnis uersus Orphei magna & suaui uoce decãtasset, uicini pastores & agricolę hoc audiētes, ad eum accurrunt turmatim, & dum quisq; ad pastorē propius certat accedere, columnã euertũt. Ea ruente fracta est urna: quo factũ, ut Orphei ossa sol aspiceret. Sequēti igitur proximè nocte Sus amnis Libethriorum muros deiecit, sacras & profanas ædes euertit, homines ipsos & animalia cuncta, quæ intra muros fuerant, extinxit. Pausanias in Bœoticis.

Circa an. sal. 1421. in HOLLANDIA atq; ZELANDIA, maris inundationes, urbes & agros subuerterunt. Dordracũ insignis urbs magna sui parte periclitata: uicini agri & parochię sedecim ita cũ populo absorptę perierũt, ut nulla sit reliqua spes recuperandarũ. Laceræ cernuntur reliquiæ, decursu maris undas retrahente per uices. Cranzius lib. 11 Saxoniæ c. 8.

Anno 1530. extremæ terrarũ in BELGIS regiones, quæ Gessoriaco litori incũbunt, repētina atq; inusitata prorumpentis Oceani inundatione summã cladē subierunt: qua nobiles paulo antè urbes, frequētissimaq; oppida superfundente sese mari periere: usq; adeò miserabili calamitate, ut infinita propè mortaliũ multitudo intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nam horribili prodigiosoq;, sicuti cõiectari licuit, terræmotu cõcussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, ut institutos antiquitùs, & perpetua custodiæ diligentia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quib. submoueri arceriq; æstuãtis maris fluctus consueuerant, cõcitato quodã & uehemētissimo incursu perrũperet, interiorisq; plagæ terris altissimarũ & reciprocantiũ undarũ pelagus per transcensos margines effunderet: animãtiaq; subinde omnis generis, irrito receptus cursu in aridas litoris partes perfugere conãtia, ocyssimè mergerētur: quibus lõgo natatu fessis & fame morientib. marinæ belluæ nõ dubio pauore attonitę, impulsaq; fluctib. contritorũ pisciũ agmina succedebant. Prænunciarãt hanc cladē triduo antè densissimi imbres, diraq; tonitrua scintillantis aeris, & crebra motatio telluris, perpetuoq; biduo concursantiũ inter se uentorũ diuersi turbines, ita horribili pauore concussis mortaliũ mentibus, ut quũ tecta nutarēt, & ingruēte ineuitabili aquarũ mole, colluctantib. scilicet elementis, tota uniuersi orbis cõpages resoluta, in antiquũ chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas lõgè maxima incidit Caneniphatũ & BATAVORVM insulis, quę Selandę & Holãdæ à nostris hodie nuncupãtur. Nã præter eas, quę inundãtis maris impetu multorũ cubitorũ altitudine penitus submersæ fuerãt, Alendebucha quoq; & Harles, & Exclusę, clara oppida, ita fluctib. oppressa deuorataq; sunt, ut uix sacrarũ turriũ & templorũ fastigia extarent, quæ horribili æquè & sæpe metuēda excidij memoria cladē testarentur. Sed Nonæ Nouēbres tantis malis finē attulerunt, quũ postridie Kalendas sereno (quod mirũ fuit) cœlo, sed mox portentosum in modũ ab repentina effusi imbris, & certantiũ inter se uentorũ procella cõmutato, dira ea tempestas accidisset: tãta admiratione mortaliũ, ut nulla ab orbe condito maior & grauior ullis gentib. clades, post diluuiũ Mosaicis literis celebratũ, incidisse crederetur. Nec multo pòst sequēti mense Ianuario, par propè exitij clades LVSITANIS, in ipsis proculdubiò uiscerib. terrę furēte debacchanteq; Aeolo, illata est, cuius impetu urbs Vlyssipo in primis incõparabile detrimentũ sensit: & post eam coloniam, Sanctæ arenæ, & Azembugeræ, Almeriniq; urbium publica priuataq; ædificia, inusitato terræmotu conquassata proscissaq; magnã uim mortaliũ ruinis oppressere, & nõnulla etiã nauigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt: sic ut Tagus insanis illidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in utranq; ripã suis undis, sicca in medio uada obstupentibus cunctis ostenderet: nemoq; iam tota propè Lusitania tectis suis confideret, sublulante scilicet solo, ideoq; nõ citò desiturã terræmotus uim ita pra monstrante, ut regis & reginæ exemplum sequuti uniuersi ferè incolæ, tabernacula apertis in locis castrensi more erigere cogerētur: neq; in his tamen soluti metu pernoctarent, quum repētinum aliquem terræ hiatum, quo absorberi possent, non temerè extimescēdum arbitrarentur. Iouius lib. 29 Hist.

Terræmotu afflictæ.

ARGIS extat Neptuni Proselystij, id est inũdatoris, templum. Diluisse enim maximam partem agri eo tēpore Neptunum memorant, quo Inachus, quique ei in consilio adfuerunt, terram eam Iunonis esse debere pronunciarunt. At deinde cùm Iuno exorasset, ut mare deduceret, per quem locũ unda refluxit, ibi Proselystio Neptuno templum Argiui erexerunt. Pausanias in Corinth.

Tota LYDIA, quę circa Mæandrum, terræmotibus & exustionib. obnoxia. Hinc fortasse fluuius flexuosus redditus, cùm propter terram putrē & salsuginosam copiosum limum deducat, & alueũ sæpe mutet, mari limũ ipsum retrudēte. Itaq; Pryene quæ priùs ad mare erat, limi aggestione mediterranea facta est ad stadia CCL. Philadelphia certè, Laodicea & Apamia sæpe terręmotibus concussæ sunt. Proinde Neptunum colunt, quamuis mediterranei sint. Strabo lib. 12.

Dum apud Actium M. Antonius conflictatur cum Cæsare, septimo regni Herodis anno IVDÆA terra, quali nunquam antè motu concussa, magnam per totam eam regionem iacturam fecit pecudum: quin & hominum oppressa sunt ruinis circiter decem millia: militaris tamen multitudo nihil detrimenti accepit, utpote sub dio agitans. Iosephus libro 15. capite septimo Antiq.

Ann. sal. 746. Imperij Cõstãtini Copronymi sexto, mēse Ianuario, terra Syria maximo tremore quassata est, quo templa ac monasteria pleraq; corruerunt, ac ruinis multa hominũ millia elisa sunt. Sigonius lib. 3. regni Ital.

Anno 1258. terræmotus uehemens POLONIAM concussit, & animos hominum propter raritatem rei, non metu tantùm, uerùm etiam religione impleuit: uelut magnorum malorũ, quæ mox consecuta sunt, prodigium. Nam & ciuilibus bellis mox agitata, & Tartarorum excursionibus afflicta est. Cromerus libro nono.

Anno Christi 1200. ad quintũ Nonarum Maij, terræmotus uehemens meridiano tempore excitatus, aliquot diebus consequentibus permulta ædificia in POLONIA & in uicinia eius conquassauit. Quæ res inaudita propemodum in his regionibus, prodigij loco habita est. Bella ciuilia inter Miecislaum Seniorem & Lescum Album eius nepotem redintegrata, nec multo pòst horrendã Tartarorum incursio. Cromerus lib. 7.

Ab hostibus uastatæ.

☞ *Vide Tit. Populi suis exacti sedibus. Illic Patriæ habetur ratio, hic Regionis amissæ.*

IVDÆA tota annis 70. uasta & inculta iacuit, abductis primũ à Nabucodonosoro optimis quibusq;, relictis tantùm pro agro colendo ignauissimis, quibus præfecit Godoliã. Quo ab Ismaele interfecto, Ioannes dux cum omnibus in Aegyptũ cõfugit. Vbi post quinquenniũ subacta Aegypto, Babylonem omnes abducti sunt. Iosephus lib. 10. cap. 11. Antiq.

Archidamus dux Lacedæmoniorum, maximis copiis impressionem fecit in Atticam, eamque decem annis diuexauit. Grauissimam autem noxã inflixit ACHARNENSIBVS, succisis omnibus arboribus, ut testatur & Synesius in Encomio Caluitij. Proinde cùm funditus tollerentur omnia, bellum Archidamicum dicebatur. Erasmus in Adagiis.

Gothi duce Athaulfo post direptã urbem Romam per Latiũ, VOLSCOS, CAMPANIAM, Calabros, Salentinos, Apulos, Brutios, longè & latè sparsi uagantes, & uelut ingens quædam calamitas uastantes uniuersa, Consentiam uenerunt. Post quadraginta annos Gensericus cum Vandalis & Mauris, capta Roma, totum Campaniæ tractum populatus est, Nolamq; miserabili ruina diruit. Paulus Diaconus.

Sub Augusto & Tiberio Impp. ob bella regio LACONICA propè erat desolata, uetusti status comparatione, qui tam præclari populi multitudine olim floruerat. (Nam præter Spartam exilia quædam numero circiter XXX. restabãt oppidula) Priscis annis centum præerat urbibus, & ob id Hecatompolis uocata. Inde quotannis per eos boues cētenos immolari consuetum fuerat. quod sacrum Hecatombas appellabant. Strabo lib. 8.

PANNONIA ante Valentis imperium à Vandalis, mox à Gothis, deinde usque ad Martianum Imperatorem ab Hunnis habitata: post Atilæ uerò mortem à Gothis, siue Ostrogothis recuperata, teste Procopio & Iornande: deinde uerò circa Iustiniani tēpora à Longobardis subacta: & post quadraginta duos annos ab his ipsis, in Italiam populariter cõmigrãtibus, sub pacto Hunnis relicta, Paulo Diacono teste.

Hungari audita Arnulphi Imp. morte, qui eorum opera cõtra Zuendebaldum Marahensium regem fuerat usus, magno collecto exercitu, Ludouicum regem Arnulphi F. despicientes, Marauonorum sedes, quos olim debellauerant, occuparũt, & in BAIOARIORVM fines irrumpentes, ecclesias igne deuastarunt, interfectorum sanguinem potarunt: Ludouicum IIII. regem magna strage ad Lycum fluuiũ profligarunt. Ea uictoria elati, Bauarorum, Sueuorum, Francorum, Saxonum urbes peruagati, cædibus, rapinis, incendiis omnia miscuerunt, prædam preciosissimam ac captiuos innumeros abduxerunt. Paucis interiectis annis, Italiam Longobardiamq; inuaserunt. Cuspinianus.

Sub Lothario Imp. Normanni Britannicum mare occupantes, Ligeris fluuij ostia ingressi, repentina irruptione loca adiacentia cędibus, igne ac rapinis populati sunt. Erant ij Danis finitimi, Oceani accolæ, reliquiæ gentium Septentrionaliũ, quas Carolus Magnus deuicit, piraticam exercentes, oræ tantùm maritimæ infesti, qui ad primum Francorum occursum refugiebant. Sed tamen FRANCIAM continuo latrocinio adeò infestarunt, ut sub nullo alio hoste tantum afflictaretur. Lutetiam ingenti præda spoliantes, primùm dulcedine spolij allecti, reuersi sunt. Nanetes inuadunt sabbato S. Paschæ, & episcopum cum clero sacris intentũ obtruncãt. Dehinc Andegauum diripiunt, ac Turonensem urbem fuga ciuium desertam spoliant. Templum S. Martini incēdio defœdant, abductis omnibus quæ agi ferriq; poterant: morati diutius non ausi, aduentante cum exercitu Carolo Caluo rege, cuius hoc erat ea tempestate regnũ. Cuspinianus. Tandem cùm annis 20. Franciã uexassent, in patriã suam reuersi sunt: & in sese inuicē mutuis cædibus adeò sæuierunt, ut de regia stirpe tantũ unus puer permanserit superstes. Sigebert.

Vastata à Tartaris VNGARIA, Bela IIII. rex post illorum discessum naufragij tabulas recolligens, plurimos iam semiferos in syluis, in quas fugerant, reperit. Quinetiam equi domino carentes, liberè uagati, syluestres facti sunt: quo quidem genere Carpathij adhuc montes abundant, iubati pedumtenus. Bonfinius libro 8. Dec. 2.

Tartari Russia uastata, POLONIAM anno Christi 1240. miserè depopulati sunt. Cromerus lib. 8.

Cùm Valdemarus Danorũ rex SCLAVORVM urbē Cozcoã diripuisset, & Sclauos in paludes confugientes cepisset, integri armentorum greges à militibus abacti sunt, regio tota usque adeò incendiis uastata, ut hirundines quoque tectis, quibus habitare consueuerant, orbatæ, gubernaculis nauium atq; proris, fœtũ procreaturę, nidos affigerent, domiciliorum usum ab hostibus mutuantes. Saxo lib. 14.

Ab animalibus uastatæ.

☞ *De his inter Efficientes causas Paupertatis superiore loco egimus.*

Desertæ. Cultoribus uiduatæ.

☞ *Vide Tit. Gentis excidium.*

Snione Danis imperante, fame cogēte, tertiam partem populi sorte ducta aliò migrare cõtigit. Interea DANIA regio rarescente cultorum opera, syluestrem induit uultum, & informi succrescentium nemorum densitate perhorruit. Quod præsens quoque camporum eius facies prodit. Quæ enim olim feracia frugum iugera fuerant, eadem nunc arboreo stipite conserta uisuntur. Atque ubi olim cultores terram altius uersantes uastas dissipauere glebas, illic nunc enatum nemus seruantia adhuc ueteris culturæ uestigium rura complectitur. Quæ nisi cultore uacua ac diuturno situ uasta mãsissent, nequaquam unius ruris glebam inter factos aratro sulcos, tenacesq; arborum radices partiri potuissent. Colles enim nunc syluæ, in plano humandorum cadauerum cura olim extructos, occupant. Cernere etiam est crebros petrarum aceruos syluarum saltibus intersitos, quas toto quondam rure dispersas, ne proscindendis ubiq; sulcis officerēt, cõiectis in struē molibus rustica cura collegerat. Saxo lib. 8.

☞ INSVLAE

Submersæ.

CHRYSE insula fuit, in quam è Lemno modicus erat nauigationis cursus. Ibi olim Philoctetes à serpentis ictu grauiter laborasse dicitur. Eam insulam æstus alluuies ad ima maris depressam aboleuit. Alia uerò, cui nunc HIERA nomen, tunc emersit, cùm antè nulla omnino fuisset in eo loco insula. Pausanias in Arcadicis.

Terræmotu concussæ.

In Phœnice facto terræmotu, Sidonis pars dimidia corruit. Idem in Syriam totam peruenit malum, & in insulas quasdam CYCLADAS, & in EVBŒAM, adeò ut Arethusæ (qui in Chalcide fons est) occlusus fuerit ortus, permultis post diebus alio scaturiens ore. Nec antè conquassari desiere multę insulæ partes, quàm in Lelanto campo, aperto telluris hiatu, ignitum fluuium euomuit. Strabo lib. 1.

EVBOEA insula terræmotibus facilè concutitur, præsertim in ora Euripo uicina, subterraneas uentorum agitationes admittēs, qualiter & Bœotia. Ob talem casum etiam eo nomine, quo insula, oppidum absorptum fuisse uulgatur. Cuius Aeschylus in Pontio Glauco meminit. Strabo lib. 10.

DELOS insula semel tantùm terræmotu concussa est, quando Datis Medus cum exercitu Persico, Darij iussu, contra Græcos profectus, in Delo 300. thuris libras supra aram adoleuit. Statim enim ab illius discessu insula tremuit, portentum omnium malorum, quæ Græciæ postea sub Dario Hystaspis, Xerxe Darij, & Artaxerxe Xerxis F. contigerunt. Nam tribus his ætatibus plus mali passa est, quàm 20. aliis præcedentibus, ut non ab re Delos commota sit, prius immobilis, ut & oraculum præmonuerat:

> Et Delon, quamuis sit adhuc immota, mouebo.

Herodotus libro sexto.

Circa annum 15. imperij Anastasij, cùm Vitalianus Thrax rebellaret, RHODOS uehementi & graui terræmotu concussa est tribus uicibus, & quidem intempesta nocte. Euagrius lib. 3. cap. 43. Cuspinianus in Consulibus refert terræmotum factum noctu ante cantũ gallorum, VII. Idus Iunij: ac Laodiceam, Hierapolim, Tripolim atque Agathium urbes, uno tempore unoque terræmotu corruisse.

Anno sexto imperij Constantini, Leonis IV. F. Aprili, nocturno tempore, SICILIA & CRETA terræmotu horribili cõquassatæ fuere. Paulo pòst in Maio similem concussionem sensit Constantinopolis.

Anno 1171. pridie Nonas Februarias, SICILIA tetro adeò terræmotu est agitata, ut ruinarũ strepitũ Calabri quoq; procul audiuerint. Catanę tecta omnia ad unũ procubuerũt, ac quindecim hominũ millia cũ episcopo & monachis, uariis casibus ædificiorũ oppressa sunt: in agro uerò castra subuersa. Leontium quoq; eodē tremore labefactatum. Multis in locis terra dehiscens, ut nouos fontes aperuit, sic ueteres nonnullos obstruxit. Mons Aetna aliqua ex parte uisus est subsedisse. Syracusis fons Arethusę, ueterum poetarũ carminib. nobilis, ex liquido turbulentus effectus, saporē salsum multa maris admistione contraxit. Taius uerò, qui de crepidine mõtis iuxta Casale Saracenorũ manabat, per duas propè horas aquas cõtinuit, deinde per unã sanguine fluxit. Messanę mare primũ lõgè recessit, deinde paulatim accedēs in eã se altitudinē extulit, ut portas urbis inierit. Sigon. l. 14. reg. Ital.

VRBES NVLLAE.

Σκυθῶν ἐρημία. id est, SCYTHARVM solitudo, in prouerbium abiit, apud Aristophanem ἐν ἀχαρνεῦσι,

Ἐξολέσθαι συμπαλακῆναι τῇ σκυθῶν ἐρημίᾳ.

Impeditum deperire Scythicæ solitudini.

Commentator indicat prouerbiũ dici solitũ de ingenti solitudine, quòd Scythæ nullis certis sedibus utantur, sed uagi ferantur in plaustris: eamque ob causam regio feris abundet. Apud Q. Curtium libro septimo, Scytharum legatus ad hunc loquitur modum: Scytharum solitudines Græcis etiã prouerbiis audio eludi. Nos deserta & humano cultu uacua magis quàm urbes & opulentos agros sequimur. Erasmus in Adagiis.

VRBIVM AFFLICTIO respectu

PASSIONIS. VTPVTA

Deletæ penitus.

BABYLONEM olim orbis dominam funditùs euersam suo tempore D. Hieron. testatur inquiẽs: Didicimus à quodam fratre Elamita, qui de finibus Babyloniæ egrediens, nunc Hierosolymis uitam exigit monachorũ, uenationes regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum eius tãtùm ambitu coerceri. com. lib. 5. in Esaiam, cap. 13.

HELIOPOLIS urbs, quæ uocabatur Oniæ sacerdotis, qui illic templum extruxerat simile Hierosolymitano, quod permansit usq; ad imperium Vespasiani, annis ducentis quinquaginta, dimicantibus postea aduersus Romanos Iudæis, ad solum usq; deleta est, & neque urbis, neq; templi ullum restat uestigium. Hieronymus in Danielis cap. 11.

MYCENÆ, quæ urbs Troicis temporibus Græciæ cunctę imperabat, & regia Assyriorum NINVS, funditus deletæ sunt: in Bœotia uerò THEBÆ, quæ sibi olim Græciæ principatum uindicabant, ad arcem iam unam, & non ita multos incolas redactæ, uetus nomen uix dum seruãt. Iam uerò quæ cunctas urbes opum magnitudine antecellebant Aegyptiæ THEBÆ, & Minyarum ORCHOMENVS, ne permediocres quidẽ nunc priuati hominis fortunas adæquant. DELOS cõmune olim Græcorũ conciliabulum, tãtopere iam deserta est, ut præsidio templi amoto, quod Atheniẽses mittunt, hominibus, si Delios tantùm numeres, prorsus orbata sit. BABYLON omniũ, quas unquã Sol aspexit, urbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet. Quod ipsum & de TIRYNTHE Argolica urbe euenit. Pausanias in Arcad.

Cleomenes Leonidæ filius, Lacedæmoniorum rex, Arcadiæ metropolim MEGALOPOLIN fœderis religione neglecta oppressit. Oppidanorum partim armati pro patria mortem oppetierunt. Partes populi propè duas tam militaris ętatis, quam pueros & mulieres, Philopœmẽ Arcadum dux fugiens secum in Messeniam traxit. Reliquos Cleomenes urbe excisa trucidauit. Pausanias in Arcadicis.

CORINTHVS capta est & euersa à L. Mummio Achaico Olympiadis CLVI. anno III. Rom. urbis DCVIII. Plinius libro trigesimoquarto, capite secundo.

Aegyptius Sultanus TYRVM urbem à Christianis desertam capiẽs igne succendit, & à fundamẽtis diruit, an. MCCXC. Blondus lib. 8. Dec. 2.

Mœnlis nudatæ.

Mœniorum deiectio quatenus pœnæ nomine imponitur, ad Ignominiæ species referri debet. At huius est loci propter defectum Munimenti.

Lysander captis ATHENIS muros ex Ephororum sententia diruit. Eo tempore rogatum ferunt cum à Cleomene iuuene cõcionatore, num contrà ac Themistocles agere & suadere auderet, atq; tradere Lacedæmoniis muros, quos ille Lacedæmoniis struxerat inuitis? respõdisse, Nihil equidem, adolescens, diuersum ago ac Themistocles. Quippe eosdẽ muros tam ille ad ciuium salutem excitauit, quàm nos ad salutem eorundem diruimus. Quando urbes si mœnia redderent beatas, Spartam, quæ muris caret, omniũ esse oporteret miserrimam. Igitur Lysander euocauit multas ex urbe tibicinas, omnes etiam ex castris coegit. Tum muros diruit, die XVI. Munychionis, quo olim ad Salamina Xerxem uicerant: naues incendit, ad tibiam simul coronatis ouantibusque sociis, tanquam libertatis foret dies ille auspicium. Mox rempubl. mouit: ac triginta urbi, decem Piræeo præposuit rectores. Arci imposuit prẹsidium, cui harmostem dedit Callibion Spartiatem. Plut. in Lysandro.

OppidorumHISPANIÆ cis Betim fluuium Polybius auctor est, uno die mœnia M. Catonis Coss. imperio diruta fuisse. multa illa erant, & uiris bellicosis abundantia. Ipse plures urbes, ait Cato, se cepisse, quàm egisset in Hispania dies: neque est hæc iactantia, siquidem quadringẽtas fuisse uerum est. Plut. in Catone.

Occiso Procopio tyranno CHALCEDONIS mœnia à Valente Imp. diruta sunt, quòd incolæ Procopij partibus fauissent. Cuspinianus in Valente.

Narrat Nicephorus libro 15. capite 27. post Marciani obitum, Gensericum ea, quæ adhuc in Africa Romanæ fuerũt ditionis, crebris excursionibus afflixisse: & omnium VRBIVM, præter unius Carthaginis, mœnia diruisse. Eam namque regni Vandalici metropolim constituit. At 95. annis pòst astus hic in auctores recidit. Belisarius enim ex improuiso capta Carthagine, Vandalorum regnum Iustiniano subiecit.

Nono anno belli Gothici Totilas rex BENEVENTVM ui captam mœnibus nudauit, ne locus alioqui naturâ munitus, sedes belli fieret hostibus. Sabellicus Enn. 8. libro 3. Blondus libro 6. Decadis 1.

Desertæ ab incolis, Exhaustæ ciuibus.

Strabo lib. Geographiæ 14. tradit, TEIOS, cùm Persarum contumelias ferre non possent, urbe relicta, Abdera Thracum urbem demigrasse. Atq; hinc illud uulgatum fuisse,

Ἄβδηρα καλὴ Τηίων ἀποικία. id est,

Abdera pulcra Teiûm colonia.

Hoc ænigmate prouerbiali significamus, nõ deesse quò cõfugiamus, si quis præter modũ pergat esse molestus. Erasm.

Captis à Timoleonte SYRACVSIS, & Dionysio primùm capto, mox etiam Icete Leontinorum tyranno uicto, cùm ciues partim per bella & seditiones occubuissent, partim refugissent tyrannos: forum Syracusis desertum adeò extulerat copiosam & densam materiam, ut equi ibi pascerentur, quiescentibus in herba equisonibus. Cætera OPPIDA præter admodum pauca ceruorum & aprorum erant lustra in suburbiis, & circa mœnia per otium uenabantur crebrò. Nemo in arcibus & prædiis habitantium sustinebat adire urbem, sed horror omnes & odium tenebat fori, reipublicæ, suggesti, ex quibus plerique extitissent tyranni. Plutarchus in Timoleonte.

AVCTORIS. NEMPE

Ab hostibus direptæ, euersæ.

Hic solam Direptionem spectamus. Ipsa Expugnatio, & Incensio, alterius sunt loci.

Euertendis urbibus olim aratrum inducebatur, sicuti in condendis idem adhiberi consueuerat. Quare oppida, quæ priùs circumducta erant aratro, ab orbe & uruo, Vrbes: & coloniæ Romanę omnes in literis antiquis scribũtur urbes, quòd item conditæ ut Roma. Cælius lib. 26. cap. 5. A. L.

Iosua AMORRÆORVM urbes Macedam, Lebnam, Lachim, Eglonem, Hebronem, & Dabir deleuit, omnibus ad internecionem cæsis, urbibus incensis & euersis. Iosua cap. 10.

HASOR urbs à Iosua excisa, igniq; cremata, omnibus incolis ferro trucidatis. Iosua cap. 11.

HAIS urbs Amorræorum munitissima, direpta & incensa est à Iosua, trucidatis in ea duodecim millibus tum uirorum tum feminarum, & in rudus sempiternæ solitudinis redacta. Iosua cap. 8.

HIERICHVNTEM urbem trans Iordanem Iosua Israelitarum dux cepit, cùm muri clangore tubarum & ouatione populi concidissent: argentum, aurum, ænea ferreaque uasa in Domini fiscum retulit: homines, animalia omnia ferro peremit: urbem, quæq; in ea erant, igni cremauit, excepta tantùm Rachaba meretrice, cum paterna eius familia & facultatibus omnibus, propterea quòd exploratores Israelitarum domi suæ occultarat. Quinetiam Iosua, urbe excisa, his uerbis imprecatus est: Infelix sit apud Iouã homo, qui hanc urbem Hierichuntem instaurare aggressus fuerit: is eius fundamenta in sui primogeniti interitũ iaciat, & portas in suorum filiorum natu minimi perniciem collocet. Iosua cap. 6. Itaque cùm sub Achabo rege Israelitarum Hiel Bethelicensis eam restaurasset, duos amisit filios. 3. Regum 16.

SICHEMA urbs ab Abimelecho capta, interfectis ad internecionem ciuibus, & sale consita. Iudicum 9.

Quantum ad historias tam Hebræas quàm Gręcas pertinet, & maximè Herodotum: legimus NINIVEM, regnante apud Hebręos Iosia & Astyage rege Medorum, fuisse submersam. Ex quo intelligimus, primo tẽpore ad Ionę prædicationem acta pœnitentia, Niniuitas ueniam consecutos: postea uerò in pristinis uitiis perseuerantes, Dei in se prouocasse sententiam. Hieron. procœmio in Ionam.

Nabocodrosorus, qui in sacris literis Nabucodonosor dicitur, cum tribus regibus Iudæ bellum gessit. Cum Ioachino primùm, quem tributarium sibi fecit: deinde cum Iechonia Ioachini filio, qui etiam patris nomine sæpe nuncupatur, quem tertio regni mense in Babylonem transtulit, spoliata Iudæa, præfectoque regioni Matathia patruo Iechoniæ, cumque Matathiam Sedechiam appellauit, ceu quis dicat Domini iustitiam, ut uel iustitiæ in rebus administrãdis admoneretur, uel iustitiæ illius & ultionis diuinæ. Sed hic cùm Nabocodrosoro parum esset dictis audiens, magnum in se bellum concitauit. Chaldæus enim ingenti exercitu finꝫ

des Iudeæ ingressus, omniaque ferro atque igni longè lateque perpopulatus, HIEROSOLYMAS corona cinxit, pressosque diu intoleranda fame Iudæos cepit, ac regem ipsum occisis priùs ante eius ora liberis luminibus priuauit, catenisque religatum in Babylonem cum toto populo perstraxit, uniuersamque urbem funditus euertit. L. Viues in lib. 18. August. de Ciuit. Dei, cap. 25.

HIEROSOLYMA à Tito Imp. capta est, secundo anno principatus Vespasiani, Septembris mensis octauo die. Quinquies autem priùs capta, tunc iterum uastata est. Aegyptiorum quidem rex Asochæus, & pòst eum Antiochus Epiphanes rex Syriæ, deinde Pompeius, & post hos cum Herode Sosius, captam urbem seruauere. Antea uerò rex Babyloniorum Nabucodonosor excidit, post annos, ex quo ædificata erat, mille trecentos sexaginta, menses octo, & dies sex. Primus autem conditor eius fuerat Melchisedec, qui & nomen ei dedit. Postea uerò pulso Chananæorum populo, rex Iudæorum Dauid colendam suo populo tradidit: & quadringentesimo sexagesimo quarto anno pòst, ac mensibus tribus, à Babyloniis euersa est. A rege autẽ Dauide, qui primus Iudæus in ea regnauit, usq; ad id, quod Titus fecit, excidiũ, anni mille centum septuaginta nouem. Ex quo primùm autem condita est, usq; ad excidium, anni duo millia centum septuaginta septem. Iosephus lib 7. c. 18. belli Iud. Sub rege Ioachino Nabucodonosor Babylonius Hierosolymam deditione cepit, & principes omnes cum rege Ioachino captiuos abduxit. Annis undecim pòst, sub rege Sedecia, fame per 18. menses urbem domuit. Sedeciam fuga elapsum comprehendit, & excæcatũ abduxit: templum cũ præclaris ædificiis diruit & incẽdit, quod ante 470. annos à Solomone extructum fuerat. Reliquias populi in exilium deportauit: relicta plebis fece, quæ uineas agrumq; coleret. Captiuitas ea 70. annos durauit. 4. Reg. 25. & Hier. 39. Pacorus Parthorum rex, insidiis capto Hircano Hierosolymorũ rege, & Phasaelo Antipatri F. Antigonum Aristobuli F. regno restituit, & urbẽ diripuit. Iosephus lib. 14. cap. 25. Antiq. Captis Hierosolymis, & direptis, cũ nihil amplius, in quod Romani milites, pertinaci obsidione irritati, sæuirẽt, superesset, iussit eos Titus Cæsar totam funditùs iam eruere ciuitatẽ ac templum: relictis quidẽ turribus, quę præter alias eminebant, Phasaelo, & Hippico, & Mariamme: muriq; tanto, quantũ ciuitatẽ ab occidente cingebat. Id quidem ut esset castrũ illic custodiæ causa relinquendis: turres autem, ut posteris indicarẽt, qualem ciuitatem, quamq; munitam, Romanorũ uirtus ob tinuisset. Alium uerò totum ambitum ciuitatis ita cõplanauere diruentes, ut qui ad eum accessissent, habitatã aliquando esse uix crederent. Et hic finis, eorum dementia, qui nouas res mouere tentauerunt, Hierosolymis fuit, clarissimæ ciuitati, & apud omnes homines prædicatissimæ. Iosephus lib. 7. cap. 18. Belli Iud. Eusebius lib. 6. de Præp. Euang. dicit, se uidisse illam antiquitùs celebratam Sion, iunctis bobus à Romanis uiris arari, & Hierosolymam instar pomorum custodiæ desertam, ad extremam redactam solitudinem.

Bello Iudaico IAPHA Galileæ urbs munitissima à Tito expugnata est. Nam cùm oppidani in aciem progressi, à Rom. fugati essent, intra duos muros exclusi à suis, à Romanis cæsi sunt. Nec multo pòst urbs capta, 25. Iunij. Cæsorũ XV. millia fuere, captiuorũ duo millia. Iosephus lib. 3. cap. 11. Belli Iud.

Vespasianus Imp. 47. diebus IOTAPATAM Galileæ urbem munitissimam oppugnauit, & proditione tandem cepit Calẽdis Iuliis. Eam funditùs euertit, castella omnia exussit. Interfecta fuere toto obsidionis tempore XL. millia, capta MMCC. Iosephus lib. 3. cap. 13. Belli Iud.

Bello Iudaico IOPPE primùm à Cestio Gallo Syriæ præfecto capta, & Iudæi omnes interfecti sunt. Iterùm à Vespasiano, cùm illic improbi quidam collecti, piraticam exercerẽt, funditùs euersa est. Iosephus lib. 3. cap. 15. Belli Iud.

Hircanus III. Simonis F. Iudæorum dux & pontifex, cùm SAMARIAM integro anno obsedisset, non contentus urbem capere, etiam solo eam æquauit, inductis illò torrentibus: quorum eluuie ita cuncta fœdata sunt, ut ne uestigium quidem superesset oppidi, aut templi Garizimi, CC. annis post illius extructionem. Iosephus lib. 13. cap. 18. Antiq.

Cùm ad Ladam insulam Iones cum Persis pugna nauali congressi, superati essent, MILETVS ab hoste capta, incensa & euersa est. Milesij, qui effugerũt, unà cum Samiis Zanclam, Siciliæ oppidum, occuparunt. Herod. lib. 6.

Crœsus Lydorum rex cùm SIDENAM cepisset & euertisset, in quam Glaucias tyrãnus aufugerat, execratus est, quicunque eum locum instaurarent. Strabo lib. 13.

Est in Phœnicia nobilis urbs TRIPOLIS, nomen ex re habẽs (sunt enim urbes tres, inuicẽ stadij interuallo distantes, appellaturq; Aradiorum una, altera Sidoniorum, Tyriorũ tertia) in qua conuentus habere, & per concilium de maximis rebus Phœnices agere consueuerunt. Præfectis autem & ductoribus regiis, qui in Sidoniorum parte uersabantur, contumeliosa & superba imperia in Sidonios exercentibus, à Persis desciscere statuerunt: cæterosque Phœnices ad libertatem occupandam exhortati Sidonij, legatis ad Nectanebum Aegypti regem, qui Persis erat hostis, missis, ut in belli societatem ab eo reciperentur, omnia quæ bello usui sunt comparabant. Eos proditione Tennis regis Artaxerxes domuit. Vrbs capta cum XL. millibus ciuiũ absumta. Locum ex incendio uastatum, rex talentis multis uendidit. Ob magnam enim oppidanorum opulentiam immensa argenti & auri uis per ignem conflata est inuenta. Huiusmodi interitum miseræ Sidoniorum res sortitæ, reliquas Phœniciæ urbes ad deditionem faciendam, terrore adiecto, impulerunt. Diodorus libro decimosexto.

Anno Christi 1289. TRIPOLIS urbs à Mahumetanis expugnata: atrocissima crudelitatis, feritatis, auaritiæ, libidinis, contẽtus numinis exempla, quę excogitari ab ulla barbarie possunt, ediderunt: pauci nauibus, qui in portu stabant, excepti, effugerunt. In mœnia etiam furor sæuiit. muros deiiciunt: fundamenta conuellunt, dissipant: fossas, & quos foderant; cuniculis sinus explent, adæquant, ne uestigium urbis extet. tantùm paruam arcem muniuerunt, quam præsidio tenerent, ne nostri restituere ruinas conarẽtur. Latini nihil in Syria Phœniceue præter Ptolemaidẽ habebant, eamq; egregiè defendebant. At posteaquam Benignus magister militiæ Templi sagitta uenenata ictus interiit, animi Latinis cecidere. Patriarcha Hierosolymitanus Cypriusque Rex, & quos magis salutis, quàm decoris cura tangebat, noctu naues conscendêre. Cùm procul ab hoste abessent, ac Cypro appropinquarent, exorta sæua tempestate propè omnes fluctibus obruti. Ita, qui ferrũ euitarant, ignaua morte periere. In urbe duodecim millia remanserant: obsessi, oppugnati, saucij, fessi malis præsentibus, perculsi futurorum metu, deserti à suis, uicti, expugnati, capti, cæsi ad unum omnes sunt. Nec in mortales modò atrox Barbari uictoris ira sæuiit: sed publica priuataq; ædificia, templa superûm euersa, refossa fundamenta, ne indicium ullum euersæ, ne monumentũ urbis extaret: locus etiam ruinarũ strage cumulisq; liberatus, ut nudum solum arandum serendumq; restaret. Hic finis sacri belli in Oriente statui potest. Nomen quidem mansit: ferrum aliis bellis strictum. Aemilius lib. 8.

Chorus de TROIA uastata, apud Eurip. in Troadibus sic ait:

——ἁ δ' ἡ μεγαλόπολις

ἄπολις ὄλωλεν,

οὐδ' ἔτ' ἐστὶ Τροία.

Hæc uerò magna ciuitas, nõn amplius ciuitas, periit: nec amplius est Troia.

De eadem Ouid. 15. Metamorphoseon:

——Sic magna fuit censuque, uirisq;,
Perq; decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis ueteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Sparte, magnæ uiguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solùm Sparte est, altæ cecidere Mycenæ,
Oedipodioniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ?

MYCENAS clarissimã urbem Argiui maleuola quadam obtrectatione ducti euerterunt: quòd ipsis cessantibus, ea ciuitas octoginta homines ad Thermopylas misisset, qui Lacedæmoniis præclari facinoris socij fuere. Ille itaq; præreptæ quasi gloriæ dolor, Argiuos ut Mycenas excinderent sollicitauit. Pausanias in Corinthiacis.

ERETRIAM Eubœæ urbem solo deiecere Persæ, instar sagenæ incolas includentes, ut Herodoti uerbis utar: tanta Barbarorum multitudo muro sese circumfuderat. Adhucque fundamenta monstrantur, & antiquam uocant Eretriam. Ea uerò, quæ hoc extat tempore, postea superædificata fuit. Strabo libro 10.

PHOCIDIS urbes omnes, exceptis Abis, ob direptum Apollinis Delphici templum, ex Philomeli Theotimi F. consilio, bello sacro dirutæ fuerunt ab Amphyctionibus. Pausanias in Phocicis.

THEBANA urbs in Bœotia plurimis & maximis usa est mutationibus, non semel euersa funditùs. Post Deucalionis diluuium, cùm Cadmus condidisset eam, quæ ab ipso Cadmeæ nomen habuit, commigrauit in eam populus: quem nonnulli Spartum appellarunt, quia undique congregatus esset: nonnulli Thebigenam, quia principio, cùm esset ex urbe Thebis, propter diluuium emigrasset, ac dispersus fuisset. Igitur qui tunc eò migrarunt, hos postea debellatos Enchelenses expulerũt, cùm quidem accidit, ut etiam Cadmus in Illyrios migrauerit. Postea cùm Amphiõ & Zethus loco potiti essent, & tunc primùm urbem condidissent, secundò qui in eum locum commigrauerant emigrarunt, cùm eò esset reuersus Polydorus Cadmi filius, & negocia contemsisset, propter eam, quæ Amphioni acciderat circa natos, calamitatem. Deinceps regnantibus eius prognatis, & tota

regione

regione Bœotiæ nomen habente, à Bœoto Menalippes & Neptuni filio, qui in illis locis imperauerat, tertiò emigrarũt Thebani, cùm Argi posteri urbem expugnassent. Ex his autem qui emigrarunt, qui superfuere, conjugerunt in Alalcomeniam & Tilphosum montẽ: deinde digressis Argiuis, reuersi sunt in patriã. Postea Iliaco bello profectis ad bellum in Asiam Thebanis, reliqui electi sunt cum aliis Bœotiis à Pelasgis, ac non paucis postea casibus exagitati, ægrè post quartum seculum, secundùm editum de coruis oraculum, abierunt in Bœotiam, & Thebas incoluerunt. Ab his temporibus cùm durasset urbs ad annos ferè octingentos, ac primò Thebani suæ gentis imperium adepti fuissent, & postea Græcorum imperium affectassent, Alexander Philippi filius urbem ui captam complanauit. Vigesimo deinde post anno, Cassander gloriæ studio, restituit urbẽ superstitibus Thebanorum. Adiuuerunt & Græcarum urbium multæ habitationem illam, tũ propter misericordiam erga miseros, tum propter urbis gloriam. Athenienses etenim magnam muri partem instaurarunt, & reliquorum alij pro uiribus ędificarunt, alij etiam pecunias ad usus necessarios miserunt, non solùm ex Græcia, uerùm etiam ex Sicilia, quin & ex Italia. Diodorus libro 19.

Alexander Pheræorum tyrannus, fœderibus, quibus erat cum illo SCOTVSSA urbs Thessalię coniuncta, uiolatis, de improuiso urbem cepit: factaq; in theatrũ irruptione, quò habendæ concionis causa conuenerant natu maiores, circundatisq; cetratis, & sagittariis, omnes ad unum, ut iaculis cõfigerentur, imperauit. Idemq; puberes, quotquot essent, trucidandos curauit. Feminas & pueros sub corona uendidit. De precio, mercenario militi stipendium dedit. Oppressit exitium hoc Scotussæos Thrassycede summum Athenis magistratum gerente, alterius & centesimæ Olympiadis, qua secundam palmam Damon Thurius tulit, anno secundo. Rursus uerò cùm sua Græcos uniuersos fortuna, altera iam clade fractos, Macedonum armis perculisset, Scotussęos ad extremam imbecillitatem redactos, quos Alexandri crudelitas reliquos fecerat, belli metus eiecit. Pausanias lib. 6.

MEGALOPOLIS Arcadiæ metropolis à Cleomene Spartanorum rege excisa. De qua Comicus quidam,

ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις.

Eustathius Iliados β. Vide Tit. Hostium urbes cõseruare. De ea sic Pausanias in Arcadicis: Megalopolis magna alacritate & conspiratione Arcadum, omnia sibi ad spem optimam de noua urbe proponentium, contra uim Spartanorum cõdita, uereribus iam omnibus ornamentis, ac pristinis opib. amissis, magna iam ex parte inter ruinas & rudera iacet.

Himilco Carthaginensium dux occupata MESSANA Siciliæ, quæ cum Dionysio tyranno faciebat, eiusq; mœnia demoliri us, mandauit in de militibus, ut ædificia cuncta diruant, ac solo æquent, neque tegulas, neq; ligna, nec materiæ quicquam incorruptum usquam relinquant, sed alia incendiis absumant, alia contusa obritaq; dispergant. Nec ulla cuiquam cũctatio ad mandata fuit. Tanta simul ad diruendos parietes, & euertendas ædes properante ac feruente multitudine, breui peractum opus, & obliterata protinus monumẽta omnia, deletaq; loci species, ac solum, ubi urbs priùs steterat, prostratum adeò, proculcatumq; apparuit, ut uix ulla habitationis usquam uestigia discerni possent. Conspicatus enim locum illum procul à reliquis insulæ spaciis admodum remotum, præterea omnium, quæ in Sicilia haberentur, maximè idoneum, alterum ex duobus sibi faciendum arbitrabatur, aut deletum desertumq; penitus reddere, aut tanta ruina obruere, ut neq; tempore breui, neq; paruo posset opera restaurari. Diod. lib. 14.

Mummius cùm prælio Achæos ad Isthmũ uicisset, tertio post pugnam die CORINTHVM funditùs euertit, cremauitq;. Viri omnes trucidati, fœminæ & pueri Mummij iussu sub corona uenditi. Venditi etiam serui, quicunque manumissi in Achæorum acie steterant, neq; in prælio ceciderant. Ornamenta & signa admiratione quæq; dignissima Romam asportata: reliqua Attali auxiliorũ duci Philopœmeni donata, & hac ipsa etiã ætate apud Pergamenos inter cætera Corinthiorum spolia uisuntur. Aliarum urbium, quæ contra Rom. bellum susceperant, muros Mummius deiecit, arma ciuibus ademit: omnem è ciuitatibus popularem administrationem sustulit. Magistratus ex censu instituti. Tributa uniuersæ Græciæ imposita. Locupletibus extra fines suos agri possessione interdictum. Concilia omnia singularũ Achaiæ nationum, siue in Bœotia, siue in Phocensibus haberentur, abolita. Non multis pòst annis Romanos Græcorum misericordia cœpit. Quare & prisca concilia sua cuiq; genti restituta, & agros extra fines habere permissum: remissæ etiam, quas Mummius ciuitatibus constituerat, multæ. Bœotios enim ille, & Eubœenses Heracleotas talenta centũ, Achæos Lacedæmonios CC pẽdere iusserat. Hæc illis ciuitatibus pecunia omnis à Romanis condonata. Pausanias in Achaicis.

Septuaginta EPIROTARVM urbes à Paulo Aemilio imperatore funditus euersas esse, auctor est Polybius, uictis Macedonibus, & Perse Rege superato. E quibus maximum numerum Molossorum extitisse, nimirum mortalium C & L millia in seruitutem redacta. Strabo lib. 7.

Ab Achiuis condita SYBARIS inter duos fluuios, Crathidẽ & Sybaridẽ. Eius condendæ auctor Iselicus. Eò felicitatis excreuit, ut quaternas proximas texerit gentes, & quinque ac uiginti urbes suo subdiderit imperio, & cõtra Crotoniatas trecentorum hominum millium exercitum duxerit. Totam autem hanc felicitatem intra dies LXX Crotoniatæ illis interceperũt, adeò deliciis & luxuria intemperantes defluebant. Vrbe enim potiti, inducto fluuio cuncta demerserũt. Paucos ea ex clade superstites, Athenienses alijq; Græci prorsus extinxerunt. Nam in societatẽ ciuitatis peruenientes, eos per contemtum habitos trucidarunt: & urbem alio in loco prope ędificarunt, à fonte Thurios dictã. Strabo lib. 6.

Bello tertio Punico à Pub. Scipione sex continuos dies CARTHAGO per partes capta est. Sunt qui plures adhuc seribant. Atq; ut quoto quæq; pars loco in Romanorum potestatem uenit, ita incensa & excisa est Carthago urbs clarissima, atque una omnium in terris Romani imperij æmula, anno DCCXXXVII, quàm condita fuerat. Fuit idem annus Romanæ urbis quintus circiter ac sexcentesimus, Olympiadis quinquagesimæ octauæ ac cẽtesimæ penultimus, ut idem auctor colligit. Appianus in centesimam & sexagesimam Olympiadem Carthaginis excidium ait incidisse. Sabellicus lib. 9. Ennead. 5. Pòst cẽtum & duos annos fuit denuo reparata, & pòst iterum à Genserico Vandalo direpta, decimoquarto Kalẽdas Nouembris. Rodericus Toletanus cap. 13. de Vandalis.

Diocletianus Imp. in Aegypto urbes Thebaidis duas BVSIRIM, & COPTON, quæ defecerant ad Achillem tyrannũ, deuictas, ad prodendum aduersus fidei desertores exemplum, solo æquauit. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

HIPPO Africæ urbs XIII obsidionis mẽse à Genserico Vandalo capta, & ultima malorum omnium, quę hostilis inferrabies posset, passa est. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

ALBA urbs ob defectionem à Romanis euersa. Sabellicus libro 4. Enneadis 2.

ROMA in ipsa adolescentia à Gallis direpta & incensa est, anno quàm cõdita fuerat circiter trecẽtesimo ac sexagesimo. Iam uerò omnium gentium uictrix, diuq; rerum potita, à Gothis Alarici ductu iterum capta est ac direpta, atq; exparte incensa. Alaricus enim Gothorum rex Romam biennio obsessam, tandem fame cepit, anno Christi 412. nono Calen. Sept. Vrbis 1164. teste Orosio & Paulo Diacono. Cædibus & incendiis omnia miscuit: iis tamen pepercit, qui in templa Apostolorum confugissent. Mortuo Alarico successit Ataulphus propinquus, qui Placidiam Honorij Imp. sororem Romæ captam duxerat uxorem. Is Romam regressus, cupiebat quicquid remansisset eradere, siue Romam funditus potius euertere, & alteram diuerso loco urbem statuere: abolitaq; antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nominare: ut nomen suum Ataulphi tanquam urbis conditoris, pro Augusti nomine posteri reciperent. Sed Placidia Ataulphi uxor iam legitima, Honorij soror, Theodosij Magni filia, ob generis nobilitatem & formę pulcritudinem marito dilecta, Regis animum à proposito auertit. Et quamuis iterum Gothi urbem diripuissent, à cæde tamen & incendio temperatum est. Ita moribus uxoris Placidiæ lenitus est Ataulphus, qui tum cœpit de sancienda pace, iungendaq; amicitia cum Honorio agere: cũ quo fœdere percusso, ad Gallias tetendit. Cuspinianus. Anno Domini 457. uel 459. Valentiniano Imp. interfecto fraude suorum, cùm Maximus imperium inuasisset, & Eudoxiam Augustam sibi nubere coëgisset: illa in mariti ultionem Genserico Vandalorum regem cum CCC millium classe ex Africa euocauit. Qui Romam omnibus opibus exuit diebus 14. incendiis tamen Leonis põtificis intercessione abstinuit, an. 43. pòst quàm à Gothis capta fuerat. Paulus Diaconus & Zonaras. Euagrius lib. 2. cap. 2. urbem nõ solùm direptione, sed etiam incendio deformatã scribit. Itaq; Varronis comprobata tum demum sententia est, qui ex Vectij auctoritate prodidit, quando conditori urbis Romulo duodecim uultures augurium effecissent, ipsam ad mille ducentos annos mansuram, neq; ita multò pòst ruituram. si quidem hic millesimus ducentesimus annus urbis conditæ numeratur, Sigonius lib. 14. Imp. occid. Subinde Odoacer Herulus eam tyrannicè occupauit, an. 476. Quo sublato, Theodericus Ostrogothorum rex plures annos eandem cum tota Italia tenuit. Recepta inde à Belisario est, bisq; obsidione fatigata, inedia & fame propemodum enecta. Demum sub Totila miserabile passa est excidium. Vbi enim Totilas Gothorum rex per proditionem urbe potitus est, legationem misit ad Iustinianum pacis causa: quam nisi præstaret, se Romam funditus euersurum. Legatis infecta re reuersis, Totilas furenti similis urbem excindere adortus, primò eam munitionibus nudauit, mœnibus plus tertia parte solo æquatis: Capitolio inde incendit: mox passim ædificia publica & priuata subiecto igni deflagrarunt. Ardere unà hæc, simulq; Auentinus, Quirinalis, Cælius, cæteriq; colles eodem tempore incendio reneri. Exaudiri fragor ruentium tectorum, multarũq; ætatum opus, clarissimaq; uirorum monumenta, miserabiliter extingui. Incensa excisa q; urbe, omnis ciuium multitudo, ne quis extremis patriæ cinceribus dare posset lacrymas, per Latij & Campaniæ oppida dispersa est à Totila. Senatum & primores ciuitatis penes se solùm loco habuit. Inde Roma egressus, ne unum quidem uiuentium, marem, fœminámue, in ea remanere passus est, ut omni humano cultu deserta urbs, quondam rerum domina, iaceret. magnum omni æuo documentum, quàm parum sit humanæ felicitati credendum, quæ quo maior est, eo grauius ruit, multoque magis affligitur, quum cadendum sit. Sab. lib. 4. En. 8. Interfuerunt à Senonico bello, quo præter Capitolium, omnia sunt à Barbaris fœdata, ad Visigothorum tempora, qui Alarici ductu iterum Romam cepêre, anni circiter octingenti. A Visigothis ad Vandalicam direptionem, quadraginta quatuor. A Vandalis ad Odoacrem & Herulorum regnum duodeuiginti. Ab his ad Ostrogothos & Theodericũ, quatuordecim. Ab Ostrogothis ad Belisarium, qui Romam ab ea recepit gente, circiter quinquaginta. Hinc ad exitiũ, qđ sub Totila passa est, anni duodecim. Ac toties tam breui anorum spacio domitrix illa humani generis, arxq; omniũ gentium Roma ludibrio fuit Barbaris. Eam desertã 25. dierum spacio Belisarius incredibili celeritate fossã, uallo, propugnaculis, munitionibus sic reparauit, ut eã reuersus Totilas non nisi proditione recipere potuerit. Quam postea Narses Gothis denuò eripuit. Sabellicus libro quarto, Enneadis octauæ.

Robertus Guiscardus ad liberãdum Gregorium VII. Papã, qui à Romanis in arce Crescentij obsidebatur, profectus, ab amicis pontificis porta Flumentana (inde dicta Flaminia, nunc de Populo) intromissus, ROMAM incendit à campo Martio, usq; ad sanctum Sylvestrum & Laurentium in Lucina: quæ hodie uastata cernũtur. Ciues armati se obiecerant: sed non poterant esse pares copiis illius. Ille per Esquilias duxit ad Lateranum, ibi aliquandiu desidens, si forte à ciuibus liberandi pontificis mentio fieret. Confederantibus armati ad Capitolium, quam etiam regionem Henrici IV. Imp. milites, dum adessent, tenuerãt statione: abeuntes autẽ, de more suo incensam reliquerant urbem. Quotidie prælia ad Amphitheatrum. Cùm autem ciues nullam pacis facerent mentionem, Guiscardus armatis copiis per mediam urbem contendit ad Hadriani molem, demolitóque muro, quem fecerant ciues, eductum pontificem secũ perduxit in Campaniam. Hæc est illa urbis Romæ uastitas, quam non antea Gothi, non Vandali, non Saraceni, sed auxiliarij pontificis fecêre Normanni, ut non iam ulla species sit ueteris Romæ, sed umbra quædam non magnæ partis. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 10.

Capto ab Odoacre, Herulorum rege, TICINO, cui se Orestes *Momylli F.* Imp. militiæ magister incluserat, X Cal. Sept. miserabilis clarissimę urbis est uastatio subsecuta. Vt enim quisq; diuitiis excellere existimatus est, sic ad prædam maximè requisitus. Inde, ut cosdem ad prodendas, si quas occultassent, pecunias cogerent: alij rectis faces subiecerunt, alij ad necem dominos cuocarunt, alij ad episcopium nefaria sacri diripiendi thesauri inflammati libidine concurrerunt, atq; opes Ecclesiæ è terra quoq;, ubi absconditæ fuerant, eruerunt: Epiphanium episcopũ, quo plura daret, plura habere putantes. Demùm tanta clades illata, ut per multos ante annos oppidum nullum aut sœdius captum, aut miserabiliùs expugnarum sit: quippe ciuibus passim aut seruitute, aut morte multatis, urbs diuepta unà cum duobus templis propè arsit incendio. Epiphanius uerò cùm in cæteris charitatis officiis se sanctissimè gessit, tum in primis germanam suam, cæterasq; mulieres, quæ libidini hostili præcipuè obnoxiæ uidebantur, seruituti eximit. Sigonius libro 14. Imp. occid.

AQVILEIA urbs nobilissima, & quæ ad id usque temporis clausstrum Italiæ aduersus irruptiones Barbarorum firmissimum & semper inuictum extiterat, ab Attila Hunno anno 452. capta atq; deleta est. Iornandes Alanus diu obsessam fuisse scribit, quo d spacium Paulus Diaconus, quasi Iornandem interpretans, triennium continuum fuisse exposuit. quem deinde omnes secuti sunt. Atque Cassiodori, Marcellini, & Iornandis, qui omnes his proximi fuêre temporibꝰ, testimonio satis liquet, Attilam anno 451. in Gallia rem gessisse, sequẽte Aquileiam in Italia euertisse. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

CREMONA à Vitellianis militibus recepta, cùm Antonius

Vespasiani dux in balneum concessisset, cruorem abstersurus: excepta uox eius est, cùm fortè balnearum tepor excusaretur, futurum ut statim incalescerent: ac tum demũ quasi signum dedisset ad urbem incendendam, quadraginta millibus militum uno agmine irrumpentibus, ciues indifferẽter cæsi, res direptæ: tecta & parietes quatriduo ignis absumsit. Sab. lib. 3. En. 7. Pòst etiam Agilulphus Longobardorum rex CREMONAM cum Græco Exarcho facientem adortus, post trigesimum diem ui captam diripuit, ac solo æquauit. MANTVA inde obsideri cœpta, defensaq; est plures dies: postremò muris haud uno loco dissectis, deditio facta est. Agilulphus deditã magna ex parte mœnibus nudauit. Sab. lib. 6. En. 8.

MEDIOLANENSES fame à Friderico I. Imp. an. 1162. ad deditionem coacti fuerunt. Consules ex auctoritate consilij Laudem ad Fridericum profecti, strictos gladios tenentes, liberè se omnia, quæcunq; ille imperasset, facturos, atq; eodem quoq; ciues suos omnes sacramento obligaturos iurarunt. Post biduum trecentos equites totius ciuitatis nomine, triginta sex uexilla & claues ciuitatis detulerunt, ac præceptis eius se parituros iurarunt. Inde mille pedites earum adduxerunt, ac nonaginta quatuor alij tubas ciuitatis obtulerunt. Postridie Fridericus edicto imperiali subiato, quadringentos obsides postulauit: ex quibus centum & octoginta sex ex ordine equestri retinuit, reliquos ad numerum conficiendum ex ipsa nobilitate exegit, atq; ad singulas urbis portas murũ diuisi, & fossam repleri iussit, quãtum exercitui quadrato agmine ingressuro foret satis. postremò iusiurandum à singulis postulauit. Consilium inde annos, sed necessarium cepit, ad reliquam Lombardiam pacandam, atq; in fide & officio continendam, urbis Mediolanensis delendæ, populiq; superbiæ ac potentiæ comprimendæ. Consules, quia imperium recusare non poterant, uniuersos abire urbe iussérunt. Ita septimo Cal. April. Mediolanenses mœsti, ac se fortunam q; suã, quòd non potiùs armati occubuissent, quàm incolumes ad eam necessitatẽ uenirent, execrantes, urbe exierunt, atq; alij Comũ, alij Bergomum, alij Laudem, ut quisq; necessarios atque hospites habuit, abierunt. Vulgus ipsum non solùm consilij inops, sed parum etiam mentis compos, circum fossas restitit, extremum patriæ casum expectaturum. Erat autem fœdus ac miserabilis præter cæteros aspectus mulierum, ac puerorũ, ingentibus omnia clamoribus ciuitatibusq; replentium, atque opem surdis hostium animis implorantium. Vbi exhausta urbs incolis fuit, Fridericus cum exercitu victore accessit: & ne fidem fallere uideretur, per ruinas murorũ, non per portas intuit. Inde negocio uicinis ciuitatibus, id muneris sibi præcipuè deposcentibus, dato, urbem, paucis templis seruatis, excidit. Laudenses ædificia portæ Orientalis diruerunt, Cremonenses Romanæ, Papienses Ticinenſis, Nouarienses Vercellinæ, Comenses Comensis, Septienses & Marthesani Nouę. Arcus, theatra, thermæ, quæ ex antiqua urbis fortuna adhuc supererant, deletæ: demũ profana discussa omnia, præter turres aliquot, & partem mœnium, quæ integra propter operis firmitatem remansit. Templa spoliata, abbatię populatę. Brolium, ut aiunt, ad petperuã sterilitatem sale disseminatum. Ad cæteras calamitates illa quoq; Mediolanensibus est adiuncta, quam ipsi omnium grauissimam iudicarunt, quòd uenerãda trium Magorum corpora magna religione ab eis culta, Rinaldus Colonensis archiepiscopus urbe extraxit, eaq; Italia cedens, Coloniam transportauit. Cæterùm octennio pòst, cùm ob præfectorum Cæsareorum tyrannidem ab Imp. Lombardi desciissent, ciuitas reędificari cœpta est, multoq; amplior & augustior. Sigonius lib. 13. & 14. regni Italiæ.

HAMBVRGVM, metropolis Aquilonariũ regionum, sexies ob Christi nomen ab impijs eladem passum. Prima, uiuente adhuc Magno Carolo, facta est à Vuilsis, Vandalorum gente. Imperator calamitatem urbis miseratus, ecclesiam cum oppido insit instaurari. Altera à Normannis, sub Ansgario archiepiscopo, cùm ille Ramsolam eum sanctorum reliquiis petiisset. Deinde necdum bene restituta ecclesia, tempore Remberti, à Danis Saxoniam uastãtibus, excisum cum habitatoribus oppidum. Deinde cùm Vngari an. 913. implicitam tenerent omnem bello Saxoniam, & Bremam usq; peruenissent: Vandali Transalbianam Saxoniam inuasere, & Hamburgũ euertêre. Quinta sub Othonis III. mortem, anno 1000. cùm iugum Saxonicę exactionis Vandali excuterent, magis pertęsi tributorum, quę sine fine exigebantur, q religionis. Vltima & grauiss. irruptio Vandalorũ, sub Imperio Henrici IIII. anno Christi 1066. Nã cęso Godscalco principe Christiano ab improbis, cõiurazione facta, Hamburgensem prouinciam igne & ferro uastarunt. Stormarij & Holsati ferè omnes occisi, aut in captiuitatem perducti. Arx Hamburgi, quã noui Saxoniæ duces extruxerãt, funditùs excisa, & in derisionem religionis etiam cruces

funt ferro petitæ. Cranzius libro 3. Metrop. capite 2. & 3.

BRIXIA à Gastone Foisseio, Gallorum regis Ludouici XII. duce contra Venetos, crudeliter direpta est, nobilitate & dignitate nulli Galliæ togatæ urbium inferior, opibus autẽ, Mediolano excepto, reliquis omnibus anteponenda. Sacris profanisq; rebus, nec minus hominum uita & pudicitia, q̃ bonis, prædæ datis, septem continuos dies militari auaritiæ, libidini, & crudelitati fuit exposita, anno salutis 1512. Guicciardinus lib. 10. Hist.

Anno sal. 1519. GENVA, quæ Fregosiorum nutu Gallicas partes sequebatur, à Piscario Cæsareano duce capta & direpta est. Flisci, peculiares Fregosiorum hostes, propter fratris eorum cædem, probè uindictam exercuerunt. Et Antoniotus & Hieronymus Adurnij, postquã decem annos exulassent, in urbe principes constituti sunt: à quibus non multo pòst Castelleti arx, quæ à Gallis defendebatur, maioribus tormentis expugnata est. Sab. supplem. lib. 9. ex Iouio.

MESSANA in Sicilia cùm se superbè Carthaginensibus opponeret, ex malè intellecto oraculo, quo dicebatur, Carthaginenses urbis huius lixas futuros, ui capta est, & ab Hamilcare Carthaginense euersa. Item à Campanis militibus sub Agathocle stipendium in Sicilia facientibus. Hi enim urbis splendorem & opulentiam mirati, & per amicitiam in urbẽ recepti, uiolata fide, in ciues impetum fecêre, urbemq; diripuêre. Sab. lib. 8. En. 4.

COMVM à Caroli V. copiis, quibus Piscarius præerat, obsessum, tandem se his conditionibus dedit, ut nulla urbi ciuibusq; inferretur iniuria. Accepit læto animo conditionẽ Piscarius, solennesq; tabulæ confectæ. At dum Galli cum duce Vandenesio, collectis sarcinis, profectioni se accingunt: Hispani prædæ auidi in urbem irruperunt, eamque, multis patritiis & uulneratis & occisis, miserabiliter diripuerunt. Iouius lib. 2. in uita Piscarij.

Carolus VIII. Galliæ, rex exactis Aragoniis, regnum occuparat Neapolitanum. Galli ad exornandas triremes pecuniam Caietanis imperarãt: & iis maximè nominatim, quos Aragoniis rebus fauere intelligebãt. Caietani inopiam accusare, orare, ne quam opinionem de Gallici imperij lenitate omnes concepissent, eam fallerent, uel omnino macularent. At Galli, quos Stephanus Belcarius, quæstorum magister, ad pecuniam exigendam miserat, cùm apertè imperium detrectantes cogendi potiùs quàm adhortandi uiderentur, de capiendis iis, qui maximè recusarent, custodięq; tradendis, consilium inierunt. Sed dum Galli uim parant, Caietani à femina quadam, quæ per fenestram sermones exceperat, de ea re admoniti, concursuq; totius populi ad templum maximum facto (quòd tum fortè supplicationes solenni pompa, circũlato Christi corpore, ducebãtur) Gallos in arcem compellũt. Illi accersitis hinc inde auxiliis, urbem terra ac classe adoriuntur, expugnatam diripiunt. Multæ uirgines uiolatæ, & uni ante alias è nobili Laudatorum familia, dum inuadẽti Gallo uiriliter resisteret, manus præcisæ: duæq; aliæ in ultima constantia iugulatæ. Viri omnis ordinis ætatisq; quadringenti fermè occisi: templa omnia cunctis ueteribus donariis exspoliata, quæ tanta fuêre, ut neq; preciosiora neq; plura urbs ipsa Neapolis habere diceretur. Ea enim multis antè seculis incolarum ac nauigantium pietate accumulata fuerant, dum Caieta, ante iactam molem apud Neapolim, ab ipsa tutissimi portus commoditate, ueluti totius oræ emporium, magna hominum frequentia & opibus maximè floreret. Ea omnia biduo pòst adueniens Belcarius, ut in recẽsenda præda quæstorio munere fungeretur, uix relictis sanctorũ ossibus atq; reliquiis, quæ loculis includebantur, in Galliam asportauit: ita ut eius iussu postea apud Insulam oppidum prope Aratim aurea argenteaq; donaria in scyphos & pateras conflarentur. Nauis oneraria Caietanis onusta spoliis, quæ confecto bello in Galliam iter habebat, apud Circeios naufragio periit, fractaq; penitus, atq; eiecta in litus, circumiectos populos ditauit. Iouius lib. 3 Hist.

HYDRVNTVM Apulię ciuitas maritima, ab exercitu Mahometi Turcorũ principis oppugnata diu, capta fuit, cùm eius exercitus à Sesona in Apuliam trãiectus esset. In colle, qui urbi imminet, hostes castrametati, uallo & fossa munitissimum Hydruntum obsederunt, ut nulla spes auxilij ferendi remaneret. Tandem diruptis mœnibus, ad uesperam extracta pugna. Superati Hydruntini: ingressi urbem Turci: archiepiscopus capitur, trucidatur, nec uerbum sonat ex ore. Qui in hostium manus peruenerunt, omnes capite plexi sunt. Hydruntinorum dux captus, exarmatus, medius est dissectus. Supra duodecim millia perierunt: euaserunt tamen bis mille & ducenti. Potiti prima uictoria Turci, cœperunt statim uicina oppida solicitare ad deditionem, in primis Leucẽ & Tarentũ. Infelix Apulia tota cessisset, nisi mors interuenisset Mahometis. Eo mortuo, Alfonsus dux Calabriæ urbem recepit. Cranzius l. 12 Metrop. c. 20.

MASSILIA urbs anno sal. 1423. ab Alfonso Aragonum & Siciliæ rege Hispaniam petente, cùm negligenter custoditam uideret, direpta & incensa est. Barcellus lib. 1. Belli Hisp.

Normanni, Carolo Caluo imperante, IX. Aprilis obsederunt insignem ac ueterem urbem TREVERIM. Bartholdus archiepiscopus uix manibus eorum elapsus est. Die Paschæ captam ciuitatem incenderunt, post prædam & ingentem hominum cædem. Cranzius lib. 2. Metrop. c. 15.

Carolus Burgũdus, LEODENSIVM urbe capta & direpta, Peronam (signũ erat fusile ex orichalco, quod in libertatis argumentum in foro erexerant) insigni forma, cum inscriptione carminum, in Brugense forum deportari curauit. Sed Maximilianus Cæsar rerum potitus post Carolũ, permisit Leodiensibus, ut in suam referrent urbem. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap. 8.

ARGENTINA urbs nobiliss. ad Rhenum nullam priùs expugnationem passa, ab Atila Hunorum rege capta & direpta est, mœnia deiecta, uti in memoriam Atilæ cunctis aditus liberè pateret, & capitali pœna, ne quis ea restauraret, sancitum. Hinc Germanico uocabulo Strasburga cœpit appellari, hoc est, Arx uiæ. Bonfinius lib. 2. Dec. 1. & Nicolaus Olahus in Atila.

Vlricus Halberstadensis episcopus cõtra Henricum Leonem ducem Saxoniæ cum multis aliis conspirauerat. Non longè ab urbe HALBERSTADIO prælium commissum. Halberstadensibus fugientibus cùm hostes instarent, portas cũ ipsis turmatim ingrediuntur. Capta ciuitas per incuriam, alioqui munitissima, portæ cæteræ clausæ, hostes in medio tanto robore, ut ciuibus nihil superesset. Absconderant ignem ciues & extinxerant: non arma, sed latibula quærentes. Iouentus tandem ignis à quopiam, & incensa casula fouit uentus incendiũ. Exusta est magna parte ciuitas, & processit flamma ad ecclesiam primam, in quam clerus & populus, tanquam in tutissimum asylum cõfugerãt. Exusta est insignis illa basilica, cum omni sacrario uestium, auri & argenti, cum clero & populo, miseranda clade, sine exemplo. Episcopus in sua domo, igne circumfusus, tenens reliquias sancti Stephani ad sui tutelam, captus, abductus cum Remaro præposito cognato suo. Victores cum præda & captiuis plurimis redierant Brunsuicum. Dux ubi audiuit ecclesiam exustam cum clero & populo, ingemuit, multa in bello accidere reputans, quæ uictoribus ipsis non placeãt. Vbi uidit adductum cano capite pontificem, & reliquias sancti Stephani quasi in triumpho adductas fucatasq; de incendio, demisso uultu lacrymas dedit, humanarum rerũ mutationem mente pertractans. Cranzius lib. 6. Sax. c. 40.

Henricus Leo à Friderico I. Imp. à ducatu Saxoniæ deiectus, eo defuncto, contra Bernardum successorem datum arma sumsit, BARDEVICVM urbem an. 1188. die apostolorum Simonis & Iudæ cepit, & direptioni militum permisit. Sæuiit gladius: qui supererant cædi, capiuntur milites atq; ciues. Post gladium ignis hosticus desæuit, ita ut ex illo die non resurgeret urbs illa præclara, & quæ memoriam antiquissimam fertur habuisse. Saxa & lapides inde deuecti, uicinis urbibus incrementum præbuerunt, Lubecæ, Lunęburgo & Hamburgo. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, cap. 2.

Vrbem antiquam, & primotum in Saxonia principum decus QVEDELENBORG, Ernestus dux Saxoniæ, marchio Misnę expugnauit, quòd malè ciues parerent dominæ suæ abbatissæ, quæ soror erat principis. Rolandi statuam, quam pro signo libertatis ab antiquo habuêre, deiecit. Direpta est urbs à militibus, & in extremam pauperiem, unde necdum ciues respirarunt, perducta. Ruunt domicilia, nemo curat reparare: uiuunt in diem: tempora terunt in labore agriculturæ, quæ fructum præstat quotidianũ, diuites iam se computant: obligare sua prædia non sinuntur, ut redditum conticuat alter apud alterũ: liberas possessiones, mundas ab auro manus habere iubentur. Cranzius libro 12. Saxoniæ, cap. 26.

Boemi Hussitæ memores, quàm frequenter ab Friderico Misniæ marchione profligati essent, in illum duxêre quatuor lancearum millia. Ea fuisse ferũt uiginti, aut (ut minimum) sedecim equitum millia: nam lancea quinque equis fulcitur, aut (si minus) quatuor. Obsederunt oppidum Misniæ DVXA, & tandem expugnarunt. Sæuitum sine exemplo in omnem ætatem, utrumq; sexum, omnem ordinem: strages sine ulla miseratione peracta. Multi ciuium ecclesiam in castelli modum tentauerant communire: sed igne iniecto, incendio consumti sunt. Pereunt ecclesiæ cum priuatis domibus: deiiciuntur muri: & miserabili strage peracta, fit urbs sepulcrum suorum ciuium. Cranz. li. 11. Vandal. cap. 6.

Vrbem MOSCHAM cum utraque arce Tartari Præcopenses funditùs exusserũt, anno Domini 1571. mense Maio, ipso die Ascensionis Dominicæ, ubi ingens & innumerabilis multitudo populi in urbe & arce flamma fumoq; suffocata & cõbusta est, paucis fuga elapsis: & una duntaxat arx Kitaigorod uix defensa est, magnamque prædam Tartari inde abduxerunt. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

A Feris uastatæ, excisæ.

☞ *Vide Tit. Efficientes paupertatis, Ranæ, Locustæ, Lepores.*

Suffossum à cuniculis in HISPANIA oppidum, à talpis in THESSALIA, à ranis ciuitatem in GALLIA pulsam, à locustis in AFRICA, ex GYARO Cycladum insula à murib. fugatos (teste Theophrasto) AMYCLAS in Italia è serpentib. deletas, adscribendũ est miraculo. Plin l. 8. cap. 29. & 57.

Igni exustæ.

☞ *Consule Tit. Vrbium ab hostibus euersarum: quatenus ab hostibus incendio uastantur. item Tit. Declinatio nimia seruitutis.*

Quinq; urbes à metropoli SODOMEAS uocatas, igne cœlitùs demisso euersas legimus, Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboin & Segor. Genes. 19. Hæc postrema, inquit Orosius, parua, reliquæ amplæ, sed primæ nominatissimæ. Solinus in Polyhistore: Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantũ eximiæ cutis cohibet, quæ uel leui tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in uagum puluerem. Strabo libro 16. urbes igne ibi absumtas esse dicit, idq; accolis referentibus: quarum metropolis Sodoma adhuc LX stadia in circuitu seruet: tum lacus Asphalthidis pleni sunt illorũ libri, ubi nascitur bitumen. Lud. Viues lib. 16. August. de Ciuit. Dei, cap. 30. Tacitus lib. ult. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisq; urbibus habitatos, fulminis iactu arsisse, & manere uestigia, terramq; specie torridam uim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herbæ tenues, aut flores, ubi solitam in speciem adoleuêre, atra & inania uelut in cinerem uanescunt. Ego, sicut Iudaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoq; fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cœloq; iuxtà graui, Hegesippus, Ambrosio interprete lib. 4. Quinq; ita urbes incensę, quarũ umbra quædam & species in fauillis uidetur. Arsere terræ, ardent aquę, in quib. cœlestis ignis reliquiæ cognoscũtur, atq; adhuc manent. Spectes illic specie poma uiridantia, formatos uuarum racemos, ut edendi generent spectantib. cupiditatem. Si capias, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumũq; excitant, quasi adhuc ardeant. Lud. Viues in lib. 21. Augustini de Ciuit. Dei. cap. 5.

Iones cùm à rege Dario defecissent, auctore Aristagora Milesio, superato Tmolo, SARDES occurrẽte nemine capiunt, omniaq; eius urbis loca, præter arcem, quam Artaphernes Persa tutabatur. Erant Sardibus domus pleræq, arundinaceæ: sed quæ lateritiæ, tamen ex arundinibus lacunaria habebant. Harũ unam quidam è militibus cùm incendissent, repentè ignis è domo in domum lapsus, totam urbem absumsit. Crematis Sardibus, deflagrauit unà templum Cybeles, indigenę deæ: cuius prætextu postea Persæ templa, quę in Græcia erant, cremauerunt. Herod. lib. 5.

Darius, Xerxis pater, è Scythia rediens, cùm Scythas aduersus se transitum parare intellexisset, ne urbes HELLESPONTI inimico exercitu commeatum præberent, multas earum concremauit: inter quas & ABYDVS passa est incendium. Aen. Syl. cap. 65. Asiæ, è Strabone.

ERETRIA à Date Darij duce, septimo obsidionis die capta, & incensa, ciues in seruitutem rapti. Herod. lib. 6.

CORINTHO incensa à Mummio Achaico, aurum, argentũ, & cætera metalla, quæ in statuis, alioq; urbis apparatu fuere, in unũ defluxêre. Placuit uersicolor materia, æsq; Corinthiacum nominatum, & inde Corinthiaca uasa, quæ Romanam luxuriam supra modum exercuêre. Dubium, à materia, an ab opere fuerit his nomen inditum: cùm satis constet, id uasorum genus priùs in usu esse cœpisse, quàm Corinthus sit excisa. Tria huiusmodi genera æris, candidum unum, argenteoq; nitore, in quo mixtura illa præualuit. Alterum, in quo fulua auri natura. Tertium æqualem habuit utriusq; temperiem. Sabellicus lib. 9. En. 5.

HIEROSOLYMA urbs à Tito Vespasiano die Septembris octauo incensa conflagrauit. Iosephus l. 7. c. 16. belli Iud.

CONSTANTINOPOLITANÆ urbis incendium an. 465. Euagrius hoc modo conflatum scribit. Dęmon quidã, mulieris pannosæ ac stipem corrogantis speciem gerens, ea hora, qua lychni accendi solent, lucernam in forum detulit, quasi aliquod salsamentum emturus, ac, relicta ibi lucerna, discessit. Flãma inde è lucernæ stuppa erumpens, horribile fudit incendium, quo ędificia circũforanea subitò correpta flagrarunt. inde proximis comprehensis ædibus, passim ad uniuersam urbem ea calamitas serpsit. in quo desperata salus usqueadeò laborauit, ut Aspar Patricius, dux clarissimus, aquam ad id restinguendum humeris suis attulerit, & singulis opem ferentibus numos aureos pro mercede promiserit. Quatriduo urbem flamma depasta est: inprimis curia arsit, quò senatus cõuenire solebat, & Nymphęũ, in quo qui propriis ædibus carebant, sponsalia celebrabant. regia, templaq; urbis celeberrima, ac nobilium ædes magnificentiss. multæ itẽ incensæ. Sigon. lib. 14. Imp. occid.

Paulus Diaconus lib. 15. in uita Anastasij commemorat, anno undecimo eius imperij, CONSTANTINOPOLIM urbem incendio maximo absumtam.

ANTIOCHIÆ incendium maximum sub Vespasianis, in Iudæos falsò translatum. Iosephus.

In BERYTI urbis Phœniciæ (quæ Felix Iulia appellata est) cõflagrationem, Ioannes Barbucallus in primo Græcorum Epigrammatum:

Ἀδ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἄπολις πόλις ἄμμιγα νεκροῖς
ἐνναέταις κεῖμαι ἁ πανυπερτάτη.
ἥφαιστος μ' ἐδάμασσε, μετ' κλόνον ἐννοσιγαίου.
φεῦ, ἀπὸ τοσσατίου κάλλεος εἰμὶ κόνις.
ἀλλὰ παρερχόμενοι ἐμὰν στοναχήσατε μοῖραν,
σπείσατε Βηρυτῷ δάκρυα κἠ φθιμένᾳ.

VOLSINII oppidum Thuscorum opulentissimum totum concrematum est fulmine. Plin. lib. 2. cap. 52. & 53.

M. Marcello & Val. Leuino Coss. bello Punico secundo, ROMÆ incendium noctu circa forum pluribus locis ortum, septem tabernas consumsit, & argentarias carpsit. Comprehensa inde & alia ædificia priuata. Aedes Vestæ uix defensa, tredecim seruorum opera, qui ob id meritum publicè redemti sunt, donatiq; libertate. Data est etiam libertas, cum uiginti millibus æris, ei, cuius indicio conflati incendij auctores sunt ad consulem delati. Erant hi Campani nobiles, quorum parentes fuerant à Fabio interfecti. Iidem sceleris à seruo conuicti (fuit Manno illi nomen) capitali sunt supplicio affecti. Sabellicus lib. 4. En. 5.

Nero Cæsar neq; populo aut mœnib. patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planeq; ita fecit. Nam quasi offensus deformitate ueterum ædificiorum VRBIS & angustiis, flexurisq; uicorum, incendit urbem tam palàm, ut pleriq; cõsulares cubicularesq; eius cũ stupa tedaq; in prędiis suis deprehensos non attigerint: & quędã horrea circa domum auream, quorum spacium maximè desiderabat, ut ut bellicis machinis labefactata atq; inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant. Per sex dies septemq; noctes ea clade sæuitum est, ad monumentorum bustorumq; diuersoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, deorumq, ædes ab regibus, & deinde Punicis & Gallicis bellis uotæ dedicatæq;: & quicquid uisendum atq; memorabile ex antiquitate durauerat. Hoc incendium è turri Mœcenatiana prospectans, lætusq; flammæ (ut aiebat) pulcritudine, ἅλωσιν Ilij decantauit in illo suo scenico habitu. Ac ne non hinc quoq; quantũ posset prædæ & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerũ & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: collationibusque non receptis modò, uerùm & efflagitatis, prouincias, priuatorumq; census propè exhausit. Suetonius.

Sub Tito Imp. incendio è terra oborto, ROMÆ Serapidis & Isidis fana, septa, templum Neptuni, thermæ Agrippæ, Pantheon, diribitorium, theatrum Balbi, scena Pompeij, Octauiæ porticus cum bibliotheca, templum Iouis Capitolini cum fanis uicinis igni consumta periêre. Et malum id diuinum potiùs quàm humanum uidetur fuisse. Dion.

Sub Antonino Pio terræmotu Rhodiorum & Asiæ oppida cõciderunt: & ROMÆ incendium, quod trecẽtas quadraginta domos absumsit. Et NARBONENSIS ciuitas, & ANTIOCHENSE oppidum, & CARTHAGINENSE forũ arsit. Iulius Capitolinus.

Commodo imperante, ROMA urbs fœdo incendio deformata. Ortus ignis in templo Pacis, quod in uia Noua fuit, nobilissimumq; urbis ædificium primò deflagrauit, & cum eo multorum pecuniæ, quas eò ciuitas, uelut in sanctissimũ reposuerat sacrarium. Arsit & Vestalis ædes, unde depromtum est Palladium in apertum, nulli antea, nisi Vestalibus & pontifici, uisum. Plures inde dies ea est clades per urbem grassata, plurimaque interim ædificia publica & priuata consumta sunt. Crediderunt multi, nocturni casu fulminis id incendium conflatum: sed res eò prodigiosior uisa, quòd sereno, ut Herodianus scribit, cœlo accidit. Sabellicus lib. 5. En. 7.

PATAVIVM iacuerat ab Atilano excidio annos fermè sexaginta sine mœnibus, fossa, uallo, omnique humano cultu propemodum deserta. A Theoderico Gothorum rege fossa & uallo primùm muniri cœpta est. Intercessêre iam inde anni circiter centum & uiginti à prima instauratione ad A-

gilulphi Longobardorum regis, eò quòd urbs Græco Exarcho faueret, oppugnationem: quo temporis interuallo & publica & priuata ædificia ex aſſeribus, quibus abundat regio, nec ulla ferè alia cõſtiterunt materia. Hanc ædificiorum formam contemplatus hoſtis, ualidiore uentorũ ſtatu incenſas in aduerſa tecta immiſit faces, ſagittariorũ opera ad id uſus. Conflatum eſt illico incendium, ac pars multò maxima tectorũ flammis conſumta, caeq; clade perterriti, deditionem Patauini fecêre. Barbari, dedita urbe, ciuibus cum præſidio dimiſſis, quod reliquũ fuit, flammis dedêre. Atq; ſic accidit, ut Patauium anno ferè centeſimo poſt atq; octogeſimo, quàm ab Atila fuerat excidio deditum, ſit tũc iterum à Longobardis exciſum. Sabel. lib. 5. En. 8. & Bonfinius lib. 8. Dec. 1. Anno Chriſti 1174. 4. Non. Martij, totũ ferè incendio fuit abſumtum, cùm occultò ignis in ædes aduerſæ factionis à ſceleſto quopiam iniectus eſſet (contendebãt autẽ inter ſe Iordanus S. Benedicti Nouelli Prior, & Luſcus Tranſalgandinus patricius.) Ad 2614. domorum ea clade conflagrarunt. Extat eius rei teſtis, lapis ad baſilicam D. Acanthiani poſitus: MCLXXNIII. ARSIT PADVA. Bernard. Scardeonus in hiſt. Patauina.

Mephitis templũ ante Cremonenſium mœnia fuit quandoq; loco ſeu numine defenſum, ubi exuſta eſt CREMONA Vitellianis Flauianisq; bellis, anno poſtea quàm condita fuerat ducenteſimo octogeſimoſexto, T. Sempronio & Cornelio conſulibus, ingruente in Italiam Annibale. Cælius libro 24. cap. 25. A. L. Incenſa iterum ab Agilulfo rege Longobardo, quia Græcis pareret, anno 605. Bernard. Saccus lib. 3. hiſt. Ticinenſis.

Anno 1003. PAPIA, ut fortuito, ſic miſerabili incendio propè uniuerſa conſumta, uehementiùs animos omnium ac pectora concuſſiſſet, niſi inaudita frugum omnium conſecuta penuria ſuas res quenq; reſpicere coegiſſet. Sig. l. 8. regni Ital.

Erlembaldus, Mediolanenſis populi ductor, Gothifredum archiepiſcopum ab Henrico IIII rege Germanorũ dictum, (cùm Vido ſe abdicaſſet ſpõte) Caſtelioni obſidebat anno 1071. Extremo Quadrageſimæ ſpacio ingens MEDIOLANI eſt incendium excitatum. Ad id reſtinguendũ cùm plurimi è caſtris, quæ ad Caſtelionum erant, receſſiſſent, oppidanis locum ad euũpendum dederunt. qui magno conatu egreſſi, Erlembaldũ cũ maximo ſui periculo inuitũ obſidione decedere compulerunt. Eo incendio magna pars urbis ad ſolum exuſta eſt. Incẽdum inde Caſtelionenſe apud poſteros celebre manſit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Circa annum ſal. 1109. duplex incendium, unum poſt alterum, duorum menſium ſpacio inter utramq; cladem intericto, VENETAM urbem propemodum abſumſit. Sed poſterius multò calamitoſius, ſexdecim inſulis continua clade conſumtis, & cum his parte una Ducalis domus. Sab. l. 4. En. 9.

VENETIIS initio anni 1514. tertio Idus Ianuarias, de prima uigilia, in Rinalto, frequentiſſima urbis regione, repẽtinus ac ualidus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primùm inflammauit: mox inuantibus aquilonibus, qui ſæuiſſimi ea nocte forte perflabant, antigua etiam ædificia corripuit. Mirum dictu, ac uiſu horrendũm, quanta uelocitate & ſimul cœperit, & ad dextra læuaq; in immenſum populabundus innumeras ædes, Dolo annis templum, & cuncta ſimul, quæ ad Farinas (id loci nomen eſt) & ad forum Piſcarũ uergunt, abſumſerit: ita ut momẽto temporis ſuper ſemiuſtas & corruentes domos, miſerabili uaſtitate inſolitum atque inane loci ſpacium flammæ patefecerint. Eadem uiolentia hauſtis numulariorum officinis, rectà per argentarios ad templum Apollinaris uſq; peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miſerorum ſui rapiditate atq; ſegnitia. Sterit intactum D. Iacobi uetuſtiſſimum ſacellum, circumambuſtis lateribus, quo nihil antiquius Venetiis habetur, utpote quod in ipſo naſcentis urbis primordio ab circumiectis populis, in Hadriaticas paludes Barbarorũ metu fugientibus, ædificatum fuerit. Inde perpetuum noctem debacchante flamma, neq; exitus calamitatis, neq; remedium reperiebatur. At prima luce cũ magiſtratibus Andreas Grietus ſupereuenit, iuſſitq; fabros cõtinuò demoliri domos ardentibus iunctas, ut graſſantibus incendiis liber campus atq; ipſum cœlum occurreret. Ita tandem reſtinctũ eſt. Fuêre, qui nõ caſu, ſed dolo id factum crederent: quòd eodem quoq; temporis puncto, diuerſa in regione urbis, cœnobiũ Cruciferorum cõflagrauerat: ſubiiciebantq; crimini & inuidiæ Germanos, tanquã ij pari calamitate illata, ſimilẽ iniuriam ulciſci contenderent: quoniam ſuperiore anno oppida duo in Germania fraude Venetorum arſiſſe dicebantur. Iouius lib. 12. Hiſt.

Incendio, quo FELTRIA à Maximiliani I. Imp. Rom. militibus conflagrauit, anno 1509. turris portæ oppidi immunes conciditi: qua in turri carmẽ ſolido in lapide legebatur, antiquitate mira preditum. Is lapis igne abſumtus, haud parũ ciuitatis deſiderio interiit. Carmen erat huiuſmodi:

Feltria perpetuo niuium damnata rigori,
Fortè mihi poſthac non adeunda, uale.

Supra carmen Iulij Cæſaris nomẽ erat inſcriptum. Bembus lib. 9. Hiſt. Venet.

Gulielmus Normanus Angliæ regnum occuparat. Angli exules Cantium III. Danorum regem in inſulam ducunt, EBORACVM uerſus. Normani, qui urbis præſidio relicti erant, ne ſuburbana ædificia Dacis uſui forẽt, ea incendẽrũt. At ſuborti repentè uentus, uagantem flammam adeò in altum lateq; euexit, ut ignis frequentes globi intra mœnia cadentes, maius intrà quàm extrà incendium fecerint, quo penè omnia ædificia cũ templo D. Petri abſumta ſunt. Quare omne præſidium ac ciues exire compulſi, confertim fugientes, in hoſtes, qui iàm appropinquabant, inciderunt. Polydorus lib. 9.

Sub Philippo II. rege Francorum CARNVTVM urbs incendio fortuito maxima ex parte fœdata. Aedes Virginis cremata, & ſeptum: in eoq; quamplurimi mortales abſumti. In Bellouacorum finibus cornuo roſtro carbones cadentes tectis intuliſſe, incendiumq; cõflaſſe creditum. Aemil. lib. 6.

Edouardo I. Anglorum rege contra Scotos defectores exercitum ducente, anno 1297. Scoti, ut uenientem hoſtem finibus prohiberent, in agrum Anglicum egreſſi, ac prædas ubiq; facientes, CARLIOLVM obſident, atq; calu inaudito ita ferente incendunt, facto intus incendio ab exploratore Scoto, qui fortè captus in cuſtodia erat, auditoq; ſuorum aduentu, & ſe neci, & urbem igni dedit, quem poſtea uentus per omnes ferè uicos diffudit. Polyd. lib. 17.

Anno 1152. dimidia pars oppidi AVDOMARI cum templis Dionyſij, Ioannis & Martini, ſurgente ex cœnobio D. Bertini incendio, Nonis Septembris conflagrauit. Numinis ira, inquit Meyerus, id accidiſſe creditum, propterea quòd ex duodecim monaſteriorum antiſtitibus, epiſtis uinoq; merſis (eò enim conuenerant die Bertino ſacro ad ſolennes conuiuium) nemo inuentus ſit, qui ad nocturnas matutinaſue ſurrexerit preces. Chronicon Flandriæ.

Lotharius Romam proficiſcens, pro inauguratione impetrãda, OSTERBVRGVM uenit, ubi grauis excitata eſt ſeditio inter ciues ac regios miniſtros. Qua feruẽte, incendium exortum eſt, quo tota penè ciuitas periit: plurimi etiam homines cæde ac flamma ſunt extincti, anno 1127. Eodem anno MOGVNTIA ciuitas, & cathedralẽ templum pulcrimè ornatum, ac monaſteria aliquot Spiræ & Argentorati, & tota penè Goslaria, & Salinæ Saxonum conflagrarunt. Hæc ad annum 1136. Saxoniæ Chronicon refert, & eodemq; die accidiſſe narrat.

Anno ſequenti TRAIECTI, ipſis feriis Paſchalibus, omnia templa, cum magna ciuitatis parte incendio petiẽre. Chronicon Germanicum. GANDAVI octo de nocte incendio, dimidia pars urbis cum templis Michaeli & Iacobo dicatis periit. Chron. Flandriæ.

Anno Domini 847. ſub imperio Lotharij in ciuitate PADERBVRNENSI, uiſi circuli duo ad ſolem, quorum interior eccleſiæ magnitudinem, exterior urbis cõplexus fuerat latitudinem. Vix dum euanuerant, exortum eſt incendium, & urbs penè tota cũ eccleſia cõflagrauit, uerſaq; eſt dies meridiana in nocte. Lycoſt. in Prodig. ex Cæſij. l. 6. Metrop. c. 23.

Anno 1160. Nonis Aprilis, urbs FRISINGENSIS penitùs cũ minuerſis templis, ſacerdotumq; contuberniis, cœleſtis ignis abſumitur. Hanc calamitatem, inquit Radeuicus, nonnullæ prodigiorum indicia præceſſerunt. Quodã enim uice in die circumciſionis Domini, dum ad miſſam ſolennem presbyter altari maiori aſſiſteret, & iam ſacri ſecreti ultimũ reſoluiſſet filẽtum, calix cum ſanguine ita prorſus euerſus, & ſic per altare in conſpectu omnium effuſus eſt, ut nec ſtilla ſupereſſet. Per idem tempus monſtra quædam quadrupedia, aliaq; fantaſmata de nocte uiſa ſunt tam à clericis quàm à laicis hinc inde uolare. Vulpes & lepores domos canonicorum ingreſſæ, uelut domeſticæ ſe capi permittebant. Pueri ac puellæ per medium ciuitatem ſæpius proceſſionẽ agentes, uerasq; letanias imitantes, iocis ſuis ſeria portendebãt. Vlulę, upupæ, bubones toto anno in tectis funebria perſonantes, lugubri uoce aures omniũ repleuerunt. Piloſi, quos Satyros uocãt, in domibus plerunq; auditi. Radeuicus lib. 4. cap. 13. de geſtis Friderici. Eadem fuit & Spirenſis eccleſiæ ferè iiſdem diebus fortuna. Ibidem cap. 14.

Anno 1472. apparuit terribilis in cœlo cometes per menſem Ianuarium inſequentem, grandi cauda, multa minarus, quæ ſequuta ſunt, mala, læuo lumine cœlum contriſtauit. Acſtate tum inſequente terribili incendio magna pars ERFORDIÆ arſit, immiſſo igne per conductitios, quorum erat primarius religioſus quidam de ordine prædicatorum Cliſteierenſium. Concrematę duæ eccleſię collegiatæ, cũ ponte mercatorũ, & inſigni urbis parte. Machinatus eſt homo militaris generis quidam, quòd & urbi & Lantgrauio eſſet inſenſus. Cranzius l. 12. Saxoniæ, c. 12. & lib. 13. Vandal. c. 7.

Circa

Circa annum ſalutis 1424. tribus uno tempore locis ſatis diſtantibus (quod prodigij loco habitum eſt) exorta ſunt incẽdia, GEDANI in Pruſſia, TANCLEM in Vandalia, DVDERSTAT in Saxonia, eccleſiæ & monaſteria unà cõflagrarunt cummultis mortalibus. Ferunt nulla ui aquæ, nulla deniq; ſubuerſione domorum ſuccurri potuiſſe: donec à fundamentis omnia conſumerentur, quæ illud incendium attigerat. Cranzius lib. 11. Vandal. c. 2.

LYBECA, urbs Saxoniæ nobiliſſima, quater incendium paſſa. Primò ſub Adolpho Comite Holſatiæ. Secundò uix bene conſummata (quum eam acciperet Henricus Leo) anno 1209. cùm uſque ad quinq; domus periret, quæ hodie nomen ſeruãt, ut uicus Quinq; domorum uocetur. Tertiò circa annũ 1240. pro media parte. Tãdem anno 1276. Ex quo quarto incendio, eo qui nunc cernitur ordine, conſtructa eſt, ut in longum uelut per dorſum duæ tendantur plateæ: ex lateribus autem uelut coſtæ deriuentur uiculi, hinc ad Trauenam fluuium, inde ad lacum Vuokeniſſam: qui utrin que ciuitatis muros alluunt. Cranzius libro ſeptimo Vandaliæ, cap. 5. & 14. & 34.

Anno Chriſti 1518. menſe Iunij, horrenda Solis eclipſis, geneſin Maximiliani Imp. uehementer offuſcans, eiq; lethalis, in cœlo VIENNÆ apparuit, & ea ipſa hora horrendum excitauit incendium, quo platea amœniſſima urbis, quæ Cãtorũ uulgò dicitur, magna parte exuſta eſt. Maximilian⁹ Oeniponte cum ſuis agens, hoc caſu commotus, in febrim incidit lentam, qua tandem periit. Cuſpinianus.

Anno 112. plus quàm dimidia pars MOGVNTIÆ urbis incendio periit, unà cum bis mille hominibus, inter quos & duciſſa Lotharingię Mathildis numeratur. Valent. Muncer.

VORMACIA ictu fulminis combuſta eſt anno 873. iuxta Marianum Scotum.

ARBOR FELIX, urbs ad lacum Podamicum ſita, anno Domini 1494. incendio tota periit, ſubiecto igne à nebulonibus quibuſdam, in prytaneo Arbonenſi à teneris educatorum, quorum pater ſuſpendio à magiſtratu fuerat necatus. Stumpfius.

BERNA Heluetiorum grauiſſimis incendiis conflictata eſt. A.D. 1286 tota periit. 1383 magna ex parte. 1403 grauiſſimè. 135 ultra 27 domus. Stumpfius.

VRBS S. Galli A.D. 1215. 2. Maij incendio tota periit, excepto monaſterio. Anno 1314. 15 Octobris, turſus unà cum cœnobio conflagrauit, ſex domibus tantùm exceptis. Iis cladib. uexati ciues, negotiationi linearum ueſtium ſe totos dediderunt. Anno 1368 ignis rurſus non exiguam partem urbis abſumſit. Rurſus anno 1418, menſe Aprili, urbs cũ cœnobio igni ita uaſtata eſt, ut 17 domus tantùm ſupereſſent. Mox in ſtitutæ uigiliæ nocturnæ 30 uirorum, & uento bacchante, 14 ſpeculatorum. Stumpfius.

SCAPHVSIA, ad maiores Rheni cataractas urbs Heluetiorum nobilis, igne ſœdè uaſtata eſt, ut uix quarta pars integra ſuperfuerit. A.D. 1372. Stumpfius.

CONSTANTIA ad lacum Podamicum ſæpe multumq; incendiis uaſtata eſt. Maximè uerò A.D. 1314 igne excitato in ædibus Iudæi, qui ob religionem ſabbati manus igni admouere nolebat. Rurſus anno 1349 Iudæus, qui ui coactus ſuperſtitionem ſuam abiurauerat, igne domui ſuę ſubiecto ſeipſum cum duobus filiis exuſſit, per feneſtras clamans, ſe in fide Iudaica conſtanter moriturum. Vicinia tota conflagrauit. Stumpfius.

Cùm Salomon Vngarorum rex ALBAM Græcam, Bulgarorum partes ſecutam, iam tertium menſem obſideret, Panno nica uirgo in Syrmienſi agro capta, & Albæ in ſeruitutem aſſerta (quod an caſu, an ex induſtria, ulciſcendæ captiuitatis gratia factum ſit, non ſatis conſtat) clàm in urbe incendium ſuſcitauit: quod Subſolano ſtante uſq; adeò adauctũ eſt, ut mox longè lateq; graſſari uideretur. Vngari, quã ſuci lior dirutis mœnib. aditus offerebatur, hac urbẽ ſubeunt, Bulgaros, Græcos, ac Beſſos obtruncant, qui primùm occurrerant. Cæteri in fugam uerſi, cum Nicota eorum duce, in arcem ſe receperũt. Bonfinius lib. 3. Decadis 2. hiſt. Vng.

Venceslao IIII. Boemis imperante, eo ipſo anno, quo Ptolemais à Saracenis occupata eſt, PRAGA fermè uniuerſa igne familiari exuſta, liberalitate regis, ciuiumq; diligentia ita inſtaurata, ut felix incendium fuiſſe uideretur. Aen. Syluius hiſt. Boem. cap. 28.

Anno 1135. CRACOVIA, metropolis Poloniæ, penitùs cõflagrauit: incertum, fortuitóne incendio, an à Boemis clàm ſubornato, propter receptum Sobieſlaum exulem. Cromerus lib. 5. Anno Chriſti 1462. Cracouia horrendo incendio in cœnobio Dominicanorum ſodalium è fornace alchymiſtica, quemadmodum uulgò iactatum eſt, orto arſit, ita ut dimidia ferè pars urbis ad meridiem & occidentem ſolem uergẽns abſumeretur. Cromerus lib. 24. Anno 1493 ultima Iunij atrox incendium, poſt occaſum ſolis graſſatum, maximam urbis Cracouiæ partem, quæ ad Septentrionem & Occidentem ſolem uergit, cum teſtis turrium & mœnium atq; templis abſumſit. Poſt quod tempus Iudęorum domicilium, qui couſq; ſparſim in urbe habitarant, graſſante que incendio illo à militibus excuſſi erant, Cazimiriam tranſlatum eſt in ripam Viſtulæ: quem locum Cazimirus magnus gymnaſio deſtinarat, & exædificare cœperat. Idem libro trigeſimo.

Anno 104. CAZIMIRIA, quæ Cracouiæ ponte iungitur, à meridie ad noctem uſq;, rege Alexandro ex arce inſpectante arſit, & cum turribus & pinnis mœnium penitùs conflagrauit. Cromerus lib. 30.

BASILEA Rauracorum A.D. 1258 unà cum ſummo templo miſerè incendio fortuito uaſtata eſt. Anno 1294 incendio ędes ſexcentæ abſumtæ. Minor Baſilea A.D. 1354 grauiſſimè afflicta. Forum frumentarium, & cliuus Spalenſis ann. 1377 abſumtus. Iterum anno 1417 à xeno dochio ad D. Albanum uſq; 300 domus conflagrarũt. De quo ſic Poggius lib. 1. de Miſeria humana: Paucis antè annis urbs Baſilea nobilis, iux a Rhenum poſita, maiori nobilioriq; ex parte incendio conflagrauit. Vidi, illàc iter faciens, adhuc urbis illius fumantia ædificia, & domos in cinerem redactas.

Oppidum Germaniæ SCHILTACVM 4. Idus Aprilis, qui dies erat Iouis ante Paſcha, anno à Chriſto paſſo 1533 conflagrauit, à uenefica incenſum. Vti Eraſmus Rot. ex Henr. Glareani narratione refert, & Cardanus lib. 19. de Subtil. repetit. Dæmon ſibilo ſignum dedit è quadam ædium parte. Caupo ſuſpicans eſſe furem, aſcẽdit, neminem reperit. Sed idem ſignum rurſus ex altiore cœnaculo redditũ eſt. Et huc conſcendit caupo, furem perſequens. Cum nec illic quiquam appareret, ſibilus auditus eſt è faſtigio ſumarij. Illicò tetigit cauponis animum, eſſe dæmoniacum quiddam, iubet ſuos eſſe præſenti animo. Acciti ſunt ſacerdotes duo, adhibitus exorciſmus. Reſpondit, ſe eſſe dæmonem. Rogatus quid illic ageret, ait ſe uelle exurere oppidum. [redacted]. Aliquanto poſt mulierculam, qui cum habuerat conſuetudinem annis quatuordecim, cùm interim illa quotannis & confiteretur & acciperet euchariſtiam, eoq; etiam die communicaſſet, ſuſtulit in aerem, impoſuitq; ſumarij faſtigio: tradidit ollam, inſſit ut inuerteret: inuertit, & intra horum totum oppidũ exuſtum eſt. An dæmõ indignatus ob inductum ſibi male cauponis filium, & oppidum perdiderit, & mulierem prodiderit, certum non eſt, eſt tamen uero ſimile.

Anno ſal. 1564. ſub belli Germanici initia, ad ſeptimum Auguſti diem, MECHLINIÆ, quod eſt Cęſaris ditionis oppidũ Brabantiæ pulcerrimum, puluis tormentarius in turri quadam in mœnibus repoſitus, à fulmine incenſus, ipſam turrim primùm à fundamentis euertit, proxima deinde ædificia, intra & extra urbem, ad quingentos in circuitu paſſus inuaſit, ex iis pleraque incendit, plurima diruit, ac diſiecit, nonnulla concuſſit ac diſrupit, atq; ex iis lapides ingentes correptos, pleroſq; ad ſexcentos paſſus longè contuliſſet: atque ita corruptis tectis ac denudatis, totam propemodum urbem deformauit, arbores radicitus euertit & ambuſſit. Perierũt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incendio abſumti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis obruti, præter eos, q grauiter uulnerati mortem effugerant, quorum ingens erat numerus. Ex his complures biduo ac triduo, nõnulli quatriduo poſt, è cellis ſub terraneis, in quas confugerant, plerique mortui, qui uel fame, uel ſpiritu præcluſo extincti erant: pars uiui, qui penu ibi condito inuento, uitam ibi toleraſſent, reperti atque extracti ſunt. Præter ea ingens numerus iumentorum atq; pecorum cum ſtabulis deflagrauit. Murus autem, qua parte turris ſteterat, ad ducentos amplius paſſus diruſus ac ſolo æquatus fuit. Sab. ſupplem. lib. 28. ex Sleidano.

Submerſæ.

A Circeis palus POMPTINA eſt, quã locũ XXIII urbium fuiſſe, Mutianus ter conſul prodidit. Plin. lib. 2. cap. 5.

PYRRHAM & ANTISSAM circa Mæotim pontus abſtulit, ELICEM & BVRAM in ſinu Corinthio, quarum in alto ueſtigia apparent. Exinſula CEA amplius triginta milliã paſſuum abrupta ſubitò cum pluribus mortalium rapuit. Et in Sicilia dimidiam TYNDARIDA urbẽ, ac quicquid ab Italia deeſt. Similiter in Bœotia & Eleuſina. Plin. 2. c. 92.

Gellianus auctor eſt, lacu Fucino hauſtum Marſorum oppidum ARCHIPPE, conditum à Marſya duce Lydorum. Plinius lib. 3. cap. 12.

SYBARITÆ tantum armorum ſtudio floruêre, ut quatuor finitimas rexerint gentes, urbibus quinq; & uiginti imperio ſubactis. Quo contingit, ut trecentum armatorum millia aduerſus Crotoniatas, uno tempore, ad bellum inſtruxerint. Sed tantam rerum felicitatem luxuria & uoluptas euertêre, ita ut ſeptuaginta dierum ſpacio, opibus ipſius populi afflictis, captam urbem Crotoniatæ immiſſo fluuiũ

immerserint. Sabellicus lib.nono En.3. ex Strabonis lib.6.

Terræmotu haustæ, obrutæ, concussæ.

Parthorum urbi RHAGIS nomen impositum dicitur à terræmotibus, qui ibi frequenter fiunt, à quibus multæ (ut Posidonius refert) urbes & duo millia uicorum euersa sunt. Strabo lib. 11. Mediæ præfectura est, quæ Rhagæ appellatur, ab infortuniis, quæ in ea acciderunt. Cùm enim plurimas haberet urbes, & maximè locupletes, tantos habuit terræmotus, ut & urbes & incolæ omnes perierint, & omnino regio mutata fuerit, & flumina pro his, quæ antè erant, alia extiterint, atq; lacus. Diod.lib.19.

In Phœnice facto terræmotu, OPPIDVM super Sidonam situm absorptum fuit, & SIDONIS dimidietas fermè corruit, non uno quidem motu. Strabo lib.1.

Olymp.101. anno quarto, PELOPONNESVS grauissimo terræmotu conquassata fuit. Sed multo maior ac incredibilior calamitas postea accidit. Mari enim uehementer concitato, altoq; fluctu exundante, omnes unà cum domibus absorpti perierunt. Factum est autem malum hoc in duabus Achaiæ urbibus, una HELICE, altera BVRA: quarum Helice ante terræmotum habita est omnium Achaiæ urbium celeberrima. Physici horum malorum causas naturales afferunt. Habet enim Peloponnesus confluentium aquarū magnos quasi subterraneos lacus. Argumento sunt duo fluuij manifestò sub terram fluentes. Namq; is, qui ad Pheneum est, fluuius, in terrā influens, superioribus temporib. euanescebat, subterraneis cauernis eum haurientibus. Et is, qui iuxta Stymphium est, terræ hiatu absorptus, per ducēta stadia sub terra latens, tandem ultra Argiuorū oppidum exitum quæsiuit. Diod.lib.15. & Pausanias in Achaicis.

SICYONE urbs fuit olim celeberrima, & reges ex tota Græcia antiquissimi. Eam tamen incertū quibus cladibus uehementer afflictam terræmotus ad solitudinem & uastitatem [redacted] Ac tunc multa, quæ admirationi fuerant, opera in[redacted] Eodem uerò [redacted] magnis calamitatibus affecta [redacted] uehementer concussa est, ut Sibyllæ uaticinatio Rhodi sit exitio comprobata. Pausanias in Corinthiacis.

Quo tempore Lysimachus intulit Heracleensibus bellum, in Hellesponti & Chersonesi regionibus terra adeò horrendè mota est, ut LYSIMACHIA urbs altero & uigesimo anno ab eo, quo condita fuerat, magna ex parte conciderit. Fuitque prodigium illud Lysimacho, & eius stirpi pòst paulò interituræ, ac malorum omnium, quæ deinceps secuta sunt. Sab.lib.8.En.4.

Democles ingentes quosdam olim circa Lydiam & Ioniam usq; Troadem factos terræmotus scribit. A quibus & uici sunt absorpti, & Sipylus submersa, regnante Tantalo, & è paludibus lacus facti, & TROIA fluctibus immersa. Pharusq; Aegypti, quæ olim erat in pelago, nunc certo quodā modo peninsula facta est, similiter Tyrus & Clazomenæ. Strabo lib.1. Ipsa se condens terra deuorauit CYBOTVM altissimum mōtem, cum oppido CVRITE, SIPYLVM in Magnesia: & priùs in eodem loco clarissimam urbem, quæ TANTALIS uocabatur. GALANIS & GAMALES urbium in Phœnice agros cum ipsis, PHEGIVM Aethiopiæ iugum excelsissimum. Plin.lib.2.cap.91.

Anno regni quarto Archelai filij Zeuxidami Lacedemoniorū regis, maximo omnis prioris memoriæ terræmotu, cùm Laconiæ labes in multos hiatus desedit, tum Taygetus concussus, & uertices sunt aliqui eius collapsi. Ipsa conuulsa SPARTA est tota præter quinque ædificia, cætera terræ tremor labefecit. Media porticu, ubi adolescentia & iuuentus unà exercebant se, fama est paulo antè quàm terra quateretur, leporem percurrisse. Iuuenes autem, ut erant uncti, euolasse ludibundos ad consectandum. Adolescentes uerò, qui remanserant, gymnasij ruina oppressos perisse cunctos. Horum tumulum uocant etiam hoc æuo Sisinatiam, quòd σεισμὸν terræmotum dicant. Plut. in Cimone.

Maximus terræ, memoria mortalium, extitit motus, Tiberij Cæsaris principatu, 12. urbibus ASIÆ una nocte prostratis. Creberrimus Punico bello, intra eundem annū septies atq; quinquagies nunciatus Romam. Quo quidē anno ad Trasymenum lacum dimicantes, maximum motum neq; Pœni sensère, nec Romani. Plin.lib.2.

Sub Hadriano, quemadmodum in Chronico Eusebius annotauit, iterum exorti terræmotus, maximam partem NICOMEDIÆ & NICEÆ urbium euerterunt. Et aliquāto pòst, NICOPOLIS & CÆSAREA eadem de causa penitùs submersæ sunt.

In Syria terræmotus factus est, quo apud TYRVM & SIDONEM passim labentibus tectis, multa millia hominū prostrata sunt. Eutropius lib.10. Idem Eusebius in Chron. annotat, factum esse anno Domini 300. & Orosius lib.7. Sabellicus Enneadis septimæ libro octauo affirmat, hunc terræmotum accidisse decimonono anno imperij Diocletiani.

Anno septimo Constantij, Domini uerò 347. NEOCÆSAREA in Ponto terræmotu subuersa est, excepta ecclesia ac episcopo, cæterisq; qui ibidem reperti sunt. Hieronymus in Chronico. & Eutropius lib.11. Orosius lib.7.

Anno sequente DYRRACHIVM Dalmatiæ terræmotu corruit, & tribus diebus & noctibus Roma nutauit, plurimæq; Campaniæ urbes uexatæ sunt. Hieronymus in Chronico, Eutropius lib.11. de Constantio.

Anno Christi 372. terræmotus circa Bithyniam ingens. NICÆA, quæ sæpe antea corruerat, undecima mensis Octobris funditùs est subuersa. Factum hoc esse anno duodecimo post ruinam Nicomediæ, Socrates lib.4. capite decimo numerat. Verùm iuxta Hieronymi Chronicon decimus duntaxat fuit. Paulò post hunc terræmotum, etiam GERMÆ ciuitatis Hellesponti multæ partes alia concussione terræ subrutæ sunt: & uidebantur isti terræmotus indicia esse futurarum perturbationum Ecclesiæ. Socrates ibidem.

Anno 747. urbes SYRIÆ terræmotu ita sunt agitatæ, ut aliæ funditùs, aliæ magna ex parte prociderint, quædam ex mōtibus in subiectos campos per sex millia passuum, tectis saluis incolumibusq;, translatæ sunt. Sigon.lib.3. regni Ital.

Anno 477. per quadraginta dies continuos CONSTANTINOPOLI terra horrendo planè motu tentata est, quo pleraq; ædificia publica ac priuata procubuerūt, ac ruinis magnam uim hominum oppresserunt. Sigonius libro decimoquinto Imp. occid.

Tricesimo imperij Theodosij anno terræmotus magni facti sunt CONSTANTINOPOLI per quatuor menses, ita ut metu nimio perculsi Byzātini, extra ciuitatem in campū unà cum episcopo, qui tum Proclus fuit, secederent, precibus Deo pro liberatione ab imminenti interitu supplicantes. Quadam ergo die fluctuante terra, atq; omni plebe attentiùs clamante, κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam, omnibus uidentibus, à diuina contigit uirtute, sustolli quendam adolescentulum in aera, & audire diuinam uocem admonentem, ut episcopo ac populo nunciaret, ut Litanias sic facerent, & dicerēt: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis. nihil aliud apponentes. Proclus episcopus cùm sic facere populo præcepisset, terræmotus cessarunt. Paulus Diaconus lib.14. & Cedrenus.

Paulus Diaconus libro decimotertio de gestis Romanorum, CONSTANTINOPOLI, posteaquam in regnum Arcadius successisset, terræmotum ingētem accidisse scribit, terra horribili modo subtus tremente, desuperq; fusa flamma cœlitùs pendente, ut cœlum omne ardere uideretur. Ac durasse quidem pluribus diebus, donec Arcadij Imperatoris & populi precibus placatus Deus, supplicium imminens auerterit. Prosper factum illud scribit anno Arcadij primo, Christi 396. iuxta Marianum, secundùm Prosperum 398.

Terræmotum ingentem CONSTANTINOPOLI ortū fuisse adeò, ut in periculo & metu uniuersa esset regio, Theodoretus tradit, nocte proxima, cùm sine causæ cognitione expelli urbe Ioannem Chrysostomum Arcadius præcepisset. Accidisse autem ob iniustam & uiolentam Ioannis expulsionem motum eum terræ, ab omnibus indicatum est. Ipsius etiam Imperatoris mentem cogitatio ea subiit: quāobrem manè legatis missis, Ioannem ex itinere in urbē reuocauit. Theodoretus lib.5.cap.34.

Sub imperio Theodosij iunioris maximus & uehementissimus, ac priores omnes excellens terræmotus, per uniuersum propemodum orbem factus est, ita ut multæ turres per regiam collaberentur: & prolixus ille murus CONSTANTINOPOLI, quem Cherronesum uocant, corrueret: tellus dehisceret, ac multi pagi submergerentur, multæq; & innumeræ calamitates terra mariq; acciderent: fontes aliqui exiccarentur, & aliis locis, ubi nulli fontes fuerant, aquarum abundantia scaturiret: denique immensæ arbores cum ipsis radicibus extirparentur, ac plurimæ ualles in mōtes subitò mutarentur: mare mortuos pisces eiiceret, atque multas insulas undis suis inuolueret: marinæ naues in sicco cernerētur, undis scilicet retrolabentibus: Bithyniaq; & Hellespontus & utraq; Phrygia plurimùm affligerentur. Et hæc calamitas diu terram occupauit: paulatim desinens, donec in uniuersum cōquiesceret. Euagrius lib.primo, cap. 17. Nicephorus lib. 13. cap.39.

Anno 4. Iustiniani POMPEIOPOLIS Mysiæ ciuitas cum maxima hominum multitudine terræmotu miserè est absorpta: quorum nonnulli subtus terram superstites, ex ima uoragine hominum auxilia implorabant. Nouennio pòst totus terrarum orbis horrendo terræmotu concussus est. unde innumera loca & ciuitates in præceps ruerunt, soloq; sunt æquatæ. CONSTANTINOPOLI in ipso Paschatis festo terræmotus horribilis exortus est. Proximo biennio alii secuti sunt terræmotus, & tempestates sæuissimæ: tantique fulminum & tonitruum grauissimorum impetus, ut & dormientes plurimi læderentur, & bona pars Byzantii incēderetur.

Quinto anno pòst, qui uigesimus septimus fuit Iustiniani, iterum Constantinopolis & uicina loca ingenti terræmotu quadraginta continuos dies grauissimè quassata fuit. Sequenti anno denuò tanti tempestatum exiterunt turbines, & uis fulminum, ut crucis statuam in portu Constantinopolitana collocatam deiicerent. Agathius lib.5.

Paulus Diaconus libro 21. Rerum Romanarum, anno Leonis XXIII. inquit, terræmotum factum esse magnum atq; terribilem CONSTANTINOPOLI, VII. Calend. Nouembris, hora 8. & corruerunt Ecclesiæ ac monasteria, populusque multus extinctus est. Cecidit autem & simulacrum, quod stabat super Atali porta, Magni Constātini, unà cum ipso Atalo: & titulus Arcadii, qui supra Xerophili columna stabat: atq; simulacrum maioris Theodosii, quod supra auream portam uidebatur: nec non & terreni urbis muri, atq; ciuitates ac uillæ in Thracia, & Nicomedia in Bithynia: itē Prænetus & Nicea, in qua una tantùm salua remansit Ecclesia. Fugit autem & mare terminos suos in quibusdam locis, & perdurauit terræmotus diebus duodecim. Zonaras tomo 3. Anno Domini DCCXLI. iuxta Sigebert.

Anno decimo Irenes, cùm cogitaret filium Constantinum ab Imperio prorsus remouere, persuasa ab aulicis, qui per eam dominatum sibi arrogabant, terræmotus 6. idus Februarii CONSTANTINOPOLI accidit, adeò uehemens, ut de ruina urbis metus esset, & omnes ciues extra domos suas in hortos & agros exirent, & tentoria atq; tabernacula sub dio figerent. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum. Anno Domini DCCXCI. Sigebertus.

Sub Iustino seniore Imp. refert Zonaras Tomo 3. ANAZARBVM secundæ Ciliciæ metropolim terræmotu concidisse: & EDESSAM urbem illustrem Osroenæ prouinciæ submersam esse, cū Scirtus fluuius, qui eam mediā perfluit, exundasset, & urbis ædificia deiecisset & auexisset, & ciues partim ruina, partim undis oppressisset. Aliquot dieb. elapsis aqua imminuta, lapidea tabula in ripa fluminis est reperta, cui erat hieroglyphicis literis insculptum: Scirtus fluuius (habet autem à saltando nomen, quasi saltatorem dicas) malè saltabit ciuibus. Concidit & semissis POMPEIOPOLIS, urbe media dehiscente: in eoque hiatu, multi uiuentes adhuc auxilium petierunt, cùm opem nemo ferre posset.

Anno quarto Constantii, Domini uerò CCCXLIV. multæ urbes Orientis terræmotu terribili cōciderunt. Hieronym. in Chronic. Socrates lib.2.cap.17. narrat, quinto anno pòst mortem Constantini, consulibus Marcello & Probino, Antiochiæ celebratam synodum, damnasse Athanasium, & fidem Nicenam uerbis quidem probasse, sed re ipsa damnasse, & aliam substituisse. Et paulò pòst, Deum eam impietatem terræmotibus in Oriente passim excitatis, maximè uerò ANTIOCHIÆ, quæ integrum annum concussa sit, puniuisse. Eadem Sozomenus lib. 3.cap.14. refert. Eutropius uerò lib.11. etiam terræmotum in BERYTO Phœniciæ ciuitate factum esse scribit, & plurimam partem eius oppidi corruisse: eaq; calamitate multos gentiles terrefactos, Ecclesiam ingressos esse: & spopondisse, se Christianam religionem amplexuros, si liberarentur.

An.555. Idib. Augusti CONSTANTINOPOLIS sæuissimo terræmotu quassata est, quo multæ ædes sacræ, priuatæ & publicæ, & maxima pars mœniū procidit, & mare ad duo millia passuū, æstu quodāmodo undas absorbente, recessit, quo multæ naues absumtæ sunt. Eaq; calamitate magna pars Orientis afflicta est: inprimis autem NICOMEDIA, ANTIOCHIA, & BERYTVS ingentia detrimenta ceperunt. Beryti peregrini & inquilini ferè omnes ruinis elisi, inter quos præcipuè iuuenes illi, qui cognoscendarum legum causa eò se contulerant. Itaq; iuris interpretes, qui antecessores dicebantur, Sidonem se referre coacti sunt. Sigonius lib.20. Imp. occid.

Anno 7. Imperij Iustini, mense 10. (qui tum Artemisius seu Maius erat) 29. eius die, in ipsa meridie, die sexta hebdomadæ, ANTIOCHIA terræmotu ferè uniuersa cōcidit. Hūc comitatus est ignis, calamitatē acceptā terræmotu latiùs extendens. Etenim quæ terræmotus intacta reliquerat, ab igne in cinerem sunt redacta. Non solùm autem ædificia collapsa sunt, uerumetiam magna hominum multitudo, terræmotu ac igne absorpta est. In hac ruina simul urbis episcopus Euphrasius periit. Præcessère incendia, futuræ calamitatis præludia. Euagrius lib.4.cap.5.

Anno 528. sæuus terræmotus miserabiliter ANTIOCHIAM afflictauit. Siquidem ingenti cœli propè mugitu edito, ædificia omnia, quæ priore non ruerant, deturbauit, atq; hominum fermè quinq; millia ruinis allisit. Quo casu perculsi ciues, ad diuinam opem implorandam se contulerunt, ac sine calceis cum flebilibus uocibus Deo supplicatum ierunt. Cùm autem uir quidam insigni pietate præditus se in quiete diuinitùs mōnitum esse assereret, ut ad tantā auertēdam calamitatem in foribus ædium inscriberetur; Christus nobiscum, state. eo facto, repentè cœlestis ira cōsedit. Iustinianus inde, & Theodora coniux eius, ingenti suppeditata pecuniæ summa, urbem instaurarūt, ac nouo nomine pro Antiochia Theopolim appellarunt. Sigon. lib.17. Imp. occid. ex Cedreno & Vrspergense.

Agathius lib.2. refert, sub Iustiniano maturis iam frugibus, Byzantij & aliis plerisq; in locis terrā uehemētiùs motā, adeò ut ciuitates quàm plurimæ, tam insulares quàm continentis, repentè quassatæ euerterentur, habitatoresq; funditùs interirent. Vnde BERYTOS ciuitas pulcerrima, Phœniciæ maximum ornamentum, prorsus prostrata, ita ut præter pauimenta nihil ferè sit reliquū factū, multiq; mortales, ut incolæ, ita & peregrini, ruētium ædificiorū mole oppressi, occubuère. Sensit & ALEXANDRIA eo tempore cōmotionē terræ. COVS insula terræmotu cōcussa, & solo æquata est.

Nona Iulij die, anni 24. Iustiniani Imp. terribilis motus terræ fuit per uniuersam Palæstinā, Mesopotamiā, Syriā & Phœniciā, qui multis urbib. damna intulit, permultosq; mortales perdidit. In urbe, quæ BOTRIOS (hoc est uuæ) dicitur, magna pars montis, qui mari adiacet, nomine Lithoprosopos, auulsa in mare decidit, magnumq; effecit portum, multis magnis nauibus recipiendis idoneum: cùm antè urbs ea portu caruisset. Mare quoq; in altū recessit ad M passus, rursumq; Dei iussu refluxit. Cedrenus in uita Iustiniani

Anno secundo imperij Mauricij (ut Sigeb. annotat in Chron.) terræmotus ANTIOCHIAM, & sexaginta millia hominū perdidit. Periit tum simul ASTERIVS, Gregorij Antiocheni episcopi persecutor, miraculosè seruato eius urbis episcopo. Euagrius lib.6.cap.8. Meminit eius miserandæ cladis Gregorius Turonensis lib.10. Hist.cap.54.

Anno altero Leonis III. ANTIOCHIÆ exortus maximus terræmotus, ornamenta præcipua ciuitatis omnia penè deiecit, ac subuertit: ut publicam domum, Imperatorum magnificentia exornatam, domus palatiorum cum porticib. ante palatia, tetrapylon, turres, balnea Traiani, Seueri & Hadriani Imperatorum. Euagrius lib. 2.cap.12.

BVRDEGALENSIS ciuitas terræmotu concussa est, anno Childeberti regis quinto. Extendit sese terræmotus illius sæuitia ad Hispaniæ fines, & Pyrenæos usq; montes: qui motus uiolentia labefactati, rupti fuère, & ruina sua plurimos homines ac pecora prostrauerunt. Greg.Tur.l.5. Hist.cap.35.

Anno Almarici regis quinto, qui fuit Christi 1170. mēse Iunio, terræmotus ingens uniuersi Orientalis tractus urbes antiquissimas & munitissimas funditùs diruēs, habitatores earum ruina inuoluens, ædificiorum fastus contriuit, ita ut ad exiguam redigeret paucitatem. ANTIOCHIA, LAODICEA, CÆSAREA, EDESSA, TRIPOLIS miserrimè euersæ. Tyrius lib.20.cap.19. Belli sacri.

CALINA ciuitas Siciliæ terræmotu euersa est, & multi in ea perierunt, anno Domini 1170. Robert. Abbas in Chron.

Anno 847. uehementi adeò motu terra concussa est, ut sæuiorem Romani nō meminissent. AESERNIA penè tota procubuit, & magna pars populi cum ipso episcopo insanis ædificiorum ruinis obruta est. Sigonius lib.5. regni Ital.

Anno sal.1342. ingenti motu terræ pleraq; ædificia publica & priuata VENETIIS corruere, aliqua terrifico aspectu acclinarunt, & in his sacrarum ædium turres, uno atq; altero loco. Inde dies quindecim plus minùsue terra mota est. Quo contigit, ut omnes ferè grauidæ mulieres, quæ tum in urbe erant, abortum fecerint. Inde fœdissima pestilentia inuasit ciuitatem, Inguinariam dixère. Sab.lib.8.En.9.

Anno 1512. ad diem septimum Calen. April. in urbe VENETA terra tremuit motu tam uehementi, ut Senatu, qui habebatur, ante ullam latam legem præter morem dimisso, Patres ruina tectorum intercipi metuentes, tumultuosè se foràs truderent. Cadebant autē è summis curiæ templiq; Marcij parietibus pinnæ ac signa marmorea, quæ in iis antiquitùs posita præminebant, turresq; templorum nutare cacuminibus & commoueri prospiciebantur: & æs campanum in plerisq; earum, maximeq; in ea turri, quæ in foro est, sponte insonuit: pleræq; etiam uitium fecerunt, & aqua urbanis in alueis altè excitata contremuit: innumeraq; fumi receptacula, quæ supra ædium culmina tubo atq; calatho attollūtur, quassa diuulsa in uias ipsaque in tecta corruerunt: domusq; non una cum incolētium interitu, parietes uerò domorū & fanorū frequentes ruinā traxerunt: mulieresq; prægnantes permultæ timore perterrefactæ abortū fecerunt, mortuæq; sunt. Vnū iuuit, quòd is non longinquus terræ tremor fuit. Atq; eas ob res, quæ acciderāt, postridie eius diei Deo opt.max. supplicationes omnib. in urbis regionib. tres dies fieri, & ne quid præter panē & aquā ad uescendū omnes puberes sumerent, ab Antonio Contareno Patriarcha Venetorū, consultis Patrib. indictū: Pauloq; pòst eundē propè terræmotū cū eisdē ferè prodigiis Patauij, Taurisij, Fori Iulij, nonnullisq; aliis in reip. oppidis & finibus fuisse, magistratus eorum Patrib. significauerunt. Bembus lib.11. Hist. Ven.

BASILEAM terræmotus anno Christi 1021. die Maij 12. ita concussit, ut templum summum in Rhenum præceps rueret. Illud Henricus II. Imp. denuò ædificauit. Iterum A.D. 1346.14. Nouemb. Grauissimè uerò A.D. 1356. die D. Lucæ, circa Vesperas. Rediit hora noctis X. & decies concussit. orto incendio, quod nemo propter terræmotus periculũ extinguebat. Luxus uestium imminutus: eleemosynæ auctæ. Circa LX. arces eodem terræmotu ciciderunt. A.D. 1357. Maio mense grauis iterum terræmotus. Anno 1416. iterum. item, 1428. iterum 1444. Stumpfius.

PAGI
Exusti.

In FRICHSAXIO Saxoniæ pago, tres & uiginti uici fulmine afflati conflagrarunt, fulgura cœlo delapsa præter solitum, domus de cœlo tactæ, homines & pecora extincta sunt, grando frugum calamos comminuit, lapidibus pluit. Sigebertus anno Domini 823.

Anno sal. 1204. ad oppidum Vredeland ueteris Marchiæ, in solo Vandalico, in die sancti Remigij cecidit grando de cœlo, in qua igniti lapilli, qui plurima excitauerũt incendia, si fortè in stramina & paleas, aut aliam incẽdio aptã materiã incidissent. Nihil fuit innoxium, quod illis cõtingeretur. Tecta rusticarũ domuum, fœnum in horreis cum frugib. concrematum, ipsa in agris pecora afflata. Cranzius lib. 7. Vandaliæ, cap. 46.

Submersi.

ASCHOBRVNNAM uicum in pago Nitensi, subita imbriũ inundatio V Nonas Iulij, anno 878. intempesta nocte obruit: pecudes, iumenta, homines octo & octoginta in cubilibus omnium ætatum & sexus extinxit: casas, horrea, templa, arbores radicitùs euertit: adeò, ut ne uestigium quidẽ illius apparuerit. Cadauera mortuorum, tellure pluuiali humore soluta, aliò delata, in finibus alterius pagi inuenta sunt. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Sigebert.

Sub VLADISLAO Boemorum principe Vultauia fluuius, decem cubitis supra pontem Pragensem, qui tunc ligneus adhuc erat, exundauit, pluresq; circum pagos, cum ipsis paganis submersit. Dubrauius lib. XI.

AGRI VEL
Ademti.

☞ *Vide Tit. Multæ, Confiscationis.*

Steriles natura.

Tradunt AZANÆAM regionem quampiam esse Arcadiæ, sterilem & culturæ inhabilem: in qua coloni multo sudore parum fructus referunt. Inde Azanæa mala dicta, ubi quis in re perdifficili & infrugifera plurimum sumeret laboris. Erasmus in Adagiis.

Strabo libro Geographiæ octauo scribit, CORINTHIOS opibus & artibus egregiis præcelluisse, cæterùm regionẽ illorum non admodum fuisse feracem, quòd inæqualis esset, & aspera ac petricosa. Eamq; ob causam senarium hunc prouerbio iactatum fuisse: Κόρινθος ὀφρυᾶ τε καὶ κοιλαίνεται, id est, Alibi tumet Corinthus, alibi caua est. Eras. in Adag.

Apud Stobæum serm. 55. extat Comici cuiusdam iocus in AGRVM sterilem:

Ἐγὼ γ' ὁρῶ τὸν ἀγρὸν, οὐχ' ὅπως τρέφη
αὐτός με, παρ' ἐμοῦ δ' ἵνα τροφὴν προσλαμβάνῃ.
σκάπτω γὰρ αὐτὸν ἐπιμελῶς, σπείρω τ' αἰεὶ,
καὶ πάντα ποιῶ πρὸς τὸ δίδοναι καὶ λαβεῖν.
ὁ δὲ λαμβάνει μὲν, ἀποδίδωσι δ' οὐδὲ ἕν.
ἀποστερητὴν ἔλαθον ἀγοράσας ἀγρόν.
ἔσπειρα μὲν κριθῶν μεδίμνους εἴκοσι,
τούτων ἀπέδωκεν οὐδ' ὅλους τρισκαίδεκα,
οἱ δ' ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας ἐστράτευσαν μοι, δοκῶ
τὸ τῶν γυναικῶν σῆμα διατηρεῖν μόνον,
ὀνησιφόρος γένοιτο· τοῦτο γέγονε·
ὃ γὰρ φέρει νυνὶ οὗτος, εἷς ὄνος φέρει. Ego curo agrum, non ut nutriat ipse me, sed ut alimentum à me capiat. Nam fodio diligenter, ac sero semper: denique nihil non facio, ut dem & recipiam. Ille uerò capit quidem, nihil autem restituit. Defraudantem imprudens agrum emi. Seminaui quidem hordei medimnos uiginti, pro quibus mihi non integros tredecim reddidit: cæteri septem Thebas in militiam profecti sunt. Videor mihi mulierum tantummodo omen seruare: Onesiphorum (PROSPERVM) eueniat: quod & accidit: nam totum id, quod ager producit, unus onos (ASINVS) fert.

Similiter alter eodem loci, auctore Philemone:

Ἐγὼ τὸν ἀγρὸν, ἰατρὸν ἐλελήθειν ἔχων.
τρέφει γὰρ οὗτος ὥσπερ ἰατρὸς αὐτός με.
σιτάρια μικρὰ προσφέρων, οἴνου τι ὅσον
ὀσμὴν λαχανίων ἄγει τι καὶ νὴ τὸν Δία,
τὰ πετραγενῆ ταῦτ' ἐφ' ἀρχὰς, κάππαριν,
θύμον, ἀσπάραγον· αὐτὰ ταῦτα καὶ οὐδὲ οἶκοι

μὴ λίαν ἀπισχναίνων με ποιήσῃ νεκρόν. Nesciebam hactenus habere me agrum loco medici. Nutrit enim me tanquam ægrotantem, exigua offerens cibaria, & uini quantum holusculo adijcitur condimenti gratia: & per Iouem saxatiles istos cibos, capparim, thymum, asparagum: ista inquã metuo ne nimis extenuatum me exanimem.

Menandri in Georgis simile quid ibidem extat:

Ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐδένα οἶμαι,
φέρει γὰρ ὅσα θεοῖσιν ἄνθη καλά,
κιττὸν, δάφνην, κριθάς τε, ἂν σπείρω, πάνυ
δικαίως ἀπέδωκ' ὅσον ἂν καταβάλω. Agrum iustiorem à nemine coli puto. Profert enim, quotquot diis grati sunt, flores, hederam, laurum: & si hordeum seminauero, omnino iustè mihi reddit tantundem, quantum ei commisero.

Steriles redditi.

Mortuo Theageni athletæ nobiliss. statua fuit posita. Hanc cùm quidam ex eius obtrectatoribus nocte quadã flagris cæcidisset, ac si in eo ære uiuentẽ ipsum ulcisceretur: statua hominem subito casu oppressit. Filii eius statuam de homicidio postulant. Estq; ea Draconis lege à THASIIS in mare abiecta. At ob hoc ipsum factum Thasii diuturna sterilitate uexati fuerũt, donec ex Pythię Delphicę oraculo perpiscatores, in altum prouectos, statuam Theagenis receptam in suum locum reposuissent. Pausanias in Eliacis, lib. 6.

Cùm inter Theuthim, Arcadum ducem, & Agamẽnonem simultates essent exortæ, ita ut Theuthis cohortem suam domum esset reportaturus: Palladem ferunt, assimulantem Melanen Opis filiam, illum retrahere conatam. Sed is præ ira hasta dicitur deæ femur percussisse. Vbi domum rediit, lethali tabis morbo correptus est, & in ea una parte ARCADIÆ nulli planè fructus è terra editi: donec oraculo Donæo moniti Theuthenses, deam placarent, signum facientes sauciato femore, purpureaque fascia uulnus obligatum habens. Pausanias in Arcadicis.

Sunt in Apollonia in Ionico sinu sacræ Solis oues, quæ interdiu secundùm flumen pascuntur, è monte Lacmone per Apolloniatem agrum fluens. Eas noctu stabulantes, in antro non procul ab urbe custodiunt delecti uiri, & quidem præstantissimi, singulis annis singuli. Ibi Euenius quidam cùm aliquando delectus ad custodiendas oues obdormiuisset, ingressi antrum lupi circiter LX oues iugularunt. APOLLONIATÆ adductum in iudicium Euenium condemnarunt, ut, quia uigiliam edormisset, oculis priuaretur. Quem postquam excæcauère, mox eis neq; pecora fœtificauère, neq; terra pro consuetudine fructum tulit. Herod. lib. 9.

TEMPLA, LVCI, SACELLA.

☞ *Consule Tit. Templa destructa, sub loco Iniustitiæ religiosæ.*

Exusta.

Templum HIEROSOLYMITANVM primum à Salomone extructum, à Nabucodonosore rege Babyloniorum incensum est, die X mensis Augusti. Tertium, quod templo à Zorobabele edificato diruto, rex Herodes magnificè extruxerat, sub Tito Imp. conflagrauit, eodem eiusdem mensis die. Iosephus lib. 7. cap. 6. & 10. belli Iudaici.

Templum IVNONIS iuxta Mycenas antiquissimum & ditissimum conflagrauit, cùm somnus Chryseidem, Iunonis sacerdotem, oppressisset, incensis proximæ lucernæ lumine coronamentis. Ipsa Tegean ad Aleæ Mineruæ aram supplex confugit. Pausanias in Corinth.

ARGI lucus sacer à Cleomene Spartanorum rege incensus, & Argii hostes, qui eò confugerant, exusti. Herod. lib. 6.

In Sicyoniorum foro PITHVS Deæ templum, olim à Prœto dedicatum, conflagrauit, & simul donaria uetustissima & elegantissima. Pausanias in Corinth.

Templum IOVIS Capitolini primum, quod Tarquinius condidit, & dedicauit Horatius Puluillus consul, incendiũ bellis ciuilibus absumsit. Sunt qui putent, opera Syllæ incensum Capitolium, alii Carbonis Cos. Appianus in bello ciuili, fortuitam fuisse deflagrationem, & causam latère scribit. Secundum excitauit Sylla, sed Catulus, Sylla fato præuento, est dedicationi præscriptus. Quod cùm iterum bellis intestinis Vitellianis deflagrasset, tertium cùm alia usus felicitate, tum hac Vespasianus, ab initio uidit excitatum ad finem, concidens paulò pòst non uidit: uerùm hactenus Syllam superauit felicitate, quatenus ille consecrationem templi ab se ædificati, hic interitum morte præuenit. Simul enim atq; discessit Vespasianus, Capitolium haustum incẽdio est. Quartum à Domitiano & expletum est & dedicatũ. Plutarchus in Poplicola, & Appianus libro primo Bell. ciuilium. Sub Commodo AEDES Iouis Capitolini fulminatione incensa, ignem in bibliothecam uicinam instructissimã, maiorum cura & diligentia adornatam, deriuauit, eamque magna cum iactura & clade literarum & librorum exussit. Nec multò pòst secutum est aliud incendium, templa Pacis & Vestæ & Palatiũ concremauit, magnamq; partem ipsius urbis diruit ac solo æquanit. Spartian⁹, Orosius, Herodian.

APOLLINIS templum Daphnæum in Antiochiæ suburbio (quod Gallus Imp. Christianis concesserat, & ibi etiam Babylæ martyris reliquias reposuerat) cùm Iulianus apostata denuò idolis coinquinaret, eiecto Babylæ cadauere, ignis incerto auctore coortus, templum integrum absumsit. Nicephorus lib. 10. cap. 28.

Iouianus Imp. à coniuge instigatus, Antiochiæ templum magnificentissimũ, quod Hadrianus in honorem patris TRAIANI extruxerat, & Iulianus apostata in bibliothecam redegerat, unà cum libris omnibus cremari iussit.

Constantinopoli cùm D. Ioannes Chrysostomus episcopus à coniuratis, & ab Eudoxia Imperatoris coniuge, in exilium pelleretur, ignis è medio TEMPLI throno, in quo ille concionari consueuerat, diuinitùs emicans, derepentè in sublimè ascendit, & tecto consumto, uiolentoq; uẽto exceptus, proximam Senatus curiam meridiem uersus, quamuis longiusculè dissitam, intermediis ædificiis illæsis inuasit, & tribus horis integram absumsit. Inde serpens, uicina ædificia deuorauit: ab ea ædicula sola abstinens, ubi sacra uasa asseruabantur. A crepusculo ad auroram usq; durauit incendium. Nicephorus lib. 13. c. 21. diuinitùs ait immissum emersisse è suggestu, ubi Ioannes docere consueuerat. Sozomenus lib. 8. cap. 22. & Socrates lib. 6. cap. 18.

Anno salutis 1000. PADEBVRNA graui incendio arsit, & nobile principalis ecclesiæ Monasterium, præcipui operis & decoris à Carolo fundatum, & à Badurado, eiusdẽ ecclesiæ pontifice, consummatum, cum libris, priuilegiis, aliisq; ecclesiæ ornamẽtis conflagrauit. Ob quã rem Retharius episcopus solennes misit nuncios Romã, tam summo pontifici, quàm Imperatori ibi tum agẽti, omnia priuilegia ecclesiæ suæ postulans innouari. Cranzius libro tertio Metrop. cap. 40.

Anno penultimo Bezelini archiepiscopi Hamburgensis DOMVS S. Petri Bremæ conflagrauit: eiusq; flamma incendij, claustrum cum officinis, urbem cum ædificiis totam consumsit, ueterisq; habitaculi nullum permansit uestigium. Ibi sacer thesaurus ecclesiæ, ibi libri & uestes, ibi omnia ornamenta sunt consumta. Archiepiscopus præposituram cõtulerat Edoni. Id ęgrè ferens iunior Edo, nepos eius, monasterium incendit. Pro cuius sacrilegij expiatione pater Edonis suam hæreditatem obtulit ecclesiæ. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 27.

Anno Christi 852. HERBIPOLI seu Vuirtzburgi uicies terra tremuit, grãdine, turbine, insolitaq; cœli intemperie homines, pecudes, agriq; afflicti sunt. Templum Diui Kiliani Nonis Iunij, defunctę lucis salutationibus, horam nonam nũciantibus, atq; perstrepentibus sacerdotibus, subito fulminè afflatum est, ignisq; laquearia lambens, & sensim inualescens, fenestram plerisq; euadendi aperuit: sacerdotes tamen quidam ueste illæsa extincti sunt. Cæterùm ædes uix seruatis ablatisq; sacris igni concremata est. Muros deinde sexto Idus eiusdem mensis uentus euertit, & solo æquauit. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

Tertio & uigesimo anno Alexandri III Scotorum regis, tribus aut quatuor diebus à festo Epiphaniæ, uentorum tanta tempestas cum ingenti grandine per totam SCOTIAM facta est, ut deiectis passim ædibus, ignis ex focis enatus, pagos complures ac oppida perdiderit. Incensis turribus altis, campanæ partim confractę, partim liquefactæ, tum aliæ, tum præsertim templi Abbirbrothij cum ipsis unà absumtæ. Insignia præterea oppida, Aberdonia & Perthum, maiori ex parte conflagrarunt, cum pagis. H. Boethius libro decimo quinto.

Galeacius Sforzia, Mediolanensium dux, Florẽtiam uoti persoluendi causâ ueniens, à Laurentio Medices sumtu regio susceptus fuit, & multa cum eo de iis motibus, qui póstea subsecuti fuêre, contulit. Inter ea agenda (quod eorum, quę postea euenerunt, portendere exitum uisum est) cùm ad S. SPIRITVS dies festus Pentecostes ageretur, intento populo eius diei memoriæ instaurandæ, iniectus ignis è superiore templi parte, qui pluribus simul locis linguatũ forma, tanquam cœlitùs emitti uidebatur, tecta primùm comprehendit, mox continenti incendio correptis propinquis locis, non prius illa humana ui aut consilio potuit restingui, quàm ad solum usque ædes deflagrauit. Brutus libro quinto historiæ Floren.

Direpta, Spoliata.

☞ *Vide Tit. Sacrilegorum.*

REGIAE, ARCES
Incensæ, Exustæ.

LYCAONIS regia fulmine Iouis exusta. Ipse in lupum mutatus est. Ouid. lib. 1. Metamorph.

OENOMAI regis Elidis domus de cœlo tacta conflagrauit. Eò igitur in loco Ceraunio Ioui ara dedicata. Pausanias libro quinto.

Regia CREONTIS Corinthiorum regis à Medea mirificè incensa, quòd se præterita, Iason Creontis filiam Glaucam in uxorem duxisset, conflagrauit. Natalis Comes Mythologiæ lib. 6. cap. 7. & 8.

SARDANAPALVS Assyriorũ rex ab Arbace Medo obsessus, ipse seipsum cum regia cõcremauit. Diodorus libro secundo, cap. septimo.

PERSEPOLIS, Persarum regia, à Thaide meretrice Attica, permissu Alexandri Magni, exusta, ut impietatem Xerxis, quam in Atheniensium arcem commiserat, post multos annos in festo ludicro eodem cladis genere ulcisceretur. Plutarchus in Alex. & Diod. lib. 17.

Aratus Sicyonius noctu urbem Sicyonem occuparat, & mercenariis militibus comprehensis, absque cæde ciues ad libertatem uocarat. Illi ergo uidentes adesse id, quod iamdiu expectauerant, agmine contenderunt ad fores tyranni NICOCLIS, subiicientes faces ædibus. Vnde flamma ingens edita atq; conspicua, Corinthum usq;, flagrante illius domo, ut obstupescentes Corinthij, penè ad ferendas suppetias effuderint se. Nicocles autem occulte per cuniculos elapsus, ex urbe euolauit. Milites postquam cum Sicyoniis restinxerunt ignem, domum eius diripuerunt. Neq; id prohibuit Aratus, sed reliquas quoq; tyrannorũ facultates cõcessit ciuibus. Plutarchus in Arato.

HVRCATI, Aethiopum regis regia incẽdio hausta. Is enim, cùm Iphigeniam Christo dedicatam uirginem nec minacibus uerbis, nec alio quouis pacto in matrimonium suum pertrahere posset: monasterium, in quo habitabat, cremari præcepit. Sed flammæ statim in eius palatium conuersæ, totum absumserunt. Guido Bituricensis.

TVLLVS Hostilius Rom. rex, in Iouis Elicij sacris fulmine ictus, cum regia conflagrauit.

Conflagratio DOMVS AVREÆ, maximis impensis à Nerone extructæ, Traiani tẽpore Romæ accidit. & PANTHEI, celebris omnium deorum templi, quod post uictoriam relatam de Persis Sibylla construere iusserat, subita & à fulmine orta conflagratio.

Cùm Veneti Petrum Candianum tyrannum in Ducario obsedissent, Petri Vrseoli, qui post illum princeps declaratus est, suasu, populus ignem in propinquas DVCARIO ædes coniecit: sed id ipsum in solius ducis perniciem. Verùm res aliter euenit: ita enim uis uentorũ propinquitasq; ædium incendium aluêre, ut præter Ducarium, augustissimũ quoque urbis templum cum Theodori martyris, uirginisque Iubanicæ ædibus, trecentisq; priuatis domibus eo die conflagrarint. Sabel. lib. 3. Dec. 1. Thoma Mocenico duce, Venetiis ingens clades ex incendio accepta est. Ignis ex Ducario repentè ortus, auream diui Marci ædem, quæ illi incubat, repentè corripuit: ubi ita atrociter flamma est debacchata, ut liquefacto plumbo (ex qua materia, ut hodie, tota ædes operta fuit) nihil quibusdam locis præter nudas testudines incendio superfuerit. Estq, interim circa templũ magnoperè laboratũ, proximis ædificiis ægrè ab igne defensis. Sab. lib. 2. Dec. 4.

Gulielmus Romanorum rex contra Fridericum II. Imp. designatus, ducta Elizabetha, filia Othonis ducis Brunsuicensis, ipsa nuptiali nocte, quæ fuit Conuersionis Pauli, palatium, in quo quieuerunt sponsus & sponsa, Brunsuici iuxta leonem orto incendio cõflagrauit. Corona regis & multæ res preciosæ periêre. Duo sartores, qui in opere suo totam noctem exegerant, candela stramentis illapsâ, in ea camera, qua se incluserant, sunt exusti. Rex & regina uix euaserunt, regina regem educente, quòd penetralia domus illi essent notiora. Deinde cùm in Nussia controuersia oriretur inter Romanorum regem & archiepiscopũ Coloniensem, propè erat, ut iniecto igni à Coloniensis militibus ad ædes, in quibus rex manebat, cum legato Romani pontificis, ambo cremarentur. Sed illi uix euaserunt periculum. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 22.

Bello Ferrariensi, Ioanne Mocenico duce, Venetiis DVCARIVM magna ex parte noctu absumtũ est incẽdio. Ferunt, sacrorum ministrum candelam in sacello principis incensam per incuriam reliquisse, cuius lapsu contractum sit incendium: sed per diem paulatim serpendo ignem sese aluisse, inde circa secundam noctis uigiliam flammam subitò emicuisse. Sabellicus lib. 2. Dec. 4.

Ante mortem Alfonsi Atestini ducis Ferrariensis, conflagrauit Ferrariæ atrocissimo incendio PRÆTORIA tot principum domus, tanto ciuium & concurrentiũ ad restinguendos ignes pauore & strepitu, ut tota ciuitas rapacissimis & impotẽtib. flãmis cessura crederetur. Verũ in summo inopinatoq; periculo Princeps medias ędes salubri cõsilio euersis tectis proscindi iussit. Patefacta itaq; est media ferè pars

ædium

edium, usq; ad interioris porticus aream, ubi erant ad theatralem usum edendis comœdorum ludis perampla cōclauia, ut furentes flammæ, proxima quæque quàm ocyssimè corripientes, inanibus aperti cœli spaciis occurrerent. Hoc inusitati crudelisq; spectaculi ostentum nequaquam ad triste omen Alfonsus uertit, quoniam is igneus splendor certæ lætitiæ euentum prænunciaret. Nec ea opinione deceptus est: nam Renata, Ludouici XII Galliæ regis filia ex filio Hercule nurus, non multò pòst exoptatum marem peperit. Iouius in Alfonso Atestino.

Destructæ.

Timoleon Corinthius occupata urbe Syracusarum, non fecit idem ac Dion, neq; ob pulcritudinem & operis magnificētiam pepercit arci: sed declinans eam, illum quæ lacerauerat & perdiderat, suspicionem, pronunciauit per præconē, ut Syracusani, quibus uideretur, cum ferro adessent, adiuuarentq; ad demolienda præsidia tyrannica. Vbi omnes ascendêre, rudimenta libertatis certissima illud edictum & illum rati diem, non ARCEM modò, sed tecta quoq; & monumenta exciderunt atq; diruerunt tyrannorum. Mox quo gratificaretur ciuibus, ualidioremq; tyrannide efficeret libertatem popularem, aream complanauit, eiq; forum iudiciale imposuit. Plut. & Probus in Timoleonte.

Pulso Tarquinio, Romani punitis proditoribus, DOMVM regiam & atrium solo æquauerunt. Plut. in Poplicola.

TVRRES.

In ITALIA inter Tarracinam & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus desiêre fieri, nulla non earum fulmine diruta. Plinius lib.2.cap.55.

THEATRA

Exusta.

Philippo imperante, Pompeij THEATRVM Romæ deflagrauit secularium ludorum diebus, incendio nocturnis luminibus, quibus peruigil populus utebatur, conflato. Pari clade est & in campo Martio Hecatostylon consumtum, centum columnarum opus, propterea; centenaria porticus dicta. Sabellicus lib.7.Enn.7.

Collapsa.

Anno 1185. Italia ingenti adeò terræmotu contremuit, ut eius impetu exterior pars amphitheatri VERONENSIS corruerit. Sigonius lib.15. regni Ital.

PORTVS DEPRESSI.

Genuenses libertati, Gallico præsidio eiecto, per Andreā Auriam ciuem suum restituti, ut bene multatos SAVONENSES relinquerent, in eorum portu [duo magna nauigia plena ingentibus saxis] demerserunt, scilicet ut uictis & æmulis omnem eius portus oportunitatem adimerent, imposita grauiore etiam pœna, si portum repurgare ullo unquam tempore tentauissent. Iouius libro uigesimo sexto Historiarum.

Vrbs Vandaliç uetustissima ALDENBORG (cuius reguli Danorum regi inferre bella, & inde expectare non dubitabāt) ad mare posita ciuitas, portum habebat tutissimum: nunc quòd à mari æstus exaggerauit arenas, portu priuata est, adeoq; defluxit splendor eius, ut iamdiu rusticum, nec clausum habeatur oppidulum. Cranzius libro tertio Metrop. capite uigesimosexto.

BIBLIOTHECAE.

C. Iulium Cęsarem Alexandriæ Achillas regius, præfectus armis adortus erat. Cùm pugna circa regiam cōtracta in longum procederet, iussit Cęsar tecta proxima incendi, eoque igni hostis procul rerectus est: tum BIBLIOTHECA illa nobilissima, quam Philadelphus Ptolemæus constituit, subito incendio deflagrauit, in qua septingenta millia uolumina librorum consumta esse proditum est memoriæ. Sabel.lib.7.En.6. ex Plutarchi Cæsare.

Zenone imperante, maximum incendium CONSTANTINOPOLI extitit, quod in foro ærario exortum, uicina loca omnia in cineres redegit, & publicorum uicorum porticus & ædes illis impositas absumsit, ipsamque basilicam unà cum Bibliotheca, in qua centumuiginti millia librorum exposita fuerant. In ea fuisse perhibetur draconis intestinū longitudine pedum centum uiginti, cui aureis literis Homeri poemata, tam Ilias quàm Odyssea, inscripta fuerant. Zonaras tomo tertio, sub Zenone.

VATICANA Rom. Pontificum bibliotheca, optimis auctoribus instructissima, sub Clemente VII. à militibus Germanis & Hispanis incensa deflagrauit.

LIBRI VEL

Exusti.

☞ *Libri qui exuruntur, si Damnum spectes, huius sunt loci. Sin Dedecus, ad Ignominiam referri debent.*

Inter omnes conuenit, SIBYLLAM ad Tarquinium Superbū tres libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio, anno Vrbis cond.669. L. Corn. Cinna IIII. & Cn. Papyrio Carbone II. coss. Sylla reuocato, & Cinna interfecto. Plinius libro 13. cap.13. Cumeæ Sibyllæ meminit Agathius Gothici belli primo, & Italicensem uocat, quæ prope Cumas speluncam inhabitarit. Vnde oracula edere solita, Aeneæ quoq; adeunti futura prædixerit omnia. Huius carmina apud Aenam ciuitatem, Iuliano imperante, combusta, scribit Ammianus Marcellinus. Cælius lib.21.cap.27.A.L.

Clodius quidam in libro, cui titulum fecit Indicem temporū, uetusta Romanorum ACTA, cùm excinderent Galli urbē, abolita contendit fuisse. Quæ uerò nunc in manibus teruntur, esse à nonnullis in gratiam certorum hominum, in nobilissimas familias & gentes, à quibus alienissimi sint, penetrantium, falsò conscripta. Plutarchus in Numa.

Tempore Irenes & Constantini incendium Constantinopoli cameras absumsit, ubi repositæ erant SCHEDÆ uniuersæ Scripturæ, quibus eam S. Ioannes Chrysostomus fuerat interpretatus. Cedrenus.

Corrupti.

Ferunt sacros BIBLIORVM libros, qui à Septuaginta uersi sunt in Græcum, pugione fuisse perfossos, ut quædam uerba legi nullo modo potuerint. Ludouicus Viues de Causis corruptarum artium lib.1.

ARISTOTELIS libri & THEOPHRASTI, Neleo discipulo testamento relicti, Scepsim deportati, inde ab imperitis hæredibus in subterraneo loco conclusi, cum tineis & blattis ad Apelliconem usq; Teium pugnauere. Plutarchus in Sylla, & Strabo lib.13.

DOMVS

Exusta.

In ea Mysia, quæ est Asiæ pars, DOMVS aliquando conflagrauit, fenestræ cuidam lignis pice litis adiacentibus, & in extima parte columbino retrimento ex putrefactione amplius arefacto. Nam eo ualidius solari radio uaporante, ut æstate assolet media, materia flammam concepit, moxque ad summa peruenit incendium. Cælius lib.15. cap.13. A. L. ex Gal. libro tertio de Temp. capite secundo, qui arbitratur, eodem modo & Archimedem hostium triremes urentibus speculis incendisse.

ANNII Milonis domus Romæ furore populi exusta. Nuncio enim de cæde Clodij Romam allato, Rufus & Munatius Plancus cadauere in foro posito, populo per se tumultuanti facilè persuaserūt, ut rogum in curia ex subselliis ipsis cadaueri construerent: quo factum est, ut & tota curia incenderetur, atq; hinc etiam rectà ad domum Milonis plebs cū igne contenderet. P. Acrodius ex Dionis lib 40.

Ad TONGILIANVM, Martialis Epigram. libro 3.

Emta domus fuerat tibi Tongiliane ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
Collatum est decies. Rogo non potes ipse uideri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

ANTONIVS Vrceus Codrus Grammaticus, Foroliuij cubiculū habebat in penitiore palatij parte, adeò in prima diei parte obscurum, ut lucernæ beneficio uti cogeretur: in cuius summitate cælatum erat, Studia lucernam olentia bène olere. Hanc cùm domi inextinctā reliquisset, negotijq; causa in forum prodiisset, ignis cartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est: ita ut liber Pastoris titulo ab eo compositus, cum omnibus bonis periret. Bartholomeus Bononiensis in eius uita.

ALBERTVS dux superioris Saxoniæ, uenationibus indulgens, extructa domo in uicino nemore, ubi aliquot dies in lætitia & animi laxatione peregisset, multos suorum ad festam hilaritatem inuitauerat. Quum omnes exhilarati requiem petiissent, flamma incertum unde orta, cœnaculum corripuit, multos somno & uino sepultos in longum somnum perduxit. Dux ipse cum uxore uix nudi per fenestrā euasere, circa an. sal. 1420. Cranzius l.11. Saxoniæ, c.7.

Direpta.

Florentini, eiectis Mediceis, sub aduentum Caroli VIII Galliæ regis, an. 1494. in Italiam, armati in ædes MEDICEORVM impetum fecêre, diripuêre nobilissimæ supellectilis apparatum: insignia & monumenta gentis reuulsêre. Petrus princeps fratresq; eius hostes decreto iudicati: iis, qui eos interfecissent, aut uiuos tradidissent, præmia decreta: creatisque nouis magistratibus, instituta fuit domi hasta, clausaq; ad ignominiā celeberrima anteriore porta, à po-
stico

stico populus admissus. Videre erat præter aulæorum stragularumq; & preciosæ uestis incredibilem copiam, & multa cælati argenti pondera, antiqui operis statuas, signa ærea, tabulas pictas minimo precio addici impurissimis licitatoribus, quæ per sexaginta annos uiri perelegantes, ad ornamentum publicæ potiùs quàm priuatæ domus, tanto studio tantaq; pecunia congessissent. Nulla unquam uel nuptialis & festa fronde dies insignis, adeò cumulatè regias Medicum opes detexit, quàm hæc ipsa calamitas, quæ plerisq; lacrymas etiam in ipsa rapiēdi libidine ex Cosmi Laurentiiq; memoria excutiebat. Iouius in Leone X. lib.1.

Demolitæ manu.

☞ *Hic solius damni rationem habemus. Quatenus uerò iungitur ignominia, sic ad Infamiæ locum pertinet.*

LAVRENTII Medicis Florētini domus demolita à tecto ad ima fundamēta, ad perpetuam sui ignominiam, quòd perfidè Alexandrum Medicem, Florentinorum ducem & consanguineum proximū, in suis ædibus & lecto, quo ipse dormire solebat, interfici curasset. Sab. supplem. l.22. ex Iouio.

Parua, angusta.

☞ *Huc quædam ex Tit. Frugalitatis.*

Plinius scribit, PROTOGENEM pictorem contentum fuisse casula, quam habebat in horto suo.

AELII sedecim Romæ eodem tempore unam domunculam habitârunt cum liberis & uxoribus. Val. Max. lib.4. cap.4.

SVPELLEX.

☞ *Hæc ad Frugalitatem si Animum spectes. Sin Possessionis inopiam, huius erunt loci.*

Thebanus ciuis EPAMINONDAS, cuius uirtute egregiisq; facinoribus nullus audiendo satis expleri posset, in tanta rerum inopia decessit, ut domi eius unum tantùm ferreum spiculum, neq; præterea alia res ulla necessaria sit inuenta. Iustinus lib.6.

M. CVRIVS Dentatus ex fictili uase apud focum rapas comedere solitus erat: nihil aliud habens de præda hostili, q̄ catinum ligneum, quo uti ad sacrificia consueuerat. Plinius cap.33. de Viris illustribus.

In C. FABRICII, & Q. AEMILII Pappi principum seculi sui domibus, argentum fuisse confitear oportet: uterque enim patellam deorum & salinum habuit. Sed eo lautius Fabricius, quòd patellam suam corneo pediculo sustineri uoluit. Pappus quoq; satis animosè, qui cùm hæreditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putauit. Valer. lib.4. cap.4.

TENTORIA.

EVMENES Cardianus cùm Alexandro Magno petenti trecenta talenta, ille non nisi centum dedisset, dixissetq;, ea se ęgrè & difficulter per procuratores coegisse: Alexāder certis ministris occultè imperauit, ignem ut Eumenis tabernaculo subiicerent, scilicet ut in exportanda pecunia manifestè mendacem comperiret. Cęterùm flamma præualente, auri & argenti per ignem cōflati, erutum fuit plus mille talentis. Plutarchus in Eumene.

CLASSIS, NAVES, NAVALIA

Incensa, Exusta.

☞ *Consule Tit. Classem hostium corrumpere.*

Conditiones pacis datæ sunt bello Punico secundo CARTHAGINENSIBVS ex uictoris arbitrio, & præter alia omnis classis, qua maximè confidebant, adempta. Ea cùm crememaretur, tam miserabile spectaculum intuentibus præbuit, ut non secus in urbe, quàm si Carthago à stirpe interiisset, comploratum sit. Ad quingentas enim naues omnis generis crematas quidam auctores sunt. Auctor uitæ Scipionis.

Cùm inter Henricum VIII. Angliæ, & Ludouicum XII. Galliæ reges, bellum uigeret, duæ Anglicæ naues, Thoma Gniueto audente concitanteq;, Gallicam inusitatæ magnitudinis nauem, quam CHORDIGERAM appellabant, adortæ sunt, tormentis utrinq; latera pertundentes. Chordigeræ præerat Plumorgher, inter Gallos Oceani accolas rei naualis peritissimus. Is præsenti infaustoq; consilio in hostiles naues ex propinquo subeuntes, quod in acerrimo certamine sæpe factum legimus, catenatos harpagones iniecit, terribiliq; fragore tormentorum undiq; edito, ita prælium exarsit, ut cùm facibus incendiariisq; malleolis ad mutuam cladem res gereretur, uno tempore tres simul naues miserabili exitu cremarentur, & supra duo millia hominum, aut discerpta tormentis, aut flammis circumuenta, aut demum semiambusta sponte in Oceanum præcipitata perierint, totidemq; ferè omnis generis ænea tormenta Oceano mergerentur. Iouius lib.11. Hist.

Antonius quidam Siculus adolescens à Petro Mocenico Venetam classem ad Neapolim Peloponnesi in statiuis habente animatus, sociisq; & nauigio cōparatis, negociatorem mentitus, scapha pomis referta Callipolim applicuit: sordidoq; quæstui per diē intentus, sequenti nocte armamentarium TVRCORVM cum centum nauibus incendit. Comprehensus autem, & ad Mahometum II. Turcorum Imp. deductus, cum sociis dissectus fuit. Sab. lib.9. Dec.3.

VENETIIS claro ac sereno cœlo an.1507. die, urbanis in naualibus, dum puluerem ad tormēta exercenda cōfectum in arculas ligneas operæ infarciunt, ictu mallei fauilla emicuit: ea ingentem eius pulueris aceruum comprehendit, disiectisq; immani cum fragore ac tonitru, terræq; motu eius conclauis, in quo asseruabatur, parietibus & tecto, ut tegulas, asseres, tignaq; ipsa longo per aera tractu uolantia ignis uis atq; impetus in diuersa tulerit, fumo & caligine urbem totam puncto temporis integens ciuitatem perterrefecit: Senatusq;, qui habebatur, miraculo exterritus, in forum frequens descendit. Eo igni & cadentibus passim iis, quæ sublimè ierant, fragmentis, ex fabrùm collegio q̄plurimi, magisterq; ipse fabrùm & honesti homines aliquot interierunt, habitaq; pro ostento res fuit. Bembus libro septimo hist. Venetæ.

Submersa à tempestate uel fluctibus.

☞ *Naufragia & corporum & opum afferunt perniciem. Illorum causa, ad Tit. Suffocatorum aquis, & Multorum simul in aquis mortuorum, relegari debent. Horum uerò, præsentis sunt loci.*

Ex Thaso DARII classis ad Acanthum profecta, uiolento Aquilonis flatu disiecta est, circaq; Athon montem, in Macedoniæ ora, qua mare maximè est importuosum, fœdè conflictata. Trecentæ naues ui maris absumtæ sunt, & cum his supra uiginti Persarum millia, quorum plures mediis fluctibus natandi inscitia sunt absorpti: alios cautibus & scopulis allidens unda, circa litora extinxit: si qui montem tenuère, à feris laniati sunt. Sab. lib.1. En.3.

XERXIS classis in Chalcide à Borea (Strabo Eurum mauult) quem Hellespontiam nominant, disiecta, & partim ad loca, quæ ἰπνοί, id est, furni, quæ sunt in Pelio, partim in oram Sepiadem illisit, partim in orā Castaneam, partim in Melibœam, ita ut nauium ultra CCCC perierint, cum magna ui pecuniæ, & hominum multitudine. Quod naufragiū Græcis libertatem peperit, uti etiam prius illud ad Athon montem sub Dario. Herod. lib.7. & Strabo lib.9.

Cùm PERSÆ classem suam ad Apheras, Græci ad Artemisiū haberent, dimiserunt trecentas naues, quæ Eubœam circūnauigarent, & Græcos circumuenirent. Quæ cùm ad Eubœæ concaua essent, naufragium fecerunt grauissimū. Gręci reliquas naues ad Aphetas adorti, superarunt. Herodotus libro octauo.

PYRRHVS rex Epirotarū, à Tarentinis euocatus, multis nauibus, quas hippagogas uocant, tectis insuper & diuersis pontonibus Tarento adductis, elephantos XL, equitū tria, peditum XXII millia, sagittarios & funditores quingētos imposuit. Omnibus instructis soluit classem. In altum prouectum, cùm medium teneret mare Ionium, corripuit præter anni articulum coortus Boreas. Classe disiecta reliqua, naues diuersæ, partim reiectæ ab Italia, atq; in Libycum & Siculum pelagus expulsæ sunt: alias, cùm Iapygium promontorium superare nō ualerent, nox oppressit: quas quia crebræ sæuæq; undæ ad importuosa loca & cæca impellerent, omnes, præter regiam, allixerunt. Hæc, quamdiu ex alto uolueretur fluctus, restitit, & sustinuit mole atq; robore impetum maris. Verùm ubi circumegit se uentus, & à terra reflauit, periculumq; fuit, ne prora nauis aduersa ui percussa undarum perstringeretur (horrendissimum autem præsentium malorum uidebatur, iterum sæuienti eam pelago & flatui crebrò uariāti permittere) abiecit se in mare Pyrrhus, & uix tandem luce orta, cadente uento, in terrā euasit, corpore quidem prorsus inualidus, sed animi magnitudine & ui aduersis reluctans. Simul Messapij, quorum in litus est eiectus, pro præsentibus facultatibus ad ferendū sedulò auxilium concurrerunt, ac nonnullas naues, quæ ex tempestate emergebant, collegerunt. In his equites erant perpauci, peditū duo millia minus, elephanti duo. Plutarc. in Pyrrho.

Bello Punico primo ROM. classis ex trecētis nauib. constans, cùm 140. Carthaginensiū naues cepisset, in cōspectu Camerinæ urbis, Siciliæ oram legens, in tantā maris sæuitiem incidit, ut pro rei atrocitate citra fidē sit referre. Ex tam opulenta & numerosa classe, LXXX dūtaxat incolumes superfuêre. 384 aut absorptæ sunt undis, aut scopulis illisæ, uniuersum litus naufragijs & cadauerib. impleuêre. Maiorem hominum iacturam uno tempore in mari factam, nemo ad id tempus, aut postea, quod sciam, memoriæ prodidit. Incidit ea clades in decimū annum primi belli Punici, qui quingentesimus fuit ab Vrbe cōdita. Fuerūt, qui eam cladē consulū temeritati adscriberēt, quippe qui inuitis gubernatori-
bus

bus, atq; identidem admonentibus, importuosam Siciliæ oram inter Canis & Orionis signa nauigare non oportere, præsenti tamen successu elati, institutum semel cursum tenuerint. At sic habet: in terris, ubi uirtus & audacia ualet plurimùm, rem Romanam feliciter administrari contigit. Contrà in mari, ubi ars & prudentia requiruntur, cùm sæpe aliàs, tum hoc bello ducũ temeritate insigniter afflicta est. Reparata mox classe CCXX nauium, triùm mensium spacio, Consules Panormo digressi, subita & atroci tempestate iactati, CL naues amisére. Quæ recentior clades adeò rem Romanam affecit, ut à mari iam inde abstinendũ, multi in curia fremerent. Refecta est tamen. Sed non multo pòst ad Pachynum Siciliæ, L. Iunio Cos. importuosis deprehensa locis, adeò uehementer conflictata est, ut ex omni nauiũ multitudine, nihil, quod utile esse posset, superfuerit. Proximum litus exercitum seruauit. Sabellicus libro nono, Enneadis quartæ.

Polybius auctor est, amisisse populum ROM. primo Punico bello per 24. annos naues septingentas, præter eas, quæ naufragio perierunt, quarum magnus fuit numerus: POENOS ducentis minus. Sabel. lib. 9. En. 4.

APPIVS Claudius Pulcer, Rom. consul, ad Drepanum Siciliç ingenti prælio nauali ab Adherbale Pœnorum duce uictus est, ita ut naues uix triginta numero cum consule fuga dilapsæ sint: cæteræ, præter eas, quæ in hostium potestatem, uenerunt, ad unam periêre. Tres & nonaginta captas, Polybius scribit. Apud quosdam reperio, habuisse classem illam ducentas & uiginti naues, quarum paucæ cum consule fuga seruatæ sint, uiginti captæ cum suis turmis, cæteræ medio certamine depressæ. Ad octo & uiginti Romanorũ millia partim cæsa, partim in uictorum potestatem redacta. Auxit consulis inuidiã sprera religio, quòd in pugnam iturus, cùm pulli ex cauea emissi tripudium non fecissent, eos in mare contemtu religionis abiecisset, ludibrio etiam uerborum adhibito, ut biberent, quando esse nollent. Nec multò se ciuiliorem post pugnam præstitit. Iussus à patribus dicere dictatorem, C. Glauciam dixit, ultimæ sortis hominem. Mox magistratu abire coactus, ludos prætextatus spectauit. Polybius eum in iudicio concidisse scribit. Ceterùm nec ipsi tantùm ea offensa probro fuit, sed sorori etiam Claudiæ: quæ cùm aliquando solenni ludorum die nimia hominum frequentia molestiùs uexaretur, dixisse fertur: Vtinam frater meus uiueret, iterum Rom. classem perditurus. Quæ uox siue omen fecerit, siue cædis memoriam renouarit, adeò multitudinis aures offendit, ut mulier maiestatis rea subierit iudicium. Sabel. lib. 9. Enn. 4.

MITHRIDATEM regem Asiæ à Lucullo ad Rhyndacum & Granicum profligatum, ex fuga maturantem antè, quàm ipsum peteret Lucullus, Pontum tenere, corripuit atrox tempestas, qua classis partim abrepta, partim est depressa. Omnia litora, eiectis fluctu naufragiis, per multos dies completa fuére. Rex ipse, cùm nauis oneraria, qua uehebatur, nec ad terram appelli ob molem in tanta procella & cæcis fluctibus uideretur gubernatoribus posse, & aquam iam accepisset, atq; obruta esset undis, transgressus in myoparonem piraticum, corpore prædonibus permisso, incolumis Heracleam Ponticam insperatò & summo cum discrimine peruenit. Fama tenet, Dianæ Priapinæ ira fuisse tempestatẽ illam Ponticis immissam, quòd fanum eius spoliauissent, & signum loco mouissent. Plutarchus in Lucullo.

Transmittebat VALLIA, Gothorum rex, exercitum ingẽtem ex Bætica in Aphricam terram, ipsam bello inuasurus, erátque numerosa classis ad id comparata: quæ Gaditano freto subita tempestate disiecta, fluctibusq; obruta, tantã uim hominum secum absumsit, ut Siculi naufragij, quod in primi belli Punici tempora incidit, memoriam renouarit. Sabellicus lib 17. cap. 5.

CONSTANTINVS Copronymus Iconomachus cùm bellum Bulgaris inferret, quòd Romanæ ecclesiæ institutum sequerentur, duo ferè millia nauium cũ toto exercitu naufragio amisit. Cuspinianus.

Bamba rex Vestgothorum, naues SARACENORVM ducẽtas septuaginta, ad litus Hispaniæ applicãtes, partim cepit, partim perdidit. Ioannes Magnus Gothicæ historiæ libro decimo sexto, capite uigesimosecundo. & Ritius libro secundo de Regibus Hispaniæ.

BVGISLAVS Pomeraniæ dux in gratiam Friderici I. Imp. quingentarum nauium classe Daniam petebat. Ei ex improuiso Absalon episcopus iussu Valdemari regis occurrit cũ paucis nauibus, & imparatum ita repressit, ut uix cùm 35. nauibus effugerit: neque post eum diem ulla Vandalorũ classis piratica pro auito more ausa fuit Daniam infestare, solitaq; gentis piratica concidit. Cranzius libro sexto Vandaliæ, capite 19.

PHILIPPVS Rom. rex, Maximiliani Imp. F. mortua socru Elisabetha Hispaniæ regina, initio anni 1506. cum uxore & Ferdinando secundo filio suo profectus, nauibus conscensis, prosperis uentis Hispaniam uersus cursum tenuit. Quibus post bidui nauigationem in aduersissimos conuersis, eius classis ingenti tempestate iactata, ubi diu maris furori restitisset, per uarias Angliæ atq; citerioris Britanniæ oras dissipata est: ipse quoq; cum duabus uel tribus nauibus maximo periculo in Angliæ portum, qui Antona dicitur, eiectus est. Qua re cognita, Henricus VII. eius insulæ rex, qui Londini erat, multis statim principibus uiris, qui cum maximo honore acciperent, missis, ut Londinum ueniret, petiit: quod quidem negare, in Philippi, qui penè solus esset, & nauibus careret, potestate minimè erat. Hæsit autem apud illum tamdiu, donec classis iterum colligeretur, instrueretúrque. Guicciardinus lib. 7. Histor.

CAROLI V. Imp. numerosa classis in Algerij (quæ Iubæ regia olim, à Romanis Cæsarea Iulia dicta est) obsidione, uehementi oborta tempestate, conquassata est, ita ut re infecta turpiter abierit: & ne propter nauium paucitatem milites Barbaris relinquerentur trucidandi, equi omnes in mare fuerint abiecti. Neque uerò minor in reditu tempestas oborta. Duæ naues Hispanis militibus plenæ, quum in primo cursu reflantib. uentis ad Algerium detortæ, magnisq; rimarum hiatibus integros fluctus admittentes, fatali in litore desedissent: concurrente ad litus Numidarum equitatu, subsequente Maurorum multitudine, ut deiectos & desertos à fortuna trucidarẽt: Hispani densato agmine in orbem pugnantes, ad oppidum contenderunt, usq; adeò constanter & fortiter emenso spacio, ut coronam hostium, multis illatis uulneribus, à fronte sæpius effringerent, & à lateribus inuectos prælongis hastis egregiè summouerent. Tũ uerò effundentes se Turcas appellarunt, & per eos, si uita incolumi reciperentur, Asanagæ (qui Barbarossæ nomine Algerio præerat, Sardus genere, sed qui, excisis uirilibus, ad Mahometi sacra defecerat) in seruitutem se dedere nunciarunt. Ita prodiens Asanagas, præclaro iure uoluntariis fetuis fidem præstitit, depulsisq; Numidis, ad unũ omnes humaniter conseruauit: quum solerti ingenio è tot mancipiis tanti prouentus lucrum, cum honesta etiam clementiæ laude coniunctum, secus ac Barbari, mirum in modum æstimaret. Ipsis autem Germanis ea incommoda contagiosam penè pestem attulerunt, cùm & antea corruptis uisceribus. profluuio laborare cœpissent, ut ne tertia quidem eorum pars incolumis in Germaniam redierit. Vna magna nauis, cùm in ea quadringenti fermè omnis generis milites ueherentur, inusitatis atq; diuersis erroribus ita mediterranei maris sinus atq; insulas oẽs circumiuit, ut cùm portus appeteret, noua semper uentorum commutatione, è conspectu ipsorũ limine tutissimarum stationum ac urbium raperetur. Post quinquagesimum diem, cùm exoptatam terram attigisset, alimentisq; se milites resouere contenderent, neque ullis omnino cibis, ueluti iam extincto calore, proficerent, paucissimis diebus ad unum fermè omnes perierunt. Cæsar ipse cum rostratarũ nauium classe præteruectus Africæ litora, ad Oriẽtẽ in Holcachitẽ sinũ, in quo sita est Buzia urbs, ab Hispanis possessa, peruenit, illicq; uentos secundos expectauit, Andreæ Doriæ suasu & imperio: cui si iam inde ab initio paruisset, & expeditionem in uernum usque tempus distulisset, tantam cladem non subiisset. Sabel. supplem. lib. 24. ex Iouio.

ARMA VEL

Erepta.

Vide Tit. Arma hostibus eripere. Spolia huc pertinent, respectu eius, cui eripiuntur.

Constantinus Magnus magno prælio uictis VERONENSIBVS, Maxentio tyranno addictis, cùm ponere iussisset arma, ignouit. Verùm ne conscientiæ timore diffugerent, in uincula tradidit. Cùm autem præfecti & milites, quomodo tot uincula parari possent, ambigerẽt, Constantinus ex gladiis eorum gemina aptari claustra præcepit. Sigonius libro 2. regni Italici.

Amissa.

M. CATO iunior in prælio ad Pydnam cõtra Perseum regem Macedonum commisso, gladium amiserat. Sed cum in confertum hostium globum uirtute penetrans recepit. Plutarc.

Occupato Pylo à Demosthene Atheniensi, & inde tanquã ex arce Lacones infestante, terra mariq; Pylũ adorti sunt Spartani. BRASIDAS præ cæteris cum sua triremi ad litus asperrimum appellens, in descensu hostium agmen in se irruentium immoto corpore excepit: plerosque primo congressu occursantes necauit: deinde multitudine ingruente, crebris telorum ictibus sauciatus, nihilominus perstitit: postremò iam languentibus uiribus concidit: clypeum sinistrę elapsum, hostes abstulére. Ipse inter cæteros semianimis à suis exceptus fuit. Nec amissio ista clypei ei ignominiosa, ut

ut aliis, sed ad summã propè gloriã ascripta fuit. Diod. l. 12.

Abiecta.

ALCÆVS poeta Mitylenæus è bello fugiens, quod Athenienses cũ patria gesserunt, arma amisit: quib. potiti Atheniẽses, apud templũ Mineruæ in Sigæeo suspenderũt. Herod. lib. 5.

DEMOSTHENES similiter orator Atheniensis è bello Cheroneo, quo Philippus Macedo Athenienses uicit, clypeo abiecto fugit. Ea gratia ῥίψασπις uocatus est. Plut. in eius uita.

TORMENTA BELLICA

Nulla.

Lactantius prodidit, Venerem cognomento Caluã apud ROMANOS in religionis cultũ uenisse, ea præcipuè tempestate, qua Vrbe à Gallis ambusta, quum obsidione arctius premeretur Capitoliũ, iamq; ad extrema foret uentum, ex mulierum capillis, aliarum rerum inopia, tormenta connectere sunt compulsi. A CARTHAGINENSIVM mulieribus factitatum id quandoq;, ut capillos sibi resecuerint, implicandis funibus ad machinarũ in bello usum. Plutarchus de Fœnore. Scribit Iulius Capitolinus in Maximinis, tanta fide AQVILEIENSES contra Maximinũ pro senatu fuisse, ut funes de mulierum capillis necterent, neruorum facultate defecti excutiendis sagittis. Cælius lib. 18. cap. 12. A. L.

Corrupta.

Vide Tit. Tormenta hostium corrumpere. Illic Prudentiæ corrumpentis, hic Rei corruptæ ratio habetur.

SIGNA, VEXILLA

Amissa.

MEDIOLANENSES cũ ad Castrũ nouũ ad os Abduæ Cremonæ premendæ caussa cum carrocio constitissent, idq; cepissent: à Cremonẽsib. iterũ pulsi, insuper carrocio, quod insignis probri loco per ea tẽpora habebatur, exuti sunt, ann. 1150. Id castrum postero deinde anno Placentini Cremonensibus reddiderunt. Sigonius lib. 11. regni Ital.

Anno 1191. cõtentione de finib. orta, Brixianis Mediolanẽses, Bergomatibus Cremonenses studebant. CREMONENSES cùm traiecto amne Ollio agrũ Brixianũ populabundi iniissent, in fugam compulsi carrociũ amiserunt. Ea uictoria ingentis speciẽ triumphi uictricibus ciuitatibus præbuit. Carrocij corpus Mediolanũ rei gestæ monumento translatum. Brixiani malũ & nolam Brixiam deportarunt, atq; ad perẽnem trophæi de uicinis hostibus parti memoriã malum in tẽplo maximo suspenderũt, nolã uerò in turrim populi subduxerunt, atq; ut in diebus Carnispriuij publicæ lætitiæ gratia pulsaretur instituerunt. Sigonius lib. 15. regni Ital.

VESTIMENTA, ORNAMENTA

Nulla.

Consule Tit. Frugalitatis in uestitu. illic Internæ moderationis in non appetendo, hic externæ ratio habetur Inopiæ.

EPAMINONDAS (ut Aelianus scribit) tam pauper fuit, ut una ueste tantùm uteretur: quam si quando fuisset opus reficere, domi se continere cogebatur.

Erat LAMACHVS Atheniensium dux adeò pauper, ut quoties eum Athenienses ducem creassent, aliquantulũ pecuniç ad pallium ei & crepidas comparandas decerni necesse fuerit. Sabellicus lib. 7. En. 3.

PHOCION dux summus una eademq; ueste cum uxore utebatur. Ea indutus, uxor domi manebat, & econtra. Plutarc.

Socraticus Aeschines in Telauge, TELAVGEM semiobolum fulloni diurno tempore persoluentem ob uestem gestam, codia cinctum, calceos funiculis putribus consutos habentem, theoremq; agentem irridet. Athen. lib. 5. cap. 14.

Amissa.

IASON Aesonis F. ex genere Aeolidarũ, in traiectu Anauri fl. alterũ calceum in limo hærentẽ amisit. Inde Peliæ Ioci regi sacrificanti occurrens (qui se à nudipede interfectũ iri oraculo didicerat) ab eodem ad aureũ uellus Colchide petẽdum tanquã ad certum exitium missus fuit. Natal. Comes Mythol. lib. 6. cap. 8.

Erepta.

LVDOVICVS Patauinus ex medico, Patriarcha Aquileiensis, Cardinalis ob rei bellicæ peritiam & successum ab Eugenio IV. creatus, amplis. opibus partis, pontificatui proximus, anno 1465. Romæ obiit. Quo die sepultus est, noctu effracto sepulcro cadauer eius anulo & ueste spoliatum: non obscuro omine, idem quoque facultatibus eius euẽturum: quas breui tempore hæredes miserè dilapidarũt. Bern. Scardeonus lib. 2. cap. 6. hist. Pat.

SIGNA, STATVAE

Ereptæ.

De his sub Opulentiæ loco egimus. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.

Corruptæ, Fractæ, Deiectæ.

Ex Ignominiæ loco huc quædam.

Alexio Comneno imperãte, CONSTANTINOPOLI exortus est uentus uehemens & uiolẽtus tẽpore uerno: per quẽ cùm multæ aliæ contigère ruinæ, tũ colossus quoq; in palatio situs corruit, multosq; qui tum fortè aderant, cõtriuit in foro deambulantes. Erat magnitudine quidem ingenti, pulcritudine admirabili. Ferunt Constantinum Maximũ hanc statuam æneam Apollinis mirandæ magnitudinis ex Troade Constantinopolim transtulisse, dum urbẽ dedicaret, supposito suo titulo, & ablato numinis capite. Cuspinianus.

Anno 477. ex terræmotu Statua THEODOSII Magni in foro Tauri super cochlidẽ columnã posita corruit, duobus etiã fornicibus eius fori collapsis. Sigonius li. 15. Imp. occid.

Saraceni capta RHODO colosseã statuam ex ære deiectam, Iudæo cuidam uendiderunt, qui eam nongentis camelis exportauit.

METALLA

Nulla.

MACROBII Aethiopes ut auro abundãt, ita ære & ferro carent, adeò ut fontes aureis cathenis necti consueuerint. Herodotus libro tertio.

Rara.

Rarum admodũ ANTIQVITVS aurũ argentumq; apud Grçcos reperiebatur, atq; parũ erat argẽti inter metalla. Quamobrem Philippum, magni regis Alexandri patrẽ, aureã phialam, quam habebat exiguã, semper sub puluino tenere solitũ, Duris testatur Samius. Atrei preterea auream agnam, ob quã solis defectus, regumq; mutationes factę sunt, multæq; tragœdiæ, Herodotus Heracleotes argenteam phialam fuisse asserit, quæ in medio auream agnã haberet. Anaximenes Lampsacenus celeberrimum idcirco Eriphyles monile fuisse scribit, quia rarum admodum eo tẽpore aurũ apud Græcos reperiebatur: erat enim res tunc maximè admiranda, si quis poculum argenteũ cõspexisset. Sed postea quã Delphi à Phocensibus capti fuerũt, omnia huiusmodi abundantiã quandã sunt assecuta: ex æreis enim poculis ij bibebant eo tẽpore, qui ditissimi esse uidebantur, ex quo poculorũ loculos ærithecas appellarunt. Aegyptiorũ etiã sacerdotes ex æreis poculis bibere solitos scribit Herodotus, atq; sacrificãtibus eorũ Regibus palã aliquãdo nõ inuẽtas fuisse aureas phialas ait, quæ iis traderentur: quo effectũ est, ut Psammetichus postea, qui iunior fuit aliis Regibus, in ærea phiala libauerit, cũ reliqui Reges argenteis fuissent usi. Cũ Pythium deinde phanũ à Phocẽsibus tyrãnis spoliatũ fuit, enituit auri argẽtiq; copia apud Græcos. At cũ Alexander postea maximos thesauros ex Asia tulisset, uerè latè potens Plutus, ut ait Pindarus, pullulauit. Primus Gyges rex Lydorũ munera aurea & argẽtea Delphis deposuit: ante cuius imperium Pythius sine auro uel argento uisebatur, ut Phanias inquit Eresius, ac Theopõpus. Narrant enim hi, Pythij Apollinis tẽplum à Gyge primùm, post hũc à Crœso ornatũ fuisse: post quos à Gelone & ab Hierone Siculis, hoc tripodem quidẽ uictoriamq; ex auro deponẽte, quibus tẽporibus Xerxes in Græciam militauit, ipso autẽ Hierone his ualde similia largiente. Sic aũt scribit Theopompus: Templum antiquitùs æreis depositis, non uirorũ quidem imaginibus, sed lebetibus tripodibusq; ex auro factis erat ornatũ. Cùm uellẽt Lacedæmonij faciem Apollinis eius, qui erat Amyclis, inaurare, nec aurum reperirent in Græcia, miserunt ad interrogandum Deũ, unde nam aurũ coemere possent. Qui apud Crœsum Lydum id esse respondit. Ad quem accedentes, illud emerunt. Hieron Syracusius cùm tripodem uictoriamque ex illaborato auro Deo esset depositurus, multumq; per tẽporis spaciũ auro indiguisset, uiros postea misit in Græciã, qui id perquirerent: qui uix tandem Corinthũ accedentes, diúque inuestigantes, apud Architelem Corinthiũ inuenerunt, qui longo tempore paulatim emens, thesauros nõ exiguos comparauerat. Dedit is igitur Hieronis procuratoribus quãtum uoluerunt, ac sui ipsius postea manum implẽs, illis insuper tribuit. Qua de causa nauigium frumento onustum, aliaq; dona complura misit ei Hieron ex Sicilia. Quę eadem scribit etiam Phanias in libro de Tyrannis Siculis, atque de æreis depositis antiquis tripodibus, lebetibus, & gladiis mentionem facit. Athen. lib. 6. cap. 3.

Quia Solonis tempore nõ abundabant ATHENÆ argento, eius difficultas intendit pœnas pecuniarias: nam in sumtũ uictimarum ouẽ imputabat, & pro medimno drachmã. Victori ludis Isthmiis centum drachmarum præmium assignauit, Olympiacis quingentarum. Ei, qui lupum attulisset, dedit quinq; drachmas: qui lupam, huic unam, ut Demetrius Phalereus est auctor: atq; hoc preciũ ouis esse, illud bouis. Plutarchus in Solone.

ROMANOS olim pecuniæ inopes fuisse ex eo colligitur, quòd multæ non pecunia, sed pecudibus pendebantur. Si-

quidem Poplicola multam ei, qui dicto audiens non esset, quinq; bobus dixit & duab. ouibus ualentem. Ouis erat decem oboli, bos centum. Plut. in Valerio Publicola. Romæ non fuit aurum, nisi admodum exiguum, longo tempore. Certè cùm à Gallis capta Vrbe (anno CCCLXIIII. censis iam capitum liberorum CLII millibus) pax emeretur, non plus quàm mille pondo effici potuere. Nec ignoro duo millia pondo auri perisse, Pompeij tertio consulatu, è Capitolini Iouis solio, à Camillo ibi condita, & ideo à plerisq; existimari duo millia pōdo collata. Sed quod accessit, Gallorum præda fuit, detractumque ab his in parte captæ Vrbis delubris. Gallos autem cum auro pugnare solitos, Torquatus indicio est. Apparet ergo Gallorum templorumque tantundem, nec ampliùs fuisse: quod quidem in augurio intellectum est, cùm Capitolinis duplum reddidisset. Plinius libro trigesimotertio, capite primo.

Defecta.

BYTHOMIENSIBVS in Polonia, euanuēre metalla plumbi cum argento intermixto feracia, ob interfectos duos sacerdotes ab oppidanis publico consilio, Petrum parœcum oppidi, & Nicolaum concionatorem. Cromerus lib. 12.

THESAVRI

Erepti.

Vide Tit. Depeculatorum, Furum, Sacrilegorum. Item Titulum Prædæ.

Submersi.

CHRISTOPHORVS III. Bauariæ dux, Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ rex dictus, uenit in Sueciā regio apparatu, ut regē se meminissent habere. Sacris ritib. de more peractis, ubi proceres cōuiuio pro more accepisset, iam rebus omnib. cōpositis, quū omnia in naues reportarentur, comportati sunt etiā thesauri regij, à tot annis collecti. Nauigatione in Daniā instituta, exorta tēpestas sæuissima naues regias uariè iactauit: unā, quæ aurū & argentum ultra C. millia cū cæteris regij apparatus insignib. uectabat, in oculis suis mergi rex ipse cōspexit. Ita nō solùm inde nō auctus opibus rediit, uerùm etiā plurimis, quas regno intulerat, amissis: multo maior iactura in amicis. Crāzius lib. 3. Sueciæ c. 38. Mira Sueciæ fortuna: non patitur exportari thesauros. Si sinūt homines, mare prohibet: si pacatum est mare, homines uetant. Idem lib. 8. Daniæ, cap. 24.

ALIMENTORVM PENVRIA. IN GENERE. FAMES.

Fames & Annonæ penuria ob quamuis causam exorta, inter Fortuita censeri debet. Eadem ut Alimenti corporei defectum significat, ad Corporis mala secundaria referri potest.

Fames compulit ABRAHAMVM, primò ut ex Chananæa in Aegyptum fugeret. Genes. 12. Deinde, ut Gerara ad Abimelechum regem se conferret. Genes. 20. Similiter etiam ISAACVM. Genes. 26.

Sub Pharaone rege ubertas magna integro fuit septennio. Quam secuta est totidem annorum fames in AEGYPTO. ex Genes. 41.

In IVDÆA tempore Iudicum tāta fuit fames, ut Elimelechus Bethlehemita cum uxore Noemi & duobus filiis in Moabiticam terram discesserit, ubi filiis suis uxores dedit, Orpham & Rutham. Noemis, post decennium remittente fame, post mortē patris & filiorū, cū Rutha nuru sua in Iudæam rediit. Rutha Moabitis Boozo uiro clarissimo nupsit. Ruth cap. 1.

Sub Ioramo rege Israelitarū, septennio integro fames ISRAELITAS afflixit. Itaque Elisæus propheta mulierem Sunamitidem, cuius filium in uitam reuocauerat, in Palæstinā proficisci iussit, donec septem anni elaberentur. Libro quarto Regum, capite octauo.

Benadado Syriæ rege SAMARIAM obsidente, asini caput octoginta argenteis, quartarius stercoris columbini loco salis quinque argenteis ueniit. Ioramus rex Samariæ cùm muros obiret, occurrit ei mulier, conquerens de sua contubernali, quòd cùm ipsa superiore die filium suum mactasset, & illam alteram in cōuiuium adhibuisset, illa nunc ex pacto suum mactare nollet. Rex facinoris immanitate territus, uestimenta sua lacerauit. At Elisæo uate prædicente, hostibus diuino terrore fugatis, postridie summa annonæ uilitas successit. 4. Reg. 6. & Iosephus lib. 9. cap. 4.

Fames maxima IVDÆAM afflixit anno Herodis regis XIII. ob siccitatē diuturnā, ne illis quidem fructibus prouenientibus, quos sponte sua terra solet edere: quam & morbi subsecuti sunt, & inualuit pestilentia, fuissetque omnibus ferè pereundum, nisi Herodis intercessisset apud Petronium Aegypti præfectum cura & prouidentia. Iosephus lib. 15. c. 12.

Fames, quam omnibus terris futuram Agabus Actorum XI. prophetico prædixerat spiritu, Claudij Imp. IX. & X. anno lōgè lateq; per totū ORBEM euagata est. Qua temporum iniquitate, Helena Adiabenorum regina, quæ Iudaicum primò cultum complexa, mox Apostolorū prædicatione Christi regis est fidem secuta, magnā uim tritici Hierosolymam misit, ne piorum cœtus, qui tunc eam urbem incolebat, fame conficeretur. Meminit cladis huius Tranquillus, qui auctor est, Claudium arctiore annona, quæ ob assiduas sterilitates inciderat, in foro à multitudine conuiciis exceptum, ac ita panis fragminibus instratum, ut ægrè per posticum in palatium euaserit. Sabellicus lib. 2. Enneadis 7. ex Eusebio & Dione.

In HIEROSOLYMITANA obsidione tanta fuit fames, ut multi clàm uniuersa bona sua uno frumenti modio, qui ditiores essent, itemque pauperes ordei, permutarent. Inclusi deinde intimis ædium tectis, quidam summa penuria infectum triticum comedebant, panem alij conficiebant, ut necessitas metusq; monuisset. Et mensa quidem nusquā apponebatur, sed incoctum subtrahentes igni cibum diripiebāt. Miserabilis autem erat uictus, dignumque lacrymis spectaculum, cùm potentiores quidem plus haberent, infirmiores autem iniuriam deplorarent. Denique uxores uiris, & filij parentibus, & quod miserrimum, matres cibum infantibus ex ipso ore rapiebant: & marcescentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin uitæ guttas auferret. Edentes uerò talia non latebant, sed ubique aderant qui ista diriperent. Nam sicubi clausam domum uidissent, eos qui intus erant, cibum capere hoc suspicabantur indicio: statimque ruptis foribus irruebant, uictumque iam contusum dentibus, ex gutture penè reuocabant, ipsos faucibus strangulantes. Pulsabantur autem senes, ne cibum defenderent: lacerabantur mulieres, ea, quæ haberent in manibus, occulentes: nullaq; miseratio uel cani erat capitis, uel infantiæ: sed abstractos pueros, & ex buccella pendentes, humo allidebant. Si quis autem incurrentes anteuenisset, quodq; rapturi fuerant deuorasset, tanquam læsi cruentiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant, dummodo alimenta reperirent, nunc excruciando genitalium uias, nunc uirgis acutis podices transfigendo. Iosephus lib. 6. cap. 11. belli Iud. MARIA quædā infelix mulier, infantis uagitu excita, ubi cum illo extabescere se animaduertit, impar tantis malis, & calamitati succumbens, affectum amisit, exculcataq; naturæ ui ac dolore deuorato, furorē induit, intentaq; in paruulum etiam hosti miserandum: Quid, inquit, faciam tibi paruule? quid faciam? Sæua ecce circumstāt mala, fames, incendia, latrones, ruinæ. Cui credam te moritura? An uitæ tātillum relinquam? Sed potes, ô fili, & sic matrē pascere, idoneæ ad cibū manus tuæ, ô suauia mihi uiscera, ô artus periucundi, age prius quàm fame in ultimam soluamini tabem, reddite matri quod accepistis. Age, ô fili, intimum naturæ secretum repete, unde uitales auras carpere orsus es, inde & tumulus paretur tibi. Amplectar ipsa quæ genui, & exosculabor pressiùs. Hæc uerò quum enūciasset flebiliter, mox auersa gladium impegit, ac in frusta consectum igni percoxit, indeque hiantes expleuit uentris latratus. Cælius lib. 13. cap. 24. ex Egesippo.

GRÆCIS Ilium obsidentibus, fames maxima exercitum inuasit, propterea quòd uicini agri depopulati non colerentur. Palamedes igitur Nauplij F. ut solamen aliquod tantæ calamitati afferret, animos Græcorum in iucundis rebus occupando, latrunculorum ludum siue tesseras & talos reperit. Et teste Polemone, prope Iliū adhuc extat lapis, in quo Græci luserunt. Attestatur huic rei Sophocles in Palamede inquiēs: ὁ λιμὸν οὗτος τοῦδ' ἀπῶσε, σὺν θεῷ εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας ἐφηῦρε, φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις, πεσσοὺς κύβους τε, τερπνὸν ἀργίας ἄκος; Eustathius Iliad. β.

Stephanus Aegyptias pyramides ab tritico, quod πυρὸς nuncupatur, deduci mauult: quoniam eo illuc aggesto, fames AEGYPTVM inuaserit. At Ammianus Marcellinus libro secūdo & uicesimo: Quia (inquit) figura in acutum desinens, ab Geometris sic appellatur, quòd in morem ignis in conum assurgat. Cælius lib. 23. cap. 6. A. I.

Tēpore Atyis, Manis regis filij, annonæ difficultas per uniuersam Lydiam ualde grassabatur, adeò ut LYDI, qui tum misere degebant, non cessantes remedia huic malo quærere, alius aliud excogitarit: inuentumq; tunc ab iisdē aleæ tesserarumq; ludum, & pilæ, cæterorumq; ludorum omnium genera aiunt, præterquam talorum. Horum enim inuētionem sibi non uendicant Lydi. Porrò ad famem discutiendam, alteram quidem dierum in totum lusibus occupabantur, ne uidelicet ciborum quærendorum sollicitudine distorquerentur: altera uerò à lusib. abstinētes, pascebātur. Atq; hoc modo uixerunt annis circiter duodeuiginti. Cùm autē malum istud non remitteret, sed magis atq; magis inualesceret, factum est, ut eorū rex Lydos bifariam diuideret: & hos quidē sorte ad permanendū in suis ędibus destinaret, illos uerò aliquò ablegaret colonos. Et quidē his, qui isthic permanerent, rex ipse pergeret imperare: illis autem, qui deducendæ coloniæ erant destinati, filium suum præficeret, cui nomen Tyrrheno. Hi è Lydia excedentes, primùm diuerterūt Smyrnam. Hic mox fabricatis nauigiis, quibus ea, quę nauigatio ni accommoda uidebantur, imponerent: ad uictum sedesq; quærendas oram soluerunt: donec uarias nationes pertranseuntes, ad Vmbros peruenerūt: & ciuitatibus constructis, pro Lydis (propter regij filij, qui eos deduxit, nomenclaturam) nomen commutarunt, & Tyrrhenos sese dixerunt. Herodotus libro primo.

CYRVS, cùm in expeditione quadam coactus fuisset intrare regionem desertā, & omniū ad uitā necessariorū inopem, tā graue subiuit discrimē, ut eius milites ob uictus indigentiā commilitonū corpora in cibum uertere cōpulsi fuerint. At quū Arimaspi currus frumēto onustos ad triginta millia adduxissent: præter spē ab ingenti calamitate omnes sunt liberati. Quo nomine Cyrus eos libertate donatos, pro Arimaspis Euergetas appellauit. Diod. lib. 17.

Cùm PHYGALENSES Arcades Cereris sacra intermisissent, crudeli fame uexati, ex Pythiæ oraculo nouum Cereri signū fecerunt, & sacra magnificentius instaurarunt. Pausanias in Arcadicis.

Ἀλιτήριος, uulgò dicebatur, qui per uim raperet aliena. Natum ex euentu huiusmodi. Temporibus Aetolici belli, tanta frumentariæ rei penuria incidit ATHENIENSIBVS, ut pauperes coacti fame captiuorum farinam diriperent. inde uox traduci cepit ad hominem quocunq; modo sceleratum. Suidas. Plutarchus in commētario de Curiositate, diuersam huius nominis originem reddit. Nempe cùm Athenis fame uehementer laboraretur, & hi, qui iussi fuerant, frumentum nō efferrent in publicum, sed domi clanculum molerent ac noctu: curiosi quidam obambulātes, obseruato molarum strepitu, eos prodiderūt: atq; hi quidem Aliterij dicti sunt, quēadmodum & Sycophantæ. Ceres dicta est ἀλιτηρία, & Iupiter ἀλιτήριος, quòd in publica fame seruassent molitores, ne farina diriperetur. Erasmus in Adagiis.

Post uictoriam Platæensem Athenienses Xanthippo duce SESTVM in Chersonneso oppugnabant. Obsidio illa tam diu tenuit, ut qui obsidione tenebantur, lectorum funibus elixis uescerentur. Sab. lib. 2. En. 3.

Cùm in Pireeo ursus Dianę Munychiæ sacer ab ATHENIENSIBVS interfectus esset, fames ingruit. Oraculum respōdit: Ita demum mali finem futurum, si quis filiam immolasset numini. Embarus filiam se immolaturum pollicitus, si sacerdotium in posteros suos traduceretur, solēni ritu ornatā sacrificauit. Plut. in Collectaneis, & Erasmus in prouerbio, Embarus sum.

Demetrius Poliorcetes ATHENAS terra mariq; infestās breui ad tantā rei inopiā redegit, ut tricenis drachmis uæniret modius frumenti. Plutarchus ait memoriæ proditū, filium in ea egestate aduersus patrē, ob murē, qui forte è tecto exanimis deciderat, ferro dimicasse, & Epicureæ sectæ quendam, fabis æqua portione distributis, liberos ea temporum iniquitate aluisse. Sab. lib. 7. En. 4. ex Plut. Demetrio.

Dionysio tyranno Siculorum undecimum iam mensem Rhegium obsidente, & omne eis auxilium commeatumq; intercipiente, graui rerum omnium necessariarum penuria laborare in urbe cœperunt. Aiunt frumenti medimnum apud RHEGINOS tum temporis quinq; minis uæniisse. Tanta igitur fame pressi, primùm quidē equos & alia iumēta in alimentum adhibere cœperunt: postea uerò ipsis quoq; coriis ac pellibus maceratis & coctis pro cibo utebantur: postremò urbem egressi, herbas circa murum crescētes pecudum instar depascebātur. At Dionysius extremum etiam malum inducere uolens, herbas loci eius & gramina passim succidi ac euelli iussit, quò putrefacta, pro cibo esse eis amplius nō possent. Quibus malis Rhegini uicti, urbem tyranno, concessa ei in eos statuendi omni potestate, tandem dederunt. Vrbem ingressus, magnam cadauerum eorum copiam reperit, qui fame omnes perierant: superstites adhuc, mortuis quàm uiuentibus similiores erant. Collectis autem infirmis & lāguidis quoq;, captiuorum plus quàm sex millia Syracusas misit, uel talento singulos redimendos, uel sub hasta uendendos. Diodorus lib. 14.

Cùm aliquando PELOPONNESVS annonæ laboraret inopia, quidam urgente fame, collectis sarcinis, inde demigrarūt. Ii cū incertis sedib. huc atq; illuc uagarētur, recepti sunt in ciuitatē à Tripolitis. Tripolis aūt ea in Rhodo est. Nomē igitur inditum illis, ut dicerentur λιμοδωριεῖς. Hesychius addit, ex auctoritate Didymi, eos qui iuxta Oetam accolebant sic uocatos, quòd ob terræ sterilitatem frequenter cum famem rem habebant. Δωριεῖς Græcè dici uidētur à dono & eundo. Itaq; qui uagantes famem adferebant, λιμοδωριεῖς dicti sunt. Alioqui Dores non sunt in Peloponneso, sed inter Locros & Aetolos, auctore Strabone li. 9. Erasmus in Adagiis. ex Plut. Collect. prouerb.

Λιμὸς μηλιαῖος, id est, Fames Meliæa. de fame extrema, deq; rebus difficillimis. Est enim MELVS oppidū Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux obsedit, expugnauitque, non tam machinis bellicis, quā fame. Suidas. Meminit historiæ Thucydides libro quinto.

Alexāder Magnus ex Gymnosophistis pedestri itinere per Oritas pergens, in extremā inopiam recidit, multosq; mortales amisit, ut EXERCITVS ne quartā quidem partē reduxerit ex India, cùm peditū essent CXX M, equitū ad XV M. Adhæc graues morbi, prauus uictus, feruores torridi, plurimos fames absumsere: dum regionem peragrant incultam hominum duram uitam agentium, qui paucas & uiles habebant oues, marinis piscibus assuetas uesci, atq; hinc praua carne & putida præditas. Hanc tandem diebus sexaginta emensus, Gedrosiam attigit. Ibi in rerum omnium egit affluentia, quòd proximi satrapæ & reges de omnibus prouidissent. Plut. in Alexandro.

STIPENDIARII Carthaginensium, post primum Punicum bellum, seditione mota, ad extremū periculum res Carthaginensium deduxerant, nec nisi fame ab Hamilcare domari potuere. Constat illos captiuorum primò, mox & seruorum corpora crudéliter absumsisse. Sab. lib. 9. En. 4.

An. V. C. 313. Proculo Gegänio Macerino, & L. Menenio Lanato Coss. annonæ caritas ROMAM inuasit, dubium, deserto agrorū cultu, an cœlo frugibus aduerso: utrumq; enim traditur. L. Minutius est annonæ præfectus, publica frumentatione parum felix. Apud finitimos neq; preciū ualuit, neque gratia, ut laboranti ciuitati opem ferrent. Fame igitur inualescente, ad eam rerū desperationē est uentum, ut quidam è plebe longioris uitæ cruciatus uetiti, obuoluto capite sese in Tyberim præcipitarint, tanta tū fames ciuitatē inuaserat. Tum Sp. Melius, ex equestri ordine homo prędiues, rem specie utilē, sed libertati præcipuè inimicam est aggressus. Emerat hic per clientes & hospites penè quicquid frumenti fuerat ex Hetruria aduectum, emtumque multitudini gratis in grauissima annona distribuit. Conciliauit ea largitio homini tantum fauoris, ut quacunq; incederet, frequens circa illum ciuium multitudo conspiceretur, futurum consulatum haud dubio consensu repromittens. Quoniam aūt consulatus erat patribus nō sine certamine extorquēdus, de regno agitare cœpit. Creantur interim consules, T. Quintius Capitolinus, & Agrippa Menenius. Ad hos & patres Minutius detulit, se manifesto indicio compertum habere, in Sp. Melij domo secreta consilia agitari, ingentem uim armorum cōllatam, corruptos ex Tribunis quosdam, qui ad prodendam libertatem cum Melio conspirent. Tum quia à consulibus prouocatio erat, uisum est ad id malum opprimendū Dictatore opus esse. Quintius Cincinnatus dictus est. Is Seruilium Halam magistrum equitum dixit. Qui Melium ad Dictatorem uenire uolentem, & populi fidem implorantem, occidit. Placata in Dictatoris oratione multitudine, Quęstores iussi sunt Spurij bona uendere, pecuniamq; inde exactā in publicum redigere. Domus diruta, monumētum nefariæ spei oppressæ ut esset area, Aequimelium appellatum. L. Minutius boue aurato, uel, ut alij tradunt, statua extra portam Trigeminam est donatus. Sabel. lib. 5. En. 3.

Rutilius Romanorum imperator TAVROMENIVM seruili bello recuperauit, postquam uehementissimè illud oppugnasset, & defectores seruos, qui in eo erant, ad tam acrem famem compulisset, ut quum primò liberorum suorum corporibus uesci cœpissent, mox ad uxorum corpora se conuertissent, postremò ne sibi quidem inuicem parcerent, sed alij alios uorarent. Diodorus lib. 4.

PETILINI Brutij ab Hannibale obsessi, quia à Romanis deficere noluerant, tantam famem sustinuerunt, ut frugum & carnium alimentis absumtis, coria suttinis detracta in cibū uerterint. Herbis inde, radicibus, corticibusque deficientibus, nullus fuit tam infandus cibus, à quo obscena fames abstineret. Postremò corporibus miserabili tabe confectis, ut ne uestigio quidem consisterent amplius, ab Himilchone expugnati sunt. Sabellicus libro tertio, Enneadis 5. & Athenæus libro 12 capite 11.

CASILINI obsidebat Hannibal Romanorum præsidium, & ad ultimum inopiæ redegerat: ita ut quidā fame adacti, ultrò sese præcipitasse dicantur, alij nuda corpora obtulerint hostibus conficienda. Intercepto deinde à Pœnis commeatu, quem Romani miserant, ad tantam omnium rerum penuriam uentum est, ut lora & pelles scutis detractas aqua emolitas mandere conati sint, nec muribus interim alisque obscenis cibis abstinuerint. Satis constat, CCC argenteis murem unum memorabili euentu uæniisse numis, emtoremq; ea alimonia seruatum. eo qui uendiderat extincto. Sabellicus lib. 3. Ennead. 5 & Plin. lib. 8. cap. 57.

Saguntina fames, in prouerbium uenit. Historiæ meminerunt T. Liuius, Valerius Maximus, & M. Tullius in Philippicis. Est autem SAGVNTVM Hispaniarum oppidum iuxta flumen

Iberum, ſocietate fœdereque coniunctum cum Romanis. Id longa Pœnorum obſidione fameq; eò redactum eſt, ut ciues extructo in foro igni, quicquid erat precioſarum rerum in eum conijcerent: ac poſtremò, ſeq; ſuosq; liberos eodem præcipitarent, ne uenirent in hoſtium manus.

Anno V.C. CXLIIII. cū L. Icilius tribunus plebis agrariis legibus promulgandis ſeditiones ROMÆ agitaret, peſtilentia coorta cogitationes hominum à foro certaminibusque publicis, ad domum curamq; corporum nutriendorū conuertit. Defuncta ciuitate plurimorum morbis, perpaucis uulneribus, peſtilentem annum inopia frugum neglecto cultu agrorum excepit. Atq; adeò fames quàm peſtilentia triſtior erat, niſi dimiſſis legatis Romani à Siciliæ Tyrannis maximos commeatus aduerſo Tiberi in urbem aduehendos curaſſent. Liuius Decad.1.lib.4.

Obſeſſi à Gallis in Capitolio ROMANI, quando nullos eò commeatus cōuexerant, inopinato nimirum malo præuenti, eò penuriæ redacti ſunt, ut M. Manlio Capitolino ob ſeruatam contra nocturnam uim Gallorum arcem, ſummi muneris loco, non Tribuni ſolùm, ſed etiam uniuerſi milites ſelibras farris, & quartarios uini contulerint, rem dictu paruam, ſed ingens argumentum charitatis. Senſerant quidem Galli obſeſſos fame premi, eamq; illis obiecerant. Romani auertendæ eius opinionis cauſa, multis locis dè Capitolio in hoſtium ſtationes panes iecère. Poſtremò cùm ſuperatis humanis omnibus malis, famem unam natura uincere non ſineret, nec auxilium aliquod à Dictatore Camillo appareret, mille pondo auri libertatem ſuam à Gallis redemerunt. Liuius Decad.1.lib.5.

Cùm M. Antonius Triumuir è Parthis reduceret EXERCITVM, tentauit fames exercitum: quòd parum frumentari, idq; nō ſine certamine poſſent, & deficerentur molis. Magna enim ex parte relictę fuerant, iumentis partim mortuis, partim ægrotos & ſaucios ferentibus. Chœnicem tritici Atticam quinquaginta drachmis aiunt uæniſſe. Panes hordeaceos ad argenti pondus diſtrahebant. Ad olera uerò & radices cùm uerterunt ſe, pauca reperere familiaria. Coacti etiā inſolita antè guſtare, herbam attigerunt, quæ adferebat per inſaniam mortem. Plut. in Antonio.

Sub imperio MAXIMINI & Licinij perſecutorum Chriſtianæ religionis, fames fuit tanta, ut una tritici mēſura bis mille & quingentis Atticis uenderetur. Factum inde eſt, ut per ciuitates infinita hominum multitudo fame confecta, mortua ſit: maior uerò per uicos & agros peſtilenti morbo. Alij igitur quæ chariſſima & precioſiſſima haberent pro tenuiſſimo cibo ditioribus uendebāt: alij poſſeſſionibus ſuis paulatim diuenditis, ad extremam egeſtatem redacti ſunt. Quidam modicas graminis minutias mandentes, & lethiferis herbis promiſcuè ueſcentes, ualetudinem corruperunt. Nonnullæ etiam per ciuitates nobiles feminæ ad extremā inopiam redactæ, ad agros mendicandi gratia ſe receperūt. Et alij quidē uitib. exhauſti, uelut exanimia ſimulacra, huc illuc uacillantes, nutantesq; & collabentes, in mediis plateis procidebant: ſupiniq; palmis extenſis, ut pauxillū ſibi cibi porrigeretur, ſuppliciter orabant: atq; in extremis conſtituti, animamq; agētes, eſurire ſe clamabant, ad hanc etiam uocem perferendam uix ualentes. Sic igitur in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora plurib. dieb. inhumata & proiecta miſerabile uiſentibus ſpectaculū exhibebāt. Cùm & canū cibi nōnulli fierent: ob eamq; cauſam potiſſimū aliqui canes interficerēt, ueriti ne rabidi facti, ad uorandos & laniandos homines conuerterētur. Euſ. lib. 9. c. 8.

Sub Iuliano Apoſtata terræmotus fuerunt grauiſſimi, edificia & domus paſſim ruebant: adeò ut tutum nuſquam eſſet, uel domi uel ſub æthere morari. Præterea ſiccitates immenſæ, omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum eſt, ut homines neceſſariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum, ALEXANDRIÆ & in AEGYPTO ueſci coacti ſint: ut Sozomenus indicat lib. 6. cap. 2. Theodoretus lib. 4. cap. 4. ſcribit, famem illam ingentē, ob impietatem Iuliani, & frumentum eccleſiis à Conſtantino donatum raptum, ſub Iouiniano adhuc duraſſe.

Decimo Mauricij anno, poſt maximam ſiccitatem, quinque locuſtarum agmina, innumerabili multitudine, quicquid in aruis uireſcebat depaſcentia, ingētem per ITALIAM famē biennio fecere. Palmerius, ex P. Diaconi lib. 4. de rebus Longobar. & Greg. Turon. lib. 10. cap. 29. Hiſtor.

Ann. imperij Valētiniani ſeptimo, Chriſti 374. magna fuit CÆSAREÆ ſiccitas: quam ingens fames ſubſequuta eſt. Baſilius ſermone tertio in Diuites, & Hieronymus in Chronico.

Fuit maxima ea neceſſitas, qua ITALIA laborauit, imperante Iuſtiniano, cùm Gothi Beliſariū in urbe Roma incluſiſſent. Procopius narrat propter ingentem famem eos, qui in Aemilia habitabant, propriis ſedibus ac bonis relictis, in agrū Picenum profugiſſe: in Piceno agro non minus quàm quinquaginta millia hominū præ inedia interiiſſe, & longè plures extra Ionium ſinum. Inualeſcente autem hoc malo, tandem eò deuentum eſt, ut homines cogerentur humanis carnibus ueſci. Duas fuiſſe tunc feminas tradunt, quæ uiros ſeptendecim interfectos abſumſerant. Sed eò iam alibi quoq; creuerat famis neceſſitas, ut quicquid ubiq; herbarū eſſet, id promiſcuè appeterent, & genu in terram nixi, cùm auellere has niterentur, deficientibus uiribus (nam è corporib. uigor omnis abſceſſerat) porrectas ad herbas ſolo moribūdi procumberent, inſepultiq; paſſim manerent: nec erat, qui ſepulturæ rationem haberet. Hermannus Gigas dicit tantum inualuiſſe famē, ut matres mactarint ſuos liberos, iiſq; pro cibo uſi ſint. Blondus quoq; Decadis 1 lib. 4. & Sab. lib. 3. En. 8. recitat ex Dacio Mediolanenſi archiepiſcopo, qui iis temporibus, quibus Vitiges Romam obſidebat, uixit, quòd in ſua diœceſi inuenta ſit mater, quæ mortui filioli carnes comederit.

AZANÆA Phrygiæ ciuitas fame ob ſterilitatē agrorum premebatur. Immolata autem uulpe & echino ab Euphorbo paſtore, nouo ſacrificij genere placati fuerunt dij, feraceſq; ceperunt eſſe agri. Eraſmus in prouerbio Ἀζανιῶν κακά.

Alaricus Gothus an. 409. ROMAM obſidens, portas omnes obſtruxit, ne cuiquam ingreſſus exituſque pateret, & occupato Tiberi commeatus ſubuectionē è portu prohibuit. Ac Romani quidē per aliquot dies magna animi conſtantia omnia belli incōmoda pertulerunt, ſubſidiū Rauenna ab Honorio Imp. uenturū in diem opperientes. Pòſt autem, cū nemine ſuccurrente ſpes eos deſtituiſſet, ut imminentis famis periculum propulſarent, frumenti modiū minuerunt, ac partē eius tantùm dimidiam excoxerūt, quod in ſingulos dies erogabatur, atq; inde, gliſcēte penuria, tertiam. Ad extremū autem, cùm omnia iam alimenta deficerent, ingens fames ciuitatem oppreſſit, ac mox famem ſæua peſtilētia excepit, &, cùm paſſim omnia cadaueribus complerentur, quòd extra urbem ſepeliri de more non poterant, lues ipſa dira odoris fœditate uulgata eſt. Itaq; Romani ab Alarico pacem immenſa ui pecuniæ redimere ſunt coacti. Iam cùm Honorius pacem cum Alarico reſpueret, ille Romanos ad Attalum præfectum urbis purpura exornandum coegit. Heraclianus Africæ comes ſtatu Honorij Imperatoris perſpecto, poſtquam iudicem ab Attalo miſſum extinxit, portus Africæ tanta diligentia cuſtoduit, ut uniuerſam mercatorum nauigationem ademerit, neq; frumentum, neq; oleum, neque res alias ad uictum neceſſarias in portum Romanum inuehi paſſus ſit. Qua de re rurſus tanta Vrbem inuaſit inopia, ut populus caſtaneis pro frumento ſe ſuſtentarit. Auxerunt autem penuriæ magnitudinem agri bello ſuperiore inculti, & dardanarij ea ſpe quidquid frumenti habebant ſupprimentes, ut omnium pecunias ad ſe transferrent, eo precio uenditur, quod ipſi ſtatuiſſent. Quare cùm timeret populus, ne in corpora humana rabies famis adigeretur, ludis Circenſibus exclamauit: Precium pone carni humanæ. Inde penuria adeò creuit, ut memoriæ proditum ſit, matres aliquot in paruos infantes famis impotentia deſæuiſſe. Sigonius lib. 10. Imp. occid. Hæret uox (inquit D. Hieronymus) & uerba ſingultus intercipit. Capitur Vrbs, quæ totum cepit orbem: imò fame prius perit quàm gladio: & uix pauci, qui caperentur, reperti ſunt. Ad infandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit utero, quē nupèr effuderat.

TYRVS urbs à Venetis & Latinis reliquis fame capta fuit anno 1124. Cal. Iulij. Quinq; tantùm frumēti modij in urbe reperti. Tyrius.

ROMANI, cùm famis impotentia duriùs ſibi conſulere cogerentur, Pelagium Diaconum ad Totilam urbem obſidentem rogatum miſerunt, ut paucorum ſibi dierum inducias daret, ea lege, ut ſi intra id tempus nullum Conſtantinopoli auxilium acceſſiſſet, deditionem urbis, ſuique perficerent. Quę ut Totilas uidit, ultrò alloquutus monuit, ne tria hæc à ſe poſtularet, Vt Siculis parceret, ut urbis mœnia conſeruaret, ut ſeruos reſtitueret. reliqua ſe liberiùs indulturum. Itaque Pelagius legationem ad Deum reiecit, qui ſupplicii odiſſe contemtores ſoleret, & irrita legatione rediit. Romani lacrymarum ſordiumq; pleni, Beſſum & Cononem Græcorum duces appellauere, petentes, ut aut ſibi tanquam ſet uis alimenta ſuppeditarent, aut ſi id non poſſent, manus inferrent, neque honeſtam mortem inuiderent, atque uno ictu Romanos infinitis miſeriis liberarent. Quibus præfecti reſponderunt, neque commeatus dare, ſuæ facultatis, neque manus inferre, ſuæ pietatis eſſe: Beliſarium autem affirmare, ſe propediem cum auxilio affuturū. Fames inde gliſcens cibos quoſdam abſurdiores, & à natura alieniores aſſumere compulit. Præfecti uerò frumenti maximum numerum ſibi, fraudatis ſua neceſſitate militibus, in urbe ſepoſitū, primoribus ciuibus magna pecunia uendiderunt. nam medimnus ſeptem aureis ſtetit. Qui uerò nō tātas habuere facultates, quarta eius precij parte depēſa, ac furfure emto, panem ex eo ut ſordidū, ſic in tāta neceſſitate ſuauiſſimum, confecerunt. Bos aureis quinquaginta à Beſſa eſt uenditus. Alij equos, alij urticas, atq; herbas alias in locis incultioribus emergentes ederunt. qui pecunia caruerunt, domeſticā ſupellectilem pro diurno cibo mutarūt. Vbi frumentū omnino conſumtum eſt, cuncti ad urticas, canes, mureſq; ſe cōtulerunt. Hinc macie extenuati, colorem ſtatuarum ſimilem contraxerunt, atq; aut incedentes, aut mandentes exanimati ſunt. Fuiſſe etiam dicuntur, qui ciborum loco excrementa corporum aſciuerunt. Vir quidam à filiis quinque rogatus, ut panem præberet, dolore diſſimulato, eos ſe ſubſequi, tanquam accepturos, iuſſit. ubi uerò ad Tiberis pontem peruenit, in flumē ſe capite obuoluto præcipitauit, filiis, cæteriſq; regionis eius Romanis ſpectantibus, ac caſus eius diritate attonitis. Quidam etiam ſæuos morſus in ſua membra uerterunt. Quare præfecti ea ciuium deſperatione perculſi iis, qui exire urbe uellent, pecunias tradiderūt, ac, quo luberet, copiam abeundi fecerunt. ita, paucis exceptis, omnes exiere. quorum pleriq;, areſcentibus præ inedia mēbris paſſim, nonnulli ab hoſtibus intercepti, periere. Sigonius libro 19. Imp. occid. ex Procopio.

An. 450. tanta in Italia annonæ penuria laboratum eſt, ut multi fame adacti, filios & parentes ſuos precij habendi cauſſa uendiderint. Itaque Valentinianus III. Imp. ad Aetium Patriciū Roma ſcripſit hoc modo: Cùm obſceniſſima fames proximè per totam Italiam deſæuierit, homineſq; filios & parentes uendere, ad diſcrimen inſtantis mortis effugiendum, coacti ſint: ego reuocans cōſtitutiones maiorum uenditionem cenſeo ſubmoueri, quam prædicta fames ingenuorum fieri perſuaſit. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Anno 546. Romani, qui PLACENTIÆ erant, inopia rei frumentariæ uſque adeo laborare fame cœperūt, ut carnes humanas eſui adhiberent. Quibus malis adacti, ſemet cum urbe Totilæ Gothorū regi dediderūt. Sigon. l. 19. Imp. occid.

Anno 538. quo Vitiges Mediolanum recepit, frumentum in agris Italiæ ſua ſpōte maturit, ſed minore, quàm antè, copia, ut quod neque ſatum, neq; humo contectum eſſet, ſed propter nimiam maturitatem in terram excidiſſet. Hinc inopia MEDIOLANI ſubſequuta, tātaq; tū in LIGVRIA ciborū penuria laboratum, ut matres famis impotentes rabiem eius in liberos exercuerint. Aemiliæ incolæ, propriis ſedibus relictis, in Picenum abierunt, maiorem ibi copiam propter maris opportunitatem ſe inuenturos ſperantes. Tuſci eadē de cauſſa inopia pari afflicti, in montibus panem è glandibus commolitis confectum eſitarunt. unde uulgatis morbis pleriq; abſumti ſunt. In PICENO non minus quinquaginta millia hominum perierunt, & extra Ionicum ſinū multò plures. nam, deficiēte cibo, omnes maciem ac pallorem eximium contrahebant. fel autem nimium abundans, cùm corpora ipſa ui ſua infeciſſet, haudquaquam ſine ò at ſuo pristino curſu uenas defluere. cutis præterea obdurata corio perſimilis erat, utpote oſſibus ipſis inhærens, & colore liuoris in nigredinem commutato. unde homines facibus exuſtis ſimiles uidebantur. eorumq; facies ſtupida, & toruus ac furioſus aſpectus erat. paſſim igitur moriebātur partim inedia, partim ſaturitate. nam, calore omni extincto, quem natura intus exuſſerat, ſiquis eos fortaſſe ad ſatietatem expleuiſſet, quòd ingeſtos minus digererēt cibos, celeriùs interibant. Fuere qui, fame cogente, ſe inuicem conficerent. Feminæ etiam duæ uiros ſeptemdecim interfectos abſumſerunt. hæ nanq;, cùm ſolæ domi, cæteris mortuis, ſuperfuiſſent, diuertentibus ad ſe peregrinis, & per noctem dormientibus interfectis, ueſcebantur. cùm autem eum numerum oppreſſiſſent, octauus decimus ſomno excitatus, conatibus earū præcognitis, eas necauit. Sigon. lib. 18. Imp. occid. ex Procop.

GILIMER Vandalorum rex Carthagine pulſus, à Phara Beliſarij duce in monte Papua trimeſtri cinctus obſidione, tum quòd ipſe uiſcerum tormentis cruciaretur, tum etiam quòd horum, qui cum eo erāt, calamitatem diutius ſpectare non poſſet, corpore pariter & animo affligi cœpit. Viderat enim rem ualde indignam & odioſam. Mulier quædam Mauruſia frumentum contuſum, torrendum ſupra cratem poſuerat. iuxta eam ſedebant duo pueri ualde famelici, alter ipſius feminæ filius, alter Gilimeris nepos ex fratre. illi expectabant ut ederent. Acceſſit Vandalus, & maſſam nondum coctam abſtulit, eamq; feruentem adhuc, cinereq; refertam in os cōiecit. Alius quidam hunc capillis apprehendens cæcidit, & maſſam ſemideuoratam è faucibus eripuit. Gilimer, rebus omnibus deſperatis, tandem ad Pharam de deditione ſcripſit, & ſe in eius poteſtatē tradidit. Is cum ſuis ad Beliſariū Carthaginē eū deduxit, à quo honorificè eſt ſuſceptus, & cū dignitate cuſtoditus. Procopius de bello Vādalorum lib. 4.

Anno 1083. grauis adeò in ITALIA annona fuit, ut, quod dictu nefas uideatur, præ uictus inopia multæ matres in liberos fame ſolicitatæ ſæuierint. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Anno 1177. quo pax inter Alexandrum III. Pp. & Fridericum I. Imp. Venetiis compoſita fuit, & libertas Italicis urbibus data, ITALIA ſumma rei frumentariæ inopia laborauit. frumentum ſolidis argenteis triginta duobus in ſingulos ſextarios ſtetit. Sigonius lib. 14. regni Ital.

Sub Michaele filio Conſtantini Ducæ Imperatoris tanta penuria annonæ per GRÆCIAM facta eſt, ut nōn tōtus medimnus numiſmate aureo emeretur. Hæc publica infelicitas indidit Imperatori cognomē Parapinacei, quòd ſignificat, Ad ſcutellam, ſiue ad tabulam. Cuſpinianus.

Magna fuit fames ſub Romano Argyropolo Imp. in CAPPADOCIA, ARMENIA, & PAPHLAGONIA, locuſtis penè omnem Orientem uaſtantibus. Ob quam penuriam multi deſertis patriis tranſmigrare aliò coacti ſunt: quos auri diſtributione Imperator fouebat. Cuſpinianus.

Anno 849. fames admodum grauis GERMANIAM, maximè circa Rhenum attriuit. Modius Moguntiacus tritici denis argenti ſiclis uenibat. Rabanus archiepiſcopus tum in uico Moguntinenti Neocella dicto degens, quotidie trecentos amplius pauperes peregrinos paſcebat: præter eos, qui in conſpectu ſuo quotidie alebantur. Veniens eò mulier quædam inedia affecta infantem ſecum portans, uix limen ædis pontificiæ attigerat, collapſa præ fame efflauit animam. Infans mortuæ genitricis, quaſi uiuētis papillam, lingua morſuq; ſenſim appetens, ſpectaculo diro miſerabiliq; cunctos flere coegit. Apud Turingos quidam à Graberfeld oriūdus dum ſyluas cum infante petit, & filium interficere, atq; comedere meditatur, ſubitò, duos lupos ceruam laniantes cōſpicit, manus à filio abſtinet, à fera lupos abigit, cadauere feræ ueſcitur. Auctinus lib. 4. Annalium Boiorum. Sigebertus in Chronicis anno 851. Mutius, Chronicon Hirſaugienſe, Nauclerus.

An 968. terræmotus factus, & cometa apparuit. Anno ſequenti, ſol eclipſin paſſus eſt: quam maxima in GERMANIA fames ſecuta eſt. Hatto Moguntinus archiepiſcopus, pauperū cœtum in horreo cōcluſit, ſpe eleemoſynæ, obſeratiſq; horrei foribus, ignem ſubiecit: cumq; eos inter flāmas eiulātes audiret, mures eſſe dixit. Non multo pòſt mures magnis agminibus in epiſcopū irruentes, die noctuq; eum afflixère. Ille ad turrim quandam (cui poſtea ab hoc euētu nomen fuit inditum) in medio Rheni alueo extructam confugit. Mures Rhenum tranſnatantes, ui[illegible]um abſumſerunt, a[illegible] 969.

Anno Chriſti 1095. fames grauiſſimè omnes afflixit pauperibus per furta & incendia ditiores grauiter uexantibus. Sigebertus in Chronicis.

Anglia Danorum & Normannorum armis miſerè infeſtata, ſub Gulielmo rege, omnium animis nouo ſemper bello occupatis, intermiſſo cultu agrorum: tāta fames in ANGLIA & SCOTIA exorta eſt, ut apud eas gentes renouata ſit memoria carnis humanæ guſtandæ. Aemilius lib. 3.

Refert Auenzoar Arabs quandoq; in ARABIA eò uentū penuriæ, ut cadauera mortuorum è ſepulcris eruerent homines, medullæ cauſa. Cardanus de Rerū uarietate lib. 8. c. 45.

In GALLIA fames permaxima graſſata eſt ann. Domini 1146. in qua eccleſiarum Chriſti enituit liberalis munificentia, quæ in ſuſtentationem pauperum multa expenderunt modiorum millia. Quo tempore in Lingonenſi parochia apud Morinandum, ubi pauperes innumeri quotidiana ſtipe alebantur, quidam homines occidiſſe, & eorum carnes coctas uendidiſſe deprehenſus, à pauperibus patibulo eſt appenſus. Robertus Abbas in Chron.

Deficientibus Gothalanis, Ioannes Aragonum rex à Ludouico rege Gallorum trecenta millia aureorum, quos Galli coronas uocant, mutuatus, ei, donec mutuum perſolueret, oppidum Perpignanum, totamq; prouinciam Roſcinonis oppignerauit. Cęterùm Gothalanico bello cōfecto, Perpignani ciues, aliiq; populi finitimi, qui Gallorum mores & imperium moleſtiſſimè ferebant, quotidie Aragonum regem euocabant. Ludouicus & amiſſionem pecuniæ, & Perpignanenſium defectionem ueritus, magnum exercitum in Hiſpaniam miſit. Ioannes fruſtra Perpignanenſibus perſuadere conabatur, ut tantillo tempore Gallis parerēt. Ab iis, qui arcem tenebant, Gallis à tergo, à fronte XL. millibus Gallorū preſſi, ſola fame domari potuere. Multis diebus nihil præter mures ac feles & domeſticos canes, quos mulieres per uicos oppidi linteis & longis latiſq; palliis uēnabātur, manducauere. Quibus etiam deficientibus, non ſolùm Gallorū, quos occiderant, ſed ſuorum quoq; cadauera deuorarunt. Nonnullæ mulieres cùm peperiſſent, rabie famis agitatę, utero ſuo continuo fœtus reddiderunt. Aliȩ matres ſuos ipſę fillos ſiue fame ſiue alio caſu peremtos, miſerabilibus lacrymis aſperſos comederunt. O rarum famis & extremæ neceſſitatis exemplum! Quod in Hiſpania tamen tertiò tunc accidit. Bis iam olim, & Numantinis à Romanis obſeſſis, & Saguntinis à Carthaginenſibus. Sed Perpignanenſium fuit tolerantia maior, qui cùm tot mala, ſuo etiam Rege hortante, uitare potuiſſent, noluerunt. Tandem honeſtas à Gallorum

ducibus oblatas de pace conditiones, ut & ciues honorifice benigneq; tractarentur, & equites cum armis & equis discederent, acceperunt. Marineus lib. 18. rerum Hisp.

Cùm Domaldri Sueonum & Gothorum tyranni satellites frumentum suis equis deuorandum apposuissent, & interim infelices parentes uiderent liberos suos fame atque inedia perire (tantum à Visburo spoliati, ut nec agris seminandis, nec liberis in uita conseruandis sufficerent) famesq; nō modò GOTHIÆ regnum, sed & SVETIAM depopularetur: unicum remedium à templorum pontificibus, qui Othino idolo Vpsaliæ ministrabant, inuentum, ut regem Domaldrum, tanquam atrocem humani generis hostem, uinculis constrictum apud Vpsaliam deæ Cereri immolarent. Itaq; à consternato populo Domalder ex Gothia in Vpsaliam ductus, grata uictima Cereri, siue genero eius Plutoni immolatus fuit. Post cuius fata frugum rerumq; omnium abundantia longè lateq; successit. Io. Magnus lib. 7. cap. 21.

Gotharo rege SVEONIBVS & GOTHIS imperante, magna fuit fames, non ob terræ sterilitatem, quæ superabundantē partem cultori rependere consueuit, sed quia agricolæ uomeres in gladios conuerterāt. Quidam consulebant, senes, & pueros, omnemq; imbellem ætatē, ferro extinguendam. Tandem communi omnium incolarum cōsensu decretum est, ut in tres turmas diuiderentur: quarum tertia, cui sors euenisset, sedes in alienis terris, ui, uel gratia acquireret. Hi ergo duos præstantis animi iuuenes, Haconem & Hibbonem duces, quibus parērent, elegerunt. Deinde in Moringiam, & ciuitatem Calmarinæ (quæ caput est Gothiæ Meridionalis) profecti, classem transuehendæ multitudini idoneam nacti, in insulam Gotlandiæ, deinde in Teutonica litora, se contulerunt. Postremò euictis maximis difficultatibus, per Pannoniam & Bulgariam, in Italia, uictis Gothis, regnum Longobardorum fundauerunt. Io. Magnus lib. 8. cap. 17. ex Sabellico. Sed Saxo lib. 8. Snione Danis imperante hoc factum scribit, & posterioris consilij auctorem fuisse Gambarucmatrem Aggonis & Ebbonis ducum.

Quo tempore Scotia Eduardi Ballioli & Dauidis Brusij regum factionibus conflagrabat, tanta fame laboratum est in Anglia pariter & Scotia, ut equos, canes, feles seu catos, ac similia animalia, penuria aliarum rerū ederint. Traditū insuper à quibusdam est, eò inopiæ redactos quosdam, ut diutinam famem non ferentes, pueris à uicinis suffuratis miserabili calamitate non pepercerint. H. Boethius lib. 15.

Ciuili bello attritis Scotorum uiribus, Pictos in Orcadas fugere compulerūt Britanni, Scotos uerò in arce Berigonio, quò se Rheuter rex receperat, obsidione premebant arctissima. SCOTI consumto omni frumento, ne in hostium uenirent potestatem, mutua cæde sortitione facta uitam aliquandiu tolerauere. Facta inde eruptione, Colanus Nouantæ gentis princeps, cum suis fortiter pugnans occubuit, sed spacium interim dedit Reutheri regi ad mare fugiendi, & in Hiberniam traiiciendi. Mulieres Nouantę, quæ è proximis monticulis accuratius rem omnem, quo fiebat, ordine cōtemplabantur, confectos uulneribus occumbentes uiros ante oculos intuentes, ne in turpem deuenirent seruitutem, aut mutuis uulneribus sese interemerunt, aut laqueo uitam finientes mortem sibi consciuere. H. Boethius lib. 2.

HEBRIDVM insularum incolæ rebelles ab Ethodio Scotorū rege, in saltu quodam sese incautiùs abdentes, fossa septi & uallo, eò redacti sunt inopiæ, ut consumto commeatu, arborum frondibus & herbis prius, deinde earum radicibus, & illis absumtis, humanis excrementis cibi loco uesci cogerentur. Tandem fame domiti, pacis conditiones accepere, ut dux & ducenti ex omni coniuratorum multitudine uictoris arbitrio delecti ad se uenirent, supplicium primatum arbitrio subituri: cæteri depositis armis liberè abirent in Hebrides. H. Boethius lib. 5.

Anno sal. 1098. tanta fuit in SCOTIA fames, ut hordei modius quinq; coronatis aureis ægrè comparari posset. Mox sequente anno, tanta omnium rerum ubertas fuit, quanta nunquam antea audita. Quo anno Alexander primogenitus Gulielmi regis ex Ermengarda regina natus est. H. Boethius libro decimotertio.

Cæso per nefas rege D. Canuto, Dani Olauum eius fratrem, qui ob regni affectationem in Flandriam relegatus erat, reuocarunt. Scelus publicum publica quoq; pœna subsecuta est, fames ingens, quæ solam DANIAM uexauit, nō autem uicinas regiones. Quippe per tot annos, quot Canutus imperauerat, uerni æstiuiq; temporis feruore satū omne coaruit: autumnale uerò adeò pluuium fuit, ut siquid locorum humilitate palustriūe madore alitum succreuisset, perseuerauti imbrium inundatione decideret. Camporū facies cœlestibus imbribus inundata, late patentis stagni speciē præbere uidebatur, & quod æstas ægrè produxerat, autumnus opprimebat. Rustici aquis cāpos tegentibus, supernatantia spicarum capita demetentes nauiculis excipiebant: ac dein de putres aristarum reliquias fornacibus exsiccabant, & quia panem prestare non poterant, in usum pultis uertebāt. Maxima proinde populi pars inedia cōsumta fuit. Rex ipse ad ultimam tabem redactus, agris uænire iussis, alimenta possessionum preciis comparabat. Nobilibus in eundem usum ingenuitatis insignia erogare, rubori non fuit. Olauus cùm bis penè lustrum regnando condidisset, inter cōtinuas rei familiaris angustias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat. Sed & finitimos, paupertatis eius cōtemtu, cum armis inuadere puduit. Cùm diuinum Christi natalem celebrans, ieiunos circunquaq; penates aspiceret, obducto manibus capite, suffusoq; lacrymis uultu, per summā animi ægritudinem tēporis difficultatem gemitu prosecutus est. Deinde supplicatione habita, auctorē omnium Deū, ut si quid iræ aduersus populum concepisset, suo unius periculo satiaret, orauit. Nec difficiles numinis aures habuit: siquidem celerē fati uiam obtinuit, sibiq; mortē, salutem patriæ peperit. Fortuna siquidem famem cum auctore suo pari funere extulit, inediamq; satietate mutauit. Saxo lib. 12.

Anno Christi 1315. ac deinde anno uno interiecto iterum duobus annis, tam acerbè POLONIAM omnem fames afflixit, ut nullo quamuis fœdo edulij genere, ne cadaueribus quidem humanis uulgò abstineretur, & parētes in liberos, & hi uicissim in illos sæuirent. Famem dira pestis consecūta est. Cromerus lib. 11. Itidem anno 1468. pestem latè grassantem annonæ caritas excepit, ex hyberni cœli intemperie, & intempestiuo calore ac siccitate, coorta ingenti multitudine murium, qui horrea depasti, cùm se in agros effudissent, segetes quoque hybernas uirescentes radicitus arroserunt. Idem libro 27.

Anno Domini 1569. centum quinquaginta RVSTICI ad ædificandam arcem Orlo, à Io. Basilia de Moschorum tyranno missi, coacti sunt ob annonæ penuriam ex suis nouem mactare, & illorū carnib. uesci. Alex. Guagninus in Moscouia.

Anno à Christo nato MCCCCXXXVIII. in THVRINGIA panis inopia innumeri mortales periere, ita ut omnes per totam regionem uiæ, omnesque in urbibus, uicis ac uillis plateę mortuis corporibus refertę essent. Sequuta est pestis, quæ multa hominum millia absumpsit. In huius rei memoriam Erfordienses pistores singulis annis, die diuo Marco sacra, qua institutæ supplicationes celebrantur, panes minutos, quos ob id Marcesios appellant, pinsunt, ueenumque proponunt, uix exigui orbiculi, qualibus torques aurei conficiuntur, magnitudinem referentes: cùm singuli tribus nummis eius regionis usitatis coemerentur. Leonardus Fuchsius lib. 2. Instit. Med.

Bello Ligustico quarto, Sardonæ insulæ (quæ Liburniæ adiacet) incolæ ARBENSES, Veneti imperij studiosissimi, ac sæpius eo bello oppugnatione tentati, omnia extrema pati maluere, quàm à Veneto imperio alienari. Chinatius, qui ultimum bellum Ligusticum diligētissimè scripsit, auctor est, diu nullum panis usum inter Arbenses fuisse, ac lege cautum, ne quis panem nominaret: carnes & lacticinia uictum præbuisse. At uerò atrocissimis oppugnationibus fracti, nō quam ipsi facturi erant, sed quæ impetrari ab hoste potuit, deditionem fecere. Sab. lib. 7. Dec. 2.

SYNDEROVIAM Seruiæ regiam contra Amurathem II. soli omnium Nouomontani & Samandrini memorabili fide & uirtute quadriennio defenderunt, tanta rerum omnium inopia, ut super uetitos obscenosque cibos reperti sint, qui fame adacti, suas ipsi corroserint manus. Postremò inedia uicti, cum Gregorio principis filio ultrò in hostium potestatem uenēre. Sic Synderouia expugnata cum centum armatorum millibus. Cuspinianus.

Eo anno, quo hæc prodebamus, inquit Sabel. lib. 10. cap. 7. in nonnullis FLAMINIÆ regionis & Piceni agri locis, tanta rei frumentariæ caritas incidit, in magno Italiæ motu, ut agreste & inops uulgus ultimum remedium inuenerit in arborum radicibus, & herbis arefactis, tusisque, & in panis speciem subactis.

Obsessa à Venetis & Gallis VERONA anno sal. 1516. defendente eam M. Antonio Columna, Cæsaris Maximiliani nomine, ad id penuriæ uentum est, ut cùm uix lentem & fabam, paniceaq; pultaria in quotidiano usu haberent, equinas atque asellorum carnes magno in honore ducerent: & tum præsertim opiparè apud ducem epularentur, quum alij qui Gallorum equi, ut erant præpingues, ac suis strigosioribus & fame propè enectis minimè comparandi, in excursionibus occiderentur. Nam conspectis statim equorum cadaueribus, portis frequentes euolabant, concisosque in frusta, humeris in urbem cum plausu referebant. Sabel. supplementum libro 8. ex Iouio.

Expugnata anno 1527. pridie Kal. Maias, Roma, atque arce, in quam CLEMENS VII. Pp. confugerat, diligenter circumuallata obsessaq;: Clemens consumto commeatu, ita ut asinina etiam carne inuitatis quoque quasi ad solennes epu-

las Patribus auidissimè uesceretur, desperatis omnibus effugiis deditionem fecit: ea conditione, ut cuncta, quæ impetrasset Cæsar, se facturum polliceretur, à quo dignas eius pietate fideque literas expectabat: quibus stipendio militi persoluto, sibi sacrosanctū Vrbis imperium cum libertate redderetur. Iouius in Pomp. Columna.

GALLOS, qui Nouariæ à Venetis obsidebantur, magis magisq; in dies rerum omnium egestas atque inopia premebat, ut equis in escam uti cogerentur: compluresque corruptis farinis, aut pane furfuraceo uescentes, tum aquæ potu, quo Galli Germanique minimè omnium uti solent, interierunt. Bembus lib. 2. Hist. Ven.

SPECIE. VTPVTA DEFECTVS

Vini.

RVSTICVS quidā cùm sensisset minui uinū in dolio cōditū, admiratus quid esset rei, circumspicere cœpit, num qua rima exstillaret liquor. Vbi nihil eiusmodi comperisset, pergit uicinos in suspicionem apud sese uocare, ne sese absente uas relinerent, uinumq; potitarent. Obsignat itaque diligenter dolium ad opus exiturus. At reuersus, signis illæsis, uinum nihilominus imminui uidet. Tum uero fortunam agricolarū deplorare, quibus non in uite solùm, uerumetiam in doliis calamitas præstò esset. Ad extremū exhausto dolio hydrus in imo repertus est uini potor. Ea res in uulgi iocum abiit. Erasmus in Adagiis.

Quemadmodum Græci dicunt ἑςίᾳ θύειν, id est, Lari sacrificāt, ita Plautus propemodū indicat apud Latinos dici solere, Cereri sacrificant, si quando in conuiuio uinum deesset, propterea quòd in huius sacris nefas esset inferre uinū, sicut apud Græcos in quarundam dearum sacrificiis. Locus est in Aulularia.

Cererin' mi Strobile hi sunt facturi nuptias?

Qui? Quia temeti nihil allatū intelligo. Erasm. in Adag.

ROMANIS priscis uinum fuisse rarum, uocum illud L. Papyrij Coss. indicat, quo Ioui Victori se pocillum mulsi parta uictoria contra Samnites daturum uouit, teste Liuio. Inprimis uerò lex Posthumia Numæ, Vino rogum ne respergito. Quòd sanxisse illum propter inopiam rei, nemo dubitat, teste Plin. lib. 14. cap. 12.

Aquæ.

☞ *Consule Tit. Sitis & Siccitatis.*

ARGIVORVM regio per æstatem siticulosa, cùm fluminibus careat.

NABATHÆI siticulosam incolunt regionem.

ALIMENTORVM IMPROBITAS.

☞ *Ex loco Stratagematum, Corrupti commeatus exempla quædam huc transferri possunt.*

AQVA

Vitiosa suapte natura.

Ferunt in AETHIOPIA stagnum esse quadratum, cuius circuitus CLV efficiat pedes: aquæ eius colorem similem minio, odorem suauem, neque ueteri uino dissimilem: uirtute uerò mirabili, ut quæ pota in insaniam uertens cogat occulta errata palàm fateri. Diod. lib. 2. cap. 5.

Fons SALMACIS, in Caria, eos qui bibunt, molles reddit & effeminatos. Ouid. lib. 4. Metam. & Festus in uerbo Salmacis, & Vitruuius lib. 2. & Strabo lib. 14. De quo sic in 1. Epigram. Græcorum:

Εἰ μὲν ἀνὴρ ἥκας, ἄχροος ἔξει τῆς δ᾽ ἀπὸ πηγῆς·
εἰ δὲ φύσει μαλακός, μὴ με πίης ἀπόφασιν.
ἄῤῥην ἐγὼ ποτόν εἰμι, καὶ ἀνδράσι μῦθον ἀρίονω·
τοῖς δὲ φύσει μαλακοῖς ἡ φύσις ἐστὶν ὕδωρ.

Phylarchus libro Historiarum octauo scribit, apud sinum ARABICVM fontem esse aquæ, qua si quis pedes inungat, membrum uirile admodum intendatur: ita ut quibusdam omnino nunquam remittatur, quibusdam non nisi post magnos cruciatus & curam medicā. Apollonius in Hist. mirab.

Iuba in TROGLODYTIS lacum Insanum malefica ui appellatum, ter fieri die amarum salsumq;, ac deinde dulcem, totiesq; etiam noctu, tradit, scatentem albis serpentibus uicenûm cubitorum. Plin. lib. 31. cap. 1.

APHRODISIVM flumen in Pyrthea steriles facit. Aquarum culpa, quæ statim scrobem implent, TROEZENII omnes pedum uitia sentiunt. In CEA insula fons est, quo poto hebetes fiunt. Qui CLITORIO lacu biberint, uini tædiū concipiunt. Plinius libro 31. capite 1.

Ad Nonacrin Arcadię oppidum crepido montis altissima sese attollit, è qua stillatim defluit STYGIS aqua in præcelsum saxum, inde in Crathin fluuium. Mortifera est omnibus animalibus, etiā capellis. Vasa & pocula omnis generis ui sua frangit. sola equi ungula contineri potest, ut uasculum non findat. Pausanias in Arcadicis. Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differēs, nec colore, epota illico necat. Item in BEROSO Taurorum colle tres fontes, sine remedio, sine dolore mortiferi. Plinius libro 3. capite 103.

LEVCA urbs Salentinorum, fontem habet odoris teterrimā aquam effundentem. Fabulantur, Leuternios Gigantum reliquias è uicina Cāpanię Phlegra ab Hercule pulsos, ea loca subiisse, & ex eorum cruore fontē ita infectum. Strabo lib. 6.

Necare aquas Theopōpus & in Thracia apud Cychros dicit. LYCVS in Leontinis tertio die, si quisquam biberit. Varro ad Soracten in fonte, cuius sit latitudo quatuor pedum: sole oriente eum exundare feruenti similem, auesq; quæ gustauerint, iuxtà mortuas iacere. Plin. lib. 31. cap. 1.

Fons fuit ultra Rhenum iuxta litus maris, cuius aqua excussit dentes omnibus, quotquot è Germanici exercitu ex eo biberant. Nec inuentum auxilium, nisi herbæ Britannicæ. Cardanus de Subtilitate, libro de Elementis.

Vitiata, corrupta, casu uel consilio.

Prima AEGYPTI plaga diuinitùs per Mosem immissa fuit, quando uirga sua Aaron flumina percussit, quę in sanguinē conuersa sunt, ita ut fœterent, pisces enecarentur, & Aegyptij puteos effodere cogerentur ad bibendum. Exodi 7.

CIBVS QVIVIS.

☞ *Ex Tit. Veneno necatorum, huc quædam.*

HAEREDITAS VEL

Interuersa.

☞ *Ex Tit. Perfidiæ in hæreditate huc quædam. Illic Habitus circa subiectum, hîc Subiecti ipsius priuatio spectatur.*

Exilis, Nulla.

M. SCAVRVS, quantulam à patre hæreditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de uita sua scripsit, refert. ait enim, sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta millia numûm relictum. Val. Max. libro quarto, capite 4.

PAVPERTATIS POSSESSIO RESPECTV RERVM Animatarum considerata. Cuiusmodi est

GENTIS DEFECTVS, EXCIDIVM.

☞ *Consule Tit. Strages magnæ. Illic Mortis ratio habetur: hîc Reipublicæ, quæ ciuibus priuatur.*

Strabo Geographiæ lib. decimoquarto, MAGNETAS commemorat olim opibus florentes, à Treribus gente Cimmetica funditùs fuisse sublatos: anno deinde pximo à Milesiis locum fuisse occupatum. subindicans prouerbium de Magnetum malis ex Archilocho sumtum esse, qui eorum meminerit. Erasmus in Adagiis.

Cannensem stragem tāta militum inopia secuta est, ut ROM. reos facinorum proposita impunitate colligerent, seruitia libertate donarent, atq; ex illis pudendus non tam suppleretur, quàm instrueretur exercitus. Iam cùm seruis, imò, ne faciamus iniuriam, iam libertis, pro Rom. rep. pugnaturis arma deessent, detracta sunt templis, tanquam Romani diis suis dicerent: Ponite quæ tam diu inaniter habuistis, si fortè aliquid utile inde facere possunt nostra mancipia, unde uos nostra numina nihil facere potuistis. Sed & cùm stipendiis defecisset ærarium, in usus publicos opes uenēre priuatæ, adeò unoquoque id quod habuit conferente, ut præter singulos anulos aureos, singulasq; bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quanto magis cæteri ordines tribusque, relinquerent. August. lib. 3. de Ciuitate Dei, capite 19.

Maximianus Britannorum tyrannus sub Valentiniano III. imperij propagandi cupiditate in Galliam traiecit: ARMORICOS subactos, pòst deficientes, aut mori aut exulare coēgit. Mox ne Armorica ueteri exhausta habitatore uicinis Gallis præda fieret, è Britannia uiros accersiuit, qui prouinciam incolerent, cultamque ab hostium tutarentur iniuria. Sunt qui scribant, cētum millia incolarum è Britannia Maximiani iussu in Armoricā traiecisse. Quibus, postquam sedes ibi fixerant, Maximianus Conanum nobilem Britannū, Dionetiq; Cambrorum & Icenorum in Britannia regis necessarium præfecit: prouinciamq; Britanniam à nouis incolis dixit. Sicq; Armorici simul nomen & patriam amisere. H. Boethius lib. 7.

In Peruuia Hondurensis prouincia, priùs, quàm ab Hispanis cognita explorataq; fuisset, quadringenta incolarum millia habuisse scribitur: quę nunc ad octo capitum millia redacta perhibent. Idem mediterraneis reliquarum omnium prouinciarum in locis, quas Hispani frequentarunt, passim in-

re, qua iniuria, in clericum attonsum, Stephanus pontifex regno deiecit, & Pipinum Magistrum equitum regē creauit, ut uicissim eius opera contra Aistulfum Longobardorum regem defenderetur. Aemilius lib.2. & Cuspinianus.

Familia NORMANNORVM, belli pacisque artibus clariss. quæ Gulielmi Fierabraccij opera Comitatum Apuliæ, Roberti Guiscardi fortitudine ducatum Apuliæ & Calabriæ, regnum quinetiam Siciliæ, pulsis Gręcis & Saracenis, octodecim annorum spacio, mirabili uictoriarum cursu sibi pepererat, in Gulielmo V. Siciliæ & Neapolis rege defecit, quē Hēricus VI. Imp. captum castrauit, & cum sororibus in Germaniā captiuū abduxit. Iā uerò ANTIOCHIÆ principes, à Boemūdo Roberti Guiscardi F. sacram militiam professo, qui Rogerio fratri paterna regna reliquit, parum diuturni fuere. Nam Boemūdo Boemundus filius successit, qui Constantiam filiam Raimundo Comiti Ponticuriensi despōdit, unde natus Boemundus III. qui sine liberis obiit. Collenucius lib.3. hist. Neapol.

OFFA Merciorū rex potentissimus, Egfredo filio optimæ spei regnum reliquit. Sed is quarto mense expirauit, ne genus inuisum Deo, ob Ethelberti Orientalium Anglorum regis sanctissimi cædem, perpetuaretur. Polyd. lib.4.

HVNGVS Pictorum rex moriens Dorstorlorgo filio regnum reliquit. Eum Eganus frater libidine regnandi interfecit. Eganum uxor Dorstorlorgi uidua, mariti manes ultura, noctu strangulauit. Hungi familia extincta, Alpino Achari Scotorum regis ex Fergusiana Hungi sorore filio regnum deberi uidebatur. Dongallus proinde Scotorum rex pro Alpino per legatos intercedere. Picti peregrinum regē auersati, Feredetho uiro magnæ auctoritatis, priusquam legatos audirent, regnum detulerūt: eosdemq; rursus uenientes, finibus suis intra quatriduum excedere iusserunt. Bello proinde Pictis indicto, Dongallus in Spei fluminis traiectu submersus, Alpino regnum reliquit. Is Feredethum interfecit. A Brudo successore cæsus est. Kennethus Alpini F. Pictorum regnum euertit. H. Boethius lib.10.

Valdemarus marchio BRANDEBVRGENSIS moriēs, nec F. nec consanguineū hæredem habuit: cùm tamen ante paucos annos nouemdecim numerarentur Marchiones Brandeburgici, quorū nouissimus fuit Valdemarus. Beneficium ergo ad Imp. rediit: & primus Ludouicus Ludouici Bauari Imp. F. marchionatū aliquādiu administrauit: sed satiat⁹ illo (quòd in Bauaria mallet agere) Romulo fratri illū permisit. Nec ille diu in eo superuixit. Peruenit igitur principatus ad Othonē quendam, qui Carolo IV. Imp. marchiam omnem uendidit uili precio pro oppidis Lanse & Hersprinck cum subiecto territorio, non longè à Nuremberga. Cranzius libro 9. Saxoniæ, cap.34.

Nobilissima stirps CARRARIENSIVM principum Patauinorum, cùm Iacobus minor Marsilietum Papafauium cognatum suum libidine regnandi interfecisset, in filio eius Frācisco seniore deficere cepit. Nā Frāciscus Taruisio Venetis cessit. Franciscus Nouellus filius Patauiū Galeacio Vicecomiti dedidit. Pater infelix à Galeacio, ad quem cōfugerat, in carcere necatus est. Filius, qui Patauiū interea receperat, bello contra Venetos temerè suscepto, ob Vicetiam affectatam, captus in carcere Venetiis cum duobus filiis noctu necatus, ann.1406. Albertinus filius Florentiæ præ mœrore periit. Marsilius apud Philippum Mariam Vicecomitem educatus, tentato temerè reditu proditus, securi in foro Veneto percussus est. Et sic 73. an. spacio imperium toti Italiæ formidabile defecit. Bern. Scard. lib.3. classe 13. hist. Pat. Hic Carrariensiū finis fuit, qui omnia terrore & minis complebāt: & quibus non satis erat nobilissimæ urbis principatus, nisi Venetorum arma, per quos principum nomen olim eorum maiores adepti essent (nam Marsilio Carrariensi Veneti Patauium Scalano ademptum commiserant, & Nouellū ipsum Galeacij Vicecomitis armis pressum in integrum restituerāt) temerario in se bello irritassent. Aliquot pòst annis Marsilius Philippi Vicecomitis subsidio clàm Patauiū recepturus, mercatoris habitu in Vicetino agro captus, & cū XX. Patauinis sociis coniurationis Venetiis necatus est. Sabel. lib.8. Dec.2. & lib.2. Dec.3.

Circa annum Christi 1494. Tiferni VITELLIORVM nomen clarum erat atque illustre. Sed ea mox domus, quæ multos simul duces insigni gloria tulerat, miserabili eorum interitu funesta atq; infelix fuit. Iouius lib.1. Historiarum.

In Italia passim illustrium familiarum decus aut interiisse, aut amisso principatu defecisse uidemus. MONTISFERRATI enim familia Imperatorij sanguinis à stirpe interiit, quæ omnium nobilissima censebatur. TVRRIANI bello pulsi, & VICECOMITES demum Philippo mortuo Mediolani principatū amiserunt. SCALIGEROS & CARRARIENSES obliuio deleuit. ARAGONIORVM regnum Neapoli ad pronepotes non peruenit. SFORTIANI paucis annis ad unum fato functi externis regnum reliquerunt. Gonzagæ Mantuani à Passarino interfecto uix ducentos Imperij sui annos enumerant. Sanseuerini, qui in Brutiis & Picentibus latè dominantur, spe prolis propè destituti, nequaquā altius quàm à Guiscardo Tancredo nobilitatem suam repetunt. Malatestarum soboles amisso principatu à uirtute amplitudineq; maiorū degenerauit. Malaspinæ antiquitus clari, diuisa & ualde extenuata stirpe, infirmis opibus antiquū decus ægerrimè tuentur. Liberarum uerò ciuitatum familiæ, in primisq; Romani sanguinis, nequaquam à principatu atque opibus, sed à maiorum suorum uirtute nobilitatis famam quærūt. Itaq; uni omnium Atestini, qui Estenses imperitè uocantur (ut liquidò constat) perpetua atq; incorrupta stirpis serie, quod summæ felicitatis fuit, incolumē principatum, uerùm mutuato dignitatis titulo, ad hancusque ætatem protulerunt: quum Marchiones aliquandiu, & demum Cæsaris atque Pontificis auctoritate Ferrariæ Duces appellati sint. Iouius in Alfonso Atestino.

GVLIELMI Conquæstoris Angliæ regis stirps in Henrico I. defecit. Hic enim cùm Mathildim Edgari regis Scotorum sororem, monacham, inuitam duxisset, & puella uideret sibi uotum uirginitatis uiolandum esse, omnibus precibus dicitur execrata prolem, si qua ex se oriretur. Nec uotum irritum fuit. Gulielmus enim Normanniæ dux ex ea genitus, & Ricardus, cum Maria sorore, ex Normānia in Angliam nauigantes in mari perierunt. Polyd. lib.11.

Mortuo Ladislao rege ad tantam orbitatem PANNONIÆ & BOEMIÆ regna redacta fuere, ut è nobilissimo altissimoq; genere ad mediocris fortunæ manus ambo peruenerint. Hoc ad Georg. Pogiebrachium, quem nulla maiorum stemmata decorabāt: ad Matthiam Coruinum illud, cuius olim genus ab urbe Roma oriundū, uetustate iam exoleuerat, & in Valachia à Barbaris obrutum, ad obscuritatem peruenerat. Bonfinius lib.8. Dec.4.

ALEXANDRO III. Scotorū regi Ioāna Ioānis Anglorū regis F. nupta sterilis obiit. Maria inde Comitissa ducta, ex ea suscepit Alexandrum, Dauidem & Margaritam, quam Magno Noruegiorum regi despondit. Mortem Mariæ Dauid filius statim secutus est. De successore igitur sollicitus, Alexandro F. comitis Flandriæ filiam cōiungit. Obiit non multò post Alexander absque liberis: Margarita insuper, unica filiola relicta. Alexāder ergo rex tertiam uxorem, Iolantam Campaniæ Comitis F. duxit. Vix anno elapso, dum equum ferocientem iuueniliter agitat, ceruicem fregit, adeoque in eo regia stirps à Malcolmo II. defecit. H. Boeth. l.13.

Iacobus V. Scotorum rex Gallis antiquo iure fœderatus, ascitusq; à Francisco gener, florenti corporis specie insignis (ueneno an fato suo incertum) subitò certè correptus interiit, anno sal.1542. defecitq; in eo STVARDÆ familiæ generosa progenies, quæ à Roberto rege, eodem nomine quinque Iacobos reges non intercisa stirpis serie tulerat. Sed occulta & admirabili sorte id regium decus singulis maximè funestum fuit: primo scilicet à coniuratis in conclaui trucidato, secundoq; demum distracti tormenti, dum id probaretur, uiolentia discerpto, quum mox tertium parricida filius insta acie ad Sterlingum occiderit, ut is demum ordine quartus, ab Anglis ad Floddon prælio cæsus fuerit, quintoq; filio eadem infaustæ domus damnata regni hæreditas pararetur. Sab. supplementum lib.25. ex Iouio.

AMICI
Nulli.

DIOGENES desertus ab omnibus, solus relinquebatur, cū neque propter egestatem ipse quenquam reciperet, neque ipsum hospitio quisquam acciperet: omnibus enim inuisa erat eius in reprehendendo acerbitas, & in agendo loquendoq; morositas. Proinde tristitia confectus, summas foliorum extremitates manducabat, quæ sola suppetebant. Mus uerò accedens, decidētibus frustulis uescebatur. Diogenes subridens, Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensium lautitia. Et quid tu Diogenes ægrè fers, te cum Atheniensibus non cœnare? Aelian. de Var. hist. lib.13.

Perfidi.

☞ *Vide Tit. Amicorum perfidiæ.*

MEDICI
Nulli.

VALENTINIANO I. Sabariæ, dum Quadorum legationem audit, apoplexia correpto, cùm necessariò laxanda esset uena, nullus inueniri potuit medicus, quòd omnes ad pestilentiæ morbo tentatum militem hinc inde dimissi essent. Vnus tandem inuentus, uenam eius sæpius pungens, ne guttam quidem sanguinis elicere potuit. Marcellinus lib.30.

Perfidi.

☞ *Ex Tit. Perfidiæ medicorum huc quædam.*

LIBE

LIBERORVM DEFECTVS.
LIBERI VEL *Nulli suscepti.*

☞ *Si Naturam spectes, exempla suppeditabit locus Sterilitatis. Illic Generatricis impotentiæ habetur ratio, hic Orbitatis. Sin Consilium, ex Tit. Castitatis coniugalis quædam huc pertinebunt.*

HEBRÆI sterilitatem olim pro certissimo diuinę iræ argumēto abominabantur, quandoquidem benedictioni, quæ Abrahamo facta est, contraria erat. Iidem mortes filiorum nō minùs quàm sterilitatem diuinæ iræ indicium esse arbitrabantur, quoniam generis successio (quam Abrahamo Deus summæ benedictionis loco promiserat) hac ratione impediebatur. Eius rei causa frater defuncti fratris uxorem ducere, & semen fratri suo excitare lege iubebatur.

CLEOMENES Anaxandridæ F. Spartæ non diu imperauit, ac sine liberis decessit, una duntaxat relicta filia, nomine Gorgo. Herodotus lib.5.

EPAMINONDAS Thebanus uxorem nunquam duxit. In quo cùm reprehenderetur, quòd liberos non relinqueret, à Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriæ consulere diceret: Vide, inquit, ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque uerò stirps mihi potest deesse: nanq; ex me natas relinquo pugnam Leuctricam, & Mantineam, quæ non modò mihi superstites, sed etiam immortales sint, necesse est. Probus in eius uita. Quod ipsum Diod. lib.15. Epaminondæ tribuit ad Mantineam uulnerato, cùm hasta extracta animam ageret, & amicorū quispiam cū lacrymis quereretur, quòd sine liberis moreretur. Persuasum Rom. habuerunt, ut Plutarchus scribit, haud rē tantam Romulum in condenda urbe gessisse, quantam in asserenda libertate L. Iun. BRVTVS in eaq; stabiliēda gesserat. Nullam ex eo uirilem stirpem relictam Dionysius credidit, ea coniectura ductus, quòd quū Brutus patricius esset, qui longo deinceps tempore id cognomen Romæ tulerūt, plebei fuerint. Sed tamen euenire potuit, ut familia aut fortuna aut uolūtate ex patriciatu ad plebē trāsierit. Sab. lib.7. En.2.

AVGVSTVS Cæsar ex Scribonia Iuliam suscepit: quæ Agrippæ nupta, Caium & Lucium peperit, quos cùm Augustus adoptasset, immaturo fato periere. Agrippam posthumum ob stupiditatem & ferociam, suasu Liuiæ, quam superinduxerat, in insulam relegauit. Coniuncta Augusto Liuia tertio mense peperit Drusum ex Tiberio Nerone, cui prius quoq; Tiberium ediderat. Tiberius, Druso mortuo in Germania, ab Augusto adoptatus est. Drusi filius fuit Claudius, qui Tiberio successit. Cuspinianus.

HONORIVS Imp. obiit, cùm duas habuisset uxores, Mariam & Thermantiam, Stiliconis filias, unam post alteram: ambæ subita morte uirgines sublatæ. Cuspinianus.

THEODOSIO iuniore, Augusto, defuncto, quia nullam masculam post se prolem reliquerat, sed unicam filiam Eudoxiam, eam Valentiniano III. nuptam dedit, quæ pòst Genserico regi Vandalorum in Aphricam in prædam est concessa. Itaque ad Theodosij sorores deuolutum est imperium Orientale. Cuspinianus.

LEO I. Imp. mascula prole carens, Leonem nepotem ex filia fecit Cæsarem, is patrem Zenonem. ZENONE sine liberis mortuo, Anastasius successit: ANASTASIO Iustinus maior: IVSTINO Iustinianus nepos ex sorore: IVSTINIANO Iustinus minor nepos ex filia: IVSTINO Tiberius: TIBERIO Mauricius gener: MAVRICIVS cum tribus filiis à Phoca occisus. Quo Phoca interfecto, Heraclius imperiū arripuit.

LVDOVICO IIII. Arnulfi Augusti F. sine liberis moriente, Caroli Magni stirps apud Germanos defecit. Ergo Conradus Franconiæ Dux Imp. creatus. Eodem quoque nullos ex Placentia filia Ludouici senioris regis Germaniæ liberos habente, Henricus I. dux Saxoniæ substitutus est.

OTHO III. ex Maria Aragonia impudicissima uxore nullos procreauit liberos. Cuspinianus.

CONSTANTINVS VII. Romani Lacapeni F. iam senex, de successore sollicitus, Romanum Argyropolum in palatiū rapuit, eiq; filiam Zoen despondit, cùm filiis careret.

HENRICVS V. ex Mechthilde Henrici Anglorum regis filia nullos habuit liberos. Itaq; Lotharius Saxoniæ Dux post illum imperauit. Dignus, qui nullos bonos haberet, uel certè sibi similes parricidas.

Mortuo LOTHARIO Imperatore sine liberis ex Richisa uxore, Conradus tertius Sueuiæ dux, Mosellæ in Imperatorem electus fuit.

EDVARDVS III. Anglorum rex sanctiss. absq; liberis decessit. Itaq; Gulielmus Normannus regnum occupauit. Polyd. libro octauo hist. Angl.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex auarissimus, sine liberis obiit. Polydorus lib.10.

RICARDVS I. Anglorum rex cùm liberis careret, Arthurum ex Gaufredo fratre nepotem, Britanniæ ducem, regni hæredem reliquit.

LVDOVICO Hutino Francorum rege altero regni sui anno mortuo, Clementia uxor posthumum peperit Ioānem, qui nō perennauit. Fratri successit PHILIPPVS Longus. Quo similiter absq; uirili prole decedente, CAROLVS Pulcer frater substituitur. Is quoq; decessit, uxore Ioanna grauida relicta. Dum partus expectatur, cuinam procuratio interea rerum credenda esset, controuersia exoritur. Angli Legati Eduardum Philippi Pulcri ex filia, quæ eadem germana nouissimi regis Franci fuisset, nepotem, procuratorem Francici Regni designari debere contendebant: uentrem prætereà custodiendum: si fœtus ederetur, tutelam eiusdem Eduardi legitimam esse. Vndiq; reclamatum: & ex legis Salicæ præscripto, cùm Ioanna filiam Blancham edidisset, Philippus Valesius patruelis defuncti regis, Caroli Comitis Valesij F. in regnum successit. Aemilius lib.8.

VENCESLAVS Boemorum rex ignauissimus, ab imperio Romano deturbatus, ex duabus uxoribus pulcerrimis nullam suscepit prolem, sic uolentibus fatis, ne ex tanto monstro ulla superesset soboles. Cuspinianus.

CAROLVS VIII. Francorum rex sine liberis mortuus. anno Sal. 1497.

LVDOVICVS XII. maribus liberis carens, duas habuit filias. Quarum maior natu Claudia Franciscum Valesium regem fecit.

Morte sublati. Parentes orbati liberis.

☞ *Vide Tit. Tolerantiæ mortis liberorum.*

DAVIDIS regis filius, quem ex Bethsabæ adulterio susceperat, in infantia periit 2. Regum 12.

HIEL Bethelensis, sub Achabo rege Israelitarum Hiericuntem restaurans, in fundamentis iaciendis Abiramum primogenitum suum, & in collocandis foribus portarum Segubum natu minimum, iuxta imprecationem à Iosua restauratori factam, amisit. Iosuæ 6. & 3. Regum.16.

IOBVS septem filios, & tres filias conuiuantes, ruina domus oppressos amisit. Iobi cap.1.

NIOBE Amphionis Thebarum regis uxor, cùm se numero liberorum Latonæ prætulisset, Latona irata mandauit Apollini ut filios, Dianæ, ut filias arcu conficerent. Quibus matri obtemperantibus, contigit eodem die & abundare Niobē XIV. liberis, & carere. Diod. lib.4. cap.11.

LAMIA regina liberis orbata, hūc casum tam impotenter tulit, ut inuidia & mœrore aduersus fœcundas mota, ex ulnis ipsis infantes abripi, & cōfestim necari iusserit. Diod. lib.20.

Habuit natu maiorem filium Echepolin ALCATHOVS Pelopis F. rex Megarensium, quem in auxilium Meleagro misit contra aprum Calydonium. Cùm uerò à fera fuisset adolescens interemtus, atque id natu minor rescisset Callipolis, ad patrem, qui sacrum Apollini tūc fortè faciebat, in arcem accurrit, ac ligna è sacris locis disturbauit. Quem cùm piaculum commisisse Alcathous, qui filium periisse ignoraret, iudicasset, ira incitatus, stipite ex iis ipsis, quæ ille deiecerat, lignis, capiti impacto filium interfecit. Pausanias in Atticis.

MATER tribus orbata liberis, cùm quartum peperisset, infantem igni uiuum iniecit. De qua re sic Menecrates Smyrnæus lib.1. Epigr. Græcorum ἐς φιλοστοργίαν·

Παισὶν ἐπὶ προτέροις ἤδη τρίτον ἐν πυρὶ μήτηρ
θεῖσα, καὶ ἀπλήστῳ δαίμονι μεμφομένη,
τέτρατον ἄλγος ἔτικτε, καὶ οὐκ ἀνέμεινεν ἀδήλους
ἐλπίδας, ἐν δὲ πυρὶ ζωὸν ἔθηκε βρέφος,
οὐ θρέψω, λέξασα· τί γὰρ πλέον Ἅιδη μαστοὺς
κάμνειν; κερδήσω πένθος ἀμοχθότερον.

L. PAVLO Aemilio quatuor filij erāt: duo in alias familias dati per adoptionem, Scipio & Fabius: duo etiamnum pueri, quos in familia sua retinuerat, ex altera suscepti uxore. Horū alter, quatuordecim annos natus, diebus quinque ante triumphum eius, alter duodecim annorum triduo decessit post triumphum. Quem casum cùm nullus ferè ex populo fuerit, qui non maximè doluerit, ipse tanto tulit animo, ut conuocato populo eum cōsolatus sit potius, quàm ut consolationem ab eo acciperet. Orationis clausulam hanc fuisse Val. Max. lib.5. cap.10. refert: Cùm in maximo prouentu felicitatis uestræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur: Iouem opt. max. Iunonemq; reginam, & Mineruam precatus sum, ut si aduersi quid populo Romano immineret, totum in meam domū cōuerteretur. Quapropter bene habet se res: annuēdo enim uotis meis id egerūt, ut uos potius meū casum doleatis, quàm ego uestrū ingemiscerem.

T. SEMPRONIVS Gracchus, uir opt. ex Cornelia Scipionum femina sanctiss. XII. filios sustulit. Qui omnes mortē obiere immaturam. Mortuus est ipse superstitibus Tiberio & Caio Gracchis, summis oratoribus, præcellenti ingenio, & suorum temporum eloquentissimis: ac Sempronia filia, quos ex Cornelia genuerat. Sed Tiberius cùm legē agrariam turbulentissimam, inuisam patribus, contra senatus decreta tulisset,

lisset, nouasque alias haud minus perniciosas ferre contenderet, duce Scipione Nasica, concursu hominum interficitur. Caius uerò Gracchus tribunus plebis, dum improbis cõcionibus rempublicam uexat, actaque sua tueri uult, neque abrogari patitur, duce Opimio consule, serui manu cæsus occubuit. Sempronia Scipioni Aemiliano nupta, in suspicionem uenit ipsius necis. Alex. lib. 1. cap. 18.

PHILÆNIVM mater tres filios amisit: quartum adoptauit, & non multo pòst extulit. De quo Philippus in primo Græcorum Epigrammatum:

Η πυρὶ πάντα τεκοῦσα φιλαίνιον, ἡ βαρύπενθος
μήτηρ, ἡ τέκνων τρισσὸν ἰδοῦσα τάφον,
ἀλλοτρίαις ὠδῖσιν ἐφάρμοσα. ἢ γὰρ ἐώλπειν
πάντως μοι ζήσειν τοῦτον, ὃν οὐκ ἔτεκον.
ἡ δ᾽ εὔπαις, θετὸν ἦσαν αὐξήσασα. ἀλλά με δαίμων
ἤθελε μηδ᾽ ἄλλης μητρὸς ἔχειν χάριτας·
κληθεὶς ἡμέτερος γὰρ ἀπέφθιτο. νῦν δὲ τεκοῦσης
ἤδη καὶ λοιπῆς πένθος ἐγὼ γέγονα.

Idem eodem in loco de ARISTODICE sic scribit:

Ηρίθμουν ποτὲ πάντες ἀριστοδίκην κλυτόπαιδα,
ἐξάκις ὠδίνων ἄχθος ἀπωσαμένην.
ἤριστ᾽ δ᾽ εἰς αὐτὴν ὕδωρ χθονὸς· τρεῖς γὰρ ὄλοντο
νούσῳ, λοιπὸν δ᾽ ἠμυσαν ἐν πελάγει
αἰεὶ δ᾽ ἡ βαρύδακρυς ἐπὶ στήλαις μὲν ἀηδών,
μεμφομένη δὲ βυθοῖς ἀλκυονὶς βλέπεται.

ARISTIVM mulier duos, quos habebat, liberos amisit. De qua sic Onestius in primo Græcorum Epigrammatum:

Παίδων ἐν μὲν ἔκαυσε δρίγιον, ὃν δ᾽ ἴσακις
ναυηγὸν. θατὸν δ᾽ ἄλγος ἔπηξε μίαν.
αἰ, αἰ. μητέρα μοῖρα διείλετο, τὴν ἴσα τέκνα
καὶ πυρὶ καὶ πικρῷ χειμερίῳ ὕδατι.

CHAGANVS Auarum rex, una die septem amisit filios pestilentia. Cuspinianus.

HENRICVS I. Anglorũ rex, ducta Mathilde monacha, dum ex Normannia in Angliam nauigarent, tres liberos naufragio amisit. Polyd. lib. 11.

CLEMENTIA Burgunda Roberti II. Flandriæ principis uxor, tres filios intra tres annos enixa, ne multitudine filiorũ domus affligeretur, medicamẽtis sibiipsi sterilitatẽ accersiuit. Sed paulo pòst tribus filiis amissis, frustra fœcũditatem amissam deplorauit. Iacob. Marchantius de rebus Flandriæ.

FILII ORBATI PARENTIBVS

Ante partum. Posthumi.

SYLVIVS Posthumus, rex Latinorũ III. à Lauinia post mortem Aeneæ patris in lucem editus, ab Ascanio fratre liberaliter educatus: & quia Iulius Ascanij F. adhuc impuber erat, in regno substitutus fuit. Ab eodem deinde omnes Albanorũ reges Syluij appellati fuére. Regnauit annis 29. Eutrop.

LADISLAVS Alberto II. Imp. Boemiæ & Hungariæ regi ex Elizabetha Sigismũdi Imp. F. posthumus, quadrimus, apud Albam regalem & baptismũ, Christianæ fidei signaculum, & militiæ cingulum, & sacram Hungariæ coronam, quam mater penes se habuit, eadem die accepit. Inde sublatus, in tutela Friderici Cæsaris patrui duodecim fermè annis fuit, cui mater & ipsum & coronam commendauit. Aen. Syl. cap. 1. Europæ, & Dubrauius lib. 28.

Iuliano Medici, non ita multo postea, quàm est Paciorum & Saluiatorum coniuratione interfectus, filius posthumus nascitur, cui nomen IVLIO fuit. Is à Leone X. Pontifice Maximo, cuius erat patruelis, in Cardinalium collegium ascitus, post Adriani mortem, qui Leoni successerat, malo fato Florẽtinæ Reip. Põtifex Maximus creatus, & Clemens VII. est dictus. Brutus lib. 6 hist. Flor.

Post partum.

ESTERA, Abichailis F. utroq; parente orba, à Mardochæo patruo Susis educata, ab Artoxerxe rege in thori societatem suscepta fuit. Ester 2. & Iosephus lib. 11. cap. 6.

TOBIAS Nephthalensis, ab utroque parente pupillus relictus, à Debora paterna auia in uera religione institutus fuit, ut contemtis aureis uitulis, quos adorabant reliqui, Hierosolymam statis temporibus ad adorandum & sacrificãdum ascenderet. Tobiæ 1.

C. MARCIVS Coriolanus, patre orbus, sub matre educatus uidua, orbitatem docuit etsi aliis sit obnoxia incommodis, ad uirtutem tamen & claritatem obtinendam parum impedimenti afferre. Plutarchus in eius uita.

M. CATO minor relictus cum fratre Cæpione & Porcia sorore, parentibus orbus, apud Liuium Drusum auunculum ac principẽ ciuitatis educatus fuit. Etenim fuit ille disertissim⁹, & cætera uir cumprimis bonus, ac siquis alius Romanorũ, prudens. Plut. in Catone minore.

Q. SERTORIVS non obscurissimis natalibus ex Sabinis oppido Nursia ortus, à matre uidua patre orbus, honestè educatus, genitricem dilexit mirificè. Nomen matris Rheam dicunt. Plutarchus in Sertorio.

DAMON puer Chæronæus parentibus orbus. Plut. in proœmio Cimonis & Luculli.

CONIVGVM MORTES. HVC PERTINENT

Vidui.

CLEOMENES Lacedæmoniorum rex, dum foris aduersus Antigonum Macedonem pugnat, & sui ab eo deficiunt, domi quoque Agiatidem uxorem amantiss. amisit. Plutarchus in Cleomene.

FLAMEN Dialis à Numa institutus, insigni ueste sellaque curuli ornatus, mortua uxore sacerdotio se abdicabat, quòd (uelut prodidit Teius) ducentis uxorem οἶκος τέλειος, id est, integra domus est: eius autem qui ducta sit exutus, οὐκ ἀτελὴς μόνον, ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος: id est, non imperfecta solùm, sed decurtata omnino & oblæsa. Nam & Iuno hinc τελεία dicitur apud Aeschylum. Plutarchus in quæst. Rom. & Cælius lib. 28 cap. 13. Antiq. Lect.

M. PACVVIVS tragicus clarissimus, flens ait Actio, uel Ario uicino suo: Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, nunc etiam tertia. Cui Arius: Miror te in tot successibus lacrymas inuenisse. Et iterum: Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit? Et tertiò: Amice, dede mihi de arbore illa surculos quos seram. Valerius quidam in epistola ad Ruffinum. Cicero historiam hanc de Siculo quodam refert, lib. 2. de Orat. Gyraldus Dialogo 8. Hist. poet.

Ad PHILEROTEM, Martialis Epigrammatum lib. 10.
Septima iam Phileros tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli Phileros, quàm tibi, reddit ager.

MAXIMILIANI Imperatoris fortuna mutata est cum morte uxoris Mariæ Burgundæ, in uenatione ex equi lapsu mortuæ. Cuspinianus.

Viduæ.

☞ *Viduam non solùm eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ uirum nõ habuisset, appellari ait Labeo, quia uidua sic dicta est, quasi uecors, uesanus, qui sine corde aut sanitate esset: similiter uiduam dictã esse sine duitate. Hotom. de Verbis iuris. Sed nos hic priorem significationem sequimur.*

THAMAR, Iudæ nurus, Erẽ primò, deinde Onanim maritos habuit, quos Dominus propter obscenam libidinem necauit. Geneseos cap. 38.

NOEMIS, uxor Elimelechi Bethlehemitæ, qui famis causa in terram Moabitarum peregrinatũ discesserat, cùm ibi & maritum & duos filios amisisset, in patriam cum Rutha nuru reuertens, congratulantibus ei popularibus respondit, Nolite me Noemim (ab amœnitate & iucunditate) uocare, sed uocate me Maram (ab acerbitate & mœrore) quoniam ingẽti mœrore me affecit Dominus. Ruth cap. 1.

IVDITHA Meraris F. pulcerrima, Manassen uirum suum in ipso ætatis flore amisit: neque ulli postea nubere uoluit. Ea uidui thori castitas ei profuit, ut occiso Oloferne immortale nomen fuerit adepta: quod uiuo marito ei non licuisset. Iudithæ capite 16.

SARA Raguelis F. septem nupta uiris, quos prima nocte propter libidinem Asmodæus dæmonum rex occidit. Octauus Tobias, Raphaelis angeli ductu, precibus & suffitu cordis è pisce exemti, dæmonem fugauit. Tobiæ capite 3. & seq.

SERVORVM INOPIA.

☞ *Consule Tit. Frugalitatis in comitatu seruorum.*

Nullum fuisse seruorum usum apud antiquos, ex Comicis refert Athenæus. Non erat ex patria institutione apud GRÆCOS antiquitùs, ut emta mancipia seruirent. Itaq; Aristotelem reprehenderunt ciues sui, uelut ignarum consuetudinis Locrorum, quibus per legem non licebat possidere seruos aut seruas: uelut neque Phocensibus olim. Apud primũ Philomeli uxorem, qui Delphos cepit, duæ seruæ uisæ sunt. Proinde Mnaso, Aristotelis socius, calumnias passus est à Phocensibus, quoniam mille seruos haberet, & totidem ciuibus necessarium alimẽtum præripuisset. Loco seruorum iuniores inseruiebant senioribus. Athenæus lib. 6. cap. 7. ex Timæo Tauromenitano.

Αὐτολήκυθοι pauperes olim dicebantur, qui lecythum ipsimet ad balneum absque ministro ferrent.

ENNIVS poeta, quem Rudiæ genuêre uetustę (ut Syllius Italicus canit, sed Eusebius Tarentinum illum facit) in Auentino habitans, tam pauper fuisse dicitur, ut unius ancillæ ministerio usus fuerit. Volaterranus lib. 15. Anthrop.

DISCIPVLI VEL

Nulli.

ALEXINVM philosophum Eliensem, quòd in loco doceret insalubri, tum in rerum multarum, quæ usui erãt necessariæ, penuria, discipuli deseruerunt omnes: & quidem quum uehementer probaretur ac placeret. Lud. Viues de Trad. disciplinis libro secundo.

Pauci.

ZENON Zittieus cùm uideret Theophrastum Eresium, Peripateticæ scholæ successorem, magnifieri, laudarique quòd plures haberet auditores, ad hunc respõdit modum: Ἐκείνου μὲν χορὸς μείζων, ὁμὸς δὲ συμφωνότερος. id est, Maior quidem est illius chorus, at meus melius consonans. Laertius.

STRATONICVS citharœdus cũ haberet in ludo suo nouẽ Musarũ imagines, & Apollinis unã, discipulos duos, rogatus à quodam, quot haberet discipulos? σὺν θεοῖς, inquit, δώδεκα, ludens amphibologia. σὺν θεοῖς accipi potest, annumeratis diis, aut diis fauentibus. Athenæus lib. 8.

ANIMALIA VTILIA. Pecora prius

POSSESSA, SED VEL

Peste absumta.

Quinta AEGYPTI plaga à Domino per Mosem immissa fuit pecorum maxima lues, cùm interim ex Israelitarum pecoribus ne unum quidem moreretur. Exodi 7. & 9.

GABERIVS eques cùm in suburbano mille iugerũm haberet, & à caprario quodam, qui adduxit capellas ad Vrbem X. sibi in dies singulos denarios singulos dare audisset, coegit mille caprãrum, sperans se capturum de prædio in dies singulos denariũm mille. Tantùm autẽ fefellit, ut breui omnes amiserit morbo. Satis enim magnum gregem putant esse circiter quinquagenas capras. Contrà in Sallentinis & in Casinati ad centenas pascunt. Varro lib. 2. cap. 3.

Tempore Romani III. Imp. morbus pestilens, nomine Craca, boues ROMANORVM tentauit atq; perdidit. Id cœpisse ferunt, Romano sene imperante. Cùm is enim palatium cõderet, in fundamentis effossum est caput marmorei bouis, idque ab iis, qui repererant, confractum, & in fornacem calcariam iniectum est. Ex eo tempore pestis armenta boum, per uniuersam Romanorum ditionẽ, usq; ad illud tempus, infestare, nunquam desiit. Cedrenus.

Anno Christi MDLII. in LVCENSIVM agro circa pagum Menabiam, in fine Maij pestilens morbus pecora inuasit, uti mortua repentè conciderent. Sanguis eorum si hominem nudum contingeret, anthraces generabat, qui non aperti erant innoxij, aperti uerò latissimè serpebant. Caro pecorum recens mortuorũ cocta & comesta erat innoxia: at ius carnis lethale potanti. Vierus lib. 3. cap. 28. de Præstig. dæm.

Euanescentia.

Est ad ostia Nessæ Scotiæ flum. oppidum ENVERNES nomine, numeroso halece olim fœcundum: nunc ira numinis eo beneficio priuatũ. Causam uulgò in hominum quorundã insolentiam referunt, qui immani cupiditate armis certantes pro piscibus, scelerato sanguine undas commacularunt. Id enim persuasum habent, quum pro conchis, halecibus, atque id genus piscibus, quos benigna Dei prouidentia ad pauperum inopiam largitur, certamen uspiam initur, multo inde tempore nihil aut exiguum quiddam eorum apparere. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Abacta, Absumta ab hominibus.

☞ *Ex Tit. Abigeorum huc quædam. Illic Agentis scelus, hic Patientis damnum perpenditur.*

Ladislai III. Vngariæ regis tempore, PANNONIA intestino bello sollicitari cœpit: quo pagi, ciuitates & oppida usque adeò igni ac ferro uastata sunt, ut ad ultimum exitium redacta uiderentur. Quare nuspiam pacem & concordiam cernere erat, ac diuitem necubi licebat intueri. Nobilitas præ grauissima egestate ad rusticandum, &, quod uix credi potest, ad bigas duarum rotarum plaustra redacta sunt. Iam quum boues, cæteraque iumenta defecissent, propter rerum inopiam, bigis utebantur huiuscemodi, quæ ab hominibus traherentur, quos Ladislai currus adhuc nominant. Quum enim propter intestina bella se quotidie mutuò popularentur, eò peruentum, ut absumtis gregibus & armentis, coniugati pro iumẽtis homines, carros traherent. Bonfinius lib. 8. Decad. 2.

Rapta à feris.

CISSAMIM Coum aiunt pecuaris gregibus supra modum fuisse diuitem. Verùm anguillam quotannis apparere solitam, quæ pulcerrimam omnium pecudem raperet. Ea cùm in somnis apparens hominem commonuisset, ut sepeliret sese, & ille negligeret, euenit ut tum ipse tum uniuersum illius genus radicit⁹ interiret. Erasm. in Adagiis è Zenodoto.

Fugitiua.

Circa annum sal 458. à Mamerco Claudiano Viennense episcopo Rogationes, quas uocãt Minores, triduo antè Ascensionis festum institutæ, cùm tum alia fœda prodigia in cœlo terraq; apparerent, tum uerò etiã animalia cicura in solitudines fugerent, & ferè econtra in medias urbes sese inferrẽt.

Anno 1086. HENRICO IIII. imperante, gallinæ, anseres, pauones, aliæque aues domesticæ, relictis hominum consortiis, in syluas commigrarunt. Sigebertus.

NON POSSESSA, NVLLA.

Pollux quinto de Rerum uocabulis, in ITHACENSIVM insula non nasci lepores, nec in SICILIA fuisse, priusquam Anaxilas Reginẽsis eos importasset (unde uictor in Olympicis, Rheginensium nomismati currum insculpsit & leporem) auctor est.

ASTYPALÆA, CARPATHVS, GYMNESIÆ olim caruere leporibus & cuniculis. Vide Tit. Pauperes facti à Leporib.

ANIMALIA INVTILIA PRIVS

POSSESSA.

☞ *Hæ Regiones feris, serpentibus frequentes.*

NON POSSESSA, SED QVÆ NVNC primùm inuadunt.

☞ *Ex loco Paupertatis Efficiens, huc quædam, ut noxiorum animalium irruptione concitatur.*

In SICILIA bello seruili cùm copiosus sanguis & cadauera insepulta humi computruissent, attelaborum examina prouenerunt, ac sparsi per totam insulam fruges corruperunt. Plut. lib. 2. Quæst. conuiu. lib. 3.

Rex Emmanuel Iacobum Lupium Siqueiram, ut Lupo Suario succederet, in Indiam cum decem naulum classe misit, anno 1517. Cùm uerò promontorium Bonæ spei prætereueheretur, piscis ingentis magnitudinis in NAVIS latus, cui Ioannes Limicus præerat, incurrit, nauemque in alterum latus impulit, eamque tanta ui retinuit, ut progredi nequiret. Vectores & nautæ se in saxum impegisse suspicabantur. Sed cùm neque compages dissolui, nec aquam admitti conspicerent, animos à metu refecerũt, & piscis à naue diuulsus, liberum illis mare permisit. Osorius lib. 11. rerum Emm.

Anno MDXLII. Solymanno imperium obtinente, tanta fuit luporum uis CONSTANTINOPOLI, ut armatus Imperator cum prætoriano milite procedens, ad centum quinquaginta simul compulerit, qui uniuerso populo prospectante ex urbe disparuerunt. Hanc historiam narrat Iobus Fincelius lib. 2. de Mirabilibus, atque in hanc rem populi omnes consentiunt. Hos lupos Germani dicunt *wehrwolff*, Galli *loups garous*, Picardi *loups warous*, ac si lupos uarios dixeris (g enim in locum vu sufficiunt Galli) Græci λυκανθρώπους & μορμολυκίας, Latini uarios & uersipelles, ut Plinius agens de hac transmutatione annotauit. Franciscus Phœbus Fecensis Comes in libro de uenatione uoce *garous* ait significari *gardez uous*, cauete uobis. Bodinus libro secundo Dæmonomaniæ, capite sexto.

PAVPERTATIS POSSESSIO RESPECTV PERSONARVM. PAVPERES QVI FVERINT.

POPVLI.

Totius patrimonij NVMIDARVM census est in equo pernici, quem seminudi egentissimiq; homines immenso parant precio: nec mirum, quando uita & uigilia eorum omnis, si bellum desit, in latrociniis uenationibusq; cõsistat. Iouius.

ROMANI prisci adeò parci fuêre & tenues, ut non minus criminidarent indomitas cupiditates non refrenasse, aut paternam non seruasse paupertatem, quàm ingentes maiorũ facultates largitionibus abligurisse. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 11.

OSTROGOTHI, qui in Pannonia considebãt, cùm propter pacem, quam cum Imperatore Zenone contraxerant, unde prædas agerent, non haberent, ad extremum inopiæ ærumnarumque peruenerant. Itaque doloris ac lacrymarum pleni Theodericum regem suũ missis publicè legatis Constantinopolim adierunt, se, dum ille luxuria apud Imperatorem Græcum difflueret, extremis angustiis rei familiaris oppressos, &, postquã ex Romano prædari agro desissent, ad summam egestatem, & rerum omnium difficultatem adductos esse. Ob eam rem orare illum, atque obtestari, ut res suas aliquando respicere, & gentis suæ rationem habere uellet, ne iniussu eius duriùs sibi consulere, atque alias propter penuriam sedes quærere cogerentur. Theodericus eorum precibus obsequutus, in Mœsiam reuersus, bellum Zenoni mouit. Zeno, ne præferocis iuuenis animum in sui perniciem incitaret, comiter illum ad se per litteras aduocauit. Paruit uoluntati eius Theodericus, & rationem tam subitæ defectionis reddere iussus, se paupertate penuriaq; suorum adductum ad extrema descendisse consilia dixit: ueniaq; petita, ut rebus consuleret suis, orauit. Exigente inde Zenone, qua tandem ratione ærumnas leuare illius ac miserias posset,

ſet,Italia terra eſt,inquit,quæ nunc ab Odoacre Herulorum rege iniuſſu tuo tenetur:permitte, me ad eam occupandam cum mea omni gente contendere. Zeno igitur ut Illyricum infeſta Gotthorum multitudine exoneraret,Italiam ei,quẽadmodum inquit Paulus Diaconus, per pragmaticum tradidit,ac,ſacro uelamine capite impoſito,confirmauit,& ſenatum populumq; Romanum cum ipſa urbe ac tota Italia præcipuè cõmendauit. Itaq; ingenti exercitu Italiã inuaſit, Odoacrẽ primò ad Sõtium amnem prope Aquileiam, inde ad Veronã,tertiò ad Abduam uicit:Ticini ab eodem obſeſſus, mox eundem Rauennæ longa obſidione ad imperij cõmunionem adegit:inde ad conuiuium inuitatũ cum filio & primoribus perfidè interfecit.Sigonius lib.16.imp.Ital.

FAMILIAE.

Sedecim codẽ tempore AELII Romæ fuerũt,quibus una domuncula fuit eodem loci,quo nũc ſunt Mariana monimenta : & unus in agro Veiente fundus, minùs multò cultores deſiderans,quàm dominos habebat:inq; maximo circo Flaminio ſpectaculi locus. Quæ quidem loca ob uirtutem publicè donata poſſidebant.Eadem gens nullum antè ſcrupulum argenti habuit, quàm L. Paulus Perſe rege deuicto, Q. Aelio Tuberoni genero ſuo quinq; pondo argẽti ex præda donaret.L.Paulus Aemilius,qui bis cõſul fuerat, bis triumphauerat, filiã ei nuptui dedit, cuius pecunia tã ieiunos penates uidebat. Val.Max.lib.4.cap.4.& Plut.in Aemilio. Plin. lib.24.capite 11.

PROPHETAE, APOSTOLI.

PETRVS,ANDREAS,IACOBVS,IOANNES priuatũ ſibi uictum quærebãt,relictisq; retibus & naui, ſecuti ſunt Chriſtum,& dixerunt:Ecce dimiſimus omnia,& ſecuti ſumus te. Conſtat igitur, eos & ante apoſtolatum fuiſſe pauperes, & in apoſtolatu pauperiores. Eiſdem inſuper præcipitur, ne quid auri,ne quid argenti poſſideant, nõ pecuniã in zonis, non peram in uia:non duas tunicas,non calciamenta, non uirgam habeant.Quid hac uita tenuius?quid hoc anguſtius ſtatu?Veruntamen quib. rerum copia interdicitur, iis noſſe myſterium Dei datur: his curandi, ligandi, ſoluẽdi poteſtas conceditur:& ut dæmoniis imperent,hominibus euangelizent,angelis exæquentur,cum Chriſto regnẽt, permittitur. Verè ergo Dominus eſurientes impleuit bonis,& diuites dimiſit inanes,quos eligere contempſit.Marulus lib.1. cap.8.& Sab.lib.8.cap.5.

BARTHOLOMÆVS apoſtolus regio ſtẽmate ortus, audita ſemel Chriſti uoce,illi faſtui omni perpetuo dicto uale,relictisq; regiis opibus,adhæſit.Egnat.lib.4.cap.4.

MATTHÆVS quæſtuoſiſſimum publicani munus à Chriſto uocatus reliquit,Chriſtiq; acta & uitã diligentiſſimè perſcribens, Apoſtoli & Euangeliſtæ duplici munere perfunctus eſt.Egnat.lib.4.cap.4.

Reliquis APOSTOLIS eadem lex dicta eſt : omnes Dominicis mandatis æquè obnoxij fuerunt, neque alicui plus alio quicquam habere poſſiderẽue, aut aliquo frui utiue licuit. Vnde etiam interrogat illos dominus dicens: Quando miſi uos ſine ſacculo & pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit uobis? Et reſpondent, Nihil. Vt ex hoc etiam intelligas, quantumuis inopi homini nihil unquam defuturum, cui affuerit Chriſtus.Marul.lib.1.cap.8.

PAVLVS uas electionis & gentium doctor, nihil omnino diuitiarum poſſedit, ut ex eius epiſtolis ubiq; liquet. Pontan. lib.2.cap.6.de Fort.domeſtica.

ANTONIVS Aegyptius à patre in magnis opibus relictus, bona, quæ acceperat, pro Chriſti nomine diſperſit : monachorumque multorum rector, in tanta rerum inopia deceſſit, ut teſtamento nihil præter melotem palliumq; Athanaſio,Serapioni alteram melotem:& diſcipulis, qui cum ſepe luxerunt,cilicium reliquerit.Fulgoſ.lib.4.c.4.

PONTIFICES, EPISCOPI.

ALEXANDER Piſis creatus Pontifex,iam grãdæuus,deplorabat ſortem ſuã:quòd diues epiſcopus,pauper Cardinalis, mendicus eſſet põtifex. Vix anno impleto mortuus eſt Bononiæ.Cranzius lib.9.Metrop.cap.1.

IOANNES Alexandrinus patriarcha(qui pauperes dominos ſuos appellabat)ex hac uita migrãs,gratias Deo egit,quòd morienti ſibi nihil ſupereſſet præter unum numum,quẽ ſtatim indigenti dari præcepit. Annuum quippe illi patriarchatus uectigal, annuæ in egenos eleemoſynæ erant, nihil ſibi reſeruanti præter Chriſtum.Neq; enim quicquam aliud ſuũ eſſe aiebat: aſſerens, ideo ſacerdotibus neq; poſſeſſionem, neq; partẽ, neq; hæreditatẽ inter reliquas tribus datã, quoniam pars & hæreditas & poſſeſſio eorum eſſet Dominus. Marul.lib.1.cap.8.Egnat.lib.4.c.4.Fulg.eodem.

IOANNES Medices Cardinalis, dum Romæ patria exulans, magnifico uitæ ſplendore, & immenſis ſumtibus exiſtimationem (cuius cura in exule debet eſſe potiſſima) mirificè ſuſtentaret: ſæpe accidit,ut in mediis conuiuiorum apparatibus obſonatores pecunia deficeret.Et quoniã à nimia liberalitate exulantis fides ubiq; ſuſpecta redderetur, neceſſe aliquando fuit, expolita in ornatum abaci argẽtea pocula, in macellis & foro piſcario reliquiſſe. Hæc ingentis & regij ſpiritus uirũ, principaliq; uitæ,deditũ uehementer angebat, quòd aut remittenda foret ſplendidioris uitæ conſuetudo, unde nominis famam abunde tueretur, aut creditoribus tã benignè de ſe meritis omnino decoquendum.Verùm tanta erat è uultu ſemper læto preſentis inopiæ diſſimulatio,& aperta cõtemtio, ut certos eum ſemper crederes è cœlo prouentus expectare,quibus omnino præſtanti fide debitæ pecuniæ ſoluerentur.Et certè fortuna, quæ ei ſummum in terris imperium ſub Leonis X.nomine ſtruebat, eius egeſtatẽ miris ac inexpectatis ſubſidiis ſæpiſſimè ſubleuauit. Quum uerò à frugi monitoribus aliquando reprehenderetur, dicere ſolebat,inſignes uiros cœleſti ſorte fieri magnos,præterea nihil eis unquam poſſe deficere, niſi ipſi animis omnino deficerent.Iouius in Leone X.lib.2.

MONACHI, EREMITAE.

Ex Tit. Monachorum,huc non pauca.

HILARIONI tametſi penè nihil eſſet, cùm tamen nihil appeteret, nihil deerat. In ſecretiori Siciliæ angulo manens ſucceſſiuis temporibus ligna colligebat, quibus uenditis uitã ſuſtentaret:ac demùm mereretur audire, Labores manuum tuarum quia manducabis,beatus es,& bene tibi erit. Deteſtabatur monachos, qui infidelitatem quandam præ ſe ferre uidebantur, uictui prouidentes in futurũ: quaſi quicquã deeſſe poſſit Deo ſeruientibus,cùm nequam ſeculo ſeruientibus non deſit.Spiritũ Domino redditurus,iam octogenarius,ad Heſychiũ diſcipulum ſuũ ſcripſit in hæc uerba:Diuitiarum mearum hæres eſto.Hæ autem ſunt,euangeliũ, tunica ſaccea, cucullа,&palliolum.Marul.lib.1.c.8.ex D.Hieron.

Minorum pater FRANCISCVS,Ioannis Bonimantui,qui in Italia eremiticã uitam profitebatur, auctoritate perſuaſus, nudus nudum Chriſtũ ſequi uoluit.Romam profectus,cùm pauperculo cuidã occurriſſet, ſuas cum illius ueſtibus permutauit.Quib.indutus, mendicantium turbæ ſe coniunxit, & cum ipſis die illo cõſedit,cum ipſis manducauit, ipſis ſeſe exæquari concupiuit. A patre, cuius pietatem in furorem uerterat auaritia, manum ſibi inijci, iniuriamq; irrogari æquanimiter tulit,atq; eidem,quicquid ſibi reliquum uel pecuniæ ex mercibus uel tegumenti fuit,lubenter reſtituit.Simulq; abdicatione impetrata, & nudus,& lætus abiit. Exinde uili tunica contentus, nudisq; incedens pedibus, uerbũ Dei diſſeminare cœpit, ſanctorum apoſtolorum uitam aggreſſus effingere,ſicuti nuditate, ita prædicandi cura. Victu quàm tenuiſſimo utebatur: & tamẽ uinci ſe dolebat, ſi quis ipſo pauperior appatuiſſet. Paupertatem Dominam ſuam uocabat,ſe non modò pauperem conſtituens,ſed etiã pauperum ſeruum.Marul.lib.1.cap.8.

REGES.

Ex Tit. Diuitiæ tributis acquiſitæ, huc quædam,quatenus exactionem præcedit paupertas,& illius ueluti proxeneta eſt.

OTHO Syluius æris alieni magnitudine coactus ſub Nerone imperium inuaſit.Suetonius.

CALOIOANNES Imp.Grecorũ pauperrimus,auxiliares copias aduerſus creſcentem Amuratis potentiam ſibi paraturus,Venetias iuit: & inde Galliæ regem Carolum Sapiẽtem acceſſit.Verùm re infecta,cùm Venetias rediſſet,non potuit uſuras ſortis iſtius pecuniæ, quam à Venetis mercatoribus mutuò acceperat,ſoluere.Hinc cõiectus fuit in carcerẽ, donec ab Emanuele filio natu minore collecta pecunia redimeretur.Sabel.lib.5.Dec.2.

MICHAEL Palæologus regno potitus,tres tantũ aureos domi habuit.Pachymerius.

Exorta rebellione Vandalorum ſub principe Miſtiuoio,uſqueadeò à Vandalis exterminata eſt gens Saxonũ cũ fide Chriſti,ut omni ditione, quam THEODERICVS Marchio Brãdeburgenſis tenebat latiſſimam, exutus, ad præbendam uixerit Magdeburgi. Cranzius lib.4.Vandal.cap.37.

LADISLAVS II.Vng.rex in eas anguſtias rei familiaris peruenit, ut interdum menſæ quod apponeretur, uix haberet. Io.Sambucus in Appendice Bonfinij.

Regi Vngariæ Vladiſlao, qui per aliquot annos abſq; militari gloria regnum adminiſtrarat, LVDOVICVS unicus filius ſucceſſit, iuuenis haud admodum ingenioſus, atq; ob ætatẽ adhuc rerũ imperitus. Hunc regni principes atq; præſules expilandum ſibi propoſuerant, adeò ut nihil ipſe præter regium nomen poſſideret:id quod in cauſa extitit, quominus colligi exercitus contra Turcas Belgradũ an. 1521. aggreſſuros illico potuerit,præſertim principibus auxilia pollicentibus tantùm,nihil autem reipſa præſtantibus.Itaq; Solymannus nullo impediente, ſubterraneis cuniculis, œreis machinis,paucis è ſuis amiſſis,Belgradũ expugnauit:quod non tantùm Vngariæ, ſed totiùs Chriſtianitatis propugnaculum erat.Iouius in uita Solymanni.

DVCES BELLICI.

Legimus,Thebanum EPAMINONDAM tot uictoriis clarũ imperatorem, diuitiarum abſtinentiſſimum, unica ueſte cõtentum fuiſſe: quam ſi quando uetuſtate detritam reſarcire opus foret,domi clauſum ſe teneret. Eum Thebani publica impẽſa & ære collato ob inopiã extulerũt. Plut. in Epamin.

LYSANDRO Lacedæmonio, qui Athenas ſubegit, ſublato, cognitã eſt domeſtica paupertas. Generos, qui defuncti filias ob inopiam repudiaſſent,acerbè condemnarunt Spartani,quòd uiuũ diuitem arbitrati coluiſſent, defuncti memoriam ac ſanè iuſti contemnerent.Sabell.lib.2.Enn.4.

Ferunt ARISTIDEM Athenienſem publicè dixiſſe, poſſe ſe honeſtiùs ueriùſq; ſua inopia gloriari, quàm immenſis opibus,quas poſſideret, Calliam Athenienſium ditiſſimũ. Complures inueniri, qui fortunas ſuas in turpes uſus collocarẽt: qui paupertatẽ generosè ferrent, perquàm paucos eſſe, nec paupertatẽ cuiquã niſi inuitis eſſe indecorã. Obiit itaq; tam pauper, ut domeſtico ſumtu funerari nequiuerit. Eius filiæ paternæ uirtutis cauſa publico ære ſunt matrimonio locatæ.Sab.lib.3.En.3. Ariſtidem in Callia iudicio aiunt dixiſſe: Illis erubeſcendam paupertatem, qui inuiti pauperes ſint: his,qui,ut ipſe,libenter, ex ea gloriandum. Quippe ridiculũ ſit,ignauiæ putare uertendam Ariſtidis inopiam,cui licebat citra ullam turpitudinis notam, unum ſpolianti barbarum, uel unũ tabernaculum occupanti,euadere pecunioſo. Plut. in Ariſtidis & Catonis comparatione. Cùm diues quidam paupertatem ei obiiceret, dixit : Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi uerò diuitiæ non paucas perturbationes.Antonius Meliſſa par.1.ſerm.33.

LAMACHVS Alcibiadis & Niciæ collega in Sicilienſi expeditione,erat quidem uir fortis integerq;, & manu in certaminibus prõtus: ſed uſqueadeò inops & tenuis, ut populo Athenienſi,quotieſcunq; dux eſſet,exiguum peculiolæ in ueſtem & crepidas expenſum ferret. Plut in Nicia.

Paupertate PHOCION ut uirtute gloriabatur: in qua,licèt toties dux Athenienſium fuiſſet & regum uiuis amicitia,conſenuit.Plut.in Phocione.

De ROMANIS aliquot ducib.ſic ſcribit Claudianus in quarto Honorij conſulatu:

Pauper erat CVRIVS,reges cùm uinceret armis:
Pauper FABRICIVS,Pyrrhi cùm ſperneret aurum:
Sordida SERRANVS flexit dictator aratra.

LQVINTIVS Cincinnatus ſeptem iugera agri poſſedit. Ex his tria,quæ pro amico ad ærarium obſignauerat,mulctæ nomine amiſit.Pœnam quoq; pro filio Cæſone, quòd ad cauſam dicendam non occurriſſet,huius agelli redditus ſoluit. Et tamen ei quatuor iugera aranti, non ſolùm dignitas patrisfamiliæ conſtitit,ſed etiam dictatura delata eſt. Anguſtè habitare nunc putatur,cuius domus tantum patet, quãtum Cincinnati iura patuerunt. Val.lib.4.cap.4.

L.PAVLVS Aemilius adeò inops deceſſit, ut niſi fundus,quẽ unum reliquerat, uæniiſſet, uxor eius dotẽ unde reciperet, non extitiſſet.Plut.in eius uita.

NOBILES.

COLONVS Mycenæus,cui fuerat Electra data in uxorem,ab Aegyſtho,apud Eurip. in Electra de ſeipſo inquit:

Λαμπροὶ γὰρ ἐς γένος γε, χρημάτων δὲ δὴ
πένητες, ἔνθεν ἡ 'υγένει' ἀπόλλυται.

Clari quidem natalibus,at opum indigi ſumus:unde generis ſplendor perit.

PHILOSOPHI.

ANAXAGORAS Clazomenius,qui ſæpe dicebat, Nemo ſimul & uirtutes & diuitias poſſidere poteſt : amplum patrimoniũ ſuis ſpontè cõceſſit,pauperq; ſtudiis adhæſit. Laert.

DEMOCRITVS Abderites, nihil præter ingenium poſſedit: uel quia noluit,uel quia non debuit.Sab.lib.8.cap.5.

SOCRATES pauper ſemper fuit,pedibus nudis incedẽs,ſordidò palliolo contentus.Laertius.

PLATO philoſophus ſolùm in Academia tenuit hortum, qui pars minima fuit eorum, qui illi ſucceſſerunt. Hortus enim tres aureos numos pendebat: omnis autem prouẽtus pòſt, mille aut paulò plurium fuit.Suidas.

DIOGENES Cynicus ſolitus eſt ioco dicere,ſibi tragicas execrationes contigiſſe,quòd eſſet ἄοικος, ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερόβιος:id eſt, domo,ciuitate, patriaq; carẽs, pauper & erro.Laert.lib.6. alludẽs ad locum aliquem è tragœdiis. Dolio contra frigora & calores,eoq; parũ integro, fuit contentus:poculum fregit,ruſticum canis manibus potantem intuitus:cætera aſpernatus.Sab.lib.8.cap.5.

DEMONAX philoſophus(qui floruit Adriano imperãte) nullum unquam ſibi uiaticum præparauit : ſed quum eſuriret, proximam domum, quam apertam uidebat,ingrediebatur, & uictum ibi quæritabat. Centenarius deceſſit, elatus publico ſumtu.Volat.lib.15.Anthrop.

EPICTETVS philoſophus patria Hieropolitanus, quã pauper fuit,tam diis & philoſophiæ amicus.

IVRECONSVLTI.

Felix & glorioſa fuit paupertas MASSVRII Sabini iuriſconſulti,qui bonorum tenuitate preſſus, non habuit unde uiueret,ni diſcipulorum ope fuiſſet adiutus. Auctor eſt Pomponius in lege ſecunda,Digeſtis de Origine iuris.

MEDICI.

Nicolai V.Pontificis pater MEDICVS fuit Sarzani ea paupertate, ut uxor oua uendendo lucrum facere cogeretur. Hieron.Garimbertus lib.2.de Vitis Pontificum.

GRAMMATICI, RHETORES, POETÆ.

HIERO cùm uituperaretur,quòd cùm multos rhetores & ſophiſtas feciſſet, qui ex arte quæſtum perciperent ampliſſimum,ipſe egeret:Atqui,inquit,non docui eos diteſcere,neque ſtudere pecuniæ.Maximus ſerm.12.

ARCHESTRATVS Syracuſanus, poeta extremæ paupertatis,ideoq; minus nobilis.Huic quidam dixiſſe fertur:Si cum Alexandro fuiſſes,Archeſtrate, tui cuiuſq; carminis præmiũ Cyprum aut Phœnicem tuliſſes.

Plato PISANDRO ſcribit,illũ Arcadas imitari,quòd comœdias à ſe conſcriptas aliis ædendas traderet ob inopiam. Eraſmus in Adagiis.

IVLIVS Phrygius,natione Hiſpanus,uel,ut alij uolũt,Alexandrinus,à Cæſare Romam ductus,ſtudioſè & auidè imitatus eſt Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum, familiaris Claudio Licinio hiſtorico:qui eum admodum pauperem diſceſſiſſe tradit,& liberalitate ſua,quoad uixerit,ſuſtẽtaſſe.Suetonius apud Volat.lib.16.Anthrop.

CODRI poetæ pauperrimi,& PROCVLÆ eiuſdem uxoris, paupertatem ſic deſcribit Iuuenalis Satyra 3.

Lectus erat Codro Procula minor,urceoli ſex
Ornamentum abaci,nec non & paruulus infra
Cantharus,& recubans ſub eodem marmore Chiron:
Iamq; uetus Græcos ſeruabat ciſta libellos,
Et diuina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus:quis enim negat?& tamen illud
Perdidit infelix totum nihil.Vltimus autem
Aerumnæ cumulus,quòd nudum,& fruſtra rogantem,
Nemo cibo,nemo hoſpitio,tectoq; iuuabat.

M.Val.MARTIALIS poeta,& epigrammatum ſcriptor, relicta Roma,ubi annos triginta commoratus erat, & reuertẽs in Hiſpaniam, tam pauper fuit, ut Plinij uiatico ſit adiutus. Plinius Nepos in epiſtola.Ipſe ſic de ſeipſo lib.5.Epigram.

Sum,fateor,ſemperq; fui,Calliſtrate,pauper,
Sed non obſcurus,nec malè notus eques.
Sed toto legor orbe frequens:& dicitur,hic eſt:
Quodq; cinis paucis,hoc mihi uita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaq; Niliacæ ſeruit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego tuq; ſumus.Sed quod ſum,non potes eſſe:
Tu quod es,è populo quilibet eſſe poteſt.

De MÆVIO,idem lib.10.Epigrammatum ſic ſcribit:

Hoc fortuna tibi uidetur æquum?
Ciuis non Syriæue,Parthiæue,
Nec de Cappadocis eques cataſtis,
Sed de plebe Remi,Numæq; uerna,
Iucundus,probus,innocens,amicus,
Lingua doctus utraq;,cuius unum eſt,
Sed magnum uitium,quòd eſt poeta,
Pullo Mænius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget incitatus.

LACTANTIVS,uir ſuo tempore eloquentiſſimus,adeò pauper in hac uita fuit,ut plerunq; neceſſariis indiguerit. Auentinus lib.2.Annalium Boiorum.

THEODORVS GAZA,Theſſalonicẽſis,utroq; eloquio clariſſimus, cùm Romã ueniſſet, maxima ibi paupertate uixit.

ANDRONICVS Theſſalonicenſis in Græca diſciplina poſt Theodorum Gazam ſecundus, Romæ apud Cardinalẽ Nicenum uiuens, & maximo emolumento docens: ſed, ſicuti pleriq; eius generis alij, coactus eſt egeſtate urbem deſerere.Volater.lib.21.Anthrop.

SEB.Caſtellio Allobrox, cùm Geneua Baſileã cum uxore migraſſet,tanta paupertate premebatur, ut fame illi pereundũ fuerit,niſi Io.Oporinus typographus eum ſuſtentaſſet,& ad Bibliorum conuerſionem animum addidiſſet. [redacted]

AGRICOLAE.

AGLAVS Psophidius, Arcadū pauperrimus, ętate iam senior, terras agelli sui nunquam excesserat: contentus tamen sorte sua, felicissimus erat. Nam postquam Gyges regius pastor, anuli beneficio trucidato Lydorum rege, & eius uxorem cō pressisset, & ita ad regiam maiestatem peruenisset: consuluit oraculum, an quispiam se esset felicior? Cui deus, Aglaus Psophidius, respondit. Valer. lib. 7. cap. 1. & Plinius.

PICTORES.

PAVSON pictor fuit, insigni tenuitate. Hinc apud Aristoph. in Pluto, cū Penia exclamasset, ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει. id est, O urbs Argos, quod ait audi. respondet Chremylus, Παύσωνα κάλει τὸν ξύσσιτον. id est, Pausonem adhibe tibi conuiuam Erasmus in Adagiis.

APELLI & morbum & inopiam dissimulanti, candidus amicus furtim sub ceruicale pondus auri submisit. Eras. in Ada.

PISCATORES.

ACOETES paupertatem suam apud Ouid. lib. 3. Metamorp. his uerbis exprimit:

Patria Mæonia est, humili de plebe parentes.
Non mihi quæ duri colerent pater arua iuuenci,
Lanigerosq; greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper & ipse fuit, linoq; solebat & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces.

MENOETES Arcas occisus à Turno, cuius paupertatem describit Verg. lib. 12. Aeneidos:

—piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperq; domus, nec nota potentum
Munera, conductaq; pater tellure serebat.

IVSTI.

EPHIALTES, cùm dux ei paupertatē exprobraret: Cur nō, inquit, etiam alterum dicis, quòd iustitiam colam? Aelianus lib. 13. de Var. hist.

SVPERBI.

Θεαγένους χρήματα, τά τ' Αἰσχίνου, THEAGENIS & AESCHINIS pecuniæ, in prouerbium abiere, de pauperibus, qui se diuites esse iactitarent. Suidas.

SALACON, ut auctor est Suidas, cùm pauper esset, se diuitē simulabat. A quo superbi, Salacones denominati, & σαλακωνεῖν, diuitiis simulatis superbire.

A Martiali ridetur CINNA, quòd quum pauper esset, pauper uideri uellet: Pauper est Cinna, & uult uideri pauper.

LATRONES.

TELEPHVS latronum Boemorum princeps, cùm superiorē Vngariam cum Ioanne Gisera latrociniis infestaret, à Matthia Coruino Vngariæ rege fusus & fugatus, in Boemiā reuersus est. Sed cùm datam fidem nemini seruaret, eò miseriarum redactus est, ut in foro sportulam circumferret, & uix quandoq; obolum haberet, quo ad popinas paululum carnis emeret. Bonfinius lib. 10. Dec. 3.

SENES.

HECALE anus pauperrima ob Theseum hospitio susceptum inclaruit. Ouid. lib. 2. de Remed. am.

Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ nouerit Irum?
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

BAVCIS mulier, & PHILEMON eius maritus, in maxima paupertate consenuerunt. Ouid. lib. 8. Metam.

PAVPERTATIS ARGVMENTA ET NOTAE DESVMPTAE AB

OPVM VSV. PAVPERES IN

Bello, Stipendiis persoluendis.

Consule Tit. Inopiam suorum dissimulare. Item, Astus in parandis stipendiis. Item, Ad inopiam hostes redigere.

In PHILOPOEMENEM Achæorum ducē, qui multos haberet equites & armatos, sed pecuniarū indigus, T. Flaminius sic ludebat: Philopœmen, inquiēs, manus habet & crura, uētrem nō habet. Ac tali quidē specie corporis erat Philopœmē. Quintius aūt equites ac pedites armatos, manus & crura ducis appellabat: sed quoniam non habebat quo aleret militem, negabat illum habere uentrē. Plut. in Rom. apoph.

Quando M. Antonius contra Octauium Cæsarē mouit, imparatus adhuc erat Cæsar. Etenim multa deficiebant eum, & homines pungebant pecuniæ exactiones. Compulsi enim alij quartam partē fructuū, libertini ipsarū possessionū octauam partem pendere, detrectabāt ei. Vnde tumultus totam occupauit Italiā. Quare numerant in maximis Antonij peccatis belli procrastinationem. Quippe instruendi se Cæsari spacium dedit, & tumultum sedandi hominum. Nam qui exacerbabantur, dum exprimerentur numi, expressis & illatis conquiescebant. Plut. in Antonio.

BALDVINVS Imp. ab Imperatore Exagonatum Pontico, & Io. Lascari Adrianopolitano Imp. obsessus Constantinopoli (ut Cuspinianus & Egnatius uolunt) uel certè (quod Aemilio placet) ut socerū suū Ioannem regem Hierosolymitanū re numaria bellumq; Græcum iuuaret: cū aliter pecuniam à mercatorib. consequi nequiret, plumbum ædib. publicis & basilicarū culminib. detractū uendidit: & filium Philippum, ob accepti æris mutuū, Venetis obsidem dedit, ut opē afferrent, quam solā poterant. Veneti missa uiginti quinq; triremium classe, urbem obsidione liberarunt. Egnatius lib. 7. cap. 6. Aemilius lib. 7. Blondus lib. 7. Dec. 2.

MAXIMILIANVS I. gemina affect⁹ iniuria à Carolo VIII. Gallorum rege, quòd filiam Margaritam repudiasset, & Annam Britannicam sibi pactam eripuisset, Hēricum VII. Anglorum regem Britannorum nomine in Gallum incitauit: ipse uerò cùm propter inopiam, prout promiserat, belli socius esse non posset, iniuriam tantam ferre coactus fuit, quā ulcisci nequibat. Polyd. lib. 26.

Tributo conferendo.

PONTIFICES Bauariæ sacras uestes, sericas, laneas, opes tēplorum, uasa ecclesiastica, signa diuorum aurea, argentea, sacraq; ob tenuitatē ærarij, & egestatem populi, Vngaris cō tribuere, ac pacem ab eis redimere coacti sunt. Auentinus libro 4. Annalium Boiorum.

Domo & Habitatione. Aedes conducititiæ, non propriæ.

I. [redacted] uit, in [redacted] ducto habitauit, haud [redacted]

πολυτελῶν. Itaq; pòst, ad iactantem se & gloriantem ab expeditione Africana, fama tenet bonum & probū uirum dixisse: Qui possis tu probus esse, qui cū nihil à patre acceperis, nunc possideas adeò multa? Inde cùm esset rerum potitus, & multos interimeret: quidam libertinus, qui dicebatur unum proscriptorū occultare, atq; ideo erat de saxo præcipitandus, improperauit Syllæ, quòd diu una in domo cœnacularia habitassent, ac pependisset ipse mercedem superioris ædificij duo millia numūm sestertiorum, inferioris uerò ille tria millia, ut interesset inter utriusq; fortunam mille numūm, qui drachmis Atticis ualent ducentis quinquaginta. Plutarchus in Sylla.

Vestibus parandis.

ANDRONICVS senior Imp. in ordinem redactus ab Andronico iuniore nepote, cùm hyemis rigorem ferre non posset, uulpinam sibi nocturnam uestem fieri iussit. Cæterùm cùm numi deessent, quidā è ueteribus eius amicis adductus misericordia, tres illā aureis redemit, mori præoptans, quod in se esset, q̄ alienarū calamitatū spectator esse. Gregoras l. 9.

Medicamentis comparandis.

ANDRONICVS senior Imp. à nepote captus, cùm illi frigidę potu medici interdicerent, ille uerò uini potum repudiasset: uix uno aureo, eoq; mutuatitio, partem aliquam dulcium liquorum emit, qui ex Aegypto & Arabia aduehūtur, ut his frigidæ potum temperaret atq; leuaret. Interea dum quidā ueterum domesticorum accedit, longi morbi breue quærēs solatium: Andronicus cùm nihil haberet, quo hominē consolaretur, & huic dari iussit suæ infirmitatis causa paratum remedium. Tanta eius erat humanitas, & commiseratio erga malè habentes. Gregoras lib. 9.

Venereis.

TITVS Minutius eques Romanus cùm non haberet unde seruam amatam redimeret, septem talenta Attica mutuò accepit, die persoluendo precio constituta. Illa ubi aduenisset, & ipse nondum esset soluēdo, & aliquoties spaciū solutionis protraxisset, tandem cum seruis conspirauit, seq; regē constituēs, creditores uirgis cæsos securi percussit. Diod. lib. 36.

Mercede persoluenda.

D. HILARION famā fugiens, è Lybia ascēdit classem, quæ in Siciliā nauigabat. Quumq; uenūdato Euangeliorū codice, quē manu sua adolescens scripserat, dare naulum disponeret, in medio fermè Adriæ, naucleri filius arreptus à dæmone clamare cepit & dicere: Hilarion serue Dei, cur nobis per te & in pelago tutos esse nō licet? Da, mihi spaciū, donec ad terrā ueniā, ne hic eiectus præcipiter in abyssum. Cui ille, Si Deus meus, ait, tibi cōcedit ut maneas, mane: sin aūt ille te eiicit, quid mihi inuidiā facis, homini peccatori atq; mendico? Hoc aūt dicebat, ne nautæ & negociatores, qui in naui erāt, se, cùm ad terrā peruenissent, proderēt. Nec multò post purgatus est puer, patre fidem dante, & cęteris qui aderant, nulli

se super eius nomine locuturos. Ingressus aūt Pachynū promontoriū Siciliæ, obtulit nauclero euāgelium pro subuectione sua & Gazani comitis: Qui nolēs accipere, maximè cùm uideret illos, excepto illo codice & his, quib. uesti ti erāt, amplius nihil habere, ad extremū iurat se nō acceptu rum. Sed & senex accēsus fiducia pauperis cōscientiæ, in eo magis lætabatur, & quòd nihil haberet seculi, & ab accolis illius loci mendicus putaretur. Hieron. in uita Hilarionis.

Dote danda.

HOMERVS incertus ob paupertatem quomodo cuiuc filiā elocaret, dotem genero Cypriā carmina dedit. Pindarus apud Aelianum lib. 9. de Varia historia.

APPIVS Claudius Augur, pauper cū duobus fratrib. & totidē sororib. relictus, alterā sine dote dedit Lucullo, à quo hæreditate cessa primum & primus mulsum domi suæ bibere cepit: ipse cùm interea nihilominus penè quotidie in cōuiuio omnibus daret mulsum. Varro lib. 3. de Re rustica.

Cùm secūdo Punico bello CN. SCIPIO ex Hispania Senatui scripsisset, petens ut sibi successor mitteretur, quia filiam uirginē adultæ iam ætatis haberet, neq; ei sine se dos expediri posset: Senatus, ne Respublica bono duce careret, patris sibi partes desumsit: cōsilioq; uxoris ac propinquorū Scipionis constituta dote, summā eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptui dedit. Dotis modus XL millia æris fuit. Val. Max. l. 4. c. 4. At Frontinus lib. 4. c. 3. id beneficij mortuo datū scribit.

Idem Senatus FABRICII Lucini filiā ab indotatis nuptiis liberalitate sua uindicauit: quoniā paternę hæreditati, præter opimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referret. Idem.

L. AEMYLIVS Paulus, cuius rerū gestarū tabula Romę publicata, & cui deuicto Perse Macedonię rege cōcessum à plebe & senatu erat, ut ludis Circensib. triūphali ueste uteretur: ad tantā peruenit paupertatem, ut eo mortuo dos filiabus, nisi diuenditis possessionib. nō potuerit exolui. Plinius de Viris illustribus. Plutarchus patrimonium septem & triginta millium, filiis eum reliquisse scribit, cuius partem Scipio in Corneliorum gentem adoptatus fratri habendam concesserit.

M. VAL. Leuinus, quem Romani consulem habuerunt, & qui Corintho urbe armis potitus est, cuius spoliis non urbs Roma solùm, sed penè tota Italia exornata fuit: tam pauca de Corinthi atq; aliarum urbium, quas deuicit, præda sibi retinuit, utà Senatu, cùm ipse non haberet, filia eius de publico dotem acceperit. Fulg. lib. 4. cap. 4.

DONATVS Acciaiolus Florentinus, qui in Ethica cōmentarios doctissimos edidit, cū in legatione discessisset, nihil diuitiarum filiis ob paupertatē reliquit: filiæ uerò, ob eius in remp. merita, ære publico nupserūt. Volat. lib. 12. Anthrop.

Multa non exoluenda.

MILTIADES accusatus proditionis, causa cognita, capitis absolutus, pecunia tamē multatus est, lite quinquaginta talentis æstimata. Quā pecuniā cùm soluere nō posset, in uincula coniectus ibi diē suum obiit. Cimō uerò filius eius nō antè remp. attigit, quàm sumta à Callia sororis suæ uiro pecunia æs paternū dissoluit, ac reip. satisfecit. Itaq; hunc respiciens Demosthenes, illud pręter cętera obiecit Androtioni, ꝙ cùm pater eius debitor ærarij è carcere profugisset, ipse tamen, qui paternæ infamiæ hæreditatem creuisset, remp. administrare auderet. Sigon. lib. 3. de rep. Atheniensium.

DEMADES orator Atheniensis, cùm primò ita opibus & potentia ualeret, ut nihil aliud quàm Macedonum & Antipatri gratiam in Repub. quęreret, ad tantam paupertatem adactus est, ut eiectus ex ciuitate (septies enim falsi accusatus erat) non habuerit, ut pecuniam, qua illum Athenienses multarant, persolueret. Plutarchus.

Aere alieno dissoluendo.

Hic Defectum solum consideramus. At sub Tit. Perfidiæ in ære alieno, ipsam Iniustitiam.

RELIQVATORES apud Iurisconsultos dicuntur, qui integrum æs alienum cum fœnore non exoluunt, sed partem ęris alieni & fœnoris debent.

Hesiodi parētes DIVS Ampelidis filius & PYCIMEDE, propter ęs alienum Cumas Aeolicas relinquere coacti, Ascram Bœotiæ migrarunt: ubi educatus Hesiodus, Ascræus postea cognominatus fuit: quamuis reuera Cumæus esset. Gyraldus Dialogo 2. Hist. poetarum.

PHORMIO Atheniensis, Asopichi F. cùm & uitæ integritate, & maiorum splendore Atheniensium cuiuis par esset, ita accidit, ut ære alieno obrutus in Pæaniensem curiā secederet. Vbi cū à rep. seiunctus degeret, est ei tamen ab Atheniensib. classis imperium decretum. At enim Phormio se illud suscepturū negauit, ꝙ apud milites, nondum ære alieno dissoluto, nihil esset auctoritatis habiturus. Ergo cùm eū classi imperare Athenienses omnino uellent, omnem, quam debuit creditoribus, pecuniam dissoluerunt. Pausanias in Atticis.

CLEOMENES rex Spartanorū æs alienū in emtione prædii cōtraxerat. Pòst cùm Alexandrię exularet, Nicagoras ut dānum qua ratiōe posset ulcisceretur, scribit epistolā regi Ptolemęo per Sosibium, & Cleomenē insimulat, quasi Cyrenas occupare uoluisset, si naues & milites ab eo accepisset. Itaq; à rege in amplis ædib. conclusus, cùm carcerem ægrè ferret, eruptione factā cum amicis tredecim, Alexādrinos ad libertatem uocauit. Cæterùm nemine se eis adiungēte, mutuis tandem uulneribus sesē confecerunt. Plut. in Cleomenē.

M. CRASSVS, Diues & re & cognomine fuit. Ad extremum tamen eò peruenit miseriæ, ut ab occurrentibus diues per iocū salutaretur, cuius hæreditas neq; creditoribus satisfacere posset. Val. lib. 6. cap. 11.

C. IVL. Cæsar cū priuatus adhuc in populū profusus sumtib. esset, tēporariaq; & breui uideretur gloria immēsas impensas cōmutare, cùm reuera maxima exiguo redimeret precio: dicitur prius, quā esset ullum magistratū adeptus, ad trecēties duo decies H-S. habuisse ęris alieni. Postquā uerò uię Appię curator designatus, plurimū de suo in id muneris impēdit, & in ędilitate gladiatorū paria uiginti & trecēta dedit: sumtibusq; aliis & profusionib. in ludos, pōpas, epulas omniū priorū superauit munificentiā: usq; adeò mouit populū, ut nouos magistratus, nouos honores quisq; quæreret, quib. illum remuneraret. Ex prætura aūt prouinciā sortitus Hispaniā, cùm res ei difficili in loco cum creditorib. esset importunis profecturo, ꝑbrisq; incessentib. ad M. Crassum confugit ditissimum ciuitatis: qui, quò resisteret Pōpeij actionibus, Cęsaris quęrebat acrimoniā & ardorem sibi adiungere. Atque ubi hic creditores in se recepisset molestissimos & durissimos, & centies nonagies nouies H-S. pro eo intercessisset, tum est in prouinciam profectus. Plutarchus in Cæsare.

CLAVDIVS, qui postea Caio successit in imperio, priuatus adhuc, sestertiū octogies ꝑ introitu noui sacerdotij coact⁹ impēdere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut quū obligatā ærario fidē liberare non posset, in uacuum lege prædiatoria uenalis pependerit sub edicto præfectorū. Sueton.

EQVITE Romano quodā defuncto, cōpertum est, illū tantū habuisse æris alieni, ut summa ducēties H-S. excederet: idq; dum uiueret, celauerat. Quum igitur res illius auctioni subiicerentur, ut ex pecunia creditorib. satisfieret: Augustus iussit sibi emi culcitrā illius cubicularē: ac mirantib. hoc præceptum: Habenda est (inquit) ad somnū mihi cōciliandum illa culcitra, in qua ille tāto ære alieno obstrictus, somnum capere potuit. Nā Augustus ob ingentes curas sæpe maximā noctis partē ducebat insomnem. Macrob. lib. 2. c. 4. Saturn.

VAL. Cato, nobilis grammaticus, qui multos docuit nobiles, ad poeticen maximè idoneus, ad extremā uixit senectutem in summa pauperie, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana uilla creditoribus cesserat: ut auctor est Bibaculus apud Suetonium de illust. Gram. cap. 10.

VITELLIVS à Galba in Germaniam inferiorem missus, creditorum quidem præstolantium ac detinentium turbam, & in iis Sinuessanos, Formianosq;, quorum publica uectigalia interuerterat, non nisi terrore calumniæ amouit: cùm libertinò cuidā acerbius debitum reposcenti iniuriarum formulam, quasi calce ab eo percussus, intendisset, nec aliter quàm extortis quinquaginta H-S. remisisset. Suetonius.

C. GALBA, Sergij Imp. frater, attritis facultatibus urbe cessit: prohibitusq; à Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, uoluntaria morte obiit. Suetonius.

[redacted]

Viatico comparando.

VITELLIVS à Sergio Galba Imp. in inferiorem Germaniam missus, uiatico caruit, tanta egestate rei familiaris, ut uxore, & liberis, quos Romę relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret: utque ex aure matris detractum unionem pigneraucrit ad itineris impensas. Suetonius.

THEODATVS Italiæ rex ad Iustinianum Imp. legatum misit AGAPETVM pontificẽ summũ. Nec tamẽ illum cõmeatu iuuit: ut ille uasa aurea argenteaque, ex beati Petri sacrario sumta, fœnori subiicere, quò pecuniã ab usurariis acciperet, sit coactus. Cranzius lib. 3. Sueciæ cap. 24.

CAROLVS VIII. Gallorum rex iuuenili consilio regnũ Neapolitanum inuasurus, summa laborabat pecuniæ difficultate, & nisi quasdam gemmas, quas tum ab Sabaudiæ duce, tũ à Montisferrati domina, quam Marchesiã, siue Marchesanã uocãt, tũ ab aliis aulæ principibus mutuò acceperat, oppignerasset, in Italiã transire non potuisset. Guicciard. lib. 1.

Funeris sumtu.

EPAMINONDAS Thebanus cùm è suo nihil haberet, unde funus duceretur, publica impẽsa tumulatus est. Iustinus l. 6.

Regio imperio propter nimiã Tarquinij superbiam finito, cõsulatus initium P. VAL. Poplicola cum Iunio Bruto auspicatus est: ideq; postea tres cõsulatus acceptissimos pop. Rom. gessit, & plurimorũ ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificauit: cùm interim fastorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarũ quidem impensam sufficiente, decessit, ideoq; publica pecunia ductæ sunt. Abunde patet quid uiuus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit. Val. Max. lib. 4. cap. 4.

M. MENENIVS Agrippa, quem senatus & plebs pacis inter se faciendę auctorẽ elegit, arbiter publicæ salutis, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturę honore caruisset. Cuius ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti hodie quoque amplissimum est patrimonium, Romana concordia. Val. lib. 4. cap. 4.

P. SCIPIONI funus de publico exolutum, ob rei familiaris angustias. Pontanus lib. 2. cap. 6. de Fort. domest.

SCIPIO Suarius tam egenus fuit, ut asses populus in funus eius uiritim conferret. Plin. lib. 2. cap. 2.

CASSIVS Seuerus orator illustris sub Tiberio, adeò pauper defunctus est uita, ut uix eius uerenda panno tegerentur. Sabellicus libro 1. Ennead. 7.

In CODRVM Georgius Buchananus Scotus sic lusit:

Ille senex ciuis, rigidiq; exemplar honesti,
Codrus, heri paruo conditus est tumulo.
Sed neq; funereæ præcessit nænia pompæ,
Pensilibus signis nec nituere faces:
Lurida nec pullam sumsit cognatio uestem,
Tinnula nec mœstos æra dedere sonos:
Funera nec densæ celebrarunt organa turbæ,
Præfica nec luctum sollicitauit anus:
Vix datus est tumulus. Codrum si rère fuisse
Fortè Lutheranum, fallere. Pauper erat.

[redacted] QVANDO- quidem urgente pau[redacted] acqui- ruitur, uel [redacted] HONESTIS RATIONIBVS [redacted] indignis, quibus ad quæstum abutare. Vt puta [redacted]

[redacted] pauperta[redacted] perció prof[redacted] cogeretur.

[redacted] inopiæ causa scribere cœpit. Sic ipse de seipso: —Hic postquam me dimisere Philippi [redacted] pennis, in op[redacted] fundi, paupertas impulit auda[redacted] Vt uersus facerem.

[redacted] *Liberalitate aliena.*

[redacted] uirginẽ regni hæredem [redacted] regno offe[redacted] puella, [redacted] uentum est ad sym[redacted] didum, tollutim gra[redacted] auratos dono puellæ [redacted] monile: Io. Vattembergus [redacted] pu- reas, & holosericas: om[redacted] de suo contulerunt, aut mutuò à mercatorib[redacted] ga ti occultè cum Regina Sp[redacted] humanissimè cõplexus [redacted]

nurũ retenturus, aut remissurus. Ambo dein parẽtes pariter Ioannẽ filium accersunt, eumq; rogant, an ei sponsa placeret. Quo annuẽte, illam ei statim, auspice Ioanne Coloniensi Archiepiscopo, desponderũt. Nuptiæ ibidẽ Spirę, simulq; solennia principatus, quæ fieri per uexillorũ traditionẽ solent, à Cæsare celebrata: inde Germaniæ præsulibus, hinc principib. ac proceribus, thronũ illius circumstantib. Cum exercitu inde Boemiã ingressus Ioannes, capta Praga, Henricum in Carinthiam redire compulit. Dubrauius lib. 19.

Sordidis rationibus, Mechanico exercitio.

Consule locum Mechanicorum artificum, quatenus sordidum quæstum habent iunctum, propter quem Cerdones, ἀπὸ τῶ κέρδους, dicuntur.

RVTHA Moabitis, Noemin socrum suam spicilegio sustentauit. Ruthæ 2.

Euripidis mater tragici CLITO lucellum faciebat uendendis oleribus. Plinius.

CLEANTHES Stoicus, Planij filius, ex Asso ciuitate Troadis natus (qui Zenonis Cittiei scholæ successit, & eam postea Chrysippo Solensi reliquit) dieb. aduersus ignorantiã, noctibus aũt aduersus paupertatẽ depugnauit. Nã inopia cogente, ex puteis ad irrigãdos Atheniensium hortos, noctu aquã hauriebat, qua mercede liberalib. studiis interdiu uacabat. Ea demũ, quæ à Zenone suo pręceptore mente conceperat, boum ossibus & testis fictilibus inscribere solebat, cùm pecunia non suppeteret ad emendam papyrum. Laertius.

PLATO Aristonis filius, paupertate pressus, in militiam profectus est, ut uictum sibi pararet. At persuasus à Socrate, uendidit arma, animum mutauit: eiusq; suasu ad philosophiã se contulit. Aelianus lib 3. de Varia historia.

CALLIAS Atheniensis comicus, filius Lysimachi, ob paupertatem Schœnion dictus, quòd τὰ σχοίνια, hoc est funes torqueret. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthropologiæ.

ACCIVS Nauius augur, cùm propter artis suæ præstantiam non tantùm à Tarquinio Prisco, uerùm etiam ab aliis quãpluribus adamaretur, & diuitijs ornaretur, ad tantam paupertatem postea peruenit, ut sues pascere cogeretur. Cicero libro primo de Diuinatione.

ATTILIVM Calatinum, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad imperium pop. Rom. suscipiendũ, semẽ aspergentem uiderunt. Sed illæ rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabilierũt, ingentes hostiũ copias pessunderunt: quęq; modò arantium boum iugum rexerãt, triumphalis currus habenas retinuerunt. Nec fuit iis rubor, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Attilius: sed multo magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini, anxia diuitiarum comparatio. Val. lib. 4. cap. 4.

Eiusdem nominis & sanguinis ATTILIVS Regulus (à ferendo Seranus dictus) primi Punici belli gloria, cladesq; maxima, cùm in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris uictoriis cõtunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognouisset: Consulib. scripsit, uillicum in agello, quem septẽ iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse: occasionemq; nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento discessisse: ideoq; petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro nõ esset unde uxor ac liberi sui alẽtur. Quæ postquam Senatus à Coss. accepit, & agrum Attilij illico colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis prębeti, resq;, quam amiserat, redimi publicè iussit. Tanti ærario uirtutis Attilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit. Val. lib. 4. cap. 4. Front. lib. 4. cap. 3. Plin. cap. 40. de Viris ill. Liuius.

DION Prusiæus sophista, dum Domitiani tempora fugeret (quo imperante, philosophia exulabat) uictus gratia opus in agro factitauit. Philostratus in Sophistis.

AETIVS medicus, ex Antiochia Syriæ oriundus, Constantini Magni temporibus, pauper ab initio, aurificinam ob inopiã exercuit. Eius uitam describit Eunapius Græcus auctor. Volater. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

CONSTANTINVS VI. Imp. à Romano Lacapeno socero & tutore ita pressus est, ut arte pingendi uictum comparare fuerit coactus. Sigebertus.

TVRPIBVS, INHONESTIS modis. In *Genere.*

THEOGNIS in paupertatẽ malesuadã his uerbis inuehitur:
ἆ δειλὴ πενίη, τί ἐμοῖσιν ἐπικειμένη ὤμοις
σῶμα καταισχύνεις, καὶ νόον ἡμέτερον;
αἰσχρὰ δέ μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ, καὶ πολλὰ διδάσκεις,
ἐσθλὰ μετ' ἀνθρώπων καὶ καλ' ἐπιστάμενον.
Heu improba paupertas, cur meis incumbens humeris corpus deturpas, & mentem nostram? Turpia autem me uel inuitũ multa doces, bona ab hominibus & honesta edoctũ.

Prostitutione, Lenocinio.

Consule Tit. Lenonum, Meretricum, Pathicorum, quatenus mercede ad hæc facinora adducuntur.

DOMITIANVS Imp. pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia, tãtaq; infamia gessisse fertur, ut nullũ uas argenteum in usu haberet. Satisq; constat, Clodium Pollionem prætorium uirum, in quem est poema Neronis, quod inscribitur Luscio, chirographum eius conseruasse, & nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicentis. Suetonius.

Adulatione.

Hi propriè Παράσιτοι à Græcis dicti, gulæ causa se diuitibus assentantes, propter quæstum. Eosdẽ Κόλακας uocari Arist. testatur, si quæstus causa adulentur. Sin solo bene placendi studio, Ἄρεσκοι appellantur.

ALIENATIONE, OPPIGNERATIONE, Venditione rerum carissimarum.

Electo tyranno Dionysio, cùm Syracusas denuò colonos misissent Corinthij, tã pauperes erant SYRACVSANI, ut etiã statuas tyrannorũ uenundarent. Ferebatur de unaquaq; suffragiũ, instituebaturq; accusatio, sicut hominũ, à quib. ratio reposcitur rerũ gestarũ. Referunt aũt nonnulli Gelonis prisci tyrãni statuam Syracusanos damnatis aliis conseruasse: uictoriæ causa, qua apud Himeram fuderat Pœnos, illum celebrantes atq; honorantes. Plut. in Timoleonte.

Cùm FAVSTVS dictatoris Syllæ, qui multos proscripserat, filius, ære alieno obrutus, re familiari magna ex parte dissipata bonorum auctionem proscripsisset: Hanc, inquit Cicero, proscriptionem malo, quàm paternam. Plut. in Cicero.

M. Pompilius ANDRONICVS grammaticus, qui multa cõposuit, adeò inops atq; egens, ut coactus sit præcipuum illud opusculum Annalium elenchorum XVI. millibus nummũm cuidam uendere: quos Orbilius n ictus, magno auri pondere redemisse se dicit. Suetonius cap. 7.

A. VITELLIVS à Galba inferiorem Germaniam prouinciam adeptus, tanta fuit egestate oppressus, ut quia uiaticum deerat, ex aure matris detractum unionem impigneraret ad itineris impensas, domumq; suam locaret, positis liberis suis cum uxore in meritorium cœnaculum: uixq; à creditoribus abire dimissus est. Suetonius.

BALDVINVS, Roberti Altisiodorensis F. Græcorum Imp. ab Imperatore Exagonarũ Põtico, & Io. Lascari Adrianopolitano Imp. obsessus Constãtinopoli (ut Cuspinianus & Egnatius uolunt) uel certè (quod Aemilio placet) ut socerũ suum Ioannem regẽ Hierosolymitanũ re numaria bellumq; Græcum iuuaret, cùm aliter pecuniã à mercatorib. consequi nequiret, plumbum ædibus publicis & basilicarum culminib. detractũ uendidit: & filium Philippum, ob accepti æris mutuum, Venetis obsidem dedit, ut opem afferrent, quã solam poterant. Ad hæc adiecit preciosissima pignora, lanceã, qua Saluator uulneratus, spõgiam qua potatus fuerat, cum magna sanctæ crucis parte. Quæ pòst Ludouicus Francorũ rex Balduino assentiente à Venetis redemit, atq; in Franciam uixit. Veneti missa uigintiquinq; triremium classe, urbẽ obsidione liberarunt. Cuspinianus, Egnatius lib. 7. c. 6. Aemil. lib. 7. Blõdus lib. 7. Dec. 2. At Sabellicus paulo diuersius: Platina, inquit, Venetarũ rerum non testis, sed hostis, Balduinũ scribit pecuniæ inopia filium Venetis oppignerasse, uendidisseq; illis plumbeas templorum tegulas, lanceam & spongiam dominicæ passionis. Verùm Brugensibus mercatoribus, non Venetis, ut Platina scribit, filius ab eo pecuniæ inopia oppigneratus, Venetiisq; ab his depositus, aliaq; ornamenta urbis ab eo egestate alienata. Sabell. lib. 6. En. 9.

LVDOVICVS Bauarus Imp. libertatem uendidit (ut ferunt) ciuitatib. Italiæ uili nimis precio. Florentini sex millia nummũm aureorũ soluẽre. CAROLVS deinde IV. Imperator uiscera Imperij per Germaniã exhauriens, ut filio suo Venceslao regis Rom. titulum se uiuo cõciliaret, principes Electores promissis induxit, cuiq; centũ millia aureorum pactus, pignoris loco tradens uectigalia Imperij ad confinia ditionis cuiusq; collocata. Idem sedecim in Sueuia urbes, sine medio recognoscentes Imperium, uendidit uicinis principibus. Aliæ quatuordecim cõspirarunt inuicem, ne in morem pecudum uenales exponeretur. Imperator unã ex eis nisus est expugnare ad terrorẽ ceterarum: cetere ad arma cõcur- [redacted] Tum quoq; nonnulli ex his sal- [redacted] VENCESL[redacted] Cæsar non [redacted] sed dominans quod [redacted] ad Roman[redacted] IOANNES [redacted] Cardinalis, exul Romę, cum obsonatores pecunia deficeret, necesse aliquando habuit abaci argẽ-

tea pocula in macello & foro piscario relinquere. At idem postea ad põtificatũ ascẽdit, Leo X. dictus. Iouius lib. 2.

VECTIGALI INSTITVENDO.

CAROLVM Magnum propter bellorũ assiduitatem, res ecclesiasticas laicis tradidisse, luo indicat. Et CAROLOMANNVS in edicto suo inquit: Hoc quoq; consensu mystarũ & populi Christiani sciuimus, ut propter crebra bella, & ferocissimarũ gentium, quib. undiq; cingimur, assiduas in nos incursationes, pars Ecclesiasticę pecuniæ, nẽpe duodeni denarij, quem solidum uocamus, cõtribuantur mihi, quo militibus nostris præmia condigna laborib. soluantur. Auentinus lib. 3. Annalium. CAROLVS Martellus militib. stipendiariis decimas Ecclesiarum, cum consilio episcoporum, cõcessit. Erphordiensis cap. 64. & Martinus in Chronico.

HENRICVS III. Anglorum rex, auitũ regnũ ciuili bello ac dissensionib. uastatũ, opibus spoliatũ, atq; propè cõfectum adeptus, cùm rei domesticæ inopia pressus, nõ posset uitam regalem decenter degere: principes excogitato nouo uectigalis genere, ut pro sua quisq; parte regẽ suum ea indigẽtia leuarẽt, anno 1219. ultrò cõcesserunt, ut quoties quispiã eorum, qui possessiones haberent, quarũ rex esset dominus, antè moreretur, quàm liberi, quos fecisset hęredes, uigesimum alterũ agerent annum, tũ eatenus tã ipse hæres q̃ patrimonium in potestate atq; tutela regis foret, & ille patrimonij huiusmodi uectigalia caperet, quoad hæres ad eam ętatem perueniret. Quia apud Anglos, more maiorum peruetusto, conseruandarũ facultatum causa, filius mas natu maior fit solus hæres, uel filiæ, si mares liberi nulli sunt. Egit rex gratias omnib. generatim pro munere, ac ut ne id humanitatis in obliuionẽ iret, deinceps istiusmodi nobiliũ hæredũ tutelas, ut rẽ sibi ualde utilẽ, accuratissimè suscepit. Sed illud beneficium nequaquã ipsis nobilib. postremò bono fuit, quãdo cæteri reges, qui secuti sunt, non habita ratione, quòd à principibus olim in Henricum duntaxat collocatum fuisset, ut qui pauper esset decentius personam regiam per illud sustineret, sibi etiam perpetuatum uoluerunt. Polyd. lib. 16.

MVTVO ACCIPIENDO.

Cùm Galli sub Carolo Martello uictis Saracenis propter crebra & longinqua bella grande æs alienũ contraxissent, Carolus suasit pontificib. sinerent cleri decimã, quandiu bella aduersus Christi hostes gererentur, proceribus: quàm sanctè iuratus, si uiueret, magnificè omnia clero repensurum. Crãzius lib. 4. Sueciæ cap. ult.

[redacted]

AERE ALIENO CONTRAHENDO.

Plutarchus in libello, de Non fœnerãdo scribit, PERSIS duo fuisse peccata: primũ debere, proximũ mentiri. Nam ea iudicabant cohærere, quòd qui sunt obærati, sæpius cogantur mentiri. Item Herodotus libro primo.

C. CVRIO tribunus plebis sexcenta æris alieni sestertia debuisse fertur. Valerius Maximus.

M. ANTONII Triumuiri pueritiam, alioqui haud prauè institutam, Curionis familiaritas corrupit. Is enim homo, uoluptatis mancipium, quo magis sibi obnoxium haberet Antonium, in potationes, scortationes, sumtusq; graues & luxuriosos Antonium coniecit, adeò ut præter ætatis rationem sexagies sestertiũm æris alieni conflarit. Plut. in eius uita.

T. Annium MILONEM sestertiũm septingenties æris alieni debuisse, inter prodigia animi humani ducit Plin. lib. 36. c. 15.

AGRIPPA, Herodis Magni nepos ex Aristobulo F. Romę immodica profusione ad summam redactus fuit inopiam, ita ut præ paupertate in Iudeã rediens, Tiberiade Herodis sumtibus sustẽtatus fuerit. Anthedone ab Herennio Cęsaris procuratore propter debitũ satisdare iussus, intẽpesta nocte abiit Alexandriã, & ibi ducenta argenti millia ab Alexandro Alabarcha mutuò accepit: qui tamẽ non ipsi se mutuaturũ professus est, sed Cypro uxori eius, coniugalem amorem in ea admiratus & uirtutes cæteras. Fideiussit illa: & mox Alexãder quinq; talẽtis Alexãdriæ repræsentatis, reliquã summã Puteolis se exhibiturũ promisit, Agrippæ profusionẽ uerítus. Agrippa Capreis Tiberiũ cõuenire uolebat. At Cæsar receptis literis ab Herennio, quòd Agrippa trecentis millibus mutuò sumtis, nec ad constitutum tẽpus persolutis, de reddendo admonitus, fuga se è subiectis ipsius procurationi locis proripiens, exigendi facultatem ademisset, ægrè tulit: mandauitque cubiculariis, non prius admitti hominem, quàm persoluto debito. Ille ab Antonia Germanici & Claudij postea principis matre petiit mutuò trecenta millia, ne periclitaretur de amicitia Cæsaris. Quæ memor Berenices huius matris cõsuetudinis (familiariter enim ea fuerat usa)

simulq; educatũ fuisse ipsum cum suo Claudio, præbuit ei pecuniã illam: adeoq; conciliatus est Cæsari, ut is nepotem suum cõmendaret Agrippæ, mandaretq; ut progedientem semper comitaretur officij gratia. Hoc beneficio deuinctus & deditus Antoniæ, cœpit Caium nepotẽ eius colere, gratiosum apud oẽs & honoratum ob parentis memoriã. Erat ibi fortè Allus Samarita libertus Cæsaris: ab eo mutuatus decies cẽtena millia, debitũ Antoniæ reddidit: reliquũ materiã habuit demerẽdi Caium officiosiùs. A quo tandẽ, mortuo Tiberio, regnũ cõsecutus est. Iosephus lib. 18. c. 8. Antiq.

M. OTHO luxu & deliciis à prima ætate profligatus, bis millies H-S. æris alieni debebat. Et propterea à Galba non adoptatus, contra eum conspirauit. Plut. in Galba.

PETRVS cardinalis à Xysto IIII. põtifice max. ad eam dignitatem euectus, tam prodigus fuit, ut ducenta aureorum millia consumserit, breuiq; tempore LX millia æris alieni contraxerit. Volat. lib. 22. Anthrop.

STIPE. MENDICI.

Pandemios Homerus mendicos dicit, Porphyrio interprete, qui tota nagantur urbe, non una contenti domo. Cæl. lib. 14. cap. 4.

Populi.

Arte & astutia insignes sunt illi, quos Itali CÆRETANOS, à Cæreto Vmbriæ oppido appellant, qui pro honesta arte habẽt summa cũ proteruitate mendicare. Itaq; quotannis circa æstatem extremã, ingens turba, fallaciis tantùm more patrio armata, facto agmine, Cæreto se mouet, in omnesq; Italiæ partes effundit, pecuniã undecunq; corrasura. Vnde fit, ut quicunq; apud ipsos Italos tales faciunt turpes quæstus, Cæretani nuncupentur. Polyd. lib. 7. cap. 7. de Inuent.

Lucianus de Dea Syria librũ scripsit, in quo tradit se uidisse in Syria statuã in tẽplo deæ multiformẽ, quæ quidem esset Iuno, haberet tamen aliquid Palladis, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemeseos, & Parcarũ, quæ altera manu tenebat sceptrũ, altera fusum, in capite radios ferebat, & ignẽ, & ceston: & deniq; demonstrat deã Syriam esse numen unũ, quod uariis nominib. uocaretur, cuius sacerdotes crotala pulsabant, cui Galli sacrificantes, secabãt brachia, multi tympana percutiebãt, alij diuina cantica concinebãt. In sacris deæ quibusdã iuncturas manuũ & ceruices stigmatib. notabant. Inde Assyrij omnes notati uisuntur. Durat adhuc superstitiosa fraus in gente: nã nunc non sacerdotes, sed magnus uilissimæ plebis [redacted] stigmatibus notati. Ex quo satis constat, hos esse ASSYRIOS, qui fraudib. & dolis exercitati, ritu sacerdotũ deæ Syriæ, eo mẽdicitatis aucupio uiuũt. Istos Itali CINGAROS uel CILICES uocant, q ex Cilicia, quæ, teste Plinio, Syriæ proxima est, proficiscãtur: alij uerò extra Italiam, Aegyptios nuncupant. Ab iis igitur Syriæ deę sacerdotib. usq; ad nos huiusce fraudis labes peruasit. Polyd. lib. 7. cap. 7. de Rerũ inuent.

Anno sal. 1417. primùm apparuere ad mare Germanicũ HOMINES nigredine informes, excocti sole, immundi ueste, & usu rerũ omniũ fœdi: uiris ex furto feminarũ uictus est. TARTAROS uulgus appellat: in Italia uocãt Cinganos, in Gallia Aegyptios & Saracenos. Ducẽ, comites, milites inter se honorãt: ueste præstantes, uenaticos canes pro more nobilitatis alunt: sed ubi uenentur, nisi furtim, nõ habent. Equos sæpe mutant: maior tamẽ pars pedib. graditur. Feminę cum stratis & paruulis iumento inuehũtur. Literas tũ prætulerũt Sigismundi Imp. & aliquot principũ, ut transitus illis per urbes & prouincias permitteretur innoxius. Ferunt ipsi ex iniuncta sibi pœnitentia se mundum peregrinantes circuire. Sed fabellæ sunt: hominum genus, quod usu compertum est, in peregrinatione natũ, otio deditũ, nullam agnoscens patriã. Ita circuit prouincias, furto uictitãs. Canino ritu degit. Nulla religionis illi cura, in diẽ uiuit. Ex prouincia demigrat in prouinciã. Per aliquot annorum interualla redit: sed multas in partes scinditur, ut nõ iidem in eundem facilè redeãt (nisi per lõga interualla) locũ. Recipiũt passim & uiros & feminas uolentes in cũctis prouinciis, qui se illorum miscent contubernio. Colluuies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, rusticæ plebi grauis imminens: ubi foris illa laborat in agris, hi spoliis inuigilant casularum. Cranzius lib. 11. Saxoniæ, cap. 2.

Reges.

MENELAVS naufragus à Proteo Aegyptio rege emendicat uictum apud Eurip. in Helena:

Κακῶν δὲ θ' ἡμῖν ἔσχατον τοῖς ἀθλίοις,
ἄλλους τυράννους, αὐτὸς ὄντα βασιλέα,
βίον προσαιτεῖν. ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει.

Malorum nobis summũ miseris, ab aliis tyrannis, cùm egomet sim rex, uictum petere: cæterùm necessarium est.

De DIONYSIO Syracusano tyranno, Ouid. 4. de Ponto, & 5. Tristium sic scribit:

Ille Syracusia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Vilia qui quondam miseris alimenta negârat,
Nunc mendicato pascitur ille cibo.

Temporibus nostris PHILIPPVS, Balcariũ regis filius, multorũ sacerdotiorũ quę possidebat cura deposita, eò se uolẽs redegit, ut uno adiutore cõtentus uiueret: atq; ex inopia eã uoluptatẽ capiẽs, quã alij ex magnarũ opũ usu cõsequũtur, ab eo tempore uictum mendicauit. Fulg. lib. 4. cap. 4.

Nobiles.

ALEXIVS nobilis Romanus sub Honorio principe, clã patre Euphemiano in Syriã abiens, in tantũ adamauit paupertatẽ, ut gauderet se à seruis patris, qui ad quærendũ eum missi fuerant, nõ agnitũ fuisse, & eleemosyna donatũ. Ex his, quæ emendicabat, in diẽ uiuens, quicquid sibi supererat, aliis impartiebat, nihil sollicitus in crastinum. Tali uitæ tenore cùm 17 annos in Syria peregisset, tandẽ proditus, Romã rediit, & maioris etiã in paupertate constantię exemplũ domi, quàm foris, dedit. In paternis enim ædibus pro mẽdico susceptus, nec ulli cognitus, nec ipse se prodens, totidẽ peregit annos. Mortuus postremò 16. Cal. Aug. anno 398. indicauit, quod uiuens celauerat, relicto breui chirographo, quo quis esset, quidue egisset, descriptum continebatur. Marulus lib. 1. cap. 8. ex hist. Lombardica, & Sab. lib. 8. cap. 5.

Boethij uxor, Symmachi filia, RVSTICIANA, uiro superstes, capta urbe Roma ab Totila Gothorũ rege, uitæ necessaria ab hoste coacta est emẽdicando quęrere, quæ antea facultates suas egenis munificè fuerat impertita. Cæl. l. 27. c. 22. A. L.

Philosophi.

DIOGENES Cynicus posteaquam inopia compulsus cœpisset mẽdicare, his uerbis solebat aggredi: Si cui alteri dedisti, da & mihi: sin nemini, à me incipe. Significabat se non inferiorem cæteris mendicis: itaq; ut qui daret quibuslibet, daret & Diogeni: qui uerò tam parcus esset, ut nemini quicquã daret, huic tempus esse, ut aliquando dare inciperet. Laert.

Cùm peteret aliquando ab Antigono THRASYBVLVS Cynycus drachmã: Non est regium, inquit, hoc donum. Quo protinus subiiciente: Da igitur mihi talentũ, occurrit: Atqui non est tantum capere Cynici. Plut. de Immodica uerecundia, & in Apophtheg.

De MENDICO quodam Martialis Epigrammatum lib. 4.

Hunc quem sæpe uides inter penetralia nostræ
Pallados & templi limina, Cosme, noui,
Cum baculo, peraq; senem: cui cana putrisq;
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudum tegit uxor abolla grabati,
Cuiq; datis latrat obuia turba cibis:
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme. Quid ergò? Canis.

Poetæ.

HOMERVS cæcus ex peregrinationib. redditus, Smyrnæ primùm, deinde Cumis, tertiò in Phocea paupertatis subleuãdę ergò carmina sua ostẽtabat, & stipẽ ab auscultãtib. exigebat. Item & Sami, comitantibus pueris. Herod. in eius uita.

Sacri homines.

SERVVLVS mendicus paralysi resolutus, cùm se mouere nõ posset, iacebat in carruca sub porticu S. Clementis Romæ, à prætereuntibus uictũ mendicans. Quicquid in diem sibi residui erat, cæteris offerebat, nihil sollicitus in crastinum. Marul. lib. 1. cap. 2. ex Gregorij Dialogis.

GALLIS matris deûm licebat stipẽ à populo poscere, legẽ à Metello lata. Causam Ouid. scribit his uerbis:

Dic, inquam, parua cur stipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait: dandæ mos stipis inde manet.

Cicero in Legibus, sic iubet: Præter Ideæ matris famulos, eosq; iustis diebus, ne quis stipem cogito. Rationẽ addens inquit: Stipem sustulimus, nisi eam quã ad paucas dies propriã Ideæ matris excepimus. Implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. [redacted]

Inter mendicos Christianorũ uel præcipui sunt ANTONIANI, ante pectus T literam pictam habentes, qui D. Antonij nomine, suo tempore porcos recipiunt, qui uicatim ipsi D. Antonio nutriuntur, quòd id animal cum bene multis aliis in eius tutela sit. Polyd. lib. 7. capite 7. de Inuent. rerum.

Quiuis alij.

LAZARVS mendicus, in summis dolorib. probro & egestate mortuus, ab angelis in sinum Abrahæ delatus est. Lucæ 16.

De IRO Homerus Odyssę scribit, cum publicũ fuisse mẽdicũ apud Ithacenses, corpore specieq; pęgrandi, à matre dictũ Arnæum, à iuuenibus Irum fuisse nominatũ, quòd iret nuncius, quò iussus esset. Cum hoc cõmissus Vlysses, cùm haberetur & ipse pro mendico, eiecit hominem.

Cùm Andronicus Comnenus tyrannus, Alexij Porphyrogeniti Imp. interfector, in Manganicis regalibus ædib. esset, HOMO quidam procerus & strabus, alter Irus Homericus, sine domo, diuitũ limina terens, ut frusto panis famẽ sedaret, captus est, cùm intẽpesta nocte iuxta Andronici tabernaculũ uictũ mendicaret. Ab Andronici ministris pro Mago insimulatus, urbanæ plebi præter opinionẽ deditus fuit: quæ spectante Andronico, cum indicta causa, congestis in theatro lignis & sarmentis, in Andronici gratiam exussit. Nicetas.

Sub Michaele Paphlagone Arabes dolo Edessam aggrediuntur. Duodecim primores quingentos camelos adducunt; quorũ singuli duab. arcis onerati duos armatos intus habebant: simulantes se ituros ad Michaelem cum munerib. Petunt itaq; in urbẽ recipi. Interea MENDICVS quidã Armenius, stipẽ ante portas mendicans, cùm audiret quendã ex arca camelo imposita quærentẽ, ubinã esset? urbẽ ingressus, præfecto dolum aperuit. Qui duodecim primores mox conuiuio excepit, ac in urbe detinuit. Ipse cũ suis urbẽ egressus, arcas perrupit, omnesq; armatos occidit. Cuspinianus.

SCURRA quidam à Gallorũ rege stipe accepta, Non ex ęquo, ô frater, mihi contulisti, exclamat. Tum rex, Et quomodo tu frater meus? Ibi scurra, Patrem in cœlis eundem habemus. Rex renidens, Abi ergo, inquit, & à quouis fratrum tuorum stipe accepta, quantam ego tibi contuli, breui tempore me potentia longe superabis. Io. Paulus in Spudopædia.

CAPTATIONE COENARVM.

Sacrarum, Feralium.

Hi βωμολόχοι Græcis proprie dicti uidentur, quasi aris insidiarentur, cibi causa.

In rogũ panem prisci imponebãt, aliaq; ad uitã necessaria tãquam ipsis uesci possent mortui. Illis autẽ rebus ex igne rapiendis insidebant SORDIDI quidã & abiectæ admodũ cõditionis homines. Id indicauit in Iãbo in RVFAM Bononiensem Catullus, cùm mendicitatẽ illius sordesq; declarare uellet: ait enim —sæpe quã in sepulcretis Vidistis ipso rapere de rogo cœnã, Quum deuolutum ex igne persequẽs panem A semiraso tunderetur ustore. Victorius lib. 21. Var. lect. c. 9. Apud Terẽtiũ Gnatho è flãma cibũ petitur dicitur.

Quarumuis aliarum.

Qui propria ob egestatẽ non possunt, aliena uiuere quadra student, & huius sunt loci. Hinc qui uel auaritiæ uel gulæ causa hoc faciunt, inter Auaros & Gulosos referendi.

Μυκονίων δίκην, i. MYCONIORVM more dicebantur ad conuiuiũ accedere, qui ultro uenirẽt non uocati. Myconus una Cycladum est: ipsa gens ob rerum inopiam cogebatur sese conuiuiis ingerere: unde iocus prouerbialis. Eras. in Adag.

Exactione, Rapina.

Consule Tit. Prudentiæ & Astus in parandis stipendiis.

Furto.

Vide Titulum, Furum, Prædonum.

INOPIAE ADIVNCTIS. OB PAVPERTATEM

Malè educati.

Aristidis Atheniensis indigna paupertas, partim LIBERORVM suorũ ad pręstigiatrices tabulas redegit, partim ad stipẽ publicè accipiendã adegit ob inopiã manus porrigere: nemini uerò facultatẽ rei ullius preclaræ aut ex ipsius dignitate gerendæ permisit. Plut. in Aristidis & Catonis comp.

Contemti.

THEOGNIS ob paupertatem se despici conqueritur:

εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι, Σιμωνίδη, οἷά περ ἤδη,
οὐκ ἂν ἀνιῴμην τοῖς ἀγαθοῖσι συνών·
νῦν δέ με γιγνώσκοντα παρέρχεται, εἰμὶ δ' ἄφωνος
χρημοσύνῃ, πολλῶν γνοὺς ἂν ἄμεινον ἔτι.

Dignitate deiecti.

Fertur CLAVDIVS laudasse eos, qui ob rei familiaris angustiam senatorio ordine sponte cessissent. Alex. lib. 4. cap. 1.

PAVPERTATIS ΦΥΛΑΚΗ. PAVPERTAS

SERVATA, NON DEPVLSA. PVTA

Thesauri non inuenti.

Inualuerat aliquãdo fama apud uulgus ATHENIENSIVM, in Hymetto mõte magna auri fragmẽta uideri, quæ à formicis illis pugnacibus seruarentur. Itaq; quidã creduli sumtis armis exierũt illas expugnaturi. Qui quũ re infecta, frustráque sumto labore redirent in urbẽ, irrisi sunt à cæteris ciuibus, illud obiectantibus, σὺ δὲ ὤν χρυσοχοήσειν. i. Tu credebas te fusurũ aurũ. Meminit huius rei Eubulus in fabula Glauco:

Ἡμᾶς ποτ' ἄνδρας Κεκροπίδας ἐπείσαμεν,
Λαβόντας ὡς ὅπλ' εἰς Ὑμηττὸν ἐξελθεῖν ὅπλα,
Καὶ σῖτον ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν,
ὡς χρυσοπώλου ψήγματος πεφηνότος. id est;

Quondam uiris nos Cecropidis persuasimus,
Sumtis ut armis montem Hymettum incurrerent,
Contraq; formicas cibaria tridui
Ferrent, uelut fragmentula auri fusilis Apparuissent.

Erasmus in prouerb. Aurificem te futurum credebas.

Beatus Rhenanus l. 3. Rer. Germ. de PAVPERE scribit, qui in summa difficultate annonæ cryptam Augustę Rauracorum subierit, spe thesauri inueniendi. Verùm ultrò citroq; frustra uagatus, incidit tandem in mortuorum ossa: & uehementer attonitus, exanimis concidit. Recollectis mox uiribus, uix tandem egressus, tertio die pòst expirauit. Stumpsius.

NON SERVATA, DEPVLSA, ABIECTA.

Ex contrario loco Opum acquisitarum illustretur. quãdoquidem ea est Opulentiæ & Inopiæ natura, ut depulsionem unius excipiat alterius positio.

ANNONAE CARITAS, DEFECTVS SVBLATVS.

Λιμοῦ πεδίον, id est, Famis campus, in ciuitates dicitur, ingenti fame pressas. Est autem locus quispiam hoc nomine. Addunt, cùm aliquando illic summa fame laboraretur, apud ATHENIENSES oraculum admonuisse, ut famem, loco designato, certis piaculis placarent. Illi designarunt campum, qui est post ærarium. Atque hinc eum locum, Famis campum appellant. Erasmus in Adagiis.

SICCITAS DEPVLSA.

HALIARTVM agrum laborasse quondã siccitate, ob summã aquarum penuriam, memorant. Virum eo tempore unum de primoribus Delphos uenisse ad consulendum, qua ratione aqua inueniri posset. Respõsum accepisse, ut qui primus Haliartũ redeunti obuius factus esset, illum occideret. Quare cùm primus ei filius impubes Lophis occurrisset, nihil cunctatum stricto gladio puerum percussisse: illũ adhuc spirantem huc illuc cursitasse. Vbicunq; uerò humi fusus esset cruor, inde aquas è terra erupuisse. Ex eo fluuium Lophin nomen accepisse. Pausanias in Bœoticis.

Cùm diuturna siccitate GRÆCIA laboraret, ac non minùs reliqua, quæ extra Isthmum est, Græcia, quàm tota Peloponnesus, cœlestium aquarum penuria affecta esset, missi Delphos sunt, qui ex oraculo calamitatis causam ac remedium cognoscerent. Ibi respondit Pythia, Iouem placandum: utendũ uerò, modò ut uelit obsequi, Aeaco deprecatore. Ex eo itaq; responso missi ex singulis urbibus ad Aeacum, ut deprecationem susciperet, oratum. Ille Panellenio Ioui sacris ritè peractis, & uotis nuncupatis, imbrium Græciam cõpotem fecit. Ad rei memoriam legatis Aeginetæ statuas posuerunt. Pausanias in Corinthiacis.

BOEOTORVM terra cùm unum & alterum annum nullis imbribus irrigaretur, è singulis ciuitatibus Delphos missi sunt, qui opem implorarent. His siccitatis remedium exposcentibus, Pythius Apollo imperauit, ut Lebadean uenientes à Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadean itaq; profecti, cùm oraculum reperire non possent, Saon quidam Acræphniensis, collegarum natu maximus, cùm apum examen cõspexisset, quocunq; illæ diuertissent, sequi statuit. Vbi igitur eas ad specum quandam aduolantes uidit, & ipse subiens, oraculũ, quod quærebant, illud esse intellexit. Saonẽ hunc cùm ea, quorũ causa missus fuerat, tum sacrorum omnem ritum, & quæ inter consulendum fieri fas est, edoctum a Trophonio memorant. Pausanias in Bœoticis.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Ἄρθρα. Vide *signum* I.
- Κτήσεως. Quo ad
  - Φυλακήν. NOMINA
    - Conseruata.
    - Mutata.
- NOMINA, *Pronomina, Cognomina, Agnomina, Tituli, Epitheta, & similia. De quorum agemus*
  - Κτήσεως. NOMINVM usus
    - Est, *respectu*
      - Personarũ. NOMINA
        - Regum. Senatorum.
        - Familiarum. Mulierum.
        - Nobilium. Seruorum,
        - Libertorum.
      - Numeri. *Nam unus & idem uel*
        - Pluribus *nominibus utitur.*
        - Vno *nomine contentus est.*
      - Qualitatis,
        - Rerum *conuenientiæ:*
          - Conuenientia *facti sui.*
          - Falsa.
        - Adiuncti:
          - Honorifica.
          - Ignominiosa.
      - Cõmunicationis. NOMINA *communicata alijs, uti*
        - Hominibus. Tribũbus.
        - Regionibus. Insulis.
        - Mari, *Flumnibus.* Vrbibus.
        - Ædificiis, *Turribus, Domibus.*
        - Mensibus.
    - Nõ est. NOMINIBVS *alij*
      - Carent *uniuersim.*
      - Abstinent, *uel priuata uoluntate uel publica auctoritate, siue causa*
        - Peregrinitatis.
        - Libertatis.
        - Modestiæ.
        - Infamiæ.
        - Religionis.
- Vocalia. *Ad quem locũ pertinent*
  - Articulata, *edita uel*
    - Consultò
      - Emissa. Vox *Vita hominis, nota existens uel*
        - Cognitionis *rei alicuius*
          - Præsentis: *ut*
            - Socij
              - Militiæ, *Commilitonis Tessera bellica.*
              - Coniurationis: *Tessera coniuratorum.*
            - Statuæ *præstantis.*
          - Futuræ
            - Calamitatis.
            - Felicitatis.
          - Præteritæ
            - Orationis.
            - Cædis.
            - Cladis.
        - Actionis *siue Passionis eorum quæ fieri*
          - Debent. *Officij*
            - Regum, *Principum.*
            - Militum.
            - Athletarum.
            - Sacrificantium.
            - Conuiuantium.
          - Non *debent. Vox deponentiæ*
            - Iracundiæ.
            - Pusillanimitatis.
            - Temeritatis.
      - Scripta. *Huc*
        - Literæ, *Epistolæ.*
        - Inscriptiones.
    - Non *consultò.* Vox *Temerè, fortuitò, uel*
      - Missa.
      - Accepta.
  - NON ARTICVLATA *Hominis.*
- Realia, *ut sic loqui liceat.* Nempe INSIGNIA, *Signa, Monumenta. Vide in sequentibus signum* II.

I. NOMI-

- Quæ *nomina confiderata*
  - Perſe. TVTELI, *Nomina, Cognomina, quæ & quæ lia impoſita: utputa*
    - Dei. Mentis. Sancti, *Diui.* Seruatoris.
    - Boni, *Optimi.* Iuſti, *Pij.*
    - Magni, *Maximi.* Felicis. Chriſtianiſsimi.
    - Catholici. Defenſoris *fidei.* Eloquentis.
    - Philoſophi. Audacis. Caſti.
    - Infantis. Primi, *Vltimi.*
    - Patris. Patris *patriæ.* Conditoris.
    - Liberatoris. Euergetæ, *Benefactoris.*
    - Socij, *Amici.* Imperatoris. Auguſti.
    - Regis. Ducis *bellici.* Domini. Clari.
  - Reſpectu *aliorum, à quorum nominibus transferuntur. Nempe* NOMINA *impoſita alijs*
    - Deorum. Regum. Heroum. Parentum.
    - Hoſtium. Amicorum. Meretricum.
    - Animalium
      - Auium. Quadrupedum.
      - Serpentum.
    - Aſtrorum. Meteororum. Arborum.
    - Armorum. Nauium.
- I. Nouerunt *acquiſitio, impoſitio, Tres*
  - Animi. PASSIONES
    - Eruditionis, *Sapientiæ.* Ignorantiæ. Eloquentiæ.
    - Pronunciationis *ineptæ.* Linguæ *peritiæ.*
    - Vaticinij. Studij *literarij.* Scriptorum.
    - Memoriæ *bonitatis.* Imitationis. Probitatis *in genere.*
    - Prudentiæ. Conſilij. Fraudis, *Doli.* Fortitudinis *bellicæ.*
    - Tolerantiæ *malorum.* Caſtitatis, *Pudoris.*
    - Libidinis, *Impudicitiæ.* Liberalitatis, *Magnificentiæ.*
    - Prodigalitatis. Auaritiæ. Superbiæ. Clementiæ.
    - Seueritatis. *Crudelitatis.* Libertatis *nimiæ.*
    - Pollicitationis *uanæ.* Adulationis.
    - Curioſitatis. Inconſtantiæ. Scurrilitatis.
    - Inhumanitatis, *Moroſitatis*
    - Popularitatis, *Comitatis.* Humanitatis.
    - Sanctitatis.
    - Pietatis *erga*
      - Deum, *Religionis.*
      - Patrem.
    - Perfidiæ.
    - Dicti *alicuius insignis uel*
      - Sui.
      - Alieni.
    - Facti *insignis.*
    - Curæ. Iræ. Metus, *Timoris.* Fugæ.
    - Riſus. Deſiderij. Taciturnitatis. Voti, *Precum parentum.*
    - Mechanici *exercitij.*
  - Cur *indita. Imponuntur* NOMINA *tanquã notæ bonorum malorumue*
    - Corporis, *tum*
      - Primarium in
        - Toto. *Nomina indita reſpectu*
          - Ortus. A *partus*
            - Modo. Voto.
            - Tempore.
          - Expoſitionis.
          - Conſeruationis *uitæ.*
          - Nutritionis, *Educationis.*
          - Roboris. Celeritatis.
          - Staturæ. Habitus *corporis.*
          - Coloris *corporis.* Pulcritudinis.
          - Formæ *ſimilis.* Mortis.
        - Parte. *Puta reſpectu*
          - Capitis *figuræ, affectus.* Aurium. Frontis, *Faciei,*
          - Oculorum. Superciliorum. Naſi.
          - Oris. Labiorum, *Malarum.*
          - Linguæ. *Dentium.* Capillorum, *Barbæ.*
          - Mammarum. Articulorum. Manuum.
          - Femoris, *Genu, Pedum.* Sputi. *Excrementi.*
      - Secũdariorum, *uidelicet*
        - Alimentorum.
        - Veſtimentorum.
    - Fortunę, *tum*
      - Diuitiarum. Theſauri. Poſſeſsionis.
      - Paupertatis. Viduitatis.
      - Imperij
        - Sacri, *Pontificatus.*
        - Profani.
      - Victoriæ. Amicitiæ. Inimicitiæ, *Odij.*
- Quibus. NOMINA *indita*
  - Populis. Regibus. Familiæ. Sacerdotibus.
  - Pueris. Liberis.
- A quibus. *Ab*
  - Angelis.
  - Parentibus. Coniugibus.
- Quomodo. *Vel*
  - Conſultò
    - Seriò. Ioco.
    - Per *contemtum.*
  - Fortuitò.
- Quando.

II. INSI-

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Notas & Symbola eorũ, quæ homini insit, inter Fortuita recensemus: & quoniã homo ratione & oratione à reliquis omnibus eximie differt, Symbola diuidimus in
  - Vocalia. Ad quem locũ pertinent
    - Κλῆσις. Quo ad
      - Δῆλον. Vide *signum* I.
      - Φυλακτὸν. NOMINA
        - Conseruata.
        - Mutata.
    - NOMINA, Pronomina, Cognomina, Agnomina, Tituli, Epitheta, & similia. De quorum agemus
      - Χρῆσις. NOMINVM usus
        - Est, respectu
          - Personarũ. NOMINA
            - Regum. Senatorum.
            - Familiarum. Mulierum.
            - Nobilium. Seruorum,
            - Libertorum.
          - Numeri. *Nam unus & idem uel*
            - Pluribus *nominibus utitur.*
            - Vno *nomine contentus est.*
          - Qualitatis,
            - Rerum *conuenientiæ:*
              - Conuenientia *facti sui.*
              - Falsa.
            - Adiuncti:
              - Honorifica.
              - Ignominiosa.
          - Cõmunicationis. NOMINA *communicata alijs, ut*
            - Hominibus. Tribubus.
            - Regionibus. Insulis.
            - Mari, *Flumnibus.* Vrbibus.
            - Ædificiis, *Turribus, Domibus.*
            - Mensibus.
        - Nõ est. NOMINIBVS *alij*
          - Carent *uniuersim.*
          - Abstinent, *uel priuata uolũtate uel publica auctoritate, siue causa*
            - Peregrinitatis.
            - Libertatis.
            - Modestiæ.
            - Infamiæ.
            - Religionis.
      - Articulata, *ea-que uel*
        - Cõsultò
          - Emissa. Vox Viua *hominis, nota existens uel*
            - Cognitionis *rei alicuius*
              - Præsentis: *ut*
                - Mariti *aduentantis.*
                - Socij
                  - Militiæ, *Commilitonis Tessera bellica.*
                  - Coniurationis: *Tessera coniuratorum.*
                - Statuæ *præstantis.*
              - Futuræ
                - Calamitatis.
                - Felicitatis.
              - Præteritæ
                - Orationis.
                - Cædis.
                - Cladis.
            - Actionis *siue Passionis eorum quæ fieri*
              - De-bent. *Officij*
                - Regum, *Principum.*
                - Militum.
                - Athletarum.
                - Sacrificantium.
                - Conuiuantium.
              - Non *debent.* Vox *deponẽtis*
                - Iracundiæ.
                - Pusillanimitatis.
                - Temeritatis.
          - Scripta. *Huc*
            - Literæ, Ἐπιστολαί.
            - Inscriptiones.
        - Non *consultò.* Vox *Temerè, fortuitò, uel*
          - Missa.
          - Accepta.
      - NON ARTICVLATA *Hominis.*
    - VOCES. *Sic inter Notas interdũ cõnumeratur* Vox
  - Realia, *ut sic loqui liceat.* Nempe INSIGNIA, *Signa, Monumenta. Vide in sequentibus signum* II.

I. Nomen

- Quæ *nomina considerata*
  - Per *se.* TITVLI, *Nomina, Cognomina, quæ & quæ-lia imposita: utputa*
    - Dei. Mentis. Sancti, *Diui.* Seruatoris.
    - Boni, *Optimi.* Iusti, *Pij.*
    - Magni, *Maximi.* Felicis. Christianissimi.
    - Catholici. Defensoris *fidei.* Eloquentis.
    - Philosophi. Audacis. Casti.
    - Infantis. Primi, *Vltimi.*
    - Patris. Patris *patriæ.* Conditoris.
    - Liberatoris. Euergetæ, *Benefactoris.*
    - Socij, *Amici.* Imperatoris. Augusti.
    - Regis. Ducis *bellici.* Domini. Clari.
  - Respectu *aliorum, à quorum nominibus transferuntur. Nempe* NOMINA *imposita alijs*
    - Deorum. Regum. Heroum. Parentum.
    - Hostium. Amicorum. Meretricum.
    - Animalium
      - Auium. Quadrupedum.
      - Serpentum.
    - Astrorum. Meteororum. Arborum.
    - Armorum. Nauium.

I. Nominum acquisitio, impositio, Tum

- Animi. Puta
  - Eruditionis, *Sapientiæ.* Ignorantiæ. Eloquentiæ.
  - Pronunciationis *ineptæ.* Linguæ *peritiæ.*
  - Vaticinij. Studij *literarij.* Scriptorum.
  - Memoriæ *bonitatis.* Imitationis. Probitatis *in genere.*
  - Prudentiæ. Consilij. Fraudis, *Doli.* Fortitudinis *bellicæ.*
  - Tolerantiæ *malorum.* Castitatis, *Pudoris.*
  - Libidinis, *Impudicitiæ.* Liberalitatis, *Magnificentiæ.*
  - Prodigalitatis. Auaritiæ. Superbiæ. Clementiæ.
  - Seueritatis. *Crudelitatis.* Libertatis *nimiæ.*
  - Pollicitationis *uanæ.* Adulationis.
  - Curiositatis. Inconstantiæ. Scurrilitatis.
  - Inhumanitatis, *Morositatis*
  - Popularitatis, *Comitatis.* Humanitatis.
  - Sanctitatis.
  - Pietatis *erga*
    - Deum, *Religionis.*
    - Patrem.
  - Perfidiæ.
  - Dicti *alicuiꝰ insignis uel*
    - Sui.
    - Alieni.
  - Facti *insignis.*
  - Curæ. Iræ. Metus, *Timoris.* Fugæ.
  - Risus. Desiderij. Taciturnitatis. Voti, *Precum parentum.*
  - Mechanici *exercitij.*
- Cur *indita.* Imponuntur NOMINA *tanquã notæ bonorum malorumue*
- Corporis, *tum*
  - Primarium in
    - Toto. *Nomina indita respectu*
      - Ortus. A *partus*
        - Modo. Voto.
        - Tempore.
      - Expositionis.
      - Conseruationis *uitæ.*
      - Nutritionis, *Educationis.*
      - Roboris. Celeritatis.
      - Staturæ. Habitus *corporis.*
      - Coloris *corporis.* Pulcritudinis.
      - Formæ *similis.* Mortis.
    - Parte. *Puta respectu*
      - Capitis *figuræ, affectus.* Aurium. Frontis, *Rugæ.*
      - Oculorum. Superciliorum. Nasi.
      - Oris. Labiorum, *Malarum.*
      - Linguæ. *Dentium.* Capillorum, *Barbæ.*
      - Mammarum. Articulorum. Manuum.
      - Femoris, *Genu, Pedum.* Sputi. *Excrementi.*
  - Secũdariorum, *uidelicet*
    - Alimentorum.
    - Vestimentorum.
- Fortunæ, *tum*
  - Diuitiarum. Thesauri. Possessionis.
  - Paupertatis. Viduitatis.
  - Imperij
    - Sacri, *Pontificatus.*
    - Profani.
  - Victoriæ. Amicitiæ. Inimicitiæ, *Odij.*
- Quibus. NOMINA *indita*
  - Populis. Regibus. Familiæ. Sacerdotibus.
  - Pueris. Liberis.
- A quibus. *Ab*
  - Angelis.
  - Parentibus. Coniugibus.
- Quomodo. *Vel*
  - Consultò
    - Seriò. Ioco.
    - Per *contemtum.*
  - Fortuitò.
- Quando.

II. Insi-



Voluminis Tertij
Liber III.

De NOMINIBVS & Insignibus.

NOMINVM ACQVISITIO, IMPOSITIO.

De uaria nominum impositione, qui uolet, uideat Plinium libro 18. cap. 3. Macrobium libro 1. Saturnal. capite sexto, Plutarchum in Coriolano, & Solinum capite quarto Polyhistoriæ.

QVAE INDANTVR, VEL ACquirantur. Considerata

PER SE. Nomina indita

Dei.

Iectum Aegyptiorum legislatorem ferunt DARIVM, Xerxis patrem. Hinc ab Aegyptiis solus uiuens Deus appellatus est: mortuus uerò eos honores assecutus, qui regibus antiquà tributi uebantur. Diodorus lib. 1. cap. 8.

THEODORVS philosophus quòd de Diis librum edidisset, ἄθεος fuit dictus: mox uerò ob contemtum Deorum, ἄθεος. Laertius.

THEOTIMVS episcopus Tomitanus, ab Hunnis, qui ad Istrum habitabant, Romanorum Deus propter miracula uocabatur. Prædones occurrentes sola orationis ui compescuit. Cùm clypeo innixum, uerba facientem ad populum, Hunnus quidam spe prædæ capere uellet, & elata manu laqueum collo iniicere pararet: manus eius inuisibilib. uinculis in aere immobilis pertitit: nec prius loco potuit moueri, quàm precibus Theotimi intercedentibus. Nicephorus libro 12. cap. 45.

Mentis.

ANAXAGORAS Clazomenius νοῦς dictus est, uel ob physiologię admirandam scientiam, uel quia rerum exordia non fortunam, non necessitatem, sed mentem efficientem adiecerit συνοχὴν καὶ διακόσμησιν, id est, sinceram & impermixtam, mixtis omnibus homœomerias dispertientem. Cœlius lib. 1. Antiq. Lect. cap. 5. ex Plut. Pericle.

Sancti, Diui.

Consule Tit. Ἀνθεστήρια. illic Consecrationis Templorum & Aramm, quæ diuinitatis sunt symbola propria: hic Appellationis ipsius habetur ratio.

Virum est, quod de IACOBO minore fuit is Christi discipulus) proditũ est memoriæ: quia puer adhuc incredibili quadam ac supra ætatem sanctitatis opinione imbuit omnium mentes, Sanctus uulgò appellatus est. Auxit opinionẽ hanc de eo receptam summa uitæ austeritas. Enimuerò neque uinum bibit unquam, nec ullum carnis nouit usum, intonsus uixit, unguenti & balnei expers: adeò precando numini deditus, ut eius genua in camelorum speciem occalluerint. Sabel. lib. 6. cap. 3.

GALLVS monachus septimo post Christum seculo uiuus Sancti cognomen meruit ob pietatem. Platina. Volaterr. lib. 16. Petrus de Natalib. lib. 9. cap. 72.

Seruatoris.

Multi hominum extitêre, quibus aut uirtus, aut uitium, aliúsue casus appellationem inuenêre, quorum alij alia causa: sed nulla maior augustiorque fuit, quàm ea quæ CHRISTO Deiparæ filio contigit, piorum omnium consensu, ut Redemtor sit mundi, sit & Saluator dictus: [redacted]

Boni, Optimi.

PHOCION Athenienſis ob frugalitatem Chrestus seu Bonus est cognominatus. Alex. lib. 2. cap. 11. ex Plutarcho.

Armenis & Parthis deuictis, in TRAIANI honorem multa Senatus decreuit, Parthici cognomen dedit: sed illud in primis, ut Optimus appellaretur. Quã sola appellatione magis gaudebat, quòd suis moribus & mansuetudini conueniret, quàm ulla alia. Cuspinianus ex Dione. Cognomen istud in uno SCIPIONE Nasica Plinius admiratur. Cœlius lib. 24. cap. 6. A. L.

Iusti.

Inter uirtutes omnes ARISTIDIS maximè sensit multitudo iustitiam, quòd huius usus ei solidissimus sit & communissimus. Ex qua re uir ille pauper & popularis rege dignissimam & diuinissimã appellationem traxit Iusti: quam nemo regum uel tyrannorum ambiuit: sed Expugnatores, Fulminatores, Victores, nonnulli Aquilæ dici & Accipitres uolucre, à uiolentia & portẽtia scilicet, quàm à uirtute, laudem potiùs aucupantes. Plutarchus in Aristide.

Pij.

QV. METELLVS Pius appellatus est, quòd patrem assiduis precibus & lacrymis ab exilio reuocauerit. Volaterranus libro 17. Anthrop.

M. ANTONINO Imp. Pij cognomẽ datum existimant, quòd à principio sui principatus seruauerit, quos Adrianus mori destinauerat. Alij, quòd Adrianum defunctum pientissima sit memoria prosecutus, templumq; illi cõstruxerit, contraq; omnium studia immensos decreuerit honores. Iam & illud pietati datum, quòd Adrianum se interficere conantẽ prohibuerit. Cæterùm quia natura pius & clemens fuit, ut nihil triste aut asperum ab eo expectaretur, fieri potuit, ut inter primas sauẽtis populi acclamationes, sit Pius cognominatus. Ex Dione Sabel. lib. 4. En. 7.

LVDOVICVS I. Caroli Magni F. Imp. à clementia morum Pij cognomentum assecutus est. Michael Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

Magni, Maximi.

HERMES Trismegistus dictus est, quòd apud Aegyptios maximus philosophus, maximus rex, & maximus sacerdos extiterit. Mos enim erat Aegyptiis, ex philosophis sacerdotes, ex sacerdotibus reges eligere. Alij eum sic uocatum putãt, quòd primus inter Ethnicos [redacted] asseruerit: ut mirum sit, eum [redacted] peruenisse, quò miseri Iudæi etiam sacris multatã testimoniis pertingere nequiuerunt.

Cognomen Magni non uni ueterum Imperatorum, regũque contigit: sed externorum nulli uerius iustiusq;, quàm ALEXANDRO Philippi filio, ut Quintũ uni CN. POMPEIO. Plut. in Sertorio. Posteaquã enim Carbone & Domitio uictis, XXIV. annos natus, à Sylla accersitus Romam uenit ex Africa, Sylla cum ingenti multitudine illi obuiam processit, eumq; ad primum congressum Magnum appellauit. Sunt qui dicant Magni cognomen illi, quum in Aphrica adhuc esset, fauore militari datum. Appianus Pharnace penè priùs fugato quàm uiso, Cæsarem exclamasse ait: Hi sunt, qui te magnum fecêre, Pompei. Quæ uox significare uidetur, ex ea nobili uictoria, quam Pompeius ex Oriente reportauit, Magnum appellari contigisse. Cæterùm satis constat, tum primùm in epistolis Magni appellationem usurpasse, cùm in Hispania aduersus Sertorium gessit bellum. Sabell. lib. 3. En. 6. ex Plut. Pompeio.

L. VAL. Potitus, cùm Volscos Equosq; ad Algidum magna laude debellasset, & triumphus ei negaretur, suadente Icilio, triumphauit sine Senatus auctoritate: ideoq; Maximi cognomen adeptus est. Plutarchus.

Populus Rom. duos Maximos dixit: VALERIVM, quòd dissidentem ab se senatum in concordiam secum reduxisset: FABIVM Rutilianum, quòd locupletes nonnullos libertinæ stirpis in senatum allectos ex ordine mouisset. Plutarchus in Pompeio.

Q. FABIVS cum Pub. Decio censor, ne comitia in humillimorum manu essent, omnem forensem turbam excretam in tres tribus coniecit, Vrbanasq; appellauit. Adeoq; gratũ fuit, ut Maximi cognomen, quòd uictoriis non pepererat, propterea sit assecutus. Liuius lib. 9. Fabius cognomen accepit Maximi, P. Scipio Africanus Magni. Scipio quadam æmulatione erga Fabij gloriam afficiebatur. Itaq; rogabat

eum? Quj sit, ut tu conseruandis duntaxat exercitibus, Maximi cognomen adeptus sis: ego cum hostibus confligendo, Magni, cùm Annibalem cominus facto prælio deuicerim? Respondit Fabius: At nisi ego tibi milites cõseruassem, tu non habuisses, quibus eum uinceres. Polyænus lib.8.

CONSTANTINVS Imp. Italiam, Aphricam, & post Licinij bellum ciuile Orientem possidebat, omnemq; orbem gubernabat, Maximus cognomento dictus, ut Nazarius suo Panegyrico luculenter edisserit. Ab aliis Magnus. Tum aliç quoque adiectç appellationes, Restitutor generis humani, Propagator imperij ditionisq; Romanæ, & Fundator çternæ securitatis, atq; Conseruator. Cuspinianus.

CAROLVS, qui Pipino Francorum regi & patri successit, à rerum gestarum magnitudine & excellentia Magnus est appellatus. Ritius libro de Regibus Francorum. & Sigebertus in Chronicis.

MATTHÆVS Vicecomes ab Henrico VII. Imp. Mediolano præfectus, summaq; iterum potitus potestate, Turrianorũ opes deleuit. Namq; domi ab inueterata prudentia consilio pollens, & foris filiorum ductu (ij enim clarissimi duces euaserant) multis præliis uictor, ad consummatam gloriæ laudem peruenerat, ita prorsus, ut iure Magni pariter atq; Felicis nomen mereretur. Iouius in uita Mathæi.

FERDINANDVS Consaluus, ex familia Aghilara, patria Cordubensis, uir impiger, & Beticis bellis multum exercitatus, cùm primùm in Italiam uenit, Ferdinando II Aragonio regnum Neapolitanum, unde à Carolo VIII. rege Galliæ pulsus erat, recuperare cupienti, auxilia Hispanica adducens: Hispanica iactantia, Magnus, ad supremam ipsius potestatem innuendam, est appellatus. Pòst ob præclaras uictorias, omnium ferè consensu, ea appellatio ad insignem eius uirtutem, atq; in re militari scientiam, singularem declarandam, perpetua mansit. Guicciardinus libro secundo Historiarum.

Felicis.

A felicitate quidam etiam cognomina sibi adsciuère: sicuti testatur Eudæmonis appellatio, qua BASSVM Secundum fuisse ornatum, uetus testatur historia. Vnum tamen hominum ad id æui Felicis sibi cognomẽ L. CORN. SYLLAM adsciuisse, Plinius auctor est, ciuili sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatum, quodq; Metelli Pij fuisset amicus, sicuti Plutarchi Apophthegmata testantur, & quòd Athenas non delesset. Scribit Alexandrinus Appianus, imaginẽ Syllæ ex auro equestrem ante Rostra collocatam, addita ab adulatoribus inscriptione eiusmodi: Cornelio Syllæ Imperatori fortunato, Sic enim (inquit) assentando appellabant, quòd in hostes feliciter depugnasset. Quod adblandimenti genus, stabile mox cognomentum est consecutũ. Sed ex decreto idem Venustum se appellari uoluit: quæ nũcupatio à Felici non ita uidetur dissentanea. Cælius lib.24. cap.6. Antiq. Lectionum.

[redacted]

Paschalis III. antipapa CHRISTIANO Moguntino archiepiscopo, defensori suo, sic scribere solebat: Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei, Christiano Christianissimo, sedis Apostolicæ legato, Imperialis aulæ cancellario, & Romanæ ecclesiæ filio fidelissimo. Cranzius libro sexto Metrop. capite ultimo.

Iulius II. Pp. Ludouico XII. Gallorũ regi diris deuoto, Christianissimi titulum eripuit, eumq;. concilij Lateranẽsis decreto in HENRICVM IIX. Angliæ regem contulit. Guicciardinus lib.11.

Catholici.

ALPHONSVS, Petri Cantabriæ ducis maximus natu filius, cùm Arianum dogma, quod à Recharedi regis morte rursus in Hispania pullularat, eradicasset, urbesque & oppida complura electo Maurorum præsidio recepisset, Catholicus est cognominatus. Ritius Neap. lib.2. Regum Hispaniæ.

PHILIPPVS Valesius Francorum rex, Catholici cognomen promeruit, ob pietatem erga sacerdotes. Aemil. l.8.

Defensoris fidei.

Propter peccata Veremundi Hispaniæ regis & populi Christiani, rex Arabum ALHAGIB se Almanzor nominari uoluit. Alhagib interpretatur supercilium, quo oculi defenduntur, Almanzor autem defensio: eò quòd multis uictoriis gloriosus se & suos strenuè defendit. Rodericus Toletanus lib.5. rerum Hisp. cap.13.

HENRICVS VIII. Anglorum rex, ad extirpanda Euangelicorum, quos Lutheranos uocant, dogmata, anno 1523. primùm libros Lutheranos, quorum magnus iam numerus peruenerat in manus suorum Anglorum, comburẽdos curauit. Deinde libellum contra eam doctrinam composuit, misitq; ad Leonem pontificem. Delectauit multum opus Leonis animum, quòd talem patronum consecutus foret. Itaq; librum sua auctoritate probauit, legendumq; decreuit: ac ut memoria tam grati beneficij aliquo nomine perpetuaretur, tum Henricum regem Defensorem fidei appellauit, quo ille deinceps titulo usus est. Polydorus lib.27.

Eloquentis, Chrysostomi.

DION historicus ob insignem facundiam Chrysostomus appellatus est: sicuti etiam IOANNES episcopus Constantinopolitanus, inter Ecclesiæ patres non postremus.

Philosophi.

M. ANTONINVS, qui Pio successit, cùm in omnibus philosophiæ studiis excellentissimus esset, ob insignem illam eruditionem, quam ex Sexto Bœoto philosopho hausit, Philosophus cognominatus est: & se etiam hoc nomine magis delectari asseruit, q̃ nomine Imperatoris. Dion in eius uita.

Audacis.

PHILIPPVS Burgundiæ dux Audacis cognomen accepit, quòd saltu periculoso mensam transilierit, ut Carolo VI. regi Gallorum proximus sederet. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

Casti.

ALPHONSVS II. Legionis Hispaniensis rex, Castus ideò cognominatus est, quòd in ipso matrimonio cum legitima uxore perpetuam uirginitatem seruauerit. Fulg. l.4. c.3.

Infantis.

Infantes in omni HISPANIA regis filij uocantur. Quẽ morem, ut alia plurima, suspicari libet, sumtum esse è uetusta Romanorum cõsuetudine, apud quos, ut Hieronymus prodidit, filij etiam grandes à parentibus infantes uocitabantur. Nisi fortè referimus ad Græcos, quorum studia fuisse in Hispania reperio, qui indistincto uocabulo filios puerosq; appellant παῖδας: sicut uxores quoq; atque mulieres γυναῖκας: quod fieri in pleraque Hispania agnoscimus. Hebræi quoq; filios iam adultos & uiros, ut Dauid Absalonẽ, appellabant pueros. Et sanè puer ab infante parum distat, cùm infans etiam puer nominetur. Valla libro primo de Ferdinando.

Primi, Vltimi.

PHILOPOEMENEM Megalopolitanum Romanus quidã laudibus efferens, Græcorum ultimum appellauit: ueluti Græcia iam effœta, nullum deinceps uirum se dignum ab illo protulerit, teste Plutarcho. Sicuti Cremutium Cordum in Annalibus CASSIVM pronunciasse, Tacitus scribit, Romanorum ultimum, atq; eo nomine postulatum, nouo ac tum primùm audito crimine, imperij stationem Tiberio tenente. Cælius lib.26. cap 2. Antiq. Lectionum.

Patris, Patris patriæ.

Q. FABIO Maximo Dictatori magister equitum Minucius scito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus, partito exercitu separatim in Samnio cum Hannibale conflixerat. Vbi temerè inito certamine, pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabij conseruatus, & ipse eum Patrem appellauit, & à legionibus suis Patronum salutari uoluit: ac deposito çqualis imperij iugo, magisterium equitum, sicut par erat, dictaturæ subiecit, imprudentisque uulgi errorem gratæ mentis significatione correxit. Val. lib.5. cap.2.

Pater patriæ Quiritum primus M. CICERO curię decreto est appellatus: dein & AVGVSTVS id tulit cognomen: Cæsaribus postremò ambitiosè magis quàm uerè adoptatum. Sabel. lib.6. cap.3. Hinc Satyricus:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

CLAVDIVS Imp. de supplendo senatu egit, & Heduos Gallos assumsit: famosos probris immitti quadam seueritate Senatu amouit. Ob id Pater Senatus dictus, cùm alij Cæsares Patres patriæ dicerentur. Cuspinianus.

Cùm mortuo Anacleto II. antipapa in eius locum Victor IV. electus esset cõtra Innocentium II. & Bernardus Claraeuallensis abbas Victorem ad deponenda insignia, & Innocentij imperium accipiendum permouisset: ingens inde gratulatio facta, supplicationibusq; ad templa indictis, meritus Deo honor est habitus. BERNARDVS inde, qui [redacted] salutatus à populo fuerat, post septem dies, [redacted] libro 11. regni Italici.

Moriens COSMVS Medices, Pater patriæ decr[redacted] Florentinorum est appellatus, idque sempiterni honoris causa marmoreo eius tumulo fuit inscriptũ. Iouius in Leone, libro primo.

Conditoris.

C. MARIVS, Cimbris, Teutonis & Ambronibus duplici prælio cæsis, reque publica in pristino statu retenta, Tertius est urbis conditor nuncupatus. Alter enim à Romulo est L. Fur. CAMILLVS dictus, qui Senones Gallos ex capta urbe expulit. Hic tertius, quòd Germanos capere uolentes nõ solùm arcuit, sed occidione cecidit. Sabellicus libro sexto, capite tertio.

Liberatoris

Liberatoris.

IVLIVS II. Pont. Gallis Italia pulsis, liberatç Italiæ titulum ita prætulit, ut eum passim inscribi nullo adulãtium pudore pateretur. Sed tamen libera uox Grimani probi Senatoris à Iulio audita est, titulum tanquam inanem irridentis, quando magna atq; opulenta Italiæ pars, demõstrato Neapolitano regno, Hispanicum iugũ perferret. Ad quod Pontifex quassato scipione, quo innixus pauimentum infrendendo pertundebat, respondit, breui futurum, ut Neapolitani non iratis superis externum iugum excuterent. Heluetiorum enim præstanti studio, inuictoq; robore fretus, Alfonsum, Friderici regis filium, contra ius gentium Tarenti captum, & custoditum in Hispania, deposcere, restituereq; in paternum regnum, non iniqua Ferdinandi regis conditione cogitabat. Iouius in Alfonso.

Euergetæ, Benefici.

Cùm Cyrus Persarũ rex in expeditione quadam coactus fuisset intrare regionem desertam, omniumq; uitæ necessariorum inopem, milites q; eius ob uictus indigentiam commilitonum corpora edere cogerentur: ibi ARIMASPI currus frumento onustos ad triginta milla adduxerunt, eosq; præter spem ab imminenti calamitate liberarũt. Proinde illos Cyrus Euergetas deinceps appellari uoluit. Diod. l.17.

CLEOMENES propter insignem, beneficentiam Benefactor est nuncupatus. Alex. lib.2. cap.11.

PTOLEMÆVS Aegyptiorum rex, eò quòd neminem læderet, benefaceret uerò omnib. Benefactoris cognomẽ promeruit. Ibidem.

Socij, Amici.

Romani socium atq; amicum, nisi benemeritos, & magnis officijs deuinctos, nullos appellarunt. Alex. lib.4. c.23.

Imperatoris.

☞ *Nomen hic consideramus. Ipsa Dignitas ad Imperij titulum pertinet*

PHOCION Atheniensis uigesimum Imperator dictus est: ARATVS Sicyoni⁹ decimũ & septimũ Imperatorẽ gessit, PELOPIDAS Thebanus ter & decies, PHILOPOEMENES Megalopolitanus VIII. quẽ apud Achæos intra annum bis gerere non licebat: sicut apud Spartanos bis eundem classis præfectum fieri lege uetabatur. Alex. lib.1. c.2.

Nomen Imperatoris prætoribus olim magnarum laudum titulus fuit apud Rom. Quippe hoc honore, uelut insigni munere, milites summos duces honestabant, isque præcipuus honos habebatur semper. Postea nisi illos, quorũ ductu & auspicio conflatum fuisset bellum, & sub quibus decẽ hominum millia uno prælio cecidissent, aut saltem duo millia, quę postea consuetudo increbuit, uel deniq; mille occubuissent, aut præcipua uictoria potiti essent, nullos Imperatoris nomine dignos putarunt. Imperatores dicti laureã tum in fascibus, tum in literis, quas Romam mittebant, usurpabant. Propterea M. Crasso, quòd urbem Zenodotium trans Euphratem imbelli certamine & incruento Marte uicit, & ob id Imperatoris nomen sibi arrogauit, magnæ inuidiæ fuit, ꝙ non multo negotio tantũ nomen uendicasset.

Bello ciuili Mariano, CN. Pompeius tribus legionibus cõtractis ex Piceno, Syllæ se iungere parabat. Proinde legatis imperat, ut exercitum arment & instruant: quo quàm pulcerrimam speciem præbeat imperatori. quippe magnos expectabat ab eo honores, assecutus est autem maiores. Nã ut eum uidit Sylla accedentẽ, & exercitum præstò delecta insignem iuuentute, tantisq; rebus perpetratis elatum & erectum: desiliit ex equo. Salutatus, ut par erat, Imperator, Põpeium uicissim Imperatorem salutauit: quod expectauerat nemo, ut iuueni 23. annorum, & nondum in senatum allecto, hoc nomen, de quo cum Scipionib. & Mariis bello certabat, esset participaturus Sylla. Primæ comitati cætera cõsentanea fuère. Adeunti assurgebat Pompeio, & caput adaperiebat: quæ non temerè deferre eum cerneres alteri, quãuis multi cũ eo & egregij uiri essent. Plut. in Pompeio. Iam & quòd in Africa Domitium superasset, ex uiginti millibus hostium uix tria millia effugissent, toto conspirante exercitu, Imperatores nomine fuit honestatus: qui licet se Imperatorem salutari permiserit, nunquam tamen epistolis aut chirographis hoc nomen usurpauit.

C. IVLIVS Cæsar, C. Cæsaris pater, quòd Syllanis temporibus multa Samnitum & Lucanorum millia ad Eserniã interfecisset, ab exercitu Imperator fuit appellatus.

Vt perpetuum Imperatoris nomen alicui tribueretur, primũ IVLII Cæsaris exemplo factũ est, quẽ Suetonius scribit Imperatoris prænomen perpetuum, & cognomen Patris patriæ à Senatu accepisse. Ex quo intelligi potest, ueterũ consuetudinem eo immutatam fuisse, quòd cùm illi cognominis loco Imperatoris titulum adscriberent, ueluti Cn. Pompeius Imp. C. Cæsar primo loco, tanquam prænomen illud sic usurpauit, Imp. C. Iulius Cæsar. Hotoman. de Verbis iuris. Deinde Augustus TIBERIVM & CLAVDIVM Drusum priuignos hoc nomine nobilitauit. Bello quoq; Germanico fusis fugatisq; hostib. TIBERIO Cæsari, & TITO expugnatis Hierosolymis, miles uictor Imperatoris nomen dedit, & trophæum posuit. CICERO quoq;, ꝙ Parthos ad Amanum profligasset, & METELLVS, quòd Sertorium uicisset, Imperatoris nomina tulère. Fertur tamen CVRIO ad Vticam, quò d eius opera, conductis cõmeatibus, omnium rerum copia abundaret exercitus, Imperatoris sibi nomen adsciuisse: & SCIPIO bello ciuili inter Põpeium & Cæsarem, ut pecuniam à prouincialibus cogeret, se Imperatorem dixisse. Demũ CÆSARES, ne in crimẽ inuidiamq; inciderent, Imperatoris nomẽ tanquam titulum mitem & honestiorem, abrogato regis uocabulo, iterũ & sæpe desumsère. Quare Augustus semel & uicies fuit Imperator dictus, & secuti principes hoc cognomento persæpe nobilitati sunt. Alex. lib.1. cap.2.

ZENOBIA Palmyrensium regina, cùm Orientis regnũ tueretur, armata in uirili ueste exercitui præfuisse, & sola Imperatoris nomen tulisse dicitur, cuius auspiciis pleraq; egregiè gesta in hostes fuère. Alex. lib.1. c.2.

Reges quidam Asturum & Castellæ, ditionibus aucti, sese Imperatores dici uoluère. Sic ALFONSVS VI. occupato de Saracenis Toleto: & ALFONSVS IIX. Rodericus Toletanus lib.7. regum Hisp.

Augusti.

OCTAVIANVS Cæsar Augustus dictus est, cùm post bella ciuilia prouincias ordinasset, & imperium cõdidisset. Cùm in senatu tractaretur, an Romulus quasi alter Vrbis conditor diceretur: sanctius & reuerentius uisum est nomen Augusti, ex sententia Munacij Plancij: quòd loca quoque religiosa & inaugurata dicãtur, ab auium gestu, aut ab auctu. Cuspinianus ex Suetonio & Dione.

Regis.

☞ *Nominis hic ratio habetur. Dignitas ipsa ad locum Imperij pertinet.*

Prælio aduersus Gręcos ad Chæroneam ALEXANDER Magnus princeps dicitur in sacram Thebanorum cohortẽ incurrisse. Hinc filium non immeritò Philippus dilexit, ut etiã gauderet, cùm Alexandrum Macedones regem, Philippum appellarent ducem. Plut. in Alexandro.

Cùm Demetrius Ptolemæum insigni uictoria apud Cyprum superasset, hic primũ ANTIGONVM & DEMETRIVM uulgus reges Asiæ consalutauit, atq; Antigonum cõ festim diademate amici euinxère. Demetrio pater diadema misit, scriptaq; epistola regem appellauit. Aegyptij quoq; his nũciatis, ne ob cladem abiecisse uiderentur animos, regem PTOLEMÆVM dixère. Ea res pariter æmulatione omnes successores Alexandri peruasit. Etenim cœpit diadema Lysimachus in Hellesponto gestare, & Græcos Seleucus Babyloniæ alloquens: qua[redacted] barbaris eo ornatu antè quoque, ut rex responsa dede[redacted] alijs regem eum Macedoniæ scribentibus & uocantibus, ipse pristino more suo scripsit epistolas. Id non additamentum nominis & habitus tantũ habuit uariationem, uerùm etiam illorum inflauit spiritus, & animos sustulit, moribusq; & congressibus [redacted] more, una cum persona incessum, uocem[redacted], salutationemq; uersantium. Hinc euaserunt in puniendo quoque uiolentiores: ubi illam, quæ ipsos multò faciliores & leniores antè popularibus reddebat, detraxerũt potestati dissimulantiam. Tantũ uox una ualuit adulatoris, Aristodemi Milesij, qui nuncius uictoriæ ad Antigonũ missus, cum regem primò salutauerat, tantaq; orbem terræ impleuit conuersione. Plut. in Demetrio.

AGATHOCLES, Syracusiorum tyrannus, Carthaginẽ obsidens, cùm se illis nec copiis, nec loci oportunitate, neq; rebus gestis inferiorem duceret, seipsum regem pronunciauit, nec tamen diadema sibi usurpare uoluit. Nam post occupatam tyrannidem semper corona usus fuerat propter quoddam sacerdotium, quam gestans non deposuerat, cùm de principatu contenderet. Sunt qui dicant, solitum eam gestare ab initio, quia rariorem comam haberet. Diodorus libro 20.

Cùm GVALTERIVS, Iuetoti dominus, Inuidorum opera à Clothario seu Childeberto Gallorum rege in exilium pulsus esset, & decennium in Oriente aduersus hostes Christi pugnando consumsisset, commẽdatione Vigilij pontificis instructus, ipso mortis Dominicæ die domum rediit, literasq; pontificias regi in tẽplo reddidit. Rex manu sua eum, nulla uel loci, uel temporis ratione habita, crudeliter occidit. Quamobrem & à pontifice acerbè reprehensus est, & Gualterij hæredes ac posteri, item Iuetoti urbs & ager, ab omni Gallici regni imperio liberati, anno 536. Itaque ab eo tempore eius loci potiti homines, regio nomine insignes

facti sunt. Fulgosus libro nono, capite tertio.

Ducis bellici.

PHILIPPVS Macedo ex uictoria Chæronensi, spiritus maiores concipiens, uidensq; clarissimas urbes à se consternatas esse, laborabat toto animo, uti totius Græciç dux deligeretur: eiusmodiq; sermones passim iactabat, se uelle bellum pro Græcis contra Persas suscipere, quorum impia facinora in res sacras ulcisci statueret: per quæ beneuolos maximè Græcos sibi reddebat, humanè super id ac liberaliter eos omnes publicè & priuatim tractans. Tandem ciuitatibus Græciæ denunciauit, aliqua se cupere de communi omnium cōmodò consultare. Itaq; Corinthi conuentus habitus est: in quo multum de bello contra Persas loquutus, spemq; bonam eius rei faciens, animos eorum qui conuenerāt, ad negocium comprobandum induxit. Nouissimeq; à Græcis omnibus dux & potestatis summæ imperator appellatus, apparatum magnum inire cepit copiarum, quæ contra Persas ducendæ essent, & imperato ciuitati cuique militum numero, quem dare deberet ad bellum Persicum, in Macedoniam reuersus est. Diodorus lib.16.

Mortuo Philippo ALEXANDER F. etsi iuuenis, Thessalos præ omnibus, commemorata ueteri cognatione, quæ sibi cum illis per Herculem esset, sermonibusq; humanissimis, uti magna à se sperarent, persuasos induxit, cōmuni totius Thessaliæ decreto ipsum Græciæ ducem ut assumerent. Cōterminas itidem eis gentes cùm in partes suas traxisset, superatis Thermopylis, ad illas transgressus, coactis in Isthmo Amphictyonibus, fecit ut cunctis eorum suffragiis Græciæ dux decerneretur. Itaq; cum XXXM peditum, equitū quinque in Asiam traiecit. Plut. in Alexandro, & Diod. lib.17.

DEMETRIVS Poliorcetes cùm in Isthmo conuentus publicus celebraretur, multiq; mortales eò cōuenissent, dux Græcorum contra Barbaros creatus est, & renunciatus. Plutarchus in Demetrio.

Lysander, cùm AGESILAO regnum Spartæ comparasset, stimulauit eum quoq; ad bellum Asianum, spem ostendēs fore, Persas ut debellaret, atq; euaderet omnium hominū primus. Scripsit etiam ad suos in Asia amicos, ut ad mouendū Barbaris bellum ducem poscerent Agesilaum. Cuius illi impulsu legatos miserunt Lacedæmonem cum hisce postulatis. Quod decus regno non inferius apparet acceptum tulisse Agesilaum Lysandro. Plut. in Lysandro.

Domini.

DOMINVS & Domina uocabula erant apud Rom. quibus uir & uxor testandi coniugij causa sese inuicē appellabant. Iustin. Nouell. 74. καὶ κυρίᾳ μάρτυρες, ἀκινδύνως ψευδόμενοι, καὶ ὅτι κυρίαν ἐκάλει τὴν συνοικοῦσαν ὁ ἀνήρ, καὶ ἐκείνη τοῦτον ὁμοίως ἀπόφησι. Hinc illud testatoris in l. uxori, 41. ff. de legat. tert. Vxoris fidei commisit in hæc uerba: Peto abs te domina uxor, ne ex fundo Titiano partem uindices. Item in l. Titia 19. §. qui Marco. ff. de annuis legat. Domina sanctissima, scio te de amicis tuis curaturam [redacted]lt. ff. de aur. & arg. Vxori suæ testamento ita legatum est: Semproniæ dominæ meæ hoc amplius argentum balneare. Hotom. de Verbis iuris.

Anno 1115. Romæ in Constantiniana basilica à Paschali II. Pp. concilium habitū, in quo PAPAM simpliciter Dominum à suis appellatum fuisse, Cranzius lib.5. Saxoniæ cap.37.[redacted] dit:[redacted]

Clari.

Dignitatum genera quatuor postremorum Imperatorū ætas fecit. Alij namq; Perfectissimi, Clarissimi alij, superiores Spectabiles, supremi Illustres appellabantur. Hotoman. comm. de Verbis iuris.

Clarissimarum fœminarum nomine Senatorum filiæ, nisi quę uiros clariss. sortitæ sunt, nō habentur. Tamdiu igitur clarissima femina erit, quandiu Senatori nupta est, uel clarissimo: aut separata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupsit. l. 8. ff. de senatoribus. l. 22. §. primo, ad municip. Hieronymus de Verbis iuris.

RESPECTV ALIORVM, A QVORVM nominibus transferuntur. NOMINA imposita aliis.

Deorum.

MITHRIDATES rex Asiæ & Ponti, cur Liberi patris potius, quàm cuiusquam aliꝰ dei nomine honestaretur à Trallianis (teste Cic. in oratione pro Flacco) duæ caussæ à Plutarcho libro primo συμποσιακῶν afferuntur. Vna, quòd Mithridates præmium proposuerit, qui plurimum edisset, quiq; plurimū bibisset: ipseque in utroque certamine palmam tulerit: utpote qui omnes ætatis suæ homines bibendo superaret. ob id igitur Dionysium uocatum. Sed si hæc uera esset, uideri poterant Tralliani, non tam ei honorem tribuere, quàm contumeliam facere: quasi ebriosum eum & helluonem ac gurgitem uocarent. Est altera uerior: bis eum fulmine appetitum fuisse: ita ut innocuꝰ incolumisq; remāserit. Nam cū adhuc infantulus in cunis uagiret, collapsum fulmen, fascias, quibus inuolutus erat, exussit, neq; tamen ipsum læsit. uestigium modò quoddam ignis in fronte relictum esse: quod facilè occultaret coma. Rursus cùm iam uir esset, ita propinquum ei dormienti cecidit, ut tela in pharetram, quæ haud procul à lecto pendebat, condita conflagrauerint. ipse tum quoq; intactus. Muretus lib. I. Var. lect. cap.2.

Heroum.

Nomen Herculis uidetur uulgari sermone ad omnes VIROS egregiè FORTES transferri solere, non aliter quā Catonis ad graues & sapientes. Nam Varro, teste Seruio, quadraginta tres Hercules enumerat, additq; hoc nomine honoratos fuisse omnes, qui fortiter quippiam egissent. Testatur & Macrobius in Saturnalibus, hoc nominis compluribus fuisse commune, & ante Amphitryonis priuignum. Xenophon in Aequiuocis, & Tacitus lib.2. Annalium. Præter Tyrinthium, etiam Argiuum, Thebanum, Libycum, Cretensem & Aegyptium legimus. Cicero sex fuisse dicit. Sab. lib.5. En.1.

Plutarchus THESEVM alterum Herculē uulgò nominatum scribit, quòd multa fortiter patraret exemplo Herculis. Erasmus in Adagiis.

Laertius in Vitis philosophorum ostendit & CLEANTHEM philosophum alterum Herculem uulgò dictū fuisse, quòd esset omnium laborum patientissimus, adeò ut noctu hauriendo è puteo aquam uictum diurnum pararet, unde & φρεαντλὴς dictus pro Cleanthes, & nihilo tamen segniùs egregiam operam interdiu nauaret philosophiæ, Erasmus in Adagiis.

Achilles olim appellabantur milites fortissimiq; duces: quorum de numero fuit L. SICCIVS Dentatus, ob ingentē fortitudinem Romanus Achilles appellatus, quòd centum & uiginti prælis cum hoste pugnasset, nec ullam haberet cicatricem auersam. Gellius libro secundo, capite 11. Erasmus in Adagiis.

Q. COTIVS miles robustissimum Achilles Romanus ob fortitudinem dictus.

Pericles filium PARALVM contra patria instituta appellauit, herois indito nomine, quod alioqui non licebat. Suidas.

Hostium.

DRVSVS, hostium duce Druso interfecto, nomen accepit. Suetonius.

Amicorum.

PAMPHILVS presbyter Laodicenus, Eusebio Cæsareæ Palestinæ tam fuit acceptus, ut Eusebius cognomen Pamphili sibi assumserit. Euseb. lib.3.

CÆCILIVS presbyter Carthaginensis, D. Cyprianum ad fidem Christi conuertit. Itaque Cyprianus postea Cæciliani prænomen sumsit. Hieronymus in Catalogo, & in Comm. in Ionam.

Meretricum.

ASPASIA Periclis pellex ea fuit auctoritate, ut Cyrus Artaxerxis, Persarum regis frater, pellicum dilectissimam Milto, Phocensis Hermotimi filiam, Aspasiam uocari uoluerit. Plutarchus in Pericle.

Parentum.

LYCII à matribus familiæ nomen ducunt, non à patribus. Et nobilitas siue ingenuitas à matre in liberos deriuatur, non à patre. Itaq; si mater sit ingenua, quamuis pater seruus sit, filij quoque ingenui censentur. Herod. lib.1.

Apud ATHENIENSES constitutum est, ut nemo ex femina genitus, maternum sibi nomen adscisceret: nam feminis indere familiæ cognomenta lege uetabatur (id quod æquè à ROMANIS factitatum comperimus) tum, ne quis illas Athenas uocaret (sed Atticas) edicto cautum fuit, ne Ἀθηναίας, h. e. Palladis deæ nomē sibi usurpare uiderētur. Alex. l.5. c.4.

Moris est tam regum, quàm priuatorum ANGLORVM, ut pater in filio maiore natu plerunque suum renouet nomen. Polydorus lib.19.

Auium.

CHÆREPHON tragœdiarū scriptor fuit. Is Heraclidarū res persecutus. Quoniā autem nocturnis lucubrationibus erat maiorem in modum extenuatus, confectusq;, uulgari ioco taxatus est. Quin etiā noctuæ cognomen additum. Aristophanes in Nebulis, οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν, id est, Nihil figura à Chærephonte differs. Erasmus in Adagiis.

ARCHILOCHVS Parius iambographus τέττιγα, id est, cicadam seipsum uocabat, quòd loquax & uocalis esset, nulliq; necessitati obnoxius. Vnde conuicianti respondit, τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας. Lucianus in Pseudologista.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm magno prelio Pantauchum Demetrij ducem fugasset, gestiuit gloria & animi elatione. Ac cùm ab Epirotis Aquila nominaretur: Per uos, inquit, aquila sum. Quídni enim sim, uestris armis uelut alis euectus? Plutarchus in Pyrrho.

BVTEO-

BVTEONES, apud Rom. dicti quòd auctori familiæ, cùm classi præfectus à portu solueret, Buteo auis felici omine insedit, quo augurio insignem de hoste uictoriā tulit. Ea n. Triorches, quòd treis habeat testes, nūcupatur. Alex. lib.5. c.9.

VALERIVS tribunus militum, cùm ad singulare certamen à Gallo prouocatus descendisset, quòd pugnanti in galea coruus insedisset, Coruinꝰ dictus. Sab. lib.3. En.4. ex Gellij li.9. c.11.

Quadrupedum.

Aegyptij, regi Persarum OCHO inprimis infesti, ut nefario & detestabili, Asinum eum cognomine dixerūt (asinum autem exosum ita habent, ut eūdem in quibusdam sacris etiā præcipitent) At ille respondens, Enimuero asinus hic bouem uestrum deuorabit: Apim immolauit. Ex Dione Plut. de Iside.

TROGLODYTÆ Aethiopes parētum nomina minimè indunt filijs, sed tauri, arietis, ouis: & hos quidem patres, has matres (quoniā ab his, non à parentibus, quotidianus præbeatur uictꝰ) appellāt. Diod. Sicul. libro quarto, cap. tertio.

Corn. ASINA, cùm fundum emisset, sponsorq; precij ab eo expeteretur, postera die asinam onustam sacculis pecunia plenis in forum adduxit pro sponsore. Vnde cognomentū accepit Asinæ. Macrobius.

TREMELLIVS Scrofa dictus, quòd scrofam suppositā uxori puerperæ, quā depeculatus fuerat, se non habere mentitus fuit. Seu, quod Varro tradit lib.2. c.4. Rei rust. quòd primus genti nomen propagauit, cùm quæstor in Macedonia relictus foret in castris, hostesq; impressionem facerēt, palam uociferatus est, celeriter se illos, ut scrofa porcos, disiecturum. Quod & fecit. Alex. lib.6. c.9.

Q. FABIVS Max. Dictator, propter benignam naturam Ouiculæ cognomen meruit. Volat. lib.16. Anthrop.

Solebant olim PRINCIPES cognomina sumere de genere fis beluis, ut alius Vrsus, alius Leo, alius Catulus diceretur, uel Lupus, Vlfo. Cranzius lib.4. Daniæ, c.27.

DIOGENES uulgò Canis dicebatur. Sunt autem canū multa genera, uenatorij, aucupatorij, custodes ouium & ædiū, sunt qui habentur in delicijs. Ergo percontanti, Qualis ipse canis esset? lepidè respondit: Esuriens, melitæus: satur, molossus. quòd cibi appetens, blandiretur: saturatus, morderet. Laert. lib.6.

FR. Dandulus Venetorū legatus ad pontificē, Canis cognomē traxit. De quo sub Tit. Nomina à facto insigni imposita.

Serpentum.

CONSTANTINVS ultimus Græcorum Imp. rex Peloponnesi, ante susceptum imperium, sæpius cum Turcis cōgressus, eos fudit, fugauitque, ac eis oppida ui abstulit & expugnauit. Vnde Draconis cognomentum ob militarem uirtutem accepit. Cuspinianus.

Astrorum.

Pleiades POETÆ septem, à numero stellarum Pleiadū, à Zeze enumerantur: Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus tragicus, Aratus, & obscurissimus Lycophron. At Theocriti interpretes enumerant Theocritum, Aratum, Apollonium, Acantidem, Philicon. Homerum tragicum, & Lycophronem. Hephæstion tamen inter tragicos septem constituit, Homerū Myrus Byzantiæ poëtriæ filiū, Sositheum, Lycophronem, Alexādrum, Anantidem, Sosiphanem, & Philiscum.

Sapor Personarum rex, quum ad Constantium scriberet Imperatorem, Solis & Lunę se fratrem dixit. Alex. lib.2. ca.19.

Meteororum.

Clearchus Heracleæ tyrannus, sceptrū gestans, VNVM ex filijs nominauit Fulmen. Plut. de Alexandri fortuna. Orat.2.

PTOLEMÆVS Aegypti rex, Lysandræ frater, ab alacritate & prōptitudine, qua in rebus gerendis utebatur, Fulmen dictus est. Pausanias in Atticis.

Arborum.

Ab arboribus fuere cognomina antiquis: FRONDITIO militi illi, qui præclara facinora, Vulturnum transnatans frōde capiti imposita, aduersus Annibalem edidit. STOLONVM Liciniæ genti: ita enim appellatur in ipsis arborib. fruticatio inutilis, unde & pampinatio inuenta primò Stoloni dedit nomen. Plinius lib.17. cap.1.

Armorum.

MACHÆRIONES Spartani dicti sunt Anticratis posteri, quòd is machæra, id est, gladio Epaminondam Thebanū in bello strenuè confecisset. Cæl. lib.13. cap.7. A. L.

OCHVM Artoxerxem Persarum regem ob interfectū & depastum Apim, Aegyptij Gladium nominarūt. Plut. de Iside.

Q. FAB. Max. qui cunctando rem Romanam contra Hannibalem restituit, Scutum populi dictus est. Plutarchus.

M. MARCELLVS, qui undequadragies dimicauit collatis signis, cognomen rei conueniens adeptus est, ut secundo Punico bello aduersus Pœnos, Romani sit populi gladius nūcupatus: quippe qui Republicā immensis cladibus alijs super alias afflictam bellica uirtute restituit: docuitque Hannibalem posse uinci, à quo Romani toties uicti essent. Sab. lib.6. cap.3.

Autharis Longobardorum regno, quod adhuc & uiribus imbecillum, & dignitate parum speciosum fuerat, multum & amplitudinis ad decus, & opum ad potentiam addidit. Instituit, ut REGES Flauij nomine antiquo Imperatorum exemplo appellarentur, & ut à singulis ducibus (XXX autē post mortem Clephis regis creati erant) uectigalium suorum dimidium ad regiam tuendam amplitudinem conferretur. Is census tertio quoque anno in Palatium regium à Iacobo Gualla scribitur esse illatus. Illis uerò usum urbiū, dominio & iure sibi retento, reliquit, neque successores tradidit, nisi aut uirili extincta stirpe, aut conflata defectione. Sigonius lib.1. regni Ital.

Nauium.

In gente Claudia fuit, qui CAVDEX nuncuparetur, ut scribit Seneca, quòd Romanos induxit primus nauē conscēdere. Nam plurium tabularum contextus, caudex dicitur. Cęlius lib.24. c.6.

CVR NOMINA IMPONANTVR. Tanquam Symbola Bonorum Malorúmue.

ANIMI. VTPVTA

Eruditionis, Sapientiæ.

SOLOMONIS regis, Dauidis filij, nomen in Sapientiæ appellationem abijt in ora hominum. Hunc ut audiret, ab extremis usque terris præpotens uenit regina Aethiopum. Cognouit illa sapientissimū regem, magnisq; muneribus ornauit hospitalem regiam, ipsa multo maioribus affecta: multo enim sapientior, quàm uenerat, in suum est regnum reuersa. Sab. lib.6. cap.3.

PALAMEDES Nauplij filius, propter omnium rerum cognitionem πάνσοφος dictus est. Gyraldus.

ERATOSTHENES Cyrenæus ob doctrinæ excellentiā minor Plato dictus, præfectus Alexandrinæ bibliothecæ, Mathematicus summus.

M. VARRONEM nō ea de causa literarū porcū à Palęmone grammatico appellatum censet Pierius Valerianus in Hieroglyphicis de Sue, quòd scripta eius sint ulla in parte lutulenta, uel ex hara producta: sed quia nihil sit Varrone ipso neq; lautius, neq; copiosius, neq; magnificentius, qui tam multa, tam uaria, tam præclara conscripserit, ut omniū consensione uir doctissimus, ac omniū disciplinarū parens, totius prædicatione uetustatis habitus fuerit. Ergo ut nullū animal, pluribus magisq; uarijs condimentis aptum est quā sus, quòd nihil ea carne parabilius, & omnium epularum usui magis expositum, quinquaginta propè saporibus ex eo, ut ueteres obseruarunt, excogitatis: neque alio ex animali copiosior, lautiórue humano uictui materia suppeditatur: ita quoq; multa & uaria Varronis scripta argumētum nullum intactum reliquere, splendidissimoq; rerum omnium apparatu uniuscuiusq; animi famem explenere.

CATVLLVS, epigrammatum scriptor purissimus, eruditorū consensu Docti cognomen peculiari epithero meruit: quē Ouidiꝰ Vergilianæ maiestati opponit. Hinc uulgatū illud:

Tantum parua suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Vergilio.

Crinitus lib.2. de poëtis Latinis.

LEO I. Pontifex propter uitæ sanctitatem numero diuorum ascriptus, propter scientiæ magnitudinem Magni cognomine insignitus. Sigonius lib.14. Imp. occid.

PIERIVS presbyter Alexandrinus sub Caro & Diocletiano, tantæ eruditionis, ut Origenes iunior uocatus sit. D. Hieronymus.

IVL. Paulus iurecos. Patauinus, qui anno Christi 230. sub Alexandro Seuero Imp. floruit, propter eruditionem Coryphæus Iureconsultorum dictus est. Politianus.

Recentiorum THEOLOGORVM multi eo dignationis uenēre, ut sola appellatione sint abundè noti. Hinc Seraphici, Angelici, Subtilis, Irrefragabilis, & mille alia piorum cognomina, qui in ueritate asserenda primas uendicāt. Sab. lib. 6. cap.3.

ANTONIVS Vlyssiponēsis patria, ordinis Minorum, qui Patauij clarus miraculis obijt, à Gregorio Pontifice sanctorū Confessorum consortio illatus, cùm omnes sui temporis longè literis antecelleret, sacrarum literarum Arca cognominari meruit. Tholosę, Bononię, atq; Patauij theologiam diu docuisse, & non paucos edidisse libros perhibetur. Marineus lib.5. rerum Hispan.

BARTOLVM de Saxoferrato, qui totū ius ciuile suis commentarijs illustrauit, & inde Cōmentatoris nomen meruit, magnificis titulis extulerunt posteri. Angelus Lucernam

Ll 3 iuris

iuris appellat. Andreas Barbatia opiniones eius Apollinis oracula, & Lumen ardentissimum iuris: Bapt. Seue. nullum ei numen abfuisse: Barthol. Socinus Optimum aurigam in iure ciuili: Iason eius uestigia ueneratur & adorat tanquam terrestis numinis: Illuminatorem iuris & Lucem cæcorũ uocat: si quando errare uidetur, eo id fieri, quòd acumen ratiocinationum eius assequi nequeamus: & si non fuisset Bartolus, essemus in abrupto. Anton. de Prato, deficiente lege, eius opinionem pro lege haberi: adeoq; Iureconsultorũ disertissimum esse. Baldus inter famosissimos doctores maximè excelsum & subtilem fuisse. Thomas Diplouatius in uita eius.

BALDVM uulgò Omniscium, quòd nihil in Iure ignorarit, appellant. quamuis Alexander dicat cerebrum ipsius ita in capite eius uolitasse, sicut aues uolitant in aëre.

Ignorantiæ.

Isocrates EPHORVM Cumanum, qui scholã ipsius reliquerat nullo profectu, atq; ob id à patre Demophilo denuò missus fuerat, ut ab integro data mercede discipulum ageret, Diphron appellabat. Diphros enim Græcis est currus, quòd duos ferat, pugnantẽ & aurigã. Isocrates autẽ ex uocis etymologia captauit iocum in discipulum, qui bis attulerit mercedem. δίφρος enim dici uidetur ἀπὸ τοῦ δὶς φέρειν, id est, à bis ferendo. Erasmus in Apopht.

Eloquentiæ.

SOPHOCLES tragicorum princeps, μέλιττα propter sermonis dulcedinem dictus est. Gyraldus Dialogo 7. Hist. poët.

PERICLES Atheniensis propter summam eloquentiã, qua fulgurare & tonitrua ciere uidebatur, Olympij cognomen meruit. Plutarchus in eius uita.

PLATO Aristocles primò est dictus: sed ob latitudinem pectoris, uel frontis uel certè ob amplitudinem orationis, Plato est cognominatus. Suidas.

TYRTAMVS ex Ereſſo Lesbi ciuitate philosophus, primò Euphrastus, deinde Theophrastus, ob oris & eloquentiæ suauitatem uocatus est. Aelianus de Varia historia.

ANTIPHONTEM Rhamnusium, Atheniensem uersificatorem & sophistam, λογομάγειρον uocabant, quasi orationis coquum, eo quòd oratione excellens esset. Stephanus Grãmaticus apud Volat. lib. 20. Anthrop.

AEMILIORVM genus, scribit Plutarchus, à dulci facundia leporeq; dictum. αἱμυλία enim lepiditas dicitur. unde etiã Lepidi cognomen assumsere. Volateranus.

AELIANVS Italus, Prænestinus pontifex & sophista, Claudius dictus, cognomento Meliglossus seu Meliphthongus, à linguæ & uocis suauitate. Docuit Romæ post Hadriani Imperatoris tempora. Suidas.

IOANNEM patriacham Constantinopolitanum, ob doctrinæ magnitudinẽ atq; singularem eloquentiã Græci Chrysostomum cognominauerunt, quod os aureum Latinè significat. Fulg. lib. 8. cap. 16.

LACTANTIVS, à lacteo Tullianæ eloquentiæ flumine dictus uidetur, in quo præceptorem suum Arnobium uicit. Testis D. Hieronymus.

Pronuntiationis ineptæ.

PAVSANIAS Cappadox, urbe Cæsarea, Herodis discipulus, quia pingui lingua, more Cappadocum, pronũciabat, collidendo consonantes, longa contrahendo, & breuia producendo, Cocus uulgò uocabatur, quod ex multis sumtuosis cibis obsonium præparare uideretur. Philostratus in Sophistis.

Linguarum peritiæ.

T. POMPONIVS Atticus, nobilis eques Romanus, & amicus Ciceronis non uulgaris, posteaquam uidit Cinnano tumultu Rempub. Rom. esse turbatam, Athenas secessit: ubi longo tempore moratus, & ciuitatem, & omnium gratiã moribus elegantissimis promeruit: ubi linguam ita probè didicit, ut Attici cognomen assequeretur. Cor. Nepos.

Vaticinij, Prophetiæ.

IOSEPHVS, cùm Pharaoni regi somnium, quod cæteri diuini non poterant, interpretatus esset, Saphnathopaneas, id est, occultorum repertor appellatus fuit à rege. Gen. 41.

DANIEL spado Iudæus, cum regi Nabucodonosori somnium explicasset, quod nulli alij Chaldæorum sapientes enodare poterant, rex eum dei sui nomine Baltasarem in posterum appellari uoluit. Dan. cap. 1. & 4.

CASSANDRAM dici opinantur, quia Casin, id est, fratrẽ Hectora fremitum habuerit, ac uirilem in primis. Eadem & Alexandra nuncupatur, παρὰ τὸ ἀλέξειν, quoniam congressus hominum uitarit præcipue: uel ab ἀλέξειν, id est, quia uaticinando prodesset pluribus. Cælius lib. 24. cap. sexto, Antiq. Lectionum.

Studij literarij.

CHÆREPHON Socratis familiaris Nycteris cognominatus est, quòd nocturnis lucubrationibus expalluisset, & supra modum emaciatus esset. Alijs διὰ τὸ μέλας ἀναγκ ἰσχνόφω νος. Brodeus in secundum Epigrammatum.

CALLIMACHVS propter studiũ miræ artis, Calotechnos, sicut alter ob nimiam diligentiam, qua ne sibi quidem satisfaciebat, Cacizotechnos appellatus fuit. Alexand. libro secundo, cap. 11.

Scriptionis.

LYCOPHRONA uatem cognominatum ferunt, quòd ænigmaticè καὶ σκοτεινῶς scribat, quæ sua est lupis natura. Cælius lib 24. cap. 6.

ASPASIVS Byblus appellatus est, quòd de byblo, id est, papyro librum condiderit, Hadriani principis tempore floruit. Suidas.

AELIVS Grammaticus cognomine duplici: nam & Præconius, quòd pater eius præconiũ faceret, uocabatur: & Stylo, quòd orationes nobilissimas scriberet. Volat. li. 13. cap. 3. Anthrop. ex Tranquillo.

NICANOR Alexandrinus grammaticus, Stigmatias est cognominatus, non à seruili fœditate, sed quòd anxiè sollicitèque lucubrationi aliquot περὶ στιγμῆς conscripsisset, id est, de punctis siue distinctionibus, quibus utimur in scribendo. Cælius lib. 7. cap. 31. A. L.

ORIGENES Syntacticus, id est, Cõpositor dictus est, quòd multos fecisset libros. Suidas.

Codrus Vrceus orator, acri iudicio, magna doctrina, beatissimaq; rerum uerborumq; copia præditus, per excellentiam quandam PHIL. Beroaldum Commentatorem Bononiensem appellare consueuerat. Legem enim quandam commentandi non seruasse modò in Apuleij Asino aureo affirmabat, sed propè constituisse. Barthol. Blanchinus in uita Phil. Beroaldi.

Memoriæ.

ARTAXERXI Persarũ regi Mnemonis cognomen, eo quòd memoria ualeret, datum est. Alex. lib. 2. cap. 11.

Imitationis.

TATIANVS orator est Simiæ cognomen adeptus, quòd omnia ingeniosiùs imitando exprimeret. Cælius lib. 3. capite 10. Antiq. Lect.

Probitatis in genere.

L. PISO, quòd in omni re commodus foret, utilis & frugiferus, Frugi est cognominatus. Alex. lib. 5. c. 9.

P. Scipio NASICA, ob morum temperantiam Corculum quoque dictus est.

NICOLAVS III. Pp. ob morum uitæq; honestatem uulgò Compositus dictus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

BORSIVS Atestinus ab illustri ingenio præstantissimisque moribus publico præconio Pacificatoris nomen tulit, & Patriæ decus appellatus est. quo titulo moneta aurea Ferrariæ signata est. Iouius in Alfonso.

Improbitatis, in genere.

Physcam Græci uocant intestinum crassius, in quod farina infercitur caro, fiuntque qui dicuntur allantes, παρὰ τὴν ἄλλην τῶν κρεῶν, à carnium congestione: unde allantopoles, qui etiam salsicopoles uocatur, uenditor id genus farciminis. Hinc Valerius lib. nono, capite primo. PTOLEMÆVM prodit Physconem à scelerum congerie cognominatum. Cælius lib. 24. cap. 4. A. L.

ORDONIVS IIII. Hispaniæ rex, Alphonsi filius, cùm non iure regium sibi nomen arrogasset, populosq; non in pace continuisset, Mali cognomentum meruit. Ritius lib. 2. Regum Hispanorum.

ROBERTVS, Auberti ducis ex Ida Burgundiorum ducis sorore F. ob uitæ turpitudinẽ Diaboli cognomen meruit. Sed tandem resipuit, & sanctitatis opinionem obtinuit. Sub Pipino rege. Gaguinus lib. 3.

CAROLVS Francorum rex, Ludouici Carloni filius, ob ignauiam dictus est Maleferiatus, quum ferium nihil ageret. Ritius Neap. lib. 1. Regum Francorum.

Prudentiæ.

CATI apud Romanos, qui & CORCVLI, quòd usu & sapientia præstarent. Nam catum Sabini acutum dixere.

M. CATO maior dictus fuit antè tertio nomine nõ Cato, sed Priscus: pòst Catonis nomen traxit ab solertia: Romani enim experientem Catum uocitant. Plut. in Catone.

LEO Monasteriota, socer Alexij Comneni tyranni, ab illo ob consulendi prudentiam Senatus os dicebatur. Nicetas li. 1.

Consilij.

DIONYSIVS poëta ac orator appellatus est Aereus, quia Atheniensibus consulebat ut æreis nummis uterentur. Quam orationem in Oratorum descriptione Callimachus descripsit. Athen. lib. 15. cap. 2.

L. IVLIVS Tribunus plebis primus rogationẽ tulit, quot annos nati quenq; magistratum peterẽt caperentq;. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Cælius libro 24. cap. 6. A. L.

Stulti-

Stultitiæ.

BRVTIIS conciliatũ nomen, ut scribit Diodorus, quòd complerique omnes fugitiui serui initiò fuerint, ac bruta gens, hominum colluuione circa Lucaniam confluente. Cælius libro 7. cap. 26. Antiq. Lect.

ANTIOCHVS Epiphanes, rex Syriæ, ob insaniam Epimanes dictus. Polybius lib. 26. Hist.

M. Tullius Philippica tertia M. FVNDANIVM, nescio quem, nullo numero, & prorsus contemtibilem, cognominatum scribit Bambalionem, ab hæsitantia linguæ & stupore cordis. Cælius lib. 13. cap. 2. Antiq. Lect.

P. Clodij soror CLODIA, Metello Celeri nupta, dicta Quadrantula, quòd quidam amatorum eius pro argenteis minuta æra in loculos eius immisisset. Minutissimum æreum nummum quadrantem uocabant. Plut. in Cicerone.

CAROLVS Francorum rex, cùm esset homo sine fuco & fallacijs, Simplex est appellatus. Ritius Neap.

Astutiæ.

Ammianus lib. 14. refert PAVLO cuidam, qui plurimos admirandis technis deferebat apud Constantium, uulgò cognomen inditum Catheñ, quòd in complicandis delationibus nodos necteret insolubiles.

Tolerantiæ.

Reportauit ex insigni tolerantia nomen haud ignobile IOBVS, patientissimus mortalium iudicatus, ac proinde Patiens nuncupatus. Versa est hominis æquanimitas illa & perpetua animi temperies in prouerbium, ut tam piè hodie quàm uerè sit Iob in ore omnium, supremam in aduersis tolerantiam significare uolentium. Sab. lib. 6. cap. 3.

Fortitudinis bellicæ.

☞ *Vide Nomina ob uictoriam imposita.*

ARISTODEMVS Cumanorum tyrannus Malacos à barbatis, hoc est, ephebus uocatus est, q admodũ adolescẽs cum æqualibus, comam adhuc alentibus (quos Coronistas, à coma appellauere) in bellis cõtra barbaros clarus præstãsque non audacia solùm & manu, sed alta etiam indole & consilio fuisset. Plut. de Virtutibus mulierum.

M. Cl. qui consul Romanus quinquies fuit, patrem habuisse MARCVM memorant. Primum suę gentis, tradit Posidonius, uocatũ Marcellũ, quasi Martialem. Plut. in Marcello.

M. Marcelli ferocia non magis profuit patriæ, quàm Q. FABII Maximi prudentia, & maturitas. Ille ferocissimos hostis spiritus fregit: hic artes, quibus non minus stetit res Punica, quàm armis. Non defuit igitur & Fabio suus honor, qui Cunctator cognominatus est, & Marcello, qui Rom. populi Clypeus. Sab. lib. 6. cap. 3.

Romæ ex Claudiorum familia, qui erat egregia & præstanti fortitudine, NERO appellatus est, Sabina uoce, qui Nerio uocant uirturem & fortitudinẽ, forte mutuata uoce à Græcis, qui νεῦρα uocant membrorum tendines. Gel. lib. 13. c. 22.

EDMVNDVS Etheldredi F. Angliæ rex, propter bellicã fortitudinem Ferreum latus cognominatus est. Polyd. lib. 7.

Ignauiæ.

C. MARIVS iunior, cùm audax atque ad pericula adeunda haberetur intrepidus, Martis filius dictus fuit primũ. Mox factis ipsis perspectus, contrà Veneris appellatus est filius. Plut. in Mario.

Castitatis, Pudoris.

Tulit una omnium Christi MATER benedicta uirginalis appellationis decus. Estq; ita & piè & sanctè comparatum, ut ubi nomen Virginis, uox cœlo grata, inferis inuisa, gentibus popularis, ore effertur, hic Annæ filia Christi parẽs nominari, nec ulla uirginum alia intelligatur. Sab. lib. 6. c. 3.

P. VERG. Maro, à morum probitate & uerecundia Parthenias dictus est. Gyral. dial. 4. Hist. poët.

MALCOLMVS IV Scotorum rex ob castitatẽ Virginis cognomen traxit. H. Boethius lib. 13.

Libidinis, Impudicitiæ.

ANTICYRAM meretricem inde nuncupatam ferunt, quòd cum mentis emotæ furentibusq; concumberet: uel quòd medicus Nicostratus moriens, hellebori uim ei magnã reliquerit, aliud præterea nihil. Cælius lib. 24. cap. 6. Antiq. Lect. ex Athenæo.

DEMOSTHENES propter mollitiem Batalus ab Aeschine uocatus est. Fuit autem Batalus Ephesius, scriptor lasciuorum carminum. Gyraldus in 3. dial. historiæ Poët.

ACCA Laurentia, Faustuli pastoris, qui Romulum & Remum in ripa Tiberis inuenit, uxor, propter corporis formosissimi quæstum Lupa uocata est. Vnde ad nostra usq; tempora meretricum cellulæ lupanaria appellantur. Liuius libro 1. Decadis 1. Plutarchus in Romulo.

L. CATILINAM sunt qui à fellandi fœditate nuncupatum credant. Fortè ab uirilitate lingenda, cuius nomen uulgò usurpatum, ab Catilina non abit longiùs. Et id in epistola ad Pætum significasse uidetur Cicero. Cælius lib. 24. cap. 6.

CLODIA, Metelli Celeris uxor, Quadrantula appellata ob prostitutum corpus: & quòd quidam amatorum eius pro argenteis minuta æra in loculos eius immisisset. Minutissimum autem æreum nummum quadrantem uocabant. Plut. in Cicerone.

LECCÆ inexhausta libido, & obscenus amor, gentilitium nomen dedit.

Voracitatis, Ebrietatis.

ESAVS, cùm prærogatiuam ætatis suæ Iacobo fratri pro edulio ex lentibus confecto, quod ruffum erat colore, uendidisset, Idumi nomen inuenit. Gen. 25.

Atheniensis DIOTIMVS Chone, id est infundibulum est cognominatus: quoniã eo apposito ori, incessanter infusum hauriret uinum. Cælius lib. 24. cap. 6. ex Aeliani libro secũdo Var. historiæ.

XENARCHVS Rhodius, uti meminit Euphorion, ex bibacitate, quam polyposian dicunt, Metretes est cognominatus. Celius lib. 24. cap. 6. A. L.

NOVELLIVS Mediolanensis, ad proconsulatum usque ex prætura promotus, ob tres uini congios uno impetu epotos, spectante Tiberio principe, Tricongius nominatus est. Plinius.

MITHRIDATEM Ponti regẽ à πολυποσίᾳ Dionysiũ cognominatum tradunt aliqui. Cælius lib. 24. cap. 17. A. L.

TIBERIVS Cæsar in castris tyro etiam tum propter nimiam uini auiditatem, pro Tiberio, Biberius: pro Claudio, Caldius: pro Nerone, Mero uocabatur. Suetonius.

Liberalitatis, Magnificentiæ.

Q. METELLVM, quòd patre defuncto munus gladiatorium populo dedisset, paucis diebus in apparatu positis, uelocitatis admiratione, Celerem appellauere. Plut. in Romulo.

L. LVCVLLVS ob magnificentiam Xerxes togatus à Tuberone Stoico dictus. Postq̃ enim Romæ triumphasset, metu Pompeianæ factionis remp. deseruit, otio & quieti indulsit, conuiuiorum splendore, uillarum magnificentia, liberalitate & humanitate erga uiros doctos clarissimus fuit. Plut. in Lucullo.

IOANNES episcopus Alexandrinus, ob eximiam in Christianos liberalitatem, nomen Eleemosynarij promeruit. Sigebertus in Chronicis.

ALFONSVS decimus, Aragonum rex præstantissimus, tunc ingentem lętitiam pręse ferebat, cùm dona insignia largiebatur. Proinde non immeritò Largus cognominatus fuit. Marineus lib. XI rerum Hisp.

Prodigalitatis.

NEPOTES à Rom. dicti, qui auitis facultatibus uino, alea & scortis, patrimonium exhausere. Alex. lib. 1. cap. 9.

FABIVS ob deuoratum lusu patrimonium, Gurges uocatus est: cuius tamen insecuta uirtus, uitia prioris ætatis compensauit. Macrobius.

L. LVCVLLVS, qui Mithridatis Pontici opes fregit, ob insanas uillarum ędificationes, aliaq; sumptuosiora opera, Xerxes Togatus à suis est ciuibus dictus. Sab. lib. 6. cap. 3.

Cor. LENTVLO, Suræ cognomentum adhæsisse, scribunt eruditi, quòd Sylla dictaturã gerente, quum quæstor publicæ pecuniæ uim haud paruam prodegisset, eoq; nomine plurimum Sylla indignaretur, ab eoq; impensius rationes exigeret, progrediens in senatum is neglig̃eter admodum & per contemtum: Rationem (inquit) non reddo, uerùm eius exhibeo: ueluti assolent pueri, quum in pilę lusu aberrarint. Cæl. lib. 24. cap. 5. A. L.

Auaritiæ.

ANTIGONVS à rapacitate dictus est Hierax. Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 11.

LIVIVS Salinator, eo quòd in censura sua salis uectigal primus omnium commentatus esset, Salinatoris cognomen accepit. Liuius libro 29. & Cæcilius.

Superbiæ.

TARQVINIVS Superbus, Romanorum regum ultimus, ob eam rem nominatus est, quòd Tullum socerum suũ regno & uita spoliatũ insepultum abiecisset: etsi reliqua eius uitæ sęuitiæ & crudelitati dedita, nõ tã fuit digna eiusmodi appellatione, quàm exilio & calamitate, in q̃ superbissimus rex, cũ scelerata cõiuge & liberis incidit. Sabell. lib. 6. cap. 3.

TYRANNION Amisenus, Estiæi Amiseni nobilis grammatici discipulus, prius dicebatur Theophrastus. Mutauit autem nomen, quòd inter æquales superbis uersaretur morib. Volater. lib. 20. Anthróp.

BEATRIX Mastini Scaligeri F. Barnabæ Vicecomiti matrimonio iuncta, à fastu superbisq; moribus Reginæ cognomen adepta est. Iouius in Ioanne Archiepiscopo.

Bello uigente inter TYNDARIDAS & Theseum ob raptam Helenã, cùm illi Aphidnã occupassent, & sororẽ recepissẽt, Atheniẽsib. trepidantib. suasit Mnestheus Thesei F. ut admitterent in urbem, & acciperent benignè Tyndaridas, ut uni

L l 4 Theseo

Theseo iniuriæ auctori arma inferrent: in cæteros mortales benefici essent, & eorum seruatores. Victores ut initiarētur, postulauerũt. Itaq; honores assecuti diuinos, Anaces dicti sunt, uel ob factas inducias, quas ἀνοχὰς Græci uocant, uel ob curam & solicitudinem, ne cui malum afferretur, cũ esset intra muros tantus exercitus. Plut. in Theseo.

Clementiæ.

ANTIGONVS, Macedoniæ rex, ob clementiam Euergetæ nomen meruit. Victo enim ad Selasiam Cleomene, & Sparta capta, in Lacedæmonios clemens fuit, neq; Spartæ dignitatē ludibrio habuit, neq; ei insultauit: uerùm legibus & republica illis reddita, & sacro diis facto, recessit tertio die, cùm graue bellum accepisset Macedoniæ ab Illyriis illatum. Plutarchus in Cleomene, & Suidas.

Moræ.

Q. FABIVS Maximus ex morũ clementia, & quòd nihil illo esset placidius, Ouiculę: idem quòd Hannibalem mora fregit, Cunctatoris.

Seueritatis.

Abierunt Manliana imperia apud Romanos in prouerbium, estq; & ipse L. MANLIVS Torquatus Imperiosus appellatus: qui filium altæ indolis securi percussit, quòd præter militarem disciplinã in hostem ex prouocatione dimicasset. Sab. lib. 6. c. 3.

L. CASSII prætoris Romani tribunal, propter nimiam seueritatem Scopulus reorum dicebatur. Val. lib. 3. cap. 7.

Crudelitatis.

Persarum regem truculentissimum OCHVM, qui necatis multis Apim deniq; mactauit, & in cœna depastus est cum amicis, nominauerunt Aegyptij μάχαιραν, hoc est, gladiũ, nominantq; etiãmnum in regum catalogo: morum asperitatem & importunitatem instrumento mortifero comparantes. Plut. in Iside.

ALEXANDER, Hircani F. Iudæorum rex, ob crudelitatem Thracida dictus est. Iosephus lib. 13. cap. 22. Antiq.

OPILIVS Macrinus Imp. pro Macrino fuit appellatus Macellinus, cùm macelli specie domus eius cruentaretur sanguine uernularum. Cuspinianus.

Vidit sua ætas ATTILAM Hunnorum regem, magno q; hominũ consensu Flagellum Dei nuncupauit: non quia è cœlo sit hominibus mali aliquid (id enim impiũ sit credere) sed quòd numinis permissu Barbarus multis cladibus Italiam affecerit. Sabellicus libro 6. cap. 3.

Libertatis nimiæ.

DEMOCHARES, ob linguam procacem παῤῥησίας appellatus est. Alexander ab Alexandro libro 2. cap. 11.

Pollicitationis uanæ.

ANTIOCHVM ex Macedonũ regibus quendam fuisse Dosonem cognominatum legimus, quòd multa promitteret, pauca impleret: Nam Δώσω futurum est à uerbo δίδωμι, ceu diceretur Antiochus Dabo. Celsus lib. 24. c. 6.

CHARES, Atheniensiũ dux, in pollicitando liberalis admodum. Itaq; in prouerb. abierunt, αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις: quibus multi aureos se in Olympia staturos læti coniectabant: sed ita nunquam non aera se caprasse mox agnoscerent. Idem.

PERTINACEM Imp. scribit Capitolinus, uulgò Chrestologum esse nuncupatum, quòd bene loqueretur, malè faceret. Relatum id & ab Sexto Aurelio.

Adulationis.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, qui summum bonũ in corporis uoluptate ponebat, à Diogene Canis regius est appellatus, quòd diuitum esset assecla. Laërtius.

Assentatriculæ CYPRIÆ, ubi transierunt in Syriam, fuerunt Scalulæ appellatæ, quòd regum coniugibus inclinantes se summitterent ad currus conscendendũ. Plut. de Dinoscendis adulatoribus, & Athen. lib. 6. c. 6.

Λέμβος, scapha nauē onerariã sequens, prouerbialiter de adulatore & parasito dicitur, Athenęi testimonio, uelut de mēsarũ assecla: quod cognominis adhæsit HERACLIDI Calletiano, ut est apud Laertium, & citatur non uno in loco apud Athenæum, Ἡρακλείδης ὁ λέμβος, Heraclides cognomento Lembus. Hadr. Iunius centuria 7. Adagiorum.

Popularitatis, Humanitatis.

Plutarchus indicat Atheniensiũ NICIAE duci ob morum uafriciem Cothurni cognomen fuisse uulgò tributum, quòd omnibus se accommodare nouisset.

AEMILIA gens, Mamercum Pythagoreum auctorē suæ stirpis nuncupat: cui propter eximiam humanitatē, quodq; animo esset æquissimo, cognomē Aemilio inditum ferunt: sicut à lepore LEPIDI, & CICVRII mansueti appellati.

P. Valerio Valesi filio POPLICOLAE cognomē meritò contigit: non magis quia ex publicę libertatis assertoribus fuit unus, quàm quòd illam assertam lege & popularibus exemplis stabilisset, maximè cùm legem de prouocatione à magistratib. ad populũ promulgasset. Cæcili⁹, & Sab. lib. 6. c. 3.

TITVS Vespasianus, Humani generis delicię, ob popularitatem, mansuetudinem & humanitatē, appellatus est. Fulgosus lib. 5. cap. 1. ex Suetonio.

ANDREAS Dandulus Venetorum dux, ab eloquentia & comitate uulgò Comesinus dictus est. Egnat. lib. 8. cap. 16.

Curiositatis.

M. ANTONINVS Pius Imp. cùm nimium curiosus esset, poneretq; maximam diligentiã in minimis quibusdam rebus indagandis, Cuminisector cognominatus est. Dion Nicę.

Inconstantiæ.

AVARES quum sedes sæpe mutassent, nõ tam à rege quàm ab inconstantia (ut mea fert opinio) sumsere nomen, & uetustissimi Scythiæ fuere populi, magna cum Vnnis cognatione cõiuncti, & pro Vnnis habiti. Sed quum Vindelicos occupassent, Bauari, ut pleriq; sentiunt, à Boijs & Auaribus appellati sunt. Bonfinius lib. 9. Decadis 1.

Scurrilitatis.

Mordacitas PTOLEMÆO Lamyri cognomentũ inussit. Garrulum enim Græci Lamyrum uocant. Cæl. lib. 24. cap. 6.

PTOLEMÆVM aliũ Aegyptium regē desamatissimũ, quòd super cætera flagitia & dedecora choraulam & tibias exerceret, Auleten cognominarunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2.

Inhumanitatis, Morositatis.

ARISTOGITON orator Atheniensis, propter impudentiã Canis uocatus est. Volaterranus lib. 13. cap. 4. Anthrop.

DEMOSTHENES ob morum feritatem Arges serpentis nomine uocatus est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11. ex Plut.

METRODORVS Scepsius, à Romani nominis odio, cognomen adeptus est. Plin. lib. 34. cap. 7.

L. TREBONIVS Trib. plebis, cùm in suo tribunatu patres insectari, & leges suo libitu ferre uideretur, Asper cognominatus est. Liuius libro 3. Dec. 1.

Sanctitatis.

D. AVGVSTINVM Sal terrę, & Lucernam super candelabrũ ecclesiæ positam, Paulinus Nolanus episcopus discipulus eius appellauit.

Religionis, Pietatis erga deos.

ANTIOCHVS Sedetes Syriæ rex Iudæis, cùm circumsideret Hierosolyma, ad summum festum postulantibus dierũ septem inducias: non tantùm dedit has, uerùm & tauros auratis cornibus adornatos, thymiamatumq; & odoramētorum ingentē uim ad portas deduxit: atq; postquam eorum sacerdotib. uictimas tradidit, ipse in castra est regressus. Quem Iudæi admirati, mox à festo in fidem eius se permisere. Hinc Pij nomē meruit. Plut. in Regum apoph. & Iosephus lib. 13. c. 16. Antiq.

IVDAS Lebbæus, siue Thadęus, unus ex XII. Christi Apostolis, à feruenti religionis studio Zelotes cognominatus est. D. Hieron. in Com. 4. cap. ad Galatas.

PTOLEMÆVM Aegyptiorum regem, eo quòd deorũ simulacra à Cambyse disiecta & restituisset, Euergetē in posterũ & Beneficum appellarunt. Alex. lib. 1. cap. 2.

SALADINO Aegyptio Sultano nomē inditum à religionis correctione. Saladinus enim idem sonat, quod Latinis Corrector legis. Aemilius lib 5. sub Ludouico Iuniore.

LVDOVICVS Imp. ad cęteras uirtutes, quibus excelluit, clementiæ & pietatis laude insignis, quę ei quoque Pij cognomen apud posteros dedit: insignior tamen futurus, nisi extrema ætas eius crebris & fœdis filiorum fuisset deformata seditionibus. Sigonius lib. 4. regni Ital.

Pietatis in Parentes.

CORNELIVS, quia patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomē ex cognomine posteris dedit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

Perfidiæ.

TARQVINIVS Rom. rex postremus, eo quòd Seruiũ Tullium socerum insepultum abiecit, dictitans & Romulum sepulcro caruisse, Superbi nomē adept⁹ est. Sabel. lib. 6. En. 2.

PTOLEMÆI Aegyptiorũ reges, Philadelphus, Philometor & Philopator, ob neces parētib. & fratrib. germanis illatas, ꝑ antiphrasim & irrisionē uocati sunt Alex. ab Alex. li. 1. c. 2.

Non tulit Attica ciuitas in Aristide nomen ab æquitate & innocētia inditũ: at in CALLIA crudelis & iniusti uocē ferre potuit. Hic quia improbus, retentus est in ea ciuitate, unde is fuerat eiectus, qui omnium eius ætatis hominum fuit iustissimus: manifesto leuitatis argumento in multitudine, quæ amat leuiter, odit q; leuius. Sabel. lib. 6. cap. 3.

Dicti alicuius sui.

TREMELLIVS, primùm appellatus est Scrofa, q̃stor cũ esset Licinio Neruæ prætori in Macedonia prouincia relictus, q̄ pellet exercitui, dũ ꝑtor rediret, hostes arbitrati occasionē se habere uictorię, impressionē facere cœperũt in castra. Ille cũ cohortaretur milites ut caperēt arma atq; exirent contrà, dixit, Celeriter se illos, ut scrofa porcos, disiecturũ. Id q̄ fecit, nã eo prælio hostes ita fugauit, ut eo Nerua prætor, Impera-

Imperator sit appellatus, Tremellius cognomen inuenerit, ut diceretur Scrofa. Varro lib. 2. c. 4. de Re rustica.

P. NIGIDIVS Figulus cognominatus est, eo quòd responsis interroganti, cur gemini dispari conditione nascerentur, commentum rotæ meditatus est, quæ reuoluta breui momento maxima percurrit spacia. August. lib. 1. de Ciuit.

Dicti alicuius.

GEDEON, diruta Baalis ara impunè, dictus est Ierobaal, eò quòd dixisset Ioas per insultationem, Vlciscatur se de eo Baal, qui fodit aram eius. Iud. 6.

Theras Autesionis F. cùm Eurystheni & Procli, Aristodemi filiis, quorum tutor fuerat, regnum restituisset, in Callistã insulam, quæ postea Theras ab eo fuit dicta, nauigauit. Cùm autem filius negaret, se nauigaturum cum eo: Relinquam ergo, inquit, ouem lupo. Inde nomen adolescenti inditum, ΟΙΛΥΚΟ, id est, Ouis lupo. Herod. lib. 4.

Facti insignis.

SAVLVS, subiugato Paulo proconsule, quem apud Cyprum Christi fidei subiecit, sibi Pauli deinde nomen sumsit. Origenes in præfatione Com. epist. Pauli ad Rom.

STESICHORVS lyricus, ex Himera Sicilię ciuitate, eò quòd primus citharæ cantu chorũ constituerit, ita dictus est, cùm priùs Tisias diceretur. Suidas.

ANTICRATES Lacon, dictus Machærion, quòd machæra interfecerit ad Mantineam Epaminondam. Dum enim prima aciem fusa instat atq; urget consectationē hostium, Anticrates eum excipiens lancea, ut scriptum reliquit Dioscorides, feriit. Plut. in Agesilao.

Proditum memoriæ est, CORN. Rufum, Decemuirum, quòd ex præscripto librorum Sibyllinorum ludos fecerat, Sibyllam primò, mox annis intercedentibus, Syllam appellatũ, posteris nomen propagasse.

L. VAL. post decemuiralem inuidiam, plebem in patres concitatam legibus & conditionibus suis mitigauit: unde Potiti nomen adeptus est. Volat. lib. 20. Anthrop.

Liuio SALINATORI, quòd in censura ex salaria annona nouum uectigal statuisset, sal cognomentum dedit.

In gente Claudia Appius CAVDEX cognomento fuit, quòd primus classem extra Italiam duxerat, & nauali prælio Romanos pugnare docuerat. Dixère autem caudicem, lignorum aceruum compactum & conglutinatum: unde & codices. Seneca.

ASBOLOMENI, uelut fuliginati, intelliguntur Damonis Peripoltę posteri, quòd is fuligine litus faciem cum sociis, Romanum, à quo Iupiter amabatur, apud Chæroneam interfecerit. Cælius lib. 11. cap. 16. A. L. ex Plutarcho.

FRANCISCVS Dandalus Venetorum dux, Canis cognominatus, quòd cùm apud Clementem pont. pro Venetis legatus fuisset, neq; alia ratione iratum Pont. animum placare posset propter ereptã Ferrariam, catena collo innexa quadrupes Pontificem cœnantem accessisset, eoque consilio iram illius uicisset. Egnat. lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 2. & 4.

SCARBICVS Comes missus cũ aliis ad Henricum IV. Imp. à Boleslao III. Polonorum rege, Glogouiæ ab Imp. obsesso, ut pacem peteret: cùm Cæsar legatis thesaurũ ingentem ostenderet, his uerbis: Hic, inquiens, Polonos perdomabit: Scarbicus, legationis princeps, stultam Cæsaris iactantiam notans, anulo, quem digito gestabat, in thesaurum proiecto: Aurum, inquit, adijciamus auro. Id scomma intellectũ Cæsar, gratias agendo, clusit, *Hab danck*, inquiens, lingua Germanica, quod est, gratias ago. Inde familiæ id nomen mansit, ut Habdanci dicantur. Cromerus lib. 5.

Curæ.

CVRIONES apud Rom. à curis, quibus macilentiores erãt, denominati sunt. Ex qua gente tres præcipui oratores, lumen totius senatus atq; imperij fuère.

Iræ.

TREBONIVS, quòd esset ingenio impotens, & moribus difficillimis, Asper dictus est. COTÆ ab ira & oris toruitate, quòd acres forent & uehementes.

Metus, Timoris.

GARSIAS Sanctius, rex Aragoniæ, Tremuli cognomen accepit, à tremore, quo futura bella præsentiscens corripiebatur, tametsi in prælio fortis esset & intrepidus. Tarapha de regibus Hispaniæ.

Voti, Precum alienarum,

SAMVEL propheta nomen obtinuit, eò quòd cũ mater Anna à Domino exorasset. 1. Sam. 1.

DEMARATVS filius Aristonis Lacedæmoniorum regis, nomen habuit, quòd populus omnis uota fecit, ut Aristoni regum optimo filius nasceretur. Herod. lib. 6.

PHILIPPVM II. Francorum regem Deodatum uocitarunt: quòd obsecrationibus eum pater Ludouicus Iunior tertia tandem ex uxore ipse magnus natu impetrasset. Aemil. l. 6.

Fugæ.

ERICVS, Canuti fratris, regis Vandalorum, à Nicolai Danorum regis, patrui filio Magno perfidè cęsi, mortem ulturus, à Lothario Cæsare desertus, crebris præliis uictus, Pedis leporini cognomen traxit, quòd fuga sibi consuleret. Tandē Slesuicum obsidens Magnus, Adolfi II. Holsatiæ comitis opera oppressus est, mox etiam Nicolaus rex: & Ericus regno Daniæ potitus. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, c. 36.

Risus.

Natus est Abrahę secundùm promissionem Dei de Sara filius, eumque nominauit ISAAC, quod interpretatur Risus. Genes. 21. Riserat enim & pater, quando ei promissus est, admirans in gaudio. Riserat & mater, quãdo per tres angelos iterum promissus est, dubitans in gaudio, quamuis exprobrante angelo, quòd risus ille etiamsi gaudij fuit, tamē plenæ fidei non fuit. Pòst ab eodem angelo in fide etiam confirmata est. Ex hoc ergo puer nomen accepit: nam quòd risus ille non ad irridendum opprobrium, sed ad celebrandum gaudium pertinebat, nato Isaac, & eo nomine uocato, Sara mõstrauit. Ait quippe: Risum mihi fecit Deus: quicunque enim audierit, congaudebit mihi. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei. c. 31.

DEMOCRITVS omnes deridebat, & aiebat insanire. Vnde etiã Gelasinum, id est risorem, eum ciues appellarunt. Dicunt etiam in primo congressu cum Democrito, Hippocratem de ipso tanquam de stulto sensisse. Postquam uerò ipsi familiaritas cũ eo intercessit, mirum in modũ admiratũ esse hominis sapientiam. Aelianus de Varia historia lib. 4.

M. CRASSVS auus eius, quem bella Parthica rapuerunt, eo quòd nunq̃ in uita riserit, Agelastos cognominatus est. Solinus cap. 4. Polyhist. Cicero Tuscul. quæst. lib. 3. de Finib. 5.

Desiderij.

RADAMANTHVS, Iouis & Europæ F. sic dictus, q̄ Europa mater rosarũ incredibili amore fuerit allecta, quas Iupiter in taurum mutatus ore ferebat, ita ut taurum conscenderet, ἀπὸ τῆς μανίας περὶ ῥόδα. Alij tamen croci florem fuisse contendunt. Eustathius Odyss. ξ.

Taciturnitatis.

THOMAS Aquinas, cùm in coęquales pueros taciturnus esset, Bos mutus à plerisq; uocabatur. Verùm magister cognito illius ingenio: Bos, inquit, iste mutus talē mox edet mugitum, ut uocem eius uniuersus admiraturus sit mundus. Marul. lib. 4. cap. 6.

Mechanici exercitij.

CALLIAS Atheniensis comicus, Lysimachi filius, cognominatus est Schœnion, quòd funes ob paupertatem torqueret. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop. ex Suida.

DEMETRIVS Poliorcetes erat in excogitandis bellicis machinis supra modum industrius, multaq; præter architectorum artem inueniebat. Ex quo Poliorcetes, id est, urbiũ euersor nominatus est: & in oppugnationibus tanta ui atq; impetu utebatur, ut nullus ita firmus murus esse uideretur, qui posset obsessis aduersus illum præbere pręsidium. Diodorus lib. 20.

Veteres illi non infimæ plebis homines, quorum bona fortiq; opera populus Romanus usus fuit, ex re rustica, in qua multùm diuq; uersati fuerant, clari nominis cognomēta sumsere. Eiusmodi fuisse PISONES, q̄ in pinsendo frumento longo usu fuerãt exerciti, uel à piso legumine: hi enim Calphurniorũ prosapia à Numa originē duxisse ferũtur. CICERONES & LENTVLI, alteri ob ciceres, alteri ob lentes eximiè cultas, generosum familiæ nomē inuenēre. FABIOS quoq; à satione fabarum sunt qui autumēt denominatos. HORTENSII, q̄ hortorum studio tenerētur. SVILLI, Bubulci, Bupecij, Caprarij, & PORCII, OVINII quoq;, Caprilij, EQVITII, & TAVRI, à pecudib. & armentis cognomenta familiæ tulère: ex quib. claros illustresq; uiros militiæ domiq; multos fuisse, fama uulgauit. C. LICINIVS Stolonis cognomen adeptus est, q̄ agriculturæ diligentissimus fuerit: plãtasq; & arbores ablaqueare, & resectis fruticib. quos stolones uocant, curare soleret. Plin. l. 17. c. 1.

In Valeria familia Romana LACTVCINI quidam appellati, à lactucarum egregia cura. Plinius lib. 19. cap. 4.

Ab agricultura clarissimarum familiarũ nomina apud Rom. PILVMNVS, qui pilum pistrinis inuenerat. PISO à pinsendo. Iam FABII, Lentuli, Cicerones, ut quisq; aliquod optimè genus sereret. Iuniorum familiæ BVBVLCVM nominauerunt, qui bubus optimè uteretur. ATILIVS Seranus, quòd uiator serentem in agro inuenisset, cùm eum ad Dictaturam uocaret, Plin. lib. 18. cap. 3.

Fabij gens clarissima apud Rom. PICTORVM nomen traxit, quoniam princeps eius cognominis ipse ædem Salutis pinxit anno Vrbis CCCCL, quæ pictura durauit, quoad ędes sub Claudij principatu exusta est. Plin. lib. 35. cap. 4.

C. Fabius collega in censura Appij Claudij, cui Cæco mox cogno-

cognomen factum, VENOX fuit nuncupatus, ob indagine solerti conquisitas Appiæ aquæ uenas. M. Valerio Maximo, P. Decio consulibus, inducta in Vrbem est, appellatione ab Appio eodem conciliata, Fabio se magistratu abdicante. Cælius lib.24.c.6.A.L.

FABIOS olim, quia fossis feras capiebant, Fodios tradũt uocatos: qui deinde duabus tempore commutatis literis, appellati Fabij sint. Plut. in Fabio.

P. Aelius PERTINAX Imp. ab Aelio Successo genitus, ab eodemq; nomen Pertinacis habuit, quòd lignariæ negotiationi pertinaciter intenderet. Volaterranus lib.23. Anthrop. ex Herodiano.

Mortuo Conrado I. Rom. rege, Eberhardus eius frater, ut iussus erat, acceptis aureis armillis cum chlamyde, lancea, & ueterum regum gladio ac diademate, ad HENRICVM Saxoniæ ducem festinauitque in uenatione & aucupio fortè reperit: unde cognomentum ei datum est Aucupis. Ei fratris uoluntatem ac procerum consensum detexit, regemq; salutauit. Cuspinianus.

Apud Germanos iam olim consuetudo fuit FABRIS ferrariis, quam etiamnum hodie pertinacissimè seruant, ut quicunq; artem fabrilem exercere uolunt, ab artis illius operibus aut instrumentis cognomen assumere cogantur, gentilitio familiæ suæ nomine & insignibus reiectis.

CORPORIS. Verbi causa,

Modi partus.

SCIPIO Africanus minor, eò quòd defuncta parente, excisus utero, in lucem uenerat, primus Romanorum, Cæsar dictus est. Solinus in Polyhist. & Syllius Italicus lib.13.

CÆSONES, quòd cæso matris utero in lucem prodissent, sicut CÆSARES, quod est Iuliorum familiæ cognomentũ: uel quòd cum cæsarie nascerentur: seu quòd auus C. Cæsaris elephantem occiderat, qui Punica lingua Cæsar dicitur, nomina inuenêre.

AGRIPPÆ, eò quòd in nascendo non caput, sed pedes primi exierant, qui partus difficillimus ægerrimusq; habetur, dicti sunt ab ægritudine & pedib. Solinus cap.4. Polyhist. & Gellius lib.16. cap.16. ex Varrone.

Loci partus.

Critheis, Melanopi Magnesij F. qui Cumam Aeolicam inhabitabat, cùm ex furtiuo concubitu concepisset, & à Cleonacte tutore cuidam Ismeniç Thebano, qui Smyrnam incolebat, obtrusa esset (uel à prædonibus ex Aegina, loco quodã maritimo abrepta, Mæoni Lydorum regi dono data esset) ad festum quoddam cum aliis mulierculis egressa, iuxta fluuium Meletem FILIVM peperit, qui propterea Melesigenes dictus fuit. Temporis inde progressu Homeri appellationem meruit. Plutarchus, & Herod.

In fragmentis Cæcilij Minutiani Apuleij, ueteris grammatici, adnotatum comperi, VIRGILIVM à uirgis esse cognominatum, inter quas sit natus: propterea primam habere I, nõ E, cui suffragetur illud Calui:

Et uates, cui uirga dedit memorabile nomen
Laurea.

Huic sententiæ Priscianus item calculum adiicit. Fatetur tamen idem Apuleius in aliis, Vergilium ab Vergiliis inflecti. Cæl. lib.7. cap. 4. A.L.

LEO V. Imp. optimus, Porphyrogenitus appellatus à domo, cui purpura nomen dedit, in qua genitus est. Constantinus enim Imp. qui primus Byzantio nomen à se reliquit, domũ ædificari iussit, cui Porphyra nomen dedit, uoluitq; sobolem stemmatis sui illic in lucem prodire, ut inde Porphyrogeniti appellarentur, non à purpura, sed à domo. Vbi etiam Basilius à Michaele adoptatus, quo suam sobolem in imperio firmaret, hunc Leonem genuit: à quo & septimus Constantinus dehinc nascitur. Cuspinianus.

Temporis partus.

Vocant PROCVLVM Romani, si absente editus patre sit: POSTHVMVM, si defuncto. Plut. in Coriolano.

CORDVS, qui serò & postremus. OPITER, qui patre mortuo, auo uiuo editus foret. Alex. lib.1. cap.9.

GALEACIVS I. Matthæi Magni Vicecomitis, Mediolanensium principis filius, sic dictus, quòd cùm eum mater Burra in multo gallorum cantu enixa esset, & infans apertis oculis altè uagiret, per iocum Gallazum appellasset. Quod nomen cùm ancillæ cum risu sæpius repeterent, ominosum id uisum est, quòd Gallus Martia auis esset: quodq; ea nocte puerum nasci contigisset, qua felici prçlio ad Decimum interfectis Turrianæ familiæ proceribus, ab Othone Vicecomite parta est ea insignis uictoria, quæ principatus Vicecomitum initium fuit. Iouius in eius uita.

Expositionis.

Lochabeta mulier Leuitica ex Amaramo uiro Leuitico in Aegyptia captiuitate filium peperit, cumq; contra Pharaonis regis edictum tres menses occultũ habuit. Sed cùm amplius occultare non posset, cistæ junceæ, bitumine & pice oblitæ impositum, in papyro ad ripam fluminis exposuit. At Pharaonis filia Thermuthis, quæ in flumen ad lauandũ descenderat, cista aperta, & infantis uagitibus mota, eum educandum suscepit: & cùm nutricẽ quæreret, diuinitus pueri matrem mercede conduxit. Et sic in patris ædibus educatus, iamq; grandiusculus factus, MOSES appellatus fuit, eò quod ex aqua (quam Aegyptij Moy uocant) fuisset extractus. qui postea populi Israelitici uindex extitit. Exodi 2. & Iosephus lib.1. contra Appionem.

DAPHNIS, Bucolici carminis auctor, eò quod infans sub lauro expositus esset, nomen adeptus est. Aelianus lib.10

Isenbertus comes de Altorf, uxorem habuit Irmẽtrudem. Hæc cùm pauperculam feminã eodem partu tres liberos mares enixam uidisset, & tanquã impudicam reprehẽdisset, quòd ex eodem uiro tres simul filios suscipere, impossibile uideretur: ipsa post annum, absente uiro, duodecim mares enixa est. Perterrita eo casu, obstetrici undecim in proximo torrente submergẽdos tradidit. Paret illa. Obuius fit illi Comes, & quid uelatũ gestet, interrogat. Illa VVELFOS, hoc est, catulos deformes submersuram sese asserit. Mox ille: Ac permitte, inquit, ut uideam, sint ne aliqui, qui uenationi nobis inseruire possint. Repugnat illa. Tandem coacta, infantes XI. ostendit, & negotium Comiti, ut gestũ erat, narrat. Imperat ergo Comes, ut factum apud uxorẽ suam dissimulet: & filios educari præcipit. Exactoq; sexennio, cùm in cõspectum matris produxisset, statuit, ut non Comites de Altorf, sed ex uetulæ obstetricis ominosa uoce Velfi uocarentur. Bruschius de monasterio Vinearum.

Conseruatæ uitæ.

PENELOPE ab Icaro & Peribœa in mare proiecta, à Penelopibus auibus seruata est. Inde nomen traxit, cùm prius Arnea uocaretur.

AEGISTHVS Thyestis & Pelopiæ filius, expositus, à capra nutritus, inde nomen accepit.

SEMIRAMIS, Nini Assyriorũ regis uxor, quæ defuncto marito, 42. annis sub uirili habitu Assyriis magna cũ laude imperauit, ab auibus dicta est. lingua enim Syriaca auem significat. Ab iis quippe infans, cùm à matre Derceto propter adulterij euitandum crimen exposita esset, nutrita dicitur: ut est apud Diodorum lib.3. & Sabel. lib.1. cap.2.

CYPSELVS, Eetionis Echecratis ex Labda uxore F. cũ à Corinthiis ad necẽ quæreretur, ob oraculũ Delphicum quasi Corinthum euersurus esset, & à matre occultaretur: à Cypsela, mensura frumentaria, sub qua latuit, nomen habuit. Herod. lib.5.

Fabius cognominatus est AMBVSTVS, quod olim adolescens fulmine tactus in naribus fuerit. Hinc etiam Pullus Iouis, quasi dilectus ab eo uideretur, & mutata litera postea Rullus dictus: & Eburnus, à candore. Festus apud Volater. lib. 16. cap.1. Anthropologiæ.

Tradunt infantis MITHRIDATIS (eius, cum quo XLII. annos Romani bellũ gessêre) cunas de cœlo tactas, exustasq; igne cœlesti fascias, citra ullum omnino illius nocumentũ, uestigium modò fulminis uisum in frõte. Rursum cùm iam uirilitatem attigisset, domũ, in qua dormiret, fulmine itidẽ ictam, ac pharetræ propendentis spicula deliquisse ignita. Vnde coniectatũ uatibus est, sagittandi arte illum fore præpotentem & armatura leui. Ab huiusmodi uerò ictibus, similitudine quadam affectionis, à Trallianis (teste Cic. pro Flacco, & Plut. lib.1. Sympos.) Dionysium fuisse cognominatum. Cælius lib.29. c.17. A.L. & Muretus lib.1. Var. c.2.

LAMISSIVS Longobardorum rex, sic dictus, quòd à lama, id est, à uoragine fuerit extractus. Nam cùm mater eius meretrix septem uno partu enixa filios in piscinam proiecisset, rexq; Agelmundus iter faciens, eos hasta reuolueret, is hastam eius firmiter tenuit. Ab eo igitur nutritus, cò uirtutis processit, ut in regno ei succederet, & necẽ eius contra Bulgaros ulcus sit. Sigebertus in Chron.

ALBANENSIS episcopus, per iudiciũ ignis immensam per transiens illæsus pyram, uestimentis etiam per flammã uolitantibus, sed in nullo læsis, Petrum Florentinum episcopũ declarauit simoniacum. unde & ipse postea Igneus est appellatus. Hotoman. de Feudis, c.44. ex Abbate Vrsperg.

Educationis.

IVSTINVS minor, nepos Iustiniani Augusti ex filia, cùm patrem haberet Illyricæ gentis, Curopalates ante regnum dictus, quod à teneris annis nõ ut nepos, sed uti filius, in aula principis educaretur, ac magno in honore haberetur, ad honestandam conditionem suam. Cuspinianus.

Roboris corporei.

GRATIANVS Imp. Valentiniani pater, Funarius est dictus: quod funẽ portanti quinq; etiã robustissimi milites extorquere nequirent. Paulus Diaconus. & Sex. Aurelius.

VALERIANVS Cæsar propter promptitudinem manuum in tractandis armis, Carpici cognomen meruit, à carpo. Quod tamen postea, Imperator factus, modestiæ causa respuit. Alex. ab Alex. lib.1. cap.11.

Celeritatis.

PAPYRIVS, à pedum pernicitate, qua uictor omnium suæ ætatis æqualium fuit, Cursoris nomen accepit.

Staturæ.

CINESIAS poeta, procero quidem, sed tam gracili corpore, ut corticibus arborũ se circumcinxerit, ne inflecteretur: ob id ab Aristophane dictus φιλύρινος. Erasmus in Adag.

Apud Rom. COLVMELLÆ à proceritate appellationem traxerunt. Solinus.

PIPINVS ex Austria profectus, & Childerico Francorum rege ad Theodericum fugato, prætorio præfectus, Pusilli cognomen à breuitate corporis habuit. Ritius lib. 1. de Francorum regibus. Pipinum quasi *Bubkin*, hoc est, puerulum dici, Io. Heroldus suspicatur.

CAROLVS Imp. à rerum gestarum magnitudine cognomẽtum Magni adeptus est: licet & aliqui à proceritate corporis illud ipsum assecutum contendant, qua cæteros mortales antecelluisse, & facie, & barba, & pectore ac tibiis (quæ etiamnum hodie Aquisgrani cernuntur) cæteris longior fuisse feratur. Cuspinianus.

Habitus corporis.

Apud Rom. ARVINÆ à pinguedine dicti. Solinus.

CAROLVS Imp. cognomento Crassus, à corporis pinguedine, filius Ludouici Germanorum regis ex Hemma uxore. Cuspinianus.

SANCTIVS I. Hispaniæ rex, ab habitu corporis cognomentum Crassi adeptus. Ritius lib.2. de Regib. Hispaniæ.

Coloris corporis.

GALBAS à colore galbulæ auis credunt denominari. Est enim passeris genus luteis pennis. Tametsi à galbeo indumẽto aliqui dictos asseuerent. Solinus & Alexander.

CONSTANTIVS Imp. Chlorus dictus est, ob pallorẽ, princeps opt. & erga Christianos mitissimus. Pomp. Lætus.

LVDOVICVS Sfortia, dux Insubrum, Mauri cognomentum iam inde ab adolescẽtia, quòd fusco esset colore: illudq; ex opinione, quæ tum iam de eius calliditate diuulgabatur, libenter, quoad in imperio mansit, retinuit. Guicciard. lib.3.

Pulcritudinis.

ASPASIA, Hermotimi filia, Phocensis, propter roseum cutis colorem Milto uocabatur. Hanc, quãuis pauperem, Cyrus Persarum rex in uxorem duxit. Aelianus lib.12. Variæ hist.

PHILIPPVS Francorum rex, qui initio simultates cũ Bonifacio pontifice maximo, deinde professas exercuit inimicitias, à formæ præstantia Pulcer cognominatus est. Ritius libro 2. Regum Francorum.

Formæ similis.

P. SCIPIO Nasica iunior, Serapion uocitatus est, quòd Serapioni uictimario seruo persimilis omnino foret. Val. Max.

SCIPIO Suarius, ob similitudinem suarij cuiusdam negotiatoris. Idem.

Mortis.

ZOROASTRES Bactrianorũ rex, qui secundùm Orosium, Plinium, Iustinum, & alios, magicas artes inuenisse dicitur, ab accidentario casu post obitum demum ita nominatus est. Præstigiator enim cùm esset, & deus uideri uellet, dum multum astris intentus, scintillas quasdam ex stellis produceret, tandem ab ipso dæmone succensus est. Eum fulmine ad cœlum eleuatum, & in deorũ numerum relatum putantes, uocarunt in posterum Zoroastrem, quasi uiuẽs astrum. Clemens in Itinerario, & Antoninus Tom.1. tit.2. cap.1.

VLYSSEM Lycophron coraca uocat, hoc est coruum, διὰ τὸ πολυχρόνιον: quoniã ætate iam fessus interiit, ab Telegono interemtus, quem ex Circe susceperat: cuius rei uel Oppianus commeminit. Cælius lib.20. cap.34. A.L.

Geminis editis, si sublatus alter sit, superstitem VOPISCVM dicere solent Romani. Plut. in Coriolano.

IACOBVS martyr, Persa genere, metu mortis, idolis sacrificauit. Sed mox pœnitens, martyrium sustinuit alacriter, & à præfectis membrorum nodis Denodatus dictus est. Marullus lib.2. cap.12.

CHRISTIANOS olim Semissios & Sarmentitios fuisse appellatos, Tertullianus in Apologetico testatur, quòd stipite & sarmentis uix semisse constantibus exurerentur.

Capitis formæ, affectus.

TVDITANI Romanis olim, quòd malleo simili capite nascerentur, cognomen gentilitiæ stirpis inuenêre. Tudites enim mallei, à tundendo dicti sunt.

A capitis magnitudine, CAPITONES dicti. Solinus.

Aurium.

Ab auribus pendulis, FLACCI. Plinius lib.10. cap.45.

CLACEOS Romani eos, qui mobilibus essent auribus, dixêre Solinus.

Narium.

VARRO sophista à forma nasi, ciconiæ comparis, Pelargus cognominatus est. Alexander ab Alex. lib.2. cap.11.

A simis naribus uel repandis, SILOS & SIMOS Romani appellarunt.

A naso magno, NASONES: ab adunco NASICÆ dicti.

CICERONVM gentis auctor habuit in extremo nasi in modum ciceris cæcam incisuram: unde cognomen quæsiuit. Plut. in Ciceronem.

Frontis.

PLATO philosophus diuinus, & omnium, quotquot sunt, philosophorum sanctissimus, ab initio Aristoclis nomẽ habuit: & ob frontis siue humerorum latitudinem Plato appellatus est. Volat. lib.18. in eius uita.

Faciei.

A faciei colore, BVRROS, NIGROS, RVFFOS, AQVILIOS, RVTILIOS dixêre ueteres Romani.

Corn. COSSVS, tribunus militum, ab aspera facie ita appellatus est. Cossos enim Festus eos, qui rugosi sunt, & aspera facie, dicit uocari, à similitudine uermium, qui in ligno nutriuntur. Eodemq; modo uocant hodie uulgò Itali paruos in cute tumores. Volat. lib.14. cap.2. Anthrop.

L. Corn. quia faciem habebat albam, rubore plurimo permixtam, SYLLÆ cognomentum adeptus est. Ea propter quidam ex Atheniensium scurris eum appellauit Morũ farina conspersum. Plut. in eius uita. Quamuis Macrobius lib.1. Saturn. c.17. incerto auctore, propter inspectionẽ Sibyllinorũ librorũ, primò Sibyllã, deinde Syllã cognominatũ asserat.

Superciliorum figuræ.

A superciliis præeminentibus SILONES nomen accepêre. Solinus.

Imp. ALEXIO Duce, ob coniũcta supercilia, & uelut oculis imminentia, Murzulli cognomentũ ab æqualib. inditũ est, quem Latini imperio exuerunt, anno sal. 1200. Nicetas.

Oculorum figuræ, affectus.

Melesigenes poeta HOMERI inde nomen traxit, uel quia à natiuitate cæcus fuisset, uel quia peregrinationibus lõginquis Colophone uisum amisisset. Nam cùm Cumam reuersus esset, & de alendo Melisigene deliberaretur, unus è senatoribus repugnauit, inquiens: Si semel Homerus, id est, cæcos alendos susciperent, futurum, ut turba cæcorũ tandẽ opprimantur. Atq; hic primũ Homeri nomẽ Melesigeni inditũ. Lingua n. Cumæorũ ὅμηρος, quasi μὴ ὁρῶν dicitur: uel certè quod comite & duce itineris indigeat, ut Plut. & Herod.

ANTIGONVS Philippi, ἑτερόφθαλμος, id est, monoculus fuit, indeq; Cyclops est cognominatus. Cælius lib.21. cap.38. Antiquarum Lectionum.

HORATIO illi, qui Thuscorum copias detinuit solus, quòd alterum in bello amisit oculum, Coclitis nomen fuit: quãuis quòd esset unoculus, Cyclopem, mox lapsa consuetudĩne, pro Cyclope, Coclitem appellatum ferant.

ACHATIVS orator insignis, eò quòd altero oculo captus esset, μονόφθαλμος appellatus est. Volat. lib.13. c.3. Anthrop.

LICINII & LIMI, alteri, quòd paruis ocellis nascerentur, alteri, quòd limis oculis intuerentur, Romanis sunt dicti.

Ab oculis PÆTI, STRABI nomen accepêre. Plin. l.11. c.45.

Oris, Labiorum, Malarum figuræ, affectus.

Thetis Peleo præter cæteros filios ACHILLEM etiã genuit. Cùm uerò per noctem sub igne filios occultaret, ut quod mortale illis esset, ita eximeret, filij reliqui omnes mortui sunt. At Achilles per diem ambrosia perunctus, & per noctem sub igne occultatus, dicitur aliquãdiu perdurasse: donec à Peleo deprehensa, irata, in numerum Nereidum se recepit. Sic igitur Achilles ab igni seruatus Pyrisous primùm uocatus est: atq; cùm labrum tamen exustum fuisset, quod, cùm lingeret infans, ambrosia non erat perunctum, dictus est postea Achilles. Alij in lebetem bullientis aquç infantes ab ea iaci solitos inquiunt, ut experiretur, an mortales geniti essent. Natalis Comes lib.9. c.12. Mythol.

MALICI & BRONCI Rom. dicti, alteri quòd magnis malis & buccis tumidioribus essent: alteri, quòd ore sine labiis nascerentur. Alexander.

A labiorũ magnitudine, CHILONES & LABEONES. Idẽ.

HALÆ, à fœdo oris halitu. Solinus.

Q. FABIO Maximo, nota corporis cognomen Verrucoso dedit, quòd uerruca parua ei ex summo extuberauisset labio. Plutarchus in Fabio.

Linguæ affectæ.

MICHAEL Rom. Imp. quòd lingua esset balbutienti, Thraulus siue Balbus cognominatus est. Volaterranus libro uigesimotertio Anthrop.

LVDOVICVS Francorum rex, Caroli Calui frater, ab impedimento linguæ Balbus cognominatus est. Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

Dentium figuræ, affectus.

DENTATOS Romanis, quod solido osse uice dentiũ armarẽtur, dictos

dictos putant. Quo modo Prusiæ regũ Bithyniç filius fuisse fertur. Quanquam pleriq; aliter sentiant, auctorem scilicet gentis, cùm primùm in lucem editus fuit, dente nato prodiisse: sicut de M. Curio, & M. Carbone traditur. Solinus cap.4. Polyhist.

ACOMATHES Bassa, cuius ductu Baiazethes II. Valachiã subegit, ex Albania oriundus, antiquis ducibus uirtute militari æqualis fuit, adeò ut prouinciæ omnes, quas impeteret bello, uel solum nomen ipsius pertimescerent. Cognominatus est Ghendich, quoniam dens ei unus deesset: nam id Turcica lingua Ghendich significabat. Iouius in uita Baiazetis.

Capilli, Barbæ.

EPICRATES orator Atheniensis, eò quòd propensam ad pectora barbam ferret, Sacesphorus est à Platone in comœdia uocatus, quasi scutum præ se ferens. Volaterranus lib. 15. Anthrop.

LAPPÆ ab inculto capillo nomen traxêre. Solinus.

AENOBARBI, quasi Ahenobarbi, ab æris simillimo capillo, inter Romanas familias numerantur.

IVLOS à prima barbæ lanugine pleriq; dictos autumant.

CAPELLAS à capillorum hirsutie dictos uolunt. Itaque IVLIANVM Cæsarem Constantij Imp. aulici Capellam uocabant per ludibrium. Cælius lib.25. c.17.

CONSTANTINVS IIII. interfecto patre Constante in Sicilia, ephebus adhuc Byzantio soluens, in Siciliam nauigauit, ibiq; patris interfectores milites cum Mezentio tyranno sustulit. Postea è Sicilia rediens, cùm promissam barbam referret, Pogonatus dictus est uulgo Constantinopolitano, id est, Barbatus. Paulus Diaconus libro 19. Rerũ Rom.

CLODIVS Francorum rex, Pharamundi filius, cui quoque in imperio successit, à promisso capillo Capillatus dictus est. Ritius de Regib. Francorum lib.1.

CAROLVS Ludouici regis Francorum filius, cui à morte patris obtigit imperium Franciç, à casu capillorum Caluus dictus. Ritius lib.1. de Reg. Franc.

RAYMVNDVS Berengarius II. comes Barcinonæ, Caput stupæ cognominatus, à flaua densaq; cæsarie. Tarapha de regibus Hispaniæ, & Marineus lib.9 rerum Hisp.

Mammarum formæ.

MAMMVLAS quasi papillosos, ab ipsa re denominatos ferunt.

Articulorum affectus.

HERMANNVS comes de Veringen, apud Sangallenses monachus, Contractus ob membrorum contractionẽ dictus. Obiit anno MLIV.

Manuum.

Persarum rex ARTOXERXES, Xerxis filius, qui lenitate atq; animi celsitudine præcelluit, Macrochir siue Longimanus uocatus est, quòd manum dexterã haberet altera longiorem. Plut. in Artoxerxe.

C. MVTIO Cordo, qui scribam in castris Porsenæ interfecit, ob cladem dextræ manus Scæuolæ est cognomen inditũ. Nam cùm ferrum illi restitueretur, læua accepisse manu dicitur. Græci scæuum sinistrum uocant. Sab. lib.7. En.2.

Femoris, Pedum, Genuum figuræ, affectionis.

MELAMPVS uates, poeta & medicus excellentissimus, filius Amythaonis, sic dictus, quòd nigris fuerit pedibus. Nã cùm eum mater peperisset, in loco arboribus denso exposuit: in quo cùm pedes minùs obtegerentur, sole sunt nigri facti. Theocriti interpres in tertio Eidyllio.

Heliodorus lib. 3. Aethiopicæ historiæ inquit, Mercurij & uxoris sacerdotis Thebani in Aegypto HOMERVM F. fuisse, & indicium stupri in utroq; femore iam inde à natiuitate habuisse uillos prælongos. Cùm igitur ignominiæ uitandæ causa solum uertisset, & in Græcia erraret, nomen, genus & patriam occultans: propter hanc corporis notã uulgò dictus fuit ὁμηρὸς, hoc est, is qui femur pilosum habet. μηρὸς enim femur denotat.

PITTACVM Mitylenæum, qui unus ex septem Græciæ sapientibus fuisse dicitur, cùm latos haberet pedes, Sarapoda uocat Alcæus. Alex. lib.2. cap.11.

Romani à uitiis corporis uaria habuêre cognomina. A pedibus PLANCI, à planicie PLANTÆ, teste Festo. PLAVTI, & PLOTI, quòd supra modũ pedibus planis essent, teste Sex. Pompeio: ut Plautus Comicus. PANSÆ, à latitudine. A cruribus, VARI, VATIÆ, VATINII, VALGI, SCAVRI, quòd uarias haberent suras, aut crura intorta, aut talos præeminentes. Plinius lib.11. c.45.

SVRÆ, à surarum neruositate. Solinus.

T. QVINTIVS, Togatarũ scriptor, Atta dictus, quòd ob crurum aut pedum uitia plantis insisteret, & terram magis attingeret q̃ ambularet. hi enim Attæ dicũtur, teste Festo.

FALCONES, quòd pollices pedum introrsus curuatos, falconis instar haberent. Et SEDIGITI, quòd senis plerunque digitis.

Sputionis.

ANTIMACHVS poeta Melicus, cognominatus est Psecas, id est pluuia, quòd inter colloquendum sputo familiares aspergeret. Etiã OLYMPICVS quidã sic dictus est. Suidas.

Excretionis.

CONSTANTINVS V. Imp. Leonis III. F. infans baptismi lauacro admotus, in magna ecclesia media ceremonia aquam polluit alui excremento. Vnde cognomentum Copronymi meruit. Licet alij tradant, quòd dum sæpe ab amita lauaretur, proprium stercus manibus tractans, Copronymus, quasi sterconomius appellatus sit. Germanus patriarcha præsagiit, per hunc puerum sacra omnia contaminãda, & magna iis imminere incommoda, qui pietatem colerent. Cuspinianus.

Alimentorum.

Scriptum fuit ab Apollodoro lib.3. ACHILLEM à Peleo susceptum, & Ligyron uocatum, deportatum fuisse ad Chironem: quem ille amantissimè educarit, atq; leonum uisceribus nutrierit, aprorumq; & ursorum medullis, lactis prorsus ignarum: ut est in his uersibus Euphorionis:

Ἐς Φθίλω χιλαῖο κατνὴς πάμπαν ἄπυςος·
Τοὔνεκα μυρμιδόνες μιν ἀχιλλέα φημίξαντο.
Nescius omnino lactis Phthiam petit: illum
Quare Myrmidones dixerunt nomine Achillem.

Natalis Comes lib.9. ca.12. Mythol. ὅτι οὐδὲ χιλοῦ, hoc est, sine cibo, siue iure albo ex lacte & farina nutritus fuerit. Significat enim χιλὸς succum siue liquorem ex cerealibus expressum: uel apud Medicos, liquorem album lacti similem in uentriculo, ex cibo concocto prouenientem. Eustathius Iliad. α. Cælius lib.24 cap.6. A.L.

BALLACHRADAS se Argiuorum liberi certo festo per ludum appellant: quòd eos, qui ex montibus ab Inacho primi in campos fuerint deducti, pyris, quæ Achrades dicuntur, tolerasse se autument. Hæc autem in Peloponneso prima Græcis fuisse conspecta, cùm regio illa etiam tum Apia uocaretur. Vnde Apij uerso nomine dicti Achrades sunt. Plut. in quæst. Græcis.

Sicut PHILOXENVS Cytherius parasitus Philichthys est cognominatus: ita nec desunt, qui PLATONEM quoq; Philosycon nuncupent, quòd ficis gratè uesceretur. Quidã dictus Philobotrys est, quoniam uuis afficeretur insigniter: uelut PHILIPPVS Macedo, eiusq; filius ALEXANDER Philomeli uocantur, à pomis, quæ auidè esitarent. Quin inuentis prope Babylonem optimis, edita ab Alexandro melomachia est, onustis nauibus. Rhetor CALLIMEDON Carabi cognomen est assecutus, quòd eo piscis genere insigniter oblectaretur. Vixit is Demosthenis tẽpestate, opsophagia præcipuè celebratus. Cælius lib.13. capite 25. Antiq. Lect. ex Athenæi lib.7. cap.1.

Apud Rom. MVRÆNAS & ORATAS, uel quòd piscium eius generis uiuaria quàm amplissima haberent magno fœnore, uel quòd eo edulio præcipuè uescerentur, pleriq; dictos uolunt. Tametsi Murænam à neruoso corpore, sicut Neruam à fortitudine multi denominari dicant. Alexand.

PERPENNA dici uidetur, qui sit larido deditus: quo nomine caro intelligatur salsa, Macrobio tradente. Cælius libro 24. capite sexto.

IACOBINVS Carrariensis (cuius ex filio Albertino nepos Marsilietus ab Vbertino, Patauinorum duce III. in principatu hæres nominatus fuit) puer etiamnum ruri, uel certè in monasterio Carrariense, ubi pestilentiç causa asseruabatur, ob auidè deuoratas fabas, Papafauæ cognomentũ per iocũ accepit. Id quod deinceps familia illa retinuit, Carrariense uti inauspicatum & odiosum detestata. Patauij etiamnum & opibus & uirib. florens. Bernard. Scard. lib.3. classe 13. historiæ Patauinæ.

Vestitus.

Romani quendam ex METELLIS, quòd diu in publico uersaretur, fronte, in qua ulcus habebat, obligata, appellauerunt Diadematum, hoc est, Vittatum. Plutar. in Coriolano. Sicut Diadematus alius, à diadematis usu, quod à uittato discrepat non multum. Cælius lib.24. cap.6.

PAPYRIVS Prætextati cognomen, ob tacendi loquendique in prætextata ætate prudentiam, meruit. Macrobius lib.1. Saturnal. & Gellius lib.1. cap.23.

M. POPILIVS consul, cùm sacrificium obiret læna amictus (erat enim flamen Carmentalis) plebis contra patres seditione nunciata, cum læna prodiit in concionem, & seditionem oratione sua compescuit, Hinc Lænæ agnomen meruit. Cicero in Bruto.

MOECENAS, quòd mollioribus uestimentis quàm par esset indueretur, Malacinus dictus est. Alexander ab Alexandro lib.5. cap.18.

Caius

Caius, mortuo Tiberio, Imperium assequutus, CALIGVLA est (ut Aurelius inquit) cognominatus, à calciamento militari, simili fortè huic, quo nostro seculo Hũgari utũtur & Turci. Caligas enim milites clauis suffigebãt, ut hodie innumeris clauis calciamenta sua Hungari. Proinde Plinius caligares clauos è ferro ac chalybe rubiginem ac marcorẽ contrahere scribit. Et Egesippus centurionem quendam Iulianum Hecatontarchum appellatum tradit, propter clauos, quibus creberrimis & acutis calceos fixos habebat. Quòd ergo inter milites manipulari habitu tali erat educatus, cognomẽ sortitus est Caius, militibus admodum carus. Proinde & Alumnus legionum dici uoluit, teste Seneca: Caligulæque nomen, conuitium & probrum esse nonnunquam existimabat. Cuspinianus, ex Dione & Suetonio.

ANTONINVS Bassianus Imp. post Parthicum bellum uiuẽs in exercitu, proprium genus indumenti in modum penulæ excogitauit, barbarum discissumque, & consutum ex multis partibus: Eo indutus semper, CARACALLVS inde cognominatus est. Dion Nicæus. Alij tamen eum, quòd nouo uestis genere populum donasset, Caracallæ nomen tulisse asserunt. Alexand. ab Alexand. libro 5. cap. 18. & Volaterranus lib.23. Anthrop.

FORTVITORVM. NEMPE

Opulentiæ.

Asinæ cognomentum CORNELIIS datum est, quoniã princeps Corneliæ gẽtis emto fundo, seu filia data marito, cùm sponsores ab eo solenniter poscerentur, asinam cum pecuniæ onere produxit in forum, quasi pro sponsoribus præsens pignus. Macrob. lib.1. Saturn. cap.6.

Thesauri.

THESEO nomen hac occasione inditum est. Pater eius Aegeus cum Aethra Pitthei Trœzeniorum regis filia rem habuit: eamque concepisse suspicatus, gladium & calceos sub saxum cauum & ingens abstrusit, rem soli Aethræ aperuit: deditque mandatum, ut si filium peperisset, adultum eum, cùm sublato saxo potuisset eas reliquias eximere, unà cum his, nemine conscio (propter 50 Pallantis filios Aegeo infestos) ad se mitteret. Aethra igitur filium edidit, qui propter reposita sub saxo, unde cognosceretur, monumenta, θησεὺς ἀπὸ τῶ θέσθαι dictus fuit. Plutarchus in Theseo.

Possessionis, Agrorum.

Eduardi Anglorum regis auxilio Malcolmus Scotorum regnum, cæso Maccabæo, recuperauit, anno Sal. 1061. Forfair generale edixit consilium: ubi PRIMORES regni, qui partibus suis adhæserant, quorumque patres à Maccabæo fuerant occisi, amplis donauit præmiis: agrisque ac magistratibus redditis, pristinam ipsorum aut parẽtum restituit dignitatem: uolens, ut, quod antea non fuerat, aliarum more gentium à prædiis suis cognomina caperent. Primus omnium alios Comites, alios Barones, aut Equites auratos creauit. Multa tum noua cognomina Scotorum familiis indita. H. Boethius lib.12.

Paupertatis.

Toxis Hunnorum rex, suscepta Othonis I. Imp. tẽpore in Galliam expeditione, in reditu, quàm primùm Germaniam attigit, exercitum in tres partes diuisit. Ex quibus quum tertia Pãnonias repeteret; ad Isenacum Thuringiæ ciuitatem à Saxonibus ad internecionem omnes, SEPTEM tantùm exceptis, cæsi sunt. Qui ad suos reuersi, omnibus bonis priuati, nec quicquam proprij possidere, uerùm nudis pedibus mẽdicare uictum iussi fuerunt: perpetuaque ignominiæ nota, à mendicando Lazari sunt appellati. Bonfin. lib.10. Dec.1.

Viduitatis.

LAODICE Agamemnonis filia, eò quòd sine lecto & matrimonio defuncto patre ad senectutem peruenerit, Electra dicta est. Aelianus de Varia hist.

Imperij sacri, Pontificatus.

[redacted]

BONIFACIVS III. Romanus patria, cùm Phocæ (qui Mauricium Imp. cum tota stirpe deleuerat) imaginem Romam missam honorificè excepisset, cumque contra Constantinopolitanum patriarcham Cyriacum (qui Mauricij cædem ægrè ferebat) defensurus uideretur: quandoquidem inter Romanos & Constantinopolitanos patriarchas de primatu contentio erat, ipse primus Papa & Episcopus œcumenicus ab Imperatore salutatus fuit, cum plenaria potestate conuocandi, dimittendi, corrigendi Synodos, anno Salutis 607. iuxta Palmerium: iuxta Bedam uerò, 612. Meminerunt istius constitutionis Adon Viennensis ætate 6. Beda de Ratione temporum, Iuo in Chronico, Platina in uita Bonifacij. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianæ pietatis arcem esse oportere aiebant, ubi & imperij. Romanus pontifex contrà Constantinopolim Romanam esse coloniam prædicare, Romam uelut matrem & dominam adhuc esse: quod ipsi Græci perbellè faterentur, qui suum principem Romanorum Imperatorem suis diplomatibus & libellis inscriberent, ipsique Constantinopolitani Romæi Græca uoce dicerentur. Iam & illud adiicere: Apostolicam sedem Petrum Barionam, qui fuit apostolorum princeps, & cui animarum potestas primùm est à Deo attributa, Romæ non Byzantij fixisse, fixam & stabilitam posteris per manus tradidisse. Romanus itaq; pontifex, per hæc tenuit, ut Romana sit ecclesia omnium princeps declarata. Platina, & Sabellicus lib. 6. Enn. 8. Ab hoc tempore pontifices Romani cœperunt Vniuersales papæ appellari: ut patet ex epistola Constãtini ad Domnium papam, in secũdo Tomo Conciliorum, & in subscriptione sextæ Constãtinopolitanæ Synodi. At Constantinopoleos episcopi titulum Vniuersalis patriarchæ obtinuerunt. Sic enim Constãtinus Georgiũ appellat, in epistola ad ipsum, quæ extat inter acta Synodi Constantinopoli, secundo Tomo Conciliorum. Et Macarius Petrum Vniuersalem patriarcham nominat, in 8. actione eiusdem. Et Cyrus sic appellat Sergium, in actione 13. Constantinopolitanæ.

Sacerdotij.

AVRELIOS ex Sabinis, quòd publicè his Romæ locus datus foret, ubi Soli sacra facerent, à Sole nuncupatos ferũt: pòst pro Auseliis Aurelios dictos, R primùm litera inuenta. Alex. lib.1. cap.9.

Imperij profani.

CN. Pompeius Agamemnonis cognomen meruit, quòd mille nauibus piratico bello imperasset, ut ille mille Græcorũ nauibus ad Troiam. Xiphilinus in Pompeio.

Victoriæ.

Innuit Thucydides, ex naualis belli uictoria præsigni THEMISTOCLEM Græcis nuncupatum quãdoq; Naumachum. Cælius lib.14. cap.12. A.L.

EQVITES Rom. cùm olim Celeres sub Romulo & Flexumines appellarentur, postea Trossuli fuêre dicti, eo quòd Trossulos oppidum in Thuscis circa Volsinios sine ullo peditum adiumento cepissent. Sub Gracchis id nomen exosi, Iudices sunt uocati, & ultimò Equites. Plin. lib.33. cap.1.

M. MANLIVS primus in Manliorum familia amplissima & uetustissima claritatem nominis obtinuit, Capitolinusque ob defensum Capitolium dictus est. Plin. de Viris illust.

DRVSVS ex Liuiorum familia hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen inuenit. Suetonius in Tiberio.

M. VAL. Coruinus dictus. Cõgressus enim singulari certamine cũ Gallo, coruus Valerij galeæ insidẽs, rostro & alis diuersum hostẽ nõ prius infestare destitit, quàm Gallus tali prodigio territus, oculisque simul & mente turbatus, ferro sit à Valerio prostratus. Sab. lib.3. En.4. ex Gellij lib.9. cap.11.

T. MANLIVS cùm Gallum ingentis staturæ insolenter Romanos ad monomachiã prouocantem, fortiter prostrauisset, iacentemq; aureo torque spoliasset, eum cruore respersum collo circundedit suo. Exceptus magno cum gaudio à Romanis, inter iocularia militum carmina Torquati cognomen auditum, uictori ipsi & posteris deinceps mansit. Sabellicus lib.3. Ennead.4. & Gellius lib.9. cap.13. ex Q. Claudij Quadrigarij primo libro Annal.

C. MARIVM ob Ambrones, Teutones & Cimbros uictos, Pop. Rom. tertium Conditorem urbis appellauit, quòd nõ minori discrimine tum Roma seruata esset, quàm quum Senones sunt à Furio Camillo ex urbe eiecti. Læti itaque ciues, cum uxoribus & liberis diis domesticis & Mario libarunt. Sabellicus lib.2. En.6.

Consueuisse Romanos ex oppidis uel prouinciis captis aut ui subactis plerunq; cognomenta ferre, memoriæ datum est. C. MARTIVM Coriolanum, quòd fortem strenuamque operam reipub. nauasset, capto Volscorum oppido Coriolis, Coriolani nomen sumsisse ferunt: & SERGIVM Fidenatis, ex bello, quod ad Fidenas gessit. Ex tribus uerò METELLIS, unus, deuicto Iugurtha & ui subacta Numidia, Numidici: alter Q. Cæcilius, L. Metelli filius, ex Macedonia, Macedonici: tertius ex Creta, Cretici cognomenta sumsere. Fuit quoque Metellus Balearicus, ex deuictis Balearibus cognominatus. Sed Numidicus, L. Luculli auunculus fuit: Macedonici Metellum Balearicum plerique filium, nonnulli fratrem dicunt. Creticum uerò, & alium Dalmaticum, eiusdem Macedonici filios fuisse nulla controuersia est. L. quoque MVMMIVS, deleta Achaia & Corintho, Achaici cognomen tulit. Sed Corinthi superatæ, prima laus Macedonici fuit. Is enim omnem Achaiam ita bello afflixit, ut rebus abscissis Mummius superueniens, leui certamine expugnatam Corinthum uictoriæ suæ adscripserit. Alex. lib.2. cap.11.

Messana in Sicilia, & Isauria in Cilicia bello domitæ, M. VALE

RIO & P. SERVILIO, Messalæ & Isaurici cognomēta dedere. Seruilius.n.Lyciæ urbes clarissimas iusto p̄lio uicit. Isauros primū bello aggressus imperio adegit. Victor denique triumphū ex hostibus, & Isaurici cognomē reportauit. Ex Allobrogib. FABIVS Allobrox, & ex Caucis Germanica gēte GABINVS secundus Caucius, atq; ex Callecis Hispaniæ populis bellicosissimis BRVTVS cognomēto Callecus, & ex Getulis COSSVS Getulici nomina sumsere. Idē.

P. SCIPIONEM Aphricanum, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Aphrica superata & Carthaginensibus bello uictis, Aphricani cognomen tulisse: Lucium uerò eius fratrem ex deuicto Antiocho & Asia subacta, Asiaticum cognominatum inuenimus. Fuit & alius SCIPIO cognomento Aemilianus, prioris Aphricani nepos adoptiuus, qui ob Aphricam bello domitam, Carthaginem & Numantiam excisas, tertio bello Punico, minor Aphricanus & Numantinus appellatus est.

CÆSARES, ex prouinciis, quas ui & armis subegere, illustria cognomenta tulerunt: sæpe populi decreto, nonnunquam acclamatione senatus. Itaque SEVERVS Imperator, & reliqui post eum Cęsares, ex Arabia, Adiabena, Parthia, Armenia & Germania, aliisque bello domitis gentibus nationibusq;, quas suo ductu & auspicio conquisiuere, Arabici, Adiabenici, Parthici, Armenici & Germanici, sicut Sarmatici, Aphrici, diuersis titulis cognomenta cepere.

VALERIANO Cęsari, quòd promtus ad arma & bellicosior esset, milites militari studio Manus ad ferrum nomē indidere: qui postea in imperio delatum Carpici cognomentum refutauit. Alex.

ALEXANDER Seuerus licet Imperatoris, Patris patriæ, & Magni cognomenta renuerit, asserens magnis rebus gestis ea sibi nomina parare oportere: tamen ob deletos Azauenos, Azauenici cognomen sumere non dubitauit. Alexand. libro secundo, capite undecimo.

TRAIANVS Imp. cùm Decebalum Dacorum regē cum exercitu fugasset, Dacicus cognominatus est. Idem cùm Armenios Parthosque Romano subiecisset imperio, Optimus à senatu cognominatus est. Adhæc Nisibi Batnisq; captis, Parthicus etiam cognominatus est. Sed cognomine Optimi multo magis gloriari uidebatur, ex quo natura moresque eius suauissimi magis quàm arma cognoscerentur. Dion, Xiphilinus.

M. ANTONINVS uictis Celtis, qui trans Rhenum habitabant, atque Marcomannis, qui aliquoties feliciter contra Romanos pugnauerant, & Marcum Vindicem præfectum interfecerant, Germanicus cognominatus est. Dion & Xiphilinus.

CAROLVS Pipini F. quòd imperium Francorum extinctis ubiq; hostibus pacasset, Martelli cognomen meruit, quod lingua Franca signum est blandientis, & à cæde hostium deductum. Auentinus lib. 3. Annalium. Sed alij à uoce Gallica, quæ Malleum significat, deriuant.

OTHO II. Imp. uictor in præliis frequens, ab æmulis Rubeus Otho ac Sanguinarius cognominatus fuit, à Saracenis Pallida mors. Cuspinianus.

OTHO IIII. Imp. qui XXXIIX. annis imperauit, propter rerum gestarum magnitudinem, Mundi miraculum appellatus fertur. Bern. Corius in eius uita.

IACOBVS octauus Aragonum rex, Petri filius, ob res magnificè sanctéq; gestas Fortunatus & Felicis memoriæ fuit appellatus. Marineus lib. 10. rerum Hispan.

Amicitiæ.

Nemo Romanorum sine prænomine appellabatur: idque ex eo institutum, quòd quum inter Romulum & Tatium societas & communicatio imperij inita esset, ut una consensio, unus populus, una mens atque idem corpus, sublato discrimine notaretur: ut ROMANI Sabinorum, SABINI Romanorum nomina suis nominibus præponerent, æquato regni iure & consociato imperio, cautum fuit. Quare prænomina ueterum fuisse ex Sabinis nominibus deducta, multorum opinio fuit. Quin etiam excellentes uiros & principali dignitate insignes, solis prænominibus nominasse, magnificentius honestiusque duxere, tanquam ob illorum amplitudinem uulgò noti & conspicui forent. Alex. l. 5. c. 4.

PREMISLAVS II. à Philippo Cæsare rex Boemorum creatus, conuersis inde studiis Othoni, Philippi æmulo, tam constanter adhæsit, ut à Germanis Otthischgar diceretur, hoc est, totus Othonianus. Id nominis inde traxit, ut Othogarus etiam à Boëmis diceretur. Ab eo sequentes etiam reges Othogari cognomē sumsere, uidelicet Venceslaus III. filius, & Othogarus nepos, à Rodolfo Cæsare in acie cæsus. Dubrauius lib. 15. & seq.

Inimicitiæ, Odij.

VLYSSI auus maternus Autolycus nomen indidit Ὀδυσσεύς, ἐπεὶ πολλοῖς ὀδυσσάμενος, quoniā auus multis inuisus fuerit, alio rum in terra facultates compilare solitus. Eustath. Iliad. ξ.

EVRIPIDES Tragicus poeta, ueneris omnino abstinens ex quo μισογύνης, osor mulierū dicebatur. Suidas.

QVIBVS NOMINA INdita. Puta

Populis.

Ab Abrahamo Isaaci patre gens nomen sortita est, atq; HABRAEI primo dicti, mox & IVDÆI à Iuda Israelis filio, Habraami pronepote. Aurelius Augustinus (à quo dissentire pudeat) ab Hebero, qui ex Noe atnepotibus unus fuit, Hebreos primò, mox HEBRÆOS nominatos auctor est. Sab. lib. 1. En. 1 Paulus episcopus Burgensis censet Hebræos esse cognominatos quasi peregrinos: hocq; esse etymon uocabuli lingua illa, de re non esse dubitandum: quis enim nescit gētem illam & in terra Chanaan & in Aegypto esse peregrinatam? Viues in lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 3.

Lactātius lib. 4. Hebręos tradit egressos iam Aegyptū, in quadam Syriæ solitudine cùm consedissent, cœptos appellari IVDÆOS, quòd dux eiusce examinis erat Iudas, & terra quàm incoluere Iudæa. Verùm credo cognominationē inde ortam, unde & tribus Iudæ regnum meruit, q̄ ea prima post Mosen, cæteris cunctantibus, inter undas Erythrei maris est ingressa: quod putant Hebræi intelligi, cùm Gen. 49. dicit Iacob Iudæ: Ex captiuitate fili mi ascendisti. Nam sic legunt ipsi. L. Viues in lib. 15. August. de Ciuit. Dei, cap. 8.

Xuthus Hellenis F. à fratribus suis è Thessalia eiectus, Athenas confugit, & ex Erechthei filia Achæum & Ionem filios suscepit. ION Selinontis regis Aegialensium (Aegialus autem olim dicebatur, quæ postea Achaia fuit dicta) filiam Helicen in matrimonium accepit, & ab ea urbem Helicen, gentem ipsam Ionas uocauit. Penes cuius posteros mansit imperium, donec ab Achæis eiectis à Doriensibus in Peloponnesum redeuntibus regno exuti, cum uniuerso populo profugerunt. Achæus autem Thessaliam recepit. Illius filij Achāder & Architeles cùm Argos uenissent, & duas Danai filias Scæam & Autonoē in uxores accepissent, confirmato imperio usus obtinuit, ut ab Achæi liberis communi nomine tam Lacedæmonij quàm Argiui dicerentur ACHAI: proprio uerò soli Argiui appellarentur DANAI, à rege Danao. Pausanias in Achaicis, & Herod. lib. 7.

PELASGI olim erant Cranai nominati. Sub rege uerò Cecrope. Cecropidæ cognominati. Erechtheo autem adepto imperium, immutato nomine ATHENIENSES appellati: deinde IONES, ab Ione Xuthi filio, qui dux extitit Atheniēsis exercitus. Herodotus lib. 8.

Vocabantur quondam PERSÆ à Græcis Cephenos, à seuerò ipsis atque ab accolis, Artæi. Verùm posteaquam Perseus Danaes & Iouis filius ad Cepheum Beli filium commeauit, & Andromedam eius filiam duxit uxorē, tulit ex ea filium, quem Perseum appellauit: cumque ille reliquit: à quo (nam Cepheus carebat uirili prole) cognomen sortiti sunt Persæ. Herodotus lib. 7.

MEDI quondam ab omnibus uocabātur Arij: sed ubi ad eos concessit ex Athenis Medea Colchis, immutauerunt & ipsi nomen. Herod. lib. 7.

Cilices à Cilice Agenoris F. PHOENICES appellati, cùm prius Hypachæi dicerentur. Herod. lib. 7.

LYCII à Lyco Atheniensi, Pandionis F. dicti, cùm priùs è Creta oriundi Termilæ appellarentur. Herod. lib. 7.

Curis urbs Sabinorū quondā insignis, è qua prodiere T. Tatius, & Numa Pōpilius, quorū ille cū Romulo, hic post Romulum Romæ regnauit. Post raptum Sabinarum, Sabini ex hostibus amici facti, Romam migrauere, ciuitatis & nominis societate facta, ut foris quidem ROMANI, domi uerò & pro concione Quirites quasi Sabini ab urbe Curis dicerentur. Strabo lib. 5. Geographiæ.

VMBRI antiquissima Italiæ gens, quos quasi Ombrios à Græcis dictos putant, quòd [illegible] τῶν ὄμβρων, hoc est, imbribus superfuissent. Plin. lib. 3. cap. 14.

Testatur Iordanes GEPIDAS Gothos fuisse ab origine, & cū rege Erico pariter Gothiā (quę pars est Sueciæ) priscis temporibus egressos, nomen tenere ex quodam conuicio. Nam ternis tum grandibus nauibus egressi Gothi memorantur. Duæ cum rege celeres tenuere portus, quos petiuere: tertia tardior, alios in sinus aberrauit. Quorū tarditatem pertæsi cæteri, Gepanta illos, patria lingua (hoc est, pigros atque tardos) dixere, bene congruente nomine moribus & factis eorundem: nam & corporis motu & ingenij tarditate segniores perhibentur. Inde paulisper (ut fit) ex Gepantis, mutato nomine appellati sunt Gepidæ: quod in ea gente, quandiu regno ualuerunt, uocabulum ex contumelia natum, per multa secula in gente durauit. Cranzius lib. 2. Sueciæ cap. 6.

In SCLAVORVM natione maximæ & fortissimæ gentes etiam nunc censentur: nempe Russi, quos Ruthenos plerique uocant, Volynij, Moschi, Bulgari, Rasciani, Serbi, Bosnenses, Carni, Croatæ, & ij, qui Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Vngariæque montana tenent, Slauorumque seu Slauinorum nomen peculiariter retinent: itemque accolæ sinus Venedici, & Oceani Germanici, Sala & Albi tenus, quorum reliquiæ hodieq; à Germanis Vindæ seu Vendi uocantur: deniq; Boemi, Lusacij, Moraui, Cassubij, Pomerani, Masouij, Silesij, & Poloni. Sic dicti à Slaua, quod famam siue gloriam genti significat, quasi celebres, cùm res magnas & præclaras contra Romanum imperiū & finitimos quosque gesserint. Cromerus lib. 1. Poloniæ.

Arx Engeren in episcopatu Osnaburgensi, uetus sedes principum antiquæ Saxoniæ Vvedekindi & filiorum eius: unde nomen ANGLIS Saxonibus, quod olim intulerunt Britanniæ, ut ex illis diceretur Anglia, quod nomen seruat in hodiernum. Cranzius lib. 8 Metrop. cap. 52.

Regibus. Reges à quibus denominati.

Omnes REGES Ioues appellabantur antiquitùs, idque ea causa factum est, quòd Iupiter is, qui primus ita fuit nominatus, præclara in mortales beneficia, & in Atheniēses præcipuè contulit. Atque ut Cæsares omnes Romanorum imperatores ad primi Cæsaris auspicium uocati fuerunt: ita Ioues reges omnes ad Iouis Arcadis auspicium dicti sunt ab antiquis. Postea omnia & Arcadis & cæterorum eius nominis facinora uni Saturni filio Ioui tertio attributa sunt à poetis. Natalis Comes Mythologiæ lib. 2. cap. 1.

Arsaces Scytha, uir fortis & strenuus, quum premente inopia, latrociniis obnoxiam iuuentam ageret, coacta exulum manu, quos Parthos nuncupant, deuicto Seleuco & Mandragora, in regem Parthorum assumtus, illud ita instituit, formauitque, ut diem uictoriæ tanquam natalem libertatis, multis pòst tempestatibus, solennem celebrarint. Qui pòst quàm fato functus est, tanto honori ipsius memoria fuit, ut celebre ad posteros reges cognomen Arsacis ex suo nomine reliquerit. Nam & Parapatius, & Mithridates, & Pharnaces, & qui post illum regnarunt PARTHORVM reges, cognomen Arsacis sibi posterisque illustri titulo propagatum adoptauerunt. Quorum posteros parum legitimè regnare dixerunt, nisi ex matris incesto & filij concubitu editi forent. Alex. lib. 1. cap. 2.

INDORVM reges, alios Palibrotos, alios Sandracoctos, nōnullos Taxiles, sequente nomine in quemcunq; imperium transiret, ob eximiam in bello uirtutem denominatos ferūt.

BITHYNOS ob prioris Nicomedis claritatem, qui militiæ & domi clarus fuit, Nicomedis cognomen regibus indidisse putant. A Cecrope, qui Athenis regnauit primus, reges ATHENIENSIVM Cecropidæ nuncupantur. Hic enim omnem multitudinem in oppida duodecim digestam, partitus fuit, quam Theseus obuiam eundo periclis, ne hostium præda forent, uelut unius corporis alumnos, in unam urbem postea sociauit & coegit. Idem.

Artaxerxes Mnemon cùm bonum regem se præstitisset, planéque affabilem, & pacis amantem, omnium deinceps REGVM nomina Persę commutarūt, eiusq; nomen ipsis impo suerunt, ut Artaxerxæ dicerentur. Diod. lib. 15.

ASSYRIORVM reges Tigranes dicti cognominatique sunt. Cùm enim Seleucidarum imperiū ab Alexandro ad septuaginta supra ducentos annos prouectum fuerit, Tigranis cognomen à primo illo, qui Assyriis præfuit summæ iustitiæ temperamento, posteri desumsere, ita ut per ea tēpora quatuor supra decem Tigranes reges denominati ferantur. Alexand. libro primo, cap. 2.

A Neoptolemo Achillis filio, qui Pyrrhus dictus est, reges MOLOSSORVM Pyrrhidæ, cùm ea loca tenuissent: & PONTI, Mithridatis nomina sumsere. Is enim, cum quo populus Romanus multiplex bellum gessit, à primo Mithridate sextus adnumeratur, quem Eupatorem uocitarunt. Alexand. libro primo, capite secundo.

In MEROE, quòd Candaces præcipua mulier regnum tenuisset, reginas in posterū Cādaces cognominari uoluere: eaq; obseruatio constans & perdiu mansit. Alex. lib. 1. cap. 2.

Aegyptiorum reges, post Mineum Memphis conditorem (qui Abrahamo longè prior uixit) PHARAONES sunt appellati, à rege quodam Pharaone. Pharaoth enim lingua illorum regem signat: uti postea Ptolemæi sunt dicti. Post socerum aūt Solomonis nulli amplius hoc nomine fuerunt appellati, sed propriis nominibus. Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 6.

AEGYPTII reges cùm antea Pharaones dicerentur, Ptolemæus Lagus, gregarij militis filius, qui Aegyptum armis sibi uendicarat, pòst res cum Antigono cōpositas, cum quo multiplici bello & immodica simultate conflictatus est, Aegypti regnum quandiu uixit moribus & disciplinis mirificè instruxit ornauitque. Iam grandis natu, morbo absumtus est, magno sui desiderio relicto. Cuius memoriam Alexandrini tanta charitate prosequuti fuere, ut Philadelpho, qui post eum regnauit, & reliquis Aegypti regibus, ab illius nomine, Ptolemæi cognomēta indiderint. Nam & Euergetes, qui Philadelpho successit, & Philopator, qui Tryphon, & Epiphanes, & Philomator, & alter Euergetes Physcon appellatus, & Lagus, & Auleres, Aegyptiorum reges, ab illo Ptolemæi dicti cognominatiq; sunt. Ibidem.

Reges Corinthij olim Cypselidæ dicti à Cypselo, qui pulsis Bacchidis è Corintho, ibidem imperio est potitus, summásque coegit diuitias. Herodotus, & Strabo.

PAPHLAGONVM reges Pylemenes dici consueuere. Hinc per iocum Nicomedes Bithyniæ rex, cùm subactam Paphlagoniā cum Mithridate diuisisset, eam iussus in integrum restituere, suis uiribus diffisus, se iusto regi restituere uelle dixit, atque Philomenem filium, Pylemenem nuncupauit, regnoq; imposuit. Sabel. lib. 3. En. 6.

A Syluio Ascanij filio, qui secundus ab Ascanio suscepit Albæ regnum, reliquos ALBANORVM reges, per ordinem successionis, Syluios cognominatos fuisse traditur. Siquidem Aeneas Albanorum rex, & Latinus, & Capys, & Capenus, & Tiberinus, ac reliqui deinceps, quādiu regnum Albæ stetit, Syluij cognomenta ab illo meruere. Alex. lib. 1. cap. 2.

LATINIS regibus à Murano, qui in Latio regnauit, Murani cognomen inditum ferunt. Idem.

De Romanis principibus nemo ambigit, quin à diuo Iulio & Octauio reliqui IMPERATORES, Cæsares & Augusti dicti cognominatique sint. Credo equidem, quòd desiderio illorum pòst funera tenerentur, & tanquam in posteris eadem indoles futuræ uirtutis eniteret, ita eodem sibi nomine adoptato, ipsi quoq; ad præclara facinora obeunda inuitarentur. Mansitque sequutis Imperatoribus cognomen Cæsaris & Augusti. Quod non ipsis modò, sed uxoribus, sororibus & filiabus commune fuit. Siquidem Liuia, postquā nupsit Octauio, Augustæ nomen tulit: & Agrippina, postquam Claudio coniugata fuit. Senatus quoque frequenti curia uxori sororique Traiani, cognomen Augustarum dedit: & Vitellius matri, & Faustinæ uxori Antoninus: sic Iuliani uxor & filia, Augustæ appellatæ sunt. Quibus hoc etiam honoris tributum est, ut illas quandoq; sacer ignis præiret: quē mox sequuti Cæsares, pro maiestate imperij, more Persarum regum & Indorum, sibi uendicarūt: tametsi Vitellius oblatum sibi Cæsaris cognomen recusarit, Augusti uerò distulerit: quod postea deploratis rebus, quum hostilibus armis premeretur, dimissum reuocauit, & Cæsarem se dici uoluit. Alexand. lib. 1. cap. 2.

Post longam seriem annorum, Romani IMP. Antonini cognomenta sumsere. Nanque à Pio Antonino, Antoninus Philosophus, uir omni laude dignus: deinde Cōmodus, Caracalla, Geta, Heliogabalus, & alij ex Cæsaribus fama illustres, Antonini nomen sibi adoptarunt: uoluitque Seuerus Imperator, ut Romani Imperatores, sicut Cęsaris, sic in posterum Antonini nomen ferrent. Idem.

Ataulphus Gothorum rex, Roma debellata, eò uesaniç processit, ut quemadmodū Cæsares, sic in posterū ROMANOS principes Ataulphos cognominari destinarit. Idem. *

Longobardi, cùm post mortem Alboini XX annis sub ducibus fuissent, Autharim regem sibi crearunt: quem à Vespasianis & Fl. Claudio Imppp. optimis sumto augurio, & ob dignitatem Flauium appellauerunt. Quo prænomine omnes, qui postea fuerunt, LONGOBARDORVM reges, feliciter usi sunt. Paul. Diaconus libro tertio, capite 8. de Longobardis, & Platina.

Scioldus, Lotheri Danorum regis F. etiamnum puer, cùm à tutoribus fortè inspectādæ uenationis licentiam impetrasset, obuium sibi insolitę magnitudinis ursum inermis solo cingulo inuolutum constrictumq; necandum comitibus præbuit. Quindecim annos natus, inusitato corporis incremento perfectissimum humani roboris specimē præferebat. Ab eo cæteri DANORVM reges communi quodam uocabulo Skioldungi uocari cepti. Saxo lib. 1. & Crāz. l. 1. Daniæ, c. 5.

Familiis. Familiæ à quibus denominatæ.

Aepytus Messeniorum rex, Cresphōntis F. post reditum Heraclidarū in Peloponnesum, cùm & obsequiis, & nobilitate, & largitionibus plebem deliniisset (patri dispar, qui quòd nimiū popularis esset, à potentioribus occisus fuit cum omni prole, excepto Aepyto natu nimio, qui apud Cypselum maternum auum regem Arcadum educabatur) eò peruenit honoris, ut AEPYTIDÆ posteri iam omnes appellati sint, cùm ante Heraclidæ dicerentur. Pausanias in Messenicis.

CLODII & CLVENTII apud Rom. à Cloantho, & MEMMII à Mnestheo, à Sergesto autem SERGII, sicut à Naute NAVTII, & GEGANII à Gia, Troianis ducibus, q Aeneæ comites post euersum Ilium, huc applicuere, illis progenitoribus gloriantur: fuitq; proprium Nautiorum familiæ, ut sacerdotes Palladis fierent, & sacra tractarent, quòd princeps familiæ Palladium Romam attulisse ferebatur. Sic MANI-

sophi Atheniensis filiã, Pulcheriæ sororis commendatione sibi matrimonio iunxit, uirginem cùm forma tum prudentia uirtuteque præstantem, eamque Eudociam appellauit. Sigonius lib.11. Imp. occid.

SERGIO II. pontifici electo, quum Os porci antea diceretur, ad obscenam nominis uocem tollendam, datum est, ut aliud sibi nomen optaret. Manauit dein mos ad posteros, ut qui PONTIFICES crearentur, omisso priore nomine, eligerent sibi unum aliquod ex pontificum, qui antè fuissent, nominibus. Polydorus lib.4. cap.10 de Rerum inuẽt. Ranulphus lib.5. cap.31. tres rationes eius rei affert: Quia Christus apostolorum nomina mutauit, quãdo Simonem Bariona Petrum appellauit: & quod ea res typum gerat uitæ in perfectiorem statum commutandæ: & ne turpi appellatione pontificia dignitas deformetur.

CLEMENTI VII. antea erat nomen Iulius, quod etiam seruare decreuerat, & iam usurpare idem cœperat: sed Cardinalium quorundam rogatu, Clementis, quo nomen moribus conueniret, accepit. Auctor uitæ.

PAVLVS II. Pp. Formosi nomen suscepturus, à Cardinalibus amicis fuit territus, ne Formosi quoque illum fata manerent. Platina.

Ansgarius & Ibo GAVDEBERTVM cõsecrantes, Simonem uocauerunt, eumque in Sueoniam miserunt. Cranzius libro I Metropoleos, cap.32.

Roberto regi Scotiæ, IOANNES filius successit. Placuit optimatibus huic nomen patris imponere, & Robertum III. appellare, quòd Ioannes parum esset nomen regibus felix, omen à Ioanne Francorum rege accipientibus, qui infauspicatò cum Anglis pugnasset, & à Ioanne Anglo, qui regno à Gallis exutus fuisset. Polyd. lib.20. & Boethius lib.16.

CAROLO IIII. Imp. Boemorum regi nomen in baptismo Vencеslaus fuit. At in confirmatione à Carolo Francorum rege mutatum est, apud quem pueritiæ rudimenta peregit. Aen. Syluius in hist. Boem.

Bernardus ex Anglia profectus, Suetiæ regem OLAVM, ad christiana sacra perductum, Iacobi nomine insigniuit. Saxo libro decimo.

NOMINVM VSVS, RESPECTV

PERSONARVM NOMINA VSVRPATA

Regum.

DARIO, quum se regem Persarum ascripsisset, neq; idem nominis Alexandro impartiuisset, Alexander rescripsit, ut de cætero meminisset se non tantùm regi, sed & suo scribere. Alexand lib.2. cap.19.

PERSES, Philippi filius, Macedoniæ rex, quum rebus deploratis & euerso regno supplex ad consulem L. Paulũ Aemilium scriberet, tanquam in altiore fastigio positus, se regem ascribere non dubitauit. Plut.

Magnus ABYSSINORVM & AETHIOPVM rex, qui à nostris corruptè dictus est Pretegian, à suis Bellugian appellatur, quod est uetus cognomentum usurpatum à superioribus regibus. Id nomen incomparabilis præstantiæ, immensiq; precij gemmam significat. Quo nomine regẽ illi suum omnibus alijs excellentiorem esse significant. Sab. supplem. lib. 8. ex Ioan.

Czar in Ruthenico idiomate, Regẽ: Czarstuo uerò, Regnum significat: & hoc nomine MOSCHOVITÆ Principem suũ Regem totius Russiæ appellant. Cæteri autem Slauones, utpote Poloni, Boemi, Lithuani, & cæteri, qui ab idiomate Ruthenico diuersi sunt, alio nomine Regem appellant, scilicet Krol, alij Korol, & Kral: hoc uerò nomine Czar solum Imperatorem appellari existimãt. unde & Rutheni ipsi & Moschouitæ, audientes ab externis nationibus hoc nomine Imperatorem significari, & ipsi Principem suum Imperatorẽ Russiæ appellare cœperunt, nomen Czar dignius esse quàm Regis (licet idem sonet) putantes. Sed in omnibus Ruthenorũ tam sacris quàm prophanis literis, Czar Regis, Kezar uerò Imperatoris nomen repræsentat. Sic quoque rex Tauricæ Tartarus, Præcopensis Czar, id est, Rex nuncupatur, & omnes Reges Tartarorum hoc nomine efferuntur. Sed plurimi ignorantia huius uocis decepti, omnes Reges hoc nomine Czar uocatos, Cæsares, hoc est Imperatores esse putant. Alij quoq; Principem Moschouiæ album Cæsarem, præcipuè uerò subditi sui appellant, id est, Regem uel Imperatorem Russiæ albæ. Russia enim, Moschorum Duci subiecta, Alba dicitur: ea uerò, cui Polonorum Rex præest (quamuis & Albæ partẽ possideat) nigra appellatur Russia. Vel etiã ideo dictũ esse Regem Album Moschorũ principẽ existimo, quòd incolæ omnium regionum ipsius imperio subiectarum, uestibus & pileis albis plerunque utantur. Guagninus in Moschouiæ descriptione.

Senatorum.

Romani SENATORES partim patres cõscriptos, partim simpliciter appellarũt patres. Et eos quidem, qui ab initio centuriati in senatum à Romulo fuerunt, Patres appellarunt & Patricios, quasi qui essent generosi, ut qui patres suos haberent monstrare: postea allectos ex popularibus, Patres conscriptos nominauerunt. Plut. in quæst. Rom.

Amplissimi ordinis nomine, SENATORIVS intelligitur: utpote omniũ summus ac dignissimus. Paulus l.21. ff. de Legat. & fid. lib.32. Hotoman. de Verbis iuris.

Familiarum.

DOMITIA gens, cæteris prætermissis, Cn. & Lucij prænomen, peculiare sibi desumsit. Siquidem ex Aenobarbis (auctore Tranquillo) continua serie tres Lucij, reliqui uerò Cnei prænomina eadem serie uendicarunt. Alex. lib.5. c.4.

Mulierum.

FEMINÆ Romanæ duo tantùm nomina ferebant, mares uerò tria, sæpius quatuor, prænomen, cognomen, agnomen, & nomen, eoque nobilitatem generis monstrabant. Rarò mulieres prænominibus utebantur, mares uerò frequentissimè, namque cognomen & agnomen mulieri non dabatur. Alexand. lib.1. cap.9.

Nobilium.

Trium literarum homo, per ironiam dici potest, in eum, qui generosus & ingenuus uideri cupiat. Inde natum, quòd olim ingenui, prænomen, nomen & adnomen, in literis aut insignibus suis, tribus literis notare soleant. ut pro Quinto Valerio Maximo, Q. V. M. Hinc uulgi iocus, de trium literarum homine. Plautus in Aulularia iocum aliò detorsit, nempe in seruum furacem. Subijcit enim, Etiam fur, trifurcifer. Erasmus.

Seruorum.

Vide sub loco Seruitutis, Seruorum nomina.

Libertorum.

Cùm mancipiis & seruis nullum cognomentum aut prænomen ueteres impartirent ROMANI, soloque appellarent nomine: si quando tamen manu emissi, libertatem meruissent, ut inter seruilem personam & liberam, discrimen nominis foret, cùm illis ordo, honos & locus accesserit, prænomina patronorum, ac si disciplina & cultu Romano essent educati, sæpullinè sibi arrogarunt. Quare Marcipores, Lucipores, Publipores, à Marco, Lucio, & Publio multi seruitute exemti nuncupati sunt. Alex. lib.5. cap.4.

NVMERI SIQVANDO VEL

Idem pluribus utitur nominibus.

Raguel, qui & IETHRO, socer Mosis. Exodi 2.

Dauid ex Bethsaba uxore filium Solomonẽ suscepit (priore filio mortuo) quem Dominus amauit, & eum per Nathanem prophetam IEDIDIAM, hoc est, Iouæ charum nominari fecit. 2. Regum 12.

Anno uicesimo septimo Ieroboami, regis Israel, regnauit AZARIAS, filius Amasiæ, regis Iuda, qui dicitur Ozias. 2. Paralip 26. & 2. Regum 15.

SIMON, filius Iona, Cephas à Christo Opt. Max. appellatus fuit, quod interpretatur Petrus. Ioan.1.

IOSEPHVS cognominatus Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, Filius consolationis) Leuites, Cyprius genere fuit. Act.1. & 4.

In Ioppe fuit quædam discipula nomine TABITHA, quæ interpretata dicitur Dorcas, plena operibus bonis & eleemosynis. Act.9.

Alexandri matrem POLYXENAM, inde Myrtalem, Olympiadaque, & Stratonicen dictam fuisse ferunt. Plutarchus de Pythiæ oraculis.

AEGYPTIIS patrum fuit cognomina habere. Pausan. lib.7.

Apud ROM. utebantur nominibus feminæ duobus, tribus uiri. Plut. in quæst Rom.

Plures eodem utuntur nomine.

Vide supra, Nomina ab aliorum nominibus translata.

Varro quadraginta tres HERCVLES enumerat, additq; hoc nomine honoratos fuisse omnes, qui fortiter quippiam egissent. Testatur & Macrobius in Saturnalibus, hoc nominis compluribus fuisse commune, & ante Amphitryonis priuignum. Sic & ACHILLES appellabantur insigni fortitudine duces.

QVA-

QVALITATIS. RESPECTV RERVM CONVENIENTIÆ.

Conuenientia, Vera.

Vide præced. Titulo, Nomina à Moribus imposita. Quatenus diuinationis aliquid iunctum habent, ad Diuinationis locum pertinent.

Hoseas Nunis F. de tribu Ephraim, cum aliis undecim Israelitarum primoribus ad terram Sanctam explorandam à Mose missus, IOSVA ab eodem fuit appellatus, mutato nomine: præsagio indubitato, quòd ipse aliquando Saluator populi futurus esset, & Israelitas in terram promissam introducturus. Id quod post 40 annos tandem contigit. Numeri 13.

NABAL Ziphæus, ut nomine, ita & re stultus, nuncios Dauidis commeatum petentes placidiss. uerbis, inhumaniter & stolidè reiecit, neque sibi quid cum fugitiuis illis fore pronunciauit. 1. Reg.26.

ELECTRA, Agamemnonis filia, à uirginitate nomẽ habuit, quasi ἄλεκτρος, nullius uiri consortio usa.

ACHILLEM Pelei & Thetidis filium quidam fatali nomine dictum putãt, à robore suo, ὡς ἄχος ἰάλλοντα, quòd dolorem & cladem illaturus esset hostibus: uel certè ὡς ἄχος Ἰλιεῦσιν, quòd pestis esset futurus Iliensibus siue Troianis, quorum urbem euertit. Eustathius Iliados α.

CYRO prisco Persarum regi, qui monarchiæ Persicæ auctor, gentem suam prius obscuram illustrauit, fatali quodam omine, à sole aiunt nomẽ inditum: Cyrum enim uocant Persæ Solem. Plutarchus in Artaxerxe.

GREGORIVS Magnus pont. Rom. hoc nomen meritò habuit. Tanta enim uigilantia dominicum gregem pauit, tanta diligentia episcoporum uitam & doctrinam examinauit, ut ad Apostolorum normam proximè accesserit, & omnes alios Pont. sequentes longo interuallo, post se reliquerit. Ioannes Diaconus in eius uita, lib.2. cap.12.

CHRISTOPHORVS Colonus (quem alij corrupta uoce Columbum dicunt) Genuensis, anno Sal. 1492. nouum orbẽ Peru inuenit, colonias Hispanas eò deducendi, Christum quoq; Indis idololatris annunciandi occasionem dedit Ferdinando & Elizabethæ regibus catholicis.

MARCELLVS Ceruinus cardinalis, uir doctissimus, & inter sui ordinis homines etiam sanctissimus, cùm Iulio III. in pontificatu successisset, & de more nouum nomen assumere iuberetur: Nec nomen, nec mores, respondit. Marcellus fui, Marcellus ero. Magna certè in illo restaurandæ & emendandæ religionis spes fuit: quam tamen mores procerum quorundam ferre non potuerunt. Itaque cùm D. 21. in pontificatu transegisset, magno totius orbis cum mœrore obiit: nihil de pristino uitæ statu discedens, ut nec lubrico summæ dignitatis fastigio, nec improborum commercio à pietate declinarit. Marcellus ergo fuit, tum uitæ semel cœptæ constantia, tum quòd Vergilianum illud & nominis & eucatus similitudine in eum dici potuit, Tu Marcellus eris.

ADIVNCTI HONORIS VEL Dedecoris. Nomina

Honorifica.

De his sub Honoris loco.

ROMANI non Syllas modò & Rufos, sed & Cæcos & Claudios cognomina imponunt: probè assuefacientes ciues, ne cæcitatem uel aliud corporis uitium probrosum ducãt aut contumeliosum, sed aures his ut propriis nominibus accõmodent. Plut. in Coriolano.

Ignominiosa.

Vide locum Ignominiæ.

IVLIANVM Imp. adulandi professores ab hirsutie Capellam nuncupabant apud Constantium Cæsarem: sed & loquacẽ talpam, & simiam purpuratam, & literatorem Græcum. Cælius lib.25. cap.17.

COMMVNICATIONIS. NOMINA COMMVNICATA.

Communicat Nomo nomen suum alteri uel Homini uel non homini. Respectu proinde communicantis, utraque communicatio huius est loci. Respectu uerò eius, cui nomẽ communicatur, ad Topicum Tomum quædam pertinebunt.

Hominibus.

Ex loco Ἀλλοτρίων Nominum, Quæ nomina respectu aliorum in alios sint translata, puta Deorum, Regum, Heroum, Parentum, &c. petantur. Illic Impositio, hic Possessio consideratur.

Tribubus. Tribus à quorum nominibus dictæ.

Consule Tit. Reipub. diuisio in tribus.

Athenienses in ATTALI Pergameni regis gratiam tribum unam ad decem ueteres addidere, quam Attalidem uocarũt. Sabellicus lib.6. Enneadis 5.

Regionibus. Regiones à quorum nominibus denominatæ.

Orbis partes unde nomen habuerint, incertum est. Libya, siue Africa, à plerisque Græcorũ fertur sortita nomen à LIBYA quadam muliere indigena. Asia uerò, ab VXORE Promethei: quanquam Lydi hoc sibi nomen uendicant, asserentes, ab ASIO Manei filio, Asiam appellatam, non ab uxore Promethei: & Sardibus familiam quandam esse uocatam Asiadem. Europa autem neq; an sit mari circumflua, neq; unde hoc nomen acceperit, neq; quis nominis auctor extiterit, ab aliquo mortalium compertum est: nisi quòd didicimus, ab EVROPA Tyria nomen accepisse regionem: nec antè, sicut cæteras, nomen habuisse. Tamen illam ex Asia fuisse constat, neque in hanc commeasse terram, quæ nunc à Græcis uocatur Europa: sed è Phœnicè tantùm in Cretam, & è Creta in Africam. Herod. lib.4.

MEDEA Aegeo regi Atheniensium nupta, detectis insidiis, quas Theseo fecerat, in Asiam profugit, ubi Ariæ regioni dictæ nomen fecit, ut à suo nomine Media diceretur. Pausanias in Corinthiacis.

Cyrene urbs Africæ, à CYRENE eximiæ pulcritudinis uirgine dicta, quam reginam fuisse uult Seruius. Iustinus libr.13. & Diodorus libro quinto.

AEGIALEVS rex nomen dedit parti Peloponnesi, ut Aegialus diceretur: cuius abnepos APIS fuit, tãti nominis, ut tota regio, quæ intra Isthmum est, ab eo sit Apia dicta. Postea cùm PELOPS in Olympiam uenisset, toti insulæ nomẽ dedit Peloponnesi. Pausanias in Corinthiacis.

Lacedæmonia regio uel à LACEDÆMONE Iouis filio, uel à sortitione Heraclidarum siue Doriensium, posteaquam in Peloponnesum redierunt. Nam cui sortitò ea regio obuenit, is nominis beneficio se eam partẽ accepisse arbitratus, ὡς ἀγαθῇ εἱμαρμένῃ λαχὼν, Lacedæmona dici uoluit. Eustathius Iliad. β. Pausanias certè in Messeniacis meminit sortitionis factæ inter Cresphontem & Theram pro Messenia, & Temeni astum in adiudicanda Cresphonti Messenia aperit.

Arcadia ab ARCADE rege, quæ prius à Pelasgo Pelasgia.

Phocis Græciæ regio à PHOCO Aeaci F. cum Aeginetis eam occupante dicta, cum prius à Phoco Ornytionis F. nomen habuisset. Pausanias in Phocicis.

Saturnia dicta fuit Italia à SATVRNO.

Italia ab OENOTRO, Lycaonis Arcadiæ regis filio, nomen obtinuit Oenotriæ. Is. n. classe in Italiam transmisit, cùm frater Nyctimus Arcadiæ regnũ obtinuisset. Pausan in Arcad.

LVSVM Liberi patris, aut lyssan, hoc est, rabiem cum eo bacchantium, nomẽ dedisse Lusitaniæ, & Pana præfectum eius uniuersæ, tradit M. Varro. Plin. lib.3. cap.2.

Insulis.

Traditur in fabulis, SATVRNVM ab Ioue exectum: quamobrem Corcyræ datũ Drepani nomen, quia inibi sit occultata falx. aut certè quam ab Vulcano accepit Ceres segetibus præcidendis. Sed & Sicilia Drepanum dicitur, quoniam esset ibi falx, qua ab Saturno Cœlus creditur excisus. Cælius lib.13. cap.21. Antiq. Lect.

AEGINA Asopi fluuij filia à Ioue adamata, & in Oenopiam insulam desertam, quæ è regione est Epidauri agri, deportata, nomen dedit insulæ. Pausanias in Corinth.

THERAS Autesionis F. genere Cadmæo, missus in coloniam Lacedæmonis, tutor erat Eurysthenis & Proclis, filiorum Aristodemi. Adultus pupillis regnum restituit. Verùm imperij aliorum impatiens, in Callistã insulam, quæ postea Thera ab eo fuit dicta, nauigauit. Herod. lib.4.

Albionis nomen uetustissimum, alij ab albis rupibus, quæ in eam ex Gallia nauigantibus obiectæ primæ apparent, deducunt: alij ab ALBINE quadam, haud absimilem fabulæ, Danaidum confinxere: quippe quæ dux cum quinquaginta sororibus, omnium interfectis maritis, classe delata per fretum Herculeum, ac totam circumuecta Hispaniam, in insula hac tandem sedes posuerit. Deinde nefario concubitu dæmonibus mixtæ, homines immanis staturæ procrearunt, quos appellarunt Gigantes: quosque ad Bruti usque Britannorum progenitoris tempora insulam tenuisse uolunt. H. Boethius in descriptione Scotiæ.

Mari, Fluminibus.

AEGÆVS Atheniensium rex, mari Aegæo. ERYTHRA rex, mari Erythræo, seu rubro. HELLE soror Phryxi, Hellesponto. ICARVS Dædali filius, Icario. HESPERIDES puellæ, Hesperio. TYRRHENVS rex Lydorum, Tyrrheno. TYBERINVS rex Tyberi, fluuio Thuscorum. EVENVS Eueno. MARSYAS tibicen, Marsyæ fluuio. ANIVS rex Thuscorum, Anioni, qui & Anienus & Anien dicitur. ABSYRTVS frater Medeæ, Absyrto Colchorum flumini.

Dyrachus Epidamni rex bellum cum fratribus gerens, Herculem ex Hispania redeuntem in belli societatem asciuit, agri

 poi-

portionem cum eo pactus. Ferunt ea pugna, quæ est inter Herculem & hostes commissa, IONIVM Dyrrachi filium ab Hercule per errorem interfectum, eiusq; exangue corpus in mare proiectũ, unde sit postea pelago cognomen datũ, Ioniumq; appellatum. Sab.lib.5.En.3.

Myrtoum mare non à MYRTILO Oenomai auriga (ut plerique opinantur) à Pelope in mare præcipitato, dictum est (cũ Pelops longinquo mari non fuerit uectus, sed ab Alphei ostio profectus, ad Eleorum nauale applicuerit, uicto Oenomao) sed à Myrtone puella, uti Eubœenses memorant, in eo submersa. Pausanias in Arcadicis.

NILEVS Aegypti rex (à quo fluuius sortitus est nomen, cùm antea Aegyptus uocaretur) cùm plures fossas, easq; opportunis fecisset locis, & Nilum utilem admodum incolis reddidit, & nominis causam præbuit. Diod.lib.1.cap.5.

Vrbibus.

Ephesus urbs ab EPHESO Caystri fluminis filio & Crœso quodam indigena ædificata & denominata, multo ante Amazonum in Græciam expeditionẽ. Pausanias in Achaicis.

Pedis anterior pars ab digitis, tarsus dicitur etiam apud Homerum. Vnde & ciuitatem Tarsum dici, opinatur Dionysius Thrax in iis, quæ de Rhodo scribit, ab BELLEROPHONTIS casu & claudicatione. Aut quia inibi plantam fregerit Pegasus, & errarit Bellerophon. Quod in Periegesi probabile fit Dionysio Aphro. Sunt qui ab diluuio ea primum loca exaruisse prodant, unde ab τερσαίνεσθαι ciuitatem nuncupati, que & Tersos sit dicta, ut Stephanus: hinc apud Lucanum posse legi augurarar, Tersesq; Tarsos. Cæl lib.4. cap.11. A.L.

Delphi urbs à DELPHO Apollinis F. Pausanias in Phocicis.

ALABANDA Cariæ ciuitas, condita à Care, à cuius filio nomen sortita sit. Siquidem is, postquam in equestri prælio strenuè nauasset operam, Alabandus est dictus. Cares enim sua lingua Ala uocant equum, Banda uictoriam. Eamq; uocem ait Stephanus com. de Vrbibus. Romanis etiam in usu fuisse, ut bandam uictoriam dicerent. Erasmus in Adagiis.

Sicyon urbs, Demetriadis nomen à DEMETRIO Poliorcete ob libertatem partam obtinuit. Plut.in Demetrio.

SOLON in Cypro in summa gratia fuit apud quendam illius regionis regem Philocyprũ. Habebat oppidum hic exiguũ à Demophonte Thesei filio ad Clarium amnem conditum, munito quidem loco, sed aspero & sterili. Ei Solon, cùm esset letus campus subiectus, illuc suasit ut urbem transferret, amœnioremq; & ampliorem exitaret. Atq; ipse præsens, ut frequentaretur oppidum cultorib. curam egit, sociusq; fuit regis in constituendo eo cùm ad uitam, tum ad securitatem commodissimè tuendam. Vnde frequentes incolæ confluxerunt ad Philocyprum, æmulatiq; hoc sunt cæteri reges. Quare Soloni honorem habuit, nominata urbe, quæ dicta antè Aepea fuerat, ab huius nomine Solis. Plut.in Solone.

Tarentum Italiæ, à TARANTO heroe Neptuni F. dictum, simul cum uicino fluuio. Pausanias in Phocicis.

Roma à ROMVLO nomen habuit Sab.lib.2 En.2.

Ab IVLIA Agrippina Claudij Cæsaris uxore, Vbiorum oppido, quò ueteranos coloniamq; deduci impetrasset, quia illic genita erat, & eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fidem acceperat, nomen nomini inditum est. Cuspinianus ex Suetonio.

Londinum, Trinouantum, olim à LVDO rege appellatum. H. Boethius lib.3.

Theodo primus dux Boiorum, Augustam Tiberij expugnatã & restauratam ab sese, mutato ueteri nomine, Reginoburgium, à nomine REGINOBVRGÆ, uxoris suæ, appellauit. Veteres enim Germani (teste Tacito) feminarum nomina auspicatiora credidere: & quum feminis inesse sanctum aliquid & prouidum putarent, nec aut consilia earum aspernati sunt, aut responsa neglexerunt. Auentinus libro tertio Annalium Boiorum.

Aedificiis, Turribus, Domibus.

Herodes rex Iudæorum præclara ædificia de matris, patris & fratris appellauit nomine, ut Antipatrida à patre ANTIPATRO, Cypron à MATRE: Phasaelum item propugnaculum in FRATRIS defuncti monumentum. Iosephus libro 16. capite 9.

Mensibus. A quorum nominibus Menses dicti.

Atheniensibus, ut Ianuarius, qui erat anni principium, utque prima & ultima dies cuiusque mensis, DEMETRII nomine appellaretur, aliquando lege cautum fuit, quum Demetrio Poliorceti, à quo liberati fuerant à iugo Macedonum, plus nimio indulgerent, & famularentur. Cuius exemplo nonnulli ex CÆSARIBVS, perpetua felicitate insolentes, mensibus sua nomina indiderunt, fauore imperitæ multitudinis ducti. Nam September & Iunius Germanici nomine appellati sunt. October Domitianus, Aprilis Neroneus, Maius Claudius: sicut Augusti & Iulij nomina uelut sanctiora diuo Cæsari & Octauio, uulgi opinio & consensus consecrauit. Tiberius uerò Cæsar, ne September suo nomine, neue October Liuius uocaretur, apud populum intercessit & peruicit. Commodo autem imperante pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Inuictum, pro Nouembri Exuperatorium, pro Decembri Amazoniũ, assentatores nomina indiderunt. A Tacito uerò Cæsare, September Tacitus dictus est. Alex.lib.3.cap.24.

Februarius mensis nomen habet à FEBRVARIO consulenatione Gallo: qui cùm triumphum de Tyrrhenis egisset Camillus, ex æmulatiõe pro suggestu clamauit, Camillum nõ fuisse uictoriæ causam, sed Romanorum fortunam. Confinxit etiam literas, & falsa testimonia comparauit, quasi tyrannidem affectaret Camillus, ut concitato populo fuerit urbe pulsus. At post captam Romam, reuersus Camillus, Brennũ cum Barbaris sustulit, &, causa in iudicium adducta, demonstrauit omnium rerum auctorem fuisse Februarium: propterea q. ueste exutum & iuncea storea indutum, à uernaculis flagris cæsum, urbe expulit: & mensem, qui ab illo nomen habet, breuiorem cæteris fecit. Suidas.

Plut. opinatur Numam regem, dum annum à Romulo constitutum corrigit, Martium à MARTE appellatum primo loco mouisse, quòd artes ciuiles studeret ubique præferre bellicis. Nam Ianus inter primos uel lares uel reges, ciuilium artium fuit cultor, uitamque feram atq; immitem dicitur immutauisse. Vnde bifrõtem fingunt eum, quòd aliam ex alia faciem rationemq; accommodauerit uitæ. Plut.in Numa.

Nonnulli putauerunt Iunium mensem à IVNIO Bruto, qui primus Romæ consul factus est, nominatum: quòd Calendis Iunijs, pulso Tarquinio, sacrum Carneæ deæ in Cælio monte uoti reus fecerit. Hanc deam uitalib. humanis præesse credunt. Ab ea deniq; petitur, ut iecinora & corda, quæq; sunt intrinsecus uiscera, salua conseruet. Et quia cordis beneficio, cuius dissimulatione brutus, hoc est, stultus habebatur, idoneus emendationi publici status extitit, hanc deam, quæ uitalibus præest, templo sacrauit. Cui pulte fabaria & lardo sacrificatur: quòd uires maximè his rebus corporis roborentur. Nam & Calend. Iuniæ fabariæ uulgò uocãtur: quia hoc mense adultæ fabæ diuinis rebus adhibentur. Macrob.lib.1.cap.12.

Iulius cùm secundum Romuli ordinationem, Martio anni tenete principium, Quintilis à numero uocaretur: etiam post præpositos à Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen, quamuis nõ uideretur iam quintus esse, sed septimus. Verùm postea in honorem IVLII Cæsaris Dictatoris, legẽ ferente M. Antonio Marci filio cõsule, Iulius appellatus est: quòd hoc mense ad quartum Idus Quintilis, Iulius procreatus sit. Augustus mensis Sextilis antea uocabatur, donec honori AVGVSTI datus fuit ex Senatusconsulto, quod tale est: Cùm Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit, & triumphos tres in urbem intulerit: & ex Ianiculo legiones deductæ, secutæque sint eius auspicia, ac fidem: ac Aegyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit: finisque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit: atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit, ac fuerit: placere senatui, ut mensis Augustus appelletur. Idem plebiscitum factum ob eandem rem, Sex. Pacuuio Tribuno plebem rogante. Macrobius libro primo, capite 12.

Octobrem suo nomine DOMITIANVS inuaserat. Sed ubi infaustum uocabulum ex omni ære uel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis eruti sunt. Cautio postea principum cæterorum, diri ominis infausta uitantium, mensibus à Septembri usque ad Decembrem prisca nomina reseruauit. Macrobius libro primo, capite duodecimo.

NOMINVM VSVS NVLLVS. QVI NOMINIBVS

CARENT VNIVERSIM.

A Garamantibus decem dierum itinere collis est salis, & aquę, accolentibus hominibus, quibus nomen est ATLANTIBVS: solis omnium hominum, quos ipsi nouimus, innominatis. Nam sales quidem apud eos uocantur atlantes: singulis autem eorum nullum nomen imponitur. Herod.lib.4.

ABSTINENT, VEL VOLVNTATE priuata, uel auctoritate publica. Causa scilicet

Dignitatis alicuius.

Claudius Cæsar peregrinæ conditionis HOMINES uetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia. Suetonius.

FERDINANDVS & Isabella Catholici reges statuerunt, ne Dux

uel alius, quamuis nobilis, in literis, quas ad aliquem subditorum suorum mitteret, suæ dignitatis titulum superponeret. Hoc enim regiæ dignitati duntaxat conuenire dicebant. Marineus lib.21. rerum Hispan.

Libertatis.

Athenienses Harmodij & Aristogitonis, qui Hippiam interfecerunt, uelut deuota nomina libertati, tanti fecerunt, ut lege sanxerint, ne illa SERVIS indere liceret. Quo exemplo Domitianus Metium Pomposianum, quòd nomina Magonis & Hannibalis seruis indidisset, supplicio affecit, tanquam clarissimorum uirorum nomina seruili contagio polluisset. Alexander lib.3.cap.20.

Et literis proditum, ut nisi inter ingenuos, aut ex ingenuis oriundos, nullum gentilitatis cognomen foret. Nam seruorũ libertorumque nulla cognatio, nec gentilitas erat. Alexander libro 5.cap.4.

Modestiæ.

CASSANDER Macedoniæ rex quum omnibus libellis & epistolis rex salutaretur, nunquam tamen sibi regium usurpauit nomen.

PORVS Indorum rex ab Alexandro uictus, in posterum nunquam se regem appellari sustinuit. Alex.lib.2.cap.19.

Infamiæ.

Apud Rom. Marci prænomen, ueluti perniciosum & infame MANLIA gens magnopere deuitauit, postquam M. Manlio, crimine affectati regni, turpi iudicio conuicto, ne cui gentili nomen Marco foret, senatusconsulto cautum fuit; quod generi & nomini suo inustam dedecoris notam attulisset. Alexand.lib.5.cap.4.

CLAVDIA gens, propter gentilium flagitia, cùm Luciorum alter cædis, alter latrocinij damnatus foret, ad diluendam memoriam dedecoris, Luci prænomen deuitauit. Ibidem.

Religionis.

IVDÆI nomina diuinitatis æmula suis nõ imponunt. And. Osiander in annot. in Harmon. Euangelicam.

Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi nomen, in quo omnes terræ generationes benedictæ fuerunt, angelis uenerandum, hominibus adorandum, dæmonibus tremendum, cõstanti CHRISTIANORVM pietate nulli posthac impertiendum religiosa obtinuit consuetudo. Nam cùm præter illum nulla sit salus, nulli quoque creaturæ Saluatoris appellatio conuenire potest.

Apud Græcos cùm ἀθηνᾶ & ἀθηναία diceretur Minerua dea, mulieres ATHENIENSES non ἀθηναῖαι uocabantur, (quũ tamen uiri ἀθηναῖοι dicerentur) sed ἀσταί & ἀττικαί: propter reuerentiam deæ, nomen deæ mortali feminæ tribuere piaculare existimantes.

VOX VIVA HOMINIS, NOTA EXISTENS.

COGNITIONIS REI ALICVIVS PRÆSENTIS. VTPVTA

Mariti aduentantis.

ROMANI, siue rure siue peregrè redierint, præmisso nuncio adesse se uxoribus significant: properantq; uelut exoptantibus & expectantibus lætum nuncium de se præmittere. An potius de illis audire ipsi cupiunt, saluas ne & cupientes domi inueniant? An pluribus curis domesticis mulieres negotiosq;, cùm absunt uiri, sunt districtæ, pluresq; rixas & motus aduersus domesticos habent? Quo igitur his discussis pacatè uirum & hilariter excipiant, hæc datur significatio. Plut.in quæst.Rom.

Socij uel

Militiæ: Commilitonis. TESSERÆ bellica.

Tessera (inquit Polybius) tabella erat inscripta, quæ sole occiduo à tribuno accepta ferebatur ad signorum principes, rursumque ad tribunum redibat, unde is omnibus esse datum signum cognoscebat, needum se intendentibus tenebris, perq; omnes ad se peruenisse. Cælius lib.27.cap.21.A.L. Fuit ergo symbolum bellicum, & signum, quo socij milites dinoscebantur ab hostibus, ut pro quibus, & contra quos arma sumerent, facilè dinoscerent. Quod ipsum ut uoce dabatur, ita ad præsentem locum pertinet. Vt uerò Re aliqua exprimebatur (sic Parthenios Spartanos luto usos tesseræ loco, item aliàs Spartanos arundinem pro tessera gestasse, & septem Persas dum Magos noctu adoriuntur nodum posticũ tiaræ in frontem reiecisse legimus) inter Insignia connumeranda fuerit Tessera.

IPHICRATES militibus suis tesseram dat Mercurium Philium. Vide Tit. Militum alacritatem excitare auxilij humani confidentia.

Tesserã fuisse in castris C.IVL. Victoriã: in POMPEII Magni, Herculem inuictũ: in POMPEII iuuenis, Pietatem narrãt. In M.ANTONII exercitu Lardeus fuit, in SYLLÆ autem Apollo. NERONEM uerò Optimam matrem militibus tesseram dedisse tradunt. Brutus in Philippis Apollinem. CYRI autem tessera fuit, Iupiter belli socius & dux. Diuus uerò ANTONINVS, Aequanimitatis: SEVERVS Septimius, Laboremus: PERTINAX, Militemus: CLAVDIVS Cæsar Græcanico uersu definiuit tesseram, in hæc uerba: Virum ulcisci decet, qui prior iniuriatur. DEMETRIVS Poliorcetes Iouem & Victoriam. ANTIOCHVS Soter, aduersus Galatas ducturus, signum proposuit, Bene ualere. MECOENAS quoties in castris ducis fungebatur officio, Discincti tesseram dedit. Alex.lib.4.cap.2.

PHOCENSIVM & THESSALORVM militaris tessera, his dea Minerua Itonia, illis Phocus, gentis auctor. Pausanias libro decimo.

C.CALIGVLA mulierosus Imp. quia obscœnam tesserã Cassio Chæreæ tribuno dare consueuisset, ab eodem occisus est. Suetonius.

MANVEL Comnenus Imp. per Basilium Zicandlam, & Michaëlem Angelum, belli legatos, noctu hostes Turcos inuasurus, hanc tesseram exercitui in nocturno conflictu dedit, ut exclamarẽt, Ferrum: ut suos ea uoce agnitos inuiolatos præterirent: aliis uerò, qui taciti accederẽt, occiderent ut peregrinos. Sed Turci, post multam tandem cædem, tessera illa intellecta, eandem uocem & illi usurparunt, donec elapsa nocte diremti sunt exercitus. Nicetas lib.3.

Tessera Christianæ militiæ in Orientem, Deus uult. Vide Tit. Expeditiones sacræ Christianorum.

NICOLAVS Mysiæ præfectus contra Turcas, fais tessera data Christi & Michaelis, nocturna cæde hostes fœdè profligauit. Bonfinius.

Coniurationis. TESSERÆ Coniuratorum.

CASSIVS Chærea coniuratorum princeps tesseram suis dederat in interficiendo Caio, quasi uictimam diis gratam futuram immolaturis, Hoc age. Suetonius. Iosephus uerò lib.19. cap.1. ait tesseram fuisse, Repete.

Statuæ præstantis.

Cùm PRAXITELI falsò esset nunciatum, officinam eius incendio correptam: Cupidinem saltem & Satyrum superstites manere optauit. Qua uoce Phryne meretrix, cui ille optionem signi præstantissimi unius dederat, astutè delectum habere didicit, adeoque Cupidinẽ elegit. Pausan.in Atticis.

PRÆTERITÆ VEL

Orationis.

Moris fuit antiqui, ut cùm satis uisum esset effluxisse uerborũ, ORATORES ad ultimum dicerent, Dixi, uelut necessitatẽ sibi imponentes finiendæ orationis. Ab utraque itidem parte oratione consumta, Prætor dimittendi consilij ergò pronunciabat, Dixerunt. Asconius.

Cædis.

Cambyses Persarum rex, cùm insomnis uocem audisset, Smerdem fratrẽ solio sedere regio, Prexaspem ad eum interimendum misit. Non multo post duos catulos, alterum leonis, alterum canis committit: & cùm à leunculo catulus superaretur, alter catulus, huius canis frater, abrupto loro superuenit: atque cùm duo essent, ita superiores leunculo extitere. Cambyse hinc uoluptatem capiente, SOROR eademque uxor ei assidẽs illacrymauit. Causam rege quærente, respondit, se uiso catulo suppetias fratri ferente, ideo flere, quòd subierit memoria Smerdis, cuius scilicet nemo foret ultor. Ob quod dictum à Cambyse interemtã memorãt. Aegyptij uerò ob id, quòd cùm ad mensam discumberetur, mulier lactucam sumserit: eiusq; decerptis foliis, Cambysem interrogarit, utrùm discerpta lactuca, an densa pulcrior foret: illisque respondisset, Densa: hanc subintulisse, Lactucam aliquando imitatus es, qui Cyri domum denudasti. Ibi Cambysem indignatione percitũ, insiliisse calcibus in prægnantẽ, eamq; abortu edito decessisse. Herod.lib.3. & Iustinus.

Calamitatis. Cladis.

CLAVDIA uirgo Vestalis, cùm aliquando solenni ludorum die nimia hominum frequentia molestius uexaretur, dixisse fertur: Vtinam frater meus uiueret (Appius Claudius Pulcer, ingenti prælio nauali ad Drepanum uictus ab Adherbale Pœnorum duce) iterũ Rom. classem perditurus. Quæ uox siue omen fecerit, siue cædis memoriam renouarit, adeò multitudinis aures offendit, ut mulier maiestatis rea subierit iudicium. Sabel.lib.9.Enn.4.

FVTVRÆ PVTA

Cladis, Periculi.

Athenienses Alexandro diuinos honores denegātes DAMOCLES monuit, Videte ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Plutarchus.

ACTIONIS uel PASSIONIS.

VoxNOTA eorum, quæ fieri

DEBENT. OFFICII VTPOTE

Regum, Principum.

Narrat Plutarchus libello Aduersus ducem imperitum, Regis Persarum certo CVBICVLARIO hoc muneris fuisse mandatum, ut manè regium thalamum ingressus, his uerbis illum expergefaceret: ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε, id est, Surge rex, ac negotia cura, quæ te Mesoromasdes curare iussit.

Cùm paupercula ANVS postularet, ut Philippus Macedoniæ rex de causa sua cognosceret, eumq; identidem interpellaret, negauit uacare sibi. Ibi uociferans anus: Ergo noli, inquit, regnum agere. Quo ille dicto defixus, non illā modò, uerumetiam alios confestim diligenter audiuit. Plutarchus in Regum apophthegmatib.

Militum.

Celebratum est LACÆNÆ cuiusdam apophthegma, quæ filio tradens clypeum dixerit: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, Aut hunc, aut super hunc. Laconicè significans, aut referēdum clypeum, aut in eo moriendum. Erasmus in Adagiis.

EPAMINONDAS Thebanus Bœotos ex otio dissolutos cùm perpetuò uellet in armis continere, si quando Bœotarches esset, monens dicebat: Etiam atq; etiam deliberate ciues. Ego enim si dux ero, militandum erit uobis. Plutarch. in Apophthegmatimatibus.

Athletarum.

Glaucus quidam Carystius, cùm terrā aratro proscindenti fortè fortuna uomis excidisset ab aratro, sublatū aptauit manui uice mallei. Quod ubi conspexisset pater DEMYLVS, iuuenem produxit in Olympia, ad pugilum certamen. Verùm ubi iam artis imperitus, plagis afflictus penè deficeret, pater acclamauit: παῖ τὴν ἐπ' ἀρότρου, admonens ut sic peteret hostē, queadmodū uomere solebat uulnerare terrā. Hac uoce redit animus iuueni, uicitq;. Idem postea bis uicit Pythia, octies Nemea, item toties Isthmia. Pauf. in Eliacis.

HYLAS aliptes, cùm uideret ferè succumbentē Agesidamum Locrum in pugillatu, ita ei animū addidit, ut protinus suū aduersarium uinceret. Pindarus Ode 10. Olymp.

Sacrificantium.

Apud ROM. cùm consul auspicatur uel immolat: Hoc age, proclamant. Qua uoce eos qui assistunt admonent, ut componant se ad id, quod agitur. Plut. in Numa.

Conuiuantium.

Plutarchus in Symposiacis narrat, LACEDÆMONIIS hunc fuisse morem, ut si quem amicū aut hospitem in domū acciperent, ostensis foribus dicerent, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, id est, Hac nō egreditur sermo. Refert idem in uita Lycurgi: ex cuius institutione qui natu maximus erat, stabat ad ostium, & ad conuiuiū ingredientibus dicebat, ostensis foribus, διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται. id est, Per hasce nullus sermo progreditur foras. Erasm. in Adagiis.

NON DEBENT. VOX DEPONENDÆ

Iracundiæ.

Augustus ATHENODORO philosopho senij causa domū dimitti postulanti annuit. Qui cùm salutās eum monuisset, Cùm exarseris iracundia, Cæsar, nihil antè dixeris uel feceris, quàm XXIV literas apud te ipsum recensueris: prehensa eius manu, Præsentia tua etiamnum, inquit, opus habeo: detinuitq; eum annum integrum, esse fatus etiam silentij tutum præmium. Plut. in Apophth.

Pusillanimitatis.

Memorant Demosthenem, cùm explosus esset à populo, & id grauiter ferret, admonitum à magno natu SENE fuisse, qui Periclem audierat, Pericli cùm similis sis, animum despondere noli. Plut. an Seni tractanda respub.

Odoacer Herulorum & Italorum rex à Theoderico Ostrogotho Rauennæ obsessus, noctu uniuersum aduersus Theodericū eduxit exercitum. Commisso prælio, Theodericum cū suis præcipiti fuga se referre coegit. Cui castra ineunti MATER in porta obuia, Quo tēdis, inquit, fili? neq; enim locus superest, quò te fugiens recipere possis, nisi ego uestem tollam, & eò te, unde in lucem prodiisti, recipiam. Quibus uerbis irritatus, collecta suorum, quos nancisci potuit, exigua quidem, sed ualida manu, Odoacrem in urbem iterū se condere compulit. Sigonius lib 15 Imp. occid.

Temeritatis.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cùm filium uideret præcipitantius & inconsideratius pugnantē cum Atheniensibus: ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες, ἢ τῇ φρονήματος ὕφες, id est, Aut adde uiribus, inquit, aut detrahe animo. Plut. in Laconicis.

Agidi regi in Arcadia, cum infesta signa stante in procinctu exercitu inferre hostibus intenderet, ex maioribus natu Spartiatis QVIDAM inclamauit, uelle eum malum malo tollere: præproperum ex Argis receptum significans intempestiua præsente alacritate uelle eum corrigere, ut est apud Thucydidem. Quod cùm audiuisset Agis, obtemperauit, ac recepti ceceinit, uictorq; euasit. Plut. an Seni tract. resp.

VOX SCRIPTA, VT NOTA EST REI. HVC

LITERAE SCRIPTAE,

EPISTOLÆ.

Dionysium tyrannum in Italica expeditione absentem monebat per epistolam DAMOCRATES de Dionis irruptione. Quam cùm lupi improbitate nuncius amisisset, regno Siciliæ excidit tyrannus. Diodorus.

ARCHIÆ tyrāno Thebanorū in symposio epistola oblata de coniuratione. Quam cùm ille tanquam rem seriam in crastinum differri iussisset, ea nocte cæsus est. Plutarchus de Socratis dæmonio.

C. IVL. Cæsari libellus coniurationis Cassianæ index oblatus fuit in Senatum eunti. Quem ille in sinum abdidit: & paulo pòst à coniuratis cæsus est. Suetonius.

INSCRIPTIONES.

SPADO quidam effeminatus, quum ostio domus inscripsisset, μηδὲν εἰσίτω κακόν: Diogenes, At herus, inquit, domus, qua tandem ingredietur? Erasmus in Adagiis.

Ἐν θύρᾳ καλός: id est, In ostio formosus. de iis, qui adamantur, uulgoq; gratiosi habentur. Sumtum à VETERVM consuetudine, qui formosorum aut amasiorū nomina, arboribus, foliis ac parietibus inscribebant, ὁ δεῖνα καλός. Ad id alludit Aristophanes in Vespis, & Acharnensibus. Erasmus.

VOX TEMERE, FORTVITO', INCONSVLTO'

MISSA.

Ex Ominum loco huc non pauca referri possunt.

ACCEPTA.

Lartes Tolumnius Veientium rex, cùm in tesserarum prospero iactu per iocum collusori dixisset, Occide: & fortè legati Romanorum interuenissent: SATELLITES eius errore uocis impulsi, interficiendo legatos, lusum ad imperium transtulerunt. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

Cùm Antonius Vespasiani dux recepta de Vitellianis militibus Cremona, in balneum concessisset, cruorem abstersurus, excepta uox eius est, cùm fortè balnearum tepor excusaretur, futurum ut statim incalescerent. Ac tum demum quasi signum dedisset ad urbem incendendam, quadraginta millibus militum uno agmine irrumpentibus, ciues indifferenter cæsi, res direptæ, tecta & parietes quatriduo ignis absumsit. Sabel. lib. 3. Enn. 7.

Heliogabalus Imperator, cùm iussisset Senatum urbe Roma excedere, indicta morte, si quis remansisset, & sciret Sabinum consularem uirum, spreto decreto, Romæ remansisse, centurionum VNI imperauit, ut eum occideret. Sed cùm ii surdaster esset, accepit occidendi uerbum, tanquam ab urbe eum pellere iuberetur. Lampridius.

VOX HOMINIS NON ARTICVLATA.

S literam habere silentij notam constat, quando taciturnitatē impetrare cupientes, lingua sonum eiusmodi uelut sibilum efformamus: quæ ab hoc ipso Græcè sigma creditur appellata, παρὰ τὸ σίζειν. Vnde eam VETERES foribus cœnaculorum præfigere consueuerant. At ueteres Latini S & T simul agglutinantes effingebant st syllabam, quæ sola (ut Verrius inquit) sine uocali compacta uidetur, qua & in Phormione Terentius utitur. Cælius lib. 12. cap. 18. A. L.

AVLVS

AVLVS Chuporus, Sigismūdi Imp. præfectus, Eruoiam Spaletij ducem in aula Imp. quia ipsius aspectus moresq; rusticum hominem præferebant, nunquam aliter, quàm expresso bouis mugitu, salutabat. Hinc factum, ut cùm Eruoia à Sigismundo defecisset, multosque ex ipsius ducibus ac præfectis cepisset, dimisissetque omnes sine precio humanè, unum Pauium detinuerit, eique nudo statim pellem bouis assui iusserit, dicens: Velle se, ut uoci illi personæ quoque imago responderet. Fulgosius libro nono, capite 10.

INSIGNIVM, SIGNORVM, MONVMENTORVM

ΚΤΗCIC. QVAE QVORVM.

Signa uidentur dici ea, quæ per se subsistunt. Insignia ea, quæ rei alteri inhærent, tanquam subiecto, sine quo subsistere nequeunt: & Insigniti ij, quibus signum impressum uel affixum est. Vtraque tamen à Signando & Significando nomen habent, & à Notando Notæ, sicuti à Monendo Monumenta, ab Indicando Indicia. De quibus tanquam de Externis & Fortuitis hocce loco acturi sumus. Ipsum alioquin Indicium, ut Significat & Indicat & Denotat aliquid, ad Voluminis primi LIB. II. pertinet, quatenus mentis uel perturbationis humanæ interpretationem continet.

VESTIMENTORVM NOTA

Populorum.

Athenæus lib. 11. tradit HERACLEOTAS Bœotiæ gentē hoc insigni à cæteris distingui: ὅτι ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ὤτων αὐτοὺς ὁ λεγόμενος Ἡρακλεωτικὸς δεσμός. id est, quòd super aures gestent uinculum, quod Herculanum dicitur. Erasmus in Adagiis.

Togæ, ROMANORVM uestimenta, quadratam formam uidentur habuisse, ut ex Athenæo perspicere licet, qui in 5. libro δειπνοσοφιστῶν, quo loco de sæuitia regis Mithridatis in togatos loquitur, inquit, Romanos oppressos ab ipso in Asia, quam occupauit, aut ad simulacra deorum confugiendo, aut quadratis uestimentis abiectis ad pallia redeundo, antiquasq; patrias, iam relictas ab ipsis, agnoscendo, uitam conseruasse. Victorius lib. 19. Var. lect. cap. 7.

Cicero & in orat. pro Postumo, & in Verrinis satis ostendit, criminis datum fuisse ciuibus ROM. si qui, in prouinciis cùm essent, toga non uterentur. Qua de re P. quoque Scipio à Q. Maximo accusatus fuit. Quibus autem ciuitatis Romanæ ius dabatur, iisdem togæ quoque ius dabatur. unde nomē Galliæ Togatæ. Hotoman. de Verbis iuris.

Regum, Principum.

PERSARVM reges antequam sceptra inirent, sacris initiari oportebat: qui modus erat, ut uestem, quā gestauit Cyrus, primùm induerent, mox terebinthum & caricas gustarent, poculumq; lactis ebiberent. Alex. lib. 1. cap. 28.

ROMVLVS primus trabea regia, quæ ex purpura immixto albo erat, usus est. Alex. lib. 5. cap. 18.

NVMA, Romanorum rex, legatione Isaurorum accepta, & formā habitus eorum animaduersa, inde inuenit chlamydis uestitum, regia ueste cum senatoria coniuncta: nec extrinsecus quicquam, sed intrinsecus tincturam purpuræ adiecit, ut ex utroq; horum unum corpus conficeretur, & in senatorum calceis notaretur Romanorum K. Suidas.

CONSTANTINOPOLITANI Imperatores puniceis usi sunt calceis. Basilius enim patriarcha noluit in gratiam recipere Phocam Bardam, nisi puniceis calceis exutis, in habitu priuati ueniret. Zonaras. Eorum uestitus meminit Luitprandus lib. 3. cap. 9. ubi ait, moris fuisse, ut Imperator rubricatarum pellium caligis uteretur.

Hodie in GALLIA, dum regnum ineunt reges, ueste amiciuntur in ueterem Germanicum morem formata, quam in hūc usum religiose seruant. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Ducum, Militum.

Hanc quoque Tesseram militarem uocāt. Vti etiam Signa ipsa & Arma militaria, notæ causa assumta. Diuersa ab his Tessera eximiè dicta, de qua inter Voces paulò antè egimus.

DARIVS Magos nocturno tempore adoriturus cum septem Persis, ut in tenebris se mutuò possent agnoscere, consilium dedit, ut uinculum tiaræ, quod à posteriore capitis parte tiaram connectit, in frontem reducerent, ut pro signo esset tiaræ nodus, frontem attrectantibus. Polyæn. lib. 7.

GERMANIS, qui iussu Henrici IIII. Imp. Rom. in Asiam contra Turcas proficiscebantur, Braxea calciamenti genus tessera fuit. Vnde adhuc apud eos in prouerbio esse solet, Ich will dich beschuehen. q. d. Ego faciam ut tuæ res in optimo collocētur statu, & iuuabo te. Auent. lib. 5. Annal. Boiorum.

BOEMVNDVS, Roberti Guiscardi Apuliæ ducis F. princeps Tarentinus, regni causa cum fratre Rogerio contendens, Christianorum principum exemplo, qui expeditioni in terram Sanctam nomen dederant, motus, purpureas uestes duas proferri, in minutissimas partes discindi, & ex iis cruces, sacrę militiæ tesseram, suorum militum, qui 12. millia superabāt, uestibus assui iussit, an. 1096. Collenutius lib. 3. hist. Neapol. & Sigonius lib. 9. regni Ital.

Magnus SFORTIA & BRACCIVS Montonensis, summi duces, iisdem uexillis & laciniarum coloribus utebantur. Militaria enim sagula singulis equitibus ab humero dextro in obliquum femur, coccineo colore: è contraria uerò parte, per transuersum albo, & cœlesti alternatum undulato distinguebantur. Verum ut aliquod ex propinquo discrimen foret, peracutos Sfortia fluctus, obtusiores uerò Braccius eleganter expresserant. Quorum insignium argumentis atque coloribus hodie quoque utriusque factionis studiosos uti uidemus, quum centum quinquaginta & quatuor anni numerentur, ex quo ea ipsi auctores & principes gestare cœperint. Iouius in uita Sfortiæ.

Nobilium.

Vide Nobilitatis Indicia.

DIADEMA, CORONA.

AGATHOCLES, Syracusiorum tyrannus, Carthaginem obsidens, cùm se illis nec copiis, nec loci opportunitate, neq; rebus gestis inferiorem duceret, seipsum regem pronunciauit: nec tamen diadema sibi usurpare uoluit. Nam post occupatam tyrannidem semper corona usus fuerat propter quoddam sacerdotium, quam gestans nō deposuerat, cùm de principatu contenderet. Sunt qui dicant, solitum eam gestare ab initio, quia rariorem comam haberet. Diod. lib. 20.

REGVM capita insigni fascia ornabantur, sicut Imperatorum aurea corona uel lauro: quoniam ea pars corporis sanctior in homine est, propterea ibi insigne honorum & diadema esse uoluerunt. Alex. lib. 2. cap. 19. Diadema, βασιλικὸν φόρημα, id est, regium gestamen, fascia erat candida, quæ regum capitibus obligabatur: quod insigne inuenit primus (auctore Plinio) Liber pater. Coronam lauream fascia candida praeligatam quam quidam Cæsaris statuæ imposuisset, tribuni plebis detrahi coronæ fasciam, & duci in uincula hominem iusserant. Crimini datū Pompeio fuit, quod hulceris uelandi causa, crus fascia circumcingeret, tanquam regium sibi diadema uendicaret, nihilq; referre Fauonius dicebat, qua in parte gestaretur. Tametsi ferantur ueteres, quòd caligis non uterentur, crura fasciis alligasse, femoraliaq; & tibialia habuisse. L. Metellus, quòd hulceris causa frontem fascia circumdedisset, Vittati seu Diademati cognomen tulit. Tigranes quoque Armenius candidā fasciam insigne regium ante Pompeij pedes abiecisse dicitur, uelut dominationi cederet, & omni publico munere se abdicaret. Quin Alexander Magnus memoratur, cùm desiliēs equo, casu Lysimachum uulnerasset, medendi uulneris causa, diadema sibi detraxisse (nam candida fascia erat) illoq; Lysimachi uulnus alligasse. Quod omen illum futurum regem designauit, sicut euentus docuit. In summa desperatione & diffidentia, Mithridatis uxor arrepto diademate, & insigni regio, quæ fascia erat, collo alligato, uitam finiuit. Alex. lib. 1. cap. 28. In gente Turcarum reliquias etiamnū antiqui moris seruari, palàm est. Cælius lib. 24. cap. 6. A. L.

PARTHI duplex diadema, amplissimum decus regium ducunt esse, quippe quorum reges magni, & regum reges habebantur. DARII diadema fuit purpureum albo distinctū: quod mox Alexander usurpauit ferre. Alex. lib. 1. cap. 28.

IVLIANVS Cæsar Imperatoris & Augusti nomen Parisiis à militibus per uim accipere coactus, iussusq; diadema proferre: cùm negaret se unquam habuisse: uxoris colli uel capitis fasciam popoſcerunt. Eo uerò affirmante, primis auspiciis non conuenire ornari muliebri mundo: equi phaleras quæsierunt. Sed cùm id quoq; turpe asseueraret, quidam hastatus detractum sibi torquem, quo, ut draconarius, utebatur, capiti eius imposuit. Sigonius lib. 6. Imper. occid. ex Ammiano.

GODOFREDVS Bononiensis, Hierosolymorum rex creatus à Latinis, regiam potestatē sine insignibus accepit, negans se in ea urbe auream coronam sumturum, ubi Dominus deusq; spineam gestasset. Aemilius lib. 4.

In

In PANNONIA diademate, quod fancti Stephani regis fuisse arbitrantur, nec alio, creatum regem insignire fas esse putant. Id declaratum fuit in Vladislao, qui etiam Poloniæ regnum habuit. Nam cùm hoc diadema penes Fridericũ III. Imp. esset, diu coronationem distulit. Id quod sex annos etiam egit Mathias Coruinus. Fulg. lib. 2. cap. 1.

GREGORIVS VII. Pp. Henricum IV. Imp. diris persecutus, ad Rodolfum Sueuiæ ducem imperij coronam misit, cum hoc uersu:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo. uel, ut alij:
Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Benno.

SCEPTRVM.

De regali sceptro illud memoriæ proditum est, externorum regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum habere effictum: quo argumento regem iustitiæ obsequi oportere, atq; feritatem & libidines, ne ira deseuiat, emollire significabãt: quòd ciconia summæ pietatis, hippopotamus uiolentissimum animal foret. LYDIÆ uerò reges sceptri loco securim habuisse feruntur: sicut Labradeus Iupiter in Caria pro sceptro & fulmine securim ferebat. ROMANIS uerò regibus lituus cuspide incurua, qui etiam uirga auguralis erat, sceptri loco est habitus. TARQVINIO Prisco sceptrum fuit eburneum, in summo aquilæ figuram habens, & corona aurea, quam usq; ad extremum tulit. Alex. lib. 1. c. 28.

BACVLVS.

PRINCEPS Moschouiæ cùm aliquem nobilium officio alicui præponit, baculum dare solet: quo significatur, ei in omnibus uelut Principi obtemperandum. Magistratu abiẽs, baculum illum in manu Principis uel eius uices gerentis reddere solet. Alex. Guagninus de nece Rostouiensis Ducis.

HASTA.

HASTAS in ueteribus memoriis legimus regij fastigij insigne diadematis loco fuisse, quas dixère Græci σκῆπτρα. Nam & à rerum origine deorum immortalium uice cultas, obseruatum item est. Ex cuius ritus memoria diu quoq; custoditum, ut deorum simulacris adderentur. Hinc lectum est, esse in Sicilia urbem, cui nomẽ Aegion, antiquissimam quidem & dearum religione celeberrimam, quæ Materæ nuncupentur, quarum simulacris tum Meriones, tum Vlysses hastas affixerunt, inscriptis etiamnum dicantium nominibus. Cælius lib. 21. cap. 16. Antiq. Lect.

Anno 1079 ad Fladenhaim Henricus IIII. Imp. contrà Rodolfum Sueuiæ ducem electum regem, Vratislao Boemiæ duce suppetias ferente, potitus est uictoria. In ea pugna BOEMIÆ dux, regiam Rodolphi hastam nactus est, eaq; à Cæsare Boemo ob res præclarè gestas donata, in posterũ Boemorum regibus insigne imperij solenne fuit. Auentinus & Cranzius lib. 5. cap. 7. Saxoniæ. Eundem Henricus Moguntiæ, in celebri principum cœtu, regẽ declarauit, anno 1086. Aeneas Syluius de Boemia, cap. 22.

ANVLORVM NOTAE.

De Anulis inter Corporea, quatenus ad ornatum faciunt. Hic causa Notæ consideratur.

A QVO

Concessi, Dati.

Apud PERSAS non solùm anuli, sed monilia, & alia huius generis ornamenta deferre nequaquam licebat, nisi regis munere collatum esset. Proinde donari anulo à rege, amicitiæ signum erat: eo argumento illos in intimam sodalitatem & uinculum maximi fœderis admittere significantes. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

CVR. CAVSA

Honoris.

Apud ROM. longo tempore ne senatus quidem habuit aureos anulos: sed iis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publicè dabantur, uulgoq; sic triumphabant, ut in publico tantùm aureis, intra domos uerò ferreis uterentur. Plinius lib. 33. cap. 1.

Augustus cùm iam conclamatus uideretur, saluti ab ANTONIO Musa est restitutus ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις: quo nomine pecunia est ampliter donatus, & anulo aureo, quoniam erat libertus. Concessum & idem iuris non præsentibus modò, sed & futuris, qui medicos se profiterentur. Cælius lib. 6. cap. 12. Antiq. Lect.

Fidei.

Anulus apud ueteres ROM. pronubus sponsæ dono mittebatur à uiro, ferreus, durissimus, & sine gemmã, antiqui uictus parsimoniam ac frugales mores significans. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 5.

CAPILLORVM ORNAMENTA.

ATHENIENSIVM uetustissimi capillis adhibebant implicãdis τέττιγας, id est, cicadas aureas: ut eo argumento autochthones esse se probarent, sicuti creduntur cicadæ, quæ ini bi nascuntur ubi uiuunt, non aliunde commigrant. Vnde τεττιγοφόροι dicti. Vel quia cùm musicæ sint cicadæ, sacratæ sunt Apollini, qui patrius est deus illius ciuitatis. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 10. ex Aristophanis Scholiaste. Hinc prouerbium, τεττίγων ἀνάμεστοι, id est, Cicadis operti, in gloriosos ac stultos olim, aut obsoletis ac iam desitis utentes. Cælius lib. 12. cap. 6. A. L. & Erasmus in Adagiis.

Athenæus lib. 11. tradit, HERACLEOTAS Bœotiæ gentem hoc insigni à cæteris distingui, ὅτι ὑπὲρ τῶν ὤτων ἅμματα ... Ἡρακλεῖος δεσμός. i. quòd super aures gestent uinculũ Herculanũ dictũ. Erasmus in prouerbio, Herculeus nodus.

INAVRES.

Aurum in auricula gestare, nobilitatis cẽlebatur insigne, quod in Platone annotauit Apuleius. Cælius lib. 3. cap. 29. A. L.

In auribus mulieres binos ternosq; uniones aut elenchos ferre, nobilitatis signum fuit. Hinc Satyricus: Auribus extensis grandes demisit elenchos. Alex. lib. 2. cap. 19.

COMITATVS NOTA.

VT SVNT

Lictores, Apparitores, Viatores cum Fascibus, Securibus.

Apud ATHENIENSES & omnem ferè Græciam, ut discrimẽ personarum notaretur, magistratus non lictores, sed lixas simul & uirgas habuerunt uice lictorum, quos liturgos nũcupant. Fertur uerò Germanicus, Athenienses socios & fœderatos, uno lictore uelut præcipuo munere donasse. Alexand. lib. 1. cap. 27.

Apud ROM. olim nõ tantũ XII Lictores cum fascibus & securibus, sed Apparitores quoq; regem præire consueuerant. Præterea etiam Apparitores, qui astabant lateri, & corporis stipatores erant: ut si quando opus esset, ad imperium nutumq; regis præstò forent. Præter eos fuere etiam Viatores in regio comitatu, qui quoties senatus cogendus esset, ex agris senatores aduocarent, contumacesq; citarent & arriperent. Quippe cùm priscis temporibus proceres ciuitatis morarentur in agris, si quando consilium publicum cogendum erat, à uillis accersebantur in senatum: ex quo, qui eos euocabant, Viatores dicti: quiq; ex uiatoribus ligandi cædendiq; ius habebant, Lictores nominati sunt: quibus iussu regis delinquentes uincire, nudatosq; uirgis cædere, & si cui mens exposceret, securi percutere negotium erat. Ideò lora in sinu gestantes, regi apparebant: quibusq; mãdatum erat, facinorosis & delinquentibus crura & manus ligabant, ut post uerbera nouissimo exemplo afficerent. Præter hos fuit Accensus & Præco, qui dicto consulis alteriúsue magistratus ad imperium nutumq; præstò essent. Accensus, ut ad cõcionem: præco, ut ad comitia Quirites aduocaret. Quod munus ut esset expeditius, libertus dari cõsueuit: sicut ministrorum apparitorum, statiariis, coactis seruilia exhibere; pro eo quòd bello Punico secũdo post cladem Cannensem, ad Hannibalem defecissent primi. Post exactos reges; COSS. creatis, cùm omnia insignia, quę apud reges erant, pópulus consulibus concessisset, L. Brutus & P. Val. Poplicola, affecto res & uindices Romanæ maiestatis, ut mitem & plebi percharum efficerent consulatum, in publicum prodeuntes, secures à fascibus dimouerunt, & cum solis fascibus ad populum concionati sunt. Porrò illis magistratibus secures cum fascibus in urbe præferebantur, qui sine prouocatione summam imperij tenebant: ut Dictatori, & Decemuiris, à quibus ad maius tribunal prouocatio non erat. Dictatori insuper pro honore summi imperii, quatuor & uiginti lictores cum fascibus & securibus, uiatoresq; & apparitores, qui summouerent turbas, præibant. Consulibus in urbe duodecim lictores cum fascibus tantùm, demtis securibus: quippe suprema potestas & ius de nece ciuis, consuli intra pomœrium non dabatur: foris uerò, ut in decretã sibi prouincia, aut quum castris & legionibus præesset, fasces cum securibus, unaq; lictores apparitoresq; præcedebant. Inter consulem & proximum lictorem, nemini officij causa nisi consulis filio aditus erat. Proconsulis insignia erant eadem quæ consulis. Nam & lictores, fasces, secures, prætextam curulemq; sellam in prouincia sibi decreta uelut consul retinebat. Prætoribus sex tantummodo lictores cum fascibus Romæ: in prouincia uerò sibi decreta pro maiestate imperij, & etiam cum securibus præibant. Paulum tamen Aemilium, cũ prætor in Iberos duceret, cum duodecim lictoribus prætutam gessisse auctores tradunt: nempe, ut dignitas consularis adiuncta prætoriæ uideretur. TRIBVNI plebis solum uiatorẽ apparitoremq; à prima origine sine lictore habuere: qui etiam libertini erant: quippe cùm Tiberius Gracchus in tribunatu libertis apparitoribus primus usus fuisse dicatur. Postea uerò quàm prouincias sortiri cœpere, & illis cũ imperio præesse, etiam lictores habẽdi tribuno facultas data est. Quæstores uerò, ædiles, duumuiri, & minores magistratus, qui prehensionem & uocationem non habebant, in urbe nec lictore utebantur, nec uiatore. tametsi prætorem duodecim secures cum fascibus, & quæstorem, lictorem & fasces quandoque habuisse legamus: quod in prouinciis, quas sortiti prætores quæstoresque fuerant, non autem intra pomœrium, licuisse apparet. Extra urbem enim his uti fascibus & lictoribus interdum cum securibus licebat, ut sceleris & perfidiæ pœnas à facinorosis expeterent: in urbe uerò minimè, nisi quæstores parrici forent, quibus pro imperio & maiestate, cùm crimina uindicarent, in urbe lictores cum securibus sæpe prælati sunt. M. tamen Liuius Drusus dum quæstor Asiam obtineret, nullo lictore aut alio insigni honorum uti uoluit, ne quid seipso insignius prouincia haberet. Fuitq; uetus constitutum, ut præfecti prouinciarum & præsides, senatoribus ex claris maioribus & inclytæ familiæ peregrè agentib. quo cõspectior dignitas & honoratior foret, plerunque in prouincia lictores cum bacillis darent: utq; si reges externi aut fœderati in prouincias populi Romani uenirẽt, magistratus Romanus aut præses illis cũ lictorib. & fascibus præiret. Mario enim prætore Asiam obtinente, & in eam profecto Mithridate, semper cũ fascibus Marius præcessit Mithridatẽ. Fascibus, quos præferebãt lictores, betulas uirgas maximè commodas duxere. Itaq; ex illarũ uirgis, tũ propter candorẽ, tum propter tenuitatẽ, publicos fasces, qui magistratibus præirent, effecere. Alex. lib. 1. cap. 27.

SIGNA IMPRESSA, AFFIXA, apposita, picta.

ARMIS, VEXILLIS, SCVTIS, Clypeis.

Insignia ista armorum ad cõfusionem bellicam tollendam primùm excogitata, deinceps quoq; ad politicos ordines transferri cœpere. Primi usus respectu uulgò Arma appellantur in genere, in specie uerò Scuta & Galeæ & Vexilla.

Regum, Principum.

OSIRIS Anubin habuit filium, qui patrem in peregrinatione secutus, canis imagine pro insignibus usus est. Idcirco & huius animalis forma in Aegypto est cultus, & latrator à Verg. dicitur libro 8. tum etiam quòd significabatur custos corporis Osiridis & Isidis. Sunt qui putent hunc esse Mercuriũ, à sagacitate sic dictũ. L. Viues in 2. lib. Aug. de Ciu. Dei, c. 14.

IDOMENEVS Minois nepos, Cretensium rex, à Pasiphae Solis filia oriundus, in scuto suo pro insigni gallum gallinaceum habuit: quoniam hæc auis Soli sacra est, cùm eius reditum nunciet. Sic Olympiæ olim Idomenei statua cum scuto spectabatur. Pausanias libro 5.

ALEMANNI Herculis, undecimi Germanorũ regis, primiq; Boiorũ auctoris, insigne Leo fuit, causa cognominis. Proinde alere leones gentilitium est principibus Boiorum. Auentinus lib. 1. Annalium Boiorum.

GERMANI imperij insigne Aquila biceps. Vide infrà, Victoriæ insignia.

VEDEKINDVS Saxonum dux, ad fidem Christi conuersus, cùm armorum eius insignia, quæ militaribus signis præferebat, pullum equinum haberent atrum: placuit regi Carolo Magno, postquam de tenebris gentilium errorum peruenit in lucem ueritatis, ut candidum acciperet. Et hæc sunt uetustissima Saxoniæ arma, sæpius inde mutata. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, cap. 4.

OTHO Comes de Balenstede, cùm locũ tituli sui Benedictinis concessisset, ipse in arcẽ Anchold migrauit, & inde Ancholdini comites dici cepere. Is ex Heilike filia Magni ducis inferioris Saxoniæ suscepit Albertum Vrsum cognomine, qui meruit marchionatum Brandeburgensem, contenditq; cum Henrico Vvelpo Bauariæ duce, Henrici Leonis patre, de ducatu Saxoniæ, quum illi faueret Imperator Conradus. Plures reliquit filios, Othonem marchionem, Sifridum archiepiscopum Bremensem, & Bernardum, quẽ Fridericus I. Imp. deiecto Leone, creauit ducem Saxoniæ. Otho pater Alberti stratoria ligna in clypeo trãsuersa, atro gilu oq; colore uariata ferebat. BERNARDVS ducatu Saxoniæ inuestitus, Imp. orauit, ut aliquo à fratribus discrimine arma ducatús sui insignirentur. Tum Imperator, ut erat coronatus per æstum, ruteam coronam iniecit ex obliquo supplicantis clypeo. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 25.

Fridericus II. Imp. diremit cõtrouersiam inter Othonem Vvilhelmi filium, Henrici Leonis nepotem, & Albertum ducem Saxoniæ: ut esset OTHO cum posteris suis dux Brunsuici & Luneburgi, attributis ei armis, quæ auus eius Henricus Anglia extulerat, duobus fuluis leonibus, pro ditione Brunsuicensi, & alterum lasurij coloris leonem, adiectis in clypeo maculis, de terra Luneburgensi (quæ erant olim arma Hermanni ducis & posterorum) cũ titulo ducatus Saxoniæ. (Vetera arma Saxoniæ, pullum equinum candidum, Brunsuicenses duces, ut monstrarent antiquitatem generis, transtulere in conum galeæ) Albertus autem Bernardi filius titulum tenens Saxoniæ, retineret arma comitũ de Anchold maiorum suorũ, stratoria ligna, fuluo nigroq; uariata, per clypei transuersum (quæ illi à loco Balenstede tenebant) superiecto ruteo serto. Hic Albertus cum posteritate sua in primogenito seruauit ius & dignitatem Imperialis electuræ, donec memoria auorum nostrorum marchio Misnensis, uera exclusã posteritate, illam abstulit dignitatem. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, cap. 28.

ODO Roberti Andium ducis filius, alienus à genere Caroli Magni, tutor Caroli Simplicis, regnare iussus, in Galliam attulit nobile illud signum innumeris pictũ & sparsum liliis, quod ad Caroli Sexti tempora durauit. Anno 892. Auctor Chronici Francorum.

CAROLVS VI. Gallorum rex tres tãtùm liliorum flores pro insigni Regum Franciæ gestare instituit. Tum quidẽ Eduardus III. Anglorum rex liliorum multiplicium insigne Gallis priùs usitatum, unà cum titulo regni Gallici iampridem usurpare cœperat.

ALFONSVS, primus Portugalliæ Rex, Vlyxbonam à Mauris recepit: & quinq; simul Regibus uno prælio superatis, quinq; scutorum insigne, facti monumentum, posteris reliquit. Marineus lib. 7. rerum Hispan.

FERGVSIO primo Scotorum in Albione regi insigne erat rubens leo erectus, aurea facie, cauda uerberans terga, ut feræ est mos, quum sese ad pugnam incitat, generosam signãs iracundiã. Quod dehinc mansit Scotorum regibus insigne. Hector Boethius lib. 1.

Regia SCOTORVM insignia iam inde à Ferithari, qui secundus ordine rex fuit, ensis nudus acie ancipiti: uirga recta (sceptrum hæc ætas appellat) aurea, cum corona, militaris ualli forma, patriæ libertatisq; tuendæ, fontium feriendorum, æquitatis iustitiæque administrationis simul atque summæ potestatis summa omnium debita cũ ueneratione indicia. Mansere dehinc eadem regalia Scotorum principibus insignia in nullo uariata ad Achaij regis usq; tempora: qui cum Carolo Magno Francorum rege itidem & Romanorum imperatore, omnium Scotorum regum primus, perpetuũ fœdus & societatem sanxit. Addidit is coronæ circo quatuor lilia aurea, quatuor cum salutiferæ crucis aureis signis, paribus interuallis discretis, liliis paulò eminentioribus. Hector Boethius lib. 2.

ANDREAS III. Venetus cognominatus, Vngariæ rex, cùm è Stephano, Andreæ II. Hierosolymitani dicti regis Vngariæ F. & Thomasina Maurocena natus esset, gentilitia matris insignia usurpauit, & crucis tantùm circulum, ut à cæteris Maurocenorum agnosceretur, inseruit. Parentis nobilitatem usq; adeò ueneratus, ut rerum potitus, humilioris fortunæ insignia præ matris amore & urbis Venetæ reuerentia non spreuerit. Bonfinius lib. 9. Dec. 2.

Lupoldus Austriæ dux an. 1386. ad Sempacum ab Heluetiis cæsus cũ filio & XV principibus uiris, præter nobiles & barones. Cuius prælij memoriã suis uidetur insignib. deinceps inseruisse AVSTRIACI, cùm candidũ scuti campũ sanguineo colore transuersim diuidãt. Cranzius lib. 9. Vand. c. 39.

Margarita à patre Ferrando Comite Flandriæ relicta sub tutela Ioannis Dauenes, spectatæ prudentiæ clerici, ab eodem compressa, filium peperit IOANNEM: & eluendæ maculæ causa, Dauenem sacerdotio abdicatũ sibi matrimonio iunxit, & ex eo GVIDONEM suscepit, qui an. sal. 1302. Gallos insigni illa clade Corteracensi affecit. Mortuo marito, Comitatum non minus fortiter quàm prudenter uidua pace belloq; tutata est, & legibus rempublicam ornauit. Adulti iam filij de Comitatus successione contendebant. Negotio ad Philippum Pulcrum Gallorum regem delato, cùm is matris sententiam audire uellet, apertè illa professa est, Guidoni Comitatum deberi, Ioanne propter illegitimas natales præterito. Ioannes ea uoce offensus, Et uerò ego huc usq;, inquit, me opulentissimi omnium, quæ nunc uiuunt, scorti filium esse ignorabam. Tunc illa, Quando te Comitatu Hãnonio spoliare non possum, pro ista saltem linguæ petulantia leonem nigrum, quem iure hæreditario in campo aureo geris, absq; unguibus & lingua deinceps mutilatum gestabis, Guidone integrum possidente. Hanc sententiam & censuram rex Gallus ratam habuit. Io. Villanus lib. 8. c. 57.

Populorum.

SAXONVM principes pro insigni armorum in militaribus signis pullum equinum habuère: atrum ante baptismum, post uerò candidũ. Inde OSTPHALI, qui ultra, ac VVESTPHALI, qui citra Visurgum siue Veseram habitant. Nam equinum pullum Saxones sua lingua dixère *Valen*. Hoc autem nomẽ in orientalibus euanuit, & permansit appellatio generalis Saxoniæ, quòd terra illa nouis principibus sæpe paruit. Nam à temporibus Henrici Leonis ducatus est ortus

Brunsuicensis, postea & ille scissus in aliquot principatus. In occidua uerò prouincia mansit appellatio Vvestphalorũ, qui equinum pullum prætulerunt. Quæ gens iam se Saxonicam appellari non patitur: probro ducens, si quis Vvestphalum hominem appellet Saxonem. Cranzius lib.2.cap.2.

PICTI pulsis Scotis ædem D.Reguli in Otholinia (quæ nunc D.Andreæ est) nudis pedibus accessere, D.Andreæ reliquias exosculati, D.Andreæ crucem se pro insigni habituros deinceps bellico testati. Quod ipsum Scoti post deletis Pictis assumsere. H.Boethius lib.9.

Rerumpublicarum, Ciuitatum.

Gulielmus, Achaij Scotorũ regis frater, inito inter Scotos & Francos fœdere, Carolo Magno Francorum regi in expeditione cõtra Saracenos & Romanos, qui Leonẽ Pp. eiecerãt, cum quatuor millibus Scotorum affuit. Caroli legatus Florẽtinam ciuitatẽ dissipatã restituit. FLORENTINI icirco in rei memoriã rubẽs lilium solo colore à Francorũ liliis diuersum pro insigni sumsere, & quia Gulielmus Leonẽ pro insigni habebat, solennibus ludis leonẽ quotannis coronare, publiceq; leones alere instituerunt, ueteris oraculi uocẽ secuti, dum leones Florentiæ uixerint, dumq; Florentinorũ leo coronatus fuerit, ciuitatem alieni iugi expertem fore. H.Boethius lib.10.

Nobilium.

RATIBORIVS Versouicẽsis Boemus, cuius familia ob perfidiam proscripta in Polonia exulabat, Fridericum regẽ Boemiæ contra Conradũ Znoymæ marchionem acie certaturũ inexpectato iuuit auxilio. Proinde in gratiam receptus est à Friderico, & ad eluendum familiæ odium pro nassa aurea (quam Boemi Vurs appellant, unde nomen traxit) secures decussatim sibi cohærentes iussus est deinceps pro insigni gestare. Dubrauius lib.14.

Militum.

LACEDÆMONII lambda in scutis gestabãt, ὡς παράσημον, id est, notæ insignioris gratia, ex principe nominis litera, ut hoc charactere, se ipsos præmonstrantibus. Sicuti MESSENII, M literæ nota se cognobiles præbebant. Eupolis, ἐξεπλάγη ἰδὼν στίλβοντα τὰ λάμβδα. Cælius lib.18. cap. 1. Antiq. Lect. ex Eustathio Iliad.3.

PERSIS aurea aquila supra oblongam hastam patentibus alis militare signum fuit: nonunquã Solis simulacrũ, sacerq; & æternus ignis. ATHENIENSIBVS noctua, THEBANIS Sphingis effigies, ALEÆ insulæ marina turtur, CIMBRIS æneus taurus. EVMENI Ceres & Alexander, CRATERO & NEOPTOLEMO Minerua, militiæ signũ in bello notabatur. CYRVS aureum gallum affixum lanceæ militi in acie pro uexillo dedit: PORVS Indorum rex Herculis simulacrum, quod deseruisse, militare flagitium habebatur. INDIS regibus sæpius nulla imago aut effigies, sed tintinnabula & tympanum præcedunt. INSVBRES, si quando præcipua bella suscepturi erant, aurea signa, quæ immobilia uocant, è templo Mineruæ efferentes, præferebant phalangi. Alex.lib.4.cap.2.

Consueuére apud ROM. singulæ turmæ, manipuli & cohortes ac legiones, proprium uexillum & militare signum habere, ut cuius esset legionis quisq; miles, & sub quo duce militaret, facilè dignosceret, ne sine signis, sine imperio inordinati & incompositi ducerentur, sed conspicua omnibus signa forent. In quibus nomen imperatoris, aut consulis, non nunquã draconis effictì imago, quare Draconarij dicti milites, quod uexillum purpureum erat, aliaq; insignia perscripta erant. Namq; C.Iulius uexillo quintæ legionis, quæ cõtra Iubam elephãtorum uictrix fuerat, elephantũ inscripsit. Alioq; insigni legionarij milites, alio prætoriani, dissimiliq; auxiliares utebantur. Postea ut imperatorum imagines per imaginiferos deferrentur in acie, pro signis uulgò seruatum est. Nonnunquam Labans quadratũ hastæ appensum, quòd Labarum dixére, pro uexillo fuit. Alex.lib.4.cap.2.

Priuatorum.

BARTOLO de Saxoferrato, consiliario suo, dedit Carolus IV. Imp. insigne leonis rubei bicaudati, in cãpo aureo. Testis ipsemet in Extrauag. ad Reprimendũ, & in tractatu de Insigniis & armis.

NVMIS, LITERIS, DIPLOMATIS.

LOCRORVM Hesperiorum, qui & Ozolæ, signũ publicum in literis & numis fuit Hesperus stella. Strabo.

MASSILIENSIVM signum, ut & Veliensium, Leo, quòd utriq; è Phocide oriundi erant. Victorius lib. 35. Variarum, capite 25.

COLVMNAE, LAPIDES.

Surgens IACOB manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Et locum uocauit Bethel, domum Dei, à uisione nocturna. Genesis capite 28.

IOSVA tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini. Iosue 24.

Tulit SAMVEL lapidem unum, & posuit eum inter Masphat & inter Sen, & uocauit nomen loci illius, Lapidẽ adiutorij. 1.Samuelis 7.

IOSVA præcepit Israelis, ut tollerent de medio Iordanis alueo, ubi steterant pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponerẽt in loco castrorum, eius noctis. Alios quoq; duodecim lapides posuit in medio Iordanis alueo, ubi steterant sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, & sunt ibi usque in præsentem diem. Iosue.cap.4.

RVBENITÆ, GADITÆ & MANASSEORVM dimidia tribus trans Iordanẽ habitantes, posteaquã confecto bello in Terræ sanctæ possessionẽ fratres suos Israelitas introduxere, ad suos bona cum pace à Iosueo duce dimissi, in ripa Iordanis Aram ingentem extruxere, eius, quæ Silunte iussu Mosis extructa erat, æmulam, non ut ibi sacrificaretur, sed ut monumentum esset posteris, Vltraiordaninis idem ius esse in ara & tabernaculo Domini Silũtio, quod Cisiordaninis. Iosl.lib.

SIMVLACRA, SIGNA, IMAGINES.

Apud ROMANOS, principum & bene de Repub. meritorum statuas pedestres & equestres, ita effictas uidemus, ut dextra porrecta, fidem in Rempublicam ostendant. Alexander libro quinto, capite tertio.

ANATHEMATA.

GELONORVM nobilitas hostium cutes, in fortium factorum insigne documentum, suis relinquebant. Alexand. libro quinto, capite 24.

HOMINVM ACTIONES ET Passiones. Vtputa

ACTVS. VT EST

Gestatio.

BATAVI & GERMANI, regem, quem delegere, attollere humeris, & scuto exceptum succollare per uices pro regio fastigio obseruarunt. Alex.lib.1.cap.28. Sic quoq; IVLIANVS Apostata à militibus Lutetiæ per uim scuto impositus, & Augustus acclamatus est, teste Marcellino. Itidem VALENTINIANVS à militibus Nicææ Bithyniæ. Sigonius lib.7. Imp.occid.

NOBILIVM olim proprium erat, per urbẽ equitare. Artemidorus Onirocrit.lib.1.

Equi deductio.

SVLTANI ueteres Aegyptij non prius se regio nomine uel militari laude dignos existimabant, quàm productis ad Bytham emporium iuxta Euphratem copiis consedissent, ac solenni pompa equum ad potandas profluentis aquas, spectante exercitu, in amnem adegissent. Ea ceremonia imperij latitudinem & armorum uim ostendere uolebant, qui citra Taurum usq; ad Arabię solitudines Euphratis undis dominarentur. Iouius lib.33.Hist.

Potatio.

Cùm ARISTOTELES anno ætatis 62. desperatè decumberet, discipuli de successore solliciti erant. Erant tunc in schola eius præter multos alios duo eximij, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Aristoteles igitur, ut discipulorum petitioni satisfaceret, uinum quæri iubet, uel Rhodium aliquod uel Lesbiũ, usurũq; eo dixit, quod sese magis iuuisset. Eunt, inueniunt, afferũt. Tum Aristoteles Rhodiũ degustãs, Firmum, inquit, herclè uinum & iucundũ. Mox Lesbiũ similiter degustans, Verunq;, inquit, oppidò bonum: sed ἡδίων ὁ Λέσβιος. Id ubi dixit, nemini fuit dubium, quin lepidè simul & uerecundè successorem illa uoce sibi, non uinum delegisset. Gellius lib.13.cap.5. & Laert.lib.5.cap.1.

GESTVS QVALESCVNQVE.

Ex loco Notarum animi motuum, quæ ab Actionib. & Passionibus corporis petuntur, hinc pleraque transferri possunt.

AEGINA Aristodemi uxor, Spartanorum regis, ex geminis, quos pepererat, priorem Eurysthenem cibando lauandoq; curabat, quàm Proclem. Eo argumento Spartani ducti, ex oraculo Eurysthenem, tanquam regem, publicè colendum curarunt. Herod.lib.6.

ANACHARSIM inuitatum apud Solonem, cùm accubuisset, uiderunt læuam uirilibus, ori dextram tenentem admotam. Quippe freno cẽsebat firmiore opus habere linguam. Plut. de Garrulitate.

LEGATVS Carthaginensium ad Tauromenitas missus, qui Timoleontem Corinthium cum classe receperant, post multas minas tãdẽ manũ supinã ostẽdit, inde inuertit, inquiẽs, Ni parerẽt, ciuitatẽ se, quæ talis esset, talem redditurum. Et Andromachus oppidi dynastes, Timæi historici parẽs, pari gestu

respondit, Abiret protinus, nisi nauem pro tali effici uellet talem. Plut. in Timoleonte.

Legati Parthorum regis Arsacis ad M.Crassum missi, dehortabantur à bello Parthis inferẽdo. Ad ea cùm Crassus respondisset, Seleuciæ se responsum daturũ: VAGISES maximus natu, ridens, ostensa supinæ manus uola, Hinc prius, inquit, pili Crasse exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Plutarchus in Crasso.

Dextræ exertio indicium fuit olim dicere uolentis. VALENTINIANVS I. à militibus Nicææ Bithyniæ Imp. dictus, cùm exerta manu meditata quædam dicere uellet, exercitus uociferari cepit, ut ipse sibi Imperij consortem adsciscer. Ille rursus elata dextra proximos quosdam insolentius se gerentes increpuit. Sigonius lib.7.Imp.occid.

Gothi, qui Totila duce Romam obsidebant, in Portum uenerant, & se intra mœnia condiderant, ut naues frumentarias, è Sicilia commeatum allaturas Romanis, inuaderent. Quas custodes Portus, qui erant in mœnibus, conspicati, è propugnaculis, ueste altè sublata, signum NAVTIS ad se prodeuntibus dederunt, ne propè accederent, sed aliò cursum dirigerent. Illi uerò lætitiæ sui aduentus signum illud esse putantes, prospero flante uento, Portui successerunt. Itaque barbari omnes repentè ex insidiis erumpentes, naues cunctas, nemine defendente, ceperunt. Sigonius lib.19. Imper.occid. ex Procopio.

LEO Armenus Imp. noctu carcerem ingressus, cùm Michaelem Balbum, comitem Excubitorum, ob coniurationem captum, somno ferme oppressum uidisset, irã agitatione manus declarauit. Papias carceris præfectus iram Imp. metuẽs, cùm Michaele denuò conspirauit, & ipsa Natalis Christi nocte Imp. trucidauit. Zonaras.

MOSCHI Tartarorum principis legato ad se uenienti poculum lacte equino plenum offerre, in seruitutis notam, cogebantur: & quicquid legati auidè potantis labra subterfugisset, siue in equi iubam & armos, siue in terram decidisset, id Moschus orator lingua lambere solebat. Sigismundus ab Herberstein in Moschouia.

PRINCIPES Turcorum, Cùm mutua sese reuerẽtia afficiũt, ter digito labellum cõpescere solent. A quibus uulgatæ illę apud Hispanos, Italos, & Gallos, iam etiam apud Germanos (ut facilis est harum ineptiarum potius, quàm uirtutum imitatio) manuum deosculationes. Cuspinianus.

INANIMATORVM ACTIOnes uel Passiones.

Tubæ signum.

Cùm Iehus dux Iorami regis Israelitarum à uate quodam, iussu Elisæi prophetæ, in regem unctus, mandatum de tollenda Achabi stirpe MILITIBVS exposuisset: illi confestim uestem quisq; suam in graduum pulpito substrauerũt, datoq; signo tuba, Iehum regem pronunciarunt. 4.Regum 9.

Campanæ sonitus.

Vsus huius maximus, qui & Tubarum olim, sed tanto illustrior, quò magis sonora, & alienæ artis minimè indiga est campana.

Tintinnabuli tinnitus.

In insula IASSO tintinnabuli crepitus pisces uenales adesse indicio erat. Strabo lib.14. Vide Tit. Musicæ contemtus.

Anno 1191. cõtentione de finib. orta, Brixianis Mediolanenses, Bergomatibus Cremonenses studebãt. Cremonenses cùm traiecto amne Ollio agrũ Brixianũ populabundi iniissent, in fugam compulsi carrocium amiserunt. Carrocii corpus Mediolanũ rei g. stæ monumento translatum. BRIXIANI malum & nolam Brixiam deportarunt, atq; ad perennem trophæi de uicinis hostibus parti memoriam malum in templo maximo suspenderũt, nolam uerò in turrim populi subduxerunt, atque, ut in diebus Carnispriuij publicæ lætitiæ gratia pulsaretur, instituerunt. Sigonius lib 15. regni Ital.

ANGELOTTIVS cardinalis S.Marci, cùm eius familia deducendi domini gratia (sicuti mos est) ad pulsati tintinnabuli signũ rara conueniret, negligentiæ illorũ per iocum coarguendæ causa ad horam mensæ uulpina cauda, ne sentiretur, æs percuti mandauit: ita ut pauci admodum fortè præsentes, tantùm discumberent. Volat.lib.23. Anthrop.

Bombardæ crepitus.

Huius [illegible] tantùm lædendi terrendiq; causa. At eodem tamen salutandi quoq; [illegible] gratulandi ergò non principes tãtùm seculares, quos uocant, uerùm etiam ecclesiasticos uti, ipsa docet experientia.

Scutorum fragor.

MILITES scutorum genubus illisorum horrẽdo fragore approbare solitos aliquid, ex historia patet Constantij Imp. qui cùm Mediolani Iulianum in concione Cæsarem appellasset, milites id fragore scutorũ ratum habuere. Sigonius lib.6.Imp.occid.

Antennarum demissio.

Mos est NAVTICVS eiusmodi, ut qui plus aut uiribus aut dignitate pollent, uelint, ut quæ sibi occurrerint naues, uelificationem intermittant, antennasque demittant, cùm honoris sui causa, tũ, ut si quid ab illis quærere aut petere uelint, possint. Id qui nolunt facere, ius est, bello cogere, ut faciant: sæpeque accidit, ut ea de causa pugnæ maximæ existant, plurimorumque hominum cædes cõsequantur. Bembus Venetæ hist.lib.4

INSIGNIVM, SIGNORVM, MONVMENTORVM. ΧΡΗΣΙΣ. CVIVS REI CAVSA. NOTAE enim aliæ sunt

COGNITIONIS EORVM QVAE SVNT. ARGVMENTA

Eruditionis, Sapientiæ.

Hæc Insignia Academica, alienæ eruditionis testandæ ornandæq; ergò conferri solita.

Lætitiæ.

Apud GRÆCOS, si quid faustè & feliciter nuncij afferrent, coronati aduentabant: ipsiq; ciues in communis signum lætitiæ coronati incedebant, ouãtes gratãtesq;. Alex.lib.1. c.27.

Mortis, Sepulturæ.

Huc ex Tit. Honores mortuis delati. Cippi, Columnæ, Statuæ sepulcrales referri possunt. Illic Honoris habetur ratio: hic ipsius Signi.

Apud Thucydidem obseruatum, consueuisse ATHENIENSES cenotaphiis eorum, qui infeliciter occubuerant, quiq; in Attica sepulti non erant, icrion apponere. Sunt qui ea uoce significari tabulata putent, aut etiam surrecta omnia, atq; etymi ratione aspirationem addant. Vnde icriopoei dicuntur, qui circa forum tabulata compingunt. Scribit Marcellinus, THVCYDIDIS sepulcro fuisse icrium appositũ: id uerò cenotaphij gnorisma, id est, signum fuisse Atheniensibus patrium ac legitimum, ubi quis patria excidens, inibi haud foret sepultus. Icrium uerò, surrectum uocãt lignum. Cælius lib.10.c.5. & lib.17.cap.19. A.L.

Vitæ.

Iustiniano Magno Imp. dolore capitis fatigato, cùm in publicum non exiret, rumor in urbe dispersus est, ipsum morbo esse consumtum. itaque tumultu suborto, tabernæ direptæ sunt: neque hora tertia uenalis panis inueniebatur: prouectaq; res esset lõgius, nisi hora nona PRÆFECTVS urbis luminaria per totam urbem accendi iussisset, atq; eo signo Imperatorem ualere significasset. Quo cõspecto, omnis repentè tumultus elanguit. Sigonius libro 20. Imper. occid.

Dignitatis Sacræ.

Pontificum.

IVDÆORVM pontificis ornatus. Iosephus li.6. c.6. belli Iud. Hieronymus multis locis & ad Marcellam & cõtra Iouinianũ, & de Veste sacerdotali ad Fabiolam, tum etiã Iosephus lib. 3. Antiquit. scribunt EPHOD Græcis dici ἐπωμίδα. Sic enim uerterunt LXX. quod Hieronymus & Ruffinus uertunt, superhumerale. Ab humeris depẽdebat apertum ad brachia. Huiusmodi Ephod solus summus sacerdos gestabat cũctis coloribus auroq; interstinctum. Leuitæ & quidã alij Ephod habebãt huic simile, sed Ephod bat, id est ex lino. Sic Samueli fecit mater Anna Ephod bat: & Dauid ante arcã ἐπωμίδα gerebat. Vnde credo manasse morẽ ad nostros rabbi, id est, διδασκάλους ἐπιτρέπειν, ut tanquam principes legis & totius religionis habeant ἐπωμίδα insigne scientiæ admirabilis, quæ etiã per humeros defluat. hinc medicos & iurisperitos, ne quid illis uiderentur cedere, cultum quoq; similem usurpasse. Cæterũ LXX. ἐφοὺδ legunt. Viues in lib.17. de Ciu.Dei.c.5.

Constantinus Magnus pontificibus ROM. diadema aureum distinctũ gemmis concessit: quod quidẽ Syluester aspernatus, tanquam religioso capiti minimè conueniens, phrygia mitra & candida tantummodò contentus fuit. Platina.

Cardinalium.

Innocẽtius IIII. Lugduni cõcilium habuit, ann. MCCXLVI. Friderico II. Cæsari absenti diem dixit. CARDINALES, quòd eorum aliquot Fridericus comprehenderat, nec dimiserat, nisi Balduini Augusti auctoritate permotus, ut augustiores efficeret, purpuratos ipsos rubro etiam pileo nobilitauit. Aemilius lib.7. Argumento tamen nihil obscuro, oportere huius ordinis antistites semper paratos esse pro fidei

dei defensione sanguinem effundere. Sab.lib.6.Enn.9.

Archiepiscoporum, Episcoporum.

Vixit plurimū Rauēnæ Valētinianus III. Imp. estq; ab eo urbs ipsa quum murorum refectione, tum publicis exculta ædificiis, factaq; urbiū quatuordecim caput. IOANNEM Antistitem urbis laneo donauit pallio, quo tum solus utebatur Imperator: unde altercatio illa insolens Rauennatium antistitum orta, Romano pontifici æquari poscentium. Sab.lib.1.Enn.8. Blondus, Cuspinianus.

Pallium à Pontifice Rom. tribuitur tantùm ARCHIEPISCOPIS, & singulari quodā beneficio paucis aliquot EPISCOPIS, ac in his BAMBERGENSI Germano. Sic autem conficitur. In die Agnetis uirginis, qui est Ianuarij dies XXI, in tēplo Diuæ Agnetis Romę, cùm in missa imploratur agnus Dei, super altare ponuntur agni duo candidi, postea traduntur basilicæ diui Petri subdiaconis. Hi mittūt illos in pascua, suoq; tempore tondent, ex eaq; lana, permixta reliquę lanę, cùm in filum deducta fuerit, parantur pallia. Latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendēt in pectus atq; renes: ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues, eiusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora diui Petri atq; Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquūtur per noctem unam. Altera die subdiaconi recipiunt, & honesto loco diligenter asseruant, donec qui opus habet archiepiscopus, aut eius procurator, sibi dari petit. Traditur autē multis cum ceremoniis, & deferentibus mandatur, ne supra noctem unam, si modò fieri possit, in eodem loco subsistāt, aut cōmorentur. [redacted] Neq; uerò licet antecessoris uti pallio, sed quisque sibi tenetur illud Romę cōparare: deinde, qui fortè uel permutatione, uel quauis alia ratione fit alterius ecclesię patriarcha seu metropolitanus, licet antea sibi parauit illud, necesse tamen habet iterum emere. Sleidanus lib.13.

Sacerdotum.

INDORVM uates & sacerdotes, ut religionem sibi cordi esse, uiuo demonstrarent exemplo, corallium semper ferebant. ARABVM pontifices lineas uestes induunt, mitras gestant cū sandalio. Herculis in TYRO sacerdos cum infula & purpura incedit, & post regē proxima dignitate fungitur. Apud PHOENICES Solis sacerdos ueste, auro & purpura uaria manuleata, ad imos pedes fluxa, incedebat: & tanquā splendoris signum, & amplissimi honoris prærogatiuam, coronā ex auro gemmisq; ferebat. Alex.lib.2.c.8.

Numa Pompilius, summus religionum cultor, inter cætera inuenta & constituta, FLAMINEM Iouis assiduum sacerdotem legisse fertur: qui re & existimatione magna fuit, sed tali, ne magistratū quēuis alium uel capere uel petere posset: eundēq; insigni ueste, toga prætexta & curuli sella ac lictore adornauit, duosq; illi Flamines adsciuit, unū Marti, Quirino alterum, quibus sacra faciendi & uictimas immolandi datum munus est. Alex.lib.6.cap.12. Plut. in quæst. Rom. causam affert: Vtrū, quòd, sicut in Græcia alicubi, maiestas sacerdotis æquaret regiam, & non uulgares homines sacerdotes creauerint? An potius, quòd cùm prefinita munera habeant sacerdotes, incerta reges & indefinita: fieri non poterat, ut concurrentibus simul illorum temporibus, ambobus unus sufficeret: uerùm oportebat alterutra identidem utrisque urgentibus prætermittendo, nunc religionem deorum uiolare, nunc lædere ciues?

Dignitatis profanæ, Vtputa

Magistratuum in genere.

Tullus Hostilius rex Romanorū tertius, debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresq; & togam pictam, atq; prætextā, quæ insignia magistratuū Hetruscorum erant, ut Romę haberentur, instituit. Macrob.lib.1.Saturn.6.

Regum, Principum.

☞ *Insignia regni uaria. (Vide quædam sub Imperij acquisitione. Qua ceremonia) Alia quidem in ipsomet rege, ut in Capite Diadema, Tiara, Corona: in Corpore, Trabea, Purpura: in Manibus Sceptrum: in Pedibus Calcei. Alia uerò extra regem, tum Symbola potestatis & dignitatis, siue præferantur, siue subsequātur, ut Ignis, Fasces, Securis, Gladius: tum Famuli ipsi, ut Lictores, Apparitores, Satellites. De quibus superius egimus.*

INDI reges pro regio ornatu habent, ut cùm foras prodeunt, aurea mitra pluribus gemmis distincta, & sindone amicti, tympanisq; & tintinnabulis præcedentibus, cōspicui fiant. Alex.lib.1.cap.28.

MEDIS, PERSIS, & ARMENIIS regib. cidaris cū cerulea fascia albo distincta, uel tiara, amictusq; purpureus quadrangulari figura: interdū candys, quod Persarū Lydorūq; insigne regiū erat, pro diademate fuit. Quæ quidē tiara pileus erat, ex quo redimicula, quib. maxillæ uelantur, defluebāt, qua Phryges in solennibus utebantur sæpe. Armeniorū reges nō nisi à Romanis diadema assumere poterāt. Nāq; experimēto cognitū erat, Barbaros malle Roma petere reges, quàm habere. Persici reges obseruarūt ex myrrha & labizo odorata, capiti insigne regiū referre, palliūq; picturatā & auro distinctam induere. Alex.lib.1.cap.28.

NVMIDIS regibus sceptrum in sinistra, & candida in fronte uitta, insigne est regale habitum. MACEDONVM regum chlamys, causia, & crepida, ac diadema. Idem.

ASSYRIORVM uerò, tiara diademate obuoluta, & tunica purpurea, & partim alba, quam nisi rex induere nemo poterat. Idem.

SARDIS quoq; curru uehi, & rectā ferre tiarā, solis regib. dabatur. Apud SICVLOS, purpurea uestis, argēteus baculus, & purpura gemmis extructa cū diademate. Idem.

PHOENICIBVS, Syris & Cilicibus, chlamys cum crepidib. & candicans diadema. Idem.

AEGYPTIIS regibus, nunc leonis, nunc tauri, aut draconis effictī imaginem, aut ignem, arboremue effictā supra caput ferre, principatus & regij dominatus insignia fuêre. Tametsi regni cura & procuratio illis penes regias uxores fuerit, quibus plus quàm regi honoris obsequijq; tributū est. Nonnūquam diadema aspidis imagine distinctū, Aegyptiorū regū spectatissimum insigne fuit. Diod.Sic.lib.2.

SYRI stolam & sceptrum pro regio diademate habuerunt. Apud prius uerò seculum reges tenuisse hastas, quas sceptra nuncupant, pro maiestate, proq; diademate fuisse, proditū est. Alex.lib.1.cap.28.

Ferunt, milites in exercitu PHARNACIS, tumultuaria coacta manu, latiorē illi sirpū, dū ipsum in regē assumerēt, pro diademate dedisse. Sicut AMASI Aegyptiorū regi, dum cōcionaretur, pro regali ornamento galea data est. Idem.

ROMANIS regibus diadema, trabea & purpureus amictus, non quadrangularis, sed semicircularis, insignia regij dominatus fuêre. Sequutosq; postea CÆSARES, diademate minimè usos comperimus: imò omne decus regium, ut inuidiosum, deuitasse. quippe nomen regium alibi magnū, Romæ uerò intolerabile fuit. Frequens enim apud eos laurea, capitis decorū, & distincta radiis corona, ac purpurea chlamys, insignia imperij fuêre: tametsi post tēporum interualla, ex Cæsaribus AVRELIANVM Cæsarem, præter mores institutaq; maiorum, diadema usurpasse, eoq; insigni primū usum fuisse, legimus. Demum eò uesaniæ processum fuit, ut sequuti Cæsares, sacrum ignem, qui tantum regibus Persarum mos erat, uelut imaginem imperij, sibi præferri iuberēt, eoq; præcipuo insigni & singulari ornatu uterentur. Alex. lib.1 cap.28.

Tiara, ornamentum capitis. Hanc soli reges rectam portabant apud PERSAS, duces autem inclinatam: & Demaratus Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas uenit, cùm hilaritate quadā rex quiduis petere ei concessisset, rogauit, ut sibi Sardis recta tiara ingredi liceret: ut Phylarchus 11.lib. tradit. Suidas in uoce [illegible].

ÆTHIOPVM & Aegyptiorū reges sceptrū in aratri formā habent. Pileos oblongos gestant, circa finem umbilicum habētes, serpentibus, quos aspidas uocāt, circumuolutū: monumentum insigne, eos qui contra regem insurgere audeant, mortiferis morsibus subesse. Diod.lib.3.c.3.

Quòd ROMVLVS parto regno, cū sella curuli trabeaq; & reliquo habitu se augustiore fecisset, tū maximè duodecim lictorib. insignē fecerit, qui fasces securesq; uelut insignia maiestatis pręferrēt, à multis est memorię mandatū. Itē Apparitorib. & Viatorib. & Accensis & Præconibus. Nōnulli TVLLVM Hostiliū Romanū regē, primò purpuratū cū lictorib. & fascib. in publicū prodisse ferunt. Alex.lib.1.c.27.

ANTIGONVS Macedoniæ rex hederam pro diademate, pro sceptro uerò thyrsum gestauit. CLEARCHVS Heracliensiū tyrannus, aureā sibi aquilam præferri iussit, purpuream uestem, auream coronam, & cothurnos excellenti cultu, instar tragicorum regum. Alex.lib.1.c.28.

Inter Imperij symbola connumerabatur quoque Fortuna aurea, quæ in cubiculo principum poni solebat. Sic Antoninus Pius moriturus in M. Antonini Philosophi cubiculum auream Fortunam transferri iussit. Cuspinianus.

Pace inter Alexandrum III. & Fridericum Barbarossam Venetorum opera cōposita, aliquot insignibus instructa est VENETI ducis maiestas, pōtificis munere, qualia uisuntur hodie circa principem, quum in publicum procedit: Tubæ argēteæ, aurea Vmbella, Sella aurea, Puluinus aureus, uersicoloria Vexilla. Sab.lib.5.En.9. Insigne capitis ab initio in phrygiæ mitræ speciem in conū ibat, ut uetustissimæ principum testantur imagines. Hodie à fronte depressa est infula, retrò attollitur in refracti formam cornu, ut appareat, fastigiū dignitatis in eo ordine esse, qui principem comitatur. Sabellicus libro 7.En.8. Quoties Dux in publicum prodit, præferuntur insignia: ipse comitatus externorum principū legatis, non multo post consequitur, ornatissimo uestitum apparatu,

ritu, & capitis tegumento ita cōposito, ut cornu in tergum exeat: quo planè insigni testetur, se quidem Principem esse totius reipub. ut tamen senatorius, qui amplissimus consequitur ordo, præcipuam cum eo sibi uēdicet partem: quod & Patricius principem subsequens, gladium uagina aurea tectum gerens, facilè ostendit. Nam quum alij reges & principes præferri nudum ensem uelint, supremæ suæ potestatis argumentum, quasi alienæ sententiæ non egeant, ipse uaginæ tectum ponè gerit: ut nec celeritatem ad ulciscenda facinora præmaturam significet (quod etiam Romanorū consulum fasces alligati denotabant) nec sui arbitrij penitùs totam esse rempub. sed subsequentis senatorij ordinis summā esse potestatem. Singulis hebdomadibus semel forum magistratusq; omneis, qui iuri dicundo præsunt, obit: monetq; ut iustitiæ memores, nihil odio aut gratiæ tribuant. Egnatius lib.2.cap.1. Exemplorum.

Præmislus Boëmorum ea apud suos reuerentia fuit, ut in primario templo ligneas soleas, quibus arans utebatur, diutissimè seruarint: easq; ceu sacrā rem nouis REGIBVS, dum diademate ornarentur, præferrent. Vbi autem, cùm ad ducatum uocatus fuit, arans est inuentus, templum conditum est: accolæq; pagi illius, in quo ipse agebat, ab omni onere immunes facti. Fulg.lib.3.cap.4.

PETRVM Aragonum regem septimum Innocentius III. Pp. Romæ corona panis azymi inaugurauit. Marineus libro 10. rerum Hispan.

Ducum bellicorum.

TYRRHENI duces exercitus multis insignibus decorarunt, lictores illis, eburneam sellam, togam purpuream adiicientes. Diod.lib.5.cap.9.

Consulum, Prætorum, Quæstorum.

☞ *Vide suprà, Insignia quæ, puta Lictores, Fasces.*

Apud ROM. prætorio uiro, & qui fuisset prætura functus, toga prętexta uti licebat. Proinde Paulus Aemilius non in purpura modò prætexta, sed trabea candida & ministris dealbatis, atque in equo albo, præturam gessit, in Hiberos ducens. Alexan.lib.1.cap.27.

Senatorum.

Laticlauus, tunica latis clauis intexta, Senatorum propria. Obseruatum est autē, ut Senatores Latum: sic Equites, Angustū clauū habuisse. Paterculus de MOECENATE. Non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe uixit angusto clauo penè contētus. Hotom. de Verbis iuris.

Nauium præfectorum.

Aureum corniculum collo suspensum PRÆFECTI maris est insigne. Eo enim fistulæ more inflato, magistri nauium diuersis sibilis & cantibus oportunè editis, nautas ad officia reuocare atq; incitare consueuerunt. Iouius lib.11.Hist.

Imperij, Regni, Ditionis Limites, Termini positi indicatiue.

Mare.

AVTHARIS, Longobardorum rex, Beneuento in deditionē accepto, eodem uictoriæ impetu Rhegium usq; extremum Italiæ oppidum ad mare peruenisse, & columnam in mari positam ex equo, cui insidebat, hasta contigisse, eamq; terminum imperij Longobardorum futuram dixisse. eandem usque ad suam ætatem columnā Autharis appellatam, scribit P.Diaconus. Sigonius lib.1. regni Ital.

Hēricus I. Cæsar Iutiā (quæ apud ueteres chersonesus Cimbrica dicebatur) subiecit, cōstituto apud Heidebā (quę nūc Slesuicū dicitur) marchione. Non multo pòst Dani Othone I. eius F. domesticis malis implicato, marchionē cōtrucidauere. Otho ergo duxit in Iutiā, ferroq; & igne omnia uastauit, usq; ad continentis terrę nouissima, ad mare, quod modico discrimine Iutiam Noruagiamq; intersecat: & inde conuersus in latus maris Germanici ad Orientem, missa lancea in mare, Othonis fauces (Ottensund) appellauit. Cranzius libro 3. Saxoniæ, cap 25.

SVLTANI Aegyptij olim equū ad potandā Euphratis aquā ducere solebant, & hoc signo imperij sui latitudinem ostendere. Iouius lib.33.Hist.

Fluuij.

REGIBVS Persarū ex Nilo & Istro haustū, inter cętera Dinon memorat solenne fuisse afferri, atq; in thesaurum Susis recondi, tāquam in pignus imperij, & rerum se dominos esse. Plutarchus in Alexandro.

Limites Imperij ROMANI fermè tres amnes fuerunt, Eufrates, Ister siue Danubius, & Rhenus. Quicquid uerò gentiū ac populorum trans hos limites fuerunt, neq; Romano Imperio paruerunt, communi nomine Barbari nominati sunt. Limitem Eufratis uexauere Persæ: Istri, Scythæ Europæi, & Sarmatæ: ex quibus fuêre Hunni, Gothi, Vandali, Alani, Gepidæ. Danubius & Rhenus coercuit Germanos, id est Alemanos, Herulos, Rugos, Turcilingos, Marcomanos, Saxones, & Francos. ex quibus Alemani & Franci in multos populos fuere diuisi, uariis nominibus prædīti. Sigonius.

Vrbes.

Victi ab Anglis & Britannis Scoti, magna agri parte, quem Pictis eripuerant, multati fuere. ita ut SCOTOS ab ANGLIS ac BRITONIBVS Cluda amnis, Forthea, Scoticumq; mare, ubi Forthea in Oceanū labitur, separarent. Eratq; per hæc Sterlingū urbs tribus populis terminus penè communis. Cessit eius oppidi arx, Osbreto Anglorum regi, eandemq; Scotorum armis, dum Pictos regno spoliarent, euersam reparauit. Vbi, qui monetam cuderent, præcipuos habitare iussit: ab eáque arce rationem omnem supputatoriam nomen accipere, uel hac nostra ętate, Anglos perspicimus, & negociatores, libris, solidis, denariisq; Sterlingis in omni commercio ac ratione uti. H.Boëthius lib.10.

Columnæ.

Cùm de finibus PELOPONNENSES & IONES sæpissimè disceptarent, in quibus & Crommyonia continebatur, inter se pepigerunt, ut columnam sisterent loco certo, qui circa Isthmū est. In qua hic inerat titulus: in parte Peloponnesum spectante, Hæc Peloponnesus, at non Ionia. in parte uerò Megara spectante, Hæc non Peloponnesus est, sed Ionia. Strabo lib.3.

Libertatis acquisitæ.

Seruius in Aeneidos octauum, refert Feroniam SERVORVM deam haberi, in cuius templo capite raso soliti sint pileum accipere. Videtur autē pileum priscis insigne fuisse uirtutis spectatæ, ut hinc fluxerit mos, ut qui magistri doctorisq; titulo decorantur, pileum accipiant.

Apud ROM. moris fuit, ut qui ex seruitute in libertatem uocātur, raso capite ad Prætorem irarent: apud quem bis terque caput percussus, uel per lictorem percuti iussus, uirgula, quę Vindicta dicta est, aut festuca in eum iacta, cum eum uertisset dominus, Pretoris iussu seruitute eximeretur. Quiq; libertatem eo modo nactus fuerat, manumissus uindicta dicebatur. Alex.lib.4.cap.10.

Seruos qui manumitterent, circumactu corporis illorum hoc declarasse solitos, ex Appiani lib. ult. Bellorum ciuilium intelligere licet, apud quem Labeo Antistius Cinna sureccoss. factā in tabernaculo suo ad corporis sui magnitudinem arca, mandatis ad uxorem & liberos datis, seruorum fidelissi. dextra prehendit, & corporis circumactu manumisit, conuersoq; gladium tradidit, & iugulum præbuit.

Seruitutis impositæ.

MEDIOLANENSES fame à Friderico I.Imp. an.1162. ad deditionem coacti fuerunt. Consules ex auctoritate consilij Laudem ad Fridericum profecti, strictos gladios tenentes, liberè se omnia, quæcunq; ille imperasset, facturos, atq; eodem quoq; ciues suos omnes sacramento obligaturos iurarunt. Post biduum trecentos equites totius ciuitatis nomine, triginta sex uexilla & claues ciuitatis detulerunt, ac præceptis eius se parituros iurarunt. Inde mille pedites carrocium adduxerunt, ac nonaginta quatuor alij tubas ciuitatis obtulerunt. Sigonius lib.13.& 14. regni Ital.

Carolus IV. Imp. anno 1375. Lubecæ audiens Comites Holsatos & HAMBVRGENSES depugnantes, iussit Hamburgum oppidum comitibus parere, saluis libertatibus, quas ab Imperiali culmine promeruerant. Ergo domum redeuntes, Rolandi statuam, quam pro signo libertatis in pōte (quī hodie adhuc nomen tenet) iam olim erectā habebāt, deiecere, comitibus suis deinceps (ut semper) cōiunctissimi. Crāzius lib.10 Saxoniæ, cap.2.

Vrbem antiquam Saxoniæ QVEDELENBORG, Ernestus dux Saxoniæ expugnauit, quòd malè ciues parerent dominæ suæ abbatissæ, quæ soror erat principis: & Rolādi statuā, quā pro signo libertatis ab antiquo habuerāt, deiecit. Cranzius lib.12. Saxoniæ, cap.16.

LEODIENSES statuam ex orichalco, libertatis signū, in foro erectam habuere, quam Peronam dixere. Eam Carolus Burgūdus urbe capta Brugas transportatam in foro erexit: sed Maximilianus Imp. restituit Leodiensibus. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, cap.8.

Amicitiæ, Societatis, tum Bellicæ.

CARROCIVM currus fuit ingens, rotis grandioribus atque axibus firmioribus fultus, purpurea pariter undique ueste constratus. In quo contabulatio quadratæ turris instar locabatur. in mediò uerò eximia proceritate malus excitatus erat, multis à fastigio rudentibus ipsi contabulationi ad nautici mali similitudinem alligatus: in summo crux aurea, infra crucem antenna magna suspensa, unde uexillum explicabatur. Hunc currum excellentis formæ boues, candida ueste instrati, trahebāt. Cura eius clarissimo & genere & uirtute uiro committebatur: qui ut uenerabilior esset, insigni lorica, ense, & aureo baltheo, & publico stipēdio donabatur: ut munitior, cohorte militum lectissimorum sepiebatur. Cū

eo uerò aderant etiam sacerdotes, cùm diuinæ rei caussa, tũ ut essent, qui lethifero uulnere laborãtibus, sacra, si opus esset, ritu Christiano subministrarent. præterea sex tubicines cum totidem militaribus equis, quibus ciuitas tentoria & stipendia procurabat. Cum hoc uexillo, quò quasi ad sacrã aram acie pulsi refugerent, atque inde ferociores in hostes procurrerent, HEREBERTVS archiepiscopus Mediolanẽsis primus inuentor contra Conradi I. Imp. fautores ad bellum est progressus, an. 1039. Sigonius lib. 8. regni Ital.

Ciuilis.

HERACLITVS flagitantib. ab eo ciuibus, ut sententiã aliquã de concordia diceret, conscenso suggestu, poculoq; frigidæ sumto, atq; asperso farinæ aliquantulo, cùm id pulegio agitasset, epotassetq., discessit: significans eis, Contentũ uulgaribus esse, neq; sumtuosa quærere, eo ciuitates in pace & cõcordia retineri. Plut. de Garrulitate.

Nobilitatis. Ornamenta

Armorum.

Ferdinandus & Isabella Catholici principes statuerunt, ne QVIS clypeos coronis uel aliis regiis ornamentis insignitos, quas res Coroneles & Orlas appellãt, haberet, nisi quibus ob aliquam iustam causam concessum fuisset. Marineus libro 21. rerum Hispan.

Corporis.

Antiquitùs ATTICIS mos erat, capillorum cincinnis aureas cicadas addere. unde & τεττιγοφόροι dicti sunt. Hoc indicio significantes, αὐτόχθονας esse sese, id est indigenas: quemadmodum & cicadæ non aliunde commigrant, sicut pleraq; alia, sed inibi nascuntur ubi uiuũt. Erasmus in Adagiis, ex Eustathij Iliad. γ.

Apud ROM. patricij & qui nobilitate præstabant, quique honestè geniti & liberaliter educati erant, bullam in pectore, lunulas in pedibus habebant: erant enim fibulæ eburneę corniculantes instar lunæ. Quod à Numa institutum ferunt, ut senatores, eorumque posteri, nigris calceis lunas annecterent. Ab Arcadibus deductum, teste Plut. in quæst. Rom. ut se proselenos designarent, uelut amplissimum testimonium nobilitatis ferrent. Quippe in calceis senatorum lunam adscripsisse, centenum numerum designauit, quo tunc senatores continebantur. Vnde & lunata pellis Martiali, & apud Satyricum Poetã, Appositã nigræ lunã subtexit alutæ.

Sunt qui putent, Tarquinium Priscum, regem Rom. cum statu ciuium ordinaret, cultum quoq; ingenuorũ PVERORVM inter præcipua duxisse: instituisseq; ut patricij bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur: duntaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum. illamq; exacta pueritia, solenni festo Laribus suspendebant: sicut Romanæ puellæ puellare rudimẽtum, poppas, Veneri Argiuæ. Alexan. lib. 5. cap. 18. Cæteris autem, ut prætexta tantùm uterentur, indultum: sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia iusta meruissent. Libertinis uerò nullo iure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea libertinorum quoq; filiis prætexta concessa est: ex causa tali, quam M. Lęlius augur refert: qui bello Punico secundo duumuiros dicit ex senatusconsulto, propter multa prodigia, libros Sibyllinos adisse, & inspectis his nunciasse, in Capitolio supplicandum, lectisterniumq; ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoq;, quæ longa ueste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Acta igitur obsecratio, pueris ingenuis itemque libertinis, sed & uirginibus patrimis matrimisq; pronunciantibus carmen. Ex quo concessum, ut libertinorum quoq; filij, qui ex iusta duntaxat matrefamiliâs nati fuissent, totam prætextã, & lorum in collo pro bullæ decore gestarẽt. Verrius Flaccus aliam causam affert. Cùm populus Rom. pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quòd dij despicerẽtur: anxia urbs fuit, quia non intelligeretur oraculum. Euenit autem, ut Circensium die, puer de cœnaculo pompam supernè despiceret: & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti imposita uidisset. Qui cùm rem gestam Senatui nunciasset, placuit uelari loca ea, quã pompa ueheretur: atque ita peste sedata, puer, qui ambiguitatem sortis absoluerat, togę & prætextę usum munus impetrauit. Vetustatis peritissimi referunt, in raptu Sabinarum, unam mulierum nomine Hersiliam, dum adhęreret filiæ, simul raptam. Quam cùm Romulus Hosto cuidã ex agro Latino, qui in asylum eius confugerat, uirtute conspicuo uxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam ulla alia Sabinarum partum ederet: eumq;, quòd primus esset in hostico procreatus, HOSTVM Hostilium à matre uocitatum, & eundem à Romulo bulla aurea ac prætextæ insignibus honoratum. Is enim cùm raptas ad consolandũ uocasset, spondisse fertur, se eius infanti, quæ prima sibi ciuem Romanũ esset enixa, illustre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent: quam inspicientes, ita demũ se homines cogitarent, si corde præstarent. Togam quoque prætextam his additam, ut ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore regerentur. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

Anuli apud ROMANOS distinxerunt alterum ordinem, id est, equestrem, cuius ipsi anuli notæ erant, à plebe, ut simul cœperunt esse celebres: sicut tunica ab anulis senatum tantùm. Polyd. lib. 2. cap. 21. de Rerum inuent.

Herodes Atticus sophista uxorem Regillam grauidam ob peccatũ nescio quod à liberto Alcimedõte cædi iusserat. Is cùm per imprudentiam pugnos in uentrem ingessisset, abortum illa fecit, & ex eo periit. Postulatus cædis est Herodes apud Senatum Rom. à BRADIA Regillæ fratre. Is maiorum claritate longè princeps esse, nec minor nobilitatis ostentator. Argumentum generis erat in calceis episphyrion menoides eburneum, id est fibula cornicans, qualis fermè figura in luna est, quum tenuem uisitationem facit, uel etiam paulùm crassescit. Prodiens igitur is paratu magno ad peragendum reum, de causa quidem pauca ferè, aut nihil: in laudibus uerò propriis etiam nimius, imò uerò totus. Quum multa iam de familia perillustri emugiisset homo imperitus, scommate illum excepit Herodes, Tu, inquiens, in astragalis nobilitatem gestitas. Cælius lib. 20. cap. 27. A. L.

Domorum.

In AEGYPTO in domorum uestibulis, alas uulturum proponere, indicium nobilitatis & uetustatis familiæ erat. Alex. libro 5. capite 24.

Apud ROM. in atriis nobilium & foribus, ac circa domorum limina, hostium deuictorum spolia, enses, clypei, galeæ, currus, deuictarum nauium rostra, ueluti auitæ gloriæ & fortium factorum ornamenta, affigebantur: quæ quanto uetustiora essent, tanto plus decoris & maiestatis habebant. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24.

Honoris.

☞ *Ex loco Honoris illustretur.*

Ignominiæ.

☞ *Hac ea, quæ Dedecoris causa ponuntur, Monumenta, Statuæ, Tabellæ.*

☞ FVERVNT, MONVMENTA.

Crudelitatis.

Mense Maio ROMÆ olim de ponte sublicio in Tiberim hominum effigies, quas Argiuos uocabant, præcipitare consueuerant: ueteri memoria eos, qui olim locum hunc incoluerant, barbaros, Gręcos si quos cepissent eo modo sustulisse: donec ab Hercule edocti simul & coacti, personatis uictimis priscæ superstitionis morem repræsentare ceperunt. Plutarchus in quæst. Rom.

Famis depulsæ.

Cosroes rex Persarum cum Baza seditioso duce cõgressus, eũ profligauit. Qui ex Bazæ fœderatis, Turcicæ nationis erant, eos ad Mauricium Imp. (cuius auxilio regnum recuperarat) misit: quorum multi cruces in frontibus gerebant, compunctis superciliis in crucis modum, infusoq; atramento. Cuius rei quæsita causa, responderunt, superiori tempore, cùm TVRCORVM gens fame periclitaretur, à Christiano quodam monitos, nullum ex iis, qui cruce frontes sigillassent, fame periisse. Zonaras.

Patriæ, Loci natalis.

Cretas fama est hominum primitias Delphos ex uoto misisse. Missos, cùm non uiderent esse, unde se tolerarent, illinc ad quærendas sedes contendisse, ac primùm in Iapygia consedisse, inde Thraciæ loco BOTTIÆO potitos: allectis esse Atheniensibus. Nam parum uerisimile est à Minoe fuisse necatos, quos tributi causa mittebant Athenienses adolescentes, uerùm ad seruitia apud eum detentos. Illorum posteri aliqui, qui habebantur Cretenses, cum aliis missi Delphos fuerunt. Vnde reminiscentes Bottiæorum filiæ originis suæ canebant in solenniis, Eamus Athenas. Plut. in quæst. Græc.

Exilij perpetui.

SAMIIS, cùm rem diuinam Mercurio Benefactori faciũt, cuilibet furari & compilare ius est. Quòd ex oraculo relicta ea insula commigrantes Mycalen, ex latrociniis annos decem se tolerauerint: pòst repetentes insulam suam oppresserint Samij hostes. Plut. in quæst. Græcis.

Victoriæ adeptæ olim.

☞ *Ex loco Honoris & Gloriæ multa huc pertinebunt. Hic Notis, illic notæ significatio Honorifica spectatur.*

Ludis Capitolinis proclamabant olim, Sardeis uenales: ac senex quispiam per ludibrium traducebatur, cui addebãt bullam puerilem. Nam cum Romulo diu bellum gesserunt ex Tuscis illi, qui dicuntur Veientani, quorum urbem recepit postremam, frequentesq; captiuos cum rege sub hasta uendidit, illudẽs illius stoliditati & insipientiæ. Quia uerò stirpe sunt Tusci Lydorum, auctores autem Lydorum Sardeis, ad cum modum proclamarunt Veientanos, atq; ad hanc usq; memoriã mos hic per ludũ obseruatur. Plut. in quæst. Rom.

Quintilio Varo à GERMANIS circumuento, sub Augusto, tres legiones Rom. cæsæ, signa rapta. Aquilæ duæ captæ, quas loco insignium Germania adhuc retinet. Non enim biceps est aquila, sed duæ simul, quarum altera alteram expassis alis obtegit. Tertiam signifer legionis tertiæ ablatam paludę demersit, ne in hostium manus ueniret: alioqui tres haberẽt Germani aquilas in insignibus imperij. Nec unquam hæ redditæ sunt Impp. Rom. quod Parthi fecerunt. Et propterea iure de illis ut auitæ uictoriæ, nunc etiam imperij insignibus, Germani gloriantur. Cuspinianus, ex Suetonio & Velleio Paterculo.

Coniugij acquisiti.

Sponsæ comam apud ROM. hastæ cuspide discriminabant: ut nota hæc esset ui & bello Sabinarum conciliata fuisse connubia. Plut. in quæst. Rom.

ROMANI olim sponsam ædium limen non transire permittebãt, sed à deductoribus supra illud transferri: ut in memoriam reuocarent raptum Sabinarum, quæ nõ ingressæ, sed illatæ in domos fuerẽ. Plut. in quæst. Rom.

Eiusdẽ memoriæ causa in nuptiis Talassium canebant & inuocabãt, quòd in eodẽ raptu clientes Talassij præcellentẽ forma uirginem rapientes, nequis eam corriperet, Talassio eam ferri securitatis gratia clamarẽt, & reliqui honoris causa gratulabundi Talassio comitarentur. Plut. in quæst. Rom.

☞ ACTIONIS seu PASSIONIS.

QVID FIERI, VEL NON.

Ebrietatis fugiendæ.

Qui LACEDÆMONE cõuiuiis, quę phiditia dicũt, sunt prefecti, unum uel tres helotas uino mersos & temulentos publicè iuuentuti ostendũt, quò inebriari quid sit, cognoscãt, sicq; id deuitent, & uitam instituant temperãter. Plut. aduersus Stoicos, & in Laconicis.

A Republica abstinendi.

NICOCLEM patrẽ Themistoclis sunt qui dicãt reuocantẽ à rep. gerẽda filiũ, ostẽdisse ei in litore maris ueteres triremes abiectas & despectas: q pariter aduersus duces suos gerat se populus, cũ fructũ ultra ex iis nõ capiat. Plut. in Themist.

Animum relaxandi.

AEGYPTII inter conuiuia in sermonio hominis mortui effigiẽ seu cadauer aridũ circũferũt, nõ magis in Osiridis memoriã à Typhone cæsi, & in arca in mare abiecti: quã ut uino calẽtes sese hortẽtur mutuo ad utendũ & fruendũ reb. pñtib. quòd ẽs propediẽ tales sint futuri. Plut. de Iside, & in Cõuiuio.

Silentij tenendi.

S litera forib. cœnaculorũ supponi solebat, qua nota DISCVBITVRIS silentiũ indici uidebatur, ut à cõuiuio surgẽtes, siqd fortè licẽtius obloquutus foret quispiã, uolẽtes obliuiscerẽtur. Hinc illud, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Cæl. lib. cap. 18.

Hospitio suscipiendi.

Apud LINGONES dextræ effigies hospitij symbolum præsentabat. Alex. lib. 5 cap. 3.

Absoluendi, Condemnandi.

ROMANI olim in capitis iudicio, per θ seu ϑ in urnã cõiectas literas, signũ mortis & capitis supplicio afficiendũ notabãt (quã Liuius Tristiorẽ notam uocat) per τ & α absoluebant: per N & L proferebãt causam, quã Non sibi Liquere de causa significarẽt, quę ampliationis tabella dicta est. Asconius. M. Tullius pro Milone, salutarem in iudicando literam, & tristem uocat, quòd hac absoluerẽtur reus, illa dãnaretur. Erasmus. Z quoq; in sortibus inauspicata fuit & mali euentus. Nonnulli in nomẽclatura militum per τ superstites, per θ defunctos in acie tribunos annotari prodiderunt. Alij calculo cretæ, absolutionis: carbone uerò, condẽnationis symbolum indicarunt: tametsi iudices Romæ per tabellas plerunq; ferre iudicia inueniamus, quæ semel definita reuocare non licebat. Apud GRÆCOS alba faba in sortibus auspicata fuit & boni euentus: nigra uerò, mali. Alex. lib. 3. c. 5.

A bestiis cauendi.

Boum cornupetentium, quò deuitent eos occurrentes, cornu fœnum alligabant ROMANI. Fortè quia ex saturitate & sagina bõues, equi, asini, homines lasciuiũt, ut ait Sophocles:

σὺ δ᾽ ἐσφαδάζεις πῶλος ὣς εὐφορβίᾳ,
γαστήρ τε γάρ σου καὶ γνάθος πλήρης.

hoc est, Pulli instar exultas præ saturitate, uentre & bucca plena. Plut. in quæst. Rom.

Securitatis præstandæ. Non lædendi.

In excidio Hierichuntis RACHABÆ meretricis domus, fune coccineo de fenestra demisso, sola ex omnibus seruata fuit, pro ea, qua erga Israelitarum duos exploratores usa fuerat humanitate atque fide. Iosua cap. 2.

E Troiano excidio ANTENOREM euasisse existimant, propter hospitalitatem, quam cum Menelao habebat. Vnde Sophocles in captiuitate Ilij dicit, pardalin siue pardi pellem ante Antenoris ianuam positam fuisse, signum ut eius domus intacta relinqueretur. Strabo lib. 13. & Pausan. in Phoc.

Diripiendæ urbis.

Apud Romanos, à DVCE exercitus edito in loco hasta ponebatur, ad significandum, non deditione & pacto, sed tanquam ui captam diripi, & in bona & personas grassari licere. quæ hasta Cruenta fuit nuncupata. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 16.

Redeundi in patriam.

CHILDERICVS rex Francorũ propter intoleranda tributa & libidines pulsus à suis, in Thuringiam ueterẽ patriã se recepit, ac Vindomalũ fidum amicũ, qui sęuientes erga se Frãcorũ animos mitigaret, ac sibi reditũ in tẽpore cõpararet, reliquit, signo dato, quo se moneri uolebat, quando tutò domũ repetere posset. Is fuit aureus numus in duas partes dissectus, quarum unam ipse secũ detulit, alteram, qua moneri uolebat, apud amicũ reliquit. Octauo pòst anno demũ Vindomalus nuncios ad Childericũ cũ numi parte misit. Quo accepto, ille in Galliã se recepit, benignè à Francis Egidium perosis exceptus. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Non redeundi in patriam.

PHOCENSES cùm ab Harpago Cyri regis Persarũ duce obsiderentur, naues cum uxoribus & liberis, opibusq; uniuersis cõscendentes, & ferream massam candẽtem in mare demergentes, iuramento confirmarunt, non priùs se de repetenda patria cogitaturos, quàm massa illa uadis imis leuata supernataret. Herod. lib. 1.

Pugnæ.

☞ *Vide Tit. Milites animare musica.*

Signum pugnæ apud ROM. sagum est coccineum, quod supra prætorium expanditur. Plut. in Fabio & Pompeio. Idem in Philopœmene, signum pugnæ tunicam puniceam hasta sublatam ab Antigono datum ait.

In nauali prælio uexillo ex prætoria naui in sublime elato, pugnæ signũ militi ROM. dabatur. Nõnunquã coccinæ uesti aut chlamydis, aduentus demõstrabatur: excussio uerò, discessus. Sicut in nocte lumẽ, & in die fumus, insidias aduẽtumq; hostiũ & occulta cõsilia plerunq; indicarũt. Alex. lib. 4. c. 2.

Apud ATHENIENSES puniceo paludamento è naui prætoria, contra Lacedæmoniorum classem, pugnæ signum datum est. Idem.

LYSANDER æreo clypeo è naui elato, irruptionis signum dedit. Idem.

DEMETRIVS Poliorcetes prælio nauali cum Ptolemæo ad Paphum certaturus, signum pugnæ dedit clypeum inauratum omnibus conspicuum per uices. Diod. lib. 20.

Apud POENOS, & in castris HANNIBALIS rubrã uestẽ tabernaculo ducis protẽsam, plerunq; tubæ sonitum: ILLYRIIS, linteũ protentũ, aut rubicundã tunicã lanceæ appositã: aliis protentã purpuram, indicium certaminis fuisse proditũ est. DARIO super tabernaculum imago Solis crystallo inclusa, signi loco fulgebat in castris. Alex. lib. 4. cap. 2.

ALEXANDER Macedo, quum tubæ sonitus non exaudiretur: iussit perticam, ex qua signum eminebat, quæ omnibus conspicua foret, supra tabernaculum figi. Alex. lib. 3. cap. 2.

Ante inuentas tubas, Pyrphoris seu Lampadophoris VETERES sunt usi, qui in mediũ utrinq; progressi, facibus excussis, prælium accendebant. Cælius lib. 8. cap. 2. Antiq. lect. ex Zeze. Scholiastes Euripidis in Phœnissis eos Marti sacros, sacrosanctos fuisse scribit, ut reliquis licèt cæsis, ipsi tamen incolumes seruarentur. Hinc prouerbium de internecione summa, Neq; Pyrphorus euasit. Hesychius, & Suidas.

TVRCI ignes plurimos parant, biduo antè eius diei, in quem pugna collata est. Hymnum quendam canunt in honorem Dei & Mahometi herois, significantes quòd, tertio abhinc die prælium committere uelint. Chalcocondylas lib. 1.

Receptus.

HELVETII ad Mediolanũ cũ Gallis congressi, cùm in noctẽ usq; præliũ protractũ esset, duces ut reliquias exercitus colligerent, signũ ingenti classico proposuerunt, quo sparsi errabundiq; milites ad uexilla uocarentur. Id erat amplissimũ cornu syluestris Vri, operoso argento in labris exornatum, quod à maiorib. per manus traditũ, apud Vranienses Heluetiæ libertatis auctores cũ magna cura ac religione custoditur. Eius itaq; beneficio, plurimi conseruati sunt. Sabellici supplementum lib. 5. ex Iouio.

Pacis.

Apud SVECOS & Gothos, galeam ostendere & eleuare, signum est colloquij uel pacis uel induciarum instituendarũ. Olaus lib. 11. cap. 42.

LIBRI QVARTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.







Voluminis Tertij Liber IV.

De IMPERIO & MAGISTRATV quolibet.

MAGISTRATVS SACRI ACQVISITIO. VTPVTA Pontificatus, Episcopatus, Sacerdotij.

A QVIBVS. A Deo.

Cùm Israelitarum quidam indignè ferrent, soli Aaroni à Mose commissam esse sacerdotij dignitatem, præcepit Dominus, ut à singulis Israeliticarum familiarũ principibus singulas uirgas acciperet, & sua cuiusq; in uirgã nomen eius scriberet, easq; oraculari tabernaculo reponeret: futurum enim, ut quẽ Dominus uirũ elegisset, eius uirga fructificaret. Quod cùm fecisset Moses, postridie tabernaculum ingressus, uidit AARONIS uirgam, Leuiticæ familiæ principis, fructificasse, floresq; edidisse, & amygdala peperisse. Ostendit eam omnibus Israelitis, & ante oraculum reposuit, rebellibus eterno futuram exemplo. Numeri 17.

Cùm Aaroni tempus moriendi instaret, iussit eum Dominus montem Horem conscendere in conspectu totius multitudinis, & à Mose suis uestimentis spoliari, iisq; filium eius ELEAZARVM uestiri, qui eo mortuo in pontificatu patri succederet. Num. 20. Sic etiã cùm Moses ad suos cœsurus esset, præcepit Dominus, ut in montẽ Abarim ascenderet, terram Sanctã, quã ingredi nõ poterat, aspecturus. Periit Moses, ut aliquẽ suo loco multitudini præficeret Dominus. IOSVAM igitur Nunis F. Dominus elegit, eiq; Moses manus imponere iussit, & coram pontifice Eleazaro totaq; multitudine sistere, & de sua auctoritate ei imperiyt, cui omnes Israelitæ obedirent, præcipere. Numeri 27.

De ALEXANDRO Eusebius lib. 6. cap. 10. hæc retulit. Cùm ille socius in episcopatus administratione Narcisso senì adhibendus esset, atq; ex Cappadocia, ubi in celebri quadã urbe episcopus fuerat, diuinis reuelationibus euocatus, Hierosolymam accedẽs à fratribus expectaretur, clara interuenit è cœlo uox omnibus audita, significans, Accipiendum esse eum episcopum, qui à Deo ipsis destinatus sit. Adest ratio Eusebij, etiam uisiones nocturnas intercessisse. Alexandro quidem, ut unà cum Narcisso ministerij officio fungeretur: Hierosolymitanis nerò, ne Alexandro redire domum cupienti potestatem darent.

Dum Antero successor quæreretur in pontificatu, columba supra caput FABIANI astitisse fertur, eiusdem formæ qua ipsa uisa est, quæ Spiritum sanctum supra caput Iesu apparuit. Platina.

BRAVLIVS, filius Seueriani ducis Carthaginis, & frater Alexandri, circa annũ salutis 560. in episcopum Cæsaraugustanũ ci-

ne ciuitatis diuinitùs electus est. Nam cùm multos nominarent, subitò flamma super Braulij caput omnibus uisa est. Ea innoxia cœli contexa petens, Braulium episcopatus dignitate decorandum, cæteris q; præferendum significauit. Tarifa de regibus Hispan.

Principibus, Populo, Clero.

Vide Tit. Ius Electionis, quatenus exempla collata Magistratus continet.

Concilio Constantinopolitano an. 381. NECTARIVS ufr secretarius, ac præfectura fungens, & adhuc catechumenus, à populo propter uirtutis opinionẽ ad episcopatus Constantinopolitani honorẽ euectus, ac mox ab episcopis consecratus est. Illo inde cum cæteris assidente, decretum factum est, ut episcopus Constantinopolitanus proximas post Romanam sedes haberet. Is honos dignitati regiæ urbis unius est conuenire. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

IOANNES Chrysostomus uolũtate cleri & populi Constãtinopolitani, cui Imperator quoq; addidit cõsensum, designatus est episcopus: ut scribit Socrates lib 6. cap. 2. & Sozomenus lib. 8. cap. 2. eth q; Antiochia, ubi fuerat presbyter, Constantinopolim traductus. In eadẽ urbe mortuo Attico, cùm de electione uariarẽt sententiæ, euicerunt tandẽ ac obtinuerũt populi sententiæ, ut SISINNIVS sublimitueretur. Socrates libro 7. capite 26. Chrysostomus expressè dicit, homil. 18. in 8. cap. post. ad Corinth. ecclesiarum suffragium non parum ornare eos, qui ad spirituales principatus uenturi sunt. Ac paulo pòst allegat Apostolorum exemplum, quòd quando que, cùm electuri essent septem Diaconos, communicarunt cõsilium suũ priùs cũ populo. Similiter & Mathiam elegisse præsentibus omnibus, tam uiris, quàm mulieribus. Cæterùm propter factiones & pericula, summa urgente necessitate, interdum qui Imperio sunt gebantur, aliquos uocabant. Sic mortuo Silvanio, Nestorius quidam Antiochia accessitur. Nestorio autem propter hæresin reiecto, iterũ propter electionẽ discepratio obortа est: quam Imperator sua auctoritate compescuit, alium, quem nominabat, non impium, recipi iubens. Socrates lib. 7. cap. 29. & 35 Nicephorus libro 14. capite 21. & 31. Hoc etiam defuncto, ne rursum propter electionem perturbaretur Ecclesia, Imperator Theodosius mandauit, Proclum quendam, probatæ tum fidei, ordinari. Socrates lib. 7. cap. 40.



Boleslaus II, Boëmorum rex potestate eligendi præsulis Pragensis sibi à Ioanne Pp. facta, DETHMARVM Saxonem apud sodales Magdeburgenses initiatum primum episcopũ à Mo-

à [redacted] ab Othone I.Imp. [redacted]

In Ec[redacted] te a[redacted] idoneum,[redacted] liquorum, & populi superiorumq; conse[redacted] [redacted]

Valerius consilium suum cu[redacted] creatur. Quanquam autem, ne hoc fieret, supra modu[redacted]

BO[redacted] suc[redacted]

BERNARDVS [redacted] quem nonnulli Angelicum ob uenerandam caniciem & dignitatem formæ appellarunt: animi simplicis & integri, modestiæ & iustitiæ singularis, constantiæ & prudentiæ plusquam humanæ. Platina.

Vacante Apostolica sede, iam secundo anno, per Nicolai quarti pontificis mortem, propter graues Cardinalium in eligendo successore contentiones, unanimes tandem conuenerũt Cardinales, ut PETRVM Moronum eremitam pontificem crearent: arbitrati illum unum ad tantam dirimendam contentionem, lapsæq; in deterius ecclesiæ corrigẽdos mores, remediũ esse posse. Boni enim illius uiri sanctitatis opinio, inopiaq; humili consociata spiritu plus ualuit, quàm uersuta eorum doctrina, opesq;, qui locum, quem ipse non quærebat, inuadere moliebantur. Electus igitur à sacro senatu, secularibusq; multis principibus, in Aequorum urbem Aquilam exceptus, uetulus eremita, asinæ insidens, horrida amictus ueste, omnes in admirationem ueneratione[m]que simul haud aliter permouit, quàm si redemtorem Hierosolymam Palmarũ die ingrediẽtem uiderent. Humilis enim illius uestis, atq; peruilis animalis, quod senex insederat, imperium, Cardinalium fulgens purpura candidiq; equorum greges subierũt, uirtutem ceu cœlitus missam, quæ sub tam humili latebat habitu, adorãtes. Humilitati sanè tunc Deus hoc prerogatiuæ munus concessit, ut qui ei aduersabantur, eamq; fugiebant, in aliis ipsam adorare cogerentur. Fulgosus libro secundo, capite quinto.

Pio III. Pp. mortuo, tanto studio in unũ Iulianum Rouereum, IVLIVM II. dictum uota suffragiaq; omnium sunt conuersa, ut penè, priusquam conclaue ingrederetur, Pontifex sit dictus. Iouius in Leone lib.2.

Discordibus.

Mortuo, anno 1503. XVIII Augusti, Alexãdro VI. Cardinales numero triginta octo conclaue ingressi sunt. Vbi dissidium, quod alijs temporibus moram afferre solebat, in causa fuit, ut intra paucos dies Franciscum Piccolomineum, Senẽsem Cardinalẽ (quẽ, quia senex erat, & tunc tẽporis infirma ualetudine, omnes breuissimo tempore supremum diem obiturum existimabant) Pontificem crearint: qui Cardinalis certè erat integræ famæ, aliisq; dotibus tanto gradu minimè indignus censebatur. Hic ut Pij Secũdi, patrui sui, à quo in põtificum collegium cooptatus fuerat, memoriam renouaret, PIVS III. nuncupari uoluit. Et quidem Pius, Cardinalibus spe in sua creatione concepta minimè fraudatis, uigesimo sexto pòst die, quàm erat ad pontificatum assumtus, ex hac uita migrauit. Guicciard. lib.6.

Nemo unquam ab ulla sacrorum [redacted]

[redacted]

Defuncto Hadriano VI. Pont. summa contentione comitiis creandi pontificis initis, atque in duas partes senatu scisso, seniorum cardinalium prærogatiuam Pompeius Columna uehementissimè tuebatur. Iuniores in unum densati globum Iulio Medici constantissimè fauebant, ita ut comitia ad quinquagesimum ferè diem extraherentur. Tandem Pompeius ubi seniores magna ex parte Gallicæ factionis studiosos esse comperit, secretò Iulium adiens, Annon mihi, inquit, gratiam habebis, si te iam ad pontificatum extulero? At ille, Si seriò dicis, egregiè profectò tecum agam, respondit: & tu cùm priuatis rebus tuis honestè seruies, tum publicis, Cęsarique in primis præclarè atque oportunè consulueris. Tum Pompeius id unum enixè postulauit, ut Francisco Soderino ueteri inimico, & plerisque item Cardinalibus, à quibus acerbissimè atque inimicissimè fuerat oppugnatus, sincera fide parceret, eosque omnes in gratiam reciperet. Dextram tum Iulius Pompeio dedit, prolixè pollicitus id se pręstaturum, obligauitque ea in re fidem suam, CLEMENTIS VII. nomine desumto: qua una nominis professione, tanquam edicto, inimicos aduersariosque omni metu liberare uideretur. Nec mora, auctore atque hortatore Pompeio, quum is nudatis conuersi animi consiliis comitiorum hauddubiè princeps prodiret, illustrique auctoritate quàm plurimos adduceret, cuncti ferè Cardinales Iulium adorarunt, tanta seniorum mœstitia, ut non multos pòst dies, ex ægritudine animi conceptis morbis, Soderinus ipse & Crassus, itemque Caruaial & Fliscus perierint. Nauatæ autem operæ Pompeius præmium tulit, luculentissimas ædes à Raphaele Riario regio sumtu extructas: atque item Vicecancellarius est effectus. Iouius in Pompeio.

QVOMODO.

Sorte.

In locũ Iudæ Iscariothis post Christi ascensionẽ suffectus fuit MATHIAS. Nam cùm duos Apostoli in medio statuissent, Iosephum Iustum, & Mathiam, sortibus ductis, Ma[redacted] exiit. Actorum primo.

Z[redacted] Imp. ius eligendi episcopos sibi soli rapuit. Euagrius lib. [redacted]rtio, capite 11. Nam Petrum Moggum, sine sua auctori[redacted] Alexandriæ episcopum factum, morte multauit. Solebat autem in altari collocare chartam, & à Deo petere, ut nomen eius, quem uellet episcopum, inscriberet. Verùm cùm occasione chartæ, ab Imperatore in aram collocatæ, per fraudem quispiam malus ad episcopatum uenisset, eam quoque consuetudinem mutauit, & sacerdotibus ius eligendi restituit. Nicephorus lib.16. cap.11. & 18.

[redacted] Constantino Magno Imp. mortuo Myræ urbis episcopo, [redacted] nemo facilè reperiretur aptus ad hoc officium, nec qui suscipere uellet ob grauitatem tanti muneris, præsertim illo tempore, quo non solùm persecutionibus, sed uariis quoque hæresibus & sectis ecclesia oppugnabatur: constitutum erat inter episcopos & presbyteros alios, ut quicunque sequenti die primus in templum ueniret, is episcopus ordinaretur. Et cùm iam seduli in oratione fuissent episcopi, etiam cum reliquis hominibus piis, tota ea nocte, ut Dominus uirum pium in messem suam extruderet: accidit, ut NICOLAVS, priuatus ciuis, ignarus huius conuentionis, summo mane ueniret ad templum, oraturus cum aliis pro successu ecclesiæ in eligendo episcopo. Itaque hac occasione ipse statim episcopus designatus est, quanquam sedulò reluctaretur.

Henrico, Comite Neocomense, episcopo Basiliense, an. 1274. mortuo, cùm inter partes distraherentur Canonici: tandem conuenerũt, ut scribam publicum cum testibus aliquot ad Minoritas ablegarẽt, & qui primus ex monachis sese offerret, eum pro episcopo haberent. Itaq; Hẽrico Isnensi patria, pistoris F. Theologię Doctori, Rudolfi I. Imp. pœnitẽtiario, sortem obtigisse, Vrspergensis narrat. Etsi alij à Petro Richio, præposito Basiliense, Romam, episcopatum à Pp. obtinendi causa, ablegãtum, Rudolfi Imp. gratia sibi eundẽ conciliasse testentur. Christianus Vrstisius lib.3. Hist. Basil.

Suffragio.

In concilio Basiliensi, Patres deiecto Eugenio IIII. Pontifice, cui maior pars Cardinalium fauebat, de nouo eligendo Pontifice solliciti, Triumuiros elegerunt; qui Electores futuros cardinalium loco nominarunt, Episcopos XII. Abbates VII. Theologos quinque, Interluminatos & Doctores nouem. Hi AMADEVM Sabaudiæ ducem Pontificem renunciarunt, sub nomine Felicis V. Vide Aeneam Syl. lib.2. Basil. Concilij.

QVI RESPECTV

AETATIS.

Pueri.

IOANNES, Ferdinandi regis Neapolitani F. puer adhuc, Tarẽtinæ ecclesiæ præfectus à Sixto IIII. eius liberalitate obtinuit, ut etiam ante promulgationem habitu cardinalitio uteretur. id quod nulli antè uel pòst concessum legitur. Garimbertus libro quarto, de Vitis Pontificum.

LEO X. pontifex filius Laurẽtij Medices, tredecim annorum adolescens, in cardinalium ordinem fuit allectus ab Innocentio octauo Pontifice. Sleidanus lib.3.

BVRCARDVS de Sarken, octogenarius, ad episcopatũ Lubecẽsem euectus, quũ non putaretur quinq; aut sex superuicturus annis, peruenit in ecclesia ad annum quadragesimum primum. Obiit an. 1317. Cranzius lib.8. Metrop. c.37.

VOLVNTATIS, VEL

Inuiti, Reluctantes.

Petrus Apostolus Romæ, quia pluribus intentus esse non poterat, cùm orationi & prædicationi uacaret, duos episcopos ordinauit, Linum scilicet & Cletum, qui sacerdotale ministerium Romano populo & aduenis bene sentiẽtibus exhiberent. Moriturus CLEMENTEM episcopum consecrauit, eique cathedram & ecclesiam Dei commẽdauit his uerbis: Eandem ego tibi potestatem ligandi & absoluendi trado, quam mihi Christus reliquit: spretis ac contemtis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunæ, oratione & prædicatione saluti hominum, ut bonum pastorem decet, consule. Subterfugiebat ille tantum onus. Tum Petrus, Tibi tantummodo consules, populum Dei in fluctibus ambulantem deseres, cùm periclitanti subuenire possis? Clemens nihilominus omnium modestissimus, Linum & Cletũ sponte sibi in tanto honore prætulit. Platina.

Auxentio Mediolani episcopo ob Arianismum Romæ condemnato, atque urbe exacto, populus de more ad comitia successoris creandi in templo conuenit. Ibi ciuitate discordia laborante, cùm alij alium pro cuiusq; studio poscerent, breui rem ad iurgia & praua certamina deduxerunt: satisq; apparebat, neutram partem pertinaciæ modum facturam, nisi eo, quem quisque diceret, episcopo designato. Qua re cognita, AMBROSIVS ciuis Ro. qui Ligurię atq; Aemilię Consularis Mediolani sedebat, ut tumultum comprimeret, ad templum accurrit, atq; apud eos, quæ opportuna uisa sunt, differere de concordia & pace Ecclesiæ cœpit. Adhuc uerò illo loquente, pueri uox in turba increpuit, Ambrosiũ episcopum acclamantis. Quam ubi populus audiuit, auidè non aliter, ac si de cœlo missa esset, arripuit, & continuò, cõsentiẽtibus ambarum partium animis, ipsum ad baptismũ, (nam catechumenus erat) & episcopatum accipiendum orauit. sic enim fore, ut ciuitatis concordia coalesceret. Qua re audita Ambrosius, ut populi studia in alium se digniorẽ auerteret, templo egressus tribunal ascendit, ac capitalem quæstionem exercuit. Quod conspicatus populus, clamare cœpit, Peccatum tuum Ambrosi super nos: tuorum tibi remissionem peccatorũ per baptismatis gratiam pollicemur. Atq; hoc idem, cùm ille domum regressus se philosophiæ studio tradidisset, ac publicas mulieres ad se publicè accedere præcepisset, effecit. Postquam autem instanti se resistere populo non posse uidit, media nocte urbe abiit, ac Ticinum uersus iter intendit. Verùm errore uiæ prima luce ad eandem, unde exierat, portam, quæ Romana iam tum dicebatur, appetiit. Quem ut populus uidit, arreptum asseruauit, ac relationem ad Valentinianum in Galliam misit. Valentinianus hoc cognito, Gratias ago Deo, inquit, quòd quos ego reip. administrandæ præficio, eos ille ad ecclesiã suam gubernandam deposcit. ratusq; eam electionem bono ecclesiæ Mediolanensi futuram, uicario, ut rem ad exitũ perduceret, imperauit. Interim Ambrosius ex custodia elapsus, in fundo Leõtij uiri clarissimi se occuluit. Verùm, ubi edictum à uicario propositum fuit, à Leõtio proditus, Mediolanum repetiit, ac se in populi potestate esse professus, ab episcopo catholico baptismum, ac post dies octo epi-

scopalem cõsecrationem accepit: atque inde ecclesiam ordinare, atque Arianos ab Auxentio illatos ex urbe atque ex prouincia deturbare instituit. Euasit enim uir sanctitate, eruditione, & multorum signorum editione insignis. ita ut eum magistrum, doctoremque Ecclesia Occidentalis asciuerit. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Seculo quinto post Christum, in oppido Geris, quinquãginta à Pelusio stadiis, post obitum pastoris sui, legerant ciues quendam NILAMMONEM, quòd esset uir bonus, uirtutibus præstans, & in monastica uita percelebris. Degebat autem haud longè ab oppido illo, casæ paruæ inclusus. Is uerò uehementer recusabat. Accidit autem, ut Alexandrinus episcopus, Cõstantinopoli reuertens, eò appelleret. Is cùm omnino Nilammoni persuadere conaretur, ut manuũ impositione ministerij administrationem susciperet: simulauit tandem Nilammon se uocationi obtemperaturum, ac inquit ad Theophilum: Age pater, quando quidem ita tibi uidetur, faciam cras quod placuerit: hodie tantùm meum me agere, propriasq; res disponere sine. Postridie itaq;, ut conuenerat, adest Theophilus. Tum Nilammõ: Quin prius ad Deum preces faciamus. Quod cùm Theophilus approbaret, inter ipsas preces Nilammon spiritum efflans obiit. Cùm autem longiùs iusto tempus extraheretur, aperto ostio, mortuum repererunt. Sozomenus lib. 8. cap. 19.

Incogitantes, Non ambientes.

Anno 1272. Cardinales Theobaldum Vicecomitem Placentinum, indito GREGORII X. nomine, Pontificem crearũt, quum is infimi ordinis sacerdos, sed uirtute insignis, nunquam de toga candida cogitasset: magno quidem senatorum probro, qui neminem è corpore suo in ea pertinaci cõtentione pontificatu dignum existimassent, nolentibusque similes, & casu quodam suffragiis ludentes, probitatem ex alio, eoq; humili ordine quæsiuissent. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Quum Reginvuardus in fata concessisset, & Ledradus Bremensis chori præpositus à clero & populo Hamburgensi in archiepiscopum surrogaretur, mittitur solenni more ad regẽ Rom. Conradũ I. pontificalem ferulã (hoc est regalia tẽporalis dominij iura) ab illo accepturus: neq; enim potuit rex aliud quàm temporale cõmittere. In familia aũt sua Ledradus electus duxit VNNI suum capellanum. Quũ in cõspectum regis prodiret electus, non longè aberat Vnni, dominum suum secutus. Rex electionis ordinem perspiciens, quum illa tempestate arbitrium constituendorum pontificum maximè sibi reges uendicarent, ferulam, quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adstanti, tradidit Vnni capellano, eum ecclesię pontificẽ designans, contemnens populi & cleri electionem sine suo nutu factam: sed & diuino spiritu fortasse præuidens, per hunc Danorũ gentem ad Christum esse perducendam. Cranzius lib. 3. Metropol. c. 5.

CONTENTIONIS.

Concertantes.

Mogũtia miserabilem passa ruinam, ex libera facta est serua, dum duo de archiepiscopatu contenderent, uterq; à sede Apostolica confirmatus. Intus erat DIETHERVS de Isenberg, foris pugnabat ADOLPHVS de Nassavu: qui ope Palatini, & occulto consilio proditorũ, ciuitatem cepit, traditoribus in primis sua præmia persoluit, aduersæ partis factionẽ abduxit: uix ipse Diethérus elapsus est. Iudæis præcipuè adempta sunt iura, cùm uictorum arbitrio cuncta gererentur. Cranzius lib. 11. Metrop. cap. 50.

Petentes. Competitores.

☞ *Ex loco Competitorum huc exempla. Illic Ambitus, hic Dignitatis quæ ambitur, ratio habetur.*

DIGNITATIS PRÆCEDENTIS,

Huc pertinent

Repulsi ab inferiore; ampliorem inde consecuti.

LEONTIVS sacerdos, priuati ordinis uir, damnatus à Pontifice, non multo pòst non solùm loco suo restitutus est, sed etiam Antiochenum patriarchatum est adeptus. Magnum fortunæ exemplum: quippe qui in ordinem redactus, deinde in eam dignitatem sit euectus, ut inter diui Petri apostolorum principis, & Ignatij successores, adnumerari possit. Egnatius lib. 7. cap. 5.

THEODOSIVS sacerdotij dignitate priuatus ab Eugenio pontifice, mox restitutus à Gregorio IIII. Saguntinæ præfuit ecclesiæ, non mediocri sua cum laude, & cum Saguntinorum omnium usu non uulgari. Egnat. lib. 7. cap. 5.

GABRIEL Condelmarius Romanam curiam secutus, Senensisq; episcopus à Gregorio XI. Pp. declaratus, ab ipsis Senẽsibus statim reiectus repulsusq; est. Quem tamen non multo pòst eadem ætas pontificem Romanum uidit, sub nomine Eugenij IV. in Martini locum suffectum. Vt ridere interdum [redacted] potuerit; [redacted] iniuriæ tanta [redacted] Egnatius lib. 8. cap. [redacted]

[redacted] QVA CEREMONIA.

Quum Mose[redacted]aculum ædificaret, fuit illi à Deo [redacted]ptum, ut [redacted] unguentum, quo ipsum [redacted] unà cũ uasis, ac simul sacerd[redacted] & reges perungi [redacted] qui uocarentur ad sacerdotium uel regnũ. Quo facto [redacted] inde [redacted] ut quemad[redacted] Romanis [redacted]toribus indumentum purpuræ, insigne [redacted] regiæ dig[redacted]tis [redacted] unguenti nomẽ ac potestatem regiam cõferret. auctor La[redacted]. Quapropter Aaron & filij [redacted] à Mose, post[redacted] Saul primus He[redacted]orum rex à Samuele [redacted] est. Iosep[redacted] lib. Antiquitatum [redacted] Dumq; Saul [redacted] Propheta (de Samuele [redacted]) super inuentis ca[redacted] effudit, cumq; complexus [redacted] Esto tu rex constitutus à Deo. [redacted] hoc deinde modo tã reges [redacted] sacerdotes [redacted] quibus propterea summa [redacted]mnibus haberetur reuerentia, dicente Domino Psal. 104. Nolite tãgere christos meos. Polyd. lib. 5. c. 3. de Ret. inuent.

De electione Pontificis consule Polydorũ lib. 4. cap. 10. de Rerum inuent. & Sleidanum lib. 21. Verba in illius electione adhiberi solita, pete ex Gregorio VII. Platinæ.

Post Vrbani II. mortem PASCHALEM II. uita priuata contentum, quippe qui antea monachus fuerat Rainerius nomine, etiam nolentem & latitantẽ pontificem Romani crearunt. Indutus coccineam chlamydem, tiaraq; capiti eius imposita, comitãte populo & clero, equo albo ad Lateranum perducitur, maximè uerò ad eam porticum, quæ ad Austrũ uersa, in basilicam Saluatoris ducit, quã Constantinianam uocant: ubi cùm in sede ad eam rem de more parata aliquã diu quieuisset, atrium Lateranense conscendens, baltheo succingitur, unde septẽ claues, septemq; sigilla pendebant, ut intelligeret, se secundum septinariam sancti spiritus gratiam sanctarum Ecclesiarum, quibus, Deo auctore, præerat, claudendi, sigillandi, aperiendi, recludendiq; rationem habere. Inuisit, sceptrum pontificium manibus gerens, ea quoque loca, quæ solis pontificibus sunt adiudicata. Sequentibus uerò diebus consecrationem accepturus, ad basilicam beati Petri proficiscitur, in qua eum chrismate inunxere Oddo Hostiensis episcopus, Mauricius Portuensis, Gualterus Albanus, Bono Lauicanus, Nilo Prænestinus, Offo Nepesinus. Oddoni Hostiensi primæ partes, quas adhuc retinet, obtigere. Post unctionem uerò in urbem rediens, coronam de more accepit. Platina.

STEPHANVM II. in Pont. electum & humeris exceptũ, primùm in basilicam Constantinianam deportatum tradit Liber Pontif. & Francus de Pontificibus. Oppresso Aistulpho, in pompa solenni ad Lateranensem basilicam se portari curauit. Eius pedes humi prostrati osculati sunt Pipinus, filius eius Carolus Magnus, Luitprandus Longobardorum rex & stapedes eius apprehenderũt, & frenum equi illius tenentes, stratoris officia ei præstiterunt. Martinus in Chronico. Blondus lib. 1. Decadis 1. Carolus Magnus ADRIANI I. pedes osculatus scribitur à Blondo lib. 1. Decadis 2. & Aemilio. Iustinianus Imp. CONSTANTINI Pp. Romani pedes Nicomediæ osculatus est. Liber Pontificalis.

QVANDO.

Bonifacius II. instituit, ut in demortui locum alter Pontifex, si fieri posset, tertia die sufficeretur, ne dilatio seditionem faceret. Platina.

Cardinales Rom. nouum pontificem electuri, ante defuncti exequiarum finem (sunt autem nouendiales) ex ueteri more locum suffragiis ferendis destinatum, quem ipsi Conclaue uocant, non ingrediuntur. Guicciard. lib. 6.

Vno codemque anno THOMAS Sarzanus & episcopatum Bononiensem, & cardinalis dignitatem, & pontificatũ adeptus est, sub nomine Nicolai V. cum maxima totius cleri populique Romani lætitia. Platina, & Sab. lib. 7. cap. 7. & Cranzius lib. 12. Metrop. cap. 1.

Post Pij III. obitum, cùm pontificum collegium aliquot dies conclauis ingressum distulisset, electio extra conclaue decreta fuit. Nam Hostiensis, qui S. Petri in Vincula Cardinalis appellabatur, amicis, auctoritate, & opibus potens, tot suffragia sibi obstrinxerat, ut qui contra sentirent, se opponere non audentibus, iam certus & designatus Pontifex conclaue ingressus, nouo atque hominum memoria antea inaudito exemplo, antequam conclaue clauderetur, eadem nocte, quæ fuit postrema Octobris, ad pontificatum assumtus fuerit: qui uel primum suum Iuliani nomen intuitus, uel, ut fama fuit, quo cogitationum suarum magnitudinem indicaret, uel ne etiam nominis præstantia Alexandro cederet, IVLIVS, eius nominis inter oẽs, quot quot fuerãt pontifices, Secundus appellari uoluit. Guicci. 6.

MAGI-

MAGISTRATVS PROFANI, IMPERII, REGNI, DVCATVS, ACQVISITIO.

A QVI[redacted] PVTA

A DE[redacted] ORACVLO.

Samuel propheta, Domino iubẽte, SAVLVM filium Cis, Beniam[redacted]sem, solus regem [redacted]litarum unxit, perfuso eius capite oleo: & ut huic unctioni fidẽ adhiberet, indicauit ei, quæ nam eo die ei acciderent. Mox conuocato populo apud Maspham, eis præcepit, ut in tribus distributi sortirentur. Sors igitur Beniaminensi tribui contigit: qua porrò ducta per [redacted]nationes, Matrianæ obuenit sors, & in ea Saulo Cis filio. Qui cùm quæsitus non inueniretur, Ioua cõsultus eum apud impedimenta latere respondit. Itaq; eò concursum est, & illinc accersitus, in medio populi collocatus, cùm humeris omnes superemineret. Cæsis inde Ammonitis, profecti omnes Israelitæ Galgala, Saulum illic coram Ioua regem crearunt, sacraq; pro salute fecerunt. 1. Reg. 10. & 11.

Idem propheta Domini iussu, cùm Saulus Deo inobediens fuisset, Bethlehemam profectus, uitulam secum duxit, sub specie sacrificij anniuersarij perficiendi, ne Saulus resciseret, eum ungendi Dauidis ergò uenisse. Cùm Bethlehemam uenisset, Isæum cum filiis lustrari iussit, & ad sacrificium uocauit. Sacrificio peracto, Isæi filios septem inspicit, Eliabum natu maximum, forma & statura elegantissimum, Abinadabum, Sammam, Nathanaëlem, Raelem, Asam, num aliquis illorum esset, quem Ioua ad regnum uocaret. Verùm Deo nulli astipulãte, octauum natu minimum DAVIDEM, qui ruri pecus pascebat, accersiri iubet, eumq;, rufum, & elegan ti forma præditum, sumpto olei cornu inter fratres suos unxit. Atque ex illo die Iouæ spiritu fuit instinctus Dauid. 1. Regum 16. & Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 10. qui Isæo septem filios tribuit. At in Sacris octauus connumeratur Dauid.

IEHVS Iosaphati F. dux exercitus Iorami regis Israelitarum, à uate quodam, ex Elisæi prophetæ præcepto, Ramothæ in regem unctus, uti Achabi regis stirpem penitùs deleret. Iehus natis mandatum militibus exposuit. Illi confestim suã quisque uestem in graduum pulpito substernunt, datoque signo tuba, Iehum regem pronunciant. Is Iezraelæ Ochoziam Iudæorum & Ioramum Achabi F. Israelitarum reges necauit, Iezabelem de turri præcipitauit, & 70 Achabi filios à Samaritanis occidendos curauit. 4. Reg. 9. & 10.

Targitaus Iouis & filiæ Borysthenis fluuij F. tres habuit liberos, Lipoxain, Arpoxain, & nouissimum COLAXAIN. Illis regnãtibus, in Scythicam regionem cœlitùs demissa fuerunt ex auro facta aratrum cum iugo, securis & phiala. Quę cùm maximus natu attrectasset, aurum arsit. Similiter cùm medius. Minimus natu cùm accederet, aurũ fuit extinctum: & ob id regnum ei fratres duo concesserunt. A quo deinde reges Paralatæ dicti, ortum habere. Et hæc quidem Scythæ narrant. Aliter Græci, qui Pontum incolunt. Herod. lib. 4.

AETHIOPES sacerdotes optimos ex seipsis eligunt. Quem uerò ex eis deus more quodã bacchantiũ circum circa delatus cepit, hunc regẽ populus creat: statimq; flexis genibus, quoniam sit diuina prouidentia datus, ut deum honorat. Assumtus in regem, uitam ducit statutam legibus, omniaq; agit secundùm patrios mores: neq; præmio, neq; pœna afficiens quenquam, præter traditam à superioribus legẽ. Diodorus lib. 3. cap. 1. Bibliothecæ.

Expirauit quondam apud Argiuos Heraclidarum gẽs, ex qua de more regem habebant. Requirentibus regem his, consulentibusq; oraculum, sortes dedit deus, monstraturam aquilam. Paucis pòst diebus aquila, quæ superuolitabat, demittens se super AEGONIS ædes consedit ibi. Ita rex designatus Aegon fuit. Plut. orat. 2. de fort. Alex.

Septem Tartarorum duces Mongali, in desperationem & extremam sortem perducti, cùm quidam Tartarus faber ferrarius pauper, CHANGIVS nomine, dixisset, Visum à se in somnis equitem candore insignẽ, à quo iussus erat eis nunciare, uelle immortalem Deum, ut ipse Tartarorũ princeps eligeretur, atque ipsius manu Tartari liberarentur: ceu delirus ab eis irrisus atque reiectus est. Cùm postea idem omnes ipsi duces in somnis uidissent, religione perculsi, statim hominem ipsum delegerũt, & Cham gentili nomine, id est, regem suum appellarunt. Neq; uerò hoc satis fuit, ab eo iussi duces ipsi magistratu abire, & primogenitos in suo conspectu occidere, sine mora paruerunt, ipsum ab immortali Deo ad regnum esse uocatum arbitrati. Fulg. lib. 1. cap. 1. ex Haytonis Armeni cap. 16. de Tartaris.

Legimus in omnibus ferè Anglicis annalibus, recuperata Hierosolyma, duces Christianos in eligendo rege, ad rogandã Dei sententiam constituisse, ut singuli in templo ante principem aram cereas candelas ardentes tenerẽt, orantes Deũ, quò sibi mentem donaret bonam, ut illud munus homini digno deferrent: & accidisse, ut ROBERTVS Normanniorum dux diuino nutu rex designatus fuerit, quòd eius candela subitò extincta, ac mox accensa est: sed illũ spreto oraculo, id minimè cæteris ducib. patefecisse: imò, ut nõ nemo affirmat, id decoris à cunctis sibi delatum temerè repudiasse, ut qui ad regnum Angliæ opulentius ac quietius iampridem adipiscendum animum adiunxisset. Ex quo ferunt ex eo die nunquam Roberto posthac fortunam fauisse. Cæterùm alij auctores non contemnendi, Godofredum Bononiẽsem, uirum post hominum memoriam excellentissimũ, tradunt de communi omnium sentẽtia regem creatum, nulla facta mentione neq; de Roberto, neq; de tali modo regis optandi. Polyd. lib. 10.

CASV, FORTVNA.

Asconius Pedianus in oratione pro Milone, refert Næuij poetę senarium iactatum in familiam METELLORVM, quòd Consules designarentur arbitrio fortunæ, quæ campi domina dicitur uerius, quàm suis meritis:

Fato Metelli Romæ fiunt Consules.

Ad id tum Metellus consul iratus respondit senario hypercatalectico, quem ait & Saturnium appellari,

Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.

Ad id rectè allusit M. Tullius, quum ait, Te non fato, ut cæteros ex nostra familia. Erasmus in Adagiis.

AB HOMINIBVS. TVM

Quibus. Vt à

Pontificibus.

Ioiada pontifex, cum uxore Iosaba, Iorami regis filia, IOAM infantem cum nutrice eius, ex cæde regiorum filiorum, ab Athalia auia patrata, eripuit, & per sex annos in templo occuluit. Anno septimo eum in templo Iudæorum regem unxit. Athaliam interfecit, Baalis ædem diruit. 4. Reg. 11.

PIPINVS, Francorum regis Childerici, ex gente Merouingorum ultimi, præfectus palatij, penes quem opes & regni potestas erat (atq; is Maior domus ea ætate appellabatur, utpote ad quem spectabat summa imperij: cùm reges, præter inane uocabulum, & personam crine & barba uestitam, in solio residentem, & legatos audientem, nihil reliqui haberent) multa insignia ac egregia bella gessit: atq; ideo in monasteriũ detruso Childerico rege, iussu Stephani pontificis, rex cunctorum consensu electus, & à Bonifacio Moguntino unctus fuit. Regino lib. 2. Cuspinianus.

CAROLVS Magnus cum exercitu uindicaturus Leonis III. pontificis, qui ab inimicis captus erat, iniuriam, properauit Romam. Et cùm natali die Seruatoris nostri templum oraturus ingrederetur, nihil minus speranti, Leo pontifex coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit. Cui ab uniuerso populo Romano acclamatum est: Carolo piissimo, perpetuo Augusto, à Deo coronato, magno ac pacifico Imperatori, uita & uictoria. Vnctus est deinceps: & abolito Patricij nomine, quo illum Romani honoris ergô donarant, appellatus est Imperator, an. regni sui XXXIII. Sal. 801. ab Vrbe condita 1552. imperante Constantinopoli Irene, post excæcatum filium Constantinum. Cuspinianus. Causas istius mutationis Romani prætendebant, quòd à dignitate Romani imperij alienum esset, Irenem fœminã ei præesse: & quòd sperarent, Irenem in nuptias Caroli consensuram: & quòd Carolus à Longobardorum atq; Græcorum dominatus non modò eos liberasset, sed etiam bona illa, quæ Longobardi de imperio occupauerant, multosque annos obtinuerant, pontifici Romano donasset: & paratus esset iureiurando fidem dare de iis defendendis contra omnes hostes. Sigebertus, & alij. Frãci ergo, qui sub Iustiniano primò Italiam inuaserant, ac sub Leone Isauro à Gregorio pontifice amici eorum facti erant, iam tandem sub Leone Italia uniuersa, & ipsa Roma potiti sunt. Zonaras tomo tertio. Sic Aquila Romana in duo capita diuisa est.

Pontifex Hadrianus petenti Carolo Magno ut filios Reges appellaret, die ei officio celebrando indicta, quæ Dominicæ Resurrectioni est consecrata, magna omniũ, approbatione ac lætitia, PIPINVM Italiæ, & LVDOVICVM Aquitaniç reges inunxit, & Pipinũ alterũ sacro lauacro tinctũ de fonte ipso leuauit. Papiam inde reditum: ibiq; Thomas archiepiscopus Pipinum Modœtiæ, exemplo iam à Carolo instituto, ferrea corona donauit, & Gislam filiam de eodem fonte ritu Christiano ablutam suscepit. Sigonius lib. 4. regni Ital.

[redacted]. Sic Stepha-

nus LVDOVICVM coronauit. Aimonius libro quarto, capite 102. Paschalis LOTHARIO Romam inuitato, regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen contulit. Idem libro quarto, capite 110. Et Adrianus papa LVDOVICVM alterum coronauit, ac cum eo in palatiū Lateranense equitauit. Idem libro 5. capite 28. Et Eugenius non uoluit permittere, ut Romani ciues sacramentum præstarent Ludouico, filio Lotharij, sed soli patri. Sic enim inquit: Si uultis, domino Lothario, magno Imperatori, hoc sacramentū ut faciāt, solo modo consentio atq; permitto. Nam Ludouico filio eius ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas Romanorum consentit. Liber pontificalis in uita Sergij.

Leo VIII. OTHONEM I. Romæ coronauit, Gregorius V. OTHONEM II. & OTHONEM III. Blondus, Nauclerus. Ioannes duodecimus statuit, ut Imperator Augustus à papa Romano coronetur. Dolebant Romani, & uniuersi Italiæ populi, quòd ad Germanos transferretur imperium: propterea Romani pontifices Transalpinos Imperatores, à Ludouico tertio usque ad Othonem primum, deinceps Imperij corona insignire noluerunt.

FRIDERICVS I. Romam ueniens, ut Hadrianum IV. Pp. cōtra rebelles Romanos reduceret, in pratis Neronianis castra posuit: atque armato milite decorè incedente stipatus, ex composito porta Aurea urbem Leoninam iniuit, atque ad basilicam progressus, Hadrianum Pp. sedentem pro gradibus adorauit: postremò ab eo ad Confessionem S. Petri deductus, secundùm rem diuinam solemni pompa inūctus & coronatus est, omnibus, qui aderant, faustis acclamationibus præconiisq; fauentibus. Quibus rebus ritè actis, coronam gerens, atq; equum phaleratum insidens, cęteris pedestribus, per eandē, quam iniuerat, portam in castra, Hadriano in ædibus Vaticani relicto, reuertitur. Populus Romanus, qui cum senatu in Capitolium uenerat, ut reipublicæ, prout usus postularet, consuleret, ubi audiuit, Fridericum sine auctoritate atq; præsentia sua à Pontifice coronatum, propè in furorem adductus, magno impetu Tiberim traiecit, atq; ad ædē S. Petri progressus, paucos stratores, qui ibi remanserant, interfecit, & cardinales aliquot spoliauit. Vrbano tumultu in castris audito, Fridericus Pontificē & Cardinales armis à Romanis oppressos suspicans, militem, qui corpora curare, atq; ex æstu se recreare parabat, subitò armari iussit: eoq; aduersus Romanos adducto, prælium duplex iniuit, unum prope arcem cum Romanis, alterum iuxta piscinam cum Transtyberinis. Vbi per aliquot horas incerto euentu pugnatum est, Romani cùm uim Germanorum sustinere non possent, terga uerterunt. prælium à decima diei hora cœptum nox ipsa diremit. cæsi, aut in Tiberim mersi ex Romanis propè mille, capti fermè ducenti, uulnerati innumeri, reliqui fusi ac fugati in Vrbem se receperunt. Sigonius lib. 12. regni Ital.

GVLIELMVS Siciliæ rex instructo exercitu Apuliam hostili animo ingressus, cùm omnia ferro ac flamma consumsisset, in Græcos & Apulos mouens, qui apud Brundusium castra posuerant, eos superauit: unde Salentini Apuliq; omnes deditionem statim fecere. Pontifex autem Adrianus IIII. Cardinalibus infensus, qui obstiterant, quò minùs pax componeretur, Gulielmum in gratiam recepit, eidemq; utriusq; regni tam citra quàm ultra Pharum titulos asscripsit, adhibito priùs sacramento, se nil deinceps moliturum, quod Ecclesiam Romanam offenderet. Platina.

ROGERIVS, Rogerij Comitis Siciliæ filius, mortuo Gulielmo Apuliæ duce, non Apulia modò, sed Calabria, Lucania, Campaniaq; potitus, se Italiæ regem dictitabat, ac ita salutari uolebat. Animos faciebant illi opes, resq; lætæ, ac maiorum gloria, qui priuata nobilitate orti, audendo agendoq; ad maxima quæq; peruenissent: sibi tantùm regium nomen deesse, cùm nulli regum uiribus imperioq; conferendus nō sit. Innocentius II. Pontifex contra eum mouit. Commisso ad fanum Germani prælio Pontifex cum non paucis Cardinalium in potestatem Siculi uenit. Itaq; Siculo cuncta, quæ petiit, concessit, præter regium nomen, insigniaque. Ad eius capti famam, in urbe Petrus, Leonis ciuis Romani ditissimi filius, Aegidio Cardinale Tusculanorum episcopo adnitente, Pontifex maximus salutatus, adoratusque à suæ factionis hominibus, se Anacletum II. uocitari iussit. Impar uiribus Innocentius in Franciam uenit. Siculus eo profugo, se caussæ Anacleti coniunxit: ab eo Rex Siciliæ, contributis etiam cis fretum Brutiis, Lucanis, Apulis, Calabris, salutatus. Innocentius concilium Claromonte habuit, Anacletique caussam damnauit. Aemil. lib. 5. & Sigonius lib. 11. regni Ital.

[redacted] gni guberna[redacted] to, anno 118[redacted]

ministrationem, ac regis pueri Balduini tutelam sibi integram deberi contendebat. At Sibylla Guidonem maritum (cui post Montisferratensem nupserat) instigabat, ut competitori nullo modo cederet. Minis igitur quod uolebat Guido extorsit à regni proceribus. Sed mensibus septem tantùm auunculo superstes fuit [illegible]inus, lento ueneno sublatus. Eius obitum mater non priùs aperuit, quàm ab Heraclio patriarcha, Guidonem regio diademate insigniri magnis muneribus redemisset. Ita uno eodemq; die & Guido coronatus, & Balduini exuuiæ sepultæ fuerūnt. Tripolitanus inuidia & ira æstuans, cum Saladino amicitiam iniuit, simulataq; reconciliatione cum Guidone rege, ad Tiberiadem Christianorū exercitū prodidit. Qua clade [illegible], Saladinus Hierosolymis, & reliqua terra sancta potitꝰ est. Tyrius.

Babyloniæ clarissima Caliphæ sacrorum principis sedes est, qui à cunctis Mahometani nominis regibus excolitur, ueteremq; obtinet prærogatiuam adoptandi, & ex certa coemtionis cerimonia confirmādi ASSYRIÆ regis, sicuti SVLTANOS etiam Memphiticos, recēti adhuc memoria à Saracone Comanorum duce repetita, qui Aegyptiis ante trecentos annos principatum eripuit, ut ibi Mamalucorum seruorum imperium conderet. Iouius lib. 33. Hist.

Regibus.

Vt Romanum imperium illustrius uideretur, si regibus imperaret, Otho II. illi adiecit coronam POLONIÆ, Henricus IIII. BOEMIÆ: Lotharius uerò CANVTVM Slesuici ducē regem fecit Obotritorum. Crāzius lib. 3. Vandaliæ, c. 30.

Fridericus I. Imp. bello contra Henricum Leonem Saxoniæ ducem, cùm principum Pomeraniæ Casimiri & Buggislai potentiam haberet suspectam, duces se illos creare pollicitus est. Illi magnifica Cæsaris promissione moti, nesciebāt, quòd sub specie honestioris tituli, ad Romani regni seruitutem deuincirentur. Veniētes ergo in castra, ducali nomine, traditis aquilis cum uexillo insigniti fuere, facta homagij fide. Cranzius lib. 6. Vandaliæ, cap. 14.

Henricus I. Imp. Danorum uictor, apud Slesuicum (quæ etiā Heideba dicebatur) regni sui terminos ponēs, MARCHIONEM ibi constituit, hoc est, ducem limitaneū, & Saxonum coloniam habitari præcepit. Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 5.

Otho I. Cæsar, regium titulum diuo VENCESLAO Boëmorum principi detulit: delatum ille tamen, uti uir sanctus, & ab omni ambitione prorsus alienus, usurpare abstinuit, solito Principis Boemiæ titulo contentus. Cæterùm Henricus V. Imp. post obitum patris sui, celebrem Principum conuentum Moguntiæ celebrans, secumq; reputans, qua potentia, quas regiones, quos populos VRATISLAVS regeret, nempe Boëmos, Morauos, Slesitas, Lusacios, à quibus maius periculum, quàm ab aliis nationibus esset pertimescendum: sua uoce Boëmiæ Regem Vratislaum declarauit, mandauitq; Gilberto Treuerorum præsuli, ut eundem cum uxore Pragæ inungeret, & coronaret. Dubrauius lib. 9.

Lotharius Cæsar, festo die Paschæ conuentum principum Ratisponæ celebraturus, inter cæteros BRETISLAVM inuitauit. Is Boriuorium præterea fratrem & Hermannum designatum Pratensem Pontificem sibi adiunxit, ibatque mille amplius delectis equitibus, unoque colore uestitis comitatus. Propinquanti Ratisponæ Cęsar ter mille ferè passus obuiam se in itinere obtulit, manuq; desilire equo paranti iniecta, eques equiti dextram porrexit, receptumq; intra secures suas, sibi proximum adequitare iussit. Actum dehinc inter alia negotia publica, ut Bretislaus solenni principum electorum more, Cæsareæ maiestati solitum honorem haberet. Allata mox uexilla regni & prouinciarum, quarum dominus ac princeps erat Bretislaus, ipseq; Cæsar corona & sceptro ornatus in throno Cæsareo sublimis residens, Regalia (quæ uocant) per uexilla Bretislao, Hermanno autē pontifici per sceptrum in manus oblatum distribuit. Boriuorio datum, ut si quid humanitùs Bretislao eueniret, tutela liberorum Bretislai, & regni successio, ad Boriuorium pertineret. Dubrauius lib. 9.

VLADISLAVS II. à Friderico I. Imp. rex Boëmiæ coronatus est, an. 1158. Dubrauius lib. 12.

Philippus Imp. de bello contra Othonem Saxonem Moguntię deliberaturus, an. 1199. PREMYSLAVM, regem Boëmiæ creauit, imposita ei sua manu corona regia. Et tunc tandem interregnum in Boëmia finitum, Regibus sibi deinceps continua serie succedentibus: postquam usu didicerant, ad dignitatem atque existimationem tuendam plurimum referre, inter Reges potius, quàm inter Principes censeri. Dubrauius libro 15.

Ioannes Boemorum rex Vernero Prussiæ magistro Pomeraniam, Polonis ademtam, perinde ac si emta à se esset, diplomate Regio confirmauit: querenteq; VLADISLAO Loctico, principe Poloniæ, de iniuria sibi illata, respondit: Se Poloniæ regem esse, illum autem duntaxat principem: pluris uerò dignitatem regiam quàm principalem in iure suo uin-
dicando

dicando pollere. Perstrictus hac uoce Vladislaus, sapere cœpit, ut de reuocanda in Poloniam Regia corona protinus ageret, non apud Cæsarem Ludouicum Bauarum, sed in curia Romani pontificis. Ergo Pontifex Regium decus Polono restituit, ea lege, ut uicissim, ille uectigal intermissum quotannis Pontifici penderet. Denarium sancti Petri, in hūc diem Poloni appellant. Etsi Poloni Locticum multò antè coronatum affirment, anno nimirum 1320. Dubrauius li. 20.

ALBERTVS Bauarus (cuius soror nupta fuit Petro Regi Hungariæ) qui & Bābergensis, Leopoldi F. Alberti N. Othonis III. pronepos, primus Marchionatus Austriæ titulo & prouincia ab Hungaria resecta donatus, cùm Henrico II. Cæsari Persām contra Abam in regnum reducenti strenuam operam nauasset, & magnam suorum stragem passus esset. Dubrauius lib. 7.

Robertus III. Scotorum rex, DAVIDEM primogenitum filium suum ducem Rothesay creauit, & ROBERTVM gubernatorem, comitem Fifensem, fratrem suum, ducem Albaniæ. Hi primi fuere in Scotia duces, quum antea tanti fastigii nominibus usi non fuissent. Nec deinceps quenquam ex Scotica gēte tam præcellentis dignitatis nomina ad maiorum uirtutes imitandas, nec opes ad probitatem colendam induxere, sed in omniū penè perniciem ad pestilentem extulere ambitionem: quo uitio antea minimè laboratū fuit, quum uirtute quisque niti, quàm honoribus, mallet. H. Boethius libro 16.

Sigismundus Imp. IO. FRANCISCVM Gonzagam, qui Domini tantùm titulo Mātuæ præerat, ad Marchionalem dignitatem euexit. Dubrauius lib. 25

Anno Domini 1525. die 8. Aprilis, Prussia, quam fratres Crucigeri Teutonici tenuerant, in principatum secularem hæreditarium conuersa est. ALBERTVS enim Marchio Brandeburgēsis, ordine 34. & ultimus Magister Crucigerorum, bellicum Rege Poloniæ pertæsus, difficileq; contra stimulum calcitrare uidens, Cracouiam ueniēs, iuramētum Regi Poloniæ Sigismundo in medio foro Cracouiensi pręstitit, multis principibus pro eo fideiubentibus. ibiq; prædictum Albertum Marchionem Brandeburgensem, post iuramentum solenniter præstitum, Sigismundus Rex Principem secularē, equitemq;, ut uocāt, auratum creauit, terrasq; omnes Prussiæ certis sub conditionibus eidem ut feudali clientique & subdito suo concessit, uexillumq; illi suum sub insigniis Polonicis dedit. Guagninus in descriptione Prussiæ.

Senatu.

Aureliano occiso, inter Senatum ac exercitum gratū surrexit nouumq; certamen. Licet enim post conditam Vrbem defunctis regibus Interregnum fieret, tamen pluribus iam seculis illud erat abolitum. Sex totis igitur mensibus uterque ordo certauit, dum bonus quæritur Imperator. Tanta fuit inter eos concordia ac tranquillitas. Nullum enim habuit exercitus principem, qui Aureliano, quem occiderant, posset conferri: idcirco de eligendo Imperatore ad Senatum retulit. Senatus eandem electionē in exercitum reiecit: quòd milites sciret ægrè eos accipere Imperatores, ob plurium animorum inconstantiam, quos Senatus elegisset. Tandem Senatus, cùm diu esset ita certatum magno temporis interuallo, permittentibus militibus, P. Annium TACITVM, uirum egregium, & Reipub. commodum, Imperatorem elegit, & Augustū appellauit, multisque acclamantibus eū uel inuitum imperium assumere coegit. Tunc primùm Respub. uelut longo postliminio reducta, suo iure ac iudicio usa est. Nec Senatus ob id dissimulauit suum gaudium, quum iam in antiquum statum Remp. restitutam arbitraretur. Quin de ea sibi principes creandi potestate ab exercitu reddita, supplicationes decreuit, hecatomben uouit, & publicè ac priuatim literas dedit suis & externis. Sab. lib. 7. En. 7. & Cuspin.

Militibus.

A. VITELLIVS legatus in inferiorem Germaniam à Galba missus, à Fabio Valente Imperator salutatus, assensit uoluntati militum, qui eum & Germanicum dixēre. quod ab uniuersis delatum cupidè recepit. nam Cæsaris nomen recipere noluit, si Plutarcho credimus: si Suetonio, in perpetuum recusauit: Augusti uerò nomen distulit. Ab uniuersis militibus in Colonia Agrippinensi per celeberrimos uicos circūlatus, Imperatorq; acclamatus ab utriusque Germaniæ legionibus, consternatisque, quòd eius caminus incendio flagraret: Bono, inquit, animo estote, nobis hæc flamma illuxit. Paulo pòst cùm annunciata esset Galbæ cædes, in Othonem uersus, ad Bebriacum uictor, imperio potitus est. Cuspinianus, ex Suetonio.

PROBVS, Aegypto & Orientis maxima parte in Aureliani potestatem redacta, Tacito defuncto, & Floriano imperium ui arripiente, ab Orientali exercitu Imperator est delectus: quod à Tribunis, ut fit, in concione sæpius iteraretur, Principem esse deligendum, fortem, sanctum, uerecundum, probum atque clementem, ne iterum Senatus principem daret. Tum acclamationes subsequutæ ab omnibus: Probe Auguste, Dij te seruent. Moxq; Imperator appellatus, & pallio purpureo de more ornatus est, etsi reluctaretur, & inuitus traheretur. Senatus militum electionem approbauit, pulcerrima acclamatione, & speciosissimis laudibus & titulis, Francici, Gothici, Sarmatici, Parthici: additum nomē Cæsareum, nomen Augustum, additum proconsulare imperium, Patris patriæ nomen, cum pontificatu maximo, Ius tertiæ relationis, & Tribunitia potestas. Sed & reliqui milites audientes Probum (uerè Probum, ut Epitaphium eius habuit) imperare, Florianum interemerunt. Cuspinianus.

Tradit Vopiscus, cùm in ægritudinem incidisset Claudius II. Imp. priusquam decederet, conuocatis ducibus, tribunis & præfectis, fuisse concionatum de eligendo Imperatore, & longa orationis serie AVRELIANVM probauisse: Senatum uerò, nūciata Claudij morte, eius fratrem Quintilium, Italici præsidij ducem, Cæsarem Augustum appellasse. Exercitus interea Aurelianum Imperatorem elegit. Postquàm nuncium ad urbem peruenit, illius conatibus se imparem cùm uideret Quintilius, maleque expertus concione militum uoluntatem, qui omnes fauebant partibus Aureliani, uenas soluit, & paulo pòst decessit, decimaseptima die imperij. Cuspinianus.

MAXIMVS legatus Constantini, Britanniam pulso Octauio rege Romanis uindicauit, Scotos Albione expulit. A militibus Imperator dictus, septendecim exinde annos tenuit Albionem: contigitq; ei, quod nulli alteri, post insulam inhabitatam, ut cunctæ Albionis regiones ipsius parerēt imperio. Heirgustum Scotorum regem liberè permisit regnare, modico tributo imperij nomine populo imposito, ex agris ultimo in Albionis recessu sitis, ut monumentum id esset, insulam totam Romano Imperatori aliquando paruisse. H. Boethius libro septimo.

IVLIANVS Cæsar à Constantio Imp. dictus. cùm re bene gesta in Galliis sæpius hostes profligasset, ultraq; Rhenū coëgisset, & præter omnium opinionem in solo hostili præclara multa gessisset, concordi assensu uictoris exercitus uocatus est Imperator & Augustus. Nam mediocritate uitæ atq; mansuetudine militibus perquàm gratus acceptusq; erat. Sed quum Augusti nomen pertinacissimè renueret, excito militum tumultu, strictis ensibus coactus est cognomen assumere Augusti. In scutis itaq; peditum leuato acclamatum est: Auguste Iuliane, dij te seruent, dij te sospitent. Vt igitur milites quiescerent, adnuit, licet inuitus: adeoq; quinos singulis aureos, argentiq; singula pondo promisit. Inde in occulto se abdidit, nihil pro Imperio agens. ex quo rumor est dissipatus, ipsum interemtum fuisse, magnum, nisi euanuisset, tumultum excitaturus. Vocatos inde in concionem omnes blandè appellauit: atq; literas inde ad Constantium de iis, quæ euenerant, scripsit, quibus se coactum ad cognomē Augusti accipiendum narrauit. Sigonius lib. 6. Imper. occid. ex Ammiano.

IOVIANVS Pannonius, occiso Iuliano Cæsare, militibus de eligendo Imp. digladiantibus, tandem ab extremis eligitur, Domesticorum ordinis primus. Cùm autem uiolenter à militibus ad imperium raperetur, recusabat illis imperare, qui à fide sua alieni essent. Tum milites acri uoce ueluti ex composito se quoq; Christum colere affirmarūt. Cùm itaq; antesignani Iouianum Imperatorem Augustum acclamarent, qui in medio, quiq; postremi erant, opinati Iulianum reuixisse, ingenti lætitia efferebantur: credebant enim plerique medicaminibus recreatum. At cùm nouus Imperator purpuratus per castra duceretur, primoribus comitantibus, uisusq; homo incuruus, statura procera: in lacrymas effusi sunt omnes, auspicium haud felix præsentis imperij. Ob amorem tamen Iuliani, qui à militibus ualde erat obseruatus, in hunc quoq; consenserunt omnes, quòd nominis similitudo esset, una tantùm esset litera immutata. Cuspin.

Cùm Iouiani corpus Cōstantinopolim esset relatum, ut inter Augustorum reliquias conderetur, exercitus Niceam concessit, quæ urbs caput est Bithyniæ, ut illic moderatorem grauem & prudentem eligeret principem, qui magnitudines curarum in se susciperet. Aberat tunc L. Equitius, qui Illyrico præfuit, uir ingenti animo, quem magna pars militum principem dixit: sed cùm quibusdam asper uideretur, & absens præteritus est, & VALENTINIANVS Pannonius, Cibalis ortus, tribunus scutariorum, uir magnanimus, & rei militaris peritus, ueluti cœlestis numinis assensu electus est Imperator, cùm iam diebus decem Interregnum fuisset. Cuspinianus.

HERACLIVS fuit postremus Imperator ab exercitu Romano, electus, & primus à patriarcha Constantinopolitano confirmatus est. Post eum Imperatores filiis suis imperij dignitatem quasi hereditariam tradiderunt. Sebastianus Francus in Chronico.

Prædeceſſoribus.

Antoninus Pius Imp. moriturus Remp. M. ANTONINO Philoſopho & filiam præſentibus præfectis commendauit, iuſſitq; in eius cubiculum transferri Fortunam auream, quæ in cubiculo principum poni ſolebat. Cuſpinianus.

FL. CLAVDIVS Galieni morientis ſententia Imp. eſt deſignatus: ad quem Ticini poſitum, per Gallonium Baſſilium indumenta regia direxerat. S. P. Q. R. acclamauit: Auguſte Claudi, dij te nobis præſtent: Claudi Auguſte, principem, qualis tu es, ſemper optauimus: Claudi Auguſte, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus ſeruator, tu uerè princeps: & multa ſimilia acclamata ſunt. Et meritò quidem: amauit enim parentes, fratres, propinquos, malos perſequutus eſt, fures iudices palam uindicauit, leges optimas dedit. Deniq; ita ſe in Rep. geſſit, ut eius ſtirpem ad imperium Senatus principesq; eligerent. Vir ad Barbaros delendos natus: quos ſtatim multis in locis uicit, fudit, atq; eçcidit prælijs ac rerum penuria. Sarmatas, Getas, Scythas, Quados conſumſit, Daciam recuperauit. Cuſpinianus.

Iuſtinus Iunior, iam morbi ſçuitiâ remittente, ut & peccata la pſus q; ſuos agnoſceret, & Reip. melius conſuleret, conuocato imperij Senatu, in aperto imperialis aulæ palatio, TIBERIVM imperatoria corona & penula indutum, Cæſarem deſignauit, alta uoce hæc prolocutus: Ne, Tiberi optime, umbra huius phantaſiæ ſeu apparatus, & huius ueſtis ſplendor te decipiat, quibus ego miſer deceptus, meæ oblitus conditionis, extremis pœnis factus ſum obnoxius. Tu quæſo peccata mea corrige: id quod facies, ſi rectè & benignè Rempublicam adminiſtraueris: nec omnino iſtis (principes & conſiliarios aſtantes demonſtrans) parueris. Nam illi ipſi in eas, quos cernis, me coniecerunt ærumnas. Poſtre mò addidit: Honora, Tiberi, Deum, & eius Eccleſiam, ut tu quoq; ab iis honoreris: ſed & olim quidē herā & dominā, nunc uerò matrem tuam. Qui facultates habent, retineant: quibus eæ deſunt, eis tribue: ut alios omnes, ſic teipſum obſerua. Memineris & quis antea fueris, & quis hodie factus ſis, & non ſuperbies, nec peccabis. Meum intuere exemplum, qui paulo antè fuerim, & quid nunc ſim. Pauperes in primis dilige, & eleemoſynis tuis eos iuua. Hac finita oratione epiſcopus pro more preces recitauit: quibus cùm oēs reſpondiſſent, Amen, Tiberius Cæſar ad pedes Imperatoris ſe abiiciens: Si, inquit, uolueris, ſum: ſi nolueris, non ſum. Reſpondit Iuſtinus: Deus qui fecit cœlum & terram, omnia quæcunq; tibi dicere oblitus ſum, in animum tuū ſubiiciat, teq; ſanctiſſimo ſuo timore inſtituat, ut p ipſum omnia tibi rectè ꝓſpereq; eueniāt. Euagr. li. 5. c. 13. & Niceph. li. 17. c. 40.

Diſpoſitio de regno Romanorum olim non tam fuit in arbitrio eligentium, quàm in ordinatione decedētis. Nam iam inde à CAROLO Magno pater filio reliquit Imperium: niſi quòd aliquoties propter ignauiam ſuccedentis ſe interpoſuerunt principes ordinationi. Itidem LVDOVICVS Lotharium filium conſortem fecit Imperij. Nondum enim erat legitima electionis forma, quæ in Othonis III. nouiſſimis annis eſt inſtituta. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, c. 4. & 13.

Conradus I. Imp. cùm ſupremum diem adeſſe cerneret, conuocatis Germanis proceribus, multis precibus & lacrymis, auctor fuit, ut Henricus, Othonis Saxonum ducis filius (cuius beneficio ipſe ad imperium peruenerat) Auguſtus crearetur. Itaq; regalia ornamenta, coronam multis unionibus & precioſis gemmis nobilem, ſceptrūq; aureū in medium ferri iuſſit: iiſq; manu tactis, Hæredem (inquit) regiæ dignitatis & imperij uicarium ſtatuo Henricum Saxoniæ ducē. Cui ut pareatis, non conſulo modò, ſed oro obſecroque. Proceres lacrymis ac dulci perſuaſione moti, eius uotis annuerunt: acceptiſq; regiis indumentis abierunt. Rege paucis poſt diebus mortuo, ann. Sal. 919. HENRICVS congregatis Principibus Germaniæ cùm omni Francorum exercitu, Fritiſlarij rex deſignatus, & Auguſtus coram omni populo appellatus fuit. Cùm unctio ei offerretur à ſummo Pontifice: Satis (inquit) eſt me diuina annuente, ueſtraque pietate, regem dici, tanto honore nos indignos arbitramur: ſit penes eos unctio, qui meliores eſſe cupiunt: hac ſumus appellatione contenti. His dictis, manibus in cœlum eleuatis, Deo ſe commendauit. Vnde ingens à populo excitatus eſt clamor, Deus te regem cuſtodiat, Deus te iuuet, tibique aſſiſtat. Cuſpinianus.

Quum Henricus II. Imper. decumberet moribundus, & proceribus imperij conſulentibus, quēnam ſucceſſorē dignū imperio iudicaret, ſine longa deliberatione, communi ſalu ti proſpiciens, CONRADVM Orientalis Franciæ ducem, qui aliquando militarium ordinum dux ſub eo fuerat, & ſtipendia honeſtiſſimè meruerat, licet in nulla ſuſſiſtet apud eū auctoritate aut gratia, dignum cenſuit, qui imperiū moderaretur: quòd antiqui generis & uetuſtiſſimæ eſſet familiæ, ac egregiæ libertatis, utpote qui ſe nunquam alicuius ſubmiſiſſet ſeruituti. Cæſaris morientis iudicium ſanctum uiſum eſt. Mortuo itaq; Henrico, interregnum biennio duraſſum eſt. Mortuo itaq; Henrico, interregnum biennio duravit, quòd Electores principes inter ſe de eligendo rege diſſiderent, & Cuno dux Francorum uehementiſſimè ambiret, ut rex crearetur. Sed Aubone Moguntino archiepiſcopo, & Eberardo Babenbergenſi præſule Conrado fauentibus, quum Cuno ſuffragium ſuum Conrado daret ridendo, ratus impoſſibile eſſe ut eligeretur, cæteris principibus in eius ſuffragium conſentientibus, omnium uoto electus eſt Conradus, & Cuno ſpe ſua fruſtratus eſt. Cuſpinianus, & Sigonius lib. 8. regni Ital.

Collegis.

Conſtantius audiens Gallias aſſiduis Germanorum incurſionibus afflictari, quòd putaret, haud ſatis tutum eſſe, ſe Italia cedere, IVLIANVM, Galli fratrem, Cæſarem ſibi adiunxit, qui nuper palliatus ex Græcia uenerat, iuuenem bonarum ſtudio literarum, ac Chriſtianæ tum pietatis laude florentem. Itaque in concione militum Mediolani, Iulianum purpura induit, ac ſecundis clamoribus fauente concione Cæſarem appellauit, eumque ſibi laborum, periculorumque adeſſe ſocium iuſſit: atque ei mox Galliarum tutelam commiſit. Quæ omnia milites horrendo ſtrepore ſcuta genibus illidentes præter paucos approbauere. Inde poſt paucos dies ad firmandam fidem Helenam ſororem illi matrimonio copulauit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Poſt Iouiniani mortem Valentinianus Tribunus ſcutariorum à militibus Niceæ Bithyniæ Imperator eſſe iuſſus, corona & cultu Imperatorio decoratus, Auguſtus appellatus, & in clypeo militari more circumlatus, omni laudum genere celebratus fuit. Cùm autem exerta manu meditata quædam dicere uellet, exercitus ex omni parte uociferari cœpit, ut ipſe ſibi Imperij conſortem aſciſceret. Quod cùm conſtantius ac propè pertinacius faceret, Valentinianus uerius, nec ea res grauiorem aliquem tumultum excitet, elata dextra, ut fiduciæ plenus, proximos quoſdam inſolentius ſe gerentes increpuit. Atque ira ſedato clamore, ordinibus omnibus proſequentibus in regiam eſt progreſſus. Poſt diem tertium Niceæ diſcedens, primores, quos aduocauerat, ſciſcitatus eſt, quemnam collegam Imperij oporteret aſſumi. Cui ſilentibus cunctis, Dagalaiphus, equitum magiſter, liberius, Si tuos, inquit, amas, habes fratrem: ſi Remp. aliam quære. Quo ille dicto offenſus, diſſimulato conſilio Kalen. Martij citatis itineribus Nicomediam prodiit, atque ibi Valentem fratrem ex Pæonia accitum ſtabulo ſuo cum tribunatus dignitate præfecit. Inde progreſſus Conſtantinopolim, Kalen. Aprilis eundem in ſuburbanū produxit, aſſummo omnium conſenſu (neque enim refragari audebat quiquam) Auguſtum declarauit. atque Auguſtali trabea, acregio diademate ornatum in eodem uehiculo ſecū reduxit, poteſtatis quidem eiuſdem participem, ſed more appanitoris obedientem. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Valentinianus I. Imp. anno 367. apud Ambianos adeò periculoſo morbo iactatus eſt, ut quidam illius uitæ diffidentes, occulta de ſucceſſore ſubſtituendo conſilia coquerent, alij Rufticum Iulianum, memoriæ magiſtrum, alij Seuerum peditum magiſtrum ſermonibus deſtinantes. Quod ubi ille ex morbo recreatus comperit, GRATIANVM filium, adhuc puberem, Auguſtali affecit dignitate. Re cū exercitu conſtituta, ut animis eum promtis acciperet, progreſſus in campum, tribunal aſcendit, & nobilium poteſtatum corona cinctus, puerum dextra apprehenſum produxit, atque Imperatorem renunciatum ipſis militibus commendauit. Fecit autem hoc nouo exemplo Valentinianus, quòd fratrem, & filium deſignatos, non Cæſares, ſed Auguſtos uocarit. neque enim, ut inquit Ammianus, quiſquam ſibi aſciuit pari poteſtate collegam, præter Marcum, qui Verum fratrem adoptiuum ſine diminutione aliqua maieſtatis Imperatoriæ ſibi conſtituit ſocium. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Gratianus Imp. cæſo à Gothis Valente Auguſto, cùm uideret remp. innumerabilibus malis ægram, ac potius examinatā iacere, barbaris nationibus Romanis prouinciis aliquādo tandem uelut inundatione aliqua ſuperfuſis: cumque ſe bello Germanię in Gallia irretitum reuocari, fratrem Valentinianum II. uix XIII. an. natum, propter ætatem ad nulli adhuc militare munus idoneū eſſe animaduerteret, quòd ſuis careret (præſtantiſſimos enim duces Gothica tempeſtas abſumſerat) alienum, cui Orientem committeret, ſibi adſciuit, THEODOSIVM ſcilicet, uirum bello pacēque præſtantem, & multis rebus fortiter proſpereq; geſtis inſignem, uerūm factione paucorum in Hiſpania tunc genus trahebat, tanquam in exilio uoluntario, commorātem. Eum inde euocatum Orienti primūm præfecit, mox etiā Auguſti nomine inſigniuit. Sigon. li. 8. Imp. occid.

Iuſtinus Auguſtus finem ſibi uitæ imminere ex lethali morbo intelligens, IVSTINIANVM, ſororis filium, egregium animo atque uirtute iuuenem, Imperij ſibi conſortem aſciuit, & uita cedens Imperatorē reliquit. Sigon. lib. 17. Imp. occid.

LVDOVICVS, Vladiſlai Hungarię & Boëmię regis F. infans, patri regni conſors additus fuit, quando quidem dolor, ex obitu Annæ uxoris puerperæ conceptus, aliter mitigari nequibat. Fuit q; Ludouicus à Boëmis & Morauis, etiā inuitis Hungaris, in Alba regali, Hungariæ rex, iuxta patrem inuſitato exemplo deſignatus. Biennio dehinc poſt, in Boëmia Pragæ coronatus. Dubrauius lib. 32.

Parentibus.

CAROLVS Magnus amiſſis Pipino rege Italiæ & Carolo filiis, cùm ſe affecta iam ætate, & parum agendis rebus idonea cerneret, ut honeſtis impērandi laboribus oportunos ſibi ſocios compararet, ac ſimul imminentibus domeſticorum diſſidiorum incommodis obuiam iret, quinto decimo Kalendas Decembris an. 814. Aquiſgrani LVDOVICVM ſibi ſum ex Aquitania euocauit, atq; ipſum præſentem cōſortem Imperij, Bernardum uerò nepotem abſentē regē Italiæ declarauit. Res agebatur in templo D. Virginis ab eo conſtructo, circunſtantibus regnorū fermè omniū profanis, ſacratiſq; procerib. & corona aurea ſuper aram maximā erat de induſtria collocata. Itaq; audientibus atq; approbantibus omnib. ad Ludouicū uerſus: Accede, inquit, Ludouice, & co ronam capiti tuo non dignitatis ſolùm ornamento, ſed regis etiam noſtris, & reipublicæ Chriſtianæ præſidio lætus impone: ac mecum unà Imperiū auſpicatis poſthac cōſiliis moderare. Paruit uoluntati patris filius, & corona accepta ſimul principes apud ſe ſacramenta dicere iuſſit. Id deinde inſtitutū poſteri Reges tenuerūt, ut uiuētes filios alios ſibi ſocios Imperij cooptarent, alios regnorū hæredes relinquerēt. Ex quo opes Francorū, quę regnāte Carolo maximę am pliſſimęq; fuerūt, demū prope cum ingenti Franci nominis gloria ad nihilum recidērunt. Sigonius lib. 4. regni Ital.

Henricus I. Cæſar morbo grauatus, conuocatis proceribus, deſignauit OTHONEM filium regem, cæteris prædia cum theſauris diſtribuens. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 13.

Fridericus II. filium ſuum HENRICVM, decennem puerum, regem Germaniæ declarauit Francofordiæ: idq; ratū habue re principes electores. Idem ante illum fecerat Fridericus I. de HENRICO VI. filio poſt ſe imperante: fecit idē Henricus IIII. primū de CONRADO filio, inde (ubi iſte diſpliceret, deficiens à paterna improbitate) Henricū V. alium filiū regē declarauit: qui etiam uiuente patrem deposuit Imperio. Hoc exemplū ætate noſtra ſequutus Fridericus III. in MAXIMILIANO filio, magis (ut ferunt) fieri paſſus eſt à principibus electorib. quàm faceret. Cranz. lib. 7. Saxoniæ, c. 38.

Ruſticis.

Memoratu digna res eſt, qua CARINTHII ducē ſibi creant cerimonia, ipſi Archiducem uocant. Eſt patens uallis ad Vitum oppidum, durant in uaſta planicie diruţ urbis ueſtigia adhuc uiſenda, nomen loci aboleuit uetuſtas. nec procul hinc eſt marmoreus lapis in patētibus pratis erectus. Hunc, quum dux creandus eſt, ruſticus hæreditario iure occupat: ad dextram bouem habens fœtam, nigri coloris, ad læuam equa. illi ſiſtitur ſtrigoſa macieq; inſigni: frequens circa populus, agreſtiumq; turba ingens. Dux inde futurus ex aduerſo mouet, purpuratorū multitudine ſeptus: præcedunt principatus ſigna, omnesq; in toto comitatu egregiè culti, præter futurū ducē. Is agreſti habitu pileo tectus, calceos & paſtoralem baculum gerens, paſtorem agit magis quàm principem. Hunc uenientem intuitus, qui lapidē obtinet, Illyrica uoce (ſunt enim Carinthiani Illyrij genere) Quis hic eſt, exclamat, qui tam ſuperbè incedit? Reſpondet ei cumfuſa multitudo, Principem regionis aduētare. Tum ille, Iuſtúſne iudex? ſalutem patriæ quærens? liberæ conditionis? dignúſne honore eſt? Chriſtianæ fidei cultor, auctor? Reclamatur, Eſt quidem, & crit. Rurſus idem, Quæro quo me iure hac à ſede dimouebit? Ait Comes Goritiæ, ducalis aulæ magiſter, Sexaginta denariis hic abs te locus emitur: iumenta hæc tua erunt (ad bouem & equam manum intendens) ueſtimēta quæ dux exuet habebis, eris tu cū tota domo liber. Quibus dictis ruſticus malam percutit, alapa leuiter incuſſa, iubetque ſimul æquum iudicem eſſe, præmio que inde abducto loco cedit. Tum lapidem dux occupat, nudum gladium uibrans, populum affatur, pollicetur ſe æquum iudicem futurum: ferunt & aquam agreſti pileo delatam potare, in ſummæ ſobrietatis argumentum: inde operari ſacris in facello D. Mariæ uicino. Quibus peractis, humili ueſte depoſita, paludamentum induit, ſplendideque conuiuatur cū proceribus: poſtremò in aperrum egreſſus, pro tribunali ſedens ius dicit populo. Fama eſt anno Sal. DCCXC. imperante Carolo Magno, ducem gentis Ingonem nomine, ingens conuiuium prouincialibus præparaſſe, & agreſtibus quidem ad conſpectum ſuum intromiſſis, in uaſis aureis atq; argenteis, nobilibus uerò ac magiſtratibus procul ab oculis collocatis, fictilibus miniſtrari iuſſiſſe. Interrogatum, cur ita faceret reſpondiſſe, non tam mundos eſſe, qui urbes & alta palatia, quàm qui agros & humiles caſas colerent. Ruſticis, qui Chriſti euangelium accepiſſent, baptiſmatis unda purificatis, candidas & nitidas eſſe animas: nobilibus ac potentibus, qui ſpurcitias idolorum ſequerentur, ſordidas ac nigerrimas. Se ergo pro animarum qualitate inſtruxiſſe conuiuium. Caſtigati ea re nobiles, breui tempore ſub Vergilio & Annone Iuuauienſibus epiſcopis, Chriſti fidem acceperē. Hinc honos inueſtiendi principis ruſticis datus. Sab. lib. 3. En. 10. ex Aen. Syl. cap. 20. Europæ.

Equis.

DARIVS Hiſtaſpis F. hinnitu equi regnum Perſarum meruit. Herodotus.

Libuſſa, Croci Ducis ſecundi Boëmorum filia, à patris morte regno ſuſcepto, eoq; iuſtiſſimè adminiſtrato, tandem pertæſis Boëmis fœminæ imperium, eoq; maximè, quòd in iudicio pauperem à nobili homine oppreſſum uindicaſſet, illis cōſilium dedit, ut equum, quo uehi ſolebat, ſtratum in libero campo ſoluerent, & apud quem cunq; curſu ſubſiſteret, illū ſe pro marito, ipſos pro rege habituros. id ſe (erat enim fatidica) certò ſcire, regem futurum Deorum numine, qui ſuper ferrea menſa comederet. Parent illi. Equus decem millia paſſuum liberè percurrit: tandem ad Bielum fl. coram PRIMISLAO ruſtico conſtitit. Boëmi eum ducem ſalutant. Primiſlaus ſoluris bobus (quos in aerem ſublatos è conſpectu abiiſſe fabulātur) & ſtimulo humi defixo (qui mox frōduit, & tres coryli ramos emiſit, quorum duo ſtatim aruerūt, tertius in arborem proceram excreuit. Vates interpretabātur, tres illum filios ſuſceprurum, quorum duo morte immatura eſſent perituri, tertium nobilem editurum ſobolē. Quòd ſi agrum totum ante uocationem araſſet, ſtirpem eius perpetuò fuiſſe regnaturam) inuerſoq; uomere cibum ſumſit. Tum tandem Boëmi confirmati ſunt, in menſa ferrea comedentem regem uidentes. Equum inde cōſcendit, calceis indutus ligneis è quercu: quos in arce Viſſegradenſi ſeruari, & poſteris oſtendi uoluit, ut recordati ruſticum generis auctorem fuiſſe, ab omni inſolentia ſibi temperarent. Seruati diu calcei, & multis ſeculis in pompa coronationis à ſacerdotibus Viſſegradenſibus, regib. prælati. Ducta inde Libuſſa in matrimonium, Pragam urbem muro cinxit, leges condidit, uxoris ſapientia clarus. Qua mortua, ſolus imperio potitus, à Valaſca uirgine grauia bella ſuſtinuit. Illius certè uillæ incolæ, in qua hæc geſta narrantur, liberi ſunt, nec tributum aliud quàm modium nucum quotannis regi pendunt. Aen. Syl. in hiſt Boëm.

QVOMODO. VIDELICET

Armis.

Sub loco Opulentiæ, Regnorum occupatorum exempla congeſtimus. Hic eam, quæ poſſeſſionis iuncta eſt, diguitatem conſideramus.

Regnum Longobardorū in Italia (quā Galliā ueteres Itali dixere Ciſalpinā) conſtitutū, DANORVM gloria eſt, Scania egreſſorū: GOTHORVM aūt decus, ſubegiſſe Italiam, uaſtaſſe urbē Romā, diu regnū in Italia, diu in Galliis & Hiſpaniis tenuiſſe. NORVAGI uerò propriū ſibi uendicarūt, maritima Frācię de ſuo nomine dixiſſe Normanniā: inde in mediterranea in Italiā uſq; penetraſſe, ac in Apulia Calabriáque primò ducatū, & in Sicilia comitatum, poſtea nobile regnū in utraq; Sicilia (quod in hunc uſq; diem durat) fundaſſe. Cranzius lib. 1. Daniæ.

Hortatu.

PROCOPIO Siculo Iulianus, dum Carris Euphratem eſſet tranſgreſſus, & Lunæ ſacra faceret, ante aras fertur paludamentum purpureum tradidiſſe, remotis arbitris: mandaſſéque, arriperet fidentius principatum, ſi apud Parthos ipſe interiret. Itaque mortuo Iuliano, corpus eius Tharſum uſq; perduxit, & tumulo dedit. Inde abiit, & nuſquam niſi ex improuiſo uiſus, Conſtantinopoli purpuram aſſumſit, à Valēte Imp. tandem uictus. Cuſpinianus.

Conſilio.

Cùm Romæ interregna crebra eſſent, ꝙ ciues largitione Cęſaris corumperētur, & plures iam pertinacius Dictatoris mētionē inferrent: ueritus Cato, ne id exprimerēt, deliberauit legitimū aliquē magiſtratum Cn. POMPEIO permittere, quo eum ab immodico illo & tyrannico deflecteret. Ac Bibulus, Pōpeij inimicus, in ſenatu princeps pro ſentēria dixit, Pompeium ſolum cōſulem deſignandū. Aut enim exemtū iri remp. præſenti confuſione, aut optimo ſeruiturā. Quę nouа cū uiderētur propter auctorē, exurrexit Cato, præbuitq; expectationē, quaſi oppugnaturus eſſet eam ſententiam. Facto ſilentio, propoſitā ſententiam ait non fuiſſe ſe primum dicturum, ſed pronunciatā ab alio cēſere ſequendā: quemlibet magiſtratum præſtare interregno, & Pōpeio arbitrari ſe neminem in tantis procellis melius imperaturum. In eam ſententiā pedibus eſt itū, & ſenatuſconſultū factū, ut Pompeius cōſul deſignaretur, & ſolus magiſtratum gereret: qui ſi collegam deſideraret, allegeret, ſed non ante duos men-

re, tribunitia potestas, & ius quintæ relationis à Senatu uno die sunt oblata, more antiquorum Imperatorum, ne milites tumultum excitarent. Quæ omnia ob bonos eius mores & uitæ integritatem facta sunt. Cuspinianus.

Nerua Imp. M. Vlpium TRAIANVM, uirum Hispanum, nulla sibi cognatione iunctum, ob uirtutem hominis, in filium adoptauit, & partem imperij assignauit, Cæsaremq; in curia appellauit, Imperijq; & iura & insignia in Germaniam usq; (cui tunc præerat) transmisit, hunc uersiculum adiiciẽs:

Telis Phœbe tuis lacrymas ulciscere nostras.

Cum eo uixit annis tribus, ut Sextus Aurelius scribit, quàm familiarissimè. Cuspinianus.

Cùm Traianus sine liberis è uita excessisset, factione Plotinæ Traiani uxoris, quæ amore flagrabat Adriani, ac consilio Attiani, qui municeps & Cæsaris procurator erat, cùm uicinus esset & potens, declaratus est Cæsar ADRIANVS. Et ob id mors Traiani aliquot dies occultata fuit, ut adoptio procederet. nam uiuens Traianus nunquam adoptauit Adrianum. Quæ res deinde ex literis eius ad Senatum patuit: quandoquidem epistolis, non ipse, sed Plotina subscripsit: id quod in nullo antè alio fecerat. Cuspinianus.

Cùm Britannia, Aegyptus, & Mauritania amissę, animos Diocletiani & Maximiani Augustorum urgerent, placuit ambobus, ad confirmandas reip. uires, & bella omnia complectenda, sibi Cæsares adoptare. Et Diocletianus quidẽ Galeriũ MAXIMINVM, uirũ propè Serdicam urbem Ripensis Daciæ natũ, Maximianus uerò CONSTANTIVM Chlorũ in Dardania ex filia Crispi fratris Claudij nuper Imperatoris progenitũ adoptauit, Maxentio filio tũ propter ætatẽ parũ probato, tũ uerò quòd artẽ uxoris, mariti animũ uirili prole edita retinere cupientis, suppositus uideretur. Et Diocletianus quidẽ Galeriũ in Illyrico, Maximianus Constantiũ in Italiã accitũ põpa, quę adhiberi in eiusmodi celebritate solebat, adhibita, Cæsarẽ declarauit. Galerio etiã Diocletianus Valeriam filiã collocauit, à qua pars quædã Pannoniæ nomen traxit: Maximianus uerò Constantio Theodorã priuignam: atque earum ducendarum caussa uterque priores uxores dimisit. Constantius etiam, ut fraternæ fidei certum Galerio pignus daret, Constantinum filium, qui postea imperauit, ex Helena uxore susceptum, obsidem dedit, eo nomine, ut prima illo duce rudimenta militiæ poneret: nam XV tum annos agebat. Cæterùm, ut inquit Ammianus, hi Cæsares ipsis Augustis tanquam apparitores obtemperarunt, ultro citroq; pro eorum arbitrio commeantes. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

Iustinus Imp. cùm nouem annis imperasset, uolens senectuti suæ consulere, sororis suæ filium IVSTINIANVM, iam XLV annos natum, quarto mense ante obitum adoptauit, consortemq; imperij fecit, ac successorem reliquit imperij: quem priùs cõsulem cum Valerio, & ducem copiarũ, cum libera totius bellicæ rei administratione, fecerat. Licèt Cabades uel Quadus rex Persarum, tum literis, tum oratoribus à Iustino peteret, filium Cosroen ab eo adoptari. Vnde & orta sunt à Persis bella, quæ Procopius latè prosequitur. Cuspinianus.

ERICVS ex Pomeranię duce in regẽ Danię, Suecię & Noruegiæ, Margaritę reginæ iam senescẽtis adoptione, prouectus est. Cranzius lib. 10. Saxoniæ, cap. 26. & lib. 8. Daniæ, cap. 1.

Coniugio.

MARTIANVM Thracem genere, & militaribus studiis iam inde à primis annis deditum, diuinitùs ac singulari Dei consilio uocari ad Imperij maiestatẽ, Imp. Theodosius iunior, mascula prole carẽs, uisione monitus, Pulcheriæ sorori Augustæ iam moriturus aperuit: multaq; ostẽta portenderũt. Euagrius lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 14. cap. ult. & lib. 15. c. 1. Theodosio proinde ex lapsu equi grauiore mortuo, & nondum sepulto, illicò Pulcheria Augusta Martiano tribunitio Imperij sceptra obtulit his conditionibus: si priùs daret fidem, quòd suæ uitæ, potestati, ac maximè pudicitiæ minimè insidiari, sed hæc omnia salua ac integra cõseruare uellet. Mane facto, congregato procerum concilio, & patefacta Theodosij morte populo, mulier uersuta longiuscula oratione, illum principẽ ac Cæsarem tãto imperio dignum fore testata est, cuius ipsa capiti diadema impositura esset. Et cùm plures anhelantes illud expectarent, senis Martiani caput diademate ornauit. Leuatus igitur de more, & purpura indutus, cùm ordinibus satis cognitus esset, approbatis moribus, dignus uisus est principatu, anno Christi 453. secundùm Palmerium, uel, ut Nicephorus, 460.

Constantinus VII. Imp. senex tabe cõfectus, de successore imperij cogitans, uirum clarum genere, & illustri natum familia è Senatu elegit generum & hæredem, ROMANVM Argyropolum. Sed huic obstabat adoptioni, quòd ille consuetudinem cum concubina haberet. Hanc ut ab eo auelleret, hoc commentus est Imperator. Iram asperam & uiolentam contra illum simulat, & lictores, qui illum ad suppliciũ trahant, mittit. Itaque domum uiolenter ingressi noctu, concubinam rapiunt, comam abscindunt, domo eiiciunt. Hæc commentum ignorans, aliud uitæ genus sponte elegit, nigro indumento circundata. Romanus ad regiam ductus, supplex Imperatoris genibus aduoluitur. Quam non concedit, nisi unam è filiabus sumat uxorem. Iunior natu Imperatoris filia Theodora, audiens concubinam nolentem & inuitam ab eo diuulsam, illius coniugium renuit. Altera soror Zoe hunc maritum accepit. Sic Cæsar est pronunciatus Romanus Argyropolus: Cõstantinus uerò triduo pòst mortuus, septuagenario maior. Cuspinianus.

Authari rege Longobardorum, uixdum circumacto à Theodelindæ Bauaræ nuptiis anno, qui sextus ei ab initio regno fuit, mortuo, tantum Theodelindæ sanctitas ualuit apud Longobardos, ut regem comitiis creare soliti, tũc iure suo ultrò cesserint, consenserintque, ut quencunque ipsa uidua maritum optione data legeret, is rex ab uniuersis salutaretur. Illa AGILVLPHVM ducem Taurinorũ delegit, eumq; regem matrimonio fecit: gentemq; omnem tandem perpulit, ut Christiani efficerentur. Aemilius lib. 1.

Christianis è Terra sancta Sultanorum Aegyptiorum armis eiectis, Ioannes Brennus Hierosolymitanus rex Romam uenit exul, & ab Honorio III. susceptus, FRIDERICO II. Imp. filiam ex Iole uxore susceptam in matrimonium locauit, eiq; ius illud donauit dotis nomine, quod sibi hæreditario iure in regno Hierosolymitano competebat. Hinc est, quòd omnes Siciliæ Neapolitaniq; reges, titulum Hierosolymitani regni uerbis, non etiam armis sibi uindicant. Platina. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, c. 39. & Blondus lib. 7. Dec. 2.

Ioco.

Sub Galieno, cùm omnis consumtus esset pudor, Republica subacta & calcata, in cæteris orbis partibus surrexerunt alij imperatores siue tyrãni: in Illyria autem REGILLIANVS dux militaris, qui contra Sarmatas multa fortiter gesserat, à Mœsis penè ridicula occasione Augusti nomẽ obtinuit. Nã Valerianus tribunus cùm diceret, Vnde Regilliani nomen deductum putamus? A regno, quidam respondit. Tum milites, Potest ergo rex esse, aiunt. eum proinde nos regem faciamus. Sic demum iocante fortuna, Regillianus, cùm sequenti die processisset, Imperator fuit à principibus salutatus. Cuspinianus.

PROCVLVS Ligustici sanguinis, Albingauni natus, diu latrocinium exercens, licèt etiam multa militaria edidisset facinora sub Probo Imp. per lusum priùs in conuiuio, mox Lugdunensibus ad id facinus hortantibus, apertè rebellauit. Cùm enim in conuiuio latrunculis lusitaret, ac decies imperator ipse exisset, statim scurra quidam, Salue (inquit) Auguste: & allata purpura, ut mos erat, humeros eius ornauit. Sic uulgò est Imperator salutatus. Cusp. ex Vopisco.

Sortitione.

Cùm serui TYRIORVM dominos interfecissent, ita inter ipsos conuenit, ut qui eorum postridie nascentem solem primus conspicatus esset, tanquam superis gratissimus rex salutaretur. Cumq; unus ex seruis, herum suum senem cum filio cõseruasset, ob mite clemensq; imperium: eiq; indicasset seruorum propositum: ab illo monitus fuit, ut cæteris uersus ortum conuertentibus oculos, ipse contrario statu, murorum fastigia prospiceret. Quod senis consilium secutus ille, primum solis radium repentè à tergo demõstrauit. Mirantibus cæteris ac sciscitantibus, coactus auctorẽ prodere, de hero à se seruato confessus est. Vita itaq; Stratoni seni & filio concesso, quadam deorum prouidentia sibi seruatum rati, regem constituerũt. Post cuius exitũ filius regnauit cum posteris longo tempore. Sab. lib. 9. En. 1.

DARIVS Persarum rex hinnitu equi, PREMISLAVS Boëmorum rex, equi statione, factus: cùm hoc genus sortis hinc Boëmis, illinc Persarum proceribus placuisset. Illius Herodotus, huius meminit Dubrauius in hist. Boëmica.

TVRCI è Scythia egressi Persis sese immiscuere. Quibus cùm graues essent, publico edicto migrare iussi, Cobare Babyloniç fluuio superato, uires suas, quas priùs dissipatas ignorauerant, inuictas fore diuinati sunt, si caput haberent. Ex centum igitur familiis suæ gentis nobilissimis centum sagittas uno colligatas fasce, ueloque rectas, sortis causa in medio proposuere. Puer sagittam familiæ Helduccorũ eduxit. Helducci ea fortuna læti, centum præstantissimos è suis deligunt, centum sagittis nomina eorum habentibus sortẽ cõmittũt. Educitur Selduchi sagitta. Ei cùm sese parituros Turci professi essent, Persiam & Mediam hostilibus armis occuparunt. Collenucius lib. 1. hist. Neapol.

Anno Christi 1200. Montisferrati Marchio Bonifacius, Flandriæ comes Balduinus, Comes S. Pauli Ericus, & Venetorũ Dux Ericus Dandulus, cõiunctis uiribus Byzantinum imperium Alexio Murziphlo eripuere, & cùm in ædem SS. Apostolorum Byzantij deliberandi ergô de nouo creando Imp. conuenissent, principiò patrio quodam ritu pro numero candidatorum quatuor calices ordine collocare instituerat, quorum unus incruentam uictimam contineret, cæteri uacuis: eosq; tradere totidem sacerdotibus, ut ad cuiusq; principis nomen unum tollerent, & eis redderent. Imperium uerò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepisset, in quo diuinũ corpus & sanguis Christi esset. Deinde cùm Veneto duci Dandulo designationem suffragiis cõmittere uisum esset, ex Francis & Longobardis quinq; optimatibus, & ex Venetis totidem iudicibus, lectis plurũ suffragiis, Imperij decus BALDVINO Flandriæ comiti obtigit, dolo & solertia Danduli. Qui cùm ob cæcitatem numero candidatorum excluderetur, imperium penes eum esse uoluit, cuius priuatus principatus quàm remotissimus esset à ditione Venetorũ: ne si qua controuersia cum illo incidisset, plures copias ex suo territorio accersere, aut Venetos fines commodè inuadere, aut incursionibus uexare posset. Bonifacium itaque Marchionem repulit, prælato illi Balduino. Nicetas.

QVI. NEMPE QVO AD AETATEM.

Pueri.

Cùm Adonias Dauidis F. ex Hagitha, inscio patre sese regem fecisset, Bethsaba pro filio Salomone apud Dauidem intercessit, consilio Nathanis prophetæ, eumq; fidei datæ admonuit. Tum statim Dauid SALOMONEM F. mulæ regię impositum, ad Gethonem deduci, & à Sadoco pontifice sacro oleo ungi, signoq; tuba dato, regem proclamari fecit. Adonias cum suis repentè disparuit, & ad aram confugiẽs, cornibus apprehensis, non priùs discessit, quàm Salomo uitæ illius se parciturum iureiurando confirmasset. 3. Reg. 1.

CHARILAVM in cunabulis allatum in cõuiuium, quod phiditium dicitur, loco sui Lycurgus regem Spartæ renunciauit. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

ALEXANDER Seuerus ex Arcena Syriæ ciuitate, puer adhuc à senatu Cæsar factus est. Lampridius, & Volater. libro 23 Anthrop.

Agilulfus Longobardorum rex animum ad successorem sibi substituendum adiiciens, id decus ad filium ADALVALDVM, licet adhuc infantem, sibi deferendum existimauit. Itaque Adalualdus in Circo, patre ipso assidente, rex à populo salutatus, atque insigni regio decoratus est. Sigonius libro 2. regni Ital.

Henricus VI. Imp. in Augustanis comitiis per amicos egit, ut omnes principes FRIDERICVM filium quadrimum ac penè in cunis uagiẽtem regem assumerent, idq; literis & iuramento firmarent. Cuspinianus.

Mortuo Ioanne Anglorum rege, quem Ludouicus Gallorum regis F. à proceribus euocatus regno priuarat, proceres Angli Gallorum iugum non ferentes, HENRICVM Ioannis F. optimæ spei puerum, nouennem, regem crearunt. Cuius nomine Gulielmus Glocestriæ comes Ludouicum regno eiecit. Polydorus lib. 16.

Carolus Sapiẽs, Francorũ rex, memor, captiuo apud Anglos patre Ioanne, iuuentæ suæ ut rectores darentur Lutetiæ tentatum, ac quamplurima per licentiam popularium facinorosè impotenterque facta: frequenti procerum patrumque conuentu, legẽ de filiis Regum sanxit, ut mortuo patre Rege, maximus stirpis filius continuò succederet, isq; ingressus quartum decimum ætatis annum & coronaretur, & extra tutelam foret, resq; administraret. Eam legem eò etiam latam ferunt, ne diuturniore tutela res nouæ orirẽtur, tam multiplici cæcaq; mortalium cupiditate. Pius sapiensq; pariter habitus, gloriam etiam optimi iustissimiq; Regis solidam assecuturus fuerat, si communi saluti prospexisset, ne sub Rege filio, ætate florente, sed mente minuta, res ipsæ pessum ire possent. Successit enim ipsi CAROLVS VI. uix XIII. annum ætatis excedens. Tutor ei datus Philippus Audax Burgundiæ dux patruus, & Borbonius auunculus: Dux Andium, patruorum maximus natu, Rector Franciæ designatus. Cæterùm dum illi sua potiùs, quàm quæ regni erãt, agunt, & iniustis exactionibus populum aggrauant, seditiones hinc inde excitatæ sunt grauissimæ, & Rex iuuenis, regio nomine tumens, etiam mente alienatus est: sicut patrui tutelam denuò recipere cogerentur. Aemil. lib. 9. & 10.

CAROLVS VIII. Francorum rex, annum iam tertium decimum agens, regnum iniit. Ritius lib. 3. Francorum regum.

Carolus IV. Imp. VENCESLAVM F. uix sesquiennem, cõsensu procerum ungendum & coronandum curauit in regem Boëmiæ. Dubrauius lib. 22.

RAYMIRVS III. Sanctij Crassi, primi huius nominis Hispaniæ regis filius, annum ætatis agens quintum, patri in principatu successit. Ritius lib. 2. Regum Hispaniæ.

ALPHONSVS Calabriæ rex, cùm annos pubertatis nõ dum egressus esset, à patre regni uicarius creatus est, decretaque illi Calabriæ prouincia: nõ annos, non ætatem respiciente, sed uirtutes, quarum tanta in eo apud omnes erat expectatio, ut cunctorum & populorum & procerum regni oculos in se unum conuerteret. Pontanus de Principe.

Elizabetha Alberti II. Imp. uxor surripuerat coronam diui Stephani regis, qua Hungariæ reges coronantur, dum thesaurum regni in arce Vissegradensi, haud longè à Strigonio, quibusdam baronibus ad eam rẽ selectis præsentibus, recognoscit, Gregorio Palotio Strigoniensi Pontifice defuncto, qui custos thesauri erat: cæterisq; omnibus obsignatis, hanc anui clàm custodiendam tradens, secum abstulit. Imp. mortuo, ad LADISLAVM posthumũ regna Hungariæ & Boëmiæ redierant. Elizabetha uariis insidiis euitatis, infanti, per archiepiscopũ Strigoniensem Dionysium lauacro baptismatis abluto, coronam iussit in Alba regali imponi, cùm nondum quatuor exegisset menses. Hungari Vladislaum Polonię regem, puero neglecto, ad regnum uocarũt. Eo mortuo, Fridericus III. Imp. patruus pueri tutelam suscepit: neq; eum prius Australibus, Hungaris & Boëmis petentibus dare (nam fugam sæpe meditantem custodia adhibita asseruabat) uoluit, quàm Australiũ armis id facere coactus est. Ladislaus igitur XII. annorum regna iniit, nomine tenus rex, cùm interim Austriæ & ipsiusmet regis administratio penes Vlricum Comitẽ Ciliæ, Hungarię penes Ioan. Huniadem, Boëmiæ penes Georgium Pogiebracium esset. An. ætatis XIIX. Christi 1457. nuptias cum Magdalena Caroli Francorum regis F. Pragæ celebraturus, peste, seu (ut alij suspicantur) ueneno periit. Aen. Syl. in historia Boemica, & Cuspinianus.

CONDITIONEM. PVTA

Reges regno alio aucti.

Posteaquam Isbosethus Sauli F. è medio per suos duces sublatus est, DAVID, qui iam Hebrone in Iudæos annis septẽ & sex mensibus imperium habuerat, à reliquis Israelitarum senatoribus in regem unctus est, annos natus quadraginta, & illis imperauit annis 33. 2. Regum 5.

Peregrini.

Athenienses non solùm idoneis ciuibus gerendam rempub. & militiam administrandam commiserunt, sed sæpe etiam peregrinos ciuibus antetulerunt, eosq; reipub. gubernationi præfecerunt, siquidem eos bonos honestosq; uiros cognouissent, & ad hæc munera subeunda accommodatos. Itaq; APOLLODORVM Cyzicenum sæpissimè belli ducem crearunt, quamuis esset peregrinus: item HERACLIDEM Clazomenium. Aelianus lib. 14. Var. hist.

HERODES filius Antipatri interfecto Hircano, regnum Iudæorum senatusconsulto accepit, & primus alienigena Iudæis præfuit. Qui pontificatum quoq; nequaquam iuxta legem Moysi mortuis parentibus tradebat liberis, sed alienis: & nec ipsis multo tempore, nisi ob gratiam & precium, diuinæ legis iussa contemnens. Hieronymus in Daniele c. 9.

Virtutis opinio Polonos Christianos rege carentes compulit (aliis regulis quamuis Christianis postpositis) gentis suæ regnum ad IAGELLONEM idolorum cultorẽ, Lituaniæ principem, deferre. Qui postea in sacro fonte per baptismũ regeneratus, Ladislai nomen accepit. Fulgos. lib. 2. cap. 5. At non tam uirtutis opinione, quàm studio Lituanorum gentẽ regno Poloniæ coniungendi id factum, Poloni scriptores testantur.

Monachi.

Constantinus à Britannis militibus Imp. cõtra Honorium designatus, Gallia occupata, CONSTANTEM filium, qui monachus erat, Cæsarem esse iussit, eumque in Hispaniam misit, tum ut Imperij sui limites prolataret, tum ut propinquorũ Honorij magnas in ea prouincia opes infringeret: tandem à Gerontio duce, qui ad maximũ tyrannum defecerat, Viennæ obsessus, & uita exutus est. Sigonius libro 10. & 11. Imp. occid.

Tarraconenses, uulgò dicti Aragonij, regem non habentes, quendam suorum nobili loco natum Petrum Tares sibi prefecerunt, nec multo pòst crudeliter imperantem regno deiecerunt, pontificia auctoritate ad RANIMIRVM nothũ Sanctij maioris, è cœnobio eductũ, illud transferentes, anno sal. 1017. Itaq; hic primus fuit rex è Gothorum prosapia. Pictauiensis comitis sororem duxit, & ex ea filiam suscepit Horracam. Mox à suis ob simplicitatem contemtus, Alfonso VII. regi Castellæ, regni filiæq; cura commissa, in cœnobium rediit. Collenucius lib. 1. hist. Neapolitanæ.

Ignobiles, Obscuri.

☞ *Consule Tit. Ignobili orti loco, qui clari euasere. Illic Generis obscuritas, cui epimetri loco Dignitas principalis accedit: hic uerò Magistratus ipse consideratur.*

In Papho cùm ille, qui regnabat, uiolentus esset & flagitiosus, exacto eo Alexander Magnus alium quærebat ex Cinyradarum familia, quæ iam exolescere atque extingui uidebatur.

tur. Igitur unum demonstrarunt superesse inopem & obscurum hominem, in horto quodam uiuentem, atq; ex eo se alentem, ALYNOMON dictum. Ad quem cùm nuncij uenissent, adaquantem olera offenderunt. Obstupuit hic occupantibus eum militibus, ac concedere iubentibus ad Alexandrum. Ad quem in obsoleta plagula adductus, rex est designatus, ac purpuram induit, fuitq; in numero eorū, qui regis amici dicebantur. Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna.

Sydone capta ab Alexandro Magno, obtinebat regnum inter Sydones Strato Darij amicus. Is, quia deditio ab oppidanis facta est, indignus ab Alexandro habitus, cui regnum restitueretur. Ephęstioni permissum, ut quem Sydonij regno dignum arbitrarentur, ex illorum sententia regem declararet. Erant Ephęstioni hospites Darianorum quidam: hi oblatū ultrò regnum pertinaciter recusarunt, prædicantes id fastigium patrio more non recipi, nisi ab iis, qui regia essent stirpe procreati. Laudati iuuenes ab Ephęstione, quòd magnitudine animi spernerent ea, quæ per ignem & ferrum cęteri mortales peterent, iussi sunt cum alijs bonis circumspicere, qui omnium optimè esset id nomen inter Sydonios laturus. Tum demum multis ambientib. res ad ABDOLOMINVM quendam, longa cognatione regiæ stirpi annexum, est delata. Incolebat is ab omni armorum strepitu remotus suburbanum hortulum, multa parsimonia. Quo contigit, ut agresti operi intentus sit rex consalutatus. Illudi se ab iis, qui ad id missi fuerant, ratus, pòst ubi rem agi seriam uidit, non sine cunctatione regis nomen & insignia recepit. Cæterùm multis eius inopiam & fordes criminantibus, ad Alexandrū perductus. Haud, inquit Macedo, uiri indoles famæ generis repugnat. Videndū est, quo animo inopiā tuleris. Tum ille, Vtinā Alexāder sic regnū ferre possim. Hæ manus satis ad uictum fuere, nihil habenti nihil defuit. Eo sermone Alexander delectatus, non solùm Stratonis supellectilem ad regiam instruendam detulit, sed ex Persica etiam præda dono quædam habere dedit, regionemq; uicinā eius ditioni subiecit. Sab. lib. 4. En. 4.

Romæ populus se patritiis opponens, & Appij Claudij partibus studens, & plebeiorum prouectionem confirmare nolens, ædilem elegit illustrioris ædilitatis CN. Flauium, scribam, qui Fastos populo prostituerat, libertinæ mulierculæ filium: isq; primus Romanorum hunc dignitatis gradum assecutus est, cùm filius esset patris libertini. Diod. lib. 20.

LABERIVS mimus in senatum à Cæsare lectus, cùm à Cicerone ad consessum non reciperetur, dicente: Reciperem te, nisi angustè sederemus. mordaciter respondit, Atqui solebas duabus sellis sedere: obijciens tanto uiro lubricum fidei. Id quod Cicero dixit, Nisi angustè sederemus, scomma erat in Cæsarem, qui in senatum passim tam multos admittebat, ut eos quatuordecim gradus capere non possent.

Deuorato à muribus Popielo iuniore Polonorum principe, cùm proceres in arce Crusuicia conuenissent, & studia circa principis noui electionem uariarent, insperata salus diuinitùs afflictæ Poloniæ oblata est. Erat Crusuiciæ oppidanus, PIASTVS nomine, Cossisconis filius, agello colendo & mellificio uitam sustentans, homo simplex & iustus, & beneficus, præsertim in egenos, atq; hospitalis, pro modo facultatū suarum. Is ex uxore à suis moribus non aliena, cui Repichæ nomen erat, unicum filium susceperat: eiq;, uiuente adhuc Popielo, primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam cæremoniam atq; cōuiuium porco mactato, & aquæ mulsæ uase defuso, inuitarat. Priusquam stata dies adesset, fortè obtulerunt ei sese ignoti duo homines, habitu peregrino: quos ille, cùm regia excluderētur, comiter inuitatos, hilarè in domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex his, quę ad futurum conuiuium præparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redundauit ex uase mulsa, excepit Piastus, uasis admonitu hospitum conquisitis: iisdemq; auctoribus non ciues modò, uerùm etiam principem ipsum (ut tunc minimè fastuosi ac delicati erant principes) cum omni comitatu conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum reuertentibus & iubentibus, Piastus ex tenui penu suo conuentum illum omnem penuria laborantem, augescente rerum earum, quę promebātur, copia refecit. Quo miraculo animaduerso, uulgatoq;, una uoce omnes Piastum non humanis suffragiis, sed diuino iudicio principem sibi dari conclamabant. Recusat ille. Tandem hospitibus illis auctoribus assensus, ita ut erat ueste & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo, disparuerunt. Existimantur autem ij fuisse angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alieno à uera religione remunerantis. Cromerus lib. 2.

☞ VOLVNTATEM

Non expectantes.

SAVLVS, cùm duas asellas amisisset, ad prophetam Samuelem se contulit, ut amissas inueniendi ab eo indicium acciperet. Sed propheta Dei monitu eum in Iudæorum regem unctione sanxit.

AMASIS legatus ab Aprie ad defectores missus, ab illis in regem creatus fuit. Ab Aprie bello petitus, uicit regem, & honorificè eum apud se in urbe Sai habuit. Verùm Aegyptii ægrè ferentes, Apriem inimicum suum superstitem esse, contra Amasis uoluntatem eum strangularunt. Herodotus libro 2.

Siculis auxilium Corinthiorum contra Dionysium, qui tyrannidem recuperauerat, implorantibus, Corinthij promptè decreuerunt auxilium. Cùm dux quæreretur, suggerenteque magistratus eos ciues, qui inclarescere studebant: unus de uulgo exurgēs TIMOLEONTEM nominauit, Timodemi & Demaristes filium, qui rempub. nondum attigerat, neq; in eam uenerat spem uel institutum, sed interfecto fratre Timophante tyranno, 20. ferè annis Repub. abstinuerat. Dux ergo omnium consensu creatus est: quique statim in designando eo effulsit fortunæ fauor, idem alia quoque eius gesta ad decorandam uirtutem eius prosecutus est. Plutarchus in Timoleonte.

P. SCIPIONEM Aemilianum populus ex candidato ædilitatis consulem fecit, eundemq;, cùm quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabij Max. fratris filij, in campum descendisset, consulem iterum reduxit. Eidem Senatus bis sine sorte prius Africam, deinde Hispaniam dedit. Atq; hæc neq; ciui cupido, neq; senatori ambitioso: quemadmodum non solùm uitæ eius seuerissimus cursus, sed etiam mors clandestinis illata insidiis declarauit. Val. lib. 8. cap. 16.

L. LVCVLLVS, cùm ante adultam fratris ætatem magistratus petere nollet, tantum gratia & fauore ualuit, ut absens unà cum fratre ædilis relatus fuerit. Alex. lib. 4. cap. 4.

CLAVDIVS Cæsar, per uaria fortunæ ludibria, transacta ætate sua, quinquagesimo anno Imperium cepit mirabili casu. Exclusus inter cæteros ab insidiatorib. Caij, cùm quasi secretum eo desiderante turbam submouerent, in diætam, cui nomen est Hermeum, recesserat. Neq; multo pòst rumore cædis exterritus, prorepsit ad solariū proximum, interq; prætenta foribus uela se abdidit. Latentem discurrens fortè gregarius miles (Iosephus Gratum uocat) animaduersis pedibus, studio sciscitandi quis nam esset, agnouit: extractumq; & præ metu ad genua sibi accidentem Imperatorē salutauit. Hinc ad alios cōmilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quàm frementes, perduxit. Ab his lecticæ impositus, & quia serui diffugerant, uicissim succollantibus, in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserente obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra uallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto minore spe quàm fiducia. Nam Consules cum Senatu & cohortibus urbanis forum Capitoliumq; occuparunt, asserturi communem libertatem: accitusq; & ipse per Trib. Pleb. in curiam ad suadenda, quę uiderentur, ui se & necessitate teneri respōdit. Postero uerò die, Senatu segniore in exequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diuersa censentium, & multitudine, quæ circunstabat, unū rectorem iam & nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est: promisitque singulis quinadena H-S. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus. Suetonius.

Vladislao Vngariæ atq; Boemiæ rege, Alberti, qui Friderici Imp. frater fuerat, filio, absq; liberis defuncto, Vngari noui regis eligendi ius in sua potestate esse rati, paternæ uirtutis memoria ducti, MATHIAM Huniadem, à Georgio Pogiebrachio Boemiæ rege in uinculis detentum, qui pòst tanta cum tam parui regni gloria potentissimum Turcarum imperium toties afflixit, sibi regem anno 1458. crearunt. Guicciardinus libro 7.

☞ MODVM. VTPVTA

Vi, Armis.

☞ *Vide Tit. Tyrannidem inuadere.*

ORESTES Agamemnonis F. regno paterno eiectus, Argis primùm potitus est, deinde etiam Spartam occupauit, non inuitis Lacedæmoniis. Illi enim Tyndari nepotem, cui parerent, digniorem putarunt, quàm Nicostratum & Megapenthem, quos Menelaus è serua genuerat. Pausan. in Co

ARSACES, ignobili gente uir, sed impiger & acer, discordia Seleuci & Antiochi fratrum regum fretus, regnum Medi ui sibi suisq; asseruit. Vnde Parthorum regnum exortum, quod mansit usq; ad Alexandrum Seuerum Cæsaremq; imperante; Xerxes Persa regnum Parthis ademit, & Persico nomini restituit, idq; regnū etiam ętate Augustini durat

Maximus Cæsar in Britannia dictus à militibus, in Celticam traiecit: cumq; Gratianum fugientem persequeretur, CONANVM hominem Britannum summum ducem maritimis ciuitatibus ad Oceanum pertingentibus, quæ Armoricæ dicuntur, præfecit. Conanus, ut suum genus perpetuò propagaret, eiectis ubiq; Gallis, Britannos duntaxat locorum incolas passim locauit: quinetiam Gallorum aspernatus connubia, uxores ex Britannia suis petiuit. Quo factum tradunt, ut frequens uirginum numerus ex insula illuc migrarit, atq; undecim millia utriusq; sexus uno tempore partim naufragio, partim supplicio (nam Barbari ad litus captos iugulabant) interierint: in quibus fuisse dicitur diua Vrsula, filia Dionoti, Cornubiæ reguli, quæ Conano desponsa erat. Polyd. lib. 3.

ODOACER Herulorum & Turcilingorum regno potitus, quum cæsum ab Oreste Gotho militiæ magistro (cuius ipse armiger fuerat) Iul. Nepotem Imper. audiret, & Momyllum filium eius, adhuc puerum, Augustum salutatum resciuisset, haud operosam fore uictoriā, si de improuiso cum paratissimo se intulisset exercitu, arbitratus, Herulos, Turcilingos, Scyros, ac Rugos, interioris Germanię populos, qui nuper inter ualida Attilæ sæuientis auxilia fuerāt, excitauit, ac magnorū spe præmiorū solicitatos haud ægrè, ut sese in eā sequerentur, induxit. Danubium traiecit, ex Norico in Italiā per Alpes Tridentinas ac fines Veronenses intrauit, hoste, qui transitū moraretur, in Venetia nullo reperto, in Liguriā transiit, Laude Orestē cepit. Rex Italię à suis acclamatus, Placentiæ Orestem, exercitu ipso inspectante, ac gratulante, occidit. Dimisso inde per Italiam exercitu, omnes urbes, suæ ditioni adiunxit. Citeriore Italia ad obsequium suum adducta, Romā inde accessit. Populus dira urbium aliarū calamitate edoctus, deditione repente facta, obuiā extra urbem effusus, ipsum magna hilaritate excepit. Quod ubi uidit Momyllus Augustus, ut saluti suæ consuleret, purpuram statim deposuit, ac uita ab Odoacre hoc modo impetrata, iussu eius in Lucullanum Campanię castrum, tanquam in exilium abiit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

An. 449. MEROVEVS rex Francorū patri Clodioni successit, ac paratis copiis, quod maiores sui tentarant, neq; assequi à Romanis semper repulsi potuerāt, Rhenum sine certamine nullo traiecit, ac demum sedes Francorum ad Axonā amnē, permittente, aut certè non repugnante Valentiniano III. Imp. locauit. Ab eo inde Francorum reges, qui abhinc in Gallia dominati sunt, Merouingorum tulere nomen. Hæc Francorum regni in Gallia primordia fuisse, doctissimis placet auctoribus. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Balduinus senex, Comes Flandriæ, filiū ὁμώνυμον ditionis hæredē instituerat: ROBERTVM uerò nauibus, ære & milite donatū, ad quærendā sedē ablegarat. Hic re in Galliis & Gręcia infeliciter tētata, in Flandriā rediit, atq; Frisiā Florentino comiti bellis defatigato eripuit. Quā uicinitatē iniquius tolerans Balduinus, fratri intulit bellū. In quo, dum suos fugiētes in prælīū reuocat, in hostium cuneos incaurè delatus occisus est. Robertus Flandriā sibi subiecit, anno 1072. teste Sigeberto: atq; Philippum regem Francorum, qui Balduini filium Arnulphum armis restituere conabatur, repulit, patruele interfecto. Sigebertus, anno 1072.

Emtione.

Bello sacro, Guidoni Lusiniano Hierosolymorū regno exuto à Saladino, RICARDVS Anglorū rex persuasit, ut regnum Cypri à se capesseret: Templariisq;, quib. ipse illud oppignerarat, rē creditā solueret, cederetq; iure, quod sibi esse in regnum Hierosolymitanū cæteramq; Syriā contenderet. Guido in Cyprum trāsmisit, sublatis secum reb. suis: quo regno Lusinianorū familia ad memoriā usq; nostrā potita est. Aemilius libro 6. Eo factum, ut cæteri deinceps Angliæ reges Hierosolymitani regni titulum aliquandiu usurparint. Polydorus libro decimoquarto.

Genuenses Fridericum I. Imp. an. 1164. rogabant, ut quatuor millib. marcharū acceptis, nouum regni Sardiniæ titulū institueret, id est, BARISONEM Arboreę, quę pars Sardinię, iudicē, appellaret Regem: eum insulā ad cōmoda Imperij obtenturū. Quo audito legati Pisanorum, qui aderant, iniquitatē postulati conquesti sunt: neq; enim Regem alienæ terræ institui conuenire: & se rei impedimento fore, professi sunt. Eum à Genuensibus Papiam adductum pecunia accepta in basilica S. Syri Imp. Regē Sardiniæ appellauit, ac diademate solenni ceremonia redimiuit, Pisanis iniuriam in eo sibi fieri frustra expostulantib. Bariso rex in Sardiniā uectus, cùm pecuniam soluere non posset, quam à Genuensibus ad regium fastigium emendū mutuo accepisset, ab iisdem Genuā est reuectus, atq; in custodiā, donec penderet, traditus, uix tandem post sexennium reductus. Sigonius libro 13. regni Ital.

FRIDERICO Comiti à Zollera, Burggrauio Norinbergēsi, uendidit Marchiam Brandeburgensem Sigismundus Imp. cum dignitate electorali, quadringentis millibus aureorū. Hinc propago Marchionum Brandeburgēsium, qui modò rerum potiuntur. Eos Otho Columnius Papa Martinus V. gentilis in suam cooptatos familiam esse uoluit. At GALEACIVS Vicecomes misso ad Venceslaum VI. Boemiæ regem & Imper. oratore Petro Philargi, Mediolanensi Archiepiscopo, cētum millib. aureûm nummûm, pro ueteri titulo Vicecomitis nouum impetrauit, ut deinceps Mediolanensis Dux appellaretur. Dubrauius lib. 23.

Petitione. Competitores.

☞ *Vide Titulum, Aemuli honorum.*

L. PAVLVS Aemilius ex maioribus magistratibus ædilitius candidatus, duodecim competitoribus, quos postea omnes memorant consules fuisse, prælatus est. Plutarchus in Aemilio.

Anno quinto belli Punici, quum Romæ iuniorum prærogatiua, T. Octacilium & M. Aemylium Regulum consules retulisset: uehementi Q. FAB. Max. consulis oratione factum est, ut centuriæ in suffragium missæ, Fabium ipsum & M. CL. MARCELLVM, Octacilio frustra indignante, cōsules creauint. Nec multis annis fuerant consules, qui celebritate nominis & uirtute, in maiorem expectationem ciuitatem erexissent. Etenim Fabium clypeum uulgò appellabant populi Romani, Marcellum ensem. Ipse quoq; Hannibal professus aliquando dicitur, se Fabium ut pædagogum, Marcellū ut pugilem formidare. Referebant adhæc senes, sic olim T. Manlium cum Publio Decio ad bellum Gallicum, sic Papyrium & Coruinum aduersus Samnites & Brutios unà consules creatos. Nec quisquā Fabium imperij cupidum, quia se consulem refici passus esset, existimauit, quin ab omnib. est laudatus, quòd sua animi magnitudine nixus, minoris inuidiam suā faceret, si qua inde oriri potuisset, quàm Reipublicæ salutem, cui optimis ducibus opus esse ea tempestate uidebat. Sab. lib. 3. En. 5.

M. CATO Censorius secundus consul multis est competitoribus renunciatus: secundus item censor, candidatis prælatus septem nobilissimis uiris & primariis. Plutarchus in Catone.

CICERO Præturæ candidatus, cùm multos haberet & insignes competitores, omnium est renunciatus primus. Plut. in Cicerone.

Obierat diem suum postremum Thomas Mocenicus, clarissimus Venetorum dux, erantq; ea tempestate uiri patricij nō pauci celebres, qui ad hanc dignitatem ciuitatis studio nō paruo euocarentur: inter quos FRANCISCVS Foscarus procuratoria dignitate insignis unus erat, qui præstare cæteris uideretur, si non ætas recentior illi obstaret. Vicit tamen sua quadam beneficentia, & arte. Itaq; Petro Lauretano, & aliis senioribus repulsis, præter multorum spem, dux creatus est. Egnat. lib. 7. cap. 5.

Cùm Meinhardus Comes Tyrolis ac Goriciæ, tres totius Germaniæ athletas Principibus Electoribus Francoforti commendasset, pluribusque extulisset laudibus, à rebus strenuè gestis: ducem scilicet Carentaniæ Bernardum, Albertum seniorem Tyrolis & Goriciæ comitem, & Rudolphum comitem de Habspurg: RVDOLFVS omnibus prælatus est A. D. MCCLXXIII. quòd sanguinis claritati morum honestas accederet cum ætate matura, in qua & armorū robur, & ingenij uires florerent. Cuspinianus. Obsidebat ille tunc Basileam, ut factionem Stelligerorum à Psittacis Episcopo fauentibus reduceret: cùm literæ illi Electorum per manus Basiliensium sunt traditæ. Quibus ille euangelij loco pacem dedit, & obsidionem soluit. Testem huius rei in Bursa leonina adhuc extantem, Rodolfi habitu imperatorio codicillos manu tenentis, statuam quidam esse contendunt.

Mortuo in Neapolitana expeditione Conrado Boëmorum rege, duo cognati principes, PREMISLAVS Cōradi frater, & VENCESLAVS, de summa rerū contendebant. Venceslaus prior Pragā occupauit: sed Premislao urbē obsidente, tertio mense principatus ad Henricū VI. Cæsarē confugit. Premislaus licet receptus à Pragensib. tamē quòd se Cæsaris uirib. imparē esse cognosceret, in Morauiā fugit, uix mensem regno potitus. Vacante principali sede, HERICNVS præsul Pragensis diem comitiorum habendorum Pragæ indixit, & pro Spitigneo Venceslai F. pupillo suo proceres compellauit. At Boëmi ipsum Henricum unanimi consensu principem Boëmiæ pronunciarunt, multum licet repugnantem: cùm ita demum concordiam in Boëmia conflari posse dicerent, si illam ipse, nulli factioni addictus, regendam susciperet. Ea conditione dare se illis manus, respondit, si Cęsar uoto illorum subscripserit. Atque inde ad Cæsarem profectus, ut more solenni principis personam indueret, non aliter ei sunt uexilla de manu Cæsaris porrecta, nisi ut summam pecuniæ, quam se repræsentaturum Venceslaus Cæsari spoponderat, ipse ære suo expungeret. Hinc noua difficultas exorta, unde nam promissum Cæsari æs dilueretur? Nec enim Henricus soluendo erat, nec creditores reperiebantur, qui eidem mutuum æs dare uellent. Ergo quicquid tum ex priuata arcula, tum à fidelioribus amicis contractum æris ad manus uenerat, illud in præsens ad Cæsarem missum, cum syngrapha obligatoria de

reliquo debito dissoluẽdo. Principatũ gessit ea moderatione, ut populo charissimus fuerit, dubiumque reliquerit, iustior rex an sanctior fuerit pontifex. Dubrauius lib.14.

Mortuo Maximiliano I. competitoribus CAROLO Hispaniarum & Francisco Gallorum rege, tandem Carolus Principum Germanorum consensu Imperator declaratus est, anno 1519. Polyd. lib.27. Itaque ferream coronam, unctionemque sacram Bononiæ à Clemente VII. suscepit, anno 1530. octauo Calendas Martij: pauloque pòst, uidelicet sexto ante easdẽ Calendas die, qui dies Cæsareæ maiestati natalis erat, auream itidem coronam accepit, ut Longobardorum rex Romanorumque Imp. haberetur ab omnibus, qui iam tum ante decennium uel circiter fuerat Aquisgrani in Germanorum regem coronatus.

Deiectione, depositione aliorum.

Regnabant iampridem in Francia posteri Merouei, regno in hunc modum ultimorum regum incuria atque ignauia cõstituto: Regium nomen penes regem erat, potestas autem in eum, qui Maior domus regis dicebatur, uniuersa erat collata. Si quidem rex Kalen. Maij in Campum Martium curru uectus, atque pro tribunali sedens, ipso præsente Prorege, solennia, quæ à populis ferebantur, dona suscipiebat, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis indicebat. Illo uerò domum reuerso, Prorex omnia pro arbitrio dispensabat. Hunc magistratum paulò antè Carolus Martellus gesserat, tum uerò PIPINVS, Caroli filius, summa cum industriæ ac uirtutis commendatione administrabat, Chilperico rege nullam partem curæ sibi regiæ deposcente. Quod indignum esse Pipinus existimans, Zachariam Pp. consuluit, uter ei regio fastigio dignior uideretur: is ne, qui otio languens nihil ad communem utilitatem afferret, an qui dies noctesque de regni salute atque custodia cogitaret? Cui Zacharias respondit, omnino se regem illum iudicare, qui regni commodis & incolumitati seruiret. rogatusque ab illo, decretum pro magnitudine potestatis interposuit, quo regnum Chilperico, ut parum idoneo, abrogauit, & Francis sacramenti religione solutis, ut Pipinum regem substituerent, auctor fuit. Quo decreto accepto, Franci conuenerunt, ac Chilperico abdicato, Pipinum regem consentientibus omnium uoluntatibus designarunt, cumque Suessione per Bonifacium Moguntinum archiepiscopum consecrarunt. Chilpericus regno pulsus, in monasterium est coniectus. Sigonius lib.3. regni Ital.

Imperij Germanici optimates cùm Imper. Carolum Crassum uiderent uiribus animi & corporis deficere, ARNVLPHVM, nothum Carolomanni regis Bauariæ, elegantis formæq; & strenuum ducem totius Orientalis Franciæ (quæ regnum Teutonicum tum dicebatur, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Turingiam, Frisiam, Lotharingiam complectens) deiecto Carolo, regem & Imperatorem delegerunt, ac illum Carolo curatorem nullo exemplo dederunt: sed & pòst mortuo Carolo, etiam tutorem Carolo Simplici, regi Franciæ, constituerunt. Cuspinianus.

Saxones Henrico IIII. Imp. Roman.[redacted]rebelles, cum legatis pontificis Rom. Gregorij VII. Forchaimiæ, in confinio antiquæ Franciæ ueterisque Boiariæ, congressi, RODOLPHVM, Sueuorum & Burgundiorum ducem, regem hac lege salutarunt, ut comitia pontificialia abiuraret, clientelas episcoporum abdicaret, néue uelut hæreditario iure filios suos successores declararet. Diadema deinde capiti Rodolphi imposuere à Gregorio missum: cui inscriptus erat hic uersiculus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Auentinus lib.5. Annalium Boiorum.

Cæsar Ludouicus Bauarus laborabat pedum cancro, carnes surarum pauxillatim deuorante, nec ullis medicamentis cedente. Clemens VI. Pontifex, cùm animaduerteret Cæsarẽ nulli amplius multum nocere posse, CAROLVM Ioannis Boëmiæ regis filium, misso de latere in Germaniam legato, Cæsarem ab Electoribus principibus designari impetrauit. Conuenerãt Francofordiam Electores omnes, excepto Marchione Brandeburgico, nempe filio Cæsaris, & Antistite Moguntino, quem Pontifex proscripserat: atque ij unà uoce Carolum diu renitentem, Regem Romanorum consalutarunt: & quando non satis tutò Aquisgranum adiri poterat, Bonnam Coloniæ Agrippinæ uicinam deflexerunt, ibique Carolum solenni more coronarunt. Dubrauius libro uigesimoprimo.

Guidone Lusignano rege Cypri defuncto, regnum Almericus frater accepit: qui Isabella uidua Henrici Campaniæ comitis (quæ regni Hierosolymitani ius hæreditarium à Balduino IV. fratre habebat) in uxorem ducta, regni Hierosolymæ titulos, simul & Tyri Ptolemaidæque principatum accepit. Cùm autem Almericus rex frigidè rem administraret, Latini in Asia agentes, eo deposito, IOANNEM de Brenna, celebris famæ militem, ex Galliis uocauerũt. Qui cum multis copiis Constantinopolim delatus, Iolen, filiam Conradi Montisferrati marchionis, & Hierosolymæ regis (cui Isabella ante Henricum nupserat) uxorem duxit, cum qua Tyri coronatus est, & nuptiæ pompa regia celebratę. Qui anno 1221. cùm Christiani, Damiata Sultano reddita, domum redirent, Romam uenit, & acceptis muneribus ab Honorio Pisas se contulit: & Friderico II. Imp. filiam, quam ex Iole defuncta susceperat, in matrimonium despondit, ius, quod in regno Hierosolymitano sibi competebat, dotis nomine donans. Hinc reges Neapolitani Hierosolymæ quoque se reges appellant. Blondus libro septimo, Decadis 2.

Apud Ruthenos ciuitatem permaximam esse tradunt, NOVOGARDIAM appellatam, ad quam Teutonici mercatores magno labore perueniunt. Magnas ibi esse opes fama est, & multum argenti, pellesque preciosas. Appenso argento, non signato utuntur. In medio urbis foro lapis quadratus est, in quo rex & quidem stans ius populo dicit: sed rarò regia potestas in annum apud unum mansit, sæpe in unam diem duo tresue regnauere. Surgit enim ex populo, qui clientelis se satis armatum existimat, regemque deturbans lapide, locum eius inuadit, atque e uestigiò rex salutatur. Haud absimilem & ipse casum subit, si quis se fortior aduentarit regni cupidus. Aen. Syl. Com. in Panorm. libro 2. cap.27. Europæ.

Cæde aliorum.

☞ *Vide Titulum, Regnandi libido.*

Ildobaldo Gothorum in Italia rege cæso, Rugi, qui & ipsi cum Gothis erant, reliquis inuitis Gothis, Araricum regem extulerunt. Baduillas autem, cognomento TOTILAS, Ildobaldi nepos, misit Rauennam ad Constantianum ducem Iustiniani, traditurum se Taruisium pollicens, si sibi & comitibus suis salus præberetur. Cui Constantianus iureiurando se fidem præstiturum respondit. Re composita, dies indicta est, qua milites Constantiani Taruisium reciperentur. Gothi uerò Ararici imperium iniquo animo ferebant, ut qui bello cum Romanis gerendo parum idoneus esset, ac magnarum rerum occasionem interpellasset. Itaque omnes uno animo ad Totilam Taruisium mittunt, eumque ad regnum suscipiendum accendunt, sperantes se, illo regnum obtinente, Italiam posse recuperare. Quibus Totilas respondit, se defectionem ad Romanos constituisse: si uerò Araricum in tempore sustulissent, illorum uoluntatem non neglecturum esse. Quibus rebus auditis, Gothi Ararico insidias compararunt. Romanis interim quiescentibus, & Gothos quieturos arbitrantibus, neque propterea in eorum actiones obseruandas intentis, Araricus Gothos conuocauit, & ad pacem hortatus, ut ad Iustinianum de prioribus conditionibus confirmandis mitterent, auctor fuit, atque ex eorum consensu legatos misit, spondens, si se Patricium faceret, totam illi Italiam traditurum. Legatis autem profectis, Gothi, Aratico per dolum extincto, regnum ad Totilam detulerunt. Sigonius libro decimo octauo, Imp. occid.

☞ OCCASIONEM. MAGISTRATVM adepti causa

Eruditionis, Sapientiæ.

Apud PERSAS, rex nemo fieri poterat, nisi qui magorum disciplinis imbutus esset. Alex. lib.4. cap.23.

Virtutis.

Græci, qui Pontum incolũt, narrant Herculem Geryonis uaccas agentem, cùm in Scythia obdormisset, eas amisisse, & uix tandem in terra Hylæa inuenisse in antro cuiusdam uirginis, quæ pubetenus fœmina erat, infernè serpens. Cum ea Hercules rem habuit. Concepit illa ex eo tres filios. Abiens Hercules arcum ei reliquit, & baltheum, in cuius commissura aurea erat phiala: ut quicunque ex filiis tribus arcum intendere posset, & baltheo præcingi, is regnum Scythiæ obtineret. Adultis iam filiis mater arcum proponit. Et Agathyrsus quidem & Gelonus à matre fuerunt amandati. SCYTHES uerò natu minimus arcum intendit, & regnum occupauit, à quo regio ea Scythia fuit dicta. Et ab eo baltheo Scythæ ad hunc usque diem phialas in baltheis ferunt tanquam nobilitatis insigne. Herodotus lib.4.

Gratianus Imp. cùm animaduertisset Thraciam ac Daciam à Gothis, Thaiphalis, Triballisque uastari, ab Hunnis ac Alanis periculum Romano nomini maximum imminere, in Pannoniã ueniẽs, accitum ab Hispania THEODOSIVM, ingentis animi & pietatis uirum, magistrum militum fecit, & cum exercitu contra Barbaros misit. Quos ille cædeat ferro disiecit repulitq;: & ꝓpterè sui triũphi ipsemet nũcius, Barbaros trans Istrum fugatos Imperatori indicauit. At obtrectatores ipsum in fugã uersum, amissis copiis, mentiebãtur. Missi exploratores, multa millia Barbarorũ cæsa renunciarunt. Ergo Gratianus Theodosium consortem imperij fecit, concessa illi purpura apud Syrmium, cùm tertium ac trigesimum ageret ætatis annum, tradito illi Oriente cum Thraciæ imperio. Theodosius nocte, quæ præcesserat, in somnis uiderat, se ab antistite Antiochensi chlamyde uestiri, & corona ornari. Cuspinianus.

BRASILIENSES nullius regis imperio subiiciuntur. Cùm tamẽ bellum inter eos exoritur, eum ducem eligunt, quem omnium fortissimum, & in bellis gerendis acerrimum fore credunt. Osorius lib.2. rerum Emmanuelis.

Meritorum.

P. SCIPIONI Africano, ab expeditione ad urbẽ reuerso, cõsulatum detulerunt Romani: non quò ei gratificarentur, ueriùm quò illius opera maturè & facilè potirentur Carthagine. Plut. in Apophthegmatibus.

P. Scipio MASINISSAM uicto Syphace rege & capto pro cõcione regẽ appellauit, appellatum aurea corona donauit, patera aurea, curuli sella, & scipione eburneo, toga picta, & tunica palmata, triumphalib. scilicet ornamentis: quo honore nullus tum maior fuit apud Romanos. Sab. lib.5. Enn.5.

Constantino rege Scotorum in acie cæso, GRIMVS Duffi regis nepos ex Kennetho fratre, Thano Atholiæ, Constantiniani exercitus reliquiis collectis, Sconam adiens, sese Scotorum regem multitudine probante declarauit. Iuuit eum Duffi felicis & innocentis memoria, cùm sibi persuaderẽt omnes, Grimum in patrui mores optimos abiturum. Erat præter hæc corporis forma insigni. Cæterùm regno firmato, ex optimo & liberalíss. crudeliss. & auarissimus euasit. Desertus itaque à suis, à Malcolmo Cumbriæ principe acie uictus, dolore contabuit, nono regni anno. H. Boeth. lib. 11.

Ludouicus I. dux Boiorum, ab Friderico II. Imperat. Rhenanum ducatum, quem Palas uocant, anno Salutis 1215. officij ac singularis obsequij ergò impetrauit, atque in fidem accepit. Dumq; eò proficiscitur, atq; incautiùs oppida, castra, urbes uendicat, ab incolis cum omnibus comitibus captus, maximo pecuniæ numero, quam uiritim Boij tribuere, se redemit. Tandem à Rhenanis receptus est. Auentinus lib.7. Annalium Boiorum.

Clementiæ.

In TAPROBANA insula rex eligitur à populo senecta clementiaq; insignis, liberos non habens: & si postea gignat, abdicatur, ne fiat hæreditarium regnum. Rectores ei à populo XXX. dantur. Plin. lib.6. cap.22.

Aloysio Molino Procuratore demortuo, Veneti MARCVM filium in patris locum statim subrogarunt, quod nusquam antè alicui cõtigerat, ob eam æquanimitatem, quòd fratris necem, quem Marcus Michael occiderat, ob patris intercessionem non ulcisceretur, sed & Marcum perpetuo exilio damnatũ à Decemuiris patriæ restitui supplex & obnixe peteret. Egnatius lib.4. cap.1.

Stupri, Adulterij.

EMMANVEL Imp. Cõstãtinopolitanus, humili loco natus, Tryphonq; uocatus à pueris, primoribus ciuitatis muliebri consilio interfectis, Imperium adeptus est. Fuerat hæc Alexij principis uxor, cuius Trypho consuetudine tenebatur. Quo accidit, ut post uiri interitum nobilium cæde adulterò imperium attraxerit. Sab. lib.5 En.9.

Formæ, Roboris.

In MEROE nemo summum gerebat imperium, nisi qui præualido corpore cæteris antestaret. GORDII regem quàm obesum & prepinguẽ esse uoluere, quòd ex corporis mole animi indolem diiudicarent. Alexander.

Apud MEDOS, qui uiribus excelleret, præcipuòq; robore cæteris emineret, iure gẽtis, rex eligebatur: & in LYBIA solũ qui citissimò cursu ualeret. Alexander.

Apud CATHEOS, Indicam gentem, qui insigni corporis forma cæteris anteiret.

AETHIOPES, si quando regiæ stirpis uir deesset, maximarũ uirium, quiq; opibus & robore præcelleret, regem eligebãt. Alexan. lib.4. cap.23.

Erat Antiochiæ mulier quædam Phœnissa, ex urbe Emesa, Iuliæ illius soror, quæ priùs Seuero Principi, mox & Caracallæ priuigno nupsit. Huic duæ erãt filiæ, Sœnis & Mammea. Alexianus huic erat filius, qui postea Alexander dictus est, illi BASSIANVS, ambo Solis sacerdotes, quem Phœnices Heliogabalum dicunt. Bassianus annos iam quatuordecim natus, forma adeò eleganti erat, ut Baccho simillimũ multi puerũ prædicarent. Erat is quotidie in oculis Romanorum militũ, qui in Phœniciæ finibus habebant castra, magnusq; fiebat ad templũ cõcursus pueri uisendi studio, cõciliabãtque illi militarẽ fauorẽ forma, sed multo maiorẽ Mesæ maternæ auiæ testimoniũ, quæ dubiũ mentita, an quòd ita esse existimarit, Bassianum ex Caracalla genitũ inter milites prædicabat, qui eo tẽpore, quo ipsa, Seuero principe, apud Iuliam sororẽ suã Romæ fuisset, Sœnim filiam adhuc uirginẽ uitiasset, uitiatamq; prægnantẽ reddidisset. Eusebius nõ Sœnim, sed Sœniã uocat. Res temerè credita, militũ animos incendit ad imperiũ puero demandandum. Augebat id studium Caracallæ memoria, militibus gratissima, nec nõ spes auri, quod Mesam diutissimè in principis aula uersatã possidere rumor erat. Id aurum anus & quascunq; congestas haberet opes profusura putabatur, ut nepoti imperiũ adstrueret. Hæc milites secuti, illum in castra perductum, Imperatorem constituere, & Macrinum Caracallæ interfectorem acie uictum interemere. Sab. lib.6. En.7.

Generis, Nobilitatis.

Apud CHATRAMOTITAS Arabes succedit in regno non filius patri, sed qui primus è nobili genere post constitutum regem nascitur. Nam simul ac aliquis in imperio cõstitutus est, omnes nobilium uirorum uxores prægnantes conscribuntur, & custodes apponuntur, qui obseruent, quæ prima pepererit. Nam eius filius ex lege assumitur, & ad regni successionem regaliter educatur. Strabo lib.16.

SIDONII neminem, nisi de regia stirpe & familia natus esset, regnare patiũtur. Apud SABÆOS, primus ex nobilioribus iure gentis ad successionem regni aspirat. Alex. lib.4. c.23.

☞ DIGNITATEM PRÆCEDENTEM.

Quam uel

Consequuntur diuersis

Locis.

L. FVLVIVS Tusculanorum rebellantium consul, eodem honore, cùm transisset, exornatus confestim à populo Romano: adeoq; solus eodẽ anno, quo fuerat hostis, Romæ triũphauit ex iis quorum consul fuerat. Plin. lib.7. cap.43.

Temporibus.

☞ *Hic illi, qui diuersos magistratus, suo quemque tempore sunt consecuti.*

C. MARIVS primus Romanorum omnium septies cõsul, uir acri ingenio, & ad rem bellicam potiùs quàm urbanã quęsito, difficile dictu paludatus'ne magis utilis patriæ fuerit, an perniciosus in toga. Sab. lib.3. En.6.

Non consequuntur, sed maiorem pòst adipiscuntur.

L. AEMILIVS Paulus aliquoties frustra consulatum petiit. Idem pòst, cùm iam campũ repulsis suis fatigasset, bis Consul & Censor factus est, amplissimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cuius uirtutem iniuriæ non fregerunt, sed acuerũt: quoniam quidem nota ipsa accensam cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit, ut populũ, quem nobilitatis splendore & animi bonis mouere non potuerat, pertinacia uinceret. Val. lib.7. cap.5.

C. MARIVS curulis & plebeiæ ædilitatis repulsam passus una die, septies deinde consul factus. Alex. ab Alex. lib.4. c.4.

L. SYLLA diuitias & imperia largitus est, leges uetustas abrogauit, nouas tulit. Et hic tamen in eodem campo, cuius postea dominus extitit, repulsa præturæ sugillatus est. Val. lib.7. cap.5.

VESPASIANVS quinquies repulsam ædilitatis tulit, tãdem Imperator euasit. Alex. lib.4. cap.4.

Non potuit nõ mirari Veneta ciuitas, eisdem comitiis Nicolaum de Canali, uirum alioqui clarum & literis & aliis multis animi dotibus, sed maritimę rei haud sanè satis peritum, præpositum fuisse PETRO Mocenico, qui aduersus Turcas imperator contenderet. Quem postea, Chalcide amissa, cum summa ignominia reuocarunt, ipsumque Petrum in eius locũ præfecerũt: qui multis præclarisq; gestis domũ reuersus, dux postea iure optimo declaratus est. Egnat. l.7. c.5.

☞ QVA CEREMONIA.

☞ *Consule locum Insignium regni, imperii: Hic Nota, hic Res notata perpenditur.*

ISRAELITÆ regis eligendi hanc habebant rationem, ex Domini præscripto. Eum creabant, quem Dominus elegerat, Israelitam, non alienigenam. Ei multos equos habere interdicebatur, ne propter equorum multitudinem populum reduceret in Aegyptum, hoc est, occasionem eis daret cum Aegyptiis conuersandi, qui equis abundabant. Multas uxores, argenti, aurique multum habere prohibebatur, ne animo deflecteret. Cùm in regni solio consedisset, legẽ à Leuitis in libro exscribi, & apud se habere, eamq; legere & obseruare iubebatur, ne contra consanguineos suos animo insolesceret, sed iustitiam & pacem tueretur. Deut.17.

REX Persarum electus Pasargadas pergit, ut sacris regiis inauguretur à sacerdotib. Persicis. Delubrũ est deę bellatricis, quã Mineruã cõiicias esse. Eò ingressum, qui inauguratur, stolã suã oportet ponere, & induere eã, quã Cyrus priscus priùs, quàm regno potiretur, gessit: & ficorũ massam esse, tũ terebinthũ uorare, & calicẽ haurire lactis acidi. An quę præterea alia agant, cæteris est obscurum. Plut. in Artaxerxe.

Scriptores Mediolanēses, patrios sequuti annales, asserunt AGILVLFO Longobardorum regi coronam impositā fuisse, à Theodelinda regina institutam, auream illam quidem, ue rùm circulo ferreo interiore intextam. Vnde pōst ferreæ coronæ nomen Italico Longobardorum in regno cepit.
Sigonius lib.1.regni Italici.

Ritum inaugurandi Imperatores CONSTANTINOPOLITANOS, pete ex Paulo Diacono lib.23.rerum Rom. Imperatorio clypeo insidet is, qui imperio destinatur, ac pedibus primùm insignibus ornatus & manibus, imperatoriis hymnis & plausibus ab omnibus celebratur. Pachymerius.

LVDOVICVS Balbus, Calui F. à Richilde nouerca tabulas patris accepit, quibus ille regnū sibi Francię tradebat, & ensem S. Petri, per quem se regem instituebat, & regiam uestē, & coronam, & sceptrum auro, gemmisq; pretiosis distinctū: atq; ita magno episcoporum procerumq; consensu rex ab Hincmaro Remensi archiepiscopo consecratus & coronatus est, an. 877. Sigonius lib.5.regni Ital.

GONDEBALDVS Burgundionum rex, cùm relicta gētilium superstitione, uerum Dei cultū reciperet, ac à Remigio Remensi pontifice ex aqua lustraretur: oleo quoq;, quod à columba cœlitus allatum fuit, ut rumor est, ungitur. Ex eo quemos durat, ut Francorum reges, quum honoris insignia accipiunt, eo ungantur. Ritius lib. 1. de regibus Francorum.

PHILIPPVS Valesius anno 1328. Francorum rex salutatus, sacratusq; , quanta nō alius multis seculis celebritate, frequētiq; procerum cœtu. Post Remensia sacra ad Dionysij Parisiorum uenit, ac ibi quoq; ceremoniis solennibus peractis, sacerdotio ciuitatis sacris insignibus uelato, nec non libera huius artium doctorib. Musęq; scholasticis ad portas oppetentibus: ad hæc patribus in purpura, decurionibus cū bicolore ueste: nec non auctoribus summarū extra portas, cōmentiaq; ac suburbana ædificia in equis occurrētibus: ipse rex cum regiæ stirpis inclytarumq; familiarum proceribus, reliqua etiam nobilitate, & ipsa maxima ex parte torquata, & sagulis uirgatis, auroq; intertextis, equisq; magnificentissimè instratis excultisque, urbem regiam sub sacra umbella intrās, excipitur lætis faustisq; ominibus, plausuq;, omni ordine, omni ætate prosperum felicemq; ingressum precante: uiis (ut tempus anni ferebat) flore multo, festa frōde, uirente herba strātis: supernè uelis umbraculisq; honestantibus: aulæorum magnificentia uariataq;, ac picturarum tabularumq; artificio exterioribus domorum parietib. nestitis: splendidiore mulierum è fenestris spectantium, seque spectandas præbentium, quàm uirorum cultu. Nulla lætitię specie, nullum dignitatis exemplum non excogitatum, nō adhibitum. Ita in Insulam ad ædem maximam deductus, ac diuam Virginem ueneratus, in Regiam se contulit. Aduentitia (ut assolet) cœna regifico apparatu accubuere principes illustresq; uiri. Omnia quidem solenni more, institutóque: sed hunc regem præcipua charitate obseruantiaq; prosecuti, prædicabant eum uindicē Franciæ maiestatis, legis Salicæ assertorē: qua una, dignitas libertasq;, Francici nominis constaret, ne alienigenarum imperio, ne externorum ditione teneri possent Franci, cæteris gentibus reges legesq; dare soliti. Vespertino igni in areis plateisque accenso, nocturnis funalibus concurrantibus collucente, choreis uirginum iuuenumq;, symphonia, uoce, fidibus, sistris, tibiis urbe perstrepente, festi dies acti. Aemil. lib. 8.

Reges GALLORVM inaugurādi morem Sleidanus libro decimonono describit.

Victo captoq; rege Desiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac deditionem acceptis, CAROLVS Magnus regnū Italicū sibi iure uictoriæ uindicauit. Quod ut nouo præterea iure sanciret, uetꝰ, ut putabatur, pōtificis Gregorij decretum adhibuit. Quippe Modoetiæ se per archiepiscopū Mediolanēsem corona redimiri ferrea uoluit, atq; , ut ita apud posteros obseruaretur, instituit. Ea res maxima fieri ceremonia cōsueuit, quæ in Ritual. antiquissimo cōtinetur, qui Ordo Romanus uocatur. Perducto scilicet per episcopos ex cubiculo in templū atq; ad ārā maximā rege, archiepiscopus post solennes aliquot precationes effusas populū alloquutus interrogabat, nū se tali regi subiicere, atq; illius mandatis & iussionib. constanti fide uellet obtemperare? Vbi uerò populus se uelle responderat, regis caput, pectus, scapulas, atq; ipsas brachiorū cōpages oleo sancto ungebat, Deū orās, ut & in bello gerēdo, & in sobole ꝓpaganda uotis eius annueret. Ornato inde ense, armillis, pallio, anulo & sceptro, coronā imponebat, & per Chorū ductū in solio collocabat, atq; osculo pacis oblato, diuinā inde rē faciebat. Hęc tū Thomas Mediolanēsis archiepiscopus egit. Ex quo tantū ei ecclesiæ splēdoris accreuit, ut in posterū cōtendere de dignitate cū Rauennate non dubitarit. Sigon. lib. 4. reg. Ital.

CAROLVM Magnum ob euersum Longobardorū regnū & Exarchatus simul & Pentapoleos donationē Romanæ sedi factā Leo III. Pp. Imperatorio titulo ornare instituit, ann. 801. Vbi dies Natalitiorum aduenit, Carolus summo mane Vaticanā basilicā adiit, atq; ad Confessionē progressus, solennē Dei obsecrationem iniuit. Qua perfecta, pōtifex, qui ex cōpōsito aderat, chlamydē Augustalē & coronā auream pretiosissimā, quā de industria comparauerat, ei imposuit. Quo facto, populus uniuersus ter uoce clarissima lætissimus ac clamauit: Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pijssimo Imperatori Romanorum, uita & uictoria. Deo inde diuisq; ritè in auxiliū inuocatis, Imperatorius ille titulus à populo confirmatus est. Populari inde acclamatione sedata, pontifex patrē Carolum & filium Pipinū astantes, illum Imperatorē Romanorum, hunc regē Italiæ, oleo sancto perunxit, ac deinde sacris conficiendis se tradidit. Quibus absolutis, Carolus unà cū Pipino basilicæ Vaticanæ ābaci argenteam, & diuersa uasa ex auro purissimo fabrefacta ad ipsum abaci obtulit: Lateranensi uerò crucē eximiā, ex lacinctorū gēmis conflatā, quā Leo in supplicationibus præferri, Carolo obsequutus, instituit. Hunc dignitatis Imperatoriæ titulū, cùm in Momyllo Augustulo ultimo Occidentis Imperatore ante trecentos fermè annos sub regnū Gothorum in Italia defecisset, in eodem Occidente pontifex renouauit, ut haberet ecclesia Romana aduersus infideles, hæreticos ac seditiosos tutorē, cuius officiū repudiasse 13. mpridē Imperatōr Orientis uideretur. Indicat hoc ipsius iusiurādi formula, quo pontifex Imperatorē, coronā impositurus, obstrinxit, quæ in antiquissimo commentario, qui Ordo Romanus dicitur, memoratur. In nomine Christi spondeo atq; polliceor ego N. Imperator, corā Deo & beato Petro apostolo, me protectorē ac defensorē fore huius sanctæ Romanæ ecclesiæ, in omnib. utilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero, potero q;. His actis, Carolus abiecto Patricij titulo, Imperatorem se Romanum atq; Augustum inscripsit. Sigonius lib. 4. regni Italici.

LVDOVICVS Bauarus, Romanorū rex, victo Friderico Austriæ duce æmulo, uocatus uenit in Italiā, exceptusq;, perbenignè à Gibellinis, qui partes fouebant Imperij, peruenit Romam, excipientibus eum procerib. Romanis, solenni apparatu. Habebant aūt primores Romani magistratū, quem appellauere Vicariatū, quem tum Stephanus Columna gerebat. Is à clero & populo interpellatus, coronam Ludouico dedit imperialem. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 15.

Imperij & regni Italici & Germanici suscipiendi iam inde ab Othone I. ratio fuit huiusmodi. Mortuo rege, principes episcopiq; Germanię Aquisgrani cōuocati legitimis suffragiis regē aliquē ex suo corpore designabant: designatū uerò in solio Caroli Magni locabant, quod erat in aula basilicæ D. Mariæ ab eo cōstructæ, atq; singuli apud eū sacramēta dicebāt. Ex aula inde in basilicā descendentē archiepiscopꝰ Moguntinus cū clero occurrens excipiebat, ac populo, quisequens honesti spectaculi causa circunstabat, regē à Deo & principib. lectū ostendebat. Populus porrectis manib. acclamore sublato nouo regi fausta ac ꝓspera omnia precabatur. Inde antistes cū rege ꝓgrediebatur ad ārā, super quā regia posita insignia erāt, atq; ei primū gladiū cū baltheo, deinde armillas cū chlamyde, tū sceptrū cum baculo porrigebat, ac demū oleo sacro, ꝓfusum corona imposita cōsecrabat. inde excelso inter duas colūnas in solio collocabat, unde facilè ab omnib. uideri, atq; ipse uidere oēs posset: ac diuina laude cātata in regiā adducebat. Ibi rex solēne cū episcopis accipib. epulum celebrabat, atq; singulos ꝓ cuiusq; dignitate donabat. Cæterū coronā Germanicā in omnib. cōmentariis argenteā fuisse inuenio. Luitprādus etiā aureā fuisse negat: at aureā ꝓdit is, qui huius totius ceremoniæ est auctor, Vitichindus. Cōsecrationis aūt ius ad Mogūtinū antistitē, qui Germaniæ metropolitanus, & regni cācellarius erat, delatū est. quāuis Treuerensis id munus sibi uindicaret, q ecclesia sua cæteris antiquitate præstaret: Coloniensis uerò, q ea consecratio in suis finib. fieret. Rebus inde Germanię perolennes cōuentus cōpositis, ad regnū Italiæ suscipiendū ueniebat. Vbi uerò uēturus erat, nuncios præmittebat moretū tum à Francis instituto, qui ciuitatib. aduenturū regē nūcia rent, ac sacramēta repeterēt, & fœdera exigerēt, aliaq; aduenienti regi debita officia indicerēt. Italiā aūt ingressus rebā Mediolanū adibat. Ibi uerò cōdicto die in Ambrosiana ædē procedens, archiepiscopo rem diuinam facienti, regiis depositis uestibus, ac subdiaconi sumtis, ministrabat. Qua rem perfecta, archiepiscopus sacro ipsum oleo inungebat, atq; ad reliqua insignia ferreā ei coronā imponebat, ipsum solēni adigens sacramento, se Italiæ iura in perpetuū pro uiribus tuaturū. Tum uerò omnes magistratus atq; omnes dignitates uacabant in ciuitatibus. Rex aūt adhibito Coloniensi archiepiscopo, qui regni Italiæ cancellarius erat, ex legitimis & iurisconsultorū iudicio de rebus omnib. cognoscebat. Itaq; ad Padum descendens, in campo quodā, qui Roncalia dicebatur, nō longè à Placētia cōsidebat, ibiq; castra in hemodū faciebat. Loco aut natura plano, aut, si inæqualis esset, manu atque opere complanato, uallum in orbem aut in quadrum ducebatur. Fabrorum, opificum ac mercatorum turba ad usus necessarios sequens exercitum, cum suis itentoriis & tabernis, si quadrata erant castra, suburbiorum, si rotunda, muri exterioris speciem afferebat. Intra castra uicis aptè distinctis uias dirimebant, plateasq; & portas effin gebant, ut quasi urbs quædam repentina existeret. In medio regis tabernaculum locabatur, templo simillimum, circaq; principes, ut quisque dignitate præstabat, tentoria sua figebant. His castris locatis rex ad stipitem præaltum scutū suspendebat, eoq; omnes feuda habentes ad excubias regi ex instituto agendas per præconem publicum euocabat. eademq; ratione, qui in comitatu principes erāt, singuli singulos sibi addictos ualuasores citabant. postridie qui non affuisset, feudo multabatur. Inde conuentu instituto ciuitatium legatos uel gratulātes excipiebat, uel excusantes aut expostulantes audiebat, atque eorum controuersias iuris consultis adhibitis cognoscebat, ac leges, si erat opus, ferebat. Erat autem moris, ut primos dies in iuredicundo consumeret, alteros paci inter ciuitates constituendæ dicaret, extremis iura feudorum cognoscēret, ac nouis legibus stabiliret. Conuentu peracto Romam ad tertiam Imperij Romani coronam accipiendam ipso archiepiscopo deducente pergebat. Singulæ in itinere ciuitates cum faculis & faustis clamoribus occurrentes, debita obsequiorum officia eximiè præstabant. Si n minus, aut pecunia, aut priuilegiis multabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam accesserat, relicto in pratis Netonianis exercitu, ipse cū honesto procerū comitatu Leoninam urbem ingrediebatur, atq; ad Pontificē, qui ipsum ex composito in gradibus basilicæ Vaticanæ oppetiebatur, adorandum uenlebat, atque ad Confessionem S. Petri deductus, supplicem ad Deum oratione habebat. Pōtifex sacris operatus ipsum ab episcopo Mediolanensi oblatū, ac diaconi uice functum, sacro oleo perūgebat, digito annulū inserebat, ensem nudū tradebat, sceptrum aurea imposita sceptrum Imperatoriū porrigebat. Ille tactis sacris euangeliis perpetuum ac constantem se fore Romanæ ecclesiæ ac totius reipublicæ Christianæ defensorem nouo sacramento se obligabat. Deinde ab utroque ad basilicam Lateranensem adibatur, atque ibi feliquium cæremoniarum absoluebatur. Itaq; ab hoc tempore qui rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ & occidētale Imperiū tenuit, ac propterea tres coronas accepit: unā Germaniæ argenteā, Aquisgrani ab archiepiscopo Moguntino: alterā Italię ferreā Mediolani à Mediolanensi: tertiā Imperij auream Romæ à pontifice. neq; ante pontificis consecrationem Augusti aut Imperatoris nomen usurpauit, sed rex Germaniæ atq; Italiæ, siue rex Romanorum & Imperator designatus appellatus est. Annos autem regnorum atq; Imperij à diebus numerauit, quibus coronas Aquisgrani, Mediolani, & Romæ cepisset. Sigonius lib. 7. regni Ital.

Cælestinus II. HENRICVM VI. coronauit in Imperatorem sub hac formula: iñ primis recepto ab eo dem iuramento ante gradus Ecclesiæ Romanæ, quòd Ecclesiam Dei defenderet, eius iura conseruaret, rectam iustitiam teneret, patrimoniū Petri, si quid ablatum fuerit, pro posse reuocaret. Ecōtrà papa in cathedra sedentis, coronamq; Imperialem manibus tenens, inclinato capiti Imperatoris imposuit: quam tamen statim pede in terram excussit, designans per hoc, quòd ipse papa haberet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit, & deiiciendi, si demeruerit. Ranulphus lib. 7. cap. 26. in Polychronico.

Aureæ bullæ Caroli IIII. hęc inter alia sunt capita, ut Moguntinus archiepiscopus Cæsaris mortem reliquis Electoribus denuntiet, & diem cōstituat, ut intra tertium mensem Francofurti præsto sint ipsi, uel ipsorum legati, cum plenis mandatis, sioui Cæsaris aut Romanorum regis eligendi causa. Quod si Moguntinus negligat, cæteri collegæ nihilo secius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant singuli non supra ducentos equites, cùm oppidum ingredientur, & in his armatos ad quinquaginta. Qui nec ipse uenit, neque legatum etiam mittit, aut ante cōsectum negotium discedit, ius electionis, eo quidem tempore, amittat. Magistratus Francofurtensis omnem fidem Electoribus præstet, ac durante comitio, neminem præter Electores ipsorumq; familiam intromittat. Vbi conuenerint omnes, in ædē diui Bartholomæi sacrum fiat, quo Sancti spiritus implorētur gratia: deinde singuli iurent, uerbis præeunte Moguntino, nihil se facturos in ea re ullius uel pacti, uel mercedis, uel largitionis, uel pollicitationis causa: pōst, ad actionem ueniant, neque priùs illine discedant, quàm creato Cæsare. Quòd si res ultra trigesimum diem differatur, omnibus aliis detractis cibariis, præter panem & aquam nihil eis detur. Quem maior pars elegerit, hic eo dem loco sit, ac si communibus omnium suffragiis, nemine repugnāte, creatus esset. Ad hunc modum designatus Cæsar, omnium primò confirmet Electoribus omnia priuilegia, & quicquid ad ipsorum dignitatem, decus, libertatem, ac immunitatem pertinet. Deinde ad Aquas Grani, Belgiæ oppidū, prima fiat inauguratio. Sleidanus libro primo.

CÆSARIS inaugurationem, quæ Aquisgrani fieri solet, describit idem Sleidanus lib. 2.

CONRADVS II. in Italiam ueniens magno honore Mediolanum intrauit, ac regium ab archiepiscopo diadema suscepit. Inde Modoetiam progressus, ibi iterum coronāri se, uetere renouata consuetudine, petiit. & cùm id necessarium esse Herebertus archiepiscopus negaret: se Caroli Magni & posterorum eius exemplo permoueri respondit. Conradum inde imitati posteri, ac successores eius plerique, Modoetien sem quoq; coronam appetiuerunt. quam corohain Mediolanenses intuidia perciti, ad contemtum, Palearem uocarūt. Pōst etiam Romæ cr ronatus fuit. Sigonius lib. 8. regni Ital.

RODOLFVS I. Romanorum rex, cùm post factam de se electionem in Bopardia urbe Rheni maneret, lancea Imperialis dominica cum corona illi præsentata fuit, eaq; non longè pōst Aquisgrani solenniter coronatus est: quod nulli regum à memoria diui Caroli fertur contigisse. Nam argenteam ibi primam ex constituto solet accipere coronam. Ferunt testatum esse quàm sanctè à grauibus uiris, coronationis tempore uisam auream crucem supra ecclesiam sanctissimæ Virginis, in qua ministerium implebatur, idq; Lugduni coram summo pontifice & patribus in concilio expositum. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, cap. 30.

Germanos Imperij ELECTORES inaugurandi morem, pete ex Sleidani lib. 20.

Diua Margarita Scotorum regina uiuens id ab Vrbano Pontifice maximo impetrauit, ut exinde reges Scoti inungerentur. Fuit eorum omnium EDGARVS primus, qui in Scotia reges unctione sacra sanctificati sunt, anno à Redētoris aduentu mor. Confirmauit id postea Ioannes XXII. papa. H. Boethius lib. 12.

VLADISLAVS Boëmiæ & Hungariæ rex cùm Albertum fratrem, Ioannem Matthię Corui ni nothum, & Maximilianum Cæsarem æmulos uicisset, regali Alba recepta, regium in illa diadema ritu solenni suscepit. Visus q; est, non solùm de uiuis cōperitoribus, sed de Matthia quoq; ipso Boemiæ regni æmulo quantumuis mortuo triumphasse. Deficiente namque regni uexillo, quod regi inter coronandum offerri solebat, detractum est Matthiæ uexillum supra sepulcrum eius suspensum, illudq; in manus Vladislai uelut triumphantis traditum. Egressus templo uix prādium absoluerat, cùm baiuli in ordinem compositi, scyphos, phialas, pateras, & alia uasa præclaro opere grandiq; pondere insignia, & nonnulla ex iis aureis nummis plena, manibus gestarent, ut illa pro munere dominorum suorum nomine regi offerrent. quibus, postquam mensæ & scamna essent ornata, innuit Rex uni & alteri è proceribus Boemis, ut propiùs accederent, inquiens, Multò culina unctior in Hungaria quàm in Boëmia apparet. captusq; nidore eius, Pragam rariùs frequentauit. Dubrauius lib. 31.

ABYSSINI, qui annos DCCC. imperium totius Africæ maximum tenent, reges ab una & eadem gente semper quæsierunt: ne genus aliquando deficiat, neue plures imperandi cupiditate populum in uarias partes distrahant, aut parricidiis se polluant: gentiles regis (quos Israelitarum filios uocant) simul educantur, in arce fortissima, in excelso monte Anga, ut Aluaresius tradit, quò nisi per abruptā & angustissima loca peruehiri non potest, eaque ualidissimo præsidio muniūtur. Mortuo rege non proximus agnatus, sed qui magis idoneus optimatibus & custodibus uidetur, eligi consueuit. Hunc igitur Abyssini educentes ex arce, uelut deum aliquem cœlo delapsum maximis honoribus & obsequiis prosequuntur. Io. Bodinus Methodi historicæ cap. 8.

QVANDO DIGNITATES DATÆ
Ante tempus, Præmaturè.

Licet imperium consulare annum esset apud Rom. nulliq; nisi exacto quadragesimo & tertio ætatis anno consulatū capere antea licuerit: pluribus tamen citra eam ætatem, si quod dignum operæpretium respublicæ præstitissent, consulatum gerere permissum fuit. Nam & VALERIVM Coruinum in tertio & uigesimo ætatis anno, ante legitimū tempus; ad cōsulatum promotum legimus apud Val. lib. 8. cap. 16. & MARIO iuniori, SCIPIONI Aphricano, & Octauio AVGVSTO; aliisq; ducibus, ob singulatem rei militaris disciplinam, & ob candorem ingenij, ante tempus consulatū aliosq; honores delatos cōperimus. Alex. lib. 3. c. 3.

T. QVINT. Flaminius transcursis mediis honoribus, in quibus iuuenes documentum sui dare consueuerant, tribunatu plebis, prætura, ædilitate, ad consulatum statim tendens, descendit in campum studiis Narniæ & Cossæ, quas deduxerat,

duxerat, coloniarum succinctus. Comitia tribuni plebis Fuluius & Manlius (M. Curium habet Liuius) impediebât: demonstrantes mali rem exempli esse, quòd iuuenis nondum reipub. quasi primis sacris & mysteriis initiatus, ad summũ honorem contra leges perrumperet. Id senatus populi arbitrio permisit. Populus consulem nõdum triginta annos natum, addito collega Sexto Aelio, creauit, & in Macedoniam aduersus Philippum misit. Plut. in Flaminio.

P. CORN. Scipio, Africanus postea dictus, ante legitimũ tempus ædilitatẽ petens, etsi tribuni plebis aduersarentur, quia nondum satis annorum esset, peruicit tamen ut per trib. duceretur, atq; extemplò frequentibus suffragiis Quiritum ædilis curulis est declaratus. Auctor eius uitæ.

Carthagine obsessa P. SCIPIONEM Africanum minorem, quia per ætatem consul fieri non poterat, cùm ædilitatis cãdidatus processisset, omnes eum centuriæ consulem dixere. Negare cõsul, qui comitia habebat, se eum relaturum, quia contra patrias leges consul fieret. Instare populus, suaq; comitia esse clamitabat, libera esse populi suffragia, licuisse sibi semper ac liciturum, imperium cui libitum esset demãdare, idemq; abrogare cùm uellet. Placuit itaq; in præsentem annum legem abrogatum iri, creatusq; est cum Scipione cõsul Drusus. Cæterùm Aphrica Scipioni extra sortẽ data est, qui Carthaginem excidit. Eundẽ quoq; Romani ad bellum Numantinum conficiendum consulem creauere, solutum prius lege, qua intra decem annos nemo bis creari poterat. Sabellicus lib. 9. Ennead. 5.

Q. METELLVS Pius tam bonæ spei adolescens fuit, ut in petitione præturæ, & pontificatus, consularibus uiris prelatus sit. Plinius de Viris illust.

POMPEIVS Magnus de se liberè profitebatur, quòd omnẽ magistratum, quem gesserat, & citiùs esset nactus quàm ipse expectasset, & citiùs deposuisset, quàm ab aliis expectatum esset. Quòd citò suscepisset imperium, uel fortunæ fuit, uel præmaturæ uirtutis: quòd maturè deposuit, animi moderati erat, non ad tyrannidem spectantis, sed ad Reipublicæ cõmodum. Plut. in Romanorum Apophth.

OCTAVIVS Augustus, qui C. Iulio successit, bellis ciuilibus multa adeò strenuè egit, ut consulatum illi petere per decem antè annos, quàm ex lege liceret, Senatus concesserit decreto, multosque alios honores illi contulerit. Appianus in tertio Ciuilium.

GERMANICVS C. Cæsaris pater, Drusi & iunioris Antoniæ filius, à Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio antè, quàm per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit. Suetonius.

ANDREAS Dandalus, sepultis in Italia literis, primus bonis artibus & literis instructissimus fuit. Idemque admiratione uirtutis tam illustris, tres & triginta annos natus, Dux in ea ciuitate dictus est: quæ cùm senili ætati semper plurimum detulerit, tunc uerò iuuenem hunc omnibus senibus anteposuit. Egnat. lib. 3. cap. 1. & lib. 8. cap. 16.

Seriùs.

Est literis proditum, eos qui suo anno consulatum Romæ peterẽt, perrarò sine repulsa ad prescriptos honores admissos. QVI uerò seriùs, quàm per ætatem liceret, sine repulsa plerunque ad consulatum promotos. Alex. lib. 3. cap. 3.

VBI.

Conrado Sueuo imperante, quemadmodum scribit Blondus Decad. 2. libro tertio, institutum est, ut IMPERATOR designatus, priusquam Romæ à Pontifice confirmaretur, siue inaugurararetur, Modoeciæ primùm palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Posteriùs denique Aquisgrani fieri cœptum est id, quod Modoeciæ priùs fiebat. Cromerus lib. 13. & Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

PETRVS Aragonum rex septimus, Romam profectus, ab Innocentio tertio summo Pontifice coronatus est corona panis azymi, hoc est sine fermento, in ecclesia sancti Pancratij: quin etiã impetrauit à Pontifice, ut quamuis ipse Romæ coronatus esset, eius tamen successores in perpetuum Cæsaraugustæ coronarentur à Tarraconis antistite. Marineus lib. 10. rerum Hispan.

An. Christi 1531. FERDINANDVS Boëmiæ Hungariæq; rex, nõ Francoforti pro ueteri obseruatione, sed reb. ita exigentibus, Coloniæ Agrippinæ, ubi & Traianus Imp. optimus imperij fasces suscepit, rex Romanorum designatus est.

Kennethus Scotorum rex post deletum Pictorum regnum fatale marmor (quod aliquando Simon Brechus ab Hispania uexerat in Hiberniam, & Fergusius primus ab Hibernia in Albionem) ab Argadia, ubi ad id usq; tempus diligenter asseruabatur, in Gouream Pictorum regionem (uelut sacrum pignus illic Scotici regni deinceps stabiliendi) uectum, Sconæ, quòd ad eum uicum suprema in Pictos parta fuisset uictoria, edito tumulo locauit: cui qui SCOTORVM reges dicerentur insidentes, insignia reciperent regalia. Nonnulli uulgata illa carmina,

Ni fallat fatum, Scoti quocunq; locatum
Inuenient lapidem, regnare tenentur ibidem:

lapidi tum primum Kennethi iussu insculpta asseuerant. H. Boëthius lib. 2.

Regem electuri in SVETIA, senatores ac proceres, nunciique omnium prouinciarum, communitatum, ciuitatumque regni conueniunt in archiepiscopali ciuitate Vpsalensi. Non procul est lapis campestris amplus, ab incolis Morastera appellatus, in circuitu duodecim continens lapides paulo minori forma humi firmatos. Ibi ex senatu præcipuus proponit, quàm necessarium sit, pro regni omniumque incolarum libertate, in unum regem ac principem consentire, more à maioribus accepto omnes exhortans, ut libero, quem uelint, uoto quantocyus ex nomine prosequantur. Non hic generis, non opum, sed uirtutis examen instituitur, & qui melior omnium consensu fuerit iudicatus, rex appellatur. Olaus Magnus in hist. gentium Septent. libro octauo, capite primo.

Lecturi regem ueteres DANI, affixis humo saxis insistere, suffragiaque promere consueuerant, subiectorum lapidum firmitate facti constantiam ominantes. Quo ritu Humblus, decedente patre, nouo patriæ beneficio rex creatus est. Saxo libro primo.

In Babylonia Armeniæ (quam Solymannus de Persis cepit) Caliphæ sacrorum principis sedes est, qui à cunctis Mahometani nominis regibus excolitur, ueteremque obtinet prærogatiuam adoptandi, & ex certa coemtionis ceremonia confirmandi Assyriæ reges, sicuti Sultanos etiam Memphiticos. Ab hoc Calipha SOLYMANNVS, ueteris superstitionis instituta sequutus, insignia atque ornamenta suscepit, multaque largitione propitiatis sibi Babyloniorum primoribus, & populis item liberali congiario delinitis, ea in urbe antiquissima, propter Semiramidis pensilium hortorum memoriam, hyemauit. Sabellici supplem. libro decimooctauo, ex Iouio.

MAGISTRATVS, IMPERII RECVPERATIO.

SACRI.

ARNVLPHVS Remorũ archiepiscopus, Lotharij regis Franciæ frater, Hugoni Capeto, qui regnũ inuaserat, suspectus, illegitimorum natalium, & proditionis Remensis urbis pretextu, in patrum concilio deiectus fuit, solo Seguino Senonum episcopo acriter reclamante. In deiecti locum substituitur Gilbertus, qui postea Romanus pontifex factus, Syluester II. dictus est. Ioannes pontifex maximus, re cognita, omnibus episcopis, quorum sententiis Arnulphus sede remotus fuerat, sacris interdixit: ac per Leonem abbatem, suum legatum, in Remensi ciuitate apostolica auctoritate alia synodo collecta, prioris acta rescidit: sicq; Gilberto deposito, Arnulphus de custodia extractus, pristinæ dignitatis locũ, omnibus applaudentibus, recepit: ut Antoninus, Paulus Aemilius, & Aimoinus testantur.

Leo X. BERNARDINVM Caruaiallem & FRIDERICVM Sanseuerinatem Cardinales, concilij Pisani præsides contra Iulium II. demortuum, in gratiam recepturus, restitutioni diem statuit, quæ hunc in modum peracta est. Clàm noctu absque cardinalium uestitu & signis Romã sunt ingressi: maneq; sequenti, cùm se coram Pontifice in senatu cum omnibus cardinalibus sedentes sistere deberent, communi sacerdotum amictu, capite nigris tiaris cooperto, per omnia Vaticanæ curiæ, in qua pernoctauerant, publica loca, ingenti hominum multitudine ad eos uidendos accurrente, transiuerunt. Hinc in senatum admissi, genibus in terram positis abiecti ac sordidati, omnia ab Iulio facta, & nominatim, quòd ipsos collegij dignitate priuasset, nouiq; Pontificis creationem uelut legitimè factã comprobantes, & Pisanum conciliabulum, tanquã seditiosum & execrandum damnantes, à Pontifice totoq; pontificũ collegio ueniam petierunt. Quæ res ut in tabulas ipsorum manu subscriptas est relata, erecti singulos cardinales, qui se suis sedibus non mouebant, reuerẽter sunt amplexi: & deinde sacra purpura induti, in eundem locũ, in quo antea sedere cõsueuerant, sunt admissi. Purpurei galeri dignitate hunc in modum recuperata, non tamen sacerdotia ac beneficia, quibus antea fructi solebant, recuperarunt: illa enim multo antè, tanquam uacantia, in alios translata fuerant. Guicciardinus lib. 11.

PROFANI VIDELICET

Imperij, Regni, Principatus.

LEONIDAS Cleonymi F. regno ob perfidiam Cleombroti exutus, & è patria pulsus, in Arcadiam exilij causa abiit. Verùm non ita multis pòst annis ab ijsdem in patriam, & pristinum etiam regnum reuocatus est. Pausanias in Lacon. Vide Tit. Perfidiæ erga soceros.

MASINISSA Galæ F. regno pulsus à Syphace Numidarum rege, in Balbum montem cum paucis equitibus concessit. Massessulorum quidam cum pecore & familia Masinissam secuti, locorũ difficultatibus freti, se & reliquũ fortunarum cũ rege aduersus Syphacis iniuriam tuebantur, in cuius ditionẽ cætera Massessulorũ gens concesserat. Ex iis locis aliquandiu Masinissa Carthaginensem agrum latrociniis subitisq; excursionibus habuit infestum: donec Bocchar, Syphacis præfectus, cum quatuor millibus ad eum debellandum missus, montibus deiectum, cùm XL equitibus fugientem, ad urbem Clupeam circumuentum propemodum oppressit. Inde saucius medio tumultu cum quatuor equitibus elapsus ad flumen peruenit: ibi præcipiti metu (hærebat enim uestigio hostis) uorticosum flumen ingressus, ægrè cũ duobus equitibus ad ulteriorem ripam pertendit, duo reliqui in hostium conspectu aquarum impetu absorpti sunt. atque ita ab hostibus periisse creditus, in spelunca quadam plures dies latuit, donec uulnus, quo grauabatur, herbis sit penè obductum. Tum uerò iactationis patiens factus, cum duobus ad paternum regnum repetendum (quod uix ad posteros tam audax facinus inueniat fidem) porrò ire constituit. Iuncti sunt primò illi aliquot equites: inde ubi, præter spem omnium, uiuere dictus est, simul ac in conspectum uenit, ad sex millia hominum & quatuor equitum ad eum confluxere. Quibus non solùm regnum recuperauit, sed Syphacis & sociorum fines multa nominis celebritate uexare est adortus, castris inter Cyrtham & Hipponem loco edito munitis. Quò Syphax cum filio Vermina profectus, eum magis arte, quàm uiribus uictum, iterum exercitu & regno spoliauit. Ille cũ modico equitatu elapsus, ad minorem Syrtim confugit, ibiq; se usque ad Romanæ classis appulsum tenuit. Tum iis equitibus, quos fortè circa se habuit, ad P. Scipionem uenit. à quo benignè est acceptus, & uicto Syphace rex declaratus, in pop. Rom. societate consenuit. Sabellicus libro 5. Enneadis 5.

Alexandrini pulso PTOLEMÆO Aulete, filiam eius maximã natu reginam constituerunt, nupsitq; primò illa Cybiosatti cuidam Syro, regia stirpe, ut ipse credi uolebat, procreato, quem tamen paucis diebus ob sordidum ingenium expulit. Iuncta inde Archelao est, eius Archelai filio, qui contra Syllam pro Mithridate pugnauit, moxq; à Romanis in summo fuit honore habitus. Cæterùm dũ filia nouis studet nuptiis, Ptolemæus Romam profectus, Pompeio est ab initio conciliatus, per eumq; patribus commendatus. Nec longo inde interiecto tempore, Pompeij impulsu, Gabinius iniussu populi regẽ restituit. Qui recepto regno, filiam & Archelaũ, cui puella nupserat, occidit: nec ipse diu postea filiæ & genero superfuit, periitq; fatali morte, quatuor filiis superstitibus, duobus uirilis stirpis, ac totidem alterius sexus. Ex his maiores natu testamento patris regnare iussi sunt, Dionysius Ptolemæus, qui Pompeium puer adhuc interfecit, & Cleopatra, post cuius interitum Aegyptus in prouinciæ formam est redacta. Sab. lib. 6. En. 6.

ISAACIVS Angelus Imp. ab Alexio fratre oculis & imperio orbatus, Alexij filij cura XXX mille marcarum auri mercede promissa, Venetorum & Francorum armis restitutus est, Constantinopolis capta. Fratricida Alexius nocte cõcubia, apud Irenam filiam uirginem monialem ingentem defossum relinquens thesaurum, aufugit. Isaacius carcere liberatur. Alexius puer maximo populi fauore Cæsar acclamatur: ac post subitam patris mortem (qui ex insolentia aëris è carcere egressus obierat) Imperator est dictus. Cuspinianus.

CHILDERICVS rex Francorum an. 461. propter intoleranda tributa, & nefarias libidines populis suis inuisus, ab eis regno depellitur. Auxilij inops in Thuringiam ueterem patriam se recepit, ac Vindomalum (Aemilius Vindomarũ habet) fidum amicum, qui seuientes erga se Francorũ animos mitigaret, ac sibi reditum in tempore compararet, reliquit, signo dato, quo se moneri uolebat, quãdo tutò domum repetere posset. is fuit aureus nũmus in duas partes dissectus, quarum unam ipse secum detulit, alteram, qua moneri uolebat, apud amicum reliquit. Eo profecto, Franci regio imperio assueti Egidium magistrum militum, qui pro Romanis Suessione sedebat, magno animorum consensu sibi regem depoposcerunt, atq; ultrò se illius arbitrio subiecerũt. Octauo pòst anno demum Vindomalus nuncios ad Childericũ cum nummi parte misit, atq;, ut bono animo regnum repeteret, signo inter se cõposito docuit. Quo accepto, ille gaudio gestiens in Galliam se recepit, ac benignè à Francis, Egidium iam perosis, acceptus, regno illum eorũ usus auxilio deturbauit, atque inde prosperè multos annos illud obtinuit. Sigonius lib. 14. Imp. occid. & Aemilius.

REVTHER Scotorum rex, ciuili bello attritis penitus Scotorum uiribus, in Hiberniam fugere à Britannis coactus, non multò pòst recollectis copiis regnum recuperauit. H. Boethius libro secundo.

Sueno Danorũ Noruegiorumq; rex, classe in Angliã cũ transmisisset, Edelfredum Anglorum regem prælio uictum, tota ex insula exegit. Profugus, in Normanniam cum duobus filiis EDVARDO Alfredoq;, ac Anna uxore, eadem Ricardi tertij ducis sorore, sese recepit. Mortuo Suenone, Anglus depositis apud auunculum adolescentulis, paruis copiis subnixus ad repetendum regnum cũ uxore reuersus, ab Hunnuto Dani filio signis collatis uictus, Lõdiniq; obsessus, decessit. Victor ut Normannos ex hostibus amicos affinesq; sibi efficeret, celebs Annam uiduã in matrimonium duxit, magnoq; in honore ac gratia habuit. Eduardus cum maiorib. copiis transmisit, castraq; iuxta hostem collocauit. Re infecta reuertit. Ferunt, cùm ei sui certam uictoriam spondẽrẽt, hostesq; ad internecionem deletum iri, illum dixisse, Absit ut meum unius regnum tot millium hominũ morte ad me redeat. Præstat priuatã & incruentã agere uitã, quàm per tãtam carnificinã dominari. Interea mortuo Hunnuto, filius ex priore uxore Heroldus successit: Aluredumq; auxilio Roberti Normannorũ ducis transgressum dolo sustulit, subornatis ueteribus Anglorũ proceribus, quorũ longè princeps Godouinus erat, qui dicerent, fessos se auaro impotentique Danorũ imperio, Edelfredi iusti legitimiq; ac optimi regis sobolem spectare. Ergo cum mille omnino expeditis profectus, insidiis exceptus necatur. Hunnuto successit Ardchunutus, ipsius ex patre frater: qui cùm Eduardum sanctum uirum è Normannia uocatum in societatem regni adsciuisset, obiit. Eduardus à diuturno exilio ad regnum profectus, trãquillam etiam reliquam uitam transegit: & quòd apud Normannos duces educatus cultusque fuisset, nec liberos sustulisset, beneficiorum cognitionisque ac consuetudinis memor, Gulielmum nothum regem heredemque nuncupauit, in eiusque uerba proceres gentis iureiurando adegit. Aemilius libro tertio.

Imperauit Mediolani MATTHÆVS Magnus ab Othonis Vicecomitis patrui morte septem annos, nouem in exilio tolerauit: quum malignitate propinquorum & subita nobilitatis conspiratione, atque Alberti Scoti perfidia circumuentus, ut inuidiæ cederet, Mediolano excessisset. Sed cum, post patriam frustra armis sæpe repetitam, deformis exilij incommoda constantissimè tolerantem, nec unquã desponden tem animum, Henricus VII. Imper. qui anno 1308. Italiam petebat, restituit, Guidone Turriano deiecto. Iouius in eius uita.

PHILIPPVS, Galeacij Vicecomitis filius, admodum puer, cum Ioanne Maria fratre maiore natu relictus, maximam principatus partẽ amisit. Galeacio namque defuncto, multi hinc inde tyranni coorti, singuli singulas pluresue urbes inuaserunt. Sed ille pòst, Francisci Carmaniolæ ductu, non solùm paterni principatus partem maximam recuperauit: sed nonnullas etiam urbes, miro felicitatis cursu, suis opibus adiecit. Sabel. lib. 9. Dec. 2.

PETRVS Moldauiæ, quæ Valachiæ pars est, princeps, Draculæ pronepos, ob latrocinia à Solymanno Turcorum Imper. pulsus, Ioanni Transyluaniæ regi se dedidit. Stephanus eius frater in regnum restitutus, Solymanno auctor fuit Petri à Ioanne deposcendi, quòd eo uiuo Moldauia nunquam quietura foret. Ioannes negat se miseri sponteque dediti salutem proditurum: tamen quò omnis amittendi regni metus Stephano demeretur, tamdiu, quàm Solymannus uellet, in eadem custodia retenturum. Postremò, quũ seuerioribus literis repeteretur, Petrum non captiui modo, sed legati nomine Byzantium cum insigni comitatu transmisit, ut coràm obiecta crimina dilueret, & si fas esset, ueniam quoque impetraret. Petrus ergo ita causam suam egit, ut Peram relegaretur, purpuratis omnibus conciliatis. Nec multo pòst Stephanus ob tyrannidem trucidatus, & Alexes quidam à Moldauis princeps creatus. Id indignè ferens Solymannus, Petrum ab exilio reuocatum in Moldauiam reduci curauit. Moldaui cùm frustrà Ferdinandi auxilium implorassent, ut noua perfidia ueterem eluerent, & Petrum placarẽt, Alexem trucidarunt, & caput eius muneris loco Petro transmiserunt. Receptus ille, uiginti ex Moldauis securi percussit. Sabellici supplem. libro uigesimoquarto, ex Iouio.

Anno Sal. 1519. VLRICVS princeps Vuirtembergicus ditione sua pulsus fuit, & eiectus à Sueuici fœderis sociis, cùm Rutelingam, oppidum Imperij, confœderatum ipsis, nuper cepisset. Eam deinde prouinciam Cæsar ab illis, pòst Ferdinandus frater à Cæsare, cùm hæreditas diuideretur, est consecutus. In Augustæ comitiis anno 1530. principes quidam intercedebant, ut Vlricus, qui iam in undecimum annum exulabat, restitueretur: sed Cæsar ornamenta solennia principatus fratri suo tũ publicè cõtulit. Lantgrauius ergo, qui magna necessitudine & propinquitate coniunctùs erat Vlrico,

quadriēnio pòst, per absentiam Cæsaris, cùm etiam eo ipso tempore Sueuicū fœdus, in annos undecim antea factū dissolueretur, Galliā petens, agrum Mombelgardum, regi, pro certa pecuniæ summa, nomine Vlrici principis oppignorauit, ea lege, nisi intra tertiū annū ille luat, ut tum esset regni Galliæ hæreditarius. Præter eam pecuniā rex quoq; mutuò se daturū promisit alteram summā, facta spe, non repetitum iri. Lantgrauij igitur opera uictus Ferdinandus, qui ad iuris legumq; disceptationem frustrà hanc controuersiam reuocabat, & Vlricus restitutus. Tandē bello Germanico sic inter eos conuenit. Vlricus princeps & ipsius hæredes masculi, sint Ferdinandi regis, tanquā Austriç principis, beneficiarij, & agri Vuirtembergici possessionem ei ferant acceptam: extincta fortè familia Vuirtembergica, nec extantibus masculis, Austriaci principes eam regionem obtineant, Imperij beneficio & auctoritate, cui & hoc nomine teneantur: Vlricus Ferdinandum agnoscat pro Romanorum rege, neque fœdus ullum aduersus eum faciat. Sleidanus lib. 9.

Præturæ.

C. IVLIVS Cæsar Cæcilio Trib. pleb. turbulentissimas leges aduersus collegarum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremq; se pertinacissimè præstitit: donec ambo administratione Reip. decreto patrum summouerentur. At nihilominus permanere in magistratu, & ius dicere ausus, ut comperit paratos, qui ui ac per arma prohiberent, dimissis lictoribus, abiectaq; prætexta, domum clam refugit, pro cōditione temporum quieturus. Multitudinem quoq; biduo pòst sponte & ultrò confluentem, operamq; sibi in asserenda dignitate tumultuosiùs pollicentem, compescuit. Quod cùm præter opinionem euenisset, Senatus ob eundem cœtū festinatò coactus, gratias ei per primores uiros egit: accitumq; in curiam, & amplissimis uerbis collaudatum, in integrum restituit, inducto priore decreto. Suetonius.

Præfecturæ cuiusuis.

Thebanis in Peloponnesum irrūpere conantibus, cùm Spartani à Cēchræis ad Lechæū usq; fossam & propugnacula extruxissent, EPAMINVNDAS tamen ui perrupit præsidia, & cùm magnam cladem hostib. inferre posset, cōtētus priore successu, pugnā ulteriùs facere destitit. Cùm autē magna de ipso exoriretur apud omniū animos suspicio, quasi Lacedæmoniis ex priuata gratia pepercisset: hi, quorum oculos splendor eius gloriæ perstringebat, oportunum calumniandi tempus arripuerunt: cumq; proditionis reum agerent, multitudo exasperata, abdicauit eum magistratu Bœotarchiæ, & in priuatorum numerum reijciens, cū aliis misit ad bellum Thessalicū. In quo cùm Bœotarchærum imperitia in maximas difficultates redactus esset exercitus, Alexandro Pherçorū tyranno grauiter instante, desperatis iam ferè & perditis, Epaminundas dux à militibus constituitur. Qui cōfestim delectis assumtisq; leuis armaturæ militibus & equitibus in postremis ordinibus exercitus, insequentiū aduersariorum impetum repulit, & rem tutissimā præcedentibus armatis præstitit. Quo facto cùm abstersisset iniectā sibi notam ignominiæ, restituit etiā eum populus in pristinam dignitatem. Diodorus lib. 15.

ANTONIVS Grimanus classis Venetorum contra Baiazetē dux, ob malè gestū imperiū in exilium actus, at liberorū intercessione restitutus, Nicolao Triuisano tēpli Marci procuratore mortuo, magno omniū fauore in eius locum suffectus est. Atq; illa quidē in procuratiōe eo erat tēpore Antonius, cùm est exul factus: itaq; bis eam dignitatem est adeptus, quod nemini antea cōtigerat. Bembus lib. 11. Hist. Ven.

VLRICVS Ciliæ comes, auūculus & rector Ladislai Boëmię & Vngariæ regis, repentè de statu suo deiectus est artibus Vlrici Eyncigeri, ita ut ei aula omnibusq; aulicis honoribus & ipsa Vienna urbe interdiceretur: & nisi ab Alberto Marchione Brandeburgēsi ad portā usq; urbis deductus fuisset, lapidib. obrutus fuisset. In exiliū ad paternū solū proficiscētē, quatuor tātùm equites comitati sunt, cùm aliàs frequētiore satellitio quàm ipse rex cingeretur. Cæterùm non multo pòst in gratiam denuo receptus est. Quatuor clientuli eiectum comitabantur: reducē mille equites, phaleris, armis, auro, argento conspicui deducebant. Ipse Rex cum proceribus uenienti obuiam extra urbem Vratislauiam factus, honorem ut auunculo habuit, restitutumq; in pristinum dignitatis gradum, gubernatorē Austriæ constituit. Dubrau. l. 29.

MAGISTRATVS, IMPERII, NVLLA ACQVISITIO. NEMPE VEL

OBLATI REPVDIATIO.

Captis Hierosolymis, Latini duces regem Hierosolymorū elegere ROBERTVM Normannorum ducem. Natus erat inuictissimo sapientissimoq; rege Anglorum Gulielmo. Comitatū addixerat, ducatumq; opulentissimū nobilissimūq; oppignorarat, ut Christo militaret. Si domū redeat, non uidebatur aliquid sui liberū solutumq; habiturus ubi consistat. Spes magna oblata rem illi abstulit. Accidit fama, Gulielmum Anglorū regem eius fratrē sine liberis decessisse. Domū spectare cœpit perfecto sacro bello, cùm iam & cæteri de recessu cogitarēt. Gratias procerib. egit, de tanto de se iudicio: esse alios tantæ maiestati ferendæ. Henricus eius frater minor rumorem domi emiserat, captis Hierosolymis Robertum regem creatum, sacram terram patriæ prætulisse: atq; ita rex Anglorum ab suis salutatus, solium inuasit. Vtroq; igitur regno Robertus caruit. Aemilius lib. 4.

HENRICVS Cāpaniæ comes, Isabella regina Hierosolymorum, Conradi Montisferrati marchionis uidua, in uxorē ducta, Tyri dominium accepit, sed regni titulos recusauit, quia regē Franciæ Philippū domum redeūtem sequi festinabat. Ricardus Anglorum rex Guidonē Lusignanū (qui Isabellæ sororē Sibyllam, Balduini V. regis pueri matrem in uxorem habuerat) blandè appellatū in eam sententiā duxit, ut pecunia non grandi relicto regno Hierosolymitano, ac Tyri & Ptolemaidæ dominio, ad quæ aspirabat, regnum Cypri ab Anglis occupatū perpetuò possidendum acciperet. Sępe rogatus Hēricus ut Hierosolymæ regni titulos acciperet, prorsus renuit, deliciis potiùs quàm bello natus, cupiens domū reuerti. Sed dum aulam suam Ptolemaide incautus circuit, præcipitio periit. Blondus lib. 7. Dec. 2.

AMBITI REPVLSA.

Ex Tit. Aemuli dignitatis & imperij, non pauca huc referri possunt, respectu eius, qui uoto suo frustratur.

C. Iul. Cæsar à Marij partibus stans, ad petitionem sacerdotij penè impubes uenit in campum. Cæterùm huius repulsam, aduersante clàm ei L. Sylla, tulit: qui cùm de necādo eo deliberaret, & ostenderent nonnulli, nihil esse causæ, cur tantulum puerum trucidaret: Nihil mentis dixit eos habere, si non ei puero multos uiderent Marios inesse. Hac uoce ad Cæsarem perlata, lōgo tempore palans in Sabinis abdidit se. Plut. in Cæsare, & Suetonius.

Circa annum Christi 1285. Iuuauienses sacerdotes STEPHANVM, Henrici Boij ducis F. pontificem legerant. Mittuntur Romam legati, ut pontifex auctor fiat. Verùm cùm legati, quos exploratū uitam ac mores Stephani in Boiariam proficisci iusserat, eundē paludamento militari amictū, sagittariorū spectaculo præsidentem se offendisse referrent, illum abdicauit. Stephanus postea uxore ducta liberos procreauit. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.

Cùm cœnobiū quoddā uacaret in Anglia sub Gulielmo Rufo rege, duo MONACHI inter se pactionē fecerūt, ut se ita inuicē adiuuarent, quo alter cœnobio præficiatur. Hoc accepto consilio, certatim pro præfectura adipiscenda pecuniā regi offerūt. Interea rex cōspicatus coràm aliū monachum, hominē bonæ frugis, qui comes illis duob. cōpetitorib. fortè uenerat, ad se uocat, quæritq; ab eo, Ecquid dare uelit, si abbas fiat. Is respōdet, se nihil prorsus daturū, cū eo animo sese isti uitæ principiò dedisset, ut spretis faciliùs diuitiis atque honorib. in sanctitate uitæ acquiescēs castiùs Deū coleret. Ad hęc rex inquit: Tu ergo dignus es, qui cœnobio tuo præsis. Id quod fieri statim iussit, illis duob. competitoribus non sine ignominia ab se repulsis. Polyd. lib. 10.

GELANOR Sthenelæ F. & Danaus regnū Argiuorū ambiebant. Cùm eorū uterq; ad populū multa & ea maximè probabilia & iuri cōsentanea dixisset, neq; omnino quæ Gelanor afferebat, minus æqua uiderētur, causa ampliata est in crastinū. Postera die prima luce, in boū gregē in pomœrio pascentē lupus impetū fecit, atq; is taurū ipsum gregis ducem adortus est. Visum est Argiuis, Gelanori cum tauro, cū lupo esse Danao aptissimam conuenientiæ rationē: quòd sicuti lupus animal est homini minimè familiare, sic propemodū ad id tēporis nulla fuisset Danaus Argiuorū usus consuetudine. Quare cùm taurum lupus confecisset, è re nata Argiui Danao imperium adiudicarunt. Pausanias in Corinthiacis.

C. MARTIVS Coriolanus, in urbe Roma nobilitate insignis, rerū, quas gesserat, magnitudine fretus, cùm cōsulatum peteret, satis fauentem populum Rom. habuit. Sed cùm codē die peragi, quæ ad comitij atq; suffragiorum rationem pertinebant, non possent, postridie mane in forum, magno patriciorum numero prosequente, descendit. Itaq; mutata populi uoluntate, qui maiorem odij sui in patricios, quàm Coriolani uirtutis rationem habuit, repulsam ab uniuerso populo tulit. Adētus est igitur ei cōsulatus, quē Volsci populi Rom. hostes, ut exercitui suo præficerent, ob uirtutem dignum duxerunt. Vnde haud multo pòst, in ingentem calamitatē coniectus populus Rom. ei coactus est supplicare, cuius

cuius antea preces audire noluerat. Fulgos. lib. 7. cap. 5.

SCIPIO Nasica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui consul Iugurthæ bellum indixit, qui matrē Idæā è Phrygiis sedibus ad Rom. aras focosq; migrantē, sanctissimis manib. excepit, qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit, quo principe Senatus per aliquot annos gloriatus est: cùm ædilitatē curulē adolescens peteret, manūq; cuiusdā rustico opere duratā, more candidatorū, tenaciùs apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum, Num manib. solitus esset ambulare? Quod dictum à circumstantibus exceptum, ad populum manauit, causamq; repulsæ Scipioni attulit. Omnes namq; rusticæ trib. paupertatē sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suam aduersus cōtumeliosam eius urbanitatem distrinxerunt. Valerius lib. 7. cap. 5. P. Scipio Nasica in toga candida bis repulsa notatus à populo. Plinius libro 7. capite 34.

L. PAVLVS Aemilius, primo consulatu Ligures subegit, pòst, cùm sæpius declarasset, se secundum consulatum cupere, & uerò aliquando fuisset etiam candidatum se professus: ubi tulit repulsam, & præteritus est, quieuit deinceps, & sacris curā intendit: ita ut uix urgente populo consul denuo creari, & iam sexagenarius bellum Macedonicum suscipere uoluerit. Plutarchus in Aemilio.

Q. AELIVS Tubero à Q. Fabio Maximo, epulū populo Rom. nomine P. Africani patrui sui dāte, rogatus, ut tricliniū sterneret: lectulos Punicanos pellibus hœdinis strauit, & pro argenteis uasis Samia exposuit. Cuius rei deformitas sic omnes offendit, ut cùm alioqui uir egregius haberetur, comitiisq; prætoriis candidatus in campum, L. Paulo auo & P. Africano auunculo nixus descendisset, repulsa inde abiret notatus. Nam ut priuatim semper continentiam probabāt, ita publicè maxima cura splendoris habita est. Val. lib. 7. c. 5.

Q. Cæcilium METELLVM pauci & mœsti amici consulatus duplici repulsa afflictum (propter seueritatem nimiam) tristitia ac rubore plenum, domum reduxerunt. Eundem de Pseudophilippo triumphātem, uniuersus Senatus lætum & alacrem in Capitolium prosecutus est. Achaici etiam belli, cui summam manum L. Mūmius adiecit, maxima pars ab hoc uiro profligata est. Eine uerò populus consulatum negāre potuit, cui mox duas clarissimas prouincias aut daturus erat, aut debiturus, Achaiam & Macedoniam? Valerius libro septimo, capite quinto.

M. PORTIVS Cato plus moribus suis præturæ decoris adiecturus, quàm prætexta eius splendoris ipse laturus, consequi illam à populo aliquando non potuit: prælato Vatinio homine ignauis. Ergo si uerè æstimare uolumus, nō Catoni tunc pretura, sed præturæ Cato negatus est. Val. lib. 7. c. 5.

CATO Vticensis petiit trib. pleb. & adeptus est, petiit pręturā, factus est prætor, sed passus priùs repulsam: petiit consulatum, tulit repulsam. Homo, ut Plutarchus inquit, qui precio comparandus erat ad gerendos magistratus: dignior qui cogeretur accipere honores, quàm qui peteret.

P. Rutilium FRATRIS repulsam consulatus tam ægrè tulisse, refert Cicero lib. de Oratore, apud Fannium fuisse scriptum, ut eam ob causam è uita decesserit.

Duo ordines sunt ædilitatis. Altera à sellis curulibus, quæ in curulis erant pedibus, ex quibus munia magistratus explicabant, nomen traxit. Altera inferior plebis dicitur. Vbi ædiles curules creauerunt, mox de ædilibus plebis ineūt suffragia. Vt C. MARIVS in superiori se uidit præteriri, cōfestim transiit ad petendam ædilitatē plebis. Verùm quia nimium eum iudicauerunt audacem & præfractum, repulsam tulit: qui quamuis bis eodem die deiectus honore fuit (quod præter eum accidit nemini) nihil dimisit tamen animos: sed haud multo pòst præturæ candidatus penè repulsam est passus, ac licet nouissimus omnium renunciatus fuit, ambitus est postulatus. Plutarchus in Mario.

Q. SERTORIVS in Tribunatu repulsam tulit per factionem Syllanam. Hinc Syllæ uidetur infensus fuisse. Plutarchus in Sertorio.

GVIDO, dux Spoletanus, mortuo Carolo Crasso, regnū Franciæ affectans, ad Metim diuertit, sperans ex composito conuenturos socios, qui arma & suppetias subministrarent. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer eius illuc præmissus ad alimēta regio more præparanda, ab episcopo Metensi uideret, iuxta Francorum cōsuetudinem, multa admodū cibaria parata, petiisse ab Episcopo, ut sibi equum donaret, sese curaturū, ut rex tertia huius obsonij parte esset contentus. Cui episcopus: Non ferent Franci regnare regē, qui X drachmis prādeat, abeat retrò unde uenit, nemo hunc regē amplectetur, nemo amabit. Francorū igitur rebellione Guido, electo Odone Andegauēse rege, deturbatus fuit. Cusp.

FRANCISCVS I. Galliarū rex, imperij Germanici repulsam passus est, Carolo Austriaco prælato. Sleidanus lib. 1.

NON AMBITI PRAETERITIO.

Inter ea, quæ de Marco Furio CAMILLO referūtur multa & eximia, singulare imprimis uidetur ac mirandū, quòd qui uictorias, Imperator plurimas & præclarissimas retulit, Dictator quintùm fuit dictus, quater triūphauit, alter etiā Romæ appellatus conditor, ne semel quidem consul fuerit. In causa fuit reipublicæ status, quo populus à patribus dissidens, ne cōsules crearētur, obstitit: sed tribunos rebus præfecit, quorū propter numerū, tametsi cōsulari essent & auctoritate & potestate, minus in plebis oculos incurrebat imperium. Quippe quos paucorū offendebat potentia, his minùs molestū erat, sex uiros quàm duos rempublicā tenere. Per id tēpus cùm potissimùm Camillus gloria & rebus gestis floreret, quāuis ciuitas medio tempore comitia consularia habuerit subinde, non sustinuit tamen consul inuito fieri populo. In cęteris magistratibus, quos multos cepit & uarios, ita se gessit, ut potestatē suā, cùm uel solus obtineret, supremā in mediū cōferret: gloria uerò ad eum redundaret unū, ubi etiam collegas habebat. Huius causa fuit eius prudentia, qua superabat citra controuersiam omnes: illius modestia, sine inuidia imperantis. Plutarchus in Camillo.

CHRISTOPHORVS Maurus Venetus ædes suas in cœnobium diui Frācisci cōuerterat. Ei iam diui Marci procuratori constituto Bernardinus Senensis principatū prędixit. Cæterùm abrogato principatu Foscaro ipsi, quū summa principis dignitas, repulso Mauro, Paschali Maripetro demandata esset: admirabundus ipse tacitus secū Bernardini uaticinium irridere, quod tamen ueritatis plenum fuit. Siquidem Maripetro successor est datus. Egnat. lib. 7. cap. 5.

BERNARDVS Iustinianus, Leonardi F. literis Græcis atq; Latinis pro illius seculi cōditione ornatissimus, omnib. honoribus functus, & nullam unquam repulsam passus, procurator D. Marci, in locum Petri Mocenici creatus fuit. Marco Barbadico principe Venetorū uita functo, quum haud dubiè omnis ciuitas Bernardum ipsum creādum acclamaret, tulit tamē repulsam, Augustino ipsi fratri suffecto: uel quòd breuissimus fuit ipsius Marci principatus (quod præter omnium spem euenit) uel quòd & ipse frater multis honorib. functus, & procurator etiam dictus, non indignus hoc tanto fastigio creditus est. Egnatius lib. 7. cap. 5.

Mortuo Pio II. Alfonsus Borgia Catalanus DOMINICO Capranicæ cardinali prælatus fuit, & Callistus III. dictus. Dominicus domum reuertens è conclaui, obuium habuit in ponte S. Angeli pauperem eleemosynam petētem, quòd Catalanorum manus euasisset. Ad eum conuersus, Tu mihi potiùs largire, qui in Catalani manus præter expectationem & meritum inciderim. Hieron. Garimbertus lib. 3. de Vitis pontificum.

Nicolao V. mortuo Cardinales BESSARIONEM Nicenum pontificem designarant, & ad cubiculum illius bis accedentes, pontificem salutaturi erant. Nicolaus Perottus eius famulus molestè ferens nunc somnum, nunc studia patroni interrumpi, Non esse, cur cardinalem inquietent, acerbè respōdit. Ergo bis reiecti, simul etiam à cardinale Auenionensi persuasi, qui indignum facinus esse dictabat, Latinos Grçco, orthodoxos hæretico conuerso Rempublicam Christianam committere, Calistum III. creauere. Ita Bessario, qui per noctem integram, omnium opinione, pontifex fuerat, mane facto præter meritum successorem habuit. Garimbertus de uitis Pontificum, & Iouius in Elogiis.

CESSANTIS NVLLA SVBSTITVTIO.

Apud ROM. licet ex duobus consulibus, altero defuncto, collegæ subrogando haberentur comitia, alterq; consul in defuncti locum cooptaretur: tamen ex duobus censoribus altero desito, alium subrogari non licebat. Quòd C. Iulio censore mortuo, L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegā sibi subrogarat, religio inuasit, & piaculare fuit, quia eo lustro à Gallis urbs capta est, ne in demortui locū censor subrogaretur. Itaq; censore uita functo, collegā magistratu abire oportebat. Quamuis Appius Claudius Cæcus, contra mores institutaq; maiorū, collega se magistratu abdicante, solus cēsuram gerere non dubitauit. Alexan. lib. 3. cap. 13.

Nero Cæsar defuncto circa Kal. Ianuarias altero è COS. neminem substituit: improbans exemplum uetus Caninij Rebuli, uno die Consulis. Suetonius.

DIGNITATIS, MAGISTRATVS, IMPERII CONSERVATIO. ET VEL

NON INTERPOLATA. VEL TEMPORE CERTO

Definita. Non deiecti à dignitate ante tempus.

M. Antoninus Pius Imp. successorē uiuēti bono IVDICI nulli dedit, nisi Orphito pfecto urbi, sed petenti. Capitolinus.

Anno Christi 1078. in Londinensi concilio VVLSTANVS Vigorniensis episcopus, uir etsi literarum nesciens, sanctitate tamen uitę multo clarissimus (non tam, quòd rudis ingenij esset, sed ut potiùs in locum eius, uoluntate Gulielmi Conquæstoris regis, homo Normannus surrogaretur) coactus à Lanfranco Cantuariense episcopo indumenta pontificalia deponere, diuino animi ardore repentè inflāmatus, regi inquit: Melior te, his me ornauit, cui & reddam. atq; deinde ad sepulcrum Edouardi III. cuius beneficio episcopus factus fuerat, profectus, & uestitu insigni se exuens, baculum ita altè in lapide monimenti infixit, uti nulla ui extrahi posset. Quo miraculo rex & Lanfrancus territi, magnopere uirum sanctum orarūt, ut sumtis indumentis insignibus, suo potiretur honore.

Indefinita, Perpetua, Dignitas prorogata ultra tempus.

CÆSAR Dictator consulatum gessit continuum: siue, ut Appianus in secundo scribit, consul per decennium cōtinuum designatus fuit, calcatis legibus: cū magistratus is annuus esset, nec, nisi decem anni interfuissent, quispiam poterat capere, ut Cicero tertio de Legib. scribit. Licet tertiū & quartum consulatum titulotenus gesserit, consul simul & dictator existens. Insuper dictaturam, quæ semestris dignitas erat, perpetuam in se recepit: quia dictator in omnem uitam electus est. Cuspinianus.

AVGVSTVS primus titulum Imperatoris perpetuum sumsit. Recepit & morū legumq; regimē æquè perpetuū: quo iure, quanquā sine censuræ honore, censum tamen populi tergit: primum ac tertium cum collega, medium solus. Suet.

INTERPOLATA. DIGNITAS conseruata per uicarium, substitutum.

MATHIÆ, Theophili F. pontifici Iudeorū, Herodes rex propter seditionē excitatā causa aquilæ aureæ sacerdotiū ademit. Eiusdem pōtificatu accidit etiam alium pontificem ad unam diem substitui, qua Iudæi populariter ieiunium celebrant. Nam Mathias ea nocte, quæ præcedebat diem ieiunij, uisus est sibi per somnum cum uxore congredi: & cùm ob hoc ad rem diuinam faciendam non esset idoneus, Iosephus Ellemi filius adiutor uicarius propter cognationem ei datus est. Iosephus lib. 17. cap. 8. Antiq.

DIGNITAS, MAGISTRATVS, IMPERIVM NON CONSERVATVM.

REGNA, IMPERIA EVERSA.

Ex Tit. Regna occupata, exempla quædam petenda. Illic Acquisitio, Opulenta, hic Amissio Imperii, respectu diuersarum personarum, consideratur.

ASSYRIORVM imperium in Sardanapalo defecit, ab Arbace Medo in Medicum & Babyloniū sub diuisum. Cuius quidem Eusebius MCC & XL annos numerat. Diodorus Siculus MCCC & LX. Ex Ctesiæ supputatione, quo plurimum utitur in reb. Asiæ narrandis Iustinus, ex hoc numero sexaginta adimit: nec de numero regū constat. Diodorus XXX reges fuisse Assyriorum scribit. Eusebius sex & triginta. Velleius Paterculus tres & triginta à Nino ad Sardanapalū, ita ut semper successor regni fuerit demortui filius. Viues in 4. de Ciu. Dei, cap. 6.

PERSARVM regnum, quod in Cyro cepit, Babylonij & Medici regnorum accessione facta, Alexander Magnus Macedo euertit, cùm CCXX & amplius annos durasset. Alexandro æt. anno XXXIII mortuo, cùm XII. imperasset, uelut confracta arca nummis referta, & pecuniis resiliētibus, ad prædam iacentis imperij GRÆCANICI undiq; à purpuratis accursum est, rapuitq; quisq; quantum potuit. Itaq; Leosthenes palantem & in semetipsam incurrentē potentiam Macedonum imitari Cyclopem dixit, qui eruto lumine manus quoquouersum porrigeret, ad nihil certi tendentes. Vel potiùs ut emortua corpora, ubi euolauit anima, non ultrà cōsistunt uel cohærent, uerùm contabescunt, dissoluuntur à se inuicem, euanescuntque & exolescunt: ita amisso Alexandro potentia illa palpitabat moribunda, uibrabat, & æstuabat, Perdiccis, Meleagris, Cassandris, Ptolemæis, Seleucis, & Antigonis, sicut spiritibus calentibus adhuc pulsibusque micantibus, & huc illuc iactatis: denique marcescens & contabescens intra se, scatuit tanquam uermibus ignauis regibus ducibusq; torpidis. Plut. orat. 2. de Alexandri fort.

Vt Occidentale Imperium ROMANVM Honorio regnante domesticis seditionum motibus, & externis armorum incursibus, tutoribus & ducibus regiis in excidium reipub. conspirantibus, & barbaris acriore, quàm antè, impetu irrumpentibus, est tentatum: sic Valentiniano III. & Placidia matre rerum potiētibus, quorum in altero ætas & praua educatio, in altera sexus & nimia in re administrāda remissio improbata est, eisdem turbantibus ac sæuientibus barbaris, magis magisq; cōcussum est. Sigon. l. 12. Imp. occ. Valentinianū porrò Imperatores illi per tempora excepe-runt, quibus dominantib. fœda ac miserabilis ipsa demum occidentalis Imperij labes est subsequuta. Hi sunt enim, qui ipsas prorsus Occidentis prouincias amiserunt: hi sunt, qui Romam iterum atque iterum à barbaris captam atque incensam uiderunt: hi, qui Italię dominatione exuti, nomē gloriamque Romanam funditùs euerterunt: hi deniq;, qui clarissimum Imperij Romani lumen, atque inueteratam populis nobilissimę gentis auctoritatem penitus extinxerunt. Nam, barbaris iam latè omnia ditione libidineq; tenentib. nō solùm antiqua Imperij maiestas, sed uetus etiam literarum atq; ingenij dignitas omnino euanuit. Neq; enim in tāto bellorum ardore, ac quotidiana seruitutis necessitate formidine, pristinis doctrinæ atq; eloquentiæ studiis uacare hominibus licuit. Itaq; fœcūda illa eruditorum disertorumq; uirorum propago, quæ usq; ad primam Gothorum in Italiam impressionem cum maxima omnium admiratione floruerat, retro ipso Barbariæ transitu, tanquam infesto rapidi cuiusdam aquilonis impetu, prorsus exaruit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

ROMANVM imperium anno sal. 476. à primo ortu sub Iulio Cæsare 522. in Augusto defecit. Odoacer Herulorum rex, olim Orestis armiger, Orestem ipsum (qui Iulium Nepotē imperio spoliarat, & Augustulum F. Imp. fecerat) cum Turcilingis, Scythis ac Herulis Italiam occupans, Roma iam quartùm capta, superauit: ac Placentiam, ut illic interficeretur, misit. Augustulū eius filium (Momyllū aliàs dictū) cùm uix undecim mensibus Rempub. tenuisset, exilio damnauit, in Lucullano oppido Campanię, abiecta imperiali maiestate. Cuspinianus. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Aistulfus Longobardorum rex an. 752. Rauēna in potestatem adducta, nullo inde negotio cætera Exarchatus, Pentapolisque oppida recepit in ditionem. Atque hic quidem finis EXARCHATVS, Græcorum Impp. præfecturæ fuit, quæ superbè atq; impotenter per ducentos fermè annos Italiæ imperarat: finis etiā Imperij, cuius Rauenna post Honorii Augustum, qui Romam cum hac permutauit, perpetua sedes ac domicilium extitit. Sigonius lib. 3. regni Italici.

A Carolo Magno Francorū rege captus Papię Desiderius Longobardorum rex, & in Franciam abductus est. Hic finis regni LONGOBARDORVM in Italia fuit, anno postquam Italiam occupauerant ducentesimo sexto: Christi uerò septingentesimo septuagesimo quarto. Cæterùm Longobardorum imperium sæuum ab initio atq; impotēs, post Christianā religionē, catholicamq; fidem ascitam, mitius ac benignius erat effectum. Testes sunt rectæ leges eorū, quibus furta, latrocinia, rapinæ, cædes, adulteria seuerissimè uindicātur, ac libertas & fortunæ priuatorū summo studio cōseruantur. Docent tēpla magnifica, & monasteria amplissima, quib. pietatis ergò ipsi potissimùm citeriorē Italiā exornarunt: basilicę episcoporum, quas amplissimis præmiis honestarunt: inclyta oppida, quæ aut noua condiderunt, aut diruta instaurarunt: homines sanctitate cōspicui, quib. honores eximios habuerunt: demùm pontifex ipse, quem cū ditione opibusq; auxerunt, tum tanto cultu ac reuerētia prosecuti sunt, ut monēte eo, regnū ipsum dimiserint, monachūq; induerint. Hæc aūt omnia decora nimia una dominandi ac dilatādi regni libido corrupit ita, ut etiā fastigio regio & inueterata iam Italiæ dominatiōe exuerit. Sigon. lib. 3. regni Ital.

Achaius Scotorum rex Fergusianam Hungi Pictorum regis sororem in uxorem duxit. Hungus moriens Dorstorlorgum F. successorē fecit. Eum Egenus frater sustulit. Egenū Brenna uxor, Merchiorum regis filia, Dorstorlorgi regis marita, cædem ultura strangulauit. Regnum hæreditario iure Alpino, Achaij regis ex Fergusiana filio, rex Scotorū Dongallus petebat. PICTI peregrinum regem auersati, Feredetho uiro nobiliss. regnum deserūt. Dongallus in belli apparatu perit. succedit ei Alpinus. Is Feredethū acie uicit. Mox à Brudo (qui Brudo primū, deinde etiā Kēnetho, ignauiss. Feredethi filiis populari tumultu interfectis successerat) interfectus est, & abscissa ceruice ludibrio habitus, anno sal. 824. Ea uictoria Picti elati, Cameloduni, q̄ illorū regia fuit, post sacra patrio more cōmuni omniū gaudio peracta, cōtactis Christi euangeliis simul atq; diuorū statuis, iurarunt se nunquā bello quieturos, donec impia Scotorū gens, cui numen certo sciret infensum, ad exitium fuisset perducta: sanciuerūtq; si quis de pace aut fœdere cum inhumana gente ineunda deinceps faceret mētionē, capite plecteretur. Senes aliquot contrarium suadentes fœdè pulsati, tēplo sunt eiecti. Intereā cum [redacted] seditionibus intestinis laborarent, Brudus [redacted] mœrore obiit. Succe[redacted] frater à Kennetho Scotorum rege maxima clade affectus. Pacem inde petens, cùm nulla, nisi regni possessione cederet, daretur, extremo prælio cæsus cum exercitu propè ad internecionem. Sæuitum extemplo in omnem Pictorum regionem tanta feritate, ut præter duo propè hominum ad Anglos confugientium millia, quicunque Pictici nominis extra Camelodunum pauculasque munitiones fuerant inuenti, occidione interierint: nulli religionis, sexus aut ætatis, ad tantæ cladis sæuitiam deuitandam, profuit reuerentia. Occupatas per hæc Pictorum regiones, Kennethus Scotorum nobilibus, pro meritis uniuscuiusque est partitus: nouis illis nominibus aut à ducibus, aut à promontorio fluuióue aliquo insigni (ut uetus erat genti mos) adhibitis: ut simul cum Pictis eorum memoria interiret. Camelodunum inde arcta cinctum obsidione. Vrgente fame inducias tridui obsessi impetrant. Noctu facta eruptione, ad DC. Scotorum excubitores obtruncant. Ea perfidia irritati Scoti, urbe expugnata, ferro atque [redacted] atq; [redacted] prouolutas trucidauere [redacted] marem [redacted] lacrymas daret, superesse paterentur. Mœnia inde solo æquata, cunctaque ædificia publica & priuata cum delubris templis incēdio absumta. Quod flammæ superfuit, id hostium immanitate dirutum. Itaque Pictorum [redacted] in Albione esse desiit, quum annos mille centum & unū supra septuaginta illic à Pictis fuisset regnatum, anno sal. 839. Qui ad Anglos & Britannos effugerant, cùm paulo pòst cōtra Donaldum Scotorum regem utramque gentem concitassent, uicti Scoti, pacem turpiss. admisere. Victores partiti inter se magnam agri Pictici Scotis ademti partem Pictos de iniuria conquerentes ad unum proscripsere. H. Boe[redacted]

A Suenone Danorum rege uictus [redacted] Eldredus Anglo[redacted], [redacted] Normanniam pulsus. Et sic regia dignitas ANGLIS in [redacted] ademta in Danorū gentem est translata, anno po[redacted] quàm Saxones primum à Vortigerno inuitati uenere in Britanniam nono circiter [redacted] uicesimum. H. Boethius lib. 11.

Mahometus II. Turcorum tyrannus an. 1453. per LXVI. dies oppugnata Constātinopoli, terra mariq;, & tandem capta, Constātino rege in fuga interemto, GRÆCORVM regnū à Constantino Magno constitutū, quod per MC annos floruerat, euertit. Cranzius lib. 11. Saxoniæ, cap. 34.

DERELICTA REGNA, DIGNITATES.

ERICVS Dux Pomeraniæ à Margarita Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ regina adoptatus, diuturno cum ducibus Slesuuici & Vandalicis urbibus bello occupatus, quum Sueci proceres nouum sibi gubernatorē constituissent, regnis sponte cessit, patriæ regionis angulum deligens ad quietem: proceribus [redacted] in Christophorum nepotem eius ex sorore, [redacted] Cranzius lib. 12. Vandaliæ [redacted]

Christophoro Danorū, Suecorū & Noruegiorū rege mortuo, Suenones ex sua gente regē [redacted] militē, CAROLVM Kanuti, ex infimo nobilitatis gradu delectū. Daniæ atq; Noruegiæ proceres, indignati de Suecorū à se discessione, regem suum dixere, quē regina uidua mariti di[redacted] Christianū (quē dixere more suo [redacted]) Aldenburg & Delmenhorst comitem. At Carolus annis uix septem in regno exactis, quum ecclesiis pariter & oppidis æquè grauis immineret: omnibus ordinibus odiosus, regni thesaurum tutis in locis deposuit, & brumali tempore in ipso Carnispriuio, quum omnis regio conuiuali luxu debaccharetur, naui Gedanum profectus est. Nobiles regni atq; prælati, communicato consilio, Christiernum Daniæ atque Noruegiæ regē in regnū uocauerūt. Cranz. l. 5. Sueciæ, c. 39.

Bonifacius IIX. Pp. cōtra [redacted] regem dederat Hungaris Carolum Robertum, an. 1299. Sed plerisq; procerum uehementer hic ritus nouus, ratū habendi, quicquid Romanus Pontifex, etiam in ipso regē declarando, constitueret, displicebat. Archiepiscopus proinde Colocensis omnibus ordinibus diē comitialem indixit, nominauitq; VENCESLAVM Regem Boemiæ & Poloniæ. Legati adeò properè missi, rati eum alacrem cum gaudio illud accepturum, audiunt eum uultu demisso gratias benignè agētem, quòd se dignum duxerint, quem regem Hungariæ appellarent: sed sibi nullo amplius regno opus esse, cū duobus istis, quę possideat, plus satis oneretur. Nec ulla persuasione de hac sententia dimoueri potuit. Ad extremum tamen exorare se, quanquam cunctanter admodum, passus est, ut filiū sibi cognominē Venceslaum uix decennem daret Hungaris Regē. Bonifacius interea sacrificiis in Hungaria interdixit omnibus, qui Venceslaū sequerētur, & in seniorem Venceslaum, iunioris patrem, Cæsarem Albertum, concitauit, sed uano exitu. Venceslaus inde uidens, filium dissolutiore educatione ab Hungaris corrumpi, & propter intestina odia in magno uersari periculo, cum exercitu in Hūgariam profectus, misit Budam ad filium, ei iniungens, ne Danubium traiceret, néue in conspectū parentis prodiret, nisi coronatus corona illa, quā Hungari sanctam uocarent. Nam si pro sancta habetur, impiè agere omnes eos, qui per impia arma illam uiolarent. Assentientibus qui aderant proceribus, iussa facit filius, & cum corona apparet. Venceslaus aliquandiu coronam contemplatus, seponi illam iussit, quasi diligētiùs paulò pòst consideraturus, [redacted] (prætendens futura pericul[redacted] uim ab æmulo interciperetur) sed unā cum filio [redacted] Boemiam asportauit, [redacted] relicto, qui præfecturā gereret. At in eo ad sedandos grauiores tumultus inualido, & ciuibus per auaritiam, proceribus per contēmtū inuiso: ab Hūgaris electus fuit Otho Bauariæ Princeps. Nec is regnare abnuit, si Venceslaus pro derelicto regnū illud haberet. At Vēceslaus tam nobile regnum nullo in fructu suo, sed in mero planè beneficio reponens, largitus est promtissimè Othoni gratuitam coronā cum omni iure, quod filius in regnum Hungariæ habebat. Ea corona Otho, à Benedicto Vesperinensi, & Antonio Chanadiensi Episcopis, in loco solito coronatus est. Dubrauius lib. 18.

ABDICATI SPONTE.

Moris erat, ut quib. imperiū certa de causa abrogandum erat, ij dignitati & existimationi suæ cōsulētes, per se & quasi sua spōte magistratū deponerēt, seseq; priuatos redderēt. quod in P. LENTVLO Prætore factū uidemus in tertia Catilinaria, de quo Senatus censuit, ut cùm se Prætura abdicasset, tū in custodiā traderetur. P. Lentulus, inquit, quanquā patefactus indiciis & confessionib. suis, iudicio Senatus nō modò Prætoris ius, uerū etiam ciuis amiserat, tamen magistratu se abdicauit. Hoc aūt Græci ἀφίστασθαι τῆς ἀρχῆς dicunt. Deponere magistratū propriè dicebantur, qui cum confecto tēpore populo Romano reddebant. Hotom. com Verb. iuris.

TARQVINIVS Collatinus cum L. Iunio Bruto primus consul creatus post exactos reges, ob nominis inuidiā, & quia in Aquiliorū proditorum causa populum offendisset, ultrò abdicauit se magistratu, & in exilium iuit. Plut. in Valerio.

Q. FABIVS Maximus, cùm rē diuinā fecisset, concētus soricis auditus est. Quæ uox cùm diri aliquid portendere uideretur, ne deos offenderet, dictaturæ honorem respuit. Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

C. FLAMINIVS sacrificās cùm soricis uocē audiuisset, magister equitum esse noluit, ne reclamantibus diis honorem & potentiam amare diceretur. Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Q. Fabio Max. dictatori cum M. Minutio magistro equitū adæquata fuit potestas Romæ sine ullo exemplo primùm, post cladem uerò Cannensem repetitum, quo tempore ad exercitum M. Iunius dictator fuit. Cùm aūt supplendus in urbe senatus esset, multis in acie cæsis senatoribus, alterum dictatorē creauère FABIVM Buteonem. Cæterùm hic eodē, quo in publicū progressus, senatum legit die, dimissis lictoribus, & prosequentium reiecta turba, mediæ plebi se iniecit atq; immiscuit, suasq; res agens & curans, in foro priuati more uersatus est. Plutarchus in Fabio.

FLAMEN Dialis apud Romanos, mortua uxore, sacerdotio se abdicabat. Scaliger lib. 3. Poetices, cap. 100.

L. SYLLA dictaturam perpetuam paulò ante mortem deposuit. Plutarchus.

DIOCLETIANVS Imp. magnis reb. gestis, tanquā blandis fortunæ obsequiis satiatus, posthac in otio uiuere curis publicis uacuus cupiens, huius decreti sui MAXIMIANVM participē fecit, eūq;, licet reluctantē, obsequi uoluntati suæ coēgit, ut Imperiū, quod secū ceperat, ac secū admirabili cōcordia gesserat, secum itē eadē animi æquitate deponeret. Itaq; eo cōsilio, quod uiuētibus, posterisq; omnibus, dulcedinē imperandi specie tenus solūmodo intuentib. plus alterutrū admirationis erat, quā æmulationis, explicito, Diocletianus Nicomediæ Galeriū, Maximianus Mediolani Cōstantium

tium Auguſtos ex Cæſarib.declararũt XI Kal.Maij, an.307. quo die uiceſimus Diocletiano Imperij annus abſoluebatur.Inde ambo templũ Iouis ingreſſi,populis audientib.ita dixerunt: Recipe Iupiter Imperium, quod mihi cõmodaſti: quod ego ita depono,ut reſumturũ non eſſe, ſanctũ tuũ teſtatus numen,adiurẽ. Atq; his dictis protinus ipſis ſe Imperij inſignibus,ſtupentib.hominib.potiùs,quã probantibus, exuerunt. Diocletianus inde Salonã in patriã, Maximianus in Lucaniã,uitã in otio traducturi ſe cõtulerunt,memorabile poſteris moderati exemplũ animi prodituri,niſi quã laudẽ uirtutis bene gerendo Imperio peperiſſent, eam uniuerſam iniuſtè Chriſtianos uexando corrupiſſent. Diocletiani uerò præcipua fuit gloria, ut qui poſtea de ratione depoſiti Imperij interrogatus,nihil difficilius eſſe, quã bene imperare,bono,etiã cautoq; Imperatori, reſponderit. Noua certè, quæcunq; ea fuerint, in eo hæc duo contigerũt, ꝙ primus, ut oratores dixerũt, Imperium & communicauit,& poſuit. Sigonius lib.1.Imp.occid.

VEREMVNDVS ab Froila rege Aſturũ adoptatus, Vimarani ab eodẽ fratre interfecti F. Mauregato rege mortuo rex factus,ex Imilone Ranimirũ & Garſiam ſuſcepit. Cæterùm religionis conſcientia, ꝙ Diaconi gradum olim ſuſcepiſſet, poſt duos annos ſponte abdicauit, & Aldefonſum Froilę F. exulẽ reuocauit. Rodericus Toletanus lib.4.rerum Hiſp.c.7.

[redacted]

GREGORIVS XII. & IOANNES XXIII. patrũ noſtrorũ memoria in cõcilio Conſtantienſi,cui Imperator Sigiſmundus interſuit,ultrò põtificatus titulo ceſſerũt. Fulg.lib.1. c.1.

LVCIVS Maluetius Bononienſis præuidens fore,ut ſibi imperiũ Veneti exercitus abrogaretur,literas ad Patres dedit:ſeniem ſe factum,minuſq; iam ad belli munera & labores obeundos idoneum,quàm antea fuerit:itaq; cupere artẽ deſinere,ſi per eos liceat,atq; ad requietem ſe uitamq; reliquã dare, petere ut liceat. Quam quidem eius petitionem Patres oportunè oblatam libentes acceperunt, honorificoq; reſponſo miſſum eum fecerunt.Bembus hiſt.Ven.lib.18.

DEIECTI, ABACTI.

Abacti magiſtratu dicuntur Feſto, qui inuiti depoſuere.

Abrogare magiſtratum dicitur, qui legem fert ad populum,ut is magiſtratu ſuo ſpolietur. Cicero in Corneliana.

A SACERDOTIO, PONTIFICATV.

Pontifices, Epiſcopi.

Vide Tit. Aemulatio ambitioſa ab pontificatum.

Eli pontifici minatur Dominus, pontificatum ab eius familia ad aliam familiam transferendum. Id quod multis pòſt annis factum eſt.Nam cùm ex familia Achimelechi nepotis Eli,ſolus ſuperſtes eſſet ABIATHAR, Dauidis errorum ſocius atq; comes, & is tandem cum Adonia Dauidis filio regnum affectante ſenſiſſet,Solomo, Dauide mortuo,eum ſacerdotio priuauit,& rus relegauit, & pontificatum Sadoco de familia Phinees Aaronis filij(qui frater fuerat Ithamari,à quo Elis familia deſcendebat)tradidit.3.Regum 2.

Apud Iudęos põtificatus honor ſemel aſſumtus ſolet eſſe perpetuus. Primus Antiochus Epiphanes eam legem uiolauit, pro IESV ſubrogato fratre ipſius Onia,qui & Menelaus.Secundò Ariſtobulus ab HYRCANO fratre eum honorẽ in ſe tranſtulit.Tertius Herodes Ariſtobulum Alexandri F.adoleſcentem uiuo adhuc pontifici ANANELO ſucceſſorem dedit.atq; ita tum uiſus eſt diſcordiæ domeſticę attuliſſe remedium.Ioſephus lib.15.cap.3.Antiquitatum.

IESVS Phabetis F. pontificatu abdicatus ab Herode rege, & in eius locum ſubſtitutus Simon, cuius filiam ducturus rex, honoris acceſſione eũ ornare uolebat. Ioſephus lib. 15.c. 12.

SIMON Boethi F.pontificatu deiectus ab Herode genero,ꝗ filia eius, in Herodis mariti perniciem cõſpiraſſe uideretur. Ioſephus lib.17.cap.6.

MATHIÆ Theophili F. pontifici ademit ſacerdotium Herodes rex, quaſi non alienus à ſeditione propter aquilam auream orta: eiq; ſucceſſorem dedit fratrem uxoris ſuæ Ioazarum,eò quòd pridie uiſus eſſet ſibi inſomnis cum uxore cõgredi.Ioſephus lib.17.cap.8.Antiq.

ANANVS Anani F.Iudæorum põtifex,quia D.Iacobũ (quem fratrem Ieſu Chriſti uocabãt)lapidandũ tradidiſſet, Albino (qui Feſto demortuo ſuccederet) adhuc in itinere agẽte, ab Agrippa rege dignitate priuatus eſt.Ioſeph.l.20. c.8. Antiq.

SYLVERIVM Romanum epiſcopum Antonina Beliſarij uxor,ficto crimine, quòd Romam Gothis prodere noluiſſet, in Pontiã inſulã deportari curauit.Reuera aũt Theodora Iuſtiniani Imp.uxor,propter Anthemiũ patriarchã Conſtantinopolitanum hęreticum,ab Agapeto depoſitum,Romanis irata, Beliſario mandauit, ut Syluerium Romæ uiciſſim ab epiſcopatu deiiceret. Paulus Diaconus lib.16. rerum Rom.

CONSTANTINVS ex laico Romæ creatus pontifex,ſed à ſynodo deiect⁹ eſt,conſtitutũq;,ut quos ipſe ordinaſſet epiſcopos,ad eum gradum redirent,quem antea habuiſſent:& examinati denuò, ſi digni inuenirentur, conſecrarentur: preſbyteri uerò & diaconi ſimiliter ad priorem gradum reuerſi, & ipſi quidem, ſi digni eſſent, denuò conſecrarentur, ſed ad altiorem gradum non aſcenderent: laici uerò ab illo diaconi uel preſbyteri ordinati,omnino degradarẽtur. An.Domini 768.Sigeber.in Chronico, Blond.l.1.Dec.2.

[redacted]

Poſt Caliſti II.è Gallia in Italiã aduentũ GREGORIVS IIX. pſeudopõtifex ab Hẽrico V.dictus Sutrij ſe cõtinuerat, Comitum quorundã præſidio ſeptus.Hi inflati infeſtas latrociniis uias habuerant,eoſq;, qui Romam tenderẽt,ſpoliarãt. Ob id Caliſtus ira incenſus collecto exercitu ad Sutrij obſidionem Ioannem Cremẽſem Cardinalem miſit.Gregorius à Sutrinis ſubitò deditus: &, camelo uerſo in caudam ore impoſitus, Romamq; ignominioſè reductus, nouo omnibus ludibrio fuit: demum in Cauenſe monaſterium incluſus,inglorius mortem oppetiit.Sigonius lib.10.regni Ital.

[redacted]

Ioannes XXIII. põtifex abdicare ſe epiſcopatu & ſacerdotio cõpulit HVGONEM Cadurcenſem epiſcopum, priuatum omnibus pontificalibus inſignibus,anulo,mitra,cappa,pileo,camiſiaq; Romana. Degradatum inde & curiæ ſeculari traditum,omnibus cruciatibus coëgit uitam cum morte cõmutare,quòd in pontificem coniuraſſet.Platina.

[redacted]

GVLIELMVS dux de Monte, Paderburnenſis epiſcopus factus,deiecto Bertrãdo Italo,archiepiſcopatũ Colonienſem ambiebat,multis adſtipulantib.Sed maior pars Canonicorũ Theodericũ de Morſa elegere. Interea dũ Gulielmus ad concilium Conſtantienſe prouocat, æmuli per eius abſentiã epiſcopatu quoq; Paderburnenſi eum priuant. Ergo Gulielmus,cùm nullis adhuc dum ſacris initiatus eſſet, animo à reb. eccleſiaſticis auerſo, Theoderici archiepiſcopi neptẽ ex ſorore,filiã comitis de Tekenborg,accepit coniugẽ. Nuptiæ in arce Arnsberg,præſente archiepiſcopo,ſumma celebritate peractæ ſunt.Ita ultus eſt aduerſarios.Eccleſia Paderburnenſis in adminiſtratione Theoderici ad finem uitæ eius permanſit. Cranzius lib.11.Metrop.cap.18.

[redacted]

[redacted]

IOANNES XXIII. pontifex in cõcilio Conſtantienſi deiectus,ſubſtituto Martino V.uarijs agitatus caſibus, tandem ultrò Florentiam,ad Martinum profectus,exoſculato illius pede,eundem,audientibus omnibus,ut uerum pontificem & Chriſti uicarium,canonicè electum,ſalutauit. Martinus uiciſſitudine rerum humanarum motus, poſt aliquot dies hominem in numerum cardinalium aſciſcens, epiſcopum Tuſculanum creauit, atque deinceps eo habuit in honore, quo reliquos cardinales tam publicè quàm priuatim. Verùm præ mœrore aliquot poſt menſes Florentiæ mortuus eſt & ſepultus magnificè in tẽplo ſancti Ioannis. Platina.

In ſchiſmate triũm pontificum, ſub Sigiſmundo Imperatore concilio Conſtantię habito,Petrus Luna,qui ſe BENEDICTVM XIII.cognominabat,magiſtratu ſe abdicare recuſabat.Licet enim ab oratoribus regũ Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Nauarræ, Aragonum, Caſtellæ, Legionis, Portugalliæ & Algarbiæ admonitus eſſet,qui omnes ab eius obedientia ſe ſubtrahebãt,à Sigiſmundo Imperatore perſuaſi, pertinaciſſimè tamen renitebatur.Ob id efficto ſimulacro, ueſtibus & ornamẽtis ordine ſpoliato, non ſine magna nominis ſui infamia ſummo ſacerdotio deiectus eſt.Cuſpinian⁹.

Baſilienſe concilium ex Martini V.pontificis inſtituto ceptũ, Ad quod Eugenius IIII. uocatus,quia parére noluiſſet,dignus iudicatus eſt,cui põtificatus abrogaretur. AMADEVS dux Allobrogum pontificatus ſpe adipiſcendi Baſileã accerſitus,cum duobus filijs eò profectus eſt.Vixerat is annos circiter quadraginta in florentiſſimo principatu.Subijt inde tædium rerum humanarum, inſtituitq; eremiticam uitam, ſumſit & pallium eremiticum.per quæ magnum erat nomen ſanctitatis adeptus:quum ad eiuſmodi honoris illecebram caput extulit, pallioq; & barba depoſitis,ſe reddidit ſeculo, arriſitq; illi fortuna primo conatu. Baſileam profectus,magno omnium conſenſu pontifex declaratur, ipſe ſe Felicem quintum uocat. Fauere nouo pontifici Carolus Galliæ,& Alphonſus Aragoniæ reges, Philippus Vicecomes,& Fridericus Imperator. Cæterùm hominum fauore paulatim deſtitutus,quum multa pro pontifice geſſiſſet,in ordinem redactus, in ſupremo antiſtitum ordine ad exitum uitæ manſit.Sabellicus lib.3.Enneadis 10.

Sacerdotes.

Degradatio uulgò dicta, ita fieri ſolet in Chriſtianorum SACERDOTIB. Hæreſeos dãnatus à iudice eccleſiaſtici ordinis,induitur ſacris ueſtibus, inq; manus ei traditur calix cum uino & aqua, ſed & patella deaurata cũ pane azymo. Sic in genua procumbẽti uicarius epiſcopi tollit & adimit ea,quæ diximus, & ſimul mãdat, ne poſthac ſacrum faciat pro uiuis aut mortuis. Lamina deinde uitrea radit ei digitos,iniungens,ne rem ullam deinde conſecret.Poſthæc reliquum apparatum omnem aufert, uſus ad ſingula certis quibuſdã Imprecationibus. Cùm iam exemtus eſt ille numero ſacerdotum,reliquis etiam gradibus,per quos ad ſacerdotij dignitatem ueniri ſolet,exuitur. Sic denudatus, alijsq; ueſtibus,uti uocant,prophanis indutus, traditur magiſtratui: deprecante interim epiſcopi uicario, ne quid in ipſius uitam aut corpus etiam ſtatuatur grauius.Hæc enim adhibetur ceremonia, ne Chriſti & Apoſtolorũ ſucceſſores ſupplicij uel profuſi ſanguinis auctores uideantur extitiſſe. Sleidanus libro quarto.

Flamines.

COR.CETHEGVS,& Q.SVLPITIVS flamines ſacerdotio priuati ſunt:hic,quòd inter ſacrificandum apicem (quẽ flamines ferebant) de capite cadere permiſiſſet:ille,quòd exta uictimæ non ritè admouiſſet.

IMPERIO,REGNO.

Aſa Iudæorum rex matrem ſuam MAACHAM, Abſalomi filiam,propter ædificatum Pani ſacellum,regno priuauit.Libro 3.Regum, cap.15.

LEOTYCHIDES nothus,mortuo Agide patre,Ageſilai patrui conuitijs, ſuaſionibus & opibus, Spartanorum regno excidit.Plut.in Lyſandro,& Ageſilao.

DEMARATVS rex Spartanorum, à Leotychide accuſatus, quòd Ariſtonis regis filius non eſſet, ſed ex adulterio matris natus(conſentiente etiam Pythia,quæ à Cleomene Demarati inimico corrupta fuerat)regno deiectus, ad Medos transfugit, & in magno apud illos honore fuit. Herod.li.6.

Cùm aliquot dies Lacedæmonij, duce Cleomene, Piſiſtratidas tyrannos obſediſſent Athenis in arce, Spartam abiere. Interea filij PISISTRATIDARVM, qui clàm extra regionem mittebantur,intercepti ſunt.Quo facto,omnes eorum res perturbatæ ſunt,ita ut pro redimendis filijs ad uolũtatẽ Athenienſiũ tranſegerint,ut quinq; diebus ex Attica excederent.Ergo in Sigæũ,quod eſt ſupra Scamandrũ, conceſſerunt,cùm ſex & triginta annos regnaſſent.Herodotus lib.5.

Dion fretus non tam ſuis copijs, quàm odio tyranni DIONYSII,maximo animo duabus onerarijs nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus,decem equitum, centumq; peditum millibus, profectus oppugnatum,quod omnibus gentibus admirabile eſt uiſum,adeò facilè perculit,ut poſt diẽ tertiũ, quàm Siciliam attigerit,Syracuſas introierit. Ex quo intelligi poteſt,nullum eſſe imperium tutum, niſi beneuolentia munitum. Plutarchus in Dione.

Poſt Hieronem THRASYBVLVS cùm regnum optimis artibus à Gelone acquiſitũ familię ſuæ accepiſſet,per improbitatem & ſcelera turpiter amiſit,pulſus à Syracuſanis:cũq; Locros confugiſſet,reliquum ibi ætatis ſtatu priuato conſumſit.Diodorus lib 11.

AEACIDES Epirotarum rex uolens Olympiadi ſuccurrere, cõtra Caſſandrum,aduerſæ factionis homines proſcripſit. Qui Epirotarum exauctorati in patriam diſceſſerant, ſeditionem contra abſentem regem fecerunt, & communi decreto eo in exilium damnato, cum Caſſandro ſocietatem inierunt: quod quidem nunquam antea contigerat in Epiro, ex quo Neoptolemus Achillis filius in ea regione regnauerat.Semper enim filius patris principatum excipiens in regno moriebatur,uſq; ad hæc tempora.Diodorus li.19.

TARQVINIVS Superbus primus fuit,cui apud Rom. abrogatum fuit imperium.Propter inſolentiam enim regno pulſus,cum ſuis,Sabinorum primò,mox Porſenæ regis Hetruſci, tandem Latinorum armis reditum fruſtra tentans, poſt uictos à Rom. ad lacum Regillum Latinos, Latiò eiectus, quum iam nonagenarius eſſet, Cumas ad Ariſtodemum tyrannum ſe contulit:ubi regno,patria,opibus priuatus, neceſſitudinum omnium inops, paucis diebus fato deceſſit. Sab.lib.8.En.2.ex Liuio.

AVITVS Aruernus uir bello paceq; clarus ad Theodericum Gothorum regẽ Toloſam miſſus erat à Maximo II. Imp. ad pacem renouãdam.Interea cùm Maximus à ſuis cæſus, Roma à Vandalis direpta eſſet,Theodericus Pacem,quam petis,inquit,ultrò dabo, atq; ad abolendam eam,quã Alaricus Roma capienda contraxit, inuidiam, arma pro Romanis ſumam,ſi modò ego te ad nomen Auguſti recipiendũ inducam.Atq; his dictis, quę ſpopondit data dextera confirmauit.Profecto inde in Aruernos Auito ciues his cognitis, gaudio alacres occurrerũt,atq; ignaro tribunal cõſtrauerunt, & conuocata nobilitate ipſum ad Auguſtalia ſumenda inſignia cohortati ſunt:ſatis meritorum in eo dicentes hærere, in quo uirtutis plurimum eluceret: rogare, ut difficillimo Galliæ tempore tribunal aſcendat, quæ hac opinione imbuta ſit,ſe illo principe libertatem, dignitatẽq; ueterem poſſe recuperare. Ita ſuborta omnium acclamatione dies ad deferenda inſignia deſtinatur. Poſt diem uerò tertium proceres Galliæ citis euocati nuncijs,cùm in cõſilium conueniſſent, Auitum,militibus circunfuſis, Auguſtum atq; Imperij uindicem appellarunt. Auitus ſtatim ſenatum Romanum de dignitatis ſuæ prouectione commonefecit, ſeq; ad iura ex æquo moderanda, & remp. uiribus defendendam paratum eſſe oſtendit. Rebus Galliæ ex ſententia conſtitutis, Gothicis ſuffultus auxilijs, Romam acceſſit, atq; ab omnibus benignè exceptus,res tractare pro ipſo Imperij iure, nemine contradicente, inſtituit. Quibus perfectis,tanquã ab omni periculo ſeditionis ſecurus,Gothos domum remiſit, ac ſeſe Romanorũ præſidio tradidit. Qua re animaduerſa, ſenatus, ſiue luxurioſa eius uita,ut quidã tradidere,permotus, ſiue Marciani Auguſti imperio obſequutus, paratis occultè auxilijs,repentè in eũ inuaſit, ac nullo negocio urbe deiecit. Itaq; languido atq; infirmo admodũ comitatu iter ingreſſus,Placentiam adijt.Ricimer Sueuus,magiſter militum, tanquam officij cauſſa ad eum acceſſit,ac iuſſu Marciani tumultu concito ipſum comprehendit, & Imperio ſe abdicare coegit.Auitus autẽ,Imperio dimiſſo,ne priuatam uitam ex tanto faſtigio,unde repentè detractus admirabili fortunæ inconſtantia erat, ingreſſus omnino contemtui haberetur, eccleſiam Placentinã, quæ uacabat,accepit,& pro Imperatore epiſcopum induit.Mox autem cùm ſenſiſſet,ſenatum adhuc iratum ſibi,licet iam epiſcopo,inſidiari,inde diſceſſit,atq; ad baſilicam S. Iuliani martyris in Aruernos ire contendit. Verùm in uia morbo intempeſtiuo oppreſſus, ne id quidem aſſequi morte præuentus potuit,uir propter egregiam animi indolem, uirtutiſq; præſtantiam,à Sidonio præcipuè celebratam, hoc rerũ & uitæ exitu indigniſſimus.Sigonius lib.14. Imp. occid.

Romani neceſſitate coacti Alarico Gothorum regi ſe dediderant,ac receptis eius legatis, ipſum ad urbem uocarant, & Placidiam Honorij ſororem,tanquam fidei obſidem, ab eo petitã conceſſerant.Quo facto ille iuſſit,ut ATTALVM præfectum urbis inſignibus Imperatoris ornatum in Auguſtali ſolio collocarent. Quod illi obedienter egerunt. Ipſe præfecturam militiæ pedeſtrem obtinuit. Inde cùm ſe ab Attalo propter infirmitatem promiſſa obtinere poſſe diffi-

deret, iterum se ad Honorium contulit, ac se Imperium Attalo abrogaturum promisit. Ita haud ęgrè, quę postulabat, omnia impetrauit. Primum autem Attalum, suis inspectantibus, extra urbem Augustalibus insignibus spoliauit, eaq; ad Honorium misit. Attalo cum filio eius Ampelio apud se, donec, pace cum Honorio constituta, securitatem eis impetrasset, retento, atq; exercitu ad urbem relicto, cum paucis Rauennam pacem compositurus se retulit, atq; ad Alpes, locum, ut inquit Sozomenus, stadijs sexaginta longè ab urbe illa distātem accessit. Ibi demum res transacta, fœdusq; his conditionib. est percussum, ut Alaricus socius Honorij esset, atq; in Gallia sedes sibi suisq; locaret, ibiq; bellum cū hostibus Honorij faceret. Perfidia autem Sari, qui Gothos ex insidijs adortus fuerat, cōmotus, Romā regressus, quasi in Galliam profecturus, per 300 Gothorum robustissimos principib. Romanis dono datos noctu urbem occupauit, diripuitq;. Attalum, quē secum habebat, iterum primo die, tanquam Imperatorem, Augustalibus insignibus decoratum incedere iussit: alterò uerò priuatum populo contumeliæ caussa ostendit: tertio autem præda opulenta onustus urbe cum exercitu cessit, secum Placidiam ducens, quam honestissimè habuit. Sigonius lib. 10. Imperij occid. ex Zosimo & Sozomeno.

Iul. Nepos à Leone Imp. Cōstantinopolitano occidentis Cæsar cōtra GLYCERIVM à militib. elatum designatus, eum in oppido Porto prope Romā obsessum atq; captū, Imperij deponere insignia compulit, eaq; mox ipse induit. Glycerio, ne priuatus ludibrio haberetur, ecclesia Salonensis in Dalmatia attributa. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Occupata ab Heraclio Cōstantinopoli, Photinus PHOCAM Imp. in regiam confugientem uxoris suæ stupratorem imperio deiecit. Cedrenus.

MARCIANVS filius Anthemij Imp. Zenonis æmulus, uictor acie, cùm rem in crastinum differret, à suis desertus, solus ad templum Apostolorum supplex confugit. Inde extractus, primùm Cæsaream Cappadocum, deinde Tarsum Ciliciæ abductus est, ibiq; capite raso presbyter factus. Nicephorus lib. 16. cap. 22.

LEONTIVS Imperator, cùm annos tres imperasset, à Tiberio Apsimaro coactus, in monasterio Dalmatij monachus factus est.

THEODOSIVS III. à Leone Conone duce Orientalium copiarum imperio deiectus, monasticam uitam amplecti coactus. Cuspinianus.

ANASTASIVS Arthemius à Theodosio publicorum uectigalium exactore imperio deiectus presbyter ordinatur, ne de imperio posset cogitare amplius. Relegatus inde Thessalonicam, cùm res nouas moliretur, & ad Bulgaros transfugisset, à Leone III. qui Theodosio III. successerat, interficitur. Cuspinianus in eius uita.

ROMANVS Lacapenus coactus à Stephano filio suo, cum quo 23 annos imperarat, imperio se abdicauit, & in monasterium insulæ Protes relegatus est.

STAVRATIVS Nicephori filius, anno imperij 7. à Michaele Rancabe coactus, monachus factus est in monasterio Thebraica à se condito.

MICHAEL Rancabes, cùm annū unū imperasset, à Leone V. in monasteriū insulę Protes cū filio relegatus est. Zonaras.

MICHAEL VII. Ducas Parapinaceus, imperij anno 6. à Nicephoro Botaniate coactus, monachus factus in monasterio Studij, & non longè pòst Metropolites Ephesi creatus, obijt in monasterio Manuelis. Zonaras.

NICEPHORVS III. Botaniates, exacto Michaele VII, imperauit annis 3. sed ab Alexio Comneno Isaacij filio (quem Megadomesticum creauerat) Constantinopoli in monasterium Peribleptæ detrusus est.

BARDAS Phocas, contra Ioannem Zimiscem Cæsar Cappadociæ ab exercitu Orientali dictus, sed à Ioanne uictus, clericus factus, in Chium insulam relegatus est.

BASILISCVS filius Harmatij à Zenone Cęsar creatus, ab eodem, mortuo Harmatio, cùm de eius fide dubitaret, sacerdos factus, & ecclesię Cyzicenæ præfectus est.

NICEPHORVS, CHRISTOPHORVS & NICETAS filij Cōstantini VI. Copronymi, cū patre & fratre Leone IIII. imperarunt annis X. Postea ab ipsorum nepote Constantino VII. deiecti, clerici facti sunt.

CONSTANTINVS Copronymus, Artabasdū, qui Dorylęi erat, studijs populorum erga eum permotus, opprimere est conatus. Qua re cognita, Artabasdus Constantino in fugam coniecto, Constantinopolim aduolauit, ac sacris imaginibus reponi per urbem iussis, extemplò ab omnibus ordinibus Imperator est salutatus. Anastasius patriarcha in concionem ascendit, ac tenens crucem Domini, ita dixit: Per eum, qui huic ligno affixus est, iuro, Constantinū Copronymum hæc mihi uerba dixisse: Noli credere, quē Maria peperit, Christum, filium Dei, sed purum hominem esse. ita enim eum Maria mater peperit, ut & me Maria mater mea. Quibus uocibus auditis, populus inflāmatus, extemplò ei imperium abrogauit. Sigon. lib. 3. regni Ital.

Longobardi regni HILDEBRANDI pertæsi, ipsum post septem mēses de regno deiecerunt, idq; Rachisio Duci Foroiuliensi ob uirtutis eius præstantiam detulerunt. Sigonius lib. 3. regni Italici.

Hyldouinus Dionysiarius, Vala Corbeiensis, abbates, Ebbo Remorum episcopus, Hugobertus Lugdunensis, Bernardus Viennēsis, ac quidam alij episcopi, & Machofridus, Hugo, Landbertus, alijq; Celtarum principes, LVDOVICO Pio ob uxoris Iudithæ libidines & tyrannidem abrogarūt magistratum, & Lotharium ac Pipinum filios Cæsares designauerunt. Imperator Neomagi in conuentu copijs Germanorum adiutus, conspirationis auctores partim exilijs, partim bonis multauit, & filijs ignouit. Sed paulo pòst seditionem ijdem renouarunt, præsertim cùm sparso rumore, quòd Ludouicū Gregorius Pp. excōmunicasset, pleriq; illum deseruissent. Qua re motus pater, in potestatem filiorum sese tradidit. Episcopi & monachi Iuditham uxorem eius in monasterium includunt. Lotharius patrem circumductum, Augustæ Suessionum in monasterium Medardi abdidit, anno Domini 832. Sed biennio nondum exacto, proceres Germanię, ui Lotharium coegere dimittere parētem, eique arma, imperium & uxorem restituere. Auentinus lib. 4. Annaliū. Lotharius supplex patri reconciliatus, dignitatē imperij & regni coronā accepit, anno Domini 839.

CAROLVS III. Imp. Crassus cognomine, ægritudine corporis & animi affectus, dū Francofordię cōuentū agere, omnes subitò proceres, maximè Franci, Turingi, Boij, Saxones ab eo defecerunt, connitente Hyldgarda sorore Caroli, & Arnulphum, regulum Boiorum, filium Carolomanni regis Italiæ atq; Boiariæ, ultrò ad subeundum imperij molē pertraxerunt. Carolū patrueli bellum indicere parantē, Sueui quoq; deseruerūt. Imperator desertus ab omnibus, etiā famulis, triduo integro, fame perijsset, nisi Luitbertus Mogūtinus archimystes eum aliquot dies pauisset. Tandem Carolus filiū nothum Bernardum supplex ad nepotem misit, se atq; prolem eius fidei ac tutelæ commendauit: uictū duntaxat orauit. Arnulphus patruo Nidingam pagum Sueuiæ, ubi habitaret, concessit: reditus eiusdem uici, unde uictitaret, tribuit. Ita occidentis ferè totiùs locupletissimus Imperator, eò fortunæ ludibrio paupertatis peruenit, ut de summo generis humani fastigio ad ima deturbatus, obolo etiā eguerit. Alij in Augia maiore consenuisse, scribunt. Regino lib. 2. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

HENRICVS IIII. Imp. cùm sui iuris esse contēderet, morē iā inde à Carolo Magno per 300 annos accepto, inuestiturā Episcoporum per anulum & baculum cōferendi, ei Gregorius VII. Pp. formula cōcepta imperium abrogauit. Paschalis inde II. Romæ concilio celebrato (Nauclerus Florentiæ factum asserit) atrociori excommunicationis fulmine contra illum usus est. Itaq; sub initium anni 1105. proceres nō pauci, filio Henrico V. ut contra parentem arma caperet, auctores fuere: Is specie pietatis & religionis, ut Frisingēsis loquitur, filius à patre, [redacted], defecit, ac Romani pontificis & Christianæ reipublicæ dignitatē, quæ tot iam annos patris sui contumacia plurimùm esset periclitata, se pro uirili tutaturum promisit. Defecerunt hinc certatim omnes ad filium. Roma interim legati adsunt, Pontificem aduenturum nunciantes. Imp. comitia indicit Mogūntiæ, causam illic suam acturus. Filius cum exercitu aduolat; patri supplex accidit, pietatem erga illum suam commemorat, auctor illi est ut Pontifici placeatur: ne tamen se comitiorum incerto euentui committat, suadet, sed in propinquo oppido sententiam procerum expectet: eius sese uitam & dignitatem pro uirili tutaturum promittit. Pater credulus, auersantibus eū episcopis plerisq; propter excōmunicationē, filio patet, Bingū sese confert. Illic omni comitatu spoliatus, custodiæ mancipatur Ingelheimæ. Otho Frising. lib. 7. c. 11. & Antonin. & Sab. lib. 4. En. 9. Calendis Ianuarij, anni 1106. Moguntiæ ecclesiarum præsules duo & quinquaginta, præter Richardū Albanensem, Romanæ curiæ legatum, principes alijq; proceres conuenere. Ibi sententia excommunicationis in Hēricum seniorem à tot pontificibus lata, denuò promulgatur: acta Gregorij VII. rata cēsentur: Henricus filius omniū suffragijs Cæsar nuncupatur: cui mox sacerdotes ac reliqui proceres, more maiorum, iuramentum dixerat. Vrsperg. Vuigbertus Misnensis marchio ad Imperatorē captiuū ablegatur cum mandatis, siquidem suæ uitæ consultum uelit, Imperij insignia Moguntiam perferenda tradat. Imperata facit pater, dat coronam, sceptrum, crucē, lanceam, gladiū. Hac patris promptitudine minimè contenti, filium, ut ipse regalia de patris manu accipiat, adigunt. Horum itaq; impulsu mox Ingelheimam petit, suæ causæ addictis solū stipatus hominibus, & pōtificio legato. In frequenti hominū corona ad filium adducitur captiuus pater, regno spontè cedit, ipsiq; filio regalia manu propria tradit, omnibus spectantibus. Filius, relicto parēte, ut ibi priuati more uiueret, discessit: ut ex epistola Henrici quarti ad Celtarum regem, & Auentino uidere est. Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 32 habet, ex concilij mandato tres episcopos, Mogūtinum, Coloniensem & Vormaciensem, Imperatorem Ingelheimę adijsse, ut ipsi inuito Imperialia insignia auferrēt. Illo autē causam requirente tam seueræ in se inauditum à concilio prolatæ sententiæ, obiecisse ei feruntur, in conferendis episcopatibus & abbatijs simoniā. Tunc Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniensis, per nomē ęterni Dei, quid à uobis acceperim. Dixerūt: Nihil. Et Imperator: Gloria Deo in excelsis, quia uel in hac parte fideles inuenti sumus. Certè maximæ uestræ dignitates potuissent magnum cameræ nostræ, si ita quæreretur, quæstum pręstitisse. Dominus Vormaciensis nouit, quæstu an gratia interueniente illū recepimus. Nolite patres temerare fidem uestrā. Ecce, iam senio laboramus, sustinete nobiscum, & nolite in confusionē gloriam nostram terminare. Generalem curiam expetimus: si cedendum est, proprijs manibus filio coronā tradimus. Illis renitentibus, & uim ostendentibus, parùmper secedens, Imperialibus se uestiuit insignibus, & reuersus: Hæc, inquit, Imperialis honoris sunt insignia: hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & principum electio. Potens est Deus nos in his conseruare, & manus uestras ab opere cœpto cohibere, quàuis simus armis & militia nostra destituti: securi enim de tali uiolentia, nobis nō prospeximus. Sed timor Dei uos coerceat, quos pietas non reuocat. Quòd si neutrum ueremini, ecce præsentes sumus, non possumus uiribus refragari. Hæsitant pontifices: sed inuicem cohortantes, Imperatorem inuadunt, coronā capiti detrahunt, & sede detractum omnibus Imperialibus exuunt. Imperator ab alto ductis suspirijs, sic eos alloquitur: Deus ultionum Dominus uideat, & uindicet iniquitatem, quam facitis. Ignominiam sustineo antea inauditam. Sed delicta iuuentutis apud iustum iudicem Deum luo, uos tamen immunes à crimine non eritis: quia iusiurandum præuaricati, iusti uindicis ultionem non effugietis. Non prosperetur honor uester. Sit portio uestra cū eo, qui tradidit Christum. Illi obturantes aures abierunt, filio eius Henrico V. Imperialia deferentes. Petebat Imperator pœnitentiā à legatis Romanis cæterisq; episcopis. Sed illi respondent, absq; generalis synodi decreto se nullam ipsi absolutionem impertiri posse, eamq; rem ad papam pertinere: Romam ipsi proficiscendum esse, ut præsenti papæ satisfaciat. Pollicebatur etiam prophanis principibus, sese omnibus, quoscunq; læsisset, satisfacturum, rogare ueniā, & polliceri emendationē omnium, quæcunq; postulassent. Sed nemo ullis precibus locum reliquit. Inuestituræ ius, ueluti simoniaca hæresis, publicè damnatum, & uocatum Hēriciana hæresis. Inuestiti ab Henrico deiecti, ac usq; ad concilij generalis satisfactionem & ordinationem suspensi. Cadauera schismaticorum è sepulcris eruta ac proiecta. Vuigberti Antipapæ, qui Clemens III. dictus fuit, corpus, quod sex iam annos (Vrspergensis habet quinq;) in Rauennensi ecclesia humatum in terra iacuerat, effossum cōtumeliosè tractatur. Erfordiensis capite 86. Chron. Hirsaug. Otho Phrisingensis lib. 7. cap. 10. Cranzius in Metropoli lib. 5. cap. 20. & 33. Auentinus lib. 5. Boiorum. Anno sequente, filius Coloniam patri addictam obsedit, missis legatis, publica fide interposita patrem in castra Leodio euocauit, ut lege potiùs, quàm ferro, lis coram primatib. disceptaretur. Dum Leodij moram trahunt legati, responsum ab Henrico expectantes, ipse morbo correptus uita excessit, anno Imperij 53. ætatis 56. septimo idus Augusti, anni Saluatoris 1106. Per eosdem filio anulum & ensem, paterni amoris pignus extremum, misit. Vita Henrici quarti. Mansit corpus eius insepultum in cella quadam ædis deserta, Pontifice Paschali II. id sepeliri uetante, per annos quinq;. Sigonius lib. 9. regni Ital.

CAROLVS Simplex Francorum rex superbiebat, quòd Lotharingiam amissam tanto ex interuallo Francis recuperasset. Mox cum Henrico I. Imperatore fœdus icit, qui ei poscenti Germanorum copias auxilio misit cōtra aduersariorum factionem: Germanisq; magis quàm suis sese credebat committebatq; Simplex. Ea res nouam flammam inuidiæ apud Francos illi conflauit: auxitq; eam, quòd credebatur in animum induxisse, se Franciamq; Henrico Germanorum regi subijcere, ne bello à Germanis uexaretur, sed eorum auxilijs, si opus esset, iuuaretur. Id uerò uniuersa propè Francorum nobilitas non ferens, ad æmulum regni Robertum magistrum equitum studia uiresq; inclinauit. Consensu hominum permotus Heueus Rhemorum pontifex eum inunxit. Miraculo mortalibus fuit, quòd die tertio ab ea inunctione obijt archiepiscopus. Aemilius lib. 3.

Populus Francorum HILDERICVM, ignauum regem, flocci facere cœpit, nec à contumelijs temperatum est. Ille umbraticum, ille pupparum, alius puerorum regem eum appellabant. Auentinus lib. 3. Annalium. Itaq; consilio Papæ eum remouerunt, & in monasterium detruserunt. Ranulphus lib. 5. cap. 25. Polychronici.

Fridericus II. Imperator, cùm anno Christi 1225. FRIDERICVM ducem Austriæ, creasset regem Austriæ, illum ea dignitate priuauit anno Christi 1236. quòd ageret uitam rege indignam & infamem. Munsterus in Cosmograph.

EDOVARDVS II. Anglorum rex ignauiss. ab uxore Isabella & proceribus captus, regno deiectus, & in carcere necatus fuit, substituto ei Edouardo III. F. Polyd. lib. 18.

Saxones Arthuri Britannorum regis cæde audita, in Albionē reuersi, subactis Britonibus, pulsoq; in Vualiam rege Constantino, Anglorum restituerunt regnum. CONSTANTINVS post aliquot annos liberis & coniuge orbatus, clam suis abijt in Hiberniam: ibiq; in pistrino pauperum obsequiis aliquandiu deseruiuit incognitus. Inde Monachi suasu, cui se patefecerat, tonso capite cœnobium ingressus est. Ad Scotos tandem missus à loci antistite, ut populum Christi dogmate erudiret, impiorum manibus passus est martyrium. Cui aliquot post secula relato in diuorum numerum templa nonnulla inter Scotos erecta fuère. H. Boëthius li. 9.

GORMO Anglorū rex, Daniæ regnū mortuo Frothóne VI. patre recipiens, Angliæ regnum absens amisit. Saxo lib. 9.

HENRICVS sextus Anglorum Rex Parisiis ad diuę Virginis, opera Cardinalis Vincēntiensis Francorum Rex coronatus est, duodecim natus annos. Idemq; postea & Francorum & Angliæ regnum amisit, & profugus ad Iacobum III. Scotorum regem peruenit, ut qui modò duorum populorum florentissimorum Rex fuerat, aliena misericordia uitam sustinere miseram cogeretur. Boëthius lib. 17.

Cùm Aquitanus, Noruegiæ rex, Olao filio impuberi testamento matrem Margaritam tutricem reliquisset, & ante pubertatem filio decedente, Margaritæ ipsum etiam regnum cessisset: regni successorem HENRICVM Pomeraniæ ducem uicinum constituit. Is cùm in Noruegia, Suecia, Daniaq; annos quinq; & quinquaginta regnasset, à Christophoro Bauariæ duce regno pulsus est, sola ei Gothica insula concessa. Mortuo Christophoro, cui Carolus successit, intra breue tempus ipsa quoq; insula, ubi exulare magis quàm regnare dici poterat, Henrico adempta est. Itaq; iam decrepitus, in Pomeraniam rediit. Neq; uerò CAROLO fortuna certior fuit: nam cùm aduersus Deum hominesq; impiè se gereret, Ioannis episcopi opera concitatis ad arma populis, ipse in exilium pulsus in parua fluminis Vistulæ insula diem suum miserè clausit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

ADOLFVM Nassauiensem, astu ad imperium euectum, ob scelera & ignauiam principes imperio deiecere. Tota Germania bello æstuabat. Præterea Gerlacus Moguntinus archipræsul eius consanguineus, cuius solius opera Romanorum rex priùs fuerat creatus, inutilem imperio palàm asserebat. Principes imperij neglexit, indignos extulit, publicè adulteria patrauit: uirgines, moniales, uiduas ui constuprauit: fidem & literis & sigillo roboratam uiolauit, & id genus multa scelera admisit. Itaq; principes Moguntiæ, abrogato Adolpho imperio, Albertum Austriæ ducem elegerunt, fidelitatisq; iuramenta præstiterunt. In agro Spirensi, qui uulgò Hasenpuhel cognominatur, sex horis acriter pugnatum. Tādem Adolphus, qui cum suo exercitu aduersos solis habuit radios, equo est deiectus. Sed quum restitueretur equo, casu Albertus superuenit: à quo circa oculum ense traiectus, in collo lethale suscepit uulnus: cumq; sibi galeā capitis auferri iussisset, incautus hostibus expositus interficitur, quia sine ordine in aciē descēderat. Cuspinianus.

Genuensibus & Venetis de imperio certantibus, Græci proceres de iugo Latinorum excutiendo solliciti, Michaelem Palæologum aduocant. BALDVINVS Augustus, Iustinianusq; patriarcha classem conscendunt, ut maris imperium spem unicam retinerent. Ciues liberi Latinorum metu, portis patefactis Palæologum mœnibus noctu recepere, quo ex die capta à Veneto Frācoq; de Græcis fuerat quinto & quinquagesimo. Augustus patriarchaq;, deploratis rebus, Græcia decessere. Aemilius lib. 7.

VENCESLAVS, Ignauus cognomine, Caroli IIII. F. rex Roman. munerib. creatus, uino & ueneri indulsit, regni nulla cura habita. Captus à regni Baronibus, per Ioannem ducē Lusatiæ fratrem liberatus, nihilo melior redditus: à fratre Sigismundo iterum captus, & duci Austriæ traditus, uinculis elapsus, regnoq; recuperato, ab Electoribus tandem imperio deturbatus est, anno Salutis 1400. Robertus Bauariæ dux Cæsar dictus. Aemilius lib. 10. & Cuspinianus.

SIGISMVNDVS Caroli IIII. Imp. F. à Ludouico rege Vngarorum & Polonorum, socero suo, rex Poloniæ dictus, regno excidit, quòd Domaratum à præfectura maioris Poloniæ, sic iubentibus Polonis proceribus, remouere noluerit.

Itaq; Heduigim Mariæ sororem reginam salutarunt, eamq; de procerum consilio Iagelloni duci Lituaniæ desponderunt. Cromerus lib. 15.

Alexander V. pontifex LADISLAVM regem Neapolitanum potentissimum, qui ditionem ecclesiæ pontificibus absentibus diu multumq; uexauerat, oppidaq; aliquot ui occupauerat, in concilio Pisano, approbantibus qui tum aderant, regno priuauit, iusq; illud Lodouico Andegauiæ duci competere declarauit. Platina.

IACOBVS è Narbonensi Gallia, regia stirpe ortus, & ab Ioanna Neapol. regina, Ladislai sorore, ea conditione, ut regio titulo abstinens, Tarentinus tantùm princeps uocaretur, in matrimonium acceptus: ea potentia abusus, reginā uxorem in captiuæ morem Gallorum custodia sepsit, infaustoq; Iulij Cæsaris Capuani & Cecholini Perusini studio rex appellatus, uix undecim mensibus regnauit. Nobilissimorum enim ciuium conspiratione in potestatem reginæ redactus, demùm impetrante Martino V. pontifice, cùm liberiore custodia seruaretur, nauigio repentè conscenso Tarentum profugit. sed eo fortunæ euentu, ut inde oppugnatus à femina, Maria Baucia, Ladislai regis uxore, fœdissimè pelleretur. Sensit & demùm uel Italia pulsus infestos deos, rabidissimis uentis in Cephaleniam insulam raptus, & longo tandem uarioq; errore delatus in Galliam. Desperatis itaq; rebus, ut ignominiam & calamitatem religionis uoto contegeret, sacrati habitus cucullam sumsit: atq; ita uir sæuitia & fastu intolerandus, inter sacerdotes in obscuro uitam finiuit. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

Fridericus Aragonius anno 1501. à Ludouico XII. Galliæ & Ferdinando Hispaniæ regibus regno Neapolitano exutus, Galli regis fidei sese commisit, ut Andiouinorū dux esset, & XXX aureorū millia quotannis acciperet. Guicciard. lib. 6.

BAIAZETHES II. Turcorum tyrannus, cùm natura pacis quàm belli esset studiosior, filijs intestinis seditionibus occupatis, à Ianizaris suis (in quibus omnis eius spes sita erat) imperio deturbatus, uigesimatertia Iunij, anno Salutis 1512. ingressus religionem, paulo pòst ueneno à filio iuniore dato, quū uno & triginta annis imperio præfuisset, mortuus est. Cuspinianus.

Ducatu, Principatu.

Cùm apud Heduos singularis magistratus antiquitùs crearetur, regiamq; potestatem quis non nisi annum obtineret, accidit, ut duo magistratum gerere uellent, legibusq; se uterq; creatum diceret. Alter Conuictolitanes, florens & illustris adolescens: alter COTVS, antiquissima familia natus, summę potentię, & magnæ cognationis, cuius frater proximo anno eundem magistratum gesserat. Ob id dissidiū cùm ciuitas omnis esset in armis, Iulius Cæsar eò profectus, cùm paucis clàm conuocatis didicisset, alio loco, alioq; tempore atq; oportuerit, fratrē à fratre renunciatum esse: & lex duos ex una familia uiuo utroque non solùm magistratus creari uetaret, sed etiam in senatu esse prohiberet: Cotum imperium deponere coëgit: Conuictolitanem, qui per sacerdotes more ciuitatis creatus esset, potestatem obtinere iussit. Aerodius ex Cæsare lib. 7. Com.

Fridericus I. Imp. HENRICVM Leonē, Saxoniæ ducem potentiss. post multam principum querimoniam euocatum, & contemnentem imperialia iussa, pro insigni contumacia priuauit honore ducali, & aliis principibus attribuit eius dignitates. Archiepiscopus Coloniensis ducatum Vestphaliæ, quæ est uetus Saxonia, sibi desumsit, & retinet in hodiernum. Bernardus de Aneholt, ducatum cum titulo Saxoniæ suscepit Imperiali munere, & tenent usque hodie posteri eius, inferiorem ad Albim Saxoniam: superiorem habent Misnenses. Neq; eius filij ad ducalem honorem unquam redierunt, sed Vilhelmus Brunsuicensem ducatum tenuit: Henricus ducta, comitis Palatini filia, Palatinatum, etsi Otho filius rex Romanorum electus est. Cranzius lib. 7. Metropol. c. 20. & 21.

Sigismundus Imperator ERICVM, Venceslai primi filium, ducem Saxoniæ in Leuuenburg & Vuittenberg, ob rebellionem ac inobedientiam priuauit electoratu, eumq; Marchioni Misnensi Friderico contulit: cuius prosapia etiam hodie hoc iure utitur. Cuspinianus.

FRANCISCVS Foscarus dux Venetorū, qui annos XXXV summa cum laude ciuitatem rexerat, Philippo Mediolanēsium duci Brixiam Bergomumq; ademerat, copias eius pluribus in locis fuderat, Franciscum Carmaniolam clarū ducem copiarum de proditione suspectum securi percusserat, Marsilium Carrarium, cuius maiores diu Patauium per tyrannidem tenuissent, dum paternam hæreditatem uendicare conatur, interceptum necauerat, pacem cum Turcis non tam honestam quàm necessariam fecerat, Imperiumq; Venetum terra mariq; ampliauerat, gubernationi tandem cedere compulsus est, tanquam præ senio reipub. uideretur inutilis. Ille è publico palatio in priuatam domum se recipiens, cùm principatū suis ciuibus reddidisset, ægrā quoq; confestim animam naturæ restituit. Cuius casum tanquam præuidisset Baptista Blasius Cremonensis astronomus, pluribus antè mensibus prædixerat. Erat autem, cùm moreretur, ferè nonagenarius, corporis maiestate decorus, memor omnium, quæ post infantiam aut uidisset, aut audiuisset, facundia copiosus, & ingenio prompto ac dexterrimo, & qui moderari frena senatus optimè nosset. Sabel. lib. 6. En. 10. & lib. 8. Decad. 3.

Pisani, mortuo Henrico VII. Imp. amiciss. cùm Florentinorum Lucensiumq; odia timerent, HVGVTIONEM Fagiolanū quasi dominum accepere. Nec multo pòst etiam Lucenses. Quibus cùm anno Sal. 1318. præesset Nerius Fagiolani filius cum præsidio equitum, Castrutium Castracanē coniuratorum caput inter Lucenses, propter prædam in Lucensibus factam, coniecit in carcerē, atq; ad supplicium educere parabat. Sed subitò tumultus exortus est. Ad quem compescēdum cùm Fagiolanus Pisa egressus pergeret, obuiū filium habuit, qui Luca pulsus, ad patrē confugiebat. Quo narrante Lucensium rebellionem, nuncij è Pisa uenientes, rebellasse Pisanos referunt, & clausis portis in libertatem se erexisse. Fagiolanus igitur eadem die duarum urbium dominio priuatus, ad Malespinas Marchiones amicos confugiens, per Lunensem regionem longo circuitu ad sua Romādiolæ oppida rediens consenuit, filiosq; moriens & nepotes reliquit. Castrutius è carcere eductus, tyrannidem apud Lucenses inuasit. Blondus lib. 9. Dec. 2. Platina in Ioanne 23. & Sàb. lib. 8. En. 9.

LVDOVICVS Sfortia Insubrum dux, ad primum nuncium descensus Ludouici XII. Gallorum regis in Italiam, siue populorum studijs diffisus, siue subita quadam (quia hinc Gallis, inde Venetis urgentibus sciret se imparē futurum) desperatione, Ascanio & liberis cum magno auri pondere in Germaniam præmissis, Mediolanensem arcem ualido firmauit præsidio, firmatam dedit tuendam Bernardino Curtio Ticinensi: inde Mediolanēses pro concione affatus, bono iussit animo esse, affuturum se breui ex Germania cum amici regis auxiliis. Galli interea Mediolano potiuntur: Veneti Cremona, & quicquid est circa Abduam. Affuit interea ex composito Ascanius Ludouici frater, ex Germania, literis & nuncijs accersitus. Hunc uenientem Mediolanenses in urbem magno totius ciuitatis fauore induxerunt. Id studiùm Ticinenses & Parmenses secuti, Gallorum presidia suis urbibus eiecerunt, & iam omnia ad defectionem spectabant, quum Ludouicus triduo post Ascanium magna omnium gratulatione Mediolanum reuertitur. At ubi acie cum Gallis congressus, Nouariam compulsus est, Suitensibus cum hoste pactis, ut incolumes inde abirent, ueritus Lodouicus, ne Nouariæ cum suis relictus, fame aut alia ui subactus in hostium potestatem ueniret, Suitanico habitu Germanis mixtus conatus est dissimulata persona in apertum euadere. Stabant Galli dextra læuaq; armis instructi, per hos Suitenses longo agmine taciti abibant. Hic ab hoste agnitus, quum iam multū Germani agminis processisset, ex improuiso Galli in eum manum iniiciunt. Captus est cum fidissimo uno ex familiaribus, qui illi ignoto habitu hærebat. Ascanius à Venetis captus, Gallis petentibus traditus est. Ambo in Gallias abducti. Et Sfortiani per hæc nobilissimo principatu exciderunt, anno millesimo Salutis atq; undequingentesimo, qui quinquagesimus fuit ab eo, quo Franciscus Sfortia, Lodouici pater, fuerat Mediolano potitus. Sabellicus lib. 9. Enneadis 10.

PETRVS Medices infami pactione Carolū VIII. Galliæ regem, contra Aragonios proficiscentem, traditis arcibus Florentinæ Reip. sibi conciliauit. Qua iactura ita offensi sunt Florentini, ut perduellionis reum in exilium cum Ioanne cardinale & Iuliano fratribus abire coegerint, cùm per 60 annos Medicei Reip. præfuissent. Guicciardinus lib. 1.

Iulius II. pontifex, IOANNEM Bentiuolum, ab inueterata tyrannide, cœtuq; audacium filiorum præpotentem, Bononia expulit, ope Gallorum adiutus, qui ad portas exercitū admouerant. Bentiuolus septuagenarius senex, animū despondens, quum ferociam imminentis Pontificis magnopere timeret, ad castra Gallorum confugit, nullo in supprema rerum difficultate, aut uirtutis, aut industriæ conatu edito: sic ut postea apud Mediolanum in exilio perierit. Domus eius incomparabilis structuræ, quam media in urbe ędificarat, ut abominandi dominatus memoria tolleretur, concursu populi à fundamentis euersa est. Iouius.

Præfectura classis.

Bello Peloponnesiaco, cùm pestilentia ingens Athenas inuasisset, & populus in PERICLEM causam referret, qui plebem rusticanam tempore æstiuo in angustis tectis urbis habitare coegisset, pro defendenda urbe, & classe instructa Epidaurum frustra obsedisset: imperium ei abrogarunt, multamq; dixerunt, cuius summam, qui minimam, quindecim talenta: quinquaginta, qui maximā scribunt. Hoc iudicio accusatorē se professus est, ut tradit Idomeneus, Cleon: ut Theophrastus, Simmias: Ponticus Heraclides Lacratidam refert. Plutarchus in Pericle.

Cùm Antiochus classis præfectus, Alcibiade in Cariam ad cōficienda stipendia profecto, temerè cum Lysandro pugnās classem amisisset: Athenienses calumniatoribus aures præbentes, ALCIBIADI imperium abrogarunt, aliosq; legerunt prætores. Quos cùm in Aegos flumine uicisset Lysander, Athenas demum cepit, & XXX tyrannos urbi imposuit. Plutarchus in Alcibiade.

Consulatu, Tribunatu.

Expulso Tarquinio tyranno, consul cum Bruto creatus est maritus Lucretiæ L. TARQVINIVS Collatinus. Brutus collegam primę ac nouę illius potestatis, quem poterat, si hoc offendebatur, nomine tantùm priuare, & patria priuauit & honore. August. de ciuit. Dei lib. 3. c. 16.

C. OCTAVIVS à tribunatu deiectus per Tiberium Gracchū, cùm ei legem agrariam perferenti in opulentorum gratiā publicè aliquoties restitisset. Plutar. in Tiberio.

Senatu.

Apud ROM. si quis ob flagitia senatu à censoribus motus esset, si denuò reciperetur, ad primos magistratuum gradus petendos, licet eos antè gessisset, cogebatur. Sic Corn. Lentulus Sura prætor erat, quando cum Catilina coniurauit, motus iampridem senatu, & tum demùm receptus. Plutarchus in Cicerone.

Dum L. Lucullus in Ponto & Armenia bellum gessit, Romæ Cn. Lentulo & L. Gellio consulibus, quatuor & sexaginta SENATORES, quot nunquam aliàs, uno tempore sunt curia summoti. Sabell. lib. 4. En. 6.

Circa annū Sal. 1393. in Agrippina Colonia ciues duplex habuere CONCILIVM: arctum eorū, qui quotidiana ciuiū negotia curarent: & latum, ad illos quoq; pertinēs, qui magnis reipublicæ negotiis adhiberentur. Erat ex latiore concilio uir primarius, quem legitimis causis proscripserāt magistratus cōcilij strictioris. Parendum fuit: sed ille apud principes effecit, ut eorum opera restitueretur. Vlciscēdi studio, concitata plebe, omnes de stricto concilio in uincula duci satagebat. At uiri sagaces minoris concilij, præuenientes insidias cæterorum, latum concilium per eandem plebem fecere in uincula duci. Prudentes interea quidam, quibus utraq; molitio improbabatur, effecerunt, ut minus etiam concilium custodiæ manciparetur. Vtrisq; diligenter custoditis, populus utrunq; conciliū dignitate exuit: & nouo delectu habito, constituit senatum unum, ut in reliquum ciuitas non duplici, sed unico concilio gubernaretur, magno Reip. bono. Cranzius lib. 10. c. 17. Saxoniæ.

MAGISTRATVS ET IMPERII XPHCIC. RESPECTV DIGNITATIS CONSIDERATAE

PER SE. MAGISTRATVM QVI gessere

ECCLESIASTICVM. HVC

Sacerdotes Iudæorum.

MELCHISEDEC, sacerdos Dei, rex Chananæorum. Is urbē in Sione monte condidit, Salemq; dixit, hoc est ἀελωόπολιν, Pacificam: in qua cùm regnasset annos 113. obijt, uir iustus, & uirgo. Genealogia uerò eius non explicatur, quòd prorsus non est de Abraami semine, sed genere Chananæus, & ex detestabili satu oriundus. Quamobrem genealogiæ honore caret. Suidas. Hic nouum sacrificij genus Deo panem & uinum obtulit, & Abrahamo ex uictoria redeunti obuiā processit. Primus itē typum Domini nostri gessit. Eius enim genealogia ignoratur, sicuti & Christi: sine humano patre: secūdùm diuinitatē uerò ineffabilis. Volat. lib. 17. Anthrop.

ESDRAS, Saraiæ F. primarius sacerdos Iudæorum Babylone degentium. Is sibi Xerxem regem sapientia sua ita conciliauit, ut ab eo libertatē Iudæos, qui uellent, in patriam reducendi, obtinuerit. Instituit is populum, qui antè etiam à Zorobabele reductus fuerat, in uera religione, & legis librum ipsis prælegit. 1. Esdræ 7. & Iosephus lib. 11. cap. 5.

MATTATHIAS sacerdos Iudæus Modinensis, cum quinq; filiis fortissimis, Ioanne Gaddo, Simeone Thassi, Iuda Machabæo, Elenzaro Abaran, & Ionathane Appho, Antiochi Epiphanis edictum, quo Iudæos à patria religione ui abducere conabatur, contemnens, Iudæum ad aram idoli accedentem cum Apelle, regio pręfecto, occidit: in solitudinem relictis facultatib. cum suis confugit, manuq; & societate Asidęorum, collecta, hostes ex improuiso adortus cecidit, pueros per uim circumcidit. Moriens filiis quinq; præcepit, uti uestigia sua secuti, legem Domini contra regem defenderent. 1. Machab. 2.

Sacerdotes Ethnicorum.

Apud sacerdotes olim, præsertim Aegyptios, occultioris sapientiæ professio extitit, multo otio abundantibus. Hinc factū, ut cùm quisq; deos suos, quorum minister erat, naturæ principes statuere cupit, uaria de diis finxerint, fabulisq; omnia repleuerint. Quarum cognitio Theologia olim dicebatur, cùm reuera Philosophia esset naturalis aut ethica. Respectu igitur Eruditionis, Theologi quidam sunt practici: respectu uerò Dignitatis, huius propriè sunt loci.

IETHRO Madianitanus pontifex, septem filias habuit, quas Moses contra iniuriam pastorum tutatus, unam ex eis Sephoram in coniugem accepit. Exodi 2.

MATTAN Baalis sacerdos, Hierosolymę Ioa rege electo, iussu Ioiadæ pōtificis ad aram Baalis interfectus est. 4. Reg. 11.

CORESVS sacerdos Bacchi Calydonij, amore Callirhoes uirginis æstuans, cùm ea potiri non posset, Calydonios execratus est, ut multi insania & furore perierint. Quo etiā morbo liberari nequiuerunt, nisi ad aram Liberi uel Coresum uel Callirhoen, aut alium, qui se pro illa deuouisset, immolarent. Cùm igitur puella cędi destinata & uictimę ornatu ad aram deducta fuisset, Coresus amore uictus, seipsum pro illa occidit. Pausanias in Achaicis.

LEODES Oenopis F. sacerdos, inter procos Penelopeos magno crateri, è quo cyathizabant, semper assidebat, uel tanquā custos, ne uenena miscerentur: uel certè, quo faciliùs & promtiùs sibi hauriret. Displicebāt huic procorū mores & intēperies: sed quoniā comessationū cupiditate à recto se deduci sinebat, ab Vlysse quoq;, multis licet suā protestatus innocentiā, fuit interfectus, tum quia sæpe in procorū gratiam contra Vlyssem sacra fecisset, tum quia spem haberet aliquam potiundæ Penelopes. Homerus in Odyssea.

Cereris sacerdos SOSTRATVS, apud Corn. Tacitum.

MITHRAS Isidis sacerdos apud Babylonios. Alex. lib. 1. cap. 8. Item GRAMMATHAS, lib. 2. cap. 8.

SETHON rex Aegyptiorum, post Amyrtæum, Vulcani sacerdos. Herod. in Euterpe.

Vestæ sacerdotes, uirgines [illegible] Romæ à Numa stipendium de publicō habuerunt, perpetuaq; uirginitate aliisq; ceremoniis uenerabiles redditæ sunt. Carpento uehebantur, magistratusq; illis [illegible], ac fortuito occursu sontem supplicio eximebant: ignē perpetuum seruabant: qui si per incuriam extinctus esset, custos flagro à pontifice maximo, cui suberant, cædebatur. Si qua incestus conuicta esset, ante ora ciuiū, mœsto silentio efferebatur, uiuaq; circa Collinam portam, in subterraneum specum dimissa, terraq; statim superiniecta, necabatur. Polyd. lib. 4. cap. ult. de Inuent. Cælius lib. 15. c. 14. A. L. & Sab. lib. 3. Ennead. 2.

TYRANNVS, Saturni sacerdos Alexandriæ, cùm miris præstigiis in Saturni templo omnes ferè nobiles matronas adulterio polluisset, sub prætextu, quasi Saturnus earum colloquio nocturno delectaretur: tandem deprehenso dolo, perq; tormēta cōuictus, meritas impietatis pœnas luit. Eusebius lib. 11. c. 25. hist. Eccles.

MEGABYZVS sacerdos Dianæ Ephesiæ, eunuchus, à cuius nomine cæteri dicti sunt Megabyzi. Plin. lib. 15.

MYXOS Dianæ sacerdos, immodicus sui nominis præco & ostentator. Hinc & Myxos appellamus huiusmodi homines uentosos, qui plus æquo sibi tribuunt. Rauisius.

IPHIGENIA, Dianæ sacerdos Tauricæ, Agamemnonis & Clytæmnestræ filia.

COMOETHO Triclariæ Dianę sacerdos. Pausan. in Achaic.

CAMMA sacerdos Dianę in Gallia, femina pudicissima, Erasinorigi Gallię tetrarchæ, qui ut ea potiretur maritum interfecerat, mulsum ueneno mixtum propinauit. Et cùm eum quoq; bibisse cerneret, magna uoce exclamauit, Dianam adorans: Gratiam tibi habeo, ueneranda Diana, quòd mihi concesseris in tuo templo, pro marito mea causa interfecto supplicium exigere. Hisq; dictis confestim & ipsa mortem obiit, & sponsus simul cum ea ad aram deæ uitam reliquit. Polyænus lib. 8. & Alex. lib. 2. c. 5.

Apollinis sacerdos fuit PANTHVS, Othrij filius. Virg. 2. Aeneidos. Item ANIVS rex. 3. Aen. Item LYCAS, exectus matre peremta. Aeneid. 10.

Palladis sacerdotes, LYSIMACHE, apud Plinium lib. 34. Itē THEANO alia, apud Homerū. BVTES, cuius familia longo tempore sacerdotium tenuit, Eteobutades dicti. Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 8.

Cybeles sacerdos, CHOREVS. Virg. 11. Aen. Item MELISSA prima eius sacerdos, Melissei Cretensium regis filia, qui primùm dijs rem obiisse diuinam ac ritus nouos sacrorumq; pompas introduxisse dicitur. Didymus in libris enarratio-

nis Piadaricæ. Et ab hac Melissa omnes huius deæ sacerdotes Melissæ dictæ sunt. Lactant. lib. 1. Inst. Cælius lib. 12. c. 1. & lib. 22. c. 3. A. L.

Atys Phrygius puer, cùm à Rhea amaretur, perpetuâ virginitatem se seruaturum pollicitus est. At cùm eâ non seruasset, furore percitus seipsum euirauit, atq; sacerdos deæ, cui fidem violauerat, factus est. Inde mansit ea cõsuetudo, ut à GALLIS uocatis sacerdotibus muliebri habitu indutis Rhea coleretur, ut testatur Lucianus in dea Syria. Huic deæ pinus arbor sacrata fuit, quòd in eâ arborem deniq; Atym ab illa amatum, mutatum fuisse credãt, ut testatur Ouid. lib. 10. Metamorph. Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap. 5.

BATABACES Matris magnæ sacerdos, uictoriam bello Cimbrico populo Rom. prædixit. Plut. in Mario.

ASPASIA Cyri Persarum regis pellex, sacerdos facta Dianæ Anaitidis. Plut. in Artaxerxe.

SACERDOS Paludianorum ethnicus conuersus ad Christũ per Macarium Aegyptium & Alexandrinum, ob ueram religionem à Valente Imp. exilio multatos. Nec is solùm, sed & omnes Paludij incolæ. Ruffinus lib. 2. c. 4. Socrates lib. 4. c. 24. Theodoret. lib. 4. c. 21. Sozom. lib. 6. c. 20.

COIFI sacerdos Anglus ethnica templa diruit.

Pontifex primus à Numa Romæ creatus est MARTIVS, Marci filius, uir patricius, cuius potestati omnia sacrorum iura subiecit. Quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fieri oporteret, formula edocuit. Si pontifex à refectione pontis est dictus, ut Varroni & aliis placuisse uideo, quia pons tum nullus utiq; fuit, qui refici potuerit (constat enim post Numæ tempora ab Anco Martio pontem primò Tiberi impositũ) diuersa appellatione ab initio uocatũ credere par est. Nec me fugerit, fuisse, qui à uetustissima sacrorum ratione, quę ad pontes fierent, id nomen ab imitio factum crederent: quæ opinio pari ratione refellitur. Sab. lib. 3. En. 2.

ALEXIANVS Mammeæ F. BASSIANVS uerò Sœnidis, sororũ (quarũ matertera Iulia Seuero primùm, inde Caracallæ priuigno nupsetat) solis apud Phœnices sacerdotes, quẽ Heliogabalum uocabant. Milites Bassianũ, uelut ex Caracalla per stuprum natum, propter formę elegantiam, occiso Macrino, Imperatorem fecere. Sab. lib. 6. En. 7.

Indices religionis Christianæ.



Legati sacri.

Cùm diuturna siccitate Græcia laboraret, missi Delphos sunt, qui ex oraculo calamitatis causam ac remedium cognoscerent. Ibi respondit Pythia, Iouem placandum, utendum uerò, modò ut uelit obseq. AEACO deprecatore. Ex eo itaq; respõso missi ex singulis urbibus ad Aeacũ, ut deprecationẽ susciperet, oratũ. Ille Panellenio Ioui sacris ritè pactis, & uotis nuncupatis, imbriũ Græciã cõpotem fecit. Ad rei memoriã legatis Aeginetę statuas posuerunt. Pausan. in Corinth.

Bœotorum terra cùm unum & alterum annum nullis imbribus irrigaretur, è singulis ciuitatibus Delphos missi sunt, q opem implorarẽt. Apollo imperauit, ut Lebadeam uenientes à Trophonio mali auxilium quærerent. Cùm oraculum reperire non possent, SAON quidam Acræphniensis, collegarum natu maximus, cùm apum examencõspexisset, quocunq; illæ diuertissent, sequi statuit. Vbi igitur eas ad specũ quendam aduolãtes uidit, & ipse subiens, oraculum, quod quærebant, illud esse intellexit. Saonem hunc cùm ea, quorum causa missus fuerat, tum sacrorum omnem ritum, & quæ inter consulendum fieri fas est, edoctum à Trophonio memorant. Pausanias in Bœoticis.

ANNO 1053. ecclesia Cõstantinopolitana rursus à Romana defecit, propter principatum, quã ipsa sibi asciuit, Cõstãtino Imperatore Michaelem patriarchã primariis honoribus onerante. Quã rem ubi Leo IX. Pp. audiuit, legatos tres ad eã cõprimendã decreuit, FRIDERICVM archidiaconum cãcellarium suum, HVBERTVM episcopum Syluæ candidæ, & PETRVM archiepiscopum Amalphiranum. Illi honorifi cè ab Imperatore suscepti sunt. Inde ut hæreses eorum cognoscerent, cõcilium indixerunt, atq; eò Imperatorem & patriarchã uocarunt. Cùm autem illi se uenturos principatum ecclesiæ sibi uindicantes negarent, Fridericus urbe egressus sandalia sua more Apostolorum super eos excussit. Quo facto tantum terroris omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & patriarcha cum clero & populo postridie sacco & cinere obuoluti ad eum prorexerint, & apostolicam auctoritatem in eo ad terram prolapsi adorarint. Inde hæresibus eorum, & Michaele patriarcha, & Leone episcopo Acridano damnatis in Italiam redierunt. Sigonius lib. 8. regni Italici.

IOANNES Rockisana, Hussitarum legatus, Egram & Basiliçã ad concilium trecentis equitibus comitatus. Cranzius lib. 12. Vandaliæ c. 1.

❧ POLITICVM.

Reges, Imperatores.

Catalogum uariorum Regum ex Tomo Politico pete.

Exarchi.

Exactis Gothis, expulsor ipse uictorq; NARSES à Iustiniano Imperatore summæ rerum præpositus, titulo Ducis Italiæ sumto, Italiam per decem & septem prouinciarum præfectos pro suo arbitrio administrauit.

LONGINVS Patricius successor Narseti à Iustino summissus, quòd summa cum potestate atq; imperio uenerat, nouam pro arbitrio Italiæ administrationem induxit. Primùm Rauennæ, nõ Romæ, præfecturæ sedem posuit, nec se Ducem, sed Exarchum Italiæ, quemadmodum & Africæ Exarchus erat, uocauit, & prouinciarum Consularibus, Correctoribus, Præsidibusq; sublatis, singulis ciuitatibus singulos Duces imposuit, ac uarios eis ad reddenda iura Iudices assignauit. an. 567. Sigonius de regno Italiæ.

Præfecti.

Cataoniæ urbs est & Bellonæ fanum, quod illi Comana uocant, maximam numine afflatorum & sacrorum seruorum multitudinem habens. Eã Cataones incolunt, qui quanquã regi subditi sint, parent tamen SACERDOTI, qui fani & sacrorum seruorum magna ex parte dominus est, qui tempore, quo Strabo peregrinatus est, supra sex millia erat, uim simul ac mtilieres. Fano adiacet regio nõ parua, cuius fructũ ac prouentum sacerdos accipit. In honore secundus est in Cappadocia post regem. Reges ac sacerdotes frequentiis ex eadem esse progenie solebant. Hoc sacrorum genus Orestes cum sorore Iphigenia è Scythia Taurica uidetur attulisse, quæ Dianæ Tauropolæ erant. Strabo lib. 12.

CONSTANTINVS III. Scotorum rex statuit, ut is, qui Scotiæ regno defuncto rege deinceps præesset, Cumbriæ præfectura ornaretur. Proinde primus ipse Malcolmum Domildi regis F. Cumbria donauit. H. Boëthius lib. 11.

Dictatores.

Concitauerat Phalisconum & Tarquiniensium clades omne Hetruscum nomen in Romanos, atq; duobus populis ducibus, ad Salinas usq; pdabũdus hostis processerat. Aduersus hunc terrorem MARTIVS Rutilius primus è plebe Dictator est dictus. Qui C. Plautium, & ipsum plebeij sanguinis, magistrum equum dixit. Ferre id iniquo animo Patres, indignantes nõ consulatum modò, sed dictaturã etiã in promiscuo esse: nihil itaq; illi decernere, ut irrita dictatura fieret. Ea iniuria populus instructus, maiore, quàm ullo antea, studio omnia ad bellũ necessaria detulit. Parato itaq; exercitu, Rutilius in hostem cõtendit, exercitumq; ratib. Tyberim traiecto, populatorib. multiuariã oppressis, ex improuiso castra hostiũ adortus, ui cœpit. Octo millia hostium capta Romã duxit, ac sine Patrũ auctoritate, populi iussu, triumphauit. Atq; ita cõtigit, ut Rutilius, qui primus è plebe est dictator creatus, idem primus inuitis patribus legitimum de hoste triumphum egerit. Fuitq; annus ille quadringentesimus ab Vrbe condita, post urbem à Gallis receptam quintus, ut Liuius scribit, & quadragesimus. Sab. lib. 3. En. 4.

Anno Vrbis 252. Posthumo Cominio Aurũco, & T. Lucio Flauo Coss. T. LARTIVS Flauus primus dictator dictus, Sp. Cassius magister equitũ, cõtra motus Targniorũ Eutebius.

A. POSTHVMIVS Albus Regillẽsis, ad lacum Regulum Latinos uicit, anno Vrbis 257. q Tarquinios reducere tentabat.

Anno Vrbis 259. cùm plebs in Sacrum montem secessisset, M. VAL. dictator dictus.

L. QVINCTIVS Cincinnatus, dictator, & L. TARQVINIVS Flaccus magister equitum, Aequos uicerunt, Vrbi anno 295. Ille idem anno 314. dictator iterum creatus, cùm Sp. Melius largitione frumentaria regnum affectaret. C. Seruilius Hala magister equitum Melium ad dictatorem uenire recusantem interfecit.

Belli Hetrusci cura omni discussa, AEMILIVS Mamercus, ne nõ aliquid in sua dictatura egisse uideretur, censuram, quæ ab initio quinquennalis fuit, in annum & semestre spacium lege ad populũ lata cõtraxit. Et ut sciatis, inquit, Quirites, quã mihi diuturna nõ placeant imperia, dictatura me abdico. Censores cum in ordinem redactum, quia magistratum Pop. Rom. minuere esset ausus, tribu submouerunt, octupleratoq; censu fecerunt ærarium. Tulit Mamercus eã ignominiã ciuili animo, causam potiùs quàm rem intuitus. Contra tanta populi in Censores exarsit ira, ut nullius, præter quàm ipsius Mamerci auctoritas, ne multitudinis incursu violarentur, eos protexerit. Sab. lib. 5. En. 3.

Q. SERVILIVS Priscus dictator, Posthumius Ebutius magister equitum, anno 317. Captæ Fidenæ. Dictator iterum anno 335. Aequos uicit, & Lauicanos, capto Lauico oppido.

M. AEMI-

M. AEMILIVS Mamertinus dictator 1. anno 316. iterum anno 319. tertiò, anno 327. & A. Corn. Cossus magister equitum, de Veientibus triumpharunt.

P. Corn. RVTILIVS dictator anno 345. de Volscis & Aequis triumphauit.

M. FVR. Camillus dictator anno 356. Veiis captis triumphauit. Anno rursus 363. iterũ dictator de Gallis triumphauit. Anno 365. dictator III. de Volscis triumphauit. Anno 385. dictator IIII. L. Aemilius magister equitum, cùm lex de consulatu altero plebi communicando à tribunis ferretur. Dictator V. anno 386. in agro Albano Gallos uicit. Tertio post anno peste obiit.

LIVRIVS Camillus dictator bello Aurunco creatus, anno 408. Aurunci uicti, Sora Volscorum urbs capta.

L. PAPYRIVS Cursor dictator sine Coss. anno 429. Cæsis Samnitum 20000. triumphauit.

Q. FAB. Max. Rullianus dictator, Q. Aurelius Cerretanus magister equitum, anno 444. Satricula capta, Samnites cæsi.

Anno Vrbis 467. HORTENSIVS dictator, secessionis populi in Ianiculum reducendæ causa legem tulit, ut plebiscita omnem populum Quiritium tenerent, & pro legibus obseruarentur. Liuius lib. 11.

Vastante Italiam Hannibale, & Rom. ad Trebiam & Thrasimenum ingenti clade affectis, ciuitas ad unicum reipublicæ remedium confugit, & quia consul aberat, dictatorem, quod nunquam antea fieri contigit, Q. FABIVM Maximũ populus creauit, nisi prodictator ille potius fuit: quod & Liuius suspicari mihi uidetur. Is magistrum equitum M. Minutium Rufum dixit. Sabellicus lib. 1. En. 5.

C. CORN. SYLLA, mortuo Mario, & Marianis uictis, ipse semetipsum dictatorem in centum annos dixit.

Romani à bellis intestinis arbitrantes dominatum respirationem, C. IVL. Cæsarem dictatorem perpetuum dixere. Erat uera ea tyrannis, cùm ad potestatem absolutam accessisset perpetuitas. Plut. in Cæsare.

Florentini PETRVM Soderinum, uti patrem patriæ, antiquato trimestri magistratu, administrandæ Reip. dictatorem perpetuum creauere, quòd illius opera Ludouicus XII. Gallorum rex contra Alexãdrum VI. Pp. Medicęos reducere conantis Reip. conciliatus fuisset. Iouius in Leone lib. 1.

Consules.

❧ *Consules Romanos in Tomo Politico enarrabimus, ut Romanæ Reipublicæ successio seruetur.*

Legati cum imperio ad rempub. gerendam, aut bella conficienda, loco Consulum aut Principum foras missi, domiue relicti.

Agesilao regi Spartano in Asiam cum exercitu profecto legatus additus LYSANDER. Plutarchus.

A. GABINIVS legatus, rebus aduersus Lucanos prosperè gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Liu. lib. 76.

Q. FAB. Maximus, Quinto filio consuli, legatus aduersus Sãnites, ad Suessulam obuiam prodiit. Alex. lib. 6. cap. 3.

T. Q. FLAMINIVS legatus in Græciam cum Mannio Acilio Coss. contra Antiochũ & Aetolos, ad confirmandas in fide Romanorum socias ciuitates, missus est. Plut. in eius uita.

M. CLAVDIVS, L. Cornelij consulis aduersus Boios pugnãtis legatus, cùm literas de negligentia consulis Romam scripsisset, effecit, ut triumphus Cornelio denegaretur. Alex. lib. 6. cap. 3.

P. SCIPIO Africanus, L. Scipioni fratri aduersus Antiochum fuit legatus: cuius auctoritate factum est, ut uicto Antiocho, de Antiocho & omni Asia triumpharet. Idem.

C. LÆLIVS legatus in Hispaniam Africano profectus, in expugnatione Carthaginis nouæ præpositus classi fuit, ut Liuius testatur. Idem missus à Scipione ad Syphacem legatus pro amicitia, tribunos peritissimos rei militaris specie seruorum secum duxit, explorandæ regionis gratia, ut ait Frõtinus: in qua legatione Syphacem populo Romano amicum reddidit. Volat. lib. 16. Vrban. Com.

FL. FIMBRIA ciuis sæuissimus, satelles Cinnæ, Valerio Flacco cõsuli legatus in Asiã, pfectus, p simultatẽ dimissus, corrupto exercitu, ducẽ interficiẽdũ curauit. Volat. li. 16. Anth.

C. MARIVS, Metelli consilis legatus, contra Iugurthã. Alex. lib. 6. cap. 3.

SER. GALBA, Galbæ oratoris nepos, C. Iulij Cæsaris in Gallia legatus, eidemq; infensissimus. Volat. lib. 16. Anthr.

LABIENVS, Cæsaris in Gallia legatus, magnas sub eo res gesserat. Demũ bello ciuili transfugit ad Pompeium. Ei Cęsar eius bona, quæ habebat in potestate, remisit. Lucanus:

--- Dux fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga uilis.

Aur. SCAVRVS legatus à Cimbris, fuso exercitu, captus est:

& cùm ad consilium ab his euocatus, eos deterreret, ne Alpes trãsirent, Italiam petituri, Romanos uinci minime posse asserẽs, à Belo rege feroci iuuene occisus est. Liu. lib. 67.

VENTIDIVS M. Antonij III uiri legatus, de Parthis, nouo exemplo, solus & sine consule, triumphauit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

PERENNIVS legatus cũ Cõmodo ad exercitũ in Britanniã missus, seditiones multas compressit. Volat. lib. 23. Anthr.

AEGIDIVS Carilla ab Innocentio VI. pont. max. Auinione habitãte legatus ad res Italiæ componendas missus, Hispanus genere, è gente Carilla, in rebus agendis prudentissimus, statum Ecclesiæ uarijs tumultibus exagitatum, absente pontifice pacauit. Iterum ab Vrbano VI. in Italiam missus, Barnabam Vicecomitem, statum pontificis turbantem, compressit. Præterea quoq; ab Vrbano V. Lemouicensẽ legatus in Italiam missus. Volat. lib. 22. Anthrop.

IVLIANVS Cæsarinus Cardinalis legatus cum Vladislao Pannoniæ rege aduersus Turcas ab Eugenio IIII. pontifice max. missus, & cæsus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES Eduardi filius (ex præclarissima Columnensium familia, ex qua CC. uiri clarissimi omnium claruerunt) cardinalis S. Praxedis, legatus in expeditione Hierosolymitana, anno MCCXX. inter duos pontes à Barbaris inclusus, iamiam fecandus erat, nisi illos diuina prouidentia, eius cõstantia fideq; permotos, flexisset. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES Cornetanus, quem Vitellicum nominabant, patriarcha Alexandrinus, ex humili loco in senatum adscitus, duci propior quàm sacerdoti, absente Pontifice legatus, tumultum Romæ compressit: statumq; reliquum ac terras re belles pacauit, de sontibus sumendo supplicium. Idem.

Legati & Oratores cum mandato compositionis uel inspectionis tam priuatim quam publicè missi.

❧ *Exempla aliquot ex Tit. Fidei & Perfidiæ erga legatos. item ex Tit. Legati prudentes.*

PHINEES Eleazari F. sacerdos, cum decem principibus decem tribuum ad Israelitas Transiordaninos legatus missus. Iosua cap. 22.

ZOROBABEL, Ananias & Mardochæus legati Iudæorum ad Darium regem Persarum missi, ut accusarent Samaritanos, templi instaurationẽ prohibentes. Iosephus lib. 11. ca. 4.

EVPOLEMVS Ioãnis F. & IASON Eleazari, legati missi à Iuda Machabęo ad Romanos, p inedita amicitia. 1. Mach. 8.

Græci cùm Tenedũ appulissent, legatos misere ad Troianos, pro repetenda Helena, VLYSSEM oratorem plenum, uberem, planeq; Asiaticum, & MENELAVM breuem atq; Laconicum: ut alter eloquentia sua, alter pondere rerum Troianos moueret. Vtriusq; mores describit Hom. Iliad. 7.

MYRSVS Lydus, Gygis F. ab Oroete præfecto Sardium ad Polycratem missus, ut eum spe colloquij & pecuniæ accipiendæ eliceret, & caperet. Id quod & factum est. Herod. lib. 3.

AMASIS, legatus ad defectores ab Apric rege missus, ab Aegyptiis rex creatus est. Vicissim PATARBEMIS ad Amasim legatus, ut eum ob rebellionẽ uinctum ad Apriem perduceret, cùm re infecta rediret, Apries ei præcidi aures & nasum præcepit. Herod. lib. 2.

SCYLAX Caryandes à Dario rege legatus missus ad ostia Indi fluuij indaganda. Herod. lib. 4.

Darius rex ingressus in Scythiam, inopia laborabat. Scythæ autem LEGATOS ad eum miserunt cum muneribus: aue uidelicet, mure, rana, & quinq; sagittis. Darius pro mure terram, pro rana aquas, pro aue equos, pro sagitta seipsos tradere interpretatus est. Gobryas hoc dicere dona coniectabat: O Persæ, nisi aut aues auoletis, aut ut mures subeatis terram, aut ut ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis, his sagittis confecti. Herodotus.

Lacedęmonij BENEMERITOS, quo anno ex Equitibus exirẽt, ne otio torpescerẽt alios alio mittebãt. Plut. in Lycurg.

ALEXANDER Amyntæ F. Macedoniæ rex, à Mardonio, quã à Xerxe relictus erat in Græcia ad eam subigendam, legatus missus ad Athenienses pro amicitia contrahenda. Sed re infecta dimissus, & eadem de causa rursus Athenas uenire prohibitus. Herod. lib. 8.

Demetrius Poliorcetes, Macedonia à Pyrrho pulsus, cùm iterũ defeciuissent ab eo Athenienses, inflãmatus ira mouit in eos, urbemq; ualida cinxit obsidione. Cæterùm misso ad ipsum CRATETE philosopho, partim illius adductus precibus, partim rationibus, soluit obsidionẽ, & in Asiã ad Cariã & Lydiã Lysimacho adimẽdã nauigauit. Plut. in Demetrio.

ARISTAGORAS Milesius legatus Spartã profectus, ut auxilia Ionibꝰ cõtra Persas impetraret, insolita uestitus mũditle aliisq; deliciis Ionicis affluẽs, qdã ex Ephoris eũ hoc dicto submonuisse ferũ, οἶκοι τὰ μιλήσια. id est, Domi Milesia. Suid.

POLYCRATIDAS, unus cũ cæteris missus orator ad duces regios, quũ ab his interrogaretur, utrũ priuatim uenissent,

an publicè missi? Si impetramus, inquit, publicè: sin minus, priuatim. Vox pij candoris in patriam index. Si cessisset ex sententia legatio, gloriam uolebat reip. cedere: sin minus, ignominiā repulsæ ad patriā non pertinere. Plut. in Lacon.

LACONES legati olim quū ad Lygdamū tyrannum issent, atq; ille congressum sæpius differret, dicens se malè habere: Dic (inquiunt legati) nos non uenisse cum illo colluctaturos, sed collocuturos. Brus. lib. 3. cap. 30.

AGIS Archidami filius, cùm ad Philippum regē legatus mitteretur, solus regē sine comitatu accessit. Rege mirante: Veni, inquit, unus ad unū. Plutar. in Lacon. Apophth. At com. de Garrulitate, legato Spartano ad Demetrium regem hoc ipsum tribuit.

LACRINES legatus Lacedæmoniorum ad Cyrum cū quinqueremi missus, qui illum à bello Ionibus inferendo dehortaretur. Herod. lib. 1.

CHARMIDAS Euthyis F. à Spartanis regnante Alcamene in Cretam missus, ad seditiones componendas, & ad persuadendum, ut quæ oppida à mari longiùs abessent, parum illa quidem munita relinquerent, & pro iis ea incolerent, ad quæ facilè nauibus appelli posset. Pausanias in Lacon.

Ad regem Artoxerxem missi sunt legati Thebanus ISMENIAS, & PELOPIDAS iam acie Leuctrica uictor, & TIMAGORAS Atheniensis. Ismenias cùm adorare regem iuberetur, annulum ad pedes suos humi abiecit, quem inclinato sustulit corpore: unde existimauerunt eum regem adorasse. Plut. in Artoxerxe.

Alexandrum Magnum in India missi à ciuitatibus obsessis legati supplices adiere: & primùm obstupuere, cùm in armis eū sine ulla pōpa contēplarentur. Hinc puluinum, qui allatus sibi erat, accipere & considere maximū natu, ACVPHI nomen erat, iussit. Cuius admiratus benignitatē & humanitatē Acuphis, quæsiuit, quibus conditionibus ipsos recipere in amicitiam uellet? Respondente Alexandro: Vt te ipsum patriæ tuæ principem imponamus, & uos centum ad nos uiros optimos mittatis. arridens Acuphis: Atqui meliùs, inquit, imperauero rex, si deterrimos ad te potiùs quàm optimos misero. Plutarchus in Alexandro.

Alexander ad Gymnosophistas eos, qui erant clarissimi, solitariam aūt quietamq; uitam agebant, ONESICRITVM misit petitum, ad se ut uenirent. Fuit Onesicritus philosophus ex Diogenis Cynici contubernio. Aiunt Calanū sanè quàm supbè & asperè iussisse ei, ut posita ueste audiret se nudus: alioqui non congressurum cum eo se, ne si à Ioue missus esset quidē. Dandamim egisse placidiùs: ac de Socrate, Pythagora, Diogene cùm audiuisset, dixisse magno ingenio sibi eos uiros uideri fuisse, sed nimiùm reuerētes legū. Alij Dādamin nihil memorant nisi solū hoc quæsisse: Qua de causa Alexander eò uenisset tā immēso itinere? Plut. in Alexādro.

ANAXIMENES Alexandrū Magnū, Lampsacenis uehementiùs irascentē, missus à suis legatus, placare instituerat. Alexander eo uiso, ut omnem gratiæ occasionem præcideret, iureiurando affirmauit, nihil eorum, quæ Anaximenes, quantumuis præceptor, peteret, se concessurum. Tum ille, Hoc ergo à te peto, inquit, ô rex, ut Anaximenis præceptoris tui patriam funditus euertas. Itaq; Alexander Lampsacenis uel inuitus pepercit. Pausanias lib. 6.

PHOCION legatus ad Antipatrum, uictis ad Cranona Grecis, profectus Thebas est, adiuncto ab Atheniensibus inter legatos cæteros Xenocrate philosopho. Tantū enim uirtutis Xenocratis erat apud omnes opinio, ut existimarēt quāuis feritatem & excandescentiā animi humani ex solo aspectu mitigari posse. At uerò euenit ob improbitatē Antipatri & uirtutis odium secus. Nā primùm cōplexus alios, non salutauit Xenocratē. Vnde dixisse aiunt illum, Rectè facere Antipatrum, qui indignitatis causa, qua ciuitatē Atheniensem statuerat afficere, unum se erubesceret. Deinde dicere exorsum non ferens, sed interpellās infensus, orationē eius præcidit. Cùm uerò disseruisset Phocion, respōdit amicitiā & fœdus se cum populo Atheniense facturū his cōditionibus: ut Demosthenem & Hyperidē sibi dederent, rempubl. more ueteri ex censu tractarent, præsidium in Munychia acciperent, præterea impensas belli & multā penderent. Has conditiones pter Xenocratem alij legati ut benignas læti accepere. Ille enim moderatè ait Antipatrū ut cum seruis, ut cum liberis duriter egisse. Phocione aūt præsidium detrectante & deprecante, fertur Antipater dixisse: Omnia Phocion parati sumus tibi indulgere, exceptis iis, quæ & te & nos perdent. Alij nō ita, sed interrogasse autumant Antipatrū: Vellet'ne Phocion, si p̄sidium remisisset Atheniensibus, spōsor esse, fœderi ciuitatē staturā, neq; quicquam molituram noui? Tacente & cunctante illo, Callimedonta Carabum audacem hominem & liberis populis infestum exilisse cum hisce dictis: Quid si hic deliret Antipater, tu credes ei, & à consiliis discedes tuis? Ita presidium Athenienses Macedonum acceperant. Plut. in Phocione.

Olim Megarenses Corinthiis erāt uectigales. Cęterum cùm illorum imperitum grauiter ferrent, ac defectionē pararent, missus est LEGATVS Corinthiorū nomine, qui apud plebem Megarensem cùm alia multa ferociter dixit, tum illud indignabūdus ac uociferās intonuit: Οὐκ ἀνέξεται ὁ Διὸς κόρινθος: id est, Non feret Iouis filius Corinthus. Id ubi sæpius iteraret, concitatus populus, succlamare cœpit, παῖε, παῖε Διὸς κόρινθον, Feri feri Iouis Corinthum. simulq; legatum expulerunt. Erat aūt Corinthus hic Corinthiorū rex, Ioue prognatus: tametsi Pausanias in Corinthiacis negat se apud auctores serios reperisse, Corinthum Iouis fuisse filium, sed uulgus duntaxat Corinthiorum ita prædicare. Ex Interprete Pindari in Nemeis, Cælius lib. 21. cap. 26. A. L.

Leontini Chalcidensium coloni in Sicilia, Atheniensiumq; cognati, pressi opibus Syracusiorum, legatos Athenas misere oratum à populo auxilium. Legationis princeps fuit GORGIAS rhetor, orator simul & exorator. Diod. lib. 12.

Tauromenitæ Siculi Corinthiorū ducem Timoleontem cum classe receperāt. Pœni id indignè ferētes, LEGATVM cū triremi Tauromeniū mittunt: qui post multa odiosa uerba apud Andromachū oppidi dynastē, patrē Timęi historici, facta & fulmina barbarica, nisi actutū eiicerēt Corinthios, postremò manū supinā ostēdit, inde inuertit, additis minis, ciuitatē eius se, quę talis esset, talē redditurū. Ei ridens Andromachus nihil aliud responsi dedit: sed manū, ut ille nunc supinam protendens, nunc pronam, iussit cum naue abire, nisi eam pro tali effici uellet talem. Plut. in Timoleonte.

ARISTÆVS & ANDREAS legati missi à Ptolemæo Philadelpho rege Aegyptiorum ad Eleazarum Pontificē Iudęorum pro LXX. interpretibus. Iosephus lib. 12. cap. 2.

METRODORVS Scepsius à Mithridate rege legatus ad Tigranem missus, à rege desciuit. At Tigranes inuitum cum ad regem remisit, qui seu regis opera, seu morbo in itinere excessit. Strabo.

ARISTIONEM quēdam Atheniensem consueuerat Mithridates ad Græcas ciuitates legatū mittere. Hic cum Atheniensibus egit, ut in amicitia Romanis Mithridatem præferrent. Pausanias in Atticis.

Numam annum agentem quadragesimum legati Romani acciuerunt ad accipiendum regnum. Verba fecerunt PROCVLVS & VELESVS, quorum alterutrum populus antè uidebatur ad regnum prouecturus. Proculi ueteres Romani, Tatij factio fuerat Velesi studiosa. Plut. in Numa.

Romæ cùm de legibus populo æquandis inter ordines conuenisset, missi in Græciam, qui præclaras Solonis leges, aliarumq; illustrium ciuitatum mores & instituta conscriberēt LEGATI ad hoc ipsum missi, Sp. Posthumius Albus, & P. uel Ser. Sulpitius Camerinus, & A. Manlius. Sab. lib. 4. En. 3.

Athenienses Oropum sociā urbem diripuerant. Romani multā talentûm ferè quingentûm eis imposuerāt. Quā ut deprecarentur, legatos misere tres Romā, CARNEADEM Academicū, DIOGENEM Stoicū, & CRITOLAVM Peripateticū: qui in Senatū introducti, interprete usi sunt Cæcilio Senatore. Ipsi alioq seorsim quisq; ostētādi, ingenij gratia, magno cōuentu hominū disseruerūt. Carneadis oratio ampla, uehemēs & rapida: Critolai gracilis, teres, & uenusta: Diogenis in medio horum, modesta & sobria fuisse phibetur. Gell. lib. 7. cap. 14. Noctiū Atticarū. De iis sic Plutarchus: Legati Atheniensium Romam aduentarunt, Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus philosophus, petituri ut iudicio subleuaretur populus Atheniensis: quo indicta causa condemnato, postulantibus Oropiis & Sicyoniis iudicibus, lis æstimata quingētis talētis fuerat. Hos ilicò studiosissimi quiq; adolescentes adibāt, frequētesq; audiebāt & celebrabāt. Carneadis lepos pcipuè, cuius magna uis, & ea ui nō inferius erat nomē, cùm insignes & benignos auditores nactus esset, instar uēti urbē sonitu cōpleuit: uulgatūq; fuit, uirū Græcū ad miraculū usq; eximiū, omnia delinientē & allicientē, mirū infudisse iuuētuti ardorē, per quē reliquarum uoluptatū & oblectamentorū obliti, quasi fanatici raperētur ad philosophiā. Cùm ea res cęteris placeret Romanis, atq. adolescentiā libenter uiderēt literis Gręcis imbui, & excellētibus uiris uti, M. Cato iā senex, à primo, ubi influxit in urbē Græcarū disciplinarum admiratio, stomachabatur: ueritus, ne iuuētus eò cōuerteret studiū, atq, eloquētiæ gloriā rebus gerēdis & disciplinę militari anteferret. Vt uerò in urbe nomē increuit horū philosophorū, ac primas orationes eorū clarus uir C. Aglius (fortè C. Acilius, de quo apud Gell. li. 7. cap. 14. Macrob. li. 1. Sat. cap. 5.) cùm id officij ut p̄staret enixè postulasset ipse, in senatu est interpretatus, cēsuit oēs philosophos ab urbe honesta specie ablegādos: atq; cùm uenisset in senatū, incusauit magistratus, φ legati, qui p̄suadere facilè quiduis ualerent, diu illic sine responso sederēt. Quare primo quoq; tēpore aliquid esse cēsuit de legatione statuendū & decernendū, quò hi ad ludos literarios regressi, apud Grecorū filios disserērent: Romana autem pubes

conferret se, ut antè, ad obtemperandum legibus & magistratibus. Plut. in Catone.

T. Q. FLAMINIVS legatus ad Prusiam, ut Hannibalem peteret, missus, causa fuit, ut ad Antiochum ille fugeret. Plutar. in eius uita.

M. POPILIVS Lænas, legatus ad Antiochum Epiphanem, qui Ptolemæum regem amicum pop. Rom. obsederat, missus, nunciatum, ut à sociis pop. Rom. abstineret: cunctantē, responsumq; differentem, uirga circumsepsit, ne ultra spacium illud differendo exiret. Ex quo territus Antiochus, bellum omisit. Liuius lib. 45. Val. Max. Plin. tamē C. Octauium pro Popilio ponit, manifesto errore.

C. FABRICIVS ad Pyrrhum legatus missus de redimendis captiuis, ut patriam desereret, magnis pollicitationibus ab eo frustra inuitatus est. Liuius lib. 4.

In seditione illa agraria, in qua C. Gracchus periit, factione optimatū oppressus, Fuluius Flaccus consularis Auentinū occupauerat, cùm ediuerso L. Opimius consul cum patribus forum teneret. Misit inde Fuluius FILIVM minorem de Caij consilio cum caduceo in forum. Erat adolescens facie elegantissima, & tunc uultu modesto atq; cum rubore lacrymabūdus, de pace cum consule & senatu egit. Magna pars assistentium non abhorrebant à pacificatione. Verùm Opimius: Non per nuncios, inquit, oportebat eos senatui satisfacere, sed descendere, ut ciues sontes, ad causam dicēdam, permittentesq; se ei ita deprecari pœnam. Adolescenti uerò edixit, ut nisi his conditionibus ne rediret. Caius autem fuit, uti fama est, paratus ire & purgare apud senatum se. Sed cùm id nemo aliorum permitteret, misit filium Fuluius iterum ad agendum pro ipsis, sicut antè. At Opimius, qui cupiebat pugnam committere, iniecit extemplò adolescenti manus, eundemq; cæso tandem Caio occidit. Plutarchus in Caio.

CL. MARCELLVS unus è tribus legatis missus ad Masinissam in Africam, ut ait Liuius lib. 50. periit naufragio, paulò ante cœptum bellum Punicum tertium. Volat. lib. 17.

Victis ad Cannas Rom. ab Annibale, MAGO Annibalis frater Carthaginem profectus, felicissimæ uictoriæ nuncium suis ciuibus detulit, resq; ab Annibale gestas magnificētissimis uerbis in senatu exposuit, & ad faciendam fidem orationi suæ effundi iussit in uestibulo curiæ aureos anulos Romanis equitibus ademtos, quorum cumulum alij modij unius, alij trium modiorum dimidijq; mensuram excessisse tradunt. Petitū deinde supplementū, concessumq; à senatu est maiore studio, quàm postea missū. Auctor uitæ Annibalis.

Romani tres in Bithyniam LEGATOS mittebant, qui inter Nicomedem filium & Prusiam patrem domesticam discordiam componerent. Fortè ita euenit, ut legatorum unus caput multis haberet cicatricibus sparsum, alter pedibus laboraret, qui reliquus erat socordi & stupido haberetur ingenio: in quos Marcus Cato haud insulsè cauillans, Eam legationem capite, pedibus, & corde carere dixit. Sab. lib. 9. En. 5. ex Plut. Catone.

M. Crassum contra Parthos proficiscentem, adierunt Arsacis LEGATI cum breui oratione. Ea hæc fuit: Si missus à populo Romano exercitus esset, gesturum illum implacabile & inexpiabile bellū. Sin patria inuita, priuati Crassus quæstus gratia arma Parthis intulisset, & urbes occupasset: acturum Arsacem moderatè, & Crassi misericordiam senectutis capturum, populoq; Romano remissurum milites, quos obsessos teneat potiùs, quàm in præsidiis locatos. Ad ea Crasso iactante, Seleuciæ se responsum daturum: ex legatis VAGISES, qui cæteros ætate anteibat, ridens, manus supinæ ostensa uola: Hinc priùs, inquit, pili Crasse exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Ita ad regem Hyrodem discessere, bellandum renunciantes. Plut. in Crasso.

CORNELIVS Centurio legatus in creatione consulis Octauij Cæsaris, ensis capulum in curia ostendens, ait: Hic faciet, si uos non feceritis. Volat. lib. 23.

M. AEMILIVS Scaurus, orator insignis, legatus ad Iugurtham, ut eum ab oppugnatione Cyrthæ & à seditione Adherbalis amoueret, missus est. Sallustius in Iugurtha.

Q. CICERO frater, legatus Cęsaris in Gallia, 14. legationibus præfuit. Volater. lib. 20.

GEMINIVS, cùm in Asiam missus esset ad M. Antoniū Triumuirum (qui Cleopatrę amoribus uictus tum regebatur) ut daret operam, quò cum Octauiano redintegrari communis amicitia posset, atq; in mutuam concordiam rediretur: uocatus ab Antonio in conuiuium, atq; præsente Cleopatra mandata exponere iussus, nulla aut ipsius amplitudinis, aut Cleopatræ præsentis ratione habita: Quæ tibi, inquit, Antoni, dicere iussus sum, cum sobrio, & alio loco, quàm ubi nunc sumus, tractanda sunt. Sed utcunq; rem unam unam uel ebrius dicere mihi posse uideor: scilicet res tuas omnes bene successuras, si Cleopatram in Aegyptum dimiseris. Liberè notans & Antonij ebrietatem, & eius in Cleopatram immodicum amorem. Plut. in uita Antonij.

NICOLAVS Damascenus ab Herode Iudęorum rege (cuius & res gestas scripsit, plus tamen gratiæ eius, quàm ueritati, tribuens) Romam legatus ad Augustum missus, Cæsarem Herodi iratum propter bellum Arabibus illatum placauit, &, ut Syllæus Arabum legatus damnaretur, effecit. Idem mortuo Herode, Antipatro regnum obtinuit apud Cæsarem. Iosephus lib. 16. cap. 17.

Ceperat iā duos Hierosolymorum muros Titus, & tertiū oppugnare parabat. IOSEPHVM ergo Iudæū misit, qui ppiùs ad murū accedens, populum hortaretur, ut deditionē faceret. At tantum abfuit, ut persuadere potuerit, ut etiam telis ab iis fuerit impetitus. Iosephus lib. 6. cap. 11. belli Iud.

Cùm inter Iudæos & Græcos Alexandriam habitantes exorta esset seditio, terni ab utraq; parte legati delecti ad Caiū Imp. missi sunt. APION Alexandrinorum legationis princeps multa in Iudæos iactauit crimina, interq; cętera, quòd Cæsarem non prosequerentur diuinis honoribus. PHILO è Iudæorum legatis potior, Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus philosophiæ, parabat causam suæ gentis agere. Sed repulsus est à Cæsare, iubente illum abire, & per iracundiam uix temperante ab iniuria. Quapropter eiectus conuitio, uersus ad Iudęos assectatores, Nunc, inquit, oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim deus nobis contra illū aderit. Iosephus lib. 18. cap. 10. Antiq.

LEO Byzantius cùm Athenas legatus missus esset, agitatāq; uideret inter eos longa contentione seditionem, in concionem ascendens, risum populo excitauit, obesus admodum, uentricosusq; apparens. At ille nihilo magis perturbatus, Quid ridetis, inquit, Athenienses, quòd nobis uidear pinguis? Scitote, mihi uxorem lōgè pinguissimam esse: talesq; ac tanti cùm simus, concordes breuis admodum lectulus capit: discordes, neq; tota domus. Philostratus.

Valentinianus II. Imp. in Italia, fœda Gratiani fratris cæde accepta, Maximi tyranni potentia ad rationem reuocata, de propria salute solicitus esse cœpit, ueritus scilicet id, quod postea euenit, ne Maximus, Occidente in suam ditionem redacto, superatis Alpibus, in Italiā se demitteret. Itaq; cōsilio armorū abiecto, AMBROSIVM episcopum Mediolanensem ad eum pacis causa misit. Is rogatus, cur Valētinianus ad se, tanquam filius ad patrem, non accessisset. respondit, Aspero hyemis tempore puerum cum matre Alpes incommodè transiturum fuisse: se uerò missum esse, ut de pace ageret, non ut de Valentiniani officio responderet. Tum ille, Expectemus, quid Victor ab illo responsi ferat. Vt autē Victor reuertit, accito ad se Ambrosio, Pacem Valentinianus, inquit, accipit, aduentum abnuit. atq;, Ambrosio multa de bono Valentiniani erga illum animo prædicante, pacem composuit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Narrat Sabellicus, quòd Iustinus senior, cùm ad eum pro legatione uenisset IOANNES pōtifex Romanus, nomine Theoderici regis Gothorum, Arianos in integrum sub Iustini ditione restitui petentis, alioqui orthodoxorum interitum minantis, uoluerit ab ipso coronari: tanquam res ista magis ratum factura esset imperium, aut certè augustius.

AGAPETVS Pp. Theodohati regis iussu ad Iustinianū Imp. bellum inferentem, legatione pro Italię salute suscepta, uasa sacra pro necessario comparando uiatico oppignerauit, atq; iter ingressus, in Græcia claudum & mutum, maximo astantium stupore, sanauit. Constantinopoli à Iustiniano & cūcta ciuitate pro sedis dignitate receptus, comiter omnes ad se adeuntes tractauit, uno episcopo Anthimo excepto, quem propter hæresim à salutatione summouit. Rogatus à Iustiniano, ut Anthimum ad salutationē admitteret, omnino se facturum negauit, nisi Catholicam ille confessionem expromeret, ac suam sedem repeteret. neq; enim fas esse, ut in sede Constantinopolitana, prauę fidei atq; alienæ ecclesiæ episcopus resideret. Theodora uerò Augusta pro eo se interponente, & uariè preces minasq; miscente, nunquā de suscepta dimoueri sententia potuit: quin etiam de criminibus eius ab episcoporum & monachorū libellis edoctus, illum cōmunione atq; officio, quousq; resipisceret, exuit, eo nomine, quòd contra leges Ecclesiam inuasisset, & à Catholicis defecisset. atq; eos libellos Iustiniano exequendos porrexit. Quod ubi Anthimus sensit, pallium Imperatorib. reddidit. Agapetus uerò Menā ei suffectum, fidē Chalcedonensis concilij amplectentem (quod adhuc Rom. pontifex nullus effecerat) manus impositione sacrauit. Inde, Pelagio diacono apocrisario apud Iustinianum instituto, dū profectionē adornat, aduersa tentatus ualetudine, Constantinopoli obiit. Tū Augusta, Anthimi & Eutychianorum uicē solicita, Vigiliū ipsius diaconū aduocauit, ac pontificatū ei & centenaria decem auri spopondit, si se Anthimum restituturum, fidemq; eius confirmaturum repromitteret. Quod ille summo animi studio sanxit: atq; inde Romam cum cadauere Agapeti discessit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

EPIPHA-

EPIPHANIVS Ticinensis episcopus sanctissimus, uarias legationes pro Theoderico Gothorū rege & aliis obiit, semperq; rebus ex sentētia cōfectis rediit. Euodius in eius uita.

HELMOGAVDVS legatus Caroli Magni ad Nicephorum Imperatorem Græcum, relegatæ Irenes Imperatricis nomine, quam coniugem Carolus per legatos petebat, dono accepit gētem Saxonicam ab Imp. Reuersus autem domum, cùm istud Imperatori Carolo renunciasset, is subridens dixit: Meliùs tecum actum fuisset, si te feminalibus rex Græcus donasset. Auentinus lib. 4.

AMALARICVS Fortunatus, Germanus, monachus Luxouiensis, uir Græcè & Latinè eloquentissimus, Treuirensis archiepiscopus, Caroli Magni legatus ad Michaelem Constantinopolitanum Imp. ad amicitiam & pacem ineundam ac confirmandam. Anno Domini 813.

Carolus Magnus ALBINVM, cui Alcuini cognomen redditur, ex Britannia à regibus missum, ut pacem à se impetraret, ob eximiam eruditionem complexus, ex legato hospitem fecit suum, ex hospite præceptorem: ueteris Atheniensium exemplum imitatus, qui Gorgiam à Leontinis publicè ad se missum, legationis munere defunctum, Athenis remorati sunt, eius capti eloquentia. Sab. lib. 9. En. 8.

IESSE Ambianensis episcopus, Caroli Magni, ob Græcæ linguæ peritiam, legatus ad Irenem Imperatricem, de pace componenda. Aimoinus lib. 4. cap. 89. de Francis.

RABANVS Maurus, Fuldensis monachus, legatus missus ab Achaio Scotorū rege ad Carolum regē Gallorū. Sigebert.

HAIDO uel Hatto Basiliensis episcopus, legatus Caroli Magni ad Imp. Constantinopolitanum pacis causa, anno sal. 811. Scripsit itinerarium. Auentinus lib. 4.

Armeniæ rex sororem per legatos offerebat Michaeli Andronici Palæologi Imp. F. annos natam XII. Legati delecti fuere eius ætatis doctissimi uiri, Metochites THEODORVS & IOANNES Glycys, alter Domesticus, alter Dromi Logotheta: nec eò tantum, quòd rerum usum habebant, sed etiam, quòd prudentia doctrinæq; copia tam diuinarum quàm humanarum rerum, Græcarumq; literarum cognitione excellebant. Gregoras lib. 6.

Fridericus I. Imp. subacto Mediolano Papia profectus, lustrandi regni gratia, Bononiam, quam nouo consilio ab Alexandro III. cum Mediolanensibus stetisse compererat, minitabundus accessit, eo animo, ut si Bononienses resisterent, perinde in eos, atq; in Mediolanenses, animaduerteret. Bononienses, siue quòd se ad tantam belli tempestatem sustinendam impares, atq; imparatos uiderent, siue quòd miserabilem Mediolani cladem ante oculos sibi proponerent, Friderico repugnare nō ausi, IVRISCONSVLTOS suos, quibus ille plurimum tribuebat, obuiam ei miserunt, ac se in eius auctoritate futuros ostenderunt. Quorum oratione placatus, iisdem, quibus cæteris, conditionibus ignouit. Muri ueteris, qui adhuc stabant, urbis euersi, fossæq; repletæ. Sigonius lib. 13. regni Ital.

THANAVS Scotorum Brigantinorum ex Hispania legatus ad Scotorum colonos in Hiberniam missus, ut intestinis seditionibus finem imponeret, persuasit illis, ut Simonē Brechum, regio sanguine Brigantinorum natum, in regem assumerent. Hector Boethius lib. 1.

MILADA ab Vlasta Amazonum Boëmicarū regina ad Premislaum principem missa, in arce Vissegradensi cum comitibus cæsa fuit. Dubrauius lib. 2.

BRVNO quidam, omnium Haraldi Danorum regis, collactanei sui, cōsiliorum unicè particeps ac conscius habebatur. Cui ipse & Ringo Suconū rex, eius ex sorore nepos, quoties secretiore nuncio opus habebant, mandata credere cō sueuerant. Eo fluminis cuiusdam aquis absumto, Othinus dæmon eius nomine & habitu sumto, arctissimam regum concordiam labefactauit. Saxo lib. 8.

EBBO, Gothari Suconum regis legatus, ad Omūdum Daniæ regem, pro petenda eius filia in matrimonium, posteaquā in Schoningiam siue Hallandiam, Daniæ regno uicinam, peruenit, hospitio exceptus est à duobus fratribus, qui hospites incautos noctu pensili trabe acutis clauis munita dormientes è lacunari configere solebant. Ebbo dolo animaduerso, uix latronum manus euasit. Ea iniuria irritatus Gotharus, bellum Danis indixit, & maiorem partem regni occupauit. Ioan. Magnus lib. 8. cap. 15.

HENRICVS Dandulus Venetorum legatus, eo quòd paulò liberiùs quædam locutus esset, contra ius gentium ab Emanuele Constāt. Imp. oculis orbatus est. Vol. lib. 23. Anthrop.

Cùm Veneti mercatores ab Alexandrinis pessimè tractarentur, Senatus Petrum Balbum, quem paulò antè rei maritimæ Imperatorem dixerat, ad Laseraphum Sultanum legatum decreuit. A' quo non suscepta legatione (quod quidē tunc uni sibi licebat) DOMINICVS Triuisanus D. Marci procurator Balbo substitutus est. Quem quum ad se aduentantem audisset Sultanus, princeps alioqui ea tempestate longè potentissimus, tanti uiri publica fama excitus, statim cum ingenti principum uirorum manu illi occurrit: moxq; magnificentissimo regioq; apparatu exceptum, penes se in summa amicitia per aliquot menses habuit. Triuisanus renouato ex Reipublicæ dignitate fœdere, summa sua cum gloria domum rediit. Egnat. lib. 8. cap. 16.

FRANCISCVS Dandulus, Venetus orator, missus in Galliā ad Clementem pontificem Max. ut eum infestiorem Veneto nomini propter Ferrariam receptam placaret, quū multa & uaria secum agitasset consilia, neq; à Pont. ipso iratiore quicquam impetraret, quadrupes effectus, catenaq; ferrea collum nexus, ad Pontificis prandentis pedes canis in morem sese substrauit. Quo nouo spectaculo Pontifex attonitus, illum in gratiam recepit, Venetoq; nomini iniuriam remisit. Egnat. lib. 6. cap. 2.

BESSARION cardinalis Nicenus, initio Xysti pontificatus, dum sponte legatus in Galliam ad componendam Ludouici regis & Caroli Burgundi pacem, tanquam extremum Deo munus oblaturus, proficiscitur, alteri suspectus parti, rebus infectis reuersus, in itinere Rauennæ præ animi dolore mortuus est. Volat. lib. 21. Anthropologiæ.

DANTES Florentinus, poeta in sua lingua insignis, cùm Veneti Guidoni Potētano bellum inferrent, apud quē in otio uixerat, pulsus à suis in exiliū, missus legatus de pace, minimè à Venetis acceptus est, nec auditus. Volat. li. 21. Anthrop.

SCARBICVS, comes Polonus, legatus ad Henricum IIII. Imp. cùm ei Cæsar ingentem thesaurum monstrasset, subijciens: Hic Polonos perdomabit. anulo, quē digito gerebat, in thesaurum proiecto: Aurum, inquit, adiiciamus auro: stultam scilicet Cæsaris iactantiam notans. Cæsar scommma gratias agendo elusit, Hab danck, inquiens, lingua Germanica. Inde familiæ nomen mansit, ut Habdanci dicātur. Cromerus libro 5.

NICOLAVS de Book, eques, legatus Valdemari Marchionis Brandeburgensis, principis sui nomine ad Roman. regis electionem Francofurtum missus erat. Competitores erant Philippus Pulcer Austriæ, & Ludouicus Bauariæ dux. Marchio Fridericum regem suo suffragio multis literis diplomate munitis constituerat. Legatus nihil muneris à Friderico expectās, sed & plurium animos in Ludouicum inclinare animaduertens, abrasa membrana, expunctoq; nomine Friderici, Ludouicum contra uoluntatem domini sui substituit. Ob quod scelus Marchio illum in uinculis inedia confecit. Cuspinianus.

Oratorem populus Florentinus ad Ioannam reginā Neapolitanam miserat, FRANCISCVM quendā, iureconsultum professione, reipsa admodū indoctum. Qui cùm reginæ mādata quædā exposuisset, postridieq; ad eam reuerti iussus, audisset interim reginā haud aspernari uiros forma cōspicuos, rediit, multisq; ultro citroq; dictis, tandē se cū ea secretiora quædā loqui uelle dixit. Tum regina, cùm hominē in remotius conclaue deduxisset, existimās aliquid esse occultius, quod cōmunicandum cum pluribus nō esset: illutus ille, qui sibi de propria forma plurimū persuaserat, reginā concubitus postulauit. Tum illa nihil immutata, uultū hominis inspiciens comiter, Nunquid (ait) hoc tibi Florentini in mandatis quoq; dedere? Tacentem atq; erubescentem oratorem, ut huius rei mandatum afferret dicens, abire à se absq; indignatione iussit. Poggius in Facetijs.

LAVRENTIVS Medices à Florentinis legatus Neapolim ad Ferdinandum regē missus erat. Cùm autem ex regiis equis unus adductus esset, quo uectus Laurentius unà cum Rege (qui ei non tanquā priuato obuius uenerat) in arcē contenderet: Tum sibi equo opus fore, respōdit, cùm à tanto Rege pacē impetrasset, quo nuncio optatissimo ciuitatē summa celeritate perfunderet. Neq; uerò eum spes sua fefellit. Nā Ferdinandum lenocinio orationis & comitate quadam, quæ in eo uirtus dicitur planè regia fuisse, ita sibi deuinxit, ut ex hoste infensissimo amicum patriæ summum redderet. Sic qui Laurentij odio bellum Florentinis indixerat, eiusdem colloquio iram omnem posuit. Brutus lib. 7. hist. Flor.

CAROLVS Barbianus, Belgioiosi comes, Ludouici Sfortiæ apud Galliæ regem Carolum VIII. legatus, suscipiendæ contra Aragonios Neapolitanæ expeditionis partim precibus, regi iuueni, partim precio consiliarijs auarissimis persuasit. Guicciardinus lib. 1.

FRANCISCVS cardinalis Senensis, ab Alexandro VI. pōtifice ad Carolum VIII. qui ad bellum proficiscebatur Neapolitanum, magnis de rebus missus, Lucā usq; processit. Vbi quum comperisset, regē se non ut Apostolicæ sedis legatum, sed ut Senēsem antistitem auditurum: homo præsenti consilio, & quē Pij II. pōtificis perneceßarium agnoscas & alumnum, Quando, inquit, ut legatus nō recipior, ut tantum quam Senensis antistes accedā non expedit. atq; ita infecta re retrò abijt. Erat Caroli regis haud obscurum odiū in Pij pontificis memoriam & eius necessarios. Sab. lib. 9. En. 10.

PETRVS Soderinus legatus Florentinus ad Ludouicū XII. regem Galliæ, cùm sua intercessione tantum effecisset, ut patria à Vitellocio Alex. VI. Pont. Mediceos reducere conātis copiarū duce liberata sit, & urbes omnes ademtas recepérit: à Florētino populo, uti pater patriæ, inusitato hucusq; more, antiquato bimestri magistratu, administrandæ Reip. dictator perpetuus creatus fuit. Iouius in Leone X. lib. 1.

Senatus Venetus DOMINICVM Triuisanū, & ANTONIVM Bolduum ad Hispaniæ reges legauit, qui procurarent, uti ex inducijs semestribus inter eos & Carolum Galliæ regem factis diuturna pax fieret. Quibus profectis Antonius, eloquentia planè singulari, & præstanti uir ingenio, in itinere aduersa ualetudine interceptus, Genuæ interijt. Eius morte audita Senatuscōsultum factum est: Cùm Antonius Bolduus Andr. F. ex equestri ordine, nullum laborē pro republica refugiens, legatione ad reges Hispaniæ suscepta in itinere mortē obierit, Senatui placere, ut Gabrieli Bolduo eius filio primo quoq; tempore in fano Patauino sacerdotium attribuatur, quo se fratresq; suos alere commodiùs atq; honestiùs possit. idq; paulo pòst sacerdotium ab Alexandro Pontifice, Senatu petente, Gabrieli est attributum. Bembus lib. 4. Ven. Hist.

Florentini anno 1511. FRANCISCVM Guicciardinū, qui Historias sui temporis conscripsit, Iurisconsultū, adeò iuuenē, ut per ætatem patrijs institutis ei ad nullum magistratū gerendū aditus pateret, legibus solutū, ad Aragoniæ regem Ferdinandum oratorem miserunt. Guicciardinus lib. 10.

Quum anno 1530. Carolus V. Cæsar, ex fœdere cum pontifice Clemente VII. contra Florentinos percusso, Mediceos in patriam reducturus Florentiā obsidione diuturna premeret, ea fuit pertinacia ciuium populari statui fauentium, ut crudeli pœna sæuiretur in eos, q pacē amplectendā liberiùs dicerent. Tandē uerò Philippo Meliore, honesto in Repub. iuuene, è suggestu apud Senatum frequentissimū perorante, & pacē accipiendam suadente, patres legatos omninò mittendos ad Pontificem decreuerunt. Sed ea præpedientium malignitas fuit, ut nō hi, quos negotij magnitudo flagitabat, sed leuissimæ alioqui authoritatis, uerùm egregiè populares homines legerentur. Hi fuēre ALOYSIVS Soderinus, qui nihil usqueadeò graui negotio dignū ab usu rerū præter familiæ nomen præferebat, & ANDREOLVS Nicolinus, assiduus & diligens potiùs mercator, quàm senator: atq; item ROBERTVS Boncius, quem iam pridem Thomæ Soderini soceri propinquitas, quò minus enixè cō cordiæ studeret, maximè suspectum faciebat. Hos, ubi Bononiam peruenerunt, Pontifex, quòd nec satis dignitatis, nec satis industriæ sinceræq; uoluntatis & fidei in his conspiceretur, adeò contemsit, ut effusè rideret, quòd ad se pro eximijs senatoribus, mercatores, nec primæ quidem classis, è Florentia misissent. Nā quod ad eleuandā legationis existimationē maximè pertinuit, apparitores ministriq; uectigalium Bononiensiū, in ipsorum sarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas magnam uim, mercimonij causa, ut portoriū subterfugerent, deprehenderant. Quæ calliditas inepta negotio longè grauissimo, tanquā inuoluta tenuissimi lucri sordibus, eò ualidiùs ridenda fuit, quòd nihil certi ad conficiendā pacem, prolatis mādatis, attulissent. Atq; ita Clemens, ridente etiam Cæsare, mercatorū auaritiā atq; imperitiam, in maximarum rerū consilio periculoq; ad exiguā lucri spem reuocatam, stomachatus, pertinaciam insaniæ proximam exprobrauit, ut inde non obscurè explosi dimitterentur. Vbi uerò domum sunt reuersi, quòd nihil omnino pepigissent, tanquam patriæ dignitatis egregiè memores atq; constantes, ab ipsa factiosorum multitudine laudati celebratiq; sunt: gementibus bonis ciuibus, qui desperata concordia, nullum nisi maximè funestum belli atq; obsidionis exitum expectabant. Iouius lib. 28. Hist.

Quum Clemens VII. Rom. pontifex, & Carolus V. Imp. Bononiam negotij causa conuenissent, FRANCISCVS Aluarez legatus Dauidis uulgò Prætogiam dicti, regis Abyssinorum Aethiopum, qui mediterraneam Africæ partem tenent, eò, Ioannis Lusitaniæ regis oratore duce, accessit, atq; in senatu sui regis nomine promissum fidei obedientiæq; Clementi fecit, anno salutis MDXXXIII. mense Februario. Polyd. lib. 4. cap. 2. de Rerum inuent.

HERMOLAVS Barbarus legatus Venetorum ad Pontificē, cùm ab Innocentio Pp. Patriarchatū Aquileiensem contra leges patrias, quamuis inuitus, suscepisset: istudq; uehemēter magistratui improbari animaduerteret, nec tamē hoc se munere ampliùs extricare posset: ægritudine animi mortuus est. Bembus lib. 1. Ven. hist.

Senatores.

☞ *Consule Tit. Prudentes consiliarij. Illic Virtutis, hic Dignitatis habetur ratio.*

IOSEPHVS ab Arimathia senator Hierosolymitanus, occultus Christi discipulus. Matth. 27. Lucæ 23.

Consiliarij.

☞ *Consule Tit. Prudentes consiliarij. Illic Habitus, hic Dignitas consideratur.*

Diodorus MERCVRIVM scribit fuisse Isidi & Osiridi in consilio. Cumq; in expeditionem Osiris iret, Mercuriū ceu consiliarium Isidis coniugis domi reliquisse, hominemq; fuisse insigni prudentia, multasq; tradidisse mortalibus artes ac scientias. Hunc existimat L. Viues in lib. 8. August. de ciuit. Dei, c. 26. fuisse auum Hermæ Trismegisti, qui scripsit, illūq; uocatum esse Theur, dæmonem, ut ait Plato in Phædro, qui artes mathematicas, & literas, & aleam inuenit, detulitq; ad Thamū Aegypti regē, qui rex postea dictus est Ammon.

Iudices.

☞ *Iudices, quatenus dignitatem obtinent, inter Honoris & Dignitatum titulos referentur. Quatenus prudentes, iusti sunt, eatenus Prudentiæ & Iustitiæ locum merentur.*

Disceptarunt Athenienses cum Mitylenæis, de possessione agri, PERIANDRO iudice atq; arbitro. Laert. in Pittaco.

THEMISTOCLEM Corcyræi cōtrouersiæ, quā habebāt cū Corinthijs, ceperunt iudicē. Is diremit pugnam eorū, iudicauitq;, ut uiginti talēta Corinthij ijs pēderent, & Leucadē possiderent cōmunem utriq; coloniā. Plut. in Themistocle.

Cùm Leo III. Pp. Carolo Magno Imp. claues sacras, insigne pontificiæ dignitatis, & aquilam signum Romani imperij misisset, & se & Romam in eius fidem commendasset, ac postulasset, ut legatos Romam amandaret, qui populi Romani fidem sacramento Carolo deuincirent: misit Carolus duodecim PROCERES diuini iuris prudentes in Italiam & Romam, ut controuersias cognoscerent, supplices audirent, causas absoluerent, lites dirimerent, & ius dicerent. Auentinus lib. 4. Annalium.

Otho Vicecomes, Archiepiscopus Mediolanensis, pacato iam imperio, ac hostib. præcipuis debellatis, in MATTHÆVM Magnum, ex Theobaldo Andreocij fratris filio pronepotē, senex omnia humana iura contulit, adeò, ut utrunq; magistratum unus occuparet, impleretq;. Nam & gerebat bellū uti dux atq; equitū magister, & è tribunali in prætorio patientissimè ius dicebat, ut ipse omnium litium disceptator & iudex ex arbitrio iudicaret, & omnis subinde prouocatio tolleretur, res graui ciuium incommodo ad ferendas lites excogitata. Iouius in uita Othonis.

Alphonsus Castellæ & Garsias Nauarræ reges, post longas cō trouersias, de agrorum possessione circa fines utriusq; regni ortas, tandem datis utrinq; obsidibus, rem omnem ad HENRICVM II. Angliæ regem retulere, atq; eius iudicio se staturos iureiurando promisere. Henricus inter reges disceptator factus, de re cōtrouersa ad suum domesticum senatum retulit, auditisq; singulorum consiliariorum sententijs, ita postremò secundum alterum iudicauit, ut alter eius iudicio steterit. Polyd. lib. 13.

NOTARAS siue Leontaras iudex Byzantinus à Mahometo Turcorum Imp. post captam Constantinopolim cum liberis & uxore benignè tractatus est, & à Turcis militibus redemtus, cùm in magna ob prudentiam existimatione esset. At ubi filiū XII. annos natū tyranno libidinoso dare recusauit, cū liberis ad mortem raptus est. Chalcocōdylas lib. 8.

HERCVLES Atestinus Ferrariæ princeps de Pisano bello, quemadmodum sibi uideretur, statuendi potestate ab Florentinis & Venetis longo bello fessis tradita, cū legatione, quā ad illum Florentini miserant, cumq; Ludouici legato ad urbem uenit. In urbe cùm esset, tres ei ciues Principis collegium attribuit, qui ei præstò essent, si quid petere aut cognoscere uellet, atq; ad Principē & Patres renunciarēt. Scripto autem nequedum prolato iudicio, cùm se id Hercules Patribus ostensurū esse diceret, ut si quid aboleri aut cōmutari uellent, liceret: Georgius Cornelius unus ex Principis collegio Patres est hortatus, afferri ad se libellos iuberent, atq; inspicerent, ne ignaris ipsis, quid Hercules iudicaturus esset, sentētia proferretur. Sed is reprehēsus à Patribus (quū dicerēt, nō esse æquū data Herculi per Senatū potestate suo arbitrio iudicandi, nunc ei leges uelle imponere, si quæ scripserit, sint improbaturi: si non sint, frustrà inspici, quæ non improbentur) conticuit. Bembus lib. 4. Ven. Hist.

CAROLVS V. Cæsar de Ferrariensi controuersia inter Clementem VII. Pont. & Alfonsum Atestinum Ferrariæ ducem his legibus sententiam tulit, ut Ferraria Pontificij imperij auctoritatem libertatemq; perpetuò respiceret, & Alfonsus posteriq; eius se Romani Pontificis beneficiarios fide atq; obsequio profiterentur, certumq; auri pondus tributi nomine penderent. Mutina uerò, tanquam Imperatorij iuris atq; obiter ueteris concessionis beneficium iampridē esset consecuta, Alfonso Atestinæque domui redderetur. Ab eo autem graue auri pondus Clementi solueretur, si eius sententiæ beneficio uti uellet. Hoc promulgato Cæsaris iudicio Alfonsus mirum in modum est lætatus. Id uerò Cle-

mens usqueadeo grauiter ac indignanter tulit, ut nihil sibi molestiùs accidere potuisse, amarulentis sermonibus fateretur. Iouius in Alfonso.

Censores.

TIBERIO Graccho censore, cùm reuerteretur à cœna domum, lumina ciues Rom. restinguere solebant, quòd timerent, ne longiùs, quàm oporteret, conuiuijs indulsisse uiderentur. Plutarchus in Tiberio.

Q. POMPEIVS & METELLVS Macedonicus, censores fuere, ambo plebeij. Quod ad eam diem nunquam acciderat, ut ex eo ordine duo simul essent censores creati. Fecerunt censuram illam nobilem ad posteros Metelli acta. Extitit is auctor, ut creandorum liberorum causa, ciuitas connubijs sedulò daret operam. Habuitq; super ea re orationem ad populum, cuius pauca adhuc restant. Sab.lib.1.En.6.

APPIVS Claudius Cæcus, dum censuram ageret, filijs libertinorum in senatum adscitis, ordinem inquinasse dicitur primus. Alex.lib.4.c.11.

L. PAVLVM Aemilium, rebus contra Perseum gestis clarissimum, Romani dignitate censuræ ornarunt. Plut. in Paulo.

T. QVINT. Flaminius post res in Græcia gestas, & bellum Antiochi, censor est creatus. Est is summus magistratus, & reipub. gerendę quasi culmen. Collegam habuit Marcelli, qui cõsul quinquies fuit, filium. Senatu mouerunt quatuor nõ admodum illustres. Censuerunt omnes, qui ciues se profitebantur, si ex ingenuis parentibus essent. Coacti id fuere à tribuno plebis Terentio Culeone, qui obtrectans optimatibus, populum ad id sciscendum induxit. Plut in Flaminio.

CN. POMPEIVS Consul unus dictatoria potestate creatus, ad ambitum cæteraq; uitia ciuitatis coercenda. Quod nunquam antea Romæ contigerat. Sab.lib.6.En.6.

M. CORNELIVS eodem anno in C. Iulij censoris demortui locum suffectus est. Id, quia eo lustro Roma à Gallis postea capta est, religioni fuit, ut iam inde in demortui censoris locum quisquam sufficeretur. Sab.lib.9.En.3.

Duces militiæ.

☞ *Exempla pete ex Tit. Fortitudo ducum bellica. item ex Tit. Triumphorum.*

ABNER Neris F. Sauli regis, & post eius mortem Isbosethi eius filij polemarchus. Defecit postea ad Dauidem. 2.Reg.3.

IOABVS Asaris & Saruiæ sororis Dauidis regis F. Dauidici exercitus polemarchus fuit. 2.Reg.2.& 3.

NAAMAN Syrus polemarchus Benadadi Syrorum regis, leprosus, ab Elisæo propheta curatus. 4.Reg.5.

MILTIADES Cimonis F. (eius, qui Pisistrati tyrannidem fugiens, ter Olympicam palmam quadrijugo uicit certamine, ijsdem equabus) ad Marathonem unus ex decem ducibus, quos Athenienses contra Persas pugnaturi sibi præfecerant, Callimacho Aphidnęo polemarcho undecimo existente, cùm cæteri duces prælium cum Medis committere dissuaderent, solus restitit, & Callimacho idem persuasit. Itaq; cùm dies sui imperij uenisset, acie instructa memorabili clade Marathonia Persas affecit. Herodot.lib.6.

DATIS Medus, dux Darij contra Eretrienses & Athenienses, in locum Mardonij suffectus. Herod.lib.6.

SCOPAS Ptolemæi Epiphanis dux. Iosephus lib.12.cap.3.

Cleopatra Aegypti regina, mortuo marito Ptolemæo Euergete seu Physcone, Ptolemæum Lathurum F. regno expulit, ducibus CHELCIA & ANANIA Iudæis, filijs Oniæ, cui Philometor in regione Heliopolitana templum Hierosolymitano simile extruendum concesserat. Iosephus lib.13. cap.21. Antiquit.

BELISARIVS Iustiniani Imperatoris dux, Græcus homo, Persas in Oriente uicit, Vandalos in Africa, ducto in triumphum Gilimere: Gothorum in Italia gentem, capto Vitige rege, superauit. Post hæc Africam repetens, Vandalorum gentem, redintegratis uiribus bella renouantem, reipub. Rom. subdidit, rege eorum Guntario interfecto. Victor inde Romam reuersus, crucem auream, ubi res eius gestæ cælatæ fuerant, Petri basilicæ obtulit. Volaterranus lib.23. Anthropologiæ. At Io. Leoclauius, qui Zosimum conuertit, ex eodem obseruauit Gothũ siue Germanum fuisse Belisariũ.

Classis præfecti.

Xerxis Persarum regis ad Salaminem classis præfectus ARIAMENES, ingenti uectus naue, iacula & sagittas uelut è muro ingerebat: qui uir insignis erat, & regis fratrum longè fortissimus & iustissimus. Eum Amenias Decelensis & Sosicles Pediensis unà uecti, ut concurrentes infestæ naues & in se mutuò impactæ rostris cohæsere, insilientem in ipsorum nauem exceperunt, hastisq; afflictum præcipitauerunt in mare. Corpus eius inter cætera fluitans naufragia Artemisia agnitum deportauit ad Xerxem. Plut. in Themistocle.

ACHÆMENES frater Xerxis, præfectus classis, quam Xerxes contra Græcos duxit. Herod.lib.7.

EVRYBIADES Euryclidæ F. Lacon, præfectus classis 271. nauium, quas Græci ad Artemisium contra Xerxem collegerant. Herodot.lib.8.

PATROCLES præfectus classis Seleuci & Antiochi regum, qui Indiam explorauit. Plin.lib.6.cap.17.

TIMOSTHENES Ptolemęi Philadelphi classium præfectus, Aethiopiam lustrauit. Plin.lib.6.cap.29.

Magistri equitum.

☞ *Consule Tit. Dictatorum.*

NABVZARDAN magister equitũ Nabucodonosoris Chaldæorum regis, qui Hierosolymam incendit, populum omnem Babylonem abduxit, uasa templi abstulit. 4.Regũ 25.

LVDOVICVS Lucemburgius equitum magister apud Ludouicum XI. Gallorum regem, bello contra Carolum Burgundum proditionis insimulatus, tandem cùm inter utrunq; conuenisset, ut uter eorum prior illum in potestatẽ redigeret, uel intra octauum diem supplicium de eo sumere, uel puniendum alteri traderet: à duce Carolo, ad cuius asylũ se receperat, Ludouico regi Lutetiã missus fuit, ibiq; de eo publicè supplicium sumtum. Aemilius lib.10.

Franciscus I. Gallorum rex equitatui, quem in Italiam ducebat, CAROLVM Borbonium, Boiorum & Aruernorum principem, præfecit, quum eum paulo antè propter generis claritatem usumq; militiæ Magistrum equitum creasset: quem honorem, ut suspectum & formidabilem regib. damnato necatoq; Sancti Pauli comite, ac tum rebellantibus Galliæ regulis, Ludouicus XI. aboleuerat. Iouius.

Anno 1538. Franciscus I. Galliæ rex ANNAM Momorancium, curiæ præfectum, creauit Magistrum equitum, ipsi Connestabilium uocant, qui summus est ibi gradus honoris. Vacauerat autem hoc munus inde à Carolo Borboniorũ duce, per annos ferè quindecim. nam huius defectione rex uehementer offensus, nemini illud ad hoc usq; tempus communicauerat. & non uni magistratus hic infeliciter alioqui cessit, quando summa potestate abusi, uel reges ipsos, uel optimates in se concitarunt. Sleidanus lib.11.

Scribæ, Cancellarij, ab Epistolis, à Secretis.

PREXASPES Persarum satrapa, Cambysi regi à secretis, cuius opera Smerdes frater Cambysis interfectus fuit. Eius postea filium Cambyses sagitta interfecit, ægrè ferens, se ab eo ebrietatis causa reprehensum fuisse. Herod.lib.3.

EGINHARDVS à secretis Carolo Magno, eius filiam uxorem duxit. Videns enim Imperator aliquando, cum noctu à filia sua in gynęceum deportari humeris, ne uestigia in niue animaduerterentur, eam illi tradidit uxorem.

TVRPINVS Caroli Magni secretarius, episcopus Remensis, scripsit gesta Caroli. Trithemius.

ADALDAGVS Hamburgensis pontifex tandem factus, cùm per annos quinquaginta trium Othonum Imperatorum curias sequutus, cancellariam administrasset, & multa, quæ extant Imperatorum nominibus, decreta & constitutiones cõcepisset. Cranzius lib.4. Saxon. c.3. & lib.3. Metrop.c.16.

SINDIGERVS in aula Henrici III. Imperatoris epistolarum aliquandiu magister, episcopatum Bambergensem adeptus est, post quartum uerò annum, ad summũ Pontificatum, sub nomine Clementis II. conscendit, Imperatoris auctoritate: quem mox Imperij diademate, & Augusti nomine ornauit.

HEMIRPHERNES Cassiani Antiocheni principis scriba, urbem prodidit Christianis. Aemilius lib.4.

Florentini in legendis Cancellarijs non iuris scientiam, ut plæraq; ciuitates, sed oratoriam spectant, & quæ uocant humanitatis studia. Norunt enim rectè scribendi dicendiq; artem non Bartolum aut Innocentium, sed Tullium Quintilianumq; tradere. Itaq; tres in ea urbe, Græcis & Latinis literis illustres, Cancellariatum ordine tenuere, LEONARDVS & CAROLVS Aretini, & POGGIVS, qui secretarius apostolicus tribus quondam Romanis pontificibus dictarat epistolas. Præcesserat illos COLLENVCIVS, de quo Galeacius Mediolanensium Dux dicere solebat, non tam sibi mille Florẽtinorum equites, quàm Collenucij scripta nocere. Aen.Syl.cap.54. Europæ.

CASPAR Schlickius Francus, trium Cæsarum cancellarius, Sigismundi, Alberti & Friderici III. tanta omnium cũ gratia, licet diuersis penitus moribus essent, ut multis oppidis ab ijs ditatus fuerit. Mortuus tandem Viennæ apoplexia. Aen.Syl.cap.53. hist. Boem. & Bonfinius lib.3. Dec.3.

THOMAS MORVS, dum uiueret, Angliæ regni baro fuit inclytus, ac supremus iudex, quem illi Cancellarium appellant, qua dignitate non est apud eam gentem alia maior, excepto rege: eoq;, quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unum latus, ad alterum liber. Auctor uitæ.

Quæstores. Monetæ, Tributo, Aerario præfecti. Thesaurarij.

ADORAMVS tributo pfectus fuit à Dauide rege, 2. Reg.20.

Dauid rex IABIN ex Mosis familia oriundum custodẽ thesaurorum templi constituit. Iosephus lib.7. Antiq. c.15.

IEROBOAMVS Nabathi F. Ephratæus, humili loco natus, à rege Solomone muris Hierosolymæ ædificandis primùm, mox Iosephæorum tribulium tributo præfectus, ab Achia Silonio uate Israelitarum rex designatus, licet uiuente Solomone uoto suo non fuerit potitus, eo tamen mortuo, diuino permissu, à Roboamo Solomonis F. decem tribus abduxit. 3.Regum 11.

LYSIMACHVS, Menelai pontificis Hierosolymitani frater, thesauris templi præfectus, ærarium omne exhausit, ut fratrem ab Antiocho Epiphane captũ redimeret. Orto populi tumultu ad ipsum obtruncatus est ærarium. 2.Machab.4.

HELIODORVS, Antiochi Epiphanis Syriæ regis quæstor, thesauros Hierosolymitanos compilaturus, à duob. angelis flagris ad mortem usq; cæsus, uoto facto, Oniæ pontificis precibus sanitati restitutus est. 2.Machab.3.

SIMON Beniamites, templi Hierosolymitani thesaurarius, Oniæ pontificis optimi odio, secreta omnia Seleuco Philopatori Syriæ regi enunciauit, & templum opulentissimũ quantum in se erat spoliandum tradidit. Idem.

HARPALVS Babyloniis thesauris ab Alexandro Magno pręfectus, cùm audiuisset Alexandrum in Indiam profectũ, de reditu eius desperans, thesauros profundere cepit alacriter. At cùm reuersus Alexander præfectos multos morte multasset, idem de se timens, collectis quinq; millib. talentorũ argenti, ex Asia in Atticam contendit. Exclusus ab omnibus Athenas uenit. Quũ ab Olympiade & Antipatro nuncij eum petituri uenissent, ipse aufugit. Tandem in Creta à Thimbrone, uno è suis familiaribus, per insidias interemtus est. Diodorus lib.17.

Græci etiam imperio Lacedæmoniorum nõnihil stipendij cõtulerant. Verùm posteaquam ad Athenienses transiuerunt, ob Pausaniæ tyrannidem, quia oppidatim nolebant id imponi singulis æqualiter, ARISTIDEM ab Atheniensib. postulauerunt, eiq; negotium dederunt, ut inspecto agro & uectigalibus, præscriberet, pro cuiusq; facultatibus & opibus quantum penderet. Qui cùm tantæ rei haberet arbitrium, & cùm Græci quodammodo summam rerum ad unum eũ detulissent: pauper profectus est, & reuersus pauperior: tributiq; descriptionem non solùm innocenter & æqualiter, sed etiam gratè omnibus atq; conuenienter fecit. Vt enim Saturni regno prisci, ita Atheniẽsium socij descriptum ab Aristide tributum, felicitatem Gręciæ appellantes, ferebant illud in cœlum: maximè quia non multo pòst duplicatũ, mox triplicatum fuit. Quod enim indixit Aristides, sexaginta & quadringenta talenta efficiebat. Huic adiecit Pericles penè trientẽ: siquidẽ sexcenta talenta Thucydides ait initio belli Peloponnesiaci populo Atheniensi socios tulisse. Defuncto Pericle, qui populum tenebant, tributum intendentes, paulatim ad mille trecentorum talentum summam redegerunt: non ita quo propter longinquitatem & clades flagitaret tãtos sumtus bellum, ut quòd ad largitiones, spectaculorum sportulas, signorum & templorum extructiones, populũ impulissent. Cùm igitur magno nomine Aristides & illustri esset ex tributi digestione, dicitur Themistocles eum derisisse: quasi non ea uiri laus, sed loculorum esset, quibus aurũ asseruatur. Plut. in Aristide.

Attalici reges à PHILETÆRO Tyanensi eunucho ortum habuere. Lysimachus Agathoclis filius, qui unus fuit ex Alexãdri successoribus, Acutum montem supra Pergamum cõmunijt, & suos ibi thesauros posuit. Quorum custodiam Philetæro tradidit. Sed is cùm ab Arsinoë Lysimachi uxore diffideret, quæ eum accusauerat, tempus ad defectionẽ expectauit. Interea Lysimachus malo consilio ductus Agathoclẽ filium interfecit: Seleucus autem Nicator reuersus illum sustulit, & ipse à Ptolemæo Ceranno dolo interemtus est. Inter hos tumultus eunuchus in arce se continens, uiginti annis castellum & pecunias possedit. Huius nepos ex fratre Eumenes regnum usurpauit. Strabo lib.13.

P. Val. Poplicola Coss. cùm esset ad bellum collatione stipendij opus pro facultatibus ciuium: quòd pecuniam neq; tractare ipse uellet, neq; permittere amicis, nec uerò ut omnino in tecta priuata pecunia publica deferretur, attribuit ærario templum Saturni, populoq; concessit, ut duos Quæstores crearet. Creati primi P. VETVRIVS & M. MINVTIVS. Ingens uis est pecuniæ coacta. Censiti fuère centum triginta millia. Orbis uiduisq; gratia facta tributi pendendi. Plutarchus in Valerio.

L. LVCVLLVM bello Marsico constantiæ causa & mansuetudinis cõprehẽdit Sylla amicitia, eiusq; opera maximis quibusq; in rebus perpetuò usus est: in quibus fuit monetę negotium. Siquidẽ bello Mithridatico pleraq; in Peloponneso per eum signata est, à quo Lucullia est dicta, diuq; durauit in bello, ex usu militari citò permutata. Plut. in Lucullo.

MITHRIDATES quęstor Cyri regis Persarum, qui regio iussu uasa sacra Iudæis ad reficiendum templum cum Zorobabele profecturis restituit. 1.Esdræ 1.

Aediles.

Fertur Domitius NERO, Neronis auus, dum ædilitatem gereret, adeò procax & animi immodicus fuisse, ut L. Plancũ censorem uia sibi cedere coëgerit. Alex.lib.3.c.13.

Præfecti annonæ.

IOSEPHVS Iacobi F. à Pharaone rege uniuersæ Aegypto pfectus fuit, ut annonæ magister esset. Genes.41.

Rei Domesticæ præfecti. Procuratores domus.

PHARAO Iosephum uniuersæ Aegypti annonę & domui suę præfecit, propter somnij interpretationem. Genes.41.

ABDIAS procurator domus Achabi regis, centum prophetas in antro absconditos pane & aqua sustentauit. 3.Reg.18.

ELIACIMVS Helciæ F. procurator domus Ezechiæ regis Iudæorum. 4.Regum 18.

PATIZITHES magus, curator rei domesticæ Cambysis regis, cum fratre suo Smerde, contra regem parantem expeditionem in Aegyptum, rebellauit. Herod.lib.3.

Præfecti Eunuchorum.

ASPHENAZO spadonũ regis Nabucodonosoris magister. Itidem & MALASAR, quibus Daniel cum socijs commissus fuit. Dan.1.

Præfecti cubiculo.

MENEDEMVS L. Lucullo à cubiculis. Vide Titulum, Legati uiolati.

GVALTERIVS Iuetoti dominus, cubicularius Clotharij Gallorum regis, inuidorũ opera in exilium pulsus. Reuersus à sacra militia post decẽnium, & literis Vigilij pontificis commendatus, à rege in templo interfectus est. Fulg.lib.9.cap.7.

☞ OECONOMICVM. Puta

Tutores.

VLPIANVM I.C. Alexãder Seuerus pro tutore habuit, primũ repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpe à militũ ira obiectu purpuræ summè defendit: atq; ideo summus Imperator fuit, quòd eius consiliis præcipuè Rempub. rexit. Ita idem Imperator in l.4. C. locat. præfectum prætorio & parentem suum appellat. Hotom. in descript. Iurisconsult. ex Lampridio.

Baldunus IIII. Hierosolymorum rex Balduino nepoti ex Sibylla sorore tutorem dedit GVIDONEM de Lusignano uitricum. Qui cùm superbè imperaret, deiectus à tutela, eique substitutus Tripolitanus Comes Bertrandus. Cæterùm cum mortuo Balduino auo, Guido tutelam ui arripuisset, Raimũdus Comes Tripolitanus ea offensus iniuria ad Saracenos defecit, & Saladini partes contra Christianos plurimũ promouit. Blondus lib.7. Dec.2.

Vladislaus Hungariæ rex filio Ludouico annos uix decẽ nato MAXIMILIANVM Cæsarẽ & fratrẽ Sigismundum Poloniæ Regem tutores cõstituit. Et licet Hungari proximo post mortẽ regis conuentu eosdẽ acceptassent, oratoribusq; utriusq; Principis tutelam addixissent, semper tamẽ deinceps abnegauerunt. Qua re effectum est, ut dum timent Hungari, ne quid auctoritatis sibi Principes in regno uendicarent, regnum ab omni parte hostibus prædæ fuerit, & undiq; factiones regulorum subortæ sint. Cuspinianus.

☞ RESPECTV MVTVO.

DIGNITAS

Eadem Repetita. Qui eundem magistratum sæpius gessere.

PHOCION semper quidem procurauit pacem & otium, bella uerò gessit plurima omnium non suorum tantùm æqualium, sed & priorum, non prensans neq; ambiens eas prouincias: sed neq; defugiens tamen neq; declinans, ubi usus uocauit eum reipub. Constat enim eum quinq; & quadraginta cepisse præturas, cùm comitiis ne semel quidẽ interfuisset, sed absens semper electus & accersitus esset. Itaq; mirabantur insipientes populum Atheniẽsem: quòd cùm plurimũ Phocion in eum incurreret, neq; unquam quicquã uel dixisset uel egisset populariter (sicut reges cẽsent uti adulatoribus debere, post lotas manus) uteretur populus hic cõcionatoribus facetioribus & blandioribus per ludum: ad imperia sobrius semper & sedulus seuerissimum uocaret ac sapiẽtissimum ciuem. Plut. in Phocione.

ARATVS decimum & septimum imperatorem gessit, PELOPIDAS Thebanus ter & decies, PHILOPOEMENES Megalopolitanus octauum: quem apud Achęos intra annũ bis gerere non licebat: sicut apud Spartanos bis eundẽ classis præfectum fieri lege uetabatur. Alexander ab Alexandro libro 1. cap.2.

Nulli ante C. MARIVM, extra unum Val. Coruinum, populus toties consulatum suffragijs suis mandauit. Verùm ille dici-

niſtrationi imperij adhibira eſt, quæ prius ab Alexandro patruo & tutore Conſtantini priuata uiuere coacta fuerat. Tādem, uerò cùm Romano Lacapeno filij ſocero, quem tyrannidem affectare ſuſpicabatur, inſidias ſtruxiſſet, eiecta è curia, & abſciſſis capillis, in monaſteriū ſanctæ Euphemiæ detruſa eſt. Cuſpinianus.

ZOE Conſtantini VII. F. Romani Argyri Imp. uxor, libidinoſa & imperioſa, cum Michaele Paphlagone ſtupri habens commercium, ſuffocato Romano ei nupſit, ne deeſſet imperādi occaſio. Eo monaſterium ingreſſo, cum Michaele Calaphate, quem adoptauerat, imperium adminiſtrauit. Verùm non multo pòſt ab ingratiſſimo homine pulſa, & in monaſteriū detruſa, à populo imperio reſtituta, effoſſis Michaeli oculis, ſimul etiam THEODORA Zoës ſoror Augusta ſalutata, ut ambæ ſorores ſimul imperarint. Interea Zoë Conſtantino Monomacho nupſit, & iam ſeptuagenaria obiit. Conſtātino aūt de ſucceſſore ut deliberaret, extra urbem profecto, Theodora regiā ingreditur, regio ad ſe accerſito ſatellitio. Ad eam Senatus quoq; confluxit, eamq; Imperatricem declarauit: utpote ad quam hæreditario iure principatus pertineret. Hoc ubi Monomacho ſignificatū eſt, maximo affectus dolore, quàm diu uixit (quod admodū exiguū erat) ſuſpiriis ac mœrore contabuit. Ipſa ciuilium rerum iuriſdictione Syngello Leoni, qui Paraſpondylus uocabatur, tradita, per ſeniores ius dicebat, ſtudebatq; gratiæ multitudinis, ſedulam legum habens curam, decreta & ſententias ferebat. Veſcebatur aūt publica & cōmuni ratione, felixq; erat ſub ea Reſpub. Nec enim in eam quiſquā coniurationem molitus eſt, nec præſtabantur à ſubiectis negligenter, quæ iuſſi erant, nec ulla ſub Romanis natio tumultuata eſt: ſed erat undiq; temporis tranquillitas, ac omniū rerū ubertas, domi foriſq; otium ac quies, terra ipſa fructus abundè ſubminiſtrāte, adeò ut neminem feminei pœniteret imperij. Morbo aūt correpta iliaco, ſucceſſorem declarauit Michaelem Seniorē, cùm anno uno & menſibus nouem imperaſſet. Idem.

AMALASVNTA, Theoderici regis Italię filia, & mater Almarici Hiſpanorum regis, defuncto iam filio in imperio ſucceſſit, Tendiumq; ſobrinum ſuum in ſpem ſucceſſionis adoptauit. Ritius lib. 1. Regum Hiſpanorum.

THEODELINDA, mortuo Agilulfo marito Longobardorū rege, Aldoualdo F. adhuc impubere, regni curas magno animo ſuſcepit & adminiſtrauit per decennium. Bern. Saccus lib. 9. Ticinenſis hiſt. Platina Aldoaldi uxorem facit.

Mortuo Craco principe, & filiis eius duob⁹, Poloni VENDÆ Craci filiæ ob patris memoriam regnum detulerunt, uiragini formoſiſs. Hæc Ritigeri Marcomannorum ducis nuptias reſpuit, Principem ſe malle eſſe inquiens, quàm principis uxorem. Ritigerus exercitu infeſto Poloniam inuaſit. Verùm deſertus à ſuis, ignominiæ metu manus ſibiipſi intulit. Venda hoc ſucceſſu læta, ouans Cracouiam inuehitur: mactatisq; quamplurimis uictimis, ad extremum ipſa diis patriis ſolenni ritu ſeſe deuouit, ac de ponte in profluentem Viſtulæ, ne quis aduerſus caſus felicitatem eius cōtaminaret, ꝓiecit. Proceres inuentum cadauer eius, uno ab urbe milliario, editiore loco è conſpectu urbis ſupra amnem Dlubniā ſepeliuerūt, aggeſto itidē ut patri tumulo. Indeq; ſubiacens pagus Mogilæ, hoc eſt, tumuli nomen adeptus, adhuc retinet. Cromerus lib. 2.

LIBVSSA Croci ducis Boëmorum ſecundi F. uelut una ex Sibyllis habita, poſt obitum patris prouinciam gubernauit: & priuſquàm Praga ædificaretur, arcem Viſſegradenſem communiuit. Contendebant coram ea duo ex optimatibus de poſſeſſione agrorum. Sententia ex bono & æquo dicta: potentior damnatur. Is populares appellans, indecorum eſſe indignumq; ait, tantum populum, unius feminæ ſubeſſe arbitrio. Ad cuius uocem excitata multitudo, muliebre regimen accuſare, uicinarum gentium mores in medium adducere, uirū qui ſibi dominetur expetere. Libuſſa, re cognita, Primiſlao ruſtico ſupra menſam ferream prandenti nupſit. Aeneas Syluius in hiſt. Boëmica.

AGNES, Henrici III. Imp. mater, unà cum filio imperiū rexit: cuius facta nefandiſſima cùm filius minimè probaret, à rerū adminiſtratione amota eſt. Volat. lib. 23. Anthrop.

Gintolinus, Britannorum rex, genuit ex MARTIA uxore unicum filium Sicilium: qui cùm mortuo patre nondum imperio maturus eſſet, Martia multarum rerum perita, regni interim curam ſuſcepit. Hęc id, quod è Republica eſſet, in primis ſibi faciendum rata, leges tulit, quas Martianas poſteri appellarunt. Polyd. lib. 1.

MARGARITA, Renati Andegauenſis Ducis F. Henrici VI. Anglorum regis uxor, prudentia & animi robore inſignis, marito quietis ſtudioſo exiſtente, ipſa regni habenas nō pace tantùm, ſed & bello moderata eſt. Captum à coniuratis Henricum armis liberauit, & ſuis felicius quàm mariti auſpiciis belligerauit. Tandē ab Edouardo regni occupatore eiecta, in Galliam confugit. Inde ter in Angliam cum exercitu redire feſtinans, aduerſis reiecta uentis, animi magnitudini comitem fortunam non habuit. Vix tandem uoti compos, acie cum Edouardo confligens, ſed multitudine hoſtium ſuperata, capitur, & amiſſo filio, à ſuis redemta, in Gallia mœrore periit. Polyd. lib. 23. & 24.

BLANCHA Hiſpana, Ludouici Francorū regis uxor, Diui Ludouici mater, ſummam rerum, ſuprema mariti uolūtate demandatam rexit, Diuo filio annum uix agente duodecimū. Raimundum Toloſatium comitem, quem ſummi duces nō perdomuerant, imperata facere coëgit. Proceres, regimine rerum ſe excludi moleſtè ferentes, ad officium armis redegit. Anglos acie uicit. Aemilius lib. 7.

Neapolitanorum regi Roberto duę erant neptes ex Carolo filio, Florentiæ domino, uiuente patre defuncto: & Carolo Martello, Roberti germano, Vngariæ regi, paulo antè mortuo, filius Carolus erat, cui uiuenti, & patre defuncto, ſuperſtites manſerant Ludouicus & Andreas. Moriens Robertus, anno Sal. 1346. teſtamento ordinauit, ut IOANNA filia, Andream conſobrinum ex Vngaria uenientem uirum acciperet: atq; ita factū eſt. Sed Ioanna ſecordē exoſa uirū, in Auerſa urbe necari curauit, & alteri conſobrino nupſit, Ludouico Tarēti principi, olim Philippi filio, qui Roberti frater fuit. Ludouicus rex Vngarię cum exercitu Italiam petijt, & Sulmone recepto, Apēninum trāſgreſſus, omni regno facilè eſt potitus. Ioanna & adulter fuga ſibi cōſuluerunt, Prouinciā petentes, relicto ad regni cuſtodiā duce Dyrrachino, comitis Grauinenſis regis Roberti germani filio: quē Ludouicus repugnare auſum, prælio ſuperatū captūq; ſupplicio affecit. Sed ſæuiſſima peſte graſſante, Ludouicus relicto præſidio in Vngariā tertio menſe reuerſus eſt. Clemens pacē inter Vngarū regē Ioannāq; hoc modo conſtituit, ut Ioanna regio uſa titulo reſtitueretur: Ludouicus Tarentini principatus titulo, ſiue maritus ſiue adulter, apud Ioannā uteretur. Sed non multo pòſt Clemens Ludouicū corona donauit, & pacem cū Vngaro renouauit, & à Ioanna regina Auinionē, quę ſui patrimonij erat, in uenditionē accepit, preciūq; diſſolutio ꝑmutata eſt in pecuniā feudi, quā Ioanna pridem coronata ꝑ regno promiſerat. Blondus lib. 10. Dec. 2.

Galeacio Maria Sforzia Mediolani à cōiuratis interfecto, BONA uidua, Ioannis Galeacij adhuc pueri mater, imperiū adminiſtrabat, Frācifci Simonetæ Calabri hominis prudētiſſimi cōſilijs. Hic cū Ludouico Sfortia pueri patruo, & idcirco Reip. adminiſtrationē ad ſe deferri petente, ſimultates exercēs, Bonę perſuaſit, ut ſenatus decreto interpoſito, illū extra urbē cum Octauiano fratre & Aſcanio, ablegandū curaret. Exules cùm armis patriā atq; adeò principatū repetere conarētur, Bona ancipiti perculſa metu, Antonij Taſſini Ferrariēſis cubicularij ſui, quem forma illi conciliatū quidam ſuſpicabantur, ſuaſu, Ludouicū cum fratrib. reuocauit. Sperabat enim Taſſinus, deiecto Simoneta, facilè ſe principē locū apud Ludouicū obtenturum. At Simoneta cùm impendentē ſibi calamitatē ab exulū reditu proſpiceret, Taſſino prędixiſſe fertur, Ludouicū & Aſcaniū impetrato reditu ſibiq; dem certū exitium, ſed minimè dubiā ei ignominiā atq; exilium allaturos. Nec falſus fuit uates. Nam Simoneta ſecuri percuſſus eſt, Taſſinus ob recens beneficium uita donatus, ob uetus odiū in exilium pulſus eſt. Id Bona princeps cùm peractum contumeliæ ſuæ cauſa ægerrimè ferret, irata Ludouico & filij tutelam, qui illi erat prædæ futurus, & principatus procurationem reliquit, atq; ex Inſubribus diſceſſit. Brutus lib. 7. Hiſtoriæ Flor.

MARGARITA Valdemari Danorū regis F. Haquini Noruegiorū uxor, mortuo patre & marito, Daniæ & Noruegiæ regina creata, uicto Alberto Sueonum rege, etiam Sueconum regnum inijt, quibus poſtea Ericum Pomeraniæ ducē ſuum ex ſorore nepotē præfecit. Hanc Dani ut deam aliquā uenerantur, Sueones inſtar dæmonis deteſtātur. Anno Chriſti 1412. poſt conſtitutam cum Holſatis pacē, cùm in Daniā nauigaret, contracta ex marino fœtore nauſea, antequā nauī egrederetur, occubuit. Ioan. Magnus lib. 19. & 20. & Crāzius lib. 5. Suetiæ, c. 35.

Formoſi.

☞ *Vide Titulum, Formoſorum.*

Robuſti.

☞ *Vide Tit. Robuſtorum. item, Regum fortium.*

FORTVNAS. Quoad

OPVLENTIAM.

Diuites.

☞ *Conſule Tit. Reges diuites. Illic Opum, hîc Magiſtratus habetur ratio.*

PTOLEMÆVM Philadelphū, Aegypti regē, narrant habuiſſe peditū ducenta milia, equitū uiginti milia, curruū uerò duo milia, elephātos, quos primus eduxit ex Aethiopia, quadringentos. Naues longas, quas liburnas uocant, mille quingētas alias, ad cibaria militum deꝑortāda mille: auri quoq; & argēti grande pōdus, ita ut de Aegypto per ſingulos annos XIV. millia & 800 talenta argēti acceperit, & frumēti artabas (quæ menſura tres modios, & tertiam modij partem habet) quinquies & decies centena millia. Hier. in Dan. cap. 11.

Pauperes.

☞ *Vide Tit. Reges pauperes.*

PATRIAM. MAGISTRATVS

Eiuſdem gentis.

Omnes REGES, qui poſt cladem à Saracenis, cæſo Roderico ultimo Gothorum rege, Hiſpaniæ illatam, orti ſunt, ex trunco atque ſtipite regum Hiſpaniæ, quos nunc reges Caſtellæ appellamus, deſcendêre, nonnulli tamen remotius, aliqui propinquius. Quinimo ab eadem domo, eademq; familia, & eodem Gothorum genere, ſine aliqua extraneæ familiæ ac ſtirpis interpellatione, continuata eſt ſucceſſio. Cui nihil ſimile in Europa reperias, regium ſcilicet ſolium tamdiu ſub eadem familia & ſine interpoſitione alterius continuatum. Et licet plerunque inter eoſdem Hiſpaniæ reges certatum ſit, nunquam tamen ad extraneam familiam principatus deuenit. Rodericus Santius parte 1. hiſt. Hiſpan. c. 16.

Peregrini.

M. PERPENNAM natione Græcum Romæ conſulatum eſſe adeptum, ac de Ariſtonico Gallorum rege triumphaſſe, Val. Maximus auctor eſt. Eutropius tamen lib. 4. tradit, Ariſtonicum ab Perpenna uictum in carcere ſenatus iuſſu ſtrangulatum: quia, inquit, triumphari de eo non poterat. nā Perpenna apud Pergamum Romam rediens diem obierat.

L. CORNELIVM Balbum Gaditanū Romæ conſulem fuiſſe, Auguſto, M. Antonio, Lepido rempublicam gerentibus, ꝓdidit Dion: additq;, eum diuitiis & magnificentia præcelluiſſe adeò, uti populo Romano uicenas quinas drachmas moriens reliquerit. Primus omnium externorum triumphi honorem, omnibus aliis præterquam Romanis denegatū, uictis Garamantibus adeptus eſt. Plinius libro 5. capite 5. & lib. 7. cap. 43.

VENTIDIVM Baſſum. Picentem genere, loco humili, de Parthis, quos tribus fuderat præliis, primum omnium triumphaſſe, auctor Trāquillus eſt: quin & in Noctibus Atticis repetit Gellius. Cælius lib. 12. c. 8. A. L.

Cùm Tuſculanorū conſul eſſet L. FVLVIVS, atq; pro eis multa præclarè geſſiſſet, Romā tranſiuit: atq; eo ipſo anno Romæ conſul factus, Tuſculanos prælio deuicit, ac de eis triūphauit. Solus Romæ, ac primus, qui ciuitate donatus, & cōſul factus eſſet, ac triūpharet, eo ipſo, anno quo hoſtiū dux fuiſſet. Fulgoſus lib. 8. c. 16.

TRAIANVS, patre Traiano genitus, uiro conſulari & familia antiqua, Italicæ in Hiſpania, primus Cæſarū peregrinus fuit. Sextus Aurelius ex urbe Tudertina natum ſcribit. Cuſpinianus.

MAGISTRATVS ET IMPERII XPHCIC, RESPEctu Perſonarum aliarum. Puta reſpectu

PRAEDECESSORVM.

Primi.

☞ *Ex Regum catalogo huc primi pertinent.*

ARISTOBVLVS filius Ionathæ, rex pariter & pontifex, primus apud Iudæos diadematis ſumſit inſigne: poſt CCCCLXXXIIII. annos Babylonicæ captiuitatis, ex quo Nabucodonoſor populum in Chaldæam tranſtulit. Euſebius.

Vltimi.

☞ *Vide Tit. Regna in quibus defecerunt.*

COLLEGARVM. QVI CVM collegis uel abſq; collegis Remp. adminiſtrauere.

☞ *Huc refer Tit. Socios in imperio ferre, uel non ferre.*

CN. POMPEIVS Magnus, eques Romanus, proconſul in Hiſpaniam aduerſus Sertorium, pari imperio, cum Pio Metello principe ciuitatis, miſſus eſt. Nondum ullum honorē auſpicatus, bis triumphauit. Initia magiſtratuum à ſummo imperio cœpit, tertium cōſulatum decreto Senatus ſolus geſſit. Val. libro 8. capite 16.

Congregato in comitiis populo, ut Mithridatico bello CN. Pompeius prætor crearetur, cùm Roſcius moneret populū, ut alium eligeret, ac comitem ei Pompeium daret, digito eū deſignans, ut qui audiendi facultatem in tumultu nō habebant, digito, qui deſignabatur, intelligerent: arbitratus Pompeij maieſtatem lædi populus, ſi comes fieret, indignatione uniuerſus eſt motus, ſublatoq; in eam magnitudinem clamore, ut ſuperuolantes corui in populum attoniti caderēt, nō antea comitiis diſceſſit, quàm uni Pompeio prætura decerneretur. Fulg. lib. 2. cap. 5.

Quum in diuerſis mundi partibus undique ſurgerent tyranni, in Galliis, Britannia, Aegypto ac Italia, DIOCLETIANVS Imp. animaduertens conſorte imperij opus eſſe, Maximianum legit, & cum illo imperij habenas æquo iure mira concordia gubernauit, ut eadem ſemper cogitarent, eadem facerent, nunquam alteri alter repugnaret. Obtemperauit enim Maximianus Diocletiano tanquam filius patri, ac minor maiori, nec unquam eius uoluntati reſtitit. Diocletianus Iouij, Maximianus Herculei cognomen aſſumſit, quaſi ille Iouis, hic Herculis eſſet ſucceſſor. Diocletianus aurei ſeculi parens, Maximianus ferrei dictus eſt. Gallia pacata, ſubacta Aegypto, cùm undique iterum noua naſcerentur bella, & in Oriente per Narſeum, & in Britannia per Carauſiū, per Iulianum turbaretur Italia, ambo Auguſti duos ſibi adoptauere Cæſares: Diocletian⁹ Galeriū MAXIMIANVM, quem cognomento Armentarium Aurelius Sextus uocat: Maximianus CONSTANTIVM cognomine Chloron. & pòſt ſe imperio abdicauêre. Cuſpinianus.

Ab initio LICINIVS à Galerio Maximiano adoptatus pulcrè cum CONSTANTINO Magno conſenſit. Vna eadēq; ſententia legem ſtatuerunt, qua Deum Chriſtianorum ſummis laudibus ubiq; uenerandum colendumq; decreuerunt. Verùm ſuperato Maximiano Orientis præfecto uictoria elatus Licinius, Conſtantinū contemnere cepit, quamuis eius ſororem Conſtantiā matrimonio haberet, Chriſtianos oēs è palatio atq; exercitu ſuo abegit, & palàm in eos deſæuiit, adulteriis & ſtupris oblectatus, auaritia inſatiabilis, cenſus nouos exigendo ac tributa, agros cultoribus uacuos reliquit. Iure igitur Conſtantinus contra Licinium uires Gallicanas & Italicas collegit. In Pannonia uictus Licinius conceſſit in Macedoniam. Ibi reparantem uires Cōſtantinus fudit, & in Thraciam fugauit. Tandem in Bithynia, ablato iam ei Byzantio ac Chryſopoli, adegit Licinium pacta ſalute indumentum regium offerre per uxorem. Deditionem proinde Nicomediæ fecit, miſſusq; eſt Theſſalonicen, ut ibi priuatus uiueret. Conſtātia ad fratrem ſupplex uenit: & primùm pro imperio mariti, tum pro titulo tantùm, deuotiſſimè orauit. Cùm neutrū aſſequeretur, pro ſalute mariti precata, animum flexit fratris. Iuſſus eſt igitur ſine purpura & inſignib. ad Conſtantinum uenire. Interim Imperator ad Senatū retulit, quid de Licinio agendū eſſet. Senatores reſcripſerunt, ut id milites decernerent. Hi proficiſcētem Serras Licinium interfecerunt. Cuſpinianus.

Conſtantinus Magnus ante Licinij cædem Cæſares tres fecit, cùm ille priuatus uiueret: CRISPVM, ex Mineruina concubina ſuſceptum: & CONSTANTINVM, ex Fauſta coniuge Maximiani Herculei F. iiſdem diebus oppido Arelatenſi natum: & LICINIVM iuniorem, ſororis Conſtantię & Licinij filium, menſium ferè XX. Cuſpinianus.

SVCCESSORVM.

Similium.

☞ *Ex Tit. Filij parentibus ſimiles, huc exempla quædam afferri poſſunt.*

Diſſimilium.

Illud uſu uenire ſolet, ut ſceleratiſſimum tyrannū ſequatur iuſtiſſimus princeps. Quorum enim exitus perhorreſcunt, eorum uitam imitari turpe ac periculoſum ducunt. Itaq; Neronem GALBA princeps optimus ſecutus eſt, NERVA Domitianum, ALEXANDER Heliogabalum, PERTINAX Commodum, GORDIANVS Maximinū. Io. Bodinus Methodi hiſtor. cap. 6.

BELISARIVS uicto captoq; Vitige Gothorum rege à Iuſtiniano Imp. contra Perſas reuocatus, Italiam BESSÆ, IOANNI, VITALI & CONSTANTIANO adminiſtrandā cōmiſit. Præfecti interim omnia ad priuatā utilitatē referre, & ſubiectos libidini militari permittere, nec milites dicto audientes habere. Alexander inſuper à Iuſtiniano miſſus, Italos falſis quæſtionib. de pecunia regia auerſa, & fraudib. in Theodericū regē cōmiſſis implicuit, ac militū labores etiā maximos præmiis exilibus cōpenſauit. Quo factum eſt, ut breui Italos Imperatori infenſos reddiderit, ac milites à periculis in bello ſubeundis auerterit. Itaq; cùm odiis erga Imperatorem certarent, Gothis occaſionem creſcendi dedere. Proinde Ildobaldus, quem Gothi Vitigi ſubſtituerant, auxilia omnia in unum contrahere cepit. Eo cæſo per dolum à ſuis, Totilas eius nepos tantum Romanis negotij exhibuit, ut uix tandem à Narſete ſuperari potuerit. Sigonius lib. 18. Imp. occid.

MAGISTRATVS, IMPERII XPHCIC, CONSIDERATA RESPECTV TEMPORIS.

PER SE. MAGISTRATVS

Diuturnus.

Vide Catalogum Regum, ubi annos Imperij cuiusq; annotauimus.

MASINISSA rex Africanorum, qui amicitiam cum Romanis retinuit, annos nonaginta in uigore uixit, sexaginta imperauit. Diod. lib. 32. & Val. lib. 8. c. 14.

Mirum in AVGVSTO uideri potest, quòd cùm primus fuerit, qui Imperatoris nomen atque titulum sibi sumsisset, sex ac quinquaginta annos imperium rexit: & post eum, in tanto numero ueterum Imperatorum nullus (quanquam in eis aliqui tenera adhuc ætate ad eum honorem ascendissent) in administratione eum annorum numerum impleuit, etsi inter recentiores quidam propè accesserint. Fulgosus libro 8. capite decimo quarto.

THEODERICVS Gothorum rex Italiæ imperio potitus, uix tam feliciter est rem ipsam adeptus, quàm pacatè postea annos LX & amplius possedit. Sabellicus libro septimo, capite septimo.

GVLIELMVS Tutteuillanus Cardinalis Rhotomagensis XXXVIII. annis sub galero uixit octogenarius. Obiit anno Sal. 1483. Garimbertus lib. 5. de uitis Pontificum.

Brevis.

Ex Catalogo Pontificum & Regum huc quadam.

Dionysius ALEXANDRVM Pheræum, quòd decem menses potitus imperio, mox uita decesserit, τραγικὸν βασιλέα dixit. Nam in tragœdiis tantisper durat imperium, dum fabula peragatur: tum deposita persona, qui paulo antè fuerat Agamemnon, aut etiam Iupiter, tessis homuncio discedit domum. Erasmus.

Mortuo Romulo, cùm Romani & Sabini de rege eligẽdo dissentirent, ne suspensa sine imperio rep. discordia omnia miscerent, compararunt inter se centũ quinquaginta PATRES, ut loco Quirini singuli uicissim cum insignibus imperij solennia sacra obirent, & ius dicerent senis horis noctumis, & senis diurnis. Hæc temporis utrinsq; distributio ad æqualitatem rectè comparata magistratibus uidebatur: & uicissitudo summi imperij, ne id in oculos plebis incurreret, efficere, cùm eundem conspicerent eodem die & nocte priuatum ex rege factum Forma ea imperij apud Romanos Interregnum appellata. Cæterùm cùm neque illi obtrectationem & murmur populi uitare possent, tanquam summam rerum ad paucorum arbitrium trahentes, & rempub. ad nutum suum conuertentes: ad regem creandum omnes cõsen sere. Plut. in Numa.

Cùm Maximus consul decessisset, in diem unam magistratus reliquam consulem creauit Cæsar dictator CANINIVM Rebilium. Ad quem de more salutandum & prosequendum multis contendentibus, Cicero, Maturemus, inquit, priusquam ille abeat magistratu. Plutarchus in Cæsare. Item, Cõsulem habuimus uigilantissimum & fortissimum, qui in toto suo consulatu somnum non uidit. Dion in Cæsare. Item, Consulem habuimus tam seuerum, tamq; censorium, ut in eius magistratu nemo pransus sit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. Cuspinianus in Consulibus.

Cicero in VATINIVM, qui uno die consul fuit, ita iocatus est: Vatinij anno magnum ostentum fuit, quòd eo consule nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuisset: nã his totus annus distinguitur. Cùm morbo laboraret, & eo nomine in Ciceronem inueheretur, quòd ægrotantem non accessisset: Volebam, inquit Cicero, in tuo uenire cõsulatu, sed me nox occupauit. Macrobius lib. 2. cap. 2. Saturn. Ad eum congratulandi ac associandi gratia pluribus euntibus: Maturemus, inquit, ut hominem ante fui consulatus exitum præueniamus. Idem Curioni libro octauo Epistolarum sic scribit: Caninio consule, scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirifica uigilantia, qui toto suo cõsulatu somnum nõ uiderit.

Sub Galieno Imperatore MARIVS tyrannus, ut scribit Trebellius Pollio, una die factus est imperator, altera uisus imperare, tertia interemtus est.

M. Votacilius Pitholaus in C. SERVILIVM, qui uno tantùm die consul fuit, ita lusit: Antè flamines, nunc consules diales fiunt. Abusus est uoce, Diales: quasi à die deducta sit, ac non magis à Ioue, cui flamines instituebantur.

Neronem sequentes tres principes, GALBA, OTHO, VITELLIVS, rectè ab Apollonio Tyaneo Thebani Imperatores dicuntur: quòd sicut Thebani breui admodum tempore Græciæ tenuerant principatum, ita isti paucis mensibus Romæ imperauerunt, tanquam Tragœdiarum tyranni personam mutantes, qui se inuicem eliserunt, sicut claui clauos excutiunt. Cuspinianus.

Interfecto Aureliano, ex Anniorũ familia duo principes, quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, P. Annius TACITVS sex mensibus, frater M. Annius FLORIANVS uix duobus imperarunt. Quibus duæ statuæ marmoreæ Interamnæ in patrio solo locatæ fuerunt: sed fulmine dissectæ perierunt. Cuspinianus.

THEODOSIVS III. Imp. humanissimus, cùm uix anni spacio imperium tenuisset, à Leone III. deiectus est. Cuspinianus.

VALENTINVS I. pontifex sanctissimus, quadragesimo pontificatus sui die moritur, ac in basilica Petri sepelitur, cõquerentibus omnibus eum hominem morte sublatum, quo stante labefactari Romana libertas & Christiana religio uix poterat. Platina.

CELESTINVS IV. uita & doctrina insignis, senex admodũ & ualetudinarius in locum Gregorij IX. suffectus, decimo octauo pontificatus sui die moriens, in basilica Petri sepelitur, magno sui desiderio relicto, quòd homines sperabant se eius pontificatu felices futuros, liberati ab Honorio III. & Gregorio IX. Pontiff. quorũ diris Italia Friderici II. atmis grauiter afflicta fuerat. Idem.

ALBERTVS V. dux Austriæ uno eodemq; anno, immò paucis penè mensibus, ex duce Austriæ dux Lucelburgensis, Moraniæ Marchio, rex Romanorum, Hungarorum & Bocmorum creatus, duobus tãtùm annis in summo rerum fastigio uixit. Cuspinianus.

Obiit Ferdinandus maior Neapolitanorum rex sub initiũ Gallici tumultus, moriensq; ALFONSO filio regnum tradidit. Is suis diffisus opibus, FERDINANDO filio cessit, quem uix annum unũ regnasset. Excidit hic regno pòst paulo Gallicis armis pulsus, potitusq; Carolus VIII. regia. Quo in Galliam abeunte, Ferdinandus Neapolim recepit. Cæterùm hoc intra annum defuncto, Fridericus eius patruus, maioris Ferdinandi F. regium nomen cum re adeptus est: & uno regno, intra triennij spacium, toties est regibus uariatum. Sabellicus lib. 9. Enn. 10.

PER ACCIDENS. OB

Pacem, Tranquillitatem.

Consule Tit. Secula pacata. Illic Temporis, hoc Principis ratio habetur.

Victoriam.

Fuit EVGENII IV. pontificatus uel maximè insignis: tum quòd Italicas res, cùm suas, tum pontificias & reliquorum Italiæ principum inter se discordias satis feliciter sedauit, tũ quòd Græcorum Imperatorem Ioannem Palæologum & reliquam Græciam in Italiam excuit. Vbi Florentino concilio peracto, & ipse Constantinopolitanus princeps, & patriarcha, cum sacris reliquis uiris præsentes interfuere, subscriptioneq; sua comprobrarũt, quod ad eam diem summa animorum obstinatione auersati fuerant. Egnatius libro septimo, capite 5.

Calamitatem.

Caius Cæsar optabat insigni aliquo malo suum imperium nobilitari, ut TIBERII ætatem ruina theatri Fidenatis. Suetonius.

LIBRI QVINTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.





VOLV

Voluminis Tertij Liber V.

De LIBERTATIS speciebus.

LIBERTAS CONSIDERATA RESPECTV REI MALAE, A QVA VEL IAM LIBER EST, VEL nunc primùm liberatur. LIBERI ab

IMPERIO & IVRISDICTIONE aliorum, uel

SACRO.

Henricus archiepiscopus Gnesnensis, perfecit diligentia & auctoritate sua, ut Lesci Albi principis, atq; omnium ducũ, procerumq; Polonorum consensu, & uniuersi conuentus constitutione, SACER & ecclesiasticus ordo omnis, cum adscripticiis etiam & subditis suis, ab omnium prophanorum iudicum, etiam ducum atq; ipsius summi principis iurisdictione prorsus liber esset, ita ut ne per exceptionem quidem ullam, aut reconuentionem pertrahi ad ullum profanum, siue laicum, ut uocant, forum possent. Eamq; constitutionem Pontificis max. & sedis Apostolicæ auctoritate confirmauit. Sacerdotes uerò omnes, ex decreto synodi à se conuocatæ, uxores & concubinas, quas retinebant adhuc plerique post edictum legati Pontificij, abdicare coëgit, iureiurando ab eis exacto. Cromerus lib. 7.

PROFANO.

Sub Saturno rege AVREA secula fuisse dicuntur, cùm propter rerum copiam, tum etiam quòd nondum quisquam seruitutem uel libertate discriminabatur. Quæ res intelligi potest ex eo, quòd Saturnalib. tuta seruis licentia permittitur, & domini ministrant. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 7.

Ulenus Vlyssi quærenti, quónam CYCLOPES uterentur domino, apud Eurip. in Cyclope, sic respondet:

—ἀκάκου δ' οὐδὲν δούλος οὐδενός. paret uerò nulla in re nulli.

Quod ante illum Homerus de iisdem scripserat:

—δημῶσιν δὲ ἑκάστοις· παιδὸς δ' οὐ τις τοῦ ἀλέγει.

SCYTHIAM nemo unquam ab omni æuo domuit. In causa est, quòd delicatam & luxu diffluentem uitæ rationem ab initio perosi, nec frumentum edunt, nec uinum bibunt Scythæ. Quamobrem neq; terram arant, neq; uineam unquam coluerunt, neq; alias fruges serunt, unde interioris orbis incolæ uictitant. Quæ cùm Scythis, quippe assuetis, minimè grauia, ac potius iucunda sint: hostibus eorum acerbissima essent, impedimenta plura quàm arma adducentibus, & ubi castrametati sunt, mercatum omnis generis requirentibus, ne quid uel ipsis uel iumentis desit. Ac illi expeditæ ac tenui uitæ assueti, facilè quouis tempore bella suscipiunt, ac uidui iter sæpe uno die uolucrum instar conficiunt: & alias atq; alias ante famam aduentus sui terras occupant, nihil quidẽ secũ adducentes, sed iis rebus omnib. instructi, quibus uictoria facilè paretur: eæ sunt, multitudo eorum penè innumerabilis, agilitas corporum, ac celerrimæ progressiones, & (quòd hæc superat) mortis contemtus, & ferarum more rectus in aduersum hostem impetus. Gregoras libro secundo.

SATRÆ nulli olim hominum fuêre subiecti: sed soli è Thracibus ad Herodoti usq; memoriam liberi semper perstitere. Editos enim montes incolunt, omnigenis arboribus ac niuibus obsitos: uiri in re bellica eximij, apud quos oraculum est Dionysij, idq; in editissimis montibus. Qui in illo templo uaticinantur, sunt Bessi. Antistes uerò, qui reddit responsa, quemadmodum Delphis, & nihilo magis uariè. Herodotus libro 7.

SPARTANIS olim indoles aderat generosa, & ingenium omnis impatiens seruitutis, ac uelut imperio natũ: unde nec mœnibus urbem cingebant, legibus ita iubentibus, abundè munitam arbitrantes fortibus uiris. Fœdissimum autem existimabant quenquam è pugna redire, nisi uictorem. Nec tyrannidem in suam Rempub. admittebant, sed æqua libertate parebant legibus. Deniq; nihil humilioris operæ exercebant, sed agriculturam & artes sedentarias per Helotas, id est seruorum genus, peragebant. Itaque in prouerb. abiit, ἐλευθερώτερος ἀνάγκης, id est, Liberior Sparta, de excellenti animo, minimeq; timido aut humili. Eras. in Adagiis.

Deuicto Perseo rege, postquam decem legati Roma aduenerunt, MACEDONAS liberos esse iussit L. Paulus, colentes urbes suas agrosq;, uteritos legibus suis: centum talenta tributi populo Romano ferrent, cùm plus altero tanto pepẽdissent regibus. Plut. in Paulo.

Nero Imperator GRÆCIÆ suam reddidit libertatem, quam eis L. Mummius bello Achaico confecto eripuerat, & pro eâ Sardiniam insulam in prouinciæ formam redegit. At Vespasianus Græcos, quasi patrio morbo seditione laborantes, coërcuit, & annuo uectigali imposito Romanis parere iussit, quòd diceret, libertate uti Græcos iam dedidicisse. Pausanias in Achaicis.

Ferunt Priamum quendam, ex maioris Priami sorore ortum, eodem tempore, quo Antenor & Aeneas in Italiam uenere, per Euxinum & Mæotim in Scythiam penetrasse, ubi Sicambria sit urbs ab eo condita, atq; inde postea Sicambri dicti. Habuit Troianã manus, quæ illum secuta est, luxuriosa incrementa, tenuitq; sedes, quas à principio sortita est, plures etates. Postremo Halanis res Romanas infestare adorris, Valentinianus I. Cæsar edictum proposuit, ut quicunq; hominum Halanorum conatus infringerent, decem annos omnium immunes essent tributorum. SICAMBRI eam gentem bello adorti, uictos excidio dedere, siuntq; ob id meritum in decem annos libertate donati, & FRANCORVM nomen adepti: Francos Itali Liberos appellant. Insedit interea adeò animis libertatis dulcedo, ut post decẽnium detrectate ceperint imperium. Bello itaq; repetiti, acieq; dimicare ausi, missis ducibus, ipsi ex parte multo maxima occidione occisi sunt. Qui pugnæ superfuerunt, Marcomedis & Sunonis ductu in Germaniam ingressi, in Turingiæ parte consederunt. Suno sine liberis decessit. Ex Marcomede Feramundus oritur, quem Franci sibi regem creauere: atq; hic primus nomen in ea gente tulit. Clodoueus Feramundo successit, cui cognomen fuit Crinito, à quo Francorum reges Criniti. Idem hominum tempestate illa, qua Gothi urbem Romam inuasere; Rhenum transgressi, eam comatæ Galliæ partem Romanis ademerunt, quæ est trans Ligerim: alia dein atq; alia appetendo, in Aquitaniam usq; promouere arma, fœdq; ditionis fecere. Sabellicus lib. 3. Enn. 10. Aliter Cranzius. Franck Germanorum lingua, Liber dicitur, nulli obnoxius seruituti. Quod Franci Teutones nomen meruerunt sub Valentiniano primo Imp. dum eius iussu Saxones, Romano Imperio minitantes irruptionẽ, repressêrunt. Cranzius lib. 4. Metropol. c. 13.

Pontificem Rom. cuius sacrorum ergô auctoritas fuit maxima, Gothorum tyrannide pressum, Iustiniani armis per Belisarium & Narsetẽ cum tota Italia liberatum fuisse constat, & Exarchatum constitutum Rauennæ, cùm reliqui Italiam Longobardi occupassent. Mox Græcorum Exarchatu, quẽ propter cultum imaginum à Pontificib. dissidebat, eorundem hortatu à Longobardorum regibus sublato: Longobardi deinceps, cùm cõtra Pontificẽ arma sumerent, Caroli Magni armis à Zacharia, Stephano II. & Hadriano I. Ppeuocati, euersi sunt. Labente inde post Carolum ob institutam regnorum inter filios diuisionem & regnandi libidinẽ imperio, quantum de Francorum dignitate potentiaq; decessit, tantũ Italicorũ libertati amplitudiniq; accreuit. Mortuo enim Carolo Crasso Imp. sine liberis, Itali decreto Hadriani III. regium titulum à Barbaris ad Italos transferendũ censentis, summã sibi rerũ asciscere nixi, intestinis populorum discordijs Italiam perturbarunt, ac seipsos prorsus unà cũ Ecclesia perdiderunt, ea tẽpora in Rempub. inferẽtes, quib. nulla alia tetriora ac fœdiora fuisse, uel principum nequitia, uel populorũ insania, in tota antiquitate reperiũtur.

Primus

Primus enim Berengarius,an.888.regni titulum sumsit : Berengarius II.an.960.cùm ducatum Spoletanum, Sarbione duce mortuo,ad se traheret,Ioannes XII. Pp. Othonem I. Germaniæ regem spe regni Italici & Imperatorij tituli euocauit. Itaq; Italia deinceps sub Othonib. & Henrico II. & III.floruit. Otho enim Regni ciuitates plerasq; liberas,tributarias omnes reliquit. nam quarũdam etiam perpetuos Marchiones,aut Comites, superiore sibi reseruato iure, cõstituit. Libertatem autem ciuitatum in eo ferè posuit, ut leges,consuetudines,iurisdictionem,magistratus, uectigalia, sui fermè iuris atq; arbitrij haberent: ita tamẽ, ut sacramentum regibus dicerent. Quocirca alios sibi præfectos rex,alios ciuitates ipsæ constituerunt. Ac quos quidem Rex ad iura reddenda, & populos in fide continendos in prouinciis collocauit,ij Missi,siue nuncij,siue legati Imperatoris uocati. Quos uerò populi ad regendam ciuitatem & iura moderanda posthac crearunt, ij Cõsules duo aut plures fuerunt, ex antiqua Romana reipub. consuetudine sumti, qui quotannis ex singulis ciuitatibus creati, aut apud episcopum ciuitatis,aut apud nuncium regis iurarunt, atq; eos ante Friderici primi Imperium prætoribus peregrinis, quas Potestates dixerunt,ac uulgo pòst usurparunt,prætulêre. Iam uerò Henrico IV. dignitatum sacrarum inuestituram per baculũ & anulum, & nõ tantùm per sceptrum, ad se trahente, Simoniacæ hæreseos titulo diris à Gregorio VII. exagitato, cùm à fide ei data omnes passim absoluerẽtur,uia quodammodo defectionibus ostensa, & fundamenta libertatis Italicæ iacta. Nam cùm patri deiecto Henricus V.F.successisset, Mediolanenses primùm, deinde etiam eorum exemplo alij, libertate luxuriantes,ac Regis arma despicientes, controuersias,quæ Regis antè componi sententia consueuerant, armis disceptare instituerunt. Quinetiam cùm Henricus eadẽ de causa cum Paschali II. dissentiret, & Italicorum alij imperiales,alij pontificias partes sequerentur, libertatis usurpandæ studio adhuc magis exarsere. Ergo quod Henrico aut patiente,aut certè non uindicante Mediolanenses cum uicinis instituerunt,ut de omnibus controuersiis inter se nõ iure,iudicioque contenderent,sed bello,armisque decernerent,id proximis regibus Lothario IV. Conrado III. rerũ potientibus,pleręq; omnes ciuitates facere perrexerunt. Fauit autem nescio quo modo eorum ceptis consiliisq; fortuna: quòd Reges ipsi Germanicis sedandis seditionibus occupati,aut res respicere Italicas nequiuerunt,aut demum in ipso conatu rerum extincti subitò decesserunt. Itaque cùm Fridericus I. eos ad officium reducere conaretur, Mediolanensibus subactis & euersis,reliqui metu paruere. Quamprimùm uerò Friderico ob inuestituram sacram cum Hadriano IV. mox etiam cum Alexandro III. contentio intercessit,sacris interdictis inuitati Itali fœdus,inter se percussere, ab Imp.defecere, & dum pontificias partes sequuntur,sensim libertatem sunt adeptæ,ab ipso etiam Friderico,ut Henrico VI.F.regni Italici reliquias conseruaret,in celebrata illa pace,Constantiæ data,confirmatam. Henricus Siciliæ regnum per uxorem Constantiam sibi debitum armis uindicauit. Eo mortuo,& Friderico II.puero relicto,dum Philippus Henrici frater & Otho Saxo per decennium integrum de regno Germanico contendunt,Innocentius III.Pp. Tusciæ & Spoletanæ ditionis occupandæ facultatem habuit amplis s.reliquis Italis à iugo Germanorũ liberis. Sigonius de regno Italiæ.

GERMANIÆ Liberas ciuitates eas appellant, quæ certo ac definito censu imperij auctoritatem agnoscentes, in reliquis omnibus suis legibus,non imperio suo augendo, sed propriæ libertati conseruandę operam dantes,uiuunt. Guicciardinus lib.7.

DHIETMARSI Holsatiæ in Saxonia populus (Holtsaten autem,tanquam inter nemora siti,nomen habent : cùm econtrà paludium incolæ dicantur Merslude) paludes habitans, oportunitate loci inuictus,liberũ se asseruit, Bremẽsem tãtùm Ecclesiam exiguo tributo agnouit. Holsatiæ comites sæpius eos sub iugũ mittere aggressi, maximas clades sunt passi,an.1322. & 1404. Christiernus I. Danorũ rex, cùm à Friderico III.Imp.Holsatiæ comitatu in Slesuicensem ducatum absorpto auctus,inuestituram Dhietmarsorũ terræ obtinuisset,Dhietmarsis frustra libertatem auitam pretendẽtibus,Ioannes,qui Christierno successit,maximo exercitu peditum & equitum in paludes ingressus,horrenda strage affectus uix effugit,anno sal.1500. Cranzius libro decimotertio,capite 26.

VECTIGALIBVS, TRIBVTO.

☞ *Immunitas Tributorum & Vectigalium per se ad Libertatem pertinet: per accidens uerò propter coniunctum Damnum uel Ignominiam, ad locos Paupertatis & Ignominiæ referri potest,atq; debet. Proinde etiam iis locis horum fit mentio.*

Apud AEGYPTIOS cùm quintas annuorum prouentuum regni quotannis pensitent, soli sacerdotes immunes sunt. Genes.47.

CALASIRIES,milites Aegyptij,tanta immunitate donati,ut singulorum duodecim agri sint immunes, singuli agri centum cubitorum Aegyptiorum quoquò uersus. Herodotus libro secundo.

Cùm olim ad inuestigandam Helenam à Theseo raptam Tyndaridæ cum magnis copiis oram Atticam inuasissent,& populos è sedibus suis eiicerent,ignari quónam loci subducta Helena esset: tunc DECELENSES (sic tribus quędam apud Athenienses uocatur) feruntur, &, ut quidam uolunt, ipse Deceleus,tum dolore damni, quod Theseo fieret,tum metu totius Atheniensium soli,ne uastaretur, exposuisse illis omnem rem gestam: eosq; deduxisse Aphidnas, quas Titacus indigena Tyndaridis proderet. Quo ex facto Decelensibus permansit ad hanc usque memoriam in Sparta immunitas uectigalium,& dignitas præsidendi: adeò quidem,ut bello, quod multis postea annis inter Atheniẽses & Peloponnẽses gestum est,Lacedęmonij,cùm cæteram Atticam popularẽtur,à Decela sibi temperauerint. Herod.lib.9.

PERSÆ soli ex tota Asia, ex instituto Darij regis, ad ferẽdum tributum non adigebantur,sed munera portabant. AETHIOPES Aegypto contermini (quos Cambyses in expeditione contra Macrobios Aethiopes sumta subegit) tertio quoque anno munera portabant: nimirum binos semodios auri rudis,& ducenos fasces ebeni,& quinos Aethiopes pueros,& uicenos grandes elephantorum dentes. Colchi eorumque finitimi ad montem usque Caucasum,quinto quoque anno afferebant centenos pueros,totidemq; uirgines. Afferebant & Arabes millena quotannis talenta thuris. Herodotus libro 3.

Xerxes rex Persarũ Esdræ sacerdoti IVDÆOS, quotquot uellẽt,in patriam reducẽdi potestatẽ dedit,& scriptis literis immunitatem tributorum omnium sacerdotibus concessit. Iosephus lib.11.cap.5.

Alexãder Magnus,cùm in Iudæam uenisset, obuiumq; habeat Iaddum pont.cum habitu sacerdotali;eo quòd,dùm adhuc in Macedonia esset,in somnis talẽ specię uidisset monẽtẽ se, ut Asiam inuaderet, spe maximi successus, tributi immunitatẽ quouis septẽnio IVDÆIS permisit. Ex Iosepho libro 11. cap.6. Antiq. Sabellicus libro 4.Enn.4.

LACONES, præter amicorum ministeria, aliud nihil tributi nomine pendebant. Alex.lib.4.cap.19.

Στεφανικὸν τέλεσμα, Coronale tributum apud RHODIOS dicebatur,quia liberi erant,& exiguum quiddã Romanis mittebant quotannis,non tam tributum,ut ducibus, quàm coronam amicis. Suidas.

Post L. Pauli Aemylij triumphum,quẽ de omni Macedonia habuit,Perse deuicto,usq; ad Hircium & Pansam consules, populus ROMANVS uectigalium collatione & tributo uacauit. Is enim tantum auri & argẽti ex manubiis in ærarium tulit,ut tributorum collationem & onera leuarit. Alexander libro 3.cap.13.

AGILVLFVS,Longobardorum rex,indignum arbitratus,se tot rebus fortiter ac prosperè gestis insignẽ, tributum adhuc Francorum regi annuum pẽsitare: legatos tres hac de re cũ ingẽti ui pecuniæ ad regẽ Clotharium misit, qui intimis regis consiliariis pecunia sibi conciliatis, per eos triginta solidorum millia regi obtulerunt,ac tributi remissionẽ in perpetuum retulerunt. Sigonius lib.2.regni Ital.

Marcus Papa,scholas SAXONVM, prece Aluredi Anglorum regis,ab omni tributo relaxauit. Ranulphus lib. sexto,cap. 3. in Polychronico.

SACERDOTES Romani à tributis immunes,Numæ consulumq; primorum beneficio. Liuius lib.3.Dec.4.

Otho III. Imp. VENETIS aureum pannum, qui ex publico fœdere annuus Cæsaribus debebatur,remisit,cùm uoti causa Venetiis à Petro Vrseolo duce clàm susceptus fuisset. Sab. lib.4. Dec.1. Eodẽ duce Venetorum, à Basilio & Alexio, qui tum Byzantij imperabant,tenuit ciuitas, ut Veneti negotiatores,toto Oriẽte, omnium essent uectigalium immunes. Idem lib.2.Enn.9.

Benedictus VIII.rogatus ab Hẽrico Imperatore, ut templum quod BAMBERGÆ struxerat,in cathedralẽ consecraret ecclesiam: ex lege annuit postulatis, ut quotannis ea Ecclesia Romano pontifici cẽsus loco numeraret cẽtum argẽti marcas,cum equo albo ac phalerato. At Leo IX. postea Beneuẽtum urbẽ ab Imperatore impetrauit : cui uicissim annuũ cẽsum à Bambergẽse ecclesia soluẽdum remisit, eiusq; episcopum pallio donauit. Benno.

SCOTI ne belli quidẽ tẽpore solent suum principẽ, præter operam,facilè pecunia iuuare: sed ex possessionum uectigalibus sumtus bellici petuntur. Polyd.lib.19.

Ab Imperatore,Papa,& rege Radulpho, rex Angliæ & Daniæ CNVTO, impetrauit suis subditis siue precũ siue negotiationum gratiâ iter facientibus,ut sine omni angaria clausurarũ & uectigalium solutione,securè Romam ire redireque ipsis liceat. Malmesburiensis lib.2.c.71.

Tempore belli, quod inter Maximil. Imp. & Venetos intercessit, VICETINI destituti ab exercitu,qui se ad Medoacũ receperat,cum suis rebus uulgò Venetias confugiebãt: à quibus cùm publicani uini portorium exigerent, lata rogatio est,ut sine portorio rerum alendi se causa importandarum Vicetini reciperentur. Bembus lib.10.Hist.Ven.

BRIXIENSES diuturna obsidione fatigati à Philippo Vicecomite,fame insuper & pestilentia confecti,quia in fide perstiterant,à Venetis perpetua immunitate donati sunt. Et ut plebs sua quoq; sentiret præmia, molarum uectigal in perpetuum est populo remissum. Sab.lib.5.Dec.3.

RVSTICI eius uillæ,è qua Primislaus rusticus equi beneficio in regni thoriq; cõnsortium à Libussa Croci Boëmorum ducis F. acceptus est,cùm eum super mensa ferrea prandentem inuenissent,libertate perpetua donati, modium tantùm nucum quotannis regi pendent. Aen.Syl.in hist.Boëmiæ.

Lusitaniæ ciuitas METHYMNA cognomento Campus, soli ubertate,nundinis,& mercatorum cõmerciis ditissima semper est,& honorificis priuilegiis à tributis & uectigalib. immunis,in qua neq; rex habet officium, neq; pontifex sacerdotium. Quæ quidem res mali potius quàm boni causa est, propterea quòd in conferendis sacerdotiis & magistratibus incolæ plerunq; crudelissimè digladiantur. Marinæus lib. 2. rerum Hispaniarum.

NAVLO.

νῶϊν ἢ νέκυες πορθμήιον οὔτι φέροντες, Nec mortui naulum soluunt. In AEGIALO est descensus ad inferos, quò Ceres cũ uenisset; ex accolis, ubi Proserpina esset, cognouit: eaq; de causa nauli immunes eos fecit. Suidas.

OBSIDIONE.

☞ *Ex Tit. Prudentiæ in obsidione toleranda,in Vrbibus & Arcib. defendendis, hæc quædam. Illic Habitus, hîc Seruitutis depulsæ habetur ratio.*

LVSITANI à rege Cananorense in arce obsessi, obsidionem fortiter tolerabant. Erant frequentes ædes arci coniunctæ, arcis ipsius pręsidio ab hostium impetu & incursione defensæ. In his erant uariæ merces,& multiplex & preciosa suppellex,& annona,qua milites in ea obsidione alebantur. Factũ est autem, pueri cuiusdam negligentia, qui cùm iret cubitũ, candelam incensam reliquerat, ut candela in aridam materiam decideret, quæ subitò ignem corripuit,& domum inflãmauit. Sic autem cùm omnes ædes illæ essent è ligno ædificatæ,& foliis palmarum confectæ,& coniunctę,factum est, ut omnes eodem incendio conflagrarent. Commeatum maxima ex parte flamma consumserat. Nec erat spes ulla, quãdiu hyems uigebat,ut aliundè posset commeatus importari. Ergo cùm fames Lusitanos opprimeret,cogebantur feles primùm,mures deinde & lacertos comedere. Sed ope diuina in extremo illo discrimine adiuti sunt. Mare namq; uẽtorum flatu agitari cepit,& cùm maximos fluctus eijceret,magnam squillarum ingentium uim in litus expulit,quibus famẽ depulerunt, & ægroti sanitatem recuperarũt. Et sic Lusitani obsidionem per totam hyemem tolerarunt. Osorius libro 4.rerum Emman.

EXCOMMVNICATIONE.

SIMEONEM Stelitem cùm Aegyptij monachi intellexissent in columna uiuere,insolitã rem auersati, eum suo cœtu excluserunt. Pòst autem cognita uiri uita & animo fastus experte,rursus eum susceperunt. Marcianus Imperator sępe hominis priuati habitu clàm eum adiit. Suidas.

VENETI,in quos Iulius II.Pp.fœdere Cameraci cum Maximiliano I.Rom.Imp.& Galliç rege Ludouico XII.an.1509, percusso,excõmunicationis fulmen uibrarat,tandẽ sequente anno per oratores suos Pontificis iratum animum flexêre. Scriptis igitur & confirmatis per Cardinales pacis conditionibus,Veneti legati,constituto die,uetera exẽpla sequuti,in diui Petri porticum uenerunt: ibiq; ad Pontificis pedes, qui prope æneas portas in pontificia sella omnibus purpuratis & innumeris antistitibus præsentib. sedebat, humi prostrati, cõtumaciam errataq; sua confitẽtes,demississimè ueniam flagitarunt: deinde nonnullis precibus de more recitatis,consuetisq; solennibus peractis ceremoniis, Pontifex illos in gratiam recipiẽs,censuris dirisq; liberauit: eisq;, satisfactionis gratia,septem augustissima urbis tẽpla adirẽt, iniunxit. His peractis à summo pœnitentium magistro in diui Petri basilicam introducti sunt,ubi sacris, quibus antea illis interdictũ erat,auditis,honorificè nõ iam ut execrati sacris, ue exclusi,sed ut uerè Christiani, & sacrosanctæ sedis pij filij, ab antistitibus, aliisq; cõpluribus ad suas ædes deducti fuerunt. Guicciard.lib.8.Hist.

EXILIO. RESTITVTI in patriam.

☞ *Ex Tit. Regnorum receptorum, exempla quædam petenda. Heic Seruitutis depulsæ, illic Imperij recuperati habetur ratio.*

Sub Dario rege Persarũ impletis septuaginta annis, quos Hieremias propheta prædixerat, reddita est IVDÆIS soluta captiuitate libertas,regnante Romanorum septimo rege Tarquinio. Augustinus libro decimooctauo de Ciuitate Dei, capite uigesimosexto.

MESSENII, secũdo bello Messenico expugnata Era, Olymp. 28. uicti à Lacedæmoniis,defecerunt iterum, & montẽ Ithomen occuparunt. Inde eiecti, Naupactũm Atheniẽsium beneficio obtinuerunt. Superatis ad Aegos flumẽ Atheniensibus,ipsi etiã Naupacto expulsi, partim in Siciliã & Rhegiũ, partim ad Euesperitas Libyæ populos profecti sunt. At post Leuctricam Lacedæmoniorum calamitatem ab Epaminonda Thebanorum duce uictore in Peloponnesum reuocari, studiosè redierunt,287 annis post Eræ expugnationem, Olymp.102.anno tertio. Et sic trecentos fermè annos Messenij extorres è Peloponneso errarunt,patrios tamẽ ritus cõstantissimè tenuere,& Doricam linguam nihil prorsus immutarunt,quam soli ferè maximè integram etiam Pausaniæ ætate conseruarunt. Epaminondas reuocatis urbẽ ædificauit in monte Ithome,quã Messenem appellarunt, & aliquot pòst annis Aratum Achæorum ducem secuti,Spartam expugnarunt. Pausanias in Messenicis.

DELII ab Atheniensibus suis eiecti sedibus, Adramyttium coloniam deduxere : neq; ita diu pòst rediere. Pausanias in Messenicis.

ORCHOMENII Minyæ post Leuctricam pugnam à Thebanis Orchomeno pulsi,à Philippo Amyntæ F.in Bœotiam tandem reducti sunt. Idem.

THEBANOS ab Alexãdro Magno euersos, non multis pòst annis Cassander Antipatri F.urbe instaurata restituit. Ibid.

HERACLIDÆ post Herculis patris obitum, Eurysthei Mycenarum regis odiis è Trachine excedere coacti, ne à Ceyce rege Eurystheo dederẽtur: frustra ope implorata eorum, de quibus pater Hercules optimè fuerat meritus, à solis Atheniẽsibus suscepti sunt, Tricyrintho urbe, quæ Tetrapolis postea dicta est,ad habitandum concessa. Iam cùm Eurystheus Atticum agrum hostiliter inuasisset,ab Heraclidarum duce Iolao cũ filijs cæsus est: qui aliquot annis pòst in Peloponnesum transiere. Sabellicus libro 7. Ennead. 1. ex Diodori libro 4.cap.4.

Anno tertio exilij ARISTIDIS Iusti, cùm Xerxes per Thessaliam & Bœotiam in Atticam terram irrumperet, rescissa lege sciuerũt Atheniẽsibus exulibus reditum : metu Aristidis potissimùm, ne hostibus cõiunctus complures ciues labefactaret,& ad desciscẽdum compelleret ad barbarũ. Cæterùm non perspexerant eum satis. nempe ille etiam ante hoc decretum non cessabat adhortari & stimulare ad libertatẽ tuẽdam Græcos,& post decretum Themistocli,cum summa potestate duci, omni in re consilio & opera aderat,adeoq; hominẽ inimicissimũ ob salutẽ publicam effecit quàm clarissimum. Plut.in Aristide.

ALCIBIADES Hellespõto subacta,uictisq; Lacedæmoniis, ab exilio in patriam rediens,naues Atheniensium ui magna clypeorum & manubiarum undiq; adornauit; magnum agmen trahens secum captiuarum,plura deportans concisarum ab se & oppressarum insignia, quæ ducentarum omnes explebant numerum. Inuectus in portum timidè est : neque prius ex triremi ascendit in terram, quàm in foris consistens præstò uideret consobrinum suum Euryptolemũ, amicosq; atque necessarios frequentes, qui prodirent ei obuiam, & inuitarent. Postquam descendit, reliquos duces ne aspicere quidem dignabantur homines, qui obuiam processerant, sed concursu ad illum facto plaudebant, salutabant, prosequebantur eum, coronis redimibãt, qui adire poterant : qui non poterant, spectabant illum à longè, iuuenibusq; monstrabant senes. Multum etiam lacrymarum permixtum publicæ erat letitiæ,& recordatio cum his lætis rebus cladium superiorum: reputantibus ijs, non futurum fuisse unquam, ab Sicilia ut decidissent, uel ulla ipsis alia elapsa spes fuisset, si ea tempestate imperium & exercitum reliquissent Alcibiadi. Aduocato ad concionem populo cùm suas defleuisset deplorassetque calamitates, populum parum & modicè castigasset, omnia autem malæ fortunæ suæ & inuido ascripsisset fato, plurimumque de hostium spe disseruisset, & ad sumendum animum incitasset eos, coronis aureis donatus est, ac terra marique imperator cum libera potestate creatus. Sciuerunt etiam, ut tota res familiaris ei restitueretur, adhæc Eumolpidæ & præcones, quas fecerant populi iussu, denuò expiarent deuotiones. Quas cùm expiarent cæteri sacerdotes, Theodorus : Ego uerò, inquit, nihil

nihil in illius caput, si nihil remp. læsit, execratus sum. Plutarchus in eius uita.

CIMON Miltiadis, dux clariss. quoniam Lacedæmoniorū studiosior esse uidebatur, ostracismo Athenis pulsus est. At nō multo pòst, fusis ad Tanagrā Atheniēsib. rogante Pericle etiam aduersario, ab exilio reuocatus, pacē cum Lacedæmonijs fecit, & bellum contra Persas suscepit. Plut. in Cimone.

Alexander Magnus breui tempore ante obitū suū decreuit reuocare omnes in Græcis urbibus exulantes, partim gloriæ causa, partim quòd uolebat habere in singulis urbibus multos sibi beneuolentia deuinctos, aduersus res nouas defectionesq; Græcorum. Itaq; cùm propinqua essent Olympia, misit in Græciam Nicanorem Stagiritam, tradita ei de reuocatione epistola, quā iussit in conuentu recitari. Aderant EXVLES omnes in conuentu, numero supra uiginti millia. Pleriq; reuocationem exulum approbabant. At Aetoli & Athenienses eam rem grauiter & iniquo animo ferebant: illi, quoniam eiectis ex patria Oeniadis, expectabant, secuturum delicta supplicium: hi cū Samum sorte partiti fuissent, hac insula nequaquam cedere uolebant. Itaq; mortuo Alexandro, ausi sunt libertatem capessere, & commune Græcorum imperium. Diod. lib. 18.

Mortuo Alexandro, Athenienses respirantes aliquantū, contra Macedonas denuò insurrexere. DEMOSTHENES ergo, qui in exilio erat, legatis Atheniensium associans se, conatus eorum adiuuit, instititq; unà, quò ciuitates coniunctis uiribus Macedonas adorirentur, & exigerent Græcia. Ergo populus sciuit Demostheni reditum. Miserunt Aeginam ad eum triremem. Ex Piræeo scandens in urbem, uniuersa ciuitate, ut ne archon quidē uel sacerdos domi remaneret, obuiam effusa, lætis animis exceptus est. Quo tempore eū ait Demetrius Magnesius sublatis manibus gratulatum de illo die sibi, quòd suus quàm Alcibiadis præclarior foret reditus. Beneuolentia enim adductos, non compulsos ab se ciues, se excipere. Cùm uerò multa pecuniaria districtus maneret (neq; enim gratis ius erat eam remittere) hoc modo eluserunt legem. Morem habebant, ut Iouis Seruatoris sacrificio ei, qui aram instrueret & adornaret, argentum penderent. Hoc munus & illa præbenda Demostheni locauerunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat ei æstimata. Plutarchus in Demosthene.

De EXVLIBVS Achaiæ Polybij causa à P. Scipione interpellatus M. Cato, his reditum iis in patriam concedentibus, illis denegantibus: exurgens tandem Cato, Quasi nō sit, quid agamus, desidemus hic totum diem, de senibus Græculis quærentes, hic, an in Achaia à sandapilariis efferantur. Decreto his Græcis reditu, paucis diebus interpositis, quærebat Polybius iterum senatū sibi dari, ut pristinos honores reciperent, quos habuerant in Achaia, ac sententiam Catonis pertentabat. Qui arridens, Polybium ait, sicut Vlyssem, iterum uelle Cyclopis speluncam, quòd pileum illic & cinctum per obliuionem reliquisset, subire. Plut. in Catone.

C. MARIO urbe profugo, inter ruinas Carthaginis sedente, Romæ rumor erat Syllam in Bœotia cum Mithridatis ducibus bellum gerere. Consules ex seditione cucurrerunt ad arma, commissoq; prælio uictor Octauius Cinnam dominatum machinantem eiecit urbe. In cuius locum Corn. Merulā suffecit. Cinna uerò delectu per cætera Italiæ habito, arma tulit contra eos. Marius contractis ex Africa aliquot equitibus Maurusiis, & nonnullis, qui ex Italia delati erant (quorum omnium numerus non plus mille erat) in portum Hetruriæ Telamonem inuectus, uocauit seruos ad pileum, pancisq; diebus magnam contraxit manum, ac naues quadraginta compleuit. Quia uerò Octauium noscebat optimum uirum esse, & consulatum innocentissimè gesturum: Cinnā contrà Syllæ suspectum, & præsentem reipubl. statum oppugnare: cum hoc se copiasq; suas decreuit sociare. Eum recepit Cinna, atq; proconsulem appellauit, ad hæc fasces & alia misit magistratus insignia. Hanc pompā negauit ille fortunæ congruere suæ: uerùm sordidatus & squalidus ab eo die, quo profugit, annos natus supra septuaginta, lento gradu incedebat, id quidem agens, ut uideretur miserabilis: cæterùm huic illuuiei natiua & maior uultus erat admista toruitas, profitebaturq; animum squalor non demissum, sed rerum uolumine efferatum. Plut. in Mario.

M. Tul. CICERO à P. Clodio in exilium eiectus, in Macedoniā abierat. Incredibile interim erat Romæ ac tota Italia illius desiderium, nemoq; magis quàm Cn. Pompeius absentem desiderabat, pœnitebatq; hominem Clodij iniuriæ non iuisse obuiam: quippe qui Cicerone in exilium acto, pari ferocia Pompeium uexare adortus erat. Ergo auctor fuit T. Annio Trib. pleb. ut rogationem ad populum ferret, de Cicerone ab exilio reuocando. Quæ res ingentes in urbe & tota Italia conciuit motus. Clodius cum sua factione Tribunitiæ rogationi obstabat, eoq; adnitente aliquādiu nihil agi potuit. Certatumq; est interim in publico armis, Tribunitiaq; potestas uiolata, multi quoq; interfecti, adeò ut Q. Ciceronis frater inter cadauera latitans sit seruatus. Postremò Pompeius ingēti bonorū manu, multitudineq; ad hoc ipsum ex tota Italia collecta, Clodiū foro expulit: auxilioq; fuit, ut populi sine aliquo maiore motu rogaretur. Nunquam maior de aliqua re consensus Pop. Rom. fuisse dicitur, neq; tantum totius Italiæ studium, quæ ob hoc ipsum Romam undiq; confluxerat: ut non magis eleganter quàm uerè postea Cicero sit gloriatus, Italiæ humeris se ab exilio reportatum. Senatus charitate & beneuolentia cum populo certauit, decreuitq; ut publicè laudarentur ciuitates, quæ Ciceronem accepissent, ut domus eius & uillæ publico instaurarentur sumtu. Rediit sexto decimo mense postquam urbe eiectus est, tanta omnium ordinum gratulatione, ut officiorum frequētia diem totum in urbis ingressu cōsumserit, dum obuiā prodeuntes complexu & osculis excipit. Sabellicus libro quinto: Enn. 6.

Crudelitate Ebroini Magistri equitum sub Theoderico rege Frācorum nobilissimi quiq; exilio metum cruciatus necisq; anteuertebant, & in Austrasiam confugiebant. Ibi Pipino duce creato, eius consilio communem legationem in Franciam miserunt, quæ obliuionem iniuriarum, reditumq; suppliciter peteret: quòd id salutarius uideretur, quàm minis denunciationeq; belli extemplo agere. Quorum precib. moueri potuisset rex: sed peruicit factio eorum, qui exulum bona inuaserant, & Bertarius magister equitum, ut responderetur legatis exulum, ne deinceps agerentur desiderio ueteris patriæ, cuius charitate se exuissent, quamq; exilio & diminutione capitis amisissent. Quo responso EXVLES ita sunt exacerbati, ut Pipini auspicijs regem ad Textritium acie fuderint, Bertarium per coniuratos interfecerint, patriam recuperarint, & Pipinum Magistrum equitum creauerint. Aemilius libro 1.

SCOTI à Pictis & Romanis, cęso Eugenio rege, ex Albione eiecti, in Hebrides, Orcades, Hiberniam, Daniamq; exulatum ire coacti, anno Christi 379. ab initio Scotorum regni in Albione 712. Interea cùm Picti Romanis armis premerentur, quadragesimoquarto pòst anno Fergusio, Eugenij regis ex Ethodio fratre, pronepote, è Dania euocato, regni Scotorū repetendi auctores fuére: eoq; recuperato, coniunctis animis uiribusq; contra Romanos, inde etiam contra Saxones & Anglos multis uictorijs clari perstitere. H. Boëthius libro sexto, & seq.

Premislaus, Friderici Boëmorum regis frater, contra Conradū Znoymæ marchionem exercitum ducebat. Erat ex familia Versouicēsium (quæ propter maiorū proditionē proscripta fuerat, sedesq; sibi in Polonia delegerat) RATIBORIVS quidam, pollēs uiribus, manuq; promtus, & ob ea Polonis in primis charus. Is tam longi exilij sine sua culpa contracti tædio ad impetrandum reditum, quoscunq; ex militari nobilitate, uel cognatione, uel amicitia sibi deuinctos habuit, in societatem militiæ pertraxit, & oportunè, cùm uix tribus millibus passuum à se distarent Premislaus & Conradus, sese Premislao coniunxit. Prælio inito, quatuor hominum millia, pari propè utrinq; clade, in acie cæsa sunt. Fridericus Ratiborium in fidem suam recepit, inducta deletaq; omnium iniuriarum præteritarum memoria, insignibusq; mutatis, ne quid odiosum restaret. Quippe pro Nassa aurea (quam Vurs Boëmi uocant, unde nomen familiæ) secures decussatim sibi cohærentes iussus est ipse & posteritas ipsius gestare. Donatus & arce Bauariam prospectante, quam Pryndam uocant, ut fines Boëmiæ aduersus Germanos tutaretur. Dubrauius libro 14.

COSMVS Medices etsi amabilitate morum singularem ab omnium ordinum hominibus gratiam maturè collegerat, circumuentus tamen ab inimicis, qui eius potentiam formidabant, in carcerem est coniectus. Verùm in tanti uiri capitis discrimine consternata maxima parte ciuitatis Florentinæ, aduersus paucorum potentium crudelitatem pluribus sententijs atq; suffragijs est impetratum, ut uirtuti ac innocentiæ parceretur. Inde quum exulatum Venetias abijsset, tanta animi fortitudine ac industria apud omnes egit, ut non modò famam ac fortunas suas ubiq; terrarum egregiè conseruarit, sed & suis ciuibus, & Venetis longè prudentissimis senatoribus multo quàm antea sapientior ac admirabilior euaserit. Tandem non toto uertente anno in Rep. Florētina æquissimis hominibus in magistratu succedentibus, incredibili studio atq; pudore totius ciuitatis in patriam est reductus. Iouius in Leone X. lib. 1.

PETRVS, IVLIANVS & IOANNES Cardinalis (qui postea Leo X. Pp. fuit) Medicei fratres, à Carolo VIII. Gallorū rege eiecti, aquis submerso Petro, tentato quinquies reditu, per XVIII annos exules, tandem Hispanis armis adiuti in patriam rediere. Iouius in Leone.

Vehementer inclinatis Venetorum rebus Ludouici XII. regis Gallorum & Maximiliani I. Imp. armis, rogabant ANTONII Grimani (qui classis Venetorum contra Baiazetē dux, malè gesti imperij accusatus, exulabat) liberi Triumuiros ex āduocatis reip. uellent ob reliqua totius patris sui uitæ in remp. officia & studia eum ciuitati aliquādo tandem restituere, ut, qui esset iam conclamata senectute, in patria saltem sepeliri sua posset. Itaque Triumuiris legem maioribus comitiis ferentibus ante diem XV. Calend. Quint. anni 1508. Antonius ab exilio frequentibus sententiis reuocatus est, reique pub. restitutus. Bembus lib. 8. Hist. Ven. Nicolao inde Triuisano templi Marcij procuratore mortuo, Antonius magno omnium ordinum fauore in eius locum suffectus est: atque illa quidem in procuratione eo erat tempore Antonius, cùm est exul factus: itaq; bis eam dignitatem est adeptus, quod nemini antea contigerat. Idem libro 11. Historiæ Venetæ.

ANGELVS Triuisanus, qui ob classem in Pado amissam in exilium missus fuerat, reip. Venetæ est pollicitus, se Patauiū cum militibus centum quinquaginta iturum, eiq; urbi præsidio mensem totum sua impēsa futurum, si restituatur. Lex est in comitio perlata, ea illum conditione ab exilio reuocari reip. placere. Atque is intra biduum eo cum militū numero sese in oppidum intulit. Bembus lib. 10. Hist. Ven.

CAEDE, SVPPLICIO.

Seruilius consul traditur primus legem tulisse, ne quis ciuem ROMANVM uinctum clausumque teneret, quò minus edendi nominis ei potestas foret. Et quū primò in ciues Romanos uerberibus animaduerterent, sæpiusq; innocentes ob factionem & gratiam propius inuidiæ forent, & pœnas luerent immeritus, Porcius Cato pro tergo ciuium, ne cui impunè insultare liceret, legem intulisse fertur: quā si quis uerberasset necassetue Romanum ciuem, graui iudicio mortis, cruciatus, bonorumque & exilij pœnis multari sanxit: quam legem Sempronius consul aliis latis, nouisque additis pœnis, confirmauit, quæ Porcia & Sempronia dictæ. Postea C. Gracchus incolumitati ciuium consulens, ne quid in eos grauiùs consuleretur, alia sacrata lege sanciuit, ut qui in magistratu & honore positus, ciuem absque populi iudicio necasset, in eum populi animaduersio foret. quam legē sequuti principes, sempiterna constitutione sanxerunt. Insuper statuerunt, ut citra senatus auctoritatem, de nece Romani ciuis decernendi nulli facultas foret. Alex. lib. 3. cap. 20.

CARCERE. ET VEL
Prohibiti à carcere, uinculis.

Id semper ferè in confessis, iudicatis & custodiendis reis obseruatum est, ut qui in aliqua dignitate positi essent, hi ne uinculis publicis continerentur. Ideo & L. SCIPIO Asiaticus, ne in carcerem duceretur (ob peculatum, cuius nomine à Q. Terentio prætore damnatus erat, quòd plus ab Antiocho, ut cōmodior ei pax daretur, accepisse diceretur, quàm in ærarium retulisset. Vel quòd M. Minutius Augurinus Trib. pleb. multam ei irrogasset, & iudicatæ pecuniæ satisdare non posset) à Tib. Sempronio Graccho quamuis hoste liberatus est. P. Acrod. ex Liuio Dec. 4. lib. 8. Val. Max. lib. 4. cap. 1. & Gellio lib. 7. cap. 19.

M. CATO iunior, cùm Cæsari consuli legem de agro Campano fermè toto inter pauperes diuidendo, ferenti, solus restitisset: à Cæsare ex Rostris tractus, atq; in carcerem ductus est. Secutus Catonem est mœstus senatus & optimi quiq; ex populo, stomachātes tacitè & indignantes. Nec latuit istud Cæsarem: sed ex ambitione expectabat, dū prouocaret Cato & supplex fieret. Quem ut perspicuè aduertit nihil minus facturum, uictus pudore & infamia, summisit unum ex tribunis, ut Catonem eximeret. Sic cùm à Trebonio Tr. pl. cui in rogatione de prouinciis consularibus Pompeio & Crasso decernendis restiterat, in carcerē duci iuberetur, eumque plebs secuta esset, ex metu dimissus est. Plut. in Catone.

Liberati è carcere.

☞ *Consule Tit. Grati pro liberatione è carceribus.*

Prægustatorum Pharaonis MAGISTER cum Iosepho eidem carceri inclusus, somnium de sua liberatione habens, iussu regis liberatus fuit. Genes. 40.

HIEREMIAS propheta sub rege Sedecia, quòd portas hosti aperiendas suadebat, principum impulsu, in uoraginem cœnosam demissus, ut capite tātùm extaret: Abdemelechi Aethiopis eunuchi precibus clàm extractus fuit. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 10. ex Hieremiæ 38.

IOACHIM Iudeæ rex Nabucodonosori sese dedidit, ne sua causa Iudæa uastaretur. Babylonem abductus, 37 annis in carcere detentus fuit. Mortuo Nabucodonosore, Euilmerodachus rex eum ex carcere extraxit, eiusq; solium altiore in loco collocauit quàm cæterorum regum, & quotidiano demenso ex penu regio aluit, quoad uixit. 4. Regum 25.

Petrus cum reliquis APOSTOLIS à Pontificibus in carceres coniecti, ab angelo Domini noctu è carcere clausis foribus educti, priusquam pontifices mane conuenirent, ipsi in templo docebant. Actorum 5.

PETRVS Apostolus ab Herode Agrippa in carcerem coniectus, ut post Pascha interficeretur, catenis duab. uinctus, sedecimque militibus diligentissimè custoditus, ab angelo Domini porta ferrea aperta, solutis uinculis eductus & liberatus est. Act. cap. 12.

PAVLVS cum SILA, propter eiectum Pythonis spiritum, Philippis accusati ab iis, qui eo genere quæstus alebantur, & in carceres coniecti, uirgis prius cæsi, noctu patefactis omnibus ostiis diuina concussione, exire noluerunt, sed carceris custodem miraculo attonitum ad fidem conuerterunt. Mane postea à magistratu incolumes dimissi sunt, obsecrante eos, ne ægrè ferrent, quòd Romani cùm essent, uirgis cæsi forent. Actorum 16.

Seruius 6. Aen. ait, DÆDALVM cum Icaro filio in labyrinthum inclusum: Dædalum falsis custodibus sub faciēdi muneris specie, quo simulabat posse regem placari, cera & pennis alas sibi & filio fabricasse, & uolādo aufugisse. Sed Icarus altiora petens, solutis ex calore solis pennis, mari, in quod cecidit, nomē imposuit. Dædalus primò in Sardiniā, ut ait Salustius, deinde Cumas delatus est, templo Apollini condito. Diodorus & alij non in Sardiniam uenisse tradunt, sed in Siciliam, quò insequutus est eum Minos, regnante in Camarina Siciliæ Cocalo, à quo per speciem colloquij retentus diutinè in thermis præfocatus est. Aristoteles in Politicis à filiabus Cocali occisum narrat. Sed de pennis non dubitant, quin naui fugerit, cæterùm uel remi speciem alarum præbuerunt (quod subindicat Vergilius dicens, Remigio alarum) uel celeritas uolatus est nominata. L. Viues in lib. 18. Aug. de ciuit. Dei, cap. 13.

MINYÆ Argonautarum progenies, ab Achæis Lemno insula eiecti, & à Spartanis in ciuitatem recepti, cùm uxores duxissent, resque nouas moliri inciperēt, & apertè regnum inuadere, in uincula coniecti sunt. Et cùm pro more noctu supplicio deberent affici: uxores eorum carcerem permissu magistratus ingressæ, mutatis uestibus uiros ę custodia pro mulieribus emiserunt. Valer. Max. libro quarto, capite sexto, & Herodotus. Sabell. item lib. 8. Enneadis 2. Polyænus lib. 8. Tyrrhenos uocat.

ARISTOMENES Messenius à Spartanis in Ceadem foueam abiectus, uulpis secutus uestigia, per angustam rimam uia sibi facta, præter omnium opinionem euasit. Pausanias.

Cùm Mardonius ad Platæas contra Græcos castra haberet, aruspicem habuit HEGESITRATVM Eleum. Quem ante ea tempora Spartiatæ cùm cepissent, in uincula coniecerunt, morte affecturi, ut à quo multa intoleranda perpessi fuissent. Hegesistratus igitur, ut erat lineis atque ferratis soleis uinctus, commentus qua ratione reliquum pedis educeretur, ferro præcidit sibi dimidium pedem, subrutoque muro, profugit Tegeam, noctu iter faciens, interdiu syluis se abdens, ita ut trinoctio Tegeam peruenerit, Lacedæmoniis eum passim quærentibus. Sanato uulnere & ligneo pede effīcto, ex professo Lacedæmoniis hostis extitit. Ad postremū in Zacyntho à Spartanis interfectus est. Herod. l. 9.

M. FABIVS Romani sanguinis, qui ab Ausonibus captus in Sidicinorum urbe Cales custodiebatur, ruptis uinculis ex muro hostium se reste dimisit. Is ad M. Valer. Coruini consulis præsentiam constitutus, auctor illi fuit, ut Calenos uino & epulis festo die sopitos, repentè adoriretur. Quo facto haud maiore est certamine oppidum captum, quàm Caleni acie fuissent nuper uicti. Calibus captis ac direptis, consul Romam rediit, Calenumque triumphum egit. Sabell. lib. 4. Ennead. 4.

Extracto è paludibus, in quibus sese occultauerat, C. MARIO, Minturnenses L. Syllam ueriti, urgente Geminio, censuerunt trucidandum Marium. Id facere nullus ciuis sustinuit: uerùm eques Gallus natione uel Cimber (utrunque enim traditur) cū gladio ad eū ingressus est. Cùm conclaue, quo loco iacebat Marius, subobscurum & opacum esset: fama est ingentem flammam ex oculis Marij emicare militi uisam, uocemque ex tenebris redditam magnam: Túne homo occidere C. Marium audes? Confestim igitur proripuit se inde Barbarus, abiectoque in medium ense foràs erupit, hoc tantùm clamans: Non possum interficere C. Marium. Hinc stupor omnes, mox miseratio & sententiæ subiit pœnitentia atque insectatio sui, quòd iniquè & ingratè statuissent in Italiæ conseruatorem, cui opem turpe foret non ferre. Eat ergo, inquiunt, quò libet profugus, atque fatum alio loco impleat. Nos uerò deûm iram deprecemur, qui inopem Marium & nudum extrudimus oppido nostro. Ita animati, frequentes ac circumfusi eum ad mare eduxerunt. Plutarchus in Mario.

L. Lucullus bello Mithridatico Cabiris aliisque compluribus captis arcibus, grandes thesauros inuenit & carceres, in quos conditi multi GRÆCI, multi etiam regis necessarij

erant. qui cùm habuissent se iamdudum pro deploratis, nō tam Luculli beneficio sunt conseruati, quam reuixerunt, & quodammodo renati sunt. Inter cæteros soror Mithridatis Nyssa capta est, magna ipsius salute. Illæ uerò, quæ remotissimè à periculo & pacato loco repositæ uidebantur apud Pharnaciam sorores & uxores, miserè perierunt, ad quas necandas eunuchum Bacchidem ex fuga misit Mithridates. Plutarchus in Lucullo.

Apud ueteres, si QVEM uinculis relaxaret dominus, catenas à manibus pedibusq;, quibus uinctus fuerat seruus, interdū incidebāt, ita ut uinculorum pars in corpore maneret. Quo argumento significabant, seruum minus iustè uinctum fuisse, neq; iustam seruitutem seruisse, nullumq; ius patroni domino competisse: illumq; pristinæ libertati, ac si nunquam uinctus fuisset, restitutum. Alex. lib. 3. cap. 20.

IOSEPHVS Iudæus, excisa Iotapata captus, Vespasiano eiusq. filio Tito imperium prædixit, illis uaticinium suscipiētibus. At nondum confecto bello Iudaico, cùm à militibus Vitellij electionem ægrè ferentibus Imperator uel inuitus esset salutatus Vespasianus, memor præsagij, Iosephum è uinculis liberauit, & ut uinculorum probrum quoq; auferret, & non rectè uinctum fuisse ostenderet, securi catenas discindi iussit. Qui mos est, quando aliquem non iustè uinctū ostendere uolunt. Iosephus lib. 5. cap. 12. Belli Iud.

ARDEBVRIVS dux à Theodosio Imper. ad Ioannem amanuensium imperialium præfectum, qui regni consortium affectabat, missus, ut eius insolentiam reprimeret: nauigatione infelici in manus tyranni uenit: coniectusque in carcerem, precibus Theodosij miraculosè liberatus est. Deductus enim Aspar Ardeburij F. ab angelo in pastoris specie cum parte exercitus per stagnum, Rauennæ, ubi pater detinebatur, adiacēs, à nemine unquam superatum, tyrannum uicit, & patrem liberauit. Socrates lib. 7. cap. 23. Paulus Diaconus libro decimoquarto.

Anianus Aurelienſis episcopus, quum urbem designatus pontifex aditurus esset, Agrippinum magistrum equitum admonuit, & orauit, ut solennem sui aditus diem, DAMNATORVM impunitate, & coniectorum in carcerē liberatione celebraret. Quod quum ille abnuere pergeret, demissus è cælo lapis in caput decidit. Relatus in cubiculum, dum sanguinis profluuio mors immineret, uisitantem uirum admisit: à quo imposita continuò manu liberatus est, tantoque prodigio correptus, omnes extremo supplicio multandos impunitate donauit. Bonfinius lib. 4. Decadis 1.

In Perside locus custodiæ destinatus est, nomen Lethe ab obliuione habens, in eo Persarum rex Cosroes multos de uarijs populis captos inclauserat. Hi de salute sua desperabundi, custodes adorti sunt. Iis cæsis Byzantium peruenerunt, suntque a Mauricio Imperatore magno cum gaudio recepti. Cedrenus.

CABADES Persarū rex, Perozis F. ob tyrannidem, & quia legē tulerat, qua uxores omnib. iuberet esse cōmunes, regno deiectus uinctusq; à Persis in carcerē cōijcitur. Vxor aūt Cabadi in carcere ministrans, amata præfecto carceris cœpit. Cui cùm sui corporis potestatē permissu mariti fecisset, post modū nemine prohibēte ad maritū commeauit, eiq; inseruiit. Nocte igitur quadā Cabades uxori persuadet, ut secum uestes mutet: quo facto, uxore suo loco relicta, carcerē exit, equumq; à Sesose amico ad id præparato, ad Hunnos Nephthalitas peruenit. Cedrenus in uita Zenonis Imp.

LEO, Basilij Maced. Imp. F. à monacho Theodoro Sandabareno apud patrem insidiarū causa delatus, in carcerem coniectus est. Erat Imperatori psittacus in cauea suspēsa. Hic quodam tempore, cùm Imp. ad conuiuiū Senatores præcipuos uocasset, hāc uocem inter edendum sæpiusculè edebat, Heu heu domine Leo. Qua uoce conuiuæ tristiores redditi, cibo potuq; omisso cogitabundi sederunt. Imperatore causam perquirente, illi oculos lacrymis opplent: Quî, inquiunt, Imperator, cibum capiamus, uoce bestiæ huius obiurgati nos qui rationis compotes, & dominorum studiosi credimur? Bruta hæc auis domini sui nomen inuocat: nos luxui dediti, insontem obliuioni mandamus. His uerbis mitigatus Cęsar, Leonem carcere eductum in conspectum suum admisit, uestem lugubrem demsit, comæ superflua, quæ per luctū creuerant, auferri iussit, dignitatemque Cæsaris pristinā reddidit. Cedrenus.

Quum urbs Parisina incendio flagraret, & uis ignis grassaretur in carcerem, quo uincti detinebantur, S. Germanus apparens, CAPTIVOS liberasse dicitur, fractis ac comminutis catenis, quibus erant ligati. Gregorius Turonensis libro 8. capite 33. Historiarum.

Albinus Andegauensis episcopus, QVOSDAM tenebricosi carceris tristi squallore confectos cernens, cùm præsidem, ut dimitterentur, exorare nullo modo potuisset, Deum pro illis precatus est, fatiscenteque carceris muro, omnes euaserunt, Deo Deique seruo gratias agentes. Marul. lib. 2. c. 4.

Magnibonus eiusdem loci episcopus, similiter CAPTIVORVM quorundam liberationem à magistratu frustra contendēs, dum ante aram suppliciter prouolutus deprecatur, claustra laxantur, compedes ferrei franguntur, & qui uincti erant, liberi euadunt. Ibidem.

Vincentius lib. 22. cap. 110. refert de QVODAM à Persis capto, pro quo parentes quotannis ter Collectas fieri curarint in Theophania, in Dominica sancta, & in Pentecoste. Is itaque liberatus, & domum reuersus, narrauit illis, statutis diebus ad se uenisse candidum uirum, seque liberasse è uinculis. Ex hoc fundamento Ioannes eleemosynarius probauit, Collectas prodesse animabus defunctis.

VORTIGERNVS Britannorum rex à proceribus in custodiā coniectus fuit, substituto Vortimero filio. Quo mortuo, è carcere eductus, regnoq; restitutus est. Polydorus.

Ismarus Vandalorum rex, cæso Siuardo Danorum rege, filiū eius IARMERICVM in carcere humilitatem induisse, regiumq; animum cum fortuna posuisse existimans, exemtū uinculis operi rustico sub custodia deputauit. Is dominis paruit, donec data occasione elapsus, igne supposito ædib. regem, nihil tale expectantem, oppressit. Reuersus in regnū, iugum seruitutis excussit, & magno prælio Vandalos superatos ad tributa pendenda coegit. Captos ex his uiros XL. totidem lupis adiunctis, uno suspendio consumsit, ut regij sanguinis carcerem & ferulem in agris operam compensaret. Cranzius lib. 1. Vandaliæ, cap. 14.

ALEONORA ab Henrico II. Angliorū rege marito in carcerē detrusa, eo q̄ filios contra patrē armasset, mortuo Hērico à Ricardo filio liberata, magnāq; præter spē nacta auctoritatē, omnē Angliā peragrauit, mira comitate oēs generatim amplectēdo, ut sibi & filio animos hominū maximè conciliaret: sed in primis quoniā experta erat carceris supplicium esse mortalibus grauissimū, quacunq; iter faciebat, multos è publicis custodijs emittebat. Polyd. lib. 14. Anglorum hist.

ERICVS Nicolaum Danorū regē fugiens, Magni Noruegiorū regis fidei se crediderat. A quo cùm Nicolao proderetur, uino obrutis custodibus, perinde ac uigiliæ tædio cubitum secessit, sacerdotemq; exilij sociū aleæ pro se curatorem reliquit, & perrupto cubiculi pariete, cum clientib. ac cōiuge clam ad mare peruenit, repertaq; in litore nauigia, quò tutiùs fugā caperet, perforanda curauit. Hæc tractāti succurrit filiolum dormientē fuisse relictū: & licet in mora periculum esse non dubitaret, misit tamen qui puerum afferret. Contentā itaq; naue ab amicis clam missa, fugā prosperè arripuit, cùm multo uix demū die Magnus abitum eius cognouisset, & nauigiorum perforatorum nullus foret usus. Ericus inde Lalandensium ope Magnum Nicolai F. ictum occidit, & Slesuici cęso à ciuibus Nicolao regnum obtinuit. Saxo lib. 13.

Matthias Hunniades à Ladislao Hūgariæ & Boemię rege Viēnæ in uinculis habebatur. Mortuo Ladislao Pragæ, Georgius Podiebradius Gubernator ea hora, qua Rex emisit spiritum, detracto ei anulo, literas Viennam ad Matthiā Hunniadem scripsit, ut eum sub spe libertatis assequendæ Pragā eliceret. Quippe hac conditione uinctus erat, ne liber fieret, nisi Rex ipse, manu sua ei oblata, liberum pronūciaret. Eiusmodi illecebra iuuenis illectus, Pragam cum deductoribus uenit, ad nouam custodiam illum deducentibus, ex qua (nisi magno precio se redimeret) exeundi potestas non erat. Georgius habitis comitijs rex pronunciatus est. Et eodē ferè tempore Hungari Matthiam, opera Michaelis Zylagij auūculi Regē dixerāt. Georgius illum, huius rei ignarū, mēsæ suæ adhibet (ad quam præter uxorem & filiam Catharinam, forma elegantem, nemo aderat) crebroq; ad hilaritatem inuitans, tandem, Si quid ego, inquit, te adiuuero, & ab hac captiuitate liberauero, ita ut ad regnum Hungariæ conscendas, ecquid erit præmij? Magnas, inquit, res magna præmia sequi decet. Interpellat Georgius: Nullius ego pecuniæ, inquit, sed amicitiæ potius & concordiæ per affinitatem tecum ineundæ cupidus sum. Proin si cordi est filia ista mea, hanc tibi desponsam mea matrisq; uoluntate habeas. Datæ inuicem dextræ, sponsaliaque protinus iure legitimo confecta. Dubrauius lib. 30.

VENCESLAVS VI. Boemorum rex & Imp. ob tyrannidem à proceribus captus, quod nulli unquam Regum antè contigit, in carcerem publicum, in quem supplicio afficiendi passim conijciebantur, detrusus fuit, & menses ibi quatuor in fœtore & squallore miseris modis habitus, uix tandem permissu senatus Pragensis, ut illuuiem & sordes elueret, (hypocaustis enim plurimum uti consueuerat) seruili habitu à quatuor publicis custodibus ad balneum, iuxta Vultauiam amnem in ueteri Praga positum, deductus fuit, ita ut duo lauarent, reliqui uestes obseruarent. Morem hunc Boemi in balneis habent, ut uiri ac feminæ in illis omnia ministeria obeant, aquam suppeditent, capita lauent, corpora defricent. Cum harum una, Susanna nomine, lepidos ser-

mones protrahens, & calore balnei feruens, auræ captandę causa egressus, conspicatur lembunculum piscatorium uacuum, Susannam interrogat, an remigare tantum sciret, quantum remigio ad traijciendum in alteram ripam opus esset? Qua annuente, abdit se in lembum, ac repentè ab oculis custodum elapsus, uenit per deuia nudus cum nuda ad nouam arcem (præfecto arcis multum admirante domini sui fortunam) statimque centum aureos nummos Susannæ nauli nomine in manus tradidit, eamque non ad mensam solùm, uerùm etiam ad lectum admisit. Nihilo inde melior factus, consensu etiam Sigismundi fratris, Hungariæ regis, secundò capitur iuxta Beraunam in prædio regio, & in turrem Pragensem conijcitur. Inde mox Crumloviam ad Henricum Rosensem abductus fuit: qui eum Viennam tacitè deportandum curauit: ubi ab Alberto Austriæ principe (quem deinceps Sigismundus generum adsciuit) in profundam turrim abstrusus est, ut inueniri nisi à conscijs non posset. Senex quidam piscator, frequenter miseros carceri inclusos cum ientaculo pisciculorum à se captorum inuisere solebat. Hunc Vencellaus grandibus promissis onerat, si opera eius euaderet: & quia non nisi excussus intromittebatur, Rex illum zona sericea certæ longitudinis & crassitudinis nudum corpus præcingere iubet. Piscator officium feliciter facit. Eius zonæ beneficio ex turre demissus Vencellaus, cum piscatore ad condictum tempus Danubium traijcit, & in Boëmiam deuijs itineribus cum suo comite tendens expiscatur, Sigismundum rebus Hungaricis impeditum, nondum in Boëmiam ad capessendum regnum uenisse, Pragæ autem alteram arcem à nobilitate, alteram, quæ Viegradensis dicitur, à Pragensibus teneri, eique lanium quendam præpositum esse. In hanc mendici habitu cum piscatore ingressus, occlusa manu sua porta, ac persona detecta, exclamat: Qui regius est, ad auxilium Regi suo ferendum accurrat. Plures quàm uiginti præsto fuerunt, iniectaque præfecto cathena, uinctum lanium Regi tradiderunt. Iubet ille anulum detrahi de digito, illoque signati literas, quas ad magistratum Pragensem nomine præfecti composuerat, ut aliqui eorum in arce consultandi gratia properè apparerent. Quos ille omnes sustulit. Piscatorem uerò in ordinem equestrem adscripsit, cum censu equestri. Dubrauius lib. 23.

SIGISMVNDVS Boëmiæ rex, in Alba Regali diademate insignitus, nuptias cum Maria Hungariæ regina celebrauit. Inde Ioannem Horuuathium Banum (qui Elizabetham socrum per seditionē submerserat) captū, equoq; tractum, & forcipibus discerptum, in quaternas dissecuit partes. Duos ac triginta regulos, quòd Mariæ regiæ puellæ essent aduersati, & Carolum Siciliæ regem in regnum induxissent, securi percussit. Quorum monumenta hodie cernuntur ad Carmelitas Budæ. Mortua Maria regina, captus necandusque magis quàm asseruandus, feminæ uiduæ nobili, cuius maritum interfecerat, in custodiam traditur, donec reguli de eius supplicio consultarent. Alioqui erant plerique in medio Senatu eum discerpturi, nisi pauci id prohibuissent. Sigismundus maiestate oris, & blanda oratione uiduę, quę mater erat duorum filiorum ex nobili familia de Gara, amplis. promissis persuasit, ut se liberum dimitteret. Itaque elapsus custodia, habitu rustico, ad Hermannum Comitem Ciliæ uenit: eiusque unam ex tribus maiorem natu filiam, Barbaram, uxorem elegit, magno cum stupore parentum, qui se primùm irrideri putabant: alteram uerò Niconi Garo filio maiori natu uiduæ, quæ eum seruauerat, despondit, Palatinumque regni creauit. Minor natu, Ioannes archiepiscopus Strigoniensis, primas regni designatus. Sic honoribus & opibus auctis uiduæ filiis, ex Morauia ingentem adduxit exercitum, armisque sibi uindicauit regnum: Stephanum Vaiuodam, carceris auctorem, trucidauit: de alijs quoque supplicium sumsit. Cuspinianus, & Bonfinius libro 2. Decadis 3.

BARBARA Ciliensis, Sigismundo Imper. & rege Boëmorum marito superstite, Vladislaum Poloniæ regem iuuenem ambiebat, id agens, ut Boëmiæ & Hungariæ regna dotalia ab Alberto Austrię genero suo in Polonos transferret. Coniecta igitur à marito Znoymę in uincula, eo paulo pòst mortuo, ab Alberto genero Budæ liberata est, intercedente de oppidis regni dotalibus transactione, ut nomine illorum, duodecim millia aureum nummûm quotannis acciperet. Dubrauius lib. 28.

GALEACIVS Vicecomes, Matthæi Magni F. bellicosiss. iam undique uictor, à Marco fratre apud Ludouicum Bauarum Cæsarem Mediolani de tyrannide accusatus, frustrà sese defendens, cum Luchino & Ioanne fratribus, Actioque filio, in arce Modoetiana teterrimo carceri traditus fuit, nō omnino iniqua sorte, ut fabrefacti paulo antè ab se tetri carceris Furnum (ita à depressa testudine uocatum) primus experiretur, quem aduersarum partium captiuis ad pœnam parauisset. Eam calamitatem uehementer auxit custodiæ præfectus, è Norico, Antius Rizaccus, ingenio immiti erga miseros tantæ modò fortunæ principes. Interea uerò dum Cęsar Romæ coronatur, Castruccius Lucensium tyrannus nullam prætermisit occasionem, quin Galeacium Cæsari commendaret, oraretque supplex, ne diutius Guelphos, Romani imperii capitales hostes, præstantissimi uiri calamitate lætari pateretur: & Marcus sceleris pœnitentia ductus, libertatem saltem fratri concedi postulabat. Ergo Cæsaris iussu Galeacius, cum fratribus filioque, quum à Nonis Iulijs ad sextum Calendas Apriles in prædura custodia fuisset, incredibili ueterum amicorum lætitia, Modoetianorumque insigni gratulatione, liberatus est. Iouius in uita Galeacij.

NICOLAVS Cusanus legatus à Pio II. Pontifice in Austriam missus, pro exigendo tributo ad Turcas debellandos, à Sigismundo duce, qui exactionem illam admittere nolebat, captus, non prius dimissus fuit, quàm impunitatem Sigismundo concessisset, & uinculo anathematis soluisset. Stumpfius.

CÆSAR Borgia captus in Italia, in Hispaniam missus, aliquandiu Conchæ, & demum ad Medinam urbem in arce, cui Motta nomen est, duos ferè annos custoditus est: ea tamen sorte, ut deceptis custodibus, fune demissus, suppeditante equos Pigmentellio Beneuentano principe, ad Ioannem Nauarræ regem perfugerit. Iouius in Consaluo.

Erant Venetiis in urbana perliberali custodia, cùm Patauij, tum Istris, ad aquæ Martinianæ pontem capti, Maximiliani Rom. Imper. PRÆFECTI sex: salutabanturque quotidie ab amicis & familiaribus suis propè ut liberi. Eorum quinque noctu, custodibus in cœna occupatis, tenui perrupto muro, ad aquam se nullo strepitu contulerunt: cymbaque ad biremem clàm à suis comparatam uecti, in ea Tergeste perfugerūt. Vni ut fugeret persuaderi non potuit, ne fidem, quam unà cum reliquis Reip. dederat se nō abiturum, falleret. Bembus libro 10. Historiæ Venetæ.

PAVLVS Farnesius (qui postea Paulus III. Pontifex renunciatus est) in Pontificis Innocentij VIII. indignationem incurrens, ab eo in arcem est coniectus. Vnde Petri Marganij propinqui opera funibus demissus euadens, Innocētio demum mortuo Romam reuersus fuit. Panuinius.

Ferdinādus Neapolitanus rex, fugiēte patre Alphonso ob metum aduenientis Caroli IIX. regis Gallorum, regni PRINCIPIBVS quatuor, qui erant in custodia, dimissis, oppidum in ueste regia, unà cum Federico patruo perequitauit: salutatusque rex, cùm se ad carceris parietem contulisset, reclusis patefactisque foribus, REBELLES aliquot damnatosque complures & libertati & municipio restituit: priuatas publicasque iniurias omnes remisit, pollicitusque est, se proscriptos quosque reuocaturum. Bembus libro secundo Historiæ Venetæ.

Clemens VII. Pontifex ab Caroli V. Cæsaris exercitu anno 1527. captiuus factus, quum ei liberatio, si militibus stipendia persolueret, promitteretur, & tamen in aliena potestate constitutus nullam omnino tutam rationem cogendæ repræsentandæque pecuniæ reperiret, longè carissimos atque honestissimos ex familiaribus, qui secum erant, repræsentandæ pecuniæ obsides, frementibus deposcentibusque Germanis, tradere coactus est. Hi fuēre IOANNES Maria Montanus, archiepiscopus Sipontinus, & ONOFRIVS Bartholinus, Pisanus archiepiscopus: episcopi uerò ANTONIVS Puccius Pistoriensis, & IO. Matthæus Gibertus Veronensis. His accessēre uti pecuniosi nobilesque, & arcta propinquitate Pontifici coniuncti, IACOBVS Saluiatus, Ioannis cardinalis pater, & LAVRENTIVS Ridulphus, Nicolai cardinalis frater germanus. Horum manibus illicò Barbari catenas iniecerunt, & tanta truculentia ad exprimendum aurum terruerunt, ut in Campo Floræ ad erectas dicatasque latronum suspendiis furcas, damnatorum more catenati perducerentur, parato ibidem ad lege agendum carnifice, si paulò asperior concionis fremitus annuisset. Per hunc modum miserè pallentes, & extremo supplicij metu perfusi, terque in concionem producti, præclara ope magni numinis seruati sunt, cùm spes auri uel in efferatis diuturna immanitate animis misericordiam exprimeret. Siquidem paulo pòst in carcere, custodibus ex instituta cœnæ crapula multoque falerno consopitis, catenas exuerunt, & per uaporarium foci tubum in summa Riariæ domus tecta extracti funibus euaserunt, tanta felicitate, ut pedibus egressi urbem, ad Vrbatis castra, quæ tum erant in Vmbrię finibus, confugerent. Iouius libro uigesimoquinto Historiarum.

IOANNES Baluus Cardinalis à Ludouico XI. Gallorum rege ad summos honores euectus, ob proditionem & ingratitudinem per 12 annos in cauea ferrea inclusus, tandem Iuliano legato Sixti IIII. intercedente liberatus,

dolore commotam, quos auia filiæ infensa sustulerat, parricidium parricidio uindicasse: pronunciatum est, ream uideri neque damnari neque absolui posse. alterum enim ultione dignum, alterū absolutione indignum esse. P. Aerodius ex Valerij Max. lib. 8. cap. 1.

FABRICIANVS cùm adhuc in cunis esset, per sororem à matris crudelitate seruatus fuit, quæ cum Petronio adulterabat: & ob eam rem cùm Valentinum uirū sustulisset, filium quoque occidere quærebat. Sed cùm is postea adoleuisset, matrem cum adultero se miscentem occidit: crimineq; occisæ matris accusatus, Senatus decreto absolutus est, quòd eum iustus dolor & causa ad perdendam matrem impulisse uidebatur. Fulgos. lib. 8. cap. 1.

Fœtus suppositi.

Cùm Romæ MATRONA post mortem mariti XIII. se mensibus uterum gestasse diceret, & hæres lege cum ea ageret, quòd IX tantùm uel X mensium fœtus legitimus esset: L. Papyrius prætor bonorum possessionem contra hæredem dedit, cùm nullum certum tempus pariendi statutum ei uideretur. Plin. lib. 7. Hist. Nat. Ex Massurio Gel. lib. 3 cap. 15.

QVA OCCASIONE. ABSOLVTI OB
Accusatoris ipsius
Inconsiderantiam.

C. Decianus spectatæ integritatis uir, cùm P. FVRIVM inquinatissimæ uitæ pro Rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus fuerat, nec reum damnauit, & insuper ei pœnas adiectas pependit. Valerius libro octauo, capite 1.

Crudelitatem.

Q. FLAVIVS à C. Valerio Aedile apud populum Romanum reus actus, cùm iam quatuordecim tribuum suffragiis dānatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Cui cùm Valerius æquè clara uoce respōdisset, nihil sua interesse, nocensne an innoxius periret, dummodò periret: hac sola occasione à reliquis tribubus absolutus est. Certo enim iudicio & animi dolore, non impetu, ac propensa in Remp. uoluntate, non cæca iracundia, quemlibet ad accusandum accedere oportere: reiq; malitia fretum, nō opibus, potentia, gratia & auctoritate, ad alterius circumueniendā innocentiam. P. Aerodius ex Val. Max. lib. 8. cap. 1.

A. GABINIVS, in maximo infamię suæ ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subiectus, abruptæ esse spei uidebatur: quoniā & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebantur: & qui iudicabant, ita periti pœnam hominis cupidè expectabant. Interea filius Gabinij Sisenna, ad pedes se Memmii prostrauit. Quem truci uultu à se uictor insolens repulsum, excusso è manu anulo, humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, ut Lælius tribunus plebis, approbantibus cunctis, Gabinium dimitti iuberet: ac documētum daretur, neq; secundarum rerum prouentu insolēter abuti, neq; aduersis properè debilitari oportere. Val. lib. 8. cap. 1.

Cùm ædilis curulis Cęsar à senatu dissentiret, ac quosdam impulisset, ut C. RABIRIO diem dicerent, qui olim cum senatu Saturnini seditiosi ciuis uim compescuerat, in iudicum numero Cæsarem esse contigit. Itaq; is Rabirium adeò acerbè ac properè damnauit, ut cùm Rabirius postea populum appellasset, nulla re ad obtinendam absolutionem magis quàm ob Cæsaris acerbitatem adiutus fuerit. Fulg. lib. 8. c. 1.

Impudentiam.

C. COSCONIVS Seruilia lege (cuius de pudicitia caput aliquod fuisse interpretor) reus, & sine ulla dubitatione nocens: tamen cùm Valerij Valentini accusatoris sui recitasset in iudicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam uirginem à se corruptam poetico ioco significauerat: iniquum esse iudices existimarunt, eum uictorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis ergo Valerius in Cosconij absolutione damnatus, quā Cosconius in causa sua liberatus est. P. Aerodius ex Valer. Max. lib. 8. cap. 1.

Potentiam.

CN. CORNELIVS maiestatis reus, Q. Metello, L. Lucullo, Q. Hortensio, M. Lepido: P. CLODIVS incesti & sacrilegij accusatus, M. Tullio Cicerone testimonium dicentibus, absoluti sunt: ne uel testium uel accusatorum amplitudo magis, quàm obiectum crimen causæ nocuisse uideretur. Val. Max. lib. 8 cap. 5.

P. Scipio Aemilianus, L. COTTAM apud populum accusauit. Cuius causa quamuis grauissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, ad ultimum octauo iudicio absoluta est: quia homines uerebantur, ne præcipuè accusatoris amplitudini dānatio eius donata existimaretur. Quos hæc secum locutos crediderim: Nolumus caput alterius petentem in iudicium, triumphos & trophæa, spoliaque ac deuictarum nauium rostra deferre: terribilisque sit is aduersus hostem: ciuis uerò salutem tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur. Valer. lib. 8. cap. 1. & Cic. pro Murena.

Apud C. Orchinium Prætorem, locus ab iudicibus FAVSTO Syllæ de pecuniis residuis non est constitutus: non quò illi aut exlegem esse Syllam, aut causam pecuniæ publicæ contemtam atque abiectam putarēt: sed quòd accusante Quintio Tribunopl. conditione æqua disceptari posse non arbitrabantur. P. Aerodius ex Cic. pro A. Cluentio.

Testis producti
Vanitatem.

ARCHELAVM, regem Cappadociæ, accersitū Tiberius, quasi res nouas moliretur, tradidit Senatui, ut de eo cognosceret: hominem non solùm summa senectute, sed etiam podagræ doloribus confectum. Fuisset autem Archelaus ultimo affectus supplicio, nisi testis, qui cōtra ipsum productus fuerat, asseruisset eum dixisse, se Tiberio ostēsurum, postquam domum redisset, quales sibi nerui essent. Qua ex re tam magnus risus est excitatus, eo quòd ille non solùm stare non poterat, sed ne sedere quidē, ut Tiberius de eo amplius inquiri noluerit. Dion Nicæus lib. 7.

Defensoris & Patroni uel
Eloquentiam.

☞ *Consule Tit. Eloquentiæ usus. Item Tit. Causidicorum.*

Prudentiam.

☞ *Ex Tit. Prudentiæ in uita aliorum defendenda in foro, hæc quædam.*

Integritatem.

ATTILIVM Calatinum, Soranorum oppidi proditione reum, admodum infamem, imminentis damnationis periculo Q. Maximi soceri pauca uerba subtraxerunt: quibus affirmauit, si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, diremturum se fuisse affinitatem. Continuò enim populus penè iam exploratam sententiam suam unius iudicio concessit: indignum ratus, eius testimonio non credere, cui difficilis Reip. temporibus benè se exercitus credidisse meminerat. Val. Max. lib. 8. cap. 1.

Iocum.

Apud Aeginetas lex erat, ut si quis Atheniensis Aeginam uenisset, capitale esset. Huc quum esset deductus PLATO, ut uenūdaretur, capitis postulatus est à Carmendio, qui legem eam tulerat. Sed tempestiuo cuiusdam ioco liberatus est, dicentis, Legem habere, Si quis homo: at hunc esse philosophum. Laërtius libro tertio.

Rei. Propter Accusati
Innocentiam.

☞ *Vide Tit. Iusti absoluti.*

Taciturnitatem.

☞ *Ex Tit. Tormentorum tolerantiæ, hæc quædam.*

ARETAPHILE fuit uxor Nicocratis Cyrenensium tyranni. Quæ iniquo animo ferens patriam à marito oppressam, consilium inierat eius de medio tollendi. Quo crimine ad Caluiam matrem socrumque delato, quùm sæpe tormentis etiam socrus ipsa ueritatem exquireret, nunquam tamen aliquid fassa est. Quare marito restituta, eoque ueneno sublato, libertati patriæ tandem consuluit. Plut. in Mulier. uirt.

Securitatem.

Cùm parricidij causam duo fratres COELII dicerent, splendido Tarracinæ loco nati, quorum pater Titus Cœlius in cubiculo quiescens, filiis altero cubantibus lecto, erat interemtus: neque aut seruus quisquam, aut liber inueniretur, ad quem suspicio cędis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum factum est, illos aperto ostio inuentos esse dormientes. Somnus innoxiæ securitatis certissimus index, miseris opē tulit. Iudicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut occiso patre, supra uulnera & cruorem eius quietem capere potuerint. Valerius.

Eloquentiam.

M. CATO maior cùm omnes penè ciuitatis Romanæ potentissimos & primos haberet aduersarios, & ad senectutem usque instar athletæ decertaret, conseruauit se incolumem. Plurimis uerò publicis iudiciis, hinc reus, hinc accusator, multos damnauit, & omnibus liberatus fuit: propugnaculo uitæ & ualenti instructus organo eloquentia, cui uerius quàm casui uel fortunæ eius, quòd illæsa permanserit dignitate, acceptum referas. Nam insignem hanc Aristoteli quoque philosopho tribuit Antipater laudem: scribens de eo iam defuncto, inter cæteras uirtutes etiam facultate præditum eum fuisse flectendi quò uellet animos. Atque ut in improbis accusandis fuit uehemens & assiduus, ita nec ipse illæsus in repub. euasit: sed sicubi ansam iniquis præberet, non desistebant eum in iudicium rapere, & periculum creare.

creare. Fertur paulo minus quinquagesies causam dixisse, unam eamq; postremam annos natus sex & octoginta: in qua etiam uulgatum illud commemorasse, Graue esse eum, qui cum aliis uixisset hominibus, apud alios crimina depellere. Plutarchus in Catone. M. Cato, quater & quadragies causam dixit: nec quisquam sæpius postulatus, & semper absolutus. Plin. lib. 7. cap. 27.

Defensionem prudentem.

SOPHOCLES tragœdiarum scriptor excellentissimus, cùm propter nimium studium, rem familiarem negligere uideretur à filiis: in iudicium uocatus est, ut illum quasi desipientem à re familiari remouerent Iudices. At ipse hoc uno præstitit, ne demens aut furiosus, aut ætate in delirium uenisse uideretur, recitata Iudicibus ea fabula, quam in manibus habebat, & proximè scripserat, Oedipo Coloneo. Itaque sententiis iudicum est liberatus. Cicer. lib. de Senectute. Satyrus, ut est apud Aristophanis interpretem, Sophoclis apologiam huiusmodi fuisse prodit, εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί: Si Sophocles sum, non desipio: si desipio, Sophocles non sum. Cælius libro 21. capite 20. Antiquarum Lectionum.

Defensionem religiosam. Iusiurandum.

☞ *Vide Tit. Absoluti Pontifices. Illic Persona: hic Modus.*

Examen Ignis, Aquæ, Monomachiæ.

☞ *Dabis sub Tit. Diuinationis per Monomachiam, per Ignem, per Aquam, &c. quatenus hisce experimentis innocentiam suam testati, absoluuntur.*

Improbitatem, Impudicitiam.

Duos EQVITES Rom. à capitali iudicio illud liberauit, quod alios opprimere in iudicio solet. Nam cùm in eorum numero fuisse accusarentur, qui contra Domitianum conspirauerant: nulla re Domitianus magis ad eos liberandos motus est, quàm quòd impudicos esse norat. Putauit enim fieri nō posse, ut simul impudicitia, & animi uigor ac uirtus manerent. Fulgosus lib. 8. cap. 1.

Confessionem apertam, ingenuam.

CALLIDIVS Bononiensis in cubiculo mariti noctè deprehensus, cùm ob id causam adulterij diceret, inter maximos & grauissimos infamiæ fluctus, emersit tanquam fragmentum naufragij, leue admodum genus defensionis amplexus. Affirmauit enim, se ob amorem pueri sui eò esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed crimen libidinis, confessio intemperantiæ liberauit. Valerius libro 8. cap. 1.

Supplicationem, Preces.

APOLLODORVS Cassandri filius, de affectata tyrannide in iudicium uocatus, pulla ueste amictus progressus, uxoremque & filias habitu simili indutas produxit supplices: ad eamque pœnam, quam statuissent, se iudicibus tradidit. Qui cum crimine suffragiis suis liberauerunt. Dimissus, non ita multo pòst tyrannidem occupauit: in primisque iudices, qui eum absoluerant, crudelissimis suppliciis affecit: salutem suæ industriæ acceptam referens, non illorum humanitati. Polyæn. lib. 6.

Cùm à Libone trib. pleb. SEROIVS Galba pro Rostris uehementer increparetur, quòd Lusitanorū magnam manum, interposita fide, prætor in Hispania interemisset, actioniq; tribunitiæ M. Cato ultimæ senectutis, oratione sua, quam in Originibus retulit, subscriberet: reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filium, flens commendare cœpit: eoque facto mitigata concione, qui omnium cōsensu periturus erat, penè nullum triste suffragium habuit. Val. lib. 8. cap. 1. & Pedianus.

TVSCVLANI Fabia rogatione ad populum sunt uexati. Tulerat Fabius, ut quando ea ciuitas Priuernatibus & Veliternis in bello fauisset, puberibus cæsis, liberi & coniuges sub corona uænirent. Quo periculo Tusculani perculsi, cum coniugibus & liberis Romam populariter uenere. Sordidati Romanas tribus cum lacrymis circuire: ualuitque plus misericordia, quàm causa. Omnes tribus rogationē antiquarunt, præter Polliam. Quo accidit, ut multas pòst ætates rarò quisquam Pollia tribus candidatus Papyriam tribum, quæ ad Tusculanos attinebat, in suffragiis tulerit. Adeò iniuriæ dolor tenaciùs hæret mortalibus, quàm beneficij memoria. Sab. lib. 4. Ennead. 4.

Merita.

AESCHYLVS tragœdus, in quodam dramate impietatis damnatus erat. Cumq; Athenienses iam parati essent eum lapidibus obruere, Amyntas iunior frater, detecta ueste, cubitum ostendit manu mutilatum. Fuerat autem Amyntas in Salamine unus ex primoribus, ubi manum amisit, & primam palmam ex omnibus Atheniensibus consecutus erat. Iudices repetentes facinorum eius memoriam, Aeschylum absoluerunt. Aelianus lib. 5. de Varia historia.

M. AQVILIVS, qui seruile bellum in Sicilia confecit, repetundarum accusatus, quum causam diceret, M. Antonius orator, qui illi aderat, tunica ab eius pectore discissā, plurimas cicatrices aduerso pectore, & ob id honestissimè acceptas, Iudicibus ostendit. Quibus inspectis, cōtinuò est populi suffragio absolutus. Sab. lib. 2. En. 6.

P. SCIPIONI Africano, duo QQ. Petilij Tribunipleb. diem dixerunt, & pecuniæ captæ à rege Antiocho reum accusarunt, uti conditionibus gratiosis & mollibus pax cum eo Populi Romani nomine fieret. Inprimis excellentissimi uiri, multumq; de Republica bene meriti, recepta atq; admissa accusatio est. Neminem enim tantum eminere ciuem debere, ut legibus interrogari non possit: nihilq; tam æquandæ libertatis inueniri, quàm potentissimum quemq; posse causam inter reos dicere. Nam quid tuto cuiquam nedum summa Reip. permitti possit, si ratio reddenda non sit? In cū uim haud iniustam esse, qui ius æquum pati non possit. Iussus itaq; Scipio causam dicere, sine ulla criminis mentione orationem adeò magnificā de rebus à se gestis exorsus est, ut satis constaret, neminem unquā neq; melius neq; uerius laudatum esse. haecq; commemoratione, quòd dies accusationis in eundem inciderat, quo cum Annibale & Carthaginensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnauerat, Populum ab auditione causæ ad uota & preces & supplicationes, cùm ipse in Capitolium præisset, relicto ac deserto iudicio, cōuertit. Tribuni, cum reliquum esset, ut apud populum sine populo agerent, diem inuiti produxerunt. Scipio interim urbe profectus est in uillam suam Linternū, certo consilio (ut quidem uulgò ferebatur) ne ad causam dicendam adesset: non delicti conscictia, sed quia maior animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quàm ut reus esse sciret, & summitteret se in humilitatem & sordes reorum ac supplicū, patria cedere, quā cū Tribunopl. humillimo cōtendere de innocentia sua maluit. Sanè ubi dies uenit, absensq; citari cœptus est, L. Scipio frater morbum causam esse, cur abesset, excusabat. Tribunipl. qui diem dixerant, hanc excusationem non accipiebant: iubebant eum ex uilla ad causæ dictionem efferri, extrahi: reum morbo sontico non impediri, ut ex lege XII. tabularum diem diffisum esse oporteat. Cùm reo placuit iumentum dari, id eò fecisse Decemuiros, ne causatio ista ægri corporis perpetuam uacationem daret iudicia detrectantibus. Scipionem rerum gestarum magnitudine tumentem, non debilitate, sed eadem superbia non uenire, qua iudicium & Tribunos plebis, & concionem reliquisset. Alios ergo Tribunos L. Scipio appellauit. Hi ita decreuerunt, Si morbi causa excusaretur, sibi placere eam causam accipi, diemque collegis produci. Quinimò quòd iam Petilij magis allatrare magnitudini Scipionis, quàm ueris criminibus in eum agere uiderentur, & magis à M. Catone inimico Scipionis comparati, quàm sua sponte accusare: T. Sempronius Gracchus, cui uel inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant, ita decreuit: Se P. Scipionem, priusquam redisset, accusari non passurum: tum quoque ubi uenerit, si se appellasset, auxilio ei futurum, ne causam dicat. Ad id fastigium rebus gestis, honoribus populi Rom. P. Scipionem Deorum hominumque consensu peruenisse, ut sub Rostris reum stare, & præbere aures adolescentium conuitiis, Populo Romano magis deforme quàm ipsi sit futurum. Hoc nomine à Senatu gratiæ ingentes T. Sempronio actæ sunt, quòd Rempub. priuatis simultatibus potiorem habuisset. Quo facto indicauit, omnes æquè legibus accusari posse, non æquè inter reos diu retineri posse. P. Aerodius ex Tito Liuio, Decad. 4. libro 8. & Appiani Syriaco.

Dignitatem, Magistratum.

CL. NERO & L. SALINATOR cùm ob nimis asperè actam censuram à Cn. Bebio Tribuno pleb. rei pro Rostris agerētur: Senatus causę dictione decreto suo eos liberauit: uacuū præstando hunc honorem omnis iudicij metu, ad quem iure suo pertinet, rationem exigere, nō reddere. P. Aerodius ex Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Q. METELLVS repetundarum accusatus, causam dixit, & tabulæ administrationis inspiciendæ iudicibus traditæ. Omnes, qui tum aderant, auertêre oculos: indignum rati, chartæ, & non integritati eius fidem præstari, cui populus Romanus tantam prouinciam commisisset. Platina libro primo, de Optimo ciue.

Iudicis. Absoluti à Iudice
Odio alterius.

Sept. SEVERVS, qui postea imperauit, accusatus Commodo imperante, quòd in Sicilia astronomos de imperio consuluisset: ea causa prætorij præfecto, demandata, ab eo non

tam propter innocentiã, quàm propter odium Commodi, absolutus fuit. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Inuidiæ metu.

Didium IVLIANVM Commodus Imp. in Italia annonæ præfectum, qui Saluianæ coniurationis conscius esse accusabatur, liberauit: ne qui permultos iam Senatores peremerat, eo occiso inuidiam augeret. Fulgosus lib. 8. cap. 1.

Tempestatis beneficio.

L. PISO à L. Claudio Pulcro accusatus, quòd graues ac intolerabiles iniurias sociis intulisset, haud dubiæ ruinæ metum fortuito auxilio uitauit. Namq; per id ipsum tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repentina uis nimbi incidit: cumq; prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit. Quod cõspectum, totam quæstionem à seueritate ad clementiam & mansuetudinẽ transtulit: quia satis iam graues eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductũ necessitatis, ut abiicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur. Val. lib. 8. cap. 1.

APPIVS Claudius, nescio religionis maior, an patriæ iniuria (siquidem illius uetustissimum morem neglexit, huius pulcerrimam classem amisit) in festo populo obiectus, cùm effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subitò coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione. Discussa enim quæstione, aliam, uelut diis interpellantibus, deintegrò instaurari non placuit. Itaque cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cœlestis salutem attulit. Valer. lib. 8. cap. 1.

Patris. Absoluti ob Parentum

Merita.

M. AEMILIVS Scaurus repetundarum reus, adeò perditam & complorátam defensionem in iudicium attulit, ut cum accusator diceret, lege sibi centum atq; uiginti hominibus denunciare testimonium licere: seq; non recusare, quo minus absolueretur, si totidem nominasset, quibus in prouincia nihil abstulisset: tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter uetustissimam nobilitatem, & recentem memoriam patris, absolutus est. Valer. lib. 8. cap. 1.

Animaduersionem.

Claudius Imp. inter multa, quæ ineptè in cẽsura, & propterea reticenda gessit, utcunque rem unam memoratu dignam egit. Nam cùm apud eum accusatus esset IVVENIS Romanus, tanquam ob dissolutos mores nota dignus: & is citatus cũ patre ad eum profectus esset, qui principi filium bonum ac uirtute præditum affirmabat: nulla alia expectata re, eum Claudius iudicio liberauit, affirmans illum domi suum habere censorem. Prudenter enim ostendit, nulli maiorem quàm patri curam de filio esse debere: posseque urbem publica carere censura, si omnes domi suæ censores esse uellent. Fulg. lib. 2. cap. 4. ex Suetonio.

Amicorum. Absoluti Amicorum

Gratia, Intercessione.

CAROLVS Nauarræ rex, Ioannis Francorum regis gener, Carolum Hispanum, magistrum equitum, regi acceptissimum gratissimumque, ad Aquilam Normanniæ uicum, submissis percussoribus, nocturna ui nihil tale timentem occidit: continuoque, ut ex præparato, literas ad proceres misit, hostem iure ab se cæsum, à quo se petitum insidiis comperisse se diceret. Atrox facinus: uisaque Francorum maiestas, Magistro equitum cæso, læsa. Quæstio decreta: dies dicta: ad quam non affuit, contra iudiciorum exempla, nisi accepto obside Ludouico Andium Comite regis filio, quem in Eburouicibus Philippo fratri custodiendum tradidit. Causa cognita, constitutum est cædem illam perduellionis teneri. Respectus dati obsidis cruentas in præsentia pœnas sumi prohibuit: ut tamen iudicij species aliqua foret, Iacobus Ducis Borbonij frater, nouus Magister equitum, manum iniecit, ducique à lictoribus iussit. Ex composito factum uideri potest. Extemplò tres Reginæ intromissæ, Ioanna Nauarri amita, quæ Caroli Pulcri regis uxor fuisset: & Blancha eiusdem Nauarri soror, eadem Ioannis regis nouerca, sed maternæ indulgentiæ: simul & altera Ioanna, eadem filia Ioannis regis, & Nauarri uxor. Hæ patrem, ut quem maritum sibi dedisset, eundem sibi condonaret: illæ, ut ueniam daret, hocque uiduitatis ac solitudinis solatium sibi reliquum esse uellet: omnes ad pedes prostratæ orabant. Ad hoc ipse Nauarrus & Rex, & gener, & consanguineus, ut ignosceretur sibi, supplicabat. Ita cùm quatuor capita, quæ corona regia redimita fuissent, demississimè precãdi finem non facerent, Francus ueniam dedit. Aemilius lib. 9.

QVI ABSOLVERINT. ABSOLVTI

Diuinitus.

Consule Tit. Pœnitentiæ religiosæ, quatenus diuinæ gratiæ signa habet iuncta.

Aeschylus de ORESTE deorum iudicium, in Eumenidibus diligenter complexus est. Variatas sententias hominum M. Tullius pro Milone uocat, quæ fuerunt inter se magnopere discrepantes: dimidia enim pars absoluebat, dimidia uerò condemnabat. Id aũt uidens Minerua, ipsa auxiliũ tulit Oresti, ac suo suffragio illũ liberauit. Victor. l. 13. Var. lect. c. 23.

Adalbertus Pragensis episcopus secundus, martyr, ex Italia secum sex monachos uiros sanctissimos in Poloniam adduxerat, qui duram & incultam uitam degebant in solitudine maioris Poloniæ, ubi nunc est Cazimiria oppidum. Ex his quinq; à cõsceleratis quibusdam crudeliter interfecti sunt: sextus, qui tunc abfuerat, aliquanto pòst sua morte uitam finiuit. Causa sceleris fuit, aurum, quod LATRONES à Bolellao rege ipsis donatum esse cognouerãt, sed repudiatum remissumq; ab ipsis nesciebant. Ferunt, tuguria eorum ab iisdem latronibus incensa, non attisse: ipsos cùm exitum syluæ non inuenirent, regis iussu comprehensos, & ad martyrum tumulum alligatos, ut acerbissimum famis supplicium expenderent, diuinitùs cadentibus ultrò uinculis solutos esse: cùm pœnitentia parrati sceleris ducti, ad Dei clemẽtiam confugissent. Cromerus lib. 3.

Humanitùs. Puta à

Viris, Mulieribus.

Ephorus tradit, Thraces à Pelasgis euocatos, Bœotiorum uastâtes agros, factis induciis, noctu incursationes egisse: dies se pepigisse, noctu incursasse, respondẽtes. Vnde uulgatum est prouerbium, Thracium commentum. Durante adhuc bello, oraculum redditum est Dodonæ Bœotiis, eos impiè occisa uate rem prosperè gesturos. LEGATI suspicãtes uatem Pelasgis generis propinquitate gratificatam (nam & fanum initio Pelasgorum extitit) corripientes mulierẽ in ignẽ iniecere: siue illa malitiosè fecisset, siue non, utramq; in partem rectè se facturos arbitrati. Nam si fallax edidisset oraculum, eam supplicio affectam: sin minus, se imperata patrasse. Præfecti autem fani indicta causa in templo homines occidere noluere, sed iudicio sacerdotum rem commisere. Eæ prophetissæ sunt, duæ è tribus reliquæ. Illis autem dicentibus, nusquam legem esse, qua mulieres ius dicerent, autiudicium facerent, electos etiã assumsisse uiros, pari cũ mulieribus numero. Viri igitur absoluêre legatos, at mulieres dãnauere. Paribus autem suffragiis existentibus, uicêre suffragia quæ absoluerũt. Ex hoc mos seruatus apud Dodonem, uiros solis responsa dare Bœotiis. Strabo lib. 9.

Hostibus, Inimicis.

T. SEMPRONIVS Gracchus P. Scipionem de accepta ab Antiocho rege pecunia accusatum à duob. Petiliis Trib. plebis, non solùm priusquam rediisset accusari non passurum, sed & ubi uenerit, si se appellasset, auxilio futurum, propter eius in Remp. merita, professus est. Itaq; Graccho à Senatu gratiæ actæ, quòd Remp. priuatis simultatibus potiorẽ habuisset. Liuius Dec. 4. lib. 8.

L. SCIPIO Asiaticus à C. Graccho Trib. pleb. quamuis hoste, ne in carcerem ob peculatus crimen à collega duceretur, liberatus fuit. Gellius lib. 7. cap. 19. & Auctor uitæ Africani.

L. OPIMIVS, cuius cõsulatu C. Gracchus cũ tribus millib. oppressus est, à Q. Decio Trib. pl. accusatus est, quòd indemnati ciues ab eo in uincula coniecti necatique essent, qui cum Graccho & Fuluio Flacco fuissent. Cæterùm qui sub populi iudicio casurus putabatur, seu optimatium factione adiute, seu quia factum probaretur, præter omniũ opinionem absolutus est populi suffragio. Sab. lib. 1. En. 6.

Rhetoribus.

Vide Tit. Causidicorum.

Orator quidam ARISTIPPVM Socraticum reũ defendit in iudicio, uicitq; litem. Is cùm uelut artem suã præferens philosophiæ, diceret: Quid tibi profuit Socrates, Aristippe? Hoc, inquit, quòd oratio, quam pro me dixisti, uera fuit. Defende rat ut uirum bonum & innocentem. Vt autẽ talis esset, qualis ab oratore prædicabatur, Socrates præstiterat, à quo philosophiam didicerat. Orator non id efficit, ut quis sit uir bonus: sed ut talis uideatur iudicibus, etiamsi non sit. Præstantius igitur est, quod præstat philosophus, quàm quod orator. Cuidam opprobrãti, quòd in propria causa oratore cõductitio fuisset usus: Nil mirum, inquit: & cœnam apparaturus, coquum conduco. Alter uideri uolebat, ob hoc oratorem præstantiorem philosopho, quòd eius operam conduceret. ille retorsit in diuersum: innuens, inferiorem esse, qui conducitur. Laertius lib. 2.

QVOMODO ABSOLVERINT. Absoluti

Vi.

Eo tempore, quò Athenienses facti maris domini insulanas causas in ciuitatem traduxere, quidam HEGEMONIS Thasi Comici poetæ accusationem scripserat. Hegemon autem artifices Dionysiacos congregans, cum illis accessit ad Alcibiadem auxilium petiturus. Is læto esse animo cum adhortatus, omnesque sequi iubens, in Deæ Phrygiæ sacellum uenit, ubi causarum erant descriptiones. Tum digitum saliua madefaciens, Hegemonis causam deleuit. Quod cùm scriba & princeps grauiter ferrent, tacuerunt ob Alcibiadem, eo præ metu fugiente, qui causam scripserat. Athen. lib. 9. cap. 26.

Dolo.

Vide Tit. Astutiæ in condemnatione effugienda.

Suffragio.

Duobus calculis olim suffragium tulerunt GRÆCI, atris aut pertusis lapillis longaque linea condemnantes, albis aut non foratis (πλήρεις uocat Aeschines, Lucianus ψῆφον λευκὴν ἢ πλήρη) breuique linea absoluentes. Qui si fortè fortuna fuissent æquales, tamen liberabatur reus. eiusq; rei causam Aristoteles reddit in Problematis.

Iure.

Ex Tit. Iustorum Iudicum, huc exempla quædam Absolutionis pertinent.

Iniuria.

Vide Tit. Iniusti Iudices.

Oratio, Intercessione, Precibus aliorum.

CAROLVS Nauarræ rex, Ioannis Francorum regis gener, cæso per insidias Carolo Hispano, equitum magistro, regi acceptissimo, ad dicendã causam euocatus, cõparere noluit, nisi Ludouico Andium comite regis F. obside accepto. Causa cognita, capitis damnatus, trium regiarum Ioannarum intercessione absolutus. Recepto Ludouico filio, Carolum Delphinum filium Normanniæ ducem dedit: ad quem cùm eius gentis proceres officij causa Rotomagum sine metu suspicioneque conuenissent, Ioannes rex cum delectis profectus Lutetia, prouolansque, Nauarrum Ioannemque Haricuriam è mensæ luxu, ut cum Delphino aduentitia cœna festi discubuerant, abstrahendos curauit. Extemplò Ioannes Haricuria, ut consiliorum socius, securi percussus. Nauarrus in custodiam Lutetiam missus, & tandem Ioanne ab Anglis capto, populo carceres effringente liberatus, magnarum seditionum auctor, cùm grauitatem tributorum Nauarrenses non ferrent, incendio absumtus est, fraude suorum conflato, an fortuito, anno 1387. Aemilius lib. 9.

MVNERE, OFFICIO QVOLIBETcunq; graui & molesto. In

GENERE. VACATIO MVNErum quorumuis.

Ciuica corona apud ROM. semel donato uacatio omnium munerum erat, patrique & auo paterno. Plin. lib. 16. cap. 4.

SPECIE. LIBERTAS SIVE Vacatio à

Suffragandi munere.

ROMANI cùm in quintum gradum peruenerant, atque habebant LX annos, tùm deniq; erant à publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in prouerbium quidam putant uenisse, ut diceretur, Sexagenarios de ponte deiici oportere. Id est quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. Varro lib. 2. de Vita pop R. Tullius oratione pro Roscio, T. Roscio Capitoni ut crimen obiecit, quòd cõtra morem maiorum minorem LX. an. de ponte deiecerit: non intelligens pontes propriè ita appellatos, quibus scilicet fluuij altiores transeũtur, sed qui ob similitudinem eodem nomine uocarentur, ac Romæ fieri soliti essent, ut illac multitudo in campum penetraret. Victorius lib. 18. Var. lect. cap. 7. Hæc sententia magis probatur Silinnio Capitoni apud Festũ Pompeium, quàm uulgata illa, quæ putant post urbem à Gallis liberatam, ob cibatus inopiam sexagenarios in Tiberim de ponte deiici cœptos. Ouidius in Fastis:

Pars putat, ut iuuenes ferrent suffragia soli;
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Vnde & Depõtani dicũtur senes, iam uelut emeriti, & à ciuilibus negotiis in otium remissi. Erasmus in Chiliadibus.

Iuramento.

Apud Rom. FLAMINI Diali iurare minimè licebat, eo quòd tormenti quoddam genus sit homini libero iusiurandum, præsertim sacerdoti, cui quum diuina credita sint, paruam habere fidem absurdum censetur. Polyd. lib. 4. cap. 14. de re. Inuent. Prætoris Rom. edictum perpetuum erat, sacerdotem VESTALEM & Flaminem Dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam. Gell. lib. 10. cap. 15.

Militia.

Beneficiarij dicebantur MILITES Rom. qui uacabant muneris beneficio. Econtrariò Munifices uocabantur, qui non uacabant, sed munus Reip. faciebant. Festus libro secundo.

Si quis ISRAELITARVM uxorem desponsasset, neq; duxisset, immunis erat à militiã. Deuter. 20. Moses legẽ edixit, si quis uxorem nouam duxisset, ne militaret, nullique alteri muneri obnoxius esset, sed immunis domi maneret annum unum, & cum ducta uxore lætaretur. Deut. 24.

Alcmæon Amphiarai filius, unà cum Diomede reliquisq; Epigonis suscepto contra Thebanos prælio, reque bene gesta, cum Diomede societatem iniit, & cum illo de Oenei hostibus ultionem sumsit. Cumq; illis Aetoliam tradidisset, ipse Acarnaniam inuasit. Eo tempore Agamemnon Argiuos aggressus, Diomedis factionem facile superauit. Paulo pòst cùm aduersus Ilium incidisset expeditio, ueritus ne Diomedes domum repetens proprium uendicaret imperium, Diomedem spe capessendi Argos, in belli societatem acciuit. Diomedes obsecutus, in militiæ partem accessit, indignè id ferente Alcmæone. Quamobrem soli ACARNANES in nullam cum reliquis Græcis Troianæ militiæ partem uenere. Multo pòst tempore Acarnanes Romanis persuasere, ut libertatem, & suum uiuendi morem retinerent, asserentes solos sese aduersus Troianos eorum maiores & generis auctores nullam militiæ sortem subiisse. Nec enim in Aetolorum conspiratione, auxiliisq; dinumerandis, neq; seorsum per se memorantur, nec omnino illud ipsum nomen in Homerico catalogo reperitur. Ephorus apud Straboñe lib. 10.

ALALCOMENÆ Bœoti uetustum templum Mineruæ habent, eximia ueneratione cultum, ibiq; deam natam esse aiunt, sicut & Argis Iunonem. Proinde poeta utranq; per earum patrias nominatim protulit, inquiens, Ἥρη τ' Ἀργείη, καὶ Ἀλαλκομενηΐς Ἀθήνη. In Catalogo nullam horum mentionem fecit, quòd ueluti sacræ urbes, ab Troiana expeditione immunes forent. Hæc ciuitas ab omni populatione tuta permãsit, cùm nec ampla esset, nec loco satis uallato septa, sed in plano iaceret. Incolæ uerò cuncti deam pietate placantes, ab omni uiolentia & iniuria reddebantur illæsi. Adeò ut Thebani belligerantibus aduersus eos Epigonis, urbem relinquere coacti, ad illos confugisse dicantur. Strabo lib. 9.

PISA Elidis urbs, Olympicis ludis nobilis. Quidam ideirco Pisæos Troiano non interfuisse bello tradunt, neq; in Catalogo nauium ab Homero recenseri, quia Ioui consecrati esse ferentur. Strabo lib. 8.

Fusis ad Platæas Persis, aduocata concione communi Græcorum, rogationem tulit Aristides, ut descriptio fieret inter Græcos ad bellum cum Persis gerendum decẽ millium clypeatorum, mille equitum, nauium centum: PLATÆENSES sacrosancti essent, immunesq; ad sacra deo pro Græcia facienda relinquerentur. Plut. in Aristide.

Cùm Pœnus esset in Italia, minusque iuuentutis haberent Romani duces, unde scriberent milites, COLONOS maritimos milites dare, ac subuenire communi periculo cogebant. His quia sacrosanctam uacationem habere se allegabant, dies certa edicta est, ut quo quisque iure uacationem haberet, ad Senatum deferret. Ea die uenerunt Hostiensis, Antias, Auxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & à supero mari Senensis. At cùm unusquisque populus uacationes suas recitaret, quas ideo quidem sacrosanctas esse nuncupatas apparebat, quòd maritimis incursionibus, oræque Italiæ perpetuò intentas colonias, nefas esset aliò euocare, aliisq; muneribus onerare: aut ita certè fidem eis Populo Romano fallere licere, quo modo antiqua sua priuilegia uiolasset: nullius tamen, cùm in Italia hostis esset, præter Antiatis Hostiensisq; uacationẽ obseruari placuit: earumq; coloniarum iuniores nomina dare iureiurãdo adacti sunt. P. Aerodius ex Liuij lib. 7. Dec. 3.

Mos fuit EQVITIBVS Rom. ubi legitimum tempus stipendiorum expleuerunt, ut equum in forum ad censores adducerẽt: enumeratisq; singulis ducibus & imperatoribus, sub quibus meruerunt, ac reddita militiæ ratione, peterent uacationem. Ibi & honos habebatur & ignominia pro cuiusque uita acta. Sedebant pro tribunali magna grauitate censores Gellius & Catulus, & transuehebant equites. Cn. Pompeius autem (qui iam bis triumphauerat, & consul erat cum M. Crasso) conspiciebatur supernè in forum descendens. Erat aliis quidem magistratus insignibus ornatus, sed equũ manu trahebat. Vt propè accessit & cognitus est, lictoribus uiam sibi facere iussis, equum admouit Rostris. Stetit populus stupore & silentio defixus. Censores uerò ex ea specie simul uerecundia & gaudium occupauerunt. Indè maior natu interrogauit eum: Quæro ex te, Magne Põpei, ecquid omnia stipendia impleueris? Cui Pompeius alta uoce: Omnia impleui, inquit, & meipso imperatore. Quod audiens populus, conclamauit: neq; sedari præ lætitia clamor poterat: sed consurgentes censores domum eum deduxerunt, populo prosequenti & applaudenti gratificantes. Plutarchus in Pompeio.

Carolus Magnus in quodam decreto Vormaciæ facto, uetat, ne amplius EPISCOPI in militiam proficiscãtur: neq; teneãtur alios pro sese mittere, quòd hactenus in usu fuerat.

Hospi-

Hospitio.

Priuilegium VESTGOTHI habent, ne rex Suecorum eos accedat. Io. Magnus lib. 18. cap. 15.

Cura, Tutela.

ILIENSIBVS & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitus & Senatusconsultis & constitutionibus principum plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelæ excusationem habeant, scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses nõ sint: idq; D. Pius rescripsit, L. non tantùm. §. Iliensib. de excusat.

Gladiatorio munere.

Antiquitus GLADIATORES, quibus permissum erat à gladiatorio munere cessare, rude donati dicebãtur. Ea cessatio dabatur uirga, quã rudem appellabant. unde hoc modo dimissi, rudiarij uocãtur. Proinde quicunq; à munere quouis in otium restituuntur, uel ob ætatem, uel ob imbecillitatẽ, rudem accepisse dicuntur Erasmus in Adagiis.

Ministerio domestico.

Sub Salomone rege nullus ISRAELITARVM seruiebat, cũ rex Chananæos subegisset, & ex iis ad agrum colendũ delegisset, quib. quingentos & quinquaginta magistros præfecit. 3. Reg. 9. & Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 6.

INDIA prorsum seruitutis expers est: nemo enim ibi uel indigena, uel externus seruitutem seruit. De LACEDÆMONIIS, si Helotas modò exemeris, idipsum quoq; narratur. Cælius lib. 18. cap. 31. Antiq. Lect.

Romani Sabinas rapuerunt. Ex fœdere deinde cautum, ne uiro Romano VXOR uel moleret uel coqueret. Plutarchus in quæst. Rom.

Funeris deductione.

Israelitarum SACERDOTES funeribus contaminari non licebat, ne regum quidem suorum & principum, nisi consanguinitate proximi essent, aut certè uirgo quædam innupta proxima. Leuitici 21.

Flamen DIALIS apud Rom. locum, in quo bustum est, non ingrediebatur, neq; mortuum attingebat. Funus tamen exequi licebat. Gell. lib. 10. cap. 15.

AERE ALIENO. DEBITA REMISSA.

Liberalitatis hæc quoque sunt εὐ ἀόρτει. Sed huc pertinent ratione Seruitutis sublatæ, quæ in ære alieno obnoxiis summa est. Huc confer Tit. Bona acquisita debitorum remissione. illic Acquisiti boni, hic Sublati mali consideratio instituitur.

CONVITIO, MALEDICTO.

Vespasianus non oportere maledici SENATORI Rom. remaledici autem ius esse respondit. Suetonius.

ILLVVIONE, INVNDATIONE.

Christiani LATINI, duce Ioanne Brenno Hierosolymorũ rega, Damiatam Aegypti urbem munitiss. obsidebant. Etesiis aduersissimis uentis uehementiùs flantibus, exortaq; etiam præter locorum genium, & cœli & maris sæuissima tempestate, usq; adeò Nilus intumuit, ut ripas supergressus, omnia operiret, commeatumq; corrumperet. Id nõ rerum natura, fluminisue ui (quòd non eo tempore anni instari consueuisset) sed ira numinis factum rati, ad obsecrationes, ieiuniũq; in triduum à Pelagio Legato Apostolico indictum uersi: quarto die mitescente cœlo, mariq; exsæuiente, ac cogente se intra ripas flumine, ut initium, ita finem metus Deo opt. max. acceptum retulere. Aemilius lib. 6.

LIBERTAS CONSIDERATA RESPECTV PERSONÆ, à cuius iugo liberatur. AIVGO

DAEMONVM.

Vide Tit. Dæmoniaci curati. Illic Morbi, hic Seruitutis depulsæ habetur ratio.

MVLIER quædam, cuius consuetudine turpi impurus spiritus per annos septem usus fuerat, baculo Bernardi, quem in lectum iuxta se deposuerat, liberatur. Minatur tamen acerrimè, quòd discedente uiro Dei, ipse in eius supplicia reuerteretur. Instabat dies Dominica, & uoluit uir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam conuenisset, inter Missarum solennia, comitantibus episcopis, Gaufredo Carnotensi, & Briccio Nannetensi, ipse ambonem cõscendit, & ut omnes, qui in ecclesia erant, accensas candelas in manib. tenerẽt, locuturus edicit. Quod & ipse cũ episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publicè aperit. & fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi eam ad illam, quàm ad oẽs mulieres deinceps interdicit accessum. Extinctis itaq; luminibus, extincta est tota uirtus diaboli: & mulieri post confessionem communicanti, nũquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit. Auctor uitæ.

Narrat Hector Boëthius lib. 8. histor. Scot. in Marcorhæ regionis uico quodam, quatuordecim uix passuum millibus ab Aberdonia distito, eximiæ formæ ADOLESCENTEM coram Aberdonensi antistite questum esse palàm, sese à dæmone succuba (ut dicunt) gratissima omnium, quas uidisset, forma, multos iam menses infestari, eandemque occlusis foribus noctu ad se ingredi, & blanditiis in suos compellere amplexus: dubia luce eam penè sine strepitu abire, nec ullo se modo, cùm pluriſariam tentasset, à tanta támque turpi uesania liberari. Iubet continuò circunspectus & pius episcopus, adolescentem alio se conferre: & in secundùm Christianam religionem magis laudatis ieiuniis & orationibus solito attentiùs accommodaret animam: hinc fore arbitrabatur, ut piis operibus intento, uictus cacodæmon tandem terga daret. Nec felix defuit successus salubri consilio: quod adolescens religiosè exequutus, paucos post dies omnino ab illis uindicatus fuit ludibriis. Sic incubum dæmonem non amplius infestasse Nauetis MVLIEREM, post confessionem & sacram communionem, quæ ieiunia & preces comitari solent, legitur in uita D. Bernardi.

PHILIPPVS Vuesselich Coloniensis, monachus abbatiæ Knechtenstein, integer & simplex, à spiritu referente abbatem macilentum, ante multos annos mortuum, exagitabatur miserè & multiuariam, circa annum Sal. 1550. interdum auehebatur sub tectum, aliàs per ligna transuersa coniunctiora supra campanam intrudebatur, plerunque per murum transferebatur inopinatò. Inuentus quandoque est corpore super piscinam proiecto, capite autem in terram reclinante. Tandem se prodit spiritus, diutinæ & multiplicis uexationis causam explicans: se nimirum esse illum abbatem Mathiam Durensem, tot annis sepultum: ac eo torqueri, quòd suspensam D. Virginis effigiem exquisitè depingi curarit: nec satis fuisse factum pictoris Nouesiani laboribus & impensis, qui inde iacturam senserit, ac sibi ipsi uim fecerit. uerum id fuit. Subnectebat hinc solutionis modum, expiari scilicet hoc delictum non posse, aut ulla seliberati ratione, nisi religionis ergò apud Treueros & Aquisgranum peregrinaretur hic Philippus, & tres Missæ in eius assertionem recitarentur. Vt huius spiritus uoto satisfieret, consuluerunt Theologi Colonienses: & id reliqui postulabant quoq; monachi, à suo abbate Gerardo Strailgen Morsensi: qui acri increpatione in aliam potius sententiam Philippum existimauit traducendum, ut uidelicet fide uiua Deo patri & Christo confisus, dæmonis imposturas negligeret: redeuntique spiritui obiiceret, se sub aliorum degere imperio, nec posse ob rerum penuriam obedire illius uotis. Quo facto, spiritus respondit: Dic Suppriori, de eo enim confirmandi sui instituti spem conceperat. Abbas, ubi monachum illusionibus dęmonis non satis confidenter resistere animaduertit, ipsum denuò rectiùs instituit: studiosè hortatus, ut resipisceret, nec tam pronas offerret satanæ technis aures: si uerò maneret, uti hactenus, audire pergeret, se illum flagris, & quidem capitulariter cæsurum, seuerissimè minitatus est. Hinc irritos suos spiritus uidens conatus, nunquam postea rediit. Vierus lib. 4. cap. 29.

Constantissimus est consensus omnium, Magos IVDICIBVS & reliquis administris iuris nocere non posse: quamquam lictores multi ponè adorti attollunt è terra sagas, alij uerò intrepidè ad intimas usq; ipsarum specus persequuntur. Arcanum Dei mirabile, & à iudicibus optimè recolentur, dum, ipsos non aduersus humanas potestates solùm, sed etiam contra spirituum malignorum uires à Deo protegi. Ac propterea in Lege dicitur, Cùm indicabitis, ne metuatis ab ullo: nam iudicium est Dei. & Iosaphat Rex Iudæ commendans Iudicibus officium suum, Deuteron. 1. Videte, ait, quid sitis facturi, & mementote à uobis exerceri iudicium Dei. Bodinus lib. 3. Dæmonomaniæ, cap. 4.

PONTIFICVM.

[redacted]

PRIN-

Principum.

Benedictus XII. papa creatus Auinione, sententias prædecessorum in Ludouicum Bauarum confirmauit. Tum uerò ITALI se in libertatem erexere, Ecclesiæ prædia & dominia inuasere, quum pontificem suis abactum ceruicibus cernerent. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 1.

TYRANNORVM.

Consule Tit. Tyrannicidarum. Illic Liberans, hic Liberatus consideratur.

ATHENIENSES quãdiu tyrannis subiecti fuerunt, nullis finitimorum in bello præstantiores erant: liberati uerò à tyrannis, multo omnium primi extitere. Vnde liquet, eos dum tyrannis parebant, de industria peccasse, tanquam domino laborantes: at libertate parta, sibi ipsi quiq; rem gerere properabant. Herodotus lib. 5.

HOSTIVM.

Ex Tit. Precio liberatorum, quædam huc pertinent.

MANASSES Iudæorum rex captiuus à rege Babyloniorum abductus, ad Dominum clamãs, liberari meruit. 2. Paral. 33.

ARISTOMENES Messenius, induciis cum Lacedæmoniis factis, securiùs uagatus, capitur à septem Cretensibus sagittariis, deductusque captiuus in tugurium quoddam Messenici agri, à uirgine, parente orba, liberatus est. Hæc enim superiore nocte, per somnium uisa fuerat sibi uidere, petrahi illuc à lupis leonem uinctum, ereptis unguibus: illum se à uinculis exemisse, & cum eo tanquam cum uiro congressam, ungues illi dedisse, nec multo pòst à leone lupos laniatos. Deducto itaque huc Aristomene, agnouit puella expressam uiro euentu somni imaginem: auditóque ex matre uiri nomine, confirmauit se. Vinum itaque largius Cretensibus fudit. Qui cùm uino lenti omnes se abiecissent, obruto grauiori somno pugiunculum eripuit, eo uinculaipsi abscidit, insidiatoresque suos iugulauit Aristomenes. Virginem illam, pro nauata saluti suæ opera, filio suo Gorgo uxorem dedit Pausanias in Messenicis.

DORIEVS Rhodius pancratiastes trib. palmis Olympicis clarus, cùm pro Lacedæmoniis propriis triremibus bello naualipugnaret, ab Atheniensibus captus, & propter gloriam nominis incolumis dimissus, commiseratione populi Atheniensis. Pausanias lib. 6.

PYTHIVS, Ischonoi F. Aeginera, uirtutis ergò à Persis seruatus, cùm captus esset in Scyatho, cæterique mactati, in pugna ad Salaminem denuò liberatus est à Polycrito Aeginetæ qui eam nauim demersit. Herodotus lib. 8.

CREMONENSES ciues à Gallis Boiis oppressi, & capti, & à Corn. Cethego Coss. Rom. liberati, triumphantis currum pileati sunt secuti, quòd ipsius opera libertatem essent adepti. Liuius lib. 5. belli Macedonici.

Sigebertus narrat, Metensem episcopum AVCTOREM captum ab Hunis, duce Atila: uerùm cæcitate ipsis percussis liberata, cum aliis ciuibus elapsum fuisse.

OTHO II. Imp. uictus in Apulia à Saracenis, fuga elapsus in triremem, & à nautis captus, incognitus, uiliq; precio redẽptus ab episcopo Moguntinẽsi, Italos, qui Germanos in prælio fortiter pugnantes turpissimè deseruerant, grauissimis affecit suppliciis, ita ut uulgò Sanguinarius fuerit appellatus. Stumpfius in Heluetia.

IOANNES Francorum rex, Philippi Valesij regis frater, cùm parum prosperè cum Ricardi Anglorum regis Edouardo filio manum conseruisset, accepta clade uiuus in hostium potestatem uenit, & cum eo circiter equites centum septuaginta: cum quibus Burdegalam deductus, acceptis conditionibus, & promissa grandi pecunia, quarto pòst anno dimissus est. Ritius Neap. lib. 3. Francorum regum.

LVDOVICVS Iunior Francorum rex nauali itinere domum per Siciliam è sacra expeditione rediens, à Græcis captus, dum ad Manuelem Imp. Græcũ Corcyram obsidentem deducitur, à Siculis interuenientibus liberatus, atq; inde à Rogerio & Pontifice honorificè habitus domum reuersus est. Sigonius lib. 11. regni Italici.

VLRICVS patriarcha Aquileiensis, cũ Gradũ bello esset adortus, à Venetis unà cũ septingentis nobilibus Foroiuliensib. capitur, an. 1162. & Venetias perductus cum omnib. in custodias conditur. Demũ uerò pactus, se quotannis duodecim porcos & duodecim panes Duci in eiusmodi die daturum, ipse cum omnibus liberatur. Institutũ inde mansit, ut quotannis ludicrum in foro in eius rei memoriam ederetur. Sigonius lib. 13. regni Italici.

Victi ad Polam à Genuensibus VENETI, cùm nec terra, nec mari auxilia sperarent, captiuis Genuensiũ è carcere liberatis, eisq; Clugiã ad præfectũ Genuensium missis, pacem petiuere, eas accepturi leges, quas uictor imposuisset. Genuenses uerò uictoria elati, Venetos reiiciunt, nisi se ac sua omnia dedentes. Qui ad tuendã patriã conuersi, deductis ante portus fauces catenis ferreis, dispositisq; in litore portus trecẽtis equitibus, totidemq; peditibus, ad unum aliquem ex ciuibus respiciunt, quem bello præficerent. At uerò dum fluctuarent in tanta perturbatione, quem potissimum deligerent, incerto auctore uox audita est, unicum Victorem Pisanum, qui Genuenses optimè nosset, idoneum esse, qui tantę rei præficeretur. Non est audita temerè ea uox, quasi auspicato emissa. ad carcerem concurrunt omnes, eò enim dedu ctus fuerat ob rem malè ad Polam gestam, eductumq; bello maritimo solum præficiunt. Platina in Vrbano VI.

Bello Ligustico tertio, pace inter Venetos & Genuenses facta, restituti hinc inde captiui: quorum GENVENSES, qui ad duo millia fuere, festa Magdalenæ luce uinculis soluti, ad illius ędem longo agmine, quasi diuæ suam salutem gratulaturi, cum luminibus accessere. Mouit nouum illud spectaculum Venetam ciuitatem ad religionem, ut eam inde diem ipsum, quod antea non fuerat, inter solennes ac festos habuerit. Sabellicus lib. 3. Decad. 2.

ALBERTVS Sueciæ rex à Margarita Daniæ & Noruegiæ regina per septennũ captiuus detentus, tandem interuẽtu septẽ urbium, Lubecę, Sundęsis, Gripesualdensis, Gdanẽsis, Turrianæ, Elbingẽsis, & Reualiæ, quæ se uades interposuere, liberatus fuit, ut intra trienniũ reginę, de sua filiiq; ac cõcaptiuorũ redemtione satisfaceret: aut urbes sexaginta millia marcarum argẽti persoluerent: aut urbẽ Stokholmiam, quæ sola in Alberti fide permanserat, reginæ consignarent. Ea conditione rex cum filio liberatus, Magnopolim redit, non satis æqua mercede muneratus, pro tanto labore administrati regni per tẽpus non paruũ. Mortuo interea filio Erico, Albertus iam senex de regno recipiẽdo desperãs, Stokholmiã Margaritæ concessit. Cranzius lib. 9. Vandal. cap. 32. & 36. & lib. 5. Sueciæ, cap. 34.

MAGNVS Stortia semel omnino manu hostium, bis inimicorum fraude captus est. Cæterùm adeò felici sorte, ut è calamitate seipso semper maior & clarior euaserit. Siquidẽ pręter honores & opes, quas obiter ab innocentia præclara, & uirtute affluenter est consecutus, etiam illi (quod in summa totius uitæ iucundissimum uidetur) oportunè atq; feliciter euenit, ut inimici eius ferè omnes admirabili Dei iudicio plecterentur. Iouius in uita Stortiæ.

Quum anno 1512. Gallicæ copiæ ab exercitu confœderatorum Iulij II. Pp. Venetorum & Hispanorum, Italia pulsæ, Mediolanense imperiũ deserere cogerentur, MEDICEVS cardinalis, in pugna Rauennensi, XI. April. eodem anno commissa, ubi pontificis legatus fuerat captus, cùm in Galliam duceretur, mane ad Padi transitũ, qui è regione Bassinanæ est, quæ ueteribus Augusta Bacienorũ fuit, in ipso nauis ingressu à nonnullis rusticis pagi, qui Plebs Cairi dicitur, quorum caput fuit Rinaldus Zallus, cùm quo aliqui cardinalis familiares nocte apud eum hospitio excepti conuenerãt, ex Gallorum, qui eum custodiebãt, militũ manibus ereptus fuit: qui perterriti, & ad quemuis leuissimum motum trepidantes, strepitu audito, fugæ quàm pugnæ studiosiores fuerũt. Guicciardinus lib. 10.

ASCANIVS Sfortia cardinalis summa auctoritate, cum Ludouico duce Mediolanensi captus à Ludouico XI. Francorum rege, & sub Iulio II. Romam rediens, uti libertatis initium, sic uitæ finem ueneno habuit. Garimbertus libro quarto, de uitis Pontificum.

PIRATARVM, LATRONVM.

Atheniẽsis ADOLESCENS captus à Tyrrhenis, cùm uinctus apud illos seruiret, adamatus ab herili filia solutus, domumq; reuersus, Veneri ædẽ gratiarum actionis loco in litore unde raptus fuerat extruxit, Coliam à mẽbris, quæ uinculis pressa fuerant, dictum. Suidas.

ROMANI legati Apollini Delphico aureum craterem dedicaturi, à Liparæis prædonib. capti, in Liparam abducuntur. Sed Timasitheus Liparæorum dux eos iterũ liberauit. Pro quo beneficio Romani publicum ei hospitium Romæ concesserunt. Diodorus lib. 14.

C. IVL. Cæsar cùm Marianarũ partium studio in Sabinis lateret, incidit in Syllanos milites, qui illa loca scrutabãtur, comprehendebantq;, siqui delitescerent: quorum ducẽ Cornelium duodecim millium denariorũ mercede induxit, ut dimitteretur: ac conscensa protinus naui, in Bithyniam ad regem Nicomedẽ est profectus. Apud quẽ cùm non diu desedisset, decedens, in pelago ad Pharmacusam insulam capitur à piratis, qui magnis iam classibus multisque nauigiis mare infestum habebãt. Hos Cæsar primùm postulantes pro ipsius redemtione uiginti talenta derisit, quasi ignaros, quem tenerent. Ipse quinquaginta daturum se pollicitus est. Inde comitibus suis aliò ad aliã urbẽ expediendæ pecuniæ gratia dimissis, inter homines immanissimos Cilicas cũ uno amico & duob. seruis relictus, adeò eos despexit, ut quoties quiescebat, nũsso aliquo indiceret illis silẽtiũ. Dies duodequadragin-

draginta, quasi nō custodiretur, sed stiparetur ab eis, unà ludebat, & se exercebat. Iam carmina & orationes scribebat, eaq; in circulo eorum pronunciabat. Siqui non admirarentur ea, hos palàm inertes appellabat & barbaros. Frequēter per iocum suspensurum eos se minabatur. Placebat id illis, simplicitati eius & ætati hāc linguæ libertatem asscribētes. Vt allata Mileto pecunia, qua redimeretur, & numerata, missus est: compleuit confestim naues, atque ex Milesiorum portu ad persequendos prædones soluit: occupansque ad illam insulam adhuc stantes, plerosque in potestatem redegit: quorum pecuniam in prædam uertit, ipsos Pergami dedit in custodiam: atque ad Iunium, qui cum imperio Asiam obtinebat, profectus est, quòd illius ut prætoris esset, de captiuis supplicium sumere. Qui cùm numis eorum oculos adiecisset (neque enim pauca summa erat) & de captiuis consideraturum se diceret per otium: salute Cæsar prætori dicta Pergamum contendit, sustulitque in crucem piratas omnes, sicut per speciem ioci crebrò in insula illis prædixerat. Plutarchus in Cæsare.

SARRA Columna iram Bonifacij VIII. fugiens, dum nihil à tanto hoste sibi tutum fidumque putat, in ora Italiæ maritima errans uagusque à piratis excipitur, ac ad remum datur: ne tam necessario quidem tempore ausus se aperire quis esset: ne generis humani hostes eum Bonifacio dederent, magni propositā præmij spe. In ora Massiliensi quidam è nobilitate Frācica colloquij commercio cum archipirata facto, nauim inuisens, Sarram antea familiari usu in rebus Italicis notum, tunc inter remiges uultu gestuq; fidem suam clàm cæteris implorantem agnouit: rem tamen in præsentia dissimulauit. Mox classe permissu præfectorum contracta, archipiratam assecutus, peruicit ut ex uinctorum remigum numero unus, quem ipse optaret, catenis solutus sibi daretur. Ita Sarra liberatus, atrox Bonifacio hostis, ac malis exacerbatus, Bonifacium tandem Anagniæ cœpit. Aemil. lib. 8.

Alexander III. Pp. à Romanis è Galliā reuocatus, acceptis à Rege Ludouico triremibus ad mare profectus conscendit. Cùm Cardinales uiris fortibus, qui Hierosolyma contendebant, assumtis, dromonem Hospitalis Hierosolymitani ingressi Pontificem mox sequuturum iactis in alto anchoris expectarent, præteriens prædonum classis dromonem inuasit. Pōtifex cùm triremi se ad dromonem uehi iussisset, conspectis piratis nauigationem conuertit, atq; in portum Megalonensem refugit. Cardinales piratis acriter à dromone repulsis, Pontifice non expectato, idoneum nacti uētum abierunt, ac prosperè in Siciliam deuenerunt. Post aliquot dies Pontifex alia parata naui conscendit, & secundis uentis eodem peruenit, susceptusque benignè à Gulielmo Rege, eius inde triremibus Salernum petiit: atque inde Romā accessit lætissimis animis exceptus ab uniuersis. Sigonius lib. 13. regni Italici.

Bernardus Clareuallensis cruciatam prædicans in Terram sanctam, è Burgundia missus à summo Pontifice in conuentum principum, qui tum Frācofordiæ fuerat indictus: & miraculorum signis, & concionibus suis ad eam expeditionē Conradum III. Imp. cum multis principibus animauit. Incredibile est memoratu, qua deuotione concursum sit ab omni ordine principum, militarium, ciuitatum. Itaq; GERMANIA tum latrociniis frequens, purgata fuit eo genere hominum, qui rapinis consueuerant uictitare. Nam tūc deuotione qualicunque, omnes id genus homines pro remedio peccatorum sacram amplexi sunt militiam. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 13.

PARENTVM. EMANCIPATI LIBERI.

Emancipatio est imaginaria liberorum uenditio, quæ ad similitudinē eius excogitata est, quam olim Romulus instituerat. nam is cauerat, ut si pater filium ter mancipasset, id est, uendidisset, filiam autem semel, ij sui iuris efficerentur. Postea uerò ad speciem atque usurpationem uetustatis institutum est, ut pater apud Prætorem alicui, cuius fidem sequebatur, & qui ob eam caussam Fiduciarius pater dicebatur, filium suum dicis causa ter, filiam semel uendens, eos hac ratione de manu ac potestate sua dimitteret. Hotomannus de Verbis iuris.

ROMANI proprium nihil possident, quamdiu patres eorum in uita manent: sed & pecuniæ & corpora filiorum, parentum potestati arbitrioque permissa sunt. Verùm Imperatores, ut præmio aliquo adolescentes ad militię labores inuitarent, Castrense peculium iis pleno iure cōcesserunt. quod Iuuenalis XVI Satyra ubi militiæ præmia enumerat, his uersibus declarat:

Solis præterea testandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater. Hotom. de Verb. iuris.

CREDITORVM.

Vide Tit. Libertatis, Debita remissa.

Apud AEGYPTIOS Diodorus scibit sancitum fuisse, ut eorū corpora, qui ciuitatibus bellico usu addicti forēt, à creditorū uiolētia libera essent: in bona tantū illi ius haberēt.

CONIVGVM.

Vide Tit. Repudiatarum. Illic Amicitiæ solutæ, hic Imperij rescissi habetur ratio.

Cùm Romani Sabinorum filias rapuissent, mox collatis armis pax conuenisset, in legibus pacis aliis hoc relatum est, ne uiro Romano VXOR moleret, neque eius coquinariam faceret. Plut. in quæstionib. Rom.

DOMINORVM. SERVI MANVMISSI. LIBERTI facti.

Apud HEBRÆOS ex Dei præcepto serui sex annis seruiebāt, septimo manumittebantur gratuitò. Si celebs uenisset, celebs: sin maritus, uxor cū eo manumittebatur. Si dominus ei uxorem dedisset, ex qua filios aut filias procreasset, femina & nati in seruitute manebant, ipse solus manumittebatur. Quòd si seruus captus amore sui domini, & uxoris, & filiorum, nollet manumitti, eum dominus ad recuperatores adducebat, eiq; ad ualuam aut ad postem applicatq, aurem subula perforabat, & ille postea in perpetuum seruire cogebtur. Exodi 21. & Deuteronomij 15.

Si quis ISRAELITARVM præ tenuitate alteri uenisset, non ei seruilem in morem imperare, sed eum perinde ac mercenarium aduenamque habere licebat. Cumque ad annum usque iubileum seruiisset, in suam cognationem patriamq; possessionem redibat. Cùm enim serui mei sint, inquit Dominus, ut quos ex Aegypto eduxerim, non licet eos seruili more uendi. Quare ne duriùs eis imperatote, Deumque uestrum timetote. Leuit. 25.

Apud LACEDÆMONIOS qui serui mancipiō eximuntur, fronde coronati incedunt, & templa circumeunt. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 10.

Çùm Atheniēses SERVVM Antigoni, quem in honore habebat, in ciuitatē pro libero asscripsissent: Cuperem, inquit, unum ciuem Atheniensem à me non fuisse flagris cæsum. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cleomenes Leonidæ F. Spartanorum rex, bellò pressus ab Antigono HELOTAS, qui quinq; minas Atticas præstassent, manumisit. Ea ratione talenta quingentā coëgit. Plutarchus in Cleomene.

DIOGENEM Cynicum tùm emere uellet Xeniades Corinthius, & quid artificij nosset, percōtaretur? Noui, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Xeniades respōsum miratus, eū emit, & manumisit: eiq; filios suos tradens, Accipe (dixit) liberos meos, quibus imperes. Gell. lib. 2. cap. 18.

ALCMAN poeta lyricus, & amatorij carminis inuentor, seruus Agesiclis fuit, qui cum propter ingenij dotes amplissimas liberum fecit. Aelianus de Varia Historia.

PHÆDRVS Eliēsis, Socrati Platoniq; familiaris ac dilectus, cuius nomini liber inscribitur περὶ τοῦ καλοῦ, seruus, & à lenone domino puer forma præstanti ad merendum coactus, ab Alcibiade redemtus, philosophiæ se tradidit. Gellius lib. 2. cap. 18. & Volat. lib. 18. Anthrop.

De uocatis EPEVNACTIS apud Lacedæmonios, ingt Theopompus in trigesimasecunda Historia: Cùm multi ex Lacedæmoniis in bello contra Messenios occubuissent, ne hostibus pauci uiderentur, aliquot ex Helotis in singulos mortuorum lectos accedere iusserunt, quos postea ciues facientes appellarunt Epeunactos, quoniā in mortuorū lectulos essent introducti. Idem rursus scribit 13. lib. Historiarum, seruos quosdam CATANACOPHOROS apud Sicyonios uocari, qui Epeunactis sunt simillimi.

MOTHACES apud Lacedæmonios dicti, liberi quidem, at non Lacedæmonij, omnisque disciplinæ participes. Ex his fuisse aiunt Lysandrum, qui Athenienses bello nauali superauit, quem ciuem postea fecerunt, ob strenuitatem. Myron Prienæus libro secundo rerum Messenicarum, Sæpius, inquit, Lacedæmonij seruos in libertatem restituerunt, quorum alios APHETAS, alios ADESPOTAS, alios uocabant ERYCTERAS. Sunt & qui dicerentur DESPOSIANACTÆ, quos in classes redigebāt. Alios appellabāt NEODAMODES, q diuersi erant ab Helotū gn̄e. Athen. l. 6. c. 7.

Libertinorum alij sunt ciues Romani, qui uindicta, censu, aut testamēto, nullo iure impediēte, à dominis manumissi sunt. Vnde etiā illorū patroni, quasi patres, qui à morte in uitā illos reuocassent, appellabātur. Alij Latini Iuniani, qui ex lege Iunia inter amicos manumissi, mediū libertatis gradū consecutū adepti: ut ait Iustin. sub tit. de Libert. Pro quo sciendū, orāt olim in Latiū deduci solitas colonias, partim eorū q nomina dabāt, partim eorū qb. aqua & igni interdicebatur: auctore Cicerone in Orat. p Cæcinna, & p Domo sua: ubi hoc adscribit,

[redacted] bantur, cùm essent in eas ciuitates recepti, Romanam ciuitatē amisisse. Et hoc est, quod [redacted] Boëthius in Topica Ciceronis, Ista in Latinas colonias profectio ne mediam capitis diminutionem contingere. [redacted] inde eos neq; connubij, neq; testamenti [redacted] mancipij, aut nexus, aut patriæ potestatis ius, quod proprium erat ciuiū R. habuisse. Cùm enim [redacted] tas eis adimeretur, ea, quæ ciuitatis illius erant propria (ut hæc, quæ diximus) a-[redacted] ebant. [redacted] dicebantur Latini colonarij, itaq; ab Vlpiano cap. 19. appellantur. [redacted] næ caussa uincti sunt à domino, quibus ue stigia scripta [redacted] qui propter noxam torti, nocentes [redacted] inuenti sunt: [redacted] traditi sunt ut ferro, [redacted] custodiā coniecti fuerunt, [redacted] numissi sunt. Vlpian. cap. Instit. 1. Hotoman. de Verbis iuris.

Apud [redacted] libertatum triplices fuere species. [redacted] manumissi liberi simul [redacted] ex uindicta appel[redacted] testamento, [redacted] dosacra, aut ante consulem, ut inquit Caius: non-[redacted] fiebant liberi, quo genere [redacted] ciuitatem Romanam [redacted] enim soli ciues censerentur, si quis seruus iubente [redacted] censum relatus esset, & liber & [redacted] qui tamen census non ius ci-[redacted] confirmabat, sed indicabat eum, qui census fuisset, pro ciue [redacted] gessisse. Alex. lib. 4. c. 10.

Appij Cæci temporibus, & deinceps aliquamdiu, libertini dicebantur, non ipsi qui manumittebantur, sed ingenui ex his procreati: ut scribit Suetonius in Claudio. Quam differentiam obseruare Modestinus uidetur in l. 1. ff. de excusa. inter ἀπελευθέρους, & ἀπελευθερικούς. Hotom. de Verbis iuris.

Fuit antiqui moris Rom. ut qui ex seruitute in libertatem uocabatur, raso capite ad prætorem itaret, apud quē bis terq; caput percussus, uel per lictorem percuti iussus, uirgula, quæ uindicta dicta est, aut festuca in eum iacta, quum eum uertisset dominus, prætoris iussu e seruitute eximeretur, quique libertatem eo modo nactus fuerat, manumissus uindicta dicebatur (quo genere manumissionis, libertatem simul & ciuitatem Romanam assequebatur) scilicet à VINDICIO, Vitelliorum seu Aquiliorum seruo, cuius indicio detecta coniuratione de opprimendis consulibus, auctore T. Liuio & Plut. primus libertate & ciuitate donatus est. Raso enim capite, tam illi qui liberi fiebāt, quasi tempestatem effugissent, quàm qui bello capti seruitute exemti fuerant, incedere & triumphantis currum prosequi cōsueuere. Obseruatumq; fuit apud Seruium in lib. 8. Aen. ut in templo Feroniæ, libertorum deæ, tam serui quàm addicti ex compedibus & ergastulo, libertorum munia acciperent. Alex. lib. 4. c. 10.

Post captam urbem Romam, cùm sedatus esset Gallicus motus, res uerò publica esset ad tenue deducta: finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati, per Posthumium Liuium Fidenatium dictatorem à Senatu postularunt, ut si uellent reliquias ciuitatis suæ manere, matresfamiliās sibi & uirgines dederent. Cumq; patres essent in ancipiti deliberatione, ancilla Philotis pollicita est, se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram. Habituq; matrum familiās & uirginum sumto hostib. traditæ sunt. Quæ cùm à Liuio in castris distributæ fuissent, uiros plurimo uino prouocauerunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, Romanis signum dederunt. Qui repentina incursione hostes somno uinoque sepultos obtruncauerunt. Senatus autem Rom. beneficij memor, omnes ANCILLAS manu iussit emitti, dotemq; eò ex publico fecit: & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concessit. Macrob. lib. 1. c. 11. Polyb. lib. 8. & Plutar. in Romulo & Camillo.

Volsinienses, quum SERVOS suos omnes manumisissent, ab eis postea oppressi sunt.

M. Marcello & Val. Leuino Coss. bello Punico secūdo, Romæ incendiū noctu circa forum pluribus locis ortū, septem tabernas consumsit, & argentarias carpsit. Comprehensa inde & alia ædificia priuata. Aedes Vestæ uix defensa, tredecim SERVORVM opera: qui ob id meritum publicè redēti sunt, donatiq; libertate. Data est etiam libertas, cum uiginti millibus æris, MANNO, cuius indicio cōflati incendij auctores sunt ad consulem delati. Sabellicus lib. 4. En. 5.

T. Sempronius Gracchus bello Punico secundo circa Liternū castra habens, tyronem EXERCITVM assiduis exercebat excursionibus, assuefaciebatq; recursui, ut signa, ut ordines agnosceret, graui edicto militibus proposito, ne quis ueterem fortunam Volonum cuiquam ioco aut serio exprobraret (fuerant hi non multo antea ex seruis milites facti) quin ita persuasum haberēt omnes, satis honestos generososq; esse, quibus pop. Romanus sua arma & signa commisisset. Ad Beneuentum inde contra Hannonem castra habens, milites pro concione affatus, libertatem, de qua iam antea sibi potestas esset à patribus data, Volonibus proponit (pręcipua enim pars eius exercitus ex hoc militum genere constabat) fore edicit, ut quicunq; hostium caput sibi detulisset, continuò ille pro libero haberetur: accingerent itaq; se in crastinum, ut cum hoste acie dimicarent. Pugnatum est quatuor horis, fortuna neutrò inclinante: nec aliud Romanorum uictoriam morabatur, quàm quòd Volonum plurimi hostium capita altera gestabant manu, multo pluribus in hostili capite sibi libertatis cupiditate uindicando, quàm in uictoria indipiscenda occupatis. Gracchus confestim edixit, ut capita abiicerentur, & libertatem æquè omnes adeptam sperarent. Tum redintegrata pugna est. Stabat suo gradu innixus hostis, certus mori potius, quàm ut à seruis uinci pateretur. Tum Gracchus alta uoce inclamat, non esse, cur quisquam libertatem speraret, nisi uictor exercitus in castra rediisset. Ibi Volones renouato clamore tanta ui sunt in hostē euecti, ut sustineri amplius nequiuerint. Gracchus postero die militibus ad concionem uocatis, posteaquam optimè meritos militaribus præmiis donauit, ad Volones conuersus, etsi ad quatuor millia eorū erant, quæ segniùs pugnauerant, timerentq; potius supplicium, quàm præmium sperarent: Quod populo Romano & ipsis bene uerteret, omnes liberos esse iussit. Vnum adiecit Gracchus, uelle ac iubere se, quando publica fides persoluta esset omnibus, ut qui eo die minus strenuè dimicassent, iureiurando adigerentur, ne quamdiu stipendia facturi essent cibum nisi stantes caperent. Sab. lib. 3. En. 5.

Augustus Cæsar nauibus ex integro fabricatis, ac XX SERVORVM millibus manumissis, & ad remum datis, bellum Siculum incoatum diu traxit. Suetonius.

Labeo Antistius Cinna Iurecoss. doctrina & prudētia clarus, pater Labeonis, qui propter iuris ciuilis peritiam celebratur, cùm fossam in tabernaculo suo pro corporis sui magnitudine effodisset, mandataq. suis seruis de ceteris rebus dedisset: uxori & liberis, ut uoluit prospexit, literasque seruis ad eos dedit. Tum SERVVM fidelissimū dextra prehendit, eumq, circumegit, ut mos est Romanis manumittere, conuersoq; gladium tradidit, & iugulum præbuit. Illi itaq; tabernaculū pro sepulcro fuit. Appian. lib. ult. Bellorū ciuiliū.

P. TERENTIVS Afer, Comicorum Latinorum purissimus, Carthagine natus, libertus Romæ Terentij Lucani fuit: cumque esset egregia indole, à patrono eruditus est. Volaterr. lib. 20. Anthrop.

CORN. Epicadus, L. Corn. Syllæ libertus, calatorq; sacerdotio augurali, filio eius Fausto gratissimus fuit. Quare nunquam non utriusq; se libertum edidit. Librūm, quem Sylla nouissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse suppleuit. Sueton. cap. 11. de illust. Gram.

AVR. Opilius, Epicuri cuiusdam Rom. libertus, Philosophiam primò, deinde Rhetoricam, nouissimè Grammaticam docuit. Eius lucubrationes enumerat Suetonius capite quinto, de Illustribus grammat.

SERVIVS Nicanor, Marci libertus, primus ad famam docendiq; dignitatem peruenit: scripsitq; præter commentarios, satyram quoq;, ut testatur Suetonius de Illust. gram. cap. 4.

Q. CÆCILIVS Epirota, Tusculi natus, Attici Satrij equitis Romani libertus, primus dicitur latinè ex tempore disputasse, primusq; Vergilium & alios poetas nouos prælegere cœpisse. Refertur inter illustres Grāmaticos à Sueton. ca. 15.

VAL. CATO, Burseni cuiusdam libertus, ex Gallia, insignis grammaticus, & poeticæ præceptor. Suet. de Illust. gram.

VOLTACILIVS Plotus, rhetor Latinus, Pompeij Magni libertus, ludum Romæ aperuit. Eusebius.

VERRIVS Flaccus libertinus, docendi genere maximè claruit. Namq; ad exercenda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat, proposita nō solùm materia, quam scriberent, sed & præmio, quod uictor auferret. Quare ab Augusto quoq; nepotibus eius præceptor electus est. Docuit deinde in atrio Catilinæ, ubi sestertia centena in annum accepit. Suetonius cap. 16.

LAVREA Tullius, Ciceronis libertus, cuius de balneis epigramma legitur apud Plinium.

TIRO Tullius, M. Tullij Ciceronis libertus, tribus uoluminibus eius uitam descripsit. Pedianus.

L. CRASSITIVS, genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasides, mox Pausam se cognominauit, uersatus est circa scenicam, dum mimographos adiuuat. Deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito inclaresceret. Suet.

ATTEIVS, Atteij Capitonis libertus, scripsit libros Philologiæ: quem postea Tiro Tullius, Plinius, Macrobius, Capella, Boëtius, Latinorumq; alij sunt imitati: ex Græcis uerò Athenæus, Pausanias, Aelianus. Volaterr. lib. 24. Anthrop.

EVTYCHVS libertus & auriga Agrippæ, cùm aliquando Agrippam audiret precantem Tiberio Imp. ut quamprimum principatus locum Caio nepoti, qui secum in lectica

uehebatur,tanquam digniori cederet:uoces istas, ob furtū uestis Capreis detentus, Tiberio recensuit. Vnde statim Agrippam in uincula duci iussit,ut uix & demum post mortē Tiberij solutus fuerit à Caio.Ioseph.lib.18.c.8.Antiq.

P.CATIENVS Philotimus, libertus, hæres omnibus bonis institutus,coniecit se in rogum patroni. Plin.lib.7.

TYRANNION iunior Amysenus, Estiæi Amyseni grammatici discipulus, à Lucullo e Phœnicia captiuus Romam ductus,à quodam Diamante Cæsaris liberto emtus: deinde dono datus Terentiæ Ciceronis, ab eaq; liber factus, ludū Romæ aperuit,teste Suida:Volat.lib.20:Anthrop.

PVER formosus captiuus & uenalis Brundusij cum aliis quibusdam à uenalitiis (siue quòd portitorum libidinem uerebantur, siue hoc animo, ut publica non soluerent pro eo, quem sciebant à publicanis magno æstimatum iri)bulla ornatus, & toga prætexta indutus, ubi Romam uenit, petitus est in libertatem, quia domini uoluntate in libertate fuisset. Suetonius de Rhetoribus & Quintilianus declamat.340.

C.MELISSVS Spoletinus grammaticus, muneri datus Mœcenati,ac manumissus ab eo.Tranquillus de Illust.Gram.

L.TABERIVS Heros emtus de catasta, propter literarum studium manumissus ab hero, docuit inter cæteros Brutum & Cassium. Quem tanta honestate prȩditum dicunt,ut temporibus Syllanis proscriptorum liberos gratis & sine mercede in disciplinam receperit.Tranquil.de Illust.Gram.c.12. Alij Hieram uocant.

SCRIBONIVS Aphrodisius, Orbilij seruus,propter insignē eruditionem,qua præditus erat, à Scribonia Libonis filia, quæ priùs Augusti uxor fuerat, redemtus & manumissus est.Tranquillus cap.18.Docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libros de Orthographia rescripsit, nō sine insectatione studiorum,eiusq; morum.

NARCISSVS,Claudij Cæsaris libertus, Messalinæ instinctu finxit se somniasse,Appium Syluanum (quem ob denegatū concubitum Messalina persequebatur odio) Cæsaris interfectorem fore.Eo figmento Appius ab Imp. occisus fertur. Xiphil.in Claudio. Eiusdem liberti PALLAS & CALLISTVS ad maximas opes peruenerunt. Pallas enim uicies quinquies centenis millibus diues fuisse à Plinio refertur lib.33.cap.10.

IDA Decij Mundi liberta; quæ Paulinam Saturnini Rom. patricij matronam pudicissimam Mundo conciliauit, prætextu nuptiarū sacerdotis Anubidis. Iosephus lib.18.Antiq.

PHAON,Neronis Imp.libertus,cū eo desperatis omnib.reb9 aufugit,eiq; suasit,ut in spelūcæ harenas se conderet. Suet.

Vespasianus constitutione cauit, ut si SERVA mulier hac lege uænirer, ne prostitueretur: si contra legem uenditionis prostituta forer, ut esset libera, prostituensq; ius patronatus non haberet.Alex.lib.4.cap.22.

Posteaquā tyrannides grassari cœperunt, SERVORVM libertas augeri uisa est, ac dominorū imminui potestas:maximè Tiberij temporibus,qui statuā seruis asylum proposuit, ut apud Ephesios Dianæ templum, apud Atheniensses Thesei sepulcrū,apud Cyrenenses statua Ptolemȩi.Postea necis potestas dominis est erepta,temporibus Adriani,ac tyrannide premente serui à dominis cœperunt metui,ne illos apud tyrannum maiestatis incusarent. [redacted]

TVRCI prudentiores,seruos ut retineant, pacto & termino seruitij statuto,iudici ordinario illius loci præsentant,acceptaq; syngrapha de libertate assequenda securos reddunt. Exacto tempore seruitutis, iudex Imperiali auctoritate donat libertatem literis publicis. Tum licebat olim patriam petere. Nunc non licet, etiam assequuta libertate, sed liberum est in Turcia quęcunq; negotia obire:quando quidem in itineribus impediuntur edicto regis, ne patriam petant. [redacted]

Solymannus Turcarum Imp.ex duab. seruis Circassa & Rossa aliquot liberos procrearat. ROSSA suis liberis imperium astruere cupiens, mirabili dolo usa est. Mupletum sacrorū principem apud Mahometanos certiorem facit, constituisse se in honorem Dei & Mahometi propherę templum cum xenodochio extruere: dubitare, an Deo gratū hoc ipso factura esset.Respondit ille,Gratum quidem id fore Deo, nō tamen in Rossæ,sed in Solymanni,cuius sumtu ipsa utpote serua ædificaret,salutem cessurum.Astuta mulier suam sortem detestari,cibo potuq; abstinere, æternas pœnas metuere cœpit. Solymannus cùm amore incredibili eam prosequeretur,diplomate misso liberam esse uoluit,iussit. Illa templum ædificat,& Solymannum ad se,ut antè,commeare cupientem,libertatis obiecto priuilegio deterret.Turcis enim cum serua licet, cum libera extra coniugium rem habere, piaculare est.Amore eius ardens Imp.contra morem Othomannorum principum, eam sibi matrimonio iunxit, quinque aureorum ducatorum millibus annuis dotis nomine assignatis.Ascanius Centorius lib.6. com.bellorum Transyluaniæ.

LIBERTAS CONSIDERATA RESPECTV AGENTIS SEV LIBERANTIS.

QVI LIBERTATIS AVCTORES.

☞ *Libertas cùm diuerso respectu considerari possit, idem exemplum ad diuersos titulos reduci potest. Proinde ex præcedentibus titulus iste illustrari potest atq; debet. In illis Libertas materaliter & formaliter, hic uero secundùm auctores suos perpenditur.*

PROPRIA LIBERATI INDVSTRIA:

☞ *Consule Titulum, Prudentiæ & Astutiæ in libertate comparanda.*

Benadadus Syriæ rex magnam manum equitum miserat, qui ELISÆVM prophetam Dothane comprehenderent: eum enim omnia sua secreta consilia Israelitarum regi indicare sciebat. Mane Elisæus per medios hostes egressus, ut se sequerentur iussit,cæcitateq; illis incussa,in mediam duxit Samariam. Ioramo autem rege eos tanquam hostes uincere & interficere uolente, prohibuit, utq; eos conuiuio exceptos dimitteret imperauit. Libro 4.Regum,cap.6.

Tempestate iactatus Agamemnon, delatus est in Cretam, ingressusq; Polyrrhenen (nam id est Cretæ insulæ oppidum, ab ouium copia sic appellatum,auctore Stephano) rem diuinam fecit. Interea uerò CAPTIVI conscensis nauibus aufugerunt. Quæ res cùm illi renunciaretur,fertur dimidiatum & imperfectum sacrificium, & iam incensam uictimā reliquisse, curriculoq; ad maris litus properasse, perturbatus maiorem in modum, animoq; consternatus. Ibi uix unam reperisse nauem reliquam, qua deuectus est, multum imprecatus malorum eius insulæ cultoribus: Vnde si qua res per tumultum ac turbulentè fieret, κρητικὴ θυσία,id est, Cretense sacrum uocabant.Erasmus, ex Zenodoto.

MOSCHORVM principatus amplus ille quidē,uerùm Tartaris,qui trans Rha siue Volgam fluuiū incolunt,obnoxius ac tributarius usqueadeò fuit, ut legatis Tartaricis, atq; etiam ueredariis tributū petentibus, uel alia quauis de caussa uenientibus,cùm equis ueherētur, dux ipse pedester obuiam prodiret, & lactis equini (qui potus est Tartaris gratissimus)poculū uenerabundus porrigeret: si qua gutta inde in iubam equi destillasset, eam lamberet:interpreti legēti literas Imperatoris selectam uestem sabellinam substerneret:ipse cum proceribus eas legi auditurus,genua flecteret: nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellū cōtra Christianos fœderatos, aut necessarios suscipere iussus esset. Hanc tam duram seruitutem IOANNES dux circa annum Christi 1478. uir magni animi & acer cùm ferre non posset,uxore Græca magis etiam hominem incitante, summis armis excussit: finitimos etiam Russorum principes consanguineos suos astu magis quàm armis subiugauit. Cromerus lib.29.

ALIENA OPE LIBERATI. A

Deo.

☞ *Vide Tit. A condemnatione & carceribus liberati.*

AVCTOR Metensis episcopus captiuus abductus est:sed Hūnis cæcitate percussis, cum captiuis suæ urbis liberatus est. Sigebertus in Chronicis.

Regibus.

Nero uniuersæ ACHAIÆ libertatem dedit, Græciamq; liberam dimisit, & nationes Alpium maritimas in ius Latij transtulit.Alex.lib.4.c.10.

Ducibus.

T.QVINCTIVS Flaminius superato pugna Philippo rege Macedonum, Isthmiis per præconem pronunciauit,iubere Græcos liberos esse & immunes suis legibus. Quotquot ciues Romani bello Punico capti in Gręcia seruiebāt, hos in capita drachmis quingentis redemtos ei dono dedere. Qui manumissorum more pileati currum secuti sunt triumphantis.Plut.in Apophthegmatibus.

Oratoribus.

Alexander Macedo,Thebis expugnatis,ab Atheniensib. Thebanorū sociis,extemplò depoposcit per legatos ex oratoribus octo hosce:Demosthenem,Polyeuctum,Ephialtem,Lycurgum,Miroclem,Damonem,Callisthenem, Charidemū, qui Græcos denuò ad bellum inflammarant. Ibi fabulam Demosthenes recensuit de ouibus, quemadmodum lupis canes dedidissent: qua se sociosq; canibus assimilauit pro populo propugnantibus,atq; Alexandrū Macedonē unicū lupum appellauit. Adiecit etiam, Vt mercatores uidemus, cùm in patella circumferunt specimen,per grana tritici pauca magnum distrahentes numerū:ita unà nobiscū uos omnes nec opinantes ipsi proditis. Consultantibus Atheniensibus, æq; expedientibus,DEMADES quinq; talentorum ab illis mercede accepta, legatū obtulit se iturum & deprecatorem pro iis ad regem,siue amicitia eius fretus,siue sperans expletum se reperturum uelut leonem cruore exatiatum. Induxit regem, eripuitque illos Demades, ac reduxit cum eo in gratiam ciuitatem.Plut.in Demosthene.

Inimicis.

Demetrius Poliorcetes classe Ptolemæi regis superata,eorum qui ceciderant corpora magnificè sepeliri, CAPTIVOS autem omnes liberos abire iussit.Plutarchus in eius uita.

Tiberius Gracchus,Trib.pl.L.SCIPIONEM Asiaticū, superioris Africani fratrē,peculatus accusatum & damnatum,à duro carceris supplicio liberauit,quamuis hactenus Corneliorum gentis acerrimus inimicus fuisset.Plut.in Tiberio.

FILIVS P. Scipionis Africani iam inde ab initio belli Asiatici à Chalcide Oricum petens exploratum cōsilia hostium,captus fuit ab Antiochō rege Asiæ,& ab eodem ad patrē Eleę ægrotantem remissus. Ea indulgentia regis gratissima (ut par erat) Africano fuit, uisusq; ex longo interuallo adolescens, animū eius sollicitum & corpus ægrum magnopere recreauit.Verùm P.Scipio ut aliquod grati animi indicium prę se ferret, per legatos, qui ad eum uenerant,amplissimas gratias Antiocho egit pro filio ad se remisso: deinde eum monuit, ne prius in aciem descenderet, quàm se ab Elea in castra reuersum sciret. Auctor uitæ Scipionis.

Mulieribus.

SIGISMVNDVS Vngariæ rex,post Nicopolitanam cladem à Turcis acceptam,funestis suorum odiis petitus, & à proceribus,sub officij prætextu eum adeuntibus,captus, Nicolai Garæ Palatini, Sigismundo olim eiusq; uxori Mariæ fidissimi, filiis commissus fuit. Horum mater,uices regis miserata,cum iis de liberatione egit. Dataq; acceptaq; fide, Sigismūdus illis Morauiæ dominatū pollicetur. E' sententia omnib.confectis,Sigismundus in Morauiam primò, deinde in Boëmiam peruenit, & coniuratos oppressit. Bonfinius lib.2.Decadis 3.

QVOMODO. LIBERTATIS INstrumenta. Liberati

PRECIB. INTERCESSIONE, APVD

Deum.

☞ *Ex Tit. E' carceribus liberati, huc quædam.*

Quadi,Vādali,Sarmatæ & Germani exercitū ROM. M.Antonini Imp.locis aridis penè incluserant, ut siti uel perire,uel iniquissimas pacis cōditiones admittere cogeretur. Aiūt tū Christianam legionē,genib.flexis diuinū auxiliū implorasse, & insperato imbre castra propemodū æstu situq; enecta refecisse. Quæ quidē caussa fuit cur Imp.in posterū Christianis ęgor fuerit. Tertullianus in Apologetico. Gētiles quoq; miraculi huius mentionē faciunt, sed in Iulianū Chaldæū, alij in Arnuphin Aegyptium magum referunt. Claudianus pietati & religioni Imperatoris Marci tribuit. Vsq; adeò uersutus & uafer est dæmon in diuinis beneficiis uel obscurandis,uel peruertendis. Eusebius lib.5.cap.5.& Suidas.

Homines.

Abdemelechus Aethiops, cùm HIEREMIAS propheta missus esset in lacum leonum, in quo nō erat aqua, sed lutum, impetrauit à rege Sedecia,ut extraheretur.Hierem.38.

Pekah,Israelitarū rex,magna strage Achazum Iudæorum regem uicerat,cęsis 120 millibus,& ducenta millia captiuorū PVERORVM atq; MVLIERVM abduxerat. Monitu tamen Obedi prophetæ captiui incolumes domum sunt remissi.2.Paralip.27.& Iosephus lib.9.Antiquit.cap.13.

Cùm Aidoneus Molossus Herculè hospitio accepisset, & sermonem forte intulisset de Theseo & Pirithoo,quę suscepissent facinora,& detecti cùm fuissent,quid essent passi: tulit grauiter Hercules alterius turpem exitum, & alterius periculum. Ac de Pirithoo quidem non putauit operæprecium se facturum expostulando,uerùm hoc postulauit beneficij, ut concederet sibi Thesea. Annuente Aidoneo, liberatus THESEVS uinculis,Athenas est regressus, nondum prorsus amicis eius oppressis. Ac quæcunq; delubra antè sibi fuerant à ciuitate assignata, cuncta Herculi, quatuor demtis, sacrauit,dixitq; pro Theseis Heraclea, ut auctor Philochorus est apud Plutarchum in Theseo.

PRECIO, REDEMTIONE, LIBERtas redemta

Publica. Pax redemta ab hoste.

ARTAXERXES rex,postquā obtenta p Pharnabazū & Conona Atheniēsem apud Gnidum nauali uictoria,maritimo imperio exuit Lacedęmonios, cōuertit ad se penè totā Gręciā,adeò ut celebrē illā pacē Græcis, quæ appellata est Antalcidia,quibus uellet cōditionibus daret. Fuit Antalcidas Spartiates,Leontis filius.Hic regis studiosus effecit,ut ei urbes Græcas & insulas,quæ cōtribuuntur Asiæ, permitterēt Lacedæmonij pace cū Græcis facta uectigales possidere: si probrū Græciæ & proditio pax appellanda est,qua bellum nullum tœdiorem uictis attulit exitum.Plut.in Artaxerxe.

ROMANI in Capitolio obsessi, & longa inedia cōfecti,quū infirma corpora armorum pondere obtuerētur,nec auxilia alicunde adesse cernerēt,uel redimi, uel dedi se quacūq; pactione decreuere:nam & Galli iactabāt interdū, fieri posse, ut tolerabili mercede obsidionē soluerent. Tum Tribunis militum à senatu datū est negocium,ut cum hoste rē suo arbitrio transigerent. Colloquio inde inter Brennum regulū & P.Sulpitium Tribunum militum habito, ita inter se pacti sunt, ut mille pondo auri se populus Romanus redimeret, Brēnus urbe & Romano agro decederet cū exercitu. Fama est præsenti indignitati aliam Gallos adiecisse, iniquis ponderibus in medium prolatis,Sulpitioq; ea recusante,superadditum his gladium, auditamq; intolerandam Romanis uocē,Væ uictis:sed cœlesti prouidentia factū,ut Romanum nomē ea perpetui dedecoris nota non sit inustum, ut gens quæ latè erat imperatura,auro seruiliter redimeretur. Nam dum per altercationem tempus teritur, priusquam aurum sit appensum,Camillus dictator affuit: tum auro eius iussu è medio sublato, ut Galli se ad prælium expediant, edicitur.Inde inter semiruta tecta, ut locus quisque erat ad pugnandum utilis, acie disposita, cum irato hoste confligit. Hic haud maiore momento,quàm ad Alliam uicerant, Galli prælio uicti sunt. Vrbe inde egressi,Gabina uia ad octauum lapidem atrociore sunt pugna afflicti. Castra capta,cędes adeò omnia obtinuit,ut ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit.Sab.lib.1.Enneadis 4.

Iuliano mortuo,IOVIANVS Imp.electus,dum exercitum fame pressum ex Persis reducere conatur,icit fœdus non sine calamitate Romani imperij, ut quinq; prouinciæ Transtigritanæ,quas uictus Galerius Maximianus acceperat,restituerentur,cum iis Singara & Nisibis clarissimæ urbes, ac castra Maurorum,& pars Mesopotamiæ,sola Ctesiphonte seruata. Cùm aliò ciues ex iis urbibus iussi essent migrare, abeis eiulantibus passim maledictis Imp.lacerabatur.Et sic fines ueteres imperij, inuitis Romanis, non sine dispendio innouati sunt. Quibus exitiale aliud accessit, & magis impium. Vetitus est pop.Rom.Arsaci regi Armeniæ fido ac amico auxilium contra Persas ferre, ad quod nunquam antea coactus est.Illud autem fiebat,ut minis Arsaces caperetur illis, & Parthi facilius latus Medorum raperent, & inde Armeniam inuaderent. Visa tunc est libertas uictricium armorum corruisse. Sic ictum est ignobile fœdus ad annos XXX.& religioso ritu utriusq; gentis firmatum: nobilesq; insuper dati tribuni obsides.Cuspinianus.

Aduersus Persas NICEPHORVS Imp.ignauus turpi nefarioq; fœdere sibi prospexit,pro incolumitate imperij triginta millia numûm aureorum, pro salute capitis sui tria millia, in singulos annos paciscens, oblatis insuper multis & magnis muneribus.Cuspinianus.

ANASTASIVS Imp. Manichæus Vitalianum Thracem, qui sex annis militiæ præfuerat, Constantinopolim obsidentem, nongentis auri pondo pacauit.

Cùm Henricus Germanorum Imp. ALEXIVM Angelũ Comnenum Imperat. Constantinopolitanum ob Siciliæ regnũ bello peteret, tributumq; exigeret, Alexius, cùm subditi ac sacerdotes sacrum argentum denegarent, maiorum sepulcra omni precioso ornatu ad centenarios argenti & auri septuaginta spollauit, pacem redemturus. Nicetas.

CAROLVS Caluus Francorum rex, anno 869. quum Normãni regno eius intolerabiles imminerent, quater mille auri talenta depactus est, ut incendiis, prædis & cædibus abstinerent. Indictũ tributum, de quoq; manso ingenui denarij sex, de seruili tres, de accolis unus, de duobus hospitio receptis unus: & decima de mercib. negotiatorũ: sed & de presbyteris & principib. regni exactum. Inde uerò de singulis mansis, tam ingenuo quàm seruili, denarius unus. Et quum neq; sic summa conficeretur, duplicatum tributum. In argẽto, auro, & uino constitutũ. Mancipia insuper à Normãnis capta, quæ profugerant, aut reddita, aut redemta. Et si quis ex Normannis cæsus esset, magno ære luebatur. Cranzius lib.2. Noruegiæ c.6. Sub Carolomanno XII. millia argenti talenta pacti, abituros se pollicebantur, datis inuicem obsidibus. Trans Scaldim profecti, urbes, oppida, castella, monasteria, ecclesias magna calamitate affixerunt. Itaq; post Pascha Franci ut æra promissa persoluerent, ecclesias & ecclesiastica mancipia spoliarunt. Idem c.11.

Quum Ludouicus Germaniæ rex concilium procerũ in urbe Mediomatricum ageret, SIGFRIDVS & HALBDANVS fratres, reges Cimbrorum, magnum auri pondus, & argenti puri putiq;, ensesq; regi Germaniæ donarunt, supplices pacem & amicitiam petentes, & se in tutelam Ludouici cõmendantes. Aurum & argentum ex composito in solũ abiectum, pedibus commeantium remeantiumq; passim conculcatum. Rex ensem in manus acceptum, dum mucronem capulo admouere conatur, rumpit. Mox alium Danus porrigit, quem, quòd mollius ferrum erat, intendit, & sine noxa remittit. Tũ Cimbri, Faxit Deus (inquiunt) ut & nostris regibus magis ferrũ, quàm aurũ cordi sit. Inde fœdere percusso pax facta utrinq; est. Auentinus lib.4. Annalium Boiorum.

A Toxi Vngarorum rege ALBERTVS Berengarij III. Italiæ regis F. & precibus & decem argenteorum numorum modiis Italiæ excidium redemit. Bonfinius lib.10. Dec.1.

Priuata. Priuati ab hostibus redemti.

☞ *Consule Tit. Liberalitatis in redimendis captiuis.*

Podarces Laomedontis F. euersa Troia ab Hercule, captus à Telamone, & muliebri mundo redemtus ab Hesione sorore, liberatus fuit. Hesione ipsa in Græciam cum Telamone abiit. Itaq; ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, PRIAMI nomen in posterum obtinuit. Eustathius in Iliada.

Vrbs est in Phrygia, quam Antandron nominãt, in qua regnũ tenuisse ASCANIVM proditur, & sic nominatã, quòd cùm esset à Pelasgis captus, ea se redemit: ideo Antandrus, quasi ἀντὶ ἀνδρὸς, hoc est, pro Ascanio. At Dionysius Ascaniũ scribit, cùm in ea regione imperasset, reductis ab Heleno Hectoris filiis in Ilium, eò reuersum fuisse, expulsis Antenoris liberis, quos ibi Agamemnon discedens præfecerat. L. Viues in lib.18. Aug. de ciuit. Dei, c.19.

Lacedæmonij redimi patiebantur HOSTIVM singulos binis minis. Herodotus lib.6.

Inter Rhodios & Demetrium Polioreetem urbem obsidẽtem conuenerat, ut inter sese precium liberationis darent, pro LIBERO homine mille drachmas, pro SERVO quingentas. Diodorus lib.20.

Q. TER. Culeo, senator Romanus, captus à Carthaginẽsibus, redemtus est ab Africano maiore, ac currum eius cum pileo capiti imposito secutus. Liu. lib.10. de secũdo bello Punico.

T. Quintium Flaminium in triumpho subsequuti sunt pileati omnes ROMANI, quos in bello captos, & apud Græcos seruientes, drachmis quingẽtis singulos redemtos ipsi dono dederant. Cuius meminit T. Liuius lib.4. de bello Macedonico. Erasmus in Adagiis.

Tempore Andronici iunioris Imp. Scythica quædam mulier Christiana celebs, QVENDAM è Thraciis captiuis, quem ante suas fores traduci uidebat, emit, eiq; nupsit. Exacto autem anno, quum iam duos ex eo liberos suscepisset, prior mariti VXOR captiua adducitur. qua ille conspecta, illacrymauit. Scythissa lacrymarum causa intellecta, mulierem emit, ut & domestica munia obiret, & sui præsentia dolorem marito mitigaret. Gregoras lib.10.

ALEXIS Angelus à Turcis captus, & à fratre Isaacio magni auri pondere liberatus est. Volat. lib.23. Anthrop.

TEMPLARII milites ut aut uincere aut mori in bellis cõtra Saracenos discerẽt, si fortè caperẽtur, solo cingulo & cultello redimebãtur. Itaq; cùm Saladinus pro redẽtione sui nepotis magistrũ tẽpli Christianis offerret, grauiter magister ille contradixit, Nõ, inquiens, esse cõsuetudinis militũ templi, ut aliqua redemtio daretur pro eis, prẽter cingulũ & cultellũ. Et ita in uinculis mortuus est. Sigeberti continuator.

Balachus Turcicus princeps Antiochenos depopulatus, IOSCELINVM Edessæ comitẽ & ducẽ Galeramũ captos carceri tradidit. BALDVINVS rex Hierosolymorũ, q afflictis auxilio uenerat, cùm nocte quadã, paucis eũ comitãtibus, loca illa plustraret, ab hoste intercipitur, & eodẽ cũ Ioscelino & Galeramo carcere in quadam arce concluditur. Quinquaginta Armenij uiri fortes & audaces, monastico habitu induti, arcem illam accedunt, & in præfecti conspectum, de graui sibi illata iniuria questuri, se admitti petunt. Voti cõpotes facti, sicis, quas sub uestibus occultarant, præsidiarios milites trucidant, uinctosq; liberant. Ioscelinus, ut copias in subsidium cogat & adducat, emittitur. Vicini Turcę ad arcẽ accurrunt, regem cum cæteris exitu prohibent. Balachus eadẽ nocte somnio, quo à Ioscelino oculos ex[illegible] sibi uisus fuerat, exterritus, mox capite plecti missis nunciis eundem iubet. Sed cùm rei gestæ ueritatem ex iis redeuntibus cognouisset, subitò exercitum conscribit, arcemq; oppugnat, & eosdem ad deditionem cogit. Regi quidem & Galeramo uita donatur, sed sicarij illi uariis tormentorum generibus interemti sunt. Non multò pòst Balachus à Ioscelino in acie incognitus occisus caput amisit, anno sal. 1124. Capta postmodum Tyro urbe, Balduinus rex centum millibus Michaelitarũ redemtus est, postquam menses decem & octo regno exutus fuisset. Tyrius.

OTHO Longus Brandeburgensis Marchio Venceslaũ IIII. Boëmorum regem, cui octenni tutor datus fuerat à Rodolfo I. Cæsare, secum consensu Boëmorum Brandeburgum abduxerat, certum tempus pactus, quo illum restitueret. Iã XV annum Venceslaus attigerat, cùm eum Boëmi repetiit. Is pupillum sistere noluit, nisi sexagies mille aureũm Boëmi repræsentarent, sumtus nomine. Conuenit inter omnes, ut quodcumq; pecuniæ contrahere quisq; ualeret, quamprimum contraheret, ac pro reliquo debito arces nonnullæ regiæ Marchioni oppignerarentur. Dubrauius lib.18.

Anno Domini MCCXII. RICARDVS Angliæ rex Hierosolyma soluens, quòd accepisset, Francorũ regem Normanniã uexare, & Ioannẽ fratrem ad regnũ Anglię aspirare, in itinere à duce Austriæ Leopoldo captus, ac multo auro redẽtus est: quo (ut aliqui tradunt) Noua ciuitas, aut (ut Cuspinianus opinatur) Vienna, est muro munita. Traditus est tandẽ Imperatori Henrico VI. qui eum, quòd turpi conditione Hierosolymis pacem cum Saladino fecisset, centum millibus marcarum auri puniit. Quibus nouas copias instruxit, & illis Apuliam debellauit, Salernum armata manu expugnauit, Calabriam deuicit, omnem Siciliam subegit: & paruo negotio Neapoli capta, citra & ultra Pharum regnum accepit. Cuspinianus, & Polydorus lib.14.

CAROLVS Aurelianensium dux, ab Anglis, apud quos captiuus per annos XXV fuerat, quatuor centenis aureorum millibus datis, postliminiò dimissus, ad sua demum remissus est. Ritius Neap. lib.3. Francorum regum.

IOANNES dux Burgundiæ CC millibus aureorum se redemit à Turcis, captus ad Nicopolim. Aemilius li.10. & Bonfinius lib.2. c.2.

GVLIELMVS Scotorum rex ab Henrico II. Anglorum rege captus, pro liberatione centũ millia librarũ Sterlingarũ persoluit: partẽq; unam præsentẽ, pro reliqua pignori Cũbriã Hũndintoniãq; ac Northumbriam dedit. H. Boethius lib.13.

DAVID Brusius Scotorum rex ab Eduardo III. Anglorũ rege captus, undecimo pòst anno, numeratis quingẽtis millibus marcarum Sterlingarum, præsenti pecunia redemtus est, tantundem pollicens sese per pensiones daturum, datis in fidem obsidibus: qui penè omnes in Anglia peste absumti sunt. H. Boethius lib.15.

IACOBVM I. Scotorum regni heredem, à Roberto III. patre ad Henricum IV. Anglorum regem ueluti ad protectorem missum, Angli captum per 18. annos detinuerunt. Tandem soluta centum millium marcarum Sterlingarum, parte una præsenti pecunia, pro altera datis obsidibus, liberũ abire permiserunt, factis induciis. H. Boethius lib.17.

ERICVS inferioris Saxoniæ dux captus à Sundensibus, quos obsederat, pro redemtione fertur exoluisse argẽti puri marcas sedecim millia. Cranzius lib.8 Vandaliæ, c.5.

ISIDORVS Ruthenus archiepiscopus cardinalis, in Cõstantinopolitano excidio captus à Turcis, & incognitus, CCC Aspris redemtus, per uarios casus Romam rediit, ubi uitã finiit sub Pio II. Garimbertus lib.4. de uitis Pontificum.

PERMVTATIONE.

Cùm Gensericus Vandalorum rex, Roma direpta, totam Campaniam miserabiliter uastaret, PAVLINVS Episcopus Nolanæ ecclesiæ, uir sanctissimus, & eloquentissimus, profanaq; eruditione in primis doctus, nec prophetici spiritus expers, quum redimendis Christianis captiuis censum omnem consumsisset, uideretq; uiduam captiuum filium afflictum lugentem, & lamentantem, tamq; immodicas lacrymas, pietati admixtas, multò magis pius ipse ferre non posset, cum uidua in Aphricam, ubi captiuus erat filius, traiecit, ibi uicariis manibus redemtum filium matri reddidit. Tandem, quum eius sanctitas etiam barbarissimis esset hominibus uenerabilis reddita, iussus est in patriam cum suis omnibus ciuibus dono acceptis redire. Gregorius lib. Dialog.3. & Paulus Diaconus.

FRANCISCVS I. Gallorũ rex ad Papiam captus à Carolo V. Imp. & in Hispaniam abductus, certis conditionibus dimissus est, affinitate etiã cum Carolo inita, sorore eius Leonora in uxorem ducta. Cautum quoq;, ut qua hora rex dimitteretur, eius maximus natu F. & prẽter ipsum Aurelianẽsium dux, regis secundus, aut XII. Galliæ principes, quos Cæsar nominasset, obsides darentur. Proinde decimaoctaua Martij die, anno 1526. Franciscus rex, prorege Carolo Lanoio & Alarcone, ac circiter quinquaginta equitib⁹ ipsum comitantibus, Fonterabia urbe ad eius fluminis, qui Galliã ab Hispania diuidit, ripam uenit. Eodem tempore Lautrechius Baiona egressus, cum duobus paruulis & pari equitũ numero in opposita ripa constitit. In amnis medio erat magna nauis ancoris firmata, in qua nemo erat. Ad hanc nauẽ rex scapha, in qua Lanoius, Alarconius & octo alij, omnes breuibus telis armati erant, accessit: & ad alterum nauis latus scapha itidem Lautrechius cum obsidibus & octo aliis eodem modo armatis se contulit. Deinde Lanoius, cũ omnibus suis & rege unà eam nauim conscendit: idem illicò Lautrechius cum octo sociis, ita ut in naui par utrinq; numerus esset, fecit. Erant enim cum Lanoio, Alarco & octo alij: cum rege Lautrechius, & item octo alij. Qui ubi omnes nauim conscendissent, Lautrechius Delphinum ex scapha in nauim transtulit: qui Lanoio, ab hoc Alarconio traditus, illicò in ipsorum scapham imponitur. Eodemq; momento paruus Aurelianus in nauim transferebatur. Qui uix in naui fuit, cùm rex è naui in suam scapham prosilit: tanta celeritate, ut ea permutatio puncto temporis facta fuerit: atq; ad ripam uectus, statim quasi insidias aliquas pertimesceret, Thracium equum miræ pernicitatis ad hoc paratum cõscendit: & nusquam subsistens, ad sanctum Ioannem Lusium usq;, imperij sui oppidum, quatuor Gallicis miliaribus inde remotũ, peruolauit: ibiq; citissimè refectis uiribus, eadẽ celeritate Baionam contendit: ubi incredibili totius aulæ lætitia fuit exceptus. Guicciardinus lib.16. Historiarum.

VI APERTA.

☞ *Consule Tit. Fortitudinis in liberandis aliis. illic Agentis & Liberantis, hîc Patientis seu Liberati habetur ratio.*

LOTHVS nepos Abrahæ, à prædonibus abductus, ab eodẽ liberatus est mira celeritate. Genes.14.

Dauidis uxores duæ ACHINOAMA Iezraelensis, & ABIGAIL ab Amalechitis in Sicelego captæ fuerunt & abductę. Paulo pòst tamen à Dauide incredibili celeritate hostes consectante receptæ. 1. Reg.10.

Q. MINVTIVS consul contra Volscos & Sabinos bellum gerens, ab eis in Algido obsessus, à L. Q. Cincinnato dictatore liberatus. Quare à Minutio & ab eius exercitu corona obsidionali donatus est. Liuius.

M. Calphurnius tribunus militum, L. ATTILIVM Collatinũ consulem, iniquo loco à Pœnis circumsessum, sua uirtute & opera, trucidatis hostibus, liberauit. Liuius lib.19.

Anno 1381. Magnus Moscouiæ Dux Liuonensium castrũ Nenhuis in prouincia Derptensi acerrimè oppugnabat: cui oppugnationi ipsemet cum 300000. armatorũ intererat. Præfectus arcis, nocte Veneris diem antecedente, insomnis ante aram prostratus, flagranti corde orabat, ut Deus in tam deplorato rerum statu sibi suisq; adesset. Mane facto è precibus exurgens, arcuq; arrepto, telum è fenestra propugnaculi in medium exercitum Moscouiticum iaculatus, fauente numine, ipsius Magni Principis cor trãsfixit. Liuones ex arce sese proripientes, hostes fugientes persequuti, arcũ ad perpetuam rei memoriam Deo dicatũ, in Basilica arcis ad altare appenderũt. Guagninus in descriptione Liuoniæ.

MINIS.

Apameensis EPISCOPVS à Bonifacio III. Pp. ad Philippũ regem Francorum missus sacræ expeditionis persuadendæ causa, cùm nihil precibus impetraret, minas addidit. Eum rex iratus in carcerẽ coniecit. Sed minis anathematis à Narbonẽse archidiacono intẽtatis episcopũ liberauit. Platina.

Victo Antiocho per L. Scipionẽ, Q. Fabius prætor, classis præfectus, ne otiosam ageret prouinciam, in Cretam bellum transtulit. Etenim multi Romanorum in ea insula iampridẽ seruitutem seruiebant. Vbi classis eò est appulsa, edictũ fuit prætoris nomine, ut CAPTIVI passim conquisiti ad se cũ legatis mitterentur, quibus cum de rebus ad Romanos & Cretenses pertinentibus ageret. Valerius Antias annalium scriptor, quatuor captiuorum millia ab insulanis, minacissimum à Romanis bellum ueritis, Fabio restituta tradidit. Quæ popularis prouincia effecit, ut Fabio Romam reuerso naualis sit triumphus decretus. Sabell. lib.7. Enneadis 5.

Bello, quod Ludouicus XII. & Maximilianus I. contra Venetos gessere, captus est ad Scalam FRANCISCVS Gonzaga Mantuanus marchio ab Epiroticis equitibus Venetorũ, in saginæ agro latens, ab agricola proditus, & Venetiis in tetrum carcerem coniectus. Iam cùm suspicio esset, ne Veneti in sempiterna custodia eum essent retenturi, multis remediis frustrà tentatis, ut ad Baiazetum Turcarum principem, cuius amicitiam Marchio crebris nunciis, uariisq; muneribus multos annos fouerat, confugeretur, in senatu Mãtuano decretum fuit. Baiazetus mercatorum Venetorum, qui Peræ negotiabãtur, præfecto accersito, ut Marchionem liberatum iri promitteret, postulauit. Is uerò id, quod minimè in sua potestate esset, promittere recusans, seq; ea de re Venetias, ubi non dubitaret ex eius sententia decretum iri, literas daturum pollicens: Baiazeto autem, se omnino uelle, ut sine exceptione promitteret, imperiosè respondente, coactus fuit polliceri. Quod à præfecto Venetias cùm esset perscriptum, senatus tam potentis principis irritandi tẽpus non esse ratus, cum libertate donare statuit. Verùm dedecoris sui tegẽdi, fructusq; alicuius ex ea re percipiendi gratia, Iulij II. Pontificis desiderio aures præbuit: qui eius opera iam tum contra Gallos & Maximilianum, Venetis reconciliatus, usurus erat. Guicciardinus lib.8. & 9.

INDIGNATIONE.

C. Iul. Cæsar consul, M. CATONEM sententiam rogauit. Cato rem, quę cõsulebatur, quoniam non è republica uidebatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ longa oratione utebatur, eximebatq; dicendo diem. Erat autem ius senatori, ut sententiam rogatus, diceret antè quicquid uellet alius rei, & quoad uellet. Cæsar Coss. uiatorẽ uocauit, eũq;, cùm finem non faceret, prehendi loquẽtem, & in carcerem duci iussit. Senatus indignabundus consurrexit, & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac inuidia facta, Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit. Gell. lib.4. c.10. ex Capitonis Atteij libro, de Officio senatorio.

ODIO ALIORVM.

M. Antonius Triumuir IVDÆOS à C. Cassio in seruitutẽ abreptos liberos esse iussit. Iosephus lib.14. cap.20. Antiq.

In graui illo schismate inter Gregorium VII. Pp. & Henricum IV. Imp. Lombardiæ CIVITATES paulatim ab Imp. auctoritate recesserunt, atq; auctore Mathilde comitissa sese põtifici tradiderunt, per quẽ regio fuerant sacramẽto solutę: & nouo altero libertatis initio facto, cùm eximia alia dignitatis deinceps ornamenta asciuerunt, tũ militaria multę uexilla, uulgò Carrocia dicta, instituerunt, Mediolanensiũ imitatione. Sigonius lib.8. Imp. occid.

CONIVGIO.

Apud ISRAELITAS, si quis captiuæ pulcritudine illectus, eam in uxorem accepisset: postea uerò eius pertęsus, repudiasset: liberam dimittere cogebatur, neq; uendere poterat. Deuteron.21.

Bellum graue exarserat inter Ludouicum marchionem Brandeburgensem, & Henricum dominum de Magnopoli, ob fines ditionum. Captus à militibus marchionis IOANNES Holsatiæ comes, post triennium ea demum lege dimissus, ut acciperet in uxorem Catharinam uiduam Ioannis marchionis de Brandenburgo. Dos erat redemtio captiuitatis. Cranzius lib.8. Vandaliæ, c.6.

MATTHIAS Coruinus à Georgio Podiebradio Boemorũ rege pactis filiæ nuptiis dimissus fuit, & ad regum Hungariæ euectus. Dubrauius.

AVGVRIO.

Genzericus Vandalorum rex in Africa, uicto Aspare Græcorum duce, cùm captiuos recensendi desiderio teneretur, supra caput MARTIANI dormientis aquilam passis alis pendere uidit. Eo portento commotus, eum impunè dimisit: & si quando id eueniret, quod augurium significabat, fœdus ut cũ Vãdalis iniret, iuramẽto obligauit. Cedrenus.

Apparitionibus.

ISRAELITIS ex Aegypto fugientibus, angelus Domini tulit suppetias, seseq; medium inter castra Iudæorum & Aegyptiorum interposuit. Exodi 13.

Cosroe SERGIOPOLIM obsidente, hisce cõditionibus sese dedere ciues, ut pro redimenda ciuitate sacri thesauri darentur. Seruauerant autem ciues Sergij matyris reliqnias in oblonga quadam urna deargentata. Hoc cùm ad Cosroem perlatum esset, uniuersum exercitum iratus ciuitati immisit. Verùm subitò acies quædam in ambitu ciuitatis apparens, acriter pro illa decertauit. Qua re uisa, exercitus retro-

cessit, & Cosroi ea cum admiratioue renũciauit. Qui intellecto miraculo martyris Sergij, metu correptus, discessit. Euagrius lib. 4. cap. 28.

Miraculosa fuit FRANCORVM in castro Heresburg liberatio, ab obsidione Saxonum. Nam cùm illi ad castrum expugnandum cum impetu accurrerent, duo scuta supra basilicam sanguineo cruore flammantia uibrari conspecta fuere tum à Christianis, tum ab ethnicis Saxonibus. Ea re confirmati illi: hi uerò metu perculsi, fugã capessentes, & furore perciti, mutuis armis se confecerunt: anno Domini 776. Regino lib. 2. & Sigebertus in Chronico.

Cùm BALDVINVS III. Hierosolymorum rex, ex Arabia regrederetur, frustra urbem Bostrensem occupare adortus, eumq; Turcæ acriter insectarentur, atque in ea regione uia aberrasset: biduò ab equite, qui rubens uexillum præferebat, ductus est. In uexillo autem Crucis signum erat positum, longeq; is exercitum anteibat: qui nusquam conspectus est, posteaquam incolumis rex cum copiis in tutum se locum recepit. Fulgi lib. 1. c. 6.

TEMPESTATE.

Annibale Romam obsidente, dum parati utrinque in armis signum dimicandi expectant, repente superuenit imber frequentibus procellis effusus: cuius tanta uis & asperitas fuit, ut cogeretur quisque militem in castra reducere. Proximo quoque die, in quem pugna dilata uidebatur, rursus in aciem utrisque exeuntibus, similis tempestas exoritur, quæ non minus quàm superior ROMANOS pariter ac Pœnos afflixit. Tunc Annibal exclamasse dicitur, modò sibi mentem potiundæ urbis Romæ, modò facultatem non dari. adeoq; siue animo reputans, quantæ molis esset expugnare Romanam urbem, siue inopiam frumenti metuens (decem enim dierum secum cibaria tulerat) ad lucum Feroniæ se recepit, ac templum, quod ibi opulentissimum erat, diripuit. Auctor uitæ Annibalis.

Longobardi rupto fœdere, quod cum Tiberio II. Imp. fecerant, ROMAM obsidione cinxerunt longa: quam & expugnassent, nisi multitudine imbrium essent repulsi & deterriti, quasi sacrum quoddam uiolassent. Imbribus multitudo ingens hominum & animalium absumta. Secuta inde siccitas, caritas, & atrocissima pestilentia. Cuspinianus.

LOCI RELIGIONE, SANCTITATE, Libertate. ASYLO.

De Asylis inter Politica & Ecclesiastica libertatis loca. Hic tantum exempla eorum, qui Asylis suam sunt tutati Libertatem, afferentur.

SERVVM fugitiuũ domino suo alienigenæ dedere, prohibet Dominus Israelitis: sed in medio populi eum habitare, quo in loco maluerit, in quacunq; habitationum ei uisum fuerit, ei molesti ne essent. Deuteron. 23.

Apud Israelitas si QVIS hominem per imprudentiam occidisset, in aliquod oppidorum perfugij fugiebat, & ad oppidi portam astans, apud eius oppidi Senatores causam suã dicebat: & illi eum ad se recipiebant, neque dabant uindici. In eo oppido manebat usque ad mortem summi pontificis, tunc redibat domum in oppidum suum. Iosua c. 20.

ADONIAS Dauidis F. cùm inscio patre regnum affectasset, Salomone fratre in regem electo, ad aram confugit, & cornibus apprehensis, priùs auelli non potuit, quàm Salomo ei se parciturum promisisset. 3. Reg. 1.

HERACLIDÆ ex tota Græcia Eurysthei Mycenarum regis odiis pulsi, à solis suscepti Atheniensibus, & Tricyrintho urbe, quæ Tetrapolis postea dicta est, donati, primi omnium asylum illic dicuntur constituisse. Plut. in Theseo, & Sab. li. 7. En. 1. Statius lib. 12. Thebaidos:

> Fama est, defessos acie, post busta paterni
> Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes,
> Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
> Confugium. --

Sacerdotes Aegyptij narrant Alexandrum, rapta è Sparta Helena, cùm renauigaret domum, in mari Aegæo uentis cursu excussum in Aegyptiacum pelagus: atque illinc non remittentibus flatibus, appulsum in Aegyptum, ad ostium Nili, quod uocatur Canobicum, atque ad Taricheas. Erat in eo litore Herculis templum: ad quod si quis cuiuscunque hominis seruus confugiens, capiat sacras notas, sese deo tradens, eum nefas est tangere. Quæ sanctio ad Herodoti usq; ætatem perseuerauit. Eam templi legem MANCIPIA Alexandri cùm audissent, ab eo profugerunt: assidentesque deo supplices, rem omnem exponebant, ut circa Helenã gesta erat, & de illata Menelao iniuria. Proinde Thonis ostij præfectus Alexandrum uinctum Proteo tradidit. Proteus Helenam retinuit, raptorem intra triduum Aegypto excedere iussit. Herod. lib. 2.

Cùm Cylon Theagenis soceri sui potentia & opibus fretus ad tyrannidem aspirans, arcem munitissimam Atheniensium occupasset: at diuturna ciuium obsidione & cibariorum inopia coactus fuga sibi consuluisset: arce potiti Athenienses, facti conscios CYLONIANOS ad aram Mineruæ prostratos (quos milites non interfecerant) ueniamque suppliciter petentes (cùm Megaclis consilium secuti filum ad statuã Mineruæ alligatum manibus tenentes, quasi non ab asylo recessissent, in iudicium uenissent) impunè dimiserunt. Thucydides lib. 1. & Plut. in Solone.

PAVSANIAM regem Lacedæmoniorum, à suis ob dilatum auxilium accusatum, Tegeatæ supplicem in Aleæ Mineruæ receperunt. Templum illud fuit antiqua religione Peloponneso uniuersæ sacrosanctum, neq; uiolari eos fas erat, qui illuc confugissent. Ea sanè religio tunc in Pausania, antè uerò in Leotychide rege, & Chryside est ab Argiuis conseruata. Nam cùm illi supplices se in illud templum, tanquam in asylum, recepissent, ne postulatum quidem est, ut dederentur. Pausanias in Lacon.

DEMOSTHENES Athenis fugiẽs Macedonum arma, in insula Calauria, Peloponneso uicina, Neptuno sacra, asylum subiuit. Sed maiorem uim ueritus, uenenum ibidem hausit.

Decius Magius ciuis Cãpanus pcipuus, cùm summa ope obstitisset, sed frustrà, ne Cãpani à Romanis ad Carthaginẽses deficerẽt: & ab Hannibale accersitus in castra ire recusasset: huiusmodi constãtia offensus Hannibal, & in Capuam intromissus, catenis uinctum in castra duxit. Inde mox in nauim impositus, ut Carthaginem deueheretur. Nauis ui tempestatis Cyrenas in ditionem Alexandrinorum delata est. Ibi Magius quum ad Ptolemæi statuam confugisset Alexandriam ad Ptolemæum est deportatus. Qui, ubi quis esset, audiuit, uinculis eum liberari iussit, fecitq; illi quò uellet abeundi potestatem. Sab. lib. 3. Ennead. 5.

CLODOARDVS, Clodomiri Francorum regis filius, cùm Theobaldũ Clothariumq; fratres per insidias à Theoderico Metensium rege trucidari, ob imperij successum uideret, cæde elapsus, ad aram inspoliati fani, quod asylum uocãt, peruenit, ibiq; reliquum uitæ tempus summa sanctimonia uixit. Ritius lib. 1. de reg. Francorum.

CVR. OB

Prophetiam.

IOSEPHVS historicus ob prædictum Vespasiano Imperium è uinculis liberatus à Vespasiano. Iosephus lib. 5. cap. 12. belli Iudaici.

Poesin.

ATHENIENSES quidam capti à Syracusanis ad Asinarum amnem, fuerunt Euripidis causa conseruati. Nam præter cæteros Græcos desiderauerunt illius uersus hi, qui Siciliam incolebant. Plut. in Nicia.

Fortitudinem.

T. Sempronius Gracchus aduersus Brutios & Lucanos pugnãs, cùm legiones magna ex parte VOLONVM haberet, qui alterum iam annum libertatem tacitè meruerant: pronunciauit, cùm patenti cãpo postera die cum hoste collatis signis esset dimicaturus, quicũq; caput hostis retulisset, eũ se extemplò liberũ iussurum esse. Itaq; acri coorta pugna, quartam post horam renunciatur Graccho à tribunis militum, nullam rem aliam magis impedire, quàm capita hostium precia libertati facta. Nam ut quisq; hostem impigrè occidisset, primùm caput ægrè inter turbam tumultumq; abscindendo tereret tempus: deinde occupata dextra tenẽdo caput, fortissimus quisq; pugnator esse desiisset, segnibus ac pigris tradita pugna esset. Quo cognito, Sempronius capita proiicere iussit, hostemq; inuadere, nec dubiam fore libertatem strenuis uiris. Itaq; redintegrãta pugna, hostes in fugam conieceruut, & castris exuerunt. Liuius.

Liberalitatem.

Cyri milites in expeditione quadam ob uictus indigentiam commilitonum corpora in cibum uertere cogebantur. At quum ARIMASPI currus frumento onustos ad triginta millia adduxissent, præter spem ab ingenti calamitate omnes sunt liberati. Quo nomine Cyrus eos libertate donatos, pro Arimaspis Euergetas appellauit. Diod. lib. 17.

Religionem.

Apud Iudæos moris erat Paschatis festo unum è uinctis liberare. Pilatus Christum soluere cupiebat. At Iudæi BARRABAM seditionis auctorem postularunt. Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioannis 18.

Nuptias.

Mathias Coruinus Vngarorum rex, anno Salutis 1476. Budæ nuptias cum Beatrice Aragonia celebrans, publicæ hilaritatis gratia, NOXIOS omnes in carcere deprehensos solutos dimisit: prætera alia crimina impunitate donata sunt, uadimonia à prætore dilata, & debita ad tempus suspensa. Bonfinius lib. 4. Decadis 4.

Commi-

Commilitium.

Cinna Consul ciuili bello, cùm per præconem edixisset, ut SERVI ad se confugientes uelut ad asylum, liberi forent, illosq; ad pileum uocasset, magnas seruorum & perditissimorum manus coegisse fertur. Alex. lib. 3. cap. 20.

Sclerus Bardas, qui sub Basilio II. Imp. tyrannidem affectarat, ad Cosroen Saracenorum principem Babylonem confugit, à quo carceri inclusus est. Interea cùm Inagri ductu Saracenorum iugum Persæ conarentur excutere, Cosroes infeliciter contra illos non semel pugnauit. Itaq; desperatione rerũ à Romanis in custodia detentis opẽ consiliumq; petit: Sclerum in primis rogãs, ut de belli ratione liberè sententiam diceret. Is in primis bellum dissuadet, cuius exitus incertus esset. Sed Babylonio instante, utpote uindictæ cupido, tandem annuit, promittens se solis cum ROMANIS bellum obiturum. Nam supra tria millia ergastulis detinebantur. Qui omnes educti & armati, Sclero duce prælium cum Persis inierunt, ac uicerunt. Redeuntes, uincula timentes, quæ priùs experti fuerant, sese fugæ commiserũt. Quos Cosroes insequutus, plurimos occidit. Sclerus autem, & qui cum eo erant, ubi limites Romani imperij attigit, audiens Phocam (à quo ipse uictus erat) tyrannide potitum, ei se coniunxit, his conditionibus, ut imperium penes Phocam esset, Sclero uerò cederet Antiochia, Cœlesyria, Phœnicia & Palæstina, cũ Mesopotamia. Phocas interea Sclerũ circumuentum custodiæ mancipauit, exercitum eius retinuit. Phoca inde interfecto, carcere liberatus, iterum tyrannidem affectauit. Sed à Basilio per literas monitus, sese illi tradidit, & Curopelatæ dignitate ornatus est. Zonaras & Cedrenus.

POTESTAS BONI CVIVSCVNQVE, ACTIVA VEL, PASSIVA, RESPECTV SVBIECTI SIVE RERVM.

Priuilegia, Ius

REGIONVM OCCVPANDARVM.

Sub Tit. Excommunicatorum, exempla quædam reperies potestatis datæ aliena regna occupandi.

MARIS DOMINANDI.

VENETIS tanquam dominis maris eius despondendi ius permissum à Pp. Alexandro III. qui tum temporis Friderici I. Imp. minas fugiens apud illos exulabat. Nãq; Sebastiano Ciano duci contra Othonem Friderici F. nauali prælio uictori occurrens, primò gratulatus uictoriam: inde anulũ porrigens aureũ, Accipe, inquit, Ciane, & me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium redde: quod tu tuiq; successores quotannis stato die seruabitis: ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem iure belli uestram esse quandoq; factam: atq; uti uxorem uiro, ita illud uestro subiacere imperio. Et hic mos etiamnum hodie die festo Ascensionis dominicæ seruatur. Sab. lib. 7. Dec. 1.

DIGNITATVM CONFERENDARVM. ELECTIONIS IVS.

Consule Tit. Electionis. Hic Patientis ratio habetur, hic Agentis ius consideratur.

Pontificum, Episcoporum, Sacerdotum.

Mortuo Henrico II. Imp. HEREBERTVS Mediolanensis archiepiscopus relictis Italicis in Germaniam adiit, & Conradum II. regem auctoritate propria salutauit. Ob id Conradus archiepiscoporum iure eo uel maximo insigniuit, ut, quemadmodum Mediolanensis antistes episcopum Laudensem iure ab Othone Magno accepto sacrabat, sic anulo & uirga præbenda institueret. Idem.

Symmachus ecclesiam Romanam in antiquam libertatē restituere cupiens, EPISCOPOS Vaticana in basilica cōuocauit, atq; ad eos de lege regis Odoacris abroganda retulit, qua, inconsulto rege, comitia perfici pontificia uetabatur. Dictis sententiis, ex omnium auctoritate eiusmodi sublata constitutio est, ut quæ apertè libertati Ecclesiasticæ repugnaret, & clero nouam seruitutis conditionem imponeret, ut regiam in legendo pontifice uoluntatem respiceret. Nō ignorandum tamen est, hanc Symmachi sanctionem obseruatam non esse: ac per multos pòst annos iniussu principis pro ratis ea comitia non fuisse: donec, quieta tandem, ac tuta à seditionibus ciuitate, hoc ius ab Imperatore Constantino ultrò remissum est, Benedicto secundo Ecclesiam obtinente. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Sub Nicolao II. Pp. in concilio Romano de comitiis pontificiis ita cautum. CARDINALES episcopi diligentissimè simul de pōtificis electione cōsulerēt, mox clericos Cardinales adhibeāt, sicq; rěliquus clerus & populus ad cōsensum nouæ electionis accedat, cauentes, ne uenalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Eligatur autem de ipsius ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus: sin minus, ex alia sumatur: saluo debito honore & reuerentia dilecti filij nostri Henrici III. qui in præsentiarum rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, & iam ei concessimus, sicut successoribus illius, qui ab hac apostolica sede hoc ius personaliter impetrauerint. Quòd si prauorum hominum ita peruersitas inualuerit, ut pura, sincera & gratuita fieri in Vrbe non possit electio, Cardinales episcopi cum religiosis clericis, catholicisq; laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligendi apostolicæ sedis Pontificem, ubi congruerit. Postquam autem electio fuerit facta, si bellica fuerit tēpestas, uel qualiscunq; hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in apostolica sede iuxta consuetudinem inthronizari non ualeat: electus tamen sicut uerus Papa obtineat auctoritatem regendi Romanam ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognouimus fecisse. Ex hoc decreto, quo electio Pōtificis Romani in primis Cardinalibus permittitur, ipsorum Cardinalium tamē electio pòst celebrari magis Romana in ecclesia cœpta. Sigonius lib. 9. regni Ital.

[redacted]

Paschalis pontifex Ludouicum Pium Imp. corona donauit, & appellauit Augustum. Quare Ludouicum tantum ROMANÆ ecclesiæ tribuisse aiunt, ut potestati ac iuri, quod Carolo Magno parenti Adrianus pontifex ultrò cōcesserat, spōtè renunciaret, creandorum scilicet pōtificum Romanorum, omniumq; episcoporum. Bonfinius lib. 10. Decad. 1.

Hadrianus III. initio pontificatus sui, statim ad SENATVM populumq; retulit, anno Domini 895. ne in creando pontifice Imperatoris auctoritas expectaretur, utq; libera essent & cleri & populi suffragia. Quod quidem institutum à Nicolao I. tentatum potius, quàm inchoatum fuit. Illectum credo hac opportunitate Hadrianum, quòd Carolus Crassus Imperator ab Italia cum exercitu discedens, in Normannos rebellantes mouerat. Platina.

Leo IX. quem Imperator Romanis dederat pontificem, omne eligendi Romanum pontificem ius ab Imperatore ad CLERVM transmisit. Platina in uita eius, & Chronicon Babergense. Et in Synodo ad Sutrium habita statutum est, ut in posterum Romanus præsul à Cardinalibus crearetur, pœnaque aduersantibus negligentibusque grauis indicta est. Bonfinius.

Benedictus XI. cùm ex morbo, quo conflictabatur, moriturum se crederet, cardinales, episcopos, & cuiuslibet ordinis clericos ad se conuocatos, sacramento adegit, ne quispiam ex suo collegio ad Apostolicam sedem, nisi ex consensu & cōmuni electione FRATRVM ascenderet, aut ascendentibus præberet consensum. Blondus lib. 3. Decadis 3.

Constantinus IV. Imp. anno 684. auctoritatis ROMANÆ ecclesiæ studiosus, hoc deesse illius cumulandæ amplitudini arbitratus, antiquam ei comitiorum in legendo pontifice libertatem restituit. Quippe diuali ad clerum, populum, exercitumq; Romanum missa, indulsit, ut quem ipsi pontificē iustis comitiis, concordibus animis designassent, eum extemplo consecrare sine Imperatoris auctoritate ius esset. Quod post Iustiniani tempora ita fuerat obseruatum, ut rarò sine summa necessitate esset prætermissum. Sigonius lib. 2. regni Ital.

In reconciliatione, quæ inter HENRICVM V. Imp. & Paschalem II. Pp. facta est, ipso die Paschatis, Henrico in Imperatorem iam coronato, post lectum Euangelium tradidit ei Papa ante altare apostolorum Petri & Pauli, in oculis omniū principum, priuilegium de inuestitura episcopatuum uel abbatiarum tam per anulum, quàm per uirgam: scilicet ut regni eius episcopis uel abbatibus liberè præter uiolentiā & simoniam electis, inuestituram uirgæ & anuli conferat: post inuestituram uerò canonicè consecrationem accipiat ab episcopo, ad quem peruenerit. Anno MCXI. iuxta Sigebertum. Facti postea pœnitens, eo prætextu, quòd necessitate coactus promisisset, rescidit id factum in Romana synodo: & tandem effecit, ut Henricus desertus ab omnibus, ius illud uel inuitus suis successoribus consignare fuerit coactus. De eo sic Aemilius lib. 5. Henricus V. Imp. suorum hortatu permotus, in gratiam cum Pontifice Calisto rediit. In Vangionibus conuentus procerum habitus: quò & legati Pontificis maximi occurrēre. Sua utriq; caussæ, hinc sanctitas, illinc maiestas seruata est. Vestituræ ecclesiasticæ, baculiq; sacri ac anuli dandi iure cessit Augustus: & legatus Romanus Cæsarem in gratiam consortiumque piorum recepit: & ius litui dandi ea ratione restituit, ut id priuilegium foret, ac homini datum: ad posteros non ualeret, nec exem[redacted]

Cùm PE-

Olim PETRVS III. Aragoniæ rex Oscā ciuitatē ui expugnasset, & Almozabenum Maurorum Regem in fugam egisset, capto Garcia fratre Regis Castellæ, qui Mauris auxilio uenerat: Vrbanus II. Pp. decimas primitiasq; & omnia beneficia gentilitia Iuris patronatus omnium ecclesiarum & ciuitatum, à quibus infideles hostes eiecerat, ut ipse & sui successores in perpetuum, quibus uellent, conferre possent, exceptis episcopatibus, concessit. Tarapha de regib. Hispan. Sed aliquot pòst annis Romam ueniens Petrus VII. Aragonum rex, & ab Innocentio III. corona panis azymi coronatus, Pōtifici restituit iura patronatus omniū Ecclesiarum uicissim Innocētius ei concessit, ut ipse & successores eius in pontificatu uexillum ecclesiæ ferrent cum armis Aragoniç, quæ sunt crocei rubriq; coloris: concessit etiam, ut omnes bullæ, quæ à Romana curia mitterētur, essent munitæ chordula prædictorum colorum. Nobiles uerò Aragonum Barcinoneq; principatus omnes, de renunciatione iuris patronatus, quòd eis & omnibus populis principatus nocitura uidebatur, uno ore reclamarunt, seq; uoluntati & renunciationi Regis de iure patronatus non assentiri publicis instructionibus testati fuere. Marineus lib. 10. rerum Hispan.

Sub Iacobo III. Scotorum rege mos inoleuit, ut sacerdotia maiora non nisi REGE offerente & intercedente à Pp. obtinerentur: cùm prius penes consules ius edictionis esset. Hinc monasteria ad pios pauperū usus fundata dotataq;, regis uel gratia uel indulgentia in prosanorum hominum usus cessere, eleemosynæq; sublatæ, & in deliciarum abusum conuersæ, legitimis monastériorū præfectis, quibus diuinus cultus mādabat̄, ereptæ sunt. Appēdix Hist. Scotorū.

Iulius II. Pp. sacra beneficia per totam Insubriam conferendi regi Galliæ LVDOVICO XII. potestatem, qualem olim habuerat FRANCISCVS Sfortia, breuibus de more literis concessit. Guicciardinus lib. 7.

Imperatorum.

Theodelinda Agilulfi Longobardorum regis uxor oppidum olim Moguncíacū, tum uerò Modoetiā appellatum, quod XII. millibus passuum aberat à Mediolano, nobilitauit. nā & regiā ibi magnificam condidit, & regiæ basilicam nobilissimam addidit. Basilica inde D. Ioannis Baptistæ nomini consecrata, ipsa se ac Longobardos multis ei templo muneribus obligauit. Ab illo tempore Lōgobardi publico uoto illius Diui fuere patrocinio commendati. Loco inde accessit dignitas, postquā corona ferrea ibi custodiri, atq; ea ibi coronari reges sunt cœpti. Sic enim Mediolanenses produnt annales, Mediolanensem ARCHIEPISCOPVM eo [illegible] à Gregorio Pontifice decoratum, ut uacante Italiæ regno, ipse post XI[illegible] dies suffraganeorum suorum conci[illegible] ex eorum sententia regem, constitue[illegible] corona ferrea à Theodelinda instituta Modoetię redimiret. Quod [illegible] à Rege [illegible] Longobardorum usurpatum [illegible] ostendit: imò [illegible] ut ha[illegible] regi declarato [illegible] gerent. Verum [illegible] auctoritatē prorsus Mediolanensibus abrogē, illud fa[illegible] quòd coronâ hanc [illegible] post Carolum Magnum omnibus Italiæ regibus [illegible] deinceps fuisse solen[illegible] &, quod [illegible] hoc muneris Gregorium [illegible] Theodelindæ peteni tribuisse, non sit absonum, uel [illegible] inæ referre [illegible] cui plurimum se debere ipse [illegible] fatetur, uel [illegible] Archiepiscopo accessionem dignitatis [illegible], qua [illegible] perioribus annis Longobardorum [illegible] afflicta [illegible] prostratamq; fuisse sentiret. Sigonius lib. 1. regni Ital.

[illegible]

Authari rege Longobardorū [illegible] dum cū [illegible] pacto à THEODELINDA [illegible] nuptiis anno, g[illegible] ei ab inito regno [illegible] Theodelindę sanctitas ualuit apud Longobardos, ut regem comitiis creare soliti, tūc iure suo ultrò cesserint, consenserintq;, ut quemcunque ipsa uidua maritum optione dari legeret, is rex ab uniuersis salutaretur. Illa Agilulphum ducem Taurinorum delegit, eumq; regem matrimonio fecit: gentemq; omnem tandem perpulit, ut Christiani efficerentur. Aemilius lib. 1.

Franci cùm mortuo Lothario Carolum Caluū creassent regē, ADRIANVS ad Hincmarū Remensem episcopū scripsit, eūq; excommunicari iussit, ut posset ipse aliū, quē uolebat, illis designare regem. Sed Frāci ecclesiastici & politici uiri, in Remēsi conuētu respondêrūt, nullum unquam talē præceptionē à sede Apostolica ad episcopos Galliæ missam esse.

Regis Boēmiæ coronatio, ex Friderici I. Imp. diplomate, PRAGENSI & OLOMVCENSI episcopo commissa. Quòd si forte Olomucensis defuerit, nihilominus Pragensis uices compleat amborum. Similiter autem Olomucensis, si forte Pragensis defuerit. Eum morem, Boēmi retinent. Itaq; dū Ludouicus Pannoniæ Rex, diademate regni Boemiæ inaugurandus esset, eiusq; rei gratia, duo fratres germani Tursones, Ioannes Vratislauiēsis, Stanislaus Olomucensis Episcopi Pragam uenissent, cuperetq; Stanislaus natu iunior, Ioanni tāquam fratri seniori de loco functioneq; sua cōcedere: uehemēter primates nobilitatis resistebant, dicētes, in publico munere defungēdo, priuatę necessitudinis rationē haberi non debere, nec publicū decus personarū à maioribus acceptum esse mutandum. Dubrauius lib. 12.

Pius II. TRIBALLIS confirmari sibi quē ipsi regē nominassent postulantibus, ad Pannonas id iuris pertinere dicebat. Cōtendentibus, liberos esse: Quid ergo, inquit, seruitutem postulatis? Campanus in eius uita.

Consulum.

Odoacer Herulorum rex Italiæ regno potitus, Romanis Senatus auctoritatem & consulum dignitatem ad feroces cōtundendos spiritus ademit, & præfectum prætorio urbi dedit Basilium. Cęterùm non multo post odium aduersus Romanos ita mitigauit, ut consulem CIVITATI atq; Occidenti reddiderit. Is honos Basilio delatus est. quem magistratum ille solus gessit, qui fuit à Christo nato 480. Sigonius lib. 15. Imp. occid.

Fridericus I. Imp. euerso Mediolano CREMONENSIBVS sociis ius creandorum Coss. concessit: itidem & reliquis amicis ciuitatibus. Sigonius lib. 13. regni Ital.

ANIMADVERSIONIS, GLADII IVS.

Gladij potestas dicitur ius animaduertēdi in facinorosos homines. l. 3. ff. de iurisdict. l. 6. §. qui uniuersas. ff. de offic. præsid. Lampridius in Alexandro Seuero: Honores iuris gladij nunquam uendi passus est: dicens, Necesse esse, ut qui emit uendat. Hotoman. de Verbis iuris.

RELATIONIS IVS.

ROMANIS Imp. initio principatus [illegible] intæ relationis ius cōtribuebatur, senatus decreto: qui honor fuit exquisitus. Propterea in Pertinace Capitolinus, Quartæ relationis ius illi fuisse omen, scribit: quoniam, uti eruditis placet, in numero deminuto fuerit imperij breuis ac Thebani planè prçsagiū. Nam & Probo Imperatori, cui tertiæ ius relationis fuisse additum prodit Flauius Vopiscus, id ipsum ferè usu uenit. Ius autem quintæ relationis intelligunt, uti quinquies super re iudicata iam referre ad senatum possent, præiudiciis nil officientibus. Cælius lib. 22. c. 10. A. L.

POMOERII PROFERENDI.

Antiquissimū urbis Romæ pomœriū à Romulo institutū, Palatini mōtis radicibus terminabatur. Sed id p incrementis Reip. aliquoties prolatū est. Ius proferēdi habebat, q populum Rom. agro de hostibus capto, auxerat. Produxit ergo SER. Tullius, item L. Corn. SYLLA, tandem quoq; C. IVL. Cæsar. Et nullus tamen eorum Auentinum montem pomœrio inclusit, cùm reliqui sex pomœrio continerentur. Causa fuit, quoniam in eo monte Remus auspicia captās, à Romulo superatus fuit. Idcirco omnes montem istum quasi obscenis auibus ominosum excluserunt. CLAVDIVS tamen Cęsar eundem postea pomœrio inclusit. Gell. li. 13. cap. 13. ex M. Messala augure recitat.

MONETAE SIGNANDAE.

Antiochus Pius Asiæ rex, SIMONI duci & pontifici Iudæorum honoris ergò permisit, uti propria patriæ suę nota monetam cudere posset. 1. Machab. 15.

Henricus III. Imp. an. 1049. ius monetæ signandæ EPISCOPO Patauino indulsit. Sigonius lib. 8. regni Ital.

Anno 1139. GENVENSES à Conrado III. Germanorum rege pecuniæ signandæ ius impetrarunt. Itaq; in hunc usque diem accepti beneficij monumento numos aureos ipsius Cōradi regis nomine signant. Placentini etiā ius signādæ pecuniæ à Conrado obtinuēre. Sigon. lib. 11. regni Ital.

Fridericus I. Imp. capta Derthona an. 1158 CREMONENSIBVS amicis honoris loco ius pecuniæ signandæ concessit. Sigonius lib. 12. regni Ital.

Lucius III. Pontifex, ut ciues suos LVCENSES eximio aliquo beneficio insigniret, tantam sibi dignitatem missa ad se legatione honestissima gratulantes, ius Friderico I. Imp. assentiente indulsit, ut pecuniam cuderent Tuscię, Marchię, Romaniæ, Campaniæq; communem. Sigonius lib. 14. regni Ital. & Cranzius lib. 9. Metrop. c. 1. & Platina.

Henricus VI. an. 1191. BONONIÆ in Episcopio hospitatus, nouum ius ciuitati cudendæ monetæ concessit. Primus numus excusus ab una parte Henrici, ab altera Bononiæ nomen habuit, à qua etiam appellationem accepit, ut Bononiensis dictus sit. Sigonius lib. 15. regni Ital.

Otho III. ERPONI Verdensi episcopo libertatem argentum cudendi concessit, ac ut solennes nundinas ubicunq; locorum intra sui episcopatus limites indiceret. Cranzius in Metropoli, lib. 3. cap. 36.

OTHO V. Boiorum dux, reiecta pecunia ueteri Ratisbonensiū, cuius numi sexaginta drachmam ualebant, nouum numisma

misma

misma Landshutæ fecit, eosq; numos, nec alios, in Boiaria recipi edicto iussit. Auentin. lib. 6. Annalium Boiorum.

LEGITIMATIONIS.

BARTHOLVS in tractatu super extrauagante ad reprimendum, scribit se à Carolo IIII. Imp. in consiliariorũ & domesticorum numerum esse cooptatum: eundemq; Carolum sibi posterisq; suis, qui legum Doctores essent, dedisse ius legitimandi, & concedendi ueniam ætatis. Hotomannus de Verbis iuris.

TESTIMONII DICTIO VEL PERMISSA, VEL PRIVILEGIO exornata.

Consule Tit. Auctoritas Iustitiæ, quatenus Testimonium Veritati & Fidei subijcitur.

TARQVINIA Vestalis ob donatum pop. Rom. fundum, qui campo Martio adiacebat, testimonij dictionem inter feminas sola obtinuit. Plut. in Poplicola. Gell. lib. 6. c. 7. Caiam Tarratiam siue Sufferiam uocat.

SVFFRAGIORVM IVS.

Cùm olim COLOPHONII domesticis seditionibus tumultuarentur inter sese, euenit ut aliquot ex illis mutatis sedibus ad Smyrnæos demigrarent. Dein accidit, ut cùm bellũ gererent Smyrnæi, ac sæpenumero uicti discessissent, tandẽ adhibitis Colophonijs, quos in ciuitatem receperãt, extiterint superiores. Vnde institutum est, ut quemadmodũ Smyrnæi non uicerãt in bello, nisi Colophoniorum accessione: ita nec in suffragiis uincerent, nisi illorum calculum adiungerent. Proinde cùm Ionij duodecim ciuitatibus imperarent, quarum una Smyrna, in publicis consiliis, si quando Smyrnensium ęquales fuissent calculi, pars ea uincebat, cui subscripsissent Colophonij illi, quorum opera uicerant in prælio. Nec abhorrent ab his quæ refert labenus scriptor Græcus, duodecim Ioniæ ciuitates conuenire solitas: id cõcilium Panionium dicebatur: in quo si fortè calculis hinc atq; hinc paribus nihil decerni poterat, accersebantur Colophonij, qui uictoriam adferebant, utricunq; parti fuissent suffragati. Itaq; prouerbium, Colophonium suffragium, quadrabit, cùm significabimus iudicium aut suffragium alicuius plurimum in re quapiam ualere. Erasmus in Adagiis. Paulo diuersius Suidas.

AGRICVLTVRAE.

Quia GALLI, PANNONES, HISPANI & BRITANNI, Bonoso & Proculo in Gallia rebellãtib. Probo Imp. fidẽ seruarant, auxilio fuerant, fecit his Probus potestatem serendæ uitis, & uini conficiundi. Ipse ad usum urbanæ multitudinis circa Syrmium Almum montem militari opere fossum uite conseuit. Sab. lib. 7. En. 7. Ex Eutropio & Vopisco. Ex quo intelligi potest, non soli uitio aut aëris intemperie, terram Galliam uitibus olim caruisse, sed Impp. Rom. libidine oppressam uites non conseuisse. Brodeus in Epigram.

VENATIONIS IVS.

Otho III. Imp. ERPONI Verdensi episcopo permisit monetæ ius, & mercatum in loco ecclesiæ suæ solennem, uenationem quoque ceruorum & ceruarum, sublimium ferarum: qui fuit ab olim seruatus honor summis principibus. Extant desuper literæ datæ anno 985. Pagum autem uenationis, Sturmium uocant. Metrop. Cranzij lib. 3. cap. 36. Sic Hẽricus, Bauarorum dux (Imp. postea II.) MONACHIS uenationes indulsit. Auentinus lib. 5.

NVPTIARVM DELECTVS.

Callias Atheniensis, uir clariss. & summus Pisistrati hostis, FILIABVS tribus, posteaquam nubiles extitere, hoc magnificentissimum munus est gratificatus: ut quem sibi unaquęq; uellet ex omnibus Atheniensibus, ceu sponsum deligeret. Herod. lib. 6.

TARQVINIA Vestalis cùm propter donatum pop. Rom. fundum, cãpo Martio uicinum, ius nubendi plebiscito consecuta esset, eo tamen uti noluit. Plut. in Poplicola.

Authari Longobardorum rege ueneno sublato, quoniã nemo omniũ uirtute atq; auctoritate ita eminebat, ut dignus eo fastigio communi iudicio uideretur: duces, postquã diu diuersis inter se certauère sententiis, uniuersi eò decurrerunt, ut THEODELINDA reginã, Garibaldi Baioariorũ regis F. spectatæ prudentię ac moderationis animi femina, in imperio permaneret, & quem ipsa sibi maritum è Ducibus Longobardis optasset, ille regiam potestatem teneret. Illa consilio cum maioribus natu communicato, Agonem, siue Agilulfum, Taurinatium Ducem, Authari propinquitate coniunctum, elegit, uirum præclaris omnibus corporis animiq; uirtutibus ad regni gubernacula tractanda aptissimum: atq; cum pro imperio mox sibi præsto esse ad Laumellum oppidum iussit. Affuit Agilulfus, consilij reginæ prorsus ignarus. Theodelinda, ut uoluntatem suam nudaret, nobile cõuiuium apparauit. Ibi, cùm procedente cœna sumto poculo uini partem hausisset, reliquam patrio more propinans præsenti Agilulfo porrexit. Cùm autem Agilulfus accepto poculo reginæ dextram uenerabundus cuperet osculari, tum illa non sine rubore aliquo renidẽs, Atqui te, Agilulphe, inquit, non manum, sed os suauiari oportet: ego namq; te in thori communionem elegi. Ita Agilulfus nuptiis ingenti omnium, qui aderant, gratulatione contractis, rex Nouembris initio salutatur. Sigon. lib. 1. regni Ital.

Arioaldo rege Longobardorum sine uirili stirpe mortuo, Lõgobardi comitia creando regi habuerũt, ac GVNDEBERGÆ reginæ, Autharis filiæ, mariti regisq; optionem, ut antè Theodelindæ matri, dederunt. Illa Rotharim Hatodum genere legit, cæteris uirtutibus illo loco dignissimum, uerùm hæresi Arriana infectum. Sigon. lib. 2. regni Ital.

INGENVITATIS.

Natalibus restitui dicebantur LIBERTI, qui beneficio Principis ingenuitatis ius ac dignitatem adipiscebantur. Natalia enim sunt, ius libertatis; quod natura principiò generi humano æquabiliter tribuit, ut alter alterius ne pareret imperio. Hotoman. de Verbis iuris.

TVTORIS OPTANDI.

FECENIÆ Hispalæ meretrici ob detectam Bacchanaliorum turpitudinem data sunt à Senatu Rom. inter reliqua ornamenta etiã centena millia æris, & tutoris optio ut esset, quasi ei uir testamento dedisset. teste Liuio lib. 9. Dec. 4. Nã Romanæ mulieres, nisi uiri testamento tutorem obtinuissent, non sponte legendi potestatem habebant, sed à prætore cogebantur accipere.

DONA ACCIPIENDI.

Vrbanus, q sedere cœpit anno Sal. CCXXVII. decreuit primus, ut SACERDOTIBVS liceret prædia ac fundos à cultoribus religionis oblatos recipere, nihilq; cuipiã priuatũ esset, sed ad cõmune bonũ. Polyd. li. 6. ca. ult. de rerũ Inuẽt.

TRIBVTI EXIGENDI.

Clemens V. in quinq, annos ius decimarum de templorum prouentibus cogendarum PHILIPPO Pulcro Fracorum regi dedit. Hilerinus Tornacensium pontifex, auctor est, Bonifacium VIII. ius dedisse regi Pulcro, ad belli necessitates, pecuniæ etiam à sacerdotibus cogendæ (promissis LX aureorum millibus) idemq, ius eundem mox abrogasse, sacerdotum querimoniis permotum. Aemilius lib. 8.

VESTIVM GES[illegible]ANDARVM.

Ius togæ Principes PERE GRI[illegible]S dab[illegible], [illegible] uium Rom. proprio u[illegible] liceret.

IOANNES [illegible] Ferdinand[illegible] regis Neapolita[illegible], puer adhuc Tarẽtinæ eccl[illegible] à Sixto III[illegible] liberalitate obtinuit, ut [illegible] am ant[illegible] promulgation[illegible] habitu cardinalitio uteretur. i[illegible] quod n[illegible] antè uel p[illegible] concessum legitur, Garimbertus libro [illegible], de Vi[illegible] Pontificum.

[illegible] ANVL[illegible]RVM.

Ius aureorum annulorum erat [illegible] od LIB[illegible] hominib. concede[illegible] tur à Principe, ut [illegible] cet eod[illegible] essent quo equites i[illegible] quibus aureum an[illegible] um ge[illegible] Nã etsi aureus annulus insigne ord[illegible] quest[illegible] nius testatur: n[illegible] omnib[illegible] amen [illegible] ibu[illegible] in tantum, qui quingen[illegible] sestertiũ [illegible] in ce[illegible] ch[illegible] liciti[illegible] gestare, uel ex eo intelligi p[illegible] est, qu[illegible] uec[illegible] & [illegible] ius de Laberio scripse[illegible] qui quu[illegible] Cæsar[illegible] [illegible] imum egisset, ab eo au[illegible] annulo, [illegible] S. qu[illegible] eti[illegible] donatus, sessum in quatuordecim ex scena in orch[illegible] stra[illegible]. Sed aliud est ius annulorum, aliud annulo[illegible] habere. [illegible] ut ius liberorum & lib[illegible] tos. Non enim quib[illegible] ius annulorum dabatur, ij contin[illegible] equites erant. Nam ut ait Vlp. in l. 4. ff. de iure aur. annul. [illegible] iam feminæ [illegible] s illud impetrarę poterant. At quibus annulus dabatur, ij continuò equites fiebant, & in quatuordecim consid[illegible] ant. ut de Q. Ro[illegible] comœdo memoriæ proditũ est, qui annulo aureo & quingentis H-S. à uictore Sylla donatus, eques factus e[illegible] ut idem li[illegible] t ei qui hoc impetrauit, quod ei licet qui re[illegible] era aure[illegible] annulo donatus est: id est, ut pro [illegible] genuo habeatur, neq; patrono ullum officium (excepta [illegible] erentia) obsequium, operámue debeat: duntaxat, qua[illegible] in uita manebit. Nam (ut ait Vlpianus) quasi ingenuus uiuit, tanquam libertus moritur. l. 3. ff. de hon. lib. l. 4. de iure aur. annul. i[illegible] aduersus eius tabulas patronus præteritus bonorũ possessionem obtinet. Item Vlp. l. 10. §. 2. ff. de in ius uoc. Sed [illegible] ius annulorum accepit, puto eam reuerentiam patrono exhibere debere, quamuis omnia ingenuitatis munia habeat. Hotomannus de Verbis iuris.

Tranquillus MENAM Sex. Pompeij libertum, quem post classem patroni sui proditam aureorum anulorũ iure ab Augusto donatum, Dion scribit: in ingenuitatem ab eodẽ assertum testatur. Sed de Mena Dion apertius elocutus esset, si aureo eum anulo, non iure aureorum, ab Augusto donatum dixisset, quum Horatius id perspicuè ostendat. Zonaras autem lib. 2. sic scribit: Quidam ANTONIVS Musa Augustum ita malè affectum frigidis lotionibus & potionib. curauit, qua de caussa pecuniam tum ab ipso, tum à Senatu accepit: iusq; illi, quamuis libertino homini, aureorum anulorum datum est: uacationem præterea tum ipsi, tum aliis medicis, non modò qui tum erant, sed & qui post futuri essent, concesserunt. Idem.

ORNAMENTA VESTIVM CONFERENDI.

EVMENI Cardiano ius erat causias purpureas & chlamydes conferendi: quod habebatur apud Macedonas inter dona regia præcipuum. Plutarchus in Eumene.

TESTAMENTA CONDENDI, HAEREDITATIS ADEVNDÆ.

Cùm ex Domini præcepto in campo Moabitarum Moses Israelitas omnes recensuisset, ut eis terra Sancta, quam inuasuri erant, diuideretur: FILIÆ Salphaadi, ex gentilitate Manassis, qui in deserto mortuus fuerat, quinq; numero, Maala, Noa, Hegla, Melcha & Thersa, Mosem conuenerunt, & quandoquidem pater suus nullo hærede filio relicto in solitudine cum aliis periisset, uir alioqui bonus, minimeq; seditiosus, petierunt ut sibi inter consanguineos sui patris daretur possessio. Moses igitur consulto Ioua, ad eas hæreditatem paternam transtulit: & porrò legem tulit, ut si quis sine filio moreretur, filia in hæreditate succederet: si etiam sine filia, fratres: si neq; fratres haberet, patris fratres hæreditatem adirent: si ne hi quidem essent, darent hæreditatem ei, qui de eius gente ad eum propinquitate proximè accederet. Numeri 27.

Solonis Atheniensis probatur lex testamentaria. Etenim antea non erat ius ATHENIENSIBVS testamentum cõdere, sed familiæ defuncti pecunia & hæreditas relinquendæ erant. Hic liberum fecit non extãtibus liberis, cui uisum esset, sua donandi, amicitiamq; propinquitati, & gratiã prætulit necessitati, pecuniamq; mancipium fecit possessorum. Nec indefinitè tamen citra delectum dare indulsit: sed si nõ per morbum uel medicamentum, nec uinculis uel ui astrictus, uel uxoris inductus esset blanditiis. rectè atq; ordine, improbis modis inducaris, an uim patiaris, nihil ratus interesse: sed dolũ ui, & uoluptatem dolori conferẽs, quasi ęquè de statu mẽtis deiicere homines ualeãt. Plut. in Solone.

Lex Athenis fuit, ut si quis nothum haberet filium, legitima FILIA caperet hæreditatem, nothis autem V. minæ circiter relinquerentur. Suidas.

Apud ARABES lege cauetur, ut fratres gentilium hæreditatũ successores antecedãt filios, quia natu grandiores sint. Apud AETHIOPES ad regni successionẽ non regis, sed fratrum filij uocabantur. LYCII populi filias, non filios, hæredes nuncupant, & à matribus cognomenta ferunt. Alex. lib. 6. cap. 10. Stobæus Serm. 42. ex Nicolai de Moribus gentium historia, & Herodotus lib. 4.

GERMANIS de bonis testari non licebat, sed si liberi extarent, ad intestati patris hæreditatem admittebantur: si minus, proximi [illegible] propinqui. Alex. lib. 6. cap. 10.

Duodecim tabularũ apud ROM. lex masculos æquę ac feminas ad bona parentũ pariter uocauit, eosq; siue testamẽto ualido, siue nullo, nec solùm natos, sed posthumos, inuitos & necessarios hæredes esse iussit, proq; hereditariis portionibus legata distribui uoluit. Ibidem.

Nobiles PRIMOGENITI apud Gallos, ut etiã apud Britannos, magnam capiunt partem totius hæreditatis, ac perpetua maiorum successione auitas hæreditates tuentur, ne in plures distractis prædiis, decus nobilitatis, quæ militarem disciplinam tuetur, intereat. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

Ius testamenti à Carolo Magno SAXONIBVS ademtum, à Ludouico Pio Imp. restitutum. Aemilius lib. 3.

Pius II. eorum CARDINALIVM testamentã, qui Romę decessissent, libera esse uoluit: qui intestati obiissent, eorum bona ita demùm referri in ærarium est passus, si nec propinqui comparuissent. Campanus in eius uita.

SIGILLI IVS.

Institutum obsignandi literas ROM. põtificis plumbo unde? Satis constat Agathonẽ, quo sedẽte magna sedi facta est honoris accessio, in cera anulo impressisse sigilla. Verùm postea quũ Rom. pontifex multa irrogaret priuilegia, ut diplomata diuturniora forent, placuit Stephano III. ac deinde Hadriano I. tabulas Apostolicas plumbo obsignari. Fuit is annus Salutis DCCLXXII. quum ipse Hadrianus factus est pontifex: nam antiquius non reperitur sigillum plumbeum. Quemadmodum constat ante Carolum Magnum Imp. literas auro obsignasse principum Romanorum neminem. Polyd. lib. 8. cap. 2. de rerum Inuent.

Alexandro III. Venetiis exulante, Veneti pro eo ad Fridericũ Imp. legatos misere. Pontifex cùm DVCEM literas ad Fridericum de fide legatis habenda cera obsignantem conspexisset, mandauit, ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirentur. Obbo, duplici, ait, Venetos principes ad eam diẽ signandi forma usos fuisse, ut publica monumenta plumbo, epistolas ac reliquos libellos cera communirent: sed tum primùm Alexandro auctore receptum, ut in his quoq; plumbo uterentur. Sab. lib. 7. Decadis 1.

In SIRADIENSI terra nobiles id Regum Polonorum priuilegiis ob bellicam fortitudinem concessum habent, ut cera rubea in obsignãdis literis utantur. Quod alioqui solis magnatibus, & officio regio prefectis, conceditur. Nã cùm Pruteni cum Polonis in acie acriter confligerent, Lancinienses à Prutenis Crucigeris superati, uexillum sui Palatinatus amiserant: quibus Siradienses in auxilium uenientes, uexillum ab hostibus recuperauerunt. Guagninus in descriptione terræ Siradiensis.

ARMORVM GESTANDORVM.

Apud CHÆRONEOS olim coronatum esse, & comatũ, ferrumq; gestare, atq; in Phocensium fines non penetrare, ad officiũ pertinebat summi magistratus. Plut. in quæst. Rom.

BELLI INDICENDI.

REGIBVS Spartiatarum ius datur, bellum in quãcunq; libuerit regionem inferendi: ut id nulli Spartiatarum prohibere fas sit, alioqui piaculari crimine teneatur. Herod. lib. 6.

Vt belli ius omne esset apud ROM. in populo, Seruia lege sub regibus cautum erat, ut Dionysius tradit, multò magis post regifugium. Liu. lib. 4. Controuersia fuit, inquit, utrũ populi iussu bellũ indiceretur, an satis esset senatusconsulto. Peruicere Tribuni, denunciando se delectum impedituros, ni Quinctius ad populum ferret. Omnes centuriæ iussere.

INSIGNIVM BELLICORVM.

Henricus IIII. rex Germanorum cõtra Gregorium VII. Pp. ducens, PATAVINOS sui maximè studiosos nactus, Milonis episcopi propinqui sui, & reginę Bertæ rogatu, libertate & carrocij usu eos donauit. Patauini inde carrocium suum propterea Bertæ nomine appellarunt. Quos eosdem Cremonenses quoq; sequuti, eodem, ut puto, beneficio affecti, suum & ipsi Bertam ac Bertacciolam uocarunt. Sigonius lib. 9. regni Ital.

EQVORVM VTENDORVM.

Euectiones dicuntur in l. 3. C. de curs. pub. Principis literę, quibus alicui potestatẽ facit publicis equis cursualibus utẽdi. Earum autẽ usus priuatis interdicitur: & magistratibus, cęterisque, qui in officio sunt, permittitur. l. nullus 11. C. eod. Tractoriæ appellantur sub Rub. de tractoriis & stat. Hotomannus de Verbis iuris.

Cùm apud Rom. lege uetere dictatori equo uti nõ liceret, uel quia maximum robur in pedite ponerent, uel quia ingentẽ dictaturę potestatẽ refręnare uellent, ut populi indigens uideretur: Q. FABIVS Maximus Verrucosus dictator dictus contra Annibalem, magistro equitum M. Minutio dicto, primùm à Senatu impetrauit, ut sibi in bello equo uti liceret. Plutarchus in Fabio.

SACRORVM IVS.

Erythræi solis THRACIIS mulieribus templum Herculis intrare permittebãt: eo quòd solę istæ apud Erythræos ob uictum seruæ factę, se tondẽdas præbuerint, iuxta cęci cuiusdã piscatoris somniũ, ut confecto ex suis crinibus fune, ratim, in qua simulacrum Herculis erat, faciliùs ad se pertrahere possent. Pausanias in Achaicis.

SPECTACVLORVM IVS HONORIFICVM.

BERENICI uel Pherenicæ uel Pheretimæ soli omnium feminarũ gymnico spectaculo interesse permissum fuit: cùm ad Olympia filium Euclea certamen ingressum adduxisset, Olympionice patre genita, fratribus eandem palmam assecutis latera eius cingentibus. Val. Max. lib. 8. cap. 16.

Fama est filiam Diagoræ Rhodij Olympionicæ ARISTOPATEIRAM Olympiam uenisse: petiisseq; ab Hellanodicis, hoc est, certaminum arbitris, ut eam ad spectaculum admitterent. Qui, dum iuxta legem suam dicerent, mulierem non decêre ut gymnicum agonem spectet: respondit, se aliis haudquaquam feminis parem esse, sed quiddam habere excellentius ceteris, nempe maiorum se uirtutibus munitam: iuxtaq; & patris & fratrum statuas commonstrauit. Quo uicti Hellanodicæ, legis soluta consuetudine, Aristopateiræ

pateiræ spectandi fecêre copiam. Gell. lib. 1. cap. 15.

Cum pleriq; EQVITVM, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis: pronũciauit Augustus, nõ teneri ea, quibus ipsis parentibúsue equester census unquam fuisset. Suetonius.

LIBERATIONIS NOXIORVM.

CARDINALIS Rom. ecclesiæ noxios ad supplicium ductos galeri sui impositione liberare potest. Alex. Lossæus ex Paulo de Castro in l. addictos. in princ. C. de appellationibus.

CERTAMINIS.

In Olympicis ludis ad certamen nemo admittitur, nisi qui parentes & stirpem generis esse citra labem omnem edocere potuerit. Cælius lib. 29. cap. 8. A. L.

ADITVS LIBERI, PORTAE APERTÆ.

Romani CELTIS robur ac uires sumentibus, fœdus cum eis fecerunt, his conditionib. ut tributa eis penderent, portáq; apertam omni tempore præberent, & terram exercendam concederent. His factis, Celtæ castrametabantur. Romani tanquam amici, multa hospitalia munera miserunt, uinisq; magnam copiam. Celtæ hausto uino, præ nimia ebrietate prostrati iacebant. Romani impetu facto eos omnes cõciderunt. Vt autem ex fœderum conditionibus omnia uiderentur agere, in saxo inaccesso portam apertam ædificarunt. Polyænus lib. 8.

INGRESSVS LIBERI.

Festus ait, MATRONÆ à magistratibus non submouebãtur, ne pulsari contrectariq; uiderentur, néue grauidæ concurrentur. Sed nec uiri eatum, sedentes cum uxoribus in uehiculo, descendere cogebantur. Hotoman. de Verbis iuris.

PEREGRINATIONIS. LEGATIO LIBERA.

Legationes liberæ dicebantur, quas Senatores priuati negotij caussa à Senatu ad aliquod tempus impetrabant. Cicero eas annuas lege sua fecerat: sed postea (ut scribit libro ad Attic. 15) lege Iulia quinquennium iis præfinitum fuit. Eas autem tribus ferè de causis postulari solitas reperio: uoti soluendi, unde etiam Votiuæ plerunq; appellantur: periculi uitandi, & hæreditatis nominúmne persequendorũ. Voti soluendi exemplum Cicet. lib. ad Atticum 2. suppetit, ubi cùm Clodiani periculi tempestatem uitare cuperet, uotiuæ legationis specie ac nomine uti uoluit. Periculi uitandi exemplum Plutarchus in Gracchis prodit, ubi ait, Senatum Scipioni Nasicæ liberam legationem in Asia decreuisse, cùm ob mortem Tiberij Gracchi, cuius auctor Nasica fuerat, uideret plebem malè in illum animatam, & publici ei iudicium molientem. Cicero etiam in prima Philippica propter Antonium scribit se ius liberę legationis habuisse. Hęreditatum & syngrapharum idem meminit in Rullum. Memorabile est autem, quod ex ipsius ad Cornificiũ epist. 21. lib. 12. obseruauimus: eos, qui cum libera legatione mittebãtur, lictores à prouincialibus magistratibus & insignia cæterorum legatorum accepisse. Hotoman. de Verbis iuris.

LOCI, HABITATIONIS PRO ARBITRIO.

Vide Tit. Liberati è carcere, ab exilio. Illic Seruitutis abactæ: hic Libertatis consecutæ ratio habetur.

SOCIETATIS, TRIBVS.

Atellanarum ACTORES apud Romanos tribu non mouebantur, ut reliqui histriones: unaq; cum cæteris militabant, perinde ac si histriones non essent. Sab. lib. 3. En. 4.

DOMVS REGENDAE.

Apud ROM. cùm sponsa in mariti domũ introduceretur, datium traditione illi domus regendæ potestas dabatur.

DECVBITVS LIBERI.

GONORIA concubina Ricardi ducis Normaniæ, ab eo post obitum uxoris in matrimonium ducta, nuptiarum nocte prima in lecto dorsum marito obuerterat. Insolentiam admirante duce, In tuo, inquit, hactenus lecto tibi morigera iacui: at postquam eum communem tecum mihi esse uoluisti, in eo porrò tãquam proprio in utrũq; latus securè possum dormire. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

MORTIS.

EVRYDICE, Macedonum regina, reuersa ab exilio Polysperchontis auxilio post Antipatri obitum, ab Olympiade coniecta in carcerem, triplicis mortis optionem accepit: gladium, laqueum, & cicutam. Ex quibus laqueum elegit.

POTESTAS BONI CVIVSCVNQVE, CONSIDERATA RESPECTV PERSONAE POTESTATEM CONferentis, & alterius eandem acceptantis.

QVI.

Ex præcedentibus huc plerag; referri possunt, si auctorem potestatis & priuilegij collati spectemus. Regem, Pontificem, Patrem, Dominum.

CVR. CAVSA

Ortus, Natiuitatis.

Apud Israelitas PRIMOGENITVS duplicem partem hæreditatis habebat. Si quis uxores duas haberet, alteram amatam, alteram inuisam, & utraq; ei liberos peperisset, si inuisę filius primogenitus, non licebat testamento filium amatæ primogenitũ facere, sùmmoto inuisæ filio. Deuteron. 21.

Maccabæi Scotorũ regis lege, PRIMOGENITI cuiuscunq; sexus hereditatem adeunt. Primogenita tamen si agri prędiiue alterius domino nupsisset, hæreditate priuabatur. H. Boëthius lib. 12.

Fœcunditatis.

Ius trium liberorum institutum est, ut qui quæ ue tres liberos ex iusto matrimonio suscepissent, iis plurima, præcipuo quodam & singulari iure, præter cæteros concederentur. ueluti, ut mulieres uiuo patre testamentum cõdere, & rem suam sine tutorum auctoritate administrare possent: quod Plut. in uita Numæ testatur. Vt uiri excusarentur ab omnib. ciuilibus muneribus, quæ patrimonij non essent. l. 2. ff. de uacat. mun. Vt qui Romæ tres liberos superstites haberet, à tutelis & curationibus excusaretur. §. 1. de excusat. tutel. Id autem ius etiam iis, qui tres liberos non habebant, concedebatur: aliud enim est tres liberos habere, aliud ius trium liberorum. Hotoman. de Verbis iuris.

Imperij, Tyrannidis.

Lycus Thebanorum tyrannus, ad senem Amphitryonem sedentem, absente Hercule, cum uxore & liberis Herculis ad aram, habitu supplicis, apud Eurip. in Hercule furẽte inquit

--- Καὶ σέ, γέρον τ' Ἀμφιτρύων
ὑμῶν κακίᾳ, δούλου ἃ βίβλομεν;

Quoniam dominus uester constitutus sum, licet mihi dicere quæ uolo.

PAVLVS II. pontifex cùm Abbreuiatores omnes abolio, II. instituto, ordine mouisset: Platina, qui de eorum numero erat, rogabat, ut causæ ipsæ iudicibus publicis (quos Rotæ auditores uocant) committeretur. Tum Paulus: Itanos, inquit, ad iudices reuocas, ac si nescio omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse? Sic stat sententia, inquit, loco cedant omnes, cæci quò uolunt, nihil eos moror, pontifex sum, mihiq; licet pro arbitrio animi aliorum acta & rescindere & approbare. Platina.

VALENTINIANVS à militibus post obitum Iouiani Imp. Ancyræ in Bithynia dictus, cùm quidam Equitius, qui Illyrico præerat, fauerent, suborto murmure, ut ipsa quoq; militum multitudine, placida oratione sedauit tumultum, & collegam sociumq; tantarum curarum ab exercitu petiit. Et cùm ei frater Valens offerretur, Nicomediam ingressus, cum tribunum statuli fecit, dicens: Nostrum erat, commilitones, me Imperatore non existente, me regere & imperio præficere: id ubi ego suscepi, meum iam, uestrum non est, de arduis iis rebus cogitare. Sed pòst paulò uenientes Constantinopolim, magnitudinem negotiorum secum uolues, produxit Valentem in suburbanum Augustum pronunciauit, eodemq; ueheculo secum, ut participem legitimæ potestatis, eduxit. Cuspinianus.

Nobilitatis.

Inter canonicos non recipere, nisi ordinis ministerialis, multæ ecclesiæ per Saxoniam consueuerunt, Magdeburgensis, Hildesemensis, Halberstadensis, Mindensis, Paderburnensis, Osnaburgensis, Monasteriensis. Sed nulla inter omnes obstinatior est in ea re, quàm Monasteriensis. Aliæ patiuntur Doctores, aut Licentiatos ministerialibus comparari. Illa solos admittere ministeriales, quos uulgò naturales appellant. Quidam maioris ecclesiæ præbendam non habẽs, præpositurã tamen aduersus ecclesiæ statuta in quodam collegio imperrarat. Sed per insidias cæsus est. Cranzius lib. 11. Metrop. c. 47.

LIBRI SEXTI TITVLORVM DISPOSITIO.





II. TRIBVTVM, Vectigal. Considerandæ



Voluminis Tertij Liber VI.

De SERVITVTE.

SERVITVS RELIGIOSA. TANQVAM EXILII.

Ex Tit. Excommunicationis, exempla huc transferantur, illic potestates sacrorum ademtæ considerantur. Eadem propter adiuncta male multa alia, inter species Iuris seruitus sacræ referri poterit.

CARCERIS. MONASTERIIS loco carceris INCLVSI.

THEODOSIVS III. Imp. uix imperio annuo spacio potitus, à Leone III. est deiectus, quem exercitus Imperatorem dixerat. Ergo monasticam amplexus uitam cum filio, nulla est affectus ignominia. Cuspinianus, ex Zonaræ tomo tertio.

ALEXIVS Comnenus, Manuelis Imp. ex patruele sua Theodora Comnena nothus, in monasterium ad Papycium montem ab Isaacio Angelo Imp. ob leuem suspicionem intrusus, ex omnibus Papycij montis cellis eam (quod non fortuitò accidisse dixeris) delegit, in qua protostrator Alexius à Manuele ob opes & prudentiam, & in rebus gerendis dexteritatem captus, capillum posuerat. Nam in fatis erat scilicet, ut paterna delicta in filium redundarent. Cùm subtristitiæ ijs, qui eum comitabãtur, uideretur, à Niceta tristitiæ causam rogatus, respondit: Non habitum horreo (quid enim uestis mutatio periculi habeat?) sed promissiones, quas secum fert habitus, reformido, & illud, quòd ad cœleste regnum nullo modo aptus est is, qui manum ad aratrum semel admotam retraxerit per insaniam. His & alijs id genus dictis Christianum pallium inuitus induit, & precibus, quæ super eo perágebantur, ne summis quidem auribus admissis, tantùm radi se, & Athanasium appellari passus est. Nicetas libro tertio.

Constantinopolitani Imperatore salutato Nicephoro Botaniate, Imp. MICHAELEM Parapinacenum cũ coniuge Maria Alana, & filio Constantino coronato iamdudum, & Roberti Longobardorum ducis filiq; quam Helenam nominauit, adductam per legatos) desponsato, in Blachernam am regiã fugientẽ exuerunt imperio, habitu monachi ipsum uestientes: abduxerunteq; in Studij mansionẽ, imperio functum annis sex, totidemq; mensibus. Cuspinianus.

MICHAEL Constantini Ducæ filius, imperio à Botaniate per seditionẽ deiectus, tonsa coma factus est monachus: deindeuerò suffragijs concilij metropolitanus Ephesi renunciatus est: quam cùm semel inuisisset, in monasterium Manuelis reuersus, ibi uitam finiuit. Zonaras tomo 3.

NICEPHORVS Botaniates, cùm Alexius Comnenus Constantinopolim occupasset, illicò regia decessit, abiectis purpureis calciamentis, abiensq; in monasterium, totondit comam, stolamq; induit, illi panno à monachis uestitus, anno tertio postquam imperare ceperat: in templo Sophiæ (ut alij scribunt) captus, ac uita donatus, ea conditione, ut monachum ageret. Cuspinianus.

STAVRATIVS Nicephori F. imperio deturbatus, tonsis capillis monasterio inclusus fuit à Michaële Curopalate sororio suo, cùm pater Nicephorus & ipse annos imperassent nouem. Imperator pietate motus, uxorem Stauratij Theophaniam, quæ post uiri obitum comam totonderat, nigrãq; uestẽ induerat, multa donauit pecunia, domumq; ei ad habitandum parauit, in qua monachis domicilium fecit, ubi

sepultus est Stauratius, quod Mone appellatum est. Cuspinianus ex P. Diacono lib. 23. rerum Rom.

STEPHANVS ac CONSTANTINVS fratres, ROMANVM Imp. patrem suum regno exutum, in monasterium trãserũt. Quos paulo pòst Constantinus, Leonis filius, eidem monasterio inclusit. Luitprandus lib. 5. c. 11.

MICHAEL Curopalates, cognomẽto Rancabe, gener Nicephori Imperatoris Romani, cuius & ipse in regno successor fuit, à Leone Armeniaco captus, & in exilium missus, monachum perpetuò egit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Zonaras tradit, ANASTASIVM Arthemium Imperatorẽ uictum à Theodosio Adramytteno, & relegatum Thessalonicam, monachi habitum accepisse, ubi intellexisset urbem occupatam, fideque accepta, seipsum dedidisse, nihil iniuriæ passum. Cuspinianus, & Zonaras tomo tertio: ubi clericus & presbyter ordinatus est, iuxta Bedam de Ratione temporum.

Luitperta Desiderij Longobardorum regis F. patre rege relegato, fratre Adalgisio Patricio à Francis interemto, uirum suum Bauarum THASSILLONEM conquiescere non sinebat. Is Vindocindum Saxonem exulẽ, Francorum ex professo hostem, receperat: alia etiam hostilia in Carolum Magnum ausus, deprecatore Pontifice Hadriano ueniam impetrarat, filiumq; Theodonẽ obsidem dederat. Cæterùm cùm non quiesceret, Thassilloni igni & aqua Pontifex interdixit: & eundem rex ad iudicium procerum reuocauit. Cùm condemnatio dubia non esset, oportunè mortua uxore Thassillo à Pontifice ignominia leuatus, cœnobio Laureacensi se dicauit: cum patre filius se pro aris totondit. Ita quæstio iudiciumq; omissa. Aemilius libro 2. Regino lib. 2. Sigebertus anno sal. 788. Otho Frisingensis libro quinto, capite 29. Auentinus libro 3.

MEROVEVM regem ob incestum cum Brunechilde, patrui uxore, coniugium, Chilpericus Francorum rex pater cepit, & totondit, & presbyterum ordinari curauit. Adon Viennẽsis quarta ætate.

Clodoueus rex Francorum CHARARICVM cũ filio cepit, & patrem tonsum presbyterum, filium uerò diaconum ordinari iussit. Turonensis lib. 2. c. 41.

PIPINVS & CAROLVS, filij Pipini, à Carolo rege Francorũ ob turbas in regno capti, & in monachorum ordinem redacti, anno Domini 852.

PIPINVS Gibbosus, Caroli Magni nothus, anno Dom. 792. coniurarat cum quibusdam proceribus Francorum, contra patrẽ. Coniuratione à Fardulpho monacho prodita, ille quidem in monasterium S. Galli Prumiam apud Sueuos relegatus fuit, auctores uerò sceleris suppliciis affecti. Auentinus lib. 4. Annalium. Sigebertus anno 792.

IRENE post Constantinum F. ab imperio deiectum, tãdem ipsa quoq; in monasterium relegata fuit à Nicephoro. Paulus Diac. lib. 23. Rerum Rom.

CHILDERICVS rex Frãciæ, ultimus Carolingorum, attonsus, & in monasterium missus est. Regino lib. 2.

In monasterio Dalmatij Absimarus LEONTIVM de imperio deiectum in custodia seruari curauit, anno Dom. 700.

MARIA uxor Constantini, ab ipso repudiata, in cœnobiũ detrusa est. Zonaras tomo 3.

IOANNES Particiacius, Venetorum dux, quum graues simultates cum Mastalicia familia exercere cepisset, quæ tum erat in Venetis nobilissima, ab hominibus aduersæ factionis pro æde D. Petri, quò sacrorum hora se contulerat, insidiis exceptus, summæ dignitatis insignibus exutus, barbamq; & capillos detonsus, octauo sui principatus anno est Gradum relegatus: ubi sacris initiatus, uitam postea cum morte commutauit. Sab. lib. 3. Dec. 1.

IOANNES, Alberti Cæsaris interfector, in Italia Pisis Eremitarum cœnobio pœnitentiæ causa inclusus fuit ab Henrico Lucemburgensi Imp. ad quem profectus erat Clementis Pont. consilio, ut disceret, qua pœna istud parricidium luere posset. Aemilius lib. 8.

BVRDINVS pseudopapa, cùm Romam euntes & redeuntes sæpius Sutrij deprædatus esset, tandẽ captus, in monachum attonsus fuit, anno 1121. Sigeberti Continuator.

ALEXIVS nothus Manuelis filius, qui consiliorum Andronici Imperium affectantis conscius habebatur, in monasterium montis Papynacei detrusus fuit ab Isaacio Angelo. Nicetas.

QVIDAM impostor, Hẽricum Imperatorem se esse simulans, multarum cædium auctor extiterat: sed fraude detecta, in Cluniacensem monachum attonsus fuit, anno 1138. ut Sigeberti habet Continuator.

ALMVS, Colomanni Vngarorum regis frater, cum filio oculis orbatus, in Demesiense cœnobium inclusus. Bonfinius lib. 5. Decad. 2. rerum Vngaricarum.

OBSIDIONIS. A Dæmonibus Obsessi.

Consule Tit. Dæmoniacorum. Illic Morbi, heic Seruitutis habetur ratio.

Infestati. A Spectris, Laruis uexati.

Spectra, laruæ, quatenus portendunt aliquid, ad locũ pertinent Signorum diuinorum. Quatenus uerò infestationem habent iunctam, huius sunt loci. Loca spectris plena ad Paupertatis quoq; titulos referri possunt. Heic Hominum, iniucundam conuersationem spectrorum auersantium, ratio habetur.

Aiunt Gello uirginem quampiam fuisse, quæ puella adhuc uita decesserit. Huius spectrum oberrare LESBIIS, creditum est, ac pueros impetere. Vnde puerorum mortẽ, qui prematuro fato perirent, huic Gello imputabant. Citatur Sappho, quæ huius fabulæ meminerit. Hinc prouerbium, Puerorum amans Gello. Erasmus.

Strabo libro 6. Geographiæ refert, TEMESSAM ab Lao primam urbem esse Brutiæ, ipsius ætate dictam Tempsam, quã ab Ausoniis conditam, Thoantis comites Aetoli deinde tenuerint, atq; his expulsis Brutij, demùm Hannibal & Romani funditùs euerterint. Iuxta hãc sacellum fuisse oleastris circumseptum, Politæ cuidam ex Vlyssis comitibus sacrum. Hũc, quòd esset à Barbaris uiolatus, graueis iras in eos exercuisse: adeò ut in prouerbium abierit, dicerẽtq; cauendũ, ne Temessæus genius immineret. Deinde Locrensibus Epizephyreis urbe potitis, Euthymum quendam, ut inquit Aelianus, ex Italia illuc uenisse, pugilem inclytum, & insigni robore, qui & lapidem ingenti magnitudine gestauerit, qui Locris ostendi soleat. Hunc cum Polite congressum, uictorem è certamine discessisse: atq; ita finitimos huius opera liberatos à tributo, quod ille consueuerat extorquere. Quin & cõpulisse illum, ut quod per uim abstulerat, redderet etiam cũ fœnore. Atque hinc prouerbium natum putat, ijs qui sordidos & iniustos quæstus faciunt, adfore Temesseum genium: quo significabant, aliquando dependenda cum fœnore, quæ præter ius, & fraude seu ui rapuissent. Pausanias in Eliacis paulo diuersiùs rem narrat: nempe comitẽ quendam Vlyssis ob uirginem constupratam, occisum fuisse, atq; ob id laruas eius, nisi quotannis oblata uirgine placarentur, grassari solitas, ac perniciem adferre omni sexui atq; ætati. Atque hunc quidem eius loci genium uulgò fuisse creditum, quem Euthymus pugil Temessam reuersus compescuerit, uirgine, quam deuouerãt, liberata, atq; in matrimonium accepta. Erasmus in Chiliadib.

PAVSANIAS Spartanorum rex, interfecta Cleonice Byzantina uirgine per tenebras, manibus illius pòst ad mortẽ usq; exagitatus fuit. Plut.

NERO matrem Agrippinam, dicta factaq; sua exquirentem acerbiùs & corrigentem, interfecit. Neq; tamen sceleris conscientiam, quanquam & militum, & Senatus populiq; gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut unquam postea ferre potuit: sæpe confessus, exagitari se materna specie, uerberibus furiarum, ac tedis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impij & scelerati uoce præconis submouerentur, interesse non ausus est. Suetonius.

OTHO Imp. Galba cæso, à suppliciis & terroribus imperium auspicatus est. Nox enim, quæ primũ imperij diẽ secuta est, adeò turbida & infesta illi contigit, ut per quietem subitò pauefactus, gemitus ediderit ingentes, repertusq; sit ab ijs, qui eò occurrerant, humi ante lectum iacens: ob idq; Galbæ manes, à quo deturbari sese expelliq; uiderat, propitiare conatus est. Postridie quoq; in augurando tẽpestate orta, grauiter prolapsum, identidem obmurmurasse tradũt: τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Idem.

Zonaras ex Thracesio refert, ISAACIO Comneno Imp. circa Neapolim uenanti uisum esse aprum horrendum aspectu: quẽ dũ laxatis equo habenis persequeretur, in mare demersum euanuisse, & à plerisq; non aprum, sed spectrum quoddam diabolicum esse iudicatum: atq; interim fulgore quodam instar fulguris perstrictum Imperatorem, equo præ terrore excussum, & spumam ore reijcientẽ, humi attonitũ iacuisse, atq; inde naui piscatoria in regiam reuectum, in Studiense monasterium se contulisse. Zonaras.

Naclum arcem Pomeranorum munitissimam Vladislaus I. Polonorum rex obsidebat. Ibi noctu lucente luna, crebrò uisebantur ab excubitoribus quasi armatorum hostium acies, ex apertis cãpis ad statiua POLONORVM adequitãtes & incursantes. Cùm id sæpius accideret, indignati Poloni inquietari sese, nec usquam in apertum certamen prodire hostes: nocte quadam, cùm itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese proripuere, diffugientesque casso labore longiùs persecuti sunt. Obsessi tumultu Polonorum exaudito, & excursione è castris animaduersa, erumpunt subitò, & ignem in opera atq; tuguria militum stramine arundineque contecta iniiciunt: quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis, qui in castris manserant, defendentibus, facilè opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas umbras illas fuisse autumant, quæ hostilis exercitus speciem ostentantes, Polonos ita diuino permissu exagitarunt: propterea quòd solenne omnibus Christianis quadraginta dierum ieiunium, priore expeditione, promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum moribus [illegible] Ecclesiæ catholicæ contemtis, temerauerant. Hoc incõmodo accepto, Poloni quòd hyems, quæ [illegible] & asperius regiones illas affligit, iam instabat, tuguriaque amiserant, sine quibus uim & iniuriam hyberni cœli perferre non potuissent, simul quòd terrores illos nocturnos in religionem uerterant, re infecta ab oppugnatione Nacli discessere. Cromerus lib. 5. hist. Poloniæ.

Alexander ab Alexandro libro 2. Genial. dierum cap. 9. scribit, quendam suum FAMILIAREM, non ambiguæ fidei hominem, amici funus curasse: & cùm inde Romam reuerteretur, nocte adueniente in hospitium uiæ proximum diuertisse, & ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cumque solus degeret, & adhuc uigilaret, ait repentè amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo fermè habitu oris, quali illum, cùm ęgrotaret, dimiserat, ad se accessisse: quem quum fuisset intuitus, & præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset interrogauit. Ille autem cùm nihil respondisset, exutis, ut uidebatur, uestibus, in eodem, cui ipse incumbebat, lectulo se collocauit, ac propè accessit, quasi eũ amplexaturus. Alter uerò cùm ferè iam metu exanimis uideretur, ad lectuli spondam secessit, illumque propius accedentem abegit: qui se repulsam pati uidens, ipsum toruo & minus familiari uultu aspectauit: resumtisq; mox uestibus è lectulo surrexit, & elrctus calceatusque inde abiens, nunquam postea apparuit. Quo timore familiaris ille perculsus, graui correptus fuit morbo, ut propemodum interierit. Addebat his, dum in lectulo cum illo luctaretur, se nudum illius pedem usque adeò gelidum contrectasse, ut nulla glacies huic frigori potuerit comparari.

Idem eiusdem argumenti historias describit libro 4. cap. 19. in hæc uerba: Nuper AMICVS meus summus, ingenio & fide singulari, rem dictu admirabilem sibi euenisse narrauit, eius ueritatem multorum comprobans testimonio: se uidelicet, cùm apud sibi familiarem & coniunctissimum Neapoli diuerteret, & nocte intempesta hominis in uia clamantis, opemque implorantis uocem audisset, accenso lumine accurrisse, quid rei esset inquisitum: ibique dæmonem tetra & horribili specie conspexisse, iuuenem uociferantem in uia infestis manibus inuadentem. Ad hunc propè accedentem miser ille accurrit, uestemq; & manum quàm potuit tenacissimè apprehendit: multumq; & diu frustra reluctatus, inuocato numinis diuini auxilio, uix tandem à dæmone se uindicauit. Quum uerò iuuenem animo turbatum in domũ recepisset, ut ab ipso dimitteretur, aut pallium relinqueret, nunquam potuit effici: tantus enim illum inuaserat horror, ut mente cuncta sui non esset compos, quum illi perpetuò ob oculos uersari uideretur illa species. Vbi tandem ad se rediisset, rem omnem, quo pacto habuerat, exposuit. Fuerat autem sceleratæ uitæ, contemtor Dei, & parentibus immorigerus: quos tunc obiurgarat, contumeliasq; & intoleranda probra in eos cõgesserat, ut ab illis consecratus diris exe crationibus abierit.

THOMAS monachus, homo minimè malus, cuius fidẽ probitatemq; in rebus non paucis expertus sum, inquit idem, seriò mihi retulit, quum in monasterio & sacris ædibus, sitis in Lucanis mõtibus, cum pluribus altercatus fuisset, & post multa conuitia rixasq; animo perturbato solus secessisset per nemora, se speciem hominis uultu tetro, aspectu deformi sæuoq;, nigra barba, promissis tunicis, obuiam habuisse: qui rogatus, quid solus per deuia oberraret loca? respondit, Se equũ, quo uehi soleret, amisisse, eũq; sua opinione in proximos excurrisse campos. Cumq; per sinus inuios equũ unà quęsitum pergerent, ad riuulum, in cuius alueo gurgites latebant formidabiles, deuenerunt. Quare monachum calceos exuentem in faciliorem transitum, magnoperè urgebat alter, ut in ipsius conscenderet humeros, transferendus ab eo, qui maior erat corpore. Ille acquiescens, collumq; amplexus alterius uada inquirentis, pedes ipsius non humana, sed tetra & deformi specie contuetur. Qua re animaduersa, terrore perculsus, diuinam implorauit opem. Euestigiò dæmon, murmure querulo & turbine usqueadeò ualido profugit, ut imminentem quercum ingenti colliserit impetu, & infractis ramis radicitùs euerterit. Monachus consternatus, uelut exanimis diu iacuit, uix tandem ad se rediit.

GORDIANVS amicus meus, inquit idẽ Alexander, spectatæ fidei homo, mihi retulit, quum Aretium cum familiari suo proficisceretur, & ab itinere, ut fit, longè aberrassent per difficilia & deuia loca, ubi nihil uiderent culti, sed saltẽ nemora, saltus niuei & inaccessi obijcerentur oculis, & ipsa terreret solitudo: uergẽteq; ad occasum sole, labore fessi consedissent: tandẽ hominis uocẽ procul audiri uisum est, quam sequuti, in proximo fastigio trium hominum conspiciunt imagines immanes & formidabiles ultra humanum modũ, nigris & demissis tunicis, in ueste lugubri funestaq;, barba capilloq; summisso, horribili facie. Qui quum uoce gestuq; ad se ipsos aduocarẽt, ac iam propè illexissent, ingẽte interim corporis mole, lõgè humana maiores apparuerũt: atq; alius specie non absimili nudus, mirificos edidit saltus, gestusq; indecoros. Quo spectaculo consternati, fugam cepêre, uiamq; arduam & pręcipitẽ emẽsi, uix rustici demùm uilę hospitium, ubi diuerterent, inuenêre.

Sed præ omnibus, quæ audiuerim aut uiderim, res est admiratione digna, quam recenti memoria euenisse Romæ comperimus. Quum apud Gabios quidam infimæ sortis & obscuris natalibus ADOLESCENS furiosus, corruptorum morum & facinorosæ uitæ, parentẽ obiurgasset, conuitiisq; proscidisset, dæmone inuocato, cui se deuouerat, Romam meditatur, ut grauius aliquod flagitium in patrẽ moliretur. In itinere dæmonẽ facie hominis truculenta, sordida barba & capillo, uesteq; obsoleta & squallida obuiam habuit: qui tristitiæ & anxietatis causam ex iuuene percunctatur. Hic, sibi quid altercationis fuisse cum patre, & scelus aliquod iam animo constituisse respondit. Cui dæmon, sibi eandem obuenisse sortem ait, pergendumq; ut suas simul ulciscantur iniurias. Cumq; nocte appetente ad urbem peruenissent, in proximo diuerterunt hospitio, unaq; cubuerunt. Iuuenis somno oppressi iugulo manus iniecit pestilens ille comes: quod iam infregisset, nisi alter expergefactus Deo supplicasset. Vnde furia illa teterrima tanta ui cum stridore & fremitu cubiculum dicitur exeundo collisisse, ut tigna & tectum diruerit, tegulasque penitùs perfregerit. Hoc spectaculo perterritum & ferè mortuum adolescentem, uitiositatis & antè actæ uitæ pœnituit: alioq; afflatus spiritu, perosus scelera, boni exempli uitam procul à populari tumultu egit. Hæc ille.

Dæmones, qui in domibus oberrare uisuntur, uel mites sunt, uel tetrici & truculenti. Mites uidẽtur Lares dici posse, qui in domibus concubia potissimùm nocte uersantur, & aliquid se facere uario strepitu indicant, cùm reuera nihil faciant. Scribit Ioan. Vierus libro 1. cap. 16. de Præstigiis dæmonum, in ædibus suorum PARENTVM, se puero, Lares frequenter auditos, qui pridie quàm accederent mercatores lupulum emturi (è qua re pater ipsius quæstum facere consueuerat) saccorum per scalas deuolutorum strepitum imitari consueuerant, omine semper fausto & ueraci. His similes, quos Germani Gutelos uocant, à bonitate, qui etiam aliquid operum faciunt, curam præsertim iumentorum habẽtes, hominibus alioqui rarò apparẽtes. Non diuersi ab istis, quos Trullas nuncupant, qui sexu tam mulieris quàm uiri emẽtito, cùm apud alias nationes, tum maximè apud Sueonas in famulatu fuisse ferũtur. Iam uerò truculẽtos Laruarũ appellationẽ dignari possumus, qui familiam quocũq; modo uel turbant uel terrent.

In FODINIS quoq; metallicis utrunq; genus reperitur, teste Georgio Agricola in libro de Animantibus subterraneis. Et truculẽti quidẽ uel solo aspectu terribiles, plerunq; metallicis infesti atq; inimici sunt. Talis fuit ANNEBERGIVS dæmon, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit, in specu, qui Corona rosacea appellatur, eo nomine relictus, quantumuis argẽto diues esset. Flatum uerò emittebat ex rictu, cùm equi specie, habẽtis procerum collum & truces oculos, appareret. Eiusmodi etiam fuit SNEBERGIVS, nigro cucullo uestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius concauitatis quondam feracis argẽti collocauit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur IVDÆVS à dæmone metallico, hominibus frequẽter in forma capræ aurea cornua gerẽtis apparẽte. At sedatos illos Germanorum alij, ut etiam Gręci, Cobalos uocant, quòd hominum sunt imitatores. Nam quasi lętitia gestiẽtes rident, & multa uidentur facere, interim nihil planè efficiẽtes. Alij Virunculos montanos nominant, quia plerunq; apparent nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones, & uestiti more metallicorum, id est, uitteto, indusio, & corio circum lumbos dependente. Innoxij sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt, rarissimè tamen eos lædunt, nisi cachinno aut maledicto lacessiti. Potissimùm opus facere uidentur in his specubus, è quibus metalla iam effodiuntur, uel ea effodi posse spes est. Quocirca à laboribus non deterrentur metallici: sed omen

inde capientes, alacriori sunt animo, & uehementius laborant, eosq; exoptant. Ioannis Vierus lib.1.cap.16. de Præstigijs dæmonum.

Iason Pratensis Medicus cap.26. de Cerebri morbis historiam narrat de SACRIFICO, qui patiebatur incubum quauis nocte etiam uigilans, cùm mulierculam sibi notam ad se commeare imaginaretur, quæ uel reluctanti incumbẽs, grauissimè eum affligeret. Vierus libro secundo, cap.36. de Pręstigijs dæmonum.

NERONEM Imperatorem Agrippinę matris manes infestarunt. Suetonius.

Lutetiæ ad insigne equi rubri in uico S.Honorati, quidam metaxarius neptim suam, quam esse uidebat orphanam, ad se receperat. Hæc cùm propter Geruasij ad sepulcrum patris haberet preces, satanas se illi soli proceri hominis & atri figura obtulit, eamq; prehendens manu, dixit, Amica, ne timeto, pater tuus & mater bono loco sunt: uerùm Missæ aliquot dicendæ sunt, eundum peregrinatione suscepta ad nostram Dominam uirtutum, sic in Paradisum rectà ituri sunt. Roganti puellæ, quis esset: respondit, se Satanam esse, & ne consternaretur monuit. Puella imperatum fecit. Quo facto, eam iussit satanas peregrinationem Compostellanam ad S. Iacobũ suscipere. Cui illa, Nõ possum, ait, tam longinquum iter conficere. Ex eo tempore non desiit satanas importunè urgere illam, & uacantem operi, cùm sola esset, familiariter compellauit, dicendo, Quàm crudelis es? nollet ista ꝓpter me forfices in sinum indere. Quod illa cùm effecisset, ut ei satisfaceret, atq; ab eius importunitate expediret sese, rogabat ille, ut sibi aliquid daret: pronectusq; tandem eò est, ut de capillis peteret illius. Illa crinem roganti dedit. Nonnunquam etiam tentauit persuadere, ut ipsa se in aquam daret præcipitem, nonnunquam etiam ut se strangularet: & ipse indita in collum reste eam fuerat strangulaturus, nisi exclamasset: & cùm auunculus aliquando illam defenderet, uerberibus ita exceptus fuit, ut dies amplius XV ægrotus decubuerit. Semel etiam tentauit satanas cum ea concumbere: illa uerò fortiter obsistens, sic fuit affecta plagis, ut sanguis ex illius corpore manauerit. Inter eos, qui uiderunt puellam, quidam Episcopi Valẽtini Secretarius, nomine Choinius, puellæ dixit, Modum pellendo dæmonio esse aptissimum, ne quid responderet ad dicta illius, ne quidem si preces ad Deum fundere præciperet. Videns tandem satanas nihil à puella sibi responderi, causaue sua fieri, prehensam prostrauit in terram: & ab eo tempore illam reliquit. Bodinus lib.3. Dæmonom.c.6.

HOMINEM in uinculis uidit Bodinus anno Dom. 1560. qui ira percitus uxorem occiderat: data & confirmata uenia maleficij, conquerentẽ se singulis noctibus ab uxore cædi. Bodinus lib.2. Dæmonom.c.3.

[redacted]

Anno Domini 1557. malignus spiritus cum fulmine irruẽs Tholosæ in SVTORIS ædes, Pudoti nomine, Salino adiacentes, uibrabat lapides per singulas partes cubiculi: unde tam magnus lapidum aceruus collectus est, ut domina ædium ingens scrinium, lapidibus plenum habuerit: & quamuis ianuis fenestrisq; obditis, nihilominus tamẽ spiritus sine cuiusquam damno alios lapides apportabat. Quid rei esset uisuro Latomio præsidi spiritus decussit pileum cum lapide, & in fugam uertit. Iamq; dies sextus agebatur, cùm Ioannes Morquæus, Præsidialis Iudicis Consiliarius, monuit Bodinum, ut miraculum istud inuiseret. Is duabus ibi tribusue horis consumtis, non percepit quidquam. Eo autem ingrediente dixerat quidam, Deus sit in his ædibus: & cognita historia indixerat domino ædium, ut seriò ex animo oraret Deum, & gladium in cubiculi totius ambitum agitaret. Fecit: postero die mulier dixit nihil à se ex eo tẽpore fuisse auditum, & dies septem sine inquiete ulla transegisse, Bodinus lib.3. Dæmonom.c.6.

Gulielmus Parisiensis scribit fuisse Pictauij in PAROCHIA S.Pauli anno Domini 1447. spiritum, qui cyathos & uitreamina frangebat iniectis lapidibus, offendebat neminem. Bodinus libro 3. Dæmonomaniæ, capite 6.

SERVITVS POLITICA.

EXILIVM COACTVM.

Exilium heic propter adiuncta mala innumera inter Politicæ Seruitutis species connumeramus. Quod ipsum si respectu loci à quo exulare quis cogitur, perpendatur, ad Potestatem conuersandi ereptam quoque referetur.

QVI EIICIVNTVR, PELLVNTVR.

Huc pertinent

Populi deportati.

Cùm Oseas, Israëlitarum rex, à Salmanassare Assyriorum regẽ ad Suam Aegyptium defecisset, ab eodem captus, & cum X tribubus ISRAELITARVM in Mediam translatus est. Cuthæi autem coloni in Samariam deducti sunt. 4.Regum 17. Iosephus lib.9. Antiq.cap.15. Sponte sua inde in terram Arsareth, itinere XVIII mensium per angustos aditus Euphratis, quem Dominus cohibuerat, donec transijssent, profecti sunt, & ibi sedebunt usq; ad tempus ultimum: unde cùm erunt redituri, iterum sistet omnipotens fluminis uenas. 4.Esdræ 13.

Nabucodonosor, Babyloniorum rex, Ioachinum regẽ IVDÆORVM cum tribus millib. principum captiuum Babylonẽ abduxit. Post XI annos Sedeciam regem (quem ipsemet Iudeæ præfecerat) cum omni reliquo populo abduxit. Captiuitas ea 79 annis durauit.

Hierosolyma à Chaldæis capta est, anno Sedeciæ regis XI. quarti mẽsis die nono: direpta & exusta à Nabuzardano mẽsis quinti die decimo. Nobiles interfecti. RELIQVI abducti Babylonem, relicta tantùm fæce plebis, pro agro colendo. Hieremiæ 39. Interfecto inde ab Ismaële Godolia (quem præfecerat Nabuzardan terræ & ipsis reliquijs, quæ ibi remanserant) metu exterriti, contra uerbum Domini, quod eis per Hieremiam mandauerat, in Aegyptum transierunt, quasi ab Aegyptijs contra Chaldæorum arma possent defendi. Sed quinto anno captiuitatis Hierosolymorũ, ut Iosephus refert, tertio & uicesimo sui regni, Nabucodonosor inferiora Syriæ occupauit: Ammonitas itẽ & Moabitas. Inde Aegyptum subuertit, & regẽ occidit, & Iudæos oẽs captiuos duxit in Babyloniam. Hieronymus lib.3. com. in lamentat. Hieremiæ c.4. Ex 4.Regum 24. & 25.

Cùm CHII primi seruis mercenarijs instituissent uti, postea subacti à Mithridate Cappadoce, proprijs seruis uincti sunt traditi, ut in Colchorum regionẽ deportarẽtur: idq; illis aliquando euenturum oraculum predixerat. Inde prouerbiũ, Chius dominum emit. Ex Nicolao Peripatetico, & Posidonio Stoico, Athenæus lib.6. Dignosoph.

Populi expulsi.

Cùm Asinæus & Anilæus Iudæi, è textoribus Babyloniæ præfecti ab Artabano Parthorum rege essent constituti: & Anilæus cuiusdam Parthorum ducis uxore, occiso marito, potitus, res insolenter administraret: à Mithridate Artabani genero bello uictus est: uixque fuga elapsus, à Babylonijs somno uinoq; grauis cum asseclis omnibus cæsus est. Eo tyranno liberati Babylonij, IVDÆOS omnes exegerũt in Seleuciam. Vbi post quinquẽnium conspiratione Syrorum & Græcorum cæsi sunt supra L. uirorum millia. Reliqui Ctesiphontẽ se contulerunt. Vbi pariter exagitati à Græcis, tandẽ Neerdam & Nisibim, Babyloniæ urbes, redierunt. Iosephus lib.18.cap.ult. Antiq.

IVDÆI omnes Roma pulsi sub Tiberio, propter quatuor Iudæos improbos. Iterum sub Claudio. Horum unus fuit Aquila cum uxore Priscilla, Corinthi tandem à Paulo apostolo conuersus. Act.18.

Anno sal.1290. ex Anglia uniuersa IVDÆI sunt eiecti. Polydorus libro 17.

Ludouicus I. Vngariæ rex, ut HEBRÆI à duræ ceruicis pertinacia deficerent, resiperentq; tandem, se hos pro Vngaris habiturum, perpetua donaturum immunitate, pollicebatur. At quum neq; suis, neq; sanctorum patrum concionibus, ad orthodoxam fidem reuocarẽtur, publico omnes edicto Vngaria exegit, res ac fortunas impunè exportare ꝑmisit. Exacti, Austriam & Boëmiam inundarunt. Bonfinius lib.10. Decad.2.

Picti & SCOTI, Albiani populi, contra Britãnos primùm, deinde Romanos, mutua auxilia singulari fide & fortitudine præstitere. Sub Crathlintho Scotorũ rege rixa ob canẽ uenaticũ à Pictis interceptũ orta, cęsis aliquot ab utraq; parte nobilib. ad bellũ apertũ res spectabat: sed Carantij Britannorũ tyranni opera reconciliati fuêre. Romacho inde Scotorum rege, Pictis affinitate iuncto, à procerib. Scotis cæso, Picti ea occasione arrepta, regiæ mortis ulciscẽdæ causa arma infesta Scotis intulere. Variè pugnatũ. Tandẽ Picti Maximo Britanniæ legato in societatẽ pertracto, Eugeniũ Scotorũ regẽ occidione delẽuere, anno sal. 379. regni Scotorũ 712. Iuliano Apostata imperãte. Maximus reliquiarũ misertus, Scotis superstitib. pacẽ daturus, Pictorum auro corruptus, omnes proscripsit, Cartandam Eugenij uiduam & Ethodium Eugenij fra-

fratrem, saucios item medicorum curæ cõmissos uix à Pictorum iniurijs defendere potuit. Boëthius lib.6.

Familiæ.

Corinthi BACCHIADVM familia annis ducentis imperitauit, quos Cypselus tyrannus postea exegit. Cuius factionis Demaratus & Tarquinius domo eiecti, regnum Romæ tenuerunt. Alex.lib.4 c.23.

Cùm Dominicus Vrseolus Venetorũ ducatũ occupasset, & pulsus esset: Dominicus Flabianus dux electus, plebiscitum interposuit, ut VRSEOLA familia ciuitate eijceretur, tanquã seditiosa, eiq; ducatu omnibusq; aliis magistratib. interdiceretur. Ingratus populus stolidè hoc decreuit, Vrseolorũ ducũ priorum erga Rempub. præclara merita uel oblita, uel parui pendens. Petrus Marcellus.

SALVIATA gens ob Franciscum Saluiatum Pisanæ Ecclesiæ archiepiscopum, quòd per fraudẽ occupare palatium uoluisset, & contra Mediceos cum Iacobo Paccio equestri uiro conspirasset, Florentia eiectus fuit. Fulgosus lib. 6. c. 3. & Egnatius lib.6.c.5.

Sacri homines.

CLEMENS Romanus pontifex, à Traiano Cæsare exilio multatus est in insulã, ubi duo millia Christianorũ offendit, ad marmora damnatorum. Volat.lib.22. Anthrop.

EVSEBIVS Vercellensis præsul, ob religionẽ & doctrinam à Constantio principe missus est in Cappadociam, in exiliũ.

EVSTATHIVS Pamphylius, præsul Antiochenus, ab eodẽ Traianopolim Thraciæ relegatus, quòd Arianorum placita refellisset. Rauisius.

EVGENIVS episcopus Carthaginẽsis à Vandalorum rege Ariano cum sacerdotibus plus quingentis multatus exilio, post infinitos cruciatus. Sigebertus in Chronicis.

Thrasimundus Vandalorum rex in Africa, clausis catholicorũ ecclesijs, ducẽtos uiginti EPISCOPOS in exilium misit: & inter eos quoq; FVLGENTIVM facundia præclarum. Idẽ.

PONTIVS diaconus, ut est auctor Hieronymus, missus unà cum Cypriano in exilium, egregium uolumẽ de uita & martyrio Cypriani edidit.

MELETIVS è Sebasta Armeniæ ciuitate Arianus cõtra decretum concilij, factus est præsul Antiochiæ. Tamẽ inde rursus in exilium pulsus est, quòd præter opinionẽ ipsorum, orthodoxam fidem defendere cepisset. Eusebius.

Pulsis Scotis ex Albione à Maximo Britanniæ legato atq; Pictis, SACERDOTES & MONACHI Scoti in Hebrides delati, in Iona insula cœnobiũ instituere, paruis initijs, multis inde regũ donariis auctum, posteaquã in Albionẽ reuersi sunt Scoti, Cœmeterium regium factũ. H.Boëthius lib.6.

COLVMBANVS Hybernus, cùm Theodericum, II. Francorum regem paulo liberiùs corripuisset, ab eodem in exiliũ actus est: sæpeq; reuocatus, nunquã redire uoluit. Volaterranus lib.21. Anthrop.

SYLVERIVS Campanus, accusante Vigilio diacono, Theodora Iustiniani ac Antonina Belisarij uxoribus instigantibus, pontificatu pulsus, in insula Pontia obijt, quòd Anthemium episcopum reducere ab exilio nollet. Volaterranus libro 22. Anthrop.

MARTINVS pontifex per Olympiũ exarchũ, Constantini Iunioris filio Cõstante iubẽte, comprehẽsus, in perpetuũ exiliũ missus est, quòd Paulum patriarcham Constantinopolitanũ præsulatu deiecisset, ac Cyri Alexandrini, Sergij & Pyrrhi condemnationem probauisset. Sigeb. in Chron.

Veneti annales & Obbo Rauennas, ALEXANDRVM III. Pontificem uariis casibus iactatum, à Romanis demùm petijsse aiunt, ut omnium rerum humanarum administratione ciuibus permissa, liceret sibi Romæ tutò esse. Id quum tenere nequiuisset, cæteraq; Italia, ob capitale Friderici I.Imp. odium, crudeleq; eius edictũ, foret ubiq; suspecta: omni spe tuendæ dignitatis abiecta, per Apuliã ad Garganum uenisse, inde Liburnica naui Iaderam delatum, mox ignoto habitu ex Dalmatia Venetias nauigasse. Hic quia parum Venetorum in se animum exploratum haberet (pacatè enim cũ Friderico agebant) ad ædem publicæ Charitatis, humili habitu, tãdiu latuisse, quo ad palàm sit factũ quis esset. Tũ uerò agnitum à Sebastiano Ziano principe, multaq; officiorum frequẽtia in publicum eductum, & in Oliuolẽsi collocatum. Misit Fridericus, qui eum à Venetis suo nomine deposcerẽt. Hi quoniam eiusmodi postulata neglexissent, terra & mari sunt bello petiti: occupauitq; primas belli partes Otho, qui omnium opinione celeriùs, cũ quinq; & septuaginta triremibus Adriæ insinuatus, cũ Ziano principe in Iapidum ora circa Salborium promontorium prælio conflixit. Hic uictor Venetus, duabus triremibus in alto depressis, octo & quadraginta captis, & in his regia naui cum Othone, qui Venetias perductus est, magnum sibi & patriæ decus peperit. Inde Otho sub fide ad patrem dimissus, auctor fuit componẽdæ pacis. Sabellicus lib.5. En.9.

IOAN. Chrysostomus Eudoxiã, Arcadij Imp. uxorẽ, multosq; sacerdotum infestos habẽs, episcopatu pulsus, & in exilium missus fuit. Sed populo tumultuante reuocatus, secundò in exilium missus est, terręmotu regiam urbẽ grauiter cõcutiẽte. Sigebertus in Chron.

LAMBERTVS præsul & ciuis Traiectẽsis sub Pipino rege, ab impiis ciuibus in exilium pulsus est: ubi cùm septem annos consumsisset, regis iussu reductus est: & ab ijsdem ciuibus, quorum errores reprehenderat, occisus. Volaterranus libro 22. Anthrop.

Eo schismate, quod fuit inter Alexandrum III. & Victorẽ IV. CISTERCIENSIS ordo Alexãdro magnum præstitit obsequium, docendo illum legitimum esse pontificẽ, & uerũ Christi uicarium, Petriq; successorem. Iratus proinde Fridericus I.Imp. qui Victorẽ fouebat, regno eiecit uniuersos eius ordinis. Itaq; profugêre in Galliam. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap.18.

Cùm Succiæ rex Gustauus, Daniæ finitimus, religionẽ mutaret (quod fuit anno circiter 1537) IOANNES Magnus archiepiscopus Vpsalensis (qui Gothorũ & Suconũ historiã scripsit) Romam confugit. Venetias profectus, factus est eius ciuitatis Patriarchæ uicarius, &, ut uulgò dicũt, suffraganeus. Inde Romam reuersus, à Paulo III. pontifice collocatus in hospitali domo Sancti spiritus, ibi tenuis atq; pauper uitã finijt. Eius fratri OLAO titulum archiepiscopatus Gothici, licet extra cõmercium ecclesiæ Romanæ positi, Pp. contulit, & Tridentino concilio anno Sal. 1546. interesse iussit, ad uictum quotidianum aureis menstruis quindecim assignatis. Sleidanus lib.17.

Reges.

HERODES Antipas cũ Herodiade uxore Lugdunum urbem Galliæ in exiliũ pulsus fuit: accusatus ab Agrippa, quòd sicut olim cũ Seiano contra Tiberium, ita nunc cũ Artabano Partho contra Caium conspirasset. Iosephus lib.18.c.9.

Fuit extorris THESEVS Athenis, ac per eum habent Athenas homines: urbemq; amisit, quam nõ acceperat, sed ipse condiderat. Plutarchus de Exilio.

HIPPIAS Pisistrati F. tyrannus Atheniensis, in exilium pulsus, Darium Persarum regem contra patriam exciuit. Volat. lib. 16. Anthrop. Iustinus lib.2.

Occiso ad Haliartũ Lysandro à Thebanis, PAVSANIAS Plistonactis, Spartanorũ rex, difficile opus ratus, Lysandri corpus sub ipsis penè mœnibus, inuitis hostibus, recipere, etsi ueterani ad pugnam & ultionem hortabantur, pactus tamẽ cum hoste est, ut cæsorum corporibus receptis, ipse exercitum ex Bœotia reduceret. Vbi domum uenit, ab Ephoris est ad populum iactatus, datũq; crimini, quòd ad Haliartũ serò uenerit (quæ mora acceptæ cladis hauddubiè causa extitisset) & quòd contra urbis dignitatem cæsorum corpora fuga non bello recepisset. Augere præsentem inuidiam Atheniensium alienatio, quibus ipse in Lysandri odium seruitutis iugum ademisset. Ille inuidiæ impar, Tegeam in exilium concessit, ubi postea fato perijt. Sic Xenophon. At Plutarch. in fanum ait Mineruæ confugisse, ubi supplex uitam egerit. Sabellicus lib.2. En. 4. Cùm Tegeæ laudaret Lacedæmonios, cuidam dicenti: Quin igitur mansisti Spartæ, sed fugere maluisti? Quoniam, inquit, nec medici apud sanos, sed apud ægrotos uersari solent. Salsissimè conuitium exilij retorsit in Tegeatem, quòd eius gentis corrupti mores egerẽt Spartana disciplina. Plut. in Lacon.

PHILIPPICVS, cùm apud Tiberium III. Imp. in suspicionem affectati imperij uenisset, in Pontum relegatus est. ANDRONICVS Comnenus, cùm Alexium pupillum, ut imperio potiretur, occidisset, à populo ob crudelitatem in exilium pulsus est. IVSTINIANVS Rhinotmetus Constantini IIII. filius, ultimus ex stirpe Heraclij coniuratione Leontij patricij Constantinopolitani, & Callinici patriarchæ, captus, atq; in exilium in Pontum missus est. Volateranus libro 23. Anthrop.

MICHAEL Calaphates, cùm Zoën Michaëlis Paphlagonis antecessoris & consanguinei uxorem, cum qua se regnaturum promiserat, eiecisset: populus armis domum circumdedit, & in concionem prodeuntem saxis petijt: fugientem cepit, atq; oculis multatũ in exilium misit. Idem.

MICHAEL Curopalates, cognomento Rancabe, gener Nicephori Imperatoris, cui quoque successit, coniuratione Leonis Armeniaci captus, in exilium missus est. Volateranus libro 23. Anthrop.

LVDOVICVS IV. Francorum rex, Caroli Simplicis F. Transmarinus dictus est, quòd mare transmiserit in Angliam, sub recentem casum patris in custodiam traditi, patria profugus, æmulo regni Rodulfo Burgundo sublato domum reuersus. Aemilius lib.3.

CENOVALCHIVS Anglosaxonũ rex, uxore Sexburga Pendæ Merciorum regis sorore repudiata, ab eius fratre in exilium pulsus est. Polyd. lib.4.

EDGARVS Ethlig D. Eduardi regis Anglorũ nepos, cùm occupato à Gulielmo Normanno Angliæ regno, uideret se omni spe adipiscẽdi deinceps regni destitutũ, cũ matre Agatha, & Margarita atq; Christiana sororib. in Hũgariã ad auũ redire constituit. Sed aduersis uentorum flatibus, tandem in Fortheam æstuarium Scotiæ delatus est, in eum sinũ, qui & hac nostra memoria D. Margaritæ dicitur. Malcolmus Scotorum rex, haud immemor, quòd ab Eduardo regno restitutus fuisset, humanissimè eos suscepit, & Margaritam in uxorem duxit. H. Boëthius lib. 12.

BORIVORIVS II. à Suatopluco patruele regno Boëmiæ exutus, cùm frustra armis Germanorum reduceretur, in Poloniam exulatum abijt. Dubrauius lib. 10.

Sub Ludouico IV. Francorum rege AIGROLDVS Danorũ rex patria regnoq; à filio pulsus, sexaginta nauium classe cũ bona parte nobilitatis, quæ uitam extorrem agere, quàm filio parere mallet, in Normanniam ad ducẽ peruenit. In Cõstantiensium finibus sedes his datæ. Sed non multo pòst à suis reuocatus est. Aemilius lib. 3.

HENRICVS Leo, Saxonum & Bauarorum dux, ab ordinibus imperij omnibus honoribus & beneficiis spoliatus, tãdem in exilium eiectus est, quòd Fridericum I. Imp. in expeditione Italica deseruisset. Cranzius in Saxonia.

Amurates II. Turcorum tyrannus moriens CALAPINVM F. semestrem Chalibassæ cõmendauerat. Ille in Mahometi II. gratiam, qui patri successit, & matrem & puerum ei prodidit. Alij scribunt, Calibassam alienum puerũ Calapini nomine supposuisse, eumq; pro filio Amurathi necatum fuisse: Calapinum uerò Constantinopolim translatum, ac clàm educatum, post captiuitatẽ urbis inde subtractũ, ac primùm Venetias, tum Romam Calixti pontificis iussu ductum, ac pro fratre Mahometi in palatio custoditum. Qui tandẽ lauacro baptismatis ablutus, Calixtus est dictus Othomannus. Hic postea in Germania uenit in magnam familiaritatẽ cũ Friderico III. Imperatore, à quo regie donatus, ac munificè redditibus annuis prouisus, in Austria pluribus annis uixit (cuius se familiaritate usum scribit Cuspinianus) uir mãsuetus ac religiosus, & qui multarum rerum habuit experiẽtiam. Defunctus est in Austria, cùm iam speciosissimã puellã uirginẽ nobilem de Hohenfeld uxorẽ duxisset. Quæ uidua facta antequam uxor esset, monasterio se inclusit, ut uirginitatem perpetuò custodiret. Cuspinianus.

ZIZIMVS, Mahometo patre mortuo, à Baiazetho fratre regno pulsus, Rhodiis sese primùm per literas, tum per oratores permisit: ac paulo pòst oneraria naue Rhodũ delatus, regio apparatu est exceptus, anno Salutis 1482. Baiazethus ergo cum Rhodiis pacem fecit perpetuam, ea lege, uti Zizimum fratrẽ custodirent, & alimentorum nomine CCCCL millia numùm auri quotannis Rhodi persoluẽda Kal. Aug. acciperent. Quinetiam ut gratiam Magistri Rhodi assequeretur, dextram Ioãnis præcursoris dono misit. Et cùm anno sequenti ingentẽ pararet classem, in Italiam per Hellespontum mittendam, Magistro Rhodi minitante, fratrẽ se emissurum, exercitum dissoluit, iuramento adhibito. Dehinc est Zizimus Romam perductus, anno 1488. & Innocentio VIII. summo pontifici, qui Sixto successit, datus, arte & solertia Leonelli Concordiensis antistitis, Legati apostolici. Nã Baiazethus per legatos præter cetera, sacratissimum Christi sepulcrum cum Hierosolymis, & omni terra Sancta Christiano nomini se daturum pro Zizimo pollicebatur, & lanceã Christi pariter. Rex Hungariæ Mathias & hunc impensè petebat, quum Zizimo sibi dedito, indubitatam de Turcis uictoriam polliceretur. Vicit tamen facundia antistitis, ut Pontifici traderetur, sub custodia militum Rhodiorum. Iam uerò, cùm Carolus Francorum rex Romam cepisset, ea conditione pacem cum Alexandro VI. sanxit, anno 95. Idib. Ianuarijs, ut Zizimum sibi traderet, qui in Vaticano custodiebatur. Quem ut ueneno tolleret, ab initio Gallici tumultus per literas cum Alexandro egerat Baiazethus: magnũ auri pondus, si eam sibi operam nauasset, pollicitus. Nec solùm Zizimus datus est regi Carolo, sed in fœdere etiã positum, ut Valentinus Dux, Pontificis F. quatuor mẽses regia castra sequeretur, ut omnia pontificis loca Gallis amicè paterent. Alexãder autem quiduis potius quàm res Caroli per Zizimum illustriores reddi uolens, uenenum lentum ei propinari curauit, quo tandem absumtus est. Cuspinianus.

Reginæ.

HELENA, Tyndari & Ledæ filia, cùm post destructam Troiam Menelao marito restituta, Spartã uenisset, post aliquot dies Menelaus obiit. Eo mortuo, statim Helenam expulerunt duo ciues Spartani, Nicostratus & Megapenthus, quòd eius causa tot ruinæ totque clades fuissent subsequutæ. Igitur regno & marito priuata, Rhodon exul proficiscitur ad Polyzo reginam. A qua hospitio suscepta, famulis inuisa esse cepit, quòd Tlepolemus Polyzo maritus expirasset apud Troiam, interfectus à Sarpedone Lyciæ rege. Itaq; coitione facta illam in horto ad arborem suspenderunt. Guido Bituricensis.

THEOGENA uxor Agathoclis Syracusani cum liberis in Aegyptum à marito sene & ægroto in exilium missa, ne in manus nepotis, qui uiuente ipso regnum inuaserat, deueniret. Sabellicus lib. 8. Enn. 4.

Honorius Roma Rauennam profectus, in suspicionem uenit, sororem PLACIDIAM, Constantij Augusti à se dicti uxorem, Valentiniani Nobilissimi pueri matrem, secreta cum inimicis suis aduersus se cõsilia coquere. Quod cùm illa sensisset, sibi ac Valentiniano consulere cupiens, ab illo discessit, & Constantinopolim ad Theodosium properauit, eamque Theodosius pro dignitate suscepit. Honorius paulo pòst hydrope periit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

IRENE Constantini V. Romanorum Imp. mater, cùm post excæcatum & in carcerem coniectum filium (cum quo decem annos regnauerat) tres annos sola imperasset, expulsa demùm à Nicephoro patricio successore ipsius, in exilio uitæ reliquum egit. Volateranus libro uigesimotertio Anthrop. ex Sigeberto.

MARTINA, Heraclij Imp. uxor, cùm ueneno sustulisset Constantinum iuniorem priuignum, à Senatu ante biennium imperij capta, & in exilium in Cappadociam missa est, lingua mutilata, naribus autem filio Heraclonę, cui imperium astruere uoluerat, abscissis. Volateranus libro uigesimotertio Anthropologiæ.

Duces.

CONON dux Atheniensis nauali prælio à Lysandro Spartiano uictus, sponte in exilium fugit ad Artaxerxem Persarum regem in Cyprum. Cuius opibus fretus, paucis pòst annis reuersus, cum exercitu in Lacedæmoniam irrupit, prædas egit, omnia ferro igneq; uastauit. Lysander contra eum missus, qui illum prius nauali pugnã uicerat, ab eo tunc terrestri uictus est. Volateranus lib. 14. cap. 2. Anthrop.

CIMON Miltiadis F. qui barbaris tota Chersoneso pulsis, omnem eam terram cum Crissea & Thasia ora Atheniensibus subiecit, tot rebus terra mariq; gestis, Athenas reuersus, inuidiam felicium rerum alumnam uitare non potuit: Periclis factione premebatur. Cum sorore Elpinice adolescens stuprum fecisse credebatur. Quod tum demùm fuit in ore omniũ. Habebatur ad hæc Lacedæmoniorũ studiosus, quòd illud usurpare esset solitus: At Spartani non tales. Itaq; ostracismo in decennale exilium eiectus est. Iam quum Lacedæmonij Delphos à Phocensibus liberaturi in Tanagrã meati essent, iisq; Athenienses dimicationi instructi occurrissent, uenit eò Cimon Atticas opes adiuturus. Tum ibi ab hominibus diuersæ factionis in suspicionem proditionis adductus, iussusq; castris abire, arma, quibus in pugna uti cõsueuerat, suis tribulibus reliquit, eosq; ut fortiter pro patriã dimicarent, discedens hortatus est. Eius sermo tanti fuit, ut quum cẽtum ex una tribu essent, nemo ex acie uiuus discesserit. Victi ibi Athenienses, quum sub uernum tẽpus Lacedæmoniorum exercitus in Atticam uenturus diceretur, Cimonem ab exilio reuocarũt. Fama eius reditus omnes belli minas discussit. Sab. lib. 3. En. 3.

THEMISTOCLES ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragijs è ciuitate Atheniensi eiectus, Argos habitatum concessit. Hic cùm propter multas eius uirtutes magna cum dignitate uiueret, Lacedæmonij legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, q societatẽ cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Ergo absens proditionis damnatus, Corcyram demigrauit. Ibi cùm eius principes ciuitatis animaduertissent timere, ne propter se bellum ipsis Lacedæmonij & Athenienses indicerent: ad Admetum Molossorum regẽ, cum quo ei hospitiũ fuerat, confugit: &, ut maiore religione se receptũ tueretur, filiã eius paruulã arripuit, & cum ea se in sacrariũ, quod summa colebatur ceremonia, coniecit: nec inde prius egressus est, quàm rex eũ data dextra in fidẽ reciperet. Cùm ab Atheniẽsibus & Lacedæmonijs exposceretur publicè, rex supplicẽ monuit, ut consuleret sibi: & Pydnam eum deduci iussit, cum præsidio. Hic nauem omnibus ignotus ascendit. Quę cũ tẽpestate maxima Naxum ferretur, ubi tũ Atheniensiũ erat exercitus: domino nauis qs esset, aperuit: multa pollicẽs, si se cõseruasset. Ille clariss. uiri captus misericordia, diẽ noctẽq; procul ab insula in salo nauẽ tenuit in anchoris, neque quenquã ex ea exire passus est. Inde Ephesum peruenit: ibiq; Themistoclẽ exposuit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit. Mox in Asiam ad regẽ Xerxẽ, seu potius Artaxerxem profugit. Probus, & Plut. in Themist.

ALCIBIADES bis à populo Atheniensi damnatus exulauit. Semel cùm in Sicilia prætor abesset, capitis damnatus, ad Spartanos fugit, & suo discessu effecit, ut graui clade à Syracusanis affecti fuerint Athenienses. Patriæ interim reconciliatus, rebus maximis designatis, cùm præfectus Atheniensium classis Antiochus à Lysandro uictus aliquot naues amisisset, inuidia populi præter meritum magistratu deiectus est, & tres prætores ei substituti, qui Atheniensium res ad Aegos flumen Lysandro pessundandas obiecere. Tum serò tandem Athenienses eiecti Alcibiadis pœnitentia ducti, XXX tyrannos à Lysandro impositos ferre coacti. Ipse ad Pharnabazum fugiẽs in Phrygiam, illic Spartanorum insidiis necatus est. Plut. in Alcibiade.

In exilium pulsus est XENOPHON Atheniẽsis, Grylli F. à suis ciuibus, quòd Cyro fratri, qui fuit Atheniensi populo inimicissimus, contra Artoxerxem Persarum regem, quo maximè beneuolo utebantur, stipẽdia fecisset. Cùm enim Sardis Cyrus esset, Lysandrum Aristocratis filium, ad comparandum contra Athenienses classem pecunia iuuerat. Pulsum Lacedæmonij susceperunt, & Scilluntem Eleis ereptam exulanti donarunt. Pausanias lib. 5.

M. POPILIVS, cùm à Numantinis, cum quib. pacẽ factã Senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusq; esset, ob rem malè gestam in exilium actus est. Liuius lib. 15.

NICOLAVS Canalis Venetus, Turcico bello classi præpositus, Petroq; Mocenico maioribus comitijs antelatus, Chalcidem insulam diu obsessam acerrimè tutatus est. Mox, nescio quo fato, quum multa tentare posset, negligentior redditus, eam magno cũ detrimẽto Reip. Venetę amisit. Domũ reuocatus, in perpetuũ exilium missus est. Egnatius libro 6. cap. 10. In Portu Gruaria, Carnorum oppido exulauit. Rogatus, qua potissimùm ratione patriæ desiderium leuaret? Duplici respondit indagine, uenatoria & literaria. Sabellicus lib. 9. Dec. 3.

GEORGIVS super Saxo, Vallesianus, eques auratus, bello maximas opes acquisiuit, & tum gratia tum largitionib. apud populares suos tantum potuit, ut episcopatum suo arbitrio moderaretur, Iodocũ episcopũ, mox & Matthęũ Cardinalem eijceret. Suscepit ex legitima uxore liberos XXIII. Cæterùm iam senex Gallicæ pecuniæ interuersæ crimine suspectus, cùm populariũ furorẽ expectare nollet, exilio solũ uertit A.D. 1529. & ad lacum Lemanum obijt. Posteritas eius breui pòst tempore tota interciditita ut nihil præter nomẽ & præclara ædificia (inter quæ & magnificum sepulcrum, principe dignum, in pago Glisa connumeratur) superfit. Stumpfius lib. 10. Heluetiæ.

Consules, Proconsules.

L. OPIMIVS, quòd in consulatu Fuluium Flaccum consularẽ & C. Gracchum tribunitium oppressisset, ob inuidiam in iudicio circumuentus, & in exilium actus est. Asconius Pedianus super orationem Ciceronis in Pisonem.

P. CLODIVS ob Pompeiam C. Iul. Cæsaris uxorẽ in sacris Bonæ deæ adulteratam, Ciceronis testimonio conuictus, sed corrupto iudicio absolutus, Ciceroni adeò inimicus ex ea re factus est, ut à patribus ad plebem postea transierit, eo cõsilio, ut Tribunus plebis factus, hominem ulcisceretur, cuius testimonio fuerat in discrimen adductus. Nec defuit uoluntati euentus. Clodius Cic. diem dixit, quòd in conspiratione Catilinæ uindicanda nobilissimos ciues indicta causa necasset. Cõsulum fauore destitutus Cicero, quin & Pompeij, qui per C. Cæsarem ab eo alienatus fuerat, uestem mutauit, & cũ eo uniuersus ordo equester, ut uiginti millia hominum mutato habitu eum sequerẽtur: potuissetq; reus aduersus Tribunum media urbe armis disceptare, nisi Catonis consilium secutus, urbẽ à cæde & discordia seruare maluisset. Senatus frequens in curiam coiuerat, decreturus, ut tota ciuitas cum M. Tullio uestem mutaret. Sed curia Clodianis armis obsepta, consulibusq; rem impedientibus, nihil decerni potuit. Cicero Demosthenis exẽplum imitatus, qui ne pro se dicere cogeretur, solum uertit, media nocte urbe egressus, in Lucaniam primò concessit, mox in Siciliam trãsfretaturus. Clodius audita eius absentia ad populum tulit, Cicero exul esset, eiusq; bona publicarentur: & ut quadringentis millibus passuum ab Italia igni & aqua illi interdiceretur: qui eum hospitio accepisset, is exul esset, omniaq; eius bona in publicum redigerentur. Additum rogationi est, ne quis de eo reducendo ad senatum referret, disputaretue, aut pedibus in sententiam iret: quæ omnia populus sciuit. Clodius exulis uillas in Arpinati, Tusculano, Pompeiano, & Formiano diripuit, direptasq; incendit, domum in palatio demolitus est à fundamentis, atq; in ea area templum Libertatis constituit. Bona omnia hastæ subiecit. Nec in tota illa auctione sector repertus est. Cicero Dyrrachium transgressus, quum hîc parum sibi tutus uideretur, in Macedoniam transijt, ubi à Plancio est benignè acceptus. Sabellicus libro 5. Enneadis 6.

MARIVS Priscus, proconsul Africæ, tempore Domitiani, damnatus repetundarum, quòd Africam expilasset, in exilium actus est. Volat. lib. 17. Anthrop.

Procuratores.

CAPITO. Asiæ procurator, cũ milites haberet, faceretq; multa quasi præesset ei prouinciæ, ob id accusatus à Tiberio, actus est in exilium. Dion in Tiberio.

Ciues.

Diu à Rom. obseruatum, ne ciuis Romanus, quouis crimine obnoxius, relegaretur. Primus L. LAMIA Rom. ciuis, à Gabinio consule relegatus fertur, & post eum plures. Alexand. lib. 3. cap. 20.

Serui, Ancillæ, Liberti.

LIBERTI Afranij Dextri consulis relegati ob crimẽ cædis incertæ. P. Aërodius, ex Plinio Nepote lib. 8. Epist.

Rhetores.

AESCHINES ob falsam accusationem Demosthenis, qua eũ indignum esse corona aurea ob refectos suis sumtibus muros Athenienses, uoluit ostendere, quam tamen Ctesiphon ipsi scitu populi decreuerat, urbe pulsus fuit. P. Aërodius ex Demosthene pro corona Plutarcho, Libanio.

DEMOSTHENEM Athenienses in exilium miserunt, quòd pecunia fuisset corruptus ab Harpalo, qui interuersis Alexãdri Magni thesauris fugerat Athenas. Vrbe excedens, fertur subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse: O Pallas urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone & populo? Plut.

CASPIVS Asclepiodotus Nicæus, cùm Soranum Senecæ philosophi fratrẽ, iniustè Romæ propter conspirationẽ in Neronem factam accusatum, cõtra Egnatij philosophi falsum testimonium defendisset, ac bonitatẽ integritatemq; hominis multis testimoniis comprobasset, à Nerone in exiliũ missus, à Galba postea reuocatus est. Xiphilinus.

CARINA Secundus orator, exilio à C. Caligula Romanorũ Imp. damnatus est, quòd exercendi sui causa contra tyrãnos declamasset. Xiphilinus.

Poetæ.

Clisthenes Sicyoniorum tyrannus, odio Argiuorum, quibus cum bella gerebat, RHAPSODOS omnes Homericos finibus suis eiecit, quòd Homerus in Catalogo nauium, in Peloponnesi urbibus describendis, primò Argiuorum meminisset, & Sicyonios Mycenæis quodammodo subiecisset. Eustathius Iliad. β.

EVRIPIDES poeta, cùm histrionem suum aliquando cũ uxore sua reperisset, in Macedoniam abijt, Comicorũ ueritus calumnias, & ab Archelao rege benignè susceptus est. Gellius.

P. OVIDIVS Naso exilium per septẽ annos apud Tomitanos pertulit in quo etiam periit.

D. IVNIVS Iuuenalis, cùm Paridem Pantomimum, Domitiano charissimum histrionẽ, in Satyris suis perstrinxisset, iam octogenarius in exilium missus est, ad præfecturam cohortis, tendentis in extremam Aegypti partem, ad Pentapolim urbem. Gyrald in I. tomo Hist. poët.

OPPIANVS poëta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate, cùm Seuero principi, Anazarbum uenienti, paulo negligentiùs & irreuerẽtiùs obuiam iuisset: in exilium in Melitam insulam Adriatici maris cum patre Agesilao actus est, ubi poëma de Piscibus scripsit. Volat. lib. 17. Anthrop.

DANTES Florentinus poëta, Florentia pulsus, fugiens ad Canẽ Grandẽ Veronæ principẽ, cùm eum contra Florentinos dimicare compulisset, ob linguæ licentiam eius odium contraxit. Post annos quatuor, cùm in patriam redire tentasset, etiam Henricum VI. ad Florentiæ obsidionem ducẽdo, spe omni amissa, Rauennã profectus est, ibiq; in otio uixit. Volat. lib. 21. Anthrop.

Philosophi.

ANAXAGORAS Clazomenius, cùm ab Atheniensibus esset damnatus exilio, cuidam dicenti, Priuatus es Atheniẽsibus: Imò illi (inquit) me. Sentiens, Atheniensibus magis opus esse Anaxagora, quàm contrà. Laërtius lib. 2. cap. 3.

ARISTOTELES cùm iudiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, Qualis esset ciuitas Atheniensium? respondit: Pulcerrima, sed in eam (quod de Alcinoi hortis scribit Homerus)

ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ·

pyrus super pyrum, & ficus super ficum cõsenescit: sycophãtas intelligens. Interrogãti, Cur reliquisset Athenas? respondit: Ne cõmitterẽ, ut Athenienses bis peccarent in philosophiam. Obscurè Socratis mortem innuens, & suum periculum. Aelianus de Var. hist. lib. 3.

THEODORVS Ἄθεος, Athenis profugus, uenerat ad Lysimachum Thraciæ regem. Ibi cùm quidam ex optimatibus ei fugam exprobrasset, quòd impietate sua iuuentutem corrumperet, respondit: Non profugi, sed idẽ mihi accidit quod Herculi. Nã ut ille ab Argonautis fuit expositus, quòd solus esset iustũ onus nauis, & cæteri uectores uererẽtur, ne pgrauata subsideret: sic ego quoq; migraui propter magnanimitatem: quam cùm Atheniensium rectores non ualerẽt assequi, inui-

inuidere maluerunt. Philo Iudæus libro, Quòd omnis probus liber. Lysimachus offensus libertate eius, dixit illi: Quoniam istis eras moribus, patria te eiecit. Sanè, inquit, quòd me ut Semele Bacchum ferre non posset. Plut. in Apoph.

RHETORES & PHILOSOPHI ex tota Italia proscripti, sub Domitiano, ex S. C. Qua tempestate etiam Epictetus Stoicus Roma decessit. Gellius lib. 15. c. 11.

P. EGNATIVS Celer philosophus, propter assentationē multis pecuniis atq; honoribus auctus, in exilium tandem à Nerone actus est. Xiphilinus.

BOETHIVS insignis philosophus, imperante Zenone, cū auctoritatem Romani senatus contra Theodericum regem Italiæ tueri niteretur, ab ipso in exilium missus est cùm Symmacho consule, ibiq; librum de Consolatione philosophiæ edidit. Sigebertus in Chronicis.

Mathematici.

METIVS Pompusianus, qui Vespasiano olim imperium prædixerat, à Domitiano in Cyrnum relegatus est, eo quòd uniuersi orbis descriptionem atque picturam domi in tabula haberet: atque conciones regum & cæterorum principum, quæ sunt apud Liuium scriptæ, studiosè euolueret. Xiphilinus in Domitiano.

Medici.

ORIBASIVS Pergamenus, uel Sardianus, cū Iuliani principis medicus esset, succedentium principum inuidia bonis priuatus, in exilium ad Barbaros missus est: ubi tanta gratia & opinione hominum ob doctrinam & medicinæ experimēta uixit, ut pro deo penè coleretur: & sic placatis demùm principibus, rediit, bonaq; amissa recuperauit. Eunapius in uitis Sophistarum.

Legislatores.

CLISTHENES Atheniensibus exilij legem primus tulit: qui haud multo pòst sua lege damnatus pœnas luit. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 20. ex Aeliano.

Iureconsulti.

PETRVS de Vineis ex urbe Capua iurisperitissimus, Friderico II. Imp. carissimus, ob coniurationis suspicionem in exilium missus est. Dantes Can. XIII. primæ partis: & Volat. lib. 23. Anthrop.

Historici.

PHILISTVM Syracusanum (qui res Siculas libris duodecim complexus est) Dionysius senior in exilium egit, ubi tamen bonam historiæ partem absoluit.

PAVLVS Diaconus Aquileiensis à Carolo Magno relegatus est ad Diomedis insulam, quòd Desiderio Longobardorū regi faueret.

A QVIBVS. AB

Subditis.

Vide Reges exules.

Fuit extorris THESEVS Athenis, propter quem habent nunc Athenas homines: urbemq; amisit, quam nō acceperat, sed ipse condiderat. Plut. de Exilio.

ATHANARICVS rex Gothorum Teruingorum, qui in Thraciam cum reliquis Gothis non transierat, quòd se religione impediri, ne Romanum solum attingeret, asseruerat, patria à suis expulsus, ann. 381. Constantinopolim uenit, atque à Theodosio Imp. comiter ac benignè exceptus est. Is, cùm urbem inuiseret, atq; intentis oculis uniuersa lustraret, in magnam Romanæ potentiæ admirationem adductus dixit: Deus profectò terrenus ipse est Romanus Imperator: quisquis aduersus eum manum sustulerit, ipse sui sanguinis reus erit. Neq; ita multo pòst uita cessit. Funus eius pompa splendidissima Theodosius celebrauit, atque ipse ei quoque honoris causa præiuit. Ex Ammiano, Sigonius libro octauo. Imp. occid.

Collegis.

Post Sethonem Aegyptiorum regem duodecim reges creati, sanctissimo fœdere ab initio inter se pacti, ne sibi alius alij insidiarentur, sed fida conspiratione Aegyptum administrarent. Interim oraculo cognitum est, quòd is, qui ferrea phiala in Vulcani esset templo libaturus, solus Aegypti regnū obtineret. Nec longo tempore interiecto, quum fortè in Vulcani æde solenni sacro reges omnes starent de more libaturi, Antistes tēpli numero aberrans, singulis præterquā PSAMMETICHO, qui ultimo loco steterat, phialam obtulit: quam ille necessitate adactus, detracta sibi galea, libauit. Ea re animaduersa, confestim oraculi memoria circumstantium animos subiit, ratiq; id consilio factum, dignum Psammetichū iudicarunt, qui morte multaretur. Cæterùm cùm id casu cōtigisse cognitū esset, præcipua regni parte exutum, in palustrē Aegypti partē eū relegarunt cæteri reges, ea lege, ut reliqua Aegypto abstineret. At non multo pòst Ionum Carūq; prædonum ope fretus, facilè reges, à quibus fuerat relegatus, è medio sustulit, totiusq; gentis unus est ditionem adeptus. Sabellicus lib. 4. En. 2. ex Herod. lib. 2.

Pericles cum Cimone simultates gerebat Reip. causa, cùm hic optimatibus, ille populo faueret. Tandem ostracismo CIMONEM urbe eiecit: quem tamen scripto plebiscito reuocauit. Mortuo Cimone, de decennali exilio cum THVCYDIDE, Cimonis affine, contracto certamine depugnans, illum exterminauit, factionemque dissoluit aduersam. Plutarchus in Pericle.

Amicis.

DION Syracusanus, cùm apud Dionysium tyrānum maximo in precio haberetur, tandem incidens in suspicionem, ab eo in exilium pulsus est. Plut. in uita Dionis.

Inimicis.

C. MARTIVS Coriolanus ob odium populi, Tribunorū studio tribubus in suffragia missis, pœna damnatus est perpetui exilij. Plut. in Coriolano.

CÆSO Quintij Cincinnati ter Consulis filius, quo nemo lingua manuue promtior in tota ciuitate habebatur, omnes plebis impetus tribunitiasq; procellas ob legē ortas Agrariam unus sustinebat. Huic Aul. Virginius trib. pl. capitis diē dixit. Apparebat plebē cupidè Cæsonem damnaturā: quum iudicij die appropinquante Quintius pater, & cum eo propinqui multi & necessarij, principes ciuitatis, passim singulos prehensabant, orabantque, ne tantam ex ciuitate indolem extorrem eijcerent. Quintius pater, ter cō sul, filij duntaxat culpam deprecari, parcè filiū laudabat, ne inuidiā cumularet: quin illud orare, ut si quid in quēpiam Cæso iuueniliter deliquisset, eam sibi offensam condonarēt, ne se iam senio confectum suauissimi filij præsidio spoliarent. Post longam disceptationem patrum interuentu decem uades tribuno dati, qui pro eo, nisi ad diem iudicij reum sisterent, certam soluerēt æris summam, interim Cæso liber esset. Ipse uadibus datis sequenti nocte iussu consulum in Tuscos exulatum abijt. Iudicij die, etsi reus nō adesset, tribus in suffragiū à Virginio nihilo secius missæ, cupidè absentē damnarūt. Liuius appellatis tribunis, nullum de ea re suffragium latū iri bit. Pecunia à patre acerbè exacta, ut omnibus bonis diuenditis, aliquādiu Quintius trans Tiberim tenui contentus prædio uixerit. Sab. lib. 3. En. 3.

DECIVS Magius, quum Annibali Capuam intranti solus assurgere nollet, ab eodem relegatus est. Quum autē in exiliū traheretur, aperto capite uociferans: Habetis, inquit, libertatem, Campani, quam petiistis. Semper enim patriæ deditionem dissuaserat. Liuius lib. 23.

P. RVTILIVS, uir summæ innocētiæ, legatus C. Marij proconsulis, à publicanorū iniurijs Asiam defendens, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est. Vt est apud Liuium lib. 70. Actus in exilium à partibus Syllanis, & à Sylla deinde redeundi potestate facta, respondit, illud quod à Seneca lib. 6. de Beneficijs ponitur: Malo ut patria meo exilio erubescat, quàm reditu mœreat. Volat. lib. 19. Anthrop.

Parentibus.

TREBETAS, Nini Assyriorum regis F. regno à nouerca Semiramide pulsus, post longos errores in ualle pulcerrima Galliæ, per Mosellam fluuium ascendens, consedit, ibiq; florentissimam urbē, totius Galliæ caput, fundauit, Treuerim de suo nomine dictam. Extant ibi antiquæ nobilitatis monumenta. E quibus circa annum Domini MCC repertum est in marmore tale elogium:

> Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix
> Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
> Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
> Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
> Insignem profugus nostram qui condidit urbem.
> Ante Romam Treueris stetit annis mille trecentis.

Nauclerus 20. Generatione.

QVOMODO.

Vide Titulum Suppliciorum.

Ostracophoria, apud Athenienses exilij genus, quando testulis suffragia ferebantur. Primus HIPPARCHVS Cholargeus, ultimus HYPERBOLVS ostracismo pulsus est. Cælius libro 16. cap. 21. Antiq. Lect. Et sanè κεραμικὴ μάστιξ, id est, Testaceum flagellum, dicebatur ostracismus, quòd hoc exigerentur in exilium. Erasmus in Adagijs.

CVR. OB

Virtutem in genere.

Ephesij HERMODORVM philosophum in exilium eiecerunt, quasi dicentes, Nullus nostrum frugi esto. Strabo libro decimoquarto.

Prudentiam.

Periclis præceptor DAMON, quòd haberetur singularis prudentiæ, multatus est decennali exilio. Plut. in Aristide.

Con-

Constantiam.

C. CÆCILIVS Numidicus, quia eum, qui se T. Gracchi filium mentiebatur, in censum non receperat, idemq; in legem Apuleiam per uim latam noluerat iurare, in exiliū actus Smyrnæ substitit. Claudia exinde rogatione reuocatus, quoniam in ludis fortè de reditu literas in theatro recepisset, nō priùs legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. Volaterranus lib. 17. Anthropologiæ.

Libertatem loquendi.

ANNEVS Cornutus, doctrina & eruditione clarissimus (cuius opera Nero in scribendis carminibus potissimùm utebatur) quòd nonnullis existimantibus quadringentos libros à Nerone scribi oportere, nimium multos esse dixisset, in exilium actus fuit. Xiphilinus in Nerone.

Religionem.

IOANNES Apostolus à Domitiano Imperatore in Pathmū relegatus est, ubi (ut Dorotheus tradidit, Tyri episcopus) Euangelium suum scripsit.

VALERIANVS episcopus octogenarius, nolens diuina sacramenta profanis tradere, à rege Vandalorū Genserico omni urbe & domo exclusus reliquum uitæ usq; ad mortem nudus sub dio exegit. Sigebertus in Chron.

Iustitiam.

ARISTIDES Lysimachi F. ob iustitiam Iustus dictus fuit. Cæterùm ei euenit, ut qui ob cognomen hoc primò diligeretur, pòst raperetur in inuidiam: potissimùm quòd sermonē Themistocles in uulgus sereret, Aristidem sublatis iudiciis, quòd omnia iudicaret & disceptaret, dominatum in ciues uoluntarium clàm sibi parasse. Et populum iam, cui fecerat uictoria contra Persas Salaminia animos, offendebant illi, qui nomine & gloria eminerent. Concione igitur ex tota Attica in urbem aduocata, exilium decennale, exostracismon uocant, irrogarunt Aristidi, inuidiæ gloriæ eius metum prætexentes tyrannidis. Plutarchus in Aristide. Inter suffragandum, adiit eum homo quidam ἀγράμματος καὶ ἄγροικος, qui testulam teneret, iubebatque Aristidis nomen inscribi. Rogauit is, ecquid Aristidem nosset? negauit ille, addiditq;, nil sibi aliud in eo uiro quàm Iusti cognomen esse molestū. Tacitus Aristides scripsit quod rogabatur, & hominem dimisit. Hic est Aristides, cui tantum tribuit Plato, ut præ cæteris, qui clarissimi Athenis floruēre, solum eum existimatione ac laude, præterq; admiratione dignum censuerit. Cœlius libro 23. cap. 19. Antiq. Lect. Tertio anno pòst, quum Xerxes duceret exercitum per Bœotiam & Thessaliam, reuocatus est cum aliis. Plutarchus. Ab amico quodam rogatus, Quam ob causam exilium ei molestum fuisset? respondit, Causa patriæ, ob eam iniustitiam ubiq; malè ab omnibus audientis. Stob. ex Serino, serm. 37.

Pietatem in patrem.

Cùm Lemniæ mulieres uiros omnes una nocte sustulissent, HYPSIPYLE regina Thoantem patrem procul ablegatum sola seruauit. Ob eam pietatem à reliquis in exilium eiecta, apud Lycurgum Nemeorum regem nutricis officio functa est. Sabellicus lib. 7. En. 1.

Cædem.

ABSALOMVS Dauidis F. interfecto fratre Amnone propter stuprum sorori Thamari illatum, profugit Gessurē ad Ptolemæum regē auum maternum, & apud eum triennio mansit integro. 2. Regum 13.

In VLYSSEM post procorum necem necessarij interfectorū coie[illegible] Accitus ab utrisq; partibus Neoptolemus arbiter decreuit, ut homicidij causa Vlysses excederet, solumq; uerterēt ex Cephalenia, Zacyntho & Ithaca: procorum amici & necessarij quoq; anno Vlyssi ob illatam domui eius iniuriā multam penderent. Ille in Italiam exulatum concessit. Multam filio sacratam ut soluerent Ithacesij, præcepit. Hæc erat, farina, uinum, faui, sal, uictimæq; honoratiores Phagilorū. Phagilum agnum esse Aristoteles refert. Plutarchus in quæstionibus Græcis.

Talus puer ab auūculo DÆDALO erudiebatur. Hic cùm acumine ingenij polleret, Dædalus inuidia motus, existimans se multò fore superiorē, dolo interfecit. Accusatus homicidij, damnatur ab Areopagitis Athenis exilio. In Cretam igitur proficiscitur: ubi in Minois regis amicitiam propter artē uenit. Diod. lib. 4. c. 13.

Ex Opuntia Locrorū terra natum esse PATROCLVM, testatur Homerus Iliad. ψ. qui cùm cædem patrasset inultus, fuga se subtraxit ad Peleum. Menœcius uerò eius pater māsit in patria. At enim Achilles Menœcio pollicitus erat, cùm ex ea expeditione reuertisset, se illum in patriam reducturum. Sed ad Troiam periit. Strabo lib. 9.

TELAMON & PELEVS Aeaci filij, ob interfectum ex inuidia fratrē Phocum, quē illis pater prætulerat ob uirtutē, exilio à patre puniti sunt. Anton. Liberalis ex Nicandri primo Alteratorum, & Pausanias in Corinthiacis.

T. ANNIVS Milo ob cædem P. Clodij pulsus est Marsiliam in exilium. Dionysius Halicar.

Nobilis quidam Anglus cognomine HANTOVN, cùm in aula Lōdini, Roberti Brusij, Scotorū regis, fortunā uirtutēq; inter loquēdum extulisset: ab Ioanne quodā Spensero, obscuræ originis uiro, qui tū erat Eduardo II. regi à cubiculo, pugione impetitus, exiguum uulnus excepit. Cuius iniuriæ impatiēs, Ioannē postridie eodē loco obtruncauit, & in Scotiā fugit. Ei Robertus rex prædia & agros Cadzovv nomine donauit. Perseuerat eius posteritas inter Scotos, in amplissimam propagata familiam, & regio etiam honestata sanguine, Hammiltoun nomine paulum mutato nuncupata. H. Boëthius lib. 14.

Latrocinium.

Actisanes Aethiopum rex, subacta Aegypto, summa æquitate Aegyptiis imperauit. Latrocinia nouo more compescuit, SONTES neq; morte plectens, neq; linquens impunitos. Eorum iudicio constituto, res omnes in unum cogens, mitī sententia damnauit: amputatis enim naribus, in ultima deserti ire compulit, ibiq; urbem condidit, ab excisis nasis Rhīnoceram appellatam. Ea in Aegypti Arabiæq; finibus haud procul à mari sita, omnibus uitę commodis caret. Nam omnis uicina regio salsa est, intra urbis mœnia unicus est puteus, & is inutilis, ut pote aqua amara gustu. Hos autem in eo loco posuit, ne suis moribus uicinas gentes inficerent, neue eorum erga reliquos iniurię essent occultæ: sed ut tanquam in oram desertam relegati, omni re egentes, cogente necessitate sibi uictum exquirerent. Fissis itaq; calamis, quos ex uicinis agris collegerant, longa sibi retia fecere: quibus iuxta litus per plura stadia dispositis, ex captis coturnicibus (nam magnus earum numerus in litore ad capiendos pisces uersatur) uictum sibi compararunt. Diodorus libro primo, capite 4.

Impudicitiam.

VISTILIA, Labeonis coniunx, ob stupri licentiam, qua infamabatur, in insulam Seriphon relegata est. Tacitus lib. 2.

IVLIAM filiam Augustus Cæsar propter impudicitiā Pandateria insula clausit. Mox uenia impetrata, cùm in eandē recidisset infamiam, Rheginis, qui ad Siculum fretum accolunt, custodiendam tradidit. In eandē demùm insulam AGRIPPINAM suam, libidinis nota proditam, Nero quoq; clausit. Tacitus lib. 14.

Impietatem erga patrem.

TVLLIA, Seruij Tullij regis Rom. filia, acta est in exiliū, quòd super faciem parentis mortui currum duxisset. Liuius.

Accusationem falsam.

BASSVS presbyter, cùm accusasset Sixtum III. Romanū pontificem, & ille calumniam in cōcilio episcoporum discussisset, à Valentiniano in exilium pulsus est. Volaterranus libro 22. Anthrop.

Annonæ caritatem.

Augustus Cæsar magna quondam sterilitate, & difficili remedio, uenalitias & lanistarum FAMILIAS, peregrinosq; omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemq; seruitiorum, Roma expulit. Suetonius.

Balnei usum.

CINNA Tuscus à Nerone exilio multatus fuit: quòd cùm esset præfectus Aegypti, lotus esset in balneo, quod Neroni uenturo in Alexandriam paratum fuerat. Xiphilinus.

Dignitatem.

HERMOLAVS Barbarus, Venetorum apud Innocētium Pp. legatus, cùm contra leges patrias uel inuitus à Pontifice patriarcha creatus esset Aquileiēsis, exilio à Venetis multatus est. Bembus lib. 1. Ven. hist.

QVO PVLSI. VBI EXVLENT.

Vide Tit. Suppliciorum. Vt puta

In Insulas deportati.

Ambo MACARII Aegyptius & Alexandrinus sub Valente Imp. in insulam Paludium relegati, Paludianos insulanos conuerterunt. Ruffinus libro secundo, capite quarto: Socrates libro quarto, capite 24. Theodoretus lib. 4. cap. 21. Sozomenus lib. 6. cap. 20.

IACOBVS Foscarus, Francisci Venetorū principis F. à decēuiris accersitus, quia ad diem non affuisset, absens damnatus est. Verùm non multo pòst ex Tergeste, quò se cōtulerat, publico decreto est Taurisium reuocatus, ea conditione, ut nō solùm urbem egredi liceret, sed Mestrana quoq; prędia prętoris permisso inuiseret: mox uerò, in patriam restitutus est. Non multo pòst in crimē cædis deuocatus, quasi eo auctore Hermolaus Donatus, dum noctu ex curia se domum reciperet, interfectus esset: post acerbissimam quæstionem de ea re habitam, quum nulla maiora eius cædis indicia

exta-

extarent, in Cretam insulam est relegatus. Hinc quoq; postea, quia res nouas per literas molitus crederetur, triremi ad hoc ipsum in insulam missa Venetias delatus, quū quæstioni adhibitus rogaretur, an auctor fuisset earum literarū, quæ ad hostes scriptæ dicerentur: ita sanè affirmauit: cæterùm dedisse se operam, ut ad Venetorum magistratuum manus perueniret ratus fore, ut ob eā causam in patriā reuocaretur, si non qua uellet, qua saltē posset, cōditione. Demùm quum nihil alioquin noxæ in eo compertum esset, in insulam nouissimè ablegatus, uitam in ea cum morte commutauit. Sabellicus lib.6.Dec.3.

In Vrbes relegati, conclusi.

ABIATHAREM pontificem Solomo rex Iudæorum in prædium suburbanum relegauit, & sacerdotio priuauit, propterea quòd Adoniæ fratris sui regnum affectantis partes fouisset. 3.Regum 2.

SEMEIM Geræ F. Ieminiensem, Solomo Hierosolymis habitare, neq; torrentem Cedronē transire imperauit, propter ea maledicta, quę iam olim contra patrem suum Dauidem, regno pulsum, ab Absolomo, effuderat. At cùm Semeis exacto triennio, duos seruos fugitiuos Getham usque persecutus reduxisset, à Banaia propter uiolatum iusiurandū & inobedientiam iussu regis interfectus fuit. 3.Regum 2.

Βυηλάτης, Id est, Bubulcus eris. Hoc uelut ænigmate Atheniēses significabāt exilium. Siquidem QVI per ostracismū eijciebantur, in Argiuam exulatum ibant: ubi bos erat æneus insigni magnitudine. Plutarchus in Collectaneis. Hesychius ex Phasmate Menandri.

ARCHELAVS Iudeæ Tetrarcha, ob tyrannidē in exiliū Viennam Galliæ actus. Iosephus lib.17.c.ultimo Antiq.

IVVENALIS Satyricus sub Domitiano Romanorum Imperatore fuit: qui cùm saltatore Prasinæ partis Paride gauderet, eaque de re & à Senatu & à Iuuenale malè audiret, Iuuenalem Pentapolim in Africa relegauit, saltatorem uerò locupletatum Antiochiam misit: qui ibi domo & balneo ædificato, mortuus est. Suidas.

EXILIVM SPONTANEVM.

IACOBVS patriarcha, Esai fratris iram propter interceptā patris faustam precationē fugiens, in Haranē Mesopotamię ad Labanē auunculum se cōtulit, cui 14. annis pro duab. filiab. seruiuit. Gen.28. & 29. Cùm 20. annis apud Labanē seruiuisset, liberis & pecudibus auctus, uidēs se Labani inuitum esse, eo ad tonsuram ouium profecto, cum omnib. suis copiis clàm aufugit in Chananæam. Genes.31.

MOSES cùm Aegyptium interfecisset, qui iniuriā inferebat Hebræo, facinore detecto sponte ad Madianitas exulatū abiit, ubi susceptum primogenitum suum ex Sephora appellauit Gersomū, quia peregrinus esset in terra extranea. Exod.2.

ADER, Idumæus, regio genere, cùm Ioabus, Dauidis dux, Idumæam subegisset, atq; omnes adultos occidisset, ad Pharaonem Aegypti regem fuga est elapsus. Qui & domum dedit, & agrum unde uiueret, & uxoris suæ sororem ei despōdit: ex qua natus ei filius, cum regiis liberis est educatus. Audita porrò in Aegypto Dauidis & Ioabi morte, Pharaonem orauit, ut in patriam sibi redire liceret. Verùm tum quidem dimissus nō est: sed pòst, eo tēpore, quo Salomonis res ob admissa peccata afflictæ erāt, in Idumæā uenit: regnoq; Syriæ potitus, Israeliticam terram incursionibus uexauit, & Salomonem infestauit. Suidas.

IOSEPHVS Herodis fugiens tyrannidem, fuit cum MARIA uirgine & puero IESV benedicto annos septē in Aegypto. Quo tēporis spacio deorum simulacra, quos tum gēs stulta, & omnium errorum mater coluit, sua sponte concidisse dicuntur, obmutueruntq; malorum dæmonū oracula. Qđ futurum multo antea prædixerat propheta. Ecce, inquit, leuem nubem conscendet, & Aegypti simulacra mouebuntur in conspectu eius, tabescetq; cor Aegypti in medio ipsius. Sabellicus lib.1. En.7.

CADMVM, Agenoris Sidoniorum regis F. tradunt ex Phœnicia ad peruestigandam Europam à rege ea lege missum, ut aut uirginē secū reduceret, aut in Phœniciam non rediret. Cùm diutius quæsitā ab se uirginē non inueniret, postposita patria in Bœotiā peruenisse. Vbi cū responso oraculi Thebas condidisset, Hermionē postmodū Veneris filiam in uxorē sumsisse: ex qua Semelē, Ino, Autonoēm, Agauem, ac Polydorum genuerit. Diodorus lib.4.c.2.

PELEVS & TELAMON cùm fratrē Phocum matris consilio interfecissent, exulatum abiere, patrē Aeacum ueriti. Anton. Liberalis ex Nicandri primo Alteratorum.

LYRCVS filius Inachi, ad quærendam sororē Io missus, cùm illam inuenire non posset, patris iram metuēs, domū reuerti noluit. Parthenius cap.1. Eroticōn.

PHRYXVS & HELLE nouercali odio ambo in discrimē adducti, non ariete aureum uellus habēte (ut Hesiodus & Pherecydes, Laginum secuti, prodidere) sed naui, in qua fuit id animal tutelæ loco figuratum, è Bœotia ad Hellespontum primò sunt delati. Hic Helle casu quodā amissa, Phryxus in Colchidē ad Aeetam regē, pfectus est. A quo agnitus, Chalciopes filiæ nuptias impetrauit. Palæphatus scripsit, Arietē Phryxi nutritium fuisse, cuius opera sit ille nouercalibus insidiis cum sorore subtractus. Sab. lib.5.c.1.

HOMERVS Mercurij, ex uxore cuiusdā sacerdotis Aegyptij F. quòd spurius esse putaretur, ignominiæ uitandæ causa spōte sua in exilium abiit, & per Græciam oberrās, omnes in sui admirationem pertraxit. Heliodorus.

Cùm Psammetichus Aegyptiorum rex exercitū in Syriam duceret, mercenarios milites, quorū opera regnum cōsecutus erat, statuit in dextra, Aegyptios à sinistra phalangis parte. Qua contumelia irritati AEGYPTII, ad CC. millia Aethiopiam uersus in exilium spontè abierunt. Diodorus libro primo, cap. 5.

Cùm Xerxes Atticam inuasisset, ATHENIENSES edictum propósuere, ut qua quisq; ratione posset, seruaret suos. Alij igitur Trœzenē, alij in Aeginam, alij in Salaminem sua pignora exportarunt. Athenis enim maximè infensus erat Xerxes. Accessit prodigium. Ingēs enim draco arcis custos, cui mēstrua libamina ex melle confecta proponere solebant, cùm superiora semper depastus esset, ea tunc illibata reliquit: quasi etiam deus ipse sedes suas relinquere uideretur. Herodotus lib.8.

TIMESIAS Clazomenius, de Clazomeniis optimè meritus, cùm quodam tēpore præter scholam transireti pueri dimissi à præceptore ludis operam dabant. Cūq; duobus de linea incidisset controuersia, alter iurabat: Sic ego Timesiæ cerebrum discussetim. Hoc audito, ille putans se in communi omnium hominum inuidia esse positum, siquidē & pueri eū odissent, nedum senes, sponte atq; ultrò è patria concessit. Aelianus lib.12. de Varia hist.

SPARTANORVM XXIV. optimates uoluntario exilio bellum ab Achæis patriæ inferendum auerterunt. Pausanias in Achaicis.

LYCVRGVM Lacedæmonium, filium Eunomi, Euphorus dicit, in exilio fame periisse. Aelianus lib. 13. de Varia hist. Alij uoluntario in exilio eum abstinētia cibi obijsse scribunt: & cineres in mare proijci iussisse, ne quādo Spartam relati, ciues sacramēto liberarēt, qui ad eius usq; reditum leges suas se inuiolatas cōseruaturos sacrosanctè polliciti fuerant. Iustinus lib.3. & Plut. in eius uita.

PROTAGORAS Abderites, Menandri F. & auditor Democriti, accusatus ab Atheniēsibus, quòd Persarum magiam & religionem didicisset, sponte exulauit. Rauisius.

Philostratus in Sophistis AESCHINEM Atheniēsem oratorē nō coactum uertisse solum exilij gratia scribit, sed quum iudicio de Ctesiphonte uictus esset, ad Alexandrum contēdisse, qui tunc Asiæ imperabat: ubi uerò de eius morte inaudisse, nere intellexit, flexisse cursum Rhodum, captumq; insulæ amœnitate studiis apta, resedisse eo in loco. Lud. Viues in librum 2. August. de Ciuit. Dei.

DEMARATVS Corinthius Cypseli tyrāni dē fugiēs, in Hetruriam naui delatus, Tarquinijs consedit. Eius filius Lucumo, quòd propter peregrinitatē in paruo apud Tarquinios honore esset, Romam cum Tanaquile uxore migrauit, & Anco Martio regi insinuatus, tandem ad regnum peruenit. Sabellicus lib.4. En.2.

M. LIVIVS Salinator cùm de Illyriis triumphasset, ex inuidia, peculatus reus, ab omnib. tribubus, excepta Metia, condēnatus, in exilium abiit uoluntarium: ubi lōgo tēpore sordidatus, promissaq; barba moratus est. Vrgēte uerò Italiam Hannibale, reuocatus, consul factus est. Volat. lib.16. Vrban. com. ex Cæcilio, & Liuij lib.29.

M. Fur. CAMILLVS dictator à L. Apuleio trib. plebis, ob Veientanam prædam (dicebatur enim æneas portas domi habere, quas inde compilasset) in iudicium arreptus, quū nihil præsidij contra uim tribunitiam sibi in ciuibus esse cerneret, ultrò in exilium abiit, deos precatus, ut si innoxio sibi ea iniuria fieret, non multo pòst sui desiderium ingratæ ciuitati faceret. Absens quindecim millibus grauis æris est damnatus. Nec ita multo pòst, quasi eius preces cœlo auditæ essēt, à Gallis Roma capta est. Sab. lib.9. En.3.

In Sabinorum urbe Regillo APPIVS Clausus erat, uir pecuniosus, uirtutis laude & eloquētia præcellēs. Aemuli ideò calumniabātur pacis eū esse auctorē, ut auctis populi Rom. opibus, tyrannidem sibi & dominatum quæreret in patria. Quos tumores sentiens secundis auribus populi accipi, timuit iudicio se cōmittere: uerùm quia factione amicorum & necessariorum manu erat septus, conciuit seditionem. At P. Val. Poplicola Coss. Rom. denunciauit per homines idoneos Appio, quòd si uellet saluti suæ consulere, & relictis inimicis suis transfugere Romam, recepturum se eum, ut ipsius uirtus & dignitas populi Rom. mereretur. Appius concilio habito amicorum, plerisq; in sentētiam suā pertractis, quinq; millia familiarum cum liberis & coniugibus Romā transtulit. Poplicola familiis ciuitatē dedit, singulisq; agrū binū iugerum trās Anienem fluuium, Appio XXV iugera, eumq; inter patres legit. qui hunc gradum ad Remp. primum fecit: in quo cùm specimen præbuisset prudentiæ, in principum dignationem peruenit, pollentesq; habuit opes, & claram post se gentem Romæ reliquit Claudiorum. Plutarchus in Poplicola, & Liuius Dec.1. lib.2.

P. SCIPIO Africanus Linterni in uilla sua sibi elēgit exilium, qui ciuitatem non modò tot uictoriis exornauerat, auxeratq; imperio: uerumetiam à calamitosissimo & diuturno bello Punico liberauerat: in ingrata patria ne cineres quidem suos manere passus.

LAPVLEIVS Saturninus tribunus pleb. cùm propter Agrariam legem (quam per uim tulerat) aliasq; item factiones uideret se odiosum plerisque principibus, Rhodum profectus est in uoluntarium exilium. Liuius lib.69.

Cùm Saturninus Romæ factus tribunus legem Agrariam tulisset, in qua hoc adiectum erat, ut senatus iuraret in concione, se id, quod populus iussisset, comprobaturum, neq; ulla in re impugnaturum: Hoc ipsum iurare nolēs CAECILIVS Metellus Consul, sponte in exilium abiit Rhodum, ibique philosophiæ uacauit. Plut. in Mario.

Cùm Cinna & Carbo in clarissimos uiros Romæ uiolentissimè & sæuissimè consulerent, declinantes COMPLVRES tyrannidem eorum, sicut in portum ad castra L. Syllæ ad Orchomenum confugerunt, ac breui species apud eum senatus fuit. Metella quoq; uxor eius ægrè se liberosq; subduxit, uenitq;, domum eius, nuncians & uillas ab inimicis inflammatas: atq; orauit, ut opem ferret urbi. Plut. in Sylla.

APOLLONIVS Alexandrinus poeta, adhuc adolescēs, cùm Argonautica scripsisset, & ab aliis poetis malè audiret, patriam fugiens, Rhodum uenit: ibiq; diutius uersatus, Rhodius potius quàm Alexandrinus cognominari maluit. Gyraldus Dialogo 3. Hist. poet.

DION Prusiæus sophista, fugiens Domitiani tempora, quando philosophia exulabat, ad Germanos & Getas se sponte contulit, ignotus omnibus: ubi tunc Traianus nondum imperator res gerebat. Cumq; Domitiano interfecto animaduertisset tumultuantes milites, & ad res nouas erectos, extemplò nudus, ut erat, cucurrit, & ex altissima ara concionatus, illud Homericum Odyss. ξ. præfatus est, ὡς γυμνὸς [illegible] ὀδυσσεύς. At nudus tacitè prodit cōsultus Vlysses. seq; Dionem summum philosophum esse manifestauit. Philostratus in Sophistis.

ALEXIS nobilissimus Romanorum, prima nuptiarum nocte sponsam relinquens, pro Christo peregrinatus est, per decem & septem annos: & tandem è Syria domum reuersus, à patre suo pro mēdico exceptus, nulliq; per XVII annos cognitus, tenore uitæ suæ in charta descripto, obiit, & diuina uoce manifestatus est. Sigebertus in Chron.

ETHELDREDVS Anglorum rex ignauus, Dacorum armis pressus, habito procerum consilio, cùm si pugnaret, de fide suorum dubitaret: sin se dederet, ignominiosum id sibi futurum sciret: placuit tandem, ut se meliori fortunæ seruaret, & assumptis uxore Emma, Ricardi II. Normannorum ducis sorore, cum liberis, in Normāniam exulatum abiret: hac enim ratione multos à cæde seruatum iri, qui olim salui patriam in libertatem uindicare possent. Itaq; Sueno totius Angliæ imperium adeptus est, anno Christi MXIIII. Polydorus libro 7.

[redacted]

OBSID [redacted] PIGNOR [redacted]

Obsides [redacted] *ferre possunt.*

SIM[redacted] obses datus Iosepho à nouem fratribus, donec illi adducer[redacted] fidemq; facerent, se non [redacted] tores. Genes.42.

Ptolemæus Aegypti [redacted] Alexandro apud Macedo- [redacted] bellum. Vterq; autem Pelopidam Thebanum [redacted] & iudicem acceperat: deinde socium & adiutorem [redacted] Hic aduentu suo cùm controuersias finiuisset, exulesq; reduxisset: PHILIPPVM regis fratrem, obsidem, prætereaque pueros triginta alios ex primoribus accepit, atque Thebas duxit, ostentans Græcis, in quantum fastigium ascendisset resp. Thebanorum splendore potentiæ & fide iustitiæ. Hic ille est Philippus, qui, cum Græcis insecutis temporibus de libertate eorum arma contulit. Id temporis puer apud [redacted] hospitium habuit.

Inde æmulus Epaminondæ habitus est: notata fortasse in militia & imperio eius strenuitate. Plutarchus in Pelopida, & Diodorus lib.15.

Post Agin bello superatum Antipatro postulanti obsides PVEROS quinquaginta, Eteocles, qui tum Ephorum agebat, respondit: Se pueros non daturum, ne si licenter uixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaq; ne ciues quidem essent. cæterùm senes ac mulieres se duplo numero daturum. Verùm Antipatro dira minitanti, ni acciperet postulata, populus una uoce respondit: Si imperas acerbiora morte, faciliùs moriemur. Nempe licenter educatos iuuenes non putarunt habendos pro ciuibus: perinde quasi mater abdicet filium ex se natum, nisi probitate morum maioribus suis respondeat. Plut. in Laconicis.

Cleomenes Spartanorum rex à Ptolemæo Aegyptio auxilia cōtra Antigonum Macedonū impetrauit, LIBERIS suis & matre CRATESICLEA obsidib⁹ datis. Plut. in Cleomen.

VIRGINES Rom. obsides Porsenæ datæ, deceptis custodibus, uno agmine Tyberim transnatarunt. Ferunt ab iis impetrasse, quorum custodiæ creditæ erant, ut liceret ire ad flumen se lotum, rogassēq; ut tantisper ab intentione oculorum abstinerent, dum positis uestibus se fluuiali aqua abluerent, ne nudæ conspicerentur. Atq; ita Clœliæ hortatu in ulteriorem ripam nando euasisse. Illud à fide minus abhorret, incidisse eas in fluuiale aliquod nauigium, uicinę castris ripæ alligatum, quò ad suos occultè traiecerint. Clœliæ equestris statua publicè posita est. quo argumento adducti quidam, equo eam fluuio transuectam prodiderunt. At sic una seruata esset, non omnis obsidum cœtus. Liuius Clœliæ id datum credidit. Plinius lib. 34. cap.6. & Plutarchus Valeriæ, P. Valerii, qui tum consul erat, filiæ. Sabell. lib.7. Enneadis 2.

Volsci, cum quibus Latino bello nec pax fuerat, nec armis disceptatum, quia tamen ex confesso in Romanos exercitum comparauerant, bello sunt à consulibus petiti. Cæterùm inopinata re perculsi, trecentorum PRINCIPVM filios, à Cora & Pometia obsides consulibus dederunt. Quibus Romam reuersis, uix paucis interiectis diebus, bellum occultè reparārunt. Eos P. Seruilius consul repressit foris: domi autem Appius Claudius, ut Volscorum supplicium aliis documento esset, ne datis obsidibus fœdera uiolare ampliùs auderent, trecentos eius gentis obsides in foro securi percussit. Sabellicus lib.8. Enneadis 2.

TARENTINORVM obsides, qui Romæ in atrio Libertatis custodiebantur, sub noctem urbe dilapsi, domum fugam intenderant. Qui postridie ex Taracina Romam retracti, in foro priùs uirgis cæsi sunt, atq; de saxo præcipitati. Cuius atrocissimi supplicij fama Tarentum delata, in causa fuit, ut maturata sit proditio, & Hānibal in urbem noctu receptus, anno decimo secundi belli Punici. Sabell. lib.3. En.5.

Bello Punico secundo Sagunti erant totius HISPANIAE obsides, idq; unum pignus Hispanorum animos à Romanorum societate, ad quam amplexandam alioqui propensi erant Hispani, metu arcebat, ne defectionis culpa filiorum sanguine lueretur. Cæterùm Acedux, homo Hispani generis, qui tum Sagunti erat, ad Romanos transiturus, Bostari Pœno, qui arcem præsidio obtinebat, persuasit, ut ad Hispanorum animos beneficio occupandos, ultrò illis obsides restitueret: expeditum id rei Punicæ demonstrans, si priusquam fauor ad hostes apertè inclinasset, populorum & principum studia obsidum restitutione in pristina fide retinerentur: quando omnes sibi credi uellent, fidesq; habita fidem obligaret. Pollicitus ad id Acedux suam operam, si cura sibi puerorum domum reducendorum esset delegata. Assensus est Bostar Aceducis consilio, tempusq; & modum inter se cōstituerunt. Placuit noctu, ne Romani sentire possent, puerile agmen deductum iri. Ille uerò cum Scipionib⁹ de tota re colloquium occultè habuit, promissaq; obsidum traditione, docuit, qua hora noctis, & qua regione, cum obsidibus ex urbe egressurus esset. atq; ita uelut imprudens in insidias delatus, cum pueris in castra perductus est. Obsides non parua Romanorum gratia, eo ordine, quo à Pœnis restituendi erant, per Aceducem sunt ad suos reducti. Sabellicus lib.1. Enneadis 5.

Augustus Cæsar à quibusdam nouum genus obsidum FEMINAS exigere tentauit, quòd negligi marium pignora sentiebat. Et tamen potestatem semper fecit omnibus, quoties uellent, obsides recipiendi. Suetonius.

Constantius à Maximiano adoptatus, ut fraternæ fidei certū Galerio Maximino, à Diocletiano adoptato, pignus daret, CONSTANTINVM filium, qui postea imperauit, ex Helena uxore susceptum, obsidem dedit, eo nomine, ut prima illo duce rudimenta militiæ poneret. Nam XV tum annos agebat. Sigonius lib.1. Imp. occid.

Ostrogothorum reges Valemirus & Theodemirus (qui Hunis Atilæ filiis superatis, in Pannoniis cōsederant ad Danubiū)

Illyricum uastabant. Leo Imp. Pannoniis Mœsiaq; permissis, fœdera cum illis iniit: & obsidem accepit THEODERICVM, Theodemiri ex Arilena concubina filium. Leo ut gentem liberalitate alliceret, Theodericum ex obside liberum fecit, regio indumento comitatuq; deductum. Accepit libens Theodemirus tantũ munus, &(quod tacentem Leonem desiderare intellexit) induciarum fœdera in pacem cõmutauit. Cranzius lib. 3. Sueciæ, c. 9.

Quum expugnata direptaq; à Caroli V. exercitu anno 1527. Roma, Clemens VII. Pont. arcem, in quam confugerat, ea conditione dedidisset, ut militi stipendia persolueret: magnis rei numariæ difficultatibus coactus est obsides dare, quos ipsi milites delegissent. Ii fuere Cardinalium PROPINQVI, uiriq; maximè pecuniosi. Horum manibus ferreæ cathenæ statim iniectæ, uinctiq; in Pompeiana domo custoditi: sed tandem Pompeij Columnæ astutia liberati fuerunt, Germanis custodibus opipara ab eo cœna exceptis, multoq; falerno consopitis. Iouius in Pompeio.

Franciscus Galliæ rex FILIOS duos, quos ad Ticinum captus Carolo V. Cæsari obsides dedit, ducentis aureæ monetæ myriadibus redemit. Iouius lib. 26. Historiarum.

CAPTIVITAS.

Captiuitatem hîc consideramus simpliciter absq; subsequente uel Carcere uel Venditione & Seruitute œconomica.

A MAGISTRATV CAPTI.

Vide Tit. Carcerum.

D. Canutus Danorum rex classem in Angliam parauerat. OLAVVS frater regni inuadẽdi cum proceribus consilio capto, Slesuici ex improuiso interceptus & accusatus, in uincula duci à militibus iubetur. At illi hanc regio sanguini cõtumeliam suis manibus inferre recusarunt, morte omnibus hominibus communi, quàm uinculis seruilibus multare, tolerabiliùs rati. At Ericus frater sanguini non parcendum, dum uitia puniuntur, existimans, uincula illi iniecit: cumque rex catenis uinctum in Flandriam deportari curauit. Cæso tandem à Fionibus Erico, à Danis ad regnum uocatus est. Saxo lib. 11.

A SVBDITIS.

Victo ad Nicopolim SIGISMVNDO rege à Baiazethe Turcorum tyranno, Hungari casum infelicem illi acceptum referebant, propter cæsos pridem Budæ XXX proceres, ut arderе omnia bello intestino, quàm illũ regnare mallent. Indicto cõuentu in campo, quẽ Hatvvan nominant, Hũgari tanquam de summa regni acturi Regem armati circũstant, pugnam ei aduersam exprobrant, cognatos & affines interemtos repetunt, in barbam inuolant, pilos euellunt, ad extremum capiunt, traduntq; custodiendũ in arce, cui Soclos nomen, duobus fratribus, ob necem paternam Regi infestissimis. Mox Ladislaum, Caroli, pridem in Hungaria cæsi, filium ad regnum inuitant. At Sigismundus uiduam, matrẽ illorum fratrum, alloquendi potestatem adeptus, à se illam prius non dimisit, quàm ingentibus promissis extorqueret, ut mater cum filiis ad se liberandum, furtiuisq; itineribus in Morauiam deducendum conspirarent. Budam reuersus, regnum recepit. Dubrauius lib. 25.

Flandria tota ductu Gandauensium tumultuãte, ob tributa à MAXIMILIANO I. imposita: ciues, qui Brugis pro rege stabant, misso nuncio indicarunt, nisi accedat, populum omnem in rebellione Gandauensibus consensurum. Introiuit Brugensem urbem cum paucis, & ut erat constitutum armatus primo mane apparuit ad domum scabinorũ (Burgam uocant) sperans confluxuram ad se plebem. Sedebat quisq; domi, proprio intentus labori. Insonuit rumor per oppidum, regem stare armatum ad domum scabinorum: proclamatur ad arma, quando quisq; suo timebat capiti. Qui regem introduxere, malè sibi timentes, quæsiuerunt latibula. Concurritur in forum. Auctore decano fabrorum lignariorum (quòd pridem pro leui uerbo, ad delationem mimi, quidam ex eorũ ordine esset decollatus) rex capitur, cùm aulici eius penè omnes aufugissent: & primùm in domum Vellæ, deinde in Craneborg, nouissimè in domum Ioannis de Grossis audientiarij includitur. Vigilia Purificationis diuæ Mariæ, anno 1488. nonnulli ex ciuibus capite truncati sunt. Euocati Brugas Gandauenses aderant. Rex à Brugensibus aditus, lacrymas ante uerba dedit: collacrymati sunt, qui uiderunt, multi. Ostensa sunt ei plurima, quæ ille se ignorare fateretur: rogabat ut uita sibi salua esset. Promittunt sanguinẽ se suũ pro illo daturos, neq; malis quisquam passurũ. Multa pro liberando rege tentata sunt frustra: cùm neque summus pontifex, intentata censura, quicquam proficeret. Gandaui interim magna cædes bonorũ ciuiũ: nam quicunq; pro rege uerbum unquam molle emisisse recoleretur, suspectus habebatur, & patriæ proditor. Tentauere Gandauenses nunc blandimentis nunc ui publica regẽ ductum in manus tradere Francorũ. Sed Brugenses aucta uigilum manu, regem custodiuere, eumq; tandem iureiurando adstrinxere, adhibitis quibusdam ex prima nobilitate cum illo iurantibus, omnia quæ facta essent se illis ex animo remissurum, nec unquam uindicaturum. Id suo potissimùm & Philippi de Rauensteen iuramento firmauit, ac uenerabile Christi corpus in eam rem sumsit. Itaque tum carcere laxatus est. Fridericus interea pater magna Flandriam clade affecit, rege ad omnia quiescente. At Philippus de Rauensteen, qui sacramento suo omnia cum rege firmarat, ut ostenderet præter datam fidem arma renouari, relicto rege (quem primus ipse ab initio reconciliationis sequutus est) arcem Slusæ occupauit (hic est portus ille Gesoriacus Ptolemæi) Flandrensibus ex illo die æquior. Cranzius lib. 13. c. 9. & seq. Saxoniæ.

AB HOSTIBVS CAPTI.

Pontifices.

LEO III. Romanus pontifex, Carolo Magno regnante, dũ supplicationes agit à Gregorio institutas, apud ædem Syluestri captus, & Paschalis primicerij ac Campuli presbyteri fraudibus ferè ad mortem cæsus, in cœnobium S. Erasmi relegatus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

ANASTASIVS III. Benedicto III. deposito, cùm pontificatum inuasisset, ab Imperatoris legatis deiectus, & in carcerem coniectus est. Sigebertus in Chronicis.

Gisulphus auxilio Godofredi Beneuẽti LEONEM IX. Rom. põtificem apud Teate, quod oppidum Maurocinorum Ciuitatem uulgò uocant, cum copiis occurrentem superauit & cepit: summo tamen honore deduci in urbẽ curauit, prosequentibus eius iter omnibus Beneuenti sacerdotibus. Ritius Neapolitanus lib. 1. Regum Siciliæ.

Rogerij F. Gulielmus, Apuliæ & Calabriæ dux, INNOCENTIVM II. Pontificem bello cepit.

Seruili habitu domum regressus Sarra Columna (quẽ BONIFACIVS IIX. Pp. extremo psequebat odio, ita ut in piraticam quoque seruitutem inciderit) per factionis suæ homines ad trecentos equites Francos, qui ex bellis Siciliensib' pace facta alij aliis locis sedebant, pecunia ab Hilermo Lõgareto Tolosate subministrata, raptim contraxit. Affuit & Longaretus, corruptis pecunia Anagninorum nonnullis: simul cum Gibellinis eiusdem urbis re composita. Prima igitur luce Anagniam intromissi sunt. Vbi primùm Bonifacius se proditum sensit, sacris omnibus summi pontificatus ornatus insignibus, in solio sacro consedit: Sarraq; cũ uociferatione irrumpẽte, sed intra linguam sæuiente, cõticuit: Longareto propiùs accedenti, simul stringenti ferrum, minitantiq; se illum in uinculis Lugdunum pertracturum, ut in Franciam è sede Petri deturbaretur: Ego, inquit, patienti animo feram, quod sancto pontifici Syluerio usu uenit. Auus uerò tuus Albianæ impietatis cõuictus, damnatusq; igne meritas scelerum pœnas Deo mortalibusq; dedit: ne mireris indebitas me impietati tuæ luere. Ferunt continuò ferociam omnem Longareti concidisse. Appositis tantùm pontifici custodibus, ac ædibus direptis, discessit. Triduo pòst, custodibus dilapsis, ex propinquis oppidis auxiliis cõuenientibus, ad hoc ex urbe Roma officij causa ingenti cõcursu, simul, qui fuga dissipati fuerant, coeuntibus, profectus Romam, trigesimo quinto à ui facta die obiit, anno eius seculi tertio. Aemilius lib. 8.

[redacted]

Circa an-

Circa annum sal. 1364. erat graue bellum inter episcopum Hildesemensem Gerardum, & Othonem ducem Brunsuicensem. Hic Gerardus in societatem belli pertraxerat archiepiscopũ Magdeburgensem Theodericũ, & ALBERTVM Halberstadensem. Acie uictor Gerardus, Albertum Halberstadensem, insignem logicum, qui ingenij sui testimonia etiam nunc inter scholasticos habet, cepit. Et quia Gerardus orator non uulgaris erat, prouerbium inter studiosos ortũ, Logicam succubuisse Rhetoricę. Cranz. lib. 9. Saxoniæ c. 33.

Imperatores, Reges, Principes.

MANASSES rex Iuda, uinctus catenis, captiuus Babylonem ductus est. 2. Paralip. 33.

Iosias rex iustus tres filios habuit: IOACHAZ & Ioakim & Sedechiam. Quorum primum rex Aegypti Pharao Nechao captiuum duxit in Aegyptum, ibiq; mortuus est: & constituit pro eo regem Eliachim fratrem eius. Quo mortuo, regnauit filius eius IECHONIAS, qui à Nabucodonosoro, rege Babylonio, cum matre & principibus ductus est in captiuitatem: pro quo patruus eius regnauit SEDECHIAS, priùs Malachias dictus. Hic cùm tributũ pẽdere negligeret, à Nabucodonosoro obsessus, undecimo regni anno, capt', omnes filios interimi, urbem ac templum incendi cùm uidisset, erutis oculis Babylonem perductus, illic cum coniuge, in carcere, inter homines lingua moribusque diuersos, obiit. In eo uerè regnum Iuda finitum est. Iste est Sellum, id est, consummatio atq; completio, filius Iosiæ, rex Iuda: qui regnauit pro patre suo. Iechonias autem non fuit filius, sed nepos Iosiæ, filius Ioakim. Hieronymus libro 4. com. in Hieremiæ cap. 22.

ARISTOBVLVS II. Iudæorum rex, captis à Pompeio Magno Hierosolymis, cum duab. filiabus & totidem filiis Antigono & Alexandro Romam captiuus ductus, cæterùm è uinculis cum Antigono F. elapsus, cùm Iudæorum multos ad defectionem compulisset, à Gabinio in castro Machærũte captus, Romam denuò missus est, postquam regno & põtificatu potitus esset annis tribus cũ dimidio, uir in ea dignitate magnificus & magnanimus. Liberos tamen eius dimisit senatus, cũ ex Gabinij literis cognouisset, promissum hoc eorũ matri, dum castella traderet: qui mox in Iudæam reuersi sunt. Iosephus lib. 14. cap. 11. Antiquit.

SPARGAPISES Tomyridis Massagetarum reginæ F. à Cyro captus, cùm se liberalius uino ingurgitasset: postquã ad se rediit, & ubi locorũ esset cognouit, exorauit à Cyro, ut uinculis solueretur. Solutus, manus sibiipsi intulit. Herod. lib. 1.

AGATHOCLES, Lysimachi Thraciæ regis F. à patre contra Dromichæten Getarum regem missus, captus est. Lysimachus filiam Dromichæti despondit, & ea parte Thracię cessit, quæ trans Istrum est. Pausanias in Atticis.

CROESVS Lydorum rex, qui templa oraculorum omnium, quæ tum fuēre, multis & magnis muneribus ornauit, quiq; aurũ & argentũ in lateres fudit, à Cyro Persarũ rege captus, quod reliquum ętatis superfuit, in seruitute uixit. Herodot.

Datames Leucosyriæ præfectus ab Artaxerxe, THYO Paphlagonum regi, qui defecerat à rege, bellũ indixit. In quo, cùm ab Ariobarzane regio præfecto Lydiæ & Ioniæ totiusque Phrygiæ desertus esset, nihilo segnius perseuerauit, uiuũq; Thyum cepit cum uxore & liberis. Cuius facti ne prius fama ad regem, quàm ipse, perueniret, dedit operam. Itaque omnibus inscijs, eò, ubi erat rex, uenit, posteroq; die, Thyũ hominem maximi corporis, terribiliq; facie, quod & niger, & capillo longo, barbaq; erat prolixa, optima ueste contexit, quam satrapæ regij gerere consueuerant. Ornauit etiã torque, atq; armillis aureis, cæteroq; regio cultu. Ipse agresti dupliciq; amiculo circundatus, hirtaq; tunica, gerens in capite galeam uenatoriam, dextra manu clauam, sinistra copulam, uinctum ante se Thyum agebat, ac si feram bestiam captam duceret. Quem cùm omnes inspicerent, propter insolentiam ornatus, ob eamq; rem magnus esset concursus, nemo tamen erat qui agnosceret Thyum. Rex Pharnabazũ misit exploratum. A' quo, ut rem gestam comperit, statim admitti iussit, magnoperè delectatus cùm facto, tum ornatu. Itaq; magnificè Datamen donatum, ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo & Tithrauste ad bellum Aegyptium, pariq; cum atque alios imperio esse iussit. Probus in Datame.

PERSEVS Macedoniæ rex ingenti prælio ad Pydnam uictus à L. Paulo Aemilio, cum thesauro suo Samothracam ad tẽplum Castoris & Pollucis supplex confugit. Cn. Octauius, qui unà cum Paulo bellum administrabat, classe Samothracam appulsa, Persen religione deorum reliquit inuiolatũ: mari tamen & effugio præclusit. At Perseus clàm Oroandẽ quendam Cretensem, qui lembum habebat, induxit, ut se cum pecunia sustolleret. Ille arte Cretica usus recepit pecuniam: illum cùm nocte uenire ad portum Demetrium cum liberis & seruitiis necessariis iussisset, statim primis tenebris soluit. Miserabilis Perseus erat, qui ex angusta fenestra per murum se puerosq; & coniugem demisit, laborum & erroris rudes: altissimum etiam suspirium misit, ubi quidã, qui in alto uela facientem conspicatus fuerat Oroandem, id ei litore uaganti renũciauit: nam lux appetebat. Ita omni spe destitutus, confugit ad murum, non iam tectus: uerùm preuenit tamen cum uxore Romanos. Liberos ipse tradidit in manus Ioni, qui pridem fuerat ei in deliciis: tum uerò proditor eius, in causa potissimùm fuit, cur Perseus compelleretur, ut fera, captis natis in manus uenire & permittere corpus Romanis, qui liberos tenebant. Maximam fidem habebat Nasicæ, quem accersebat: cùm is non adesset, questus suam fortunam, respiciensq; necessitatem, dedidit se Octauio. Cùm duci petisset ad consulem, consurgens consul, ut magno uiro, deorum ira & asperitate fortunæ prolapso, cũ amicis ad lacrymas effusus, processit obuiam. At ille turpissimum spectaculum præbuit, ac se ad pedes Pauli summittens, & genua eius appetens, uoces degeneres & preces emisit. quas non tulit neq; auribus admisit Paulus, sed intuitus cum uultu tristi & offenso: Quid miser, inquit, maximo crimine liberas fortunam, qui hæc admittis, qua re nõ immeritò oppressus uideare calamitate, neq; hac, sed pristina indignus fortuna fuisse? Quid uerò non præbendo te generosum, nec dignum populo Romano aduersarium, uictoriam maculas meam, & palmam eleuas? Virtus magnam conciliat uel apud hostes reuerentiam afflictis: ignauia apud Romanos est etiam faustis rebus prorsus contemta. Sustulit tamen eum, dextramq; porrexit, & curam eius mandauit Tuberoni. Plut. in Aemilio.

PSEVDOPHILIPPVS, post Philippum Demetrij regni heres, à Demetrio Syriæ rege, ad quem auxilij gratia contra Romanos uenerat, captus, ac Romam missus, custodiæq; traditus est. Volat. lib. 18. Anthrop.

SYPHAX Massæsulorum rex, qui Masinissam regno expulerat, cum P. Corn. Scipione fœdus contraxerat. Cæterùm postea mutatus animo, ducta Asdrubalis Barchini filia Sophonisba, ad Carthaginenses defecerat. Tandem à Scipione in Africa captus, cum multis nobilibus uiris ad Scipionem perductus fuit. Auctor eius uitæ.

PESCENNIVS Niger à ducibus Seueri Imp. per Aemilianũ superatus, apud Cyzicum sauciatus, captus, & ad Seuerum deductus est. Caput eius suffixum Romã missum. Spartian.

AEMILIANVS Mauritanus, Imp. ab exercitu nominatus, à duce Galieni Theodoro captus, ad Galienum missus est. Trebellius Pollio.

VALERIANVS Imp. haud multo pòst, quàm Christianũ nomen insectari est adortus, ad Persicum bellum profectus, siue aliena fraude id acciderit, siue sua ipsius temeritate (nã utrunq; traditur) in hostium potestatem uiuus uenit. Ferũt Saporem Persarum regem, à quo captus est, adeò insolenter & barbarè captiuo seni (erat enim Valerianus septuagenarius) illusisse, ut pro scabello eius tergo uteretur equum ascensurus. In ea tam turpi captiuitate eum tandem consenuisse, scribunt Lætus & Aurelius Victor. Eusebius in Sermone ad conuentum sanctorum, excoriatum & sale conditum à rege scripsit.

Gothorum rex RHADAGASTVS, in Italiam aduersus Honorium Imp. cum ducentis equitum millibus profectus, inter Fesulanos montes in Stiliconis Honorij ducis atq; soceri potestatem uenit: à quo catenis uinctus, per omnem Italiam ductus, turpiter interiit: ad cuius famam paulo antè omnes contremuerant. Fulg. lib. 6. cap. 10.

ARDABVRES Theodosij Imp. dux cõtra IOANNEM tyrannum Italiæ, cum Placidia & Valentiniano Cæsare Salonam in Dalmatiam uenit. Ipse, conscensis cum magna copiarum parte nauibus, Rauennam uersus, ut Ioannem ex improuiso adoriretur, iter intendit: Asparem uerò filium, Placidiam & Valentinianum cum altera terrestri itinere Aquileiã iussit contendere. Prospera nauigatione usus, ad Italiam quidem appulsus est, uerùm sub exscensionem sæuo repentè suborto uento repulsus, licèt obluctans, in oram Rauennatem eiectus est: ubi à militibus Ioannis accurrentibus captus, ad illum continuò est deductus. Ioannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, quoniam pacem optabat, ipsum humanissimè habuit, ac liberæ custodiæ tradidit. Ardabures, cùm omnes, qui à Ioanne spoliati honoribus fuerant, malè erga illum animatos animaduerteret, per eos Asparem admoneri filium iussit, quẽm ipse casum subisset, & ut propiùs accederet, cùm Ioannes, quasi confecta uictoria, omnia studia militaria remisisset. Aspar solus Aquileia cum equitatu in agrum Rauennatem tacitus prodiit. Inde, pastore quodam duce, per paludem, quę urbi adiacebat, antea quidem inuiam, sed tum Dei beneficio peruiam, magno silentio ad urbem processit: ac, portis patentibus, ut in summa pace, inuentis, nemine non solùm repugnante, sed ne sentiente quidem, intrauit. Ioannes à suis proditus & captus est. Sigonius lib. 11. imp. occid.

GILIMERE rege Vandalorum in Papua monte, quò confugerat, à Phara duce Belisarij obsesso & capto, impositus est finis bello Vandalico, & recuperata est Carthago cum tota Africa, anno Christi 533. Iustiniani sexto: cùm quidem eam tenuissent Vandali annos 95. Anno enim Christi 438. à Genserico Vandalo primùm occupata est, quum antea fuisset sub Rom. imperio annis 585. Sicq; regnū Vandalorum destructum est, perijtq; Vandalica rabies cum ipso nomine. Nicephor. lib. 17. cap. 12. Euagrius lib. 4. cap. 16. Otho Phrisingensis lib. 5. cap. 4. Paulus Diac. li. 16. Sigebert. & Regino li. 1.

Romanus DIOGENES Constantinopolitanus Imp. cùm audisset Belzethemum Persarum regem, bellum aduersus Syriam & Asiam parare, Antiochiam defensurus, post longam pugnam, cęsis suis, uiuus captus est. Belzethemus in Græcorum ludibrium, quoties cum proceribus suis consultaret, Diogenis collum pedibus premere solebat. Guido Bitur.

CONSTANTINVS VI. Imp. cùm matrem Irenen imperij sociam per decem annos reiecisset: illa paulo pòst à ciuibus imperio restituta, annos tres imperio præfuit, ac filio in carcerem coniecto oculos effodit, in quo breui tempore extinctus est. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

ISAACIVS Angelus à fratre suo Alexio (quem à Turcis captum magno redemerat) excæcatus, & in carcerem coniectus est. Ibidem.

LEONTIVS Patricius Constantinopolitanus, cùm post profligatum Iustinianum Rhinotmetum tres annos imperasset, à Tiberio Apsimaro, qui Africæ præerat, captus, truncatisq; naribus in custodiam missus est. Ibidem.

LVDOVICVS Rom. Imp. ab Adalgaiso duce Beneuentano, contra quem bellum susceperat, captus, & iureiurando adactus, ne posthac rebellaret, liberè ab eodem dimissus est. Verùm cùm paulo pòst Berengarium bello uexasset, ac uicisset apud Veronam, securior esse cœpit. Igitur insidiis captus & excæcatus est. Cranzius lib. 2. cap. 23. Metropoleos.

In Pictonibus IOANNES I. rex Francorum infeliciter contra Anglos pugnauit. Dionysius Myrobrechus Atrebas, cæde domi facta exul, apud Anglum honestum ordinem ducebat. Hic regem in tumultu pugnæ agnouit, uiaq; ui facta, propius accedens, Francica lingua hortatus est, ut necessitati pareret. Eduardum regis F. Principem requirebat rex. Ille alia pugna occupabatur. Atrebati dextram Francus dedit. De captiuis inter uictores certabatur, nec modò inter singulos, sed inter gentes, Anglos Vasconesq;, & qui ex reliqua Gallia signa Angli sequebantur. Rex à prehēsantibus huc illucq; distrahebatur. Tandem nobilissimi Anglorum Vasconumq; aduolantes cum turma delectorū, uoce præconis, cum furcæ minis, uerbis Principis pronunciauere, à corpore regis facesserent præproperè qui circumstabant: præmia suæ cuiusq; fortitudini felicitatiq; ab rege principeq; destinata: ipsi ad edictum submouente sese turba, desilientes equis, regem adorauere: reuerentissimeq; ad principem duxere. Capti nobiles FRANCI ad mille quingentos, Quinq; omnino millia armatorum desiderata. Speciem nobilissimæ omnium uictoriæ captus cum filio Philippo Audace (qui se in defendendo patre mirificum pręstiterat) rex præbuit. Eduardus Burdegalam Francum duxit. Ibi seditio orta, nec Vascones passi sunt, nisi muneribus pollicitationibusq; principis pleni, Ioannem in Angliam transuehi. Myrobrecho quinq; millia aureorum præsentia in sumtum cultumq; numerata: uberiora præmia ab Eduardo patre expectanda. Itaq; in Angliam magna classe, exploratisq; omnibus transmissus fuit. Aemilius lib. 9.

Tamberlanes, Zagataiæ orientalis Scythiæ regionis, Parthiā ac Sogdianam uersus, princeps (cuius Samarcanda ciuitas, ad fluuium Iaxartem constructa, patria fuit) peditum atq; equitum innumerabili multitudine, Natoliam totam occupauit. BAIAZETES I. Turcorum rex, Constantinopoli, quam tum obsidebat, relicta, exercitum nauibus Angorium deduxit, ac prope Stellam montem, ubi olim cum Mithridate Pompeius pugnauerat, cum Tamberlane conflixit, ac superatus est. Hunc captum Tamberlanes catenis aureis ligauit, atq; in ferream caueam detrusum, per totam Asiam ac Syriam circumduxit, quousq; tandem ipsi miseriarum finē mors attulit. In eo prælio (quod tempore Bonifacij Papæ IX. commissum est) plus quàm ducenta hominum millia desiderata sunt. Iouius in uita Baiazetis.

MOSEYDES Tartarorum rex, magni Tamberlanis nepos, aduersus Vssuncassanum Persarum regem cum innumerabili exercitu profectus, fusus ac captus, atq; ad Vssuncassani pędes cum uxoribus deductus (quarum ex gentis more magnum numerum habebat) diuidi eas uectoribus uidit: multis inde contumeliis affectus, Vzaibaicharæ, qui ab ipso rebellauerat, deditus, & ab eodem ignominiosè necatus fuit. Fulgosus lib. 6. cap. 11.

ALBERTVS Tuscorum Marchio, cognomento Diues, Lamberto Guidonis F. duci Spoletano & regi Italiæ rebellans, unà cum potente comite Hildebrando, collecto exercitu Papiam tendebat, suadēte uxore Bertha, Hugonis, qui pòst regnauit, matre. Lambertus uenationi indulgens, certior de aduentu hostium factus, centum acceptis tantùm militibus, noctu uino somnoq; sepultos trucidauit, & Marchionem è præsepio in quod sese abdiderat extractum, cum comite cepit, inq; suum cōspectum adductum his uerbis affatus est: Nempe Bertham tuam diuinatio fefellit, quæ cùm te regem futurum prædiceret, in præsepio latentem asinum fore ignorauit. Cuspinianus.

DAVID Brusius rex Scotorum ab Anglis uictus ad Duraim, acceptis iam duobus uulneribus, telis corpore etiamnum hærentibus, tamen dedere se noluit: ne tot ciuibus suis superesset. At cùm eques quidam auratus, Ioannes Copland, ad deditionem eum cogeret, cùm telum manibus excidisset, pugno os eius tanto impetu uerberauit, ut duos illi priores dētes excusserit. Quatuor cum rege capti comites sunt. Telum autem unū regis tibiæ infixū extrahi prius non potuit, quàm sanctum Ninianum inuiseret: uisa enim tum est tibia manifestò aperiri, ac telū prosilire. H. Boethius li. 15.

VENCESLAVS Imp. & rex Boemorum, Sigismundi Imp. frater, bis captus, & in uincula cōiectus est. Volat. li. 23. Anthrop.

SIGISMVNDVS Caroli IIII. filius, Venceslai frater, Augustorum Imperator factus, proceres XXXII. in Pannonia necari iussit. Ob quam rem & ipse postea captus est, acuiduæ, cuius maritum interfecerat, traditus. Ibidem.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, dum Neapolitanum regnum armis repetit, & Caietam obsidet, à Blasio Axereto Genuensium duce prælio uictus, & cum fratre captus est, anno 1434. Bracellus lib. 3. Belli Hisp.

Carolus V. Imp. FRANCISCVM, regē Gallorū, captū in prælio ad Papiā urbem, anno Sal. 1525. postea dimissum, regno restituit: affinitateq; sibi cū deuinxit, tradita illi sorore Leonora in uxorem. Gulielmus Zenocarus in uita Caroli lib. 2.

LVDOVICVS Sfortia Mediolanēsium dux à Ludouici XII. Gallorū regis ducibus Tramollia, Triultio & Lignino Nouariæ obsessus, Heluetios, quorum fides in expugnāda Nouaria probè enituerat, ab popularium suorum, qui Gallo militabāt (in factiones enim iam discesserat tota Heluetia, priuatorum quorundam execranda auaritia) pręfectis persuasos, frustrà ad pugnam hortabatur, quòd se absq; suorū magistratuum mandato, cum propinquis & propriis fratribus, cæterisq; suæ gentis hominibus pugnare nefas esse dicerent: quibus paulo pòst, quasi eiusdem essent exercitus, permixti, quàm primùm in patriā redire uelle dixerunt: eiq; ut Heluetij peditis amictu, ne agnosceretur, se ipsis misceret, concesserunt. Illis igitur ordine per Gallicum exercitum incedentibus, dum agmini permixtus, Heluetio more uestitus & armatus pedes incederet, cognitus, & captus fuit: usque adeò miserando spectaculo, ut uel hostibus ipsis lacrymas expresserit. Fuerunt præter ipsum capti Galeacius Sanseuerinas, Fracassa & Antonius Maria fratres, Heluetiis eodem uestitu permixti. ASCANIVS cardinalis, fratris calamitate audita, repentè Mediolano discessit. Proxima nocte, ut se aliquantisper à labore itineris celeritate suscepto recrearet, ad Riuoltam in Placentino agro Conradi Landi, eius urbis patricij, ipsi affinitate & longa necessitudine coniuncti, castellum moratus est. Qui mutato cum fortuna animo, Venetorum ducibus Placentia accersitis, illum atq; unà Hermetem Sfortiam, Ioan. Galeacij defuncti ducis fratrē, tradidit. Ascanius statim captiuus Venetias perductus est: sed cùm rex Galliæ illum à senatu Veneto, additis [illegible] minis, repeteret, ad illius armorum furorem uitandum et traditus est. Ludouicus Lugdunum, ubi tunc erat rex, perductus, & in urbem meridie introductus, infinita multitudine, ad tantæ paulo antè amplitudinis & maiestatis principem uisendum accurrēte, ad regis conspectum, quemadmodum summoperè cupiebat, non est admissus: sed pòst biduum in Locensem turrim ductus, in ea circiter decē annos, quibus uitam terminauit, captiuus fuit. Secutus est illum non multo pòst frater Ascanius Cardinalis, qui maiore humanitate acceptus, & ab Rotomagensi Cardinale Georgio Amboysio benignè salutatus, honestiore in custodia habitus est, nimirum in Biturigum turri: in qua idem rex, à quo tunc captiuus tenebatur, biennium inclusus fuerat. Guicciardinus libro 4.

Reginæ.

ZENOBIA Palmyrenorum regina, Aureliani Imp. currum captiua præcessit, adeò gēmis onusta, ut sæpe processu pōpa restiterit, fassa se nimio gemmarum pondere degrauari. Vincti erant pedes & manus aureis catenis. Triumphata Tibure uixit cum filiis, ubi prædia sunt ei publicè data. Mā sit loco nomē in posterum, ut Zenobia diceretur, haud procul ab Adriani uilla, & loco, cui nomen Conchæ est. Eutropius Romæ consenuisse auctor est, & ab ea Zenoniam familiam in urbe propagatam. Sab. lib. 7. En. 7.

PLACIDIA Honorij Imp. soror, ab Athanulpho Visigothorum rege captiua abducta ex urbe Roma, inde in uxorem ducta. Sigebertus in Chronicis.

Henricus VI. Imp. CONSTANTIAM uxorem ad res quasdam procurandas Caietam, & Caieta Salernum miserat. Ea Caietæ multis à latronibus contumeliis onerata, demum Salerni à Salernitanis est comprehensa, & à Tancredo rege Siciliæ, quē Henricus regno tollere conabatur, Panormum traducta, ibi est in regia custodita. Cæterùm quadriennio pòst mortuo Gulielmo rege, impubere filio relicto, Henricus Genuensium ope Siciliam obtinuit, & Panormo dedito, uxorem liberauit, & regem se Siciliæ cum ea coronari fecit. Sigonius lib. 15. regni Italici.

Duces.

IONATHAS Machabæus, dux Iudęorum fortissimus, cū fermè omnem dimisisset exercitum, cū mille comitibus, quos retinuerat, captus est à Nicanore & interfectus. 2. Macha. 12.

Capta Iotapata à Vespasiano, IOSEPHVS Galileæ præfectus, cuius prudentia & fortitudine XLVII diem obsidionis urbs tolerarat, per medios hostes elapsus, in profundū puteum saltu demissus, in cuius imo os speluncæ erat, quod à supernè despiciētibus uideri non poterat, XL ibi illustres uiros latitantes inuenit, cum uictu multorum dierum. Romani latebris cognitis, tribunum Nicanorem ad eum mittunt, qui data fide eum educeret. Et Iosephus quidem, somniis aliquot monitus, pariturus erat: socij uerò mortem ei, si id faceret, minitabantur. Quorum desperatione cognita, persuasit illis, ne seipsos interficerent (cùm id & lex Dei & philosophia humana detestaretur) sed quandoquidem mori placeret, sorte ducta, mutuis caderent uulneribus. Paruerunt illi: & iactis sortibus, Iosephus diuinitùs conseruatus, socium suum (qui solus ex XL supererat) fide data cohortatus est, ut sese sequeretur, & Romanis quouis periculo se dedere mallet, quàm gentilis sui sanguine manus coinquinare. E spelunca inde progressus, Romanis sese dedidit. Iosephus lib. 3. cap. 14. Belli Iud.

Matronæ Spartanæ cùm ad sacros ludos diebus festis in uico Aegila conuenissent: ARISTOMENES Messenius dux alioqui fortiss. bello Messenico secundo eas opprimere conatus est. Sed illę numinis ope fretæ, gladiis, quibus ad hostias immolandas usæ fuerant, armatæ & ueribus, tostis iā extis hostem inuaserunt, multisq; grauiter sauciis, ipsum quoq; Aristomenem facib. percussum, ac malè multatum in uincula coniecerunt. Qui tamen eadem nocte dimissus, ad suos rediit. Pausanias in Messenicis.

NICIAS Atheniensis, genere clarus, missus imperator unà cū Demosthene contra Siculos. Ambo capti à Syracusanis, in carcerēq; coniecti, sibiipsis manus intulere. Plutarchus.

METIOCHVS Miltiadis filius, cum pòst uictoriam naualem Persarum ad Miletum Athenas nauigaret, captus à Phœnicibus, ad regem Darium ductus fuit. Rex permultis eum bonis affecit: donauit domo, facultatibus, uxore Perside: ex qua liberi geniti sunt, qui inter Persas cēsentur. Herod. li. 6.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus, Crausidis filius, pro Achæis multa fortiter in bello gessit. Verùm equo in prælio lapso corruens, ab inimicis captus, à Dinocrate Messenio (cuius opera Messenij rebellauerant) ueneno in custodia sublatus est. Plut. in eius uita.

M. ATTILIVS Regulus, cùm nulla erga Carthaginenses ad extremum redactos misericordia moueretur, pacemq; suppliciter petentibus negaret, mox ipse eò redactus est, ut eadem illa suppliciter à Carthaginensibus iam uictus & captus, absq; uenia, petere cogeretur. Polybius lib. 1. Hist.

AMILCAR Carthaginensium dux cùm per quietem se Syracusis cœnare imaginaretur, id uictoriæ portentum esse auguratus, urbe infeliciter tentata, captus, & Syracusas deductus fuit. Diodorus.

C. MARIVS L. Syllam fugiens, in Africam properans, aduerso uēto eiectus, per loca inuia incidit in senis, qui paludem colebat, tuguriū. Ad huius pedes abiiciens se, precatus est, ut salutem & opem sibi ferret. Eum se uirum esse, qui, si fortunam deuitasset præsentem, maiorem spe ipsius gratiam esset relaturus. Homo abduxit eum in paludem, ac loco cauo propter amnem demittere se iusso, multam arundinem iniecit, aliamq; aggessit materiam, quæ leuis, nec imposita eum esset offensura. Breui pòst strepitus à tugurio & tumultus est ad eum delatus. Geminius enim ex Tarracina misit complures ad eum inuestigandum. Marius, reiectis, quibus intectus erat, in paludem, quæ crassam & cœnosam aquam continebat, abiecit se: neq; fefellit eos, qui ipsum inuestigabant, sed extractus est lutulentus & nudus, Minturnasq; retractus, & magistratibus traditus est. Hic cùm Gallus siue Cimber quidam ad eum iugulandum intromissus, fulgore oculorum eius, uoceq; incerta, à cæde illum dehortante, territus recessisset: à Minturnensib. ad mare deductus, in Africam fugit. Plut. in Mario.

M. CRASSVS cùm infeliciter contra Parthos pugnässet, in fuga circumuentus est ab hostibus. Surenas Parthorum dux, cùm eum capere desideraret, uerbis de fœdere & pace interiectis, eum ad colloquium inuitauit. Præsentiebat dolū Crassus: uerùm militibus eum ad colloquium minis cogentibus, pergit ad hostes pedes, ac tantùm ait conuersus: Vos Octaui & Petroni, & quotquot adestis præfecti Romani, itineris mei cernitis necessitatem, & testes estis, indignè me & uiolenter tractari. Verùm cæteris mortalib. omnibus nūciate, ubi incolumes fueritis, deceptū ab hostibus Crassum, non à ciuib. deditum ad supplicium, periisse. Surenas cū primoribus equo aduectus: Quid hoc rei est, inquit, pedes Romanus imperator, & nos equo uehimur? Simul iussit adduci ei equum. Cùm respondisset Crassus, neq; se peccare, neque ipsum, quòd congrederentur more uterq; patrio: Iam tum Hyrodi regi cum Romanis ait fœdus & pacem esse: uerùm ad leges scribendas progrediendum ad fluuium: neq; enim fœderum, inquit, uos Romani memores estis: porrexitq; ei dexteram. Cùm iuberet Crasso equū adduci, negauit ille opus esse. Nam rex, inquit, hunc tibi donat. Simul admotus Crasso equus est aureis exornatus phaleris, stratoresq; sustulerunt eum in equum, & assectati sunt uerberibus equum concitantes. Ibi Octauius primus arripuit frænū, & secundùm illum unus ex tribunis Petronius: mox reliqui circumfusi inhibere parauerunt equum, atq; illos, qui ex utraq; parte urgebant Crassum, retrahere. Tum impulsu secuto & tumultuatione, mox uerberibus, stricto Octauius gladio occidit unius barbari equisonem: alius Octauium, à tergo feriens. Petronius non habebat scutum. Hic percussus in loricam resiliit ab equo illæsus. Crassum Parthus Pomaxæthres nomine interfecit. Id alij negant, alium autem asserunt percussorem fuisse, hunc uerò iacētis caput & dexteram detruncasse. Illud Hyrodi regi in Armeniam misit Surenas. Plut. in Crasso.

HYPATIVS nepos Cæsaris Anastasij, cum exercitu numeroso pugnaturus contra Vitalianum Scytham, ab Hunnis auxiliaribus captus, & Vitaliano mulæ insidens turpissimè uēditus fuit, priusquam aperto marte se hostem ostenderet. Imp. nongentis pondo auri hostem pacauit. Cuspinianus.

Præerat uniuersæ Venetæ classi, quæ nonaginta & amplius triremium numerū expleret, ANDREAS Dandulus. Apud Corcyram Nigram Liguri hosti congressus, iam uictoriam in manibus habere uidebatur, quum uentorum aduersa ui iactatus, & quindecim Ligusticarum nauium occursu improuiso ex insidiis oppressus est, uniuersa classe partim capta, partim mersa. Is dum captiuus Genuam duceretur, patriæ suumq; casum ingemiscēs, spiritum tandem emisit, suo capite sæpius prætoriæ puppi illiso. Egnat. lib. 6. cap. 10.

NICOLAVS Pisanus Venetus memorabilem uictoriam naualem circa Corsicam insulam contra Ligures adeptus, ad Carystum Eubœæ eosdē summa felicitate oppresserat. Non multo pòst ab iisdem Genuensibus circa Sapientiam (quæ non longè insula à Methone est) cum tota classe oppressus, captiuus Genuam ductus est. Egnat. lib. 6. cap. 10.

In prælio ad Rauennam, anno Sal. 1512. Alfonsus Atestinus Ferrariæ dux uictor in FABRITIVM Columnam, Iulij II. Pōtificis copiarum ducem, incidit, qui stratis & dissipatis alariis suis circumuentus & uulneratus undiq;, gladiis & securibus pertundebatur. Quo conspecto (erat enim uti magister equitum auro & purpura conspicuus) accedens, Romane, inquit, ne te cædi permitte, agnitaq; prælij fortuna te mihi dede. Ad quod Fabritius: Quinam es tu, qui me agnoscere uideris, & ut me dedam adhortaris? Tum ille, Alfonsus Atestinus te cōpellat, nihilq; timere iubet. Audita uoce Fabritius, Vel inuitus, inquit, generoso libenter mę dedo, modò Gallis antiquis hostibus meis non dedar. In id sublata manu Alfonsus fidem dedit, ereptumq; è media cæde Ferrariam perducendum curauit. Iouius in Alfonso.

CAROLVS Malatesta uictus captusque à Philippi Mariæ Mediolanensis ducibus, admirabilem in captiuitate præ se gessisse animi firmitatem, à Pontano libro 2. cap. 7. de Fortitudine scribitur.

Victis ad Hæmum montem Turcis, CARAMBVS Asiæ præfectus, qui Amurathis Imp. sororem in matrimonio habebat, captus à milite, à Ioanne Hūniade quadragenis emtus est aureis, cùm miles decem solis addiceret. Eum mox Georgius Despotes Seruiæ quadragenis aureorum millibus ab Hunniade emit. Bonfinius lib. 6. Dec. 3.

Medici.

DEMOCEDES Crotoniensis, medicus Polycratis Samiorum tyranni, captus cum eodem ab Orœte Sardium præfecto: inde ad Darium regem perductus, quem à luxatione tali curauit. Herodotus lib. 3.

Peregrini, hospites.

PHILIPPVS Macedonum rex cùm Thessalorum ciuitatem

subuertisset, & hospites, quos inibi reperit, diuendisset, per iocum (qui postea in prouerbium abiit) dicebat,

—Ξεῖνος ἦλθοι, ὅστις ὀνήσει: id est,

—Veniat qui proderit hospes. Erasmus in Adagiis ex Theopompo & Zenodoro.

RICARDVS Angliæ rex induciis in trienniũ cũ Saladino pactis, maritimo itinere domum repetiit. Verùm sæuioribus uentis usus, cùm inter Aquileiam & Venetias naufragium passus ægrè cum paucis elapsus esset, Decembri mense terrestri itineri se commisit, atq; habitum, ne agnitus detrimẽti aliquid pateretur, mutauit. Agnitus tamen in Austria ab Humboldo Duce, contra omnia & pietatis & humanitatis exempla est captus, atq; in custodiam traditus. Hẽricus VI. Imperator, Ducem terrore armorum illato ad eum sibi dedendum induxit. Ita Ricardus sub certa pecuniæ conditione dimissus, Henrici in conspectum in Palmarum festo peruenit. Henricus inde pridie Natalitia Apostolorũ iurauit, se Ricardũ nõ nisi libris centũ millibus argenti solutis, quarũ tertia pars Duci Austriæ destinabatur, liberaturum. Ea pecunia rebus etiam sacris diuenditis in Anglia est exacta, & Imperatori repræsentata. In quo ille grauia pontificis & piorum hominum omnium conuitia subiit, quòd regem optimè de Christiana republica meritum, & ab expeditione sacra reuertentem, expilauerit. Sigonius lib.15. regni Ital.

ERICVS X. Danorum rex peregrinabatur in terrã sanctam. Ferunt nobilem quendam ex Orientis regno, militasse Imperatori. Is pictoris industrij manu, regis faciem iussit exprimi: eamq; misit amicis, ut imaginem illam obseruarent: regem esse trium regnorũ, qui magno se ære redimere posset. Rex Venetiis hospitaliter exceptus, uulgari habitu & paruo comitatu uenit in Terram sanctam. Persoluto uoto quum in nauim redirent, nobilis, qui ductabat, euocato regi dixit in aurem, Credis te apud nos incognitum? ecce faciem tuã (& ostendit effigiem) regem te scimus trium regnorũ. Quid faceres, si apud te nostrorum quispiam, tali habitu deprehensus, innotesceret? Stupefactus rex hæsit. Tandem interuentu patroni pecuniam nobilis accepit, quantam rex corrogare potuit. Ita non per Venetias, sed alio itinere reuersus est rex in sua. Cranzius lib.8. Daniæ c.8.

Multi simul.

SPARTANI ante Cleomenem, Leonidę F. qui Lycurgi leges reduxit, usq; adeò fuerunt degeneres, & ad semetipsos tuẽdos ignaui, ut quinquaginta millia mancipiorum incursantes in Laconiam abduxerint Aetoli. Plut. in Cleomene.

LACEDÆMONII post Lycurgi mortem, cùm se Arcadibus præstantiores esse arbitrarentur, consulto oraculo, at non rectè intellecto, bellum intulere Tegeatibus, ferẽtes secum compedes, tanquã ipsi essent Tegeatas redacturi in captiuitatem. Verùm cõgressi prælio, ac fugati, quicunq; eorũ uiui sunt capti, eisdẽ quas ipsi attulerunt compedibus induti, campum Tegeatem metiti sunt coluerunt. Herod. lib.1.

Prouerbium est, Similes sunt Laconicis Pyli captis, in pallidos & extenuatos. Pylus urbs est Laconiæ, ubi Cleon dux Atheniensium captiuos abduxit e Sphacteria SPARTANOS: quos & metu captiuitatis, & quod diu in deserta insula, & omni commeatu destituta obsessi, & post captiuitatem longo tempore in uinculis detenti essent, pallidos & tenues & deformes fuisse, consentaneum est. Suidas.

Persarũ nauticæ copiæ parta uictoria nauali contra Iones circa Miletũ hybernantes, altero à profectione anno haud difficulter insulas continenti adiacentes ceperunt, CHIVM, LESBVM, TENEDVM: quarum insularum ut quamq; capiebant, euerriculabant hunc in modum: Viri manum mutuo tangentes, à mari aquilonari ad australe pertransibant, totãq; insulã peragrabant, uenando homines. Herod. lib.6.

Victo Perseo, & subacta Macedonia à L. Paulo Coss. MACEDONVM CL millia à Romanis uno die in seruitutem abducta. Plut. in Aemilio.

Capta à Genserico Vandalorum rege ROMA, hominum innumerabilis multitudo captiua facta est. neq; ciues solùm passim in seruitutem abstracti sunt, sed ipsa etiam Augusta Eudoxia, huius memorabilis cladis auctor, cum duabus filiabus Eudocia Placidiaq;. Sigon. li.14. imp. occid.

Anno secundo Heraclij, Persæ in Cappadociam ingressi, CÆSAREAM ceperũt, & multa millia hominum abduxerunt in captiuitatem. Paulus Diac. lib.18. rerum Romanarum.

Primo anno Constantini Pogonati Saraceni in AFRICAM irrumpentes octoginta millia captiua duxere. Paulus Diaconus lib.19. rerum Romanarum. Post annos sedecim denuò ex Aegypto maxima multitudo sese effudit in Africã, & Carthaginem prius spoliatam penè diruit. Regino lib.1. & Diac. lib.6. cap.4. de gestis Longobardorum.

Victo Samuele Bulgarorum rege, BVLGARORVM XV millia capta & excæcata à Basilio II. Imp. uno è singulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret. Dehinc omnes iussi ad propria reuerti. Cuspinianus è Zonara.

Hunni circa annum Iustiniani 13. Europam inuaserunt, Potidæam euerterunt, arces duas munitissimas in Illyrico, ciuitatemq; Cassandriam diripuerũt, Chersonnesum expugnarunt: & omnes Græcas urbes præter Peloponnesiacas infestantes, captis CXXM HOMINVM, domum redierunt. Procopius de bello Persico.

Dum Ludouicus III. Imperator in Italia contra Berẽgarium bellum gereret, Hungari Bauariã, Sueuiam, Saxoniam uastantes, magnam hominum multitudinem captam abduxerunt, præsertim ex Saxonia: secumq; ultra Danubium trahentes, posuerũt eam in finibus suis, ut tutarentur eum terræ angulũ ab incursionib. Manentq; SAXONES in hodiernum diem in ea prouincia, sua lingua & morib. utentes, parũq; commercij habentes cum Hungaris. Septẽ arces hodie uocant locum, quẽ tenent. Cranzius lib.2. Metropol. c.29.

Tartari cuiuscunq; sexus HOMINES bello ceperint, in seruitutem abigunt. Quemcunq; uiatorem in itinere offenderint, præter mercatorem Tartarica bulla signatum, ius eius in seruitutem asserendi habent, donec à priore domino repetatur. Bonfinius lib.8. Dec.2.

SAPIREGIVS Mendligeri Tauricæ regis F. à Cazanensibus Tartaris ad regnum uocatus, Moscouiã obsedit, CCC HOMINVM millia captiua abduxit, Moscum ad tributum pẽdendum coegit. Alex. Guagninus in Tartaria circa an. 1510.

Ioannes Albertus Polonorum rex, dominandi libidine Stephano Valachiæ Palatino bellum intulerat, anno 1498. Valachus irritatus, collectis sequenti anno Tartarorum & Turcorum auxiliis, supra C millia hominũ è POLONIA abduxit, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia & Asia Russis mãcipiis implerentur, cum innumerabili gregum, armentorũ, & omnis generis præda. Neq; uerò hic tunc Russię & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda apud Tauricum deposita, mense Iulio iterum immani excursione easdem regiones diuexarunt. Cromerus lib.30.

Anno Salutis humanæ 1498. octo millia Turcorum Italiam ingressi, per Foroiuliensem agrum Liquentiam usque processere: uillæ direptæ, multi mortales capti, in captiuos sæuitum: transmissoque Tiliauento fluuio castrametati sunt. Veriti ne ab hoste includerentur, ingentem CAPTIVORVM numerum mares promiscuè & feminas uno in loco fœdè trucidarunt, magnamq; uim hominum abduxerunt. Croatia igne ferroque uastata, & crebris incursionibus penè exhausta est. Cuspinianus.

Constat eo bello, quod anno 1537. Venetis Solymannus faciebat, supra sexdecim millia è CORCYREIS omnis sexus & ætatis capta atq; abducta in seruitutem fuisse. Iouius lib.36. Historiæ.

Solymannus Turcarum Imp. ab obsidiõe Viennæ, anno 1529. fortiter repulsus, supra sexaginta millia GERMANORVM capitum in seruitutem abduxit: & magno Viennensium incommodo totus ager succisis uitibus, & frugiferis arboribus fœdè deformatus uisebatur. Idẽ trucidatis ad Mugaciũ Vngaris, ipsoq; rege Ludouico in palustri lacuna submerso, moratus est ad Budam dies fermè uiginti. Quo spacio diuersa in proximas prouincias equitum agmina prædatum sunt emissa, quibus hinc ad Giauarinũ usq;, illinc ad Tibiscum amnẽ regio omnis improuisa atq; horribili populatione ita uastata est, ut supra centum & quinquaginta HOMINVM millia omnis ætatis & sexus, aut gladio cęsa, aut in seruitutẽ abducta referantur. Quas prædatorias manus postquam redeuntes in castra recepit, eodem quo uenerat itinere Byzantium est reuersus. Iouius lib.28. Hist. Eundem frustrà tentata anno 1532. in Noricum expeditione, ferunt supra triginta millia CHRISTIANORVM capitum in seruitutem abduxisse, & aliquot millia diuersis in locis, per Michalogli præsertim equites, trucidasse. Iouius lib.30. Histor.

A' PIRATIS CAPTI.

IO Inachi filia, à prędonibus rapta. Parthenius ca.1. Eroticon.

DIOGENES Cynicus, cùm ei capto latrones malignè cibum præberent, nec præsenti fortuna, nec illorum immanitate deterritus, dixit iniquissimum esse, cùm porcelli agniq; uenales saginentur diligentius, hominem præstantissimum animal inedia macerari, quasi hoc pacto non redderetur uilior. Itaq; accepto quantum sat erat, cùm iam esset uendendus, inter cæteros sedit, & prandebat bono animo, impartiens etiam proximis. Philo, Quòd omnis probus liber.

BIAS Prienæus philosophus, conseruis demisso uultu mœrẽtibus, eo quòd iam à latronibus capti essent, animaduertẽs quendam ex aspectu plus satis effeminatum esse, accedens inquit: Tu me emito: uiro enim opus habere uideris. Ille pudefactus cauillo, in turbam se abdidit. Ibidem.

NICOSTRATVS Olympionices adhuc penè infans, è Prymnesso Phrygiæ urbe, à prædonibus raptus est, & ab iisdem ad Aegeas uenditus. Pausanias lib.5.

BION Borysthenites philosophus, quum olim cum sceleratis nauigans incideret in prædones; illis dicentibus, Actum est de

nobis, si agnoscamur: Et de me, inquit, nisi agnoscamur. Laertius lib.4. cap.7.

Cilicum olim piraticam exercentium præcipuus quęstus erat ex MANCIPIIS, quæ propter opportunitatem loci facilè capiebãtur, & celerrimè distrahebãtur, quòd Delus, quę nõ procul aberat, emporium pręstaret & amplum & pecuniosum, ut illic eodem die pręsente pecunia, multa mancipiorũ millia distrahi possent & auehi. In causa erat illud quoq;, quod Romani ex Carthagine Corinthoq; subuersis uehementer locupletati, pluribus mancipiis uti cèperunt. Erasmus in Adagiis, ex Strabone lib.14. Geograph.

C. IVLIVS Cæsar dum Rhodum hybernis iam mensibus traiicit, circa Pharmacusam insulam à prædonibus captus est: mansitq; apud eos non sine summa indignatiõe propè XL dies, cum uno medico, & cubiculariis duobus. Nam comites, seruosq; cæteros in initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde L talentis, expositus in litore, non distulit, quin e uestigiò classe deducta, persequeretur abeuntes: ac redactos in potestatẽ, supplicio, quod illis sæpe minatus inter iocum fuerat, afficeret. Suetonius, & Valer. lib.6. cap.11.

ANTIPATER Herodis Ascalonitę æditui F. captus à piratis, neq; ob paupertatem à patre redemtus, tandem ob uirtutẽ Iudeæ tutor constitutus est à Iulio Cæsare, titulumq; regis ab Augusto accepit. Iosephus lib.17. c.8. Antiq. Iudaic.

OTHO II. Imp. ingenti exercitu bellum Græcis, qui Calabriam & Apuliam occupauerant, intulerat: quas prouincias ob uxoris suæ Theophaniæ, Romani Imp. Constantinopolitani filiæ, dotem, ad se transferre conabatur. Commisso prælio, cùm Romani signa deseruissent, ad internecionẽ cęsi reliqui. Imperator ad litus fugiens, in nauicula trepidè cum paucis salutem quæsiuit: à piratis paulo pòst captus, in Siciliam delatus est ignotus, cùm eum Constantinopolim perducere uellent. At Sclauus quidam negociator, qui Cæsarem norat, pro eo pecunias ingentes pollicitus, rem occultauit: & Imperatrici Theophaniæ ac episcopo Theoderico, qui rei euẽtũ præstolabatur, detexit. Ad litus cùm peruenissent piratæ, pecuniæ allatæ sunt. Quibus nũmerandis cùm intenti essent, Imperator equo celeri conscenso, uelocissimè abiit Romam, auro multo liberatus. Cuspinianus.

Erat SARRA Columnius facilè princeps Romanæ ciuitatis, auctoritate, opibus, sobolis præstantia: quippe cui duo erãt filij in supremo Cardinalium ordine collocati, quod uix du obus aliis datum facilè reperias. Bonifacij VIII. Pp. insectatione repentè afflictus, filios dignitate priuatos, & in ordinem redactos uidit: castella circa urbem suæ ditionis direpta & incensa: ipse hostis indicatus, & à prædonibus captus, dissimulata persona, seruitutem maluit seruire, quàm fateri quis esset. Massiliæ agnitus, redemtusq;, cum modica manu in Italiam reuersus, pontificem incautum oppressit, in uincula coniecit, coniectum luctu & mœrore carceris confecit: restituti filij, opes ampliatæ, maioréne fortunæ ludibrio, an obsequio, ne ipse quidem expedire potuit, qui per hæc exercitus fuit. Sab. lib.7. cap.8. & Fulg. lib.6. cap.11.

CARCERES. IN CARCERES ET VINCVLA CONIECTI.

Consule Tit. E carceribus liberati. & In carcere mortui. Item Titulum, Tolerantiæ carcerum.

QVI.

Pontifices.

Cùm Romę in PASCHALIS II. uerba Henricus V. Imp. iam inaugurandus iurare nollet, contentio inter eos orta est, quæ solennem illam actionem impediuit. Cæsariani milites tam in ciues quàm in clerum, qui frequens tum ex omnibus prouinciis Pontificis iussu confluxerat, impetum facientes, multos eorum sine discrimine trucidarunt, caterosq; superstites exuerunt uestibus. Ipse pontifex cum reliqua cardinalium, cleri, ciuiũq; multitudine uinctus abductus, nec priùs dimissus fuit, quàm ius inuestituræ per baculũ & anulum Imperatori integrum, uti præcessores habuerant, permitteret. Helmoldus cap. 40. in Sclauorum Chronico, & Blondus lib.4. Dec.2.

Cardinales.

Mortuo Nicolao III. dum Viterbij à cardinalibus noui pontificis electio fieret, præessetq; conclaui Ricardus ex Hannibalum familia Romana primaria (qui paulo antè Vrsum Nicolai nepotem prætura Viterbiensi deiecerat: erat enim huius familiæ hostis acerrimus) duo cardinales ex familia Vrsina impediebãt, quo minus electio fieret, nisi Vrsus in pręturam restitueretur. Viterbienses Ricardum secuti, conclaue ingressi, CARDINALES ceperunt, & in uincula coniecerunt. Romę uicissim Hannibalũ factio familiam Vrsinam ab urbe expulit: quæ populariter cum sua factione Prænestę secessit. Post quintum deniq; mensem Gallici cardinales, absentibus Vrsinis, suffragiis Italos superantes, Gallicum pontificem crearunt Martinum IIII. Platina.

Reges.

Nabucodonosor cunctis usq; ad Aethiopiam gentibus superatis, inter cæteras uastauit & Iudæam: diuq; obsessam Hierusalem undecimo anno cepit regni SEDECHIÆ. Quem & ipsum captum duxit Antiochiam, quæ tunc uocabatur Reblata: ibiq; coram patre filiis interfectis, oculos illi iussit eruit, excęcatumq; misit in caueam, & ritu ferarum traxit in Babylonem: completo uaticinio Hieremiæ, quod canebat, Intrabis in Babylonem, & non uidebis eam. Hieronymus com. lib.5. in Esaiam c.13. & lib.4. in Ezechielem c.17.

Artaxerxes à patre Dario regni hæres relictus, quum CYRVM fratrem, cui pater legauerat Lydiæ præfecturam, & omnes ciuitates ad mare iacentes, aduersus se res nouas moliri resciuisset, domum accersitum aliquandiu in aureis habuit compedibus, priuassetq; eum uita, nisi precibus matris Artaxerxes uictus, data uenia, uinculis eum liberasset. Cyrus ea iniuria adhuc magis accensus, in suam præfecturam reuersus, bellum ex professo fratri intulit. Plutarchus & Trogus.

IVGVRTHA Numidarum rex regno amisso, Romã ductus, & in carcerem coniectus est: ubi in carceris ostium iocatus dicitur. Sallustius.

RICARDVS II. Anglorũ rex in Hibernia aberat. Adolescẽtulus interea Henricus comes Darby cum comite Northumbriæ ac plerisque aliis Angliæ nobilibus prætextu actionum immodicarum in eum coniurauit. Londinum accitus, uocatu nobilium, ab Henrico in itinere captus est, ac Londinum perductus, metu præsentis mortis, regno se abdicare coactus est, Henrico, Ioannis Gant, ducis Lancastrię Filli suffecto. Ricardus quum aliquandiu in arce Londini seruatus in uinculis esset, illinc in Ledes Castellum ductus, magnas quorundam nebulonum iniurias pertulit. Inde rursus, ueluti à boue ad asinum ductus, in peiorem detrusus est carcerem, & tandem à flagitioso quodam homine uel occisus, uel fame necatus. Quamobrem perpetuæ inter has familias de regno contentiones fuere, ad Henricum usque VII. qui ducta in uxorem Eduardi IV. F. ad quam ius regni pertinebat, simultates omnes sustulit. At Scotici annales tradũt Ricardum in carcerem detrusum, deceptis custodiis muliebri ornatu agasonis cuiusdam ductu in Hiberniam peruenisse: quumq; se illic perquiri sensisset à satellitibus regiis, in Gallouidiam traiecisse, seruisseque nobili cuidam regionis illius, nomine Magdougal. Cæterum ab aulico quodam agnitum, ac ad Robertum III. Scotorum regem perductum, regio honore exceptum, totum se Deo tradidisse, & orationibus ac eleemosynis, ieiuniisque inuigilantem, in castello Sterlingensi fato functum esse: sepultum in Prædicatorum cœnobio ad cornu summi altaris, cuius hac etiam ætate titulus extet. H. Boethius lib.16.

SVITERGAIL VLADISLAVM Iagellonem regem Poloniæ fratrem suum captum magno uix ære redemtum liberauit, quum antè ipse integro septennio in uinculis eiusdẽ fuisset. De ducatu autem Lituaniæ bellum illis erat, quem mortuo Alexandro, utriusque fratruele, Suitergail sibi uendicauerat. Rex autem pro Sigismundo, Alexandri paruulo filio, contenderat, iustiore consilio usus: impium dictitans legitimum hæredem excludere: præsertim quòd fratrem suum, uirum insolentem, minus expedire putabat tantis præesse populis. Cranzius lib.11. Vandaliæ, c.28.

IOANNES Comes de Hoya quum multis præliis irritaret ciues Osnaburgenses, qui Ericum episcopum fratrem eius expulerant, multosque sæpe & cæderet & caperet: audentior factus, cœpit hostes contemnere. Vnde captus aliquando, caueæ inclusus fuit, in qua se uir procerus erigere non posset, & septennio integro in ea seruatus, tandem liberatus, anno 1444. Cranzius libro undecimo Saxoniæ, capite trigesimoprimo.

Poetæ.

NÆVIVS poeta ob maledicentiam Romæ à Triumuiris in uincula coniectus est. Vbi fabulas Ariolum & Leontem composuit, quibus delicta sua & dictorum petulantias, quibus plerosque antè læserat, diluit. Vnde postea à Tribuno pl. uinculis exemtus est. Gellius lib.3. c.3.

Mercatores.

Emmanuel Cæsar Græcus indignè ferens Venetos negasse se, cùm id peteret, Gulielmo Siciliæ regi Græcorum hosti bellum illaturos, quo cum fœdus icissent: VENETOS mercatores uno eodemq; omnes die tota Græcia Græcorumque prouinciis uno edicto comprehendendos curauit: missosq; ad expostulandum oratores contra ius gentium in custodiam tradidit, in quibus Henricum Dandulum: nec dimisit, nisi indignis habitos modis. Aemilius lib.6.

A QVIEBVS. AB
Custodibus.

LEO V. Imp. Constantinopolitanus cùm legem sanxisset in summis urbi imminentibus periculis, ut si quicunque post crepusculum deprehenderetur in plateis, cæsus uerberibus in carcerem coniiceretur donec illucesceret: uolens custodum experiri fidem, noctu solus è palatio mutato habitu sese proripuit. Cumq; à primis & secundis custodib. pecunia se redemisset: à tertia custodia pugnis flagrisq; cæsus, carceri traditur. Cùm autem uix multis signis custodiæ magistro persuasisset Imperatorem se esse, tandem dimittitur. Manè facto custodib. urbis cuocatis, Imperator, nũ quis nocte præterita sit deprehẽsus, interrogat. Et pecunia quidẽ corruptos grauiter multauit: magnis uicissim muneribus locupletauit eos, qui cæsum se custodiæ mancipauerant. Cuspinianus ex Zonara.

Hostibus.

LVDOVICVM Sfortiam in Galliam perductum, Ludouicus XII. rex, nullam humanitatis & clementiæ laudem quærens, in prædurum carcerem sine scribendi solatio coniecit. Eandem fortunam tulit ASCANIVS cardinalis in Placentino agro, dum effugeret, à Conrado Lando Venetis equitibus proditus. Hunc postea Venetiis diu custoditum, deposcenti regi Senatus tradidit, ut in Gallia seruaretur. Hunc exitum habuerunt consilia Ludouici Sfortiæ, quibus adeò insolescebat, ut ipsi fortunæ se imperare superbè gloriaretur. Iouius lib.7. Hist.

CVR. OB
Defensionem.

BAP. PLATINA à Paulo II. põtifice deiectus ab officio Abbreuiatoris, cùm sese excusare uellet, reuinctus compedib. & quidem grauissimis, media hyeme sine foco celsa in turri ac uentis omnibus exposita mensibus quatuor detentus est. Vix tandem Francisci Gonzagæ cardinalis Mantuani precibus ægrè pedibus stans molestia carceris liberatus est, ea lege, ne ab urbe discederet: In Indiam, inquit, si proficisce re, inde te retrahet Paulus. Platina.

Liberam responsionem.

IOANNES Baptista, quòd Herodi regi dixisset, non licere ei habere uxorem fratris, ab eodem coniectus in carcerem, ibidem decollatus est. Matth. 14. Marc. 6.

Regnum affectatum.

BERNARDVS Caprera, mortuo Martitio rege Siciliæ regnũ affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus esset, tandem proditione captus, à Sanctio regiæ classis præfecto in cisternam uacuam demissus, laxatis ad immensam plutiam cadurcis, tituis in cisternam defluentib. innatante lecto, non procul à uitę periculo fuit. Hinc in liberaliorem custodiam deductus, cum custode liberationem magna pecunia pactus, tertia uigilia noctis, fune caligis complicatis, nulla amictus tunica, è fenestra turris demittitur: ac dum ceteriùs quàm manus ferunt lubrico fune delabitur, adaptatis ad id rectibus induitur, & ritu feræ cassib. captæ, hæsit: ita ut nec sese deiicere, etsi præceps casus erat, posset, nec receptus in fenestram ullus daretur. Integra nocte & die retib. inuolutus, ridiculum simul ac miserandum plurimis spectaculum fuit. Cui accessit, ut cùm ad transitum notorum atq; honestorum uirorum faciem uellet auertere, prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet: nec quòd cibo & potu caruerit eo die, doluit, sed quòd ea, quæ nisi remotis arbitris decorè nõ fiunt, præsentibus arbitris facere non licuit. Tandẽ uesperi eodem receptus unde fugerat, ad Ferdinandum Aragonum & Siciliæ regẽ uinctus perducitur in Cataloniã: apud quem in pristino honore habitus fuit. Valla li. 2. Hist.

Raptum.

THESEVS cum Pirithoo in Thesprotidem profectus, ut regis uxorem raperet, magna exercitus parte amissa captus est, & in uinculis ad Cichyrum coniectus. Est autem ad Cichyrum Acherusia palus, Acheron amnis, & Cocytus, aqua insuauissima. Hinc poetæ Thesei ad inferos descensus occasionem sumsere. Pausanias in Atticis.

Aes alienum.

CIMON Miltiadis F. Athenien sis, ob multam patris in uinculis mortui non dissolutam, iisdem detentus est uinculis: neque legibus Athenien sium emitti potuit, nisi pecuniã, qua pater multatus esset, soluisset. Probus in Cimone.

Crimen fictum.

IOSEPHVS innocens carceri inclusus, quasi Putipharis uxorem constuprare uoluisset. Genes. 39.

FILII Iacobi patriarchę decem in Aegyptum frumẽtandi causa profecti, à Iosepho præfecto Aegypti, fratre ipsorum, in uinicula coniecti per triduum, tanquam exploratores. Liberati postea, relicto Simeone obside: & fide data, sese adducturos Beniaminum fratrem natu minimum. Genes. 42.

QVAMDIV. CARCER
Diuturnus.

IO. ANTONIVS Marzanus, triginta quatuor annis in uinculis ab Alphonso Siciliæ rege habitus, & deinde eius quoq; iussu à carnifice interemtus est. Ritius lib. 4. Regum Siciliæ.

Perpetuus.

NICOLAVS Laurentij F. scriba publicus, cùm Romani sub Clemente VI. Pp. à senatorib. pontifici deuotis regerentur, Capitolium inuasit, & populum ad libertatẽ uocauit. Quę cùm mirificè obediẽtem habuisset, hoc porrò titulo uti uoluit: Nicolaus seuerus, & clemens, libertatis, pacis iustitiæq; tribunus, ac sacræ Romanæ reipublicæ liberator illustris. Cæterùm mense septimo pòst, nulla de causa, quod quidẽ constet, ad Carolum IIII. Imp. in Boemiam incundæ societatis gratia profectus, ab eo Pontifici uinctus Auinionẽ missus, ob poeticæ artis præstantiam seruatus, æterno addictus est carceri. Bonfinius lib. 10. Dec. 2. ex Petrarcha.

VBI.

☞ *Consule Tit. Carcerum loca sub Tomo Topico.*

PHRYX Cybeles sacerdos cùm Athenis diceret adesse Matrẽ ad filiæ inquisitionem, in barathrum pro insano coniectus est. At Ceres iratа agrũ sterilitate multauit. Cuius causa ex oraculo cognita, Athenienses specum complanarũt, & deam complacarunt. Suidas.

HIEREMIAM prophetam proceres Sedeciæ regis permissu, in fossam Melchiæ regis filij demiserũt, in quã demissus est in cœno, ut caput solum extaret. Liberatus est tamẽ ab Abdemelecho Aethiope spadõe, & in atriũ custodiæ dimissus, donec urbe à Chaldæis capta liberatus est. Hieremiæ 38.

IACOBVS Bussularius monachus Augustinianus urbi Papiensi à Io. Montisferrate Marchione præfectus, tum fictis ad bonitatem morib. tum facundiæ magnitudine rem Papiensem ita in potestatẽ suam redegit, ut ceu prophetа parẽsq; omnium, & uerus dominus à ciuib. coleretur. Pecunia, armis fideq; ciuium adiutum, uix quarto anno fame Galeacius Vicecomes an. 1354. domuit: captum Vercellis inferrea cauea detinuit. Fulgos. lib. 1. c. 1.

ENGELBERTVS Archiepiscopus Colonien sis à Comite Iuliacense, cuius agrũ depopulabatur, captus, in tuni quadam per quadriennium custoditus, ad illius nutum in caueam ferream, in turris exedra positam, egredi cogebatur: si quando comes hospitibus auem hancce peregrinam, in solo proprio uocalissimam, in hostico pluriquàm mutam, per ludibrium ostendere uellet. Sed comitem hunc Aquisgranenses non multo pòst circa an. sal. 1272. in foro trucidauere. Munsterus in Cosinographia.

OBSIDIO. OBSESSI A
Subditis.

CÙM FRIDERICVS III. Cæsar, unà cum noua nupta Leonora regis Portugalliæ filia, Romæ à Nicolao pontifice, fauentibus cunctis Italis, coronatus, in Austriam reuertisset, neq; redderet Austriis, Vngaris & Boemis Ladislaum regẽ duodecim annos natum, quem admodum in Italiam profecturus promiserat: obsessus ab iis, Ciliæ comite Vlrico ductore, dimisit eum è tutela sua, Austriaq; cessit. Cromens lib. 22. Aliter Cuspinianus. Albertus Austriæ dux prodigus, & paternæ hæreditatis decoctor, suę sortis nobiles ac ciues semper suo lateri adhærentes habuit, quib. cum comessabatur, ac in noctem multam potabat. Is eò induxit Viennenses ciues, ut fidei suæ ac præstiti iuramenti immemores, fratrem Fridericum Imp. cum coniuge Leonora ac filio Maximiliano in arce Viennensi, ueluti in septis clauderent, aclõga inedia macerarent. Ferturtum Maximilianus puer matrem rogasse, ut sibi perdiem aliquando daret: hordeo enim pluribus diebus se iam satiatum. Quæ illacrymata: Vtinam (inquit) mi fili, panis nos non deficiat. Quidam scholasticus ex Transyluania Cebinien sis Viennæ operam literis nauabat. Is indignè ferens Viennensium erga principẽ perfidiam, quantum duobus tribus ue aureis numis, exuolatilibus, perdicibus, capis, ac carnibus ferinis cõparare potuit, fustarcinatus, superducta lõgiori ueste, per cuniculũ occultũ arcẽ ingressus, Maximiliano hæc dona abtulit. Hunc deinceps Cęsar liberalissimè fouit. Cuspinianus in Cęsaribꝰ.

Hostibus.

PSammetichus, Aegyptiorũ rex, AZOTVM urbẽ obsedit, donec tãdẽ XXX anno expugnauit: quæ urbs obsidionẽ diutissimè omniũ urbiũ, quas scimus, tolerauit. Suid. & Herod.

POst Leuctricã uictoriam irrupit Epaminondas Thebanus cũ sociis in Laconiã millibus septuaginta. Spacium erat autẽ non minus sexcẽtorũ annorũ, quam LACEDÆMONEM Dorij tenuerant. Toto hoc interuallo hostis tum primùm est in finibus eorum conspectus. Antè ausus id fuerat nemo. Momordit id Agesilaum regem, cum gloriæ suæ macula: quòd quam ciuitatem acceperat maximam & potentissimam, eius aspiceret contractam dignationem & magnilo-

quentiam reprehensam, qua ipse quoq; usus fuerat, subinde, cùm gloriaretur, feminam Lacænam fumum non uidisse hostilem. Plut. in Agesilao.

HONORIVS Imp. ab Alarico Gotho in urbe Hasta arcta obsidione pressus, Stilichonis soceri fide & fortitudine liberatus est. Sigonius lib. 10. Imp. Occid.

Saraceni triennio integro, mari & terra BYZANTIVM obsedère, sub Leone III. Quidam auctores classem ter mille, alij CCC nauium fuisse aiunt. Sed cupiditas prædæ ab interiore urbis oppugnatione eos auertebat, alio qui in aperto discrimen urbs ueniret. Ex castris enim ingens multitudo profecta, prædandi studio per Thraciam euagata, segetes uastando, in Bulgariæ fines irrupit. Bulgari ad duo & triginta prædatorum millia interfecere. Interim circa Byzantium grauis seditio orta ob Zulemonis ducis mortem, donec Amiras in defuncti locum rex gentis crearetur: quæ causa oppugnationem urbis morata, fuit tota urbe assiduis supplicationibus diuinum poscente auxilium. Mox etiam maior clades Saracenos adorta: peste, fame, frigore toto triennio maxima pars hominum absumta est. Ergo patriã repetierunt, acceptis nauibus, quæ supererant, decem tantùm: quarum quinq, superueniente uentorum turbine dissectæ, à Romanis sunt captæ: reliquæ, calamitatis nunciæ in patriam reuersæ sunt laceræ. Stationariæ naues partim fœdis tempestatibus, partim cœlesti igne absumtæ (nulla alia euidente causa apparente) Zonaras autem tradit, fluxiligne, & qui in aquis ardet, humectus appellatus (à fabro Callinico, qui ex Syria Byzantium uenerat, sub Constantino Pogonato inuento) naues hostium & bellicas & onerarias concremaras. Nec minus Byzantium graui pestilentia laborauit, adeò ut quidam trecenta millia hominum interisse scribant. Cuspinianus.

EXPVGNATIO. PVTA
Regionis.

Vespasianus omnem IVDÆORVM agrum, subacta Iudæa; per Liberium Maximum procuratorem suum uendi iussit, solis octingẽtis militibus illic relictis in castello Ammaus: Iosephus lib. 7. cap. 26. belli Iud.

Haalon, Metonis Tartarorum regis Christiani frater, cum ingenti exercitu domo profectus, uniuersam PERSIDEM subegit, sex mensiũ spacio. Vnus duntaxat locus capi nõ potuit, quem natura munitissimum latrones insederant. Decem millia equitum hic ad obsidionem relicta, quę in septimum & uigesimum annum postea distracta est, ut Aytonus scribit, omnium, quarum hodie memoria extet, haud dubiè lõgissima. Vestium, ut idem ait, defectu demùm deditio facta est. Sabellicus lib. 7. Enneadis 9.

Vrbis. Vrbes captæ.

☞ *Vrbs expugnata, respectu Expugnatii, inter Opes acquisitas referri debet, sub Tit. Vrbes occupatæ. Respectu uerò Possessionis prius, ad Paupertatis locum; quatenus amittit possessionem, sub Tit. Vrbes amissæ, direptæ, euersæ. Quatenus uerò Libertatem insuper amittit, huius est loci.*

IEBVSA urbs à Dauide rege expugnata, quæ per 515. annos pòst Iosuam nunquã expugnari potuit. Eam Dauid Hierosolymam nuncupauit, quæ Abrahami tempore Solyma dicebatur. 2. Reg. 4. & Iosephus lib. 7. Antiq. c. 3.

HIEROSOLYMÆ ab Antiocho Epiphane, à Menelai factione intromisso, captæ & direptæ. Anno secundo spoliato templo & ablatis uasis sacri ministerij, quotidiana sacra iuxta legis præscriptum uetuit eos facere: direptaq; tota urbe, habitatores partim necauit, partim captiuos unà cum liberis & uxoribus abduxit, usq; ad decem millia. Demolitus mœnia in inferiore urbe arcem condidit, & Macedonicum præsidium imposuit, cui sceleratissimi quiq; Iudæorum admixti erãt, à quibꝰ plurimũ uexata fuit ciuitas. In tẽplo quoq; ara posita porcos mactauit: cogebatq; oẽs, abrogato uero Dei cultu, ipsius uenerari numina. Iosephus lib. 12. c. 7. Antiq.

Ptolemæus Lagi F. Aegypti rex, Hierosolymam ingressus, ueluti sacrorum gratia, Iudæis nec arcentibus nec hostile quid suspicantibus, & aliquin eum diem in otio & quiete agẽtibus, urbe potitus est. Iosephus lib. 12. Antiq. c. 1. ubi Agatharchidem Gnidium adducit ita scribentem: Iudæi dum propter superstitionem grauantur arma sumere, grauẽ dominum receperunt. Cn. Pompeius HIEROSOLYMAM intrarit, & templum tribus mensibus obsessum, tandem expugnauit, die ieiunij, Olymp. 179. C. Antonio, M. Tul. Cicer. Coss. Collapsa enim turri maxima, crebris arietum ictibus per ruinas se certatim hostium agmina infuderunt. Primus euasit per ruinas Corn. Faustus Syllæ F. Iudæorum XII millia periere, partim hostili gladio, partim cæde mutua, partim præcipitio & incendio. Iosephus lib. 14. cap. 8. Antiquit.

Herodes, à Senatu Rom. rex declaratus, cõtra Antigonum Iudæorum regem, urbem HIEROSOLYMAM Mœtis turribus adortus expugnauit: moxq; omnia repleta sunt cædibus, Romanis longa oppugnatione exacerbatis, Herodianis Iudæis conantibus aduersam factionem extirpare funditùs: eratq; continua cædes per angiportus & domos, ne religione quidem templi tuente supplices: non ætati ulli parcebãtur, non sexui, ne imbelli quidem: & quamuis obstante rege, & precibus intercedente, nemo tamen temperabat à manibus, sed ueluti furore perciti sęuiebant, nullo ætatis discrimine. Ea clades incidit in consulatum M. Agrippæ & Canidij Galli, CLXXXV Olympiade, mense tertio, feriis, quibus solenne fit ieiunium, tanquam recurrente in idem temporis monumentum illata Iudęis à Pompeio calamitate. nam & ab illo eadem die urbs capta fuerat ante annos uigintiseptem. Iosephus lib. 14. cap. ultimo, Antiquitatum.

Quinto anno Heraclij Palæstina iterum infestata à Persis, & HIEROSOLYMA capta, interfectis in ea per Iudæos 90 millibus. Zacharias episcopus, cum statua Crucis, captiuus abductus. Sigebertus anno 617.

Calypha Aegyptiorum princeps, Basilio Imp. occupato Bulgarico bello, rupto, quod cum Imperatore icerat, fœdere, HIEROSOLYMAM expugnauit: templumq;, in quo Domini sepulcrum est, atq; eius loci monasteria destruxit, anno 1012. iuxta Palmerium: seu 1018. iuxta Antoninum, tit. 16. cap. 5. qui huius calamitatis hanc reddit rationem: Quòd cùm Calyphæ, qui matre natus erat Christiana, probri loco Christianismus à suis obiiceretur, ipse ut hac suspicione se liberaret, Hierosolomytanis bellum intulerit, sacrasq; ędes demolitus sit. A Turcis Hierosolymam anno Salutis 1009 captam asserit Blondus lib. 13.

HIEROSOLYMA urbs anno Christi 1187. capto rege Guidone Lusiniano, undenonagesimo, quàm de Barbaris uirtute Latinorum recepta fuerat, anno, sexto nonas Octobris uictori Saladino, cùm non superessent qui propugnarent, circunfunderenturq;, conditionibus reddita est, ut Christianis incolumibus abire liceret. Latini emigrauere, in quibus regina Sibylla fuit: reliqui Christiani nominis remansere, Græci, Syri, Armenij: Iacobitæ, Georgiani, Nestoriani. Terna nomina, illa gentium, hæc sectarum. Heraclius Cæsar de Persis Cosroeque Crucem recuperauerat: tunc Heraclio Patriarcha rursus amissa est. Vrbano secundo Pontifice maximo sancta urbs recepta, Vrbano III. recidit in seruitutem. Aemilius lib. 5. Saladinus Hierosolymam ingressus, campanas primò è turribus delecit, mox basilicas omnes præter Salomonis templum prophanauit: quod priusquam ingrederetur, aqua rosacea latisse fertur. Tyrius.

MILETVS cùm Alexandrum excluderet, ui capta est, quemadmodum Halicarnassus. Ac etiam prius à Persis. Vnde Calisthenes dicit, Phrynichum tragicum mille drachmis ab Athenien sibus multatum, quòd actum quendam fecisset, Miletum à Dario captam, sociæ ciuitatis cladem ueluti re diuinam producens. Strabo lib. 14.

Saracenorum rex Muhauias, CÆSAREAM Palestinæ, pòst septẽnium obsidionis cepit, & septem millia Romanorum cecidit, sub Heraclona Heraclij F. Paulus Diaconus lib. 18. Rerum Romanarum.

NISIBI Persiæ oppido sepultus erat Iacobus uir sanctissimus, Constantino Maximo Imp. acceptus, cuius precibus sæpius (ut ait Hieronymus) urbs seruata est ab impetu Persarum. Fama constans erat, eam non posse superari, dum ibi Iacobus seruaretur. Ob id Constantinus eum ibidem humari iussit. Iulianus apostata pietati Constantini inuidens, corpus inde abstulit: & urbs Persarum imperio cessit. Auctinus lib. 2. Annalium Boiorum.

Cùm Scythes Zancleorum rex in Sicilia urbem quandam obsideret, Anaxileus tyrannus Rheginꝰ Samiorũ ope, qui ex pugna nauali ad Miletum contra Persas commissa effugerant, ZANCLAM uiris desertam occupauit. Herod. lib. 6.

Persæ Xerxis auspiciis Atticam ingressi, Calliade summum ATHENIS magistratum gerente, urbem desertam cepere, paucis quibusdam Athenien sibus in tẽplo repertis, nec nõ quæstoribus ærariis, & hominibus egenis, qui præsepta forib. atq; lignis arce subeuntes arcebant, qui non exierant illinc ad Salaminem, simul præ inopia uictus, simul opinione oraculi soluendi, quod reddiderat sibi Pythia, murum ligneum inexpugnabilem fore: id interpretantes ex oraculo effugiũ esse, non naues. Supplices occiderunt, templum direptum incẽderunt. Plurimi eorũ semetipsos ex muro præcipitarunt. Herod. lib. 8. Iterum captæ sunt à Mardonio, & incensæ. A Themistocle restauratæ. Bello Peloponnesiaco à Lysandro Lacedæmonio denuò muri deiecti. Tandem Conon Athenien sis, cùm gratia ualeret apud Persarum regem, & ad reuocandum ex Asia Agesilaum Græci Lacedæmoniis bellum intulissent, Persico auro corrupti, patriam restituit. Fuit igitur illud fortunæ ludibrium memorabile, ut eadem urbs, quæ olim Persarum manu deflagrasset,

captiua

captiuis eiusdem gentis manibus fuerit restituta, & mox à Lacedæmoniis excisa, Laconicis spoliis refarta, uetere recepit formam & apparatum. Enimuerò grandē Conon pecuniam, Gnidia uictoria quæsitam, in eius instaurationem contulit. Sab. lib. 2. Enneadis 4.

ATHENÆ captæ à L. Sylla. Omnes hostes in Ceramicum cōclusos, sorte decimum quemq; iugulauit, Aristionem Mithridatis regis legatum è templo Mineruæ ui extractum necauit. Plut. in Sylla.

Baiazetus II. Turcorum Imp. biennio post Carnorum euastationem, ualidiore quàm antea classe, & maiore terrestri exercitu (ad centum enim & quadraginta armatorum millia duxit) METHONEM Peloponnesi urbem terribili oppugnatione adortus, æneis machinis urbem undiq; concussit. Et post alteram oppugnationem, cùm diu uiriliter Methonenses in fide perstitissent, frustra Venetis subuenientibus, urbs capta, direpta, ac magna ex parte incensa est, omnibus oppidanis ad unum cum præsule suo necatis. Bembus lib. 3. Ven. hist. Cuspinianus.

CHALCIS Euboeæ urbs à Mahomete II. XXX diebus obsessa, amissis 40. penè millib. Turcorum, tandem per integrā noctem fatigata ad lucem usq;, expugnata fuit. Hinc crudelitatis fœuitium est sine discrimine in omnem sexum ac ætatem, ac editum propositum, ut capitale esset, si quis supra uiginti annos quēquā natū seruasset. Paul. Andreotius de Chalcidico excidio, & Cuspin. & Sabell. lib. 8. Decad. 3.

Ili enses Fimbriam, qui Marianas partes sequebatur, recipere nolebant. Ille undecimo die, postquam obsedit, ILIVM cepit, hoc ipso facto ita gloriatus, ut diceret, Quam Agamem non mille nauibus decimo uix demùm anno expugnasset, eam se undecim diebus cepisse. Cui Ilienses quidam, Neque enim Hector pro urbe pugnabat. Eustathius Iliad. 1.

Anno Christi 1209. CONSTANTINOPOLIS à Venetis & Gallis, duce Balduino, capta & miserè uastata est, Imperatore Alexio urbe fuga elapso. Deinde anno 1260 Michael Palæologus per Cæsarem Strategopulum, ne millenario quidem exercitu instructum, Constantinopolim recuperauit, regnante tum ibi Balduino primo ex sorore nepote. Gregoras libro 1. & 4.

CONSTANTINOPOLIS urbs à Mahometo II. Turcorū tyrānō quarto & quinquagesimo obsidionis die capta, an. 1453. 4. cal. Iun. Ingens cædes edita, in omnem sexum atque ætatem fœuitum: pueri, uirgines, matres ad stuprum raptæ: stupra cædibus, cædes stupris additæ. Eruti ciuium thesauri absconditi: quos si in communem usum uertissent, non triumphasset sceleratus uictor de Christiano sanguine. Triduò misera ciuitas ad arbitrium impotentissimi uictoris direpta. Et sic uetustissimum Græciæ imperium corruit, quod mille centum ac nonaginta amplius annis stetit: in quo tot principes Christiani floruerāt, tot diuorum templa, tot sanctorum reliquiæ conditæ erant. Cuspinianus.

ROMA à Gallis duce Brenno capta, anno V. C. 365. Plut. in Camillo, & Val. lib. 3. c. 2.

EADEM quinquies à Barbaris nationibus capta ac direpta est. A' Gothis, qui per Pannoniam Honorij tempore in Italiam descenderunt, primùm ab Alarico, anno Salutis 412. ab V. C. 1164. primo die Aprilis: deinde paucis pòst annis ab Athaulfo, qui ei successerat, captam, spoliatam direptamq; fuisse constat. Vandali postea, Genserico duce, ex Aphrica (quò ex Hispania traiecerant) nauibus in Italiam aduecti, Romam occuparunt spoliaruntq;, annis fermè quadraginta post Alaricum. Hic per Campaniam, quam cum multa urbium ruina depopulatus est, in Aphricam eum præda reuersus, Eudoxiam antè Valentiniani III. uxorem secum duxit. Odoacer deinde Turcilingorum Herulorumq; rex, superato apud Ticinum Oreste Patricio, Augustuloq; ab Imperio deiecto, Roma potitus est: quem Theodericus rex Gothorū, XI. posteaquam Italiam Vrbemq; ingressus erat, anno, apud Rauennam interfecit. Totila postmodùm Gothorum rex Romam, Belisario Iustiniani duce graui morbo implicito, recepit, & ad Iustinianum oratores ciues Romanos misit de pace iungēda. Pacisceabatur Gothos eosdē hostes amicos q; habituros, quos Augustus: sineret Gothos suis legibus uiuere, ac regio nomine uti: sin pacē aspernaretur, se urbem Romā euersuum. Nihil impetratum: re infecta reditum. Ergo urbem muris propugnaculisq; nudauit, incendiis ruinisq; fœdauit: ciues alios alio in exilium diuersos exegit. Aemilius lib. 1. regum Francorum. Boethius lib. 9.

Amulfus Imp. ROMAM obsidens, ut Formosi Pontificis persecutores ulcisceretur, cùm non admitteretur, clausis undique portis: qua parte diligentissimè à custodibus seruabatur, fortè lepusculus excitatus (ut fit) à militibus, ad urbem fuga contendit, quem ingenti clamore exercitus persequebatur. Vigiles urbis ac custodes clamore ac timore perculsi, muros deseruerunt, ac exercitui scandendi muros copiam fecerunt. Cuspinianus.

[redacted]

Henricus IV. Romanorum Imp. anno Salutis humanæ 1082. uel tertio, ROMAM biennio obsessam cepit: dato signo à gregario milite, qui cùm obsessi atque obsidentes nimio estu laboreque fessi dormitant, explorabundus ad urbis mœnia accesserat, & ex silentio animaduersa solitudine mœnia conscenderat, signoque dato socios excitarat. Auentinus libro quinto annalium Boiorum. Inde Gregorium VII. pontificem in Adriani mole obsedit. At Robertus Guiscardus Normannus auxilio uenit pontifici. Henrici milites Capitolium incendēre. Normanni flammis ingentem uastitatem dedēre. Durat uastitas illa in pulcerrima parte urbis, ac præter sacras ædes, & cum his paucissima ædificia circa uiam posita, cætera in uinearum usum abiere. Nulla post Romam conditam calamitosior clades est urbi illata, nec quæ maiorem induxerit uastitatem. Sabellicus libro 3. Enneadis 9.

Carolus Borboniorū princeps, qui à Francisco I. Galliæ rege ad Carolum V. Imp. defecerat, cum aliquot copiis Neapolim profecturus, urbem ROMAM, ex itinere, postridie quàm eo uenisset, oppugnatione cepit ac diripuit, Maij die sexto, anno Christi 1527. Clemens pontifex & cardinales ac reliqui proceres, cùm in Adriani molem uix ægrè profugissent, obsidionem aliquandiu tolerabant, undique circūuallati fossis. Post septimum deinde mensem, mandato Cæsaris liberati fuerunt. Præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, deuastationes, contumeliæ ac ludibrij genus nullum in pontificem, cardinales, reliquamq; turbam, prætermissum fuit. Cùm in Hispaniam esset allatus eius reditus, illicò cessare Cæsar iussit ludos atque spectacula, quæ propter recēns natum ei filium Philippum edebantur. Sleidanus libro quinto.

CAPVA urbs capta à Gallis & Hispanis. Sab. lib. 4. En. 5.

SVTRIVM bis eodem die captum est: euenitq;, ut Thusci, qui oppidum ceperant, id amitterent: & qui amiserant, opera id recuperarent Camilli: qui summa festinatione, uictis ac ie Latinis & Volscis, Sutrium contendens, hostes securos, uino somnoq; sepultos cecidit. Plut. in Camillo.

VEII, urbs Hetruriæ nobilissima, capti sunt, decennio postquam à Romanis oppugnari cœperant, à Fur. Camillo dictatore. Sabel. lib. 9. En. 3.

Alfonsus Tarraconensium rex, NEAPOLIM egregiè tutante Renato Lotharingo, transfuga quodam ingressum occultum subter muros per cloacam ostendente, urbem nocturno furto ingressus cepit. Eodem propè fato, atque totantè seculis à Belisario recepta de Gothis fuerat. Paulus Aemilius libro 10. Nam Isaurus quidam, ut aquariam disciplinam cognosceret, aquæductum ab ea parte, quà à Belisario perruptus fuerat, ingressus, cùm totum oculis perlustraret, in petram quandam incidit ibi à natura locatam, quæ ab architectis tantum perforata fuerat, quantum ad labentis aquæ transitum satis esset. Ea mole remota, animaduertit, per ipsum aquæductum uiros incedere armatos commodè posse. Itaque inde profectus, consilium suum ad Belisarium detulit. atque silentio noctis cum ministris ad locum reuersus, petram illam sensim elimando, & abradendo, ne factum strepitu prodi retur, ita consumsit, ut miles armatus ea transire facilè posset. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

SYRACVSÆ à Romanis dirept. etiā inuito M. Marcello: qui ut ex superioribus locis urbem pulcerrimam maximamque subiectam oculis uidit, illacrymasse multùm dicitur, miseratus imminentem calamitatem. Plut. in Marcello.

RAVENNA à Gallis direpta anno millesimo quingentesimo duodecimo, duce Gastone Foisseio, Ludouici XII. regis propinquo, idq; contra fidem datam. Dum enim pacisceruntur, seu iam pacti commeatum, qui in castra mitteretur, instruunt, mœnium custodiendorum diligentia intermissa, Germani & Vascones per muri ruinam ingressi, urbem crudelissimè uastarunt. Bebus li. 12. Hist. Ven. & Guicciard. li. 10.

BRIXIA à Gallis & Germanis capta anno 1512. Prælium à secunda diei hora usq; ad uesperam protractum: urbs magna ex parte direpta fuit. Bembus lib. 12. Hist. Ven.

Ludouicus XII. exules GENVAM reducturus, Genuenses obuiam sibi egressos magna clade repressit, factaque deditione anno 1507. Genuā est ingressus armatus. Verùm supplici obsecratione omnium ordinum delinitus, Rempublicā mille auri libris multauit, & munitionem apud Godifensem turrim ædificari iussit: quæ quia totum potentum, & partem ciuitatis uerbare potest, non immeritò Briglia, hoc est Frænum nuncupatur. A' Genuensibus monetis antiqua signa remouit, & suum in posterum imprimi iussit,

quo absolutum in eos se imperium habere declararet. Securi percussit Paulum Nouium, paulo antè Genuensium ducem, qui dum Pisis Romam nauigaret, à quodam Corso, qui eius miles fuerat, deceptus, Gallis uenditus fuit. Guicciardinus lib. 7. Historiæ.

Caroli V. Imp. exercitus, Prospero Columna ductore, Mediolano à Gallis recepto, GENVAM anno millesimo quingentesimo uigesimo primo, Aduerniorum factione adiuuante, captis ducibus Octauiano Fregosio ciuitatis principe, & Petro Nauarra, diripuit. Polyd. lib. 27. hist. Angl.

Henricus I. Cæsar, Othonis Magni pater, expugnatam urbem BRANDENBVRGVM fecit Saxonum coloniam, instituto ibi Marchione, cuius posteri titulum ab illo tenent. Crantzius lib. 4. Vandaliæ, c. 37.

Valdemaro Danorū rege urbem Rugianorū ARCON obsidente, pueri egressi è munitionibus oppidanos lapidibus incessebant. Oppidani sedebant otiosi: sed milites inmixti pueris, tela iaciebant. Quidam propiùs assistens urbis portæ (quæ sublimis & unica fuit, solis signis prominentibus, quam altitudine & signorum sacrorum præsenti a tutam putabant, cespite insuper congesto munitā, ne aut flammis uri, aut machinis impelli posset) cùm uideret cespites desidētes intercapedinem fecisse hominis capacem, lanceari subsidio subleuatus in aggerem, & in uoraginem se condens, ne ab hostibus læderetur, ignem subiecit. Oppidani deficiente aqua, lacte restinguere tentabant: sed eo, uelut fomento, ignis horrendùm exarsit. Sæuiente incendio, rex iussit urbem corona oppugnari. Missi ab urbe oratores regis pedibus aduoluti, has leges deditionis acceperūt, ut simulacrum Suantouiti foras ducerent exurendum, captiuos Christianos sine ullo redemtionis impendio laxarent, religionem Christi ex Danico ritu acciperent, sacros thesauros sacerdotibus Christi darent: quoties euocarentur, Danicæ expeditioni comites accederent: ex singulis boum iugis annua quadraginta numisinatum penderent, totidēq; obsides regi mitterent. Cranzius lib. 5. Vandaliæ, cap. 13. ex Saxonis libro 14.

Princeps Magnus Moscouiæ in suam redegit potestatem magnam Russiæ ciuitatem NOVOGVARDIAM: quod nemo antè uel timuerat uel suspicatus erat. Sic enim erat in prouerbio, Quis potest contra Deum & Nouogvardiam? Ille nimirum potuit, cui Deus permisit, in cuius manu sunt omnia iura regnorum. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, c. 16.

Eduardus II. Angliæ rex bello contra Philippum Gallorum regem uiginti Gallorum millibus, CALESIVM undecim mensibus obsessum, ui tandem cepit. Platina.

Otho I. Imp. implorante suum auxilium Ludouico rege Gallorum, pulso ab Hugone, ARGENTINAM occupauit: & cùm prius Silberthal appellaretur, Strasburg nominari uoluit. Liber de ducibus Bauariæ.

Anno millesimo quadringētesimo septuagesimo quinto, CAFFAM in Taurica Cherroneso Genuensium coloniam, celeberrimo emporio nobilem, Mahometes II. Turcus intra sextum diem in potestatem suam redegit, proditione primorum ciuium Italorum totis quinq; annis instructa. Capta urbe, nobilitas cum uxoribus & liberis, ipsisq; proditoribus, & Mengligere Tauricanorum Tartarorum principe, Constantinopolim translata: plebs dimidia parte facultatū multata, in suis sedibus aliquādiu relicta est: postea tamē & ipsa aliò traducta. Valachi mercatores, legati, & explaratores centū sexaginta, omnes trucidati. Cromerus lib. 28.

Genfericus Vandalorū rex sub Valentiniano III. CARTHAGINEM occupauit, cædibus & rapinis fœdauit, episcopū expulit, Arianos introduxit. Sic Carthago illa præpotens capta est, anno quingentesimo trigesimo quarto, postquam Romanis cœperat esse subiecta. Blondus libro secundo Inclinantis imperij.

MEMPHIS urbs Aegypti à Selimo Turcorū Imp. anno Salutis millesimo quingētesimo decimo septimo capta. Iouius.

Quum anno 1535. Carolus V. Cæsar TVNETVM, Africæ regiā urbem, fugiente Hariadeno Barbarussa, occupasset, milites per cunctas regiones ad prædam discurrerunt. Hispanis atque Italis in auaritiam prorumpentibus, Germani Mahometano cruore sitim explere properantes, ita cadaueribus cuncta compleuerunt, ut imbellem omnis sexus & ætatis turbam, ad inanium Deorum templa confugientem, sine discrimine trucidarent. In eo cadentium miserorum strepitu, lugente obtestanteq; Muleasse, quem Barbarussa à regno expulerat, Cæsar sæuitiæ modum imposuit, pronunciarij; iussit, capitale fore, si quis Tunetanum uiolaret ciuem, aut in seruitutem abduceret. Fieri tamē neq; iit, quin multi, ado lescentesq; præsertim, & formosiores fœminæ, ad classem raperentur: nam socij nauales, fama diripiendæ urbis excitati, ad urbem conuolabant. Quamobrē Muleassi licuit quos nouerat è manibus prædantium in libertatem exiguo precio uendicare: sic, ut unam ex uxoribus eius, quæ antea inter charissimas fuisse dicebatur, binis redemtam aureis constet. Iouius lib. 34. Hist.

Ferdinandus Cortesius Hispanus, in postremum occidui litoris sinum delatus, ad Mexicana regna terrestri itinere cōtendens, subactis Indis, THEMISTITANA urbe potitus est, salso in stagno posita, ædificiisq; & incolarum frequētia Venetæ urbis instar admirabili. Iouius lib. 34. Historiarum.

DEDITIO FACTA *Vrbis.*

An. 1159. Friderico I. Imp. ex Italia reuerso, Mediolanenses Papiam Imperatori sociam obsidere statuerant. PAPIENSES cùm se satis uirium ad tanti belli molem sustinendam non habere sentirent, præsertim uerò quia sociorum auxiliis destituti, & proxima clade debilitati essent, oppugnatione non expectata ultrò se dediderunt. Multis ut diuerteretur urbs inimica censentibus, uisum est satis, ut eadē, qua Laudenses & Comenses, conditione relinqueretur. Itaque pax in has leges est data, ut muros urbis Mediolanum uergentes deiicerent, prætorem sorte à Mediolanensibus datum reciperent, Consilium seperatum à Consilio Mediolani non haberent, inter pagos Mediolani referrentur, obsides ex nobilitate centum, ex plebe ducentos darent. Sigonius lib. 12. regni Ital.

Arcta obsidione ad pacē accipiendā MEDIOLANENSES coegerat Fridericus I. Imp. an. 1159. Cōditionibus acceptis, Mediolanenses hoc ordine in gratiā recepti. Conuentū instituto ciuitas duobus agminibus factis supplex ad Friderī cum processit, atq; ad eius pedes doloris ac tristitiæ plena procubuit. Primum agmen clericorum fuit, qui prælatis crucibus, pedibus nudis humili habitu archiepiscopum sequebantur. Alterum primorum ciuitatis, quos uestibus abiectis, nudis pedibus, strictos super colla ferentes gladios, Consules præcesserunt: qui per media castra uix exiguo relicto ad transeundum loco incessēre. Hos ubi Fridericus aspexit, hilari uultu se lætari dixit, quòd tam claram ciuitatem Deus admonuisset, ut aliquando clementiam, quàm uim experiri suam mallet. Cōditionibus acceptis pax confirmata est, uexillumq; Imperatorium uictoriæ argumento in urbe erectum. Magna in castris atq; in urbe gratulatio, cùm propter obsidionem solutam, tum ob receptos & nouos & ueteres captiuos est facta. quos ad pedes Imperatoris longo ordine uenientes, noti & propinqui mananti bus p̄ gaudio lacrymis exceperunt. Sigon. lib. 12. regni Ital.

Bello, quod Fridericus I. Imp. contra Henricum Leonem Saxoniæ ducem rebellem gessit, LVBECA sese Imp. dedidit. Et hæc fuit prima Lubecæ ad Imperium fusceptio, anno Christianæ salutis MCLXXXII. Crāzius li. 6. Vādaliç, c. 15.

PERENSES cognita Byzantinorū clade, Mahometo II. Turcorū tyrāno deditionē fecere. Muri cōtra fœdera diruti, bona direpta, feminæ ac uiri ludibrio habiti, eandem experti sunt fœuitiam, ut Constantinopolitani. Eodem enim die uino madidus literas dedit ad Subassidem, id est, tribunum militum Galatiæ, quibus iussit Latinos ad unum omnes occidi. Quam atrocitatem quum Subassis obstupefaceret, & ad uesperam factum distulisset: interea temporis Mahometus, cùm uinum obdormisset, per literas contrarium mandauit. Cuspinianus.

Mahometus II. Turcus spe potiundæ totius Italiæ, SCODRAM urbem Dalmatiæ, quæ Albania dicitur, XXCM armatorum, duce Solymanno eunucho, qui Bassa Romaniæ fuit, duobus mensibus tanto conatu oppugnauit, quanto pòst Byzantium nullum Christianorum oppidum: sed non sine suorum clade, quorum ad sexdecim millia periisse narrantur, etsi alij quatuordecim scribant. Coriolanus Cepio hanc oppugnationem Scodrensem diligenter descripsit. Indignatus autem, frustra obsessam Scodram, ad eam denuò expugnandam Alibechum cum 15000. Solymannum cum septuaginta millibus præmisit. Ipse subsequutus cum triginta millibus electorum militum, Scodrenses tam atroci oppugnatione adortus est, ut Veneti coacti sint pacem cum Turco transigere, Scodra dedita. cum Tenaro Laconiq promontorio, & Lemno insula: & quotannis VIIIM aureorum pendere, ut Pontica nauigatio Venetis negotiatorū bus tutò pateret. Cuspinianus.

RHODVS insula, Christiani orbis propugnaculum, à Solymanno post lōgam obsidionem expugnata fuit, anno 1523. Quintum post mensem, admirandis operibus & cuniculis, ad deditionem compulsa est, Philippo Liladamo militiæ magistro, desperatis auxiliis, ad Solymannum egresso, & certa pactione urbem atq; insulam dedente. Idque tantum uulnus Christianæ reipub. illatū est, infanientibus aut ociantibus nostris regibus, apud quos priuatæ spes augendi imperij torum Christianæ pietatis decus extinxerant. Sabell. supplem. lib. 9. ex Iouio.

Ioānes Magnus dux Moscouiæ circa annū Domini millesimū quadrin-

quadringẽtesimum septuagesimum octauum, excusso Tartarorum iugo, NOVOGRODVM magnum, ciuitatẽ amplissimam & opulentissimam, ac totius Septentrionis emporio celeberrimam (quæ Alexandri Vitoldi armis adacta, centum millia aureorum numûm, quos Rublos uulgò uocant, magno Lituanorum duci quotannis ad illud tempus pendere erat solita) Lituanorum ope destitutam oppugnauit, & in deditionem accepit: trecentos ciuium primores interfecit, eorumq; facultates omnes abstulit: reliquis uerò ciuibus, tertia modò parte facultatum relicta, quicquid erat reliquum ademit. Inde auctus opibus & animis Moschus, totas prouincias Lituanis, dum Cazimirus Polonicis rebus diuersa parte orbis terrarum distinetur, ademit. Cromerus lib.29.

Hominum. Dediti hostibus.

IOACHIN Iudæorum rex, ne ciuitatem suam in discrimen adduceret, seipsum regi Nabucodonosoro dedidit, cum eo pactus, uti urbi parceret. quamuis rex fidem non seruarit. Iosephus lib.10.cap.9. Antiquitatum.

VERCINGENTORIX Gallorum dux, Alexia urbe capta, C.Iulio Cæsari se dedidit. Plut.in Cæsare.

Missis sub iugum duobus exercitibus Coss. ad furcas Caudinas à Samnitibus, SP. POSTHVMIVS cum hostibus inscio Senatu pacem fecerat. Quod cùm per nouos Coss. ad Senatum relatum esset: Posthumius ipse suasit, ut ipse & collega T. VETVRIVS nudi uinctiq; hostibus dederentur, cõscriptumq; per Consules exercitum finibus hostium admouerent, nihilq; prius gererent, quàm sui deditio ritè facta esset. Scriptæ igitur nouæ legiones, & ad Caudium deductę. Ibi Feciales ad hostium portas progressi, uestes sponsoribus pacis detrahi iubent, manusq; post tergum uinciri. Tum ubi ad tribunal Pontij uentũ est, A. Cornelius Aruina fecialis ita uerba fecit: Quandoquidem homines iniussu Pop.Rom. Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atq; ob eam rem noxam nocuerunt, ut populus Rom. impio sit scelere solutus, hostes homines uobis dedo. Sab.li.5. En.4.

C. MANCINVS Consul, apud Numantiam ad supremam desperationem redactus, fœdus cum Numantinis facere iniquis cõditionib. coactus fuit. Sen.populusq; Romanus eo non acceptato, Mancinum tam turpis fœderis auctorẽ nudato corpore, ac manibus post tergum ligatis, ante Numantinorum portam iusserunt exponi: ibi usq; ad noctem manens, à suis derelictus, & ab hostibus non receptus, utrisq; miserandum spectaculum præbuit. Ioan. Gerund. libro 7. Paralip. Hispan.

Quum exercitus RADAGAISI (qui Alaricum Gothorum regem in Italiam contra Romanos comitatus fuerat) in Hetruria extrema fame confectus, in Rom. potestatem, facta deditione, uenisset, tanta captiuorum fuit copia, ut singuli singulis Gothi aureis pecorum more uenderentur. Bonfinius lib.2.Decad.1.

Carolus Magnus DESIDERIVM Longobardorum regem Papiæ per sex menses obsedit. Tandem pestilentia fameq; urgente deditio est facta. Lõgobardus cum uxore paruisq; liberis Leodium Eburonum exilij caussa missus, ac dissimulanter custodiri iussus. Aemilius lib.2.

☞ SVBIECTIO CONSIDERANDVM

☞ QVALIS, NAM VEL

Spontanea.

Cùm Cyrus rex Persarum Iudæis, duce Zorobabele, licentiam dedisset domum redeundi, & templum reædificandi: redierũt tantùm XLII millia, 462. RELIQVI maluerunt in seruitute Babylonica diuites permanere, quàm relictis possessionibus suis in patria liberi & pauperes uiuere. Iosephus lib. 11. cap. 1.

AEGYPTII fame coacti se suosq; agros regi Pharaoni in perpetuam seruitutem addixêre. Gen.47.

Præ cæteris IONES præcipui inter seruos habiti, & uelut insignia mancipia nobilitati sunt. Quare Callicratidas Lacedæmonius interrogatus, cuiusmodi sibi uiderentur Iones? respondit, Frugi serui, liberi utiq; mali. Alex.lib.3.cap.20.

Interfecto per insidias Polycrate SAMIORVM tyranno ab Orœte præfecto Sardiorũ, Meandrius scriba à Polycrate custos domi relictus, aduocata omnium ciuium concione, suasit illis, ut Democraticum Reip. statum amplecterentur, liberati à tyranno. At populus tumultuari, ac interceptæ pecuniæ Mæandrium accusare cœpit. Itaq; Mæandrius in arcem regressus, reputans fore, ut si ipse dominatum deponeret, alius quispiam in eius locum tyrannus constitueretur, non deponendum sibi dominatum statuit: sed cum illi liberi esse nollent, tyrannidem retinuit, donec à Persis, qui Sylosontem fratrem Polycratis reducebant, regno pulsus fuit. Herodotus lib.3.

Rom. senatus Cappadociam Mithridati ademit, & Paphlagoniam Nicomedi, iussitq; utramq; gentem liberam esse. Sed negantibus CAPPADOCIBVS se sine rege esse posse, Ariobarzanes à senatu rex constitutus est. Sab.lib.3.En.6. Ea res stupẽda Romanis uisa est, quibus regia potestas exosa, & arbitrium populi pro libertate fuit. Strabo lib.12.

PENESTÆ dicuntur apud Thessalos, non natura serui, sed à Bœotiis orti, quòd Arnæ à Thessalis uicti, seruire illis non recusassent, & ad tertiam usq; ætatem, eo loco delectati, remansissent. Tradiderunt autem seipsi iureiurando interposito, ut neq; opus facientes malè tractarentur, neq; è regione illa excederent. Et à manendo μενέσαι, postea mutata litera πενέσαι sunt dicti. Suidas, ex Athenæo lib.6.cap.7.

Posidonius Stoicus libro Historiarum XI. Multi, inquit, cùm sui ipsorum domini esse non possint ob animi imbecillitatem, se in prudentiorum dominorum seruitium exhibent, ut ab illis studium consequantur, quod spectat ad parandas res necessarias: atq; ipsi contrà illis tribuunt, prout seruire possunt. Quomodo MARIANDYNI sese Heracleotis subiecerunt, promittentes, se pro mercede semper esse seruituros, si sibi necessaria suppeditarent: stipulatione cauentes, ne ullius eorum fieret uenditio extra regionem Heracleotarũ, sed in ipsa solũ propria regiõe. Athen.li.6. ca.7.

Est seruitutis imago quædam, ubi QVIS principis alicuius ligium se hominem facit, ac in illius uerba iurat, quod Neapolitanis regibus in usu esse tradunt, teste Valla. Dicitur ligius, quia illum princeps, pollices eius suis ligans, fidei imperiisq; suis uincit, ac obnoxium facit. Iureconsulti recẽtiores inter genera feudorum, quæ à fide augurantur dici, ligium habent. Cælius lib.25.cap.15.A.L.

Inuita.

☞ *Pleraq; exempla seq. huc facient.*

☞ A QVIBVS IMPOSITA. A

Magistratu.

Agesilaus rex Spartanorum omnes ASIANOS regi Persarũ subditos, per iocum dixit unam syllabam, Non, proloqui non posse. Plut. de Nimia uerec.

CYZICENIS, cùm Mithridatico bello ob insignem operam libertatem meruissent, postea Tiberius Cæsar, quòd insolenter in ciues Romanos se gessissent, libertatem ademit, & stipendiarios fecit. Alex. ab Alex.lib.4.c.10.

Anno sal.1440. in Marchia Brandeburgensi cùm ciues BERLINENSES in suum tumultuarentur magistratum: Fridericus marchio interueniens, imposuit urbi arcem, frænum libertatis. Cranzius lib.12. Vandaliæ, cap.10.

Nobiles, Magnates, Præfecti, Primoresq; & Consiliarij MOSCHI, omnes se Chlopos, id est, abiectissimos & uilissimos seruos magni Ducis fatentur, & bona sua omnia mobilia & immobilia, quæ propriè possident, non sua sed Magni Ducis esse dicunt. Vt autem equester ordo à Magno Duce, sic etiam plebeius & ciuilis à Nobilibus & Magnatibus grauissimè premitur. Colonorum enim bona & ciuium, militum & nobilium prædæ exposita sunt, & per contemtum nigri homines siue Christiani communiter appellãtur. Sex dies coloni in septimana dominis suis laborant, septimus dies priuato labori conceditur: neq; hi strenuè laborant, nĩ si benè uerberati. Habent autem à dominis suis certos attributos agros, & prata ex quibus uiuunt, tributaq; annua soluunt. Artifices secundùm præscriptum paruo laborem suum uendunt: cumq; annonæ precium excrescit, artifices ita frigẽt, ut uix panem opera unius diei acquirere possint. Ciues & mercatores grauissimis & intolerabilibus tributis & exactionibus adinuentitiis onerantur. Quòd si Magnus Dux aliquem mercatorum paulò ditiorem esse resciuerit, falsis testibus accusatum in uincula coniicit: & si se innocentem esse clamitet, Dux respondere solet, Anima testium, qui te accusauerunt, sciat: mea uerò nihil refert. Ergo iussu Principis tamdiu uerberatur, donec præscriptam summam numeret. Guagninus in descript. Moschouiæ, c.4.

Tyrannis pressi.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.*

Hostibus domiti.

Antiocho Magno in Asia regnante, in continua uexatione tã IVDÆA fuit, quàm Cœlesyria: quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, huiusq; filio, qui Epiphanes cognominatus est, siue uinceret, siue uinceretur, malè multarentur, nõ aliter quàm nauis fluctibus utrinq. oppugnata, inter prosperã & aduersam Antiochi fortunam iactatæ. Tandem uictor Antiochus Iudæam suę ditioni adiecit. Defuncto uerò Philopatore, filius eius magnum exercitũ duce Scopa misit in Cœlesyriam: qui & multas eius urbes & Iudæos ui in potestatẽ Ptolemæi retraxit. Aliquanto autẽ pòst Antiochus ad fontes Iordanis cum Scopa prælio congressus, recepit occupatas à Scopa urbes Cœlesyriæ simul & Samariæ: Iudæi quoque ultrò deditionem fecerunt: receptumq; intra mœnia eius exercitum & elephantos liberaliter aluerunt: & oppugnantibus præsidium in arce à Scopa relictum impigrè auxilium tulerunt. Iosephus libro 12. capite 3. Antiq.

Pugnantibus contra Aristobulum regẽ intestina seditione germanis, & gentẽ Iudæorũ in diuersa studia trahentibus, superuenit Cn. Pompeius dux Romani exercitus: captaque Hierosolyma, usq; ad adyta templi ingressus est, quæ uocabantur sancta sanctorum, uictumque Aristobulum Romam misit, seruans triumpho suo, & pontificatum Hircano fratri eius tradidit. Tunc primùm gens IVDÆORVM Romanis facta est tributaria. Hieron. in Danielis cap.9. Regionem de Syris bello captam reddere coacti, insuper plus quàm decem millia talentorum breui tempore Romanis pependerunt: & regnum, quo priùs pontificale genus honestabatur, ad plebeios translatum est homines. Iosephus libro 14. capite 3. Antiquit.

PERSÆ seruire primò cœperunt Romanis sub Alexandro Seuero, qui de Artaxerxe rege potentissimo triumphauit, anno Christi 225. Lampridio teste.

Milesij, qui primi Heracliã condiderunt, MARIANDYNOS in seruitutem redegêre, ut etiam ab eis in contemtum uenderentur. Strabo lib.12.

ATHENIENSIS populus seruiuit Macedoniæ regib. CARTHAGO Romanis, pòst & Vandalis. Ipsa mũdi caput ROMA, pressis tandem ceruicibus, Gothorum iugum seruiliter traxit. Non multis antè annis CONSTANTINOPOLIS cum reliqua Græcia religandas manus Turcarum insolẽtiæ præbuit. Pontanus lib.2.cap.7. de Fortitudine.

GRÆCIAM opibus florentissimam, sub Macedonum seruitutem discordia redegit, & ualidissimæ nationi imposuit regnum Macedonicum ignobile, & obscurum prius Græciæ ipsius angulum ac uelut accessionem. Nam uictores Athenienses magnam Græciæ partem imperio suo adiunxerunt. Hi à Lacedæmoniis sunt uicti. Thebani Lacedæmonios uicerunt & Phocenses. Hos cùm præter clades bello illatas, grauissima etiam accusatione apud commune Græciæ totius concilium Thebani uictores premerent, multaque esset Phocensibus, quantam soluendo non erant, dicta, gens in desperationem acta bellum in Thebanos concitauit, quod Græciam totam inuoluit. Cui bello admistus Philippus, occasionem inuenit iugum imponendi ei nationi, cui omnia superiora bella pro libertate fuerãt gesta. Lud. Viues de Cõcordia & discordia lib.3.

In Laconia ad mare oppidulum fuit Helos, cuius est apud Homerum in numeratione nauium mentio:

Quíq; mari uicinum Helos, & quis patria Amyclæ.

Huc deduxit coloniã Helius Persei liberúm natu minimus. Postea Dorienses per obsidionem sunt oppido potiti, ex quo primùm publici extitere Lacedæmoniorum serui, qui sunt à loco ILOTÆ uel HELOTÆ nuncupati. Obtinuit deinde usus, ut cæteri etiam, qui ad seruitiorum numerum accessissent, quamuis Messenij, uti priores illi, non essent, Ilotæ tamen & ipsi appellarentur. Pausanias in Laconicis, & Eustathius Iliad.β.

Cùm uiginti annis MESSENII cum Lacedæmoniis bellum gessissent, tandem cùm Aristodemus rex, regni interitum præuidens, sibiipsi manus intulisset, expugnata fuit Ithome arx munitissima, Messeniorum præsidium, ipsi sub iugum missi, & iureiurando adacti, primùm, ne unquam à Lacedæmoniis deficerent, deinde ut ex omnibus arationibus dimidiam partem frugum Spartam deportarent: prætereà ut cum uxoribus ueste mutata, regum & optimatum funera prosequerentur. Pausanias in Messenicis, & Iustinus libro tertio.

ROMANVS exercitus T. Veturio & Sp. Posthumio Coss. ad Caudium locorum iniquitate uictus. Sab.lib.5.En.4.

HISPANIA prima omnium terrestrium prouinciarum à Romanis inita est, atque omnium postrema, Augusti principis ductu & auspiciis, domita. Sab.lib.5.Enn.5.

Clodoueus Francorum rex cùm in Belgico ad Tolbiacum ALEMANNOS magna strage superasset, & Rheno superato Germaniam penẽ totam sibi subiecisset, ne cum libertate animos recipere possent, iugo seruitutis grauissimo eos pressit der Leibeigenschafft, quæ tum primùm cepit, & ex hoc fonte sensim in Germaniam deriuata etiamnum hodie durat. Fiscalinos uocabant, quasi corpora & bona illorum fisco regio deberentur. Principes ex Clodouei posteritate hanc ipsam seruitutem ratam habuere: & porrò etiam Feudatariis suis non tantùm possessiones sed & corpora subditorum elocauere. Qui ecclesiasticis donabantur, Serui ecclęsiastici dicebantur. Stumpfius.

PICTI, pulsis crudeliter è Britannia Scotis, quorum opera & auxilio multis annis floruerant, à Romano legato Victorino Romanas leges amplecti coacti, cùm Heirgustus rex prę mœrore sibi mortem consciuisset, Durstum Heirgusti F. regem fecere. Cæterùm rege Camelodũni capto, Romamque misso, coniurati uirgis cæsi securi sunt percussi. Rei pecuariæ & frumentariæ quartam Cæsaris procuratori uectigalis nomine quotãnis pendere iussi. Ad metalla & latomias & lateres faciendos coacti: magna agri parte, quam Scotis eiectis obtinuerant, multati: aggerem cum altissima fossa ab Oriẽtali mari ad Hibernicum ducere iussi, qui Pictorum regnum à Britannis diuideret: eum qui magistratus iniussu transcẽdisset, capite lueret. Seruitutis huius indignitate moti Picti, perfidiæ suæ in Scotos pœnitentia ducti, Fergusium regio Scotorum sanguine natum, in Dania exulantem, quadragesimo quarto pòst anno ad regnum auitum repetendũ euocauere. H.Boëthius lib.7.

MOSCHI Tartarorũ seruituti extremę ita olim addicti fuere: ut legatis Tartaricis atq; etiam ueredariis, tributum petẽtibus, uel alia quauis de causa uenientibus, cùm equis ueherentur, dux ipse pedester obuiam prodiret, & lactis equini (qui potus est Tartaris gratiss.) poculum uenerabũdus porrigeret: si qua gutta inde in iubam equi destillasset, eam lamberet: interpreti legenti literas Imperatoris selectam uestem sabellinam substerneret: ipse cum pauperibus eas legi auditurus genua flecteret: nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellum contra Christianos fœderatos, aut necessarios suscipere iussus esset. Cromerus lib.29.

Eò magnitudinis rem PISANAM aliquãdo euectam memorant, ut centum eorum familiæ illustres, totidem rostratas naues priuato sumtu ædificasse, exornatasq; ad Ligusticum bellum eduxisse dicantur. Verùm qùum bellica uirtute & mercaturæ studio partis diuitiis aliquandiu floruissent, eos demum superbia opulentiæ comes, & natæ continuò ex nimia felicitate intestinæ seditiones, euersa republica trãsuersos atq; præcipites egerunt. Factumq; est, ut attritis discordia opibus, atque intermissa obiter maritima negotiatione, per diuersa tempora uariis tyrannis seruire didicerint. Ioañe autem Galeacio Vicecomite uita functo, qui amplissimo in Italia imperio potitus, post Appianum tyrannũ Pisas in deditionem acceperat, cepere Pisani iampridem amissam libertatem respectare, atque eam maioribus animis quàm uiribus aduersus Florentinos tueri, qui tum ob ueteres causas, recentibus etiam odiis accumulatas, in ea ruentis imperij Vicecomitum exoptata occasione, grauissimum bellum intulerant: quo Aucutus Britannus, dux bello inclytus, adeò res eorum afflixit, animosque contriuit, ut omnibus belli calamitatibus fracti, destitutiq; à finitimis, uictorum arbitrio se dediderint. Mansereq; sub Florentino imperio annos octoginta septem: quo tempore adeò seuerè auareq; ab his, qui quæstui atq; pecuniæ maximè student, imperatum est, ut sese Carolo VIII. Gallorum regi Pisas uenienti dederint, & marmoreum leonem, Florentinorum insigne, in profluentẽ Arnum præcipitarint. Non multo pòst tamen à Florentinis denuò subacti sunt. Iouius lib.1. Hist.

FLORENTINIS anno 1512. Septembri mense, bello ab Pontifice Iulio II. Maximiliano I. Imp. & Aragoniæ rege Ferdinando, qui Mediceos Florentiam reducere nitebantur, uexatis, libertas erepta fuit: quinquaginta ciuibus ex cardinalis Medicei uoluntate delectis, quibus eadem in publicis rebus, quam populus uniuersus habebat, auctoritas daretur, hanc tam amplam potestatem Florentini Baliam appellãt. Quorum decreto rep. ad eam formam, in qua ante annum 1494. esse solebat, redacta, & firmo militum præsidio ad prętorium posito, Medicei eandem potentiam resumserunt: qua tamen imperiosiùs, & potestate ampliore, quàm pater ipsorum fecisset, utebantur. Hoc modo Florentinorũ libertas armis oppressa fuit, ad hunc statum præcipuè ciuiũ suorum dissidiis redacta. Guicciard. lib.11.

Quo tempore Roma capta fuit, atq; Clemens VII. obsessus, Florentini familiam Mediceam eiecerant, & Gallis auxilia deinde subministrarant, cùm Neapoli bellum gererent. Restitutus autem pontifex, ut se suosque gentiles ulcisceretur, missa in Hispaniam legatione, fœdus cum Cæsare fecit, Imperij supremam inaugurationem ei pollicitus inter alia, si quidem in FLORENTINOS, pro eo ac meriti essent, animaduerteret. Conditionem Cæsar accepit, neque multo pòst Genuã uenit. Eò missi ad ipsum à Florẽtinis legati deprecatum. Iis Cæsar respondit: nisi pontificem reciperent, nullam esse pacis rationem. Igitur à Cæsarianis atque pontificiis copiis obsessi, cùm per anni ferè tempus bellum duxissent, certis conditionibus cum Ferdinando Gonzaga Cęsaris legato transegerunt. Cæsar Alexandrum Medices, cui filiam suam Margaritam nòtham in matrimonium promiserat, principem eis dedit. Ille maximæ molis arcem ibi construxit, seruitutis ipsorum basim. Sleidanus lib.7.

Nobilibus.

Apud DANOS tota communitas plebis ad perpetuam & miseram seruitutem nata esse uidetur: adeoque nobilibus premuntur,

muntur, ut sæpe unus rusticus pro uno cane uenatico per ludibrium uenundetur: cogaturque is, qui sic uenundatus est, cum uxore & filiis in potestatem emtoris concedere, & quæuis contemtissimi mancipij opera subire. Io. Magnus lib.23.hist.Sueonum.

LITVANI, gẽs misera, maximè in uillis & pagis, graui seruitute oppressa. Nam quilibet famulorum caterua stipatus, domum coloni alicuius ingressus, impunè quiduis facere, res necessarias rapere, absumere, crudeliter etiam uerberare potest. Colonis quauis de causa ad dominos suos absque muneribus aditus non patet. Quòd si etiam admittantur, ad præfectos & officiales relegantur: qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, & unumquodque uerbum iudicis in Lituania aurum est. Coloni quinque dies, aliquãdo sex, dominis suis laborant: dies uerò Lunæ priuato labori conceditur: atque utplurimùm diebus dominicis (nulla enim Diuorum festa agrestes obseruant) quoduis opus absoluunt, agriculturam exercent, segetes prataq; metunt, triturant, & id genus alia. In Russia si interrogaueris, Quare Dominico die laboras? respõdere solent, Nonne & die Dominico comedere oportet? Imperatam pecuniam quotannis ter quaterque pro defendendis Regni finibus pendunt. Interim à dominis quoque tributis adinuentitiis onerãtur. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

Seruis.

Tartari Comanos, teste Haitono, subegerunt. Fuit autem Comana Cathaoniæ urbs. Est Cathaonia Cappadociæ propemodum inserta, fuitque olim gentis eius caput, atque aliis torum numine, sacrorumque multitudine seruorum ualde insignis. Strabo Gnosius ad Cappadociam pertinere Cathaoniam significare uidetur. Planities ingens, Amano & aliis montibus undique septa. Id satis constat, supra sex millia seruorum Comanæ fuisse olim, quæ circa deæ templum agitabant. Comani bello capti, quum uulgò à Tartaris uenderentur, ac uilissimè, ut fama ferebatur: per negotiatores, qui eò nauigare iussi sunt, ingentem uim seruorũ Melechsala Sultanus in AEGYPTVM accersiuit. Quos diligẽti cultu & ad bellica & ad urbana munera instructos, ita complexus est, ut omnium aliarum gentium opera repudiata, per hos regnum domi forisque administraret. Comani igitur serui, rege interfecto (quæ cædes incidit in id tempus, quo Ludouicus Frãcorum rex bello captus in Aegypto custodiebatur) unum ex conseruis, Turquemenium nomine, sibi Sultanum & regem crearũt. Is motus, facultatem Ludouico præbuit se & suos commodiùs redimendi, & Aegyptus terra olim nobilis, per hunc modum, seruorum serua facta est. Carum regiam urbem pars multo maxima colit militum, ut præsto sint regi quum opus sit: quinque millia circiter sunt, nec amplius, in quibus situm est omne militiæ robur. Hi Mamaluchi dicuntur, quasi regi subditi. Prædia à rege accipiunt. Horum quisque multos numero habet seruos, quos ad bellum disciplina & armis instruunt. Sic fit, ut serui apud seruos seruitutem seruiant. Annuum militis stipendium aurei numi centeni uiceni, & donatiuum à rege, si ad externum bellum eatur. Sab.lib.5.En.9.

Auxiliariis.

BRITANNIA annis 1040. libera suos reges habuit. Tandem per C.Iul. Cæsarem, Cassiuellauno principe, Romano imperio uectigalis facta est: fuitq; deinceps paulò minus quingẽtis & tribus annis, cùm Britanni id temporis destituti auxilio ab Aetio, qui in Galliis copiarum præfectus Theodosij iunioris fuit, à Pictis Scotisq; fœdere coniunctis cœperunt sic bello premi, ut postquam eorum rapinas & impetus aliquandiu fortiter tulissent, ad ultimum suis iam diffisi uiribus, coacti sint Anglos Saxones, Germaniæ populos, pugnaces atq; feroces, ad opem ferendam accersere. Sed secus euenit, atq; putarant. Angli enim insulæ partem, quam illi tenebant, in suã potestatem redegerunt. Atq; ita quantũ mille & amplius annos, Britannicus populus creuerat gloria, tantum calamitosa hæc temporũ intercapedo eum grauiter afflixit, quæ à Cassiuellauno usq; ad Anglos intercesserat, qui imperium in insula postremò obtinuerũt. Polyd.l.2.

QVOMODO.

Aristoteles Rhetoricorũ lib.2. subindicat, QVI olim seruitutẽ profitebantur, eos terrã & aquam domino tradere solitos, uelut omnium rerum ius abdicantes, & in herum transferẽtes. Nam δίδόναι γῆν καὶ ὕδωρ, δουλεύειν ἐστι. id est, Dare terram & aquam, seruire est. Sic Darius Persarum rex in Græciam legatos misit, Terram & aquam petitum.

In schismate illo, quod inter Alexandrũ III. & Fridericũ I. grauiss. fuit, Lõbardi Alexandriã urbẽ studio Alexandri condiderant, eamque contra Fridericum summis opibus defenderant. Pace tandem Lombardis à Friderico Constantię data, ALEXANDRINI legatos ad Fridericum miserunt, cõuentum Norimbergæ habentem, atq; cum eo pepigerũt, cuius inter cæteras hæc quoq; conditio fuit, Vt ciues Alexandrini omnes pro arbitrio Friderici urbe exirent, & tãdiu extra eam morarentur, quoad per ipsius legatum solenni more introducerentur (ut actu isto, & ille dare, & hi accipere de manu Imperatoris Imperatoris patriam uiderẽtur) utq; urbem posthac constanti nomine Cæsaream appellarent. Sigonius lib.14. regni Italici.

MVNERIS, OFFICII IMPOSITIO. VEL

Seruilis, Sordidi, Mechanici. In genere.

Sesostris Aegyptiorum rex, cùm SCYTHAS & GRÆCOS subegisset, maximam multitudinem gẽtium captiuarum in Aegyptum secum duxit: earumq; opera usus est ad lapides immensę magnitudinis in templum Vulcani pertrahendos, & ad diuortia aquarum effodienda, ut Aegyptum prius equis & plaustris agendis idoneam contra uim hostium muniret. Ab eo enim tempore inequitabilis, & plaustris inhabilis regio extitit, propter multiplices fossas uniuersa loca occupantes, in quas Nilus inundans reciperetur, ne loca arida siti laborarent. Herodotus lib.2.

Gelo Syracusanorũ tyrannus CARTHAGINENSIVM CL millia cecidit, totidem cepit. Siculorum singulæ ciuitates eos quos sibi sors dederat pro seruis habuere, publicaque per eos opera & labores exercebant. Quorum maxima Acragantinis multitudo cùm obtigisset, urbem agrosq; suos eorũ opera excoluere. Tantus namq; numerus eis captiuorum erat, ut pleriq; inter eos priuati, quingentos in uinculis haberent. Diod.lib.11.cap.1.

Magistratus gerendi.

Cùm de uacatione AVGVRVM in Senatu ageretur, iudiciis ne operam darent: Q. Aelius Tubero contra P. Africani auunculi testimoniũ iudicauit, uacationes Augures, quo minus iudiciis operã darẽt, nõ habere. Nõ enim Augures eiusmodi sacerdotium nactos esse, ut nunquam ab eo discedere sine religione non possint. Cic. in Bruto.

SALVSTIVS præfectus Orientis, cuius potissimùm auspiciis Valentinianus Imp. creatus est, ut tradit Zonaras, Imperatorem adiens, gratiarũ uice id ab eo postulauit, ne amplius præfecturæ curam sustinere cogeretur, cùm ipse magnam curã, ut Imperio potiretur, habuisset. Cui princeps, Ideo tu mihi tantarum rerum pondus imposuisti, quò tu immunis esses? At mecum onus feras.

Magistratui apparendi.

Serui publici dicebãtur apud Rom. & in Vrbe & in prouinciis, HOMINES libertini generis, quorum ministerio & operã magistrat⁹ utebãtur. Var.li.de ling.Lat.7. significare uidetur moris fuisse, ut serui quidã à populo manumitterentur, eorũq; uel magistratuũ Romanorũ uel municipiorũ nomina haberent, à quibus libertate donati essent. Hot. de Verb. iur.

Latomiarum.

APOLIDAS seruos Iureconsultis dici inuenio, uiles, qui sine ciuitate in opus publicum perpetuò dantur, in insulasq; deportantur, siue in ministerium metallicorũ. ad quæ feminas quoq; damnari in perpetuum solitas, accepimus: sicuti in salinas item, & sulphurarias. Meminit Martianus Digest. de Pœnis. Cælius lib.25.cap.20.A.L.

ATHENIENSES ad amnẽ Asinarum in Sicilia uicti & capti à Syracusanis, in Latomias damnati sunt. Plut. in Nicia.

Gelo CARTHAGINENSIVM CL millia cæcidit, totidẽ cepit, & per urbes Siculas sorte distribuit. Acragãtini magnũ sunt adepti munerũ, tũ sorte, tum q inclinata iam acie multi Barbari in loca mediterranea, maximeq; intra Acragantinorũ fines confugerãt. Horũ magnus numerus in publicũ relatus est, & ad lapides excidendos addictus. Ex quib. non deorũ modò maxima extruxere tẽpla, uerùm & cloacas ad educendas ex urbe aquas cõstruxere. Per agrũ quoq; totũ, innata præstantẽ ubertate, uitibus passim consitũ, omnigenisq; refertum arboribus sparsere, ita ut plurimum inde fructus uectigaliumq; demeterent. Diod.lib.11.cap.1.

Triremium.

Vide Tit. A Piratis liberatorum.

PSEVDOALEXANDER, Alexandrum se Herodis defuncti filium mentitus, cùm Romam ad Augustum Cæsarem uenisset, duritie manuum & rusticis moribus proditus, ab Augusto nauticæ seruituti addictus fuit, pro sceptro remũ tractare coactus. Iosephus lib.17.cap.14. Antiq.

Agriculturæ.

ILOTES Messenij colebant Laconibus agrum, uectigal pridem descriptum pensitantes. Plut. in institutis Laconicis.

Subuectionis.

ISRAELITÆ durissimo seruitutis iugo in Aegypto pressi, arenam & lateres ferre cogebantur, & urbes ad armaria Pharaoni ædificare, Pitomum & Ramessem. Exod.1.

Sub Iustiniano Imp. frumentũ malignè prouenerat, & frumentarię naues minus frequentes, quàm opus erat, appellebãt. Dubius

Dubius igitur animi qd ageret, in BITHYNIÆ & PHRYGIÆ & THRACIÆ locis magnam frumenti copiam con quiri iussit. Quorum incolę necesse habebant onera magno labore ad mare deportare, & cum periculo perferre Byzantium, paruo precio. Itaq; tanta detrimenta capiebant, ut acquiescerent, si quis eos sineret frumentum domi donare fisco, & alteram æstimationem pro eo deponere. Hoc illud onus est, quod συνωνὴν, id est Coemtionem appellare consueuerunt. Suidas.

Gestationis.

Inquilinorũ apud Atheniẽses PVERI scaphas in põpis ferre: FILIÆ uerò hydrias & umbellas gestare cogebantur. Vnde per contemtum σκαφηφόροι dicti. Suidas ex Dinarcho & Demetrio.

Fossionis.

Polycrates Samiorum tyrannus, LESBIOS opem Milesiis ferentes nauali prælio cepit, &, ut fossam Sami mœnia ambientem effoderent, coẽgit. Herodotus libro 3.

Theatri.

Augustus Cæsar uicta Britannia, plurimos BRITANNORVM captiuos Romam duxit, eosq; ad officia theatralia scenicis donauit: dedit insuper aulæa & peristromata, quæ Britanni serui ferrent, & suis quæq; locis disponerẽt: quinimò in aulæis istis uictoriæ Augusti depictæ erant, & Britãni serui etiam, qui aulæa ista populo spectanda exhiberent, intertexti conspiciebantur: ut notat Seruius in 3. Georg. ubi poëta inquit: Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Militiæ.

PARTHI in castris, non ut aliæ gentes liberorum, sed maiorem partem seruorum habent: quorũ uulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascentib. indies crescit. Hos non secus ac liberos suos & equitare & sagittare docẽt. Locupletissimus ut quisq; est, ita plures in bella equites regi suo præbet. Aduersus M. Antonium Triumuirũ cùm equitum quinquaginta millia Parthi duxissent, soli quadringenti liberi fuere. Aen. Syl. cap.30. Asiæ.

CARAS ueteres appellauere seruos, quòd factitandis operis capturas conquirere consueßet ea gens, uelut omnium nata seruitio, qui mercenaria prolectassent stipe auaros animos. Etiamsi in re bellica scutorum umbilicos & cristas pręterea comperisse memorentur primi. Nam & in rei argumẽtum, ἀσπίδιον. id est, breue scutum cum mortuis cõtumulabant, additis & cristis. Cælius lib.16.cap.3.A.L.

Seruitium, teste Plinio, Lacedæmonij inuenère, quandoquidem Cleomenes Lacedæmonius, teste Macrobio libro primo Saturnalium, ex seruis manumissis bellatorum nouem millia conscripsit, qui quoniam in bello non necabantur, sed uiui seruabantur, SERVI appellati sunt. Hi sub corona postea uendebantur.

MOSCHI nobiles, Magnates & cõsiliatij adeò dura seruitute premũtur, ut quẽcunq; apud se in aula esse Magnus Dux uelit, uel in bellum ire, aut legationẽ aliquã obire iusserit, id sumtibus suis facere cogatur. Quãdo aũt aliquẽ ad bellum proficisci iubet, literas suas ad illum mittit. Si uel prandens, uel cœnans, dormiẽnsue inuentus fuerit à nuncio Magni Ducis, continuò surgens, equum nuncio inspiciente armatus ascendit, mandatumq; Principis se proprio sumtu exequuturum ait. Per singulas prouincias filios nobiliũ tenuioris fortunæ conscribere solet, ut numerum illorum, & quot quisq; equos ac seruos habeat, cognoscere possit, exiguo stipẽdio annuo cõcesso. Guagninus in Moschouia c.3.

AERIS ALIENI.

Ad Paupertatis locum, quæ in χρήματα spectatur, Aes alienum pertinet. Id tamen Seruitutis nomine ad hunc quoque ordinem referri potest.

ADDICTI dicebantur apud ueteres, qui pecunię damnati, q iudicatum facere non possent, nexi in seruitutem creditoribus addicebantur, ut ille Veturius, de quo scribit Val. Max. lib.6.c.1. Quintil. lib.7. Seruus quum manumittitur, fit libertinus. Addictus, recepta libertate, est ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non consequetur: Addictus, soluendo citra uoluntatem domini cõsequetur. Ad seruum nulla lex pertinet: addictus legẽ habet. Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribus: habet hæc addictus. Hotoman. com. Verb. iuris.

Totus ATHENIENSIS populus ære alieno oppressus à diuitib. erat: nam aut illis arabant sextantem fructuum pensitantes (unde Sextantuli & Capitecensi fuerunt uocati) aut uersuram facientes, corporis nexu duci à creditoribus poterant: quorum partim seruiebant ibi, partim extra patriam uenundabantur: multi etiam liberos suos distrahere compellebantur (neq; uetabat lex) & urbem propter fœneratorum crudelitatem deserere. Ibi maxima & ualidissima pars coitione facta sese mutuò cohortati sunt ne ea tolerarent: sed unum caperent ducem uirũ fidum: eosq; qui intra diem iudicatum non fecissent, eximerent, agrum diuiderent, atq; in totum Reipublicæ statum inuerterent. Cæterùm seditionem hanc sedauit tandem Solon. Plut. in Solone.

MVLTAE.

Hæc quoque diuerso respectu & ad Paupertatem, & ad Seruitutem accommodari potest. Consule locum Inopiæ.

A QVIBVS IMPOSITÆ. PVTA

A seipsis. Spontanea multa.

PALÆSTINORVM quinq; ciuitates, Azotus, Gaza, Ascalon, Getha & Accaron, cùm arcam Domini cepissent, & eã grauissimis cladibus affecti Israelitis remittere statuissent, multam ei penderunt, quinque podices aureos (dysenteria enim multi interierunt) & totidem mures aureos (mures enim regionem illorum infestarant) eaq; simulacra in capsa ad arcæ latus posuere. Libro 1. Regum, cap.6.

A Magistratu.

DEMOSTHENES Athenis pulsus, inde mortuo Alexandro Magno restitutus, cùm multa pecuniaria districtus maneret (neq; enim gratis ius erat eam remittere) hoc modo eluserunt legem: Morem habebant, ut Iouis Seruatoris sacrificio ei, qui aram instrueret & adornaret, argentum penderent. Hoc munus & illa præbenda Demostheni locauerunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat ei æstimata. Plutarchus in Demosthene.

Belli Hetrusci cura omni discussa, AEMILIVS Mamercus, ne nõ aliquid in sua dictatura egisse uideretur, censuram, quæ ab initio quinquennalis fuit, in annum & semestre spacium lege ad populũ lata contraxit. Et ut sciatis, inquit, Quirites, quã mihi diuturna nõ placeant imperia, dictatura me abdico. Censores eum in ordinem redactum, quia magistratum Pop. Rom. minuere esset ausus, tribu submouerunt, octuplicatoq; censu fecerunt ærarium. Tulit Mamercus eam ignominiã ciuili animo, causam potiùs quàm rem intuitus. Contra tanta populi in Censores exarsit ira, ut nullius, præter quàm ipsius Mamerci auctoritas, ne multitudinis incursu uiolarentur, Censores protexerit. Sab.lib.5.En.3.

Ab Hostibus.

Multam, quæ semel irrogatur, hîc consideramus. Quæ uerò annua est, seq. Titulo Tributi comprehendetur.

PHARAO Necho Aegyptiorum rex Ioachazum Iudæorum regem captum, in Aegyptum abduxit: Iudæos ipsos centũ argenti talentis, & uno auri multauit. Eliacimum regem fecit, Ioachazi fratrem, qui ei quotannis, subditorum æstimatione facta, pro cuiusq. facultate, tributum pendebat, annis XI. donec à Nabucodonosoro Babyloniorũ rege Iudæi in seruitutem abducti sunt. 4. Regum 23.

Cn. Pompeius captis Hierosolymis, breui tempore XM talentorum à IVDÆIS exegit. Iosephus lib.14.cap.8. Antiq.

Clarigationem uidetur Liuius lib. 8. dixisse pro iis, quæ nunc Represalia uocamus. VELITERNI, inquit, iussi trãs Tyberim habitare: ut eius, qui cis Tyberim deprehẽsus esset, usq; ad mille pondo clarigatio esset: nec prius quàm ære persoluto is, qui cepisset, extra uincula captum haberet. Hotom. de Verbis iuris.

Posidonius auctor est, M. Marcellum tributum ex CELTIBERIA exegisse talentûm DC. Ex quo coniecturam facere licet, quòd Celtiberorum natio frequentissima fuerit, & auri atque argenti copia excellens, tametsi agrum incolerent sterilem. Strabo lib.3.

L. Sylla uicto Mithridate multã publicã irrogauit ASIÆ XX millia talentũ: priuatim uerò domos insolẽtia & uexatione flagellauit eorum, qui apud quemq; diuersabantur. Siquidem edixit, ut militi hospes apud se diuertẽti tetradrachma in diem quaterna daret: cœnã insuper præberet ei eiusque amicis, quotquot uocare liberet. Centurio acciperet quingenas in diem drachmas: uestem preterea aliam qua domi, aliam, qua in publico uteretur. Plutarchus in Sylla.

L. Sylla uicto Mithridate, ab EPHESIIS, & aliis ciuitatibus, quæ pro Mithridate steterant, fuerantq; in Romanorum ciuium cæde adeò illi gratificatæ, ut ne ab iis quidem, qui in templa confugerant, ferrum abstinuerint, ita acerbè tributum exegit, ut multæ earum coactæ sint ob inopiam Theatrum, Gymnasia, Porticus, aliaq; publica ædificia creditoribus addicere. Sab.lib.3.En.6.

QVÆ.

Multæ pecuniariæ olim in ITALIA ex pecore pendebãtur, q Italia tunc esset armentosissima. Multaq; suprema instituta in singulos dies, duarũ ouium erat & triginta boũ, pro copia scilicet boũ, proq; ouiũ penuria. Sed cùm eiusmodi mul ta pecoris armentiq; à magistratib. dicta erat, adigebantur boues ouesq;, aliàs precij parui, aliàs maioris: eaque res fa-

ciebat inæqualem multæ punitionem. Idcirco postea lege Aterina constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Minima autem est ouis unius. Gellius lib.11.c.1.

TRIBVTVM, VECTIGAL.

Ex Tributo acquisitæ diuitiæ, sub locum Opulentiæ referuntur: Ipsa Tributi collatio, ad Vsum Diuitiarum. Hic solius Seruitutis habetur ratio.

QVI, PVTA

Mechanici.

Alexāder Seuerus Cæsar BRACCHARIORVM, linteonū, citrariorū, pellionū, plaustrariorū, argētariorum, aurificū, & aliarum artium uectigal instituit: ex quo Thermas, quas fundauerat, pluribus usibus ornauit. Alex.lib.4.c.10.

Senatores.

Follis Senatorius dictus est posterioribus temporib. tributum quod SENATORES Impp. pendebant, abrogatum per l.2. C. de pretorib. lib.12. Follis enim marsupium & sacculum pecuniæ significat.

Infimi, Abiectissimi.

Tributum CHRYSARGYRVM Constantinopoli dicebatur, quo mendici, meretrices, repudiatæ, serui, liberti, ærario aliquid pendebant, de mulis, de fimo, de iumentis & canibus. Idq; absq; ulla miseratione exigebatur. Illud Anastasius Imperator singulo quadriennio pendi solitum sustulit, & tabulas descriptionem tributi continentes in circo coram populo cremauit. Cedrenus in Compendio Historiarum.

QVIBVS PENDITVR, VTPVTA

Deo.

Cùm ISRAELITARVM census haberetur, ex præcepto Domini, quisq; pro suo capite propitiatorium Deo pendebat, cladis ab eis ita censendis auertendæ gratia, uidelicet sicli sacri semissem (ualet autem siclus obolos uiginti) ita ut neque diuites plus, neq; pauperes minus semisse conferrent. Hoc propitiatorium argentum in opus oracularis tabernaculi conferebatur. Exodi 30.

Pontificibus.

ADELVLFVS rex Angliç an.851. uulgata Leonis IV. pōtificis sanctitate permotus uenit Romā, ac benignè exceptus, cùm ad basilicam S.Petri adisset, damnatus uoti, regnū suū tributariū ecclesiæ Romanæ cōstituit, singulis familiis numó argēteo in annos singulos obligatis. Sigon.l.5.reg.Ital. & Plat.

IOANNES Angliæ rex bello impetitus à Ludouico rege Frācorū, Angliam Hiberniamq; Romanæ Ecclesiæ uectigales faciens, centum auri marcas quotannis soluturum se pollicitus fuit. Quod postea aliquandiu seruatum est. Platina.

INAS Occidentalium Saxonum, & OFFA Merciorum rex, Papæ annuum reditum de singulis domibus regni sui fecerūt. Ranulphus lib.5.cap.25. in Polychronico. & Polyd.lib.4.

SICILIA tria talenta & dimidium auri cōferebat olim ecclesiis Romanis. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Romanarum.

Magistratui, Regibus.

SYRI à quarto decimo masculi, à duodecimo feminæ, ad quintum & sexagesimum annū tributa conferunt, teste Vlpiano.

Herodotus AETHIOPAS in tributi uicem regibus Persidis è materie ebeni centenas phalangas tertio quoq; anno pensitasse, cum auro & ebore, prodidit: simulq; uicenos dentes elephantorum grandes. Plin.lib.12.cap.4.

Post interfectū Iulium in senatu, cùm urbs ob tot bellorū incommoda penè exhausta esset pecuniis, & in tanta Antonij cū Octauio Augusto cōtentione & cæteris bellicis rumoribus, opus esset magna pecunia: ciues ROMANI oēs suarū facultatū quintam & uicesimā partē contribuēre: senatores uerò in singulos lateres, quos habebāt in ædib. urbanis, nō suis solùm, sed etiā alienis, in quib. habitabant, quatuor obolos persoluerunt. Insuper ditissimi quiq; separatim alia multa contulerunt. Præterea arma, cæteraq; militib. necessaria, multæ ciuitates, multiq; priuati homines gratis & sua spōte suppeditabāt. Idē, Corn. & Val. Messala Coss. cùm tres & uiginti exercitus alere cogeretur in diuersis regionib. ac magna iam opus esset pecunia, iussit dari sibi uigesimā partē hæreditatū, legatorū, ac donationū, quę mortis causa fiebant: nisi si qua essent proximis agnatis, aut pauperib. hominibus relicta. Idq; fecit, quasi in commentariis Cæsaris hoc genus tributi reperisset. Sub Munatij & C. Silij consulatu tributū ex ædibus agrisq; conferri iussit: neq; tamen definiuit, à quibus, aut quemadmodū persolui uellet: sed aliquot homines misit in diuersas partes orbis, à quibus prædia priuatorum hominum, atq; adeò ipsarum ciuitatum describerentur, ut metu damni incommodiq; maioris, mallent uigesimam soluere: id quod euenit. Dion in Augusto.

Censum CHVNIGOSTEVRAM & FANOLEHEM uocāt, ex instituto Caroli Magni. Quinq; denarios, modius frumēti quotannis tum pensitabat. Is qui militiā detrectabat morbo aut senectute, æs illud multatitiū militareq; pendebat. Nam munia bellica censumq; quàm accuratissimè exegit. Et ut salubrem magis, quàm ambitiosum principem scires, ne templis quidem munia bellica, æs militare, utpote neruos, sine quibus Respub. nequaquam salua esse possit, condonauit. Præterea non solùm prædia stipendiaria, agros, prata, uineas, uillas, & huiusmodi redditus uectigaliaq; itē iumenta, pecudes, mancipia: uerùm & propriam supellectilem præfectorum, præsidum, pontificum, seminarum sacratarum, & uirorum descriptam habuit. Iuxta multitudinem iugerum, agrorum, opum, certus numerus militum, auri, argenti, iumētorum, uehiculorum, annonæ, uestimentorum, armorum, item ferramentorum indictus & definitus apud Carolum fuit. Auentinus lib.4. annalium Boiorum.

Carolus Magnus BOEMIS tributū indixisse fertur, ut quotannis boues centum & uiginti, item argenti pustulati quinquaginta pondo, eo quòd Romano Imperio Ducatus Boëmiæ subiectus esset, penderent. Argenti puri 150. marcas censent. Quod Otho I.D. Vēceslao regi remisit, propter sanctimoniam. At postquam is scelere Boleslai fratris è medio sublatus est, illud ipsum repetiit. Dubrauius lib. 5. & Aeneas Syluius cap.19. Boëmiæ.

Tributa à Francis instituta Otho I. Imp. in Italicis VRBIBVS retinuit. Fuēre foderum, parata, & māsionaticum. Foderum summa quædam frumenti fuit, quā aduenienti in Italiā regi populi soluere tenebantur, pro quo sæpe etiā æstimata pecunia pendebatur. Parata, sumtus quem iidem in uias pontesq; fluminum, qua transiturus, aut quò aditurus rex erat, reficiendos impendere. Mansionaticum, sumtus in tecta, & cætera, quę regio exercitui in agro hospitāti necessaria præbere iubebantur. Siquidem tantum regibus ius terræ tributum est, ut ex omnibus, quæ ipsa ferre ad usum hominū necessaria solet, exceptis bobus & seminibus ad colendā terram idoneis, quantum opus militibus fuerit, ad regios usus suppeditatum sit. Sigonius lib.7. regni Ital.

Hērici III. Imp. tempore POLONIÆ ducatus Imperio subiectus erat, quotannisq; boues centum & uiginti, item argenti pustulati quinquaginta pondo pendere cogebatur. Bonfinius lib.2. Decadis 2.

Victoribus.

Ex fœdere post secundum bellum Punicum icto CARTHAGINIENSES Romanis X. millia talentum argenti in L. annos æquis pensionibus pendere tenebantur. Quum prima pecuniæ collatio ciuibus longo bello exhaustis difficilis uideretur, exaudirenturq; multorum querelæ, risisse Hannibal dicitur. Sab.lib.5. Ennead.5.

CASSIVELLAVNVS Britannorū rex à C. Iul. Cęsare uictus, datis obsidibus pactus est, ut Britannia Pop. Rom. uectigalis esset. Cæsar magno captiuorum numerò in naues imposito, Galliæ litus tenuit. Fuerunt qui scriberent spe margaritarum Britanniā à Cæsare bello petitā, quia fama esset eam insulam eiusmodi diuitiis abundare. Sed Britānici uniones parui sunt, & decolores, ut Plinius scribit. Idem Cęsar thoracem, quem Veneri Genitrici dedicauit, ex Britānicis margaritis factum intelligi uoluit. Sabellicus lib.6. En.6.

Bello Iudaico confecto, stipendium, ubicunq; degerent, IVDÆIS Vespasianus indixit: binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitoliū iussit, quas antehac Hierosolymorum templo pependerant. Iosephus lib.7. cap.26.

ROMANI Gallo imperante primùm tributarij Scytharum facti. Cuspinianus.

Constantinus Pogonatus SARACENOS adeò fregit, ut desperatis rebus ultrò pacē peterent. Quā quidē illis dedit hac cōditione, ut quotannis Rōm. Imp. penderēt IIIM librarū auri, & uiros captiuos L. Paul. Diaconus lib. 19. Rerū Rom.

Vladislaus Polonorum rex anno 1436. VALACHIS tributum centum equorū, quadringentarum purpuratū, quadringentorum boum, ac ducētorum curruum Visonis siue Vsonis (piscis id prægrandis nomen est, cuius ferax est Danubius) in singulos annos imposuit. Cromerus lib.21.

THVRINGI Hungaris tributarij, ut quotannis decimas, non modò de bonis, sed etiā de liberis pendere cogerētur. A Vinofrido Anglo, dicto Bonifacio, ad fidem Christianam conuersi, ab ista seruitute liberati sunt. Chronicon Isennacense.

POMERANI Christianæ fidei expertes uectigales Polonis, cùm annua uectigalia pendere recusarent, res armis cœpta, & duello Belæ Poloni cum Pomerano duce transacta. Victus enim Pomeranus fuit à Bela, eoque ipso tributarij Pomerani manserunt Polonis sub Miescone Polonorum rege. Bonfinius lib.2. Dec.2.

Laboribus.

Bello ciuili, cùm L. Sylla Cinnā expulisset, Q. SERTORIVS, spe semel abiecta seruādæ urbis, cōtendit in Hispaniā: quò, si eā obtineret prouinciam, refugium amicis foret in Italiā oppressis. Cùm crebris tempestatibus iactaretur, exigebant ab eo in locis montosis barbari uectigal ac mercedem trāsitus. Indignantibus comitibus eius, & fœdum esse dictitantibus proconsulem Romanum tributum scelestis barbaris pendere: floccipendens id quod in speciem erat turpe, & tēpus se, quo nihil sit uiro grandia affectanti carius, redimere ferens, barbaros argento conciliauit, & Hispaniam maturauit occupare. Plutarchus in Sertorio.

DE QVO. DE

Capite, Membris.

NICEPHORVS Imp. Aaroni Arabum duci cum CCCM aduentanti obuiam progressus, cùm uiribus imparem se intelligeret, pacem ab eo petiit: ac pactus est ei annuatim trecenta millia numismatum, & tria numismatum in tributum capitis sui, ac tria pro capite filij sui pendere. Paulus lib.24. annō Domini 803. Sigebertus, Zonaras.

SAXONES à Frothone IV. Danorum rege uicti, operà Starcatheri, pro quolibet cubitalium membrorum quotannis tributum pendere coacti fuere, cùm priùs pro capite tātùm soluerent. Saxo lib.6. & Cranzius lib.1. Daniæ, cap.36.

Terra natis, Tertia, Quarta, Decima.

INDI æquali omnes premuntur onere: nam quartā fructuum partem Regibus annis singulis pendere coguntur. Alex. libro 4. cap.19. Gen. dierum.

Pisistratus tyrannus decimas exigebat ab ATHENIENSIBVS eorum quę in agris prouenissent. Cùm aliquando obambularet, uideretq; senem quendam loco petricoso laborantem, rogabat quosnam fructus inde colligeret. At is respondens: Dolores, inquit, & sphacelos, atque horum decimas exigit Pisistratus. Tyrannus admiratus hominis libertatem, decimas Athenieēsibus remisit. Eā res in uulgi sermonem abiit, ἡ σφάκελοι ποιοῦσι ἀτέλειαν, Etiam sphaceli immunitatem pariūt. Sphacelus autem morbi genus est, quod ex immodica defatigatione solet accidere. Erasmus, ex Suida.

Priscis ROMANIS ex agris & noualibus decima seminū dabatur uectigalis nomine. Alex.lib.4. cap.4.

Odoacer Herulus subacta Italia, anno 470. ITALICIS populis tertiam partem fructuum in annos singulos pro alimentis Herulorum tributi nomine indixit. Bern. Saccus lib.7. Ticinensis historiæ.

Vino.

Sub Carolo VII. FRANCORVM rege institutū, ut uino minutatim uendendo grauior precij pars fisco inferretur, quæ antea fuerat leuissima. Aemilius libro 10.

Sale.

M. Liuio & Claudio Nerone censoribus, anno 15. secundi belli Punici, uectigal nouum ex salaria annona ROMÆ constitutum. Id oneris Liuio plebs retulit acceptum, qui ob ueterem damnationem Romanis tribubus adhuc iratus habere iūt, eaq; res illi Salinatoris cognomen dedit. Sab.lib.5. En.5.

Initio regni PHILIPPI Valesij immanes pecuniarū exactiones fuere, ac primùm ex sale uectigal apud FRANCOS institutum. Chronicon Francorum.

Mercibus.

Philippus Pulcer Francorum rex grauis decumarum exactor extitit, cuius tempore pecunia rara, & moneta parum proba. Quinquagesimæ & centesimæ uectigal NEGOCIATORIBVS impositum, quę Malatesta uulgò appellata est. Chron: Francorum.

Anno 1271. cùm magna esset fames Venetiis, rogatique Taruisini, Patauini & Ferrarienses, annona VENETOS iuuare nollent, noua in Adriatico mari uectigalia sunt imposita, ut intra Polam ac Venetias merces & onera Venetiis deponerentur, quæcunque mari afferrentur: ordinatis custodibus, ne quid contra legem transiret. Bononienses; qui magnam Romandiolæ partem obtinebant, ægrè ferentes mari legem impositam, triennio ferè cum Venetis uaria fortunā decertarunt. Sed superati demùm eā lege pacem acceperunt, ut diruto castello, quod in ostio primario Padi construxerant, quarundam rerum liberam eductionem haberent, ostiorum Padi custodia Veneto concessā. Anconitani uerò querelam de lege Veneta apud pontificem detulerūt. Qui lubens Venetis, ut legem tollerent, minimè exauditus est. Blondus lib.8. Dec.2.

Pecunia.

LEO III. Imp. terræmotu quassata Constantinopoli, ad mœnia reparanda nouum uectigal indixit; edicens; ut in singula numismata quatuor & uiginti obolos ærario principis inferrent, ad restituendos muros: quod dein in multa secula seruatum est. Cuspinianus.

Aratro.

Henricus Leo Saxoniæ Dux uictis VANDALIS, qui remanserant in terra Vvagriorum, Polaborum & Obotritorum atque Kissinorum, imperauit redditus episcopales, qui soluūtur apud Polonos atq; Pomeranos; hoc est, de aratro tres modios siliginis, & duodecim numos monetæ publicæ: Aratrum autē Vandalicum perficitur duobus bobus & totidem equis. Cranzius lib.4. Vandaliæ, cap.36.

Præda.

INDI omnium captarum rerum, tam earum, quæ sunt animā præditæ, hominum simul & pecudum, quàm omnium, quæ anima carent, Quintam Hispaniarum Regi persoluunt. Io. Metellus.

QVALE PENDITVR, PVTA

Honorarium.

Otho I. Imp. MAGDEBVRGENSI monasterio suum concessit locum & bona, & insuper libertatem: tantùm ut quotannis sibi equum & puerum tributi loco penderent. Chronicon Saxoniæ.

VENETI Imperatori Romano pannum aureum tributi locò debebant quotānis. At ab Othone III. Imp. Veneto nomini in perpetuum remissus fuit; cùm is ignoto habitu Venetias exoluendi uoti causa uenisset, benigneq; à Petro Vrseolo principe hospitio exceptus esset. Sab.lib.2. En.9.

Luchinus Vicecomes deuictis PISANIS ea conditione pacem dedit, ut honorarij tributi nomine binos equos, militarem unum, alterum asturconem album, quo domina ueheretur, itemque binos ad aucupium falcones peregrinos, quotannis penderent. Iouius in uita Luchini.

Carolus V. Cæsar occupato; sub annum 1545. regno Tunetano, ipsoq; Hariadeno Barbarussa pulso; MVLEASSEM, quem Barbarussa eiecerat, Tuneti regem, maiorum suorum consuetudine regnaturum constituit, binosq; tantùm falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis imposuit: ea conditione, ut Christiani nominis amicus, Turcarum uerò gentis perpetuus hostis, Cæsaris nomen coleret, & Guletano præsidio, quod ex Hispanis amplius mille imponebatur; stipendium persolueret. Iouius lib.34. Hist.

Vtile.

Ex præced. exempla aliquot hic inseruient.

QVOD PENDITVR, CVIVSMODI SVNT

Pueri, Virgines.

Minos rex Cretæ ATHENIENSIBVS graue tributum impòsuit & inhumanū. Vide Tit. Crudelitatis ob mortē illatam.

AETHIOPES Dario regi Persarum pręter alia quinos etiam pueros pendebant. Alex.lib.4. cap.10.

COLCHI cētenos pueros, & totidē uirgines, suis regibus dare dicuntur, reliquorum tributorum immunes. Alexand. libro quarto, capite 10.

Post partam de Cupa, ciuilis belli auctore, uictoriam, Stephanus rex Vngarorum SIMIGIENSEM populum, qui Cupæ audaciam sectatus erat, non modò frugum, uini ac pecorum, uerùm etiam liberorum decimas, diui Martini basilicæ quotannis pendere iussit: tertiam prædæ partem templi postib. affixit. Bonfinius lib.1. Dec.2.

MAVREGATVS Alfonsi Catholici nothus, mortuo Silone Alfonsi genero, regnum Asturum ope Saracenorum occupauit; & iisdem aliquot uirgines pro tributo annuatim misit. Qua de re Deo & hominibus inuisus, quinto anno regni prauus in Prauia Asturiæ prouinciā mortuus est. Rodericus Santius parte 1. hist. Hispan. cap.7.

TARTARI Precopenses, qui Tauricam incolunt, Turcarum Imp. quotannis CCC Christianos tributi nomine pendūt. Alex. Guagninus in Tartariā.

Oues.

Mesa Moabitarum rex IORAMO Achabi F. Israelitarum regi pendebat centena agnorum millia, & totidem lanatorum arietum. 4. Regum 3.

IOSAPHATO regi Iudæorum sanctissimo pendebant Arabes singulis annis arietum 7700. & capros totidem. Libro secundo Paralip.17.

Porci.

Emanuel Imp. Græcus Stephanum Hungariæ regem sibi amicitia coniunxit, Venetis inimicum. Ob quam rem Veneti, qui tutari imperium Græcorum cōsueuerant, eius sibi prouincias subiicere cœperunt; anno 1165. Classis Venetorum Vlricum Aquileiensem patriarcham & septingentos nobiles ex Foroiulij & Hungaria cepit. Qui ea lege dimissi sunt, ut singulis annis FOROIVLIENSES tributum penderēt duodecim porcorum, & duodecim panum, qui singuli ducentarū librarum essent: qui quotannis exhiberentur in uenatione, quæ postremo carnispriuij die Venetiis habetur. Blondus lib.5. Dec.2. & Sab.lib.9. Enn.8.

Boues.

BOSPHORANI Romanis boues tributi loco pendebāt, indeq; nomen traxisse uidentur. Procopius lib.2. de bello Gothorum. Euagrius lib.4. cap.20.

Victo cæsoq; à Clothario Francorum rege Bertholdo Saxonum duce, ad Visurgum fl. SAXONES Frācis annuum tributum

butum quingentorum boum pendere coacti. Cranzius libro 1.Saxoniæ,cap.32.

Equi, Muli.

CAPPADOCES Persis quingentos equos,& mulorum duo millia annua dedere.Alex.lib.3.cap.24.

Pipinus Francorum rex uictis SAXONIBVS eam dedit parendi legem, ut quotannis trecentos bellatores equos ad Francum adducerent: quosq; Franci, socios hostesq; haberent, anno sal.757.Aemil.lib.2. Regino libro secundo, Sigebertus,Ado,Phrysingensis lib.5.cap.25.

Gotricus Danorum rex, qui & Godefridus appellatur, hanc SAXONIBVS tributi legẽ indixit, ut eorũ duces, quoties apud Danos regni mutatio obuenisset, centũ equos niueos nouo regi penderent. Quòd si nouus Saxonibus dux daretur, is quoq; cõsimili pẽtione subiectionis suæ solenne præberet indicium. Saxo lib.8.& Cranzius lib.4.Daniæ,cap 1.

Lupi.

Edgarus Anglorum rex imperauit LVDOVALLO Vuallorum regulo uectigalis nomine, in annos singulos, tricenos lupos: quò genus tam malefici animalis, & gregibus ouium ualde perniciosi, quod tunc in ea insulæ parte plurimum abũdabat, prorsum deleretur. Si uerò lupi defecissent, tum loco illorum nescio quam pecuniæ summulam conferret. Polyd.lib.6.

Alimenta.

Vici circa BABYLONIAM ad præbenda cibaria, canibus regum Persarum cogebantur, reliquis exemti oneribus. Alex. lib.4.cap.10.

Flores.

Plerisq; est memorabile, apud INDOS tenuiores Regib. suis, munerum loco, rosas nostrates offerre solere, quibus eorũdem regum cubicula insternãtur: adeoq; regi Bisnagarensi quotãnis ex odorib. & florib. tributa, ad quinq; propè milliũ Hispanicorum aureorum, summam solui. Io. Metellus.

Pecunia.

BABYLON regi Persarũ, singulis dieb. singulas argento plenas artabas soluebat. AETHIOPES binos auri rudis semodios. Alex.lib.4.cap.10.

CILICES, maris accolę, ubi Cyprus insula est sita, tributũ annuũ regi Persarũ pendebãt quinquagena talẽta. Herod.l.3.

LEPTIS in Aphrica tantũ uectigalibus ualuit, ut singula in dies talenta Carthaginensibus uectigal pẽderet. Sicut ex effossione æris in MACEDONIA, singula talẽta in singulos dies Alexandro pendebantur. Alex.lib.4.cap.10.

Cera.

Rom. à CORSIS centum millia pondo ceræ tributi nomine exegerunt. Alex.lib.4.cap.10.

Coria, Pelles.

Tacitus Annalium quarto scribit, FRISIIS in Germania tributum ab Druso iniunctum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquã cura, quæ firmitudo, aut quæ mensura. Militum enim tentoria pellibus olim obtegebantur: unde & sub pellib. esse dicebãtur. Cælius lib.27.cap.14.A.L.

Dentes, Ligna.

AETHIOPES Dario regi præter alia etiã duechos fasces ebeni, & elephantũ dentes uicenos pendebant. Alex.l.4.c.10.

Subera, Restes, fasces.

LITVANI, gens fera, syluestris & obscura, Russorum agros prædis agendis infestantes, prælio uicti, subera, restes & fasces frondeos, quibus ea gens in balneis sudorem prouocare solet, tributi nomine pendere iussi sunt, anno 1205. Cromerus lib.7.

SERVITVS HERILIS CONSIDERATA SECVNDVM ΧΡΗΣΙΝ, PERPENDANTVR PERSONÆ, PVTA

Populi seruiles.

GABAONITÆ Heuæi cùm dolosè Iosuam Israelitarum ducem circumuenissent, quasi è longinquà regione uenirent inituri cum ipso fœdus: deprehensa fraude, serui publici Israelitarum facti sunt, uti lignatores & lixæ essent in templo Domini. Iosuæ cap.9.

LELEGES Carum serui, uti BITHYNI Byzantiorum, teste Athenæo lib.6.cap.7.

M.Tullius pro Flacco: Quid porrò, inquit, in Græco sermone tam tritũ atq; celebratũ est, quàm si quis despicatui ducitur, ut MYSORVM ultimus esse dicatur? Nã quid de LYDIA dicã? Quis unquã Græcus comœdiã scripsit, in qua seruus primarũ partiũ non Lydus esset? Cælius lib.20. cap.14. A.L.

CORSICA, quam Græci Cyrnum appellãt, malignè colitur, aspera, & plurimis in partibus prorsus inaccessibilis. Adeò ut qui eius montes habitant, ex latrociniis uitam degentes superẽt ipsas immanitate belluas. Hinc olim serui Romam ignauissimi & inutilissimi deuehebantur, belluis quàm hominibus similiores. Strabo lib.5.

Serui.

ELIEZER Abrahami seruus, Damascenus, hæres illius futurus erat, nisi Isaacũ Abrahamo Dominus dedisset. Genes.15.

SIBA Saüli seruus. 2.Reg.16.& 19.

MELANTHIVM seruũ (—pecorisq; Melanthius auctor edẽdi, inquit Penelope apud Ouidium) Vlysses reuersus ab expeditione Troiana cum procis interfecit.

SCITON seruus Democedis, Crotoniẽsis medici. Herod.l.3.

Emperami SERVVS bubulcus Eræ capiendæ modum ostendit Lacedæmoniis. Cùm uidelicet arcem omnibus præsidiariis militib. ob effusissimos imbres desertã esse indicasset: id quod ex milite præsidiario noctu audierat. Secuti igitur eũ Lacedæmonij per densissimas tenebras, nihil imbre remittente, arcem occupauere. Pausanias in Messenicis.

MENIPPVS seruus, cuius libros M. Varro in Satyris æmulatus est: quas alij Cynicas, ipse Menippeas appellauit. Gellius lib.2.cap.18.

DIAGORAS Milesius, seruus, ob physiognomiã à Democrito mille drachmis emtus est. Emicuit Olymp.88. Suidas.

EPICTETVS philosophus, patria Hierapolitanus, conditione seruus, peruenit usq; ad M.Antonini tempora, cuius dissertationes Aurelianus tribus uoluminibus Græcè conscripsit. Gellius lib.2.c.18. In eius iconem tale extat epigramma:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Seruus Epictetus genitus sum, corpore claudus,
Paupertate Irus: diis at amicus eram.

MANES Diogenis seruus, cùm heri sui seruitutem ferre non posset, ab eo aufugit. Verùm non longè pòst deprehensus, & Delphos perductus, à canibus laceratus est, fugæ pœnã hero persoluens. Aelianus libro 13 de Varia historia.

AESOPVS fabulator Phryx, conditione seruus, tẽpore Crœsi Lydorum regis, cui suas fabulas dicauit. Volaterranus lib. 13.cap.3. Anthropologiæ.

MYS seruus Pythagoræ, uel Epicuri, secundùm Gellium.

POMPILIVS seruus Theophrasti Peripatetici.

SERVIVS Tullius seruus, Rom. postea rex.

STATIVM Cæcilium comœdiographum seruum fuisse, nomen ipsum arguit. nam Status erat nomen seruile. Gellius libro quarto, capite 20.

CHILO seruus Porcij Catonis. item PACHVS, qui mortem sibi consciuit. Plutarchus.

DEMETRIVS seruus Pompeij. Plutarchus in Catone.

EVPORVS seruus C.Gracchi, qui dominũ ex Auẽtino fugientẽ, qua potuit ratione tutatus est, ac super occisum animam fessis proprio uulnerè uiscerib. effudit, inquit Macrobius.

GETA, seruus Pseudoscribonianus, imperante Vitellio, Scribonianũ Senatorẽ Rom. à Nerone occisum se esse mentitus est: & collecta magna seditiosorũ atq; seruorũ manu in Illyrico omnia turbauit, ubi olim Scribonianus in magna gratia fuerat. Sed breui ad Vitelliũ adductus, atq; à patrono agnitus, ut seruus ac fugitiuus multatus est. Fulg.lib.9.c.16.

EVNVS Syrus ergastularius dux in Sicilia seruorũ rebellium. Qui in urbem Ennam irrumpentes magnã stragem edidere, ne lactentibus quidem infantib. parcẽtes. Quòd initium fuit belli Seruilis per Siciliam crudelissimè grassantis, uix tãdem à Rutilio confecti. Diod.lib.34.

MALCHVS monachus, qui sub Valentiniano & Gratiano Impp. uixit, dũ mortuo patre, ad suos redire uult, quem nuptias fugiens deseruerat, à Saracenis capitur, & pascendis ouibus præficitur. D.Hieronymus in eius uita.

PRIMACVS ex seruo dux fugitiuorum seruorum in insula Chio. Is audito edicto Chiorum, qui multos numos pollicebantur ei, qui aut illum comprehenderet; aut caput eius afferret, iam senex Amasiũ suũ se interficere, & capite Chiis oblato mercedem accipere iussit, renuentem etiam coẽgit, tantopere amabat illum. Athenæus libro 6. capite septimo, ex Nymphodoro.

ANGLI captiui Romam ducti occasionem præstitere Christianismi. Nam cùm essent egregiæ formæ, Gregorius Romanus sacerdos fertur ualdè demiratus esse indolem uenustatemque, quam præ se ferebant, ac uehementer illorum uicem doluisse, quòd Dei ignari essent. Itaq; post adeptũ pontificatum persuasit Ethelberto Cantiorum regi per Augustinum monachum, ut Angli omnino in Reip. Christianæ societatem uenirent. Polyd.lib.4.

Seruæ, Ancillæ.

AGAR Aegyptia, ancilla Abrahæ (à cuius nomine Agareni dicti sunt, qui & Saraceni à Sara eiusdem Abrahæ uxore nominantur) à Sara uiro suo cupiditate prolis subiecta. Genes. 16. & Iosephus lib.1. Antiquitatum.

ZILPA

ZILPA, Liæ ancilla à patre Labane data, cùm Iacobo matrimonio iungeretur. Sicut BALA Racheli sorori. Vtraq; Iacobo fuit supposita. Genes.29.

ELOS ancilla Athamantis, à cuius nomine dicta est urbs Achaiæ, Elos.

TECMESSA, Aiacis Telamonij. Horatius: Mouit Aiacem Telamone natum Forma captiuæ dominum Tecmessæ.

GALANTIS ancilla Alcmenæ matris Herculis. Ouid. libro nono Metamorph.

Vna ministrarum media de plebe Galantis
Flaua comas aderat, faciendis strenua iussis.

Plinius lib.36.capite 27. OCRISIAM Tanaquilis Rom. reginę ancillam facit.

CYBALÆ ancilla pauperis Simili, cuius paupertatem Virgilius describit in Moreto.

GYGE ancilla Parysatidis reginæ Persarum, matris Cyri, cuius ueneficio Statyra nurus sublata est. Plutarchus.

Thressa genere, Thaletis Milesij ANCILLA, in foueam collapsum irrisisse dicitur, quòd cœlestia scire cuperet, quum ne prospicere quidem posset, quæ ante pedes essent. Theodorus Cyrenensis.

Herodotus in Euterpe RHODOPEM Thraciam ancillam fuisse ait Iadmonis Samij, meretricem insignem.

Cùm Carya ciuitas Peloponnesi cum Persis hostibus aduersus Græciam consensisset, eamq;, quantum in se fuit, Xerxi prodidisset: Græci oppido bello capto, uirisq; interfectis, CARYATIDES mulieres in seruitutem abduxerũt. P. Acrodius ex M. Vitruuio Pollione.

Cùm Roma à Liuio Posthumio Fidenatiũ dictatore de nouo infestaretur, petente amicitiæ redintegrandæ prætextu magnum uirginum & uiduarum numerum in castra mitti: hęsitantibus reliquis, TVTOLA seu PHILOTIS ancilla Romana hoc dedit consilij, ut sese aliasque formosas ancillas habitu uirgineo & liberali indutas in castra mitterent pro ingenuis. Atq; si signum ipsa face daret, Romani adorirentur armati uino somnoq; sepultos hostes. Id quod factum est: Philote facem ex caprifico exerente, stragulis & tapetibus à tergo obiectis, ut lumen hostem falleret. Plut. in Camillo, & Macrob. lib.1. Saturnal.

NEÆRA & CHARMIONE, Cleopatræ ancillæ, spontaneã dominæ mortẽ secutæ, suis gladiis se cõfoderunt. Plut.

LATRIS ancilla Cynthiæ. Propertius lib.4. Epigram.

Deliciæq; meæ Latris, cui nomen ab usu est.

THERMVSA serua Italici generis à Phraate Parthorum regẽ ob pulcritudinem adamata, regina Parthorum cõstituitur. Iosephus lib.18.cap.3.Antiq.

CYPASSIS ancilla Corinnæ. Ouidius lib.2.Eleg.

Comendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi deas.

PROCONNESIA ancilla eiusdem diei coitu alterum domino similem, alterum procuratori eius peperit. Plinius.

ACME Iudæa, ancilla Iuliæ Cæsaris uxoris, corrupta muneribus ab Antipatro Herodis filio, falsis confictis literis Salomen Herodis sororem de insidiis accusauit. Sed re detecta, Acme à Cæsare occisa est. Iosephus lib.17.cap.8.

Captiua MVLIER Christiana Iberos Asianos conuertit, tam uitæ innocentia quàm miraculis, in nomine Christi editis, illustris. Ruffinus lib.1. cap.1. Socrates lib.1.cap.20.& Sozomenus lib.2.cap.6.

NOMINA.

Lacedæmonij VERNAS, hoc est, seruos domi natos, μόθωνας appellant: aut eos, qui ingenuorum filios instituunt, quos Athenienses uocant οἰκοτρίβας. Vnde & in uiles ac sordidos homines Mothon conuitium esse cœpit. Erasm. in Adagiis. Iidem Helos oppido Messeniæ capto, ciues omnes in seruitutem rapuere. Hinc quosuis alios iure belli captos HELOTAS siue ILOTAS dixere. Pausanias.

Vocant Cretenses famulos in ciuitate CHRYSONETOS, at in agris AMPHAMIOTAS, eos uerò, qui sunt indigenæ, atq; in bello seruiunt, ex sorte CLAROTAS dicunt. Ephorus libro tertio Historiarum, Cretenses, inquit, Clarotas seruos appellãt ab ea sorte, quę sit eorum gratia. Sunt his quędam festa statuta in Cydonia, quibus liberi ciuitatem non ingrediuntur, sed serui rerum omnium sunt domini, atq; liberos flagris cædere possunt, si libeat. Sosicrates libro secũdo rerũ Creticarũ, Commune, inquit, seruitiũ MNOEAM Cretenses appellitare consueuerunt, priuatum uerò Phamiotam, atq; Auolas ministros. Athen.lib.6.cap.7.

Cretensium seruos legimus appellari consueuisse EPHARMOTAS (item ΑΜΩΙΤΑΣ) quibus, ut auctor in Politicis Aristoteles est, cætera permittebant omnia, gymnasiis modò interdicentes & armorum possessione. Quanquam fuere & qui nuncuparentur μνοΐα κοιτος, quos item Cretẽsibus seruiuisse, prodit historia. Sed eorum fermè illa conditio fuit, quæ MARIANDYNORVM, qui à Milesiis subacti, in contemtum diuẽdebantur. Horum etiã, sed perobscurè, meminit Plato libro de Legibus sexto. Etiamsi fuerant & Mariandynorum DORYPHORI, leniendæ seruilis asperitatis gratia nomine accersito: de quibus Pollux. Cælius libro 25. cap.19. Antiq. Lect.

Dionysius scribit, ab Atheniensibus clientes dici THETAS, à seruitute: sicuti à Thessalis PENESTAS, de paupertatis ratione: etsi initio MENESTÆ uidentur nuncupati, quòd καταμένειν immanere significat: quoniam Bœoti qui Arneam incolebant, pacta cum Thessalis seruarint, quibus se in seruitutem addixerant, ne educerentur ex regione, aut perimerẽtur. Hos etiam LATRIAS uocat Euripides. Apollonij interpres auctor est Athenienses item THESSAS uocare tenuioris fortunæ mulieres, quòd mercede seruirent, hoc est, παρὰ τὸ θητεύειν ἐπὶ μισθῷ. Iulius quoq; Pollux ita scribit: PELATÆ ac Thetes, liberorum quidem nomina sunt, sed qui ob unum inopiæ nomen tamen seruiant: quemadmodum Callicyrij & Arotræ apud Syracusanos, teste Suida. Cælius lib.25.cap.18.A.L. ex Athenæi lib.6.cap.7.

CALLICYRII dicebantur exulum serui, qui Syracusis agricolationem exercebant, auctore Timæo. Quoniam autem ingens erat id genus hominum multitudo, prouerbio receptum est, ut si quos admodum numerosos significare uellent, καλλικυρίους appellarent. Aristoteles in republica Syracusanorum, ostendit eam seruorum turbam ex omnigenis populis in unum confluxisse. Erasmus in Prouerbiis.

Lacedæmoniorum ancillæ CHALCIDES: Argiuorũ GYMNETÆ: Sicyoniorum CORYNEPHORI: id est, Clauigeri, à claue, siue Catanocophori: Arcadũ PROSPELATÆ. Alexan.lib.3.cap.20.

Chij ΘΕΡΑΠΟΥΣΙ dictis primi sunt usi. Subacti inde à Mithridate Cappadoce, propriis seruis uincti sunt traditi, & in Colchorum regionem deportati. Est autem Chius clarissima Ionum insula, habens eiusdem nominis ciuitatem. Erasmus in prouerb. Chius dominum emit.

Seruis dissyllaba aut trissyllaba nomina conuenire, docti tradunt. Hinc fortasse Demosthenes Aeschini in oratione περὶ στεφάνου obiecit, quòd duas syllabas patris nomini addiderit, & cùm Tromes uocaretur, Atrometum appellarit: exprobrans ei, quòd seruo patre natus esset. Causam tradit Columella lib.7. ut celerius quisq; uocatus exaudiat, & ut Xenophon in Cynegetico, & Oppianus de Canibus,

—ὀνόματα σκυλάκεσσι
Βαιὰ τίθει, θοὰ πάντα, θοῶς ἵνα βάξιν ἀκούῃ.

Brodeus libro secundo Epigram.

Ab antiquis serui unico tantùm nomine appellari soliti: qui si quando manumitterentur, prænomen & cognomen domini apud Romanos assumebant. Persius. —Momento turbinis exit Marcus Dama. Quint.lib.7. Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, & cognomen, tribum. Iuuenalis, —Tanquam habeas tria nomina. Ausonius, —Tria nomina nobiliorum. & Artemidorus Onirocrit. α. liberros duo assumere patroni nomina asserit. Sesquipedalia tyrannorum nomina Plautus appellat, ut Artiobarzanes, Pyrgopolinices. Brodeus lib.2.Epigram.

Seruos olim populorum nominibus uocabant, à quibus uectabantur, ut LYDVM & SYRVM: aut iis maximè quæ illis in locis magis ac magis usurpata erant: ut MANEM & MIDAM, ex Phrygia: TIBIVM è Paphlagonia. Strabo lib.7. Athenis DAVVS & GETA. Cùm enim Daci antea Daui dicerentur, ad Istri fontes, bello subacti, Atheniensibus seruierunt: inde seruile nomen Daui & Getæ posteris reliquerunt. Alexan.lib.3.cap.20.

STATIVS seruile nomen fuit, apud Rom. ita ut plerique serui eo nomine fuerint appellati. Cæcilius Comicus quoque seruus fuit, & propterea nomen habuit Statius, quod postea in cognomen uersum est, appellatusq; est Cęcilius Statius. Gellius lib.4.cap.20.

PLOTIVS, MANLIVS, ANTIOCHVS, & STABERIVS Erotes, nomina seruorum apud Plinium lib.35.cap.16.

Apud Athenienses SERVIS nomina Aristogitonis & Harmodij indere nefas erat.

Domitianus Metium Pompusianũ supplicio affecit, quòd nomina MAGONIS & HANNIBALIS indidisset seruis, tanquam clarissimorum uirorum nomina seruili contagio polluisset Suetonius.

MEDIASTINVS, mancipium uilissimum, quod mediis in ędibus stat, ut ad cuiusuis iussa atque imperata præstò sit. Hotoman. de Verbis iuris.

MEDII actus homo ab Imperatore appellatur, seruus, neque magnæ alicui curationi præpositus, qualis est dispensator uel atriẽsis: neq; uilissimo muneri destinatus, qualis est mediastinus, aut scopiarius: sed mediæ inter illas functiones curationi alicui pfectus, in §. 6. de Iniur. Hoto. de Verb. iur.

NOVITII serui propriè dicuntur, recentes: VETERATORES uerò, siue Veterani, inueterati. Venuleius in l. ult. subtilius rem explicat. Nam Veteratorem seruum esse ait turpi

 alicui

alicui ac sordido ministerio, quamuis recens addictum: Nouitium uerò, qui uel nulli adhuc, uel nobili alicui & liberali homine dignæ arti, quamuis multò antè, deditus fuit: ueluti picturæ, medicinæ, musicæ. Idem.

ORCINVS libertus; qui directam ex testamento libertatem accepit, nec unquam patronum uiuum habuit. Quasi Orci libertus. Idem.

OFFICIA SERVILIA DOMESTICA.

δοῦλος (inquit Theocriti enarrator) & οἰκέτης, differunt, uti in secundo de Cōcordia prodit Chrysippus. Nam est οἰκέτης, qui etiamnum seruitutem seruit: δοῦλος autem, ἀπελεύθερον indicat, id est, libertum, & in uniuersum ministrum quemlibet, ac etiam subditum, ut prodit Ammonius. Latris, testimonio eiusdem, uocatur, qui bellica necessitate ad seruitutem recidit. Atmenus & seruum indicat & subditum. Cælius lib. 25. cap. 19. Antiq. Lect.

SERVORVM species à Iurecōsultis ab operâ & ministerio multiplices censentur: inter quos fuere ararij, focarii, qui & mediastini dicti sunt, arcarij & hercitæ, qui uersantur in agris. Capsarios eos Paulus notauit, qui uestimenta in balneis seruanda suscipiunt: Vlpianus uerò qui libros deferūt. Saccularios autem, qui uetitas exercent artes; quiq; in sacculos ablata reponunt: & apolidas, qui nullo iure ciuitatis funguntur, in opusq; publicum deportati, seu ad insulas relegati sunt, qui & insularij appellati. Orcinos dici libertos arbitrantur quidam, quos testator pôst obitum liberos iussit, ita ut hæres patronatus ius haberet, non dominus. Præter quos numerantur originarij & adscriptitij, qui adscripti fundo, quē colūt, ita sunt, ut nisi cum fundo alienari queāt: originij uerò, qui ex adscriptitiis in ipso solo, quod incolunt, nati educatiq; sunt. Vicarium seruum Vlpianus censuit, qui ordinario subest, & illi paret: & fornacarium, qui fornaci calcariæ seu ferrariæ seruit & inuigilat. Post quos fuère amanuenses & dispensatores: alteri, quorum opera uelut scribarum dominus utitur: alteri, qui æra dispensant, impendiaque & expensa rationibus notant, & inserunt. Alexand. lib. 3. cap. 25.

ΚΛΙΜΑΚΙΔΕΣ, id est, SCALVLÆ, uulgato cōuitio sunt appellatæ mulierculæ quondam Cypriæ adulatrices apud Syros, quòd regum uxoribus submitterent sese, ut per eas ceu per scalas currum conscenderent. Plutarchus in libello De discernendo adulatore ab amico. Athenæus lib. 6. Dipnosophistarum. Val. Max. lib. 9. cap. 1.

Vulgo dicuntur μυοσόβαι, id est, MVSCARVM abactores, qui friuolis officiis cuiplam obseruiunt: quod à Persarum deliciis natum, indicat Athenæus lib. 11. qui in conuiuiis μυοσόβας adhibebant seruos, quod nūc apud Italos plebeium est. Erasmus in Adagiis.

TRAPEZOPOEI dicuntur serui mensam curantes.

SALVTIGERVLI, qui iussu domini aut dominæ, hunc uel illum salutant. Alex. lib. 3. cap. 25.

GRAMMATICI quoque olim, & Pędagogi, serui erant. Medici quinetiam. Quæstuosæ enim sunt artes istæ, & à seruis æquè atque à liberis possunt administrari. Vide Platonem in libris de Repub. ubi Medicinam facit aliam seruilem, aliam liberam.

ATHENIENSES duce Nicia, dum Syracusas obsident, magna clade uicti, permulti occisi, plerіq; captiui Siculorum filios literas docere coacti sunt. Proinde pauci elapsi, q fuga redierant Athenas, rogati quid hic aut ille faceret in Sicilia? respondebant, Aut periit, aut docet literas. Erasm. ἢ τέθνηκεν, ἢ διδάσκει γράμματα.

Apud POLONOS mechanicū op' nobilis herus seruitori ingenuo quāuis pauperrimo nō demandat, aut certè audiet, Rustico id muneris committendum esse. Et ideo nobiles nobilibus, paresq́ue genere ac uirtutibus paribus plerumque inseruiunt; cùm honesta & nobilia seruitia obeant: contra Occidentalium gentium reliquarum consuetudinē, apud quos nobiles nobilib. turpè inseruire putant, quòd mechanica seruitia, quæcunq; Dominus demandauerit, obire cogantur. Apud Sarmatas uerò, qui melius bibit pro sanitate Domini, ille melior censetur minister. Postquam Dominus mensæ accubuerit, seruitores statim ordine seruato accumbunt. Nam cùm liberaliter fercula apponantur (ut quilibet aulicorum tres seruitores sua portione alere possit) herus satur puero à tergo stanti in quadra, quod reliquum est, porrigit. Aulicus enim quilibet seruitores aliquot & pueros habere solet, & illi seruitores alios seruitores, pueri pueros, ad quartum usq; ordinem, ad mensam eiusdem Domini omnes cibaria sumentes, & salaria recipientes: plerunque ad mensam tantùm inseruiunt, & peracto prandio uel cœna, inclinatis coram Domino genubus, & capite aperto, quò uolunt abeunt: sicut quandoq; triduo quatriduóue integro Dominus seruum in tabernis uel in comitiua occupatum non uideat. Si, ubi fuerit, interroget, respōdet ille, se pro sanitate Domini hilariter bibisse. Tum Dominus subridens gratias agit, & interdum quoq; remuneratur. Cùm Episcopus quidam per thesaurarium suum aulicis & seruitoribus stipendia pro more persolueret, nebulo quidam cæteris seruitoribus se immiscuit. Murmurantibus autem aliis, quòd nemini inseruiens stipendium expectaret: Episcopus illum interrogauit, Cuinam seruiret, & quid negotij obiret? Atis, Tibi inseruio, respondit; & idem, quod alij, munus strenuè obeo. Et quodnam illud? Episcopo interrogante, respondit: Quotidie bis in die lautè ad mēsam tuam comedo & bibo. Episcopus subridens stipendium illi persoluit. Alex. Guagninus in descript. Poloniæ.

HABITVS. NOTÆ.

Consule Tit. Stigmatum, sub loco Ignominiæ. Item Vestitus seruilis.

Δοῦλος ὢν, κόμην ἔχεις. id est, Seruus cùm sis, comam habes. prouerbium de eo, qui præter decorum quippiam faceret. Apud Lacedæmonios enim ingenui comam alebāt. Suidas, Aristophanes in Auibus.

Seruile est ac noxiorum, stigmatis notari. Plautus in Cassina. Literatum appellat, notis inustis insignem. Plin. lib. 18. cap. 3. Inscriptos uocat.

Plutarchus in uita Periclis citat hunc uersiculum ex Aristophane Comico:

Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν ὡς πολυγράμματος. id est;
Populus Samiorum ualde literatus est.

Nam quum SAMII captiuis Atheniensium inussissent noctuam, Athenienses uicissim Samiorum captiuis inurebant Samænam, siue σάμαιναν. Id erat nauis genus lato uētre, à prora ueluti suilli rostri speciem præferens. sic dicta, quòd à Samiis reperta sit. Verùm Aristoteles diuersam huius dicti mōstrat originem. Quum Samiorum gens esset afflicta à tyrannis, ob inopiam administrantium rempublicam coacti sunt aliquot è seruis admittere in consortium administrandi magistratus.

SYRACVSANI, ut discrimen ingenuæ & seruilis personę notaretur, seruis equi characterem inusserūt. Alex. lib. 3. cap. 16.

Catholici apud INDOS serui Regis, in facie & brachio, litera C, impressa candente ferro, notantur. Iō. Metellus.

CONIVGIA.

Iuliâ lege sanctissimè cautum erat Romæ, ne serua cùm homine libero, uel liber cū serua matrimonio copularetur. Claudius Cæsar ingenuarum mulierum & libertarum cōiugium cum seruis tanto odio prosequutus fuit, ut pręter legem ingenuitatis, præterq; instituta maiorum, filios inde progenitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuraq; libertinorum nancisci, & ingenuitatis amittere, lege sanciuerit. Alex. lib. 2. cap. 22.

AD IN SPONTANEAM. SPONTE SERVI FACTI.

HERCVLES Iolen Euryti Oechaliæ regis F. sibi uxorem poscebat. Pater oraculū se de ea re cōsulturum dixerat. At Hercules moræ impatiens, Euryti boues abegit: Iphiclum eas repetentē patris nomine, ex alta turri præcipitari iussit. Ob eam cædem in grauissimum incidisse morbum creditur. Et quanquàm de more expiatus; quum nihilominus langueret, oraculo monitus dicitur, fore ut non prius clade illa defungeretur, quàm iusto uenditus foret precio, eaq; pecunia Iphicli liberis pro paterna cæde repensa esset. Oraculi præcepto usus Hercules, ut pristinam reciperet ualetudinem, se se uenalē præbuit, seruiuitq; diu ignotus Omphale uirgini, Iardanes, eorum reginæ, qui Mæonij olim mox Lydi sunt nuncupati, filiæ. Sed dum seruitutem seruiuit, latrones Cercopas nominatos, Lydiæ finibus infestos, partim peremit, partim Omphale uinctos ad supplicium tradidit. Oppressit & Syleum, qui mortales peregrè exceptos, seruili operæ inuitos adigebat. Itonas inde subegit & ipsos latrocinio infames, eorum urbe funditùs euersa. His præclarè gestis, tum demùm agnitus, confestim libertate donatus est, Omphaleq; ex eo facta grauida Lammonem filium peperit, quum ipse seruus aliquanto antea ex serua Cleolaum extulisset. Neque uerò multo pòst Iole ipsa, occiso patre, potitus est. Sabellicus lib. 7. Ennead. 1.

CRETENSES & LACONES ingenuos filios seruilia munia subire cogunt, ut seruitutis recordatione libertatem magis amarent. Alex. lib. 2. cap. 25.

INDORVM gentes nonnullæ pueris adolescentibus, etiam si magnæ fortunæ, & amplis opibus forent, pro seruis utebantur: ut eam sortem experti, quantum bonū libertatis foret, agnoscerent. Ibidem.

PHRYGIBVS familiare fuisse legimus, proprios uendere filios in eximio ætatis flore, ut si in seruili specie multos labores perpessi essent, redemti ad omnia aptiores essent. Alex. libro 2. capite 25.

Thraciæ MVLIERES, ingenuæ ortu, uoluntaria seruitute apud Erythræos uictū quæritātes seruierūt. Pausan. in Achai.

PETRVS

PETRVS Telonarius distractis pro amore Christi facultatibus, Byzantio Hierosolymā petiit, & seruum se Christi causa uenalitium fecit. Marul. lib. 1. cap. 5.

FANTINVS Syracusanus Balzanio diuiti uiro sed gētili pro seruo se locauit, ut haberet quo aliorum inopię subueniret. Marullus lib. 2. cap. 2.

PAVLVS episcopus Nolanus ut subditos suos liberaret à Vādalis, cùm nihil haberet reliquum, pro redimendo uiduæ filio in uoluntariam seruitutem se coniecit. Sab. lib. 8. cap. 2.

SERAPION abbas oppidum quoddam infidelium ingressus, cùm publicè prædicantē de medio pellerent, uenundare sese illis cœpit in seruum, ut saltem cum dominis priuatim colloquendi potestatem haberet. Vbi uerò frequenti assiduaq; suasione illum, cui seruiebat, credentem de idolorū seruitute in fidei Christi libertatē uendicasset, reddito ei precio ad alium transibat. Hoc gētiles erudiendi genere etiam Lacedæmone & Athenis usum dicunt. Marul. lib. 3. cap. 2.

AD IN COACTAM. INVITE serui facti.

A QVIBVS COACTI. A *Fratribus.*

IOSEPHVS à fratribus ob inuidiam Ismaelitis in Aegyptum uenditus fuit. Genes. 37.

Hostibus.

SERVI dicuntur, quibus libertas arbitrio suo uiuendi ademta est. Itaq; liberis opponūtur: & ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos uendere, ac per hoc seruare, nec occidere solerent. Hotom. de Verbis iuris.

Cùm Tyndaridæ Aphidnas occupassent, & Helenā sororem, à Theseo raptam, recepissent, Thesei matrem captiuam AETHRAM perhibent Lacedæmonem abstractam, inde cum Helena Troiam. Plutarchus in Theseo.

ANDROMACHE, Hectoris uxor, dum captiua abducitur à Neoptolemo Achillis F. hoc unū cōqueritur, quòd cogatur seruire apud illos, à quibus interfectus sit prior maritus Hector (qua calamitate uix potest esse maior miseria)

Δουλεύσω δ' ἐν αὐθεντῶν δόμοις. apud Eurip. in Troadib.

Samij captiuos ATHENIENSES noctuę figura inusta signabant. Athenienses uerò SAMIOS uicissim nauis signo deformabant. Alexander ab Alexandro libro quinto, cap. 18.

Alexander Magnus euersis Thebis, uenditis CAPTIVIS supra XXX millia, quadringentorum quadraginta talentorū argenti summam coēgit. Diod. lib. 17.

Nicias Atheniensis in Sicula expeditione Hyccara barbarorum oppidulum excidit. Vnde LAIDEM meretricem aiunt uirginem etiamnum fuisse inter captiuos sub hasta uenditā ac deportatam in Peloponnesum. Plut. in Nicia.

Sub Alexādro Seuero PERSÆ primùm serui apud Romanos fuerunt. Quos quidē, quia indignè ferūt Persarū reges quēpiam suorum alicubi seruire, acceptis preciis reddidit: preciumq; uel his, qui manu ceperant seruos, dedit, uel in ærarium contulit. Lampridius in Alexandro Seuero.

Apud ROM. animaduersum, ciuilibus bellis captos uelut hostes in prædam uerti & uenum ire non licuisse: semperque leuius seruitium apud Romanos deditis quàm captis fuisse: Græcosque perrarò seruitutem seruisse: quare illorum nullus mercatoribus dabatur locus. Alexander libro secundo, capite 20.

Tib. Sempronius Gracchus, cùm altero consulatu Sardiniam domuisset, tantum ex captiuorum adduxit, ut longa uenditione res in prouerbium abierit, Sardi uenales. Plutarchus in Problematis Romanorum, aliam adfert causam: nimirū olim inoleuisse morem apud Romanos solennem, ut qui ludos ederent in Capitolio, SARDOS uenales pronunciarent, prodiretque puer quispiam, per ludibrium monili cinctus, quam bullam uocant. Eum morem hinc ortum putat, quòd Veientes Hetruscorum populi, multum temporis cum Romulo bellum gessissent, quodque horum urbem postremam Romulus expugnasset. Etiamsi T. Liuius libro primo narrat, uictos quidem à Romulo VEIENTES, sed tamen uictorem ab urbe munita abstinuisse. Vnde & regem ipsum, & cum hoc captiuos quàm plurimos Romam deductos, uenales pronunciauit. Porrò cùm Lydi ab initio fuerint Hetrusci (quemadmodum testatur & Herodotus libro primo) Lydorum autem caput erat Sardis: inde factum, ut Hetruscos Sardorum nomine pronunciarit uenales. Refert eadem Plutarchus in uita Romuli, licet aliquātò diuersiùs. Debellatis Veiis captus est illorum dux: qui cùm esset prouectæ ætatis, uisus est rem imprudentiùs gessisse, quàm pro ætate. Vnde mos inoleuit, ut quoties Romani ob partam uictoriam immolarent uictimam, senem purpura indutum per forum in Capitolium ducerent, bullaq; ad collum appensa, quod tum erat puerorum insigne, præco Sardianos uenales pronunciaret. Hetruriæ caput Veij sunt, & Hetrusci Sardianorum coloni putantur. Erasmus.

Cùm Q. Fab. Max. Tarentum cepisset, multi cæsi sunt TARENTINI: sub hasta uendita triginta millia. Vrbem exercitus diripuit. In ærarium relata talenta tria millia. Plut. in Fabio.

MARCVS cùm in Bruti partibus præturam gessisset, hostis iudicatus est: & postea in Philippicis campis superato Bruto, ut plerіq; alij, captus fuit. Astu uerò, cùm seruū se fingeret, à Barbula emtus est. Qui cùm in eo & prudentiam & ingenium animaduerteret esse, aliis eum seruis ac simul domui gubernandæ præfecit. Sed cùm indies re ipsa uideret, modestiæ atq; ueræ urbanitatis plus in eo quàm communiter in seruis soleat esse: secretò cōpellatū efficacibus uerbis urgere cepit, ut si in rebellium numero esset, illud ne occultaret, quoniam eius liberandi rationem initurus esset. Sed Marcus risu discutere rem quærebat, negans ex eo numero se, sed uerè seruū esse: eos quoq;, quibus antè seruiuerat, tempusq;, quo uenundatus fuerat, ceu rem ueram, appositè narrabat. Verùm Barbula, ut certiora hac de re argumenta eliceret, dixit: Velle se Marcum Romam secum ducere. ratus si inter rebelles haberetur, prę timore Romam ire recusaturū. Marcus autem non minus quàm Barbula ingeniosus, affirmat libēter secuturum. Profectus igitur ad urbē cum Barbula, dum ad Consulis ualuas dominum moratur, à ciue Romano agnitus est: qui Barbulæ, ceu amico, eum detexit. Is nulla mentione de hoc cum Marco facta, statim ad Agrippā profectus, per eū ab Augusto impetrauit, ut Marco ignosceretur: atq; eum postea ad Augustum deduxit, à quo in amicorum numerum receptus est. Non multo pòst, BARBVLA inter Antonij amicos, post Actiacam pugnam captus est, atq; incognitus à Marco emtus. Sed cùm Marcus paulo pòst Barbulam esse cognouisset, ab Augusto salutem eius impetrauit. Horum casibus fortuna satis uarietatem suam expressisse uidetur, cùm eum qui prętor fuerat, seruum fecit: nec multo pòst egit, ut dominū, cui prætor seruiuerat, Marcus seruum haberet. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Piratis.

Vide Tit. Capti à Piratis.

QVOMODO.

Vi Capti.

Ab Hostibus, à Piratis. Quod præcedentes habent Tituli.

Iure Emti.

Mos inoleuit quandoq;, ut mercatores salis uim magnam in mediterranea subuectantes, à barbaris plerunq; gentibus eo nomine MANCIPIA reciperent. Thracum uerò populis peculiare fuit in primis, sale mancipia commutare, quæ inde περὶ ἁλὸς ἠγορασμένα dicebantur, id est, sale coemta cōparatáue. Addit Eustathius, nuncupari quoq; ἁλώνητα δουλάρια, quæ intelligit ὤνια, id est, emta uili. LEMNII etiam uino mancipia sibi quærebant. Seruis autem argento comparatis primùm usos esse CHIOS, Græci produnt. Cęlius lib. 25. cap. 19. Vnde comicus quidam,

Θρᾷξ εὐγενὴς εἶ περὶ ἁλὸς ἠγορασμένος. id est,
Generosus es Thrax, sale redemtus scilicet.
Erasmus in Adagiis.

MANCIPIA olim uendebantur pileata, quoniam pileus impositus demōstrabat eiusmodi seruos uenundari, quorum nomine emtori uenditor nihil præstaret, neque emtor errorem suum uenditoris fraudi imputare posset. At mancipia iure belli capta coronis induta uenibant, & idcirco dicebātur sub corona uenire. Quamuis alij captiuos sub corona uenundari arbitrentur, quòd milites custodiæ causa captiuorum greges circumstarent, quæ circumstatio militum corona sit appellata. Gellius lib. 7. cap. 4. ex Cælio Sabino Iurecos. & M. Catone. De lapide emtus, in uilissimum & uehementer obscurum hominem prouerbio dicebatur. Nam inter seruorum genera (siquidem iuxta prouerbium, καὶ δοῦλος πρὸ δούλου) extremæ notæ habebantur emtitij, potissimùm qui palàm in foro diuenditi fuissent. Iulius Pollux libro de Rerum uocabulis tertio, lapidem, unde quondam uendebantur mancipia, τὸν πρατῆρα λίθον, καὶ πωλητήριον appellat. Erasmus. Aliter Cælius. De lapide empti dicuntur mancipia scelerata, & rupe Tarpeia, è qua præcipitarentur, digna. Sic uulgò redemtum aliquem de furca dicimus. Cælius lib. 25. capite 22. Antiq. Lect.

Romani ueteres uilissimo olim cretæ genere pedes uenalium trans mare aduectorum denotare instituerant. Talem Publium Syrum mimicæ scenæ conditorem, & astrologiæ cōsobrinum eius Manlium Antiochum, itemq; grammaticæ Taberium Erotem, eadem naui aduectos, uidere proaui. Talem in catasta uidere CHRYSOGONVM Syllæ, AMPHIONEM Q. Catuli, HERONEM L. Luculli, DEMETRIVM Pompeij, AVGENQVE Demetrij (quanquam & ipsa Pompeij credita est) HIPPARCHVM M. Antonij,

tonij, MENAM & MENECRATEM Sex. Pompeij, alioſq; deinceps è ſanguine Quiritium & proſcriptionum licentia ditatos. Hoc eſt inſigne uenalitiis gregibus, opprobriumq; inſolentis fortunæ. Plin. lib. 35. cap. 17. & 18. Vnde Iuuenalis Satyra prima:

Nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis.

DAPHNIN ſeruum grammaticum Cn. Piſaurenſis uendidit M. Scauro principi ciuitatis tribus millibus, & 700 ſeſtertiis. Plin. lib. 7. cap. 39. hoc maximum ſerui pretium ad ſua uſque tempora fuiſſe, ſcribit.

PARONETEMVM ſpadonem Sutorius Priſcus magna pecunia uendidit Sciano.

Moſchouitæ omnes communiter SERVOS emtos aut captiuos habere ſolent, quos morituri frequenter manumittunt. Illi tamen continuò ſeruituti aſſueti, aliis dominis pecunia accepta in ſeruitutem ſe uendũt. Guagninus in deſcriptione Moſchouiæ cap. 4.

Recepti.

SERVVS receptitius, nequam, & nullius precij, qui cùm uenũ eſſet datus, redhibitus ob aliquod uitium receptuſque ſit. Gell. lib. 17. cap. 6. ex Verrio Flacco.

☞ CVR SERVI FACTI. OB *Impietatem.*

Ioſephus contra Appionem, apud Hebræos multos fuiſſe ſeruos ſcribit, & eius ſeruitutis originem profectã à Chanaam filio Chami, qui fuit unus ex filiis Noæ: is enim treis genuit, Sem, Cham & Iaphet. Quippe Cham cùm uideret patrem Noe, fortè ebrium, humi panum honeſtè iacentem, deriſit eum apud fratres. Quare permotus ſenex, CHANAAN nepotẽ ex filio Cham, ſeruitute multauit, re tum noua ac grauiſſima, ut ipſ libro Geneſeos cap. 9. habetur.

Ingratitudinem.

Apud Athenienſes decretũ erat, ut contumax & ingratus SERVVS libertate donatus, ſub mancipio in poſterum eſſet, eo quòd libertate uti neſciſſet. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Inſt. antiq. Alex. lib. 1. cap. 30.

Apud Romanos ſi SERVVS ex clemẽtia domini libertate donatus, dominum ſuum detuliſſet, domino in ſeruitutem reſtituebatur. Val. lib. 2. cap. 1.

Libidinem.

VESPASIANVS edicto ſtatuit, ut LIBERA, quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur. Alex. lib. 4. cap. 22.

☞ ΦΥΛΑΚΗ.

☞ SPONTE SERVI MANENTES.

Apud ISRAELITAS ſi quis captus amore domini ſeptimo anno manumitti nollet, perpetuæ ſeruituti addicebatur. Exodi 21. & Deuter. 15.

☞ INVITE SERVI MANENTES. Vtputa *Venditi.*

☞ *Vide Enti Serui.*

Dono dati.

ARTABAZEM Parthorum regem, & Tigranis potentiſſimi regis filium, bello uictum, Cleopatræ meretrici regiæ, cum mancipium uilius, dono dedit M. Antonius, cum præda, & Perſicis ſpoliis. Nempe ut quò illuſtrior fuerat uictoria, eò turpior foret largitio, qua rex tãto deformaretur ludibrio. Cælius lib. 9. cap. 18. Antiq. Lect.

SERVITVS CONIVGALIS.

☞ MARITORVM.

☞ *Vide Tit. Γυναικοκρατούμενοι.*

☞ VXORVM.

Apud MOSCHOVITAS mulierum conditio miſerrima eſt. Nulla enim honeſta & pudica creditur, niſi domi concluſa uiuat adeò, ut nuſquam exeat. Domi autem manentes telam fabricant, & fila nent, nihil prorſus iuris auctoritatiſue in ędibus habẽt: omnes enim labores domeſticos ſerui abſoluunt. Non uerberatæ à mariti plerunq; conqueruntur, & inuitas ſe maritis dicunt, uerberaque ſignum amoris putant. Baſilicas & cõuerſationes raro niſi uetulæ adeunt. Certis tamen & feſtiuis æſtate diebus, exhilarandi cauſa matres cum filiabus in campis herboſis deambulant, ibique ſuper quadam trabe, duabus extrema trabis occupantibus, alternatim ſurſum ac deorſum mouentur: frequentiùs ſuni duobus ſtipitibus annexo inſident, & ultro citroq; impulſæ feruntur. Poſtea quibuſdam certis cantileni s manibus pedibuſque complodentes, capitaq; frequentius mouentes, ſeſe oblectant: uel manibus connexæ & ſimili modo canentes, choreas in gyrum ducunt. Hæc cõſuetudo præcipuè circa feſtum Petri & Pauli Apoſtolorum aliquot hebdomadis ab omnibus Ruthenis promiſcuè obſeruatur. Gyuagninus in deſcriptione Moſchouiæ, cap. 4.

SERVITVS PATRIA.

LEX THEBANORVM eſt: Ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in ſolitudinem abiicere, capitis ſupplicio indicto. Verùm ſi in extrema mendicitate pater ſit conſtitutus, ſiue mas ſit, ſiue femina infans, cogitur cum ſtatim à materno partu ad magiſtratum cũ ipſis faſciis adferre: qui acceptum, alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, ut infantem alat, & adultum ſerui uel ſeruæ loco habeat, ſic ut alimentum & educatio ſeruitute compenſetur. Aelianus libro ſecundo de Varia hiſtor.

Apud MOSCHOVITAS pater habet poteſtatem, filiũ quater uendendi, ita ut ſemel uenditum quocunque tandem modo liberatum, uel manumiſſum, rurſus atque iterum iure paterno uendere poſſit. Poſt quartam autem uenditionem nihil iuris amplius in filium habet. Gyuagninus in deſcriptione Moſchouiæ, capite 4.

POTESTAS ERECTA AGENDI PATIENDIVE QVALISCVNQVE. VTPVTA

☞ SACRORVM. EXCOMMVNICATIO. SACRIS INTERDICTI, Abſtenti.

Excommunicatos, uulgò, diuus Cyprianus ABSTENTOS paſſim appellat, quòd reliqui homines ab eis abſtinere debeant. Polyd. lib. 4. cap. 12. de rerum Inuent.

☞ QVI.

Si Societatem religioſam, à qua excluditur, perpendas, ad Inimicitiæ locum pertinebit. Hic Seruitutem ipſam conſideramus.

Pontifices, Sacerdotes, Epiſcopi.

ACACIVS Conſtantinopoleos epiſcopus, expetita Romani epiſcopi auctoritate, PETRVM Moggum excommunicauit: ſed poſtea eundem pœnitentiam agentem, non conſulto illo recepit. Ac cùm propterea ipſe à Felice Pp. eſſet excommunicatus, non modò id contemſit, ſed etiam uiciſſim FELICEM excommunicauit, & nomen eius ex catalogo epiſcoporum eraſit, ut conſtat ex epiſtola Gelaſij ad epiſcopos Dardaniæ.

In ſexto generali cõcilio Conſtantinopolitano MACARIVS Patriarcha Antiochenus cum Monothelitis pertinacibus in ſua hæreſi anathemate percuſſus.

Ioannes Chryſoſtomus cùm uideret QVOSDAM è collegio ſui miniſterij parum piè ſeſe gerere, nec poſt correptionem de emẽdatione cogitare, interdixit eis ſacris: ut habet Theodoretus lib. 5. cap. 28. Sozomenus lib. 8. cap. 4. addit, nonnullos etiam proſum eum Eccleſia eiecisſe.

ANACLETVM antipapam Innocentius bis tẽrue excommunicauit. Platina, Sigeberti Continuator, Otho Friſingenſis libro 7. capite 23.

In ODERISIVM Caſſinenſem abbatem, cùm Romam à papa Honorio uocatus uenire recuſaret, eo quòd ipſum contra ſe commotum ſciret, quinta Quadrageſimæ hebomade depoſitionis ſententia promulgata fuit. At cùm dignitate abdicare ſe nollet, excommunicatus fuit à põtifice. Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 90.

Platina in Felice pontifice, narrat eum habita de more ſynodo, à communione deieciſſe MESSENVM & VITALEM epiſcopos, ut præuaricatores & ſimoniacos. Ac Meſſeno quidem, quòd ſuum errorem faſſus fuiſſet, pœnitendique ſpacium petiiſſet, tempus agendæ pœnitentiæ deſignatum fuiſſe: & poſteaquam eius iam cognita fuiſſet pœnitentia, ut qui libello etiam ſatisfecerat, ſeſeque purgauerat, à Gelaſio pontifice ſuæ Eccleſiæ reſtitutum fuiſſe, dicit in Gelaſio.

[redacted]

epiſco-

[redacted]

Imperatores, Reges, Principes.

THEODOSIVS Imper. per octo menſes ab Ambroſio excommunicatus, ob nimiam aduerſus Theſſalonicenſes & Pannonas uindictam, quorum 7000 occidi curauerat, qui magiſtratus aliquot ſaxis obrutos & contumelioſè tractatos interfecerant. At ueniam tandem petens, receptus eſt ab Ambroſio, populo pro eo deprecante.

Innocentius Romanus Pp. excommunicauit tum ipſum Imperatorem ARCADIVM, eiuſq; coniugem EVDOCIAM: tum etiam Eccleſiaſticos omnes, quorum peruerſis ſtudiis Io. Chryſoſtomus in exilium eiectus fuerat. Nicephorus libro 13. capite 34.

Euphemius epiſcopus Conſtantinopolitanus ANASTASIVM Imperatorem eccleſia excluſit, propterea quòd contagione Dioſcori infectus eſſet, & quòd turbam contra epiſcopum concitare, eumq; loco mouere moliretur. Nicephoro libro decimo ſexto, capite 26.

Gregorius II. Pp. Leonem III. Imper. iconomachum piorum communione remouit, ut qui non ſolùm non Catholicus, ſed etiam Catholicis infeſtiſſimus eſſet: ac mox Italiæ populos ſacramenti, quo ſe illi obligauerãt, religione exoluit: & ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit. Quo decreto accepto, Romani, Campani, Rauennates, & Pentapolitani à Leone ſubitò defecerunt, ac nariis tu multibus excitatis ipſos etiã uiolare magiſtratus non dubitarunt. Quippe Rauẽnæ Paulus Exarchus occiſus eſt. Romę Petrus Dux luminib. captus. In Cãpania Exhilaratus Dux, cùm populos aduerſus Pontificẽ incitaret, à Romanis eò profectis unà cum filio Hadriano eſt obtruncatus. Quin etiã odij ſui uim aduerſus eum uehemẽter adeò intenderũt, ut ad hoſtiles acerbitates prouecti, de Imperio illi abrogando, alioque Imperatore legendo retulerint. Nec multo poſt Leonis Imperiũ reſpuerunt, ac ſolenni ſacramento ſe Põtificis uitã, ſtatumq; in perpetuũ defenſuros, atq; eius in omnibus reb. auctoritati obtẽperaturos iurarunt. Ita Roma, Romanuſq; Ducatus à Græcis ad Romanum Pontificẽ peruenit. Fuerunt autẽ hæc oppida: Roma cum caſtellis, oppidis, & uiculis in Tuſciæ partibus, id eſt Portus, Centũcellæ, Cęrę, Bleda, Maturanũ, Sutriũ, Nepet, Caſtellſi Galleſij, Orta, Polimartiũ, Ameria, Tuder, Perufia, Narnia, & Octiculi: & in partibus Latij Signia, Anagnia, Ferentinũ, Alatriũ, Patriciũ, Fruſino, ac Tibur: & in regione Campaniæ Sora, Arces, Aquinum, Teanum & Capua. Sigonius lib. 3. regni Ital.

Hadrianus IV. Pp. tentatus à populo ROM. ut Senatoribus Vrbis adminiſtrationem remitteret, diſertè id ſe facturum negauit. Quod iniquo animo populus paſſus, Vidonẽ cardinalẽ S. Pudentianæ ad eũ ſe conferentẽ inuaſit, ac uulneribus multis nouo impietatis ac furoris exẽplo affecit. Ea de cauſſa Hadrianus ſacris populo interdictis Vrbe abiit, atq; Vrbeuerum cum aula cardinalium commigrauit. Sigonius lib. 12. regni Italici.

ANASTASIVS Imp. Manichæus ab Hormiſda pontifice diris deuotus eſt, primus contra quem Pontifices anathematis fulmine fecerint. Bern. Saccus lib. 8. Ticinenſis hiſt.

NICEPHORVS Phocas nuptias celebraturus cũ Theophanone Romani uidua, templi aditu prohibitus fuit à patriarcha, uſque dum iuſtas repetiti matrimonij pœnas ſubiiſſet. Sed deinde rumore uulgato, eum Theophanonis liberos è ſacro baptiſmate etiam ſuſcepiſſe, ab eodem omni cõſecrato ſolo eſt prohibitus, poſtulante, ut aut diuortium faceret, aut procul à ſacris faceſſeret. Verùm ille Theophanone non abſtinuit, flagrante adhuc amore. Tandem quæſtionem ad ſummos ſacerdotes, & Senatus principes retulit. Qui reſpõ dérunt, eum canonem, qui à Copronymo, homine impio, conſtitutus eſſet, ualere non oportere: ſcripto q; ratum eius matrimonium habuerũt. Sed patriarcha ſuum propoſitum urgebat: donec Imperatoris pater Bardas Cæſar iureiurando negauit, Theophanonis liberos ab illo ex baptiſmate ſuſceptos eſſe: & regiæ protopapa Stylianus, qui eum rumorem princeps uulgaſſe ferebatur, ſe ea de re neque ſcire quicquam, nec dixiſſe ad quenquam, in concilio iurauit. His demum factis, patriarcha Nicephorum recepit. Zonaras tomo tertio.

Inter PHILIPPICVM Imp. & Conſtantinum papam Romanum, diſſidium ortum eſt: quod eò uſque progreſſum eſt, ut pro hæretico Imperator ſit à Papa declaratus: populúſque Romanus neque nomen, neq; chartas, neq; figuram eius recipere dignatus ſit. Beda de Tempore indicat, Philippicum picturas quaſdam continẽtes acta ſex uniuerſalium Synodorum, iuſſiſſe deleri. Platina addit, è Sophiæ templo abraſas eas picturas eſſe. Paulus Diaconus lib. 6. cap. 11. dicit, cum imperaſſe per literas Romanæ eccleſiæ, ut de homouſio cum Conſtantinopolitana conſentiret. Zonaras autem narrat, eum ſextam uniuerſalem Synodum, conuocata alia, uoluiſſe abrogare.

Methodius Morauorum archiepiſcopus, ſuum REGEM excommunicatione feriit, uniuerſoque regno ſacris interdixit, eo quòd in ipſum ſacra peragentem in templo, præter alia conuitia, uenaticos immiſiſſet canes. Aeneas Syluius cap. 13. hiſt. Boëmicæ.

Alexander III. FRIDERICVM I. Imperatorem, qui Octauianum antipapam deſignaſſet, excõmunicatione feriit, ac per uniuerſum orbem literis miſſis hoc publicauit. Syluius.

HENRICVS I. Auceps oblato ſibi Imperio, iuramento, nunquam ſuo capiti regium diadema imponendum, confirmauit. Vocatus ea de cauſa ad Romanam curiam, per tres annos excommunicationis pœnam ſuſtinere coactus fuit. Quibus tandem tranſactis, pontifex, quò iuramento ſatisfieret, ſtatuit, coronam in baculo Imperatori præferri debere. Hermannus Gigas.

Henricus III. Imp. cum ANDREA Hungariæ rege bello inexpiabili contendebat. Id Leo IX. Pp. quam alienũ eſſet Chriſtianorum rationibus cernens, continuò ad Andream ſe cõtulit, ut eum ad pacem cum Henrico faciendam adduceret. Verùm auctoritatem apoſtolicam præter opinionem ſuam repudiantem nactus, indignatione exarſit uſq; adeò, ut ei piorum communione interdixerit. Sigon. lib. 8. regni Italici.

Gregorius VII. Pp. dimiſſo Romæ concilio, in quo HENRICVM IIII. anathematis fulmine percuſſerat, bullas in Gallium, Germaniam, Italiam miſit, docens, à ſe Regem, qui Chriſtianam philoſophiam contemnat, templum Dei ſubuertat, hæreticorum auctor ſit & conſectaneus, excommunicatum, regnoque priuatum, omneſq; in Cęſaris uerba religione iuriſiurandi adactos ſacramento illo ſolutos eſſe commemorauit. Inde cùm Rodolfum, Sueuiæ ducem, anticæſarem creaſſet, miſſo diademate: rurſus Hẽricum, quòd contrà, ac pollicitus fuiſſet, inſignia imperij uſurpaſſet, rurſus diris deuouit: proceres, populum, ſacratos, prophanos, ſacramento ſoluit: [redacted]

Paſchalis I. Pp. non ſolùm ipſe excommunicationis fulmen in HENRICVM IIII. antecceſſorum exemplo miſit: ſed cunctis ſuo ſubiectis dominio epiſcopis, ut idẽ facerent, auctor fuit. Helmoldus cap. 32. Idem & HENRICVM V. eodem ſul mine petiit. Idem cap. 43.

Bernardus Halberſtadenſis, eò quòd de ſuo agro, nouo Magdeburgenſi epiſcopo nihil concedere uellet, incarceratus.

OTHONEM I. Imperatorem excommunicauit. Cranzius libro tertio, cap. 19. Metropolis.

Ludolfus epiſcopus Magdeburgenſis, cui 20. annis Lutetię operam dederat ſtudiis, OTHONEM Brandeburgenſem principem excommunicarat. Otho menſæ aſſidens per ludibrium canibus fruſta carnium obiecit, Videamus, inquit, an ab excommunicatis, quod uulgò dici ſolet, carnes accipere recuſent? Canes certè recuſarunt. Tum ille ſaturitatem canum cauſatus, canem unum tridui inedia maceratum adduci iuſſit. At neq; ille obiectas carnes attigit. Hoc miraculo territus, cum Ludolfo in gratiam rediit. Chronicon Magdeburgenſe.

LVDOVICVS Bauarus Imp. Rom. cùm ſe Imperatorem ſpreto pontificis conſenſu appellaret, & diadema primò ferreũ Mediolani à Guidone Petramala, deinde Romæ aureum à Stephano Columna, apud Lateranum, clero & populo Romano conſentiẽte, de more ſumſiſſet: a Ioãne primũ XXII. deinde à Benedicto XII. & Clemente VI. Pontiff. ſacris interdictus eſt. Volat. lib. 23. Anthrop.

PHILIPPVS Pulcer Gallorum rex à Bonifacio IIX. Pp. ob ſacram militiam detrectatam anathemate percuſſus: ipſe uiciſſim Lutetiæ concilio Patrum habito Bonifacium pontificem non eſſe decreuit, & ad ſacroſanctam ſedem ſuo antiſtite tunc uiduam prouocauit. Aemilius lib. 8.

Moguntinus archiepiſcopus PRINCIPES Thuringię, nec ex nonicè ad Synodum uocatos, nec ſynodali audientia ſecundùm Eccleſiaſticas leges diſcuſſos, excommunicauit: quòd eũ anno priore Erfordiæ, quum ad exigendas decimas aſſe diſſet,

sedisset, districtis gladiis intra Ecclesiam impetiissent. Et ne quis ei fortè hoc crimini daret, quòd contra canones, tãtis undiq; bellorũ procellis iactatos, aggrederetur, respondit, A Romano pontifice sibi hoc permissum esse, ut absq; ulla discussione, die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab Ecclesia rescinderet. nimirum ut exercitus regis fidẽtius aduersum eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret se nec peccatis obnoxium fore, nec pœnis, quas leges Ecclesiasticæ statuũt homicidis. Lambertus Schafnaburgensis, anno 1074.

Otto inter tres pontifices, Ioannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictũ XIII. schismate, cùm in concilio Constantiensi deiecti essent, & Ioannes FRIDERICI Austriaci opera fuga sibi cõsuluisset: excõmunicatus fuit Fridericus à concilio, eiusq; ditionem Sigismundus Imp. & cis Rhenum Heluetij occuparunt, præsertim uerò Argouiam. Stumpfius.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes, Mediolanẽsis princeps, à Beltrando Vascone, Clementis V. Pp. legato, excommunicatus, Mediolano (priùs tamen recitato ad aram symbolo Apostolico, nusquã se à fidei articulis discessisse testatus) excessit: & Mogũtiacum, quod hodie Modoëcia dicitur, ad diui Ioannis Baptistæ templum contendẽs, in febrem incidit. Inde ad Crescentiacum cœnobiũ lectica delatus, [redacted] obiit. Defunctum autem secreto ignobiliq; in loco tumularunt, celata etiam aliquandiu morte, ne cadauer in aduersa fortè belli fortuna, [redacted] contumeliis esset obnoxium. Sed destinata iusti funeris pompa, & toto uel operosi sepulcri honore facilè carere potuit, [redacted].

PETRVS Aragonum rex, Martini IV. Pp. anathema, qui contra illum cruce signatos exciuerat, ob Carolũ Andegauensem Siciliæ regno exutum, contemsit: & quia Pontifex eum regio titulo priuarat, sese Patrem duorum regnorum & Maris dominum scribebat. Aemilius lib. 5.

GEORGIVS Podiebradius rex Boëmorum anno 1466. iudicio Romæ instaurato, hæreseos & perfidiæ à Pio II. Pp. dãnatus, omni regio, ducali & marchionali honore nõ in præsens modò, sed etiam in futurum tempus unà cum liberis suis priuatus fuit: & subditis eius indultum, ut ei parère necesse non haberent. Aliis autem Mathiam Coruinum Vngarorum regem, aliis Vladislaum Casimiri Polonorum regis F. regem habere cupientibus: [redacted] tandem datum negotium, ut neglecto affinitatis uinculo (gener enim Georgii erat) fidem hæretico datã falleret. Nam ei, qui fidem Deo & Ecclesiæ datam fefellisset, à nullo Christiano fidem datam seruandã. Proinde etiam proceres Boëmi sese Mathiæ iunxere, solis Hussitis regem sequentibus. Eo non multò pòst an. æt. 70. ex hydrope mortuo, de sepultura contentio orta, quibusdam uetantibus, ne ad ædem diui Viti, Romanæ religioni deuotam, sepeliretur. Sed uicit factio Hussitarum, ut in illa ipsa æde, iuxta Regum conditoria conderetur. Dubrauius lib. 30. & Cromerus lib. 30.

[redacted]

Iulius II. Pp. anno 1512. rebus in Italia feliciter gestis minimè contentus, edictum in Galliæ regem LVDOVICVM XII. promulgauit, quo illum nõ amplius Christianissimum, sed Illustrissimum appellans, eum, & quotquot illi studerent, omnibus hæreticorum & schismaticorum pœnis subiecit: cuius fortunas, regna, resq; illorum omnes iure occupandi facta potestate, damnatos declarauit: eademq; acerbitate, quod cardinales & reliqui antistites Pisani concilij præsides, qui Mediolano aufugerant, Lugdunũ recepti fuissent indignatus, grauissimo edicto mandauit, ut nundinæ, quæ quater quotannis maximo mercatorũ concursu Lugduni celebrari solebant, deinceps Geneuæ, unde priùs illas Ludouicus XI. ad regni sui commodũ transtulerat, celebrarẽtur: ac demum uniuerso Galliæ regno sacris interdixit, & in Angliæ regem Henricum VIII. Lateranensis concilij decreto Christianissimi regis titulum transtulit. Gucciardinus lib. 11.

Mulieres.

Nicolaus pontifex ENGELTRVDÆ uxoris Bosonis, ob desertum maritum, excommunicationem renouauit in Synodo Gallicana. Et postea cùm eadem mulier in Franciam rediisset, Arsenius legatus põtificius, ad oẽs archiepiscopos, episcopos, & omnes Ecclesias Galliç, Germaniç & Neustriç scripsit, eosq; obtestatus est per auctoritatẽ Dei, Apostolorũ, & Pontificis Romani, ne quis eam in suam parochiam recipere[redacted] eam excommunicatam, & ab omnium Chri[redacted]norum communione seiunctam & anathematizatam prædicarent. Regino lib. 2. [redacted]

VALDRADAM pellicem Lotharij Imp. exco[redacted] gatus Nicolai papę, anno 864. Sigebertus. Nicolaus ipse Lothario scripsit epistolam, monens, ut ab ea ab[redacted] nisi uellet & ipse Ecclesiæ iudicari, & ut ethnicus & publicanus haberi. Regino libro secundo. [redacted]

Mortui.

Post obitum suum exauctoratus est ARSACIVS ab Innocentio episcopo Rom. Chrysostomi in Ecclesia apud Constantinopolitanos successor, cum omnibus, qui consultò cum eo communicassent, & Chrysostomũ eiecissent. Imò & nomen ipsius ex episcoporum albo expunctum fuit. Nicephorus libro 13. cap. 34.

Augustinus epistola 50. ad Bonifaciũ, de CÆCILIANO Carthaginensi olim episcopo, scribit, se ipsum quamuis mortuum excommunicaturum, si ea quę à Donatistis ei fuissent obiecta, uera esse monstrari possent.

MICHAELEM Palæologum Cæsarem Græcum (ob restitutum suis ingens nomen, Magnum uocitatum) quòd concilio Lugdunensi Græcam Ecclesiam subiectam Romanæ sedi professus fuerit, Gręci sacerdotes mortuum arcuere sacrâ sepultura. Andronicus filius successit, ad uestem inconsutilem Christi, germanitatemq; animorum religione seruandã pronior: sed damnata à popularibus magni alioqui patris memoria deterritus, in potestate auctoritateq; suorum fuit. Aemilius lib. 8.

Narrat Gregorius Turonensis in Dialogis lib. 2. cap. 23. duas quasdam SANCTIMONIALES petulanti laborasse lingua. D. Benedictum illis minantem dixisse: Nisi correxeritis linguas, excommunico uos. Mortuæ uerò sunt mulieres, & in templo sepultæ. Cùm autem tempore missæ diaconus clamaret de more, Si quis non cõmunicat, det locum: uidit earum nutrix etiam istas sepultas mulieres surgere, atq; de templo exire. Postea uerò oblatione pro defunctis facta, remanserunt in sepulcris.

Danis Saxoniam infestantibus, Libentius Hamburgensis archiepiscopus gladium Ecclesiæ distrigens in eos, effecit ut SVENO Danorum rex, per annos LXX sit integer in sepulcro repertus: donec Adeluardi ministerio (quem Albertus Hamburgensis archiepiscopus misit) solueretur à uinculis, tam diu sepultus. Et tunc illicò est in cineres redactus. Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 42.

A QVIBVS. A

Pontificibus.

Gelasius Pp. cùm intellexisset PETRI & ACACII episcoporũ seditionibus multa flagitia & parricidia in ecclesiis Græciæ committi, misit eò qui hos, si non statim pœnitentiam agerent, in perpetuũ damnarent. Sunt qui scribant, hunc Gelasiũ excõmunicasse etiam Imperatorem ANASTASIVM, Zenonis successorem, eo quòd hæreticis & Acacio fauisset. Eundem excõmunicasse & VANDALOS unà cum suo rege, quod Ariana hæresi infecti, rectè in doctrina pietatis institutos cruciatibus & suppliciis persequerentur. Platina.

Romani pontifices, die Iouis, qui Paschæ diem antecedit, antiqua consuetudine solent magnis imprecationibus deuouere & execrari certa quædã hominũ genera: primùm HÆRETICOS, deinde Piratas, item eos, qui uel nouum instituunt, uel prohibitũ uectigal exigũt, qui literas & diplomata Romanæ curiæ corrumpunt, qui Saracenis atq; Turcis arma suppeditant, & id genus merces illicitas: qui impediunt, quò minus annona perferatur Romã: qui sectatores aulæ Romanæ uiolant: qui possessionib. & locis uicinis ecclesiæ Romanæ uim faciunt, nimirum, urbi Romæ, Siciliæ, Neapoli, Sardiniæ, Corsicæ, Hetruriæ, Spoleto, Sabinis, Anconæ, Flaminiæ, Cãpaniæ, Bononiæ, Ferrariæ, Beneuẽto, Perusię, Aueniọni. Sic etiã Leo X. an. Sal. 1521. MART. Lutherum, nuper ab ipso damnatum, eiusq; sectatores execratus est. Bullam uocant Cœnæ Domini uulgò. Sleidanus lib. 3.

Priuatis.

Monachus quidam Imperatorem THEODOSIVM posteriorem inuerecundiùs interpellans de nescio quã petitione, cùm sępius eidem esset molestus, nec tamẽ, quod cupiebat, optatum ferret: magna confidentia Imperatori Ecclesiæ cõmunione interdixit, atque discessit. Imperator reuersus in regiam, cùm iam apposita mẽsa accumbendi tempus esset, ne gustare quidem de epulis uoluit, nisi priùs ab eo, à quo ligatus uidebatur, excommunicationis uinculo exemtus esset. Mittit igitur ad Ecclesiæ pastorẽ, petens ut eundẽ ipsum qui ligasset, se etiã soluere iuberet. Ille uerò Imperatori renunciat, iam antea eum esse solutũ: nec ullo modo pro legitima excõmunicatione admittendã, quã quilibet quacunq; temeritate & propria libidine sibi usurpare præsumsisset. Verùm Imperator eo responso minimè contentus, nequaquam

acquiescere potuit, nisi per eum ipsum, à quo exclusus erat, Ecclesiæ communioni esset legitimè restitutus: id quod etiam factum est.

Filiis.

GVLIELMVS Othonis Magni F. archiepiscopus Mogũtinus, in patrem diras execrationes intendit, nisi Adeleidem uxorẽ Lotharij Italiæ regis uiduam dimitteret. Cranzius.

CVR. OB

Pietatem.

Pharisæi CÆCVM à natiuitate, à Christo Hierosolymis curatum, è synagoga eiecerunt, eo quòd Christum peccatorem esse negaret. Ioannis 9.

Fidem erga principes.

[redacted]

Scelera.

Esseni Iudæi DEPREHENSOS in peccatis, à sua cõgregatione depellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerunq; morte cõsumitur. Illis quidẽ sacramentis ac ritib. obligatus, neq; capere ab aliis oblatum cibum potest: herbas uerò pecudum more decerpẽs, & fame consumtus perit. Ob quod etiam plurimos plerunq; miserati extremum agentes receperunt: sufficientem pœnam pro peccatis luisse censentes. Iosephus lib. 2. c. 7. Belli Iud.

Hæresin.

NESTORIVS hæreticus ab Ephesina synodo damnatus, ab episcopali functione amotus, & ex collegio Ecclesiasticorũ prorsum eiectus, insuper & exilio est mulctatus: sicut narrant Socrates lib. 7. c. 34. Euagrius lib. 1. c. 4.

Eandẽ damnationis pœnam expertus est & DIOSCORVS, quòd Eutychis patrocinium suscepisset, quem & ipsum duæ synodi prouinciales Constantinopoli damnauerant. *Euagrius lib. 1. c. 9. item lib. 2. c. 4.

Imagines sacras.

Gregorius III. statim ubi pontificatum inijt, cleri Romani cõsensu LEONEM III. Isaurum Imperatorem Constantinopolitanum, imperio simul & cõmunione fidelium priuauit, quòd sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset, quodq; etiam de homousio malè sentiret. Platina. Romam cum omni Italia ab eius imperio auulsit. Aedituus in Chronico. [redacted] Zonaras, & Paulus Diaconus.

ANASTASIVS patriarcha Constantinopolitanus cùm per literas Stephanum II. Pp. adorationem imaginum defendentem, & Imp. resistentem, reprehenderet, ab eo fuit excõmunicatus. Blondus Dec. 1. lib. 10.

Stephanus III. Pontifex in Synodo Romana, CONSTANTINVM Papam imaginum adorationem prohibentem, officio & oculis priuauit, omnia eius decreta rescidit, imaginum oppugnatores anathematizauit, anno Domini 768. Sigebertus, Platina.

COSMAM Alexandriæ episcopum excommunicarunt Antiochenus & Hierosolymitanus, ob improbatam imaginũ adorationem. Paulus Diaconus lib. 22.

Timiditatem, Ignauiam.

SCYTHIS, qui nullum hostem interfecisset in acie, in solennibus libare non poterat: reliqui initiati, adesse non uetabantur. Alex. lib. 4. cap. 17.

Apud GERMANOS, qui scutum amisissent in acie, sacris interesse non poterant. Tacitus.

Sacrilegium.

PHOCENSIBVS ob direptum fanum Delphicũ à Philippo uictis, Delphici fani & conuentus Amphictyonum cõmunione interdictum: iusq; ferendi suffragij ad Macedonas ab Amphictyonibus translatum. Pausanias in Phocicis.

Incestum.

Ignatius patriarcha Constantinopolitanus BARDAM, qui uxorem suam repudiauerat, & cum nuru sua consuescebat, sacram ædem ingredi uetuit. Zonaras.

Regino lib. 1. in uita Iustini minoris scribit, HEREBERTVM Parisiorum regẽ, filium Lotharij, ob incestas cũ duab. sororib. nuptias, à Germano Parisiẽsi episcopo excõmunicatũ, & iusto Dei iudicio percussum, mortem breui obijsse.

COMES quidam propter illicitum coniugium à Cedda episcopo Orientalium Saxonum in Anglia excommunicatus fuit. At Sigebertus rex, neglecto excommunicationis fulmine, cum Comite lætus conuiuium agitauit. Illum ergò deprehendens episcopus, prædixit fore, ut in ipsa domo interficeretur: quod etiam contigit. Comes enim, regem nil tale metuentem inter epulas obtruncauit. Beda libro tertio, capite 22.

Raptum.

Petrus Pictauorum episcopus, GVLIELMVM Comitẽ ob repudium propriæ uxoris & raptum alterius cuiusdam Vicecomitis excõmunicarat. Ille una manu antistitis comã inuolans, altera gladium uibrans, mortem interminauit, nisi ipsum absolueret. Petrus constans sacris omnibus interdixit, colloq; porrecto, ut feriret iussit. Comes ira deferuescente episcopum in exilium eiecit, in quo mortuus est. Malmesburiensis lib. 5. c. 50. de gestis Anglorum.

Cædem.

Photius patriarcha BASILIVM Imp. post cædem Michaëlis die festo in magnam ecclesiam ingressum, à cõmunione prohibuit, eo quòd homicida esset. Zonaras tomo 3.

Gregorius VII. Pp. perlata ad se crudeli nece D. Stanislai, per Petrum archiepiscopum Gnesnensem: regẽ BOLESLAVM anathematizauit, coronam regno Poloniæ abstulit, ne de cætero quispiam principum in Polonia absq; speciali consensu sedis Apostolicæ coronaretur: absoluit à Boleslai obedientia omnes principes, barones, uasallos, feudatarios & subiectos: milites uerò, qui cum rege in nece pontificis auxilio aut consilio conspirarant, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia Ecclesiastica habita & habenda, ad dignitates quoq; & honores, usque in quartam generationem, inhabilitauit. Matthias Miechouiensis lib. 2. cap. 20. rerum Polonicarum.

Heraclius Sanctonensis NANTINVM Comitẽ ad cõmunionẽ admittere noluit, quia presbyterum crudeliter interfecisset. Sed nonnulli episcopi, acceptis præmiis, admiserunt eũ. Gregorius Turonensis lib. 5. Hist. c. 36.

Vim illatam.

Bonifacius IIX. Pp. quum legatos misisset in Franciã, ad PHILIPPVM Pulcrum regem, & eos ob nimiam libertatẽ rex in libera custodia haberi iussisset, sacris regi interdixit, eundemq; regni titulo priuauit, quòd ius gẽtium uiolasset: nec prius Imperialem infulam Alberto I. concessit, quàm ille susciperet titulum regni Francię, pollicereturq; armis se regnũ uindicaturum. Sed irrita uenti uota tulere. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 48.

Marchio quidã BERNARDVS à Gerone, quòd in urbẽ Magdeburgensem impetu facto, equitẽ auratum cepisset, anathemate percussus, nudis pedibus accedens, cilicioq; indutus, sese liberari petijt, cùm etiam canes ab eo panẽ recipere detrectarent: ut in Magdeburgensi Chronico scribitur.

Inobedientiam.

Anno 916. Nonis octobris, Conradus Imp. Reginoburgi concilium procerum & episcoporum coëgit. Ibi ARNVLPHVS quidam proscriptus fuit, eidemq; sacerdotes malè sunt precati. Quoniam Arnulphus & socij eius (inquiunt) regi & principi suo parère detrectant, inferis perpetuò deuoti sunto, nec ullo unquam piaculo soluuntor: cum Iuda proditore, cum malis geniis, ignis æterni carnificina excruciãtor. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

Mechanicum exercitium.

Apud Aegyptios SVBVLCIS uniuersis templa interdicta fuẽre. Herod. lib. 2.

Corporis uitium.

Apud Hebræos MENSTRVATIS, & his qui impetiginem haberent, templum ingredi fas non erat.

Apud Magos, LENTIGINOSI, tanquã inuisi dijs immortalibus, ab aris procul arcentur: cum ijs, quibus uiuentibus exequiæ factæ sunt. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17.

Vrbes occupatas.

Carolus II. Neapolitanus rex, Beatricem filiam Accioni, Ferrariensium principi, in matrimonium locauerat. Hunc Friscus, ex aliena uxore filius, insidiis exceptum in carcere ad mortem compulit: & principatum sibi interim firmare studuit. Ad arcem Pado accubantem oppugnandam ad Venetorum opes confugit. Veneti, etsi urbem in fidem acceptam

suis regere auspiciis in animo habebant: Friscum tamen, ne publicam fidem prodidisse uiderētur, in urbe retinuere. Clemens V. pontifex, qui tum in Gallia erat, audito Ferrariæ casu, continuò per Pelaguram Cardinalem anathematis spiculum in VENETOS detorsit: proposito tota Europa edicto, Venetum Christiano cœtu eiecit, sacris interdixit: additum ad id, nihil impiè facturum, qui Venetum hominē in suā potestatē redactum, pro seruo uendidisset. Effecit ea res, ut in omnibus ferè Galliæ emporijs Venetorū merces multi precij, regulorum ac principum iussu, miserabili modo fuerint direptæ. Eadem circa maritima Calabriæ Piceniq; agri loca accepta iniuria. Pontificiu non multo pòst legatus Ferrariā cepit. Sab. lib. 1. Dec. 2. & Platina.

FLORENTINI ob usurpatas Ecclesiæ terras à Gregorio XI. anathemate notati, sacerdotes suos, quibus à sacris interdictum erat, celebrare contra ius fasq; coëgerunt Platina.

Seruitutem.

In Chæronea sacerdos lorum tenēs, pro ædibus Matutæ clamitat, Nō SERVVM ingredi, non seruam, non Aetolum, non Aetolam: quum his sacrificio adesse non liceret. Alexand. libro 14. cap. 17.

Quia à quibusdam sacris MVLIERES innuptas, aut seruitio pressos, uel ære coëmtos, abesse oportebat: ideo in sacrorū apparatu, lictor Rom. præfabatur, Hostis uictus, mulier uirgo exesto. Idem.

MVNERVM SACRORVM OFFERENDORVM.

Eleazarus, Ananiæ Pontificis F. unus è tribus Hierosolymitanę seditionis ducibus, persuasit sacerdotib. ut nullius ALIENIGENÆ munus aut hostia susciperetur. Id fuit Iudaici belli seminarium: cùm etiam hostiæ Cæsaris, quæ pro Pop. Rom. offerri solitæ erant, reijcerētur. Iosephus libro 2. cap. 17. belli Iudaici.

AQVAE ET IGNIS VSV.

Consule Tit. Exilij coacti.

LEPIDÆ Romanæ ob partum simulatum ex P. Quirinio marito diuite atq; orbo, facto iam diuortio, cùm ex Scauro potius filiam suscepisset, aqua & igni interdictum fuit. P. Acrodius ex Corn. Tacito lib. 3. Annalium.

CIVITATIS IVRE.

Augustus Cæsar SERVOS nō contentus multis difficultatib. à libertate iusta remouisse, cùm & de numero, & de cōditione ac differētia eorum, qui manumitterentur, curiosè cauisset, hoc quoq; adiecit: ne uinctus unquā tortúsue quis ullo libertatis genere ciuitatem adipisceretur. Suetonius.

C. Iul. Cæsar, quum NOVOCOMENSIBVS ius ciuitatis dedisset, Marcellus cōsul id irritum fecit, arreptumq; decurionem Nouocomēsem uirgis in foro pulsauit: præfatus ea dedisse uerbera, ne se Romanum ciuem aliquando censeret. Alex. lib. 4. c. 10.

IVRIS. IVDICIORVM.

Senatusconsulto prohibitum erat Romæ, ne ABSCISSI, quibusq; uirilia execta forēt, utpote semiuiri, aut LENONES, quærendi iuris aut postulandi causa, tribunalia adirēt. Ideo VECTILIVS leno in causa testamētaria à Q. Metello deiectus fuit, & à subsellio prohibitus, quia leno erat, quē pro libero propterea habendum non cēsuere. Alex. lib. 5. c. 4.

Lex erat Athenis, & in aliis nonnullis oppidis Græciæ, qua uetabatur inquilinum etiā in iudicio uersari, ac causam orare, nisi auctorē uindicēq; adhibuisset, uocatum ab illis προστάτην. Et ἀπροστασίου iudicij genus fuit aduersus inquilinos, qui aliquid Athenis sine auctore administrassent. Victorius libro 7. Variarum, cap. 22.

CONVIVII.

Coi rei diuinæ Iunonis honori operam dantes, à cōuiuio prorsum SERVOS reijciunt: propterea dicti hominum soli liberè sacrificare. Cęlius libro 13. cap. 23. Antiq. Lect. ex Athen. libro 14. cap. 17.

SVFFRAGII.

Solon CIVES impudicos, militiæ desertores, imbelles, à suggesto & dicēda sententia in concione remouit, teste Aeschine contra Ctesiphontē. Itē qui ærario deberēt, dicēdæ sententiæ iure uacuos fuisse, Demosthenes prima aduersus Aristogitonē docet. Sigonius lib. 2. de Rep. Athen.

L. Cassius tribunus plebis, C. Mario & L. Flacco consulibus, legē tulit, ut QVEM populus damnasset, is de gradu deiectus, ius in senatum ueniendi aut suffragandi non haberet. Alex. libro 4. cap. 11.

Erat VENETIIS lex decēuiralis, nemo ut ciuis, cuius aut filius, aut frater, aut fratris filius sacerdotium haberet, cùm de rebus, quæ ad Pont. Max. atq; ad Rempub. pertinerēt, agere-tur, in senatu esse posset. Quam quidem legem eo consilio Veneti iusserant, ne, qui suo compendio propter sacerdotiorum adipiscendorum cupiditatē in consulendo duci poterat, ut plus Romanis rebus, quàm suæ ciuitati, faueret, et aut sententiam dicere, aut suffragium ferre in Senatu liceret. Eam legem bello, quod Iulius II. contra Venetos gessit, Decēuiri antiquari uoluerunt: non enim arbitrabantur quēquam esse ciuē posse, qui tam duris reipublicæ tēporibus alieniori uoluntate suæ patriæ cōmoda, quàm Pont. Max. à quo tam insignitè læsus esset, in Senatu administraret. Bembus lib. 10. hist. Ven.

MECHANICAE OPERAE.

In genere.

Apud MOSCHOVITAS liberi etiam serui, qui dominis suis pro precio seruiunt, non possunt, quando uelint, à dominis se abdicare. Si enim absq; domini uoluntate aliquis abierit, ab alio domino in famulatū nō assumitur, nisi fuerit à priori domino, uel ab amicis se pro fidele eius obstringētib. commendatus. Guagninus in descriptione Moschouiæ, c. 4.

Agriculturæ.

Domitianus Imp. ut Apollonius apud Philostratum inquit, terram fecit eunucham, & nouellandi libertatem cultoribus eripuit. Nam cùm frumenti inopia, ob uinearum studium, & aruorum negligentiam prouenisset, edixit, ne QVIS in Italia nouas uites plantaret. Sed rem exequi minimè perseuerauit, quòd libelli in Domitianum spargebantur, quibus carpebatur. Suetonius.

HAEREDITATIS, TESTAMENTI.

A. Posthumio Albino & C. Calpurnio Pisone Coss. tribunitia rogatione est cautum, ne quis MVLIEREM hæredē constitueret. Q. Volumnius Saxa tribunus plebis populū rogauit, Cato Porcius legem suasit. Sab. lib. 8. En. 5.

Non licebat olim CHRISTIANIS ecclesiæ bona ad heredes transmittere, iuxta Iustiniani edictum. Paulus Diac. lib. 16. Bona ab episcopo in officio episcopatus acquisita ecclesia sibi uēdicabat: sed secus, ante episcopatum acquisita. Gregorius lib. 10. indictione 5. epistola 43. Sed tamē consensu clericorū licebat episcopis de thesauro Ecclesiæ succurrere suæ familiæ: iuxta canonem quartum Auernensem.

MAGISTRATVS, DIGNITATIS. Tum

Sacræ.

DICAMVS ne ad officium sacerdotis admitteretur, Syricius Pontifex Rom. decreuit, ac, si iam admissus esset, ut ab eo pelleretur, quòd Apost. illud antea prohibuisset, qui ad Timotheum scribēs, uoluit episcopum unius uxoris esse uirū. Eadēq; ratione Moses iussisse uidetur, ut pontifex uirginē tantùm duceret uxorē, quò ab eo digamiā excluderet, quę iam inde ab initio apud priscos quoq; impedimēto esse consueuit sacerdotium petere uolētibus: quod testatur Seruius, enarrans illud 4. Aeneidos,

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

ubi ait, Culpæ, propter antiquum ritum, quo repellebātur à sacerdotio bis nuptæ. Polyd. lib. 4. c. 8. de Rerum inuent.

Profanæ.

Memoriæ datum est, eos qui scriptum facerēt, ad ædilitatē admitti nequisse. Propterea CN. Flauius scriba, quia scriptum fecerat, nisi iurasset se scriptum non facturum, ad ædilitatē admissus non fuisset. Alex. lib. 4. c. 4.

REGI sacrorum magistratum capere & concionari Romę fuit interdictum. Plut. in quæst. Rom.

ASYLI. ASYLORVM LIBERTAS SVBLATA.

Lacedæmonij PAVSANIAM, patriæ proditorē, in æde Palladis, lapide ad introitum ædis ex consilio matris admoto, ne egredi posset, fame mori coëgerunt. Diod. lib. 1.

Augustus Cęsar Ephesiæ DIANÆ asylū irritū fecit, quod multis causam malefaciēdi præstabat. Sētiunt id Romani, apud quos tot sunt asyla, quot Cardinaliū ędes: in quib. seruati fures atq; sicarij, urbem alioqui pacatam & nobilē ueluti latronum speluncam efficiunt. Ex Strabonis lib. 14. Aeneas Syluius cap. 77. Asiæ.

Tiberius Cæsar, cùm propter asylorum impunitates indigna facinora admitti intelligeret, ASYLORVM immunitates abrogauit: Samiæ Iunoni & Aesculapij delubro tantùm ius ueteris immunitatis ob religionem restituit. Suetonius & Tacitus.

Carolus Magnus legē tulit, ut FVRES, homicidæ, & huiusmodi crimina cōmittentes, si ad asylum tēplúmue fuga elapsi forēt, repeterētur, atq; ui eriperētur. Quòd si quis monachorum pontiféxue præfectúsue illos reddere recusaret, satisdaret damni infecti compensandiq;, præstaret, promitteret: si quis-

quā illorū aufugisset, id non sua opera esse factum, iuraret. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

LOCI. PROHIBITVS LOCI CERTI VEL

Egressus. Detentio, Sequestratio rei uel personæ in certo loco.

Non hîc de Captiuitate & Carcere & Deportatione loquimur, sed de Liberi alioqui hominis detentione in loco certo, quacunque de causa, & à quocunque fiat. Quòd si prætoris auctoritas intercedat, Sequestratio uulgò dicitur, & gallica uoce Arrestū, quasi Detentio. Sunt qui à Cic. Pignerationem Rerum, & Manus iniectionem, Personarum respectu, dici putent.

Sabæorū REGES beatam uitā habere uidētur, quòd reliquis imperantes, rationē ab se gestorum minimè coguntur reddere. Infelicē uerò, quòd nunquam regiam exire queunt. Nā si palàm prodirēt, à turba hominū lapidibus, ueteri quodā deorum responso, obruerentur. Diod. lib. 3. c. 3.

C. IVL. Cæsar prætor in Hispaniam tendens, ob æs alienū excedere prohibitus Romæ à creditoribus, M. Crassum fideiussorem dare coactus est. Plut. in Cæsare.

A. VITELLIVS, qui pòst imperauit, à Galba in Belgium missus, creditorum præstolantium & detinentium turba impeditus, terrore calumniæ uix eos à se amouit. Suetonius.

Gulielmus Ruffus rex ANGLOS misera seruitute pressit. Atq; ut ne ijs nullis remedio esset ex insula aliquò terrarum migrare, publico edicto uetuit quenquam sine licentia sua ex Anglia egredi. Hinc sunt, qui suspicentur ortum esse eū morem seu legem interdicēdi cuipiam exitu regni, qui mos lex ne dicitur, Ne exeas de regno: quæ adhuc, cùm ita res requirit, usurpatur: quia exemplis, si quæstuosa sint, facilè inhæremus. Polydorus lib. 10.

Ingressus, Accessus. Interdictio certi loci.

Ino uxor regis Athamantis, cùm comperisset maritum adamare seruam Aetolam, Antipheram nomine, dicitur & ipsa filium Melicertam deperiisse. Icirco SERVVS omnis seruáque aditu templi Inûs prohibetur. Quin & in Chæronea æditiuus lorum tenens clamabat, Ne serua ingreditor, ne seruus, ne Aetolus, ne Aetola. Romæ in ædem Matutæ unā tantùm ancillam matronæ inducebant, quam cedebant alapis. Plut. in Problematis.

Lex erat Athenis, ut CÆDE contaminati extra septa sacrorū consisterent. Siquidem prima magnatum atria solent patere quibuslibet. Ad hunc morem adagium uidetur alludere, Ne intra uestibulum quidem. Erasmus in Adagiis.

Hermotimi Clazomenij animā extra corpus euagari solitam tradunt, & pòst longo temporis interuallo corpus, ueluti exuuium quoddam, intrasse, idq; excitasse. Id cùm sæpenumero egisset, uxoriq; mandasset, ut à suo discessu nemo neq; ciuis neq; alius homo corpusculum attingeret: quidam domum ingressi, à muliere precibus impetrarunt, ut humi iacentem spectarēt Hermotimum: quē ij igni facto cremarūt, existimantes, anima reuersa, & quò se reciperet non inueniente, ipsum prorsus moriturum. quod & accidit. Cæterùm Clazomenij Hermotimo fanum dedicarunt, in quod MVLIERIBVS ingredi nō licet, ob causam expositā. Apollonius in Historiis mirabilibus.

Cùm MVLIERIBVS adesse sacris & rem diuinam facere omnibus ferè liceat, Herculis tamē Romæ ad Aram maximā sacrificio adesse, uel exta tangere aut uesci, araéue admouere manus, aut solēnia uidere, religio non sinebat. Alex. lib. 2. c. 14. Erat uetitum feminis iure sacrificiorum, ne uel per Herculem iurarēt, uel templū ingrederētur, uel sacrificiis interessent: quia sitiēti Herculi, cùm boues Geryonis per Italiam duceret, respondit mulier, se aquam dare non posse, quia feminarum celebraretur dies, neq; ex eo apparatu fas esset uiris gustare. Natalis Comes Mythol. lib. 7. c. 1.

Platæensibus in usu erat, ut dum manibus illorū, qui pro Grę ciæ libertate ceciderant, parētant, & supremum exhibēt officium, MANCIPIA procul arceant. Cuius exēplo Coi rem diuinam Iunoni exhibētes, à solenni epulo SERVOS abegere. Alex. lib. 2. c. 14.

Apud Romanos à rotunda Herculis æde & ara Pudicitiæ prohibebantur PLEBEIÆ. Itaq; etiam Virginia, A. Sulpitij F. quamuis patricij generis, tamē cùm L. Volumnio plebeio uiro nupsisset, aditu sacelli Pudicitiæ prohibita fuit. Sabellicus lib. 7. En. 4.

PONTIFICI Romano Capitolium inuisere non licet, ob id quòd olim Ioan. XVIII. à Crescentio consule Rom. pontifex designatus, deiecto Gregorio V. de Capitolio præcipitatus sit ab Othone III. Imp. Flores temporum Honorij, & Auentinus.

Cùm fana Dianæ sint Romæ frequētia, in unum, quod est in uico Patricio appellato, non penetrant VIRI. Mulierē enim, quæ Dianę illic honorē habebat, quidam per uim compressit, qui à canibus laceratus fuit. Hinc orta superstitione, non ineunt id uiri. Plut. in quæst. Rom.

C. MARIVS Syllam fugiēs in Africā peruenerat. Erat id tēporis prętor Africæ Sextilius, ciuis Romanus, de quo nec bene nec malè Marius meritus fuerat, sed aliquod expectabat ab illo misericordiæ officium. Cōmodùm erat cum paucis Marius in terram egressus, cùm occurrit ei lictor. qui ei, Interdicit tibi, inquit, Sextilius prætor, Mari, Africam attingere. Si non parebis, ait se in te, ut in populi Romani hostē, ex senatus decreto consulturum. His nunciatis, obmutuit Marius prę dolore & indignatione, lictorēq; intuēs horridè, diu cōticuit. Qui cùm rogaret, quid responsi renunciaret prætori: respondit cū ingēti gemitu: Age nuncia C. Marium te in Carthaginis ruinis exulē conspexisse sedentē. Appositè simul & urbis illius fortunam, & rerum suarū conuersionē pro exēplo proponens prætori. Plut. in Mario.

Habitatio.

Pop. Romanus M. Manlij Capitolini ob tyrannidē affectatam peremti domum demolitus, in area ædē deæ, quam Monetam uocant, ædificauit: latumq; ad populum est, ne QVIS posthac patricius in arce habitaret. Plut. in Camillo.

SPECTACVLORVM.

Sacrorū legibus cautū, sicuti Lactantius grāmaticus scribit, ne Olympicis se certaminibus spectādi gratia MVLIERES inferrent. Propterea Thebaidos primo Papinius:

--Exclusæq; expectant præmia matres.

Sed & Menander rhetor, & Pausanias Eliacorū primo, quæsitam scribit ad pœnam Pherenicen (nō Berenicen) quòd Olympicorum tēpore Alpheum amnē transire foret ausa, quod illis dieb. capitale erat feminis, Pisirhodum sequuta filium. Quē tamen Euclea uocauit Valerius. Typæum uocant montem, ex quo præcipitarētur mulieres, à quib. neglectui habita lex foret. Cælius lib. 14. c. 14. A. L.

Cypselus Corinthiorum tyrannus aureum Ioui in Olympia signum dedicauit. Eo mortuo, priusquam eius nomine donū inscriberetur, Corinthij ab Eleis contenderunt, ut ciuitatis suæ nomē inscribi paterētur. Quod cùm non impetrassent, ira incēsi Corinthij, ELEOS Isthmiorū aditu prohibuerunt. Pausanias lib. 5. ueteris Græciæ.

FLAMEN Dialis apud Rom. classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatū uidere, religione uetabatur. Idcirco raro flamē Dialis consul creatus est, cùm bella Coss. mandarentur. Gell. lib. 10. c. 15.

GYMNASII.

SPVRII Athenis cum legitimis non exercebantur: sed erat extra portas Atheniensium Herculis gymnasium, Cynosargēs dictum, in quo sese conferebant exercitij gratia, quòd & ipse deus nothus ac matre mortali natus esset. Huc Themistocles adhuc adolescēs arte pelliciebat & ingenuos aliquot adolescētes, quò paulatim tolleret nothorum & legitimorū discrimen. Erasmus ex Plutarchi Themistocle.

FLAMINI Diali apud Rom. sub dio ungi fas non erat, quòd & liberos inspectante patre denudari, & socero generū nefas erat & inhonestum, neq; quondam unà lauabant. Est autem pater Iupiter: ac sub dio quod est, maximè uidetur sub oculis esse Iouis. Plut. in quæst. Rom.

ARMORVM.

Sueonum RVSTICI armis exuti à Christierno II. Danorum rege. Cæterùm cū iis destituti à feris crudeliter uexarentur, uel inuitis regiis præfectis noua arma compararunt: idq; ægrè ferentē regem, & ad uindictā propensum, regno etiam expulerunt. Olaus lib. 18. c. 14.

ORATIONIS.

Theseus ad ADRASTVM, uolentem respondere prǽconi, impia mandata & consilia Theseo ferenti, de supplicibus non iuuandis, apud Eurip. in Supplicib. sic ait:

--Σίγ' ἄδραστ', ἔχε στόμα·
καὶ μὴ 'πίπροσθε τῶν ἐμῶν τοὺς σοὺς λόγους
θῇς. οὐ γὰρ ἥκει πρὸς σὲ κηρύσσων ὅδε,
ἀλλ' ὡς ἐμ', ἡμᾶς χ' ἀποκρίνασθαι χρεών. Tace Adraste, contine os, & non ante meos, tuos sermones ponas. non enim uenit ad te mandata ferens hic, uerùm ad me: & nos respondere conuenit.

LIBRI SEPTIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.





- II. Amicitia Oeconomica
  - Paterna
    - Primaria. Huius
      - Λῦψις. Vtputa
        - Natura. Conuersatione.
        - Adoptione. Dono.
        - Suppositione.
      - Φυλακὴ. Amicitia patria
        - Seruata.
        - Nõ seruata:
          - Abdicati filij.
          - Derelicti patres.
      - Χρῆσις
        - Absque certamine.
        - Cum certamine. Certamina amoris paterni.
    - Secundaria inter
      - Impares, Socrum, Socerum, Nurum, Generum.
      - Pares, inter
        - Fratres.
        - Patrueles, Consobrinos.
  - Coniugalis, tũ
    - Legitima
      - Primaria Coniugũ. Cõiugij
        - Λῦψις. Vide signum III.
        - Φυλακὴ. Coniugalis amicitia
          - Constans:
            - Non repudiatæ uxores, retentæ.
            - Non derelicti mariti.
          - Inconstans, interrupta. Huc
            - Diuortium, Repudiũ:
              - Vxores repudiatæ.
              - Mariti derelicti.
            - Receptio repudiatarum, derelictarum.
        - Χρῆσις. Coniugium consideratum respectu
          - Materiæ: Qui quibus cõiuncti fuerint. Quoad personarum
            - Quantitatem siue Numerum. Aut enim plures
              - Nõ iunguntur. Monogamia, uel tempore
                - Eodem.
                - Diuerso, soluto priore uinculo. Nuptiæ non iteratæ.
              - Iungũtur. Polygamia, quando uel
                - Simul & semel
                - Vir plures uxores ducit.
                - Mulier pluribus uiris nubit.
                - Nõ simul, sed per uices. Nuptiæ repetitæ à
                - Viro, qui nuptias iterat, tertiat, uxore uel mortua, uel repudiata, uel alteri permissa.
                - Muliere, quæ nuptias repetit, priore marito uel mortuo, uel relicto, uel mutato.
            - Qualitatem, secundum
              - Animi mores
                - Per se
                - Similes.
                - Dissimiles.
                - Respectu Effectus
                - Concordes.
                - Discordes.
                - Reconciliati.
              - Corporis
                - Ætatem. Ætate
                - Similes.
                - Dissimiles.
                - Formam. Vxores
                - Formosæ.
                - Deformes.
          - Formæ, hoc est, societatis
            - Incertæ. Connvbia promiscua, nullis addicta legibus.
            - Certæ, certis susceptæ legibus.
      - Secundaria, inter Affines.
    - Illegitima. Amasiorvm amor.
  - Herilis
    - Primaria
      - Λῦψις.
      - Χρῆσις
        - Absque certamine.
        - Cum certamine.
    - Secundaria inter Conservos.

III. Ami-

- III. Amicitia Coniugalis
  - Inita
    - Quales sponsæ ducendæ, ductæue: Quales sponsi, generiue legendi, repudiandi, lecti, repudiatiue: respectu
      - Ipsorum Coniugum
        - Pietatis. Virtutis.
        - Pudicitiæ. Virginitatis.
        - Religionis. Inter eos qui sunt religionis
          - Eiusdem.
          - Diuersæ.
        - Religiosę professiõis:
          - Monachi, Sacerdotes mariti.
          - Monachæ maritatæ.
        - Religiosæ coniunctionis, Compaternitatis.
        - Opulentiæ. Vel
          - Cum dote. Opulenta matrimonia.
          - Absque dote.
        - Ætatis uel
          - Paris.
          - Disparis. Ducũt
            - Senes iuuenculas.
            - Iuuenes anus.
        - Staturæ. Formæ.
        - Conceptus. Grauidæ ductæ.
        - Dignitatis, inter Dignitate
          - Pares.
          - Dispares.
        - Nobilitatis. Nobilitate
          - Pares.
          - Dispares.
        - Libertatis, Seruitutis.
        - Gradus Cognationis, Affinitatis in
          - Genere.
          - Specie. Inter
            - Patrem & Filiam.
            - Nouercam & Priuignum.
            - Fratres & Sorores.
            - Patruos, Auunculos, Nepotes.
            - Patrueles, Consobrinos.
            - Cognatos reliquos.
            - Affines.
        - Patriæ
          - Eiusdem.
          - Diuersæ.
      - Aliorum, tum
        - Politicè: respectu
          - Populi.
          - Ciuitatis.
          - Tribus.
        - Oeconomicè: quoad
          - Familiam.
          - Parentes.
    - Quomodo. Vtputa
      - Electione libera.
      - Inuitatione, Oblatione matrimonij facta à
        - Sponsa.
        - Socero.
        - Subditis.
      - Sorte.
      - Emtione, Vsu, Conuentione in manum.
      - Vi, Armis. Certamine.
      - Raptu. Vi magica.
    - Qua occasione. V.G.
      - Virtutis in genere.
      - Sapientiæ. Fortitudinis.
      - Iustitiæ. Pacis. Regni.
      - Diuitiarum. Opum causa contractum matrimonium.
    - Quando. Tempus nuptiarum.
  - Non inita, repudiata. Tum in
    - Specie, certa
      - Sponsi, generi repudiati.
      - Sponsæ repudiatæ.
    - Genere. Coniugii contemtus.

Voluminis Tertij Liber VII.

De Amicitia.

Amicitiam hîc Humanæ uitæ glutinum cōsideramus, quam inter Beatitudinis publicæ accidentia Philosophus connumerat, & ea quidem communissima. De ea nos hocce loco, quatenus non postremum inter Fortuita locum obtinet. Ipsa alioqui Amatio siue Amor primo Volumine inter Perturbationes animi connumerari meruit: Aristotelis imitatione, qui φίλησιν à φιλίᾳ uerè & ingeniosè distinguit.

EX NON AMICIS FACTI AMICI. QVO AD PERSONAS.

Primi homines.

PRIMI homines cùm sparsim habitarent, inuento ignis usu & commoditate in unum coire ceperunt. Vnde πύρεια primùm ceperunt, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, & φρατρίαι, quasi φρεατρίαι, ἀπὸ τῶν φρεάτων, à puteis. Illic ergo ferarum imitatione tuguria construere ceperunt. Et hæc pagorum, qui ἀπὸ τῶν πηγῶν, id est, à fontibus dicti sunt, item burgorum, uicorum, oppidorum origo.

Populi.

GOTHI Teruingi ab Alanis pulsi, ad ripas Istri duce Alauiuo & Fritigerno uenerunt, atq; inde legatos Antiochiam ad Valentem Imp. miserunt, ut se ipsos reciperet, orantes, ac fidele in omnibus bellis ei auxilium pollicentes. Sunt etiam, qui scribant, promisisse, se Christiana sacra Valentis arbitrio suscepturos. Valens magnum se accepturum beneficium ducens, si tantus ac tam bellicosus populus ad se transisset, ac pro se stipendia meruisset: fœdere scripto, naues, rates, lintres, & cauati arborum aluei ad traijciendum concessi: uehicula etiam accommodata. transiere omnes, paucis tantùm sæuienti imbribus amne submersis: ijdemq; Ariano ritu, id est in nomine Patris per Filiū in Spiritu sancto, infecti sunt. Valente ab ijs interfecto in Thracia, cùm Constantinopoli imminerent, Theodosius Imp. Valenti à Gratiano suffectus eos, compescuit. Sozomenus Gothos, obsidibus datis, in amicitiam receptos: Synesius uerò in belli, ciuitatis, honorum, & agrorum Romanorum societatē acceptos tradit: in oratione ad Arcadium Aug. Zosimus autem omnibus, qui trans Istrum habitabant, potestatem transeundi tradit fecisse, eosq; aut in numeros militares retulisse, aut agriculturæ exercendæ adhibuisse. Cæterùm, cùm cateruatim transirēt, multitudinem eorum formidans, partem in Aegyptū transmisit, atq; alios ex Aegypto in Thraciam euocauit: cæteris uerò optionem dedit, ut in patriam se reciperent, ac pro se alios Romanis numeris adscribēdos mitterent. Sigonius libro 8. Imp. occid.

CAROLVS Magnus ad reprimendas Anglorum piratarum in Gallicum & Germanicum mare incursiones cum ACHAIO Scotorum rege fœdus inijt. his ferè legibus: Amicitiam & confœderationem Francorum Scotorumq; populo ac utriusq; gentis posteritati perpetuam sempiternamq; fore. Anglorum iniuriam bellicamq; uim in populorum alterū, utrique fore communem. Francis bello Anglorum armis petitis, Scotum militibus, Francorum rege, sumtum ad arma & commeatum administrante, subuenturum. Francos, Scotis Anglorum iniuria lacessitis, suis impensis auxiliares affuturos. Qui ex confœderatorum populis priuatus publicúsue, Anglos aduersus alterum confœderatorum armis, consilio aut commeatu iuuerit, uel ad eos transfuga concesserit: utrique genti maiestatis criminis reum habendum. Neutrum populorum cum Anglis, sine alterius consensu, inducias pacisci posse. Eius fœderis memoriæ causa, rubenti leoni, aureo stamine depicto, Scotis principibus insigni, duplicem tractum (ut dicunt) contrapositis lilijs consitum, addidit Achaius: significans Francorum opibus, quibuscum fœdus icerat, leonem exinde muniendum: ac Scotorum reges, pro patria & libertate, pro religione & innocentia, acriter hostem feriendo, quæ fœcialium iudicio lilijs ritè designantur, Francis perpetuò consentientes, egregiè dimicaturos. H. Boëthius lib. 10.

Ciues.

P. SCIPIO Africanus, Polybij præceptum sequens, elaborabat non priùs ex foro digredi, quàm quauis ratione cōsuetudinem & amicitiam conciliasset alicuius ex ijs, qui ipsum conuenirent. Plut. in Apoph.

FORMAM. HVC pertinet CONFOEDERATIO.

Exempla ex seq. Titulis mutanda.

Publica.

Omnium nationum exterarum princeps SICILIA se ad amicitiam fidéq; populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperij est, Prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quàm præclarum esset exteris gentibus imperare: sola fuit ea fide beneuolentiaq; erga populum Rom. ut ciuitates eius insulæ, quæ semel in amicitiam Rom. uenissent, nunquam postea deficerent: pleræq; autem, & maximè illustres, in amicitia perpetuò manerent. Itaq; maioribus in Africam ex hac prouincia gradus imperij factus est: neq; enim tam facilè opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumentariæ subsidium & receptaculum classibus Rom. paruisset. Cicero lib. 4. in Verrem.

NICEPHORVS imperio Constantinopolitano inito legatos ad CAROLVM Magnum ad Salam amnem castra habentem de feriendo fœdere misit. Eos Carolus nō benignè solùm excepit, sed etiam fœdere icto cum literis domum remisit, anno 802. In eo fœdere illud nominatim expressum, ut Veneti inter utrumq; imperium positi, liberi atq; immunes, & ab utroq; securi uiuerent, ac sine molestia res suas in regno Italico possiderent. Sigonius lib. 4. regni Ital.

Gothi TERVINGI sese THEODOSIO I. Imp. bonitatem eius admirati dediderunt, ac pro illo se militaturos, ac limite custodiendo aliorum incursiones propulsaturos promiserunt. Id fœdus inde per annos propè uiginti seruatum. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Priuata.

IONATHAN Sauli F. perspectam habens DAVIDIS fortitudinem & pietatem, eiq; regnum deberi uidens, causam illius apud patrē fideliter egit, eūq; sæpe defendit, sæpe de insidiis admonuit: adhæc fœdus æternum pro se suisq; posteris cū Dauide exule pepigit, ut si quādo hostes omnes extirpasset, sibi suoq; generi in posterū benefaceret. 1. Reg. 20.

CONSPIRATIONES, CONIVRATIONES occultæ.

ISMAEL Nathaniæ F. cum coniuratis Godoliam præfectum à rege Nabucodonosoro Iudæorum reliquiis, Masphæ occidit: eoq; factum, ut metu regis in Aegyptum omnes fugerint. 4. Regum 25.

Quadraginta IVDÆI Hierosolymis conspirauerant, & diris se deuouerant, si uel cibum uel potum sumerēt, quin Paulū interfecissent. Has insidias Pontificibus communicatas, nepos Pauli ex sorore Tribuno Lysiæ indicauit. Is Paulum Cæsaream ad Felicem prætorem deducendum curauit. Actorum capite 23.

DARIVS rex designatus à patre Artaxerxe Mnemone, cùm Aspasiam pellicem à patre impetrare non posset, instinctu Tiribazi contra patrem coniurauit. Vbi frequētes iam coniurarunt, consilium detexit regi eunuchus, qui etiam rationē rei gerendæ exactè cognouerat, statuisse eos nocte in thalamum regis irrumpere, & obtruncare quiescentem. Audienti hæc, contemnere tantum periculum, & delationem negligere, graue uidebatur Artaxerxi: credere uerò nullo intercedēte indicio, grauius. Quare Eunucho imperat, ut se adiungat adhæreatq; illis. Ipse cubiculi parietem pone lectum excindit, aperitq; in eo ianuam, quā tapetibus uelat. Instante hora, atq; indicato per eunuchum tempore, remansit rex in lecto, neq; antè exurrexit, quàm ipsa ingressorum inspexisset ora, atq; unumquemq; exactè cognouisset. Vt districtis gladiis uidit eos irrumpentes, remouit properè aulæam, atq; in cubiculum interius coniecit se, foresq; cum clamore illisit. Percussores igitur cùm ab eo conspecti essent, re infecta eiecerunt se ianua: inde comprehensi pœnas dederunt. Plutarchus in Artaxerxe.

Dum Alexander Magnus in Aria esset, DYMNVS quidam, ex Calestra Macedoniæ oppido, cum plerisq; aliis regi insidiatus est. Amabat is Alexandri exoletum Nicomachum nomine: quē ratus fore, ut in societatē sceleris asciceret, destinatæ cædis participem fecit. Ille, ut cōmodius falleret, iureiurando pollicitus est, rem in occulto habiturum: inde per Cebalinum fratrē, ne suspicionē coniuratis faceret, dat operā, ut regi indicium deferretur. Cebalinus Philotæ Parmenionis filio, qui plurimū apud regē auctoritate & gratia ualebat, primò rem aperuit: ut per eum rex de ijs, quæ pararētur, certior fieret. Is ubi alia atq; alia causando indiciū de industria detrectare uisus est: Cebalinus per Metionē armamentarij præfectum, rem detulit. Iubet cōfestim Alexander Dymnum ad se trahi. Qui destinati parricidij conscius, continuò sibi manum intulit. Inde quæstione habita, pleriq; conuicti sceleris, pro concione, Macedonico more, lapidibus cooperti sunt. Philotas & ipse multis cruciatibus prius affectus, ut coniuratorum unus occisus est. Occisus & Parmenio pater, tanquam & ipse eius consilij non ignarus. Eum Mediæ Alexander præfecerat, nec ullius opera magis fuerat ab eo bello usus, quippe qui omnibus præliis læuum cornu prouocare solitus esset. Periit ille septuagenarius, secutus ex Macedonia regem, cum tribus filiis. Diod. lib. 17.

CLEOMENES Spartanus rex exul, à Ptolemæo Philopatore in carcerē coniectus, cū amicis XIII cōspiratione facta, erūpere & Alexandrinos ad libertatē prouocare ausus est. Sed cùm nemo ciuium sese illi adiungeret, ne in manus Aegyptiorum uenirent, sibimetipsis singuli manum intulerunt. Plut. in Cleomene.

L. CATILINA, nobili Sergiorum familia, ualido corpore, malo prauoq; ingenio (cui ab ineunte ætate cædes, rapinæ, stupra, & alia fœda dictu, pro bonis artibus fuerant cordi: animus audax, alieni appetens, sui profusus, & in quo multum loquentiæ fuit, sapientiæ parum) Syllanæ proscriptionis nefarijq; dominatus mirator, pessimo exemplo captus, animū adiecit ad rempub. per fraudem & scelus occupandam. Multi Syllanæ uictoriæ memores, ciuile bellum exoptabant, nec ullus erat per id tempus in Italia exercitus, qui in subita re posset Reip. præsidio adesse. Hanc ille temporum opportunitatē nactus, cum nobiliss. adolescētibus, quos uel spes opum uel potentiæ ad res nouandas accēdebat, cōiurauit, de necandis Coss. & Rep. occupanda. Fuêre in his P. Lentulus Sura senatorij ordinis, Gabinius, P. Antronius, L. Cassius, C. Cethegus, Cn. Piso, Q. Curius, C. Mallius, C. Cornelius, L. Varguntetus senator, D. Brutus, & alij. Fama est, ipsum sceleris auctorē, postea quàm uehemēti oratione sociorū animos hortatus est, humanum cruorē uino mixtum circumtulisse, uelut graui execratione interposita, si quis rē tantā non fido silentio texisset. Conspiratione autē per Fuluiam Curij concubinam detecta, creati Coss. M. Tull. Cic. & C. Antonius. Cicero Fuluiæ indicio coniuratorum insidias euitauit. Catilinam eloquētia & uigilantia sua urbe expulit. Catilina in Malliana castra Fesulas profectus cum fascibus & alijs imperij insignibus, hostis à Sen. indicatur. Lētulus & cęteri, qui domi erant, noctē constituunt inuadēdæ urbis, totum inter se negotium in hunc modum partiti, ut Gabinius cū magna manu duodecim diuersis locis urbē incēderet, Cethegus cōsulis ianuam obsideret, eūq; nocturno tumultu excitum uiadoriretur, alijq; alios optimatiū obtruncarēt, & in his pleriq; nobilium filij fuêre, quibus datum est negotium, ut parētes domi interficerēt, urbeq; incendio & cæde perculsa, unà coniurati ad Catilinam erumperēt. Per Allobrogum legatos, quos ad idē facinus coniurati compulerant, de toto negotio certior factus Cicero, & coniuratorum nominibus compertis, T. Volturcij indicio. Coram Senatu conuicti coniurati, & in carcere necati. Catilina à C. Antonio Coss. cruenta uictoria in Piceno cæsus. Sabellicus libro quinto, Enneadis sextæ.

C. IVL. Cæsar ex prouincia Hispania reuersus, pariter consulatum intēdebat petere, & postulabat triumphum. Cùm autē lex eos, qui magistratum ambirēt, præsentes petere, triumphaturos uerò extra muros cogeret subsistere: flagitauit à senatu, ut absentis sui ratio haberetur. Inclinantibus eò frequētibus, contradixit Cato. Qui animaduertēs illos studere Cæsari, totū diē dicēdo consumsit, atq; ita senatus decretū exclusit. Quare, deposito Cæsar triumpho urbē extēplò ingressus, amicitiam Pompeij & consulatū sectatus est. Cōsul designatus, despondit illi Iuliam: factaq; inter se aduersus rēpubl. coitione (iam enim & M. Crassum Pompeio recōciliarat) Cæsar leges agrarias ferebat, alter promulganti aderat. Quæ quidē cōspiratio Rēp. Romanam pessundedit. Nā cùm potētiæ causa conspirassent, & Crasso à Parthis cæso Pōpeius Cęsaris successib. inuideret, belli ciuilis primordia fuêre iacta. Plut. in Catone.

Cæsar oppresso Pompeio, & bellis ciuilibus confectis, summa erga hostes suos clemētia utebatur, ut nomine tantùm à priore reipub. forma res Romana differret. M. BRVTVM singulari prosequebatur beneuolētia, & in eius gratiā cùm aliis, tum uerò ipsi quoq; C. CASSIO ignouit. Cassius Cæsarē potius quàm tyrannidē odio prosequēs, Brutum, tyrannidis osorē, impulit ad Cęsaris cędē, cùm amici omnes Cassio annuissent, si dux Brutus foret. Inde Q. Ligarium, ob Pompeij amicitiam accusatum, sed à Cæsare noxæ exemtum. Hinc clàm tentantes amicorum, quibus fidebant, animos, capita inter se conferebant: adsciscebatq; non solùm delectos familiares, sed omnes, quotquot egregiè audaces & mortis contemtores esse sciebant, P. Cascam, Cinnam, Tulliū Cimbrum, Labeonē, D. Brutum Albinum, & alios plerosq; præstantissimos, quos nomē adiunxit Bruti. Qui quamuis neq; iuramēto neq; sacris tactis fidē, inter se mutuò sanxerāt, ita silentio tamē condiderunt & presserunt consilium omnes, atq; inter se agitauerunt: ut licet uaticinijs, prodigijs, extis id dij denunciarēt, nemini esset tamē credibile. Mane cuncti porticum Pompeij ingressi, Cæsarē mox in senatum uenturum operiebantur. Cùm uenisset, Tullius Cimber pro fratre exule rogans primus accessit, & Cæsare preces reijciente, ambabus ei manibus togam ex humeris detraxit. Casca à tergo stans pugione humerum feriit. Inde alij certatim, ut se socios cædis facerent. Eo cæso, sanguinolētis manib. & nudis pugionibus Capitolium petierunt, ciues ad libertatem hortantes. Plut. in Bruto, & Cæsare.

Commodus Imp. quum destinasset Kal. Ianuariis gladiatorum manu stipatus ex ludo, non ex Palatio, prodire in publicum, subnotassetq; multorum nomina, quos luce illa erat interfecturus, & in his Martiam, quam ex omni concubinarū numero præcipuè adamauerat, habueratq; propemodū iustæ coniugis loco, Q. Aelium Lætum, prætorij prefectum, & Electum cubiculi custodem: libellum, dum in balneum properat, oblitus, pusio, quem in delicijs habuit, ac Philocommodum appellauit, pugillarem nactus, pueriliter ad MARTIAM detulit. Quæ agnito principis chirographo, cognoscendi cupida, quid esset in eo notatum, ne per incuriam liber, si alicuius esset ponderis, intercideret, ubi se cum multis morti destinatam animaduertit, periculi magnitudine exterrita, ELECTO, cuius consuetudine tenebatur, sine arbitris libellum tradidit. Mox & cum Læto res communicata est, placuitq; confestim illū ueneno præuenire. Id Martia ex balneo redeunti in suauissimo uino obtulit: quo hausto confestim decubuit. Narcissus inde audax adolescēs immissus, iacentem & iam grauiter affectum strangulauit. Quo nomine ipse postea est à Seuero interfectus. Sabellicus libro 5. Enn. 7.

Regni Francorum PROCERES aliquot fœdere inter se inito coniurarunt, an. 830. ac cōpositis rei agēdæ consiliis, Pipinū Ludouici Pij Imp. F. quem pater Franciæ regem fecerat, adierunt, docētes, non solùm cæteros, se ipsum etiā à Ludouico patre contemni, unum à cubiculo Berhardū propè in aula regia dominari, nō uirtutis ope, sed turpib. Iudithæ reginę amorib. infinitam illam gratiam atq; auctoritatē adeptū. Pipinus ergo contractis quibusdam copiis unà cum eis Vermbriam patrem & nouercam cum amatore ulturus aduenit. Eo nuncio Ludouicus attonitus, continuò Berhardo fuga sibi consulere, & Iudithæ in monasterium securitatis causa se includere iussis, Compendium petiit. Re comperta con-

coniurati consilio capto Iudithem è monasterio ad se educi iusserunt, ac uariis minis exterritam docuerunt, nullam aliã saluti eius uiam patere, quàm ut ipsa monasticam uitam iniret, atq; idem facere Ludouicum persuaderet. Cùm se facturam utrunque constantissimè spopondisset, liberata ad Ludouicum processit, & summa cum fide promissa persoluit. Ludouicus, cùm se, quid sibi faciendum esset, deliberaturum dixisset, ipsi, ut uitandi periculi caussa se uelaret, auctor fuit. Ita ad coniuratos reuersa, iussu eorum monasteriũ S. Cunegundis iniuit. Ad harum rerum nuncium Lotharius Italiæ rex à patre dictus excitus, repentè mense Maio ex Italia aduolauit, ac statim à coniuratis corruptus, oĩa quę acta erãt, ut iusta facta, laudauit. Ex consensu inde utriusq; partis succedente autumno conuẽtus Neomagum Francis & Germanis proceribus est indictus. Ibi Ludouicus Lotharium arripuit, ac leniter castigatum produxit ad populum, placidaque oratione furorem eorum in præsens compescuit. Seditione sedata coniurationis principes comprehensi, cùm constituto iudicio rei capitalis damnati omnes essent, tamẽ mitiore pœna decreta laici tonderi, reliqui in monasteriis asseruari iussi. Mox Iudithem è monasterio reuocauit, uerùm non priùs uxoris loco habuit, quàm ipsa legitimè obiecta crimina expiauit. Id uerò in die Purificationis effectũ. Hoc modo compositis rebus, filij in sua quisq; regna dimissi: & omnibus ijs, qui in custodias traditi fuerant, est ignotũ. Sigonius lib.4. regni Italici.

Contra Othonem I. Imperatorem conspirarant ab initio regni HENRICVS Rixosus dux Saxoniæ, frater: & EBERHARDVS dux Franconiæ, cum Gisilberto Lotharingiæ duce. Verùm Gisilbertus in flumine equo periit. Eberhardus occisus est. Henricus à fratre ueniam impetrauit. Contra eundem, posteaquam secundas nuptias cum Adelheide Lotharij regis Italiæ uidua celebrauit, Luitolfus filius ex Editha priore uxore susceptus, cum Conrado duce Sueuię, genero Imperatoris conspirauerat. Verùm armis pressi, Othoni in uenatione nudis pedibus & capitibus occurrentes, supplices à patre & socero ueniam sunt cõsecuti. Cuspinianus.

Petro Gradonico duce, fuit Venetiis MARINVS quidam, Bocchonus cognomine, qui publicæ libertatis impatiens, de cæde principis atque optimatium quorundam cogitare cepit. Coniuratione ad principem delata, Marinus & socij capti, ac sceleris conuicti, ad geminas columnas suspẽdio necati sunt. Non multo pòst BAIAMONS Tepulus, homo nobili familia natus, fretus ea temporum nouitate, qua rẽpub. & Ligustico & Ferrariensi bello concussam uidebat, cum non paucis patricij sanguinis eminentiorisque fortunæ uiris, quos ipse sui furoris participes fecerat, in patriam coniurauit, statuta ad id facinus die, in curiam proruptūrus, ac Duce cum Patribus trucidato rempub. inuasurus. Vbi dies, quò gerenda res erat, affuit, ferunt (quasi aër tanti sceleris ciuitatem admonere uoluisset) ingentem tempestate repentè coortam: uim uentorũ mixto imbri strepitu omnia complesse. Coniurati non modò non territi, sed usi etiam prodigiosa illa tempestate, cum clamore & strepitu in publicum prorumpunt. Continuò ad arma conclamatum est: dimissis per urbem, qui alta uoce significarent, ut quicunque rempub. saluam esse uellẽt, arreptis armis in curiam ad opem Principi ac Patribus ferendam aduolarent. Coniurati interea aream diui Marci armis compleuerant, in curiam impetum facturi. Oritur fœdissimum certamen. Tandem superante optimatium factione, coniuratorum arma cũ multa cæde ex publico sunt repulsa. Aiunt in ea trepidatione Baiamontem, ubi fortunam inclinare uidit, se mercatoria uia domum recipientem, à muliercula quadam molari lapide supernè deiecto penè exanimatum iacuisse: atque ita graui uulnere retentum, ab iis, qui eum insequebantur, ferro oppressum. Inde subitò recursum in forum: hic coniuratorum aliqui patricij sanguinis à Tesserarum ponte ad Principis conspectum retracti, confestim securi subiecti sunt. Ferunt iam inde Mali uadi nomen loco mansisse. Ad abolendam nefandorum capitum memoriam, publico est decreto edictum, ut Baiamontis & omnium, qui cum eo coniurassent, signa undique tollerentur: futurumque capitale huic, qui ea in albo aut alio loco postea retulisset: ædes dirutæ: cætera bona publicata. Quidam Baiamontis ædes ibi fuisse memorant, ubi nunc macellum in Riuo alto est. Ex ærario stipendium mulieri, quæ Baiamontem subito ictu retardauerat, ac posteris decretum. Festa Viti martyris luce aiunt nefandam coniurationem oppressam: quò fit, ut quotannis stato die Dux cum bona parte Patrum, præeunte clero, quasi publicam salutem diuo gratulaturi, eius ædem inuisant: unde reuersi, lautè in curia epulantur. Sabellicus libro 1. Decadis 2.

Friderico I. Imp. tertiùm in Italiam descendente, ciuitates Italicæ Laude illum adiere, & tyrannidem præfectorum eius, dum abesset, miserabili oratione sunt prosecuti. At Fridericus in unum Alexandrum III. Pp. intentus, bellum ex omnium suorum sententia aduersus eum decreuit, legatos, principesq; superbè repudiauit, & Paschalem III. Pp. Romam duxit. Interea ITALICI indignum esse, Germanicam ultrà pati arrogantiam, arbitrati, de uindicanda libertate & fœdere ad eam rem feriendo egerunt. Hi fuẽre Veronenses, Vicetini, Patauini, & Taruisini, qui cùm ueteribus incommodis conflictati, tum recenti Friderici superbia irritati, à uirtute sibi petendum auxilium, quod eius clementia denegauerat, censuerunt. Itaque Mediolanenses, Cremonenses, Brixianos, Bergomates, Mantuanos, Ferrarienses, Bononienses, Mutinenses, Regienses, Parmenses & Placentinos ex Venetorum auctoritate sollicitarunt, missisque ultrò citroque occultè nunciis, ad Puntidense monasterium inter Mediolanum & Bergomum conuenẽre. Ibi expositis, ut quisque grauissimè ac criminosissimè potuit, acerbissimis Germanorũ, quibus ad extrema redacti essent, iniuriis, uniuersi in eam sententiam conspirantibus animis descendernnt, omnes potius mortis acerbitates perferendas, quàm tantas dignitates ultrà esse patiendas. Itaq; communi consilio fœdus in hanc sententiam percusserunt: se cõmunibus armis libertatem singulorum aduersus Fridericũ & præfectos eius defensuros, mutuaque ad eam rem auxilia, fide Imperatori data incolumi, summissuros, atque intra certam diem communibus uiribus atque impensis Mediolanenses in antiquum solum reducturos, & ad eorum urbem restituendam auxilium allaturos. Ibi constituta die, singulæ ciuitates præfectos Friderici per tumultum urbibus exegerunt, remque publicam creatis consulibus ueterem retulerunt. Bononienses autem Bocij impotẽtiam indignati, globo armatorum coacto ipsum publicis in ædibus agẽtem inuaserunt, ac de fenestra in forum præcipitarunt. Inde ubi cõstituta inter eos dies uenit (ea uerò ante quintum Kalendas Maias fuit) omnes armati præstò Mediolanensibus affuerunt, eosque ueterem in patriam, quanquam desertam atq; deletam, restituerunt. Et quoniam, ut inquit Choniata, muris eam nunquam se munituros iurarant, fossis, aggeribusq; ingentibus confirmarunt, ita ut egregiè defendi aduersus quęcunq; impetum hostium posset. Addit idem Choniata, hæc omnia pecunia à Manuele Imp. suppeditata esse confecta, qui Friderici potentiæ inuidebat, atq; Italicorum aduersus eum animos irritare non desinebat. Laudenses quinetiam armis ad societatẽ coẽgere. Veneti ijsdem accessere. Ea res non ciuitates solùm in diuersa studia traxit, sed nouas in singulis etiam ciuitatibus seditionum procellas exciuit, ut alij Ecclesiæ, alij Imperij partes assererent. Veronæ quidem Monticuli, & Sambonifacij: Ferrariæ, Taurelli & Adelardi, fœda inter se factionum certamina ab hoctẽpore miscere ceperunt, ac ciuitates suas præ potẽtia sua modò ad hanc modò ad illam partem traxerunt. Itaq; Fridericus, posteaquam pestilentia Romam relinquere coactus est, uirib. exhaustus, in Germaniã abiit. Sigon. lib.14. regni Ital.

Ricardus II. Anglorũ rex iuuenis, cùm summa in oẽs liberalitate uteretur, extitere nõnulli DOMESTICI, qui quod à rege gratuitò impetrabant, aliis precio cõcedebãt: qui absq; precio, gratias agebant, perinde quasi gratia nõ à principe, sed à uẽditoribus fieret. Res ista effecit, ut in caput Ricardi sic cõiuratum, quo sublato, omnis inuidẽdi materia tolleretur: cùm passim iactaretur illud, Væ terræ, cuius rex puer est. Erant in domo regia Ioan. Ansleius eques, & Hugo Cantonus, qui scelere cõiuncti coniurarant aduersum regẽ, sed urgente maleuolẽtia, alter alterũ facinoris cõcepti insimulauit. Re delata ad senatũ regium, Cartonus pernegauit se unquam cũ Ansleio contulisse: sed affirmauit Ansleiũ uoluisse secũ coniurare, se uerò non dedisse aures, & eũ ueritũ, ne nõ insimularetur, suũ falsissimè detulisse nomẽ. In re dubia placuit, ut inter se dimicarẽt, & palàm per pręconẽ denunciaretur, eum proditorẽ habitũ iri, qui ab altero uictus foret: non quò sic uictus, incognita causa, puniretur, sed ut aliquod rei indicium liquidius fieret per certamen. In certamen descendunt, pugnãt pro honorę, pro uita: ad extremum Cartonus accepto graui uulnere, humi prosternitur, iamq; spiritum edens, ut criminis conuictus, culpam fassus, ad suppliciũ trahitur. Polyd. lib.20. hist. Angl.

IOANNES Habspurgensis Comes, ab exulibus Tigurinis persuasus, Tigurum urbem cum suis ingressus est pacis conciliandæ specie: reuerà aũt, ut noctu incautos ciues opprimeret, & portis patefactis exercitum in urbẽ introduceret. Cõiuratorum pleriq; in diuersorio congregati erant. Comes Tocenburgensis, qui apud ciuem diuerterat, sceleris conscientia perculsus, inito cum ciue consilio, conscensa nauicula fugit. Nauta cùm sibi ab illis insidias fieri intellexisset, ne fugam illorum detegeret, in alto nauim euertit, & comitẽ cũ famulo & ciue submersit. Mox in urbem reuersus, rem gestam indicauit. Accessit & alterum indicium pueri, qui post fornacẽ dormienti similis recumbens, coniuratorum in diuersorio consilia consuli patefecit. Aere itaq; campano excitis ciuibus, priusquã portæ recluderentur, coniurati, partim interfecti, partim capti, digna scelerum supplicia luerũt. Anno Domini 1350. XXIII. Febr. Stumpfius.

IOANNES, Rodolfi Ducis Austrię F. ex filia Othocari Boẽmorum regis, patre in lecto insidijs occiso, pupillus relictus est, Alberto I. Rom. rege tutore. Albertus eius bona tutoribus commisit, iuuenem apud se honesta conditione tenuit. Qui quum prauo seductus iniquorum consilio, quasi Dux esset sine terra, crebrò patrimonium suũ maternũ peteret (quod illi negabatur) cum tribus aliis coniurationem iniit, qui curam custodiendi corporis regij habebant, Rudolpho de Vvart, Vvalthero de Eschenbach, & Vlrico de Palma. Octauo Kalend. Maij, anno Christi 1308. traiecturus Vrsam fluuiũ prope Vindonissam, hos solùm quatuor retinuit & traiecit. In ascensu cliui, Dux Ioannes pugione collum regis primus ferijt: Vlricus faciem & caput per medium secuit, cæteri ensibus transfodẽre. Eo loci pòst monasterium sanctimonialium ordinis Minorum S. Claræ constructum, sub nomine Regij campi. Occisores fuga dilapsi, Vlricus de Palma Basileæ in domo Conuersarum latitans, in castro eius per Leopoldũ ducem Austrię expugnato periit, quinquaginta sunt decollati. Munitionibus Vvaltheri destructis, ipse pastorem ãgens, post annos trigintaquinq; sese manifestauit moriturus. Rodulphus de Vvart cum famulo post longam occultationem Romam pro assequenda uenia petens, à Theobaldo Comite de Blomont capitur, & Leopoldo traditur. Rodolphus, caudæ equi alligatus, fractis rota membris, crudelissimè necatus est. Ioannes dux, profugus per syluas, tandẽ in Italiam uenit. Postremò ad Henricum Imperatorem, successorem Alberti, in Tuscia, Pisas per Papam missus, habitu fratrum Eremitarum perpetuis carceribus est addictus. Sic omnes illi parricidæ, aspiciẽte regina Elizabetha, filia Meinhardi Comitis Tyrolis & Goriciæ (quæ ut unicè maritũ dilexerat, sic sanguinem parricidarum pedibus calcare uoluit) pœnas dedere. Cuspinianus.

Carolus Andegauensis, Siciliæ rex, in Hetruria imperij uicarius erat. IOANNES Prochyta, qui Manfredo rege dominus insulæ fuerat, Palæologum Cæsarem, mox Petrum Tarraconensem regem ad Siciliam recuperandam (Manfredi enim filiam Constantiam uxorem habebat Petrus) habitu Minoritæ ultrò citroq; commeans incitauit: & paratis rebus omnibus in Siciliam rediens, Mamertinorum Panormitanorumq; principes adijt. Cõiuratio anno Christi 1281. sanctis diebus facta. Sanctissimo omnium anni tempore scelus admissum. Dies Domino resurgenti festus, cùm ex templorum turribus campanæ sonitu consuetudine quotidiana signum ad uespertinos hymnos daretur, ater funestusq; Francis factus. Tota insula cædes inermium, nihil timentium, incautorumq; Francorum, uno temporis uestigio fœdè facta. Inde Siculus uesper prouerbio increbruit. Naues etiam occupatæ, quæ in Siciliæ portubus stabant, paratæ ad imperium Græcum repetendum, Palæologumq; à Pontifice maximo, agente Carolo rege, hostem iudicatum, bello persequendum. Sunt non contemnendi auctores, consternationis initium à Panormitanis ortum: cùm die sanctæ Resurrectionis ad templum, quod ad Montem regium tertio à Panormo lapide abest, religionis causa promiscuè conueniretur, Francos per causam scrutandi, si quis cum telo esset, etiam matronas uirginesq; excutere, licentiusq; pertentasinus, tractareque cepisse. Ea ex re ira uiris mota, primùm lapidationem factam: mox ex urbe arma correpta, & Francos cæsos. Hac continuò fama Siciliam totam peruagante, à nullo Franco usquam temperatum. Aemilius libro 7. & Sabellicus lib.7. Enn.9.

Galeacio Maria Mediolanensibus imperante, erat NICOLAVS Montanus Bononiensis, uir (ut illis temporibus) non ineruditus, ex eorum genere, qui nobiles pueros in literis instituendos suscipiunt. Huius inter cæteros erant auditores Mediolani, tres adolescentes eius ciuitatis, cum primis nobiles, IOAN. Andreas Lampognanus, CAROLVS Vicecomes, & HIERONYMVS Oleatus, quibus ob egregiam indolem uirtutis plurimùm omnium indulgebat. Erat hominis ingenium longè acerrimum, & siue hoc à natura haberet, siue studio esset & diligentia consecutus, minimè ad hominum uitia, Principum in primis, dissimulanda accommodatum. Hic iuuenes ueterum exemplis ad tyrannidem Galeacij uindicandam, & patriam seruitute liberandam animauit, maximè cùm priuatas erga Galeacium odij causas haberent. Ioan. Andreas querebatur sacerdotio propinquum à Pontifice auctum, cuius uberrima uectigalia essent, nullius precibus, aut gratia assequi potuisse, ut secundùm Pontificis decretum illi sacerdotij possessionem daret. Oleatus & Vicecomes cùm minus munitas domos ab eius libidine habuissent, iniquissimo animo ferebant (ut sunt Itali minimè omnium apti ad suorum flagitia dissimulanda) in nobilissimis familiis tantam maculam & labem, uiuo eo, qui illam imposuisset, hærere. Itaq; in remotissima ædium parte iuuenili consilio contra Galeacium conspirarunt, & qua uulnus faciliùs pateret, quod esset commodius gladij genus atq; expeditius, explorabant. De tempore conuenit, ut die natalis Christi Galeacium ad D. Stẽphani operirẽtur, & in ipsis foribus salutandi specie illum obtruncarent. Stipati igitur clientibus suis, quos simulatione aquæductus per uim aperiendi armatos adesse iusserant, pugionibus intra uestem abditis, fores obsederunt. Ioan. Andreas Galeacium in iugulo & sub aluum saucium reliquit. Oleatus in iugulo pariter & in pectore. Carolus humerum & tergum momento transfixit. Concidente principe, cùm à suis deserti cõiurati omnium gladiis se peti uiderent, fuga sibi consulerẽ ceperunt. Ioan. Andreas implicitus uestium laciniis, quas laxas atq; amplas nobiles feminæ humi trahunt, à Mauro satellite Galeacij interficitur. Carolus multis uulneribus à militibus confoditur. Oleatus cùm sibi ferro uia patefacta incolumis è templo euasisset, ad paternas ædes confugit: unde à patre, ne esse particeps consilij uideretur, excluditur. At mater sacerdoti familiæ clienti commendatum, atq; ab eo mutata ueste domum perductum in præsentia seruauit. Ibĩ cùm biduum delituisset, audacia sibi utendum, ac fuga salutem petendam meliore consilio quàm tempore statuit. Verùm, itineribus undiq; obsessis comprehensus, supplicij genere teterrimo afficitur: cùm uiuus laniatus, atq; in quatuor partes dissectus esset, non minore in tanto cruciatu perferẽdo constantia, quàm in tyranno interficiendo fiducia animĩ & audacia. Nam carnifice illi ad tantum supplicium gladio imminente, ita ex magno horrore collecto animo, dixisse fertur, Mors acerba, fama perpetua, stabit uetus memoria facti. Brutus lib.6. hist. Flor.

TEVTONES quidam in ciuitate Stocholmensi tempore Alberti (qui ex Magnopolẽsi duce rex Suconum & Gothorum creatus fuerat) centum septuaginta numero occulta conspiratione colligati, se Cucullatos fratres appellitabant: creuitque postea eorum numerus ultra mille quingentos. Horum studium præcipuum erat, coniectis in Suecones conuitijs, ad rixas & lites prouocare, ut demùm apud Regem delatos uita aut fortunis spoliarent. Origo odij ex commercijs cepit: quorum lucra alienigenæ ad se solos transferre nitebantur. Erant autem inter cæteros Suetici generis mercatores centum septuaginta. Hos illi Cucullati in libello designatos regi Alberto occultè deferebant: asserẽtes, nisi ipsi quantocyus è medio tollerentur, actum omnino fore de Teutonico nomine in ea ciuitate. Sed Albertus precibus illorum acquiescere noluit. Eo autem à Margarita Danorum regina capto, noctu ex arce, quam ab Alberto suæ concreditam fidei tenebant, clàm eruptione facta, duce Alffo Greuerad Suecones imparatos adorti occidunt, opes diripiunt, primates in arcem ductos serris ligneis dissecant, reliquos ciues ex arce per naues ad proximam insulam Cheplingam deportatos primùm insigni ludibrio, deinde grauissimis tormentis affectos, postremò uiuos in domo quadam inclusos combusserunt, anno Christi MCCCLXXXIX. ipsa nocte, qua Christicolæ festum Corporis Christi celebrare consueuerunt. Eadem autem hora, qua hæc fiebant, tanta inundatio pluuiarum orta est, ut ciuitas Stocholmensis submergẽda crederetur. Hæc fuit illa calamitas, cuius meminit Albertus Cranzius, inquiens: Stocholm, insigne Suetiæ emporiũ, de cœlo fulmine tactum penè totum conflagrauit: perierunt incendio mille sexcenti homines. Feminæ, pueri, & sine numero puellæ, in naues res suas cõportarũt cum paruulis: aderant quoq; uiri non pauci. Sed priusquam soluerent, ingruebat promiscuum uulgus, incendia declinans. Tanta itaq; multitudine naues oppletæ fuerunt, ut momento oculĩ submergerentur. Io. Magnus lib.21. hist. Gothorum.

Mortuo Eugenio IV. STEPHANVS Porcarius, eques Romanus, uir in dicẽdo acerrimus, ciues suos in ecclesia Arę cœli cõgregatos, ad capessendã libertatẽ cohortatus est, quòd dĩceret, paruũ quodq; oppidũ, mortuo loci domino, de libertate, uel saltẽ de moderanda regentiũ cupiditate uerba facere. Verùm reclamante archiepiscopo Beneuentano, tũ quidẽ Vicecamerario, de re ipsa nil deliberatũ est. Electo aũt Nicolao V. Bononiã à pontifice relegatur, hac conditione, ut singulis quibusq; dieb. Nicceno gubernatori urbis sese offerret. Quẽ simulata ægritudine decipiẽs, Romã rediit, hac mẽte, ut sumtis armis populũ ad libertatẽ cõuocando, Pontificẽ & Cardinales caperet. Rẽ factu facilẽ dicebat. Nicolaũ põtificẽ Epiphanię die in æde B. Pauli sacra facturũ, haud magno negotio cõprehẽdi posse, populũ libertatis amore opẽ laturũ. Ad colligandũ aũt præsulẽ catenã auream secũ attulit, à se iam pridẽ paratam, quã cõiuratis ostẽdit. Neq; enim mox occidendũ pręsulem ex usu esse dicebat, sed seruandũ, donec arcem sancti Angeli recuperarent. Verùm dum fessus quię-

quiesceret (aliquot enim noctes insomnes duxerat) detegendæ rei tempus & occasionem dedit. Pontifex armato milite domum eius circumdedit. Inde elapsum, apud sororē in capsa delitescentem cepit, & captum ac seriem coniurationis fassum, ad muros arcis sancti Angeli suspendit. Eodem supplicio affectus in Capitolio Angelus Massa cum filio ac socio Sauo, anno 1453. quinto Idus Ianuarij. Platina, & Sab. libro 5. En. 10. & Aen. Syl. c. 58. Europæ.

Cosmo Medice mortuo, contra Petrum eius F. nobilissimi ciues, quorum dignitati Mediceæ familiæ splēdor officere uidebatur, coniurarunt (quòd sperarent populum ob exacta à Petro nomina facilè rebellaturum) & in his principes NICOLAVS Soderinus, & DIETESALVIVS Neronius: cuius fidei tamen & uiuens & moriens Cosmus Petri salutem & opes commiserat. Verùm detecta coniuratione opera Nicolai Fedini scribæ, qui coniuratorum conciliabulis interfuerat, eaq; prudenter dissimularat, Thomæ quinetiam Soderini astu (qui Nicolai frater erat, sed Medicum studiosissimus) coniuratorum facinore tantisper dilato, quo ad Medices Sfortiana auxilia Mediolano accerserent: armis primùm, licet incruentis, deinde consilio uicti aduersarij, frustra in Hetruriam adducto cum exercitu Hercule Atestino, exilio uitæ suæ consuluerunt: Venetorum uiribus, ductu Barth. Coleonij, reditum in patriam frustra tentantes. Anno Salutis 1464. Brutus lib. 4. hist. Florent. & Iouius libro 1. de uita Leonis X.

FRANCISCVS Saluiatus episcopus Pisanus à Xysto IV. pontifice in Medicum odium creatus, indignè id ferentibus Florentinis, cum FRANCISCO Patio, & HIER. Riario Fori Cornelij domino, Xysti cognato, contra Laurentium & Iulianum Medices, coniurauit: cùm in societatem sceleris pertraxissent Ioannem Bapt. Montesiccum pontificis copiarum ductorem, Iacobum Patium, Iacobos Saluiatos duos, Iacobum Poggij F. Bernardinum Bandinum, Neapoleonē Francesium, Stephanum presbyterum & Antonium Volaterranos. Bis facinus in conuiuio aggressuri, ob Iuliani absentiā bis euentu frustrati, tandem in D. Reparatę templo sacris assistētes fratres, signo edito, cùm sacerdos hostiam eleuaret, adorti, Fr. Patius & Bandinus Iulianum (quem uix blandis uerbis, ut in templum ueniret, persuaserant) multis uulneribus confecere. Volaterrani duo Laurentium se strenuè defendentem in uicinum sacellum confugere passi sunt. Clientes interea Medicum cum urbis uexillifero Fran. Saluiatum curiam occupare conantem cepere, & cum suis de fenestris curiæ suspendere. Corpora unco tracta in Arnum præcipitata. Patiorum domus & familia omnis excisa. Laurentius superstes, oppressis inimicis, gratia & auctoritate florētior, opes Mediceas, ære etiam alieno populi consensu de publico soluto, confirmauit & auxit. Brutus lib. 6. hist. Flor. Iouius in Leone X. Ricius lib. 4. regum Neapol.

Vix tres elapsi ab reditu Mediceorum in patriam erant menses, quum à nonnullis in cædem Ioannis Cardinalis & Iuliani Medicum conspiratum est. Principes fuēre AVGVSTINVS Caponius, corpore ac ingenio inerti iuuenis, in quo nihil prorsus laudares, præter familiæ nomen, & PETRVS Paulus Boscolus, honestis quidem literis exornatus, sed iudicio turbidus & leuis. Boscolus Bruti uirtutem & gloriam ferebat in cœlum, seq; Brutum fore testabatur, si sibi fidum magni consilij participem Cassium reperiret. Nec mora, Caponius, qui multa à Boscolo ex historijs de Cassio præclara audierat, libenter in eius nomen est adoptatus. Sed quum de tempore & loco cædis ageretur, deq; adsciscendis sociis, quorum præsidio tuti atq; defensi negotium conficerent: fortè Caponio intranti Pucianam domum, syngrapha sinu decidit, in qua breuiter erant annotata nomina amicorum, qui idonei ad id parandum facinus uiderentur. Ea syngrapha per Coctium Senensem delata ad Mediceos, periculum depulit. Captus namq; Caponius, quum in tormentis egregiè tacuisset, prolata demùm syngrapha nequaquam inficiatus manum, cuncta propalauit. Eadem confessus est & ipse Boscolus, qui Nicolaum Valorium insignem ciuem nominarat. Atque ita de ambobus supplicium sumtum. Valorius autem in Volaterranam turrem est relegatus: quoniam, tametsi Boscolum de tam nefario consilio insano fremitu ꝓloquentem sæpe uti insanum castigarat, nihil tamē, uti optimus ciuis debebat, ad magistratus de ea re detulisset. Iouius in Leone X. lib. 3.

Anno Sal. 1471. pontifices & proceres HVNGARI in Mathiam Coruinum regem maxima ex parte coniurarunt: Casimirū secundum, Casimiri regis Poloniæ filium, introducere decreuēre. Coniurationis principes Ioannes duo fuēre, nepos & auunculus: alter Strigoniensis metropolita, à Mathia patris loco semper habitus, Quinqueecclesiensis antistes alter Ioan. Pannonius dictus. Hi Casimirum Poloniæ regem per literas de rebus omnibus edocent, petuntq;, ut quamprimū cum exercitu ad fines regni accurrat: suam quisq; operā in eo occupando promittit. In hanc spem Casimirus erectus, cum uiginti millibus hominum ad est. Matthias autem archiepiscopo reconciliatus, Polonum quarto sui aduentus mense feliciter auertit, & domū repetere coēgit. Ne tamē impunitate huius facinoris, alijs simile aliquid tentandi copiā faceret, archiepiscopum honesta aliquamdiu custodia tenuit. unde concepto dolore, quem coniurationis augebat infamia, paulo pòst obiit. Auunculi fatum Quinqueecclesiensis episcopus intra paucos menses est subsequutus. Bonfinius lib. 3. Dec. 4.

Fuerunt nonnulli IANIZARI ac cubicularij, quos sui studiosos Mahometus II. Turcorum tyrannus sæuissimus arbitrabatur, qui de eo necando consilium iniēre. Ingressi tentoriū, cùm iam contentis arcubus sagittas emissuri forent, Maudromenus Constantinopolitanus, ex coniuratis unus, uelutì quodam afflatus spiritu, conclamat repentè: Caue uitæ tuæ, mi here Amyra, caue tibi, caue: suoq; illum consopitum corpore procumbens, protegit. Et ita qui certò periturus erat, unius Christiani serui impietate seruatus est. Nam reliqui adolescentes exoleti eo clamore excitati, confestim auxilium tulerunt: & experrectus tyrannus, suam funestam rabiem generoso conspiratorum cruore satiauit: immanis alioqui, & ad omnem cædem feruens ac alacris. Ex ea horā omnes pòst suspectos habuit, neminem sibi fidum putabat (quis enim eum amet, quo nemo crudelior, nemo atrocior ac superbior, nemo ingratus magis unquam extitit?) neminem in cubiculum quietis tempore, qui duodecimum ætatis annum excessisset, admittebat. Narrant quidam aliter hanc historiam, quòd scilicet in Oriente quidam magnus Tartarus, ob odium, quod in Turcum habuit, magos quosdam precibus ac precio induxerit, ut caput Turci sibi adferrent Mahometus certior de insidiis factus, dum sub habitu religiosorum armati regiam ingrederentur, captos omnes obtruncauit. Cepit deinceps religiosos omnes per edictum imperio expellere: nec ullum sinebat in habitu religionis captum euadere. Cuspinianus.

Anno Salutis 1547. IV. Idus Septembr. Petrus Aloysius Farnesius, [redacted] Octauij, cui in matrimonio erat Margarita, Cęsaris filia, pater, à triginta sex coniuratis NOBILIBVS Placētiæ, cui imperabat, miserè est per colloquij speciem trucidatus, suspensus, raptatus ac dilaniatus. Quo facinore patrato, præstò fuit Ferdinandus Gonzaga in Insubria pro Cæsare præfectus: qui illicò in urbem admissus, eam in Cæsaris potestatem asseruit. Ex quo facinore graues subortæ sunt inter Cæsarem & Pontificem omnesque Farnesios simultates, usqueadeò, ut ipse Octauius, Cæsaris gener, se in regis Galliæ clientelam, ut se Parmæque principatum tueretur, conijceret. Sab. supplementum lib. 28.

ALFONSVS Cardinalis, Pandulphi Petruccij Senensium tyranni F. unà cum fratre Borghesio, à Leone X. Pp. trāslato ciuitatis imperio in Raphaëlem Petruccium, domo pulsus, nō semel cum occulto pugione in Senatum uenit, ut nullo ꝓtegente, oportunum ictibus pontificem aggrederetur, interq; tumultuantes & trepidos senatores erumpendo prætorianos falleret. Fertur etiam eum in uenatione incautiùs diuagantem, prætorianis passim dispersis, adoriri uoluisse. Inde ad struēdas subtiliores insidias conuersus, Vercellium circumforaneum chirurgum, admirandis quibusdam experimentis clarum, sibique intima coniunctum familiaritate, maximis pollicitationibus perpulit, ut in necem pontificis operam præstaret, si curandæ fistulę, quæ illi in ima sede abscessus nata erat, excluso uetere medico uocaretur: quando tum facilè foret, nihil uerentem, linamētis uenenato medicamine intinctis, absq; ulla suspicione protinus enecare. In hanc spem Alfonsus Vercellij peritiam atq; felicitatem laudando, per Iulium Blancium Leonis cubicularium, & Cardinales gratia familiaritateq; ualentes, assiduè commendabat: iamq; exturbato uetere medico, loco Vercellio erat patefactus: nisi Leo cunctis aduersantibus salutari quadā uerecundia, minimè se nouo medico aperiēdum esse iudicasset. Detecta autem re per interceptam epistolam arbitrariis conscriptam notis, Alfonsus captus in carcere strangulatur: Vercellius & Antonius Alfonsi scriba curru per urbem circumducti, carptimq; discerpti, candentium forcipum morsibus, ad extremum strangulati, in frusta secti sunt. Cardinalibus tribus crimen fassis, & supplicibus, Leo clemēter ignouit. Iouius in Leone.

IN CIVITATEM receptio.

Ius ciuitatis respectu Honoris ad Gloriæ locum pertinet. Respectu uerò Amicitiæ, huc referri debet. Respectu denique Reipublicæ, ad Politica pertinet.

Argonautarum posteri cùm à Pelasgis, qui feminas Atheniensiū ex Braurone prædati fuerāt, essent eiecti è Lemno, Lacedæmonem nauigauerunt, & cōsidentes apud Taygetum, ignes accenderunt. Quos Lacedæmonij cùm aspexissent, nuncium misere sciscitatum, quinam & unde essent? Illi responderunt, se MINYAS esse, ab his heroibus oriundos, qui in Argo nauigassent: quiq; cùm Lemnum appulissent, illic eos procreassent. Lacedæmonij iterum sciscitantur, Quid sibi uellet ipsorum aduentus? Illi se respondent à Pelasgis eiectos, redire ad parentes, orareq; ut sibi liceret unà cum eis habitare, tum bonorum, tum agrorum participes. Id quod Lacedæmoniis placuit, cùm ob alia, tum præcipuè quòd Tyndaridæ, Castor & Pollux, in Argo nauigauerant. Receptos Minyas & agris impertierunt, & in tribus coaptarunt. Herod. lib. 4.

Cùm Græci ad Platæas contra Mardonium castra haberent, eorum aruspex erat TISAMENVS Antiochi filius, Eleus, ex genere Iamideorum, Clytiades, & à Lacedęmoniis ciuitate donatus. Nam consultanti uaticinium apud Delphos de prole, respondit Pythia, quinq; ipsum maximas palmas è certaminibus reportaturum. Oraculo non intellecto, Tisamenus gymnasiis operam dabat. Cumq; se exerceret ad quinq; certamina, in uno, dum currit Olympia, uenit in cōtentionem uictoriæ cum Hieronymo Andrio. Lacedæmonij interpretantes non ad gymnica certamina spectare Tisameni oraculum, sed ad bellica, conabantur eum mercede conducere, ut unà cum Heraclidis bellorum dux regibus foret. Hic animaduertens Spartiatas plurimi facere ipsius amicitiam, abnuebat: quòd negaret se alio precio id facturum, quàm si Spartiatam se ciuem facerent, omnia iura ciuitatis impertientes. Id Spartiatæ ab initio ferentes indignè, imminente tandem ingenti Persici exercitus metu, cōcessuri erant. At Tisamenus superbia elatus, negare iam se eo solo esse contentum: sed oportere fratrem suum HEGIAM etiam fieri Spartiatam, eadem conditione, qua & ipse fieret. Imitatus in hoc MELAMPVM. Is enim cùm ab Argiis mercede conduceretur, è Pylo ad compescendum morbum furoris mulierū Argiarum, deposcebat pro mercede dimidium regni. Recusantibus id Argiis, atque digressis, cùm plures è mulieribus insanirent, Melampo, quæcunque petierat, concesserunt. At ille statim plura petiit, nimirum ut quoq; fratri suo BIANTI tertiam partem regni darent. Argiji in arctum redacti hoc quoq; annuerunt. Itaq, tertia sola pars Anaxagorę, qui tunc Argis imperabat, reliqua mansit, teste Pausania in Corinthiacis. Sic igitur Tisamenus Spartiata effectus, quinq; maxima certamina ex oraculo obtinuit. Et hi duo ex omnibus hominibus soli à Spartiatis ciuitate donati sunt, quos illi λεωσφετίγες uocant. Quinq; autem certamina hæc fuere. Vnum contra Persas ad Platæas. Alterum, in Tegea cum Tegeatis atq; Argiis. Tertium, in Dipæensibus cum uniuersis Arcadibus, præter Mantineos. Quartum, cum Messeniis ad Isthmum. Vltimum, in Tanagra cum Atheniensibus & Argiis. Herodotus lib. 9.

TYRTÆVS Atheniensis ludimagister ex oraculo dux datus ab Atheniensibus, bello Messenico, ciuitate donatus est à Lacedæmoniis. Pausanias Cleombroti interrogatus, quid ita? Ne, inquit, nobis unquam peregrinus fuisse dux uideatur. Cælius lib. 18. cap. 5. A. L.

ALEXANDRO Magno Corinthij per legatos ius suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus quum risisset Alexander, quidam è legatis: Nulli, inquit, ciuitatem unquam donauimus, præterquàm tibi & HERCVLI. Hoc audito, lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule societas. Plut. in Alexādro.

Demosthenes in oratione de Syntaxi queritur, externis hominibus temerè ciuitatē concedi, cùm maiores Menoni Pharsalio, & Perdiccæ Macedonum regi, quorū singularia fidei & beneuolentiæ erga remp. officia extitissent, non ciuitatem, sed immunitatem tantùm tribuissent: nimirum, quòd ciuitatis Atheniensis communicationem nimis amplum, atq; omni beneficio maius præmium esse statuerent. In quā sentētiam illa etiam in accusatione Neæræ scripta reliquit: Populus Atheniensis, cùm sit omnium rerum, quæ sunt in ciuitate, dominus, cumque possit facere, quod lubet: adeò magnificum munus esse, Atheniensem facere, existimauit, ut leges condiderit, quomodo ciues facere oporteat. Lex autem est populo: nemini fieri Atheniensem licere, qui non de populo Atheniensi benè meritus, dignus ciuitate uideatur. Etenim ubi persuasus erit populus, & donum dederit, adoptionem ratam esse non sinit, nisi suffragio occulto postero die supra sex millia Athenienses decreuerint. Prytanas autem iubet lex urnas ponere, & suffragium ingredieti populo dare, antequam peregrini introeant, & uela tollere, ut, cùm sui quisq; sit dominus, eum, quem ciuem est facturus, intueatur, an dignus sit, qui dono ciuitatis afficiatur. Sigonius lib. 2. de rep. Athenienf.

HIPPOCRATEM Coum, ob sedatam pestilentiam, Athenienses publicis alimentis in Prytaneo donarunt, & ius ciuitatis ei dederunt. Soranus in eius uita.

Cicero pro Archia inquit, mediocribus multis, & aut nulla,

aut humili aliqua arte præditis, gratuitò ciuitatē in GRÆCIA homines impartiri solitos. Athenæus III. libro δειπνοσοφιστῶν, de salsamentis disserēs, narrat, Athenienses Chęrephili salsamentarij filiis ciuitatem dedisse, quòd eorum pater magnam uim salsamentorum Athenas comportasset: atq; id auctoritate Alexidis comici confirmat. Victorius lib. 9. Var. lect. c. 2.

Pericles legem tulit, ut hi soli Athenienses fierent, qui utroq; parente Atheniensi ciue nati forent, in tantum, ut EVAGORAS Cypri rex uix, propter multiplicia beneficia, ciuitate donari meruerit. Alex. lib. 4. c. 10.

COTYS Thraciæ rex, ubi cognouit, quòd Athenienses honoris gratia ciuem ipsum suæ ciuitatis declarassent, pro auxilio, quod illis aduersus Dorienses impenderat, gratiam reponere studentes: Per Ionē, inquit, & ego illis uicissim meæ gentis ius dabo. Sentiens, nihilo minus honorificum esse, Thracem, quàm Atheniensem appellari. Erasmus Roterodamus lib. 5. Apoph.

CHRYSIPPVS Solensis in ciuitatem Atheniensem recipi uoluit. Plut. de Stoicorum pugnis.

Quum Athenienses SERVVM Antigoni, honoris gratia, perinde ut ingenuum, in ciuium numerum ascripsissent: Nequaquam, inquit Antigonus rex, uelim unum Atheniēsem à me loris cædi. significans, per illos factum, ut unum ciuē Atheniensem posset loris cædere, quippe seruum: sed Athenis esse plures uno commeritos, ut à rege loris cæderētur, qui seruum alienum, quod in ipsis fuit, manumitterent. Plutarchus in Apoph. Regum.

Est locus quispiam, ut autor est Suidas, in Leontide, cui nomen ποταμοὶ, id est, fluuij. Huius incolæ ποτάμιοι, quasi fluuiales dicuntur. Hi notati sunt, quòd PLVRIMOS in suā ciuitatem adscriberent, quos ea non satis commodè caperet. Atq; hinc prouerbij locus, ποταμὸς θαλάττῃ ἐρίζεις, Fluuius cum mari certas, de certamine inæqualium: quòd cùm fluuius esset, id est, locus non admodum amplus, mare uideretur æmulari, cùm omnes undecunq; in sese reciperet. Erasmus in Adagiis.

IVDÆIS propter nauatam in militia bonam ac fidelem operam, Seleucus cognomento Nicanor, in conditis à se per Asiam & inferiorem Syriam urbibus, in ipsa deniq; metropoli Antiochia, ius ciuitatis dedit, uoluitq; pari ibi cum Macedonibus ac Græcis conditione degere. Quinetiam Iudæis externo oleo nolentibus uti, certa pecunia pro eo à Gymnasiarchis pēditur. Quem morem cùm Antiochensis populus abrogare uellet, non permisit Mutianus, qui tum Syriæ prouinciæ præerat. Deinde imperantibus Vespasianis, Alexandrini & Antiochenses rogantes adimi Iudæis ius ciuiū, impetrare id non potuerunt, manifesto Romanorū æquitatis & magnanimitatis indicio. Iosephus lib. 12. cap. 3. Antiq.

APOLLONIVS Argonauticorum scriptor Alexandriæ natus Rhodum migrauit, illicq; ciuitate donatus, Rhodij cognomen traxit. Victorius lib. 25. Variarum c. 4.

Ex Regillo Sabinorum urbe APPIVS siue Titus (ut Dionysius scribit) Clausius (Claudio ei postea cognomen fuit) cum magna clientum manu se Romam contulit. Viri, qui arma ferre poterant, ad quinq; millia eum secuti. Multùm is diuque obstiterat in publico Sabinorum concilio, ne in Rom. amplius bellaretur. Quo certamine Sabini nominis principes accensi, proditionis Clausium accersendum censuerūt: eoq; periculo commotus homo ingenti spiritu, magnaq; inter suos auctoritate, cedere patria maluit, quàm sui capitis iudicium iis, quibuscum ex æquo uixerat, subiicere. Fuit perinde Claudij accessus omnibus Romæ gratus. Ciuitas omnibus, qui cum eo uenerant, & ager trans Anienem datus. Ipse inter patricios allectus, breui in principum dignationem uenit. Sabellicus lib. 8. Enneadis 2.

CÆRETES Romana sacra cum Vestalibus capta à Gallis Roma benignè conseruarunt: ipsos quinetiam Gallos spoliis onustos in Sabinis adorti oppressēre. Romani parum grati, ciuitatem quidem dedēre, non tamē ius ciuitatis. Vnde Cęretes tabulæ dictæ. Strabo lib. 5.

Punico ardente bello, MVRRINA Syracusanus, ob plurima in rempub. merita, & quòd in Sicilia cum equitatu transierat ad Rom. ex auctoritate senatus & rogatione populi, ciuitate donatus fuit, loco magni muneris. Alex. lib. 4. c. 10.

Marsici belli, quod Itali omnes Romanis intulerūt, causa prima fuit, quòd Romanis luxu corruptis, orta plebis aduersus senatum seditione, cùm senatus Italorum opem implorasset, & eis optatum illud Romanæ ciuitatis ius pollicitus fuisset, idq; se lege sanciturum promisisset: cùm promissorū nihil Italis præstaretur, occasionem dedit rebellandi, Romæ consulatum gerentibus P. Rutilio Lupo, & Sex. Iulio Cæsare. In hoc bello diuersi uariiq; casus, & urbium expugnationes utriq; bellātium parti contigerunt, nutante quasi data opera in utranq; partem uictoria, & neutris stabili permanente. Tamen postquam utrinque cecidit immensa

multitudo, serò & ægrè Romani uictoriam adepti, firmas uires obtinuerunt, uirtute C. Marij & L. Syllæ potissimùm. Tota ITALIA, Lucanis duntaxat & Samnitibus exceptis, qui & ipsi hoc quoque aliquanto sunt postea consecuti, in Romanę ciuitatis corpus concessit: cùm TYRRHENIS & VMBRIS, inter ipsa belli initia, ne ad hostes deficerent, Romani ultrò ius ciuitatis dedissent: sed, ne numero præualerent, decimatos & in centurias adscriptos ultimo loco adscripsere. Sab.lib.2.En.6.ex Diod.lib.37.

Donauerunt PYTHAGORAM Romani ciuitate, ut auctor in libro quodã, Antenori dicato, comicus est Epicharmus, uir antiquus, & ex schola Pythagorica. Plut.in Numa.

ARCHIAS & THEOPHANES poetæ, propter eruditionẽ Romana ciuitate donati. Vide Tit. Poetarum.

CORN. Balbus, Gadibus natus, Quiritium iure donatus, Garamantas subegit, & unus omnium externorum triumphauit Romæ. Plinius lib.5.cap.5.

Cicero CRATIPPO Peripatetico impetrauit à Cæsare iam rerum potito ciuitatem Romanam. Perfecit præterea, ut senatus Areopagitarum per decretum peteret ab eo, sicut ornamento urbis, ut Athenis remaneret, & institueret iuuentutem. Plutarchus in Cicerone.

L. Sylla illorũ SERVOS, qui ciuili bello ceciderant partium suarum, in libertatem uindicauit, & ciues esse uoluit. qui tametsi ius ciuitatis haberent, non tamen eum ueteribus tribubus suffragia ferebant, sed ex illis, uelut nouis incolis, alias effecit tribus, in quibus ultimi suffragabantur: ita fiebat, ut ad illos rarò suffragij ius ueniret. Quæ omnia post ciuile bellum, quum rerum Sylla potiretur, & summam imperij teneret, sublata & inducta, in melius emendauit. Nam magnæ illi curæ fuit, ne in colluuione omnium apud exteros nomen Romanum passim uulgaretur. Ideo populi iussu comitiis centuriatis, singulis municipiis ius ciuitatis, quod antea acceperant, ademit. Quod & Licinia lege & Mutia cauebatur. Alex.lib.4.c.10.

Marius legem tulit, ut nisi ex decreto populi, nemini in regione esse liceret. Mox Syllę exemplo, mille homines CAMERTES, propter nauatam insigniter operam in bello Cimbrico ciuitate donauit, addẽs, Se propter armorum strepitum, legum uocem exaudire non potuisse. Plut.in Mario.

Veneti ob acceptorum beneficiorum gratiam, uel ob summæ beneuolentiæ testificationẽ, ciuitate seu iure comitiorũ in ipsorũ rep. donare, quos uolũt, solẽt. Itaq; BORGIAM Valentinum Ducem Alexandri VI. Pontificis spurium, tyrannum impurissimum & scelestissimum iure comitiorum donarunt. Guicciardinus lib.5.

IACOBVS Carrariensis V. dux Patauinorum, Veneto senatui adeò carus fuit, ut eum & ciuitate (quod maximi muneris loco haberi solet) & magnifico palatio, prope D. Paulum, donarint. Fuit enim bello & pace illustrissimus princeps. Bernardus Scard.lib.3.hist.Pat.

Anno 1513. magno assensu atq; ambitione populi Romani IVLIANVS Medices, Leonis X. Pp. frater, Romana ciuitate donatus est: editiq; sunt in eius honorem ludi scenici, temporario theatro in area Capitolina extructo, ubi per biduũ summa celebritate actus est Plautinus Pœnulus, uariaque subinde poemata iucundissimi argumenti per ingenuos summæ nobilitatis elegantissimè decantata, adeò exquisito atq; opulento rerum omnium apparatu, ut antiqua aurei seculi felicitas ipsius Pontificis erudita liberalitate reuocata uideretur. Iouius in Leone X. & lib.11. Hist.

OCCASIONEM. AMICI FACTI CAVSA

Virtutis in genere.

Erat Romæ ex nobilitate unus ex principibus, magnæq; auctoritatis, VALERIVS Flaccus. Hic Tusculi habebat prædia uicina M. CATONI. Cuius cùm labores & rationes uiuendi accepisset à seruis, miraretur q;, cùm narrarent illi, manè cum forum adire, & prestò esse petentibus: regressum ad uillam, tempore brumali uestitum exomide, æstate operari cum illis nudum, eadem mensa, eodem uesci pane, atque idem uinum bibere: simulq; magnam eius aliam humanitatem & moderationem, adhæc facetè dicta sententiasq; referrent: iussit eum uocari ad cœnam. Hinc ex consuetudine animaduertens ingenium eius placidum & ciuile, plantæ modo culturam & locum illustrem requirere, inuitauit eũ & perpulit, ut Romæ se ad rempub. accommodaret. Quò ubi commigrauit, multos illicò, qui eum obseruarẽt & diligerent, patrociniis comparauit. Promouente eum enixè ad honores Valerio, tribunatum primo loco adeptus est, inde functus quęstura. Hinc inclytus iã & spectatus, maximos honores cum ipso Valerio gessit, consul cum eo fuit, inde censor. Plutarchus in Catone.

Fœdus cum Gothis, quod Gratianus pepigerat, ratum & ipse THEODOSIVS I. Imp. habuit. Sed ubi Gothorum rex Athanaricus diem obiit, Gothi Teruingi in fidem ac uerba iurarunt Theodosij, uirtute ac benignitate eius allecti, fœderatiq; dicti sunt. Ac tum militia illa dudum sub Constantino principe fœderatorum renouata est, unumq; corpus ex illis ac Romano milite effectum: cum quibus postea Imperator Maximum, Victorem ac Eugenium tyrannos debellauit. Cum Persis quoq; Constantinopolim uenientibus, ac pacem petentibus (siue principis bonitate permoti, siue satiati uictoria, qua olim Iulianũ strauerant, Valentẽ in fugã uerterant) fœdus est ictum, quo uniuersus penè Oriens est Romanis cõciliatus. Cuspinian9, & Sigon.lib.8. Imp. occid.

LAVRENTIVS Medices præclaris suis uirtutibus etiam apud publicos hostes, barbaros, ac remotissimos reges magnus & clarus euasit. Nam & BAIAZETES Turcarũ Imp. Bernardum Bandinum, Iuliani fratris percussorem, qui in Asiam usq; perfugerat, dignitate hominis & sceleris atrocitate permotus, ad supplicium tradidit. Et CAYTBEIVS Memphiticus Sultanus, quo nemo tum bellica uirtute felicior fuit, studium suum atq; beneuolentiam ingẽtibus admirandisq; muneribus Florentiam transmissis, cum insigni Laurentij gloria testatus est. In his enim camelopardalis fuit, animal Indicum, enormi proceritate & conspicua uarietate mirabile, quòd à multis seculis Italia non uiderat: atque eo etiam admirabilius, quòd neque modò Lusitani, India perlustrata, neque Hispani, inuẽto ac peragrato Nouo terrarum orbe, eius generis animantem hactenus inuenerint. Iouius in Leone X. lib.1.

Fortitudinis.

Dauid Goliathum Palæstinum, cum quo nullus Israelitarum congredi ausus fuerat, singulari certamine uicit. IONATHAS Sauli regis F. ea uiri uirtute delectatus, amicitiam cum eo iniit, detractam q; sibi, qua indutus erat, penulam ei dedit, nec nõ arma sua, ensem, arcum, atq; baltheum. Ex eo tempore inter eos contracta amicitia perpetuò durauit. Et Ionathas quidem Dauidẽ contra insidias patris Sauli sæpè protexit: Dauid uerò in regnum euectus, Ionathanis filios maximis donis & honoribus affecit. 1. Regum 18. & seq.

PIRITHOVS, qui in Lapithis regnabat, THESEI fama & celebritate impulsus, experiri statuit, an is tantus esset, quãtum totius Græciæ ad se rumor detulisset. Igitur Thesei boues, quæ in Marathonis saltu custodiebantur, per latrocinij speciem abegit. Quæ res trepidè Athenas nunciata, Theseũ continuò ad iniuriam ulciscendam Marathonem exciuit: nec Pirithous eius declinauit occursum. Hic ambo se uterque alterum sub primum congressum intuiti, formæq; deinde præstantiam & magnitudinem animi mirati; post mutuã appellationem dextram iunxerũt, amicitiamq; inter se firmarũt, Pirithoo cognitionem & iudicium de bobus per iniuriam abactis ipsi Theseo permittẽte. Cui ille non solùm rei æstimationem omnem remisit, sed ad amicitiam tum primùm initam perpetuò colendam est hortatus. Sabellicus lib.6. Enneadis 1. ex Plutarchi Theseo.

Iustitiæ.

Ante Platæensem pugnam & mari & terra duces erant Lacedæmonij. Postea autem & intemperantia Pausaniæ, Spartani ducis, & iustitia factum est Aristidis Atheniensis, ut omnes ferè CIVITATES Græciæ ad ATHENIENSIVM societatem se applicarent, & aduersus Barbaros hos duces deligerent sibi, quò facilius eos repellerẽt, si fortè bellũ renouare conarentur. Ad classes ædificandas, exercitusq; cõparandos, quantum pecuniæ quæq; ciuitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret. Eius arbitrio quadringenta & sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse uoluerunt. Quę omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Probus in Aristide.

REGES Indorum cum ROMANIS amicitiam contrahere uoluere, ex numismatum elegantia & integritate iustitiam & sapientiam illorum æstimantes. Plinius lib.6.cap.22.

Defensionis.

Arbitrantur plerique amicitiam inter summos illos duces Thebanorum, PELOPIDAM & EPAMINONDAM, tã arctam ex illa ad Mantineam expeditione extitisse, cui interfuerunt, cùm Lacedæmoniis integra adhuc amicitia & fœdere misissent Thebani auxilia. Cùm enim interpedites locati unà essent aduersus Arcadas: ut gradum retulit Lacedæmoniorum cornu, in quo ipsi stabant, multiq; terga uerterunt, testudine obnixi sunt iis, qui se intulerunt. Ac Pelopidas septem acceptis aduersis uulneribus, super aceruum cadauerum sociorum pariter & hostium corruit. Quem etsi haberet Epaminondas pro deplorato, processit tamen ad protegendum corpus eius & arma, multisq; se unus obiecit, certus prius occumbere, quàm Pelopidam deserere iacentem. Iam ipso etiam grauiter affecto, cùm pectus hasta, gladio brachium esset uulneratum: ecce ab altero cornu

ro cornu rex Lacedæmoniorum Agesipolis succurrit iis, ambosq; præter spem eripuit. Plutarchus in Pelopidę uita.

Gloriæ.

Vt Ptolemæus Lagi perhibet, ad ALEXANDRVM Magnum Triballos Thraeas incursantem, GALLI, Adrię uicini, amicitiæ & hospitalitatis gratia uenere. Quos cùm rex ipse comiter accepisset in conuiuio, percontatus est, Quidnám esset quod ij maximè pertimescerent? illos ratus, Sese ipsum, responsuros. At illi respondẽre, Nihil aliud, rex, quàm ne cœlum ruat: nihilominus tanti principis amicitiam plurimi facimus. Strabo lib.7.

CAROLVS Magnus rerum gestarum magnitudine gloriam suam ita auxit, ut nemo non REGVM ac principum eius amicitiam expeteret, quibus cum societatem & fœdera iunxit: etiam cum Persarum rege AARONE, à quo accepit elegantissima & preciosissima munera, quæ oratores attulerunt. Imperatores Græcos crebris legationibus & epistolis, quibus eos fratres appellitabat, ita demulsit, ut facilè ipsorum inuidiam patientia, contumaciam magnanimitate superaret. Cuspinianus.

Felicitatis.

Cùm ABRAHAMVS in Palæstina moraretur, & opibus plurimùm auctus esset, ABIMELECHVS rex Gerarorum cũ Phicole archistratego suo uidens illius prosperitatem, fœdus cum illo iunxit, iureiurãdo interposito. Et quia ob depressum puteum contentio inciderat, septem agnas Abimelecho dedit Abrahamus in testimonium, hunc puteum ab Abrahamo fuisse depressum. Eapropter locus ille Bersaba dictus est, id est puteus iurisiurandi, quoniam illic duo iurauerant. Genesis 21. Idem Abimelechus postea cum ISAACO Abrahami filio eandem ob causam fœdus percussit ad Bersabam, cumque eum Isaacus hospitio priùs suscepisset, manè iureiurando utrinque se obstrinxerunt. Genes.26.

PARTHI Augusti felicitatem ueriti, Armenia ultrò relicta, signa, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, restituerunt. Ea Tiberius recepit à uitrico missus, ut Tigranem in regnũ restitueret. SCYTHÆ adhæc & Indi, AVGVSTI populiq; Romani amicitiam per legatos petiere. Sabellicus libro 9. Enneadis 6. ex Strabone lib.15. & 16.

MODVM. QVA CEREMONIA AMICITIA INITA.

Religione, Iureiurando, Sacris.

Mardonium Persam ad Platæas aggressuri GRÆCI, multitudinem iam coactam iureiurando, ad persequendum bellũ adigere, & religione compescere uoluerunt, eo potissimũ consilio, uti cunctorum in unum coirent constiparenturq; animi: tum ea adacti religionis necessitudine, ueluti secura iam humanarum rerum mente, generosiùs audaciusq; pericula quæque subirent. Iurisiurandi forma expressa erat, qua unumquẽq; nominare necesse erat, se non grauiori discrimine habiturum, cariorúe loco uitam quàm libertatẽ pensurum: duces deinde suos, neq; dum uiuerent unquã, neq; in mortis necessitudine positos deserturum: tum sociis in pugna cæsis, sepulcrum pro uiribus paraturum. Si in bello barbarico uictor euasisset, nullam in eo periclitatam urbem euersurum: templaque igne, uel alia quacunque ui diruta, nusquã ulla restauraturum: sed eas ruinas, pro monumentis Barbaricæ superbiæ furorisq; impiissimi, posteris relicturum. Diod.lib.11.

Est mos GALLORVM principum, religiosam aliquam militiam pro arbitrio statuere: ad quam quos initiatos admittunt, iurare uerbis conceptis cogunt, futuros se socios periculorum, neque ullo unquam tempore arma aduersum laturos, fidem amicitiamq; perpetuam seruaturos: ubi etiã casus tulerit, auxilio futuros in bello præsentes, armatosq; in acie staturos, aut pecunia adiuturos. Adhæc stata sacra, & dies quosdam maximè solennes constituunt, quibus interesse cunctos fas sit. Ii Confratres uocantur. quos & uiuos & mortuos, q religionis eius militiæq; auctores sunt, maximis prosequuntur honoribus. Insigne autem militiæ ipsius aliud alij est. Pontanus lib. primo belli Neapolitani.

Cæde.

L. CATILINA inita contra patriam coniuratione, homine immolato, & calice uino & sanguine repleto circumlato, sanguinem coniuratis propinauit: siue ut huiusmodi iureiurando atque præstigiis percelleret homines, siue ut eos ad omne facinus & nefandissima quæque consuefaceret: ut qui cognatum & ciuilem sanguinem peteret, per multasque cædes optimatium, & urbis incendium tyrannidem affectaret. Suidas & Salustius.

FINEM. CVR. CAVSA

Imperij.

CAROLO Magno à Leone Pontifice ad imperium Romæ iniuncto, IRENES Augustæ legati è Cõstantinopoli missi fœdus petebant, ægritudine animi dissimulata, ignari communicatum an diuisum imperium crederent: illud pro certo rati, duos Augustos generi humano sine bello diutiùs esse non posse. Quòd si Carolus femina Augusta uti cursu rerum secundarum in animum induxisset, uniuersa statim Italia, circumiectæq; insulę in Francorum uel ditionem uel partes transissent. Iam Pipinus rex ætate speq; ferocior Luceria mouebat, Grecos Italia pulsurus: sed uel ingenio Grę co, uel iussu Augustæ oratores agere cum Augusto Franco cœperunt, ut ea uidua, integra adhuc iuuenta, Carolo cælibi matrimonio iungeretur: quo consilio in unius arbitriũ coire imperium rerumq; ius uidebatur posse. Fœdus interea datum. Cæterùm proceres, cõprehensa Irene & in Lesbum deportata, ne nuptiis suis reliquam Græcorum imperij spem in Franciam deferret, NICEPHORVM Imp. fecere. Is oratores ad Carolum in Franciam misit de renouando fœdere: idq; in has conditiones ictum, ut alter Oriẽtis, alter Occidentis Augusti, fratresq; essent, dicerenturq;. Simul hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit, cum suis è regione insulis, à Græco, reliquum à Franco iura peteret. Inter duo Imperia medius cardo Venetiæ, utriusq; Imperij maiestatem piè conseruarent. Aemilius lib.3. & Cusp.

Mortuo Ludouico Vngariæ & Polonię rege, Poloni Sigismũdum Ludouici ex Maria generum Vngariæ regem suscipere recusarunt. Multis tandem ultrò citroq; cum Elizabetha Ludouici uidua habitis comitiis, tandem Cassouiæ decretum, ut Heduigis minor natu Ludouici filia in Poloniam ueniret, ac de sententia amplissimi consilij matrimonium iniret (Nupsit autẽ Iagelloni Magno Lituaniæ duci) Quòd si ea deinde, nullis liberis relictis, decederet, ut Maria soror cum sua posteritate ipsi in regno Polonorũ succederet, uicissimque ius esset Heduigi secundùm Mariæ mortem in Vngaria. Ita sempiternũ fœdus inter VNGAROS & POLONOS sancitum. Cronterus libro decimoquarto.

Securitatis.

LEO Imp. cum Valamiro Ostrogothorum rege fœdere inito, obsidem cepit Theodericum, Theodemiri fratris F. uix septimũ pueritiæ annum egressum, qui postea uicto Odoacre Herulo Italiæ regnum obtinuit. Is apud Imperatorem totis undecim annis conuersando, summam gratiam Principis meruit. Post extinctum Valamirũ, Theodemiro Ostrogothorũ, Daciæ, Mœsięque, & utriusq; Pannonię regi, Leo Theodericum filium ultrò restituit. Theodemir9 inducias, quas cum Leone pactus fuerat uiuo adhuc fratre, in pacem commutauit. Leoni succedens Zeno Isauricus THEODERICVM Byzantij excepit, in filium adoptauit, ordinarium Consulem declarauit, equestrem ex ære statuã ante regiã collocauit. Ea omnia eò tendebant, ne gens Gothica negotium Romano facesseret imperio. Io. Magnus lib.9.

HVGO Arelatensis comes, Vualiæ rex factus, omnium principum ac regum undique conquisiuit amicitiam, missis nunciis & ad Henricum Germanorum ac Romanorum regem, qui tum Bauaris, Sueuis, Lotharingis, Francis atque Saxonibus imperabat: & ad Græcorum Imperatorem Romanũ Lacapenum. Cui muneri misit inter cætera duos insignes canes, quales priùs in Græcia non sunt uisi. Cuspinianus.

Galliæ rex LVDOVICVS XII. anno 1501. omnia sua consilia ad Neapolitanum bellum cõuertit. In quo ne Hispaniæ reges FERDINANDVM & ISABELLAM aduersos haberet, illisque potentiæ illorum metu Veneti, & fortasse etiam Pontifex coniungerentur, ueritus, negotia Caroli VIII. tẽpore de regni illius diuisione, in quo Ferdinandus Hispaniæ rex ius se habere asserebat, agitari cœpta renouauit. Nã etsi Alfonsus I. Aragoniæ rex peculiari & ab Aragoniæ regno separato iure id adeptus esset, ideoq; tanquam rẽ propriã Ferdinãdo filio notho tradidisset: tamẽ apud Ioannẽ eius fratrem, qui illi in Aragoniæ regno successit, & Ferdinandum Ioannis filium, quũ Alfonsus id Aragonij regni armis & pecuniis adeptus esset, iure ad id regnũ spectare, ad illud tempus usq; tacita querela fuerat: quam Ferdinandus Hispanica arte & patientia, non modò debitis inter propinquos officiis, cũ Ferdinãdo Neapolitanorũ rege & successorib. non prætermissis, sed etiam nouæ affinitatis uinculo auctis texerat. Ferdinando enim Neapolitano regi, Ioannã sororem suã in matrimoniũ dedit, &, ut altera Ioanna illius filia Ferdinando iuniori nuberet, assensus est: nec tamẽ efficere potuerat, quin cupiditas sua multo antè Neapolitanis regibus innotesceret. Eadẽ itaq; cupiditate in Ferdinando & in Galliæ rege conspirante, alter ut impedimenta & difficultates remoueret, alter uerò ut eius, quod diu optauerat, partem adipisceretur, cùm ad totũ occupãdum nulla occasio appareret: Neapolitanum regnũ eodẽ tempore inuadere pacti sunt: quod inter ipsos hac ratione diuideretur, ut Galliæ regi Neapolis ipsa cũ tota Leborij agri regio-

ne Aprutiiq; prouincia: Ferdinando uerò Apulia & Calabria obtingerent: suam uerò quisq; partem altero nec iuuante nec impediente occuparet: hoc autem fœdus tam diu, donec Galliæ regis exercitus, quem ad id bellum missurus esset, Romam peruenisset, quàm maximè occultum esset. Guicciardinus lib.5.

Auxilij contra hostes.

ISRAELITÆ uindicaturi Gabaensium Beniamitarum scelus in uxore Leuitæ commissum, contra Beniamitas fœdus inierunt apud Masipham, excisuros se totam tribum, neq; ulli Beniamitarum filias suas in matrimonium daturos. Iudicum capite 21.

Mortuo Iosua, consuluere Dominum Israelitæ, quínam suorũ primi bellum Chananæis inferrent. Et cùm IVDÆOS Dominus respondisset, adsciuerunt illi in sortem suam SIMEONIOS fratres, sese illorum sorti uicissim affuturos polliciti. Iudicum cap.1.

Xerxe contra Athenienses exercitum ducente, omnes alij Græci terram & aquam regi dedere, præter THESPIENSES & PLATÆENSES, cũ quibus ij Græci Perrhebij percusserant fœdus, qui bellum aduersus Barbarum sumserant. Fœdus aũt ita habebat: Quicunq; Græci sese dedissent Persæ, non adacti necessitate, eorum decimum quemq;, rebus bene cõstitutis, se Apollini Delphico deuoturos. Herod.lib.7.

CASSANDER Macedonum rex uidens Græcorum uires augeri, Antigono & Demetrio eius filio passim libertatem illis concedentibus, totamq; belli molem in Maced.incumbere, misit in Asiam legatos ad Antigonum petitum, ut secum pacem faceret. Sed cùm ille respondisset, se unam nouisse compositionẽ, si Cassander illi rerum suarum arbitriũ permitteret: territus ille, LYSIMACHVM ex Thracia accersiuit, ut cum eo summam rei communiter administraret, quia eius regnum conterminum erat Macedoniæ. Igitur habito de utilitate communi concilio, mittunt legatos ad Aegypti regem PTOLEMÆVM, & ad SELEVCVM superiorum satrapiarum dominum, superbiam responsionis Antigoni demonstrantes, & belli periculum omnium commune esse docentes. Macedonia enim potitum Antigonum, statim ablaturum esse etiam aliorum regna: dedisse enim eum sui specimen sæpe, quòd & auarus sit, & totius imperij socium admittat nullum. Expedire igitur, ut omnes conspirent, & communiter aduersus Antigonum bellum suscipiant. Ptolemæus & Seleucus libenter obsequuti sunt, & numerosis copiis auxiliandum esse decreuerunt. Variis igitur præliis commissis, tandem de summa rerum dimicatum. Antigonus in acie cæsus. Demetrius Poliorcetes eius F. fuga elapsus, multo pòst à Seleuco captus, in uinculis expirauit. Vsq; adeò libertatis Græcorum assertores odio habebant reges cæteri. Diod. lib.20. & Plut. in Demetrio.

Contra Demetrium Poliorcetem Macedoniæ regem magnis uirib. Asię imminẽtem, quantas secundùm Alexandrum habuit nemo quisquam, conspirauere tres reges, SELEVCVS, PTOLEMÆVS, LYSIMACHVS. Inde communi nomine missis ad Pyrrhum legatis hortati eum sunt, Macedoniam ut assereret, neq; duceret inducias, quas Demetrius non ipsi, ne bello lacesseretur, dederat, sed sibi sumserat. quò bellum priùs, quibus uellet, posset mouere. Pyrrhus itaq; Macedoniam occupauit, eamq; cum Lysimacho partitus est. Seleucus Demetrium, quantumuis socerum, persecutus, ad portas Amanidas cepit, & in Chersonneso in custodia libera habuit ad obitum usq;. Plut. in Demetrio.

GENSERICVS Vandalorum rex Theoderici Gothorum regis filiam Honorico filio suo matrimonio iunxerat, sed suspicione ueneni sibi parati mox recisо naso dehonestatam ad patrem remiserat. Itaq; uindictam meritò timens, Theodericum delere, Gothorumq; opes labefactare constituit. Sed uiribus suis diffidens, ATTILAM in eius perniciẽ multis missis muneribus incitauit. Attila homo auarus, & belli cupidus, prædæ & mercedis magnitudine ostentata, haud grauatè se uoluntati eius obsequuturum promisit. Sigonius libro 13. imp. occid.

Scotorum rex ACHAIVS, Etfini filius, omni laude cumulatus, Anglorum Saxonum opes, quę maiorem in modum in dies singulos crescebant, pertimescẽs, cum CAROLO Magno fœdus icit, iis conditionibus, ut se mutuò iuuarent. Nõ sine Dei numine id factum prædicant, quando etiam nunc amicitia inter Scotum & Gallum inuiolata manet, ita ut alter cum altero in perpetuum consentiat: id quod etiam ferunt assignandum odio, inter uicinos suis semper finibus timentes orto, & idcirco illud utrisq; in Anglũ, & Anglo uicissim in utrosq; commune esse. Polyd.lib.4.

PHILIPPVS Valesius, Gallorum rex, cùm uideret Edouardum III. Anglum, repetundo hæreditatem Franciæ regni, futurum in perpetuum hostem, putauit peroportunum habere Scotum, qui illi propinquus esset, amicum, ut sibi instar sagittæ foret, quam, cùm uellet, in Anglum emitteret. Itaq; fœdus cum DAVIDE rege iunxit, opibusq; enixè iuuit. Et sic uetus amicitia iam inde ab Achaio rege, qui secũ Magno Carolo coniunxerat fœdere perpetuo, renouata fuit. Polydorus lib.19.

Prussis idololatris anno Christi 1227. Masouiam uastantibus, CONRADVS dux Christiano episcopo suadente fratres seu sodales TEVTONICOS, paulò antè à Saracenis è Syria eiectos, Roma acciuit: Culmensemq; tractum, & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram atq; Deruanciam flumina eis tradidit: his legibus, ut contra Prussos sedulò & summis uiribus bellum gererent. Vbi uerò eos domuissent, Culmensem quidem ditionem redderent: cętera uerò, quęcunq; de barbaris cepissent, arbitrio bonorum uirorum ex æquo secum, seu cum posteris suis, partirentur: Polonis nequam uim aut iniuriam inferrent, néue hostes eorum receptarent, aut ullo fauore prosequerentur: contra barbaros autem & à religione Christiana alienos, ut ipsis, cùm opus fuerit, præstò essent. Si quid horum transgrederentur, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum & fratres Crucigeros, quorum tunc Hermannus de Salza summus magister erat, conuenêre, & à Gregorio IX. Pp. approbata & confirmata fuere. Cromerus in hist. Polon.

Anno 1529. cùm uarij essent in religione per totam Germaniã motus, Carolus uerò V. Imp. in Hispania abesset, Senatus Imperij Spiræ decreuit, ut quam quiq; tunc religionẽ profiterentur, eam ad futurum usq; concilium inuiolatam seruarent. Huic decreto sese opposuere Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Lantgrauius, Anhaldius: & Aprilis die XIX palàm, curnõ assentiantur, de scripto recitarunt. Huic principum protestationi, communicato consilio, primi nominis ciuitates aliquot sese coniunxere, Argentina, Norimberga, Vlma, Constantia, Rutelinga, Vuinsiemum, Meminga, Lindauia, Campodunum, Hailbrunum, Isna, Vuisseburgum, Norlinga, Sangallum. Et hæc quidem est origo nominis PROTESTANTIVM. Pòst, appellationis quoq; formulam Protestantes conceperunt & ediderunt, ac demùm ab omni actione Spirensi & decreto ibi facto prouocarunt ad Cæsarem, ad futurum generale, uel Germanicæ nationis legitimum concilium, ad omnes deniq; non suspectos iudices, ac simul legationem ad Cęsarem decreuerunt in Italiam. Qui grauiter ferens prouocationem à se factam, Bononiæ coronatus Augustam uenit ad comitia. Ei confessionem religionis suæ, quam Augustanam uocant uulgò, Protestantes exhibuere scripto, non nisi Sacrarum literarum auctoritate aliquid se mutaturos professi. Cæsare illud indignè ferente, discessum est. Vocatur inde Saxo Coloniam à Moguntino, pro eligendo rege Rom. Ferdinando Caroli fratre. Quod consilium ubi contra Protestantium uitam & fortunas cõceptum intellexit, Lantgrauium reliquosq; principes ac ciuitates Protestantes orat & hortatur, ut ad XXII. Decembris diem Smalcaldię conueniant. Vbi fœderis concipiunt formulam non quidem offendendi quenquam, sed sui defendẽdi causa. Subscripserunt huic continuò principes, item Albertus & Gebardus Mansfeldici, & urbes multæ. Moguntinus interim & Palatinus principes, cùm intestinum bellum metuerent, Schuinfurti ad Mœnum cum Protestantibus nomine Cæsaris egere, & quam Augustæ Imp. exhibuissent confessionem, ad futurum concilium usq; profitendi liberè potestatem dedere. At cùm Saxo Ferdinandi electionem nihilo secius ut illegitimam repudiaret, nihil potuit effici, quoad Turca in Vngariam irrumpente, conuentum Norimbergæ intercessores indixere. Ibi religioni pax data, cum amplæ promissione concilij. Protestantes inuicem, qui tum septem erant principes, & ciuitates XXIIII. obsequentiam & officium Cæsari detulerunt, & auxilia polliciti sunt aduersus Turcam. Hanc pacis formulam intercessores decreuerunt Iulij die XXIII. anno Salutis 1532. Sub finem anni 1535. SMALCALDICVM fœdus, quod annum adhuc unum durabat, renouatum in annos decem, & de reliquo apparatu constitutum, & recipiendos esse placuit in hoc fœdus, qui uellent atque cuperent, modò doctrinam Augustę propositam in comitiis profiterentur, & sortem communem subirent. Anno 1546. Carolus Cæsar armis Lantgrauium & Saxonem adortus, cùm illis ex fœdere reliqui etiam confœderati auxiliarentur, uictor utrunque in potestatem suam redegit, ciuitates multauit, fœdus Smalcaldicum irritum fecit, nouam religionis formam, dum œcumenicum fieret concilium, quam Interim uocant, Protestantibus dedit. Sleidanus.

[redacted] archiepi-

[redacted]

Oppreßionis aliorum.

Mastino Scalano, Veronensium tyranno, cùm non satis esset, quicquid telluris cis ultraq; Padi fluenta intra Alpes iacet, nisi in Hetruriam quoque tyrannidem promouisset: ac nouissimè maris possessionem turbare Venetis cœpisset: conspirarunt in illum VENETI, FLORENTINI, omnesque Cisalpinę Gallię reguli. Veneti duce Petro Rubrico Parmẽsium principe, Taruisiũ & Patauium tyranno ademêre, Patauio Marsilium Carrariensem præfecêre, Taruisium sibi ipsis seruauêre: satis superque se adeptos rati, quòd superbissimi hostis ferociam tandem prostratam uidissent. Cui demùm iacenti, ac miserabili modo ignominiosam pacem pètenti, non modò non negauerunt, sed ciuitate etiam donauêre. Sab.lib.2. Dec.2.

Anno Salutis 1480. consentientibus omnibus ferè ITALIÆ regulis & ciuitatibus, in annos quinq; & uiginti fœdus ictũ est: cuius is præcipuus erat finis, ne Venetorum potentiam ulteriùs crescere permitterent: qui singulis quidem sociis maiores, coniunctis autem multo inferiores, consiliis à cõmunibus separati, suas res agebant: atq; ex aliorum discordiis & malis crescere cupientes, intenti & parati in omnem occasionem stabant, quæ eis uiam ad totius Italiæ imperiũ aperire posse uideretur. Guicciard.lib.26.

IMP. Constantinopolitanus, Aragonum REX, & VENETI, contra Genuenses fœdera inter se iniêre. Comparata ergo ingenti classe, Genuenses, quorum dux erat Paganus Auria, inter Constantinopolim & Chalcedonem aggrediuntur. Pugnatum est ab aurora usque ad uesperam: ac tandẽ Græcis in fugam uersis, Veneti ac Catelani magna ex parte cum præfecto classis cęsi. Sed Veneti, redintegrata classe, Nicolao Pisano, Venetæ classis præfecto, sequenti anno non longè à Corsica Genuenses magno prælio uicere. Qua clade perterriti Genuenses, Archiepiscopo Mediolanensi è Vicecomitum familia ciuitatem ac sua dediderunt: qui Venetos bello aggressus, Patauinum principem, Veronẽsem, Ferrariensem, Mantuanum, & Florentinos in se concitauit, ueritos, ne superatis Venetis, ad se demùm iretur. Pugnabatur terra mariq;: sed Genuenses præfecto Pagano Auria, mira felicitate nauali pugna usi, apud Sapientiam Peloponnesi promontorium Venetos superarunt, eorumq; præfectũ Nicolaum Pisanum captum cum quinq; millib. hominium Genuã perduxerunt, anno Domini 1354. Sequẽti anno, mortuo Archiepiscopo Mediolanensi, Veneti ac socij magna cura liberati sunt. Platina.

Carolus VIII. Gallorum rex Neapolitanum regnum occupauerat, cesseratq; per hæc omnis Italia Gallis, præter Venetos, qui omni armorum motu abstinuere, quandiu est de Neapolitano regno certatum, fueruntq; apud regem Veneti legati publico decreto, quoad est Neapoli potitus. Tandẽ fœdus inter se fecere Venetiis anno Sal. 1495. ALEXANDER VI. Pont. LVDOVICVS Sfortia Mediolanensium dux (qui tamen regem contra Aragonios excitauerat, sed tum ægrè ferebat sibi Tarentum à Carolo ex pacto non traditũ) VENETA Resp. MAXIMILIANVS Cæsar, & FERDINANDVS Hispanus, specie quidem ac nomine ad cõmunem sociorum defensionẽ, loco eis, qui adiungi uellent, etiam Carolo, idoneis conditionibus relicto: uerùm reuerà, ut ne Carolus regnum Neapolitanum teneret, occultioribus consiliis decretum fuit, ut Hispani milites, qui in Siciliam uenerant, Ferdinandum Aragonium, qui magna populorum uoluntatis spe adductus, in Calabriam ingredi tentabat, ad regnum recuperandum iuuarent: utq; eodem tempore Veneti classe maritima inuaderẽt loca: conaretur dux Mediolani, quo, si fortè ex Gallia noua subsidia uenirẽt, ea impedire posset, Astam urbem, in qua exiguo cum præsidio Aurelianus dux remanserat, occupare: regibus autem Romanorum Hispaniæq; certa pecunię summa à sociis, ut ualido exercitu in regnum Galliæ arma mouerent, contribueretur. Carolum igitur, posteaquam Nouariam occupasset, ad Tarum fluuium in Parmensi agro, inuictum trahentem exercitum, adorti, maxima sua cum strage, non tam uicêre, quàm ne in Italia diutiùs hæreret, inhibuere. Sab. lib. 9. En. 10. Guicciard. Iouius lib.2. Historiarum.

MAXIMILIANVS I. Imp. uictus à Venetis, & Tergesto amisso, concitante IVLIO II. Pontifice, cum cæteris Europę regibus coniurauit aduersus Venetos: eaq; coniuratione Italia supremam propè adiit cladẽ. Aegrè ferre pontifex, quòd Ariminum atque Fauentia urbes, pontificio imperio ereptæ, minimè redderentur. Non ferebat LVDOVICVS XII. Gallus Cremonam ditioni suæ detractam: & FERDINANDVS I. Hispanus rex nequaquam sibi integrè partum Neapolitanum regnum existimabat, quum maritimæ Apulorũ urbes oppigneratæ iam pridem ab Venetis præsidiis tenerentur. Coiuere legati principum ad urbem Cameracum in Belgis, decretumq; est communibus uiribus in Venetos bellum, tanto silentio, ut quum eius suscepti consilij suspiciones emanarent, Venetiis nequaquã maturè crederetur. Eo modo Ludouicus in Italiam cum ingentibus copiis transgressus, ad Abduam Venetos castra conferre, atque aciem tentare ausos, cum magna cæde profligauit, capto Liuiano duce, Bergomum, Cremonam, Cremam & Brixiã sine uulnere recepit. Veronam, Vincentiam, atq; Patauium, Cæsari capienda præbuit, quòd deleto exercitu, cum paucis Pitilianus, desperatis rebus, ad Mestrium extremum continentis oppidum refugisset. Pari cursu Iulius non Ariminum modò atque Fauentiam, sed Ceruiam & Rauennã recepit: ultroque Senatus Venetus Apuliæ urbes Hispano regi dedẽdas curauit. Sic ut tanta modò Veneti imperij fortuna Italię hominibus planè miserabilis, externis uerò ridenda uideretur. Receptum haud multo pòst Patauium, & contra Maximiliani exercitum egregiè defensum. Pax à Iulio impetrata. Ab illo tẽpore inter ipsos socios discordia orta est. Namque Gallus totius Italiæ imperium affectans, Venetos propè iacentes inprimis delendos putabat, quos solos suis desideriis impedimento fore rebatur. Itaq; Alfonso duce Ferrariæ in amicitiam suam accepto, quamprimùm contra Venetos iturus erat, cùm Iulius Pontifex & Ferdinandus eius consilium intellexerunt: qui per id factum, iam apertè fœdus uiolatum arbitrantes, necessariò cum Venetis pacem fecerunt, atq; simul uno momento arma in ipsum Gallum conuerterunt. Ex quo deinde uariè inter eos usq; eò pugnatum est, donec ad extremum fortuna belli controuersiam diremerit. Iulio inde mortuo, VENETI cum LVDOVICO Gallo contra Ferdinandum, Maximilianum, & Leonẽ X. Pontificem fœdus inierunt. Cuius rei fama ubi diuulgari cœpit, permulti mortales admiratione obstupefacti, illud iam trito sermone prouerbium in utrosq;, multis paulo antè factis ac receptis utrinq; iniuriis, ab omni concordiæ spe distractos, iactabãt, Amici facti sunt Pilatus & Herodes. In quo illud inprimis memorabile uidetur, quòd Veneti ab initio oppugnati ab cunctis propè Europæ regibus, atque omnibus præliis uicti, uniuerso tamen bello uictores euaserint. Iouius lib.9. Guicciard.lib.8. Polydorus lib.27.

Fœdere, quod inter LVDOVICVM XII. Galliæ regẽ & VENETOS contra Ludouicum Sfortiam anno 1498. ictũ est, conuentum est, ut quo tempore ipse rex potenti exercitu Insubriam inuaderet, ipsi quoq, ex suis finibus idem facerent, & omni reliqua regione regi parta, Cremona cum tota Giradadda, excepta Abduæ ripa quadraginta ulnas lata, Venetis cederet: Mediolanensi autem ducatu, ab rege occupato, Veneti ad certum tempus, constituto equitum ac peditũ numero, ad eius defensionẽ tenerentur: & uicissim rex ad Cremonæ & omnium, quæ in Longobardia ad Veneta stagnã usq; possiderent, defensionem esset astrictus. Quæ res adeo clàm acta fuit, ut Ludouicũ Sfortiã, utrũ inter ipsos ad defensionẽ tantùm, quemadmodũ ab initio in Gallia & Venetiis peruulgatũ fuerat, fœdus initum esset, an etiam aliqua contra se essent decreta, multos menses latuerit: nec ipsemet Pontifex Alexander VI. tam regi coniunctus, nisi serò, certior esse potuit. Guicciard.lib.4.

EX INIMICIS FACTI AMICI. RECONCILIATI.

QVI.

Hostes cum Hostibus.

Consule Tit. Prudentiæ in reconciliando. item Clementiæ erga hostes. quatenus Reconciliationi Prudentia & Clementia iunguntur.

DROMICHETES Getarum rex, LYSIMACHVM Thraciæ regem aduersus se belligerantem, uiuum ceperat. Cui cùm suam gentisque suæ commonstrasset inopiam, similiterque cõtentos re sua homines, Ne talib. (ingt) mortalib. bellũ infer, sed eis potiꝰ amicis utere. His dictis donatũ hospitaliter Lysimachũ, & amicitia sibi deuinctũ, liberauit. Strabo lib.7.

ANTIOCHVS Sedetes HIRCANVM III. Iudęorum ducem & Pontificem Hierosolymis graui obsidione urgebat. Ingruente autem festo Scenopegię rogatus, ut festi gratia septem dierum inducias concederet: cùm id non solùm permitteret, sed & religione motus, uictimas magnificas, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quàm argentea referta omne genus aromatibus mitteret: Hircanus legatos ad eum misit, rogantes, ut sibi patriis liceret uiuere legibus. Qui approbata Iudæorum pietate, certis conditionibus initis obsidionem soluit. Hircanus etiam inito cum rege fœdere, exceptum in urbem cum exercitu tractauit libe-

ralissimè, quin & profectum in expeditionem Parthicam secutus est unà cum auxiliis. Iosephus lib.13. cap.16. Antiq. & Nicol. Damascenus.

GELO Syracusanus CARTHAGINENSIVM uires in Sicilia ita attriuerat, ut illud unicè metuerent, ne uictoriam persequens cum classe in Africam transmitteret. At cùm eorum legati multis cum lacrymis, uti iniuriæ ignosceret, ac meminisset rerũ humanarũ, periissent: pacẽ ea conditione concessit, ut pecuniam eo bello insumtam Siculis restituerent ad duo millia argenti talenta: duas insuper naues sibi instructas mitterent in pacis compositæ testimonium & fœderis pignus. Carthaginenses salute suarum rerum præter spem impetrata, pecuniam postulatam, unà cum aurea C talentorum corona Damaratæ Gelonis coniugi mittunt, quæ magno ipsis ad pacem impetrãdam patrocinio fuerat. Diodorus libro undecimo.

ARCHELAVS, Mithridatis dux, pacem cum L. Sylla fecit circa Delium, ubi templum Apollinis est, his conditionibus: Mithridates Asia & Paphlagonia abstineret, Bithynia cederet Nicomedi, Ariobarzani Cappadocia: duo millia talentûm Romanis penderet, & naues rostratas instructas LXX. daret: Sylla imperium eius reliquum comprobaret, sociumq; & amicum populi Rom. appellaret. Quas etiam conditiones ratas habere coactus est Mithridates. Plut. in Sylla.

OCTAVIVS & M. ANTONIVS cum Sexto Pompeio, Italiam per piratas uastante, reconciliati, Octauiæ matrimonio. Plutarchus in Antonio.

Inter VESPASIANVM, cùm adhuc priuatã ageret uitã, Liciniumq; MVTIANVM, ut inter pares plerunque solet, inimicitiæ haud mediocres erant. Cęterùm cùm postea Vitellius imperium laceraret, Vespasiano aduersus Iudæos bellum gerente: Mutianus, qui Aegypto atque Syriæ præerat, primus fuit, qui Imperatorem Vespasianum salutaret, atque Syriacos Orientisq; exercitus in Vespasiani partes traheret. In eaque beneuolentia atque fide, dum uixit, Mutianus perstitit. Contrà quoque Vespasianus Mutiani insolentiam, ut inter amicos par est, pertulit ac texit. Fulgosus & Egnat. lib.4. cap.2.

Sub Iustiniano Imp. cũ PERSIS pax facta est, fœdusq; initũ, & munera ultro citroq; missa. Quo tempore, ut Zonaras tradit, cometes, qui Lampadias, quòd in supernam partem radios mittat, nominatur, interdiu apparere uisus est, durauitq; ad dies XX. Sed pòst anno xiij imperij federa illa ἀπέραντα, id est, sine termino, sunt uiolata à Persis. Cusp.

Pax inter AGILVLFVM Longobardorum regem & SMARAGDVM Exarchum Græcum tractata, tandem IX. Calen. Iulias die sanctorum Geruasij Protasiiq; conuenit. Itaque Gregorius Magnus Pp. ea re lætus, ut in solenni eorũ martyrum commemoratione Missarum initium ab ipsius pacis commemoratione duceretur, instituit. Quod institutum adhuc in Ecclesia custoditur. Sigonius lib.1. regni Ital.

Sueno, qui primus ex gente Danica regnum Angliæ occupauit, tres habuit filios, Heraldum, Suenonem, & Canutum. Primum regem Anglię ante mortem fecit: alteri Noruegiorum detulit imperium: tertium præfecit Danis. Heraldum Eldredus (quem Sueno pater, regno pulsum, in Normanniam fugauerat) tertio post patris sui mortem anno interemit, regnumque denuo occupauit. Nec is diu regno potitus: Canutus enim Danorum rex Eldredo occiso, fratris ultus est mortem. Aduersus quem EDMVNDVS, filius Eldredi, profectus est. Quum acie utrinque instructa, signum pugnæ expectarent, Edmundus hostium ducem ad singulare certamen prouocauit: ut quem Mars superiorem efficeret, is regno potiretur. Placuit cõditio CANVTO, ætate ac uiribus feroci. Infestis primùm hastis concurrerũt, ac dubio Marte aliquandiu manus magna ui, nec arte minori, conseruerunt: egregium utrisque exercitibus spectaculum: quumque propè fessis equis aliquantulo segnius capesserent pugnam, Canutus, Edmunde, inquit, quem superi uires meas experiri sine ulla læsione dederunt, iisdem cordi esse arbitror, regnum quoque possidere. Age in partem te regni uoco: si conditio placet, ex æquo regnum diuidemus. Lætus eam conditionem Edmundus accepit, maluitque absque periculo dimidio regni contentus esse, quàm incerto euentu tantos subire labores ac discrimina: nam & inscio Canuto uulnus acceperat: uenturam quoque præsagiebat suo tempore aliquando occasionem, quando sine negotio ultrò ad se totum rediret. Igitur utrique equo desiliunt, atque ex infestissimis hostibus ineunt necessitudinem, regnumque protinus diuidunt: Quæ pars Galliæ proxima erat, Canuto est assignata: alteram Edmundus recepit. H. Boethius lib.12.

Alexander, Transalpinæ Valachiæ dux, à Carolo I. Vngariæ rege defecerat, neque ulla ui ad præstandum obsequium reduci poterat. At ubi LVDOVICVM Caroli F. rerum potitum accepit, eum supplex adiuit, ueniam exorauit, munera preciosissima obtulit, ac uectigalium nomine dece[illegible] tenta auri pondo dedit. Contra Ludouicus data pace, pari liberalitate donatum dimisit. Alexander [illegible] clementia & beneficentia deuinctus, redintegratam cum eo societatem perpetuo seruauit. Bonfinius lib.10. Dec.2.

Anno Sal. 1550. pax inter ANGLVM & GALLVM facta, reddita Gallo Bononia. Missis deinde legatis utrobiq;, noua necessitudine firmata. Gallus enim Anglici ordinis factus est eques, Anglus contrà, Gallici: quod quidem est inter uiros principes arctissimæ coniunctionis ueluti symbolum. Sleidanus libro 22.

Subditi cum Magistratu.

SANATES dicti sunt, qui supra infraque Romam habitauerunt. quod nomen iis fuit, quia quum defecissent à Romanis, breui pòst rediere in amicitiam, quasi sanata mente. Itaque in XII. cautum est, ut idem iuris esset Sanatibus, quod fortibus: id est bonis, & qui nunquam defecerant à pop. Rom. Ex Festo, Hotoman. de Verbis iuris.

Fuit THRASEAS Pætus, Patauinus, Anneo Senecæ, & uitæ disciplina, & mortis genere, & animi constantia, & Stoicę institutionis studio, & morum denique similitudine arctissimè copulatus. Quo circa Tacitus NERONEM apud Senecam gloriatum scribit, Thraseam sibi reconciliatum esse; & hunc uicissim gratulatum Neroni.

Aemuli in Republica.

Magnæ inter CIMONEM & PERICLEM Athenienses inimicitiæ fuerunt, adeò ut Periclis opera Cimon in exilium pelleretur. Conciliato demùm inter eos amore, Periclis opera Cimon restitutus, classi, quæ in Cyprum mittebatur, præfectus fuit. Fulgosus lib.4. cap.2.

M. Crassus in Syriam profecturus, malens CICERONEM amicum quàm inimicum relinquere, officiosè salutato dixit, Se apud illum uelle cœnare: quem Cicero alacriter excepit. Post aliquot dies quidam amicorum egerunt apud Ciceronem, ut cum Vatinio quoque rediret in gratiam: Nũm, inquit, & Vatinius mecum cœnare uult? Significans, illum cœnam ambire potiùs, quàm amicitiam. Plutarchus in Cicerone.

QVA OCCASIONE, RECONCILIATI OB

Prudentiam bellicam.

Bello quod cum Philippo Mediolanensi principe gestum à Venetis est, FRANCISCVM Sfortiam, quem infestissimum hostem senserant VENETI, sub Philippo ipso militantem, non dubitarunt cum summa etiam illius dignitate recipere. Sed & cùm mortuo Philippo Mediolanensium dux creatus, Carauagiensem cladem grauissimam Venetis intulisset: eum non multo pòst in gratiam receptum, ut principatum Mediolanensem consequeretur, enixè operam dederunt. Egnatius.

Temperantiam.

MASINISSA, antequam Numidarum regnum adeptus est, Romanorum acerbissimus hostis fuit: omnique ope, quantum in se fuit, aduersus Scipionem Carthaginenses iuuit. Sed demùm P. SCIPIONIS tẽperantia allectus, studia mutauit, atque à Carthaginensibus ad Romanos amorem ita conuertit, ut Masinissa fideliorem nullum Romani inuenerint. In amore autem Masinissa dum uixit perstitit, & moriens senatum Romanum Scipionemq; liberis suis tutores reliquit. Fulgosus lib.4. cap.2. ex Plut.

Liberalitatem munerum.

Consule Tit. Pax redemta. Illic Seruitutis abactæ, hic Inimicitiæ depulsæ habetur ratio.

DIOMEDES Tydei F. bello Troiano cum Glauco Hippolochi filio, & Bellerophontis nepote, in singulare certamen progressus, iunctis dextris, armisque commutatis, χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων, ut Homerus inquit, ius ueteris hospitalitatis renouauit.

Inter Xerxem Darij filium, & Arimenem fratrem de regno erat contentio. Iam cùm XERXES intellexisset fratrem ex Bactrianorum regione descendere, misit illi munera, & iis, quibus ea mandarat præferenda, iussit ut ipsius uerbis illi dicerent: His in præsentia te honorat frater tuus Xerxes. Quòd si rex fuerit declaratus, eris apud ipsum omnium primus. Hac humanitate delinitus ARIMENES, contentione remissa, fratri regnum adepto protinus adorationis honorem exibuit, atq; diadema imposuit. Xerxes illi proximum ab se locum dedit.

CVRIO, quum prius esset inimicissimus CÆSARI, mutata postea uoluntate, factus est acerrimus eius propugnator: quũ ab eo liberatus esset maximo ære alieno. Vnde Lucan.

Audax uenali comitatur Curio lingua.

Et alibi de eodem;

Gallorum

Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro.

Seruius ait, Curionem uendidisse Romam Cæsari XXVI millibus aureorum.

SIGISMVNDVS Imp. ubi IOANNI Ziscæ Hussitarum in Boemia duci cuncta ex sententia cedere animaduertit, & iam illum esse unum, ex quo res Boemiæ penderent, clàm sibi eum conciliare tentauit, gubernationem totius regni, militiæ quoq; ducatum, & ingens auri pondus quotannis promittens, si se regem nominaret, & in uerba sua ciuitates iurare cogeret. Zischa conditionibus annuens, dum Sigismundum conuenit, inter eũdum apud castellum Priscouiã, peste tactus, expirauit. Aen. Syluius cap.46. hist. Boem.

Auaritiam, Spem lucri.

SVLTANVS Iconij Clizasthlanes, postquam in angustiis, quæ Clausuræ Zypricæ appellantur, exercitus maximam partem MANVELIS Comneni Imperat. prostrauisset, impulsus tamen procerum suorum consiliis, quibus tempore pacis ab Imperatore pecunia affluebat, per legatos ultrò pacem Imperatori obtulit, quam is urgente necessitate petiturus erat. Mittit itaque Sultanus Gabram, honoratissimum inter suos satrapas, ad Imperatorem: qui ipsi Barbarorum more summissè adorato, dono adduxit equum Nisæum, frenis argenteis ornatum, ex iis qui ad pompas aluntur, & longum ancipitem gladium: ac sermonem de pacificatione interiecit: animo eius ob acceptam cladem tristi, prius mollibus uerbis, quæ in aurem illi dicebat, delinito. Quum autem thoracem Imper. fulua ueste tectum uidisset: Iste color, inquit, Imperator, ad pugnam inauspicatus est. Imperator subridens eam uestem purpura & auro intertextam illi dedit: acceptoq; ense & equo pacem sua manu subsignauit. Nicetas lib.6. de rebus Manuelis.

Popularitatem in Conuersatione, Conuictu, Colloquio.

ARCADIO parasitus uoluntarium sibi indixit exilium, ob odium, quo PHILIPPVM Macedonem prosequebatur. Delphos Philippus profectus, eo conspecto, Quousque tandem fugies, inquit, Arcadio? Donec ad eos peruenero, respondit, qui Philippum ignorent. Philarchus risisse ait Philippum, Arcadionemque ad cœnam uocasse, atque sic inimicitiam fuisse solutam. Athen. lib.6. cap.6.

M. CRASSVS ad bellum Parthicum profectus, maluit amicum quàm inimicum CICERONEM relinquere. Quare amicè eum appellans, apud eum dixit uelle se cœnare. Inuitauit Cicero eum comiter. Paucis interpositis diebus, adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinij de reconciliatione gratiæ: nam erat inter eos simultas. Ibi infit Cicero: Num & Vatinius apud me cœnare uult? Plutarchus in Cicerone.

ALMVS, regis Vngariæ COLOMANNI frater, intercedentibus ultrò citroque suspicionibus, quas utrinque adulatores suscitarant, in Poloniam aufugit. Ibique accitis Sarmatarum & Vngarorum, qui suas partes sectabantur, auxiliis, in Pannoniam reuersus, de regno cum fratre decertaturus, oppidum Castrum ferreum occupauit. Quod cùm rex oppugnare uellet, Almus humanitate potius, quàm ui fratrem uincere cupiens, solus in regia castra properauit: & ad fratris pedes procidens, suam inconstantiam & credulitatem incusat, ueniam & misericordiam precatur: Vngaris & Polonis postulat ignosci. Rex fraterna pietate motus, ueniam omnibus concessit, fratrem in regiam reuocauit. Bonfinius libro 5. Decad.2.

RODOLFVS Habspurgensis Comes (qui pòst ob uirtutes summo principe dignas ab Electoribus in Germaniæ Regẽ electus periculosissimo illi Interregno, quod pòst Friderici II. obitum aliquot annos durauerat, finem imposuit) contra ABBATEM S. Galli bellum gerẽs, cùm accreuissent interim duo ingentia bella alia, paucis comitatus & inermis, in monasterium S. Galli spõte (dum Abbas cœnaret) uenit, mensęq; assedit, & inter cœnãdum illi conciliatus est, adeò ut auxilia mutua contra hostes pollicerentur. Cuspinianus.

PHILIPPVS Viceccomes Mediolanensium dux, ALFONSI Siciliæ & Neapolis regis auxiliis Genua potitus, imperandi libidine mox contra illum arma cepit, & Italia excedere coegit. Eundem Genuensium opera ad Caietam cum Ioanne fratre cepit. Eius autẽ humana conuersatione delinitus, simul etiam metuens, ne Renatus Lotharingiæ dux, Ludouici regis Neapolitani F. regno Apuliæ potiretur, Alfonsum liberum dimisit. Qui uicto Renato, regnum Neapolitanum recepit, unde prius inconstantia Ioannæ reginæ, à qua fuerat adoptatus, eiectus fuerat. Iacobus Bracellus de Hispano bello. Alfonsus ab eo tempore ceu parentem Philippum coluit, hostesq; eius amicosq; omnes & pecunia & militibus, non aliter quàm si cum Philippo stipendia faceret; promtissimè, ut res poscebat, uel offendit, uel iuuit. Nec desunt auctores, qui Alphonsum regem à Philippo institutum hæredem, Mediolanensisq; principatus successorem scribãt. Fulgosus & Egnatius libro quarto, capite septimo.

Cùm mortuo Conrado I. Cæsare HENRICVS I. Saxoniæ dux ei suffectus esset, ARNOLDVS Bauarorum dux, regio Francorum sanguine natus, ad imperium aspirare cępit. Henricus expeditas copias duxit in illum prope Ratisbonam. Hic uariant scriptores. Nam alij dicunt Arnoldum mœnibus egressum se ad pedes misisse regis, inque amicitiam & perpetuam societatem ab illo susceptum. Alij uerò tradunt obuiam regi ad pugnam exisse. Rex (ut erat modestia & prudentia singulari) fertur euocasse ducem, solus cum solo loquuturus. Ille ad duellum se prouocatum reputans, non cunctanter occurrit. Henricus armis positis, familiariter cum illo loquutus est: Quid est, mi Arnolde, quòd inuicem nos nostraque in discrimen exponimus? Ego, si tu procerum populique consensu rex esses assumtus, primus te uenerarer. Crede quod scriptum ferunt, non esse nisi à Deo principatum: cui quisquis resistit, Dei se opponit ordinationi, quem debet contumax iratum metuere. Consule tibi tuisque. Me in utrunque paratum habes: amicum an hostem malis, elige: mallem quid amicus possim, quàm quid hostis, experireris. Hæc suaui sermone, qui regem plurimum ornabat, proloquutus, dubium dimisit. Ille ad suos refert regis uerba. Vera dixisse fatentur, suadetque pars sanior, rege malit uti pacato quàm irato. Ita positis armis egressus castris Arnoldus, regẽ salutauit & ueneratus est. Cranzius lib.3. Saxoniæ, cap.2. Bonfinius lib.10. Dec.1. Arnulphum uocat pro Arnoldo.

CANVTVS, Erici Danor. regumis F. Nicolai Danorum regis auspiciis contra HENRICVM Vandalorũ principẽ potẽtiss. bellum gerebat uaria fortuna. Eum tandem fugauit in Lubecam ueterem. Tum (ut erat uir integerrimus & cordatissimus) cogitabat Henricum ipsum inermem inermis pertentare, si fortè malorum finem uel sic inueniret. Ergo ad Henricum adequitat Canutus, solis uiginti comitatus: & præmisso nuncio, eum ad amicum colloquium inuitat. Henricus adesse audiens Canutum, ad arma respicit, iam penè captum se putans. Nuncius sanctè iurat adesse Canutum sine armis. Ille ubi sit rogat. In foribus astare respondet: & dicto citius Canutus ingreditur. Mox ruunt in amplexus mutuos (erant enim consobrini: nam mater Henrici soror fuerat Erici regis) miscentur lacrymæ: & post mutuas uerborum querimonias, causam belli dirimunt: in eam sententiam, ut Canutus Henrico argentum numerans, ab rege suæ partis acciperet hæreditariam portionem, Slesuici dux factus. Denique Henricus iam senescens, & filiorum suorum inertiam perspiciens, Canuto ditionem suam omnem commendauit: rogans, ut se mortuo sumeret Vandalorum gubernacula, Imp. Rom. Lotharij consensu. Cranzius lib.3. Vandaliæ, cap.28.

STENO Suenonum rex opt. non paruum exercitum ad debellandum Iacobum archiepiscopum Vpsaliensem, quòd Danis fauere uideretur, coegerat: & iam ad locum deuentum erat, in quo non minores copiæ pro archiepiscopo pugnaturæ conuenerant. Ergo clàm insciis proceribus ad archiepiscopum in propinqua uilla Nees apud arcem Stecham commorantem accessit, & sine arbitris cum eo in gratiam reuersus, admirabili lætitia omnes, qui in mutuam cædem parati stabant, affecit. Io. Magnus libro uigesimotertio, capite decimoquinto.

Saxoniæ duces, FRIDERICVS & GVLIELMVS fratres, crudelia inter se bella exercuerunt, hæreditatis paternæ causa: & quamuis de pace sæpe mentio fieret, impedientibus tamen Apollonio, quem Vicedominum appellabant, & aliis plerisque potentibus, quibus ea discordia quæstui erat, irrita fuit omnis compositio. Sed cùm uastatis iam agris, tota prouincia pessum iret, Apollonius uerò fraternarum incensor discordiarum per annum Iubileum Romam petisset, rogauit Fridericus germanum suum, uti ad se Libercam ueniret, secum de pace acturus. Annuit Gulielmus. Iter ingresso dixere consiliarij, paratas insidias esse, caueret, ne se perditum iret. Quibus ille: At ego, inquit, libens moriar, si uos priùs necatos uidero, qui fraternas contentiones aliitis. Ita locutus, sequi iussis qui se amarent, urgensq; calcaribus equum, festino cursu fratrem adiit. Quo cum remotis arbitris euestigiò pacem composuit, fœdusq; pepigit. Aeneas Syluius cap.32. Europæ.

Religionem.

CN. POMPEIVS & M. CRASSVS Coss. ubique dissenserũt, occursaruntque sibi mutuò. In curia plus Crassus pollebat, ad populum Pompeius. Instante iam consulatus exitu, ac dissidio cum Crasso eius inualescente, quidam C. Aurelius, uel Onatius Aurelius, ex equestri ordine, qui procul à negotiis ætatem egerat, cùm haberetur concio, in Rostra progressus, ait, Iouem sibi in somnis oblatum iussisse Consulibus nunciare, ut prius quàm magistratu abirent, redirent in gratiam. His dictis stetit tacitus Pompeius. Ibi Crassus prior

sus prior dexteram porrigens, & eum appellans: Nihil, inquit, me indignum facere, Quirites, neq; abiectum reor, qui prior concedo Pompeio: quem uos adhuc imberbem appellare Magnum, & nec dum senatori duos triumphos nō dubitastis decernere. Hinc reconciliati deposuerunt magistratum. Plut. in Pompeio.

THEODERICVS Mediomatricum rex, auxilio CLOTHARII Suessionum regis fratris sui Hermenfredum Turingorum regem subegerat. Clotharius Radegundam uirginem sanctam, dignamq; quæ uel una merces belli peteretur, filiam Bertarij regis, ab Hermenfredo fratre occisi, uxorem duxit, nihil consulto fratre Theoderico, cuius eo bello primas partes esse oportuerat: simul eiusdem uirginis fratrem occidendum curauit. Ex eo tempore exorta simultas inter fratres, sollicitam Franciã habuit. Quin Childebertus Theodericusq; communi animo consilioq; fratri bellum intulere: nec obsecratione Clotildis matris ad memoriam germanitatis reuocari poterant. Cùm copiæ stricto ferro paratæ ad pugnam sub signis starent, repentè ex summa serenitate tranquillitateq;, tanta cum horrendo fragore grandineq; deiecta est cœlo tempestas, ut ea in religionem uersa, id bellum depositum, salutatioq; militum mutua insecuta sit, & dextræ interiunctæ. Aemilius lib. 1.

EDVARDVS III. Anglorum rex Ioannem Francorum regē bello ceperat. Gallis calamitate regis immotis existētibus, nouo exercitu Franciam inuasit. Ei cordi erat, aut uastas solitudines Franciam facere, aut in potestatem redigere. Cùm usto agro Parisiensi, Carnutū fines popularetur, dux Claudiocestriæ ausus est eum hortari, ut bello Francico finem imponeret. Nudum, inquit, solum uastatumq; relinquere Francis potes: ipsi Franci cæsis patribus succrescentes sobolescentesq;, ac iam efferati, & malorum assuetudine indomiti, te in rebus nullo exitu gerendis omni uita tenebunt. Et sors auctoritatem ducis iuuit. Cùm nondum uerborum finem dux fecisset, repentina tempestas cum horrendo cæli fragore minisq; sæuis exorta, ita terruit, ut portenti loco miraculoq; Anglis esset: quorum etiam nonnullos frequēti insolitæq; magnitudinis grandine, ac ignibus cœlestibus exanimatos ferunt. Rex ad Virginis Carnutum præsidis ædem uersus, procumbensq;, ueniam incendiorum, cruorisq; hausti poposcit: æquamq; pacem terræ hominibusq; daturum se, uoto mente concepto, uerbis etiam nuncupauit. Ad Britiniacum uicum pax facta. Aemilius lib. 9.

Iustitiam.

L. MVRENA consul ambitus accusatus à Catone, & à Cicerone uix ereptus: integritate CATONIS cognita, eum deinceps tanta obseruantia coluit, ut ne amicissimis quidem cederet. Plutarchus in Catone minore.

Fidem.

DAVID Saulum regem, se ubiq; hostiliter persequentem, fuga declinauit: & cùm posset lædere, noluit. Chlamydis eius oram clàm in antro digressi abscidit, hastam & scyphum secus caput dormientis positum abstulit: ut ea re fidem faceret, ideo se parcere uitæ persecutoris, ut esset, cum quo tandem placato in gratiam rediret. Itaq; beneficio Dauidis uicta est SAVLI inuidia, pacemq; inter se iniêre. Dauid tamen Sauli inconstantiæ non ignarus, ne præsentia sua illū turbaret, in Palæstinam ad Achim Gethęorum regē se transtulit, habitauitq; in Sicelegurbe, donec Saulo hostium armis cæso illi successit in regno, cuius odium placare quàm ulcisci maluerat. Marul. lib. 3. c. 6.

Cùm CONRADO I. Imp. potentia ducis Saxonum HENRICI suspecta esset, consilium Hattonis episcopi Moguntini (cuius dolo Adalbertus Comes priùs ceciderat) implorauit. Hatto aureum torquem fabricari fecit, quem collo conuiuantis sub honoris prætextu iniiceret, caperetq;. Sed dolus est Imp. indicio proditus, & Hatto mox diem suum obiit. Henricus beneficio motus, in gratiam cum rege rediit. Cuspinianus.

FROTHO, Danorum rex, Ericū Disertum, ob plurimos adulatores singulari certamine occisos, fugientem naui perforata insequebatur. Cæterùm mergēte naui, cùm armis onustum regē de uita periclitātem Ericus & Rollerus fratres natandi industria de præsenti mortis periculo eripuissent: pro uita cōseruata Ericum in amicorum numerū Rex suscepit, eiq; sororem suam Gunnaram in matrimonium collocauit. Io. Magnus lib. 4. c. 22.

LAVRENTIVS Medices, Ferdinandum Aragoniæ regem in magnas belli angustias ab INNOCENTIO VIII. Pp. redactum, oportunè iuuit, ac præcipuos Romanæ nobilitatis, ut Vrsinos & Columnios, in regis militiam contra pontificem adduxit. Quibus de rebus pontifex, bello temerè suscepto, necessariam potiùs quàm decoram pacem præferre coactus est: tantumq; abfuit, ut ex earum offensionum memoria Laurentium odio prosequeretur, ut eum tum maximè ab spectata uirtute atq; fide suscipere admirariq; cœperit. Nec multo pòst Magdalena Laurentij filia in matrimonium Francisco pontificis filio collocata est, adiectumq; priuatæ affinitati publicum fœdus. Triennio pòst pontifex in honorem Laurentij patris, Ioannem eius filium, qui pontifex factus, Leo X. appellatus fuit, uix tum tertiumdecimū excedentem annum in Cardinalium numerum omnium consensu cooptauit. Iouius in Leone X. lib. 1.

Calamitatem.

Grauiss. inimicitiæ inter PETRVM Falgosum Genuensem ducem, ac IO. Philippum Fliscum septennium durauêre, tantumq; sanguinis atq; auri exhausere, ut quibus uidere ea tempora contigit, horrore penè exanimarentur. At postquam Alphonsi regis potentia, peste insuper conflictatus, deserere Petrus principatū coactus fuit: Ioannes Philippus in eum amorem cum eo rediit, ut nunquam postea, nisi cōmunem mensam lectumq; haberent: & tam acriter Ioannes Philippus ad recuperandam Petri dignitatem decertarit, ut pro ea uitam amiserit. Fulg. lib. 4. cap. 2.

Supplicationem.

Cùm ABIMELECHVS Gerarorum rex potentiam ISAACI patriarchæ formidans, quem offenderat, ultrò amicitiam petitum uenisset: Isaacus oblitus iniuriæ, quod petebatur facilè cessit. Inito ergo inter se fœdere, ac pace iureiurando firmata, hospitium conuiuiumq; illi, & omnibus, qui cum illo erant, indulsit. Vlcisci offensorem suum poterat uiribus iam superior: sed sicut expellenti non repugnauit, ita amicitiam petenti annuit. Marulus lib. 3. cap. 6.

Cùm Iacobus ex Mesopotamia in Chananæam rediret, præmisit nuncios ad Esaum fratrem in terram Seitiam, in agrū Idumeæ, qui eum dominum appellarent, & seruum eius Iacobum apud Labanem hactenus peregrinatum, nunc in patriam redire uelle nunciarent. ESAVS CD hominibus ei obuiam profectus est. IACOBVS metuens, ne uim sibi inferret, fratri munus misit, capras & oues ducenas, capros & arietes uicenos, camelos matrices cum suis pullis triginta, uaccas quadraginta, tauros decem, asinas uiginti, asellos decem. Hæc in lacinias partitus suis seruis tradens, eos pręire iussit, interiecto inter lacinias spacio. Tum primo seruo præcepit, ut si incurreret in Esaum fratrem, quærenti cuius sit, quò contendat, & cuius sint ea, quę ante se agat, respondeat, Se esse Iacobi, eius serui, à quo id munus Esao domino mittatur: ipsum autem Iacobum subsequi. Idem alteri etiam & tertio præcepit, eo consilio, ut illius in se animum præmisso munere pacaret, & ita demùm receptum ad eius conspectum haberet. Rebus sic administratis, cùm in conspectum Esai uenisset, septies ante illum procidit, & Esao ueteris iniuriæ obliuionem tanquam Lethæa tacto uirgula induxit. Genes. 32. & 33.

Erat Antij Volscorum uir longè diuitiis, uirtute & natalium splendore princeps Volsci nominis, ac regiæ auctoritatis, TVLLIO Aufidio erat nomen (Acciū Tulliū uocat Liuius, & Dionysius lib. 8.) Hunc sibi præ cæteris Romanis C. MARTIVS Coriolanus in exilium à populo pulsus certus erat esse infensum. Quia enim ex concertatione, ut iuuenum fortium gloriæ æmulationes ferunt, crebrò inter dimicationes minis, prouocationibus, iactantiisq; certauerant inter se, priuatam publicæ adiunxerant inimicitiam. Cùm Tullij tamē celsitudinem animi nosset, & præter omneis Volscos occasionem captare cum infestandi uicissim Romanos: sumto amictu & habitu, quo minimè, qui esset, cognosceretur, aspectu ut Vlysses, infestorum hominum est urbem ingressus. Profectus domum ad Tullium, repentè ad focum nullo sentiente penetrauit, ibiq; tacitus sedit capite obuoluto, nihil agens. Familia stupore defixa dubitauit excitare eum, quòd aliqua & ex ueste atq; silentio eius eluceret maiestas. Narrant igitur Tullio iam cœnanti hoc monstri. Qui surgens adiit eum, rogauitq; qui esset, quidq; petitum uenisset. Ita Martius aperiens se, & paulisper moratus, fortunam suam narrauit, & odij erga Romanos occasionē. Eapropter à Tullio benignè susceptus, cōsilia belli contra Romanos suscipiendi cū eo cōmunicauit. Plut. in Coriolano.

IO. Gualbertus eques Florentinus fratris INTERFECTOREM supplicem, ob Christi crucifixi reuerentiam, in amicitiam recepit. Fulgosius libro 4. cap. 1. & Polydorus libro 7. cap. 2. de Inuent. rerum.

CLEMENS V. qui VENETOS ob occupatam Ferrariam anathemate percusserat, reconciliatus iisdem opera Francisci Danduli legati, interdicto sublato, mandasse etiam dicitur, ne hoc alioue nomine Veneti postea à Rom. pontificibus tam lethifero spiculo peterentur. Et id quoq; scripto constare uoluit. Sabellicus lib. 1. Dec. 2.

HADRIANVS VI. pontifex, ALFONSVM Atestinum Ferrariæ principem in gratiam amicitiamq; recepit, quum is Herculem filium cum ornatissima legatione Romam misisset: ita

ut ea, quæ criminosis admodum codicillis à Iulio Leoneq; X. pontificibus aduersum eum tanquam pontificiæ maiestatis reum decreta & publicata fuerant, penitùs antiquaret. Eadem clementia & liberalitate Franciscum Mariam Feltrium est prosecutus, quem Leo Pontifex principatu pulsum atque hostem declaratum sacris interdixerat. Iouius in Hadriano VI.

Rex Suetiæ MAGNVS Ladalaos, cum sanctissimo antistite Brynolpho Scarensi, seditiosorum opera pro hoste reputato, cunctis admirantibus & congratulantibus, in gratiam rediit, anno Domini MCCLXXXV. Solenni enim missa pontificis audita, depositisq; à se, & satellitibus omnibus, armis, ante pedes altaris & præsulis se prosternens, humillimè ueniam sub ecclesiæ disciplina petiuit, & accepit, pontificem in arcem suam regiam, honorificè, ut secum pranderet, adducens. Olaus lib. 16. cap. 29. Sept. reg.

Proditionem.

VENETI graui bello pressi à Solymanno, ad pacem inclinabant. Carolus V. Cæsar & Franciscus I. Gallorum rex (cùm, ut solent Principes, liberam Remp. Turcicis armis ita cuperent attenuari, ne in posterum conatibus suis tam fortiter resistere posset) simulato colloquio legatos misere, qui mētione pacis inter Cæsarem & Gallum iniecta, & ostentata spe auxiliorum in Turcos conferendorum, & inducias & pacem cum Solymanno dissuaderent: cùm interea per Gallos Venetorum decreta & consilia omnia Solymanno quorundam Patriciorum perfidia enunciarentur. Veneti insidias præsentientes, pacem cum Solymanno uel iniquissima conditione, Nauplio & Epidauro tradito, pepigere. Sabell. supplemen. lib. 24. ex Iouio.

Defensionem.

P. SCIPIO, cognomento Asiaticus, superioris Aphricani frater, post superatum Antiochum & Asiam bello uictam, peculatus crimine accusatus à Tribunis plebis quandoque fuit, cumque in carcerem duceretur, TIBERIVS Gracchus tribunus plebis (qui antea, quòd de republica cum Aphricano dissentiret, infensus Corneliorum genti fuerat) intercessit, eumque ne in carcerem mitteretur inhibuit. Cuius rei beneficio, amicitia inter eos conciliata & affinitas fuit. Siquidem solenni die, quum Ioui epulum in Capitolio libaretur, Corneliam filiam, maturam uiro, ei desponsam dedit. Quam ille tam cupidè dilexit, ut duobus anguibus deprehensis in cubiculo, quum haruspices respondissent, mare angue dimisso, fore ut Cornelia mortem obiret: femina autem, se occasurum: maluerit Titus Sempronius marem potius extinguere, quàm illa morte obita, superesse, cùm ex ea duodecim filios sustulisset. Alexander ab Alexandro libro 1. cap. 18.

QVO MODO. FOEDERVM CONDITIONES

In genere.

BACCHIDES Demetrij dux, cùm expeditione contra Ionathan, qui Iudæ Machabæo fratri successerat, suscepta, nihil proficeret, amicitiam cum Ionatha iniit, iureiurando interposito, neutrum arma moturum in alterum: redditisq; & receptis captiuis, Antiochiam ad suum regem reuersus est: nec unquam posthac Iudæam cum exercitu repetiit. Iosephus lib. 13. cap. 2. ex 1. Machab. 9.

Exorta inter CARTHAGINENSES & CYRENENSES de finibus concertatione, inter se tandem ita paciscuntur, ut certo die legati domo proficiscerentur, ac quo in loco sibi obuij fuissent, id utriusq; populi confinium haberetur. Duo fratres ex Carthagine missi, quibus Philenis nomen erat, maturiore iter, ut multo plus uiæ quàm Cyrenenses confecerint. Qui criminati Carthaginienses turbati fœderis, hāc conditionem Philenis deferunt, ut uel illi in finibus, quos suo populo peterent, uiuos sese obrui paterentur, uel eadem conditione liceret sibi, quò uellent, suos fines promouere. Phileni optione probata uitam patriæ condonantes, sese uiuos ibidem obrui passi sunt. Sab. lib. 2. En. 6.

Athenienses Cimone Miltiadis duce Cyprum occuparant, & Persis terra marique uictis Artaxerxem regem pacem petere coegerant, iis, quas ipsi obtulissent, conditionibus. id quod ante eam diem de Persarum rege inauditum fuerat. Legationis dux ac princeps constituitur Callias, Hipponici filius. Impositæ igitur paci conditiones, & fœdere firmatæ inter ATHENIENSEM populum, sociosque nominis Atheniensis, & PERSAS. Quarum hæc fermè capita traduntur. Colonias omnes in Asia Græcas, liberas, ac suis legibus permitti: satrapæ Persarum nulli intra maris tractus ultra trium dierum iter excurrere licere: nauem nullam longam inter Phaselida & Cyaneas nauigaturam. Hæc dum à rege & præfectis seruata essent, Athenienses nūquā intra cuiusquā regionis fines, quę sub ditione regia teneretur, ulla occasione arma illaturos. Diodorus lib. 12.

HETRVSCI damnatis armis toties infeliciter motis, maiores natu mittunt, ut pacem, quibuscunque legibus possent, cum Romanorum rege TARQVINIO componerent. Tarquinius solam confessionem principatus ab eis petiit, libertatem pristinaque iura seruaturum se pollicitus: irent, & suorum popularium animos explorarent, an caput & arcem imperij Romam dici uellent. Tum si ea res impetrata foret, futurum, ut cætera conuenirent. Cum his dimissi legati: qui haud multo pòst cum principatus insignibus affuere. Insignia, quæ illi ad regem attulerunt, hæc dicuntur: corona aurea, sella eburnea, sceptrum habens in summa cuspide aquilam, tunica purpurea. Fuerunt qui & duodecim secures, quæ deinceps reges & consules, qui post illos secuti sunt, pręcesserunt, inde sumtas crederent. Strabo pręter cætera insignia ab Hetruscis accepta adiicit & tubas. Tarquinius inuidiam declinans, eorum usum non prius recepit, quàm de ea re patres auctores facti sint. Ea omnia ornamenta summi in urbe magistratus, corona tantùm & picta toga ademtis, post exactos reges usurparunt. Sabellicus lib. 4. Enneadis 2.

PHILIPPVS Macedoniæ rex pugna memorabili ad Cynoscephalas superatus, in fidem T. QVINTII & populi Romani omnia sua permisit. Ergo finem Quintius bello imposuit, & regnum Macedoniæ ei reliquit: imperauit, ut Græcia abstineret, mille talentum solueret, naues omnes præter decem traderet. Alterum filium eius Quintius Demetrium accepit obsidem, eumque Romam misit. Plutarchus in Flaminio.

Iuliano Cæsare mortuo, IOVIANVS, domesticorum ordinis primus, Imperator militari fauore pronunciatus, legatis Saporis Persarum regis pacem poscentibus duris conditionibus dedit. Si quidem & quinque trans Tigrim à Galerio Maximino partis prouinciis se cessurum, & Nisibim ac Mesopotamiæ partem relicturum spopondit. atque ita fœdus in annos XXX firmauit. Sigonius libro septimo Imperij occident.

P. SCIPIO, uictis in Africa CARTHAGINENSIBVS, pacem illis dedit, his conditionibus, si decem millia talentùm argenti in quinquaginta annos æquis pensionibus Pop. Rom. penderent, centum obsides suo arbitrio darent, haud minorem decem annis, nec maiorem XXX. Si frumentum & stipendium auxiliis, dum induciæ tenerent. Si naues omnes rostratas traderent, si bellum neque in Africa, neque extra, iniussu Populi Romani gererent: neque equos neque elephantos deinceps alerent: onerarias naues nuper captas cum rebus restituerent. Masinissæ agrum, quem ademissent, redderent: ipsi tantùm urbes & agrum in Aphrica haberent, quem, priusquam bellari cœptum esset, tenuerant. Pax conditionibus iam dictis icto fœdere à Sen. Rom. confirmata est. Naues longas, elephantos, perfugas, captiuos ad quatuor millia numero tradiderunt, in quibus fuit Q. Terentius Culeo, senatorij ordinis. Scipio quingentas omnis generis naues in altum abductas, in Carthaginis conspectu, cremauit. Id incendium tam lugubre Pœnis fuit, quàm si tum Carthago tota deflagrasset. Transfugas Latini nominis Scipio securi percussit. Romanos sustulit in crucem, ut perfidos & patriæ proditores. De fugitiuis mitior fuit sententia, quoniam id seruile sit, libertatem sibi effugio quærere. Fuit is annus quadragesimus ab eo, quo primum bellum Punicum à Q. Lutatio & M. Manlio fuit ad exitum perductum: decimusseptimus, quàm à Pœnis bellum in Hispania, Hannibalis ductu, est renatū. Inter primum & secundum Punicum bellum anni tres & uiginti interfuerunt. Sab. lib. 5. En. 5.

SIROES Persarum rex, occiso patre Cosroe, fœdus cum HERACLIO Imp. percussit. Omnes captiui Rom. qui apud Persas erant, liberi restituti. Crux quoque dominica iterum recepta est, anno XIIII, quàm ablata erat, unà cum patriarcha Hierosolymitano. Recepta est Aphrica, Aegyptus, & quicquid terrarum fuerat ex Rom. imperio à Persis occupatum, à Mesopotamia ad oram Syriæ, ad Erythręum mare: Arabia tantùm excepta, quam Mahometus pseudopropheta sua execranda lege labefactarat. Captiuos Persas Romani quoque uicissim omnes restitui fecerunt: paxque his conditionibus firmata, ut limes Persici & Romanī imperij Tigris esset, atque Persæ Mesopotamiam non attentarent. Tertiæ pugnæ dies fastis Romanis ascriptus, magnæ adhuc uenerationis est, & Exaltatio crucis uulgò dicta ubique religiosè celebratur. Fuit autem annus ille, quo hæc uictoria parta est, quartus & uigesimus supra sexcentesimum humanæ salutis, sextus Heraclij post egressum eius ab urbe. Cuspinianus.

Canutus à SVENONE III. Danorum rege uictus, ad Fridericum I. Imperatorem confugit, promittens, se patriæ procurationem in eius beneficio repositurum. Imperator Suenonem ueteris amicitiæ & commilitij monitum, promisso ho-

missio honoris incremento ad colloquium inuitauit. Quippe Sueno adolescentiæ tempore militaris rei perdiscendæ gratia sub Conrado Cæsare Friderico familiaris fuerat. Ergo, ut sola se Germanis fama cognitum etiam spectandũ exhiberet, cultiore pompa Mersburgum ingressus, ab Imperatore primùm ueneranter habitus, mox uario accusationis genere uexatus, disparem promissis fidem expertus est. Cui demum conditiones huiuscemodi datæ, ut ipse Imperatoris, Canutus uerò, renunciato regno, ipsius militem ageret, beneficij iure Sialandiam recepturus. Alioqui Imperatorem Canuto auxilio fore, expeditamq; cum eo manũ in Daniam missurum Sueno annuit. Saxo lib.14.

Trecentis & amplius annis à Carolo Magno, sub sexaginta tribus Pontificibus, licuerat episcopales dignitates & abbatias regi per anulum & uirgam conferre: idq; auctoritate, consuetudine, & priuilegiis uetustissimis, per tot annos erat firmatum. Pòst uerò Pontifices sanxerunt ecclesiasticam dignitatem uel inuestituram à laico minimè conferri posse: excommunicabantur quoq;, qui sic erant inuestiti. Ob eam causam HENRICVS V. rex Romam profectus, post salutationem atq; ingressum templi, quum iurium suorum confirmationem à Pontifice peteret, recusantem Pontificem cũ Cardinalibus cepit. Paschalis ergo II. octaua Paschæ, lecto euangelio, astante omni plebe, Henricum coram Principibus in Imperatorem ac Augustum coronauit, & priuilegiũ de inuestitura episcoporum ac abbatum, tam per anulum quàm per uirgam tradidit. ita tamen, ut post inuestituram, consecrationem tandẽ ab episcopo suscipiant, sic inuestiti à Rege aut Imperatore. Dum in celebratione Missæ Pontifex panem consecrasset, particulam manu sua Imperatori iis uerbis dedit: Domine Imperator, Hoc corpus Domini natũ ex Maria uirgine, passum in cruce pro nobis, sicut Sancta & Apostolica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem ueræ pacis inter me & te. Mox reuerso in Germaniam Imperatore, Pontifex diris prosecutus est Hẽricum, & easdem Gelasius II. cõfirmauit: Calixtus II. Principes commouit, ut de deponẽdo Imperatore cogitarent. Tandẽ inter Imperatorem & Calixtum pax facta est, ut Imperator inuestituram omnem per anulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem: ac regalia ablata, si qua haberet, restitueret, & restituenda procuraret. Pontifex rursus concessit electionẽ Episcoporum & abbatum in præsentia Imperatoris fieri sine uiolentia, ita ut electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Acta Vormaciæ nono Kalendas Octobris, anno MCXXII. Cuspinianus.

Captus erat Ioannes GALLORVM rex ab Edouardo III. Anglorum rege an.1356. Tandem pax his est facta conditionibus in uico Britiniaco, ut Angli in perpetuum Aquitania essent iis finibus, ad quos iungerentur Vascones, Pictones, Santones, Petracorij, Cadurci, Lemouices, Engolismenses, Caleti, Ginatum, & Pontium comitatus: & ipse Anglus nullum deinceps neq; uectigal penderet, neq; iusiurandũ Franco daret: sed è contrario quicquid iuris in Normanniam, Andegauenses Cenomanósue haberet, illud ipsum remitteret: utq; Anglus omni hæreditatis iure, quod in Franciæ regnum, in aliósue principatus, quos in Galliis ipsius maiores possedissent, sibi esset, Franco cederet: & Francus pariter iure sese exueret, quod in omnes Gallicanas urbes, quæ Angli in præsentia essent, haberet: ac tam sui quàm aliorum captiuorum redemtionis nomine, ad certam diem tricies centena millia aureorum solueret, datis obsidibus filiis Ludouico Andegauensium, & Ioanne Biturigum ducibus, cum alteris duobus ducibus Ludouico Borboniẽsi, & Petro Alenconiensi: qui eatenus in Edouardi potestate essent, quoad promissa sine fraude exoluerentur. Ex priore item formula exceptum est, ut Turones & Bononiæ comitatus Franci essent. Quibus rebus peractis, Edouardus Ioannem regem post quartum, quàm captus fuerat, annum, Caletum perduxit. Incidit hæc regum concordia in annum Salutis MCCCLX. Polyd.lib.19. & Aemilius lib.9.

CLEMENS III. pontificatu inito anno 1188. primùm omniũ Romanam controuersiam, propter quam Lucius, Vrbanus & Gregorius ab Vrbe propè in exilio abfuerant, componẽdam putauit: ac re cum Romanis agitata, haud ægrè, ut qui ciuis Romanus erat, ut ad obsequium Ecclesiæ redirent, euicit. Cæterùm res ita conuenit, ut Romani Patricium subrogarent: Senatores autem & præfectum Vrbis ita crearẽt, ut à Pontifice inuestituram per mantum acciperent. Qua re composita, ipse Romam ingressus cum Cardinalibus, ingẽti omnium lætitia est receptus. Atq; hunc in modum seditioni, quæ omnes post Innocentium pontifices agitarat, felix tandem est finis impositus. Sigonius lib.15. regni Ital.

Cùm Veneti Hierosolymitana expeditione præclaram Reip. Christianæ operam nauassent, & iam Tyrus obsidenda esset, quamuis Balduino Hierosolymorum rege à Turcis capto, sub primam obsidionem in has à VARIMVNDO Patriarcha Hierosolymitano & VENETIS uentum est conditiones, ut, quæcunque à BALDVINO rege in Syria fuerant priore bello Venetis concessa, eis rata manerent. Blondus Foroliuiẽsis ait, se priuilegij illius uidisse formulam, in quo hæc notata essent: ut in omnibus Hierosolymitani regni Antiochenique principatus urbibus, priuam arcam, priuum uicum, priuumque forum Veneti haberent: nec quidem ea tantùm, sed & alia quædam non pauca ad usum uitæ necessaria: negotia ad hæc, quæ Veneti in Asia facerent, omnibus essent uectigalibus immunia. Si quis Venetus naufragium fecisset, aut intestatus diem iis locis obiuisset, illius bona Veneti magistratus essent: cui quotannis regius quæstor ex Hierosolymitano ærario aureos numos trecentos numeraret. Hæc Balduinus postliminio reuersus rata omnino esse uoluit. Sab.lib.6. Dec. 1. Additum his, ut tertia parte Tyri & Ascalonis, ubi primùm eorum ope recepta fuisset, potirentur eo iure, quo qui optimo. Aemilius lib.5.

BONONIENSES uictis IMOLENSIBVS pacem his conditionibus concesserunt anno 1154. ut Imolenses quotannis in festo S. Petri ad aram maximam duas sericas mappas offerrent: unius portæ ualuas Bononiam deportarent: urbis muros Bononiensium arbitratu diruerent, dummodò portis, & templis, & priuatis ædificiis secundùm muros consistentibus parceretur. Sigonius li.12. regni Ital. Rursus Imolenses an. 1181. quòd Friderici I. Imp. partes secuti essent, prælio profligati, pacem à Bononiensibus his conditionibus accepere. Vt seruarent Bononienses Fauentinos, Sancassianenses, Castrimolenses, & res eorum: restituerent captiuos, quaternas mappas sericas, binas Bononiensibus, & binas Fauentinis in festo S. Petri darent: pedestres, equestresq; expeditiones, ac tributorum collationes utrisque conficerent: fossas urbis antiquæ complanarent quaternos pedes, qua parte murus non esset, ubi esset, quatuor pedes molirentur: & binas urbis ualuas Bononiam, binas Fauentiam mitterent: obsides darent, dum bellum esset cum Imperatore. Sigonius lib.14. regni Ital.

Bellum POLONORVM contra CRVCIFEROS in Prussia XIII annis gestum, quibus cõditionibus anno 1466. compositum sit, pete ex Cromeri lib.26.

ROBERTVS Guiscardus Normannus, magnam Apuliæ Calabriæque partem armis sibi & posteris parare studebat. Hanc externi hominis audaciam tollere NICOLAVS Pont. II. nitebatur, ita quidem, ut diris etiam illum persequi non dubitarit. Grauibus bellis exortis, tandem Robertus Pontifici sese subiecit: eum Nicolaus in gratiam recepit, donatum iure, quod dicunt, feudi multis Apuliæ & Calabriæ oppidis. Egnatius & Fulgosus lib.4. cap.2.

GVLIELMVS Rogerij regis F. patre defuncto, Beneuentana suburbia, Ceperanum & Babuchum in Hernicis de Ecclesia occuparat. Hadrianus mox in eum fulmen excommunicationis immisit, ac Emanuelem Græcum Imperatorem inuitauit, ut machinationes Gulielmi retunderet, datis quinque millibus librarum auri, & concessis tribus Apuliæ ciuitatibus. Id Gulielmus animaduertens, multò plura Pontifici obtulit, ut eum placaret. Sed quidã cardinales obsistebant, ne acciperet. Interea Gulielmo longè lateq; oram populato, Apuli & Salernitani deditionem fecere. Pp. Gulielmum spontè in gratiam recepit, eumq; in utroque regno inuestiuit, hac recepta promissione, quòd Romanam sedem perpetuo honore prosecuturus esset. Hinc Apuliæ seu Neapolitani reges quotannis pontifici uectigal persoluere consueuerunt. Bergomensis lib.12.

VENETI & GENVENSES grauissima bella inter se exercuerunt: maximè uerò sub Vrbano VI. pontifice, [redacted] Tandem cùm fessus & defatigatus iam uterque populus esset, dux Sabaudiæ Aymo pacem inter eos hac formula composuit, octauo Cal. Sept. 1381. ut regi Vngarorum decimo quoque anno Veneti septem millia numûm aureorum persoluerent, si nullum piratam in suis Dalmatiæ locis tutum esse paterentur, sique nullibi salem fieri sinerent: utque patriarchæ Aquileiensi in Foroiulio eadem maneret conditio, quæ ante bellum fuerat. Venetis autem & Genuensibus imperatum, ut captiuos utrinque incolumes dimitterent. De præda utrinque capta nulla mentio. Mandatum Carrariensi Patauino, ut ab obsidione Taruisij recederet, utque arces & turres in stagnis & ad fluuiorum ostia excitatas, statim demoliretur. Termini inter Venetum & Patauinum positi. Platina, & Sabellicus libro septimo & octauo, Decadis 2.

CAROLVS VIII. Gallorum rex rapta Anna Britannica, ducatum Britanniæ inuaserat. HENRICVS VII. Anglus à Maximiliano rege instigatus, bellum Gallo indixerat, & Bononiam tam obsidione arcta premebat, cũ pax inter Anglum & Gallum facta est, anno 1493. Summa fœderis fuit, ut Carolus primùm solueret bene magnam pecuniæ summam Henrico, pro sumtibus in id bellum factis: deinde in singulos annos millia aureorum uicena quina penderet, per aliquot annos, pro impensa ab Henrico facta in copias, quas Britannis auxilio misisset. Idem dedit & singulis Henrici consiliariis primariis munera, constituitq; tam ex sua liberalitate, quàm more maiorũ, ut ex ærario suo quotannis eis pecunia promereretur, quò consultando uel fauerent rebus suis, uel minùs aduersarentur: & id rege Henrico non abnuente: quoniam humanitatis est, à quouis, amicitiæ causa, donum capere. Franci reges postea bello Italico implicati, id annuum uectigal etiam Henrico oct..ao septimi filio pependerunt, quo tandem debitam pecuniam persoluerent, amicitiamq; seruarent. Polydorus lib.26.

Inter VENETOS & PHILIPPVM Vicecomitem Mediolanensium ducem Ferrariæ, anno 1433. pax his conditionibus composita est, ut Philippus Glarea Abduæ, id ei loco nomẽ est, decederet, utq; marchioni Montisferrati & Orlando Pallauicino dominatum redderet (utrunq; enim ditione paterna spoliauerat) Florentinorum, Lucensiũ, Senensium'ue, quæ bello capta fuissent, ad pristinos dominos recciderent, communi omniũ hoste habito, qui infra trigesimum diem capta non reddidisset. Platina.

Nicolaus Picininus PHILIPPI Vicecomitis, Franciscus Sfortia Venetorum copias ducebat. At uerò cum Picininus castra sua hostium castris magis indies conferens, eò discriminis Franciscum redegisset, ut neq; eius gregarius miles ire pabulatum sine periculo, neq; commeatus submitti tutò, neq; inde exercitus abduci sine magno discrimine posset: præter omnium spem pax subitò enunciata est, iam antea occultè agitata inter Philippum & Franciscum, Eusebio quodam, cognomento Chaim, ultrò citroq; commeante, ignaro Picinino: qui tanta re percepta, deos hominesq; accusabat, præcipuè uerò Philippi inconstantiam, qui uictor pro uicto pacem peteret. Digredientibus autem inde exercitibus, ad Caprianã pax hoc modo composita est, an. 1442. ut Franciscus Blancha Philippi ducis F. in uxorem ducta, Pontremolum & Cremonam dotem cum agro Cremonensi acciperet, præter Picigitonum, & ea castella, quæ Mantuanus & Pallauicinus de Cremonensibus possideret: utq; illa præterea, quæ Philippus, & qui cum Philippo sentiebant, bello cepissent, quæq; item Veneti, eorumq; socij, præter Asolam, Lonatum, Pischeriam, quæ Mantuani principis ante id bellũ fuerant, redderentur: utq; qui huic sententiæ stare noluisset, communis omniũ hostis haberetur. Platina.

Inter MATTHIAM Hungariæ regem, bello Turcico implicatum (qui pontificis instinctu regnum Boemiæ, uiuo Georgio Podiebradio, occupare conatus, eo mortuo in electione à Boemis præteritus fuerat) & VLADISLAVM Boemiæ regem Olomucij pax facta est his conditionibus, ut Vladislaus uniuersam sibi retineret Boemiam, & in Silesia Suidnicensem atq; Iauoriensem principatum: Matthias uerò Morauiam, Silesiam, cum reliqua parte Lusatiæ, hac conditione possideret, ut si prior ipse mortem absq; liberis obiret, possessa omnia, sine ulla controuersia & sine ulla pecunia ad Vladislaum regnumq; Boemiæ reciderent. Hærede autem relicto, ut is tantisper dictas prouincias regeret, dum ei ducenta millia aureûm nummûm à rege Boemiæ in limitibus Hungariæ adnumerarentur (etsi alij asserant, quadringenta millia annua fuisse pendenda cuicunque regi Hungariæ) Quòd si contingeret, ut Boemi eundem sibi Regem, quem Hungari, deligerent (eligi autem ipse maximè cupiebat) rursus sine ullius precij interuentu, ut auulsa à corpore ...membra, Boemiæ coniungerentur. Dubrauius lib.31.

VENETI ob Peloponnesi urbes, quibus Barbarus insidiabatur, longum & difficile contra TVRCOS bellum gessere. Tandem pax his facta est conditionibus circa annum Sal. 1477. Scodram Venetus cum Tænaro Laconiæ promontorio, & Lemno insula Othomanno relinqueret: darentq; illi quotannis octo aureorum millia eo nomine, ut Pontica nauigatio Venetis negotiatoribus tutò pateret. Sabellicus libro 10. Decadis 3. & lib.7. Enneadis 10.

CAROLO VIII. Gallorum regi cum MAXIMILIANO I. Imp. iustæ grauesq; inimicitiæ intercedebant. Nam Carolus paucis antè, quàm bellum Aragoniis faceret annis, Margaritam Maximiliani filiam, apud se in Gallia ab incunabulis enutritam, quanquam suauissimis moribus atque insigni forma præstantem, repudiarat, ut Annam Francisci citerioris Britanniæ reguli filiam, quæ Maximiliano desponsata fuerat, uxorem duceret, quòd per eam, dotis nomine, subactæ nuper, neque adhuc satis pacatæ Britanniæ citerioris imperio potiretur: adeò ut Maximilianus, duplici cõtumelia affectus, propter acerbissimarum offensionum magnitudinem in tam iusto atque inexpiabili dolore nunquã eas iniurias memoria depositurus esse uideretur. Verùm Ludouicus Sfortia, qui per eos dies Blancam Ioannis Galeacij sororem Maximiliano in matrimonium collocarat, & cum eo HELVETIORVM legati, qui magnam apud utrunque regem auctoritatem obtinebant, omnem eorum controuersiam composuerunt: quum Carolus remissa in Germaniam puella, & restitutis dotalibus oppidis, cũ multo uerborum honore Maximiliano satisfecisset: atq; in excusationem inhumanioris facti, se non regia libidine aut superbia inductum, sed impulsum temporum ac bellorum necessitate, ad eas nuptias descendisse fateretur, ut prouincia illa tantæ oportunitatis ad arcẽdas Britannorum classes, pro qua toties cruentè admodum decertassent, redemtis eo coniugio prouincialium animis, pristinæ quieti redderetur. Iouius lib.1. Historiarum.

CAROLVS V. Franciscum I. Gallorum regem ad Papiam captum in Hispaniam abduci curauerat, anno 1526. Pax facta Madrilij in Hispania. Soror germana Cæsaris Eleonora, quæ Lusitaniæ regi Emanueli nupta fuerat antea, desponsa fuit Galliæ regi. Cæsar in dotem ei promisit aureorum millia ducenta, & quædam in Heduis loca, de quibus inter ipsum atque regem erat controuersia. Rex autem, ubi domum redierit, intra tempus bimestre, Burgundiæ principatum, quem Galliæ reges inde à Caroli Burgundionis morte tenebant per annos iam ferè quinquaginta, Cæsari promisit reddere: deinde, Neapoli, Mediolano, Genuæ, Astæ, Flandriæ renunciauit: Henrico regi Nauarræ, Carolo duci Geldriæ, Vlrico Vuirtembergico duci, Roberto Comiti Marchiano nullam feret opem: per Italiam nulla tractabit occulta consilia: cùm in Italiam Cæsar ire uolet, classem ei subsidio mittet triremium sexdecim, omnibus rebus, præter quàm milite, instructam & ornatam, ac simul aureorum millia ducenta, ut armetur: quam Britanniæ regi Cæsar debet ex pacto pecuniam annuã, eam rex Anglo soluet (summa erat ducenta millia coronatorum) Borboniæ ducem Carolum atque socios in integrum restituet, suisq; bonis uti frui permittet, sic ut illis, ubicunq; uelint, habitare liceat: quam de prouincia Massiliensi Borbonius habet actionem, eius nomine rex iuri sese quouis tempore sistet. His conditionibus liberatus, Hispaniæ finibus egrediens, filios duos, Franciscum & Henricum, ualde paruulos, obsides ibi reliquit, uti cõuenerat: & nisi pacta seruaret, captiuum sese denuò sistere pollicetur. Domum reuersus, quas pactus erat pacis conditiones, iniquas esse dicebar, nec illis uoluit teneri. Missis igitur ultrò citroq; legatis, pontifex & Veneti fœdus cum eo faciunt, cùm eum pontifex à iureiurando Cæsari dato soluisset. Capta inde à Borbonio Roma, cum Anglo conspirat Gallus, & filios obsides, data pecunia, liberari petit. Cæterum cùm & liberorum suorum desiderio afficeretur, & per Italiam infeliciter bellum gereret, amisso exercitu atque Imperatore Lautrecho ad Neapolim ui pestilentiæ, Andrea item Auria Genuate ad Cæsarem deficiente, restituta patriæ libertate: ad pacem animum adiecit. Itaque Cameraci, oppido Belgicæ, pacem fecerũt, & illud ante triennium in Hispania factum de Lutheranis excindendis decretum repetierũt, ac denuò confirmarũt. Reliquæ conditiones, partim fuerunt mutatæ: nam Burgundiam Cæsar Gallo permisi, si marem è sorore susciperet: Rex uerò pro liberatione filiorum Cæsari dependit aureorum millia uicies centena, & in his debitum Anglicanum. Anno 1529. Sleidanus lib.6. ex Iouio, Guicciardino, Polydoro lib.27.

Religiosæ conditiones.

CAROLVS V. contra Gallorum reges FRANCISCVM I. & HENRICVM II. uaria bella gessit. Pax sæpe facta, conditionibus diuersis aliis, hac sola constante, contra Lutheranos uelis equisq; pugnandum. Anno certè 1544. cùm Parisios propemodum obsideret Cæsar, pax præter spem omnium composita, nec multo pòst Valdenses in prouincia Narbonensi excisi, religionis nomine. Sleidanus lib.15.

Nuptiales.

CYAXARES Medorum rex Alyatti Lydo bellum fecerat integro sexennio. Tandem fœdus affinitate firmatum. Arsena Alyattis filia Astyagi Cyaxaris filio connubio locata. In fœdere sanciendo, uetusto gentis instituto, memorabile illud seruatum, ut brachia circa humeros ferientes, uterq; alterius sanguinem lamberet. Sabellicus lib.4. En.2.

ANTIOCHVS Deus, aduersus PTOLEMÆVM Philadelphum gessit bella quàm plurima, & totis Babylonis atque Orientis uiribus dimicauit. Ptolemæus ut molestũ finiret certamen, filiam suam Berenicen Antiocho uxorem dedit: duxitq; eam usque Pelusium, & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit. Vnde φερνοφόρος, id est, dotalis appellata est. Hieronymus in Danielis c.11.

L. Scipio Asiaticus, P. Scipionis Africani frater, post superatum Antiochum, & Asiam bello uictam, peculatus crimine accusatus à Tribunis plebis, cùm in carcerem duceretur,

TIBERIVS Gracchus, Tiberij & Caij Gracchorum pater, Tribunus plebis (qui antea, quòd de Repub. cum Africano dissentiret, infensus Corneliorum gēti fuerat) intercessit, eúq;, ne in carcerem coniiceretur, inhibuit. Cuius rei beneficio amicitia inter capitales inimicos conciliata, & affinitas facta est. Non contentus enim P. SCIPIO, auctore Senatu, in Capitolio Iouis epulo quasi diis arbitris cum Graccho concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibidem despondit. Val. Max. lib. 4. cap. 2. & Plutarchus in Graccho.

CANINIVS Gallus reum pariter atq; accusatorem admirabilem egit, & C. ANTONII, quem damnauerat, filiam in matrimoniū ducendo: & M. Coloniū, à quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo. Val. lib. 4. ca. 2.

C. IVL. Cæsar, quò penitius in potentiam insinuaret se POMPEII, cùm filiam Iuliam haberet Seruilio Cæpioni pactā, hanc Pompeio despondit: Seruilio Pompeij filiam ostendit se iuncturum, ac ne eam quidem illocatam, sed Fausto Syllæ filio destinatā. Breui pòst Cæsar Pisonis filiam Calphurniam nuptiis sibi adiunxit: Pisonem in proximum annum consulem creauit. Quo tempore palàm testatus est Cato, clamauitq; rem indignam esse, ut addiceretur nuptiarum lenociniis imperium, ac per mulieres mutuò se ad prouincias, imperia, exercitus proueherent. Plutar. in Cæsare.

AVGVSTVS & M. ANTONIVS Triumuiri fœdus inter se nuptiarum uinculo conglutinarunt, & Cæsar Fuluiæ filiam duxit, priuignam Antonij Clodiam. Plut. in Antonio.

M. ANTONIO cum ducentis nauibus in Italiam contra Octauium, qui Fuluiam Antonij uxorem ex Italia expulerat, tendēte: Fuluia in itinere ex morbo Sicyone mortua; amicorum opera reconciliatus est Octauio Antonius, partitiq; inter eos sunt imperium. Orientem Antonio, quà mare Ionium terminaret: Cæsari attribuerunt Occidentem: Africā Lepido permisere. Consulatum gerere cùm ipsi nollent, statuerunt ut utriusq; amici cum caperent uicissim. Quæ cùm probarentur, arctius requirebant uinculum. Itaq; Octauiā sororem Cæsaris, natu eo maiorem, sed non uterinam (ex Ancharia enim illa, hic post eam ex Accia fuerat genitus) C. Marcelli uiduam, Antonio despondit. Plut. in Antonio.

Normanni Galliam miserè populati sunt per XL annos: nec erat incursionum ullus finis, quoad ROLLONEM Normannorum ducem CAROLVS Simplex, Gallorum rex, generum sibi creauit, data illi filia Gilla in uxorē, & in dotem Neustria, quæ ab Epta fluento ad Britones terminatur, clauditurq; Gallico Oceano. Est tum Rollo initiatus sacris, & lauacro baptismatis ablutus, Robertusque appellatus: Neustria Nortmannia uocata, quòd eam homines à Septentrione profecti occupassent. Cuspinianus.

Duæ in Romano orbe, apud Galliæ Germaniæq; fines, claræ fuerunt familię, una Henricorum de Guibelinga, alia Guelphorum de Altorfio, altera Imperatores, altera magnos duces producere solita. Istæ glorię æmulatione Germaniæ quietem multoties perturbarunt. Imperante aūt Henrico V. FRIDERICVS dux Sueuiæ, Guibelingus, Noricorū ducis Guelfi filiam in uxorē accepit, & ex ea Fridericum genuit: quem mortuo Conradō Imp. Principes, quasi, tanquam angularis lapis, utrorumq; parietum dissidētiam unire posset, an. 1154. regem constituere, eumq; Conradi filio Friderico adhuc paruulo præposuere. Otho Frisingensis.

Per XXX annos ANGLI cum Scotis rebellibus uaria fortuna dimicarunt. Tandem regi DAVIDI Edouardus III. Ioannam sororem locauit, & pax facta est. Polyd. lib. 19.

Graues inter se CAROLVS VI. Gallorum, atq; RICARDVS II. Britannorum reges, inimicitias ac bella gesserunt: & tamen in colloquium deducti, ita abiēre, ut non inimicitia solùm, uerùm affinitate quoque, Isabella Caroli filia in matrimonium Ricardo collocata, iungerentur. Egnatius & Fulg. lib. 4. cap. 2.

HENRICVS V. Anglus, CAROLO VI. Francorum rege Burgundionū bello graui implicito, Normāniam, expugnata Rothomago, eripuit, magnaq; Franciæ parte subacta, reginam Francorum cum filia Catharina, unà cum Parisiensi urbe, Bria, atque Campania, Philippi Burgundiæ ducis (cuius patrem Ioannem uniuersa hæc in potestate habentem sua, dolo Franci interemerant) auxilio cepit. Hinc ab armis ad amores animum conuertit, captus captiuæ forma, factaq; pace cum Carolo, Catharinam uxorem duxit, his legibus, ut si ante Henricum uita Carolus defungeretur, in regnum Francię Henricus succederet: sin Henrico priùs defuncto mascula relicta soboles esset, mortuo Carolo, illi regnum Franciæ cederet. Quibus pactis sublatum fuit ius omne Caroli VII. filij, prorsumq; is exhæredatus est. Quamobrem defuncto patre arma resumsit. H. Boetius lib. 16.

EDOVARDVS Plantaginetus Britannorum rex, cum ualido exercitu contra LVDOVICVM XI. in Galliam traiecit. Priusquam prælium committeretur, in colloquium reges uenēre, atque inde conciliata amicitia atque affinitate, ambo retrò in patriam recessere. Edouardi filia Ludouici filio, qui penè infans erat, in matrimonium promissa. Fulgosus lib. 4. cap. 2.

Ob Aurelianensis CAROLI & Burgundi PHILIPPI ducū inimicitias Gallia ferro igneq; miserè uastata est. Nam Parisiis Aurelianensis Caroli pater, patris Philippi ducis Burgūdiæ opera cæsus fuerat: & dum Carolus patris mortem ulcisci quærit, Philippi quoq; pater interfectus fuerat. Expleta utrinque ira, mutuam amicitiam inierunt, Philippi Burgundiæ ducis nepte in matrimonium Aurelianensi duci locata. Ibidem.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex Leonis X. pontificis opera cum HENRICO VIII. Anglo pacem fecit, ducta in uxorem Maria eius sorore, hac lege, ut Ludouicus rex augeret dotem puellę Mariæ, assignatis agris, ex quibus illa post mortem uiri, uectigal ad tricena bina millia coronatorum in singulos annos caperet, & millia centum penderet quotannis Henrico, usq; ad quinquennium completum. Polydorus libro 27.

Fuerunt graues inter Magnum SFORTIAM inimicitiæ (cùm Ioannæ secundæ Neapoli regnantis copiarum militarium dux esset) & PANDVLFVM Alopum, ab eadem Ioanna plusquam pudicitiæ ratio pateretur amatum. Itaq; cùm apud reginam plus ob amorem posset Pandulfus, Neapolis Sfortia custodiri iussus est. Cæterùm postea aduentante Iacobo rege, communis timor ex inimicitiis amorem inter utrumq; peperit: collocataq; Catharina sorore in matrimonium, cum Sfortia Pandulfus beneuolentiam affinitate confirmauit, ut Sfortia Magnus in Neapolitano regno Comestabilis (quæ post regiam maior potestas erat) crearetur. Fulg. lib. 4. cap. 2.

Cùm inter GALEACIVM Vicecomitem, Matthæi filium, & ACTIVM Estensem, Ferrariæ principem, odia arderent, armatiq; ambo in agro Cremonensi ad Abduam amnem infestis exercitibus conuenissent: inita pace atq; affinitate inimicitias posuerunt, Galeacio in matrimonium Actij sorore Beatrice data, quæ mortuo Nino priore uiro, Gallurræ iudice (ea enim potestas insignis in Gallia erat) Alberti Scoti filio, qui Placentiam obtinebat, promissa fuerat. Cùm postea Alberti Scoti opera, ut prælatum sibi Galeacium ulcisceretur, Galeacius cum Matthæo aliisque Vicecomitibus patria pulsus esset: magna fide ab Actio exceptus, eum, qui tanto casui necessaria præstaret, promtum habuit. Fulgosus libro 4. cap. 2.

Graui olim bello pressit urbem Mantuam BERNABOS Vicecomes, cùm in ea LVDOVICVS Gonzaga rerum potiretur. Tandem inter eos & pax & affinitas conciliata est, Bernabouis nepte in matrimonium Vgolino Ludouici nepoti locata, accipitris auis annuo censu constituto, pro urbe Lepidi Regio, quam is restituere Bernaboui debebat, à Feltrino patruo armis retentam. Ibidem.

Atroces inimicitias inter se exercuerunt HERCVLES Estensis, ac FRIDERICVS Gonzaga Mantuanus marchio, propter Nicolai Estensis mortem ab Hercule occisi, qui Friderico arcta affinitate iunctus erat. Cùm uterq; populi Florentini stipendia mereret, in iisdem castris in Hetruria, prælio inter utriusque milites exorto, summa rerum (nisi quòd Alphonsus hostis aberat) penè in extremum discrimen adducta fuit. Haud multo pòst conciliata inter ambos amicitia, Hercules Isabellam filiam Francisco, Friderici filio, coniugem dedit. Ibidem.

Non minoribus odiis inter se decertauerunt RENATVS Andegauensis, Barri atq; Lotharingiæ dux (qui postea regni Siciliæ titulum usurpauit) & ANTONIVS Validi montis Comes. Nam cùm Renatus Validum montem obsideret, ab Antonio ipsius loci comite & Burgūdionibus fusus atq; captus, Diuionem fuit perductus. Philippi Burgundiæ ducis opera conciliati, affinitatem quoq;, Ducis filia in matrimonium Comitis filio locata, iunxerunt: auctoq; indies amore, cùm Ducis stirps deficeret, Renatus ex nouo matrimonio natus, materni aui magna ex parte hęres fuit. Ibidē.

Diu grauibus inter se odiis GENVENSES atq; Pisani decertauēre, cùm Pisas Vgolinus comes, Genuam autem duo Oberti Auria & Spinola gubernarent. Anno 1284. cùm deleta Pisanorum ingenti classe, LOTHVS Vgolini Comitis filius, in prælio captus, quadriennium in Genuensium potestate fuisset, Gibellina factio Pisis Lothi parentem atq; fratres obsessos fame confecit. Cæterùm cùm postea initam Pisani cum Genuensibus pacem uiolassent, Lothus è carcere missus, atque à Genuensibus ciuitate donatus, Oberti Spinolæ gener factus est. Ibidem.

Magnæ inimicitiæ inter duos ALPHONSOS, Castulonensem Legionensemq; reges fuēre: sed Helionoræ Castulonensis opera, Legionensis Alphonsus alterius Alphonsi gener factus est. Fulg. lib. 4. cap. 2. & Egnat. lib. 4. cap. 2.

VLADISLAVS Locticus, Polonorum rex, Crucigerorum simul & Lituanorum armis pressus, misit ad GEDIMINVM Magnum ducem Lituaniæ legatos, qui fœdus cum eo ferirent, & filiam eius Cazimiro regis filio uxorē peterēt: nec dotem aliam ab egeno principe, quàm captiuorū omnium Polonici generis missionem postularēt. Gediminus spōsam cū eis misit. Quæ ingentibus omnis conditionis sexus atq; ætatis captiuorum cateruis comitata, ueniens Cracouiam, religionemq; Christianam à Nankero episcopo edocta, & sacro lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextumdecimum annum agēti nupsit, anno Christi 1325. Atq; ex eo tempore Polonia populosior esse cepit, dimissis ac deductis quoquo uersus agricolis, qui ex captiuitate redierant. Cromerus lib. 11.

Anno 1505. inter LVDOVICVM XII. Galliæ regem & FERDINANDVM Hispaniæ pax facta, connubiumque inter ipsum & germanam Foisciam, Galliæ regis sororis filiam, ea lege contractum, ut illi rex Galliæ, regni Neapolitani partem, quæ ad se spectabat, dotis nomine daret, & Hispaniæ uicissim illi decem annorum spacio, septies centena aureorum numûm millia, pro sumtibus sarciendis persolueret: & nouæ nuptæ tria millia auri pōdo dotis nomine constitueret. Guicciard. lib. 6.

Sanguinariæ conditiones.

PILATVS & HERODES rex inimici prius, in opprimendo Iesu Christo benedicto amici facti in sacra legūtur historia. Quorum exempli utinam nostro hoc seculo pauciores extarent imitatores.

TRIVMVIRI Augustus, Antonius & Lepidus congressi in modica insula amne circūflua, triduū in colloquio fuere: totumq; imperium inter se, sicut patrimonium suum, sunt partiti: feruore in eos quos oderant, & cognatorū reuerentiam & amicorum beneuolentiam postmittentes. Cicerone cessit Cæsar Antonio, huic Antonius L. Cæsare auunculo suo. [redacted] fratrem suum trucidari. Alij ferunt Lepid[redacted]is Paulum, quem [redacted] deposcebant, [redacted] equidem arbitror atro-ciu[redacted]nius extitisse. Nam cùm cædibus cædes muta[redacted] occiderunt illos, quos condonabant, quàm [redacted]ant. Iniquiores autem fuerūt in amicos, quos nullo adducti odio peremerunt. Plut. in Antonio.

[redacted] Cum uitæ cautione.

Aristoteles in ARCADVM fœdere [redacted] SPARTANIS [redacted] quoq; [redacted] positum, Vt nequeunt [redacted] Spartanis sociatorum bonum [redacted] interficerent. Plu [redacted]

CVR CAVSA

Reipublicæ seruandæ.

CRETENSES cùm frequenter factionibus & bellis intestinis inter sese pugnarent, inuadentib. aliunde hostibus, missa cōtentione coniuncti sunt. Plut. in comment. περὶ φιλαδελφίας prouerbium hinc ortum ait, Συγκρητισμόν. Simile quiddam refert de SVDRACIS & MALLIS Q. Curtius lib. 9. quos aliàs bellare inter se solitos, periculi societas iunxerat, imminente Alexandro. Erasmus in Chiliadibus.

ARISTIDES exul & THEMISTOCLES infestissimis odiis laborantes, diuersas in repub. Atheniensium factiones sequebantur. At interueniente Persa communi hoste, conuenientes in unum, uterq; dextram manum demisit, atq; complicatis digitis acclamarunt: Inimicitias hîc deponimus, donec bellū aduersus Persam cōfecerimus. Hæc locuti, manus distractis digitis, quasi odio deposito, sustulerunt. Deinde simul obruta fouea, redierunt, & per totum bellum in concordia permanserunt. Maximè uerò effectum est unanimitate ducum, ut Barbari uictoriam amitterent. Polyæn libro 1. & Plutarchus.

Sex. LIVIVS Salinator, etsi CL. Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus: tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatu dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauissimam acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne si diffidente animo consortium imperij usurpare uoluisset, pertinacem exhibendo inimicum, malum consulem ageret. Quæ quidem mentis in tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo, plurimum salutis urbi atq; Italiæ attulit: quia pari uirtutis impetu connixi, terribiles Punicas uires contuderunt. Val. Max. lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. 2.

M. AEMILIVS Lepidus bis Cos. & Pont. max. diutinas ac uehementes inimicitias cum Ful. FLACCO eiusdem amplitudinis uiro gessit: quas, ut simul censores renunciati sunt, in campo deposuit: existimans nō oportere eos priuatis odiis dissidere, qui publicè summæ iuncti essent potestati. Valerius ibidem, & Gellius.

Cùm Syllano bello CN. Pompeius Mutinę M. BRVTI patrem occidisset, & bello, quod postea inter Cæsarem Pompeiúmque ortum est, uideret Brutus id Cæsarem eniti, ut patriam opprimeret, pluris patriæ quàm suam fecit iniuriam. Itaq; patriæ, quod à Pompeio acceperat, iniuriarum cōdonauit: atq; in ipsius partes, quem nunquam ad id tēpus alloquio dignatus erat, se contulit. Plut. in Bruto.

Securitatis.

FRANCISCVS Sfortia, raræ prudentiæ & uirtutis princeps, quamuis ob grauissimas ab Alfonso Ferdinandi patre acceptas iniurias, Aragoniis esset infensus, ueteri autem amicitia cum Andiouinis coniunctus: nihilominus tamen, cùm Ioannes Renati Andiouinorū ducis filius anno MCCCCLVII in regnū Neapolitanū inuaderet, tāta alacritate Ferdinando affuit, ut ab eo præcipuè uictoria agnosceretur: id autem fecit, quòd minimè tutum sibi Mediolanensium duci arbitraretur, si Galli usqueadeò uicini tam opulento in Italia regno potirentur: quæ res Philippum Mariam Vicecomitem Mediolanēsem induxerat primùm, ut relictis Andiouinis, quibus antea semper studuisset, Alfonsum hostem suum à Genuensibus in pugna nauali ad Caietam captū, & cum suorum nobilitate uniuersa Mediolanum adductum, liberum abire permitteret. At Ludouicus Francisco patri dissimilis, Carolum VIII. Gallorum regem contra Aragonios euocauit. Quo incendio modò non uniuersa conflagrauit Italia. Guicciardinus lib. 1.

CAROLVS VIII. Galliæ rex, Aragoniis Ferdinando eiusq; F. Alfonso Neapolitanis regibus bellum magno ardore illaturus, controuersias, quas cum FERDINANDO & Isabella Hispaniæ regibus habebat, composuit. Fuit in hoc fœdere, magna ceremonia & iureiurando ab utraque parte in templo publicè sancito, expressum, ne Ferdinandus & Isabella (ab his enim Hispania communibus auspiciis regebatur) uel directè uel obliquè Aragonios iuuarent: affinitatem cum eis nouam ne contraherent: nec ullo modo ad Neapolitani regni defensionem Carolo sese opponerent. Hæc ut ille obtineret, initio facto à iactura certa, in spem rei incertæ adipiscendæ, Perpennianum, cum uniuerso Ruscinonensi agro, multis antè annis à Ioanne Aragoniæ rege Ferdinandi patre, Aloisio patri oppignerata, gratis restituit. Quæ quidem res toti Galliæ regno molestissima fuit: quòd illa regio ad radices Pyrenæi montis sita, & idcirco ex antiqua diuisione ad Galliam pertinens, Hispanos ea ex parte Galliæ aditu prohibebat. Cum Maximiliano quoque rege Romanorum, & cum Philippo Archiduce Austriæ, eius filio, eandem ob causam pacem fecit: siquidem cum his grauissimæ ueteres & nouæ inimicitiæ causæ intercesserant. Guicciardinus libro 1.

Gloriæ.

ALPHONSVS, Aragonum rex, quum Florentinis ac Venetis petentibus pacem dedisset, & regiorum plerique, gloriæ studio flagrantes, permolestè hoc ferrent, eo quòd in eo bello magnificum ac gloriosum aliquod facinus edere potuissent, à quo iam pace comparata se frustratos planè agnoscerent. &, dixisse fertur: Bono animo estote, commilitones: nam & uirtuti uestræ, & mihi consulemus. Gloriosissimum est, sine cruore, uictoriam adipisci. Et quid aliud pacem tam submissè petentes confitentur, quàm se uictos, nos autem uictores esse? Panormita libro primo, de Rebus gestis Alphonsi regis.

Piorum hominum salutis.

Anno XXI. sui imperij THEODOSIVS cùm Persas deuicisset, tamen habita ratione Christianorum in Perside uiuentium, paci studuit, eamque missis legatis confirmauit. Ea res Christianorum persecutionem sedauit. Cedrenus.

Oppressionis hostium communium.

HERODES & PILATVS cùm inimici essent, facti sunt amici, ut Iesum perderent. Sic facinorosos homines par perpetrandi mali uoluntas coniunxit, quos alienauerat odium. Minus nocentes fuissent, si in pristinis simultatibus perseuerassent. Non debet esse reconciliationis causa consensio mali, sed boni. Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioannis 18.

Flagrante ALCIBIADIS cum NICIA simultate Athenis (cùm Nicias paci, Alcibiades bello studeret) atque irrogatione instante exilii decennalis per ostracismum, ingens utrumque pauor occupauerat, quòd alteri ipsorum omnino putarent exilium imminere. Quippe Alcibiadis execrabantur uitam, audaciam uerò trepidabant: Nicia opes inuidiam conflabant, maximè mores nec humani nec populares: & quia magnoperè iam contra eorum sententiam reluctatus ipsorum libidini fuerat, ipsosque ad id, quod in rem foret, adegerat. Breui iuuenum erat & bellandi cupidorum aduersus pacificatores & seniores certamen: atque

hi exilium in hunc, illi detorquebant in illum. Distracta tunc in duas ciuitas factiones, dedit audacissimis & uersutissimis locum. in quibus Hyperbolus erat Perithœdes, homo ex nullis animum sumens opibus, sed ex audacia ad opes promotus. Hic cùm speraret altero illorum ciuitate exacto parem se fore manenti, demonstrabat apertè, gaudere eorum dissidio se, stimulabatque in eos populum. Cuius animaduersa Nicias & Alcibiades nequitia, in secreto collocuti inter se, utramque factionem confuderunt in unum: itaque effecerunt, ut neuter ipsorum, sed Hyperbolus in decennium expelleretur. Plutarchus in Alcibiade.

In Seleucia, Babyloniæ urbe præcipua, semper Græcis malè cum Syris conuenit, Græcorum tamen factione præponderante. Quò postquam à Iudæis migratum est, pulsis è reliqua Babylonia propter seditionem à duobus fratribus Iudæis motam, sub Caio Cæsare, & Artabano Parthorum rege: eorum fauore conditio SYRORVM cœpit esse potior, aucta uiris bellicosis, & periculorum contemtoribus. Quare Græci succumbentes, & uidentes se non posse recuperare dignitatem pristinam, manente Iudæorum & Syrorum consensu, suos quique familiares Syros appellauerunt de pace & amicitia. id quòd facilè impetratum est. Nam cùm utrinque primatibus commissum esset negotium, secuta est reconciliatio: quam ita demum ratam fore placuit, si utrique Iudæos communibus prosequerētur odiis. Eos igitur ex improuiso aggressi, occiderūt supra quinquaginta uirorum millia: nec ullus euasit, nisi si quem amici aut uicini seruauit misericordia. Reliqui deinde secesserunt Ctesiphontem, urbem Græcanicam, uicinam Seleuciæ, ubi quotannis rex hybernare erat solitus, habens ibi maiorem suppellectilis partem repositam: ibique sedes fixerunt, tutos se rati regiæ maiestatis reuerentia. Cæterùm Babyloniorum ac Seleucensium terror omnes eius tractus Iudæos peruagatus est: quando quicquid erat Syrorum in illis regionibus, cum Seleucensibus conspirauit in eorum perniciem: quo factum est, ut plerique Neerdam & Nisibim se receperint, securitatem suam reponentes in earū munitionibus, quæ alioquin etiam habitabantur à uiris bellicosissimis. Iouius libro decimooctauo, capite ultimo Antiquitatum.

Graues inimicitias inter se diu gessere VEREMVNDVS Castulonensis, & GARSIAS Temulētus Nauarræ reges. Cæterùm cùm Saracenorum armis Veremundus infestaretur, ut primùm ab eo ad ferendam opem Garsias uocatus est, positis statim inimicitiis, belli partem suscepit: factique eo bello amici sociique, mutuum dum uixerunt amorem seruauere. Fulgosus libro quarto, capite secundo.

Propulsationis hostium.

ACHAZ rex Israelitarum misit nuncios ad regem Assyriorum dicens: Seruus tuus ego sum: ascende & libera me de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexerunt aduersum me. Tulit autem aurum & argentum, quod inuentum est in thesauris domus Domini, & in domo regia, & misit regi Assyriorum munera: audiuitque eum rex Assyrius, & uenit Damascum, & cœpit eam, & Rasin interfecit. Hieronymus comment. in Esaiam lib. 4. cap. 10.

Xerxe contra Græcos exercitum ducente, quicunque libertatis studiosi erant GRÆCI, in unum conuenerunt: consilioque habito, uisum est ante omnia missas faciendum pecunias debitas, & inimicitias cùm priuatas tum publicas, auctore Themistocle. Erant autem cùm alia aliorum bella, tum uerò maximum inter ATHENIENSES & AEGINETAS. Herodotus lib. 7.

ARATVS Sicyonius, Achæorum prætor, Acrocorinthum Antigono eripuit, & Macedonas Peloponneso expulit. Cæterùm Cleomenis Spartani successibus pressus, Macedonum opem Acrocorinthi mercede impetrauit, & sese ANTIGONO coniunxit. Antigonus illum & primo occursu excepit honorificentissimè, & pòst uirum bonum cordatùmque expertus, in consuetudinem interiorem admisit. Plutarchus in Arato.

BASILIVS & CONSTANTINVS Imperatores, turperati, se uetere tot annorum Apuliæ Calabriæque fuisse possessione deiectos, SARACENIS, quos nuper Creta exegerant, magna mercede conductis, Italiam inuaserunt, & Bario ac Matera urbibus expugnatis, Apuliam primùm, deinde nemine prohibente Calabriam receperunt: arma longiùs etiam promoturi, nisi uis maior aliqua obstitisset, anno 979. Sigonius lib. 7. regni Ital.

PICTI Scotorum Britannia pellendorum auctores Maximo Rom. legato, tandem Romana tyrannide oppressi, FERGVSIVM Ethodij nepotē (Ethodius autē ultimi Scotorum regis Eugenij frater fuerat) è Dania uocatum, ad auitum regnum repetendum inuitauere. H. Boëthius lib. 7.

[redacted]

AMICITIA NON INITA. HVC AMICITIAE POLITICAE

EXPETITAE DENEGATIO.

NEMPE

Fœderis. Fœdus non initum.

Omnibus Italiæ principibus inter se disiunctis, dum alij cum rege Galliæ Carolo VIII. Aragoniis bellum facturo, alij contra facerent, soli VENETI neutram partem secuti, rerum exitum otiosi expectare statuebant: siue quòd eis molestum non esset Italiam perturbari, ea spe, ut ex aliorum diuturnis dissensionibus suum augerent imperium: siue quòd sua potentia freti, uictori se prædæ futuros cùm non magnopere timerent, insipientium esse ducerent, aliorum bella sua propria, citra euidentem necessitatem, facere. Guicciardinus libro primo.

PAVLVS Guinisius, Lucensium tyrannus, suorum ciuium libertate oppressa, ita res eius urbis administrauit, ut omnibus bellis, quibus per id tempus ualde est Italia concussa, nulli hominum ex fœdere socius fuerit, nulli hostis. Quo factum est, ut ne amicum quidem haberet. Oderant itaque multi intempestiuum Guinisij otium, sed omnium maximè Florentini, qui longo & laborioso bello contra Philippum Vicecomitem nihil à Lucensibus adiuti erant. Ergo pace inter Venetos & Philippum firmata, Guinisius Florentinorum armis pressus, cùm Philippi ope implorata, cum hostibus clàm de pace agere deprehensus esset, uinctus Mediolanum missus est, Lucensibus restituta libertate. Sabellicus libro 2. Enneadis 10.

Ciuitatis. Ciuitas denegata.

Præcepit Moses Israelitis, ne AMMONITAM aut MOABITAM in ciuitatē suam admitterent, ne decimam quidem eorum progeniem: quia non suppeditassent illis ex Aegypto egressis cibum & potionem, quin potius Balaamum Phegoris F. conduxissent precio, qui Israelitas diris ageret. Eorum saluti aut bono nunquam per omnem uitam studerent. Ab Idumæis autem non abhorrerent, quia ab Esao oriundi fratres ipsorum essent. Ab Aegyptiis non abhorrerent, quia fuissent in eorum terra peregrini: quorum tertiæ propaginis nati in ciuitatem poterant recipi. Deuteron. 23. Iidem Domini iussu eunuchum aut testes comminutos habentem, aut spurium, usq; ad decimam eius progeniem, in ciuitatem non recipiebant. Deuteronomij 23.

Solis AEGYPTIIS Romani interdixere, ne cuiuslibet ciuitatis participes esse possent: idq; propter portentosas illorum superstitiones. Iosephus lib. 2. contra Appionem.

Militiæ, Commilitij.

Alcmæon Amphiarai filius, unà cum Diomede reliquisque Epigonis suscepto contra Thebanos prælio, reque benegesta, cum Diomede societatem iniit, & cum illo de Oenei hostibus ultionem sumsit. Cumque illis Aetoliam tradidisset, ipse Acarnaniam inuasit. Eo tempore Agamemnon Argiuos aggressus, Diomedis factionem facilè superauit. Paulo pòst cùm aduersus Ilium incidisset expeditio, ueritus ne Diomedes domum repetens proprium uendicaret imperium, Diomedem spe capessendi Argos, in belli societatem acciuit. Diomedes, obsecutus, in militiæ partem accessit, indignè id ferente Alcmæone. Quamobrem soli ACARNANES in nullam cum reliquis Græcis Troianæ militiæ partem uenére. Strabo lib. 10.

OBLATAE REPVDIATIO.

SPERTHIVS & BVLIS amicitiam Xerxis regis, HIPPOCRATES regis Artaxerxis, AGESILAVS similiter, C. FABRICIVS Pyrrhi, POMPONIVS & SERTORIVS Mithridatis constanter respuerunt. Vide Tit. Fidei in patriam, Amicorum contemtu.

Phocion cùm XENOCRATEM philosophū uideret pensionē, ut inquilinum pendere, instituit eum in ciuitatem asscribere. Quod ille abnuit, nolle se dicēs in ciuitatem accipi eam, pro qua legatus fuerat, ne esset libera. Plut. in Phocione.

Quum Eumenes rex Romam uenisset, & à Senatu honorificè exceptus, clariss. ciuiū frequentia stiparetur: M. CATO Censorius uitabat regis consuetudinē. Id quibusdam admirantib. ac dicentib. Eumenem uirum esse probum, ac amico in populum Rom. animo: Sint ista uera, inquit, attamē illa bellua naturâ ferox est. Sentiens, oēs reges, utcunq; pro tēpore simulent, naturâ tyrannos esse, ac Democratiæ infensos. Romæ aūt regis nomen erat inuisissimum. Erasm. lib. 5. Apoph.

AMICITIAE POLITICAE AVCTORES, SVASORES.

RESPECTV MODI.

Plinius lib. 7. est auctor, THESEVM primum fœdera reperisse. Sed Diodorus lib. 6. Mercurio assignat. Polydorus de Inuent. rerum putat Theseum apud Græcos duntaxat fœderis auctorē fuisse, quando ex Iosepho de Antiquit. Iud. constet, cùm antea, tum Cecropis tēporibus (post quē demum teste Eusebio in 10. de Præparatione Euang. Græcorū memoriæ ceperunt) fœderis paciscendi morē apud Assyrios & Aegyptios, nonnullosq; alios fuisse, sed præsertim apud Hebræos. Nam Iacobum, qui multo ante Cecropem fuit, apud eundem Iosephum legimus, cum Labane socero fœdus fecisse: inde Mosen (qui Cecropis tempore fuit) ultrò certum fœdus obtulisse quibusdam regibus, quum sibi per deserta loca tutum iter peteret. Iosuam quoque Mosis successorem cum Gabaonitis fœdus percussisse constat.

RESPECTV PERSONARVM.

AVCTORES Amicitiæ INTER

Non Amicos contrahendæ.

SCYTHARVM mos fuit, ut filios suos ad bonorū amicitias ineundas plurimùm adhortarentur, uelut firmissima uitæ præsidia. Apud quos is habebatur affluens & beatus, qui pluribus familiaribus fultus foret. pro certo arbitrati, in rebus afflictis nulli unquā satis fuisse amicorum. Alex. l. 2. c. 25.

SOCRATES uiros probos & opulētos id unum studere debere ad Critonē dicebat, uti custodes opulētiæ suæ alioqui inuidiosissimæ haberent, tanquā canes gregū propugnatores. Itaq; monuit Critonē, ut Archidemū uirū eloquentē, sed pauperem, sibi benignitate sua conciliaret, à quo cōtra sycophātas præclarè defensus fuit, ita quidē ut nō pauci Critonis amici fierēt, uel ob hoc unum, uti à Critonis patrono contra calumniatorū improbitatē defenderētur. Idē quoq; Diodoro familiari suo auctor fuit, ut quando Hermogenē uirū optimū propter rei familiaris angustiā amicū liceret facere, nulli parceret sumtui in ὑπηρέτῃ fido & ingenuo potius, quàm in δούλοις & mancipiis incertæ fidei comparādis. Xenophon lib. 2. Memor.

Commonuit P. Scipionem Africanū POLYBIVS, ne antè foro digrederetur, quàm amicum aliquem, Reip. tractandæ peritum parasset. Plut. lib. 4. Quæst. conuiualium.

AVGVSTVS Cæsar regna, quib. belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdē, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis cōtribuit. Reges, socios etiā, inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit: promtissimus affinitatis cuiusq; atq; amicitiæ conciliator, & fautor: nec aliter uniuersos, quàm membra partesq; Imperij, curæ habuit. Suetonius.

Inimicos concilianda. Reconciliatores.

Vide Tit. Prudentiæ in recōciliando. Item Pacis auctores. Illic Iræ depellendæ habetur ratio: hic Amicitiæ inter Fortuita non postremum locum sortitæ.

Athenis erat MAGISTRATVS, qui dissidentes cū uiris uxores, quæ nō sincera fide in gratiam rediissent, sine iurgio & sine offensa conciliaret: in quo Crates Diogenis sectator fuit, qui litiū omniū & iurgiorū moderator & arbiter inter propinquos præcipuè habitus est. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 8.

Cùm bellum uigeret inter Tyndaridas & Theseū ob raptā Helenā, & illi iam Aphidnas occupassent: MENESTHEVS Petei F. suasit Atheniensibus, ut admitterent in urbem & benignè exciperent Tyndaridas, ut uni Theseo iniuriæ auctori arma inferrēt, in cæteros mortales benefici essent & eorum seruatores. Et cōprobauit euentus sanum hoc fuisse consilium. Siquidē uictores nihil aliud, quā ut initiarentur, postulauerunt: quod non minus quàm Herculi propinquitas ipsis cū ciuitate intercederet, quam obtinuerant ab Aphidno adoptati, ut à Pythio Hercules. Plut. in Theseo.

Lampsacenis Alexander Magnus infestis armis imminebat, ob id quòd ad Persarum regem uel defecissent uel deficere cogitarent. Missus ad eum fuit ANAXIMENES legatus, qui Philippi & Alexandri res gestas diligenter descripsit, deprecaturus pacē. Ibi cùm Alexāder cōceptis uerbis iurasset, facturum se omnia contrà quàm ille rogasset: Hoc ergo, inquit, abs te rex precibus contendo, ut Lampsacenorum coniuges & liberos in seruitutem redigas, urbem totam excindas, & Deorum templa exuras. His Alexander ambagibus circumuentus Lampsacenis inuitus pepercit. Pausan. lib. 6.

TERPANDER Lesbius citharœdus Lacedæmoniorum seditionem composuit suo cantu. Redactis ad concordiam ciuibus, Lacedæmonij Lesbiis cantoribus primas in arte musica partes tribuerunt, ut si quem alium canētem audissent, protinus dicerēt, μετὰ Λέσβιον ᾠδόν, id est, Post Lesbium musicum. Zenodotus. Erasmus.

Troglodytæ inter se certant non ut Græci, ob iram aut ambitionem, sed pabuli gratia. In eorum concertationibus primùm iactis lapidibus, quoad aliqui uulnerentur, concertātur: tum arcu, quo admodum exercitati sunt, pugnātes, mutuis uulneribus cadunt. Ea certamina dirimunt quæ ætate præcedunt FEMINÆ, quibus nullo periculo in medium prodeuntibus (nefas est enim, has ullo pacto lædere) extemplò à certamine cessant. Diod. lib. 3. cap. 3.

DAMARATA Gelonem Syracusanum, maritū cōciliauit Carthaginēsibus, quorum uires in Sicilia penitus attriuerat, ab iis exorata, spe coronæ aureæ C talentorum. Diod. lib. 11.

Bellum Sabinum ob raptas uirgines cōtra Romanos motum, tertio anno, posteaquā bellari cœptum erat, MVLIERVM interuentu inter Romanos & Sabinos compositum, multique ob id meritum à Romulo & parentibus illis honores decreti. Liuius.

Porsena rex, qui Tarquinios Romam reducere studebat, perspecta C. Mutii uirtute, & trecentorum simulata conspiratione in suum caput motus, quū quæreretur interim ratio, qua tutus esse posset, aliiq; alia partim inepta, partim uana, in medium afferrent: ARVNS Porsenæ filius, non expectato ut sentētiam rogaretur, Aut unam, dixit, ad salutem uiam superesse, quam paucis esset demonstraturus, aut nullam monstrari posse aliam: si confestim ex hostibus Romanos sibi pater amicos faceret. Qua uoce uelut oraculo quodam Porsena permotus, legatos continuò Romam misit, qui hæc à Romanis sunt postulare iussi: Vt Tarquinium & filios reciperent. quanquam nemini dubium erat, id nullo modo impetratū iri. Inde si id non daretur, ut bona illis redderent. Postremò, ut agro decederent, olim Hetruscis circa flumen ademto. Quod unum, ut bello se soluerent Romani, à se impetrari permiserunt. Liuius.

Cn. Pompeius consul creatus, à pop. obtinuit, ut sibi M. Crassus collega daretur, pro concione dicens, nō minorem gratiā de collega se, quàm de ipso habiturū honore. Inito magistratu tamen haud in eadem constiterunt beneuolentia: sed fermè in omnibus dissentientes, mutua ubiq; acerbitate & concertatione nihil domi uel foris gesserunt in cōsulatu memorabile, nisi quòd Herculi Crassus pollucens, populo epulum decem millibus mensarum præbuit, ac frumentum in tres menses admēsus est. Cùm abituri iam magistratu cōcionem haberent: eques Romanus ex obscurioribus quidā ruri agens, & à republ. remotus, ONATIVS, uel C. AVRELIVS, conscendit in Rostra, progressusq; uisionem narrauit sibi in somnis oblatam. Iupiter, inquit, mihi obuersatus præcepit, ut pro concione uobis nunciarem, ne prius deponere consules honorem, quàm in gratiam redierint, permittatis. Ea ubi dixit, & iussit populus reconciliationem, diu Pompeius immobilis siluit. Crassus uerò prior dextera illi porrecta: Nihil arbitror, inquit, Quirites, demissum aut me indignum facere, qui beneuolentiam & amicitiam exordiar cū Pompeio: quem uos imberbem adhuc Magnum appellauistis, & nondum in Senatum lecto decreuistis triumphum. Plut. in Crasso, & Pompeio.

C. IVL. Cæsar Romam reuersus, cùm Cn. Pompeium & M. Crassum, qui tum temporis Romæ plurimùm poterant, dissidentes comperisset, nil prius habuit, quàm ut illis reconciliatis utrunque sibi amicum faceret. Ergo coniunctis uiribus Pompeius & Crassus coss. designati, Cæsari legiones in quinquennium prorogarunt. Crassus contra Parthos profectus occubuit. Cæsar Galliis subactis Pompeij inuidiam incurrit. Vnde bella ciuilia coorta, & Reip. mutatio. Plutarchus in Crasso.

In Catilinæ coniuratione nonnulla suspicione aspersus fuit M. Crassus, Cicerone clàm mordente. Quamobrem Ciceroni semper infestus Crassus fuit: uerùm ne propalàm eum læderet, est per filium impeditus. PVBLIVS enim Crassi filius, qui eloquentiæ & literarum studiosus esset, cupidus erat Ciceronis, adeò ut cum reo uestem mutaret, ac reliquam iuuentutem ad idem faciundum impelleret. Induxit denique parentem, ut rediret cum Cicerone in gratiam. Plutarchus in Crasso.

M. Antonius ex delationibus quibusdam incensus in Cæsarem Octauium, nauigauit trecentis nauibus è Græcia uersus Italiam. Non recipientibus classem eius Brundusinis, Tarentum nauibus decurrit. Inde OCTAVIAM uxorem, quæ comitata eum fuerat ex Græcia, orantem dimisit ad fratrem Octauium. Prægnãs tum erat, atq; alteram ex eo iam filiam genuerat. Hæc occurrens Cæsari in itinere, adiunctis illius amicis Agrippa & Mœcenate, conuenit eum. Multis autem orauit questibus, ne permitteret ex fortunatissima femina miserrimam se euadere. Nunc enim omnes mortales, ait, suspicere se duorum Imperatorum alterius cõiugem, alterius sororem. Quòd si deteriora consilia, inquit, ualuerint, & exiterit bellum: utri uestrũm, incertum est, in fatis sit uincere, an uinci: mea uerò sors utriuq; erit misera. His fractus Cæsar, uenit pacatus Tarẽtum. Pulcerrimum spectaculum, qui adfuerunt, uidere, ingentem terra exercitum quietum, ingentem ad litora tranquillam classem, illorum amicorũmque occursus, & complexus. Prior cœnam præbuit Antonius, quod etiam tribuit Cęsar sorori suę. Pacti sunt inter se, ut duas legiones Antonio Cæsar ad bellum Parthicum daret, Antonius Cæsari naues rostratas centum. Octauia uerò extra conuenta fratri obtinuit à uiro uiginti myoparonas, uiro à fratre mille milites. Ita digressi. Cæsar Siciliæ potiundæ ardore cõfestim bello Pompeio moliendo intendit. Antonius Octauia cum suis exilla & ex Fuluia liberis Cæsari commendata transmisit in Asiam. Plut. in Antonio.

Cùm Antiocheni ob tributum extraordinarium sibi impositũ ira perciti, statuam æneam Placillæ reginæ demoliti essent: Theodosius Imp. & libertatem ciuitati eripuit, & cædes magnas cogitans, executores eò præfectos misit. Quo cognito, MACEDONIVS eremita, in media urbe præfectos Imper. suo nũciare iussit: Meminisset se hominem esse, & à Dei opt. max. nutu pendere: eius benignitatem imitaretur: neque propter æream statuam, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curaret: maximè cùm statuæ multæ pro una reponi possent: at ne pĩã quidẽ Imperator interfecto homine restituere posset. Præfecti Theodosio rẽ indicãt. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. Theod. l. 5. c. 26.

GREGORIVS II. Pp. pacem inter regem Longobardorum Luitprandum, & duces Spoletinum ac Beneuẽtanum composuit, quos rex ipse opprimere instituerat. Cum exercitu usque ad Vaticanum peruenerat, pacato tamen agmine, cũ Pontifice colloc uturus. Eius igitur animum Põtifex ita mouit, interposita Saluatoris nostri auctoritate, ut armillas, baltheum, ensem, ac reliqua arma templo principis Apostolorum obtulerit. Platina.

In Boëmia cùm præcipuam materiam turbandæ pacis publicæ dissensio de religione suppeditaret, quòd alij Romanã, alij Hussiticã acriter tuerentur: in cõuentu Pragensi inter utrosque controuersiam VLADISLAVS Hungarorum & Boëmorum rex composuit, ut quæ loca uetus usurpatione cuique eorum ex hac uel illa factione obtigissent, ea ut quisque pro suis teneret, aliena ne appeteret, aut occuparet: nẽue alteri alteros contumeliis conuitiisq; incesseret, sed darent utriq; operam, ne pax communis quouis modo læderetur. Dubravius lib. 32.

Ad Galliæ regem Ludouicum XII. in Italiam, ut Alexandri VI. Pp. & filij eius Cæsaris Borgiæ conatus in occupandis Italiæ ciuitatibus reprimeret, cum exercitu aduentantem, quamprimùm Astam uenit, ex more omnes Italiæ principes & liberæ ciuitates, alij ipsimet, alij per legatos concurrerunt, uti regem aduersus Pontificem ac Valentinum magis concitarent. Cæterùm cùm Rotomagensi cardinali GEORGIO Amboysio à Pontifice Gallica legatio in decem & octo menses prorogata fuisset, & quia sibi ad pontificatum fundamenta sollicitè parabat, propinquos & clientes ad purpurei galeri dignitatem ab illo promoueri impetrare uolebat: sibique pontificij imperij amantis & defensoris famam ad idem profuturam censebat: Pontifex item se & Valentinum ipsi totis uiribus in Neapolitano bello affuturos promisisset: in Pontificis amicitia permansit, & contra omnium expectationem, grauissimo cum mœrore omnium, Valentinum Mediolani humanissimè & honorificentissimè excepit, & ad Bononiam pontificio imperio adiiciendam auxilia promisit. Guicciardinus lib. 5.

Quum Caroli V. Cæsaris & regis Galliæ Francisci anno 1535. de Insubriæ imperio armis inter se disceptantium, duces militesque utrinque pari studio suarum partium oppidis nouo præsidio, nouoque commeatu confirmandis occupati essent, & Alfonsius Vastius dux Cæsarianus intentè prospiceret, quónam uexilla regia ueriterentur: è Belgio literæ allatæ sunt regi, quibus certior fiebat, illustrium feminarum auspiciis, inter ipsos certantes armis principes, propinquos suos, nducias pereussisse. Nam ELEONORA regis uxor Carolique soror, & MARGARITA item soror, utrilis ingenij mulier, quæ Nauarræ regina uocabatur, ad Mariam Pannoniæ reginam Cęsaris germanam contenderant, detestantesque diri belli causas tanquam inanes, usque adeò appositè egerant, ut Maria ad idem utrique parti utilissimum pietatis & pacis decus uehementer accenderetur, iisdemque ferè conditionibus, quibus ante septem annos ea immania diuturni belli incendia restinxerant, inducias di cerẽtur in cã descriptæ formulã, quã principes in spẽ mutui colloquij certissimæq; pacis essent probaturi. Iou. l. 37. Hist.

AMICITIAE INEVNDAE DISSVASORES.

METON Tarentinus, quo die decretum de Pyrrho rege Epirotarum uocando sciri per populum Tarentinum debebat, & multitudo in concione sedebat, accepta corona & lampade quasi ebrius, tibicine ducente, ludibundus in concionem processit, applaudentibus aliis, aliis ridentibus, & quasi cantaturus astitit. Sed ubi silentium nactus est: Viri, inquit, Tarentini, bene facitis, quòd iocari & ludere uolentibus, dum licet, permittitis, antequam Pyrrhus adueniat, libertatem uobis ereptura. Nec fuit mendax. Nam quamprimùm aduenit Pyrrhus, ludis & tripudiis Tarentinis interdixit. Brusonius lib. 3. capite 32.

AMICITIAE POLITICAE ΦΗΑΑΚΗ. HVIVS EST LOCI AMICITIA

CONSTANS, CONSERVATA, Non interrupta, Non soluta,

QVANDO. NON SOLVTA *Morte.*

Consule Tit. Vltio mortis alterius, quatenus eorum, quos amarunt, mortem ulciscuntur. item Commorientium.

Saulum, primum Iudæorum regem, Philistæo bello cum filiis ad Gelboen montem interfectum, & ad Iudibrium gentis crucis patibulo sublatum, IVDÆI noctu sustulerunt, cúmque, funerarunt publico luctu Iabenses in parte Galaaditanæ terræ, iciunio septem dierum omnis sexus & ætatis indicto. Sab. lib. 10. cap. 14. ex 2. Reg. 2.

Cæso in Haliarti oppugnatione LYSANDRO, cùm ferò superuenisset rex Pausanias, & institueret per inducias mortuos petere: maiores natu Spartiatarum testati sunt, non sublaturos se per inducias Lysandrum, uerùm armis de corpore eius certaturos, uictoresque tum cum humaturos: uictis uerò honestum fore ibidem occumbere duces. At Pausanias prælio superare uictores modò Thebanos arduum cernens esse, per inducias recepto corpore, in Panopæorum socio agro illud sepeliuit. Eius exitum Spartiatæ tulerunt ita grauiter, ut regem in capitis iudicium uocauerint. Quod ille declinans, Tegeam iuit exulatum, atque illic in delubro Mineruæ supplex uitam transegit. Etenim detecta defuncti paupertas Lysandri, laudem reddidit eius illustriõ rem: qui ex ingenti pecunia, potentia, urbium clientela, & regno tali, rem familiarem, quod ad argentum attinet, ne obolo quidem reddidit lautiorem, ut tradit Theopompus. Ei cùm alios honores mortuo habuerunt: tum procis, qui nuptias ambierant filiarum eius, mox inopia eius post uitæ exitum erumpente renunciauerant illis, multam dixerunt. Plutarchus in Lysandro.

POP. Rom. Tib. & C. Gracchos, quos suæ defensores libertatis deseruerat, patriciorum conspiratione fœdè oppressos sic desideranit, ut iis statuæ in celeberrimis locis Vrbis constitutæ sint, & sacella ubi ambo ceciderunt, ita ut quotidie utrobique fierent sacra. Sab. lib. 3. En. 6.

Tib. Gracchus hostis patriæ iudicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, benevolentia tamen C. BLOSII Cumani non caruit. Nam cùm Senatus Rutilio & Lenati Coss. mandasset, ut in eos, qui cũ Gracchо consenserant, more maiorum animaduerterent: & ad Lælium, cuius cõsilio præcipuè Coss. utebãtur, pro se Blosius deprecatũ uenisset, familiaritatisq; excusatione uteretur, atq; is dixisset: Quid si te Gracchus tẽplo Iouis opt. max. faces subdere instituisset, obsecutúne uolũtati ipsius, propter istam, quam ia ætas, familiaritatẽ fuisses? Nũquam istud (inquit) Gracchus. Pertius aurẽ perseuerãti interrogatione Lælij, Se etiã hoc, si modò Gracchus annuisset, factuꝝ, respõdit, q. a nisi in usum reip. fuisset id facere, nunquam tale facinus probasset. Post hoc Blosius in Asiam Aristonicum profugit, qui Attali regnum post eius mortẽ occuparat: cuius rebus postea profligatis, sibi mortẽ conscíuit. Sab. lib. 9. En. 5. & Val. lib. 4. c. 7.

Mithridates Ponti rex, cùm Thoridoracẽ Galatã, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset, ut erentibus omnibus eum sepelire, ADOLESCENTVLA insignis, quę eum deperibat, ut sepeliret corpus exornauit. Quo nomine ad regem abducta, & rex id ex amore factum esse intelligens, & corpus illi ad sepulturam concessit, & pecuniam simul, ut funus exornaret, impendit. Fulgos. lib. 5. cap. 1.

M. TERENTIVS Varro, Seiani summus amicus, postquã in eum animaduersum, & inter alios, qui eius amicitiæ causa [redacted] etiam ipse causam in Senatu dicere coegerunt, de amicitiã eius, negauit uerùm etiã ostendit, cum se maximo studio coluisse, quem Tiberius in magno honore habuisset. Dion. lib. 58.

Nero Cæsar obiit XXX. & secundo ætatis anno, die quo quõdam Octauiam interemerat. Tantumque gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret. Et tamẽ non defuerunt, QVI per longum tempus uetnis æstiuisq; floribus tumulum eius ornarent, ac modò imagines prætextatas in Rostris proferrent, modò edicta quasi uiuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri. Quinetiam VOLOGESVS Parthorum rex, missis ad Senatũ legatis de instauranda societate, hoc etiam magnopere orauit, ut Neronis memoria coleretur. Denique cùm post XX annos extitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, ut uehementer adiutus, & uix redditus sit. Suetonius.

Seuerus Imp. posteaquam Nigrum prælio uicit, eosque damnare inciperet, qui illius partes secuti essent: CASSIVS Clerasenator accusatus, id se feciſse non negauit, imò liberrimè ostendit, cùm casu euenisset, ut partes Nigri sustineret, necessariò quod ei sors obtulisset se secutum esse: ipsum etiam Seuerum noluisse quenquam eorum, qui cum eo erãt, & suam causam defenderent, proditorem ad alios transfugere. Seuerus licentiam hominis admiratus, libertatemque loquendi, dimidiam ei partem bonorum concessit. Aerodius ex Dionis Seuero.

Prosperitate.

THEMISTOCLES, cùm quidam moneret, ut absque ullo personarum respectu magistratu fungeretur: Nequaquam, inquit, in eo sessurus sum throno, in quo amici non meliores sunt futuri conditione, quàm non amici. Non enim ciuitas homines amicis & sodalibus carentes, sed commodos & temperantes requirit. Antonius Melissa Par. 2. Serm. 1.

Aduersitate, Calamitate.

Ex Tit. Fides erga Parentes, Coniuges, Amicos, exempla huc transferantur, quatenus in rebus aduersis suam retinent benevolentiam.

AELIVS Grammaticus tanta amicitia & familiaritate Metellõ Numidico cõiunctus fuit, ut illum in exilium relegatum sequeretur. Tranquillus.

QVOMODO. CONSERVATA Amicitia

Sacrificijs, Religione.

ROMANI cum Latinis, auctore Tarquinio Superbo rege, fœdus renouarunt. Ipse, priusquam concilium dimitteretur, edixit, ut certo die Latinorum iuuentus sibi ad lucum Ferentinæ, armis instructa, ex fœdere adesset. Misit Tarquinius ad Hernicos, & Volscos, qui ab ipsis gẽtibus societatem Rom. pop. peteret. Omne Hernicum nomen in fœdus & amicitiã uenit. Ex Volscis Ecetrani tantùm, & Antiates. Tum Tarquinius, ut ea populorum concordia, aliquo sanctiore perpetuoque fœdere, stabilis & mansura esset, auctor extitit, ut in Albano monte commune Rom. pop. sociisque Iouis templum conderetur, quo annuæ feriæ omnibus populis indicerentur, ibique extorum partem singuli libarent, atque eximmolata hostia pro more singuli suam quisque partem acciperent. Septem & quadraginta urbes tum primùm eius sacri sunt participes factæ. Latinæ feriæ nuncupatæ. Dubium, quia eas Latini celebrarent, an quòd Iupiter ipse est Latialis dictus. Romanus, penes quem rei principatus erat, taurum ibi pro omnibus sacrificabat: cuius cæsi, singuli populi, postquam libata erant exta, sibi partem deposcebãt. Sabellicus libro 6. Enneadis 2.

Fœdere repetito.

ROBERTVS I. Scotorũ rex antiquas fœderis leges cũ GALLIS renouauit, eo addito, Si alterutrius regis soboles defecerit, nec regni certus cõstaret hæres, tum per primores id regni arbitros discutereretur: & non solùm quenquam non declaratum regem, neque occupare non permitteret, sed summa ui, si esset opus, præsentia etiam sua prohiberet: declaratum uerò non minus defenderet, quàm non declarato obsistendum esset. Quæ ut apud posteros etiam rata essent, sumto sacrosancto Christi corpore iureiurando ea utrinq; confirmarunt, & à Pontifice probanda curauerunt. Adiectum præterea, ne unquam ab eo iureiurando per Pontificem Romanũ liberari possent: aut si id esset factum, irritum foret. H. Boëthius lib. 14.

Conuictu.

VENETI principes quater singulis annis patritios omnes intra Palatium suum conuiuio excipiunt, publicæ benevolentiæ ampliandę causa. nempe die D. Isidori, Ascensionis dominicæ, DD. Viti & Modesti, denique D. Stephani. Egnatius libro 2. capite 1.

Cæde.

HIERO rex Siciliæ in Rom. fide constantissimè perseuerauit, bello Punico secundo. Gelo F. qui ad Carthaginenses iam deficere parabat, oportuna morte, patris consilio, sublatus creatur. Iã senio cõfectus, Hieronymo, Gelonis filio, quin decimum[redacted] ribus moriens, ut in Romana societate colenda suis uestigiis insisterent. Sabellicus lib. 3. En. 5.

INCONSTANS, INTERRVPTA, SOLVTA AMICITIA

Ex amicis uel inimici fieri possunt, uel non amici. Inimici quidem, quando præter cõuersationis fugam etiã nocere cupiunt. Non amici uerò, quando solam conuersationem auersantur: interim nec prodesse nec obesse uolunt.

QVI.

Dion Dionysium minorem tyrannum Syracusanum induxit, ut Platonem philosophorum principem (qui cum patre eius Dionysio superiore congressus quoq; fuerat) ad se uocaret. Ei, posteaquã uenit, honores habuit maximos, & incredibili philosophiæ ardore flagrans, clementissimũ sese subditis præbebat. Illud ægrè ferentes adulatores, Philisto auctore, Dionem, quasi cum Carthaginensibus faceret, apud tyrannũ traduxére. Eum ille in exilium relegauit. Platonem nihilominus apud se retinuit: tandem honorificè Athenas misit, eo consilio, ut Dionem in Academia detineret, ne insceleraretur se apud Græcos. Iam uerò cùm plurimos conuocasset philosophos, neq; iis disputando par esse posset, demùm Platonem acciuit, Archyta Tarentino sponsore & intercessore, eoq; familiarissimè usus est, summamq; fidem habuit. Cæterum cùm de Dionis reditu subinde ageret, & tyrannus procrastinaret omnia, Aristippus Cyrenæus ludens apud alios philosophos inquit: Helicon Cyzicenus (qui Platonis erat familiaris) eclipsin prædixit: ego uerò non minus admirabilem rem pronuncio, PLATONEM & DIONYSIVM breui inimicos fore. Dionysius ergo Platonẽ in hortis, qui ædibus ipsius erant annexi, diuertentem migrare iussit inter milites mercenarios, iamdudum ei infestos, & interficere quærentes eum: quasi ponere Dionysio tyrannidem, & uiuere sine corporis custodibus consuleret. Discriminis, in quo positus Plato erat, Archytas factus certior, missis properè cum naui triginta remorum actuaria legatis, repetit illum à Dionysio, prætendens se fidei publicæ expromissore nauigasse cum Syracusas. Dum offensiones Dionysius in Platone prosequendo conuiciis & honoribus sublenat, prorupit, ut hoc diceret: Nempe multis & atrocibus criminibus nos apud tuos philosophiæ commilitones onerabis. Cui respondit Plato: Absit, ut adeò materiæ nos sermonum deficiat, tui ut quisquam meminerit. Ita Platonem memorãt dimissum. Plut. in Dione. Diodorus lib. 15. eum in forum productũ quasi mancipiũ à tyranno uenditũ ait minis XX.

M. ANTONIVS, Cæsare à coniuratis interfecto, senatu conuocato retulit de præteritorũ obliuione, & prouinciis Cassio & Bruto decernendis. Mox gloriæ studio, cùm speraret oppresso Bruto se facile principatum consecuturum, populum ad uindictam de coniuratis sumendam instigauit. Hinc cùm coniurati urbe excessissent, & Octauio superueniente Antonius quoq;, ob petitam in deposito & testamẽto Cæsaris, hostis iudicatus, ad Mutinã superatus esset, recollectis è Gallia uiribus cũ OCTAVIO & LEPIDO in libertatis communem oppressionem conspirauit. Oppressis inde Bruto & Cassio, Fuluiæ uxoris instinctu contra Octauium in Italiam rẽdit. Sed illius morte Octauio reconciliatus, eiusq; sorore Octauia in uxorẽ ducta, partito cum illo imperio, Cleopatræ amoribus dementatus, eiusdemq; instinctu ad Actium nauali prælio confligere ausus, Alexandriam fugiens in scorti sinu uitam exhalauit. Plut. in Antonio.

HERODES Iudæorum rex, Andromacho & Gemello ueteribus amicis, & qui plurimũ regem tam legationibus quàm consiliis iuuerant, filioſq; eius instituerant, & maiorem cæteris habebant fiduciam, amicitiam renunciauit; alteri quia

Demetrio ejus filio Alexander filius suus utebatur familiariter: Gemello uerò, quòd ipsum sciret fauere Alexandro, de insidiis suspecto: nam & inter educatores eius ac eruditores fuerat, & Romanæ peregrinationis comes hæserat. Iosephus libro 16. capite 11. Antiquit.

Veneti miro studio HERCVLEM Borsij amicissimi sui iam defuncti, Ferrariensium principis fratrem, terra & aquis adiutum, in amplissimo principatu locarunt: de quo magnum alioquin illis certamen instabat cum Nicolao Lionelli filio, cui Mautuanus princeps auunculus, & Galeacius Vicecomes enixè fauebant. At non longo interiecto tempore Hercules Leonoram Ferdinādi regis filiam uxorem duxit. Qua ille affinitate auctus, remissiore animo cepit Venetam colere amicitiam, contraque antiqua fœdera aliqua mouere. Sæpe per legatos monitus, cū nihilo pacatior redderetur, VENETI Xysti IIII. pontificis hortatu bellum ei indixêre. Sabell. lib. 2. Dec. 3.

XYSTVS IV. Pontifex deserta Florentinorum amicitia, [redacted] cū Ferdinando Aragonio fœdus contra Florentinos iniit. Florentini armis hostiū pressi, Ferdinandum inscio Pontifice in suas partes pertraxerūt. Venetis instinctu eius Herculē Ferrariæ ducē bello petentibus, cōtra eos Alphonsus Ferdinandi F. Ludouicus Mediolanensis, Xystus Pontifex tū sacris cū ferreis armis, & Florentini societatē iunxerunt, ut eos à Ferraria auerterent. Verùm cùm Alfonsus primū, deinde Ludouicus cum Venetis clam conuenissent, Hercules defertus à Ludouico genero, & ab Alfonso, pacem quam Veneti dedē re coactus fuit accipere. Brutus libro 8. histor. Flor. Guicciardinus lib. 1. Sabel. lib. 2. Decad. 3.

FRANCISCVS Sfortia, Philippo Vicecomiti opera strenuè præstita, cùm Blancæ filiæ nuptias promissas ab eo impetrare non posset, secessione facta Picenū occupauit. Mox Venetorū stipendio militans, Philippū eò redegit, ut filiā ad se mitterit, Cremona dotis loco tradita. At cùm nihilo placatiore in socerū animo esset Sfortia, Nicolaus Piccininus Philippi iussu Picenum inuasit. Sfortia armis Philippi, Eugenij IV. & Alfonsi regis pressus, etiam fœdus cum Philippo iniit. Philippus Nic. Piccininū Mediolanū uocat. Franciscū eius F. iuuenē audacem interea Sfortia circūuenit, exercitū delet. Piccinino præ mœrore mortuo, ut Veneti quoq; bello implicati, quæ ductu Sfortiæ acquisiuissent, restituere cogerentur: Philippus Cremonensibus bellum infert, quos Sfortiæ causa ex fœdere Veneti defensuri erant. Veneti eam iniuriam Sfortię illatam ultuti, ad arma redeunt. Tum demùm Sfortia apertè ad Philippum transiit, quasi dotali terræ metuerer: & contra Venetos in soceri gratiam, sed infeliciter, mouit. Philippo mortuo, Sfortia Mediolanensium copiis præfectus, Venetos ad Caravaggium memorabili clade affecit, & ut principatum facilius obtineret, fœdus cum illis fecit. Et iam uictoriam in manibus habebat Sfortia, cùm Veneti, suspectos habentes illius successus, Mediolanensibus se iunxere, & posteaquam Mediolano potitus est Sfortia, cum Alfonso fœdus iniere. Sabel. Decad. 3.

Post Caroli VIII. regis Galliæ discessum, NEAPOLITANI ad Aragonios tursus animos inclinarunt. Itaque Ferdinandus, ab Acnaria insula cum rostratis nauibus Messanam adnauigans, paulo pòst regno restitutus est. Iouius libro tertio Historiarum.

QVOMODO. PVTA

Renunciando amicitiæ.

AMASIS Aegyptiorum rex suspectam habens Polycratis Samiorum tyranni felicitatem, maximè postquam anulum, quē habebat cariſſimū, ad eludendam Fortunæ inuidiam, in mare suo suasu proiectum, in piscis capti uentre repertum, & à tyranno recuperatum audiuisset per literas & legatos amicitiæ ei repudium misit: ne in aduersis illius rebus, quæ iam uiderentur impendere, uel deserendo perfidus, uel auxiliando temerarius, uel consulendo infelix esse cogeretur. Herodotus.

ANDREAS Auria Genuēnsis certis de causis ab Galliæ regis Francisci, amicitia ad Carolum V. Cæsarem discessurus an. 1528. torquem conchyliatum, quē honoris causa ab rege delatum acceperat, ad eum remisit, ab eaq; de more ceremonia, sacramento militari se absoluit. Iouius lib. 26. Hist.

Deserendo.

Consule Tit. Transfugarum. Illic Fidei violatæ, hîc Amicitiæ deserta ratio habetur.

Cùm M. Marcellus Procos. ad Nolam superasset Annibalem, trecenti equites missi HISPANI Numidæque, transfugerunt ad eum: id quod Annibali ad eam diem non acciderat, cùm ex colluuione dissonarum discrepantiumque nationum coactum ferum exercitum in summa consensione perdiu continuisset. Illorum equitum fideli opera, toto eo bello, usi sunt Marcellus eiusq; successores. Plut. in Marcel.

CVR. CAVSA

Iustitiæ.

CLEON Atheniensis cùm primùm statuissent Rempub. capessere, amicis in unum locum conuocatis, eam quæ ei cum illis interesserat amicitiam dirupit: tanquam quæ in administratione ciuitatis rectum ac iustum institutum emolliat, & transuersum agat. Antonius Melissa Par. 2. Serm.

Ob Pansaniæ regis Spartani crudelitatem & libidinem cōiunxerunt sese Atheniensibus socij GRÆCI, Aristidis iustitia & Cimonis humanitate adducti: sicq; maris imperio excedere Lacedæmonij. Plut. in Cimone.

Hæreseos.

RVFFINVS Aquileiensis presbyter, cùm D. Hieronymo priùs familiaris fuisset, & studiorum socius [redacted] Causa dissidij uidetur fuisse, quòd Origeni fauens Ruffinus, eius q; libros conuertens, in eadem hæresi esse uideretur: quàm tamen Hieronymus summè abominabatur. Hieronymus tale quid indicat in epist. quæ antecedit Apologiā in Ruffinum, tomo tertio.

Educationis malæ.

DION frater Aristomaches, quæ Dionysio maiori Syracusanorum tyranno nupta fuit, in honore apud tyrannum fuit, non tam sororis, quàm prudentiæ causa, quæ in eo mirifica eluxit: multoq; magis postquā Platonis in Siciliam aduentu sapientiæ gustū percepit. Itaq; præceptum quæstoribus à tyranno, Quicquid postularet Dion, id præberent: cùm præbuissent, eodem die sibi renunciarent. Pòst etiam filiā ex Aristomache Aretē Dioni nuptui dedit. Mortuo inde Dionysio, cùm ei in regno succeſſisset DIONYSIVS, adulatores & inter eos princeps Philistus iuuenem rerum imperitum, ad amores & ignauas occupationes in conuiuiis atq; lustris, aliisq; turpibus ludis detinere conabantur. Econtra Dion iampridē ex Platonis conuersatione has tanquam pestes regiæ uitę detestabatur. Inuisum proinde & suspectum tyranno se esse facilè cognouit, nec alia, quàm usus rerum causa acceptū. Eius tamē prauę educationi hoc acceptum referens, enisus est eum in studia liberalia conicere, gustumq; dare præceptorum & disciplinarum moralium. Itaq; hortatus est eum, ut dederet sese literis, & Platonem philosophorū principem enixè rogaret, ut in Siciliam ueniret. Hæc crebrò inculcante ei Dione, ac nonnullos Platonis sermones subiiciente, acris Dionysium ardor & uesanus cepit sermonū & colloquij Platonis. Extemplo igitur multæ Athenas à Dionysio literæ, multæ obtestationes uolitarunt à Dione, aliæ à Pythagoreis ex Italia, ut uenirethortantibus, & tyrocinium animi magna licentia & potentia fluctuans arriperet, solidioribusq; frænaret consiliis. Plato sperans per unum uirum quasi membrum principale purgatum Siciliæ uniuersæ laboranti medicinam se facturum, gessit illis morem. Sperabat sanè Dion per Platonis præsentiam detracta tyrannidi impotentia, moderatum sc & legitimum principem Dionysium effecturum. Sin reluctaretur, nec molliretur: opprimere statuerat eum, ac Syracusanis reddere rempublicam. Veniens in Siciliam Plato, primo aduentu eximio honore est exceptus. Nā regius currus præstò fuit è naui egredienti. Tyrannus autem, tanquam magno bono imperium suum esset auctum, sacrificauit. Pudor in conuiuiis, aula composita, atq; ipsius tyranni in omnibus responsis iudiciisq; lenitas spem ciuibus miram præbebat conuersionis. Ardor erat ad disciplinas & philosophiam omnium Tyrannidis sedem, ut fama est, puluis occupabat, ob numerum eorū, qui geometriæ incumbebāt. Philistus insuperabilem Dionis auctoritatem fore, consuetudine Platonis existimans, suspicione primùm repleuit tyrannum, quasi Dion per Platonem tyrannidi inhiaret. Hinc clàm ad Dionysium epistola quędam ab eo delata est, quā ad magistratus Carthaginēsium scripserat Dion, monēs, ut cùm Dionysium de pace aditurī essent, ne remoto se conuenirent illū, omnia se confecturū ipsis ex sententia. Ergo sub arcem ad mare abducto Dioni ostēdit epistolam, intimulauitq; cum Pœnis eum in se conspirare. Purgare se Dionem uolentem noluit audire: uerùm extemplò, & raptim contexit eum in acatium, imperauitq; nautis, ut exponerēt eum in ora Italiæ. Itaq; exul Dion in Græciā abiit: neq;, licet intercedēte multū Platone, reditu impetrato, Athenienſiū opibus licet exilibus instructus, post tertium Platonis è Sicilia reditum, cùm nihil pacate à Dionysio afferretur, Syracusas nauigans, nihil minus expectantem tyrannum euertit. Plut. in Dione.

Tyrannidis.

C. CALIGVLA sub imperij sui initia usus est honestissimis amicis, quo facilius bonam opinionem sibi pararet. Tandem eos à se alienauit, usurpanda immodica licentia. Quorum odiis in dies gliscentibus, postremò per insidias eorundem oppressus est. Iosephus lib. 19. cap. 2.

Iniuriæ acceptæ.

Haalon Magonis Tartarorum regis frater Christianus, Persidē occupata, Calipha sublato, Syriæ imminebat, ut Hierosolymam receptā Christianis restitueret. Mortuo Magone domum repetens, GVIRBOCAM cum X. millibus militum in Syria reliquit. Eum Christiani magno suo cum malo à se alienarunt. Cùm enim circa Sidonem loca quædam præsidio obtinentes, prædas ex eius prouinciæ finibus furto abegissent: qui res repetitum missi fuerant, contra ius gentium violati sunt, & in iis ipsius ducis ex sorore nepos iuuenis impiger interfectus. Ira itaq; & odio accensus Guirboca, Sidonem expugnauit, captamq; diripuit & incendit. Aemilius lib. 7. & Sabellicus lib. 7. Ennead. 9.

Prosperitatis nimiæ.

AMASIS Aegyptiorum rex, cùm Polycrati Samiorum tyranno omnia ex animi sententia succedere uidisset, ius amicitiæ ei renunciauit, ne aliquando ex graui illius infortunio, quod impendere uerebatur, grauissimum dolorem acciperet cogeretur. Sabell. lib. 4. cap. 8.

Aduersitatis.

SAMII & IONES reliqui, de una fidelia, uti ipsorum uerbum est, parietes duos dealbarunt. Etenim cùm Alcibiades classem instructam & ornatam Athenienſium circa Ioniam haberet, Samij statuam ei æneam in Iunonis erexerunt. Superatis uerò nauali prælio ad Aegos flumen Atheniensibus, iidem Samij Lysandro in Olympia statuam posuere. Pausanias libro sexto.

EPHESII in Dianæ fano, Lysandri, Eteonici, Pharacis, & aliorum Spartanorum, minimè clari inter Græcos nominis, imagines dedicarunt. At commutata fortuna, cùm ad Gnidon & Dorion montem ab Atheniensibus Cononis ductu classe uicti fuissent Lacedæmonij, eousq; Ionum studia in diuersa abierunt, ut Cononem ex ære, Timotheum etiam Samipositos uideas. Ibidem.

ARTAXERXES Persarum rex (qui à cæteris Spartiatis semper fuit auersus, homines numerans eos esse, ut ait Dinon, omnium impudentissimos) profectum in Persidem impenè complexus est Antalcidam, qui pacis causa fuit Antalcidæ dictæ, qua Græcas urbes regi uectigales permisit, sociosq; prodidit. Itaq; rex coronam unam ex floribus factā in pretiosissimum demersit unguentum, eamque ex cœna Antalcidæ misit: quē fauorem omnes admirati sunt. Quousque ergo in primatu Græciæ Sparta fuit, hospitem habuit, & amicum suum nominauit Antalcidam. Vtuerò ad Leuctra fusi Lacedæmonij sunt, afflictique eguerunt pecunia, atque idcirco Agesilaum in Aegyptum miserunt: Antalcidas aurem ad Artaxerxem perrexit oratum, ut Lacedæmonios pecunia iuuaret: ille usq; eò neglexit, despexitq; eum, & reiecit petitionem, ut regressus Antalcidas, quòd uideret se hostibus esse ludibrio, & metueret insuper ephoros, uitā inedia finierit. Plut. in Artaxerxe.

ATHENIENSES cùm Demetrio Polioreteī, qui eos à Cassandri Macedonis tyrannide bis liberauerat, honores diuinos detulissent, eumq; suis blandimentis insolentissimum reddidissent: simul atq; regum conspiratione pressus est, fugientem ex Asia etiam urbe recipere noluerunt, & Deidamiam uxorem eius Megara ablegarūt. Plut. in Demetrio.

Mutata fortuna, mutata fuit Tiberij Gracchi & Q. TVBERONIS amicitia. Gracchum enim Tubero turpiter deseruit: ni si forte maiorem patriæ quàm priuatæ amicitiæ rationem habendam esse censuit.

Gloriæ æmulationis.

GRÆCIA ex quo Medicis fuit terroribus defuncta, in diuersa populorum studia æmulatione accensa, eo usque mutuis offensis processere, ut animis non minus infestis in se bellarint, quàm in Barbaros aliquot antè annis fecerant. Enim uerò Athenienses Messenia expeditione à Lacedæmoniis, soli omnium sociorum, non sine ignominiæ suspicione dimissi, Cimone in exilium acto (habebatur enim Lacedæmoniorum studiosus) societatem soluerunt, quam cum ea ciuitate iam inde à Medicis temporibus cōtractam habuēre, iniuerunt q; cū Argiuis Spartiatarum hostibus nouam, estq; inter utrosque ictum aduersus Thessalos fœdus. Sabellicus libro quinto, Enneadis 3.

MAGNVS Sfortia, cum Braccio Montonensi, ætate, fortuna uirtuteque formè æquali, arctissima familiaritate coniunctus adeò fraternè & liberaliter amicitiam excoluit, ut aliquot annis inter se, duo longè omnium in Italia maximi futuri duces, consilia, arma, equos, pecuniam & tabernacula in communem usum conferrent, iisdemque uexillis, & laciniaram coloribus uterentur. Sed eam demùm amicitiam iamptidem obtrectatione gloriæ, & uirtutis æmulatione comminutam, Sfortia grauissimis offensus iniuriis, post triginta annos adaperto tandem animo, & libero ore penitùs abrupit: quum ipso Sfortia ad Beneuentum in carcerem coniecto, Braccius nihil amici calamitate permotus, uiolata repentè amicitia, ea oppida, quæ sunt in Thuscis inter Cassiam uiam & Aureliam Sfortianæ ditionis, Angelo Lauello, cui ob hæsitantiam linguę Tartaliæ cognomen fuit, inuadenda occupaudaque tribuisset. Per hunc modum inter se diducti accensique odio Sfortia & Braccius, Italicæ militiæ principes effecti, magnosque exercitus ductantes, de nomine sectas condiderunt. Quibus demum liberarum ciuitatum, regum ac pontificum opes uehementer attritæ conuulsæque sunt: quum ueluti ex condicto, pudenda eius seculi conditione, ad alenda bella sæpe altercantes, & semper aduersi, modò his, modò illis, mercenaria arma inferrent, aut sustinerent. Iouius in uita.

Dedecoris amoliendi.

Persis Romani annuatim libras quingētas auri pacis nomine pendebant. IVSTINVS Imp. aurum soluere noluit: & Aretham Aethiopum regē induxit, uti Persas populareturIta nouum bellum exortum est. Cuspinianus.

Amicorum.

PLATO à DIONYSIO minore Syracusiorum tyrāno, Dionis hortatu in Siciliā uocatus, propter philosophiæ professionem, gratissimus ab initio fuit tyranno. Adulatorū principes Philistus ueritus, ne per Platonem & Dionis angeretur potentia, & certum improbis exilium pararetur, Dionis perfictas calūnias eiiciendi auctor fuit. Plato quamuis propter eruditionem acceptus esset tyranno, tamē quòd de Dionis restitutione plurimum laboraret, dimissus fuit: pollicēte tyranno, sese suo tempore Dionem reuocaturū, & interea fructum annuum bonorum illi missurum, etsi nihil horum præstitit. Non multo pòst dimissi Platonis pœnitentia ductus, quòd philosophorū disputationibus, in quibus tamē excellere cupiebat, impar esset, summo rursus desiderio illius affici cepit, & Archytā Pythagoreū induxit, ut promissorū suorū sponsor esset apud Platonē, eumq; acciret. Nam illo interprete ius inter eos amicitiæ & hospitij contractū primò fuerat. Misit etiam Dionysius triremes & amicos oratū Platonem. Scripsit insuper ipse apertè & diserte, nihil ab se ut Diō benignū expectaret, ut adductus Plato esset in Siciliam uenire: si ueniret, omnia. Rediit ergo Plato in Siciliam, tanta cum tyranno gratia, ut unus ex omnibus non præsentatus illum adiret. Postquam defluxerunt primæ inuitationes, ingresso de Dione agere Platone, procrastinationes primùm fuere, expostulationes inde, & simultates apud alios tectæ, cùm occuleret eas Dionysius, aliisq; obsequiis Platonem & honorib. abducere ab Dionis tentaret amicitia: nec ipse statim Plato perfidiā & uanitatem eius aperiret, sed toleraret eas dissimularetq;. Cùm ita essent inter se animati, & fallere putarent oēs: Helycon Cyzicenus unus ex Platonis familiaribus defectionē solis prænūciauit. Qua, ut prædixerat, consecuta, affectus admiratione tyrannus, donauit ei argenti talentū. Tum Aristippus ludens apud alios philosophos, rē se quoq; retulit prænunciare admirabilem posse, Platonē & Dionysium breui inimicos fore. Hinc Dionysius bonis Dionis distractis, pecuniā ipse retinuit: Platonē in hortis, qui ædibus ipsius erant annexi, diutertentem, migrare iussit inter milites mercenarios, iamdudū ei infestos, & interficere quærentes eū, quasi ponere Dionysio tyrannidē, & uiuere sine corporis custodibus cōsueret. Discriminis, in quo positus Plato erat, Archytas factus certior, missis properè cum nauī triginta remorum actuaria legatis, repetit illū à Dionysio, prætendens, se fidei publicæ expromissore, nauigasse eū Syracusas. Sic Plato indignabundo tyrāno dimissus, Athenas uenit. Ibi cōfirmato Dione (ægerrimè ferente, uxorem suam alteri à tyranno nuptui datā) ad bellū tyranno inferendū impulit. Ici; adeò militib circiter octingentis, duab. onerariis uectis, è Zacynthiorū insula soluens, tyrāno cū LXXX. nauibus in Italia absente Syracusas occupauit, & adamantinis uinculis: Vt scilicet Metuq; constrictum tyrannidem dissoluit. Plut. in Dione.

Imperij.

POENI cū Romanis quater fœdus percussere, antequam æmulatio in apertum bellum erumperet. Primum anno V. C. 243. Secundum anno 405. Tertium 447. Quartum 474. Bellum Punicum primum 486 cepit, 512 pax facta. Secundum uerò anno 535. 551 pax. Tertium deniqne anno 603. quo fundituis excisa est Carthago.

C. OCTAVIVS Ciceronis opera & studio Coss. adeptus contra M. Antonium, pactis non stetit, sed Ciceroni & optimatibus salutem dixit, Antonioq; & Lepido conciliatus, coniunxit cum iis copias, imperiumq; instar prædij est partitus. Plut. in Cicerone.

VENETI, qui cum Galeacio Vicecomite Mastini Scaligeri & Fr. Carrariensis tyrannidem euertēre, & illius filium Philippum ad paternum regnum recuperandum adiuuēre

mox eiusdem potentiam ueriti, ne subactis Florentinis in se arma converteret, inito cum Florentinis fœdere uaria fortuna cum illo bellum gessere. Sab. En. 10. lib. 1.

Seruitutis amoliendæ.

LVDOVICVS Sfortia imperij Mediolanensis obtinendi cupidus, Aragoniorũ ac Petri Medicis metu, regis Galliæ Caroli VIII. in Italiam transitum procurauit. Cuius aduentu, cùm uoti sui compos factus esset, Aragoniiq; in tãtas angustias cõpulsi, ut difficulter propriã salutẽ tueri possent, ob eius oculos nouus metus, priore longè grauior ac iustior, obuersari cepit: nimirum sibi totique Italiæ impendens seruitus, siquidem ad regis Galliæ potẽtiam regnum Neapolitanum accederet. Eam ob rem, ut Carolus in Hetruria omnia difficiliora inueniret, op[...]uerat. Sed cùm uidisset cum sibi summa facilitate & Florẽtinorum Rempub. adiunxisse, & Pontificis Alexandri VI. conatum elusisse, quodq; nemine repugnante, iam in regnum Neapolitanum penetraret: tanto ei maius indies suum periculũ uidebatur, quanto maior ac facilior uictoriæ Gallorum cursus euadebat. Idem timor animos quoq; Veneti senatus occupauit, qui primùm se à partium studiis integrum conseruarat. Itaque Ludouici suasionibus Veneti cum Pontifice & Aragoniis contra Carolum fœdus percussere, eique ad Tarrum fluuium Neapoli redeunte obuij facti, uicti sunt. Guicciardinus lib. 2.

Inter MAVRICIVM Saxoniæ Ducem & ALBERTVM Marchionem Brandeburgicũ, cùm essent æquales, maxima semper fuerat necessitudo, sic ut nihil esset illis coniunctius. Tribus enim bellis ambo simul Cæsari militarãt, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico: deinde quartum atq; postremum anno 1552. pro liberando Io. Friderico Saxone & Philippo Lantgrauio Hassiæ, in Cæsarem susceperunt. Quo per compositionem Patauiensem sublato, cùm Albertus & Episcopos & ciuitates liberas pro libidine premeret, publicæ libertatis causa ab eo dissidere cepit, & in agro Heildesheimensi signis collatis, uictor Mauricius, cum Carolo & Philippo Brunsuicensibus ictu bombardæ periit. Sleidanus lib. 25.

SECVLVM PACIFICVM, PACE FLORENS.

SOLOMONIS Iudæorũ regis imperium tam alta pace Deus ornauit, ut in summo otio tẽplum Domino ædificaret, uniquoq; sedebant Iudæi & Israelitę sub uitibus & ficubus à Dane ad Bersabeam. 3. Regum 4.

Sub THOLA Phuæ F. item sub IAIRE Galaadite, sub ABESANE, ELONE & ABDONE Iudicibus, Israelitæ pacem habuerunt.

ASA Abiæ F. Iudæorum rex, pacem habuit annis decem. Vicit inde Zaram Aethiopem, & post eam uictoriam pacem habuit usque ad 36. anni sui regnum. 2. Paralip. 16.

IOSAPHATVM Asæ F. Iudæorũ regem ob pietatis studium Dominus perpetua pace beauit, toto ferè regni sui tempore. Moabitas tamẽ atq; Ammonitas maxima clade confecit. 2. Paralip. cap. 17. & 20.

Sub SIMONE Pontifice & duce Iudæorum Iudæa quieuit, cùm sub Mattathia patre, Iuda Machabæo & Ionatha fratribus, grauissimis calamitatibus à regibus Syriæ affecta esset. 1. Machabæorum 14.

Sub AMASI rege dicitur Aegyptus fuisse maximè beata, in his, quæ uel regioni ex flumine, uel hominibus ex regione proueniunt: & urbes, quæ incolerentur tunc, fuisse numero illic uiginti mille. Herod. lib. 2.

Inter omnes Peloponnesi populos ELEI ob Olympij Iouis templum & ludos quinquẽnales sacri habiti, pace maximè floruere, cùm uicinæ gẽtes, Arcades, Messenij, Spartani, mutuis se bellis attererent. Strabo lib. 8.

Sub Regibus Lacedæmoniorum, EVNOMO Prytanidis F. & eius filio POLYDECTE, Spartana Respub. pacata fuit. Pòst etiam sub ARCHIDAMO Anaxidami F. & AGASICLE illius filio. Pausanias in Laconicis.

Veteres reuoluamus historias (inquit D. Hieron. lib. 1. in Esaiam, cap. 2.) & inueniemus usq; ad annum 28. Cæsaris AVGVSTI, cuius 41. anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes cõtra uicinas gentes arsisse studio præliandi, ita ut cæderent & cę derentur. Orto autem domino Saluatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata, tunc omnia bella cessauerunt, & nequaquam per oppida & uicos exercebantur ad prælia, sed ad agrorũ cultus, militibus tantùm legionibusq; Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato: quando impletus est angelorum ille cõcentus, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: & in diebus eius orta est iustitia & multitudo pacis.

Est Iani templum Romæ bifore, quod Martis Ianuam uocant. Hoc aperiri bello & claudi pace composita solẽne est: quod quidem difficilis est exempli & rari. Quia perpetuo ob latitudinem implicatum est imperium bello, dum cum circumfusis undiq; barbaris nationibus colluctatur. Tantùm Cæsaris AVGVSTI æuo ab V. C. 724. teste Floro, oppresso Antonio, fuit clausum, & antè nõ diu, M. siue C. ATTILIO & T. MANLIO Consulibus anno V. C. 518. bello primo Punico pace facta: sed mox fuit armis motis reseratum. NVMA regnãte nunquam uisum est patuisse, sed tres & quadraginta continuos annos mansit occlusum: ita res bellica prorsus & undequaq; conticuit. Non solùm enim cicuratus & demulcitus populus Romanus iustitia & placiditate regis fuerat: sed & circumiectæ ciuitates quasi aura quadã & uento salubri illinc afflatæ, ceperunt inuertere se, ac desiderio fuerunt capti omnes iustitiæ, pacis, agrorum colendorum, liberorum in otio educandorum, & uenerandorum deorũ. Festi dies, ludi, conuiuia, inuitationesq; tutò inter se commeantium & conuersantium Italiam tenebant, omni uirtute & æquitate tanquam ex Numæ fonte sapientiæ ad omnes permeante, & permanante illius tranquillitate. Plut. in Numa, & de Rom. fato. NERO Ianum geminũ clausit, tam nullo, quàm residuo bello. Suetonius.

TITVS Cæsar euersa Hierosolyma, & bellis confectis, Iani templum in pacis testimonium clausisse fertur. Alex. lib. 1. cap. 14.

M. ANTONINVS Pius Imp. imperiũ adeptus, nulli eorũ successorem, quos Adrianus euexerat, dedit: septem ac nouem annis præsides in prouinciis detinuit: bella plurima per legatos gessit. Britannos, Mauros, Germanos, Dacos, Iudæos rebellantes contudit, Alanos refrenauit. In Achaia atq; Aegypto rebelliones per præsides repressit. Adeò ut auctoritate sola rexerit orbem terræ, nullo penè bello, ut Sextus Aurelius scribit. Omnes sub eo prouinciæ floruere, quoniam omniũ rationes apprimè sciebat: otiosis salaria subtrahens, dictitabat, nil esse crudelius quàm Rẽp. ab iis arrodi, qui nihil in eam labore suo contulissent. Cuspinianus.

M. Aur. PROBVS, princeps uerè probus, pacis belliq; artibus clarissimus fuit: quibus pacem toti orbi peperit, adeò ut inuidiam sibi non mediocrem conciliarit, usurpans hanc uocem: Nihil militibus opus esse, quoniam hostes deessent. Imperauit annos sex, menses quatuor. Eutropius.

Nicephorus non dubitat affirmare, sub MARTIANO Imperatore tam altã fuisse in Romana ditione pacem, ut aurea tum fuisse secula existimata sint.

Italia decẽnio integro sub regis ODOACRIS imperio quieta magis, quã læta, uexit, ut quæ præsidio magis firmo armorũ aduersus futuras irruptiones, quã dulci imperij solatio ad clades præteritas uteretur. At fortuna eius quiescere nesciẽs, sed noua indies in ceruices iuga seruitij moliens, rursus ægrè se à pristinis casibus alleuantem oppressit, Gothis ad eam aduersus Herulos inuadendam cõmotis. Sigonius lib. 15. Imperij occid.

EDGARO Britannici regni diadema suscipiente, Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus sibi diuinitùs prædictum audiuit, pacem Britannię futuram, quamdiu ille uiueret. Igitur annos 16. quibus regnauit, omnia in summa quiete trãquillitateq; fuẽre. Perpetuo quippe amicitiæ fœdere uicinos reges sibi deuinxerat, piratas mari, prædones terra submouerat. In feras etiam prædæ auidas seuerus, à Guidualo Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos 30. ueuatione captos. Id seruatum, donec illud bestiarum genus assiduis cædibus defecit. Nihil esse in regni finibus passus est, quod à pacis quiete foret alienum. Marul. libro 3. capite 6. & Polydorus lib. 6.

EDVARDVS III. Anglorum rex erat mitis ingenij, miniméque sagacis, & apprimè bellorum ac cædis abhorrens, ita ut etiam exul dicere soleret, malle uitam priuatam perpetuò degere, quàm per hominum cædem, regnum recipere. Eius anno quinto piratæ Daci in Sanduicum portum delati, partim cæsi, partim fugati sunt. Nullum post hoc bellum, domesticum siue externum, per decem & nouem, quibus regnauit, annos exitit, quin uel statim parua cęde confectũ, uel nullo memorabili euentu, pace mutatum sit. Polyd. l. 8.

LOTHARIO, Ludouici Transmarini regis F. Francorum rege, apparuit quantum felicitatis regnis afferant finitimorũ regum Imperatorumq; opes inter se (id quod perrarò accidit) consentientes. Otho I. Augustus pacem Francorũ perseueranter colens, læta omnia effecit, factionumq; contentiones sedauit: quòd idem Lotharij Regis, & Hugonis Capeti Magistri equitum, ex familia Regum æmula, & in possessione regni semel atque iterum collocata, erat auunculus. Is suorum amantissimus, Aquisgranũ sorores cum liberis accersiuit. E Francia Francus Rex cum fratre Carolo, matreq; Gerberga: Magister equitum cum matre Auida, utraq; Cæsaris sorore, affuere. Aemilius lib. 3.

ERICVS Disertus, totis triginta octo annis Gothis ac Suecis imperauit. Nulla bellorũ memoria in eius gestis inuenitur, sed ubiq; pax, iustitia, æquitas, summaq; in singulis Gothicæ Reipub. partibus concordia, ut nunquam securiora tempora antea fuisse credantur. Erat enim tunc illud tempus acceptabile, quo Dei filius, ueræ pacis auctor, ex immaculata Virgine nasci, dignatus est. Io. Magnus libro 4. capite ult. hist. Gothorum.

FROTHO III. Danorum rex quum insignes ubiq; uictorias edidisset, otium omnibus peperit per tricenos annos, ut pacis iucunditas bellorum atrocitati succederet, & cladis finis salutis initium foret. Sub idem tempus Christus opt. max. seruandorum mortalium gratia mortalitatis habitum amplecti sustinuit, cùm iam terræ, sopitis bellorũ incendiis, serenissimo tranquillitatis otio fruerentur. Saxo lib. 5.

SYVARDVS III. Danorũ rex toga quã armis illustris haberi maluit, omissoque castrorum cultu, pacis custodem agere cepit, eo successu, ut sicut ipse neminem, ita nec ipsum quisquam hostiliter lacesserit. Saxo lib. 9.

PHILIPPO Sueonibus, S. CANVTO Danis imperante, alma pax floruit, cùm Deo potius quàm suis cupiditatibus reges optimi obsequi studerent. Io. Magnus lib. 18. cap. 13.

Sub GVLIELMO comite Hollandiæ, rege Rom. (cuius quarto anno Fridericus II. in Apulia obiit) Germaniæ principes & ciuitates Imperiales conuenerũt pacis causa, capitaneósque fœderis crearunt: qui mox arces & castra, in quibus latrocinia exercebantur, uastarunt & solo æquarunt, uectigalia iniusta amouerunt: ac pulcerrima pax in uniuersa penè Germania per nouem continuos annos floruit. At eo mortuo, omnia in deterius labi cepere. Cuspinianus.

FRIDERICVS III. Imp. mortuus est in summa pace ac tranquillitate totius Germanię, atque uniuersorum principum. Cuspinianus.

Mortuus est MAXIMILIANVS I. Imp. A. D. 1519. Ian. 12. cùm in uniuersa Germania, Francia, Italia, Hungaria, & penè toto Christiano orbe pax esset, quod nemo sperarat, quum in omni ætate sua bellicosissimus princeps innumera gessisset & atrocia bella. Sola Austria ciuilibus seditionibus æstuabat. Cuspinianus.

FERDINANDVS I. Imp. ut pacis studiosissimus fuit, sic sub illius imperio Germania trãquilla fuit. Dedit hanc prosperitatem illius pietati neutiquam superstitiosæ Deus opt. max.

AMICITIA RESPECTV NVMERI CONSIDERATA.

MVLTI AMICI. ΠΟΛΥΦΙΛΙΑ.

Lucianus in Toxaride narrat, apud SCYTHAS πολυφιλίαν non aliter infamem fuisse, quàm apud alias gentes unius mulieris cum pluribus uiris consuetudinem. Quanquam diuersa sentit M. Tullius in libro de Amicitia, & Plutarchus in commentario περὶ πολυφιλίας. Erasmus in Adagiis.

NAMERTES legatus missus, cùm eius loci quidam beatum ipsum prædicaret, quòd multos haberet amicos, requisiuit, An probatum haberet, qua ratione multos amicos habere se quis sciret? Desideranti id discere alteri: Aduersa, inquit, fortuna. Plutarchus in Laconicis.

NVLLI AMICI.

CVIDAM glorianti, quòd nullum haberet inimicum, ecurrit alter quærens, An & amicum haberet?

AMICITIA INTER SIMILES BONIS MALISVE.

ANIMI. VTPVTA IN

THEORICIS STVDIIS, CONDISCIPVLI uel Collegæ amici.

PHILOSTRATVS & HIPPOCLIDES philosophi, eodem die nati, eiusdem præceptoris Epicuri sectã secuti, patrimonij etiam possidendi, alendæq; scholæ cõmunione coniuncti, eodemq; momento temporis ultima senectute extincti sunt. Tam æqualem fortunæ pariter atq; amicitiæ societatem ingenitam habuerunt. Val. Max. lib. 1. cap. de Miraculis.

MENANDER Comicus DEMETRIO Phalęro amicus summus. Demetrio ab Atheniensibus in exilium acto, Menãder de capite periclitaturus fuerat, nisi à Telesphoro Phaleræi genero defensus fuisset. Acron & Plutarchus.

P. VERG. Maro Cn. Corn. GALLVM ita dilexit, ut decimam Eclogam de Lycoride eius amica (quæ alioqui Cytheris dicebatur) scripserit. Item quarto Georgicorum libro, ferè usque ad medium, laudes eius recitat. Quem tamen postea, iubente Augusto, in Aristæi fabulam commutauit, quando Gallus de insolentia & tyrannide, quam contra Aegyptios, quibus præfectus fuit, exercuerat, accusatus, sibiipsi manus intulit. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poet.

APOLLONIVS Alexandrinus Grammaticus sub Claudio Romæ, ob HERACLIDIS Pontici amicitiam mutuam, Anteros dictus est. Suidas.

PROÆRESIVS è Cæsarea Cappadociæ sophista Athenas profectus, sub Iuliano ita profecit, ut primus omnium discipulorum habitus sit. EPHÆSTIONEM condiscipulum comitem sibi adiunxit, tanta charitate, ut unanimes perseuerarent, una ueste uterq; contentus, breui & paupere supellectile. Eunapius in uita Proæresij.

GREGORIVS Nazianzenus, & Magnus BASILIVS, Athenis sub iisdem præceptoribus educati, tantam inter se contraxere familiaritatem, ut ueteribus amicorum paribus cõferri possint, anteferri meritò debeant, quia & eruditionis & religionis causa cõiuncti fuere. In Ponti solitudine simul per 13. annos uixére.

D. AVGVSTINVS, & ALIPIVS eodem municipio Africę nati, Tagasta uidelicet, in iisdem quoq; studiis nutriti, eadem ferè ætate (nisi quòd minor natu fuit Alipius) hæreticus uterq;, tandem Mediolani opera D. Ambrosij cõuersi, baptismum suscepere, & inde patriam repetentes, Augustinus Hipponensis, Alipius Tagastensis episcopus factus est, & à teneris ceptam amicitiam indissolubilis charitatis uinculo conseruarunt. Meminit eius passim Augustinus.

D. HIERONYMO amicissimi fuerunt PAMMACHIVS & OCEANVS: quod ex ipsius Epistolis liquet.

EVSEBIVS Cæsariensis episcopus in Palæstina, tanto amore PAMPHILVM presbyterum suum, patria Laodicenum, fuit prosequutus, ut nomine ipsius cognominis sui loco usus sit. De eius denique uita libros tres elegantissimos scripsit, qui tamen non extant.

IOANNES Cassianus, & S. GERMANVS monachi, indiuidua & peregrinationum & studiorum uoluntate coniuncti fuerunt. Testis ipsemet Cassianus in primo libro Collationum, capite 1. Peragrarunt Scythiam, Palæstinam, Mesopotamiam, Cappadociam, Aegyptum, Thebaidem, &c. uitæ monasticæ & eruditionis ergo.

FRAN. Petrarcha cum Io. Boccatio Florentiæ amicitiam contraxit, tanta felicitate, ut alter alterius faciem in gemma anuli gestaret. Hinc illud Petrarchæ, Dulcis amice uale, tua nunc mihi semper imago Præsens est, mecumq; sedet, mecumq; quiescit. Hier. Squarzaficus in uita Petrarchæ.

IOANNES princeps Megalopurgensis egregiè doctus, uiginti annos operam dedit literis Parisiis: & commilitones habuit scholasticos duos Reges, MASSILIENSEM & CYPRIVM: atq; utrique sororem dedit in uxorẽ: habuit & commilitonem scholasticum COMITEM Hennebergensem, cuius sororem ipse duxit. Munsterus in Cosmogr.

PRACTICIS. NEMPE

Religione.

Religionis summus nexus est. Hinc prouerbio Eisdem dicuntur sacris uti, qui unanimiter conspirant. Cælius libro 12. capite 12. Antiq. Lect.

Profani homines iam olim diuini cultus causa instituere societatis, seu fraternæ charitatis COLLEGIA, illisque magistros dedere, qui statutis diebus reliquos socios conuocarent, ad ceremonias nonnullas concelebrandas. Durauit institutum, abiitque in uarias societates, quas uulgò Confraternitates dicunt. Ii statis diebus, mutua charitate conueniunt, orant, sacerdotes conducunt, qui rem diuinam faciant, pauperes alunt, sexcentaque pietatis officia quotidie faciunt. In supplicationibus publicis ordine procedunt, ut plurimum saccis linoque ora contecti, sese flagello conuerberant, nudum ac lacerum tergum ferientes, uelut uerè pœnitẽtes decet. Vnde NINIVITAS dictos uolunt, quòd eodem modo Deum placare studeant, atq; Niniuitas olim monitis Ionæ prophetæ pœnituisse constat. Polyd. lib. 7. cap. 6. de Rerum inuent. Sic apud Rom. erant TITII sodales, AVGVSTALES, HADRIANALES, ANTONINIANI sodales. Ibidem.

Acca Laurentia, uel, ut alij uolunt, Romulus Romanæ conditor urbis, duodecim fratres & sacerdotes ARVALES Romæ instituit: quibus tanta uitæ fuit societas, ut nullo omnino successu uel casu, sed uita tantùm finiretur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26.

ARMENII, qui Philippopoli erant, ALEMANNORVM, quos in Palæstinã ducebat Fridericus Barbarossa, trãsitum, non hostium incursionem, sed amicorum aduentum iudicabant

bant. Nam commercia inter sese agitabant, & in plerisq; religionis dogmatibus consentiebant. Quippe apud Alemannos & Armenios sacrarum imaginum adoratio ęquè interdicta erat, & azymis in sacris utriq; utebantur. Nicetas lib. 2. de imperio Isaacij Angeli.

Virtute, Probitate.

PELOPIDAS & EPAMINONDAS Thebani amici. Erat ad omnem uirtutem uterque iuxtà comparatus: nisi quòd exercitationibus magis deditus Pelopidas esset, Epaminondas disciplinis: & quod essent otij nacti, hic in discendo & philosophando poneret, ille in palæstris & uenationibus. Inter multas & præclaras artes, quæ utriq; gloriam conciliauerunt, nihil æquè admirati sunt prudẽtes, quàm quòd per tot certamina, præturas, & publicas actiones sincera inter eos à primo ad ultimum necessitudo & amicitia constiterit. Vera causa uirtus erat, per quam non gloriam, non opes, quæ grauem & contentionum plenam secum inuidiam trahũt, ex rebus gestis captabant: sed diuino amore à principio inflammati ambo, ut opera sua patriam redderent quàm clarissimam & potentissimam, alter alterius decoribus ad id utebantur, ut propriis. Plut. in Pelopida.

Improbitate.

SYBARITÆ luxuriæ mancipati, sicut in Suidæ monumentis proditur, IONAS eximiè colebant, ac exosculabãtur, quòd inter Græcos mollitie præsignes maximè forent. Cælius lib. 7. cap. 10. Antiq. Lect.

Συνῆλθεν ἀτταγᾶς τε καὶ νουμήνιος, id est, Coniunctus est suo ATTABAS NVMENIO. dici solitum, quoties improbus aggregatur cũ improbo. Diogenianus tradit hos insigne par furum fuisse. Apud Laertium Timon Nicæus hoc prouerbio notabat eos, qui putabant intellectui attestãti sensibus esse credendum, quum ipse nec rationi nec sensibus assentiendum putaret. Erasmus in Adagiis.

NERO amicitia utebatur OTHONIS & consuetudine ob profusionem eius: ac cùm ab eo derideretur subinde sordiũ & parcitatis causa, lætabatur. Fama est, cùm Nero aliquando precioso unguento, quo unctus fuerat, Othonem aspersisset, illum contrà insequenti die excipientem Neronem, repentè fistulas aureas & argenteas diuersis locis proposuisse, quæ quasi aquam magna ui fuderunt unguentum. Plut. in Galba. Cùm Neroni aliquando diceret: Tu me quoq; Cæsarem uidebis, tantùm Nero respondit: Te ne cõsulem quidem uidebo. Dion.

Mechanico studio.

APELLES Protogenem pictorem propter artis excellentiam admiratus, operibus eius primus dignationem constituit, cùm à Rhodiis negligerentur. Vide Tit. Pictorum.

Vt in Velabro OLEARII. prouerbiali similitudine circumfertur de iis qui conspirarunt, remq; gerunt ex composito. Plautus in Captiui duo, —Vna res,

Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearij.

Velabrum autem, auctore Varrone, locus erat Romæ, quo OLEARII distrahebant oleum. Mos est autem huic hominum generi, ut inter se de precio conspirent, quo pluris uendant. Erasmus.

FORTVNAE. AMICI SIMILES

DIGNITATE. HVC

Reges inter se amici.

AGRIPPA Herodis nepos cum Caio Tiberij nepote familiarissimè uixit: & propterea à Tiberio in uincula cõiectus est, quòd aliquãdo cum Caio uectus, eum Imperio digniorem esse quàm Tiberium protulisset. Iosephus lib. 18. c. 8. Antiq.

THEODERICVM Ostrogothorum regem, ZENON Imp. Constantinopoli honoribus & diuitiis auxit, magistrũ militum & consulem ordinarium creauit, & insigni triumpho ornauit: eidemq; dono dedit regnum Italiæ, commendans ei urbem Romam, Senatum, populumq; Romanum. Theodericus itaq; Consul Romanus cum ingenti exercitu Italiam petiit per Illyricos, occurrentem Odoacrem Herulorũ regem prælio uicit, & Rauennæ triennio obsessum, tandem cepit & interfecit. Cuspinianus.

CELRICVS, & CEOLOVLPHVS siue Quichelmus, Occidentalium Saxonum reguli in Anglia, dicuntur diuiso æqua lance regno concordissimè uixisse, & ut ambo iusti, pari uoluntate ac studio, suis clemẽter imperasse. Et huic integritati diuina fertur accessisse gratia, quòd Christiani facti sint: ac ad ultimum, ut simul cœperant, ita regnare desiuerint, per idem ferè tempus mortui. Polyd. lib. 4. hist. Angl.

Dani cum Gothis diu bellum gesserant. Tandem HVNDINGVS Gothus cum HADINGO Dano fœdus percussit, ut uiuentes amici essent, & alter alterius fato cognito, mortem sibi quantocyus acceleraret, ne absq; comite solus ad infernas sedes properaret. Itaq; cùm allatum esset falso rumore, Hadingum Daniæ regem insidiis Gutthormi (cui sororem Aluildam coniunxerat) periisse, Hundingus conuocata totius regni nobilitate, conuiuium magnificum tanquã mortuo amico parentaturus instruxit: & ne quicquam regiæ magnificẽtiæ deesse uideretur, iussus à rege promus condus dolium cereuisia uel mulsa plenum aulæ in medio collocauit. Ipse rex poculum circumferens, pietatis ministerium implere putabatur. Igitur postquam omnes ebrietate obrutos aduertisset, seipsum in dolium dulcissimi liquoris præcipitauit. Hadingus ut amico regi gratiam referret, toto populo inspectante, sese (ne perfidia notaretur) laqueo suspendi permisit. Io. Magnus lib. 2. cap. 14. hist. Gothorum.

ASMVNDVS, Alfi Hetmarchiæ regis filius, in uenatione à retiariis aberrans, post multos errores in Biorni Vichiensis regis ædes peruenit, & cum ASVITO eius filio tãtam amicitiam contraxit, ut iureiurando sese pariter astringerent, ne alter alterius fato superesset, sed communi tumulo uiuus cum mortuo includeretur. Asuitus prior in fata concessit. Ei ergo Asmundus se cõtumulari uoluit. Alfus nocturno tempore rediuiuus canem & equum secum consepultos dentibus dilaniauit: deinde ungues in Asmundum conuertens, auulsis aurib. genas quoq; illius dilacerauit. Quod ipsum Asmundus, ab Erici Danorum regis, Rollerum fratrem in Noruegiã reducturi, militibus thesauro inhiantibus repertus, ipsemet regi narrauit. Io. Magnus lib. 4. c. 29. ex Saxone.

OFFICIO. INTER SE AMICI COLLEGÆ in

Magistratu.

Consule Tit. Socium in imperio ferre posse.

DEMETRIVS Poliorcetes, quum aliquando à uenatione rediret, ad patrem ANTIGONVM Asiæ regem, legationem iam audientem, succinctus ut erat telis, accessit, eumque osculatus consedit: Hæc, inquiens, concordia regni nostri tutissimum erit præsidium. Discedentibus inde legatis: Renunciate, inquit Antigonus, ô uiri talem amorem, animiq; pietatem, qualem uidistis. Plut. in Demetrio.

M. ANTONINVS Philosophus cum fratre L. Aur. Vero Commodo mirabili cura & prouidentia temperauerunt grauissima incommoda Vrbis, quæ inundatio Tiberis fecit: qua multa Vrbis ædificia corruẽre, & animalia periẽre, & fames grauissima subsequuta est. Sextus Aurel.

Experimenta non rara solùm, uerùm penè unica ueræ amicitiæ ea fuerunt, quæ inter se DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Herculius Cæsares ediderunt. Diocletianus Maximianum imperij collegam sibi primus adoptauit: Imperium cõcordibus animis administrarũt: illudq; simul etiam deposuerunt.

GALEACIVS II. & BARNABAS Vicecomites fratres concordibus animis usq; ad uitæ exitum, quanquam diuiso imperio, regnarunt, mutuisq; opibus bella gesserunt, communem eum ducentes hostem, qui in ipsorum alterum arma moliretur. Ea enim æquitate defuncti Matthæi fratris hæreditatem inter se diuiserant, ut urbem Mediolanum ab ortu solis ad occasum per regiones ducta linea partirentur, & in urbe singulas arces ambo conderent, Galeacius ad Iouiam portam, quæ Comum ducit, Barnabas ad Romanam, quòd huic Conchana domus, illi Actiana curia, sicuti Matthæo antea antistitis Ioannis ædes, sorte obuenissent. Iouius in Galeacio II.

Militia. Commilitones amici.

LACEDÆMONII ante pugnam Amori sacrificabant, ueluti in amore certantium certa amicitia uictoria consisteret. CRETENSES in præliis optimos ac pulcerrimos amore deuinctos secernebant, ac per eos annua sacra fiebãt. Apud THEBANOS Sacra cohors appellata, ex amatis ac amantibus consistebat, ut tradit Alexis, in qua summa erat fiducia. Ex Athenæo recitat Volat. lib. 32. Philologiæ.

PATRIA. POPVLI EIVSDEM LINGVÆ AMICI, confœderati.

Confœderationes populorum inter se, propter potentiam armorum, ferè duodenario numero cõprehensæ. IONVM in Asia XII. teste Herod. lib. 1. AEOLIORVM XII. teste eodem. ACHÆORVM XII. uti Polybius lib. 3. & 4. & Plut. in uita Arati. HETRVSCORVM XII. HELVETIORVM hodie XIII. SVEVORVM, teste Cæsare lib. 4. com. pagorum centum, omnium maxima. Bodinus in Methodo hist.

GRÆCI post partam de Persis uictoriam ad Mycalem Ioniæ, consultabant de gente Ionica transferenda, & ubinam in Græcia illam locari oporteret, cuius ipsi imperium obtinerẽt. Neq; enim uidebatur eis fieri posse, ut per omne tempus Ionibus tutandis præessent. Magistratus Lacedæmoniorum censebant emporia nationum Græcarum, quę cum Medis sensissent, eiectis incolis, danda cum territorio Ionibus habitanda. Athenienses è contrario, non esse principatum Ioniæ summouendum, nec Lacedæmoniis de ipsorum coloniis

coloniis consultandum. Et cùm in hoc contenderent Athenienses, libentes eis cessere Peloponnẽses: atq; ita Samios, Chios, Lesbios, ac cæteros insulanos, qui secum militabant, ad societatis fœdus adegerunt: data acceptaque fide cum iureiurando, se permãsuros in societate, nec ab ea decessuros. Herod. lib. 9.

Tredecim hodie continentur pagis, uti uocant, HELVETII. Hi sunt Tigurini, Bernates, Lucernates, Vranij, Suitenses, Vnderualdij, Tugiani, Glareani, Basilienses, Solodurij, Friburgij, Schafhusiani, Abbecellenses. Hi sunt arctissimo fœdere coniuncti, per iusiurandum, & æquali utuntur iure, ac ueluti communem rempublicam administrant. Ex iis omnium primi fœdus inierunt Vranij, Suitenses, Vnderualdij, quum electa nobilitate, qua premebantur, in libertatem sese uindicarent. Fuit hoc anno Salutis MCCCXV. His deinde Lucernates, postea Tugiani, sexto loco Tigurini, & ab his Bernates accesserunt. Basilea ferè postrema sese coniunxit. Eorum deinde sunt facti socij, sed non iisdem legibus, neq; tãta necessitudine, Rhęti, Lepontij, Seduni, Veragri, Sangalli, Mulhusiani, Rotuilenses. Sleidanus lib. 3.

SVEVICVM fœdus, cuius armis Rusticorũ seditio anno 1525. oppressa est, multo antè factum fuit. Initio quidẽ in annos octo, deinde tres, pòst duodecim, inde decẽ: anno uerò Sal. 1522. renouatum fuit in annos undecim, paulò antè quàm Cęsar in Hispaniam rediret. Huius autem fœderis erant, Cæsar, ut Austriæ princeps, pòst etiam Ferdinandus frater, item Moguntinus, Palatinus, Salisburgensis, Bambergicus, Vuirciburgensis, Aistetensis, Augustanus, episcopi. Gulielmus & Ludouicus fratres, Bauariæ principes, Otho Henricus & Philippus Palatini fratres, Georgius Brandeburgicus & Albertus è fratre nepos, Philippus Hassiæ Lantgrauius, multi prętera uiri nobiles & ecclesiastici, dein Sueuiæ ciuitates pleræq; omnes, & in his etiam Norimberga. Sleidanus libro quarto.

AMICITIA INTER DISSIMILES VEL

NATVRA VTPVTA

Deorum amici. SPIRITIBVS *familiares.*

Non de turpi Amore hic loquimur, cuius exẽpla sub Tit. Anaſtorum reperies, quo Poetarum referti sunt libri: sed de honesta uereq; diuina Beneuolẽtia Dei opt. max. siue (qui eius simiæ esse uolunt) Dæmonum atq; Deorum ethnicorũ. Exempla ex Tit. Diuino absoluti iudicio, peti possunt. Hic deniq; omnes Diuinationes, Oracula, Augurta referri debent, per quæ Homines de impendentibus malis bonisue à Diis monentur.

De legislatorum ueterum conuersatione cum diis sic scribit Plut. in Numa: Cùm ex fabulis constet, deos Pindaro, Archilocho, Hesiodo, Sophocli, beneuolos & propitios fuisse, tũ uiuis tum mortuis, num abnuemus Zaleuco, Minoi, Zoroastri, Numæ, Lycurgo, regna moderantibus, & constituentibus respub. deum usum familiariter? An uerò potius cum his deos dicemus, ut recta suggerant iis & moneant, esse seriò cõgressos: poetis uerò & lyricis uibrissantibus, si tamen unquam, per lusum frui?

Cùm orbẽ terrarũ Deus opt. max. propter peccata diluuio delere statuisset, solũ NOACHVM iustitiæ & pietatis ergò cũ suis filiis & nurubus in Arca incolumem seruauit. Genes. 7.

Nulli hominum cõtigit tam familiare numinis commercium, quàm MOSI: nullus maiore cœli fauore ductauit exercitũ, cui sua sponte patuit mare, aquæ pumicibus exilierunt, quibus amaror inerat, dulces factæ. Idem cœlesti rore pauit populum ingentem, religione rexit, hostem precatione fudit. Nulli prima rerum origo fuit notior, & quæ proxima fuerunt originibus. Iuuenta exercita, exercitatior senecta: fama & celebritate magnus, sed maior propheta, ac nescio an omnium etiam, qui omni memoria fuere, maximus. Sab. lib. 1. c. 6. Quàm charus Deo fuerit, ex eo colligi potest, quòd illum populo suo præfecit, & propter Mosen eidem sæpius ignouit: præsens deniq; præsentẽ in monte Sina allocutus est, deinde etiam in oraculari tabernaculo. Exodi 35. Neq; uerò Ioua ferre potuit, ut Aaron & Maria contra eum immodestiùs loquerentur propter ductam uxorẽ Aethiopissam. Nam cùm iactarent illi, non Mosi soli, sed sibi etiã locutum esse Dominum, euocauit utrunque ad oraculare tabernaculum, inquiens: Si quis erit uestrum Iouæ uates, ego ei per uisa notus fiã, & in somnis cũ eo loquar. At cum Mose meo non item, cui totius domus meæ fides habetur: quin eum præsens præsentem affabor, coramq; ac sine ænigmatis aut simulacro Iouam aspiciet. Contra hunc meum Mosem loqui cur non metuitis? Itaq; Maria leprosa reddita, Mosis intercessione post septem dies liberata fuit. Numeri 12.

Deus opt. max. cũ populo ISRAELITARVM, Mose internũcio, fœdus pepigit: mandata suo populo exposuit per Mosem. Quib. cùm se pariturũ populus omnis respõdisset, Moses omnia Dei dicta perscripsit, & postridie mane aram sub monte Sina extruxit, & cippos duodecim pro numero tribuũ Israelitarũ, iuuenibusq; mandauit, ut solidũ sacrificium facerent, & iuuẽcos pro salute immolarent. Ipse dimidium sanguinis in craterib. excepit, altero dimidio arã perfudit: sumtumq; librum fœderis in aurib. populi perlegit: & populus dixit, sese omnia Dei iussa facturum. Et Moses sanguine populum aspersit, his uerbis: Hic est sanguis fœderis, quod Deus uobiscum in hæc omnia uerba fecit. Exodi 24.

IOSEPHO fabro, uiro admodũ seni, iam ætatis exactę, datũ, ut regi regũ & nutricius esset, & custos. Nulli unquam sanctior alumnus cõtigit, nulli augustior nutricatus. Primus omniũ Deiparæ filiũ nuperrimè ortum uidit, primus adorauit, angelicos cãtus audiuit, magos ueniẽtes excepit, infantẽ asportauit, puerũ requisiuit: & quod felicissimi cumulo ministerij accessit, Christi pater & rector est dictus, qui omnium uerus erat pater, & moderator summus. Sab. lib. 1. c. 6.

SIMEON senex, oraculo instructus, fore, ut non prius humanis excederet, quàm Christum uideret, consecutus est, ut uiuens suis sit amplexus ulnis eum, qui cœlum, & quæ cœlo continentur, uno fouet complexu. Sabel. lib. 1. cap. 6.

De sancto GREGORIO recenset in Vitis patrum Gregorius Turonensis cap. 7. Nocte ad preces faciendas solitũ surgere insciis omnibus: ostium baptisterij diuinitus fuisse apertũ, ac auditas ibi uoces psallentium trium horarum spacio. Existimat autẽ, in eo loco seruatas reliquias sanctorum, ipsi sese psallenti adiunxisse.

Sigebertus scribit, BENEDICTO ad montem Cassinum iter instituenti, ad omne biuium duos angelos occurrisse, uiam ipsi monstrantes.

VLYSSI Minerua semper assistit neque se illum unquam deserere asserit, Odyss. N,

οὕνεκ' ἐπητής ἐστι καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέφρων.

Pandarius Milesius, è Mileto Cretæ urbe, Tantali scelerum socius, filias habuit duas, CAMYRO & CLYTIEN, de quibus Penelopen Homerus dicentem fecit, dum uirgines etiãnum essent, ereptos illis deorũ ira parentes, orbas à Venere educatas: tribuisse uerò illis deas certa munera: Iunonẽ prudentiã & formositatẽ, corporis proceritatẽ Dianã, Mineruã lanificiũ, & quicquid mulieribus didicisse in laude ducitur, Postremò Venerẽ in cœlum ascendisse, quò à Ioue puellis faustas nuptias conficeret: cùm interea Venere absente ab Harpyis abreptæ, diris traditæ fuerint. Pausan. in Phocicis.

OENO, SPERMO, ELAIS, Anij & Dorippes Ff. Dionysio ita charæ fuerunt, ut quicquid tangerent, in triticum statim uerteretur, & uinum, & oleum: unde dictæ Cęnotropæ, q. in nouas formas omnia uertentes. Cælius lib. 7. c. 15. A L.

PINDARVS Thebanus lyricus, Apollini adeò charus, ut eorum munerum, quæ in ipsius dei templo offerebantur, partem acciperet, indiesq; à sacerdote uocaretur ad cœnam. Id enim antè apud Delphos Pythia prædixerat. Gyraldus Dialogo nono, Historiæ poet. & Cęlius lib. 15. cap. 21 Idem à Pane cantilenam quandam ex suis cani audiuit. Plut. contra Epicureos, & in Numa.

Ab Apolline fabulantur adamatum Sicyonium HIPPOLYTVM: cui aiunt, quoties à Sicyone transmitteret Cirrham, sortes Pythiã quasi sentiente deo & exultãte dedisse, uaticinariq; hunc uersum solitam: Iamq; iterum Hippolyti charũ caput æquora sulcat. Plut. in Numa.

LYCVRGVS à Pythia salutatus,

Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.

Intimus ille Iouis, cũctorũ & cœlicolarũ. Plut. cõtra Epic.

SOPHOCLIS etiam uiui Aesculapium hospitio usum, fama est. Plut. in Numa.

Obiit diem SOPHOCLES per id tempus, quo Lysander Lacedæmonius Athenas obsidione pressit. Ferũt illũ per quietem à quodam dæmone (Plut. Bacchum fuisse scribit in uita Numæ) monitum, ut ueniam uati suo daret, patereturq; illius funus celebrari. Qui ubi Sophoclem extinctum indicio comperit: tam diu Atheniensibus inducias ultrò dedit, quo ad patrio more sit ille funeratus. Sab. lib. 9. En. 3.

PHILEMON comicus, Musis amicus, iam centenarius, uidit in somnis nouẽ uirgines ex ędibus suis exeũtes: quas interrogare sibi uidebatur, quid sibi uellẽt, Quòd à se recederẽt? illas autem respõdisse, Se foras prodire. Experrectus, puero narrauit omnia, quæ audiuerat & quæ dixerat. Deinde comœdiæ, cui scribendæ intentus erat, reliquũ absoluit: & inuolutus, quierè dormiuit. Qui intus erant, detecta facie mortuum uiderunt. Musas autem fuisse nouem uirgines, Aelianus in libro de Prouidentia apud Suidam existimat.

ARCHILOCHVS Parius iambographus, à Calonda milite Naxio, qui Corax fuit cognominatus, occisus fuit in prelio. Hinc cùm Calondas Pythium templũ ingrederetur, Pythia exclamauit, Μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. Verùm quia illa

ille prælij neceſſitatem obiiciebat: iuſſus eſt ad Tænarum proficiſci, & illic ταῦρος, id eſt Archilocho, qui ſe Cicadam appellabat, ſimul & patri eius Teleſicli parentare. Quod cùm feciſſet Calondas, à dei ira liberatus eſt. Plut. in lib. De iis, qui à diis ſerò ſunt puniti, & Suidas.

AESOPVM fabulatorem ferunt adeò diis charum fuiſſe, ut & reuixerit: ſicut Tyndareus, Hercules, & Glaucus. Suidas.

PHIDIAS architectus Ioui Olympio ſignum cùm feciſſet ex ebore, id ſibi gratum fuiſſe Iupiter fulmine declarauit.

CLEARCHVS Lacedæmonius, cùm à Perſis trucidatus & inſepultus abiectus eſſet, cumulo arenæ, ui procellæ contectus eſt. Itaq; Artaxerxes rex magna ductus eſt pœnitentia, quòd uirum diis charum peremiſſet, eo quòd à partibus Cyri fratris ſtetiſſet. Plutarchus in Artaxerxe.

Dæmonem SOCRATIS Deum appellatum, auctor eſt Proclus, idipſum Platonis auctoritate in Apologia, & in Alcibiade primo, quem interpretabatur, corroborans. Erat uerò dæmon hic Socraticus tum igneus, quia ad contemplationem cœleſtium rerum Socratem inflãmabat, tum etiam Saturnius, quòniã abductum à ſenſibilium cura, intellectu plurimùm uiuere hortabatur. Hunc ſenſu percipiebat, ſed non corporis huius: uerùm, ut Platonici perſuaſiſſimum habent, ſenſu ætherei corporis intra hoc delitescentis. Qua itẽ ratione ab Prophetis uideri ſolitos, audiriq; angelos, credit Auicenna. Plutarchus lib. de Socratis dæmonio refert, reddidum patri Socratis oraculum, ne quem illi omnino adhiberet tentaret, aut porrò inducere ſuaſionibus pergeret, ſed ſuo ipſius arbitrio permitteret, fiſis Ioui Agoræo precibus, atq; item Muſis: habere enim præceptoribus uniuerſis, aut etiam pedagogis, ducem anguſtiorem. Dignum ſcitu & illud, putaſſe quoſdam, Socratis dæmonium fuiſſe πλαγιον, hoc eſt, ſternutamentum, quo dextra in parte obueniente ad agendum concitaretur, in ſiniſtra uerò auerteretur. Cælius lib. 2. cap. 10. A. L.

HERMOGENES ſic de ſeipſo ait: Qui omnia ſciũt & omnia poſſunt dij, adeò me carum habent, ut ex ſolicitudine, quã de me gerunt, nunquam quocunq; uel nocte uel interdiu animum appellem, uel quicquid inſtituam agere, ignorent. Quia uero, quid ex quoq; euenturum ſit, præſentiunt: ſignificant id mihi per nuncios, quos mittũt, tumores, inſomnia. Plut. contra Epicurum.

Ob CITHAROEDVM, qui in certamine in honorem Iunonis inſtituto canebat, in templo interfectum, Sybaritæ grauiſſimè puniti. Nam cùm aduerſus Crotoniatas bellum gererent, ſubacti ſunt ab illis, & ciuitas eorum euerſa eſt. Aelianus lib. 3. de Varia hiſt.

ALEXANDER Magnus ſtatuerat ad Ammonis oraculũ proficiſci. Iter prolixum erat, ac cùm multorum laborum ærumnarumq; plenum, tum cum duobus coniunctum periculis: uno ob aquæ penuriã, altero ob procelloſum in alto & uaſto ſabulo Auſtrum, qui Cambyſis olim exercitum ad quinquaginta millia capitum obruit oppreſſitque. Cæterùm arduum erat Alexandrum, quodcunq; intendiſſet, ab eo deflectere, diuina ope fretum. Primùm enim cælestes aquæ & largi exculti imbres ſitis timorem diſcuſſerunt, ariditateq; extincta ſabuli irrigati & iam compacti otis, liquidũ aera reddiderunt & puriorem. Deinde confuſis, quibus duces itineris utebantur, notis cùm erraret agmen per ignorãtiam, atque ab itinere deflecteret: corui oblati duces præbuerunt ſe. Si agmen ſequebatur, incitatis antecedebant pennis: ſin incederet lentiùs & tardiùs, operiebantur. Quod uerò miraculum ſuperabat omne, ut auctor eſt Calliſthenes, uocibus & crocitu, ſi qui nocte aberrarent, hos reuocabant, atq; ad veſtigium uiæ reducebant. Plut. in Alexandro.

FORMOSI Põtificis corpus, quod è ſepulcro erutũ Sergius in Tyberim præcipitari iuſſerat, cùm à piſcatoribus inuentum, ad eccleſiã S. Petri, ut ibi ſepeliretur, deferretur: ab imaginibus quibuſdam ſanctorum, in ingreſſu templi magna reuerẽtia adoratum & ſalutatum eſſe, Vincentius libro 24. capite 58. ſcribit.

Ego cõfirmare poſſum, inquit Bodinus lib. 1. Dæmonomaniç, me ex HOMINE, qui adhuc uiuit, audiuiſſe, ſpiritum quendam eſſe aſſiduum ipſius comitem, quem tum demum ceperit agnoſcere, cùm annum fermè trigeſimumſeptimum ageret, & anno integro Deum oraſſet ex animo veſperi & mane, ut bonum angelum, futurum actionum ſuarum ducem, ad ipſum tranſmitteret, animamq; ſuam Deo obtuliſſet: ex eo tempore ſomnia ſibi & uiſiones monitorum plenas obuenisse, modò huic aut illi uitio corrigendo, modò anteuertendo periculo, modò huic aut illi difficultati ſoluendę, tum in diuinis, tum etiam in humanis rebus. Quotidie ſub horam tertiam aut quartam matutinam ſpiritum pulſaſſe fores: ſe uero cùm ſurgens aperuiſſet fores, uidiſſe neminem: ita perſtitiſſe ſpiritum unoquoque mane, & niſi ſurgeret, ampliùs pulſando, uſque dum ſurgeret, excitaſſe. Tunc ſibi demum obueniſſe metum; eo gitanti ſpiritum aliquem maligniũ eſſe: propterea non deſtitiſſe, neq; diem ullum intermiſiſſe, quin oraret Deum, ut Angelum bonum ad ſe tranſmitteret, & ſæpe Pſalmos ceciniſſe. Tum ergo uigilanti ſeſe pateſeciſſe ſpiritum, leniter pulſantem (quo die primùm ſenſu percepit illum) & ſæpius tangentem uitreum baucalium. Ab illo tempore mihi confirmauit, ſpiritum ſem per ſibi adfuiſſe, & ſigno afficiente ſenſus monuiſſe: putà modò aurem dexteram feriendo, ſi quid mali faceret, modò ſiniſtram, ſi ſecus: ſi quis ad circumueniendum ipſum accederet, aurem dexteram fuiſſe pulſatam: ſiniſtram uerò, ſi uir bonus & ad rem bonam adueniret: ſi quid mali bibiturus aut eſurus eſſet, ſi quid facere cunctaretur, aut aggredi, ſignum item fuiſſe datũ: ſi quid mali cogitaret aut inſtitueret, ſigno reuocatum eſſe: ſi quando Deum laudare Pſalmis inciperet, aut facta eius admirabilia eloqui, ſpirituali quadam ui auctum fuiſſe atq; confirmatum. Sub ſecundam tertiãue horam ſe excitari à ſpiritu, deinde redormiſcere: tum ſibi demum uera ſomnia de eo, quod facturus aut creditурus eſſet, de iis, quæ dubitabat, aut quæ uentura erant, obtingere. Quòd ſi uerſanti cum aliis contigiſſet non bonum ſermonem habuiſſe, aut diebus aliquot precari intermiſiſſet Deum, illicò dormientem fuiſſe monitum. Si librum malum legeret, fuiſſe librum percuſſum à ſpiritu, ut eum deponeret. Ab eo quod ualetudini ipſius fuiſſet nociturum, teuocatum eſſe, & in morbo curatum ſtudioſiſſimè. Monebatur uerò in primis ut manè ſurgeret, idq; hora fermè quarta. Sibi dormienti narrabat edi uocẽ, quæ dicebat, Quis primus oraturus ſurget? Narrabat quoq; ſæpe ſe commoneſactum eſſe de eroganda eleemoſyna: quo plus erogaret, eò ſecundiores ſuarum rerum ſucceſſus percepiſſe. Formam ſpiritus ſe dum uigilaret non uidiſſe unquam, præter lumen quoddam ualde clarum, in orbem ductum. Semel autem cùm in extremo agẽs uitæ diſcrimine, Deum oraſſet ex animo, placeret ſaluti ſuæ conſulere, & ſub diluculum dormitaret: ſuper lecto, cui incumbebat, animaduertiſſe puerulum ueſte alba in purpureum colorem inclinante, uultu formaq; admirabili. Iterum uerſantem in graui periculo, & modò cubantem, à ſpiritu impeditum fuiſſe, non ceſſante donec è lecto ſurrexiſſet: inſomnem itaque totam noctem in precibus conſumſiſſe: poſtridie ſe mirabili ratione & incredibili, carnificum manus effugiſſe: hoc facto, ſe dormientem audiuiſſe cùm inclamaret uox, Iam dicendum eſt, qui ſedet in latibulo Altiſſimi.

Brutorum amici. A Brutis amati.

Ex Tit. Vita conſernata à brutis, huc quædam.

Elephantus quidam Alexandriæ Ariſtophanis grammatici rialis fuit. Nam eiuſdem deperibant amore CORONARIÆ: cui elephas ferebat ſemper, cùm præteriret, ex foro poma, moramq; apud eam trahebat, & proboſcide intra tunicas ſicut manum inſerens, blandè eius ubera contrectabat. Plut. de Animantium comparatione.

Draco, qui VIRGINEM Aetolam amabat, tenebris commeabat ad eam, ſurrepenſq; ad ſummam corporis cutem, complectenſq;, nihil eam ultrò uel innitus offendebat, ſed placidè ſub. diluculum recipiebat ſe. Quod cùm faceret aſſiduè, deportarunt propinqui mulierem remotius. Ille tribus aut quatuor noctibus non uenit ad eam: ſed circumibat, ut putabatur, errans quærenſq; eam. Quam ut tandem inuenit, circumlapſus non de more ſuo lenis, ſed aſperior; ſpiris reliquis manus eius corporis deligauit, & extrema cauda eã flagellauit; facilem & beneuolam parcentis potiùs quàm punientis præ ſe ferens iram. Idem.

Delphini in PVERVM laſſenſem beneuolẽtia nihil reliqui ad ſummum amorem fecit. Ludebat cum eo natabatq; quotidie, ac contrectari ſe in cute ferebat eius manibus: equitantem in ſe non reiiciebat, ſed portabat læuus: ac quocunque curſum ille dirigeret, eò ſe flectebat. Ad quod ſpectaculum cuncti ſimul laſſenſes ad litus quotidie currebant. Cùm autem imber largus cum grandine aliquando fuſus eſſet, puer delapſus expirauit. Ibi delphinus cadauer deportans unà cùm eo impulit ſe ipſe in litus, neque abſceſſit ab eo, donec extinctus eſt: iudicans conſortem eſſe debere ſe, qui cauſam dediſſet lethi. Huius caſus inſigne laſſenſibus moneta eſt imagine equitantis in delphino pueri. Idem.

Apud Nemeon in alto iactatum QVENDAM ſuſtollẽtes delphini, & inuicem ſuccedentes promtè, apud Rhion expoſuerunt, iugulatumq; oſtenderunt. Idem.

Philinus in Aegypto peregrinatus, narrauit ANVM ſe uidiſſe in Antæi oppido in grabato cum crocodilo concubantem, qui perquam modeſtè ei ſe applicabat. Idem.

Athenæus XIIII libro δειπνοσοφιστῶν teſtatur elephantum amore INFANTIS pueri captum, fidum cuſtodem eius fuiſſe, & infantem ſaturum à nutrice ſolitum in medio crurum ipſius conſtituiſ: adeoq; iiſdem muneribus, quibus nutrices, ſolitam eam belluam puerũ curare, cunamq; mouere cùm ploraret, ut ſopiretur.

Bucepha-

Bucephalus non inſtratus recipiebat in ſedem agaſonem: ſed cùm eſſet ornatu & phaleris regiis inſtructus, nullum niſi ipſum admittebat ALEXANDRVM Magnũ. In alios, qui ad id tentandum accedebant, infeſtus incurrens hinnitum tollebat, & inſultabat, eoſque, ni maturaſſent longius ſe ꝓripere & aufugere, obterebat. Plutarch. de Comparatione animantium.

PYRRHVS, neſcio quis priuatus, aluit canem: qui uerſans circa corpus exanime, lectuloque, cùm efferretur, aſſultãs, ad poſtremum conieecit ſe in rogum, ac cum illius corpore exuſtus eſt. Idem

PORI regis elephas, in acie contra Alexandrum grauiter ſaucij, multa iacula leuiter & molliter proboſcide ſua euulſit. Qui quamuis eſſet ipſe grauiter uulneratus, non ante elanguit tamen, quàm regem iam exanguem & defluentẽ percipiens, timenſque ne caderet, ſenſim ſe ſubmiſit, præbuitq; ei reclinandi facultatem. Idem.

LYSIMACHO. regi Thraciæ defuncto, Canis Hircanus adhæſit, ſolus, & illato in rogum corpore, in eundẽ inſiliit. Idẽ.

30 RELIGIONE. FOEDVS ET AMICITIA INTER EOS QVI DIVERſæ ſunt Religionis.

Cùm DAVID rex Iudæorum Adarezerum, Sophenæ regem, uicisſet, THOIS Hemathæ rex metuens ſibi, miſit Ioramũ F. cum magnis munetibus, qui Dauidi ob debellatum Adarezerum gratularetur, gratiaſque ageret, & cum eo fœdus faceret. Dauid munera illa accepit, & in templo Hieroſolymis dedicauit. 2. Reg. 8. Idem cum NAHA rege Ammonitarum fœdus habuit. 2. Reg. 10.

HIRAMVS rex Tyri legatos cum munerib. miſit ad DAVIDEM regem Iſraelitarum, cùm Hieroſolymam expugnaſſet, ligna cedrina, & fabros lignarios lapidariоſque, qui ei domũ conſtruerent, & cũ Dauide fœdus percuſſit. 2. Reg. 5.

SOLOMO rex ſapientiſsimus cum PHARAONE Aegypti rege affinitatem contraxit, ducta illius filia. Item cum HIRÃMO Tyriorum rege fœdus, quod cum patre Dauide habuerat, confirmauit: cuiuſque operis uſus eſt ad cædendã materiam cedrinam in monte Libano, & conſtanda omnis generis uaſa, ad ſtructuram & ornatum templi. Solomo uiciſſim Hiramo annuatim triticum, oleum, unum ad familiæ alimenta mittebat. 3. Reg. 3. & 5.

IORAS, Iſraelitarum rex bellum in Moabitas ob gentis defectionem ornare adortus, ad IOSAPHATVM Iudæorum regem miſit qui eum rogarẽt, ut ſocia ſecum arma in Moabitas iungeret. Reſponſum eſt, fore, ut non ſolùm Ioſaphatus cum ſuis auxiliis præſto adeſſet, ſed Damaſcenum etiã regem in belli ſocietatem traheret. Hinc tres reges cum tribus regiis exercitibus in hoſtem profecti, ut ſuus eſſet occultior acceſſus, per deſerta iter intendunt, quibus ſanè locis eſt nonnihil ſiti laboratum. Cæterùm Heliſæi precibus nullum maius aquationis incommodum adiit exercitus. Moabitæ magna clade affecti, urbs regia obſeſſa. Rex ipſe filium natu maximum in muris pro ſalute regni immolauit. Eam crudelitatem deteſtati tres reges, obſidionem ſoluerunt. Sabellicus libro 1. Enneadis 2.

ASA, Iudæorum rex, pius ſacros theſauros omnes ad BENADADVM Syriæ regem miſit, fœderis cum eo ineũdi ergò, & expeditionis contra Baaſam Iſraelitarũ regem ſuſcipiendæ, qui Iudæam infeſtis armis uaſtabat. 3. Reg. 15.

Quòd IOSAPHAT rex Iudæorũ alio qui pius cum OCHOZIA amicitiã inierit, reprehẽditur à ꝓpheta Eliezer dicẽte. Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerũt ire in Tharſis. 2. paral. 20.

IDEM, quòd ACHABO affini impio opẽ tulerit, repreſenditur. 2. paralipom. 19. à Iehu filio Hanani dicente, Impio præbes auxilium, & bis, qui oderunt Dominũ, amicitia iungeris: & ideirco iram Domini merebaris.

ARIVS, Lacedæmoniorum rex, cum ONIA pontifice Iudæorum amicitiam & fœdus conrrahere uoluit, quòd & Spartani à poſteris Abrahæ originem ducerent, uti Iudæi. Ioſephus libro 12. capite 5. Antiq.

IVDAS Machabæus cùm à Demetrio Sotere Syriæ rege uehementer affligeretur, miſſis ROMAM duobus ex amicorum numero, Eupolemo Ioannis & Iaſone Eleazari filio, rogauit, ut in ſocietatem reciperetur & amicitiam, & ut Demetrio ſcriberent, ne poſthac Iudæos bello laceſſeret. Hanc legationem ſenatus admiſit, & auditis eorum poſtulatis amicitiam annuit: moxque ſenatuſconſultum de ea re factum inſcriptum æreis tabulis relatum eſt in Capitolium: cuius exemplar in Iudæam miſſum eſt. Ioſephus lib. 12. cap. 17. ex 1. Machab. 8.

IONATHAS, Iuda fratre mortuo, dux & pontifex factus, fœdus cum LACEDÆMONIIS & ROMANIS renouauit: cum illis quidem, eo quòd priores ONIAM pontificem ad amicitiam ineundã ſollicitauerant: cũ his uerò, ut illorum ſocietate à uicinorum regum iniuriis tutiores eſſent Iudæi. 1. Machab. 12. & Ioſephus lib. 13. cap. 9.

ANTIOCHVS Sedetes contra Demetrium Nicatorem bellum parans, etiamnum adoleſcens, miſſis literis & legatis ad IONATHAM, ducem Iudæorum, ſocium & amicum eum nominauit, & pontificatum ei confirmauit, conceſſis etiam quatuor præfecturis, quæ Iudæorum regioni attributæ fuerant. Ad hæc aurea uaſa & pocula ueſtemq; purpuream & ius utendi miſit ei, nec non fibulam auream, cooptato inter amicos primarios. Simonem etiam eius fratrẽ militibus, quantum eorum eſſet Tyrum inter & Aegyptũ, præpoſuit. Ioſephus lib. 13. cap. 9. Antiq.

SIMON, dux & pontifex Iudæorum, cum SPARTANIS, deinde etiam cum ROMANIS fœdus renouauit, & Numenium legatum Romam miſit cum clypeo ingenti, mille minarum pondo. 1. Machab. 14 & 15.

HIRCANVS III. Simonis F. cum ROMANIS fœdus renouauit, Simone Doſithei, & Apollonio Alexandri, & Diodoro Iaſonis legatis miſsis. Ioſephus lib. 13. cap. 17.

VITIGES Gothorum rex in Italia cùm Beliſarij armis premeretur, legatos ad COSROEN, Perſarum regẽ, miſit, ut fœdere initio Coſroes in Oriente res Romanas affligeret, ne tota belli moles Gothis impẽderet. Io. Magn. lib. 12. cap. 4.

GODOFREDVS, Hieroſolymorum rex, ut portum haberet Hieroſolymis propinquum, unde auxiliis commeatibuſq; ex Europa ſubuectis iuuari poſſet, ac reliqua expedire conſilia, Ioppen duxit, urbemque atque arcem ab hoſte diruta, mira celeritate reſtituit, muniuitque: opus ſummo ſtudio impigreque facientibus Syris. Itaque continuò ASCALONITÆ, & DAMASCENI pacem demiſſiſſimè petierunt. Ea utriſque conceſſa: ut commercio urbium opulẽtiſſimarum noſtri fubleuari, demtoq; hoſtili metu, agri, quorum cura bellicis malis interniſſa erat, recoli poſsẽt. Acmil. li. 5.

CALLISTVS III. pontifex ad VSVMCASSANVM, Perſarum & Armeniæ principem, ad regem Tartarorum, Ludouicum Bononienſem ordinis ſancti Franciſci fratrem miſit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcum excitãs, qui perſuaſu hominis & magnas Turcis calamitates intulere, & oratores ſuos, quos ad Calliſtum deſtinauerant, ad Pium pontificem demum miſere. Platina.

LVDOVICVS Sforția Mediolanenſium dux principum coniuratione aduerſum ſe cognita, cùm fruſtra Ludouicũ XII. Gallorum regem, & Venẽtos de pace interpellaſſet, BAIAZETHEM II. Turcarum regem contra Venetos terra marique excitauit. Iouius lib. 6.

Poſteaquam Zizimus à fratre Baiazethe regno pulſus, deſperabundus ad Rhodios milites fugit, BAJAZETHES metuens, ne illorum opibus inſtructus bellum ciuile redintegraret, cum RHODIIS pacem fecit, Magiſtrum Rhodi precatus, ut Zizymũ ſub alis ſuis foueret ac prõregeret, pro annuo ſumtu pollicitus 450000. numũm auri, Calend. Auguſti quotannis Rhodi exoluenda. Cuſpinian.

IOANNES Sepuſius, Tranſyluaniæ regulus, Ludouico Vngariæ rege in fuga ſubmerſo, in regem coronatus, profligatis ſuis copiis ad Tocaium à Ferdinando Auſtriaco, ad Hieronymum Laſcum profugit, uirum inter Sarmatas clariſſimum. Is tanti hoſpitis occaſione læetus, ad id unum deſcendit, ut ab uno tantùm SOLYMANNO Turcorũ rege maturiam opem peteret. Hoc erat conſiliũ, ut uſu apparuit, Ioanni maximè ſalutare: ſed in cauſa Chriſtiana non obſcurè nefarium. Nec multò poſt decreto facto Laſcus, legatione ſuſcepta Byzantium contẽdit, & oblatis muneribus, quæ elegantia potius quàm precio placitura, grataq; præcipuè uxoribus eorum futura non abſurdè exiſtimarat, purpuratorum non modò, ſed ianitorum etiam amicitiã promeruit: & ſæpius apud Purpuratos ſine interprete loquutus, quòd Illyrica lingua omnibus ferè in aula eſſet familiaris, Ioannis regis cauſam egit, atq; eum mirificè commendauit. Petebat Laſcus à Solymanno, ut Ioannes, Ferdinandi Auſtriæ principis iniuria, & quorundam Hungarorum perfidia regno pulſus, Pannoniæ rex, & Othomannici nominis beneficiarius appellaretur, ideoq; Turcicis armis in regnũ reduceretur. Repudiatis igitur induciis, quas petebat Ferdinandus, ualido exercitu Solymannus iter rectà Budam petijt. Iouius lib. 28. Hiſt.

Turcæ Andream Quirinum, patritium Venetum, apud Alepũ in Comagene clarum mercatorem, teterrimo ſupplicio affecerunt, quòd CAROLI V. Cæſaris legatum, nomine Robertum, natione Britannum, ad TAMMASVM Perſarum regem penerrantem, iumentis, ducibus, atque pecunia iuuiſſet. Deſtinabatur enim Cæſar Solymãno Turcico Imper. poſt Tammaſum debellatũ, præcipuus hoſtis. Miſſus proinde legatus, qui cum Perſis amicitiam & fœdus agitaret, ut per eum Tammas maiore tormentorum apparatu ituareтur, ſuppeditantib. è finitima India Luſitanis, qui ſe pro-

pter odium Turcici nominis Persarū amicos & socios, quū expediret, fore profitebantur. Iouius lib. 33. Hist.

DIGNITATE. HVC
Regum Amici.

AETHIOPIBVS moris fuisse asserunt, ut si quando rex aliqua corporis parte ex quauis causa debilitaretur, domestici oēs sponte sua eandem partem debilitarent. Turpe enim existimabant, rege claudo, non omnes amicos claudos esse: & quidē absurdū uidebatur, cùm ueræ sit amicitię, ex rebus aduersis amicorū dolere, lętari secūdis, nō & corporis quoq; doloris amicos participes esse. Ferunt cōsuetudinis esse apud eosdē, ut in regis morte peculiares AMICI sibi ipsis quoq; ,ppe regis cadauer mortē inferāt. Diod. Sicul.

IBERORVM mos fuit, ut amici in familiaria iura assumti, principi se deuouerāt, uitæ mortisq; ultores: qq; ita in cohorte amicorum deuoti erant, omnium consiliorum secretorumq; participes fiebant: & si quid timendum accidisset, omnes casus & fortunæ miras, atq; unà mortem oppetere cogebantur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 23.

TAVRIS apud Scythas cum regibus amicos præcipuè gratos, & qui magno in honore fuissent, sepelire insu fuit: auibus rex, tāquam pignus amoris, aurem abscindere solebat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26.

Nicolaus Damascenus Peripateticus Copiosæ historiæ li. 116. Adiatomū Sotianorū Regē (quod genus est Celticū) sexcētos delectos ciues apud se habere scribit, qui patrio corū idiomate SILODVNI dicuntur, hoc est, ἰυχωλιμαῖοι, uota exequentes. Hos Reges & unà uiuentes habent & unà morientes, cùm ipsum ita se facturos esse promiserint. Ex hac pollicitatione eadem ueste, diætaq; utūtur, unaq; imperāt: atq; in omni occasione moriuntur, siue ex morbo rex moriatur, siue in bello ceciderit, siue alia quauis de causa. Neq; ullus est qui mortē huiusmodi uel formidantē, uel tergiuersantē quempiā demonstrare possit, cùm Regi ita contigerit. Athen. lib. 6. cap. 6. At Sabellicus Sontiates uocat populos, & Soldurios, non Silodunos. Alij Soldunos.

ARIVM Cæsar AVGVSTVS, cùm Alexandria esset potitus, manu tenens, atq; ex familiaribus cum eo solo colloquens, urbem inuectus est. Hinc Alexandrinis, qui summo in timore uersabantur, supplicibus reconciliari dixit se propter urbis amplitudinem, propter conditorem Alexandrum, & tertiò in huius, inquit, amici mei gratiam. Plut. in Politicis.

A Regibus amati.

ZOROBABEL Iudæus, Darij Hystaspis filij, cùm adhuc priuatus esset, amicus, eiusdem iā in regē electi satelles, reditū Iudæorū è Babylone impetrauit. Iosephus lib. 11. Antiq. c. 4.

ESDRAS sacerdos Iudęorum Babylone degentiū, sua pietate & sapiētia Xerxi regi sese insinuauit, ut ei reditū in patriam cum quotquot uellet Iudæis concesserit. 1. Esdræ 7. & 8.

NEHEMIAS Hachaliæ F. Xerxis pincerna, diuinitus concessa gratia tantum potuit apud regem, ut ei Iudæorum reducēdorū cōcesserit potestatē. 2. Esdr. 1. & 2. & Ioseph. lib. 11. c. 5.

Cùm interseptis faucibus Chersonesi in Hellesponto, MILTIADES Atheniensis, Cypseli F. quem Dolonci sedib. suis ab Absinthiis pulsi ducem elegerant, Doloncos Thraces in patriā suā restituisset, primùm omniū Lampsacenis intulit bellum. Illi dispositis insidiis eum uiuum cepere. Ea re Crœsus Lydus audita per nūcios, Lampsacenis præcepit, ut hominem missum facerent: alioqui se illos in morē pini extriturum. Hac oratione nutantib. Lampsacenis, quid sibi uellet, quòd minabatur se illos in morē pini extriturū: uir tandem quidā è maiorib. natu, quid illud esset exposuit: inquiens, Pinum ex omnib. arborib. solā esse, quæ excisa nullam sobolem remittat, sed prorsus emoriatur. Eapropter ueriti Crœsum Lampsaceni, solutum Miltiadem remiserunt. Herodotus lib. 6. Gellius tamen lib. 8. cap. 3. hunc locum Herodoti reprehendit.

EVRIPIDEM, tragœdiarum poetam nobilē, & scenicū philosophum, uti ab Atheniensib. iactatū scimus, Archelao regi Macedonum sola uirtutis admiratione fuisse perfamiliarem ferunt, adeò ut in conuiuio, ubi aureo scypho donari se à rege quidam frugis non satis bonæ amplius deprecabatur, puero innuerit Archelaus, Euripidi poculū traderet: quumq; is uideretur etiam atq; etiam admirari, σὺ μὲν γὰρ αἰτῶν αἰτεῖν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστι καὶ μὴ αἰτῶν. Tu quidem (inquit) qui petas, hic uerò, quamuis non petens, dignus est qui capiat. Cælius lib. 24. cap. 7. A. L.

Darius usqueadeò amauit MEGABYZVM Persam, ut diducto malo Punico, optauerit sibi tot Megabyzos, quot illic essent acinorum. Herodotus.

THEMISTOCLEM Persarū rex Xerxes summo extulit honore: adhibuit eum etiam uenationibus & domesticis oblectationibus, ut ad matrem quoq; regis admitteretur, eaq; uteretur familiariter: acceperit insuper iussu regis præcepta magica. Cùm Demaratus Lacon iussus poscere munus, poposcisset, ut more regū directa cithari Sardeis inueheretur: Mithropaustes regis consobrinus apprehēsa Demarati manu dixit, Hæc quidē citharis nō habet cerebrū, quod tegat: tu uerò, ut fulmē accipias, haud fueris proinde Iupiter. Ob eam postulationem cùm despiceret per iram rex Demaratum, præ se ferens implacabilē se ei esse, induxit precibus Themistocles, ut reconciliaretur ei. Memorant subsecutos quoq; reges, quorū tēporib. maior cōmunicatio cū Græcis rerū fuit Persicarū, quoties cuiuspiā Græci indigerent opera, polliceri solitos & scribere oēs, Maiorē apud se fore Themistocle. Ipsum quoq; aiunt Themistoclē, ubi iam ingens euasit, & colebatur à multis, splendida aliquādo apposita mensa filiis dixisse: Perieramus filij, nisi periissemus. Vrbes tres tradūt pleriq; ei in panē, uinū, & esculenta datas, Magnesiā, Lampsacum, Myunta. Duas adiiciunt alias Cyzicenus Neanthes & Phanias, Percoten & Palæscepsin, in stratum & uestem. Plut. in Themistocle.

PELOPIDAM rebus gestis clariss. Thebani misere legatū ad Artaxerxem, cùm à Lacedæmoniis etiam & Atheniensibus clàm pro societate cū rege contra se ineunda mitti legationē sensissent. Eum fama iampridē sibi notū ubi rex aspexit, & orationem audiuit Attica grauiorem, & simpliciorē Laconica: cōplexus est eum, atq; animo uerè regio non dissimulauit quanti illū faceret, æq; clàm fuit cæteros legatos, plurimū illi tribuere: quāuis uideretur inter Gręcos eximio honore Antalcidam prosecutus Lacedęmoniū fuisse, quòd coronā, quam in conuiuio capite gerebat, in unguēto mersam misisset. At cū Pelopida nō egit tanta licentia, sed munera ei splendidissima & amplissima, quæ de more erant, misit, & postulata eius cōfirmauit: ut Græci immunes suis legib. agerent, Messene coleretur, Thebani amici paterni regis haberētur. Cū his respōsis nullo dono, nisi quod gratię & beneuolētiæ esset pignus, accepto discessit. Plut. in Pelō.

Philippus Macedonum rex HIPPARCHI Euboici mortem ægrè tulit. Dicente uerò quodam, Attamen maturè ac tempestiuè mortuus est. respondit, Mihi certè nimis properè: prius enim diem obiit, quàm à me dignam amicitia nostra gratiam receperit. Plutarchus.

Rex Alexander Achillis monumentū coronauit, & EPHÆSTIONI Patrocli: significans, se tanto amore Alexandrum prosequi, quanto Patroclus Achillem. Aelianus lib. 12. de Varia historia. Cùm rex Barbarorū moribus sese plurimum accōmodaret, & ex primis amicis cerneret his assentiētem Ephęstionem, atq; ad institutum suum se accommodantē, Craterū uerò patriis insistentē moribus: hoc interprete Gręcis & Macedonibus responsa dabat, illo barbaris. Et omnino hūc in maximo honore habebat, illū maximè diligebat: existimans & dicens perpetuò Ephæstionē φιλαλέξανδρον, Alexandri amantem, Craterum φιλοβασιλέα, amātem regis esse. Quapropter existebant inter hos inuicem æmulos crebræ offensiones. Semel in India etiam ad manus uenere districtis ensibus. Subuenientibus utriq; amicis accurrens Alexander probris increpauit Ephæstionem, propalàm stolidum eum & amentem uocās, nisi intelligeret, si quis ei detraheret Alexandrum, actum de ipso esse. Priuatim Craterū corripuit amarè, recōciliataq; ac restituta inter eos gratia, per Ammonem atq; oēs deos sanctè iurauit, eos sibi supra oēs mortales caros esse: quos si iterū concertare perciperet, ambos necaturū se, aut eū, initiū qui dedisset. unde ne per iocum quidem deinceps alter alterū ullo dicto uel facto dicitur lacessiuisse. Darij sanè mater, cùm in primo congressu ex ignorantia Ephæstionem pro Alexandro salutasset, ac monita sese ad regem conuerteret, illud ei dixit Alexāder, Nihil curæ habeas, ô mater: hic namq; est Alexāder. In omnib. & potentia, &, quod familiaritatis multæ esse solet, loquendi fiducia adeò utebatur, ut Olympiade per inuidiam infensa ei, & literis acerbius nonnunquā obloquēte ac minante, non dubitauerit haud molliter ad eā rescribere, & in epistolæ fine illud apponere, In me calūnias moliri desinas, neque amplius asperitate & minis mecū utare. Sin perseuerraueris, scito haud magnæ curæ mihi eam rem fore: cùm (uti nouisti) Alexander æquitate omnib. præstet. Eo Babylone mortuo, ad parandū hoīs funus Alexander uicinas oē ciuitates monuit, uti omnibus, quibus possent, præsentem pōpam iuuarent. Equos mulosq; totondit, urbiū pinnas diruit, medicum Glaucum cruci suffixit: ad extremum tibias & instrumenta quæuis musica diu in castris audiri uetuit, ad exequias decem millia talentûm impēdit. Plutarchus, Arrianus, Diodorus. lib. 17.

Ferunt dixisse Antipatrum Macedoniæ regem, duos sibi esse Athenis amicos, PHOCIONEM & DEMADEM: alterū horum, ut quicquam capiat, non posse inducere, alterum non implere. Plut. in Phocione.

Vtebatur PHILIPPIDES Comicus Lysimacho rege familiariter, multaq; eius gratia populus Atheniensis à rege beneficia accepit. Huius uidebatur occursus & cōspectus bonum ōmē illi ad res gerendas & expeditiones adferre. Fuit alioquin ei etiam ob mores probatus, quòd nō esset importunus, & aulica uacaret affectione. Agente cū eo aliquādo comiter Lysimacho ac dicēte, Quid tibi Philippide rerū mearū impertiar? Tātùm, inquit, ne rex secreta. Plut. in Demetr.

ARATVM Sicyoniū Achęorū prætorē bellicosiss. qui Acrocorintho occupata Macedones Peloponneso expulit, à Cleomene Spartano pressus, Antigono sese Acrocorinthi mercede coniunxit, eiq; intimus propter fidem & fortitudinem factus est. Plut. in Arato.

Augustus Cæsar duos inter amicos præcipuos dilexit, ob taciturnitatem C. MOECENATEM, ob patientiam AGRIPPAM. Cuspinianus. Mœcenatem adeò amabat, ut συμβιώτης Augusti diceretur. Quin & post uictoriam Actiacam ex Aegypto reuersus, de imperandi ratione cum Agrippa & Mœcenate agens, cùm Agrippa priuatam uitam, Mœcenas monarchiam suaderet, Mœcenati paruit. Leuiter tamen aliquando Mœcenati iratus fuisse dicitur, quòd ægrè ferret, Terentiam uel uxorem uel puellam suam ab Augusto diligi. Plut. Dion, Suetonius.

Palmæ Nicolai dictæ ab Augusto Cæsare, è Syria allatæ, in gratiam NICOLAI Damasceni Peripatetici doctiss. & summi amici Imperatoris, qui historiam multam conscripsit. Athenæus libro 14. capite 22.

CAROLVS Zenus Venetus, iuuenis adhuc, ad Galeacium Vicecomitem Mediolani principem profectus, propter gentis nobilitatem, & Petri patris memoriam præclaram, uniuerso principatui præfectus, in summa eius gratia, & penè mutua uixit amicitia. Egnatius lib. 4. cap. 7.

A Subditis amati Reges; Principes, Magistratus.

Diō tradit, Titū Augusto cōparandum in diuersa ætate: hūcq; si minus uixisset, nunquā à Romanis dilectum fuisse: neque illum, si plus. Nā AVGVSTVS crudelior in principio propter hostes & seditiones, pōstea longo tempore multis in pop. Rom. beneficiis claruit. At TITVS humanè imperans, periit in robore gloriæ: forsassis non uacaturus culpa, si diutius uixisset: quia fortuna maiori quā uirtute utebatur.

PATRIA. TVM
Publicè. Populi diuersæ linguæ inter se amici.

HEDVI olim dicti sunt fratres Romanorum. Cornel. Tacitus ait, Heduos omnium primos senatorum in urbe ius adeptos fuisse, datumq; id fœderi antiquo: quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurparent.

Ferunt MASSILIENSES, Roma à Senonibus capta, publico luctu prosecutos amicæ ciuitatis cladē, aurumq; in medium collatum, ut certum pondus ad se redimendum Romanis exhiberetur. Sabellicus libro 5. Enneadis 2. Auctor Liuius est lib. 37. Massilienses in eo honore, & in ea dignitate apud Romanos fuisse, ac si mediū Græciæ umbilicū incoluissent: non enim sonum modò linguæ uestitūq; & habitum, sed ante omnia mores & ingenium sincerum integrumq; à contagione accolarum seruasse. Propterea Maximus quoque Valerius, prisci moris obseruantia, charitate populi Romani Massilienses præcipuè conspicuos fuisse, prodit. Cælius lib. 16. cap. 8. Antiq. Lect.

Magna semper fuit FLORENTINORVM in reges Galliæ propensio, tum ob tot ciuium suorum in illo regno cōmercia, tum ob inueteratam, quamuis falsam opinionem, Florentiam, à Totila Gothorum rege dirutam, ab Carolo Magno instauratā fuisse: tū propter cōiunctionē arctissimā, diutissimè à maiorib. suis tanquā Guelfis habitā cum Carolo primo Neapolitanorum rege, cōpluribusq; ab eodem ortis Guelfæ factionis in Italia patronis: tum bellorū memoria, quæ senior Alfonsus primùm, deinde Ferdinandus anno MCCCCLXXVIII. misso ad id Alfonso, cum illa gessit ciuitate. Quibus de caussis populus Carolo VIII. exercitum contra Aragonios ducenti transitum cōcessit, sententiam suā Cosmi Medicis, omnium Italorū suæ ætatis facilè sapientissimi habiti, auctoritate cōfirmans, qui bello, quod inter Ioānem Andiouinum & Ferdinandum gestum est, etsi cum Ferdinando Pontifex & Mediolanensium dux faceret; semper tamen cōsuluerat, ne Gallorū potentiæ ciuitas sese opponeret: & Laurentius, potito Britannia Carolo, dicere consueuerat, Italiæ ingentia impendere mala, si rex Galliæ suas nosset uires. Guicciardinus lib. 1. Historiarum.

Priuatim. Hostium amicitia mutua.

☞ *Confer huc Titulos Hospitalitatis Liberalis, Humanæ, Fidæ. Hic solius Beneuolētiæ ratio habēda est: in iis uerò locis ipsius Habitus, à quo beneuolentia ista prouenit.*

INSTITVTIONE.

☞ *Huc Amicitia, quæ est inter præceptores & discipulos, cuius exempla ex Fide & Amore petantur.*

AMICITIA POLITICA ARCTA.

Ex seq. Titulo Officiorum exempla quædam huc referenda.

Inter uetustissima paria amicorum numerantur HERCVLES & THESEVS: nam hic illius uirtutem & facta semper imitatus est: & ille hunc apud inferos captiuum redimere conatus est. Ambo in Amazones armati sunt, in Scythiā Phrygiamq; unà profecti, eisdem armis instructi, eodem telorū genere muniti, similibus studiis paribusq; exercitationib. usi: ex geminis fratribus geniti, Hercules ex Ioue, Theseus ex Neptuno. Plut. in Theseo.

Fuit mutuus amor inter HERCVLEM & NESTOREM. Nā Hercules Messenem dedit Nestori, & Nestor primum instituit iuramentum per Herculem.

PHILOCTETES summus HERCVLIS amicus, cui moriēs suas sagittas & arcum commiserat. Erat enim insignis iaculator. Eustath. Iliad. β.

THESEVS cum PIRITHOO amicitiam iureiurando confirmauit, auctore Plutarcho, quæ nunquam diuelli potuit. Propterea fingitur à poetis unà cum illo ad inferos descendisse ad rapiendam Proserpinam.

AIACI Telamonio AIAX Oilei Locrus arcta iunctus fuit amicitia, eiq; ubiq; comes ab Homero introducitur. Eapropter cùm Agamemnon Græcorum præstātissimos septem tantùm numero conuiuio excepturus esset, Aiacem Oilei quoque uocauit, non tam fortitudinis ergô, quàm quia Telamonio amicissimus erat. Iliados β.

SOCRATES & CHÆREPHON amici intimi fuerant. Chęrephon oraculum consuluit, An quis esset amico suo Socrate prudentior? respondit Apollo, ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, Socrates omnium hominum sapiētissimus. Plinius, Solinus, Laertius, & Plato.

ACHATES perpetuus AENEÆ comes & socius fingitur à Virgilio, sic ut alter altero semper comitatus erat.

Statius DIMANTA & HOPPIEVM amicitia insignes memorat: Syllius MARIVM & CASPRVM, lib. 9. dicens:

> —Sacro iuuenes Præneste creati;
> Miscuerant studia, & iuncta tellure serebant:
> Velle ac nolle ambobus idem, sociataq; toto
> Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus:
> Occubuere simul, uotisq; ex omnibus unum
> Id fortuna dedit, iunctam inter prælia mortem.

EVORITVS apud Dionysium Siciliæ tyrannum se uadem interposuit & captiuum se fecit, EVEPHENO morti adiudicato, quòd Metapontiis amicitiam tyranni dissuasisset, donec post sex mensium tempus, quo sororem innuptam alicui elocaret, Euephenus reuerteretur. Ob quam fidem tyrannus ambos liberos dimisit.

DAMON & PYTHIAS Pythagorei tantam inter se amicitiā coluerunt, ut cùm alterum ex his Dionysius interficere uellet, atq; is tempus ab eo, quò domū profectus res suas prius cōstitueret, impetrasset, alter se uadem pro reditu eius tyrāno dare non dubitarit. Appropinquante aūt die constituta, necdum redeunte altero, cùm hic insaniæ damnaretur: nihil se de amici cōstantia metuere respondit. Et certè eadem die & hora à Dionysio constituta alter superuenit: hacque sua fide & sibi & socio uitam redemit. Val. Max. lib. 4. c. 7.

POMPONIVS & LECTORIVS C. Gracchi amici summi, prostratis & perditis eius cōsiliis rebusq;, cùm tota eius cōspiratio latè quæreretur, desertum omni auxilio, soli ab infestis & undiq; ruentibus telis opposito suorum corporum texerunt, occubueruntq;. Val. Max. lib. 4. c. 7.

SERVIVS Terentius & D. BRVTVS amici. Cùm D. Brutus post cladem Mutinensem fugisset in locū tenebricosum, & missi ab Antonio equites irrumperent: Terentius Brutum se esse simulans, corpus equitib. trucidandum obiecit. Verū cognitus à Furio, ut uitā amico seruare nō potuit morte propria, sic inuitus fortuna cogente uixit. Val. Max. li. 4. c. 7.

Vltimo prælio in Philippicis cōmisso, BRVTVM fugientem conspicatus LVCILIVS, dū Brutū se fingit esse, insequētes tam diu remoratus est, ut Brutus lōgè ab eis abesset. Captus autem & ad M. Antonium perductus Lucilius, incolumis seruatus est, & ab Antonio in amicorum numerum receptus. Fulg. lib. 4. c. 7.

C. LÆLIVS, & AFRICANVS Scipio, inter raros amicos numerati sunt.

L. LVCVLLVS & M. TVLLIVS Cicero amici fuere summi, & consiliorum in Repub. socij: Academiæ studiosus uterque, alter quidem nouæ, Lucullus uerò ueteris. Ea propter Cicero librum doctum ualde pro secta sua scripsit, quem Lucullum inscripsit. Plut. in Lucullo.

T. POMPONIVS Atticus tanta beneuolentia iunctus fuit CICERONI, ut Ciceronis Atticus diceretur.

Cùm VARRO philosophus inter proscriptos à Triumuiris esset, CALENVS cũ aliquandiu domi suæ cælauit. In quã domũ cùm persæpè M. Antonius deãbulatũ se cõferret, nũquã territus est aut animũ mutauit Calenus: etsi assiduè uel animaduerti, uel præmia dari cernebat iis, qui proscriptos re aliqua uel iuuissent uel accusassent. Fulgosus lib. 4. c. 7.

HORATIVS Mœcenati amicissimus. Id cùm ex plurib. aliis locis, tũ ex ode 17. lib. 2. patet ubi inter cætera & hæc habet:

Ah te meæ si partem animæ rapit
Maturior uis, quid moror altera?
Nec charus æquè, nec superstes
Integer. ille dies utranq; Ducet ruinam. *Item.*
Vtrunque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, uolucrisq; fati
Tardauit alas: quum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum.
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset Mercurialium
Custos uirorum.

Amicitię numen priuatim quoq; meritò ueneror (inquit de se ipso VALERIVS) clarissimi ac disertissimi uiri prõptissimã erga me beneuolentiã expertus. Nec metuo, ne parũ cõueniat mihi, POMPEIVM meũ instar esse Alexãdri, cùm illi Ephæstion suus alter fuerit Alexãder. Ego uerò grauissimo crimini sim obnoxius, cõstantis & benignæ amicitiæ exempla sine ulla eius mentione transgressus, cuius in animo uelut in parentũ amãtissimorũ pectore, lætior uitæ meæ status uiguit, tristior acquieuit: à quo omnium incrementa commodorũ ultrò oblata cepi: per quem tutior aduersus casus steti: qui studia mea ductu & auspiciis suis lucidiora & alacriora reddidit. Itaq; paui inuidiam quorundam, optimi amici iactura, uidelicet quia fructu torseram: non quidem meo merito, gratiam meam, quantacunq; fuit, cum iis, qui ea uti uoluerunt, partitus. Verùm nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes uitare possit: & quo secessu quosdam fugeris, aut quibus insulis misericordiæ permulseris, non cohibebis, ne ut alienis malis perinde ac bonis suis lætentur ac gestiant. Diuites sunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funerib⁹: sed illi quatenus alienis incommodis, suorum adhuc expertes, insultent, optima uindex insolentiæ uarietas humanę conditionis uiderit. Val. Max. libro 4. cap. 7.

Aruernensis Comitis filius, & alius quidam puer militis Bericani, uti facie, sic & morib. similes, Romæ à põtifice Deus dedit baptizati fuere, & alteri AMICI, alteri AMELTI nomen inditum, suscipientib. eos ex sacro fonte multis militibus. Eos porrò ita mutuo amore coniunctos fuisse, narrat Vincentius lib. 23. cap. 164. & seq. ut Amicus pro Amelio cum hoste eius Harderico congressus sit, cumq; interfecerit: & apud uxorẽ eius dormiens, intactam seruarit: & pro eo leproso curando, angeli cuiuscunq; tandem iussu liberos suos interfecerit, & eorum sanguine consperserit. Antoninus putat fabulam esse, cùm ab aliis historicis non sit assignata: & parricidium & monomachiam cõtra Dei leges & Canones esse asserit, Titulo 14. & cap. 3. §. 3.

AMICITIAE POLITICAE INDICIA, NOTAE, OFFICIA TVM OBITA. CVIVSMODI SVNT

Initiare sacris. E sacro fonte suscipere. Compatres. Patrini. Patres spirituales. Susceptores. Fideiussores baptismatis.

Συντεκνοι à Zonara & recentiorib. Græcis historicis dicuntur, qui sacræ è baptismo susceptionis uinculo iuncti sunt.

MANVEL dux fortiss. à Theophilo Imp. magister equitũ creatus, ut arctiori uinculo amoris colligaretur, filium regis ex sacro leuauit baptismate: quem pater mox corona insigniuit, & regem Romanorum declarauit. Cuspinianus.

NICETAS, Chonarum episcopus, Nicetam, qui Constantinopolitanorum imperatorum historiam contexuit, ex baptismo suscepit, ut ipse testatur lib. 7. de gestis Manuelis.

LEO Copronymus Telericum Bulgarorũ dominũ ex sancta piscina suscepit, & patriciũ fecit. Sigebertus an. 778. Diaconus lib. 23. rerũ Rom. ADRIANVS põtifex simul baptizauit, & patrini officio functus, Carolomannũ Caroli Magni F. mutato nomine uocauit Pipinum, de sacro fonte susceptum. Regino lib. 2. & Annales Francorũ. THOMAS Gislam Caroli filiam Mediolani baptizauit, & simul eam è sacro fonte leuauit. Regino ibidem, & Adon ætate 6. & Vrspergensis. RIGOBERTVS episcopus Remensis, fuit patrinus Caroli Martelli: ut apparet ex Sigeberto. Amelium & Amicum pueros baptizatos, multi MILITES Romani de baptismo susceperũt. Vincentius lib. 23. cap. 162. Vitekindi Saxonum ducis, CAROLVS Magnus fideiussor fuit. Chronicon Misniæ & Holsatiæ.

CHILPERICVS rex Francorum multos Iudæos baptizari curauit, quos ipse è fonte sacro leuauit: uerùm plurimi defecerũt. Gregorius Turonensis lib. 6. Historiarum cap. 17.

AVDOVERA, Chilperici Francorum regis uxor, persuasione Fredegundis, mariti pellicis, eam hoc facto exosam regi reddere uolentis, absente marito propriam filiam è baptismate suscepit. Ob quod factũ à rege repudiata, ex lege à Pontificib. lata, ne uir eius feminæ uel uxoris potiretur concubitu, quæ baptizandæ sobolis cõmater extitisset. Adon ætate 4. sub Iustino iuniore: Rob. Gaguinus.

Childeberto regi filius natus, qui à Treuerensium episcopo MAGNETICO de sacro fonte leuatus, Theodebertus est appellatus. Gregorius Turonensis lib. 8. Hist. cap. 37.

Theoderici uerò eiusdem filij susceptor fuit VARANVS Cabillonensis episcopus. Gregor. Turonen. lib. 9. Hist. cap. 4.

Godefridum CAROLVS Crassus Imp. de sacro fonte suscepit. Sigebertus anno 884. CAROLVS rex Hundeum Normannum, anno Domini 896. Sigebertus.

Agilulpho regi Longobardorum ex Theodelinda regina in palatio Modoeciano natus filius ibidem baptizatus est, susceptore SECVNDO, seruo Dei de Tridento. Vrspergẽsis.

LOTHARIVS Imp. Pascha Marsburgi celebraturus, in sabbato sancto Boemiæ ducis filio, qui ea de causa eò aduenerat, baptismi testis extitit, an. 1128. Appẽdix Mariani Scot.

Flamberto BERENGARIVS rex Italiæ filium è sacro baptismatis lauacro leuarat. Subornatus à Veronensib. dum rex ad galli cantum pro more templum adiret, eum in uia intercepit, ac à tergo rhomphæa occidit. Cuspinianus.

Gerebat summum in Francia magistratũ Carolus cognomento Martellus (qui magistratus uulgò Maiordomus appellabatur) ac ius omne regni domi forisq; gerendi habebat. Is Longobardorum amicitiam rebus Franciæ utilem fore & cõmodam ratus, filium suum Pipinum ad regem LVITPRANDVM misit, rogans, ut attonsa Longobardorum more cæsarie ipsum sibi filium adoptaret. Quam rem adeptus, certissimum se fidelis amicitiæ pignus consecutũ esse, est arbitratus. Sigonius lib. 3. regni Ital. ex Platina.

LVDOVICVS II. Imp. an. 856. cum Augusta coniuge Venetias proficiscẽs, à Venetis egressis ad ædem S. Michaelis ad Brondulum ingenti honore exceptus est, & ad confirmandam amicitiam, Ioannis Ducis filiam de sacro fonte suscepit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

THEODATVS, qui apud Sanseuerinates latiùs in Apulia quondam imperauerat, in Vngariamque patriis finibus eiectus enauerat, & à Geysa duce mirificè obseruabatur, D. Stephanum Vngariæ regem è sacro fonte eduxit. Quare sacrosancti patris iure, ab eo semper uernacula Italorum lingua perreuerenter, Tata, id est pater, salutatus est. Et quum haud procul à Danubio cœnobium fundasset, ac uillam erexisset, nũc quoque id cum rure Tata nominatur: ubi pòst à Mathia Coruino regia cum uiuariis & lacu cõstructa est. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

HVGO abbas S. Germani Parisiensis, patrinus Philippum Francorum regis filium super fontem baptismatis in ulnis suis tenuit. HERVEVS quoque abbas S. Victoris, & ODO abbas S. Genouefæ patrini, CONSTANTIA soror regis Ludouici, & duæ VIDVÆ Parisienses matrinæ simul extiterunt, anno 1165. Aimoinus lib. 5. cap. 57.

ROBERTVS Pictonum comes è sacro fonte suscipiens Rollonem Dacum, Normannorum ducem, qui Neustria occupata, Christianum se fecerat, baptizatum à Francione Rothomagensium episcopo, Robertum de suo dixit nomine. Polyd. lib. 5. & Aemilius lib. 3.

BALDVINVS III. Hierosolymorum rex, è sacro fonte suscepit Almericum nepotem, quem, sicut prædixerat, etiam Imperij successorem habuit, qui postea Balduinus IV. fuit nuncupatus. Fulg. lib. 5. c. 3.

Heroldi Daniæ regis filium Suenonem OTHO Imp. de sacro fonte leuauit, & Suenothonem appellauit. Helmoldus capite nono, in Chronico Sclauorum.

Petrus Vrseolus II. Venetorum dux filium adhuc puerum ad OTHONEM III. Imp. per literas id petentem, Veronam misit, à quo chrismatis sacramento admotus, Otho cœptus est dici, quum Petro illi prius nomen fuisset. Sab. lib. 4. Dec. 1. & Sigonius lib. 7. regni Ital.

HENRICVS IV. an. 1083. Taruisij fœd⁹ cũ Vitali Faletro duce Venetorum renouauit, & filiam eius è sacro fonte suscepit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

LOTHARIVS Imper. occupata Sobieslai Boemorum principis ope Bamberga, gratitudinis ergô in fines Boemiæ, ad lustricum diem filioli, cui Vladislao nomen inditum, uenit, ibidemq; donationem de Lusacia, quam eidem Vladislao Vigberti filius, liberis orbus, faciebat, auctoritate Cæsarea confirmauit. Dubrauius lib. 11.

Suatoplucus Boemorum princeps filium nuper natum Bambergam misit, ut illic à Cęsare HENRICO V. è sacro fonte leuaretur. Cæsar Suatopluco remisit multam, quam ob deiectum Boriuorium patruęlem de regno Boemiæ debebat. Dubrauius lib. 10.

Ioannes, Boemorum Rex, Venceslaum F. in Galliam ad Regem CAROLVM, suum ex sorore Maria nepotẽ, anno ętatis septimo misit, ut à pueris statim Gallicis moribus imbueretur. Carolus approbata indole cognati pueri, cõfirmari illum à præsule ritu solenni, ac nomen suum ferre iussit, ergaq; illum eodem modo affectus fuit, quo pater erga filium. Dubrauius lib. 20.

STAMATVS Cretensis, depeculator thesauri Veneti in D. Marci æde reseruati, proditus à Zacharia Grio compatre, cui eum, sacramento silentij prius ab ipso accepto, occùltè commonstrauerat. Sabel. lib. 6. Dec. 3.

SVCCARVS, dux exercitus Maximiliani I. aduersus Venetos, ad Veronã, cùm in hostes rueret, captus, Barth. Liuiani ducis Veneti compater fit, suscepto ex baptismate Liuio Septimio, ex sorore Balconi Malatestæ genito. Iou. lib. 12. Hist.

Emmanuel Lusitanię Rex nato sibi filio Ioãne inter reliquos, quos diuinæ cognationis filio affines esse uoluit, fuit PETRVS Paschalicus, Venetus legatus, qui fuerat ad eũ missus, ut ei Reipub. nomine summas gratias ageret pro classe, quam in auxilium illius contra Baiazetem Turcorum Imperat. miserat: & ostenderet, S. P. Q. Venetum fore semper ei hoc tam singulari beneficio deuinctum. Hunc Legatum Rex manu propria equestris dignitatis insignibus ornauit, multisq; muneribus affecit. Osorius li. 2. rerum Em.

Aegros curare.

THESEVS ab Hercule liberatus ab Orco, posteaquam Herculem ob Lyssam à Iunone immissam furore correptum uxorem Megaram cum filiis trucidasse cognouit Athenis, properè Thebas contendit, & recepta mente mortẽ sibiipsi inferre conantem oratione sua repressit, persuasitq;, ut secum Athenas proficisceretur, donec mœrorem ex charissimorum cæde ortum deponeret. Iure igitur exclamat Hercules apud Eurip. in Hercule furente:

ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ σθένος μᾶλλον φίλων
ἀγαθῶν πεπᾶσθαι βούλεται, κακῶς φρονεῖ.

In pestilentia memorat Thucydides Eos, qui unicè uirtutem sectabantur, unà cum affectis amicis interisse. Nam salutis suæ rationem, ut accederent ad necessarios suos, nullam habebant. Plut. de Amicorum multitudine.

C. IVL. Cæsar amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractauit, ut C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptóq; subita ualetudine, & in diuersorio loco, quod unum erat, cesserit, ac ipse humi ac sub dio accubuerit. Suetonius.

Vitæ consulere.

Rex Antigonus in somnis uidebatur sibi amplum & pulcrum campum inire, atq; eum auri ramentis conserere: exurgere aureã messem, sed mox nihil nisi demessum culmen uidere: & cùm anxius esset & mœstus, audiuisse quosdam dicentes, Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, asportantem auream messem desectam. Expergefactus filio, iureiurando silẽtij adacto, uisum aperuit, ac se prorsus de medio tollere eũ & interficere statuisse ait. Quod ut audiuit DEMETRIVS, Mithridatis Ariobarzanis amicus, & propter ætatem familiaris, qui in comitatu Antigoni erat, adolescentẽ adiẽs, ut otium secum falleret, paulatim ab amicis abduxit, atque ubi soli fuerunt, cùm uerbis non auderet ob iusiurandum, hastili in solo scripsit: Fuge Mithridate. Is cõfestim in Cappadociam profugit: breuiq; oblatam Antigono de ipso uisionem fatum compleuit, dum ampla & præclara regione Ponto potitus est. Plutarch. in Demetrio Poliorcete.

POMPONIVS & LECTORIVS Caium Gracchum Opimij Coss. arma fugiẽtem hortati sunt, ut iter antè caperet: ipso sustinuerũt instantes, dimicantesq; pro ponte Sublicio, nemini, quoad occubuere, uiam dedere. Plut. in Caio.

Morti se offerre pro amico.

EVCRITVS, pro amico Euepheno, à Dionysio tyranno capto, & patriam ante supplicium, ut sororem nuptui elocaret, petente, mortem uadatus est, nisi dicta die Euephenus rediisset. Polyæn. lib. 5.

SERVIVS Terentius pro D. Bruto, Antonium fugiente, se interficiendum obtulit in loco tenebricoso, quò Brutus se proripuerat. Sed cognitus à Furio, incolumis ipse, quamuis inuitus, permansit. Val. Max. lib. 4. c. 7.

Defendere in iudicio.

Cùm Timotheus Cononis F. Athenis adolescentulus causam diceret, inter reliquos amicos & hospites, qui ad eũ defendendum couenerunt, etiã IASON, Thessalorum tyrannus, Athenas uenit inermis, sine ullo præsidio, malens capitis adire periculum, quàm Timotheo, de fama dimicanti, deesse. Probus in Timotheo.

Liberare è uinculis.

Dolonci ab Absinthiis sedibus suis pulsi, Miltiadem Atheniensem, Cypseli F. ducem eligunt. Is restitutis ipsis in patriã, Lampsacenis bellum infert. Lampsaceni dispositis insidiis eum uiuum capiunt. Quod audiens CROESVS Lydus, Miltiadis amicus, Lampsacenis præcepit, ut Miltiadem missum facerent: alioqui se illos in morem pini extriturum. Lampsaceni periculum imminens ueriti, solutum Miltiadem remiserunt. Herod. lib. 6.

EPAMINONDAS Thebanus contra Alexandrum Pheręorum tyrannum, qui Pelopidam in uincula coniecerat, cum exercitu missus, etsi facilè ei erat tyranni opes euertere, ueritus tamen, ne rebus conquassatis & spe abscissa, feræ modo uerteret se Alexander in illum, lentè prosecutus bellum est, circumuagandoq; cum apparatu bellico, & cunctando, præparauit & compressit tyrannum: ut nec peruicaciam eius & ferocitatem remitteret, neq; extimularet acerbitatem & iracundiam. Itaq; tyrannus citò ad satisfaciendũ legatos misit. Ille uerò firmare inter Thebanos & istum hominem non sustinuit pacem & amicitiam, sed pactis induciis triginta dierum, receptisq; Pelopida & Ismenia, reduxit exercitum. Plut. in Pelopida.

AGESILAVS Lacedæmoniorum Rex cętera integer erat & rectus. Pro amicis prætextum existimabat esse nimiam argutę iustitiæ allegationem. Asscribitur ei epistola ad Idrieã Carem huiuscemodi: Niciam, si nihil admisit, absolue: sin quid admisit, nobis absolue: omnino uerò absolue. Plutarchus in Agesilao.

Idem ad Larissęos, Xenoclem & Scythẽ ad iungendam amicitiam legauit. Quibus comprehensis, & in custodiam datis, cæteri infensi censebant, debere Agesilaum eò conuertere agmen, & Larissam obsidere. At ille, cùm tanti facere negasset se uniuersam Thessaliam, ut alterutrum eorum amitteret, pactis induciis recipit eos. Plut. in Agesilao.

L. RHEGINVS Trib. pl. Seruilium Cepionem amicum in carcerem coniectum, quòd illius culpa exercitus Rom. à Cimbris & Teutonicis uidebatur deletus, liberauit è carcere: eiusq; fugæ comes accessit. Val. Max. lib. 4. cap. 7.

LVCILIVS bello Philippico extremo conspicatus equites Antonianos Brutum insequi, dum Brutum se fingit esse, hostes tamdiu remoratus est, donec Brutus aufugisset. Fulgosus lib. 4. cap. 7.

Occidere.

PRIMACHVS in Chio seruus fugitiuus, cùm audiuisset Chios magnam pecuniæ uim ei daturos, qui aut illum comprehenderet, aut caput illius afferret: iam senex, amasium coegit se interficere, suumq; caput Chiis afferre, mercedis cauta. Athenæus lib. 6. c. 7. ex Nymphodoro.

L. PETRONIVS admodum humili loco natus, ad equestrem ordinem, & splendidæ militiæ stipendia, P. Cælij beneficio peruenerat: cui gratum animum quia in materia læta exhibere non contigerat, in ea, quam iniquam fortuna esse uoluit, cum multa fide præstitit. Erat ab Octauio Cos. Placentiæ præpositus Cælius: qua à Cinnano exercitu capta, & senior iam & graui ualetudine affectus, ne in potestatem hostium ueniret, ad auxilium dextræ Petronij confugit. Quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in iisdem perseuerantem precibus interemit: cædique eius suam iunxit, ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat, superesset. Ita alterius fato uerecundia, alterius stulta pietas causam præbuit. Valer. Max. libro quarto, capite septimo.

Hospitaliter accipere.

VENETI Herculem Ferrariensem Ducem, à quò grauissimo bello petiti fuerant, pace facta Venetias uenientem, publico hospitio in iis ædibus, quas dono à Venetis maiores eius acceperant, exceperunt: publicoq; ære tota eius familia, ipseq; ad alendum donatus est. Egnat. lib. 4. cap. 2.

Hæredem scribere.

Cladibus, quas L. SYLLA & L. Marius inflixerunt in Italia mortalibus multas & uarias, L. Lucullus nequaquam fuit implicatus: quòd diuina quadam sorte in negotiis Asianis moraretur. Nemini est tamen ab Sylla aliorum amicorum posthabitus, sed & lucubrationem illi commentariorum suorum ex beneuolentia nuncupauit, moriensq; præterito Cn. Pompeio tutorem filio scripsit. Atque hinc manasse inter eos iuuenes & gloriæ cupiditate flagrantes fons primus uidetur simultatis & æmulationis. Plut. in Lucullo.

HERODES Atticus FAVORINVM philosophum patrem nominare solebat, eumque postea suorum librorum hæredem instituit. Philostratus.

Gratificari, Gratum facere.

ROMANI in negotiis ciuilibus fauore & studio adsunt promtissimo amicis: ac fructum ex præsidum amicitia eum capiunt philosophi, quem cepit Polybius & Panætius, qui per P.SCIPIONIS coniunctionem maiorem in modum patriis suis commodauerunt. Arium Cæsar AVGVSTVS, cùm Alexandria esset potitus, manu tenens, atque ex familiaribus cum eo solo colloquens, urbem inuectus est. Hinc Alexandrinis, qui summo in timore uersabantur, supplicibus reconciliari dixit se propter urbis amplitudinem, propter conditorem Alexandrum, & tertiò in huius, inquit, amici mei gratiam. Plut. in præceptis polit.

Opera adesse.

CÆCI atque claudi societatem pulcrè describit Plato iunior in Græcorum Epigrammatum primo:

Ἀνέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς
ἦγε, πόδας χρήσας, ὄμματα χρησάμενος.

Hoc sic interpretatus est Ausonius.

Insidens cæco graditur pede claudus utroq;:
Quo caret alteruter sumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo gressumq; ministrat,
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Apud SEPTENTRIONALES impinguatis agris, pro mercede diurni laboris aliud non exigitur, aut datur, nisi hilaris liberalisq; cœna, qua mēbra fatigata restaurentur. Visus etenim ita ex antiquo suaui concordia seruatus est, ut mutuis laboribus alterutrius portando onera, sese inuicē consolentur. Idemq; fit in aliis subsidiariis laborib. pro fœno, grano, aliaq; messe ab agris colligenda, & sub tecta diligentiùs inferenda. Olaus libro 13. capite 2. Septent. gent.

Auxiliari, Militare. Auxiliarij.

Zenodotus scribit, THESEVM permultis uiris fortissimis in certaminibus auxilio fuisse: Meleagro Pirithoo, & Iasoni Colchos nauigāti. Hinc prouer. Οὐκ ἄνευ Θησέως, id est, Haud absq; Theseo, cùm significamus rem alieno auxilio confici. Oeneus Meleagri pater, cùm de primitiis anni prouentus diis libans, Artemidem præterisset, illa irata aprum immanem in agros Calydonios immisit, omnia populantem: ad quē conficiendum Oeneus præstantissimū quenq; exciuit, præmiis ad id propositis. Inter multos certauit & Meleager, qui & belluā confecit, sed accersito ad auxiliū Theseo. Pirithous Hippodamiæ procus, Centauros, quòd essēt sponsę cognati, cōuiuio acceperat. Qui simul atq; mero incaluissent, sponsæ uim adferre cæperunt. Coorta pugna, Theseus Pirithoo auxilium ferens, complures Centauros trucidauit. Cùm Eurystheus Herculi iniunxisset, ut Hippolytæ Amazonum reginæ baltheum adimeret, atq; ille pacta facturus, esset profectus, Iuno semper illi infesta, induta formā Amazonis, famā passim dissipauit, aduentare hospitem, uel ueriùs hostem, qui uiolata regina, baltheum, quē gestabat insigne regni, per uim eriperet. Quod ubi auditū esset, Amazones in Herculem parant arma. Hercules ratus hæc non errore, sed dolo geri, Hippolyta occisa baltheum abstulit. Deinde, quò magis ulcisceretur Amazonas, bello eas adortus est & oppressit, sed Thesei adiutus opera. Erasmus in Adagiis, ex Plutarchi Theseo.

Obsequi.

P.SCIPIO Africanus consulatum petebat. Verùm, ubi sensit Pompeiū amicū aliis fauere candidatis, ipse destitit, dicēs: Eum consulatū sibi non tam gloriæ futurum, si adipisceretur, quàm molestum & inauspicatum, si refragante Pōpeio consequeretur. Maluit consulatu cadere, quàm amicū perdere. Plut. in Rom. Apopht.

C.BLOSIVS Tib. Graccho in omnibus se, etiam in incendendo Iouis templo, si iussisset, obediturum fuisse profiteri audebat coram Lælio. Val. Max. lib. 4.5.7.

AVGVSTVS Cæsar, quoties irascebatur, Mœcenatis tantùm uerbis facilè leniri poterat. Cùm aliquando ius diceret, & Mœcenas uideret eum multos condemnaturum, neq; eum præ multitudine accedere posset, ad eum scripsit in hæc uerba: Tādem surge carnifex. Nec mora, statim surrexit. Dion.

Non obsequi.

PHOCION Atheniensis Antipatro regi Macedonū respondit asperius aliquid ab ipso contendenti minus honestum: Nempe non ualet, inquit, Antipater, me simul amico uti & adulatore. Plutarchus in Phocione.

P.RVTILIVS amici cuiusdā iniustæ rogationi resistens, cùm is per summam indignationem dixisset: Quid ergo mihi opus amicitia tua, si, quod rogo, nō facis? respōdit, Imò quid tua, si ꝓpter te aliquid inhonestè facturus sum. Val. li. 6. c. 4.

Lites præcauere.

Perseuerarunt diu Ferrariæ principes in Venetorum amicitia, ita sanè, ut BORSIVS, qui Herculem præcessit, si qua interdum de finibus cōtentio suborta esset, paucissimis comitatus quasi priuatæ fortunæ homo, ad principem & patres ueniret: ratus suum in Venetos studiū nulla alia ratione tā facilè probari posse, quàm si subitò ipse principi & patrib. coram satis fecisset, & breui. Nihil uir ille, ex quo Ferrariensium princeps fuit declaratus usq; ad exitū uitæ, antiquius habuit, quam Venetum nomen colere, colendoq; sub illius umbra pacis studia & ocium fouere. Sab. lib. 1. Dec. 4.

Obtrectatoribus non credere.

PLATO obtrectatorem, de Xenocrate amicissimo multa obgannientem, eaq; etiam iureiurando confirmare paratum, reiecit: Neq; se credere posse dictitans Xenocrati tale quid excidisse: neq; si excidisset, malo id animo factum putare, sed quòd illud ita è re utriusq; tunc fuerit. Val. Max. li. 4. c. 1.

Ad dignitates euehere.

C.GRACCHVS, Trib. pl. Populo Rom. nihil non eius studio facere parato, iecit aliquando in cōcione, gratiam se petiturū, quam si esset adeptus, instar se habiturū omniū: sin tulisset repulsam, nihil de illis conquesturū. Id dictū petitio uisum cōsulatus esse: atq; opinionē omnib. pr̨ebuit, pariter se cōsulatum & tribunatum petiturum. Instantib. comitiis cōsularibus omnibusq; suspensis prodiit Caius ad Fannium in campum deducendum, atq; ad iuuandum studio suo cū amicis illius petitionem. Momentum hoc Fannio non exiguum attulit, qui consul, & Caius iterum tribunus plebis renūciatus est, non cādidatus, populi studio. Plut. in Caio.

VAL. Flaccus nobiliss. Romanorū, M. Catonē amicum à rure in urbem ad Remp. uocans, ad summos promouit honores. Primò ad Tribunatū: Hinc ad quæsturam, donec etiam consul cum Valerio factus sit: Inde censor. Plut. in Catone.

Honorare.

ALEXANDER Magnus Phocionis Atheniēsis uirtute & integritate delectatus publicē, priuatim quoq; iure amicitiæ & hospitij inito, prouexit illum eò honoris, quē pauci, qui nūquam discedebant ab ipso, haberent. Refert Duris, postquam euasit ingens, & Darium profligauit, ex epistolis detraxisse eū, Salutem: nisi cùm scriberet Phocioni. Huic uni, sicut Antipatro, Salutem in capite asscribebat. Idem Chares scriptum reliquit. Plut. in Phocione.

Ignominiam in se suscipere.

Luctatius CATVLVS collega C. Marij, cùm Cimbrū audacia ad Athesim castra desererent milites ac signa relinquerent: & is nullis admonitionib. eos sistere posset: aquilā tolli iussit, cursuq; ad primum agmen contendit abeuntiū, ducemq; se præbuit: quò suam faceret, non patriæ, maculam: neq; fugere, sed sequētes ducē uiderētur abire. Plut. in Mar.

Conspirare, Consentire.

☞ *Consensus animorum huius est loci. Ex titulo Conspirationum exempla huc afferri possunt.*

Communio Fortunæ.

Apud AETHIOPES tanta est hominū tamq; infucata amicitia, ut cōmunis sit omnium felicitas & infelicitas. Si quis aliqua corporis parte debilitatur quauis causa, amici & domestici omnes eandem partem debilitant. Turpe enim existimant amico claudo, nō omnes eius amicos claudos esse: & quidem absurdū uidebatur, cū ueræ sit amicitiæ, ex reb. aduersis amicorum dolere, lætari in secundis, non etiā corporis doloris amicos participes esse. Diodorus Siculus.

Aquitaniæ populi SONTIATES sunt. Inter hos societates erant atq; amicitiæ uincula arctissima (illorum lingua Soldurii nominabātur) ut quicquid amico uel in fortunis, uel in corpore contigisset, ipsi ad eadem simul ferenda præstò essent. Alex. lib. 1. cap. 26. & Cælius lib. 18. cap. 21. A.L.

SCYTHÆ iuuenes ephebos plurimos sibi amicos comparare, uelut firmissima uitæ præsidia, iubebant. Is enim habebatur affluens & beatus, qui plurib. familiaritatib. fultus foret: pro certo arbitrati, in rebus deploratis & afflictis, nullā unquam satis fuisse amicorum. Alexan. lib. 2. cap. 25.

Apud HVNNOS fœdus inexplicabili nexu & amicitia perpetua uiginti generosi spiritus uirorum cōtrahebatur, qui unà comites consiliorū omnium & uoluntatum erant, adeò amicitia mutua deuincti, ut prospera simul & incommoda mutuis officiis ad supremum usque diem ferre nunquā renuerent. Alex. ab Alexan. lib. 1. cap. 26.

Ouidius Naso 3. Tristium 4. sic ad AMICVM scribit,

O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquàm procubuere meæ.

Condolere.

Mileto à Persis capta, ATHENIENSES tam molestè illorū cladem tulerunt, ut uniuersum theatrum illacrymasse dicatur, quū Milesia Phrynichi direptio acta est, ob idq; auctor ipse mille drachmis, ut Callisthenes prodidit, sit multatus, quia uelut domesticum uulnus refricuisset. Sab. lib. 8. En. 2.

Sybaritæ & MILESII arctissima amicitia & hospitij iure inter se iungebantur. Eo factum, ut Sybari à Crotoniatis direpta, uniuersi Milesij puberes capita deraserint, in signum luctus. Herod. lib. 6.

Vnà conuersari, Cubare, Conuiuere.

Theocritus in Hyla, de HERCVLE ac TELAMONE scribens, inquit,

— Οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι
ἀεὶ δαινύντο τράπεζαν.
— qui ad mensam semper eandem
Cœnabant ambo, fidi nimirum ut amici.

ARATO Sicyonio Achæorum prætori, paulo antequàm Cleomenis Spartani armis pressus Antigono Macedonū regi mercede Acrocorinthi sese coniūgeret, fama est sacris operanti duplex fel in iecore apparuisse, uno circumiectum adipe: ac nunciasse aruspicem, breui eum cum inimicissimis hostibus in summam coiturum amicitiam. Quod dictum in præsentia floccifecit: quòd neq; aliàs multum fidei extis tribueret uel aruspicinæ, sed consilio uteretur. Vt uerò postea bello prosperè procedente Antigonus Corinthi conuiuium agitans, multis inuitatis, Aratum supra se collocauit, ac mox postulata ueste stragula rogauit, num'ne ei quoq, appareret frigus esse? Quo etiam rigere admodum se respōdente, iussit ei, admoueret se propiùs, atq; tapete allato ambos unà pueri cooperuere. Tunc ergo illorum extorū memori Arato risus subiit, commemorauitq; regi prodigium & prædictionem. Plut. in Arato.

Prouerbio dicuntur sale & cymino tenus amici, qui tanta familiaritate sunt coniuncti, ut etiam sale contenti solo & cymino cœnitent. Plut. lib. 5. Conu. quæst. 10.

Communio Bonorum.

Κοινὰ τὰ τῶν φίλων, Res amicorum communes, Timæus lib. 9. usurpatum fuisse scribit in magna Græcia, quo tempore Pythagoras INCOLIS persuaserit, ut opes haberent indiuisasneq; pecuniæ modò, sed mentis etiam fuisse communionem, & prudentiæ.

Communio, concessio Vxorum.

Apud SPARTANOS si quis liberis carens eorundem desiderio teneretur, licebat illi ex adolescentib. quem uellet, deligere, & sine ullo probro ad uxorem causa procreationis introducere. Plut. in Laconicis.

Inter multos, qui CATONEM minorem diligebāt & suspiciebant, alij aliis perspicuè magis & apertiùs id declarabāt: in quibus Q.HORTENSIVS erat, magna uir auctoritate, & probatis moribus. Hic Catonis gestiens nō familiaris modò & amicus esse, sed omnē semel necessitudine & cōsortio familiā & genus suū cū eo consociare, non dubitauit cū eo agere, ut filiā Porciā Bibulo nuptam, cui partus duos ediderat, sibi inuicē uelut frugiferū agrū collocaret ad serendam stirpē. Verùm cùm Cato respondisset, cum marito eius loqui oportere: Hortensius aperto sermone eius uxorem Martiā se petere affirmauit, licet grauidam, ut quidā aiūt, cùm Catoni satis magna esset ꝓles. Cato oportere, respōdit, Philippum quoq; hoc probare Martiæ parentē. Vt igitur appellatus Philippus concedere id cognouit Catonem: non aliter despondit ei Martiam, quàm præsente illo, & sponsalia comprobante. Bello ciuili, cùm Pompeium sequeretur, & domus eius & filiæ curatorē requirerent, accepit iterū Martiā uiduā cum grandi dote: siquidem Hortensius eā moriens reliquerat hæredē. Quod præcipuè obiectans Cęsar Catoni, improperat ei auaritiā, & mercenariū maritū appellat: quasi iuuenē cōmodasset, ut reciperet diuitem. Plut. in Cat.

Commori.

☞ *Ex Tit. Amoris coniugalis quædam. item Fidei erga Socios, Commilitones.*

Alexander Priami F. Cebrenis filiam OENONEM fatidicā in uxorē duxit, pollicitus, se nūquā illam deserturū. Illa ꝓdixit ei, quòd Helenā nō multo pòst rapturus sit, & patriā perditurus, uulneratū insuper in bello non nisi suis remediis sanatū iri. Ridebat ea tamē Alexāder. Verùm rapta iā Helena, Oenone ad patrē reuersa est. Vulneratus à Philoctete Paris Oenonē per præconē accersiri curat. Zelotypa illa ab Helena auxiliū petere iussit. Victa tamen amoris impotentia festinabat ad Paridem. At quia præco responsum ab Oenone citius retulisset, præ animi molestia Alexander expirauit. Oenone superueniens quum mortuum iam in terra iacentem uideret, seipsam interemit. Parthen. in Eroticis cap. 4. ex Nicādro in li. de Poetis, & Cephalōe Gergithio in Troicis.

ÆGYPTIIS amicitiæ ac sodalitatis genus fuit, τῶν συναποθνησκόντων, quasi commorientiū: cui cùm M. ANTONIVS quoq; & CLEOPATRA nomen dedissent, hæc illi superstes esse noluit. Plutarchus in Antonio.

CANTABRIS mos fuisse dicitur, ut pro amicis & fœderatis, sociali fide se immolare atq; interire non dubitarent. Alexan. ab Alexan. lib. 1. cap. 26.

VOLVMNIVS ortus equestri loco, cùm M. LVCVLLVM familiariter coluisset, eumq; M. Antonius, quòd Bruti & Cassij partes secutus fuerat, interemisset: in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit, hucusq; in lacrymas & gemitus profusus, ut nimia pietate causam sibi mortis accerseret. Nam propter præcipuam & perseuerantē lamentationē ad Antoniū pertractus est. Cuius postquàm in cōspectu stetit: Iube me (inquit) imperator protinus ad Luculli corpus perductū occidi. Neq; enim absumto illo superesse debeo, cùm ei infelicis militiæ auctor extiterim. Ductus quò uoluerat, Luculli dexteram auidè osculatus, caput, quod abscissum iacebat, sublatū pectori suo applicauit, ac deinde demissam ceruicē uictoris gladio præbuit. Valer. lib. 4. c. 7.

Erat ab Octauio Cos. Placentiæ præpositus P. Cælius. Qua à Cinnano exercitu capta, & senior iam & graui ualetudine affectus, ne in potestatē hostiū ueniret, L. PETRONIVM, quem humili loco natum ad equestrem ordinem euexerat, precibus fatigat, ut se interficeret. Quo facto Petronius cedi eius suam iunxit, ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat, superesset. Valerius Maximus lib. 4. cap. 7. Exemplorum.

SABINVS, Senator unus ex coniuratis, qui Caium interfecerant, cæteris à Claudio capitali supplicio affectis & absolutus & pristinæ præfecturæ restitutus, semetipsum interfecit, ne sociis superesset. Iosephus lib. 19. cap. 3. Antiq.

Prostratis iam & perditis C. Gracchi consiliis rebusq;, desertū ab omnibus amicis duo tantùm POMPONIVS & LECTORIVS opposito corporum suorum texerunt, eoq; ipso occubuerunt. Val. Max. lib. 4. c. 7.

TICINIVS centurio missus à C. Cassio, nocturno tempore, ut specularetur, quónā in statu res M. Bruti essent: cùm diutiùs emaneret: existimās Cassius, eū ab hostibus exceptū, omniaq; in eorū potestatē recidisse, finire uitam properauit. At reuersus Ticinius, oculis paulisper hęsit, inopinato iacentis ducis spectaculo attonitus, deinde profusus in lacrymas: Etsi imprudens (inquit) Imperator causa tibi mortis fui, tamen ne idipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem. superq; exanime corpus eius iugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permixto utriusq; sanguine, duplex uictima iacuit, pietatis hæc, erroris illa. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

Felice Russatę factionis auriga elato, QVIDAM e fauentibus rogo eius sese uiuum iniecit. Plin. lib. 7. cap. 53.

BONA uirgo in finib. Aegypti sanctarū uirginum cœnobio Deo seruiēs, dum unam inter illas, quā præcipuè dilexerat, ex graui ualetudine iā morti proximam misereretur, orauit Dominū, ut cū ea simul diem obiret, perpetuaq; morientis fieret comes. Vt orauerat, impetrauit. Ambæ eodē die uita defunctæ sunt, ambæ uno sepulcro conditæ. Simul cœlū petierunt, quæ simul in terra Christo seruierant, ut conuiuere, sic etiam commori exoptantes. Marulus lib. 3. cap. 2.

HADINGVM Danorum regē genere Guthormus instinctu Vluildæ coniugis ad conuiuiū inuitatū occidere statuerat. Hadingus re cognita, ꝑ stipatores facinus anteuertit, & generū sustulit. Sparso inde de Hadingi cæde falso rumore, HVNDINGVS Sueonū rex, ut qui regnū eius benignitate donatum accepisset, cæso Vffone rege fratre, solenni cōuiuio amico regi parentaturus, dolium capaciss. ceruisia plenum conuiuis apponi præcepit: & ne quid celebritatis deesset, ipse ministri partibus assumtis, pincernā egit. Sed dum officij pretextu circumit, offenso gradu in dolium lapsus atq; suffocatus est. Quo cognito Hadingus parem ueneratori gratiam relaturus, extinctoq; superesse nō passus, suspendio se uulgo inspectante consumsit. Saxo lib. 1.

Tempore Frothonis III. Danorum regis ASMVNDVS Alsi Hetmarchiæ reguli F. in uenatione irruente caligine à retiariis diuulsus, tandem equo & uestibus destitutus, fungos & tubera arrodēs, ad Biornonem regem in Vvik prouinciā uenit. Ibi cum filio eius ASVITO amicitiæ fœdus iniuit, quencunq; eorum uita prolixior excepisset, is mortuo contumularetur. Asuitus ergo prior morbo cōsumtus, cū cane ac equo terreno mandatur antro. Cū quo Asmundus ob amicitiæ iusiurandū uiuus contumulari sustinuit, cibo, quo uesceretur, illato. Erico inde diserto Frothonis III. Danorum regis auspiciis exercitum Sueonum ductante, Asuiti tumulum Suecones milites spe prædæ ligonibus perfregere: & maioris, quàm credebatur, altitudinis specum uidentes, unum ex promtissimis iuuenibus demisere. Quem quum Asmundus sporta intromissum aspiceret, protinus eiecto eo, ipse corbē conscendit. Socii ingētis pecunię spe reducto corbe, inusitata facie territi, defunctumq; redisse rati, proiecta reste fugēre. Asmundus fugientes reuocare conatus, uociferari cœpit. Quem uidens Ericus, præcipuè cruentati oris eius imaginē mirabatur. Narrauit ille, Asuitum noctu reuiuiscere solitū, equū primò, deinde canē dilacerasse & deuorasse: mox in se eructos ungues cōuertisse, discissaq; gena aurem auulsisse: se uicissim illi ferro caput amputasse, & abdomen confodisse. Saxo lib. 5.

GVLIELMVS, Roskildensis episcopus, Suenonem II. Danorum regem ab incesto Guthæ Sueticæ coniugio remouit, & ob cędem procerũ quorundã cum nõ prius, quàm pœnitentiam egisset, in gratiam recepit. Tanta proinde inter eos amicitia coaluit, ut communibus uotis neuter se alteri superesse optaret. Contigit autem Suenonem annis grauem priorem mori. Cuius funus dum Roskildiam defertur, Gulielmus ad urbem cursu festinato contendens, in ipsa Trinitatis æde, prius regi, deinde sibi tumulum parari iussit. Fossores admiratione stupentes, minis ad obsequendum adduxit. Deinde citato equo in occursum exequiarum contendens, cùm ad nemus Topshogicum peruenisset, duabus miræ proceritatis arboribus iuxta iter conspectis, utranq; prę cidi, inq; usum loculi aptari præcepit. Cumq; syluam prætergressus regium in uicino funus adesse cognosceret, loculi sui uectorem consistere iussit, ac protinus ueluti laxamenti gratia amiculum, quod habebat, exuit, eiq́; humi expanso seipsum præcipitem superniecit: deinde erectis in altũ palmis, si quo rerum auctori seruitio placuisset, uitam sibi finiri petiuit. Hæc fatus, ueluti in domestico lectulo acquiescẽs extinguitur. Quem famuli longam admodum cubandi moram egisse mirati, cùm frustrà erigere iacentem conarentur, exanimem repererunt. Igitur à suis feretro exceptus, atque ante regem elatus, ut fato posterior, ita funebri pompa prior extitit. Viris nanq; funebri Suenonis lecto humeros subiicientibus, ipse equis subuectus præcessit. Prior uerò sacrario illatus, ueram præsagij fidem retulit. Exequiis actis, coniunctos admodum tumulos habuere. Saxo lib. II.

Mortem ulcisci.

☞ *Ex Tit. Mortis alienæ ultio seuera, huc pleraq;.*

Constituerat ACHILLES nunquam redire ad bellum Troianum, propter ereptã sibi ab Agamemnone Briseidem. Vbi tamen intellexit Patroclum amicum ab Hectore fuisse peremtum, mutato proposito bellum adiit: nec prius quieuit animo, quàm socij mortem uindicasse.

NISVS Hyrtaci filius, & Euryalus, amici fuerũt arctissimi, qui pro Aenea certauerunt in Turnum: quorum alterum Euryalum quum Rutuli interfecissent, Nisus, qui periculum cursu euaserat, rediit ad ulciscendam socij mortem: multisq́; interfectis, super mortui corpus se exanimem proiecit. Auctor Virgilius lib. 9. Aeneidos.

Mortuos honorare.

Athanarico, rege Gothorum, Byzantij mortuo (quò societatis ineundę causa. Gratiani & Theodosij literis euocatus uenerat) THEODOSIVS Imp. cum magna pompa ad rogum usq; secutus, cumulatissimè amico iusta persoluit: funebres ludos in eius honorem edidit: & hoc ipso Visigothorum animos ita sibi conciliauit, ut auspiciis deinceps Theodosij ultrò militarint. Bonfinius lib. 2. Decadis I.

Memoriam mortui conseruare.

Castra, in quibus Claudij pater Drusus graui morbo afflictus, & tristi fato sublatus fuit, quia intempestiua morte præuentus, acerbo funere decesserat, Scelerata dixere: quanta eum charitate MILITES prosequerētur, turpi conuitio & infando nomine significantes. Alex. lib. 2. cap. 6.

HERODES, Iudæorum rex, in colendis Rom. amicitiis & diligens & magnificus fuit. In memoriam M. Antonij, cuius beneficio regnum acquisierat, arcem templo uicinam Antoniam appellauit. Turrim Stratonis urbem magnificè instaurauit, & Cæsaream uocauit. Samariam restauratam Sebastē nuncupauit. De M. Agrippæ amicissimi nomine domum regiam Agrippam nominauit. Iosephus lib. 15. Antiq.

CAROLVS Magnus Rolandum ex sorore Bertha nepotem, Britannici limitis præfectum, ex insidiis in Pyrenæis occisum, mirum in modum dilexit, ideoq; sæpè hoc carmen de eo cecinit, quod semper in ore habuisse fertur, teste Cuspin.

Tu patriam repetis, nos triste sub orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.

NON OBITA, NEGLECTA AMICITIÆ OFFICIA, AMICIS VEL

Consentientibus, Volentibus.

☞ *Vide Tit. Amicitia dissimulata.*

Nolentibus.

☞ *Ex Tit. Desertorum amicitiæ, huc quædam. Illic Perfidiæ, hic Officij deserti ratio habetur.*

AMPHITRVON cùm absente F. Hercule Lycus occupasset Thebas, & familiam Herculis uniuersam perdere uellet, cōqueritur, quòd neminem amicum habeat opitulatorem, apud Eurip. in Hercule furente:

Φίλων δὲ τοὺς μὲν ἢ σαφῶς ὁρῶ φίλους,
οἱ δ᾽ ὄντες ὀρθῶς, ἀδύνατοι προσωφελεῖν.
τοιοῦτον ἀνθρώποισιν ἡ δυσπραξία·
ἧς μή ποτ᾽, ὅστις καὶ μέσως εὔνους ἐμοί,
τύχοι, φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον. Ex amicis alios quidē non certos uideo amicos: qui uerò sunt rectē, impotentes sunt, ut iuuent. Talis res est hominibus ipsa infelicitas: quā nullus unquam, quicunque uel mediocriter amicus mihi, assequatur, amicorum examen certissimum.

AGESILAVS, Spartanorum rex, etsi amicis per fas & nefas addictus esset, uir alioqui bonus, tamen si ex usu esset, tempori se potius accommodabat: ut declarauit, cùm tumultuosiùs castra moueret, infirmum relinquens amicum. Nam cùm precibus ille abeuntis imploraret opem, auersa facie: Vt arduum est, inquit, simul miserari & sapere. Id Hieronymus philosophus scriptum reliquit. Plut. in Agesilao.

Ad CRISPVM, Martialis Epigrammatum lib. 10.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis:
Sed sit ut hoc uerum, quid, rogo, Crispe, facis?
Mutua cùm peterem sestertia quinq;, negasti,
Non caperet numos cùm grauis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisq; dedisti?
Cùm tua Niliacus rura colonus aret?
Quando breuis gelidæ missa est toga tempore brumę?
Argenti quando missa selibra mihi est?
Nil aliud uideo, quo te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere, Crispe, soles.

AMICITIAE COGNITIO. AMICITIA

APERTA

☞ *Ex Tit. Officiorum amicitiæ præcedentibus huc pleraq;, quatenus indicia sunt Amicitiæ.*

OCCVLTA. AMICI OCCVLTI.

CHVSÆVS Archita, Dauidis regis amicus occultus, in detegendis Absolomi consiliis fidelissimus 2. Regum decimoquinto, & decimoseptimo.

ABDIAS Eliæ uatis occultus amicus, tempore persecutionis sub Achabo & Iezabele, centum prophetas Domini absconditos pane & aqua sustentauit. 3. Reg. 18.

AMICITIAE CERTAMINA.

☞ *Consule Tit. Procorum, & Riualium. Hic Amoris simpliciter, illic respectu Immoderationis habetur ratio.*

ORESTES & PYLADES cùm ad aram sisterentur, ut unus ex iis Dianæ Tauricæ immolaretur, uter pro altero moreretur certabant. Orestes prior, cùm Iphigenia eũ uellet dimittere, Pyladem uerò mactare, inquit, apud Euripidem in Iphigenia Taurica:

——τυγχάνει δ᾽ ὅδ᾽ ὢν φίλος,
ὃν οὐδὲν ἧσσον ἢ με φῶς ὁρᾶν θέλω.

Subinde Pylades:

Αἰσχρὸν, θανόντος σοῦ, βλέπειν ἡμᾶς φάος,
κοινῇ τ᾽ ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν·
δειλίαν γὰρ καὶ κάκην κεκτήσομαι.

De iis sic Ouid. 3. de Ponto 2.

Ire iubet Pylades carum periturus Orestem,
Hic negat, inq; uicem pugnat uterq; mori.
Extitit hoc unum, quod non conuenerat illis:
Cætera pars concors, & sine lite fuit.

Repetit Manilius lib. 2.

Vnus erat Pylades, unus qui mallet Orestes
Ipse mori. Lis una fuit per secula mortis:
Alter quòd raperet fatum, non cederet alter.

EVCRITVS pro EVEPHENO, quem Dionysius tyrannus in uincula coniecerat, sed ad elocandam sororem in patriā remiserat, se uadem constituit, ut nisi ille se stato die sisteret, ipse pro eo moreretur. Polyęnus lib. 5. De iis item Manilius libro secundo:

Et duo, qui potuere sequi uix noxia pœnis,
Optauitq; reum sponsor non posse reuerti,
Sponsoremq; reus timuit, ne solueret ipsum.

NICOCLI petenti, ut sibi ante PHOCIONEM uenenum haurire liceret: Tametsi durum hoc, inquit Phocion, tamen concedendum est ei, cui nihil unquam in uita negaui. Phocion Nicoclem inter amicos fidissimum unicè adamarat, eoq; molestum erat uidere illum morientem: eam molestiā ut uitaret Nicocles, petebat, ut ipse priòr biberet. & hac in re commodauit amico. Eras. 3. Apoph.

L. SYLLA se à nemine amicorum beneficentia superatum, nec ab inimico maleficiis, gloriare solitus est, ita ut suo quoq; sepulcro incidi curarit. Sab. lib. 3. En. 6.

L. Cinnæ Pompeij nepoti, uitæ suæ insidiatori, sed amico facto, AVGVSTVS Cæsar certamen amicitiæ obtulit. Quare id consecutus est, ut non modò habuerit postea Cinnā fidelissimũ, sed & hæres unicus sit ab eo nuncupatus. Suetoni9.

AMICITIA PATERNA PRIMARIA. HVIVS

ANSVIC. CONCILIATA

Conuersatione.

Apud AVSES Africæ populos, ubi apud mulierem puer robustus est factus, apud quemcunq; uirum habitare sustinet (nam tertio quoq; mense uiri conueniunt) eius filius censetur. Herodotus lib. 4.

Similitudine formæ.

LIMYRNII populi promiscuè coeunt, pueros infantes pro similitudine formæ in conuentu publico diiudicatos huic uel illi dant educandos. Stobeus ser. 42. ex Nicolao de Gentium moribus.

Adoptione. Qui quos adoptarint. Adoptati.

☞ *Amicitiæ hic rationem habemus, inter Adoptantem & Adoptatum contractæ.*

ADOPTIONIS duæ sunt species. Nam quum in familiam, inq; liberorum locum extranei sumuntur, aut per Prætorē id fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, Adoptio dicitur, quod per populum, Arrogatio. Adoptātur aūt, cùm à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur: atq; ab eo, qui adoptat, apud eum, penes quē legis actio est, uindicantur. Arrogantur ii, qui quum sui iuris sint, in alienā sese potestatē tradunt: eiusq; rei ipsi auctores fiūt. Sed arrogationes non temerè nec inexploratè committuntur. Nam comitia arbitris etiā Pontificib. prębentur, quę Curiata appellantur. Aetas quoq; eius, qui arrogare uult, an liberis postea gignūdis idonea sit: bonaq; eius, qui arrogatur, ne insidiosè appetita sint, consideratur. Iusq; iurandū à Q. Mutio Pontifice Maximo conceptū dicitur, quod in arrogando iuraretur. Sed arrogari nō potest, nisi iam uesticeps. Arrogatio aūt dicta, quia genus hoc in alienā familiā transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis uerba hæc sunt: Velitis, iubeatis, ut L. Valerius, L. Titio tam iure legeq; filius siet, quàm si ex eo patre matreq, familiās eius natus esset: utiq; ei uitæ necisq; in eum potestas siet, uti pariendo filio ęst. hoc ita, ut dixi, uos Quirites rogo. Hæc ex Gellio lib. 5. c. 19. Hotoman. com. Verbis iuris.

THEMVRA, aliis Thermuthis, Pharaonis regis filia, Mosem puerum è Nilo eductum adoptauit, ut quem modis omnibus Pharao necare cupiebat, ab eodem, licet inscio, diuinæ nutu prouidentiæ educaretur. Sab. lib. 2. En. I.

Iouem persuasisse IVNONI, fabulātur, ut Herculem se fingeret genuisse, matrisq; erga eum deinceps beneuolentiam ostenderet. Cùm in lectum ascendisset, sumtum iuxta corpus Herculem per uestes inferius in terram demisit, uerum partum imitata: sicut & nunc usq; in filiorum adoptatione obseruant Barbari. Iunonis opera, post hunc partum, ferūt Heben Herculi nupsisse. Diod. lib. 4. cap. 2.

Telephus Herculis filius, ex Augea Alcæi regis Arcadiæ filia, aui iussu expositus in syluis, & à cerua nutritus, donoq; datus TEVTRATI Mysiæ regi, pro filio educatus est. Diod. l. 5.

T. Annius Milo è Lanuuio municipio familia Papia adoptatus est à T. ANNIO auo materno. Asconius Pedianus in oratione pro Milone.

Scipio Aemilianus, qui Africanus Minor dictus est, ab Africani Maioris FILIO adoptatus fuit, cùm filius esset Pauli Aemilij. Volat. lib. 19. Anthrop.

Fuit Actia mater Octauiani Cæsaris, filia M. Actij Balbi Aricini senatoris clarissimi, & Iuliæ sororis C. Cæsaris: & ideo C. IVL. Cæsari Octauianus fuit ex sorore nepos, cùm ipse esset maior auunculus, hoc est, frater auiæ. Itaq; ex testamento in familiā eius adoptatus, Cæsaris nomen assumsit: eoq; deinceps uti maluit, quàm paterno. Romā itaq; reuersus Apollonia, uindicaturus Cęsaris interitum: licet mater sępius adhortaretur, ne quid inchoaret pœnitendum: deterreri tamen non potuit, quin apud C. Antoniū Marci fratrē & prætorem de more prisco adoptionem susciperet. Post Mutinēse bellum cùm Vrbi appropinquaret, Consul cum Q. Pedio electus, sacrificauit, duodecim uultures (ut olim Romulus) inter sacrificandum uidit, perfectisq́; sacris iterum se parenti in adoptionem dedit lege Curiata. Cuspinianus.

AVGVSTVS Cæsar Caium & Lucium adoptauit domi, per assem & libram emtos à patre Agrippa: tenerosq; adhuc ad curam Reip. admouit, & Consules designatos circum prouincias exercitusq; dimisit. Suetonius.

Successit AVGVSTO Tiberius, Tiberij Neronis & Liuiæ Drusillæ filius, per matrem, quæ quum prior maritus adhuc uiueret, Octauio nupsit, ipsi principi insinuatus, ut primò adoptatus, mox relictus sit hæres. Iussus ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. Creditur Augustus magis Liuię impulsu, quàm quod ita crederet Reipublicæ consultum, eum hæredem constituisse, quippe cuius neq; mores, neq; ingenium probauit unquam, pertinaciam pertæsus & ingenitā animo sæuitiam, quæ uitia multa arte quandiu priuatus uixit Tiberius dissimulauit. Satis constat, Augustum sub extremum uitæ tempus, illo ex colloquio dimisso, exclamasse, Miserum Populum Rom. qui sub tam lentis futurus esset maxillis. Ex Dione Sabellicus lib. I. En. 7.

TIBERIVS Cæsar Drusum unicum F. amisit. Tiberium Drusi F. & Caium Germanici fratris filios adoptauit. Verùm Caius in imperio successit, & Tiberiū trucidauit. Iosephus lib. 18. cap. 8. Antiquitatum.

CLAVDIVS Imp. Neronem priuignum, Domitij filium, adoptauit in nomen familiæ, undecim iam natum annos, eiq; filiam Octauiam collocauit: licet filium haberet naturalem Britannicum biennio minorem, quem Agrippina nouerca domi secum detinuit, donec Burrus militiæ princeps Neronem ad castra militum circumferret, à quibus Imperator fuit salutatus, qui postea Britannicum ueneno sustulit. Asciturus in nomen familiæ Neronem, quasi parum reprehenderetur, quòd adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertū. Ferunt Senecā, cui in disciplinam statim ab adoptione traditus est, proxima nocte uisum sibi per quietem, Caio Caligulæ Cæsari crudelissimo præcipere: & fidem somnio Nero breui fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis. Sueton. & Dion.

Piso Nobilis adolescens, à GALBA Cæsare primùm dilectus, & postmodum adoptatus est. Tacitus.

NERVA cùm iam senio premeretur, & mors instaret, Reipub. cauens, Traianum principem in filium adoptauit.

TRAIANVS Imperator, cùm nullos ex Plotina coniuge liberos suscepisset, Adrianum consanguineum legatum Syriæ absentem per literas adoptauit. Is cùm natalem adoptionis celebraret, nunciata est ei mors Traiani. Dion tradit, nunquam Adrianum à uiuo Traiano adoptatum, sed factione Plotinæ, quæ illius amore flagrabat, adoptionem factam: mortemq; Traiani aliquot dies occultatam, supposito qui pro Traiano fessa uoce loqueretur. Id postea ex epistolis, quas Plotina scripsit, cognitum est. Apronianus Dionis pater, qui Ciliciæ præerat, se huic consilio interfuisse affirmauit. Vnde cùm mortua est Plotina, Traiani Imp. uxor, ADRIANVS, qui illi successerat, per nouē funeris dies atratus incessit, eiq; templum erexit, & hymnos in eam fecit, ac excellentissimè coluit: utpote per quam imperium adeptus fuerat. Cuspinianus.

ADRIANVS Imp. cùm in morbum incidisset lethalem, de successore sollicitus, Seruianum, Faustum, Pletorium, Gētianum, quasi affectatores imperij, mori coegit. Ceionium autem COMMODVM Verum inuitis omnibus adoptauit, eumq; L. Aelium Verum Cæsarem appellauit. Tum ludos Circenses & donatiuum populo dedit, ac militibus. At Cōmodus ualetudinarius cùm largiùs antidoto uteretur, ingrauescente ualetudine per somnum Cal. Ianuariis periit. Pòst M. ANTONINVM Pium amitæ Marci uirum ea conditione elegit, ut sibi Marcum Pius adoptaret, & Marcus sibi L. Commodum adoptaret. Neq; lętus ex illa adoptione, sed tristis in regiam domum concessit, explicans quot mala in se contineret imperium. Cuspinianus ex Dione.

Iustinianus à IVSTINO Imp. adoptatus est, cuius sororis filius cùm esset, in regno quoq; successit. Volat. lib. 23. Anthr.

IVSTINVS minor Imperator Rom. Tiberium adoptauit, quē & regni successorem esse uoluit. Ibid.

Ardaburius Asparis filius, à LEONE I. Imperatore adoptatus est. Ibidem.

AVRELIVS Hispanorum rex, cùm prolem non haberet, ad inuidiam periculumq; declinandum, Veremundum Phronillæ filium in spem successionis adoptauit. Ritius lib. 2. de Regibus Hispaniæ.

GVNTRANNVS Aurelianensiū rex, quia liberis carebat, in spē successionis Childebertū (amisso patre, bona regni parte à Chilperico spoliatū) adoptauit. Orta aūt mox inter eos, Theoderici Massiliensis episcopi causa, graui dissensione, Guntrānus adoptionē reuocauit. Ritius li. I. de Reg. Frācor.

SIGEBERTVS, Dagoberti I. filius, Austrasianorum rex, Clodouei II. frater, cùm nullos procreasset liberos, à Magistro equitum Austrasianorum Grimoaldo adductus fuit, ut Ildebertum eius filium adoptaret. Cæterùm legibus & adoptione patrem factum, mox natura filio donauit. Dagobertus pro-

tus procreatur. Mortuo Sigeberto rege Austrasiæ, anno regni sui XI. Grimoaldus Ildebertū regem salutat, eiusq; causam nō adoptionis modò iure, sed armis etiā tuetur, Dagobertūq; attonsum ad amicos in Scotiā ablegat. Ercebaldus Magister equitū Francorū prælio Ildebertum occidit, Grimoaldum captū Lutetiā ad suppliciū misit. Aemilius lib.1.

Ericus Pomeranorum dux, à MARGARITA regina triū regnorum Daniæ, Noruagiæ & Sueciæ adoptatus fuit. Cranzius lib.8. Daniæ c.1. & lib.10. Saxoniæ, c.26.

Dono.

Creusa ex Apolline suscepto puero IONI, furtim exposito, tandem Apollinis Delphici oraculo à Xutho marito pro filio habito, obiicienti Creusæ: Si sum ex Xutho natus, quomodo possum esse tuus & Apollinis filius, ut tu dicis? respondit: Xuthi filius es, ex dono Apollinis (apud Eurip. in Ione) & causam addit:

— Καὶ γὰρ οὐ φίλος φίλῳ
Δίδωσι τὸν αὑτοῦ παῖδα, δεσπότην δόμων.

Nam amicus amico dare queat suū filium, heredē domus.

Suppositione.

Consule locum Astutia in arguendis liberis. Hic Amicitiæ paternæ fraude conciliatæ rationem habemus.

Maximiani Herculei Imp. uxor, ut mariti animum uirili prole edita retineret, puerū supposuisse fertur, qui MAXENTII nomen obtinuit: eaq; suspicione Maximianus, in Cæsare deligendo, præterito Maxentio, Constantium Chlorum adoptauit. Sigonius lib.1. Imp. occid.

ΦΥΛΑΚΗ. AMICITIA PATERNA SERVATA.

HORTENSIVS orator, & Ful. FLACCVS, scelestissimos filios, & parricidij conuictos, bonis se abdicaturos iurarunt. Sed postea mutatis animis, hæredes reliquerunt. Alexan, lib.6. cap.10.

NON SERVATA. HVC

Filij à Patrib. Abdicati.

Abdicare, inquit Nonius, est familia abiicere. Sumptū autem à Græcis uidetur, qui patrem ἀποκηρύττειν, filium autem ἀποκηρύττεσθαι dicebant. Itaq; Quintilianus lib.3. c.6. Abdicatum interpretatur, qui à familia patris abalienatus est. nam Græca quidem locutio per præconem id pronunciari solitum indicat. Hotoman. com. Verborum iuris.

Fabius lib.7. c.4. Abdicationum formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur raptor, adulter: altera imperfecti, uelut pendentis, & adhuc in conditione positi: quales sunt in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri. Videtur autem hæc abdicatio in iure apud magistratum fieri solita, quia parentes testificabantur se iis de causis, quas proferebant, suos liberos à sua familia remouere, neq; deinceps in liberorum loco numerare uelle. totaq; hæc ratio Græcorum fuit: nam Romani emancipatione utebantur. Idem.

Chamus à patre NOACHO diris deuotus & abdicatus, ob illusum parentem, qui uino ebrius parum cautè in aperto iacebat. Sab. lib.1. En.1.

Phyleus à patre AVGEA rege Eleorum abdicatus, quòd ei nō consensisset in fraudando Hercule, qui ob denegatum sibi precium expurgati à stercoribus agri aduersus Augeam expeditionem instituerat. Pausanias lib.5.

L. Q. CINCINNATVS filium Cæsonem petulantissimum abdicauit, qui & à Censoribus ad Volscos & Sabinos confugit. Volat. lib.19. Anthrop. & Gell. lib.2. cap.16. Noct. Att.

Attilia Variola, cùm à PATRE octogenario hereditate excussa esset, Centumuirali tamē iudicio ad patris bona admissa fuit, pro eo q̄ undecimo die pòst, nouercam ei superduxerat, uelut decrepitus pater ætate desiperet. Alex. lib.6. ca.10.

METELLVS filios suos Romæ ab omni hæreditate excussos uoluit. Cuius testamenti seriem filij pij irritum facere nequaquam uoluerunt, ne qualemcunq; parentis uoluntatem non tueri uiderentur. Alex. lib.6. cap.10.

Suetonius de OCTAVIO Cæsare sic scribit: Nepotem Agrippam, simulq; priuignum Tiberium adoptauit in foro lege Curiata: ex quibus Agrippam breui ob ingenium sordidū abdicauit, sepositq; Surrentum. Valerius autem lib.5. & 7. CESETVS, inquit, cùm abdicare filium suum iuberetur à Cæsare, respondit: Celerius tu mihi Cæsar oēs filios meos eripies, quàm ex his ego unum nota pellam mea. Suetonius igitur Abdicandi uerbo, pro Emancipare & ablegare, est usus. Hotom. com. Verbis iuris.

AMICITIA PATERNA SECVNDARIA, INTER

IMPARES, PVTA INTER SOCERVM, SOCRVM, GENERVM, NVRVM.

LABAN Bathuelis F. cùm IACOBVM generum fugientem in monte Galaado assecutus esset, à Deo prohibitus, ne illi nocere posset, fœdus cum eo percussit, & cippum ex lapidibus erexit. Quem tumulum Laban Iegarsahadutham, hoc est, tumulum testimonij (item Maspha, quòd speculaturus esset Ioua quid ab utroq; illorum fieret) Iacobus Galaadū appellauit, quod idem est. Genes.31.

Augusti NEPTIS, quæ Germanico nepoti Liuiæ ex Druso filio denupserat, Liuiæ & uelut nurus & uelut priuigna erat inuisa, aspera ipsa alioqui & uehemens, sed tanta pudicitia, & tam raro in coniugem amore, ut indomitum illum Liuiç animum duabus illis uirtutibus in bonum uerterit. Sueton.

GORDIANVS Imp. ad bellum Persicum profecturus, ducta uxore Tranquillina, consiliis soceri Misithei uiri doctiss. spadonum ac eunuchorum adulationes reiecit. Lampridius.

ROMANVS Lacapenus Basileopater factus, data filia Helena Constantino Porphyrogenito in uxorem, arcta necessitudine regi iunctus, de more Cæsarum, rubricatarum pellium caligis usus, altero anno mox coronam usurpauit cū caligis imperialibus, Christophorumq; primogenitū pariter coronauit. Cæteros uerò filios, Stephanum & Constantinum, quos pòst genuit, Cæsares dixit. Cuspinianus.

PARES. NEMPE INTER

Fratres.

Pindarus Ode X. Nemeorū, CASTORIS & POLLVCIS amicitiā uerè fraternā exponit, dū frater Pollux ex Ioue & matre Leda p̄gnatus, cui soli immortalē esse licuisset semper, utpote ex Deo nato, altera potius die immortalis & apud superos, altera uerò mortalis & apud inferos esse maluit, tantùm ut frater ipsius Castor, ex Tyndareo & Leda natus mortalis, hac ratione & ipse immortalitate cum fratre per uices frueretur,

Scilurus, qui FILIOS relinquebat octoginta, cùm morti uicinus esset, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iubens, ut frangerent eum. Cùm id eorum posset nemo, ipse singula iacula extrahens facilè omnia confregit: docens illos, si cōcordes essent, permansuros ualidos: imbecilles euasuros, si essent dissociati & distracti. Plut. in Apophthegm.

Cæsar Augustus Adiatorigem sacerdotem Anaitidis deæ apud Comana Ponti urbē cum uxore ac filiis in triumphum ducens, illum cum filio maiore CLITATO statuerat interimendum. At cùm SECVNDVS militibus, qui eum ducebant, maiorem se affirmaret, diu inter fratres contētio fuit, & pulcrum de morte certamen, cùm præmori uellet uterq; quousq; parentes Clitato persuasere, ut iuniori cederet, asserentes ipsum, qui ætate prouectior esset, maiorē de matre ac reliquo fratre curam habiturum. Itaque secundus cum patre interemptus est: Clitatus seruatus uel inuitus, qui eam dignitatem est consecutus. Nam Cæsar, re cognita, uehementer doluit, & eos, qui seruati erant, beneficio & cura prosecutus est. Aeneas Syluius cap.52. Asiæ, ex Strabone.

AMICITIA CONIVGALIS NON INITA, REPVDIATA.

CELIRES.

Consule Tit. Virginitatis studium. Illic Castitatis, hic Societatis coniugalis neglectæ habetur ratio.

Moses, sicut omnes ferè, qui sub legis iugo seruierūt, uxorem habuisse scribitur. Sed IESVS Naue (qui Euangelij libertatem figurabat) nec uxorem habuit, nec filios. At hic celebs terram promissionis ingreditur: quam ille maritus tantùm uidit, ingredi non potuit. Marul. lib.4. cap.7.

Neq; HELIAM neq; HELISÆVM uxores habuisse, aut liberos genuisse, usquam legimus: & à nemine ante Euangelij tempora, preterquàm ab iis, mortuos ad uitam excitatos: ut miraculi raritas ac magnitudo, seruatæ castimoniæ testetur meritum. Ibidem, & Sab. lib.5. cap.6.

MALCHVS monachus captus à Saracenis, cùm à domino suo cogeretur seruam Christianam matrimonio sibi iungere, mortem sibiipsi consciuisset, nisi ab illa uoto communi castitatis suscepto seruatus fuisset. D. Hieron. in eius uita.

MARSYAS Phryx, ingenio prudentiaq; mirabili fuisse dicitur. Coniecturam ingenij sumunt, quòd uocis sonum multiplicis fistulæ imitatus, ad tibias eam harmoniam traduxit: prudentiæ, quòd usq; ad extremum uitæ finem celebs uixit. Diodorus lib.3. cap.5.

THALES Milesius celebs uixit, ne liberorum mortem expectare cogeretur. Plut. in Solone.

EPAMINONDAS dux Thebanus celebs. Probus in Epaminonda.

Apud SPARTANOS qui celebs uixisset, gymnicis spectaculis arcebatur, nudiq; hyeme forum circuibant, ne, ut cæteri senes, in

honore apud iuuenes essent. Sabellicus lib.1. Enneadis 2. ex Plut. Lycurgo.

HALDANVS Danorum rex, cæso Erico III. Sueciæ regno potitus, mare piratis purgare instituit, uir solis armis innutritus, & qui coniugio aut liberis non studeret. Siualdus, septem filiis pugilibus septus, in concione questus apud primores, regnum Sueonum alienigenæ subesse, inita conspiratione, Haldanum pellere instituit. Haldanus terra marique ducit in hostem. Coniurati armis suis diffidentes, cùm in ducem conspirationis respicerent: ille cum filiis Haldanum ad monomachiam prouocat. Haldanus, quantumuis iniqua conditio proponeretur, ut unus octonis multo sese dignitate inferioribus occurreret, tamen non recusauit. Nam hæc Siualdus, unius uiri sunt ossa, quæ cernis. Sparsi uires in liberos: diuisas illas nunc rursus in duellum contraho. Si tu frigido hactenus thoro cubasti, tibi imputa. Pater & filij una sunt caro: tergiuersari tibi non licet. His atque similibus uerbis regem ad pugnam elicuit. Sed is uictor patrem cum filiis absumsit. Cranzius lib.1. Sueciæ c.44. ex Saxonis lib.7.

BORSIVS Estensis Ferrariæ dux celebs. Iouius in Alfonso Atestino.

IO. PICVS Mirandula militiā seculi & coniugale uinculū fugiebat. Interrogatus inter iocandū, Quid si alterutrū subeūdū onus ferendūq; foret, & necessitate cogente, & optione data, quodnā ei leuius uideretur? hæsitabūdus aliquātulū, Coniugiū, respondit, cui non tantū esset & seruitutis annexū, & periculi, quantū militiæ. Ioan. Franciscus in eius uita.

IASO Maynus I. C. cùm Ticini doceret, à Ludouico XII. Gallorum rege (qui Genua subacta de Liguribus triumpharat, & fama Mayni motus, eum profitentem nobilissimorū principum choro stipatus audierat) rogatus, Cur nunquam duxisset uxorem? Vt te commendante, respondit, Iulius pontifex ad purpureum galerum gestandum me habilem faciat. Iouius in Elogiis.

SPONSI, GENERI REPVDIATI. QVI NVPTIIS EXCIDERE.

ADONIAS, mortuo Dauide rege, à Salomone fratre Abisagam Sunamitidem uirginem, quæ Dauidem patrem iam senem suo complexu fouerat, uxorem petiit. At Salomo eum hac ratione ad regnum aspirare suspicans (quandoquidem iam antè rebellis fuerat) à Banaia interfici curauit. 3. Reg. 2.

HERCVLES, quum Megara Creontis Thebani regis F. dimissa Iolen Euryti Oechaliæ regis filiam sibi uxorem poposcisset, quia pater de ea re consulturum se oraculum dixerat, non moram illam, sed repulsam interpretatus, Euryti boues ex Oechaliæ finibus abegit. Ad quas Iphiclus repetendas à patre Tirynthem missus, ex eminenti turre est Herculis iussu præcipitatus. Sabel lib.7. En.1.

HIPPOCLIDES Atheniensis, Agaristiæ Clisthenis Sicyoniorum tyranni F. matrimonio excidit ob saltationem scurrilem. Herodotus.

Archelaus rex Macedoniç interfectus est ab adolescente CRATEVA, quem habebat in deliciis, quòd ei promissam filiam alteri dedisset. Volaterranus.

PERDICCAS mortuo Alexandro Magno regiarum copiarum dux factus, ut ad maiora rerum momenta regiam auctoritatē acquireret, Cleopatram, Magni Alexandri sororē, quæ alteri Alexandro, qui in Lucania periit, nupserat, ne Olympiade quidē inuita, uxorē sibi iungere conatus est. Sed per Antipatrū id obtinere nō potuit, quem prætextu nouæ affinitatis prius capere fuerat Perdicas adortus, illius filia sibi in uxorē petita. Sed ea fraude instructus Antipater, nō solùm non illi filiam dedit, sed quo minus Cleopatræ nuptiis potiretur, sua auctoritate effecit. Sab lib.7. En.4.

DIONYSIVS Syracusiorum tyrannus matrimonij repulsam à Rheginis passus, illorum urbem excidit. Diod. lib.14.

Aristides Locrensis, petente DIONYSIO tyranno Syracusanorum filiam ipsius in matrimonium, negauit se sub specie matrimonij filiam in teterrimam seruitutem emancipaturum: neq; commissurum, ut ex filiæ suæ uisceribus crudelis bellua omnibus inuisos gigneret catulos. Plutarchus.

CN. Pompeius, quò suam factionem redderet firmiorem, per Munatium petiit, ut M. Cato neptium duarum (siue, ut alij, filiarū) alterā sibi, alterā filio suo daret. Cato iussit reuersum Munatiū Pōpeio renunciare: Se quidē per mulieres capi nō posse, beneuolentiam tamen illius sibi gratam esse: amicitiā etiam, quæ quauis affinitate firmior esset, polliceri, si quæ Reipublicæ cōducerent, sequeretur. Cæterùm aduersus Rēpublicam nunquā daturum obsides. Neptes in matrimoniū datas, obsidum nomine signans. Plutarchus in Pompeio.

M. CATONI minori desponsa fuit Lepida, Scipioni Metello antè pacta, quæ sponsalibus diremtis sui iam iuris erat. Cęterùm pœnitentia Scipio ductus, duxit eam. Cato ea re uehementer offensus, retentus ab amicis, ne iudicio iniuriam persequeretur, Archilochiis iambis Scipionem proscidit. Plut. in Catone.

SYLLÆVS, Orodæ Arabum regis procurator, Salomen Herodis regis sororē ducere cupiebat. Mulier facilè assensum præbuit. Postulantibus deinde, ut Syllæus accenseretur in Iudæorum religionem, & tum demùm uxorem duceret, alioqui non esse licitum: ille facere hoc non sustinuit, lapidādum se dicens à popularibus, si faceret: atq; ita re infecta discessit. Iosephus lib.16. cap.11. Antiquit.

Marcella Romana nobiliss. uiro post nuptias septimo mense priuata est. Cumq; eam CEREALIS cōsul Romanus propter ætatem & antiquitatem familiæ, & insignem decorem corporis, ac morum temperantiam, ambitiosiùs peteret, suasq; iam grandis natu polliceretur diuitias, & non quasi in uxorem, sed quasi in filiam uellet donationem transfundere: Albinaq; mater tam clarum præsidium uiduatæ domus ultrò appeteret, illa respondit: Si uellem nubere, & nō æterna me cuperem pudicitia dedicare, utiq; maritū quærerem, non hæreditatem. Illoq; mādante, Posse & senes diu uiuere, & iuuenes citò mori, eleganter lusit: Iuuenis quidē potest citò mori, sed senex diu uiuere non potest. Qua sententia repudiatus, exemplo cæteris fuit, ut eius nuptias desperarent. Hieronymus in Marcellæ Epitaphio.

Cùm CAROLVS Magnus, Augustus & Imperator dictus, legatos ad Irenen Imperatricem Constantinopolitanam, pro fœdere inter Francos Græcosq; firmando, & matrimonio petendo misisset: Græcorum proceres, ne Irene suis nuptiis Græcorum spem omnem in Franciam transferret, Lesbum in insulam eam deportarunt, ubi consenuit. Et Nicephorus fraudulenter Imperator creatus est. Cuspinianus.

GVLIELMVS Apuliæ dux, Alexij Imp. Græci filiam in matrimonium ducturum se sperans, Apuliam Pontifici maximo uelut fiduciariam commisit, ut ea sibi ex Græcia reduci restitueretur. Ita Byzantium profectus, utrobiq; offendit. nā nec filia Augusti ei despōsa fuit: & Rogerius, Rogerij filius, Comes Siciliæ, illi succensens, quòd cum Græcis, gente Normanno nomini infensissima, necessitudine iungi uellet, Apuliam eo absente occupauit. Ergo & à Græcis affinis repudiatus, & à consanguineo paternis opibus deiectus, ad Salernitanum principem se priuatus recepit, ibiq, mœrore contabuit. Aemilius lib.5.

GRAMVS, Schioldi Danorum regis filius, Sigrhunij Sueciæ regis filiam ambiens, repulsam passus. Io. Magnus lib.2. c.6.

MISTAVVS rex Vādalorū repulsam passus filiæ Bernardi Saxonum ducis, quā ei iam antè pater ob fidelem præstitam operam spopondisset. Cranzius lib.3. Metrop.

ROLANDVS, Petri Siciliæ regis frater spurius, deuicta classe à Roberto Neapolitano rege, quam Petrus Liparitanis aduersus Robertum auxilio miserat, captus fuit, miserq; carceris pedore tenebrisq; maceratus. Eius miserta Comiola nomine Toringa, diues admodum uidua, adolescens, secretò misit, qui Rolandi mentem explorarent, An si pecunia redēptus foret, eam ducturus esset uxorem? Ille diuinitus oblatū beneficij loco id habiturus matrimonium per procuratores ritè stabilit, & auri duab. unciarum millibus à muliere redimitur. Reuersus autem Messanam Rolandus, non modò desponsationem abnegauit, sed ne gratias quidem mulieri egit. Comiola ingratitudinis hominem ad tribunal Ecclesiasticum conuincit. Vbi exprobrantibus sibi amicis ingratitudinem persuasus est, ut eam duceret. At Comiola cō memoratis suis in eum meritis, palàm dixit: Se pactioni de nuptiis cum eo renunciare, neq; ut tam ignauo homini nuberet, ęquū ducere, sed se Dei seruitio dicare. Fulgos. l.5. c.3.

MATHIAS Coruinus Vngarorū rex, contra Polonos & Boemos reges ignauos bellum gerebat. Pax Vratislauiæ ęquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elizabethæ reginæ Poloniæ fastus & pertinax odium obstitisset. Nam ea Mathiam affinitate bellum finire cupientem, quòd neq; regio, neq; ducali genere ortus esset, generum aspernabatur: & q̄ patrui sui fratrisq; inimicus fuisset, auersabatur, ita ut nullis persuasionibus de sententia dimoueri posset: & indulgebat ei plusculum Cazimirus rex. Cromerus lib.28.

Philippus Vicecomes, Mediolanensiū princeps, cùm promissam FRANCISCO Sfortiæ duci clariss. filiam Blancā dare differret, ille ad Venetos defecit, & Philippū eò adegit, ut pacis cupidus filiam cū nuptiali pompa Cremonam miserit, & Cremonā dotis nomine tradiderit. Sabell. lib.5. En.10.

Friderici Electoris Saxonię filius, IO. FRIDERICVS, in matrimoniū duxit Ioānis ducis Cliuēsis filiā, Sibyllā. Despōsata fuerat ei soror Caroli V. Cæsaris Catharina, natu minima, cōfectis atq; signatis ea de re literis. Cùm aūt religiōis incidisset in Saxonia mutatio, discesū fuit à pactis, & Cęsaris legatus Haunartus, q tunc per Germaniā erat, dicebat apertè, non esse fidē seruandam hæreticis. Anno 1527. Sleidan. lib.5.

GVLIELMVS princeps Cliuensis Geldriam occuparat. Aegrè id ferente Carolo V. Cæsare, in Galliam ad Franciscū I. fœderis

fœderis iungendi causa profectus est. Erat Galliæ regi, è sorore Margarita, regina Nauarræ, neptis Ioanna, circiter undecim annorum puella, longè omnium totius Galliæ ditissima, & forma cum primis eleganti, & optimis formata moribus: ut autem hæc in matrimonium Cliuensi daretur, illicò parentes, & in primis reginam sororē rex sollicitabat, ac demùm perfecit, licet inuita puella. At ubi victus armis Cliuensis à Cęsare in gratiam receptus est, Gallus sponsam ad maritum profectam ex itinere reuocauit, nec matrimonium inuita puella contractū ualere uoluit. Nupsit postea Antonio duci Vēdomensi, Cliuēsis Mariā Ferdinādi regis filiā uxorē duxit, pontificis permissu. Sleidanus lib.13. & seq.

SPONSAE REPVDIATAE.

Metellus C. MARIO respondit, quū eius filiam prædiuitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere nollet: Malo esse meus, quàm tuus. Cui Marius: Imò ipsa erit tua. At ille: Imò uirum oportet esse uxoris. Cæl. lib.14. cap. 14. Antiquarum Lectionum.

M. T. Cicero, cùm TERENTIAM uxorem repudiasset, & ab Hircio, ut post repudium sororem suam duceret, rogaretur, negauit se facturum: dicens, se non uxori & philosophiæ pariter operam dare posse. Hieronymus contra Iouianum.

Ioannes Exagonarum Imp. ad mare Ponticum, Venetis curantibus, Balduino Roberti F. Imp. Constantinopolitano, FILIAM obtulit uxorem. fore pollicitus, ut Romanum imperium, Ioanne Lascari Adrianopolitano duce pulso, in gentis redigeret potestatem. At Latinorū procerum consilio Ioannis Brenni regis Hierosolymitani filia Martha Balduino est desponsata, Imperator Exagonarum repulsam hanc ægerrimè tulit: Et, quod sæpius antea rogatus abnegauerat, suam filiam Theodori Lascaris senioris filio Ioanni despondit. Iunctis hinc affinitate Græci Imperatores, depellendis Latinis consiliū ceperunt, & tandem, mortuo Theodoro, Balduinus imperio pulsus est à Michaele Palæologo, tutore filiorum Theodori. Cuspinianus.

Friderico III. Imp. Amadeus dux Sabaudiæ, quem Basiliense concilium Eugenio IIII. à summo pontificatu deposito, substituerat, & Felicem V. uocauerat, FILIAM, quam domi habebat uiduam, iuuenem, & forma præstantem, in matrimonium obtulit, simulq; dotis nomine auri numum ducenta millia, si, Eugenio relicto, se Petri successorem appellaret. Cæsar, ad suos conuersus: Vendere, inquit, alij pontificalia solent, hic libenter emat, si reperiat uenditorem. Æneas Syluius lib.3. Commentariorum de Alfonso.

Carolus VIII. Francorum rex, etiamnum impubes à patre Ludouico XI. in uxorem accepit MARGARITAM Maximiliani Imp. ex Maria Burgunda filiam infantem. At pòst rerū potitus, Margarita repudiata, Annam Britannam Maximiliano socero pactā, cùm ad sponsum duceretur, raptit, Alexandro VI. Pp. dispensante, & ex ea duos liberos sustulit, & extulit. Ricius lib.3. regum Francorum, & Cuspinianus.

AMICITIA CONIVGALIS INITA.

INTER QVOS. RESPECTV

PIETATIS.

Abrahamus iam senex, seruum suum seniorem iuramēto obstrinxit, ne ISAACO filio alienigenam uxorem det ex Chananæis: sed ex terra patria aliquam accersat, ex Mesopotamia uidelicet: id quod & factum est. Nam Rebecca filia Bathuelis (quam ex Melca Nachor frater Abrahami sustulerat) illi coniugio iuncta fuit. Genesis 24.

VIRTVTIS.

Themistocles Athenensis interroganti amico, Honesto inopi, an diuiti infami, unicam FILIAM in matrimonium daret? Virum sine pecunia, quàm pecuniam sine uiro se malle, respondit. Virtutem in homine spectandam potiùs, quàm fortunam, significans. Plut. in Themistocle.

PVDICITIAE. DVCTAE

Concubinae.

ROBERTVS II. Scotorū rex, etiamnū priuatus ex ELIZABETHA F. Adę Mur equitis aurati tres filios susceperat. Iohannem. Robertum & Alexandrū, duasq; filias. Pòst in uxorē duxit Euphemiā comitis Rossensis F. quę cum rege coronata est: & ex ea Vualterū, Dauidem & Euphemā susceperat. Mortua Euphemia Elizabethā uxorem duxit: aut, quos ex ea liberos susceperat legitimos, redderet. H. Boetius lib.16.

ALFONSVS Atestinus, dux Ferrariēsis, duos mares ex LAVRA cōcubina sustulit. Hanc enim abrupto cœlibatu, qui sibi ad dandam liberis operam æquè prono & ualido noxius erat & molestus, à non inuito patre plebeio opifice uirginem acceperat, uel ob id præcipuè, quòd neq; decorum, neq; tutum sibi iudicabat honestās ciuium familias stupris ac adulteriis dedecorare. Verùm eam demùm probis pudicisq; moribus, & statæ formæ dignitate ad genium respondentem, & à felici fœcunditate commendatam legitimę uxoris loco habuit, & geminos ex ea filios de nomine suo Alfonsos appellauit. Iouius in Alfonso.

Meretrices.

Confule Tit. Meretricum, quatenus alii communio iungantur.

RAABA, Hiericuntia meretrix, quæ exploratores à Iosue missos abscondit lini stipulis, excisa urbe, sola cum suis seruata est, & SALMONI uni ex principibus Iuda matrimonio iuncta, ex quo deinde coniugio Christus per successionem nasci uoluit.

OSEAS propheta oraculo monitus meretricem in uxorem ducere, coniugio sibi iunxit GOMER filiam Deblaim, & ex ea suscepit tres filios. Quorum primum uocauit Iezraelem, secundum absque misericordia, tertium non populus meus. D. Hieron. cam. 1. in Oseam cap. 1.

PERICLES repudiata uxore nobilissima è qua Xanthippum & Paralum susceperat, ASPASIAM scortum nobile duxit, eamq, ita dilexit, ut siue exiret siue rediret à foro, salutaret semper eam osculo. Comici eam nouam Omphalem, & Deianiram & Iunonem nominabant. In eius gratiam bellum contra Megarenses excitauit. Ream uiolatæ religionis precibus & lacrymis suis iudicio eripuit. Plut. in Pericle.

RHODOPEM meretricem, in Ægypto ferunt pulcherimā fuisse. Cui aliquando lauanti, inopinatorum atq; inexpectatorum amans fortuna contulit munus, non isto animo, sed fortuna uenustateq, dignum. Cùm enim lauaret, atque uestimenta famulæ custodirent, aquila deuolans alterum calceum abstulit, eumq; secum deportauit Memphim. Iudicium uerò cùm fortè PSAMMETICHVS exerceret, in eius sinum aquila calceum iniecit. Psammetichus autem miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem atque concinnitatem, & auis factum: statim mandauit, ut per uniuersam Aegyptum quæreretur femina, cuius is calceus esset. Eamq; inuentam, licet meretricem, in uxorem duxit. Aelianus lib.13. de Var. hist.

CARVTIVS Romanus Accam Laurentiam meretricem uxorem duxit. Macrob. lib.1. Saturn. cap.10.

VIRGINITATIS.

SACERDOTES Israeliticarum uirgines tantùm ducebant ex præcepto Domini, non uiduas, aut repudiatas, aut impudicitia pollutas, ne progeniem suam profanarent. Leuitici 21.

Virginem ducere antiquis laudabile fuit, præcipiente id ipsum Hesiodo, παρθενικην δξε γαμεῖν, ἵν' ἤθεα πολλὰ διδάξῃς. Homerus passim ἀλοχον epitheton facit, κεδνὴν, hoc est, quæ cum puella esset & uirgo, non uidua aut anus, marito nupsit. Eustathius Iliados α.

RELIGIONIS VEL *Diuersæ.*

Si Coniunctionē spectes, huius erunt loci: si causam ipsam, uel Libido est, & ad Intemperantiā referri debet uel Lucus aut Religionis propagādæ studium, & ad Prudentiam pertinebit. Si Effectum, ut quòd hoc uinculo religionem uerā dissentiat uel desciuit, ad Iniustitiam uel Iniustitiam religiosam ablegāda erit: & propter Felicitatem uel Infelicitatem ex coniugio prouenientem, inter Fortunæ bona & mala communerari poterunt.

Sethum Adami filium illius ætatis homines Deum appellabant, eo quòd & Hebraicas literas, & stellarum appellationes inuenisset, ob insignis eius pietatis admirationem. Sic quoq; Mosi dicit Dominus: Deum dedi te Pharaoni, & de uirtute præditis & iudicibus, & spiritualibus dicit: Deos nō contemnes, & principi populi tui non maledices. Iraq; locus ille Geneseos, Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, de Sethi & Enosii & Enochi, FILIIS Dei, & deorum filiis, auctore Symmacho, intelligendus est: qui uicti libidine, ad Caini filias sunt ingressi, è quorum impari & impuro cōiugio nati sunt Gigantes, ob iustum quidē robusti & maximi: ob iniustum autē & profanum, improbi & pessimi. Suidas.

MOSES Aethiopissa ducta, à fratre & sorore reprehensus fuit. Numeri 12.

Blasphemus lapidatus in deserto fuit filius mulieris ISRAELITIDIS, de uiro AEGYPTIO generatus. Neq; enim expedit ex diuersis gentibus matrimonia copulare: quia liberi inde nati malè imbuuntur. Leuitici 24.

ISRAELITAE non patrio ritu, non religione inhiberi potuerunt à Moabitarum mulierum congressu, concubituq; nefario. Iraq; ipsorum auctorum morte prius id scelus expiatū, dein & cognatorum, bis denis millibus paucorum dierum spacio pestilentia consumtis: insigni documento, nullam domum oportere priuata caritate scelus admittere, ne quod in paucis peccatum sit, in multis uindicetur. Sab. lib. 4. cap. 3. ex Numerorum cap. 25.

SAMSON, Israelitarum iudex, filius Manoæ, è tribu Dania, cùm Thamnatham descendisset, uidit ibi puellā Palæstinā, quam

[redacted]

Moses, auctore Iosepho lib.3. Antiq. cap. 14. constituit, ut SACERDOTES uxores ducerent, etiam uiduas, quæ neq; captiuæ, neq; ancillæ, neq; quibusuis de causis per factum diuortium repudiatæ à prioribus uiris essent: summo uerò pōtifici uoluit uirginem nuptum dari. Et hæc apud Hebræos matrimonij etiam sacerdotalis ratio fuit.

[redacted]

Post hæc sextus conuentus, qui nouissimus & celebratissimus fuit orientali populo, auctore eodem Gratiano, uiuendi regulam præscripsit, ac demum permisit sacerdotes, diaconos atq; subdiaconos uxores habere, quas priusquam sacris initiarentur ordinibus duxissent. In eadem synodo de [redacted] fuit [redacted] sacerdotes cum diaconis [redacted] Occidentalibus patribus [redacted] secundum duxisset uxorem, ab [redacted] tur. Sic per hoc uoluit, ut deinceps digamus ad officium sacerdotis non admitteretur.

[redacted]

[redacted]

Gregorij IX.studio, in concilio Schöningensi Cardinalis Sabinensis egit,ut reuocaret SVECOS & GOTHOS à schismate Græcorũ, in quod presbyteri & sacerdotes ductis publicè uxoribus consensisse uidebantur:effecitq; , cooperan- [redacted] Balbo & Birgero duce Ostrogothorum,ut [redacted]

tonsura item circulari toti genti indicta:sed & nobilium sacris adsistẽtium religioso habitu) ut Cazimirus monachus & diaconus, professionis & sacramenti religione solutus, ad regnum maiorum suorum rediret,uxorem duceret,liberos procrearet.Cromerus lib.4.

[redacted]

Gulielmo rege Siciliæ Panormi defuncto sine legitimo hærede,cùm regnum Siciliæ ad Ecclesiam deuolutum putarent, [redacted]

[redacted]

MATHILDIS Edgari Scotorum regis soror, monasticis initiata sacris, cùm inuita Henrico I. Anglorũ regi nubere cogeretur,omnibus precibus prolem , si qua ex se nasceretur, neutiquam irrito uoto , execrata est. Polydorus libro II. historiæ Anglicæ.

ALBERTVS II. Austriæ Dux, Alberti I.Imperatoris quintus ordine filius,ob manuũ pedumq; paresin Cõtractus appellatus,cũ uenenũ,quod hauserat,Medici à corde in artus extremos expulissent,minimus fratrũ,Patauiẽsis primũ canonicus : deinde cũ fratres oẽs reb. humanis sine hærede exēti , successionem destituerent, habita Pontificis Ioannis uigesimi secundi dispensatione (qui & Moguntinum illi paulo antè episcopatum promiserat) Ioãnam Vdalrici comitis Phyretarum filiam duxit uxorẽ. Ac administrationem post fratres suscipiens,ita rem domi forisq; gessit, ut Sapiẽtis nomen mereretur.Progenuit uerò ex Ioanna Phyretensi tres filios,Rudolphum quartum, Albertũ tertium , & Lupoldum secundum.Margaritam F. Marchioni Brandeburgẽsi collocauit: Catharinam cœnobio inclusit. Extant eius foris domiq; præclara gesta.Lazius lib.3.rerum Viennensium.Hinc Phyretarum Comitatus Austriæ accessit.Hic castrum Berchtolsdorff condidit, quatuorque genuit nobilissimos Principes. Cuspinianus.

[redacted]

BERNARDVS Hildesheimẽsis episcopus , dux Brunsuicẽsis, nunquã animũ ecclesiasticæ disciplinæ adiecit : utpote qui haberet in animo,coniugalẽ amplecti uitã. Dimisso episcopatu, duxit speciosissimã puellam Mechthildem,comitis de Schovuenborg filiã , & Ernesto sponsæ fratri tradidit sponsam spiritualem. Sed non diu superuixit. Crãzius lib.II. Metropoleos,capite 45. & 49.

GERARDVS,Gerardi Holsatię Comitis in Stormaria Fassequutus est Lubecensem præpositurã cum ordine sacro.Sed quũ fratres eius defecissent,per apostolicã dispensationem, ut stirps propagaretur , accepta uxore filios reliquit. Cranzius lib.8.Saxoniæ,cap.37.

Henricus Crassus , comes Stadensis , ex uxore filium sustulit HENRICVM,qui in choro Hildesheimensi canonicus, ad sacros ordines peruenit. Defunctis parẽtibus & fratribus, quum solus superesset , hæreditatem adiit paternam. Vxorem duxit Hildegardam , Apostolica forte interueniente dispensatione:quam si pro temporum simplicitate & insolito ritu inductus, fortè neglexit, eleemosynis tamen postea largissimè redemit. Nam tempore primi Libentij arcem demolitus,conuentum ibi clericorum instituit,& censibus locum ditauit.Ter se captiuum ecclesiæ constituens,auro, prędiis & ornamentis,quasi de manu uictoris se redemit: quæ omnia donauit instituto fratrum conuentui. Cranzius lib. 6.Metropol.cap.24.

RELIGIOSÆ CONIVNCTIONIS, Compaternitatis.

Ex Tit. Diuortij huc quædam, quatenus propter Spiritualem Cognationem separatio fit.

Deusdedit I. põtifex sub Heraclio constituit, ne PATRINVS patrinam,aut filius patrini puellam, è sacro fonte à patre leuatam,ducere in uxorẽ posset. Platina, & Cranzius libro secundo,Metropoleos.

NICEPHORVS Phocas Imp.creatus,cum Theophania Romani Iunioris uidua nuptias celebraturus , quòd ferebatur cõpater fuisse in sancto lauacro liberorũ Theophaniæ, à Patriarcha Polyeucto æde sacra prohibitus fuit, nisi diuortiũ celebraret cũ Theophania. Re ad sacerdotes primores ac maiores natu delata, legem hãc, utpote à Constantino Copronymo impuriss. latam, nihil momenti habere dixerunt, adeoq; omnes unà concessionem,scriptis expressam, Imperatori præbuerunt. Sed Patriarcha flecti non potuit,quoad principis pater Cæsar Bardas(hac enim dignitate filius patrem adepto regno cõdecorarat) iuramentum interposuit, Nicephorum nunquam compatrẽ extitisse liberorum Theophaniæ,sed auum maternũ Basilij & Constantini , filiorum Romani Imp.Stilianum , huius rumoris auctorẽ fuisse, qui has libenter dirupisset nuptias. Ex Zonara Cuspinianus.

VLADISLAVS Iagello Polonorum rex tertiam uxorem duxit Elizabethã Pileciam , Othonis Palatini Sendomiriensis F. sororẽ suam spiritualem , utpote à cuius matre ipse, cùm unà cum regno baptisma susciperet, de fonte sacro susceptus fuerat.Cromerus lib.18.

AETATIS. CONIVGES ÆTATE
Pares.

Vladislaus Boemiæ & Hungariæ rex, Ludouico F. & Annæ F. nuptiás quærens , Viennam ad Maximilianum I. Cæsarem profectus est cum liberis & Sigismundo rege Poloniæ. Cæsar petebat,ut nepotibus suis ex Philippo F. Carolo aut Ferdinando, Anna desponsaretur,& uicissim Ludouicus stipularetur,se neptem Cæsaris Mariam in matrimonium ductu-rum. At cùm Anna proximè ad maturitatem accedere uideretur , de ea liberum Cæsari uterque frater fecit, ut eam uel sibi copularet, uel alterutri nepotum destinaret. Tum Cæsar, Viuam, inquit, adhuc memoriam Friderici Cæsaris parentis teneo, dicere soliti : Si quis honesta ratione senem uita priuare uelit,obtrudat ei puellam iuuenem: id enim senibus præsens esse uenenum. Quo dicto ego monitus, ualde seniliter desiperem , si sciens uolensque periculum mortis adirem : dein uehementer in puellam peccarem , si breui moriturus uiduam relinquerem , non statim post Cæsarem maritum alium inuenturam. Proin consilium placet, quod puellis dedit ille qui cecinit , Si qua uoles aptè nubere, nube pari : optimè enim iuueni cum iuuene conuenit. Annam ergo Viennæ retinuit , ut simul cum nepte Maria in eodem gynæceo educaretur,sermonemque Germanum perdisceret , donec ambo adolescerent , sponsus & sponsa. Dubrauius lib.32.

Dispares. Senex & Iuuenis.

ERGINVS, Minyarũ rex, iam senex, liberorum cupiditate adolescentulam duxit uxorem. Pausanias in Bœoticis.

Hercules uxorem suam Megaram IOLAO nuptui dedit annos tunc nato sexdecim, illam iam quatuor & triginta. Plutarchus Sermone amatorio.

DEMETRIVS Poliorcetes duxit uxorem Athenis Eurydicen ex nobili Miltiadis familia. Duxit & alias alibi, & in his PHILAM, Antipatri regis Macedonum filiam, Crateri (quem præ omnibus Alexandri successoribus Macedones maximi fecerãt)uxorem, per quam est illi postea Macedonum fauor conciliatus. Ad huius nuptias quum uix compelli posset, quia in multum iam ætatis prouecta esset mulier, insusurrauit pater Antigonus Euripidion illud:

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον. (ἀλλοδύτῶν, inquit ille) id est, Vbi affulserit lucrum, ibi uerò uel præter naturam ducenda uxor. Duabus igitur ille uxoribus uno tempore deditus, scortorumq; cœtibus immersus , adeò in omnes uoluptates præceps abiit, ut omnium opinione incontinentissimus ducum eius ætatis haberetur. Sab.lib.7.En.4.

CLEOMBROTVS pugil uxorem uetulam morosissimã duxerat. De qua sic Lucillius in 2. Græcorum Epig. εἰς ἀγωνιστάς:

Πύκτης ὢν κατέλυσε Κλεόμβροτος· εἶτα γαμήσας,
ἔνδον ἔχει πληγὰς Ἴσθμια καὶ Νέμεα,
γραῦν μαχίμην, τύπτουσαν Ὀλύμπια, καὶ πρὸς ἑαυτοῦ
μᾶλλον ἰδεῖν φρίσσων, ἢ ποτὲ τὸ στάδιον.
εἰ γὰρ ἀναπνεύσῃ, δέρεται, πᾶς παντὸς ἀγῶνος
πληγὰς ὡς ἀπόδῳ· κἂν ἀποδῷ, δέρεται.

CATO Censorius senex iam, & princeps in repub. uxorem sibi postulauit uiduus , Salonij cuiusdam clientis sui filiam. Irrideri se Salonius est suspicatus , quòd uir tantus affinitatem secum uellet iungere. Duxit uir senex adolescentulam, diues inopem, clarus obscuram, princeps uilem : ea tamen (ut est apud D. Hieronymum) contumaciter se in maritum gessit, minusque obsequentem se indies illi præbuit. Ita uir ille, qui quicquid siue in senatu, siue in foro , siue ad populum diceret, oraculi loco accipiebatur, tantæ ciuitatis facilè sapientissimus , & cui domi & foris , in bello , in pace, in otio, in negotio parem non haberet ætas illa, domi auctoritate carebat apud rudem & imprudẽtem puellam, tenuem, humilem , honoratam tamen , & ferè principem matronarum, mariti causa. Lud. Viues de Officio mariti, ex Plutarchi Catone.

PHILINVS quidam iuuenis uetulã, uetulus iuuenculã uxorẽ duxit. De eo sic Leonides in 2. Græcorum Epigr. εἰς γραίας:

Γρηῢν ἔγημε Φιλῖνος, ὅτ' ἦν νέος ἡνίκ' ἐφήβους,
δυσχείμερ. πειφὶν δ' ὥρας ἡδέποτε.
καὶ γὰρ ἄπαις δήμαινε τότε, στέργων ἐν ἀνάγκῃ·
νῦν δ' ἑτέρους γάμους, ἀμφοτέρων στέρεται.

MOSCHVS quidam, mortua uetula diuite, iuuenculam duxit. De eo sic in 2. Epigram. εἰς γραίας:

Τὴν γραῦν ἐκπερμαίους, Φρασίμως πάνυ μέγα ἔγημε
πλείονος· ἡ φρενὸς δ' ἔνδον ἔμεινεν ὅλη.
ἄξιον αἰνῆσαι Μόσχου φρένας, ὃς μόνος εἶδε
καὶ τίνα δεῖ κινεῖν, καὶ τίνα κληρονομεῖν.

ANDRONICVS Comnenus Annã , Imperatoris Alexij Porphyrogeniti ab se interfecti sponsam, (quæ & Agnes), regis Francorum Ludouici Pij F. matrimonio sibi iungit : nihil uerecundatus effœtus & uietus senex, sobrini uxorem adolescentulam, roseam & tenellam, nondum annos XI natam, per nefas amplecti. Nicetas.

ATILA orbis terror, ex Italia reuersus , dum Sicambriæ in regia sua uitam degens, non expectato Valentiniani responso de Honoriæ sororis connubio , filiam regis Bactrianorũ Mycoltham nomine uxorem duxit, uirginem omnibus corporis dotibus illustrem, cunctisq; aliis feminis pulcriorem. In cuius nuptiis regali apparatu celebratis, quum solito largius se uino ingurgitasset , nocte insequenti illam comprimens, uenereis rebus plus æquo dedit operam: & quũ sanguis in uniuerso corpore efferbuisset, eiusdẽ profluuio , dũ altiore tenetur somno, suffocatus est, an. Domini (ut Chronicon testatur Hungaricum) quadringentesimo quadragesimo quinto. Nicolaus Olahus in Atila cap.16. & Bonfinius.

OTHOCARVS Boëmiæ rex Margaritam, quæ Henrico Friderici II. Imp. F. nupserat, iam auum, propter Austriæ ducatũ, qui ad illam morte fratris Friderici peruenerat , in uxorem duxit: sed pòst illi Cunegundin Moscham superinduxit. Bõfinius lib.2. Decad.2.

LEONORA Cominæa uetula, Gastoni II. Comiti Foisseio iuueni nupserat. Admirantibus quibusdam, Ignorantia hęc fatalis est, respondit. Quòd si Foisseio me nupturam sperassem , natiuitatis certè tempus distulissem. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

Quum PHILIPPO Vicecomiti, post interfectum fratrẽ Ioan. Mariam , paternum imperium repetenti, pecunia deesset , à Beatrice Tenda, uxore Facini Canis, celeriter impetratur, propositis cum nouo principe nuptiis , quas ipse Facinus in extremo uitæ actu suasisse ferebatur. Nec eas abnuit Philippus, quanquam ætate fortunaq; impares. Itaq; leuis mulier intempestiuæ libidinis, & maioris imperij auida, uix detersis lacrymis, inauspicati coniugij thorum subiit , quatérque centena millia aureorum numum dotis nomine dinumerauit. Iouius in Philippo.

Quum anno 1513 decessisset Anna regina, summæ religionis & castimoniæ mulier: cœlibi LVDOVICO XII. Gallię regi, supra solenne pacis ac amicitiæ fœdus, Maria Hẽrici VIII. regis Angliæ soror, eximiæ uenustatis uirgo, desponsa est. Qua in Galliam perducta, Ludouicus incredibili sumtu , & mira ludorum uarietate nuptias celebrauit. Sed dum ætatis & ualetudinis, quæ ei tum erat tenuissima, penè oblitus, intemperantius (ut ferunt) procreandis liberis operam daret, concepta edaci febricula non multos post dies interiit , anno 1515. Iouius in Leone X. lib.3.

EMMANVEL Portugalliæ rex, mortua Maria, ex qua octo liberos susceperat , iam quinquagenarius, à Carolo Imperatore petiit, ut Leonoram sororem, excellenti pulcritudine & probitate feminam, sibi desponderet. Atqui prius ille, ut Ioanni filio collocaretur, enixè operam dederat , & ea de causa Petrum Goueanum in Germaniam ad Maximilianum Imperatorem legauerat : tunc uerò sic immutatus fuerat, ut eam uxorem ducere, quàm filio in matrimonium collocare mallet. Quæ res apud multos, in uarias reprehensiones incurrit. Ergo cùm Carolus in Hispaniam , ut regni hæreditatem cerneret, è Gallia Belgica ueniret , ad illum Aluarum Costam , qui regio cubiculo præerat , legatum misit. Nuptiæ pactæ sunt, dos etiam à Carolo dicta , ab Emmanuele sponsæ munera ingentia constituta : festi dies acti, & matrimonij fœdus Cæsaraugustæ, ubi tunc Carolus considebat, summa omnium lætitia & gratulatione celebratum. Fuit tamen necesse , cùm esset cum Carolo & Leonora & sanguinis propinquitate , & affinitate multis rationibus implicatus, & ea de causa per Pontificias sanctiones nuptiæ coniungi minimè possent , ut Pont. Maximi benignitate legibus soluerentur. Osorius lib.11. rerum Em.

STATVRÆ.

Ephori apud Lacedæmonios multam dixerunt regi ARCHIDAMO , qui uxorem breui corpore duxisset, unde qui nascerẽtur , regiam personam ac dignitatem non satis honore corporis tueri ac sustinere possent. Viues de Officio mariti.

FORMÆ. VXORES DVCTÆ
Deformes.

Antipatro , qui Imperatori Seuero ab epistolis erat , auidius affectante filiam (quæ fuerat ei forma haud sanè conspicua) HERMOCRATI in matrimonium tradere, non censuit is arripiendam felicitatem eiusmodi : imò nuptiarum conciliatrice instante acrius , ac uiri potentiam memorante : Doti, inquit, magnæ non seruiam, neque soceri superbiæ. Quum uerò etiam iuncti sanguine nuptias eas suaderent, non cessit prius , quàm Imperatoris Seueri auctoritas accessit. Scitante ex eo familiariũ quodã , Quando esset ana calypteria (sic dicebantur munera, quæ sponsus sponsæ tribuebat, cùm se primùm uidendã præbuisset) præbiturus: urbanè inquit Hermocrates, Imò uerò encalypteria , posteaquàm ita deformem sum ducturus. Eam tamen paulò post dimisit, quòd neq; oculis foret grata, nec moribus commoda. Cælius ex Philostrato, lib.21. cap.26. A.L.

PARTVS. QVÆ GRAVIDÆ NVPSERE.

Patrem Claudij Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, LIVIA, cùm Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitq; suspicio, ex uitrico per adulterij consuetudinem procreatum. Statim certè uulgatus est uersus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. Suetonius.

OPVLENTIÆ. VXORES

Dotatæ.

Apud HETRVSCOS in coniunctione nuptiali dona & munuscula uirum ab uxore, uel contrà, accipere, legibus & scripto, [illegible] nefas existimantes, quos legitimus amor coniunxisset, donis uideri potius allici, quàm coniugali amore cōciliari. Alex. ab Alex. li 2. c. 5. ex Plut. quæst. Rom.

AEGYPTII adeò dotes auersati sunt, ut qui dotes acciperēt, uelut mancipia uxori addicerentur. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 8.

INDI ubiq; ferè dotis lenocinium abigunt. Cælius lib. 18. cap. 31. Antiq. Lect.

Solon ATHENIENSIVM cōiugiis dotes detraxit, spōsamque pter tres stolas & supellectilē parui precij afferre quicquam uetuit. Neq; enim meritorium aut uenale uolebat fœdus esse nuptiarum, sed liberorum causa, & gratiæ atq; amicitiæ, uirum & mulierem consociari. Plut. in Solone.

Lycurgus sponsas SPARTANAS uiris dotes dare legibus uetuit. Itaq; accusatus & damnatus est is, qui Lysandri defuncti filiam (cui uiuente patre coniugium promiserat) ducere noluit, eo quòd Lysander post mortem pauper repertus esset. Aelian. lib. 6. de Var. hist. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Populum Romanum tradūt Caij Fabricij, & Cn. Scipionis, ac Manij Curij FILIAS, quòd ob tenuē rem familiarē pro natalibus nubere non possent, de publico dotasse: sicut Athenienses Aristidis filias ob modicas facultates, ære collato, connubio locaunt. Alex. lib. 4. cap. 3.

Velpus iunior, frater Henrici Leonis, qui habuit patrem Velpum seniorem, & matrem filiam Magni ducis Saxoniæ, reliquit Bauariam Henrico fratri, & concedens in Italiam, cōiugem accepit Mathildam Comitissam, potentem per Lombardiam feminam, non ducis Mediolani (ut somniant nonnulli) sed Egberti Marchionis Saxoniæ filiam, magis ob uirtutem & amplitudinem patrimonij, quod in Lombardia tenebat, quàm spe liberorum. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. 35.

Indotatæ.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Matrimonium arbitrio uiri initum, precio & emtione. Item Tit. Coitus nuptialis: quatenus prostitutione dotem comparare coguntur.*

VIRGO quædam Spartana paupercula, roganti quam spōso dotem esset allatura? Pudicitiam, inquit, à maioribus traditam. Plut. in Apoph. Lacænarum. Sic Horatius in Odis: Dos est magna parentium Virtus, & metuens alterius thori Certo fœdere castitas.

DIGNITATIS. DIGNITATE

Pares. Magni inter se.

Emmanuelis Lusitaniæ regis F. ISABELLA, quę postea Carolo V. Imperatori nupsit, fuit eximia pulcritudine, magnisq; uirtutibus ornata: ad maximi status amplitudinē semper aspirauit, adeò ut constantissimè affirmaret, se, nisi maximo Reipublicæ Christianę Principi, nulla cōditione nupturam. Osorius lib. 3. rerum Em.

Dispares. Magni cum Paruis.

Pleiades septem, Atlantis & Pleiones filiæ, Diis nupserunt. Sterope Marti, Neptuno Alcyone, Celeno Maia, Electra & Taygete Ioui. MEROPE sola Sisypho mortali nupsit. Eapropter mutatę in sidera, cū Orion uenator illas persequeretur, in dorsum Tauri trāslatæ, sex quidē illustres conspiciuntur,

Septima mortali Merope quia nupsit, idipsum
Pœnitet, & facti sola pudore latet,

inquit Ouid. lib. 4. Fastorum.

PHERON Sesostris F. Aegyptius rex, luminib. orbatus, cū circiter decenniū cæcitati remedia frustrà quæsisset, tandē oraculo monitus est, ut oculos mulieris urina lauaret, quæ aliū quàm uirum suum non agnouisset. Quamobrem à regina incipiens, per multas Aegyptias mulieres expertus, nullum remedium inuenit, nisi per olitoris cuiusdam uxoris urinā, quæ sola casta inuenta fuit. Quam etiam occisis reliquis omnibus in uxorem duxit. Herod. lib. 2.

FVR quidā thesauri regis Aegypti Rāpsiniti, ob astutiā suam, qua usus fuit tum in thesauro regio spoliando, tū in eludenda filia regis, cui fratris abscissam manū pro sua porrexit, & uitæ impunitate donatus, regis filiam uxorem accepit. Herodotus lib 2.

PSAMMETICHVS Aegypti rex, meretricem Rhodopē omniū formosissimā hoc casu uxorē duxit. Cùm aliquando lauaret, atq; uestimenta famulæ custodirēt, aquila deuolans alterū calceum abstulit, eumq; secū deportauit Memphim. In ea ciuitate cū fortè Psammetichus rex iudiciū exerceret, aquila in eius sinū calceū iniecit. Psammetichus miratus pulcritudinē calcei, & concinnitatē, & auis factū, mandauit, ut per uniuersam Aegyptū quęreretur femina, cuius is calceus esset: eamq; inuentā in matrimoniū duxit. Ael. l. 13. Var. hist.

ASPASIA Hermotimi Phocensis pauperis filia, propter pudicitiam & formam primùm à Cyro, deinde à fratre eius Artaxerxe in uxorem accepta fuit. Aelian. lib. 12. Var. hist.

ANTIOCHVS Magnus cognomento, quē debellarunt Romani, uelut narrat Polybius lib. 20. cùm in Chalcidē Eubœę peruenisset, nuptias cōtraxit, quāuis ageret annū quinquagesimū, duoq; maximè egregia facinora perpetrasset, Græcos scilicet in libertatē uindicasset, bellumq; contra Romanos absoluisset. Eo enim tēpore, quo bellum gerebat, cùm uirginē Chalcidicā adamasset, eam sibi nubere studuit, cùm uini esset bibax, ebrietatiq; deditus. Erat aūt ea filia Cleoptolemi, unius uirorū illustriū, quæ cæteras oēs pulcritudine antecellebat. Cùm nuptias igitur fecisset in Chalcide, ibi hyemem absumsit, nulla rerum instantium cura habita. Imposuit ipsi præterea puellæ nomen Eubœam. Bello uictus, cum noua nupta aufugit Ephesum. Athen. lib. 10. cap. 12.

HERMOCRATES Antiparri filiam duxit. Vide paulo antè, Vxores formosæ ductæ.

VIDVA Alexij Græcorum Imp. nupsit exoleto cuidam Grisoni, postea dicto Emmanueli, repudiata omni procerū nobilitate. Sab. lib. 7. Dec. 1.

Constantinus Imp. ROMANO filio suo Anastasiam puellam sordidi generis (ex cauponibus enim nata putabatur) sed forma præditā elegantissima, ac naturæ miraculum quoddam, dedit uxorē, cuius nomen in Theophanonem est mutatum. Zonaras tomo 3.

ANDRONICVS uiduus nō ausus regias ambire nuptias, q è secūda uxore Imperij successores non procreaturus esset, Irenē Marchionissam, regis Hispaniæ neptē, bonus bonam nō genere minus quā moribus, uxorē duxit. Pachymerius.

EDOVARDVS IV. Anglorum rex, Ricardum Varuici comitem in Gallias legauit, qui puellam, nomine Bonā, Carlotæ reginæ Franciæ sororem, ac Ludouici ducis Sabaudiensium filiam, sibi in uxorē peteret. Dum Comes in Galliā profectus, de noua affinitate agit, Edouardus mutato repentè consilio, Elizabetham, Ricardi Riuerij comitis filiam, quæ olim nupta fuerat Ioanni Graio equiti, in matrimoniū duxit, omnibus non modò necessariis principibus, uerumetiā Ricardo patre mulieris ignaro. Et hinc initium profectum est simultatis postea ortæ inter Edouardum & Vatuicēsem. Polydorus lib. 24.

CATHARINA, Caroli VI. Gallorum regis F. Henrici V. Anglorum regis uxor, Henrici VI. mater, mortuo uiro, cùm id ætatis puella esset, ut minus sciret animo decernere, quid deceret, occultè nupsit cuidā Ouino Tyderio, homini Vuallo, nobili genere, ac multis uirtutibus mirabili, qui genus suum ad Cadouālladrum ultimum Britannorum regem referebat, ex quo genuit tres filios mares, Edmundū, Gasparem, & tertium, monachum Benedictinum. Henricus VI. rex Edmundum Richemundiæ, & Gasparem Penbruchi comites fecit, quòd ex matre Catharina sibi fratres essent. Ouinus uerò post Catharinæ mortem, iussu ducis Glocestrensis, bis in carcerem coniectus est, quòd ausus fuisset per Catharinæ puellæ connubium miscere sanguinem suum cum regum stirpe nobilissima, & ad ultimum securi percussus. Edmundus ex Margarita filia Ioannis ducis Somerseti sustulit filium nomine Henricum, qui regnum adeptus, septimus Henricus est dictus. Polyd. lib. 13.

COMIOLA Toringa, diues uidua, Rolandum Petri regis Siciliæ fratrem spuriū è carceribus liberauit, & pro marito suscepit. Vide paulo antè, Sponsi repudiati.

PETRVS Aragonum rex XI. Maria Nauarrea & Leonora Castellana uxorib. mortuis, & liberis inde susceptis, iam seniò cōfectus, amore cuiusdā uiduæ perditus, hominis admodū pauperis filiæ, quæ Sybilla Forciana uocabatur, propterea qp in oppido Forcia in Ampuriarum prouincia nata fuerat, eā duxit uxorē (quæ filiam ei peperit unicā Isabellā) eidémque omnibus in rebus indulgens, à se multos ob res malè gestas alienauit, & Ioannem filium primogenitum abdicare conatus est, nisi nobiles populique reclamassent. Ampuriarum Comitem, generum suum, multis bonis & honoribus priuauit: ac Ioannam filiam, pro Comite marito suo intercedentem, Barcinonę coram plurimis nobilibus aperta manu percussit in faciem. Quæ domum suam reuertens, paucis diebus obiit ex mœrore. Marineus libro undecimo rerum Hispanicarum.

MARCHIO Saluciarum ut nobilium & potentum fastidia fugeret, porcariam puellam, quam in syluis uenationi dans operam repererat, matrimonio sibi coniunxit: cuius uita omnes illustres feminas inferiores se fore monstrauit. Aeneas Syl. lib. 1. Epist. 45.

VLA-

VLADISLAVS Iagello, Poloniæ rex, tertiam uxorem duxit Elizabetham Pileciam Othonis Palatini Sendomiriensis F. uiduam prouectæ ætatis. Quæ uirgo propter magnitudinem dotis à Morauo quodam rapta, eiq; aliquanto pòst ab alio quodam Morauo erepta, & interfecto priori raptore, loco iustæ uxoris habita, ad extremum Vincentio Granouio Castellano Naclensi nupserat. Siue autem intempestiuo amore & consuetudine eius mulieris captus, siue philtris etiam & magicis artibus dementatus Vladislaus, eo se tam impari matrimonio implicauit, magnam certè nomini suo infamiam non modò apud suos, uerùm etiam apud exteros aspersit: ita, ut concilium quoq; Constantiense ea fama, traducentibus Cruciferis, impleret. Huc accessit, quòd Christianorum institutis incestum id erat coniugium, cùm illa regi in loco sororis esset, propterea quòd is à matre eius de sacro fonte leuatus erat. Sed instante rege, concilium legitimas esse iussit eas nuptias. Cromerus lib. 18.

[redacted]

Petrus Medices, eiectus Florentia, & tempestate demum submersus in ostio Liris, filium habuit Laurentium. Is in matrimonium duxit è familia Bolanica Gallam, ex eaq; suscepit Catharinam, quæ Clementis VII. opera HENRICO, Francisci I. Gallorum regis filio, Massiliæ nupsit, anno Sal. 1533. Quin ad status Italiæ mutationem hæc affinitas pertineret, nemo ferè dubitabat, & mirabantur pleriq; disparitatem coniugij: sed & Clementem subdubitasse, neq; prius credidisse ferunt rem agi seriò, quàm in complexus illi uenissent. Filius eius nothus Alexander, Caroli V. Cæsaris filia notha in uxorem ducta, Florētinorum consecutus est principatū. Sleidanus lib. 9. & 10. Ea affinitas, uti ambitiosus expetita, Caroli V. Cæsaris animum uehementer commouit, uariósque inter homines sermones excitauit. Nam quanquā Henrico materna oppida in Aruernis, atq; item centum millia aureorum numûm cum unionibus multisq; gemmis & preciosa thori supellectile, coniugalis mundi nomine affluenter accessissent, nihil tamen exæquari uidebatur nonnullis dotem simul, & nouæ nuptæ natales obliquo sermone eleuantibus, qui Pontificem maximè suspectum Cæsarianis reddere contendebant. Vnde & illud falsè dictum Philippi Strozzę legati apud regem in uulgus emanarat, qui Regiis quæstoribus, quum illis repræsentata dotis pecunia solueretur, admodum exiguam eam dotem esse pro regiæ domus fortuna dictitantibus responderat, se plurimùm mirari, quòd ea dignitate homines, nequaquam arcani regij participes uiderentur, postquàm nescirent, Pontificem insigni chirographo tres inæstimabilis precij gemmas, quarum insana cupiditate maximi reges deflagrarent, in supplementa dotalia promisisse. Illis uerò læto uultu, quæ nam essent, requirentibus, quòd è sacra tiara detractas iri putarent, arridens subiūxerat, apud peritos rerum eas fore Genuam, Mediolanum, atq; Neapolim. Quæ res, sicuti risum mouere potuit, ita & mox apud Cæsarianos subamaræ suspicionis aculeos reliquit. Iouius lib. 31. Hist.

NOBILITATIS, GENERIS. CONIVGES Nobilitate

Pares.

M. CATO Censorius uxorem nobiliorem quàm opulentiorem duxit: existimans æquè utrasq; esse elatas & superciliosas, uerùm turpitudinis rubore obsequentiores uiris ad honesta generosas. Plut. in Catone.

Dispares.

FABIA, Fabij Ambusti F. Licinio Stoloni illustri quidem uiro, sed plebeio, nupta. Sab. lib. 2. Ennead. 4.

Heliæ Protospatharij VXOR, cuius opera Iustiniani II. Imp. exercitus ad Philippicum defecerat, ab ipso Iustiniano Constantinopoli occupata, & interfectis Helię filiis in sinu matris coquo Indo per ignominiam nubere coacta fuit. Cusp.

VDALRICVS, Boemorum dux, qui Polonos Boëmia eiecit, reuersus ex uenatione, uidisse narratur puellam in uilla quadam, iuxta puteum uestimenta lauantem, nomine Bozzenam (quod Beatricem interpretantur) elegantem forma & morib. Captus eius specie & alloquio, quāuis amici aduersarentur, coniugem accepit. Bizetislaus ex ea natus. Aeneus Syluius in histor. Boëm.

ALBERTVS, Ernesti F. Bauarię dux puellam balnei custodem tam perditè amauit, ut eam quoq; iustæ uxoris loco habiturus fuerit, nisi pater id metuens eam in Danubio mergendam curasset. Cùm diu uitam mœrens exegisset, tandem lu- [redacted] laborans, sepositis cæteris curis, [redacted] cantibus ac sonis [redacted] ni operam dedit. Aen. Syl. cap. 41. Europæ.

De hospite quodam meo Louanij, natione Phrysio, sæpe audiui, inquit Viues, quum narraret mihi, fuisse in sua ciuitate VIRVM genere & diuitiis facilè primum, qui ratus facilem se ac iucundam acturum uitam, si uxorem accepisset multo inferiorem, quàm ipse esset: duxit pauperem, ignobilem & forma minus, ut in gente illa, quàm mediocri: sunt enim in illis regionibus formosissima hominum corpora. Hæc tamen sordidè atq; imprudenter sub sordidis parentibus instituta, munia omnia domestica auersabatur, etiam mariti tuniculas uel attingere, uel aspicere dedignans. Ea mortua, pertæsus morum spurcæ ac turpis educationis, parem sibi adiunxit, adolescentulam bene natam, diuitem, & insigni forma faciei. Hæc non secus marito ministrauit, quàm si emta in domū uenisset, non coacta, non fictè: sed libens & alacris, bona fide: illa maritū induere, illa exuere, calciare, excalciare, extergere, mūdare: & in frequenti familia neminē patiebatur curare, quę ad mariti corpus pertinerēt, pręter se unam: illa uestes resarcire solita, lauare, complicare, componere, & reliqua animo agere promto ac lætissimo, quæ famulæ interdum grauarentur. L. Viues de officio Mariti.

LIBERTATIS, SERVITVTIS.

Si quis ISRAELITARVM seruam aliquam ducere in animo haberet, eam in domum suam introducebat, ipsa caput suū tondebat, ungues secabat, uestem seruilem exuebat, & domi manens, menstrua die suos parentes plorabat. Ita demū cum ea congressus, eam sibi maritare poterat. Quòd si eius tædio affectus esset, eam sui iuris liberam dimittere cogebatur. Deuteron. 21.

Lex Iulia apud ROM. quamuis libertinarum coniugia priori constitutione admiserit, tamen postea eadem lex libertinas senatorio uiro admisceri graui pœna interdixit. Alexander libro 4. capite 22.

Claudius Cæsar adeò liberarum MVLIERVM, quæ seruis nubunt, cōiugium odio prosequutus fuit, ut præter legem ingenuitatis, præterq; instituta maiorum, filios inde genitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuraq; libertinorum nancisci, & ingenuitatem amittere, lege sanciuerit. Alexander lib. 4. cap. 22.

Vespasianus Imp. auctor senatui fuit sanciendæ legis, ut MVLIER, quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Sabellicus lib. 3. Enneadis 7.

Apud DANOS lege Frothonis III. regis libertas data mulieribus amplissima nubendi. Sed si libera seruum duxisset, mariti conditionem sequi cogebatur. Saxo lib. 5.

Apud HOLSATOS lex fuit, ut nobilis nobilē, liber liberam, seruus seruam duceret, & secus faciens uitam amitteret. Ioannes Petersius in Chronico Holsatiæ.

Licet TVRCIS quatuor simul habere uxores de sua cognatione, ne ea deficiat, & cum illis facere diuortium bis terq;, ac earum loco alias ducere, uel priores recipere: emtitias uerò & captiuas tot habere, quot libuerit, easq; ipsas uendere: excepto, quòd, si qua grauida à domino facta fuerit, illam nō amplius seruitute obligari. Polyd. l. 7. de Rer. inuēt.

Solymannus, Imp. Turcarum, ROSSAM seruam in matrimonium duxit, miris eius technis & illecebris demētatus. Cùm enim Rossa constituisset templum cum Xenodochio in honorē Dei & Mahometi extruere: sed, quòd serua esset, à Mupieto sacerdote prohiberetur: cibo potuq; abstinere, sortemq; suam detestari cepit. Solymannus incredibili amore eam prosequens diplomate misso liberam esse uoluit, iussit & eam, quæ pellex eius hactenus fuerat, coniugem suam dixit. Ascanius Centorius lib. 6. com. bellorum Transylu.

GRADVS COGNATIONIS & AFFINITATIS

In genere.

Moses moderaturus nuptiis ISRAELITARVM statuit, ne quisque primo uel altero cognationis gradu propinquam duceret uxorem, ut ipsa necessitudo libidine concumbendi non turparetur, quam ethnici eo modo inquinabant.

Sic natura HOMINVM comparatum est, ut quod quisq; plus amet, hoc magis suum esse uelit, & quidem totū suum, nec

cum aliis communicari. Itaq; non diu tulit natura promiscuos rerum usus. Quia tamen amicitiarum ac bonorum ratio dissimilis est, quòd hæc minuuntur, quando pluribus communicantur: amicitia uerò quasi lumen eo magis lucet, quo plures ea fruuntur: propterea fratres sororibus, parentes liberis matrimonio iūgi natura uetuit, uel potius lex omniū gentium communis, ut domestica societas in ciuilem, & amicitia, quæ iisdem tectis concludebatur, in finitimos omnes longè lateq; propagaretur: quemadmodum scribit Augustinus, [redacted]

Solonis legibus sancitum est, ut orbæ puellæ qui sunt genere proximi apud ATHENIENSES, nubāt, utq; si maritus ad rationem uenercam minus potēs foret, mariti propinquus illius uxorem nanciscatur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

Apud ROMANOS licet cum affinibus, cum quibus summa erat necessitudo, coniugalem inire copulam esset lege uetitū, ea de causa, ut nouos affines agnationibus familiarum, multasq; propinquitates & clientelas mutuis affinitatibus sibi asciscerēt cognationis iure (teste Plut. in quæst. Rom.) tamen cum sobrinis aut defunctæ uxoris sorore, uel mortui fratris uxore copulari non uetabatur. Ex descendētibus uerò ad neptes usq;, coniugia Romani uetuere, id quod etiam plebiscito cautum fuit. Alex. lib. 1. cap. 24.

Fabianus Pp. teste Gratiano, præter illos duos gradus, primū & secundum per Mosen prohibitos, primus tertio & quarto nostris interdixit, quo deinceps nemini fas esset, mulierē affinitate coniunctam citra quintum gradum uinculo sibi coniugali sociare, propterea quòd est nescio quid naturalis uerecundiæ nobis innatum, quò facilè abhorreamus ab eiusmodi propinquorum colligatione, corporum commiscendorum causa. At Iulius deinde, ut populo Christiano arctiores paulatim morū limites poneret, prohibuit, ne usque ad septimum gradum matrimonia contraherent: quod & D. Gregorius comprobauit. Ad extremum uerò quum istiusmodi patrum seueritas efficeret, ut in sua iam quisq; ciuitate minus cōnubium sibi inueniret, cogereturq; per hoc aut à finitimis petere, aut illis dare, unde hæreditas sæpenumero distraheretur: Innocentius III. Fabiani decretum iam pridem antiquatum reuocans, statuit, ut cunctis dein in perpetuum liceret eas in matrimonium ducere, quæ neq; cognationis, neque affinitatis gradu primo, altero, tertio & quarto ipsos attingerent: quod hodie seruatur. Extat id decretum in libro Decretalium epist. 4. cap. non debet. Polyd. lib. 5. cap. 5. de Inuent.

Apud BRASILIENSES neq; filias parentibus, neq; sorores fratribus collocari licet: reliquas mulieres sine ullo discrimine sibi matrimonio coniungunt: quas offensione interposita deserunt. In adulterio autem deprehensas uel occidunt, uel tanquam seruas uendunt. Osorius lib. 2. rerum Em.

Pater, Filiæ.

Apud nonnullas Indorum gētes, ARABAS, PERSAS, MAVROSQVE, qui iuxta Bactrianos sunt, ac MAGOS & BABYLONIOS (quorum hoc institutum fuit: cum quibus Chrysippus sentire uisus est) filiis matres ducere uxores, & cum parentibus stupro coire, atq; ex eis sobolem gignere passim licuit, idq; etiam coniugium nullis fuit legibus uetitum. Alex. lib. 1. cap. 24.

ARTAXERXES Persarum rex Atossam atq; Amestrim filias, iustarum uxorum loco habuit. Alex. lib. 1. cap. 24.

Nouercæ, Priuigni.

ANTIOCHVS, Seleuci Babyloniæ & Asiæ regis F. Stratonicen nouercam solenni patris consensu duxit: conciliatione Erasistrati: medici, qui uidebat eū ex amore Stratonices extremè laborare. Plut. in Demetrio, & Sab. lib. 7. En. 4. & Val. Max. lib. 5. cap. 7. qui à quibusdam hoc non Erasistrato, sed Leptini mathematico tribui testatur.

ANTONINVS Caracalla Imp. præter instituta maiorum, nouercam Iuliam uxorem duxit; nuptiasq; incesto primus polluit: causatus principi, quodcunq; liberet, impunè licere. Alexan. lib. 1. cap. 24.

CADVALDVS rex Cantuariorū, Edelberti F. qui primus Ecclesiæ in Anglia hospitium dederat, nouercam suam uxorē duxit. Eoq; scelere occasionem dedit suis subditis ad gentilium superstitiones redeundi. Beda Ecclesiast. histor. lib. 2. capite 5. & 6.

Fratres, Sorores.

Iam inde à principio orbis, cœpere FRATRES & SORORES inter se matrimonio iungi, quum non haberent remotiorē propinquitatē, cum qua copularentur. Vnde cōtigit, ut Adamus unus homo, simul pater, simul socer esset: & Eua eius uxor similiter utriq; liberorū sexui & mater & socrus. Durauit usq; eò hæc apud Hebræos cōiugij ratio, dū paulatim charitas effecit, ut homines, quib. cordi esset cōcordia, diuersarū necessitudinū uinculis necterētur, ne unus in una multas haberet, sed singulæ diffunderētur in singulos, ac sic ad societatē uitæ studiosius conciliandā, plurimæ necessitudines plurimos cōplecterentur. Hinc ad consobrinas & neptes, ad aliasq; minus propinquas transitum est. Polydorus lib. 5. cap. 1. de Inuent.

SATVRNVS Aegyptius (Chamesenuus & Chamus in sacris) sororem Rheam duxit in uxorē, ex qua Osiridem & Isidem genuisse dicitur. Diod. lib. 1. cap. 2.

AEGYPTII præter communem cæterorum hominum morem lege sanxêre, fas esse sororem à fratre uxorem capi: exemplo Isidis reginæ de ipsis optimè meritę moti, quæ fratri Osiridi nupsisset. Diod. lib. 1. cap. 2.

CAMBYSES Persarum rex, duas sorores, cùm desiderium ferre non posset, & DARIVS Statyram iisdem genitam parentibus, connubio sibi deuinxere. Herodotus.

Aristophanis interpres ATHENIENSIVM legibus permis[redacted] Miltiadis F. ducta sorore Elpini [redacted] grauiores auctores reclamāt.

H[redacted], Cariæ rex, tres habuit filios, [redacted] Idryeum, [redacted] filias duas: è quibus Artemisia [redacted]

AE [redacted] contraxit. Polyænus libro 8. [redacted]

PT [redacted]

PT [redacted] filia, fratris coniugio [redacted]

MO [redacted] religionem I[redacted] plex[redacted]iq.

Patrui, Auunculi, Nepotes, Neptes.

ABRAHAMVS Saram ex Aramo fratre neptem in matrimonium duxit: sic IACOBVS Liam & Rachel filias Labanis auūculi: sic alij alias, teste August. de Ciuit. Dei, lib. 11. Nēpe ne propaginum ordinibus se sensim dirimens cōsanguinitas longius abiret, & propinquitas esse desineret, nondum procul locatā rursum matrimonij uinculo colligare, & quodāmodo reuocare fugientē studebant, quòd per id in una familia uel tribu opes in perpetuū remanerēt. Ac ideo de suo genere uirorū & feminarum paria iungi uoluit Moses in libro Num. dicens, Omnes uiri ducāt uxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadē tribu maritos accipiāt, ut hæreditas permaneat in familiis. Polyd. lib. 5. c. 5. de Inuent.

IOSEPHVS, Iudæorum princeps, Solymij fratris filiam in uxorem duxit, & ex ea Hircanum II. progenuit. Iosephus lib. 12. cap. 4. Antiq.

Fratris filiam ducere uxorem apud GRÆCOS licuit. Namq; ALEXANDRIDES sororis filiam sponsam duxit: ex qua Doryeum, Leonidē, & Cleombrotum genuit. Quod succedenti æuo à Nerua fuit seuera constitutione inhibitū. Alex.

Plutarchus in quæst. Romanis olim necessarias ducere prohibitum fuisse ROM. scribit, quo ad lex est lata, licere uel patruum uel auunculum fratris sororisue filiam ducere: propter uirum quendam bonum & acceptum popularibus, tenui censu, qui fratris sui filiam nubilem & dotatam ipse sibi in matrimonium acceperat, reusque eiusce criminis factus, pro concione absolutus est, lege ibidem lata, & magno consensu approbata.

CLAVDIVS Cæsar, illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filię, per ius osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornauit proximo Senatu, qui censerent cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset: dandamq; cæteris ueniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac uix uno interposito die, confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit. Suetonius.

DOMITIANVS Imp. fratris Titi filiam Iuliam, adhuc uirginē, oblatā sibi uxorē, cùm deuinctus Domitiæ nuptiis pertinacissimè recusasset, alteri collocatā corrupit, etiam uiuo patre. Mox patre ac marito orbatā ardentissimè dilexit, coēgitq; abortum facere, ex quo uidua periit. Cuspin.

Patrueles, Consobrini.

Apud ROM. sobrini filiam uxorem ducere nullæ leges uetuere. P. SCIPIO enim Nasica Africani maiorem filiam, nullo prohibente iure, sibi desponsauit; quod alij frequentes factitarunt. Alex. lib. 1. cap. 24.

M. BRVTVS Porciam sobrinā nulla prohibente lege desponsauit. Alex. lib. 1. cap. 24.

HERACLIVS Imp. nuptias cum consobrinis lege confirmauit. Cuspinianus in Heraclio.

Consan-

Consanguinei, Cognati reliqui.

Maugerius Rothomagi archiepiscopus, GVLIELMVM Angliæ regem, cum coniuge Mathilde, ab Ecclesiæ consortio remouit: quòd in matrimonio contrahendo nulla sanguinis habita esset ratio. Erant enim genere propinqui. Polydorus libro nono hist. Angl.

Indulgentia Romani Pp. Paschalis II. BOLESLAVS Polonię rex Michaelis Kiouiensium principis filiam uxorem duxit, ne propter intercedentem cognationem incestæ eæ essent nuptiæ. Cromerus lib. 5.

OTHO IV. Philippi æmuli sui Bambergæ cæsi filiam, suasu principum, quamuis consanguineam, indulgentia Pontificis in uxorem duxit, CCCL arces cū prædiis suis in dotem afferente. Cranzius lib. 7. Saxoniæ, cap. 31.

FERDINAMDVS II. Aragonius, rex Neapolitanus, recuperato regno, ut res suas arctiore cū Hispaniæ rege Ferdinando uinculo stabiliret, uxorem, impetrata à Pontifice Alexandro VI. uenia, amitam suam Ioannam, aui sui & Ioannæ eiusdem regis sororis filiā, duxit. Guicciardinus lib. 2. & Bembus libro tertio Historiarum.

IOANNES dux Magnopolensis, circa an. sal. 1416. coniugem accepit Catharinam, germanam sororem Erici ducis inferioris Saxoniæ, se tertio consanguinitatis gradu contingentem. Quocirca diu subiectus fuit excommunicationi, Demum Martini V. dispensatione coniugem retinuit. Crāzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 25.

Affines.

ISRAELITIS legē hanc diuino iussu Moses dedit: Si fratrum contubernalium alter mortuus fuerit sine liberis, defuncti uxor alieno ne nubito. Leuir cum eo conuenito, eamq; in matrimonium leuiri iure ducito: quemq; illa primogenitū ediderit, is in defuncti fratris nomen concedito, ne illius nomen ex Israelitis deleatur. Quod si homo nolit suam glossem ducere, glos in curiā ad senatores se recipito, & demonstrato leuirum suum nolle suo ipsius fratri nomen in Israelitis suscitare: id est, nolle se leuiri iure ducere. Tū ciues illius senatores eū euocanto, atq; alloquuntor: qui si præsens negauerit se uelle eam ducere, tū glos ad eū accedito, in præsentia senatorū, eiq; calceū de pede detrahito, & eius faciē conspuito, ita dicens: Sic fit homini, qui fratris sui domum sobole non instruit. Atq; illius apud Israelitas eiusmodi nomen esto, ut eius domus dicatur Discalceati. Deut. 25.

BOOZVS, Elimelechi gētilis, in matrimoniū duxit Rutham consanguineam. Ruth cap. 3. & 4.

Est ex quadam honestate à Gregorio, & post eum ab Alexandro III. statutum, ne sponsam fratris relictam, FRATER in matrimonio haberet, ne Hebræorum uideretur imitatio, apud quos ut frater fratris sine liberis mortui uxorem duceret, sobolis suscipiendæ atq; perpetuandæ causa fas erat. Polyd. lib. 5. cap. 5. de Inuent.

ATALVS Asiæ rex, cùm falsus rumor increbuisset, Eumenem fratrem morte sublatum esse, protinus illius coniugem unà cum regno sibi uendicauit. At Eumene superstite, uxorē illi simul & regnum restituit. Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 4.

CÆCILIVS Metellus, uxore defuncta, illius sororem desponsam tulit.

M. CRASSVS ex defuncti fratris uxore filios propagauit. Plutarchus in Crasso.

GRIMOALDVS, dux Bauariæ, fratris sui defuncti uxorem duxit. Auentinus libro 3. Annalium.

EMMANVEL Lusitanię rex, Isabellā. Ferdinandi Hispanię regis F. in puerperio amiserat, Michaele F. biennio pòst mortuo. Ferdinandus ergo & Isabella, ut noua affinitate sibi Emmanuelem deuincirent, filiam suam Mariam illi collocare studebant. Sed quia matrimonium, propter affinitatem in matrimonio Isabelæ contractam, per Pontificij iuris sanctiones iungi minimè licebat, à Pont. Max. postularunt, ut eos solueret legibus, ne religione aliqua posset impediri cōiunctio, quæ tam multas utilitates erat omnibus Hispaniæ regnis allatura. Hac impetrata à Rom. Pont. facultate, nuptiæ celebratæ sunt. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

HENRICVS IIX. Anglorum rex Pontificis permissu in uxorem duxit Catharinam, Ferdinandi Hispaniæ regis F. Arthuri fratris uiduam. Sed eam post Thomæ Volsæi Vintoniensis episcopi instinctu repudiauit. Polydorus lib. 27.

PATRIÆ

Eiusdem.

Conanus rex Armoricorū ex Britannia, unde fuerāt profecti, feminas quæsiuit. Missi Legati obtinuere, ut Britonum, qui Armoricæ incolendæ causa ad Maximianum trāsmiserant, filiæ, sorores, uxores, neptesq;, cum Vrsula, Dionethi regis filia, quā Conanus ad connubium petebat, in Galliam trajicerēt. Vrsula cœnobio addicta, extracta, ui nauim conscendere est coacta, ne Dionethi regis propago deficeret: nam Othilia Maximiani coniunx, altera Dionethi filia, absq; liberis dudum fatis concesserat. Cæterùm aduerso flatu quum in Armoricam tenderent, in Rheni ostia non sine uitæ discrimine peruenere. Vbi feminæ in continentem expositę, quoniam maris sæuitiam perferre nequiuerant, in Armoricam terrestri itinere profecturæ, seu Romam (ut alij scribunt, Vrsula uidelicet, cum multis uirginibus sodalibus suis, connubia illa religionis causa auersante, & propterea profectionē in Armoricam deuitante) ab Hunnis, Atila duce, apud Coloniam Agrippinā pudicitiam tueri conatæ, ad unam sunt omnes interfectæ. H. Boëthius lib. 7.

Diuersæ. Inter Peregrinos.

RVTHA Moabitis peregrina Boozi opulentissimi dignata coniugio. Ruth cap. 3. & 4.

LEONIDAS rex Spartanus, ex alienigena muliere contra legem (quæ uetat Heraclidem ex muliere alienigena tollere) liberis susceptis, regno pulsus à Lysandro Ephoro, substituto ei Cleombroto genero Leonidæ & stirpis regiæ. Plutarchus in Agide.

ALEXANDER Macedo deuictis Parthis Roxanem barbarā duxit uxorem. Plutarchus in eius uita.

PICTI Septentrionales populi in Albionem insulam delati, agri partem occupauere, Scotorum ex Hibernia deductæ coloniæ finitimi, anno ab O.C. 4860. Cæterùm quòd mulieribus carerent, à Scotis connubia petierunt, & impetrarunt. Quam affinitatē cùm Britanni suis rebus minimè commodam fore iudicarent, quibuscunque rationibus poterant labefactare sunt conati. Hector Boëthius lib. 1.

PETRVS Medices, cùm Laurentio filio Claricem ex Vrsina familia Romæ æquè clara ac potēte uxorem dedisset, uisus aut odisse suos, aut aspernari, quos parum dignos sua necessitudine & affinitate censuisset, inter alias & hanc occasionem inimicis dedit contra se coniurandi. Brutus libro secundo historiæ Flor.

CIVITATIS.

Nuptias olim non iure contractas existimabant, quæ non aut inter ciuem ROMANVM ciuemque Romanam susciperentur, aut quibus princeps populusue ciuitatem uel connubium non permisisset. Quo nomine ita concepti & nati, in patrum nequaquam potestate censebantur, matresq; sequebantur potius: quoniam cum eo nuptias inire non cauissent, cum quo connubij ius foret nullum. Hinc lectum in historia quandoq; est, Ius Quiritium feminis esse impertitum, hoc est Romanam ciuitatem permissam: Iusq; connubij, ut ex matrimonio eiusmodi editi, haberentur legitimi ciues Romani. Cælius lib. 8. cap. 22.

TRIBVS.

ISRAELITÆ cùm in duodecim tribus diuisi essent, Dominus præcepit, ut omnis filia hæres instituta, ex quacunque Israelitarum tribuum, suo arbitratu nuberet, modò alicui tribuli suo, ne hæreditates ex aliis in alias tribus transirent, neque de hæreditatis sorte, quæ in prima terræ sanctæ diuisione cuilibet tribui obtigisset, aliquid detraheretur. Occasio huius legis orta propter filias Salphaadi Manassitę, quas cùm patri succedere Moses iussisset, & illæ aliarum tribuum adolescentibus nubere uellent, gentiles earum ob hāc rem conquesti sunt, decessurum aliquid suo patrimonio affirmantes. Numerorum 36.

Beniamitarum nuptias ISRAELITÆ sacramento interposito fugerunt. Iud. 21.

FAMILIÆ.

HERACLIDÆ ex alienigena muliere liberos tollere prohibiti lege antiqua apud Lacedæmonios. Plutarchus in Agide.

PARENTVM.

DEMAGETVS Rhodius, Ialysi rex, cùm Pythiam interrogasset, unde esset potissimùm uxor ducenda: respondit, Eius qui uir esset Græcorum optimus filiam ut duceret. Aristomenis igitur Messenij, uiri ea tēpestate fortissimi, filiam, natu minimam, uxorem adsciuit, patrem longè esse optimum Græcorum eius ætatis omnium statuens. Pausanias in Messenicis.

QVOMODO. MATRIMONIA CONTRACTA VEL

Electione libera.

Consule Tit. Priuilegiorum & Iuris in matrimonio eligendo.

INDORVM uirgines quum esse nubiles ceperint, in publicum à parentibus producuntur. Accurrente (ut assolet) multitudine, libera illis datur optio, è iuuenum turba uirum sibi seligendi, quem uirtute aliqua insigniter pręstantem putent. Cælius libro 18. cap. 31. A.L.

Theodosio II. Imp. mortuo, & nulla uirili prole ab eo relicta, PVLCERIA soror, ipsius uiuētis uoluntatē iudiciumq; sequuta, senatu ipso consentiente, Marcianū ad Imperiū euexit, atque eidem mox se coniugio copulauit, pacta prius ca-

stitatis

stitatis perpetuæ custodiam. Sigonius lib.13. Imperij occid.

Frotho III. Danorum rex, arbitrariâ FEMINIS nubendi potestatem indulsit, ne qua tori coactio fieret. Itaque lege cauit, ut eis in matrimonium cederent, quibus inconsulto patre nupsissent. Maribus quoq; quamcunq; primitus cognouissent, ducendi legem inflixit. Saxo lib.5.

Callias Atheniensis, uir clariss. & summus Pisistratis hostis, FILIABVS tribus, posteaquam nubiles extitere, hoc magnificentissimum munus est gratificatus: ut, quem sibi una quæque uellet ex omnibus Atheniensibus, ceu sponsum deligeret. Herodotus lib.6.

TARQVINIA Vestalis cùm propter donatum pop. Rom. fundum, campo Martio uicinum, ius nubendi plebiscito cõsecuta esset, eo tamen uti noluit. Plut. in Publicola.

Authari Longobardorum rege ueneno sublato: duces uniuersi cõ decurrerunt, ut THEODELINDA regina, Garibaldi Baioariorum regis F. in imperio permaneret, & quem ipsa sibi maritum è Ducibus Longobardis optasset, ille regiam potestatem teneret. Illa Agonem, siue Agilulfum, Taurinatium Ducem, Authari propinquitate coniunctum elegit, atque eum pro imperio mox sibi præstò esse ad Laumellum oppidum iussit. Affuit Agilulfus cõsilij reginæ prorsus ignarus. Theodelinda nobile coniuuiũ apparauit. Ibi, cùm procedẽte cœna sumto poculo uini partem hausisset, reliquam patrio more propinans præsenti Agilulfo porrexit. Cùm autem Agilulfus accepto poculo reginæ dextrã uenerabundus cuperet osculari, tum illa non sine rubore aliquo renidens. Atqui te, Agilulphe, inquit, non manum, sed os suauiari oportet: ego namq; te in thori communionem elegi. Sigon. lib.11. regni Italici.

Arioaldo, rege Longobardorũ, sine uirili stirpe mortuo, Longobardi comitia creãdo regi habuerunt, ac GVNDEBERGÆ reginæ Autharis filiæ mariti regisq; optionem, ut antè, Theodelindæ matri dederunt. Illa Rotharim, Harodum genere, legit, cæteris uirtutibus illo loco dignissimum, uerum hæresi Ariana infectum. Sigon. lib.2. regni Ital.

INVITATIONE, OBLATIONE Matrimonij facta à *Sponsa*.

Valentiniano Imperatori soror erat HONORIA. Quæ clàm fratre, misso nuncio, ATILAM ex Italia redeuntem, Hunnorum regem, orat, se ducere uxorem. Atilæ licet gratum esset id uictori, maximi tamen tum laboris esse, tum etiam dedecoris arbitratus est, exercitum suum iam ab Italia amotum, & tot itineribus lassum, & qui Pannoniæ iam propior esset quàm Italiæ, unius mulierculæ amore reducere. Itaque misso legato ad Valentinianum, Honoriam sororem cum Imperij parte sibi deposcit: quod ni faceret, reuersurum se mox in Italiam, & illum uniuerso imperio priuaturum, sororeq; ui potiturum minatur. Sed domum reuersus neque Valentiniani responsum expectans, Mycolrham, Bactrianorum regis F. duxit, & priori nuptiarum nocte periit. Nic. Olahus in Atila.

Socero.

Tib. Gracchus, Gracchi F. simul atque ex pueris excessit, adeò fuit celebris, ut in collegium augurũ uirtutis magis quàm nobilitatis nomine fuerit cooptatus. Ostendit id APPIVS Claudius uir consularis & censorius & princeps senatus, multoq; æquales suos prudentia antecellens. Nam in cœna augurali Tiberium comiter appellans, nuptias ipse ei obtulit filiæ. Quam conditionem cùm ille accepisset lætè, mox factis sponsaliis domum Appius ad se ingressus uocauit à limine uxorem, altaq; uoce clamãs: Claudiam nostram, inquit, ô Antistia, uiro despondi. Illa obstupescens: Quid festinato aut properato, inquit, opus erat: an Tiberium Gracchum ei sponsum inuenisti? Alij ad patrẽ hoc Gracchorum Tiberium & Scipionem referunt Africanum, qui Tiberio patri Corneliam desponderit. Verùm plerisq; scriptores, & Polybius, post Scipionis Africani fata necessarios eius aiunt, omnib. prælato Tiberio, collocasse Corneliam, ut à parente nulli elocatam uel pactam. Plut. in Gracchis.

Beremundus, Thurismũdi filius, ex Amalorum familia natus, ex Scythia in Galliam ad regem Vesigothorum Theodericum, Valliæ successorem, cõtenderat, atq; ab eo honorificè exceptus, filium Vitericum reliquerat, ex quo EVTHARICVS erat natus. In quo mira ætatis, prudentiæ, ac pulchritudinis species elucebat. Quod ubi Theodericus, Ostrogothorum rex, in Italia audiit, magnopere lætatus eum ad se uocauit, ac iuuenis indole captus, generum sibi asciuit, Amalasuenta filia in matrimonium collocata. Eidemq; pòst detulit consulatum. Ad quem ille insignibus omnib. regiæ magnificentiæ muneribus illustrandum se præparauit. Anastasius uerò, Imperator orientis, ut gratiam à Theoderico iniret, eundem tunica palmata donauit, ac per arma filium adoptauit. Sigonius lib.16. Imp. occid.

Turonensium, Cenomanensium & Andegauensium comes, FVLCO, sexagenarius ferè, dispositis rebus domesticis, ad terram Sanctam religionis ergò iter parabat. Sed dum hoc molitur, Balduini II. Hierosolymitani regis legati, superueniunt, regis filiam natu maximam ipsi matrimonio iungendam offerunt, dotem ei promittunt successionem in regno, si regi superuixisset: interim Tyro & Ptolemaide urbibus cõtentus esset. Tyrius.

In FRANCISCO Foscaro, qui postea dux Venetorum fuit, summum uirtutis specimẽ, summa indoles, ingenij; uis eluxit. Non multo antè Foscara familia reuocata ab exilio erat, in quo natus fuerat Fracisci Foscarus, re familiari non admodum grandi. Is cùm adolescẽs Riuoaltum de ciuitatis more ad mensam Priulam, quæ tunc celeberrima in urbe habebatur, frequens adiret, eum incuitus Nicolaus Priulus mensæ præfectus, totiusq; oris specimen admiratus, fermonemq; cum eo frequentiorem conferens, non dubitauit eius animum attentare, an de uxore ducenda quandoq; cogitaret. Cæterùm quum ille respondisset, nec rem sibi ampliorem esse, nec eam ætatem, quæ satis esse uideretur uxori ducendæ, liberisq; gignendis: posthremò conditionem illi obtulit, sese illi suã filiam daturũ. Quod ille admiratus, illudiq; sibi suspicans: Vtinã, inquit, dignus essem tanta cognationis amplitudine, quę me & reliquam familiam in primis honestaret. Atqui non multis pòst diebus, amicis affinitusque aduocatis, totiusq; rei consilio patefacto, filiam Francisco despõdit, superaddita dote pro tempore satis ampla. Ex qua affinitate celebrior mox factus, ad summum inde dignitatis gradum euectus est. Egnatius lib.3. cap.1.

Subditis.

Venceslaum IV. Boëmorũ regem, an. 1300. POLONI in regem elegere, hac conditione, si Elizabetham (Rixam aliis dictam) filiam Premislai Regis unicam regni hæredem, uxorem duceret. Itaque Gnesnæ à Iacobo Archiepiscopo Rex Poloniæ inauguratus, unctusq; & coronatus est. Ac inde cõtinuò Posnaniam deflectens, lautissimas cum regia puella nuptias consummauit. Dubranius lib.18.

SORTE.

Hermippus narrat in legumlatoribus, quòd obscurum est domicilium LACEDÆMONE: in quo puellæ omnes conducebantur, unà adolescentibus etiam uxorem non habentibus inclusis: atq; quam quisq; cepisset, hanc sine dote abducebat. Idcirco in Lysandrum animaduerterunt, quia prima relicta, alteram formosiorem ducere uoluit. Athen. li.13.ca.

EMPTIONE, VSV, CONVENTIONE in manum.

Apud INDOS pari boum sponsas mercari permittitur, qui quum in plures diuidantur ordines, unius tribus uiro alterius sumere non licet. Alex. lib.4. cap.3.

VALENTINIANVS III. Imp. ætatis annum 19 natus, cùm Eudoxiam Theodosij II. Imp. Orientis filiam sibi dari uxorem postulasset, facilè cedendo parte Illyrici impetrauit, teste Cassiodoro, Sponsalia magna lætitia Thessalonicæ sunt celebrata. Sigonius lib.12. Imp. occid.

Vandali Siuardo Danorũ rege uicto, filium eius Iarmericum prælio captum, cum gemina sorore abduxere: & quoniam apud ueteres uenalia fuêre cõiugia, magno precio alteram Noruagiensium duci uiro primario uendidere, alteram Germano cuidã. Valet hodie ea (ut ferũt) cõsuetudo in DHIETMARSIS, gente palustri, ad exitum Albis fluminis, ut nuptui tradant filias indotatas, sponso quantum inter eos cõuenit annumerante aut pendẽte iis, qui puellam in potestate habuerunt. Cranzius lib.1. Vandaliæ, cap.13.

VI, ARMIS.

CONSTANTIVS, cui iam ab Honorio Imp. promissa erat Placidia soror, si eam liberaret, Alarico primùm, indeAtaulpho regibus nuptam, cum Gothis congressus, cum insigni armatorum copia Hispanias penetrauit. Cui Vallia Gothorum rex occurrit non minori apparatu. Sed missis ultrò citroq; legatis ita conuenere, ut Placidia soror Imperatoris redderetur, &, ubi exigeret, auxilia subministrarẽt Romanę Reip. Sed & ultrò Vallia se socium obtulit belli ad Vandalos ex Hispania deiiciendos. Placidia Constantio nupsit, Rauennæ factæ sunt nuptiæ, & Cæsar ac cõsors imperij ab Honorio factus, Valentinianum dehinc genuit, qui pòst imperauit, & Honoriam filiam. Cuspinianus.

Berengarius II. mortuo Lothario rege, Veronæ rex à populo acclamatus, Adeleidæ Lotharij uiduæ (quæ dotis nomine Papiã possidebat) cõiugium Adelberto filio regi popposcit. Mulier, siue antiquo odio propter iniurias socero maritoq; suo illatas impulsa, siue spe honestiorum nuptiarum elata, eam conditionem repudiauit. Berẽgarius ira inflammatus, exercitu Papiam adducto urbem expugnauit: ac reginam in potestatem adductam in castro Gardæ ad lacum Benacum diligenti custodiæ tradidit. Illa Martini sacerdotis sui ope ex arce profugit, atque illo uno cum pedissequa comitante, nauiculam nacta, silentio noctis ad syluam quandam

dam accessit: ubi cùm per aliquot dies maneret, necessitate adacta uictum per Martinum ipsum cæteris destituta subsidiis coriogauit. Demum in agrũ Regiẽsem profecta, ipsam se Adelardo episcopo cõmendauit: is ad Athonem auunculum suum, qui arcẽ Canusium obtinebat, eam deduxit. Berengarius eam sibi tradi præcepit. Eo nerõ imperium abnuente, Canusium magna ui obsidere instituit. Athõ ex Adeleidæ auctoritate OTHONEM Germaniæ regem euocauit, qui Canusio liberato, Adeleidẽ sibi matrimonio copulauit, perfectisq; magna pompa sponsallibus, Papiam in potestatem redactam unà cum regina triumphantis in modum iniuit. Berengarius belli fortunam perpessus, cùm se haudquaquam Conrado Othonis genero, Lotharingiæ duci, quẽ ad persequendũ bellum in Italia reliquerat, uiribus parem sentiret, arma, deposuit, atq; ad Othonem cõtendit: In conuẽtu principũ Augustæ nexis cũ Adelberto filio manibus, cuncto inspectãte exercitu, regiæ se potestati clementiæq; permisit. Receptis in fidẽ Otho regnum reliquit, marchia Veronensi & Foroiulienſi excepta, quas Henrico fratri Bauariæ Duci attribuisse se dixit. Sigonius lib.6. regni Ital.

CERTAMINE.

Consule Titulum Rivalium, quatenus pro Sponsis certatur.

ANTÆVS Iraſſæorum rex filiã habuit forma præstantẽ. Eam nemini, nisi qui curſu reliquos anteuerteret, uxorẽ daturum testatus est: imitatus Danaum Argiuorũ regem, qui octo & quadraginta filias uno die nõ dissimilẽ ad modũ elocauit. Pindarus Ode 9. Pythiorum. Quæ consuetudo sic elocandi filias tunc usitata fuit: quemadmodum & in primo Olympiorum hymno de Polydamia filia OENOMAI Eleorum regis docet Pindarus.

RAPTV.

Vide Titulum Raptorum.

Sabinarũ raptarũ à ROM. numerus inter auctores discrepat: quidã non ultra triginta fuisse tradunt, quæ curiis nomina dederẽ: nonulli quinquentas, plerique; septẽ & uiginti, ut Valerio Antiate: alij sexcẽtas & tres supra octoginta. Alex. l.5. c.26.

MAGIA.

PHANIAS, Portarij Hierosolymitani principis seruus, magicis arcibus conciliauit sibi herilem filiã in uxorẽ, se diabolis mancipiũ interponens: quamuis postea à D. Basilio & conuersus ad Christum, & à Satanę potestate restituto chirographo, liberatus sit. Marul. lib.2. cap.12.

MAHOMETVS pseudopropheta, Abdemonapli mercatore hero suo sine liberis defuncto, uiduã ipsius Ismaelitici generis Gardigenã uel Eadigã, quinquagenariã (à qua educatus erat & nutritus) locupletẽ admodũ uxorẽ duxit, iuuenis potens pollentq; carmine, nam magicæ uanitati plurimũ erat deditus. Atq; hæc illũ sibi, incantationibus pellecta, maritũ delegit. Defuncta cõiuge, hęres institutus, & opibus auctus, auctoritate magna quotidie creuit, & legẽ nouã cõdere cũ suo magistro Sergio ac sociis quibusdã Iudæis, potissimùm quodã Baheira cepit, partim ab Hebræis, partim à Christianis quædã mutuando: uoluminecq; quodam sectæ illius nouę leges omnes conscripsit, cui nomẽ est Alcoranus. Cuspinian. ex Paulo Diac. lib.18. & Vincentio lib.22. & Zonara.

QVA OCCASIONE.

Virtutis in genere.

ABIGAIL mortuo marito Nabale, à Dauide rege, licet exulẽ, in matrimonium fuit accepta, prudentię & uenustatis ergò. Vide Tit. Vitæ suæ prudenter consulere.

MEGACLES Atheniensis, Alcmæonis F. solus ex omnib. procis dignus fuit iudicatus, cui Clisthenes Sicyoniorũ tyrannus filiam suam Agaristiam desponderet. Herod. lib.6.

TIBERIVS Gracchus, Gracchorum pater, censor Romæ cùm fuisset, & bis consul, duosq; reportasset triũphos, dignitatẽ quæsiuit ex uirtute maiorem. Nam habitus dignus est, ut P. Scipionis, qui Annibalem debellauit, nulla coniunctus necessitudine, imò alienus ab eo, filiam Corneliam in matrimonium acciperet pòst illius obitum. Plut. in Gracchis.

C. MARIVS ex prætura Hispaniæ ulterioris ad negotia urbana reuersus, neq; diuitiis, neq; eloquẽtia, quibus illius temporis principes trahebant populum, est subnixus. Cæterùm quia minaces eius spiritus, indefatigati labores, uita popularis grata ad plebem erant: honoribus prouectus est ad opes, ut splendidas nuptias conciliaret, atq; ex nobili Cæsarum domo Iuliam duceret uxorem, amitam Cæsaris, qui Romanorum pòst potentissimus fuit, Mariumq; ex necessitudine est æmulatus aliquatenus. Plut. in Mario.

OTHO Vrseolus, Petri Vrseoliducis Venetorum optimi optimus F. patri in ducatu suffectus, uirtutum suarum splendore Getiam Pannonię regem ita mouit, ut filiam ei suam nuptũ locaret. Petrus Marcellus.

NIGRA Patauina, ex antiqua Nigrorũ familia sola superstes, cùm esset dote amplissima, & optio ei foret, quẽ potissimum iuuenum uel ex omni Pat. nobilitate, uel alicũde sibi in maritum eligeret: elegit Antonium Obicium, illustrem uirum. Lucâ Etruriæ urbe oriundum, Florentinorum legatum: quĩ in equestribus ludis, Patauij tùm fortè celebratis, dum ibi concurreret, ultra cæteros ei ob singularum uirtutem, & eximiam formæ præstantiam, mirè placuisse perhibetur. Ex hac muliere orta est postea præclara Obiciorum Pat. familia, in hũcque diem Patauij & uiris equestris ordinis, & opibus ualde insignis, & Patauij omnium fere locupletissima. Bern. Scard. lib.3: hist. Pat.

Sapientiæ.

Pharao rex IOSEPHO propter somnij interpretationem Potipharæ Heliopolitani pontificis filiã in matrimoniũ collocauit, ex qua ille suscepit Manassem & Ephraim. Gen. 41.

Fortitudinis.

DAVID ducenta præputia Palæstinorum à se cæsorum regi Saulo dotis nomine pro filia Michol, quam uxorem ducturus erat, obtulit. 1. Reg. 18. At Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 11. sex centa capita Palæstinorum eum reportasse inquit.

OTHONIELI ob fortitudinem bellicam Axa Calebi filia data est in matrimonium.

ALCATHOVS, Pelopis F. ob interfectum leonem Cithæronium, qui Euippum, Megari regis Megarensium F. occiderat, Megarei filiam obtinuit. Paulanias in Atticis.

Nuptiarum honos CARMANIS & SAVROMATIS. Vide Tit. Fortitudinis cuiuscũq; præmia & honores.

Cocchus Salimbenius, Magni Sforziæ uxoris Antoniæ frater, iampridem Sena patria eiectus, uigente ibi popularium factione, quĩ nouæ affinitatis præsidio res suas dignitatẽmque tueri & confirmare percuperet, unum præcipuè SFORTIAM, inter multos sororis procos, uti bellica uirtute insignem, opulentis & imbellibus anteponẽdum censuit. Quo consilio transtulit & Clusij ditionem in ipsum Sforziam, tabulis ritè confectis, ut Senensibus antiquo iure eam urbem & agrum repetentibus armatus & acer defensor opponeretur. Iouius in uita Sforziæ.

Protectionis, Defensionis.

MOSI exuli Aegyptio, quia filias suas septem in pecore adaquando contra iniuriam pastorum defenderat, filiam suam Sephoram in matrimoniũ dedit Iethro Madianitanus pontifex. Exodi secundo.

Edgarus, Ethlig D. Eduardi regis Anglorum nepos, cùm occupato à Gulielmo Normanno Angliæ regno, uideret se omni spe adipiscendi deinceps regni destitutum, cum matre Agatha, & Margarita atque Christiana sororibus, in Hungariam ad auum redire constituit. Sed aduersus uentorum flatibus rãdem in Fortheam æstuariũ Scotiæ delatus est, in eũ sinum, qui & hac nostra memoria D. Margaritæ dicitur. Malcolmus Scotorum rex, haud immemor, quòd ab Eduardo regno restitutus fuisset, humanissimè eos suscepit, & Margaritam in uxorem duxit. H. Boëthius lib.12.

Pacis.

Consule Locum Inimicitiæ per matrimonia & nuptias dissolutæ.

Fridericus I. Imp. pòst pacem cum Gulielmo Siciliæ rege conciliatam, animum quoque ad iungendam affinitatem adiecit, atque ab eo CONSTANTIAM uxorem HENRICO filio postulauit. Hæc erat Rogerij regis aui eius filia, quæ, Gulielmo sine prole moriente, regnum secum erat Siciliæ adductura. Hanc igitur Gulielmus, postquam ipse de filiis ex Ioanna uxore suscipiendis desperauit, haud grauatè iam grandiorem natu Henrico regi despondit, eumq; in spem regni pòst excessum suum obtinendi erexit. Itaque cùm esset magno comitatu in Lombardiam anno 1186. adducta, Fridericus eam Mediolãi excepit, ac sexto Kalendas Februarias splendidissimo apparatu sponsalia in hortis sancti Ambrosij celebrauit. Sigonius lib.15. regni Italici, ex Godofredo Viterbiense, & Vrspergense.

Inter Alexandrum III. Scotorum & Magnum Norũegorum reges, de Hebridibus insulis certantes, pax facta his legibus: Magnus & Norũegorum primates omni se iure Hebridum abdicarent, ac pro eo Alexander quatuor marcarum millia argenti Norũego regi numeraret, & in singulos annos centum marcas argenti penderet. MARGARITA Alexandri filia, uixdum unum annum nata, HANGONANO Magni filio, in cunis adhuc uagienti, dum uterque ad maturam peruenisset ætatem, matrimonio iungeretur. Hector Boëthius libro 13.

Regni.

Matthias Hũniades à Ladislao Hũgariæ & Boëmiæ rege Viennæ in uinculis habebatur. Mortuo Ladislao Pragę, GEORGIVS Podiebradius Gubernator, ea hora, qua Rex emisit spiritũ, detracto ei anulo, literas Viennã ad Matthiam Hũniadẽ scripsit, ut eum sub spe libertatis assequẽdæ Pragam eliceret. Quippe hac conditione uinctus erat, nę liber fieret, nisi

nisi Rex ipse, manu sua ei oblata, liberũ pronunciaret. Eiusmodi illecebra iuuenis illectus, Pragam cum deductoribus uenit, ad nouam custodiam illum deducentibus, ex qua (ni si magno precio se redimeret) exeundi potestas non erat. Georgius habitis comitiis rex pronunciatus est. Et eodem ferè tempore Hungari Matthiam, opera Michaelis Zylagij auũculi Regem dixere. Georgius illum huius regi ignarũ, mentẽ suæ adhibet (ad quam præter uxorẽ & filiam Catharinã, formã elegantem, nemo aderat) crebroq; ad hilaritatem inuitans, tandem, Si quid ego, inquit, te adiuuero, & ab hac captiuitate liberauero, ita ut ad regnum Hungariæ cõscendas, ecquid erit præmij? Magnas, inquit, res magna præmia sequi decet. Interpellat Georgius: Nullius ego pecunię, inquit, sed amicitiæ potius & concordiæ per affinitatem tecum ineundæ cupidus sum. Proin si cordi est filia ista mea, hanc tibi desponsam mea matrisq; uoluntate habeas. Datæ inuicem dextrę, sponsaliaq; protinus iure legitimo confecta. Dubrauius lib. 30.

Diuitiarum. Propter Diuitias conciliata matrimonia.

M. TVL. Cicero, Terentia prætextũ perfidiæ erga maritum repudiata, uirginem duxit, ut exprobrauit ei Terentia, forma illius captus: ut Tiro memorię prodidit, Ciceronis libertus, quò illius facultatibus dissolueret creditum. Nam fuit puella locuples admodum, cuius patrimonium administrauit Cicero hæres fiduciarius institutus. Quòd uerò esset supra modum obæratus, amici & necessarij induxerunt eum, ut præter ætatem duceret hanc puellam, dimitteretq; eius pecunia creditores. Plut in Ciceronẽ.

TERTII DE QVANDO. TEMPVS NVPTIARVM.

In festis publicis nubere non erat fas uirgines ROMÆ, cùm tamen uiduæ tunc nuberent. Verum, ut Varro est auctor, quòd mœstæ nubant uirgines, mulieres lætæ: festo autem non liceat quicquam per mœstitiam agere, nec coacte? An potius quòd uirginibus honestum sit non paucis, uiduis turpe multis nubere præsentibus? Hinc primæ optabiles nuptiæ, odiosæ secundæ sunt. Erubescunt namque, suis uiris prioribus uiris elocent se aliis: si defunctis, lamentantur. Itaque silentio malunt, quàm cum tumultu deduci. Festa autem retrahunt uulgus, his ut uacare nequeant. An quòd, cùm Sabinorum natas, quæ uirgines erant, festo rapuissent, implicati fuerunt bello, pro inauspicato habuerunt, si filiæ diebus festis nuberent? Plut. in quæst. Rom.

ROMANI mense Maio nõ ducebãt uxores. Verum quòd interuenlat inter mensem Aprilem & Iunium: quorum hunc Iunoni, illum Veneri deabus coniugalibus sacrum rati, prętueniunt paulisper aut operiuntur? An quòd mense hoc maximam lustrationem obeant, ac tunc imagines de ponte in amnem præcipitent, ut quondam homines? Quapropter flaminicam, quæ sacerdos Iunonis habetur, solennè est tunc mœstitiam præ se ferre, nec lauare, nec comi. An quòd complures Latini hoc mense manibus dent inferias? Qua de causa Mercurium fortasse uenerantur hoc mense, & à Maia hic mutuatur nomen. An quod nonnulli ferũt, Maius à maiore, Iunius à iuniore ætate est dictus? Nuptiis autem congruentior iuuentus est. Non iungunt igitur mense Maio nuptias, sed expectant, qui eum consequitur, Iunium. Plutarchus in quæst. Rom.

AMICITIAE CONIVGALIS ΦΙΛΑΚΗ.

CONSTANS. HVC PERTINENT *Non repudiatæ uxores.*

FLAMINI Dialí Romæ dimittere uxorem liberum non erat. Primus ad cuiusdam postulationem Domitianus uenià dedit. Diffimebantur autem nuptiæ coràm pontificibus, qui multa horrẽda, mõstrosa, & dira peragebãt. Plut. in quæst. Rom.

ALPHONSVS X. Castellæ rex, habuit uxorem VIOLANTAM, Iacobi regis Aragonum filiam, quam plurimum dilexit. Sed cùm prolem ex ea nullam susciperet, repudiare eã cogitans, Christianam puellam forma conspicuam, Daciæ regis filiam, in matrimonium per oratores postulauit. Quæ dum maximo cùm comitatu nobilium iam Hispalim appliculsset, præter omnium spem repentè regina Violanta grauida apparuit. Rubore perfusus rex, quo pacto leuitatem suã tegeret, diu multumq; sollicitus cogitabat. Ergo frater regis Philippus, abbas Vallis solidæ, & de Caucis rubeis, ac electus ecclesiæ Hispalensis præsul, abiecto sacerdotio, obtulit se futurum maritum Christianæ. Quæ res cùm admodum grata Alphõso esset, in dotem Alnam, & Valdecornea, & alia castra ac dominia contulit. Ipse ex Violanta genuit Berenguelam filiam, Ferdinandũ de Lacerda, Sanctium IV. Ioannem, Iacobum, Petrum, & Leonoram. Cuspinianus.

Non derelicti mariti.

☞ *Vide Tit. Fides erga maritos.*

INCONSTANS. REPVDIVM. Diuortium.

QVOMODO FACTVM.

☞ *De modo consule Tomum Oeconomicum.*

A QVIBVS FACTVM. *Qui quas repudiarint.*

☞ *Exempla aliquot pete ex Tit. Impudicitiæ & adulterij pœna, Perfidiæ erga uxores, Pœna perfidiæ erga uxores, Pœnitentiæ denique religiosæ eorum, qui propter affinitatem uxores suas repudiarunt.*

Dauid rex in regnum restitutus, DECEM concubinas suas, quas Absalomus F. regno occupato Hierosolymis publicè constuprauerat, in custodiam dedit, easq; illic aluit, neque cum eis rem unquam habuit. 2. Regum 2.

IVDÆI è captiuitate Babylonica reuersi, cum gentibus uicinis affinitatem contraxerant. At Esdra primùm, deinde & Nehemia monentibus, alienigenas uxores cum filiis ex iis susceptis repudiarunt. 1. Esdræ 9. & 10. & 2. Esdræ 13.

ASSVERVS siue Artaxerxes Persarũ rex Vastim reginã, quã summopere diligebat, eo quòd accersita à rege comparere noluerat, repudiauit: & Esterẽ Iudæã superinduxit. Esteræ 1. cap. & Iosephus lib. 11. cap. 6. Antiq.

ARISTON, rex Spartiatarum, propter infœcunditatem uxorem repudiauit, superinducta ex pacto uxore Ageti: ex qua septimo mense Demaratum genuit. Herod. lib. 6.

PERICLES repudiata propinqua sua femina nobili, è qua liberos susceperat Xanthippum & Paralum, alterique locata, sed uolente, Aspasiam meretricẽ nobilem in uxorem duxit. Plutarchus.

Megarã Thebana HERCVLIS uxor fuit. Sed posteaquam iis, quos ex ea susceperat, filiis est orbatus, mulierem sibi ratus non satis faustis coniunctam auspiciis, dimisit. Pausanias in Phocicis.

PHILIPPVS Macedo repudiata ob stupri constuetudinem uxore Olympia, Cleopatram Attali sororem in uxorem duxit. Iustinus.

Sp. Carbilius, cognomento Ruga, M. Attilio, P. Val. Cos. uxorem suam primus apud Romanos repudiauit, quòd ex corporis ultio sterilis esset: cùm inter maritum & uxorem à cõdita Vrbe ad annum usq; uicesimum tertium & quingentesimum, nullum repudiũ fuisset. Causa repudij fuit, quòd iurisiurandi religionem animo atq; amori (quo uxorem propter suauissimos mores prosequebatur) præponebat. Namque iurare cẽsoribus coactus erat, uxorem se liberorũ quærẽdorum gratia habiturum Dionys. Halicar lib. 2. Val. Max. libro secundo, capite primo. Gell. libro quarto, cap. 3. Plut. in Comparatione Numæ & Lycurgi.

SVLPITIVS Gallus secundus à Carbilio repudij nuncium uxori misit, quòd eam in caput uestem deducere animaduertisset. Tertius id fecit P. SEMPRONIVS, quòd eius uxor ludos funebres spectasset. Plut. in quæst. Rom.

L. PAVLVS Aemilius cũ uxore Papyria, Massonis uel Mnasonis uiri consularis F. diuortium fecit (incertum qua causa: neque enim illam, calceo ostenso amicis, prodere uoluit) ex qua tamen duos filios tulerat, quorum unus à maiore est Aphricano adoptatus, ut Plutarchus scribit in eius uita, alter à Fabio Maximo quinquies cõsule. Filias adhæc duas, quarum una M. Catonis filio, altera Aelio Tuberoni nupsit, uiro singulari uirtute, inopia insigni, ut XVI uiri ex Aeliorum gente cum coniugibus & liberis unas ædes, easq; permodicas colerent. Sab. lib. 8. En. 5.

ROMANVS quispiam nunciũ uxori remiserat. Hîc corripientibus eum amicis, quærentibusq;: Nõnne casta, nõnne formosa, nõnne fœcunda est? prolato calceo: Nõnne ornatus est hic, inquit, nõnne nouitius? At nemo uider uestrũm, ubi pedem meum urgeat. Plut. in Aemilio.

L. LVCVLLVS post Mithridaticum triumphum Clodia repudiata, quæ super alia probra cum P. Clodio fratre incestum commisisse ferebatur, Seruiliam Catonis sororem sibi matrimonio iunxit. Cum hac quoq; diuortium fecit, ob ipsius intemperiem. Sab. lib. 4. En. 6.

L. SYLLA dictator, postquam rerum potitus est, decimam bonorum omnium Herculi persoluit, epulumq; sumtuosissimè instructum dedit populo, conuiuatusq; est plures dies lautissimè: quo tempore Metellæ è uita migraturæ, ne domum funestaret, amicorum consilio repudium misit ex scripto. Sabell. lib. 3. En. 6.

L. Sylla Cn. Pompeij uirtutem admiratus, affinitate eum sibi iungere curauit. Metella uxor Põpeio suasit, ut ARISTIA dimissa, Aemiliam Syllæ priuignam, ex Metella & Scauro geni-

gitam, duceret, ex priore uiro graulidã. Ad Pompeiũ Aemilia adducta, repudiata est Aristia, proba ac misera, iam dudum etiam patre Aristio orbata, qui à Marianis iugulatus fuerat in Senatu propter Pompeium, Syllanam factionem sequentem. Hoc repudium Aristiæ mater quum agnouisset, mortem sibi intulit. Pleriſque tragicæ hæ nuptiæ uisę sunt, quum etiam nupta ipsa apud Pompeium mox è partu obiisset. Io. Gerund. l. 8. Paralip. Hisp.

M. TVL. CICERO, post Cęsaris dominatum cùm sese quieti dedisset, uxorem repudiauit Terentiam, quòd neglectus in bello fuisset ab ea, ut dimitteretur sine necessario uiatico: & cùm recepisset se in Italiam, parum beneuola usus. Nam nec Brundusij cum, cùm diu illic hæreret, inuisit: neq; proficiscẽti eò filiæ adolescentulæ comitatum aut uiaticum præbuit tam longo itinere honestũ. Imò uerò domũ Ciceronis desolatã & planè inanẽ reddidit, multoq; oppressam & graui ære alieno. Superinduxit uerò puellam locupletã ualde. Antonius in Orationibus, quas contra Philippicas scripsit, ubi mẽtionem facit harum nuptiarum, uxorem eum memorat, apud quam consenuęrat, eiecisse: simul festiuè domi residẽ utignatum & imbellem mordẽs. Non diu sub has nuptias filia eius apud Dolabellam decessit ex partu. Quem casum tulit acerbissimè, ut etiam nouam nuptam, quòd morte Tulliæ uideretur exultasse, repudiauerit. Plut. in Cicerone.

MANTONIVS, magister equitum à Cęsare dictus, cùm suspicaretur uiolasse nuptias suas Dolabellam, nuncium remisit uxori, quæ patruelis sua erat, C. Antonij Ciceronis collegæ filia, & Asinij partes secutum Dolabellam oppugnauit, in nouis tabulis promulgandis. Plut in Antonio.

L. ANTONIVS à cẽsoribus notatus, & senatu motus fertur, quòd nullo consilio aut modo, quam in matrimonium duxerat, repudiasset: & Tiberius Cæsar QVÆSTOREM gradu deiecit, quòd quam cõiugem duxerat, tertio pòst die dimisisset. Alexan. libro quarto, capite octauo.

HERODES Iudæorum rex deprehensam in ueneficio Doridem uxorem, matrem Antipatri, spoliatam multorũ talentorum ornamentis eiecit è regia. Accusabatur etiam pontifi cis filia, altera regis uxor, quasi secretorum horum omnium particeps, sed strenuè dissimulans. Quapropter & ipsam rex abiecit, & filium eius Herodem è testamento deleuit, ubi successor destinatus fuerat. Socero quoq; Simoni, Boethi filio, sacerdotio priuato, surrogauit Matthiam Theophili filium, Hierosolymitanum genere. Iosephus lib. 17. capite sexto, Antiquit.

TIBERIVS Cæsar Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Pomponij Attici equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit uxorem: sublatoque ex ea filio Druso, quan quam bene conuenientem, rursumque grauidam dimittere, ac Iuliam Augusti filiam confestim coactus est ducere, non sine magno angore animi: cùm & Agrippinæ consuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret: ut quam sensisset, sui quoque sub priore marito appetentem, quod sanè uulgò etiam existimabatur. Sed Agrippinam & abegisse post diuortium doluit: & semel omnino ex occursu uisam, adeò contentis & tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne unquam in conspectum eius posthac ueniret. Suetonius.

C. CALIGVLA Lolliam Paulinam uxorem duxit: cuius uirũ Memmium Regulum coẽgit eam sibi despondere, ne eam, quæ desponsa non esset, contra ius fasq; duceret: eandemq; paulo pòst repudiauit. Xiphilinus & Suetonius.

DOMITIANVS Imp. uxorem Domitiam Longinam, prius Aelio Lamiæ (quem paulo pòst occidit) nuptam (ex qua in secundo consulatu suo filium tulit, alteroq; anno consalutauit ut Augustam) Paridis histrionis amore deperditam repudiauit: intra q; breue tempus impatiens diuortij, quasi eflagitante populo, reduxit. Cuspinianus.

Diocletianus Imp. filiam habuit unicam, Valeriam nomine, à qua Valeria est regio dicta, reste Marcellino, quam GALERIO Cæsari uxorem dedit pòst adoptionẽ, coacto priore repudiare uxorem. Cuspinianus.

Habuit CONSTANTIVS Chlorus uxorem Helenam, obscuri generis feminam, tamen sanctam (licet quidam tradant, eam non uxorem legitimam illi, sed fuisse concubinam) ex qua Constantinum Imperatorem sustulit. Sed hanc iussus repudiare, cùm adoptaretur à Maximiano, Cæsarq; fieret, priuignam Maximiani Theodoram accepit. ex qua liberos suscepit, Annibalianum, qui & Gallus dictus est, patrem Dalmatij Cæsaris: & Constantium, patrem Iuliani principis, & Galli uiri scelerati, mariti Constantiæ, Magni Constantini filiæ: ac Constantiam, uxorem Licinij Imp. qui ex Constantia genuit Licinium iuniorem, & Annibalianum. Cuspin.

Tradit Zonaras, Irenen ad Carolum Magnum regem Francorum misisse, ut suo filio CONSTANTINO VI. uxorem filiam Rotrudim daret. Sed posttremò dominandi uoluptate irretitam, curam abiecisse, ne filius Francorum naturam ex conuersatione induceret: ideoq; potius puellam ex Oriente quæsiisse quandam Mariam ab Amnia, Armenam, spreta Caroli filia. A filio iterum ad societatem Imperij assumta, persuasit ei, ut Maria uxore in monasterium relegata, Theodatam cubicularian Augustam crearet, & uxorem duceret. Quo astũ cùm à F. subditos alienasset, ipsum imperio, oculis & uita priuauit, filiis eius oculos eruit. Paulus Diaconus, & Zonaras, & Cedrenus.

ALEXIVS Romanus monachus prima nuptiarum nocte uirginitatis amore sponsam deseruit: & sponte in exiliũ abiẽs, per annos XVII. peregrinatus est.

Habuit Alexius Angelus Byzantinus Imp. tertiam filiam, Eudociam nomine, quam ipso adhuc Andronicum Comnenum tyrannum fugiente, & apud Ismaelitas in Palæstina oberrante, patruus Isaacius STEPHANO despondit, Triballorum principi. Verùm is exiguo tempore in principatu exacto, in Papycio monte factus est monachus. Filius uerò Stephanus, Eudocia paternæ satrapiæ domina declarata, liberos ex ea suscepit. Sed cùm ille uxori pruriũ libidinis, ea contrà marito bibacitatẽ à primo diluculo & aliarũ mulierum consuetudinem obiiceret, dissidio subinde crescente, Stephanus obiecto adulterij crimine, Eudociam omni uestitu muliebri spoliatam, sola intercula tenui relicta, eaq; undique præcisa, ut uix pudendas partes tegeret, quo libitũ esset, abire iussit. Huic pœnæ tã atroci frater eius Volcus interfuit: sed cùm eum mouere nõ posset, ipse Eudociam pro dignitate Dyrrachium perducendam curauit. Quum pater Alexius in ædes suas recepit. Inde susceptis mutuò inimicitiis, Volcus uictor, fratrem Stephanum & principatu, & patria exegit. Nicetas lib. 3.

VORTIGERIVS rex Britannorum, repudiata uxore, Ronicem Hengisti Saxonũ ducis F. duxit, captus & forma & uirture puellæ. Polyd. lib. 3. & Aemilius.

CHILPERICVS rex Gallorum Andoueram repudiauit, prætextu spiritualis cognationis, eo quòd dolosè à Fredegunde pellice mariti persuasa, pro recẽs nata sibi filia in baptismo fideiussisset. Robertus Gaguinus lib. 2.

THEODERIGVS Burgundionum rex, Childeberti F. à Brunechilde persuasus, Burgundionum uxorem Bertrici (uel Deterici) regis Hispani filiam HERMENBERGAM ad patrem remisit integram à se, aduerso rumore, quod secretur pellicibus ad insaniam usq; deuinctus, sancti nobilissimiq; connubij usu perfrui, & uirginis florem delibare non posse, uelut maleficis artibus carminibusq; prohibitus. Illud satis constat, Hispanis oratoribus regias omnes circũeuntibus, quatuor reges in Theoderici perniciem conspirasse, Clotharij Francorum regem ueterem hostem, Theodobertum fratrem memorem ignominiæ periculiq; Longobardum Agilulphum (cuius filio Adaloaldo admodũ adolescenti filiam & ipsam immaturam in spem nuptiarum Theodebertus rex Austrasianus desponderat) & Hispanum filiæ uindicem. Tunc fracta Theoderici ferocia. Fratri igitur, ut pacem redimeret, tradidit quatuor nobilissimos Comitatus, Turonensem, Cam panum, Alsatiensem, Sugitensem. Aemilius libro primo, Regino, & Gaguinus.

Berta, Pipino rege marito mortuo, Romam religionis causa profecta, in itinere cum Desiderio Longobardorum rege egit de THEODORA eius sorore Carolo Magno filio collocanda. Hanc uxorem magnificentissimè ductam repudiauit anno circumacto, incerta causa, summa non Desiderij modò, sed & matris Bertæ indignatione, magnoque rerum motu insecuto. Nam Hadriani instinctu contra Longobardos animatus CAROLVS (quibus incolumibus dominio Italiæ se potiri non posse Pontifices uidebant) Desiderium bello captum in Franciam abduxit, & Longobardorum regnum sustulit. Aemilius lib. 2. De ea re sic Auentinus scribit: Carolus Magnus Irmengardam, filiam Desiderij, Italiæ regis, pòst annũ connubij, quòd infœcunda uitio corporis, & clinica erat, sententia pontificum repudiauit. Auent. lib. 4.

LOTHARIVS, Lotharij Imper. F. Pij nepos, Lotharingiæ rex, duobus episcopis regni sui auctoribus, Guntario Agrippinensium, & Tetgando Treuirorum, cum uxore sua TETBERGA diuortium fecit, quòd eam diceret ætate prouectam, ac seram ad prolem suscipiendam: adulterij etiam cum fratre arcessebat: idq; ne corruptis iudicibus ac testibus coematis facilè probauit: Valdradamq; florentissima ætate speciẽque egregia duxit. Admonitus à Nicolao Pontifice maximo, perstabat in amentia. Episcopi, quòd connubium dirimissent, è gradu dignitatis deiecti sunt: Lothario communione piorum interdictum. Adiram Pontificis deprecandam Romam profectus, in reditu decessit. Ex Regino nis lib. 2. Aemilius lib. 3.

CAROLVS Crassus Imp. Liuiduardum episcopũ Vercellensem, cum uxore sua RICHARDE familiarius quàm oportebat conuersantem, ob adulterij suspicionem expulit, & uxorem in cœtu aulicorum accusans, diserte indicauit, se

cum

cum ea toto decennio, quo sibi nupta fuisset, non cõcubuisse. Illa sese purgans de obiecto crimine, ab ipso separata, in monasterium abiit. Regino lib. 2. Sigebertus anno 889. Episcopum uocat Luitualdum.

LVDOVICVS Balbus Imp. in flore iuuentutis nobilẽ quandã puellam ANSGARDAM nomine mirè deperibat, quã sibi coniugij fœdere, nescio patre Carolo Caluo, copulauit. ex qua duos filios, præstantes forma atque animo iuuenes, suscepit, Ludouicum & Carolomannũ: qui regnum Franciæ à Normannorũ incursu ac infestatione tutati sunt. Cæterum pater eum coegit repudiare, quam sine eius uoluntate duxerat: & interposito iuramento solenni, ne unquam eam reciperet, dedit illi Adelheidam in matrimoniũ, quam grauidam reliquit, cùm mortem obiret. Sed ea expleto partu genuit posthumum, cui nomen aui imposuit, & dictus est Carolus Simplex, rex Franciæ. Ex Reginonis lib. 2. Cuspinianus.

HENRICVS Imp. HATBVRGIN coniugem suam, propter sanguinis uinculum, & quia eam uirginem monialem duxerat, repudiauit, Sigismundi Halberstadensis episcopi auctoritate. Chronicon Mersburgense, & Cranzius.

AVSBERTVS homo aulicus, cùm duxisset uxorẽ ANDRAGASINAM uirginem, ob leprã eam reliquit, & cœnobiũ ipse ingressus est. Volat. lib. 21. Anthrop.

HENRICVS III. Imp. uxorẽ primã CVNEGVNDIM, regis Anglorum Cynitonis filiam, ob suspicionem adulterij repudiatam, in cœnobium monialium adegit. Cuspinianus.

Habuit FRIDERICVS I. Imp. uxorem ADELAM, Marchionis Theobaldi de Vohburg in Bauaria filiam, cum qua iudicio Constantiensis ecclesiæ ob sanguinis propinquitatem coactus est diuortiũ celebrare anno 1156. Eam pòst Diethode Rauenspurg uxorem accepit. Appendix Mariani Scoti, & Chronicon Hirsaugiense Tritenhemij. Cuspinianus.

PHILIPPVS I. Francorum rex uxorem duxit BERTAM, Balduini Comitis Hollandiæ tutoris sui filiam, ex eaq; filium Ludouicum Crassum in regno sibi successurum sustulit: eandem repudiare conatus, ab se ablegauit in maritimum oppidum Montrolium, Bertradamq; (ex Fulcone Aspero Andegauensium Comite marito matrem Fulconis futuri Hierosolymitanorum regis) sibi toro iunxit, ac per aliquot annos habuit, tam illi deditus, ut eius nutu omnia administrarentur, circumagerenturq;: nec nisi coactus, pellice dimissa uxorem reduxit, cùm summus pontifex Vrbanus aqua & igni ei interdixisset. Aemilius lib. 3.

PHILIPPVS II Francorum rex, mortua Elisa uxore, Dani regis sororem INGELBERGAM uel Embergam uel Gelbergam uxorem duxit. Eadem intra tertium mensem per causam propinquitatis dimissa, Mariam ducis Morauiæ seu Boëmiæ filiam superinduxit. Dano rege per oratores apud Pontificem maximum agente, duo amplissimi ordinis patres in Galliam legati uenêre, regiq; ue denunciauere, ut à consuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat. Diuione primũ, inde Suessione cõcilium Patrum habitum. Decretum, ut Franciç sacrificiis interdiceretur. Patres expectabãt, ut ultrò rex Danam uxorem agnosceret. Consuetudine Mariæ tenebatur, nec ab ea secubabat. Labebatur lõgior dies, temporisque spacium illi dabatur, si à pertinacia desisteret. Sed publico conuentu toties coacto, necesse erat iudicium aliquando facere. Rursus coguntur Patres: adest & rex. Iam liberior dolor, uoxque hominum, & magis apertus sensus erat: & præ se ferebant Patres, quidnam ipsis necesse foret decernere. Tunc demùm rex necessitatem in uirtutẽ uertit, relictoq; cõsessu, in equũ cùm insiluisset, post se receptã Gelbergã in regiã reduxit. Octauianus Romanus legatus, lætus id, quod captarat, secutum, nullo iudicio facto concilium dimisit. Paulo pòst ex mœrore repudij decessit Maria. Philippum ex ea susceptum, iustam Augusti sobolem esse Pontifex Maximus decreuit, non sine multorum tunc admiratione. Aemilius lib. 6. & Ritius lib. 2. regum Francorum. Vincentius lib. 29. cap. 55. Antoninus tit. 7. cap. 9. §. 28. Robertus Gaguinus lib. 6.

RODVLPHVS Viromanduorum Comes iusta uxore repudiata, Petronillam, sororem reginæ Leonoræ, Ludouici Iunioris Francorum regis uxoris, auspicibus aliquot episcopis, matrimonij nomine duxerat. Prioris uxoris causam unus Theobaldus Comes Campanus defendere audebat: eoq; agente Pontifex maximus in Franciam legatum misit. Episcopis diuortij auctoribus, sacrificiis, & Rodulfo simul & Petronillæ aqua & igni interdictũ. Rex, molestissimè ferẽte regina, quod ea ignominia sorori inureretur, in Theobaldũ exercitũ duxit. Comes ne bello euerteretur, iniquas (ut diuus Bernardus coarguere, ausus est) cõditiones accepit: ac ut pacem ab irato prementeq; rege impetraret, supplicibus literis Pontificẽ max. exorauit, ut interdictum induceretur, pollicitus Viromanduum iustam uxorem reducturum. Aemilius libro quinto.

Gulielmus Aquitaniæ dux religionis causa in Hispaniam ad diui Iacobi profectus, in itinere morbo correptus, obtestatus est proceres comitatus sui, secundùm obitũ suum summa ope cõtenderent, uti Leonora filia LVDOVICO Iuniori regi, Crassi regis Francorum filio, nuberet. Mortuo fidem officiumq; proceres præstiterunt. Illis euocantibus Burdegalam, à patre missus iuuenis rex, sibi matrimonio puellam iunxit, maximo utriusq; gentis gaudio. Nullum auspicatius coniugium initio uisum: nullum diuortium infelicius cecidit. Nam cùm Leonora Ludouicum in sacram expeditionem, & amore ipsius, & cupiditate uidendi Raymundum Antiochensium principem patruum, comitata esset, dũ desidet inter delicias luxuriamq; Antiochensem, mulieriam castris ferroq; ac proceribus militaribus assueta, parum pudica uideri cepit. Sed cùm nec locus apud patruum, nec tempus tanta in rerum mole criminis discutiendi esset, simulac in Franciam reuersus est è bello sacro, nihil antiquius habuit, quàm ut Leonorę matrimonium dirimeret. Baugẽtiaci cõcilium habitum. Rhemorũ, Senonũ, Rotomagensiũ, Burdegalensium archiepiscopi cõsedere. Interrogati testes: fides propinquitatis facta: constitutum, constare coniugiũ piè non posse. Ita non sine admiratione terrarum dimissa Leonora (quã per tot annos uxorem habuerat, unde duas filias procrearat) Constãtiam Adelphonsi Galecorum regis filiam uxorem duxit. Leonoram dimissam Henricus Andegauensis uxorem duxit: isq; mortuo Stephano regi in Angliæ regnũ successit: materno iure idem rex Anglorũ, duxq; Normannorum: paterno comes Andium, Turonum, Cœnomanorum: uxorio comes Pictonum, & dux Aquitaniæ. Henricus rex uxoris furiis accensus, ex professo bellum suscepit, Leonoræ nomine Tolosatium comitatum repetens. Cadurcos certè cepit. Tolosam cùm obsideret, eius comitatus principem urbem, Ludouicus rex auxilio accurrit Comiti Raimundo sororis uiro, illumque exemit obsidione. Post id tempus nunquam fida inter Francos & Anglos pax iungi potuit: sæpe arma posita, sæpe repetita: oppida utrinque capta: uastati agri: leuia prælia facta: dextræ interiunctæ, mox rursus enses stricti. Aemilius lib. 5. ex Radeuici libro quarto, capite 26.

IACOBVS Fortunatus, Aragonum Rex octauus, adolescens adhuc puellam quandam adamauit nomine Tiresiã, Ioannis Bidauræ filiam. Quam cùm neq; blanditiis ullis, neque muneribus allicere posset, nocte quadam in domum patris puellæ se contulit, ibiq; latuit. Post mediam noctem cunctis iam dormientibus puellæ cubiculum ingressus, ad eam tandem peruenit. Quæ cum nullo modo admittere uoluit, nisi coniugium promitteret. Ille amoris stimulis agitatus, uiro quodam adhibito, qui eum obseruabat, Tiresiæ fidem coniugij dedit, & ex ea duos filios progenuit. Cæterùm pòst à quibusdã persuasus, ut Alphõsi Castellę Regis filiã duceret, legatos eò misit ad matrimonium cõficiendum. At Tiresia statim procuratores Castellam misit, qui die sponsaliorum, matrimonium Iacobi cũ Tiresia factum publicè denunciarent. Hinc sibi metuens à Rege, paruo comitatu Romam se contulit, & Regi literas citatorias misit, ad causam pacti patrimonij corã summo Põtifice disputandum. Pontifex partibus auditis, cùm Tiresia sine testibus (nã miles unicus, qui iureiurando Regis interfuerat, è uita discesserat) matrimonium sola probare non posset, Iacobo Regi permisit, ut cũ Leonora Castellę Regis filia matrimonium contraheret, ex qua filiũ progenuit Alphonsum. Aliquandiu pòst certior factus põtifex Gregorius, arctiore cõsanguinitatis gradu iunctam esse Leonoram Iacobo, illorum matrimonium nõ solùm confirmare noluit, sed etiam dissoluit & in perpetuũ diuortium nunciauit, Alphonso tamen filio legitimo remanẽte, literasq; cõcessit, quibus legitimum eum fecit. Marineus lib. 10. rerum Hispanicarum.

ROBERTVS, cognomento Frisius, primò duxit priuignam Philippi regis Francorum, ex qua Ludouicum procreauit. Ea uerò postea ob corporis obesitatem repudiata, filiam Andegauensis comitis sibi matrimonio coniunxit. Malmesburiensis lib. 3. cap. 30.

HENRICVS Leo Saxonum dux Clementiam uxorem, postquam filiam ex ea suscepisset, sanguinis prætextu repudiauit. Chron. Sclauorum lib. 2. cap. 10.

AMALRICVS, Balduini III. regis Hierosolymorum frater, Ioppensis & Ascalonitanus comes, clero & populo uniuerso, ex magnatibus uerò paucis assentientibus, ab Amalricò patriarcha Hierosolymitano coronatus fuit. Sed antè, à patriarcha & Ioanne cardinale põtificio legato, cõiugem, quæ quarto gradu eum attingebat, abiurare coactus fuit. Gul. Tyrius lib. 19. cap. 4.

Anglorum rex IOANNES filiam Gulielmi Comitis Claudiocestriæ, quam in matrimonio habebat, repudiauit, propinquitatem tunc demùm causatus: filiamque unicam Comitis Engolismensis desponsam iam Hugoni Comiti Marchiæ, patriq; in opes successuram, sibi iunxit. Hugo dolore sponsæ interceptæ adductus, uir amplissimæ ac opulentissimæ cognationis, cõiurationem nobilitatis Pictonum fecit, seque Arcturo duci Britanniæ, Ioannis æmulo, coniunxit. Aemilius lib. 6.

Adela Ludouici Gallorum regis F. à RICARDO Anglo ob suspicionem uiolatæ uirginitatis repudiata. Polyd. lib. 13. & 14. & Lud. Viues de Officio mariti.

Friderici ducis Austriæ soror Margarita, quæ Henrico Imperatoris Friderici II. filio nupserat, & eo sine sobole functo, in patriam redierat, Austriam hæreditatem fratris sine liberis defuncti accepit. Et iam anus facta ac sterilis, OTHOCARVM Boëmiæ regem uirum accepit: uxoris dote potius, quàm ętate ac spe prolis adductum. Sed is alteram superinduxit, regis Moscouiæ filiam, Kunigundin. Bonfinus lib. 8. Dec. 2. & Aen. Syl. c. 27. Boëmiæ.

PETRVS Candianus, Venetorum dux, cum uxore per ætatẽ ampliùs parere non ualente diuortium fecit: & filium, quem ex ea susceperat, religionis prætextu abdicauit. Sabellicus libro 2. Enn. 9.

CASIMIRVS II. Polonorum rex, uxorem Heduigim Henrici Hessorum regis F. ob deformitatem repudiauit. Cromerus libro 12. & 13.

SVENO, Vlphonis Suetici & Estritæ Canuti Danorum regis filius, Danorum rex, sororem siue filiam Sueonum regis Iagonis Giutham (non præmeditato cognationis uinculo) missis legatis in coniugem impetrauit, quæ ad Danos non solùm pacem, sed eximia uirtutum exempla secum adduxit. Hæc à Suenonis mariti toro Pontificum censura ob consanguinitatis uinculum amota, paternos penates repetens, castitatem perpetuam seruauit. Ioannes Magnus libro decimooctauo, cap. 10.

SEBALDVS, Daciæ rex, nocte prima sponsam deserens in eremum fugit, & ibi XV. annos mansit. Curio libro secundo, Chronologiæ.

Valdemari Danorũ regis filia uni filiorũ FRIDERICI I. Imp. desponsata erat. Mortuo Valdemaro, petebatur à Canuto F. dos sororis. Canutus, quum aliis quoq; de causis infensus esset Imperatori, dotem ante nuptias dare recusauit. Imperator ergo sororem illi eo, quo illam acceperat, apparatu remisit. Canutus, manifestis deinde inimicitiis susceptis aduersus Imperatorem, ut omnem terram Vagriorum, Holsatorum, Stormariorum, Polaborum, usq; ad Albim repetens, eam per Vandalos crebris incursionibus uastarit. Eisdem de causis Valdemari uidua, quæ Ludouico Landgrauio Turingiæ nupserat, repudiata, & ad terram natiuitatis suæ sine honore reuersa, conquesta est de multis in se mariti iniuriis. Vnde rex magis ac magis instimulatus, iustam se in Teutonicos belli causam habere arbitratus est. Cranzius libro 6. Saxoniæ, cap. 53.

Cùm Ioanna regina in Angliam fratris Eduardi III. regis uisendi gratia contendens, nulla relicta prole, mortua esset, elapso anno DAVID Brusius, Scotorum rex, aliam uxorem accepit Margaritam, filiam Ioannis Logi equitis aurati, uirginem omnes sua ætate forma excellentem, magis ut iactabatur, specie captus, quàm quòd sobolem ex ea cuperet. Eã autem annum egressam uicesimumquartum, quum nullam ex ea prolem speraret, repudiauit. Ea quum Romanam sedẽ appellasset, multis illic impensis profusis tandem defuncta est. H. Boëthius lib. 15.

IACOBVS Aragonum rex Alienoram, filiam Aldefonsi Regis Castellæ, duxit uxorem, & genuit ex ea filium Aldefonsum, sed per Ioannem apostolicæ sedis Episcopum Cardinalem fuerunt separati, ob consanguinitatem, filio interim per eundem legatum legitimato. Rodericus Toletanus libro 6. rerum Hispan. cap. 5.

Ferdinandus Hispaniæ rex Catharinam F. Arthuro Hẽrici VII. Anglorum regis F. despondit, anno 1500. Eo autem immatura morte sublato post quintum mensem connubij, HENRICVS IIX. rex frater uiduam in uxorem duxit, idq; Romani pontificis auctoritate lege solutus, cùm Arthurus nullos ex ea puella suscepisset liberos. Namq; lex à Mose populo data est, de qua fit mentio in Deut. cap. 25. ubi legere licet: Quando habitauerint fratres simul, & unus ex eis absq; filiis mortuus fuerit, uxor eius non nubat alij, sed ducet eam frater ipsius, & primogenitum ex ea natum nomine fratris sui appellabit, ut ne deleatur nomẽ eius ex Israël. Hanc legẽ Christiana Ecclesia postea receperat, pacis confirmãdę causa inter principes. Atqui casus inopinatus interuenisse dicitur, quasi testis non uiolatæ Catharinæ uirginitatis, quòd ei per imbecillitatẽ naturę uiri admodum adolescentis, uirginem adhuc esse licuerit, sicut illa sanctè affirmabat, & cum ea testabantur feminæ probatissimę, quibus cũ ille de rebus suis secretioribus sæpe communicare solebat. At Thomas Volsæus Vintoniensis episcopus, qui apud regem plurimũ poterat, cum Ioanne Longlando Lincolniensi episcopo regis confessore, pacto inito, regẽ incesti connubij causa seuerè cepit monere, & eius pœnam reginæ sterilitatem obijcere, cũ unicàm tantùm filiam Mariam ex ea suscepisset. Rex inuitus, uti simulabat, attamen causæ cognitionẽ iudicibus cõmendauit. Regina ad Pontificem prouocauit, Volsęi perfidiam detestata, qui in gratiam Francisci Gallorũ regis, cuius sororem uiduam, ducis Alenconij uxorem, Henrico iungere conabatur, diuortium hoc perficere tentaret. Interea Henricus cùm oculos adiecisset Annæ filiæ Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rochefordiæ, quæ reginæ inseruiebat, & Volsæus id grauiter ferret, à rege, cuius libidini fomites addiderat, in ordinem redactus, præ mœrore in uinculis scelestam euomuit animam. Interea dum Catharinæ appellationis causa apud pontificẽ Romanum Clementẽ agebatur, archiepiscopus Cantuariensis cum sua episcoporum cohorte, ac aduocatorum cœtu, accessit ad pagum Dunstablum, propè uillam regiam, nomine Ampthill, ad sex uillia passuum, ubi Catharina id temporis manebat. Hic illa in dies singulos citata, cùm post decimum quintum diem neq; adfuisset, neq; respondisset iudicio, utpote extraordinario, ecce subitum diuortium: discedit à Catharina Henricus, atq; in matrimonium ducit Annam Bulleyne, quam paulo antè amare ceperat, ex qua suscepit filiã nomine Elizabeth. Quod diuortium cùm & alij quidam, & in primis Ioannes Fysherius episcopus Roffensis, & Thomas Morus eques, uiri doctrina insignes, abominarentur, tyrannica crudelitate necati sunt. Catharina quinquennio pòst obiit, anno 1535. mulier sanctissima, quæ ante obitũ literis ad regẽ scriptis, marito extremũ uale dixit, filiam Mariam cõmendauit, & omnẽ iniuriam cõdonauit. Polydorus lib. 27.

[redacted]

Quæ quos deseruerint.

M. Minutio & Sẽpronio Atratino cõsulibus, etsi cũ Latinis annuæ erant induciæ, quia tamen haud dubiè apparebat, illis exeuntibus, bellum atrocissimum utrinq; futurum publico decreto MVLIERIBVS permissum, ut quæ Latini generis Romanorum matrimonio locatæ essent, quæq; Quiritij sanguinis in Latio apud uiros agerent, si quę suorum desiderio tenerentur, domum remigrandi, dubium, mutuóne odio gentis, ut omnis è medio necessitudo tolleretur, an ne commercia ullæ, affinitatis specie, dubiæ adhuc libertati, ea temporum nouitate obesse possent. Satis constat Latinarum DVAS tantùm repertas, quæ Romæ belli tempore esse noluerunt, quum ROMANÆ interim ferè omnes ad suos sint reuersæ. Quo intelligi potest, quantum ab initio suauis fuerit incolentibus ipsius urbis genius. Sabellicus libro octauo, Enneadis 2.

SALOME, Herodis regis soror nouo more libellum repudij marito Costobaro, Idumeæ præfecto, orta leui controuersia, misit. Iosephus lib. 15. c. 11.

Herodem Antipam uxor FILIA Aretę regis Arabum, reliquit: posteaquam cognouisset, quòd pactum iniuisset cum Herodiade

rodia de Philippi fratris uxore. Iosephus libro decimooctauo, cap.7. Antiq.

In PROCVLEIAM, Martialis Epigrammatum lib.10.

Mense nouo Iani ueterem, Proculeia, maritum
Deseris, atq; iubes res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factū est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares,
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Dissidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

Mulier IVDAICA baptizata, elocata est uiro Christiano: postea uerò ad Iudaismum reuersa, cum suæ gentis uiro matrimonium iniit: ipse etiam Christianus aliam duxit uxorem. Quorum utrumq; perpetrasse adulterium, Iuo in epistola ad Hilgrium Parisiensem archidiaconum censet.

Hunericus Vandalorum rex, Arianæ sectæ addictus, infensè orthodoxam fidem insectatus est. Quæ res peperit illi cōnubij dissidium. EVDOXIA Valentiniani III. uxor olim siue soror, ueræ pietatis cultrix, uiri impietatem pertæsa, uotum simulans Hierosolymam petiit, ubi postea uitam cum morte commutauit. Sab.lib.2. En.8.

Emmanuel Græcorum Imp. IOANNI F. suo seniori uxorē dedit ex Italia Montisferrati principis filiam, moribus quidem præditam optimis, cæterùm forma illiberali. Mulier aduertens se marito esse inuisam admodum, nauē conscendit, & ad genere propinquos se recepit. Chalcocondylas lib.4.

Nicephorus Imp. THEOPHANIAM, alteri uiro desponsatā, separauit, & filio suo Stauratio coniugem dedit. Paulus Diaconus lib.24. rerum Romanarum.

IRENE Andronici Senioris uxor, cum infensa priuignos suos filios ad imperium promouere satageret, amore mariti in odium uerso, Thessalonicam abiit, & secretorum coniugalium pudendis calumniis Imperatorem onerare non dubitauit, licet ille strenuè domesticum dedecus dissimularet. Chalcocondylas libro 7.

MATHILDIS Comitissa, quæ iam grandis natu Apostolicæ sedi, quicquid intra mare & Apenninum montē interiacet, testamento legauit, Azoni Estensi principi nupta, Gregorij VII. interdicto, propter consanguinitatis uinculum, quo priorem maritum Gotofredum Azo attingebat, reliquit. Sabellicus lib.2. Enn.9.

Ludouicus Brandeburgensis Marchio, Lūdouici Bauari Cæsaris filius, MARGARITAM habuit uxorem; filiam Henrici regis Boëmiæ, quæ ob os deforme & ingens, uulgò Maultasch cognominata est. Hęc Ioan. Hērico, Hērici VII. Imp. F. Boëmiæ regi nupta fuerat. At cū ille impotēs in coitu uxorem plurimū molestaret, eamq; nunc mordendo mammillas, nunc laniando comas semifatuam redderet: mulier in-

scia quid ageret, consilio procerum, Barones suos Ludouico Cæsari misit nuncios, ab eo petens filij nuptias: Carinthiam ad se iure hæreditario deuolutam, in dotem promittens. Eiecit interea Boëmum è comitatu, cum quo annos octo condormiuerat. Ludouicus Cæsar promissioni fauet, filium aduocat. At insuetum facinus exhorret: nam consanguinei in tertio gradu uxorem abducere, nondum diuortio separatam, adulterium esse censebat. Pater econtrà perfido fidem non esse habendam asserebat. Boëmiæ enim rex cùm inuestituram à Cæsare peteret, nunquam se ab eo discessurum iureiurando promiserat, quod minimè præstitit. Idcirco exacerbatus Cæsar, filium uel inuitum ad hoc matrimonium impulit. Persuasus filius à patre tandem, multorum fretus auxilio consilioq;, uxorem abripit, diuortium solenniter facit, matrimoniū legale cum donatione perficit, anno Christi MCCCXLII. Cuspinianus.

Franciscus Remolinus Hispanus, duci Borgiæ familiaris, ab Alexandro VI. Cardinalis creatus est, & ut ne coniugium ei obesset, VXOREM monacham fieri persuasit. Garimbertus lib.4. de uitis Pontificum.

Receptio derelictarum uel repudiatarum. Qui quas receperint.

Ex priore Titulo Repudiatarum, exempla quædam huc pertinent.

Hipparete Hipponici F. ALCIBIADI nupta, cùm esset impatiens iniuriarum genialis tori, quòd consuetudinem ille haberet cum meretricib. peregrinis & urbanis, diuertit ab eo, & contulit se ad fratrem. Non curante id Alcibiade, sed lętè agēte, oportebat eam diuortij monumenta apud archōtem deponere, non per alios, sed ipsam præsentem. Quę ubi adfuit, ut id ex lege ageret: irrumpens Alcibiades rapuit eā, medioq; foro domum ferens abiit, nec fuit quisquam, qui obsistere uel eam auferre sustineret: atque illa mansit apud eum, quoad uixit. Cæterùm non multo pòst, cùm nauigasset Alcibiades Ephesum, uita excessit. Et quidem non fuit uis hæc uisa prorsus detestanda, uel inhumana: lex namque ideo in publicum produci iubet ipsam, quæ diuertit, quò congrediendi cum ea uiro & retinendi eius sit facultas. Plutarchus in Alcibiade.

Multi CAPTIVI ab Atila pridem facti redierant, & domos uelut postliminio repetierant. Itaq; Leo pontifex à Niceta episcopo Aquileiensi super uxoribus eorū, qui redibant, consultus, statuit, ut prioribus nuptiis starent. Sigonius libro 14. Imp. occid.

BALDVINVS I. Hierosolymorum rex uxores habuit duas. Repudiata enim priori coniuge, Siciliæ regis uiduam duxit, quam conscientiæ stimulo agitatus, tertio anno reiecit, priori iterum assumta. Tyrius lib.10. & 11.

CONIVGII XPHCIC.

De Amore & Fide coniugali suis locis egimus. *Pleraque huc poterunt accommodari.*

FORMAE RESPECTV.

CONNVBIA

Certa.

Cecrops ATHENIENSIVM rex primus Venerē uagam certis connubij legibus adstrinxit, & marem uni feminæ cōsuescere uoluit. Propterea διφυῆ fuisse fabulātur biformem, ancipitis naturæ, marem & feminam, propter introductum stabilis coniugij morem, & liberorum certitudinem. Athenęus libro 13. cap.1.

Promiscua, Vaga, Incerta.

Vide locum Libidinis. Illic Intemperantiæ, hîc Amicitiæ coniugalis habetur ratio.

AETHIOPES solennes nuptias non norunt, sed passim indiscreto concubitu miscentur. Alex.lib.1.c.24.

EVBVLIBVS in insulis rex imperare dicitur, qui sine spe coniugij in quamcunq; commotus fuerit, sponsam usuariam capiat. Idem.

TROGLODYTÆ nudi per omnem uitam degentes, uxores filiosq; omnes cōmunes habēt, excepto tyrāno, qui unicam tenet, bestiis similes: ut qui neq; uoluptatis neq; doloris ullum nisi naturalem sensum percipiant, neq; turpis neq; honesti discrimen norint. Diod.lib.3.c.3.

NOMADES communes habent uxores & filios. Apud SCYTHAS, præter ensem & cyathum, uxores & liberi in cōmuni sunt. Alex.lib.4 cap.1.

In superiore LIBYA mos inualuerat, ut mulieres haberentur communes, sic tamen ut inde susceptos liberos similitudinis ratione distribuerent. Aristot.lib.2 Polit.c.3. Id quod Pōponius Mela GARAMANTIBVS tribuit.

NASAMONES, uxores plures singuli è consuetudine habēt, cum his in propatulo coēunt, eodem penè quo Massagetæ modo, prius scipione prætento. Herod.lib.4.

LIMYRNII uxores omnes habebant cōmunes, filiosq; ex ęquo omnes cōmuniter alebant, ad annum usq; quintū: quo tempore exacto, distribuebant ijs parentibus alendos & educādos, quibus forma persimiles essent. Stobæus serm. 24. ex Nicolao de Gentium moribus.

AVSES Africæ populi promiscuè cum mulieribus non unà habitant, sed pecudum more concumbunt. Herod.lib.4.

AGATHYRSI Scythiæ populi, excultissimi uiri sunt, & aurū plerunq; gestantes: in commune cum mulieribus coēunt, ut inter se germani sint ac domestici omnes: nihil neq; liuoris neq; odij mutuò exercentes. cætera ad Thracū consuetudinem accedentes. Herod.lib.4. & Stobæus serm. 42.

THRACES uirgines non asseruant, sed promiscuè, uti collibuerit, cum uiris congrediuntur. Cælius libro decimooctauo, cap.23. Antiq.Lect.

MASSAGETÆ singuli uxorem ducunt, sed ea communiter utuntur. Quoties quis libidine capitur mulieris, suspensa ad plaustrū pharetra, sine metu concumbit. Herod.lib.1. & Strabo lib.11. & Sab.lib.6. En.2.

Cùm Lacedæmonij aduersus Messenios, ob uiolatas ab eis suas uirgines in Messeniorum sacrificio, expeditionem suscepissent, iurati inter se, non prius ab armis discessuros, quàm Messanam expugnassent: Vxores absentiam maritorum pertæsæ, uiros domum reuocarunt. Illi domum IVNIORES miserunt, qui post iusiurandum supplementi causa fuerant in castra acciti, iisq; permissum, ut promiscuè cum omnibus concumberent. Et ab huiusmodi indiscreti concubitus nota, Parthenias, qui inde orti sunt, nominauere. Sabellicus libro 3. Enneadis 2.

Cabades rex PERSARVM legem tulit, ut feminæ uiris in cōmuni essent expositæ: & ut cuiuis ex lege liceret, ad quamcunque animus ferret, accedere, priuatiq; thori participem fieri. Agathius libro 4.

Phœni-

Phœnices HELIOPOLITANI sentiebant, uxores debere esse cōmunes: eamq; ob causam liberi eorum incerti erant, cū nulla liberorum & parentum esset discretio. Virgines etiam hospitibus prostituebant. Socrates lib.1.c.18.

Apud SABÆOS & NABATHÆOS una omnibus uxor est. Qui prior ingreditur, posito ante ianuam baculo, cū ea congreditur (nam in more habēt, ut quisq; baculum gerat) ea tamen cum grandiore pernoctat: quapropter omnes omnium sunt fratres. Coēunt etiam cum matribus. Adulter capite plectitur, is scilicet, qui ex alio genere est. Sed & huiusmodi quiddam narratur. Regis cuiusdam filia mira pulcritudine, cùm fratres quindecim haberet, qui omnes eam miserè adamarent, & propterea alius post alium continuè ad eam ingrederentur, iam defessa, rem huiusmodi machinatur: baculos facit baculis eorum persimiles, & cū quisq; ab ea exiret, continuò baculum aliquem similem ante ianuam ponebat, & paulo pòst alium, considerans ne, qui esset ingressurus, illi similem haberet. Cùm itaq; aliquando omnes in foro essent, unus ad portam accedens, & baculum uidens, putauit ex hoc aliquem intus cum ea esse: ex eo autem, quòd fratres omnes in foro reliquisset, adulterum suspicatus adesse, currens ad patrē, atq; huc eum adducens, conuictus est sororē falsò criminari. Strabo lib.16.

Gentem ANGLORVM spretis legalibus connubiis adulterādo & luxuriando instar Sodomiticæ gentis fœdam duxisse uitam, Bonifacius Moguntinus episcopus in epistola ad regem Anglorum testatur apud Antoninum Tit. 14. cap. 1. §.7. Henricus Erphordiensis cap.67. Hedio lib.6.cap.9. Ecclesiasticæ historiæ.

Hieronymus lib.1. aduersus Iouinianū inquit: SCOTORVM natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiā legerit, & Catonis sectetur exemplū, nulla apud eos cōiunx propria est: sed ut cuiq; libitū fuerit, pecudū more lasciuiūt.

ORDACI Albionis incolæ, latrocinijs assueti, cōmunibus utebantur uxoribus. Nati ex promiscuo concubitu, quòd patrem demonstrare nō possent, omnium habebantur filij. H. Boëthius lib.1.

NVMERI RESPECTV. Huc pertinet

MONOGAMIA. Siue

Plures nō ducantur simul, sed una tantùm.

Deus ADAMO, auctore Iosepho in primo Antiquitatum, quē primum fecerat hominē, antequam (sicut quidam uolunt) peccaret, confestim Euam, ad ipsius hominis exemplar confictam, matrimonio copulauit, ut duo inter se pmisti sexus, propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. D. autem Hieronymus in epistola ad Eustochium, de Virginitate seruāda, id à Deo factum tradit, postquàm Adamus & Eua eius mandatum sunt transgressi. Idem contra Iouinianum repetit. Apostolus uxorum multitudine interdixit, ad Corinthios scribens: Attamen propter stupra uitanda, unusquisq; suam habeat uxorē, & unaquęq; uirum suū habeat. Polyd. de Inuent.

ISRAELITARVM regibus multas uxores habere interdictū fuit, à Domino, ne pietate deflecterent. Deut.17.

AEGYPTIIS sacerdotibus unam tantùm uxorē ducere licet, reliqui pro uoluntate & facultatibus plures habent. Quam legem conferre existimant, propter hominum multitudinē, & ad felicitatem, & ad potentiā ciuitatum. Nullus ex eis, ne ex serua quidē emta genitus, spurius habetur. Solū enim patrem existimant generis auctorem: matrem & nutrimentum & locum infanti præbere. Diod.lib.1.c.6.

Apud SPARTANOS duas simul duxisse, crimini fuisse datum satis constat (licet aliqui contra uetitum pessimo id exēplo factitarint) Lycurgi lege, qui binas uxores unas ædes incolere, atque eadem domo habitare non permisit. Alex. ab Alex.lib.1.c.24.

GERMANI omnium ferè, qui ad Septentrionem & Ortum habitant, soli unica uxore contenti ab initio fuēre: quanquam & in his nonnulli plura celebrarent connubia. Sabellicus lib.2. En.6.

Nuptiæ non repetantur.

Charondas THVRIORVM legislator nuptias secundas uetuit. Diod.lib.12.

[redacted]

Sunt quædam ciuitates GERMANORVM, in quibus tantùm uirgines nubunt, & cum spe uotoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamq; uitam: ne ulla cogitatio ultrà, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Tacitus de moribus Germanorum.

POLYGAMIA. QVANDO VEL

Vir plures simul ducit uxores.

ABRAHAMVS præter legitimam uxorē Saram, ex qua Isaacū sustulit, aliam superinduxit Ceturam, quæ ei sex filios peperit. Isaaco tamen dedit omnia sua: concubinarum uerò filios muneribus ornatos, Orientē uersus amandauit, qui Brachmanes postea dicti fuēre, quasi Abrachmanes. Genes.25.

ESAVS Isaaci F. uxores alienigenas contra parentū uoluntatē duxit, Iuditham Beëris, & Basemathem Elonis, Hettæorum filias. Genes.26. Rursus cùm uideret Hettæas patri suo non placere, Ismaëlis Abrahami F. filiam Mahalatham, Nabaiothi sororem, superinduxit. Gen.26.

Vti mulierum paucitas in causa fuit, quamobrē fratres à principio sibi sorores coniugio sociarint, sic paucitate populi factum uidetur, ut HEBRÆORVM quidam propagandę sobolis studio, plures interdum uxores simul habuerint: primusq; eam legem ante diluuium uiolare ausus fuerit LAMECH, qui, ut est c.4. Geneseos, duas simul habuit in matrimonio feminas: cuius postea complures extiterunt imitatores. D. Augustinus, quia mos erat, crimen non fuisse ait. At Tertull.lib. ad Vxorem primo, ait id factū, ut esset quod noua lex rescinderet: sic Chrysost. homil.55. in Genesin, de ea re, scribit: Tum enim, quia principia erant, permissum fuit cum duabus, uel tribus, uel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet. At Christus adueniens, omnē illam ueterem consuetudinē aboleuit. Polyd. de Inuent.

Vnde IACOBO patriarchæ acciderit quatuor habere feminas, de quib. duodecim filios, & unā filiam procreauit, cùm earum nullam concupisceret illicitè, diuina Scriptura indicat. Ad unam quippe accipiendam uenerat, sed cùm illi altera pro altera supposita fuisset, nec ipsam dimisit, qua nesciēs usus fuerat in nocte, ne ludibrio eam uideretur habuisse: & ex eo tempore quoniam multiplicandæ posteritatis causa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni iam futuri coniugij fidem fecerat. Quæ cùm esset sterilis, ancillā suam, de qua filios ipsa susciperet, marito dedit: qd' etiam maior soror eius, quum peperisset, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Iacob legitur petijsse præter unam, nec usus plurimis, nisi gignendæ prolis officio coniugali iure seruato, ut neq; hoc faceret, nisi uxores eius id fieri flagitassent, quæ corporis uiri sui habebāt legitimam potestatem. D. Aug. lib.16. de Ciu. Dei. c.38.

DAVID rex, exul, uxores duas duxit, Achinoamā Iezraëlanā, & Abigailem Nabalis uiduam. Michole enim Saulus pater pulso Dauide Phalti Lais F. Gallinensi locauerat. 1. Reg.25.

Astarte dea Sidoniorum, & Chamos deus Ammonitarū, quos coluit SALOMON rex Iudæorum, ductis peregrinis uxoribus: quæ cum Israëliticis fuerūt DCC. & concubinę CCC. Ex his omnibus natus illi est filius Roboamus, isq; ex peregrina, regno indignus. Neq; enim multitudo uxorum bonā gignit sobolem. Suidas.

HERCVLIS uxores multæ memorantur. Meliten Aegæi fluuij filiam duxit, ex qua Hyllum suscepit. Ob Iolem sibi promissam, sed pòst denegatam, ut ait Menecrates, uniuersam Oechaliam, Euryto patre in Eubœam fugiente, debellauit. Eidem nupsit etiam Auge, quam Alæus pater cum filio Telepho in urna in mare demersit. Ea Palladis prouidentia seruata cum urna ad hostia Cayci euasit, & à Teuthrante excepta est. Hanc deinde Hyllo filio Hercules concessit. Omphales Lydorum regis filiæ amore captus, inter pedissequas femineo habitu indutus sedentariam artē exercuit, ut testatur Ouid. in in Deianira. Habuit etiam Deianiram, quam cum Acheloo colluctat⁹ accepit. Oenei Aetolię regis filiā, q̄ fuerat Acheloo desponsata. Natalis Comes lib.7.c.1. Mythol. Multas deniq; mulieres seorsim habere solebat: ex quibus filiorum multitudo illi nata est. Nam quinquaginta puellas Thestij septē dieb. uitiauit, ut asserit Herodotus. Athen.lib.13.c.2.

INDI multas nuptas habēt, quas à parentibus accipiunt, pariboum emtas, alias obediētiæ gratia, alias prolis ac uoluptatis: & nisi castas esse cogant, fornicari licet. Strabo lib.15.

BRACHMANES, NVMIDÆ & MAVRI pro modo facultatum uxores habebant: ita quidem ut ex diuitibus multis denas, plerisq; uicenas habere uxores permissum fuerit. Alex. ab Alex. lib.1. cap.24.

Vxores ducere quàm plures, PERSIS receptus mos est: uerùm & pellices alere non pauciores: atq; id quærendorū liberorum gratia, & sobolis propagandæ: quando & reges quotannis præmia in eos conferunt, quibus maior filiorum numerus. Cælius lib.18. c.18. A.L. ex Strabone lib.15. Eorum REGES plures habent uxores, quæ per uices in orbem noctes sortiuntur regias. Herod.lib.2.

DARIVS Persarum rex factus, duas Cyri filias duxit, Atossam, quæ Cambysi fratri, & rursus Smerdi mago nupserat, & Artyssonam uirginem. Præterea alteram Smerdis Cyri filiam,

nomine Parmin:item filiam Otanis Phædynam, quæ Smerdem magum prodiderat. Herod.lib.3.

PARTHI uxores singuli plures ducunt,nec ullum grauius flagitium quàm adulterium uindicant, ob id feminis uirorum conspectum interdicunt. Quidam aiunt,& in his Strabo, côiuges amicis in matrimonium tradere, ex quibus liberos sustulerunt. Sab.6.En.6.

Proprium MEDORVM regum fuit plures uxores ducere: & mox in priuatos translatum, ut minus septem habere non liceret. Pulcrum & feminæ multos habere uiros, pauciores quinq; calamitatem arbitrari. Sab.lib.2.En.2.

AEGEVS Atheniensium rex primam Opletis filiam in matrimonium cepit:pòst unam filiarum Chalcedontis: quas ambas cùm amicis dedisset, cum multis sine matrimonio coniũgebatur. Pithei postea Aethram assumsit,post hanc Medeam. THESEVS Aegei F.rapuit Helenam,mox Ariadnam. Ister rerum Atticarum lib.14. ubi mulieres Thesei enumerat, alias earum inquit ex amore illi adhæsisse, alias ex furto, alias ex legitimis nuptiis. Ex rapina quidẽ Helenam, Ariadnam, Hippolytam, Cercyonis, Sinidisq; filias:legitimè uerò Aiacis matrem Melibœam. Hesiodus addit Hippem,& Aeglam, ob quam iusiurandum, quod Ariadnæ iurauerat, non seruauit, ut testatur Cercops. Pherecydes Pherebœam etiam asscribit. Ante Helenam Anaxo rapuit ex Troia:post Hippolytam habuit Phædram. Athen.lib.13.c.2.

DARIVS, qui ab Alexandro fuit debellatus, trecentas ac quinquaginta pellices in omnia bella circũducere consueuerat: ueluti testatur Dicæarchus lib.3. Vitarum Græciæ.

PHILIPPVS Macedo semper, dum militaret, uxorẽ ducebat. Annis uiginti & duobus, quibus regnauit, cùm uxorem habuisset Audatam Illyricam, ex ea Cynam filiam accepit. Duxit & Philam. Cùm uerò Thessalos etiã sibi conciliare cuperet, filios accepit ex duabus Thessalis mulieribus, ex Nicesipoli Pheræa, Thessalonicam, ex Philinna Larissæa, Arideum. Adeptus est Molossorum etiam imperium, cùm Olympiadem in matrimonium cepisset, ex qua Alexandrũ habuit & Cleopatram. Cùm Thracem etiam duxisset, Thracum rex Cithelas ad eum uenit, Medam filiam secum ducens, & dona complura, quã adduxit ad Olympiadẽ. Supra omnes uerò Cleopatram Hippostrati sororem, quam amauerat, Atali neptem, ad Olympiadem deduxit, ac per totum uitæ suę spacium secum habuit. Ex istis igitur nuptiis certè, inquit Atalus, legitimi, ac non etiam nothi reges nascentur. Id audiens Alexander, Atalum calice, quẽ in manibus habebat, percussit, ac ille postea ipsum poculo. Olympias profugit in Molossos: Alexander ad Illyrios. Cleoparra filiam peperit Europã. Athen.lib.13.c.2. Cùm audisset succensere sibi, quòd sobolẽ ex pluribus feminis quæreret, Alexandrum: Igitur, inquit, cũ multos de regno habeas æmulos, bonum te & fortem præsta, ne mei causa, sed tua ipsius regnum consequaris. Plutarchus in Apophtheg.

IASON Medeæ senescenti superinduxit Glaucam Corinthiã. Diod.lib.4.c.3.

Lycurgus SPARTANIS, binas uxores unas ædes incolere, atq; in eadem domo cum uno marito habitare, cõcedebat. Alex.ab Alex.lib.1.c.24.

ARISTON rex Spartiatarum tres duxit uxores. Herod.lib.6.

ANAXANDRIDES rex Spartanorum duas simul uxores habuit, sororis primò filiam: quæ cùm esset sterilis, ne genus Eurysthei interiret, Ephororum impulsu alterãm duxit, Perinetaden, Demarmeni F. quæ ei Cleomenem peperit, qui ipsi in regno successit. Herod.lib.5.

Cùm ATHENIENSES ob ciuium paucitatẽ urbẽ augere uellent, decreuerunt, ut unam ciuem ducerẽt, atq; etiam ex meretricula susciperẽt liberos. Suidas in uoce λαιμανδρῶν. Qua de causa SOCRATEM tradunt simul morosam illam Xanthippẽ & Myrtonẽ Aristidis neptem habuisse uxores, nõ Iusti illius, sed tertij ab illo. Proinde demirãti Alcibiadi, in quẽ tandem usum aleret duas mulieres, præsertim rixosas, nec eas domo exigeret? Hæ, inquit, me domi docent tolerantiã, qua in publico utendum est: harum moribus exercitatus, cõmodior eo ero ad aliorum consuetudinem. Aristoteles in libro de Cognatione scribit, quòd Atheniensium cuilibet liceret uolẽti duas habere mulieres: ex quo cùm Socratis sæpius mentionem fecissent Comici poëtæ, id prætererunt, nõ prætcrituri, si illegitimum id fuisset. Athenæus libro 13. capite 1. & Gellius.

Vxores duas EVRIPIDES habuit: primam quidem Chærinan, Mnesilochi filiam: alteram uerò Melito. Putat Gellius, uti etiam Atheneus, ambas eodem tempore habuisse, quòd id Atheniensium decreto pro frequentanda habitatorib. urbe liceret. Moschopulus uerò (seu qui alius est, qui Euripidis uitam in scholiis conscripsit) unam post alteram cõmemorat, & seorsum. Laërtius. Gyraldus in hist. Poët.

DIONYSIVS senior dominatu Syracusarum occupato protinus coniunxit sibi matrimonio Hermocratis Syracusij filiam. Huius corpus nondum satis firmata tyrannide rebellãtes Syracusani immanibus & atrocibus contumeliis affecere: quamobrem sponte consciuit sibi mortem. Recepto inde Dionysius dominatu & cõstituto, rursus duas uxores simul duxit, unam ex Locris Doridẽ nomine, indigenã alterã Aristomachen, principis Syracusanorũ filiam Hipparini, qui Dionysij collega fuit, cùm primũ imperator esset cũ libera potestate ad bellum designatus. Fama est aũt eum uno die ambas duxisse: neq;, cum utra concubuerit priore, cuiquã mortalium constitisse: parẽ etiam utriq; beneuolentiã exhibuisse perpetuò: unà ambas cœnare cum eo consuesse, noctibus alternis concubare: quãuis postularet plebs Syracusana externæ præferri ciuẽ. Verùm illa hac usa fortuna est, ut maximũ stirpis filiũ Dionysio ediderit: quod peregrinitatem eius subleuauit. Aristomache uerò diu infœcunda cum Dionysio fuit, cùm cuperet ille ex hac liberos: ut matrẽ etiam Locrẽsis interfecerit, potionatam ab ea criminans Aristomachen. Huius Dion frater in honore sororis causa initiò fuit. Plut.in Dione, & Aelianus lib.13. Var.hist.

DEMETRIVS Antigoni, restituta Græciæ libertate, Athenis otio indulgens, Eurydicen uiduam matrimonio sibi iunxit. Fuit illa ueteris Miltiadis proneptis, & Opheltæ nuptias Cyrenæorum principis tenuerat. Multas uno tẽpore coniuges habuit: quarum erat maxima in dignatione & honore Phila, tum propter patrem Antipatrum Macedonię regem, tum quòd etiam matrimonio iuncta fuisset Cratero, qui summũ ex Alexandri successoribus desiderium sui reliquerat Macedonibus. Lamiam meretricem deperibat. Suscepta in Peloponnesum expeditione, Deidamiam Pyrrhi Epirotarum regis sororem duxit. Eaq; mortua, regno Asiæ exutus, Ptolemaidem Ptolemæi & Eurydices (quæ Philæ soror erat) filiã Seleuci conciliatione ducturus: bello rursus moto, & Phila humanis exemta, cùm conspiratione regum exul uagaretur, eam duxit. Progenies eius per successiones regnans descendit ad Persea, in quo expirauit: eoq; regnante Macedoniam subiugauere Romani. Plut. in Demetrio.

PYRRHVS Epirotarum rex uxores negotiorum suorũ & potentiæ causa ab Antigones (quæ Philippi & Berenices filia erat) obitu plures duxit. Nam Autoleontis Pæoniæ regis filiam nuptiis sibi iunxit: Bircẽnam Bardyllis Illyrij, & Lanassam Agathoclis Syracusani, quæ in dotem attulit ei oppidũ Corcyram ab Agathocle captũ. Lanassa Pyrrho, quòd plus deditus barbaris uxoribus esset, infensa Corcyram recessit, cupidaq; regij connubij acciuit Demetrium Poliorcetẽ, faciem sciens præter alios reges ad nuptias contrahẽdas. Ille Corcyram nauigauit, iunctaq; matrimonio Lanassa, præsidium reliquit in oppido. Plut. in Pyrrho.

HERODES, Iudæorum rex, Mariammen Alexandri Aristobuli F. filiam uxorem habuit formosissimam, & ex ea suscepit filias duas, filios totidem Aristobulum & Alexandrum. Prętet hanc, regio ortam sanguine, nouẽ alias habuit. Vna erat Doris Antipatri mater, altera summi pontificis Simonis filia, ex qua puer Herodes natus est. Erant inter has & fratris filia, & consobrina, sed steriles: præterea Marthace Samaritis, & ex ea liberi Antipas & Archelaus, & Olympias filia, quam postea duxit regis fratruelis Iosephus. Archelaus aũt & Antipas Romæ apud priuatum quendam amicum educabantur. Ex Cleopatra etiã Hierosolymitana Herodẽ genuit, & Philippum, qui & ipse Romæ educabatur. Ex Pallade aũt Phasaëlum: ex Phædra item & Elpide filias habuit Roxanã & Salomen. Iosephus lib.17.c.1. Antiq.

C.Iul. Cæsar decreuit, ut liberorum quærendorum causa quot uellet quisq; ROM. uxores ducere posset. Id quod etiã apud SICVLOS & ATHENIENSES in usu fuisse, legimus apud Alexandrum ab Alex.lib.1.c.24.

M.ANTONIVS Triumuir primùm, quod erat apud Romanos inauditum, duas simul accepit uxores, Octauiam Octauij sororem, & Cleopatram reginam Aegypti. Deinde ciuẽ & iustam uxorẽ expulit domo, quòd peregrinæ & illegitimæ indulgeret. Plut. in Vitis.

Fertur VALENTINIANVS I. Imp. Iustinam ab uxore impẽsius à forma laudatã, illi uxorẽ superduxisse, lata prius lege, ut procreationis causa liceret duas habere uxores. Ex recẽtiore connubio ortus Valentinianus iunior, ex priore Gratianus. Sab. lib.9. En.7. ex Socrate lib.4.c.31.

HVGO, Italiæ rex, præter coniugem suam multas alebat concubinas: ex quibus tres in primis deperibat, quas dearũ no[redacted]

BRITANNI uxores [redacted] se cõmunes, præcipueq; cum fratribus fratres[redacted] ris parentes. Nati inde ijs adscribebantur, à quib. uirgo adducta primùm. Cælius lib.18.c.21.A.L.

Fuit iam inde à principio apud SCOTOS institutum, ut liceret unicuiq; plures pro opibus ducere uxores, & nobilibus plebeiorum uxores habere cõmunes, ac domino loci uirginem nuptam uitiare, antequã uir cum ea cubuisset. Illa duo superiora religio Christiana statim sustulit, atq; eã Scoti sunt cõplexi: istud posterius longo pòst tẽpore Malcolmus III. rex, sanctiss. Margaritæ uxoris hortatu, extirpauit, sanciẽs, ut uirgo nupta numũ aureũ pudicitiæ redimendæ causa domino loci pẽderet: id quod etiam nunc seruatur. Polyd.lib.10.

Apud THRACES quilibet tres aut quatuor uxores sibi matrimonio iungit, nonnulli etiam triginta, ijsq; tanquam famulis utuntur. Nuptiæ ex abundantia fiunt, perq; circuitũ quasi cum illis concumbunt. Quòd si qua dissensio oriatur, parentes numerato quod acceperunt precio, filiam ad se recipiũt. Nam accepta mercede solent eas elocare. Post mortem uiri tum alia, tum uxores quoq; ad ipsos hæreditate perueniũt. Heraclides in Polit. Certant inter se memorabili certamine, si uiro contingat hominem exuere, quam is dilexerit plurimùm. Victoriæ præmium mors, & commune conditorium: reliquis miseriam insigniter deflentibus. Cælius libro 18. capite 23. Antiq. Lect.

PÆONES, Prasiadem paludem incolentes, plures uxores ducunt. Herodotus.

GERMANI olim licet singulis uxoribus contenti essent, nobiliores tamen plures habuerunt, pro decore familiæ, & maiestate. Alex. ab Alex.lib.1.c.24.

SAXONES duas simul uxores, aut plures olim ducebant: id quod Gregorius II. Pp. in epistola ad Bonifacium primũ legatum Apostolicum in Germania iubet abrogari.

AMLETHVS Iutiæ rex, Fengone patruo cæso paternam necẽ ultus, in Britanniam ad socerum redierat. Britannus cũ Fengone iam olim pactus, ut alter alterius mortẽ ulcisceretur: ne tamẽ hospitalẽ fidem in genero uiolaret, honesto legationis prætextu ad Scotos illum ablegat, ut Hermutrudę reginę nuptias sibi impetraret, procos suos extremo supplicio afficere solitæ. Amlethus socero obsecutus, cùm prope artẽ reginæ uenisset, sub meridiẽ in prato prope riuulum obdormit. Regina decem stipatores exploratum mittit. Quorũ unus clypeum Amlethi (in quo mira arte uindictam de Fennone sumtam exculpi curauerat) quem capiti dormiturus subiecerat, submouit, dominam non modo nuncio, sed etiã rerum indicio certiorem redditurus: regis quinetiam Britanni literas pari calliditate subduxit. Regina Amlethi ex clypeo cogniti amore ardens, literas inducit, nouas subijcit, quasi Amletho, non sibi, rex Britannus Hermutrudę connubium expeteret. Mox exploratores scutum referre, literasq; loco suo restituere iubet. Interea Amlethus clypeum capiti fraude subductum expertus, clausis de industria oculis quietem simulat, quod uerò sopore amiserat, ficto recuperaturus. Speculatorem inde scutum ac epistolam pristino loco reponere cupiẽtem corripit, & excitatis comitibus, ad reginam amantem uenit, ab eadẽq; in thori regniq; consortium accipitur. Redeunti Britannici regis filia occurrit: quæ quãquam se superductæ pellicis iniuria læsam quereretur, indignum tamẽ iudicans coniugali amori pellicis odium anteferri, marito soceri insidias detexit. Amlethus socerum insequentẽ fugiens, multis suorum amissis, postero die cadauera cæsorum stipitibus affixit, & iusti exercitus specie Britannos territos insecutus, regem occidit, & cum utraq; cõiuge in patriam rediit. Saxo lib.4.

PRETEIANNES Aethiopũ rex, Christianus, quatuor uxores finitimorũ regum filias cõnubio sibi iungit, sed cũ una ritè & sanctius desponsata cubat: quæ si sterilis euadat, una è ceteris regium thorum subit. Sab. supplem.lib.8. ex Iouio.

MAVRVSIIS Afris lege licitum fuit, quinquaginta feminas simul habere: Christianam autẽ uxorem nulli habere licuit. Euagrius lib.6.c.21. Iidem Christianis militibus obiecẽre, ꝓ probriloco, quòd unicam tantùm ipsis licitum esset coniugem ducere. Procopius belli Vandalici lib.4.

Mahometus TVRCORVM legislator statuit uxores quatuor de cognatione propria singulis: concubinas autẽ tot & seruas emtitias, quot ꝓ facultatib. habere liceret, repudio atq; diuortio semper admisso: quo facilius rudẽ ac imperitũ populum ad se traheret. Zelotypi adulteras capite plectunt: mãcipiis pro libidine utũtur. Licet unicuiq; Turcorũ secundùm legem duodecim habere uxores legitimas, ancillas uerò sine numero quot libuerit. Et secundùm eandem legẽ omnes filij & filiæ ancillarum habentur æqualiter hæredes cũ uxorum filijs. Solẽt enim pluribus in locis ac uillis singulas habere uxores. Nam ob inquietudinẽ ac iurgia, raròin una domo duæ simul manẽt uxores. Possunt aũt dimittere uxores quando uolunt: quoniam uinculũ matrimonij, quod suo idiomate Kebni uocant, in potestate uiri esse dicunt, nõ mulieris. Interuenit tamẽ etiam sacerdotis auctoritas. Aequaliter penè etiam omnibus utuntur, suscipiendæ prolis gratia. Cuspinianus. Aeneas Syl.cap. 56. hist. Boëm. & Polyd. lib. 7. de Rerum inuent.

Mulier pluribus simul nubit.

Apud PERSAS Medosq; mulieres quampluribus nubere licebat: quæ paucioribus quinq; uiris nupsisset, agrestis habebatur, & sordida. Alex.ab Alex.lib.1.cap. 24. & Cælius lib.18. capite 29. Antiq. Lect.

BRITANNORVM mulieres olim uno tẽpore denis & amplius uiris matrimonio locabantur, habebantq; eas fratres cum fratribus cõmunes, parẽtes cum liberis: ac si qui ex his nati essent, liberi habebantur. Cæsar in Com.

ARETE uiuo Dione marito exule nubere coacta Timocrati. Plut. in Dione.

MESSALINA Claudij Cæsaris uxor, non satis habebat adulteria cõmittere & scortari, sed cupiuit etiam pluribus uiris iustis & legitimis nubere. Itaq; nupsit Caio Silio, harũq; nuptiarũ causa conuiuiũ magnificum & sumtuosum fecit, eiq; regiam donauit, in qua congessit omnes Claudij thesauros preciosissimos, eumq; extremùm consulem designauit. Xiphilinus in Claudio.

Heliæ protospatharij VXOR coquo Indo nubere à Iustiniano II. Imp. coacta, uiuente marito. Cuspinianus.

GVIDO Montisferrati comes concubinã suam supposuit cuidam iuueni liberorum desiderio. Fulg.lib.9.c.15.

IACOBINA, uiuo Ioanne duce Brabantiæ marito, Humfredo Glocestrensi duci, & Angliæ rectori nupsit. Polyd.lib.23.

Vir nuptias repetit, tertiat, uel mortua uel repudiata uel alteri concessa priore Vxore.

☞ *Consule Tit. Diuortij, quatenus secundas, tertias, quartas nuptias continet.*

ABRAHAMO non libidinis, sed procreationis causa dedit cõcubinam Agarẽ ancillam Sara uxor. Post Saræ mortẽ duxit Abrahamus uxorẽ Cethuram, ex qua geniti filij dicuntur filij concubinarum, quos cum muneribus in Orientem ablegauit. Et licet Cethura uxor fuerit iusta, cõcubina tamẽ nominatur, quoniam sola Sara semen benedictionis continebat. Mysterium subest: Abrahæ filij spirituales, ex Sara: carnales ex Agare, Ethnici: ex Cethura, Iudęi carnales & hæretici. Forte etiam hoc prouisum est contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum, ut in ipso patre multarũ gentiũ, post obitũ coniugis iterũ coniugari, demonstraretur non esse peccatum. D. Aug.lib.16. de Ciu.Dei, c.34.

M.CATO cùm firma foret ualetudine, rei uenereæ quantũuis senex operam dabat, duxitq; iuuenem uxorem præter ætatẽ suam, ex causa huiuscemodi. Defuncta uxore, filio despõdit Pauli filiam, sororem Scipionis, ac celebs cum puella, quæ cõmeabat ad eum occultè, consuetudinem habebat. Verùm ea res angustis in penatibus, ubi nurus erat, non manebat tecta. Ac cùm mulierculam illam contemtim & audaciùs, ꝑter thalamum filij, in cubiculum Catonis appareret irrumpere: adolescens uerbum quidem nullum fecit, sed rubore perfusus toruè eam aspexit: quæ res non fuit clàm sene. Vt ergo eos animaduertit offendi, nihil incusans aut questus, sed progrediens pro more suo cum amicis ad forum, Salonium quendam, qui scriba eius fuerat, præsentem & se subsequentẽ alta uoce appellat, rogatq; Ecquid filiam elocasset? Quo negante id se nisi illo consulto facturum: Atqui ego, inquit, cõmodum generum tibi inueni: nisi hercle displiceat ætas. nam cætera non est contemnẽdus, uerùm grauis annis. Quẽ cùm eam curam ut susciperet, rogaret Salonius, & quem delegisset ei daret filiam suam nuptui, quæ ipsius cliens esset, eiusq; indigeret solicitudine: nulla Cato interposita mora sibi ipsi aperit puellam petere. Hic primùm haud immeritò attonitus fuit eo sermone homo, remotum à nuptiis Catonem, remotum aũt à domo se consulari & triumphali existimans affinitate: uerùm ubi seriò agentem uidit, accepit conditionẽ libens. Ita descenderunt in forum, atq; sponsalia extemplò fecere. Dum hæ nuptiæ in manibus sunt, Catonis filius adhibitis necessariis requisiuit de patre, quo suo peccato uel offenso nouercam sibi superduceret. Cui Cato exclamans, Bona uerba, inquit, fili, omnia facta tua grata mihi sunt, neq; quod querar, quicquam habeo: sed plures cupio mihi filios & ciues patriæ relinquere tui similes. Hanc sentẽtiam ferunt priùs PISISTRATVM usurpasse Atheniensiũ tyrannum, cùm adultis filiis secundam uxorẽ duxisset Argolicam Timonassam: ex qua Ioph[illegible] & Thessalum fama est genitos fuisse. Ex his nuptiis natu[illegible]atoni est filius, cui à matre agnomen Salonium reddidit. Plut. in Catone.

L.CORN. Sylla quinq; uxores duxit. Primam habuit admodũ adolescẽs Iliam, quæ filiolam ei edidit: ab ea Aeliam, Cæliã tertiam, quam ut infœcũdam missam fecit, sed citra notam & probrum, additis & muneribus. Verùm quòd paucis diebus pòst Metellam duxit, apparuit eum immeritò illam causam in Cæliam prætẽdisse. At Metellam coluit omnib. in rebus constantissimè. Vnde populus Romanus, cùm reuocare exules Marianos desideraret, renuente Sylla, recurrit ad Metellam, eamq; appellauit. In Athenienses quoq;, quòd Metellam ex muro perstringentes fuissent insectati conuitiis, capta urbe consuluit duriùs. Hæc cùm geminos ei edidisset, filium

lium Faustũ, filiã Faustam appellauit. Cùm epulum populo præberet, decimis sui patrimonij Herculi uotis, decessit ex morbo Metella. Quia uerò uetuerunt sacerdotes ei illã adire, uel funere domũ eius pollui: misit ei libellum repudij Sylla, iussitq; spirantẽ adhuc in aliud domiciliũ trãsferri. Paucis intercedentib. mensibus ludi gladiatorij edebãtur, nondum discretis cuneis, sed cùm in ꝑmiscuo etiã tum uiri feminæq; spectarent. Sedebat aũt fortè prope Syllam eleganti mulier forma & genere illustri: Messalæ filia erat, soror Hortensi oratoris, Valeria nomine, quæ nuper fortè diuerterat à uiro. Ea præteriens à tergo Syllam, extendit in eum manum, floccoq; ex toga eius auulso transiit in locum suum. Cùm eã Sylla intueretur, mirareturq;: Nihil est Imperator, inquit, quod te moueat: sed cupio ego quoq; tantillum consors fieri felicitatis tuæ. Fuit id non ingratum auditu Syllæ, uerùm confestim prodidit nonnihil se titillatum. Siquidem misit clanculum certos, per quos nomen, natales, & mores eius disceret. Hinc oculorum inuicem annictus, assiduæ ac leues in se mutuò uultus conuersiones, risus adiectiones, sponsalia deniq; & pacta connubialia. Atqui quamuis hanc haberet domi: cũ mulieribus tamen mimis, citharistriisq; & thymelicis uiuebat, de die cum iis in lectis potãs. Valeria peperit post excessum eius filiam Posthumiam. Plut. in Sylla.

CN. Pompeius, sub recentẽ patris Strabonis mortẽ, eius nomine peculatus fuit postulatus. In iudicio aũt acrem se & supra ætatẽ constantẽ probans, tantũ nomen & fauorem cõparauit, ut prætor Antistius, eius iudicij quæsitor, Pompeiũ in oculis ferret, filiamq; suam ei nuptum offerret, deq; ea re ageret cũ amicis eius: quã conditionẽ accepit Pompeius. Quãuis aũt facta in arcano essent sponsalia, nõ fefellit res tamen propter studiũ in eum Antistij plebẽ. Tandẽ cùm sententiã, qua iudices Pompeium absoluerẽt, pronunciasset: populus quasi signo dato acclamauit illud, quod de more antiquitùs in nuptiis acclamari solet, Talassio. Postquã rerũ in Italia Sylla potitus, atq; dictator est dictus: cæteros remunerauit legatos & duces suos, opib. augẽs eos, ad honores prouehẽs, largiẽsq; cumulatè & liberaliter ea, quæ quisq; postulabat: Põpeium uerò, qui sese ei cum trib. legionib. è Piceno adiunxerat, suspiciens, magnũq; ducẽs rationib. suis præsidiũ, elaborauit quouis modo eum propinquitate sibi conglutinare. Cõprobante id uxore eius Metella, induxerunt Põpeium, ut dimissa Antistia, priuignã Syllæ Aemiliam, Metella & Scauro genitã, duceret uxorẽ, quæ alteri iam nupta uterum tunc gerebat. Fuerũt tyrannicæ hæ, atq; Syllæ potius tẽporib. quã Põpeij congruẽtes morib. nuptiæ: dum grauida Aemilia ab altero ad illum abstrahitur, & expellitur Antistia ignominiosè misereq;, ut quæ patre quoq; nuper uiri causa orbata esset. Antistius enim, ꝙ Põpeij causa stare ab Sylla putaretur, fuit in curia interemtus. Mater eius hoc uidẽs, mortẽ sibi ultrò cõsciuit. Ita hæc quoq; istarũ nuptiarũ tragœdiæ accessit calamitas, & uerò etiã mox pariẽtis apud Põpeiũ interitus Aemiliæ. Mutiã inde duxit: quã ex Asia reuersus propter impudicitiam repudiauit. Catonis ex fratre neptẽ ambiens repulsam tulit. Reuerso ex prouinciis Cæsare, eiusq; opera cũ M. Crasso reconciliatus, ut ambitionẽ suã firmiore uinculo cum Cæsare cõnecteret, Iuliã Cæsaris filiã Cæpioni pactam & nupturã intra paucos dies nemine expectante duxit. Ad leniendã uerò Cæpionis iram filiã suã despondit ei, Fausto Syllæ filio antè destinatã. Vxoris aũt iuuenculæ emollitus amore Põpeius, ferè assiduus cum ea ruri & in hortis egit: postmisit etiã negotia forensia. Vnde Clodius, qui trib. pleb. tum erat, eius cõtemtu accinxit se ad audacissima quæq;. Mortua ex partu Iulia, uxorẽ duxit Corneliã, Metelli Scipionis filiã, uiduã nuper relictã à Publio Crassi filio, cui collocata uirgo fuerat, apud Parthos interfecto. Ei præter ætatis florem multæ ueneres inerant. Nã literis, lyra, musica, & geometria erat exculta, præceptisq; non sine fructu imbuta philosophicis. His accedebat morũ grauitas, ab omni acerbitate & curiositate aliena: quib. scilicet illæ disciplinæ imbuũt iuuẽculas. Pater genere & existimatione nõ pœnitendus. Verũtamen non placebãt quibusdã intẽpestiuæ hæ nuptiæ: quippe erat Corneliæ Põpeij filio maturius matrimoniũ. Bello ciuili contra Cæsarẽ suscepto eã cum [illegible] Mitylene loco securo & amœno deposuerat. Fugiens [illegible] acie Pharsalica comitẽ eã errorũ habuit. Alexandriã ad Ptolemæum proficiscẽs, eiq; uale dicto, in ipsius oculis ab Achilla trucidatus est. Plut. in Pomp.

Habuit C. IVL. Cæsar uxores quatuor. Cossutia prima dicta, diues admodũ, sed è familia equestri, puero penè adhuc Cæsari desponsata fuit: quã per renunciationẽ in sponsalib. dimisit. Secunda Cornelia, Cinnæ quater cõsulis filia fuit, ex qua Iuliã filiã genuit: quã in uxorem Cn. Pompeio dedit post recõciliationẽ: licet antea Seruilio Cæpioni hãc despondisset, cui Põpeij filiã, etiã Syllæ filio Fausto desponsatã, collocauit. Hãc Corneliam Cæsar mirùm amauit: utq; eam repudiaret, nulla re à Sylla dictatore persuaderi potuit, immò & defunctam pro Rostris laudauit oratione cultissima: magnam hinc popularem beneuolentiã assecutus. Eius etiam fratrem L. Cinnã, qui in ciuili discordia Lepidũ sequutus exulauerat, reduxit. Tertia uxor fuit Pompeia, Q. Pompeij filia, Syllæ neptis: quam repudiauit, diuortiumq; fecit, ob P. Clodium muliebri habitu in sacris Bonæ deæ deprehensum, qui eã sectabatur adulterasse. Quartã duxit Calphurniã, L. Pisonis filiã, qui se in consulatu sequebatur. Hæc multùm Cæsarẽ amauit, plurimùmq; eo die, quo in senatu occisus est, somnio territa (nam maritum in gremio suo confodi somniabat) hortari cepit, ne curiam ingrederetur. Post Cæsaris uerò cædẽ, ad ædes M. Antonij se contulit, pecuniamq; à Cæsare relictam penes eum deposuit, quatuor millium talentorum. Ex Cleopatra Aegypti regina, cuius blãditiis captus fuit, dũ Alexandriæ fuit, Cæsarionẽ filiũ suscepit. Plut. in Cæsare, & Suet.

M. ANTONIVS uxorem suã, C. Antonij, Ciceronis collegæ, filiã, patruelem suã, repudiauit, ob suspicionem adulterij cum Dolabella cõmissi. Inde Fuluiã Clodij plebis cõcitatoris uiduã uxorem duxit, mulierem nõ ad lanificium aut ad rei familiaris administrationem factã, neq; in uirum cõtentã dominari priuatum: sed quæ imperãti imperare, & ducem uolebat ducere: ut mercedẽ Fuluiæ, ꝙ ancillari Antoniũ docuisset feminis, debuerit Cleopatra: quæ planè cicurem, atq; à tyrocinio institutum ad obtemperandum mulierib. accepit. Victis Bruto & Cassio, cùm in Orientem profectus, Cleopatræ amoribus fascinatus esset, & interim Fuluia, orta cũ Cæsare Octauio dissensione, Italia pulsa, Sicyone ex morbo decessisset: cum Octauio reconciliatus, arctioris uinculi causa eius sororem duxit Octauiam, quã Cæsar mirificè diligebat. Hæc C. Marcello, cui nupserat, non ita dudũ defuncto uidua erat. Has nuptias suaserunt omnes: quòd Octauiam sperarent, quæ excellentiæ formæ grauitatem & prudentiã habebat adiunctam, ubi Antonio coniuncta esset, atq; ut talis femina haud dubiè ab eo adamata, omniũ rerum ipsis salutẽ & concordiã allaturã. Vbi placuit utriq; conditio, Romã ꝓfecti sunt ad Octauiæ nuptias celebrandas. Quia uerò uetabat lex, ne qua mulier, nisi exactis à morte uiri decem mensibus, nuberet: tẽpus est eis senatuscõsulto remissum. Ex ea liberis susceptis, in Orientem profectus, Cleopatræ illecebris ita dementatus est, ut non modò Parthico bello turpẽ se dederit, uerumetiã 14. ferè annis cũ ea uolutatus, Octauiã Romæ domo expelli curauerit, & hinc bello ciuili orto, ad Actium turpiter uictus, in scorti amplexibus uitã impurissimã ignauissimè deposuerit. Plut. in Antonio.

AVGVSTVS Cæsar primã sponsam adolescens habuit, P. Seruilij Isaurici filiã. Sed post reconciliationem in triumuiratu cũ M. Antonio, ut necessitudine aliqua necterẽtur, priuignã eius Claudiã, Fuluiæ ex P. Clodio filiã duxit, uix dum nubilẽ: sed post simultatẽ cum Fuluia socru inchoatã ante bellum Perusinum, aut ex alia obscena re, quam Augustus quodam epigrãmate explicuit, intactã adhuc uirginẽ dimisit. Tertiò, Scriboniã de familia Libonum in matrimoniũ accepit, nuptã antè duob. cõsularibus uiris, & ex altero matrẽ etiã. Ex hac Iuliã filiã genuit, quæ primùm Marcello Octauiæ sororis suæ filio uix pueritiam egresso nupsit: sed eo mortuo M. Agrippæ dedit, intercessione sororis suæ. Nullam aũt è sobole felicitatẽ, quam ex Scribonia habuit, sortitus (Caius enim & Lucius, Iuliæ & Agrippæ filij, ab Augusto adoptati, foris periere: Agrippa posthumus in insulã trãsportatus est) pertæsus etiã morum peruersitatẽ, diuortium fecit, ac statim Liuiã Drusillã, quæ ex Tiberio Nerone iam grauida erat, illo concedente, quartã duxit uxorẽ: cuius filij erant Tiberius & Drusus: dilexit eã unicè ac perseuerãter: sed nihil liberorũ ex ea tulit, cùm maximè cuperet. Post tertiũ enim mensem peperit Drusum patrẽ Claudij Imp. ut prouerbio diceretur, τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία, Felicibus etiã trimestres nascuntur filij. quũ suspicio esset, eã prius ex Augusto per cõsuetudinẽ adulterij, antequã duxisset uxorẽ, impregnatã. Vnde Tiberius priuignus est dictus Augusti. Cuspinianus, ex Suet.

CAIVS Cæsar habuit plures uxores. Ante initũ principatũ habuit Iuniã Claudillã, M. Syllani nobiliss. uiri filiã, quã ex partu amisit. Claudiã appellat Tacitus. Dehinc Enniã Næuiam Macronis, qui cohortib. prætorianis præerat, uxorẽ sollicitauit ad stuprũ, assentiente tamẽ marito, matrimoniũ & iureiurãdo & chirographo ꝓmittẽs: quare in amicitiã per hãc uenit cũ Macrone, qui postea Tiberio, iussu Caij, uenenũ porrexit: adeò uterq; in necẽ Tiberij elaborarat. Post adeptũ autẽ imperium accepit Liuiã Horestillã, C. Pisoni prius nuptam, quã è cõuiuio abduxit, & manè gloriatus est uxorẽ instar Romuli sibi esse repertã. Hanc intra paucos dies repudiatã, biennio pòst relegauit: ꝙ repetisse prioris mariti Pisonis usum medio tẽpore uidebatur. Quartã dehinc uxorẽ duxit Lolliã Paulinã, M. Lollij, Caij filij, Augusti rectoris filiã, antè C. Mẽmio nuptã, qui consularẽ exercitum regebat. Cùm facta fuisset mentio auiæ eius, ut quondã pulcerrimæ, subitò prouincia euocauit, ac perductã à marito cõiunxit sibi, breuiq; missam fecit, interdicto cuiusquã in perpetuũ coitu. Tandẽ Cæsoniã accepit, luxuriæ perditæ mulierẽ, quæ iam ex alio uiro tres habuit filias, neq; pulcrã, neq; iuuenem. Hãc tanto ardore amauit, ut pelta & galea armatã, iuxta se adequitantẽ militibus ostenderet, amicis uerò nudam. Suetonius.

CLAVDIVS Cæsar habuit admodum adolescens spõsas duas, Aemiliã Lepidam Augusti proneptem, ex Paulo Aemilio Censoris filio & Iulia nepte: hanc uirginẽ repudiauit, quòd L. Paulus Augusti progener, qui pater fuit huius Aemiliæ Lepidæ, coniurauerat in Augustum: cuius coniuratio priusquã inualesceret indicio detecta, ab Augusto cõpressa est. Alterã sponsam habuit Liuiam Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo dictatoris Camilli: quam eo ipso die, qui nuptijs erat destinatus, ex ualetudine amisit. Deinde uxores duxit Planciã Herculanillam, triumphali patre natã, cum qua diuortium fecit ob libidinũ probra & homicidij suspicionem. Genuit tamen ex ea filium Drusum Pompeium (quem puberem amisit, iactu pyri crudeliter enecatũ: cui ante paucos dies mortis suæ, filiam Seiani despõderat) & filiam Claudiam, ex liberto suo Botere conceptam, quãuis ante quintum mensem diuortij natam, aliq; ceptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abijci. Tum Aeliam Petinam, ex Tuberonum familia, natam patre consulari, ex qua Antoniam filiam suscepit, ob leues offensas repudiauit, & Valeriam Messalinam, Barbati Messalæ consobrini sui filiam duxit. Iurauit dehinc se permansurũ in cælibatu Claudius, sed durauit minimè. Nam consilio Narcissi Aeliam Petinam, ex quã Antoniam genuerat, quæ Cn. Põpeio Magno, qui confossus est, deinde Fausto Syllæ nobiliss. iuuenibus collocata est, recipere cogitauit. Consilio aũt Callisti Lolliam Paulinam, C. Cæsaris uxorẽ, quòd absq; liberis esset, ducere cogitauit: quæ post Agrippinæ nuptias, iussa est Italia decedere. Præualuit tamen Pallas libertus, qui suasit ut Iuliam Agrippinam, Germanici fratris filiam, quæ Domitio Aenobarbo nupta, Cl. Neronem (quẽ postea Claudius adoptauit) peperit, uxorem duceret, quæ illecebris etiam blandiss. ac iure osculi, quo cognati utebantur, in amorẽ sui pellexit Claudium, ut incestas nuptias celebraret. Idem.

Habuit NERO uxores tres: primam Octauiam, filiam Claudij principis, quã pater Neroni despondit post matrimoniũ Agrippinæ. Huius consuetudinẽ citò aspernatus, corripiẽtib. amicis, sufficere illi debere respõdit uxoria ornamẽta. Eandẽ mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit sterilem: Sed improbante diuortiũ populo, relegauit primùm in Cãpaniã, dehinc in insulã Pandateriã. Non alia exul femina uisentiũ oculos (ut tradit Cornelius) maiore misericordia affecit. Dehinc ei adulteriũ obijciens, multos subornauit: quos etiam tormẽtis cõpulit, ut Octauiæ adulteriũ faterentur. Tãdẽ Anicetus à se dolo stupratã cõfinxit. Ob id mori iussa Octauia, uenis incisis. Sed quia pressus pauore sanguis tardius labebatur, præferuidi balnei uapore enecatur. Hinc Seneca materiã Tragœdiæ sumsit, cui titulus est Octauia. Die duodecima à diuortio Octauiæ, duxit Poppeã Sabinã, Titi Ollij filiã, & equiti Rom. Ruffo Crispino antè nuptã (ex quo filiũ genuerat Crispinũ, quẽ Nero occidit) quæ nomen aui paterni sumserat illustri memoria Põpeij Sabini, cõsularis, & triumphali decore præfulgẽtis. Huic omnia alia fuère, præter honestũ animũ. Eã unicè dilexit, quia luxuriæ magistra singularis erat. Sed grauidam, ictu calcis afflixit. Tulit ex ea filiam Claudiam Augustã, quã intra quartum mẽsem amisit. Cùm deinceps Antoniam filiã Claudij ex Petina (quæ uxor fuit Cornelij Sullæ) sibi iũgere peteret, recusantẽ, iussit occidi: ac deinde Statiliã Messalinã, Tauri bis cõsulis ac triũphalis abneptẽ, tertiã uxorem duxit. Qua ut potiretur, uirum eius Atticum Vestinum cõsulem in honore ipso trucidauit. Cusp.

HELIOGABALVS Imp. impuriss. duxit, teste Herodiano, uxorẽ illustriss. feminam, quam etiam Augustam appellauit: cum eã tamen haud paulo pòst diuortium fecit, ademtisq; honorib. priuatã colere uitam iussit. Pòst Vestalem uirginẽ abreptã è templo pro uxore habuit: Senatũ per epistolã consolatus, humanum esse id peccatum; captũ se illius amore: cæterùm sacerdoti Solis cõgruere sacerdotis Vestæ nuptias, ob idq; etiã augustiores futuras. Sed eã quoq; paulo pòst dimisit, tertia uxore ducta, quæ referre suũ genus ad Cõmodũ dicebat. Sed neq; hanc diu seruauit. Famosissimã quandam meretricẽ centum redemit sestertijs, eamq; ueluti intactam uirginem coluit. Lampridius.

VALENTINIANVS I. Imp. duas habuit uxores, Seuerã, ex qua Gratianũ Imp. genuit: & Iustinam, quã ob nimiam pulcritudinẽ, cõmendante ita Seuera priore cõiuge, etiã duxit: hæc filia fuit Iusti, qui iudex Piceni fuerat tẽporib. Cõstantij. Is cũ ex dextro suo femore imperialem purpuram se genuisse somniaret, & uisio hæc ad Cõstantium esset delata, timẽs ne ex eo Cæsar nasceretur, Iustum occidit. Iustina filia orphana relicta, ob pulcritudinẽ est Seueræ uxori Valentiniani cõcillata, receptaq; in summã familiaritatẽ. In ea dum lauaretur, miram Seuera corporis pulcritudinem admirata, marito retulit se quoq; mulierẽ illius specie captã. Imperator his uerbis allectus, eã quoq; uxorẽ duxit, noua lege lata, ut quicũq; uellent uiri, impunè possent duas accipere uxores: sic enim populosas fore gentes. Ex hac genuit Valentinianũ iuniorẽ, quẽ Gratianus in cõsortem imperij accepit: & tres filias, Iustã, Gratam, & Gallã. Duæ uirgines perseuerarũt, Gallã Theodosio Imp. nupsit, & Placidiam ei filiam peperit, q̃ mater fuit Valentiniani Imp. Ex Flacilla priore coniuge prius Arcadium & Honorium genuerat. Cuspinianus.

Ante annos plurimos (scribit D. Hieron. ad Ageruchiũ) quũ in chartis ecclesiasticis iuuarẽ Damasum Romanæ urbis episcopum, & Orientis atq; Occidentis synodicis cõsultationibus respõderẽ, uidi duo inter se paria uilissimorũ è plebe hominũ cõparata: VNVM, qui uiginti sepelisset uxores: ALTERAM, quæ uigesimũsecundũ maritũ habuisset: & extremo sibi, ut ipsi putabãt, matrimonio copulatos. Summa omniũ expectatione, uirorũ pariter ac feminarũ, post tot rudes uter alterũ prius efferret: uicit maritus, & totius urbis populo cõfluente coronatus, & palmam tenens adoransque singulos sibi acclamantes, uxoris multinubæ pheretrum præcedebat. Cælius lib 14. c. 8. A. L. & Sigonius lib. 8. Imp. occid.

RVTHENI tertiã ducere uxorẽ uix concedunt, & non admodum legitimum matrimonium esse putant. Quartam uerò nec concedunt, neq; etiam Christianum esse iudicant. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

LEO V. Imp. habuit quatuor uxores. Theophaniã primã, filiã Martinacij patricij, quã inuenio à plerisq; dictã Stephaniã, in cuius gratiã D. Stephano templum extruxit. Nihilominus perditè amauit filiã Zantzi Stiliani, Zoën nomine, & in illius gratiã patrẽ creauit Dromilogotheten, & nomine nouo Basileopatrẽ cepit appellare. In agro uersans per Zoën, quæ illum dormiẽtem excitauit, euasit insidiatorum manus. Itaq; magis in amorem eius exarsit: & Theophania mortua, eã ex cõcubina Augustã fecit. Sed nondũ exacto biẽnio perijt. Duxit inde tertiã uxorẽ Eudociã ex Opsicio, pulcritudine alias oẽs præcellentẽ, quæ breui pòst tempore, in partu cum fœtu mortua. Rex hæredis cupidus, ex iudiciaria didicerat futurũ sibi hæredẽ filiũ Imperatorẽ: eaq; ductus persuasione, quartã duxit uxorẽ Carbonopsiã Zoën. Eapropter Nicolaus Patriarcha eum ecclesiastica censura notauit. Imperatore, nusquã in sacris literis nuptias quartas ꝓhibitas esse, affirmãte; cùm Nicolaus recusaret Imperatorẽ absoluere, in exiliũ deportatus est: ac parũ abfuit, quin decretũ fuerit ꝓmulgatũ, licere cuilibet, exẽplo Imperatoris, uxorib. defunctis, secundam, tertiam & quartam ducere. Zonaras, & Cusp.

CAROLVS Magnus Imp. habuit uxores quinq; legitimas. Primam Galienam, Galastriæ regis Toletani in Hispania filiam, sterilem. Secundam Hermingardim (alij Theodorã uocant) Desyderij Longobardorum regis filiam, quam post annum repudiauit, non sine magna matris indignatione. Tertiã Hildegardim, ducis Sueuiæ Hildebrandi filiam, quam mirè dilexit, & tres ex ea filios, Carolum Galliæ citerioris regẽ, Pipinum regem Italiæ ducemq; Bauariæ, Ludouicum regẽ Aquitaniæ & Cæsarem, totidemque filias sustulit, Rotrudim (quæ desponsata fuerat Constantino VI. Græco Imp. sed mater Irene matrimonium inuito filio nouas nuptias impediuit. ob quam rem Rotrudis innupta permansit, neque impari se nupturam in animum inducens, neq; parem nacta) alteram Bertham: tertiam Giselam, quæ se perpetuæ uirginitati deuouit. Quartam uxorem accepit Carolus Frastradam, filiam Ratolij Comitis Franciæ Orientalis, quæ Sestrada alijs dicitur, suaq; crudelitate plus satis nota. Ex ea duas tulit filias, Theodoram & Hildrudim. Postremò Luitgardam duxit Sueuam, sterilem. Cuspinianus.

Habuit Imperator LVDOVICVS Pius duas uxores. Primam Hermingardem, filiam Ingrami ducis Saxoniæ: ex qua tres genuit filios, Lotharium primogenitum, quem regem Italiæ in Bernardi locum substituit, quem Paschalis Pontifex in Augustum inunxit, & qui patri in imperio successit: alterum Pipinum, quem pater in Aquitaniam misit, & illi filiam Theoderici comitis Matricẽsis uxorem dedit, sed ante patrẽ obijt; relicto filio eiusdem nominis: & Ludouicum tertiò genitũ, qui pòst cognomento Senior dictus est, rex Germaniæ, Bauariæ & Orientalis Franciæ. Alteram Iuditham, filiam Vuelfonis, primi comitis Altorfensis in Sueuia, sororem Ethiconis: mulierem forma insignem, & ingenio præstantem: è qua sustulit filium Carolum: cui cùm plus æquo fauere à cæteris filijs suspicaretur, in odiũ aliorũ incidit. Hic est postea Carolus Caluus dictus Imperator. Cuspinianus.

FRIDERICVS II. Imp. sex uxores duxit. Primã Constantiã, reginã Aragoniæ, ex qua genuit Henricum ducem Sueuiæ, & regem Romanorũ, & Iordannem, qui puer obijt. Alteram Iolen, Ioannis Comitis Brennæ, & regis Hierosolymitani filiam, quam ei pater, in Europã cum cæteris Christianis principibus reuersus, in matrimonium desponderat. cùm Romæ ab Honorio persuasus, acceptis muneribus Pisas se cõtulis-

ſet, ac ius quod in regno Hieroſolymitano ſibi competebat, dotis nomine donaſſet. Vnde perpetuus hæreditario iure titulus eius regni ad poſteros peruenit, ut reges Neapolitani, Hieroſolymitani quoq; appellentur. Ex hac Conradũ ꝓgenuit Romanorum regem. Tertia uxor Agnes, filia Othonis Morauię Ducis. Quę repudiata, Vdalrico duci Carinthię nupſit. Quarta, Rutina dicta, filia Othonis comitis de Vuolſfertzhauſen in Bauaria. Quinta Iſabella, filia Ludouici Ducis Bauarię, qui in Kelheym oppido cæſus fuit. Sextam ferũt habuiſſe Mechtildem, Ioannis regis Angliæ filiam, quã pontificis diſpenſatione (quandoquidem affinitatis gradus obſtabat) accepit. E quibus filias quidem, ſed nullos filios procreauit. Cuſpinianus.

VLADISLAVS Iagello, Lituaniæ dux, uxore prima Heduige ducta, regũ Polonię aſſecutus, ea mortua accepit Annã Ciliæ comitiſſam. Tertias nuptias iam ſenex celebrauit, indignas ætate & dignitate ſua, ducta in matrimonium Elizabetha Pilecia, Othonis palatini quondam Sendomirienſis filia, uidua prouectæ iam ętatis, & complurium uirorum thoros experta. Quartam tandem duxit Sophiam Ruſſam, ex qua liberos mares ſuſcepit tres, iam decrepitus, ita ut propter ætatem reginę pudicitia malè audierit. Cromerus lib. 18. & 19.

MAGNVS Sfortia, defuncta priori coniuge, Antonia Salimbenia Senẽſi, acceſſit ad ſecundas nuptias dira neceſſitate coactus, quũ à Pandulpho Alopo, ærarij regni Neapolitani ꝑfecto, inuidia uirtutis eius, & obtrectatione creſcẽtis apud reginã Ioannã gratiæ, in carcerẽ eſſet cõiectus. Neq; enim aliter uel placare Alopũ, qui cuncta unus totius regni munia uſurparat, aut deniq; reginæ uoluntatẽ à uindictę ſuſpiciõe redimere potuit, ꝙ̃ Catella Alopi ſorore in matrimoniũ ducta. Siquidẽ Alopus pręcellẽti forma, eruditis mundiciis, & latere demũ infracto, deuictã penitus, & in ſeruitutẽ (animo ſcilicet muliębri, & impotẽti amore facilè ſubacto) redactã, nutib. regebat. Ea affinitas maturatis nuptiis apparatiſſimè celebrata, Sfortiã hauddubiè à parato iã capitali ſupplicio ſeruatũ, in libertatẽ eduxit, leuauitq; itẽ Alopi animũ ingẽti metu: quũ meritas illatæ iniuria pœnas, à uiro fortiſſimo, & tot militũ gladiis inſtructo formidaret. Cæterùm Catella, nihil omnino à fratre præter uenuſtatẽ ad maritũ attulit, dote ſcilicet à regina liberaliſſimè collata. Dotali ſiquidem iure quinq; caſtella in Samnio in Sfortiæ ditionẽ uenerunt. Peperit Catella nõ toto uertente triennio tres liberos, præmiſſa puella, quã nomine ſuo regina Ioannã uocauit: mares item duos, Leonardum ſcilicet, & Bartholũ. Iouius in uita eius.

HENRICVS IIX. Anglorũ rex, ut in religione, ſic in coniugio uarius, duxit primò Catharinã, Arthuri fratris defuncti uiduã, Ferdinãdi Hiſpaniæ regis F. & ex ea Mariã ſuſcepit. Sed eã pòſt Thomæ Volſæi epiſcopi Vintonienſis inſtinctu repudiauit, & Annã Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rochofordiæ, quæ reginæ inſeruiebat, duxit: & ex ea Elizabethã ſuſcepit. Nõ multo pòſt Anna grauida deprehẽſa in adulterio, capite cũ ſuis mœchis plexa eſt. Henricus poſtea duxit Ioannã filiam Ioannis Seymer equitis, forma æquè ut moribus ornatiſſimam feminã, ex qua genuit filium Edouardum VI. anno 1538. Polyd. lib. 27. Hinc Annam Cliuenſis ducis ſororẽ duxit, eadẽq; repudiata Catharinam Hauardam, Norfolciæ ducis è fratre neptem. Biennio pòſt eandẽ quoq; capite plectit, quòd cùm eam pro uirgine duxiſſet, antea fuiſſe corruptam atq; uitiatam cõperiſſet. Qui uitiarat, in Hyberniã abierat, ibiq; publici quid muneris habebat. Reuocatus autẽ ab illa, iam regina, & in familiã aſcriptus, capite multatus fuit poſt eam, ut alij quidam, partim ob idẽ flagitium, partim ob reticentiam. Ea ſublata, ſextam rex duxit Catharinam Parram. Sleidanus lib. 9. 10. 13. & 14.

Mulier nuptias iterat, priore Marito mortuo, repudiato, relicto. Vxores aliis conceſſæ.

Memoriæ proditum eſt TAPYRIS urbe Parthiæ morem eſſe, ut proprias uxores aliis uiris nuptui concedant, cùm duos tréſue filios ex eis ſuſceperint. Strabo lib. 11.

Lacedęmonius ex Lycurgi inſtituto retinẽs domi VXOREM, priore manente fœdere coniugij, uſum uxoris permittebat ad ſtirpem propagandam exoranti. Multi etiam domum inuitabant alios, ex quibus putabant potiſſimum uenuſtos & probos filios poſſe procreari. Plut. in cõp. Lycurgi & Numę. Itaq; Agetus, Alcidis F. iuſiurãdi ſeruãdi cauſa VXOREM ſuam Ariſtoni regi Spartanorũ conceſſit. Herod. lib. 6.

Legibus Solonis ſancitur, ut ſi maritus ad rationẽ uenereã minus potens foret, mariti propinquus illius VXOREM nanciſcatur. Quare Atalus Aſiæ rex, cùm falſus rumor inuaſiſſet, Eumenem fratrem morte ſublatum fuiſſe, protinus illius CONIVGEM unà cum regno ſibi uendicauit: deinde Eumene ſuperſtite, uxorem illi ſimul & regnum reſtituit. Alexãder libro primo, cap. 24. Sic etiã Socrates XANTHIPPEN alteri uſuariam conceſſiſſe fertur.

Pericles VXOREM habebat propinquam ſuam, quæ antè nupta Hipponico fuerat, & illi Calliam ediderat diuitẽ illum. Genuit in matrimonio Pericli, Xanthippum & Paralum. Id cùm eſſet matrimonium utriq; odioſum, collocauit eam alteri non inuitam. Plut. in Pericle.

STRATONICA Demetrij Poliorcetis F. Seleuco concedente, Antiocho eius filio nupſit. Plutarchus in Demetrio, & Sabellicus lib. 7. En. 4.

Romanus, ex inſtituto Numæ, cùm eſſet ei copia liberorũ, exoratus ab alio, qui ſobolem quæreret, permittebat ei VXOREM: cùm dimittẽdi eam prorſus, cõmodandiq; alteri atq; inde recipiendi eam arbitrium haberet. Exẽplum illuſtre eſt MARTIA Catonis Hortenſio deſpõſata, quam eo mortuo iterum recepit. Plut. in Catone.

Tiberius, Tiberij Cæſaris pater, uxorẽ LIVIAM Druſillam, & tunc grauidam, & antè iam apud ſe Tiberium enixam, petẽti Auguſto Cæſari conceſſit. Suetonius.

Dionyſius tyrãnus Syracuſanus cùm poſtularet MATER eius ciui cuipiam collocari: Ciuitatis, reſpõdit, leges, aſſecutũ ſe tyrannidẽ, euertiſſe: naturæ uerò, ut nuptias intempeſtiuas conciliaret, uim afferre non poſſe. Plut. in Solone.

Naupacti Veneri in ſpelunca ſuos habent honores: uota ei nũcupant, & alijs de cauſis, ſed inprimis VIDVÆ mulieres ſibi à dea alteras nuptias expoſcunt. Pauſanias in Phocicis.

Cleomenes Leonidæ F. cùm Ephoros tollere, & Lycurgi leges reducere tentaret, conciliauit ſibi multos ciuium, matre interprete CRATESICLEA, quæ numos ei ſuppeditabat largè, eiusq; ſeruiebat gloriæ: quippe etiam dicitur filij gratia nupſiſſe, cùm id non affectaret, Megiſtono principi ciuitatis auctoritate & opibus. Plut. in Cleomene.

GLAPHYRA Archelai Cappadocũ regis F. tertias nuptias acceſſit. Nupſit enim primò Alexandro Herodis filio, fratri Archelai, qui patri ſucceſſit. Alexandro à patre occiſo, iterũ nupſit Iubę regi Mauritaniæ. Hoc quoq; defuncto, uiduã apud patrẽ agentẽ in Cappadocia duxit Archelaus tetrarcha, repudiata Mariamme. Ioſephus lib. 17. c. ult.

Si qua MVLIER apud Rom. ante decẽ menſes ab obitu mariti nupſiſſet, probro notabatur, ut in lib. Codicis legitur: & ex decreto Numæ, teſte Plut. uaccam prægnantẽ immolabat. Polydorus lib. 6. c. 9. de Rerum inuentoribus.

BEATRIX Bonifacij ſecundi Italię Marchionis uidua, cùm ab Imperatore obiurgaretur, quòd Godefrido Lotharingo nupſiſſet: reſpondit, ſe deſolatę domui patronũ paraſſe, & ingenuam ingenuo ſine fuco nefariæ machinationis nupſiſſe. Itaq; cum æqui boniq; non eſſe memorem, ſi id ſibi nõ permitteret, quod in Imperio Romano nobilibus feminis ſemper licuiſſet. Schafnaburgenſis.

QVALITATIS RESPECTV.
Secundùm ANIMI MORES. CONIVGES
Similes moribus.

Homerica nobis doctrina ſuggeritur: HELENAM diuitiarum fuiſſe appetentẽ, at PARIDEM uoluptatũ. VLYSSEM uerò prudẽtia cõſpicuũ, modeſtia PENELOPEN. Quid ergo inde ꝓuenit? Nẽpe horũ connubium felix atq; optabile: at Paridis nuptiæ cum Helena, ex Græcorum Barbarorumq; calamitatibus Iliada confecere. Cælius lib. 28. c. 21.

Martialis in peſſimos CONIVGES libro octauo:

Cùm ſitis ſimiles, pareſq; uita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus:
Miror, non bene conuenire uobis.

In FABIVM & Chriſtillam, idem Epigr. lib. 8.

Effert uxores Fabius, Chriſtilla maritos,
Funereamq; toris quaſſat uterq; facem.
Victores committe Venus, quos iſte manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Diſſimiles moribus.

ABIGAIL mulier uenuſtiſſima & prudẽtiſſima Nabalem ſtolidiſſimum & inhumaniſſimum maritum habuit. 1. Reg. 25.

TARQVINII duo fratres, duas ſorores, Seruij Tullij filias, diſpare ingenio uxores habuerunt. Ferox enim maior Tarquinius, miti ingenio coniugẽ fuerat ſortitus. Cõtrà Aruns probus ipſe, improbam feminam, & ad omne ſcelus præferocem Tulliam. Sab. lib. 5. En. 2.

M. CATO Cenſorius Paulam uxorem uiolentam ac ſuperbã, humili ortam progenie, duxit. Plut. in Catone.

ANASTASIA à Flauio marito ſceleſtiſſimo carceri incluſa fuit, ob Chriſtianam fidem, eiusq; bona in idololatras abſumta. Id quod ex epiſtola eius ad Chryſogonum intelligere licet, apud Suidam.

Concordes.

☞ *Ex Tit. Fidei & Amoris Coniugalis huc quædam.*

Ferdinandus Ioan. Aragonię regis filius, ab Eduardo Angliæ bello uictus, cũ uxore & liberis captus uita priuatus eſt. Soror huius ELIZABETHA FERDINANDO regi Hiſpanię nupſit, atq; ita contigit, ut fratre extincto, ulteriorem Hiſpaniam

niam ſecum dotali nomine ad uirum traxerit. Mira ſunt, quę de reginæ huius indole ferũtur: quę eò propiora uero mihi uidẽtur, quia cum fortiſſimo rege, atq; eodẽ feliciſſimo Ferdinãdo, cui erat nupta, ex æquo, ut fertur, regnũ adminiſtrauit, tanta inter ſe concordia, quanta nulli regũ ulla unquam memoria in cõnubio uixere. Nihil gerebatur, quod non ab utroq; deliberatum, conſtitutum, & ſubſcriptũ eſſet. Hiſpaniæ regni nomẽ cõmune erat: cõmuni nomine legationes expediebantur: in cõmune exercitus cõparabantur: bella cõmunibus auſpiciis gerebantur: & neuter altero maiorem ſibi auctoritatẽ adminiſtrationém ue in eo regno uẽdicabat. Eſt inde Ferdinandus quadriẽnio pòſt citeriorem Hiſpaniã adeptus, quum iam partem amiſiſſet: eſt & Siciliam conſecutus cum Balearibus inſulis, quam ex Alfonſi fratris interitu, qui in Italia regnauit, Ioannes eius pater ſuis opibus adiecerat. Sab. lib. 7. En. 10. & Guicciard. lib. 6.

Reconciliati.

Erat Romæ ſacellum in Palatio deæ cuiuſdã, in quo, ſi quid domi inter CONIVGES inciderat iurgij, locuti, quæ uolebãt, reconciliabantur. Dea hæc Viriplaca nominata eſt: quæ nomine ſuo admonebat, non uxorẽ à uiro placandam eſſe, ſed uirum ab uxore. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib. 2.

Diſcordes.

☞ *Ex Tit. Diuortij quædam, quatenus rixæ & diſſenſiones præcedunt.*

Recitante oratore GORGIA Olympiæ Græcis de concordia orationem, Melanthus. Hic nobis, inquit, auctor pacis eſt, qui ſibiipſi, uxori, & ancillæ, qui domi ſuæ tres ſunt, ut conſentiant nõ perſuaſit. Tenebatur nimirum amore quopiam Gorgias, & coniux æmulatione in ancillam. Plut. in Præceptis connubialibus.

TIBERIVS Cæſar, Agrippina præter uoluntatem dimiſſa, Iuliam Auguſti F. ducere coactus, cũ illa primò cõcorditer, & amore mutuo uixit: mox diſſedit, & aliquãto grauius, ut etiã perpetuò ſecubaret, intercepto cõmunis filij pignore, qui Aquileiæ natus infans extinctus eſt. Eã ubi Rhodi cõperit ob libidines atq; adulteria damnatam, repudiumq; ei ſuo nomine, ex auctoritate Auguſti remiſſum: quanquã lætus nuncio, tamen officij duxit, quantum in ſe eſſet, exorare filiæ patrem frequentib. literis, & uel utcunq; meritæ quicquid unquam dono dediſſet concedere. Suetonius.

CONSTANTINVS Copronymus cum uxore Irene, Cacani Auarum ducis filia ſemper diſcordi animo uixit, cùm illa iconolatra, hic iconomachus eſſet. Cuſpinianus in Cæſ.

FORMÆ RESPECTV.
Formoſæ uxores.

Interrogatus aliquando MARIANVS Sozinus Senẽſis Iureconſultus, Cur minus ſolito literis operam daret? Vxorẽ, inquit, duxi. Rurſus interpellatus, Cur Socrates poſtquã duxiſſet uxorem, non itidẽ philoſophiæ ſtudia neglexiſſet? Xanthippe, ait, moroſa fuit, & deformis: mea uerò proba eſt, & formæ ſingularis. Aeneas Syl. lib. 3. de Alfonſo.

Deformes uxores.

Quidam è conuiuis dixerat ANACHARSIDI, Vxorem duxiſti admodum deformem. At ille, Prorſus, inquit, idem mihi uidetur. Sed heus puer, porrige poculum meracius, ut illam faciam formoſam. Athen. lib. 10.

In EVM, qui uxorem deformem habebat, Palladas in 2. Epigr. Græcorum ſic ludit:

Ο τὴν γυναῖκα τὴν ἄμορφον δυςτυχῶν,
λύχνους ἀνάψας ἑσπέρας, σκότος βλέπει.

AETATIS RESPECTV.
Similes.

De BAVCIDE & PHILEMONE Ouidius 8. Metamorph. ſic ſcribit:

Sed pia Baucis anus, parilíq; ætate Philemon,
Illa ſunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Conſenuêre caſa, paupertatemq; ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.
Nec referet dominos illic famulóſue requiras,
Tota domus duo ſunt, ijdemq; parentq; iubentq;.

Diſſimiles.

☞ *Vide locum* Ἀνήψεως, *Senex ducit iuuenculam, Anus nubit iuueni.*

AMASIORVM AMICITIA.

Exempla ex Tit. Amoris amaſiorum petantur, & Meretricum. Illic Affectus conſideratur, hîc Coniunctio animorum atque corporum ueluti Fortuita.

Amicitiæ meretriciæ inconſtantiam & infelicitatẽ Phœnicides apud Stobęũ in dramate quodã ſub SCORTI perſona, cũ Pythia cõfabulantis, & cum trib. amatoribus, Milite, Medico & Philoſopho conuerſationem narrantis, elegãter deſcribit:

Εὐθὺς ἐπιχειρήσασα, φίλον εἶχόν τινα
ϛρατιωτικόν. διηγεῖτο τὰς μάχας
ἔλεγχε, ἐδείκνυ ἅμα λέγων τὰ τραύματα,
εἰσέφερε δ' οὐδὲν· δωρεὰν ἔφη τινὰ
παρὰ τοῦ βασιλέως λαμβάνειν, καὶ τοῦτ' ἀεὶ
ἔλεγε. διὰ ταύτην ἣν λέγω τὴν δωρεάν,
ἐνιαυτὸν ἔσχε μ' ὁ κακοδαίμων δωρεάν.
ἀφῆκα τοῦτον. λαμβάνω ἄλλον τινὰ
ἰατρόν. οὗτος εἰσάγων πολλούς τινας
ἔτεμν', ἔκαε, πτωχὸς ἦν καὶ δήμιος.
δεινότερος οὗτος θατέρου μοι κατεφάνη·
ὁ μὲν διηγεῖτ' ἔλεγχε, ὁ δ' ἐποίει νεκρούς.
τρίτῳ συνέζευξ' ἡ τύχη με φιλοσόφῳ,
πώγων' ἔχοντι, καὶ τρίβωνα, καὶ λόγον·
ὡς πρῶτον ἦλθον ἐμπεσοῦσ' εἰς τὸ κακόν·
οὐδὲν ἐδίδου γάρ· εἰ δέ τ' αἰτοίην, ἔφη
οὐκ ἀγαθὸν εἶναι τἀργύριον. ἔστω κακόν·
διὰ τοῦτο δός μοι, ῥῖψον. οὐκ ἐπείθετο.

Artem profiteri iſtam cepi quo tempore,
A quodam amari contigit me milite,
Qui iactitabat uſq; & uiq; prælia,
Simulq; multa proferebat uulnera,
Sed afferebat nil: ſibi dona pollicens
A rege (ut inquiebat ille) plurima.
Quæ dona propter, ille conſuetudinem
Dono per annum accepit integrum meam.
Eum reliqui, atq; medico me tradidi:
Totos ſecabat ille & urebat dies
Pleroſq;, pauper atq; carnifex erat.
Exhorrui ergo magis eum, quàm militem:
Narrabat hic, at ille patrabat neces.
Sors copulauit philoſopho me tertio,
Cui barba, pallium, ſimulq; uerba erant.
In calamitatem maximam tunc incidi.
Dabat ille nil: pecuniam at ſi poſcerem,
Aiebat eſſe rem malam. ſit ita: ideo
Hanc abijce, mihi relinque: denegabat.

Apud MALABARES Indos nobilibus ſunt interdicta matrimonia, ne quidquã ſit illis impedimẽto, quò minus perpetuò ſe in armis exerceãt. Habet aũt quilibet eorũ amicas ordinis eiuſdẽ cõplures. Nefas enim eſt illis, mulieri, quæ non fuerit nobilis, cõmiſceri. Similiter & illę tot amatores habẽt, quot habere uolunt, dummodò nobiles ſint. Nulla eſt inter illos æmulatio: ſed alia aliis per uices ſine ullo diſſidio aut obtrectatione ſuccedit. Si uerò aliquis mulieri cõiungitur, quæ nobilis nõ ſit, aliorũ nobiliũ gladiis cõciditur. Similiter & mulieres, quę eã legẽ tranſiliunt, idẽ ſuppliciũ ſubeũt. Teſtamento filios hęredes nõ inſtituunt, eò, quòd ignorent, an ſint ab illis progeniti. Eorum autẽ loco ſororũ filios ſibi hæredes aſciſcunt. Oſorius lib. 2. rerum Em.

AMICITIA HERILIS. HVIVS

ΑΗΨΙΣ. SERVI Domino
Acquiſiti.

☞ *De his ſub loco Opulentiæ. Illic Poſſeſſionis opulentæ, hîc Familiaritatis acquiſitæ habetur ratio.*

Reconciliati.

Malacus in Siphniorum terminis, SAMIORVM ſeruos narrat Epheſum incoluiſſe, cùm mille eſſent numero, qui prius in montem, qui eſt in inſula, ſecedentes, multa damna Samiis intulerunt. Poſtea anno ſexto Samij fœdera cum ſeruis ex oraculo ciuili conſenſu percuſſerunt, multiq; ex inſula nauigãntes Epheſum habitarunt, ex quibus nati ſunt Epheſij. Athenæus lib. 6. cap. 5.

ΧΡΗΣΙΣ.

☞ *Ex Tit. Fidei erga dominos: item Mechanicorum officiorũ, plurima huc transferri poſſunt exempla. Seruus ueluti animatũ eſt inſtrumentũ œconomicum: quo Dominus inſtructus, quod per ſe nec poteſt nec debet, illud per alium agit. Sed præter œconomica opera, quæ per ſe Seruo cõueniunt, practicorũ quoq; illuſtria exẽpla in eodẽ reperiũtur, quib. ſe Domino nõ parem tantũ, ſed ſæpe etiam ſuperiorem eſſe reipſa oſtendit.*

LIBRI

LIBRI OCTAVI
TITVLORVM
DISPOSITIO

- INIMICITIA *alia*
  - POLITICA, *cõsiderata secundùm suam*
    - Λῦψις. *Vide signum* A.
    - Φυλακὴν. INIMICITIA *politica*
      - Seruata, *tũ*
        - Occulta. *Odium Publicum, Priuatum.*
        - Aperta: *ut Bella diuturna, Seditiones longæ.*
      - Dilata. INDVCIAE.
    - Χρῆσις. *Huc pertinent*
      - NON AMICI. *Nullis amici.*
      - INIMICI. *Considerati ratione*
        - Temporis. SECVLVM *turbulentum.*
        - Personarum. *Qui quibus inimici. Tũ*
          - Dij & *Homines.* Bruta & *Homines.*
          - Homines *inter se uel*
            - Publicè:
              - Pontifices & *Sacerdotes inter se.*
              - Pontifices & *Reges.*
              - Reges *inter se.* Duces *clari.*
              - Populi *tum*
                - Vicini,
                - Remoti.
              - Magistratus *ijdem. Collegæ.*
              - Subditi *erga reges. Rebelliones.*
              - Ciues *inter se.*
              - Plebs *erga optimates.*
              - Rustici *erga nobiles.*
              - Piratæ. Serui.
            - Priuatim. INIMICITIA *priuata politica.*
        - Modi. INIMICITIAE *forma. Aut enim*
          - Aperta. *Vel Inimicitia*
            - Stata, *indicta. Bella*
              - Domestica. BELLA *Ciuilia.*
              - Externa. BELLA *Externa.*
            - Tumultuaria, *nõ indicta.* SEDITIONES. *Tumultus*
              - Popularis.
              - Castrensis.
              - Rusticus.
              - Academicus.
          - Occulta. INIMICITIA *dissimulata.*
        - Adiunctorum. INIMICITIAE *adiuncta quo ad*
          - Internã *uoluntatem: ut*
            - DISSENSIO
              - Religiosa. SCHISMATA, *Sectæ.*
              - Profana. FACTIONES.
            - GAVDIVM *ex inimici malo quocunq;.*
          - Externã *significationẽ. Quæ fit*
            - Verbis:
              - IMPRECATIO.
              - CONVITIVM, *Calumnia.*
              - ACCVSATIO.
            - Factis *quo ad*
              - Conuictum. SECESSIONES.
              - Officia. *Maleficia quo ad*
                - Animum.
                - Corpus
                - Cædes. Insidiæ.
                - Cædis *licitatio.*
                - Fortunas. *Priuare*
                - Opibus.
                - Dignitate.
                - Patria. *Proscriptio, Exilium.*
  - Oeconomica
    - PATERNA
      - Primaria.
      - Secundaria, *inter*
        - Fratres.
        - Patruum, *Auunculum, Nepotes.*
        - Cognatos *quosuis.*
    - CONIVGALIS
      - Primaria. *Huius*
        - Λῦψις.
        - Φυλακὴ.
        - Χρῆσις.
      - Secundaria. *Inimicitia inter*
        - Socrum & *generum.* Socum & *Nurum.*
        - Affines *quosuis.*
    - HERILIS.

A. INI-

- A. INIMICITIAE *politicæ*
  - Propriæ Λύψις, *respectu*
    - Personarũ. *Qui.*
      - Non *amici facti inimici.*
      - Amici *facti inimici.*
    - Occasionis. *Hæc ipsa considerari potest tum*
      - Materialiter *tanquam Subiectũ offensionis, et inimicitiæ exortæ. Vt sunt*
        - Mulieres. Bruta.
        - Aurum, *Pecunia.*
        - Gemmæ. Annona.
        - Sal. Statua.
        - Ager. Insula.
        - Ciuitas. Vrbes.
        - Regnum, *Ducatus.*
        - Dignitas, Magistratus
          - Sacer, *Sacerdotium, Pontificatus.*
          - Profanus.
        - Priuilegia, *Ius*
          - Dignitatis *conferendæ*
            - Sacræ.
            - Profanæ.
          - Ludorum.
          - Mercaturæ.
        - Leges. Libri. Mors *principis.*
        - Religio. Academia, *Schola.*
        - Ludi. Venatio.
        - Nuptiæ. Templum, *Fanum.*
        - Sepulcra. Imagines *sacræ.*
        - Verba.
      - Formaliter, *Offẽsio scilicet ipsa, qua alter alterum offendit, & uel quo ad*
        - Animum: *Deceptio, Dolus, Fraus.*
        - Corpus
          - Pulsatio.
          - Cædes.
        - Fortunas:
          - Merces *retenta, non persoluta.*
          - Stipendia *retenta.*
          - Sacrilegium.
          - Furtum, *Peculatus, Rapina.*
          - Monetæ *adulterium.*
          - Fœnus. Exactio *uectigalium.*
          - Iurisdictio *usurpata.*
          - Repulsa *coniugalis.*
          - Repudium. Exilium. Carceres.
          - Ciuitas *denegata.*
          - Fœdus *dissipatum.*
      - Efficientium *respectu, quorum alter*
        - Offendit *alterum secundùm*
          - Bona, *tum*
            - Animi: *sua*
              - Liberalitate.
              - Seueritate.
              - Fide *erga Supplices.*
            - Corporis.
            - Fortunę. *Per*
              - Diuitias.
              - Gloriam.
          - Vitiositatem. *Puta p*
            - Intemperãtiam: *per*
              - Crapulam.
              - Stuprum.
            - Auaritiam.
            - Ambitionem, *Superbiam.*
            - Crudelitatem, *Vindictam.*
            - Inciuilitatem.
            - Superstitionem.
            - Impietatem. Iniustitiam.
            - Felicitatem, *Facilitatem.*
        - Offenditur, *ab altero secundùm*
          - Animum.
          - Corpus, *per*
            - Famem.
            - Mutilationem.
          - Fortunas, *per*
            - Inopiam.
            - Infamiam, *Dedecus.*
            - Seruitutem.
  - Alienæ *conciliatio.* INIMICITIAE *magistri, incentores, auctores, fautores.*

VOLV-

Voluminis Tertij
Liber IIX.
De Inimicitia.

INIMICITIAE PVBLICAE ΑΗΨΙΣ. Respectu PERSONARVM. QVI. Ex

Non Amicis facti Inimici.

Ex Tit. Bellorum occasiones, huc quædam.

Amicis facti Inimici.

Consule Tit. Amicitiæ interruptæ. Illic φυλακὴ Amoris, heic λῆψις Odij consideratur. Item Tit. Crudelitatis zelotypæ: item Inimicitiæ ob repudium: item eorum Qui ab amasiis sunt interfecti. item, Non ferre repulsam amoris.

VXOR Putipharis, cùm IOSEPHVM apprehẽsa ueste ad cõcubitum sollicitaret, & ille relicta ueste fugisset, amore in odium conuerso, clamore sublato, sese ab Hebræo seruo sollicitatam asseruit, eiusque rei indicium uestem protulit. Eo indicio Putiphar commotus, innocentem carceri mancipauit. Genes.39.

FRIDERICVS II. aduersus Othonẽ IV. Imp. electus, resuscitauit antiquã de Italiæ puinciis, deq; inuestiẽdis episcopis controuersiam: de qua Henrici duo, IV. & V. pater & filius, inde Fridericus I. huius auus, & deinde Otho IV. grauissimè, sed frustra, contra Pp. contenderunt: Papa anathemate persequebatur Imperatorem. Ille carnalem gladium distringebat in omnes, qui parerent pontifici, clericos, sacerdotes, episcopos: Cardinales urbem petẽtes cepit: itinera obsedit, ne quis Romam peteret. Post longam duorum annorum sedis apostolicæ uacationem, Sinibaldus, INNOCENTIVS IV. dictus, papatum accepit. Currebant, qui nunciarent Imperatori, Sinebaldum ei amicissimũ, esse factum pontificẽ. At Fridericus, qui nosset hominem, fertur respondisse, Bonũ se amicum cardinalem cum infestissimo pontifice permutasse. Nec eum fefellit opinio. Veritus enim pontifex, ne pacis conditionibus à Friderico propositis assentiri cogeretur, Genua in Galliam profugit, Lugduni concilium indicturus. Ibi solenni quauis die ad populum uerba faciens, Fridericũ alta uoce inclamabat, ut ad indictũ Lugduni concilium ueniret, & de iure, quod in Ecclesiam sibi uẽdicaret, responderet. Cranzius lib.7. Vandal. c.21.

MAGNVS Sfortia cum PAVLO Vrsino insigni duce, dilacerata uetere amicitia, simultates adeò uehementer exercuit, ut ex militari prouocatione usq; ad singulare certamẽ iram atq; odium efferrẽt. Sed id facinus auertit Ioannes XXIII. quem tum primùm è Bononia Romam petentẽ Sfortia eius militiæ ascriptus deduxerat, ostentaratq;, in ea pompa per mediam urbem ornatissimas alas, & ueteranas aliquot cohortes, inuidẽte Paulo, qui clientelis, & Vrsinæ factionis uiribus pollens, neminem potentia & dignitate parem pati, & prorsus Romæ solus regnare cupiebat. Itaq; insidias eius ueritus Sfortia Ladislao Neapolitano regi sese coniunxit, ad quem non multo pòst & ipse Paulus est profectus, prodita urbe Roma, quam paulo antè cum insigni laude defenderat. Sed eum demũ Vmbrico bello proditionis accusatum, & Neapoli ad supplicium in custodia seruatum, Ladislaus immatura morte sublatus, periculo exoluit. Sed ut meritas & fatales pœnas subiret, fortuna demum eo pacto illũ carcere eduxit, ut Braccio Montonensi obijceret, qui dum Sfortia in catenis Neapoli teneretur, cum ad collem Floridum extra portam oppidi spaciantem nactus, Tartalia & Ludouico Columna operam nauantibus, interfecit. Eo cædis nũcio erectum in spem libertatis Sfortiam sublata uoce dixisse ferunt: Ergo & mihi insonti dij immortales maturè catenas soluent, qui uti ęquissimi iudices impio ac omnium deterrimo dignum uitæ exitum celeriter attulerunt. Iouius in eius uita.

IOANNINVS Carazolus Roseus, ignobili gente ortus, cùm in aula IOANNÆ secundæ reginæ Neapolitanæ amanuẽsis esset, in eius flammas Ioanna incidit, & primùm Auelinij comitatu, sub uxoriæ dotis nomine, eum donauit: postea ad Melphitensem quoq; ducatum, atq; ad magnum Comestabulatum extulit. Cæterùm, qui finis esse solet infandi amoris, ab ipsa regina tandem crudeliter opibus honoribusque spoliatus, ac cæsus fuit. Fulgos. lib.6. c.11.

OCCASIONIS MATERIALITER consideratæ. INIMICITIÆ occasio

Mulieres.

Consule Tit. Raptorum, quatenus raptum sequuntur bella. item Tit. Improbarum mulierum, quatenus bellorum sunt causæ.

Maxima quæq; bella ob mulieres exorta sunt. TROIANVM ob Helenã. Achillis iracundia Briseidis gratia: ac SACRVM uocatum ob Theano Thebanã genere, quæ à Phoceo quodam rapta fuit. Hoc cùm per decem annorum spacium perdurauisset decimo anno, Philippo auxiliante, consecutum est finem: tunc enim Phocidem Thebani ceperunt. Bellum CRISÆVM, quod contra Phocenses gesserunt Cirrhæi, ad decennium perdurauit, cùm Megistonem Pelagontis Phocensis filiam Cirrhæi rapuissent, Argiuorumq; filias ex Pythici sacello redeuntes: atq; Cirrha decimo anno capta fuit. Denastatæ fuerunt ac subuersæ uniuersæ familiæ ob mulieres: Philippi patris Alexandri ob nuptias Cleopatræ: Herculis ob Ioles filiæ Euryti nuptias: Thesei domus ob Phædram Minois filiã, ob Glaucen Creontis: Agamemnonis ob Cassandram Athenæus libro decimotertio, cap.4. De ijs sic Ouidius 2. Amorum 12.

-- Nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax, Asiæq; foret,
Femina syluestres Lapithas, populumq; biformem
Turpiter apposito uertit in arua mero.
Femina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit, in regno, iuste Latine, tuo.
Femina Romanis iterum nunc urbe recenti
Immisit soceros, armaq; sæua dedit.

Deianira causa fuit duelli inter HERCVLEM & NESSVM Centaurum, atque etiam mortis ipsius Herculis. Fuit enim causa belli inter eundem Herculem & Acheloum. Ouidius in Metamorph.

Persequebatur priuato quodam odio Pericles Megarẽses: prętendens autem publicam & manifestam aduersus eos noxam, interuertisse eos agrum sacrum, scribit plebiscitum: ut caduceator ad eos mittatur, atq; idem ad Lacedæmonios, qui Megarenses in crimen uocet. At ea rogatio Periclis æquam continet & leuem querelam: uerùm quoniam caduceatori, qui missus fuerat, Anthemocrito quęsita mors dicebatur à Megarensibus, bellum ijs ex Charini rogatione ab ATHENIENSI populo interneciuũ & implacabile indicitur. Si quis attingeret Megarensis finẽ Atticum, mors ei denunciaretur: Prætores in solenni iureiurando adderẽt, ut bis quotannis agrum Megarensem popularentur: tumularetur Anthemocritus iuxta portam Thryasiam, quam nunc Dipylon nuncupant. Megarenses uerò cædem inficiantes Anthemocriti, causam omnem in Aspasiam detorserũt, & Periclẽ, qui in Aspasię gratiam omnia faciat, allegarũtq; celebratos & uulgatos hosce uersus Aristophanis, ex Acharnibus:

Iuuenes profecti Megaram ebrij, auferunt
Simætham ex scortatione nobilem.
Megarensis hinc populus dolore percitus,
Furatur Aspasiæ duo scorta haud impiger.

Plutarchus in Pericle.

MINVTIVS eques Romanus, prædiuite natus patre, alienæ famulæ amore captus, eam à domino septem talentis Atticis emit, die persoluẽdo precio constituta. Illa ubi aduenit, is quòd

is, quòd soluendo non esset, ut sibi dies triginta prorogarentur, obtinuit. Rursum & hoc spacio exacto, quum dominus pactum precium exigeret, neq; hic ullam soluendi nominis rationem inire posset, interea uerò amor inualesceret, coemtis quingentis armaturis, fideq; impetrata, eas clãculum in agrum deferendas curauit. Deinde suos ipsius seruos ad defectionem sollicitans, numero quadringentos, sibiq; diadema regium imponens, eorum auxilio, primùm quidem eos, qui pactum precium exigebant, uirgis cæsos securi percussit: postea uerò, quum sua illa seruitia armasset, uicinas uillas peragrare placuit: in quibus eos, qui se prompto & alacri animo socios defectionis adiungebant, armauit: quotquot autem repugnabant, interfecit. Donec à Lucullo ipse cum uniuerso sodalitio, proditione Apollonij, ad internecionem cæsus sit. Diod. lib.36.

LVDOVICVS rex Francorum reuersus ex Hierosolymitano bello, cum Aleonora, ex qua duas filias, Mariam & Alisam, susceperat, diuortium fecit, quæ filia fuerat unica Gulielmi ducis Aquitaniæ & Pictonum comitis, ex quo à patre hęres facta est. HENRICVS Normanniæ dux (qui postea Stephano in Anglorum regno successit) hanc Aleonoram in matrimonium duxit. Quæ materia fuit multorum bellorum, quæ postea ille cum Frãcis gessit. Nam cùm ob eas nuptias, illa pars Galliæ, quæ hodie Aquitania & Pictauia nuncupatur, iure uxorio ei uenisset, & materno Normanniam obtineret, expectaretq; Angliæ regnum, ac paterno comitatus tres, Andium, hoc est Andegauensium, Turonum, & Cenomanorum possideret, est admodum potens effectus. Ludouicus periniquo animo ferens, Aleonoram nupsisse inimico, Henrico ipsi bellum fecit. Polyd. lib.12. hist. Angl.

In Nouariensi obsidione exarsit seditio militaris inter ITALOS atq; GERMANOS ob ignobile scortũ, quo die res in [redacted] penè discrimen adducta est, quum irarum cau- [redacted] mum periculo regis & multo subditoru[redacted]gui potuit. Marineus lib.14. rerum Hispan.

Bruta.

HERCVLES Spartam ueniens cum Oeono consobrino, fortè Hippocoontis ædes pertransiit. Cumq; Oeonum canis domus custos inuasisset, ille lapide canem percussit. Quod ubi uiderunt Hippocoontis filij, cursim egressi, fustibus Oeonum cõfecerũt. Hercules à uulnere accepto clàm se periculo subduxit. Mox comparatis copiis, patre & filiis malè mulctatis, Oeoni cædem ultus est. Pausanias in Laconic.

Picti & Scoti, Albiani populi, contra Britannos primùm, deinde Romanos, mutua auxilia singulari fide & fortitudine præstitere. Sub Crathlintho Scotorum rege rixa ob canem uenaticum à Pictis interceptum orta, cæsis aliquot ab utraque parte nobilibus, ad bellum apertum res spectabat: sed Carantij Britannorum tyranni opera reconciliati fuêre. Romaclo inde Scotorum rege, Pictis affinitate iuncto, à proceribus Scotis cæso, Picti regiæ mortis ulciscendæ causa arma infesta Scotis intulere. Variè pugnatum. Tandem Picti, Maximo Britanniæ legato in societatem pertracto, Eugenium Scotorum regem occidione deleuere, anno sal. 379. regni Scotorũ 712. Iuliano Apostata imperãte. Boethius l.6.

AEGYPTII ob occisum felem à milite Romano seditionem mouerunt, ad domũ eius concursu plebis facto, neque à regiis ad id missis principibus, neque Romanorum timore à pœna hominis absterreri potuerunt, quamuis non sponte bestiam occidisset. Diod. lib.1. c.6. & Strabo lib.17.

NAXII ob piscem Telegorę dono datum seditione mota libertatem amisere. Vide Tit. Seditionum ciuilium.

Aurum, Pecunia.

Vide Tit. Bella ob Auaritiam.

In hanc sententiam Tibulli uersus ex libro 1. Eleg. 10. audire præstat:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & uerè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta uia est.
At nihil ille miser meruit. nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc uitium est auri: nec bella fuerunt
Faginus adstabat dum scyphus ante dapes:
Non arces, non uallus erat, somnumq; petebat
Securus uarias dux gregis inter oues.

Gemmæ.

OCTAVIANVS Vbaldinus Cardinalis in Galliam profecturus, Mediolani à Martino Turriano susceptus, cùm in templo D. Ambrosij Carbunculum mirabili fulgore & rara magñitudine conspicuum uidisset, eamq; cupidè inspiciendo tractandoq; omnino dignam uideri diceret, quæ ad ornamentum sacrorum solennium, in summa Pontificis Maximi tiara conspiceretur: à Martino armato illuc accurrente intactam relinquere coactus, sic in Turrianos exarsit, ut Othonem Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensem in excidium Turrianæ domus armare non desierit. Iouius in Othone.

Annonæ.

Posteaquam plebs ROM. è sacro monte Menenij Agrippæ suasu rediit Romam, propter annonæ penuriam atq; famẽ Tribuni patres tanquam auctores falsò insimulauerũt. Hic cùm C. Martius Coriolanus repulsam consulatus tulisset, & annona copiosa allata, quo minus ea populo distribueretur, Senatui auctor fuisset, Tribuni ei manus iniicere uoluere. At patribus eum acriter protegentibus ingens orta est seditio, neque prius sedari potuit, quàm populi suffragiis in perpetuum exilium eiectus est. Plutarch. in Coriolano, & Liuius lib.2. Decad.1.

Vinum.

GALLI primi in Italiam expeditionem susceperunt, ubertate soli, & uini inprimis suauitate allecti, cùm Elico quidam Heluetius, qui fabrilem artem Romæ aliquandiu exercuerat sub Tarquinio Prisco, ficum siccam & uuam, oleique ac uini præmissa, remeans secum tulisset. Plinius libro 12. capite 1. & Liuius.

Cereuisia.

Robertus Lignicensis dux fratri suo Henrico, Decano Vratislauiensium Canonicorum collegij, sub festa Natalitia cereuisiam Suidnicensem, quæ tunc laudem habebat probitatis, dono miserat. Vector in uincula ductus, quòd peregrinam cereuisiam urbi contra Senatus edictum importasset. CANONICI Vratislauienses, qui Polonis potius quàm Boemis fauebant, excommunicationis fulmen in ciues contorserunt: cumque ne Venceslao quidem Cęsari propter sui reuerentiã, dum in urbe esset, sacra ciuibus indulgere postulanti concederent, urbe omnes exacti fuere, bonaq; illorum direpta: greges ex uillis sacerdotalibus adductæ tanta copia, ut centenæ oues uno aureo uenderentur, bos aurei quadrante. Neque uerò restitutio ulla facta est, cùm sequente anno satis haberent Canonici regem sibi reconciliari. Cureus in Silesiæ Annalibus.

Sal.

AVTARIATÆ, Illyricorum gens amplissima, cum Ardiæis olim assiduè belligerabant. Belli causa erat Sal, quod in eorum finibus coagulatur ex aqua, quæ è uase quodam uerno stillat tempore. Exhaurientibus enim & deponentibus sal, ipsum die quinto coagulatur. Conuenerat autem inter eos, ut per uicissitudinem congelatorio uterentur loco: cõuenta uerò transgressi, manus conseruere. Strabo lib.7.

Statua.

Pontius Pilatus, cùm anno XII. imperij Tiberij missus procurator ad regendam Iudæam fuisset, & Caligulæ principis iussu statuam Imperatoris in templo ponere uellet, tãtus IVDÆORVM tumultus excitatus est, ut res non procul à defectione fuerit. Iosephus lib.18. cap.4. Antiq.

THEODOSIVS Imper. ob statuam æream Placillæ reginæ deiectã, Antiochenos crudeliter tractare statuerat. Sed à Macedonio eremita placatus est. Theodoretus lib.5. cap.20.

Ager.

Vide Tit. Seditionum ciuilium.

Tiberius Gracchus, Tribunus plebis, multitudinis causam complexus, legem promulgauit, qua præscriptum erat, qui

plus agrorum possiderent, quàm ueteri lege permitteretur, ut agros iniustè ad id tempus possessos, ueteribus dominis cum fructibus restituerent: aut pro precio, quod restituendum esset, æqua æstimatio fieret. Vetus lex erat, ne quis supra quingenta telluris iugera possideret, neq; maioris armenti supra centum capita, minoris quingenta, pasceret. Per hæcq; ueteres Romani inopi multitudini cautum uoluere, ne omnia locupletibus prædæ cederent. Enimuerò Romani ab initio Italiam sibi per partes uendicantes, telluris portiones inter se diuiserant, in hisq; uel urbes condiderant, uel in eas, quæ conditæ essent, colonos deduxerant: quos quisq; sortitus erat, locorum habitatoribus aut colendos tradere, aut precio attribuere. Si qua uerò tellus bellorum iniuria humano cultu fuisset deserta, eam colere uolentibus ita locabant, ut decimam seminum, cæterarum frugũ quintam publicè penderent. Pecoribus quoque adhibitus fuerat pendendi uectigalis modus. Et uetus illa agrorum distributio per hunc modum se Romæ habuit. Cæterùm immoderata auaritia eò procedente tempore euecta est, ut inopi multitudine, partim precio, partim ui propriis prædiis eiecta, uelut antiquatis legibus, pauci diuites omnia obtinerent. Quæ res effecit, ut quantum Gracchanę legis promulgatio multitudinem in spem melioris fortunæ erexerat, tantum locupletũ animos ira & odio accenderit. Gracchus, qui uel malam causam sua eloquentia sustinere potuisset, perpetuis concionibus miserorum ciuium causam deplorabat: feras dicere & bestias cubilia & lustra in Italia habere, eos, qui pro ipsa Italia omnibus terris suum sanguinẽ effudissent, non habere, quò se reciperẽt: sine domo, sine laribus, cum coniugibus & liberis errare: pugnare Romanos milites & uincere, uerùm non sibi, sed paucorum luxuriæ. Iamq; lex lata erat, & Triumuiri ad agros diuidẽdos creati, cùm P. Scipione Nasica, q plurimũ agri possidebat, auctore seditio orta, Gracchus interfectus est. Sab. lib. 6. & 7. En. 5.

Insulæ.

Hiero dux Syracusanorum uictis Mamertinis rex à ciuibus & omni militari turba appellatus erat. Mamertini una aduersa pugna fracti, suisq; uiribus diffisi, alij ad CARTHAGINENSES confugerunt, eisq; sese & arcẽ dediderunt: alij legatione ad id prius missa, ciuitatem ROMANIS tradiderunt. Hiero Carthaginensium partes infeliciter aliquandiu secutus, Romanis tandem se coniunxit. Itaq; commissis inter se Romanis & Carthaginensibus, bello primo Punico data occasio. Præuidit hoc Pyrrhus Epirotarum rex, qui Sicilia excedens, retrò ad insulam conuersus, O qualem, inquit, Romanis & Carthaginensibus palæstram relinquo. Sab. lib. 9. En. 4. ex Plut. Pyrrho, & Liuio.

VENETI & GENVENSES, duo illustres populi, ac re maritima præpotentes, æmulatione & mutuis offensis eò uenerunt, ut aperto inter se bello decertarint. Discordiæ causa ex inuidia orta est. Genuenses iam inde, ex quo Creta insula Veneto nomini cesserat, nunquam cogitare destiterunt, qua ui quáue arte Venetos ex illius possessione deturbarẽt. Vix erat adhuc Veneto præsidio firmata, quum per homines suæ gentis, aliquot ad id nauibus instructis, sollicitare adorti sunt eius insulæ statum. Verùm Gregorij IX. auctoritate inducias in nouem annos inter se duo populi pacti sunt. quæ, ut inuiolabiles essent, interposuit pontifex anathematis edictum, quo utrisq; cauebatur, ne illis tenentibus uis ulla fieret. Anno tandem 1258. in apertum bellum simultas erupit, ob tẽplum D. Sabæ, Ptolemaide. Sabellicus, & Platina in Alexandro IIII.

Circa annum Sal. 1376. maximum inter EOSDEM bellum exortum est. Caloiannem Constantinopolitanum Imperatorem, Andronicus filius, Genuensium auxilio, quibus Tenedon insulam promiserat, imperio deturbarat. Veneti patrẽ per arma in patriam reduxerunt: à quo Tenedon insulam acceperunt. Genuenses socios quæsiuere Ludouicum Vngariæ regem, Franciscum Carrariensem Paduæ dominum, Austriæ ducem, & Patriarcham Aquileiensem. Petrinus autem Lusignanus Cypri rex, & Bernabos Vicecomes, in Venetorum parte fuere. Lucianus Auria præfectus classis Venetos ad Polam uicit: sed dum aperta casside aerem admittit, lancea in os ictus cecidit. Ei suffectus Petrus Auria, qui Fossam Clodiam expugnauit. Veneti animo consternati, pacem petiere, eas accepturi leges, quas uictor daret. Recusarunt Genuenses superbia elati. Veneti ad defensionem conuersi, murum à portu ad ædem S. Nicolai excitarunt. Dominicus Contarenus dux, summum belli imperium sibi assumsit: Victor Pisanus & Dominicus Michael tanquam magistri militum rem gessere, quatuor & triginta triremes habentes. Quòd si Genuenses, ut Carrariensis illis suadebat, Clodia dimissa mare clausissent auertendo commeatus, actum de Venetis fuisset. Occiso inde Petro duce, Genuenses Clodiam dediderunt Venetis, anno 1380. Interea Tergestinos Venetis rebellare coegerunt, qui se patriarchæ Aquileiensi dediderunt. Iustinopolis ab iisdem ui capta & incensa est. Classe tota in portum Venetum inuecti, cùm nemo prodiret, in Histriam reuersi, Polam urbem ui captã incenderunt. Tandẽ dux Sabaudiæ, anno MCCCLXXXI. pacis formulam scripsit: conuenitque, ut insula Tenedos duci Sabaudiæ assignaretur, castellumq; ea conditione excinderetur, ut à neutra partium ædificari aliquando posset: oratiq; Florentini, CC millibus utrinque uadati sunt. Blondus lib. 10. Decad. 2.

PISANI anno 1051. à Leone IX. pontifice impulsi classem instructam in Sardiniam intulerunt, ac tempestate in Corsicam delati, primùm partem insulæ GENVENSIBVS ademerunt: deinde ad Sardiniam sedata tempestate appulsi, tantum Musacto Saracenorum regi terroris incusserunt, ut bonis, quæ asportare non poterat, inflammatis excesserit. Ea res primas inter Genuenses & Pisanos simultates exciuit, quæ postea in apertas & perniciosas bellorum contentiones exarserunt. Sigonius lib. 8. regni Ital.

Ciuitas.

GALEACIVS Sfortia, Insubrum Dux, cùm Forum Cornelij eiecto Thaddæo Manfredo occupasset, eamque urbem in dotem Catharinæ filiæ ex pellice susceptæ, ut Hieronymo Riario Xysti IIII. notho matrimonio iungeretur, dedisset: FLORENTINI, qui ex societatis iure eam urbem magno momento Reipub. futuram sibi à Galeacio concedi postulabant, id tulerunt indignissimè. Et propterea Laurentius Medices Reipub. princeps à Xysti amicitia sese abalienauit. Quæ res maximorum bellorum fomes extitit, cùm Pontifex conspiratione cum Ferdinando Aragonio facta, Venetos pontificia auctoritate, Galeacium nouæ affinitatis coniunctione, Florentinis se abstracturos speraret. Brutus libro 5. histor. Flor.

[redacted]

Regnum, Ducatus.

PTOLEMÆVM Auletem Alexandrini expulerunt, & ex tribus filiam natu maximam Cleopatram reginam fecerunt. Nupsit hæc Cybiosacti cuidam, qui se Syriacorum regum stirpe ortum simulabat. Eo ob sordes eiecto, alius uenit, qui se Archelaum Mithridatis filium simulabat, cùm reuerà Archelai eius filius esset, qui contra Syllam bellum gessit. Interea Auletem Romam profectum Pompeius suscepit, & senatui commendauit. Is à Gabinio reductus, Archelaum ac filiam interemit. Sed non multo pòst morbo absumtus est, relictis duobus filiis, & totidem filiabus, quarum grandior erat Cleopatra. Alexandrini & puerum natu grandiorem, & Cleopatram regno præfecerunt. Sed pueri familiares mota seditione Cleopatram eiecerunt, quæ postea cum sorore in Syriam secessit. Interea Pompeius Magnus ex Palæopharsalo fugiens, in Casium montem ac Pelusium uenit, ibiq; à regis familiaribus dolo obtruncatus est. Cæsar uictor adolescentulum interemit, & Cleopatram ab exilio reuocatam, Aegypti reginam constituit, atque ei in regni partem reliquum fratrem addidit admodum iuuenem. Post Cæsaris mortem, & res in Philippis gestas, Antonius in Asiã profectus, Cleopatram summis honoribus cõplexus est, ut etiam acciperet in uxorem, & filios ex ea susciperet. Ambo in Actiaco bello fuerunt, ambo fugerunt, ambo postea à Cæsare Augusto sunt euersi. Strabo lib. 17.

IOANNA regina Neapolitanorum, Ladislao rege fratre extincto,

cùm Iacobũ Marchiæ comitem Gallũ, cui nupserat, insolentius secum agentem repudiasset, & paulo pòst muliebri leuitate palàm insanis amoribus seruiret, à Martino Pontifice maximo, & Ludouico Andegauense armis petita Alfonsum Ferdinandi F. citerioris Hispaniæ regis fratrem, qui tum in Corsica magno apparatu Bonifacium urbem oppugnabat, Neapolim accersiuit: cuius uirtute & Gallorum & Sfortiæ tunc longè omnium in Italia fortissimi ducis conatus repressit, ipseq; à regina in filium adoptatus est. Sed Alfonsus paulo pòst Ioannam, Caracciolo eius amatore in uincula coniecto Neapoli expulit: siue quòd malè tectas reginæ libidines, ferre non poterat: siue quòd iã solus dominari uolebat. Ioanna Alfonsum apud põtificẽ accusauit, & rescissa priore adoptione, Ludouicum Andegauensem in Alfonsi locum sibi substituit. Inde grauissima secuta sunt bella, mortuoq; Ludouico ad Renatum eius fratrem bellum eodem iure translatum. Durauitq; ea contentio usque ad Ioannem Renati filium, qui ab excessu Alfonsi cum huius F. Ferdinando magnis uiribus per aliquot annos, sed parum prospero successu bellum gessit. At Ioannes regno atque Aenaria insula pulsus, quum in Galliam adnauigasset, non multo pòst febre correptus interiit, superstite adhuc Renato patre, qui mox & ipse sine liberis atq; nepotibus uita excedens, Carolũ fratris sui filiũ hæredem constituit. Is sine liberis moriens Ludouicum XI. Galliæ regem, testamẽto reliquit hæredẽ. Quo iure innixus CAROLVS IIX. eius F. nono regni ferè sui anno, Neapolim & quæ Renati fuerant in Italia, armis sibi uendicauit. Ferdinandus iunior magno ciuium consensu, non multò post Caroli discessum, Neapolim reuersus, arces magno labore à Gallis, qui eas præsidio obtinebant, recepit. Tandem opera Consalui Agidarij debellatum est, & Galli duces per speciẽ parãdæ classis, qua in Galliã ueherẽtur, in æstuosa loca ablegati, partim morbo cõsu..ti sunt, partim in naues impositi, dubiũ fraude, an casu, naufragio periere. LVDOVICVS XII. q Carolo successit, fœdus fecit cũ Ferdinando Hispaniæ rege, ut Friderico eiecto ipsi inter se regnum partirentur: Apuliam & Calabriam haberet Hispanus, cætera Galli tenerẽt. Ad Gallos occupata Capua ciuitates omnes defecere. Fridericus rex æger animo, nec corpore satis ualidus in Galliam ad Ludouicum sua sponte nauigauit, à quo in principatu satis honesto collocatus est. Iam uerò cùm Hispani ex fœdere loca quædam repeterent, bellum inter confœderatos ortum, aduersa primùm fortuna Hispanorum, sed mox Consalui Agidarij ductu tam prospera, ut magno uictis prælio ad Lirim amnem propè Caietam Gallis, Ferdinandus rex Neapolitano sit regno potitus, anno 1506. Sab. En. 11. lib. 1. & 2. & Iouius lib. 1. Histor.

Cùm Valentinam, Galliæ regis Ludouici XII. auiam, Io. Galeacius Vicecomes pater, antequam ex Cæsareo uicario Mediolanensium Ducis appellationem esset adeptus, Ludouico Aureliorum duci, Caroli VI. Galliæ regis fratri despondere, doti, qua Asta cum eius agro, & ingens pecuniæ uis continebatur, ut quocunque tempore mascula proles deficeret, Valentina, uel illa defuncta ordine proximi, in Mediolanensis regni iura succederent, expressis uerbis cauerat. Quam pactionem per se leuem (si quod Galli asserunt uerum est) utpote in imperij interregno, quo tempore imperij administrationem sibi Rom. Pontifices uindicant, pontificia auctoritas confirmauit. Quare cùm postea Philippi Mariæ Vicecomitis interitu, Io. Galeacij uirilis proles esset extincta, CAROLVS Valentinæ filius, Aurelianensium dux, eius regni successionem sibi deposcere cœpit: quam sibi eodem tempore & Fridericus III. Cæsar, quasi progenie, quę in IOANNE Galeacio, à Venceslao Romanorum rege cõcesso priuilegio, nominata erat, extincta, iterum ad Imperium deuoluta esset & Alfonsus Aragoniæ & Neapolis rex, Philippi testamento hæres institutus, arrogabant. Sed cùm Francisci Sfortiæ, qui, ut arma aliquo colore muniret, Blancam coniugem suam, Philippi unicam, sed notham filiam, debere succedere aiebat, arma, artes felicitasq; plus ualuissent, Carolus Aurelianensis, qui in bellis inter Gallos & Anglos, Dagincortino prælio captus uigintiquinq; annos in Anglia captiuus fuerat, ob inopiam & aduersam fortunã, nec per se id bellum moliri, nec ab Ludouico XI. Galliæ rege, quamuis cognatione coniunctissimo, aliquod auxiliũ unquam impetrare potuit, neque etiam Ludouicus filius, quamuis regis gener esset. At socero defuncto, cùm in Caroli VIII. tunc pupilli tutela, Annam Borboniorum ducẽ regis sororem sibi anteponi, ferre non posset, rebus nouis excitatis, in pugna, quæ inter Gallos & Britannos, prope Santalbinum, in citeriore Britannia commissa fuit, captus, & in Galliam perductus, ibiq; biennium in carcere custoditus, deinde regio beneficio liberatus, & regis iussu Astę moratus, tenui successu Nouariam est ingressus. Mortuo uerò Carolo rex Galliæ factus, nullo uehementius, quàm Mediolanensis ducatus, uelut hæreditario iure ad se spectaret, occupandi desiderio flagrauit, Ludouici Sfortiæ in se insolentia cùm Astæ esset prouocatus. Ideo paucos dies post Caroli regis obitum, non modò Galliæ, & propter regnum Neapolitanum Hierosolymæ quoq; & utriusq; Siciliæ rex, ue-[redacted]

Cæso ad Mugacium Ludouico [redacted] matrimonio, iure sibi regnum [redacted] Quod cùm armis quoq; repeteret, uictus ad Tocaium Ioannes, ad Hieron. Lascum, uirum inter Polonos clariss. confugit. Cuius opera Solymanno Turcorum Imp. sic insinuatus est, ut eum regem beneficiarium declararit, & Transsyluaniam ei armis restituerit, testatus nihil sibi optatius & melius à maximo numine posse tribui, quàm ut miseros, ab ipsius præsertim hostibus iniqua & indigna perpessos, subleuaret. Sleidanus lib. 6.

Ioannes Hungariæ rex Stephanum filium infantem moriens regni hæredem reliquerat, cùm tamen prius à Ferdinando pacem accepisset, licet inscio Solymanno, à quo fuerat in regnum restitutus, ut se mortuo Ferdinandus imperaret. FERDINANDVS ius suum armis persecuturus, legatum mittit Hieron. Lascum ad Solymannum, qui ab eo regnum impetraret. Sed Lascum præuenerant Stephani legati, qui uim à Ferdinando illatam conquesti, tyrannum ita permouerunt, ut Stephanum in clientelam susceptum regem declararit: Lascum uerò, qui pro armato rege, pacem interea simulante, intercederet, in uincula coniecerit, & strenuè defensam Budam occuparit, Christianos supra octingentos captos præter morem suum cum perfidiæ exprobratione crudeliter occiderit. Sab. supplem. lib. 24. ex Iouio.

Magistratus sacer, Sacerdotium, Pontificatus.

Onia pontifice Iudæorum sanctissimo per fraudem ab Andronico, præfecto Antiocheno Antiochi Epiphanis, necato, suasu Menelai: IASON frater pecunia pontificatum inuasit. Verùm mox à fratre MENELAO sceleratissimo pulsus, mille hominum manu urbem clàm ingressus, maximã stragem fecit, & Menelaum in arcem compulit. Mox Antiochus a Menelao in urbem introductus, Iasonem ad Spartanos fugere coegit. Et sic duorum fratrum pontificum ambitione & scelere, urbs in Antiochi potestatẽ uenit, & grauioribus malis affecta quàm unquam post Babylonicam captiuitatem. 2. Machab. 4. & 5.

ARISTOBVLVS & HYRCANVS fratres, suis seditionibus Iudæos Romanorum potestati subiecerunt. Cùm enim accersito Cn. Pompeio, corã eo de regno disceptassent: sed Aristobulus promissis nõ staret, quin & ab illius factione Põpeius urbe excluderetur, Aristobulus in uincula coniectus fuit, urbs autem à Pompeio expugnata, libertatem suam amisit. Iosephus lib. 14. Antiq.

LEO III. dum supplicationes à beato Gregorio institutas Romæ agit cum populo & clero, PASCHALIS primicerij & Campuli presbyteri fraudibus apud ædem beati Syluestri captus, ac pontificali amictu priuatus, multisq; uerberibus adeò cæsus, ut oculis & lingua captus putaretur, in monasterio sancti Erasmi in uincula conijcitur: unde postea Albini cubicularij industria custodes fallens, in Vaticanum sese prorupuit: ibiq; tamdiu latuit, quoad Vinigisus Spoletinorum dux clanculum accersitus, eum incolumem Spoletum perduxit: inde ad Carolum Magnum in Germania contra Saxones bellum gerentẽ peruenit. Seditiosi Leonis & Albini domos à fundamentis diruunt. Carolus pontificẽ cum egregio comitatu Romam misit. Leoni ad pontem Miluiũ

clerus ac populus Romanus obuiam factus, cum in urbem introduxit. Carolus pòst Romam ueniens, acceptaq; imperij potestate, Campulum & Paschalem coniurationis reos, capite plectendos censuit. At pontifex à Carolo obtinuit, ut in Franciam tantummodo relegarentur. Platina.

[redacted]

PASCHALIS II. suis copiis Gibertum Antipapam ab Henrico rege electum, fugere coegit. Quo morte sublato, Richardus Campanus comes, qui Gibertum copiis & opibus iuuerat, in locum demortui Albertum quẽdam suffecit Atelanum ciuem, quæ urbs Auersa nunc dicitur, inter Neapolim & Capuam posita. Qui statim ab aliis abdicare se magistratu coactus, relegatus fuit. Cauenses autem agri Prænestini incolæ, Theodoricum quendam pontificem creauere. Verùm mox pœnitentia ducti, quinto & cẽtesimo die à põtificatu deiectum, anachoretæ habitum induere coegere, & uitam ducere priuatam. Tertius præterea Maginulphus Romanus ciuis apud Rauennã pontificatus titulũ usurpare ausus est: quem & Romani exilio multarũt, & Rauennates omni humana ope dèstitutũ, ab urbe sua pepulere. Platina.

Mortuo Paschali II. cùm de creando nouo pontifice ratio haberetur, uno omnium consensu Ioannes Caietanus GELASIVS II. pontifex creatur. Verùm Cincius Fregepanis, qui unum ex suis cardinalibus collegio proposuerat, in monasterium Palladij irrumpens, pontificem obtorto collo in terram deiectum calcibus conterit, in uinculaq; coniicit. Cardinales fugam parantes, ex mulis & equis deiicit. Populus Romanus ad ædes Cincij armatus concurrit, eiq; ac familiæ interitum minatur, nisi properè Gelasium incolumem reddat. Ergo liberatus Pp. equum album conscendens, uia sacra in Lateranum ducitur, ibiq; dẹ more coronatur. At Hẽricus IIII. Imp. Mauricium Burdinum Bracharensem archiepiscopum Antipapam creatum, Fregepanum familiæ commendauit: Gregorius is appellatus est. Gelasius Pisas abiit, inde soluens in Galliam, ad Cluniacẽse monasterium perueniens, pleuresi correptus obiit. Ei Callistus II. sufficitur. Gregorius antipapa Sutrij se continens, Romanos incursionibus uexabat, peregrinos negocij ac religionis causa ad urbem accedentes spoliabat. Callistus comparatis repentè copiis, Sutrium cepit, Burdinum camelo impositum, in triumphi speciem Romam duxit, uitaq; donatum, Cauensi monasterio inclusit. Platina.

Post Agapeti II. obitum IOANNES XII. ui pontificatũ inuadit. Otho I. eo deiecto Leonem VIII. substituit. Romani Leone pulso, Benedictum V. eligunt. Otho Romanos ferro flammaq; cogit, Benedictum captũ secum in Germaniam abducit, Leonem restituit. Platina.

IOANNES XIIII. Narniensis episcopus, Leoni VIII. successit. Verùm Romani accersito Iofredo Cãpaniæ comite, Ioannem captum in Hadriani molem perducũt: inde in Cãpaniã exulatum mittunt. Mox interfecto Iofredo eiusque unico filio à Ioanne Cãpano principe, pontifex XI. mense sui exilij Romam properè rediit. Otho Imp. interea Romã perueniens, re cognita, consules in Germaniam misit: Decarchones laqueo suspendit. Petrum urbis præfectum, sunt qui scribant excarnificandum põtifici traditum, abrasa barba, capillis suspensum ad caput equi Constantiniani aliquã diu stetisse: inde asino superimpositum, uerso ad clunes uultu, & manibus sub cauda ligatis, per urbem ductum, & uirgis cæsum in Germaniam exulatum missum. Iofredi atque filij cadauera è loco sacro tracta, in prophanum proiici iussa. Platina.

BENEDICTVS VI. Ioanni in pontificatu & calamitatibus successit. A' Cynthio enim Romano ciue captus, in Hadriani molem (quam sancti Angeli arcem nunc uocant) includitur, eodemq; in loco non multo pòst strangulatur: uel (ut Cusentinus refert) fame moritur. Platina.

Redierat Romam ex Gallia Gregorius XI. Quo mortuo, Romani Italum pontificem eligi cupiebant, ne Curia denuò, magno suo cum damno, Auinionem transferretur. Disposito ergo apud sanctum Petrum conclaui, collocatisq; in Vaticano militum stationibus, magna contentio subitò exorta est. Tredecim cardinales Gallici, pontificem è suo corpore uolebant: quatuor erant Italici, quorum unus ex gente Vrsina ad pontificatum maximè aspirabat. Sed orta inter Lemouicẽses & reliquos Gallos discordia, cùm utraq; pars è suis aliquem creari uellet, effecit, ut Bartholomæum Barensem archiepiscopum, patria Neapolitanum, uel Pisanũ, extra collegium cardinalium pontificem crearent, absentẽ quamuis, Vrbanumq; VI. appellarent. At cardinales Gallici, qui thesauros ecclesiæ expilauerant, seueritatem pontificis ueriti, Anagniam primò, mox Fundos cõfugère, ubi primò in Vrbanum (ut falsum pontificem) inuecti sunt, quòd dicerent, hominem ui creatum, & quasi sede uacante: Ioanna regina Neapolitanorum fauente, Gebennensem cardinalem, qui antè legatus in Italia fuerat, pontificem delegere & Clemẽtem VII. appellauere. Hinc ortum schisma, cùm pars Christianorum principum Vrbano, pars Gebennensi faueret. Vrbano Bonifacius IX. sufficitur. Mortuo interea in Galliis quoq; Clemente Antipapa, in eius locum, Benedictus XIII. dictus, Auenione sufficitur. Mortuo Bonifacio Innocentius VII. substituitur. Eo quoq; sublato, Cardinales, qui Romæ erant, conclaui ad sanctum Petrum in Vaticano habito iurarunt singuli maximis execrationibus interpositis, abdicaturos se statim pontificatu, si sibi deligi ad tantum magistratum contigisset: hac conditione tamen, ut id quoq; ab antipapa fieret. Creatus itaq; Gregorius XII. statim quod ante pontificatum promiserat se facturum, scripto, adhibitis etiam notariis & testibus, confirmauit, suaq; manu scripta tabellionum notauit. Cùm uerò de eligendo loco, quò sine discrimine uterq; uenire posset, non satis cõueniret, Cardinales Pisas, hinc Roma, hinc Auenione adnauigantes, uno consensu Gregorium & Benedictum dignitate pontificia priuarunt, consentientibus in tam grauem sententiam omnibus nationibus, præter Hispaniam citeriorem, regem Scotiæ, & comitem Armeniaci, qui Benedicto fauebant. Inita deinde creandi noui pontificis ratione, Alexandrum V. crearunt. Gregoriũ interim Carolus Malatesta Arimini protexit, Benedictum Ferdinandus Aragonũ rex. Mortuo Alexandro, Ioannes XXIII. pontifex creatus est. Cuius mores corruptissimi cõcilio Constantiensi, Sigismũdo Imp. procurãte, occasionem dedère. Illuc uocatus ergo, dignitate deiicitur, & Ludouico Bauariæ duci custodiẽdus traditur. Deiicitur etiam absens Gregorius, quamuis Bauarus ei enixè faueret. Benedictus quoq; ab Hispanis desertus, absens condẽnatur. Et sic tandẽ anno MCCCCXVII. cùm iam quadriennio pontifice caruisset ecclesia, Otho Columna pontifex creatur, tanta omniũ lætitia, ut p̃ gaudio loqui uix homines possent, qui Martinus V. dictus est. Platina.

INNOCENTIVS II. pontifex creatus, in Rogerium Rogerij comitis Siciliæ filium, hæredem nuncupatum, quòd mortuo Gulielmo Apuliæ duce, omniq; Roberti Guiscardi familia in eo deficiente, dominatum Apuliæ occupare nitebatur, mouit. Interim Petrus Romanus ciuis, Petri Leonis potentissimi hominis filius, Romæ antipapa creatus, & Anacletus appellatus, spoliatis templis, & ecclesiarum thesauris, è basilica Petri Crucifixũ aureum & coronas sustulit, largitionibus seditiosum quenq; sibi conciliauit. Innocẽtius ad Vrbem rediens, spõtè cessit, & per Pisas & Genuã, in Frãciam peruenit. Anacletus antipapa, animis ciuium sibi conciliatis, Rogerium in partes suas facilè descẽdentem, quò magis ei obnoxius esset, utriusq; Siciliæ regem creauit. Innocentius celebrato apud Clarum mõtem concilio, Petrũ antipapã cum sectatoribus dãnauit, Lothariũ inde regem Germanorum Leodij ad se reducendum animauit, eundẽque mortuo Henrico IIII. Imperatorem creauit. Platina.

ALEXANDER II. mortuo Nicolao II. absens pontifex creatus. At Cisalpini episcopi Giberto Parmensi uiro potẽtissimo annitente, ab Henrico III. Imp. obtinuere, reclamãte eius uxore Agnete, ut Cadolus Parmensis episcopus crearetur. Cui statim Cisalpini omnes obtemperauere, præter Mathildim comitissam. Cadolo, ab his, qui Alexandro aduersabantur, accito, in ptatis Neronianis sub radicibus Aurei montis graue prælium commissum fuit, in quo multi utrinq; cecidere. Sed uicto Cadolo, Henrici III. suasu Mãtuæ concilio indicto, Imperator in gratiam põtificis rediit, & precibus ab eo impetrauit, ut & Cadolo ueniam petenti ignosceret, & Gibertum Parmensem, Rauennatis ecclesiæ archiepiscopum crearet. Platina.

ALEXANDER III. mortuo Hadriano IIII. duorum & uiginti cardinalium suffragiis pontifex creatus est: cui Octauianum Romanum ciuem, Victorem appellatum, tres alij subrogauerunt. Vnde schisma ortum est. Alexander Fridericum I. Imp. Cremonam tum obsidentem, per legatos rogat, ut interposita auctoritate seditionem tolleret. Ille utrũque pontificem Papiam euocat. At cum Alexãder Anagniã se contulisset, Octauianus Anagniam occupat. Imperator indignatus, dicto suo pontificem non obtemperasse, episcopos duos ad Alexandrum mittit, qui eum tanquam Cardinalem ad concilium citarent. Hi ab Alexãdro reiecti, Octauianum Papiam perducunt, & ibi habito concilio, põtificem confirmant & equo albo insidentem per urbem Ticinensem ducunt, & de more adorant. Alexander Octauianum & Fridericum anathematis uinculo ligat. Rediens Romam pontificatus sui anno secundo, cùm multos aduersarios in urbe inueniret, & exercitus pręter Vrbem ueterem & Anagniam, omnem Ecclesiæ ditionem iam occupasset, in Franciam contendit: conuentuq; in Claro monte habito, anathema in Imp. & Octauianum enunciauit. Concilio aũt Diuionensi indicto, Fridericus profectus eò cum Octauiano est. Verùm cùm Alexander ad id se profecturum concilium recusaret, quod ipse non indixisset, Turonique id inchoasset, Fridericus Octauianum, quem paulo pòst secuturus erat, in Italiam misit. Quo quidem Lucæ mortuo, Guido Cremensis in antipapam Octauiano subrogatur. At uerò Romani creatis consulibus, Alexandro amicis, eum ex Francia reuocant, sed reuerso in Italiam Friderico, cùm is populo Romano pacem promitteret, si de duobus pontificibus digniorem eligeret. Alexander noctu abiens, Caietã primò, mox Beneuentum delatus est. Fridericus ab urbe Roma ui pestis pulsus in Germaniam rediit. Moritur interim Guido antipapa in basilica sancti Petri, quam Friderici pręsidio adhuc tenebat. In eius locum à seditiosis quibusdam sufficitur Ioannes Sarmiensis abbas ex Pannonia. Reuersus in Italiam Imperator, Alexandria frustrà obsessa, Papiam uenit, & principibus suis urgentibus, cùm iam adisset Venetias Alexander, eò & Fridericus accedens, in uestibulo sancti Marci, pontificis pedes exosculatus est: simul deinde de fœderibus pacis conuenere. Pontifex Romam petens, de abrogandis Coss. agere cum Romanis cœpit, antequã pax componeretur. Verùm quia res in Lannum protracta, tolli difficillimè uideretur, pacti sunt, ut non prius electi à populo Coss. magistratum inirent, quàm in uerba pontificis iurarent, se ecclesiæ Romanæ fidelissimos fore, nihilq; unquam molituros, quod dignitati pontificiæ obesset. Hoc itaque modo rebus compositis, pontifex tertiùm Romam ingressus est, & post longos & assiduos labores, cùm iam quieturus à seditionibus uideretur, pontificatus sui anno XXI. die XIX Romę moritur, sublatis prius è medio IIII. schismaticis pontificibus: quorum ambitione ecclesia Romana ferè subuersa est. Platina.

Ex Martini V. sententia Basiliense concilium indictum fuerat. Ei mortuo cùm Eugenius IIII. substitutus esset, concilium Bononiam transtulit, cardinalium omnium consensu. Sed Imperator Sigismundus aliiq; principes & prelati, qui tum Basileæ erant, Pp. bis térue monuerunt, ut Basileam unã cũ cardinalibus proficisceretur, aliter se in eum acturos, ut in præuaricatorem & contumacem. Motus istorum uerbis Eugenius, Basiliense concilium literis etiam Apostolicis confirmauit. Verùm anno sequenti illud Ferrariam transtulit, quòd diceret, Græcos cum ecclesia Romana in fide conuẽturos, eundem locum sibi delegisse. Instabant tum concilij Basiliensis præsides, & precibus ac pollicitationibus Græcos adhortabantur, ut omisso Eugenio ad se proficiscerẽtur, & abrogaturos se Eugenio magistratum prædicabant, nisi ipse quoq; eò proficisceretur. Eugenius animi dubius, misit eò legatum Io. Franciscum Capitelistam iureconsultum, Patauinumq; equitem, qui eius causam tueretur. Verùm mortuo Sigismundo Imperatore, creatoq; ab electoribus imperij Alberto II. Austriæ duce, concilium Ferrariense Eugenij nomine Cardinalis sanctæ crucis inchoauit. Eò proficiscitur & Eugenius, quòd aduentare Imp. Constantinopolitanum Ioannem Paleologum intellexerat. Peste aũt ingruente, Florentiam translatum est concilium: ibiq; Gręci Latinis de processione Spiritus sancti, & primatu Romani pontificis subscripserunt. Interea Basilienses Eugenium citarunt bis térue. Eo nõ comparente Amadeum Sabaudiæ ducem, socerum Philippi Vicecomitis Mediolanensis, qui eremitanam uitam ad Ripaliam cum quibusdam nobilib9 ducebat, pontificẽ crearunt, & Felicem V. appellarunt. Hinc magnæ seditiones exortæ, cùm alij Felicem, alij Eugenium sequerẽtur, tertij neutri obtemperarent. Tandem Eugenius Delphinum, Caroli regis Franciæ F. ad dissipandum Basiliense concilium incitauit. Mortuo Eugenio, cùm Nicolaus V. ei successisset, Fridericus III. Imperator, instante pontifice, Felicem compulit, se pontificatu abdicare: & Nicolaus ad eum galerum cardinalatus misit, legatũq; Germanię fecit. Venère & in arbitrium põtificis cardinales ab Amadeo creati. Hac concordia adeò lætatus est populus Romanus, ut insequenti nocte eius diei, quo hæc audita sunt, MCCCCXLIX. XXIII. Aprilis, cum faculis per urbem in equis incederent, clamantes, Viuat Nicolaus. Pontifex supplicationes in Vaticano habuit. Idem fecere & reliqui Italiæ populi. Platina.

Ludouico Pio imperante, Moraui peculiarem episcopum cupientes, ad Romanum præsulem scribunt, quantis Bauarorum SACERDOTVM rapinis uexentur. Impetrant autẽ à Romano legatos: qui in Morauiam uenientes, ex una pontificali prouincia quinq; constituunt. Bauarici præsules indignè ferentes, suæ dignitati & reditibus tantum decedere: instigant principes, ut armis nouum consilium disturbetur. Hi prædæ cupidi, integrum mensem Morauos depopulantur: atq; spoliis onusti domum redeunt, multis hominibus trucidatis. Deinde uicinos quoq; archiepiscopos extimulant, ut hæc nequaquam patiantur fieri, suæ similiter dignitatis rationem habentes. Hatto Moguntinus acriter cum Romano Pp. de hoc facinore expostulat. Sacerdotes interea Bauarici inito cum Vngaris fœdere, Morauiam per eosdem uastari curarũt, sic ut nullum penè doctorem pietatis, usq; ad Othonem Magnum (sicuti uerba Benedicti VII. sonant) habuerit. Simul autem uires Bauariæ tam fœdè attritæ sunt, ut uix longo tẽpore respirare potuerint. Auent. li. 4.

Mahumetanæ religionis summi põtifices, CALIPHÆ dicuntur. Horũ sedes princeps Baldacũ in Assyria. Cœpere postea Chairenses quoq; Aegyptij suum habere Caliphatum. Quẽ tamen Saladinus Sultanus factus sustulit, & hinc etiam nomen accepit, quasi corrector legis, cùm prius Iosephus diceretur. Aemilius lib. 5. sub Ludouico Iuniore.

Sub Roberto Roman. imperatore BRVNSVICI inter clerum & populum grauis est orta controuersia. Clericus reipublicæ seruus beneficium impetrarat à summo pontifice in ecclesia maiori sancti Blasij: reclamante capitulo, possessionem assequi non potuit. Vrgebant cõsulares cum populo, ut admitteretur: & quum non impetrarent, uim facere intentarunt. Capitulum cẽsuris comminatis uim prohibebat. Populus appellationis repagulum obiecit censuris. Adhærebant populo quidam parochiales pastores & fratres mendicantes, qui fulminabant censuras in capitulũ: sed & illi appellationem obiecerunt. Ita graui perinde scandalo excitato, factum est, ut inde clerus maioris ecclesię denunciaret excommunicatos cum populo cõsulares, diuina tamen continuantes: ediuerso fratres ipsi, & quidam pastores, denunciarẽt uicissim excommunicatos canonicos: quũ & ipsi diuinis non abstinerent. Tandem urbe excessere cleri principes, & sese uicinis pontificib. Halberstãdensi & Hildesemensi coniunxerunt. Vterq; inde gladius exerceri cœpit per multos annos. Cranzius lib. 10. Saxoniæ c. 28.

Magistratus profanus.

Vide Tit. Inimicitiæ Xenis, Collegæ inter se: Item Tit. Aemuli dignitatis & magistratus. Illic Habitus, hîc Accidentis habitum comitantis habetur ratio.

OTHO Imperator cõtra VITELLIVM æmulum Brixelli oppido Italiæ circa Padum substitit, & bellum ciuile molitus, tribus primùm leuib. prœliis, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum, quem Castoris uocãt, contra Vitellianos duces congressus, uictor extitit. Quarto apud Bebryacum fraude superatus est, cùm spe colloquij facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improuiso & in ipsa consalutatione circumuenitur. Vnde tædio ciuilis belli, non desperatione, quando integræ legiones ex Dalmatia, Pannonia & Mœsia expectabantur, 95. imperij die mortem sibi intulit. Suetonius.

Trebonianus GALLVS limitis Mœsiæ dux, cùm Decium Imperatorẽ Scythis obtruncandũ obiecisset, & ipse imperio arrepto pacẽ ignominiosam à Scythis precio redemisset, AEMILIANVS, qui rem præclarè contra Scythas gesserat, limiti præpositus Sarmatico à Decio, à suis Imp. creatus est. Contra eum profectus Gallus, cum Volusiano filio interfectus est in primis prœliis, cùm duobus annis imperasset, & consensu legionum Aemilianus confirmatus. Interea milites, qui in Alpibus erant, Valerianum Imperatorem crearunt. Quo nuncio accepto, ne bellum oriretur ciuile, milites Aemilianum tertio imperij mense interfecerunt, & sese Valeriano dediderunt.

PROBVS Imper. Saturninum Gallum limitis Orientalis ducẽ, in Aegypto tyrannidem arripientem: Proculum itẽ Galliæ, & Bonosum Britanniæ regnum affectantes oppressit.

Galerius Maximianus à Diocletiano adoptatus (collegam habens Constantium Chlorum à Maximiano Herculeo adoptatum) duos adoptauit: Seuerum, quem Italiæ præfecit, & Maximianum, cui Orientem regendum dedit. Interea prætoriani Imperatorem fecere MAXENTIVM Maximiani Herculei F. qui Seuerum fugientem ad Galerium in Illyricum, Rauennæ captum occidit. Galerius ergo LICINIVM adoptat, ipse Romam contra Maxentium pergens moritur. Constantinus Magnus Chlori F. Maximianum Herculeum socerum imperium recuperare conantem Massiliæ, Maxentium eius F. Romæ oppressit: & Licinij collegæ opera Maximianum Orientis præfectum tyrannide deiecit.

MAGNENTIVS in Gallia Constante Imperatore interfecto, tyrannidem inuasit. Contra illum CONSTANTIVS ex Oriente mouens, cruento prælio ad Mursam victor, & victoriam persequens, Lugduni obsessum manus sibi inferre coegit. Interea Romæ gladiatores Nepotianum, Eutropiæ sororis Constantini Augusti F. Imp. declarauerant. Quem Heraclides Senator in Magnentij gratiam obtruncauit. Syluanum ducem in Gallia milites Imperatorem dixere, & eundem mox Agrippinæ obtruncauere: cuius cæde intellecta, Constantius tanto exultauit gaudio, ut ferè insanus haberetur. Gallo patruele homine impurissimo cæso, Iulianum eius fratrem adoptauerat, & Galliis præfecerat: quem cùm milites Augustum salutassent, indignatus Constantius, arma à Persis in Iulianum mouens, ad Mopsucrenas febri extinctus, quem uiuum ferre non poterat, morieus successorem declarauit.

VALENS Imp. PROCOPIVM tyrannum Constantinopolitanum, cui Iulianus Apostata imperium uidebatur commisisse, in Phrygia superauit. Mox quoq; fratrem eius Marcellum Niceæ imperium captantem. Valentinianus Firmum in Africa res nouas molientem uicit.

Post Lucium Britonum regem extinctum Romani gnari Britannos reges, multarum in populo seditionum, & rebellionum in se fuisse auctores, ut res Romana in Britannia foret quietior, publico uetuere decreto, ne quispiam Britannici sanguinis deinceps regia insigniretur dignitate. Id Fulgentius uir nobilis, ueteri Britannorum regum prognatus sanguine, ægerrimè ferens, Britannis auctor fuit rebellandi, in societatem pertracto Donaldo Scotorum rege & Pictis SEVERVS Imp. cum filiis in Insulam properans, manu cõserta ad XXX M. hostium cecidit. Eo illic morbo sublato, Antonius F. pacem Fulgentio & Scotis dedit. H. Boethius libro quinto.

THEODOSIVS Imp. MAXIMVM tyrannum, qui Gratianum Imp. interfecerat, & Valentinianum iuniorem eius fratrem Occidentis imperio priuauerat, ad Aquileiam uicit, cepit, necauit, & Valentinianum imperio restituit. Victorem pariter Maximi F. in Gallia oppressit. Mox etiam Eugenium, qui Valentinianum opera Arbogastis Gothi strangularat, & imperium in Gallia arripuerat, acie uictum domuit.

Mortuo Theodosio, & externis & ciuilibus bellis Oriens atque Occidens miserè sunt concussi. RVFFINVS perfidia sua Hunnorum regem Caianum euocauit, ipse ab Arcadio interfectus est. STILICO Honorium generum opprimere cogitans, cùm Alaricum Vestgothum in Gallias properantem perfidè iuuasset, ab Honorio cæsus est cum Eucherio filio. Gildo in Africa tyrannidem exercens, à fratre Masczezele: Masczezel à militibus interfectus est. Gratianus in Britannia res nouas molitus, à Constantino quodam, Constantinus cum Constante F. à Constantio, quem Honorius Cæsarem creauit, domiti sunt in Gallia. Interea Scotorum & Pictorum copiis pulsi sunt Romani Britannia. Iouinum & Sebastianum eius fratrem in Gallia, Attalum & Heraclianum in Africa, ductu Constantij, Honorius superauit.

ZENO Imperator BASILISCVM socrus suæ fratrem tyrannum oppressit, & fame cum filio mori coegit. Illum quoque & Leontium, qui Isauros spe imperandi concitarant, profligauit.

IVSTINIANVS II. à LEONTIO patricio regno pulsus est. Leontium TIBERIVS Apsimarus. Tandem ope Trebellij Bulgarorum regis capta Constantinopoli, Leontium & Apsimarum interfecit Iustinianus. Victus tandem à PHILIPPICO Bardanio pugna admodum cruenta, & uita simul cum imperio priuatus.

ANASTASIVS Arthemius cùm tribus annis imperasset, & classem contra Saracenos misisset: milites ab eo defecerũt, & THEODOSIVM Adramyttenum inuitum creauunt Imp. qui ad Niceam Bithyniæ acie uictum Anastasium, monachum fecit. Cæterùm sub Leone III. cùm Bulgarorum ope imperium recipere Anastasius conaretur, ab iis Leoni proditus est & interfectus.

LEO III. Pauli Chartularij opera GREGORIVM, qui sub Tiberij nomine tyrannidem in Sicilia inuaserat, oppressit.

CONSTANTINVS V. Iconomachus, ARTABASDVM, qui imperium duobus annis occuparat, prælio uictum, & Constãtinopoli obsessum excæcauit, & in triumpho duxit.

Paulatim deficiente Magni Caroli prosapia sub ARNVLFO Imp. & eius filio LVDOVICO IIII. quæ centum & aliquot annos felicissimè imperiũ administrasse legitur, quasi legitimo destitutum hærede, & in partes à sua compage resolutum, factiones undiq;, & exæmulatione discordias excitauit, & bellorum motus. Vnde nati sunt multi reges & imperij inuasores.

Dum CAROLVS Caluus Augustus Imperium administraret, ut contineret in fide officioq; Italiam, dederat Papiensibus ducem Bosonem, Iuditħæ uxoris suæ fratrem, cui desponsauit Hermingardim filiam Ludouici regis, regemq; Prouincię creauit. BERENGARIVM autem Eberhardi Foroiulienſem, & GVIDONEM Lamberti Spoletanum, proceres iuuentutis Romanæ, per matres Francis, per auias Lõgobardis cognatione iunctos, principes Italiæ, quæiam factionibus distrahebatur, honoribus & muneribus Francis conciliauit: alterumque Foroiulienſium ducem, alterum Spoletinorum dixit: ut Italiam armis in ditionem suã Francorumque redigerent. Hi duo dum Carolus Crassus Imperator animo corporeque deficeret, inter se conspirarunt, ut Berengarius in Italia, Guido in Francia nomen imperij inuaderet. Guido Caroli Crassi interitu audito, Romam properans, absque Francorum consilio regni Franciæ unctionem suscipit. At Franci eo absente Odonem ducem Audegauensem filium Ruperti regem sibi constituerunt. Guido rebus Franciæ desperatis, Italiam contra fœdus cum exercitu inuasit, & Berengarium ad Placentiam primùm, mox ad Brixiam profligauit. Arnulfum Imper. inde ueneno potionatum Italia excedere compulit: sed paulo pòst obiit, relicto filio Lamberto, qui Berengarium iuxta Papiam acie uicit. Eo per insidias interfecto, Berengarius reuocatus ab Hungaris Italiam miserè affligentibus pacem redemit. Eius ignauiã pertæsi indignati Itali Ludouicũ Bosonis regis Prouinciæ ac Burgundiæ ex Hermingarda filium, ultrò inuitant ad regnum Italiæ. Ludouicus Berengarium primò regno eiecit. Verùm nouem pòst annis ab eodem Veronæ captus & excæcatus est, anno Christi DCCCCV. & Berengarius multa cæde regnum recepit. Interea Saraceni & Hungari Italiam miserè affligunt. Adalbertus Eporegiæ comes à socero Berengario ob perfidiam pulsus, Rodulfum regem Burgundiæ in Italiam ducit. Qui regno potitus per triennium, conuocatis Papiam regni proceribus, illis tradidit regnum ipsum moderandum, Burgundiam repetens. Veronenſes Rodulfo discedẽte, Berengarium insidiis Flamberti interficiunt. Sublato Berengario, cùm Hermingarda Eporregiæ marchionis Adalberti uidua regnum inuasisset, & Rudolfum Burgundiæ regem in sui amorem pertractum, ex hoste amatorem fecisset: principes Italiæ & Pontifex Hugonem Arelatenſem comitem potentissimum ac sapientissimum euocant, qui olim regnum Italiæ affectarat, sed à Berengario fuerat pulsus. Rodulfus, Burcardo Sueuorum duce socero suo ex insidiis cæso, in Burgundiam aufugit, & Franciæ regno occupato, Hugoni regnum reliquit Italiæ sine certamine. Cùm autem Hugo annis X. Italico præfuisset imperio, Berengarius II. Adalberti Eporegiæ marchionis & Giselæ filius, Marchio (qui à Rudolpho Burgundo Italia pulsus, apud Hungaros delituerat) cum copiis Germanicis Hermanni Sueuiæ ducis ingressus Italiam, ab Hugone superatus, maioribus denuò coactis copiis, secundo in Italiam rediit. Per legatos de pace concordiaque actum, ut Hugo Italia decederet, sed Hugonis filius Lotharius cùm Berengario ex æquo regnaret. Hugone paulo pòst mortuo, Berengarius ex libidine sua moderatus, cùm Lotharius biẽnio tãtùm patri superstes fuisset, uiduam illius Adelheidam, ne dominiũ Papiense pro dote in alterũ cũ regno trãsferret, filio suo cõiugere frustra conatus in uincula coniecit. Ipse cum filio Alberto Romam festinans se Augustum Imperatoremq; filium uerò Italiæ regem dixit. Interea Otho I. rex Germanorum Cæsar factus, Adelheidam è uinculis liberatam coniugem fecit, & ex ea Othonẽ II. suscepit. Berengarium cum filio Alberto uinctum in Germaniam duxit, sed pòst principum intercessione, restituit illi Longobardiam, Veronam atque Aquileia exceptis. Sed cùm tyrannidem iterum exerceret, cum uxore Vuilla in monte sancti Leonis obsessus ac captus, cum coniuge ac filiabus, in Bauariam missus: tandem exul Babenbergę obiit: Vuilla uelum assumsit monasticum. Durauit hæc Italici regni confusio annis circiter quinquaginta. Cuspinianus.

BASILIO II. Romani F. XXI. annorum adolescente imperium Constantinopolitanum suscipiente, BARDAS Sclerus Orientis præfectus imperium affectauit, & uaria fortuna usus, multis cladibus Basilium affecit, donec tandem

tandem à Phoca Barda eunucho uictus, ad Cosroen Babylonium confugit. Interea Bardas à ducibus reliquis Augustus salutatus, acie cum Basilio dimicaturus, equo humi lapso periit.

CONSTANTINO Monomacho principe ignauissimo imperante, GEORGIVS Maniaces in Epiro tyrannide affectata oppressus est. Similiter & LEO Tornitius Macedonũ opibus fretus, & ad obsidionem usque Constantinopolis progressus, cùm uictoria uti nesciret, captus & oculis priuatus est.

THOMAS Fœderatorum ordinum princeps, Leonis V. Imp. morte intellecta, aduersus MICHAELEM Traulũ, qui imperium inuaserat, uires colligens, totam ferè Orientalẽ plagam occupauit: Agarenos, finitima quæq; deprædantes, fudit, commeatu priuauit, pacis cõditiones dedit, ut si Rom. Imp. eu aderet, fines imperij illis cõcederet habitandos. Antiochiam ingressus, à patriarcha eius ciuitatis Ioanne coronam imperij accepit. Michaelem acie uicit, Constantinopolim obsedit. Tandem Bulgarorum auxiliis uictus, Adrianopoli deserrus à suis, & manibus pedibusque truncatus in triumpho ductus, crudeliter cum filio necatus est. Cuspinianus.

HENRICVS IV. à Gregorio VII. Pp. anathemate notatus, RODVLFVM Sueuię ducem pontificis assensu electum in regem Rom. multo uix tandem sanguine occidit. Saxones HERMANNVM Lucemburgicum regem crearunt Islebij, uel (ut alij uolunt) Goslariæ (ubi tum magnus allij prouentus erat, eo q; Allij res cognominatus est) qui in oppugnatione urbis cuiusdam lapidis ictu periit. Sigebertus anno 1090. EGBERTVM marchionem illi suffectum Henricus post quinquennium oppressit. CONRADVS filius ab eo in Italia defecit. HENRICVS V. F. tandẽ & uita & regno patrem exuit, consensu apostolico.

FRIDERICVM II. Henrici VI. F. Barbarussæ neporẽ, pontifex Innocentius III. Lugduni indicta causa anathemate ferit, principes ab eius fidelitate liberauit, & ne ullum aliũ ex eius familia regem uel Imp. eligerent, dirè interminatus est. Eapropter uiuente adhuc Friderico. HENRICVM Turingiæ & Hassiæ Landgrauium, regem creauerũt, qui Conradum IV. Friderici F. profligauit. Mortuo Henrico eodem anno, GVLIELMVS Hollandiæ Comes electus, quatuor annis uiuo Friderico præfuit, Cõrado Siciliæ regnum post mortem patris occupante, & pacificè per nouennium Germaniam rexit. Mortuo Conrado, Manfredus Friderici nothus Siciliam occupat, Innocentium pontificem profligat. Clemens IV. Carolum Andegauensem è Gallia euocat, qui cæso Manfredo, & securi percusso Conradino Conradi F. quem acie uicerat, Siciliæ regnum pontificis furiis occupauit.

LOTHARIO duce Saxoniæ in Imp. electo, FRIDERICVS Sueuiæ, & CONRADVS Franconiæ duces, fratres, rebellarunt, & Conradus in Italia Modoctiæ regni titulum usurpauit. Multis ultrò citroq; cladibus illatis, D. Bernardus abbas Clareuallensis dissidium composuit.

CONRADO III. Franconiæ duce Moguntiæ in Imp. electo, & Aquisgrani coronato à legato Apostolico (quia Coloniẽsis, ad quem hoc ius spectabat, uix sacris initiatus pallio caruit) HENRICVS Superbus Bauariæ dux, gener Lotharij Imp. defuncti, qui regalia apud se seruabat, electionẽ ut illegitimam causatus, Ratisponæ ea reddere coactus, bello Imp. tentauit. Proscriptus ab Imp. & ducatu Saxoniæ & Bauariæ exutus, dum eos recipere conatur, morbo obiit. Mox Vuelfo Henrici frater causam suscepit. Tandem Friderici Sueuiæ ducis intercessione lis composita.

Contra ADOLFVM Nassauiensem, qui astu ad imperiũ peruenit, improbum hominem, electus est à principibus Moguntiæ ALBERTVS Austriacus. Prope Spirã cruento prælio sex horis pugnatum. Adolfus tandem ab Alberto ense uulneratus occubuit.

Henrico VII. Imp. mortuo, mensibus XIII. imperium uacauit, dum Electorum alij in FRIDERICVM Pulcrum Austriacum, alij in LVDOVICVM Bauarum inclinarent, consobrinos, cùm Bauarus ex Mechtilde filia, Fridericus ex Alberto, filio Rodolfi Imp. natus esset. Ludouicus, qui uota plura habebat Aquisgrani, in loco quidẽ, quo debuit à Moguntino, astante Treuerensi episcopo, corona est insignitus. Fridericus, qui meliora uota, Bonnæ à Colonienſi prælule (cuius est primam imperij coronam dare) sed non in loco, quo debuit, coronatus est. Sic igitur diuisum imperiũ, diuisas fecit urbes & ciuitates. Diuisi sunt & populi. Pontifex Ioannes XXII. utrisque, literis suis blandiens, reges eos uocauit, ac dilectionis filios, dum inter se digladiarentur. Inferiores Rheni ciuitates usque ad urbem, cui Sels uulgare nomen est, Ludouico adhæserunt. Selsa uerò cum superioribus regni ciuitatibus Friderico, exceptis Berna & Solodoro, quæ neutrum curabant. Sed mox & illæ à Leopoldo duce, fratre regis, coactæ sunt Fridericum agnoscere. Fridericus Leopoldi auxilio Ludouicum magnis affecit cladibus. Sed tandem in agro Salisburgensi, dum temerè, non expectato fratre, in hostem ruit, uictor primùm, mox uictus est & captus, triennio in carcere tetro macerat, tandem persuasione Prioris cuiusdam Carthusiensis, remotis omnibus arbitris, liberatus est, his conditionibus iureiurãdo corroboratis, ut uterque, quoad uiueret, regio uteretur titulo: Fridericus Italiam non accederet, sed hanc liberam Ludouico permitteret: neque ius aliquod pereret à Pont. pro ea assequenda. Quod Fridericus sanctè obseruauit: etiamsi Ioannes XXII. Clemensq; VI. crebrò illum in Italiã pro imperiali corona euocarent. Cuspinianus.

Tot dissidia & rerum fluctus in GALLIA extitere à Ludouico Balbo ad mortem Caroli Simplicis, ut uix certò sciri possit, quis potissimùm regnarit.

HENRICVS VI. Anglorum rex ex Lancastria familia ab Eduardo duce Eboracensi captus. EDOVARDVS regno susceptο, IV. se denominari fecit. Comitis Varuicensis opera Henricus restitutus. Edouardus Caroli Burgundi ope & procerum Anglorum perfidia Henrico iterum capto rerum potitus, post grauissimas clades ultrò citroq; datas & acceptas, uiros clarissimos & in iis Edouardum Henrici F. summæ spei adolescẽtem crudeliter interfici curauit. Hisce bellis tanta fortissimorum uirorum multitudo absumta est, quanta uel Galliæ subigendæ satis esse potuisset. Edouardo mortuo RICARDVS III. frater successit. Quem Henricus VII. exul in Britannia, qui solus ex Lancastria familia supererat, in bello interfecit: regnoque potitus, in uxorẽ ducta Elizabetha Edouardi IV. Eboracensis F. factionum capita matrimonij nodo colligauit: & uetus Athenienſium exemplum imitatus, omnem actarum rerum pariter ac iniuriarum memoriam delendã censens, publico edicto sanxit, omnibus parci, ac bona restitui, qui in Henrici fidem uenirent, in eiusque uerba iurarent, & qui non uenissent, post XL dies, quàm potestas ueniendi facta foret, numero hostium patriæ haberi. Neque tamen hac ratione odia Eboracensis factionis extinguere potuit. Nam Margarita Edouardi IV. soror, quæ Carolo duci Burgundiæ nupta fuerat, Lambertum quendam Symenellum, quasi Edouardi esset Clarentiæ Comitis F. à Ricardo III. rege patruo in carcerem coniectus, contra illum armauit, ope Hybernorum subnixum. Quem Henricus acie uictũ propter ætatem uitæ donauit, & accipitrum curam gerere coegit. Mox Petrum quendam Varbichum Tornacensem iuuenem instruxit, ut se Edouardi IV. regis fratris sui filium esse diceret. Quem primũ Carolus IIX. Gallorum, deinde Iacobus IV. Scotorum reges armis sunt tutati. Sed pace facta, Petrus tandem ab omnibus desertus, misericordia regis in uinculis expirauit. Polydorus libro nigesimosecundo, & nigesimoquarto, & nigesimosexto.

STEPHANVS Blesensis Comes, Henrico I. Anglorum rege sine liberis maribus defuncto, regnum occupauit, quòd e-

ius ex sorore nepos esset, & Mathildem Henrici F. (quę post Henrici V. Imp. nuptias Gaufredo Andegauensi nupserat, & ex eo Henricum susceperat) quam pater hæredem cum liberis fecerat, contra iusiurandum Henrico datum, regno deiecit. Mathildis Augusta armis causam suam defendebat: & per aliquot annos Anglia intestinis bellis exagitata, cùm alij Stephanum, alij Mathildem sequerentur. Tandem mortuo Eustachio Stephani F. unico, orbus pater, bellisq; fessus, pacem amplexatus est. Polyd. lib. 12.

Colomanni F. Stephanus II. Vngariæ rex liberis orbus BELÆ II. patrueli suo regnum concessit. Quo regnante BORICHVS Colomanni F. nothus, procerum quorundā studiis accitus, regnum occupare nitebatur. Cōtra quem Bela ducto exercitu, ut proditores comprehenderet, conuocata concione suorum, eos percontatus est, an Borichum legitimum Colomanni filium, an adulterio natum, pro explorato haberent? Qui de regno bene sentiebant, respōdere: Diu se hoc compertum habuisse, Borichum adulterinum esse filium. At reliqui mussitare ac dicere, Borichū è legitimo matrimonio natum, Rutenam Colomanni coniugem præter fas & æquum adulterij specie fuisse repudiatam. Qui cùm tanquam sorices sese prodidissent, statim supplicio sunt affecti. Lampertum comitem, à regis pedibus auulsum, frater proditionis impatiens, subselliorum fragmine diffracto capite interfecit. Nicolaum eius filium ante regem obtruncari iussit. Borichus amisso exercitu, cū paucis uix elapsus, uictoriam & regnum Belæ reliquit. Bonfinius lib. 6. Decad. 2.

Byzantij morte Mahumetis II. Imp. tumultuatum, ac in partes contrarias itum: alij BAIAZETHEM uel Pazaitem stirpis maximum patre nondum Imperatore, alij ZIZIMVM iura dante natum, ad imperiū uocabant. Pater procul trans Taurum decesserat, & uterq; filiorum aberat. Interea Pazaitani aduersariis pulsis, Pazaitis filium in regia sede locant, uice patris tantisper functurum: qui re allata continuò aduolauit. Imperator salutatus, fratrem ad Prusiam Bithyniæ cruento prælio uictum insecutus procul eiicit: pulsus, in Syriam, atq; inde per Arabiæ deserta in Aegyptum se contulit, fidem Sultani implorans. Non bello, sed legatione agebat Aegyptius: sed qui circumcolunt satrapias Turcarū reges, à Mahumete magna parte regnorum spoliati, hoc fraterno bello læti, Zizimum ad se uocant, à se ingentia auxilia polliciti: & spes infecta aliquos fratris satrapas ad eum defecturos. Vbi uerò in Syriam rediit, ac Amanum mōtem superauit, ac multò spe minora à sociis regib. auxilia cōuenerant, nec fratrem in æquum certamen descendere uidet, nec ad se aliquam transitionem fieri, sed loca circà occupari, ut ne fugæ quidem locus pateret: antequam omni parte circumuentus intercluderetur, in maritima Ciliciæ descendit, fideq; publica à Rhodiis accepta, ad illos transmisit. Soluens, antequam altum teneret, sagittam epistola alligata in proximum litus misit ad fratrem, se eius coactu, non contemtu gentilis religionis, ad unicam, quam sibi reliquam fecisset, opem Christianos transire. Rhodij honorificētissimè exceptum in Franciam transuexere. Pazaites ad Francū regem mittit oratores cum libello indice sanctarum reliquiarum, quæ Byzantij etiamnum erant: nihil ex eis regi Frāco non gratificaturus, modò fratrem colens, alioqui contra se non iuuaret. Aemilius lib. 10.

Ius conferendi Dignitatem sacram.

Dum bellum Sacrū à Latinis in Asia geritur, & in Europa summus pontificatus cum imperio Cæsaribusq; decertabat, quòd uetusta iam consuetudine Augusti scipionem sacrum anulumque pastoralem episcopis cæterisque patribus dabant, eamq; sacrarum dignitatum uestituram, iuraq; regia appellabant: contendebantq; illa Carolo Magno à pontifice maximo Adriano cum patriciatu, & à Leone cum imperio data, etiam penes se esse. GREGORVIS VII. ac Victor III. & Vrbanus II. pontifices maximi, HENRICO Cæsari, qui Conrado patri Cæsari successerat, obsistere conati, eum etiam execrati fuerant. Ille & alendo in summo pontificatu schismate, & armis se texerat: Apulis ducibus pontificē tutantibus, ac Mathilde alia in parte Italiæ Comite, femina dominatu opibusque ac religione præstantissima. Aemilius libro 5.

Landouuardus Mindensis episcopus, primus regalia suscepit de manu Imperatoris Othonis primi, anno 961. Cœpit tum ea res frequentari apud Imperatores, ut darent inuestiturā episcopis, & regalia, postquam Leo IIX omne patrimoniū Imperij per Italiam restituit imperio, in persona dicti Othonis primi. Et tum uolentibus & cupientibus summis pontificibus per Imperatores gerebantur. Secuta sunt tempora, quibus per orbem Christianū maxima fuere mala, dum IMPERATORES, quod diu tenuerunt, dimittere noluerunt: & summi PONTIFICES non paterētur, episcopos de manu laica suorum episcopatuum inuestituram suscipere. Inde duo Henrici Imperatores, IV & V. duo Friderici, I & II. quartus Otho, longa certamina habuere cum summis Pontificibus. Cranz. lib. 3. Metropol. cap. 33.

Anno 1119. bellum inter PISANOS, & GENVENSES est ortum, quòd uterq; populus episcopos Corsicæ apud se consecrari uolebat. Id per multos inde annos uario euentu est gestum. Sigon. lib. 10. regni Ital.

Ius conferendi Dignitatem profanam.

Subacto à Friderico I. Imp. Mediolano Rinaldus cancellarius, Otho Palatinus, Comesq; Gozuinus Mediolanum, ut Cōsules designarent, petiuerunt. Id ubi POPVLVS sensit, rei indignitate permotus, quæ ueteris iacturam libertatis afferret, & propterea ad seditionem consternatus tanto impetu ad eorum hospitia oppugnanda procurrit, ut ne Comitis quidem Blanderatensis reclamantis auctoritate deterreri potuerit. Ita illi uix salui postridie infecto negotio discessère. Hæc secundæ obsidionis Mediolanensis causa fuit. Sigon. lib. 12. regni Ital.

Ius Ludorum.

Olympiade centesima quarta, PISATÆ reuocantes antiquā patriæ dignitatem, & fabulosis uetustisq; rationibus usi, ad se pertinere contendebant potestatem Olympiaci conuentus habendi. Societatem igitur fecerunt cum Arcadibus, Eleorum hostibus, & bellum Eleis intulerunt iam ludos facientibus. Verùm cùm totius populi copiis resisterent Elei, graue prælium est commissum, spectantibus conflictū Grecis, qui ad panegyrim coronati conuenerant, & quietè intuentibus notantibusq; utrorumq, magnanimitatē & uirtutem. Pisatę tandem, superatis hostibus, ludos fecerunt, & Elei hanc Olympiadem postea non in reliquis reponendā censuerunt, eò quòd per uim & iniuriam ab Arcadibus ac Pisæis instituta uideretur fuisse. Diod. lib. 15.

[redacted]

Cùm aduersus potent[redacted], qui iudiciis præerant, lege C. Gracchi, senatus M. Liuium Drusum trib. plebis curasset creandum, Liuius, quo maioribus uiribus caussam optimatium tueretur, socios & Italicos populos, ut secum consentirent, spe ciuitatis sollicitauit. Hanc spem cùm alte imbibissent [redacted] omnes, nec Liuio repente mortuo fides exolueretur, primum [redacted] ceperunt arma. Hos secuti sunt Vestini, Marsi, Latini, Peligni, Marucini, Lucani, Samnites, Consulibus Sex. Iulio Cæsare, L. Marcio Philippo, ab V. C. 662. ann. Varie gestum, uaria fortuna [redacted] Tandem [redacted] domiti sunt à diuersis imperatoribus. Historia est à multis conscripta, Liuio, Floro, Plutarcho, Orosio, Velleio, Appiano.

Priuilegia Mercaturæ.

Prisci [redacted] regna [redacted]toribus frequen[redacted] ro alienigenas datis i[redacted] priuil[redacted] rex [redacted] uiolasset, [redacted] bus expeditis duxere [redacted], cui ille filium [redacted] ci Christophorum. Is ictus bombarda ex uulnere [redacted] obiit. Classis urbium non contenta [redacted] gam egisse, ad prædam in terras egressa longè [redacted] Regij classem non [redacted]: & sex [redacted] ni [redacted]is suis abdu[redacted] te[redacted] qui prædatum [redacted] omissa præda reuerti[redacted] proconsul Lubecensis [redacted] Non multo post iteru[redacted] arces capiunturq;: Coppenhauen, [redacted] sterbode, Schonoer, Alsholm. Aberat rex, [redacted] suis metuens. Proceres regni cum ciuitatib. conuenere, ut redditis quas occupassent arcib. Scaniā per annos sedecim tenerent cum omnibus uectigalibus regiis, in compēsationem damnorum, quæ rex mercatoribus irrogasset. Cranz. lib. 8. Vandal. c. 37. & 40.

Leges.

IOANNES Anglorum rex leges Diui Edoardi se restituturū promiserat. Verùm cùm promissis non staret, Proceres contra eum conspirarunt. Rex omnibus exosus, legatos ad pōtificem Innocentium misit, qui eum de seditione principū doceant. Pontifex sua auctoritate decreuit irritum & inane esse, quicquid immunitatis Ioānes paulò antè metu armorum, populo dedisset. At optimates indignati promissa legum diu expectata in ludibrium uertī, non modò decreto tanquam parum æquo non obediunt, sed pontificis iudicium ut iniquum incusantes, arma capiunt. Innocentius omnes, qui contra Ioannem arma tulissent, religionis hostes iudicauit. Illi Ludouicū Philippi regis Frāciæ filiū, sibi regē optarūt. Ludouicus cognita Ioānis fuga, Lōdinū peruenit. Pontifex misit legatum ad Philippum regē, qui eum à bello Anglico dehortarentur. At Francus nullis rationibus adduci potuit, ut auxilium principibus Anglis negaret. Ioannes ab omnibus desertus, amisso etiam in fluminis transitu sceleratissimorum, quem conscripserat exercitu, præ mœrore obiit. Tum principes, tyranni iugo liberati, ne Gallorum armis planè subiicerentur, Henricum III. Ioannis F. impuberem etiamnum regem dixere, & Ludouicum ex Anglia eiecere. Polyd. lib. 15. & 16.

Anglorum principes contra HENRICVM III. regem conspirarunt, eo quòd leges, prout promiserat, corrigere differret. Henricus pater cum Edouardo F. & Ricardo fratre captus est. Sed orta inter principes seditione, liberatus rex, anno tertio hostes pacem petere coegit. Polyd. lib. 16.

Libri.

EPIPHANIVS Salaminis episcopus Constantinopolim adiit, atq; ab inimicis episcopi IOANNIS Chrysostomi impulsus, ab ipso, ut libros Origenis, tanquam hæreticos, condemnaret, poposcit. Mox, cùm responsum ab eo tulisset, se sine maioris alicuius auctoritate Concilij nihil eiusmodi patraturum, in synaxi apud ædem Apostolorum, eos palàm, præsente populo, condemnauit, & Ioannem, qui id facere cunctaretur, acri oratione perstrinxit. Cui contrà Ioannes admonito, quàm multa ille in aliena diœcesi contra leges egisset, non leue periculum, si quis ob id tumultus in urbe accenderetur, intendit. Quo ille metu correptus, statim in Cyprum decessit. atq; in itinere, ingentis sanctitatis opinione relicta, uitam amisit. Eo profecto Ioānes persuasus, quæ ab Epiphanio tentata fuissent, ea EVDOXIÆ Augustę instinctu patrata fuisse, ira permotus, in concionem ascendit, atq;, ut erat in dicendo promtus, orationem aduersus mulieres, quæ adhuc extat, acerbissimā habuit. Qua unà cum Eudoxia exasperatus Arcadius, statim conuocari Conciliū iussit. Ita, cùm episcopi Chalcedonem cōuenissent, qui grauissima aduersus eum simultate flagrabant, quòd seuerius in eorum mores animaduerteret, confestim adesse iusserūt, atq;, Origenis mētione suppressa, calūnias alias intulerunt, &, cum accedere noluisset, absentem eo nomine condēnarunt, atq; ecclesia spoliarunt. Ioannes autem licet à populo sui admodum cupido exire urbe prohibitus, tamē ubi, mandatum Imperatoris accepit, sese abducendum aduersariis præbuit. Eo uerò egresso, usqueadeò uniuersi illius desiderio exarserunt, ut etiam ab iniquis iniuste damnatus diceretur. quamobrem ab Arcadio, quòd imminentem seditionem timeret, e uestigiò reuocatus reuertit, &, cum urbē ingredi, nisi iudicio de se legitimè facto, nollet, à populo introductus, ac solio restitutus est. Non multo pòst in exilium ab Arcadio iterum pulsus est. Is cùm alios, tum Eudoxiam Augustam liberis ad populum concionibus perstringere solitus, demum statuam ei non longè ab æde Sapiētię positam ludosq; ad eam celebrari cœptos, tanquā rem ad dedecus Ecclesiæ pertinentē, reprehendit. Quod in sui contumeliam Eudoxia accipiens, concilium episcoporū aduersus eum uocauit. Qua re accepta Ioānes celebrem illā concionem habuit, cuius initium est: *Herodias iterum insanire, iterum commoueri, iterum saltare pergit, iterum caput Ioannis in disco accipere studet.* Quæ Eudoxiæ animum multò acrius inflammauit. Conuocatis episcopis accusatores, qui aliàs quoq; Ioannem insimulauerant, iterum prodierunt. die Paschatis appetentis, iudicium actum. præcipuè crimini uersum est, quòd post priorem abdicationem sine Concilij auctoritate semet in sede episcopali locauerat. eaq; de re condemnatus est. Imperator primùm, ne ecclesiam ingrederetur, edixit: deinde post duos menses in exilium pepulit, in quo etiā periit. Prid. Kal. Octob. cùm sæuissima grando suburbia Cōstantinopolis lacerasset, sermo in populo percrebuit, malū istud propter iniustam Ioannis calamitatem à Deo irato esse immissum. quem sermonem mors Eudoxiæ, quæ quarto pòst mense contigit, confirmauit. Sigon. lib. 10. Imp. occid.

Ludus.

Accius Tullius Volscorum rex, qui C. Martium Coriolanum profugum excepit, deque communi consilio Romam suos VOLSCOS ad ludos ire suasit, clàm Consules allocutus, monuit, ut Volscos urbe eiicerent: dubitare enim se, ne sicuti olim Sabini, in similibus ludis tumultum excirent. Consules ergo Accij consilium secuti, [redacted] urbe exire iusserunt. Volsci perfidiæ regis sui ignari, indignabundi discedunt, ius hospitalitatis uiolatum uociferātes, quòd nulla causa eiicerētur. Accius suos magis cōtra ROMANOS accendit, donec ad manifestum bellum, quod odio Romani nominis cupiuerat, res peruenit. Liuius lib. 2.

Petro Ziano Venetorū duce ex leuissima causa grauissima cū Patauinis orta est discordia. Florebant tū longa pace TAVRISINORVM opes: & quū ludis multaq; lasciuia, ut fit, in secundis rebus ciuitas ipsa luxuriaretur: commenta dicitur an. sal. 1214. suaue ludicrum, ut castellū media urbe peregrinis pellibus ac eisdē ualde preciosis purpureisq; stragulis murorū loco muniretur: ut ingenuæ uirgines, quib. locū tuendum destinarāt, pro galeis coronas aureas haberent, pro thoracibus, pro brachiorū tegmentis armillas, & ditissima monilia. Puellæ elegāti forma castellū præsidio tenerent: nobilissimi adolescētes uirginib. ęquales arcem oppugnarent: missilia quæ utrinq; iacerēt, poma essent, muscatæ nuces, rosæ, lilia, aliiq; flores in pilarū speciem conglobati: subitæ adhæc rosaceæ aqueæ eiaculatus, uariaq; alia odoramentorū exquisita genera. Is rerū apparatus multos, ut fit, mortales spectādi studio Taurisiū traxerat. Venerāt & Veneti nō pauci, & ex Patauio ad id spectaculum inuitati. Sed quum iam loci oppugnatio omnium oculos occupasset, essentq; cunctorum animi intēti, qua parte primùm in castellum ipsum oppugnatores irrumperēt: accidit, ut Venetorū iuuenū globus, occupata repentè porta, iam iam signa esset illaturus. Quod ex Patauinis quidam, qui proximo loco & ipsi uirgines oppugnabant, cōspicati, Venetis præsentē gloriam inuidētes, facto in signiferū impetu, uexillū, in quo D. Marci effigies erat, illi præreptum ignominiosè lacerarūt. Cōtinuò ex iniuria orta est rixa: fuissetq; nō sine cæde ibidē dimicatum, nisi qui ludis præsidebant, (Scardeonus Paulo Sermeolio Patauino hanc laudē pacificationis tribuit) confestim spectaculū edicto soluissent. Discessum est utrinq; iratis animis. Patauini suæ culpæ cōscij, Taurisinis in socios assumtis sine ulla belli denūciatione primas partes occupāt: Venetos fines ingressi subitā inde prædam abduxere: resq; publico nomine repetitas nō modò nō reddunt, sed Bebianam etiam turrim flumini impositā oppugnare incipiunt. Ad Bebias est pugnatū. Aquileiēsis antistitis interuētu pax secuta his cōditionibus, ut quinq; & uiginti illorū, à quib. Taurisino spectaculo iniuria orta erat, Venetias ad principem mitterentur: cui fas esset eos, quo uellet, supplicio afficere. Eos postea traditos Veneti inuiolatos dimisit. Ab hoc initio deinceps odiis & offensionib. datus locus, donec tandem Patauini imperiū magno suo cū bono subiere Venetum. Sab. lib. 8. Dec. 1. & Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Venatio.

Crathlinthus Scotorum & Thelargus Pictorū reges auitū fœdus renouarāt. Picti quidam ad regem Crathlinthū uenandi cum eo causa in Grampiū uenere. Venabantur PICTI, suo more, ceruos hinnulosq; canib. in retia urgentibus, circa prata, secus fluenta, prope saltus, dedita opera locata. Quæ si quādo euaserāt, sequuti arborum ramis operti, quò magis feris ignoti forent, lassos, humi procumbentes, missilibus petebāt, & catapultis. Auersari SCOTI id uenandi genus, quòd à ueteri suo instituto esset alienū. Propterea ablatis plagis, arcu, missilibusq;, Scotorū more Picti uenatui insistere. Vbi cùm suos canes, Scoticis, pulcritudine, uelocitate, laboris patientia, simul atq; audacia lōge inferiores animaduertissent: quosdā utriusq; sexus à Scotis dono accepere: alios clam secū abduxere, & inter eos uenaticū quendā candore niuali, eximia pernicitate, & audacia forma elegāti, quem Crathlinthus in deliciis habebat. Regiorū canum prefectus, ui conatus auferre, à Pictis uenabulo transfossus interiit. Tumultuaria inde rixa augescente, cæsi sunt ex Scotis sexaginta uiri insigni nobilitate, magna cū agrestiū multitudine: ex Pictis amplius centum. Hoc initium infelicis belli inter cognatas uicinasq; gentes. Iunctis nō multo pòst exercitibus concursum. Picti acie superiores, duo millia amisere, Scoti tria. Vix tandē Carātij exulis Scoti intercessione pax facta, & socia arma in Britānos uersa. H. Boet. lib. 6.

Mors principis.

Anno 34. sui imperij cùm ob dolorē capitis Iustinianus in conspectum populi nō prodiret, diuulgatus est CONSTANTINOPOLI rumor de morte eius. Itaq; tumultuatū est, direptæq; tabernæ & mancipia. Circa horam IX præfectus mandato Imperatoris lumina per totam urbem succendit, quib. regem saluum esse indicabatur. Ea res tumultum sedauit. Cedrenus.

TVRCI quantum reges in uita uenerantur, tantū iis mortuis tumultus ac seditionis excitant. Aeraria diripiunt, domos spoliant, & nihil, quod ad locupletandum prosit, omittunt. Cuspinianus in Turcorum hist.

Post obitū Matthiæ regis quietē aliquandiu Hungaria à Turcis habuit: donec BAIAZETHES II. motu terrę cōmotus (qui Constantinopoli octingentas domos prostrauerat, ac homines plus minus ter mille uel obruerat, uel fulmine adusserat) rursus arma in Hungaros resumeret, eam calamitatem, Mahometi furori attribuens, quòd nimis diu aduersus Christianos cessasset. Ergo Turcę agros in Bosna ad Hungariam pertinentes uastant, omnia fuga & terrore complent, & ad expugnandam arcem Sabatiā, quam nuper Matthias recuperauerat, se conuertunt. Verùm magna clade obsidionem relinquere coacti fuere. Dubrauius lib. 31.

Reliz

Religio.

☞ *Consule Tit. Religionis alienæ odium, correctio. Illic Pietatis religiosæ ex professo, tanquam subiecti habetur ratio: hîc Inimicitiæ.*

Bello Iudaico confecto, IVDÆI, qui Antiochiæ erant, grauissimè sunt à gentilibus circumuenti. Nam Antiochus quidã, (consiliis facinorosorum hominum, qui ære alieno obstricti, forum & scripta publica concremandi occasionem sibi dari cupiebant) cùm ANTIOCHENSIVM populus concionaretur in theatro, progressus in medium, patrem suum Iudæorum principem & cæteros deferebat, quòd una nocte totam ciuitatẽ incendere statuissent: & uelut huius consilij participes quosdam hospites Iudæos tradidit. Quibus auditis, populus eos, qui traditi fuerant, statim in theatro concremauit. In multitudinem uerò Iudæorum properantem irruere populum Antiochus magis accendit, quando ipse apertè paganorum ritu sacrificaui, & cæteros ad idem cogi iussit, si recusarent, pro manifestis insidiatorib. habendos esse. Acceptis interea à Romanorum duce militibus, sęuus instabat suis ciuibus, nequaquam eos die septimo ab opere cessare permittens, sed omnia cogẽs facere, quæ diebus aliis agerent. Id quod uicinę etiam urbes in exemplum traxere. Iam cùm quadratum forum exuri contigisset, archiua item publica basilica, huius facti Antiochus Iudæos accusauit. Antiochenses furore correpti, aduersus Iudæos insurgebant. Quorum motus uix potuit reprimere collega adhuc iuuenis legatus, postulãs sibi permitti referre ad Cæsarem gesta. Iosephus lib. 7. c. 21. Belli Iud.

Scribit Eusebius lib. 4. c. 1. hist. Eccles. Dion, & Eutropius, circa annum 18. Traiani, IVDÆORVM calamitates maiorem in modum inualuisse: quas propriis ipsi sibi furoribus conciliarunt. Primùm enim, qui in Libya, Aegypto, Alexandria, apud Cyrenẽ etiam & Thebaida habitarunt multa uicinis gentilibus intulere certamina, ita ut carnibus etiam ipsorum, quemadmodum Dion scripsit, uesci, sanguine eorum tingi, ac pellibus uelari cœperint. Quosdam per mediũ usque ad uerticem dissecuere, alios bestiis laniandos obiecere, alios in mutuas digladiationes commisere, adeò ut circa Cyrenen solam ducenta & amplius, (ut Dion ait) hominum millia deleta sint: strage illa excepta, quam apud Aegyptum ediderunt, ac Cyprum, in qua insula circiter ducenta & quadraginta hominum millia trucidarunt. Libyam certè adeò uastam & uacuam hominibus à Iudæis esse factã, Eutropius & Orosius tradiderunt, ut nisi Hadrianus colonias aliunde in eam deduxisset, deserta prorsus relicta esset. Atque hæc tamen nondũ belli, sed seditionis & tumultus speciem habuerunt. At sequenti anno, numero & armis instructi, bellum intulére Lupo, qui tum totius Aegypti præses erat. Vbi in primo quidem conflictu Iudæi uictoriã obtinuerunt: sed quæ paulo pòst amissa rursus & miserabili eorum interitu permutata est. Nam quæ desperatione uictoriæ ex prima pugna Alexandriam confugerant gentes, ibi Iudęos omnes interemerunt. Consistentibus interea aliis apud Cyrenen, qui audita clade eorum, qui se Alexandrię præsidiorum loco continuerant, ad agros Aegypti & castella depopulanda, duce Luca, se conuerterũt. Contra quos Traianus Marcium Turbinem misit: qui pedestri, nautico & equestri bello eos aggressus, longo, quanquam & difficili bello, superauit, interfectis Iudæorum multis myriadibus, non per Cyrenen modò, sed Aegyptum omnem. Erat adhuc reliqua Iudæorum manus apud Mesopotamiam: ad quam opprimendam L. Quintum Imperator misit, qui bello eos graui persecutus prostrauit & deleuit.

Sub annum Hadriani XVII. IVDÆI iterum bellum cum Romanis gessere. Cuius causam Dion fuisse ait, quòd Hadrianus Hierosolyma gentibus etiam inhabitanda concesserat, & ex aduerso templi propriam & ipse Ioui ædem extruxerat. Spartianus uerò, ꝙ genitalia Iudæi circumcidere prohibiti fuerint. Ergo ducem sibi delegerũt Barcochabam (qui se filium stellæ uocauit, ut alluderet ad propheriam Bileã, maioremq; ad omnes ausus sibi auctoritatem conciliaret) cuius insignis in Christianos fuit crudelitas, propterea ꝙ à Iudæis, ad belli communis societatem rogati subsidia denegassent. Hadrianus cõgressus cum Iudæis, fame prius ac siti domitis, ad oppidum Hierosolymis uicinũ Bethora uictor, interfectis unius diei prælio (ut Nicephorus scribit) quinquagintaocto myriadibus. Anselmus, qui Iulium Seuerum eius belli præfectum fuisse scribit, cæsa esse indicat quinquaginta Iudæorum millia, arcibus eorũ captis quinquaginta, uicisq; nongentis & octogintaquinq; fame, ferro & igne deuastatis: cæteris urbe expulsis, ac per orbem terrarum diuenditis. Fuit hæc nouissima Iudæorũ deletio. Nam nec urbẽ nomen uetus retinere Hadrianus uoluit: sed restauratã suo de nomine Aeliã Capitolinã, ut Diõ ait, uocari iussit, ut Eusebius & Honorius annotarũt: nec è longinquo etiã patriam antiquã Iudæis aspiciẽdi potestatẽ esse, legibus cauit. Addit Eusebius in Chronico, curasse Hadrianum, ut ad partẽ superiorẽ portæ, qua in Bethlehẽ iter esset, ad maiorẽ ignominiam Iudæorũ, marmorea suis effigies adfigeretur, in perpetuã memoriã, Romanorũ potestati omnem Iudæorum gentem esse subditam.

Inter PHILIPPICVM Imp. & Cõstantinũ papam Romanũ, dissidium ortum est: quod eò usq; progressum est, ut pro hęretico Imperator sit à Papa declaratus: populusq; Roman. neq; nomen, neq; chartas, neq; figurã eius recipere dignatus sit. Beda de Tempore indicat, Philippicũ picturas quasdam continẽtes acta sex uniuersaliũ Synodorũ, iussisse deleri. Platina addit, è Sophiæ templo abrasas eas picturas esse. Paulus Diaconus lib. 6. c. 11. dicit, eum imperasse per literas Romanæ ecclesiæ, ut de homousio cum Constantinopolitana consentiret. Zonaras autẽ narrat, eum sextam uniuersalem Synodum, conuocata alia, uoluisse abrogare.

Anno IV. Iustiniani Imp. SAMARITANI & IVDÆI in Palęstina, quendam Iulianum regia corona ornatum sibi præfecerunt: armisq; contra Christianos sumtis, rapinas, cædes & incendia ediderũt. Hos Iustinianus occidione deleuit, Iulianoq; caput amputauit. Cedrenus.

Anno sal. 1400. Bonifacius IX. Iubileũ indixerat, amplis. peccatorum uenia proposita, eiusq; Boemis Pragę consequendi potestatẽ fecerat. Tum Ioannes Hus sacerdos, qui paulò ante Viclefi lib. de Vniuersalib. realib. instructus disputationũ aculeo Germanos superauerat, iisq; in Pragensi Academia ius triũ suffragiorũ consensu regis eripuerat, & in Boemos, qui quartum tantùm habebant, transtulerat (cuius rei indignitate plus quã XXIV. M. studiosorũ Germanorũ uno tempore Lipsiã migrarunt) Indulgẽtias publicè reprehẽdere, uitia sacerdotũ exaggerare cepit. Mox Io. Viclefi libello, quẽ Aletheian inscripserat, instructus, cõtra Pontificẽ insurgere, Confessionẽ auricularem, sanctorũ inuocationẽ, uota monastica tollere. cumq; concionib. ei interdictũ esset, in pagũ Hussinecz, unde oriundus erat, secedere, ibiq; passim confluentib. concionari. Interea Hieronymus Pragensis in Academia publicis disputationib. ea ipsa dogmata contra Germanos doctores tueri, tanta auditorũ contentione, ut à uerbis sæpe ad uerbera perueniretur, & populus etiã ipse in partes, ut opinionũ sic uulnerũ traheretur, plebe à Hieronymo populari suo, Senatu uerò à Germanis stante. Vẽceslaus rex hæc ociosus etiã cum plausu spectabat, Albico archiepiscopo Pragense, auaritiæ barathro, maiorẽ marsupij quã religionis curam gerente. Iam cùm Ioãnes XXIII. Pp. cruce signatos cõtra Ladislaũ regem Neapolitanũ, rebellẽ, Hungariæ regnũ Sigismundo Venceslai regis fratri eripere conantẽ, exciuisset: Ioãnis Hussi Tres auditores cùm cõcionantem Apostolicũ legatũ mendacij incusassent, suspẽdio pœnas luère. Hussus in concionib. perstans, à Sigismundo, qui Venceslao fratri successor ab Electoribus datus erat, ad Cõstantiense Conciliũ cũ Hieronymo uocatus, contra publicam fidẽ pòst exustus est. Interea Petrus [redacted]densis Iacobellũ popularẽ suũ perpulit, ut calicis usum populo sine dispendio saluris denegari nõ posse, pro cõcionib. assereret. Concilij proinde interdicto magis exacerbati Pragẽses, calici publicè infantes quoq; & pueros adhibere, eoq; pro insigni uti, & per plateas circũgestare, diligẽter obseruãdo, ecquis calici honorẽ deferret. Eapropter Calixtini sunt appellati. Iam cùm apud Vencestaũ frustra agerẽt, ut plura sibilo ca sacra concederentur: Nicõlai Husineczij suasu in montẽ Thabor, quintũ à Praga lapidẽ discedũt ad XL. M. hominũ promiscui sexus & ætatis, ibiq; CCC mensis positis, calicis sacra obeunt, ciuitatẽ ædificãt. Rex interim arma omnia ciues in arcẽ deferre iubet. Io. Zisco, eques monoculus, bellicæ rei peritiss. suadet, ut armati potius corã rege appareãt. Hac ratione terror regi iniectus fuit. Orto mox tumultu ob discerptũ prætoris accensum, qui calici nullũ honorẽ exhibuerat, prætor occisus est, Senatores de fenestris præcipitati: regni Camerarius, qui cũ CCC equitib. accurrerat, in fugã actus: Vẽceslaus rex præ iracũdia apoplecticus corruit. Secutũ inde interregnũ, fœdiss. direptionib. & lanienis obnoxiũ. Cõcilij Cõstan. literis moniti Boemi, ut ad catholicã redirẽt Ecclesiã: Pragę cõueniũt cũ Morauis, & iniustè dãnatos Husũ & Hieronymũ obiiciũt. Mox Prædicatorũ & Carthusiensiũ cœnobia, tanꝙ accusatorũ Hussi, diripiunt, tẽpla spoliãt, [redacted] sacerdotes pellũt. Calixtini interim Pragẽses cũ Thaboritis iũcti Vicegradũ arcẽ, & Pelsinã urbẽ occupãt, sed nõ diu retinẽt. Cęterũ cùm sine capite essent, quatuor duces Thaboritę deligũt, Ziscone, Nicolaum Hus, Sbinconẽ à Bochouo, & Chualũ Rzepicẽsem. Pragenses totidẽ capita. Bechinẽsis & Pelsinensis regionis castella, arces, tẽpla, monasteria uastãt. In mõte Oreb ꝓpe Lypniciã arcẽ metallarij quidã & carbonarij coitione facta, Orebitas se dictitabãt, & sub religiõis ꝑtextu in catholicos grassabãtur. Sed eos Sigismundus rex equitatu immisso disiecit, & Pragam obsedit: at Thaboritas in subsidium uenientes metuens, Boleslauiam abiit. Thaboritarum suasu Pragenses reliquias Romani cultus penitus excindunt. Martinus V. cruce signatos contra Hussitas excitat. Sigismundus numerosissimo exercitu tribus locis Pragam obsideri: cæterũ eo euentu, ut induciarum cõditiones accipere fuerit coactus, & satis habuerit ingentis beneficij nomine locum sibi Pragæ ad inaugurationem concedi. Conditiones erant 4. Vt uerbum Dei liberè per Boemiam prędicetur. Vt synaxis sub utraque specie exhibeatur. Vti clerus omni iurisdictione & bonorum possessione cedat. Vti uitia in quouis statu corrigantur. Discedẽte inde Sigismundo ad uires recolligẽdas, Hussitas, solius calicis studiosos, ob retẽtas ceremonias sacrorum, in uestitu, chrismate, sale, oleo, aqua lustrali, calicibus aureis argenteisque, imaginibus, organis musicis, ob auctoritatem patrum, ob graduum nomina, Thaboritæ horum omnium contemtores sugillabant. Concionator illorum Coranda senatoribus deiectis nouum ipse senatum in ueteri nouaq; Praga instituit: Aulam regiam, monasteriorum omnium elegantissimum euertit. Mox Thaboritæ Hussitarum sacerdotes exosi, duce Ziscone Pragam relinquũt, torrentis instar obuia omnia flagellis ferratis prosternunt, Aream domini se purgare dicẽtes: ultionis enim nunc tempus esse, non misericordię. Pragenses Vicegradum obsidentes, Sigismundum ex Hungaria obsessis auxilio uenientem magna clade repulerunt, Procopio interim Morauiã tuente. Communi inde consilio Hussitæ cũ Thaboritis regi Polonorum Vladislao regnum offerunt. Quod cùm ille, ut ab hæreticis oblatum, recusaret, Vitoldum Lituaniæ ducem euocant. Misit is Coributhum patruelem: qui tamen non diu Pragæ remansit. Thaboritę rursus superstitionem Hussitarum notare, quòd sacris uestibus induerentur, & cernui corpus Christi sublatum uenerarentur, & indignabundi discedere. Pragenses interea Nouam arcẽ deditione obtinent: Ziscone foris monasteria euertęnte, & sola aduentus sui fama Sigismundum à Cladronæ oppugnatione auertẽte. Dum arcem Rabi firmissimam oppugnat, oculum, quem reliquum habebat, amisit Zisco. Sed quantum oculis decessit, tantum felicitati bellicæ accessit. Adamitæ interim noui in insula Morauiæ, in Mora fluuio positæ, emersere, nudi incedentes, promiscuo concubitu utentes. Eos Ioannes Olmucẽsis episcopus dissipauit. Dissipati in Boemiã, Picardorum nomen assumsere. Quos ipsos Zisco ad pagũ Klokot nactus igni absumsit. Mirabili inde uictoriarum serie Chomutouia, Zazium, Slaua, Berona, Broda expugnantur: urbes reliquæ præ metu se dedunt: ipse quinetiam archiepiscopus Pragensis in partes illorum descẽdit. Post hoc arce Pragæ noua ab Hussitis occupata, secũda cruce signatorum è tota Germania expeditio, numero multo maior, euentu neutiquam felicior. Victus in montibus Cuthnensibus à Ziscone Sigismundus, eius conciliandi causa regni administrationem clam ei offert. Sed Priscouiæ pestilentia mortuus Zisco, Ziaslauiæ sepelitur. Ab eius morte Thaboritæ Orphanorum nomẽ sibi sumsere, quod tanto duce ceu patre orbati essent, Procopiis duobus ducibus, maiore & minore, perpetuò sub dio uiuentes, rapinis assueti, sic ut ne Hussitis quidem Pragensibus, quos & robore & religione se inferiores putabant, parcerent, Pragamque noctu aggrederentur. Diuisi inde rursus in Orphanos sub Procopio maiore (quem Rasum uocauere, quia presbyter fuerat, & propter res gestas Magnum) & Thaboritas, cum Pragensibus Hussitis iterũ iuncti fuere, (eo quòd Iulianus Cardinalis S. Angeli nouam contra Boemos expeditionem instituisset, Friderico Marchioni Brandeburgensi exercitui præfecto, in quo supra XL. equitũ millia fuisse dicuntur, præter equites. Ad Austium XII. Germanorum millia (Syluius habet IX.) cecidere. Pelsina fortiter restitit. Depopulati inde Austriam, Lusatiam, Silesiam, Misniam, tanto metu insignium urbium, ut Erfordia, Magdeburgum, Brunsuica, Luneburga, nouis munitionibus se firmarint, Norimberga & Bamberga pacem redemerint. Germanos per circuitum habitantes, alios Philistæos, alios Idumæos, Moabitasq; uocabant: Boemiam terram promissionis esse dicebant. Erat & tertius exercitus, quem fratrum Orebitarum appellabãt, cuius auctor fuit Bedricus presbyter Stamicensis, natione Morauus, qui bellis assiduis Silesiã infestauit. His elati successibus Thaboritę, Pragenses paruipendere, nobilitatem contemnere, regimen totius regni ad se trahere. Iuliano interim ad concilium reuerso: Sigismundus Boemos eò uocauit. Scripsit & ipsa Basiliẽsis Synodus ad Boemos, ut legatos mitterent, qui fidei suæ rationem ostenderent, securitatem itineris, & dicendi quæ uellent libertatem promittens. Orphani & Thaboritæ, & plebes fermè omnes, eundum esse negabant, Ioannis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qui Constantiam ad Synodum profecti, sub fide Sigismundi publicè combusti fuissent. Nobilitas uerò Mainardum secuta principem Nouæ domus, petendum esse concilium prorsus aiebat. Vicit hæc sententia. Legatio CCC. equitum Basileam missa. Selegerunt Boemi quatuor magistros, qui suos articulos ex diuina lege sumtos ostenderent. Qui eos confutarent, ex cœtu patrum totidem assumti. Disputatum est quinquaginta diebus, multa in utrãque partem adducta. Sed cùm auctoritatem patrum scripturæ auctoritati posthabendam esse Boemi censerent, irrita fuit legatio. Missi sunt oratores ex concilio in Boemiã, qui cùm rationibus non possent, occultis artibus nobilitatem à plebe seiunxere. Itaq; Mainardus à Noua domo, Praczko & duo Alexiones Sternbergius & Vressiouius (Syluius Alscium Risenburgensem ducem nobilitati præfectũ fuisse dicit) cum Pragensibus & Pelsinensib. conspirantes, cùm equitatu abundarent, inter Brodam & Caurimam planicie latissima eos assecuti, perrupto carrorum munimento, qua parte cathenas non satis cohærentes habebat, magnã stragem Thaboritarum edidere, proditione & fuga Czapconis, qui Thaboritarum exercitui præerat. Procopius maior cęsus (utrunque Procopium cæsum Syluius asserit) Reliqui dediti, in horrea secedere iussi uicina, subiecto igne exusti sunt. Et sic Boemi Thaboritæ & Orphani non nisi à Boemis uinci & deleri potuere. Concilij inde Basiliensis auctoritate communio sub utraq; specie Pragensibus cõcessa, dummodo in reliquis cum Romana ecclesia sentirent, & Christum totũ tam sub pane quàm sub uino contineri crederẽt. Sigismundus Pragam ueniens, Barbaræ uxoris ab episcopo Constantiensi coronandæ gratia, amplissimè de Rokiczano Hussita archiepiscopo constituendo promisit. Cæterùm quinquennij spacio sensim monachos reduxit, Hussitas sacerdotes ablegauit, & largo stipendio excitos audacissimos quosque in Hungariã sub Alberto duce Austriæ, genero suo, Turcis ex composito trucidandos obiecit. Rohacium unum è proceribus perfidiam regi exprobrantem & prædas agentem captum cum LXX. factiosis suspendit, nec multo pòst è uiuis excessit, Alberto Austrio genero substituto. Is Hungariæ regno adito, à Boemis quoque recipitur: licet Thaboritæ Casimirum Poloniæ regis fratrem mallent: insuper à Germanis Cæsar dicitur. Cõtractis igitur copiis Boemiam inuadit. Resistunt ei Thaboritæ Polonorum auxiliis. Albertus ex dysenteria moritur. Ladislaus posthumus Friderici Imper. patrui tutelæ committitur. Duo regni curatores designati, Ptasco siue Ptarsco Hussiticæ, & Mainardus Romanæ factionis. Illo mortuo, Georgius à Cunstat, arcis Podiebradij munitiss. dominus, occupata noctu Praga, Mainardum Hussitis infestum capit, Senatum mutat, & planè regia auctoritate regnum administrat, quoad Ladislaus per ætatem regnum iniit. Dum nuptiæ parantur Pragæ, Hussitis parum æquus, incerto fato moritur. Comitiis publicis Georgius rex creatus, obedientiam Calixto Pp. iurat. Ei cùm Pius II. successisset, neq; is pacta Concilij Basiliensis de communione sub utraq; specie concedere uellet: Georgium Venceslaum archiepiscopum Pragensi archiepiscopatu deiicit, Fantinum de Valle legatum Pontificiũ fulminantem in uincula coniicit. Pontifex Vratislauienses & Namyslauienses à iuramẽto Georgio dato absoluit, eumq; diris deuouet, Matthiam Hungarię regem contra eundem, quantumuis socerũ, excitat. Varia fortuna bellatum, donec Georgius ex hydrope periit, an. 1470. & Vladislaus Casimiri Polonorum regis F. contra Matthiam Hungarię regẽ electus, in regno successit. Aen. Sylu. in Boemia, & Dubrauius lib. 23. 24. & seq.

Imperante Alberto Austriaco, quidam cognomine RINDFLAISCH, agricola, se ut Iudæos ubiq; gentium deleret, cœlo demissum diuinitusq; delectũ prædicabat. Credit uulgus, turmatimq; prouolans, ducem sequitur. Orto tumultu, Iudæi in omnibus ferè Franciæ & Boiariæ ciuitatibus ac oppidis concremantur: uiri atq; feminæ obstinatissimo animo cum paruis liberis omniq; supellectile in medium se incendium mittunt. Albertus Imp. furore uulgi euanescente de seditiosis suppliciũ sumsit, aliosq; in urbibus, unde excisi erant, collocauit. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.

Anno 1190. in Anglia, paulo ante Pascha, orta turba inter CHRISTIANOS & Iudæos, qui Eboraci & Lincolniæ agebant, ciues sumtis festinanter armis, miseros Hebræos uiros pariter ac feminas trucidarunt, extra paucos, qui professi sunt se Christianos fieri uelle. Id facinoris rex Ricardus grauiter tulit, ꝙ in bellum Hierosolymitanum proficiscens ab ipsis Iudæis fuerat multa pecunia adiutus. Polyd. lib. 14.

Populus NEAPOLITANVS per se mobilis, & rerum nouarum cupidus, ad fortunæ regiæ commutationem, dum Ferdinandus rex Carolo IIX. Gallo Capuæ resistere cogitat, arma cepit, factoque impetu in Iudæos trapezitas, qui opinione diuturni fœnoris locupletes habebantur, eorum domos temporis momento diripuit: totaq; urbe ob id factũ ad defectionẽ spectante, Ferdinandus Neapolim citato cursu contendens, tumultum sedauit. Iouius lib. 2. Hist.

Anno

Anno 1547. dum in Germania Cæsar triumphat, NEAPOLI prorex Petrus Toletanus, pro more Hispaniæ, de cuiusq; fide & religione inquirere instituit. Tulerunt hoc impatienter ciues, alioquin etiam pertæsi Hispanorum imperium. Sed post multas utrinque lanienas in urbe, Hispani superiores extiterunt, ut qui propugnacula tenerent & arces. Itaq; multatis aliquot, reliqui iussi sunt exulare. Sleidanus lib. 19.

Bellum Rusticum GERMANIÆ pete infra ex Titulo, Rustici nobilibus inimici.

Academia, Schola.

MAGNVS, Princeps Magnopolensis, zelo propagandi diuini cultus, ac stabiliendæ academiæ Rostochiensis, parochialem sancti Iacobi ecclesiam collegiatam facere instituerat, apud quam magistri & doctores academici residerent. Interea uarij in plebe sermones: Non quæri à principibus ecclesiam, sed urbis plenum dominium, ut iniiciatur frænum libertati. Non agi de collegio, sed de arce quandoque in urbe collocanda, & transferenda episcopali cathedra è Zuuerino Rostochium. Itaq; seriò reluctari cepere, licet anathemate intentato. Sed dum negotium de anno in annum trahitur, Magnus nō passus sibi diutius illudi, cum magno comitatu urbem ingreditur. Razeburgensis episcopus, exequutor apostolicus, literas recitat plumbatas, & parochialem ecclesiam in collegiatam erigit, præpositū facit Thomam Rode, Decanum instituit, & singulos ducit in subsellia. Dominico die, cùm dux abire pararet, ciues seditione mota nouos Canonicos adoriūtur: Præpositum in carcerem pertrahunt, restitantem occidunt, cadauer proculcant, Decanum in carcerem detrudūt. Vix principi exire licuit. Is tanta iniuria prouocatus, urbem obsedit: inde obsidione relicta, portuque intercluso, bellum trahere instituit. Tumultus interea & miseriæ plena in urbe omnia. Erat princeps factionis in urbe quidam ex latomo causidicus, ex causidico coctor cereuisiæ: qui multis tergiuersationib. rem distinebat, cum uiris LX. Collegam ille sibi adsciuit proconsulem. Proconsul, quum uideret omnes male habituros, nisi ille periisset, effecit, ut iustis de causis captus, cum consiliorum socio, clam cæsus gladio, lueret supplicium. Itaque duorum sanguine restinctum est diuturnū urbis incendium. In quintum annum extracto bello, induciis multis interceptum, tandem an. 1491. inter duces Magnopolenses & Rostochienses ea lege cōponitur, ut collegio integro permanente (quod ex Iudæorum opibus in fiscum redactis auxere) aliquot millia principibus darentur: exules reciperentur, & cum iis, qui in nouum erant allecti concilium, sederent. Crantzius lib. 13. & 14. Vandal.

Templum, Fanum.

Duo erant totius orbis terrarum emporia celeberrima, Barbaris Damiata, Christianis Ptolemais. Hæc, amissis Hierosolymis, erat regia urbs, celeberrimusq; Latinorum mercatorū conuentus. Per inducias, ex India, Aethiopia, Arabia, beatisq; regionibus ad alios mercatus allatæ merces, illò tandem comportabantur: inde Veneti Genuensesque nauibus quò uisū erat asportabāt. Inter VENETOS & GENVENSES, ut inter opulentissimos populos, maritimarum rerū gloriam sibi uendicantes, assolet, ante D. Ludouicum Francorum regem natis, sed quæ sancto rege religioni militante intermortuæ fuerant, simultatib. renascentibus, æquiorem se Philippus à Monteforti Ptolemaidis prætor Genuēsibus præbere uisus est. Vterq; populus Ptolemaide suum prætorem, suos apparitores, suum forum, suam aream, suas sibi leges habebat: hæc profana. Exoritur de sacris contentio. Aedem septumq; diui Sabæ sibi utriq; uendicabant: nō tamen quamprimùm ad arma descensum. Alexāder IIII. Pp. decreuit, placere fanum commune censeri, idq; decretū in re præsenti enunciari. Ligurum consilia celeriora decreti enunciatione extitere: occupant fanum, septumq; instar arcis emunire: propugnaculis, telis, tormētis instruere, Philippo conniuenténe, an etiam adiuuante. Venetus indignatione accensus, tredecim triremibus Tyro mouit: Ptolemaidisq; portum catena perrupta ingressus, duas triremes, tres & uiginti onerarias Ligurum naues incendit. Fanum ut ab hoste profanatum, septumq; in bellicam speciem uersum, diruit, anno XIII. seculi undesexagesimo. Hoc initium funesti belli, causaq; Latinorum inter Barbaros Græcosq; imperij finiendi fuit: in maiusq; continuò exarsit incendium: & cruenta prælia commissa, quibus res Veneta initio superior fuit & suis uiribus, & Pisanorum auxiliis. Hi populi potentes maris fuerāt: tunc inter se illis certantibus facile fuit proceribus Græcis imperio Constantinopolitano Balduinum Latinum exigere, & Palæologos in urbem introducere. Aemilius lib. 7. Platina in Alexandro IIII. Sabellicus.

Sepulcra.

CONSTANTINOPOLI sub Constantio Imp. maxima orta est seditio, propterea quòd Macedonius episcopus Arianus corpus Constantini Magni ex templo Apostolorum (quod ruinam minabatur) in templum aliud, in quo Acacius martyr repositus erat, trāstulisset. Nam cùm ei propter Arianismum infensi essent, hanc occasionē arripuerūt contra eum debacchādi, quasi sepulcrū Constantini ipsa translatione profanasset. Nicephorus lib. 9. cap. 42.

Imagines sacræ.

Cùm Herodes rex inter cætera, quæ contra Iudaicas leges fecerat, etiam supra maiorem templi portam aquilam aureā magni ponderis dedicasset: Iudas Sariphæi F. & Matthias Margalothi, doctissimi legis patriæ interpretes, auctores fuere suis DISCIPVLIS, ut aquilam illam detraherēt. Qui claro meridie ascendētes, aquilam conciderunt securibus, inspectante congregata in templum multitudine. Dux regius, maiorem aliquam conspirationem metuens, occurrit eò cum ualida suorum manu, cohibiturus demolitores aquilæ: & circiter XL. iuuenes resistentes comprehendit, & inter hos auctores facinoris Iudam & Matthiam. Rege rogante, quo freti ausi sint sacratam imaginem demere: aiunt se & deliberasse id multo antea, & deliberatum executos, ut uiros fortes decuit. Ab Herode igitur uiui sunt exusti. Iosephus lib. 17. cap. 8.

BVLGARES contra Sabinū regem suum arma ceperūt, propter imaginum adorationem defendendam: quam ille, à Constantino Copronymo Imp. persuasus, abolere nitebatur. Ergo fuga sibi cōsuluit. Naucler9 generatione 26. & Bergomensis lib. 10. Blondus lib. 1. Decad. 2.

GANDAVI excitatus est anno Domini 752. ciuilis motus, ꝓpter sanctorum imagines: quas alij ceu idololatriæ instrumenta execrabantur: alij uerò colendas, atq; in templa ponendas esse censebāt. In ea autem discordia interfectus est Hildebertus abbas Blandiniensis, qui contra fautores Cæsaris, decretis Pontificum de habendis statuis adhæsit. Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

Anno 1506. OLYSIPPONE tumultus multitudinis furore & amentia cōcitatus fuit, quo parum abfuit, quin omnes Hebræi, qui ad Christi fidem conuersi fuerant, fœdè perirent. Maxima pars ciuium propter pestilentiam aberat. Illis fortè diebus multi è Gallia Belgica & Germania Olysipponē naues cum mercibus appulerant. XIX. uerò die Aprili non pauci ex iis, qui in urbe manserant, in ædē D. Dominici conuenēre. Ad sinistrum latus templi est sacellum sanctū, quod Iesus Sacellum appellant. In eo supra aram est imago Christi crucifixi collocata, in cuius latere uulnus illud assimulatum operculum uitreum contegebat. Cùm multi in uulnere illo oculos & mentem defigerent, ex eo splēdor emicuit. Conclamant igitur omnes, ingens esse miraculum, cęlestéque numen pręsentiam suam signis admirandis ostendere. Quidam ex Hebræis illis, qui non ita pridem Christo nomē dederant, maxima uoce miraculum esse negauit: nec enim esse uerisimile, ut aridum lignum miraculum ederet. Multitudo impetu in hominem facto, in forum, quod ante templum est, eum pertraxit, dilacerauit, & exussit. Monachi insuper cuiusdā concione magis efferata est. Duo monachi crucem sustulerunt, maximisq; uocibus populum ad cædem concitārunt: Hæresim, hæresim, dicētes, nefandā uindicate, gentemq; sceleratā extinguite. Galli & Germani, qui in nauibus erant, in terram desiliunt, & se ad Lusitanos, qui iam cædem immanē faciebant, adglomerant, Iudæos trucidāt, & in ignem semiuiuos abiiciunt. Serui & homines uilissimi materiam undiq; conuehebant, ne ignis deficere. Nulli neque sexui, neq; ætati parcitum. Supra quingentos Hebręos eo die necati, atq; combusti. Sequēti die homines ex pagis supra mille se reliquis sicariis aggregārunt. Hebræos domi latitantes, uiros, mulieres & uirgines immanissimè iugulant: infantes ad parietes allidunt, in ignem coniiciunt. Sed & pueros, & senes, & uirgines, quæ ad aras cōfugerāt, Crucibus, & hominum sanctorum imaginibus affixas, & Christi fidem miserabiliter implorantes auellunt, & in ignē proiiciūt. Multi ꝓ Hebręis uel errore uel simulatione habiti interfecti sunt. Magistratus multitudinis furori se opponere non audebat. Multi tamē honesti uiri, ad quos Hebręi confugerant, eos clanculum in tuto collocauere. Tertia rursus die ad eandem cædem sicarij redierunt. Adeoq; tribus illis diebus circiter duo hominum millia ex Hebræa gente occisa sunt. Cùm aduesperasceret, Arius Syluius, & Aluarus Castrensis, uiri adprimè nobiles, qui tunc Regiis iudicum decuriis præerant, cum præsidiis in urbem se contulerunt. Eorū aduentu furor repressus est. Galli & Germani se confestim in naues cum præda magna receperunt. Emmanuel rex, uiros primarios, cum summa auctoritate Olysipponem misit, qui tantum scelus debito supplicio uindicarent. Magnus hominum numerus extremo supplicio pœnas immanitatis & amentiæ dedit. Monachi, qui sublata Cruce hortatores cædis extiterāt, sacerdotij primùm dignitate solenni ritu priuati sunt, deinde strangulati, atq; combusti. Qui uerò segnes se præbuerunt in furore populari cōprimendo, partim honoribus priuati, partim pecunia multati sunt: & ciuitas ipsa multis ornamentis spoliata fuit. Osorius lib. 4. rerum Em.

VERBA.

Consule paulo pòst, Occasiones respectu Efficientis offensi per Ignominiam uerbis inflictam.

Lundonensem archiepiscopum Romo redeuntem latrones quidam in Germania ceperant, atq; in custodiam dederant, FRIDERICO I. Imp. super tanta re, cōtrà quàm decuit, cōniuente. Hac re cōperta Hadrianus IV. Pp. agi dignitatem ecclesiæ ratus, Rolandum & Bernardum Cardinales, legatos ad eum, cùm Visuntione in Burgundia moraretur, misit cum literis, in quibus inter cætera etiam hæc legebantur: Non credo, oblitus es, quàm hilariter superiore anno te suscepérimus, quantum tibi honorem tribuerimus, & quāto studio Imperialis coronæ insigne contulerimus. Cuius nos facti non pœnitet, sed si maiora tibi beneficia dedissemus, considerantes, quantis ecclesiam commodis & ornamentis possis afficere, magnopere gauderemus. His literis lectis Fridericus & principes mirum in modum cùm cæteris rebus offensi sunt, tum quòd scriptum in iis erat, Pontificem beneficij loco Friderico insigne regium contulisse. Itaq; ueriti, ne id significaret, quod quidam etiam dictitabant, reges Germaniæ Imperium, pontificum Romanorum beneficio obtinere (siquidem idem etiam sub Lothario pictura Lateranensi, haud ambiguè erat expressum ubi Anacletus II. Lothario coronā cōfert, his uersibus subscriptis: Rex uenit ante fores, iurans prius Vrbis honores, Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam) dolorem suum continere non potuerunt, atq; Imperium haudquaquam pontificis beneficiū esse dixerunt. Quibus unus ex legatis Rolandus, Cuius ergo tandem erit, si pontificis non erit? cùm intulisset: Othonem Comitem Palatii astantem adeò ira incendit, ut stricto eum gladio appeteret. Fridericus compresso tumultu legatos re infecta dimisit, ac recto itinere properè ad Vrbem redire nulla mora in Germania tracta præcepit, ac legationem pontificis, dimissis per omnem Germaniam literis significauit, adiiciens, se soli Deo & principibus Imperium acceptum referre: proinde eos orare, ne tanti Imperij maiestatem à maioribus eorum ingenti cum nominis sui gloria partam, imminui sua negligentia paterentur. Hadrianus ad episcopos Germaniæ scripsit, ut Fridericum ad officium redigerent, & Othonem, à quo legati male accepti fuerant, ad satisfactionē adducerent. Tum Fridericus, Ego Pontifici Romano libenter obedientiam præstò. Imperij coronam Deo primùm, deinde Moguntino archiepiscopo, reliquisq; pro dignitate eorum Germaniæ proceribus debeo, regalem unctionem Coloniensi antistiti, Imperialē pontifici acceptam refero. Cardinales à pontifice missos, non Germaniæ finibus excedere iussi, sed cùm literas in detrimentum Imperij attulisse à pontifice comperissem, ulteriùs progredi non permisi. Olim Imperium ecclesiam extulit, nunc ecclesia deprimit Imperium: cœptum est à pictura, inde uentum est ad scripturam, nunc scripturæ auctoritas comparatur. Non patiar, immo antè coronam deponam, quàm de Imperij auctoritate detrahi ulla ratione permittā. Pictura deleatur, scriptura reuocetur, ne inter regnum & sacerdotium æterna simultatum monumenta supersint: tum nemo erit, qui meum erga ecclesiam Romanam desiderare possit officium. Hæc episcopi ad pontificem detulerunt, simulq; ut cōmunis concordię caussa mitiori legatione iram Friderici permulceret, admonuerūt. Ergo legatos duos, Hēricum & Hyacinthum Cardinales Augustam ad Fridericū cum aliis literis mittens, Audiuimus, inquit, te uerbo beneficij, quod erat in literis nostris, rursus esse offensum: qđ facere te non oportuit. Licet enim hoc Beneficij nomē apud alios in alia significatione sumatur, tamen accipiendum fuit in eam, in quam nos accepimus, & quam à prima institutione uidetur habere. Est enim ex bono, & facto iunctum, diciturq; non feudum, sed bonum factum: quo modo in uniuerso scripturæ sanctæ corpore inuenitur, ubi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed tanquam ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Nos autem, ut ipse optimè intelligere potes, bene adeò atq; honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonū factū possit ab omnib. iudicari. Quare qui uerbū hoc in aliam significationem detorserunt, ij non ex merito caussæ, sed ex uoluntate sua egerunt. Quod idem etiam euenit in illis: Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ, quia hoc uerbo, Contulimus, nihil aliud intelleximus, nisi imposuimus. His literis Fridericus placatus, comiter legatos accepit, & pacem ecclesiæ, osculo interposito, reddidit, atq; eos lautiis regalibus donatos dimisit. Sigonius lib. 12. regni Ital.

Belli Mediolanensis inter Carolum V. & Franciscum I. caussa tria uerba. Vide Titulum, Bonis consiliis non parére.

OCCASIONIS FORMALITER CONSIDERATÆ. INIMICITIA suscepta causa

Pulsationis.

Imperante Galieno, à milite uapulauit Alexandriæ in Aegypto magistratus cuiusdam seruus, ꝙ ei dixerat, se Calceos pulcriores habere. Itaq; cùm ad clamantis uocem multi accurrissent, ita inualuit tumultus, ut ALEXANDRINI aduersus Aemilianum proconsulē sedandi tumultus gratia egressum, saxis igneq; irruerēt: tantaq; illa populi uis fuit, ut Aemiliano necesse fuerit, eius leniendi gratia, Imperatorem se aduersus Galienū dicere, ducemq; se seditioso populo prębere. Vnde postea magni bellorū motus secuti sunt, ex quibus tota Aegyptus ingentia mala pertulit. Fulgos. lib. 9. c. 7.

Cædis.

Mortuo Herode, & Archelao filio in regnum succedente, qui populo in omnibus obsequi paratus erat, popularium quidam, Iudæ & Matthiæ doctorum legis, ob aquilam auream de templo deturbatam occisorū cędem, ægrè ferentes, Ioazarum pontificem Matthiæ substitutum deponi, & quosdā ex Herodis amicis ad uindictam poscebant. Sub ipsum paschæ festum seditiosi conglobati in templo permanebant, non deficiente uictu, quem illos non pudebat mendicato quærere. Tum Archelaus ueritus, ne ad grauius aliquid eorum insolentia procederet, mittit tribunum cùm cohorte, qui compesceret homines, priusquam cætera turba huius furoris inficeretur contagio. At turbatores illi clamorib. & hortatibus plebem exasperauerunt, & ferientes saxis plerosque, occiderunt: tribunus cū paucis effugit saucius. Archelaus de rerum summa periclitari sibi uisus, totum exercitum in eos immittit, simulq; equites. Tria millia uirorum cæsa sunt, reliqui fuga se in ꝓximos mōtes receperūt. Archelaus per præconē edixit, ut oēs in sua discederent. Illi metu grauioris mali festiuitate relicta abierunt, quamuis audaces & sine disciplina homines. Iosephus lib. 17. cap. 11.

Acarnanes duo iuuenes per initiorum dies non initiati, templum Cereris Eleusinæ imprudentes religionis, cum cætera turba ingressi sunt. Facilè eos sermō prodidit, absurda quędam percunctantes: deductiq; ad Antistites templi, cùm palàm esset, per errorem ingressos, tanquā ob infandū scelus interfecti sunt. Id tam fœdè atq; hostiliter factum gens ACARNANVM ad Philippū regem detulit: impetrauitq; ab eo, ut datis Macedonū auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Ex hac causa bellum inter Athenienses & Philippū ortū, partes Atheniensium sectantib. Rhodiis, Attalo rege, & Romanis etiam. Liuius lib. 1. Decad. 4.

Micipsa Masinissæ filius, Mastanabale & Gulussa fratribus morbo absumtis, Numidiæ regnum aliquandiu solus tenuit, uita decessit. Cui Adherbal & Hiempsal filij superstites fuere, & cum his IVGVRTHA Mastanabilis filius, qui à patre, quòd concubina ortus esset, priuatus fuerat relictus. Fuit Iugurthę indoles ab initio Micipsæ suspecta: etsi eodem cultu, quo liberi, ab eo domi aleretur, adolescēs decora facie, ingenio & uiribus pollens. Eum ergo per speciem militię in Hispaniam ablegat, ubi tū Numantia à Scipione premebatur, ratus fore, ut ferox iuuenis, obiectando se periculis, procul domo, sine domestica inuidia extingueretur, sibiq; iam exacta ętate regnanti filiisq; suis regnaturis in posterum securitas pararetur. Sed longè aliter euenit. Iugurtha, ut impiger & acer ingenio, modestissimè parēdo, eundoq; obuiam periculis, in tantam breui euasit claritudinem, ut Romano Imperatori æquè ac militibus notissimus esset, ac uehementer acceptus, ita ut abeuntem quoq; Scipio Micipsæ cōmendarit. Micipsa eius uirtutem suspectam habens, ne filiis præteritus regnum eriperet, adoptauit, & hæredem ex parte esse uoluit. Iugurtha, eo mortuo Hiempsalem noctu immissis militibus trucidauit, Adherbalem regno eiecit: pòst etiam Cyrias deditum crudeliter interfecit, & cum eo omnes puberes Numidas Italicosq; negociatores. Ob eam crudelitatem missus contra illum L. Calpurnius Bestia, pacem illi dedit quam uoluit, auro corruptus. Romam à L. Cassio prætore priuata fide interposita perductus, cùm Massinam Gulussæ F. Masinissæ nepotem, regnum Numidiæ à Senatu poscentem ueneno peremisset, Roma excedere iussus est. Secutus cū exercitu Sp. Albinus cōsul, & ab hoste circūuetus, turpis. fecit pacē. Quā Q. Cæcilius Metellus cōsul rescidit, & Iugurtham non uno prælio superauit, ita ut Numidici cognomen

men inde sumserit. At C.Marius Metello succedens. Bocchi Maurorum regis proditione Iugurtham cepit. Ipse à Mario cum duobus filiis in triumpho ductus, mox detractis uestibus in carcerem coniectus, quum opacum barathrum subiret, exclamasse fertur, O Hercules, quàm frigidū est hoc balneum: ibi sex dies fuit, ubi inedia, ut Plutarchus scribit, consumtus est. Liuius & Eutropius, Marij iussu, in uinculis necatum prodiderunt. Sunt qui ex Tarpeia rupe pręcipitatum arbitrentur. Sab.lib.1. & 2.En.6.

TARTARI ex Scythia profecti, cū Armeniis societate armorū iuncta, eam Syriæ partē, quam Saraceni obtinebāt, bello urebant, ac religionis Christianæ hostes premebāt, magna apud Latinos spe pristinarū opum recuperandarū: quā cupiditas licētiaq; militaris uanā effecit. Qui Latinorū Cæsareā à sancto rege restitutam, præsidio insederant, excursione facta prædam abegerunt ex finibus à Guirboca Tartaro duce de communi hoste Sultano Saraceno occupatis: occurrentemq; ad eam recuperandam, Guirbocæ sororis Filium occidunt. Auunculus, qui totus animo Latinorum antea fuerat, domestico luctu nobis hostis factus, Cæsaream expugnauit, euertitq;. Aemilius lib.7. & Sab.lib.7.En.9.

Philippo Burgundionum duci Ioannes filius successit, homo acris ingenij, cupidus imperij, magni animi, magnæ inter Francos auctoritatis, cui ciuiles discordiæ in primis cordi erant. Is in Ludouicum ducē Aurelianensiū, fratrem Caroli VI. regis, odium conceperat, q; ille regnum gubernaret, cū Carolus iampridem mentis errore affectus, publicis consiliis non multū interesset. Vsq; eò simultas breui tēpore creuit, ut omnis GALLIA in duas factiones diuisa sit: alij enim principes regni Aurelianensis, alij Burgundionis rebus studebant. Burgundionis insidiis per Rodolfum Auctouillam Ludouicus ex regia de nocte domum rediens, interfectus est. Quam cædem Carolus Ludouici F. armis prosecutus, occasionem Ioanni dedit Anglos in Galliā euocandi. Quorum ope Carolum regem in suam redegit potestatem, & opprimendi Aurelianensis maiorem habuit rationē, quàm Anglorum regem Henricum V. è Normannia eiiciendi. Iam cùm capto ab Anglis Aurelianensi, Carolus Delphinus Burgundionem infestissimè persequeretur, principum consilio dies colloquij præfinitus est. In quo Burgundio à Guidone Castrensi ex insidiis cæsus est. Philippus Ioannis filius, ubi cognouit parentem ab inimicis perfidiosè interemtū, cum Henrico Anglo pacem facit, consiliaque communicat: postea nomine Caroli regis, quem in sua potestate habebat, legatos de pace ad eundem mittit. Trecis acto Francorū principum conuentu, icitur fœdus, nouaq; affinitate corroboratur. collocata Catharina Caroli filia regi Henrico. Pactio fœderis eiusmodi fuit, ut Henricus usq; eò, dum uiueret Carolus, regnum Franciæ gubernaret, idq; post Caroli mortē eodem obtineret iure, quàm qui optimo: & si contingeret, ut Hēricus prior moreretur, eius filio maiori natu ex Catharina genito regni hæreditas ueniret, ac Principes Franci cōceptis uerbis ipsi Henrico iusiurandum darent, atq; Carolus Delphinus omni deiectus potestate, quam gerebat, hostis patriæ perpetuò haberetur. Polyd.lib.22.

Mortuo Sigismūdo Imp. Vngariæ rege, secundùm Alberti Austriaci coronationem, sæua BVDÆ seditio orta est. Nam quum ciuitas ex Vngarica Alemannicaq; gente constaret, ob morum dissimilitudinem contrariaq; studia, grauibus inter se factionibus laborabat: hinc inter eos antiqua conditio fuit, ut uno ex Alemannia, & Vngaria prætorem urbanum altero anno crearent, quem iudicem appellant: rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, quæ sacræ sanctionis loco habebatur. Alemanni, quando arte, urbanitate, opib. & calliditate plus poterant, sæpe infensam sibi gentem pretura priuare studuerant. Nacti itaq; Alemannum regem de abroganda gentis prætura consilia ineunt. Erat in urbe ciuis, Vngarorum princeps, Ioannes Euthues dictus, uir grauissim⁹, qui nec publicè nec priuatim, suæ nationis dignitatē quoquo modo lędi patiebatur. Hūc igitur sub prætextu criminis Germani ceperunt, & in suis ædibus uariis cruciatibus enectum, culeoq; insutum, alligato gutturi lapide, in Danubium clàm demerserunt. Octo circiter dies facinus tale delituit: mox cadauer emersit, ac ripis ab undis expositū, clandestinum scelus indicauit, quū plurima uulnera & stigmata circumferret. Id ab Alemannis uulgus factum esse repentè coniecit, cùm his olim infensum nimis esse cognouerat. Eo tempore noui regis gratia multum nobilitatis Vngaricæ Budam fortè confluxerat: deprehenso facinore, tumultus in urbe ab Vngaris excitatur, atq; ingens mox oborta seditio. Hungari Teutones in domibus obsident, expugnāt, nulli sexui, nulli ætati parcunt. Albertus rex uti populum sedaret, Iacobum Marchianum Minoritam (inquit Aen. Syluius. At Fulgos. lib. 9. cap.7. Ioannem Capistranum habet) ablegat, cùm ipse furori populi se credere non auderet. Iacobus simulacrum Saluatoris crucifixi manu gestans, furenti armatoque populo obuiam factus, ut cædi parcant supplex orat. Illi uerba eius minimè intelligentes (neque enim tempus ferebat interpretem) boni ominis loco Christum suis ceptis ducem habituri, sublimem Iacobum, simulque Crucifixum in ulnis attollunt, ac bacchati per urbem, nunc istam, nunc illam domum compilant. Fiunt tamen aliquanto minora spolia, & à cędibus temperatum est ob presentiam Iacobi, modò precibus, modo lachrimis furorem incensæ plebis lenire conantis. Aen.Syl.cap.1.Europæ. Bonfinius lib.4.Dec.3.Fulgos.lib.9.cap.7.

Anno Christi 1461. CRACOVIÆ oborta seditio. In quā Andreas Tencinius, uir uetustate & claritate familiæ nobilis, concursu ac tumultu urbanæ multitudinis in æde diui Francisci memoriæ dicata oppugnatus, effractisque foribus in sactario trucidatus est: interfecti cadauer per mediam plateam, quæ Fratrum dicitur, in forum tractum, luto fœdatum, & pugionibus confossum, ambustaq; barba & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia ciuitatis, quod Prætorium uulgò uocant, asseruatum, tertia demùm die amicis ad sepulturam redditum est. Amici & ministri eius nocte dieque insequenti cùm se in turri templo adiuncta, strenuè defendissent, ad extremum uitam pacti, in ciuium potestatem uenerunt: deductique in curiam tertia die reconciliati multitudini urbanæ, incolumes dimissi sunt. Filius Andreæ cùm in furno apud uiduam quandam delituisset, noctu euasit. Causam uerò huic malo Andreas ipse præbuit, cùm Clementem fabrum armorum, quòd arma sibi ad bellum proficiscenti in tempore non perfecerat, bis pulsasset. Cromerus libro uigesimoquarto.

HETRVSCVM bellum ab Iuliani Medicei cæde sumsit exordium, qui improuisa paucorum coniuratione, sacrorū hora, ad Liberatæ phanum interfectus est. Laurentius eius frater ægrè seruatus, nescias maioréne sua felicitate inimicorum manus effugerit, an tumultum & consternationem ea ex re ortam consilio sedarit. Ex coniuratis in potestatem redactis, alij ferarum laniatui sunt obiecti, alij laqueo suspensi, unus supremi ordinis antistes pontificis pernecessarius, qui legati nomine Florentiam uenerat, publicè custoditus est. Sixtus IIII. iniuriam eam non tulit in tanto ordine: accessit indignationis cumulo fœdum Saluiati Pisani antistitis supplicium, qui in ultionem patratæ cædis inter conscios coniurationis fuerat laqueo necatus. Pontifex ira accensus anathemate & interdicto, duobus acerrimis ecclesiæ telis, Florentinos desigit, simulq; bellum cōparat, quod omnium opinione celerius est Tusco illatum, Ferdinando rege & Senensibus in fœdus ascitis, Federico Vrbinati summa imperij delata, uiro consilio & rerum gestarum gloria ea ætate summo. Sabellicus lib.7.En.10.

Ianus Fregosius studio atq; opibus Iulij pōtificis Genuæ principatum consecutus, Hieronymum Fliscum summo loco natum, Gallicis studentem rebus, quum exiret è curia, per propinquos suos trucidauit. Qua cæde exacerbati fratres eius, Othobonus & Sinibaldus urbe excesserant, ut cùm Adurniis Fregosiorum hostibus consilia atque arma consociarent. Qui collectis copiis GENVAM obsidentes, in suburbanis tectis ad diui Petri Arenam commisso peracri prælio, in ascensu collis qui Laternæ arci imminet, urbemq; despicit, Fregosias cohortes in fugam uerterant. Populus turbulentis seditionibus assuetus, secundis acclamationibus uictores excepit: & Flisci pariter à diuersa porta armatis clientibus urbem introgressi sunt, à quibus Zacharias Iani frater, unus è percussoribus Hieronymi, trucidatus, & pedibus raptatus per urbem, patratæ cædis pœnas dedit. Iouius libro undecimo Historiarum.

Mercedis non persolutæ.

MYLHVSENSES Basiliensium uicini, ex Sequanis sensim se in libertatem asserere ceperant. Ea res nobilibus Austriacis stomachum ita mouit, ut occasione tantùm belli destituerentur. Accidit anno sal. 1467. ut uictoris seruus sex solidorum nomine cum hero contendens, consulem Mylhusium accederet, & de iniuria quereretur. Consul ad concordiam seruum cohortatus, iram ei maiorem mouit. Properè ergo abit, & ius suum Henrico Regishemio nobili uendit. Is creditos sex solidos à Mylhusensibus exigit: renuentes Ensishemium in ius uocat, interea terras eorum populatur. Mylhusenses nobilium exercitu pressi, & obsessi, Heluetiorum opem implorant. Qui & urbem obsidione liberarunt, & arces aliquot uicinas exciderunt, & in campis Bouinis, Oxenfeldam uulgò dicunt, hostes ad certamen prouocarunt, nunquam comparere ausos. Stumpfius libro 12. Heluetiæ, cap.35.

Stipendiorum retentorum.

☞ *Consule Tit. Prudentiæ in seditionibus castrensibus ob stipendia ortis sedandis.*

Quum Hamilcar percusso cū Romanis fœdere se magistratu abdicasset, primoq; bello Punico finē imposuisset, copias, quas ex Eryce & Lilybæo deduxerat, Gisconi tradidit domū deportandas. Giscon res nouas ueritus, si tanta uis hominū uno tēpore in Aphricā delata esset, præsertim cùm plura militibus deberentur stipendia, quæ reddi ærarij inopia non poterāt, pro magno habuit negotio, eos factis de industria interuallis per partes mittere, ut qui primo alteróue loco transmissi essent, confestim exauctorati dimitterentur. Carthaginenses partim negligētia, partim stipendij defectu nō solùm non id fecere, sed iusserunt etiā, ut qui primi uenerāt, nouissimos expectarent. Mox ubi omnes copiæ affuerunt, paululum pecuniæ est singulis datum, ac simul iussi duces copias urbe educere. Id quum cunctantius fieret, uellentq; multi in urbe impedimēta relinquere, cum omnib. rebus penè præcipites sunt Carthagine eiecti. Vt igitur in Siccā coiuere, in otiū & socordiā abierunt, quod magnis exercitibus perniciosissimū fuit semper. Hi igitur tumultuosè stipendiū sibi debitū reposcunt. Alij multo maius quā deberetur, impudenter efflagitant. Præmia militaria repetunt, ab ipsis ducib. medio ardore belli supra stipendium promissa. His sua sponte tumultuantib. Hanno superuenit, qui multa de ærarij inopia locutus, quum aliquā stipendij remissionē postulasset, continuò multitudo, uelut stipendio & spe præmij uno tēpore fraudata, in tantā iram exarsit, ut magis dux deesset, quàm uoluntas erupturæ seditioni. Merebant tū Punicū stipendium Hispani, Galli, Ligures, Baleares, Græci quoque non pauci, & Aphri. Quæ multarū gentiū colluuies causa fuit, ut discordia semel mota cohiberi amplius nō potuerit. Spendius Cāpani sanguinis homo, seruus Carthagine fugitiuus, & Matho Apher genere, proximusq; inuidię, quòd initio insigniter esset in ea seditione uersatus, suppliciū utrumque formidans, si concordia secuta esset, Aphros multis implent suspicionibus; fore prædicantes, ut cæteris gentibus exauctoratis, ipsi qui Aphricæ indigenæ essent, totius facti inuidiam suo capite haud multo pòst luerent. Creati igitur duces Spendius & Matho, missis ad omnes Aphricæ populos legatis, eos hortantur, ut ad sæuū & crudele Carthaginensiū imperium extinguendum sibi adiumento essent. Nulla ferè ciuitas fuit, quæ non his libēter accesserit, certatimq; duces cōmeatu, pecuniis & milite iuuarūt. Duces ipsi bipertito hostē aggressi, uno tempore Hipponem & Vticā (nā hæ duæ tantùm urbes adhuc in fide erant) obsidione cingunt, cùm in ternis illorū castris LXX hominū millia militarent. Carthaginenses graui & inopinato bello perculsi, nullam inire queunt rationē, nullum consilium, quo tot difficultatibus uno tempore incumbentibus, eant obuiam. Exhaustū ærarium, exhaustos longo & difficili bello ciues. Tributarias urbes cum hostibus sentire. Non amicos adesse, unde subsidia expectarentur. Nam tanta in eos odia undiq; exarserant, ut mulieres, quæ sæpe uiros & liberos, ob uectigalia non soluta, in seruitutem abductos uiderant, incredibili cōsensu hostium duces iuuerint, quicquid muliebris mundi adhuc supererat, in medium conferentes. Tandem & Sardinia defecerat, Vtica & Hippo se dediderat, cùm Hamicar fame hostes domuit, Spendium in crucē sustulit. Atq; hunc exitum habuit bellum Aphricum, omnium, quæ ad id tēpus gesta fuerant, crudelissimum, in tertium annū & aliquot mēses, fortuna sæpius uariante, distractum. Matho & cæteri captiui in triumphum ducti, meritum sui sceleris supplicium luerunt. Sab.lib.9.En 4.ex Polybio.

Philippi, pater & filius, primi Impp. Christiani: quorum anno secundo, millesimus Vrbis conditæ annus, magno & incredibili apparatu ingentiq; cūctorum lætitia celebratus fuit. GOTHI subtracta sibi à Romanis stipendia indignè ferentes, rebellionem moliuntur. Quamuis enim longè agerent in ultimis Romanæ ditionis finibus, solebant tamen muneribus & donatiuis militaribus honorari à ducibus limitaneis, ut uelut fœderati arcerent incursiones exterorum, ipsique se suis finibus continerent. Ergo quum iamdiu nihil tale acciperent, rex Ostrogotha armata suorum multitudine, fines Romani inuasit Imperij, Mœsiam Thraciamq; populatus. Mittit Philippus ex ducibus rei militaris peritissimum Decium. Qui expedito exercitu facilè repressit dispersos ad prædam, coegitque transito Danubio, Gothos se in sua recipere. Compertoque quòd negligentia limitaneorum militū, Gothi animosius issent quàm illi restitissent, exauctorauit milites magno numero: aliosque constituit limiti obseruando. Et rebus prosperè gestis, incolumem tum reduxit exercitum. Exauctorati autem milites, cōtumelia affecti, ut se de Romanis uindicarent, iungunt se hostib. Gothis. Quorum fiducia, rex ipse suorum trecenta millia perarmauit; duxitq; denuo in fines Romanorum. Cranz.lib.2.Sueciæ, c.5.

Salutis anno 1399. cùm urbi Genuæ præfecti essent Raphael Auria, & Galeottus Spinula, & quędam Genuēses triremes aduersus Britannos cum Gallorum rege stipendia facerent, Aitono Auria duce, ortaq; inter Aitonum ac socios naua-

les de stipendiis controuersia esset, adeò inter ipsos ira exarsit, ut nauales socij, occupatis triremibus, Petrum Capurrū ducem suum crearent. Sed tandem ea contentione Gallorū regis arbitrio remissa, Petrus Capurrus, atq; ex eorum numero alij quidam capti fuerunt. Quam ob rem tum indignatione, tum pauore socij nauales inde domum profugerūt: & cùm eorum plerique SAVONENSES essent, Sauonæ primùm arma ceperunt: atq; Capurri nomine inuocato, ab urbe depulsis magistratibus, palatium atque arces occupauerunt: & cùm eius motus contagio breui in urbem quoq; Genuam serpsisset, populus Genuensis arma cepit: uoluitq; ut popularis magistratus eligeretur; qui populo ius ministraret: cui rei cùm urbis præfecti operam darent; ac propterea aliquantisper secessissent, ut in ea re consilium explicaretur, tumultuari plebs ac nautæ cæperunt: & dum in palatio atque in foro res tractantur, Simonem Buccanigram popularem uirum, primum Genuensium ducem constituerunt, atque ab urbis administratione nobiles depulerunt. Fulgos.lib.9.cap.7.

Franciscus Galliæ rex in pugna Papiensi captiuus factus, remigio & lenibus uentis in Hispaniā delatus, Barchinonæ regali apparatu excipitur: atq; inde Alicanteram, qui Valentinorum est portus, legendo oram prouectus est: ut maiore demùm compendio terrestris itineris ad Cæsarem Carolū V. ire pergeret, qui tum apud Toletum urbem omnium Hispaniæ maximè mediterraneam erat in æstiuis. Ibi Franciscus sinistro omine accepto, summum adiit uitę periculum, quum MILITES, qui præsidio triremibus aduenerāt, promissa stipendia flagitarent, consternatiq; ad arma Carolum Lanoium, qui eum deducebat, omnes infestis hastis peterent. Emisso namq; per tumultum maiore sclopetto, pila in marmoream columellam fenestræ coniecta est, cui fortè rex auersus humeris innitebatur. Lanoius autem in proximos hortos se deiiciens, celeri fuga & latebris iracundiam militum uitauit. Iouius in Piscario lib.7.

ITALICI milites, qui anno Sal.1532 in Pannonia Ferdinando regi militabant, cùm neq; missionē neq; stipendia obtinere possent, grauiss. seditionem excitauere. Fortè allatus erat ex urbe nigerrimus panis, planeq; mucidus, quem emtum milites infixumq; hastilibus commilitonibus ostētabant. Gregarius Hispanus prætorium ingressus, simili pane ad Alfonsi Vastij pedes cū execratione proiecto, magnas turbas exciuit. Itaq; milites ante tentoria in coronam coeuntes, dum aduersa atq; aspera de stipendio, de cōmeatu, de Hungarici belli difficultatibus proloquūtur, ad signa Parmensium ex omnibus cohortib. plurimi cōfluxere. Ibi Titus Marconius Volaterranus, cæteris turbidior & eloquentior coaceruatis iumentorum clitellis impositus, seditiosissimo quoq; cēturionum incitante, pro dignitate saluteq; omnium liberrimè disserens, auctor omnibus fuit, uel inuito Cæsare & Ferdinando, ducibusq;, in Italiam redire. Multi qui seditionem sedare conabantur, interfecti. Ergo furentibus similes, multa millia progressi, ad Martis lucum perueniunt: id oppidū, quòd portas clauserat, succensis ualuis expugnant, atq; diripiunt: continuatis & maximè extentis itineribus cuncta obuia crudeli rabie populantur, omnia exempla scelerum passim edunt. His Ferdinandus uehementissimè commotus, quòd recuperandæ Pannoniæ tota spe deciderat, omnibus Stiriæ Carinthiæq; populis scripsit, ut nemini Italico parceretur. Id irati animi decretum, quanquam in supplicia meritos ederetur, tamen aliquanto acerbius & atrocius est uisum, quoniam neminem eo periculo eximeret: adeò ut tot reliqui milites, tot legati, totque sacrati antistites: atque ex omni Italia honestissimi uiri, in id cædis discrimen cū sceleratis hominibus miscerentur. Ad hanc edicti famā decurrentibus undiq; Germanis ad obsidendas itinerum angustias, multæ cædes factæ, in dispersos præsertim & alimenta quærentes: sed ubi conglobatæ cohortes ad uestigia cædis & ad ipsa cadauera perueniebant, tum uerò animis ira ac indignitate percitis, in ædificia grassabātur, sic ut passim cubitalibus literis ex carbone incendiorum causam præscriberent, ut subsequentes id nequaquā temerè, sed uindicandis iniuriis factum scirent, cauerentq;, ne ipsi pariter in saltibus impediti, Germanorum insidiis sternerentur. Sabell.supplem.lib.14.ex Iouio.

Anno 1538. ueterani HISPANI ob non soluta stipendia apud Insubres tumultuari, factaq; manu uicina loca deprædari cœpere: Alfonso Vastio frustrà renitēte, Carolo Cæsare conniuente. Ex ea re tantū odiū Cæsari creuit, ut omnes ex rerū desperatione facilè defecturos appareret, si mitior & clemētior, qui dedentes reciperet, dominus offerret. Tandē eò res utrinq; altercando deducta est. ut Vastius, qui multis de caussis Cæsari obtemperare uelle uidebatur, uel rebellibus nullo pacto uim admouendam esse iudicaret, sed imperandam populis pecuniam, quæ seditioso ac ob id atrocem pœnam merito militi præberetur. Ea imperata, ad summā undecim

myriadum, quum paucorum dierum ſpacio exigi non poſſet, neq; milites promittenti duci fidem adhiberent: Vatſius non recuſauit filiũ eis obſidem tradere, ut interim, dum repræſentaretur pecunia, à maleficiis abſtinerent. In ea tranſactione cautũ eſt, ut milites è Gallia Ciſalpina decedentes, uti iubebat Cæſar, nauali bello, quod tum aduerſus Turcas enixè parabatur, operam nauarent. Quorum nõ pauci dum ſecundo Ocno fluminè deuehuntur, naufragio periere. Lougè plures uerò occupato de Turcis Caſtro nouo oppido Dalmatię, à Barbaroſſa ad internecionem cæſi ſunt. Iouius.

Per idem tempus Africanas etiã HISPANORVM cohortes, aliquandiu meritis ſtipendiis fraudatæ, arq; ea fruſtrà poſtulantes, ſeditioſè tumultuari apud Guletam cœperunt. Propterea Bernardinus Mẽdocius Hiſpanicæ claſſis præfectus, non temerè Numidarum arq; Afrorum, propter incertã gentis fidem, arma ueritũs, quum ſeditioſorum tumultum oratione & precibus ſedare non poſſet, ea labẽ hominum exonerare Africam cogitauit, ita ut eos omnes in Siciliam tranſueheret. nam eis neq; ſtipendia à prorege Siciliæ, neq; alimenta in ipſa ſummæ fertilitatis regione defutura pollicebatur. Sed poſtquam in Siciliam peruenere, quòd neq; Ferdinandus Gonzaga prorex expeditam pecuniam ſe habere diceret, neq; Siculi tot externos hoſpites priuato ſumtu alendos æquis animis ſuſciperent: Hiſpani uti erant ueterani ad ſex millium numerum, agros atq; oppida impetu facto inuadere cœperunt. & qui erant iuxta Meſſanam apertos pagos diripere aggreſſi ſunt, totamq; hyemem latrociniis exegere. Gonzaga æſtu eos circumueniens, promiſſa impunitate, ubi eos diſſipatos uidit, XXIIII ſeditionis auctores eodem tẽpore diuerſis locis captos, Meſſanam perductos patibulo affixit. Reliquã militum partẽ, quę nouis multiplicatiſq; ſtipendiis exaturari nequibat, præbito menſtruo ſtipẽdio, nauibus auehendos in Hiſpaniam impoſuit. Quã igno miniam uſq; adeò grauiter milites tulerũt, ut poſtquam impro bitatis atq; perfidiæ notati in patriam auecherentur, animis contumeliam ferre non poſſent, commilitonumq; exẽplo ſe laqueo pœna puniri malle prædicarent. Cæterũm tantùm abſuit, ut id Gonzagæ factum à Cæſare minus probaretur, ut præclarè ei ſuccenſerent, quòd indulgentiùs agendo cohortes ſingulas nequaquam repetita ſeueritate deuaſtaret, & in Vaſtio indignam iuſto militarique duce ineptę quæſtam clementię laudem eſſus è deteſtaretur. Sabellicus ſupplem. lib. 21. ex Ionio.

Militauerat ſub Eugenio IIII. Pp. NICOLAVS Fortebrachius Is cùm ſtipendia ſua peteret, reſpondit Eugenius, tantum prædæ ex caſtellis auexiſſe, maximè uerò ex diuerſo Vetralla uico, ut ei pro ſtipendio ſat eſſe poſſet. Indignatus Nicolaus, ad Philippum Vicecomitem defecit, & agrum Romanum ingreſſus, tantũ tumultus cõcitauit, ingenti præda tum hominũ, tum pecorum abacta, ut Eugenius aliquãdiu incertus remanſerit, quorſum iret. Concurrebant Romani ciues ad Eugenium, queſtũ de illatis iniuriis, quos Põtifex eo potiſſimum tẽpore conſilij expers & bonæ ualetudinis, ad Franciſcum Cameranũ remittebat: qui otio & uoluptatibus deditus, nil aliud reſpondebat, cùm crebræ de abſtaris pecoribus querelæ fierent, eos nimiam ſpem in pecoribus collocaſſe: Venetos quidem ſine gregibus & iumentis longè urbaniorem uitam ducere. Indignati huiuſcemodi reſpõſis ROMANI, ſublato clamore ad arma & libertatem conclamarunt, pulſis omnibus Eugenij magiſtratibus, ac capto Franciſco Camerario, nouos ipſi magiſtratus crearunt. Seprẽ fuere è ciuibus Romanis, quos ipſi Gubernatores appellabant, penes quos uitę ac necis hominum ſumma poteſtas erat. Eugenius in tanta rerum perturbatione incertus, quid potiſſimùm faceret, de fuga cogitare cœpit. Mutato itaque habitu, ſumtoq; monaſtico cucullo, unà cum Arſenio monacho nauiculã ingreſſus, Tiberi Hoſtiam uehebatur. Cùm ſubitò Romani quidã cognita hominis fuga, cum lapidib. ſagittiſq; inceſſunt. Diſtinere enim hominem tamdiu cupiebant, quòad arce ſancti Angeli potirentur. At Præfectus arcis dolo agendum cum Romanis ratus, adiuuante Baldeſare Auſida, uiro ſagaciſſimo, qui inferiorem arcis partem tuebatur, ubi ex militibus ſuis in certamen prodeũtibus negocium dat, ut captus de induſtria ab hoſte, Caſtellani ſæuitiã & auaritiam criminetur, polliceaturq; eis, ſi uelint pactam mercedem præſtare, & mortem præfecti & arcis proditionem. Fecit ille mandata diligenter. Captus, nullo non genere maleficij in Antonium Ridium coniecto (ita enim arcis præfectus uocabatur) fidem dat, ſe cum ſociis omnia tranſacturum. Dimiſſus itaq; arcem ingreditur, ueſtes Antonij ac caligas, addita etiam capitis forma, ſuſpenditq; longè idem uidebatur. Clamabat Baldeſar de ſceleratо ſumtũ eſſe ſupplicii, ingrederentur aliquot ex optimatibus, & enumerata pecunia iam pacta arcem reciperent. Credidere miſeri nullã ſubeſſe fraudem, ingreſſi aliquot, ſtatim capiuntur. Fit clamor exultantium in arce, coniiciuntur in populum Roma-

num miſſilia, bombardeq;. Deriſi hoc modo Romani, de redimendis captiuis cogitantes, & Camerarium Eugenij nepotem, quem in uinculis habebant, dimittant, ſuos, qui in arce erant, recepturi, & demùm in Eugenij poteſtatem ueniunt, quinto poſt libertatem adeptam menſe. Platina,

Sub id fermè tempus quo Nicolizza à Solymanno Turcarum Imp. anno 1532. obſeſſus Guintij maximè laborabat, Viennæ militaris ſeditio exarſit. Rochandulfus enim regiæ familiæ magiſter, quum in aduentũ Cæſaris Caroli V. totq; regulorum & legatorum hoſpitia præpararet, HISPANOS, qui in Pannonia militarunt, urbe excedere, & ẽ proximis campis extrà tendere iuſſerat. Illi id ſe facturos pernegabant, niſi merita ſtipendia præberentur, q̃ Viennenſium hoſpitiis aſſueti, omni caſtrenſi ſupellectile pecuniaq; carerent. In hos Rochandulfus contumaciùs hærentes impetum fecit, excitiſq; more militiæ ad arma Germanis & Viennenſibus, tormenta curulia prouexit: nec ſe deſerunt Hiſpani, quanquam numero inferiores, & in oblongam regionem conglobati ſenſim pedes referũt, portamq; occupant, quæ in caſtra deferebat, admiſſuri in auxilium Hiſpanos, qui dudum ab Italia ueniſſent, atq; item Italos, qui ut in aliena terra, uiribus eſſent firmiores, antea cum Hiſpanis, cohortante Alfonſo Vaſtio, duce Cæſariano priuatum fœdus inierant. Res cõ perducta eſt, ut quum Rochandulfus, uir admodum iracundus & ferox, armatus in equo uehementius urgeret, & tormenta producerentur, contraq; Hiſpani obuerſa ſclopetariorum cohorte conſiſterent, pene crudeli prælio certaretur. Dum arma furibundi quatiunt, atq; ignes tormentis imminent, haud dubiè cœleſte aliquod numen Chriſtianis rebus adfulſit. Sponte etenim, uelut exæquato utrinque periculo, milites aima depreſſere humi, Rochandulfo ira deſerbuit, adcurẽre duces, dictæ ſunt conditiones, atque æquis auribus acceptæ, promiſſa item ſtipendia. Iouius libro 30. Hiſtoriarum.

Sacrilegij, Furti, Peculatus, Rapinæ.

Epidaurij oleaginam ab Athenienſibus materiam petierant ad duo ſimulacra, quæ ab oraculo ob agri ſterilitatem conſecrare iuſſi fuerant, erigenda (in ſola Attica tum olea fuiſſe traditur) ob eam rem neſcio quid annui tributi cum Athenienſibus pacti. Verùm quia procedente tempore ab AEGINETIS ſimulacra illa furto fuerant ablata, ſublata penſionis cauſa, tributum haud reddendum amplius cenſuerunt. Athenienſes eam iniuriam minimè ferendam rati, ſimulacra ab Aegimetis repetunt. Sunt qui tradant, nauim ad id unam publicè miſſam, cui Aeginetæ facilè ceſſerint: cæterùm adortos, qui eò ſtenerant, ſtatuas inde auellere, ſubitò furore perculſos, mutuis ſe ulneribus confeciſſe. Aeginetę plures Athenienſium naues ob id ipſum ad ſe miſſas memorabant, Argiuorumque interuentu, qui ſibi auxilio ueniſſent deletis Athenienſibus, unum cladi ſuperfuiſſe. Qui acceptæ cladis nuncius Athenas uenit, ob feminarum incurſum, de ſuorum caſu ſciſcitari contendentium, ueſtimentorum fibulis conſauciatus periit, ob idque Doricæ ueſtis uſus mulieribus iam inde publico decreto ademtus, permiſ ſumque ut lineam tantùm geſtarent, quæ nullis eſſet fibulis prædita. Et hinc odio inter Athenienſes & Aeginetas campus datus ampliſſimus. Sab. lib. 8. En. 2.

Miſſis quibuſdam legatis cum Grippone uiro cl. à Childeberto Francorum rege CARTHAGINEM, ad Iugurdis ſororis ſuæ mortem explorandam: quidam ex comitibus in frequenti emporio uni mercatorum adoramenta quædam propalàm abſtulit, in diuerſoriumq; ſuum ſe proripuit. Poſtridie cùm mercator in publicum prodeuntem legatum aggreſſus, ſuum repeteret, tixæq; obortæ eſſent: Auſtraſianus Afrum interemit. Vnde tota urbs correptis armis ad ædes, in quas deducti oratores erant, concurrit: eoſque incautos obruẽres, duos ex collegis Gripponis interimũt. Aemil. li. 1.

Arcades cum Piſæis communiter Olympiorum ludos faciebant, & poteſtatem templi pecuniarumque, quæ erant in tẽpſo, habebant. Cùm autem Mantineenſes non pauca ex denariis ſurrepta in priuatum uſum conuertiſſent, ij, qui ſacrilegium patrarant, ſummo ſtudio bellum aduerſus Eleos (quos à poteſtate ludorum ui deiecerant) integrum ſeruare & producere annitebantur, ne ſi pax intercederet, ad reddendam rationem inſumtorum ipſi uocarentur. Reliquis Arcadibus contra pacem componere uolentibus, ſeditionem aduerſus ſuam gentem concitabant. Conſtitutis igitur duabus ſocietatibus, accidit ut in altera primos ordines ducerent TEGEATÆ, in altera MANTINEENSES: cumque diſſidium admodum ereuiſſet, ad tranſigendam rem armis deſcenderunt, & Tegeatæ miſſa legatione ad Bœotios, eorum opem imploraũt. Qui duce conſtituto Epaminunda, exercitum memorabilem ei tradidere, & miſerunt in auxilium Tegeatis. Mantineenſes uerò Epaminundæ gloriam perhorreſcentes, legatos ad infeſtiſſimos Bœotibrum hoſtes, Athenienſes & Lacedæmonios mittunt ab hiſque

hiſque auxiliares copias petunt. Qui cùm utrique grandes exercitus ſine mora ſuppeditaſſent, crebra grauiaque prælia circa Peloponneſum extitẽre, & in primis celebrata illa ad Mantineam Epaminundæ mors & uictoria. Diodorus libro decimo quinto.

Anno 1479. MATHIAS Pannoniæ rex à FRIDERICO Auguſto, Pannonici regni iura cõditione accepit, ut filij ſi qui ex eo naſcerentur, non ſuccederent in regnum. Duxit inde coniugem Mathias Ferdinandi filiam Neapolitani regis. Quã auctus affinitate, quia maiores credebatur ſpiritus alere, quàm ut fœderibus ſtaturus eſſet, Bernardus Graneníis antiſtes, cum regiis theſauris & corona, qua Pannoniæ reges uteri inſtituto uti conſueuerunt, in Germaniam aufugit. Bernardus & theſauri de more à rege repetiti ſunt: cæterùm quia res non redderentur, Matthias bellum Friderico intulit, quod poſtea longè lateque in Germania exarſit. Sabellicus libro 7. Enneadis 10.

Monetæ adulterium.

MONETARII ſub Aureliano adulterarunt monetam, ſuóque præfecto Feliciſſimo interfecto, inteſtinum bellum concitarunt. Eos Aurelianus uix ſubactos, exquiſitis ſupplicijs affecit. Suidas.

Fœneris.

Inſtãte Volſco bello grauis Romæ ob æs alienum orta eſt inter CIVES diſcordia. Fremebat plebs, quòd ipſa foris pro libertate dimicaret, domi fœneratorum iniuria circumuenta, fortunis & libertate ſpoliaretur, tutam ſe magis inter hoſtes, quàm inter ciues, in ſuum tergum ſæuientes: eſſe multos ſui ordinis creditoribus addictos, indiſq; plures addici, apud quos nexis multo miſerior ſit uita, quàm ſi in hoſtium manus inciditſſent. Actum de libertate plebis eſſe, niſi præſenti iniuriæ iretur obuiam. Hanc inuidiam ſua ſponte gliſcentem, miſerabilis unius fortuna maiorem in modum auxit. Magno natu quidam, ſqualida ueſte, fœdoque habitu, corporis pallore & macie inſigni, ſe repentè in forum proiecit. Ad hunc uiſendum multorum factus eſt concurſus. Ille duo ſe de triginta ſtipendia feciſſe teſtatus, multaq; pro publica libertate pericula adiuiſſe, quorum pluriman to corpore cicatrices teſtes eſſent: Sabino bello fructibus & pecore ab hoſte direptis uillaque incenſa, ob tributum inquo ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe, idque ſemel conflatum perpetuis uſuris paterno ſe agro primùm exuiſſe, mox & auito, inde fortunis aliis, poſtremò ad corpus uelut tabe quadam perueniſſe: ductum ſe à creditore cum duobus filiis, non in ſeruitutem, ſed in ergaſtulum & carnificinam ſæuiſſimam. Oſtentare tergum recentibus uerberibus fœdum, multiſque cum lacrymis Quiritium fidem, aduerſus ea quæ indignè parerentur, implorabat. Ad hæc uiſa auditaque, tanta animorum indignatio orta eſt, ut toto foro primùm tumultuatum ſit, clamor indè & trepidatio totam urbem peruaſit, uinctiſolutique in publicum ſe proripiunt, nullo deeſt loco uoluntarius ſeditionis comes, diſcurritur paſſim totis uiis, nec ſine periculo patrum, qui tum forte in foro erant, à quibus uiolandis concita multitudo haud abſtinuiſſet, ni propter conſules Appius Claudius & Pub. Seruilius oportunè ad ſeditionem opprimendam occurriſſent. Seruilius eam pacauit, addito edicto, ne quis ciuem Romanum uinctum aut clauſum teneret, imperauit, quò minus edendi nominis apud conſulem poteſtas fieret. Neu quis bona militis, dum in caſtris eſſet, poſſideret, aut uenderet, nec liberos nepotéſue eius moraretur. Ad id nouum edictum ex tota urbe factus eſt ad conſulem concurſus, uis nexorum ingens ex priuato ſe proripientium in publicum proceſſit, magnoque omnium ſtudio conſul legiones in hoſtem duxit. Victis Volſcis, cùm patres ad ingeniũ redirent, Appio præſertim Claudio inſtigante, & Volſci iterum aduentarent, M. Val. Dictator dictus, eadem quæ Seruilius plebi pollicitus, Volſcos, Equos, Sabinos uicit. At cũ promiſſis ſatisfacere non poſſet propter contumaciam patrum, Dictatura ſeſe abdicauit. Multitudo Sicinij ductu, iniuſſu conſulum in montem, tria millia paſſuum ab urbe ſeceſſit, eumque communiuit. Fuit hic annus V. C. 260. partæ libertatis XVI. Territi ea ſeceſſione patres, Menenij Agrippæ opera plebi reconciliati ſunt, cùm plebi conceſſiſſent, ut ſuum haberet magiſtratum, qui ſacroſanctus eſſet, cui auxilij latio aduerſus conſules foret. Diſcrteq; expreſſum, ne patrum cuiquam eum magiſtratum capere liceret. Ita Tribuni duo primùm creati, C. Licinius & L. Albinus, qui tris ſibi collegas cooptarunt, quorum unus Sicinius ſeditionis auctor fuit: ac ſacrata lege magiſtratus inuiolabilis factus. Legis formula talis ad poſteros eſt tradita: Tribunum inuitum tanquam unum è multis nemo ullum cogito agere, neque uerberato, neque alteri ut uerberet imperato, neque occidito, neque occidi iubeto. Si quis horum aliquid fecerit, impius execrabiliſque eſto, bonaque eius publicantor ad ſacra Cereris, & qui aliquẽ hæc agentium occiderit, cædis expiatus eſto. Iuratum inde in præſcriptũ le gis, araq; ubi caſtra fuerunt Ioui metũ ſoluenti erecta, ibiq; ſacra peracta ſunt: quæ res loco poſtea nomen dedit, ut mõs Sacer diceretur. Sab. lib. 8. En. 2. Ex Liuio & Dionyſ. & Plut. Coriol.

Vectigalium, Tributorum exactorum.

Quirinius Syriæ præfectus à Cæſare miſſus eſt in Iudæam iam attributã prouinciæ Syriæ, ut percenſeret facultates eius regionis ciuiũ, & Archelai Tetrarchæ Viennam relegati pecunias in poteſtatẽ ſuam redigeret. IVDÆI tametſi primùm ægrè ferrent mentionem deſcriptionis, non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati pontificis Ioazari, qui Boethi fuit filius. arq; ita illius ſuaſu ſine controuerſia cenſus peractus eſt. Extitit tamen pòſt quidam Iudas Galilonites, ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto ſibi Phariſæo Sadduco, ſollicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud quàm manifeſtam ſeruituris profeſſionem eſſe diſtitans, & uniuerſam gentem ad tuendam libertatẽ adhortãs. Magna igitur manu cõparata, ſuper tres priſtinas ſectas, quartam nouam inuexit, & latrociniis omnia miſcẽs, cines Hieroſolymitanos ad mutuas cædes perduxit, ut etiã hoſtili ſtãma Dei templum fuerit correptum. Ea peſtis ſemel graſſata, radices ita egit, ut populo tandem à Romanis deficiente, urbem cum tota gente peſſum dederit. Ioſephus lib. 18. capite 1. Antiq. & ſeq.

BYZANTINI aſſiduis cum Thracum gente bellis exhauſti, Gallorumq; iniuriis, qui poſt Delphicã expeditionẽ è periculo ſeruati, locis Byzantio proximis cõſederant, quib. bello orto quotannis cõtoginta talenta pacis nomine pendebant: pecuniarum inopia ſtatuerunt uectigal exigere ab omnibus, qui in Pontum nauigarent. Tulerint id grauiter alij Graecorum, ſed RHODII omniũ grauiſſimè, quorum opes tum latè maris imperio pollebant. Tandem interuentu Cauari Gallorum reguli, his conditionibus bellum utrinq; eſt ſolutum: ut Byzantij nullum uectigalis exigendi ius haberent, Prutias Bithyniæ rex omnibus quæ illis ademerat reſtitutis Byzantiorum amicus fieret. Sab. lib. 2. En. 5.

Theodoſius Imp. cùm exhauſto frequentibus bellis fiſco tributum nouum urbibus impoſuiſſet, ſolus ANTIOCHENVS pop. nouum uectigal nõ tulit: ſed ſeditione mota, Platillæ quoq; Imperatricis ſtatuam (quamuis iam mortuæ) fit ne pedibus adaptato per urbem cõtumelioſè traxit. Quod flagitium tam grauiter Imp. tulit, ut niſi D. Flauiani epiſcopi eorum precibus & D. Ambroſij auctoritate (qui nihil eum in ſontes ſtatuere, priuſquam trigeſimus dies exactus eſſet, iureiurando adegerat) motus fuiſſet, eædem quoq; ibi magnam, ſicuti Theſſalonicæ, perpetraſſet. Nicephorus lib. 12. cap. 42. Ferunt ea nocte, quæ diem ſeditionis præceſſit, fœminam ſublimem in aere conſpectam, magnitudine ingenti, aſpectu horrendo, quæ per urbis plateas in aere currens, flagello aereum diuerberauit, ſimilem ſonitum edens, qualem edere conſueuerunt, qui in caueis ad furorem beſtias excitant. Nicephorus lib. 9. cap. 42.

Anno Chriſti 1382. Ludouicus Dux Andium, Franciæ Rector, Carolo VI. rege etiamtum puero, ad Sicilię regnum capeſſendum à Ioanna regina uocatus, in Italiam proficiſci magno belli apparatu conſtituit, & nomine Regis rerum uenalium uiceſimã indixit. PARISII, Ambiani, Rotomagenſes inprimis id detrectarunt, cæteræ urbes exemplum harũ ſecutæ ſunt. Stabat ſententia, æs in urbe Regia cogere. Cùm Rex Meldis abeſſet, à uiris initium factum non eſt. In olitorio foro à quadam Petronilla Maurella naſturtium uenum exponente coactor Regis obolum poſtulabat. Cùm iam cõuitio flagitaret, exigeretq;, mulier fidem uirorum implorat. Ad quiritantis mulieruleæ uociferationem concurſu facto, exactor à PARISIENSIBVS oppreſſus eſt. Inermis plebs ad ædes publicas impetu fertur. Deiectis foribus arma, telaq; (in quib. plumbei malleï erant, qui fabricati fuerant ut ad Magiſtrũ equitum mitterentur, ut eo etiam telo militem armaret) corripiunt. Exactores, redemtoreſq;, quoſcunq; urbem peruagati adipiſci poterant, plumbeis malleis cõficiebant: quendam etiã in diui Iacobi ad Lanios æde mactant, ſimulacrum Virginis amplexãtem. Viis uiciſq; catenas prætendunt. Carcerem Regij iuris inuadunt: cuſto dias emittũt: uinctos ſoluunt. Tandem Mareſij auctoritati ſe dedidere, ut malis mederetur. Is, ac quicquid optimatium in urbe Regia reliquum erat, qui nihil ipſi mouerant, Regem adiere habitu reorum, cum lacrymis miſerabili oratione ſtrati ad pedes orarunt, obſecrarunt, uti ueniam uel errore lapſis, uel furore impulſis daret. Spes ueniæ oſtentata ea lege uti multa ſexaginta millium aureorum cæteris irrogata, auctores ſeditionis, iique qui cuſtodias inuaſiſſent, capite luerent. Mareſius Lutetiam renuncians legationẽ, cætera multitudini expoſuit, de ſontibus puniendis clàm habebat: noctu corripi ſinguli cepere, ac Sequana demergi. Plebs rurſus, dum ſibi quiſq; timet, cõcitatur: ſupplicia intermiſſa: pecunia tamen exacta. Rex poſt uictoriam de Flandris partam cum exerci-

tu ingressus urbem, ad crepitum armorum territa plebs, miserabili fletu supplicique omnia impleuit. Trecenta nomina edidit Sextus. Ii capite luerunt: cæteri ære mulcati. Catenæ reuulsæ, ac in arcem Luparam latæ. Suos deinceps Decuriones, Prætoremq; mercatorum habere creareque uetiti. Quinto pòst anno sua Regiæ urbi maiestas, iusq; redditum creandi Decuriones, Prætoremq; mercatorum. Aemil. lib. 9.

Ob eandem causam ROTOMAGENSIS quoq; plebs, cùm armata ad mercatoris pannos uendentis, qui cognomento Crassus nuncupatur, ædes accurrisset, Crassum ipsum curru impositum, per urbem deduxit, ac Gallorum regem salutauit. Cuius nomine edici iussit, ut onera quę impolita erãt, delerẽtur: idq;, ut tumultus sedari posset, confirmatum fuit. Fulgos. lib. 9. cap. 7.

Cùm Carolus VI. Gallorum rex iam adultus in amentiam incidisset, occulto Burgũdiæ ducis impulsu, LANII, quorum permagnus in Parisiorum urbe numerus est, arreptis armis Simonetum Cabochum Parisiensem, sordidæ fortunæ hominem, item Iacobi uillæ dominũ, præterea Ioannem Troianum physicum, huius multitudinis duces creauerunt. His ducibus armati, cùm ad Aquitanici ducis, atq; eiusdem Delphini (maior enim natu Caroli filius erat) palatium iuissent, dedi sibi quosdam ex magistratibus eius, atque in primis Barriensem Bauariensemq; duces, ambos reginæ fratres, postularunt. Hos cùm in carcere cõdidissent, haud multo pòst nonnullos ex eis capite mulcarunt: idq; in nonnullas etiam ex numero fœminarum, quæ in reginæ obsequio erant, factum fuit. Cùm autem tumultus continuaretur, onera quædam sacerdotibus atq; magistratibus imposiuerunt. Cæterùm cùm grauiora quoq; molirentur, Parisienses ciues cõmunibus uiribus, seditiosam plebem cum ducibus suis urbe expulerunt. Fulg. lib. 9. cap. 7.

In ANGLIA an. 1387. ob exhaustum ærarium diuturno bello Gallico ab Edouardo III. gesto, Ricardo II. puero imperante, tributum in capita singula utriusq; sexus hominum, qui id ætatis essent, quam Iuuisconsulti legitimam uocant, impositum est, ut singuli numos singulos argẽteos, quos grossos dicunt, soluerent. Et hoc pauperum fuit onus. Diuitibus uerò ac sacerdotibus amplior pecunia imperata est. Hæc exactio plebis animum mirificè uulnerauit, CANTIANI Ioannem quendam Straum, domos tegere solitũ, & Gualterum Tylerum, plebis fæces, item Ioannem Balæum sacerdotem sibi duces constituunt, Londinum properant, considentq; aliquot dies in monticulo, qui prope urbem est, ad millia passuum quinq;, quem Blakerhũ dicunt. Interim missis ultro citroq; nunciis, ad ripam Thamesis descendunt: denunciant, si per consiliarios liceat, uelle se regem conuenire, ac nonnulla, quæ è Republica essent, coràm cum eò conferre. Rex, ut semina malorũ in ipso exortu extingueret, nauicula uectus ad ripam uenit, & de flumine cum eis colloquitur. Sed cùm in terram descendere nollet, quod ipsi uehementer poscebant, tum demum maiore quàm antea furore commoti ad urbem concurrunt, suburbanum diui Georgij uicum primo accessa spoliant, fractoque publico carcere, custodias omnes liberant: inde urbem ingressi turrim oppugnant, quò se rex cum toto senatu suo, receperat. Hic primo accessu Simonem Cantuariensem antistitem, Robertum Halisium diui Ioannis Baptistæ militum collegij præfectum, & Ricardum quendam ordinis Carmelitani monachum, qui regis confessionem audire solebat, ad se missos, in subiecta arca, securi percutiunt. capita in ponte spectanda exponunt, cùm supra LX millia confluxissent. Edito tanto scelere ad diripiendam urbem se conuertunt: Obuios quosque occidunt, domos, templa, cœnobia depeculantur. Ex agris ingens perditissimorum hominum numerus ad prædam aduolauit. Vrbe direpta in uetus templum irrumpunt, inde in Vuestmonasterium, incensoque Statario pleno antiquarum tabularum, quibus monimenta regni continebantur, & multa facta præda, in urbem redeunt, fractisque reliquis furum custodiis, quod reliquum erat fortunarum, rapiunt. Omnibus iam prædа onustis, tumultus paululum refrixerat, cùm Ioannes Strauus, princeps concitatæ plebis, per præconem quædam suo nomine publicè denunciauda curauit, quæ obseruanda forent. Gulielmus interim Valuorthus prætor ciuitatis, plebem urbanam, quamuis parum pugnæ idoneam, armat. Rex itidem copia armatorum comparata, in urbem egreditur. Prætor iussu regis ad plebem proficiscitur, quæsiturus, ecquid denique illa sibi uelit. Admisit turba sine maleficio aduenientem prætorem, utpote quæ inops consilij, furore iam remisso, incipiebat animo deficere. Seduxit prætor Ioannem Straum ductorem in colloquium, quasi de pace acturus: & stricto pugione paulùm infra iugulum uulneratũ, interficit. Tum multitudo repentè in fugam se coniicit, in qua multi, aut interfecti, aut ad supplicium tracti. Qui euaserant, statim ex se delectos miserunt ad regem, qui mortem deprecarentur. Isti amictu reorum, regem cum lacrymis adiere, eique ad pedes iacentes orarunt, ut ueniam miseris, aut errore lapsis, uel furore compulsis daret. Spes ueniæ ostensa. Cæterùm rex quæstione habita, quorum opera tumultus conflatus esset, quos fontes comperit, supplicio affecit, reliquos grauiter multauit. Atque ita Cantiani cum sociis pòst tertium diem, quàm Londini insanire cœperant, ad sanitatem redire coacti sunt. Incidit hæc populi seditio in annum salutis MCCCLXXXI. & cùm regnare cœpisset Ricardus puer adhuc, quartum. Polyd. lib. 10. Fulgos. lib. 9. cap. 7. hæc addit. Rex dum plebi studens satisfacere, literas de his, quæ petebant, iam confici iussisset: plebeiæ multitudinis pars iam domum abierat, sed interea cum his, qui remanserant, circiter quadraginta millia aliorum populorum se coniunxerunt. Quũ cum ea uia uenirent, quæ ad urbem Vorduicum ducit, nec Roberto Sali illius urbis præfecto persuadere potuissent, ut eorum dux esse uellet, eum interemerunt. Rex sibi metuens Londino egressus, non amplius, quàm sexaginta comitatus equitibus, forte in Gualterum Tilerim incidit, qui cum magna plebeiæ turbæ manu ad urbem tendebat. Illic Gualterus minacibus uerbis cùm Londinensem Merim (id magistratus nomẽ est) qui tunc in equo penes regẽ erat, obiurgare cœpisset, superbeq; regiũ armigerũ ense popolcisset, in eo tumultu occisus est: ac superueniẽte, quæ regi auxilio erat, multitudine, is tumultus adeò euanuit, ut regis restitutis literis, quib. immodica plebi cõcedebãtur, principib. eius furoris aut suspẽsis, aut alio mortis genere affectis, reliqui dissiparentur.

Bello incubente Scotico, tributum imperauerat Anglis Henricus VII. rex. Id CORNVBIENSES, qui insulæ partẽ ulteriorem ualde incolunt, conferre negarunt, factaq; seditione, Thomã Flammuchũ leguleium & Michaelẽ Iosephũ fabrũ ferrariũ, duces elegerunt. Qui armata manu Londinũ petierunt. Rex incõsultæ multitudini nõ statim obsistere, sed quã longissimè domo abstrahere studuit, ne à suis subleuari posset. Iamq; Londinũ obsidẽtes aggressus, uicit, duces ipsos supplicio affecit. Michaelem Iosephũ ferunt, dum ad mortẽ traheretur, seipsum consolatũ, & ob id facinus speraret sui nominis memoriã perpetuatum iri. Polyd. lib. 26. Angl. hist.

Eodẽ ferè tẽpore, quo in Anglia & Gallia ob tributa tumultuatum, etiã Flandria cõcussa est. Flãdri Comites ex formula in uiginti annos præscripta debebant Franco regi quotannis quinquagena millia aureorũ. Ludouicus Comes exactores circũmiserat, atq; ea præscriptione multo maius auri põdus cõgesserat, quàm quantum ea res postulare illis uidebatur. Conquerebãtur fortunas miserorũ agi, ferriq;. Petierant ut coactores redderent rationẽ: Tornacũ conuentũ: intra mœnia mensarij cæteriq; Comitis ministri in oppidũ deductis: urbiũ procuratores legatiq; in suburbiũ diuerterunt. Ignis seu fortuitus, seu ex præparato in suburbanis ædificiis cõflatus, ea uento, ut forè coortus erat, adiuuãte, magna ex parte absumpsit. FLANDRI se dolo incendioq; petitos rati, in Comitẽ, Comitisq; amicos uelut cõflagrationis auctores, domũ reuersi, suos quisq; populos incitauerunt. Prælio cõmisso Ludouicus captus, nec dimissus, nisi iureiurando adactus se immemorẽ iniuriarum futurũ: secundùm eam diem nihil eum magnarũ rerũ, nisi de suorũ sententia, req; ad urbiũ decuriones relata statuturũ, acturúmue. Paruit præsenti necessitati. Vbi primùm liberũ ei fuit, ad Philippũ Valesium Francorũ Regem confugit, Flandri ad Cassetũ conuenerãt. Discessu nobilitatis, imperatore carebant. Duces bello gerẽdo plebiscito delecti Nicolaus Annecinus, & Hilermus Canutus: uiri strenui quidẽ & fortes, sed humili loco nati. Rex Cassetũ duxit. Vrbẽ oppugnare cœpit. Ad duo deuiginti millia Flandrorũ cecidere. Cassetũ captũ, direptum, incensum. Ludouicus Comes domũ restitutus (admonente Rege ita dominaretur, ut non iterũm necesse Francis foret eum domum armis reducere) de motus auctoribus supplicii sumsit. horum circiter sex millia extitere. Aemilius lib. 8.

Bellum FLANDRICVM, quod Cõmes contra plebẽ, iniustis tributorũ exactionib. contradicentẽ, Albatorũ ab albis capitiis factione institura, gessit, septẽ annos tenuit, plus ducẽta millia uitorũ absumsit, salutẽ popularibus, dignitatẽ Comitẽ turauit, sub Carolo V. & VI. Francorũ regibus. Gandauenses strenuè rẽ gesserunt, ad centũ millia bellatorũ in armis habentes, & Philippũ Arteuillã ducẽ bello gerẽdo pacẽue iungẽdæ creauere. Is multis ultro citroq; datis & acceptis cladibus, omniũ rerũ ius arbitriũq;, præterquã uitæ mortisq;, Comiti permittebat: exilio fortunisq; quos uellet, mulctaret: cruori miserorũ supplicũq; parceret. Nõ audiebat: petebat sine exceptione omnia sibi permitti: maiores quindecim annis uiri & mulieres cũ singulis uestimẽtis urbe exirẽt: resti ceruice inserta procũberent supplices: tunc demũ cõsti tuturũ se. Ergo desperabundi Albati, securũ Comitẽ Brugis opptimere statuũt. Quinq; millia delecti, repẽtino aduentu patẽtes portas ingressi, cũ oppidani festo sanctoq; die sacris dediti

derent, urbem cœperunt. Philippus imperauit, ut Comes perquirereturr, illæsusq; ac sine dedecore seruaretur: eo cõsilio, ut honorificẽtissimè habitus, Gandauũ duceretur. Apud inopẽ magnoq; natu mulierẽ cùm latitasset, antequã oẽs ex oppido exitus intercluderẽtur, uiã fugæ celeritate ex pediuicinis Insulã cõtulit. Albatorũ aliquot turmæ cohortesque excursiones ad mœnia usq; Insulæ fecere: ac cupiditate prædæ, studioq; bellãdi in Tornacensiũ & Fræci Regis fines ferũ ignẽsq; intulere. Ea demũ indignitas Frãcos irritauit, perpulitq;, ut de iuuãdo Comite cogitarẽt. Auxilia Comiti utcunq; merito promissa. Rex Carolus VI. sacrã Flammulã ex diui Dionysij æde à Fani antistite summa religione accepta Petro Villario tradidit. Simul martyrũ corpora ex inferiore sacrario deprõta, & supra editiorẽ arã triplici feretro reposita. Iu Atrebates copiæ ductæ. Ad Rosæbecam prælio cõmisso, Albatorũ ad triginta millia in prælio desideratа: in fuga plus decẽ millia cęsa. Secundùm uictoriam Rex Philippum conquiri iussit. Inuentus est in cumulo exanguium corporum grauiter saucius, sed spirans. Colligari uulnera, curariq; iubente Rege, omnem curationem aspernatus, ac non superesse se ciuibus pro libertate cæsis uelle prædicans, decessit. Corpus furcæ datum, quintum calendas Decembres. Flandria in fidem rediit. Aemil. lib. 9. Polyd. lib. 20.

Belli primi Ligustici diuturnitas VENETORVM ærarium ita exhaustum reddiderat, ut cogerentur Patres ad alendã classem noua uectigalia excogitare. Quũ igitur in multis nouum cõmenti essent uectigal, mandassentq; illud publicari: tum populus oneris impatiens cum clamore & minis in curiam impetũ fecit. Perculsis Patribus rei nouitate, Rainerius princeps ad primũ tumultũ curia egressus in medium processit, ut uel Ducaria auctoritate strepẽti multitudini pudorem iniiceret, uel populari aliqua oratione concitatos animos lenirer. Plebs Ducaria maiestate neglecta, lapides continuò in Raineriũ coniecit. cessit ille territus plebeio furori. Quo è mediò abeunte, seditionis capita, noua uia ad grassandum ingressa, aliquot nobiliũ domos facto impetu diripere. Demum sedato tumultu acerbissima quæstio in eos decreta, qui publicã maiestatem uiolassent, quiq; plebeij se furoris duces præbuissent: capti sunt fontes, exquisitissimisque suppliciis affecti. Sabellicus lib. 10. Dec. 1.

An. sal. 1375. tumultus grauis secessione plebis à patribus LVBECÆ exortus est. Multas & magnas fecerat senatus impẽsas & crebris expeditionibus contra Danos per mare, per terras, suscipiendo itẽ Imperatore Carolo IV. æs contraxerat alienũ non mediocre. Instituerat ergo, ut præter annuã collectã, per singula ciuium capita soluceretur una Lubecensis marca: & ut futuro tẽpori prospiceretur, aucta est mensura, quã molentes publicis usibus seruiturã detrahunt in molendinis. Eam rem acerbissimis animis accepere plebeij: euiscerari se queruntur, sanguinẽ prius quàm pecuniã daturos. Concurritur in ædẽ D. Catharinæ, fratrũ minorũ ecclesiam. Itaq; Senatus ciuium uoluntati concessit. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap 1.

Anno sal. 1408. LVBECENSIS populus propter noui tributi institutionẽ contra Senatum insurrexit, rationem expensarum ab illo petens. Senatus maxima pars urbe excessit. Eodem exẽplo exciti uicini VISMARIENSES & ROSTOCHIENSES, Senatus auctoritatẽ imminuere, cõstitutis utrobiq; sexaginta uiris, qui capiendis cõsiliis & rebus gerendis interessent. Hinc audacia crescente, Senatores loco mouerũt aliosque sublegerunt. Eodem quoq; tempore HAMBVRGENSES, concitato tumultu, sexaginta uiros constituere, qui publicis consiliis interfuturi, etiã imperarent consularibus. Non multo pòst, quũ nouus ille consulatus Lubecensibus displiceret, adiecere uiros sexaginta, qui rebus interessent. Super hos quoq;, atq; super concilium publicum, alios creauere uiros duodecim, Plenipotẽtes dictos: qui deliberata in senatu, & à sexaginta uiris mastica ta, uel approbarent, uel reiicerent, moderarenturq; suo arbitratu omnia. In concilio tandẽ Constantiensi à Sigismundo Imp. condẽnati sunt noui consules, ut suos, quos eiecerant, patres reciperent, & irrogata illis damna resarcirent. Institere tamen legari, quoniã lata sententia mutari non poterat, ut saltem ad tempus suspenderetur exequutio: inq; eam rẽ (ut ferunt) expromissa sunt XXV. aureorũ millia. Sese interea daturos operã, ut cõmunitas senatui placaretur. Conuenit igitur inter fiscum & noui concilij oratores, ut cameræ regali soluta XXV. millia aureorũ, nisi eisdem ciuibus ad cõstitutum terminum restituerentur, imperiale bannum, quo cõdemnata erat ciuitas, sublatum cẽseretur, perpetuoq; exilio, qui pulsi erant, tenerentur. Decreuerat enim rex certissimo proposito, numeratam pecuniam ante terminum restituere, ne qua in parte iustitia læderetur. Et, quoniam literis opus erat, ad inducendum populum ad cõferendum tributum, dedit rex illas puras: sed alias adiecit, cum cõditione. Missus quidam ex Baronibus, ad accipiendã pecuniã, peruenit Lubecã cum legatis Reip. qui magnis buccis concrepabant in populo, magna se reportasse aduersus exules priuilegia, nunquã illos redituros, imperiale bannũ iam esse sublatum. Gaudebat populus, se impetrasse, quod uolebat: nec grauabatur promissam summã cõgerere. Baroni etiã iniecta est offa in os, ne rugiret. Exules interim, quũ cernerent regẽ multis & magnis reb. implicitũ, ne sibi deesset, à rege Danię Erico Sigismũdi cõsobrino impetrarũt, ut pro rege Romanorũ exhiberet Lubecensib. summã prædictã. Ea pecunia Lubecenses recusata, serò tandẽ se delusos esse agnouere. Ericus Lubicẽses mercatores in Scania piscãtes supra CD. cepit, utpote ab imperio proscriptos. Imperatoris interea legati duo Lubecẽses nullibi tutos eò deducere, ut exules honorificè suæ dignitati restituerint, & supplices ab illis ueniã petierint an. 1416. Locantur in sua subsellia ueteres consulares: nouũ concilium stabat in fronte sedis: nudatis capitibus, ueniam de omnibus, quæ parrata essent, humiliter deprecantur. Tum Iordanus Pleskouo, primus redeuntiũ, Vt nobis, inquit, peccatorib. de multis erratis misereri dignetur altissimꝰ Deus, remittimus uobis ex animo cunctas offensas, futuri uobis semper amici intimiores quàm antea. Ceciderunt multis lacrymæ, audito tã molli uerbo. Multi ex his per octennium integrũ morte perierunt: soli octo redierunt cum cognationibus suis. Vismarienses, quum malè sibi timerent, nec opẽ iam sperarent ab Lubecenibus, submissis amicis ad principes Magnopolitanos peregerunt, ut promissis decẽ millib. marcarum, aboleretur offensa, uetere senatu in integrũ restituto. Rostochienses uix tandẽ senatũ suum recepere, quamuis turamẽto se astrinxissent, nunquã passuros in urbem redire. Cranzius lib. 10. Vandaliæ cap. 14. & seq.

Archiepiscopus Bremensis arcem erexerat, quam Albam uocauit, super Vveseram (Visurgum dixere ueteres) uectigal exigens ab uniuersis ascendentibus ac descendentibus per fluuium. Refragãtibus BREMENSIBVS, capti aliquot per terram iter facientes. Sed ita inuium quo que flumen archiepiscopus facere studebat, palis defixis, & catena extensa. Bremenses expedita magna naui, usi ualido uẽto, catenam perfringunt, palos nauibus applicatis euellunt. Tandem cõuenit inter partes, ut archiepiscopus arcẽ hanc ciuitati per mitteret demoliendam, ipsi uerò impensis ciuitatis arx in loco Languedel ædificaretur. Cranz. lib. 7. Metrop. cap. 49.

Aes grande alienum contraxerat ciuitas VRATISLAVIA. Quod cùm populo indicaretur, ut ope mutua releuaretur respublica, ille Patres ab administratione deiecit, quasi qui priuatis impendiis publicam pecuniã insumsissent, iussos abire domum, & publico abstinere: nouumq; creauit concilium pro suo arbitratu, statuens annuã in reliquum esse administrationẽ: quò honor magis per multorum ciuium capita crebresceret: arbitrati, perpetuum consulatum non esse aliud quàm occultam tirannydem. Noui consules, quũ cernerent debita legitimis ex causis conflata, nec posse ciuitatem ex his emergere, nisi communi per omnium ciuium capita instituto tributo: id iustis rationibus ciuibus persuadere sunt conati. At conciti plebeij ea re in furorem, ad unum omnes crudeliter mactarũt. Sigismundus Imp. magna suorum manu urbem ingreditur. Circumsistunt eum fœminæ maritorum indignã cædem lamentantes. Iubet ille omnes in prætorium euocari, & latitantes extrahi de latibulis. Viginti sex cæsi gladio, cæteri proscripti, & ex primoribus urbis nouus delectus Senatus. Cranzius libro decimo, Vandaliæ, capite 38.

Ludouicus I. Hungariæ rex, cum Venetis pro Dalmatia decertans, equum album annui uectigalis loco, publico nomine sibi mitti pro Dalmatico regno uictor postulabat. Id VENETI quum negarent, diuturnum inter eos bellum exarsit. Bonfinius libro 10. Dec. 2.

Carolo V. Rom. Imp anno 1520. in Germaniam ex Hispanię regno ad suscipiendum imperium nauigante, relicto ibi Hadriano, qui Pontifex factus, sexti cognomen tulit, supremo regni præfecto, præcipuæ ciuitates HISPANIÆ regiorum magistratuum magistratibus adductæ, præter Bæticas, in unum coniurant, & non obscurè, uti erectæ ad libertatem (& quidem Heluetiæ æmulam, ut Osorius ait) à præsidibus Cæsaris rebellant: Regium tamen nomen in honore habent, & magistratus tantùm odisse uideri uolunt, à quibus expilati oppressique indignissima paterentur. Ante omnia iudices creantur uiri fortes acerrimiq;, qui causam populorum cognoscant. Tum uerò humillimo cuiq; fas fuit iniurias deferre, & liberrimè conqueri de impotentia acerbitateq; prætorum, qui contra consuetudinem antiquorum Hispaniæ regum, populos uexauissent. Cæsar cognita XIII. ciuitatum defectione, duos regulos regendæ Hispaniæ præfecit, qui defectores bello persequantur, Indacum scilicet Vellascum, qui erat magister equitum, & Fridericum Henricum, quem ab ipsa maritimi officij præfectura Amirantem uocabant. Interea populares ad summum insolentiæ prouecti, non

modò eos qui à regiis iniurias pertulissent audiebant, & bona spe maturæ libertatis implebant, sed populos etiam nobilioribus regulis subiectos, tanquam publici disceptatores, causarumq; omnium supremi iudices, ut magnis querimoniis iniurias deferrent, inuitabant. Quæ res importunè mota, procerum omnium animos subito timore corripuit, adeò ut qui modò eius belli tumultusq; spectatores esse cupiebant, tam propinquo periculo monerentur, ut sese protinus ad regios conferrent. Defectores ad Tordesillam contendunt (hæc olim fuit Segisama Iulia) ubi regina Cæsaris mater à Philippi coniugis interitu mente commota, in lacrymis, desperatis medicinæ remediis, miserabilem uitam ducebat. Eam uti reginam salutant, suadent ut munia reipublicæ suscipiat, & sese aduersus externos præsides uti Ferdinandi regis filiam obiiciat, cuncta gubernet. Hæc omnia cùm ipsa alacri animo se facturam diceret, & ex interuallo atræ bilis nonnunquam opportuna loqueretur, utpote quę se Cæsaris matrem, ac Ferdinandi filiam tenacissimè meminisset: nequaquam tamen adduci potuit, ut libellis & codicillis subscriberet. Cæterùm cùm copiis diuisis bellum gerere instituissent, Tordesilla à regiis capta, capitisque iudicibus, mox etiam ducibus, rebellionis auctores, Ioannes Padillia, Antonius Zamorensis Episcopus, Petrus Pimintellus, & Franciscus Maldonadus, & alij quidam uiri nobiles, & quidam etiam, quos ex infima plebe ad honores popularis furor euexerat, capitali supplicio affecti sunt: multitudini uerò uenia tributa. Iouius in Hadriano VI. & Osorius libro 12. rerum Emm.

Anno 1547. magna seditio per AQVITANIAM fuit, propter salinas & uectigalia. Totius aūt regionis principatum obtinet Burdegala. Hi cùm primis etiam rebellabant, & præfectum regium trucidauerant. At occupata urbe ab Henrico II. rege, Cōnestabilio & Aumalio ductorib. prçter reliquas pœnas, Connestabilius eos adegit, ut terram, qua tectus erat & humatus præfectus regius, nullo cum instrumento, sed unguibus atque digitis reuellerent. Et sic inuentum cadauer maxima cum pompa monachorum & sacrificorum terræ mandatum fuit. Sleidanus lib. 21.

Iurisdictionis usurpatæ.

LVGDVNENSIVM pontifex erat Petrus è finitima Sebusianorum procerum nobilitate, sub Philippo Pulcro Gallorum rege. Controuersia exorta inter eum regiosque magistratus de pontificia regiaque iurisdictione. Plus æquo sibi assumere regiis uidebatur: & ciues Lugdunenses ei aderant. Ludouicus rex Nauarræ cum exercitu ingenti missus, eam prouinciam confecit, Hutinus cognomine dictus: qua uoce apud Francos patrio sermone uis turbationis tumultúsque significabatur. Pontifex perculsus, fidei Sabaudi Comitis, qui cum regis filio aduenerat, se permisit. Ita sine certamine res compositæ. Pax urbi clarissimæ pontificique data. Aemilius lib. 8.

Repulsæ coniugalis.

Dion Iliensibus persuadere conatus est, ne Ilium quidē à Grę́cis excisum, nec Helenam Menelao unquam nupsisse, sed Paridi: quam quum multi ex terra Græcia procarentur, & cum his Menelaus Agamemnonis frater, cum quo Clytæmnestra Helenæ soror nupta erat, indignitate rei, quòd peregrinus homo Græciæ primoribus prælatus in matrimonio esset, Atridarum impulsu GRÆCI Priamo bellum intulerint. Eoque fidem huic opinioni fieri, quòd Castor & Pollux fratres Helenæ, qui eius connubij auctores fuissent, ad Troiam non militauerint. Ita igitur Dion rem dirigit, ut Helenæ connubium à Græcis per legatos dicat repetitum: qua non reddita, quoniam legitimè Paridi nupsisset, ex tota ferè Græcia bellum sit Phrygiæ illatum, quod Troianum dicitur. Sab. lib. 7. Enneadis 1.

Anno V. C. 312. legati ab Ardea Romam uenere, auxilium & opem afflictis ARDEATIVM rebus implorantes. Diuersa factionum studia, quæ multis urbibus exitio fuere, eruntq; semper, ipsius urbis opes in apertum discrimen adduxerūt. Contentio ex parua orta, penè ad excidium creuit. Petebāt puellam indigenā plebeia familia ortam adolescentes duo in uxorem, nobilis unus, alter plebeius. Hic puellæ tutoribus fretus, ille matris fauore, quæ honestissimo matrimonio filiam locatum iri uolebat. Cognitione in forum delata, secundùm matris arbitrium iudicatur. Tutores de iniuria decreti palàm questi, cū plebeiorum manu, ui ex domo matris uirginem rapiunt. In hos accensus ira iuuenis optimatū multitudine septus, impetum facit. Fit prælium, plebs urbe eiecta locum mœnibus proximum occupat, nobilium prædia hostiliter populatur. Venere interim his auxilio Volsci Ciuilio duce, quibus freti exules urbem uallo cingere adoriuntur. Erantque in aperto discrimine res nobilium sitæ, quum eorum legati Romam auxilium imploratum uenere, M. Geganius consul cum exercitu eò profectus, Equos exulesq; noctu uallo & fossa cingit. Circumsessi, armis & Ciuilio duce traditis, sub iugum missi sunt. Eos Tusculani per suos fines transeuntes ex improuiso adorti, ad unum peremere. Geganius seditionis auctoribus securi percussis, ociū ciuitati restituit. Ipse triumphans in urbem rediit, Ciuilio & hostium spoliis ante currum latis. Sab. lib. 5. En. 3.

Repudij.

Ludouici iunioris Francorum regis coniunx Aleonora, Gulielmi Pictauiensis comitis filia, repudiata, Henrico Anglorum regi nupsit: ut ex Radeuici libro 4. capite 26. uidere licet. Quæ res grauiss. bellorum inter reges FRANCORVM & ANGLORVM occasio fuit. cùm Henricus etiam Aquitaniæ ducatu, quem Ludouicus sibi arrogabat, dotis ratione potitus esset. Sigeberti Continuator.

Exilij.

C. Marcius Coriolanus, uir uerè Martius, austeritate & asperitate sua & superbia populum Rom. ita à se abalienauit, ut in consulatu primùm repulsam tulerit, mox omnium tribuum suffragiis in perpetuum eiectus fuerit exilium. Inde ad VOLSCOS supplex confugiens, arma patriæ impia intulit. Plutarchus in eius uita.

Carceris.

L. Equitium, qui se Gracchi filium simulabat, tribunatumque aduersus leges cum L. Saturnino petebat, à C. Mario quintum consulatum gerente, in publicam custodiam ductum, POPVLVS Rom. claustris carceris conuulsis, raptum humeris suis per summam animorum alacritatem portauit. Idemque Q. Metellum censorem, quòd ab eo tanquā Gracchi filio censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est: affirmantem, tantummodo tres filios Tib. Graccho fuisse, è quibus unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Præneste, tertium post patris mortem natum Romæ decessisse: nec oportere clarissimæ familiæ ignotas sordes inseri: cùm interim improuida concitatæ multitudinis temeritas, pro imprudentia & audacia aduersus consulatum & censuram tetendit, principesque suos omni petulantiæ genere uexauit. Val. lib. 9. cap. 7.

Auriga quidam Thessalonicæ, pincernam Butherichi præfecti militarium copiarum in Illyrico Theodosij Imp. de pudicitia tentarat, & eam ob causam in uincula coniectus erat. Veniens THESSALONICAM Theodosius, curule certamē exhibuit: supplicauit ergo plebs, ut auriga (qui in eo certamine omnes superabat) solueretur. Quod cùm non impetrasset, seditione mota plerosq; ex Imperatoris principibus, & ipsum quoq; Butherichū interfecerunt. Iratus ergo Theodosius, immissis in circum militibus, promiscuè quosuis usque ad septem millia interfici præcepit. In eo tumultu mercator quidam cùm duos haberet filios, pro eis apud milites intercessit. At illi alterum sese seruaturos certa mercede numerata polliciti sunt. Hic cùm infelix pater anxius, quémnam duorum seruari mallet, cunctatur, utrumq; amisit. Nicephorus libro 12. cap. 40.

Tempore Alexij Angeli Byzantini Imp. numularius quidam fuit, Calomodius nomine, qui lōginquis & difficilibus negociationibus maximam pecuniam acquisierat. Principes ad rapinam inuitati, manus Calomodio iniecerunt. CIRCVMFORANEI, Calomodij captiuitate & causa eius cognita, uesperi, manè tributim conuenerunt, & templum ingressi, Patriarcham Ioannem circumsteterunt, tantùm non discerpturos eum, aut de fenestra præcipitaturos comminati, nisi literis ad Imperatorem Alexium datis Calomodium liberaret. Is populi tumultu ægrè sopito, facundia sua in integrum, citra omnem iacturam, Calomodium restituit. Nicetas libro tertio.

Anno 1462. VIENNENSES ciues tumultu ciuili ob sex Senatores in carcerem coniectos cōcitato, Fridericum III. Imp. in arce duobus ferè mensibus obsederunt: & Georgium Boemorum regem, cum exercitu liberandi eius causa uenientem, Alberto Friderici fratre duce insidiis exceptum, in suburbanis uillis profligarunt. Pax deinde facta, ea conditione, ut Fridericus Maximiliano filio principatum illum concederet, eiusque tutelam Albertus patruus gereret. Cromerus lib. 25.

Ciuitatis denegatæ.

Sublata apud SYRACVSANOS post Gelonis & Hieronis regnum Thrasybuli dominatione, conuentum omnium conuocarant: in quo de communi republica & statu populari multa consultantes, una omnes sententia decreuere, statuam colosseam Ioui Liberatori extruere: tum singulis annis sacra Libertati solennia peragere, claraque magnis præmiis certamina eo die proponere, qua tyranno eiecto, patriam liberarant. Diis autem inter certamina quadringeatos quadraginta tauros immolare, quos ad cōmune ciuium conuiuium impendere statuerant, tum magistratus omnes priscis ciuibus distribuere, & familiis uetustis. Nam nouos homines milites mercenarios, qui à Gelone supra X millia fuerant adscripti ciuitati, indignum ducebant, ad munera publica & honores ciuiles admitti: seu quòd parum meritos censerent, siue quòd incertę fidei morumque aliorum uiris haud temerè credendam rem putarent. Hi se magistratuum honore exclusos, indignè ferentes, deficiunt à Syracusiis, occupantque partem urbis Achradinam, & insulam, loca duo ingenti muro munita. Multis tandem ultro citroque illatis cladibus, alienigenæ (quorum VII. tantùm millia fuere, sed rei bellicæ expertissimi) superati sunt. Diodorus lib. 11.

Belli socialis siue MARSICI origo ex consulatu Ful. Flacci aliquot antè annos gesto, haud dubiè extitit, qui omnium primus palàm agitauit, ut Itali in ciuitatem assumerentur, fierentq; dignitatum participes. Cæterùm eò cum C. Graccho interfecto, Italiæ ciuitates ratæ sua causa tales uiros periclitatos, eorum cædem molestissimè tulerunt. Mox Liuius Drusus tribunus plebis pollicitus de eadem re se legem promulgaturum, domi, incerto auctore, ictus cōcidit: quū in sua porticu ius diceret, essetq; multitudinē dimissurus. Sutorius culter repertus est femori affixus. Post Drusi interitū, quum Itali peiora indies multoq; iniquiora metuerēt, nec spes melioris status interim ulla adesset, plures uno tēpore populi à Romanis defecerunt. Hi primo fœdere inter se occultè icto, mutuis obsidibus datis & acceptis fidem sanciunt. Erat tum Seruilius proconsul in Piceno agro. Ad hunc res primò est indicio delata, qui cùm Asculum temerè occurrisset, ibi publicè interficitur. Mox post illum & Fonteius legatus. Postremò & in alia Romanorū capita liberè est cædes euagata. Ad hūc Asculanorū motum, uelut ad signū aliquod bellicum Marsi, Peligni, Vestini, Marucini, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venusini, Iapiges, Lucani, Samnites, & quicunq; ultra Lirim incolunt, consternati ad arma concurrunt, collatisq; in unū uiribus, equitū peditūq; centum millia ad bellum communi nomine instruunt. Erāt tum Romæ consules Sextus Iulius Cæsar, & P. Rutilius Lupus. His per partes bellum gerendū decernitur, ita ut uterq; plures sub se fortes haberet uiros, per quos bellum administraret. Varium quidem & multiplex bellum, uarioq; fortunæ euentu depugnatū. Ita enim bellum gessere cum Romanis, ut maxima ex parte fuerint superiores, donec Cn. Pompeius consul, & belli dux electus, & Sylla dux sub altero cōsule Catone, nobilissimis prælis Italos non semel, sed sæpius uincendo, illorum res eò redegerunt, ut profligatæ fuerint. Tandē cùm frustrà Mithridatis auxilium implorassent, multis uicti præliis cùm exarsisset apud Romanos Syllæ & Marij ciuilis seditio, alij Syllæ, alij Marij partes secuti sunt: & eorum maior pars belli cecidit, reliqua ad uictorem Syllam desciuit. Atque ita tandem unà cum seditione ciuili extinctum est bellum illud Marsicum appellatum, cùm fuisset maximum. Diod. Sic. lib. 37.

Sub Nerone Imp. Cæsareæ seditio orta inter IVDÆOS & SYROS de iure ciuitatis contendentes. Cùm Iudæi uictores crudelius grassarentur, à Felice Iudęę procuratore immissis militibus magna clade affecti & compressi sunt. At cùm postea Syri impetrassent à Nerone, uti ius ciuitatis abrogaretur Iudæis, Iudæi obstinatiores facti, bello Iudaico initium dederunt. Iosephus lib. 20. cap. 6. & 7.

Fœderis dissipati.

ACHÆI in ciuitates plurimas diuisi unū corpus & unum imperium habebant, singularumq; urbium pericula mutuis uiribus propulsabant. Hunc gentis consensum Romanis minuere cupientibus, tempestiuæ Spartarum querelæ materiā præbuerunt. His Romæ apud senatum querentibus, suum agrum ab Achæis hostiliter uastari, responsum est, missuros se in Græciam legatos, ad res sociorum inspiciundas. Mandault iis senatus, ut seruata omnibus libertate, ACHÆORVM concilium dissoluerent, singulasq; ciuitates proprij iuris esse sinerent, ac si quæ præsenti decreto contumacius resisterent, eas potestate & imperio cogerent. Legati ciuitatum principibus Corinthum uocatis, primùm omnium publicum Romanorum decretum recitant. Tantus furor omnium animos ad inexpectatam rei mentionem incessit, ut peregrinæ conditionis hominibus cæsis, legatos etiam contra ius gentium temerè uiolarint. Liuius bis Achæos prælio uictos scribit, ad Thermopylas primò, Metelli ductu: mox in Isthmo à L. Mummio consule, qui illi successit, atque secundùm eam pugnam omne Achaicum nomen in deditionem acceptum. Trogus in coniugum liberorumque cōspectu tanta fiducia à Græcis dimicatum ait, ut priusquam in pugnam iretur, nonnulli currus educere sint ausi, ad hostium spolia in urbem deportanda: sed multum ipsi sua spe decepti, fœdaque cæde prostrati, triste suorum oculis spectaculum præbuerunt. Quidam auctores sunt, tantum cruoris diffusum eo prælio, ut Cenchreas & Lecheas, quibus duo diuersa maria allatrant, Achaicus sanguis infecerit. Gentis igitur opibus eo prælio afflictis, omnis Achaia confestim in deditionem uenit. Corinthus metu deserta, præcinente tuba incensa est, & ab imis partibus diruta. Sunt & Thebæ in Bœotia, & Chalcis publico decreto excisæ, quia pro Achæis in Romanos arma induissent. Atque ita euenit, ut modico temporis interuallo, tres clarissimæ Græcię urbes, cum Carthagine, penè continuatis funeribus, in bustum abierint. Sabell. lib. 9. Ennead. 5.

OCCASIONIS CONSIDERATAE respectu Efficientis OFFENDENTIS alium uel sua

Liberalitate.

ADELBERO & HENRICVS Boiorum duces, Cunegundæ Imperatricis fratres, & Vuelpho quidam, cui Irmintruda eiusdem Imperatricis soror nupta erat, aduersus Henricum II. Imperatorē conspirarunt: ab eo dotem, patrimoniumq; Cunegundæ (liberis enim carebat Imperator) sacerdotibus distribui: nihilq; aliud agi, quàm ut fenestra sceleribus aperiatur: alioqui ociosis sacrificulis paupertatē Christi professis, nihil illis, cùm ditati forent, flagitiosius futurum, conquerentes. Augustam Rhetorum expugnarunt, & incenderunt: Brunonem fratrem Imperatoris, urbis Episcopum in fugam coniecerunt: Engelbertum Fruxinensem præsulem, suppetias illis ferentem, recedere coëgerunt. At Henricus tandem dignas de eis pœnas assumsit. Auentinus.

Seueritate.

AIAX Oilei filius cum Vlysse inimicitias exercuit, quòd post nefarium Cassandræ stuprum, sententia sua censuerat Vlysses, Aiacem lapidibus obruendum. Pausanias in Phocicis.

Fide erga supplices.

Apud SYBARITAS Telys quidā populi dux, cùm in magna plebis esset gratia, potentissimum quenq; calumniari apud populum cœpit, donec tandem Sybaritis persuasit, ut quingentos ex ditissimis ciuibus urbe eiicerent, opibus eorum in publicum redactis. Qui Crotona petunt: ibiq; ad aras in foro erectas supplicum more confugiunt. Telys legatos ad Crotoniatas mittit, ut exules dedant. Qui cùm exules dare nollent, bello ab illis petiti sunt, quo excisa est Sybaris. Diodorus libro duodecimo.

THEBANI cùm exules Athenienses suscepissent, bello Bœotico occasionem dedere, in quo Lysander, dum Haliartum oppugnat, periit. Plut. in Lysandro.

Sedigenses socios & consanguineos suos, Romanorum manibus elapsos, NVMANTINI in urbem acceperant. Pro quibus multa deprecati, quum nihil à Rom. Pop. impetraretur, abstinerentq; interim omni belli contagione, iussi arma deponere, id ita est à Barbaris acceptum, quasi manus sibi cum armis adimerentur. Magara igitur duce arma capiunt. M. Popilius cum iis acie congressus, fusus fugatusque pacem cum hostibus fecit, quam irritam postea senatus habuit. Missus inde ad id bellum C. Hostilius Mancinus, à quatuor millibus Numantinorum, quum ipse XXX. armatorum millia sub signis haberet, sæpius uictus, & ad postremum castris exutus, ignominiosam & ipse pacem est supplìciter complexus: Hostis uictor cum hoc quoquè duce fœdus maluit, armorum spoliis contentus, quum ad internecionem sæuire potuisset, ita Romanorum animis metu perculsis, ut ne uocem quidem, non modò aspectum ferocissimi hostis sustinerent amplius. Romanus populus non minus Numantini fœderis ignominia commotus, quàm ueteris illius ad Caudinas furcas icti, præsens dedecus Mancini deditione expiauit, & P. Scipionem Africanum ei bello præfecit. A quo Numantini longa obsidione fatigati multum diuque pacem quæsiuere, eam cupidè complexuri, si tantùm uiris tolerandam Scipio impetasset. Sed quum nihil ab hoste impetraretur, in quo spem reponerent, desperatis rebus, incensa urbe, natos & uxores partim ferro partim ueneno sustulere, ipsi postremò se mutuis uulneribus confecere: sicut de nomine tantùm Numantino triumphatum sit. Sabell. lib. 9. Ennead. 5.

Gloria. Gloriæ æmulatio.

☞ *Ex Tit. Magnanimitatis & Ambitionis in gloria asserēda, conseruanda, uindicanda, huc transferantur exempla, propter iunctam inimicitiam.*

Libidine, Stupro.

☞ *Ex Tit. Libidinis pœna, huc pleraq;, quatenus Inimicitia inter ulciscentem & ultum oritur.*

Israelitæ BENIAMITARVM tribum, propter constupratam à Gabaensibus Leuitę uxorē, & facinus nō uindicatum, ad internecionem deleuere. Iud. 21

LACEDÆMONII contra Messenios propter stupratas uirgines suas in solenni Messeniorum sacrificio, per annos uiginti indefesso furore bellantes, ruinæ suæ totas Græciæ uires implicuerunt. Qui cùm se magnis execrationibus deuo-

deuouissent, sacramentisque obstrinxissent, domũ, nisi Messena expugnata, nunquam esse redituros, per decem annos longa fatigati obsidione, tandem Messenios fraude expugnarunt. Orosius libro 2. cap. 21.

Appius Claudius decẽuir perditus amore Virginiæ, ingenuæ quidem, sed pauperis puellæ, principiò pecunia pudicitiam eius tentare adortus est. Vbi nihil muneribus, pollicitisue persici uidet, nactus uirum quendam ad id idoneũ, cum eo cõponit, ut ficta calumnia puellam seruã suam asserat, atq; repetat. Puella ad magistratũ adducta, corrupto iudicio per fraudẽ traditur ueluti mãcipium in manus recipientis. Quã acceptam cùm calumniator pro serua abduceret, pater Virginius nullum usquam iam retinendæ filiæ præsidium adesse uidens, filiam sequitur per macellum: ubi correpta bipenni, quæ forte in foribus hærebat, eam in caput filiæ librauit: ne tam indignam contumeliam experiri cogeretur. Cæde patrata, confestim ex urbe in castra se proripit, quæ in Algido posita erant: & aduocata militum ROM. concione, eos commouit misericordia, ira & indignatione tam impuri sceleris, & intolerabilis superbiæ. Itaq; armis sumtis ad iniuriã ulciscendam, noctu urbem ingressi, collem Auentinum occuparunt. Legatis internunciisq; ad utrosq; missis, rem componere moliuntur: summoque studio instare multa orare, obtestarique, ut ab intestina discordia desisterent, nec patriam ipsi suam grauibus calamitatibus obruere pergerent. Postremò his conditionibus & fœderibus res composita, ut decẽ tribuni plebis crearentur, quibus summa præ cæteris magistratibus potestas daretur, ueluti protectoribus, communis ciuium libertatis, tum ex his, qui in annum crearẽtur consulibus, alterum prorsus ex plebe deligendi populo ius esset. Hoc statutum ad comprimendam patritiorum & nobilitatis superbiam, cui semper plebs infensa aduersabatur. nam generis claritate, maiorumque suorum memoria, & fama gloria sublatis animis, ueluti specie quadam dominij, ius sibi potestatemque rei totius usurpabant. In fœderibus item id adiectum, uti tribuni plebis exacto sui magistratus anno, mox totidem alios in annum sequentem designarent: quod si præcermisissent, illicò uiui concremarentur. Diodorus libro 12.

Aruiragus Britannorum rex (Prasutagum Cornelius Tacitus appellat) moriens, Claudium Cæsarem hæredem duasque filias scripserat: eo obsequio ratus & regnum & domũ suã conseruari posse. Cæterum contrariũ euenit, Cati Britaniæ procuratoris impotẽtia & libidine, ut Voada regina uerberibus afficeretur, filia stupro uiolaretur, potentissimus quisq; Britonũ bonis exueretur, regiq; propinqui pro mãcipiis haberentur. Quibus contumelijs affecti Britanni, & metu grauiorũ, Nerone imperãte in Romanos coniurauere, Cobredo Voadæ fratre, Scotorũ, & Charamato Pictorũ regib. in societatẽ pertractis. Morauorũ quinetiam, Roderico duce, nouas sedes quærentiũ, armis aucti. Voada regina quinque millia Britãnicarũ mulierũ uiris intermixta ad pugnã arma uit. Prælio cõmisso, Catus saucius in Galliam uix euasit. Periere Romanorũ LXX, Albanorum XXX millia. Actũ erat de Britanniæ prouincia, nisi Paulinus Suetonius legatus cũ duabus legionib. & decem millib. auxiliariorũ è Gallia properè aduenisset. Pugna iterum cõmissa, uictoria cruenta Romanis cessit. Cæsa Albianorum XXC millia, ne mulieribus quidem parcitũ. Voada sibiipsi mãus intulit, filiæ armatæ captæ. Cobredus uix effugit. H. Boethius lib. 4.

Auaritia.

☞ *Vide in præcedentibus, Inimicitia ob Tributorum exactionem.*

Ambitione, Superbia.

C. Marius consul I. in Iugurthino bello succesit Cecilio Metello, cũ nihil aliud superesset, quã ut uiuus Iugurtha in potestatem uenirer. Quem cùm Bocchus rex Mauritaniæ, Iugurthæ gener, L. Syllæ, Marij quæstori, qui officiosus per bellum in se fuerat, tradidisset, & Sylla ipse ea de re gloriatus, sigillo utereture, in quo Bocchus erat Iugurtham ei tradens: denique Bocchus ipse socius populi Romani appellatus triumphales uictorias in Capitolio dedicasset, & iuxtà traditi ab se Syllæ Iugurthæ aurea signa: id Marium post sextum consulatum, quasi hoc decus sibi uendicaret Sylla, furore & ambitione de statu mentis deiecit, molientique deiicere illi ea signa institit pertinaciter Sylla. Et hoc seminarium fuit belli ciuilis. Ob corporis imbecillitatem Marius imperium depositurus, Sylla uerò res præclarè gessisset: eóque sopito, contra Mithridatem Sulpitius Trib. pl. Marium proconsulem nominasset: Syllæ exercitus, quem Marius accepturus erat, eam duci suo iniuriam illatam ægrè ferens, cum Sylla Romam infestis signis contendit, & Marium urbe expulit. Plut. in Mario.

IOANNES XI. pontifex Alberico Hetruriæ marchione in auxilium accito, Saracenos ab urbis finibus submouit, & in triumphi modum Romam rediens, cùm omnia sibi uendicaret, Alberici odium ita in se concitauit, ut ingens seditio ROMÆ sit orta: qua quidem marchio pulsus Ortam profisciscens, oppido munito & arce, Vngaros præmiis sollicitatos in Italiam uocat: qui certè prouinciam ingressi, plus propè calamitatis Italiæ intulere, quàm olim Saraceni. Pueros enim & uirgines abducebant, grandioribus natu necatis: neque ipsis quidem Hetruscis pepercere, quos ex fœdere Alberici intactos esse oportebat. Qua dulcedine prædæ illecti Vngari, frequenter deinceps Italiam repetebant. Romani cùm sæuire in hostem præferocem & potentem non possent, Albericum capiunt & obtruncant. Platina.

Crudelitate.

Damophili & Megaclidis uxoris crudelitas erga seruos, in Enna Siciliæ ciuitate, bello SERVILI occasionem dedit. Diodorus Siculus lib. 34.

PRVSSIA pacẽ habens à Polonis & Lituanis, cœpit intestino bello pernicioſissimè laborare, circa an. sal. 1452. Nam militares terræ cum ciuitatibus, arbitrati se ab ordine Teutonicorũ grauius in diem oppressum iri, inita confœderatione aduersus ordinẽ, literis inuicẽ datis, fœdus firmauere. Perlata causa ad Imp. Fridericũ III. ordo uicit, irritũq; fœdus pronunciatũ. Ordo ipse literas sibi tradi poscit, & grauius insurgit in rebelles. Querelæ ad Romanã curiã peruenerunt: ibi quoq; superior ordo fuit. Creuerunt proinde animi dominis in subditos, quotidie minæ, quotidie iniuriæ. Missi abbates, pedibus Magistri & Commendatorũ aduoluti, gratiam & quietem postulabãt, & per uiscera misericordiæ Dei, magnũ (quod impendere uidebatur) malũ auerti obsecrabant. Respondẽt illi, nõnisi literis exhibitis, & aliis (quas dixerãt) conditionibus impletis, pacis spẽ fore. Ergo Prussi nihil tale formidãtibus Fratribus, uno die multas arces cum oppidis eripuere. Sic cœpit eruentissimũ bellum per multos annos: magnæ cædes subsecutæ, uastationes agrorũ, euersiones aciem, concremationes oppidorum. Euocauere Fratres multos ad auxilia principes. Prussi uicissim Casimiro regi Poloniæ se subiicere, ut ab illo ceu legitimo domino protegerentur. Bellũ uaria fortuna gestum. Ambarum aliquando partium duces cecidere: multi consumti mortales, multi exules: præsertim rustica plebs, amissis rebus, sparsa per orbem, uastos agros reliquit. Cranzius lib. 12. Vandaliæ cap. 17.

Inciuilitate.

IVDÆI obuiam militibus Rom. profecti honoris ergò, cùm salute dicta, ne responso quidem ab iis dignarentur, seditionem mouére. Iosephus.

Venetorum antiquum cum Solymanno fœdus uniusq; triremis temeritas rupit. Solymanni classis anno sal. 1537. oram Italiæ, quæ Carolo Cæsari paret, Barbarossa duce, crudeliter uastabat. Alexãder Contarenus trierarchus cùm circumerrantibus Turcicis triremibus casu quodam improuisus occurrisset: nec Turcæ, sicuti ex consuetudine debebant, honoris causa uela demittere, & inanibus bombis pacati animi significationem ostendere uellent: in eos superbiæ suæ atque odij uiolentiam subitò conuertit, incitatisque remigibus in Turcas rostra direxit, perforatasque magno impetu hostiles duas demersit. Ea iniuria stimulatus SOLYMANNVS, occasionem diu quæsitam belli Venetis inferendi auidè arripuit, & omnem belli molem in Venetos conuertit, nec prius pacem illis dedit, quàm Nauplio & Epidauro munitiss. urbibus cesserint, & Peloponneso excesserint. Sab. supplem. lib. 21. & 23. ex Iouio.

Superstitione.

Manahemus Iudæ Galilæi hæresiarchę F. sub initia belli Iudaici, armamentario Herodis regis ad Massadam perrupto, latrones armauit, & Hierosolymam ueniens seditionis dux factus, præsidium Romanorum interfecit. Adiuuante Eleazaro Ananiæ pontificis F. qui cùm alienigenarum munera & uictimas, ipsius etiam Cæsaris, non esse recipiendas persuasisset, fomitem bello IVDAICO subiecit. Iosephus libro 2. cap. 17. belli Iudaici.

Impietate.

Sub Cumano cùm azymorum festo cohors Romana super porticum templi custodiæ causa excubaret, Miles quidam reductis uestimentis, nates Iudæis ostendit nudas, ut fanctuarium inspicerent, uociferatus. Ea obscenitate moti IVDÆI, cùm saxis milites incesserent, in fugam ab iisdem acti, loco angusto fugientes ex pressura & cæde ad X. millia perière. Iosephus lib. 2. cap. 11. de Bello Iud.

Duo iuuenes Acarnanes initiorum ignari Cereris sacrum imprudenter Athenis ingressi, quia initiati non essent, tanquam scelus ab his inexpiabile fuisset perpetratum, Antistis iussu interfecti sunt. Quã iniuria ACARNANES adacti, auxiliari manu à Philippo accepta, Atticum agrum primò populantur. Inde animis ad bellũ irritatis, Macedo in Acarnaniam

nanum gratiam arma aduersus Athenienses induit. Athenienses Attali regis & Rom. opem implorarunt. Et sic bello Macedonico primo à Rom. gesto occasio data. Sab. l. 6. En. 5.

Cùm Cæsareæ quidam instinctu Cæsariensium uas samium, die Sabbatho, ex aduerso synagogæ Iudæorũ constituisset, & altres in eo immolasset: IVDÆI synagogam pollutã esse dicẽtes, seditionẽ excitarunt. Quam lucundus Trib. à Floro Iudeæ præside in præsidio relictus uix cõpescuit. Cùm autẽ Florus in uiolatores synagogæ animaduertere nollet, & rapinis simul atq; cædibus Iudæos ad defectionẽ incitaret (nimirũ, ut bello exorto, suis sceleribus nubem obduceret, néue apud Neronem Imperatorem accusaretur) bellum Iudaicum cœpit, quod & urbem & gentem Iudæorum in perpetuum afflixit. Iosephus lib. 2. cap. 14. de bello Iudaico.

Anastasius Imp. à Seuero, cæteriſq; Eutychianis corruptus, Macedonium Constantinopolitanũ episcopũ, Chalcedonense conciliũ amplexantẽ, in exilium mittit: atq; ei Timotheũ cũ Seuero Acephalorum principe sentientẽ suffecit. Platonem Logothetã, & Præfectũ urbis, iussit suggestũ conscendere, ac coram populo, hymno Sanctus Sanctus Sanctus, addenda uerba ista mandare, Qui crucifixus est propter nos. Sic enim Seuerus docuerat, cùm Christus diuina tantùm natura esset præditus, omnino fieri, ut Deus pro hominib. esset passus. Quib. uerbis auditis, populus CONSTANTINOPOTANVS sic offensus est, ut, seditione cõcitata, fœda in Anastasiũ cõiuicia iecerit, aliumq; Imperatorẽ substituendũ edito clamore subiecerit. neq; eo cõtẽtus, monachũ quẽdã inclusum, inprimis Anastasio carũ, necauit, ac, capite eius hastæ præfixo, uociferari cepit. Hic est amicus hostis S. Trinitatis, & monachã ità inclusam, quã ille magnifaciebat, iugulauit, & cadauer utrumq; raptatũ cremauit. Sigon. l. 16. Imp. occi.

Iniustitia, Perfidia.

Raimundus Berengarius Barcinonæ comes nonus, Maioricã insulã de Mauris receptã GENVENSIVM & Pisanorum sociorũ fidei cõmiserat, eosq; & armorũ suorum parte decorarat, ut sancti Georgij signis & armis, quæ Barcinonæ Comitatus erant, uterentur. Genuẽses aũt post Comitis discessum, Mauris auri magnũ pondus offerentibus ciuitatem & insulam restituerunt. Eo facinore indignatus omnibus sui principatus populis & equitibus præcepit, ut ne cum Ianuẽsibus unquam pacem haberent, sed odia semper & inimicitias perpetuas exercerent. Marineus lib. 8. rerum Hispan.

Anatolius magus præfectus prætorio, causam præbuit publicæ calamitatis ANTIOCHIÆ. In amicitiã enim Gregorij eius loci episcopi sese insinuauit, eoq; aliquandiu usus est familiariter. Comprehensus cum sociis, exectãda scelera artemagica perpetrata confessus est. Cùm autẽ pecunia præfectum Orientis corrupisset, & iam dimittẽdus esset: populus per delationes quorundã, quasi Gregorius episcopus in sacrificiis Anatolio cõmunicasset, inflãmatus, seditionẽ mouit. Ad Imperatorẽ Tiberium Constãtinopolim res delata, lataq; sentẽtia, de exilio multandis iis, qui Anatolio addicti fuissent. Ea cùm Antiochiæ promulgata esset, populus denuò tumultu concitato, maleficos illos ad exilium damnatos naui impositos uiuos exussit. Imperatorẽ tanquã prodi torem accusauit. Eurychium & alios ab Imperatore ablegatos interfecturus, nisi elapsi essent. Anatolius bestiis in amphitheatro obiectus, & corpore discerpto cruci affixus, à lupis deuoratus est. Euagrius lib. 5. cap. 18.

Felicitate, Facilitate.

Frequentium illarũ seditionũ, quæ contra ISAACIVM Angelum Imp. concitabantur, causa erat, tum qp Isaacius imperium segniter administrabat, planè persuasus, se id & accepisse diuinitùs, & à solo Deo custodiri: tum quòd homines ambitiosi uidebant, quanta facilitate rerum potitus esset. Vnde pleriq; insano consilio, modò uellent, se imperium citra dimicationem armorum occupaturos putabãt, eam ingressi uiam, quam suo exemplo demonstrarat Isaacius: qui cùm pridie occiso Hagio christophorita Stephano, supplex in templum confugisset, postridie regnare cepisse: perueršo ittiq; iudicio, propterea q; aduerso euẽtu. Non enim purpuram, sed duplicem ignominiam consequebantur, aliqui etiam occidebantur. Nicetas lib. 3.

OCCASIONIS CONSIDERATAE respectu Efficientis OFFENSI ab inimico, per *Ignominiam uerbis factisue illatam*

CAMBYSES Persarum rex, cùm Amasis Aegyptiorum regis filiam in matrimoniũ petiisset, & Amasis Nitetim Apriis filiam pro sua ei misisset, bellum Aegypto intulit. Herodotus libro primo.

Lacedæmonij bello Ilotarum seruorum & Messeniorum pressi, Athenienſium auxilia impetrarãt. Mox suspicione perculsi, ne ATHENIENSES transirent eo bello per proditionẽ ad Messenios, eos à sociis eius belli armis dimittũt, asserẽtes sibi reliquorum sociorum copias ad incumbens periculum propulsandum satis fore. Athenienses dimissi sese ignominiosè contemtos rati, taciti tum quidem abire. Pòst uerò graui in Lacedæmonios indignatione concepta, ab alienatis iam palàm animis, magis ac magis indies odio atq; irã accendi. Ita hinc inimicitiarum atq; discordiæ exorta origo, pòst adeò paulatim coaluit, ut ipsas etiam ciuitates ad extrema odia & pericula excitarit: quæ bella pòst inter se grauissima concitantes, uniuersam penè Græciam magnis ac uariis calamitatibus afflictauere. Diod. lib. 11.

Cumanus sub Claudio Cæsare Iudeæ præfectus, solennibus Paschatis diebus Hierosolymis aliquot Romanorum militum cohortes ad templum præsidij gratia locauit, quibus cùm miles unus populo pudibunda ostendisset, IVDÆI arbitrati id in Iudaicæ gentis contumeliam factum, adeò in milites exarserunt, ut cùm saxis fustibusq; aduersus milites res gereretur, contrà autem armis se milites defenderent; Iudæorum circiter uiginti millia desiderata fuerint. Iosephus lib. 20. cap. 4. Antiq.

L. ANTONIVS Saturninus superioris Germaniæ præfect⁹, ab Domitiano Imp. per iurgium Scottum appellatus, imperiũ arripuit. Sed per Norbanuiũ Appium acie uictus & occisus est. Cuspinianus.

SCLAVI prouinciis Francorum Transrhenanis finitimi, amicitiam cum Dagoberto iunxerant: reliqui infestissimi prædam ex sociis Francorum agebant: itineraq; Francis mercatoribus ea parte partim clausa, partim infesta erant. Missus Francorum fœcialis ad Samonem gẽtis regem, cùm à proceribus ad eum non admitteretur, semperq; differretur: depositio cultu Francico, sumtoque Sclauico, ut unus ex illis prodeuntem in publicum Samonem adiit. Tunc aperiens se quisnam esset, fretusq; iure legationis, ferociter res repetit. Cumq; rex diceret à Francis iniuriam ortam, se in posterum paratum esse cum Dagoberto fœdus ferire, respondit: Fœdus cum canibus ictum, sanctum esse non posse. Id contumelioſum dictum tota gẽs altissimè in pectus demisit. Illæso fœciali dimisso, atrocissimum ortum bellum. Æmilius libro primo.

Velut ex cõposito diuersis tegibnib. SARACENI eadẽ uerbi cõtumelia lacessiti, implacatiores hostes religionis nostræ effecti sæuiere. Ea quatuor millia Saracenorũ, quæ obsidũt nomine Heraclius abduxerat, militarẽ uestem ex Iustinianẽ (quę adhuc extat) sanctione poscebãt. Eunuchus corruptissimo seculo fisci pfectus, Quid, inquit, reliqui est Romano miliți, quod dari canibus his possit? Eam effœminati hominis petulantiam tam indignè tulere ipsi uiri, armatiq; ut domũ ãgmine se furripientes, coniunctis suis quisq; sibi popularibus, Arabiaq; omni ac finitimis gentibus conciatis, iura dẽuina humanaq; miscuerint. Propinquas Romani Imperij urbes, Aegyptũq; cepere: Persas nuper à Romanis Heraclióque deuictos, & cladibus fessos, ipsi integri ferocesq; prelio superatere, coegereq; & ipsos Saracenos uocitari, ac Mahumetis sectam profiteri: Syriamq; totam suarum partium effecere. Ita simul audita est, & pietatem magna ex parte oppressit illa procella. Aemilius lib. i.

Sub annum Christi 1458. Constantiæ panegyris balistariorum indicta fuerat, & præmiis eò inuitati uicini, qui balista certarent. Conuenerãt etiam HELVETII, tum temporis propter itgum Austriacorum excussum in magna admiratione & inuidia. Lucernensis quidam Constantiensi hospiti sacrificaturus, inter cætera numismata assem, quoq; Bernensem protulit, quem ille petulanter Vaccinum assem, Ein Kůhlappen, appellans, ut adulterinum & malè omnosum respuit, hominumq; non armentorum numis inter homines utendum cauillatus est. Lucernenses hac sui ciuis ignominia moti, Helueticos ex fœdere ad arma uocant contra Constantienses. Sed Henrici episcopi & Alberti Baronis à Saxo opera pax est facta. Stumpfius lib. 5. Hel-ueticæ cap. 25.

Seruitutem.

☞ *Vide Tit. Tyrannicidarum. Quatenus Inimicitia atque bella ad executiondum tyrannidis iugum susceptuntur.*

INIMICITIAE MAGISTRI, INCENTORES, AVCTORES, FAVTORES.

CORCYRENSIVM & CORINTHIORVM discordia, Græciam ad Peloponnesiacum bellum armauit. Sed ut una hæc intestinæ illius discordiæ fuit causa, ita non sola. Enimuerò æmulatio primò, mox odium Lacedæmonios & Athenienses in perpetuum traxit certamen, ita ut Græcia non prius quieſcere potuerit, quàm alterius populi, quod postre

postremò accidit, opes interierint. Resederat quandoq; bellum induciarum fœderumque prætextu, cæterùm odia mutari nequiuerunt. Causa, quam Thucydides celebrat, hæc traditur. Est Epidamnus urbs in ora Macedoniæ sita, Epidamnenses domesticos seditionibus agitati post multas & uarias clades, principes ciuitatis à plebe eiecti, ad Barbaros confugêre. Quorum opibus freti, terra mariq; Epidamnios grauiter infestarunt. Qui in urbe erant, ad Corcyrenses mittunt, orantes, ut aduersus Barbaros & exules ferrent sibi opem. A quibus quum nihil impetrare potuissent, Delphici oraculi monitu Corinthum, unde iussi fuerant sibi ducem & subsidium quærere, legatos mittunt. Corinthij ultionem polliciti, Corcyrensibus licet colonis suis, attamen debitos honores parenti & metropoli Corintho non reddentes, bellum indicunt. Victi nauali prælio ingenti, nouam classem & Græciæ auxilia comparant. Corcyrenses per legatos cum Atheniensibus iniuere, ut utriq; alteris auxilio essent, si hostium classis Athenas, aut Corcyram admoueretur, neutri alioqui tenerentur ad bellum cuipiam inferendum præstare subsidia. Victi iterum Corinthij, domum rediere, & uniuersam Græciam, in primis uerò Lacedæmonios contra Athenienses concitauere, cùm defectionem primi Potideatę, qui Isthmum Pallones incolunt, ab Atheniensibus fecissent. Miserunt inde Delphos Lacedæmonij, qui de futuri belli euentu sciscitarentur. Responsum est, penes eos demùm uictoriam futuram, qui pro uiribus bellassent, se quidem uocatum & inuocatum auxilio affuturum. Per XXVII annos uariis cladibus Græcia tota affecta, fortuna uaria pugnatū, tandem ad Aegos Thraciæ fl. uicta Atheniensium classe, Lysander Athenas cepit XXX tyrannos illis imposuit, muros deiecit. Ac tum demùm Atheniēses maris imperio cesserūt, anno, ex quo rerum fuerant potiti, LXVIII. Sabellicus lib. lib. 9. Ennead. 3. ex Dionysio Halicarnasseo & Diodoro.

Anno Christi MCCCCXCIIII Carolus VIII. rex Galliæ bellum in Aragonios suscepit, à LVDOVICO Sfortia euocatus. Quæ res secum calamitatum innumerabilium horribiliumq; euentuum, atq; omnium penè mutationum semina rium in Italiam importauit. Nam ab eius aduentu non modò statuum mutationes, euersiones regnorum, regionum uastationes, urbium excidia, cædes crudelissimæ, uerumetiam inusitata noua uestimentorum genera, mores inauditi, noui & cruenti belligerandi modi, morbi ad eam diem incogniti, originem duxerunt: quietisque & concordiæ in Italia instrumenta adeò turbata sunt, ut quòd in ordinem iterum restitui non possent, externæ gentes, barbarorúmque acies eam conculcandi uastandique habuerint facultatem. Guicciard. lib. 1.

HIERONYMVS Sauonarola è diui Dominici ordine, literis & admirabili præsertim eloquentia insignis, in sacris concionib. & in priuatis colloquiis ita multitudinis FLORENTINÆ animos opinione uirtutis cepit, ut illū rerū omniū, quæ imminebant, uerum uatem, diuinumque deprauatis moribus censorem cœlo missum crederent. Creuitq; ei tanto assensu auctoritas, ut nihil priuatis in domibus, nihil in senatu sine eius uiri cōsilio, post eiectos Mediceos rectè geri posse uideretur. Is Mediceo nomini maximè erat infestus, oppugnabatque eum Reipublicæ statum, quem paucorum potentium, uti prædicabat, uis & libido regere posset: ob id ciuitatem in partes iam planè diduxerat, ita ut à grauibus sanisq; ciuibus non ineptè reprehenderetur, quòd à religione diuinarumq; rerum contemplatione, ambitiosius quàm sacratum urū deceret, ad munia regendæ Reipublicæ transiuisset. Propterea fiebat, ut in turbidis rebus & uariis ciuiū dissensionibus plerosque Medicei facilè reperirent, qui damnata præsenti Reipublica aliam multò honestiorem cogitatione requirerēt, in qua nobilitas, rerumq; peritia & probata uirtus cōspicuo in loco, nequaquā cōsessu imperitorū atq; infimorū hominū polluta spectaretur. Iou. in Leo. X. l. 1.

INIMICITIAE ΦΥΛΑΚΗ. HVC PERTINET

Inimicitia servata tum occulta, odium ipsum. Tum *Publicum.*

Terræ Palestinæ incolas, Amorræos, Hetthæos, Pherezæos, Chananæos, Heuæos, Iebusæos, Ammonitas & Moabitas æternos hostes ISRAELITARVM esse iussit Dominus, eosque exterminari & aboleri præcepit, neque cum iis eorúmue diis fœdus ullum percutiendum, aut conuersationem habendam: ne prauis illorum moribus Israelitæ corrumperentur. Exodi 23.

Cùm Amalechus ISRAELITAS per desertum proficiscentes ferro aggressus esset ad Raphidimum, & uictus, præcepit Dominus, ut hoc ipsum literarum monumentis consecraretur: eoque in loco aram extruxit Moses, ut omnes scirent, bellum Israelitis cum Amalechitis susceptum esse æternū. Exodi 17.

Summo semper odio finitimæ GENTES Iudæos sunt insectatæ, memoria repetentes, quanta ab illis mala ex Aegypto ductu Mosis & Iosuæ perpessi essent. Eapropter cùm sub Cyro Zorobabel cum suis ex Babylonica captiuitate rediisset, finitimi, omni ratione templi extructionem impedire conabantur: nec minus murorum instaurationem sub Dario rege à Nehemia factam: item reparationem & urbis & templi à Iuda Macchabæo institutam, triennio postquam Antiochus Epiphanes templum occupata & incensa urbe profanarat. Vide libros Esdræ, Nehemiæ, Macchabæorum. Infestissimi autem Iudæis erant SAMARITANI, æmulatione religionis exacerbati, cùm templum Garizimi montis Hierosolymitano anteferre non dubitarent, uti Iosephus libro 11. Antiq. testatur.

Cùm Androgeus Minois F. in Attica dolo diceretur peremptus, Minoa multas clades bello intulisse incolis, ac deos regionem fœdasse aiunt: sterilitatem enim & morbum passim incubuisse, ac flumina exaruisse. Fœdus igitur missis legatis cum Minoe fecerunt, ut tributum nouem annis mitterent septenos impuberes adolescentes, totidemq; uirgines, ut secundum Aristotelem, mercenariam uitam agentes in Creta consenescerēt. Vnde perpetuò ab ATHENIENSIBVS malè audiuit Minos, & in theatris publicè proscissus est: neq; ei uel Hesiodus profuit, summum regem, uel Homerus, Iouis appellans discipulum: quin eum ut trucem & ferum magna ex pulpito & scena macula asperserint. Plutarchus in Theseo.

Priuatum.

Iisdem tutoribus usi sunt THEMISTOCLES & ARISTIDES, Lysimachi filius. Quare simul eriam sunt educati, & ab eodem præceptore instituti. Atq; cùm adhuc essent pueri, frequentibus dissidiis inter se concertarunt: quæ controuersia à primis annis usq; ad extremam senectutem interillos perseuerauit. Aelian. de Var. hist. lib. 13.

Fuit perpetuò infestus Magno Sfortiæ SERGIANVS Caracciolus, qui à regina Neapolitanorum Ioanna Ladislai sorore in delitiis habitus, ad id gratiæ potentiæq; fastigium peruenerat, ut Alfonso regi Aragonio in filium adoptato, auctoritate ac opibus æquaretur. Hunc à rege captum, qui reginæ matris nomen tantis impudicitiæ probris liberare contendebat, Sfortia redemerat: ita ut in eius gratiam, cupiente prǽsertim expetenteq; regina, illustres duodecim Catalanos, quos profligato rege ceperat, graui admodū permutatione dimiserit. Sed tanto etiam obstrictus beneficio, in posterum nihil ab ingenio suo discessit, quin pessimis artibus hostilia & maximè atrocia in Sfortiā moliretur. Hunc ad extremum ulri illustres, qui tale monstrum ferre non poterant, ut reginæ pudori consulerent, pernoctantem in arce Capuana, euocatumq; cubiculo trucidarunt. Iacuit semiuiuum cadauer in uia publica tanto fortunæ ludibrio, ut regina nullam uocem emitteret: propinqui tanti uiri cędem uindicandam non susciperēt: magistratus autem id facinus miro silentio transmitteret. Iouius in uita Sfortiæ.

Aperta. Cuius generis sunt *Bella diuturna.*

Bellum Peloponnesiacum, quod omnium, quæ usquam legimus, extitit diuturnissimum, captis à Lysandro Athenis, finē accepit, annis septem & uiginti perpetuis decertatum. Diodorus libro decimotertio.

Inimicitia dilata. Publica. Induciæ.

Ex loco Prudentiæ bellicæ in pace impetranda huc quædam.

Induciæ sunt, inquit Varro, pax Castrensis paucorum dierum. Item, Induciæ sunt belli feriæ. Hæc Gellius lib. 1. cap. 25. Vbi quoq; hoc ascribit, Inducias sic dictas arbitramur, quasi tu dicas, inde uti iam. Pactum induciarum eiusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilq; incommodi detur: Sed ex eo die postea uti iam omnia belli iure agantur. Quòd dicitur dies certus præfinitus, pactumque fit, ut ante eum diem ne pugnetur, atque is dies ubi uenit, inde uti iam pugnetur: idcirco ex iis, quibus dixi, uocibus quasi per quendam coitum & copulam, nomen Induciarum cōnexum est. Hotoman. de Verbis iuris.

SECV-

SECVLVM TVRBVLENTVM, INQVIETVM, BELLIS REFERTVM.

Numa regnante Iani templum clausum: quod belli ianuā dicunt. Panditur namq; bello, pace facta obseratur. Sub exitū Numæ bello contra Albanos conflato reseratum est: quod cùm infinita continuò excepissent alia, iterum annis pòst quadringentis octoginta clausum est, C. Attilio & T. Manlio consulibus, pace à bello primo Punico composita. Infra hunc annum rursus patefactum, ac perpetua bella usq; ad uictoriam Actiacam Cæsaris fuere. Neq; tamē diu arma Romana sunt feriata, cùm tumultus Cantabricus & Gallicus cum Germanico coniunctus exardesceret. Plutarchus de Rom. fort.

Sub GALIENO plurimæ & mirabiles defectiones, rebelliones & mutationes, imperio Rom. perniciosissimæ acciderunt. Quæ mala, illi qui res Romanas conscripsere, ocio, luxu, lasciuia & ignauia Galieni attracta esse Imperio censuerunt quidem: at nos iudicium & ultionem Dei superiorib. & aliorum & suis persecutionibus prouocatam, in eum semel irruisse credimus. Nulla pars fuit reipublicæ, nulla prouincia, una dūtaxat Italia excepta, in qua non sit tumultuatum: totq; eo principe rebelliones extitêre, tot tyranni, qui Imperatorum nomina tulerunt, quot à Cæsare dictatore ad id tempus, in tam longa Imperatorū serie, ferè nunquā. Triginta numero à Trebellio ponuntur, qui uno tempore, alij aliis in terris exercuêre imperium: in quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illusere. Testes Vopiscus, Eutropius & Sabellicus. Eusebius hoc addit: sub Galieno, Ciliciam, Syriam & Cappadociam à Persis, Saporis ductu, fœda populatione uastatas: Alemannos, Galliis hostiliter uexatis, in Italiam transgressos: Gothos Pontū, Asiam, Macedoniam & Græciā populatos: Quados & Sarmatas Pannonias occupasse: Tarraconem in Hispania à Germanis oppugnatam.

Circa an. sal. 1380. totus ferè occidens intestinis bellis propter graues principum exactiones laborauit. In Anglia sub Ricardo II. puero Cantiani Londinum diripuere. In Flandria Gandauenses cōtra Ludouicum Comitem insurrexere. In Gallia Parisienses & Rothomagenses fœdam seditionē excitauere. Polyd. lib. 20. Aemil. lib. 8. & 9.

INIMICI QVI QVIBVS, CVIVSMODI SVNT

Homines et Dii, Diis infensi, inuisi.

Hac ex Tit. Impiorum. quatenus Deorum laborant odio. item Dæmoniacorum, & A dæmonibus infestatorum.

GIGANTES Terræ Cœlique filij, cùm super altissimos montes conscendissent, saxa ingentia in Deos iaculati sunt: quæ in mare deciderūt, factæ sunt insulæ, ut ait Duris Samius: quæ in terram, montes. Erat rumor inter Deos, nullum è Gigantibus posse occidi, nisi quispiam ex mortalibus in eius belli societatem fuisset assumtus. Tum Iupiter Palladis consilio Herculem socium asciuit, qui primus omnium Alcyoneum sagitta confossum interemit. Is cùm semper fortior reuiuisceret, Minerua impetu facto extra orbem Lunæ illū extraxit, atque ita obiit. Iupiter & Hercules Porphyrionem, Iunonem uiolantem occidunt: Apollo leuum oculum, Herculea dextrum Ephialtæ sagittis effodiunt. Hercules pòst hunc, Eurytum querno telo dè medio sustulit. Hecate Clytium, Minerua Enceladum ac Pallantem obtruncauit. Cùm Polybotes per mare fugiens in Con insulam peruenisset, insequens Neptunus partem insulæ auulsam in illum contorsit pro telo, quæ recidens, Nisyros insula facta est. Mercurius Hippolytum, Diana Grationē, Parcæ Agrium & Thoonem trucidarunt. Reliqui Iouis fulmine perierunt, ut testatur Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ. Scripsit Pausanias in Arcadicis, Bathon uallem quandam fuisse, in qua uulgatum fuit, Gigantes prælium aduersus Deos commisisse, quo in loco rem diuinam facere fulguribus, tonitruis ac procellis mos fuit, ad eius certaminis imitationē. Alij dixerunt, in Sicilia fulmine ictum fuisse Typhoeum, ut testatur Hesiodus. Quidam Pithecusas uocatas insulas Gigantum fuisse putarūt, atq; in Phlegræis agris commissum fuisse præliū. Alij eos natos fuisse ea conditione tradiderunt, ut quandiu essent in eo agro, in quo nati erant, tandiu essent immortales. Quare Palladis cōsilio ex eo agro extracti periere. Alij fabulati sunt Gigantes è Phlegra Campaniæ uicina pulsos ab Hercule terram subiisse, atque ex illorum cruore fontem Leucæ fœtidum odorem habuisse, Phlegramque Campaniæ oram fuisse uocatam, quòd igni calidarumque aquarum fluxu abundarent, totusque Baiarum & Cumarū tractus sulphuris & ignis naturam referentes aquas emitteret. Calidas ideo esse inquiunt, quòd uulnerum flammas abluerint, cùm ex ipsius fulminis natura sulphur oleant. Arbitrati sunt nonnulli, tantū metum superis iniecisse Gigantes, primo aspectu, ut cum primùm Typhoeus apparuerit, omnes aufugerint in Aegyptum, ubi longo itinere defessi, ac spe fugæ destituti se sub uariis formis occultauerint, ut ait Ouid. lib. 5. Metamorph. Eam ob causam animalia multiplicia postea coluerunt Aegyptij. Palladis consilium, ac uim Herculis ualuisse plurimùm in profligandis Gigantib. aiunt: item Panos, qui concham marinam inflando terrorē hostibus iniecit: Bacchi quinetiam, qui plurimùm uiribus ualuit. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 21.

Homines et bruta.

Vide Tit. A Brutis infestatorum, sub loco Seruitutis.

PALÆSTINI à muribus infestantur propter arcam Domini captam. 1. Reg. 6.

CVTHÆI à Salmanassare traducti in Samariam, unde Israelitarum decem tribus eductæ fuerant in Assyriam, à leonibus infestari cepere. Posteaquam ab Israelitis sacerdotes & legem Mosis accepere, infestatio cessauit.

Aestate in regionem AETHIOPVM Rhizophagorum è deserto leones irrumpunt, & umbræ causa, & ut minores uenentur feras. Ad hos Aethiopes ex paludibus exeūtes, multi pereunt, tum inferiores uiribus, tum deficientibus quibus se tutari ualeant armis. Et iamdiu ea deleta esset à leonibus natio, nisi natura eis sponte præsidium tulisset. Nam sub ortum Canis, mirabilis atq; innumera nullo agitata uento culicum multitudo ad ea loca aduolat. Homines ad paludes confugientes, minimè lædunt: leones abire ex his regionibus compellunt, tum morsu, tum uocis sono territos. Diodor. lib. 3. cap. 3.

Pontifices, Sacerdotes inter se.

Sub Nerone Imp. cùm iam completa esset Iudæorum impietas, cædibus & sceleribus omnia erant referta. Ipsi quoque summi PONTIFICES dissidere cœperunt à SACERDOTIBVS & primatibus Hierosolymitanorum ciuium, singulique incedebant stipati manu audacissimorum, & seditiosorum hominum, mutuis certabant conuitiis & lapidationibus: nec erat qui compesceret, quasi uacante urbe magistratibus. Intantum autem exarsit summorum pontificum impudentia, ut auderent seruos suos in areas mittere, qui auferrent debitas sacerdotibus decimas, aliquotque pauperiores è sacerdotum ordine alimentorum inopia fame deficerent. Iosephus lib. 20. cap. 6. Antiq.

FORMOSVS Portuensis episcopus à Nicolao pontifice ad Bulgaros missus est, ut eorum ecclesias à Græcis collectas, Romanis imbueret ritibus. Postea dissensit à Ioanne IX. pontifice, de Ludouico Balbo in Imp. eligendo: ac sese cum senatu coniunxit, qui IOANNEM in uincula coniecit. Liberato pontifice, metuens tyrannidem: aufugit in Gallias. Reuocatus Romam ad dicendam causam, contumeliosè omni Ecclesiastica dignitate priuatur, & laicali uestitu ornatur. Ab urbe discedens iurat, se nunquam postea uel Romam uel ad episcopatum reuersurum. Martinus uerò II. pontifex, qui & ipse inter aduersarios Ioannis fuerat, illum à iurisiurandi religione absoluit, & dignitati resti[redacted]

 [redacted]



DVCES CLARI

Magna inter FRANCISCVM Sfortiam, qui postea Mediolanensium principatum obtinuit, & NICOLAVM Piccininũ non æmulatio modò uiguit ob rei militaris gloriam, cuius primas parteis sibi uterq; arrogabat: uerùm & simultas ingens ob ueteres inimicitias, quæ olim inter Braccium & Sfortiam fuerant, quorum hic Francisci pater, ille Nicolai magister ac dux in re bellica fuerat: atque ideirco, non tantùm hostes, sed ut inimici inter se bellum gerebant, nec sub uno eodemque principe, ut militarent, adduci poterant. Aeneas Sylu. cap. 59. Europæ.

POPVLI. TVM

Vicini.

THESSALI æterni PHOCENSIVM hostes, quos ut Sacro bello grauissimè afflixerunt, ita ab iisdem multo antè magnis affecti sunt sæpe cladibus. Pausanias in Phocicis.

Olympiade septuagesima octaua, inter Argiuos & Mycenæos bellum his de causis ortum est. MYCENÆI ob antiquam patriæ suæ dignitatem & gloriam sublati, subesse ac parère ARGIVIS cum reliquis in Argia urbibus indignabantur, cõtendere insuper de Iunonis sacris & templis, agonemq; Nemæum postulare sibi decerni. Ad hæc cùm Argiuis decretum esset, principiò ad Thermopylas cum Lacedæmoniis minimè arma iungere, nisi sibi pars quædã in ea re imperij designaretur, soli Mycenæi in ea expeditione cum Lacedæmoniis militauere. Postremò penitùs suspicio inuaserat Argiuos, ne fortè crescentibus opibus, antiquo eius urbis

bis argumento gloriæ, Mycenæi in certamẽ de imperio Argiuis uenirent. His de causis infensi illis Argiui, iampridem cupiebant urbem euertere. Tunc uerò occasionem rei conficiendæ sibi oblatam rati, cùm Lacedæmonias res afflictas admodum cernerent, nec ullo pacto posse eos, saluti suę perclitanti intentos, Mycenæis auxilia mittere, ex agris undique & sociis urbibus copias cogũt: quas ad bellum expeditas ducunt in Mycenæos, & acie, iusta pugna commissa eos fundunt, atque intra mœnia compulsos includunt, urbemq; obsidere pergunt. Cæterùm Mycenæi per aliquod tempus haud segniter obsidentibus restitere: diutũrno tamen bello fracti, defatigatis animis, cùm subsidia à Lacedæmoniis eò mitti nequirent (quippe bello contra Iliotas occupati, ac terræmotu afflicti, extrema patiebantur pericula) nec alios haberent socios, unde spes daretur, deserti auxiliis, ui capiuntur. Argiui urbe potiti Mycenæos omnes seruitute damnant, decimamq; eorum diis dedicant: tum Mycenas euertunt. Ita urbem seculis & temporibus priscis felicem, magnorumq; eductricem uirorum, præclaris gestis celeberrimam, ea extremum calamitas obruit, quæ ad ætatem usque nostram deserta habitatoribus permansit. Diodorus libro II.

LACEDÆMONII cum MESSENIIS uicinis bella gesserunt. Primùm Ithome arx capta finem habuit, cùm 20 annis durasset: Messenij sub iugum missi. Alterũ 11 annis, duce Aristomene Messenio. At undecimo tandem anno expugnata Era arce, Peloponneso expulsi Messenij, uix trecentesimo pòst anno, Leuctrica clade attritis Lacedæmoniis, ab Epaminonda Thebano reuocati, Messenem urbem ad Ithomen condiderunt, & ueteris odij memores, Spartæ capiendæ sociòs sese Antigono regi Macedonũ & Arato Sicyonio præbuerunt. Pausanias in Messenicis.

APHRICAM M. Tullius omnium nocat prouinciarum arcem, natam ad bellum contra urbem ROMANAM gerendum. Cælius lib. 18. c. 38. A. L.

Bello Siculo AEGESTANI cum Athenienſibus ſenſerant. Iis uictis à Syracusanis, metuentes SELINVNTIORVM uicinorum opes, Carthaginensium auxilia imprecarant, Selinuntij Syracusanorum. Atq; ita bellum Carthaginense in Sicilia, duce Annibale, cœpit propter uicinorum odia. Diodorus lib. 13.

GOTHI siue Sueci DANOS propter uicinitatem iam inde post prima diluuij tempora ob imperandi libidinem bellis impetitos, uaria usi fortuna, nouercali prosequũtur odio. Hothebrotus Gothorum rex Roe rege cæso, Daniam occupauit. Athilus Hothebroti F. Vrsiliam uxorem, eo quòd Danici sanguinis esset, minus amabat. Illa Roluone filio è Dania, cui præerat, accito, thesauros patris auehendos tradit, & ipsa clàm marito mox sequitur. Athilus his prouocatus iniuriis, maximis calamitatibus Danos affecit. Hic enim est ille Athilus, quem ueteres historiæ tradunt Danis primò canem, quem Racchonem uocabat, regem assignasse, deinde eo à canibus discerpto, gigantem Laces præfecisse. Cui seruus Snio successit, quem multitudo pediculorum usq; ad ossa consumsit. Ioan. Magnus lib. 2. Algothus certè Gothorum rex, uictis à patre Adulfo Danis, summoperè contendit pacem inter Sueones & Danos constituere. Sed conatus ille, ut erat omni humanitate ac pietate plenus, ita inter tam dispares animos perfectam amicitiam conciliare nequiuit: imò usq; in præsentem diem nullus inuentus est, qui ex omni parte extinguere potuerit inueteratum illud odiũ, quo Dani in Sueones & Gothos, uicissimq; Gothi & Sueones in Danos feruntur. Videturq; nonnullis illud dissidium ab origine regnorum suum principium occasionemq; suscepisse, quum ipsa natura ipsos Danos suis insulis inclusos, à Suconibus Gothisq; interiecto mari separauerit. Idẽ lib. 4. c. 10. Sueones ipsos Danos nouies subegisse, apud Saxonem leguntur. At Dani astu contra Sueonum potentiam dimicare consueuere. Idem lib. 23.

Saxo Sialandicus, Danicæ antiquitatis memorabilis scriptor, iam inde ab initio & memoria prima Danorũ Saxones nominat: testaturq; semper ab omni memoria in nationibus DANORVM & SAXONVM fuisse inuicem implacabile odium. Cranz. lib. 1. Saxoniæ.

Vetus & natiuum odium DANORVM & VANDALORVM, Germanici Oceani litora accolẽtium: communis utriq; mare palæstra, primùm de præda, inde etiam de gloria certantium. Et (si credimus Helmoldo) uoluptati dabant Vandali cum Danis conferre manus. Sed tamen ea gentis pertinacia hoc effecit, ut primùm ad inopiam redactis omnibus, deinde uastatis oppidis & exhaustis, consumtisque terræ cultoribus, per crebra bella alienigenis terra implerẽtur, & ad Saxonum intra nouæ ciuitates instructæ, ueteres desolatæ, antiquum Vandalorum nomen pene aboleuerit, & in contemtũ ignominiamq; decreuerint minores. Cranbius lib. 5. Vandaliæ c. 40.

GALLI & ANGLI (inter quos nulli mortales, sed Oceanus tantùm habitat, ad Caletes dici unius traiectu pro uicinis haberi possunt) capitali odio se mutuò prosequuntur, propter grauissima bella, quibus utrinq; exagitati sunt. Principium odij tale fuit. Gulielmus Rufus, Gulielmi Normaniæ ducis, qui Angliæ regnum acquisiuit; patri in regno succedens, filios reliquit Henricum & Robertum, huic Normanniam, illi Angliam moriens tribuit. Robertus utpote natu maior, æg; rè id ferens, inita cum Ludouico Ctallo Francorum rege amicitia fratrẽ bello persequitur. A quo captus, in carcere obiit, & sic Angliæ regno adiecta est Normãnia, anno 1108. Ludouicus id indignè ferens, contra Anglum arma cepit. Stephanus Henrico, Henricus II. Stephano successit in Anglorum regno, qui Aleonoram filiam unicã Gulielmi ducis Aquitaniæ, & Comitis Pictonum, à Ludouico Iunioré Gallorum rege repudiatam, uxorem duxit. Quę res materia fuit multorum bellorum. Henricus Henricũ F. Galli generum consortem fecerat regni. Is à socero instigatus; bellum patri intulit. Pace facta non diu pòst, Henrico filio & Ludouico socero mortuis, Ricardus Aquitaniæ Comes ab Henrico patre ad Philippum Francorum regem defecit, indignè ferens, Adelam Philippi sororem à patre amatam sibi iam antè pactam præripi. Henricus mœrore obiit. Ricardus patri succedens, Adelam ducit, & cum Philippo Gallo ad bellum Sacrum proficiscitur. Vxore repudiata, Berengariam Nauarram ducit. Philippus æmulum gloriæ Henricum non ferens, in Galliam reuersus, Ioannem Ricardi fratrem ad regnum asserendum instigat. Ricardus bellum Sacrum relinquere cogitur, domum redit, belluin gerit cum Gallo cluentissimum. Ricardo mortuo, Ioãnes Ricardi frater regnũm occupat. Arthurus Britanniæ dux, quem regni hæredem Ricardus dixerat, ad Gallum confugit. Ioannes Arthurum captum interfecit. Philippus Ioannũ ut parricidæ diem dicit, Constantia Arthuri matre urgente. Ad quẽ cùm non compariisset, causa cum cecidisse, ac proprietatem omnium locorum, quæ ille ut beneficiarius tenebat in Normannia, ad se rediisse decernit, & armis eam uendicat, quã 316 annis antè Rollo Normannus occupatam à regno Gallico auulserat. Ioanne diris pontificiis exagitato, Philippus regnum frustrà intudere uoluit. Angli proceres Ioannis tyrannidem perosi, Ludouicum Philippi F. euocant, & regem creant. Sed Ioanne mortuo, Henricum III. eius F. sequuntur, Ludouico pulso. Henricus ad recuperanda loca transmarina, aui incuria amissa, exercitum comparauit, & primũ cum Ludouico, deinde cum D. Ludouico eius F. bella gessit, paruo successu. Tandem fœdus initum, ut Anglus Normannia, Andegauensibus & Cenomanis Francò cederet: Franeus 150 millia aureorum numeraret, & in singulos annos uectigalis nomine dena millia. Anglus Aquitania contentus esset. Edouardus, qui Henrico patri succesit, ad ulciscendam patruelis sui Henrici cædem, à Guidone Simonis Montifortensis Comitis Glocestriæ filio in templo Viterbij in conspectu Philippi Gallorum, & Caroli Sicilię regum patratam, & non punitam, cum Philippo patre primùm, deinde cum Philippo Pulcro eius F. bellum cruentissimũ gessit, eũm & Aquitani & Scoti ad Gallum defecissent. Pax facta, Margarita Pulcri sorore Edouardo desponsata, & Isabella Pulcri filia Edouardo filio. Edouardus F. homo ignauissimus cùm Scotorum armis ualde premeretur, occasionem Gallis dedit Aquitaniam occupandi. Quo sublato, Edouardus III. F. Carolo Pulcro Gallorum rege mortuo, regnum Gallorum ad se iure materno spectare contendebat. Galli regia stirpe masculà priuati, Philippum Valesium, Philippi Pulcri ex fratre nepotem regem dixere. Tandem anno 1338. Gallico bello cruentissimo initium datum, cùm Angli partes Flandri, & Ludouicus Bauarus Imp. fouerent. Galli uerò Ioannes Boemiæ, & Ludouicus Nauarræ reges. Ad Clusas nauali prælio maximo, ad Cresciacum pedestri prælio cruentissimo Gallus uincitur, Caletum amittit. Tandem Ioannes rex Gallię cum Philippo F. apud Pictones ab Edouardo, Edoardi F. captus est, anno 1356. Fœdus inde perpetuũ sancitum. Quod tamen sexennio pòst Aquitanorum defectione sub Carolo V. Ioannis F. uiolatum. Ricardus II. cũ Carolo quoq; bella gessit. Tandem ducta in uxorem Isabella eius F. induciæ 30 annorum pactæ. Pax etiam sub Henrico IV. At Henricus V. eius F. iure repetundarum Galliæ regnum petens, funestissimo bello Carolum VI. profligatus est, Francis ob intestina bella ita debilitatis, ut Philippi Burgundionum ducis perfidia, dum mortem patris Ioannis à duce Aurelianensi cæsi ulciscitur, Anglus Normannia occupata Lutetiæ etiam Galloruin regis, & mortuo Carolo rex ex fœdere renunciatus sit & inauguratus, ducta in uxorem Catharina Caroli F. Carolus Delphinus per contemtum Biturigum rex dicebatur. Mortuo Carolo VI. & paulo antè Henrico V. magna rerum mutatio facta. Carolus Delphinus regnum arripuit, VII. se uocans: Henricus VI. pertutore

regebatur. Franci proceres ad Delphinum transeunt. Ioānæ puellæ diuina ui animati Galli, Lutetiam post 15 annum recuperant, cùm Philippus Anglorum amicitiæ renunciasset. Normannia inde & Aquitania recepta, anno 1452. Henricus ab Edouardo IV. regno & uita exutus. Edouardus in Caroli Burgundi gratiam cum exercitu contra Gallos mouet: uerùm auro expugnatus in multos annos pacē facit, filia sua Carolo IIX. Ludouici XI. filio in matrimonium promissa, anno 1475. Ludouicus hostili metu liberatus, pactis non stetit. Henricus VII. inita cum Maximiliano Rom. rege amicitia, & defendendorum Britannorum causa, contra Carolū IIX. Gallorum regem exercitū duxit. Sed res maturè composita est. Henricus IIX. cum Ferdinando Hispaniæ rege contra Ludouicum XII. belli societatem iniit, nullo successu, per duces. Ipse postea primo tyrocinio suo Morinos & Tornacenses subegit. Exin inito cum Carolo V. Imp. fœdere, bellum cum Francisco I. Gallorum rege gessit funestissimum. Polyd. in hist. Anglica.

VENETORVM & PATAVINORVM discordiæ ex ludis Taurisinis ortæ an. sal. 1214. per multas alitæ ætates, tandē principum Carrariensium oppressione sublatæ, & Patauiū Venetis subiectum. Scardeanus in hist. Pat.

MAGISTRATVS EIVSDEM PARTICIPES. COLLEGARVM DISSENSIO.

Consule Titulum, Socium in imperio ferre non posse. Item, Aemulatio inter principes. Illic Ambitio, hic Inimicitia consideratur.

Græcis ad Troiam sedentibus nihil æquè obfuit, ac regum AGAMEMNONIS & ACHILLIS discordia: quæ multo sæuior Danais incubuit, quàm aut fames, aut pestilentia. Fuit enim hæc breuis, & paucorum dierum: sed cædes, quæ ob Achillis secessionem est ipsi genti ab hostibus illata, fuit omni calamitate calamitosior. Sab. lib. 3. cap. 3. Hinc Lyricus, Quicquid delirant reges plectuntur Archiui.

Exercuit idem malum rem Thebanam aliquandiu, PELOPIDA hinc rempub. illinc EPAMINONDA ab initio trahentibus. Tulit eos patria dissentiētes, quæ mox rempublicam concordi animo administrātes ferre nō potuit. Sab. l. 7. c. 3.

CLISTHENES Alcmæonides, & ISAGORAS Tisandri F. post liberatas Athenas Pisistratidarum tyrannide, cōtrariis factionibus ciuitatem exercuerunt. Et Clisthenes quidem cùm superior esset, Isagoras Cleomenem Lacedæmoniorū regem euocauit, qui Clisthenem eiecit. Clisthenes postea reuocatus, cum rege Persarū societatem iniit. Herod. lib. 5.

Quàm ciuilis & senatoria dissensio sit non semper utilis, sed obesse etiam possit uehementer reipub. memorabilis uox ARISTIDIS Atheniensium optimi facilè declarat, cui q cùm ciuili administratione parum conueniret cum THEMISTOCLE (erant enim ingenio & moribus diuersi: constans hic & æquitatis amicus, ambitiosus ille & temerari9) solitus dicere est, Rempub. Atheniensium nunquam incolumem futuram, nisi se & Themistocle in barathrum coniectis. Sab. lib. 3. cap. 3.

Nec PERICLIS & CIMONIS æmulatio Atticæ profuit ciuitati: hinc sæuientis populi fœdæ illæ tempestates, Pericli uiro summo, medio belli ardore alienis stimulis concitę, ut uel quę utiliter fierent, essent ipsi duci inuidiæ. Sab. lib. 3. c. 3.

Nocuit Romano imperio, imò ipsi libertati, intempestiua OPTIMATIVM conspiratio, quæ Cn. Pompeium post clarissimam uictoriam à se alienauit, quòd eius acta probare noluisset. Ex eo quidem fonte omnis reipublicæ labes redundauit: ac ciuilia bella, quæ deinceps secuta sunt, ex funesta illa cōtentione profecta uideri possunt, quæ libertatem & imperium euerterunt. Accessit his malis acerbus & exitialis M. CATONIS stimulus, C. CÆSAREM hostiliter insectantis, uiri alioqui iusti, & æquitatis amicissimi. Fuit tamen inexpiabile illud Catonis odium (indicia & damnationes denunciantis armato duci) ciuilis belli classicum, ut meritò Cæsar credi posit magis huius & aliorum æmulatione percitus, quàm dominandi libidine, ex ciue hostis factus: & qui princeps esse uoluisset, ne legibus cogi posset, sit tyrannus uerius quàm dictator factus. Sabel. lib. 7. cap. 3.

METELLVS cùm utranq; Hispaniam, Consul prius, deinde Proconsul penè iam subegisset, postquam cognouit, CN. POMPEIVM consulem, inimicum suum, successorem sibi mitti, omnes, qui modò militiam uoluerunt finire, dimisit: commeatus petentibus, nec causis excussis, nec constituto tempore dedit: horrea custodibus remotis opportuna rapinæ præbuit. Arcus sagittasq; Cretensium frangi, atq; in amnem abiici iussit, elephantis cibaria dari uetuit. Quibus factis, ut cupiditati suæ indulsit, ita magnificè gestarū rerum glori[illegible]pit, meritūq; honorę triumphi, hostiū, quàm irę fortior uic[illegible] amisit. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

Q. CATVLVS & M. LEPIDVS consules ex Syllano funere reuersi, statim sunt inter se uerbis disceptare adorti. Censebat Lepidus Syllæ acta rescindi oportere, ut agri qui Italis ab eo ademti fuerant, ueteribus dominis restituerentur. Locauerat Sylla ad centum XX millia hominum, quorum opera fuerat in bello usus, in alienis agris. Cæterùm senatus, ueritus ne consulum discordia in aliquod nouum discrimē ciuitatis status incideret, ambos publicè iurare coegit, fore, ne inter se armis disceptarēt. Lepidus inde Galliam, quæ supra Alpes est, prouinciam sortitus, continuò bellū in Syllanos moliri cœpit. Quod ubi Romæ est auditum, in urbē à senatu reuocatus, ipse, quia haud ignarus erat, cur reuocaretur, cum exercitu ex Gallia profectus copias ad urbē admouit. Catulus contrà populum per præconē ad arma concitat, fitq; subitum prælium in campo Martio, Lepidusq; ui pulsus in Sardiniam nauigauit, ubi non multo pòst distillationis morbo decessit. Alij nuncio de adulterio cōiugis accepto, cum mœrore confectum periisse tradunt. Perpenna post Lepidi interitum cum nō parua Marianorum parte in Hispaniam concessit, ubi erat Sertorius. Sab. lib. 5. En. 6.

Eo bello, quo Hierosolyma Orientis olim clarissima excisa sunt, nihil magis funestum ciuitati fuit & exitiale, quàm ELEAZARI & cæterorum DVCVM discordia. Horum dissidium non minus obsessam multitudinē intus afflixit, quàm foris Romanus hostis, qui mœnibus hęrebat. Sab. lib. 7. c. 2.

Rem Venetam adolescere incipientē, OBELERIVS & BEATVS fratres, Duces, dum diuerso uiuunt ingenio, parúmq; concordi animo in summa rei administranda, in apertū discrimen adduxerunt, ciuitate tam graui & ancipiti bello implicita, ut propiores fuerint periculo qui uicēre. Sabell. lib. 7. cap. 2.

Cessisset Gallis, Syriam Godofredi Bolionij ductu & auspiciis inuadentibus post Antiochiam captam, multo diuturnior de Hierosolymis cæterisq; eius terræ urbibus uictoria, nisi DVCVM discordia intercessisset: quę in causa fuit, ut si qua lætitia orta est ex iis, quæ postea feliciter gesta sunt, plus nimio fuerit Christianis hominibus breuis, & uictoria ad postremum irrita. Sab. lib. 7. cap. 2.

Nobilitauit Varnam in ora Pontici maris Christianus cruor; patrum memoria, fuitq; nostris hominibus pugna illa funesta & calamitosa, non magis hostium uirtute quàm CHRISTIANORVM ducum discordia. Nam dum quisq; per se properat uincere, omnes unà uicti sunt, atq; occidione occisi. Sabellicus lib. 7. c. 2.

VLRICVS Ciliæ comes IOANNEM Coruinum funesto odio semper est prosequutus. Eundem perfidi animi liuorē in huius iam defuncti filios Ladislaum & Mathiam effudit: sæpe gloriatus, se caninum hoc genus propediem è Pannonia extirpaturum. Ad Despotem Valachiæ socerum suum literas scripserat, ubi cum rege Albam uenisset, ei se duos globulos esse missurum, quibus optimè luderet, filiorum scilicet Io. Coruini capita. Ladislaus maior è Coruini filiis Albæ præfectus, ne dira pateretur, dira ausus, Ciliæ comitem in procerum consessu absente rege, proditionis contra filios, ut olim contra patrem intentatæ, insimulans, per satellites confodi curauit. Bonfinius lib. 8. Decad. 3.

SVBDITI ERGA REGES, MAGISTRATVS.

Banquho Duncani Scotorū regis in Loquhabria Thanus (auctor familiæ regiæ Stuart clarissimæ) dū regios census colligeret, & delinquentes puniret, impetu in eum à nonnullis illius regionis facto, spoliatus acceptis aliquot uulneribus uix euasit. Rex misso fœciali iniuriæ auctores in ius uocauit. ILLI flagitium scelere augentes, fœcialem, ignominia prius affectū, trucidauere: Magdoualdus inde rebellionis dux Malcolmū ducem regium uictū captumq; securi percutit. A Macrobæo regis consobrino uictus & obsessus, desperata salute uxorem atq; liberos suapte manu interficit, tandem sibiipsi manus infert. Caput conto affixum ad regem delatum est. H. Boeth. lib. 12.

Anno Christi 1464. sub Ludouico XI. Francorum rege ortum est bellum, BONVM publicum uulgò dictum, consensu & conspiratione Principum, tentantium regem ipsum in ordinē cogere, qui dignitates & munera fortibus senioribusq; à patre delata abrogauerat, quiq; à nobilioribus & potentioribus improbè semper aliquid exigebat. Dux Britanniæ & comes Carolesij Philippi Burgundionis F. fratri regis unico Carolo Biturigum duci persuaserūt, ut coniurationis & belli princeps esset. Dignitate & statu deiecti hos sequuti sunt. XVI. Cal. Augusti pugna ad Montem Lethericū aduersus comitem Carolesium. Nox prælium diremit. Tandē ad Confluentem Sequanę & Matronę Carolesij opera pax facta, summa eaq; simulata regis indulgentia, ut quib. coniunctis par esse non poterat, eos disiunctos opprimeret. Nā cum Burgundione congressus, Normannia, inquit, fratris mei esto: tua sunto ad Somonam oppida. Ludouicum Lucemburgensem magistrum equitum creo. Lotharingiæ duci ingens auri pondus ac militem do ad regnum Neapolitanum repetendum. Duci Borbonio reliquum aurum dotale appēdo, muneraq; ac commoda ei à patre data restituo. Cæteris quoq; sua cuiq;, & quas à maioribus suis facultates, & quæ à patre rege munera honoresq; acceperant, reddo. Pax hæc Confluentina uocitata est: eamq; Duces accepere: quòd & cōmeatus iam, & rei pecuniariæ penuria ingens erat, & hyems appetebat. Addita paci cōditio, ne quis horum Ducum cogeretur, cùm ab rege euocaretur, ipse utiq; ire. iureiurando quo se panagio deuinciebant, satisfactum iri, si cùm foret opus, militem ex formula mitterent. Aemilius lib. 10.

CIVES INTER SE.

Vide Tit. Factionum & Seditionum ciuilium.

Cùm Aequi populo Romano arma intulissēt, atq; ex toto Latio Fidenateq; agro prædam abegissent, Senatus decreuit, ut legiones aduersus Aequos conscriberentur. Cùm eam rem SP. Licinius tribunus plebis impediret, atq; cum quidam Senatores imminentis periculi monerent: odio cōtra Senatum incensus, respondit: passurum se potius hostes, quàm patricios senatumq; dominari. Fulg. lib. 9. c. 3.

Vatinius, in quem acerrimè M. Tullius inuectus est, in tantum odium POP. Romani peruenerat, iam detectis illius flagitiis, ut in prouerbium cesserit, odium Vatinianum. Erasm. in Adagiis.

Notissimum est, CLAVDIOS omnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum urbe Ciceronem, plebeio homini, atq; etiam natu minori in adoptionem se dedit, Romæ optimates assertoresq; unicos dignitatis ac potentiæ patritiorum semper fuisse, atq; aduersus plebem adeò uiolētos ac cōtumaces, ut ne capitis quidē quisquā reus apud populum mutare uestem, aut deprecari sustinuerit: nonnulli in altercatione Trib. pleb. pulsauerint. Sueto nius in Tiberio.

PLEBS contra OPTIMATES. RVSTICI contra NOBILES.

Solone peregrinatum profecto per decenniū, ATHENIENSES omnes in seditionem exarserant. Dux erat Pædiæorū, Lycurgus, Paraliorū Megacles Alcmæonis, Pisistratus Diacriorum, in quibus capite censi erant locupletib. imprimis infesti. Vigebant quidem etiam tum in ciuitate leges Solonis: sed ad res nouas spectabant omnes. In hoc rerum statu regressus Solon Athenas, erat quidem in magna apud omnes reuerentia atq; honore: cæterùm ad dicendū uel agendum in publico nec uires aderant ei prępediente senio, nec alacritas: capita uerò factionum seorsum appellans, tentabat discutere discordias, eosq; reconciliare: præcipuè auscultante ei, ut apparebat, Pisistrato. Etenim blandus hic erat, & suauis in sermone, refugium pauperum, in gerendis simultatib. facilis moderatusq;. Et his artib. plebi imposuit. Nam cùm semetipsum consauciasset, tanquam ab inimicis ita tractatus fuisset, L. stipatoribus à pop. acceptis, tyrannidem inuasit, potitusq; rerum ita Solonē obseruauit, honore & beneuolentia prosequens eum, accersensque ut hic in consilio illius esset, multaq; eius instituta probaret. namq; leges plerasq; Solonis retinuit, iisq; paruit ipse princeps, & amicos coegit. Plut. in Solone.

MILESIORVM ciuitati ob delicias infortunia cōplura acciderunt, ciuilesq; inimicitię. Cùm enim seditionem molirentur ij, qui opes possidebant, ac populares, quos illi appellabant Gergithas: primùm cùm uicisset populus, diuitesque extra ciuitatem eiecisset, fugitiuorum filios in areas coegit, & bobus simul inductis nefanda morte affecerunt. Paulo pòst diuites uictores, omnes eos, quorum fuerunt domini, unà cum filiis combusserunt: quibus ardentib. & alia monstra complura apparuisse inquiunt, & sacram oleam sponte sua exarsisse. Quamobrē deus illos oraculi responso diuti9 frustrauit, interrogantibusq; cur frustrarentur, respondit:

Gergithæ imbellis mihi sunt & funera curæ:
Parentum & cædes, ac semper planta uirescens.

Hæc Heraclides Ponticus lib. de Iustitia. Clearchus autem lib. 4. Milesios scribit, Colophoniorum delicias imitatos se ditioribus tradidisse. Athen. lib. 12. c. 7.

Bello Peloponnesiaco optimates CORCYRENSES à plebe Atheniensib. fauente pulsi, Lacedæmoniorum classe reducti in patriam fuerant. Verùm ubi Lacedæmonij Atticarum nauium numerum ueriti domū fugere, in Iunonis templū pleriq; concesserunt. Vnde quidam sunt ad suppliciū ui extracti: nonnulli inibi sibi mortem consciuere: quidam mutuis se uulneribus peremerunt. Plebeius ensis ita est in eum ordinem euagatus, ut impunè creditores sint à quibusdam debitoribus interfecti, paterq; filium obtruncauit. Alij obstructo Liberi patris delubro necati sunt, estque eò res fœdior uisa, quòd ad id tempus nulla Græcarum urbium ciuili fuerat seditione iactata. Peruasit procedente tempore id malum uniuersam Græciam, ut ciuitates ferè omnes in diuersas factiones abiuerint. Quo accidit, ut qui opib. & nobilitate pollerēt, Optimates sint uocati, reliqua multitudo Plebis nomen fuerit sortita. Exules, qui medio tumultu dilapsi mortem effugerant, captis muris, qui in continenti erant, inde egressi, sæpius prædam ex insula agebant. Quorū assiduę incursiones famem haud multo pòst iis, qui in urbe agitabant, ingentem attulere. Miserunt exules ipsi Lacedæmonem & Corinthū auxilia imploratum: iam enim in spē uenerant recuperandæ urbis. Sed quum nihil impetrare potuissent, propriis uiribus freti, sexcenti numero, incensis nauibus, quibus usi fuerant, ut omni euadēdi spe ademta, cogerentur uel inuiti strenuè insulam obtinere, Histonē montem occupant, ibiq; muro instructo, ex occasione urbanam multitudinem assiduis incursib. infestabant. Athenienses cū classe Corcyram aduecti, in oppidanorum gratiam exules subitò adorti, in fidem receperunt: inde quòd fugam moliri contra pacta uiderentur, Corcyrensibus excarnificandos tradiderunt. Sab. lib. 6. & 7. En. 3.

Quo tempore Mindarus Spartanus magnam cladem in Hellesponto accepit, CORCYRÆ sęua seditio exorta est. In nulla urbe usquam compertum est tantam tamq; horrendam sanguinis ciuilis effusionem patratam. Ante eam seditionē mutuis odiis interiisse circiter mille & quingentos, memoriæ proditum est, eosq; omnes ciuium urbisq; optimates. Corcyrenses plebeij cernentes nobilitatem primoresque iam paratos ad tradendam in Lacedæmoniorū manus urbem, pręsidia ab Atheniensibus accersunt. Conon prætor Atheniensium Corcyram adnauigans, sexcentos ibi Messenios ex Naupacto ductos, præsidio reliquit, ipse cum nauibus præteruectus in anchoris stetit ad Iunonis templū. Messenij eos, qui Lacedæmoniis adhæserant, inuadūt, ac repentè concursu in forum facto, supra mille urbe eiiciunt: seruis libertatem dant, aduenas in ciuitatem accipiunt. Expulsi in continentem è regione sitam post aliquot dies proditione in urbem intromissi, in foro cum plebe dimicarunt: sed noctis interuentu ad meliora consilia conuersi, ex æquo rempub. administrare cœperunt. Diod. lib. 13.

Diocletianus anno Imperij sui altero, Gallias RVSTICORVM, qui se Bagaridas nominabant, multitudine infestatas, liberauit: atq; inde in Aphricam profectus, Gentianos uicit.

Capto ab Anglis Ioanne Francorum rege, tota GALLIA miseris seditionum fluctibus agitata est, Carolo rege Nauarrę è custodia elapso omnia miscente. Et omni propè Francia plebs à nobilitate secessit, quòd eius superbia euersam Frāciam dictitarent, inopemq; plebem seruorum loco haberi. In Bellouacis agrestis multitudo ex ꝓfesso ab urbana defecerat. à Carolo Delphino ad tria millia cęsa. In Meldis cùm agrestis urbanæ plebi se iunxisset, aliquanto maior utriusq; strages à Delphino facta. Quo metu cæterarum ciuitatum plebs ad sanitatem, quotidianumq; laborem ac aratrum rediit. Aemilius lib. 9.

In Britannia regnante Richardo, Eduardi III. nepote ex filio, Salutis anno 1387. plebs in CANTIANA regione excitata, ob tributorum immanitatem, nobilitatis iugum detrectare cœpit, omnes ab eodē parente Adamo ortos esse, nulli parēre debere, sed pares esse omnes, dictitans. Arreptis armis Londinum tendit, Cantuariensis archiepiscopi palatiū diripuit. Cum hac turba Londinensis quoq; plebs conspirauit, ad LX. millia. Sed tandem supplicio ducum tumultus is sedatus fuit. Fulg. lib. 9. c. 7. & Polyd. lib. 20.

FLANDRIAM Philippus Pulcer Francorum rex sui iuris effecerat. Regius præfectus nobilitatē Flandricam locupletioresq; colebat, minore humillimæ plebis cura. Plebs grauitatem tributorū conquerebatur, & humillimus quisq; mercedes ac precia laborum, operarum, ministeriorū aliquanto liberaliora constitui sibi ab optimatib. postulabant. Nec hoc impetratum. Id tam dolenter latum, ut simul in primores suorum Francosq; uim pararent. Brugis audaciæ initiū ortum. Ea in urbe plebis homines Petrum quendam (Regē cognomine) humillima statura senem, qui textrinulariā faceret, altero oculo captum, è carcere, quò ob liberiorem, & in causa plebis non infacundā, ut in illius gentis quæstusq; homine, linguā, eum regius præfectus coniecerat, rapiunt, eoq; duce, ac Bridano lanio (Gianbridam alij uocāt) audacia & uiribus corporis insigni, cædem Francorum & suorū procerum facere conantur. Vbi uerò se illi ferro egregiè defendebant, ueriti, ne pœnas audaciæ darēt, magna pars secessionem faciunt: Dammum & Ardiburgum & Malam oppida uicina inuadunt, ibiq; cædem regiorum nobilitatisq; faciunt. Missus eò à rege, cum mille quingentis equitibus Iacobus Comes Fani Pauli, supplicium de sontibus sumtur9. Plebs quæ Brugis remanserat, cōiurationem clàm cum extorre fecit. Noctis silentio, quæ diem aduentus Iacobi exce

pit, cùm Francf per hoſpitia diuiſi quietem caperent, Petro ac Bridano, intra mœnia receptis, quem quiſque plebeius Francum hoſpitio acceperat, quieſcentem necat: Plebs cæde Francorum ſatiata, nihil præterea in quenquam durius ſtatuit: cùm nobilitas popularis eſſe cœpiſſet. Pulcer rex ad octoginta millia bellatorum coegerat, ſuomet ipſius ductu imperioq; illud geſturus bellum. Excidiũ Flandriæ minabatur. Anglus Flandros nõ armis ſed aſtu texit. an. 1299. Aemilius lib. 8.

Quum Selymus Turcarum Imperator Perſico bello implicitõ omnes Europæ copias per Helleſpõtum in Aſiam traiecturus eſſet, uigeretq; etiam tunc bellum in Croatia, Thomas cardinalis Strigonienſis, Apoſtolicus legatus, perſuaſo rege Vladiſlao, Milites, qui Chriſtianę religionis auſpiciis militarent, & gratuita opera regni fines tuerẽtur euocauit. anno 1515. quibus Cardinalis purpurea cruce obſignari pectus iuſſit. Ergo etiam innumerabilis AGRESTIVM multitudo arma ſumſit, ſacra & profana omnia polluens. Horum dux Georgius quidam Ceculus (gentis nomen eſt. Ceculi enim prope Tranſſyluaniam habitant. Iouius Sechelum uocat) alciuerat ſibi Comitem Laurentium presbyterum, crudelitate omnes ſuperantem, & Michaelem monachũ. Georgius minoribus copiis Lucatium fratrem præeſſe iubet, ipſe cum robore exercitus, ſublato crucis uexillo ad urbẽ Varadinum hoſtiliter ducit, in itinere cuncta in prædam uertit: nobiles, quos capit, adacta per ſedem præacuta ſude, enecat: matronas, ingenuas uirgines uniuerſo exercitui proſtituit. Erat animus uniuerſam delere nobilitatem, & in toto regno, quod quatuor & decem habet Epiſcopales ſedes, unam ſolam relinquere. In hac rerum diſperatione Ioannes Bornemiſſa cum Budano exercitu Lucatium caſtris exuit. Ioannes Tranſſyluaniæ Vayuoda Georgij exercitum deleuit: ipſum tortoribus excruciandum tradidit. Illi nudũ & cathenis uinctum in equuleo conſtituunt, & corona candenti ex uomere conflata, ut regum mos eſt, coronant, uenis que diſſectis, profluentem ſanguinem potandum Lucatio præbent. Deinde ad uiginti agreſtes, qui in exercitu ordines duxerant, tridui media maceratos ad id crudelitatis cogunt, ut dentibus ſpirantis ducis artus dilacerent, atque deglutiant. Ille mira conſtantia, neque gemitum edere, neque in miſerabili mortis genere quicquam horreſcere. unũ tantùm deprecari, ne inſontem Lucatium, quem ipſe reniitentem ad id bellum perduxiſſet, his cruciatibus dignũ exiſtimarent. Poſtremò laniatis omnibus membris, quum diu tius grauiſſimos dolores uel immani ſpiritu ſuſtinere non poſſet, extractis uiſceribus exenterant, in fruſta ſecant, atq; ahenis & uerubus coctum, comedendum militibus ſuis apponunt. Eos uerò talibus epulis ſatiatos cum Lucatio omnibus ſuppliciis dilaceratos interficiũ. Sic extincta eſt hæc ſeditio: in qua, licet uix quatuor durarit menſes, deſideratа ſunt in Hungaria utriuſque ſexus ſeptuaginta millia hominum, & in his quadringenti fuerunt nobiles. Cuſpinianus & Iouius.

Anno ſalutis MCCCXX. ſub Philippo Longo in Pariſiorum agro ingens PASTORVM atque agreſtium manus coacta eſt, (quemadmodum olim imperantibus Diocletiano atque Herculeio) qui Mendaces cognominati, aiebant, Statutum eſſe, ut ipſorum manu Hieroſolymæ Chriſtianæ religioni reſtituerentur. Itaque cùm Pariſiis multisque aliis in urbibus magiſtratus occidiſſent, prædamq; inde egiſſent, ſeptem ex eis millia in Auxitanos profecta, Genuã uſque contenderunt, affirmantes, ut in Syriam ſe conferrent, nullis ſibi nauibus opus eſſe, ſed ſicco ueſtigio ſe mare traiecturos. Pars alia in Gallia manſit, quæ cùm rapinis omnia ſibi infeſta feciſſet, partim fame, partim aliarum rerum inopia defecit. Sed poſtea etiam capto Ioannæ rege, dum Normanniæ dux, eius maior natu filius, Galliam adminiſtraret, agreſtium hominum colluuies, ex Bellouacenſi atque propinquarum regionum agro conuenit: & ferro atque igne nobilitatem inſecuta, ingenuarum feminarum pudicitiæ non parcebat: quæ cùm poſtremò ad urbem Meldenſem profecta, nobiles feminas, quæ illic erant, rapere conata eſſet, à comite Fuxenſi, atque aliis Gallis nobilibus illic oppreſſa periit, mortuique ſunt eorum circiter ſex millia. Fulgoſ. lib. 9. cap. 7.

Apud Pannonios Sigiſmundo Imperatore regnante, in ea Mœſiæ parte, quæ recentiori nomine TRANSSYLVANIA appellatur, agreſtis, cui Antonio nomen erat, item in alia regione, quam Nyrium & Zamoskenium dicunt, alius Martinus nomine, cùm magnam agreſtium manum coegiſſent, ipſi quoque ſe reges appellarunt, & pro uiribus Pannoniam nobiliratem armis inſequebantur. Sed haud multo pòſt Vngaris principibus ad propulſandum commune periculum ad arma excitis, inconſulta agreſtis multitudo prælio fuſa, cùm in Vngaricæ nobilitatis poteſtatem uenisſet, in contumeliam admiſſi facinoris hæc mala tulit, quòd eorum nonnullis effoſſi oculi, quibuſdam deſectus naſus, alia autem aliis membra detruncata fuerunt. Egnatius lib. 5. cap. 3.

Anno ſalutis M.D.XXIV. menſe Nouembri, cœperunt à ſuo dño, Comite Lupfio, Sueuo, diſſidere homines RVSTICANI, propter onera, quibus grauari ſe nimiũ querebantur: idem & alij deinde uicini faciebant, in ſuum quiſque magiſtratum, ita quidem, ut Imperij ſenatus, qui per abſentiam Cæſaris Caroli V. rempublicam procurabat, & cum erat Eſlingæ, miſſis legatis controuerſias aliquot ſedaret. Et hoc quidem fuit initium maximi periculoſiſſimiq; motus, qui magnam deinde Germaniæ partem peruaſit. Sequentis anni uere primo, per Sueuiam atque uicinam Germaniæ partem, quæ eſt ad Danubium, altera fuit exorta tempeſtas ordinis plebeij contra quoſdam proceres eccleſiaſticos, iamque iureiurando ac fide data ſocietatem ineibant, obducta cauſa, quaſi & euangelij doctrinam tueri, & ſeruitutem ab ſe profligare uellent. Euulgata quædam ipſorum poſtulata, numero ad XII. de quibus à magiſtratu ſibi fieri ſatis uolebant, ea mox aliis communicata, paſſim nouos incendebant motus. Sueui confœderati, Vlmam cum copiis tendunt in ruſticos, qui tunc primùm & ipſi prodeunt in aciem, tripartito exercitu. Vnum agmen conſedit prope Biberacum, alterum in Algouia, tertium ad lacum Brigantinum ſeu Conſtantienſem. Sueuici fœderis imperator Georgius Truceſius Vualpurgus, cum ſuis copiis Lippenium profectus, quod eſt duobus infra Vlmam milliaribus oppidulum, proximè Danubium, ubi magno numero illi confœderant, non expectatis peditum turmis neque tormentis, & equitum inuectus caterua, magnam eorum partem concidit: reliquè ſe in flumen præcipitauerunt, atque ibi oppreſſi perierunt: oppidum deditione captum diripitur, & ex hoſtibus multi capite plectuntur. Qui per Algouiã erant, Truceſiõ ſe dedidere. At in diuerſa parte Sueuiæ circa Halam & per Franconiam ingenti numero alij confluxere, & Paſchatis die Vinſpergum occupauere, nobiles trucidauere, Ludouicum comitem Helfeſtenum haſtis utrinque proiectis confodere. Copiis diuiſis unum agmen tendebat in agrum VVittembergicum, & ibi pleriſque locis occupatis, Eſlingam rectà petit. Eos Truceſius profligauit, interfectis aliquot millibus: in captiuos etiam grauiter animaduertit, eos potiſſimùm, qui comitem Helfeſtenum trucidarant, ex iisque unum cathena laxè religatum ad palum, ut diſcurreret, circumpoſito igni, torret, ad eumque excitandum ignem ipſemet ligna comportat: idem alij ex nobilitate faciunt. Pòſt, oppidum Vuinſpergum incendit, & ne rurſus ædificaretur, edicit. Alterum agmen in Franconiam ibat, & incenſis illic circiter ducentis arcibus, nobilium ædificiis & monaſteriis, eoque amplius, Vuirciburgum urbem capiunt, & arcem obſident. Truceſius autem ex agro Vuirtembergico ſuperueniens, ad Engelſtatum uicum eos concidit. Pòſt Vuirciburgum recipit, Ludouici Palatini auxiliis. Iam uerò incendium hoc in uicinam quoque Lotharingiam peruenerat. Antonius dux ad Tabernas uſque progreſſus, quo loco tam Lotharingici quàm Alſatici maximo numero conuenerant, cùm aliquot inſuper ruſticanorum millia his auxilio uenirent, prope uicum Lupfſtenum, ad mille quingentos occidit, reliquis fuga dilapſis, & poſtridie in eos, qui circa Tabernas erant, ingentem edit ſtragem. Qua tamen in re fides deſiderata fuit. Nam iuſſi deponere arma, & impunitate promiſſa, cùm per medias equitum & peditum cohortes prodirent inermes, domum quiſque ſuam redituri, leui quadam occaſione concitata turba, cæſi fuerunt magna ſui parte: pòſt à furente milite direptum eſt oppidum, & arx epiſcopi, cuius etiam & promiſcuè omnes interfecti, nullo diſcrimine. Ea facta ſtrage, cùm princeps domum rediret, alter ruſticorum exercitus ad uallis Vuileræ fauces conſederat, ut tranſitu ipſum prohiberent. Sed commiſſo prælio cæſi fuerunt ſupra millia quatuor. Itaque maxima cum præda plurimisque captiuis domum reuertit. His tribus autem locis, ad XIIX. millia putantur eſſe cæſa, menſe Maio. Conſimilis fuit paſſim aliorum etiam exitus, & ad Petersheimũ agri Vormacienſis oppidum, magno numero fuerunt à militibus occiſi, quũ facta deditione arma depoſuiſſent. Aderant huic cædi princeps Palatinus, & archiepiſcopus Treuirenſis Richardus: quorum ille quidem magna ui conabatur furentem militem retinere, hic autem non ſolùm probaſſe, uerumetiam multos ipſe confodiſſe fertur. Quibuſdam tamen in locis, dexteritate magiſtratus & intereſſorum, placidè res compoſita fuit. Sic motus Briſgoicus contra Erneſtũ Marchionẽ Badenſem ab Argentoratenſibus, & Songauicus cõtra Ferdinandũ regẽ ab Heluetiis cõpoſitus fuit. Hoc incendiũ inde à Turingia & Saxoniæ finib. ad Alpes uſq; penetrauit, per Salisburgẽſem etiam agrũ excitata demùm ſeditione, quam exercitus Sueuici fœderis tandem

dem oppreſsit, multis proſcriptis. In quorum numero fuit Geiſmeierus ruſticorum dux, qui per Alpes cum parte copiarum ad Venetos penetrauit, ab iisque ſtipendio donatus annuo, Patauij tandem proditione interfectus eſt. De numero cæſorum in hoc bello, quod æſtate fuit una confectum, non idem omnes iudicant: qui minimum, ad quinquaginta millia paſsim occubuiſſe ferunt. Sleidan. lib. 4.

PIRATAE, LATRONES, TANQVAM HOSTES PVBLICI OMNIVM.

PIRATARVM potentia primùm ex Cilicia erupit, originemque habuit audacem & occultam: animos uerò & confidentiam bello Mithridatico ceperunt, obſequiis regiis accommodantes ſe. Deinde dum bellis ciuilibus inter Syllam & Marium Romani ante portas urbis concurrunt, uacuum cuſtodibus mare ſenſim illexit illos & incitauit: ut non iam nauigantibus modò eſſent infeſti, ſed & inſulas & oppidæ maritima uaſtarent. Iam pecunioſi etiam, natalibus clari, uiri prudentia præcellere habiti, naues prædatorias conſcendebant, & ſocietati nomina dabant: quaſi ea res laudem adderet & gloriam. Adhæc erant iis multis locis naualia, portus piratici, & ſpeculæ munitæ Phariſque. Claſſes incurſitabant non ſolùm delecta militum claſſiariorum & ſociorum naualium iuuentute, gubernatorum arte, nauium pernicitate & agilitate ad munus ſuum inſtructæ: uerùm etiam ſupra eorum terrorem inuidioſus ſtimulabat faſtus. Auratis ſtylidibus, purpureis cortinis, remis inargentatis, quaſi ſceleribus geſtiebant gloriabanturque. Tibiæ, cantus, compotationes per omnia litora, principum in captiuitatem raptus, urbium redemtiones captarum, ſugillatio erant Romani imperij. Erant nauigia prædatoria ſupra mille, capta ab illis oppida CCCC. Hæc manus mare quoque Tyrrhenum & Adriaticum habebat infeſtum penè totum, prohibebatque nauigationem, & commercia euouebat. Id potiſſimùm preſſos Romanos rei frumentariæ anguſtiis & magnam famem timentes impulit, ut ad uindicandum à piratis mare mitterent Pompeium. Is nauibus D. peditum CM. equitum VM. conſcriptis, non maiore quàm trium menſium ſpacio debellauit, roſtratas XC. cepit, XXM. prædonum capta ad meliorem uitam traduxit. Plutarchus in Pompeio.

SERVI.

Vide Tit. Seruorũ perfidiæ erga dominos. quatenus ex malo œconomico ſit publicum.

In SICILIA bellum ſeruile eſt excitatum ante Sociale ab Eunno Syro quodam, qui ſe furore magnæ matris deũm correptum ſimulauit. Sexaginta milia hominum ſunt ab eo coacta, & prætores quatuor uicti, caſtraq; ab eis capta. Perpẽna fugitiuos tandem obſeſſos uicit.

Anno Chriſti MDXVII. turbæ magnæ in LONDINENSI ciuitate à paremtitiis, id eſt, ſeruis ciuium ad tempus, excitatæ ſunt. Iſ namque ſimultates utplurimùm cum artificibus & mercatoribus externis gerunt, quia æmuli emendi uendendiq; artis præcipuè ſunt. Duo igitur monachi, alter Dominicanus, alter Canonicus regularis, concionando multitudinem concitauerunt, deplorantes plebis incommoda & iniurias, quibus illa aſſiduè afficiatur, quòd mercatores artificesq; alienigenæ ex longinquis partibus illuc aduolent, bonamque uictus ac lucrorum partem è manibus ciuium rapiant. Ergo auctore quodam Ioanne Lincolno, inter ſe coniurarunt contra opifices externos uel mercatores, ſtatueruntque Calendis Maij, cùm more ſuo, bene mane eo ipſo die ſolerent ſeſe effundere in agros, atque inde redire, reportantes ramos uirides, ut ne cædis ulla ſuſpicio oriretur, in eos impetum facere. Sed coniuratione detecta Ioannes Lincolnus cum quatuor ſociis morte multatus eſt, ac eorum corpora in fruſtra diuiſa ad ſingulas urbis portas appenſa, item alij numero decem diuerſis in locis ſuſpendio necati. Erat porrò ſpectaculum antea non uiſum, per urbem tot uno tempore patibula uidere. anno decimoquinto pòſt die ſublata ſunt. Reliqua noxiorum turba collo in laqueum inſerto ad Veſtmonaſterium ducitur, ubi rex pro tribunali ſedens omnibus ſuppliciter manus tendentibus ueniam conceſſit. Polydorus libro 27.

INIMICITIA PRIVATA POLITICA.

Huc refer exempla priuata Vltionis erga hoſtes uiuos uel mortuos. item. Perfidiæ erga hoſtes.

Cùm Alexander Magnus Barbarorum moribus ſeſe plurimùm accommodaret, & ex primis amicis cerneret his aſſentientem EPHÆSTIONEM, atque ad inſtitutum ſuum ſe accommodantem, CRATERVM uerò patriis inſiſtentem moribus: hoc interprete Græcis & Macedonibus reſponſa dabat, illo barbaris. Et omnino hunc in maximo honore habebat, illum maximè diligebat: exiſtimans & dicens perpetuò, Epheſtionem *φιλαλέξανδρον*, Alexandri amantem, Craterum *φιλοβασιλέα*, amantem regis eſſe. Quapropter exiſtebant inter hos inuicem æmulos crebræ offenſiones. Semel in India etiam ad manus uenere diſtrictis enſibus. Subuenientibus utrique amicis accurrens Alexander probris increpauit Ephæſtionem, propalàm ſtolidum eum & amentem uocans, niſi intelligeret, ſi quis ei detraheret Alexandrum, actum de ipſo eſſe. Priuatim Craterum corripuit amarè, reconciliataque ac reſtituta inter eos gratia, per Ammonem atque omnes deos ſanctè iurauit, eos ſibi ſupra omnes mortales caros eſſe, quos ſi iterum concertare perciperet, ambos necaturum ſe, aut cum, initium qui dediſſet, unde ne per iocum quidem deinceps alter alterum ullo dicto uel facto dicitur laceſſiuiſſe. Plutarchus.

DEMARATVS Spartanorum rex, LEVTYCHIDI Percalam Chilonis filiam deſponſatam prægnauerat. Eam ob cauſam poſtea & quòd Ariſtonis regis F. non eſſet, niſi ſpurius, à Leutychide regno deiectus eſt, inſtigante cum Cleomene. Herod. lib. 6.

ANAXIMENES Lampſacenus hiſtoriam conſcripſit, maledictorum in Athenienſes, Lacedæmonios & Thebanos pleniſſimam, eamq; ſuppoſito Theopompi inimici ſui nomine, qui eius ſtylum ad unguem expreſſiſſet, diuulgandam curauit. Quæ res Theopompo magnam apud omnes Græcos inuidiam conciliauit. Pauſanias lib. 6.

PROMERVS quidam Archelai Macedonum regis miniſter fuit. Is Euripidem tragicum poetam ſupra modum exoſum habebat, delatus ab eodem aliquando neſcio quo nomine apud regem. Quare poſtea canes quoſdam feros in poetam ſoluit, à quibus ille deuoratus interiit. Eraſmus in Adagio, Promeri canes.

DIONYSIVS iunior Corinthi exulans, ad musicum Aristoxenum & certos alios, qui quærebant, unde & quæ'nam aduersus Platonem ei offensio extitisset: Tyrannis, inquit, cùm multis est referta malis, tum longè maximo, quòd nemo ex iis, qui dicuntur amici, liberè loquatur: siquidem illorum se opera Platonis fuisse beneuolentia spoliatum. Plutarchus in Timoleonte.

Antonij Critici uxor Iulia ex Cęsarum familia, M. ANTONII Triumuiri mater, post mariti fata nupsit Corn. Lentulo, quem CICERO unum ex Catilinæ coniuratione necauit. Hinc apparet acris illius cum Cicerone Antonio simultatis occasio & fons extitisse. Iactat Antonius, ne exanime quidem corpus Lentuli priùs, quàm exorata à matre sua Ciceronis uxore redditum. uerùm id apertum est mendacium. Nemo enim quisquam eorum, in quos tunc fuit à Cicerone animaduersum, fuit sepultura prohibitus. Mox autē in Cæsaris consulatu, Clodius tribunus plebis designatus fuit, à quo torus eius atq; arcana peruigilia fuerant temerata. De[redacted]

INIMICITIAE POLITI[redacted]

90 APERTA CVIVSMODI SVNT

91 BELLA VEL

Ciuilia.

Quantis odiis, quàm uaria fortuna bello Peloponesiaco per XXVII annos ATHENIENSES & LACEDÆMONII inter se ob Græciæ dominatum concertarint, & suis discordiis omnem reliquam Græciam implicauerint, leges apud Diodorum Sic. lib. 12. & Thucydidem. Tandem Lysandro duce uicti Athenienses, urbem dedêre.

ROMANA ciuitas excisa Carthagine, Numantia euersa, uelut nullum amplius superesset certamen suis uiribus dignū, quàm ualidæ illæ essent, in seipsam experiri adorta est. Sed tanto quidem id scelus est cum pudore ab initio tentatum, ut Tib. Gracchus, & qui cum eo prima ciuili discordia perierunt, subselliorum fragmentis, quando in ciuem ferrum stringere impium crederetur, interfecti sint. Secuta est C. Gracchi cædes, ac tum primùm ciuili sanguine Romanum ferrum imbutum: in eo tamen temperatum, quòd in paucorum capita cædes est illa peruagata. Sed ut feræ quædam, quæ humano cruore semel gustato, in apertam rabiem exeunt, ita ciuitas suorum ciuium sanguine semel atq; iterum infecta, in tantam domestici cruoris sitim exiit, ut iusta acie sit nonnunquam inter ciues in parentum & natorum conspectu media urbe dimicatum. Hinc nefarium illud C. Marij & L. Syllæ certamen, quod tot millia ciuium patrię abstulit, triste ac dirum futuris malis rudimentum. Gesta sunt inde alia ciuilia bella, quorum uelut non satis capax esset Roma, non satis Italia, nefasq; putaretur, ciuē in eo solo cadere, in quo & natus esset & educatus, ciuilis furor in Macedoniam primò trāslatus est, ad meridiem mox se uertit, & inde ad occidentem solem, ut omnibus diffunderetur terris uictoris populi cruor. Senserunt & maria id nefas, Libycū, Siculum, Ambracium. Ad postremum terræ rursus, Philippi, Gallia, Germaniá, ne qua mundi plaga esset non Rom. sceleris cōscia, donec ciuitas omnium alioqui gentium uictrix, in suum concidit uulnus. Sabellicus lib. 1. En. 6.

Bellum, quod Pop. Rom. contra plures populos Italicos ob ius ciuitatis Rom. denegatum uno tempore gessit, ueteres scriptores nunc SOCIALE, nunc MARSICVM uocant, credo, quia tum primùm de Marsis sit triumphatum, aut certè, quia sub Asculanum morum primi omniū Marsi ex professo sunt hostes facti. Fuit annus ille, quo ita bellari cœptū est, quinquagesimus ac sexcentesimus Romanæ urbis, estq; in quintum annum protractum, quo L. Cornelius Sylla, & Q. Pōpeius sunt cōsules creati. Sab. li. 2. En. 6. ex Diod. li. 37.

Prima ciuilis discordię inter C. MARIVM & L. SYLLAM caussa inde extitit, quòd triūphales statuas, quas Bocchus Maurorum rex P. Rom. & Syllæ gratificaturus, in Capitolio erexerat, & in his auream Iugurthæ imaginē à se quæstori Syllæ traditi, Marius detrahere conatus, grauem in urbe exciuit motum: fuissetq; iam inde cœptum inter ciues armis disceptari, nisi sociale bellum, accensis ad certamen animis, interuenisset. Quo contigit, ut ex eo uix bene composito cōfestim ciuile extiterit. Erat Sylla iam consul Pontum prouinciam sortitus, quum Marius per Seruium Sulpitium Tribunum plebis populum rogandum curauit, ut sibi Mithridaticum bellum decerneretur. Cui rogationi quum Sylla & Pompeius consules summa ope resisterent, pararentque de ea re iudicium, in ambos concionem in templo Castoris habentes, Sulpitius cum armatorum manu ex improuiso impetum fecit: filioq; Pompeij consulis priùs interfecto, fœdā circa templum seditiosissimus tribunus edidit stragem. Sylla fuga elapsus ad exercitum, iniuria commemorata, milites ita commouit, ut eum omnes sint secuti. Per Exquilinā urbem ingressus, acie uictum Marium urbe expulit; & tum primùm Roma suos ciues uidit hostiliter concurrentes, anno V. C. 662. Sulpitium interfecit: ad bellum inde Mithridaticum profectus est. Marius, post uarios errores ex Africa à C. Cinna coss. reuocatus, crudeliss. in ciues sæuiit, & audito Syllę uictoris reditu prę mœrore occubuit. Sylla cū MDCC nauium classe in Italiam reuersus, XL millia sub signis habens, cōtra Marianos, qui Gn. Carbone coss. duce CCCCL

[redacted] Pompeius in Ponto & Armenia [redacted] messationes, scorta cuiq; semper præbendo, neq; [redacted] ad defectionem Hetruria & Gallia plera[redacted] qui ea prospiciebant, [redacted] Ciceronem. [redacted] repulsam. [redacted] oppida dimisit, [redacted] necandi Ciceronis, [redacted] excessit, & Manlio sese coniunxit [redacted] minum. Interea Corn. [redacted] Senatum interficere noctu, & urbem incendere pa[redacted]. Noctem huic facinori destinauerant unam ex Saturnalib9. Enses, stupam, sulphur clàm domum Cethegi comportauerant. Vrbem in centum partes descripserant, iisque centum uiros præfecerant singulos singulis sorte ductos, ut momēto multis ignem subiicientibus urbs undiq; conflagraret. Alij obstructuri erant aquæductus & aquantes obtruncaturi. At Cicero per emissarios suos hisce cognitis, & Allobrogum legatis consentientibus, Lentulum, Cethegum & reliquos coniuratos in uincula cōiici curauit. Variantibus in Senatu sentētiis, & Syllano quidem supplicio ultimo afficiendos censente: C. Iul. Cæsare uerò publicari ipsorum bona, ipsos per municipia in custodiis habendos, dum esset cū Catilina debellatum: Luctatius Catulus, & Cato Syllani sententiam comprobantes, in carcere necandos, iudicarūt. Profectus ergo cum Senatu Cicero ad coniuratos, tradidit singulos carnifici puniendos. Catilina à C. Antonio cum suis cæsus est. Plut. in Cicerone.

M. ANTONIVS, Cæsare à coniuratis interfecto, cùm speraret, se oppresso Bruto facilè principatum consecuturū, quantumuis ipse in senatu de præteritorū obliuione & prouinciis Bruto & Cassio decernendis prius retulisset, hocque ipso bellum ciuile uideretur sustulisse: populum ad interfectores Cæsaris persequendos inflammauit. Qui cùm urbe excessissent, interea OCTAVIVS Apollonia Romam ueniens dictatoris hæreditatem Cæsaris cernens, ambigebat cum M. Antonio de millies H-S. quod ex hæreditate Cæsaris detinebat Antonius. Inde Philippus, qui matrem adolescentis in matrimonio habebat, ac qui sororem Marcellus, adducentes eum ad Ciceronem pepigerunt, ut illi Cicero eloquentiæ præsidio & urbanis opibus in senatu & ad populū præsto esset, ille Ciceroni pecunia & armorum propugna-

culo.Iam

culo. Iam enim manum non contemnendam habebat secū adolescens ueteranorum Cæsaris. Et sanè apparuit eum cupidè Cæsaris amicitiam amplecti, siue oraculo Iouis Capitolini, quod in somnis habuerat, mot9, seu potius odio primùm Antonij, deinde natura sua plus satis auida laudis, cùm speraret Octauium coniuncturum reipubl. suas uires. Vsqueadeò autem subiit eum adolescens, patrem ut appellaret. Quare stomachans maiorem in modum in epistolis, quas ad Atticum scripsit, Brutus Ciceronem reprehendit: q metu Antonij [illegible] Cæsarem, declararet, non patriæ se libertatem, sed dominum magis propitium sibi quærere. Opera igitur Ciceronis Antonius urbe pulsus est: Octauius Hircij & Pansæ Coss. copias contra Antonium accipiens, etiam cōsulari dignitate euectus est. Antonius ad Murinam uictus fugiens ad Lepidum, legiones Transalpinas eo uel inuito partim precibus partim pollicitationibus sibi deuinxit. [illegible] præpotens iterum redditus Alpes traiecit. At Cę[illegible] Ciceroni iam, quem inhærere uidebat libertati, salutem di[illegible] Antoniumq; per necessarios ad reconciliationem pellexit. Hinc Triumuiratus ineunt, proscribunt, crudeliter in proscriptos grassantur. [illegible] proficiscentes in Macedoniā ambo ad bellum Bruto & Cassio faciendum (qui ex Syria & Macedonia exercitum non contemnendum coegerant) Lepido urbē permisere. In Philippeis primùm campis prope Thasum signis collatis, dextro cornu uictor Brutus, castra hostium diripuit: Cassius sinistro uictus, & à suis desertus, sibiipsi manus intulit. Eadem die classis Bruti ingentes copias ex Italia soluentes adorta profligauit. Cæterùm de uictoria nauali certior non factus Brutus, cùm iterum in aciem descendisset, dextro cornu uictor, ab hostibus sinistro cornu profligato circumuentus, cùm in antrum quoddam cum suis se contulisset, gladio incubuit, amicis prius, ut sibi q[illegible] consuleret, admonitis. Victo Bruto in Philippis, Antonius in Asiam abiens, uoluptatibus se totum mācipauit, & Cleopatræ præstigiis fascinatus, non prius sese recollegit, quàm per literas intellexit, Lucium fratrem & uxorem Fuluiam post mutuas dissensiones cum Cæsare belligerasse, ac rebus perditis profugere ex Italia: in Italiam se ducentis nauibus uertēs, Fuluia Sicyone ex [illegible] mortua, maiorem cum Cæsare reconciliationis opportunitatem habuit, imperioq; inter eos diuiso, Octauiam Cæsaris sororem duxit. Reuersus in Orientem ad bellum Parthicū profecturus, cum Cleopatra hærens, præclaras rerum gerendarum occasiones amisit. Cleopatra cùm intercessionem Octauiæ, quę iam Athenas uenerat, metueret, Antoniū ad bellum incitatum, ut Octauiam domum reuersam domo expelli curaret, effecit. Itaq; cùm maximis copiis alter [illegible] mouisset, ad Actium promontorium nauali prælio uictus Antonius, turpissima fuga in Aegyptum aufugit, & Alexandriæ obsessus, à classiariis & equitibus desertus sibiipsi manus intulit. Plut. in Antonio & Bruto.

An. 471. Imperium Rom. tum in Oriente tum in Occidente ut intestinis sic periculosis seditionibus laborauit. In ORIENTE Aspar Patricius Leoni Augusto insidias moliens, filio suo Ardaburio Cæsare declarato, non dubia affectatæ tyrannidis exhibuit argumenta: cuius rei certior Leo factus statim uictorem de Vandalis è Sicilia reuocauit exercitum, atq; Asparem cum filio utroq; adortus, omnes in potestatem adduxit, ac supplicio capitali pro rei atrocitate multauit: illud in primis ueritus, ne si superstites sibi fuissent, despecta Leonis nepotis sui, quem Cæsarem destinauerat, pueritia, Imperij sibi fastigium uindicarent. OCCIDENTALIS autem pestis auctor fuit Ricimer Sueuus natione, præfectus utriusq; militiæ, uelut alter in Italia Aspar, qui Anthemium socerum posthabito affinitatis uinculo primùm despicatui habere, pòst etiam iniuriis aliquot non erubuit onerare. Itaq; accensis inter eos simultatibus, quas etiam utriusq; familiares de industria irritarunt, res ad prauam tendere certaminis contentionem uidebatur: quæ si contracta esset, nemo erat quin deteriore conditione Anthemium pugnaturum putaret, atq; ea res maximam Italię allatura perniciem esset. Pax tamen ab Epiphanio Ticinensi episcopo composita. Haud diu tamen Ricimer in hac concordia māsit, quòd se in hac caussa uiribus multò superiorem uideret, & socerum se, si non fraude, at ui saltem capturum speraret. Itaq; cùm seditio uehementiore flamma recruduisset, ipse cum magno, eoq; infesto exercitu Romam perrexit, atq; obsidendæ urbis caussa apud Anienis pōtem castra fecit. Qua re perspecta, Romani in magnas rerum angustias rursus adducti, alij Anthemio, alij Ricimeri se adiunxerunt, ac ciuitatem intestino dissidio distraxerunt. Vrbem tandem Ricimer Sueuus an. 472. magna mole inuasit, ac in potestatem redegit, atq; ingressus, eandem, quam Alaricus Gothus & Gensericus Vandalus antè attulerant, trepidationem, ac tumultum inuexit. nam & Anthemium captū morte affecit, nulla neq; soceri pietate, neq; Imperatoris reuerentia ductus, & urbē, quæ famis, ac pestilentiæ acerbitate afflicta erat, militibus miserè populandam, diripiendūq; permisit. itaq; præter duas regiones, in quibus ipse cum suis consederat, omnia immani sunt prædatorum libidine lacerata. Inde Olybrius senator Constantinopoli paulò ante reuersus insignibus Augustalibus exornatus. Sigonius lib. 14. imp. occid.

Anno 802. magna inter VENETOS coorta seditio, urbis Heracleanæ excidio caussam attulit Christophorus homo Græcus, Oliuolensis episcopus, Ioanne Duce contendente, ac gratiæ Nicephori Imperatoris in ea re seruiente, fuerat constitutus. Quam rem cùm iniquo ferrent animo Venetiarum tribuni, Ioannem patriarcham Gradensem, ne illum cōsecraret, orarant. Itaq; Ioannes obsequutus, Christophorū non solùm non consecrauit, sed etiam piorum communione amouit. Quo facto Ioannes Dux usq; adeò exarsit ira, ut Mauricio filio Duce assumto classem Gradū adduxerit, atq; oppido primo aduentu capto, patriarcham arreptum ex celsissima turri præcipitarit. Ioanni inde mortuo, suffectus est studio tribunorum Fortunatus, sanguinis illi cōiunctione propinquus. Cui Leo III. pontifex pallium concessit. Is accito Obelerio Metamaucensi tribuno, consilium in Franciam adeundi cœpit, ut Carolum Magnum aduersus Duces incenderet, res Nicephori maiore, quàm par esset, studio cōplectentes. Quo excepto consilio, Duces subitò classem Gradum iterum promouerūt, ac Fortunatum & Obelerium inde excedere coegerunt. Ii cùm se Taruisium contulissent, Obelerius à Venetis exulibus Dux est declaratus & Taruisio cum ualida armatorum manu egressus, repentè Metamaucum repetiit, ac Ioanne Mauricioque exactis, Ducalem ipse coronam accepit, & consensu populi Beatum ac Valentinum fratres honoris sibi consortes asciuit. Interim Obelerius & tribuni magno comparato exercitu, Heracliam, unde Ioannes & Mauricius originem trahebant, inuaserunt, atque in ditionem adductam funditùs euerterunt. Heracliani, quæ maior erat nobilitatis Venetæ pars, quòd ea per aliquot annos sedes Imperij fuerat, alij Metamaucū, alij Torcellum, sed pleriq; Riuoaltum petierunt. Ioannes & Mauricius cum se Mantuam recepissent, Nicephorum Imp. de rebus, quæ euenerant, deq; exilio, in quo ipsius caussa erant, fecerant certiorem, rumorq; increbuerat, Nicephorū classem ad eos reducendos missurum. Itaq; Obelerius & Beatus Carolum Magnum adierunt, & rogarunt, ut Venetos ac Dalmatas in amicitiam reciperet, ac Duces populosq; suos confirmaret. Quibus auditis Carolus haud grauatè assensit, ac fœdere cōcesso dimisit. Sigonius lib. 14. imp. occid.

Mortuo Fincormaco SCOTORVM rege, filiis etiamnum impuberibus, tres Crathlinti regis diuersis ex fratribus nepotes, Romachus, Fethelmacus, & Angusianus, grauem inter primores excitauere contentionem. Erant enim pares penè ætate, amicis, necessariis & fortunis. Romachus tamen prēterstimma paternum erat Pictici generis, nobili fœmina prognatus, & ob id utriusq; parētis natalibus clarus, ideoque tametsi cæteris ætate minor, q secundum Crathlintū regem ex maiori fratre natus esset, regnum sibi debere asseuerauit. Angusianus suffragante Fethelmaco regnum sibi petiit deceri, quòd Romacho natu esset grandior, multaq; & diurna rerum experientia magis esset ad publicam administrationem idoneus. Maior pars procerum Angusiano ob modestiam & probitatem fauebat. At Romachus pictorū armis adiutus, acie uictor, regnum occupauit: eoque impotenter abusus, à proceribus cæsus est anno regni tertio. Caput pilæ affixū per castra circumlatum. Angusianus ex Hibernia ad regnum uocatus. H. Boetius lib. 6.

Subacti à Scotis & Pictis BRITANNI, miserè seruiebāt, Martiano imperāte. Accessit malū grauius, intestina seditio. Plebeii in primores gētis conspirauere, Britannicæ nobilitatis exterminandæ consilio. Causati magna tum ignauia à maiorum uirtute degenerantium, Barbarorum subactos se imperio, uilissimeq; seruituti addictos. Bis uicti plebeij relictis uicis, agris, uxoribus & liberis, aut asperis montibus, aut cauernis, saltibúsue, uictorum declinantes iram, sese continebant frequentes incursus, in nobilium greges & armenta, exercentes. Tandem pacem peperit necessitas: quando neque nobilitas sine agrestium opera, diutius stare poterat: nec sine magnatum consilio & auctoritate, populares. Cōuenit igitur pax, opibus uiribusque utriusque fractis, utrinque remissis iniuriis. Attulit id seruile bellum rebus Britannicis haud minus incommodi, quam Maximiani tyrannis, quum Britanniam & præstanti milite & habitatore penè spoliaret. H. Boetius lib. 8.

Anno 1183. fratrueles duo, Bureuinus Pribislai, & Niclotus Verzlai, fratrum filij, terrā OBOTRITORVM & KISSINORVM tenebant: Niclotus quidē eam, quæ nunc est Magnopolis, Bureuinus ad Orientem magis imperabat. Ciuili bello inter eos ut inter glorię & imperij cupidos orto, Bureuinus, dū Rugiā suis partibus aduersantē nauibus uexat, ca-

ptus à

ptus à Iarimaro Rugiæ principe, mittitur regi Daniæ, cui tũ Rugia parebat: ibiq; captus diu detinetur. Niclotus quoq;, dum aduersas partes auidius quàm cautius insequitur, incidit in manus Buggislai, ducis Pomeranorum, qui Bureuino fauebat. Sed rex Daniæ Kanutus arbiter factus inter dissidentes, ita litem diremit, ut Nicloto Rostochium cum terra Kissinorum, Bureuino uerò Ilou & Magnopolis (ea est terra Obotritorum) proueniret, & uterq; de manu regis terrã suam recognosceret. In quam rem dedere obsides uigintiquatuor: inter quos erat Bureuini filius. Hæc est altera causa, cur Daniæ reges titulum sibi desumant, ut se Vandalorũ quoq; reges profiteantur. Nam primam ex Kanuto Obotritorum rege, sub Lothario Imperatore, eius nominis nouissimo, accepere. Cranzius lib.6. Vandaliæ c.24.

Albertus superioris dux Saxoniæ, ob militarem operam Maximiliano I. Imp. præstitam in Flandria, remunerationis loco accepit gubernationem FRISIÆ occidentalis: cui omnem maritimam PALVSTRIVM terrarum regionem coniunxit, & immissis peditibus gregariorum de Guardia (qui tunc inuicti milites habebantur) facilè subiugauit in factiones diuisos, cùm alij Schiring alij Vetkoper dicerentur. Vni namque parti coniuncta manus stipendiariorum oppressit alteram: subinde conuersa in priorem arma tulit. Ita infelicis discordiæ suæ terra pœnas luit: quæ si unum sensisset, ob loci situm non tam facilè expugnari potuisset. Aliquot locis princeps uictor, munitiones firmauit, ut populum in fide contineret. Cranzius lib.13.c.23. & 27.

Externa.

Si quis ROMANORVM res gestas à primordio urbis diligẽter consideret, multa quidem sub regibus facta reperiet, sed quæ haud dubiè plus indolis præ se ferant, quàm admirationis, fueritq; tyrocinium illud futuræ uirtutis. Mox partâ libertate, etsi multo maiora sunt sub consulibus cæterisq; magistratibus, domi forisq; præclarè gesta, tamen intra Italiæ fines, & cum ipsis fere Italis, athletici certaminis, eorũ comparatione, quæ postea secuta sunt, similitudinem quandam habuisse uideri possunt. Cum Sabinis, Hetruscis, Hernicis, Volscis, de finibus bellatum. Cùm Samnitibus, Campanis, Marsis, Apulis, Lucanis, & cætera Italia, de principatu. Fueruntq; hæc niciteria & gymnastica præmia. Certatũ inde est cum Pyrrho, cum Gallis, sed in eadem terra: fuitq; illud omnino maius, sed uelut in stadio contendere. Cum Pyrrho de gloria dimicatum est. Cum Gallis de agro, & tumultuosè semper. Prima omnium Carthago adultam ciuitatem arenæq; & stadio assuetam, in uerum traxit armorũ certamen. De Siciliæ possessione intraq; insulam primò bellatum, sed ignotis adhuc inter se uiribus, nec inueterato odio, magni terra mariq; utrinque conatus, magnæ clades illatæ & acceptæ. Cessatum inde aliquot annos, datumq; id necessitati potius quàm stomacho. Tum uerò non multo pòst ad arma recursum, non minoribus animis, quàm tunc utriusq; ciuitatis opes essent: non in Sicilia, ut antè, res gesta, non in Aphrica, sed Italia ipsa ab initio belli sedes facta. Huc tempestas & procella illa armorum, Annibalis ductu, ex Hispania effusa. In hoc theatro Martis, tot annis, tantis uiribus, tam uario euentu bellatum, ut propiores periculo fuerint, qui postea uicerunt. Nullo unquam bello res Romana, tam multis sæuisq; cladibus afflicta est. Perculit Ticinus, fugauit Trebia, strauit Trasimenus, afflixerunt Cannæ, ac propemodum extinxerunt. Contrà iacentem Nola excitauit, erexit Capua, Metaurus spe sustulit, Aphrica palmam obtulit. Nec interea Sicilia tantùm; ut primo bello Punico concussa est, nec Aphrica ut extremo, sed uno incendio, Italia, Gallia, Hispania, Aphrica, Sicilia, Sardinia, & cum his omnis ora Græciæ bello conuulsa est. Quid quòd ne Asiæ quidem status, ad eam belli rabiem immotus mansit; ut omnes terræ uno bello laborasse credantur? Magna & grauia bella pop. Rom. quum priùs tum postea gessit, sed nullum magis uarium, laboriosum, cruentum: nullum, in quo Romana uirtus clarius fulserit, plus roboris & ferociæ imbiberit, maiores spiritus extulerit ad reliquas gentes subigendas. Sab. lib.1. En.5.

CIMBRI ex Norico per Heluetiam Galliamq; penetrantes (quorum multitudo trecenta millia tum excessisse memoratur) in Hispaniam populabundi transierunt: qua maximis affecta detrimentis, à Celtiberis inde pòst armis reiecti atq; depulsi sunt. Igitur in Galliam reuertentes, inita cũ Teutonibus & Ambronibus belli societate, in Italiam armis irruere decreuerunt, annum circiter decimum ante natum Christum supra centum. Primus Romanorum Papyrius Carbo consul, in Illyrico cum uniuerso exercitu ab ipsis conciditur. Post eum M. Iunius Syluanus, & ipse consul, superatur. A qua uictoria quum missis legatis sedem & agros à senatu Romano postularent, is hoc ipsis negauit. Nec lõgè pòst altero commisso prælio, Aurelius Scaurus legatus consulis, deletis copiis in manus eorum uiuus peruenit. Qui in consilium à uictoribus adhibitus, quum eos deterrere conaretur, ne superatis Alpium iugis in Italiam sese demitterent (quòd uinci non posse Romanos diceret) Bolus rex, ferocis ingenij iuuenis, confestim manu sua eum interemit. Prælium illud Tacitus factum scribit, anno sexcentesimo quadragesimo pòst Vrbem conditam, à quo alij dissentiunt. Ad eam aduenientis tanta multitudine gentis famam, tribusq; iam prœliis uictricis, perterriti Romani, in âditu Alpium denuò exercitum ualidum opponunt. Igitur inita ad Rhodanum fluuium pugna; anno ab V[illegible] nono & quadragesimo pòst sexcentos, iterum Cimbri memorabilem & funestam de Romanis uictoriam consequuntur, octoginta millibus militum trucidatis, calonum lixarumq; quadraginta millibus: castrisq; binis consularibus potiuntur, uix denis (ut aiunt quidam) è tanto exercitu elabentibus. Alter ꝑ consulum, C. Manlius in pugna interfectus occubuit. Alter Q. Seruilius Cepio, cùm ex fuga Romam certissimus [illegible]dis nuncius peruenisset, abrogato imperio bonisq; publi[illegible] (cùm quòd eius temeritate tanta clades accepta cre[illegible]tur, tum ob spoliatum auro Delphico templum Tolosanũ) in carcerem ductus est, [illegible] pòst cadauer ad scalas Gemonias abiectum. Feruntur uno in prælio Romani maiore clade & detrimento nunquam affecti. Quamobrem suspensis metu animis, C. Marium ex Lybia, ubi Iugurtham deuicerat, in Vrbem reuocant, eumq;, continuato per annos plures magistratu, eius belli Imperatorem creant. Hic ad bellũ Cimbricum profectus, fatidicæ mulieris suasu, cui Marthæ nomen fuit, per biennium conflictu abstinuit. Interea temporis castra ab hostibus summa ui oppugnata, nec minore constantia à Mario defensa sunt. Post elapsos uerò annos duos, cum Teutonibus & Ambronibus, qui diuisis copiis diuersa uia ex Gallia in Italiam fuerant transgressi, ad Aquas Sextias manus feliciter conseruit, ducenta millia hostium fudit, cepit nonaginta millia: tantaq; fertur cæsorum fuisse multitudo, ut Massilienses postea congestis defunctorum ossibus uineas obsepserint, agriq; eius loci, madefacta sanguine humano gleba, & carnium putredine, superfuso prǽsertim rore copioso & imbre, quasi stercore multo pinguescentes, uberrimi feracissimiq; redditi sint. Lucius tamẽ Florus non uno, sed duobus secundis præliis, eodem loco Teutones, & Ambrones à Mario profligatos refert. TAM insperato & infelici sociorum casu Cimbri, qui per Noricũ in Italiam descenderant, quanquam attenuati numero & uiribus, animo tamen minimè fracti, sedem à Romanis collocando rerum suarum domicilio petebant. Quo non impetrato, Q. Catuli proconsulis exercitum in fugam uersum ab Alpium faucibus, quas obsederat, summouent. Italiamque ingressi ad Athesin flumen castrametantur. Nec defuit fortunæ impotenter sibi blandienti Marius, summaq; celeritate eò aduolans, copias suas cum Catuli milite coniunxit, initoq; prælio die 29. Iulij centum quadraginta millia hostium occidit, supra sexaginta millia capta in potestatem redigit. Durauit igitur hoc bellum Cimbricum duodecim continuos amplius annos, sumto initio à Cn. Papyrio Carbone coss. à Cimbris interfecto, usq; ad quintum Caij Marij consulatum, quum ad Athesin illos penitùs debellauit. Auctor lib.1. belli Dithmarsici.

Philippus Valesius Francorum rex, consenescentibus sacri belli consiliis, aduersus Eduardum III. Anglorum regem de imperio secum certantem grauissimum bellum gessit. Nullum atrocius ANGLICO arma Francorum exercuit: nullum diutiùs tenuit: nullum maiore cruore, contentioneq; gestum: nullum sæpiùs repetitum: neutris felix lætúmue: rei Christianæ calamitosum: piis luctuosum: hostibus religionis exoptatum. Anglis incendente Roberto Atrebate comite defectore, non arcem Santonum, non ignobilia oppida amissa, nihil meditum, nihil humile animo uersabat: suũ esse ius Francici regni prædicabat: se Philippi Pulcri nepotem filia ortum potiorem esse, qui ad solium Francicum insidendum uocetur, qui auo, qui auunculis succedat: quàm Philippum Valesium, qui à Philippi Pulcri patre oriundus, stirpe remotior, regnum inuaderet. Anglus Ludouicum Bauarum Imp. ad suas partes traduxit, & ut Vicarius imperij salutaretur, obtinuit. Francus Scotum, Boemum, Nauarræ reges sibi deuinxit. Aemilius lib.8.

SEDITIONES, TVMVLTVS. TVM *Populares, Vrbanæ seditiones.*

Dathan & Abiramus Eliabi F. & On Phelethi F. Rubenitæ, unà cum 250. ISRAELITIS uiris primariis, ob magistratus administrationem in solitudine Pharam contra Mosen coniurant. Eoque nomine rupta terra uiui cum tentoriis absorpti fuerunt: cæteris igni cœlesti absumtis. Num.16.

Demetrius argẽtariorum EPHESIORVM princeps, seditionem populi mouit contra Paulum & apostolos, Christũ annunciantes, & Dianæ, ex qua ipsi quæstum faciebant, idolo

latriam condemnantes. Actorum decimonono.

Cùm SPARTANI à Lycurgi legibus deflexissent, rex Agis Eudamidæ F. non tam populi studio, quàm ut uetera instituta, quantum eius fieri posset, reduceret, per Ephorum Lysandrum nouas tabulas, ut obæratis æs alienum remitteretur, & agrariam legem de partitione agrorum promulgauit: agros suos primùm in medio posuit, & pecuniæ signatæ DC talenta, subsidij loco. Cui cùm alter rex Leonidas Cleonymi F. nobilium studiis suffultus, resisteret, & uno suffragio superior rhetram abrogasset: accusatus de eo, quòd ex muliere alienigena liberos sustulisset, regno deiectus, eiq; Cleombrotus gener substitutus fuit. Eiecto Leonida, Agidis consilium de emendanda Repub. ad felicem exitum perductum fuisset. Verùm Agesilaus Ephorus sua auaritia omnia euertit. Cùm enim possideret latissimum & uberrimum agrum, ære autem alieno multo demersus esset, quia non erat soluendo, neq; dimittere inducebat in animum agrum, persuasit Agidi, si utrunq; pariter tentaretur, magnum in ciuitate exoriturum motum: ꝙ si nouis tabulis antè deliniti locupletes forent, facilè eos & placidè accepturos legem agrariam. Idem Lysandro, qui item seductus ab Agesilao fuit, uisum. Ita congestas in forum debitorum syngraphas, quas Claria appellant, omnes coaceruatas concremauerunt. Sublata flamma pecuniosi & fœneratores, qui ibi deambulabant, digressi sunt. At Agesilaus, quasi illudens illis, negauit clarius se lumen uel ignem lucidiorem uidisse. Postulante plebe, ut ager quoq; confestim diuideretur, imperantibusq; hoc regibus, semper Agesilaus obstacula aliqua interponendo & causando, tempus protrahebat: quoad proficiscendum Agidi ad bellum fuit, cùm acciuissent socij Achæi Lacedæmone auxilia. Ab eo reuersus, cùm interim Agesilaus à nullo quæstu abstineret, Leonidas ex Tegea ad regnum reuocatus est. Agis ad Chalciœcum confugit: Cleombrotus in æde Neptuni supplex sedit, quem Leonidas armis sepsit, grauiter ei succensens, quòd gener struxisset sibi. Intercedente autem Chelonide filia, Cleombroti uxore, in exilium eum eiicere satis habuit, Agidem paulo pòst in carcere strangulauit. Iam uerò cùm Leonidas Cleomeni filio Agiatidem uel inuitam nuptui dedisset, uxoris familiaritate motus Cleomenes, Agidis consilia commendantis, Ephoros tyrannidem exercentes contra ipsos reges sustulit, æs alienum remisit, agros ex æquo partitus est. Et sic, quod uiuus nõ poterat Agis, mortuus per uxorẽ impetrauit, ut æqualitas à Lycurgo instituta reduceretur. Plut. in Agide.

Apud NAXIOS locupletes quidem pleriq; urbẽ habitabant, cæteri uerò sparsi per uicos agebant In quodam itaq; uico, cui nomen Lestadæ, Telegoras habitabat prædiues ac nobilis, multæq; apud plebem auctoritatis: cui cùm alij complures honores habebantur, tum præcipuè muneribus quotidianis ciuium honorabatur, adeò ut qui uendebãt, si quis minoris liceretur quàm uellent, dicere soliti sint, se malle dono dare Telegoræ, quàm tanti uendere. Quidam igitur adolescentes cùm piscem ingentem licitarentur, ac piscator ex more diceret, se malle Telegoræ dono mittere, quàm tãti uendere: molestè ferentes eadem audire toties, simulata beneuolentia ad Telegoram adduxerunt emtum piscem. Quem cùm ille libenter accepisset, tum ipsum adorti sunt, tum filias iam nubiles constuprarunt. Quod factum indignè ferentes Naxij, arreptis armis inuadere conati sunt adolescentes: tantaq; hinc orta seditio, ut Lygdamis huius tumultus præfectus, pòst arrepta tyrãnide patriam oppresserit. Aristoteles in Repub. apud Athen. lib.8.

MEGARENSES tyranno expulso Theagene rempub. paulisper in magna moderatione rexere. Inde cùm affatim meram libertatem eis concionatores propinarent: semel proterui cùm aliàs egerũt cum locupletibus proteruè, tum ingressi domum ad eos, conuiuia & cœnas lautas poscebãt: quę, nisi præberentur, uiolẹnter & contumeliosè omnes accipiebant. Deniq; lege lata usuras, quas intulerant, repetierunt à fœneratoribus: quod factum Palintociam dixere. Plut. in quæst. Græcis,

Quo tempore Spartani Leuctrica calamitate à Thebanis affecti sunt, in ARGIVORVM urbe tanta seditio & cædes orta est, quanta apud reliquos Græcos nunquam fuisse memoratur. Dicta est hæc factio Scytalismus, id nominis sortita à cædis ratiõe & modo. Causa tumultus hęc extitit. Cùm Argiuorum respublica per populi potestatem regeretur, & aliqui ex oratoribus plebem concitarent aduersus eos, qui potentia gloriaq; excellerent, accusati conspirabant ad opprimendam plebẽ: cumq; aliqui, qui cum his facere putabãtur, in quæstionibus exanimarentur, cæteri tormentorum cruciatum perhorrescentes, ipsi sibi mortem consciuere. Quodam autem tempore unus in quæstionibus confessus effecit, ut sibi fides haberetur, & prodens triginta spectatissimos uiros, reos fecit. Populus accusatos morte multauit, & eorum bona publicauit. Cùm uerò plurimi essent in suspicione, & oratores fictis criminationibus eam iuuarent. in tantum ferociit plebs, ut omnes quicunq; in crimen uocarẽtur, quamuis multos & locupletissimos homines, morti adiudicaret. Interfectis deinde potentioribus uiris plus duobus millibus, & ducentis, timentes oratores, ne sibi inopinatum aliquod malum accideret, accusandi studium deseruere. Plebs se derelinqui ab eis existimans, omnes eos capitis supplicio affecit. Inde ad pristinam beneuolentiam reuersi sunt. Diod. lib.15.

Victis ad Anienem Gallis, Dictatore Camillo, contentio supererat atrocior ciuilis aduersus plebem. Nam uictoria ferox POP. ROM. magna ui instabat, ut alter consul præter consuetum modum crearetur ex plebe. Quæ rogatio aliquot iam annis durauerat, ita ut nulli consules, sed Tribuni potestate consulari crearentur. Ei opponebat senatus se, neq; permittebat, ut dictatura abdicaret se Camillus, quò ius nobilitatis auctoritate & summo eius imperio tutaretur commodius. In senatu cùm magnam altercationem excitassent pugnantes sententiæ, uicit tamen lenior, quæ concedebat plebi, permittebatq; alterum consulem ex popularibus creare. Hoc senatusconsultum cùm dictator pro concione pronunciasset, illicò plebs haud immeritò læta, est senatui reconciliata, Camillumq; ingenti plausu & fauore deduxit domum. Is comitiis habitis, consules creauit ex patriciis M. uel L. Aemilium Mamercum, & L. Sextium, de plebe primum. Plutarchus in Camillo, & Liuius.

Licinio Stolone ingentem in urbe concitante tumultum (nam plebs ROMANA insurgebat aduersus patres, ut duorum consulum, qui quotannis designarentur, alter ex suo corpore crearetur, non patritij ambo) tribuni militum creati sunt: comitia cõsularia impediuit plebs. Cùm res magistratibus non creatis ad grauiorem spectaret motum, Camillus quartùm dictator à senatu, plebe inuita, creatus est. At siue alterum exilium & damnationem ueritus, ut ætate iam graui & tantis rebus gestis indignam, siue tantæ plebis procellæ & pertinaci impar, tunc quidem domum se recepit. Insequẽtibus diebus causatus ualetudinem, abdicauit se dictatura. Senatus alium dictatorem creauit. Qui magistro equitum dicto ipso seditionis duce Stolone, legem maximè aduersam nobilitati (qua cautum est, ne quis plus quinquaginta iugera agri possideret) permisit perrogari. In præsentia quidem Stolon plebiscito uictor magnificus, paulo pòst conuictus tenere modum agri, quem cęteris interdixerat, sua ipse lege multatus est. Plutarchus in Camillo.

POP. Rom. agrum suburbanum, quem bellò parauerat, partim uendiderat sub hasta, partim publicum fecerat. Eum inopibus & tenuioribus ciuibus sub exigua pensione, quam ærario ferrent, locabant. Vt autem pecuniosi mercedem intendere, & pauperes cœperunt summouere: lex lata est, quę uetuit, ne quis plus quingentis iugeribus agri possideret. Frænauit aliquandiu hæc sanctio cupiditatem opulentorũ, subleuauitq; egenos: qui locata retinebant, fruebanturq; sorte, quam quisque à primo acceperat. Pòst per appositas personas transferentibus conductiones in se opulentis, ac deniq; propalàm iam suo nomine plerasq; detinentibus, expulsi pauperes, neq; ad militiam se præstabant alacres, abiiciebantq; educandorũ curam liberorum: unde breui Italia infrequentia laborauit omnis liberorum hominũ, & ergastulis completa est barbaricis: quibus colebant agros opulenti homines, exactis Romanis ciuibus. Id corrigere familiaris P. Scipionis adortus C. Lęlius, q̃a renitẽtibus potẽtibus destitit tumultus metu, Sapiẽs est appellatꝰ. At Tiberius Gracchus Tribunus plebis creatus, ei actioni illicò admouit manũ, a Diophane Mitylenęo oratore, & Blosio Cumano philosopho, ut tradũt pleriq;, incẽsus. Nõnulli Corneliç quoq; matri asscribunt aliqd culpę: q̃ filiis crebrò improperabat, ꝙ populus Romanus, Scipionis se adhuc socerum, nondũ matrem Gracchorũ uocaret. Alij Sp. quendam Posthumium perhibent auctorem fuisse Tiberij æqualem, atq; in gloria causarum dicendarum æmulũ: quem post reditũ à militia offendens longè gloria potentiaq; præfulgentẽ & celebrem, uoluit eũ transgredi actione suscepta ancipiti & magnæ expectationis. At frater eius Caius in quodã libro reliqt scriptũ, cùm Numãtiã ꝑgeret ꝑ Hetruriã Tiberius, solitudinẽq; agrorũ spectaret, agricolas aũt & pastores seruitia esse ꝑegrina & barbara, tũc primùm illã actionẽ, ex qua infinita iis fluxerũt mala, animo cõplexũ. Maxima uerò ex parte ipse ardorẽ & cõtẽtionẽ huius inflãmauit populus, ꝑ libellos prouocando eũ in porticibus, muris, & monumẽtis proscriptos: ut inopibus agrũ publicum redderet. Legẽ nõ composuit tamen solus, sed adhibuit in consiliũ principes uirtute & auctoritate ciues: in qbus Crassus fuit Põtifex Max. Mutius Scęuola iuriscõsultus, qui id temporis consulatu fungebatur, & App. Claudius socer eius. Neq; uidetur lex in iniuriam & iniquitatẽ adeò grandẽ fuisse unquã lata mitior uel mollior: quippe à qbus exigẽda uiolatę legis pia

cula erant, & quibus cum multa agri, quos tenebant contra legem, erant dimittẽdi: ab his postulauit, ut accepto insuper præmio relinquerent ea, quæ iniquè usurpauerant: redderentq; ea ciuibus, qui subleuandi erant. Opulẽti cùm homini eloquentia causam bonam defendenti resistere nõ possent, ad unum ex tribunis conuertunt, se M. Octauiũ grauibus iuuenem moribus & modestum, qui se Tiberio obiiceret, & legem antiquaret. Præualet autem inter tribunos illius potestas, qui quid uetat. Nihil enim sciscere plebs uno ualet intercedente. Hinc incensus Tiberius legi illi benignę salutem dixit, gratioremq; multitudini & flagrantiorem ꝓmulgauit in fraudatores, iubens exemplò illo excedere eos agro, cui contra superiores leges incubabant. Cœpit aliis legibus illicere plebem, quibus annos stipendiorum cõtrahebat, & prouocationem à iudicibus concedebat ad populum: obtinentibus etiam id temporis iudicia senatoribus parem numerum ex equestri ordine affundebat, atq; ita uires senatus omnibus modis coercebat, felle magis atque peruicacia, quàm æqui & commodi ratione adductus. Tandem Octauio Tribunatum abrogauit Tiberius, & legẽ pertulit. Mox & de Attali pecunia populo diuidenda lege promulgauit. Tribunatum in alium petens annum, leges ut ꝑferret, cùm in Capitolium ascendisset, Scipio Nasica in Senatu exiliens, Quando Remp. inquit, prodit consul, sequimini me, qui remp. saluam uultis. Sic fatus, lacinia togæ capite obuoluto contendit ad Capitolium. Quotquot illum sequebantur, toga brachium circumiecta propulerunt obuios, renitente illis ob eorum dignitatem nemine, sed fugientibus omnibus atq; se mutuò obterentibus. Horum comitatus attulerat domo clauas & sudes. Ipsi detractorum ab effuso in fugam cœtu subselliorum fragmenta & fulcra corripientes, perrexerunt in Tiberium, simulq; ceciderunt in fronte locatos. Ipsius Tiberij fugæ consulentis prehendit quispiam togam. Ille toga relicta fugiens in tunica cespitauit, prolapsusq; est super eos, qui ante eum ceciderant. Attollentem se princeps apertè caput eius afflixit subsellij pede unus ex collegis eius Satureius. Secundum ictum intulit ei L. Rufus: qui de eo uelut re præclara gesta gloriabatur. Ex cœtu plus trecenti occubuerunt fustibus & lapidibus cõminuti, ferro nullus. Hanc Romæ primam memoriæ produnt à regno sublato seditionem fuisse sanguine & cæde ciuili diremtam. Senatus quò populũ ob ea acta leniret, neq; legi agrariæ ultrà refragatus est, & plebi permisit, ut Tiberij loco alium Triumuirum agris diuidundis designaret. Plutarchus in Tiberio.

CAIVS Gracchus Triumuir agrarius cum Ful. Flacco & Papyrio Carbone, cùm in secundo Tribunatu leges promulgasset, quas repulsam in tertio passus perferre non potuit, & inimici eius L. Opimio lecto consule multas Caij leges circumducerent, quo, cùm causam iræ præbuisset, interficeretur: tolerauit id aliquandiu. Cæterùm quia ab amicis fuit, præcipuè à Fuluio Flacco consulari accensus, aggressus denuò est præsidium aduersus consulem contrahere. Qua die leges eius Opimius antiquaturus erat, utraq; pars insederat prima luce Capitolium. Cùm rem diuinam consul faceret, unus ex lictoribus eius Q. Antyllius auferens aliò exta ad Fuluij cohortem ait: Date locum bonis, improbi ciues. Sunt qui ferant, simul cum uoce hac etiam nudum brachiũ tanquam ad contumeliam compositum traiecisse. Ibi e uestigiò confoditur Antyllius longis stylis fodicatus, ad id ipsum, ut aiunt, paratis. Hæc cædes multitudinem consternauit. Duces uerò diuersè fuerunt animati. Excanduit enim Caius, & castigauit suos, quòd colorem quærentibus iam pridem aduersus ipsos prębuissent aduersariis. Opimius autem sicut ansa accepta erectus exasperauit ad sumendum supplicium populum. Regressi inde Patres, senatusconsulto facto mandant consuli Opimio, daret diligenter operã, nequid respubl. detrimenti pateretur, & opprimeret tyrannos. Ille cùm denunciasset, ut Patres ad arma irent: & equitibus edixisset, singuli ut cum luce binos seruos armis instructos adducerent: Fuluius è diuerso adornauit se, & multitudinẽ spoliis, quæ domi habebat, Gallis in consulatu suo deuictis detracta: magnisq; cum minis & clamore ad occupandum Auentinũ contendẽs noluit arma induere: uerùm sicut in forum, toga amictus progreditur, tantùm modico pugione accinxit se. Opimius pace, quam Fuluius per filium petebat, repudiata, in Fuluij cohortem fecit impressionem cum multis peditibus & sagittariis Cretensibus: qui potissimùm missilibus petentes aduersarios conuulnerantesq; dissipauerunt eos. Data fuga, Fuluius in balneum contemtum cõfugit. Mox extractus inde cum filio natu maiore, obtruncatus est. Caius uerò à nemine præliari conspectus est: uerùm ista fieri dolens, recepit se in ædem Dianæ. Inde hortãtibus amicis per pontem sublicium in lucum Furinæ cõfugit: ubi à Philocrate seruo, quem unum fugæ comitem habuit, uolens interfectus est: siue ut alij uolunt, ab inimicis prius seruo, qui illum corpore suo texerat, interemto, trucidatus. Cadauera tam horum quàm aliorum, qui trucidati fuerũt tria millia, in amnem proiecta, bona eorum sub hasta uendita. Interdictus insuper coniugibus eorum luctus. Licinia Caij etiam dote spoliata. Adhæc necauerunt minorem Fuluij filium, qui non arma contrà tulerat, neq; in cœtu fuerat præliantium: sed ad pacificandum uenientem ante pugnã corripuerunt, & post pugnam occiderunt. Plut. in Caio.

Cùm in bello, quod Romani contra piratas gesserunt, POPVLVS Romanus classem comparasset, huicq; Pompeium præfecisset contra Senatus uoluntatem, repugnantibus Patribus, plebs seditionem mouit, atque in Senatores adhuc sedentes impetum fecit: quos & ad unum omnes interfecisset, nisi de loco, uitæ consulentes, abiissent. Historiam latè describit Dion Nicæus, & eius abbreuiator Xiphilinus, in Pompeio.

Mortuo Herode Iudæorum rege, Sabinus procurator Augusti cum legione relictus à Quintilio Varo, lucri & prædę cupiditate Hierosolymitanos grauiter affligebat. Instante Pẽtecoste, magna IVDÆORVM multitudo undiq; coiens, partiti trifariam castra, inclusos in regia Romanos oppugnare parabant. Milites magno animo repugnabant. Iudęi porticus in extimo templi ambitu conscendentes, de superiore loco Romanos urgebant. Romani tandem ignem porticibus subiecerunt. Quarum materies, ꝙ esset pice ac cera ob inaurationem peruncta, facilè correpta est incẽdio, quo lacunaria illa preciosa & magnifica absumta sunt, & quotquot illuc ascẽderant improuisò perierũt exitio: pars enim cum tecto ruente unà præcipitati sunt, pars à circumstantibus telis confixi: nõnulli desperatione salutis & ui mali attoniti, aut in flammas sese dederunt, aut sussmet gladiis cõfecti sunt: quòd si aliqui refugientes quà ascenderant in tutum se recipere uolebant, hos omnes Romani contrucidauerunt, ꝙ inermibus nihil prodesset ferocia, ita ut ne unus quidem ex his, qui tectum ascenderant, incolumis euaderet. Tum Romani, qua se incendium remisit, alij ab aliis protrusi, penetrauerunt ad sacræ pecuniæ conditorium, cuius bona pars furto militum disperiit: ad Sabinum autem propalàm quadringenta talenta ex ea præda relata sunt. Iudæi uerò duplici calamitate affecti sunt, desideratis in ca pugna charorum amicorum plurimis, & insuper spoliato sacrario: facto tamen globo è pugnacissimis circumdederũt regiam, incensuros se eam & omnes intus occisuros minitantes, nisi quamprimum discederent. At Varo cum duabus legionibus superueniente, seditio compressa est: auctores crucibus suffixi ad duo millia. Ioseph. lib. 17. ca. 12. Antiquit.

IVDÆI Asiatici conspecto Paulo in templò Hierosolymis, seditionem excitarunt, & nisi Tribunus cum Romanis militibus Paulum eripuisset, eum interfecissent. Act. 21.

Orta sub Claudio Cæsare seditione Hierosolymis, quoniam Miles quidam populo die festo pudenda ostendisset, IVDÆORVM supra XXX. millia à Rom. cæsa fuerunt. Quidã ex illa turba fugientes, in publica uia centesimo ab urbe stadio Stephanum Cæsaris seruum iter faciẽtem aggressi sunt latrocinio, omnesq; eius diripuerunt sarcinas: quo audito Cumanus confestim eò misit milites, iussos ut uicos loco propinquos diriperent. In hac populatione miles quidam libros Mosaicos in quodam uico inuentos protulit, eosq; lacerauit in conspectu omnium, multis debacchatus & in legem & in gentem totam cõuitiis. Hoc ubi ad Iudæos perlatum est, facto concursu, agmine magno petunt Cæsareã, in qua tum Cumanus agebat, supplicantes, ut nõ suam, sed læsi numinis ulcisceretur iniuriam. Tum præses ueritus defectionem populi, de amicorum consilio militem illum uiolatorem legis securi feriit, atq; hoc modo tumultum iam repullulantem sedauit. Iosephus lib. 20. cap. 4. Antiq.

Alexander episcopus Constantinopolitanus Nicæni concilij uindex acerrimus, uita cedens & duos uiros populo commendauerat, doctrinæ ac uitæ laude præstantes, Paulum & Macedonium. Itaq; populus CONSTANTINOPOLITANVS comitiis episcopo creando indictis, in duas abiit partes. Quarum quæ sanior erat, Paulum, quæ Arij ueneno corrupta, Macedonium legit: eaq; de re magnus in urbe tumultus est concitatus. Ad quem sedandum cùm se Constantius Imp. Antiochia recepisset, re cognita neutrum eorũ probauit, sed concilio episcoporum Arianorum coacto, Eusebium Nicomediensem tantorum incendiorum auctorem ad fastigium illud euexit. Eusebius sese totum ad Consubstantiale labefactandum, & Nicænum concilium infirmandum cõuertit. Eo seq. anno mortuo, populus rursus diuisis studiis ad comitia prodiit, ac Paulum & Macedonium pristinis sedibus reddidit: atq; inde acerbis inter se certaminibus contendere instituit. Constantius Imp. Arianorum patronus tumultu inter Catholicos Arianosq; in dies ingrauescente, literas Antiochia ad Hermogenem magistrum equitum in Thraciam misit, ut Constantinopolim accederet, atque armis, si aliter non posset, Paulum, quem Catholici defendebant, ecclesia pelleret. Paruit iussis eius Hermogenes: uerùm statim paruisse pœnituit. nam plebs Pauli studio incitata ipsum tanta animorum constantia sibi defendẽdum suscepit, ut ne ipsi quidem Hermogeni aduersanti, atq; armatis hominibus rem agenti pepercerit. Quinetiam eousque uecordiæ, furorisq; processit, ut incendium ædibus, in quibus ille uersabatur, intulerit, atq; inde eductum miserabili, ac fœdo spectaculo traxerit, ac laceratum, & discerptum uita eiecerit. Quo comperto, Constantius gradu citato recurrit, atq; inflammatus ira non solùm Paulum urbe exegit, sed plebi etiam solenne frumenti Alexandrini congiarium, quod Constantinus pater dari quotannis constituerat, abstulit. Macedonium tamen sibi substituendum non duxit, ꝙ iniussũ suo designatus fuerat, & causam præsenti seditioni attulerat. Inde per Philippum præfectum, Paulum urbe expulit, & Macedonium substituit maximo resistentis populi tumultu, atque trium millium hominum strage. Sigonius libro 5. Imp. occid.

Anno Iustiniani septimo, BYZANTII orta est seditio, quę tesseram popularem dedit (hac enim nota se inuicem coniuncti agnouerũt) expulsiq; sunt ciues boni, & incensa ędificia, inter quæ & templum Sapientiæ Dei fuit: sed repressa est à Iustiniano, auxilio Belisarij, sublatis auctorib. Hypatio & Pompeio, & trucidatis triginta millibus hominum. Procopius, Euagrius lib. 4. c. 13. Nicephorus lib. 17. c. 10.

Quarto Iustiniani anno, ob turpissimam Imp. auaritiam, & intolerabiles subditorum cõpilationes, seditio orta est CONSTANTINOPOLI: in qua Imperator in uitæ discrimẽ uenisse, & amplius quàm triginta millia hominum cęsa scribũtur. Procopius lib. 1. belli Persici. Zonaras tomo 3.

Manuel Græcus Imp. an. 1180. moriens. Alexium filium annos tredecim natum tutore Alexio Protosebasto instituto reliquit. Alexio uerò tutore Latinos immodicis honorib. prosequente, GRÆCI indignati, uetera contracta ob sacrorũ differentiam odia incitarunt, atq; Andronico Manuelis patruele ex Ponto euocato, ipsum Alexium adorti de medio sustulerunt, atq; inde sæuientes animis impetum in omnes Latinos, qui apud se uersabantur, fecerunt. Cæterùm primæ iniuriæ monachis & sacerdotibus factæ. Ioanni subdiacono legato pontificio caput abscissum, atq; ad contumeliam caudæ immũdæ canis appensum. Mortuorum cadauera sepulcris impiè uiolatis per uias crudelissimè ac fœdissimè tracta. omnibus, qui in Xenodochio S. Ioannis ægri cubabant, uita ferro adeṁta. Pauci, quibus uitam concesserant, infidelibus pecunia ad seruitutem addicti. Ex Choniata & Gulielmo archiepiscopo Tyrio Sigonius lib. 14. regni Ital.

Petrus Damiani episcopus Ostiensis à Nicolao II. Pp. MEDIOLANVM missus, Simoniacorum & Nicolaitarum causa, causam legationis ad eos suæ in concione exposuit. Ea cognita postridie rumor in ciuitate à factione clericorum, qui uxores habebant excitatus increbuit, Ambrosianam ecclesiã antiquis patrum institutis liberam, nec Romanis legibus obnoxiam esse, neq; Pontificem Romanum ius ullum in sua ecclesia ordinanda, atq; constituenda habere. Itaq; sublato clamore raptim undiq, à tumultuantibus ad Episcopiũ concurritur: campanarum strepitu ac prægrandis tubæ clangore urbs tota completur, ac mors legato ab omnibus intentatur. accenderat autem inuidiæ flammam, quòd Petrus pridie in conuentu præsidens ad dextram sibi Anselmum episcopum Lucensem constituerat: à sinistra uerò Vidonẽ archiepiscopum Mediolanensem sibi assidere mandarat. Perspecta uerò populi uoluntate legatus postridiè conuocato in templum populo in concionem ascendit, atq; tumultum sedauit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Anno 990. MEDIOLANI seditio ingens exarsit, quæ nouam reipublicæ mutationem induxit. Quippe Bonicius Dux ab Othone I. Imp. constitutus, Gothifredo archiepiscopo mortuo ab Othone III. dignitatem eam Landulfo filio suo impetrauit. Populo uerò Landulfum repudiante, atq; armis ab in Episcopij aditu repellente, ipsum tueri cõmissis certamini bus in urbe non dubitauit: in quibus cùm alij præclari uiri, tum Tatius uir potentiss. cecidit. Quo facto, Bonicius ipse in lectulo ipso furtim à Mantegatio Tatij familiari confossus. Landulfum inde, cùm Ducis præfecturam mãdari fratri suo natu maximo uellet, populus ira percitus urbe cum fautoribus eius exegit, ac Ducis magistratum abrogauit: cõsulesq;, qui regerent ciuitatem, more iam in Italia instituto, creauit. Atq; hæc prima seditio ciuitatẽ Mediolanensem in duas partes distraxit, nobilitatem & plebem: quo ueneno semel infecta, nunquam postea planè inualuit. Landulfus cùm comparato exercitu in aciem cum Mediolanensibus descendisset, ac magno prælio in campo Carbonariæ superatus esset, ad Othonem III. Imp. confugit. A quo pòst restitutus est. Sigonius libro septimo regni Ital.

Othone III. regnante, Crescens Nomentanus ROMÆ ingenti fauore populi consulatum adeptus perniciosiss. seditionẽ exciuit. Nam ut erat altissimo animo præditus, non modò ueterem ciuitati libertatem recuperare, sed etiam Imperij titulum sibi asciscere gestiebat, ægrè admodum ferẽs, cum iure quasi hæreditario ad exteros esse translatum. Nam quam diu stirps Caroli Magni superstes fuit, Francos in possessione fuisse, illa extincta, cùm Italici auitam renouare dignitatẽ uellent, tamen intestinis odijs, ciuilibusq; discordijs proposito excidisse. Ita rem ad Othonem Germanum hominẽ deuolutam, ab Othone filium ad tantum fastigium ipso Pontifice colendo esse prouectum: quo mortuo nepotem eò domesticæ usurpatione potentiæ potius, quàm iure aliquo aspirare: agendum igitur atq; obuiam eundum esse, omniq; ope nitendum, ut unde emanauit, eò tandem aliquando Imperium redeat. His uocibus populus Rom. instinctus operi illi suam ad tantum decus recuperandũ polliceri, atq; eũ, ut in bene cepto perseueraret, hortari. Ioannem XVI. Pontificem, siue reip. siue Othonis caritate aduersantem urbe expulit. Ioannes Othonem ex Germania exciuit. Sigonius de regno Italiæ.

Per fas nefasq; sceptro patrio potitus HENRICVS V. dimisso conuentu Moguntino, Burgundiã inuisit, Rheno contiguas perlustrans regiones, hos beneficio, alios iniuria sibi subijciens. Et cum ad Aquas russas, Alsatiæ est oppidum, armis & uiris fortibus potens, Cæsareani multa superbè & auarè agerent in ciues, ad arma conclamatũ est. Fit RVBEACENSIVM concursus maximus, ac furore arma ministrante, iacula, ligna, lutum, lapides, puluisq; in aduersarios mittuntur, ac perfidi, impij, parricideq; proclamantur. Tandem Imperator cum suis fuga sibi cõsulit, relictis ibi regalibus, quæ modò parenti per uim extorserat. Iudicium iræ Dei est, inqt auctor uitæ senioris Henrici, ut fugeres, qui patrem fugasti: & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Promiserat Rubeacensibus Imperator pacem, si regalia redderẽt. Verùm ijs receptis, summa ui oppugnatum castrum cepit, diripuit, incendit, misereq; incolas, nulla uel sexus uel ætatis habita ratione, concidit.

Hẽricus VII. ferream Imperij coronam MEDIOLANI suscepit. Hinc atq; inde annitentib. diuersæ factionis in urbe principibus, insolito ciuitas est grauata tributo: neque à rapinis Germani manum cohibuerunt, quos factiosi rerum nouarũ cupidi adiuuarunt. Tandẽ ad arma est uentum. Germanis introductis, quæ in suburbijs & in agris dispersæ erant, copijs, aperto in utrãq; factionẽ Gibellinorũ & Guelforum, prælio decertare ceperunt. Sed Galeacius Vicecomes, magno usus astu, Matthęo genitore domi tanquã ad arcẽ suã seruandam relicto, Lupoldo duci Austriæ & Germanis adhęsit, ne in se quoq; uerterentur: tumultus & plebeiæ audaciæ ac temeritatis causam omnẽ & culpam in Turrianos referens, tyrãnidẽ affectantes. Pari ergo odio Germani & Gibellini in Turrianos ferũtur. Erãt illi magna parte populi stipati, in platea ædi Virginis subiecta. Sed ad primũ impetũ dissipati sunt. Pugna deinde ad uicos relata, cædes utrinq; ꝓmiscua fuit. Guido Turrianorũ princeps in fugã uersus, cũ suis Vercellas petijt. Debacchati in aduersã factionẽ Vicecomites, ad triginta illius primores (in quib. quatuor ex Turrianis fuère) interfecerũt. Eo tumultu offensi Lombardię populi à promissa Hẽrico obedientia recesserunt: primiq; & eodẽ die Cremonenses & Cremenses, impositum à rege uicarium & Gibellinos, armis non sinè cęde eiecerunt. Cranzius lib. 9. Saxonię, c. 1.

Henricus VII. ROMÆ coronãdus à Cardinalib. ad epulũ Romanos proceres inuitauit. Sub eius finẽ ad suos, qui circumstabant conuersus, adigendos esse fidelitatis sacramẽto oẽs, qui aderant Romanos, poscendasq; & in custodiã recipiendas Vrbis arces, demũq; retinẽdos oẽs imperauit. Arces eæ, ædes erant in theatris, thermis & uetusti operis ædificiis, in arcis formã cõmunitę: quib. tunc Germanorũ præsidia sunt imposita: cùm proceres omnes iurati retinerentur. Insuper uerò tributa poposcit à populo, solito semper antea uel uicatim uel dispersas in multitudinẽ pecunias, ab alijs, qui coronabantur accipere. Cõmota est itaq; ciuitas, & omnis utriusq; factionis tam Gibellinæ quã Guelfæ populus ad Vrsinos confluxit: primũq; in deturbatos occupatis arcib. pòst in alios Vrbem perambulantes Germanos, impetus cũ cęde & sanguinis effusione est factus. Ergo coronã (cuius in basilica apostoli Petri de more accipiendæ spes omnino sublata erat) in Laterano accepit, Tiburq; migrauit. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 4.

Quo tempore Philippus Pulcer, Gallorum rex, in Flandria rerũ potiebatur, BRVGIS contentione inter minutam plebem, cum qua artifices atq; mercatores sentiebant, orta, cùm pręterea nimium grauibus se oneribus premi quererẽtur, plebs arreptis armis, carcere liberauit Petrum cognomento Regẽ, lanarium textorem, & Gianbridam lanium: qui ambo propter seditionem in carcere erant. Illos duos multitudinis duces constituit, atq; ipsum in primis Petrum: quòd quãquam

statura pusillus esset, tamen ob senium experiendo prudentiam ingentem comparauerat, & quod cætera in seditiosis hominibus condire solet, altero captus erat oculo. His Ducibus Brugiensis plebs, non urbe modò sua, uerùm à tota quoq; Flandria Gallos expulit: deletisq; eorum copiis, multos ipsorum occidit. Tandē post longum ac graue bellum cum Gallorum rege pacem iniuere, & Flandrenses, & liberi sub Comitibus, iuxta ueterē Flandriæ morem, remansērūt. Egnatius lib.5.c.3.

Circa an.sal.1372. in urbe BRVNSVVICO uulgus concilium urbis inuasit: urbe quosdam eiecit, alios oppressit, nonnullos specie iustitiæ publicè gladio percussit: unum ex proconsulibus, uirum & ætate & mole corporis grauem, quum uires inflectendis genibus non haberet, in sede recumbentem obtruncauit. Obijciebant illis, quòd populum exactionib. grauarent. & maiori quàm ulli principes imposito onere dominarentur: idque literis ad uicinas & longinquas urbes perscripsere. Nouum concilium ex mechanicis uiris legere. Vicinæ urbes exemplum detestatæ, non sunt passæ mercatores eius urbis in emporiis diuersari. Hoc uocant Hansa eijcere & proscribere, quum illis priuilegiorum usu & communione interdicitur. Sed qui intus mansere, contemsere eā animaduersionem, quæ paucos attigit. Cranzius libro 9. Saxoniæ, cap.39.

HAMBVRGI perniciosiss. turbatio exorta de prædiis & domibus in urbe clero quouis titulo obuenientibus. Prætēdebat clerus, deberi quoq; sibi ius ciuilitatis non dissimile laico populo, quòd sacerdotia publicis rebus inessent: senatus cum ciuibus repugnabat. Populus non contentus iure agere, uim intulit: præpositus in ecclesia puluere in contumeliam aspersus est, quòd iurisdictionem in quosdam adulteros seuerius intendisset: decanus gladio petitus, alij sacerdotes affecti uerberibus & plagis. Itaque interdicitur urbi sacris. Cedit capitulum urbe: fratres cum laico populo proteruiunt: deuoluitur causa ad Romanam curiam: diu ibi litigatur: missi ex capitulo, missi ex senatu duo consulares. Clerus iustiori causa ad uictoriam peruenit: decernuntur literæ accipiunturq;. Interim populus sæuiens in prædia ecclesiæ, armatus exiuit, incendio, gladio, præda sæuiēs in agros ecclesiæ. In decimumoctauum annum durauit ea controuersia: & in fine post multos labores, post longa exilia, impensas litium graues, post damna irrogata ecclesię, à non magnis ꝑsonis res suscipitur, tractatur, componitur. Clerus & inprimis capitulum, cessit iure suo: traduntur literæ: fit ad eam, quæ placuit laicis, formulam, rerum compositio. Cranzius lib.8. Vandaliæ, cap.20.

Circa an.sal.1453. in oppido LVNEBVRGO, cùm senatus uideret æs alienum grande conflatum, ad tutelam urbis, & ad conseruationem salinæ (quæ uel sola sustinet eius oppidi salutem) cepere de prouentibus prælatorum, ecclesiarū & monasteriorum, facere falcidiā grandem. Id quum indignè ferrent ecclesiastici, in Romana curia conuicti condemnatiq; sunt ciues. Literis in eam rem impetratis, plebs admonetur, ut senatum suum cogat reddere, quod ecclesiasticis deberetur: & si uel nollet uel non posset, alios, qui id impleant, surroget. Plebs cupidè arripuit diu quæsitam occasionem: senatum exegit, nouum substituit, uiros sexaginta adiunxit, qui publica negotia unà & nossent & gererent, uisuros, ne quid respublica caperet detrimenti. Homines rerum imperiti multa incuriosè tractauerunt. Principio administrationis suæ, principibus reddidere magno ære impigneratas arces, quò illos sibi conciliarent. Cæterùm cùm apertè uiderēt insidias fieri suæ libertati, Senatores electos reuocauere, noui sponte in exilium abiere. Cranzius lib.12. Vandaliæ, c.10.

Sub Ludouico rege Boëmiæ & Hungariæ summa scelerum licentia, regis ætatem despicientibus improbis, eaq; ad quęstum suum abutentibus. BVDÆ orto tumultu regi nihil auctoritatis affuit, & qui munia regia obibāt, ipsi magis à suis quoq; sibi timebant, quàm timebātur. Inter alias domos Emerici cuiusdam, nuper Iudæi, tum Christiani saltem nomine, domus direpta fuit: in cuius uno angulo sexaginta millia aureûm nummûm reperta sunt. Cæteri Iudæi, qui Christianismum non simulabant, comparato sibi firmo ualidoq; pręsidio, uim ui audacter repellebant. Adamum à Noua domo, regni Boëmię Cancellarium, cùm domum iturus per urbem curru ueheretur, ad portam omnibus rebus spoliauerunt. Omne æs Cyprium, labore & sumtu Fuggerorum conflatum, ex omnibus regni locis, ubi depositum fuerat, uiolēter abstulerunt, & inter se pro libidine sua partiti sunt, amplius quater centum millibus aureorum æstimatum. Missi à Cæsare Carolo, & fratre eius Ferdinando oratores, de hac iniuria cum Ludouico rege expostularunt. ad quem tamen nihil eius prædæ peruenerat: imò ipse potius præda omnibus erat, ad paternam redactus penuriam, ut neq; in arca, neq; in penu aliquid ei superesset, ideoq; sæpius alienā messem cogeretur metere. Dubrauius lib.33.

LONDINENSIS populus sub Henrico VI. Anglorum rege armis arreptis, Glocestrensem episcopū, cui minoris regij sigilli custodia demandata erat, occidit: atq; Marchionē Suffolcensem captum in Turri (ita enim dicitur munitus in ea urbe locus) custodiri iussit: à qua cùm profugeret, in uia deprehensus est, atq; eius caput confestim Londinum missum. Cùm autem iratæ plebis rabiei id non sufficeret, à rege quidam ipsius cōsiliarij plebis arbitrio permissi sunt: quib. occisis, populus demū quieuit. Egnat.lib.5.c.3.

TEVTONES Belgę, Cucullati fratres dicti, in ciuitate Stocholmia, celeberrimo Suecię emporio, quò ob æs alienum in patria cōtractū fugerant, tempore Regis Alberti cōtra Suecos seditionem maximam excitarunt. Coniectis enim in indigenas cōuitiis, quorum sunt impatientiss. Sueones, ad rixas & lites prouocauere, ut demùm apud Regem delatos uita aut fortunis spoliarent. Origo odij ex commerciis cepit: quorū lucra alienigenæ ad se solos transferre nitebantur, nulla facta æstimatione reliquorum ciuium. Erant autem inter cęteros Suetici generis mercatores centum septuaginta. Hos illi Cucullati in libello designatos regi Alberto occultè detulerunt, asserentes, nisi ipsi quantocyus è medio uiuorum tollerentur, actum omnino fore de Teutonico nomine in ea ciuitate. Albertus cognita Teutonum perfidia, precibus eorum acquiescere noluit. At eo capto à Margarita Danorum regina, Teutones illi noctu ex arce ab Alberto suæ fidei concredita clàm eruptionē faciunt, & duce Alffo Greuerad Sueones imparatos adorti occidunt, opes diripiunt, primates in arcem ductos serris ligneis dissecant: reliquos ciues ex arce per naues ad proximā insulam deportatos primùm insigni ludibrio, dende grauiss. tormentis affectos, postremò uiuos in domo quadā inclusos cōbusserūt. Anno Christi MCCCLXXXIX. ipsa nocte festi corporis Christi. Io. Magnus lib. 21. Hist. Goth.

FLORENTINI tanta ambitione, tamq; superbo liuore præditi sunt, inquit Iouius, ut cùm quisq; ad clauum gubernandæ Reip. sedere, potiri quoquo modo cōmunis patriæ imperio, & publicas opes priuato commodo complecti cupiat, ea inexplebili cupiditate ardeant omnes & prorsus insaniāt, quòd neminem tanquam ex æquo ciuem, uel opibus, uel dignitate superiorem ferre uelint: & clariorem quoq; uirtutē, melioremq; fortunam in aliena domo nisi ægris oculis conspiciant, quando eadem ex pari merito sibi deberi iudicent. Hinc nequaquam mirari lubet, quòd intestinis discordiis ferè continenter per trecentos annos grauissimè laborarint. Iouius lib.25. Hist.

Alienauit ab se Petrus Médices, tametsi præclaro erat ingenio, multorum FLORENTINORVM animos, quum iuuenili quodam feruore equorum armorumq; studiis & matronarum amoribus deditus, ciuiles curas ignobiliorib. ministris demandaret, & perraró, quum Senatus cogeretur, in curiam ueniret, nunquam uerò collegiorum magistratuumq; officiis interesset, quorum munia à summis & grauiss. ciuib. implebantur, ac demùm Laurentio patri prorsus dissimilis eua sisset, qui pari cum cæteris cultu, sine satellite Rempublicam feliciter, sola ingenij magnitudine fretus, administrabat. Igitur Petrus quum principem locū neq; armis neq; gratia sustentaret, ad explorandos ciuium animos in curiæ aream processit. Vbi cùm infrequentes amicos, circum se uerò infensos multorum uultus cerneret, ac subinde ad Octouiros, qui cum uexillifero supremæ potestatis magistratum gerunt, ascendere uellet, curiæ ianua prohibitus est: mox, concursu omnis generis hominum facto, inter fremitum rebellantis populi, domum se proripuit, tandem urbe excessit. Interea populus ad prędam conuersus, domos Mediceas effregit, diripuit: ipsum cum fratrib. patriæ hostes iudicauit: supellectilem preciosiss. statuas, bibliothecam, sub hasta uendidit. Vsqueadeò autem Mediceum nomen cunctis inuidiosum esse cepit, ut Laurentius atq; Ioannes, qui apud regem Carolum IIX. tanquam exules fuerant, Petri expulsi gentiles & consanguinei, ut libertatis tuendæ studium ostenderent, è marmoreis antiquæ domus insignibus pilas detersérint, substitutaq; candida cruce, uti in aliam familiam transeuntibus mos est, Populani, abdicato ueteri nomine, appellari maluerint. Iouius lib.1. Hist.

Ad famam captæ a Caroli V. Imp. exercitu Romæ, ac obsessi in arce pontificis Clementis VII. FLORENTINÆ iuuentutis globus, paratiss. ad rebellandum animis, arma cepit, factoq; impetu pretorium occupauit: cuius audendi facinoris princeps fuit Petrus Saluiatus. Decuriones exterriti, postulāte iuuentute, adhortantibusq; patriciis, decretum perscripserunt, pronunciandumq; ad populum publico præconi dederunt, quo Medicei adolescentes, Hippolytus & Alexander, Reipub. hostes declarati sunt, bonaq; eorum fisco addicta, & liberati nonnulli ciues, qui in custodia seruabantur, quòd hostilem animum in Mediceos, quos appellarant tyrannos, ostendissent. Ab hac tanta decreti acerbitate quum optima-

tes,

tes, qui aderant frequentes, de ordinanda Republica disputarent, Franciscus Feltrius Vrbinas, Veneti dux exercitus, & Michaël Salassius regulus, Federicusq; Gonzaga, cognomento Bozzolus, Gallorū duces, urbē intrarunt, & inuasis disiectisq; populariū manipulis, ꝑtoriū expugnare parabāt. Certatur missilibus ab obsessis atq; obsidentibus. Cæterùm quia obsessis iusta ad defensionē arma deessent, neq; ullus esset in curia cōmeatus, quū Federicus Bozzolus se uadē & sponsorē fore ad impetrandā ab Pōtifice ueniā polliceretur, cōpresso tumultu, restitutisq; Mediceis, pax facta est 6. Kal. Maias sic, ut eodē die, qui Veneri dicatus erat, intra paucis. horas, Clemens & amissæ & receptæ simul curiæ, pacatæq; ciuitatis nuncium acciperet. Iouius lib.25. Hist.

GENVENSES, qui cuncta quondam maria peruagati, relictis ubiq; clariss. uictoriarū monumentis, cæteras gentes omni tēpore nauali gloria superarant: quū domi seditiosi atq; discordes sæuissimis factionū fluctibus mergerentur, in clientelam Sfortianorum concesserunt. Iouius lib.1. Hist.

Anno Sal.1547. GENVÆ fuit nata seditio in familiam Auriā, cuius tū erat princeps Andreas, rei naualis peritia longè omnium clariss. eiusq; Reipub. beneficio Cęsaris facilè primus. Huius uerò turbæ dux erat & signifer Comes Fliscus: in eaq; fuit trucidatus inter alios Andreæ gentilis, atq; propinquus Ioanninus Auria, uir magnæ uirtutis. Quòd nisi Fliscus fortè dilapsus in mare periisset, in maximo discrimine res futura fuisse creditur. Sed illo sublato, socij facinoris diffugiunt, eamq; tempestatem illicò secuta fuit magna tranquillitas. Huius seditionis auctores Cæsar Farnesios, & in primis Petrum Aloysium Placentiæ ducem existimauit. Sabellici supplem. lib.38. ex Iouio.

Mazza apud VALLESIANOS seditionis popularis symbolum est & tuba: claua lignea, monstrosa facie insignis. Quicunq; nomen dat seditioni, clauum, quo equorum soleæ suffiguntur, in eam adigit, & hoc ueluti sanctiss. iureiurando Mazzarorum libidini sese in omnibus obsecundaturū pollicetur. Coniurati Mazzaphorum secuti, inimicorū domos petunt, Mazzam ante ædes statuunt. Ea posita, liberū est cuiuis tanquam proscriptorū bona abducere, rapere, absumere. Hoc genus censuræ rusticæ, qua improbos & patriæ noxios ciues punire, & in exilium agere solent, A.D.1414. primū inuentum est. Nam cùm Gulielmus II. episcopus Sedunensis Gitschardo Baroni Raronensi cognato suo in omnibus obsequeretur, & bonis etiam episcopalibus cum pręfecisset: ueriti Vallesiani, ne ad tyrannidē aliquando hęc tanta euaderet licentia, sub initia Constantiensis cōcilij Mazzā primùm excogitarunt, Episcopi & Raronensium arces fœdè disiecerunt: ut bellum grauiss. ex Mazza ortum uix, tandem Heluetiorum intercessione dissolui potuerit. Hoc ostracismo anno 1515. per Georgium Supersaxum Matthæum Cardinalem expulerunt: & quatuordecim annis pòst ipsum quoq; Georgium. Stumpfius lib.11. Heluetiæ.

Castrenses seditiones.

☞ Consule locum, Inimicitiæ λῆψις, Occasione Stipendiorum retentorum. Item, Seditionem castrensem prudenter sedare.

Dauidem MILITES sui lapidare uolebant, eo quòd Siceleg urbs ab Amalechitis expugnata, & uxores cum liberis abductæ fuissent. 1. Reg.30.

M. Posthumius Regillensis Trib. Cos. pot. exercitum in Equos duxit, fractaq; paucis leuioribus præliis hostium ferocia, in Volas urbem ui irrupit. Is primo conatu prædā MILITVM fore pronunciauit: mox capto oppido, ne quid à uictore exercitu tangeretur, certamine in suos uerso, pertinaciter obstitit. Alienauit ea res militum animos ab ipso duce. Inde collegis eum in urbem ad tribunitias discordias coërcendas reuocantibus, in cōcione uox eius audita est, malum militib. denunciantis, nisi à seditione quiescerent. Hęc Marco Sextio Tribuno plebis occasio oblata est Posthumij absentis ad plebem criminādi: sed maior omnino in castris ultio secuta est, orto inter milites fremitu, quum fortè ad tumultuantē quēdam lictor missus, ab ijs, qui proximè steterant, uiolaretur, Pub. Sestius quæstor eò accurrit. Is saxo ictus quū turba excederet, Posthumius, homo uæcordi ingenio, cæterùm uiolata maiestate adhuc magis irritatus, quum ad supplicium quosdam rapuisset, uexarētq; interim lictores & cēturiones multitudinem, eò militaris indignatio euasit, ut ducem ipsum lapidibus obruerint. Sab.lib.7. En.3.

Aualassus Danorum dux, & Athelstanus Anglorum rex contra Scotorum regem Malcolmū ducebant uirib. penè exhaustū, Leui rixa inter DANOS & ANGLOS orta, tanta contentione pugnatum est, ut non nisi noctis interuentu à persequēdis Danis Angli cohiberi potuerint. Malcolmus supplicationes sacerdotibus uniuersoq; populo indixit ad gratias habendas Deo opt. max. cuius opem fractis hostium uirib. Scoti absq; dispendio apertè iam sensissent. H. Boëthius lib.11.

Ad famā circūuenti à Barbaris sancti Regis Ludouici in Francia ingens PERDITORVM manus specie sacræ militiæ passim uagabatur, fortunas cæterorum agentes ferentesq;. Nec ijs bellatoribus uindicibusq; indigebat Rex. Bituriges Aurelianēsesq;, urbes iniuriarum minimè omniū patientes, armis correptis hanc colluuionem hominū partim occidēre, partim ad quotidianum opus faciendum, sanitatemq; redegere. Aemilius lib.7.

Florentini obsidione, quam anno 1530. undecimū iam mensem tolerauerant, Cęsaris Caroli V. liberati, uix dum compositis reb. longè grauiss. salutis suæ discrimen è seditione militari subierunt. Fortè accidit, ut ex Pyrrhi Stipiciani Cæsariani ducis cohortibus, duo noti nominis MILITES, apud Hispanorum præsidia in rem suam euntes, ꝙ ditiore cultu essent, latrocinij causa interficerentur, atq; eorū cadauera, ad occultandū facinus, in puteum deiicerentur. Qua iniuria offensus Pyrrhus, pares insidias idoneo in loco tendens, bis totidem deprehensos, quos patratæ cædis conscios putarat, occiderat. Vtrinq; accensis ad uindictam animis, tumultuario prælio certatum fuit. Hispani demum confirmatis uirib. Italos nihil tale expectantes adorti multos interfecere. Tum uerò Italicæ cohortes sese in unum conglobarunt, & cū irruentibus Hispanis uehementissimè conflixerunt: promittentibus pręsertim Germanis, neutris opem laturos. Verùm quū tirones Hispani, qui erant trans Arnū non longè à Ladronianis castris, ubi erant Germani, cognito suorū periculo, instructa acie, ut ueteranis essent auxilio, superuenissent, subindeq; Italis creuissent præsidia, atrox certamen contractū est, eoq; Hispani iam perducti erant, ut non dubiam cladem accepturi crederentur: nisi Ferdinandus Gonzaga, Cæsariani exercitus Imp. quòd nihil deprecando deterrendoq; auctoritate ualuerat, Tramisiū monuisset, ut Germanorū phalangē ꝓmoueret, Hispanisq; se applicaret. Eo inexpectato promotæ phalangis aspectu Italicæ cohortes commotæ, sese recipere ceperunt, tanta perturbatione, ut suis castris & tentoriis pellerentur. In eo tumultu ferunt amplius trecentos utrinq; fuisse desideratos, sauciatos autem bis totidem: sed Italicas cohortes maius accepisse incommodū, quòd rerum suarum iacturam fecissent. Iouius lib.29. Hist.

SCORDISCI à Dacis in belli societatem accepti, nomen à discordia inuenêre. Nam redeuntibus ex Asia Gallis, quum res haud prosperè successissent, quū per Mysias & Pannonias iter facerent, spectata amœnissimi loci fœcūditate, inter eos euestigiò est oborta seditio: redeundū in patriam alij, nōnulli in Pannoniis desidendū, incolendumq; solum, quod feracissimum nacti fuerāt: diuersa quoq; diuersi censebāt. Quare, qui ibi remansêre, ab orta discordia Scordisci dicti sunt. Bonfinius lib.1. Dec.1.

Rusticæ seditiones.

☞ Vide sub praeced. Titulo, Rustici contra Nobilitatem.

RVSTICI Gallici, intolerandis Carini Cęsaris iniuriis exacerbati, arma sumserant. Contra eos Maximianus, à Diocletiano in societatem imperij adscitus, ducto exercitu, breui, quā parū arma uiresq; sine scientia rei militaris prodessent, edocuit. Nam ad eos progressus, Amandum & Aelianum duces rusticorum, robore ac ferocia magis, quàm usu belli atq; armorū peritia confidentes, leuibus aliquot præliis usq; adeò afflixit, ut positis armis deditionem cōtinuò fecerint. Quos ille benignè in fidem accepit, atq; agrestib. exarmatis, ac pristino agrorum cultui redditis, otium turbatæ Galliæ magna clementiæ laude restituit, eamq; nouis formare institutis ad pacem dignitatemq; perrexit. Itaq; Mamertinus rhetor Maximianū Herculeū Diocletiano Iouio tanquam alterū Ioui Herculem affuisse, dicere ausus est. Sigonius lib.1. Imp. occid.

Turcarū Imp. Selimus deductis ex Persia reliquiis, fines regni Hungariæ infestare ceperat. Thomas Archiepiscopus Strigoniensis, crucis militiam in Hūgaria promulgandam à Leone X. Pp. Romæ impetrarat. Facta promulgatione, uexilloq; crucis subleuato, cùm præter spem magnus hominū ad arma conflueret numerus, multoq; adhuc maior fama eius apud Turcas increbresceret, adsunt protinus Turcę ultrò fœdus postulantes. Id quod ex uoto regis pacis cupidiss. cecidit. At multitudo HVNGARICÆ plebis Georgiū Cæclum ducem secuta, signo libertatis asserendæ proposito, bellum seruile in dominos suos mouit, omni sæuitiæ genere tam in agros quàm in homines debacchata: nullū dignitati, nullū religioni, nullū misericordiæ precibusq; locum relinquens. Quoscunq; nobilitate insignes cōprehendit, eos capite statim multauit, unum ex Episcopis in palo suffixit. Boëmi, Morani, Slesitæ, agmina peditū equitūq; celeriter comparant, & ad opem principi suo ferendam Budam perueniunt. Horum tandem aduentu latronū audacia fracta, etiam duci pauorē incussi, tut cogeretur ultra Tibiscū fluuiū tutiora castris loca quærere. In hac trepidatione Ioan. Trencinensis, qui præfe-

duram Cisalpinam obtinebat, cum delecto equitum robore improuisus superuenit, modicaq; cæde turbam agrestem ad fugam impulit: Georgio duce eorum capto coronam ferream candentem imposuit, ac tum demum ceruicem eius amputauit. Dubrauius lib. 32.

Academicæ, Scholasticæ seditiones.

Ludouicus XII. Francorum rex, Scholæ Parisiensis statũ, STVDIOSORVM priuilegia reformare: fori pariter ac iudiciorum abusus emendare, & tollere instituit. Schola tumultuata seditionem mouit. Anno 1498. Auctor Chronici.

Rucelinus Brito natione, primus sectã Nominalium instituit, contra Reales, & nominum cognitione, rerum quoq; cognitionem comprehendi, magno conatu defendit sub annum Domini 1140. ita ut eam ob rem in PARISIENSI Academia cruenta fuerint excitata prælia inter studiosos. Præceptor fuit Magistri Petri Abelardi. Auentinus.

OCCVLTA INIMICITIA, VEL DISSIMVLATA.

Ex Tit. Amicitiæ simulatæ: item, Hostem simulato fœdere decipere, non pauca exempla huc possunt transferri. Nam qui se amicum simulat ei quem perditum cupit, inimicum sese interdum ei, quem seruatum uult, simulat. Inimicus uerus, fictus amicus: amicus uerus, fictus inimicus. Sic Sinon Græcorum apud Troianos, sic Zopyrus Persarum apud Babylonios, sic Tarquinius Romanorum apud Gabios hostem se simulauit esse.

INIMICITIAE ADIVNCTA, NOTAE, OFFICIA. Cuiusmodi est

DISSENSIO. INIMICORVM dissensio in RELIGIONE, SCHISMATA. SECTAE.

Vide Tit. Bello persequi impios. Item, Hæreticorum.

In AFRICA multi Donato quodam Numida auctore, se ab Ecclesiæ Catholicæ cõmunione secreuerãt, Filium Patre minorem, filioq; Spiritũ sanctum esse dicentes, ac Catholicos nouo baptismate inficientes. Libertate inde Christianis per Maxentium tyrannum restituta, uacante Carthaginis Ecclesia, populus ad episcopum creandum conuenit, atq; omnibus Catholicorum suffragiis Cæcilianum diaconum, hominem Catholicum, declarauit: eumq; Felix Aptungitanus episcopus consecrauit. Hoc facto Donatus & socij eius, qui alium ex suo corpore suffici uoluissent, cùm Cœcilianum multis de criminibus apud Anullinum proconsulem Africæ accusassent, ab eius cõmunione se remouerunt, & cõplo egressi aduersus illum quendam Maiorinum episcopum designarunt. Itaq; graui propterea seditione conflata duos libellos Cæciliani crimina continentes proconsuli obtulerunt, eaq; ut ad nouum principem Cõstantinum mitteret, popoposcerunt. Quibus acceptis Constantinus, Cæcilianum cum suis rebus uacare diuinis iussit, ac literas ad Anullinum scripsit, ut possessiones ecclesiæ occupatas curaret restituendas, & clericis uacationes à ciuilibus muneribus largiretur. Donatistæ contrà literas alias ad Constantinum miserunt, de Gallia iudices sibi dari cupientes. Quibus Constantinus respondit singulari moderationis atq; æquitatis exemplo. Petitis à me in seculo iudicium, cùm ego ipse Christi expectem iudiciũ. Dedit tamen iudices Maternum Agrippinensem, Rheticum Augusto dunensem, & Marinum Arelatensem episcopos, qui cũ Miltiade episcopo Romano, & cæteris Italiæ episcopis in Laterano conuenere, Donatum condemnauere, Cæcilianũ absoluere. Cæterùm cùm Donatistæ hanc causam, neq; totã auditam, neq; ritè iudicatam esse conquererentur, Constantinus alterum Arelate iudicium indixit. quò episcopos Galliæ, alia de causa adesse præceperat, atque eò Chrestum episcopum Syracusanum cum duobus, quos ille optaret, Siciliæ episcopis actuo cauit. Ibi concilio coacto, Episcopi Cæcilianum iterum innocentem pronunciarunt. Ea re perculsi aduersarij, rursus Cõstantinũ appellauerũt, eãq; rem ut ipse cognoscere uellet, orarunt. Cùm ille talem cognitionem, ut patum homini profano conuenientem, repudiasset, tamen ad extremũ uehementib. eorũ flagitationib. uictus cessit. &, cũ Romam iter intẽdisset, partes eò se ad causam orandã sequi præcepit. Ibi Cæcilianus adesse iussus non affuit. Mediolanũ inde procedens, Donatistas iudicium pronunciari urgentes eò se subsequi iussit, ac multis per iram à causa peragenda se remouentib. reliquos ab officialibus custoditos Mediolanũ accedere imperauit, atq; ibi demũ causa cognita Cæcilianũ præsentem innoxium, aduersarios uerò improbissimos, Miltiadis, & episcoporum iudicio comprobato, pronunciauit, ac res eorum fisco addixit, ut sanctus Augustinus sæpe repetit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

FRIDERICVS I. Imp. subacto Mediolano legatum ad HADRIANVM IV. Pp. miserat, ut Vidonem Vidonis Blanderati Comitis filium Rauennæ antistitem, in locum Anselmi mortui lectum confirmaret, neq; id impetrauerat, quòd diceret Hadrianus, Vidonem esse Romanæ ecclesiæ subdiaconum, nec propterea iniussu suo ad ecclesiam fuisse traducendum, uerùm Romana in ecclesia prouehendum. Hadrianus contrà offensus, quòd Fridericum ad fodrum in urbibus ecclesiæ subiectis exigendum misisset, & episcopos regalia renunciare, ac sacramentum apud se dicere iussisset, & Cardinales legatos ingressu urbium Germaniæ arcuisset, literas super ea re ad Fridericum scripserat doloris & acerbitatis plenas: quibus simul, ùe controuersiam Brixianorum & Bergomatium de duorum castrorum proprietate inter se contendentium cognosceret, propè per interdicti speciem postulârat. Quas qui reddidit, illud absurdè adiecit, quod confestim se è conspectu Imperatoris & regiæ aulæ abripuit. Quo facto indignatus Fridericus, graues ad eum literas rescripsit, ac nomen suum nomini eius præposuit, & singulari cum nũmero appellauit. Itaq; incensus Hadrianus, plurimũ mirari se scripsit, quòd beato Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ nõ quantam deberet reuerentiam exhiberet, ac rerum actarum omnium rationem popposcit. Cui Fridericus respõdit, se cùm nomen suum pontificio antepositisset, ueterem in eo consuetudinem retulisse: episcopos aut regalia dimittere, aut quæ Cæsaris sunt, Cæsari tribuere oportere. Cardinalibus urbes occlusisse, quòd eos animaduertisset, nõ ad prædicandũ, sed ad prædandũ se cõtulisse. Friderici literis acceptis Hadrianus grauissimè est irritatus, remq; nõ per literas, sed per legatos transigẽdam ratus, quatuor ad eum Cardinales destinauit, ac grauissimã ad eum mandata edidit. Ne posthac nuncios ad Vrbem ipso inscIente pontifice mitteret, cùm omnes magistratus S. Petri ibi cum uniuersis regalibus esset: Ne à populis pontificiæ ditioni subiectis, nisi suscipiendæ coronæ tempore, fodrum exigeret: Ne episcopos Italiæ hominio sibi obstringeret: Ne nuncios suos hospitarum in episcopia mitteret: Vt possessiones ecclesiæ Rom. & tributa Ferrariæ, Massæ, Ficaroli, totius terræ Comitis Mathildis, terræ ab Aquapendente Romam, Ducatus Spoletani, insularum Sardiniæ & Corsicæ restitueret. Quibus Fridericus respondit, se episcoporum Italiæ hominium non quæsiturũ, illi à suis regalibus abstinuissent. Quòd si illi libenter usurparent, quid episcopo cum rege? se quoque rogaturum, quid episcopo cum possessione? Nuncios suos libenter ab episcopiis amoturum, si probatum esset, episcopos in suo solo episcopium, non in regio ædificasse: neq; ædificium solo cedere oportere. Quòd legatos in Vrbem mittendos negarent, quia ibi magistratus sancti Petri essent, id longiorem consultationem desiderare. ita enim fieri, ut Imperator Romanus inane solùm nomen dominantis habeat, si Romanam urbẽ, unde Imperator Rom. appellatur, in potestate non habeat. Hoc responso dato res inde ad disceptationem adducta. Ibi cùm legati pacem inter eum & Eugenium nuper factam reposcerent, Fridericus neq; eam se daturum, neq; ea se teneri respondit, quam Hadrianus Gulielmo Siculo iniussu suo in gratiam recipiendo fregisset. Profitente autem Friderico, se iudicium & daturum & accepturum, suscepere legati, æquũ esse, ut solùm acciperet. neq; enim pontificem hominis ullius iudicio subiacere: & cùm se sex Cardinalium totidemque episcoporum aut principum arbitrio usurum diceret, se ad pontificem scripturos subiecerunt. Pontifex conditione repudiata, se pacem cum Eugenio factam postulare respõdit. Id horrendi schismatis initium fuit, quo pòst sub Alexandro III. tota Italia, dum Germanici iugi tædio, pontificis partes sequitur, in libertatem sese uindicauit, sed ea in suam et uiscera imperandi libidine turpissimè abusa est. Sigonius lib. 14. & 18. regni Ital.

SCHISMATA ecclesiæ Christianæ quatuor connumerat Polydorus Virgilius, his uerbis: Nouatus Romanus presbyter, episcopatus adipiscendi auidus, dolosis uersutisq; consiliis nõnullos optimos sacerdotes seductos sibi copulauit, quorum suffragiis iuuaretur. Verùm illi, ut apud Cyprianum & Eusebium est, ubi cognouerant hominis ambitionem, se ab eo seiunxerunt: at quot sui similes sibi sociauit, facilè in fide retinuit. Itaq; eius ope Nouatianus pontifex factus, omnes sui dogmatis sectatores, Mundos appellauit. Negabant ij apostatas, etiamsi pœnituisset, esse recipiendos uelut parũ liquido documento demonstrasset Christus, à pœnitentia nullã negandam esse ueniam, qui Petrum, à quo ter fuerat abnegatus, in integrum restituit. Apostatas aũt appellant eos, qui à priori uitæ instituto abscedunt. Sed Cornelius pont. habita in

ta in urbe Roma antistitũ synodo, Nouatianum hæreticum pronũciauit, damnauitq; unà cum Nouato, ac reliquis eiusdem sectæ sociis. Ita Nouatus, circiter annum sal. CCLV. primi Schismatis auctor fuit, Cypriano testificante, epistola 8. libro 2. ἀπὸ τοῦ σχίζειν, quod est scindere, deducta uoce. Octogesimonono dein pòst anno, est alterũ Schisma ortum, quod sacerdotalem ordinem maximè afflixit. Arrius enim presbyter Alexandrinus, principe Constantino Magno, sectæ fuit auctor, quæ ab æterna Dei patris substantia, quam uocant, Filium segregabatur separare: cuius sententia etsi in Concilio Niceno est explosa, attamen durauit perdiu postea contagio: nam fatius opinione omnium hominum malum hoc dissẽminatum est: manauit enim per bonam orbis partem, & nõ obscurè serpens multas prouincias occupauit. Tertium deinde sequutum est Schisma, quum Damasus factus est pontifex: non enim suffragiis tantùm est certatum, sed ui quoque & armis. Quo [illegible]



Ecclesiæ GRÆCORVM, ob trãslationẽ Imperij ad Francos & Carolum Magnum factã, à Rom. Pontifice Adriano Romanis postulantibus, ut ad Ecclesiæ unitatem redirent, rescripserunt: Quia uos à nobis subtraxistis, ideo & nos à uobis nos subtraximus. Ranulphus lib. 5. c. 28. in Polychronico.

PROFANIS REBVS. FACTIONES Politicæ.

Dissensionem duarum partium, & præsertim eiusdem Societatis, Factio denotat. quæ si respectu unius partis eorum, qui cõsentiunt, perpendatur, ad Amiciciam referenda erit. Dissentiunt autem inter se & à se inuicem quibuscunque de causis: putà Doctorum, Candidatorum, Aurigarum, Regum, Optimatium, & similium. Consule Tit. Inimicitia plebis erga optimates.

Iason & Menelaus Simonis filij, cùm de pontificatu inter se cõtenderent, & POPVLVS Iudæorum Iasonem, Menelaũ NOBILES sequerẽtur: tandẽ Menelai factio Antiocho Epiphani regi Syriæ portas aperuit, qui urbem grauissimis affecit cladibus. Iosephus lib. 12. c. 7. Antiq.

Bello Iudaico, dum Romani Galileę munitiss. urbes expugnãt, Hierosolymam ex reliquarum ciuitatum excidiis seruati cõfugiebant, ut quisq; seditiosus maximè erat. Illi se ZELOTAS appellabant, & libertatis atq; legis defensores, duce Eleazaro Simonis pontificis F. quorum audacia & improbitas cousq; processit, ut in templo tanquã in arce arma tractarent, & pontifices non secundum familiarũ successiones, sed sorte eligerent: nobilissimum quemq;, falso proditionis crimine, in carceribus necarent. Contra quos cùm Ananus pontifex plebem concitasset, eosq; in templo obsedisset: illi clàm Idumæos in urbem receperũt, & plebeiæ factionis octo millia quingentos interemerunt, & inter eos Ananum & Iesum põtifices, qui si uixissent, pactionibus potius quàm bello cũ Rom. transegissent, & urbẽ incolumẽ conseruassent. Cædes inde nobilium & locupletum exorsi, ad XII. millia trucidauerunt, & corpora uolucribus canibusq; dilanianda obiece runt. Ioannes uerò Giscalensis, Zelotarum studiosus, tyrannidem affectabat. Itaq; diuisa est Zelotarũ factio in Idumæos & Zelotas, ita tamen, ut non tam inter se, quàm cum misero populo pugnarent. Sicarij interim Massada castellum ualidiss. per insidias occupauerant. Et sic uno eodemq; tempore in urbe quidem tyrannidis affectatio & seditio cum pestilentia & fame, extra uerò, Romani urbem iam oppugnaturi, & sicarij uices quosliber temerè incursantes, ludęos affligebant. Inde cùm Idumæi Giscalensis tyrannidem exosi, Zelotas in templum compulissent, Simonem Giorę F. Gerasenũ latronum ducẽ, qui agros urbi uicinos de populabatur, contra Ioannem in urbem receperunt, qui non minus in Idumęos, quã in Zelotas sæuiit. Eo recepto, seditio tota in tria capita, ceu lerna quædã, diuisa est. Eleazarus enim indignè ferens Ioanni parére, interiorem templi aditum cum duobus millibus & CCCC occuparat. Simon superiorem ciuitatem cum XM & VM Idumæorum: Ioannes cum VIM in medio constitutus, ut qui inferiorẽ ciuitatem obtineret, cum utrisque certare cogebatur. Et quãtum illi inter se discordes erãt, tam in populo & optimatibus trucidandis concordes. Aedes frumenti plenas, quæ in multos obsidionis annos sufficissent, de dominatu dimicantes, igni absumebãt, templum Dei sacrificantium sanguine ante aram polluebant. Itinera omnia obsidebant, ne quis ad Rom. transfugere posset. Obsidentibus iam urbem Romanis, Azymorũ die Ioannes specie religionis clàm armatos in templum misit, qui uestibus abiectis, Eleazarum cum suis è templo expulerunt, ita ut seditio ex tribus in duo capita desierit, Ioannem & Simonem: qui se mutuò oppugnare non cessãbant, cõtra Romanos tamen concordes pugnabant. Durante tandem obsidione, cũ fames grauissima urbẽ inuasisset, Zelotæ omnes domos alimenti causa perlustrantes, crudeliter sęuiebant, cadauera spoliabant, in ijs gladiorũ mucrones probabant, nonnullos adhuc spirantium ferro experiẽdi causa trãsuerberabãt. Mortuos primùm sumtu publico sepeliebant, cùm fœtorẽ ferre non possent: deinde propter copiam, in ualles eos ex muro præcipitabant. Eos sceleribus & Dei & hominum iram ita irritarunt, ut templum tandem cum urbe exustum fuerit, & superstites in miserrimam abrepti seruitutem. Simon & Ioannes cùm in cloacas confugissent, hic quidẽ fame uictus, Romanis se dedens ad perpetuos damnatus est carceres: Simõ uerò triumpho asseruatus. Iosephus de bello Iud.

THEBIS Bœotiis duæ erant factiones, altera Ismeniæ & Androclidæ, libertatis studiosa: altera Archiæ, Philippi & Leontidæ, qui oligarchiæ studebant, & Lacedęmoniorũ ope subnixi, qui Cereris festo Cadmiam arcem ex improuiso ceperant, & Ismeniam Spartam traxerant, tyrannidemq; occupauere, & Ismeniæ factionem in exilium pepulere: qui Athenas confugientes, duce Pelopida consilium tandem opprimendorum tyrannorum cepere. Plut. in Pelopida.

In omni ferè GRÆCIA fuerunt partes, Doricæ & Ionicæ: inter Dores erant Lacedæmonij, inter Iones Athenienses. Subinde Athenienſium & Lacedæmoniorum partes Græciam perdiderunt, his Aristocratiam, illis Democratiam in ciuitatibus constituere laborantibus. Io. Bodinus Methodi hist c. 6. ex Thucydide, Xenophonte, Aristotele, & Plutarcho.

PELOPONNESVS uariis nitebatur factionibus: namq; Argiui, Elij, Mantinenses, alijq; finitimi Lacedæmoniis, diuersarum factionum fuêre. In CHIO fuêre factiones duæ: & quæ alterius princeps Onomademus, uictoria contra alterã potitus esset, alterius factionis uiros ab urbe minimè exigẽdos curauit, ne inimicorũ metu uacuus (quod usu plerũq; uenit) dissidium cum amicis fereret. Alex. lib. 4. c. 2.

ATHENAS in factiones tres diuisas legimus, in Diacrios, Pedięos & Paralios, quorum dux Pisistratus, tyrannidem inuasit: aliquando in duas, Thucydidis unam aut Cimonis, Periclis alteram: hæc plebeiorum, illa optimatum. Nonnunquã in plures, scilicet Ephialtis, Myronidis, Thomidæ, Cimonis & Leocratis. Thessaliam uerò in Egesaretos & Petreios. Post Alexandri Magni mortẽ in duas factiones diuisi fuêre: quarum utraq; Macedonum patrocinio nitebatur. Populares Polyperchonti fauebant, optimates Cassandro, inter quos erãt Phocion & Demetrius Phaleræus. Interim à Polyperchonte Cassander Macedonia ciectus est: & populus duces aduersariæ factionis in exilium ciecit, capitis damnatos. Phocion cũ se corã Philippo rege purgatum profectus esset: cuius rebus Polyperchon tunc præerat: ab Agnonide accusatus, quasi Pręceum Cassandro prodidisset, & Athenas ad dicendam causam missus, non auditus ab insano populo XI. uiris traditus est uir optimus. Probus in Phocione.

Apud MILESIOS, una Plutis, altera Cheromacha factio fuit. Alex. lib. 4. c. 2.

GALLIA quum in factiones duas diuisa foret, alterius Hedui, alterius Sequani capita fuêre. Idem.

Erant in senatu CARTHAGINENSIVM factiones duę, quarum altera iam inde ab Hamilcare, cognomento Barcha, ini-

tium trahens, Annibali filio quasi ex hæreditate obuenerat, auctaq; deinceps in tantas creuerat opes, ut domi forisq; in omni re decernenda superior haberetur. Altera uerò principem habebat Hannonem, uirum grauem, summæq; in ea repub. dignitatis, toga tamen magis quàm armis egregium. Is ante secundum bellum Punicum, cum legati Romanorum Carthaginem uenerunt questum de sociorum iniuriis, solus fuisse traditur, qui omni propè repugnante senatu, fœdus cũ populo Romano seruandum censuit: monuitq;, ut ab eo cauerent bello, quod extremam erat suæ patriæ perniciem allaturum. In quo si Carthaginenses non tam animum Hannonis, quàm eius consilium respicere uoluissent, & pacis potius quàm belli auctorem audiẽdum censuissent, sanctius sibi suæq; reip. foret cõsultum. At illi unius iuuenis seu furorem seu cupiditatem sequuti, tantorum malorum, quæ postea in sua capita redundarunt, ex eo tempore occasionem dedere. Auctor uitæ Annibalis.

Produnt historiæ Romanorum, histriones pulsos ITALIA à Nerone, quum propter eos uariæ factiones ortæ essent: & adeò uehementes, ut ad compescendam fautorum contentionem milites theatro assidere iuberentur. Vnde & Tranquillus: Pantomimorum, inquit, factiones simul cum ipsis relegatæ. Restituti sunt demùm per Neruam, sed iterum postea sublati à Traiano.

Sub Iustino Magno Imp. factio Veneta ab Antiochia sumto initio, PRASINAM multis damnis in toto Oriente affecit, ut nec magistratus ui coërceri posset, in sextum usq; Iustinianum. Cedrenus.

Sub Iustiniano Imperatore grandis orta est CONSTANTINOPOLI seditio, quam Procopius libro I. belli Persici & Zonaras in Iustiniano, scribunt adfactioni Venetæ & Prasinæ, in qua quadraginta ferè hominum millia desiderata sunt, ædes Sophiæ & alia multa nobilissima ædificia incendio conflagrarunt. Et Hypatius atq; Pompeius fratres, Anastasij principis sororis filij, occisi sunt: quòd coadunata ciuili manu circum ingressi, Hypatius torque aureo redimitus pro diademate, locum Imperatoris occupasset, & in clypeo leuatus rex esset appellatus: Pompeius uerò sub chlamyde loricatus, palatium inuasisset. Quos Iustinianus utrosq; arcta custodia detentos, tandẽ obtruncauit. Tum à militibus cæsi, in mare sunt proiecti, ipsorum bona publicata. Aliorumque senatorij ordinis bona in publicum sunt redacta, & ipsi uariis modis excruciati, & incendiũ nobiliss. quæq; urbis ædificia dehonestauit, & quicquid uenusti & egregij reliquũ à priori sub Leone incendio superfuerat [illegible]sumsit. Stozas penè ultimus militũ, & Martini magistri militũ clientulus, tyrãnidẽ in Africa arripiens, auctorq; seditiosorum effectus, in ducem Solomonem sæuiebat, totamq; Africam tyrannico ritu uastabat. Traiecto igitur mari, Belisarius solita felicitate rebelles fugauit, prouinciamq; liberauit. Cusp.

GVELFORVM & GIBELLINORVM factiones horrendæ, sub Friderico II. Imp. maximè recrudeuere, à duobus fratribus propagatæ, quorum Guelfus Pontifici, Gibel Imperatori militabat: tanta uæsania, ut non modò diuersa haberent insignia militaria, sed colores, terrę fructus, uestitus, habitus ipse, hominis incessus, digitorum concrepitus, & oris hiatus suam haberet partium significationem. Brixiani, Bergomensesq;, apud quos ea maximè inualuit calamitas, allium, cuius apud eorum plebẽ plurimus est usus, quo scindas modo, plurimùm à ratione partium existimant interesse. Auditumq; aliquando fuisse in Bergomẽsium montibus, qui aduenas ex Calabris, Apulisúe, aut Ethruscis uiatores in hospitium receptos, allium, quod suo ipsius hospitis iudicio in nucleos natura distinctos diuidi oportuit, gladio scindentes, tanquam diuersarum partium, interfecerit. Blondus & Cranzius lib. 8. Saxoniæ, c. 8. Anno 1263. Vrbanus IV. Pp. Carolum Andegauensem, D. Ludouici Galliç regis fratrem, in Italiam contra Manfredum Siciliç tyrannum accersiuit. Cuius aduẽtu, res in Italia eò deductæ erant detestabili populorum omnium insania, ut cunctæ ciuitates diris factionibus laborarent. Guelfi à pontificibus stabant, quorum defensores erãt Galli, Germanis alteri studebant, qui Gibellini uocabantur. Hi magna ex parte nobiliores familias ad se pertraxerãt, populares uerò familiæ & plebs, nouiq; homines Romanorũ pontificum iura tuebantur. At patritij superiorum Cæsarum militiæ adscripti post emerita stipendia clari potentesq; eua ferant, quũ imperatorũ benignitate prædiis, oppidis, portotiis, aquarũq; iuribus donarentur, speciosisq; nominib. acceptis, aurati equites, Valuasores, Capitanei, & Comites appellarentur. His uti Cæsarum beneficiariis mos erat pro insigni Romanã aquilam gestare, ingredienti Italiam nouo Cæsari adesse, præstare operam militarem, nouosq; honores ꝑpetuis officiis promereri. Ita honestati priuilegiis, & exemti ab cõmuni foro iurisdicundi, inferiores populi classes, plebemq; ipsam seruilem in modum despectui atq; ludibrio habere, & sæpe, si iussa tardè facesseret, contumeliis atq; uerberibus multare cõsueuerãt. Et quo nihil acerbius uidebatur, uigebat iniqua lex, haud dubiè ad iniuriam populi promulgata: qua lege si quis è plebe à patritio esset interfectus, paucis assibus ea capitis pœna solueretur. Huius legis iniquitas aliquãdiu tolerata, ad extremum plebis animos adeò uehementer extimulauit, ut ui atq; armis eam rescinderet, & nobiles ducibus Turrianis persequeretur. Nihil deinde mediũ aut æquabile plebs uolebat, cùm arma teneret, & uin[illegible]das superiorum temporum iniurias arbitraretur, frustrà etiã patritiis priorem licentiam suam moderantibus. Ea enim impotenter dominari quàm ex æquo iniurias propul[illegible]malebat. Ea contentio Turrianos in ciuitate Mediolanensi prętores & principes, ac demùm recrudescente intestino malo, belli duces & dominos fecit, tantaq; demùm fuit imperitæ plebis insania, ut odio nobilitatis, quam urbe pepulerat causa recuperandæ libertatis, nouæ demùm & prædurę quidẽ seruitutis iugum, æquo animo perferret. Cùm iam Turriani sublata publici consilij potestate, cuncta pacis & belli munia ad arbitrium suum reuocassent, & ut imperij opes ualidius confirmarent, in parte Caroli regis & Pontificum concesserunt, mutuisque fœderibus initis, in eam curam euigilabant, ut Germani Cæsares Italiæ finibus arcerentur, Gibellinos ubiq; perderent, infirmarentq; eorum uires, qui à Cæsaribus opem implorarent. Per hunc modum, Romã, Neapoli, Florentia, atq; Mediolano exacta proscriptaq; nobilitas errabat, consilij inops, [illegible] metu, attrita opibus. Ex aduerso autem pontificij imperij maiestas, percolẽte tuenteq; Carolo, atq; adiuuantibus Turrianis, auctoritate uiribusq; florebat. Sed necesse erat sacrosanctos principes, qui uti omnium parentes Christiana professione ad componendam pacem medij æquissimiq; arbitri esse deberent, factiones sequi, & quod propè impiũ uideri poterat, sese Guelfarũ partiũ principes profiteri. Iouius in uita Othonis Vicecom.

Anno 1300. apud PISTORIENSES Cancellarij gens ditissima numero multiplicata, in duas partes diuisa est: & altera Albi uocati sunt, altera Nigri, magnis inter se contentionibus dimicantes. Quas cùm Florentini componere studerẽt, ipsi quoq; inter se diuisi sunt, & eadem nomina receperunt. Legatus apostolicus, cùm nihil proficeret, sacris interdixit. Missus est eò Carolus Valesius. Interim Albi Nigros urbe expulerunt, Andrea Girardino equite Florentino instigante. Idem morbus Lucã inuasit. Interminelli enim primario Obiciorum familiæ ciue interfecto, Nigros pellere statuerũt: sed ab illis pulsi sunt. Valesius Florentiam ueniens, accersito legato, multa conatus nõ potuit efficere, quin Albi ex Florentia pellerentur, & crudelissima in agro fierent Florentino. Inter Albos Dantes quoque poëta fuit. Ii ad Forumliuij se contulere, quò & Gibellini Florentia extorres confluxerant: & in unum corpus coëuntes, Scarpetam Ordelafum Gibellinorum in ea urbe principem sibi ducem assumsere. Blondus lib. 9. Dec. 2.

Sub Bonifacio IIX. summo Columnensium, quòd Gibellini essent, hoste, factiones in HETRVRIA à Gibellinis & Guelphis, ad Albos & Nigros transierunt. Florentini Albos nõ sine magna cæde ab urbe sua expulerunt. Albi enim Gibellini tum appellati sunt. Platina, & Aemilius lib. 8.

Sub Ioan. XXIII. Pontificis legatus, Parmã, Rhegiũ, Mutinamq; ceperat: initaq; cum Ioan. rege Boëmiæ amicitia, omnẽ rationẽ factionũ ITALICARVM repentè cõmutauit. Nã quibus pontifex & Boëmiæ rex amici ac socij erant, illis Robertus Neapolitanus rex, ac Florentini repentè aduersabantur, nullo Guelphorum aut Gibellinorũ discrimine habito. Mastinus enim Scala Veronæ, Philippinus Gonzaga Mantuæ, Carrarienses Patauij, Estenses Ferrariæ domini, amicitiã & societatem cum Roberto inierunt. Platina.

Inter VALACHOS duæ factiones fuére, altera Danorũ, altera Draculorum. Sed hi cùm Danis impares essent, atq; ab illis multifariam opprimerẽtur, Turcas in auxiliũ uocauere, quorũm armis adiuti, Danos penè ad internecionem deleuerũt. Danis uerò Ioan. Huniades Hungarorum imperio fretus opem ferens, non tam illos restituit, quàm sibiipsi claritatẽ & opes acquisiuit: quippe qui Danorũ agros ex potestate Turcarum ereptos, & sibi & posteris perpetua possessione retinendos occupauit. Aeneas Syl. c. 2. Europæ.

Cùm Angli ex omni Normannia & Aquitania eiecti essent, & Henricus VI. rex quieti potiùs & ocio quàm bellicis rebus studeret, & per Margaritam reginam omnia negotia administrarẽtur: iam tum manifestè in duas factiones ANGLIA distracta est, atq; posthac duo, Henricus VI. rex, qui ex Lancastria familia originẽ ducebat, & Ricardus dux Eboracensis, qui genus suum maternũ ad Leonellum Edouardi III. filium referebat, de regno inter se certarunt. Ex quo tantùm breui tẽpore istæ duæ factiones apud omnes pollere ceperunt, ut multos mortales perdiderint, regnũq; multùm labefactauerint, dum alteri alteros uincere quouis modo, & uictos acerbius ulcisci arderent. Polyd. lib. 24.

GENVA urbs, non ut multæ aliæ Italiæ urbes, tantùm partiũ generi est obnoxia, sed in plures factiones diuisa: in ea enim adhuc ueterum in Guelfos atq; Gibellinos factionũ reliquię supererant, anno 1506. quo à Gallis defecere. Vigebat inter patricios & populares dissensio, quæ multas urbes in Italia, & pręcipuè in Hetruria concusserat. Populares etenim, cũ patri[illegible] arrogantiam ferre nollent; multis seueriss. asperrimisq; legib. illorũ potentiã refrænarũt: atq; inter cętera ferè in omniũ reliquorum magistratuũ atq; honorũ certa portione [illegible]licta, ab ducis dignitate, qui magistratus omniũ [illegible] cuicunq; obtigerat, cũ eius uita (quamuis ob eius ciuitatis uarietatẽ nemini fortasse, uel admodum paucis, in tanto honore ad extremum usq; perseuerare datũ fuerit) unã terminabatur, eos expressè excluserunt. Nec Adurniorũ Fregosiorumq; factio minus est potens, qui ex plebe ad patriciorum ordinẽ (tales Genuæ, qui ad magnã potentiã peruenerunt, Capellacij appellantur) transierunt: de principatu, qui ꝑ multos annos semper in alterutra harũ fuit, simul cõtendũt: quoniã Guelfæ atq; Gibellinæ factionis nobiles cũ legib. ab eo hono[illegible]rcerentur, ad suæ utriq; factionis populares deferri procurabãt: dũmq; Gibellini Adurniis, & Guelfi Fregosiis fauent, temporis progressu hæ duæ familiæ, illis, quorũ nomen auctoritatemq; prius sequi solebant, illustriores ac potentiores euaserunt. Hæ aũt factiones ita permiscẽtur atq; perturbantur, ut sæpe, qui alteri contrariã factionẽ sequũtur, in uarias & ipsi factiones abierint: & contrà in unã factionẽ cum iis, qui alteram sequuntur, coierint. Guic. lib 7.

NAVARRÆ nobiles diuisi sunt in partes duas: alij Lusam, alij Agramontẽ oppidum possident. Hi & propter oppidorum propinquitatem (spacio enim trium millium inter se distant) & propter uetus odium à maiorib. acceptũ, inter se ferè semper armis cõtendunt. Ab Agramonte itaq; Agramontani, & à Lusa Lusetani dicuntur. Quorum hi Carolo filio, illi patri eius Ioanni XIIX. Aragonum regi fauebãt: hocq; initio rebellionis, totum Nauarræ regnum cũ Barcinonensibus aliquot annis cõtra Ioannem licet mortuo Carolo, insurrexit, & primò Petrum Lusitanum regi dixit, deinde eo mortuo Ioannẽ Andegauẽsem è Gallia exciuit. Marienus lib. 13 & seq.

VENETI Gallica & Cæsarea factionib. ita inter se agitati: quo tempore calamitosum illud cum Solymanno bellum gesserunt, ut cuncta Senatus decreta inexorabili antea silentio religiosè custodita, non modò ad præsentes legatos Cæsaris & Galli, sed in prouincias quoq; literis emanarent. Sab. supplem. lib. 23. ex Iouio.

GAVDIVM EX CALAMITATE, MORTE.

Tiberij Cæsaris nunciato obitu, ROMANI uehementer quidem gauisi sunt, non tamen audebant credere: non quòd uerum esse nuncium non cuperent, quod iamdudum magno redemissent libenter: sed quòd uererentur, ne tẽtati falsis nũciis, si intempestiuè gaudium suum detegerent, delatorum opera in certissimam perniciem incurrerent. Nemo enim ante eum patriciorum ordinem grauius afflixit. Iosephus lib. 18. cap. 8. Antiq.

[redacted]

IMPRECATIO.

Vide Tit. Imprecari. Illic Imprecatio, ut Effectus est Odij, heic ut Inimicitiæ, tanquam Fortuiti mali adiunctum, consideratur.

CONVITIVM, CALVMNIA.

Ex Tit. Calumniari, huc exempla pertinent quatenus Inimicitiæ adiunctum est.

ACCVSATIO.

Consule Tit. Accusationis iustæ, iniustæ.

M. Cato Maior à populo Romano (ut nominis ratio demonstrat) prudens appellatus, maximis ROMANORVM odiis exercitus est. Quadragies enim sexies reus causam dixit, semperque absolutus est. Plus enim ualuit eloquentia, uitæque innocentia, quàm acerrimum maleuolorum hominum odium. Sab. lib. 1. c. 6.

ARCANORVM EVVLGATIO.

AVGVSTVS, quo magis M. Antonium degenerasse à ciuili more approbaret, testamentum, quod is Romæ etiã de Cleopatræ liberis inter hęredes nuncupatis reliquerat, aperiendũ, recitandumq; pro concione curauit. Suetonius.

SECESSIO.

AEGYPTII Psammetichi regis odio, quòd in bello aduersus Aethiopes exterorum militũ uirtuti magis quàm Aegyptiorum fidere uideretur, in Aethiopiam migrant. Herod. lib. 2.

Prima secessio ROM. plebis fuit in Sacro monte, qui est trans Anienem amnem: uel, ut Piso scribit, in Auentino, qui pars est urbis. Ibi Tribuni plebis primùm sunt plebi dati uelut tutores eius, qui pro cõmodis excubarent intercederentq; patritiorum in ipsam iniuriis, essentq; sacrosancti: quos qui uiolasset, eius caput Ioui sacrum esset, bona & familia ad Cereris uenderentur. Secunda secessio fuit primùm in Auentinũ: deinde quò maior solitudo, & exinde terror esset in Vrbe, in Sacrum montem est itum. Rursus compositis cum senatu rebus in Auentinum, ibiq; tribunos recuperauit: ex Auentino uentum esse in Capitolium, ibi à pont. max. comitia habente creatos esse trib. pleb. Cicero pro Cornelio de maiestate. Viues in lib. 2. de Ciu. Dei, c. 18.

Sub Suenone III. Danorum rege PLEBS Scanica à principib. dissidens, concione lecta in Arnam uallem armata secessit. Veritus rex, ne is tumultus ad grauiores regni motus progrederetur, coërcendi eius gratia ad Scaniam è Sialandia traijciens, militaris manus fiducia agrestium concionẽ accessit. Inermis ipse equitibus utebatur armatis, ut uim metuere potius quàm struere uideretur. Cedente de industria uulgo, coronam ingressus, multis & grauibus querimoniis exceptus est: sed obstrepente multitudinis clamore, defensionis potestatẽ dicendiúe copiã impetrare nequiuit: flagitandi silentij gratia dextrã uulgo obtendens, crebros lapidum iactus excepit. Tunc Toko matre Sygne ortus, oratione sua seditionẽ cõpescuit: ita suam temperans actionẽ, ut & præfectorũ partes dissimulanter protegeret, & manifestũ patrociniũ impertiret. Reuersis ad propria agrestibus, rex tãtæ cõtumeliæ indignatione, cõplures Scaniæ uicos exussit, eamq; fermè totã, pinde ac maiestatis reã, rapinę subiecit. Ipsos cõsternationis auctores spiritu, uel bonis priuauit, factiosos paupertate aut morte multandos iudicans. Nec Tokonẽ, tametsi linguæ eius beneficio uulgi irã uitasset, multæ expertẽ reliquit plebem aduersum se occulto eius consilio cõcitatam affirmãs. Saxo libro 14.

CAEDES.

Vide Tit. Strages magnæ.

[redacted]AEL filius Nathaniæ, & multi cũ eo cõiurarunt aduersus Godoliam, quẽ præfecerat rex Babylonis Iudeæ, & interfecerunt eum [redacted].Reg. cap. ultimo.

PISÆI cum ELEIS de condendis Olympicis ludis contendebant. Re ad bellum deducta, Pisæi cum urbe sua ad internecionem ab Eleis deleti fuerunt. Pausanias lib. 6.

PISANI & GENVENSES odio & armis inter se certantes, tãta rabie apud Lamellum insulã Pisano portui uicinam concurrerunt, ut ex Pisanis, qui triremes quadraginta nouẽ amisere, duodecim millia hominum desiderata sint, partim cæsa, partim capta. Quam calamitatem Honorius IV. pontifex ita ægrè tulit, ut paulùm abfuerit, quin Genuenses obstinatè nimium Pisanos insequentes interdicto ecclesiastico notaret. Ea calamitas adeò Pisanos attriuit, ut nunquam postea uires recuperauerint. Platina.

INSIDIAE INTENTATÆ.

Vide Tit. Insidiatorum: item Coniurationum. Illic eorum, qui coniurando consentiunt, ratio habetur: heic eorum, contra quos coniurant.

Contra Herodem Iudæorum regem, coniurarunt decem CIVES, & ex his cæcus unus. Iosephus.

CAEDIS LICITATIO.

Ex Tit. Desiderium cædis huc quædam.

In pugna nauali ad Salaminẽ contra Persam Artemisia quoq; Cariæ regina à partibus regis stabat. Trierarchis ATHENIENSIVM præceptum erat, ut eam caperent, propositumq; præmium decem millium drachmarum ei, qui uiuam cepisset. Indignè enim ferebant, mulierem aduersus Athenas militare. At illa astu aufugit, ut ex Tit. Fugã tutò adornare, colligi potest. Herod. lib. 8.

DIGNITAS MAGISTRATVS ABLATI.

GREGORIVS VII. Pp. Henricum IV. Germanię regem anno 1076. ad conciliũ Romæ de criminib. quorũ argueretur causam dicturũ uocauerat. Nisi pareret, iterũ à cõmunione ecclesiæ seiunctũ iri, uti prius sub prędecessore pontifice. Hẽricus legatos iurgiis laceratos dimisit, ac continuò omnium, qui in suo regno essent, episcoporum atq; abbatum Vormaciam concilium aduocauit. Ibi Hugo Cardinalis Blancus initio accusationis à Gregorij natalibus repetito, uitam eius omnem uariis flagitiorum, probrorumque maledictis conscidit, hæreticum, adulterum, homicidã, parricidã, sanguinariũ,

uocans, ac propterea Pontif.cem per leges fieri non potuisse contendens. Quibus rebus auditis, omnes episcopi auctoritatem eius sequuti facilè Gregorium uitio factum esse Pontificem, ac propterea obedientia indignum constituerunt. Epistolam Rolando cuidam clerico Parmensi ad Gregorium deferendam dedere: qui reddita Gregorio epistola eidem Henrici nomine nunciauit, ne ipse aut se post hac Pōtificem appellaret, aut aliquid pro Pontifice gereret: Cardinalibus uerò, ut ad nouum à rege creandum Pontificem in Germaniam maturarent. Gregorius uicissim decretum fecit, & Henricū regio Germaniæ atq; Italiæ titulo, & iurato Principum, populorumq; obsequio abdicauit, atq; unà cum Sigifrido archiepiscopo Moguntino, Villelmo Traiectensi & Babembergensi sacro anathemate obligauit, cæteris eadem minatus, nisi Romam profecti ipsa coram se crimina diluissent. Hoc decreto in Germaniam perlato pleriq; principum Henricum auersari, ut ab ecclesia damnatum, ceperunt. Supplex Canusij Pontifici fectus, in gratiam receptus est, dum se in conuentu principum purgaret. Distracta subinde in regiā & pontificiam factionem Germania. Principum maior pars Fortzhemi regnum Henrico abdicarunt, & Rodolfum Sueuum substituerunt. Henricus Longobardis diffidens, in Germaniam reuersus armis regnum tueri instituit. Longobardi in libertatem sese asseruere. Henricus bellum grauissimum cum Rodolfo Imperij æmulo iniit. Gregorius in Lateranensi Concilio beatos apostolos Petrum & Paulum cōtestatus, iniurias omnes ab Henrico sibi atq; ecclesię factas cōmemorauit: Quas ob causas, inquit, ego auctoritate apostolica mihi à Deo delata Henricum Henrici Imperatoris filium regio Germaniæ titulo iterum spolio, & Christianorum obedientia priuo, atq; omnes religione iusiurandi, quo se illi obstrinxerunt, absoluo. Contrà uerò, ut Rodolfus à proceribus Germaniæ in Henrici locum declaratus regnum administret ac tueatur, nomine uestro omnibus, qui fidem ei præstiterunt, omnium peccatorum remissionē ueniamq; in hac & in futura uita concedo. Et ut Henricum ob suam superbiam regia dignitate depello, sic Rodolfum propter suam humilitatem atq; obedientiam in potestate repono. Inde conuentu dimisso, regiam ad Rodolfum coronam transmisit, eumq; ad uindicandam acriter aduersus Henricum ecclesiam incitauit. Henricus uicissim alterum & ipse conuentū Brixinā Bauarorum indixit, atq; eò triginta episcopos euocauit, conuentuq; coacto, de Gregorio & pontificatu eius retulit. [redacted]

PROSCRIPTIO.

Ex Tit. Exulum, quatenus exilium ab inimicis irrogatur, huc quædam. Item, Bellorum ciuilium: item Crudelitatis erga hostes uiuos.

ATHENIENSIBVS Periclis plebiscito cautū fuit, ne quis Atheniensiū Megaram pedem inferret, multa capitis indicta, quòd odio eos prosequerentur exitiali. Si quis ui tēpestatis aut hostium impetu, ad eorum litora applicuisset, intra quintum diem abire cogebatur. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 10.

Proscripsit L. Sylla FVSTIDIVM senatorē, seruatusq; est magis casu quàm hominum consilio. Idem postea annos sex & triginta à fortuna ampliatus, in Antonij, Lepidi & Octauij proscriptionem incidit: & quod ipsi sit fortunæ magis inuidiosum, constat tum demùm proscriptum, non quia hostis esset, sed quòd priore proscriptione seruatus. Sab. lib. 7. c. 8. & Plinius lib. 7. c. 43.

Q. METELLVS Pius inter proscriptos à Sylla, cùm ad posticū uxoris suæ accessisset, & admissus non fuisset, ibidem se trāsuerberans, fores sanguine respersit. Volaterranus libro 17. Anthropologiæ.

Q. CICERO frater proscriptus unà cum filio, percussorem rogauit, se ante filium absumi: filius contrà, se ante patrem. Vterq; igitur interfectus est. Appianus.

INIMICITIA OECONOMICA. VEL

PATERNA, INTER PARENTES & LIBEROS.

Consule Titulum, Seueritatis, Crudelitatis, Perfidiæ parentum erga liberos, Liberorum erga Parentes.

LYCOPHRON Periandri F. patrem tanto prosecutus est odio, propter necatam matrem Melissam, Proclis tyranni Epidauriorum filiam, ut Corcyram relegari maluerit, quàm ullum reconciliati animi signum erga patrem ostendere. Herodotus libro 3.

HIPPOLYTVS odio summo patrem Theseū prosequebatur: quòd in gratiam nouercæ Phædræ, quæ ipsi insidias struxerat, Neptunum orauisset, ut ab equis, dum propè litus maris aurigaret, discerperetur. Ideoq; ipsi, reuocatus in uitam ab Aesculapio, quamuis deprecanti ignoscere noluit, sed relicto eo in Italiam uenit, Virbium se nominans. Pausanias in Corinthiacis.

FRATERNA.

Consule Tit. Perfidi fratres, Crudeles fratres.

CAIN primus fuit terrenæ ciuitatis conditor fratricida: nam suum fratrem Abelem ciuem ciuitatis æternæ in hac terra peregrinantem, inuidentia uictus occidit. Vnde mirandum nō est, quòd tanto pòst in ea ciuitate condenda, quæ fuerat huius terrenæ ciuitatis caput futura, & tam multis gentibus regnatura, huic primo exemplo, & ut Græci appellant archetypo, quędam sui generis imago respondit. Nam & illic, sicut ipsum facinus quidam poëta cōmemorauit,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Sic enim condita est Roma. Neq; alia de causa occisum Remū à fratre Romulo testatur historia, nisi quòd isti terrenæ ciuitatis ambo ciues erant, & ambo gloriam de Romanæ reipub. institutione quærebant. Cain & Abel fratres non habebant ambo inter se similem rerum terrenarum cupiditatem: nec in hoc alter alteri inuidit, quòd eius dominatus fieret angustior, qui alterum occidit, si ambo dominarentur. Abel quippe non quærebat dominationem in ea ciuitate, quæ condebatur à fratre: sed inuidentia illa diabolica, qua inuident bonis mali; neq; alia causa est, nisi quia illi boni sunt, illi mali. Illud igitur, quod inter REMVM & ROMVLVM exortum est, quemadmodum aduersus seipsam terrena ciuitas diuidatur, ostendit: quod autem inter Cain & Abel, inter duas ipsas ciuitates Dei & hominum, inimicitias demonstrauit. Pugnant ergo inter se mali & mali. Item pugnant inter se boni & mali. D. August. libro decimoquinto de Ciuitate Dei, cap. 5.

ESAVS (cùm Iacobus frater primùm in prærogatiua ætatis, quam ei pro edulio ex lentibus confecto uendidit, cum supplantasset: deinde etiam faustam patris precationem Rebeccæ matris astu in se deriuasset) odio in fratrem concepto, eū occidisset, nisi Rebecca Iacobum ad Labanem fratrē in Mesopotamiam ablegasset. Genes. 27.

Iacobi FILII Iosephum fratrem summo prosequebātur odio, eo quòd turpitudinem illorum ad patrem deferret, & à patre præ cæteris amaretur. Eapropter rus profectum capiunt, & Madianitis mercatoribus uiginti argenteis numis uendunt. Genes. 37.

ETEOCLES & POLYNICES Oedipi filij de regno Thebanorum hac lege pacti sunt, ut imperium alternis annis administrarēt. At Eteocles (nam huic sorte primus obtigerat annus) exacto tempore recusauit fratri uices regni tradere. Itaque Polynices in Adrasti ditionem Argos profugit, & ab eodem in generum adscitus, Thebanis bellum intulit: & mutuis cum fratre uulneribus cecidit. Extat de ijs in Græcis Epigrammatis tale Bianoris:

Οἰδίποδος παίδων Θήβη τάφος· ἀλλ' ὁ πανώλης
τύμβος ἔτι ζώντων αἰσθάνεται δοράτων.
κείνους οὔτ' ἀΐδης ἐδαμάσατο, κὴν ἀχέροντι
μάρνανται, κείνων χὼ τάφος ἀντίπαλος.
καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναντίον, ὦ ἐλεεινοὶ
παῖδες, ἀκοιμήτων ἀψάμενοι δοράτων.

Quos uersus sic conuertit Ausonius:

Nec Stygiis lucis ineunt sua fœdera fratres
Oedipodionidæ, de misero, ah, miseri.
Namq; etiam ex uno surgentes aggere flammæ
In diuersa sui dissiliunt cineris.
Infandos iuuenes, quos nec discordia cassos
Luce, nec in semet linquit atrox animus.
Atq; utinam & Thebas quissent partirier ipsas,
Regnorum & metas, ut cinerum nebulas.

Pelopidarum domus omnium atrocissimè intestinis odiis conuulsa, ATREO & THYESTE fratribus dissidentibus. Nihil uetus aut recens scena habuit detestabilius, quàm monstrifica exempla', quæ ex ea domo profecta sunt: si poëtica fides recipiatur. Exiit fraternus ille furor in nepotes, ut regia coniunx incesto amore saucia, non uiro pepercerit, nō filius matri. Sabellicus lib. 3. c. 10.

PROCLES & EVRYSTHENES Aristodemi regis Lacedæmoniorum filij gemini, uoluntate magnoperè diffidebant, ita ut odium ipsum in posteros suos magno cum malo Spartanæ urbis deriuarint. Nam ab his duæ regiæ familiæ æmulæ sunt exortæ. Pausanias in Laconicis.

Alexandri Iudæorum regis filij de regno, mortua matre, certarunt: Suaq; contentione effecerunt, ut Pompeius urbē Hierosolymam expugnatā libertate sua priuārit, & ARISTOBVLO minori natu in uincula coniecto, HIRCANVM fratrē tributarium factum, regno pręfecerit. Iosephus lib. 14. Antiq.

BASSIANVS & GETA fratres, reconciliati à matre & amicis pari honore imperiū gerentes, ex Britannia Romam cū patris Seueri reliquiis uenerunt: in itinere seditiones quotidie agitantes, nec eisdē diuersoriis utentes, eademq; mensa: tanta inerat utrisq; suspicio de ueneno. Vbi Romam uenerunt, in regiam discesserunt, partiti inter se domū, custodesq; corporis separatim sibi delegerunt: mox discordias ac simultates exercuerunt, insidias inter se moliti: diuersaq; tum urbanorum studia, ac diuersas populi mentes ob suam discordiā parabant. Sed maior pars Getam sectabatur, quòd probus, moderatus & lenis, honestiora studia tractaret, ac disciplinarum uiros celebres circa se frequenter haberet, & in palęstra exercitatos: placidus & human⁹ in optimos quosq;: cùm frater Antoninus, ferox ac crudelis esset, minis terribilis, ac factis sæuus. Cæterùm paterni hoc amici uidentes, coram matre ipsa, consentientibus utrisq;, diuiserunt Imperium, ut Europa omnis Antonino cū partibus meridionalibus cederet: Asia uerò, & quicquid in Orientem uergit, Getæ. Sed cū mater frustrà cōciliare fratres anniteretur, & indies odiū fraternū glisceret, paratæq; insidiæ ueneno non procederēt, quod uterq; esset curæ ac diligentiæ singularis in cibo potuq; sumendo: tandem Antoninus irrupto fratris cubiculo, nihil eū tale expectantem, supra matris pectus multo undantem sanguine sæuus obtruncat. Pòst domum exilit, ac per totam regiam currens, clamitat magnum se periculū effugisse, uixq; euasisse incolumem. Ad castra fugiens uenit, insidias fratris inimici hominis narrat quomodo effugerit, multa mētitus, tum enormem militibus largitionē, tam in numis quàm in annona donat: cuius magnitudine illecti, uulgata iam cæde fratris, unum illum declararunt Imperatorem, Geta hoste appellato. Cuspinianus ex Herodiano.

THOMAS & DEMETRIVS fratres Christianorū ultimi peninsulam Peloponnesum possederant. Quibus inter se dissidentibus, Demetrius Mahometis Turcorum Imp. arma intra Isthmum per speciem auxilij induxit. Sustinuit graue bellum aliquamdiu Thomas, postremò desperatis rebus, in Italiam ad Pium II. pontificem nauigauit, attulitq; secum Andreæ apostoli caput, quod Romanus pontifex cum uniuerso clero & magna populi parte obuiam progressus, uenerabūdus excepit. Turci captis proditione Argis, quum omnia hostiliter agerent, Veneti bellum sunt suscipere coacti, ut ea, quæ iam antea in Peloponneso possederant, armis tuerentur. Sabellicus lib. 5. En. 10.

PARENTVM & LIBERORVM.

Consule Titulū, Seueritatis & Crudelitatis parentum erga liberos, & econtrà.

PATRVI, AVVNCVLI, & NEPOTVM.

Interfecto apro Calydonio, qui Aetolorum uastabat agrū, immisso à Diana, ægrè ferente, neglectam se ab Oeneo rege sacrificante, cùm eximia fuisset opera MELEAGRI Oenei F. in apro necando, caput & pellem bestiæ, fortitudinis symbolum sibi dari petebat. Illud cùm auunculi eius ægrè ferrent, uehementer iratus est, ἀμφὶ συὸς κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι, uti Homerus Iliad. ι. canit. Ouid. in Metamorphosi interfectos ab eo auunculos tradit, quòd Atalantæ uirgini, quam amabat, caput suis dare renuissent. Altheam eius matrem, ut mortem fratrum ulcisceretur, stipite fatali accenso, igniq; consumto, filium lenta tabe confecisse.

COGNATORVM.

BERCHTOLDVS Zeringiæ dux in Germania, morti proximus, thesaurum suum omnem in massam unam conflari iusserat. Causam rogatus: Vt hac occasione, inquit, cognati & affines mei, ad quos hæreditas hæc peruentura est, dum totum quàm partē ad se pertrahere singuli malūt, mutuis odiis atterantur. Fulg. lib. 9. c. 11.

CONIVGALIS. Quoad ΛΗΨΙΝ.

Vide Tit. Sponsi sponsæ'ue repudiatæ.

ΦΥΛΑΚΗΝ. Vel Seruata.

Vide Tit. Vxores repudiatæ, dimissæ, sub loco Amicitiæ coniugalis φυλακή.

Diuortium inter cōiuges, qui in diuersas partes eunt, Repudiū sponsæ remitti uidetur. Modestinus & Vlpianus.

Non Seruata. Vxores receptæ.

Vide Tit. Amicitiæ coniugalis φυλακή, Receptio repudiatarum.

Fribusculum, quasi Friuolusculum, cùm eo animo separantur coniuges, ut rursus ad se inuicem redeāt. Friuola secundùm Festum, sunt uasa fictilia, cassa. Ita hic animorum exacerbatio denotatur.

ΧΡΗΣΙΝ.

Vide Tit. Coniuges discordes.

Mortuo Rodolfo Boëmorum rege, cùm Fridericus Austrius Rodolfi frater, & Henricus Carinthius inter se de regno contenderent, Henricus VII. Imp. ELIZABETHAM Venceslai sororem, octo & decem annos natam, clàm iussam ad se uenire Spirę IOANNI filio suo quatuor annis minori, matrimonio coniunxit: & tandem Henricum, qui Friderico pulso iam regnabat, superauit. Exercuit hic postea graues cum coniuge lites, procerum instinctu, qui Germanum Boëmis imperantem grauiter ferebant. Ad arma uentum est, & magnis calamitatibus regno affecto, uix tandem pax facta. Aeneas Syl. cap. 32. hist. Boëm.

SOCERI ET GENERI, SOCRVS ET NVRVS.

In Libyæ LEPTA usu receptum erat, ut postridie nuptias, ollam sponsa ad sponsi matrem petitum mittat, quam illa asperius abneget: & eo exemplo iurgiorum auspicium augurabantur. Alexander libro secundo capite quinto, & Fulgosus libro secundo, capite primo: & Egnatius libro secundo, capite primo.

SAVLVS rex tanto odio Dauidem prosequebatur, ut non modò sæpe eum uariis insidiis appetierit, uerumetiam Ionathanem F. qui Dauidis innocentiam defendere conabatur, hasta ferire uoluerit, nisi ille patris insaniam declinasset. Libro 1. Regum, cap. 20.

AFFINIVM.

CONSTANTINVS Magnus Licinium, sororis suæ maritū, pugna sæpius oppressum, & tandem apud Nicomediam uictum, interfici iussit. Eutropius.

CHILDEBERTVS Clodouei filius, in Almaricum Gothorum regem, sororis suę Clotildis maritum, bellum mouit, uictum uictor obtruncauit: Toletū urbem diripuit, quòd Clotildem ipsam iurgiis & uerberibus, propter cultum orthodoxæ fidei intercesserat. Volaterranus.

HERILIS. INTER DOMINOS & Seruos.

Consule Titulum, Perfidiæ, Vindictæ, Crudelitatis dominorum erga seruos, & uicissim.

LIBRI NONI
TITVLORVM
DISPOSITIO



Aa. Con-



Bb. Ho-

- Bb. Honores
  - Diuini:
    - Consecratio, ἀποθέωσις. Inter Diuos relati.
    - Templa, Aræ dicatæ, erectæ.
  - Humani aliꝫ ſpectantur
    - Extra eos quibus tribuuntur. Vide ſignum Cc.
    - In illis, quibus tribuuntur. ORNAMENTA dicantur honorifica, tum quo ad
      - Corpus. Vt ſunt
        - Veſtes. Armillæ, Torques.
        - Coronæ. Quarii perpendatur
          - Materia. Forma. Efficiens.
          - Finis. Dantur uel propter bona malaue
            - Animi. Vt propter
              - Eruditionem.
              - Fortitudinem.
              - Religionem.
              - Reconciliationem.
            - Corporis. Vt propter
              - Robur.
              - Formam.
            - Fortunæ. Vt propter
              - Victoriam.
              - Dignitatem, Magiſtratum.
              - Libertatem.
        - Currus. Sella.
        - Luminis, Funalis honor.
        - Locus. Locus honorificus in conuentibus
          - Politicis, in
            - Conſiliis captandis, explicandis.
            - Conſeſſibus.
            - Pompis, Deductionibus.
            - Conuiuiis. Spectaculis.
          - Bellicis, in acie.
        - Munera, Officia honorifica.
        - Magiſtratus, Dignitates. Puta
          - Patriciatus.
          - Nobilitatis. Nobilitate donati.
          - Equeſtris.
          - Literaria, Graduum quos uocant.
        - Triumphi, Ouationes.
        - Sacrificia.
        - Dona quæuis, q̃ ad opes quomodolibet ſpectare uidẽtur. Vt ſunt
          - Alimenta, Carnes, Vinum.
          - Animalia quælibet.
          - Concubinæ. Pelles. Tributa honorifica.
          - Coronæ. Domus donata, ædificata.
          - Agri. Vaſa, Tripodes.
          - Arma, Gladij. Manus aureæ.
          - Roſæ. Dos. Præda.
          - Librorum inſcriptio.
      - Fortunas, Dãtur itaq; honoris ergò
        - Nomina, Tituli honorifici. Horum
          - Impoſitio.
          - Vſus in
            - Sacris. Faſtis.
            - Nuptiis. Certaminibus.
            - Codicillis, Inſtrumentis.
          - Cõmunicatio. Honorifice
            - Communicata.
            - Non communicata.
        - Inſignia honorifica
          - Familiæ.
          - Victoriæ.
          - Cædis.
        - Amicitia, Societas tum
          - Sacra. Initiati, Sacris adhibiti.
          - Profana
            - Politica
              - Ciuitate donati.
              - In amicitiam ſuſcepti.
              - Hoſpitio excepti.
            - Oeconomica
              - Menſæ honore excepti.
              - Coniugio dignati.
        - Libertas, Poteſtas quiduis agendi patiendiue conceſſa.

Cc. Sic

- Cc. Sic uel ſint
  - MONVMENTA. Vide ſignum Dd.
  - TESTIMONIA præclara. Hinc
    - FAMA bona, Claritas, Celebritas nominis.
    - ENCOMIA, Præconia, Laudationes:
      - Qui laudatis
        - Rhetores. Poetæ. Hiſtorici.
        - Muſici. Philoſophi. Magi.
        - Reſpublicæ. Pontifices.
        - Reges, Principes.
        - Præfecti. Duces belli.
        - Hieronicæ. Pueri, Adoleſcentes.
      - Cur. Cauſa
        - Eruditionis. Eloquentiæ.
        - Probitatis, Virtutis.
        - Sanctitatis. Prudentiæ.
        - Fortitudinis bellicæ.
        - Iuſtitiæ. Roboris.
        - Formæ. Potationis.
      - A quibus laudati. A
        - Deo. Intelligentiis.
        - Prophetis. Vatibus.
        - Regibus, Principibus.
        - Republica. Hiſtoricis.
        - Hoſtibus.
      - Quando. Vbi.
      - Quomodo:
        - Acclamatione, Applauſu.
        - Præconis uoce.
        - Cantu, Carmine, Hymno.
        - Scripto.
        - Inſcriptione
          - Montium. Templi. Gymnaſij.
          - Marmorum, Arcuum.
          - Statuarum, Imaginum.
          - Tripodis. Clypei. Librorum.
          - Arborum, Foliorum, Parietum, Oſtiorum.
        - Aſpectu, Concurſu ad ſpectandum.
        - Oſtenſione.
  - OFFICIA quomodocunq; præſtita honorifica tum
    - Voce
      - Salutando.
      - Colloquendo. Honor in alloquio.
    - Geſtu
      - Caput aperiendo.
      - Manus abſcondendo.
      - Aſſurgendo.
      - Submittendo, Adorando, Ingeniculando.
      - Oſculando, Amplectendo. Præbibendo.
    - Congreſſu uel
      - Obito: qñ uel
        - Ad locum aduentantem excipiunt. Occurſus, Exceptio honorifica:
          - Qui occurrãt
            - Reges.
            - Duces.
            - Subditi.
          - Quib. occurrant:
            - Pontificibus.
            - Cardinalibus. Epiſcopis.
            - Regibus, Imperatoribus, Principibus.
            - Ducibus. Legatis.
            - Doctis, Philoſophis.
            - Matronis. Libertis.
            - Exulibus. Vinctis, Captiuis.
            - Vxoribus. Victis, Profligatis.
          - Cur. Cauſa
            - Congratulationis.
            - Deprecationis.
        - De loco ad ſe Euocant.
        - In loco manentem
          - Conueniunt, congrediuntur.
          - Conuerſantur.
        - E loco egredientem Comitantur, Deducunt.
      - Non obito, Congreſſum, Occurſum declinando.
    - Opere uel
      - Præſtito
        - Sacrificia geſtant pro aliorum ſalute.
        - Suſtinent innitentem.
        - Miniſtrant, apparent. Expediunt.
      - Non præſtito, interniſſo, honoris cauſa. Huc pertinet, A turpibus abſtinere.

- Vrbes *memoriæ causa ædificatæ.* Mœnia *deiecta.*
- Aræ, *Templa, memoriæ causa erecta.* Arcus, *Porticus extructæ.*
- Turres *non demolitæ.* Domorum *honos:* Ornata *spoliis.* Priuilegio *ianuæ affectæ.* / Direpta. Tribunalis *ius.*
- Saxa.
- Statuæ:
  - Quæ, *quales.*
    - Quib. *positæ.* Vr
      - Genere.
      - Specie, *respectu*
        - Professionis: Rhetoribus. Poetis. Musicis. Philosophis. Astrologis. Vatibus. Medicis. Historicis. Athletis, *Olympionicis.*
        - Dignitatis, *Magistratus:* Regibus, *Imperatoribus.* Ducibus. Præfectis. Legatis. Censoribus.
        - Officij: Legislatoribus. Interpretibus *legum.* Præceptoribus. Equisonibus.
        - Sexus.
        - Ætatis: Pueris, *Adolescentibus.* Senibus.
        - Patriæ: Ciuibus. Peregrinis.
        - Amicitiæ: Amicis. Hostibus.
        - Habitus *ut Meretricibus.*
        - Vitæ: Viuis. Mortuis.
    - Cur. ob
      - Sapientiam. Fortitudinem. Taciturnitatem.
      - Sanitatem *datam.*
      - Formam. Mortem.
      - Tyrannos *sublatos.*
      - Patriam *liberatam ab hostibus.*
      - Victoriam *de hostibus.*
      - Pestilentiam *arcendam.*
- Imagines *pictæ, cælatæ.* Trophæa.
- Arma *propria dedicata, suspensa.* Naues *memoriæ causa conseruatæ.*
- Spolia. SPOLIA *de hostibus honorifica*
  - Seruata, *suspensa. Viputa*
    - Arma. Tormenta.
    - Signa, *Vexilla.*
    - Calcaria. Insignia *imperij.*
    - Portæ. Naues.
    - Statuæ, *Signa.*
    - Columnæ. Vincula.
    - Poma. Cadauera, *Capita, Cauæ.*
  - Dono *missa.*
  - In *trophæum erecta.*
  - Conflata.
- Dies *festi.*
- Iustitium, *iurisdictio omissa.*
- Spectacula, *Ludi.*

Dd. Inter *monumenta connumerantur*

VOLV-

Voluminis Tertij Liber IX.

De Gloria & Honore.

GLORIA, HONOR, EXISTIMATIO, CLARITAS, REVERENTIA, considerata respectu PERSONAE PATIENTIS, hoc est, eius qui Honore afficitur. Qui CLARI, Glorioſi, Honorati fuerint

IN GENERE. HVC PERtinent

SECVLVM CLARVM. AETAS CLARA.

Olymp.103. extiterũt uiri eruditione clariſſimi & præſtantes: Socrates orator, & eius diſcipuli, Ariſtoteles philoſophus, Anaximenes Lampſacenus, & Plato Athenienſis: item poſtremi philoſophi Pythagoricorum, & Xenophon, qui hiſtorias cõſcripſit iam ad decrepitam uſq; ſenectutem prouectus. Etiã Antippus & Antiſthenes. Præterea Aeſchines Sphettius Socraticus. Diod. lib. 15.

Triumuiros Eccleſiaſticos, nempe Gregorium Nazianzenum, Baſilium, & Chryſoſtomũ, una tulit AETAS apud Græcos, pietate pares, nec diſpares eruditione, ſed dictionis charactere diſſimiles. Cum quibus noſtri conferri poſſunt: Chryſoſtomo Auguſtinus, Nazianzeno Ambroſius, Baſilio felici facilitate Lactantius, ſcripturarum uerò cognitione Hieronymus. Gilb. Cognatus lib. 6. Narrationum.

Sub CAROLO Pulcro Francorũ rege, fuêre ſublimia ingenia, eruditiſſimiq; uiri. Seculum illud literatura floruit. Aemilius libro octauo.

Sub BONIFACIIIX. infeliciſs. pontificatu, unũ tamẽ bonum in Italiam aduectum eſt. Nã Chryſoloras Byzantius literas Græcas attulit, quæ annis iam quingentis in Italia conticuerant. Hinc Græcæ Latinæq; linguæ ſcholæ exortæ ſunt, Guarino, Victorino, Philelpho, Ambroſio monacho, Leonardo Aretino, Carolo§, ac pleriſq; aliis, tanquam ex equo Troiano in lucem prodeuntibus, quorum æmulatione multa ingenia deinceps ad laudem excitata ſunt. Platina.

ORDINES SACRI ILLVSTRES.

D. BENEDICTI familia tam clara euaſit, ut 12. monaſteria cõſtruxerit, quorum ſingulis unum ex 12. diſcipulis præfecit, tãta fœcunditate, ut pater Occidentalium monachorum, uſq; ad tẽpora Mẽdicantium dictus ſit, anno 530. Ex eius familia prodierunt 24. Romani Pontifices: Cardinales 200. Archiepiſcopi 1600. Epiſcopi 4000. Abbates eruditione & ſcriptis celebres 15700. teſte Ioanne Trithemio, & Sab. En. 8. lib. 2.

ACADEMIÆ CLARÆ.

Exempla pete è Tomo Academico.

POPVLI, REGIONES, CIVITATES, LOCA clara & illuſtria, uel reſpectu

Maiorum. Puta ob

Ortum. Αὐτόχθονες.

Αὐτόχθονες, Indigenæ, & ATHENIENSES dicebantur, & ARCADES, & AEGINETÆ, & THEBANI, uel quòd primi terram coluiſſent, uel quòd aduenæ non eſſent. Suidas.

Antiſthenes ridere ſolebat ATHENIENSES, ſubinde gloriantes, quòd eſſent autochthones, nempe quòd non aliunde eò cõmigraſſent, nec patriam ſedem mutaſſent unquam: dicẽs, hoc laudis illis eſſe cũ teſtudinibus cochleisq; cõmune. Nã & hæc animantia nunquam mutant domicilium, in quo naſcuntur. Laertius lib. 6. c. 1.

Antiquitatem. Gentis antiquitas.

Soli HEBRÆI generis antiquitate populis omnibus præſtant: nemo tamen ſuã tribum ciere poteſt: ſed omnes inter ſe confuſi ſtirpẽ agnoſcunt, ramos ignorant. Gens uerò ſacerdotũ, quæ nobilitatis ſummum decus ab Araone repetens, duob. annorum millibus ac trecentis floruerat, Gothicis ac Vandalicis cladib. creditur interiiſſe, non ſine magno diuinæ ultionis argumẽto. Neq; ſine admirabili prouidentia factũ uidemus, ut populus Hebrẽorum, qui omniũ principũ crudeliſs. uim ac tyrannidẽ pertulit, ſui generis antiquitatẽ ſolus retineret. Præpotens Aethiopiæ rex ab illa gente repetit generis ſplendorem, ſeq; ac ſuos gentiles Iſraelitas appellat. Illud etiam magis mirũ uideri poſſit, quòd ab illis religiones, quæ toto terrarum orbe uſurpantur, uelut à fonte fluxerũt. Cum igitur hunc populum in omnes terras ſparſum uideamus, quid de reliquis gentibus exiſtimandum? Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 9.

Conſtat, CHALDÆOS omnium populorum antiquiſs. fuiſſe, nõ ſolùm Moſis grauiſs. teſtimonio, ſed etiã Metaſthenis, Herodoti, Cteſiæ, Xenophontis, quibus aſſentiuntur Ioniores, Diogenes Laërtius, Philo, Porphyrius, in epiſtola quadã ad Boëthum, Clemens Alexandrinus in Stromatis, Euſebius de Euangelica demonſtratione, Theodoritus lib. 1. de Græcarum affectionum curatione. Rabbi Moſes Maimonis filius libro 3. c. 30. Perplexorum, ac reliqui quoq; interpres Hebrẽorum, hi omnes humanitatem, literas, artes omniũq; magnarum ſcientiarum laudẽ Chaldæis acceptã ferunt. Hinc Promethcum genere Chaldæum, quòd homines ab agreſti inculta q; uita ad humaniorẽ impuliſſet, rãtoſq; ſiderum curſus, traiectiones errantium, totamq; naturæ obſcuritatẽ hominum generi tradidiſſet, finxerunt ferula Palladis ſacros ignes de cœlo detraxiſſe, & hominem è luto coagmentatum anima cœleſti afflauiſſe. Idem.

Ferunt AETHIOPES primos hominum omnium creatos eſſe: Cuius rei cõiecturam ferunt, quòd nõ aliũde homines in eam acceſſerint, ſed in ipſa genuiſſe, meritò indigenæ omnium conſenſu appellentur. Diod. lib. 3. c. 1.

Tradunt AEGYPTII, ab orbis initio primos homines apud ſe creatos, cùm bonitate felicitateq; ſoli, tum propter Nilũ, qui & multa generat, & ſuapte natura, quæ genuit, facillimè nutrit. Nam & arundinum radices prębet, & lotos, & Aegyptiã fabam, & quem dicunt corſeum, multaque præterea ad uictũ hominum expoſita. Prima animantia apud ſe eſſe orta, ea autumtur coniectura, quòd nunc etiam in Thebaidis agro certis temporibus multi ac magni generentur mures: qua ex re plurimũ ſtupent homines, cùm uiderent quorundam anteriorem uſque ad pectus & priores pedes murium partem animãtam moueri, poſteriori nondum inchoata, ſed informi. Diodorus lib. 1. c. 2.

ARCADES, mortalium omnium antiquiſs. ſeipſos προσεληνίους dicebant, tanquam antiquiores ipſa luna. Apollonius libro Argonauticõn. 4.

Ἀρκάδες οἱ πρὸ σελήνης οἰκήτορες ἔασιν.

Pſammitichus autem rex, hoc argumento deprehendit, Phrygios omnium antiquiſs. fuiſſe, quòd pueri, qui nullam uocẽ hominis audierant, Beccum, h. e. panem ſonarent. Suidas negat mirum uideri debere, ſi caprarum uocem imitati ſunt, qui fuerant à capra nutriti. Nam id aſſerit Herodotus lib. 2. Hinc βεκκοσύλλων, prouerbio dicebatur ſtupidus ac delirus, ſyderatus, aut admodum ſenex.

Sinceritatem.

INDIAM multæ uariæq; incolunt gentes: quarũ nulla originẽ extra Indiam trahit, ſed omnes indigenæ appellantur. Nunquam externa colonia illuc adiit, neq; ipſi ad alias gẽtes miſere. Diod. lib. 2. c. 10.

Megaſthenes apud Strabonem negat, ullam unquã ab INDIS miſſam ad exteras gentes expeditionem, nec eò penetraſſe quenquam bellando, præter Herculem & Liberum patrem. Non Seſoſtrim Aegyptium regem, non Tharconem Aethiopem, qui etiam uſq; ad Europam peruenêre, & Herculis columnas, quò etiam peruaſit Nabogodroſorus, quem Chaldæi Herculi quoque præferunt, nec hic Indiam uidit. Idantyrſum uerò, qui etiã Aegyptum ſit ingreſſus, ad Indos nõ uenifſe. Semiramin tentaſſe uires Indiæ, & antequam inde egre-

deretur perisse. Cyrum Messagetas solùm armis sollicitasse, Indis intactis. L. Viues in lib. 18. Aug. de Ciu. Dei, c. 2.

ARABVM errabunda gens est, ac innumerabilis, distincta tamen per populos & duces, qui suas urbes atq; oppida singulis curribus trahunt: utpote, qui certas sedes non habent, & Scytharum more tentoriis & papilionibus utuntur. Ipsi se gentium nobiliss. prædicant, quòd nullis unquam aliis immixti gentibus, incorruptam antiqui generis nobilitatē conseruarint: magnæ curæ est uxorum pudicitia, quando nihil potius ducant, quàm incorrupti sanguinis antiquum decus. Sab. supplem. lib. 8. ex Iouio.

Celebritatem. Coloniæ illustrium populorum.

Trogus Pompeius ALBANORVM Asianorum originem Italicam dicit, asserens Albanos Herculem ex Italia ab Albano monte, cùm Geryone extincto armenta eius per Italiam duceret, secutos, originis Italicæ memores, exercitum Cn. Pompeij bello Mithridatico fratres salutauisse. Traianus Imp. his regem dedit. Nunc sub regno Tartarorum degere credūtur. Ab his Albani orti sunt: quorum pars hodie in Peloponneso, pars in Macedonia sedet, iuxtà Dyrrachium: qui cum Gothis eruptione facta ex Thracia, iam olim Adriaticum litus insedere. Aeneas Syl. c. 19. Asiæ.

Ammianus Marcellinus libro 15. scribit, se in Gallorum monimentis legisse, & ab incolis accepisse, GALLORVM origines Troianis deberi, tametsi fama esset, à Doriensibus profectos. Iosippus à Gomero primogenito Iapeti, qui natu maior erat, stirpem deducit.

Minorum. Puta ob

Natales Deorum.

ATLANTIDES Africæ populi ab se deorum genus manasse, & primùm Deum οὐρανὸν, id est Cœlum, apud se regnasse prædicant. Diodorus.

Lymax Arcadiæ fluuius PHIGALIAM præterfluens, cū Neda coniungitur. Hoc ei nominis à Rheæ purgatione inditum ferunt: quòd nempe, cùm Iouem illa peperisset, in hunc amnē Nymphæ puerperij colluuiem abiecerunt. Colluuiem à Græcis λύματα dicta fuisse, testatur Homerus: quo loco à pestilentia Græcos purgatos dicit, eaq; purgamina, quæ lymata nominant, in mare abiecta fuisse. Pauf. in Arcadicis.

Quidā in CRETA Iouem natum & educatum dixerunt, ut testatur Lucianus in Sacrificiis: quinetiā sepulcrum illius ibi ostendunt. Scriptū reliquit in suo Ancorato Epiphanius, suis quoq; temporib. in Iasio monte Cretæ sepulcrū Iouis monstrari solitum: quod etiam affirmat Callimachus in Hymnis:

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ᾽ οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Eum in antro Dictæi montis habitasse, testatur Apollonius Rhodius in Argonaut. At Idęum appellauit Callimachus in hymno in Iouem, quòd in Ida sit natus & educatus monte Cretæ. Arcades Olympium uocant, quia Lycæus dictus est Olympus, ut ait Pausanias in Arcadicis, cuius uertex sacrum iugum uocatus est, quòd ibi Iouē uulgò credunt fuisse educatum. Natalis Comes lib. 2. c. 1. Mythol.

SAMII natam tradunt apud se Iunonem ad Imbrasum flumē, sub uitice, quæ Pausaniæ ætate in Iunonis sacro solo ostendebatur, ut testatur ipsemet in Achaicis.

AEGIVM Peloponnesi oppidū, Olenæ proximum, in quo Iouem à capra lactis alimenta suscepisse scribunt, sicut Aratus prodidit. Hinc Oleniam dixere capellam. Strabo lib. 8.

Ortygia, lucus omnis generis materiæ pulcerrimus, præsertim Cyparisso, prope EPHESVM. Per eum Cenchrius amnis fluit, in quo dicunt Latonam ex partu lotam. Nam hoc in loco fabulantur, & partum eius, & nutricem Ortygiam, & adytū, in quo peperit, & proximam oleam, ad quam tradunt eā primò post partum quieuisse. Mons luco imminet, nomine Solmissus, ubi dicunt Curetas armorum sonitu Iunonem obtudisse, ex æmulatione insidiantem, sic ut Latonæ partus eam latuerit. Strabo lib. 14.

In BOEOTIA paulò infra paludes Melæ amnis, fanum est Apollinis Tegyrei, & oraculum desolatum, quod non admodū diu, sed usq; ad bellum Medicum floruit, sacerdote Echecrate. Quo loco fabulæ memorant deum genitum esse. Vicinus autem mons, Delus uocatur, iuxtaq; eum diffusum flumē cogitur. Ponè fanum duo scaturiunt fontes, qui dulcedine, copia & frigore singularē laticē effundunt: quorū unum Palmam, Oleā alterū etiā nunc uocant, ut non inter arbores duas, sed fluenta uideatur peperisse Latona: & prope est Proon, unde oblato subitò apro exterritam ferūt fuisse. Iam quæ de Pythone & Tytio referuntur, ea hæc loca item accōmodant ad ortum dei. Plut. in Pelopida.

Contendunt inter se Græcæ urbes nō paucæ de Bacchi natiuitate. Nam THEBANI in Bœotia, deinde ELEI & NAXII, pręterea, qui Eleutheras habitāt, & TEII, pluresq; alij apud senatum perhibent. Teij quidē, quòd etiam adhuc in eorum urbe certo anni tēpore è terra uini fons sua spōte fluat sapore suauissimo. Cæteri uerò, hi quidem ostentant suā regionē Baccho dicatam: alij erecta templa illi, sacraq; olim statuta. Postremò cùm multis orbis locis illius dei meritorum uestigia monstrentur, haud mirum est, multos existimare suas urbes patriāq; præ cæteris à Baccho dilectas. Alij asseruntin Arabiæ Nysa ortum. Diod. lib. 3. c. 5.

Sub THEBANORVM in Bœotia oppido fons est, quam Cissusam appellant. Hîc nutrices fabulantur Liberum patrē infantem modò editum abluisse: quippe colore nitet uinum repræsentante limpidoq;, & est potu gratissimus, nuc procul styraces Cretenses nascuntur passim. Quæ uestigia Haliartij domicilium ibi Rhadamanthum habuisse iactant. Tumulū quoque eius ostendunt, quem Alea uocant. Iam Alcmenæ iuxtà est monumentum: eamque illic autumant funeratam, cùm nupsisset defuncto Amphytrione Rhadamantho. Plutarchus in Lysandro.

AEGYPTII deum suū Osiridem eum esse affirmāt, quē GRÆCI Bacchū uocant. Hunc uolunt omnē circumisse orbem, uini repertorē, cū uites plantare docuerit: quo facto cōmuni gentiū omnium consensu sit illi immortalitas tributa. INDI quoq; hunc apud se natum ferunt, uiniq; usum ab eo hominibus traditum. Diod. in Procœmio quarti.

EPHESIOS, Tiberio imperāte, Romā uenisse, Tacitus scribit lib. 3. memorantes, non (ut uulgus crederet) Dianā atq; Apollinem in Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnē, locum Ortygiam, ubi Latonā partu grauidam, & oleæ, quæ tum etiam maneret, adnisam, edidisse numina ea, deorumq; monitu sacratum nemus: quin & ipsum illic Apollinē post interfectos Cyclopas Iouis irā uitauisse. Meminit post alios Strabo lib. 14. Cæl. lib. 5. c. 6. A. L.

ALIPHERÆ, in urbe Arcadiæ ædes sunt sacræ Aesculapij & Mineruæ, quam, quòd apud se natam & educatam prędicāt, præcipuis dignantur honoribus. Quo loco & Lecheatæ Ioui aram dedicarunt, cognomine ab eo ducto, quòd ibi Mineruam peperit. Fontem etiam Tritonidem nuncupant, ad eum, quæ de Tritone amne uulgata sunt, referentes. Pausanias in Arcadicis.

Tricrena in PHENEATARVM Arcadum finib. dicuntur, à tribus, qui illic sunt, fontibus, quasi Trifontium dixeris. In illis aquis, recèns in lucē editum Mercuriū accolæ montis Nymphæ abluisse dicuntur, ob eamq; rem eos fontes tanquā Mercurio sacros multa cum religione colunt. Idem.

De Aesculapij natalibus digladiantur inter se EPIDAVRII & MESSENII. Epidaurij tamen rationes habent firmiores. Pausanias in Corinthiacis.

Distat à Thalamis stadia XX. Pephnos maritima Laconiæ ciuitas. Parua adiacet insula, nihil omnino ingenti saxo maior. Ei quoq; PEPHNOS nomen est. In ea Castores primū in lucem editos Thalamatæ memorant, quod ipsum in cantico quodā suo dixit Alcman poëta. Enutritos quidē Pephni negant, sed à Mercurio Pellanam deportatos. In ea tam pusilla insula sub diuo ænea sunt ipsorum gemellorū sigilla, nihilo pedalib. maiora: ea etsi hybernis undis uehementer saxū uerberatur, loco tamen nihil mouentur: quod miraculo quidē est, & illud ferè haud multò minori, quòd formicæ conspiciuntur uulgaribus abdicante colore dissimiles. Eam insulam suorum fuisse olim finium, contendunt Messenij. Eapropter gemellos ipsos, maiore se quā Lacedæmonios propinquitate attingere. Pausanias in Lacon.

Natales Hominum.

Patriæ splendor non tam ab ædificiis & propugnaculis, quā à ciuium uirtute prouenit. Propterea etiam Aristot. inter species τῆς εὐγενείας lib. 1. Rhet. publicam nobilitatem, quæ patriæ à ciuibus præclaris contingit, enumerat. Ciues igitur præclari, gloriæ materiam patriæ præbent.

MILETVS Ioniæ, multiplici doctrina præditis uiris excelluisse fertur: nam & Thaletis astrologi, qui inter sapientes adnominatur, Anaximenis philosophi mathematicorum nobilissimi, qui horologium ostendit primus: Timothei musici, & Anaximandri physici, Hecatei historici, atq; Aeschinis oratoris, qui magno in precio fuêre, alijsq; scientiss. uiris floruisse fertur. Alex. lib. 6. c. 5.

Ex ASIA poëta Anacreon, Mimnermus, & Antimachus, claro præconio celebrati: deinde Hipponax, & Sappho, atq; Alcæus poëtæ, qui lyricos inuenit. Præter hos, Xanthus, Hecatæus, Herodotus, Ephorus, & Theopompus historici, alijque præcipua doctrina uiri, illam sempiternæ laudi memoriæq; commendarunt. Idem.

CARTHEIA seu Iulis, parua circa Delon insula, clara ingeniis uirisq;. Ex ea enim Simonides poëta, qui scripsit multa præclarè, & Bacchylides, deinde Erasistratus medendi arte clarus, cuius plura documenta sunt: atque Aristo Bionis æmulus ex peripatetica disciplina, duxere originem. Idem.

Ex BITHYNIA Xenocrates philosophus, & Dionysius dialecticus, Hipparchus & Theodosius. Item Theophanes orator,

tor, in caussis forensibus uersatus egregiè, & Asclepiades medicus. Alex. lib. 6. c. 5.

Ex CYRENIS Callimachus, qui elegos scripsit primus (quo tempore Liuius poëta Romæ fabulam dedit) & Aristippus Socraticus floruisse dicitur, cuius filia Areta tantum ingenio ualuit, ut post Aristippum scholas cum laude rexerit, & disciplinas docuerit. Idem.

THARSVS, Alabanda, TYRVS, Gnidus, RHODVS, uariis eruditionibus & doctrinis excelluere, præcipuosq; & summo ingenio uiros eduxere. Idem.

Coronabantur olim in sacris certaminibus non uictores ipsi; sed eorum PATRIÆ: neq; corona uictori dabatur, sed patriā ab eo coronari pronunciabatur. Proclamabant enim & parentes & patrias uictorum. Plin. lib. 16. c. 4. & lib. 7. itē Pindari glossematarius.

ERYTHRÆI (de Herophile enim Sybilla hi acerrimè Gręcorum omnium certant) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen dicunt: parentes eius fuisse Theodorum, hominē indigenā, & nymphā, cui fuerit cognomen Ideæ: cognominis non aliam esse rationem, quàm quòd condensa arboribus loca Idas tunc homines appellarint. Pausanias in Phocicis.

COORVM ephebis propter Hippocratis medici merita concessum, uti Athenis eadem, si uellent, qua ciuium ephebi, educatione instituerentur.

Natus est AVGVSTVS, M. T. Cicerone & Antonio coss. IX. Kal. Octobris, regione Palatij, ad Capita bubula: ubi nūc sacrariū habetur, aliquanto pòst, quàm excessit, constitutum. Nam cùm C. Lectorius adolescens patricij generis, in deprecanda grauiore adulterij pœna, præter ætatem atq; natales, hoc quoq; patribus conscriptis allegaret, se esse possessorē, ac uelut ædituū soli, quod primū D. Augustus nascens attigisset: peteretq; donari quasi proprio suo ac peculiari deo: decretum est, ut ea pars domus consecraretur. Nutrimentorū Augusti Cæsaris locus in auito suburbano, iuxta Telitras permodicus, & cellæ penuariæ instar ostenditur, tanquā & natus ibi sit. Huc introire nisi necessariò & castè, religio est: cōcepta opinione ueteri, quasi temerè adeuntib. horror quidā & metus obiiciatur: sed & mox confirmata est. Nam cùm possessor uillæ nouus, seu fortè, seu tentandi causa, cubitū se eò contulisset, euenit, ut post paucissimas noctis horas exturbatus inde subita ui, & incerta, penè semianimis cū strato simul ante fores inueniretur. Suetonius.

HISPANIA orbi terrarū Romanos Imperatores dedit, Neruam primò, inde Traianum, pòst Hadrianum, Traiani consobrinæ F. inde Theodosium Magnum, ex Italica ciuitate (uti etiam Traianus) Carolum itē V. & Ferdinandum.

PANNONIA olim produxit Cæsares & Augustos potentiss. qui totū penè orbē rexerint: Deciū scilicet è Bubali ortum: Claudium II. qui urbē potentem Colosvvar condidit, è Dalmatia oriundum: Aurelianum, è Syrmio progenitū: Probum Cæsarem, item è Syrmio: Diocletianum, è Dalmatia, quæ regio huic terræ similiter adscribitur: Carum Illyricum, cum filiis Carino & Numeriano: Valentinianum seniorem; ex Cibala ortum, cum fratre Valente: & Valentiniani filium Gratianum, Syrmio genitum. Cuspinianus in oratione exhortatoria contra Turcam.

HELVETIA olim Vespasianum Cæsarem, ex ipso Auentico ortum ducentem, teste Suetonio: multo uerò certiores & illustriores natales Rodolfo I. Habspurgensi dedit, cuius posteritas sub Austriacæ familiæ titulo totius penè Occidentis Christiani gubernacula moderatur.

Mortē, Sepulturā clarorum hominum.

Huc refer Tit. Sepulcrorum, quatenus illustrium uirorum monumentis felices sese putant incolæ.

In THESPIENSIVM finibus uicus est, qui Hedonacon dicitur. In eo fons, Narcissi appellatus, quòd in ea se aqua Narcissus aspexisse dicatur: donec suam illam esse umbram nō intelligens, sui imprudens amore caperetur, atq; ex eo ad eundem fontem extabesceret. Pausanias in Bœoticis.

INSVLA Achillis, tumulo eius uiri clara. Et ab ea CXXXV millia passuū peninsula, ad formā gladij in transuersum porrecta, exercitatione eiusdem cognominata Dromos Achilleos. Plin. lib. 4. c. 12.

Quà est à Potniis Thebas Bœotias iter, ad uiæ dexteram, circumsepta est columnis nō magna utiq; area. Ibi terrā discessisse credunt, cū Amphiaraus subito soli hiatu est absorptus. Addunt ad fabulam, neq; aues illis columnis insidere, neq; eius areæ herbam, ullum uel ferum uel mansuetum animal attingere. Quo in loco terra absorptus est, urbs condita fuit, HARMATOS nomine. Pauf. in Bœoticis.

IOS à Naxo XXIV M. passuum, Homeri sepulcro ueneranda, longitudinis XXV M. Plin. lib. 4. c. 12.

De Laidis meretricis monumento certant CORINTHII & THESSALI. Pausanias in Corinthiacis.

POMPEIOPOLI Syriæ in Strati poëtæ monumentū iacti lapides, e uestigiò in iacientem resiliunt, diuino potius miraculo, quàm naturali aliqua ratione. Antæi etiam 70. cubitorū longitudine sepulcrum GADIBVS, Plutarcho referente, sacrum reputatur: cuius aliqua pars læsa, nisi illicò repаretur, continua pluuia durat.

Actionum uel Passionum iis in locis memorabilium.

IORDANIS Iudeæ fluuius, ob Christi summi regis lauacrum, omnium, qui sunt hodie in terris, præcipua religione insignis, ex Paneade, qui Cæsareæ mons est, duobus fontib. oritur, Ior huic nomen, Dan illi est, ut diuus Hieronymus tradidit, unde & Iordanis facta uox est. Sab. lib. 2. En. 1.

Prope Argyram Achaiæ oppidum Promontorium mari imminet. In hoc ipsum mare fabula uulgauit, Saturnū falcem abiecisse, Cœlum patrem cùm exeuisset, & ex eo promontorium DREPANVM uocatum. Pauf. in Achaicis.

MEGARIS ad Prytaneum ostendunt saxum, quod Anaclethra appellant, quòd ibi Ceres post longos errores filiam euocarit: & feminæ anniuersario cęremoniarum ritu fabulam cōfirmant. Pauf. in Atticis.

THEBIS Bœotiæ locus ostenditur, in quo Iunonem Herculi infanti mammam præbuisse, quodam Iouis dolo, asserunt. Pauf. in Bœoticis.

Supra CHÆRONÆ mœnia, est prærupta montis crepido, qui Petrachus appellatur. Eo loco deceptum à Rhea Saturnum credi uolunt, oblato lapide pro Ioue. Idem.

Thaumasius Arcadiæ mons à miraculis appellatus, supra Molossum amnem est. Huc se Rheam Iouem utero ferentē recepisse, credi uolunt METHYDRIENSES, Hoplodamo & aliis eius sociis gigantibus in auxilium accitis, si fortè Saturnus uim ei ullam intentaret. Ac fatentur illi quidem Rheā in quadam Lycei parte peperisse: dolo uerò Saturnum, pro puero lapide apposito, in hoc ipso monte circumuentum prodidere. Spectatur in iugo spelunca Rheæ, quò nulli hominum, præterquam solis deæ sacra facientibus feminis, introire fas est. Pauf. in Arcadicis.

Ad medium montis CAVCASI est rupes, quæ in partes quascunq; stadia decem, in altum quatuor protenditur stadia; in qua Promethei antrum, & fabulosæ illius aquilæ nidus, cathenarumq; signa ab incolis ostenduntur. Diod. lib. 17.

IOPPE Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferūt, insidet collem, præiacente saxo, in quo uinculorum Andromedæ uestigia ostendunt. Plin. lib. 5. cap. 13. Idem cap. 31. ante Ioppen in Phœnicio mari Pariam insulam extare scribit, in qua obiectam belluæ Andromedam ferunt. Ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romę publicauit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoq; ueracibus libris continentur, scilicet quòd costarum longitudo excesserit pedes 40. & excelsitas elephantis fuerit Indicis eminentior. Porrò uentriculi spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressę. Solinus cap. 47.

Cadmum cū sociis bos in Bœotia ad THEBAS duxit, & immugiit. Locus Mycalessus appellatus. Pauf. in Bœoticis.

Fuit circa PONTI ostium, in ora Asię, locus, quem incolæ Bo̓item dixêre. Ibi primùm Io Inachi filia constitisse traditur in fabulis. Sab. lib. 8. En. 2.

In Arcadia supra Nonacrin MONTES sunt Aroania dicti, in quibus spelunca, intra quam furore actæ Prœti filię se abdiderant, & inde à Melampode extractæ sunt, & Lusos abactę, in templo Dianæ, quæ ab eo euentu Hemeresiæ, h. e. placabilis nomen meruit, lustratæ fuerunt atq; curatæ. Locus Lusi, ἀπὸ τοῦ λούειν, dictus. Pauf. in Arcadicis.

Ab Orestis insania loca adhuc quædam ARCADIÆ nomē habent. Apud TROEZENIOS ante ædem Dianæ Lyceę lapis est sacer, super quo nouem uiri Trœzenij Orestem de matris cæde purgarunt. Pausanias in Corinth. In LACONIA à Gytheo stadia tria distat lapis, qui Otiosus dicitur. Orestem aiunt, cùm ibi sedisset, insania liberatum. Ex rei euentu lapis ille Iupiter uocatus est Cappotes, Doriensium lingua. Pausanias in Laconicis.

Oedipi casuum GRÆCIÆ pars quælibet aliquod seruat monimentum. Nam & recèns natum plantis pedum transfixis in Cithærone Platæidis terræ monte exponi parentes iusserunt. Eum Corinthus, & quæ ad Isthmum iacet regio aluit. Phocidis triuium paternæ cædis est scelere pollutum. Thebanis incestarum nuptiarum, & Eteoclis perfidiæ, perpetua fuit infamia sustinenda. Pauf. in Phocicis.

Fama est, equum Pegasum, cùm potaret in ACROCORINTHO monte ex fonte Pyrene, à Bellerophonte deprehēsum fuisse, alatum inquam caballum, qui de Medusę Gorgonis excecto gutture prosilierat. Vulgatum est etiam, Caballinum in Helicone fontem erupisse, cùm subiectam ibi rupem feriret ungula. Strabo lib. 8.

Ostenditur SALAMINE non longè à portu saxum, super qua Telamonem consedisse aiunt, cùm nauem, qua Aulidem filij ad Græcorũ classem uecti sunt, oculis prosequeretur. Pausanias in Atticis.

AVLIDE, qui portus est Bœotiæ, Dianæ ædes est, in qua Græci Iphigeniam immolaturi erant, nisi pro ea candidam ceruam Diana mactandam submisisset. Platani eius, cuius mentionẽ facit Homerus, nunc etiam in tempore reliquũ è trunco partem seruant. Pauſ. in Bœoticis.

TROEZENE in foro tria solia è candido lapide ostenduntur, in quibus Pittheũ regẽ cum duobus uiris, qui ei aderant, ius dicere solitum aiunt. Non longè abest Musarum cella (quam Vulcani filius Ardalus, à quo tibiam inuentam putant, fecisse dicitur, à quo Musas Ardalidas uocant) in qua dicendi artem Pittheus tradidisse fertur. Et librum quidem à Pittheo scriptum, ab Epidaurio uerò homine editum, se legisse testatur Pausanias in Corinthiacis.

Apud THEBAS Bœotias septem portarum, portam unã Neitidem nominarunt: quòd in cithara chordarum unam, cui Nete nomen, Amphion rex ante hanc portam inuenisse dicitur. Pausanias in Bœoticis.

HIMERENSES & CATANENSES, Siciliæ populi, diu inter se de Stesichori lyrici poetæ patria certarunt: illis, quòd apud se uixisset, his uerò, quòd sepulcrum eius apud Catanam extrà portam, Stesichoriam ob id dictam, haberetur, suum esse dictitantibus. Phalaris ergo Astypalæus iudex delectus, pro Catanensibus pronunciauit, quòd apud Catanam studiis literarum operam nauasset, & ingenij cultum fecisset, cuius merito tantus euasisset. Gyraldus Dialogo 9. Hist. poëtarum.

LAVERNIA est cœnobium in summis alpibus ab D. Francisci, qui ibi stigmata diuinitùs recepisse dicitur, insigni miraculo celebratum. Iouius in Leone X. lib. 1.

In SALAMINE insula speluncam adhuc ostendunt incolæ tetram & humidam, in qua Euripides suas scripsit tragœdias: quam se uidisse testatur Gellius libro decimoquinto, capite uigesimo.

VIA, quæ à Trœzene Hermionem ducit, ostenditur saxũ illud, quod cùm Sthenij Iouis ara antè diceretur, postquam agnitionis monimenta à patre Aegeo ibi reposita sustulit Theseus, Thesei ceptum est nuncupari. Pauſ. in Corinth.

Possessionem rei alicuius illustris.

Græcia olim deorum hominumq; illustrium monumenta ostendens, omnem uetustatis fidem atque gloriam in semetipsam transferre studuit: inprimis uerò Athenienses, apud quos, ut quidam ait, —nullum sine nomine saxum. Quod ex Pausaniæ uetusta Græcia intelligere licet.

Ogi regis Basanæ ferreum cubile adhuc extat RABBATHÆ Ammonitarum, longitudine nouem cubitorum uirilium, latitudine quatuor. Deuter. 3.

Est in Syria IOPPE ante diluuium, ut ferunt, condita, ubi Cephea regnasse eo signo accolæ affirmant, quòd titulum eius fratrisque Phinei ueteres quædam aræ cum religione plurima retinent: quinetiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, seruatæque à Perseo Andromedæ clarum uestigium, belluæ marinæ ossa immania ostentant. Mela libro 1. Idem Hieronymus & Plinius libro 5. qui libro 9. hæc scribit: Belluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe ostendit inter reliqua miracula ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum XL. altitudine, costarum Indicos elephantes excedente, spinæ crassitudine sesquipedali.

PYLI Nestoris domus, eiusdemq; sepulcrum adhuc tempore Pausaniæ extabat. Item spelunca, in qua Nestoris & ante eum Nelei boum stabulum fuit. Boues enim Neleus à filiæ procis sponsalitiumq; munus deposcebat. Pauſ. in Messenicis.

Ἀγέλαστος πέτρα. id est, Irrisibile saxum, de re uehementer acerba tristiq;, prouerbio circumfertur. Ostendebatur olim saxũ quoddam in Attica, in quo ferebatur consedisse Ceres, cum relicto cælo, succensis facibus Proserpinam à Plutone raptã quæreret. Porrò cùm Eleusinem peruenisset, ibi tristis in saxo quodam insedit, quod ob eam ipsam causam ἀγέλαστον appellabant. Zenodotus, Eraſ. in Adagiis.

Leda, grauida ex Ioue in cygnum conuerso, ouum peperit, unde gemini prognati Castor & Pollux. Id ouũ Pausanias in Laconicis refert ostendi apud LACEDÆMONIOS suspensum tæniis à testudine templi. Eraſ. in Adagiis.

INCISIAM uicum prope Florentiã, Annibalem olim transisse ferunt, certiss. argumento, quòd ibi elephantum ossa ab aratoribus hac ætate reperiantur, quas bestias multo gelu Alpiũ correptas a miserit. Iouius lib. 27. Hist.

FAMILIÆ CLARÆ

Apud Quos.

PELEVS & TELAMON Aeaci Iouis & Aeginæ nymphæ regis Aeginetarum filij, cùm Phocum fratrem, qui regionem circa Parnassum coluit, & à se Phocidem nominari fecit, interfecissent, solum uerterunt. Et à Peleo quidem Epiri reges fuêre oriundi: è Telamonis autem filiis Aiax, cùm priuatam semper uitam egerit, minus illustrẽ genus propagauit, præterquam quòd Miltiades, cuius ductu ad Marathonem Athenienses feliciter contra Persas dimicarunt, & Conon eius F. insigni gloria fuerunt. At Teucri posteri Cypriorum regnum usque ad Euagoram obtinuere. Phoci filij fuêre Panopeus & Crisius. Panopei filius fuit Epeus, qui equum Troianum fabricatus est: Crisi nepos fuit Pylades, ex Strophio Crisi filio & Anaxibia Agamemnonis filia. Hæc fuit gentis, qui sunt Aeacidæ appellati, tota posteritas, qui ab eadem stirpe profecti domo profugi aliò commigrarunt. Pausanias in Corinthiacis.

Cũ Aepytus Messeniorũ rex, Cresphontis F. post reditũ Heraclidarum in Peloponnesum, & obsequiis nobilitatem & largitionibus plebem deliniisset, eò peruenit honoris, ut AEPYTIDÆ posteri iam omnes appellati sint, cum antè Heraclidæ dicerentur. Pauſ. in Messenicis.

Cùm Aristodemus Lacedæmoniorum rex, duos haberet filios, Eurysthenem maiorem natu, & Proclem, duæ regiæ familiæ inter se ualde contrariæ sunt exortæ. Eurysthenes filium habuit Agidem, à quo omnis posteritas Eurysthenis AGIDÆ sunt appellati, & tandem in Cleomene Leonidæ filio defecerunt. Procles filium habuit Soon, Soos Eurypon, à quo Proclis posteri EVRYPONTIDARVM cognomen acceperunt, cùm prius PROCLIDÆ dicerentur. Pausanias in Laconicis.

Familia nobilis apud Athenienses ALCMÆONIDÆ ab Alcmæone, Megaclis F. qui ob liberaliter exceptos Crœsi legatos, à Crœso tantò auro donatus fuit, quantum semel corpore suo ferre poterat. Herod. lib. 6.

AEMILIORVM gentem Romæ patritiam fuisse & uetustã, pleriq; consentiunt scriptores: at eorum auctorẽ, qui nomẽ reliquit familiæ, Mamercum fuisse, Pythagoræ sapientis illius filium, qui ex dicendi lepôre & uenustate nomen inuenit Aemilij, prædicauerunt nonnulli, qui Pythagoræ, regis Numæ institutionem attribuunt. Plut. in Aemilio.

P. Scipio ex CORNELIORVM gẽte, cũ quo primũ Hannibal Pœnus signa in Italia contulit, cuius fuit Cn. Scipio frater, summi ambo imperatores, uiri ornatissimi, qui paucorũ dierum interuallo in Hispania cæsi occubuêre. Sed ex Publio duo Scipiones, P. Africanꝰ & L. Asiaticus, filij extitere: ex Cn. autem P. Cornelius Nasica ortus fuit, qui unus uir optimus à senatu iudicatus, matrem Cybelem ex Pessinunte suscepit, Tiberiumque Gracchum seditiones in urbe molientem interemit. Iam cùm Scipio maior Africanus filium haberet natura admodum tenui & imbelli, unde & Valetudinarius uocatus, ne decederet sine liberis, L. P. Aemilij filium, ut multi credunt, ex filia nepotem, in familiam nomenq; adoptauit. Fuerat enim Scipioni Africano uxor, filia Pauli Aemilij, qui consul, ad Cannas ne tantæ cladi superesset, in conflictu belli cæsus occubuit, ex qua unicum filium tulit, filias uerò duas, quarum altera Scipioni Nasicæ, altera Tiberio Graccho nuptæ fuêre. Aemilio uerò Paulo quatuor filij extitere: duo in adoptionem alterius familiæ dati, Scipio uidelicet & Fabius: duo in potestate retenti, quos ex altera coniuge iustulerat. Horum alter, quinq; diebus ante triumphum, quẽ speciosissimum de rege Perse & omni Macedonia habuit: alter tertia post triumphum die, adhuc impuberes mortẽ obiere immaturã. Hic ergo Aemilianus ex reliquis Pauli Aemilij filiis iunior fuit, gloria militari illustris, qui Africani nepos adoptiuus, auitæ uirtutis memor, prouocatorem barbarũ tribunus adhuc militum occidit. Cum patre aduersus Persen acriter pugnans, egregia facinora gessit. In Africam deinde cũ exercitu profectus, tertium Punicum bellũ confecit: Carthaginem & Numantiã funditùs euertit: parta deinde uictoria, & rebus cõfectis, cognomentũ Numãtino & minori Africano inditum fuit. Alex. lib. 2. c. 11.

Gothorum duæ illustrissimæ regiæque familiæ, inter Visigothos Galliæ & Hispaniæ, BALTHI à moribus uocitati (ita enim dicuntur apud eos audaces) inter Ostrogothos AMALI, ab Amalo summo & duce & rege nuncupati, qui Italiam tenuere. Aemilius. Alaricus ex Balthorum genere fuit, cui ob audaciam nomẽ Baltha inter suos κατ' ἐξοχὴν adhæsit. Cuspinianus.

Henricus III. Anglorum rex genuit ex Aleonora filios mares Edouardum Valliæ principem, qui in eius locum successit, & Edmundum Comitem Lancastrium. Extiterunt longo pòst tempore, qui tradiderint: hunc Edmundum fuisse maiorem natu Henrici regis filium, sed quia deformis esset, idcirco Edouardum regnum obtinuisse. Hinc postea duæ nobilissimæ familiæ ortum habuerunt, quarum uulgus etiam nunc alteram ROSAM RVBRAM, alteram ALBAM appellat, quòd rosa alba unius, & rubra alterius familiæ insigne sit. Atque ista commentati sunt, quò Henricum IV. iure regnum repetiuisse probarent, qui ad Edmundum genus suum referebat, quique per uim in regnum inuasit. Polydorus libro decimosexto.

Anno Sal. 1067. sub Philippo Francorum rege è Galliis duæ prodierunt nobilissimæ familiæ, quæ apud exteros duo potentissima regna erexerunt. GVLIELMVS nothus Normaniæ dux, Heraldo rege cæso, Angliam occupauit: GODOFREDVS uerò Bullionius terram Sanctam & Hierosolyma obtinuit. Aemilius de gestis Franc.

Mediolani crepserant TVRRIANI ad summam potentiam, ab initio in Repub. popularem auram optimis artibus aucupantes: postremò autem dominandi libidine accensi, totius publici consilij formam, Prætoris arbitria, & suffragiorum denique omnium iura libertatemq; sustulerunt. Fuêre illis magnæ opes in Saxina ualle, quæ est ad Larium lacum, creuerantque plurimùm hæreditate Tacij reguli, qui geminos è Belgica Gallia profugos Turrianos fratres, militaris indolis, sibi generos adsciuerat, atq; adoptarat in filios. Ab his progenitum ferunt superiorem Martinum, cognomine Gigantem, qui post egregiæ uirtutis facinora ad Antiochiam multis in præliis edita, à Saracenis captus, & miserabili supplicio affectus fuisse traditur. Huius nepos fuit Paganus uir excellenti uirtute prudentiaq;, qui multa cum laude liberalitatis & pietatis, Mediolanenses à Friderico II. Cæsare, ad Cohortisnouæ oppidum, cruento prælio, anno 1232. profligatos ad se recepit, incredibilique benignitate omni humana ope adiutos fouit, domumq; dimisit: cui non multo pòst optimè de se merito gratiam retulere, demandato ei Præturæ magistratu, ipsoque cum uniuersa familia ciuitate donato. Iouius in Othone Vicecomite.

Habet urbs Roma plerasq; nobiliss. familias, quarũ VRSINI, COLVMNENSES, & SABELLI, celebritate nominis & opibus clarissimi habentur. Hos discordia multis antè annis, æmulatione primò, inde apertis odiis in perpetuũ penè certamen traxit: sæpè accidit, ut armis inter eos media sit urbe disceptatum: sed foris tanquã liberiore campo sæpius. Quicquid oppidorum circumquaq; urbi adiacet, illorum penè ditionis est. Sab. lib. 1. Dec. 4.

MALATESTARVM illustrissima familia in Italia. Ex Germania auctor gentis: cuius opera, quia ut fida & fortis Othoni II. Imperatori probata esset, in opprimendis Italiæ terræ tyrannis, Ariminum ab eo donò tenuisse dicitur. Mox Cæsena & alia illustria loca unius familiæ facta. Sabellicus libro secundo, Enn. 9.

RAGVSINORVM spectatæ uirtutis in Boëmia magnanimitatisq; familiã Sigismũdus Imp. omnibus honoribus coluit. Bonfinius lib. 4. Dec. 3.

Seriem CORVINÆ gentis, quæ in Vngaria feliciter regnauit, in Romanos Coruinos refertur, quemadmodum deducit Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

Familiæ TVRCARVM quatuor nobiles & uetustate originis Othomanorum domui pares: Michalogi, Ebrenes, Turacani, atq; Malcoccij, è quibus uel summæ uirtutis homines, neque purpurati, neque magistri equitum unquã euadunt, ne immodica uirium freti potentia, ad imperium aspirent. Sab. supplem. lib. 4. ex Iouio.

Cur. Ob Maiorum Minorúmue

Diuinitatem.

ABRAHAMI primò, inde DAVIDIS familiæ celebritas non ab hominũ, sed ab ipsius Dei unigeniti filij Christi opt. max. natalibus pendet. Is certè, qui in summa alioqui humilitate & paupertate nasci uoluit, ex purissima tamen & integerrima uirgine Maria, generis auitam nobilitatem, Pietatis quidem iam inde ab Abrahamo, Imperij uerò à Dauide rege sumto initio, deduxit: eamque publicis Euãgeliorum commentariis Spiritus sancti ductu inferendã curauit, ut qui uerus homo natus fuit, ex bonis quoque bonus, quoad humanitatem, natus crederetur. Euangelistæ certè in genealogia eius ab Abrahamo per Dauidem deducenda solliciti sunt. Et Mariam quidem de domo Dauidis ortam cùm constaret, Christum Dauidis F. esse, nemo ambigebat. De Iosepho uerò, qui legalis erat pater, naturalis tamen uidebatur esse, cùm dubitarent plurimi, ignari Christum de uirgine tantũ nasci debere, Messiã esse negassent, nisi de Iosephi genere constitisset: præsertim cùm mulier non in eam tribum, ex qua nata, sed in quã fuisset matrimonio collocata, referenda uideretur. Itaq; genealogiam Iosephi potiùs, quàm Mariæ uirginis contexere studuerunt.

Cadmus Phœnix, serpente occiso, dentes seuit, ex quo satu editi homines, SPARTI ob idipsum appellati, quorum opera in Cadmea urbe ædificanda usus est. Horum nomina fuêre, Chthonios, Hyperenor, Pelorus, Vdæus & Echion, quem sibi uirtutis ergò generum asciuit Cadmus, cuius filius fuit Pentheus. Pausanias in Bœoticis.

Antiquitatem.

VALACHIÆ regulos antiquiss. stirpis ferunt, repetitã origine à Flacco præside Romano, qui illustri uirtutis argumento, suum nomen prouinciæ reliquerit. Ab eius enim tempore, Mysiam, quæ ultra Istrum ad Scythicas gentes extenditur, Flacciã appellari ceptam constat, quã demùm corrupta sensim uoce in Valachiam abiisse perspicimus. Sab. supplem. libro 24. ex Iouio.

Eruditionem.

AESCHYLVS tragicus Atheniensis, nouæq; Tragœdiæ inuentor, filios habuit Euphorionem & Bionem, itidem tragicos: præterea nepotem ex fratre uel sorore Philoclem tragicũ: cuius filij duo Morsimus & Philippides: Morsimi filius Astydamas, qui filium habuit Astydamantem: omnes tragici. Vt mirum sit, in eadem familia octo illustres extitisse tragicos poetas. Gyraldus Dial. 6. Historiæ poët.

Vna familia CVRIONVM Romæ, in qua tres continua serie oratores extiterunt: Vna FABIORVM, in qua tres continui principes senatus: M. Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, Q. Fabius Gurges nepos. Plinius libro septimo, capite quadragesimoprimo.

SENECÆ ex Annæorum familia Cordubensi illustriss. quæ etiamnum hodie floret. Tres in primis ex ea fratres prodierũt doctrina & moribus clari, Annæus Seneca, Annæus Gallio, Annæus Mela. Inde Seneca tragicus, Mela Pomponius, Lucanus, & alij. Gyraldus Dial. 8. Hist. poët.

PETRVS de Vbaldis, medicus Perusinus, tres filios habuit Iureconsultorum maximos. Qui deinde & ipsi nepotes patris & pronepotes Iureconsultos uedêre. Vide sub Tit. Iureconsultorum Baldum.

Sancta SOPHIA nobilis familia Patauij habuit continuata serie septem philosophos, simulque illustres medicos, ut quasi prodigij loco haberi possit gentis huius cognomen: quando sicuti Sophiæ nomine decoratur, sic etiam reipsa in ea tamdiu perfusus Sophiæ splendor illuxerit. Primus in ea floruit Nicolaus de S. Sophia, ann 1350. mortuus: cùm filiis duobus, Marsilio, Medicinæ post Petrum Aponensem illustratore summo, qui Bononiæ obiit, an. 1404. & Ioanne fratre. Quartus Bartholomeus Ioannis F. Deinde Galeacius & Gulielmus. Tandem Bartholomæus, an. 1515. Bernad. Scard. libro 2. histor. Pat.

Regnum, Imperium.

HERACLIVS Imp. solus ex sua stirpe sex Augustos ordine habuit. Secutus eum est in Imperio Constantinus III. filius: quo interfecto ui ueneni à Martina nouerca, successit Heraclonas, Martinæ & Heraclij filius: uerùm post biennium regno deturbatus, & in eius locũ Constans filius Constantini suffectus: cui post 27 annos successit Constantinus 4. filius: huic Iustinianus minor, siue Iustinus tertius filius: eiusque filius Tiberius, in quo defecit progenies Heraclij, occiso à Philippico Bardanio.

Imperatores omnes inde ab Henrico I. Othonis Magni patre, ad Fridericum usque II. sanguinem traxere Saxonicũ. Hinc quidam SAXONIÆ domum annis CCCL. Imperium tenuisse aiunt. Ex illo enim tempore nullus est assumtus princeps, siue ex Francis, siue ex Sueuis, qui nõ è Saxonica se domo prodisse gloriaretur, Otho enim I. Sueuiæ filium, & Bauariæ fratrem præfecit, & cum Francis iunxit affinitatem, ut omnes per Germaniam domus illustriores, Saxonicum sanguinem cum laude testarentur. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, capite decimooctauo.

IN SPECIE HVC PERtinent.

EPISCOPI HONORE AFFECTI, CVLTI.

Ex loco Iustitiæ religiosæ, huc quædam, quatenus Sacri homines dignis honoribus afficiuntur.

Cupiebat Berengarius I. Italiæ rex Papiã, ut q̃ regni sedes erat, honore supra reliquas regni ciuitates efferre. Itaq; quoniam ECCLESIAM eius metropolitana afficere dignitate nõ poterat, ius atque insignia noua episcopo conquisiuit: atq; ut Anastasius IV. Pontifex ei ius indulgeret adhibendæ umbellæ, equo albo uehendi, crucis præferendæ, & in concilio à læua Pontificis assidendi, obtinuit. Sigonius libro sexto, de regno Ital.

PRINCIPES CLARI, illustres.

Ex Tomo Politico non deerunt exempla.

CIVES ob Patriam CLARI.

THEMISTOCLES in iurgio contra Seriphium quendam, ut Ciceroni placuit, Neq; se, si Seriphius, neq; illum, si Atheniensis extitisset, unquã clarum futurum pronũciauit. uirtuti suæ Patriæ splendorem ueluti obstetricatam innuens.

FILII OB PARENTES CLARI. Huc pertinent

Deorum filij.

Apollo Latonæ & Iouis filius, ex Aethusa Neptuni filia ELEVTHERVM suscepit, è Corycia Nympha LYCORVM: è Thyia, uel Melæne filia Cephissi, DELPHVM: ex Acachallide PHYLACIDEM, PHILANDRVM & NAXVM: è Cyrene Nympa, ARISTEVM: CHERONEM, è Thero Phylantis filia: è Chrysorte, CORONVM, è Syllide nympha, ZEVXIPPVM: ex Asterie, IDMONEM: è Sinope, SYRVM: è Dia Lycaonis, DRYOPEM: è Manto, MOPSVM: è Melia Oceani, TAENARVM uatem, & ISMENIVM. Linus, Philisthenes, Iamus, Laphitus, Anius, Argeus, Ilaira, Psyche, Philemō, Garamantes, Actous, Branchus, Nomius, Eurynome, Dorus, Laodocus, Polypetes, alijq; complures dicuntur fuisse Apollinis filij. Natalis Comes Mythol. lib. 4. c. 10.

HERMAPHRODITVM ex Mercurio ac Venere genitum, utriusque parentis nomen cepisse ferunt. Hunc deum esse opinantur promiscua uiri ac feminæ natura: fuisse quoq; specie mollitieque corporis feminæ similem, & opera exercuisse uiri. Quidam eiusmodi partus asserunt naturæ monstra, quòd rarò fiant, atq; aliquid tum bonum tum malūm portendant. Diodorus lib. 4. c. 1.

Vulcanus cùm arma Ioui, quibus in bello aduersus gigantes usus est, fabricasset, Iupiter iurauit per Stygiam paludē quodcunq; poposcisset, se illi concessurum. At Vulcanus Mineruæ nuptias, cui Iupiter perpetuam uirginitatem concesserat, postulauit. Iupiter cùm id negare non posset, clàm Mineruam monuit, ut reluctaretur. Pausanias in Atticis ERICHTHONIO patrem fuisse neminem mortalium, inquit, sed quoniā ex Terra & contentione sit genitus Vulcani, ita fuisse nominatum. Hunc terrigenam & inter serpentes educatum fuisse, scripsit Euripides in Ione. Alij dictum uolunt non à contentione, quam ἔρις significat, sed ἀπὸ τοῦ ἐρίου, à lana scilicet in terram coniecta à Mineruā se abstergente. Inde postea dicti sunt terrigenæ omnes Athenienses. Fabulantur, Erichthonio crura fuisse anguib. similia. Erichthonius à Mineruā in templo educatus, cùm adoleuisset, regnumque Athenarum accepisset, Mineruæ altricis signum in arce erexit, & Panathenæa solennitatem in honorem Mineruæ instituit. Alij à Theseo instituta maluerunt. Tandem ducta Pasithea, siue Phrasithea nympha, filium Pandionem, qui in regno successit, Orithyā & Procrim filias suscepit. Natalis Comes Mythologiæ lib. nono, cap. 11.

Apud Didymæos Didymenæ matri & Attæ dedicatum est fanum. Gallogreci Iouem fabulantur per somnum in terrā semen profudisse, ex eo terræ conceptu Geniū humana quidē figura, sed ambiguo sexu, in lucē prodiisse, AGDISTEN appellatum. Deos mōstro exterritos, uirilem ei partē execuisse: ex ea amygdalum enatam, cuius cùm maturos fructus appetisset Sangarij amnis filia, eosq; in sinum abdidisset, euanuisse illos quidem: uerùm puellam grauidam factam, puerū enixam: hunc in sylua expositum à capella educatum, cùm adoleuisset, eximia fuisse, & multo quàm humana excellentiore pulcritudine. Quocirca acri eius amore captum Agdistin, cū ad uirilem ætatem peruenisset, Pessinuntem eum propinqui sui miserunt. Ibi cùm regis filiam uxorē esset ducturus, & iam nuptiale carmen cantaretur, repentè Agdistis interueniens tātum Attæ immisit furorē, ut sibi pudenda præcideret. Hoc itē socer ipsius fecit. Agdistin facti pœnituit: quare à Ioue impetrauit, ne qua in posterum corporis Attæ pars corrumperetur, aut tabesceret. Pausanias in Achaicis.

Ex Pherecyde, Iupiter Elaram Orchomeni filiam compressit. At cùm Iunonem formidaret, illam prægnantem intra terrā occultauit, unde natus est TITYVS. Matre mortua, terra illum nutriuit, quare dictus est terræ alumnus. Natalis Comes Mytholog. lib. 6. c. 19.

ORION ab urina dictus, quem Candaona dicunt Bœotij. Nā quum Orieo ex Clonia nō nascerētur liberi, Iupiter, Neptunus, Apollo suscepti hospitio, in bouis corium urina emissa, Oriona produxerūt. Quo argumento Tripatrum appellāuit in Alexandra Lycophron. Cælius lib. 4. c. 20. A. L.

Scribit Neocles Crotoniata, ouum, ex quo prognata tradatur HELENA, ex luna delapsum. Quippe oua parere Selenitidas mulieres, indeq; nascentes homines quinquies decies esse nobis ampliores: quod approbat Herodotus quoq; Heracleotes. Cæterùm uetustū educationis morem fabellæ occasionem dedisse, Athen. tradit lib. 2. c. 17. inquiens: ᾠὰ uocarunt cœnacula Græci ueteres. Clearchus in amatoriis Helenam in eiusmodi palatiis scribit educatā fuisse, & idcirco famam apud multos increbuisse, quòd ex ouo esset genita.

Ferunt principē philosophorū PLATONEM, natū de uirginis partu, Perictione eiusdē matre Apollinis oppressa phantasmate. Nimirum hisce somniis Christi uerū ortū in dubiū reuocare dæmon studuit astutissimus. Rauisius.

SELEVCVS, qui Syriæ regno postea etiam Asiæ iura addidit, ipse cum posteris, nascebatur coxa anchoræ imagine signata. Nec minus mirum, matrem eius somniasse, se ex Apolline grauidam factam, & præmium concubitus ab eo anulū accepisse, cui anchora, sicut in filij coxa, erat insculpta: quem anulum postea ad bellum cum Alexandro eunti Seleuco mater dono dedit, & miraculum, quo anulum assecuta erat, narrauit. Sabel. lib. 7. En. 4.

Quis hominum ex Ethnicis aut maior fuit, aut augustior ROMVLO, qui urbem condidit omnium, quæ unquam in terris fuerunt, præstantissimam? Huius mater Rhea Ilia, siue dæmonis cuiusdam, ut ipsa uideri uoluit, siue hominis cōpressu grauida, se geminos concepisse, affirmare ausa est. Quæ res, quia euentus non defuit, plus illi in discrimen capitis adductæ profuit, aut certè prodesse debuit ad salutē, quàm ceremoniæ sanctitas, quæ læsa Vestalem degrauabat, aut regiū stemma, in quo accusatorem inuenit. Sabellicus libro 1. cap. 1. Sunt qui de ortu eius fabulosa planè referant. Spectrū Tarchetio Albanorum regi, homini teterrimo & sęuissimo, diuinum domi oblatum: Genitale ex foco eius masculini sexus extitisse, per multosque dies comparuisse: atque oraculo, quod in Hetruria Tethyos erat, responsum, Vt uirgo cū spectro coiret: ex qua filium uirtute clarissimum, fortunaque & robore oriturum insignem. Hoc responsum Tarchetius cùm uni ex filiabus exposuisset, iussissetq; cum Genitali illo ut iungeret se: eam, quòd aspernaretur, summisisse ancillam. Tarchetium, ut resciuit, grauiter offensum, ambas in uincula cōiecisse, morte uindicaturum. Sed cùm Vesta illi in somnio oblata, deterruisset eum à cæde, telam in uinculis texere puellas iussisse, ea lege, ut ea detexta elocarentur: atque illas texuisse interdiu, nocte mandato Tarchetij alias retexere telā solitas. Cùm ancilla ex Genitali illo geminos esset enixa, Teratio cuidam Tarchetium necandos tradidisse. Illum ad fluuij ripā eos exposuisse: lupā inde accurrentē lactasse, auesq; diuersi generis alimenta minuta ori indidisse: bubulcū tandē re cū admiratione conspecta accedere ausum, infantes sustulisse. Ad hūc modum educatos, inuasisse eos Tarchetium, & superasse. Hæc Promarion quidam in historia, quā scripsit de rebus Italicis, retulit. Plut. in Theseo.

Tarquinio Prisco regnante tradunt repentè in foco eius apparuisse genitale è cinere masculini sexus, eāq; quæ insederat ibi, Tanaquilis reginæ ancillā Ocrisiā captiuā, consurrexisse grauidā. Ita SERVIVM Tullū natū, q in regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse uisum, creditūq; Laris familiaris filium. Ob id cōpitalia & ludos Laribus primùm instituisse. Plin. lib. 36. cap. ultimo.

P. SCIPIONIS Africani, qui Annibalem uicit, mater diu sterilis fuit, ipso etiam P. Scipione marito fœtum desperante. Tādem cùm absente marito sola cubaret, uisus repētè iuxta eā cubare ingens anguis, qui statim disparuit. Augures sacrificio facto prægnantem fore retulerunt. Decimo mēse exacto peperit. Eodem planè modo Olympias Philippi regis uxor ALEXANDRVM Magnum concepisse dicitur. Gell. lib. 7. c. 1. ex C. Oppio & Iulio Hygino.

Tranquillus auctor est, in Asclepiadis Mēdetis libris legisse se, Acciam AVGVSTI Imp. matrē ad solenne Apollinis sacrū media nocte ingressam, posita in templo lectica, dum cæteræ matronę quiescerent, eam quoque obdormiuisse. Interim draconē lecticæ leuiter allapsum, ac mox paulo inde egressum, eamq; expergefactam se uelut à concubitu mariti purificasse, ac iam inde in eius corpore uelut draconis maculam extitisse, quæ haud amplius eximi potuerit, adeò ut iam inde publica balnea frequentare non sit ausa, Augustumq; decimo pòst mense natum, ob eamq; rem Apollinis filium existimatum. Sab. lib. 8. En. 6.

MERLINVM uatē ex dæmonis concubitu genitum tradunt Britannorum historiæ, & Vincentius lib. 21. c. 30.

Hominum doctorum, proborū filij.

Ex Tit. Filij patribus similes uel dissimiles, huc quædam exempla, quatenus parentum claritate illustrantur in utramq; partem.

NOBILES GENERE.

Reges LACEDÆMONIORVM ad Herculem genus suū referebant. Tisameno namq; Orestis F. regnante, in Peloponnesum Heraclidę redierūt, ex & oraculo Aristomachi ex Aristodemo F. nepotib. Eurystheni & Procli regnum delatū à Messeniis & Argiuis: duæq; familiæ regiæ ortæ, Agidarum (ab Agide Eurysthenis F.) & Eurypontidarum (ab Eurypонte Proclis ex Soo F. nepote.) Proinde Lycurgus ciues ad temperatiorem uiuendi rationē traducturus, Nec nobis, inquit, ô ciues, nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi omni studio & opera illa ipsa gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit: ac per omnē uitam, quæ honesta sunt, & discamus, & exerceamus. Plut. in Laconicis.

EPA-

EPAMINONDÆ Thebano, duci clariss. Græciæ parenti, maiores ualde illustres generis claritate fuêre: at pater Polymnis tenuiore re familiari, quàm alius permediocris quiuis. Pausanias in Bœoticis.

PERICLES tribu fuit Acamantides, curia Cholargensis, familia & genere ab utroque parente clarissimo. Xanthippus enim, qui prælio Mycalensi regis duces fudit, uxorem duxit Agaristen, neptem Clisthenis, qui progeniem exegit Pisistrati, tyrannidemq; fortiter sustulit: leges quoq; tulit, ac Rempub. optimè composuit, & temperauit ad concordiam & salutem. Plut. in Pericle.

PHOCIONEM Atheniensem, uirum clariss. auguramur loci fuisse non omnino obscuri & abiecti. Neque enim, si fuisset ei (ut Idomeneus autumat) pater artifex cochlearius: qui sexcenta collegit & obiecit ei cōuitia, generis nouitatē Glaucippus Hyperidis filius prætermisisset: neq; mores adeò liberales & honestos uel institutionem sortitus esset: qui Platonis admodum adolescens & pòst Xenocratis fuit in Academia auditor, studiorumq; à prima ætate sectator optimorū. Plutarchus in Phocione.

IOSEPHVS historicus Iudęus, in generis sui nobilitate describēda sollicitus est, quòd paternū quidē à sacerdotib. maternum ab Asamonęis principibus ducat. Vide uitam illius.

C. IVLIVS Cæsar Quæstor Iuliam amitam, uxoremq; Corneliā, defunctas laudauit è more ꝓ Rostris, sed in amitæ quidē laudatione, de eius ac patris sui utraq; origine sic refert: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternū cum diis immortalib. cōiunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimùm inter homines pollent: & ceremonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. Suetonius. Nēpe in Iulum Aeneæ filium genus referebat, & per Iulū in Venerem. Iulia gens ex Alba longa in urbem à Tullo rege translata est, & inter patritias allecta. Idcirco idem Veneri templum struxit, quod Veneris genetricis appellauit.

Neroni GALBA successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum, sed haud dubiè nobiliss. magnaq; & uetere prosapia: ut qui statuarum titulis pronepotē se Q. Catuli Capitolini semper adscripserit: Imperator uerò etiā stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Iouē, maternā ad Pasiphaēn Minois uxorem referret. Suetonius.

TACITVS Augustus, qui ob summā sapientiā magna cōsensione Senatus ac legionū, Imperator creatus est, ad Corn. Tacitum historicum suæ stirpis originē detulit, eiusq; libris bibliothecas omnes compleuit: tametsi efficere non potuit, ut integrum haberemus. Vopiscus.

PAVLAM Romanam matronam D. Hieronymus in Epitaphio laudat, quòd nata sit patre Rogato Græco, ex Agamēnonis stirpe oriundo: matre Blesilla Romana, ex Scipiorum Gracchorumque familia: uirum habuerit Toxotium clarissimum, sanguinem suum ex Aeneæ & Iuliorum cognatione trahentem.

Sub Theoderico rege Francorum Austrasiani duces crearunt Martinum & PIPINVM Crassum fratres patrueles. Occiso autem Ebroini Magistri equitum insidiis Martino, rerum ar-[redacted] fuit. Ex amplis familia, & tam uetere nobilitate natus erat, ut cum auctor [redacted] origoq; prima ignoraretur; quòd mul[redacted] citati inuenirentur, ab Anchise Tro[redacted]os oriundos pleriq; iactarent. Aemilius lib. 1.

[redacted] OBSCVRO L[redacted]ORTI QVI CLA-[redacted]

[redacted] *Eruditione, Sapientia nobilitati.*

Piscatores piscatorumq; filij fuerunt PETRVS [redacted] IOANNES euangelista, tantumq; his initiis postea diuina[redacted] [redacted]utisq; assecuti sunt, ut n[redacted]timoniaq; [redacted] orbē repleuerint: quorū memoria iam post tot secula apud Christianos omnes [redacted] qui, in cœlestium numero primariis locis à Deo recepti creduntur, summa in ueneratione est. Fulgosus lib. 3. c. 4.

ANACHARSIS, hybrida fuit, h. e. Scytha, patre Gnyro, matre Græca natus: Scythis suis non ingenia, sed eruditionem tantùm deesse ostendit, quo minus in literarum excellētia cum Græcis contendant. Laërtius.

AESCHINIS oratoris, magni illius Demosthenis antagonistæ, fama maior est, quàm ut illius testimonio egeat, & tamen certis auctoribus traditum est, Athenis natum patre inopi abiectoq;, in tantum, ut publicè lucanicas uenundaret. Fulgosus lib. 3. c. 4.

NICODORVS ex obscuris parentibus natus, diu pugillatoriam artem exercuit, sæpeque uictor in stadiis proclamatus est. At cùm in extremo ætatis suæ tempore uires deficerent, apud Mantinenses legislator iustissimus factus est, & in reipublicæ gubernatione longè utiliorem se patriæ ciuē præstitit, quàm cùm in palæstra uictor pronunciaretur. Aelianus libro 2. de Var. hist.

SOCRATES Apollinis oraculo sapientiss. iudicatus, Phanarete matre obstetrice, & Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum culmen glorię excessit: neq; immeritò. Nam cùm eruditissimorum uirorum ingenia in disputatione cæca uagarentur, mensurasq; solis & lunæ & cæterorum siderum loquacibus magis quàm certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum cōplecti auderent, ab his indoctis errorib. abductū animum suum, intima cōditionis humanæ, & in secessu pectoris repositos affectus scrutari coēgit: si uirtus per seipsam æstimetur, uitæ magister optimus. Val. Max. lib. 3. c. 4.

ANTISTHENES Atheniensis philosophus, cuidam opprobranti, quòd esset Hybrida, hoc est, non è duobus ingenuis natus, sed ex patre Atheniensi, matre Phrygia: Nec è duobus, inquit, luctatoribus natus, & tamen luctator sum. Alteri cuidam obijcienti matrem Phrygiam: Et deorum, inquit, mater Phrygia est. Socrates cuidam dicenti, Antisthenem philosophum matre barbara natum esse, patre autem Atheniensi: Quid, inquit, an tu putas uirum adeò præclarum ex utroque parente Atheniēsi nasci potuisse? Facetè uir sapientiss. notās corruptos Atheniensium mores. Laërtius in eius uita. Eras. lib. 3. Apophth.

SOSTRATVS tibicen, cùm ei parentum obscuritas à quodā obijceretur: Atqui (inquit) propter hoc ipsum admirationi magis esse debebam, quoniam genus à me incipit. Stobæus serm. 84. Maximus serm. 63. ad Socratem refert.

DEMOSTHENES Atheniensis, patre eiusdē nominis admodum paupere, ut qui cultellos factitaret, studio & industria in summum oratorem euasit. Volaterranus libro decimoquinto Anthrop.

EVRIPIDIS tragicorum principis mater olera uendidit, pater incertus est. Val. Max. lib. 3. cap. 4. Proinde Scandicem Aristophanes Euripidi poëtæ obiicit iocülariter, matrem eius ne olus quidem legitimū uenditasse, sed scandicem. Plinius lib. 22. c. 22. & Suidas.

MENEDEMVS Eretriensis, pauperis architecti filius, Phædri discipulus, nobilis inter Socraticos philosophus fuisse dicitur, ita ut illi statuæ fuerint positæ. Quū aliquādo decretū tulisset ad populum, quidam ita tetigit illum, ut diceret: nō esse sapientis neq; tabernaculum consuere, neq; decretum scribere. Subnotans, ꝙ ex patre coriario natus esset, ipse quondam eiusdem opificij. nam olim tabernacula è pellib. caprarum consuebantur. Laërtius lib. 2. c. 18.

BION genere Borysthenites fuit. Cùm ab illo rex Antigonus sciscitaretur,

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες. hoc est,

Ede tuum nomen, patriam, genus, atq; parentes:

sentiens se ab aliquo traductum fuisse apud regem, sic respondit: Pater quidem meus libertus fuit, cubito se tergens (significabat autem, illum succidam & lardum uendere solitum) Borysthenites genere, non habens faciem, sed in facie scripturam acerbissimi domini: mater autem ex lupanari, nimirum quam huiusmodi ducere potuit. Deinde pater nescio, quid in rem publicanorum committens, cum tota domo uenundatus est. Me adolescentulum haud ingratum orator quidam emit. Is moriens, mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipsius exurens, Athenas concessi, ibique philosophatus sum,

ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι. hoc est,

Huius me esse patris, generis me glorior huius.

Idem Antigonum aliàs eādem ob causam sic allocutus est, Atqui ô rex benefacis, cùm indiges sagittariis, quòd non interrogando genus, sed scopum proponendo, optimos illorum tibi deligis. Sic igitur amicos explora, non unde nati, sed qui & quales sint. Stob. serm. 84.

PYTHAGORAS Samius philosophus, ob doctrinæ magnitudinem eius sectæ princeps fuit, quam pòst Italicam nominauerunt. Nexarchus pater eius, in tenui fortuna, anulorum sculptor fuit. Fulgosus lib. 3. c. 4.

TYRTAMI philosophi, Lesbij genere (qui, tanquam diuinitùs datum loquendi genus haberet, Theophrastus postea fuit appellatus) fullo pater fuit. Idem.

ALPHENVS Varus Cremonensis sutor, profectus Romā, sub Ser. Sulpitio, ad tantā ciuilis disciplinæ sciētiam peruenit, ut consul factus fuerit, & mortuus (quod raris contigit) de publico sepulturæ honorem assecutus sit. Idem.

VIRGILII Maronis pater, figulinam exercuit, aut etiā, ut quidam alij, operarius fuit. Idem.

HORATIVM Flaccū, Ilyrici carminis uenustas, & STATIVM Papinium Thebais ac Syluæ ad grande nomen extulere. Licet utriq; libertinus parens esset. Idem.

D. HIERONYMI Stridonensis, Doctorem Ecclesiasticorum præcipui, pater Eusebius pauper fuit, & ignobilis: ita ut Hieronymus ipse in Epistola ad Nepotianum, se in paupere natum

tum domo, ac rusticano tugurio, uesci coactum milio & pane cibario, scribat.

IOANNES Antonius, natione Campanus, Theramnensis episcopus, omni scriptorum genere nulli ætate nostra secundus (utpote, qui priscorũ in dicendo laudem si nõ superauit, æquare saltẽ uisus est) Cauellis Campaniæ pago (unde ei Cãpano cognomẽto fuit) ortus est, atq; in eo puer pastoricià, ut antè pater, atq; eius maiores, exercuit. Natura deinde iuuante, literarum profectus in tantũ percepit, ut scholæ Perusinæ diu præfuerit: mox à Pio II. præsul factus, in contubernio Senensis Cardinalis fuit. Volat. 21. & Fulg. lib. 6. c. 10.

Prudentia & Fortitudine bellica.

☞ *Consule T'it. Fortes duces, quatenus bellicis artibus illustrantur.*

THEMISTOCLES patrem habuit Nicoclem minus clarum ciuem Atheniensem, Phrearium curia, tribu Leontide. Genere materno nothũ ferunt, ut ostendunt hi uersus:

Abrotonum sum Thressa quidem, Græcis tamẽ illud
Dico Themistoclem me genuisse decus.

At Phanias Carinam, non Thressam, neq; Abrotonũ, sed Euterpem prodidit nominatam. Neanthes præterea patriam ei Halicarnassum Cariæ attribuit. Quapropter cùm nothi in Cynosarges coirent (gymnasium id Herculis est extra mœnia: quòd nec ille iustus deus, sed nothus ex genitrice esset mortali) induxit nonnullos Themistocles ex nobilitate iuuenes, ut se in Cynosarges comitarentur, secùmq; ungerentur. Quare callidè uidetur nothorum & legitimorũ sustulisse discrimen. Plut. in eius uita. & Aelianus lib. 12.

IPHICRATES Atheniensis, patre sutore natus, posteàquam Lacedæmonios prælio deuicit, atq; Epaminundæ feros animos retudit: in eam existimationem uenit, ut Persarũ rex Artaxerxes Aegypto arma illaturus, ducem eum quæserit. Initium gloriæ inde consequutus est, cùm ipse saucius hostem armatum & uiuum corripuit, & in suam nauem transtulit. Hunc cùm Harmodius haberet conteratui, quòd ex parentibus esset abiectiss. Meum (inquit) genus à meipso sumit initium, tuum autem in te finit. Plut.

CALLICRATIDES, PHILIPPVS & LYSANDER, Mothaces in Lacedæmonia uocabantur. Quod nomen imponebatur iis, quos patres in Gymnasia locupletum exercitatũ mitterent. De iis Lycurgus, qui id concesserat, legem tulit, ut qui in liberorum disciplina permanerent, ei ad publicas dignitates & officia gerenda in rep. Lacedæmoniorum aditus patèret. Aelianus lib. 12.

MANDRO quispiã, ex nauiculario factus est imperator. Hinc adagium, Fuit & Mandroni siculna nauis.

PHOCION Atheniẽsis Iustus cognomine, patrem habuit, qui cochlearia conficeret. Plut.

SPARTACVS Thrax, Romæ è ludo gladiatorio Lentuli, cùm profugisset, cum quatuor ac septuaginta aliis gladiatorib. confecto septuaginta millium uirorum exercitu, triennium cum Romanis bellum gessit, partis ingentibus uictoriis. Fulgosius lib. 6. c. 10.

VIRIATVS Lusitanus, ex pastore latro in Hispania cũ Romanis quatuordecim continuos annos bellum gessit, exercitibus ducibusq; eorum uictis, atq; etiã captis, M. Ventidium prætorẽ, & Gn. Plancium uicit, C. Nigidium oppressit. Fulg. lib. 3. c. 4. ex Liuio & Cæcilio.

NARSES obscuris natalibus, insuper eunuchus, Iustiniano Imperat. à secretis ac regię gazæ præfectus, deinde cum exarchatus honore in Italiam missus, Gothos subegit: Italiam XVII. annis tanta prudẽtia iustitiaq; rexit, ut cùm à Sophia Augusta, Iustini II. (qui Iustiniano successerat) coniuge, per inuidiam reuocatus esset, Italia ab Augusta rebellare potius decreuerit, quàm illi parẽdo perpeti, ut Narses exarchatu cederet. Ioannis autem III. pontificis opera postea Iustino reconciliatus, consul creatus fuit. Per id tẽpus & Romæ & Venetiis, de manubiis atq; hostium pręda permulta templa cõdidit. Idem.

IACOBVS Parisotus, obscuro loco natus, dũ puer adhuc nauticæ rei uacarat, paulatim p omnes dignitatis gradus in maritimis rebus euectus, à Petro Mocenico rei maritimæ Venetorum imperatore in summum principemque locum aduocatus, quem Arabico uerbo Admiratum appellamus, ita se gessit, ut nullius post Imperatorem ipsum clarius illustriusq; nomen in tota classe haberetur. Huius igitur forti feliciq; opera Mocenicus imperator semper usus, Caramanica expeditione contra Turcas sic excelluit, ut huius potissimùm ductu, Corycos urbs Ciliciæ primùm, mox Seleucia ab Turcarum manibus erepta sit, cum ipsa Sichino, aliisq; aliquot castellis. Egnat. lib. 3. c. 4.

IAC. Mutius Attendulus, Cotoniola, tenui uico Aemylia uia inter Fauentiam Rauennamque urbes ortus, qui postea Magnus Sforția nuncupatus, Sforțianæ genti primùm nomen dedit. Ioannem patrem habuit agrorũ cultorẽ. Ipse castra secutus, prima militiæ rudimẽta sub Boldrino celebri duce inter lixas calonesq; posuit: uirtuteq; ad eum conscendit locũ, ut Ioãnæ, q̃ postrema Andegauẽsis generis Neapoli regnauit, omnium militariũ copiarũ dux esset, & post obitum Boldrini, magni Conestabilis honorem gesserit, multorum populorum in eo regno imperium assecutus. Egnat. lib. 6. ca. 9. & lib. 3. cap. 4. & Fulgosus eodem. Ei, quum à Sergiano magno Seneschalco, ad exprobrandam generis nouitatem, ligonis fabula obiectaretur: In hoc, inquit, uti uideo, stirpis origine pares sumus: quum Adamus mortalium primus, terrã & ipse foderit. Sed ego certè, quod iure differi non potes, illo meo ligone multo nobilior euasi, quàm tu tuo pene & pẽna. Quo scommate lepidè hominem transfixit, quum in eo tantam cum inuidia dignitatem stupro quæsitam, & patrem eius ad prætoris tribunal, ignobilem scribam, adulteratoq; testamẽto falsi damnatum, scitissimè notasset. Paulus Iouius in uita Sfortiæ.

CATAMELATA pistoris Narniensis filius, lignatum puer à patre missus, amissa in sylua falce lignaria, dum patris irã uereretur, præter cunctem secutus est militem. Breui autem is euasit dux, ut à Veneto senatu, uirtutis ergò propter res bene gestas contra Philippum Mediolani ducem, statuam equestrẽ in maximè celebri Patauij loco positam solus ea tempestate meruerit. Pontanus lib. 1. c. 5. de Fortuna. & Egnat. lib. 6. eo.

NICOLAVS ob breuitatem staturę, Picininus dictus, lanio patre apud Perusium editus, cuius etiam ignoretur nomen, tantum postea militari laurea clarus euasit, ut nescias, quem illi præferre in hoc genere possis. In Hetruria aduersus Florentinos, & in Vmbria Picenoq; contra Franciscum Sfortiã in Cisalpina Gallia Venetorum imperatorem res gessit maximas, & Philippi Vicecomitis dignitatem & imperium fortiter tutatus, eiusdem pòst perfidia Mediolani periit. Egnat. lib. 3. capite 4. & Fulgosus eodem.

BLASIVS Axaretus Genuensis, aurifice patre ortus, & ipse in tabellionum ordinem ascitus, quòd una tantùm triremi piratarum triremem ceperat, tantum sibi nominis comparauit, ut classi suæ Genuenses aduersus Alfonsum Sicilię regem eũ præfecerint, quo tempore arcta obsidione ad Caietam urbẽ premebat. Nauali itaq; prælio regẽ unà cũ Ioanne fratre Nauarræ rege, magnoq; principum atq; equitum numero deuicit, accepit. Fulg. lib. 3. c. 4.

Dignitate sacra. Ad Pontificatum, Cardinalatum cuocti homines obscuri.

VILLEGISVS in Saxoniæ pago Stroningen, patre fabro plaustrorum natus, ab Othone II. Imp. cuius sacellanus erat, ad Archiepiscopatum Moguntinensem euectus, ordine 34. omnibus in locis rotam plaustri depingi curauit, cum hac inscriptione: Villegise quis sis, quis fueris, memẽto. Mos inde obtinuit, ut rota hæc archiepiscopo patri Moguntino pro insigni data fuerit & confirmata ab Henrico II. Claudo. Fuit autem Villegisius primus inter Archiepiscopos Moguntinos imperij Elector, & Othonis III. præceptor. Obiit anno Christi 1011. cùm præfuisset annis 36. Bruschius.

SIXTVS I. pastorali ortus tugurio, ad summum Pontificatum conscendit.



IOANNES XXII. pontifex, Gallus natione, patre cerdone, ad Pontificatum uirtute atq; doctrina conscendit. Fulgosus & Egnatius lib. 3. c. 4.

ROBERTVS, fabri ferrarij Carnotensis filius, ad Atrebatensem Tornacensemq; simul episcopatum euectus est. Fulgosus lib. 6. c. 10.

INNOCENTIVS IIX. ab ineunte ætate coactus ob paupertatem famulari, & inter Alfonsi Siciliæ regis ministros uictũ sibi comparare, Xysto IV. successit in pontificatu.

THOMAS, natione Lunẽsis, ciuis Sarranẽsis, cuius mater oua & pullos uendebat, sub Friderico III. Imperatore, cùm primò medicus esset, subdiaconus factus, Bononiæ studiis incubuit, adiutus benignitate Nicolai Albergoti Cardinalis S. Crucis. Missus deinde cũ Ioãne Caruaialla Hispano ab Eugenio in Germaniã, Basiliẽsis Cõcilij, ac neutralitatis (uti uocabant) tollẽdę gratia: fautorẽ tunc Romani pontificis Aeneã Piccolomineum, qui postea Pius II. fuit, apud Friderici Imperatorem nactus, omnia ex uoto reportauit: ac sic in senatus ordinem receptus, ultimo in summũ quoq; Pontificem creatus est, anno 1447. & NICOLAVS V. uocatus. Volat. lib. 22. Anthrop. & Fulg. lib. 3. c. 4.

Franciscus Ruuereus, Minorum fratrum ordinem professus, Sauonensis ciuis, Pontificatum sub SIXTI IV. nuncupatione adeptus, patre nauiculario ortus est. Idem.

PIVS II. Senensis, Aeneas nomine, gente Piccolomineus, apud Corsinianum castrũ Senensiũ ob paupertatem parentũ natus, in ipsa adolescentia peregrinatus, cùm magnam præ se ferret indolẽ atq; ingeniũ, in Friderici Imperatoris dignationem uenit, eius q; magister epistolarum factus est. Postremò rebus magnis, & legationibus etiam adhibitus est. Quumq; in abrogando Basiliensi concilio magnoperè Romanæ fauisset Ecclesiæ, à Nicolao præsul Tergestinus, deinde Senensis, mox à Callisto Cardinalis, deniq; eius successor factus est. Volat. lib. 22. Anthrop.



IOANNES Vitellicus, patria Cornetanus, patriarcha Alexandrinus, ex humili loco in senatum ascitus, à Pontifice deinde Eugenio IV. legatus Romam missus, tumultum compressit. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES Balua, natus in Pictonibus, caligarij sartoris filius, astu felicitateque Ludouicum XI. Gallorum regem unus pro arbitrio regens, per eum ad Cardinalatum conscendit. Deprehensus in regem conspirasse, in uinculis diu habitus, ac demùm Sixti pontificis opera liberatus, Romam inops uenit. Sub Innocentio IIX. mortuus ingẽtes reliquit opes. Fulgosius lib 6. c. 10.



GERARDVS Blancus Parmensis, patre agricola natus, à paro cho literas didicit: inde Parmam profectus, seruiens ciuibus, tantum promouit, ut pueris alphabetariis cuiusdam nobilis præficeretur. Cum quibus Bononiam abiens, Legibus operam dedit, sic ut in curia Rom. causas ageret, & à Nicolao III. Cardinalis creatus, legatus que Neapolim missus, Carolo II. regi, licet frustrà, dissuaserit, ne tantum regnum fortunæ ludibrio committeret. Verùm Carolus plus cupidus gloriæ, quàm regni metuens, classe uictus à Petro Aragonum rege, Siciliæ regnum amisit, & in hostium potestatem uenit. Neapolitanum regnum, ne Petro sese dederet, solus Gerardus consilio & armis effecit. Garimb. lib. 4. de Vitis pont.

GABRIELETTVS Hispanus, puer in cardinalis Ascanij Sfortiæ aula c anibus præfectus, mox foco, inde cubiculo Ascanij, tandẽ opibus & auctoritate auctus, archiepiscopus Barri, patriarcha Indus, & à Clemente VII. Cardinalis creatus, in magna apud omnes gratia, præsertim uerò apud Carolum V. Imperatorem. Idem.

HADRIANVS VI. pauperrimis ortus parentibus, literarũ beneficio Caroli V. Imp. pueri iam rexit, eiusdemq; studio ad Pontificatum tandem peruenit. Iouius in eius uita.

ANTONIVS à Prato, patre & patria incerta natus, pędagogũ egit, tandem in Gallia Leges professus, à Francisco I. rege Cancellarius magnus, à Clemente VII. Cardinalis creatus, & legatus per Galliam, magnis opibus auctus, earum magnam partem in nothos suos transtulit. Cùm Ludouici fratrem Carolum, qui apud Burgundum exulabat, literis ad regnum occupandum inuitaret, interceptis consiliis in caucea ferrea uitam finire iussus est. Cùm XII. annos illic egisset, stranguria & urinæ retentione se laborare simulans, & ad fidem faciendam urinam propriam clàm bibens, Medicis sic imposuit, ut de eius salute desperantes, auctores fuerint regi, intercedente præsertim legato Apostolico, uti eum liberaret, ne in pontificis iram incurreret. Cardinale extincto, Romam inde fugiens, diu superuixit, & legationis etiam munere functus est, homo inquietissimus, seu bellua potius. Garimbertus lib. 4. de Vitis pontificum.



Dignitate profana. Ad Magistratus profanos euecti.

SAVLVS F. Cis, è tribu Beniaminensi, inter Israëlitas obscurus, patris sui asinas querẽs, à Samuele rex ungitur. I. Reg. 10 & 11.

DAVID itidem, Isai F. fratrum suorum minimus, pastor. I. Reg. 16. & Iosephus lib. 6. Antiq. c. 10.

HIEROBOAMVS Nabathi F. matre serua natus, Ephrateus, Solomonis regis seruus, iuuenis robustus, cùm eius robur in ædificandis muris Hierosolymæ Solomo miraretur, præfecit eum operi primùm, deinde tributo contribulium suorũ Iosepheorum. Huic ruri occurrit Achaias Silonius uates, & pallium nouum in duodecim discerptum partes, Hieroboamo offert, monetq; ut decẽ partes ipse acciperet: fore enim, ut regnum Israëlitarũ è manu Roboami filij Solomonis extorqueretur, eiq; traderetur. Hieroboamus eo oraculo lętus, uiuente etiamnum Solomone ad defectionem suos solicitauit: uerùm Solomonis insidiis cognitis, ad Sesacum Aegyptì regem profugit. Mortuo Solomone reuersus, Israëlitarũ regnum occupauit. 3. Reg. 11. & 12.

ESTHERA utroq; parẽte orba, à Mardochæo patruo Babylone educata repudiata, ob morositatẽ Vasthi regina ab Artaxerxe, ob formæ præstantiam ad regiam dignitatem peruenit. Esthęræ 2. & Iosephus lib. 11. c. 6.

AMASIS Aegyptiorum rex, cùm ab Aegyptiis contemneretur, quòd obscuro loco natus ad regium culmen peruenisset: ex aureo uase, qd̃ ad turpes usus seruierat, Iouis simula-

crum

crum confecit, confectumq; [redacted] mo loco. Quod cùm religiosè coleretur, indicauit, simulacrū ex eo uase conflatum esse, in quo prius Aegyptij uomebant, mingebant, pedesq; lauabant: nunc autem religiosissimè coli, eodemq; modo sibi contigisse, qui prius plebeius, nūc eorum rex esset. Hac itaq; fictione suorum subditorum animos sibi deuinxit. Herodotus lib.2.

GYGES, Candaulis Lydorum regis pastor regius, anulum habuit, in quo erat gemina tantæ uirtutis, ut ea ad se uersa inconspicuus esset, uersa uerò ad alios conspicuus. Propterea legatus ad regem missus, anuli beneficio ipsum interfecit, & stuprata regina rex è pastore factus est. Plato lib.2. de Repub. & Roterodamus in prouerbio, Gygis anulus. Cicero 3. Officiorum. Aliter Herodotus lib.1.

ARTAXERXES humili apud Persas loco natus, imperium à Parthis ad suos transtulit, & Artabanum triplici [redacted] tota deleuit familia.

ASPASIA Hermotimi filia, Phocensis, in orbitate & penuria, modestè tamen & liberaliter educata, cùm forma cæteras uirgines & morum simul honestate excelleret, Persarū regina facta est. Primò enim Cyro minori, à quo plurimū amabatur, nupsit: & eo interfecto, ab Artaxerxe eius fratre in matrimonium accepta est. Aelianus de Varia hist. lib.12.

DARIVS Hystaspis filius, Cyri [redacted] Herodotus lib.3. cum Cambysis satellitem facit. AMYNTAS Philippi F. Aeropæ seruus esse creditus est. PERSEVS, quē Paulus Romanus expugnauit, natione Argiuus, parente quodam ignobili prognatus. Aelianus lib.12.

ARSACES, premente inopia, latrociniis per iuuentutem operā dedit: coactaque exulum manu, quos Parthos nuncupant, deuicto Seleuco & Mallid[redacted] tus est: quos ita rexit, ut diem uictoriæ tanquam natalem libertatis post multos annos solennem celebrarent: eiusq; nomen tam sanctum esset, ut qui post illum regnarunt Parthorum reges, cognomē Arsacis sibi posterisq; sumserint. Alex. ab Alex. lib.1. c.2. & [redacted]

THERMVSA serua Italici generis, ob excellentem formam à Phraate Parthorum rege in uxorem ducta, ad regnū Parthorum conscendit. Iosephus lib.18. c.3. Antiq.

PERDICCAS Macedonum regnum obtinuit in hunc modū. Tres fratres à Temeno oriundi, Gauanes, Aeropus, Perdiccas natu minimus, ex Argo in Illyrios profugerūt: inde trāsgressi superiorem Macedoniam, peruenerunt ad urbem Lebœā. Vbi mercenariam suam operam regi locauerunt, unus quidem equis, alter uerò bobus, minimus autem natu pecudibus pascendis. Erant autem priscorum hominum tyrannides in re numaria exiles, non solùm populares facultates, adeò ut ipsi regi sua uxor coqueret cibaria. Hæc cū animaduertisset panem pueri Perdiccæ mercenarij, dum coqueretur, effici duplo, quàm erat, maiorem, idq; semper contingere, indicauit marito. Ille re cognita mercenariis, ut è sua domo discederent, imperauit. Illi mercedem petere. Rex id audiens, inquit, Hunc Solem dignam uobis mercedem reddo. Penetrabat autem in ædes per impluuium sol. Perdiccas igitur, Accipimus, rex, quæ das, inquiens, gladio circumscripsit in pauimento domus solem: circūscriptūq; cùm ter in sinū suū hausisset, abiit cum cæteris. Hoc audito rex ira percitus, equites ad eos interimendos misit. Est autem in ea regione amnis, cui tanquam liberatori immolant posteri illorum, qui ab Argo erant. Hic amnis posteaquam eum Temenidæ transierāt, ita uehemens effectus est, ut ab equitibus transiri nequierit. Temenidæ in aliam Macedoniæ plagam transgressi, sensim totam Macedoniam subegerunt. Herod. lib.8.

Cumis TELEPHANES regnauit, qui Cumensium terram excoluit, & plantis frumentisque conseuit. Lydi uerò cùm graui dominatu premerentur, atque audiuissent Cumæ quendam esse, missa legatione in regnum eum accersiuerunt. Hic in officina fabri plaustrarij seruus erat. Cui Lydi cùm liberationis precium persoluissent, eum assumserunt. Cūq; Cumensis quidam, qui currum ei fabricandum elocasset, abire prohiberet: atq; multi, ne impedimento esset, iuberent: non destitit, sed cum mordace quodam scommate dixit, sibi permagnum uideri, currum à Lydorum rege confectum possidere. Heraclides.

ANTIGONVS Philippi filius, qui monoculus erat (unde Cyclops appellatus est) sub Polysperche stipendia fecit, & latrocinia exercuit. Aelianus lib.12.

DEMETRIVM Phalereum uirum doctissimum, quem Atheniensibus Cassander præfecit, è familia Timothei & Cononis seruum prouenisse ferunt. Aelianus lib.12.

AGATHOCLES Syracusanorum tyrannus, penè tota potitus Sicilia, quia figulinam pater exercuerat, in conuiuiis inter aurea uasa fictilia quoque adhibebat, ut eodem tempore & paternæ obscuritatis, & magnitudinis in quam ipse eua serat, species repræsentaretur. Fulgosus lib.3. cap.4. ex Iustini lib.12. & Valerij lib.12. c.13.

CLEON Sicyoniorum tyrannus, pirata fuit. Aelianus libro 12. de Varia historia.

HYPERBOLVS Atheniensis, post Cleonis potentiam ad principatum Athenarū euectus sua uersutia: cùm prius lucernas æreas factitaret, & plumbum æri misceret, ut pondere ementes falleret. Eius pater stigmatias in argyrocopœo (officina ubi cuditur pecunia) seruiuit, mater panes uendidit. Sed è Republica eiectus propter improbitatem, Samumque profectus, culeo insutus, in mare deiectus est, inimicorum insidiis. Gyraldus Dialogo 5. Hist. poët. Contra eum fabulam scripsit Plato comicus.

GELON, satelles Hippocratis Geloorum in Sicilia tyranni, & ante urbem Hyblam interfecti, fortitudine bellica clarus, & Hippocratis liberis, Euclidi & Cleandro, tutor datus, ciues rebelles subegit, & imperium occupauit, filiis Hippocratis eiectis. Syracusas postea cepit, & totam Siciliam obtinuit. Herodotus libro 7.

ABARTHOMIVS, cùm irrigare hortos Alexandro Magno consueuisset, ab eo Sydoniæ [redacted] est, ut hæc facta Alexandri magnitudo testata maneret. Curtius, & Plutarchus in Alexandro.

Capta Tyro urbe, & Stratone rege ob Darij amicitiam, de principatu deiecto, Alexander Magnus Hephæstioni permiserat, uti hospitum suorum, quem uellet, Tyri regem deligeret. Is quo hospiti, apud quem diuertebat, gratias referret, eū principem nominari constituerat. Qui & opibus & dignitate magna præditus, cùm nullo [redacted] gradu regium genus contingeret, beneficium oblatum recusauit. Tunc Hephæstioni, quisnam stirpis regiæ extaret, requirenti, indicat BALLONYMVM quendam, à regibus genus ducentem, prudentem atque optimum, sed paupertatis extremæ hominem superesse. Ad illum regni tradendi causa protinus Hephæstio cum regali amictu contendit: inuenitque in horto mercede aquam de puteo trahentem, crassissimo indutum panno. Eum ergo regia ueste atque aliis decentibus ornamentis productum in forum, Tyriis regem esse iussit: populo libenter eiusmodi fortuitæ & prorsus mirabili rei assentiente. Diodorus libro 17.

EVMENES Cardianus, inter Alexandri Magni successores annumeratus, uirtute atq; prudentia nullo corū inferior, adeò inope abiectoq; patre in Peloponneso natus est, ut se familiamq; uecturis, quas curru [redacted] bat, aleret. Aelianus lib[redacted] patrem Eumenis tymbaulon [redacted] erit.

SELEVCVS, inter Alexan[redacted] res annumeratus, Asia Syria[redacted] dro p[redacted] ciū præstare cōsueuerat prius. Fulg. lib.5. [redacted]

Ptolemæus primus Lagi filius fuit: Lagus autem sub Philippo Macedonum rege inter equites annumeratus est, nullo alio honore maior. At PTOLEMÆVS sublimiore gradu apud Alexandrū militauit. In cuius morte Syriæ atq; Aegypti regnum sibi uendicauit: à quo, qui secuti sunt reges, per longū tempus Ptolemæi nomen ceu peculiare tenuerunt. Fulgosus lib.3. cap.4. & Alex. lib.1. c.2.

Versabatur in Erymnei Peripatetici schola ATHENION quidam. Atq; cùm Erymneus seruam Aegyptiam emisset, illius amore detinebatur. Quæ cùm siue ex ipso peperisset, siue ex alio quodam eiusdem nominis cum domino, filius apud ipsum Athenionem nutriebatur, tum literas discēs, dominum iam seniorem factum unà cum matre manu ducebat. Quo mortuo hæres relictus, ciuis Atheniensis est adscriptus, puellamque formosam uxorem duxit. Post euentus huiusmodi ad sophisticas disceptationes se conuertit, adolescētes scholasticos obseruans. Deinde cùm sophista fuisset in Messena Larissaque Thessalica, multas accumulauit pecunias, atque Athenas contendit, ubi declaratus fuit legatus, cùm res uergerent ad Mithridatem, regemque circumueniens, factus est unus ex intimis. A rege reuersus, uocata Atheniensium concione, persuasit illis, duces Rom. à Mithridate uictos, imperium Asiæ amisisse, & ad libertatem eos hortatus est. Populus credulus Athenionem ducem suum esse uoluit. Sic accepta occasione tyrannidem inuasit, & multa crudeliter perpetrauit. Athen. lib.5. cap.11.

APOLLONIAS, Attali, patris Eumenis regis, uxor, plebeia cùm esset, regina euasit, eamq; dignitatem usq; ad extremū uitæ diem retinuit, non meretriciis illecebris, sed modestia & urbanā grauitate atq; integritate. Filios peperit quatuor, quos omnes insigni beneuolentia & pietate usq; ad obitum est prosecuta, quamuis nō paruo tempore marito superstes. Defuncta ab Attalo, in maximo Pergami tēplo condita est, q̄ ipse extruxerat: & uicinus lacus illi' nomine appellat'. Suid.

Herodes æditius in tēplo Apollinis ad Ascalonem, filium habuit Antipatrum, quem à prædonib. raptū ob paupertatē redimere non potuit. Huius filius HERODES, Ascalonita dictus, à C. Iulio Cæsare Iudeæ tutor constitutus, titulum regis ab Augusto accepit, is qui pueros innocentes occidit. Iosephus Antiq. Iud. lib.17. c.8.

ASI-

ASINÆVS & ANILÆVS Iudæi, in urbe Babyloniæ Neerda habitantes (sub Caio principe) orbati patre, & à matre ad textrinum opificium adhibiti (quod non indecorum habetur illis gentibus, ubi & uiri exercent lanificium) ab officinæ magistro, apud quem artem didicerant, quòd serius aliquāto ad operandum accessissent, castigati uerberibus, detractis armis, quæ seruabantur in eius domus pariete, contulerunt se in quendam locum, ubi fluuius scinditur, uberem pascuis, & frugum fertilem, cæterorumq; fructuum, qui reponuntur in hyemem. Ad eos mox cōfluxit iuuenum quisque egentissimus, quorum armis stipati, iam pro ducibus sese gerebant, & arce constructa, cum satrapa Babyloniæ, die sabbathi eos aggredi parante, feliciter dimicarunt. Artabanus Parthorum rex eorum uirtute delectatus, data fide in suum conspectum uenire iussit, multisq; donatos muneribus Babyloniæ curam habere, & populum in officio continere præcepit, miratus in primis generosum Asinæi animum, quāuis staturæ breuioris esset, & primo aspectū speciæ contemnenda. Creuerunt sensim opes Asinæi, adeò ut Mesopotamia tota ab illius penderet nutibus. Iosephus libro 18. cap. ult. Antiq.

Incunabula TVLLI Hostilij agreste tugurium cœpit: eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata. Validior ætas imperium Romanum rexit, & duplicauit. Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in excellentissimo maiestatis fastigio fulsit. Valerius lib.3. cap.4.

SERVIVS Tullius, Romanorum rex, ex serua captiua natus Ocrisia, L. Tarquinio Prisco successit, à Romulo primo rege in ordine sextus, qui omnium felicissimè Romanorum imperio præfuit: cui quidem diutissimè imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contigit. Ad summam autem, unde processerit, aut quò peruenerit, statuæ ipsius titulus abundè testatur, serui cognomine & regia appellatione perplexus. Val. lib.3. cap.4. Liuius lib.1. Decad.1. Florus lib.1. cap.6. Dionysius lib.3. Eutrop. lib.1. cap.9. Ouidius libro 6. Fastorum. Plinius capite 7. de Viris illust. Alex. ab Alex. lib.1. cap.13.

TARQVINIVM Priscum ad Romanum imperium occupandum fortuna in urbem Roman. aduexit: alienum, quòd exactum: alieniorem, quòd ortum Corintho: fastidiendum, quòd mercatore genitum: erubescendum, quòd etiam exule Demarato natum patre. Cæterùm tam prosperum conditionis suæ euētum, industriam pro inuidioso, gloriosum pro inuiso reddidit. Dilatauit enim fines Romani populi, cultum deorum nouis sacerdotiis auxit, numerum Senatus amplificauit, equestrem ordinem uberiorē reliquit: quodq; laudum eius consummatio est, præclaris uirtutibus effecit, ne Roman. ciuitas pœnitentiam ageret, quòd regem de finitimis potiùs mutuata esset, quàm de suis elegisset. Valerius libro 3. capite 4.

Miro gradu TER. Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: & quidem fortuna parum duxit, sordidissimæ mercis capturis inquinari solito, duodecim fasces largiri, nisi etiam L. Aemilium Paulum dedisset collegam: atque ita se in eius sinum infudit, ut cùm apud Cannas culpa sua uires populi Romani exhausisset, Paulum quoque, qui prælium committere noluerat, occidere pateretur, illū in urbem incolumem reduceret. Quinetiam senatum gratias ei agentem, quòd redire uoluisset, ante portas eduxit, extudirq;, ut grauissimæ cladis auctori Dictatura deferretur. Valerius Maximus lib.3. cap.4.

M. Porcij CATONIS incrementa publicis uotis expetenda fuerunt, qui nomen suum Thusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum Latinarum monimenta, adiuta disciplina militaris, aucta maiestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato. Idem.

M. AEMILIVS Scaurus, quamuis pater eius patricius carbonariam exerceret, ille tamen multis apud Romanos dignitatibus exornatus est. Aedilis enim iuri reddendo magis q̄ muneri edendo studuit. Prætor aduersus Iugurthā pugnauit. Consul legem de sumtibus, & libertinorum suffragiis tulit. Censor uiam Aemiliam struxit. Cæcilius.

C. MARIVS humili loco natus in uilla Priuernate, Arpinas, septies consul fuit, legatus primùm Metello in Numidia, eriminando consulatum adeptus, Iugurtham captum in triūphum duxit. In proximum annum consul ultrò factus, Cimbros in Gallia apud aquas Sextias, Teutones in Italia uicit, deq; his triumphauit, usq; ad VII. consulatum ex ordine. Liuius, & Plinius de Viris illust. & Plutarchus.

P. RVTILIVS non publicanum in Sicilia egit, sed operam publicanis dedit, idem ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentauit. Ab hoc postmodum Consule leges uniuersi Siculi acceperunt, acerbissimoq; prædonum ac fugitiuorum bello liberati sunt. Portus ipsos (si quis modò mutis rebus inest sensus) tantam in eodem homine uarietatem status admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animaduerterant, eundem iura dantem, classesq; & exercitus regentem uiderunt. Valerius lib.3. cap.4.

T. AVFIDIVS, cùm Asiatici publicani exiguam admodum particulam habuisset, postea totam Asiam proconsulari imperio obtinuit: nec indignati sunt socij, eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem uiderant. Valerius libro 3. capite 4.

VENTIDIVS Bassus, Picenus genere, humillimo loco natus. Cuius mater à Gn. Pompeio Strabone, Pompeij Magni patre, bello Sociali, quo subegit Asculanos, capta est: & puer ipse inter cæteros ante currum Imperatoris matris sinu uectus est. Massurius auctor est, bis in triumpho ductū. Postea cùm adoleuisset, uictum sibi satis ægrè quæsiuit, quem & sordidè reperit, teste Cicerone in prima Tusculana, fricādis & tergendis mulis occupatus, quos magistratibus prouincias sortitis mercede præberet. Demùm C. Cæsari notus, cum eo profectus est in Gallias: eiusq; amicitiam captans, Tribunus plebis, deinde Prætor creatus est. Sed interfecto Cæsare iudicatus hostis à senatu cum M. Antonio: pòst tamen coniunctis partibus, non pristinam modò dignitatem recuperauit, sed & pontificatum, ac exin consulatum adeptus est. Quam rem tam ægrè tulit populus Romanus, qui Ventidium Bassum in curandis mulis uictitasse cognouerat, ut uulgò per uias & compita scriberetur:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Eundē etiam Suetonius Tranquillus à M. Antonio prouinciis Orientalibus præpositum esse scribit: & Parthos in Syriam irrumpentes tribus præliis fudisse, de quibus primus ipse triumphauit. Tandem mortuus, publico funere sepultus est. In eodem etiam illud eximium, quòd eodem anno prætor & consul est factus. Valer. lib.6. cap.10. & Gell. lib.15. cap.4. Noct. Att. & Plin. lib.7. cap.43.

AVGVSTVS Cæsar equestri familia ortum se scribit, uetere & locuplete. Vnde M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat, restionem è pago Turino, & auum argentarium. Cicero uerò in epistola, eum nepotem argentarij, & filium adstipulatoris uocat. Volaterranus libro decimoseptimo Anthrop. ex Suetonio.

PALLAS Claudij Imp. libertus, imperium rexit tāta existimatione, ut offerente ei senatu consularia ornamenta, ostenderit dignitati suæ indecorum ea accipere. Opes autem ipsius adeò creuerunt, ut querente Claudio inopia se laborare, ioco illi dictum fuerit, ut à Pallante se adoptari curaret. Consulatus, præturæ, atq; alij magistratus ipsius arbitrio dabantur. Suetonius.

FELIX eiusdem libertus, Iudeæ gubernandæ præfectus, in eum dignitatis sublimem gradum peruenit, ut Agrippæ regis neptem uxorem duceret. Dion, & Suetonius.

VESPASIANI, qui ad Romanum imperium uirtute conscēdit, ac duos filios, qui in imperio successerunt, reliquit, maiores Reate uixerunt. Inter eos T. Petronius centurionis ordinem, Sabinusque filius primipili honorem non excessit. Suetonius.

CLEANDER, cui pòst mortem Perennij magna apud Commodum Imp. fuit auctoritas, seruus inter seruos uenundatus, unà cum iis, ut baiulus esset, Romam deductus est. Progressu temporis cubicularius Cæsaris factus, pellicem eius Damostratiam in uxorem duxit, tantæ auctoritatis, ut dignitatem Senatoriam, officia militaria, procurationes, imperia, & postremò res oēs uenales haberet. Dion Nicæ.

P. AELIVS Pertinax, patre libertino Aelio Successo mercatore natus, ab eodem nomen Pertinacis accepit, quòd lignariæ negociationi pertinaciter intenderet. A M. Antonino senator factus, prouincias consulares quatuor rexit. Mox à Commodo cum Perenne legato ad exercitum in Britanniam missus, seditiones multas compressit. Postremò proconsul Africæ factus, extincto Commodo, ab exercitu, consentiente senatu, Imperator lectus est, cùm esset septuagenario maior. Capitolinus. Hic est, qui literis imbutus elementariis, & calculo, quum Græcè item didicisset, Sulpitioq; operam dedisset Apollinari, post eum grammaticen est professus: eò prouectus per laborum genera uniuersa, uti Fortunæ uocaretur pila. Cæl. lib.24. cap.5. A.L.

L. Sept. SEVERVS, equestri tantùm familia natus, sub M. Antonino Imp. uarias prouincias cōsulares rexit, exercitui Germanico præfuit: post mortem Commodi, Imperator ab exercitu declaratus est. Pollenius Sebennius, homo mordacissimus, cùm eum audiuisset adscriptum Antoninorum familiæ, ad tegendam generis ignobilitatem: Gratulor tibi, inquit, quòd patrem inueneris: quasi antea patrem non habuisset, propter ignobilitatem & obscuritatem generis. Xiphilinus. Celebratur illius dictum: Omnia fui, sed nihil expedit. Sentiens, sese ex humili loco, per literarum ac militiæ

officia,ad imperij fastigium fuisse perductum: sed nulla in re sibi placuisse. Aelius Spartianus.

Opilium MACRINVM genere Maurusium fernum quidam putauerunt:sed liberatum postea, lupanari operam suam locasse:relegatumq; non multo pòst in Aphricam, causarũ actorem factum esse(alij gladiatorem aiunt)& postea in Aphricam munerum causa missum. Vndecunq; autem emerserit,hoc liquet,à Caracalla Imp.palatio præfectum,ad imperium consendisse. Dion.

Ex Pannonia prodiit Imperator PROBVS,Syrmij natus,uirtutis tantæ,ut inutilgatum uel apud celeberrimos sit, Si diutius superfuisset, futurum fuisse, uti terrarum orbis Barbaros non haberet. Nam & ipse prædicabat, Breui milites necessarios haud futuros. Natus est Maximo agresti patre, ut inquit Sext. Aurelius,ac hortorum studioso.

MAXIMVS Puppienus cum Balbino Iuip. dictus contra Maximinos, patre fabro ferrario natus. A puericia militari studuit seueritati, ut homo nouus per gradus dignitatis grauitate illustris ac uenerabilis fieret, militaris Tribunus & Proconsul multarum prouinciarum factus. Et licet homo nouus esset,nemo tamẽ Senatui usus est illo aptior,ut principis nomen acciperet. Cuspinianus.

Val. AVRELIANVS,humili genere ortus in Syrmio, aut Moesia, aut Dacia,sua uirtute apud Valerianum (ut eius indicãt ad præfectum urbis Ceionum, & item ad Antonium Gallũ Cos.epistolæ)maximo in honore fuit, diuersisq; temporibus ducatus, tribunatus & uicariatus propè XL consecutus,sub Claudio equitibus ferò omnibus præfuit. Postremò in Imp.electus,multa bella felicissimè gessit.

DIOCLETIANI Imper. Salonis Dalmatiæ orti pater,à quibusdam scriba & libertus Amillini senatoris dicitur fuisse, mater Diocles appellata:unde & ipse Diocles dictus est antequàm imperium assumeret. Pòst uerò Graium nomen Romano more conuertit,usurpatis aliis quoq; prænominibus ac cognominibus. Cuspinianus.

MAXIMINVS è Thracia oriundus, patre Micea Gotho, matre Ababa Alana natus, opilio à pueritia, à Seuero principe ob robur uasti corporis,ordines meruit in exercitu. Reuersus deinde post eius mortem in patriam, tempore Alexandri Seueri urbem repetiit : à quo ob fortitudinem tribunus legionis IIII. factus est,addito laticlauo. Interfecto uerò in Gallia Alexãdro à militibus,in eodem loco, cùm nec senator adhuc esset,statim unà cum filio primus, sine senatus consensu Imperator à militibus factus est. Capitolinus, & Fulgosius lib.6.cap.10.

GALERIVS Maximianus, quem Diocletianus adoptauerat, & Cæsarem fecerat, tradita ei filia Valeria, eximius & felix bellator fuit, ortus parentibus agrariis, pastor primùm armentorum,unde ei cognomen Armentarij fuit:natus in Dacia Ripensi,ibiq; sepultus est:quem locum Romulianum etiam à Romulæ matris nomine appellarat, insolenter affirmare ausus,matrem suam(more Olympiadis,Alexãdri Magni genitricis)compressam à draconc,concepisse. Cuspin.

LICINIVS à Galerio Maximiano adoptatus, oriundus è Dacia, parentibus agricolis, extrema pueritia militauit. Hinc tribunus militum bello contra Narsen Persarũ regem optimè se gessit,duci postea semper gratus. Idem.

CONSTANTINVS Magnus Imp. genitus fuisse perhibetur patre Constantio Pio, matre Helena(ut tradunt annales Britannorum,Coel regis Angliæ filia: sed Ambrosius stabulariam uocat, hoc est cauponariam,inter Britannos natam humili loco , ob formam Constantio patri tantùm dilectam) quam Constantius, dum Maximiani Herculei (à quo adoptabatur)priuignam Theodoram duceret, coactus fuit deserere. Cuspinianus.

M.Iul.PHILIPPVS Arabs,Vostris Arabiæ urbe ortus, patre latronum ductore,teste Aurelio. A teneris relicto patrio solo,militare cœpit, & per gradus ascendit: Comes ordinis, deinde Dux.à Gordiano,præfectus,prætorio creatus, & exercitui præfectus , cum tandem de imperio deturbauit. Cuspinianus.

ABLABIVS Aegyptius,humili loco natus, præfectus prætorij Constantini principis , & unà cum Constantino filio imperij rector constituus. Eunapius in uita Aedesij, & Volaterranus lib.13.cap.3.Anthrop.

Ad imperium à seditioso exercitu, in Germania aduersus Galienum euectus MARIVS (quãquam triduum tantùm post creationem uixit)in prima iuuẽta ferrarius faber fuit, quod ei in contumeliam, à percussore, qui eum interemit, obiectum est,cùm diceret, Marium ipsum ensem excudisse, quo occidebatur.Fulg.lib.6.cap.10.

BONOSVS in Britannia natus,patre inope, ac magistro ludi literarij,ad Augustale solium euectus est.Fulg.lib.3.cap.4.

EVGENIVS tyrannus,antè magister ludi : mox Valentiniani III.à secretis scriba : postremo Augustum se appellare ausus,à Theodosio euersus est.Ibidem.

VALENTINIANVS I.Pannonius Imp. patrem habuit, fures torquentem.

ATHENAIS Leontis Athenien sis sophistæ filia,post patris mortem Pulcheriæ propter eruditionem insinuata,Theodosij iunioris Imp. nuptias meruit, & Eudoeia appellata fuit. Cuspinianus.

MARTIANVS humili genere natus , arte militari clarus,in Imperat.electus est, ducta Placidia Theodosij Imperatoris sorore.

Cùm milites ab Anastasio Arthemio defecissent, appellatus est ab iis Cæsar THEODOSIVS quidam,Adramyttenus genere,publicorum uectigalium exactor uel scriba: obscuris ortus natalibus:sed ob comitatem omnibus charus. Anastasium in ordinem redactum sacris initiauit. Cuspinian.

MAVRICIVS Cappadox,uir strenuus ex humili notario,Comes excubitorum à Iustino ob diligentiam factus , hinc Cæsar etiam,gener Tiberij.mox Augustus est. Cuspinianus.

IVSTINVS,Thrax,ex utroque parente ignobilis,à teneris annis suum bournq; custos : pòst lignarij cuiusdam minister. Natus annos XVI. militare cœpit. Hinc per gradus princeps ordinis in exercitu factus mox Comes excubitorum, tandem à Senatu Imperator electus,ut labantem Rempub. restitueret. Cuspinianus.

LEO III.Imperator ubi ex Isauria,ubi sedentariam exercuit, cum parentibus Byzantium à Iustiniano II.Imperatore traductus fuit.Eo pulso,commoratus est Mesembriæ, ciuitate Thraciæ. Cùm à Bulgaris Imperator regno restitueretur, Leo illi omnem facultatem obtulit. Itaq; Iustinianus eum Spathariæ dignitatis nomine insigniuit, & in familiarium domesticorum numerum asciuit,& contrà Amalgos misit. Ab Arthemio dux Orientis creatus , Theodosium III. imperio deiecit. Cuspinianus.

BASILIVS, qui olim Abbas seruierat, captiuus Constantinopolim ductus,à Michaele Cõstantinopolitano Imper.in eam fortunæ magnitudinem euectus est, ut post Imp. primus haberetur. Demùm,domino per scelus occiso , ad imperium ascendit.Fulg.lib.6.cap.10.

MICHAEL Paphlago humili ortus genere, ob formam Zoe imperatrici conciliatus,& inter cubicularios Romani Argyropoli receptus , eo suffocato , imperium arripuit: & MICHAELEM Calapharen dictum , quòd eius parentes apud Paphlagonas pice naues oblinerent,nepotem ex sorore,imperij successorem fecit. Cuspinianus.

SADRAGESILLVS Dagoberti Francorum regis pædagogus,è ludimagistro dux Aquitaniæ.

BAMBA ab aratro ad principatum,Leonis Romani pontificis beneficio euectus,electus in Hispanorum regem , Mauros Hispaniæ litora cum classe ducentarum septuaginta nauium ingressos,ingenti prælio fudit,classemq; igni succendit.Ritius Neap.lib.2.Regum Hispaniæ.

LAMVSIVS siue Lamissus tertius Longobardorum rex à matre meretrice, cum sex fratribus eodẽ partu editis in fossam proiectus fuerat,ubi aqua stagnabat, quæ Longobardorũ lingua Lama nuncupatur. Fortè ibi ab Agelmundo Longobardorum rege conspectus , atque hasta tactus , cùm eam firmiter apprehendisset : Agelmundus nutriri infantulum iussit:atq; à Lama , Lamusium nominauit. Tandem Agelmundo in regno successit.Fulg.lib.3.cap.4.

Cracus siue Crocus Boemorum princeps moriens tres filias reliquit:è quibus una Libussa saga paternum regnum suscepit,assumto sibi in societatem thori & principatus PRÆMISLO rustico homine: quem missi ad hoc equires in ferrea tabula,hoc est,in uomere prandentem repererant:cuius posterras longa & perpetua successione per multa secula Boemis præfuit. Cromerus lib.2.

MAHOMETVS inter Arabes obscurissimis parentibus ortus,à puero ducendis locandisq; camelis operam mercatori impendit. Quo mortuo,uiduæ nuptiis auctus, diuinitate simulata coacta latronum manu,principatũ gentis, in quã natus erat,occupauit:& non solùm gentes omnes ad Orientem positas ditioni suæ subiecit,sed hæreseos suæ labe uniuersum orbem infecit. Egnatius lib.3. capite 4. & Fulgosius lib.3.cap.4.

OTHOMANNVS princeps Turcarum princeps , agrariis parentibus ortus,principio generis obscurissimo , breui tempore,latronum in Bithynia,quæ sedes illi fuerat, comparata manu,uexare proximum quemq; cœpit : mox etiam castellum extruere haud longè à Prusia ausus , tantas uires sibi assumsit,ut Græcorum etiam rebus infestus, partem multo maximam Asiæ ad se suosque traxerit: Orchanique filio XXIIX imperij sui anno hærede relicto , ingentes opes, & Bithyniæ fermè totius sceptrum reliquerit. Egnatius libro 3. capite 4.

SVLTANOS Aegyptios ex gentis regniq; instituto priùs oportebat seruos esse, quàm ad eum honorem conscenderent : manumque illam, quæ aurcum tantorum regnorum sceptrum

sceptrum acceptura est,necesse erat antè detrectandis equis, aut culinę immundis ministeriis deseruisse.Ex tam sordidis initiis,in eam principatus sublimitatem efferebãtur, ut ceu numina à populis suis colerentur: eisq; Aegyptus tota , itẽ Arabia,Iudæa, Palæstina, Mesopotamia , deniq; Syria omnis pareret:quorum singulæ partes quondam magnorum regum sedes fuêre.Fulg.lib.6.cap.10.

ABDELMONIO, qui se totius Africæ regem fecit, parens dicitur fuisse figulus. Hic ope prophetarum Mahumetanæ legis eum sibi populorum fauorem conciliauit , ut pulso uero rege , regium nomen inuaderet : atque rex creatus Africæ,magnam quoque Hispaniæ partem adderet.Fulgosius libro 3.capite 4.

MAHVMETES Auclanaginar Arabs,regnante Alphonso Legionensi rege,è bubulco,à Mauris,ad Beticæ, siue (ut nunc uocarunt)Granatæ regnum fuit euectus.Fulg.lib.6.cap.10.

Cùm Mansor,Marocci Atlantici rex & pontifex, in uenatione uentorum & tempestatum turbine,in aula à comitibus distractus,nocte iam ingruente , ad tuguriũ PISCATORIS peruenisset:ab eoq;,quamuis ignotus,& benignè tractatus & pietatis nomine mirificè commendatus esset:insuper manè facto per cœnosæ paludis uoragines deductus ad comites: rex hominis hospitalitate delectatus , uicinas arces & palatia el dono dedit, mœnibusq; cinxit. Eiusq; potentia ita sensim creuit,ut 400.nobilissimas familias habuerit.Io. Leo lib.3.cap.72.Africæ.

TAMBERLANES(quem auorum nostrorum ætas armis iustitiaq; priscis principibus æqualem,regni autem atq; exercitus magnitudine Xerxe maiorem, nedum parem uidit) à Scythis ortus est,patre pastore. Hinc à pastoribus per ludũ rex factus,pecoribus uenundatis Latronum princeps creatus,Persarum regnum occupauit. Egnatius & Fulgosius libro tertio,capite quarto.

OLIVERIVS Dama,genere Belga,Ludouici XI. Gallorum regis tonsor,immensis congestis opibus, in eam apud regem gratiam peruenit,ut omnium consiliorum eius particeps , permulta , quæ alios latebãt , ipse nota haberet,magnisq; de rebus multas legationes obiret. Cæterùm mortuo Ludouico,qui filium ipsius Carolum VIII. adhuc impuberem regebant , obiectis quibusdam criminibus eum damnatum, Parisiis publicè suspendio necarunt. Fulgosius libro 6.capite 11.

IOANNINVS Carazolus Roseus,ignobili gente ortus,cùm in aula Ioannæ secundæ reginæ Neapolitanæ amanuensis esset , in eius flammas Ioanna incidit, & primùm Auclinij comitatu,sub uxoriæ dotis nomine, cum donauit : postea ad Melphitensem quoq; ducatum , atq; ad magnum Connestabulatum extulit. Cæterùm qui finis esse solet infandi amoris , ab ipsa regina tandem crudeliter opibus honoribusq; spoliatus,ac cæsus fuit.Idem.

In Sicilium traiecerat Robertus dux Calabriæ, Caroli II.Neapolitani regis filius:atq; in ea aduersus Federicum urbem Panormum obsidebat. In castra Robertum uirum Iolanta secuta erat:forteq; euenit,ut pariendi necessitas eam urgeret. Cùm aliæ illic matronæ non essent,obstetricis officium diligenter præstitit Catinensis mulier , PHILIPPA nomine,quæ quondam piscatoris uxor,pannis lauandis uictum quæritabat.Illi postea ortus puer alendus est datus.Qui etsi haud multo post decessit, Philippa tamen in aula ad Iolantis seruitia mansit.Præerat eo tempore Roberti culinæ Raimundus Campanus.Is seruum Maurum emerat, quem baptismatis charactere insignitum , à nomine suo appellauit. Cùm autem ipse ad maiorem esset fortunam euectus, curauit,ut Raimundo Mauro culinæ præfectura traderetur. Inde Campano Raimundo rex Philippam cõiugem dedit, cùm antè equestribus eum ornamentis donasset. Interim Iolanta decedit, & Robertus Sanctiam ducit uxorem.Penes eam quoque honesto loco Philippa remansit.Et,Robertus ad regnum euectus, Ioannam primam ex filio Carolo Calabriæ duce neptem regendam dedit, & Philippę uirum, domus administrationi præfecit. Cui in eo honore mortuo, filius sufficitur : & cùm is quoq; decessisset, relicta Sanctia filia , Robertus alius frater in eo honore succedit. Interim auo patreq; defunctis,Ioanna prima regnum accipit: atq; Andreæ patrueli,qui in Pannonia erat , nubit. Cùm in hoc statu res essent,tanta fuit Philippę felicitas & industria,ut filius eius Robertus,à domus administrandæ præfectura,ad magni Connestabulatus honorem conscenderet: & neptis Sanctia,Morconi comiti in matrimonio collocaretur, ipsaque arbitratu suo regni habenas moderaretur. Cæterùm cùm postea Andream Ioanna sustulisset, atq; ex Pannonia profectus Ludouicus rex,Ioannæ ad ulciscendam Andreæ fratris mortem arma intulisset : à principibus Neapolitani regni, Ludouici studiosis , Philippa cum omnibus suis capta est,cùm ipsa Andreæ mortem molita putaretur. Habita per uaria tormenta eius rei disquisitione,omnes è Philippę stirpe, Philippa ipsa spectante , occisi sunt : & post eos ipsa quoque , inter omnium conuicia , candentibus forcipibus totum dilaniata corpus,uiua tandem combusta est. Fulgosius libro 6.capite 10.

PETRVS Landoes,caligarij sartoris filius , non quæstor tantùm,sed obsequio & miris illecebris principis sui ducis Frãcisci, qui postremus fuit in Venetis & Morinis (quibus nũc Britonum nomen est)ceu dominus factus:in eam apud omnes inuidiam uenit,ut ducis nepos,Aurangiæ princeps, atque alij quidam Britonici proceres,in ipsum manus iniecerint, & iuspendio interemerint.Fulg.lib.6.cap.11.

IACHEVS Cordes(*Iaques Cœur*)Bituricensis,qui inops,minora mercimonia per propinquam patriæ regionem uenditabat,idemq; ob rerum tenuitatem mercibus suis non institoris modò nomen, sed iumenti quoque officium præstabat : postea apud Carolum VII. Gallorum regem in eam peruenit gratiam,ut principes ipsos opum magnitudine superaret:& quod maius est,per eum Carolus regnum totum administraret.Fulg.lib.6.cap.10.

PETRVS Brochias,ex chirurgo per Philippum Gallorum regem dines factus,locum primum obtinuit inter eos,qui regij cubiculi administratione insignes habentur : solusq; omnium rerum moderamen sustinuit. Tandem insimulatus, quòd regis arcana detegeret, publicatis eius fortunis, suspendio uitam finiuit.Idem.

Petri Riarij,Sauonensis Cardinalis frater, HIERONYMVS nomine,nulla maiori fortuna,quàm frater , cùm honestiore se negotio exercere non posset,in patria,uili mercede,publicanorum scriba fuit.Is à Sixto IIII. pontifice Forolinij atque Imolæ urbium,nonnullorumque aliorum locorum principatu honestatus , ad Neapolitani quoque regni Comestabulatum(qui pòst regem primus est honor)& militarium pontificis copiarum ducatum ascendit : in cuius manu ita esse pontificis uoluntas putabatur , ut regum principumque legati , item magni antistites , pontificis aliqua in re assensum cupientes, priùs Hieronymum adirent , tanquam ad pontificis flectendam mentem perneccssarium. Fulgosius lib.6.cap.10.

HABRAYMVS Bassaran apud Solymannum Turcorum Imperatorem princeps , ignobili pago supra Pergamicum Buthrotiæ regionis in Epiro natus,more Turcarum præsidũ,Christiani nominis puerorum delectus habentium , abductus, Scanderbassæ principi à prima pueritia seruiuit.Apud hunc Mahometanis initiatus sacris, stupenda celeritate Arabicè legere scribereq;, & cithara scitissimè personare didicit : & quod ad mulicbres illecebras pertinebat, ingenio mirus, facetissimoque sermone periucundus ita in gynæceo gratiam famamque promeruit, ut productus ab uxore ad uirum Scanderbassam,uiri militaris naturaq; seueri animum, in omni munere teneriori officij peracutus & dicax , semperq; elegans,oblectaret,ideoq; Solymanno,Selymi Imperatoris filio, tanquam festiuissimi moris seruus dono mitteretur,uiuo adhuc Baiazete auo , atque eo etiam iucũdas garruli pueri præcoces delicias admittente : sic ut cum Solymanno ætate sibi æquali educaretur , & ad heri genium cunctis numeris elegantiæ responderet. Per hunc modum unicè admiratus adoleuit,tantisq; artidentis fortunæ suffragiis usus, usque adeò enituit , ut eum cunctos aulæ gratia præteruectum,inter purpuratos legeret, eique defuncti Scanderbassæ filiam opulentissimæ hereditatis in matrimonio collocaret, Memphiticaq; demùm præfectura ornaret atque ditaret. Exinde Habraymus Hungarico bello totius Europei equitatus magister,Belerbecci nomen obtinuit, & singulari prudentia uirtuteq; militiæ munia implens , Vesiris inter purpuratos dignitatem, qua nulla maior dari potest,adeptus est:quum Solymannus honoribus adaucto, ei quoque regij serinij sigillum tribuisset:& non modò consilij arcani particeps esset, sed uoluptatum horarumq; omnium comes aulam circumageret, & toto summæ auctoritatis honore potiretur , ac in immensum crescentis potentiæ nomine,à cunctis aulæ ordinibus usq; adeò eminenter coleretur,ut nemo iam esset, qui ei parendum esse non duceret.postquam eum tanquam consortem imperij uel gratui cum inuidia domi & foris amplissimi quiq; suspicerent. Neque tamen interea ex intimis animi sensibus à Christiana professione discesserat,tactus non dubia religione Deo Christo uota faciebat,ipsam Mahometis disciplinam usque ad affectationem palàm ostentans: scilicet ut impotens tyrannus tantis subnixus opibus , à Christianorum principũ odio commutata uoluntate in Persas uerteretur.Quod præclarè agnosci poterat ex perpetuo atque mirifico in mercatores Christianos patrocinio fauoreq;,quo multa lucra atque emolumenta ex uectigalibus, uel inuitis & indignantibus Turcis,parabantur. Vbi autem Solymannus susceptã Persica expeditione malè rem gessit , Habraymo consultori uehementer iratus,Roxolana insuper uxore , cuius conati-

bus in filiũ ad imperium promouendo solus obstabat, instigante, Constantinopolim reuersus, quum interceptas quasdam eius literas inimiti uultu ostenderet, & an signum agnosceret, ferocibus uerbis idẽdem interrogaret: nocte, in cubiculo per eunuchum carnificis munus obire solitum, in puluino dormitantem, cultro adunco, quod de manu Imperator tradiderat, iugulari curauit, ne fidem falleret ei datam olim, nunquam se ei uiuo uitam crepturum. Orto sole quæstores supellectilem atque pecuniam eius omnem in fiscum retulisse constat, ita conturbatè, raptim & diligẽter, ut nihil ferè præter dorem miserrimæ uxori relinquerent. Hunc uitæ potentiæq; suę exitum tulit Habraymus: quo nemo eorum unquam antea, qui maximorum regum gratia potentes euaserant, ad exemplum illudentis fortunæ ante obitum fortunatior atque felicior fuit. Iouius lib. 33.

Victoriis.

Consule Tit. Fortuna ducum. Illic Habitus, hîc gloriæ affectantis habetur ratio.

MATRONÆ HONORATÆ.

Thucydides uirtutem mulierum eam demum, cuius nulla foris uel ad uituperium uel ad laudem fama sit, primam ceasset esse: putatq; perinde nomen ac corpus, occlusum probatæ mulieris & obseptum esse oportere. Magis scita nobis uidetur Gorgiæ sententia, non speciem fœminæ debere, sed existimationem uulgò notam esse. Plut. de Virt. mul.

MARIA semper uirgo benedicta in Deo salutari suo exultans, inter cætera & hoc canit: Ecce enim ab hoc beatam me dicent omnes generationes terræ. Christus opt. max. de MVLIERE illa, quæ in domo Simeonis leprosi unguento caput suum profuderat, sic loquitur: Amen dico uobis, ubicunque prædicabitur Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quòd fecit hæc, in memoriam ipsius. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22.

LYCII, mulieres magis quàm uiros honoribus afficiunt, & nomina à matribus accipiunt: item hæreditates filiabus, non filiis relinquunt. Stobæus serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

GALLORVM mulieres inter infestas ciuilis furoris acies audaces se immittere, nunc lacrymis, nunc precibus ita illorum animos flexêre, ut dissensione obliterata, pacem coirent ac socierentur, omnesq; citra ullam cædem ad propria reuerterentur: unde apud eos inoleuerat mos, diutißimè seruatus, ut quum de pace belloq; consulteretur, mulieres item adhiberentur. Si qua præterea, ut fit, inter socios incidisset controuersia, mulieres intererant arbitræ. Quamobrem dignum memoria id est fœdus, quod cum Annibale Galli inierunt, in hanc fermè sententiam percussum: Si quis Gallorum iniuria se à Carthaginensium aliquo affectum quereretur, eius rei Carthaginensium magistratus aut imperatores, qui in Hispania fuerint, iudices esse debere. Sin Carthaginensium quisquam ab ullo Gallorum iniusti quippiam passus esset, Gallicas mulieres de ea re iudicium facere. Cælius lib. 13. cap. 33. Antiquarum Lectionum.

MÆSÆ Heliogabali Imp. auiæ tributum ferunt, ut in senatu sederet, patres consuleret, & sententiam diceret, cęteraq; senatoris munia obiret. Alex. lib. 4. cap. 11.

SENES HONORE AFFECTI.

Hîc Honor Senectuti impensius consideratur. Honorantis fides suo loco perpenditur.

Quomodo diadema lex & coronam, sic canis natura gloriosum imperatoriæ insigne maiestatis imponit. Etiam nomen γέρων apud Græcos & γεραίρειν, id est, honor & honorare, ἀπὸ τῶν γερόντων, id est, à SENIBVS deductum, uenerabile permanet: non quòd balneis calidis utantur, & dormiant mollius: uerùm quòd regium ex prudentia locum in ciuitatibus obtineant: cuius sicut arboris, quæ fructus serotinos edit, peculiares dotes & absolutas in senectute denique natura fundit. Plutarchus an seni tract. respub.

VATES, MEDICI, RHETORES, POETÆ honorati.

Vide Tit. Medici, Rhetores, Poetæ in precio habiti. Illic Habitus, qui colitur: hîc Cultus ipse perpenditur.

VIVIS HONORES EXHIBITI.

M. VARRONI in Bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata est Romæ, unius uiuentis posita imago est. Plin. lib. 35. cap. 2.

Stertinius (cui librum nonum Epigrammatum suorum sub Amici nomine Martialis dedicat) imaginem uiuentis adhuc MARTIALIS in sua bibliotheca posuit. Crinit. de Poetis.

MORTVIS EXHIBITI HONORES

In genere. Funus honorificum.

IVDÆ Machabæi, à Bacchide Demetrij duce interfecti cadauer, Simon & Ionathas fratres induciis factis delatum in Modim uicum, magnifico fũere intulerunt monumento patrio, & publico luctu per aliquãmultos dies honorauerunt eius memoriam. Iosephus libro duodecimo, capite 19. ex 1. Machab. 9.

Apud Græcos & Romanos sæpe IMPERATORIS aut DVCIS, qui occubuisset in acie, funus, milites quantum poterant militaribus studiis celebrarunt. Ea pompa fuit, ut armatæ instructæq; legiones in turmas & centurias cum uexillis militaribus inuertis, aut abiectis militiæ insignibus, defunctum comitentur: phaleras q; equis detrahant, ensium mucrones & lanceārum cuspides humi deiectos ferant, & rogum lustrent. Alexander lib. 3. cap. 7.

Apud LACEDÆMONIOS qui strenuam in militia operam nauassent, ac pro patria fortiter occubuissent, oliua & aliis ramis redimiti, laudibus uehebantur: ac demùm amicti pura preciosissima, gloriosè ac honorificè sepulcris mandabantur. Aelianus lib. 6. de Varia hist.

CHILONIS Lacedæmonij funus, cùm uictore filio Olympiæ expirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est. Plinius libro 7. capite 32.

AGESILAO Archidami F. regi suo, rerum gestarum gloria clarissimo, in expeditione in Aegyptum mortuo, maiore multo quàm aliorum regum sepulturæ & funeris honore decorarunt. Pausanias in Laconicis.

Cùm PELOPIDAS Thebanus contra Alexandrum Pheræũ fortiter pugnans in acie cæsus occubuisset, fama est Thessalos, qui huic prælio interfuerunt, non antè loricam posuisse, non equo frenum detraxisse, non uultus obligasse, ubi eum cecidisse acceperunt: sed armatos & calentes ad mortuum accurrisse uelut spirantem, atque hostium spolia undique circa corpus cumulasse, torondisse equos, totondisse seipsos: multos, cùm in tentoria se recepissent, nec ignem accendisse, nec cibum cepisse: silentium & mœstitiam uniuersum exercitum occupauisse: non quasi clarissimam & maximam obtinuissent uictoriam, uerùm tanquam à tyranno superati & oppressi fuissent. Ex urbibus, ubi hæc nunciata sunt, magistratus, simulque adolescentes, pueri, & sacerdotes effuderunt se ad excipiendum corpus Pelopidæ, trophæa, coronas, arma aurea ingerentes. Vbi iam efferendum corpus fuit, seniores Thessali adierunt Thebanos, postulantes ut permitterent ipsis mortuum funerare, quorum unus ita uerba fecit: Beneficiũ, socij, à uobis petimus hoc, quod ornamento in tanta calamitate nobis & solatio erit. Non enim uiuum Thessali Pelopidam prosequuntur, nec meritos honores sentienti habent: sed si contrectare examinem licebit, & per nos decorare atque humare corpus eius, fidem faciemus uobis, credere nos cladem hanc esse Thessalis quàm Thebanis maiorem. Vos enim bono imperatore tantùm fortuna, nos & hoc & libertate spoliauit. Nam qua fronte alium posthac ducem à uobis, non reddito Pelopida, poscemus? Concesserunt ea Thebani. Plutarchus in Pelopida.

EPAMINONDAM Thebani propter inopiam, in qua decessit, publico funere extulerunt: quòd præter uerum minutum ferreum, ut fama est, nihil ab eius excessu fuerit domi inuentum. Plut. in Fabio.

Populus Romanus non fecit Q. FABIO Maximo publicè funus: sed assibus uiritim collatis, non ut tanquam inopi sufficerent impensas, uerùm populo ut parentem sepelienti, mors uiri, ut dignum uita erat, honorata fuit & celebrata. Plutarchus in Fabio.

Alexander, qui Oricentem domuit, EPHESTIONE defuncto, mulis & equis detonsis, urbium pinnacula diruit: tubas & cætera instrumenta uetuit in castris canere: postremò diuinos illi honores & sacrificia, ut semideo, indixit, oraculum secutus, tria millia histrionum funebribus ludis adhibuit, omnem Cussorum gentem trucidauit: testatus easse dare inferias Ephestionis manibus, denis millibus talentũm defunctum extulit. Sabellicus libro 10. capite 1. ex Plut. Alexandro.

Capto & necato PHILOPOEMENE prætore Achæorum à Dinocrate Messenio, Achæi lugentes eum, nulla admissa uindictæ mora, atque electo Lycorta duce, Messenios intauerũt, & depopulãtur. Receptũ à Messeniis corpus Philopœmenis comburunt, & reliquiis in urnam conditis domum repetunt, pompam quandam cum exequiis triumphalem miscentes. Quidam enim coronis redimiti erant, quidam lacrymabantur, quidam cathenatos trahebant hostes: ipsam urnam præ uittarum & coronarum numero conspectui penè ademtam, prætoris Achæorum F. Polybius ferebat, principibus Achæorum cinctus. Milites ipsi armati equis speciosè instratis sequebantur. Ex oppidis & castellis in uia positis obuiam effundebantur quasi ab expeditione reducem amplectentes: urnamque contrectabant, atque unà prosequebantur Megalopolim. Vt uerò senes fuerunt cum mulieribus & pueris commixti, ibi comploratio per totum

totum exercitum incessit ciuitatem, quæ illum desiderabat, & eum casum ferebat grauiter: unà cum eo rata principatum amississe inter Achæos. Ita ille honorifico funere est elatus, & iuxta monumentum Messeniorum captiui lapidibus sunt cooperti. Plut. in Philopœmene.

TIMOLEONTE Corinthio, qui Siculis libertatem restituit, præsenio mortuo, Syracusani eum honorificè extulerunt. Lectum delecti à populo iuuenes exornatum per Dionysiorum tunc dirutam regiam portauerunt: prosecuta est uirorum & mulierum infinita caterua, quorum species omnium coronatorum & candidis uestibus amictorum festum diem repræsentauit. Iam uoces & lacrymæ cum mortui confusæ laudibus, non honoris defunctionem, nec munus publicè iniunctum, sed uerum desiderium prætulerunt, & sinceri gratiam amoris. Lecto denique in rogum illato, Demetrius præconum illius memoriæ omnium uocalissimus, scriptum decretum recitauit huiusce modi: Populus Syracusanus sciuit Timoleontem hunc Timodemi filium Corinthium, quòd tyrannis obtritis, barbaris superatis, & amplissimis urbibus, quæ euersæ fuerant, incolarum multitudine frequentatis, leges suas Siculis reddiderit, ducentarum minarum impensa funerandum, honorandum insuper in perpetuum ludis musicis, equestribus, & gymnicis. Adhæc corpori monumentum in foro fecerunt, quod porticibus postea cinxerunt: ubique palæstris ipsædificatis parauerunt iuuentuti gymnasium, quod Timoleonteum appellauere. Plutarchus in Timoleonte.

ARATVS Sicyonius ueneno sublatus à Philippo rege, cùm fato functus Aegij in septimadecima prætura esset, contenderentq; Achæi, illic ut iusta ei & monumenta ex uitæ dignitate fierent: calamitosum duxerunt Sicyonij, nisi conditum corpus apud ipsos foret, flexeruntq; Achæos, ut id per mitterent. Quia uerò uetus lex humari quenquam intra muros suos uetabat, & grauis adiuncta legi erat religio: Delphos miserunt ad consulendum super ea re uatem, quæ Sicyonios iussit sacra etiam illi instituere. Ergo festum luctu protinus corpus ex Aegio coronati, & candidis amicti uestibus, catminibus & tripudiis in urbem suam deduxere, locoque delecto conspicuo, ut conditorem & seruatorem urbis ibi funerauerunt. Appellatur usque ad hanc memoriam locus Aration. Plut. in Arato.

NVMÆ Pompilij regis sui funus omnes ciues Romani cohonestauerunt, allatis publicè odoribus & coronis. Senatores lectum subierunt, ac sacerdotes deorum præsentes cum sunt profecti. Reliqua multitudo inuixtis fœminis & pueris, non tanquam iustis assisterent senis regis, sed quasi efferret quisque ex charissimis unum in flore ætatis sublatum, cuius desiderio teneretur, ita cum eiulatu & planctu secuti sunt. Plutarchus in Numa.

P. VAL. Popliçola mortuo, populus Rom. quasi nullum uirtutis præmium contulisset in uiuum, sed omnia ei deberet, sciuit, ut cadauer eius publico funere efferretur, in cuius honorem quadrantes singuli contulere. Matronæ seorsum concilio habito, ad singulare eius decus & laudem totum annum cum luxerunt. Ex plebiscito hic quoque in urbe humatus est iuxta Veliam, quam uocant, datumque toti eius stirpi ius huius sepuleri. Nunc tamen nemo ex familia conditur ibi, sed cadauer eò delatum deponunt. Tum ardentem facem quispiam tenens, eam tantùm subiicit, mox retrahit: qua re ius testatur sibi esse, sed abstinere se honore: inde mortuum tollunt. Plut. in Poplicola.

M. MENENIVS Agrippa (publicę reconciliationis auctor inter patres & plebem, cùm in montem Sacrum secessisset) mortuus est, re domestica tam tenui, ut sumtus funeri deesset. Extulit eum plebs sextantibus in capita collatis. Dionysius, ne non semper aliquid à Liuio diuersum proderet, auctor est, patrum decreto Menenianas exequias publica impensa instructas: plebem uerò, eam pecuniam, quam in hoc ipsum contulerat, non recepisse, sed Menenij filiis in patris memoriam dono datam uoluisse. Sabellicus libro octauo, Enneadis secundæ.

Cùm M. MARCELLVM ex insidiis circumuentum Annibal trucidatum esse intellexisset, ad inseparatam mortem obstupefcens, anulo eius ablato, corpus eximiè ornatum & cultum honorificè, cremauit. Reliquias in argenteam cõditas urnam iniecta aurea corona remisit ad filium. Plutarchus in Marcello ex Liuio.

L. PAVLI Aemilij pompa funebris eximia fuit & suspicienda, decoraturq; uirtutem eius præstantissimis & felicissimis exequiis. Erant hæ non aurum, non ebur, non reliquus splendor & nitor apparatus: sed beneuolentia, sed honor, sed studium non ciuium modò, uerùm & hostium: siquidem quotquot aderant fortè Hispani, Ligures, ipsi quinetiam, quorum regnum euerterat, Macedones, qui ualidi corpore essent & iuuenes, funebrem lectum subierunt ac deportauerunt: maiores natu prosecuti sunt, Seruatorem & patriæ parentem Paulum appellantes. Plutarchus in Paulo, & Valer. Max. libro 2.

Florum honorem pop. Romanus SCIPIONI tantùm habuit, Serapioni dicto, propter similitudinem furarij cuiusdam negotiatoris. Erat is in tribunatu plebi admodum gratus, dignusq; Africanorum familia. Mortuus carebat ob paupertatem, funeris impensa. Asses ergo cõtulit populus, ac funus elocauit, quaq; præferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Plin. lib. 21. cap. 3.

L. SYLLA dictator, Catulo & Lepido consulibus, phthiriasi uita decessit, quum forte Puteolis esset, LX iam annos natus. Eius corpus aurea lectica ad urbem ingenti pompa est delatum, quod ne fieret, Lepidus consul homo Marianæ factionis summa ope restitit. Vicit tamen Catulus eius collega, & homines Syllanarum partium. Cn. Pompeius quamuis offensus Syllæ (solum enim amicorum tabulis præterierat) partim gratia, partim precibus, minis etiam nonnullos summouit, corpusque Romam est prosecutus, ac tribuit funeri pariter securitatem & honorem. Vt honorificentissimè sepeliretur, sacerdotes & Vestales uirgines corpus exulere. Laudatus primò est pro Rostris, mox in campum delatus, ad duo millia coronarum, præter alia ornamenta, iunt illi honoris gratia congesta. Tria millia lectorum in eius funere strata dicuntur, circumstante exercitu, totaque ciuitate circumfusa, eius corpus est rogo impositum. In campo Martio est sepultus, ubi reges duntaxat funerari consueuerunt. Sabellicus lib. 3. Enneadis 6. Plutarchus in eius uita scribit, ui tanta aromatum fuisse à fœminis cumulatum, ut præter illata decem & ducentis sarculis, simulacrum ipsius Syllæ grande fictum fuerit, fictum etiam lictoris ex precioso thure & cinnamomo. Cum esset à prima luce nubilum cœlum, quia expectabant imbrem, non nisi nona hora extulerunt cadauer. Tum uento increbescente, & delato in rogum, flammamque excitante luculentam, tanto priùs combustum corpus fuit: quatenus rogo iam tabescente, arque igne emoriente excussa est larga pluuia, quæ ad noctem usque tenuit. Ita perpetua felicitas eum etiam in funere peragendo est comitata.

Gordyenorum rex ZARBIENVS, Tigranis grauatus tyrannide, interprete Appio, clàm cum Lucullo societatem iierat: uerùm, quia detectus fuit, interfectus est, unaq; liberi & uxor eius necati antè sunt, quàm in Armeniam inuaderent Romani. At Lucullus uicto Tigrane, profectus in Gordyenos exequias Zarbieni celebrauit: pyraq; uestę, & auro regali, & Tigrani instructæ spoliis ipsemet subdidit facem, ac libamina cum amicis & necessariis illius infudit, amicum quoque suum & socium populi Romani appellauit. Adhæc monumentum iussit ei sumtuosum faciendum locari. Nam uis ingens pecuniæ, aurumque & argentum reperta in Zarbieni regiis sunt. Frumenti in horreis decies trecenta millia medimnũm condita erant. Ita & miles auctus est, & Lucullo fuit ingenti honori: quòd ne renuncio quidem ex ærario accepto, bellum ipsius belli sumtibus sustineret. Plutarchus in Lucullo.

Mortem L. LVCVLLI (qui Reipub. se multo antè abdicauerat) ut si in flore bellicarum & ciuilium actionum decessisset, tulit populus grauiter: concursuq; facto, corpus, quod in forum à nobilißimis iuuenibus delatum fuit, ui contendit in comitio, ubi funerauerat L. Corn. Syllã, humare. Qđ cùm præter omnium expectationem fieret, neque esset promtus apparatus: obtinuit frater eius precibus & obsecrationibus, ut cadauer funere parato efferri in Tusculano pateretur. Plut. in Lucullo.

M. CATO minor cùm sibiipsi Vticæ manus intulisset, quo spacio non crederes eum casum resciscere omnes domesticos potuisse, adfuerunt ad fores trecenti, ac mox populus Vticensis concurrit, una uoce benefactorem, seruatorem, solum liberum, solum inuictum appellantes: eaq; agebant, cùm nunciaretur adesse Cæsarem. Cæterum neque metus eos, neque assentatio uictoris, neque mutua dissensio, uel discordia ab honorando retardauit Catone: sed corpus eius magnificè exornatum, & splendidis elatum exequiis funerauerunt iuxta mare: ubi nunc quoque statua eius ensem tenens posita est. Plut. in Catone.

C. IVLIO Cæsari interfecto, rogus extructus est in Martio campo iuxta Iuliæ tumulum: & pro Rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris genitricis collocata: intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus: & ad caput trophæum cum ueste, in qua fuerat occisus. Præferentibus munera (quia suffecturus dies non uidebatur) præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque uellet itineribus urbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quædam, ad miserationem & inuidiam cædis eius accommodata, ex Pacuuij Armorum iudicio:

Mén' me seruasse, ut essent qui me perderent?

Et ex Electra Attilij ad similem sententiã. Laudationis loco

Cos. Antonius per præconem pronunciauit S. C. quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerat. item iusturandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant, quibus perpauca à se uerba addidit. Lectum pro Rostris in forum magistratus & honoribus functi detulerunt. Quem quum pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeij destinaret: repentè duo quidam gladiis succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt: confestimque circunstantium turba uirgulta arida, & cum subselliis, tribunalia, quicquid præterea ad manum aderat, congessit: deinde tibicines, & scenici artifices uestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam iniecêre flammæ: & ueteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, & liberorum bullas, atque prætextas. In summo publico luctu, exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est: præcipuèque Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt. Suetonius.

M. ANTONIVM Triumuirum cæsum multis regibus & ducibus ab Octauio perentibus funerare, non ademit corpus Cæsar Cleopatræ: sed illius magibus est humatus splendidè & regaliter, omniaque ei, quibus uti uoluit, permissa. Vbi uerò ipsa scipsam ictu aspidis exanimauit, Cæsar quamuis molestiam traxit ex illius decessu, animum tamen eius generosum est admiratus, & corpus condi apud Antonium splendidè & regaliter iussit. Sortitæ sunt & ancillæ eius duę funus honorabile. Plutarchus in Antonio.

Ser. Sulpitius posteaquam audiuit M. MARCELLVM à P. Magio Chilone pugione interfectum esse, in habitaculum eius perrexit, Marcellum non sine multo sanguine defunctum inuenit: eum in lectica, qua ipse delatus erat, in urbem à suis lecticariis ferri curauit: funus ei satis amplum, pro ea copia, quæ Athenis erat, fecit. Ab Athenien sibus locum sepulturæ intra urbem cùm habere nequiret, in nobilissimo orbis terrarum gymnasio eum sepeliuit, posteaquam curauit, ut iidem Athenienses in Academia eodem loci monumentum marmoreum facerent & locarent. Sulpitius ad Ciceronem, lib. 4. Famil. epistolarum.

Corpus AVGVSTI Cæsaris Nolæ mortui Decuriones municipiorum & coloniarum à Nola Bouillas usque deportarunt noctibus, propter anni tempus, cùm interdiu in basilica cuiusque oppidi, uel in æde sacrarum maxima reponeretur. A' Bouillis equester ordo suscepit, urbique intulit, atque in uestibulo domus collocauit. Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quę est in curia, canentibus næniam principum liberis utriusq; sexus. Alij exequiarum die ponendos anulos aureos, ferreosque sumendos: nonnulli legenda ossa per sacerdotes summorum collegiorum. Fuit & qui suaderet appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam: quòd hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius, ut omne tempus à primo die natalis usque ad exitum eius, Seculum Augustum appellaretur, & ita in fastos referretur. Verùm adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est, pro æde diui Iulij à Tiberio: & pro Rostris sub ueteribus, à Druso Tiberij filio: ac Senatorum humeris delatus in campum, crematusq;. Nec defuit uir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cœlum uidisse iurasset. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati. & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam uiam, ripamque Tiberis, sexto suo consulatu extruxerat: circumiectasq; syluas & ambulationes in usum populi tunc iam publicarat. Suetonius.

Cùm OTHO Imper. uictus à Vitellio pugione seipsum confodisset: Milites cum clamore ad ianuam accurrerunt, lamentatique sunt mœrentes & detestantes semetipsi, quòd non custodiuissent Imperatorem: omnesque postposito uitæ periculo excultum corpus rogo parato extulerunt armati: exultaueruntque qui occupauerant subire & gestare lectum. Cæteri partim uulnus exanimi in genua procumbentes exosculati sunt, partim manus attigerunt, alij procul adorauerunt, alij subditis rogo facibus se ipsi confodere: cùm nullum, quod quidem constaret, à defuncto haberent benefactum, neq; quicquam grauius expectarent à uictore. Plut. in Othone.

Maximus legatus Britanniæ, Scotorum regis EVGENII à se uicti exsiliq; funus, magno sumtu, Romanorum principum more extulit: eundemque pro concione, singularem ob uirtutem ac caritatem in patriam, laudauit. H. Boethius libro sexto.

CONSTANTINI Magni (qui primus Christianus Imp. fuit, uirtute ac pietate maximus) Nicomediæ mortui cadauer aureo loculo inclusérunt, ac purpurea ueste contectum Constantinopolim milites deportarunt, atque in Palatio, loco, ut ab omnibus conspiceretur, excelso deposuerunt, ac luminibus circum accensis uigiles, qui diurnam nocturnamque custodiam agerent, addiderunt. Ibi cùm esset, pristina regiæ species est seruata. nam & Comites, & ceteri principes, quibus Imperatorem uenerari consuetudo fuerat, subinde ingredientes, ipsum eodem, quo uiuentem, officio salutarunt. Quin etiam eadem reuerentia à senatu & magistratibus est adhibita, reliquisque priuatis: quorum incredibilis turba repentè siue honesto pietatis officio, siue curioso rari in terris spectaculi studio, conuoluit. Elatus est funere magnificentissimo, ac planè regio. Præiere, duce Constantio filio, pedibus ordines: inde longo agmine armati milites succedere. Vt uerò ad ædem Apostolorum est uentum, cadauer ibi relicto abiere: reliqua officia sacerdotes cum astante postulo diuinis precibus adhibendis solenni cæremonia persoluere. Constantius iustis solenni Christianorum ritu peractis non contentus, ipsum etiam numero Diuorum ascripsit. Sigonius libro quinto Imp. occid.

Mortuo ATTILA Hunorum rege, milites gentis ritu crinium parte recisa, ora uulneribus lacerarunt, amissum regem ingenti gemitu ejulatuque deflentes: atque inde funus apparatu regio instruxerunt. Quippe in mediis campis, & intra tentorium sericum cadauer posuerunt: lectissimi autem equites circumcursantes facta eius magnifica cantu lugubri cecinerunt, in hanc sententiam: Attila rex Hunnorum, Mundzucci filius, fortissimarum gentium dominus, qui solus primusque Scythica & Germanica regna obtinuit, atque utrumque Imperium captis urbibus terruit, & ne prædæ reliqua subiicerentur, placatus precibus annuum uectigal accepit: cumque hæc omnia singulari felicitate gesserit, non uulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus sine sensu doloris occubuit. Quibus carminibus absolutis strauam, quam uocabant, super tumulum eius magna comessatione concelebrarunt, ac luctum gaudio temperarunt. Inde silentio noctis cadauer sepulturæ mandarum, idque auro, argento, ferroque munitum est: scilicet, ut ferro gentes edomitas, auro argentoque utrumque spoliatum Imperium indicarent: addidere inde arma hostibus ademta, cæteraque preciosa fortibus uiris erepta insignia. Sigonius libro decimotertio Imperij occid.

ATHANARICO Visigothorum rege Constantinopoli mortuo, Theodosius Imperator feretrum eius præcessit, regia que sepultura decorauit. Quæ res Gothorum animos mirificè Imperatori conciliauit, ut in fœdere & fide (etiam sine rege) sub Imperatore diu feliciterq; perdurarint. Cranzius libro 2. Succię, cap. 28.

Iordanes Gothus historicus BELÆ Hunnorum regis funus ita prodidit: In mediis castris, intra circumstantia tentoria cadauer fuisse positum: electissimos Hunnorum equites unà cum pyrrhichia saltatione, modulato cantu, eius laudes circùm concinuisse, Circensium more circumcurrisse: mox collata strena corpus honestasse: comessationem cum gaudio simul ac luctu celebrasse. Subinde clàm noctu, ad præstitutum locum corpus humi condidisse: dicasse hostium exuuias, multoque deinde humano sanguine parentasse. Bonfinius lib. 7. Dec. 1.

Victo cæsoque HARALDO Danorum rege, Ringo Suetonum rex aunculi licet hostis manibus parentandum tatus, equum, cui insidebat, regio iunctum currui, aureaque tella instratum, ei dedicauit, adiecta prece, uti Haraldus eo uectore usus, fati consortes ad Tartara antecederet, atque apud Plutonem sociis hostibusque placidas expeteret sedes. Deinde rogum extruxit, Danis inauratam regis sui puppim in flammæ fomentum coniicere iussis. Cumque superiectum ignis cadauer absumeret, mœrentes proceres hortari cœpit, uti arma, aurum, & quodcunque opimum esset, liberaliter in rogum tanti regis immitterent. Cineres Lethram perferri, ibiq; cum equo & armis, regio more, funerari præcepit. Tali parentationis cura iustis auunculo persolutis, Danorum sibi fauorem conciliauit, odiumq; hostium ad gratiam deflexit. Saxo lib. 8.

Funebrem pompam CAROLI I. Vngariæ regis, pete ex Bonfinij lib. 9. Dec. 2.

VENETORVM principis funerandi hæc est ratio. Post eius obitum cadauer exenteratum, balsamoque delibutum, sub aureo amiculo, ense aureisque calcaribus inuersis, publicè in foro triduo asseruatur. Mox uerò omnia ciuitatis collegia (quæ tot fermè numero sunt, quot & opificum genera) sub signis religiosa quadam ac solenni pompa ordine præcedunt. Succedit inde numerosus clerus. Funus ipsum pullatorum uis ingens mœsto silentio sequitur, iuxtaque patriciorum non parua manus, purpura & cocco cultu: quo datur intelligi, in quantumuis optimi principis funere ciuitatem, quæ libera est, in luctu esse non oportere. Hi ęgiore cultu ornati, ubi funus templo est illatum, suggestũ, quo cadauer imponitur, uenerabili consessu cingunt, dum interim defuncti memoria pro concione populi more maiorum laudatur. Hinc patriciis reuersis, prima ad nouum principem creandum comitia indicuntur. Sabellicus lib. 3. Decadis quartæ.

FRANCISCO Foscaro principi ob multam ætatem publicis muneribus iam minus utili (erat enim nonagenarius) dignitas abrogata est, quum annos quatuor & triginta Reipub. præfuisset. Paschalis Maripetrus illi adhuc uiuo subrogatus. Vigebat adhuc in effœto corpore generosa quædam uis animi, & honorum ambitio: quo contigit, ut in ordinẽ redactus, audita noui principis creatione, paucissimis diebus morte consumtus sit. Summi magistratus insignia, quæ illi uiuo fuerant ademta, mortuo publico decreto restituũtur. Actum demum princeps principem extulit apud Venetos, quod, post sublatum collegæ in principatu coaptandi morem, nunquam quod sciam accidit. Sabellicus libro sexto, Enneadis decimæ.

MAGNVS dux Magnopolẽsis in Dobran Vvismarię tumulatus est. Officium in D. Georgij templo peractum. Die domnico ad uesperum, solenne uigiliarum habitum. Ante lucẽ missa solennis de sancta Trinitate decantata. Interim ad omnia ecclesiæ altaria, fratres minores, eius loci, de Rostochio & Zuerino euocati, ministerium sacrum, alter post alterum peregerunt. Ad altare summum oblationes factę ordine. Funebri inde oratione Latinè habita, pro defunctis solenne instruitur officium, sacra faciente pontifice Lubecense. Ad cuius medium de more fit oblatio, consueto ordine. Per totam ecclesiam, ad singula altaria, fratres Prædicatores missæ officium peregere. Defertur oblatio. Et iam illo persoluto ministerio, tertium inde officiũ de Domina, pontifex Raceburgensis, loci ordinarius, peregit: quum ad altaria per ecclesiam singula, seculares sacerdotes persoluerent missæ officium. Sed hic iam illustrior sit oblatio equorum, insignibus & armis ornatorum. Stabat in medio choro cenotaphium erectum in sublime, serico auroq; textis pannis ornatum, insignibus principatuum defuncti per omnes angulos incinctum, cereis ardentibus grossis CL. uariatũ. Stabant atrati uiri XII. qui ardentes faces sustinerent, prominentibus per capita cucullis, tristi specie. Circumiere caballi ad altare summum: ex cuius latere in directum patuit egressus, ne longa circuitione opus esset. Duo uiri militares ductabant unum medium, atrati atratum, arma Magnopolis in fronte, in thoris, in clunib. Quatuor uiri gestabant totidem signis militaribus arma & insignia Magnopolis. Totidem candelas quatuor cereas, armis memoratis insignes. Alter equus simili apparatu, arma Vandaliæ præferebat. Tertius uirorum, armorum, cereorum, eodem numero, insignia comitatus Zuerinẽsis. Quartus habebat in fronte arma dominatus Rostochiensis, cũ signis & cereis. Quintus ferebat insignia dominatus Stargardensis. Sextus, quo ipse dux utebatur ad splendorem, prodiit armatus rutilante ferro, cum armis principis. Sequuntur duo milites atrati, sublimem clypeum gestantes, insculptum & incisum armis omnibus coniunctis. Inde uerò marscallus baculo, & cancellarius sigillo prætenso, procedunt. Iungitur domestica principis familia. Mox principes, deinde oratores principum: post illos ecclesiarum prælati & canonici: deinde militares longo ordine incedũt. Postremò feminæ principes. Expleto iam missarũ officio, signa militaria omnia in chorum conferuntur cum cereis: equi reducuntur in stabula. Procedũt pontifices cum abbatibus ad preces. Quibus expletis canitur antiphona, Media uita. Vbi concinitur, Sancte Deus, proiicitur in terram pars tertia signorum militarium, cũ gemitu aspectantiũ: ubi Sãcte fortis, pars alia deiicitur: ubi Sancte & misericors saluator, pars reliqua, cũ insculptis armis in clypeo deiicitur. Et tũ uno impetu oẽs cerei, adhuc ardentes, cum gemitu extinguuntur. Cranzius lib. 14. Vandal. cap. 34.

Pompa, Comitatus, Deductio funeris honorifica.

ABNER Isbosethi polemarchus, ab Ioabo perfidè occisus, iuxta Hebron, honorifica pompa elatus est à Dauide rege. Secutus enim est cum uniuerso populo pheretrũ, & ad sepulcrum ingentem ploratum edidit, neq; eo die cibum capere uoluit. 2. Reg. 3.

GRÆCI, ne fraudarentur solenni honore mortui, octauo ante sepulturam die per præconem funus indicebant, ut omnes ad honestandas exequias conflluerent. Feminæ uiriq; in candida ueste, cum coronis, amplissimorum uirorũ exequias prosequebantur. Alex. lib. 3. cap. 7.

ROMÆ nobiles ac fortunati homines efferebantur cum tubarum sono: quod obscurè significauit Propertius, cùm in elegia inquit. Tibia, funesta tristior illa tuba. Et post eodem libro: Nec mea tunc longa spacietur imagine pompa, Nec tuba sit fati uana querela mei. Plutarchus de Animantium prudentia, moris huius mentionem quo que fecit. Hyginus in fabularum libro, capite CCLXXIIII. Apud Romanos, cùm aliquis decesset, tibicines cantant: & amici conuocantur, testandi gratia eum neque ueneno, neque ferro interiisse. Victorius lib. 9. Var. lect. c. 14.

CONSTANTII Cæsaris in Britannia extincti cinis, in aureũ uasculum cum odoribus congestus, ut sacris principũ monumentis componeretur, lugubri pompa per Britanniam, Galliam & Italiam, Romam est delatus. Hector Boethius libro sexto.

DEMONAX Hadriani tempore philosophus cum primis insignis, iam centenarius moriens, publicè, magna ciuiũ frequentia, terræ mandatus est. Lucianus, & Volaterranus libro 15. Anthrop.

Antoninus & Geta fratres SEVERI patris Imp. in Britannia mortui cinerem aureo loculo inclusum, & cum odoribus in uasculum alabastri coniectum, Romam retulere, ut in sacris principum monumentis componeretur. H. Boeth. lib. 5. ex Herodiano & Spartiano.

PAVLA Romana, Bethlehemę mortua, nõ ululatus, nõ planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diuersis examina concrepabant. Translataque episcoporum manibus, & ceruicem feretro subiicientibus, cùm alij pontifices lampadas cereosque præferrent alij chorus psallentium ducerent, in media ecclesia speluncæ Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palæstinarum urbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam uirginum cubicularum secreta texerunt? Sacrilegium putabat, qui non tali feminæ ultimũ red didisset officium. Viduæ & pauperes, in exemplum Dorcadis, uestes ab ea prębitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem & nutritiam se perdidisse clamabat. Quódque mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem, sed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, ut eam putares non mortuam, sed dormientem. Hebręo, Græco, Latino, Syroq; sermone Psalmi in ordine personabant: non solùm tri duo, donec subter ecclesiam & iuxta specum Domini condercetur: sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui uenerant, suum funus, & proprium credentibus. Hieronymus in Epitaphio eius.

THEODOSII Magni Imp. Mediolani mortui cadauer Constantinopolim deferendum & inter Augustos sepeliendum curauit Honorius F. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

D. GERMANVS Antisiodorẽsis episcopus ad Valentinianũ III. Rauennam missus, ut Armoricanis pacem impetraret. Lapsus in morbum, à Placidia Valẽtiniani matre se uisitante popposcit, ut corpus suum, postquam anima excessisset, in patriam deferẽdum curaret: ac septimo pòst die expirauit. Eo mortuo supellex' eius ita diuisa est. Placidia capsulam cum sanctis reliquiis sibi adsciuit: Petrus urbis archiepiscopus cucullum cum interiore cilicio: sex antistites, qui aderant, unus pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo sagulum assumserunt. Acholius præterea eunuchus, præpositus sacri cubiculi, maligni spiritus uexatione ab eo liberatus, aromatibus corpus condiuit, Placidia uestiuit, Valentinianus comites, qui prosequerentur, attribuit. Ita multis effulgens miraculis perlatum in Galliam Calend. Octobris Antisiodorum, magna effusi populi celebritate susceptum est. anno CCCCXLVIII. Sigonius libro decimotertio Imperij occidentalis.

Inter raros honores is annumerãdus est, qui CLARÆ in monasterio prope urbem Assisium mortuæ habitus est. Nam cùm in ea urbe Innocentius IV. Pontifex esset, statim cum toto urbis illius populo, totaq; aula, ubi mortuæ corpus erat, prosectus, canentibus tubicinibus, intra urbem, non ut mortuam, sed in triumphantis speciem, eam detulit, atque ipse omne funeris officium executus est. Inopi certè, quæ ciuilem statum egressa non erat, tantus princeps, & cum eo populus totus, hunc honorem præstitit, quem fortasse alicui regi negasset. Fulgosius libro octauo, capite decimosexto.

ALBERTVS Magnus Coloniæ obiit anno Christi millesimo ducentesimo octogesimoquinto, teste inscriptione marmoris, illi in fratrum suorum conuentus choro superpositi. Eum ob uitæ sanctimoniam & doctrinæ eminentiam luxit tota prouincia. Aderant eius funeri archiepiscopus Colonienſis Sifridus, aderant maioris & omnium collegiorũ canonici, aderant deforis ex nobilibus plurimi, tota ciuitatis multitudo pompam funeris ornabat. Cranzius libro 8. Metrop. cap. 51.

IVLIANVM Medicem Laurentij fratrem, à Fr. Patio in templo interfectum, pop. Florentinus magnificentissimo func-

re extulit, uniuersa ferè multitudine in pompa cum liberis & coniugibus studij causa sequente. Brutus lib.6. historiæ Florentinæ.

VALENTIÆ ciues in Hispania die festo S. Matthiæ summa humanitate supplicantes ad locum proficiscũtur, in quo cadauera iacent eorum, quibus crimina mortis causa fuere. Quę siue suspensa sint, siue iaceant, suscipiunt, & feretris imposita ad sacrum locum deuehunt, ibique sacrificiis & orationib. honorificè sepeliunt. Marineus lib.3. rerum Hispan.

Luctus.

☞ *De Luctu etiam primo Volumine egimus, quatenus uel Affectus est, uel ipsius Effectus atq; nota.*

Fabulantur Græci, MEMNONA & SARPEDONA Iouis filios, ad Troiam interiisse. Tanto autem à diis honore affectos, ut ferẽte legem patre, funeris diem luctu & ieiunio celebrarẽt. Quod Comici ueteris auctoritas illis comprobat uersiculis:

πολλάκις δ' ἡμῶν ἀγόντων τῶν θεῶν ἀπαστίαν,
λύιχ' αὖ πενθῶμεν ἢ τὸν μέμνον', ἢ τὸν σαρπηδόνα,
σπένδεθ' ὑμεῖς καὶ γελᾶτε.

Sæpe, inquit, nobis diis apastiam ducentibus, ubi lugemus Memnona uel Sarpedonem, prolibatis uos & ridetis. Cælius lib.22. cap.5. Antiq. Lect.

THORISMVNDVS Ostrogothorũ rex, primo iuuentæ suæ flore, secundo regni anno, Gepidas magno prælio uicit, sed ipse super hostium, quam fecerat, stragem occubuit. Quem sic luxerunt Ostrogothi, ut per annos XL. nõ alium regem paterentur. Cuius filius Hermundus, non magni faciẽs paternum regnum (quòd sub iugo uiuerent Hunorum) cum filio suo Beterico, ad Visigothos se contulit: & sub Theoderico Visigothorum rege, cum Aetio contra Attilam pugnante, occulta generis sui nobilitate, cũ magna gloria militauit. Cranzius lib. 2. Sueciæ, c.16.

IO. Coruinus, qui ab omni periculo Pannoniã Christianãq; rempublicam liberauit, per uniuersam Vngariam ab omni ætate ac utroq; sexu est diu publicè deploratus. Aliqui propugnatorem fortissimum, milites inuictissimum Imperatorem, omnes patriæ patrẽ certatim lugendo ingeminabant: quòd sibi beneficiis Vngaros immortalibus obstrinxisset. Bonfinius lib.8. Dec.4.

Certamina.

MENANDRO cuidam, qui iustè apud Bactros regnauerat, pòst in castris defuncto, de cętero iusta ciuitates promiscuè fecerunt: uerùm de reliquiis cũ conflictarẽtur inter se, ægrè conuenit inter eos, ut partibus æquis cinerum acceptis digrederentur, excitarenturq; apud omnes eius monimenta. Plut. in Præceptis politicis.

Obtectio.

Meretrix Mediolanensis ignobilis, cùm ad D. Gothardum, IOANNIS Mariæ tyranni corpus à ciuibus fœdè laceratum iaceret, sola ex omnibus humanitatis non oblita, eum recentium rosarum aceruo operuit. Iouius in eius uita.

Coronæ sepulcrales.

SEPVLCRALIS uel funeralis corona ex apio fiebat, quibus maiorum sepulcra, & cadauera mortuorum ornabantur. Alex. lib. 4. cap.18.

Depositio.

OCHOZIAS Iorami F. Iudæorum rex, Samariæ interfectus à Iehu cum Ioramo Achabi F. Israelitarum rege, solus sepultura cohonestatus est, propter Iosaphatum auum sanctissimum, cùm reliqui omnes insepulti abijcerẽtur. 2. Paralipomenon 22.

Iosephus ab Arimathæa Iudæus nobilis, & Senator, & discipulus occultus IESV Christi propter metum Iudæorũ, crucifixo Iesu audacter à Pilato corpus Domini petiit ad sepeliendum, & illud in suo monumento nouo exciso in petra deposuit, sindoni inuolutũ. Venit & Nicodemus cum centum libris aloes & myrrhę ad condiendum corpus Iesu. Sic occulti discipuli officium Christo præstiterunt, cessantibus & metu dilapsis ueris discipulis. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan. 19.

VIRI triumphalis, qui decesserat & combustus erat, licebat ossa Romę in urbem inferre, ac deponere honoris causa: ut Pyrrho Liparensis scripsit. Sed & aliis quoque, qui remp. in bello bene gessissent, & ducibus tribuerunt, ut non illi solùm, uerum etiam posteri eorum in foro humarentur, uelut Valerio & Fabricio: referũtq; horum nepotibus, ubi decesserunt, in forum delatis subiici ardentem facem, mox attolli: qui ita utuntur sine inuidia honore, probantq; solùm sibi licere. Plut. in quæst. cent. Rom.

Cn. Pompeius IVLIAM coniugem ex partu mortuam in Albano efferre statuerat, uerùm coegit eum populus, ut eam in campo Martio funeraret, magis miseratione iuuenculæ, quàm Pompeij aut Cæsaris gratia, atq; ex illis ipsis maiorẽ honoris partẽ uisus populus absenti tribuisse Cęsari, quàm Pompeio præsenti. Plut. in Pompeio.

Refossio honorifica.

Burdegalenses propter salinas & uectigalia rebelles PRÆFECTVM regium à se interfectum propriis unguibus refodere, & honorifico funere prosequi coacti fuere, sub Henrico II. Galliarum rege, anno 1547. Sleidanus lib.21.

Monumenta erecta, Statuæ, Obelisci, Imagines.

☞ *Vide Tit. Magnificentiæ in sepulcris. hic Memoriæ, illic Sumtus consideratur.*

Sepulcra magnifico illustria impendio, ex admiratione Mausolei monumẽti, à Romanis dici Mausolea, scribit Pausan. Cælius lib.17. cap.20. A. L.

AEGYPTIOS legimus, præsigni magnificentia construere sepulcra consueuisse: quanquam in domorum ædificatione incuriosi admodum forent. Siquidem sepulcra defunctorum domos sempiternas, quoniam apud inferos infinitum sit tempus, uocant. At domos ipsas, uelut diuersoria opinantur, argumento uitæ breuioris, ac momento transeuntis. Idem.

Moris VETERVM fuit, pluribus locis excellentium uirorum monumenta struere: quæ res dubiam admodum efficit historiam. Mortuum in Sicilia Anchisen cecinit Maro. Pausanias in Arcadia defunctum scribit, & eiusdem sepulcrũ ad montis radices uisitatum quandoq;, Anchisiam quod uocãt prope Orchomenon: nec fuisse in nauibus cum Aenea, uerùm aduenisse κατὰ περίφασίν τινα illuc, prope Laconiam filio appulso. Idem.

ANTIQVI sepulcris symbola quædam insculpere uel simulacra imponere solebant, quibus defuncti uirtus & professio significaretur. Sic Leonidæ tumulo leonem, Diogenis canem, Diodoti rhetoris coruum, Laidis leænam, Aristomenis Messenij & Platonis aquilam imposuerunt. Sic Archimedis cippo sphæra cum cylindro incisa fuit, teste Cicerone.

Mensarum sepulcralium in decem Rhetorum uitis Plutarchus meminit, Isocratis sepulcro insculptum arietem tradens cubitorum triginta, in quo esset Siren cubitorum septem, ratione symbolica: propè item fuisse mensam, quæ poetas haberet, ac eiusdem pręceptores, in quis & Gorgiam astronomicam inspectantem sphæram, & assistentem Isocratẽ. Columnarum in sepulcris morem scribunt quidam, nobilioribus modò fuisse contributum, quo eorum fastigium cæteris eminentius significaretur. Columnarũ ratio, inquit Plinius, erat attolli supra cæteros mortales. Quod & arcus significant, nouitio inuento. Hoc uerò sepulcralium columnarum genus, à stando, στήλας uocant Græci, minores uerò etiam stelidas. Nostri stantes appellant pilas. Verùm & alicubi Plinius excitatas scribit stelas literis incognitis. Cęlius lib.17. cap.20.

Apud ROM. domi in loco celebri, defuncti imagines in memoriam posteritatis, plerunque cereas, aut marmoreas, uel æneas: columnas quoq; cum trophæis & titulis, ac magnificentissimis decretis, publico concilio erigere, & res gestas monumentis insculpere, leuãdi desiderij causa, antiquo more seruatum est. Alex. lib.3. c.7.

Metellus Nepos curiosiùs PHILAGRI sepulcrum exstruens, lapideum apposuerat coruũ. Id quum foret intuitus Cicero, in eius leuitatem iocatus: Hoc, inquit, sapientius à te factum, πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον, ἢ λέγειν ἐδίδαξε, uolare magis te docuit, quàm dicere.

In Elide ad Harpinnam urbem ab Oenomao conditam præcelsus terræ agger est, & in eo omnium PROCORVM Hippodamię tumulus. Neque uerò illos Oenomaus insigni honestabat sepultura, sed satis habebat, si eorum cadauera humi defodienda proximis tumulis curasset. At Pelops commune omnibus monimentum operis magnificentia spectandum erexit: cùm ut ipsis eum procis honorem haberet, tum ut Hippodamiæ ipsius nomen illustrius celebraretur. Mea uerò sententia, non alia magis de causa, quàm ut argumento esset opus illud, quot, & qualium uirorum cæde exultantem Oenomaum ipse perculisset. Pausanias libro sexto.

AVRELIO Ambrosio duci fortissimo, cuius contra Anglos Saxones præclara extant facinora, in prælio tandem cæso, Britanni duci suo de Republica bene merito magnificum posuere sepulcrum, factum ad formam coronæ, ex magnis quadratis lapidibus, eo loci, ubi pugnando ceciderat. Extat etiam nunc in diœcesi Sarisberiensi prope pagum Amisberiam. Polyd. lib.3. Anglicæ historiæ.

GOTHI in solitudinibus cippos sepulcris uaria forma imponunt. Olaus Magnus lib.1. cap.30.

IBERI defunctis tot obeliscos apponebant, quot hostes propria manu interfecissent, ut suæ quisq; uirtutis præmia diis infernalibus ostenderet. Alexander libro sexto, capite decimoquarto.

Reutha

Reutha Scotorum rex, EORVM qui aduersus Britones occubuerant memoriam primus conseruari instituit, obeliscos sepulcris tot adhibens, quot hostes confecissent. Horum quamplurimi montanis in locis nostro conspiciuntur seculo. Obtinuit post illa usus, ut clarissimorum & eorum qui optimi fuissent, sepulcra, ueluti sacra quædam omnibus uenerationi haberentur, adiectis lapidum aceruis: eorumque qui immensa erant mole quibusdam erectis, quibus aquatilium, serpentum uolariliumq; effigies insculptæ (his enim pro characteribus in arcanis scribendis ea utebatur ætas) ut qui fuerint, quid uiuentes egerint egregiè, uiatores admonerentur. H. Boethius lib.2.

CONSALVVS Ferdinãdus Granatæ postridie Cal. Decemb. anno à partu Virginis supra millesimum & quingentesimũ decimumquintum, quum uixisset annos LXII. mẽses tres, & dies undecim, mortuus: tumulatus est circũpositis ad sepulcrum supra centum uexillis in æde diui Francisci, Tindillius Granatæ præfectus, & reliqui Cordubeæ gentis proceres. Iouius in Consaluo.

Encomia, Laudationes funebres.

☞ *Scribit Ammonius, proditum à nonnullis, Epicedium uocari, quod defuncti laudem continet, mediocri adhibita commiseratione: sed Threnum cani in calamitate ipsa ab ancillis ante conditum cadauer, ac etiam pòst, quin anno item uertente.*

Libyci EOS qui ab elephantis, uel in uenationibus, uel in prę liis interfecti essent, honorificè sepeliebant: hymnosque in eorum laudem læta uoce cantabant, quòd tam honestè ac gloriosè uitam cum morte commutassent. Aelianus lib.12. de Varia historia.

Apud INDOS multis seculis uiguit mos, ut cùm moritur QVISPIAM, pro foribus domus, magistratus, cui hoc munus impendebat, anteactam uitam moresq; describat, ut uitia eius laudesq; innotescant omnibus. Alex. ab Alex. libro 3. capit. 7.

Fuit in usu apud Aegyptios, REGE defuncto, antequam iusta dẽtur, per sacerdotem qui proximam tenebat dignitatem, omnem uitæ seriem, & ipsius dicta factaq;, & an fuerit fortissimè præliatus, an uerò segnis & deses, ex alto suggestu in maximo omnium conuentu perlegi & recenseri. Et si uitia præualebant, honore funeris priuari, atq; insepultum cadauer abiici: Sin uerò uirtutes præcellerẽt, omni honore cumulari, unguentis deliniri, & laudibus celebrari. Reliquos uerò cuiusq; fortis homines, ita laudari, ut sine ulla opũ fortunarúmue mentione, solam religionem, iustitiam, pietatemq; commendarent. Diodorus Siculus lib.1. & Herodotus lib.2.

Galatæ funebrem orationem in MAGNATVM exequiis habuerunt, in quibus grandes natu, aut proximi necessarij de laudib. defuncti disserebant, ac illorum dicta factaq; egregia, totiusq; uitæ cursum recensebãt. Alex. ab Alex. l.3. c.7.

Græci DEFVNCTORVM laudes solenni oratione & longo petito prooemio prosequuti sunt. Iidem in luctu mortuorũ nenias sæpe decantabant apio coronati, & defuncti laudes recensebant carmine, quod Ialemon uocant, resq; memoratu dignas claro præconio celebrabant. Ibid.

Antiquis mos erat, præsertim ATTICIS, in cœnis funeralib. quas Græci περίδειπνα uocant, encomiis, epicediis & epitaphiis laudare uita defunctum, etiam si parum meruisset in uitã. Hinc prouerbium, οὐκ ἐπαινεθείης, οὐδ' ἐν περιδείπνῳ, id est, Non queas laudari, ne in parentalibus quidem. in hominẽ uehementer illaudatum. Namq; uiuos nonnunquam merita laude fraudamus, mortuis etiam immeritam tribuimus. Erasmus.

Cùm Atheniensis quidam apud Aristonem recitaret funebrẽ orationem, conscriptam in laudem EORVM qui fuerant à Lacedæmoniis in bello cæsi: Quales igitur, inquit, nostros esse putas, qui istos uicerunt? Plut. in Lacon.

Post uictoriam ad Platæas partam, ab Atheniensi populo sepulcra EORVM, qui bello Persico ceciderant, ornata sunt: ac tum primùm funebres ludi & certamen institutum ad sepulturam, fieriq; cœptum. Lexq; etiã lata, uti rhetores præcipui laudes eorum edocendas, & gesta commemoranda susciperẽt, qui publica sepultura donati essent. Diod. lib.11.

Pericles subacta Samo domum reuersus, exequias fecit splendidè EORVM qui in bello occubuerant, orationemq; funebrem de more habuit luculentã. De suggestu descendentem cæteræ fœminæ complexæ sunt, coronisq; & uittis, ut athletam, uictorem ornarunt. Elpenice uerò propius accedẽs: Præclara uerò res, inquit, Pericle, & digna coronis: qui dum bellum facis non Phœnicib. aut Medis, sicut meus fecit frater Cimon, sed sociam & cognatam urbem excindis, multos nobis & fortes ciues amisisti. Sic fata Elpenice subrisit Pericles, & submissè hoc ei respondit Archilochi, Quãdo anus es, ungi minus tibi conuenit. Plut. in Peric.

ROMANI habebant tibicines, qui post ultimam conclamationem præcedẽtes funus, næniam funebrẽ, qua laudes defuncti & facta recensebant, pudorem, integritatẽ & fidẽ caneret. Is enim modus erat ad mœrorẽ accõmodatior. Quod ideo institutũ ferũt, quasi in illas æternas amœnitates ac in sedes & concilia piorũ post funera recepti uideãtur. Iidem præficas, quę luctui præessent, aduocare, uel precio cõducere in exequiis solebãt, quæ cantu & funebri carmine lamentarentur: uitamq; & præclara gesta, summasq; uirtutes, nõ sine miseratione laudarẽt, teste Festo Pompeio. Nõnunquã mimos, qui personas effingerent, ac facta dictaq; repræsentarent, adhibuerunt. Alex. lib.3. c.7.

Funebrem orationem de Iunij Bruti collegæ sui laudibus prĩmus P. VAL. Poplicola habuit: quæ adeò grata iucundaq; Romanis fuit, ut ex eo consuetudo manserit, ut qui strenuè pugnãdo interiisset, ab optimatib. laudaretur. Dicitur etiã funebrib. Græcorũ orationib. illa uetustior fuisse: nisi Solõ (qui, teste Gellio lib.17. Tarquinio Prisco Romæ regnãte, leges Atheniensib. dedit) huius rei auctor, ut Anaximenes orator dicit, antea fuerit, ut Plutar. in uita Valerij tradit.

Q. FABIVS Maximus præ cæteris unus, in funere filij intestino dolore affectus, oratione non infracta ad populũ ipsius laudes magno spiritu disseruit.

APPII Claudij decemuiri defuncti laudationem plebs Rom. æquis & benignis auribus audiuit. Alex. lib.3. cap.7.

P. SCIPIONEM in funere supremo, ut hominem diuinũ, Q. Fabius Maximus commendauit. Idem.

Apud ROMANOS, quamuis à principio uirorum tantùm gesta in funere laudarentur, attamẽ cùm Camilli tẽpore collatum à mulierib. aurum esset, quo se pop. Rom. à Gallis redĩmeret, cautũ fuit: ut in earũ quoq; funerib. solẽnis laudatio esset. Itaq; POPILIA prima à Crasso filio laudata fertur. Plutarchus in Camillo, & de Virt. mul.

C. Iul. Cæsar C. Marij uxorem IVLIAM amitam suam defunctam eximiè laudauit in foro, atq; in funere ausus est preferre Marij imagines, quæ tum primũ post Syllæ dominatum sunt conspectæ, cùm esset hostis ille iudicatus. Cùm quidã idcirco obstreperent Cæsari, populus clamorem ex aduerso reddidit, & magno plausu eũ excepit, probauitq; quòd quasi ab inferis tãto interuallo honores Marij reduceret in urbem.

In honorem magnatum & clararũ natu fœminarũ orationes funebres habere, moris erat Romanis: in adolescentiorum uerò funerib. cũ moris nõ esset, princeps Cæsar VXOREM suã defunctã laudauit. qua re fauorẽ meruit, beneuolẽtiãq; sibi plebis cõciliauit hac pietate, ut quasi placidũ uirum & mollis ingenij exoscularentur eũ. Plut. in Cæsare, & Suet.

Inscriptiones sepulcri.

Conditorio apud Spartanos, lege Lycurgi, inscribere non licebat nomen mortui, præterquam VIRI, qui in bello, & MVLIERIS, quæ sanctè fato concesserat. Plutar. in Lycurgo.

Inferiæ. Parentalia.

Fiebant annua parentalia, id est, sacrificium quotannis ad honorem mortuorum. Macrobius & Cato tradũt, LAVRENTIAM annuæ parentationis honore dignatam. Erãt enim parentalia iusta & conuiuia, quæ in funere & ad sepulcrum parentum cognatorumq; concelebrabantur à filiis ac consanguineis, quorum auctor Aeneas fuisse fertur, qui eo pacto ANCHISEN parentem primus omnium honorauit, supplicationibus coluit, atque eius memoriam nominis consecrauit, ut Vergil. lib. Aeneidos 5. describit. Polydorus lib.6. cap.9. de Inuent.

Cùm Periander Corinthi tyrannus, Cypseli F. ad Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem, misisset nuncios, sciscitatũ mortuorum oraculum de hospitis deposito: MELISSA uxor Periandri iam defuncta apparens, negauit se indicaturam, ubi depositum esset collocatum: algere se, nec sibi prodesse uestes, cum quibus sepulta fuisset, utpote non concrematas. Eius rei testimonium fore, quòd Periander in frigidum furnum panes ingessisset. Hæc Periandro renunciata, ob illud fidem fecere, quòd ipse cum Melissa quamuis defuncta coierat. Ergo festo per præconem indicto, Corinthias mulieres ad Iunonis templum quàm ornatissimè progressas omnes exuit, atque eas uestes ad tumbam Melissæ comportatas, cremauit. Hæc ubi fecit, Melissæ idolum exposuit, ubinam depositum hospitis collocasset. Herod. l.5.

Alexander Magnus in Asiam transmittens, Ilij Mineruæ sacrificauit, heroibusq; libauit. ACHILLIS cippũ unxit, ac circum eum unà cum amicis de more cucurrit nudus, eiq; coronam imposuit, beatum prædicãs Achillem, quòd &, dum uiueret, fidum amicum, & post fata esset nactus magnũ pręconem. In obeundo & uisendo oppido, cùm quæreret quispiam ex eo, uellétne Alexandri Troiani, hoc est, Paridis lyram contemplari? Non morari, ait, se illã, sed Achillis quærere eam: qua decora & res gestas ille clarorum uirorum celebrauerat. Plut. in Alex.

Sicyo.

Sicyonij sacra faciunt ARATO Sicyonio semel quotannis, quo die ciuitatem à tyrannide uindicauit, quinto mensis Desij, quem Athenienses Anthesteriona nominant. Hoc festum appellant Soteria. Iterum, quo mense memorant natum. Priora Iouis Seruatoris sacerdos facere fuit solitus, secunda Arati: qui fasciam non ex toto candidam, sed intertextam purpura gerebat. Carmina ad citharam canebãtur à symphoniacis. Pompam ducebat gymnasiarches puerorum & adolescẽtium: inde senatus coronatus sequebatur, & reliqui ciues, quibus libebat. Plutarch. in Arato.

ODETTVM Foissecium Lotrechium in Neapolitana obsidione pestilentia absumtũ, & primùm in arenæ tumulo tumulatum, pòst ab auaro Hispano refossum, & in cella uinaria Neapoli spe lytri reconditum, Romani adeò luxere, ut Populus Senatusq; Romanus in Capitolio non obscura summi doloris significatione è cũctis tribubus atra in ueste cogeretur, & ei, quem urbis liberatorem appellabat (quòd Cæsarianos, capta urbe supremæ labis excidium cõmuni gentium omnium patriæ immaniter afferentes, detraxisset, & Clementem VII. ex manib. Aurantij liberasset) iusti honoris causa parentalia decerneret, quæ eo ipso die, quo nunciata mors eius est, instauratis regio cultu splendidissimi funeris exequiis, Laterano in templo quotannis celebrarentur. Id decretum religiosæ pietatis usqueadeò ad diuturnam memoriam Lotrechio gloriosum uideri potuit, ut nõ dubium uictoribus, qui mortuo sepulturã inuidissent, præduræ, & propè infamis inclementiæ pudorem exprimeret. Iouius lib. 26. Histor.

Ludi funebres.

☞ *Consule Tit. Ludorum & Spectaculorum. Isthmia certè & Nemæa certamina apud Græcos funebria fuere.*

Achilles ad Troiã PATROCLI funus magnificis ludis prosequutus fuit. Similiter Aeneas patris ANCHISÆ in Sicilia ad Drepanum. Sab. lib. 10. c. 15.

Gymnica certamina, in honorẽ ANDROGEI filij, Minos statuisse fertur, in quibus præmium uictori pueros proposuit. Alex. lib. 5. cap. 8.

GRÆCI gymnica certamina & equestria in defuncti memoriam populo dabant: nonnunquam nauium cursus & naumachiam exhibebant. Alex. lib. 3. c. 7.

MILTIADI certamen equestre & gymnicum Chersonitæ fecerunt, in quo nulli Lampsaceno pugnare permittebatur. Alex. lib. 5. cap. 8.

Funebres ludos apparatu magnifico, continuis IX diebus, in hisq; gladiatorum paria, qui uenalem sanguinẽ habebant, ROMANI exhibuere: ad quos intromitti matronas, nefas habitum. Idq; adeò usu & moribus interdictum fuit, ut P. Sempronium uxori, quòd ludis funebribus interfuisset, repudium dederit. Alex. lib. 3. cap. 7.

GLORIA, HONOR, EXISTIMATIO, CLARITAS, REVERENTIA, CONSIDERATA RESPECTV MERITI EIVS, QVI honoratur. PROPTER QVID Gloriosi & honorati fuerint. OB BONA

ANIMI. PVTA OB

Virtutem in genere.

DION Syracusanus exul ob uirtutem & eruditionem studiũ in se omnium, amoremq;, publicos quoq; honores & decreta est apud ciuitates consecutus. Lacedæmonij offensa contemta Dionysij tyranni, quamuis mitteret eis id temporis promtè contra Thebanos auxilia, ciuitate quoq; cũ donauere. Plutar. in Dione.

Eruditionem.

De CHRISTOPHORO Longolio multa præclara iudicia principes uiri fecere. A rege Hispaniæ Philippo duodeuiginti annos natus, sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus hodie unis omnia propè regnorum arcana committuntur, præfectus. A principibus Pannoniæ magno proposito præmio accersitus, ut regem puerum optimis artib. instituẽdum susciperet. A Ludouico XII. Francorum rege non unius aut alterius suæ ditionis urbium, sed uniuersi regni uiribus uno edicto est donatus. Consilij centumuiralis Parisiensis iurati summo eum consensu in collegium suum cooptarunt, habiturum in perpetuum ius uitæ & necis, ac summam fortunarum omnium potestatem, non in plebem modò, sed in omnes regni proceres. Vicesimo octauo ætatis anno à Leone X. Pp. & Rom. pop. ciuitas ei Romana ultrò est oblata, uirtutisq; & literarum ergó ciuis factus. Quæ res quanquam initiò multarum illi turbarũ causa fuit, multis clàm inuidentibus, nonnullis uerò nobilissimis uiris cũ oppugnantibus, & uirtuti eius obtrectantibus, ita ut etiam perduellionis crimine accusaretur, tamen optimè cessit, nomenq; eius & gloriam magnopere auxit. Postquam enim amicorum cura defensiones eius in lucem prodiere, ita ab omnibus sunt probatæ, ut multi dicerent, non Longolium ciuitatis donatione ornatum, sed ipsum ciuitatem illis orationibus ornasse, in quibus ciuitati uetera sua ornamenta omnia restituisse uideretur. Principi uerò ita placuere, ut oblitus penè quid aduersario eius tribuisset, quem paulo antè, nulla magis re alia motus atq; eius in Longolium actione, in familiarium numerum receperat, protinus iuberet, ut diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum esset, quod S.P.Q.R. de ciue eum asciscendo decreuisset, præterea quod ipse de priuato ærario ad tuẽda studia eius contulisset, atq; ad eum, ubicunq; terrarum esset, deferrẽtur, ea tamen lege, ne sedem studiorum alibi quàm in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit: nam in Palatinæ & Lateranensis aulæ comitatum sua sponte cooptauit, & in Romani pontificatus scribarum numero esse uoluit. Eũ populus Florentinus non solùm in ciuitatẽ suam ad instituendam bonis artibus iuuentutem inuitauit, uerumetiam uicena quina in annos singulos sestertiorum numûm millia ex ærario publico decreuit. Auctor uitæ.

Fortitudinem.

L. SICINIVS Dentatus, cùm cẽties uicies prælio uictor fuisset, & 45. cicatrices auerso corpore habuisset, digna tantæ uirtutis præmia accepit. Cepit enim spolia 34, donatus est hastis puris 18. phaleris 25. torquibus tribus & octoginta, armillis 160. coronis 26. uidelicet ciuicis 14. aureis 8. muralibus 3. obsidionali una, &c. Plinius de Viris illust. Blõdus lib. 6. Rom. triumph. Alex. lib. 4. cap. 18.

C. Marius CAMERINOS uno tẽpore mille, qui fuerant strenuè præliati contra Cimbros, ciuitate donauit. Quod ut factum contra leges, cùm reprehenderent nõnulli, dixisse fertur, Leges se per armorum strepitum exaudire non potuisse. Plutar. in Mario.

PROBVS, qui postea ad imperium Romanum euectus est, cùm bello Sarmatico iam tribunus multa fortiter fecisset, hastis puris quatuor, coronis uallaribus duabus, corona ciuica una, uexillis puris quatuor, armillis aureis duab⁹, torque uno, & patera sacrificali aurea quinque libris, unà pro concione donatus fuisse memoratur. Alex. lib. 4. c. 18.

Liberalitatem.

In Galliis magna fame grassante, Anno 1123. CAROLVS Flandriæ comes singularem munificentiæ gloriam consecutus est, quòd innumerabili tenuioris sortis multitudini diuersis in locis necessaria uictus quotidie suppeditarit. Continuator Sigeberti, Chronicon Flandriæ.

CORPORIS. OB

Robur.

☞ *Ex Tit. Pugilum, Luctatorum, petantur exempla. Item ex Tit. Roboris corporei præmia, honores. Item ex Tit. Statuæ ob robur positæ. Eiusdem rei respectus diuersus diuersas sortitur classes.*

Sexum.

☞ *Consule Tit. Sexui honor datus. Illic Honoris cum Iustitia iuncti ratio habetur, hîc uerò simpliciter.*

FORTVNAE. OB

Patriam claram.

Aristoteles Stagirita CVIDAM gloriãti, quòd esset à magna celebriq; ciuitate, dicebat, Hoc nihil referre: sed, an celebri patria dignus esset. Laert. lib. 5. cap. 5.

THEMISTOCLES ab ignobili quodam iurgio exceptus, quòd non ipsi, sed Atheniensibus eum honorem Spartani exhibuissent, ita occurrisse fertur: Res sic habet, ut ais, neq; ego si Belbilitanus forem, sic à Spartanis honoratus essem: neque tu si etiam Atheniensis. Sic Herodotus. Plutarchus Seriphium eum hominem fuisse ait, à quo conuitio iactatus, quòd eum Athenarum celebritas, non uirtus illustrasset, ita responderit, Vera sunt hæc hospes: at neque ego si Seriphi natus fuissem, ignobilis forem: neque si tu Athenis, clarus fuisses unquam. Sabellicus libro secundo, Enneadis tertiæ.

ARVERNI olim, cùm gloriarentur, se oriundos à Troianis, propterea dici uolebant Romanorum fratres. Hinc illud apud Lucanum lib. 1.

Aruer-

Aruerniq; ausi Latios se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi. ——

Ortum clarorum ciuium.

BETHLEHEM ob Messiæ benedicti natales sic extollitur à propheta Michea, ut inter principes Iuda nequaquam postrema recenseatur. Ex te enim (inquit) egredietur dux, qui reget Israelem. Matthæi 2.

Homeri pàtria & parentes ignorantur. Eustathius causam affert, quòd ne ipse quidem hoc proferre uoluerit, ut ex hac concertatione urbium & populorum inter se, sibi plus auctoritatis acquireret. Pindarus Chium & Smyrnæũ fuisse asserit, & in Chio adhuc Homeridarũ genus superesse. Simonides Chium, Antimachus & Nicãder Colophoniũ, Aristoteles Iensem, Ephorus Cumanum, & Herodotus Cumanũ ex Aeolia, natũ tamen ad Meletem fluuium Smyrnæ Cumanorum coloniæ. Alij Salaminium è Cypro. Aristarchus & Dionysius Thrax Atheniensem. Heliod. in 3. Aethiop. Thebanum ex Aegypto facit. Alij Babylonium. Suidas etiam Lucanum, aut, si diis placet, Romanũ à nõnullis appellari, scribit. Videtur sanè Græcus fuisse, & concertationẽ hanc propter Homeri peregrinationes ortam. Elegans est distichon de urbibus iis, quæ de Homeri natalibus concertant:

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, ῥόδος, κολοφών, σαλαμίς, χίος, ἴος, ἀθῆναι.

Vide Plutarchum & Herod. qui ex professo uitam eius scripsere. Nec Homero tantùm id contigit, uerumetiam omnibus iis, qui in quocunq; genere disciplinarum excelluerunt apud Græcos, præcipuè autem poetis. Quod ex ipsorum catalogo intelligere poteris.

Quæ VRBES quibus ciuib. armorum aut literarum nomine claris, glorientur, ex Strabonis Geographia uidere licet.

THEBANI an ATHENIENSES præstantiores habeant ciues, Callistratus Atheniensis & Epaminõdas Thebanus inuicem in conuentu Arcadum disceptarunt. Probus in uita Epaminondæ.

P. Papinius Statius pater, poeta (cuius tamen carminum nihil extat) quamuis ignobili genere ortus: ad tantam tamen nominis claritatem ex eruditione peruenit, ut duæ urbes de eius natalib. certarint, SELLÆ scilicet Epirotarũ, & NEAPOLIS Cumanorum. Dantes his etiam Tolosam Galliæ adnumerat. Gyraldus Dial. 4. Hist. poet.

Carolus Magnus Pipini Francorum regis, qui sub Hilderico rege Maior domus erat, & Berthæ filiæ Heraclij Constantinopolitani Cæsaris filius, natus est in Ingelheim uila, quæ duobus distat milliaribus passuum à Moguntiaco, ubi insigne palatium extruxit, cuius uestigia hodie cernuntur. Germanum fuisse, & patria & lingua attestatur, cui rei fidem faciunt Mensium & Ventorũ nomina Germanica ab illo primùm indita. Cuspinianus. Et tamẽ de eius natalibus digladiantur inter se GALLI & GERMANI: his ortum Ingelheimensem, illis ius Francici regni prætendentib. & ingentibus. Cæterùm uti certamen illud non nisi in magnorum principum gratiam fit, ita rectissimè sententia ferri potest, illos ex Caroli sanguine descendere, qui illius uirtutes melius expresserint. Vide Cusam Cardinalem lib. 3. de cõcord. Catholica, c. 3. & Cuspinianum.

Francisci Petrarchæ pater factionum causa Florentia pulsus, Aretium uenit, & ibi prole auctus est. ARETINI tanti fecerunt Petrarchæ natales, ut cùm semel illuc casu ueniret, illi obuiam iuerint cum pallio & crucibus, & sanctorum reliquiis, & pro immortali memoria ac ciuitatis ornamẽto statuerint domũ, in qua natus esset (uicum appellant) hortũ & Petrarchæ domũ perpetuò appellari, & quo erat statu semper de publico conseruari. Florẽtia nec petenti neq; speranti, & redeundi ad patriam fecit potestatem, & paterna omnia bona restituit. Hier. Squarzaficus in uita Petrarchæ.

Sepulcra uirorum clarorum.

Cùm Hesiodus ob suspicionem interfectus esset in Locris, & cadauer eius abiectum in mare, delphinorum agmen illud exceptum, in Rhium exposuit. Illic cùm LOCRENSES sacrum ex more peragerent, & recens Hesiodi cadauer agnoscerent, rebus omnibus omissis, cædis auctores uestigarũt: eos comprehensos, uiuos in mare præcipitarunt, ac domos incenderunt, Hesiodum in Nemeo sepelierunt: sed occultãt sepulcrum propter Orchomenios, qui moniti oraculo, conabantur uiri reliquias apud se seruare. Vnde consentaneũ est, quemadmodum Homeri natiuitatem permultæ urbes sibi uendicant, ita Nemeos simul & Orchomenios Hesiodi sepulcrum sibi asserere. Eaq; propter Pindarus in Epigrammate suo Hesiodum δὶς τάφου ἀντιβολήσαντα uocat. Erasmus in Adagiis.

Sepulcrum & memoriam Euripidis in urbe Pella eo MACEDONES dignati sunt honore, ut in gloriæ quoq; loco prædicarent,

οὔποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετό που.

hoc est, ut Gaza transtulit,

Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt.

Positum est aũt eius sepulcrũ, auctorib. Plinio & Vitruuio, inter duos confluẽtes riuos: alterũ saluberrimi quidem potus, alterũ uerò mortiferi. Atheniẽses quidem, eo mortuo, in Macedoniam legatos petitũ miserunt eius ossa: quib. cũ negata fuissent, inanem nihilominus tumulum struxerunt. Strabo, in Argiuorũ foro sepulcrum Euripidis ait fuisse, appellaturq; Plinthum. Gyrald. in hist. Poet.

Nobilitatem generis.

ATHENIENSES se indigenas, ab eaq; quam incolebãt terra procreatos & enutritos, nobilitatem suam prædicantes gloriabantur. Hoc docet Lysias in funebri cõcione, ac stylũ exercens Plato in Menexeno. Thucyd. interpres: ἐφόρουν δὲ τέττιγας, διὰ τὸ μουσικὸν ἢ διὰ τὸ αὐτόχθονες εἶναι, καὶ γὰρ τὸ ζῶον γηγενές. Hinc τεττιγοφόροι. Athenienses ipsos in hoc insolenter se iactantes audiens Antisthenes, nihil esse eos brucis & limacibus nobiliores succlamauit.

MALABARES Indi nobilitatis obseruatores summi, bellico studio eam iam inde à maiorib. metiuntur & circũscribũt: apud quos neq; nobilitatẽ obscurari flagitiis, neq; generis obscuritatẽ illustrari uirtutib. concessum est: sed omnib. est illa conditio necessariò subeunda, in qua maiores illorum uersati sunt. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

Cùm ALPHONSVM Aragonum regem clarissimum quidã à nobilitate maximè laudaret, quòd scilicet esset rex, regis filius, regis nepos, regis frater: Rex hominem interpellans, dixit: Nihil esse, quod in uita minoris ipse duceret, q̃ quod ille tanti facere uideretur. Laudem enim illam non suam, sed maiorũ suorum esse: quippe qui iustitia, moderatione, atq; cũ excellẽtia sibi regnũ cõparassent: successorib. quidẽ oneri regna cedere: honori tunc demũ, si uirtute potiùs quã testamento illa suscipiant. Panor. lib. 2. de Reb. gestis Alfonsi.

Præceptores.

Socratis beneuolẽtia & amicitia haud parum ALCIBIADI momẽti attulit ad gloriã. Siquidẽ Niciæ, uel Demosthenis, uel Lamachi, uel Phormionis, uel Thrasybuli, uel Theramenis illustrium illius ætatis uirorum, horum inquam nullius ne mater quidem ullius est scriptis nominata. Alcibiadis uerò etiam nutricem Lacænam natione, nomine Amyclam, & Zopyrum nouimus pædagogum: quorum huius Plato, illius Antisthenes meminit. Plut. in Alcib.

Victoriam athleticam.

Tametsi in omnib. GRÆCORVM certaminib. coronabãtur Victores coronis certis, tamen mos omnib. fuit, ut ubiq; locorum palmã altera manu gestarent redeuntes, ut ait Pausan. in Arcad. tantaq; erat patriæ gloria, ut multa millia passuũ manibus suorũ ciuiũ portarentur, ne omnino terrã contingerent: pontesque illis tumultuarij fierent supra mœnia ciuitatum, eorumq; nomina in foro columnis inciderẽtur. Vitru. lib. 9. & Plutarch. in Sympos. Victoribus, inquit, curru uehentibus, permissum est partẽ muri deiicere: ut significaretur, non magnopere ciuitatem talem muro opus habere, habentem uiros, qui possint pugnare & uincere.

Victoriam de hostibus. TROPHÆA.

SESOSTRIS Aegypti rex, si cum hostibus, qui magno certamine dimicassent, & præsenti animo restitissent, rem gessisset, ibi trophæũ cum coleis & uirili membro erigebat: si uerò remisso & languido animo per ignauiam segniter uicti, aut nullo negocio uicti essent, contra eos muliebri genitali constituto, tanquam in desides & ignauos trophæum ponere consueuit. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 22. ex Herod. lib. 2.

Apud GRÆCOS simul & ROMANOS in locis, quibus cum hostib. decertassent & uicissent, aut aliqua insigni clade affecissent, uictores duces pro monumento laudis cum amplæ inscriptione trophæa ponebant, ἀπὸ τῆς τῶν πολεμίων τροπῆς, ab hostiũ profligatione appellatione ducta. Nunc marmorea, nunc ænea: nonnunquam aũtem, si materia non suppetebat, lapides in ingentem cumulum aggerendo, uel insignem arborem excisis ramis, ibiq; hostium spolia statuendo, in memoriam posteritatis, bonis & fortibus uiris pro trophæis erigebant. Ea tamen conditione, ut quamuis duces feliciter rem gessissent, & insigni uictoria potiti essent, si tamen precariò ab hoste aliquid petiissent, nec trophæo donarentur, nec encomio. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 22.

In Laconia, descendentib. ab Hermis, in ipsa uia paulo lõgiùs progressis ad læuam ostendit se HERCVLIS signũ & trophæum. Erectum ab ipso proditum est memoriæ, cùm Hippocoontem eiusq; filios occidisset. Pausan. in Lacon.

Argis ante sepulcrum Gorgophonis Persei filiæ in foro trophæum erectum est lapideum de Laphae Argiuo tyranno, quem cùm ARGIVI expulissent, & is Lacedæmoniorũ ope redire tentasset, magna clade ab Argiuis uictus fuit & occisus. Pausan. in Corinth.

Perse-

Persæ cùm Athenienses contemnerent, Parium marmor, ac si hostem iam uicissent, trophæi erigendi causa in Marathonem deportandum curauerunt. Sed turpiter uicti ab Atheniensibus fuere. Itaque in eo loco ATHENIENSES Nemesi fanum erexere, & ex marmore illo Phidias Nemesis signum fecit, in cuius capite corona ceruos habet & uictorię sigilla: ipsa læuâ fraxini ramum, dextra phialam tenet. Pausanias in Atticis lib.1.

GRÆCI, uictis Persis ad Platæas, XV stadiis procul ab urbe trophæum erexere. Pausan. in Bœot.

MANTINEENSES, uicto Agide Lacedęmoniorum rege ad templum Neptuni equestris, cuius ope in prælio usi fuerãt, trophæum lapideum erexerunt. Pausan. in Arcad.

ARGIS ędificium è candido marmore, quod in medio fermè sese foro attollit, tropheum de Pyrrho Epirotarum rege est. Quo enim in loco cadauer eius crematũ est, ibidem ei erectum fuit monimentum: in quo cùm alia quibus in præliis utebatur insculpta, tum uerò elephanti: atq; hoc quidẽ op⁹ ad eius bustũ eminet, ossa uerò sunt in Cereris cõdita, cùm ita cecidisset ut proximo loco interiret. Pausan. in Corinth.

PERICLES Atheniensis nouies pro patria trophæũ posuit. Alex. lib.1. cap.22.

ARTEMISIAM Cariæ reginam tradunt, deuicta Rhodo, tro phæi loco duas statuisse imagines æneas: unam Rhodiæ ciuitatis, alteram suam illi stigmata inurentem. Idem.

NVMENIVS Antiochi dux, cùm in Arabia, æstuante uadoso & reciproco mari, prælio nauali cõtra Persas uictor fuisset, mox æstu reuerso, pedestri certamine ibidem uictor, gemina trophæa Ioui & Neptuno posuit. Plin.

Amyntæ filius PHILIPPVS, neq; ad Chæronæam, nec uspiã uel de Barbaris, uel de Græcis à se uictis ullum erexit trophæum: neq; fuit omnino patri⁹ MACEDONIBVS mos, uictorias suas trophæis ullis testatas relinquere. Est à Macedonibus ipsis traditum, Caranum regem suum uicto in pugna Cisseo, qui finitimis imperabat, Argiuorum ritu trophæum constituisse. Erumpentem autem ex Olympo leonẽ ita illud subuertisse, ut prorsus fuerit abolitum. Intellexisse Caranum id sibi meritò cõtigisse, quòd eo monumẽto erecto, spem sibi reditus in gratiam cum finitimis præcidisset: reliquo dehinc tempore, neq; Caranum, neq; successorum quenquam trophæum ullũ excitasse, q; nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus, loci aliquid relictũ uoluerũt. Satis rectum fuit huius rei argumentum, quòd ALEXANDER neq; de Dario, neq; de Indicis uictoriis trophæum ullum erigendum curauit. Pausan. in Bœot.

Clytus ille, quẽ Alexãder occidit, in extrema illa cœna, GRÆCORVM patriũ institutum damnauit, qui in tropheis non militum nomina, sed unius ducis adscriberent. Curtius.

Spartæ in arce, porticus quędam uersus Occasum, habet aquilas duas, quibus Victoriæ singulæ uehuntur, LYSANDRI donum, cum duplicis uictorię monimentis, deuicto scilicet Antiocho, Alcibiadis gubernatore, & oppressis Atheniensium triremibus apud Ephesum: tum uerò eorundem Atheniensiũ classe ad Aegos flumina deleta. Pausan. in Lacon.

FABIVS Aemilianus ad Rhodanum deuictis Gallis, ex candido lapide, uelut monumentum magnæ laudis, trophæũ tulit. DOMITIVS Aenobarbus ac FABIVS Maximus cõtra Allobroges, turres fixis hostilibus armis erexere. C. MARIVS de Iugurtha Numidarum rege, & Cymbris, duplici est tropheo donatus. L. SYLLA contra Archelaum potitus uictoria, finxit stemma, in quo Martem, Victoriam, Venerẽ & se Venustum inscripsit. Alex. lib. 1. c.22.

In Cherronensium agro duo sunt trophæa. Ea dux Romanorum SYLLA erexit, Taxilo fuso Mithridatis copiarum duce. Pausan. in Bœot.

CN. POMPEIVS Magnus, deuictis Hispanis & Alpinis gentibus, trophæa in Pyrænæis montibus, quà in Hispaniã iter est, excitauit. Idem, cùm iam posset Italiæ imperio post tot in bello exantlatos labores potiri, atq; Romæ propter amplissimam potentiam, quam habebat, solus regnare, tamen noluit. Parta tamen uictoria, trophæa singularum rerũ absse gestarum in pompam triumphi misit: quorũ unum erat clarum & ornatum in primis, cui inscriptum erat, Orbis terrarum. Dion Nicæus in Pompeio.

VIRIATVS Lusitanus, potitus uictoria cõtra Romanos, trabeas & consulares fasces triumphi loco in montib. fixit pro trophæis. Alex. ab Alex. lib.1. c.22.

Q. CÆCILIVS Metellus, deuicto Sertorio, nõ ex marmore, nõ ex ęre, non congestis lapidibus, nõ truncato demũ ex arbore, sed ex auro purissimo sibi trophęũ erigi uoluit. Idem.

Q. FLAMINIVS de torquibus Gallorum, aureũ sibi trophęũ in perpetuam rei bene gestæ memoriam erigi curauit. GERMANICVS Cæsar deuictis nationibus inter Rhenũ & Albim congeriem marmorũ, structis molibus, Tiberio sacrauit. AVGVSTVS ex auro rostratæ colũnæ in foro trophęũ fixit. CLAVDIVS deuictis Boiis ex torquibus Gallorum, unum magni ponderis in Capitolio donum, post trophæũ posuit, uictoriæ & triumphi perpetuum testimoniũ. Idem.

Cæso ad syluam Vuelphonis, prope Mansfeldiã, exercitu Henrici V. Imp. tributa exigentis, SAXONES, qui Romano studebant põtifici, uictores cum duce suo Ludero in loco illo trophæum statuere. Imaginẽ uiri armati trunco imponunt, qui sinistra clypeum Saxoniæ equo candenti insignem, dextra uerò clauam gestaret. Quod idolũ postea à uicinis colonis diuino honore cultum fuit, indito ei nomine Iodute, quasi eius beneficio Saxones eo bello superiores extiterint: pugnæ enim tessera ipsis fuerat. Io adiute mi: ibiq; conditum sacellum quoddam. Chron. Saxon. Cranz. lib.6. Metrop. c.7. tropheum è saxo constructum asserit, & Iodute ueteris Saxoniæ Dei nomen fuisse: quinetiam permanere adhuc impiam illã uocem penes gentem, ut in omni repentino periculo exclament Iodute. Deriuatum autem uideri ex Italica lingua, D Io m'adiuti. hoc est, Deus me adiuuet.

ASOVINVS Comes à Bogen Boemos in Boiariam incursitantes tribus præliis fudit, ibiq; abietem in modũ trophæi cruce incisa dedicauit, quæ uulgò Asouini, postea Abies cognominata est. Auentin. lib.7. Annalium Boiorum.

IOANNES Coruinus, ne tam insignis uictoriæ, quam à Turcis cæso duce Mezetho reportarat, primitiis & parte legitima prædæ regem defraudare uideretur, amplissimum capitibus hostium & exuuiis militaribusq; signis currum onerauit, Mezethi filiiq; caput in fronte: super hæc senem quendam Turcam, Despotæ Mysiæ regulo olim notum, statuit: currus onerarius fuit, quem uix decem equi traherent. Misit hunc ad Vladislaum regem, Georgiumq; Despotẽ, à Turcis non ita pridem pulsum. Senex postquam uictoriam exposuit, auxilia, quib. se Coruinus tutaretur, postulauit. Bonfinius lib.5. Decad.3.

Deorum munera.

Inter Græciæ populos maximè de antiquitate, & deorum muneribus cum ATHENIENSIBVS certant ARGIVI, non aliter quidem, quàm inter Barbaros cum Phrygibus Aegyptij. Memoriæ itaq; proditum est, Cererem Argos uenientẽ à Pelasgo hospitio acceptam, ibi ex Chrysanthide de filiæ raptu cognouisse. Interea Trochilum sacrorum antistitẽ ab Agenore Argis pulsum in Atticam uenisse: cumq; Eleusine uxorem duxisset, Eubuleum & Triptolemum genuisse. Hæc Argiui. Athenienses uerò, & finitimi, Triptolemum Celei filium fuisse, qui primus frugum cultum, & sationem tradiderit, nihil dubitant. Pausan. in Atticis.

GLORIA, HONOR, CLARITAS, REVERENTIA, CONSIDERATA RESPECTV PERSONAE AGENTIS, hoc est, Honorantis.

Honorantis proprium est ἀξίωμα, uti Honorati Ἀξία: medius Honor, ab honorato in honoratum collatus. Vt ergo plurimum refert, non tam quid & cur, quàm à quo & qualiter affecto conferatur: sic ad huius loci illustrationem sequentiũ simul & præcedẽtium Titulorum exempla referri possunt, quatenus agentis, & existimatio interna & significatio externa honorifica in illo quomodolibet affecto consideratur. Sic namq; quo ad Animũ, Probus est uel Improbus: (unde tritum illud, Laudari à laudato uiro laudabile esse) Prudens uel Stultus: Beneuolus uel Maleuolus (sic Alfonsus Aragonius, cùm quendam ab inimico summis præconiis extolli audiuisset, Hanc serenitatẽ non dubia tempestas subsequetur, inquit, nec multò post per insidias ab eo necatum audiuit). Quo ad Corpus, honor defertur à Puero, à Iuuene, à Muliere, à Virgine (sic Israelitides Dauidem canticis suis extollentes uictorem, implacabilis Sauli odio occasionẽ dedêre.) Quo ad Fortunas deniq; honorat diuitem Pauper, Subditi regem, Rex sibi similes, Hostis hostem uirtutis causa, Præceptor discipulum, Filius patrem, Vxor maritum. & econtra. Digitum ad fontes intendisse satis est.

EXISTIMATIO, OPINIO, PERSVASIO HONORIFICA, cuius est pedissequa AVCTORITAS.

QVI IN AVCTORITATE ET EXISTIMATIONE FVERINT.

Sacri homines.

Vide Tit. Excommunicationis, quatenus excommunicati sanctorum hominum interdicto sese submittunt.

PHARISÆI apud Iudæos magnam sibi auctoritatem parauerunt apud populum: ita ut, quicquid ad solennes precationes ac cultum diuinum attinet, iuxta horum interpretationem ac præscriptum soleret fieri. Tantum habent à ciuitatibus sapientiæ, temperantiæ, & uitæ honestioris testimonium. Iosephus lib.18. cap.2. Antiq.

AMBROSIVS Mediolanensis episcopus tantæ apud omnes auctoritatis fuit, ut ne hostes quidem eum uel lędere uel reprehendere auderẽt. Ipse quinetiam Pelagius nihil in illius libris, quod reprehendi posset, esse dixit. Augustinus lib.4. capite 11. Confessionum.

LEO III. Pp. Atilam Hunnorum regẽ, ad urbis direptionem properantem, cum altero consulum & parte Senatus non modica ei occurrens, ita flexit, ut præter omnium expectationem & exercitus sui uoluntatem urbi parceret. Idẽ pòst Vandalorum regem Gensericum crudelissimum tyrannum ad urbem uocatum ab Eudoxia, in ultionem peremti coniugis Valentiniani, ita demulsit, ut spoliis & direptionibus cõtentus, à cædibus & incendiis abstineret. Platina in Leone, & Sabellicus lib.1. Ennead.8.

SEVERINVS monachus Afer, qui apud Noricos & Vindelicos Christum prædicauit post mortẽ Atilæ, cùm Hibuldus Alemannorũ rex cũ exercitu Bataviã properaret, specie nisendi Seuerini, reuera autem occupãdæ urbis gratia, obuiã regi processit: eumq; auctoritate sua permouit, ut ab incœpto desisteret. Paruit ei rex Barbarus, & captiuos omnes Romanis remisit. Ad eum quoq; Odacer Rugorum regulus uenerabundus uenit, cui Italiæ regnum prædixit, & Romæ excidium. Phrisingensis lib.4. cap.30. & Eugypius.

EPIPHANIVS episcopus Ticinensis, tanta fuit auctoritate apud hostes, ut cùm Theodoricus Gothorum rex, capto Ticino præsidium imposuisset, Barbari milites eum patris loco uenerarentur: & urbe egredientes, ei cum lacrymis ualedicerẽt. Præterea capto ab Odoacre rege Herulorũ Ticino, à uictore rege ciuib. suis fiscalium tributorum immunitatẽ impetrauit ad annos quinq;. A Theodorico durissimæ legis in omnes, quotquot sponte se hostibus Herulis coniunxerant, latæ, relaxationem impetrauit. Ad Gundebaudum regẽ Galliæ Lugdunũ à Theodorico missus pro captiuis redimendis, sex millia Ligurum sine precio, precibus tantùm & pietate sibi donatos, patriæ restituit. Euodius in eius uita.

D. REMIGII Remensis episcopi tanta fuit etiam apud hostes auctoritas, ut Alaricus Gothus rex Arianus apud eum pro puella cuiusdam sui aulici dæmoniaca intercederet: & Clodoueus rex Gallorum adhuc paganus cum toto exercitu eũ ueneraretur. Nam cùm miles quidam urnam ex Remensi ecclesia abstulisset, ad preces Remigij rex eam reddi iussit: cumq; alter non statim paruisset, supplicium propria manu de eo sumsit. Hincmarus in uita Remigij.

D. BERNARDVM oẽs cum timore & amore quodã uenerabantur, suũ sensum eius intelligẽtiæ submittentes. Stãpis in Galliis cõcilio cõuocato, ad sedandũ schisma inter Innocẽtium II. & Petrum Leonis, qui se Anaclẽtũ uocauit, causæ cognitio tota ad illum reiecta est. Persuasit is toti cõcilio, ut reciperent Innocentium: idem Henrico Angliæ regi, qui Innocentio erat iniquior. Mediolanenses omnia illa, quæ tetigisset, sancta arbitrabantur: uellicabãt pilos, quos poterãt, de uestimentis eius, & ad curandos morbos illis utebãtur. Auctor uitæ lib.1. cap.11. & lib.2. cap.1. & 2.

FRIDERICVS frater Godefredi Cardinalis, missus à Papa legatus Constantinopolim, indicta ibi Synodo, cùm Imperator Constantinopolitanus & patriarcha eidem obtemperare dedignarentur: egressus urbe Fridericus, sandalia sua more Apostolorum publicè super eos excussit. Quo quidem facto tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & patriarcha cum clero & populo, sequẽti die sacco & cinere obuoluti ad eum uenerint, & Apostolicam auctoritatẽ in eo proni adorarint. Hẽricus de Erford.

IOANNES Medices Cardinalis, Iulij II. Pp. legatus, in pugna ad Rauennam anno 1512. captiuus factus, Mediolanum ductus honestè custodiebatur. Cui eùm pontifex facultatem misisset, qua posset milites, qui se non amplius aduersus põtificatum armis ituros pollicerentur, à censuris eximere: & omnibus defunctis, pro quibus peterentur, sacra loca ad sepeliendum concedere, incredibilis erat concursus, miraque religio, qua hæc & petebantur & promittebantur, regiis ministris minimè repugnantibus, sed Cardinalibus grauissimè indignantibus: quòd ante ipsorum oculos, in eo ipso loco, ubi sedes concilij Pisani esset (illud enim Pisis Mediolanum fuerat translatum contra Pontificem) regij homines & milites, contra ipsius dignitatem utilitatemq;, in ipsius oppidis, concilij auctoritate penitus contemta, ecclesię Romanæ adhærerent, captiuum Cardinalem, uelut põtificium legatũ, summa ueneratione prosequentes. Guicciard. lib. 10.

In Aethiopia, qui in Meroe sunt, circa deorum sacra cultumq; occupat SACERDOTES, tanta pollẽt apud omnes auctoritate, ut si regibus mortem nuncient, statim sua sponte eandem oppetant. Diodorus Siculus.

Prophetæ, Vates.

HIEREMIAS propheta in tanta fuit existimatione etiam apud hostes Babylonios, ut ex regis Nabucodonosoris iussu Nabuzardan magister equitum cum magnis præmiis Babylonem pellicere uoluerit, quem alioqui tãquam captiuum abducere poterat. At cùm apud reliquias Iudæorum manere uellet, liberum hoc ei permisit, eiq; Baruch scribam discipulum adiunxit, & amplis muneribus ornauit. Iosephus libro 10. cap.9. Antiq.

ESDRAS inter homines Hebraici sanguinis in Assyria agentes prudentissimus, qui Mosaicas leges uel hominum incuria, uel iniuria temporum propemodum deperditas, quia omnia memoria teneret, literarum monumentis restituit: ob celebrem sapientiæ & sanctitatis famam regi Xerxi non ignotus, facilè ab eo impetrauit, ut ex Babylone populares suos secum migrare uolentes, in Palæstinam deduceret. Sabellicus lib.3. Ennead.3.

Duos tantùm, ut aliqui uolunt, ex omnibus hominibus dicuntur Spartani λεωσφιτέως fecisse, hoc est, ciuitate donasse, TISAMENVM uatem, ac HEGIAM eiusdem fratrem. Cęlius lib.18. cap.5. Antiq. Lect.

Reges Principes, Magistratus, clari, honorati.

Maiestas imperij.

Maiestas Magistratui, tanquam Deo cuidam terreno, inprimis conuenit, non tam dignitatis nomine, quàm uirtutis, quæ in eo, qui aliis præest, summa esse debet, uel reipsa, uel saltem opinione.

REGEM Lacedæmoniorum ne hostes quidem temerè, cùm occurreret eis in acie, attingebant, sed deflectebant, uerẽtes uenerantesq; eius maiestatem. Itaq; multis in conflictibus, quos conseruerunt cum Græcis Lacedæmonij, unus ante Philippi æuũ lancea ictus cecidit in Leuctris Cleombrotus. Messeniis autem Theopompum quoq; ab Aristomene asserentibus cæsum, inficiantur Lacedæmonij, tantummodo aiunt uulneratum. Cæterùm hæc aliquatenus controuersa sunt. Lacedæmone uerò primus ab Ephoris rex est necatus Agis Eudamidæ: qui egregiũ factũ & Sparta dignũ susceperat, Lycurgi scilicet leges reuocãdi, & erat ætate, quia hominibus etiam, qui deliquerint, ignoscitur. Plut in Agide.

Cùm per legatos NVMAM Pompiliũ Sabinũ ad regnũ Pop. Rom. uocasset, idq; haud sine difficultate impetrasset, adeò sese audientem dicto eius præbuit, ut ipso regnante nulla unquã seditio mota fuerit, nullosq; is corporis custodes habuerit. Vrbẽ, quæ Marte orta, Martialibusq; reb. aucta erat, iisq; etiã alebatur, nominis sui maiestate atq; uirtute ad religionẽ anteactæ uitæ prorsus cõtrariã traxit. Plut. in Numa.

M. ANTONINVS Pius Cæsar, tãtæ auctoritatis apud omnes gentes fuit, ut per tres & uiginti annos prorsus sine sanguine ciuili & hostili (quod nemini principum contigit) imperauerit. Auentinus lib.2. Annalium Boiorum.

Scoti ex Hibernia in Hebrides, ex Hebridibus in Aquilonarem Albionem ductis coloniis, singulis tribubus singulos DVCES præfecere, quorum arbitrio & pacis & belli negotia permisere, tanta cum ueneratione, ut per Ducis nomen peierantes, haud secus quàm si per deos peierassent, supplicio afficerentur: inuocarentq;, ueluti sanctum, cui numen inesset aliquod in quouis periculo constituti. Mansitq; in longa secula id genti institutum. Hector Boëth. lib.1.

HENRICVS V. Anglorum rex facto patris funere, concilium principum ad Vuestmonasterium conuocandũ curauit, in quo dum de rege creando, more maiorum agitabatur, continuò aliquot principes ultrò in eius uerba iurare cœperũt. Quod beneuolentiæ officiũ nulli antea, priusquam rex renũciatus esset, præstitum constat: adeò Henricus ab ineunte ætate, spem omnibus optimæ indolis fecit. Polyd. lib.22.

Hungari conspirantes in SIGISMVNDVM Imp. cùm aut capturi regem, aut si non succederet, occisuri, in palatium irruissent, uidentes regem armatum, & singulare certamen non recusantem, statim ita obstupuere cõiurati, ut sibi quis-

que timens abierit re infecta. Aeneas Sylujus lib.3. Cõmentariorum de rebus gestis Alphonsi.

Post Varnensem victoriam AMVRATHESII. secessit in Mamissam urbem, & illic otio religioso uacauit, Mahometo F. Calibassam tutorem dans, cuius auspiciis imperium regeretur. Verùm cùm Ioannes Huniades Hungariæ Gubernator magno exercitu Turcum clàm opprimere cogitaret, apparatus hic à Georgio Seruiæ Despoto Turcis indicatus est. Perculsi nuncio Turci, Amurathem ex Asia euocant, quòd filius tantam belli molem ferre nequiret, Calibassa uerò eius magister obedientiam militum minimè habituros esset. Ianizari enim & puerum & pedagogum pueri contemnebãt. A magnatibus igitur & principibus exercitus Amurathes, ne regnum in periculosissimum diferimen ueniret minis uictus & precibus, ad gubernationem redijt, & cruenta victoria in campis Cassouiis potitus est. Cuspinianus.

Capuani ad Gallorum regem Carolum VIII. defecerant. Neapolitani FERDINANDI regis exercitũ recipere renuebãt. Multitudo opificum perditorumq; hominũ ad diripiendũ regis stabulum, quod arci propè erat coniunctum, delata est. Eius fœdi facinoris adeo ingratum graueq; regiis oculis spectaculum fuit, ut Ferdinandus cùm nobilem eius loci apparatũ diripi, generosos q; equos ab infimæ sortis hominibus trahi cerneret, penè solus, & periculi & maiestatis oblitus, in prædatores eruperit. Factumq; est augusto eius cõspectu, ut alij metu pudoreq; cõfusi, pictis in terrã armis, ueniã orarẽt, alij relicta præda diffugerẽt. Iouius lib.2. Hist.

Duces bellici.

☞ *Ex Tit. Magistri disciplinæ militaris, huc non pauca.*

Mouerunt proculdubio Israelitas prodigia, quæ in Aegypto facta dicuntur, ut Pharaonis minas, & imperium quadrãnus contẽnerent. Sed MOSIS auctoritas multo impensius perpulit, ut sine armis, sine commeatu per deserta & dispendia uiarum, sexcenta millia hominum unum sint ducem secuta, ut cùm certa relinquerentur, quærerentur incerta. Hæc eadem in causa fuit, ut tam numerosa multitudo ducẽ per medios maris fluctus uadentem, sit intrepidè secuta: leges ferentẽ audierit, conflatilem uitulum fusserit, inermis in armatam aciem ierit: in quo aliquid demum esse crederet, quod supra fastigium humanitatis esset, secundùm cœlinumen præcipuè uenerabile. Sab.lib.6.cap.8.

Accessit & IOSVÆ, qui post hunc dux fuit, sua auctoritas: cuius iussu circa Iordanem omnis uirilis stirpis gens circumcisa est: eodem auctore triginta regibus bello victis, æternum obseruationis fœdus cum Deo sanxerunt Israelitæ, omnis Chananæorum terra tributim & uiritim victori populo diuisa est. Sab.lib.6.cap.8.

IVDÆ, qui Machabæi cognomen tulit, ductu, permodica Hebræorũ manus cum ualidissimis hostium copiis sæpiùs cõflixit. Quòd nisi egregia ducis auctoritas affuisset, nulla subiici necessitate potuissent, ut rebus gentis atrociter afflictis, cum eo hoste manum conserrent, cui toties cædenda terga obuertissent. Sab.lib.6.cap.8.

Syracusani à Timoleonte Corinthio libertati suæ restituti, inter cætera gratitudinis officia, etiam istud decreuere, imposterum non nisi CORINTHIIS ducibus in bello se usuros. Plutarchus in Timoleonte.

LACEDÆMONII non obedientiam, sed desiderium infundebant aliis Græcis ipsos sequendi & obtemperandi. Nempe postulabant hi per legatos ab iis non classem, non pecuniam, non copias, sed unum Spartiatam ducem. quem nacti, utebantur eo cum honore & metu. Ita Gylippo Siculi, Brasida Chalcidenses: Lysandro, Callicratida, Agesilao omnes qui Asiam incolunt. Appellabant quidem illos uiros rectores moderatoresq; populorum & magistratuum, ut ad quosq; missi erant: cæterùm semper ciuitatem Lacedæmoniorum ceu magistram uel perceptricem honestæ uitæ & compositæ reip. respiciebant. Plut. in Lycurgo.

Socij Athenienſium & insulares, classes eorum duce missas alio, pro hostibus habebant, muros sepiebãt, portus obstruebant: pecora, seruitia, coniuges, liberos in urbes ex agris deportabãt. Sin imperator PHOCION esset, nauibus suis longè occurrebant coronati & gratulabundi, deducebántque eum ad se. Plutarchus in Phocione.

In præliis & discriminibus, sicut equi & nouelli consuetum sessorem quærunt, alium si uehant tumultuantur & ferociunt: ita exercitus Achæorum deiiciebat alio duce animum, arq; solum PHILOPOEMENEM circumspectabat: quo uiso tãtùm, illicò erat ex fidentia erectus, agiliſq;. Nempe hostes intelligebant, unum hunc contueri non posse: sed & gloriã eius & nomen, ut reipsa declararunt, formidare. Macedonũ rex Philippus, ratus sublato de medio Philopœmene, Achæos iterũ ipsum respecturos, misit certos occultè Argos, qui eũ trucidarent. At detectis insidiis, planè flagrauit inuidia, & traductus est apud Græcos. Bœotij Megaram obsidẽtes, cùm sperarent se iam oppidum expugnaturos, suano repentè allato rumore, Philopœmenẽ suppetias obsessis uenientem adesse, scalis quæ muris iam erant admotæ relictis, fugæ consuluerunt. Vt Nabidi tyranno Lacedæmoniorum, qui Messenem occuparat, nunciatum est, Philopœmenem in propinquo esse, non remansit illic, quamuis cãstra in oppido haberet, sed subduxit se per auersam portam, agmenq; raptim abegit: præclarè secum agi ratus, si elaberetur. Plutarchus in Philopœmene.

Habuit sub signis ANNIBAL, cùm bellum in Italia gessit, Aphros, Numidas, Mauros, Hispanos, Balcares, Gallos, Ligures, & Italici nominis numerum ingentem: tanta tamen in eo fuit auctoritas, ut nullam in tãta hominum colluuione, tam longo bello, ac tam uarij cuentus, sit seditionem expertus. Sabell. lib.6.cap.8.

Infamis ante Cannensem pugnam timiditas Q. FABII Maximi & segnities, mox post conflictum humana maior sapientia habita est, & diuini præstantisq; miraculum consilij, tanto antè prospicientis insequentia: quæ animo cõcipere uix ualebant ij, quibus euenerant. Itaq; mox in illo ciuitas reliquam opem ponens, & ad eius mentem tanquã ad sacram confugiens anchoram, salutem suam & quod nõ undequaque dissiparetur (sicut urbe à Gallis oppressa fact ũ erat) unius acceptum ferebat consiliis Fabij. Plut. in Fabio.

P. SCIPIO Aphricanus, qui Annibalem uicit, militarem seditionem est nonnunquam expertus. Fuit in eo alioqui tanta de ipsius uirtute opinio, ut multi Italici nominis, qui iam stipendium erant emeriti, sponte secuti sint illum, Africã prouinciam extra sortem adeptum. Sab.lib.6.cap.8.

Legislatores.

☞ *Vide Tit. Legislatorum. Illic Professionis, hic Existimationis habetur ratio.*

Legati.

C. FABRICIVS Romanorum legatus apud Pyrrhum, de redimendis captiuis Romanis, cùm neq; muneribus expugnari, neq; horrendo & inopinato elephanti clamore perterreri, neq; tandem Epicureis disputationibus permoueri posset: tantam sibi apud Pyrrhum conciliauit auctoritatem, ut & lubens eum Romanis amicitiam cõtrahere, captiuósque immunes remittere: sed & Fabricij inter amicos & duces primum habere uoluerit. Plut. in Pyrrho.

Iudices.

Nullum sortiri aut subsortiri uelle iudicem, in reo, summæ diffidentiæ: in accusatore, calumniæ argumentũ omnino certè graue est. Atqui id uel multis ad damnationẽ plurimũ adiumenti attulit, quòd CATONEM eum, qui postea Vticensis appellatus est, iudicem in causa sua reiecissent. Etenim eos innocentes uideri non potuisse, imò satis de se confessos, qui adeò recti, æqui ac religiosi iudicis, uiriq; optimi ac integerrimi iudicium recusassent. Plut. in Catone.

Censores.

Romani, domum à cœna reuertente TIB. Graccho censore, lumina restinguebant, ne longius quàm oporteret, conuiuiis & poculis indulsisse uiderentur. Plut. in Tiberio.

Patres.

IACOBI auctoritatem secuti filij, patriis sedibus penatibúsque relictis, cum tota domo in Aegyptum migrauêre. Sabellicus libro 1. capite 7.

DAVID regius uates maxima apud suos auctoritate polluit. Cùm enim plures essent illi filij natu grandes, legitimeque orti, ipseq; Solomonem minimum natu, & ex aliena coniuge conceptum, regem declarasset: tantum abfuit, ut quisquã uiuo patre sit aliquid mouere ausus, aut lignum irati animi dederit, ut eo etiam defuncto, regium nomẽ cum ipso inoffensum illi manserit. Sab.lib.1.cap.7.

Matronæ.

Liuius scribit, Hispulam scortum Romæ nobile, à SVLPITIA Paterculi F. Ful. Flacci uxore accersitam, propè exanimatam fuisse, quòd tam grauem esset feminã conuentura. Ita debẽt dignitatem suam tueri matronæ, ut pudeat improbas uel illas aspicere. Ludouicus Viues de Christiana femina lib.2.

Rhetores.

☞ *Hic honores Rhetoribus tributos propter artis excellentiam consideramus: suo loco de Rhetorum cultu acturi.*

Nomen DEMOSTHENIS ad regem usq; Persarum perlatũ est, qui per literas satrapis imperauit, pecuniam ut darent Demosthẽi, atq; consiliis eius præ omnibus Græcis obtẽperarent, quòd tumultibus Græcorum distinere Macedonẽ, & inuoluere ualeret. Comperit hæc postea Alexander: qui epistolas quasdam Demosthenis, & Sardibus inuentæ ducũ regiorum monumenta, quibus exprimebatur pecuniæ ei datæ summa. Plutarchus in Demosthene.

LONGINO Cassio rhetori tantum tribuit sua ætas, ut si quis uetustum auctorem aliqua in parte reprehendisset, nõ prius rata haberetur opinio, quàm Longini illud confirmasset iudicium. Eunapius in Porphyrio, qui discipulus fuit Lõgini.

Poetæ.

☞ *Vide Tit. Poeticum studium.*

HOMERI tanta existimatio fuit olim, ut illius uersibus ciuitates inter se de finibus contendentes; tanquam incorruptissimi & sanctissimi testis uti non uererentur. Aetoli Calydonem obtinuerunt ab Aeolibus; quoniam in Catalogo nauium Homerus Calydoniorum sub Aetolis meminisset. Similiter Abydeni Sestum ab Athenienſibus receperunt, propter hunc uersum:

Σηστὸν ἠδ' Ἄβυδον ἔχον, ἠδ' ἀγχίαλον Πάριον.

Milesius cum Prienensibus de Mycale cõtendentibus, patrocinio fuerunt Homerici uersus:

οἱ δὲ μίλητον ἔχον Φθειρῶν τ' ἀγχιστόφυλον
Μαιάνδρου τε ῥοὰς, μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα.

Solon deniq; Athenienſibus Salaminem adiudicauit, quòd Aiax Salaminiorum dux, Athenienſes, teste Homero, secutus esset. Eustathius Iliados 8. ubi & hoc addit: legibus sanctum fuisse à quibusdã ciuitatibus, uti Homeri Bœotiam, hoc est, Catalogum nauium pueri memoriæ commendarent: & inter eos Cerdiam quendam hoc patriæ suæ consuluisse scribit. Homerum enim ueras genealogias & chorographias & priscas maximè urbiũ appellationes sequi. Eoq; factum, ut & Apollodorus Athenienſis XII. libris, & Menogenes 23 Commentarios in Bœotiam scripserint. Auctoritate Homeri testimonij loco utitur Philomelus Phocensis.

TYRTEVM poetam Lacedæmonij ciuitate donarunt, contrà instituta maiorum: quod ideo factum Pausanias ait, nequãdo illis obijci posset, quòd peregrino duce usi fuissent. Alexand. lib.4.cap.10.

Sciuerat populus Athenienſis, ut solius AESCHYLI fabulæ post eius mortem referrentur. Hinc falsum illud Aeschyli dictum, cum Euripide simul mortuam tragœdiam: quòd eo mortuo tragœdiæ illius non recitarentur, sed suæ tantùm. Scaliger lib.3.cap.97. Poetices.

Theologi.

Decertarant longo difficilique inter se bello Veneti, & Franciscus Sforcia Mediolanensiũ dux: quos ad ineundã pacẽ, neque Pont. Max. auctoritas, neq; regũ principumq; Italię preces flectere unquam potuere: cùm SIMONETVS Camerinas, ex Eremitica familia, Sforciæ duci familiaris & notus, & Venetiis quãdoq; cõtoratus, negotiũ hoc suscepit. Erat autẽ hic propter uitæ sanctitatẽ in summo cultu & uenératione. Venetiis igitur soluẽs, Mediolanumq; profectus, tẽtato priùs Sforciæ ducis animo, cui ille negare nihil est ausus, statim Venetias rediit. adeoq; Principe & patribus facilè persuasis, pax inter eos inita est. Vnde hodie cœnobium in stagnis Murianum perentibus extat, D. Christophoro dicatũ, perpetuoq; Pacis nomine dignum. Egnat. & Fulg. lib.2.c.5.

Philosophi.

LEO Byzantius, auditor Platonis, Philippo cõtra Byzantium uenienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te causa trahit oppugnatum nostra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuę patriæ, qua ut potiar ueni. Leo excipiens: Atqui, respondit, non instrumento bellico, sed musico amantibus est opus. Quo dicto ducẽ à bello Byzantino auertit: cùm Demosthenes multa super hoc apud Athenienſes, Leo uerò pauca apud Philippum uerba fecisset. Philostratus.

CRATES Thebanus philosophus Demetrium Poliorcetem sua auctoritate ab obsidione patriæ remouit. Plut.

Astrologi.

MAGIS, qui Iudæorum regem ex Oriente adoraturi uenerãt, tantum fidei ob disciplinam astronomicã datum fuit, ut & Herodes, & tota Hierosolymorum urbs commoueretur, regemq; hoium ceruicibus suis imminere expauesceret. Vicissim magi, quia principum religionis Iudaicæ sapientiæ plurimum tribuebant, illorum auctoritatem secuti sunt, & Bethlehemam profecti, ut puerum Iesum adorarent.

Medici.

Ammianus Marcellinus auctor est, MEDICIS ad commendandam artis auctoritatem sufficisse, si dicerent, se Alexandriæ eruditos. Tanta erat loci dignitas & æstimatio.

GALENVS, non impostoris aut sophistarum more, ut alij, sed iustis operibus, artis inter principes Romæ innotuit primùm, & apud ipsos deinde aliquot Imperatores quoq; singulari in precio fuit: adeò ut theriacæ, cuius magnum apud eos studium fuit, & quod non nisi summis aulæ medicis cõmittere consueuerant, præparandę curã soli Galeno mandarẽt. Ac primùm quidẽ Antoninus, cui hãc antidotũ Demetrius primarius medicus conficere solitus fuerat, cognito Galenũ Demetrio antidotũ paranti semper astitisse, post huius mortẽ à Galeno eam componi uoluit. Medici quinetiam eruditi Romæ habitantes (fæce indoctorum excepta) & in oppidis uicinis, familiaritatem eius & ex doctrina fructum uehementer expetebant: deq; omnibus, quæ tariùs, aut præter opinionem incidissent, cum eo communicare, eiusq; iudicium & consilium quàm libentissimè audire solebãt. Sed & procul ab eo totisq; regionibus remoti, consilia eius per literas requirebant. Itaq; ex Iberia, Celtica, Asia, Thracia, aliisq; locis frequentes ad ipsum literæ perferebantur: tanta eius nominis celebritas erat. In conuiuio illo celebratissimo, quod Athenæus Dipnosophistarum titulo descripsit, tres medici aderãt, Galenus, Rufinus Nicaensis, & Daphnus Ephesius. Doctissimorum hominum scholæ, relictis sectarum nugamẽtis, ueram Hippocratis artem, à Galeno ita stabilitam, ut nulla sophistarum iniuria subuerti posset, amplexi sunt. Arabes certè monumenta eius uniuersa iii suam linguam conuerterunt; & in manibus magno studio uersarũr, donec iniuria temporum suppressis Græcorum exemplaribus, Latinorum quoq; hominum scholis interpretationes suas commodarent. Auerrois quinto Colliget, capite de puericis granis, Galenum experientia præcellentem prædicat: ac ueridicum imprimis, ut cui comparari non possit alius, ne forsan is, inquit, qui clamat quidem, sed quid clamãt, nõ percipit satis, Auicennam (ut nidetur) notans. Alibi quoque Galenum cum diuino Hippocrate primum in arte facit. Gesnerus in uita illius.

Mulieres.

FEMINÆ à Celtis in Senatũ honoris ergò adscitæ: eo quòd ciuili bello earum oratione lacrymisq; permoti depositis simultatibus in gratiam redierint. Fulgos. lib.5.cap.2.

Pueri.

Cùm esset Sylla certamen sacrum equestre puerorum, quam Troiam nominant, editurus: & contractis nobilibus pueris duos designasset duces eorum, quorum pueri alterum matris causa accepturi (nam Metellæ erat uxoris Syllæ filius) alterum non admisurus, quamuis Pompeij fratris filius esset, Sextus nomine, neque exercere se sub eo neque sequi eum sustinuerunt. Percunctante Sylla, quem uellent, omnes alta uoce postulauerunt CATONEM, submittensque se ipse Sextus, Catoni id decus concessit, ut præstantiori. Plutarchus in Catone.

IN QVA EXISTIMATIONE. PVTA

Sapientiæ.

Oraculorum societatem dedere CHILONI Lacedæmonio homines, tria præcepta eius Delphis conseerando aureis literis, quæ sunt hæc: Nosse se quemq; & Nihil nimium cupere: Comitemq; æris alieni atq; litis, esse miseriam. Quin & funus eius, cùm uictore filio Olympiæ expirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est. Plin. lib.7.cap.32.

Tantum honoris antiquitas habuit HOMERO, quem admodum testatur Macrobius, ut singuli penè uersus illius prouerbij uice celebrarentur. Erasmus in Adagiis.

Pythagoricos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex his quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. Ipse autem, erat PYTHAGORAS. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret auctoritas. Erasmus in Adagiis ex Cicerone.

Sanctimoniæ, Pietatis.

Mauuia Saracenorum regina, cùm frequentibus præliis Romanos attriuisset, pacem per legationem orata, ea conditione se belli finem facturam promisit, si Saracenus monachus MOSES nomine genti suæ episcopus præficeretur: qui propter religionem ac fidem, multaq; admiranda opera clarus erat. Conditionẽ eam Romani duces ad Imperatorem Valentem referunt: qui quæri illicò Mosen iussit, & episcopum ordinari. Profectus ergo ad Saracenos, Christi fidem apud eos felicissimè propagauit. Ruffinus libro 2. capite 6. Socrates lib.4. capite 36. Theodoretus libro 4. capite 23. Sozomenus lib.6.cap.38.

Pulsus à Romanis seditiosis, quorum principes erant Paschalis Primicerius & Campulus sacellanus. LEO III. Pp. ad Carolum Magnum in Franciam profugit. Cuius intercessione reductus primùm honorificè per legatos, mox uerò cùm Carolus ipsemet Romam uenisset, & inimici Leonis crimínibus inferendis accusationem peregisset, ac plerique ap paratam Leonis defensionẽ erecto animo expectarent: consurrexêre episcopi, ac causæ pontificiæ cognitionẽ dixerũt, non episcopis, sed ipsi conuenire pontifici. Susciperet Leo partes suas, quiq; summum iudicium in omnes haberet, idẽ de se, solo numine uel teste uel iudice, iudicaret. Quibus Leo respondit, leges ueteres de criminibus purgandis extare, se ea defensione, quę legibus esset constituta, usurũ. Quibus annuẽtibus, alia die, præsentibus omnib. amboně ædis ascendit, ac contingens Euangelia solẽni iureiurando se innocentẽ esse pronunciauit. Ego Leo pontifex S.R.E. à nemine iudicatus, neq; coactus, sed mea uoluntate impulsus, purgo me, præsentibus uobis, corã Deo & angelis eius, qui cõ-

sciētiā nouit, & beato Petro principe apostolorū, in cuius conspectu consistimus, neq; sceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetrasse, neq; perpetrare iussisse, Deū testans, in cuius iudiciū uenturi sumus, & in cuius conspectu cōsistimus. & hoc facio, non legib. ullis obstrictus, neq; hāc cōsuetudinē aut decretū in sancta eccesia successorib. meis & fratrib. coepiscopis imponere cupiēs, sed ut certius suspicione uos liberem. Itaq; omnes eum pro insonte habuerūt, ac per solennes supplicationes gratias Deo, matriq; eius, & beato Petro, omnibusq; Sāctis egerunt. Qua ratione olim se Pelagius quoq; pōtifex expiarat, exitij se nihil Vigilij pontificis capiti cōparauisse. Leo gratitudinis ergô, Carolum Romanorum Imp. dixit & unxit. Sigonius lib. 4. regni Italici.

NOTINGERI Constantiensis episcopi ea fuit sanctitas, ut defuncto illo D. Huldricus Augustanus episcopus triduano indicto ieiunio supplicationibusq; habitis, successorem similem Notingero à Deo petere iusserit, anno 935.

Tātę fuit auctoritatis & existimationis AEACVS, ut cùm diuturna siccitate uniuersa Græcia laboraret, respōsum sit à Pythia iis, qui Delphos ea de causa legati accesserāt, placandū esse Iouem deprecatore Aeaco. Eo impetrato, Ioni Panellenio templum fuit erectū. Natalis Comes Mythol. lib. 3. c. 9.

Eruditionis.

Cùm scriptis literis Eudocia, posterioris Theodosij coniunx, Hierosolymis peregrinans, Simeonis Stelitis eremitæ requisiuisset de Eutychis dogmate sententiam, ipse eam ad EVTHYMIVM monachum deduxit, præcipiens ei, ut eum uirum audire uelit, eiusque salutari doctrinæ parére, tum eam fore saluam. Atque ipse demum Euthymius Imperatricem Eudociam in uiam reduxisse memoratur à Nicephoro lib. 15. cap. 13. Ab eodem lib. 14. cap. 50. dicitur solitudinem in formam urbis redegisse.

D. HIERONYMI eruditio tanta fuit, ut Græci, omnes aliò qui omnium gentium literas fastidire soliti, illius unius cōmentarios in suam linguam transferendos curarint. Roterodamus in uita eius.

BARTHOLVS tātam in iudiciis auctoritatem assecutus est, ut Paulus Castrēsis consilio CCLXXXVIII. scribat, temerarium esse ab eius opinione discedere. Iason autē in Rub. C. de iur. emphyt. scribit, se eius uestigia semper adorare. Bart. Soc. in cons. 31. nu. 15. & in cons. 49. nu. 6. Tom. 4. Bart. opinioni in iudicando esse adhærendum, & eius auctoritatē in foro seruari. Hotom. de Verbis iuris.

IOANNES de Turre cremata, Canonicus regularis, & NICOLAVS Cusanus Augustinianus, nullis dignitatibus insignes, nullo ambitu, solius eruditionis cōmendatione, pręter expectationē omnē ille ab Eugenio IV. hic à Nicolao V. Cardinales creati fuére. Itaq; alter gloriabatur, Senatorem se priùs fuisse quàm candidatum: alter, galerū se priùs accepisse, quàm se in Senatorum ordinem cooptatum audiuisset. Garimbertus lib. 4. de uitis Pontificum.

PETRI Bembi doctrinæ tantum tribuerunt Iacobus Sannazarius & Hieron. Fracastorius, ut nō priùs hic poema suum de Morbo Gallico, neq; ille de Partu uirginis in lucē edere uoluerint, quàm Bembi iudicio approbatum fuisset. Garimbertus libro 3. de uitis Pontificum.

Virtutis, Probitatis in genere.

Romani Delphico oraculo moniti, bello Samnitico, Græcorū sapientissimo & fortissimo statuas ponere iussi, in cornibus comitij PYTHAGORÆ & ALCIBIADI statuere. Plinius lib. 34. c. 6. miratur, cur non potius Socrati & Alcibiadi.

ARISTOMENES Messenius uir optimus Græcorū omnium à Demageto Rhodio Ialysi rege est iudicatus. Hic enim cū Pythiā consuluisset, unde esset potissimùm uxor ducēda: & ille respondisset, eius, qui esset Græcorū optimus, filiam duceret: Aristomenis filiam natu minimā uxorē sibi adsciuit. Pausanias in Messenicis.

Vir optimus semel à condito æuo iudicatus est P. Corn. SCIPIO Nasica, à iurato senatu. Plin. lib. 7. cap. 34. Nam cùm à decemuiris librorum Sibyllinorum carmen esset inter Sibyllina inuentum, fore ut hostes ex Italia pellerentur, si mater deûm ex Pessinunte ciuitate Phrygiæ Romam afferretur: legati sunt ad Attalum missi, qui tum ibi regnabat, ut senatus & pop. nomine matrē deûm ab eo peterent. In uia Delphicum Apollinem legati conuenêre, sciscitantes ecquid spei possent de impetranda matre deûm ab Attalo habere. Oraculo bonū sunt animum habere iussi, impetraturos ab Attalo quod peterent: cæterùm curarent, ut ab optimo totius ciuitatis uiro Romæ exciperetur. Cùm iam ergo Ostiam appulisset nauis cū simulacro deæ, à iuratis patribus, de optimo ciuitatis uiro sententias dicere iussis, Corn. SCIPIO Nasica adolescēs, nec dū quæstura primo dignitatis gradu functus, uir optimus iudicatus est, qui & sacra ex S.C. excepit. Liuius lib. 29. & alij permulti.

Sollicitanti in Cæsarem amicos Cassio, omnes, si dux M. BRVTVS esset, annuêre. Neq; enim manus, neq; audaciā ostēderūt se requirere: sed auctoritatem uiri, qualis hic esset, quasi auspicantis & præsentia sua honestatem comprobātis facti. Absq; eo & in suscipienda re animo se deiectiore fore, & suspectiores perpetrata. Plut. in Bruto.

THRASEA Pætus, Cæcinnæ Pæti & Ariæ gener, Patauinus, uir consularis & sacerdos, æqualis Senecæ, Stoicæ disciplinæ sectator, uirtutis uerus rigidusq; satelles, tātę ob probitatē existimationis Romę fuit, ut Tacitus lib. 4. scribat, Neronē Thraseæ uenerabilē speciē ultrò extimuisse, nec uultum nec spiritū & libertatē uisentis ferre potuisse: & propterea absentē per Marcellum Epyrū accusatorē, damnationis negotiū ad patres detulisse. Eundem Neronem (etsi grauiter et infensus foret) aliquando cuidā multa de Thrasea criminosè iactanti atq; dicenti, causam ab eo perperā esse iudicatā: obstitisse scribit, atq; exclamasse palàm, Vtinam me tā Thrasea diligat, quàm est iudex iustus & rectus. Sic hostis hosti testimonium perhibuit de fama periclitāti. Quinetiam Neroni aliquādo apud Senecā glorianti, ꝙ sibi Thraseas recōciliatus esset, Seneca de hoc ipso gratulatus est.

Prudentiæ.

ACHITOPHEL Gilonius in tanta existimatione prudentiæ fuit apud Dauidem regem, cuius consiliarius fuit, ut omnia eius dicta pro oraculis haberentur. Eapropter Dauid rex nō tam Absalomi filij rebellione, quā Achitophelis ad eundē defectione territus est. 2. Reg. 15. & 16.

PETRVS Soderinus propter eximiam prudentiæ ciuilis opinionem Florētiæ ex uexillifero dictator perpetuus effectus est. Qui honor nemini antea contigerat. Itaq; sibi magnam apud patricios inuidiam ex eo perpetuo magistratu conflauit. Iouius in Leone X. lib. 2.

Fortitudinis bellicæ.

Cùm Mardonius in Gręcia relictus esset à Xerxe cum 30 myriadibus, ad eam subigendā, ATHENIENSIVM amicitiam maximè expetiuit, eo quòd cladis Persarum ad Salaminem acceptæ præcipuam causam eos fuisse sciret. Misit itaq; ad eos Alexandrum Amyntæ F. Macedoniæ regem, societatis contrahendæ ergô, quamuis frustra. Herod. lib. 8.

Rodolfus I. Imp. cùm Othocaro Boemorum rege signa collaturus, centum TIGVRINOS, quorum spectatam habebat fortitudinem, equites auratos creauit, & in prima acie consistere iussit, ut hoc ueluti propugnaculo & hostiū uim arceret, & suos ad constantiam hortaretur. Eorum plerique fortiter pugnantes cecidere: & in perpetuam rei memoriā insignia eorum Tiguri in minorum templo honoris ergô suspensa fuere. Stumpfius in Heluetiæ Chron.

Pudicitiæ.

Pudicissima femina semel matronarum sententia iudicata est SVLPITIA, Seruij Paterculi filia, uxor Q. Fuluij Flacci, electa ex centū præcipuis, quæ simulacrū Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Val. Max. lib. 8. c. 16. Iterū religionis experimēto CLAVDIA, inducta Romā deûm matre. Plin. l. 7. c. 35.

Liberalitatis.

CIMONI Miltiadis F. Atheniensi ob liberalitatē ea fama conciliata est, ut Critias, qui unus postea ex triginta tyrannis fuit, Scopadum diuitias sit sibi optare solitus, uictorias Agesilai, & Cimonis liberalitatem. Sab. lib. 3. En. 3.

Seueritatis.

Sergius GALBA Imp. in grauissimis bellis seuerissima disciplina erga milites suos usus est: adeò ut simulatq; uenisset in castra, protinus uulgaretur ille trochaicus: Disce miles militare: Galba est, non Getulicus. Erasmus lib. 8. Apophth.

Veritatis.

Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo Q. MAXIMI soceri pauca uerba subtraxerunt: quibus affirmauit, si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, dirēturum se fuisse affinitatem. Continuò enim populus penè iam exploratam sententiam suam unius iudicio concessit: indignū ratus, eius testimonio non cedere, cui difficilibus Reip. temporibus bene se exercitus credidisse meminerat. Val. Max. lib. 8. cap. 1.

Iustitiæ, Integritatis, Fidei.

AEACO iustitiæ nomine tantum tribuerunt suæ ætatis homines, ut sub illius imperio omnes uiuere cuperent, atq; ita Aegina insula populosissima fuerit reddita. Vide Tit. Metamorphoses uariæ.

Cùm facti in Amphiaraum, qui ad Thebas periit, ab Aeschylo iambi in theatro recitarentur,

> Nec enim uideri iustus hic, sed esse uult:
> Alta recessum mente possidens, scatent
> Ex quo salubria consilia per Græciam,

omnes cōuerterūt in ARISTIDEM Lysimachi, tanquā ad eum pręcipuè hęc uirtus pertineret, oculos. Plut. in Aristide.

PHOCIONI integritas atq; iustitia eam peperit maiestatē, ut quoties ab Atheniensi populo cū exercitibus aut classibus dux mitteretur, ab amicis ciuitatibus fœderatisque apertis urbium portis, liberè cum militibus exciperetur, nō ut Atheniēsis: sed tanquam ipsarū urbiū ciuis. Plut. in Phoc.

PLATONI, cùm tertiò in Siciliam uenit, Dionysius tyrannus fidem ut nulli alij habuit, ut adire ipsum liceret ei non prætentato. Plut. in Dione.

Cùm Athenis XENOCRATES testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more eius ciuitatis iuraret, omnia se uerè retulisse: uniuersi iudices cōsurrexerūt, proclamaruntque, ne iusiurandū diceret: quodq; sibimetipsis postmodū dicendæ sententię loco remissuri non erant, sinceritati eius concedendum æstimarunt. Val. Max. lib. 2. cap. 5.

Antiochus Magnus IVDÆORVM fidem tanti fecit, ut duo illorum millia in Lydiam & Phrygiam, quæ defectionē moliri uidebantur, transtulerit. Iosephus lib. 12. cap. 3.

M. CATONEM, q ambitus crimine accersebat Murenā atq; argumenta colligebat, assectabātur de more custodes: qui quid ageret, obseruarēt. Hi, nunquid eo die collecturus aut tractaturus esset, quod ad accusationē pertineret, frequenter percunctabantur. Si negaret, fidem ei habentes abscedebant. Plut. de Emolumento ex inimicis capiend.

Plutarchus in uita CATONIS Vticēsis narrat, tantā Catonis apud populum fuisse fidem & autoritatem, ut de rebus incredibilibus prouerbio diceretur; τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστιν, id est. Istuc incredibile est, etiā si dicat Cato.

ISDIGERDIS Persarum regis fidei tantū Arcadius Imp. tribuit, ut moriturus Theodosio filio infanti adhuc cū testamēto tutorē cōstituerit. Quo facto Isdigerdes pacē cum Romanis toto tempore coluit, tum imperium Theodosio custodijt. Cuspinianus.

Mechanicæ Peritiæ.

☞ *Consule Tit. Mechanicis artibus data præmia, quatenus honoraria sunt.*

Alexander Macedo edicto uetuit, ne quis se, præter LYSIPPVM ære, PRAXETELEM marmore, APELLEM coloribus fingeret. Plinius.

APVD QVOS. IN HONORE HABITI APVD

Deos.

☞ *Vide Tit. Deorum amici.*

EVRIPIDIS excellentiæ in poetica, in prisca ætate attestari est uisum, quòd mortuo iā & condito in Macedonia prope Arethusam, sepulcrum eius tactū de cœlo est. Eo mirabilius uisum, quòd ad id æui mortaliū contigisset nulli extra quàm LYCVRGO, quem diis charissimum piissimūq; intelligi uoluēre annales. Cælius lib. 24. cap. 10. A. L.

Sapientes.

Non uulgare GALENI doctrinæ atq; morū integritatis testimoniū est, quòd à M. Antonino Imperatore omnium, qui illum præcesserant, iustissimo simul & sapientissimo, quiq; ob singularē sapientiam suam est nomen Philosophi indeptus, celebratus encomiis fuerit, ascitusq; in suorū medicorum clientelā. Testis Gal. lib. de Præcognit. ad Posthumum.

Ciues.

ALCIBIADES, si quis unquam, ab sua ipsius conuulsus est gloria. Quæ ingens cùm esset, audaciæ & prudētiæ eius ex rebus collecta præclarè gestis existimatio, suspectum eum reddebat, sicubi titubasset quasi res sibi non esset curæ, neque cuiquam fides fiebat non potuisse. nam sedulò agentem nihil non ualuisse arbitrabantur assequi. Quare molestè ferebāt Atheniēses, non cōfestim omnia, neq; e uestigiò adferri trāsacta: non reputātes ærarij angustias, quibus bellū gerens cum hominibus, quibus erat rex magnus præbitor, subinde haberet necesse, relicto exercitu ad stipendium proficisci, & ad cōmeatum explicādum. Plut. in Alcibiade.

LAVRENTII Medicis ea fuit apud Florentinos auctoritas, ut in eius gratiam Paciorum & Saluiatorū nobiliss. familias, quæ contra illum coniurauerāt, exciderint, contra Xystū IIII. Pontificem, à quo piorum consortio exclusi dirisq; diuoti fuerant, arma pro eodē ceperint. Eiusdē comitate deliniтus Ferdinandus Neapolitanorū rex, arma, quę cum Pontifice contra illos acerrimè gesserat, deposuit. Ad nutū Laurentii, Florentina ciuitas uel inuita, bellum pro Ferdinando rege contra Innocentiū VIII. suscepit: eiusdem prudentia conciliatus Pontifex, pace facta filium Franciscum Cibo filiæ Laurentii despondit. Brutus lib. 8. hist. Flor.

Aemulos.

Græci post dispartitam prædā, ad Isthmū nauigauerunt, daturi præcipuū præmium, Græcorū meritissimo, qui in hoc bello clarissimè rē gessissent. Eò ubi peruentū est, duces Græci in aram Neptuni suā quisq; sententiā scriptā detulēre, quem nā ex omnibus primū & quē secundū iudicarēt. In ea autē suū quisq; nomē inscripsit, se illum, qui prestantissimus extitisset, existimans, sed in secundis partib. THEMISTOCLI Atheniensium duci adiudicandis, plerique congruerunt. Ita cùm singuli in primo loco singulos calculos haberent, in secundo, Themistocles multo superior extitit. Et licet hanc rem Græci liuore quodam supersederint indicare, in suam quisque patriam reuecti, tamen Themistocles & habitus est & celebratus per uniuersam Græciam omnium Græcorum longè prudentissimus. Herod. lib. 8.

Hostes.

Atheniensem THEMISTOCLEM uirtus parteq; ingētes uictoriæ in eam nominis existimationem extulerunt, ut patria pulsus cùm ad Barbaros se recipere cogeretur, Artoxerxes Persarum rex, Græci nominis acerbissimus hostis, singulari cum honore lætitiaq; exceperit: sæpiusq; inter suos dixerit, uideri sibi felicem se esse, quòd sibi fortuna Themistoclem amicum dedisset. Cuius rei tanta eum lætitia cœperat, ut sæpe noctu experrectus, ministros rogaret, An secum Themistocles esset. Huiusmodi autē uerbis congruentia addidit facta: urbes enim opesq; ingentes ei dono dedit. Plut. & Probus in Themistocle.

Gliscente bello Peloponnesiaco, Lacedæmonij pro certo habentes, undequaq; remissiores se oppresso PERICLE præbituros Athenienses, iusserunt eis piaculum eiicere, quo erat, ut tradit Thucydides, ex genere materno contactus Pericles. Verùm cœptum iis, qui miserant, longè aliter cecidit: quippe pro suspicione & inuidia, fidem & existimationem Pericles ad populum multò accepit maiorem, hostes cùm cernerēt eum præcipuè & odisse & metuere. Plut. in Pericle.

ALCIBIADES, cùm in Hellesponto Selymbriæ proditionē occupandæ facta spes esset, & signum maturius aliquantò, quàm conuenerat, proditores extulissent, ueritus, ne patefacta proditione tanta è manibus occasio elaberetur, cum triginta tantùm ad urbem successit, dum cæteri arma capiunt. Cum his audacissimus imperator, & uiginti aliis, qui urbem per patentem portam irrumpenti superuenerant, Selymbriā occupauit. Oppidani tumultu exciti, postquam hostem in urbe esse cognitum est, consternati ad arma currūt. Et iam ex aduerso aciē instruebant in paucos ituri, cùm Alcibiades suæ fortunæ confisus, nouo fiduciæ exemplo, caduceatorem ad Selymbrianos, In conspectu aciem explicantes mittit, qui tuba silentio facto, Alcibiadis nomine denunciat, ne priùs quicquam mouerent, quàm eum pauca dicere uolētem audiuissent. Qua uoce haud aliter omnes Selymbrianorum conatus conciderunt, quàm si tum omnes Atticæ copiæ in procinctu stetissent. Tanta tum unius hominis erat apud hostes admiratio, major meo iudicio, quàm Cæsaris postea apud Pompeianos fuit, cui paruo nauigio sedenti C. Cassius cum nauibus aliquot rostratis cessit. Ille aperto mari uectus in tutum, si hostis minus obediens fuisset, fuga sese periculo subtraxisset. Hunc hostili muro cum paucis inclusum cadere haud dubiè oportuit, nisi fortia audenti fortior fortuna indulsisset. Circumegit ille hostes fando, tam diuq; ab eorum, quæ fiebant, sensu, Silymbrianorū animos auertit, quoad ex improuiso totus in urbem exercitus irrupit. Sabell. lib. 8. Enn. 3.

Alexander Thessaliæ tyrannus, cùm Pelopidam ad se à Thebanis missum perfidè in uinculis retinuisset, & eam ob causam Thebani contra illum exercitum comparassent, duce Cleomene: hostes ille ad Thermopylas ex insidiis circumuenit. Tum Thebani omnes uno ore magistratum EPAMINONDÆ (qui propter inuidiam inter ordinarios militare coactus fuerat) detulerūt. Id quamprimùm Alexander resciuit, Epaminondæ successum ueritus, Pelopidam ultrò dimisit. Pausanias in Bœoticis.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus, dux fortissimus, cōtra Messenios, quamuis febri laborans, profectus, uulnere accepto, uiuus in potestatem hostium uenit. Messeniorum plebs cum propter rerum gestarum magnitudinem, contra locupletum iniuriam defendere, sed nimis serò, studuit. Plut. & Pausanias in Arcadicis.

Occupata Roma à Gallis, Brennus relicto ad Capitolium pręsidio, cùm per forum descenderet, deorū SACERDOTES, senesq; cōsulares & triūphales thensis uestitos, in eburneis sellis sedentes offendit. Substititq; miraculo uirorū eo ornatu & silentio considentiū: ꝙ neq; assurgerent aduenientib. hostibus, neq; uultū coloremue mutassent: sed soluti & intrepidi scipionib. quos manu tenebant, innixi, & in se mutuò uersi, quiescerēt. Huiusq; rei cōmotos miraculo Gallos diu cunctatio eos attrectandi accedendiq; uelut augustiores tenuit. Plut. in Camillo. & Val. lib. 3. cap. 2.

TIB. Gracchus quæstor designatus, consulem C. Mācinum ad bellum Numantinum sequutus est, hominem non malum, sed ducem Romanum omnium infelicissimū. Qui cùm ingentibus fusus præliis esset, adortus est nocte relictis castris se recipere. Cæterùm odorati id Numantini, cœperunt extēplò castra eius, exercitū insecuti fugientem sunt, extremum

agmen conciderunt, omnes circumuenerunt copias, conieceruntq; in loca aspera, unde nullum patebat effugiũ. Hic diffidens ui expedire se salutẽ posse Mancinus, legatos misit ad illos, inducias & pacẽ flagitatum. Illi uerò fidẽ negauerunt adiungere se, præterquàm uni Tiberio, ulli, atque ut hic mitteretur ad se, poposcerunt. Expetiuerunt id tũ ipsius uirtute adolescentis, ꝙ nomen eius in castris foret ingens: tum patris memoria Tiberij, qui bello cum Hispanis gesto, multisq; domitis, fœdus cũ Numantinis fecerat: quod seruari à populo rectè atq; ordine præstiterat illibatũ. Ita missus Tiberius egit cum Numantinis: ac quædã ab iis impetrans, quædã concedens, fœdus fecit, atq; uiginti millia ciuiũ, extra seruitia & lixas, non obscurè conseruauit. Quicquid autẽ relictum in castris fuerat, eo potiti Numantini omni sunt & diripuerunt. In his tabulæ erant Tiberij, in quibus quæsturæ acta & rationes continebantur, quas recipere magni faciens, cùm exercitus iam in itinere esset, tribus aut quatuor amicis comitantibus eum, regressus est Numantiã. Excitos Numantinorũ magistratus orauit, ut tabulas sibi redderẽt, ne iniquis calumniãdi præberet ansam, quòd referre rationes non posset. Læti oblata præstandi beneficij occasione Numantini, inuitauerunt eum, ut urbẽ ingrederetur. Vt deliberabundus constitit, propiùs accedentes, manus eius corripuerunt, maiorẽ in modum precantes, ne ultrà in hostib. numeraret ipsos, sed uteretur pro amicis, & fidem haberet. Itaq; uisum Tiberio est morem eis gerere, tum tabularũ desiderio, tum timens etiam exasperare diffidentia Numãtinos. Ingresso urbem primò prandium proposuerunt, atq; obsecrauerunt enixè, ut aliquid communi mensa secũ cibi caperet. Inde tabulas ei reddiderunt, iusseruntque ut de reliqua preda sumeret, quicquid ei cordi esset. Ille uerò præter thus, quo ad sacra publica utebatur, nihil cepit: atq; ita postquã eos comiter salutauit, digressus est. Vt Romã rediit, pacem eam totam exagitauerunt & insectati sunt, ut indignã & fœdã ciuitati. At militum necessarij, quæ portio erat ingens populi, concursu ad Tiberium facto, quod inerat rei gestæ maculæ, adscribebãt duci, salutẽ uerò tam multorũ ciuium ei tribuebant. Hic uerò præcipuè suam erga Tiberium beneuolentiam & studium declarauit populus: qui consulem Numantinis nudum & uinctum iussit dedi, cęteris omnibus Tiberij causa pepercit. Plutarchus in Tiberio.

PAVLINVS presbyter Antiochenus sub Eustathio episcopo, eo in exilium pulso, eam populi partẽ, quæ orthodoxa fuerat, instituere cepit, & in fide retinere: cumq; Ariani spaciosissima templa occupassent, ipse in parua quadã æde docebat, etiã Arianis ipsis eius caniciem & humanitatem colentibus, ut nihil ei molesti esseat, ne ipse quidem Valens Imp. orthodoxorum persecutor summus. Socrates lib.3.c.6.& 9.

EPIPHANIVS Salaminæ Cypriorum metropolis episcopus, tanta fuit apud omnes ueneratione, etiam hæreticos & Arianos, ut Valens Imp. Arianus uim ei nullã intulerit. Piaculum enim hæretici existimabant, uirum tãta præstantem pietate & eruditione, persecutione aliqua incessere. Socrates lib.6.cap.12. Sozomenus lib.8.cap.14.

IOSCELINVS Comes Edessanus, à Latinis in Syria creatus summus bello dux, ueteranusq; imperator, cùm æger in cubili iaceret, immensasq; Barbarorũ copias appropinquare haberet exploratũ, iussit filium eodẽ nomine Ioscellinum in eos ducere. Iuuenis tergiuersabatur, multitudinẽ hostium horrẽs. Pater senex ægerq; lectica latus, aciem instruxit tanta arte, ac ita milites acuit, ut de uictoria non dubitaretur. Hostis senem ipsum imperare, ac inter tela uersari ubi primùm accepit (quem ætate ualetudineq; infirma militarib. imperatoriisq; muneribus abstinere crediderat, & de ioue ne sibi certam uictoriam spoponderat) signa conferre non ausus, discessit. Mortuo seni filius successit. Aemil.lib.5.

Mahometus II. Imp. Turcorum, uoluit se palàm laudari, cunctisq; summis Imperatoribus ac regib. quotquot sunt aut fuerunt uspiã gentium, gloria anteponi. MATHIAM Hungariæ regẽ solum excipiebat, quẽ etiam Principis nomine strenui ornabat. Eius certè patris IOANNIS Huniadis morte per Gregorium Seruiæ Despotum nunciata, totum penè diem mœstus obmutuisse fertur, cùm mortem tãti uiri licet hostis, ob summam uirtutem crudelissimus tyrannus doleret. Cuspinianus.

ALFONSVS Aragonius ad Troiam memorabili prælio hostes uicit. Eques unus in conflictu regi obuius, ubi cæteris ornatiorem esse uidit, impetu in illum inuectus, quis esset interrogauit. Tum rex, Rex sum Alfonsus, respõdit. Qua uoce uelut sidere tactus eques, properè ex equo descendit, genuaq; eius amplexus sese illius clementiæ dedidit. Lud. Dominicus lib.1. Var. hist. ex Panormita.

EIVSDEM quoq; licet uicti & capti à Genuensibus, tãta fuit auctoritas, ut nihilominus cõditiones dixerit, & uictores uisto, metu cesserint, uictoriam casu non uirtute se cõsecutos arbitrati. Panorm.lib.4.de rebus gestis Alphonsi.

FRANCISCO Sfortiæ Mediolanẽses hostes occurrerunt ad Briuium: quibus ille obuiam profectus inermis, capiteque detecto, tantum auctoritate orisq; maiestate apud illos ualuit, ut abiectis armis, omnes sese illi subiecerint, manusq; ipsius apprehendentes osculati sint, & non multo pòst mutato consilio, ducem illum in urbem deductum cuncti salutarint. Nẽpe multo maius id in Sfortia fuit, quàm in Scipione, cùm in latrones incidit: quòd illi ut spectarẽt Scipionem ad eum iuerant: hi correptis armis castella Francisci inuaserant, ut adimerent. Egn. & Fulg.lib.2.cap.5.

CAROLI Zeni Veneti, qui decem annos apud Galeacium Vicecomitem in summa gratia fuit & auctoritate, in patriam reuersi domũ, legati Genuẽsium sæpe subiere, sermonemq; cum eo familiarem miscere soliti erant, atq; etiam domo quandoq; exeuntem in publicum benignissimè comitari: tametsi meminissent, Genuensem classem sæpe eius uirtute uictam: Bichinoniam nauim captam, Clodiam receptam: uictum nauali apud Methonem prælio Bucicaldum Genuensium classis præfectum. Egnat.lib.2.cap.5.

M.ANT. Columna tormento grauiter uulneratus fuerat, Gallis & Venetis Veronam obsidentibus. Odettus Lotrechius Gallus Insubrum præfectus, tametsi hominem, qui omnib. bellis acerrimus Gallorum hostis extitisset, publicè oderat, atq;, ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ auidus, plurimum aduersarij ducis incommodo lætaretur: tamen quũ singularis uiri casum magnoperè doluisset, & medicum obtulit, & quotidie ad eum grauissimarũ rerum munera, sicuti morbus & afflictæ urbis miseria flagitare uidebantur, officiosè humanissimeque transmisit. Erat enim M. Antonius maximarum uirtutum gloria, etiam apud hostes illustris. Sab.supplem.lib.8. ex Iouio.

Præceptores.

Aristoteles THEOPHRASTVM successorẽ sibiipsi delegit. Consultus à discipulis de scholę successore, uino Rhodio & Lesbio, uti petierat in medium allato, & utroq; degustato, Rhodium quidem generosum atq; firmum uinum, sed Lesbium dulcius esse, pronuncians, Menedemo Rhodio Theophrastum Eressium è Lesbo nõ obscurè prætulisse uisus est. Gellius lib.13.cap.5.& Laert.lib.5.cap.1.

Discipulos.

☞ *Consule Tit. Fidei & Amoris erga præceptores.*

Auctor est M.Tullius, tantum existimationis apud suos essea deptum PYTHAGORAM, ut si quid affirmarent in disputando, quum ex eis quæreretur, Quare ita esset? respondere non uererentur, Αὐτὸς ἔφα, hoc est, Ipse dixit: ipse autem erat Pythagoras. Tãtum opinio pręiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret auctoritas. Cælius lib.19.cap.7.A.L.

QVOMODO, SIVE QVO EFFECTV. OCCASIONE HVius auctoritatis

Seruati.

Excisa Iotapata Galileæ urbe, Vespasianus omni studio IOSEPHVM ducem Iudæum, qui magna prudentia & fortitudine Rom. repugnarat, inquisiuit, ut uiuũ caperet. Cúmq; in spelunca quadam latentem comperisset, Nicanorem tribunum misit, qui data fide eum educeret. Eductum facta corona milites omnes admirabantur & circumstabant, in primis uerò Titus Vespasiani F. fortitudinis ergô uitam ei apud patrem impetrauit, néue Romam ad Neronem mitteretur effecit. Quinetiam eum postea semper inter domesticos habuit. Iosephus lib.3.cap.14.

Cùm plebs Campana in gratiam Hannibalis SENATVM perdere constituisset: Pacuuius Calanus huic instituto fauere simulans, ut tamen auerteret, suasit eis, ut priùs de alio sufficiendo paciscerentur: At cùm non inueniretur, qui honestè in Senatu legi posset, deteriorũq; electionis puderet, de Senatus mutatione integra res relicta est. Liuius.

Cùm Xerxes apud Sciathum tres præsidiarias Græcorum naues, Trœzeniam, Aegineticam & Atticam cepisset: PYTHIVS Ischenoi F. miles præstantissimus, qui in Aeginetica fuerat, eousq; pugnãdo etiã naui capta restitit, donec totus dilaniatus est. Quẽ collapsum, adhuc tamẽ spirantẽ, Persæ admiratione uirtutis seruarunt, uulnerib. myrrha medentes, sindoneque byssina & fasciis obligantes: atq; in castra sua reuersi, hominẽ uniuerso exercitui ostentabant admirabundi: cùm alios, quos in eadem naui ceperant, tanquã mãcipia adseruarent. Herod.lib.7.

DORIEVS Rhodius, pancratiasta celeberrimus, nauali bello ab Atheniensib. captus, propter gloriã nominis, incolumis dimissus est. Pausanias lib.6.

C.MARIVS in profundum ultimarum miseriarum abiectus, ex ipso uitæ discrimine, beneficio maiestatis emersit. Missus enim ad eum occidendũ in priuata domo Minturnis clausum, seruus publicus natione Cimber, & senẽ & inermẽ & squalore obsitũ, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate uiri obcæcatus, abiecto ferro attonitus inde ac tremẽs fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, deuictæq; suæ gẽtis interitus animum cõminuit, etiã diis immortalibus indignũ ratis, ab uno nationis interfici Mariũ, quam totam deleuerat. Minturnẽses autem maiestate illius capti, cõpressum iam & constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt: nec fuit eis timori aspertima Syllæ uictoria, cùm præsertim ipse Marius eos à cõseruando Mario absterrere posset. Val. lib.2.cap.5.

Magno SFORTIÆ ad Calorem amnem apud Beneuentum, pridie, quàm à Iacobo rege & à coniuratis custodiæ traderetur, profluentis uadũ tentãti, disiunctoq; à suis, ad id delecti equites, districtis repẽtè gladiis, & adactis equis, uim afferre decreuerant. Sed ille quãquam nihil tale suspicaretur, quum sine consilio suo quædam turbarius, quàm pro pacati & nihil hostile timentis agminis consuetudine, imperari & circumagi uideret, tanto animi uigore sub uexillo agmẽ composuit, & galeatus ferocem equum, quo in præliis uti erat solitus, conscendit, ut coniurati quo minus tela expedirent, solo illius aspectu terrerentur. Ionius in eius uita.

Libertate donati.

PAVLINVS Nolanus episcopus, post Valẽtiniani III. Imp. mortẽ, à Gẽserico Vandalorum rege cum Nolanis ciuibus permultis captiuus in Africã perductus, ob conspectus uenerationem, mansuetosq; mores, atq; ingentem uirtutem, dignus habitus fuit, qui nõ solùm liberaretur, uerùm etiam ut reliqui Nolani captiui cum eo, datis nauibus, atq; in multos menses commeatu, sine ullo precio, in patriam remitterentur. Fulg. & Egnat.lib.2.cap.5.& Sab.lib.8.cap.2.

Absoluti, Non condemnati.

EPAMINONDAS Thebanus reuersus è Laconia, capitis arcessebatur, quòd Bœotarchiã quatuor integros mẽses contra legẽ gessisset. Collegas igitur iussit, ut in ipsum culpam deriuarent, quòd eos inuitos coegisset. Ipse uerò in curiam ingressus, non meliores rebus gestis rationes habere se dicebat: & se quidem interfici postulabat, uerùm inscribi columnæ, quòd nolentes repugnantesq; Thebanos Epaminõdas coegerit, ut Laconicam, quingentis antè annis intactam, ab hostibus incendio ferroq; uastarent, & ut ædificaret iterum Messanam, trecentis atq; triginta annis desolatã: quòd Arcades bello in societatem compulerit, & Græcis libertatem restituere coegerit. His auditis, pudore affecti iudices, liberum pronunciarunt. Cumq; regrederetur è curia, & Melitẽsis catellus blãdiretur cauda, dixisse fertur ad præsentes: Hic mihi, inquiẽs, pro beneficio gratiam reponit: at Thebani, de quibus sæpe multumq; sum pręclarè meritus, mortem mihi iudicio inferre uoluerunt. Aelianus de Varia historia lib.13.

Cùm P. SCIPIO Africanus post egregia sua facta, à M.Næuio Trib.pl. apud populũ accusatus esset, quòd à Rege Antiocho pecunia accepta pacis cõditiones mollissimas regi obtulisset: die dicto, pauca quę iã præfatus, Hic est ille dies, Quirites, inquit, qua Hannibalem uici, Carthaginem tributariã feci, patriã maximo periculo liberaui. Eamus hinc in Capitoliũ, gratias diis immortalibus acturi. Excitatus his uerbis populus, relicto Tribuno, Scipionẽ in Capitoliũ comitatus, atq; inde ad ædes eius cũ gratulatione solẽni prosecutus memoriã factorũ reuocauit, ex quo omniũ gratia absolutus est. Historiã pete ex Liuio, Plut. Gell.lib.4.cap.18.

Q. METELLI & M. AEMILII Scauri tãta auctritas fuit, ut etiam delicti suspicionẽ regere potuerit. Ille iam senex cùm diceret causam de Repetundis, ipsiusq; tabulæ ab accusatore postulatæ, ad nomen inspiciendum circumferrentur in iudicio: uniuersum cõcilium ab earum inspectione oculos auertit, ne de aliqua re, quę in tabulis relata esset, uiderẽtur hæsitasse. Itaq; absolutus est: nec enim in tabulis aut rationibus, sed in uita Q.Metelli argumenta sincerè administratæ Prouinciæ legenda sibi iudices crediderunt: indignũ rati, integritatem tanti uiri exigua cera & paucis literis comprobari. Scaurus etiam senex, cùm à Vario Tribunoplebis argueretur, quasi Socios & Latiũ ad arma coegisset: uel (ut Valerius ait) cùm pro Rostris accusaretur, quòd à rege Mithridate ob Remp. prodendã pecuniam accepisset, ita Populum interrogauit: Varius Sucronensis Marcũ Aemiliũ Scaurum regia mercede corruptum, imperium Populi Ro. prodidisse ait: M. Aemilius Scaurus huic se affinem culpæ esse negat. Vtri creditis? Huius dicti admiratione Populus cõmotus, qui summam uirtutem rei & continentiã, accusatoris nequitiam & uilitatem nosset, Varium ab hac accusatione depulit. Ex Valerio Maximo, lib.2.cap.5.& lib.3.cap.7.& ex Plinio de Viris illustribus, P. Aerodius lib.2. Decretorum.

A. Attilium Calatinum, Soranorũ oppidi proditione reũ admodum infamem, imminentis ac certæ damnationis periculo, Q. MAXIMI soceri fides, integritas, cognita uirtus, maiestatisque ac securitatis plena affirmatio, subtraxit. Iurauit enim, si in eo crimine sontem illum ipse cõperisset, diremiturũ se fuisse affinitatẽ. Igitur Populus Romanus (non enim aliis iudicãtibus fortasse licuisset) penè iam exploratã sententiam suam, unius iudicio concessit: indignum ratus, eius testimonio non credere, cui difficilimis Reip. temporibus, exercitus se credidisse meminerat: cuiusq; generũ tanti et tã acerbi criminis, quod nunquã unius esse potest, non facilè condẽnaret, quin aliqua semper ad socerũ delicti suspicio perueniret: quẽ de ista proditione, si ullũ aliũ, nihil ignorasse uerisimile uideretur. Aerodius ex Val.Max.lib.8.cap.1.

Matrimonio cohonestati.

☞ *Vide Tit. Matrimonia oblata. Quatenus Existimationis effectus est oblatio ista.*

Dauid ABIGAILIS prudentiã tantopere fuit admiratus, ut mortuo Nabale eius marito, eam in matrimonium petere non dubitarit. 1.Reg.25.

NVMA Pompilius, Pomponii Sabini, qui Curibus Sabinorũ oppido habitabat, F. dum omnẽ luxũ domo & delicias exigit, omnibus ciuibus & peregrinis integrum se in iudicãdo & cõsilio dando præbet: otium suũ non in lustris & quæstibus ponit, sed in religione deorũ immortalium, & in contẽplanda per rationẽ eorum natura & potestate: ingẽti nomine fuit & gloria: ut Tatius ille, quem consortẽ regni habebat Romulus, unicam filiã ei Tatiam nuptum daret: mortuo qu netiam Romulo à Romanis in regẽ electus fuerit. Plut. in in Numa.

FVLCO Comes Andegauẽsium, centũ equitum cataphractorum comitatu in Syria aduersus impios præclara edidit facinora, mortua prima uxore Viberga. Domũ regressum Balduinus rex senex de successore sollicitus, suasu amicorũ toto ex orbe terrarum delegit, cui maiorẽ filiam Melisẽdam in spem successionis collocaret: Elisa minor Boemundo iuniori Antiochiæ principi desponsa fuit. Cõsilium prudens, fidumq; ac felix. Iuit Andegauensis: soceri senectutem piè texit: in Barbaros res summa uirtute gessit: superauitq; spẽ, quę de illo concepta erat. Anno eius seculi tricesimoprimo decessit Balduinus rex: sucessit Andegauensis. simul in Antiochensi principatu, bello Barbarorum occiso Boemundo iuniore, eius unicæ filię Constantiæ uir, qui rem Antiochensem capesseret, deligendus erat: cuius optionis arbitriũ ad Fulconem regem reiectum est. Affectuum suorũ rationem non habuit: RAIMVNDVM sui paterniq; inimici Gulielmi Aquitanorum ducis filium minorem (maior in Ducatum patri successerat) dignissimum eo munere nuptiarum censuit, cuius fidei uirtutiq; ipse principatum Antiochensium, beneficiũ suum, secundasq; in Oriente partes cõmitteret. Ita opes Asiaticæ Latinorũ uirtuti nobilitatiq; dotales erant: & Francorũ nomen tã illustre, ut omnes Latinos Francorũ nomine barbara religio censeret. Aemilius lib.5.

In amicitiam recepti.

☞ *Ex Tit. Amicitiæ uirtutis nomine conciliatæ, hæc quædam.*

Abimelechus Gerarorũ rex in Palęstina, cùm ISAACI prospęritatẽ & opulẽtiam uideret, quãuis eũ expulisset, tamẽ cum eo fœdus ultrò percussit, ne alter alteri noceret. Genesis.26.

Dionysius tyrãnus minor, PLATONI Athenis accito tãtum fide[illegible]it, ut solũ ad se non prætentatum à satellitib. admitteret. Plut. in Dione.

Nicolaus Damascenus Antiochiæ, quæ apud Daphnem est, Indorum legatos uidisse se ait, qui ad Cæsarem AVGVSTVM uenerant, & quidẽ plures ex epistola significabantur, sed tres tantùm seruati erant, cæteri longitudine uiæ perierant. Addit, epistolam Græcam fuisse in mẽbrana scriptam, in qua significaretur, Porũ esse, qui scriberet, & cùm sexcentis regibus imperaret, Cæsaris tamen amicitiã multifacere, & paratum se quocũq; uoluerit, aditũ exhibere, & quibuscunq; rectum fuerit, opitulari. Allata præterea esse dona. Strabo lib.15.

CAROLI Magni Rom. Imp. tãtus terror, is nominis eius armorũq; metus non solùm Græciã, uerùm etiam Africam & Persiã penetrauit, ut Aegypti, Africę Persarũq; reges, missis legationibus ac muneribus, ultrò amicitiã eius ambirent. Abdalla certè Medorũ atq; Persarum satrapes, orator regis sui cũ legatione Palestinorũ Carolũ accessit Aquisgrani, ultima Quadragesimæ septimana anni 806. Auentinus lib.4.

Sacro magistratui præfecti.

AMBROSIVS præfectus Medionalensis, tãtæ apud suos fuit auctoritatis, ut mortuo episcopo Auxentio, cùm de successore in partes diuisa esset ciuitas, eum illi, quamuis inuitum, substitueret.

REMIGIVS XXII. ætatis anno, Gennadio episcopo Remẽsi mortuo suffectus est, nolens & inuitus, propter singularem pietatis opinionem. Repugnantis caput inusitatus luminis radius circumfulsit, et oleum incerto auctore capiti eius instillauit. Hinc marus in eius uita.

Cùm GERMANVS præfectus Antisiodorensis ingressus esset templum, Amator episcopus ex improuisò cum sacerdotibus eum circumstans, manus ei imposuit, & episcopum creauit etiam repugnantem. Quem gradum tamen mortuo Amatore suscepit, in eoque contra hæreticos acriter pugnauit, circa annum Christi 420. Centuria hist. Eccl. 5.

THALASSIVS, ex præfecto Illyrici Cæsareo, episcopus etiā inuitus constitutus fuit à Proclo Constantinopolitano Episcopo. Centuria hist. Eccl. 5.

NECTARIO Tarsensi senatori ad episcopatum Constantinopolitanum aditum fecit sola grauitas morum, & àuctoritas, sub Theodosio. Centuria hist. Eccl. quarta.

Cùm schismate discissa esset Christi tunica, ad diuersos potifices inclinante uariis studiis ecclesia, in Constantiensi concilio, (ubi Cardinalium numerus duos & triginta superabat:) abdicatis pontificatu Ioanne, Gregorio atq; Benedicto, miro omnium consensu pontifex creatus fuit Odo, gente Columna ortus, & MARTINVS V. appellatus: unum illū ob singularem uirtutem, bonitatem atq; doctrinam, tanto honore dignum duxerunt: neq; ipsorum suffragiis, sed à Deo electum ferebant. Fulgos. lib. 8. cap. 16.

Reges facti.

☞ *Consule Tit. Imperij acquisitio per Electionem.*

Duces belli creati.

Cùm Galaaditici populi principes grauiter oppressi ab Ammonitis & Palæstinis apud Maspham castra haberent, ita inter se conuenerunt, ut qui primus pugna cum hostib. conserere auderet, is in omnium Galaaditarū principatum assumeretur. IEPHTHA quidam, uir fortissimus, Galaado genitus, sed spurius, à fratribus suis pulsus, in terra Toba consederat, & perditorum hominum manu collecta excursiones faciebat. Eum senatores Galaaditarū, ducem elegerunt. Is Ammonitas domuit. Iudicum cap. 11.

Interfecto Iuda Machabæo Bacchides Demetrij dux, conuocatis ad se Iudæorum desertoribus, qui religioni patriæ profanos ritus prætulerant, his administrationē regionis commisit: qui comprehensis Iudæ amicis & fautoribus, Bacchidæ eos tradiderunt: & is tortos primùm cruciatosq; ad libitum, postremò omnes ad unum enecauit. In hac tanta calamitate constituti Iudæi, quantam post captiuitatem Babylonicam nunquam experti fuerant: quotquot erant reliqui ex Iudæ sociis, ueriti gentis interitū, adierūt IONATHAM Iudæ fratrem, rogabantq; ut germani æmulus fieret, qui ad extremum halitum libertatem propugnans, præclaris conatibus sit immortuus: nec sineret totam gentem sine præside uenire in extremum saluris periculum. Tum Ionathas paratum se uel ad mortem obtulit pro tutela populi, & uisus dignus, qui Iudæ fratri suo succederet, communibus Iudæorū suffragiis administrandæ militiæ præfectus est. Iosephus lib. 13. cap. 1. ex 1. Machab. 9. Quadriennio pòst Alexander rex etiam pontificatum ei concessit. lib. 13. cap. 5.

Lacedæmonij ingenti strage ad Arginusas affecti ab Atheniensibus, Ephesi congregati, decernunt certos Spartam mittendos, qui LYSANDRVM classis prætorem designari postulent. Eius nanque ductu quum classem prætor olim regeret, multa præclara facinora fuerant edita, reique militaris & arti[redacted] cæteros lōgè superare [redacted] Cæterùm [redacted] lege prohibitū erat, Eundem bis prætorem in eandem expeditionem mittere. Itaq; patrium morem abolere nolentes, Arato classis ius præturamq; tradūt, Lysandrumq; cum [redacted] proficisci iubent, duciq; man[redacted]nt, uti nunquam à Lysandri consiliis discedat, nihilq; aduersus eius sententiam audeat. Diod. lib. 13.

C. Fabricius Lucinus P. CORN. Ruffino fortitudinis causa cōsulatum detulit, quamuis ei propter auaritiam infensus ualde esset. Gellius lib. 4. cap. 8.

Clade ad Thrasymenum nunciata, Romani præ terrore nec cōsistere animi, nec in gradu permanere potuerunt. Conueniunt igitur in unam sententiam, libero & soluto reipub. opus esse imperio, quod uocant Dictaturam, & uiro, qui seuerè eam & intrepidè administret. Q. FABIVM Maximū eum esse, qui pares maiestati imperij eius animos grauitatemq; habeat morum, & id sit ætatis, quà mentis consiliis adhuc uiuidæ corporis uires respondeant, & attemperatus ad prudentiam feruor sit. Plut. in Fabio.

L. MARTIVM equitem Romanum duo exercitus, P. & Cn. Scipionum interitu, uictoriaque Hasdrubalis lacerati, ducem legerunt: quo tempore salus eorum in ultimas angustias deducta, nullum ambitionis locum relinquebat. Valerius libro 8. capite 16.

Vrgente bello Macedonico, cùm Perseus Romanos duces sæpe fudisset, de duce perito contra tantum regem mittendo consultabant Romani. Is L. PAVLVS Aemilius erat, prouecta iam ætate, & annos nat⁹ circiter sexaginta: sed corpore uiuido, succinctus propinquis & filiis iuuenibus, item potentium amicorum frequentia & necessariorum, qui omnes suaserunt ei, ut consulatum deferenti morem gereret populo. At ille fastidiosius primùm reiiciebat plebem, & quasi auersus à magistratu gerendo repudiabat munus eius & studium. Verùm cùm quotidie assidui essent ad iannā eius, atq; in forum eum euocarēt increparentq;, paruit. qui simul ut in cœtu candidatorum consularium apparuit, non consulatum uisus est accepturus, sed uictoriam & belli lætū successum adferre. Cùm hoc populo dedisset, ut in campum descenderet, omnes eum ingenti cum spe & alacritate acceperunt, creaueruntq; iterum consulem: nec sortiri, ut assolet in aliis prouinciis, permiserunt, sed extemplò prouinciam ei Macedoniam decreuerunt. Plut. in Aemilio.

Cùm Cimbri Italiam inuasissent, nemo ullus ex nobilitate uel ex opulentis familiis candidatum se consulatus est professus, sed C. MARIVM bello Iugurthino occupatum, absentē consulem fecerunt. Modò enim nunciatum fuerat, Iugurtham esse deuictum, cùm rumores de Teutonis & Cimbris increbuere. Cùm lex autem absentē, & nisi interiecto certo spacio uetaret denuò creari consulem, repudiauit populus aduersantes: quippe non modò primum arbitrabantur expedienti concedere legem, neq; alieniorem præsentem cau sam illa, ob quam contra leges consulem creauerāt Scipionem: cùm non timerent urbis suæ perniciem, sed Carthaginem cuperent euertere. Verùm cùm Cimbri in Hispaniam priùs abissent, spacium dedêre Mario militum exercendorum, & simul cùm in eodem metu perstaret ciuitas, tertium & quartum Coss. continuos ei detulerunt. Plut. in Mario.

Bello piratico grauiss. incumbēte, legem Gabinius CN. POMPEII familiaris rogauit, quæ non classis, sed planè in omnes mortales imperium & arbitrium concedebat liberum. Dabat enim ei imperium ea lex, omnis intra columnas Herculis maris, continentis totius ad quinquaginta à mari millia passuū. Præterea permisit ei ex senatu deligere sexdecim legatos, quibus singulas prouincias demandaret. Argenti ex ærario & à publicanis, quantum liberet, nauesque ducētas sumere: militum sociorumq; naualium, quantum uisum esset, conscribere. Eam legem, ubi recitata est, populus magno studio comprobauit: principibus uerò senatus & potentissimis supra inuidiam quidem uisa est, sed formidolosa illa immensa & infinita potestas. Itaque impugnauerunt legem, Cæsare excepto. Hic legi suffragatus est, haudquaquam in Pompeij gratiam, uerùm quò populum subiret, atque in se circumageret. Cæteri acerbè lacerabant Pompeium. Alter consulum, qui ad illum dixit, Romuli uestigia sectantem non declinaturum illius exitum, ferè à multitudine discerptus est. Procedente ad dicendum contra legem Catulo, magnum silentium tenuit reuerentia eius populus. Postquam hic multis Pompeij laudibus candidè commemoratis suasit, ut parcerent ei, nec periculis & bellis aliis ex aliis talem uirū obiicerent: Aut quémnā, inquit, habituri estis alium, hunc si amiseritis? omnes ūna uoce succlamauerunt: Te. Ita Catulus, ubi nihil profecit, destitit. Roscio incipienti dicere nemo præbuit aures. tū ille digitis significauit, ne solum, sed addito collega designarent Pōpeium. Ibi offensum populū adeò ferunt succlamasse, ut superuolitans foro coruus caligine captus, atq; in turbā sit delapsus. Plut. in Pōp.

Percrebuerat Oriente toto uetus & constans opinio: esse in fatis, ut Iudæa profecti rerū potirentur. Id Iudæi ad se trahentes, sub Nerone rebellarunt: cæsoq; præposito, legatū insuper Syriæ consularē suppetias ferentem, rapta aquila fugauerūt. Nero Imp. clade Cestij Galli Syriæ præsidis & Iudęorum defectione perturbatus, cùm dubitaret, cuínam res Orientis cōmitteret, unus succurrit VESPASIANVS, qui & Germanos & Britannos compresserat, cui tam periculosum bellum concrederet, Deo iam ad imperium ei uiam sternenti. Iosephus lib. 3. cap. 1. belli Iud. & Suetonius.

VICTOR Pisanus Venetus, cùm ob rē malè ad Polā cōtra Genuēses gestā in carcere esset, & capta à Genuensib. urbe Clodia, inter patricios Venetos nullus iā petere auderet, ut classi præficeretur: plebs magnis clamorib. petiit, ut Victor Pisanus eligeretur, sine quo uictoriā se assecuturā desperabat. Ea re mot⁹ senat⁹ Venetus, unà cū principe à palatio ad carcerē, ubi Victor erat, falsò accusat⁹, ob acceptā antea apud urbē Polā cladē descēdit, eductumq; è carcere eius belli ducē creauit: populiq; ac senatus iudiciū res à Victore feliciter gesta approbauit. Fulg. lib. 8. c. 16. & Platina in Vrbano VI.

Antonio Grimano, eò quòd infeliciter & negligenter rem gesserat contra Turcos, Veneti imperium abrogauere: & quoniam THOMAS Zenus, qui magni animi magnæq; uirtutis esse uir ab omni planè ciuitate existimabatur, fisco pecuniam debebat: fisci autem debitoribus antiqua lege magistratus mādari nullus poterat, uti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne esset, quo minus ei nauium præfectura quælibet attribui per Senatum possit, in lege Decemuirūm est additum. Bembus lib. 5. Historiæ Ven.

Off-

Officio honorifico præfecti.

IOSEPHVS in tanta apud Aegyptios gratia fuit, Deo fortunante, ut primùm Putipharis magistri equitum domo præfectus fuerit: deinde in carcerem præter suum meritum detrusus, à carceris magistro uinctis omnibus præpositus: tandē è carcere liberatus, secundus à Pharaone extiterit, & Aegyptum uniuersam rexerit. Genes. 39. & sequentibus.

Cùm graue æs alienum Athenas premeret, & res ad seditionē plebis contra diuites spectare uideretur, hi, qui inter Athenienses maximè sani erant, aduertentes SOLONEM præcipuè uacare crimine, neq; opulentorum in iniuria socium esse, neq; necessitatibus implicatum inopum: orauerunt eum, ut Rempublicam capesseret, & componeret controuersias ciuium. Atqui Phanias Lesbius ipsum dicit Solonem ad seruandā Rempublicā dolo utramq; partē circumuenisse, atq; ostendisse occultè egenis legē agrariam pactorum, firmitudinem pecuniosis. Verùm ipse primò se Solon dubitauisse hanc actionem refert suscipere, deterritum horum auaritia, illorum insolentia. Creatus fuit secundū Philombrotum archon, simulq; concordiæ arbiter & legislator. Fuit autē pergratus diuitibus ut locuples, ut probus pauperibus. Sunt qui dicant, Soloni sortes quoq; has ab Apolline datas:

Ad puppim residens moderator dirige cursum:
Multus Athenarum populus tua signa sequetur.

Plutarchus in Solone.

P. SCIPIO Nasica, à senatu iurato uir optimus iudicatus, matrem Deûm, tunc primùm aduectam, apudq; uirum optimū ex oraculo diuertendam, hospitio suscepit. Plin. lib. 7. c. 34.

Custodes facti rerum carissimarum.

RHODIORVM urbem præ reliquis maximè coluit Alexander Magnus, ita ut in ea de toto regno testamentum reposuerit, & alioquin eam multum promouerit. Diod. lib. 20.

Antiochus Magnus, cùm per Phrygiam & Lydiam gētes quasdam seditionum studiosas esse comperisset, Zeuxidi præfecto scripsit, uti duo millia IVDÆORVM, qui Babyloniam & Mesopotamiam incolerent, eò cum omni supellectile traduceret, & oportunis locis præsidia disponeret, immunitate tributorum per decennium proposita, & libertate religionis. Iosephus lib. 12. cap. 3.

Viridis è Scaligerorum illustri familia orta, quum supremum uitæ diem obiret, non parentis in se uoluntatem, non mariti principis erga se amorem secuta, procuratoriam fidem & VENETI nominis auctoritatem & patri & marito præposuit. Siquidem testamenti tabulis immensam auri uim Procuratoribus ipsis annumerari iussit, quæ singulis annis pauperibus ab his distribuenda esset. Id quod hodie quoq; ab eisdem summa fide seruatur. Egnat. lib. 6. cap. 6.

DOMINICVS Malatesta Ariminēsis princeps supremis suis tabulis multos fundos & agros D. Marci Veneti procuratoribus testamento moriens legauit: ex quibus diuenditis, quicquid pecuniæ cogi posset (quæ sanè immensa fuit) id totum partim sacris uiris, qui litatorium sacrum obirent, partim reliquæ egentium turbæ numeraretur. Id quod Procuratores ipsi præcipua pietate & fide, quoad per pontificē Iulium II. licuit, præstitere. Egnat. lib. 6. cap. 6.

Exempli loco aliis præpositi.

Q. MVTIVS Scęuola Pont. Max. filius P. Mutij, proconsul Asiā obtinuit: eamq; prouinciā tanta integritate administrauit, ut in posterū in eā prouinciā ituris magistratibus, exemplū atq; forma officij Scæuola præponeretur. Plut. in Sylla.

CATO iunior ob iustitiam & integritatem Romę ingens adeptus est nomen. Vnde orator quidam, cùm proferretur in iudicio unum testimoniū, ad iudices ait: Vni testi, ne Catoni quidem, standum esse. Et uulgus iam de incredibilibus & absonis uelūt prouerbio quodam dicebat hoc: Ne si Cato quidem auctor sit, esse probabile. Cùm homo quidam perditus & sumtuosus orationem in senatu de frugalitate & continentia haberet, exurgēs Amnęus: Quis, inquit, te bone uir ferat cœnantem, ut Crassus, ædificantem, ut Lucullus, concionantem nobis, ut Cato? Iam alios quoq; turpes & nullius frugi, oratione autem seueros & austeros, per risum Catones appellabant. Plut in Catone.

Consulti. In consulendo aliis præpositi.

Crotoniatæ summo studio à PYTHAGORA petierunt, ut Senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis uti pateretur. Post mortem domum eius Cereris sacrarium fecerunt: quamque diu illa urbs uiguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus est. Val. lib. 8. cap. 16.

TIMOLEONTI Corinthio pro libertatis restitutione à Syracusanis honor is datus est, ut nunquā quicquam ardui sine eo consuluerint. Plutarchus in Timoleonte.

Euersis ab Alexandro Thebis, cùm Athenienses legatis de pace missis Alexandrum deprecarentur, primum plebiscitum perhibent Alexandrum, postquam fuit ei oblatum, proiecisse, auersatūq; legatos recessisse. Alterum à PHOCIONE allatum accepit, ubi de maioribus natu audiuit Philippum quoq; patrē habuisse hunc uirū in honore: nec orationem modò & preces eius admisit, sed audiuit etiam consilium. Suasit ei Phocion, si otium expeteret, ut poneret arma: sin gloriam, à Græcis uersa trāsferret ea in barbaros. Ac multis dextrè pro Alexandri ingenio & mēte dictis, usq; adeò eum inclinauit & demulsit, ut ille diceret, Atheniensibus aduertendum rebus animum esse, quādo si quid factum esset, pertineret ad eos imperium. Plutarchus in Phocione.

Tāta BARTOLI de Saxoferrato I.C. fuit auctoritas, ut in Hispania & Lusitania more sit introductum, in diuersis doctorum opinionibus Bartoli sententiam sequi. Th. Diplouatius ex Bapt. Seuerino in tract. de Modo studendi.

Iudices, Arbitri facti.

ATHENIENSES Agesipolis Spartanorum rex iustitiæ nomine arbitros de propria lite constituit: cùm ipsi Megarenses arbitros delegissent: Turpe, inquiens, fore, si Megarenses melius norint quid iustum sit, quàm hi, qui se Gręcorum duces ac rectores præstitissent. Simul declarans & quàm suę fideret causæ, & quàm aduersariis non diffideret. Plutarchus in Laconicis apophtheg.

Bello inter se decertātes Ptolemęus Aegypti atq; Alexāder Macedonū rex, spretis multis uicinis regibus, solū PELOPIDAM Thebanum controuersiarum suarum arbitrum fecerunt, pluris bonitatem eius, quàm regna uiresq; aliorum facientes. Itaq; nullo stricto gladio, nullo effuso sanguine, pacem, quam dixerat, seruarunt. Fulg. lib. 2. cap. 5.

Cùm graue bellum in Italia gereretur, & Venetarum copiarū dux FRANCISCVS Sfortia Mediolanensis esset: Veneti & Philippus Mediolanensis dux cum fœderatis suis controuersiarum arbitrum fecerunt Franciscum: non minus illius fidei credentes, quàm antea sæpe militarē eius uirtutē fecissent. Eius igitur iudicio pars utraq; stetit, & ipse omniū Italicorum principum militaris dux creatus, initæ etiam pacis custos atq; conseruator, quod antè nemini aut rarissimis cōtigit, declaratus fuit. Fulgos. lib. 2. cap. 5.

Reges ac principes exteri ab extremis Germaniæ, Italiæ & Hispaniæ oris, ad GALLORVM senatum, uelut ad sacrum æquitatis asylum olim confluebāt. Fridericus II. Imp. cōtrouersias quæ illi cū Innocentio IV. intercesserunt de regno Neapoleos, ad eum senatū detulit: & comes Namurcensis causam egit in eo senatu aduersus Carolū Valesiū, pro comitatu Namurcensi, non ueritus gratiā tanti principis, quē iudicio superauit. Consimiliter Philippus Tarenti princeps Burgundiæ ducem in eo senatu uicit, cùm ageretur de sum[redacted] iudicio mulctatus est. Pari [redacted] dux Castillioneus eius sororius, familia [redacted] ciū ibidē [redacted] uictus est. ac rursus [redacted] fructus, & omnem causam restituere [redacted] ta ducentarum auri librarū. [redacted] amplū illustrius nullū est, [redacted] tum habitura iudicarūt, quā à Paris[redacted] portis promulgarētur. Io. Bodin. Methodi hi[redacted]

☞ *Consule Tit. Obed*[redacted]

Affectus eorum, qui obediunt, habetur ratio: hic eorum, quibus obeditur, Auctoritatis.

Pax facta.

APOLLONIVS Tyaneus philosophus, excellenti doctrina sua, ac singularis innocentiæ fama, quanquam adhuc sileret, nondum peracto Pythagoreorum quinquennio, multas Asiæ inter se decertantes urbes solis nutibus ad pacem redegit. Id præcipuè Aspendij egit, quæ urbs in Pamphylia est. Nam cùm illic propter annonæ caritatem inopes contra opulentiores tumultuarentur, nutu inopes repressit: diuitibusq; persuasit, ut erga tenues largos se præberent. Quibus ex rebus aucta eius ueneratio, etsi inops nudisq; pedibus iter faceret, non solùm apud Asiæ urbes, apud quas ceu numen colebatur, uerùm etiam à Babyloniis Indisq; regibus magnis honoribus exceptus fuit, & omni necessaria re adiutus. Fulg. lib. 2. cap. 5.

Seditio compressa.

M. POPILIVS Lęnas consul cùm esset, eodemq; tempore sacrificium publicum cum læna faceret (erat enim flamen Carmentalis) plebis contra patres seditione nunciata, ut erat lęna amictus, ita uenit in concionem, seditionemq; cùm auctoritate, tum oratione sedauit. Cicero in Bruto.

P. SCI-

P. SCIPIO Africanus, tumultuantis populi uociferatione impeditus, Me, inquit, ne militum quidem armatorum clamor unquam terruit, neq; hominum tumultus terrebit, quorum Italiam scio nouercam esse, non matrem. His uerbis repressi sunt, & tumultuari desierunt. Polyænus lib. 8.

Cùm Artabanus Parthorum rex, conspiratione regno pulsus cum cognatis & familiaribus, ad IZATEM Adiabenorum regem uenisset, opem eius in restitutionte regni petiturus: Izates honorificè eum suscepit. Scripsitq; pro eo ad Parthos, suadens, ut suum regem reciperent, fidem suam interponēs, non fore eum iniuriarum memorem. Parthi se id posse negabāt, quòd iam principatum dedissent alteri, nomine Cinnamo: timētes ne bella ciuilia exoritura sint. Cinnamus autem uoluntate procerum cognita, cùm esset alumnus Artabani, scribit ei, ut accepta à se fide reuerteretur, recepturus amissum dignitatis fastigium: à quo ille persuasus rediit. Cinnamus autem obuiam profectus, adorato & regis appellatione salutato, diadēma suo capiti detractū, imposuit. Et sic Artabanus Izatē opera in regnum suum restitutus est. Iosephus lib. 20. cap. 2. Antiq.

Est C. IVL. Cæsar dictator militari seditione aliquando exagitatus, ita tamen, ut in nullo ducum maiora interim extiterint auctoritatis exempla, quorum unum satis sit referre. Dū Africam bello petit, Romæ legionarij mota seditione missionem efflagitabant: obtulit sese ille nihilo secius sæuienti multitudini, omnibus amicis frustra reiō cātibus. Cæterūm uno uerbo, quo eos Quirites, & non milites appellauit, adeò circumegit, ut responsum sit, se milites esse; non Quirites: moxq; exauctorati ægrè precib. tenuerunt, ut in integrū fuerint ab eo restituti. Sic circa Placentiam sexta legio multata: sic C. Cassius Pompeianorum ducum unus, cùm plures ductaret naues in Hellesponto ad bellum instructas, eidem Cæsari cessit parui nauigio sedenti. Tanta uni ducum auctoritas non solùm inter suos fuit, sed superfuit etiam apud hostes. Sab. lib. 6. cap. 8.

DONVS I. Pontifex tātum doctrina & sanctitate uitæ ualuit, ut Rauennatium Ecclesiam à Romana iampridem segregatam, & ob eam rem Allocephalon appellatam, sedi Apostolicæ obtemperantem reddiderit, Theodoro eiusdem Ecclesiæ præsidē se subiicientē. Platina.

Cùm Neapolitanus populus, Ferdinando rege ad Capuā Carolo IIX. Gallorum regi sese opponere cogitante, Iudæorum trapezitarū ædes ipe prædæ diripuisset, totaq; ciuitas ad defectionem spectari uideretur: FERDINANDVS rex properè aduolās, tumultū sedauit. Erat enim adeò celso infracto animo, ac uultu maximè ad promerendam gratiā sereno, ut pro concione obnixè deprecanti, ne nefaria defectione se regem uel potiùs omnium fratrem in ipso patriæ gremio, apud omnū ordinum ciues familiariter educatum crudelissimis barbaris prodere uellent. certatim omnes fortunas ac liberos pro eius salute obtulerint, modò incolumi exercitu Capua teneretur. Iouius lib. 2. Hist.

PETRVS Lauretanus maritimæ rei præfectus, ad Callipolim Turcicam classem primus uicit: ad Rapalum Franciscum Spinulam Genuensem cepit, cum octo triremium gubernatoribus, tribusq; cōsiliariis: mox D. Marci procurator creatus, seditionem in area Marciana à classiariis remigioq;, quod frequens ex Istria & Dalmatia cōuenerat in supplementum Padanæ classis contra Philippum Mediolani ducem, concitatam, licet æger, aduentu suo compressit. Quam nec Ducis imperium, nec decemuirūm auctoritas, nec satellitū copiæ auertere potuerunt, priuati uiri maiestas coercuit, ita ut trepidi omnes diffugerent. Egnat. libro 7. cap. 1. & lib. 2. cap. 5.

DIVINI HONORES HOMINIBVS TRIBVTI.

Vide Tit. Æstus in diuinis honoribus parandis. item, Honores diuinos ambitiosè appetere. Illic Habitus circa honores uerisantis ratio habetur, hic ipsius Subiecti.

CONSECRATIO. ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.

INTER DIVOS relati Apud.

Iudæos.

Epiphanius scribit, in Sebaste, quæ quondam Samaria dicebatur, FILIAM Iephthæ Iudæorum iudicis, à patre immolatā pro numine adorari, & in eius honorem quotannis festiuitatem celebrari: libro secundo, Tomi primi, hæresi 55.

Christianos.

[redacted]

Aræ, templa, imagines, oratoria, sacella, festi & solennes dies, iciunia, uigiliæ & omnis alia cerimoniæ, quas CHRISTO regi, & sacratissimæ eius MILITIÆ decreuit humana pietas, tanto sunt cæteris honoribus, qui in terris decernuntur, maiores sanctioresq; , quanto sanctior fuit illorum uita, quàm cæterorum hominum, qui omni æuo floruēre. Sabel. lib. 10. cap. 14. Pilatus ex Hierosolymis ad Tiberium scripsit, de his quæ in Christo euenerant, deque eius dogmate. Ille super his senatum consuluit, censuitq; Christum inter deos referendum colendumq; templo. Senatus, quia prius ad Tiberium de ea re quàm ad se Pilatus dedisset, eiusmodi relatione reiecta, Christianos ex urbe reijciendos decreuit, proposito delatoribus præmio. Sed Tiberius capitali supplicio irrogato, id scelus inhibuit, ut Tertullianus scripsit. Sabellicus lib. 1. Ennead. 7.

CONSTANTINVS Magnus primus solusq; inter Romanos principes atque Imperatores, à gentilibus in numerum deorum relatus, à Christiana quoque ecclesia in sanctorum catalogo receptus fuit: diesq; uigesimus primus mēsis Martij in ipsius nominis honorem celebratus est. Nempe ei ob uirtutem, magna ipsius laude, maiore etiam omnium mortalium admiratione, contigit, ut duarum inter se plurimùm aduersantium religionum eū populi ad tantū honoris culmen reciperent. Fulg. lib. 8. cap. 16. & Alex. lib. 6. cap. 4.

D. GERMANO à Gallis non solùm in morte, uerùm etiam in uita diuini honores exhibiti: quando sanctissimam uitam duxit, hæreses extirpauit, & miserrimis Hunnorum temporibus consilio & precibus Gallis & Britannis mirabili adiumento fuit. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

DOMINICVS, auctor professionis Prædicatorum, ob uitæ suæ sanctitatem relatus est in diuos à Gregorio IX. Reate. Ritius Neapolitanus lib. 3. Regum Hispan. Platina.

Gregorius IX. Assisij petiit, an. 1228. ut quę de FRANCISCO uiro sanctissimo miracula audierat, præsens cognosceret. Quam ob rem cum in sanctorum numerum statim retulit, magno Christianorum conuentu ob eam rem habito, hæc uerba præfatus: Ad laudem & gloriam omnipotētis Deipatris & filij & spiritus sancti, & gloriosæ uirginis Mariæ, & sanctorum apostolorū Petri & Pauli, & ad honorem ecclesiæ Romanæ, beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificauit in cœlis, uenerantes in terris, de cōsilio fratrum nostrorum & aliorum prælatorum, in catalogum sanctorum decreuimus annotandum, & festum in die obitus sui celebrari. Statim cardinales, Te Deum laudamus, incipiunt: & populi uoces, laudes Dei depromunt: papa de solio descendit, & cum cardinalibus sanctum corpus de tumba leuauit, mira omnium alacritate. Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 45. & lib. 8. Saxoniæ, cap. 4.

Idem ELIZABETHAM regis Hungariæ filiā, miraculis claram, in sanctas retulit. Idē Reate. & Spoleti ANTONIVM Vlyxibona oriundum, Patauij mortuum, secundum à Fracisco ordinis Minorum auctorem, in sanctos retulit. Platina.

Alexander IIII. CLARAM uitginem ordinis sancti Francisci Anagniæ in sanctas retulit. Platina.

CAROLVS Magnus, anno Christi Seruatoris nostri 1166. Indictione 14. Imp. Friderico I. Augusto in numerum cœlitum relatus est. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum. Eius certè apud Saxones memoriæ datū, ut, quoniam Christianismi ad eos propagator fuit, exitum eius, & ad meliora transitū, inter ecclesiasticas cōmemorēt, 5. Cal. Feb. Cræz. li. Met. c. 18.

Constantinus Monomachus uxorem suam ZOEN mortuam angelis comparauit, cùm ob loci humiditatem ex eius monumento enatus esset fungus. Hunc enim signum esse dixit diuinæ prouidentiæ, ne ignoraretur, Imperatricem in cœtū intelligentium potestatum esse receptam. Zonaras.

STEPHANO Hūgarię rege, quinto & quadragesimo à morte eius anno inter diuos relato, omnes Hūgariæ principes cum Ladislao rege Albam conuenere. Celebratis inferiis, ad sancti regis monumentum peruentum est: sed lapis nulla ui loco moueri potuit. Virgo quædā, Charitis nomine, quæ haud procul à basilica in Seruatoris æde sanctissimè uiuebat, Ladislaum admonuit, lapidē tumulo dimouerī prius nō posse, quàm frater eius Salomon, quem in uinculis coniecerat, liberaretur. Rex Salomonem è uinculis continuò expediri iussit: tridui iciunium iterum indixit: tertio die lapis

lapis facillimè ablatus est. Aperto sepulcro tanta odorum fragrantia effluxit, ut uniuersam basilicam ueluti cœlesti quodam rore compleret. Ossa balsamo quodam delibuta & humecta comperere. Quibus in syndone recondiris, anulum aureum, uestis eius gestamen, in liquore disquirere occœperunt. Quem quum nulla percunctatione in arca marmorea indipiscerentur, de hauriendo liquore cogitarum. Is ubi exhauriri cœptus est, completis plerisq; phialis ac doliis nunquam penitùs exantlari potuit: nā ad singulos haustus, ui nummis iste liquor reparabatur. Quod ubi compertū est, quod fuerat exhaustū, cōtinuò reconditus ossib. infudere: & post infusionē liquor ille neq; creuisse, neq; decreuisse uisus est. Ex inuento ibidē thesauro, diuæ Virginis ara instaurata. Corpus tumulo eductū, & acclamātibus omnibus per basilicam circumlatum, mox pro dignitate recōditum: & tot edita miracula, ut nemo corpore mancus, aut ægritudine languens, uoti impos abierit. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

LADISLAVM Hungariæ regem anno CIII. post mortem, ob miraculorum multitudinem, pontifex inter diuos retulit. Eadem hora, cùm puer ad sepulcrum eius allatus esset, cui pro manib. ac pedibus informis caro erat, ubi neq; ossa neque neruos cernere erat, uix parentes pro filio uota susceperant, cum pedibus ac manibus conualuisse uiderunt. Bonfinius libro 4. Decad. 3.

Ioannes XXIII. duos Thomas in sanctos retulit, THOMAM scilicet episcopum Herfordensem, uirum nobilem genere, probatum moribus, doctrina insignem, miraculis clarum: & THOMAM Aquinatem, ordinis sancti Dominici doctorem præcellentem. Platina.

Clemens V. CELESTINVM V. pontificem, approbatis eius miraculis, in sanctos retulit, sub nomine Petri confessoris. Platina.

STANISLAVS Cracouiensium episcopus à Boleslao II. Polonorū principe interfectus, miraculis claruit, & anno 1253. centesimo & quinto ac septuagesimo post obitum, inter diuos relatus est. Cromerus lib. 9.

Clemens IIII. Viterbij HEDVIGEM Poloniæ ducissam iampridem mortuam, miraculis claram in sanctas retulit. Platina.

Sixtus IIII. BONAVENTVRAM theologum, sanctorum al bo inscribi & haberi uoluit. Platina.

Innocētius VIII. LEOPOLDVM Austriæ ducē assiduis prodigiis enitentem, sanctorum catalogo aggregauit. Platina.

Nicolaus V. BERNARDINVM Senēsem ordinis Minorum, in sanctos retulit: quòd prædicando, docendo, monendo, castigando etiam factiones Italiæ, Guelpham scilicet & Gibellinam, magna ex parte extinxerit, & Christianis hominibus bene beateq; uiuendi uiam ostenderit. Cuius corpus Aquilæ magna cum uenerationе inuisitur. Platina.

Callistus III. VINCENTIVM Hispanum ordinis Prædicatorum, & Edmundum Anglicum in sanctos retulit: ob eamq; rem supplicationibus Deo gratias egit, ab ecclesia Mineruę usq; ad sanctum Petrum continuato magno cleri ac populi Romani apparatu. Platina.

Eugenius IIII. [redacted] NICOLAVM Tollentinatem ordinis S. Augustini, miraculis clarum, in sanctos referens, à sancto Petro cum omni clero supplicando, ad S. Augustinum profectus, solennia ipse celebrauit, astante populo Romano, cardinalibusq; omnium cœtu. Platina.

BVRCARDVS Bremensis archiepiscopus, cùm officium diuinum facturus ueniret, in ipso gradu uicinus choro murus magno strepitu concrepuit. Terrefactus, quid esset demiratur. Recolens deinde, sanctorū COSMÆ & DAMIANI uenerandas ibi reliquias includi, quas à memoria ueterū Imperatorum & Principum locus ille cum aliis sanctorum exuuiis seruarat, statim uotum concepit, quòd in sequentem annum festo Pentecostes debita ueneratione sanctas reliquias eleuaret. Capsellis & cistellis in usum præparatis, per omnem prouinciam rem iussit promulgari, inuitatis suffraganeis suis ad festam solennitatem, cum multis uicinarum terrarū nobilibus ac suæ ditionis ministerialibus. Die constituto Pontifex sacras martyrum reliquias eleuauit coram oculis omnium. Quum omnia foris & intus summa lætitia & festa solennitate personarent, epulis splendidè apparatis, prælatos & nobiles excepit. Ibi militarium hastiludia secuti Bremenses iuuenes: ibi choreæ ac cantus dominarum, ibi quicquid ubiq; festum erat, percrebuit, ad præcipuam martyrū gloriam, patronorū Bremensis ecclesiæ. Die proxima, expleto iam diuino officio, ad ostium sui palatij pontifex duodecim ex ministerialibus aulicis suis honoratiores creauit milites, in honorem martyrum. Stabat loci proconsul in dolio, oblationes fidelium excipiens. Tantum congestum est auri atque argenti cum numismate signati, ut egredi cogeretur. Trecentas denariorum marcas archiepiscopo ex his contulerunt, in solatia sumtuum factorum in ea solennitate. Reliqua ad perornandam ecclesiam, & ad maiorem templi campanam opere fusili instruendam sunt collata. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 17.

Valdemarus Danorum rex omni Danica nobilitate sub edicto Ryngstadium euocata, circa solenne Ioannis quod in æstiuo solstitio colitur, & parenti CANVTO cœlestes honores, & filio Canuto regios celebrauit, maxima claritatis incrementa accepturum se ratus, si una eademque luce ex iis alterum corona donasset, ut & huius infantiam regnum reciperet, & illius spiritum publica religio consecraret. Saxo libro 14.

Anno secundo regni sui Alexander III. Scotorum rex, conuocatis ex toto regno cœnobiarchis, episcopis ac Baronibus ad Doumfermilem, celebribus ac multis supplicationibus priùs habitis, ossa MARGARITÆ atauiæ suæ in Diuos relatæ, terra effossa, capsulæ argenteæ multis ornatæ gemmis impositi. Quumque ea episcopi omnium consensu in adytum templi deportare conarentur, ac peruentum iam esset ad Malcolmi III. regis, mariti eius sepulcrum, repentè omnes immobiles constitere. Capsula enim, cui reliquiæ inerant, sepulcro Malcolmi impressa adhæsit, nec ulla ui moueri potuit. Quo miraculo stupefactis omnibus, senex quidam, Margaritam, inquit, quam marito uiuo semper exhibuit reuerentiam, eam mortuo denegare nolle: nec priùs eam in adytum deportari posse, quàm Malcolmus effossus lateri eius adiungeretur. Quod ubi regis imperio factum est, tum denique tublata cum marito in adytum delata est. H. Boëthius lib. 13.

Hadrianus VI. in catalogum beatorum ANTONIVM archiepiscopum Florentinum retulit, uirum suo æuo & pietate & doctrina singulari. Ad hæc BENNONEM, Misnensis olim ecclesię præsulem, uirum sua tempestate sanctissimum, & apud Germanos miraculis nobilem. Platina.

Clemens VII. in sanctos retulit IVONEM presbyterum & confessorem Britannicum. Platina.

Ethnicorum.

Fuit hæc consentiens obseruatio, præsertim apud Lacones, ut eximios præclarosque VIROS, qui obuiam eundo periculis, rempub. auxissent, ob egregia facinora ciuibus & patriæ exhibita, ut gratiam meriti redderent, in deorum sedes receptos consecrarent, & in cœlum tollerent, illisque diuinos honores & humano fastigio ampliora decernerētt templaque, flamines, puluinar, & aras, ac sedes immortalitatis exhiberent. Græci uerò propter beneficia uiuentes etiam cœlo consecrare, & immortalitate donare consueuerunt, quam apotheosin dixere: sicut de Platone & Agesilao legimus. atque aliis, qui in cœtu cœlestium recepti, in uita diuinos honores meruere: illisque certamina, ludos & sacra anniuersaria dicarunt, tanquam numinibus auctoribus: illis præsertim, qui tyrannos exegerunt, aut uindices libertatis fuerunt. Hi tanquam mortale fastigium egressi, omnium consensu in concilio cœlestium asciti, pro diis haberi & coli cœpti sunt. Hinc etiam Romani Cęsares, quorū opera & uirtute res Romana creuisset, & imperij fines latè propagati essent, post funera immortali memoria consecrarunt, & in deos receperunt, qui ob æternam gloriam, dij Indigetes dicti, nominibus plerunque mutatis, & nouis cooptatis: siquidem Romulus, Quirinus: Ino, Matuta: Leucothea, Albunea: Melicerta, Palæmon & Portumnus: Leda, Nemesis: Circe, Marica: Nersilia, Hora: Rhea, deorum mater: Idæa, Dindymena: Philena, Pessinuntia: & Cybele, Berecynthia, dictæ sunt. Alex. lib. 6. cap. 4.

IO filia Inachi, postea ISIS appellata, ut magna dea culta est in Aegypto: quamuis alij scribant, eam ex Aethiopia in Aegyptum uenisse reginam: & quòd latè iusteque imperauerit, eisque multa commoda & literas dederit, hunc honorem illi habitum esse diuinum, posteaquam ibi mortua est: & tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret, si quis eam fuisse hominem diceret. Augustinus libro 18. de ciuitate Dei, capite 3. Isis, regina Aegypti, post cædem mariti Osiridis in Germaniam ad Sueuum VIII. regē Germanorum uenit: frumenta incognita mortalibus inter cæteras herbas nascentia reperit, serere, molere & terere, & inde panes conficere docuit. Lanificij & olei, & uini usum monstrauit. Ob id dea credita, Sueuique eam conseerarunt, atque pro dea coluerunt. Signum eius in modum Liburnæ figurarūt, quæ doceret aduectam religionem, peregrinumq; sacrum. Discessit hinc in Italiam, Ceres ibi & Iuno cognominata. Auentinus libro 1. Annalium Boiorum.

Rex Argiuorum APIS, nauibus trāsuectus in Aegyptum, cùm ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omniū maximus Aegyptiorum Deus, uelut Sorosapis, hoc est, arca Apis mortui, σορὸς Ἄπιος. Constitutum est etiam de illo, ut quisquis cum hominem dixisset fuisse, capitalē pénderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus templis, ubi colebantur Isis & Serapis,

rapis, erat etiam simulacrũ (Varro lib.3. de Lingua Lat. Harpocratem uocat) quod digito labiis impresso admonere uideretur, ut silentium fieret: hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur. Ille autem Bos, quem mirabili uanitate decepta Aegyptus in honorem Serapis, deliciis affluentibus alebat: quoniam eum sine sarcophago uiuum uenerabantur, Apis, non Serapis uocabatur. August. lib.18. de ciuit. Dei. cap.5.

Ninus Beli F. aduersus Zoroastrem magum, regem Bactrianorum forti certamine dimicauit: & in tantam peruenit gloriam, ut patrem suum BELVM referret in Deum, qui Hebraicè dicitur בעל, & in multis prophetis maximeq; in Daniele: & iuxta Theodotionem sub idolo Babylonis, hoc appellatur nomine. Hunc Sidonij & Phœnices appellant בעל שמין Hieronymus in Oseæ cap.2.

CASTOR & POLLVX ob res præclarè gestas in deorum numerum relati fuerunt, cùm mortales essent, ut reliqui homines, ut ait Pausanias in Arcadicis. Fama est, hos nauigantibus salutares tali de causa creditos esse. Cùm ingens tempestas Argonautas à Sigæo diggressos inuasisset, atq; pro illorum incolumitate uota Orpheus concepisset, geminæ stellæ circa Castoris & Pollucis capita apparuerũt. Secuta est paulo pòst admirabilis maris tranquillitas. Quamobrem credita fuit inesse quædam in his iuuenibus diuinitas, & ignes illi cùm postea nauigantibus apparerent, Castoris & Pollucis arbitrio apparere crediti fuerunt. Hæ flammæ cùm geminæ apparent, salutiferæ putantur nauigantibus: at si una tantùm, periculosa est nauigiis: & eo magis, si tenuis illa & dira pestis, quam nautæ uocant Helenam, suo aduentu geminas flammas fugauerit. Euripides Helenam quoq; cum fratribus esse salutarem nauigãtibus, scribit in Oreste. Natalis Comes Mythol. lib.8. cap.9.

THESEO in Scyro insula mortuo exuli, nullum honorem habuere Athenienses, sed regnauit Athenis Menestheus. Filij eius priuatam uitam agentes, Elephenora ad bellum Troianum secuti sunt. Defuncto illic Menestheo, reuersi resumsere. At posterioribus seculis uisum Athenienſibus est, cùm aliis ex causis, honorem, ut heroi, Theseo tribuere, tum milites, qui in acie Marathonia aduersus Medos steterunt, non pauci uisi sunt, speciem in armis Thesei ante signa conspicere in Barbaros erumpentem. Post bellum Medicum, Phedone archonte, consulentibus Apollinem Athenienſibus, respondit uates, ut reliquias Thesei colligerent, & collocata apud se seruarent honorificè. Erat uerò & auferre illas & nosse conditorium, intricatum, propter inhospitalitatem & feritatem incolentium Barbarorum. Tandem Cimon, cùm ei capta hac insula, cupido incessisset eruẽdi ossa illius, & aquila locum cluosum ore, uti fama est, tondente & fodiente unguibus, diuina quadam sorte res animum eius subiret, aperuit locum. Reperti sunt magni corporis loculi, adiunctaq; cuspide hasta ænea cum esse. Hæc à Cimone in triremi sua deportata, ouantes Athenienses, eximia celebritate & sacrificiis, sicut reducem ad urbem exceperunt, ac media conditus est urbe prope gymnasium, quod nunc est. Est id perfugium inuiolabile seruis, & omnibus demissioribus timentibusq; potentiores: quòd tutelaris Theseus atq; auxiliaris fuisset, & benigne abiectorum accepisset preces. Sacrũ maximum ei exhibent octauo die mẽsis Pyanepsionis, quo ex Creta rediit cum impuberibus. Attamen & aliorum mensium octauo quoq; die colunt eum. Plut. in Theseo.

HERCVLES Thebanus in Cineo monte Oechaliæ unus exustus est, anno ætatis XXX, siue ut aliis placet, L. Ei ob res eximiè gestas defuncto, Menetius Actoris filius, tauro, capro & ariete cæsis, primus annua in Opunte instituit sacra. Mox Athenienses inter deos retulerunt. Secutus inde cæteræ Græciæ aliarumq; gentium consensus. Sab. lib.6. En.1.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, quem magicæ artis inuentorem Iustinus facit libro 1. ab ipso dæmone, quem frequenter uisitabat, succensus est: cui postmodò diuinos honores, tanquam amico Dei, uicinculo fulminis ad cœlum leuato, decreuerunt. Vnde & Zoroastres, hoc est, uiuens astrũ dictus est. Vide Itinerarium Clementis, & Antoninum Tomo 1. Tit. 2. capite 1.

PHILENIS fratribus, qui se uiuos sepeliri à Cyrenensib. passi sunt, ut terminos Carthaginensium extenderent, Carthaginenses diuinos honores tribuerunt. Sab. lib.2. En.6.

In Hermete, siue MERCVRIO (quem Eupolemus Græcus Mosem dicit fuisse, à Græcis Musæum appellatum, à quo Orpheus permulta didicit) tria, quæ plurimùm excellerent, inuẽta fuerunt, propter quæ dictus est Trismegistus (quod Latinè termaximum sonat: id quod Alexandro Pompeiõq; semel tantùm attributum est) nam & rex maximus in Aegypto fuit, item philosophus mira præditus doctrina: præterea sacerdotali honore, qui maximus erat, insignis: quib. de rebus, ab Aegyptiis post mortem inter numina cultus est: primumque anni mẽsem ei sacrarunt, urbemq; in Aegypto clarissimam ab eius nomine Hermopolim nuncuparunt. Fulgosus lib.8. cap.16.

TVISCO Germanorum rex, cùm bene sapienterq; annos centum septuaginta sex in regno explesset (nam uitæ plusquam ducentos compleuit) ex hac uita migrauit, anno orbis ab aquis liberati supra trecentesimum, septimo. Et quoniam ob merita suarum uirtutum, & munerum charus fuit his, quibus imperitauerat, magnum desiderium sui mortuus reliquit. Quamobrem prisci ipsum cõmuni omnium suffragio ob miraculum sapientiæ & bonitatis, sicut indigetem, & Dei interpretem, ac nuncium (id enim Germanorum lingua Tuisco ualet) consecrarunt, eundemq; pro deo habere cepe runt. Matrem quoq; eius Nertham, hoc est, terram, ex qua editum credidерunt, numinibus asscripserunt: eam interuenire rebus hominum, inuehiq; populis arbitrati. Aucutinus lib.1. Annalium Boiorum.

ANAXAGORAS Clazomenius philosophus, Anaximenis discipulus, quòd in Olympia, cùm alia, tum in siccitate maxima pluuiam prædixisset, pro deo à suis habitus est. Philostratus in uita Apollonij, & Volat. lib.13. cap.3 Anthrop.

PLATONEM philosophum & AGESILAVM regem Spartanum in cœlestium cœtum receptos, & in uita diuinos illis honores decretos, tradunt historiæ. Alex. lib.6. cap.4.

Consecratus est uiuus sentiensq; oraculi Delphici iussu, & Iouis deorum summi astipulatu, EVTHYMVS pycta, semper Olympiæ uictor, & semel uictus. Patria ei Locri in Italia: ibi imaginem eius, & Olympiæ alteram, eadem die tactam fulmine, Callimachum ut nihil aliud miratum uideo, deoque iussisse sacrificari: quod & uiuo factitatum & mortuo: nihilque adeò mirum aliud, quàm hoc placuisse diis. Plinius libro 7. capite 47.

THEAGENI Thasio, athletæ fortissimo, & 400. coronis ornato, multis in locis, tum Græcorum tum Barbarorum diui ni honores habentur, existimantibus ægris & quoplam affectis morbo, salutare eius numen esse. Pausanias lib.6.

CLEOMEDI Astypalæensi insano athletę diuini honores habiti post mortem, idq; ex responso Delphico. quod consultũ fuit ab Astypalæẽsibus de Cleomede, qui lapidibus ab ipsis petitus (ob ruinam, qua eorum liberi in literario ludo oppressi fuerat per ipsum) in templũ Mineruæ cõfugerat, ibiq; se in arcam concluserat. At postquam eam aperuissent, neq; uiuum neq; mortuum repererunt. Respondit autem oraculum his uersibus:

Vltimus heroum Cleomedes Astypalensis,
Quem iam immortalem superũ dignamini honore.

Pausanias lib.6. & Plut. in Romulo.

PHILIPPVS Butacides, Crotoniata, desponsa sibi filia Telyes Sybaritæ, Crotone profugit, abnegato que matrimonio transmisit Cyrenem. Hinc discedens, sectatus est familia rem triremem familiarium sumtu, quòd esset Olympionices, & omnium illinc Græcorum speciosissimus. Ob quam corporis speciem ab Aegestanis ea, quæ nemo alius, reportauit. Nam sepulturæ eius, heroico monumento extructo, Aegestani hostias offerunt. Herodotus lib.5.

Rhodij obsessi per annum à Demetrio Poliorcete, soluta obsidione erexerunt regum statuas, Ptolemæi, Cassandri & Lysimachi, nec non quorumuis aliorum, qui magnum ad urbis salutem adiumentum attulerãt. PTOLEMÆVM uerò pro militibus & commeatu missis in referenda gratia supérare uolentes, percontatores miserunt in Africam, qui Ammonis oraculum scisciterãtur, num consuleret Rhodiis, ut Ptolemæum tanquam deum honorarent? Cumq; annuisset oraculum, delubrum in urbe quadrangulum extruxerunt, ædificato ad unamquamq; porticum latere in longitudinem unius stadij, quod Ptolemæum appellarunt. Diod. lib.20.

Messene in gymnasio ARISTOMENIS Messenij uisitur sepulcrum, quod sanè esse inane, atq; honorarium duntaxat, negãt. Etsi enim expugnata à Spartanis Era, exul mortuus est, tamen Pythij Apollinis iussu ossa eius in patriam reportata fuere, & sacra instituta talia. Aræ destinatum taurum ad pilam non procul à sepulcro alligant. Is cùm ferox, & uinculorum sit insolens, cuadere conatur. Quòd si dum trepidat, & exilit, pila moueatur, secundum id est Messeniis omen: sin prorsus immota ea pila steterit, calamitatem sibi aliquam portendi interpretantur. Interfuisse uerò heroa Aristomenem Leuctricæ pugnæ, 187. annis post eius obitum, & auxilio Thebanis fuisse, & eius maximè opera, magna clade afflictos Lacedæmonios prædicant. Pausanias in Messenicis.

Cicero illam inter deos ROMVLI receptionem, putatam magis significat esse, quàm factam: quando & laudans eum in libris de Rep. Scipionisq; sermone: Tantum est, inquit, consecutus, ut cùm subitò sole obscurato non comparuisset, deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionẽ nemo unquam mortalis assequi potuit, sine eximia uirtutis gloria. Quod autem dicit, eum subitò non comparuisse, profectò ibi intelligitur aut uiolentia tempestatis, aut ędis facinoris que secretum. Nam & alij scriptores eorum, defectioni solis addunt etiam subitam tempestatem, quæ profectò occasionem sceleri præbuit.

De TVLLO Hostilio, qui tertius à Romulo rex fuit, q & ipse fulmine absumtus est, dicit in eisdem libris Cicero, propterea & istum non creditum inter deos receptum tali morte, quia forte sse quod erat in Romulo probatum, id est persuasum, Romani uulgare noluerunt, id est uilifacere, si hoc & alteri facilè tribueretur. Augustin. lib.3. de ciuit. Dei c.15.

HAMILCARI regi suo sacrificanti Carthaginenses, ob id q uidens suos in Sicilia à Græcis in fugã uersos, cùm ipse interea in castris permanens sacrificaret, sese in ignem conieciſſet pro salute patriæ. Herod. lib.7.

ACCA Laurẽtia meretrix, Romuli & Remi nutrix, Tarutio cuidam Tusco diuiti denupta, hæreditateq; uiri aucta, diuitias suas pòst Romulo reliquit: & ab eo parentalia, diemq; festum, pietatis causa statutum, obtinuit. Macrobius lib.1. Saturn. cap.10.

Interfectis GRACCHIS, breui pòst aperuit Rom. pop. quanto ardore & desiderio teneretur Gracchorum. Siquidem simulacra eorum fecerunt, eaq; in aperto proposuerunt. Loca, in quibus fuerant interemti, consecrantes, primitias ibi omnium, quæ temporum articuli ferunt, libabant. Multi etiam quotidie ibi sacra faciebant & adorabant, eò sicut ad deorum templa commeantes. Plutarchus in Caio. Inde illud Cornelię matris, Habere tandem filiorũ corpora digna suis uirtutibus sepulcra. Sabellicus lib.10. cap.15.

Romani suos CÆSARES, in deos recipiebant per consecrationem dictam. Cuius hæc erat ratio. Locabant in regiæ uestibulo supra eburneum lectum auro stratum imaginem defuncto principi perquam similem, tecumbebatq; pallida effigies in modum ægrotantis: circa lectum magnã diei partem assidebat senatus omnis ad læuam pullis uestibus amictus: ad dexteram lectæ ex omni nobilitate matronæ in albis uestibus (is enim color lugubris fuit in muliere olim) omni alioqui ornatu detracto. Id septẽ diebus defuncto dabatur, medicis uelut adhuc spirantem interuisentibus, denuntiantibusque in dies morbum ingraueſcere. Ad postremùm quasi tum demùm uita defunctum equestris senatorũq; ordinis iuuenes per uiam Sacram in forum deferebãt lecto in Rostris depositò, pueri puellęq; patricij generis, cõposito ab utraq; parte cœtu, hymnos in defuncti cũ canebant flebili carmine emodulatos. Dein eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium translato, ingens ibi suggestus quadrata forma, ligneа tantùm materia, contexitur, multis gradibus in phari speciem fastigio assurgentib. Singuli auro & purpura instrati, signis ex ebore factis, uariisq; picturis insigniter excoluntur, ac quo altiores illi minusq; parentes, eõ minores his imagines prominebant. Interius erat moles aridis referta fomitibus, effigie secundo gradu collocata, omnibusq; odoramentorum generib. omnuariam admotis, quæ certatim à tota ciuitate cò congerebantur. Nobilissimi iuuenes equestris ordinis trabeati tabernaculo obequitabant, motu quodam pyrrichio, solenniq; decursu. Circumagebantur & currus, quibus insidebãt rectores, personas illustrium principum gerẽtes. Ac tum demùm ab imperij successore face admota, circumfusa multitudo ab imis partibus molem incẽdit: ac simul ignis cœpit inualescere, ex ędificij fastigio aquila emittitur, quæ principis animam in cœlum ferre putabatur. Qui per hæc consecratus esset, inter deos colebatur. Ex Herodiano Sab. lib.5. En.7. Quum legimus, fastigium Imperatori decretum, intelligendam arbitrantur dignitatem humano fastigio celsiorẽ, aut templum fastigio inclitum, uel etiam consecrationem, quã & ἀποθέωσιν Græci uocant. Fastigium in hoc usu id habetur prorsum, quod acroterium Græcis dicitur. Nam in Cæsare Plutarchus ab T. Liuio proditum scribit: Ingrũente Cæsaris nece, oblatam Calphurniæ speciem in quiete, ut acroteriũ domui Cæsaris accumbens, ac senatus decreto tuenerationis & ornatus causa surrectum, opinaretur defractum comminutumq;, ac proinde (ut assolet) desiderio flesse uberiùs. Vitruuius lib.3. acroteria nuncupat angularia & mediana: uidentur autem omnino statuæ sic in ædificiis plerunq; excitari consuetæ. Cæl. lib.21. c.33. A. L.

C. IVLIVS Cęsar periit sexto & quinquagesimo ętatis anno: atq; in deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione uulgi. Siquidẽ ludis, quos primò consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimã horam. creditumq; est, animam esse Cæsaris in cœlũ recepti: & hac de causa simulacro eius in uertice additur stella. Suetonius. Quo argumento Plinius affirmare uidetur, Romæ, nec terrarum alibi, cometen in templo coli contigisse. Sab. lib.8. Enneadis 6.

C. CALIGVLA cò uæsaniæ processit, ut sibi tanquam numini sacro, fastianos, phœnicopteros & pauones mactari iusserit. Alexander libro 3. capite duodecimo.

Pop. Romanus CASSIO Chæreæ tribuno militum, interfectori Caligulæ, parentarunt. Iosephus lib.19. cap.3:

Nero CLAVDIVM patrem apparatissimo funere elatum laudauit, & in deorum numerum referre præcepit, multis ei decretis cœlestibus honoribus. Cuspinianus.

APOLLONIVS Tyaneus (cuius uitam copiosissimè descripsit Philostratius octo uoluminibus) post mortem omnium sermonibus tanquã deus cultus est; & à sacra Tyana regiis honoribus prosequutus.

M. ANT. Philosopho mortuo diuini honores ab omni sexu ordine & ætate habiti. Populus senatusq; propritum deum dixit, eoq; processit uana persuasio; ut pro sacrilego haberetur, qui defuncti imaginem non domi coleret. Templum publicè constitutum; Flamines sodalesq; dati. Potuisseq; Marcus tali exitu felix dici, si princeps omnium optimus filium omnium pessimum non reliquisset. Sabel. lib.4. En.7.

FAVSTINA, Antonini Pij uxor, Augusta tertio imperij anno obiit, & consecrata est à Senatu, delatis Circensibus atque templo, & flaminicis, & statuis aureis atque argẽteis: cum etiam ipse hoc concesserit, ut imago eius cunctis Circensibus poneretur. Tum puellas alimentarias in honorem Faustinæ Faustinianas constituit. Capitolinus.

De TEMPLA, ARAE ERECTAE, DICATAE, HONORIS ERGO.

Templa & Aræ, diuinitatis eximia sunt symbola. Eaq; propter quibus hæc tribuuntur, iisdem quoq; Diui, Dei, Sancti appellationes similes Sacra & Libamina. Consule Tit. Templa religiosè dedicata. illic Pietatis, hic Honoris habeturratio.

Apud Gaderam Hispaniæ, est templum HERCVLIS notissimum, cui & Hannibal, antequam Alpes transcenderet, profectionem uouit, & L. Lucullus decimas rerum militum dedit. Volat. lib.2. Geographiæ.

Græcia summo consensu ad AMPHIARAVM decorandum incubuit: locum, in quo humatus est, in formam conditionemq; templi redigendo, atq; inde oracula capi instituendo. Eius cineres idem honoris possident, quod Pythiæ cortinæ, quod aheno Dodonæ, quod Hammonis fonti datur. Valerius Maximus lib.8. cap.16.

AENEÆ, cùm in Numico fluuio submersus esset, templũ cõditum cũ huiusmodi inscriptione, Patri Diuo terrestri, qui fluuij Numici undas gubernat. Fuerunt qui crederent templum ipsum aliquanto antea ab Aenea in patris Anchisæ memoriam constitutum, qui uita in Latio decesserat. Sabellicus lib.7. Enneadis 1.

Ptolemæus Philopator HOMERO poetarum maximo, templum cum statua dicauit. Aelianus.

PYTHAGORAS, cùm post multa cõmoda, quibus eos, qui Crotonem inhabitabãt, affecerat, Metapontum migrasset, ibiq; extremam diem clausisset, tanta fuit eius admiratio, ut ex domo eius templum facerent, cumq; pro deo colerẽt. Ex Trogi lib.20. Iustinus.

MARONI & ALPHEO Spartanis, quorum uirtus in prælio ad Thermopylas post Leonidem regem maxime enituerat, templum fuit Spartæ erectum. Pausan. in Laconicis.

LYCVRGO Lacedæmone extat templum, ubi ut deo anniuersaria sacra ei faciunt. Fama est, cùm reliquiæ eius in patriam relatæ essent, tumulum de cœlo fuisse tactum: idq;, si discesseris ab Euripide, qui postmodum defunctus est, & in Macedonia prope Arethusam humatus, haud temerè contigisse cuiquam inter claros uiros alij. Hoc quidem suppetit magnum argumẽtum & testimonium studiosis Euripidis, quòd soli ei post fata euenerit & delatum fuerit illud, quod diis gratissimo & sanctissimo uiro antè euenerat. Extinctũ Lycurgum alij Cirræ affirmant: Apollothemis deportatum Elim: Timæus & Aristoxenus in Creta uitam finisse, & sepulcrum eius ostendi Aristoxenus ait in Pergamia iuxta uiam regiam. Plut. in Lycurgo.

LYSANDRO Spartano ob res in bello præclarè gestas & captas Athenas certatim Græciæ urbes exquisitissimos honores decreuere: à quibusdam aræ illi, ut deo cuidam, erectæ, quod Græcorum nulli antea contigerat, ut Duris memorię prodidit, Pæana eidem decantantibus. Sabellicus lib.9. Enneadis 3. ex Plutarcho.

VRBES MEMORIAE CAVSA ÆDIFICATAE.

Ad sinum Ambracium sunt naualia, in quibus Cæsar AVGVSTVS undeuiginti naues decimarum nomine reposuit, ab uno remorum ordine usq; decirremes adiungens. Memoria quoq; proditum est, & nauale & naues incẽdio prorsus extinctas esse. Condidit etiam ibi Nicopolin, cùm M. Antonium ante sinus illius ostium nauali prælio, simul & Aegyptę reginam Cleopatram, superasset. Strabo lib.7.

MOENIA HONORIS CAVSA DEMOLITA.

Quod VICTORIBVS sacrorum certaminum, cùm in urbẽ inuehuntur, ius est, murorum partẽ diruere & deiicere, hoc denotat, non magnum operæprecium esse muros urbi. Plutarch. 2. quæst. con. 5.

LVCENSES honoris causa, aduẽtante Galeacio Sforzia, Mediolanensium principe, qui Florentiã, uoti cum uxore dissoluendi causa, tendebat, demoliti fuere portam cum turri. Brutus lib. 5. hist. Flor.

ARCVS HONORIFICI.

CONSTANTINVM Magnũ, uicto Maxentio tyranno, Romanus Senatus Maximum appellauit, atque ei arcum, qui adhuc manet, sub Palatij radicibus cum hoc elogio dedicauit: Imp. Cæsari Fl. Constantino, Maximo, Pio, Felici, Augusto, Senatus Populusq; Romanus, quòd instinctu diuinitatis, mentis magnitudine, exercitu suo tam de tyrãno, quàm de omni eius factione uno tempore iustis Rempubl. ultus est armis, Arcum triumphis insignem dicauit, liberatori urbis, fundatori quietis. Quinetiam statuam equestrem posuit crucis signum dextra tenentem, atq; ita subscripsit: Hoc salutari signo, uero fortitudinis indicio, ciuitatem iugo seruitutis liberaui, & Senatum, populumq́ue Romanum in libertatem uindicaui, ac pristinæ dignitati, splendoriq; restitui. Sigonius lib. 3. imp. occid.

Eidem uictis Gothis publicũ munus Senatus Rom. excitandũ curauit, cum his uerbis: D. N. Constantino, Maximo, Pio, Felici, ac Triumphatori, Semper Augusto, ob amplificatam toto orbe remp. factis, consiliisq; S.P.Q.R. dedicante Anicio Paullino Iuniore V.C. consule, Præfecto urbi. Sigonius lib. 4. imp. occid.

PORTICVS EXTRVCTAE.

In foro Spartano omnium est operum nobilissimum porticus ea, quam Persicam appellant, quòd de Persarum manubiis est ædificata: monumentum LACEDÆMONIORVM de iis uictoriæ. Insequentibus deinde temporibus auctior & ornatior facta. Insistunt columnis & alij Persarum duces, & inter eos Mardonius Gobryæ filius ad Platæas cæsus. Est etiam illic statua Artemisiæ Lygdamidis filię, Halicarnassi reginæ. Quam aiunt ultrò contra Græcos Xerxi auxilium tulisse, & præclara bellicæ uirtutis nauali ad Salamina prælio documenta dedisse. Pausan. in Lacon.

TVRRES NON DEMOLITAE.

TITVS Imp. cùm Hierosolymam euerteret, tres turres munitissimas, & nulla arte expugnabiles, quas Iudæi metu deseruerant, solas suæ fortunæ monimentum reliquit: quòd fortunæ ductu iis esset potitus, quæ alioqui nisi fame capi non potuissent. Iosephus lib. 7. cap. 16. Belli Iud.

DOMORVM HONOS. HVC PERTINENT

Spolijs ornatæ Domus.

ROMÆ in atriis, & foribus, ac circa domorum limina, hostium spolia, quos quisque uicisset, quorumq́ue uictor extitisset, etiam enses & clypei, galeæque & currus, ac deuictarum nauium rostra, ueluti auctæ gloriæ, & fortium factorum ornamenta perpetua affigi assueuere ? quæ quantò uetustiora erant, tantò plus decoris & maiestatis habebant. Ideo nec uetustate consumta reficiebãtur, nec effracta resarciebantur. Hæc enim omnium ad se uertebant oculos, quò intuentium animos cogitatio subiret, ut pari ipsi exemplo ad magna facinora, magnasq; res inuitarẽtur. Nec solùm priuatas domos, sed porticus & deorum templa hostilibus spoliis tanquam trophæis exornare, uetusti moris erat: tantiq́ue exempli fuere, ut illa posteris non mediocris stimulatio fuerit, ne degeneres ipsi, néue ignaui tã claros triumphos turpibus factis dictisq; fœdarẽt. Adeoq; hæc propria familiæ ornamenta sunt habita, ut quamuis alienatis ædibus, nouo domino spolia & imagines refingere non liceret. Hasq; statuas, quibus splendor & uetustas familiæ notabatur, amouere, est habitũ nefas. Alex. lib. 5. c. 24.

Ianuæ priuilegium.

L. VALERIO Poplicolæ, qui primus consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratri eius, qui bis in eodem magistratu Sabinos deuicerat, summi honoris loco cõcessum est, ut domus eorum fores extrà aperirentur, & ianua in publicũ reiiceretur. Hoc erat clarissimum insigne inter triumphales quoq; domos. Plin. lib. 36. cap. 15. Erat autem hic mos Græcorum. Et hinc passim apud comicos Græcos, atque etiam Latinos, qui scenam à Grçcis mutuati sunt, Crepuere fores, legitur. Nam qui domo egrediebantur, ne prætergrediẽtes incautos non expectata apertione impellerent, interius fores pulsare solebant, ut sibi cauerent prætereuntes. M. Ant. Muretus lib. 3. Var. Lect.

Direptio domus honorifica.

ROMANVS populus domum eius, qui in pontificem eligitur, spoliare solet. Cranzius lib. 10. Metrop. c. 11.

Tribunalis ius domibus datum.

Potentiorum domos, basilicas habere ante uestibulũ, magno ornamẽto duxere ROMANI, in quibus esset tribunal, tanquam plus inesset auctoritatis, quòd iudicia publica ante ædes darentur: nõnunquã scholasticæ exercitationes & declamationes in his fierent: quippe quũ frequẽs ibi esset auditorij locus. licet basilicas foro coniunctas plerunq; legamus, in quibus conuenirent negotiatores, & merces exponerent. Alex. lib. 5. c. 24.

SAXA, COLVMNAE.

Cùm ISRAELITÆ Iordanem fluuium maximum, tempore messis, quo solet abundantissimus esse, sicco pede transiuissent, Iosua illorũ dux in medio Iordane duodecim lapides erexit, quo loco steterant pedes sacerdotum, fœderis arcã portantium, in perpetuam rei memoriam. Quinimò ex Domini mandato, duodecim uiri, ex singulis tribubus singuli, ex medio Iordanis, ex eo ipso uestigio, in quo sacerdotum fixi pedes steterant, lapides XII. ceperunt, & singuli singulos, in proximæ noctis statione, quæ fuit in Galgalis, deposuerunt. Eos Iosua eo in loco erexit. Iosua cap. 4.

SAMVEL propheta inter sacrificandũ Palæstinos, diuino auxilio per tonitrua territos, uicit: iisq́; uictis, saxum diuini auxilij inter Maspham & Sen erexit. 1. Reg. c. 7.

Aristoteles affirmat, eas colũnas, quæ nunc HERCVLIS appellantur, Abila Africæ, Calpe Europæ, antequã hoc nomẽ sortirẽtur, Briarei, alij Saturni, dictas esse. Postquã uerò Hercules terrã mareq; purgasset, & sine dubio benemeritus esset de genere mortaliũ, in honorẽ eius, Briarei memoriam ipsos deleuisse, & Herculis colũnas nominasse. Aelian. lib. 5. de Var. hist. Consule Eustathium, in Dionysium, Melam, lib. 1. & 2. Strabonem lib. 3. Philostratum de Apollonij uita lib. 5. Pindari annotationes hymno Nemeo tertio, & Hesychium in uocabulo, στήλας διςόμυς. Ipse Dionysius de situ orbis, Liberi patris columnas in extremis Asiæ partib. statuit. ἐνθάδε καὶ στῆλαι Θηβαιγενέος Διονύσου ἑστᾶσι πυμάτοιο παρὰ ῥόον ὠκεανοῖο ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν. Curtius lib. 7. Transierant, inquit, iam Macedones Liberi patris terminos, quorũ monumenta lapides erant crebris interuallis dispositi, arboresq́; proceræ, quarum stipites hedera contexerat. Brodeus in Epigr. Græcis.

THESEVS cùm agro Attico solido Megaricum adiunxisset, celebrem illam collocauit in Isthmo pilam, inscripsitq́; ad determinandum agrum epigrãma duobus trimetris. quorum id, quod Orientem spectabat, ita habebat:

Hæc non sunt Peloponnesus, ast Ionia.

Quod uerò ad Occidentem, huiuscemodi erat:

Sunt Peloponnesus hæc, haud Ionia.

Plutarchus in Theseo.

C. MENIO, qui priscos Latinos (quibus ex fœdere tertias prędæ Rom. populus præstabat) uicerat, eodemq; in cõsulatu in suggestu Rostra deuictis Antiatibus fixerat, anno urbis 416. columna posita est. Item C. DVILLIO, qui primus naualem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in foro. Item P. MINVCIO præfecto annonæ extra portam Trigeminam unciaria stipe collata, nescio an primo honore tali à populo, antea enim à senatu erat. Plin. lib. 34. c. 5.

SEPTENTRIONALES populi columnas non arte, sed casu quodam ex durissimis montib. cinericij coloris, uel terræmotu uel fulmine deiectas, altitudine XV, XX uel XXX pedũ, latitudine quatuor uel sex pedũ, statuarũ loco erigũt characterib. inusitatis inscriptas: ordine tali, ut Recta quidẽ & linearis columnarũ dispositio pugilum certamina designet: Quadrata bellatorum, Orbicularis familiarum sepulturas: Clineata uerò, trophæa ex hoste erecta. Solitudines hisce columnis sunt plenæ, præsertim circa ciuitatẽ Scarensem. Scriptura à dextra basi colũnæ ad summum ascendẽs, per sinistra deflectens in sinistrã basin definit, uel certè inde quoq; in dextrã ducta rursus ascendit, testudinis orbes imitata. Vide Olaum Magnum de gentibus Septentr. libro primo, capite 29. & 30.

Fridericus Aenobarbus Imperator, ob Alexandrum III. Pontificem, quem Veneti dedere nolebant, classe sexaginta nauium, & amplius, præfecto illi Othone filio, in Histricum usque sinum penetrauit. Cõtra quem SEBASTIANVS Cianus princeps Venetorum, nauium numero aliquanto inferior, sed animi præstãtia, & suorum uirtute multò superior, iuxta Salborion Histriæ promontorium congressus, uario quamuis interdum marte uictor euasit: disiecta uniuersa classe, triremiq; regia cum ipso Othone capta. Extat adhuc marmor peruetus in eo loco ubi pugnatum est, cum elogio rei tam præclare gestæ monimentum. Egnat. lib. 2. c. 3.

STATVAE.

☞ *Plura exẽpla pete ex Iustitia distributiua, Quibus ob uarias uirtutes statuæ sunt positæ. Obseruandum interim, quòd Statuæ merito adiunctarum inscriptionum, ad Testimonia uirtutis scripto expressa pertinent. De quibus pòst agemus.*

QVÆ, QVALES.

Annotatum est à quibusdã, statuas eas, quæ intra humani habitus staturã fierẽt, uocari Signa & sigilla, cubitales palmarésue, & si quæ essent harũ quotæ partes. Dici autẽ Pariles, cùm eius, qui exprimitur staturã undiq; præsentabimus, dariq; benemeritis, ac sapientib. uiris. Magnas uerò esse, cùm infra sesquialteram staturę continebuntur, dicariq; regibus & imperatoribus: sicut Maiores, id est, quæ ad alteram excreuerint, solis heroib. Maximæ aũt, hoc est, quando ter humani corporis statura cõtinebitur, itemq; rursus ac rursus, quamuis eas sibi Romani & barbari reges uendicauerint: propriè tamen sunt deorũ, suntq; Colossi nominatæ, uel ab auctore ipso, ut putat Festus, uel ab noxia radiorum effusione, quę fieri solet eiusmodi moles intuendo, uel à specubus uastaq; intus inanitate. Id enim esse κολόσσοτον. Grammatici statuas, quæ diis fiunt, uocari εἴδωλα putãt: quæ Heroibus ξόανα: quæ regibus, ἀνδριάντας: quæ sapientibus, εἴκελα: quæ benemeritis uiris, βρέτεα. Brodeus in lib. 4. Græcorũ Epigr.

GRÆCA res est nil uelare: at contrà ROM. & militaris, thoracas addere. Brodeus in Epigram.

A SELEVCO tradunt, cùm Alexandro immolante taurus effugisset, bestiam cornibus prehensam esse retractam: eaq; de causa capiti statuæ eius addi cornua. Suidas.

Athenienses, si quẽ ATHLETARVM uictorem designábant, statuam ei obnixo genu cum scuto, porrecta hasta, impetũ excipere effinxerunt: pro eo, quòd Chabrias milites Agesilai hoc statu impetũ excipere docuit, & uictor fuit. Fertur Licinius in Alabandeos facetissimè cauillatus, ꝙ statuæ, quæ erant in balneis, essent habitu iura dantium & causas agentium: quæ uerò in foro, omnes discos tenerẽt. Alex. l. 4. c. 12.

Fuit PERICLES capitis enormi proceritate. Eius statuas ad id uitium occultandum, opifices eius ætatis galeatas plurimum figurare consueuerunt. Sab. lib. 5. En. 3. ex Plut.

ROMANI equestres & pedestres statuas dextra porrecta effingebant, ut in dextra magnã uiro inesse auctoritatẽ maiestatemq; hoc argumento notarent. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 10.

Statuam auratam nec in Vrbe, nec in ulla parte Italiæ quisquã priùs aspexit, quã à M. Attilio Glabrione equestris Patri poneretur, in æde Pietatis. Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo coss. ipse dedicauerat, compos uoti factus, rege Antiocho apud Thermopylas superato. Val. lib. 2. cap. 1. & Liuius lib. 10. Dec. 4.

QVIBVS POSITÆ.

In genere.

Effigies hominũ non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentiũ, primò sacrorũ certaminũ uictoria, maximeq; OLYMPIÆ: ubi omnium, qui uicissent, statuas dicari mos erat: eorũ uerò, qui ter ibi superauissent, ex mẽbris ipsorũ similitudine expressa, quas iconicas uocant. ATHENIENSES nescio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni tyrãnicidis publicè posuerint statuas. Excepta deinde res est à toto orbe terrarũ humanissima ambitione. Et iam omniũ municipiorũ foris statuæ ornamentũ esse cœpere, prorogariq; memoria hominũ: & honores legendi æuo basibus inscribi, ne in sepulcris tantùm legerentur. Mox forum & in domibus priuatis factum atq; in atriis. Honos clientium instituit sic colere patronos. Plin. lib. 34. c. 4.

ROMANI iis, ꝗ domi uel foris egregiè se gessissent, post mortem in Rostris imagines in memoriam posteritatis, plerũq; cereas, aut marmoreas uel æneas columnas cum trophæis & titulis publico concilio erigebãt, & res gestas monumentis insculpebant, leuandi desiderij causa. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Blondus lib. 6.

Rhetoribus.

GORGIÆ Leontino, studiis literarũ ætatis suæ cunctos pręstanti, adeò ut primus in cõuentu poscere, qua de re quisq; audire uellet, ausus sit, uniuersa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cùm cæterorũ ad id tempus auratas collocasset. Valerius Maximus lib. 8. c. 16. At Plin. lib. 33. c. 4. ipsum sibiipsi statuam auream posuisse scribit. Cic. lib. 3. de Orat. & Athenæus lib. 11. Dipnos. ex Hermippo, qui de Gorgia librum scripsit. Pausanias tamen inauratam tantùm fuisse commemorat.

DEMOSTHENI in Calauria insula mortuo, populus Atheniensis meritũ honorẽ habens, statuã ex ære posuit, & maximo gentis uictum decreuit in Prytaneo præbendum. Inscripsit præterea basi statuæ hoc peruagatum epigramma:

Menti Demosthenes par si tu robur haberes,
Non foret Aemathiæ Græcia uicta manu.

Plutarchus in Demosthene.

ISOCRATES orator Atheniensis, sua eloquentia statuam in Olympia meruit.

PROÆRESIVM Armenum rhetorem & professorem Atheniensem è Galliis à Constante Imp. redeuntem, cùm uarias ob dotes honorare decreuissent Romani, statuam illi ex ære pari magnitudine cõsecrarũt, cum istac inscriptione: Regina rerum Roma, Regi eloquentiæ. Eunapius in eius uita.

Poetis.

HOMERO statua Colophone posita fuit, cum tali inscriptione, qua ꝓbare nitũtur Colophoniũ fuisse, referẽte Plutarch.

υἱὲ Μέλητος Ὅμηρε, σὺ γὰρ κλέος Ἑλλάδι πάσῃ
καὶ Κολοφῶνι πάτρῃ θῆκας ἐς ἀΐδιον.
καὶ τάσδ' ἀντιθέῳ ψυχῇ γεννήσαο κούρας,
δισσὰς ἡμιθέων γραψάμενος σελίδας.
ὑμνεῖ δ' ἡ μὲν νόστον Ὀδυσσῆος πολύπλαγκτον,
ἡ δὲ τὸν Ἰλιακὸν Δαρδανιδῶν πόλεμον.

Constantinopoli in Zeuxippo uisebatur olim HOMERVS qualis fuerat, cogitabũdus, manibus consertis, infra pectus barba sine cultu dimissa: capilli capitis æquales, rari ab utraq; sincipitis parte, facies præ senio hirsuta, ac cutis, nasus ad reliquas partes proportione ęquali. Oculi palpebris affixi, ita ut cæci formam præ se ferrent. Supra tunicam palliolo erat amictus, & ad basin, ad pedes eius lorum quoddam æneum erat subiectum. Hæc statua tempore Iustiniani Magni Imp. conflagrauit. Cedrenus.

Thespiis Bœotorum in theatro, HESIODO statua ex ęre fuit erecta. Pausanias in Bœoticis.

Mantuani, mortuo VIRGILIO multis pòst seculis statuã in celebriore suæ urbis loco erexerunt. Pontanus de Obediẽt.

Notatum est ab auctoribus, L. ACTIVM poetam Tragicũ, in Camœnarũ æde maxima forma statuam sibi posuisse, quũ breuis admodum esset. Plin. cap. 5. lib. 34.

OPPIANVS poeta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate (qui de Piscibus scripsit) à suis ciuibus magnifica statua honoratus est, cum elogio: Oppianus sum suauiloquens uates, quem crudelis atq; inhumani inuidia fati ante diem eripuit. Quòd si longius in luce moras dedisset, nullus mihi par gloria mortalium in terris foret. Volaterranus.

Arcadius & Honorius, petente Senatu, statuam CLAVDIANO poetæ Alexandrino in foro collocari iusserunt.

Musicis.

ARIONI musico celeberrimo, statua cũ eiusmodi epigrammate facta est:

Cernis amatorem qui uexit Ariona Delphin,
A Siculo subiens pondera grata mari. Volat.

Thebis Pindari quidem non extat statua, sed CLEONIS cuiusdam cantoris, cum epigrammate. Fama est, quendam ex bello fugientem, cùm Alexander Thebas solo æquauit, aurum quoddam in huius statuę uestibus abscondisse, deinde annis triginta ferè interpositis, cùm ciuitas rursus habitari cœpisset, reuersum, aurum illud inuenisse. Athen. lib. 1. c. 13.

In Helicone monte Bœotiæ Poetarum, & aliorum musicæ laude insignium uirorum, statuas uideas. Inter eos THAMYRIN iam cęcum fractam lyram attrectantem, Arionem Delphino insidentem, Sacadam Argiuum, Hesiodum, Orpheũ. Pausanias in Bœoticis.

EVNOMIO (Plin. Euthymum uocat) Locrensi artis citharœdicæ præstãtia statuam peperit, quam Volaterranus adhuc in Italia Locris ostendi testis est.

Philosophis.

Oraculum olim iusserat Romanis, ut sapientissimo & fortissimo inter Græcos statuas apud se locarent. Illi duas æneas in foro posuere, unam Alcibiadis, alterã PYTHAGORÆ, in cornibus comitij. Plutarch. in Numa. Plin. lib. 34. c. 6.

Mithridates Ponti rex, PLATONIS gloria motus, eidem statuam dicauit, egregium Sylonis opus, quam hoc modo inscripsit: Mithridates Rhodoatæ filius, hanc Platonis imaginem Musis dicatam erexit. Plutarchus.

MENEDEMO Eretriensi philosopho Athenis ob ingẽtis uirtutis ac doctrinę meritum, quod rarò aliis contingit, positę fuerunt statuæ: atq; in eo maior uirtutis quàm natalium habita ratio est. Patre enim ortus est, qui mechanicum opus consuendis tentoriis conficiebat. Fulg. lib. 3. c. 4.

CHRYSIPPI discipulus & familiaris Aristocreon, statuæ æneæ, quam erexit, elegium hoc inscripsit:

τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε
τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Chrysippũ huncce nouum nodorũ ad cuncta securim
En Academiacũ sacrat Aristocreon.

Plut. de Stoicorum pugnis.

EPICVRVM Atheniensem philosophum ob doctrinam statuis æreis patria decorauit. Tortellius.

In Eleorũ urbe in porticu Corcyraica dicta, quæ ad forũ conuersa est, PYRRHONIS Pistocratis filij, Sceptici sophistæ statua cernitur, in omni re atq; oratione assensionem sustinentis. Est uerò eiusdem sepulcrum non longè ab Eleorum

mœnibus. Saxum locus appellatur, & priscus hoc nomine fuisse dicitur Eleorum uicus. Pausanias lib. 6.

IVNIO Rustico philosopho statuam crexit M. Antoninus Imperator. Capitolinus.

Meruit statuā Athenis FAVORINVS philosophus, quæ (quū in odium Hadriani uenisset) disiecta est. Philostratus.

Vatibus.

SIBYLLÆ statua Romæ iuxta Rostra fuit. ACTII Nauij auguris, qui nouacula cotem diuisit. ante curiam. Plin. l. 34. c. 5.

Astrologis.

BEROSO ob uerissimas rerum prędictiones statuam posuere Athenienses inaurata lingua. Plin. lib. 7.

Medicis.

ANTONIO Musæ medico, Roma statuam Aesculapio proximam locauit, ob Augustū morbo sanatū. Suet. in Augusto.

Historicis.

POLYBIVS historicus statua donatus fuit ob eruditionem à Megalopolitanis. Pausan. in Arcadicis.

IOSEPHVS Iudæus propter libros de captiuitate Iudaica scriptos, statuam Romæ obtinuit sub Vespasianis.

Athletis, Olympionicis.

☞ *Consule Tit. Olympionicarum.*

Primi Athletarum omnium Olympiæ statuas dedicarūt suas, PRAXIDAMAS Aegineta, qui cestib. uicit Olympiade 59. & q LXI. Pancratiastas perculit: RHEXIBIVS Opuntius. Positæ sunt ante Oenomai columnam, lignea utraque est: sed Rhexibij è fico, è cupresso Praxidamātis, & multo sanè minus elaborata. Pausan. lib. 6.

AVTOLYCO athletæ & nobili Pancratiastæ, cuius Plin. meminit lib. 34. c. 8. statua in Prytaneo fuit erecta. Strabo.

ASTYLO Crotoniatæ (quum tribus continuis Olympicis uicisset stadio) posita est statua.

ARCHIAS Hyblæus, quum tres ordine, Olympia simul & Pythia uicisset, statuam cum Epigrāmatis inscriptione meruit.

POLYDAMAS Herculei roboris athleta, qui leonē in Olympia inermis iugulauit, & correptum inusitatæ magnitudinis taurum, quamuis prærabido impetu prosilientem, retinuit, quadrigasq; tota ui concitatas, altera manu remoratus est, statuam meruit in Olympia. Cæl. lib. 7. c. 56.

Olympiæ in Alti, Iouis luco, statuas suas habent Rhodij athletę DIAGORAS, & eius omnis proles, perpetua serie collocati. Primus eorum est Acusilaus, de pugilatu accepta corona. Succedit Dorieus natu minim⁹, cui de pancratio Olympiadibus continuis tribus uictoria adiudicata est. Sed ante Dorieum Demagetus pancratij competitores uicerat. Atq; hi quidē fratres fuere, Diagoræ filij. Postremus est ipse Diagoras, qui uirilem pugilum palmam meruit, maternum genus à Messene, atq; adeò ab ipsius Aristomenis Messenij filia ducens. Ipsius quinetiam è filiabus nepotes, Olympicas coronas de pugilibus meruere: uirilem Eucles, è Callianacte & Callipatera Diagoræ filia genitus: puerilem Pisidorus, quem mater ipsa in gymnici magistri modum ornata, ad ludos tyrocinio deduxit. Diagoras ipse Acusilaū & Demagetum in Olympiam deduxit. Quem uictores iam declarati iuuenes, per confertissimam turbam humeris exportarunt, coniicientib. in eum flores Græcis, & cum plausu beatum prædicantibus liberūm causa. Pausan. lib. 6.

Alexander Magnus, cùm multas statuas Mileti uidisset EORVM, qui in Olympiis ac Pythiis uicerant, easque prægrandes: Vbi, inquit, erant tam magna corpora, cùm Barbari uestram urbem obsiderent? Salsè taxauit illorum stultam ambitionem, & in statuis tantùm positam uirtutē, in corde uerò timiditatem. Plutarch. in Regum & Impp. Apoph.

THVRONI Lōgo, athletę fortissimo, & pudicitię muliebris defensori acerrimo, statua apud Ostrogothos ad plectendū adulterium posita fuit, clauam humero gestans, saxis duobus cathena colligatis è claua dependentib. Olaus lib. 14. cap. 16. Septentr. reg.

Regibus, Imperatoribus.

ARCHIDAMO Lacedęmoniorum regi, Agesilai filio, statua posita est Olympiæ in Alti. Ante hunc nulli cuiquā extra fines statuam à Lacedæmoniis erectā comperi. Archidamo uerò, & ob alia merita, & mortis causa statuam in Olympia dedicandam censuerunt: quòd & inter Barbaros occubuit, & unus ex omnibus Spartanorum regibus sepulturę honore caruit. Pausan. lib. 6. Græciæ.

ALEXANDRO Magno Antonin⁹ Caracalla, cùm armis poculisq; similib. iis quib. Alexāder usus fuerat uteretur, complures statuas in castris & in urbe collocauit. Dion Nicęus.

Triumpho Cn. Pompeij, PHARNACIS, qui primus in Pōto regnauit, statua argentea Romā translata est: item Mithridatis Eupatoris currus aurei argenteiq;. Plin. lib. 33. c. 12.

M. Aur. ANTONINO Imp. statua pacificationis equestris erecta est, quæ etiam hodie uidetur apud basilicam Lateranensem: quo loco natus & educatus est. Capitolinus.

Annij TACITI, ac FLORIANI, fratrum Impp. statuæ lōgo tempore apud Interamnem ciuitatem fuere: quòd illic eorum cænotaphia sint constituta in proprio solo. Vopiscus.

AVRELIANO statuas argēteas in Capitolio, in curia, in templo Solis, in foro Traiani à Tacito Imp. decretas esse, testatur Flauius Vopiscus.

Constantinopoli Porphyretica columna à CONSTANTINO Magno posita est cum ipsius statua, & tali inscriptiōe:

σὺ Χριστὲ κόσμου κοίρανος καὶ δεσπότης,
σοὶ νῦν προσῆψα τήνδε σὴν δούλην πόλιν,
καὶ σκῆπτρα τάδε, καὶ τὸ τῆς Ῥώμης κράτος
φύλαττε, ταύτην σῶζε τ' ἐκ πάσης βλάβης.

Constantinopoli in magno templo ibidem à Cōstantio condito, stetit columna, argenteam statuā Magni THEODOSII Imperatoris sustinens, ab Arcadio filio parenti positā, pondere 7400 librarum. Eam Iustinianus demolitus est, & direpto argento, in eius locum aliam columnam collocauit, cui equestrem suam statuam imposuit. Zonaras tomo 3. in Iustiniano.

ANASTASIVS Imp. Constantinopoli statuam æneam, equestrem, inauratam, sui nominis ac tituli, supra columnā fori Tauri posuit, ubi olim locata erat Theodosij Magni statua, supra cochlidem columnam: quæ sponte eo anno corruit, quo Roma capta est ab Alarico Vestgotho. Cuspinianus.

THEODERICO Ostrogothorum regi, ab Odoacris Herulorum regis tyrannide liberata Italia, Zeno Isauricus Imp. statuam erexit. Vol. lib. 23. & Sigebertus in Chron.

Magdeburgenses OTHONI I. Imp. conditori urbis suæ statuam insignem cum geminis uxoribus, grati animi signa, usq; in hodiernum conseruant, in foro publico suæ ciuitatis. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 31.

Ducibus.

De MEMNONIS statua uide multa apud Cælium lib. 22. capite 5. A. L.

MILTIADES ob pugnam Marathoniam, in qua ultra centū millia Persarum una acie uicit, ab Atheniensibus consequutus est, ut in Pœcile porticu sua imago in prætorum numero ex sculperetur inter primores. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 18.

CONONI Atheniensium duci, & Euagoræ Cypriorum regi, qui Cononem exulem fouerat, positæ sunt statuæ prope Iouis Seruatoris simulacrum. Plutarchus.

CHABRIÆ Atheniensi à ciuibus suis statua posita fuit, ꝙ Bœotiis subsidio uenisset, fugato Agesilai conductitio milite: obnixoq; genu, scuto, proiectaq; hasta, impetum hostiū excipere docuisset. Probus in eius uita.

TIMOTHEO Cononis F. ob maritimum imperiū Atheniensibus partum publicè statuam in foro posuerūt: qui honos huic uni ante id tempus cōtigit nemini, ut cùm patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic iuxtà posita recens filij, ueterem patris renouauit memoriam. Probus in Timotheo.

Thebis EPAMINONDÆ duci fortissimo statua erecta est, & elegi adscripti, quibus & alia de eo prædicantur, & quòd ꝑ ipsum fuerit Messene restituta, & Græcis parta libertas. Elegi huiusmodi sunt:

Consiliis nostris laus est attrita Laconum,
 Pubeq; Messene floret adaucta noua.
Iam ualidæ armorum septæ munimine Thebæ,
 Legibus & fruitur Græcia tota suis.

Pausanias in Bœoticis.

PHILOPOEMENIS Megalopolitani prætoris Achæorum cùm multæ statuæ magniq; extarent honores, quos ciuitates ei decreuerunt, Romanus quispiā in naufragio illo Corinthiaco Græciæ tollere cunctos aggressus est, & ipsū persequi: accusans tanquam adhuc uiuum Romanis hostē & infestum fuisse. Ibi orationibus habitis, cùm Polybius historicus refellisset sycophantem, non sustinuit neq; Mummius neq; legati abolere clari uiri honores, quamuis in non paucis fuisset T. Quintio & M. Acilio Glabrioni aduersatus: uerùm à commodo uirtutem illi uiri, atq; honestum meo iudicio ab utilitate rectè atque ordine discreuerunt: putaueruntque commodantibus præmium & gratiam ab illis, ad quos beneficentia peruenit, bonis uiris honorem à bonis semper deberi. Plut. in Philopœmene. Eius statua Tegeæ fuit cum tali inscriptione, teste Pausania in Arcadicis:

Cuius uirtutem mirata est, Græcia, quiq;
 Multa manu gessit, multaq; consilio:
Arcados inuicti Philopœmenis hæc monimenta:
 Quem belli ornauit gloria clara ducem.
Huic duo de geminis excelsa trophæa tyrannis
 Erexit Sparte, libera seruitio.
Grata etiam Tegee pro libertate recepta
 Craugidis hæc gnato magnanimo posuit.

ARATO Sicyonio, qui patriam à tyrannide Nicoclis absque sanguine liberauerat, & seditionem ciuium (exules enim bona sua à possessoribus repetebant) composuerat: exules priuatim statuam ex ære posuerunt, cum hoc elogio:

Consilia & pugnæ tum uirtus nota Pelasgis
 Herculis ad cippos innotuere uiri.
Fiximus in patriam sed nos tua signa reducti,
 Iustitiæ memores, dulcis Arate, tuæ,
Propitiis superis seruatoris. Tua enim illa
 Fortuna leges restituis patriæ. Plut. in Arato.

Fur. CAMILLO dictatori ob uictos Gallos, Q. MARCIO Tremulo, equestris togata, uictis Samnitibus, captaq; Anagnia. Liu. lib. 9. C. MARIO Gratidiano in omnib. uicis tribus statuas Rō. erexere, sed easdē Syllę introitu subuertēre.

M. CL. MARCELLVS, propter Gallos iuxta Padum, & Annibalem Pœnum apud Nolam superatos, expugnatas item Syracusas, in præmium uirtutis statuam habuit in æde Palladis cum epigrammate.

Delphis columnam ingentem cùm uideret L. PAVLVS Aemilius quadratam albo concinnatam marmore, quæ destinata Persei statuæ aureæ erat, ei imperauit imponi suā: uictos enim uictoribus decedere loco par esse. Plut. in Paulo.

L. LVCVLLO statuā à Chæronensibus posita, ob latum sibi innocentiæ testimonium apud Macedoniæ prætorē, de cæde Romani cuiusdam ductoris, à Damone Peripolta patrata, cuius pudicitiæ dux ille uim afferre uoluerat. Plut. in procemio Cimonis & Luculli.

T. Quintij FLAMINII statua ærea, posita Romę est iuxta magnum Apollinem, Carthagine aduectum, contra Circū maximum, Græcis inscripta literis. Plut. in Flaminio.

C. IVLIVS Cæsar, cùm ferocissimos quosq; populos Romano imperio subditos fecisset, statuam æream promeruit. Eidem statua eburnea, iuxta statuam Bruti, eius qui reges exegerat, est collocata. Qua ex re euentum rerum admirari licet. Futurum enim erat, ut à M. Brutō, qui ex illo superiore genus ducebat, ipsē ex insidiis necaretur. Xiphilinus. Hinc quidam paulò ante cædem Cæsaris, Bruti statuæ subscripsit, Vtinam uiueres: quòd opera Bruti Tarquinius ex urbe depulsus esset. At Cæsaris statuę subscripserant hos uersus:

Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est:
Hic quia consules eiecit, rex postremus factus est.

Suetonius.

VESTRITIVS Spurina, lyricus poeta, in Bructerum regē imperator constitutus, parta uictoria triumphalem meruit statuam. Plin. Iunior Epist. 7. lib. 2.

CLAVDIO II. Imp. statua cū aureo clypeo erecta est, ꝗ Gothos Macedoniā uastātes magna attriuisset clade. Europ.

STILICHO Vandalus, uicto profligatoq; Alarico Gotho, paulo pòst etiam Radagaiso Scytha ad Fesulas cæso, liberatæ iterum Italię, ac Romæ propè ex faucibus barbarorum ereptæ decus tulit, ingentē supra mortales omnes gloriam apud posteros pariturus, si usq; ad extremum in recta manere sententia didicisset. Ob hæc populus Romanus, statuam illi ex ære & argento, in Rostris posuit, cum hac inscriptione: Fl. Stilichoni illustrissimo uiro, bis consuli ordinario, magistro utriusq; militiæ, Comiti domesticorum, & Stabuli sacri, atq; ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad culmen regiæ affinitatis euecto, socio bellorum omnium, & uictoriarum, affini etiam Diui Theodosij Augusti itēq; socero Domini nostri Honorij Augusti populus Rom. pro singulari eius circa se amore, atq; prouidentia, statuam ære argentoq;, in Rostris ad memoriam gloriæ sempiternę conlocandam curauit: exequente Fl. Pisidio Romulo V. C. præf. urbis. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

IOANNI Aucuto Britanno Florentini ob fortitudinem militarem statuam supra sepulcrum, in templo maximo posuere. Iouius in uita Magni Sfortiæ.

Extat hodie Venetiis Minoritanæ familiæ templum insigne, multos iam ante annos erectum, religione & structura nobile. PAVLVS Sabellus Romanus, uirtute sua & constanti in Venetum Senatum fide sic excelluit, ut & Carrarij principes huius opera præcipuè sint Patauina urbe deiecti: & Patauina urbs diu antea Veneto nomini infesta, sit recepta. Quare Veneti illum in eo tēplo equestri statua supra sacelli ianuam ornarunt. Egnatius lib. 5. c. 2. Exemplorum.

CATTA Mellita Veneti exercitus Imp. Brixiam seruauit, hostium copias sæpe fudit. Ei mortuo & publicæ exequię sunt habitæ, & equestris statua Pataiuj ad D. Antonij posita est. Ibidem.

NICOLAO Vrsino Venetorum imperatori Leon. Lauretan⁹ dux monumētum posuit, exemplum rerum ab eo gestarū. Pluribus pontificibus & regibus Italicis, & rebus publicis egregiam operam semper nauauit. Venetis per quindecim annos, clarissimis partis uictoriis, tū recepta urbe Patauio, mox etiam à durissima obsidione liberata, charissimus fuit. Egnat. lib. 6. cap. 5.

NICOLAVS Petilianus magnis præclarisque rebus gestis; postremò urbe Patauio recepta, seruataq; mox à grauissima obsidione Maximiliani Imperatoris, quum non multò pòst fatis cōcederet, publico Venetiis funere elatus est, Duce Senatuq; & uniuersa ciuitate præeunte. Eū funebri oratione publicè ornauit Ioan. Bapt. Egnat. Quinetiā equestris statua in Gemellorū æde illi posita est, è regione alteri⁹ clari ducis LEONARDI à Prato: cuius ob uirtutē in Patauina oppugnatione præstitam, equestris ibi statua uisitur. Egnatius lib. 5. cap. 2.

Venetiis in area templi DD. Ioannis & Pauli, marmoreus colossus cum equestri statua BARTHOLOMÆI Coleonis erecta, spectatur. Hic Bergomi natus, Venetorū imperator fortiss. & felicis. moriens, Senatum Venetum hæredem instituit. Eapropter patres ipsi statuam eam erectam uoluere. Egnat. lib. 6. cap. 5.

Præfectis.

DEMETRIVS Phalereus auditor Theophrasti, ab Atheniensibus (quorum Remp. à Cassandro iis præfectus, summa uirtute ac prudētia decem annos administrarat) CCCLX. statuis honoratus est. Quas cùm postea, liberati à Demetrio Poliorcete à Cassandri tyrannide, inuidia disiecissent, satis habuit hæc dicere: At uirtutes non euerterunt, quarum gratia eas erexerant. Laertius, & Plin. lib. 34. c. 6.

Legatis.

Romæ inter antiquissimas statuas fuere TVLLI Cælij, L. ROSCII, Sp. NAVTII, C. FVLCINII in Rostris, à Fidenatib. in legatione interfectorum. Hoc à Rom. populo tribui solebat iniuria cæsis: sicut & P. IVNIO, & T. CORVNCANO, qui ab Teuca Illyriorum regina interfecti erant, tripedaneę statuæ in foro statutæ. Hęc uidelicet mensura honorata tūc erat. C. OCTAVIVS legatus, regem Antiochum, daturum se responsum dicentē, uirga, quam tenebat fortè, circūscripsit, & priùs, quàm egrederetur circulo illo, responsum dare coegit. In qua legatione interfecto, senatus statuam poni iussit, quàm oculatissimo loco in Rostris. Plin. lib. 34. c. 6. Sed hoc Valerius Maximus adscribit Cn. Popilio.

Censoribus.

M. CATONI ob censuram, qua remp. Romanam ad prauos mores declinantē, bona disciplina sanisq; institutis & præceptis correxit, posita statua fuit à populo, quamuis renitēte nobilitate. Plut. in Catone.

Legislatoribus, Interpretibus legum.

SOLON Atheniensis ad decrepitā usq; senectutē ætate prouectus, uitam cum morte commutauit. In honorem eius ęnea statua in foro posita est, sepultusque publicè iuxta portas mœniorum, ad dextrā introitus: ædificatumq; est ei ibidem monumentum. Aelianus lib. 8. de Var. historia.

HERMODORI Ephesij interpretis legum Decemuiraliū, Romæ in comitio, statua fuit. Plin. lib. 34. c. 5.

Præceptoribus.

VERRIVS Flaccus, libertus Verrij Flacci, iuris pontificij peritissimi, dicendi genere cùm claruisset, & præceptor Augusti nepotum fuisset, statua ei Præneste erecta est. Tranquillus de Claris Grammaticis.

Corn. FRONTO philosophiæ simul & eloquētiæ præceptor M. Antonini principis, adeò ab eo dilectus, ut statuam ei à senatu impetrarit. Capitolinus, & Volat. lib. 23. Anthrop.

Equisonibus.

Darius OEBARIS equisonis astu ad regnum Persarum euectus, uiribus omni ex parte stabilitis, ante omnia simulacrū è lapide factum statuit hominis equo insidētis, inscriptis in hæc uerba literis: Darius Hystaspis, tum equi uirtute (cuius nomen legebatur) tum Oebaris equisonis Persarum regnū adeptus. Herod. lib. 3.

Mulieribus.

CORINNÆ, quæ sola apud Tanagræos cantica fecit, in celebri urbis loco est monimentum. In gymnasio ipsa picta est, tænia redimita. Victoriæ illud insigne, quòd Thebis carmine Pindarū uicerit. Vicisse eam arbitror linguæ causa. Neq; enim Dorica, uti Pindarus, cecinit, sed ea, quam essent facilè Aeolenses percepturi. Quòd aūt fuerit ea sua temporis fœminarum formosissima, non est difficile ex ipsius imagine coniicere. Pausan. in Bœoticis.

Trœzene in fori porticu, FEMINARVM & Puerorum statuæ positæ sunt, utræq; è marmore. Sunt autem feminæ illæ, quas cum filiis Trœzeniis seruandas Athenienses commiserunt, quo tempore statuerunt ipsi urbē deserere, quando Persarum impetum non esse sibi terrestribus copiis sustinendum censuerunt. Neq; uerò omnibus statuas, quæ non multæ sunt, positas putant, sed iis tantùm, quæ cæteras anteibant. Pausan. in Cor.

LEÆNA amica fuit Harmodij & Aristogitonis, coniurationisq; in tyrannos spe, ut femina, consors. Etenim hæc circa insignem illum Cupidinis craterem bacchabatur, initiataq; erat à Deo arcanis illis. Vt ergo irritis cœptis illi interfecti sunt, ac quæstione adhibita, hæc iussa est exprimere eos, ꝗ latebant: non detexit hos, sed pertulit tormenta, ostenduq;

illos nihil præter dignitatem suam fecisse, quòd talē amasſent. Atheniēses ei æream leænam elinguem in ualuis arcis dicauerunt, & ferocia illius animantis animum inuictum eius, linguæ mutilatione taciturnitatem & arcanorum suppressionem significauerunt. Plut. de Garrulitate.

Ex Topazo insula rubri maris Topazius gemma primùm importata Berenicæ reginæ, quæ fuit mater sequentis Ptolemæi, à Philemone præfecto regis, mirè placuit, & inde facta statua ARSINOE Ptolemæi Philadelphi Aegyptiorum regis uxori quatuor cubitorum, sacrata in delubro, quod aureum cognominabatur. Plin. lib. 37. c. 8.

CLOELIA Romana uirgo obses Porsenę data, cùm Tiberim sola cum equo tranasset, & Porsena muliebrem admiratus fortitudinē obsides reliquas in honorē eius reddidisset, statua donata est à uirginibus obsidibus. Annius uerò VALERIÆ Poplicolæ consulis filiæ eam fuisse ait: eamq; solam Tiberim tranauisse, cæteris obsidibus, quæ Porsenæ mittebantur, interemtis Tarquinij insidiis. Plin. lib. 34. c. 6.

Caiæ TARACIÆ siue SVFFETIÆ uirgini Vestali statua decreta à Rom. ut poneretur ubi uellet, quòd campum Tiberinum gratificata esset populo. Plin. lib. 34. cap. 6.

Extant Catonis in censura uociferationes, mulieribus Romanis in prouinciis statuas poni. Nec tamen potuit inhibere, quò minus Romæ quoq; ponerentur: sicuti CORNELIÆ Gracchorū matri, quæ fuit Africani prioris filia. Sedēs huic posita, soleis sine amento insignis, in Metelli publica porticu, quæ statua nunc est in Octauiæ operibus. Plinius libro 34. capite 6.

Pueris.

NVMERIANO adolescenti, Cari Rom. Imp. filio, Pop. Rom. statuam in bibliotheca hac inscriptione posuit, Numeriano oratori potentissimo. Vopiscus.

Herodes Atticus sophista uiginti PVERIS ob uirtutem compluribus in locis statuas posuerat. Hac de re quum accusaretur à Quintiliis Græciæ præfectis, quòd superuacaneis impendiis indulgeret: Quid, inquit, uobis incommodi est, si ego ludo de saxis meis? Philostratus.

Decretum Histoniense repertum in Apulia, refertur à Lilio Gyraldo: L. VALERIO, L. F. Prudentio. Hic cū esset annorū XIII. Romę certamine sacro, lustro sexto, claritate ingenij coronatus est inter poetas Latinos, omnibus sententiis iudicum. Huic plebs uniuersa municipum Histoniensium, ære collato, statuam decreuit, curatoribus P.

Peregrinis.

Publicè exteris statua posita est Romæ C. AELIO tribuno plebis, lege perlata in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestauerat: ob id Aelium Thurini statua & corona aurea donauerūt. Iidem postea C. FABRICIVM donauere statua, liberati obsidione. Plin. lib. 34. cap. 6.

Hostibus.

ANNIBALIS hostis statuæ tribus in locis in urbe Romana olim fuere. Plin. lib. 34. c. 6.

Meretricibus.

PHRYNES meretricis inauratam effigiem elaborauit Praxiteles, unus & ipse de meretricis amatoribꝰ, in Apollinis Delphici templo positam. Pausan. in Phocicis, & Quintil. lib. 2.

Mortuis.

Athenienses PHOCIONEM crudeliter interfecere: mortuo ęream statuam dicauerunt, ob plurima in Remp. beneficia, inuentasq; eius reliquias publicis sumtibus tumulo mandauerunt. Plutarch. in Phocione.

VBI, QVO IN LOCO POSITÆ.

Olympiæ in luco Iouis, quem Altin uocant, OLYMPIONICARVM & multorum aliorum innumeræ statuæ uisebantur, à præstantissimis conflatæ artificibus. Quarum mentionem facit Pausan. lib. 6.

In Isthmo Corinthiaco, ad fanū Neptuni, statuæ ATHLETARVM positæ sunt corū, qui in Isthmiis uictores euasere. Ex altera parte pinus sunt consitæ. Pausan. in Corinth.

In DELPHICO templo Apollinis omniū celeberrimo Græci simul & Barbari uictoriarum suarum testimonia, statuas, dona, thesauros collocabant, uti ex Pausaniæ Phocicis intelligere licet.

RHODI supra septingenta tria millia signorum, nec pauciora Athenis, Delphis, atq; Olympiæ fuere. ROMÆ uerò tantum statuarum, ut alter populus lapideus uideretur. Alex. lib. 4. cap. 12.

CONSTANTINOPOLI in Balneo Seueri (quod Zeuxippi nomen habuit) uarium fuit spectaculum, artiumq; splēdor. Quippe ibi fuerunt omnis ætatis opera ex marmore, saxis, lapidibus, & æreæ imagines: quibus hoc unum deerat, ꝙ animæ non inerant eorum, quos eæ referebant.

CVR POSITÆ. OB

Sapientiam.

Vide Tit. Statuæ Philosophis erectæ.

Fortitudinem bellicam.

Vide suprà Tit. Ducib. Statuæ positæ.

Apud Lacedæmonios HIS, qui in re militari facinorā gesserāt fortia, statuas & columnas pariter cum elogiis post obitum erigebant. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.

Alexāder Macedo centum uiginti EQVITES, qui in campis Adrasteis ceciderant, propter multa belli decora, equestribus statuis donauit, illorumq; filios patrum stipendia ferre iussit. Alex. lib. 4. cap. 18.

Reddito Romanis oraculo, prudentissimi ac fortissimi Græcæ gentis statuas erigerent: in foro mox Pythagoræ ac ALCIBIADIS ex ære dedicauere icones. Plut. in Numa. Plin. lib. 34. c. 6. in cornibus comitij dedicatam scribit.

Q. MVTIO Scæuolæ (qui coram Porsena Hetruscorum rege Romam obsidente dextram flammis admouerat, urbemq; obsidione liberauerat) Romani statuam erexerunt, eiq; prata dederunt trans Tyberim. Liuius.

HORATIVS Cocles, quòd pro ponte sublicio stetisset, & hostium aciem (dum rex Hetruscorum Porsena Tarquinios in urbem restituere tentat) sustentasset, donec pons à tergo interrumperetur, statuam in Vulcanali meruit. Plin. de Viris illustribus, c. 11. Alij iuxta Rostra.

L. Furius CAMILLVS & C. NÆVIVS Coss. uictis Latinis, & Pedo ui capto, uniuersum Latium partim ui, partim uoluntaria deditione subegerūt. Romam reuersi, magno omniū consensu de Latinis triumpharunt. Additus triumpho perrarus ea tēpestate honos, ut statuæ equestres sint illis in foro positæ. Sab. lib. 4. Ennead. 4.

HENRICVS I. regulus Boiorū, & dux copiarū eius Ratho, in monumentū uictorię ab Vgris bis deuictis reportatę, cœlitusq; datæ, armati equis insidētes, quemadmodū prælio interfuere, è gypso ficti & expressi, induratiq; igne, in tēplo Deiparæ Virginis apud Maurkirchen, pagū Boiarię Noricorū dedicati, positiq; an. sal. Christianæ 948. adhuc uisuntur, seruantur, monstrantur. Auentinus lib. 5. annalium Boiorū.

Taciturnitatem.

LEÆNÆ meretrici, quòd Harmodium & Aristogitonē tyrannicidas non prodidisset, statuam absq; lingua Athenienses posuere, Iphicratis opus. Plin. lib. 34. c. 8.

Liberalitatem.

Plutarchus in uita Poplicolæ, ait positam fuisse PORSENÆ regi Hetrusco, qui soluta obsidione castra multo commeatu referta Romanis dono reliquerat, statuam iuxta curiam.

TREBIVS in ædilitate assibus populo frumentum præstitit. Quam ob causam ei statuæ in Capitolio & Palatio dicatæ sunt. Plin. lib. 18. c. 3.

MINVTIO Augurino statua extra portam Trigeminam erecta est, à populo stipe collata, quòd farris precium in trinis nundinis ad assem redegisset. Idem.

LEO X. Romanis uectigal salis imminuit, amplificataq; triūuirali conseruatorum Vrbis potestate, præmiis ac immunitatibus publicè priuateq; Romanos est prosecutus. Quamobrem solenni decreto omnium ordinum populus, ad testificandum gratissimi animi studium, marmoream statuā in Capitolio dedicauit, cum hac inscriptione: Optimi liberalissimiq; Pōtificis memoriæ S. P. Q. R. Iouius in Leone X. l. 3.

Pietatem religiosam.

Traianus Antiochiæ quinq; VIRGINES, fidem Christianam palàm profitentes, cōbussit: & ossib. earū in cinerē redactis, ærīq; cōmistis, ahena quædā & alia uasa fabricari curauit in usum publici lauacri, qđ ipse magnificentissimè construxerat, æterna suæ crudelitatis monumenta. Verùm quicūq; eò ingrediebātur, quamprimū calida se perfundebāt aqua, caligine & uertigine correpti, cū impetu excurrebāt & procidebant. Causa eius mali cognita, Traianus, ut alia uasa ex ære puro pararentur, mandauit: & priora illa in quinq; statuas transformari, easq; uirginum combustarum forma & habitu pro balneo collocari curauit. Niceph. lib. 3. c. 23.

Sanitatem datam.

Eusebius lib. 7. c. 18. scribit, historiam mulieris hæmorrhousæ, quam CHRISTVS sanauerat, fusili quodam artificis opere repræsentatā, & suo adhuc tēpore Cæsareæ Philippi (cuius oppidi mulier illa fuerat) in edito quodā ad mulieris ædes conspectā fuisse, hac forma: Statuæ æneę duæ erāt, quarū altera referebat imaginem uiri ornatè uestiti, stantis, manumq; porrigētis alteri statuæ, repræsentanti mulierē in genua prouolutā, ac manus supplicātis more extendentē. Statua aūt uiri stātis erecti, imaginē Saluatoris habere uisa est. Ad eius porrò statuæ pedē herba ignotæ speciei subinde enascebatur: quæ cùm succrescēs æneā uestimenti fimbriam cōtigisset, ac decerpta postea esset, aduersus omnis generis morbos medicinam præsentem ex se præbebat. Eam statuā ad similitudinem uultus Iesu formatam tradebāt, quæ permansit ad nostra usq; tēpora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus, inquit Niceph. lib. 6. cap. 15.

Formam.

CYLON quamuis tyrannidem affectasset Athenis, nihilominus tamen ob excellentem formam (quæ nullum non allicit) statua ænea honestatus est. Cælius lib. 13. cap. 7.

Mortem.

Vide Tit. Legatorum statuæ.

M. Antoninus Philosophus Imper. in tetra pestilentia, quæ ciuitati uastitatem attulit insignem, PRIMORIBVS ciuitatis, & qui sunt clade illa extincti, statuas erexit. Sab. l. 4. En. 7.

Tyrannos sublatos.

Testatur Arist. & Plin. li. 32. ca. 4. primas in foro Athenis statuas positas HARMODIO & ARISTOGITONI, ꝙ hi primā tyrānidē sustulissent. Eas Alexandrū à Xerxe asportatas restituisse Atheniēsibus, meminit Arrianus historicus. Seleucus in pristinā sedē reportandas curauit. Rhodij quoq; eas urbi suæ appulsas, cùm in hospitium publicè inuitassent, sacris etiam puluinaribus collocauerunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantum uenerationis in tam paruulo ære possedit. Val. lib. 2. cap. 5. & Plin. lib. 34. & Cælius lib. 24. cap. 24.

IVNIO Bruto prisci Romani in Capitolio mediam inter reges posuere statuā ex ære, quæ strictum tenet ensem, quòd fortissimè regno pepulisset Tarquinios. Plut. in Bruto.

M. BRVTI, qui Cęsarem interfecit, statuis pileolus addebatur cum pugiunculis duobus, restitutæ libertatis argumento, ipsius maximè opera & Cassij. Id quod decētius multo est, quàm Lysimachi cornua, qui proripientem se ab aris taurū represserat. Cælius lib. 20. cap. 12. A. L. Mediolanenses quoque M. Bruto statuam posuere. Brutus & Cassius, Augustū & M. Antonium fugientes, in Græciam unà profecti sunt: ubi in summa admiratione habiti, & multis honoribus exornati sunt: ab Atheniensibus etiam publico decreto illis statuæ ex ære positæ sunt, iuxta statuam Harmodij & Aristogitonis. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Augusto.

Patriam liberatam ab hostibus.

ANAXIMENI Lampsaceno philosopho, & Alexandri Magni præceptori statua Olympiæ à Lampsacenis ciuibus posita, quòd industria sua patriam ab obsidione Alexandri liberasset. Missus enim ad Alexandrum ut pro patria intercederet, cùm intellexisset, Alexandrum iurasse, quòd contraria omnia facturus esset: hoc unum à rege petiit, ut Lampsacenorum coniugibus & liberis in seruitutē redactis, urbem totā excinderet, Deorumq; templa exureret. Quibus circūuentus Alexander, Lāpsacenis inuitus pepercit. Pausan. li. 6.

Populus Genuēsis ab ANDREA Auria libertati Gallis eiectis anno 1528. restitutus, pclara, ideoq; perenni gratissimorū animorū testificatione, legē rogauit, quā decuriones cunctis suffragiis sanxerunt, ut Auriæ statua colossęę magnitudinis è Lunensi marmore decerneretur, locareturq; redētoribus, cuius basi his uerbis titulus inscriberetur: Andreæ Auriæ ciui opt. felicissi. q. uindici atq. auctori publicæ libertatis, senatus populusq; Genuensis pos. Iouius lib. 26. Histor.

Victoriam de hostibus.

SESOSTRIS Aegyptius rex solus imperio Aethiopiæ potitus est, & monumentum sui reliquit ante ædē Vulcani lapideas statuas duas tricenûm, unā suā, alterā uxoris: quatuor aūt uicenûm cubitorum, totidem filiorum. Huic statuæ lōgo pòst tempore cùm Darij Persæ statua anteponeretur, nō tulit id sacerdos Vulcani, negās Darium tales res gessisse, quales gessisset Sesostris Aegyptius: quippe q cùm alias nationes non pauciores ꝗ Darius, tum uero Scythas subegisset: eoq; iniquum esse, huius ante illius sisti donaria, qui rebus gestis non esset illum supergressus. Hæc locuto sacerdoti, tamen ignouisse Darium ferunt. Idem Sesostris quascunq; gentes nanciscebatur feroces, & uehementer studiosas libertatis, in earū regionib. cippos statuebat, inscriptos literis sui nominis & patriæ, & quæ indicarēt, ipsum illos ui subegisse. Quarum uerò urbes nullo prælio, nulloq; negotio cepisset, hanc cippis inscripsit tum easdem literas, quas scripserat eis gentibus, quæ uiriles extiterāt, tum muliebria genitalia: planum facere uolens, illos haud quaquā uiriles extitisse. Circa Ioniā duæ eiusdem figuræ uisuntur in petris incisæ: una quidē, quà ex Epheso in Phoceā itur, altera uerò, qua è Sardibus Smyrnā uersus. In quarum utraq; insculptus est uir magnitudine quinûm palmorū, dextra spiculū tenens, sinistra arcus, cæteramq; item armaturam Aegyptiacā & Aethiopicam gestans: & ex altero ad alterum humerū euntes sacræ literæ Aegyptiacæ sunt incisæ, in hæc uerba, Hanc ego regionem meis obtinui humeris. Herod. lib. 2.

ARTEMISIA Carię regina Rhodios classe exuit, insulam domuit, erecta in urbe statua, quæ ciuitati stigmata uideretur inurere. Cælius lib. 13. cap. 33. A. L.

ATHENIENSES uictis & captis Bœotis & Chalcidensibus, decimam redemtionis consecrarunt, facta ærea quadriga, quæ ad sinistram manum intrantium statim in propylæa arcis stabat, cum hac inscriptione:

Attica perdomitis acri sub Marte iuuentus
Bœotum populis, Chalcidicaq; manu,
Damna rependerunt uinclis & carcere cæco,
Quorū hę de decima stāt tibi Pallas equę. Herod. l. 5.

Pestilentiam arcendam.

PAVSANIÆ duci Lacedæmoniorum, in æde Palladis Chalciœci fame necato, quia Spartam Medo prodere conabatur, propter pestilentiam sæuam statua Lacedæmone posita est: eaq; erecta, pestilentia continuò sedata est. Thucyd.

IMAGINES PICTAE, CAELATÆ, PEPLA.

Imagines huius sunt loci, at Inscriptiones imaginibus coniunctæ, ad Testimonia uirtutis scripto expressa, referri debent. Statuæ etiam huius erunt loci, quatenus formæ certam similitudinem habent.

Positæ, Dedicatæ.

Imaginum amore flagrasse ueteres, testis est T. Pomp. Atticus Ciceronis amicus, edito de iis uolumine: & M. Varro, insertis non nominibus tātum, sed & imaginibus septingentorū illustriū uirorū suis libris. Alex. li. 5. cap. 24. De iis sic Plinius: Apud GRÆCOS seruatū diu est, ut qui imp. hostē fugasset, trophęo donaretur: q occidisset, aut funditus euertisset, triūpho, uel encomio, & peplo. Fuisse aūt peplū uelū sacrū, in quo q facinora gesserāt fortia, singula egregie gesta, atq; acerrima plia, & maxima effingere, illudq; p immortali memoria exponere palā, & tēplis dicare assueuerāt, scriptores produnt: in quo deorū imagines, sępè clarissimorū uirorum gesta effingebāt. Quare Athenienses, Antigoni & Demetrij imagines cū Ioue & Pallade effinxere in peplo. Nōnulli peplum eximij candoris uestē sine manicis, aureis distinctam clauis, fuisse autumāt: quā quinto quoq; anno apud Hylen, mulieres sex & decē Iunoni cōtexebant. Alexan. lib. 1. ca. 22.

Plin. lib. 35. cap. 2. nullū maius felicitatis specimen esse putat, ꝗ semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Id quod HOMERO contigisse ait. Itaq; uirorum illustrium uultus finguntur, & incertitudine sua desiderium pariunt.

BATTVS à Thera iuxta Cretā insula profectus, oraculo monitus Apollinis, uel, ut alij tradunt, domestica pulsus seditione, Cyrenen condidit. Cui cùm Afri beneficij memores summum honorē habere studerent, donarunt illi silphium herbā apud illos omnium pulcerrimam: simulq; nomisma ferientes, in cuius altera parte regia facies erat insculpta, altera silphium, quo fuerat à ciuitate donatus. Cuius rei meminit & Aristoteles in Republica Cyreneorū. Sed fusius narrat Herodotus in Melpomene, addēs, apud Lybies regem Battum appellari, & hoc nomine compellatum ab oraculo, significante fore regem. Sunt qui dicunt imaginem fuisse datam: sunt rursum qui anulum, in quo ciuitas erat expressa, regi silphiū deferens. Erasmus in prouerbio, Batto silphiū.

MILTIADI Cimonis F. qui uicto Dati & Artapherne Darij ducibus, in cāpo Marathone, Athenas totamque Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile uocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, ut in decē Prętorum numero, prima eius imago poneretur: isq; hortaretur milites, prælīūq; cōmitteret. Probus in Miltiade. Quare iure queri uidetur in oratione de Syntaxi Demosthenes, pro ribus uulgò statuas collocari, quas maiores sui neq; Miltiadi, neq; Themistocli statuissent, qui maximis remp. periculis liberassent. Sigonius lib. 2. de Rep. Athen.

Laertius PLATONEM scribit in Academia sepultū esse honorificè, regēq; Ponti Mithridatē, cùm in eius potestate essent Athenæ, Musis in Academia Platonis imaginē dicasse, Silanionis opus. L. Viues in lib. 8. Aug. de ciuit. Dei, cap. 12.

POLYDORO, Alcamenis F. regi suo, præ cunctis regibus aliis tantum honoris Lacedæmonij tribuerunt, ut quę publicè obsignari necesse foret, ea Polydori imagine magistratus obsignarent. Pausan. in Lacon.

Spartæ in arce, ad ipsam Chalciœci Mineruæ aram, ubi fame necatus est, duæ sunt imagines PAVSANIÆ illius, qui imperator Platæense prælium commisit. Pausan. in Lacon.

Quidā, inquit Plinius, uultus EPICVRI per cubicula gestant, ac circūferunt secū, natali eius uicesima luna sacrificāt, feriasq; omni mēse custodiunt, quas Icadas uocāt, hi maximè qui se ne uiuentes quidem nosci uolunt. Plin. lib. 35. cap. 2.

Effigies ad Apollinem Delphos missa, fortitudinis in pugna aduersus Gallos Delphis exhibitæ præmium, ALEXIMACHO Phocensi datum. Pausanias in Phocicis.

Romæ Macrianorum familia solenne semper habuit, ut ALEXANDRVM Magnū uiri in auro & argēto, mulieres in reticulis & anulis exsculptū gestarent, ꝙ, sicut Iul. Capitolinus in uita Triginta tyrānorum testatur, diceretur iuuari in omni actu suo, qui Alexādrū sculptū aut auro aut argēto gestaret. Quare, ut opinor, Augustus Cęsar in signādis epistolis, magni etiā Alexandri imagine diu usus est. Sueton. Tranquill. Polyd. li. 2, ca. 23. de Rerū Inuent. & Cęl. li. 21. ca. 35. A. L.

ROMÆ in foribus & atriis domorum, ara, focus & Lar familiaris erant. Namq; focus erat ara Deorum penatium, quem instar numinis habebant: in quibus non Deorum modò simulacra, quos singulis ædibus in larario colebant, sed imagines ac expressos vultus illorum, qui familiæ decus fuêre & ornamentum, ac principum & patronorum, quos quisq; colebat, habere asseuerant. Quare L. Vitellius, Vitellij pater, Narcissi & Pallantis imagines inter lares coluisse fertur. Cereę enim imagines in atriis domorum, singulis disponebantur armariis: quos ita celebrabant colebantq;, ac si illi, quorum uultus exprimebantur, uiuerent. Quas festis diebus, & in summa gratulatione & lætitia, laureis sertis & floribus ornare, illorum natales dies festa luce celebrare solebant. Alex. lib. 5. cap. 24. Sed Plinium audiamus li. 25. ca. 3. In atriis imagines cereæ erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quę comitarentur gentilitia funera, semperq; defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui unquam fuerat populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emtori restituere licet: triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hęc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Extat Messalę oratoris indignatio, qua prohibuit inferi genti suæ Leuinorum alienam imaginem. Similis causa Messalæ seni expressit uolumina illa, quæ de familiis condidit: cùm Scipionis Africani transisset atrium, uidisseq; adoptione testamentaria Saluationis, hoc enim ei fuerat cognomen, Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini.

T. SEMPRONIVS Gracchus, rei bene gestę memoriam aduersus Hamonem ad Beneuentum, Volonum opera, cùm omnes magna lætitia epularentur, in æde liberrtatis pingendam curauit. Sabell. lib. 3. Ennead. 5.

Superior AFRICANVS, qui primus Carthaginem Romanis tributariâ fecit, imaginẽ in cella Iouis opt. max. positam habet: q̃ quotiescũq; munus aliquod Cornelię gẽtis celebran dũ est, inde petitur, uniq; illi instar atrij Capitolij est: tã hercle, q̃ curia superioris CATONIS effigies, ad eius generis officia, exprimitur. Gratũ ordinẽ, qui utilissimũ Reipub. senatorẽ tantùm nõ semper secum habitare uoluit: omnibus numeris uirtutis diuitẽ, magisq; suo merito q̃ fortunę beneficio magnum, cuius priùs consilio quàm Scipionis Aemiliani imperio, est delcta Carthago. Valer. Max. lib. 8. c. 16.

L. AEMILIVS Paulus iunior, cum primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus est, de Liguribus triumphasset, rerum gestarum ordinem in tabula pictum (statuæ loco) publicè posuit. Liu. & Plin. cap. 56. de Viris illustribus.

Iuliam C. Marij uxorẽ, amitam suam, C. Iul. Cæsar defunctam eximiè laudauit in foro, & in funere ausus est Marij imagines præferre, quæ tum primùm post Syllæ dominatum sunt conspectæ, cùm esset hostis ille iudicatus. Paulo pòst ædilis creatus Cæsar, cùm duæ factiones essent in ciuitate, una Syllana, quæ multum pollebat: Mariana altera, quæ tunc admodum iacebat summissa, oppressa q̃, & lacerata: hanc quò erigeret & asciscęret sibi, gliscentib. munerib. suis ędilitiis, clàm C. MARII imagines & uictorias triumphales fecit, quas nocte posuit in Capitolio. Prima luce omnia auro splẽdẽtia & mirè fabrefacta spectãtes (nã titulũ habebant Cimbricarum uictoriarum) pauor incessit oẽs audacię eius, qui posuerat: neq; erat id obscurum, ac breui delatus rumor, omnes homines ad spectaculũ conciuit. At alij clamauere regnum Cæsarẽ moliri, sepultos legibus & senat. cõsultis honores refodiendo: tẽtariq; ea re populum, quiẽ antè demulserat, an muneribus ipsius pbeat se mancipandum, eaq; ludibria & nouationes admittat. Ex altera parte Mariani se ipsi cõfirmantes, extiterunt repẽrè innumera multitudine. Capitoliumq; plausu cõplerunt. Multi etiã imagines Marij spectantes, lacrymas gaudio effudere, laudibusq; Cæsarem in cœlum tulerunt, dixeruntq́ue unum eum Marij affinitate dignum. Hãc ob causam coacto senatu Luctatius Catulus, uir illius temporis inter Romanos clarissimus, exurgens ac cusauit Cæsarem, adiecitq́; hoc dictum, quod adhuc in ore est, Non enim ulterã, inquit, cuniculis Cæsar, uerùm machinis iam petit remp. At Cæsarem, cùm defensione sua senatui satisfeciſſet, multò inflammauerunt magis illi, qui eum suspiciebant: adhortatiq́; sunt, ne cui summitteret spiritus. Omnia enim uolente eum populo assecuturum, atque principatum in ciuitate obtenturum. Plutarchus in Cæsare.

VAL. Messala primo bello Punico consul Messanam expugnauit, ac Cariũm: primusq; tabulam picturæ prælij, quo Hieronem & Carthaginenses in Sicilia uicit, proposuit in latere curiæ Hostilię, anno urbis CCCXC. Volat. lib. 17.

M. VARRONIS in bibliothecâ, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius uiuentis posita imago est: haud minore (ut equidẽ reor) gloria, principe oratore & ciue, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quàm cùm eidem Magnus Pompeius piratico ex bello naualem dedit. Plin. lib. 7. cap. 30. Idem lib. 35. c. 2. Asinius Pollio Romæ primus, bibliothecam dicando, ingenia hominum Rempub. fecit.

Germanicus Drusi F. ex Agrippina, M. Agrippæ & Iuliæ filia, nouẽ liberos tulit: quorũ duo infantes adhuc rapti, VNVS iã puerascẽs insigni festiuitate, cuius effigiẽ habitu Cupidinis in ędę Capitolinę Veneris Liuia dedicauit: Augustus in cubiculo suo positã, quotiescũq; introiret, exosculabatur.

Adrianus Imp. declaratus, TRAIANO diuinos honores à Senatu impetrauit, Traianiq́; imaginẽ curru triũphali uexit, ne optimus Impator morte amitteret triũphi dignitatẽ. Cuisp.

M. ANTONINO Philosopho imperante, palàm dicebant homines, Platonis impletum esse uerbum dicentis, Tum orbẽ terrarum feliciter habiturum, cùm contigisset ut philosophi rerum potirentur. Eo mortuo, sacrilegus est habitus ciuis, qui domi eius non habuisset imaginem, ut aut metallo, aut saltem pictura eius uirtutis seruarent memoriam, cuius uitam natura diuturniorem passa non erat. Fulg. lib. 2. ca. 5.

Stertinius (cui librum nomum Epigrãmatum suorum sub Auiti nomine dedicat Martialis) imaginẽ uiuẽtis adhuc MARTIALIS in bibliotheca suæ posuit. Crinitus de Poetis.

Bergomi in ædę D. Alexandri, monumentum extat tale: P. MARIO Vot. Luperciano Eq. R. Q. pub. omn. honor. municipal. adept. iudici. de. select. facerd. Cęninen. coll. fabr. cent. Vend. m. b. patron. cuius eximia liberalitas post multas largitiones huc usq; enituit, ut Lucar. IIIII. redẽtum à Rep. sua uniuersis ciuibus suis in perpetuũ remitteret. Huius tot & tam ingentia merita ita remuneranda censuerũt, ut effigiem IIIIV. perpetua uenerationę celebrarent. L. D. D. D.

Tacitus Imp. creatus, S. C. sanciri curauit, ut omnes AVRELIANI cui succesſerat, imaginẽ pictam haberẽt. Sab. li. 7. En. 7.

Alexander Seuerus Imp. imaginibus clarorum VIRORVM suum lararium ornabat. Lampridius.

ATILA Hũnorũ rex, cùm Mediolanũ peruenisset, & Romanorũ IMPERATORES in aureis soliis sedẽtes, Syrthas uerò ad pedes corũ depictos uidisset: se in solio sedẽtẽ, Romanorũ uerò Impatores saccos in humeris ferẽtes, & ante pedes suos aurum effundẽtes, pinxi iussit. Suidas in uoce, χάραξ.

BELISARIVS adeò acceptus fuit Iustiniano Imp. ut is percusso numo, in altera parte se, in altera parte Belisarii arma tum effinxerit, cum inscriptione hac: Belisarius Romanorum decus. Cæterùm non multo pòst Belisarius per calumniã delatus, & magistratu & honore exutus est. Cedrenus.

Blondus auctor est, spectari Rauennę in ædę D. Martini in Cœlo aureo, quam olim Theodericus rex Gothorum ædificauit, amusseato opere IVSTINIANVM Imp. cum Theodora coniuge figurarum, Theodatumq́; regem inferiore loco stantem, tam eleganti artificio, ut Italia tunc nihil habuerit ea arte elegantius. quoniam Pp. priuilegium de principatu super omnes ecclesias dederat. Blond. lib. 9. Dec. 1.

MELETIVS episcopus Antiochenus uerè orthodoxus, qui acriter contra Arianos pugnauit, Constantinopoli in synodo sub Theodosio mortuus, tãtum sui desiderium reliquit, ut imaginem eius in parietibus ac tabulis depingi, atq; in aulis exculpi curauerint. Nicephorus lib. 12. cap. 14.

ACACIVS patriarcha Constantinopolitanus post obitum Gennadij, studio Zenonis Imp. designatus est. Cùm omnes ecclesias in sua potestate haberet, antici eius imaginem, templis consecrarunt. Eapropter opinati quidam sunt, eum ex ambitione dedicationem illam imperasse, eamq; suspicionem non parum confirmabat pictura templi, juxta naua le e calculis elaborata. Cùm enim totum opus sub Gennadio fuisset perfectum, in insigni templi loco eum effinxerũt, & inter hunc, Seruatorem Gennadio dicentem: Soluito tẽplum hoc. & Acacio: Post te hunc excitabo. Ob tales igitur imagines Acacius, quamuis benignus & officiosus, opinionem insanæ cupiditatis gloriæ est consecutus. Suidas.

ANDRONICVS Comnenus Imperator, extrinsecus iuxta septentrionales templi XL. Martyrum fores, in maxima tabula imaginem suam collocauit, habitu ærumnosi operarij, nigra ueste induti, fissa usque ad suras, cum albis ocreis usque ad genua ascendentibus: falcem magnam manu tenentis, formosissimam adolescentem, usque ad humeros & fauces prominentẽ, uelut incuruatus, cõprehendentis. Qua imagine sua facinora depingebat, qui hærede imperij Alexio Porphyrogenito occiso, sponsam illius sibi matrimonio iunxisset. Nicetas lib. 2.

Thaboritæ, qui reliquas picturas abominantur, IOANNIS Ziscæ tantummodo, & Angeli, calicem manu tenentis effigiem, supra portam urbis pinxere. Aen. Syl. cap. 46. Histor. Boem. Bonfinius lib. 3. Dec. 3.

Transe

Transmisse, oblatæ.

IMPP. Romanorum imagines Roma in prouincias è prouinciis Romam mittebantur, ut quos augusta sua præsentia nõ poterant, saltem imaginibus honorarent. Sic Constantini I. Britannia ab exercitu delecti imago Romam missa. Sic Maxentij Roma in Africam. Quam cùm milites, qui Galerio dediti erant, ne circumferretur obsisterent, oppressi sunt. Sigon. lib. 2. imp. occid.

An. 603. imagines PHOCÆ & LEONTIÆ Augustorũ, Romã de more delatę sunt. Eis in cõspectũ productis clerus & senatus in Lateranẽsi basilica Iulij, lætitia gestiens acclamauit, Exaudi Christe: Phocæ Augusto, & Leontiæ Augustæ uita. Inde iussu Gregorij in oratorio S. Cæsarij martyris in Palatio sunt repositæ. Sigon. lib. 1. regni Ital.

ARMA PROPRIA HONORIS ERGO DEDICATA, SVSPENSA.

In ca pugna, quam cõtra Lacones ad Apri sepulcrum in agro Steniclero commisit ARISTOMENES Messenius, fugientes persecutus, usq; ad syluestrem pyrum, scutum ibi amisit. In quo quærendo dum cunctatur, spacium datum fuit clabendi Lacedæmoniis. Theoclus certè uates Aristomenem à cursu reuocauit, quòd in ea arbore Castor & Pollux consedissent. Parta uictoria, cùm Delphos uenisset, Dei monitu, in Trophonij sacro penetrali, quod ad Lebadeam est, scutũ reperit, ac rursus eodem in templo dedicauit. Insigne eius est aquila, pastis ad extremos clypei margines alis. Quod se ibi uidisse testatur ipsemet Pausanias in Messenicis.

LEOCRITVS Athenienſis, Protarchi F. cùm Athenienses duce Olympiodoro Piræeum (quem Demetrius Antigoni F. præsidio tenebat) oppugnarent, primus muros ascendit, primusq; intra Musæum (propugnaculi nomen erat) irrupit. Ei in pugna cæso & alij honores habiti sunt, & clypeum illius Ioui liberatori dedicarunt, cum inscriptione nominis, & præclari facinoris indice. Pausanias lib. 1.

Suorum clypeos in sacro uel publico priuatim dicare primus instituit AP. CLAVDIVS, qui Coss. cum Seruilio fuit, anno Vrbis CCLIX. Posuit enim in Bellonæ ædę maiores suos, placuitq; in excelso spectari, & titulos honorum legi. Decora res, utiq; si liberorum turba paruulis imaginibus, ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendat: quales clypeos nemo non gaudens fauensq; aspicit. Post cũ M. AEMILIVS, collega in consulatu Q. Luctatij, non in basilica modò Aemilia, uerùm & domi suę posuit, id quoq; Martio exemplo. Scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum est, cõtinebantur imagines: unde & nomen habuere clypeorum: non ut peruersa grammaticorum subtilitas uoluit, à clnẽdo. Origo plena uirtutis, faciem reddi in scuto cuiusq; qui fuerit usus illo. Plin. lib. 35. cap. 3.

CLAVDIO II. Imp. ob CCCXX. Gothorum millia cæsa clypeum in curia aureum decreuit senatus, statuam in Capitolio ante templum Iouis. Est altera illi statua argentea iudicio omnium gentium in Rostris decreta, palmataeq; columnæ imposita. Sab. lib. 7. En. 7.

NAVES MEMORIAE CAVSÂE CONSERVATÆ.

Arcæ NOACHI reliquię in perpetuam diluuij memoriam in regione Cæron sub Monobazo Adiabenorũ rege asseruatæ fuerunt. Iosephus lib. 20. c. 2. Antiq.

ARGO nauis, qua Argonautæ aureum uellus repetiuere, reliquias lõgo tẽpore Corinthi seruatas fuisse, ex Plut. liquet.

FERDINANDVS Magallanus, natione Lusitanus, auspiciis Ferdinandi & Isabellæ Hispanię regum, non priùs ab Europæis tentata nauigatione, fretum, quod ab eo nunc Magallanicum appellant, quinquagesimo secundo latitudinis gradu, ad Austrum aperuit: inferius hemisphærium, immenso cæli marisq; tractu superauit: sub Orientẽ solem ad Moluccas pertenuit. Vna ex eius classe nauis, VICTORIA nomine, eo in insula Mautama cæso in bello, digressa, memorabili ad omnem posteritatem facinore reliquum itineris per superum hemisphærium, Indiæ Africæq; oras præterue ctæ, tertio ab discessu anno, Sebastiano Cano nauarcho, incolumis in Hispaniam peruenit. Ergo uniuersum Orbem hæc nauis circuiuit, & nunc illorum, nunc istorum Antipodum prouincias attigit. Quamobrem eius nauis reliquiæ Hispali memoriæ causa, iure meritoq; posteritati reseruãtur. Io. Metell.

SPOLIA HONORIFICA. TVM SERVATA, SVSPENSA. CYiusmodi sunt,

Arma.

PALÆSTINI arma Sauli regis à se interfecti in ædę Astarothi suspenderunt. 1. Reg. 31.

ARGIS, in supero foriũ limine tẽpli Cereris, Pyrrhi Epirotarum regis scutum affixum cernitur: qui cùm Argos expugnasset, tegula caput ictus periit. Pausanias in Corinth.

Prope Myceuas in templi Iunonis antica parte (Pronaum uocant) positum est scutum illud, quod Euphorbo MENELAVS in bello Troiano eripuit. Pausanias in Corinth.

Opima spolia, quæ regibus ducibusq; hostium cæsis, Ioui Feretrio in Capitolium ferebantur, ter solùm à Romanis ducibus, qui fortem strenuamq; operam reipublicæ nauarunt, delata fuisse comperimus. Prima ROMVLVS urbis auctor & parens, de Acrone Ceninẽsium duce, post raptas Sabinas detulisse fertur, quo tẽpore Iouis Feretrij templum dicauit. Fuere enim Ceninenses ex Sabinis, Latio propinqui, qui unà cum Crustuminis & Antemnatibus ob raptarum contumeliam, contrà Romanos primi sumsere arma. Iouis uerò Feretrij templum fuit in uertice Capitolini montis, exiguũ sanè & angustum, sed religione sanctum, & propter uetustatem longè primum. Liu. lib. 1. Dec. 1. Plut. in Romulo. Trecentis decem pòst annis CORN. Cossus Tribunus militũ, dux ea tempestate inclytus, secunda detulit spolia de Larte Tolumnio, rege Veientum, quem acie uicit, & manu confecit. Veientes enim gens Hetrusca fuere, cũ quibus & Romanis multiplici bello, & propè assiduis cladibus de imperio sępè dimicatum est. Liuius lib. 4. Dec. 1. Sab. libro 5. Decad. 3. Tertia, Cl. MARCELLVS manu strenuus & bonus imperator, de Viridomaro Gallorum duce, seu Britomaro, apud Clastidium uicto, opima spolia reportauit. Florus lib. 2. cap. 4. Oros. lib. 4. cap. 13. Feretrius uerò Iupiter, uel à ferendo, à trophæo scilicet, q̃d feretro gestabatur, deducta uoce è lingua Græca, quæ tũ passim sermoni Latino erat confusa. Alij Iouis Fulminantis cognomen esse affirmant, à feriendo dicti, quasi ut ducẽ dux feriret, se propitio & iuuãte effectũ sit. Ex cuius ædę, si quãdo fœdus ferire, aut pacẽ feciales inire uel lẽt, sicut ex Capitolina arce uerbenã & gramẽ cũ terra euulsum, ita lituũ & lapidẽ silicẽ, quo fœdus percuterẽt, sumere mos erat. Opima uerò, uel ab opib. ut ait Varro, uel ab inuicto opere, cùm uictorib. tãtũ laudis accesserit, nomina sumsere: seu qd̃ fidei propius est, opima ampla dici, sicut opimã prędã, & opimu bouẽ dicimus. Hęc nisi duces, regesq́ue quorũ auspicio res gerũtur, suismet corporib. dimicates, hostiũ ducibus detraxerint, necẽq; & exitiũ intulerint, haud quaquã opima dici uoluere. Fuere qui crederent, Ioui Feretrio spolia opima, prima erectis assib. secũda Marti, octogintatertia Quirino, assibus centũ, ex cõmentariis Numę prędicõstituto, fuisse consecrata. Alex. li. 1. c. 14. ex Plut. Marcello.

GALLI hostium spolia sanguine perfusa famulis tradunt, aut foribus domorũ cum cantu atq; hymnis affigenda: quèadmodum feras solent uenatu captas. Diod. lib. 5. cap. 9.

Pœni ex auro factitauere & clypeos & imagines, secumq; in castris utiere. Proinde captis eis talem Hasdrubalis inuenit Q. MARCIVS, Scipionum in Hispania ultor: isq; clypeus supra fores Capitolinæ ædis usq; ad incendiũ primum fuit. Veterum quidem Rom. tanta securitas ea in re annotatur, ut L. Manlio, Q. Fulurio Coss. anno Vrbis quingentesimo LXXV. M. Ausidius tutelæ Capitolij redemtor, docuerit patres, argenteos esse clypeos, qui pro æreis per aliquot etiam lustra affignabantur. Plin. lib. 35. cap. 3.

Quum anno 1079. Henricus IV. Rom. Imp. Rodolphum ab Gregorio VII. Pont. Cęsarem declaratum, in fugam coniecisset, dux Boemiæ VRATISLAVS, qui Henrico auxilio uenerat, regiam hastam Rodolphi nactus est: eaq; à Cæsare Boemo donata, in posterum festis diebus regulis Boemorum insigne imperij solenne fuit. Auentinus lib. 5. annalium Boiorum. & Cuspinianus.

Tormenta.

Bello Germanico, CAROLVS V. Cęsar, tormenta quingenta à uictis consecutus est, quorũ deinde nonnulla Mediolanũ, alia Neapolim, alia in Hispaniam misit, reliqua per Belgium distribuit, tanquam uictoriæ trophæa. Sleid. lib. 19.

Signa, Vexilla.

Vexilla, quæ deuictis Cremonensibus BRIXIANI deportarant, in cathedrali ipsorum ecclesia, in perpetuam rei memoriam suspensa leguntur apud Bergomensem lib. 12.

Calcaria.

ANGLI calcaria aurata Francorum in Curtracensi prælio cęsorum, Curtraci in templo suspendêre. Aemil. lib. 9.

Insignia imperij.

Legimus Candaulem ab GYGE superatum, rege opem ferente, qui dicebatur Arsalis. Qui mox in Cariam inter spolia reliqua etiam securim retulerit, quòd fuisset Lydiæ regum gestamen, unde erectum sit Iouis Labradei simulacrum: quoniam Lydorum uocabulo, labrys dicatur securis. Cæl. lib. 6. cap. 11. Lectionum Antiquarum.

EDOVARDVS I. Anglorum rex, iam secũdò domitis Scotis, ut nę uestigium maiestatis regiæ desiderij ullum apud populum remaneret, sedem lapideam, in qua insidẽtibus regibus co-

Varro Musas, Epij Stolonis sententia, PLAVTINO dicit sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui uoluissent. Cælius li. 6. cap. 17. Antiq. Lect. ex Quintiliano.

Cùm M. Tul. Cicero quosdam uersus P. VIRG. Maronis ex Bucolicis recitari audiuisset, carminis maiestate motus dixit: Spes altera Romæ (sibi primas tribuens) quod hemistichium ipse mox in Aeneida suam transtulit. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poet.

HIER. Fracastorius Veronensis, medicus & poeta insignis, Syphilida (hoc est, morbum Gallicum) æterno carmine decantauit, tanta omnium admiratione, ut cùm Neapolim ad Iacobum Sanazarium transmissa esset à Petro Bembo card. Sanazarius ipse (Hippolyto Medice card. & Io. Bapt. Montano, acri Fracastorij æmulo, magnaq; nobilium manu præsente) hunc unum esse confessus sit, à quo non Pontanus modò, uerumetiam ipse accurata carminis dignitate, uiginti annorum lima ac labore perpoliti, esset uictus.

Musici.

AENEÆ chorodidascali encomium Pindarus Ode 6. Olympiorum celebrat præclaris epitheris:

Ἐσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθὸς
ἠϋκόμων σκυτάλα μοισᾶν, γλυκὺς
κρατὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν. Est enim nūcius rectus comtarum Musarum scytala, dulcis crater bene sonantium carminū. Quæ uerba Quintilianus li. 10. cap. 1. Instit. in Ciceronē transfert, ingens: Nō pluuias, ut ait Pindarus, aquas colligit, sed uiuo gurgite exundat, dono quodam prouidentię genitus, in quo totas uires suas eloquentia experiretur.

Historici.

HERODOTVS Halicarnasseus, cùm Ionica lingua historiam in Samo insula composuisset (patria extorris, propter Lygdamis tyrannidem, qui nepos Artemisiæ reginæ fuit) eamq; in frequenti Græciæ conuentu Olympiorum recitasset, sic placuit uniuersis, quasi Musas loquentes audirent: ideoq; libris, qui nouem sunt, Musarum nouem indidere nomina. Auctor uitæ. Floruit anno ab Vrbe condita 400.

T. Vespasianus Imp. Fl. IOSEPHO Iudæo ueritatis testimonium dedit, cùm è solis illius de bello Iudaico libris homines cognitionem earum rerum petere uoluit, & propterea sua manu subscriptos in bibliotheca publicari iussit. Iosephus in sua uita.

Philosophi.

Democritus cùm ignotus uenisset Athenas, colloquio de philosophia cum SOCRATE habito, dixit: Hic philosophus similis est pentathlo: quòd calleret naturalia, moralia, mathematica, ad hæc disciplinas quas ἐγκυκλίους uocāt, deniq; omnium artium peritiam. Laert. lib. 9. cap. 7.

Athenienses de ZENONE Cittiæo tale fecerunt decretum. Quoniam Zeno, Mnasæi F. Cittiæus, complures annos in ciuitate philosophice uersatus est, atq; in omnibus uir bonus esse perstitit, ac iuuenes, qui ad illum disciplinæ causa conuenerunt, ad uirtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ sunt optima conuertit, uitam suam uerbis ac doctrinæ suæ consentaneam exemplar omnibus proponens: bona fortuna uisum est plebi laudare Zenonē Mnasæi F. Cittiæū, & aurea corona ritè ac legitimè ornare, propter singularem eius uirtutem & temperantiam. Præterea construxere illi etiam sepulturam in Ceramico publicè. Coronæ autem faciendæ exædificandiq; tumuli plebem iam quinq; uiros ex Atheniensibus eligens, qui curam habeant, decretumque hoc scribam plebis inscribere columnis duabus, licereq; sibi alteram in Academia, alteram in Lyceo ponere. Sumtus uerò columnarum distribuere eum, qui negotiis præest. Vt omnes intelligant, Atheniensium plebem uiros bonos & uiuos & defunctos honorare. Laert. lib. 7.

Quod de Scipione Africano iuniore dixit Cato, id ipsum & de CHRYSIPPO Stoico pronunciatum quandoq; comperimus, οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. cuius est illud elogium quoq;: Ni fuisset Chrysippus, porticus non esset. Cælius lib. 26. cap. 22. A. L.

Philippus Macedonum rex, nato Alexandro ad ARISTOTELEM scripsit: Non tam se suscepto filio lætari, quàm quòd Aristotelis natus ætate, ab eo posset ita erudiri, ut dignus Macedonico regno euaderet, maiore spe in eius institutione posita, quàm uel in regno uel in cæteris, qui tunc uiuerent, philosophis. Fulg. lib. 2. cap. 5. Plato quum fortè in auditorium uenisset, nec adesset Aristoteles discipulus, succlamauit, ἄπεστιν ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, Abest ueritatis philosophus. Cùm iterum non accessisset, dicere non dubitauit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, Non uenit intellectus. Quin, ut auctor probat Philoponus, illius ædes non aliter ac Lectoris ædes uocabat. Cælius lib. 29. cap. 8. A. L. & Erasmus lib. 8. Apoph.

PORPHYRIVS Tyrius philosophus, Christianis infensissimus, sub Iuliano, cùm de connubio sacro, diuino quodam numine afflatus poema composuisset, & illud Plotinus audiuisset, ad eum conuersus: Ostendisti, inquit, Porphyri te simul & poetam summum esse, & philosophum, & sacerdotē.

Pythagoricus Numenius, quem Origenes admiratus adeò est, ut philosophis ferè anteponendum omnibus censuerit, quum Mosaica & Platonica expendisset mysteria, affirmauit, PLATONEM uideri prorsum Mosen alterum, Attica eloquentia diuinitatis arcana rimantem propandentēq;. Cælius lib. 30. cap. 37.

Magi.

Habuit Isis Romæ templum, quod solum in urbe Aegyptius sacerdos purum se reperisse dicebat, quū PLOTINO suasisset, illuc secum accederet, familiarem sibi dæmonem eo aduocante confestim inspecturus. Cui quum esset obsecutus facilè Plotinus, quumq; in aspectum dæmon accerseretur, pro dæmone accessit deus. Quo factum est, ut exclamaret Aegyptius, Beatum esse Plotinum, qui haberet pro dæmone deum. Cælius lib. 5. cap. 12. A. L.

Respublicæ.

Thebanis cum Atheniensibus dissidentibus, cùm PINDARVS quodā suo carmine scripsisset, ὦ ταλαίπωροι καὶ μεγαλόπολις Ἀθᾶναι, hoc est, O infelices, & magnifica urbs ATHENÆ, à suis ciuibus Thebanis magna pecunia multatus fuit. Quod ubi Athenienses resciuere, auri tantundem ei restituerunt. Cùm item aliàs fulcimentum ac sustentaculum Græciæ Athenas appellasset, hoc est, ἔρεισμα Ἀθᾶναι, Laconem tum quēdam statim subintulisse, Citò Græciam funditus ruituram, si huiusmodi, inquit, fulciatur sustentaculo. Gyraldus Dialogo 9. hist. poet.

De LACEDÆMONIIS, Leuctrica clade fractis, Leptinæ dictum, τὴν Ἑλλάδα ἑτερόφθαλμον γενομένην, id est, Græciam factā unoculam. Quin & Pompeius Trogus, Athenas Spartamq; ceu duo Græciæ lumina celebrat miraturq;. Cimon uerò Atheniensis hortabatur, ne Græciam negligerent χωλὴν γεγενημένην, Sparta pereunte. Cælius lib. 18. cap. 2. A. L.

Cineas Pyrrhi legatus, dum Romæ agit, curam dicitur intendisse, atque elaborasse, ut mores ROMANORVM uideret, & reipubl. cōsideraret disciplinam. Qui postquàm in colloquium uenit cum proceribus, retulisse cùm alia Pyrrho, tum dixisse, Senatum sibi multorum regum uisum conciliū. De plebe, uereri se, ne cum Lernæa quadam hydra uideantur pugnare. quippe duplo maiores quàm antè copias conscripsisse Leuinum consulem, tantumq; numerum idenidem superesse Romanorum, qui arma ferre ualerent. Plutarchus in Pyrrho.

Imperator Constantinus urbi ROMANÆ iam propior, Senatus officia, uerendasq; patritiorum effigies ore sereno contemplatus, non ut Cineas Pyrrhi legatus, in unum coactam multitudinem regum, sed mundi totius adesse asylum, concipiebat animo. Fuit & qui imperij & uirtutum larem esse Romam pronunciarit. Cælius lib. 18. cap. 25. A. L.

Pontifices.

ARISTOBVLVS, Alexandri F. pontifex ab Herode creatus, annum egressus decimumseptimum, sacris iuxta legem operaturus ad altare ascendit ornatu pontificali, ceremoniasq; decenter tractaui. Ipse eximia forma, & statura quàm pro ætate procerior, tota facie generis dignitatem præferens, conuertit in se multitudinis oculos simul & studia, reputantis secum etiam aui Aristobuli memoria digna facinora. Victi igitur affectu, paulatim se aperiebāt, confusi nimio gaudio, nec continentes faustas uoces ac comprecationes, licentius quàm sub tali rege decebat proferētes debitam familiæ beneficiorum tum memoriam tum gratiam. Hæc omnia perpulerunt Herodem regem Iudæorum, ut eū è medio tollendum curauerit. Ioseph. lib. 15. cap. 3. Antiq.

Reges, Principes.

TRAIANO Imp. tantum delatum est, ut scribit Eutropius, ut non aliter principibus in Senatu acclamatum sit, Ne sis felicior Augusto, melior Traiano: tantum bonitatis obtinuit. Cuspinianus.

De SEVERO Imp. forti, nec Rom. imperio inutili, illud Senatus iudicium extitit, Oportuisse Seuerum aut nunquam nasci, aut nunquam mori. Sab. lib. 5. En. 7.

Athalaricus Gothorum rex, Constantinopolim ueniens, icto prius cū THEODOSIO I. fœdere, acceptus benignè est. Cæterùm magnificentissimum urbis apparatum intuitus, augustam domum obsequiaq; circa principem & officia, Haud dubiè, inquit, deus terrenus est Imperator: cui si quis uim intenderit confestim sui sceleris luat pœnas necesse sit. Sabell. lib. 9. En. 7.

Fridericus III. Imp. Romæ coronatus, ad uisendum ALFONSVM regem Neapolim uenit. Cùm in Germaniam redisset, interrogantibus amicis, apud Italos quæ memoratu digna uidisset? Alfonsum, inquit, omnium, qui modò uiuant, regū, & prudentissimum, & magnificentissimum. Cumq; aliqui non probarent, quòd maior dignitas ad minorem uenisset, Imò, ait ille, ad maiorem profectus sum. Nam etsi minor est regis auctoritas quàm Imperatoris, Alphonsus tamen Friderico maior est. Aen. Syl. lib. 4. Com. de Alfonso.

Præfecti.

BOGES unus ex omnibus à Xerxe laudatus, quòd præfectus Eioni urbi Thraciæ, uicto Xerxe à Græcis, cùm à Cimone Miltiadis F. obsideretur liceretque ei accepta fide egredi, & in Asiam remeare, tamē abnuerit: ne regi præ metu superfuisse uideretur, sed ad extremum usq; perstiterit. Atq; ubi nihil in mœnibus commeatus reliquum esset, accēso ingenti rogo, liberos, coniugem, concubinas, familiam, interemtas in rogum deiecerit. Et tandem omni auro urbis atq; argento è muris in Strymonē disperso, semetipsum etiam in rogum coniecerit. Herod.

Q. SCÆVOLA (quem Lucius Crassus in consulatu collegam habuit) Asiam tam sanctè & tam forriter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam prouinciam ituris magistratibus exemplum atq; formam officij, Scæuolam decreto suo proponeret. Val. lib. 8. cap. 16.

Duces bellici, Imperatores.

P. Scipio Africanus unus ex legatis ad Antiochum missis, cum Annibale apud regem exulante collocutus, inter alia multa ab Annibale petiit, ut ex animi sententia diceret, quem maximum Imperatorum fuisse censeret? Annibal respondit, primo loco ALEXANDRVM Macedonum regem, secundo PYRRHVM Epirotam, tertio seipsum collocandum uideri. ad hoc leniter arridentem Aphricanum dixisse, Quid censeres, Annibal, si me uicisses? Me proculdubiò, inquit, cūctis aliis Imperatoribus anteferrem. Hoc responsum placuisse SCIPIONI ferunt, quòd se nec pōsthabitum, nec adhibitum in comparationem, sed ueluti incomparabilem, occulta quadam assentatione, à Punico ingenio relictum uideret. Auctor uitæ Annibalis.

Interrogatus Antigonus, qui optimus dux foret? respondit, PYRRHVS, si ad senectutem peruenisset. Atque ille de sui temporis æqualibus modò pronunciauit: Annibal cunctorum imperatorum censuit peritia & arte primum Pyrrhum, Scipionem secundum, tertium se. Plut. in Pyrrho.

C. MARIVS cùm apud Numantiam sub posteriore Africano stipēdia equestria mereretur, & fortè inter cœnam quidam Scipionem interrogasset, si quid illi accidisset, quémnā Respub. æquè magnum habitura esset imperatorem? respiciens Marium, se supra ipsum cubantem, Vel hunc, dixit. Quo augurio perfectissima uirtus, maximam orientem uirtutem uideritne certius, an efficacius acciderit, perpendi uix potest. Illa nimirum cœna militaris, speciosissimas tanta in urbe Mario futuras cœnas ominata est. Postquam Cimbros ab eo deletos initio noctis nuncius peruenit, nemo fuit qui non illi tanquam diis immortalibus, apud sacra mensæ suæ libauerit. Val. lib. 8. cap. 16.

Cicero cùm Cn. POMPEIVM Magnum ornaret, suadens legem Maniliam, inquit de ipso: Qui plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt. Victorius lib. 26. Var. lect. c. 11.

Q. CATVLVM pop. Rom. uoce sua tantum non ad sidera usque euexit. Nam cùm ab eo in Rostris interrogaretur, si in uno Pōpeio Magno omnia reponere perseuerasset, absumto illo, subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus? summo consensu acclamauit, In te. Vim honorati iudicij admirabilem: siquidem Magno Pompeio cum omnibus ornamentis, quæ retuli, duarum syllabarum spacio inclusum Catulum æquauit. Val. lib. 8. cap. 16.

Hieronicæ.

Archilochus Parius poeta, hymnum in Herculem composuit, cuius initium hoc fuisse addunt:

χαῖρε καλλίνικε τήνελλα ἄναξ Ἡράκλεις.

Quo postea carmine in sacris certaminibus VICTORES omnes ornabātur, ter à spectatoribus repetito. Est uerò Tenella uox à tinnitu fidis effecta, ut taratātara à tubę sonitu. Gyraldus Dialogo 9. Hist. poet.

OLYMPIONICÆ ter præconio honestabantur: primùm in stadio, secundò in gymnasio, tertiò in sua quisq; patria. Brodeus in 2. Græcorum Epig.

THERONEM Agrigentinum, Agrigenti dominum, Ode 2. Olympiorum Pindarus laudauit à uincenre curru, à iustitia, à liberalitate, à fortitudine, à maiorum etiam claritudine. Eundem pòst, cùm sacra in Theoxeniis facienti, denunciatum esset, & alios ipsius equos uictoriam obtinuisse, Pindarus Ode etiā 3. à corona equorū, à loco uictoriæ celebrauit.

νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θήρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν. τὸ πόρσω
δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον
κἀσόφοις· οὐ μὶν διώξω· κεινὸς εἴην. Nunc uerò domesticis Theron uirtutibus clarus attingit (etiam) Herculis columnas, ultra quas nec sapientes progredi, nec insipientes (par est) neque ego in animum hoc induxero. Incassum enim laborarem.

DIAGORAM Rhodium Olympionicē Ode 7. Olympiorum Pindarus celebrat, quam aureis literis in Lunaris Mineruæ templo consecratam conspici interpretes testantur.

Pindarus Ode 6. Olymp. laudat AGESIAM Syracusanum uictorem cursu mulabus ducto, inquiens:

Ἁγησία, τὶν δ' αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐν
δίκᾳ ἀπὸ γλώσσης Ἄδραστος μάντιν Οἰ-
κλείδαν ποτ' ἐς Ἀμφιάρηον
φθέγξατ', ἐπεὶ κατὰ γαῖ' αὐτόν τέ νιν
καὶ φαιδίμας ἵππους ἔμαρψε.
ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τελε-
σθέντων, Ταλαϊονίδας
εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος·
ποθέω στρατιᾶς
ὀφθαλμὸν ἐμᾶς, ἀμφότερον,
μάντιν τ' ἀγαθὸν,
καὶ δουρὶ μάρνασθαι. τὸ καὶ
ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ
νῦν πάρεστι Συρακοσίῳ·
οὔ φιλόνεικος ἐὼν,
οὔτ' ὦν δύσερις τις ἄγαν,
καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις,
τοῦτό γέ οἱ σαφέως μαρτυρή-
σω, μελίφθογγοι δ' ἐπιτρέψοντι Μοῖσαι. O Agesia tibi laus parata est (ea) quam nō iniuria Adrastus in uatem Amphiaraum Oiclis filium olim protulit, postquam unà terra & ipsum & strenuos equos eius absorpsisset. Septē enim postquam occisorum rogos coaceruasset (Adrastus) Talaionides, talem quendam sermonem Thebis edidit: Desidero militiæ meę oculum, utraq; in re, uaticinio nempe & bello, eximium. Quod etiamnum præconium uiro adest Syracusio. Non multum rixabor, neq; contendam nimium, sed magno præstito iuramento hoc apertè palàm testificabor: mellisonæ etiam consentiunt Musæ.

ARISTOCLIDEM Aeginetam Ode 3. Nemeorum Pindarus celebrat à mansuetudine & facilitate, qua se omnibus accommodaret:

Ἐν παισὶ νέοισι παῖς, ἐν
δ' ἀνδράσιν ἀνὴρ, τρίτον
ἐν παλαιτέροισι·
μέρος ἕκαστον οἷον ἔχομεν
βρότεον ἔθνος. ἐλᾷ δὲ καὶ τέσ-
σαρας ἀρετὰς ὁ θνατὸς αἰὼν· φρονεῖν
δ' ἐνέπει τὸ παρκείμενον. Inter pueros puer, inter uiros uir, tertiò uerò inter senes senex: quales partes omnes habemus gens mortalium. Producit autem quatuor uirtutes uita mortalis: curare uerò iubet quod præsens est (supra iam tres dictas)

ARCESILAI principis Cyrenæorum iuuenis prudentiam, Pindarus Ode 5. Pythiorum extollit:

Κρέσσονα μὲν ἁλικίας
νόον φέρβεται,
γλῶσσάν τε· θάρσος τε τανύ-
πτερος ἐν ὄρνιξιν αἰ-
ετὸς ἔπλετο, ἀγωνίας
δ' ἕρκος οἷον σθένος·
ἔν τε Μοίσαισι ποτανὸς ἀπὸ
ματρὸς φίλας, πέφανταί
θ' ἁρματηλάτας σοφός·
ὅσαι τ' εἰσὶν ἐπιχωρίων κα-
λῶν ἔσοδοι, τετόλμα-
κε. Meliorem quidem ætate mentem pascit, linguaque & fiducia expandens alas inter cæteras aues aquila erat: certaminisq; eius robur instar muri persistebat, interq; Musas uolatilis à matre usq; chara repertus est ac monstratus auriga sapiens. Quicquid fuit apud ciues egregiorum morum, aggressus est primus.

Pueri, Adolescentes.

P. SCIPIO minor, iuuenis etiamnum, tantam habebat opinionem fortitudinis & prudentiæ, ut Cato senior interrogatus de his, qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat & Scipio iunior, Homerico uersu ex Odyss. κ. responderit:

οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Ille sapit solus, uolitant alij uelut umbræ.

Plutarchus in Rom. Apoph.

Plinius lib. 7. refert, Catonem Cēsorium uelut ex oraculo prodidisse, senilem iuuentā præmaturæ mortis esse signum. Et apud Senecam libro Controuersiarum secundo, controuersia prima, Cestius de ingenio ALFII Flauij prædicare consueuit, tam maturè magnum ingenium non esse uitale. Talem puerum Sophocles ἀνδρόπαιδα uocat. Erasmus.

Ferdinandi Hispaniæ regis in regnum Neapol. aduentus summo studio Neapolitanorum est celebratus, & in primis matronæ omnes, quæ forma & dignitate ceteras anteibant, in

amplissimo conuiuio regiis oculis ostentatæ. Ministrabat fœminis ornatissima iuuentus, quæ mox remotis mensis choreas duxit. Quo in ludo FERDINANDVS Daualus Piscarius, sextum decimum ætatis annum tum agens, ante alios, tanta arte, tantaq; numerosi incessus grauitate, omnes saltationis modos adimpleuit, ut rex ipse prudentia & iudicio maximè insignis, quum oculos in unum Piscarium coniecisset, palàm diceret ad proximos proceres, digito Piscarium indicans, Ille adolescens ex gestu certaq; oris indole supra hos omnes, magnus quidam Imperator esse uidetur: & si me opinio nequaquam fallit, omnium euadet longè præstantissimus. Hoc de se tãti regis iudicium nequàquam claris auribus accepit: præfatus regem, qui se adolescentem immatura laude honestare uoluisset, grauissimum pondus teneris humeris imposuisse: quando sibi magnopere bello & pace foret desudandum, si promereri eam laudem uellet, quam sibi rex iusto propensior adeò benignè obuenturam esse prædiceret. Iouius in Piscario lib. 1.

CVR LAVDATI. CAVSA

Doctrinæ.

PYTHAGORÆ tanta ueneratio ab auditoribus tributa est, ut quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent. Quinetiam interpellati ad reddẽdam causam, hoc solùm respondebant, αὐτὸς ἔφα. Val. lib. 8. cap. 16.

Cæsar dictator de CICERONE quamuis hoste scripsit, omnium eum triumphorum lauream adeptum esse: & quidem tanto maiorem, quanto plus est, ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quàm imperij. Plin. lib. 7. cap. 30.

Octauius Cęsar, qui in gratiam Antonij CICERONEM proscripserat, cùm longo pòst tempore ad quendam ex filia nepotem accessisset: ille autem, quòd uolumen quoddam Ciceronis manibus teneret, consternatus id ueste contexisset: Cæsar qui animaduerterat, sumsit uolumen, & stans magna ex parte euoluit, reddidit inde puero, ac dixit: Doctus hic uir, fili, doctus fuit, & patriæ amans. Plut. in Cicerone.

ORIGENEM etsi hostem sibi Porphyrius desumsisset, Christiani nominis acerrimus persecutor: ita tamen interdum laudauit, ut nunc doctissimum, nunc philosophorum principem uocaret: & cùm diceret eum omnia Platonis secreta consecutum, carperet tamen quòd religioni Christianæ se addixisset. Platina.

Interrogatus Libanius rhetor iam morti propinquus, quem potissimùm in schola successorem relinquere uellet? non alium quàm IOANNEM Chrysostomum, dixit, nisi hominem Christiani ad se traduxissent. Platina.

Pomponius Lætus quærenti M. Ant. Sabellico, quem ex recentioribus doctissimum iudicaret? THEODORVM Gazam respondit. Sabel. in uita Pomponij.

Cùm Picus Mirandula ab amicis rogaretur, quidnam de PHILIPPO Beroaldo sentiret? memorabilem illam uocem respondit, Beroaldum sibi uiuam quandam ac loquentem uideri bibliothecam. Barthol. Blanchinus in uita Beroaldi.

Eloquentiæ.

De CICERONE Lucanus lib. 7. sic scribit:

—— Romani maximus auctor
Tullius eloquij, cuius sub iure togaq;
Pacificas sæuus tremuit Catilina secures.

Probitatis, Virtutis.

Eximium est AMPHIARAI uatis elogium apud Aeschylum in Tragœdia, quam inscripsit ἑπτὰ ἐπὶ θήβας:

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖαν αὔλακα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα. hoc est,
Neq; enim uideri, sed uult esse is optimus,
Sulcum profundum in pectore consitum gerens
Suo, ueneranda consilia unde pullulant.

ARISTIDI Iusto tantum tribuit Plato, ut prę cæteris, qui clarissimi Athenis floruêre, solum eum existimatione ac laude præterq; admiratione dignum censuerit. Cælius lib. 23. cap. 19. Antiq. Lect.

Claudius Cæsar L. OTHONEM, patrem Syluij Othonis Imperatoris, inter patricios allectum, collaudans amplissimis uerbis, hæc quoq; adiecit: Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem. Suetonius.

SEVERIANVM Traianus successorem aliquando & dignũ imperio iudicauit. Nam in conuiuio olim quæsiuit ab amicis, ut decem nominarent uiros, quibus summa Reip. & rerum fastigium demandari posset. Tum uerò compresso aliquantulum sermone, inquit, Nouem per uos discere cupio, unum ego Seuerianum habeo. Hunc Adrianus Imp. interfecit iam nonagenarium, quòd ei Lucij Commodi adoptionem displicere intellexisset. Dion in Adriano.

Imperator Ferdinãdus Ioannem Cratonem Medicum clariss. in prandio multis astantibus, & præsertim clarissimis medicis Iulio Alexandrino, Stephano Laureo Amorfortio, & Ioanne Næuio, principis Saxoniæ archiatro, qui unà cum superioribus ualetudinis Cæsaris curam gerebat, interrogauit num de facie CON. Gesnerum, Medicum Tigurinum nosset? Negabat ille aliter ac ex literis, & certorum hominũ sermonibus cognitum. [redacted]

Sanctitatis.

Narrat Nicephorus lib. 13. c. 23. Sisinnio Nouatianorum episcopo per quietem uisum, assistere sibi ad aram, in templo dicato Stephano protomartyri, uirum quendam forma & statura illustrem, habitu etiã honesto & graui, sed animo & uultu consternato: quòd perlustrata tota Constantinopoli, bonum hominem nullum inuenisset, præter EVTROPIVM. Fuit is Lector ecclesiæ Constantinopoli, grauissimis paulo antè subiectus tormentis, quòd cum aliis aliquot Ioannis Chrysostomi amicis incendij, quod post expulsionem Ioannis acciderat, auctor fuisse creditus esset: sed tormentis fortiter uictis, custodiæ inclusus fuerat: in qua cum Sisinnius accessit, somniumq; commemorauit.

Eugenius tyrannus Italiam inuasurus, Germanos nouis sibi fœderib. obligauit per Arbogastem comitem. In conuiuio Arbogastes à regibus Francis rogatus, num episcopum Mediolanensem AMBROSIVM nosset? Noui, inquit, atque ei carus sum. cui illi: In hoc profectò uincis omnes, quòd ab illo uiro diligeris, qui dicit soli, Consiste, & consistit. Sigonius lib. 9. imp. Ital.

Prudentiæ.

De PHOCIONE quoties in concione dicturus assurgeret, ad amicos proximos dicere solebat Demosthenes, rationũ ipsius securim surgere, τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς πάρεστι. nam Phocion erat in dicendo breuis, sed acutus. Solebat autem ferè à Demosthene dissentire. Plut. in Demost.

Io. Galeacius, Mediolanensis dux, cum Florentinis bellum gerens, dicere solebat plus damni sibi COLVTIVM Pierium oratorem & poetam, Florentinæ Reip. tabellionẽ, epistolis suis, quàm totum exercitum hostium infestis armis inferre. Volaterranus lib. 21.

MARCVS Iustinianus Bergomum Philippo Mediolanensiũ duci extortum Reip. Venetæ peperit, & prætor designatus est. Dicere solitus erat Philippus, plus negotij sibi ex lanea Marci Iustiniani ueste exhiberi, quàm ex ducentis cataphractis equitibus Venetis capere quotidie soleret. Egnatius libro 4. capite 6.

Carolus IX. Gallorũ rex unius FR. CASTILIONII, Admiralij Franciæ, lentiscum (solebat enim post cibum cogitabundus dentes bacillo purgare) præ mille Hugonotorum equitum lanceis sese pertimescere ingenuè fatebatur.

Fortitudinis bellicæ.

Cùm in pugna ad Salaminem, ARTEMISIA Cariæ regina, quæ à partibus Xerxis pugnabat, uideret Atticam nauim sibi instantẽ, neq; ullum effugium superesse: in nauem sociã Calyndensium, qua rex Calyndensium Damasithymus uehebatur, impegit (intercedebant autem iam inde ex Hellesponto cum ipso simultates) eamq; cõsultò demersit. Quod ubi trierarchus Atticæ nauis uidit, existimans hanc nauem aut Græcam esse, aut è Barbaris profugisse, & à Græcis pugnare, ab ea ad alias se conuertit. Xerxes nauim Græcam demersam ratus, præcipuè cùm nemo ex ea naui seruatus esset, qui Artemisiam accusare posset, exclamauit: Viri quidem mulieres, mulieres uerò uiri mihi extiterunt. Herod. lib. 8. & Polyæn. lib. 8.

Antigono contra Cleomenem circa Sellaciam pugnãte, PHILOPOEMENES Megalopolitanus aduertens non magni esse negocij leuem armaturam opprimere, idq; ipsum tempus suggerere, demonstrauit primùm rem ducibus regiis. Quos cum non adduceret in sententiam suam, sed fastidiretur pro insano, quòd auctoritatem ad tantum imperatoriæ artis consilium haud dum magnam neq; satis insignem obtineret: cum globo ciuium suorum fecit impressionẽ, & hostem superauit, ut ne femur quidem utrumq; iaculo amentato transfixus à pugna cessarit. Obtenta uictoria Antigonus, tentandi gratia quęsiuit ex Macedonibus, Quid equitatum nondum dato ab se signo immisissent? Quibus inuitos se affirmantibus, quòd iuuenis Megalopolitanus occupasset inuadere hostes, commissos cum iis fuisse: At ille iuuenis, inquit, magni Imperatoris perpetrauit munus. Inde iure fuit Philopœmenes in honore. Plut. in Philopœmene.

PELSINENSES Boëmi cùm Hussitarum obsidionem fortissimè pertulissent, à Cæsare Sigismundo diploma tulere, laudis & gratiæ plenum, in quo ad contemtum hostium hoc epiphonema adiectum est, Hoc nomen, Pelsina, in faucibus hæreticorum perpetuò amarescet. Dubrauius lib. 27.

Iustitiæ.

C. FABRICIO duce belli aduersùs Pyrrhum designato, cùm eregionè castra haberent exercitus, quidam noctu per occasionem eum adiit, se ueneno Pyrrhum necaturum pollicẽs, si pecunia daretur. Quem Fabricius ob id facinus perosus, uinctum Pyrrho remittit. Quod factum is admiratus, exclamasse fertur: Vnus Fabricius is est, qui difficiliùs à sua uirtute dimoueatur, quàm sol à consueto suo cursu. Suidas.

Inter Neronem & THRASEAM graues intercedebant inimicitiæ: uerùm cuidam multa criminosè iactanti de Thrasea, dicentiq;, causam ab illo perperàm esse iudicatam, obstitit Nero exclamans: Vtinam me tam Thrasea diligat, quàm est iudex rectus & æquus. Tacitus.

Formæ.

DIADVMENVS Antoninus, Opilij Macrini Imp. F. iuuenis speciosiss. fuit, ita ut Romæ in circo ei acclamaretur Maronis illud, Egregius forma iuuenis, cui pater haud Mezẽtius esset, detestantib. omnib. non minùs Macrini crudelitatem, quàm Diadumeni formam commendãtibus. Capitolinus.

Roboris.

Tradunt Delphos uenienti ad oraculũ HERCVLI Amphitryonis filio, Xenoclean Dei interpretem respõsum dare recusasse, quòd cæde Iphiti erat pollutus. Tunc itaq; sublatum è templo tripodem, Herculem foràs asportasse: ipsam uerò interpretem extemporè dixisse,

Hic Tirynthius Alcides, non ille Canobeus.

Nam & antè Aegyptius Hercules Delphos uenerat. Sed Amphitryonis filius Apollini tripode reddito, quicquid uoluit à Xenoclea didicit. Hinc poetæ sumto argumento, fabulæ mandarunt Herculis cum Apolline de tripode pugnam. Pausanias in Phocicis.

Felicitatis.

Ilium profectus Alexander Macedo, ACHILLIS statuam coronans: O' te felicem, inquit, Achilles, cui uiuo talis amicus, mortuo talis contigerit præco: de Patroclo loquens, & Homero: quorum ille fidissimus Achilli fuit amicus, hic defunctum Iliade tota celebrauit. Cic. pro Archia.

A QVIBVS LAVDATI. A

Deo.

Præclarum testimonium, quod Christus opt. max. IOANNI Baptistæ dedit: prophetam maiorem inter mulierum natos non surrexisse. Matth. 11. Lucæ 7.

Intelligentiis.

GREGORIO Pontifici maximo (qui unus ex columnis est ecclesiæ Christi) dum sacra faceret, & iuxta ritum ad plebem conuersus, Pax Domini uobiscum, diceret: angelica uox cũctis audientibus respondit, Et cum spiritu tuo. Exinde mos inoleuit, ut pontifici ea uerba repetenti, nihil à clero respõdeatur: ut scilicet dignum se exhibeat, cui angeli respondeant, non homines. Præstare enim cæteris uitæ sanctitate debet, qui præstat officij dignitate. Marul. lib. 6. cap. 16.

BEDA Venerabilis presbyter, cùm cæcus ecclesiam ingressus, à quodam per iocum audisset, populum concionem expectare: suggestum ascendit, nemineq; præsente, cùm benedictionem dedisset, saxa uisa sunt respondere Amen.

Prophetis.

CHRISTVM natum uirgo Maria, ne legem Moseos prætermittere uideretur, purificationem sumtura, licet intacta & incorrupta lustratione minimè indigeret, ad templum detulit. Eum Simeon uir iustus & singularis religionis, in ulnis retinens diuino numine afflatus, regem suum & saluatorem professus est. Platina.

Vatibus.

LYCVRGVS Lacedæmonius, cùm Delphos ad oraculũ proficisceretur, statim ut atrium ingressus est, Pythia sic cecinit, teste Herodoto lib. 1.

ἥκεις ὦ Λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν,
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι·
δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ καὶ ἄνθρωπον·
ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόεργε.

Cùm PINDARVS per totam Græciam magna esset famæ celebritate, ad gloriæ fastigium eundem euexit Pythiæ uox, qua Delphi iussi sunt æquam omniũ, quæ Apollini deferrentur, primitiarũ partẽ Pindaro tribuere. Pausan. in Bœoticis.

SOCRATES, Apollinis oraculo sapientissimus fuit iudicatus, propter id unum fortasse, quòd se nihil scire profiteretur. Chærephonti enim oraculum consulenti, Pythia respõdit: ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. Quo tamen ipso testimonio in maximam inuidiam uirum sanctissimum dæmon astutissimus coniecit, & simul constantiam illius ac integritatem labefactare conatus est, ut tanta laude tumidus, ex uero philosopho ambitiosus & arrogans sophista efficeretur. Laert. lib. 2. & Athen. lib. 5. cap. 13.

Principibus, Regibus.

Darij iudicio nemo Persarum ZOPYRI, Megabyzi unius è septem F. præstantia facta supergressus est: neq; eorum, qui priùs, neq; eorum, qui posterius extiterunt, prẹter unum Cyrum: cui nullus unquam Persarum se dignum, qui illi compararetur, existimauit. Ferturq; Darius hoc dictum sæpenumero usurpasse: Malle se, Zopyrum nihil esse cladis passum, quàm uiginti sibi Babylones acquiri. Herod. lib. 3.

Darius è Scythia fugiẽs, per Istrum & Bosphorum Thracium, in Asiam nauibus ipse transiuit, relicto in Europa exercitus duce MEGABYZO Persa Zopyri F. cum XXC millibus militum: cui Darius aliquando hunc honorem habuit, ut cùm aliquando punicum malum aperuisset, & interrogaretur à fratre Artabano, nunquid tantum hominum sibi optaret, quantum illic esset acinorum: responderit, Se prę optare tot sibi esse Megabyzos, quàm Græciam subditam. Herod. l. 4.

Republica.

Gordianus Imp. expeditione Persica feliciter confecta, omnia Senatui perscripsit, eaq; MISITHEO uiro doctiss. ac eloquentiss. (qui idem Timesocles dicebatur, uir modestus & frugi) præfecto & socero accepta retulit. Ob quæ & Senatus diis supplicationes, Gordiano triumphum decreuit, & Misitheo currum triumphalem, & titulum magnorum honorum, cum iis uerbis: Misitheo eminenti uiro: parenti principum: prætori totius orbis: tutori Reipub. S. P. Q. R. uicem reddit. Cuspinianus.

Historicis.

Iosephus lib. 18. cap. 18. Antiq. sub Tiberij imperio: Fuit, inquit, eisdem temporibus IESVS, uir quidam sapiens, si tamen uirum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector, ac hominum doctor, eorum maximè, qui quæ uera sunt, libenter audiunt. Hanc ob rem multos tum ex Iudæis, tum ex gentibus sibi adiunxit. CHRISTVS hic erat. Hunc autem cum Pilatus, à principibus nostræ gentis instigatus, in crucem agendum censuisset, non tamen hi deseruêre, qui eum ab initio dilexerant. Eisdem preterea die tertio post mortem uiuus apparuit, quemadmodum diuinitùs inspirati prophetæ, & hæc & alia de eo innumerabilia miracula futura esse prædixêre. Perseuerat & usq; in hodiernum diem celebre Christianorum nomen ab ipso sumtum: perseuerat & genus. Idem quoq; Iosephus, IOANNEM Baptistam uerum prophetam, & ob eam rem ab omnibus in precio habitum, iussu Herodis, magni Herodis filij, paulo ante mortem Christi cæsum fuisse affirmat in castello Machærunta: non quod sibi & regno timeret, ut idem ait, sed quòd ab eo seuerè reprehensus fuerat, qui Herodiadem Agrippæ sororem, ac Philippi fratris uiri optimi uxorem incestis nuptiis sibi coniunxisset.

Hostibus.

Post Leuctricam uictoriam cùm EPAMINONDAS infesto agmine Spartam contenderet: Agesilaus rex incedentem in prima acie Epaminõdam ut uidit, perdiu illum intuitus, aciemq; ab eo nusquam deflectens, hoc unum dixit: O' hominem magnificum. Plut. in Agesilao.

Philippo Macedonum rege mortuo, Alexãder Magnus regnũ adeptus, ad subigendos Persas in Asiam transmisit. Alter autem Alexãder, Molossus cognomine, in Italiam uenit, cum Rom. bellum gesturus, nisi morte sublatus fuisset. Dicebat autem, se ad ROMANOS ire quasi in ἀνδρωνῖτιν, Macedonem isse ad Persas, quasi in γυναικωνῖτιν. Gell. lib. 17. cap. 21.

Pyrrhus Epirotarum rex in Italiam profectus, ut intellexit in propinquo ROMANOS esse, & ultra Liin amnem castra ponere: excurrit speculandi causa ad amnem. Vbi ordinem, stationes, digestionem eorum & figuram castrorum contemplatus est, obstupuit: appellansq; unum ex amicis, qui ꝓximè astabat: Ordo hic, inquit, Megacle barbarorum, non est barbarus, facta ipsa experiemur. Plutarchus in Pyrrho.

Tib. & Caium GRACCHOS, uel mordacissimi aliàs & inimicissimi non sustinuerunt dicere, quin præclarissima omniũ Romanorum ad uirtutem indole fuerint, educationemq; & institutionem habuerint eximiam. Plutarchus in Vitis.

Quando Q. FABIVS Max. Tarentum proditione cepit, Annibalem ferunt raptim agmine facto quinq; millia tum à Tarento abfuisse, ac propalà dixisse, Et Romani suum Annibalem habẽt: eadẽ qua ceperamus arte Tarẽtũ, amisimus. Cõfiteri uerò priuatim apud amicos tum primùm sustinuit, iã pridem graue ipsis fore se animaduertisse, nũc uerò impossibile, ut præsentibus subsidiis doment Italiã. Plut. in Fabio.

P. SCIPIONIS Carthaginis & Numãtiæ euersoris funus, ut omni studio celebrarent, Q. Metellus ipsius inimicus filios uehementer hortatus dicitur, atq; ita testatus fore, ut maioris uiri exequias uisuri essent nunquam. Sab. lib. 1. En. 6.

Mahometus II. Imp. Turcorum, uoluit se palàm laudari, cunctisq; summis Imperatorib. ac regibus, quotquot sunt aut fuerunt uspiam gentium, gloria anteponi. MATHIAM Hungariæ regem solum excipiebat, quem etiam Principis nomine strenui honorabat. Cuspinianus.

QVANDO. VBI.

Antiquitùs mos fuisse uidetur, ut in compotationibus aliquorum, etiam uiuentium laudes dicerentur. Quemadmodum

apud Platonem Alcibiades Socratis encomium refert,& apud Plutarch.ALEXANDRVM Magnum laudat Calisthenes. Eiusmodi uerò laudes non admodum speciosæ uidebantur,ut inter pocula decantatæ.Hinc prouerb.Non queas laudari,ne in conuiuio quidem.Erasmus in Adagiis.

QVOMODO.

Acclamatione, Applausu.

Vide Tit.Acclamare, quatenus laudem iunctam habet.Illic nota Perturbationis,hîc Honoris testimonium perpenditur.

L.PAVLVS Aemilius Cēsor creatus,ubi in eo magistratu plurima & quæ maximi momenti erant,composuit, incidit in morbū initiò ancipitē, sed tractu tēporis innocuū, difficilē tamē & pertinacē. Postquàm de cōsilio medicorū nauigauit Eleā oppidū Italiæ, atq; illic in prædiis maritimis multumq; trāquillis lōgo spacio egit,requisiuit eū populus Romanus,uocesq; in theatris crebras emisit uelut gestiens & auēs eius cōspectū. Cùm aūt instaret sacrificiū,quod erat ei necessariò obeundū, & iā corpus suū arbitraretur satis firmū esse,regressus est Romā : atq; illa sacra cū aliis sacerdotibus circūfuso & clarissimè gratulāte populo,pegit.Postridie iterū diis pro incolumitate sua sacrificauit. Rei diuinæ operatus domūq; reuersus decubuit, & priusquam sentiret : ut perciperet ualetudinis imbecillitatē, mente & ratione motus tertio die obiit:cùm nullius rei,quæ ad uitam beatā existimatur ptinere,exors aut expers fuisset. Plut.in Paulo.

COMMODVS Rom. Imp. certamine defatigatus, è poculo uxoris suæ dulce uinum frigefactum, strenuè bibebat. Eapropter omnes strenuitatem eius admirati,id quod in conuiuiis solet,acclamarunt,ζήσαις,id est,Viuas.Sūt qui in malam partem interpretentur, Vixeris:hoc est, excedas è uita. Est proinde amphibola precatio, ut hoc qui dicit, non tam bene precetur,quàm execretur.Suidas.

Præconis uoce.

Pharao IOSEPHVM currui imponi,& ante eum proclamari iussit,Flectite genua,ob somnij interpretationē.Genes.c.41.

MARDOCHÆVS Iudæus gratitudinis ergô,quòd Ahasuero Persarum regi insidiatores uitæ per Estheram detexisset, regis ueste indutus, aureo torque donatus, equo insidens ab Amane regis intimo amico,per urbem Susas circumductus est, proclamante,Sic honorabitur,quem rex honorare uoluerit.Esther ę 6.Iosephus lib.11.c.6.Antiq.

Athenis lex iubebat,ut si QVIS coronaretur in senatu,in senatu præconiū fieret:si uero à populo,in cōcione.Alex.l.5.c.8.

Cantu,Hymno.

Consule Tit.Cantare.Illic Affectus,hîc Honor,ipsius affectus comes perpenditur.

Aristoph.in fabula,cui titulus,ἀχαρνεῖς,sic loquētē introducit,
οὐδ᾽ παρ᾽ ἐμοί ποτε τὸν ἁρμόδιον ᾄσεται. id est,
Nec unquam apud me carmen Harmodium canet.

Interpres indicat cantilenæ genus fuisse,quod in cōpitis cani consueuerit in HARMODIVM & ARISTOGITONEM,quòd hi Pisistratidarum tyrānidem sustulissent. Eius carminis hoc erat initium,φίλτατε ἁρμόδιε,οὔπω τέθνηκας,id est,Charissime Harmodi, haudquaquam mortuus es. Suidas,ac Diogenianus.

T.QVINCTIO Flaminio liberatori suo hymnum instituerūt Chalcidenses:cuius cantilenæ finis hic est:

Illam fidem uerò colimus Romulidum niueam
Iurati sanctam.Dicite cœlorum dominum,Musę,
Romam,Titum quoq;,
Romanam fidem simul.O' Tite Io Pæan dominator.

Plut.in Flaminio.

De bellis & uictoriis GERMANI solebant rhythmos componere, eosque cantare. Carolus Magnus huiusmodi aliquot colligi,& literis mādari curauit.Chronicō Holsat.li.1.

GOTHI præclara maiorum gesta in carminibus,patrio sermone,comprehensa,in conuiuiis, ut iuuentutem ad uirtutem excitarent,frequenter concinebant. Quæ tandem, ne æui uetustate aboleri possent,rupibus & saxis insculpserūt. E' quibus non paruam scribendæ historiæ materiam Ioannes Magnus se desumsisse fatetur.

Inscriptione uaria tum.

Montium.

Apud Blekingiam DANIÆ regionem,à meridiano mari in deserta Verundiæ petrosa porrigitur semita, quam binæ lineæ exiguo discretæ spacio protractis in longum ductibus amplectuntur.Inter quas medium complanatū factis ad legendum figuris undiq; exaratum cōspicitur. Quod licet adeò situ inæquale existat, ut modò montium alta discindat,modò uallium ima penetret,eodem tamen tenore literarū uestigia seruare deprahēditur : quarū sensum rex Valdemarus,S. Canuti F.cognoscere cupiens, misit qui rupem permeantes,patentium illic characterum seriem indagarēt, ac postmodum uirgulis quibusdam sub iisdem formarum apicibus adnotarent. Cæterum quòd cælatura partim cœno interlita,partim attrita esset,nihil certi colligi potuit.Saxo lib.1.Idem lib.7.HARALDVM regem Haldani patris res gestas illic inscripsisse testatur.

Templi.

SIMON dux & pontifex Iudæorum, quò pacatior eius fuit principatus quàm fratrum,eò quoque amplioribus honoribus à populo Iudæorum affectus fuit,plebiscitum de eius rebus gestis & honoribus in tabulis æneis incisum,in celeberrimo loco templi omnibus spectādum propositum fuerit.1.Machab.14.

Gymnasij.

Traditus posteris mos est, quo famæ perpetuitati consuleretur,ut VIGTORVM nomina, qui Olympicis ludis palmā tulissent,in Olympico gymnasio conscriberētur, præter statuas,quæ erigebantur.Pausanias lib.6.

Marmorum, Arcuum.

Q.FABII Maximi, inuentum Aretij, elogiū in Epigr. Vrbis. Q.Fab.Maximus dictator bis, Consul V. Censor, Interrex II.Aed. Cur. Q. II. Trib. Militum,Pontifex,Augur.Primo consulatu Ligures subegit, ex ieis triumphauit. Tertio & quarto Hannibalem compluribus uictoriis ferocem,subsequendo cohercuit.Dictator Magistro equitum Minucio, quoius populus imperium cum dictatoris imperio adæquauerat,exercitui profligato subuenit, & eo nomine ab exercitu Minuciano Pater appellatus est. Consul quintùm, Tarentum cepit, triumphauit. Dux ætatis suæ cautissimus, & rei militaris peritissimus habitus est,princeps in senatum duobus lustris lectus est.

Elogiū T.PLAVTII, in agro Tiburtino, ad pontem Lucanū, supra Anienem, refertur à Georgio Fabricio in Antiquit.Ti. Plautio M.F.Ani. Siluano Aeliano pontif.Sodali Aug. III uiro A.A.A.F.F. Q. Ti.Cæsaris, Legato Leg. V. in Germania,Pr.Vrbano, legato & Comiti Claud.Cæsaris in Britannia,Cōsuli,Procos. Asiæ Legat.Propræ.Mœsiæ, in qua plura quàm centū millia ex numero Transdanubianorum ad præstanda tributa, cum cōiugibus ac liberis & principibus ac regib. suis transduxit.Motum orient.Sarmatar.cōpressit, quāuis partē magnam exercitus ad expeditionē in Armeniā misisset, ignotos antè aut infensos P.R.Reges signa Romana adoraturos, in ripā,quā tuebatur,perduxit.Regibus Bastarnarum & Rhoxolanorū filios Dacorū fratrū captos, aut hostibus ereptos, remisit:ab aliquis eorum obsides accepit,per quas pacem prouincię & confirmauit & protulit. Scytharum quoq; rege de Cheronensi, quæ est ultra Borysthenem,obsidione summoto, primus ex ea prouincia magno tritici modo annonā P. R. adleuauit.Hunc legatum in Hispaniam ad Præfectur.urbis remissum, senatus in præfectura triumphalibus ornamentis honorauit, auctore Imp. Cęs.Aug.Vespasiano,uerbis ex oratione eius Q. I. S. S.Mœsiæ ita præfuit,ut non debuerit in me deferri honos triumphalium eius ornamentorum, nisi quòd latior ei contigit mora titulus.Præfecto urbis hunc in eadem præfectura urbis Imp.Cæsar Aug.Vespasianus,iterum Cos.fecit.

Elogium PORTII Catonis, inuentum Dianij,in Hispania. Hic hostium reliquias profligauit Cato, ubi & sacellum miro artificio conditum, & æream Palladis effigiem reliquit. Pareant ergo, & noscant omnes,Senatus & Pop.Romani imperium, deorum numine, & militum fortitudine tueri & regi.

CN. Pompeii, Romę in tēplo Mineruæ prope Pantheū extat: Cn.Pompeius Magnus Imp.bello XXX annorū confecto, fusis,fugatis,occisis,in deditionem acceptis hominū uicies semel centenis LXXXIII M.depressis aut captis nauibus. DCCCXLVI oppidis, castellis MDXXXVIII in fidē receptis:terris à Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis,uotū merito Mineruæ. Cùm oram maritimam à prædonib. liberasset, & imperiū maris,populo Romano restituisset, ex Asia,Pōto,Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia,Syria,Scythis,Iudęis,Albanis,Iberia, insula Creta, Basternis, & super hęc de regib. Mithridate atq; Tigrane triūphauit.

Elogium C.MARII Romę,iuxta tropħęa Marij in Esquilino: C.Marius Cos.VII.Pr.Tribunus Pl.Q.Augur, Tribun. Mil. extra sortē bellum cum Iugurtha rege Numidię Procos.gessit.Eum cepit,& triumphans in Iouis ædē secundo cōsulatu ante currū suum duci iussit.Tertium Cos. absens creatus est.IIII.Cos.Teutonorum deleuit exercitum.V.Cos.Cimbros fudit.ex ieis & Teutonis iterum triumphauit.Rempublicam turbatam seditionibus, Tr.pl. & Prætor. qui armati Capitolium occupauerant, VI. Cos. uindicauit. Post LXX annū patria,per arma ciuilia pulsus, armis restitutus, VII. Cos.factus est. De manubiis Cimbricis & Teutonicis ædem Honori & Virtuti uictor fecit, ueste triumphali, calceis puniceis.

L.MVNATII Planci,inuentū Caietæ,in Campania:L.Munatius L.F.L.N.L.Pron.Planeus Cos.Cens.Imp. iter. VII. uir Epul.triumphauit ex Rhetis.Aedem Saturni fecit de manubiis,agros diuisit in Italia Beneuenti,in Gallia colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Statuarum, Imaginum.

Consule Tit.Statuarum,Monumentorum,quatenus ijs Inscriptiones adiunguntur.

Varias uariarum statuarum & imaginum inscriptiones, pete ex quarto Epigrammatum Græcorum.

Cùm Lacedæmonij cum exercitu profecti Delphos,restituissent ciuibus delubrum, quod tenebant Phocenses, confestim ab illorum discessu,Pericles admoto exercitu reduxit eò Phocenses.Cùm LACEDÆMONII autem, quam eis Delphi dederant,in oraculis prærogatiuam insculpsissent, in frontem ænei lupi, accepit ipse quoque Atheniensibus prærogatiuam,eamq; in eiusdem lupi dextrum latus incidit.Plut.in Pericle.

Tripodis.

TENIIS honor inscriptionis inter eos,qui Barbarum debellarunt,in tripode Delphico concessus fuit, eo quòd Grecis ad Salamina fugam meditantibus,certò retulissent,classem ipsorum à Persis circundatam esse.Herod.lib.8.

Clypei.

In prælio,quod ad Thermopylas Græci contra Gallos gessere,ipsis Atheniensibus antecelluit CYDIAS, qui peradolescens, ac planè tyro, prima eo bello militiæ rudimenta posuerat.Eius à Gallis occisi,cum hac inscriptione propinqui scutum Ioui liberatori dicarunt:

Cydiæ erat parma hæc iuuenili corpore clari,
Hospes,quam sacram conspicis esse Ioui:
Huic cubitum inseruit flammato corde sinistrum,
Cùm premeret Mauors armipotens Galatas.

Pausanias in Phocicis.

Librorum.

Plato fratribus suis præclarissimos commentarios suos inscribendo,eos nobiles fecit, GLAVCONI & ADIMANTO librum de Rep. minimo ANTIPHONTI Parmenidem. Plut.de Pietate erga fratres.

Plinius maior in præfatione ad imperatorem Vespasianum refert,Apionem grammaticum à Tiberio Cæsare Cymbalum mundi consuesse uocari,ob nominis, ut opinor, celebritatem, quum publicæ, inquit, famæ tympanum potiùs uideri posset.Is Apion aiebat EOS ab se donari immortalitate, ad quos aliqua componebat.Huc Tiberius alludens, appellabat illum cymbalum mundi:quòd hominem honesta fama donaret,quæ per uniuersum mundum amabiliter resonaret.Plinius autem ob arrogantiam mauult illum appellari tympanum publicæ famæ, quòd famā daret potius quàm honestam famam.Nam resonat & tympanum,sed inamœno strepitu.Allusisse uidetur huc,quòd tympana fiunt è pelle asinina.Erasmus in Adagiis.

Arborum, Foliorum, Parietum, Ostiorum.

Ε'ν θύρᾳ καλός,id est, In ostio formosus. De iis,qui adamantur, uulgoq; gratiosi habentur. Sumtum à VETERVM consuetudine, qui formosorum aut amasiorum nomina, arboribus,foliis ac parietibus inscribebant,ὁ δεῖνα καλός.Erasmus.

Aspectu,Concursu ad spectandum.

EMPEDOCLES cùm ad Olympia peregrinaretur, omnium oculos atq; uoces in se conuertit.Laert.lib.7.

PLATO,cùm aliquando ad Olympia descendisset, Græcorū omnium ora in se conuertit: eodemq; tempore Dioni congressus est,contra Dionysium bella mouenti.Laert.lib.3.

THEMISTOCLES post Salaminiam uictoriam contra Persas,cuius auctor fuit,Olympico conuentu totius Græcię oculos in se uertit:tanta in uno fuit aut auctoritas, aut uirtutis opinio.Plutarchus & Pausanias in Arcad.

Quū hi uersus,quos de Amphiarao scripsit Aeschylus,in theatro recitarentur apud Athenienses:

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος,ἀλλ᾽ εἶναι θέλει,
βαθεῖαν αὔλακα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἀφ᾽ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα. id est:
Neq; enim uideri,at esse studet uir optimus,
Segetem profundam mente studiosa colens,
Consilia quando hinc germinant salubria:

totus populus in ARISTIDEM uertit oculos, agnoscens hoc laudis in eum competere.Plut.in Græc.Apoph.

AGESILAVS rex Spartanus accepto stipendio, quod sibi miserat Tachus Aegyptius,qui à rege defecerat,mercenarium militem conscripsit: completisq; nauibus atq; adiunctis cōsiliariis Spartiatis triginta,uela fecit.Vt in Aegyptum est delatus, mox principes præfectorum & procuratorū regiorū ei honoris causa occurrerunt descendenti. Fuit item aliorū Aegyptiorū ob Agesilai nomen & claritudinem ingens studium & expectatio,concurreruntq; ad eum spectandū cuncti.Vt splendorem uel apparatum circa eum nullum cōspexere,tātum senem(erat enim maior octoginta annis)in herba ad litus decumbentem, incomtum corpore & pusillum, horrido & obsoleto amictum pallio,libuit illis irridere eū & illudere,atque dicere, hanc illam fabulam esse,parturire montē,mox murē nasci.Multò magis insulsitatem eius sunt mirati,cùm hospitalibus muneribus allatis & adductis,farinā,uitulos,& anseres accepit:bellaria, cupedias, unguenta reiecit.Cùm illi instarent precarēturq;,ut admitteret ea : ad Ilotas ferri ea,atq; his iussit dari. Papyro coronaria tamē delectatum ob coronarū simplicitatem scribit Theophrastus, eāq; in discessu petisse & accepisse ab rege.Plut.in Agesilao.

Victo & occiso ad Mantineam Manchanida Lacedæmoniorum tyrano fama est,ludicro Nemæorum PHILOPOMENEM prætorem Achæorum,cùm eius celebritatis causa in in otio esset, primùm exhibuisse Græcis adornatam phalangem & motus edētem,ut in acie solet, compositos cum agilitate & robore: inde certantibus citharœdis,in theatrū prodisse,quem iuuenes stipabāt lacernis militaribus & puniceis amicti sagis, cùm corporibus florentes omnes,tum pares ætate:qui singularem aduersus ducem reuerentiā, & & spiritus ex multis & egregiis certaminib. elatos præ se ferebant.his commodùm ingressis,forte Pyladem citharœdū cecinisse Timothei Persas, hoc modo exorsum : Libertate frui licuit tibi Græcia per quē.Grandiloquētia autem poetæ cum canora cōgruente uoce oculos ex omni parte theatri coniectos in Philopœmenem fuisse,ac plausum editum lætissimum à Græcis,qui ueterem dignitatem spe concipiebant,& ad illos animos proximè accedebāt fiducia.Pausa. in Arcad.& Plutarchus in Philopœmene.

STILPO ex Euclidis successoribus, tantum eos,cum quibus uixit,celebritate superauit,ut totam Græciam in sui admirationem uerterit. Nota uox eius in Atheniensem ignobilē & intēpestiuè dicacē, quum ex omnibus locis factus esset concursus ad eum uidēdum; quòd tum primùm Stilpo Athenas uenisset,Mirantur,ait,omnes te,ô Stilpo,ut belluam quandam:Immò uerò,inquit,non tanquam belluā, sed tanquam uerum hominem.Sab.lib.2.Enneadis 4.

Res à P.SCIPIONE in Hispania gestas amplissimo triūpho dignas esse censebat Senatus in æde Bellonæ extra urbem habitus.Sed quia nemini adhuc contigerat,ut cùm procōsul & sine magistratu esset,pro rebus gestis triumphanti inuehi liceret in urbē : nec patribus uisum est, nec ipse Scipio magnoperè contendit,ut nouo exemplo morem maiorum sui causa commutarēt. Ingressus urbem paulo pòst,ingenti studio populi Rom.consul declaratur.Tradunt rarò unquā frequentiorē multitudinē,non tam ad celebranda comitia, quàm ad cōspiciendum P.Cornelium Scipionem,Romam uenisse.Auctor eius uitæ.

P.SCIPIO minor, quū iam tertiùm à Senatu fuisset emissus, quò,ut tradit Clitomachus,

Vrbes atq; homines cernat bene legibus actas,

utq; gentium,ciuitatum ac regū inspector esset:posteaquā peruenit Alexandriam,nauiq; egressus, capite pallio tectus incederet, Alexandrini undiq; accurrentes,flagitabant ut caput nudaret, faciemq; id desiderantibus ostēderet. Quū se nudasset, clamore & plausu testati sunt gaudium suum. Quumq; rex Alexandriæ uix interim ob delicias ac mollitiem corporis æquaret Romanos incedentes, Scipio uoce submissa Panætio insusurrauit in aurem:Iam,inquit,Alexandrini nonnihil ex nostra peregrinatione fructus ceperunt, quibus per nos contigit uidere regem ambulantem. Nam Athenæus ex auctoritate Posidonii scribit,Ptolemæū perquàm obeso corpore,nunquam antea pedibus ambulasse.Plut.in Rom. Apophthegmatis.

CAROLO Magno [redacted] Romam profecto(ubi etiam in Imperatorem coronatus est)nunquam in urbe Roma,ne iura quidem terris dante,tantum exterorum mortalium fuit. Confluxerant ex reliqua Italia,ex continētib.regionibus,ex ꝓpinquis, ex ulterioribus, ex longinquis, ex ultimis propè oris,ad famam uenturi Romam Caroli, [redacted] Visuri erant eum cum Pontifice maximo in templo terrarum sanctiss. in urbe terrarum parente, uelut nihil maius in terris conspecturi. Continens agmen per aliquot millia passuum, uariæ gentes, dissonæ linguæ, multiplex ut oris, ita & uestis habitus. Edixit Leo,ut cum suæ quisque gentis hominibus conglobatim turmatimque Regi occurrerent.Quicquid decorum magnificumque usquam est,proferebatur.Laudes Regis omnibus resonabant linguis. Aemilius libro tertio.

CELESTINI V.Pp.coronationi interfuisse ducēta millia hominum,Ptolemęus scribit:motos nouitate rei & sanctitate uiri,quòd homo eremita ad tantum dignitatis gradum nō nonnisi diuinitùs prouectus esse uideretur, post tam longā eligentium contentionē, in 23.mēsem protractam.Platina.

VALDEMARVS Danorum rex ad Fridericũ I. Imp. proficiſcens, per Germaniam iter faciebat. Integritatis & iuſtitiæ eius rumore increbreſcente, Germanorum mulieres paruulos ſuos in eius aduentum offerendos curabãt, ratæ eos regio contactu perinde ac cœleſti aliquo beneficio felicioꝛa naturæ incrementa ſumturos, ac proſperioribus educationis auſpiciis nutriendos. Nec minùs ſuperſtitioſi agreſtes, qui iaciendorum ſeminum grana, quò meliùs adoleſcerent, dexteræ eius proiicienda porrigebant. Saxo lib. 14.

Oſtenſione.

HIER. Fracaſtorius, medicus, philoſophus & poeta excellentiſſimus, in tanta fuit exiſtimatione, ut cùm Carolus V. Imp. Peſcaria in Algeriam expeditionem profecturus tranſiret, & Fracaſtorius è Caphiis uilla ſua proxima, ſpectatum quoque deſcendiſſet, Madrutius Tridentinus princeps, ſolum ipſum in numeroſa hominum turba Cæſari digito demonſtrarit: Hic eſt Fracaſtorius ille, inquiens. Auctor uitæ.

OFFICIA HONORIFICA.

De his ipſis inter Affectuum notas primi Voluminis libro tertio egimus. At hic reſpectu Honoris conſiderantur.

SALVTATIO, ALLOQVIVM HONORIFICVM.

Conſule Titulum Præconiorum & Titulorum, quatenus interdum Præconium & Titulus Salutationi iungitur.

Præſtantiſſimum fuit apud Rom. ſuis nominibus quenq; uenerari & ſalutare, ſalutantibusq; reddere ſalutem. Ideo nomenclatorem, qui nomina ſuggereret, iuxtà ueteres habuere. Si autem nomen non ſuccurreret, illum honoris cauſa dominum appellabant. GRÆCI uerò non proprio, ſed officij nomine aut muneris, quod gerebat, ſalutare, religioſiùs putarunt. Si qua tamẽ præcipua dignitate & honoribus fulgerent, illos propriis ſalutare nominibus, haud decorum uidebatur. Alex. lib. 2. c. 19.

Fertur Alexander Macedo, poſtquàm profligato Dario Magnus eſt cognominatus, nulli niſi ANTIPATRO & PHOCIONI literis dediſſe ſalutẽ. Aelian. lib. 1. Var. hiſt. & Plut.

PYRRHVS Epirotarũ rex in ſalutatione literarũ, adulterinas Lyſimachi literas deprehendit. Nã quũ Ptolemæus Pyrrhũ epiſtolis filium ſalutaret: in adulterinis, quas Ptolemæi nomine Lyſimachus deſtinarat, regem nuncupauit. Alex. libro ſecundo, capite decimonono.

COLLOQVIVM HONORIFICVM. HONOR in Alloquio.

Bornea una è Moluccis inſula, diues aromatis. Hiſpani poſteaquam ductu Ferd. Magellanis eò penetrarunt, regẽ SIRIPAM conuenere, fœderis cum Carolo V. Imp. incundi cauſa. Verùm quia coràm, more gentis regem alloqui non dabatur, ſtantes procul aulicorum uni mãdata expoſuere: ille alteri, hic tertio, & ita per aures, ut ita dicam, ad regem uſq;. Qui regi proximus erat, is per arundinem longã perforatam legatorum dicta referebat. Rex ubi immenſum iter nauigationis audiuit, iuſſit eos in ſuum conſpectum adduci. Illi, prout edocti fuerant ab aulicis, digitis manuũ implicatis & capiti ter impoſitis, honore regi exhibito, & per arundinem interpretem legatione expoſita, impetrarunt quæ uolebant. Petrus Cieza Tomo 2. hiſtoriarum Peruuię, capite nonageſimo quarto.

APERTIO CAPITIS.

Si QVEM reuerebantur ueteres, aut honore dignũ putabant, ad omnem occurſum caput reuelare & aſſurgere, ac de uia decedere ſolebant, ſcilicet exiſtimantes, nudo & aperto capite in exhibendis honoribus eſſe oportere: ueluti omnia noſtra patefaciamus: credo etiam ualetudinis cauſa, ut Varro ſignificat apud Plin. lib. 28, cap. 6. quod ad fidem proximè accedit. Detecta enim capita, contra uim algoris caloris'ue haud dubiè firmiora eſſe, & ad ualetudinẽ mirè proficere, multi cenſuere. Ideo Aegyptii, quòd detecto ſunt capite, habentur firmiores. Perſæ uerò, quòd cum mitra & pileo, debiliores, adeò ut leui ictu offendantur capita. Hinc Hannibal, dictus illius, & alii ſummi duces, detecto ſemper capite, ſeu ſol, ſeu imber eſſet, uelut contra frigora tẽpeſtateſq; obdurato, inceſſere. Maſiniſſa quoq; Numidię rex, nullo frigore aut imbri adduci potuit, ut caput tegeret. Quod de Hadriano & Seuero principe traditur, tantæ firmitatis fuiſſe, ut hyeme ſæua & gelida per niues & frigora aperto capite inceſſerit ſemper. Alex. lib. 2. cap. 19.

Petrus, LAVRENTII Celſi Venetorum ducis pater, principẽ filium nunquam æquo animo adire ſalutandi cauſa poterat, quòd grauiter ferret, ſe patrem iam ſenio grauẽ, ad nouum exemplum cogi, ut aperto capite filio occurreret. Quare tandẽ filius animaduerſa, prudenter excogitauit, ut pileo ſuo crux aurea imponeretur, quam uiſam pater non grauatò ſalutaret: eamq; adhunc uſq; diem principes Veneti retinent. Egnat. lib. 9. cap. 11.

MANVVM ABSCONSIO.

Apud PERSAS honoris genus eſt, coram digniori in coras, hoc eſt, ueſtium manicas immittere manus. Cælius libro 7. capite 15. Lect. antiq.

ΕΚϹΤΑϹΙϹ. ASSVRGERE.

IOVI apud Homerum aſſurgunt & occurrunt omnes dii. Sic enim Iliad. α. inquit:

Ζεὺς δ' ἑὸν πρὸς δῶμα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν
ἐξ ἑδέων σφοῦ πατρὸς ἐναντίον, οὐδέ τις ἔτλη
μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες.

AMAN Amalechita apud regem Perſarum tantũ auctoritate potuit, ut à rege ſecundus eſſet, eiq; omnes proceres aſſurgerent. Solus Mardochæus, adorationis honorem Deo cõuenire arbitratus, eum adorare noluit. Eſteræ 3.

THEMISTOCLI Olympię in theatrum intranti ſpectatores uniuerſi aſſurrexere. Pauſan. in Arcad. & Plut. in eius uita.

Apud Rom. QVI propter ſeruatũ ciuem ciuica corona donatus eſſet, ea ſemper uti poterat, ludoſq; ineunti ſemper etiã à Senatu aſſurgi mos erat. Plin. lib. 16. c. 4.

CN. Pompeius, cuius pater infamia Romæ flagrauerat, & in ſummo fuerat ciuium odio, bellis Marſicis effulſit & eluxit magnus: ut Sylla, quæ ætate maioribus ac dignitate paribus perquàm rarò tribuebat, aſſurgeret adeunti, caput aperiret, & ſalutaret imperatorem. Ea mordebant M. Craſſum. Plutarchus in Craſſo.

IOANNES epiſcopus Bergomenſis, tantæ ſanctitatis fuit, ut etiam Reges domini ei aſſurgerent. Platina in Ioanne V. & Sabellicus Enneadis 8. lib. 6.

LANFRANCO Cantuarienſi epiſcopo pontifex Romam uenienti non eſt ueritus aſſurgere: addens, hoc ſe non archiepiſcopo, ſed ingenij dotibus, quibus excelleret, deferre, Bergomenſis & Polydorus.

RODOLPHVS Comes Habſpurgenſis, cùm in aula Friderici II. Imper. (qui eum è ſacro fonte leuarat) eſſet: quamuis pauperrimus eſſet, in tanta tamen apud omnes propter uirtutem & pietatem exiſtimatione fuit, ut cùm Cæſarem adiret, omnes ei principes aſſurgerent. Augurabantur proculdubio ſub tanta uirtute, orbis terrarum dominium (quod multis pòſt annis in eius ſtirpe contigiſſe uidemus) latère. Cuſpinianus in Cæſaribus.

SVBMISSIO, ADORATIO, ΠΡΟϹΚΥΝΗϹΙϹ.

Iacobus, cùm ex Meſopotamia in Chananæam rediret, & ESAVM fratrem cum 400. hominibus obuium haberet, ſepties ante illum procidit, ut eum ſibi placaret. Geneſ. 33.

Dauid IONATHANI Sauli F. pronò ad terram uultu ter honorem ſubmiſsè præbuit, cùm ruri ab eo moneretur, ut Sauli inſidias fugeret. Vterque alterum deoſculati collacrymarunt. 1. Regum 20.

Abſalonus ab exilio reuocatus à patre DAVIDE, prono ad terram uultu ei honorem exhibuit. 2. Regum 14.

VATES Hierichuntij Eliſæo Iordanem tranſgreſſo ſiccis pedibus honorem ſummiſsè exhibuerunt, quòd in eum Eliæ ſpiritum immigraſſe ſibi perſuaderent. 4. Regum 2.

Apud PERSAS, MEDOS & INDOS, reges adorari, & in ſalutando homines toto corpore procidere, inuenimus. Quare Thebanus Iſmenias iuſſus Artaxerxem adorare, ne contra decus faceret, prolapſum annulum ſuſtuliſſe, & ita adorantis ſpeciem præbuiſſe dicitur. Alex. lib. 2. c. 19.

CYRO Perſarũ regi, adorandi cultum primùm delatũ ſcribit Arrianus, cui proximũ diis immortalib. honorẽ decreuere.

Chares Mytilenæus ALEXANDRVM Magnum prædicat in conuiuio quodam, cùm bibiſſet, phialam uni ex amicis porrexiſſe: illum phiala accepta ad aram uerſum, aſſurrexiſſe: ac cùm hauſiſſet, adoraſſe primùm, deinde oſculatum Alexandrum, in conuiuio mox accubuiſſe. Plut. in Alexandro.

Apud ROM. in occurſu maioris magiſtratus, minores ſummittere faſces conſueuerant, ut ſignarent honori deferre, & imperio parére. Quare Valerius Poplicola in ſuſpicionem affectati regni adductus, dum concionatur, faſces populo ſummiſit: ſcilicet populi quàm conſulis maieſtatem & iura potiora arbitratus. Alex. lib. 1. cap. 27.

C. CALIGVLA, cùm Cæſares ſalutarentur priùs, adorari ſe iuſſit capite uelato ut deum. Mox DIOCLETIANVS, iecordia intolerabilis, idem exequi auſus fuit.

In occurſu

In occurſu nautico demittere uela ſolent minores MAIORIBVS. Bembus lib. 4. Venetę hiſt.

OSCVLATIO HONORIFICA.

Ex Tit. Oſculationis, ea, quæ honoris cauſa fiunt, huc transferantur.

PRAEBIBENDO HONORIFICE.

ARISTO Pæoniæ præfectus, cùm hoſtis obtruncati caput Alexãdro oſtendiſſet, & hoc donum apud ſuos poculo aureo cõpenſari, acclamaſſet: Alexander per iocũ, Nempe uacuo, inquit: ego uerò plenũ mero tibi propino. Plut. in Alexãdro.

D. Martinus Turonſiens epiſcopus, à Maximo tyranno inuitatus, cùm multis principibus uiris unà recumbentibus primus poculum accepiſſet, in quo circumferendo (ſicuti tunc mos erat) dignitatis ratio habebatur: eo guſtato, PRESBYTERO ſuo poſt ſe hauriẽdũ porrexit: neminẽ ex omni illo conuiuarum numero digniorem decernens, cui ſecundum honoris locum daret. Mar. lib. 3. c. 5. Sigon. lib. 9. occid. Imp.

Cùm Theodelindæ poſt obitum Autharis regis Longobardi liberum feciſſent, quem uellet maritum ex Ducib. Longobardis ſumẽdi: illa regio conuiuio inſtructo, procedente cœna, ſumto poculo uini partem hauſit, reliquam patrio more propinans AGILVLFO Taurinenſi porrexit. Cùm autem ille rei ignarus dexteram reginæ oſculari uellet: Non manus, ſed os tibi deinceps oſculandum erit, Agilulfe, inquit. Hoc namq; poculo ego te in thori regniq; conſortium uoluntate procerum adſciſco. Sigon. lib. 1. regni Ital.

OCCVRSVS HONORIFICVS, EXCEPTIO honorifica. Conſiderandum

QVI OCCVRRERINT ALIIS. PVTA

Reges.

Iulian⁹ Imp. MAXIMO philoſopho & mago inſigni olim ad ſe uenienti, ſtatim occurrebat, ne à literatis ruſticitatis reus citaretur. Cuſpinianus.

Cùm Pp. GREGORIVS III. in Franciam ueniret, Carolus Pipini filius adoleſcẽs, qui Magnus poſtea dictus eſt, regni fines ingreſſum, à cẽteſimo lapide ad palatium uſq; perduxit. Et Pipinus rex ad tertium lapidem equo deſcendẽs, pontificis pedes exoſculatus, illum terra incedens, & frenũ pontificis equi regens, ad cubiculum uſq; deduxit. Blondi Epit.

Magno CONSALVO aduentanti Burgos Hiſpaniæ, rex ipſe Ferdinandus honoris cauſa obuiam egreſſus, quum antecedentes milites uario luculẽtoq; habitu excultos miraretur, ipſeq; Conſaluus omnium poſtremus, ad appetendam regis dextram ex modico interuallo ſequens accederet, His, Rex inquit, (longam militum ſeriem digito oſtendẽs) ut uideo, Conſalue, quod debebas optima fide perſoluiſti, quũ toties bello te præeunte ſequuti ſint, nunc demùm parta pace, commutato utriq; ordine, ut te antecedant æquiſſimo iure concedis. Perurbanè quidem nec obſcurè eum laudans, quòd ante ſuorum aciem dux intrepidus prima pugnæ pericula ſæpiſſimè ſubiiſſet. Iouius in Conſaluo.

Duces.

CATO minor in peregrinatione Aſiatica cùm Epheſo ad ſalutandum Cn. Pompeium ætate maiorem, dignitateq; pręcellentem, & maximorum tunc ducem exercituum profectus eſſet: conſpiciens hunc Pompeius, non tenuit ſe loco, neq; permiſit, ut ſedentem adiret: ſed tanquam ex primoribus alicui, exiliens proceſſit ei obuiam, dexteramq; porrexit, & multis laudibus ſtatim in amplectendo & ſalutando præſente, pluribus etiam digreſſi uirtutem tulit. Vnde omnes Catonem habebant in admiratione. Põpeij in eum ſtudium non obſcurum erat, ſuſpicientis eum potiùs, quàm diligentis eſſe: uerùm aduerterunt honoraſſe præſentẽ, & gauiſum fuiſſe diſcedente: quippe alios iuuenes, qui ad eum cõmeabant, hos inuitãs, & deſiderans eorũ conſuetudinẽ, retinebat eos: à Catone nihil cõtendit eiuſcemodi, ſed quaſi nõ haberet illo præſente liberum imperium, dimiſit eum libenter: cui penè ſoli eorũ, qui Romam nauigabãt, liberos ſuos & uxorem cõmendauit, alioquin propinquitate ei cõiunctos. Hinc celebris opinio & ſtudiũ certatim erga eũ ciuitatum extitit, cœnæ etiã & inuitationes, in quib. attendere ſibi iuſſit amicos, num Curionis dictũ imprudens cõprobaſſet. Curio. n. Catonis amicus & familiaris, auſteritate ei⁹ offẽſus quæſiuit de eo, ſtatuiſſétne poſt cõpleta ſtipẽdia Aſiã uiſere? annuẽte illo: Bene eſt, inqt Curio. iucũdior. n. illic reuerteris & mãſuetior. Nã eo eſt uerbo uſ⁹. Plut. in ei⁹ uita.

Subditi.

Cum GVNTHRANVS rex Aureliam ueniret, in ipſa Martini ſolennitate, populus ei ſignis atq; uexillis obuiã procedẽs canebat, Viuat rex. Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. c. 3.

FERDINAND⁹ II. Aragonius, regnum ſuum, quo à Carolo IIX. Galliæ rege deiect⁹ erat, recuperaturus, Neapolim ingreſſus, equoq; cũ ſuis aliquot à Neapolitanis impoſit⁹, totã urbẽ incredibili omniũ lętitia & plauſu inequitauit. Fauſtis acclamationib. tota urbs perſonabat: nec ſatiari poterãt mulieres florũ aquarũq; odoriferarũ nimbis regẽ cõſpergere: quin è nobiliorib. cõplures in uiã accurrẽtes, eum cõplexæ, ab eius frõte ſudorẽ abſtergebãt. Guicciard. lib. 2. Dum certatim nobiles plebeis immiſſi ſpectãdi gratulãdiq; gratia coirẽt, eũ equo inſidentẽ cõfertiſſima multitudo, impulſu atq; humeris, in Gennarij domũ intulit. Iouius lib. 3. Hiſt.

FERDINANDVS Caſtellæ Infans, per publicas literas certior factus ſe regẽ Aragonum declaratũ, deinde legatos ad excipiendum ingredientẽ regnũ ſuũ delectos, & ad ſe iter habẽtes, Aragoniã uerſus cõtendit. Cumq; ad fines regni aduentaret, legati Aragonię Valentię introgreſſi nõnihil Caſtellã obuiã regi, ex equis delapſi ſunt, ac manũ deoſculati: Catalonię uerò, intra fines ſubſtiterũt, neq; ingrediẽte Aragoniã rege, ex equis deſcenderũt. Quorũ priores illi officioſũ exiſtimarunt nõ excipere regẽ ſuũ uelut ex limine domus, ſed prodire in uiã, & obuiã progreſſos introducere, habito maiore honore quàm qui parib. haberi ſolet. Pares enim ex equis ſibi dextras porrigũt. Poſteriores uerò magis cõſentaneũ putarunt, nõ egredi in alienũ, ſed ex ſolo patrio regem in poſſeſſionem regni admittere, neq; deſcẽdere ab equis nouo exẽplo, quod ſuperiorib. regib. ſciebant nõ fuiſſe factitatũ. Rex tamen horũ nulli manum porrexit, ſed humero ſiniſtro admouit, pręterquã Franciſco Clementi epiſcopo Barcellonenſi, qui fuerat patriarcha Hieroſolymitanus, quẽ quia nouerat ſuę partis cupidiſſimũ fuiſſe, ſuauiatus eſt. Valla l. 2. Hiſt.

VENCESLAO III. regi ſuo, Brandeburga redeunti, ubi ſub tutela Marchionis Othonis uixerat, an. ętatis 15. Pragam intrante, tantus ex omnib. uicis & plateis ab uniuerſo populo excitatus eſt plauſus, ut maior excitari non potuerit. Cũ inter cætera ab omnib. acclamaretur: Adueniſti tandẽ deſiderabilis, quem tãdiu expectabamus, Othogari ô inclyta proles. Nihil uidelicet tunc nomine Othogari à Rodolfo Cæſare interfecti clarius erat, nihil ad conciliandũ omnium ordinum fauorem efficacius: quanquã mox ipſe per ſe, indole & uirtute ſua, fauorabilis euaſerit. Dubrauius lib. 18.

MATHIAM Corninum, à Georgio Pogiebrachio Boemorum rege è carcere dimiſſum, ad regnum Vngarię capeſſendum euocatum, Vngariæ proceres mirifico applauſu excepere, lætitia incredibili populus uniuerſus. Quũ Strigonium paulo antè Calend. Martias perueniſſet, glacies, quæ diu dũ fatiſcere cœperat, ne ſatis quidem tutum exercitui tranſitũ pollicebatur: læti tandem equites, contemto periculo, & labante ſæpe glacie, maxima ex parte traiecere. Itaq; & Danubius hilaritati publicæ indulgere uidebatur: quandoquidẽ in tam temerario tranſitu nemo periclitatus eſt. Coruina id fortuna factum oẽs eſſe fatebantur. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

QVIBVS OCCVRRERINT. PVTA

Pontificibus.

Conſule Tit. Inaugurationum.

Theodericus Oſtrogothus IOANNEM Pp. ad Iuſtinum Imp. Conſtantinopolim miſerat. Iuſtinus incredibili lætitia elatus, pontificem Romanum maximo ſibi honore ſuſcipiendum, uel ad pietatem apoſtolicæ ſedi præſtandam, uel ad prodendum poſteritati exemplũ, putauit. neq; uerò Imperator ſolus, ſed uniuerſa quoq; Græcia in eiuſmodi ſpectaculum erat erecta. neq; enim per ulla antè ſæcula Romanum pontificem incolumem terra ulla, præterquam ipſa religionis Catholicæ mater Italia, uiderat. Siquidem Liberius ærumnis atque exilio deformatus in iis regionibus inuitus fuerat obuerſatus. Conſtituto igitur die aduentanti ad urbem, Ioanni Iuſtinus obuiam cum tota ciuitate proceſſit, clero cum crucibus cereiſq; prægrediente. eumq; ut uidit, continuò tacita religione perfuſus, ad pedes uenerãdi cauſa procubuit, atque per Auream portam in urbem induxit. ubi pontifex cæco aſtanti, atq; opem imploranti, in nomine Ieſu Chriſti, aſpectum lucemq; reſtituit. Inde in templum deductum, dextrum dextro in ſolio ſibi aſſidere iuſſit. His tantis officiis illud ſubinde Iuſtino Ioannes benignè rependit, quòd apud eum diem Dominicæ Reſurrectionis clara uoce Romanis precibus ac ritibus celebrauit: atque in ipſis ſacris Iuſtinum magna cæremonia inſignibus Auguſtalibus, nouo, atque in poſterum memorando exemplo, decorauit. Itaque ab eo contrà patenam, calicem, & pallia aurea gemmataque accepit, eaq; Romæ tribus baſilicis S. Petri, S. Mariæ, & S. Laurentii diſpertiuit. Sigonius libro 16. Imperij occidentalis.

STEPHANO II. Pontifice fines regni Franciæ attingenti, Carolus Pipini filius, cui poſtea à rebus geſtis Magno cognomentũ fuit, ad centeſimũ lapidẽ honoris cauſa factus eſt obuiam. Idem fecit Pipinus tertio ab urbe lapide, qui ex equo deſcendens, & pedes ſanctiſſimi uiri exoſculatus eſt, & à freno equi, quo Pontifex uehebatur, pedes ipſe nunquam diſceſſit, donec hominem in urbem perduceret, & in cubiculo, ubi diuerſaturus erat, collocaret. Platina.

STEPHANVS IV. pontificatus sui mense tertio, ad Lodouicum Pium Imperatorem in Gallias proficiscitur. In Aurelianis tunc erat Imperator, qui ubi intellexit pontificē aduentare, statim ei honoratissimum quenq; obuiam misit: maximè uerò Theodulphum Aurelianorum Episcopum, cū clero & magna populi parte. Ipse uerò ad primum lapidē prodiens, cùm hominem uidisset, ex equo descendit, atq; eum, data acceptaq; salute, cum maxima ueneratione in urbem introduxit, præcedente clero, ac sæpe carmen repetente, Te Deum laudamus. In urbem introductus, sustentante cū Imperatore propter impetū multitudinis studio, uidendi concurrētis, in regiam diuertit, ubi & sæpe cum Imperatore de cōponendis Italiæ reb. collocutus est: & ita se mutuò conuiuiis excepere, ut rarò alter sine altero cōuiuaretur. Platina.

NICOLAVS I. Pp. Ludouico II. Imp. pſente consecratus, cū Ludouicum de profectione cogitare audisset, officij caussa ad eum in castra uenit. Quod ubi Ludouicus sensit, obuiā aliquanto uiæ spatio prodiit: & degressus ex equo frenum per integrum sagittæ iactum tenuit, & conuiuio sub militari tabernaculo excepit. Quo suauissimis sermonibus celebrato, donis ipsum magnificis coluit, & in Vrbem reuertentem prosequutus, destinato in loco iterum ad frenum accessit, osculoq; sancto pedi oblato in Lombardiam abiit. Sigonius lib. 5. regni Ital. & Simoneta lib. 5. c. 11. de Pontificibus.

Curia Romana, quæ in Gallia LXX. annis exulauerat, GREGORII XI. opera Romam rediit. Is ergo incredibili populi Romani lętitia susceptus est, honorato quoq; obuiam prodeunte, cùm uultu, gestu, acclamationibus omnem lętitiæ speciem effunderent, ut filij solent redeūte peregrè exoptato parente. Indigebant omnia aduentu pontificis. Nam & mœnia & basilicæ & publica ac priuata ædificia ubique ruinam minabantur, quæ certè magna ex parte restituit, ut turris suo iussu ædificata ad sanctam Mariam maiorem indicat. Labefactati etiam ita ciuitatis mores erāt, ut nihil urbanitatis habere uideretur, utq; illi mores aliunde petendi essent, qui totum orbem terrarum quondam ad urbanitatem redegerant. Platina.

MARTINVS V. Pontifex in concilio creatus Constantiensi, sublato trium pontificum schismate Romam peruenit, effusa obuiam omni urbana multitudine, effusis principib. tantæ urbis, qui hominem non secus ac quoddam salutare sidus, uel unicum patriæ parentem expectabant. Diem illum in fastis annotauere Romani, decimo Calendas Octobris, anno Domini 1421. Vrbem Romam adeò diruptam & uastā inuenit, ut nulla ciuitatis facies in ea uideretur. Collabentes uidisses domos, collapsa templa, desertos uicos, cœnosam & oblitam urbem, laborantem rerum omnium caritate & inopia. Quid plura? nulla urbis facies, nullū urbanitatis indicium in ea uidebatur. Dixisses oēs ciues aut inquilinos esse, aut ex extrema omnium hominum fęce eò commigrasse. Ciuium itaq; suorū calamitate permotus pōtifex optimus, animū ad exornandā ciuitatem, componendosq; ciuiū mores ita adiecit, ut breui cōualescens, meliorē faciē præ se tulerit. Hanc ob rē ciuitas ipsa eū non modò summū pontificem, uerumetiam patriæ parentem appellauit. Idē.

Cardinalibus.

AENEA Syluio Cardinale, mortuo Callisto III. è balneis Viterbianis Romam ueniente, magna pars populi Rom. officij causa obuiam progressa, ut Pontificē salutarunt. Ingressus conclaue, patrum omnium suffragiis pontifex Max. sub nomine Pij II. creatus est. Platina & Egnat. lib. 1. c. 4. & Sab. libro 9. cap. 9.

Episcopis.

Alexius Comnenus Protosebastus, Manuelis Comneni Imp. patruelis, cōciliata sibi Imperatricis beneuolentia, THEODOSIVM Patriarcham Constantinopolitanum, ut suis cupiditatibus apertè aduersantem, de solio patriarchatus deturbarat: sed pòst, ut uirum sanctissimum, restituendum curauerat. Die reditus instante, omnes magistratus, omnes sacerdotes honestatis amantes, & tota urbis multitudo, concursu ad monasteriū, quod in Terebintho insula struxerat, facto, progressionem ciuis splendidissimam effecerunt, uici unguentis delibuti, suffitus ex lignis Indicis & aromatib. facti, tanta multitudine comitāte, ut uesperi demum in magnum Sophiæ templū perueniret, cùm primo diluculo monasterium egressus esset. Nicetas.

GVLIELMVS Eboracensis archiepiscopus, exclusus episcopatu ab Henrico Mordaco, post illius mortē rursus archiepiscopus designatus, Romam perrexit, ubi ea electione ab Anastasio IV. Rom. pontifice rata habita, ritè est archiepiscopus creatus. Cui paulo pòst in Angliam reuerso, tantus honos ab omnib. habitus est, ut quacunq; pergeret, passim mortalium concursus ad eum fierent. Quare ita accidit, ut cùm Eboracū uir sanctus peteret, & eundo parū ultra Pontifractum locum, transiret pontem, qui in flumine est, quod Hayream appellant, tantus hominū numerus secutus sit, ut fracto repentè ponte, ligneus enim erat, bona pars in profluentem ceciderit. Gulielmus euestigiò conuersus ad flumen, Dei auxilium implorauit. Quod ita celeriter cū morte luctantibus in undis adfuit, ut ne unus quidem perierit. Ille eodem ipso anno mortuus, postea inter diuos relatus est. Polyd. lib. 12. Ang. hist.

Regibus, Imperatoribus, Principibus.

☞ *Consule Tit. Inaugurationum profanarum.*

NVMA Pompili⁹, Curibus Sabinorum oppido, ad regnū Romanorum uocatus, re diuina facta Romam profectus est. Prodiit ei obuiam incredibili desiderio senatus populusq;. Feminæ eum festis acclamationibus exceperunt. Ad sacras ædes hostiæ cæsæ, tantaque omnium fuit lætitia, quasi non regem, sed exciperet ciuitas regnum. Plut. in Numa.

VESPASIANVS à bello Iudaico ad imperij gubernacula uocatus, posteaquā Romam uenit, tanta omniū ordinum gratulatione except⁹ fuit, ut tota ciuitas ueluti templū esse uideret, serico atq; odorib. plena. Ioseph. l. 7. c. 27. Belli Iud.

SEVERVS Imp. exercitu armis instructo, Romā petiit: attonitis metuentibusq; pariter primo cōspectu Rom. audacia uiri. Sed Senatus populusq; uniuersus laureati exceperunt cū faustis acclamationib. Senatus eum ad portas urbis consalutauit. Tum inito Iouis templo, factaq; re diuina, nouissimè ad imperatoriam domum se recepit. Postridie curiā iniit, placida oratione omnes publicè priuatimq; complexus benignè: Se in urbem uenisse aiebat, ut occisum Pertinacē ulcisceretur, daturumq; operam, ut status optimatium fundamenta, se principe iacerentur. Nullumq; nisi iudicio damnatum, capite, bonísue multatū iri. Non passurū delatores: æmulū se Marci futurū gerendo Imperio: neq; solùm Pertinacis cognomen, sed mentem quoq; habiturum. Cusp.

Cùm CAROLVS Magnus Frācorum rex, Papiā sexto propè iam mense circūsederet, iamq; dies Resurrectionis instaret, cupido inuasit illum, cum pontifice Pascha celebrare, ac simul sacra ipsa apostolorū limina uisitare. Quare relicto ad Vrbis obsidionem Bernardo patruo, episcopis, abbatibus, iudicibus, & militib. delectis assumtis, Romā iter instituit. ac ciuitatib. obuiam, quacunq; incedebat, effusis, ipsumq; lætis animis liberatorem seruatoremq; Italiæ salutantibus, pridie paschatis ad Vrbem accessit. Hac de re Hadrianus lętatus, ingenti sibi honore Carolum putauit excipiendum, regem cum opibus præpollentem, tum & maiorum beneficiis & suis diuinitùs de Romana ecclesia meritū. Ordo uerò eius honoris hic fuit. Primùm uniuersi iudices obuiam eī ad millia passuum triginta profecti cū uexillis, ipsum exceperunt: in quo ridendus est Blondi, & Sabellici, & Platinę error, qui triginta millia iudicum obuiam prodiisse falsò ex Anastasio retulerunt. ac iudices non pro magistratibus, sed pro hominib. paulò honestiorib. acceperunt. Deinde ad primum lapidem uniuersæ scholæ cum patronis, & pueris palmarum, olearumq; ramos tenentibus, & laudes Caroli celebrantibus occurrerunt: extremum agmen cruces uenerandæ clausere, quas regi non aliter atq; Exarchis Patriciisq; quondam solebat, obuiam misit. Pontifex summo mane cū uniuerso clero & populo ad basilicam Vaticanam concessit, eumq; in gradib. cum clero assidens expectauit. Carolus ubi cruces est conspicatus, illicò ex equo se uenerabundus deiecit, coq; stratoribus pontificis dato cum suis iudicib. reliquum iter pedib. in Vaticanum peregit. Vbi uerò ad gradus peruenit, singulis pium osculum ferens, ad pontificem in summo sedentem ascendit. Ibi à pontifice benignè exceptus, mutuis amplexibus & gratulationib. initis, in basilicā est deductus, uniuerso clero auctorē publicæ salutis, libertatisq; canente, ac benedictum esse, qui ueniret in nomine Domini, certatim lætis uocib. acclamante. Postquam autē prosequentib. episcopis, abbatibus, Francisq; Caroli comitibus, ad confessionem uenerunt, prostrati ad terram omnipotenti Deo beatoq; Petro de tāta uictoria gratias omnes egerunt. Ea re perfecta, rogauit inde pontificem Carolus, ut sibi Vrbem ad uisitanda templa uoti persoluendi gratia liceret inire. idq; pontifex annuit, accepto datoq; super sacrosancto apostoli corpore Sacramēto, neutrum neutri insidias paraturum. Sigonius lib. 3. regni Ital.

LVDOVIC⁹ Lotharij F. ad regia & imperatoria insignia à Sergio Pp. postulanda, Romam properabat. Pontifex etsi alienum Ludouici armati aduentum, ac res in itinere per impotentiā animi gestas accepit, haud mediocriter miratus extimuit, tamen consueto illum honore excipere statuit. Appetebat dies post Pentecosten octaua. Ea igitur die, regio aduentanti ad Vrbem adolescenti tria obuiam agmina misit, atq; ipse summis basilicæ Vaticanæ in gradib. de more, sacro ipso clero undiq; circumfuso assedit. Primùm uniuersi iudices cum uexillis ad nouem fermè millia passuū occurrerunt: deinde omnes militiæ scholæ decoras laudes canentes cum patronis ad primum lapidem: postremò augustæ cum signis cruces ad portam Vrbis præstò fuēre. Ille uerò, postquam sacratas cruces aspexit, protinus ex equo descendit, ac populo, iudicibus, & scholis præcedere iussis, ad basilicam Vaticanam, pedestris exemplum proaui sui Caroli imitatus, accessit, & per gradus ad pontificem progressus, osculum sancto pedi infixit, ac dextera eius apprehēsa ad postes ædis argenteos prodiit. Tum pontifex sui memor, omnes templi præcludi ianuas iussit, atq; illum intuens, Ludouice, inquit, si pacis ac salutis ecclesiæ caussa uenisti, iussu meo hæ tibi portæ patebunt, sin minus, nunquam per me tibi aperientur. Cùm autem Ludouicus se puro ac syncero erga ecclesiam animo, patris proauiq; exemplo, uenisse respōdisset, tum patefactis ad nutū pontificis ostiis, ædem ingressus ad Confessionem accessit, uniuerso clero, Benedictū esse, qui ueniret in nomine Domini, cōcinente. atq; inde gratiis Deo suppliciter actis, & lustrato salutari carmine per pōtificē populo, ad sua uterq; hospitia se recepit. Interim Franci, qui in castris extra Vrbem uetere de more remanserant, eadē impotentia usi, suburbana ædificia omnia lacerarunt, atq; fruges segetesq; omnes more hostium corruperūt. Itaque eos Vrbem inire, atq; augusta Dei templa inuisere cupientes, pontifex obseratis munitisq; portis inhibuit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

CATHARINAM Corneliam, Cypri reginam, ex Cypro Venetias per Georgium Cornelium fratrem accersitam, Augustinus Barbadicus princeps & patres Bucentauro naui exceptam triumphanti similem, per mediam urbem ad Estenses ædes, ad tempus regali apparatu instructas, deuexere. Sic illa, quod Venetarum nulli, ac ne Romanarum quidē (quod sciam) contigit unquam, per mediam urbem ante suorū ciuium ora triūphanti similis prætéruecta est. Sab. l. 8. Enn. 10.

Ludouicus Sfortia, Mediolano Astam Coloniam usq; honoris causa, CAROLO IIX. Gallię regi, exercitum contra Aragonios ducēti obuiam processit, uxorem Beatricem, cum lectissimis Insubrum feminis adducens, quibus rex iuuenis oblectaretur. Iouius lib. 1. Hist.

EVNDEM Florentiam armatum ingredientem magistratus cuncti suo ordine, sacerdotesq; sacris in uestibus sub umbella aurea intrantem exceperūt: populus lætis acclamationibus summos honores detulit: miratus externi cultus, tot equitum agmina, phalangesq; Heluetias, & ad tormenta ænea transuecta curribus, maximè stupent. Sed obiter suspenso animo reputabat, quo in discrimine uersaretur, qui tantam ferocium gentium multitudinem intra mœnia domesticosq; lares accepisset. Iouius lib. 2. Hist.

Senenses CAROLVM V. Cæsarem anno 1535. intrantem ipsorum fines, Pientia urbe liberaliter exceperūt, uetereq; suo studio Cæsaribus addicti, quum Senis appropinquaret, erectis passim triumphalibus ornamentis, cum exquisita Tunetanæ uictoriæ gratulatione, subeunti portā, urbis claues ad declarandam antiquæ propensionis fidem obtulerunt. Alphonsus Picolomineus Amalphi regulus, equi frena rexit, cunctiq; demùm ciuitatis ordines, uiriq; sacrati præcinētes hymnos, ad aram templi maximi deduxerūt. Suscepit eum pereleganti hospitio, miroq; ornatu perpolito Marius Bandinus. Inuisit Cæsar urbem, luculētissimè omnibus, quæ excogitari poterant, elegantiæ ornamentis instructam, spectauitq; mirabundus innumerabilem propè feminarum multitudinem: nam hæ inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij singulare decus, cōstanti omnium ferè fama obtinent. Exinde iuuentus extremæ iucunditatis spectanti Cæsari theatrales ludos edidit, per histriones uariarum linguarum cum multo sale leporem affectantes, pugilq; omnis Senēsium ætas, ab inueterato ludicri certaminis studio, ad Cæsaris oblectationem incomparabili ardore dimicauit. Iouius lib. 35. Hist.

Ducibus.

L. LVCVLLVS è Cyrenis in Aegyptum dirigēs, missus eò ad contrahendam classem à Sylla, amisit piratarum incursu omnia ferè nauigia. Incolumis ipse tamen Alexandriam magno cum honore est delatus: siquidem classis ei uniuersa, ut eò decurrente solet regi, eximiè exornata processit obuiā, eumq; adolescens Ptolemęus mirifica humanitate excepit: & quod duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini, diuersorium & cœnationem ei in regia dedit. Impēsarum uerò & sumtus non quantum cæteris, sed quadruplum tantū illi præbuit. Neq; is tamen præter necessaria admisit quicquam: nec donum, licet missa fuerint, quę ualerent octoginta talentis, cepit. Plut. in Lucullo.

GERMANICVS Caij Cæsaris pater, sic uulgo fuit fauorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquò adueniret, uel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequētiúmue nōnunquā eū uitæ discrimē adiisse: è Germania uerò, post cōpressam seditionē, reuertenti, prætorianas cohortes uniuersas ꝓdisse obuiā, quāuis pronūciatū esset, ut duæ tantūmodo exirent: Populi aūt Romani sexū, ætatem, ordinem oēm usq; ad uicesimum lapidem effudisse se. Suet. in Caligula.

Legatis.

CATO minor ex prouincia Cypro reuersus, ut traiecisse eum nauibus nunciatum Romam est: ilicò omnibus magistratibus & sacerdotibus, uniuerso senatu & frequenti populo obuiam ei ad flumen prodeuntib. cōpletæ utrinq; ripæ fuere, nihilq; à triumphi specie & splendore discessit eius subuectio. tametsi quibusdam absurdum hoc & insolēs uisum, quòd ad cōsules & prætores effusos obuiam nō descenderit, neq; cursum inhibuerit, sed incitata hexeri regia ripam præuectus nō antè remiserit, quàm classe sit nauali inuect⁹. Attamen translatæ per forum pecuniæ cepit populū admiratio, & senatus coactus Catonē meritis tulit laudibus, eiq; præturam extra ordinem decreuit, & ius spectandi in prætexta ludos. Cæterùm hæc Cato repudiauit. Plut. in Catone.

A Concilio Pisano missi sunt Mediolanum GVIDO Pisanus, & MATTHÆVS Albanus episcopus, legati à latere, atque eis socius est adiunctus ipse, quē in primis requirebant, Bernardus Clareuallensis abbas, ut dissidium ab Anselmo archiepiscopo excitatum extinguerent, ac populum religione contactum, scelere liberarent. Mediolanenses, ubi Bernardum cum legatis aduentare sensere, extemplò ingēti lætitia urbe effusi, obuiam ad septem millia passuum prodiere, tanta ordinum, ætatum, sexuumq; uniuersorum frequentia, ut urbem deserere, atq; aliò cōmigrare ipsos putare uelle: interstinctis autem eum agminibus partitisq; recipiētes, certatim & intueri, & alloqui, & pedes etiam deosculari gestiebant: quin & pilos de uestibus eius detractos ad opportuna incidentium morborum remedia reseruabant, omnia sancta iudicantes, quæ ille contigisset, & se sanctos fieri eorum contactu putantes, atq; ita lætis clamoribus in urbem & hospitium deduxerunt. Sigon. lib. 11. regni Ital.

DOMINICVS Triuisanus, Venetus legatus, à Senatu ad Laseraphum Sultanum missus erat, de iniuria Mercatorib. Venetis ab Alexandrinis illata conquesturus. Sultanus, tanti uiri publica fama excitus, statim cum ingenti principum uirorum manu illi occurrit: regioq; apparatu exceptum, penes se in summa amicitia per aliquot menses habuit. Triuisanus renouato ex Reip. dignitate fœdere, summa sua cum gloria domum rediit. Egnat. lib. 8. c. 16.

An. 1513. LEGATVS ab Aethiopiæ Imperatore ad Regem Lusitaniæ Emmanuelem missus, Goam perductus, cum solenni pompa & sacerdotum cantibus exceptus fuit. Gerebat enim crucem ex ligno Crucis illius, in quam Christus, generis humani conditor atque liberator, sublatus fuerat, perfectam: quam Aethiopiæ Imperator Regi Emmanueli dono mittebat. Osorius lib. 8. rerum Em.

Doctis, Philosophis.

PLATONI in Siciliam uenienti, Dionysius Syracusanorū tyrannus uittatam nauem misit obuiam, & egredientem in litore quadrigis albis excepit. Plut. in uita Dionis & Plin. l. 7. c. 30. Quinimo eū in currū imposuit, & ipse aurigā egit.

IO. CAMPEGIO Bononiensi, in Patauinum gymnasiū (quo ad publicam literarum professionem fuerat inuitatus) proficiscenti, ab urbis magistratibus gymnasiarchisq; magna hominum frequentia obuiam itum est. Sabel.

Matronis.

PAVLA Romana, cùm in peregrinatione Aegyptia ad urbē Nitriā uenisset, occurrente sibi sancto & uenerabili episcopo confessore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quib. multos sacerdotalis & leuiticus sublimabat gradus: lætabatur quidem ad gloriam domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arsetas, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? Cuius nō intrauit cellulam? quorum pedibus nō aduoluta est? Per singulos sanctos Christum se uidere credebat, & quicquid in illos cōtulerat, in dominum cōtulisse lætabatur. Mirus ardor, & uix in femina credibilis fortitudo. Oblita sex⁹ & fragilitatis corporeæ, inter tot milia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat. Et forsitan cunctis eam suscipientibus impetrasset, ni maius sanctorum locorum retraxisset desiderium. Hieron. in epitaphio Paulæ.

Libertis.

Cato philosoph⁹ iuuenis tū quidē, sed magnæ iā opinionis & animi, Antiochiā absente Cn. Pōpeio (q tū Syriā cū exercitu cōponebat) ad uisendā perrexit urbē. Iter ꝑpetuò faciebat, more suo pedib. Amici, q comitabātur eū, uectabātur eqs. Hic cōtemplatus ꝓ porta uirorū turbam in uestib. cādidis, atq; ex uno latere uiæ adultos, ex altero pueros discretos, stomachat⁹ est, ratus honoris sui & officij causa hęc, quę nō morabatur, facta: amicos tamē ad pedes digredi & secū iussit incedere. Cū propè uenisset, occurrit iis cū corona & uirga Designator, q omnia illa cōponebat, querēs de ipsis: ubi DEMETRIVM Cn. Pōpeij libertū reliquissent, & quādo esset adfuturus? Ibi Catonis amicis in risum effusis, Cato ait: O miserā ciuitatē. neq; alio dato rīso, ꝑteriit. Plut. in Pomp.

Exulibus, Proscriptis.

Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. RVTILIO conspiratione publicanorum perculso, auctoritatē adimere nō ualuerunt. Cui Asiam petenti, omnes prouinciæ illius ciuitates, legatos, eius secessum opperientes obuiam miserunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare, iustius diceretur? Valer. lib. 2. cap. 5.

Vinctis, Captiuis.

PAVLO Apostolo, qui uinctus Romam ducebatur, fratres recognita, obuiam prodierunt usq; ad Appium forum, & tres Tabernas. Actorum 28.

Victoribus.

ABRAMVS cùm uictoriam de quinq; regibus habuisset, Melchisedechus Solymæ rex, & supremi Dei sacerdos, panem protulit & uinū, eumq; faustis ominib. fuit ꝓsecutus. Sodomæ quoq; rex Barā, eū fortitudinis ergò laudauit. Gen. 14.

Cùm DAVID à cæde Goliathi Palęstini reuerteretur cū Saulo rege, qui cæso Goliatho castra Palæstinorū inuaserat, & illorum maximam stragē ediderat, mulieres Israelitides ex omnib. oppidis cū cantu & choris, admixta tympanorum barbitorumq; lætitia, Saulo regi obuiā progressæ, ludentes recinebant:

Saulus mille, decem superauit millia Dauid.

Quam rem Saulus ægerrimè tulit, quòd sibi Dauid præferretur: tanteq; uirtuti nihil aliud deesse, quàm regnū. Itaque cum deinceps exitiali prosecutus fuit odio. 1. Reg. 18.

IEPHTHÆ Israelitarum iudici de Ammonitis cæsis Masphā redeunti, filia unica uirgo cum tympanis atq; choris cōgratulabunda, malo suo fato occurrit.

Bello Messenico secundo, re pręclarè contra Lacones ad Apri sepulcrum gesta, ARISTOMENEM Messeniorum ducem Andaniam reuersum acceperunt matronæ gratulabundæ, tænias in eum, quacunq; incederet, & ut anni ferebat tempestiuitas, flores & fructus iacientes: carmē præterea, quod Pausaniæ etiamnum ætate cantabatur, in eum concinētes: Per Stenycleria plana secutus in ardua montium Victor Aristomenes est Lacedæmonios. Pausan. in Messenicis.

Maximus tyrānus duplici prælio superatus à THEODOSIO Magno, ad Sisciam & Pætouionem, in Pannonia, maxima celeritate Aquileiam repetiit. Quem pari uelocitate Theodosius insequutus est. Aduentanti Aemona, quæ prima ciuitas Italiam ingredienti ad radices Alpium occurrit, effusa portis obuiam prodiit. &, quòd diu à Maximo obsessa nūc demum aduentu Theodosij liberata esset, lætitię suę cumulum declarauit. processere obuiam tripudiantium cateruæ cantu, & crotalis personantes. ante mœnia festus liberæ nobilitatis occursus, conspicui ueste senatores, reuerendi municipali purpura flamines, insignes apicib. sacerdotes, portæ uirentibus sertis coronatæ, aulæis ornatæ plateæ, accensisq; funalibus auctus dies, ut prope, nondum finito bello, triumphare Theodosius uideretur. Sigon. lib. 9. Imp. occid.

THEODERICVS Gothorum rex an. 500. cum magno atq; illustri comitatu, tota fermè citeriore comitante Italia, Romam progressus, felicem illam ueterum pomparū, ac triumphorum speciem, atq; amplitudinem oculis omnium uisus est retulisse. Neq; enim magnifico eius ingressu Roma quidquam per multos annos uidit splendidius. Totius gratulantis ac plaudentis ciuitatis occursu, incredibiliq; omniū alacritate, & splendido rerum omnium apparatu exceptus est, corpus regiæ indolis armis in primis insignib. honestantib. In curiam inde cùm uenisset, Boetius philosophus & orator illa ætate clarissimus, ipsum ornatissima oratione laudauit. Cui ille respondens, senatum mira comitate appellauit, ac se dignitati, & commodis eius nunquam defuturū ostendit. Inde in circum progressus, ad locū, qui Palma aurea dicebatur, admirabili benignitate concionem habuit ad populum cum senatoribus in gradibus considentem. Ex circo profectus senatorib. triumphale epulum dedit, ac plebi Romanæ frumentum donauit. Sigon. lib. 16. Imp. occid.

ORDELAPHVS Faletrus dux Venetus primùm recepta magna Syriæ parte, instructissima classe, quā parauerat in Balduini regis Hierosolymitani gratiam, mox uendicata uniuersa Dalmatia, additaq; Croatia Veneto nomini, aliisque mediterraneis prouinciis, cùm domū rediisset, captiuis multis adductis, tanta lætitia, tāroq; totius ciuitatis gaudio exceptus est, ut nō Romani triumphi amplitudinem adæquarit modò, uerumetiam uicerit. Egnat. lib. 2. c. 3.

ANDREAM Contarenum ducem, à Clodia septimo quàm obsideri ceperat mense recepta reuertentem, Veneti tanta omnium ordinum gratulatione, tantoq; studio excepere: ut parum abesset, quin eum numinis præcipui loco uniuersa ciuitas coleret, interq; medias aras & sacra supremam eius diem uenerabundi exciperent. Egnat. lib. 2. c. 3.

CAROLVS Zenus Zeni F. rei maritimæ Venetorum præfectus, Bucicaldum Franci sanguinis ducem, qui Genuēsi classe tunc præerat, iuxta Methonem in fugam uertit, plurimásque naues cepit. Lætus igitur & triumphans domum reuersus, magno totius ciuitatis gaudio exceptus est à Principe, Senatuq; omni: mox ab uniuersa ciuitate domū deductus, procuratoria etiam dignitate, quæ apud Venetos una amplissima, donatus est. Ibidem.

ANDREAS Grittus nondum principis dignitate insignitus, sua industria suaq; uirtute, urbe Patauio recepta, Venetias reuersus, ea est omniū ordinum gratulatione exceptus, ut cuiusuis Romani principis triumphū facilè uicerit. Ibidem.

Pari lætitia & congratulatione PETRVS Lauretanus, uicta ad Callipolim Turcarum classe, ipsis Calendis Iuliis, recepta iam antē Clodia festis, in patriam reuertens exceptus est. Ibidem.

DOMINICVS Michael dux, uicto à Turcis Hierosolymorū rege Balduino, & capto, classe 200. nauium Sarracenicam classem, Ioppem urbem obsidentem, non sine graui certamine oppressit, onerarias naues decem preciosissimis reb. onustas cepit. Tyrus terra mariq; ipsius præcipuè consilio à Gallis Venetisque obsessa est, & capta. Syriæ rebus feliciter compositis, domum cum incolumi classe reuertenti uniuersa ciuitas ingenti cum plausu occurrens, illum in auream diui Marci ædem deduxit, rebusq; sacris ritè antè procuratis, audito Principe, qui ex suggestu rerum à se gestarum ordinem singillatim explicaret, faustis acclamationibus prosecuta est. Egnat. lib. 2. c. 3.

BARTH. Liuianum ducem strenuum redeuntem ex Carnis, Leon. Lauretanus Venetorum princeps cum patribus Bucentauro naui excepit: pauloq; pòst & portus Naonis oppidum, & ius comitiorum ei posterisq; eius sunt ob remp. bene gestam dono data. Georgius Cornelius legatus Ven. etiam illum lautioribus in epulis, cum principibus ciuitatis, & feminarum nobilissimarum choro, diem unum domi suæ habuit. Bembus lib. 7. Historiæ Venetæ.

Victis, Profligatis.

Admiratione digna est Rom. ciuitatis magnitudo animi & lenitas, ꝙ consuli TERENTIO Varroni, auctori cladis Cannensis, ex fuga redeunti, ut qui fœdissimè & infelicissimè rebus gestis reuerteretur, humili & abiecto obuiam itum ad portam honoris causa à Senatu sit & uniuerso populo. Magistratus & principes Senatus, in quibus erat Fabius, silētio facto laudauerunt eum, quòd de Rep. à clade tanta non desperauisset: sed adesset ad tractanda gubernacula eius, & ad utendum legibus ciuibusq; ut nondum deploratis. Putarchus in Fabio.

CVR. CAVSA

Congratulationis.

ALCIBIADES ab exilio reuertens, ab Atheniensibus incredibili applausu honorificè exceptus fuit. Diod. lib. 13.

CN. Pompeio ex ancipiti morbo cōualescēte, & Neapoli Romam redeunte, obuiam undiq; procedentes nullus capiebat locus: sed uiæ, uici, portus epulantibus & sacra facientibus erant referti. Multi etiam coronati cum facibus excipiebant eum, atque in deducendo floribus conspergebant. Ac fuit illa deductio & illud iter spectaculum pulcerrimum splendidissimumq;: quod tamen ex præcipuis, unde ortum bellum est ciuile, una fuit causa. Spiritus enim illum incessere tanti, ut nimiam sumserit audaciam & contemtum Cæsaris uirium: quasi neque armis in eum, neque grauiore mole opus esset habiturus: sed longè facilius eum, quàm euexisset, deiecturus. Plut. in Pompeio.

M. Tul. CICERO in exilium à Clodio Trib. pleb. eiectus fuerat. Annius Milo tribunus plebis ausus princeps fuit ui Clodium in iudicium trahere: magna etiam pars populi, frequentesq; ex municipiis cum Pompeio conspirauere. Horum ille agmine forum occupauit deiecto Clodio, ac populum in suffragia misit. Proditum memoriæ est nullam unquam rem tanto consensu sciuisse populum. Senatus cum populo certans decreuit, ut honos haberetur ciuitatibus, quæ in Ciceronem, dum exulasset, fuissent officiosæ: domus eius & uillæ, quas diruerat Clodius, ut ex publico instaurarentur. Reuersus ab exilio Cicero est mense decimosexto, tantaq; municipiorum omnium lætitia, & fauore hominū proditum ei obuiam est: ut quod iactauit postea Cicero minus esset uero. Ait enim Italiæ se humeris reportatum. Siquidem ipse quoque M. Crassus, qui gesserat ante exilium cum eo inimicitias, magno studio tunc ei occurrit, reditq; cum eo in gratiam, indulgens, ut ferebat, filio Publio æmulo Ciceronis. Plut. in Cicerone.

CÆSARIVS episcopus Arelatensis, ab Alarico Gothorū rege iniustè relegatus, cognita eius innocentia ab eodem domum reuocatus est. Cuius reditus ab uniuersa ciuitate, totoq; clero cum crucibus & cereis obuiam effuso concelebratus, illud præterea boni ciuibus attulit, quòd terrā diutina siccitate arētem, excussus sub ingressum eius cœlo imber largissimus irrigauit. Sigon. lib. 16. Imp. occid.

NICO-

NICOLAVS Caponius Florentinorum dictator cùm summa fide Remp. diu administrasset, tandem populari seditione magistratu deiectus, cùm proditionis causam dixisset, omnibus ferè iudicum sententiis absolutus est, circa annū sal. 1527. Curia excedentem, omnes optimatium ordines domum deduxerunt, tanta frequentia, ut quum ad paternæ domus limen trans Arnum agendis gratiis substitisset, nouissimi agminis pars grauior & honoratior, præ turba, ad curię limen adhuc hęreret: & multi ex his, qui eum damnatum uoluerant, astuta dissimulatione comitantibus admiscerentur: instarq; magni triumphi ea frequētiæ pompa, intermixto lacrymis gaudio, Caponij gentiles & propinqui probiq; ciues maximè lætarentur. Tantùm uerò abfuit, ut quicquam pristinæ existimationis in ipso, ex tanta summi honoris iactura, deperiret, ut superata inimicorum acerbitate, noua quadā incorrupti constantisq; animi gloria adaugeri & reflorescere cēseretur. Sab. supplem. l. 12. ex Iouio.

Deprecationis.

Iaddus pōtifex Hierosolymitanus cum sacerdotibus occurrit ALEXANDRO Magno, deprecaturus ueniā, placaturusq; iratum regem, ob denegatum commeatū & auxiliares copias aduersus Darium. Iosephus lib. 11. c. 8. Antiq. Sab. lib. 4. Ennead. 4.

Lupus episcopus Trecēsis seu Troiæ, ATILÆ Hunnorū regi, à pugna Catalanica reliquas Galliæ urbes euersuro, habitu indutus pontificali cum multitudine cleri obuiam processit: factaq; salutatione interrogauit Atilā, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis cuncta ui sibi subderet? Cui Atila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. Qua uoce Lupus territus: Quis, inquit, mortaliū flagello Dei mei resistet, quo minus in omnes, quos uolet, sęuiat? Veni igitur, ut dicis, Dei mei flagellum, quò libet proficiscare: omnia tibi, ut Dei ministro, me non repugnāte, parebūt. Iubet inde portas urbis reserari, ac Atilam (frenū equi honoris causa manu tenens) summa ueneratione introduxit. Qui siue humanitate ductus episcopi, siue Dei uoluntate, sine ullius cæde & detrimento, per urbem mediam cum omnib. suis copiis egressus, altera urbis parte egressus est. Olaus c. 9. in Atila.

EVOCATIO HONORIFICA.

FRANCISCVS Paulę eremita, uir natione Calaber, à tertiodecimo anno usque ad sexagesimum eremiticam egit uitā, obsonio nullo cibos suos molliente. Missis igitur à Ludouico undecimo Gallorum rege ad Ferdinādum seniorē Neapolitanum regem oratoribus, qui precibus multis hoc peterent: uix tandem Sixto IV. Pp. ita iubente, adduci Franciscus potuit, ut in Galliam ad Ludouicum se cōferret: à quo per omne regnū, quò iter habuit, pręmissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tēderet, exceptus fuit: & quanquā literarū expers esset, ab eo rege eiusq; filio Carolo IIX. consiliis de magnis rebus adhibebatur, sententiaq; eius præferebatur: Alexandroq; VI. Pontifice hoc prębente, princeps quintæ regulę factus fuit, quę postea ab eo nomen accepit. Fulg. lib. 2. cap. 5.

Carolus V. Imp. cùm Neapolim uenisset, fama AVGVSTINI Niphi Suessani, summi ea ætate philosophi, cuius eruditi in Arist. plerosq; libros extant cōmentarij, motus, eū ad se uenire iussit, & inter alia cùm, Qua ratione princeps optimè regnū administraturus sit, interrogasset: respōdit Niphus, Si tales, qualem tu me esse putas, Imperator, cōsiliarios & administros habuerit. Respōsi acumē admiratus Carolus, encomiis ornatū à se dimisit. Cęlij Secūdi Curionis acroama.

CONGRESSVS, ACCESSVS HONORIFICVS.

Retulimus superiore loco inter Testimonia honorifica, Aspectum & Concursum ad spectandum, tanquam notam Auctoritatis. Hic Congressum non in spectando, sed in conuersando positum consideramus.

Regina Saba ex intima Aethiopia Hierosolymos profecta est, ut SALOMONIS regis sapienti frueretur colloquio.

IVDITHA Meraris F. Manassis uidua, Bethuliensis, Olofernē pulcritudine sua deceptum occidit. Post id factum Ioacimus pontifex Hierosolymitanus cū uniuerso senatu Bethuliā uenit, uidendæ & salutādæ Iudithæ ergò. Mulieres quoque ex tota Israelitarum terra concurrebant eius uidendæ gratia. Illa se & ancillam olea coronans, omnemq; turbam præcedens, saltationem inchoauit, sequentib. omnib. Israelitis armatis cum musicis instrumentis, & præclaro carmine Deo gratias egit. Judithæ 15.

Maria uirgo cùm Saluatorē cōcepisset, ad ELIZABETHAM cognatam suam, quam ex angelo iam sex menses prægnantem cognouerat, in montana ascendit, ex Galilæa, ut uetulam illam piis suis foueret ministeriis: nec prius ab ea recessit, quàm filium Ioannē peperisset. Atq; ut Maria ætatis honorem habuit Elizabethæ, ita uicissim Ioannes in Elizabethæ utero, Saluatori adhuc tenello [redacted] in Mariæ utero, adorationis honorē exhibuit, cùm mater eum subsiliisse assereret. Lucæ 1.

Magi ab Oriente in Iudæam uenerunt, CHRISTVM Iudæorum regē, cuius stellā uiderāt, adoraturi. Quo occursu nullus unquā uel honoratior uel humano generi felicior extitit.

GLAVCVS, Epicydis filius, Spartæ, tāta iustitia prędítus fuit, ut multi hospites ad eum uidendum Lacedæmonem peterent. Herodotus.

Agentibus conuentum Græcis in Isthmo, ubi bellum contra Persas decreuere, Alexāder Magnus dux est declarat⁹. Quē cùm uiri respubl. tractantes philosophiq; frequentes obuiā irent salutatū gratulatūq;: idem officiū expectauit ab Sinopensi DIOGENE, qui apud Corinthum agebat. Vt hic in Cranio otium agens nihil de Alexandro laborauit: profectus ipse ad illum est. Fortè apricabatur tunc stratus. Paululum autem alleuauit se sessum, tanta hominum accedēte caterua, atq; Alexandrum intuitus est. Qui ubi eum salutauit, affatusq; requisiuit: Ecqua re haberet opus? Recede, inquit, paulisper ex sole. Perhibetur hinc in tantum permotus Alexander fuisse & obstupuisse contemtus despicientiā hominis & animi celsitudinem: ut cùm comites sui inter abeundum ipsum riderent luderentq;: Atqui ego, inquit, nisi Alexander essem, Diogenes esse uellem. Plut. in Alex.

Ad uictorem ALEXANDRVM Magnum Babylonem ex omnibus ferè orbis terrarū partib. legati uenerunt. Aliqui, ut ea quæ feliciter gessisset, gratularētur: alij ut coronas offerrent: nonnulli amicitiam & societatē eius petituri. A multis splēdidissima afferebātur munera: quidā etiam de obiectis criminib. se expurgatū uenerant. Non tantū nationes, populi, principesq; Asiæ diuersi legationes miserant, sed pleræq; erant ex Europa & Africa: hinc quidē Carthaginiensiū, Libophœnicū, gentiūq; omniū iuxta mare ad columnas usq; Herculis habitantium: illinc aūt Grecarum complurium ciuitatum, Macedonum, Illyricorū. Missæ etiam sunt ab his q uicina mari Adriatico incolunt, à Thraciæ gentib. ac Gallis cōterminis, quæ gens tūc primū Græcis cœpit innotescere. Alexāder auditis omniū legatorū uoluntatibus, constituit quib. primùm & deinceps per ordinē a se respōdendū esset. Primi expediti sunt, qui sacrarū rerum causa uenerāt: secundi, qui munera attulerant: tertij, quorum tractatio erat de obsidib⁹: quarti, quib. de priuatis negotiis agendū: ultimus fuit locus exulum restitutionem detrectantib. Diod. lib. 17.

Ad P. SCIPIONEM Africanum in Linternina uilla latitantē, cōplures prædonum duces uidendum, eodem tempore fortè confluxerunt. Quos cùm ad uim faciendam uenire existimasset, præsidium domesticorū in tecto collocauit, eratq; in his repellēdis & animo & apparatu occupatus. Quod ut prædones animaduerterunt, dimissis militibus, abiectisq; armis, ianuæ appropinquant: & clara uoce nunciāt Scipioni, nō uitæ eius hostes, sed uirtutis admiratores uenisse, cōspectū & cōgressum tanti uiri, quasi cœleste aliquod beneficium, expetētes. Hæc postquā domestici Scipioni retulerūt, fores reserari, eosq; intromitti iussit. Qui postes ianuæ tanquam aliquā religiosissimā aram, sanctumq; templū uenerati, cupidè Scipionis dexterā apprehenderunt: ac diu osculati, positis ante uestibulum donis, quæ deorum immortalium numini consecrari solent, læti, quia Scipionem uidisse contigisset, abierunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius? quid etiā iucundius? Hostis iram admiratione sui placauit, spectaculo præsentiæ suæ latronū gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cœlo sidera hominib. si se offerant, uenerationis amplius nō recipient. Val. Max. l. 2. c. 5. Egnat. l. 2. c. 5.

Cùm lictores iussu consulum Rom. aliquē è domo euocarēt, fores ædium uirga percutiebant, quasi eo signo publicam adesse personam innotesceret. Si cui tamen ob claritatē dignitatemq; deferebant, uirga fores percuti uetabant. Cùm ergo Pompeius Magnus confecto Mithridatico bello POSIDONII domum summi sapientiæ professoris esset Rhodi ingressurus, fores uirga percuti uetuit, & fasces summisit. Alex. lib. 1. cap. 27. ex Plin. lib. 7. c. 30.

C. IVL. Cæsar uictis Gallis Lucam urbem suæ prouinciæ terminum progressus, Cn. Pompeiū & M. Crassum officij prætextu ex urbe extraxit. Cæterùm multi Cæsaris munificentiam secuti, sua sponte ad eum ex Roma & prouinciis confluxere, in hisq; Appius Sardiniæ prætor, & Nepos proconsul Hispaniæ, atq; alij aliunde: ita ut uno tempore centum & uiginti lictores cum fascibus in Cæsaris uestibulo obseruati sint. Venerūt eò senatorij ordinis circiter ducēti, quos ille incredibili munificentia est prosecutus. Sabellicus lib. 6. Enneadis 6.

Plinius Iunior Epistolarū lib. 2. ad Nepotem, Legimus, inquit, Gaditanum quendam T. LIVII fama gloriaq; commotū, ad uisendum eum ab ultimis terrarū finibus huc usq; peregrinatum esse. Quod eo maiore admiratione est dignū, ut quem Cæsar Augustus, qui tūc orbi terrarū uniuerso imperabat,

rabat, aut Roma ipsa rerum domina, & omnium uirtutum domicilium, ad se trahere non potuerit: unius priuati uiri fama ab ultimo mundi angulo pertraxerit.

Totila Gothorum rex, BENEDICTI abbatis Cassinatis fama impulsus, ad eum in Casinatem montem profectus est uidendum: etsi tunc ipsum suscepta aduersus urbem Romã expeditio occupatum habebat. Vt igitur in eius conspectũ uenit, & solus sederet senio & squalore obsitus Abbas: tamen, ut eum intuitus est, quanquam adhuc longè ab eo esset immanis ac barbarus rex, quem imperij Romani magnitudò non mouebat, senis & inopis Abbatis auctoritate motus est. Ad terram enim concidit humi utroq; nixus genu, sanctoque homini, ceu eius conspectu indignus, appropinquare non audebat. Neq; Abbatis hortationib. antè se mouit, quàm Abbas ad eũ profectus, manu sua ipsum leuauit. Potuit enim homunculi uirtus apud ferocis regis uerendã potentiam id efficere, quod nulla humana potentia, ut præstare Totila uellet regi alicui, ne dum priuato homini, effecisset. Fulg. lib. 2. cap. 5.

CONVERSATIO HONORIFICA.

Iesus Christus noster conuiuio nuptiali nõ dedignatus est interesse, non modò ut CONIVGVM in præsens honoribus seruiret, sed & ut matrimonij dignitatem commendaret & sanctificaret. Ioan. 2.

CADMVS Agenoris F. Harmoniam Martis & Veneris filiam uxorem duxit. Nuptiis illius Dij omnes interfuisse finguntur. Pausanias in Bœoticis.

PERICLES Atheniẽsis, licet admodũ ab hominũ cõuersatione abhorreret, & amicorũ etiam conuiuia fugeret: apud Euryptolemũ tamen nuptiali conuiuio interesse uoluit, ut nuptias mirum in modum probare uideretur. Plut. in Pericle.

Ptolemæus Philadelphus Aegyptiorum rex, quinto quoq; die priuatorum causas audire solebat, semel uerò in mense legatos. At quamprimùm LXXII. INTERPRETES IVDÆI uenerunt, cum illis assiduè per XII. dies uersatus est. Iosephus lib. 12. cap. 2.

DEDVCTIO, COMITATVS HONORIFICVS.

☞ *Exempla quædam ex Tit. Triumphi comites, ciuium seruatorum, qui triumphantis currum sequebantur, peti poterunt. Item ex Tit. Inaugurationum.*

DAVID regno pulsus ab Absalomo F. trãs Iordanem pugnã commissã superior, cæso Absalomo, ab Israelitis denuò in regem receptus, Iudæis significauit, ut primi essent in rege reducendo, tanquam cognati. Iudæi ergo cum Beniamitis ad Galgala profecti, regem Iordanem traduxerunt, constructo ponte. Id reliquæ decem tribus ægrè tulerunt, quòd se insciis soli Iudæi regem tanquam suum traduxissent, & hac ratione contemti ab illis fuissent. Iudæi se excusare, & consanguinitatis iure id fecisse (quia rex è tribu Iuda esset) dictitare. Interea Seba Bochris F. Beniamita, tuba signo dato decem tribus à Dauide abduxit. 2. Reg. 19.

[redacted]

THEMISTOCLES Atheniensis, quia non fuisset honore affectus ab iis, qui ad Salaminem dimicassent, Lacedæmonẽ se contulit. Eum Lacedæmonij & splendidè exceperunt, & magnificè honorauerunt. Et primas quidem partes rei benè gestæ Eurybiadę, solertię uerò ac dexteritatis, Themistocli dederunt, & utriq; oleaginam coronam donarunt: Præterea hunc biga (quæ apud Spartã erat) præstantissima, laudatumq; uerbis amplissimis, trecẽti ex primoribus Spartiatarum, qui Equites uocantur, discedentẽ, ad Tegeaticos usque fines comitati sunt. Hunc solũ ex omnibus, quos nouimus, hominib. Spartiatę abeuntẽ deduxerunt. Herod. lib. 8.

TIMOLEONTEM Corinthium Syracusani ob restitutionẽ libertatis honorarũt magnifica deductione. Cùm enim maioribus cum deliberationib. adhibere uellent: medio foro uehebant eum cæcum prę senio, curru ad theatrum: uehiculo, in quo sedebat, illato, populus una uoce appellabat salutabatq; illum. Ille reddita salute, audiens qua de re deliberarent, inde suam dicebat sententiam. Qua comprobata, reducebant currum ministri eius: ciues autem uoce, acclamatione & plausu prosecuti sunt. Mortuum quoq; honorificè extulerunt, & ludis perpetuùm honorare instituerũt & monumentum in foro extruxerunt. Plut. in Timoleonte.

Apud Spartanos in SENATOREM electus è concione coronatus ad omnia templa circũibat. Sequebatur hinc grex iuuenum collaudantium eum & extollentium, hinc caterua mulierum carmine uirtutem celebrãtium, & uitam eius in cœlum ferentium. Plut. in Lycurgo.

L. PAVL. Aemilius Consul & dux designatus aduersus Persen, à toto populo deductus domũ honorificè, filiolam Tertiam admodũ puellam offendit plorantẽ, eamq; appellans quid tristis esset, quæsiuit. Illa cum complexa & deosculata dixit: Nescis pater Persen nostrum perisse: catellum domesticum eius nominis significans. Paulus aũt respõdit: Bene habet, accipio filia omẽ. Cicer. de Diuinat. Plut. in Aemilio.

M. Por. CATONEM admiratio fortis ac sinceræ uitę adeò uenerabilem Senatui Rom. fecit, ut cùm inuito C. Iul. Cæsare Cos. aduersus publicanos dicẽdo in curia diem extraheret, & ob id eius iussu à lictore in carcerẽ duceretur, uniuersus senatus illum sequi nõ dubitaret: Quę res diuini animi perseuerantiam flexit. Val. lib. 2. c. 5.

P. SCIPIO à Pop. Rom. è concione, in quam ex falsa Tribunorum plebis accusatione reus descẽderat, eo ipso die, quo ante aliquot annos de Annibale & Pœnis egregiam uictoriam consecutus fuerat: in Capitolium & ad omnia templa urbis magna cum solennitate deductus est. Auctor uitæ Scipionis.

M. Tul. CICERO cùm de coniuratis supplicium sumsisset, & per forum reciperet se domum, non tenuerunt silentium ciues, neq; sedatè deduxerunt eum: sed ut quosq; præteribat, acclamationibus exceperunt & plausibus, seruatorẽ & conditorem patriæ appellantes. Viæ crebris lampadibus & facibus, quas accenderant pro foribus, collucebant. Prælucebant ex tectis matronæ, ornandi & contemplandi causa Ciceronis: quem amplissima frequentia domum reducebant principes: quorũ plerique magnis perpetratis bellis, post triumphos actos, & in multum auctũ terra mariq; imperium, incedebant, apertè inter se ferentes, populũ Romanũ multis eius æui imperatoribus & ducibus pecuniã, manubias, & incrementum potentiæ referre accepta: securitatẽ & salutem uni tantùm Ciceroni, qui tantũ & tam sæuũ ipsorũ discussisset periculum. Neq; enim reprimere cœpta potuisse, & punire flagitiosos, uidebatur mirandũ: sed quæ maxima fuisset omnis memoriæ cõiuratio, hanc q̃ quã minimo detrimento, sine seditione & motu restinxisset. Plutarch. in Cic.

LVCIVS III. Pp. concilio Veronam indicto, Mutinam progressus, basilicam S. Geminiani magna cæremonia dedicauit, ac corpore ipsius Confessoris ostenso, in perpetuũ quadragenariam peccatorum remissionem iis, qui noxiis suis expiati, sanctè illius Natalitia coluissent, indulsit. Postridie sub lucem, ciuitati salutem, atq; incrementum à Deo precatus, urbe exiit. & cùm ad mille circiter passus esset progressus, quod adhuc non senserat, inusitato se comitatu stipatũ animaduertit. Erant autem hominum amplius duo millia, quæ honoris ac pietatis gratia ipsum ab urbe pedibus prosequuta cum accensis cereis præcedebant. Itaq; ad eos conuersus his uerbis dimisit: Gratias agimus uobis de honore, quem nobis tam insignem exhibuistis. ac signans eos addidit: Benedicta sit terra, quam incolitis, & benedicti uos, & posteri uestri in perpetuum. Cuius rei monumẽto Mutinenses tabulam in pariete basilicæ in forum uergente, hanc historiam continentem, ut nunc quoq; est, posuerunt. Sigon. lib. 15. regni Ital.

ALEXANDER Seuerus Imp. deuicto Artaxerxe Persarum rege potentissimo, cũ ingenti gloria, comitante senatu, equestri ordine, atq; omni populo, circumfusis undiq; mulierib. & infantib. maximè militum coniugib. pedes palatiũ conscendit; cùm retrò currus triumphalis à quatuor elephãtis traheretur. Leuabatur manib. omniũ Alexander, uixq; illi per horas quatuor ambulare permissum est, undiq; omnib. clamantibus: Salua Roma, quia saluus est Alexander. Lampridius in Alex. Seuero.

CONGRESSVM, ASPECTVM, OCCVRSVM, HONORIFICE' DEclinare. VIA cedere.

Hispula scortum Romanum accersita à SVLPITIA matrona castissima, aspectum eius declinare subterfugit. Lud. Viues de Christiana femina lib. 2. ex Liuio, qui eam propè exanimatam fuisse scribit.

Ob seruatam contra Coriolanum patriã, Romani FEMINIS uiros semita cedere iussere. Plut. in Coriolano.

MALABARES Indi nobiles, si uir ignobilis eos attingit, nobilitatem contaminari, genusq; polluti censent, & tam insignem iniuriã, illata cæde miseris hominibus, qui in eos inciderũt, ulciscũtur. Idcircò qui nobiles nõ sunt, quoties iter faciunt, uoces edere cogũtur. Nobiles uerò, cùm eos aduẽtare ex uocib. illorum præsentiunt, eos deflectere de uia iubẽt: & sic fit, ut ignobiles mortis, nobiles maculæ sempiternæ periculum depellant. Osorius lib. 2. rerum Em.

SACRIFICIA PRO ALIORVM SALVTE HONORIFICA.

Iudæi pro ROMANIS principibus subinde sacrificia faciebant, ex cõmuni impensa quotidie: cumq; nullas alias hostias ex communi ne pro filiis quidem peragerent, solis Imperatoribus hunc honorẽ exhibebant, quem alioqui hominum nulli persoluerent. Iosephus lib. 2. contra Appionem.

Cn. POMPEIVS ancipiti morbo Neapoli conflictatus cõualuit. Neapolitani, auctore Praxagora, pro incolumitate eius sacrificauere. Quos secutis uicinis, eaq; re totã peruagante Italiam, ciuitates tam paruæ quàm magnæ ferias per multos dies egere. Plut. in Pompeio.

GESTATIO HONORIFICA.

BATAVI & GERMANI regem electum attollere humeris, & scuto exceptũ succollare per uices solẽt. Alex. lib. 1. ca. 28.

OLYMPIONICAS & reliquos sacrorũ certaminũ uictores in patriã reuertẽtes, ciues qui per multa passuũ millia sublimes ferebant, ne terram contingerent, nec per portas, sed per pontẽ supra mænia fabrefactum, introducebant. Plut.

STEPHANVS II. factus pontifex, ob insignem uitæ integritatem humeris omnium præ gaudio exultantium fuit sublatus, atq; in ædem Seruatoris ad Lateranum deportatus. Quem ritum deinceps seruarunt successores, ut se humeris satellitum circumferri curent in hexaphoro. Sic enim lectica illa apud ueteres Rom. uocabatur. Polyd. lib. 4. cap. 10. de Rerum inuent.

SVSTENTARE INNITENTEM.

REGIBVS Spartanis licet, quibuscunq; libeat ciuibus, inniti. Herodotus lib. 6.

MINISTRARE, APPARERE, HONORIS ERGO.

☞ *Cõsule Tit. Comitatus honorifici. quatenus ministerium honorificum coniunctum habet comitatus.*

REGIBVS Spartanis centum delecti uiri in militia custodes adsunt. Herodotus lib. 6.

Lictores VESTALIBVS, & SACERDOTIBVS, mox CÆSARIBVS et summis Imperatoribus, cũ uirgis laureatis, et Augustis mulierib pro muliebri fastigio pręcessere. Quare Agrippinæ matri Neronis, perpetuo senatusconsulto lictores duo tributi fuere, & flaminium claudiale. Contrà Tiberius Drusillæ matri decerni lictorem minimè passus fuit, licet Augustus illam in familiam nomenq; Augustæ testamento asciuisset. Si quando dictatori, consuli, aut prætori præirent pro imperii maiestate lictores, obuium quenq; semita cedere, denudare caput, & obsequii honorisq; causa equo descendere iubebant, obuiamq; turbam uirga sistebant, & summouebant. Alex lib. 1. cap. 27.

Ludouicus Imp. NICOLAO pontifici obuiam ad mille passus procedens, ex equo descẽdit, & frenum equi pontificis tenens, duxit eum pedes in castra sua. Simoneta lib. 5. cap. 11. de Pontificibus.

LOTHARIVS Imp. regẽ Danię, ut ensem sibi sub corona deferret, ad decorẽ imperialis dignitatis, impulit. Cuspinian.

HENRICVS II. Anglorũ rex, cùm HENRICVM F. cõsortẽ regni fecisset, dedit eo ipso die epulum, in quo honoris causa primum ferculum filio apposuit. Polyd. li. 3. & Aemilius.

Hẽricus II. Imp. unà cũ Cunegunde regina, BAMBERGENSIS episcopi à se instituti auctoritatẽ & opes promoturus, quatuor Principes seculares, Romani imperii electores, ad hoc delegit, ut in ea celebritate, quãdo primùm episcopus Bãbergã de more intrat, ipsi tum adessent, ac gratulationis honorisq; causa certo in ministrãdo fungerẽtur obsequio, Marchionem etenim Brandeburgensem Cameræ præponi uoluit: comitem Palatinum Rheni, qui dapes: ducem Saxoniæ, qui ensem ferret: Boemiæ uerò regẽ, pincernã cõstituit. Proinde hi appellati sunt supremi officiales episcopi Bambergensis. Verùm cùm hi principes in remotis agant, alios suo loco substituerũt, militaris generis uiros, qui eorum repræsentarent personas. Chronicon Bambergense.

EXPEDIRE CITO, HONORIS CAVSA.

IVDÆORVM legatis à C. Iul. Cęsare permissũ, si quãdocunque peterẽ à dictatore uel Magistro equitũ, ab eo in Senatũ introducerẽtur, & responsa eis intra decimum diem darentur. Iosephus lib. 14. cap. 19.

A TVRPIBVS ABSTINERE, HONORIS ERGO.

Cyrus contra Astyagem auum Medorum regem pugnans, ter uictus discessit. Cùm autem Persarũ uxores & liberi Pasargadis essent, quartum prælium in eo loco commisit. Rursus in fugam PERSÆ uertebantur. Ast ubi liberos & coniuges obuias cõspexere, animo ex pudore recepto cõuersi, Medos sine ordine persequentes fugarũt, uictoria tanta, ut nullo imposterum de summa rerum, prelio indigerent. Polyænus lib. 6.

Apud ROM. parẽtes cum liberis, nepotes cum patruis uel auis, soceri cũ generis communi balneo non utebantur, denudare se & retegere erubescẽtes: pòst tamen à Græcis adaperire se didicerunt. Plut. in Catone & Cicerone.

Philippus Amyntę, cùm talis aliquãdo luderet, ac quidã nunciasset, Adest ANTIPATER, ueritus eum, abacum impulit sub thorum. Athen. lib. 10. cap. 12.

M. PORTIO Catone ludos Florales, quos Messius ædilis faciebat, spectante, populus, ut Minæ nudarentur, postulare erubuit. Quod cùm ex Fauonio amicissimo sibi unà sedente cognouisset, discessit è theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinẽ impediret. Quem abeuntẽ ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorũ in scenam reuocauit: confessus, plus se maiestatis illi uni tribuere, quàm uniuerso sibi uẽdicare. Quibus opibus, imperiis, quibus triumphis hoc datum est? exiguum uiri patrimonium, astricti continentia mores, modicæ clientelæ, domus ambitioni clausa, paterni generis una imago, minimè blanda frons, sed omnibus numeris perfecta uirtus: quæ quidẽ effecit, ut si quis sanctum & egregium ciuẽ significare uelit, sub nomine Catonis definiat. Val. libro 2. cap. 5. Martialis Epigram. lib. 1.

Nosses iocosæ dulce cùm sacrum Floræ,
Festosq; lusus, & licentiam uulgi,
Cur in theatrum Cato seuere uenisti?
An ideo tantùm ueneras, ut exires?

L. CRASSVS, cùm omnium cãditatorum more circũ forum supplex populo ire cogeretur, nũquam adduci potuit, ut id præsente Q. Scæuola, grauissimo & sapientissimo uiro, socero suo, faceret. Itaq; rogabat eum, ut à se, dum ineptę rei inseruiret, discederet. maiorẽ uerecũdiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ suæ respectum agens. Val. lib. 4. cap. 5. At hoc M. Crasso tribuit Cicero j. de Oratore, inquiens: M. CRASSVS cùm peteret magistratum, solebat in prehẽsando, dimittere à se Q. Mutium Scæuolã, cùm ita ei diceret, Se uelle esse ineptum. id erat, Petere blandius. quod nisi ineptè fieret, bene non posset fieri.

HONORICA ORNAMENTA. CVIVSMODI SVNT.

VESTITVS HONORIS ERGO CONCESSVS.

Pharao IOSEPHVM byssina ueste, & anulo de sua manu ob somnii interpretationem ornauit. Genes. 41.

Antiochus Sedetes IONATHANI duci & pontifici Iudęorũ in auro bibendi, purpuraq; & aureo monili utendi, potestatem dedit. 1. Machab. 11.

Gnidanorum VXORIBVS, qui iuxta Lotophagos sunt, magni æstimabatur fimbrias pelliceas ferre plurimas, quas munera adulterii sumebant: illaque præcipuæ dignationis erat, quæ pluribus fimbriis muniretur. Alex. libro 5. capite 18.

Cùm eiectis Roma Gallis à Camillo, de nouo eam infestaret Liuius Posthumius Fidenatiũ dictator cum multis Latinis: peteretq; bonum uirginum, & uiduarum numerum, ad redintegrandam cum Latinis exolescentem amicitiam. Titubantib. reliquis, TVTOLA serua id consilii dedit, ut se & alias præstãtes forma ancillas, ingenuarũ cultu amictas pro ingenuis mitterẽt. Dimissæ, hostes somno uinoq; sepultos interimũt. Ac pro eo beneficio serui sibi habitũ dominarũ retinuerunt. Plut. in Romulo & Camillo. Macrob. lib. 1. c. 11.

Prætexta inter insignia Rom. magistratuũ olim connumerabatur. Postea cùm Tarquinius Priscus rex de Sabinis ageret triumphũ, FILIVM suũ annos quatuordecim natũ, quòd hostem manu percusserat, & pro concione laudauit, & bulla aurea prætextaq; donauit: insigniens puerum ultra annos fortem, præmiis uirilitatis & honoris. Nam sicut prætexta magistratuum, ita bulla gestamẽ erat triumphantiũ: quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent aduersus inuidiam ualentissima. Hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobiliũ usurparentur, ad omen & uota conciliandæ uirtutis: ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Macrob. lib. 1. Saturn. 6. At Plut. in quęst. Rom. Tarquinium puerũ adhuc in pugna aduersus Latinos simul et Tuscos intulisse in hostes se: & quamuis effusum ex equo, irruentes tamẽ subsistẽtem animosè Romanos cõfirmasse. Ingenti fuga edita hostium, contrucidatisq; sexdecim milib. hoc præmii à patre & rege retulisse.

M. CATONI Vticensi ludos in ueste purpurea spectandi fa-

cultas à senatu, pro summo honoris gradu, tributa est. Alexander ab Alexandro lib.5. cap. 18.

IZATI Adiabenorum regi, rectam tiaram gestare, & in aureo lecto cubare permissum, honoris ergô, ab Artabano Parthorũ rege: quem satraparũ conspiratione regno pulsum, sua intercessione restituerat. Iosephus lib.20.c.2. Antiquitatum.

Valentinianus III. Imp. mœnia Rauēnę ampliauit: & IOANNEM episcopũ pallio ex cādida lana cōfecto, uti iussit, quo tūc solus utebatur Imperator: unde postea cũ Romanis pōtificibus Rauēnates cōtendere præsumserūt. Blondus lib.2.

TORQVES, ARMILLAE, ANVLI, Inaures, Bullæ honorariæ, Cingula.

Vide Tit. Equitũ, quatenus torque equestris dignitatis symbolo insigniuntur, quos idcirco Torquatos uocant.

Pharao IOSEPHVM torque aureo & anulo de manu sua ob somnii interpretationem donauit. Genes.41.

Cùm GEDEON Ioæ F. insignē uictoriā de Madianitis obtinuisset, 135. millibus eorũ cæsis & fugatis, & oblatũ ab Israelitis magistratũ respuisset, petiit tātùm, ut sibi de spoliis partis inaurē singuli darent. Habuerant enim hostes inaures aureas. Expansa igitur ueste, eò singuli inaurem de suis spoliis coniecerunt: quarũ pondus fuit mille septingentorum aureorũ, prēter monilia et bullas, uestēq; purpureā, quę fuerant regum Madianitarũ, prætérque torques, quibus ornata colla habuerant eorũ cameli. Ex his fecit Gedeon Ephodum, quē Ephræ in patria sua collocauit, propter quem postea omnes Israelitæ impudicos illos exercuere cultus: quæ res sanè Gedeoni eiusq; posteris detrimentũ attulit. Namq; ob id iratus Dominus, permisit ut Abimelechus spurius Gedeonis, 70. suos fratres, unico Iothamo excepto, uno in saxo interimeret, & tyrannidem inuaderet. Iudicum cap. 8.

IONATHAN Iudęorum dux & pōtifex, cùm Apolloniũ Demetrii Nicatoris ducem magna clade affecisset, Alexan. Epiphanes uirtutis ergô misit ei monile aureum, quod solis regis cognatis cōcedebatur, & Accaronis toparchiā ei possidendam dedit. 1. Machab. 11. & Iosephus lib. 13. cap. 8. Antiq.

Apud PERSAS neq; aureo anulo, neq; zona aut monili, uel ornamento alio insigniore, ni ex regis munere ac gratia, uti fas fuit. Cælius. lib.18. cap.18. A.L.

Hercules, Geryonis uaccas agens, cùm in Scythia obdormisset, eas amisit: & uix tandē in terra Hylęa in antro cuiusdam uirginis, quæ pubetenus femina erat, infernè serpens, inuenit. Cũ ea Hercules rē habuit. Cōcepit illa ex eo tres filios. Abiēs Hercules arcũ ei reliquit & baltheũ, in cuius cōmissura, aurea erat phiala, ut quicunq; ex trib. filiis arcũ intēdere posset & baltheo pręcingi, is regnum Scythiæ obtineret. Adultis iam filiis mater arcum proponit. Et Agathyrsus quidem & Gelonus à matre fuerant amandati: Scythes uerò natu minimus arcũ intēdit & regnũ occupauit: à quo regia ea Scythia fuit dicta. Et ab eo baltheo ad hūc usq; diem SCYTHÆ, nobilitatis ostētandæ causa, phialas in baltheis gestant. Herod. lib.4.

Macedonũ lex erat, ut qui MILES hostem non occidisset, non militari cingulo, sed capistro tantùm cingeretur. Alexander ab Alexandro lib.1. cap.12.

A Prisco Tarquinio omniũ primo FILIVM, cùm in pętextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum cōstat: unde mos bullę durauit, ut eorũ, qui equo meruissēt filii, insigne id haberent, cæteri lorum. Plin. lib.33, cap.1. Macrob. lib.1. Saturn. cap. 6.

Romani auxiliares & EXTERNOS torquibus aureis donauere: at CIVES non nisi argēteis. Pręterq; armillas ciuibus dedere, quas non habent externi. Plin. lib.33. cap.2.

Aurelianus Imp. gregariis MILITIBVS, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, priuilegium dedit.

Vetusto tamen more in Romanis legionib. solis tribus aureas fibulas habere: gregario uerò, aut manipulari, baltheos aut phaleras argento decoras ferre permittitur. Alex. lib.2. capite 29.

L. SICINIVS cùm fortem operam in bello nauasset, armillis centum & sexaginta donatus est. Blondus.

CORONAE HONORARIAE CONSIderatæ secundùm

MATERIAM, FORMAM.

Fuit antiqua cōsuetudo iam tũ à Thesei tēporib. è Creta reducis, ubi ludos Deli instituit, ut uictores PALMA coronarentur. Mox coronis mutatis, māsit tamē cōsuetudo, ut omnes uictores ubicũq; essent, palmā manib. gestarēt, ut ait Pausanias in Arcadicis. At corona laurea ppria fuit Delphicorũ premiorũ, idq; cũ ob perpetuũ uirorē, tũ quia arbor ipsa Apollini sit dicata. Natalis Comes Mytholog. lib.4. cap. 10. P. Corn. Aruina, & C. Mario Rutilio consulib. palmę primùm uictoribus dari cœptę. Alexander ab Alexandro lib.5. ca.8.

Bacchus HEDERA Dionysia redimebatur, quam ex India in Græciam deportauit, primusque omnium capiti imposuit. Plut. lib.3. Sympos. segmento 1. Festus in uoce Hedera, & Ouid. Fastorum 3. Alexander Magnus ex India uictorem exercitum hedera coronatũ reportauit, exemplo Liberi patris, cuius & thyrsos olim, & galeas atque scuta in solennibus Thraciæ sacris adornabat. Plin.16. cap.34.

OLEA proprii generis Callistephanos: de qua Aristoteles in Pātheo. Huius folia cōtrario modo se habēt, quàm in aliis: extrà siquidem, non intus, albent. Ramos mittit ut myrtus, ad coronas peraccōmodos. Eā in Olympia plantasse Hercules memoratur, unde athletis dentur coronæ. Hac coronabantur olympionicæ. Est apud Ilissum fluuium stadiis sexaginta circumuallata muro, magnaq; cōtingētibus instituta multa. Scribunt Græci Herculis clauā fuisse ex oleastro, quam apud Sardonidem is reperisset: quinetiam depositam in Trœzene apud Mercurii statuā, quem πολύγνον uocant, progerminasse denuò, ac superfuisse tempestate sua oleastrum, prodit Pausanias. Cælius lib.12. cap. 19. A. L.

Lacedæmonio ne manubias quidem hosti detrahere licebat. Qui se strenuos præbuissent, & occubuissent, OLIVA & aliis ramis redimiti, laudibus uehebantur: qui uerò perfectā & absolutā uirtutem præstitissent, ij etiam amicti purpura, gloriosè sepulcris mandabantur. Aelian. de Var. hist. lib.6.

Receptus fuit Romæ mos, ut quoties insigni uictoria consules potiti essent ob res prosperè gestas, LAVREATIS fascibus prælatis incederent: literasq; laureatas Romam mittere; aut nuncios cum iaculis laureatis aduenire, nauēq; laureatam, aut uittatam, felicis uictoriæ signum erat. Alex. ab Alex. lib.1. cap.27. Lauream nec Senatus Rom. cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desiderauit, ciuitatis parte lacrymante. Cæterùm ad quercũ pronæ manus porrigũtur, ubi ob ciues seruatos corona danda est. Val. Max. lib.2. cap.3.

PERSEAM arborem eruditiores negāt suppliciorum causa è Perside à regibus translatam, sed à Perseo Memphi satam nomen ab illo habuisse. Et ob id Alexander Magnus coronari ea uictores ibi instituit, in honorem ataui sui. Plinius lib.15. cap. 13.

Auctor in Parallelis, sed & in Symposiacis Plutarchus, ingruēte pericli magna ui, solitũ dici, APIO esse opus: quòd monumēta defunctorũ ita cōsuessent ornari. At scribit Diodorus, Timoleonta pro Syracusanis in Carthaginenses depugnaturum, quum fortè apii uis magna extruēdis toris subuectaretur, uictoriæ omen inde concepisse, quoniā Isthmiaca corona cōtexi apio cōsuesset: proinde milites sic iussisse omnes coronari, moxq; insigni hostes strage affecisse. Cælius lib. 7. Antiquarum lectionum, cap.19.

Coronā SPICEAM Plin. lib. 18. tradit primā apud Romanos fuisse. At coronas ex CINNAMOMO (eodem auctore libro 22.) interrasili auro inclusas, primus omniũ in templis Capitolii atq; Pacis dicauit Imperator Vespasianus.

Principiò ex arborum ramis fieri coronas in ludis & sacris certaminibus mos fuit: postea uaria FLORVM mistura cōponi cœperũt. Has Glycera primùm adinuenit, ut ait Plin. li.15. ca.11. quum de Sicyonio pictore meminit. Amauit in iuuenta Glyceram municipem suam, inuētricem coronarum, certandoq; imitatione eius ad numerosissimam florum uarietatem perduxit artem illam. Verùm idem li. 21. utrisq; hoc potius assignare uidetur, scribens, Postea uariari cœptũ mistura uersicolori, florumq; inuicē odores coloresq; accendere Sicyonii ex ingenio Pausiæ pictoris, atq; Glyceræ coronariæ dilectæ admodum illi, quum opera eius pictura imitaretur. Paulò pòst subiere quæ uocantur Aegyptiæ, siue hybernæ, tunc quum terra horret, factæ è bracteis ligneis siue eburneis uariis coloribus infectis. Venerunt deinde è lamina ænea tenui inaurata aut argētata, quæ propter gracilitatem corollæ dicuntur. Crassus diues, auctore Plin. lib. 21. primus suis ludis coronam aureis argētisq; foliis dedit, & alii alias. Polyd. lib.2. cap. 17.

Triumphans de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu (qui primus omnium ouans ingressus urbem est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) MYRTO Veneris uictricis coronatus incessit, optabilemq; arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ouantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitiuis & Spartaco LAVREA coronatus incessit. Massurius auctor est, curru quoq; triumphantes myrtea coronа usos. L. Piso tradit, Papyrium Masonem, qui primus in mōte Albano triumphauit de Corsis, myrto coronatũ ludos Circēses spectare solitũ. auus maternus Africani sequētis hic fuit. M. Valerius duabus coronis utebatur, laurea & myrtea, qui & hoc uouerat. Plin. lib.15. cap. 29.

P. Decio Tribuno, cùm Rom. exercitum ab hostibus Sabinis circumuentum circuitione montis conseruasset, gratitudinis ergô à consule C. Corn. Cosso AVREA corona, item à militibus GRAMINEA discussæ obsidionis argumentum imposita fuit Sab. lib.3. En.4.

C. Caligula noui generis coronas, SOLIS, LVNÆ, & siderum specie commentus est. Alex. ab. Alex. libro 4. capite 18.

In Bœotia sponsas aiunt ASPARAGO coronatas: quod deposita feritate, ad alterius uolũtatem māsuescere discerent. quippe ex corruda asparagus altilis atq; esculentus fit. Scaliger lib.3. Poëtices, cap.100.

EFFICIENTEM.

Coronarum repertorē, teste Plin. lib.16. ferunt LIBERVM patrem fuisse, qui primus omnium imposuisset capiti suo coronam ex hedera: postea deorum honori sacrificantes sumserunt uictimis simul coronatis. Reperimus tamen longè antiquiorem coronarum usum: nam Moses, qui multis seculis, ut testis est Eusebius in 10. de Euang. præpar. præcessit Liberum patrem, multas aureas coronas fecit, de quib. Iosephus plenè meminit in 3. Antiq. quum de sacerdotum indumentis loquitur, & in 8. scribēs, Corona uerò, in qua Deum Moses inscripserat, una fuit, quę ad hunc usq; diem permansit. Polyd. lib.2. cap.17. de Inuent.

Coronæ usum apud ueteres nullum fuisse, quidam autumāt, propterea quòd eius nullam mentionem fecerit Homerus: cui ne στέφανος quidem uox nota fuerit. At enimuerò à PROMETHEI usq; temporibus coronę usum deducũt doctiores: quippe ab Ioue solutum uinclis, quem ille imminēti ex Thetidis concubitu periculo soluisset: supplicii tamen uestigiis manere iussis: quippe ad pristinæ catenæ memoriā, anulum ferreum gestare, in quo lapis impactus rupem illam Caucasi repræsentaret. At illum tam triste monumentum non solùm sapiētia temperasse, uerùm etiam corona capiti imposita hilarasse. Vnde simul & coronarum & anulorum origo ducta uideatur. Ego uerò etiam ante Prometheum puto, eos qui extiterint mortales, ad æstiua umbracula coronas excogitasse: uictoq; in certaminibus ablatas, atque impositas uictori, ut ea ignominia cœli incōmoda pateretur. Scaliger lib.1. Poëtices cap.23. Alii IANVM corollarum inuentorem faciũt: in Græcia uerò STEPHANVM, à quo & nomina acceperint. Cęlius lib.6. cap.19. Aeschylus in Prometheo soluto inquit, quòd coronam in Promethei honorem circũponimus capiti, pro pœna eius uinculorũ. Athen. lib.15. cap.5.

ATHENIENSIS ciuitas bonos ciues corona decorandi, primò consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis, clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutũ siue rem, siue personam intueri uelis. Nam & uirtutis ubérrimum alimētum est honos: & Pericles dignus, à quo talis muneris dādi posteritas potissimùm initium caperet. Valerius Maximus lib.2. cap.1. Exemplorum.

FINEM SIVE VSVM. CORONÆ DEcretæ, impositæ, assumptæ propter

Eruditionem, Literaturam.

Vide Tit. Poetarum cultus. Item paulopòst Dignitas literaria Graduum Academicorum data.

Fortitudinem militarem quamcunque.

IVDITHA cæso Oloferne, oleæ ramo caput suum & ancillæ suæ coronauit, & Domino, sequentibus matronis & uirginibus, carmen triumphale cecinit. Iudithæ 15.

Dionem Syracusanum parta uictoria, milites aurea, & THEMISTOCLEM, quòd Græciā liberasset, ab Atheniensibus corona oleaginea, & curru eximio donatos laudatosq;, asserit Alex. lib.6. cap.18. & Plut. in Vitis.

THRASYBVLO Lyci F. qui XXX tyrannos eiecit, pro tantis meritis honoris corona à populo Atheniēse data est, facta duabus uirgulis oleaginis. Probus in Thrasybulo.

Lacedæmonii ISADAM, puerum adhuc, quem lex nondum ad pugnam uocabat, quoniam exiliens gymnasio strenuū se præstiterat contra Thebanos Spartam oppugnantes, corona donauerunt. At quia nondũ ætate postulante, & cum insolitis armis in hostes irruerat, pœna affecerũt. Aelian. libro 6. de Var. hist. & Plut. in Agesilao.

Militares coronæ apud ROM. multiuarię fuerant. At nobilissimæ tamen hæ fuere, Triumphalis, obsidionalis, ciuica, muralis, castrensis, naualis.

TRIVMPHALIS, aurea, imperatoribus ob honorē triũphi mittebatur. Id uulgò dicitur aurum coronariũ. Antiquitùs è lauro fiebat.

Corona nulla fuit Graminea nobilior, in maiestate populi terrarum principis, præmiisq; gloriæ. Gemmatæ & aureæ, uallares, murales, rostratæ, ciuicæ, triumphales, post hanc fuere, suntq; cunctæ magno interuallo, magnaque differentia. Cæteras omnes singuli, & duces ipsi, Imperatoresq; militibus, aut aliquando collegis dedere: decreuit in triumphis senatus, cura belli solutus, & populus ociosus graminea nunquā nisi in desperatione suprema contigit, nulli nisi ab uniuerso exercitu seruato decreta. Cæteras Imperatores dedere, hanc solam miles Imperatori. Eadem uocatur OBSIDIONALIS, liberatis obsidione abominandoque exitio totis castris. Quòd si ciuicæ honos uno aliquo ac uel humillimo ciue seruato, præclarus sacerque habetur, quid tandem existimari debet, unius uirtute seruatus uniuersus exercitus? Dabatur hæc uiridi è gramine, decerpto inde, ubi obsessos seruasset aliquis. Nanque summum antiquos signum uictoriæ erat, herbam porrigere uictos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio. Plinius lib.22. capite 2. et 3. Donatus est ea graminea corona L. SICCIVS Dentatus semel, cùm ciuicas quatuordecim meruisset, depugnassetque CXX præliis semper uictor. Quidam imperatores & sæpius donati sunt, ueluti P. DECIVS Mus, tribunus militum ab exercitu, altera ab his, qui in præsidio obsessi fuerant: quanta esset honoris eius authoritas, confessus religione: siquidem donatus bouē album Marti immolauit, & C fuluos, qui ei uirtutis causa dati fuerant simul ab obsessis. Data est & à senatu populoque Romano, Q. FABIO illi, qui rē omnē Romanam restituit non pugnādo, Annibale ex Italia pulsò. Quæ corona adhuc sola ipsius imperii manibus imposita est, & quod peculiare est ei, sola à tota Italia data. Præter hos contigit eius coronæ honos M. CALPHVRNIO Flammæ, tribuno militum in Sicilia: centurioni uerò uni ad hoc tempus Cn. PETREIO Atinati, Cimbrico bello. Primum pilum is capessens sub Catulo, exclusam ab hoc legionem suam hortatus, Tribunum suum dubitantem per castra hostium erumpere interfecit, legionemq; eduxit. Inuenio apud auctores, eundem, præter hunc honorem, adstantibus Mario & Catulo coss. prætextatum immolasse ad tibicinem foculo posito. Scripsit & SYLLA dictator, ab exercitu se quoque donatum apud Nolam, legatum bello Marsico. Idq; etiam in uilla sua Tusculana, quæ fuit postea Ciceronis, pinxit. Aemilianum quoque SCIPIONEM, Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa, Manlio cos. tribus cohortibus seruatis, totidemq; ad seruandas eas eductis: quod & statuę eius in foro suo diuus Augustus adscripsit. Ipsum AVGVSTVM cum M. Cicerone filio consulem Idibus Septembribus senatus obsidionali donauit. Nec præterea quenquam hac inuenimus donatum. Nullæ herbæ fuere certę in hoc honore: sed quæcunque fuerant in periculi sede, quamuis ignobiles ignotęq;, honorem nobilem faciebant. Plinius lib.22. cap.5. & 6.

L. Q. CINCINNATVS dictator, eo quòd Q. Minutium consulem contra Volscos & Sabinos bellum gerentem, & iam in Algido obsessum, liberasset, à Minutio & ab eius exercitu corona obsidionali donatus est. Idem cùm exercitum ab omni periculo liberasset, coronam auream à consule libræ pondo accepit. Liuius libro 3. Blondus libro 6. Rom. triumph.

P. DECIVM patrem, tribunum militum, frōdea donauit exercitus ab eo seruatus, imperatore Cornelio Cosso coss. Samnitium bello. Plin. lib. 16. cap. 4.

CIVICA corona appellatur, quam ciuis ciui, à quo seruatus est, in prælio testem uitæ salutisq; perceptæ dat. Eam Plin. appellat militum uirtutis insigne clarissimum. Ex quo non temerè Antoninus Pius, teste Capitolino, Scipionis aureā illam, ut ita dixerim, sententiam frequenter usurpabat dictitans, Malle se unũ ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Fuit autem iligna primò, postea magis placuit ex esculo Ioui sacra. Variatũq; & cum quercu est ac data ubiq; quę fuerat, custodito tantum honore glādis. Vel quia ubique & facilis copia sit in expeditionibus quercus: uel quia Ioui & Iunoni ciuitatum præsidibus sacra: uel more ab Arcadibus antiquissimis sumto, qui se primos hominum dictitabant, ut planta prima quercus. Plut. in quæst. Romanis. Additæ leges arctæ, & ideo superbæ, Ciuem seruare, hostē occidere. Vtq; eũ locũ, in quo sit actum, hostis obtineat eo die. Vtq; seruatus fateatur: aliâs testes nil prosunt. Vt ciuis fuerit. Auxilia, quamuis rege seruato, decus id non dant. Nec crescit honos idem Imperatore conseruato, quoniam conditores in quocunque ciue summum esse uoluere. Accepta licet uti perpetuò. Ludos ineunti semper assurgi etiam ab senatu, in more est. Sedendi ius in proximo senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique & auo paterno. Quatuordecim eas accepit SICCIVS Dentatus, sex CAPITOLINVS. Is quidem & de duce Seruilio. Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam. Ciuica corona omniũ clarissima fuit, non precio, sed honore: qualē ab humano genere AVGVSTVS Cæsar accepit. Plinius libro decimosexto, capite quarto.

M. CORIOLANVS, à Coriolis Volscorum oppido capto appellatus, contra Tarquinium militans, ob ciuem seruatum corona querna donatus est. Plutarchus.

P. DECIVS pater, quòd in bello Samnitico sub Valerio & Cornelio tribunus militum, exercitu angustiis Gauri mōtis insidiis hostium clauso, in superiorem locum transiisset, intempestaque nocte per medias custodias somno oppressas

incolumis euasisset, ab exercitu ciuica cōrona de quercu, quæ dabatur ei, qui obsidione ciues liberasset, donatus est. Plinius de Viris illust.

MVRALIS corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum arcémue hostium per uim ascendit: & iccirco quasi muri pinnis decorata est. Romulus frondea coronauit HOSTVM Hostilium, quòd Fidenā primus irrupisset: auus hic Tulli Hostilij regis fuit. Plinius libro 16. capite 4. MANLIVS Capitolinus, qui nix decimo & septimo ætatis anno bina ex hostibus spolia tulit, primus murali corona donatus est: ciuicas sex, militaria dona sex & uiginti ob singularem uirtutem meruit. Alexand. libro 4. capite decimo octauo.

CASTRENSIS cōrona, qua donat cum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introiuit, quæ ex auro contexta, uallí insigne habet.

NAVALIS siue ROSTRATA corona est, qua donari solet maritimo prælio, qui primus hostium nauē armatus transiluit, eaque quasi nauium rostris insignata est, & ex auro fiebat. Alex. lib. 4 cap 18. Rostratā Cn. Pompeius M. VARRONI è piraticis bellis dedit: item Cæsar M. Agrippæ è Siculis, quæ & ipsa fuere piratica. Plin. lib. 16. cap. 4.

OVALIS myrtea est, qua utebantur Impp. qui ouantes introibant urbē, quasi non martius, sed uenereus esset triumphus, absq; sanguine parta uictoria. Est enim myrtus Veneri sacra. Eapropter M. CRASSVS bello fugitiuorum confecto, cùm ouans rediret, myrteam insolenter aspernatus est, & S. C. per gratiam impetrauit, ut lauro non myrto coronaretur. Hæc ex Gellij lib. 5. cap. 6. quæ transcripsit. Alex. lib. 4. cap. 18. & Blondus lib. 6. Rom. triumphantis.

Religionem.

ANTIQVITVS corona nulla nisi deo dabatur: ob id Homerus cœlo tantùm eas & prelio uniuerso tribuit, uiritim uerò ne in certamine quidem ulli. Ferunt q; primum omniū Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera: postea deorum honori sacrificantes sumsere, uictimis simul coronatis. Nouissimè & in sacris certaminib. usurpatæ, in quibus hodieq; non uictori datur, sed patriam ab eo coronari pronūciatur. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferrentur in cēplis dicandæ, mox ut & ludis darentur. Plin. lib. 16. cap. 4.

Reconciliationem.

THRASYBVLVS socios uolentes cōtra legem sequire in eos, cum quibus redirum erat in gratiam, publicè cohibuit, & legem latam confirmauit. Huic pro tāris meritis præmij loco data est corona ex duabus uirgulis oleaginis: & hoc ciuili honore uir prudens contentus fuit. Erasmus in Adagiis.

Victoriam.

Coronæ in sacris certaminibus non uictoribus dabantur, sed PATRIAS ab iis coronari pronunciabatur. Parentes enim & patrias uictorum proclamabant. Plin. lib. 16. cap. 4.

THEAGENES Thasius, cùm cursu, lucta & pugillatu uicisset in Olympiis, mille & ducentis coronis donatus est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Pausanias apud Volat. lib. 20. Authrop. cum CXL. coronas è certaminibus retulisse ait.

ANTONINVS Caracalla Imp. coronatus est in pluribus equorum certaminibus. Obtinuerat enim DCCLXXXII, quod antè contigerat nemini. Dion Nicæus.

Iubet lex, inquit Aeschines de Ementita legatione, MAGISTRATVS omnes, quos populus creat, & publicorū operū præfectos, & omnes, qui tractāt aliquid ciuitatis ultra triginta dies, & qui iudiciorū principatus obtinent (operū uerò præfecti omnes iudiciorum principatum obtinēt) & qui forte lecti sunt, hos, inquā, omnes lex iubet præsse, probatos in foro, & rationē atq; εὐθύνας apud scribam & legistas deponere: ita ut nemo, uel minimo magistratu gesto, nisi rationē & εὐθύνας reddiderit, à populo corona donari possit. Formā iudicij dicebatur Δοκιμασία, Sigonius l. 4. de rep. Athen.

Dignitatem, Magistratum, Regnum.

Vide Tit. Inaugurationum.

Pro coronæ aureæ honore, quem muris reficiendis curator datus meruerat, DEMOSTHENES orator Atheniensis aduersus Aeschinē certauit. Demosthenes pro Corona, & Plut.

C. IVL. Cæsar caluitij deformitate offensus, ex omnibus honoribus sibi à senatu decretis, nullum libentiùs recepit, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ, ut quod honori datum erat, elegantiæ quoq; tributum uideretur. Sabellicus libro septimo, Enneadis 6.

Manuel Imp. cùm FILIAM suam expriore coniuge, sorore Gertrudis uxoris Conradi III. Imp. natam, Ramerio filio Gulielmi principis Montisferrati despondisset uxorem, renuit filia, & se nulli nupturam iuramento asseruit, nisi regi. Quod cū Imperatori esset relatum, laudans filiæ ingenium, die uno se cum altera uxore Constantia, Alexium iuniorem cum Agnete Ludouici regis Francorum filia sponsa, tum filium Marchionis Montisferrati generum cum sua filia fecit coronari, dato ei principatu Thessalonicensū, ubi secūda sedes erat post Constantinopolitanam. Id quod à multis seculis nemo audiuerat, nemo uiderat, nemo legerat, uno die tā insignem fieri triumphum ac coronationem. Cuspinianus.

GODOFREDVS Bononiensis, quem captis Hierosolymis regem Christiani elegerant, auream coronam in ea urbe gestare renuit, in qua Christus gestasset spineam. Palmerius sub annum Salutis 1099.

HENRICVS I. oblato sibi Imperio, iurauit, quòd corona Imperialis nunquā suo capiti imponeretur. Principibus ipsum ad curiam Rom. citantibus, per tres annos sustinuit excommunicationem. Tandem sub forma iuris absolutus, dum allegaret iuramentum, quod fecerat: tulit Papa sententiam, susciperet sanè Imperium gubernandum, coronam Imperialem capiti non imponeret, sed in baculo ante se gestari sineret. Hermannus Gigas.

Engelbertus Treuirensis præsul, VRATISLAVM Boemum cum uxore SVATAVA, iussu Cæsaris, Pragæ regem inaugurauit, acclamantibus equestris ordinis & plebeiis uiris, senatuq; Vratislao Pacifico, Boëmiæ atque Poloniæ regi, à Deo coronato, uira, laus, uictoria. Auentinus libro quinto Annalium.

FRIDERICVS III. Imp. cum Leonora coniuge Romæ à Nicolao V. coronatus fuit anno MCCCCLII. Platina.

Tres coronæ CÆSARIBVS debentur. Prima est argentea, Germanici scilicet regni. Secunda ferrea, regni Longobardici, quam Modoetiæ suscipit. Tertia aurea, Rom. Imperij. Igitur anno 1530. cùm Carolus Bononiæ coronaretur, præstò affuēre Modoetiensiū legati, cuius erant principes, Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam ueteris prærogatiuæ dignitatem, uetustissimi operis coronam & annalium codices antiquitate pernobiles detulēre. Ea erat fine florentib. pinnis in simplicem & latū orbem circumducta, ferro introrsus tēpora præcingente, sed exterius auro & gēmis exornata. Biduo itaq; antequā tertiam coronā acciperet, in sacello domestico constante Pontifice, sacris peractis, Cæsar ungitur, ferreaq; corona, & cæteris regiis insignibus decoratus est. Iouius lib. 37. Hist.

Libertatem.

PROMETHEVS libertatis à Ioue recuperatæ ergò, coronæ primus uiderur usus. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 23.

CVRRVS, SELLAE HONOR.

L. METELLO, qui ob raptum ex templi Vestæ incendio Palladium luminibus orbatus est, datum, ut, quoties in Senatum iret, curru ueheretur, ut eius de republica merita cunctis innotesc erent. Plinius lib. 7. cap. 43.

M. VAL. Volesi filio, quòd Sabinos fudisset, & castris exuisset, locus in Circo ad spectandum cum sella curuli posterisque permissus est. Alex. lib. 4. cap. 11.

LVMINIS, FVNALIS, CEREI HONOR.

C. DVILLIO, qui nauali prælio Carthaginēsium classem fudit, præter curulem sellā, ut quoties à cœna rediret, funalis præferretur, & tibicen præcineret, concessum.

Alexander III. Pp. VENETORVM Duci funale albū, quod solis Pontificibus Rom. præferri consueuerat, concessit, ob patrocinium sui contra Fridericum I. Imp. Nauclerus uolum. 3. gen. 40.

LOCA HONORIFICA. ΠΡΟΕΔΡΙΑ.

Primæ sedes, Incessus.

Consule Titulum, Certamina Προεδρίας.

In genere.

Apud TVRCAS digniorem haberi locū sinistrum obseruauit Augerius Gislenius Busbequius, Imperatoris Ferdinādi ad Solimannum legatus. Cuius rei causam asserunt illi, quòd eam partē gladius honestet: & qui sit in parte dextera, quodammodo gladium habeat sub manum eius, qui sinistrū latus claudit: ille uerò cum gestet liberum & expeditum.

Apud AEGYPTIOS ad dextrā locari magnus est honos habitus, in medio uerò maximus. Quod æquè apud AFROS & ROMANOS obseruatum est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Apud ROMANOS inter consulem & lictorem ambulare licebat neminī. Val. Max. lib. 2. cap. 1. & Gel. lib. 2. c. 2. Att. Noct.

In Consiliis capiendis, explicandis.

Cùm Croesus Lydorum rex amplissimis muneribus Delphos affecisset, illi uicissim CROESO Lydisque donarunt primas in consulendo oraculo partes, ac denunciationem, primumque in sedendo locum: immunitatem præterea & ius perpetuum cuiq; uolenti adscribi in numero Delphorum. Herodotus libro 1.

Spartanis REGIBVS licet suo arbitrio assidere in senatu, qui cōstat ex duo de triginta senibus. Si cō non accesserint, eorum maximè propinqui duo senatores, ius regum obtinēt, duos calculos ponendi, tertium pro seipsis. Herod lib. 6.

Aeschines in oratione contra Ctesiphontem testatur, hoc Solónis legibus fuisse cautum, ut in consultatione natu MAXIMVS primus diceret. Et apud Athenienses olim fuisse morem, ut præco facturus dicendi facultatem ita sonaret, τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονότων; id est, Quis uult concionari ex iis, qui quinquagesimum excesserunt annum? Erasmus in Adagiis.

In Consessibus publicis priuatisue.

CN. Flauius ædilis εὐεδρίαν inuidia nobilium sibi non concessam asseruit. Gellius lib. 6. cap. 9. ex lib. 3. Annal. L. Pisonis.

Mortuo Micipsa rege Numidiæ, Adherbale, Hiempsale, filiis, & IVGVRTHA nepote, ex fratre relictis hæredibus, funere & exequiis multa celebritate peractis, quum reguli in unū conuenissent, de regno in medium consulturi, Hiempsal fratrum minimus natu, dexter Adherbali assedit, ne Iugurtha medius sederet) qui locus ut plerisq; gentibus, ita iure & Numidis honoratissimus) ægreq; alterius fratris monitu adduci potuit, ut ætati cederet. Moxuerò, quum primùm omnium Iugurtha censuisset, omnia Micipsæ cōsulta & decreta proximi quinquennij rescindi oportere, quo sanè tempore rex senio cōfectus, parum ualuisset: Placet hoc, inquit Hiempsal: nam & tu hoc triennio ab illo adoptatus, in regnum peruenisti. Iugurtha duplici contumelia offensus, cædem Hiempsali machinatus est. Sab. lib. 1. Enn. 6.

Regredienti ex Hispania Cæsari cùm omnes principes multorum dierum itinere occurrerent, M. ANTONIVS honoratus ab eo eximiè est. Quippe rheda per Italiam uehens assidentem habuit Antonium, à tergo Brutum Albinum, & sororis suæ nepotem Octauianum, qui pòst Cæsar dictus est. Plutarchus in Antonio.

Præses Cretæ prouinciæ ad Taurum philosophum Athenas uisendi causa uenerat cum patre. TAVRVS patrem priore loco ut sederet inuitauit. Pater uerò respondit, Sed eat hic potiùs, qui Pop. Rom. magistratus est. At Taurus, Absque præiudicio, inquit, tu interea sede, dum filio quoque sella affertur. Qua allata, ostendit, in publicis locis & actionibus, patrum iura cum filiorum, qui in magistratibus sunt, potestate collata, interquiescere paululum debere. Sed cùm extra remp. in domestica uita conuersantur, inter filium magistratum & patrem, priuatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Gell. lib. 1. Noctium Atticarum capite secundo.

Hormisda Pontifex AENNODIO Ticinensi Episcopo multa dedit priuilegia, atque etiam primum sessionis locum à sinistra pontificis inter Episcopos, ob rectè & constanter administratā legationem ad Anastasium Imp. hæreticum. Bern. Saccus lib 8. Ticinensis hist.

Ioannis filij Henrici VII. Imp. nuptias cum regis Boëmiæ filia aliquandiu Petrus Moguntinus & Colonensis ANTISTITES ob superbiā interturbarunt. Vterq; enim dextræ Principis assidere contendebat.

Victor II. Pp. ABBATI Cassinati usum confirmauit sandalio rum & cæterorum insignium, illi à Leone IX. cōcessum. & ut in conuētu episcoporum ac principum supra omnes abbates assideret, & ante omnes sententiā diceret: anno 1057. Sigonius lib. 9. regni Ital.

In Basilienſi Concilio, certantibus inter se Christianorum regum legatis de iure πρωτοθρόνου: NICOLAVS Rauallus Archiepiscopus Vpsalensis, Erici Gothorum & Suconum regis orator, coram patribus luculenter ostendit, primam sedem aut certè à prima secundam, regi suo propter gentis antiquitatem, res bello gestas, & religionis Christianæ studium deberi: contentum tamen sese eo loco, quem sibi patres in præsentia decreuissent, foresic tamen, ut deinceps regi ius suum ratione persequendi, loco commodiore fas esset. Ioan. Magnus lib. 16.

Pius II. Pont. Max. EPISCOPOS Protonotariis ordine subsalliorū anteposuit, mutata consuetudine maiorum, quanquā plerisq; regio genere ortis. Ioan. Cāpanus in eius vita.

Anno à Christo nato 1496. Lublini certatū ac disceptatum est inter proceres Polonos profani ordinis, & EPISCOPOS, de ordine & ratione sedendi in senatu regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, ut episcopi alterum latus regis sibi concederent, alterum uel dextrum sanè ipsi tenerent: deinde ut bona ecclesiis addicta, perinde ac ea, quæ nobilitatis essent, publica belli onera sustinerent. Tuebantur episcopi prærogatiuas suas, quòd utriq; regio lateri assidendi ius ipsi, & militiæ uacationem ecclesiastica bona antiquitùs haberent. Post longam altercationem rex tandem Alexander controuerlia ita diremit, ut episcopis & ecclesiis, prærogatiuæ suæ saluæ manerent. Cromerus l. 30.

In Pompis, Deductionibus.

DVX Austriæ à Venetorum Duce ad aream D. Marci deductus, cùm ad angiportum uenturn esset (quod Venetiis frequens est) neq; simul ingredi possent, Veneto locum dedit, uirtutis potiorem rationem habendam esse, inquiēs, quàm auitæ nobilitatis. Contrà Venetus, Nascuntur fortes fortibus & bonis, & quem auita commendat uirtus, suo simul & maiorū splendore illustris, cùm aliàs, tum & in his honorum laruis primas ferre debet. Modestia Austriaci magna: Veneti prudentia maior. Io. Paulus in Spudopædia.

In Conuiuiis.

Agamemnon conuiuio excepturus Græcorum præstātissimos, primum locum NESTORI dedit, senectutis & prudentiæ ergò: sextum siue postremum VLYSSI, ob prudentiam itidem: inter media loca Idomeneo, duobus Aiacibus, & Diomedi, fortitudinis ergò. Extrema, quoniam uehiti terminī sunt, honorificentiora sunt intermediis, & propterea etiam prudentiæ, quæ fortitudinem honestatis & mediocritatis limitibus circunscribit, extrema loca cōmittuntur utrinq;. Similiter in stationе nauium, propugnaculorum uice, Achilles unum, Aiax alterum extremum tuentur, apud eundem.

CYRVS Persarum rex conuiuas, quo honoratius excipierentur, in sinistra tocare solitus erat, eam enim partē uelut cordi affinem digniorem ducebat. Xenophon.

DEMOCRITVS nulli ad cœnā inuitato locū eximiū tribuit, sed pari loco diuitem cum tenuissimis accūbere iussit. Plutarchus lib. 1. quæst. Conuiual. 2.

Alia loca cōuiuij apud alios sunt honorata. Apud PERSAS medius, quo cubat rex: primo apud GRÆCOS: apud ROMANOS medij lecti postremus, quē consularem dixere: apud accolas Pōti GRÆCOS nōnullos, sicut Heracleotas, è diuerso, medij lecti primus. Plut. lib. 1. Conuiu. quæst. 3.

Apud CELTAS conuiuio medius assidet fortissimus. Eius latera cingunt, qui uirtute sunt secundi. Athen. lib. 4. cap. 15.

Super FLAMINEM Dialem in conuiuio, nisi rex sacrificulus, nemo accumbit apud Romanos. Gellius libro decimo, capite decimoquinto Noct. Att.

Eduardus III. Anglorum rex, DAVIDEM Scotorū regē bello captum, per XI annos penes se habuit. IOANNEM itidem Gallorū regē à filio Ricardo captū. Festo Natalis Christi, alterum regum à dextra, alterū à sinistra sibi assidentē in solenni conuiuio Londini iussit, ueluti in symposiaco triūpho illos ducens. H. Boëth. us lib. 15.

In Spectaculis.

Institutis à Theseo Isthmiis ludis, conuenit ei cum Corinthiis, ut ATHENIENSIBVS, qui ad Isthmia uenissent, attribuerēt prima subsellia tanto spacio, quantum nauis Theoridis expansum humi uelum occupasset: quod Hellanicus & Andron Halicarnassēus scriptum reliquerunt. Plut. in Theseo.

Alexander Magnus Macedones MILITES ueteranos in Asia post innumeras uictorias dimissos, magnificentissimè donatos, per literas Antipatro cōmendauit, ut primū in theatris locum obtinerent, coronatiq; spectarent. Sab. lib. 6. En. 4.

In Theatris olim Quatuordecim primi ordines erāt scenæ proximi: unde clarius atq; expressiùs actores exaudiebantur. In primo ordine sedes erant Iudicum, is locus πρωτοθρόνιον fuit appellatus: in qua qui sederet primus, eū appellauit Epicrates antiquus comicus πρωτοκαθεδρον. In omnibus sedilibus sedendi Spartanis æquale ius fuit. Solis REGIBVS certa loca spectaculis proxima & cōmodissima, teste Herod. lib. 6. secundum ea EPHORIS. Athenis ARCHONTI, principi ciuitatis, qui annuus erat magistratus, eodem modo præcipua sedes. Cæteri sine discrimine spectarunt diu: quoad senatoribus suus est attributus locus, quem βουλευτικὸν appellarunt. Sic alia pars, quæ adolescentibus designabatur, ἐφηβικὸν. Alex. lib. 5 cap. 16.

Aediles curules, quum indignum plebi æquale cum melioribus esse ius sedium arbitrarentur, ludis Romanis P. Corn. Scipione, T. Sempronio Longo, Cois eam à SENATORIBVS separarunt. Eam selectioīnē plebs Romana molestissimè tulit, aduersus consules indignata, qui honorē senatorij ordinis extulisse, suum contemsisse uisi erant. Et ipsum etiā Aphricanū aliquando pœnituisse tradunt, seueteris moris tollendi, nouí introducendi auctorē fuisse, teste Liuio Val. aūt Max. hoc ex sententia posteriorís Africani actū esse narrat. Cæterùm pristina siue libertas, siue licentia plus ualuit. Abolito nouo imperio, nihilo secius confusi spectare. Quā peruicaciā Sex. Aelius Pætus, quē Catū Ennius poëta dicit, & L. Cornelius Cethegus, castigare instituerunt, ueteri edicto instaurato. Paulatim uerò per negligentiā magistratuū, ac plebis pertinaciā, in ueterē consuetudinē cūm redissent: Attilius Seranus, & L. Scribonius Libo, Aediles curules, ludis scenicis & Romanis, fecere diuisa ut essent loca. Hoc quoq; plebis insolentia & indulgentia patrum corruptum, integrauit lex Iulia, Theatralis, & Rōscia, primique ordines XIIII. SENATORIBVS atq; EQVITIBVS restituti. C. autem Gracchus etiam ferociùs exercuit potētiam. Quem,

cùm obseruasset contra morem maiorum temerè patritiis ac plebeiis, sedes mercede occupari, accitis fabris eas demolitum esse, memoriæ prodiderunt. Nec minùs Syllæ dominatu, populari superbia confusis per loca sexibus, ordinibus, ætatibus, renouata etiam Tribunitia potestate, sedendi ratio pro censu ac dignitate repetita. Verùm sub C.Iul. Cæsare alia sedendi fortuna fuit. Nam quum ille non tam ex opibus aut natalibus, quàm ex uirtute ac meritis, & in Senatũ & in Equestrem ordinẽ multos legisset, tantũ multitudinis nequiuit XIIII ordinibus capi. Contrà M. seu L. Roscius Otho Trib. pleb. teste Plut. in Cicerone, potiorẽ cẽsum, quã uirtutẽ duxit, pro censu enim loca ciuib. designauit: nõ honori, nõ dignitati, nõ ordini quicquã tribuit. Exclusit namque à primis XIIII ordinibus eum, cui ipsi, patriq; auoq; quadragies sestertiûm non fuisset. Item qui artem ludicram exercuisset. Ridiculum sanè, si quibus in scena esse licuisset, propiùs scenam esse non liceret: & qui alios fecisset spectatores, esse spectator non posset ipse. Certa quoq; loca Tribunitiis attribuit uiatoribus: certa iis, qui non sua culpa decoxissent. Voluntarios decoctores, qui ganea, quiue alea, aut scorto, aut luxu rem fecissent deteriorẽ, quiq; sese ære obligassent, Atheniensium secutus morem, toto Theatro abstinere iussit. Idque ut seruaretur, per cuneos disposuit, quos Præfectos ordinum appellabat, qui excitarent de sede, quãquis contra legem occupasset, quemadmodum ad seditiones atque rixas cohibendas statio cohortis erat in Theatro à principib. posita: quã Nero ad speciẽ libertatis sustulit. Ante principum imperia, ei muneri prępositi fuerũt lictores, atque uiatores: quos in eodem officio apud Græcos ῥαβδοῦχοι nominatos legimus. Locus inter senatores, sociarum gẽtium legatis datus. Quo more, Germanorum legati cùm arcessiti non essent, ultrò sese ad senatorias sedes contulere, atque recepti consedere, teste Suetonio in Claudio. Augustus spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit, ordinauitque, motus iniuria Senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Fecit ergo decretum patrum, ut quoties quid spectaculi usquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo uacaret Senatoribus: Romæ legatos liberarum sociarumque gentium uetuit in orchestra considere: cùm quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem à plebe secreuit, Othonis lege temperata: Qui bello ciuili attrito patrimonio equestrem censum amisissent, si eum à parentibus accepissent, uti ij XIIII ordinum ius ne amitterent. Alexandri exemplo, emeritis ueteranis primas sedes assignauit, eisq; ut spectarent coronati licere uoluit. Idem maritis è plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis: sanxitque, ne quis pullatorum media cauea sederet. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis uirginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & cõtra Prætoris tribunal dedit. Athletarum uerò spectaculo muliebrem sexum omnem adeò submouit, ut Pontificalibus ludis pugilum par postulatum, distulerit in sequentis diei matutinum tempus: edixeritque, mulieres ante horam quintam uenire in theatrum, non placere. Suetonius. Verùm ea lex paruo quoque cum tempore seruata est: ita ut Claudius princeps illam restituere coactus sit. Etiam à Nerone plebi Equites antepositi: sed eo euentu, ut pari cura Domitianus intermissum edictum illud renouarit. Post Cæsaris dictaturam, podium Imperatori & Coss. proscenia & pulpitum oratoribus prouinciarum atq; sociorum data. Quibus in locis princeps interdum cum illis, quàm è podio spectare maluerunt. Neronem etiam in proscenio sedisse legimus. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 21. & Alex. lib. 5. cap. 16.

AELIORVM familia Romæ in Maximo circo Flaminio spectandi locũ certũ habuit, uirtutis ergô cõcessum. Val. Max.

M. VAL. Volesi filio, quòd Sabinos fudit, & castris exuit, locus in circo ad spectandum cum sella curuli posterisq; permissus est. Alex. lib. 4. cap. 11.

L. FLAMINIVM Q. fratrem, quum senatu motus, in commissione ludorum humilis & despectus extrema in parte sederet, populus uniuersus ob fratris egregia facinora reuocauit, & inter consularia subsellia admisit. Alex. lib. 5. c. 16.

Ciuica corona donato apud ROM. ius erat sedendi in ludis proximo Senatui. Plin. lib. 16. cap. 4.

Solitos Romanos principes, ob multa in rempublicã merita, Massiliensibus, exterarumq; gentiũ LEGATIS ab ultimis oris, locũ inter senatores spectãdi pro insigni munere largiri: in quo proditur memoriæ de Frisiis lepidè factũ: qui cùm alios de Romanis benemeritos in senatorum subselliis spectassent, ne inferiores officio uiderentur, ipsos nõ admissos sua sponte subsellia adisse, & unà consedisse. Alex. lib. 5. c. 16.

C. Iul. Cæsar HYRCANO pontifici & regi Iudæorum omnibusq; legatis illius licentiam dedit, ut cum Senatoribus nationes spectare possent. Iosephus libro 14. capite 19.

In acie.

Psammetichus Aegypti rex, cùm pugnaturus aduersus Assyrios ignominiæ loco Aegyptios in sinistra, MERCENARIOS uerò & exteros in dextra phalãgis locauisset, exercitus alienationem & dissidiũ passus est. Alex. ab Alex. lib. 4. capite septimo, ex Herodoti lib. 2.

CAREM, qui Cyrum in prelio percusserat, Artaxerxes rex pręmio huius facinoris donauit, ut in bello gallum aureum ex summa lancea perpetuò ante signa ferret. Etenim ipsos Caras Persæ, gallos cristarum causa, quibus exornant galeas, appellabant. Plut. in Artaxerxe.

REGES Spartani primi sunt in expeditionibus, & postremi in reditu. Herod. lib. 6.

ATHENIENSIBVS lege cautũ erat, ut polemarchus, cũ acie decernitur, dextrũ semper latus teneat, indeq; in hostes irruat. Plutarchus.

THEBANI cùm ad Leuctram sinistro cornu Lacedæmonios fugassent, & uictoria potiti essent, omnib. pliis obseruarunt, ut sinistro cornu principatum darent. Plut. in quæst. Rom.

Erat inter Lacedæmonios & Athenienses conuentum, ut si arma contra eosdem hostes ferrent, ATHENIENSES sinistrum, LACEDÆMONII dextrum in acie tenerẽt locum. Tametsi in pugna aduersus Mardonium, Athenienses dextrum cornu contra Persas, Lacedæmonij sinistrum contra Bœotios & Thessalos tenuere. Alex. lib. 4. cap. 7.

Apud Lacedæmonios milites ex SCYRO insula, cùm sinistrũ sibi locum delegissent in acie, semper obseruarunt, ut deinceps sinistrum cornu tenerent. Idem.

TEGEATÆ honoris ergô sinistrum cornu in cõmuni expeditione Peloponnensium semper obtinebant. Itaq; cùm Græci contra Mardonium Persam in Platæensi agro castra posuissent, in distinguendis nationibus magna altercatio extitit inter Tegeates & Athenienses, cùm utriq; se dignos, qui alterum cornu tenerent, arbitrarentur; & sua facinora præclara tum recentia, tum prisca referrent. Tandem uerò cùm Athenienses, Aristide auctore, Lacedæmoniorum iudicio hanc disceptationem cõmisissent, & ubicunq; & iuxta quoscunq; starent, fortissimè se pugnaturos dixissent: Lacedæmoniorum uniuersus exercitus, ATHENIENSES digniores esse acclamauit, qui sinistrum cornu tenerent, cùm Lacedæmonij dextro præessent. Herod. lib. 9.

More ROMANO, antiquiori duci dextrũ cornu dari consueuit: sinistrũ uerò, quia minus curæ & solicitudinis habet, iuniori & minùs assueto: quãuis sinistro nonnunquã summos duces attributos inueniamus. Tullus enim Hostilius aduersus Fidenates pugnaturus, sinistrum sibi desumsit cornu, dextrum uerò Metio dedit. Darius quoq; ad Arbelam cùm sibi sinistrum tuendum sumeret, Mazeo dextrum assignauit. Alexand. libro 4. cap. 7.

Carolus Magnus Geraldo duci Sueuorum eum concessit honorem, ut in omnibus imperij præliis SVEVI primã aciem tuerentur, anno Sal. 780. Strumpfius in Heluetiæ Chronico.

OFFICIVM HONORIFICVM COMMISSVM, DELATVM:

Aedificandi templi.

Dauid, quoniã in negotiis militarib. assiduè uersatus, hostium cruore manus fœdauerat, prohibitus est ædificare templũ Domino. SALOMON autem iussus, ut qui semper pacificus & belli abstinens fuit. Nunquid igitur peccati arguitur Dauid, qui Deo fauente prostrauerit inimicos? Minimè quidem: sed tamen ideo ædificatio templi illi interdicitur, ut omnibus constet, quanti apud Deum momenti sit perpetua in homine pacis obseruatio, imperturbataq; tranquillitas. Marul. lib. 3. cap. 6.

Consecrandi templa.

SVLPITIA, Seruij Paterculi filia, Q. Fuluij Flacci uxor (cùm Senatus libris Sibyllinis per Deceuiros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordiæ simulacrũ cõsecraretur, quò faciliùs uirginum mulierumq; mens à libidine ad pudicitiam conuerteretur: & ex omnib. matronis centum, ex cẽtum autem decem sorte ductæ, de sanctissima fœmina iudiciũ facerent) cunctis castitate prælata est. Val. lib. 8. cap. 16.

Excipiendi hospitio.

P. SCIPIONIS Nasicę, manibus & penatibus, nondum quęstoris, Senatus, Pythij Apollinis monitu, Pessinũte accersitã deam excipi uoluit: quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc mysteria matris Deûm à sanctissimo uiro præstarentur. Explica totos fastos, constitue omnes currus triumphales, nihil tamen in eorum principatu speciosius reperies. Valerius libro octauo, capite 16.

Censendi sacra.

Q. PETILIO censendorum sacrorum librorum Numę, potestas data fuit. Liuius Dec. 4. lib. 10.

Portandi sacra.

SALVIATI Florentiæ ignem sabbatho sancto, recèns excussum, per urbem olim circumferebant, & uolentibus impertiebantur. Nunc uerò honor iste, ob conspirationem Francisci Saluiati aduersus Mediceos, ad Priores lanificio præfectos translatus est. Fulgos. lib. 6. cap. 3. & Egnat. lib. 6. cap. 5.

FVLGOSÆ familiæ, ob præclaram Petri Fulgosi Genuensis aduersus Cyprios classis Admirati uictoriam, redacta in potestatem urbe Famaugusta, honor deferendi pallij ad Minoritas, concessus. Fulgos. lib. 5. cap. 2.

Custodiendi res carißimas. Depositum honorificum.

AMINADABVS Beniamita tantæ fuit pietatis, ut cùm Cariathiarimenses arcam Domini à Palęstinis captam & remissam Bethsamen, Bethsamensibus per legatos petentibus, sustulissent, Gabaam in domum Aminadabi eam intulerint: eiusque filium Eleazarum ad eam custodiendam cõsecrarint. Eoq; in loco per 20. annos mansit, donec eam Dauid rex in ciuitatem suam intulit. 1. Reg. 7.

OBEDEDOMVS Gethanus Leuita, hospes arcę Domini per tres mẽses eius pſentia mirũ in modũ ditatus est. 2. Reg. 16.

Quæ regna, aut quæ uictoriæ, uel quæ doctrina tantum maiestatis in homine aliquo posuit, quantum integritas bonitasque ZENONI Cittiæo Cyprio philosopho peperit? Apud eum enim, dum Athenis moratus est, ciues, portarum urbis claues posuerunt, tutiore eas esse loco, quàm quouis in templo putantes: certius illi, quamuis peregrino, cõmunem salutem, quàm ulli conciuium suorum credentes. Cuius uirtutem ut populus Atheniensis, quanti à se facta esset, testaretur, aurea statua corona insigni donauit. Fulgosus libro secundo, capite 5.

Hierosolymis in septentrionalis lateris templi angulo arx erat firma & bene munita, opus Asamonæorũ, qui gentis sacerdotium simul & principatũ tenuerunt, & turrim eã uocauerunt, repositorium stolæ pontificiæ, quæ non promebatur, nisi pontifice sacris operaturo. Hanc Herodes in eo loco asseruauit: post cuius obitum in Romanorum potestate fuit, usq; ad Tiberij Cæsaris tempora. Eius principatu Vitellius Syriæ præses à Hierosolymitis honorificentissimo hospitio receptus, quò gratiam eis referret, à Cæsare impetrauit, ut iuxta sua postulata ipsi haberent sacræ stolæ custodiam, fuerunt q; IVDÆI eius custodes, usq; ad Agrippæ regis obitũ: post quem Cassius Longinus præses Syriæ, & Cuspius Fadus Iudeæ procurator, iusserunt eos denuò stolam in Antoniam deponere, dictitantes, debere eam in Romanorum potestate esse, quemadmodum & antea. Missi sunt hac de causa legati ad Claudium Cæsarem, deprecaturi talem necessitatem: ubi inuenerunt iuniorem Agrippam, cui petenti concessa est stolę custodia, scriptis de hac re ad Vitellium literis. Olim autem fuerat sub sigillo pontificis & præfectorũ gazophylacio, qui pridie solennis festiuitatis adibant arcis & præsidij Romani præfectum, & recognito priùs sigillo stolam accipiebant: ac mox peracto festo, reportatam in eundem locum, & in conspectu arcis præfecti obsignatam, deponebant. Iosephus lib. 15. cap. 14. Antiquit.

MAGISTRATVS HONORIS ERGO DATVS.

Ex Tit. Electionis magistratuum, petantur exempla. Illic Imperij habetur ratio: hic Honoris. Præterea ex Tit. Auctoritatis causa Regno præfecti, Duces creati.

REGIBVS Spartiatarum honoris ergô tribuuntur duo sacerdotia, Iouis Lacedæmonij, & Iouis Cœlestis. Herod. lib 6.

TIMOLEON Corinthius, cùm Syracusas à Dionysij tyrannide liberasset, instituit magistratum honoratissimum annuũ, quem Syracusani Iouis Olympij famulatum appellabant. Electusque est primus Callimenes famulus Olympij Iouis: & ita deinceps is honor per manus traditus est: annique à magistratu eiusmodi adnotati fuerunt, usque ad tempora, quæ mutationis Reipub. initiũ fecerunt sub Romanis. Tũc enim magistratus iste, qui annos plures 300 durauerat, abolitus est. Diodorus lib. 16.

P. Corn. SCIPIONEM non à uulgari rudimẽto populus Romanus ædilitium candidatum repentè contra leges consulem creauit, sed miraculo eius ductus: quia adolescẽs in Hispania ex prouocatione dimicans uictoriam obtinuisset, ac breui pòst apud Carthaginem tribunus militum præclara facta edidisset: de quo Cato superior exclamauit Hom. illud:

Huic modo cor soli est, reliqui uolitant sicut umbræ,

Plut. in Præceptis politicis.

DIGNITATES QVAEVIS ALIAE honoris ergô concessæ. PVTA

Iurisdictionis.

Phocas cæso Mauricio Imp. dictus, rogante papa Bonifacio III. statuit urbem ROMAM caput esse omnium ecclesiarum, cum priùs esset Constantinopolitana, propter sedem Principis. Cuspinianus.

An. 451. instante Anatolio episcopo decretũ Constantinopolitani Concilij confirmatũ est, ut sedes CONSTANTINOPOLITANA proximum locum post Romanam teneret. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Carolus Magnus Imp. in urbe Cõpostella ecclesiã IACOBI aliis omnib. superiorẽ fecit, eiq; subiecit totam terrã Hispaniæ & Galliæ, ac iussit ei de singulis domib. quatuor numos annuatim pendi. Vincentius lib. 24. cap. 7. ex Turpino.

Zacharias Pontifex constituit, ut cœnobium CASSINENSE dignitate, uigore & honorificentiã, omnia alia monasteria in toto orbe terrarũ, siue extructa, siue extruenda, præcelleret, & abbati eius in conuentu episcoporum & principũ, superiorẽ omnibus abbatibus sedem, & in cõsiliis & iudiciis priorem sui ordinis omnib. sententiã tribuit, in epistola priuilegiali ad Petronacem, in Chronico Cassinensi.

Patriciatus.

Iustinianus Imp. regem Vandalorum VITIGEM captũ à Belisario, Patricij honore donatum, omni humanitate toto biẽnio, quo superuixit, prosequutus, eius relictam coniugẽ Mathasuentam suo germano Patricio sociauit. Procopius.

ADELGISIVS Desiderij Longobardorum regis F. à Carolo Magno euersi, ad Græcum Imp. confugerat, & classe à Græcis accepta, Patriciusq; (qui apud Augustos erat summorũ Ducum titulus) salutatus, ut Carolo Magno par nominis maiestas obijceretur, Byzantio soluit: & in Italiam sed irrito conatu uenit. Aemilius.

CAROLVS Magnus Romam ueniens, munera Pipini patris non cõfirmauit modò Leoni III. Pp. sed auxit, Exarchia Rauennatium sub ditione Pontificis esse iussa. Ferunt Corsicam insulam, & quicquid Ligurię ab urbis Lunæ multis antè ætatibus euersæ uestigiis ad Alpes pertinet, Pontificatui attributum. Et, ut beneficentię Francorum aliqua referretur gratia, Carolus à Põtifice Hadriano Patricius creatur: quòd ut Magisterium equitum Principatusque uiam Ducibus Austrasianis ad Regnum munierat, ita is tituli honor gradum Carolo ad Imperium daturus erat. Aemilius lib. 2.

CLODOVEVS Francorum rex, ab Anastasio Imp. Græco ob uictos Alemannos idololatras & Visigothos Arianos, Consul & Patritius creatus. Qua tituli maiestate secundùm Cæsarum decus, nullum maius excelsiusue fastigium excogitari poterat. Aemilius lib. 8.

Electuræ.

VENCESLAO IV. Boëmiæ regi, ducta in uxorẽ Iuditha Rodolfi Cæsaris F. is honor habitus, ut regalia certis in locis à Cæsaribus in Reges Boëmiæ proficiscentia, Cæsar solenniter in Venceslaum transferret: iuberetque in acta publicè referri, Regem Boëmiæ Electoribus imperij deinceps adnumerandum, Pocillatoris nomine. Dubrauius lib. 18.

Nobilitatis. Nobilitate donati.

Veneti bello Clodiensi decretum fecere, ut quicunque è POPVLO pecunia, commeatu, militéue Remp. iuuissent, fore, ut ubi cum hoste debellatum esset, ex eorum numero XXX. qui omnium optimè meriti crederentur, ad Patriciũ traducerentur ordinem. Defuncti bello, ad triginta eorum, qui medio ardore belli rempublicam priuato sumtu iuuerant, ad Patriciatum traduxere, reliquis quina millia quotannis diuidenda in perpetuum decreta. Qui inter Patricios relati sunt, antequam curiam ascenderent, diuinæ rei interfuere: inde ad Principis & Patrum conspectum adducti, in aliena uerba iurare coacti, fidem & silentium reipublicæ promisere. IACOBVM Caballũ Veronensem ob strenuam fidamque operam eo bello Veneto nomini nauatam, hac quoque dignitate donatum Chinatius scribit. Sabellicus libro sexto & septimo, Decadis 2.

Equestris. Equites creati.

Hic de Equestri dignitate honoraria agimus. De eadem, ut Fortiũ uirorum societatis mutuæ quoddam ueluti uinculum est, sub loco Amicitiæ egimus.

Equestris ordinis honos communicari solebat antiquitùs iis tantùm, qui strenuè pugnassent in hostem, eratq; præmium fortitudinis: nunc aũt recepta consuetudine, reges, gladio stricto leniter feriunt humeros eorum, qui hunc ordinem affectant. Et hac sola ceremonia promiscuè multi hodie fiunt equites, nõ ex nobilitate tantũ, sed mercatores etiã, & quicunq; præ cæteris in honore esse uolunt. Sleidanus lib. 2.

Carolus IV. Rom. Imper. Mediolani Galeacij II. & Barnabæ Vicecòmitum fratrum filios, quanquam planè pueros, militari baltheo circa annum Christi 1354. cinxit, IOANNEM GALEACIVM, & MARCVM Barnabæ F. Iouius in uita Galeacij.

Imper. Germani Romam coronationis causa profecti, in more habent, ut in ponte Adriani Equites creent: edicto priùs

per præconem edito, An præsentes adsint unus uel plures è familia MONACHORVM Basilienſiũ, BEIERORVM Argentinenſiũ, CAMERARIORVM Vormacienſium, Bauarorũ BOPPARTENSIVM. Nam ante hanc promulgationẽ nullus poterat eques creari. Io. Heroldus in Solone.

Sigiſmundus, dum è Vaticano, ubi coronam ab Eugenio IV. acceperat, ad Lateranum, ubi diuertebat, proficiſcitur, in ponte Hadriani, ut Imperatorum mos eſt, multos tum ITALOS, tum GERMANOS in equeſtrem ordinem adſciuit. Platina.

Carolus VIII. Galliæ rex poſt memorabilem Tarreaſem cum Venetis Sfortianiſq; copiis pugnã, ſignis receptui canentibus, inſignes aliquot ex SVIS ob eximiã ſpectatamq; uirtutẽ equeſtri dignitate donauit. Quod ſtatim fiebat, & maximi honoris loco habebatur, quum rex ipſe gladio diſtricto uiri fortis humerum leuiter percuſſiſſet. Iouius lib. 2. Hiſt.

ALFONSVS Ateſtinus dux Ferrariæ, regnante patre Hercule, poſt adultæ pubertatis annos, quum armis potiùs, quàm literis oblectaretur, ſpectandi ſtudio in ulteriorem Galliam eſt profectus, ueneratuſq; Regem, ab eo torquem aureum honoris cauſa promeruit, cius ſcilicet nobiliſſimi ordinis procerum, qui pro inſigni Michaelis angeli cacodæmonem calcantis aureũ argumentũ collo geſtant. Iou. in Alphonſo.

Galliæ rex Ludouicus XII. anno 1507. contra Genueſſes rebelles exercitum ducens, FRANCISCVM Gonzagam Mantuanum marchionem, D. Michaelis equeſtris ordinis ducem pronunciauit, eique uexillum, quod poſt Ludouici XI. obitum nemini unquam traditum fuerat, dedit. Guicciardinus lib. 7.

An. ſal. 1515. tres SARMATÆ, uiri apprimè nobiles, in Luſitaniam Emmanuelis regis uiſendi gratia uenerunt (illius nãque fama illas regiones cum hominũ admiratione peragrabat) qui pacem cum Chriſtianis principibus unicè coleret, nec ullis præmiis allici poſſet, ut cum ullo principe funeſtiſſimi belli ſocietatem iniret, & tanto ſtudio bellum in Africa, & India, contra Chriſtiani nominis hoſtes compararet, ut eos manibus ſuis, equeſtris dignitatis inſignib. ornare uellet. Sibi nam que omnia in armis feliciter euentura confidebant, ſi à Principe tam diuinis uirtutibus ornato eam dignitatem adipiſcerẽtur. Quod petebant, impetrauerunt, ipſiuſque regis manibus ornati, & inſtructi, multiſq; muneribus affecti in patriam rediere. Oſorius lib. 11. rerum Emman.

GALEACIVS II. Vicecomes balthei militaris dignitatem Hieroſolymis promeruit, quum religionis cauſa Chriſti ſepulcrum intuiſurus in Iudæam nauigaſſet. Belgico item bello, non ſecus atq; Otho familiæ princeps (ſuperiore ſeculo in Syria Viperam, perpetuum gẽtis inſigne) ipſe quoq; proſtrato nobili Belga, nouum geſtamen, inſigni aquæ & ignis argumento, tanquam optimum ſpolium retulit. Ex ipſa enim clypei pictura ardentes bini torres, pendentibus totidem aquariis ſitulis, contrariæ poteſtatis facultatem exprimebant, uſqueadeò ſpecioſo emblemate, ut id ad poſteros ipſoſq; Sforzianos, in Vicecomitum familiam adoptatos, manarit. A Carolo autem IV. Cæſare, qui Mediolanum aduenerat, ſolennibus codicillis ritè confectis, in Ciſalpinæ Galliæ atque Liguriæ imperio, Vicarius eſt appellatus, pari dignitatis beneficio fratri Barnabæ communicato. Iouius in eius uita.

Henricus VII. Anglorum rex anno 1493. ALPHONSVM ducem Calabriæ in collegium equitum Garterij ordinis adſciuit, & per legatum ſuum miſit ei Neapolim religioſum amiculum. Quod ille ſumma cum reuerentia accepit, ac induit, eoque munitus, & per id ab Henrico amicus appellatus, aduerſus omnia inimicorum arma ſe tutum fore ſperabat. Ea enim cauſa fuit, quamobrem per idem maximè tempus in illud collegiũ uenire uoluerit, cùm audiret Carolum VIII. Gallorum regem in ſe bellum comparare. Atqui iampridẽ ea conſuetudo ferẽdi auxilij obſoleuerat. Anno uerò 1508. in collegium equitum cooptauit GVIDONEM Vbaldum Vrbini ducem, uirum in militari arte probatum, ac Latinis Græciſque literis iuxtà doctiſſimè eruditum. Petiuit id decus Guido, ut Federici patris longè poſt hominum memoriam principis clariſſimi, qui per Edouardum IIII. regem in illum ordinem antea uenerat, honorum omnium particeps eſſet. Polyd. lib. 26.

FERDINANDVS Aragoniæ & Siciliæ rex, antequam Cæſarauguſtæ coronaretur, à filio magiſtro equeriorum D. Iacobi, cinctus eſt enſe equeriatus, & in ordinem illum cooptatus. Valla lib. 3. Hiſtoriarum.

FRANCISCVS I. Gallorum rex, uictis ad Mediolanum Heluetiis duplici prælio, quum eximij bellatoris laudem adeptus, conſenſu gratulantium procerum, equeſtri honore digniſſimus cenſeretur, eius dignitatis ornamenta de manu Baiardi uiri fortiſſimi lubens accepit, quanquam adeſſent ſummi duces, qui ex militari ceremonia conceptis uerbis, diſtricto q; gladio, quo leuiter ſiniſteri humerus petebatur, eum ornare percuperent. Baiardum enim ideo cæteris prætulit, quòd acerrimè inter hoſtes pugnantem conſpexerat, nec maiores duces inuidioſo delectu ad id munus; tanquã inter ſe dignitate pares offendere uellet, ſimulq; Baiardum præclaro iudicij ſui teſtimonio celebrem perpetuò ſibi deuinciret. Sabel. ſupplem. lib. 5. ex Iouio.

Facta inter reges noua conſœderatione, FRANCISCVS I. rex cooptatus fuit in collegium equitum Garterij, & HENRICVS VIII. in ordinem diui Michaelis, quod eſt apud Gallos æquè religioſiſſimum atque decus honorificentiſſimum, anno Salutis MDXXVII. Polyd. lib. 27.

FERDINANDVS archidux Auſtriæ, frater Caroli Imperatoris, factus eſt eques Garterii ordinis, anno 1524. Polydorus libro uigeſimoſeptimo.

Literaria. Graduum Academicorum tituli honorifici.

In genere.

Excogitati ſunt in publicis ACADEMIIS quidam uelut honorum gradus, non analo utiq;, ſententia mea, cõſilio. Nam ut Romæ ſub Cæſaribus non licebat cuiuis de iure reſpondere, ſed cui hoc eſſet à principe cõceſſum: ita rectorib. ſcholarum uiſum eſt arcere à profeſſione artium imperitos. Eos uerò, quos ad hoc magno adhibito iudicio & ſeuero examine dignos cenſuiſſent, ut gradu aliquo honoris inſignirent, Bataſarios dixerunt, uocabulo, uetere lingua Gallica uſurpato in tyrocinio militiæ, de iis, qui iam prælio interfuiſſent: hinc Licentiatos, quaſi facta copia quandocunq; uelint Magiſtros fieri: poſtremò Magiſtros & Doctores. Verùm quòd ſcholæ nonnunquã opus eſſet pecunia ad ſumtus ineuitabiles, uelut alendis miniſtris publicis, gymnaſio conſeruando ſarto tecto, impoſita eſt ſumma pecuniæ iis, qui honores inirent: à primo modica, quæq; neceſſarijs impenderetur uſibus. Expetiit eſt dignitatis locũ indignus aliquis, & quod eruditione atq; ingenio præſtare non poterat, tentauit iis, per quos ageretur, corrumpẽdis: alius adorſus eſt illos gratia, alius promiſſis, alius præſenti pecunia. Vbi ſemel ſancti priùs atq; incorrupti homines lucri dulcedinẽ guſtauerunt, is ſenſus reliquos omnes ſemel extinxit: certas ſtatuerunt ſummas, quas illi penderẽt, qui admitterentur ad honores: quarum pars ſcholæ & miniſtris eius cederet, pars magiſtris & rectoribus ſcholarum: nec prouiderunt, quantam literis, artibus, diſciplinis, orbi toti, qui ab iis regitur, ac diſponitur, cladem & ruinã adferrent, promiſcuè quibuſlibet admittendis. Sed potentior fuit reſpectus exigui commodi, quàm damni publici in uniuerſam hominum gentem. Igitur quæſtuoſa res cœpit eſſe ſcholarum regimẽ, & emtũ eſt non ſecus ac mercimonium pro mercede, ut reuenderet, qui erat mercatus: quæſitũ eſt precio, ambitu, & ne quid deeſſet dedecori ac indignitati, armis quoq;. Qui erat adeptꝰ, agebat propter quod quæſierat: nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegata eſt ei, qui numeraret. Sed ut ſciretur quãti ordinariè emeretur dignitas, ſtatuta eſt certa ſumma pecuniæ: qua minorem nefas eſt accipere, de maiore fas eſt liceri: definitum etiam tempus, & aſſignati, qui examinarent. Lud. Viues de Cauſis corrupt. artium lib. 1.

Certos honores philoſophi uetères iuuentuti in ſcholis propoſuerunt, quibus ad bonarum artium ſtudia incitarentur. Nazianzenus in Monodia auctor eſt, Cæſarienſes Baſilio Magno honoris & profeſſionis inſignia ex more conferre uoluiſſe, quanquam ipſe propter ſingularem modeſtiã repudiarit. Sed quando & ubi certus promotionum ordo, & nomina, ſingularumq; facultatum leges, & diuerſi habitus, introducta ſint, non ſatis inter auctores cõuenit. Sunt enim qui Bononiæ aut Pariſiis circa annum Domini 1120. primò cœpiſſe affirmare auſint. Idq; hac demũ ratione. Cùm Gratianus Iuris Canonici, Petrus Lombardus, ſacræ Theologiæ epitomen conſcripſiſſent: qui Gratiani decretum, atq; Lombardi ſententias aut didiciſſent, aut prælegiſſent, Doctores appellari cœperunt. Sed ubi eorum numerus in immenſum excreſceret, de certa quadam profitẽdi ratione cogitatum, & ſingularũ facultatum leges introductæ ſunt: ut auctoritate publica à ſcholaſticis cõuentibus, ſolenni & accurata diſquiſitione priùs facta (nam Codicillares doctores, qui pontificum aut principis diplomate honorarios titulos conſequuntur, poſt acceſſerunt) certum eruditionis & uirtutis teſtimonium habituri crearentur. Conſtitutum quoque tempus eſt, quod in ſtudiis antè ſolennem illam gradationem cõſumere oporteret. Gradus autem præcipui tres ſunt. Primus eorum qui tyrocinii depoſiti inſignia accipiunt, Baccalaurei appellãtur: eſt ex hoc Theologi duos facere uidẽtur. Alter corũ, qui Mellodidaſcali & prodoctores ſiue Licẽtiati dicuntur. Tertius Doctorũ & Magiſtrorum eſt, apex omnium ſupremus. Quidam tamẽ multò altius publicarũ promotionũ originẽ repetentes, ab Auguſto Cæſare profluxiſſe affirmãt. Cùm enim hactenus promiſcuè de iure reſponderent, & lucri cauſa aliquando parùm conſideratè, Auguſtus Cæſar decreuit, ne quis poſthac eam ſibi facultatem uſurparet, niſi Principis auctoritas accederet, interueniente publicorũ gymnaſiorũ examine. Et Adrianus Imp. uiris quibuſdam Prætoriis hanc iuriſdictionem citra examẽ (ut nũc Codicillares doctores faciunt) petentibus, reſpondit, eam rem non peti, ſed præſtari ſolere: Principes non conferre, niſi priùs ſe idoneos eſſe demonſtrarent, & publica auctoritate optimorum Curialium conſenſu promouerentur. Sicut Iuſtinianus etiam in l. magiſt. Cod. de profeſſoribus, lib. 10. reſcripſit. Vide Zaſium l. 2. ff. de Orig. iuris. Sunt autem hi Promotionum gradus, grauiſſimis de cauſis in Viennenſi concilio approbati, ſub Clemente Papa quinto, & ſumtuariæ leges præſcriptæ, ne qui propter inopiam rei familiaris, & ſumtuũ magnitudinem à re tam utili abſtinerent, ut Clementina 2. de magiſt. uidere eſt. Multa etiam eccleſiaſtica beneficia & dignitates inſtitutæ, ad quæ non niſi ſolenniter in ſchola promoti admitterentur. Hæc Iacobus Middendorpius in libello de Academiis.

Poetæ laureati titulus.

Ex XI. Martialis colligi poteſt, Heroicos POETAS Romæ querna corona donari ſoliros. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 41.

FRANCISCI Petrarchę ea fuit ſua ætate in poëſi auctoritas, ut uno eodemq; die literas Pariſiis & Roma ad accipiendam lauream euocatus fuerit, honorem multis iam ſeculis deſuetum. Columnenſium conſilio Romam prætulit, & Roberti Neapolitani regis eruditiſſimi conuerſatione ſuæ eruditionis teſtimonio percepto, in Capitolio, incredibili totius ciuitatis cum lætitia, hiſtoriæ & poëſeos laureã cum iure ciuitatis accepit, eamque ad D. Petri tholum ſuſpendit, anno ætatis 37. die ſacro Paſchatis, Chriſti 1341. Hier. Squarzaficus in eius uita.

AENEAS Syluius Felicem V. Antipapam aliquandiu ſecutus eſt: à quo legatus miſſus ad Federicum III. Cæſarem, Alberto ſuffecturn, laurea donatus fuit ab eo Francofordiæ, quod poëtarum inſigne præcipuum Germani habent. Ioan. Ant. Campanus in eius uita. Cùm ueniſſet in Auſtriam, in ſecretarium Cæſaris aſſumtus, deprehendit doctos omnes Viennenſes, poëticam, uelut rem abominabilem deteſtari. Cepit ergo eos arguere, diſputare cum eis, & oſtendere, Poëticam frugiferam eſſe, nomenq; talis doctrinæ habendum & honorabile, & ſanctum: & ne quis illum nomen horrere crederet, quod laudarer, Poëtam ſe ſcribere cœpit. Neq; dimiſit titulum illum, donec ad eccleſiam ueniens, ſacros ordines ſubiuit, & eccleſiaſticos aſſumſit titulos. Teſtis ipſemet epiſtola 402. ad Shigneum Cardinalem.

Leo X. Pp. BARABALLVM Caietanũ, qui inſulſiſſimos uerſus ab omni uocum & numerorũ enormitate ridendos facere, & palàm recitare ſolebat, ſeq; alterũ Petrarchã in Hetruſcis rhythmis eſſe prædicabat, cò perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, & meritum geſtandæ laureæ honorem poſtularit: ac ſubinde, ut inſigni pompa in Capitolium duceretur, quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuiſſe audiuiſſet. Ergo ſexagenarius ſenex, honeſta ortus familia, procericate, uultu & canicie uenerabilis, toga palmata, & lato clauo, auro purpuraque nitenti, cæteriſque triumphi ſumtuoſis inſignibus exornatus, in conuiuium præcinentibus tibiis deducitur, quumq; de more Pontifex diem feſtum Coſmæ & Damiano Mediceæ familiæ diuis tutelaribus dedicarum, hilariùs celebraret. Ibi quum diu ad oſtentationem abſolutæ artis ineptiſſimè multa carmina decantaſſet, omnibus iam in ipſa uiſus compreſſione deſatigatis, ad extremum in area Vaticana deſpectante Pontifice elephantem aſcendit, auratoq; ephippio ſuperſtante, triumphali ſella inſtratum. Cæterũm inter tympana & tubas, & uoces acclamantis populi, conſternata belluta, ultra pontem Hadriani deduci non potuit. Iouius in Leone X. lib. 4.

De TRIVMPHVS.

Triumphi conſideratio ad Tomum Politicum pertinet. Hic nos exemplis aliquot eorum, qui triumpharunt, contenti erimus.

Triumphi ſpecies fuit illa, etſi magnificentia & apparatu minimè, pietate tamen & auctoritate omnibus omnium triũphis longè præſerendi, quando poſt ſubmerſum in mari rubro Pharaonem Aegyptium, ISRAELITÆ, præeunte Moſe & Maria eius ſorore, hymnum Deo opt. max. cum nablis & organis cecinerunt.

ISRAELITARVM triumphum, cæſo Oloferne, & proſligatis Aſſyriis, Iuditha cum mulierum choro præcedente, armatis ſequentibus & omni muſicorum genere Dominum laudantibus, atque ſaltantibus, pete ex Iudithæ capite decimoquinto & decimoſexto.

LIBER pater primus uicto orbe triumphauit. Diod. lib. 5. & 6. Plinius lib. 7. Solinus.

Apud Rom. ROMVLVS rex primus omnium, uicto Acrone Ceninenſiũ rege, lauro coronatus, & quatuor equis uectus, ſpolia Ioui Feretrio cõſecrauit. Dionyſius. Eutropius uerò primũ triumphum Tarquinio Priſco tribuit, uictis Sabinis. Hoc maximè cognitum eſt, à cõdita Vrbe ad Veſpaſianum & Titum, debellatis deuictiſq; nationibus, ROMANOS, uiginti ſupra trecentos triumphos egiſſe, ex Samnitibus quatuor ſupra triginta triumphos: plures de Gallis, quàm de reliquo orbe terrarum. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

Victis ad ſyluã Arſiam Tarquiniis, P. VALERIVS triumphãs Romam rediit, primuſque quadriugo curru eſt urbem, ut Plutarchus prodidit, inuectus. L. Iunij Bruti collegæ ſunus, quanto maximo potuit apparatu extulit, laudatúrque pro concione. Sabell. lib. 7. Ennead. 2.

L. LVCRETIVS Tricipitinus cum T. Veturio Gemino conſul, contra Volſcos profectus, nobilem retulit triumphum: eorum nomine propè deleto, X millibus & CCCCLXX cæſis: expoſitaq; deinde omni præda in campo Martio, ut ſuum quiſq; per triduum cognitum abduceret: reliqua uendita, cui domini non fuére. Liuius lib. 3.

L. ATTILIVS Collatinus ante clauſum Ianum, Sardos tumultuantes uicit, ac de his triumphauit. Liuius lib. 19.

FVRIVS Camillus, poſtquam Veios decennali obſidione domuiſſet, de iis triumphauit. Accuſatus, quòd quatuor albis equis triumphaſſet, ab Apuleio tribuno plebis damnatus eſt. Plinius cap. 23. de Viris illuſt. & Plut.

L. PAPYRIVS Curſor, uictis Samnitibus & dedecore ad furcas Caudinas accepto abolito, ubi Romam uenit, triumphum egit inſignem, ac ſecũdùm eam, qui ob urbem à Gallis receptam Camillo decretus eſt, omnium, quos Roma ad id tempus uiderat, clariſſimum. Sabell. lib. 5. En. 4.

A. POSTHVMIVS Tubero magiſter equitum in bello contra Volſcos à Q. Cincinnato cõſule eius genero dictator dictus, de eiſdem triumphauit. Quam uictoriam funeſtauit mors filij, uiri magna uirtute: quem, quòd iniuſſu eius occaſione rei bene gerendæ pugnam iniiſſet, ſecuri percuſſit. Liuius libro quarto.

CL. PETILIVS conſul, dictatore Q. Seruilio Hala, de Tiburtibus & Gallis triumphauit. Alex. lib. 1. cap. 22.

C N. Duillius conſul primo Punico bello primus Quiritium naualem triumphum egit. Additus illi inſuper honos, ut tãcœna reuertendi tubicines præcinerent, & incenſum ſunale præferretur. Sabell lib. 9. Enn. 4.

M. LIVIVS & CL. Nero Coſs. uicto Haſdrubale ad Metaurũ, Romam rediere anno 12. ſecundi belli Punici. Permiſſumq;, ut uterq; triumphans in urbem ingrederetur. Liuius, in cuius prouincia res geſta eſt, eiuſq; auſpiciis pugnatum, curru eſt inuectus. Nero equo ſedens, multo maiore celebritate & fama, quàm collega, eſt ante cõſpectum ciuitatis præter uectus. Eum prædicabant ſex dierum ſpacio Italicæ longitudinem emenſum, atque eodem die cum Haſdrubale illum in Gallia dimicaſſe, quo ab Hannibale in Apulia, uelut in proximo federet, timebatur. Itaque unum conſulem, pro utraque parte Italiæ aduerſus duos duces, duos potentiſſimos exercitus ſatis fuiſſe, hic præſentia, ibi fama rem Romanam ſuſtinuiſſe. Iret itaq; Liuius, curruque ſublimis, multitiugis, ſi uellet, equis præter ora ciuium ueheretur: uninus equo uerum per urbem triumphum uehi. Sabellicus libro quinto, Enneadis quintæ.

M. ATTILIVS Regulus conſul, fuſis Salentinis triumphauit, primuſque Romanorum ducum in Aphricam claſſe traiecit. Cæcilius.

Cæſis ad Claſtidium Gallis, M. MARCELLVS coſs. ex ſenatuſconſulto ſolus triumphauit. Triumphus fuit reliqua magnificentia, opulentia, ſpoliis, immanibus corporibus captiuorum, cùm primis memorabilis. Verùm omnium gratiſſimum ſpectaculum & rariſſimum ipſe fuit dux, qui arma barbari deo tulit. Ex quercus eximiæ excelſo & recto ſtipite detruncato parauit in modum trophæi ferculum, Deligauit ex eo & ſuſpendit in orbem ſpolia, ſingula aptè & decorè annectens. Prægreſſa pompa portans ferculum, conſcendit currum, ac triumphalis imago ipſe illius memoriæ pulcerrima ſpecioſiſſimaq; inuectus urbem eſt. Exercitus ſecutus eſt fulgentibus armis ornatus, Iouemq; & imperatorem carminibus compoſitis, atq; cantilenis uictorialibus concelebrauit. Templum inde ingreſſus Iouis Feretrij donum dedicauit tertius & ultimus. Primus opima ſpolia occiſo Ceninenſium rege Acrone retulit Romulus, de Volumnio Hetruſco ſecundus Cornelius Coſſus, ab his Marcellus de Galiorum rege Viridomaro, poſt Marcellum nemo. Plutarchus in Marcello.

P. PHILO proconſul, cui propagatum imperium ſæpe fuit, Græcis in Campania debellatis, qui deſciuerant, de Palæopolitanis ſimul & de Græcis triumphum egit. Ei duo noui honores contigerunt, & quòd ei conſulatu defuncto imperiũ eſt prorogatum, & quòd iam acto honore triumpharit, quòd

quod Romanorum nulli fuerat ad id tempus datum. Sabellicus lib.4.Enneadis 4.

Q.MARTIVS Tremulus cum P. Cornelio Aruina consul, de Hernicis triumphauit:statuaq; ei propterea equestris decreta, quæ ante templum Castoris in foro posita est. Liu. lib. 9.

Q.FABIVS Gurges,cùm malè aduersus Samnites pugnasset, senatusq; de eo remouendo ab exercitu ageret: parentis tamen suiq;,Fabij uidelicet Maximi cõsiliis & opera aditus,eg sis Samnitibus triumphauit,C.Pontium Herennium ducem Samnitum in triumphum ductum securi percussit.Liuius.

CN.MANLIVS contradicentibus decem legatis, in crimen adductus,acta per se causa in senatu, crimine absolutus, de Gallogræcis magnificè triumphauit. Alexander libro sexto,capite tertio.

C.SVLPITIVS Potitus, dictator creatus, reliquias Brenni apud Præneste stratagemate uicit, multis cum agasonibus in insidiis collocatis, undetriumphum egit. Frontinus libro 2.& Liuius libro 7.

CN.FVL.Flaccus,Q.Fuluij frater,cum L.Corn. Scipione consul factus, de Samnitibus triumphauit. Volaterranus libro decimosexto Anthrop.

L.SCIPIO,victo Antiocho ex Asia Romam reuersus, triumphans urbem ingressus est.Prælata currui signa militaria ex hoste capta CCXXIIII. Oppidorum simulacra centum XXXIIII. Eburnei dentes mille CCXXXI. Aureæ coronæ CCXXXIIII. argenti pondo CXXXVII millia & CCCCXX.Tetradrachmũm & Cistophorum multa millia: numi aurei Philippei CXL millia. Argenti facti mille pondo & CCCCXXIII. Auri mille pondo & amplius Regij præfecti & purpurati duo & XXX ante currum ducti. Ipse Scipio,ne fratris cognomini cederet,Asiaticus appellari uoluit.Sabellicus lib.7.Ennead.5.

T.QVINCTIVS Flaminius Romæ clarum de Macedonia egit triumphum,cui præcipuo officio fuit ornamento,quòd mille fermè & ducenti Romani ciues, qui secundo bello Punico capti,diuersaq; sorte in eam terram deportati ad id tẽpus in prouincia seruitutem seruierant,in Flaminij gratiam ab Achæis sunt redemti. Hi triumphali pompæ haud uulgarem præbuere speciem, rasis capitibus,Quinctij currum secuti.Prælatæ adhæc cassides,Macedonicæ peltæ,fariſſæ,auri infecti pondo tria millia septingenta tredecim, argenti quadraginta tria millia, ducenta septuaginta. Aureos Philippeos XIIII millia, DXIIII. Hæc Plutarchus. Liuius ait triduo triumphatum, ac multo plura in triumpho lata, & in his X argenteos clypeos,& unum in solido auro. Mille talenta,quæ Philippus debebat,Quinctij auctoritate populus Romanus remisit,societatemque cum ipso rege iunxit.Sabellicus libro 6.Ennead.5.

L.PAVLI Aemilij de Macedonibus superbus fuit triumphus. Populus in circis & foro tabulata fixerat,aliisq; urbis partibus ubi conspici poterat pompa. Spectauerunt candidis amicti lacernis.Omnes ædes sacræ apertæ erãt,coronarumq; & suffitruum plenæ. Multi apparitores & uiatores incompositè confluentes & discurrentes summouebant de medio, uias patentes & uacuas præstabant.Triduum triumphauit. Primo die signa capta,tabulæ pictæ, & colossi ducẽtis quinquaginta uehiculis translata, uixq; hic dies ei spectaculo satis fuit. Secundo die fabrefacta & pulcerrima spolia Macedonica multis plaustris transuecta, ære ferroque nõdũ extersa fulgentia. Quæ cùm per quàm artificioso concinnatu essent ordine constructa, temerè & fortuitò uidebantur cõgesta,galeq; impositæ clypeis,loricæ orceis,parmæ Creticæ, Thracæ tragulæ, & pharetræ equestribus confusæ frenis, strictiq; gladij ex medio horum eminentes,atque interiectæ fariſſæ. Habebant hæc arma conueniens laxamentum, ut mutuo crepitu in transferendo stridorem ederent asperum & terribilem, ac ne spolia deuictorum quidem aspici citra horrorẽ uallerent. Plaustra, quibus arma portabãtur,uiri ter mille secuti. Hi numos argẽteos septingẽtis quinquaginta uasis pondo centenũm octogenũ tulerũt, singula quaterni portarũt. Alij crateras argẽteos, cornua,phialas, poculaq;, unumquodque eleganter ad spectaculum compositum,rara magnitudine & crassitudine cælaturę. Tertio die summo mane præcesserunt tubicines.Modos canebant,non quales solent in supplicationibus & pompis, sed quibus classicum canunt, cùm militem acuunt ad prælium Romani. Secundùm hæc uictimas,boues domesticos auratis cornibus centum uiginti uittis sertisque redimitos, adolescentes duxerunt splendidis cinctis comti : quos pueri comitabantur aureas & argenteas pateras ferentes.Post eos aurum signatum portauerunt in uasa centenũm octogenũm pondo distributum similiter ut argentum. Vasa fuerũt LXXX tribus minus. Hos secuti qui sacram phialam gestabant, quam Paulus sexcentorum pondo auri distinxerat gemmis. Hinc, qui Antigonidas,Seleucidas,Thericleos,uasaq; aurea,quibus uti in conuiuiis Perseus solebat, ostentauerunt: quibus currus Persei successit, cui imposita erant arma eius, & armis diadema. Mox paruo interuallo ducti liberi regis captiui : quos nutritiorum, præceptorum & pædagogorum grex lacrymabundorũ comitabãtur.Hi manus ad spectatores tendebant,pueriq; suggerebant,ut orarent & supplicarent populo. Duo filij erant,filia una, magnitudinem calamitatis suæ per ætatem non capientes: quò miserabilior ex uicissitudine fortunæ simplicitas eorum erat, ut penè Perseus spectantium oculos præterierit. Ita miseratio in infantes Romanorum defixerat aciem, ac multæ effusæ lacrymæ sunt : omnibusq; mixtum acerbitate & oblectamento fuit spectaculum,quousq; prætergressi sunt pueri.Eos eorumq; famulitium proximè excepit Perseus pullatus, patriis indutus crepidis,præ miseriarum mole ad omnia stupentis & attonitimente similis. Ponè hos amicorum & necessariorum regis caterua,quorum erat luctu oppressus uultus.Quia uerò perpetuò defixam in Persea aciem habebãt, lacrymabantq;, opinionem imprimebãt spectantibusi,illus se lamentari fortunam,de sua sorte minimè laborare. Et quidem misserat ad Paulum deprecatum, ne in triũpho duceretur. Qui mollitiem hominis & ignauiam haud dubiè irridẽs, In tua id quidem,inquit,& pridem fuit,& nunc manu atq; uoluntate est positum: significans, præueniendum illud dedecus fuisse morte,quam declinans miser,& spe nescio qua emollitus,suorum pars manubiorum est factus. Sub his coronæ aureæ quadringentæ numero translatæ,dona ciuitatũ,Paulo cum legationibus uictoriæ causa missæ. Inde ipse curru magnificè exornato urbem inuectus est, uir uel sine tanta imperij pompa spectatu dignus,toga picta amictus, & lauri ramum dextro protendens. Laureatus etiam uniuersus exercitus centuriatim & manipulatim ducis currum prosecutus est:partim carmina,ut in triumphis solet,iocis mixta, partim cantilenas uictoriales rerumq; gestarum laudes canebant in Paulum : quem suspiciebant omnes, & beatum ducebant,nulli inuisum bono.Plut.in Aemilio.

A.POSTHVMIVS Albinus missus ad Iugurtham,posteaquã auro corruptus patriam magno damno affecisset, de Vaccæis & Lusitanis triumphauit.Liuius lib.64.

M.AEMILIVS Scaurus consul, Ligures domuit, & de his triumphauit.Cæcilius.

Q.CÆCILIVS Metellus Numidicus, de Numidiæ rege Iugurtha triumphauit.Volat.lib.17.Anthrop.

METELLVS, cum exercitu in Cretam missus, totam eam insulam Pompeio Magno (qui eo tẽpore maris imperiũ obtinebat,& contiñentis) repugnãte subegit, ac de Cretensib, non tantùm triumphauit, sed à rerum in hoc bello gestarũ gloria Creticus etiam cognominatus est.Dion Nicæus.

SERVILIVS proconsul de Cilicibus & Isauris,quòd indomita ingenia debellasset, triumphasse fertur. Alexander libro secundo, capite 27.

ASINIVS Pollio,orator celeberrimus, de Dalmatis triũphauit,Salona expugnata,ex qua uictoria Saloninum tunc fortè natum uocauit.In cuius honorem Seruius dicit eclogam sextam edidisse Virgilium,detortis eò Sibyllini oraculi uersibus de Christi opt.max.ortu.Eusebius.

C.MARIVS ipsis Calendis Ianuariis consulatum iniit.& triũphauit, atq; incredibile populo Romano spectaculum exhibuit uinctum Iugurtham,quo uiuo nemo sperauerat se pro uinciam illam confecturum: adeò erat uersurus ad se omni fortunæ accommodandum, magnoq; animo misto cũ uafricie præditus. Translata in triumpho memorant tria millia & septem pondo auri, argenti non signati quinque millia septingenta LXXV.argenti signati septemdecim millia octo & uiginti denarios.Plutarchus in Mario.

Regressus ad urbem L.LVCVLLVS ex bello Mithridatico, offendit primùm Marcum fratrem ob ea,quæ in quæstura iussu Syllæ gesserat, accusatum. Quo absoluto,in hunc ipsum conuertens se Memmius,inflammauit populum : ac, quasi multa interuertisset de prædã,traxisseteq; bellum, suasit ut ei triumphum denegaret. Cùm uocaretur hîc in magnum periculum Lucullus, principes & potentissimi inseruerunt se tribubus,multisq; precibus & contentione ægrè induxerũt populum, ut triumphum ei concederet. Triumphum non, ut aliqui, pompæ prolixitate & rerum traductarum copia portẽtosum & fastidiosum duxit,sed armis hostilibus,quorum erat uis ingens, & machinis regiis circum Flaminium exornauit: quod erat per se haud contemnendum spectacu lum.Ipso in triumpho equites cataphracti pauci, currus falcati decem traducti, amici & duces regij sexaginta. Naues longæ rostratæ decem supra centum translatę.Ipsius Mithridatis aurea senũm pedum statua, & gemmis distinctum scutum. Fercula uiginti uasorum argenteorum,aureorũ poculorũ,armorũ & numorũ triginta duo. Hæc per uiros traducta.Octo muli lectos aureos portauerũt:sex & quinquagin ta argentum infectum, alij centum & septem argenti signati paulo minus uicies septies centena millia drachmarum.

In

In tabulis breuiaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum & quæstoribus dederat. Præterea, quòd militibus in singulos, nongenos quinquagenos denarios diuiserat. Sub his splendidum epulum populo & circumiectis uicis dedit.Plutarchus in Lucullo.

POMPEIVS Strabo, Magni Pompeij pater, qui Nouocomum coloniã deduxit, in bello sociali Imperator delectus, de Picentibus triumphauit.Volat.lib.18.Anthrop.

CN. Pompeius, Strabonis filius, Syllæ partibus adhærens, in Africa Domitium expugnauit, Iarbam regem cepit, de eoque triumphauit, nondum patientibus annis. Quamobrem ab exercitu Syllæ,Magnus consalutatus est. Idem de Mithridate biduo integro triumphans urbem ingressus est. Prælata sunt curru aurea & argentea uasa, aliaq; non pauca preciosiore materia, & in his duo millia ex onyche lapide mirificè fabrefacta, in Mithridatis supellectile reperta. Sunt & argenti auriq; signati uiginti talentorum millia.Duxit ante currum Tigranes, senioris Tigranis filius, & uxor Zosime, septem ex Mithridate geniti, quinq; uirilis stirpis, duæ uirgines, Otsibaris & Eupatora, Mithridatis soror, Atales Colchorum sceptiger,Iudæorum rex Aristobulus,Cilicum tyranni.tres Iberum duces,Albanorum duo, Menander Laodiceus Mithridatis præfectus.Qui omnes à Pompeio,pro cuiusq; dignitate donati, domum dimissi sunt,præter Tigranem & Aristobulum : quorum unus post alterum, ut quidam scribunt,sunt Romæ interfecti.Titulis præcedentibus gẽtes,de quibus triumphabat,significatæ. Hæ fuerũt, Pontus, Armenia, Cappadocia,Paphlagonia,Media, Colchis,Iberia,Albania, Syria, Cilicia,Mesopotamia, præterea quæ citra Phœniciam & Palæstinam incolunt gẽtes,Iudæa, Arabia:Piratæ terra mariq; debellati. In his captæ arces nõ minus mille, urbes non intra nongentas, naues octingentæ piraticæ,frequentatæ cultoribus urbes, quæ fuerant desolatæ,undequadraginta.Adhæc tabulis ostensum,uniuersa populi Romani uectigalia ante id bellum bis millies fuisse : ex iis uerò, quæ populo Romano ipse quæsitis addidisset,redire ter millies quadringenties. In ærarium retulit uasa,aurum argẽtumq; signatum ad uiginti millia talentũm, præter ea quæ diuisa sunt militibus:quorum qui minimùm accepit, pro rata mille & quingentos denarios tulit. Trophæa permulta numero omnib.paria pugnis: quib.aut ipse aut per legatos palmam tulerat. Quod autem excellentissimum ad gloriam eius erat, & quod nemo unquã obtinuerat Romanorum, tertium triumphum ex tertia parte orbis duxit.Nam tres etiam antè alij egerant. Ille primo ex Africa de Domitio, altero ex Europa de Sertorio, tertio hoc ex Asia de Rege, quasi de orbe terræ tribus triumphis inuectus est uisus. Aetate tunc erat, ut illi uolunt, qui in omnibus cum Alexandro illum conrendunt & conferunt, quatuor & triginta annis minor,reuerà attingebat quadragesimum : qui utinam tum uitam deposuisset, quoad fortunã habuit Alexandri. Vtcrius tempus plenas inuidiæ attulit ei prosperitates & acerbissima infortunia. Plutarchus in Pompeio, & Sabell. lib. 4. Enneadis 6. Pompeio hoc ferunt præcipuum contigisse, quod è tribus orbis partibus speciosos egerit triumphos:sicut Camillo,qui trels triumphos unà egit, triplici uictoria ouans.

VENTIDIVS M.Antonij legatus cõtra Parthos, cæso Phraate & Labieno,feliciter pugnauit. Atque ita contigit, ut qui puer eo triũpho, quem Pompeius Strabo, Magni Pompeij pater, de Asculanis sociali bello uictis egit,ante currum fuerat ductus, primus Romanorum de Parthis triũpharit. Huius uictoriæ gratia apud Antonium in inuidiam incidit. Post mortem tamen illius,triumphus ei decretus à senatu fuit:& eò libentius, quòd eodem die eandem cladem Parthis intulit, quam ab iis populus Romanus Crassi temporibus acceperat.Dion & Sabell.lib.9 Enn.6.

C.IVLIVS Cæsar cõfectis bellis, quinquies triumphauit, post deuictum Scipionem, quater eodem mense, sed interiectis diebus: & rursus semel post superatos Pompeij liberos.Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicũ,sequentem Alexandrinum de Aegypto, deinde Ponticum de Pharnace, huic proximum Africanum, non de Scipione, sed de Iuba, nouissimum Hispaniensem: diuerso quemque apparatu & instrumento.Gallici triumphi die Velabrum præteruehens, penè curru excussus est,axe defracto. Ascenditque Capitolium ad lumina,quadraginta elephantis dextra atq; sinistra(qui lucernas portant) lychnuchos gestantib. Pontico triumpho inter pompæ fercula,tium uerborum prætulit titulum, Veni,Vidi,Vici:non acta belli significantem, sicut cæteris,sed celeriter confecti notam.Suetonius. Scipione uicto, ut ad urbem est ex Africa regressus, primùm hanc uictoriã in concione uenditauit, commemorans se tam latum subegisse tractum: qui uectigal quotannis penderet frumenti ducentena millia medimnum Atticorum, olei tricies centena millia librarum. Plutarchus in Cæsare. In Libyco ductus est Iubæ regis Numidiæ filius, qui ex Barbaro & Numida adeò literarum studiis profecit,ut inter clarissimos sit postea scriptores numeratus. Populo Romano epulum dedit,in quo duobus & uiginti millibus tricliniorum est accubitum, ciuibus uiritim denos frumenti modios, totidemq; olei libras,trecentosq; numos diuisit.Ludos regionatim in urbe dedit per omnium linguarum histriones. Munus gladiatorium,Circenses ludos,Naumachiam,in qua Tyrię Aegyptięq; classes conflixerunt. Quatuor millia remigum egerunt naues. Mille utrinq; pugnatores manum conseruere. Desultorij equi in circo agitati, bigæ quadrigæq;. Troia ludus à duabus nobilium puerorum turmis decursus. Athletæ triduo decertarunt. His ille spectaculis ciuitatem, ciuilibus bellis afflictam,haud mediocriter recreauit,uelut fomẽtis quibusdam præsenti tristitiæ & mœrori adhibitis.Sabellicus libro 7.Enneadis 6.

AVGVSTVS tres egit triumphos curules continuo triduo, Dalmaticum,Actiacum,Alexandrinum. Alexander lib.1. capite 22.Genial.dierum.

Sub id ferè tempus quo Illyricum domuisset TIBERIVS Cęsar, Quintilius Varus cum tribus legionibus in Germania periit,nemine dubitante, quin uictores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint,nisi debellatum priùs Illyricũ esset. Quas ob res triumphus ei decretus est,multiq; & magni honores. Censuerunt etiam quidam,ut Pannonicus, alii,ut Inuictus, nonnulli, ut Pius cognominaretur. Sed de cognomine interceſſit Augustus, eo contentus reprimittens, quod se defuncto susceppturus esset. Triumphum ipse distulit mœsta ciuitate,clade Variana. Nihilominus urbem prætextatus,& laurea coronatus intrauit: positumq; in septis triubnal, Senatu astante, confecndit, ac medius inter duos Cos. cum Augusto simul sedit: inde populo consalutato, circum templa dedictus est.Suetonius & Dion.

CLAVDIVS Cæsar expeditionem unam omnino suscepit, eamq; modicã, cùm decretis sibi à Senatu ornamentis triũphalibus leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur,uelletque iusti triumphi decus,unde acquireret, Britanniam potissimùm elegit, neq; tentatam ulli post D.Iulium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cùm ab Hostia nauigaret, uehementi Circio bis penè demersus est ppe Liguriã, iuxtaq; Stœchadas insulas. Quare à Massilia Gesloriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine ullo prælio aut sanguine inter pauciſsimos dies parte insulæ in deditionem recepta,sexto,quàm profectus erat,mense, Romam rediit, triumphauitque maximo apparatu.Ad cuius spectaculum commeare in urbem non solùm præsidibus prouinciarũ permisit, uerùm etiam exulibus quibusdam : atque inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Currum eius Messalina uxor carpento secuta est. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed cæteri pedibus & in prætexta, Crassus Frugi equo phalerato, & in ueste palmata, quòd eum honorem iterauerat.Suetonius.

NERO reuersus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artem musicen protulerat, albis equis introiit, dissecta parte muri,ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum,inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Augustus olim triumphauerat, & in ueste purpurea, distinctaq; stellis aureis chlamyde, coronamq; capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum: cum titulis, ubi, & quos, quo cantionum, quoue fabularum argumento uicisset : sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, Augustianos, militesque se triumphi eius, clamitantibus. Dehinc diruto circi maximi arcu, per uelabrum forumq; palatium, & Apollinem petiit. Incedenti passim uictimæ cæsæ,sparso per uias identidem croco,ingesteque aues, ac lemnisci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit.Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam numum percussit.Suetonius.

SEVERVS Imp.compositis rebus urbanis,repetiit Orientem: ubi feliciter pugnans,Parthos,Arabas, Adiabenos sub egit, deq; his reuertens triumphauit, titulis illorum sumtis : cuius rei memoriam testantem, arcum nobilem uidemus hodie sub radicibus Capitolij.Alex.lib.1.cap.22.

ALEXANDER Mammææ F. Imp.opt.Artaxerxem Persarum regem uicit, ac de præda suos ditauit. Post hoc speciosissimum triumphum in urbe egit, ut Lampridius, Eutropius, Orosius, Ruffus Sextus attestantur. Sequenti post triumphum die,Circẽses ludos & congiarium pop. Romano dedit. Actæ etiam sunt res feliciter per legatos & proconsules suos in Mauritania,Illyrico Armeniaq;. Cuspinianus.

PROBVS Imper. à militibus consentiente Senatu declaratus, initio principatus in Gallias mouens, Germanorum maximã edidit stragem:ciuitatibus LX.in potestatem receptis,Francis & Boemis superatis,Romæ triumphũ egit. Volaterra-

laterranus libro uigesimotertio Anthropologiæ. Hic ultimus Romanorum Cæsarum triumphasse dicitur: quamuis alij Belisarium, qui sub Iustiniano meruit coronam, postremum omnium triumphasse contendant. Alexander lib. 6. cap. 6. ex Lampridio.

AVRELIANVS, cùm sub Claudio omnibus ferè equitibus præesset, conuersus post alia egregia facta in Orientem, Zenobiam Palmyrenorum reginam captam in triumphum duxit. In Galliam profectus cum exercitu, Tetricum in potestatem redegit. Mox in Aegyptum properans, sublato Firmo tumultuante, regionem eam pacauit. Postremò Romam reuersus, de his omnibus nobilem triumphum egit, sequentibus ducibus. Fuit triumphus illius uario apparatu insignis. Tres regij currus prælati sunt, argento, auro & gemmis insignes. Odenati unus, cuius Zenobia fuit uxor. Persicus alter ab eius gentis rege dono missus. Tertius Zenobiæ, quo infelix regina se Romam uictrix inituram dixerat. Sed id omen in malum uertit. Vincta enim eodem curru inuecta est, priusquam de ea sit triumphatum. Cerui quadriiuges quartum currum traxere. Fuerunt qui traderent, eum Getarum regis fuisse, hisque Aurelianum triumphantem, Capitolium ascendisse, ceruosq; ab eo Ioui ex uoto immolatos. Præcesserunt elephanti uiginti, feræ Libycæ Palæstinæq; cicuratæ ducentæ, tigres quatuor, camelopardales, alces. Gladiatorum paria octingenta. Ex Barbaris gentibus captiui, Blemyæ, Arabes, Indi, Bactriani, Hiberes, Persæ, Saraceni. Hi enim & Blemyæ pro Firmo in Aegypto, ut socij, bellarunt. Sunt & alia gentium nomina minus nota triũpho adhibita, ex alia mũdi plaga, Getæ, Halani, Roxolani, Sarmatę, Galli, Sueui, Vandali & Germani. Fuerũt & Palmyrenorum principes & Aegyptiorum, qui ex rebellione ut hostes triumphati sunt, & quod omnium maximè conspicuum fuit, mulieres quædã uirili habitu dimicantes, quæ cum Getis captæ fuerant, quũ pleræq; aliæ in pugna periissent. Eas Amazonum progeniẽ esse, titulus indicabat. Ductus est & Tetricus, qui aliquandiu in Gallia tyrannum egerat, tunica galbina & Gallicis brachis ornatus. Prælatæ aureæ coronæ cum titulis ciuitatum, quæ eas principi dono dedere. Collegiorum omnium uexilla, & alia huiusmodi ornamenta, quæ celebriorẽ triumphi pompam reddere potuerunt. Sabellicus lib. 7. Enneadis 7. ex Vopisco & Eutropio.

An. 302. DIOCLETIANVS Nicomedia, MAXIMIANVS Mediolano, Romã conuenerunt: omnibus, quà transierũt, locis, incredibili hominum accolẽtium honore, uel potiùs ueneratione (sic enim cupiebant) excepti: ut qui Romano orbi, externis intimisq; armorum fluctibus agitato, optatã tranquillitatem ac securitatem, uirtute ac clementia reuocassent. Romam autem progressi, urbem infinita occurrentium Romanorum turba circunfusi triumphantes inierunt, atq; in Capitolium profecti solenne sacrificium perfecerunt. Triumphasse eos Eusebius, Eutropius, & Cassiodorus notarunt, & quidem de numerosis gentibus: hi uerò fuêre Gotthi, Bastarnæ, Carpi, Sarmatæ, Quadi, Aegyptij, & Persę, quos uicerat Diocletianus: Franci, Alemani, Britãni, & Mauritani, à Maximiano subacti. Præcipuè autem Diocletianus de Persis, & rege eorum Narse triumphum egit: & cùm cæteros captiuos nobiles, militaresq; præfectos ante currũ duxit, tum in primis uxorem, sorores, & liberos regis, memorandum regiæ fortunæ inter pauca exempla spectaculum, & gazam Persicam opulentissimam prætulit: quam põpam iuuat credere omnium in se oculos conuertisse, quòd Persicæ opes iam inde ab Alexandri Mammeæ Imperio uel propter regis, uel propter gentis claritatem assiduo hominum sermone celebrarentur. Sunt etiam qui Cæsares Constantium, & Galerium affuisse, atque cum Augustis, ouantes iniisse dicant. Ea põpa XI Calen. Maias dicitur esse acta. Triũpho inde ludi magnifici, & scenici, & Circenses adiecti. Superasse autem hanc pompam hilaritate omnes alias, quarum meminisse homines poterant, uidetur coniectura probabile, quòd triumphus ex tribus terrarum partibus ageretur, & à duobus Imperatoribus gloriæ cupidissimis, totidemque Cæsaribus inferretur, & maxima frugum ubertas, & summa corporum salubritas, quæ duo bona perpetuo Diocletiani Imperio contigerunt, nouam populorum lætitiam cumularent. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

Maxẽtio tyrãno, exercituq; eius deleto, CONSTANTINVS Magnus Imp. senatũ Rom. ultrò se, urbemq; tradentẽ, subitò in fidem, deditionemq; accepit, ac triumphum tantæ uictoriæ cõgruentem instruxit. Qua re cognita, populus acerbissimo tandem iugo seruitutis exemtus, urbem passim coronis ornauit, ac patefactis effusus portis ipsum curru inuectum tanta animorum alacritate excepit, ut satis cõstet, nullum Imperio Romano diem, quo Rom. ciuitas maioris atque effusioris signa gratulationis ediderit, illuxisse, nullúmque triumphum aut lætiorem, aut mirabiliorem, ne ipsam quidem ueterum literarum memoriam prodidisse. Neque enim more solitò agebantur ante currum uincti duces, sed soluta nobilitas incedebat: nec barbari in carcerem trudebantur, sed consulares è carcere trahebantur. Nec Roma ipsa alienigenas captiuos accipiebat, sed semetipsam captiuitate laxabat. &, quò nihil adiici ad gloriæ magnitudinem amplius poterat, imperium recipiebat, quæ seruitium sustinuerat. Duci uerò uidebantur omnibus subacta uitiorum agmina, quę acriter ciuitatem obsederant, scelus & perfidia domita, furor, & crudelitas uincta, superbia, atq; arrogantia debellata, luxuries, & libido constricta. Quem comitatum sequebatur subinde caput tyranni, quod adhuc ferociã, atq; immanitatem spirare inter ipsas horrendæ frontis minas uidebatur. congerebantur autem in eum uulgò probra, & contumeliæ, quasi uerò turpibus oppressoris sui ludibriis ipsam auspicari libertatem iuuaret. Vrbem inde ingressum omnes omnis ætatis, & sexus homines faustis acclamationibus uindicem, liberatoremq; suum consalutarunt. Tum tecta moueri, & altitudo culminum attolli uisa, quacunque ipse tardo molimine inuehebatur: tanta illum populi, tanta patrum frequentia prouehebat simul, ac retinebat. felices, qui illum propiùs aspicerent, longiùs positi nominabant. quos præterierat, loci, quem occupauerat, pœnitebat. ausi etiam quidam sunt, ut consisteret, flagitare, & ubi ad Palatium uenit, quòd nimis citò peruenisset, expostulare; & cùm ingressus esset, non solùm oculis sequi, sed penè etiam sacrum limen irrumpere. Inde omnes circumfusi, ut exiret, opperiri, tanta officij sedulitate, omnino ut uiderentur eum, à quo obsidione exemti fuerant, obsidere. Per septem inde dies Constantinus gratias Deo agi de tanta uictoria iussit, atq; interim rebus Romanis constituendis se tradidit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

THEODOSIVS I. uicto Maximo tyranno, cum Honorio filio Romam perrexit, & cum Valentiniano II. urbem triumphans iniuit, ac pompam, ferculorum modò curru, modò pedibus subsequutus, nunc de bello, nunc de uictoria triũphauit. In curia senatum, pro Rostris populum alloquutus est, omnibus se principem, singulis se exhibuit senatorem. In senatu à Latino Pacato, uiro eloquentissimo, laudatus est oratione elegantiss. Vrbem inde lustrans, non publica tantùm opera, sed priuatas etiam ædes inuisit, quinetiam congiarium populo dedit, & Victoriæ ludos edidit, & Symmacho uiro clarissimo, maiestatis reo, quòd literas ad Maximum scripserat, ueniam impertiuit. Idem quoque ipse assumto Honorio Mediolanum ueniens, unà cum eo de Eugenio triumphauit: ut Claudianus descripsit. Sigonius libro 9. Imp. occid.

Victo per Stilichonem Alarico Gotho, Imp. HONORIVS, magno casu periculoq; perfunctus, ex Liguria Rauennam se contulit. Ibi legati cum Romani conuenerunt, ac uictoriam Gothicam gratulati, senatus nomine petiuerunt, ut Romã post multos annos reuiseret, &, triumpho nobilissimo acto, ciuitati antiquam formam, & meritum honorem restitueret, atque ibi felicissima sua decennalia soluere uellet. Itaque Rauenna digressus, per Vmbriam iter suscepit, ac demum ab omnibus ciuitatibus præ rei actę lætitia gestientibus, incredibili gratulatione receptus, ad urbem uenit. Assiduus ante constitutum triumpho diem per noctem imber effusus uehementer animos Romanorum in spem splendidissimæ spectandæ pompæ erectos, aliqua ex parte turbauit. uerùm mox subsequuta matutina serenitas pristinam urbi hilaritatem, ciuibusq; præceptæ fructum lætitiæ retulit. Ingressus est porta Flaminia, eodem curru Stiliconem uehens, populo uiam Sacram, per quam pompa ducebatur, innumerabili omnis sexus, ætatisq; multitudine obsidente, atq; ex ædificiis altioribus auidè prospectante. in eo noui illud, quòd Senatum de more præcedere uetuit. Eucherius Stiliconis filius egregiæ indolis adolescens, militis officium & maximè populi plausu, & secundo rumore ciuitatis exhibuit: neque per multos antè annos in urbe aut gratulatio maior, aut triũphus, ut iustior, sic magnificentior fuit. Insequentib. diebus ludi uictoriæ, & uotorum decennalium causa amplissimi editi, in primisq; decursiones equitum celebratæ. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

IDEM quoque lætus, quòd Italiam, Galliam, Hispaniamque prouincias, tyrannis deletis, barbarisq; compressis, per Constantium comitem pacasset: Romam an. 417. regressus, magno apparatu, atq; insigni pompa urbem, de Gothis & Attalo tyranno triumphans, intrauit, Attalum ipsum uinctis post terga manibus ante currum ducens, quem, peracta de more pompa, truncata in pœnam repetitæ perfidiæ dextera, Liparas relegauit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Cùm Feleteus Rugorum trans Danubium rex, Herulis finitimis suis esset infestus, ODOACER Herulus, Italiæ regno potitus, officij esse sui putauit, cognatum populum ab eiusmodi iniuria uindicare. Itaq; exercitum aduersus regẽ trãs Alpes eduxit, ac, prælio in Rugia facto, Feleteo capto, Rugisq; deletis, latè regionem illam uastauit. Inde, uictore reportato in Italiam exercitu, XVIII. Kalen. Decembris urbẽ triumphans iniuit, regemque ante currum captiuum duxit. Quæ pompa iucundam florentis nuper Imperij memoriam cum aliquo demtæ libertatis dolore populo Rom. redintegrauit: neq; ei post euersas pristinas opes ad colligendos ex tantis calamitatibus animos pulcrior alius dies illuxit. Sigonius lib. 15. Imp. Ital.

BELISARIVS sub Iustiniano Magno Imp. postremus omniũ ueterem illam Romanorum triumphandi consuetudinẽ retulit. Primùm enim de Persis à se uictis, memorabiliq; bello superatis, tum uerò de Gilimere Vandalorum regẽ, quem triumphali curru in urbem Constantinopolim captiuum duxit, uniuersaq; Africa in potestatem redacta: postremò de Totila Gothorum rege, omniq; Italia suo ductu de Barbaris recepta, cum urbe ipsa Roma, memorabiles triumphos egit. Egnatius lib. 2. c. 3. Exemplorum. Consul ordinarius designatus, de manubiis Vandalicis speciosiss. egit triumphum, qui pluribus seculis non uisus erat. Spolia namq; atq; trophæa patefaciens, captiuosq; præferens, per mediam urbem triũphum egit: non quidem antiquorũ more, sed ex propria domo pedibus usq; ad Hippodromũ processit. Inde rursus ad locum usq;, ubi sedes erat Imperatoris, cum regia supellectile & ornatu uario uenit. Cuspinianus. Ludi equestres in theatro acti, ipso Imperatore de more præsidente, & senatu omniq; populo præsente. Præcedebat autem Belisarius dux, Gilimeri subsequentis purpuræ manu innixus, comitatib. centurionibus & tribunis, & Gilimeri cognatis. Quũ iam ad Imperatorem peruentũ esset, Belisarius Gilimero suadet, ut humi procumbat, & Imperatorem adoret. Facit ille, ut iubebatur, lacrymis oppletus. Procumbit & ipse Belisarius, ut Gilimero ostenderet, cum id facere iussum, non ut captiuũ. Cùm eundem honorem Imperatrici habuisset, Gilimerus hospitio splendido & regiis ministeriis iam antè preparatis excipitur. Post dies aliquot, cùm iterum ludi equestres in theatro agitarentur, spolia bellica per mediam urbem ostentata in stadium inferuntur, & post hæc omnia, cistæ septem auro plenæ, & libri sacrorum Euangeliorum, undique auro refulgentes, & omnis generis lapillis distincti. Zonaras. Inter spolia etiam fuêre sacra uasa Iudæorum à Genserico quondam Romæ è Palatio ablata, quo loca ea Titus Vespasianus excisis Hierosolymis reposuerat. Ea cùm quidam ex Iudæis uideret, ad quendam Imperatori familiarem dixit: Has opes in Byzãtinum palatium minimè inferri debere, quia alibi nusquam, quàm in eo loco, in quem Salomon Iudæorum rex ab initio eas constituisset, consistere possent: eamq; ob causam olim Romanum imperium à Genserico direptum, & nunc Vandalorum similiter à Romanis. Imperator statim omnia Hierosolymam ad Christianorum templa remisit. Euagrius lib. 4. c. 17. Procopius lib. 3. Vandalici belli.

Deuictis Persis ductu HERACLII Imperatoris, exercitus uictor & laureatus & onustus ferculis & trophæis magna lætitia & ingenti gloria Constantinopolim rediit. Heraclius purpuratus aureo inuectus curru, nõ laureã manu, sed lignũ crucis tenens, se lætantibus populis spectandũ præbuit, occurrentib. regio ornatu insignitis sacerdotibus, pompaq; admirabili. Maior hic triumphus fuit, quàm de Gilimere rege Belisarius duxerat, Africa subacta. Cuspinianus.

IOANNES Constantinopolitanus Imperator, deuictis Persis, triumphum indixit. Cumq; dies supplicationis adesset, omnis generis tapetes, auro & purpura intexti, uicos exornabant: nec deerant Christi & sanctorum effigies in iis ad uiuũ expressæ. Quadrigæ à quatuor equis, niue candidioribus, trahebantur. Imperator currum non conscendit: sed Dei genitricis imaginem in eo collocauit, ob quam lætitia exultabat, & animo penè linquebatur, cui uictorias, ut collegæ Imperij inuictæ, acceptas ferebat. Habenas uiris potentiss. moderandas, & cognatis suis currum curandum dedit: ipse crucem in manu gessit, pedes antecessit, & Dei sapientiæ templum ingressus, in conspectu omnis populi ob successus gratiis Deo actis, in palatium abiit. Nicetas.

Confecto bello contra Roxolanos Tauroscythas, IOANNES Zimisces Imp. Constantinopolim rediit. Patriarcha ei cum omni clero, Senatus item ac uniuersus populus occurrit, coronas offerentes, & quadrigam albis equis ducentes, rogabant, ut Imperator currum triumphalem conscenderet, & triumphanturus urbẽ ingrederetur. Sed ipse albo equo uectus, paludamenta regia, quæ Bulgarorum principibus detraxerat, quadrigæ imposuit, supraque eã imaginem Virginis matris: ipse currum præcessit. Et cùm in forum peruenisset, Borizen Bulgarorum regem insignibus regiis spoliauit, & magistrorum honore decorauit. Trophæa in templum Constantinopolitanum locauit. Numos quoque cum Seruatoris imagine ac sequenti inscriptione percussit (quod & sequẽtes Cæsares Græci imitati sunt) Iesus Christus rex regum. Cuspinianus ex Zonara.

IOANNES X. pontifex max. cum Alberico Hetruriæ Marchione de Saracenis, qui diuersa Italiæ loca, maximè in Campania, occupauerãt, triumphum Romam retulit. Volaterranus lib. 22. Anthropologiæ.

ROMANI, auxilio Neapolitanorum, Amalfitanorum & Caietanorum, ann. 849. insignem uictori naualem de Saracenisã; Romam è Sardinia petentib. ductu Leonis IV. Pp. obtinuere: quæ de Saracenis cõmunibus hostibus uictoria, insigne Romanis antiqui naualis triũphi spectaculũ præbuit. Idẽ decus Deus Pio V. pontificatũ administrãte concessit, cũ profligata, captaq; à fœderatis Turcarum maxima atq; ornatissimã ad Echinades classe, M. Antonius Columna, põtificius in eo bello præfectus, spolia captiuosq; in Vrbem adducens reuertit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

Anno MCCXXXVII. FRIDERICVS I. Imp. in loco dicto Curia noua, omnes Longobardos fœderatos fregit, cepitq; Carrocium Mediolanensium: & magistratum eorundem, dictum Potestatem, qui caput erat fœderis, nomine Petrus Tiepolus, nobilis Venetus, filius Iacobi Tiepoli, ducis Venetiarum, quem Fridericus captiuum misit in Apuliam. Parta insigni uictoria, ingressus est Cremonam triumphans, ducẽs secum Carrocium, super quo erãt ligatus Potestas, altero brachio ad lignum in sublime reuincto, laqueum collo ferẽs, & uexillis Longobardorũ cõuolutis, inter captiuos sequentes Carrociũ, incedẽtibus. Trahebatur Carrociũ ab elephanto: & super eiusdem castello, ex lignis adfabrè exstructo, residebant tubicines, unà cum Friderici uexillis explicatis, & loco maximè conspicuo suffixis. Sequebatur cum copiis suis Fridericus. Collenutius in hist. Neapol.

Derthonenses Friderico I. Imp. an. 1158. omnib. malis circũuẽti, atq; ad summã inopiam cibariorum adducti, Idibus Aprilis se dediderunt. Fridericus ingressus urbẽ primùm direptione, deinde incendio peruastauit. Papienses cum ad urbem suã Derthonẽsi triumpho cohonestandam rogarunt: ęquum enim esse, ut & rex tam nobili parta uictoria meritum triumphum ageret, & urbs ipsius quondam regni sedes hunc ab rege suo honorem acciperet. Fecit haud grauatè Fridericus, ut quorum causa bellum susceperat, apud eos gratulationẽ uictorię celebraret. Itaq; motis castris Papiam uenit XVIII. Kalend. Maij. Ingrediẽtem urbem cum exercitu ac decoro, superboque gradu instructum, lætus excepit non uniuersus solùm populus, sed etiam episcopus & clerus, cum crucibus sacris in uestibus occurrentes. Inde faustis clamoribus uulgò rex ac dominus salutatus, atque in ædem S. Michaëlis, ad quã olim regia fuerat Longobardorum, deductus, coronam capite, manu sceptrum honoris causa gestauit, gratiasq; Deo de tanta uictoria egit. Triduo inde magna ciuitatis lætitia, effusaq; in omnem magnificentiam impensã consumto, Papia digressus, Placentiam adiit. Sigonius lib. 12. regni Ital.

CATHARINAM Corneliam, Cypri reginã, ex Cypro Venetias per Georgium Cornelium fratrem accersitam, Augustinus Barbadicus princeps & patres Bucentauro naui exceptã triumphanti similem, per mediam urbem ad Estenses ædes, ad tempus regali apparatu instructas, deuexere. Sabell. lib. 8. Enn. 10. Sic BARTHOLOMÆVM Liuianũ ducẽ strenuum redeuntem ex Carnis, Leon. Laureranus Venetorum princeps cum partibus Bucentauro naui excepit. Bembus lib. 7. Hist. Venetæ.

VLADISLAI Vngariæ regis, de Turcis ad Hæmum montem uictis triumphum Budæ habitum, uide apud Bonfinium libro 6. Decadis 3.

CASTRVCIVS Castrocanis, Lucẽsis princeps, prçter alias animi uirtutes insignes, multis iam seculis exoletum triumphandi morem Italico nomini restituit. Nam Raimundo Cardonio Florẽtinorum duce, anno Salutis 1326. ad Altum passum capto, Lucam urbem triumphali curru, Raimundo inter captiuos præeunte, ingressus est. Egnatius libro 2. capite 3. & Fulgosus eodem.

BLASIVS Axaretus Genuensium classis Imp. aduersus Alfonsum Aragonum regem, qui Neapolitanũ regnũ uẽdicare sibi omne studebat, cum medio mari ad Caietam uictum cepit, & Genuã in triumphum duxit. Egnat. lib. 2. c. 3.

Innocentio pontifici maximo, Alfonsi iunioris Ferdinãdi regis Neapolitani F. armis presso, ROBERTVS Malatesta missus à Venetis in auxilium, Alfonsum Turcico licet milite adiutũ, quem Hydrunte capto ad se traxerat, memorabili prælio uicit. Itaq; triumphantis more urbem ingressus, iucundissimẽ à Pont. & patribus ac populo susceptus, intra triduum uita functus est. Idem.

ALFONSVS senior Siciliæ atq; Aragonum rex, Neapolim triumphali curru est inuectus uigesimo anno pòst, quàm multo labore magnisq; periculis susceptum bellum in Neapolitano regno confecit. Fulg. lib. 2. cap. 3.

OVATIO.

ROMANI duces, qui in hostes uictricia tulerũt arma, si ea quę

gesserant, triumpho digna non forent, persæpe minorib. triumphis & ouatione honestati sunt. Ouandi aũt causæ erant, si non debellati hostes penitùs: si non in sua & sibi cõstituta prouincia, sed in aliena res acta esset: si alieno auspicio res gesta esset: si nondũ pacata penitùs prouincia: si bella nõ ritè indicta: si non cum hoste legitimo, sed cum seruis, piratis, uel fugitiuis bellũ fuisset: si ex prouincia exercitus non deportatus, nec successori traditus foret: si incruenta uictoria obuenisset, minúsue quinq; millia hostium una acie cecidissent: ita enim lege exceptum erat. Et ne prior lex ex cupiditate laureæ antiquaretur, ei altera suppetias tulit, quæ Imperatorib. pœnam minabatur, qui aut hostium occisorum, aut amissorum ciuium falsum numerum literis senatui ausi essent referre. Valerius Maximus lib. 2. Exemplorum.

Fuit OVATIO minor quidam triumphus, eoq; à legitimo distabat triumpho, quòd dux ipse nõ curru, sed pedibus, ut Dionysius ait, ut alij, equo urbẽ inuehebatur. Nec picta aureiúe claui ueste aut trabea, sed peculiari consulum, ducumq; insignibus instruebatur. Corona & sceptrũ omnino diuersum, cætera, quæ & legitimè triumphanti, omnia aderant. Sabell. lib. 8. En. 2. De ea sic Plutarchus: Ouans non inuehitur curru, neq; laureatus, neq; concinitur tubis: sed pedibus ingreditur calceatus, modulantibus multis tibiis: Coronam gestat myrteã sicut pacatus, gratus aspectu magis quàm metuendus. Vnde coniectura ducor, inter ouationem & triumphum nõ ex magnitudine rerum gestarum, sed ex modo fuisse olim discrimen. Qui enim signis collatis & cæsis hostibus uictores redissent, Martialem illum & trucem, meo iudicio, ducebant triumphũ, & ut moris erat in lustrãdo exercitu, multa lauro arma militesq; excolebãt: at qui citra uim, beneuolentia, gratia & uerbis cõfecissent rem, iis ducibus pacati huius & plausibilis celebritatem dabat mos: nam pacis insigne tibia est, & myrtus Veneris planta, quæ à ui & bello præter ceteros deos deasq; abhorret. Ouatio non est dicta, ut pleriq; existimant, παρὰ τὸν εὐασμὸν, quia agãt eam clamore & cantu Bacchico: uerùm Græci ad patriam uocem detorserunt eam dictionẽ, putantes id decoris etiã ad Liberum patrẽ, quẽ εὔιον & θρίαμβον appellamus, ex parte referri. Festus ab acclamatione militum O O, dictam putat. Res aũt aliter se habet. Triumphãtib. enim bouem immolare Imperatorib. moris erat, ouantibus ouem. hinc ouationem dixere. Plut. in Marcello. Liuius libro 6. Dec. 3. Sabinus Massurius, teste Gellio lib. 5. cap. 6. pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed uniuerso senatu.

Bello Sabino, cùm P. POSTHVMIVS Tudertus minus prosperè pugnasset, collegæ deinde Agrippæ Menenij copiis subnixus, acceptę cladis infamiã aboleuisset, Menenio triumphus, Posthumio ouatio tum primùm inuenta est & decreta, ut Macer Licinius scripsit. Sab. lib. 8. En. 2. & Plin. lib. 15.

VETVRIVS, qui cum Lucretio Tricipitino contra Volscos & Aequos feliciter pugnauit, sine legionibus ouans equo in urbem uectus est. CL. Nero, cum unà cum Liuio feliciter in secundo bello Punico contra Hasdrubalem dimicasset, sine exercitu, equo ouans urbem inisse proditur. M. CRASSVS de fugitiuis & Spartaco, quos collatis signis uicerat, ex consulto senatus, laurum pro myrto impetrauit, & ouãs urbem ingressus est, Gellius lib. 5. c. 6.

M. FABIVS Ambustus, cũ C. Petilio consule, qui de Tiburtibus & Gallis triumphauit, ouans urbẽ ingressus est. Liuius lib. 7.

L. MANLIVS procõsul ex Hispania reuertens, cùm in æde Bellonæ triumphum ob res bene gestas peteret, exemplum obstabat: quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatamq; prouinciam tradidisset successori. Mediùs ergo honos Manlio habitus est, ut ouans urbem intraret. Liuius libro 2.

AVGVSTVS Cæsar bis ouans ingressus est urbem: post Philippense, & rursus post Siculũ bellum. Curules triumphos treis egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: cõtinuo triduo omnes. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar, uiuente adhuc uitrico Augusto (quanquã nec res in Rhetis atque Vindelicis gestæ, neque ætas triumphum mererentur) omnia ouationis nomine triumphalia habuit ornamenta. Nam cùm mos esset, ut ouantes urbem laureati quidem, sed pedibus inirent, ipse curru inuectus, nullo ueri triumphi honore, nisi nomine, caruit. Primusque huiusmodi ouationis auctor fuit. Fulgos. lib. 2. c. 3. ex Suetonio.

SACRIFICIA HONORIS ERGO INSTITVTA.

Apud Lacedæmonios, qui DVX magna hostium clade uicisset, trophæi loco, gallum diis immolabat: qui uerò deditione & pacto, belli mala uitasset, bouem: ut significarent, magis decere imperatorem (iuxta Periclis sententiam) consilio & astu, quàm gladio aut multo sanguine fuso, uictoria potiri. Alex. lib. 1. cap. 22. ex Plut.

DONA QVAELIBET HONORIFICA.

Munera alia utilitate cõmendantur, de quib. sub loco Liberalitatis: alia dignitate, quæ Honorifica uocamus, & de his in præsentia agimus.

Alimenta honoris ergô oblata, data, assignata.

Consule Titulum, Mensæ honore dignati. Illic Passio honorifica; heic Res ipsa, sine honor perpenditur.

Melchisedecus rex Solymæ, & supremi Dei sacerdos, ABRAHAMO à cęde quinque regulorum reuertenti, panem & uinum protulit, eiq; faustis ominibus gratulatus est. Genes. 14.

Armos & femora VIRIS fortibus in conuiuio apponere, ueteribus moris erat: quinetiam 1. Regum 9. legimus, Samuelem prophetã SAVLO, qui in regem ungendus erat, in cõuiuio armum, quodq; armo adhæret reseruasse & apposuisse.

Vino olim nõ promiscuẽ, sed ad Deorum sacra, ad HEROVM conuiuia utebantur. Hinc passim Homerus γερούσιον οἶνον appellat, quòd honoris ergô præstantissimis offerri soleret: qui mos etiamnum apud GERMANOS durat, ut hospitibus uinum honorarium mittant. Apud ueteres in magna uini raritate coniunctam cum honore utilitatem habebant. Nunc in uini magna copia moris tamen antiqui honestas adhuc permanet.

Persarum rex Cyrus (ut scribit Xenophon libro Pædiæ octauo) SI QVEM ex amicis uellet à multis coli & honorari, cibariorum partes de mensa ad eum mittebat. Huius moris meminit in Symposiacis Plutarchus: eum præcipuè honorem deferri solitum tradens amicis, ducibus, ac corporis custodibus, quos somatophylacas uocant Græci. Cælius libro 28. cap. 1. Antiq. Lect.

Græci non modò loci dignitate VIROS fama præcellentes in mẽsa, sed poculis maioribus & carne opimiore honestabãt. Alex. lib. 5. cap. 21.

IDOMENEO Cretensium duci fortissimo præstantiæ laudem tribuit Agamemnon rex Iliad. δ, tum in bello, tum in quouis alio negotio, tum uerò etiam in symposio, inquiens:

> εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε κάρη κομόωντες Ἀχαιοὶ
> δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
> ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Cæteris demensum dabatur. Huic, ut ipsimet regi, poculum semper plenum adstabat, ut pro libito biberet.

Apud Homerum in cœnis DIOMEDES carnibus & plenis poculis honoratur, & AIAX quòd cum Hectore pugnasset, lõgis decoratur tergoribus. SARPEDON ijsdem honoribus à Lyciis excipitur, & sede, & carnibus. Athen. lib. 1. c. 6. & lib. 5. c. 3. & Suidas in uoce Homerus, & Eustath.

Aristot. in Naxiorum Repub. teste, ex ijs diuitibus, qui erãt apud Naxios, alij in ciuitate, alij in pagos dispersi, incolebant. Habitabat igitur in pago quodam, cui nomen erat Lestadæ, uir probus ualdeq; diues TELESTAGORAS, qui & à populo, & ab aliis omnibus, & ab iis qui indies mittebantur, magnopere honorabatur. Ac ubi aliquid emeretur à tenaciter uendentibus, mos erat uendentibus dicere, se libentiùs Telestagoræ donaturos, quàm tam uili uenditturos, quàm sibi tantundem dari. Cùm iuuenes igitur quidam piscem magnum emerent, eademque piscator dixisset, id sæpiùs audientes grauiter tulerunt iuuenes, bibentesque in eum lasciuierunt. Quos cum perbenignè Telestagoras excepisset, & ipsum iniuria affecerunt, & duas illius nubiles filias. Hoc molestè ferentes Naxij, arreptis armis in eos iuuenes impetum fecerũt: ac magna tunc orta est seditio, cùm Lygdamis Naxiis (esset præfectus, qui huiusmodi occasionem nactus, patriæ tyrannidem inuasit. Athen. lib. 8. c. 7.

Apud SPARTANOS electo Senatori necessariorum quisque cœnam apponens dicebat: Hac te mensa ciuitas honorat. Cùm eos circumisset, transibat ad solitum cõuiuium, ubi cætera de more agebantur. Secundam portionem, ubi esset apposita, tollebat & seruabat. A cœna conueniebant ad ianuã triclinij mulieres familiares eius. Ibi eam, quæ esset apud se maxima in existimatione, acciebat, cui partem eã donabat, addens: præmium se, quo fuisset decoratus, ei conferre: unde illa quoq; magno honore à cæteris matronis deducebatur. Plutarchus in Lycurgo.

Apud Spartanos quoties aliqua publica uisceratio fit, primi in cœna REGES discumbunt: & ijs primis distribui incipit duplum omnium, quàm cæteris conuiuis, libaminaq; immolatorum & coria eorum sunt. Singulis quoque Kalendis singula pecora utrique regi è publico dantur Apollini immolanda, & farinæ medimnus, id est, sex modia, & uini Laconicus quartarius. Iisdem ad cœnam non euntibus, mittuntur binæ chœnices, id est, semodia farinæ: & uini singulæ cotylæ, id est, sextarij: præsentibus dupla dantur omnia. Eadem ratione

ratione à priuatis quoque inuitati ad cœnam, honorantur. Herodotus lib. 6.

PINDARVS Apollini ita gratus fuisse dicitur, ut eorum munerum, quæ in ipsius dei templo offerebantur, μερίδα, hoc est, partem à deo sibi assignatam acciperet, indiesq; à sacerdote uocaretur ad cœnam. Gyraldus dialogo 9. Hist. poët.

Prytaneum, curia apud ATHENIENSES, in qua publicè uictus præbebatur iis, qui honorem illum rebus præclarè gestis, qui quidem maximus habebatur, consecuti erant. Eodem in loco & grattarium erat, & ignis æternus, quem adorabant. Suidas. Quem honorẽ cũ sibi quoq;, quid meruisset rogatus Socrates, deberi ob rectè institutã iuuentutẽ iudicibus respondisset, penè indicta causa condemnatus est.

HIPPOCRATI Coo alimenta publica, eiusq; posteris in Prytaneo Atheniensium assignata, ob pestilentiam sedatam. Soranus in eius uita.

C. HORATIO Cocliti, qui in ponte sublicio Porsenam sustinuit, statuam in foro posuit ciuitas, tantũq; dedit, agri possidendum, quantum die uno circumarare potuit. Accessit huic publicæ gratitudini & priuata, quisq; sua se fraudãs alimonia, ex domesticis copiis aliquid ei, in summa inopia, contulit ad uictum. Plut. in Poplicola. Liuius.

Alimenta publica unius diei M. MANLIO data uiritim, ob seruatum aduersus Gallos Capitolium. Plut. in Camillo.

Romanæ CVIDAM feminæ, quamuis ignobili, quæ matrem carceri inclusam lacte suo sustẽtauit, uita matris data est dono, & simul utriq; perpetua alimenta muneris loco concessa. Sab. lib. 4. c. 6. Val. lib. 5. c. 4. & Plin. lib. 6. c. 36.

Animalia quæuis.

ACHILLI apud Homerum offert Agamemnon equos XII. septem mulieres Lesbias.

CLOELIÆ puellæ Romanæ datus equus à Porsena rege, ob fortitudinem, quòd obses cum nouem aliis uirginibus ipsi data fluuium equo traiecisset, suoq; exẽplo ad id ipsum conandum inuitasset reliquas. Plut. in Poplicola.

P. DECIO Tribuno, cùm Rom. exercitum ab hostibus Sabinis circumuentum, circuitione montis conseruasset, præmij loco à consule Corn. Cosso iuxta coronam auream centũ boues & in his albus aureatis cornibus donati fuerunt. Sabellicus lib. 3. Enn. 4.

L. MINVTIVS annonæ præfectus, quòd Sp. Melium tyrannidem affectantem prodidisset, boue aurato, uel, ut alij, statua extra portam Trigeminam est donatus. Sabellicus libro 5. Enneadis 3.

Henricus CANVTVM, Nicolai Danorum regis nepotem, Erici II. regis F. in Sclauorum prouincia sibi post mortem succedere uoluit. Et quoniam Sclauia Imp. Lotharij sceptro subijciebatur, Canutus ei equum aureis soleis munitũ muneris loco transmisit. Saxo lib. 13.

Concubinæ.

Seuerus ultra aureos anulos, etiã domesticas concubinas MILITIBVS largitus fuit, quib. delinimentis militũ animos emolliuit, & eneruauit. Alex. lib. 2. c. 29.

Pelles.

REGIBVS Spartiarum immolatarũ hostiarum pelles dabantur tum in bello, tum domi, quotcunq; rei diuinę causa mactare libuisset. Herod. lib. 6.

Tributũ honorifica.

Ex Tit. Tributorum, ea sumantur exempla, in quibus tributi ius potius quàm precium spectatur. Illic Seruitutis eius, qui confert, heic Dignitatis & excellentiæ eius, cui confertur, habetur ratio.

MANFREDVS ex nobili familia Comitũ Patauinorũ, à Frid. I. Cæsare Comes Palatij creatus est, & inusitati uectigalis munere donatus, ut ei census gratia Patauij ius esset ab omnibus pistoribus, singulis uicibus, cùm panes coquerent, singulos panes exigere, & à cauponibus pro quolibet dolio uini certam accipere mensuram. Quod quidem institutum aliquandiu obseruatum, postmodum Reipub. decreto sublatum est, cùm quidam pro uno pane poscerent duos. Hinc prouerbium in plus iusto exigentes, Sat est panẽ unum pro furno dari. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Moschi olim TARTARORVM serui, potum lactis equini illis tributũ petentibus per ducem suum in itinere offerre cõsueuerant. Cromerus lib. 29.

Coronæ.

De Coronis heic, ut Munera sunt. De iisdem superius, ut Corporis sunt Ornamenta honorifica.

ATTALVS primus Pergami rex, Romanorum amicus (ut Liuius in tertio de bello Macedonico, & Florus) ꝑ eis in classe Rhodiorum aduersus Philippum pugnauit, coronam auream senatui dono misit: gratias agens, quòd Antiochũ auctoritate legatorum de finibus suis submouisset. Volat. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

Vologesus Parthorum rex, TITO, ob subactam Iudæã, coronam misit auream. Iosephus lib. 7. c. 24. belli Iud.

FRIDERICVS I. Imp. subactis Mediolanensibus urbem triumphandus ingressus insigni equo, assumtaque corona auro & gemmis resplendente, quam ei rex Angliæ dono miserat; templum, in quo Archiepiscopus sacra obibat, introijt. Quib. peractis, Senatores, cum magna ciuium multitudine, quæ præstò erat, iurare fidei sacramentum coacti sunt, se fideliter omnia facturos, quæ Cæsar imperasset, nec unquam defecturos ab imperio illius. Post hæc capite depositã corona, illam ad regem Boëmiæ transtulit, inquiens: Ad te Vladislaẽ coronæ huius decus, donumq; iure pertinet, ꝗ presentis uictorię & caput, & pes fueris. Sed & cæteros Principes pro merito quemque suo remunerauit. Dubrauius libro duodecimo.

Domus data, ædificata.

TIMOLEON Corinthius, liberata à tyrannis Sicilia, domum habitabat, quã ei Syracusani eximiam imperij præmio donauerunt: præterea amœnissimum & pulcerrimum omniũ prædium: ubi plerunq; in quiete cum uxore & liberis, quos acciuerat ex patria, agebat. Neque enim Corinthum repetiit, neque se tumultibus Græciæ implicauit, uel ciuili obiecit odio, in quod plerique insatiabili honorum & potentiæ cupiditate impingunt Imperatores: sed illic subsedit, bonis, quorum ipse auctor fuerat fruens, eorum erat summum, quòd tam multas ciuitates, tam immensam multitudinem uideret mortalium sua opera uitam agentem beatam. Plutarchus in Timoleonte.

P. VAL. Poplicola Coss. Rom. habebat magnificam domum in Velia, quam uocant, foro imminentem: unde in omnem partem despectus ex edito erat, difficilis accessus & ardui foris: ut descendentis superba facies & regius pompæ esset fastus. Vbi uerò ab amicis accepit non probari facta sua plebi, non est cũ ijs luctatus neq; stomachatus: sed confestim nocte adhuc magna manu contracta fabrorum diruit domum, & funditùs totam dissipauit. Id luce populo, qui conuenerat, aspicienti, memorabilis quidem uisa est: & rara illius uiri magnitudo animi: uerũ domũ doluerũt ablatũ atq; illius amplitudinẽ, quæ urbi erat decori, sicut hominis, per inuidiam immeritò euersæ, desiderauerunt. Doluerunt etiam uicem consulis uelut penatium inopis apud alios habitantis. Diuerterat enim ad amicos Valerius, dum ei aream dedit populus, & ædificium extruxit priore demissius, ubi nunc delubrum est, quem Vicum publicum appellant. Plutarchus in Poplicola.

Agri.

Sexdecim eodem tempore fuerunt AELII, quibus una tantũ fuit domũcula, unus in agro Veiente fundus, ac in maximo circo Flaminio spectaculi locus: & ea tãtùm ob uirtutem publicè donata possidebant. Valerius.

Cùm magno impetu Hetrusci per pontem sublicium ferretur, C. HORATIVS Cocles, & duo primæ nobilitatis uiri, Herminius & Lucretius, hostibus se in ponte obiecere. Atque Horatius positus in statione pontis, quo ad eum socij à tergo rescidissent, sustinuit hostes. Inde armatus se in Tyberim misit, atque incolumis ad ulteriorem ripam tranauit, iaculo Hetrusco in natibus ictus. Virtutis causa datum illi, quantum agri uno die circumarasset. Plutarchus in Poplicola. Valerius lib. 3. c. 2. & Liuius. Plin. c. 11. de Viris illust. Gell. lib. 4. c. 5. Florus lib. 1. c. 10.

Vasa, Tripodes, Pocula.

Messenij tripodem aureum in mari à piscatoribus repertum BIANTI Prienæo donarunt, quòd is Messenias redemisset puellas, parentibusq; adiecta dote restituisset. Sabellicus lib. 5. Ennead. 2.

Pæoniæ præfectus ARISTO cùm hostem obtruncasset, ostendissetq; caput. Hoc donum rex, inquit, apud nos poculo aureo pensatur. Arridens Alexander: Nempe uacuo, inquit: ego uerò plenum mero tibi propino. Plut. in Alexandro.

L. Paulus Aemilius uicto Perseo ob egregiam operã in pugna nauatã AELIO Tuberoni genero phialã donauit quinque pondo. Illud argentũ in domũ Aeliorũ aiunt primùm immigrasse à uirtute & honore illatum: antea neq; ipsos neq; uxores eorum aurum uel argentum affectasse. Plut. in Paulo.

Arma, Gladij, Hastæ honorariæ.

Aiunt gladium à Vulcano fabrefactum, à diis dono datum fuisse PELEO uirtutis illius ac prudentiæ symbolum. Quo quidem ille utens & in præliis & uenatibus, consequebatur, quicquid optabat. Hinc adagium in eum, qui præter modum re quapiam insolens est, ac tumet, Magis sibi placet, quàm Peleus sua machæra. Eras. in Adagiis ex Zenodoto.

Lancea donari solebant apud Rom. QVI in bellis acriter strenueq;

nueq; pugnantes laudem meruissent. Id ideo institutū Sextus Pompeius refert, quia hasta, summa armorum & imperij erat: quamobrem & captiuos sub ea solitos uenire, quos Græci δορυαλώτους καὶ δορυκτήτους uocant. SICINIVM Dentatum Plinius scribit fuisse donatum hastis puris duodeuiginti. Hastam puram grammatici intelligunt sine ferro. Id enim fuisse præmium apud maiores eius, qui tunc primùm uicisset in prælio, sicuti scriptum in libris de Gente populi Romani: unde Poëta nobilis:

Ille, uides, pura iuuenis qui nititur hasta.

Donatus puram quidem accipit sine ferro: sed addit, pacis id esse signum, non belli. Cælius lib.21.c.16. A.L.

Pōtifex Rom. in Vigilia Natiuitatis Domini ensem cōsecrat cū galero principali, eumq; PRINCIPI alicui Christiano cōtra religionis hostes pugnanti uel pugnaturo quasi uictoriȩ symbolum & incitamentum muneris loco mittit. Liber Ceremoniarum. Sixtus IV. hunc morem inprimis usurpasse dicitur, ut quidem habet Ceremoniarum liber.

Anno 1202. legatus Pontificius GVLIELMO Scotorum regi ensem, cuius capulus uaginaq; aurea & gemmis distincta erant, galerum item purpureum, ut ecclesiæ defensori, attulit multis insuper indulgentiis ac priuilegiis eum honorauit. H. Boëthius lib.13.

Anno 1537. cùm Galliæ regis Henrici II. filiam IACOBVS Scotiæ rex duceret, Pontifex ei dono misit ensem fabrefactum, multique precij, & in Angliæ regem ipsum excitauit. Sleidanus lib.10.

Ad ANDREAM Auriam, Cæsaris Caroli V. classis aduersus Barbarussam, quæ Tunetanum regnum occupârat, præfectum, ut preclaræ uirtuti suus honos haberetur, Paulus III. Pontifex gladium de more solennibus ceremoniis consecratum dono misit: is erat gemmato capulo, cælataq; uagina cū baltheo aureis bullis & fibulis ualde cōspicuo, & prȩter eum etiam uilloso è serico pileum margaritis Phrygio opere depictum. Ea sunt eximij pijq; ducis aduersus Christianæ religionis hostes depugnantis insignia, magnis regibus dono dari solita: sic ut non immeritò strenuus senex, quanquam multa iam nauali gloria plenus, ad petendā noui decoris laudem accenderetur. Iouius lib.34. Hist.

Manus aurea honoris ergô data.

ZELISLAVS, ducis pariter atq; militis officio functus contra Morauos, dextram amisit. Eum Boleslaus III. Polonorum rex, collaudatum pro meritis & uirtute, aurea manu donauit. Cromerus lib.5.

Rosæ munus honorarium.

Pontifex Rom. singulis annis Dominica quarta Quadragesimæ, Letare Hierusalem, Rosam auream preciosis odoribus delibutam inter Missæ solennia consecrat, eamq; sacro peracto PRINCIPI alicui Christiano aut præsenti offert, aut absenti mittit, honoris ergô: ut cùm nihil rosa magis sit caducum, uitæ præsentis fragilitas agnoscatur: cūq; nihil suaue magis & odoratū, futuræ immortalitatis (cuius symbolū in hoc mundo aurū est metallum æternum) desideriū accendatur & confirmetur. Liber ceremoniarum.

GVLIELMVS Scotorum rex legatos ad pontificem Romanum Alexandrum III. qui nomine suo obedientiam declararent, Romam misit. Alexander uicissim Rosam aureā balsamo oppletam, indicium singularis aduersus regem caritatis, per eosdē dono misit: priuilegiis insuper complurib. donauit. H. Boëthius lib.13.

Anno 1177. Quadragesimali tempore pontifex Alexander III. ducem Venetum SEBASTIANVM Zianū aurea Rosa donauit. Blondus lib.6. Dec.2. & Sigonius lib.14. regni Ital.

FRIDERICVS, Ferdinandi Neapolitani regis filius, Mediolanum iturus ad deducendā Francisci Sfortiæ filiam, fratris uxorem, in regnum, Romam ueniens, prodeunte obuiam honorato quoque, & Roderico uicecancellario, perbenignè à Paulo II. susceptus, ac rosa donatus, quam pontifices quotannis donare alicui ex principibus Christianis consueuere. Platina.

Eugenius IV. SIGISMVNDO Imp. qui uictis Hussitis à Boëmis in regem susceptus fuerat, gratulationis ergô aureā Rosam misit. Aen. Syl. cap.52. Hist. Boëm.

Leo X. FRIDERICVM Saxoniæ ducem sub initia motus, quem in Germania Lutherus excitauit, aurea Rosa donauit anno Salut. 1518. Et pòst anno 1524. Alexander VI. HENRICO IIX. Angliæ regi, qui contra Lutherum scripserat. Sleidanus libro 1. & 4.

Dos honorifica.

Cùm capta urbe eiecti Galli à Camillo essent, multi Latini duce Liuio Posthumio Fidenatium dictatore urbem Romam infesti petiere, & per caduceatorem bonum numerum uirginum uiduarumq; sibi ad affinitatem iam penè exolescentem redintegrandam petiere. Hic hæsitantibus omnibus, ex Philotidis siue Tutolȩ ancillæ consilio, SERVÆ habitu dominarum ad hostes missæ, eosdem noctu somno uinoq; sepultos esse, face de caprifico elata Romanis, sic, uti cōuenerat, indicarunt. Qui signo conspecto, hostes ceciderunt, & ancillis præter cultum matronalem ex publico dotē contulerunt. Plut. in Romulo, & Camillo.

Præda.

☞ *Consule Tit. Diuitiarum λῆψις è Præda.*

Ex præda omni ad Plateas è Persis congesta, PAVSANIÆ Lacedæmoniorum regi, Imperatori totius exercitus Græci, sunt ex omnibus dena & ea delecta dono data, ex mulieribus, equis, talentis, camelis, & item ex cæteris rebus. Herodotus libro 9.

Victis ad Aquas Sextias magna strage Teutonibus à C. MARIO, tentoria, impedimenta, prædam, quæ interuersa non essent, uictores Mario attribuerunt: & quamuis hoc tā splendido dono auctum, non satis pro merito tamen ipsius consiliorum ob periculi magnitudinem existimauerunt remuneratum. Plut. in Mario.

Libri. Librorum dedicatio.

PHÆDON Eliensis à lenone domino puer ad merendū coactus, Socrati postea adhæsit, cùm eum Cebes Socraticus, hortante Socrate, emisset. De eius nomine Plato diuinū illū librum, de immortalitate Animæ, inscripsit. Is postea philosophus illustris fuit, & sermones eius de Socrate elegantes admodum feruntur. Gell. lib.2.c.18. Noct. Att.

NOMINA HONORIFICA.

☞ *Bona pars loci de Nominibus huc pertinebit, si Honorem Nominis ueluti proxenetam consideremus.*

IMPOSITIO.

Mauri olim Granatensem REGEM in Hispania sacrosanctum & sentiebant & nominabant, quòd pro tutela religionis oppositus esset contra uim Christianam ceruicibus suis imminentem. Et proinde Almanzorem h.e. Fidei defensorem uocabant. Valla lib.1. de rege Ferdinando.

OTHO I. Imp. cùm cognomine, quod à magnitudine rerum gestarum inuenit, cum præstantissimo Imperatore Carolo comparandus, tum præcipuè apud posteros, Italico regno nouis legibus & institutis instructo, cōmemorādus, quorū adhuc etiam uestigia remanent. Sigonius lib.7. regni Ital.

VSVS NOMINVM HONORIFICVS.

Communicatio facta in

Sacris.

IANI præfatio perpetua in sacris, eo quòd primus in Italia diis templa fecit, ritusq; sacrorum instituit. Macrob. lib.1. Saturn. c.9. ex primo libro Xenonis rerum Italicarum.

MAMVRIVS faber Romanus, cùm ancilia Martis scuta fabricesset ea arte, ut uerū ancile, quod è cœlo deciderat, internosci non posset, premij loco obtinuit, ut eius nomen in Saliari carmine repeteretur.

Fastis. A quorum nominibus Annorum numeratio instituta.

☞ *Consule Tit. Arithmeticæ usus in dinumerandis temporibus.*

SYRACVSIS magistratus honoris exquisiti, quem Iouis Olympij famulatum appellarunt, ab Timoleonte institutus fuit, primusq; Olympij Iouis famulus fuit Callimenes. Ab magistratu eo annos inibi mitti in digitos consueuere, uti à consulibus Romæ. Cælius libro 25. capite 21. Antiq. Lect. ex Diodori libro 16.

Nuptiis.

Seruius primo Aeneidos scribit, HYMENÆVM uirum fuisse Atheniensem, qui inter bella sæuissima uirgines liberauit: propterea nomen eius in nuptiis inuocatur, quasi liberatoris uirginitatis. Martianus hunc Bacchi & Calliopeiȩ filium dicit. Lud. Viues in lib.4. Aug. de Ciu. Dei, c.21.

THALASSII Romani nomen in raptu Sabinarum ad tuendam uenustissimæ uirginis pudicitiam usurpatum, hymnis inde nuptialibus insertum fuisse, Plut. & alij scriptores Romanæ historiæ testantur.

Certaminibus.

Neanthes Cyzicenus in fabulosis, quæ de quaq; urbe prodita sunt, refert, Athenis honorem tribui AIANTIDI hunc esse delatum, ut chorus eius nunquam postremus pronunciaretur. Namq; Marathon in ea est tribu. Harmodius etiā Aiantides populo fuit Aphidnæus. Glaucias orator dextrū cornu in acie Marathonia fuisse Aiantidis attributum, qui illo in prælio dimicarunt fortiter, Callimacho polemarcho illius tribus: qui cùm uirum se inprimis strenuum præstitit, tum eius pugnæ auctor post Miltiadem, quòd eius sententiæ suffragaretur, fuit præcipuus. In Platæensi item pugna præclarè se gessit tribus illa. Hinc Nymphis Sphragitidibus sacrum uictoriale ex Apollinis oraculo ad Cithæronem tribus Aiantis faciebat, præbente ei uictimam & reliqua ciuitate. Denique uidetur, id ei tributum fuisse ad placandum & leniendum Aiacis Telamonij genium, à quo traxit hæc tribus appellationem, qui minimè æquo animo uinci se passus esset: sed præ indignatione omnia turbasset. Ne igitur infensus esset, placuit ademtæ uictoriæ detrahere molestissimum, ne tribum hanc in nouissimum locum unquam conijcerent. Plut. lib.1. con. quæst.10.

Codicillis, Instrumentis publicis.

Iudæi sub Machabæis siue Asmonæis à graui iugo regū Syriæ respirare ceperunt, maximè uerò sub SIMONE, qui Iuda Machabæo & Ionathane fratribus hostium dolo interemtis, ducatum & pontificatum gessit, nec fratribus inferior, bella grauissima confecit, & populum à Macedonum prȩsidio, quod in arce iam inde ab Antiochi Epiphanis tyrannide per XXX. annos perpessi fuerant, liberauit, & tributorū immunitatem peperit. Hic Simon in tanto honore fuit apud populum, ut tam in priuatis instrumentis, quā in scripturis publicis adiicerent, actum esse anno primo Simonis Iudæorum ethnarchæ, optimè de gente sua meriti. nā huius principatu res eorum magnis accessionibus auctæ sunt, & multas de finitimis hostibus retulere uictorias. Iosephus lib. 13. c.11. ex 1. Machab.14.

Artibus & Scientiis.

Si linguȩ uis, & dicendi facultas spectāda est, cui fando unquā contigit, ut non homo, sed eloquentia loqui crederetur? nō hoc Pericli, tametsi fulgurare & ciere tonitrua sit dictus: nō Hyperidi, qui Pericli proximus eloquentia floruit: nō demū ipsi Demostheni, quem dicendi ui nullus potuit æquare. Venus M. CICERO felicitate quadam adeptus est, ut eius nomen pro eloquentia in ora hominū abierit: is dein Catilinā urbe expulit, Antonium proscripsit, Agrariam legem abrogauit: & quod omnium felicissimè illi contigit, Latinum sermonem non auxit solùm, sed longè etiam lateq; propagauit, quod multo pulcriùs fuit, quàm si Romanū auxisset imperium. Sab. lib.7. c.7.

Non communicata.

☞ *De his ipsic quoque sub loco Nominum. Heic quatenus honoris causa sit.*

INSIGNIA HONORIFICA.

☞ *De Insignib. Libro III. actum. Vti etiā de Nominibus, quatenus Notæ sunt Rerum. At propter Res ipsas, quas denotant honorificè, uel econtrà, huc pertinent.*

Familiæ.

Benedictum VII. Pp. duplicis crucis insigne tradidisse STEPHANO I. regi Christiano Vngarorum (à sequentibus usurpatum Regibus) eo quòd & Rex & Apostolus esset Hungarorum, auctor Decreti Pannonici asserit.

VLADISLAO II. regi Boëmiæ ob strenuè nauatam contra Mediolanenses operam Fridericus I. Imp. insignia regni uetera, nēpe Aquilā atrā, permutauit cum Leone fuluo, quoniam Leoni maior, quàm Aquilæ fortitudo inesset. Pictor fortè Leonem in uexillo ita pinxerat, ut caudā intra femina occultaret, & propterea cauda mutilatus uideretur. Eū Boëmi intuentes, Et ubinam cauda? inquiunt: nónne hæc Simiæ magis, quàm Leonis imago? rursusq; Aquilam recipere agitabant. Tum Cæsar in risum solutus, pingi Leonem album in uexillo rubro iussit, caudis duabus in altum porrectis cōspicuū, qualē in hunc diem Boëmi gerūt. Dubrauius lib.12.

STEPHANVS Columna Romæ per quinq; annos continuo magistratu senatoriæ dignitatis fastigium obtinuit. Ab eo Henricus VII. & mox Ludouicus Bauarus Cæsares, in Capitolium recepti, & ad Vaticanum uel inuitis pontificibus Imperatorio diademate coronati sunt. Ad huius studij officiique memoriam, Ludouicus coronam auream dono dedit, ut in gentilitiis insignibus supra Columnā perpetuò gestaretur. Iouius in Pompeio Columna.

Ladislaus Vng. & Boëmiæ rex Io. CORVINVM comitē declaratum Viennæ in D. Stephani basilica ex alto suggestu, & regali præsidens apparatu, in summa nobiliū principumq; frequentia, trædita dignitatis insignib. decorauit: gētilicia Corui confirmauit insignia: & quū ruentem Vngariæ coronam fortitudine sua substinuerit, ardui leonis diadema regiū subeuntis insignibus donauit. Bonfinius lib.7. Dec.3.

Anno 1403. MAGNVM Sfortiam iampridem eximiæ uirtutis opinione percelebrem, Robertus Imp. illustrem fecit. Descēderat is in Italiam Florentinorum pecuniis euocatus ad bellum, ut Galeacius Mediolano pelleretur. Sed demum duob. tumultuariis præliis ad Brixiam pulsus, repressusq;, cùm Patauium reparandis copiis diuertisset, obuiā honoris & præsidij causa Sfortiā habuit, qui tum statiuis in castris ad Mōtagnanā Patauino principi, Venetorum oppresso armis, opem tulerat, præpositus Florentinorum auxiliis, quæ socio amicoq; principi iure fœderum mittebantur. Excepit Cæsarem perornato compositoq; more militiȩ, toto equitatu circūductis & in duplices alas digestis ordinibus, ita ut Cæsar ea specie cataphractorum equitum, qui cristati, bardatiq; omnes procurrerant, mirum in modum oblectaretur, erigeretq; animum renouando bello, si iis maximè copiis & Sfortia duce iuuaretur. Visebatur in Sfortiæ uexillis citoniū pomum uetus Attendulæ gentis insigne, ductum scilicet ab oppidi nomine, uti principem familiam decuit. Ad id aspiciēs Cæsar, & ad Sfortiā se cōuertēs: Dignum, inquit, uirtute tua leonem dabo, qui citonium læua sustineat, & minaci dextra tueatur, ne quis imbelli manu attrectet, atq; corripiat. Atq; ita tabulis lata membrana confectis, leonem fuluum erecta ceruice, alteri pedi innixum dono dedit, cōcessitq;, ut Attenduli omnes eo argumento uterentur, essentque in clientela Baioariæ principū, quorum esset à prisca originè gentilitiū insigne. Nam Robertus ipse, Norici regulus, è Baioariæ familia suffragiis Germaniæ procerum de more ad imperium accesserat. Iouius in uita Sfortiæ.

BARTHOLVS in tractatu de insignib. & Armis, scribit sibi à Carolo IV. Imperatore concessum, ut in suis insignibus haberet leonem rubrum cum caudis duabus, in campo aureo. Hotom. de Verbis iuris.

[redacted]

Victoriæ.

RHODOGVNE lauans crines abstergebat. Venit quidā nuncians subditam gentem defecisse. Illa non abstersis capillis, sed ita ut erant reuinctis, equum conscendit, & exercitum eduxit, iurauitq; non antè se crines purgaturam, quàm à defectoribus uictoriam reportasset: longoq; tempore bellū ducens, tandem uictoria potita, lauit & crines collegit: proinde Persarum regum sigillum etiamnum imaginem impressam habet, Rhodogunen disiectis capillis. Polyænus lib.8.

Cædis.

Persarum rex Artaxerxes CARI militi Cyri iunioris percussori, uirtutis præmium contribuit, uti in prima acie gallū aureum in hastæ gestaret apice. Nam Caras omnes Persæ ἀλεκτρυόνας dicunt, id est gallos, διὰ τοὺς λόφους, quos in galeis surrectos habent. Cælius lib.16.c.13. A.L. ex Plut. Artaxerxe.

INITIATIO SACRORVM honorifica.

HERCVLEM & HIPPOCRATEM Coum Athenienses ob præclara merita publicè Eleusiniis sacris initiarūt, quod decus nulli ante illos contigit. Soranus in eius uita.

DEMETRIVS Poliorcetes Athenis commorans, initiari cupiebat, & Eleusiniis sacris imbui. Cumq; abesset satis diu legitima dies, in quo soliti erant Atheniēses sacra illa celebrare, persuasit populo, ut propter beneficia patrium morē mutarent. Igitur seipsum inermem sacerdotibus tradidit, & ante statam diē initiatus. Diodorus lib.20. Ei peculiare quiddam præter cȩteros contigit, ut solus & initiaretur simul, & arcana intueretur, & præfinitum tempus à maioribus non obseruaret. Suidas.

CIVITATE HONORIFICÈ donati.

☞ *Ex loco Amicitiæ, In ciuitatem recepti, ea huc pertinent exempla, quæ Gloriam iunctam habent.*

ALEXANDRO Magno ciuitatem Megarenses decreuerant. Qui cùm studium eorum pro ioculari duceret, cōmemorasse ferunt illos, soli se superiori memoria ciuitatem Herculi, & secundùm illum ipsi decreuisse: ita eum admiratione affectum agnouisse honorem, dignationem raritate metientem. Plut. de Rebuspub.

IN AMICITIAM HONORIFICÈ suscepti.

☞ *Vide sub Amicitiæ loco exempla quædam.*

IONATHAS Iudæ Machabæi frater, populi defensione suscepta, contra Bacchidem Demetrij ducem præclara edidit facinora: cuius uirtuti Alexander Epiphanes & Demetrius Soter, qui de regno inter se certabant, tantum tribuere, ut certatim maximis pollicitationibus eum in suam amicitiā pellicere conarentur, rati in eius fœdere non paruum uictoriæ momentum situm esse. Alexander igitur, qui prior pontificatum Ionathæ obtulerat, uictor extitit. Iosephus lib.13. c.4. & 5. ex 1. Machabeorum 10. Eundem quoque Demetrius Nicator, interfecto Alexandro, honore & amicitia prosecutus est. Maximè uerò Antiochus Alexandri F. uicto Demetrio.

Lacedæmonij quoque & Romani fœdera cum eo renouarunt.1.Machab.11.& 12.

Cùm in pugna ad Salaminem gesta THEOMESTOR Androdamantis & PHYLACVS Histiæi, trierarchi Samij, Græcas naues demersissent: Theomestor quidem à Xerxe tyrãnus Sami creatus: Phylacus uerò inter bene de rege meritos adscriptus est, & multo tractu soli donatus. Benemeriti autem de rege, Persica lingua Orosangæ uocantur. Herod.lib.8.

HOSPITII HONOS.

L.LVCVLLVM in Aegyptum ad contrahendam classem à L. Sylla missum, Ptolemæus rex, etsi societatem belli renueret, mirifica humanitate excepit, & quod duci extraneo ante eũ delatum fuerat nemini, diuersorium & cœnationẽ ei in regia dedit, & impensarum atq; sumtus quadruplum eius qđ aliis tribui consueuerat. Plut.in Lucullo.

MENSAE, CONVIVII HONOS.

Iudæorum regum conuiuio adhiberi, honor maximus erat. DAVID confecto Goliatho gigante, apud Saulem regẽ id honoris consecutus est, ut nouilunij die cum rege accumberet. 1.Regum 20. Dauid postea MEPHIBOSETHO Sauli regis F. eundem honorem concessit. 2.Regum cap.9. BERZELLÆO Galaaditæ similiter, propter magna eius erga se exulem, à filio pulsum, beneficia, idẽ cõcedere uoluit. At eo propter ætatem recusante, in filium eius CHAMAMVM transtulit. 2.Regum 19.

Euilmerodachus Chaldæorum rex IOA[redacted] captiuum mensæ suæ adhibuit Babylone, eumq; honorificè tractauit. 4.Regum 25.

MACEDONES in more habent, ut nullus discumbat inter conuiuas, nisi extra retia aprum interfecerit: tunc enim sedere inter conuiuantes licebat. Athenæus libro primo, capite undecimo.

Valerius Messala tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab Augusto Cæsare cœnæ, excepto MENA, sed asserto in ingenuitatẽ. Post proditam Sexti Pompeij classem ipse scribit, inuitasse se QVENDAM, in cuius uilla maneret, qui speculator olim suus fuisset. Suetonius.

Epulæ LEGIONIBVS uictricibus ante fores exhiberi solebant. Alexander ab Alexandro libro 6.cap.6.

Apud GOTHOS honorificum, regiæ mensæ adhiberi. Itaque dum Longobardi Oduinum regem suum monerent, uti Alboino filio, qui Thorismundi Gepidarum regis filium acie uictum interemerat, conuiuij honore dignaretur: nõ prius acquiescere uoluit, quàm regis alicuius externi iudicio filiũ armorum iure donatũ uideret. Ergo ALBOINVS magna confidentia ad Thorismundum profectus, ingenij & uirtutis suæ commendatione hostem ita mouit, ut eum mensæ suæ adhibuerit, & ad dexteram suam, eo loco, quo filius suus ab Alboino interfectus sedere cõsueuerat, collocârit. Incolumis igitur ad patrem remissus, ab hoste uirtutis suæ testimonium afferens, à patre porrò publicis epulis adhibitus fuit. Paulus Diaconus lib.1.c.23.

Apud SCYTHAS semel quotannis singuli regionum principes miscent uinum cratere: de quo Scythæ omnes hostium homicidæ bibũt: nemo gustat, qui nihil præclari operis ediderit, sed sine honore seorsum sedet. Quæ res apud eos maximæ est ignominiæ. Qui uerò cõplures cædes fecerunt, hi duobus pariter, quos habent, calicibus potant. Herod.lib.4.

CONIVGII honos. MATRIMONIA uirtutis ergô conciliatã.

Ex loco Coniugij ea, quæ honorifica sunt, huc transferri possunt. Item Tit. Potestas seu Ius Nuptiarum datum.

NATALIVM honore affecti. NATALIBVS restituti. LEGITIMATI.

Hæc etiam Adoptati referri possunt, quatenus Adoptatio præter Amicitiæ paternæ conciliationem (de qua suo loco) etiam Honoris speciem secum trahit.

PHILIPPVM ex Maria Boëma à Philippo II. Francorum rege, repudiata Ingelberga Dana, susceptum (quantumuis auctoritate concilij Suessionensis Ingelbergam recipere coactus sit) Pontifex nihilominus iustã Augusti sobolẽ esse decreuit, multorum cum admiratione. Aemilius lib.6.

HONORIS SPECIES MEDIATÆ. QVANDO SCILICET VEL PRAEMIO VEL HONORE AFFICIVNTVR eorum, quos per se & immediate colimus, tum

ANIMI MONVMENTA.

Consule Tit. Libri magno redemti, quatenus ex sumtus magnificentia, honoris quiddam in auctores, quorum labores tantis iudicantur digni sumtibus, redundare uidetur.

EVRIPIDIS tragicorum principis tanta fuit auctoritas apud Syracusanos, ut cùm duce Gylippo Syracusani maximã cladem Atheniensibus intulissent, Niciam & Demosthenẽ imperatores occidissent, multos captiuos duxissent: multi captiuorum, cùm uersus Euripidis memoria tenerent, ob eos ipsos libertate sint donati à Siculis, hũc poëtam summè admirantibus: qui postea Athenas reuersi, Euripidi pro libertate data gratias egerunt. Multi per ciuitates Siciliæ dispersi ac uagi, uictum sibi horum uersuum recitatione compararunt. Plut.in uita Niciæ.

Composuit multa sermone Syro EFREM, Edessenæ ecclesiæ diaconus: qua ex re ad tantam uenit dignitatem, ut post lectionem scripturæ Sacræ, publicè in quibusdam Ecclesiis eius scripta legerentur. Platina.

CORPORIS MONVMENTA.

Cadauera.

Consule locum Funeris. Illic Corporis post mortem cura tum per se tum per accidens consideratur: heic uerò Cadaueris: quatenus σῶμα, ut notant Grammatici, σῆμα est αὐθρώπου, & qui cadaueri honorem exhibent, propter eum, cuius illud cadauer est, id faciunt.

LYSIADES Megalopolitanus à Lacedæmonis interfectus in prælio, pulcerrimè ornatus à Cleomene rege licet hoste suis ad sepeliendum remissus est. Plut.in Arato, & Paus.in Arcad.

Hephæstione Babylone mortuo, ALEXANDER Magnus gẽtibus Asiæ omnibus imperauit, ignem, qui sacer à Persis dicitur, extinguerent, donec funus esset absolutum. Id autem apud Persas tantummodo in regis obitu fieri solitum erat. Idcirco populi in malum omen regiam iussionem traxerunt, ueluti Deus ita futuram regis mortem significaret. Diodorus libro 17.

P.CLODIVM Pop.Romanus congestis subselliis & tribunalibus & mensis in foro concremauit. Sab.lib.6.Enn.6.

Vestes.

Elisæus, rapto ELIA in cœlum, eius lenam, quæ ab illo deciderat, sustulit, & Iordanem ea feriens, diuiso fluuio per siccũ traiecit. 4 Regum 2.

PRIMISLAO regi suo tantum honoris tribuerunt Boëmi, ut ligneas soleas, in quibus arans inuentus erat, diu seruarẽt, & nouis regibus præferrent. Aen. Syluius in hist. Boëm.

Vmbram.

ISIDORVS Alexandrinus presbyter, sub Theophilo episcopo (primùm monachus) tantæ fuit etiam Gentilibus admirationi, ut umbram eius reueriti sint. Palladius testis.

FORTVITA MONVMENTA. Vtputa

Parentes, Liberos, Cognatos, Affines, Discipulos, Reges, Subditos.

Consule Tit. Clementiæ erga hostium uxores, liberos, amicos, quatenus in eius, propter quem exercetur hæc clementia, honorem cedit.

Mephibosethus IONATHANIS F. à Dauide propter parentis amicitiam summis afficitur muneribus. 2.Reg.9.

Milites à Cassandro, Antipatri F. ad occidendam iudicio damnatam Olympiadem, Alexandri Magni matrem, ingressi regiam, ueneratione eius eam occidere noluerũt; sed re infecta discesserunt. Diod.lib.19.

LYSIMACHO, Aristidis Iusti filio, cuius meminit Demosthenes in oratione περὶ τῶν ἀτελειῶν, ob merita patris erga Rempub. qui propter abstinentiã & iustitiã pauper admodũ decesserat, data sunt publicè centum talenta. Plut.in Aristide.

ATTILII Serani liberis & uxori post eius mortẽ alimenta publica decreuit Senatus Rom. Valerius.

Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium P. SCIPIONIS Africani superioris à militibus suis interceptum, honoratissimè excepit: regiisq; muneribus donatum, ultrò & celeriter patri remisit: quanquam ab eo tum maximè finibus imperij pellebatur. Nẽpe & rex & lacessitus, maiestatem excellentis. uiri uenerari, quàm dolorem suum ulcisci maluit. Valerius Max.lib.2.c.5.

Cn.Scipio post res in Hispania prosperè gestas, in summa paupertate decessit: nec eà quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem FILIARVM: quas ob inopiam publicè dotauit senatus. Frontinus lib.4.c.3.

Augustus uicta Cleopatra, Alexandrino populo, qui in theatro conuenerat, tribus de causis ignosci à se dixit. Primam affirmãs, urbis esse pulcritudinem: secundã, ALEXANDRI cultum, qui eius urbis conditor fuerat: tertiam, suum esse in Arium philosophum amorem, quem amicum habebat, manu eum designans, ut à populo cognosceretur. Plutarchus.

Herodes Iudæorum rex, cùm in omnes eos, qui in eius fidem iurare nollent, grauiter animaduerteret: tamen POLLIONIS & Sameæ pharisæorum sectatoribus ignouit, propter reuerẽtiam Pollionis: Essenis item, propter MANAHEMI Esseni uaticinium. Iosephus lib.15.c.13.

Noridanus Damascen⁹ Sultanus, mortuo BALDVINO III. Hierosolymorum rege, quamuis Christianos opprimere posset, tamen ob memoriam tanti regis noluit, priusquam tempus luctus esset exactum. Fulg.lib.2.c.5.

Florentini Donati Acciaioli FILIAS, cùm is in legatione decessisset, nihilq; diuitiarum filiis ob paupertatem reliquisset, ære publico nuptui locarũt, haud aliter quàm Pauli Aemylij aut Aristidis. Volat.lib.12.Anthrop.

Loca in quibus habitarunt.

De Locis, clarorum uirorum uel ortu, uel uita, uel obitu illustratis, superius egimus, respectu Personæ patientis gloria considerata. At huc pertinent, quatenus ex locorum cultu ij, quorum nobis memoriam inuehunt, uidentur honorari.

Apud Nouum murum (qui locus inter Smyrnam & Cumas Aeolicas medius est) ostendebatur ad Herodoti usq; tempora, annis 630. & amplius, locus, in quo HOMERVS sedẽs carmina sua legenda exhibuerat, & in magna habebatur ueneratione: memoraturque populus arbor ab Homeri aduentu in eodem loco enata. Sed paupertate postea pressus poëta, Cumam rediit. Herodotus in eius uita.

Thraces eam uiam, qua XERXES duxit exercitum, neq; confundunt, neq; serunt, sed ad Herodoti usq; tempora magnopere uenerabantur. Herod.lib.7.

Instrumenta quælibet.

Alexander Macedo cùm Ilium peruenisset, & quidam Paridis lyram se ei ostẽsurũ promisisset: Apage, inquit, sed ACHILLIS citharam exhibe, qua heros præstantissimus animum à bellicis fatigationibus recreare solitus fuit.

Argiuorum rex fuit ENHIPPVS, miræ felicitatis, cuius clypeum, qui apud Græcos insigniter rem gessisset, recipiebat, ut per urbem incedens honestaretur. Vnde obrepsit in ignauos prouerbium, Argiuo clypeo dignus: cuius etiam meminit Callimachus. Mentio item & regis & scuti, est apud Papinium, hisce uerbis:

— Celsam subeuntibus arcem,
In gradibus summi delapsum culmine templi
Arcados Enhippi spolium cadit, æreus orbis.

Cælius libro 12.cap.14. Antiq.Lect.

Sepulcra.

Ex loco Corporis honorum, ubi Cadaueris rationem habuimus, huc transferri possunt Monumẽtorum & Sepulcrorum exẽpla, quatenus cultus iste in ipsa cadauera, quorum loca sunt, redundat.

LYCVRGI legislatoris Laconum sepulcrum fulmine tactum, scribit Plutarchus: idq; nemini præterea, quàm EVRIPIDI tragico poëtæ contigisse post funera. Certissimum enim hoc deorum beneuolentiæ signum esse; stolidi gentiles persuasione dæmonum arbitrabantur.

EVRIPIDES Atheniensis tragicus cùm in Macedonia apud Archelaum regem à canibus dilaniatus esset, Macedones eum honorificè sepelierunt, eiusq; monumentũ in gloriæ etiam loco prædicarunt:

Οὔποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδη ὄλοιτό που.

neque Atheniensibus, licet petentibus, ossa transportanda concedere uoluerunt. Gellius libro decimoquinto, cap. 20. ex Theopompo.

Alexander Macedo, cùm ad Troiam uenisset, ACHILLIS tumulum floribus coronauit, in hæc uerba prorumpens: O felix adolescens, qui laudum tuarum præconem Homerum habueris.

Posteaquam Antonio Cleopatræque in Aegypto deuictis, Augustus Alexandriam ingressus est, id quod primum in ea urbe optauit conspicere, ALEXANDRI Magni corpus fuit, quod non uerborum solùm, sed etiam coronæ prosecutus honore, totum floribus conspersit: rogatusque an Ptolemæorum Aegypti regum inspicere corpora uellet, respondit: Reges se & non mortuos uidere uoluisse. Fulgosius libro secundo, cap.5.

Sillius Italicus, poëtarum post VIRGILIVM in carmine heroico facilè princeps (cuius libri de secundo bello Punico & hodie extant, miro ingenio scripti) quotidie Virgilij sepulcrũm inuisere, atque muneribus ornare solitus erat. Pontanus capite 35. de Liberalitate.

NERONIS sepulcrum floribus exornatum à quibusdã post mortem. Suetonius.

Theodericus Gothorum in Italia rex, quãquam barbarus, AVGVSTI sepulcrum Romæ instaurandum curauit. Pontanus cap.15. de Magnif.

GEORGIVS Castriottus, Scanderbechus (hoc est, Alexander Dux) à suis dictus, Epiri despota inuictissimus, qui annò Christi 1466. XVI. Kal.Feb. ætatis suæ 63. obiit, tanta fuit etiam apud hostes auctoritate, ut cùm post eius mortem Mahumetes Epirum diriperet, apud Lyssum in D. Nicolai templo Scanderbechi sepulcrum Turcæ religiosè quæritarent; admirabundiq; usque adeò piè uenerarentur, ut eruta sepulcro ossa diriperent, quum quisque se bello inuictum tutũq; fore crederet, si frustulũ ex ossibus suspensum initurus prælium gestaret. Iouius in eius uita: ex Marino Barletio Scodrense, qui Scodræ scripsit expugnationem.

Alfonsus Aragonius audiens à quibusdam Caietanis, malè literatis; M. TVLLIJ sepulcrum extare adhuc iuxta Formias (ibi enim uilla Ciceroniana insignis olim fuit, nunc autem Mola uocatur) in uia Romana uetustis literis inscriptum: eius rei uisendi percupidus, statim eum locum accessit: & sentibus rubisq; primò tumulum purgans, moxq; legere inceptans, non M.Tullij, sed M. Vitruuij inscriptionem inuenit. qua lecta, uultum risu soluens dixisse fertur, Caietanos ex Minerua oleum quidem accepisse, sed sapientiam amisisse. Panorm.lib.1. de Reb.gest. Alfonsi.

Solymannus, expugnata Buda Hungariæ regia, ubi regum statuæ & monumenta conspiciebãtur, solius MATHIÆ Coruini tumulum uidere uoluit, cumque uenerabundus adiit, quòd hunc solum regem fuisse diceret.

Statuæ denuò erectæ, non deiectæ.

SESOSTRIS Aegyptiorum regis adeò diuturna gloria, ingensque ad posteros manauit, ut cùm multis postea seculis, Persis Aegypti imperium tenentibus, Darius Xerxis pater uellet in Memphi suam ante Sesostris statuam ponere, princeps sacerdotum publicè contradiceret, asserens illum nondum Sesostris opera æquasse. Quod responsum haudquaquam ægrè ferens rex, sed lætatus admodum libertate loquendi, Se curaturum, inquit, ut nihilo illius uirtute, si tantundem uiueret, esset inferior: hortatusque est, ut ætatis eiusdem conferret gesta: id uerum argumentum esse uirtutis. Diodorus lib.1.c.4.

Alexander Magnus in expeditione Asiatica Phaselide dies cõplures substitit: quibus cùm THEODECTIS iam fato functi (fuit autem Phaselites) statuam uidisset in foro locatam: perrexit eò saltatum à cœna temulentus, crebrasq; coronas ei iniecit: haud inuenustum tribuens per ludum honorẽ consuetudini, quæ per Aristotelem & philosophiam ei cum illo intercesserat. Plut.in Alexandro.

C.Iulius Cæsar Cn.POMPEII statuas deiectas honorificè reposuit. Eapropter inquit Cicero, Cæsar dum Pompeij statuas reponit, suas stabilit. Sentiens, illum hoc non in Pompeij gratiam facere, sed ut sibi clementiæ simulatione fauorem apud ciues conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret. Plutarchus in Rom. Apoph. & Polyænus libro 8. & Suetonius.

M.BRVTI statua ænea apud Mediolanenses ab Augusto Cæsare non excisa. Plut.in comparatione Bruti & Dionis.

AIACIS statuam, ab M.Antonio ablatam, & in Aegyptum asportatam, Augustus Cæsar, sicut pleraq; alia, restituit Iliensibus. Aeneas Syl.c.66. Asiæ.

Robertus Normanorum dux, pœnitens quòd Ricardum III. fratrem ueneno necasset, cùm Hierosolyma uoti causa esset iturus, Romam profectus, ut Benedictum IX. pontificem Romanum abeundi facultatem, pro more, rogaret: magnas fecit largitiones: uestiuit etiam statuam CONSTANTINI Imperatoris pallio aureo: dictitans Romanos esse ingratos, qui talem principem non donarent in annos singulos ueste. Templis uaria donaria intulit. Polydorus lib.8.

LIBRI DECIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO



Aa. Signi-

Aa. Significatio externa, sic uti Nomen Rei, sic ipsa interna Existimatiōis nota est, uaria illa & inconstans, sed quæ in quattuor classes sub diuidi posse uideatur: nimirū in



VOLV-

Voluminis Tertij

Liber X.

De Dedecore & Ignominia.

Dedecvs consideratvm respectv patientis Personae. Tvm

In Genere. Huc

Seculum obscurum.

CAIVS Cæsar, cùm nulla uirtutis memoria nobilitari se posse uideret, fortuito saltem casu, uti sub Tiberio ruina Fidenatis theatri, seculum suum inclarescere optabat, per scelioqui, propter principis uæcordiam, ut obscurissimi, sic certè famosi. Suetonius.

Ciuitates, Respublicæ obscuræ.

TYRVS Phœniciæ urbs, quondam insula, prælto mari septingentis passibus diuisa, nunc uerò Alexandri oppugnantis operibus continens, olim partu clara, urbibus gentis, Lepti, Vtica, & illa Rom. imperij æmula, terrarũ orbis auida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchylio atque purpura constat. Circuitus XIX. M. passuum est, intra Palætyro inclusa. Oppidũ ipsum XXII. stadia obtinet. Plin. lib. 5. c. 19.

Familiæ obscuræ, ignobiles.

Ex Tit. Obscuro loco nati, qui clari euasere, huc exempla Familiarum, quarum partes ij sunt ipsi, quorum eo loci mentio fit.

In Specie. Ignominia affecti

DORMIENTES.

CLAVDIVS Consul, qui pòst imperauit, si, quod ferè solebat, inter comessandum obdormisceret, inducebatur manibus stertentis socci, ut repentè expergefactus faciem sibi confricaret. Suetonius.

CAPTIVI.

Vide Tit. Carceres ignominiosi.

MORTVI. CADAVERA contumeliosè habita.

Titulo isto cõprehendimus eos, qui præter morẽ à sua gente receptum mortuos tractarunt. Cambyses Amasis Aegyptiorum regis corpus sepulcro erutũ igni exussit, ignominiæ causa, cũ nec Aegyptij nec Persæ cadavera comburere soleant. Apud Græcos hæc legitima cadaueris cura fuisset. Ergo quod uni genti ignominiosum est, alteri honorificum existit. Mores igitur quarumlibet gentium considerandi erunt, ut mortuorum contemtum, de quo in præsentia loquimur, cognoscamus.

Laniatum Cadauer ignominiosè.

BESSI Bactrianorũ præfecti, qui Dariũ ad Arbela ab Alexandro uictum ceperat & interemerat, corpus concisum fundis hinc inde dissipatum est, à Darij regis consanguineis, quib. ab Alexandro uiuus traditus fuit. Sab. lib. 8. c. 4.

BONIFACII VII. Pp. corpus Romani, ut terræ mandaretur, passi non sunt: sed in Lateranensi platea proiectum, à quouis lanceis, nemine prohibente, confodiebatur: tandem clericorum beneficio, populari traditũ scribitur sepulturæ. Antoninus.

Ludibrio affectum Cadauer.

CLEOMENES postquam ab Antigono uictus esset, ad Ptolemæum Aegypti regem fugiens, à Nicanore falsõ apud regem accusatus, in carcerem cum aliis coniectus est. Inde facta eruptione, omnes mutuis uulneribus concidère. Rex uerò Cleomenem mortuum pelle nudauit, & cruci affixit. Plutarchus.

M. CRASSO aurum à Parthis infusum mortuo, ut quo uiuus pro auaritia non poterat, uel mortuus auro satiaretur. Iosephus lib. 14. c. 13. & Sab. lib. 7. En. 6.

RVFFINI caput pilo Constantinopolim deportatum fuit, & abscissa manus dextera ad dedecus insatiabilis auaritiæ ostiatim stipem emendicauit. D. Hieronymus in epitaphio Nepotiani.

Manuel Græcus Imp. an. 1180 moriens, Alexium filium annos tredecim natum tutore Alexio Protosebasto instituto reliquit: Alexio uerò Latinos immodicis honoribus prosequẽte, Græci indignati, uetera contracta ob sacrorum differentiam odia incitarunt, atque Andronico Manuelis patruele ex Ponto euocato, ipsum Alexium adorti de medio sustulerunt, atque inde sæuientes animis, impetum in omnes Latinos fecerunt. Cæterùm primæ iniuriæ monachis & sacerdotibus factæ. IOANNI subdiacono, legato, pontificio, caput abscissum, atque ad contumeliam candæ immundæ canis appensum. Mortuorum cadauera sepulcris impiè uiolatis per uias crudelissimè ac fœdissimè tracta. Ex Choniata & Gulielmo archiepiscopo Tyrio, Sigonius lib. 14. regni Ital.

IOANNES Leidensis rex Anabaptistarum caueę ferreæ post mortem impositus suspenditur. Sleidanus lib. 10.

Obiectũ feris Cadauer ignominiosè.

Quinq; REGES Amorræi, qui urbem Gabaonem obsederant, eo quòd cum Iosua fœdus iniisset, à Iosua profligati, & è spelunca, in quam sese abdiderant, extracti, mox in crucem sublati occidente sole in eandem spelunca insepulti fuerunt abiecti. Iosua, c. 10.

REX Hais urbis in crucem actus à Iosua, sub occasum solis de cruce demissus, & ad portam oppidi abiectus est, ingenti lapidum cumulo aggesto, qui etiamnum extat. Iosua c. 8.

Dauid GOLIATHI gigantis Palæstini singulari certamine à se uicti caput amputatum Hierosolymã intulit, corpus eius uolucribus & feris dilaniandum reliquit. 1. Regum 17.

ABSALOMV, à Ioabo polemarcho Dauidis trib. iaculis trãsfixus, & in uastam uoraginem fuit insepultus abiectus: congesto super eum ingenti saxorum cumulo. 2. Reg. 18.

IEZABEL regina Achabi regis uxor impia sepultura caruit, eiusq; cadauer in agro Iezraëlensi, ubi Naborthum interfici curauerat, canes dilaniarunt, & tanquam stercus subdio cõputruit. 4. Regum 9.

Legimus, ut tam Regum quàm Paralipomenõ narrat historia, undecim annis regnasse in Hierusalem IOAKIM filiũ Iosię, & regnasse crudeliter, & extitisse impium, & postea mortuũ: nec tamen eius sepultura narratur. Nisi quod interfectum à latrunculis Chaldęorum Syriæ Ammonitarum & Moabitarum Hebræa narrat historia. Vnde & 4. Regum 24. mortuus scribitur, & sepultus tacetur. In libris Dierum legimus, uinctum catenis & ductum in Babylonem: nec ultrà quid refertur de eo. Pulcręq; propheta dicit, sepultura asini eũ sepeliẽdũ, ut aliis uerbis significet insepultũ, h. e. à bestiis auibusq; lacerandũ. Hæc est enim asini sepultura. Hieron. lib. 4. com. in Hierem. c. 22. & Iosephus lib. 10. Antiq. c. 8.

IASON impius, qui insepultos abiecerat multos, ipse illamentatus & insepultus abiectus, nec propriam nec peregrinam habuit sepulturam. 2. Machab. 5.

Zelotæ, Iudæi seditiosi, Hierosolymis ANANVM & IESVM pontifices, qui populũ ad uindicandã libertatẽ contra Zelotas adhortati fuerãt, auxilio Idumæorũ interfecerunt, & insepultos abiecerũt. Sic & NIGRVM Peraitã, qui contra Romæ clara gesserat facinora, quãuis supplicantem de sepultura, eam se ei concessuros negantes, crudeliter interemerũt. Prohibebant quoq; ne quis interfectos uel lacrymis prosequi auderet. Iosephus lib. 3. c. 1. & 2. Belli Iud.

Aristo-

Aristocrates Arcadum rex, pecunia corruptus à Lacedæmoniis secundo bello Messenico, suis auctor fuerat, ut fugerent à Messenijs. Qua fuga Messenij proditi, omne propemodum exercitus robur amiserunt. Aristomenes Messeniorũ dux, cum reliquiis ad Lycæum montem fugit: & ab Arcadibus benignè exceptus, de occupanda noctu Sparta, Lacedæmoniis in diripienda Era occupatis, consiliũ suũ exposuit, Aristocrates in codicillis ea omnia exarata, Anaxandro regi Spartanorũ per SERVVM misit. Quę reuertentę cũ literis Anaxandri, Arcades interceperunt, & in concionẽ productum lapidibus obruerũt, atq; in sepultum extra fines abiecerunt. Pausanias in Messenicis.

PHOCION, uir sanctissimus, & fortissimus, ab Athenienſibus in carcere cicutam bibere coactus est: & decreto cautum, ut cadauer eius extra Atticam deportaretur, neque ullus Athenienſium eius sepeliendi causa ignem accenderet. Conopion itaque uespillo eum extra Eleusinam deportauit, & igne apud Megarenſem quendam accenso cremauit. Megarica mulier (à qua ignem petierat) unà cum ancillis adfuit, maneinq; tumulum aggessit, & parentauit: ossa in sinum reposuit, noctuq; domum portauit, & apud focum defodit, inquiens: Apud uos, dij penetrales, has uiri boni reliquias depono. Vos eas patrio busto reddetis, ubi Athenienſes respuerint. Plutarchus in Phocione.

In aquas præcipitatum Cadauer.

TIB. Gracchi, qui à Scipione Nasica oppressus est, cadauer, Senatus in Tiberim præcipitari iussit, & omnium eorũ, qui eũ fuerant secuti. Quinetiã C. GRACCHO & Q. FVLVIO L. Opimij Coſs. armis cæſis, amborum corpora, & aliorũ, qui in Auentino, & in fuga cæſi sunt, ad tria millia numero, in Tyberim sunt proiecta. Sab. lib. 1. En. 6.

Exustum Cadauer per ignominiam.

Fuit apud Britannos aliquòt seculis in summa uenerationę D. Thomas Cantuariensis, cius quę corpus inclusum erat thecæ, gemmis & auro supra modũ exornatæ. Rex autem HENRICVS IIX. anno Salutis 1538. illũ exemit, & reliquias corporis incendit.

Sepultura prohibitum.

MICHAELEM Palæologum Cæsarem Græcum (ob restitutũ suis ingens nomen, Magnum nuncupatum) quòd cõcilio Lugdunensi Græcam Ecclesiam subiectam Romanæ sedi professus esset, Græci sacerdotes mortuum arcuere sacra sepultura. Aemilius lib. 8.

Refossum Cadauer ignominiæ causa.

Iosias rex Iudæorum sepulcra VATVM Baalensium in montibus posita, omnia diruit, & ossa in aris Deorum combussit, ut eas profanaret, ex Domini præcepto. Vnius tantùm fassi prophetæ Bethelensis sepulcrum non diruit, quoniam cum illo humatus erat uerus propheta, is nimirum, qui Ieroboamo regi prædixerat fore, ut ara illa & sacellã, quæ extruxerat, à Iosia rege quodam post annos 361. diruerentur. 4. Regum 23.

IOLAS Antipatri F. Cassandri frater, Alexãdri Magni pincerna. Cuius ossa Olympias proiecisse fertur, quasi uenenum Alexandro miscuisset. Plut. in Alexandro.

Cùm Cylon Theagenis soceri sui potentia & opibus fretus ad tyrannidem aspiraret, & arcem munitissimam Athenienſium occupasset: eam tamen ciborum inopia pressam, cùm fugã sibi noctu consuluisset Cylon, recuperarunt Athenienſes. Eamque ob tyrannidem, ut Cylonis memoria atque uniuersa posteritas penitus excinderetur, omnem CYLONIAM gentẽ migrare iusserunt: & corũ, qui in Attica sepulti essent, ossa eruta extra patriam eijci, proiici. Thucydides lib. 1. & Plutarchus in Solone.

AMASIS Aegypti regis cadauer refossum fuit, ab Cãbyse Persarum rege. Eo quòd sibi petenti filiam in matrimonium, eius loco Nitetim filiam Apriis regis à se interfecti misisset Amasis. Herod. lib. 3.

Constantinus Copronymus reliquias SANCTORVM partim tetra obruit, partim demersit, partim in cineres redegit. EVPHEMIÆ corpus alij crematum, alij surreptum, alij in mare cum oculo demersum dixerunt. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus lib. 22. Rerum Romanarum.

Theodora, seu Irene, hortatu Theodori episc. cadauer CONSTANTINI Copronymi Imp. refossum, publicè cremari iussit, & cinerem in mare iactauit: propterea quòd imaginum cultum abrogasset. Sab. En. 8. lib. 8.

Constantinus Imperator, uxorẽ BAGRANI patricij, post multos annos coëgit ossa eius in monasterio Choras effoderę & asserre, & in pelagium, quò condemnati solebant, abiecte. Zonaras tomo 3. Diaconus lib. 22. Rerum Rom.

Sergius Papa FORMOSI corpus è terra erutum, in sellam põtificiam, induto ipsi ornatu sacerdotali, collocari, capite tũcari, digitis mutilari, & tandem in Tyberim proiici iussit. Aliquanto pòst inuentum à piscatoribus corpus, in templum relatũ est: quòd imagines in aditu eius collocatæ, adorasse ferunturi. Platina.

HENRICVS IV. Imp. à filio Henrico V. imperio exutus, cùm uel in acie ad Coloniam captus, uel in medio belli postremi procincta Leodij obiisset: & Leodienſis præsul, qui partibus eius faucbat, eum tumulo in monasterio quodam honorificè co adidisset: Paschalis II. Pp. Leodienſes ad unionem Ecclesiæ recipere noluit, nisi priùs Henrici corpus refoderent, & absq; omni sepulturæ honore in prophanum locum deponerent. Inde corpus Henrici Spiram delatum, ubi mandante pontifice in lapideo busto extra ecclesiã ad quinquennium stetit inhumatum. Vrspergensis. Vincẽtius lib. 25. c. 117. & Crãzius lib. 5. Saxon. c. 24.

Posteaquam Henricus V. Henricum IV. patrem imperio spoliauit, missis in Italiam legatis, Vigbertina & Henriciana hæresis damnata est. Cadauera SCHISMATICORVM, in primis Vigberti, Rauennatis episcopi, quem Henricus IV. papam fecerat sub nomine Clementis III. iam annis sex tumulati, proiiciuneur de sepulcris, & ab ipsis ordinati, usq; ad cõcilij generalis satisfactionem & ordinationem suspendũtur. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, c. 21.

Karcuntus ab Alphrico Eboracensi præsule & aliis instigatus, cadauer HARALDI regis Anglorũ effossum tumulo Vvestmonasteriensi, capite truncari, & in piscinam proiici iussit: quòd piscator postea sagena sua extractum, Danis dedit, qui id Landoricæ in cœmiterio humarunt. Malmesburiensis lib. 2. c. 74. de Anglorum rebus.

STENONIS Iunioris Suconum regis corpus iussu Christierni II. Danorum regis refossum: crura & brachia ignibus semiusta, in terrorem prouincialium traussissa. Olaus lib. 16. c. 45. Septent. hist.

Bonifacius VIII. HERMANNI cuiusdam corpus, apud Ferrarienſes iam uiginti annis pro sancto cultum, exhumari mandauit ac combiri, habita de eius hæresi inquisitione. Hunc è Fratricellorum secta fuisse crediderim, quorum secta tum maximè inualescebat. Platina.

BRACCHIVS Perusinus, Italiæ ducum non postremus, à Iacobo Caudola Pontificis duce, ad Aquiloniam cæsus est. Pontifex Martinus III. cadauer exhumari, & ossa solo spargi iussit, quòd infestus ecclesiæ insectator, [redacted] t. Anno sal. 1424. Braccellus lib. 1. Belli Hisp.

DANTES Florentinus, poëta grauissimus, cùm scripsisset opusculum de Monarchia, Imperium ab Ecclesia minimè dependere: eius rei gratia tanquam hæreticus, post mortẽ damnatus est, cùm aliorũ, tum Bartoli Iurisperiti sententia, super lege prima. ff. de inquirendis reis.

Hismaël Sophus Persarum regia Taurisio occupato, sepulcrum eximij operis, quo auunculus IACVPPVS more Persarum conditus fuerat, euerrit, ossibusque dissectis, & abrasis totæ urbe eius titulis, quò dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Harduellem enim Hismaëlis patrem Iacuppus interfecerat, metuens, ne sub nouæ religionis prætextu regno insidiaretur. Iouius.

IACOBI Patij, qui ob conitrationem contra Medices initam laqueo strangulatus fuerat, cadauer, licet in sepulcro maiorum permissũ magistratus conditum esset, ab irata tamẽ plebe Medicibus addicta, inde extractum, atque in agro publico ad urbis mœnia humatum est. Mox uerò ex eo ipso loco illiud plebs abstuxit, atque eodem quo fuerat laqueo uiuus suspensus, nudum per urbem tractũ in Arnum proiecit. Brutus lib. 6. hist. Flor.

IVLII II. Pp. cadauer refossũ, & anulo spoliatũ fuit ab Hispanis, in expugnatione Romana à Caroli V. exercitu, an. 1527. prid. Kal. Maias. Iouius in Pompeio Columna.

Absq; honore funeratum Cadauer.

IORAMVS Iudæorũ rex impius, cùm octo annos regnasset, discessit à nullo desideratus, absq; omni funeris honore, in priuato loco, non in regum sepulcro, tumulatus. 2. Paralip. 21.

In pugna ad Platæas cõmissa contra Persas, quicunq; Græcorũ mortem oppetiere, omnes honore affecti sunt, præter ARISTODEMVM Spartanũ, qui ideo caruit honore, quòd uisus est occumbere uoluisse, ut ignominiã, quam in turpi fuga ad Thermopylas contraxerat, eluteret. Herod. lib. 9.

Onirocriticorũ primo scribit Artemidorus: EORVM, qui sibimet laqueo gulam fregerint, nomina supprimi à domesticis in mortuorum cœnis. Propterea exitium id cuidam præmonstrasse, qui nomen se amisisse somniarat. Cælius libro 17. cap. 21. Antiq. Lect.

Cic. pro Milone, P. CLODIVS, inquit, sine imaginibus, sine cãtu, sine ludis, sine lamentis, sine funere, sine laudationib. ambustus est abiectus.

DOMI-

DOMITIANI Imp. à coniuratis occisi cadauer populari sandapila per uespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latina uia funerauit: sed reliquias templo Flauiç gentis clàm intulit, cineribusq; Iuliæ filiæ Titi, quam & ipsa educauerat, commiscuit. Suetonius.

Imperator Andronicus MICHAELIS Comneni Palæologi F. patrem Imperatoria sepultura adeò nō honorauit, ut ne plebeia quidem sit dignatus: præterquàm quod iussit, ut noctu pauci quidam cadauer procul à castris abductum multa terra obruerent: id modò cauens, ne Imperatorium cadauer à feris discerperetur. In causa erat, quòd dum uiueret, à recta Ecclesiæ doctrina desciuisset. quod factum filius; etsi patrem adamabat, & pietate filios omnes atq; obseruantia superabat, ex animo clàm oderat. Gregoras lib. 5.

MATTHÆVM Magnum Vicecomitem Mediolanẽsem à Clemente V. excommunicatum, filij secreto ignobilique in loco tumularunt, celata etiã aliquandiu morte, ne cadauer in aduersa fortè belli fortuna, sæui legati contumeliis esset obnoxiũ. Sed eo honore facilè carere potuit, qui publico consensu illud perenne lateque diffusum decus excelsa uirtute meruerat. Iouius in uita Matthæi.

RICARDI III. regis Anglorum cadauer sine honore funebri sepultum. Etenim ab Henrico Richemondię Comite cadauer nudum dorso equi impositum artubus utrinq; dependentib. Lecestriam sine honore delatum fuit. Polyd. lib. 25.

IANVS Pannonius Quinqueeclesiensis episcopus sepulturæ honore caruit, quòd cum Strigoniensi archiepiscopo contra Matthiam Coruinum Vngariæ regem coniurasset. Bonfinius libro 3. Decad. 4.

Tardè tumulatum Cadauer.

ALEXANDER Philippi & Olympiadis filius, cùm Babylone animam egisset, dum eius præfecti de regno contenderent, triginta diebus inhumatus, carẽsq; sepulcro relictus fuit: donec Aristander Telmissensis uates in medios Macedones irruit, & ad eos locutus: Omnes, inquit, omnium seculorũ reges Alexandrum felicitate superasse, tam uiuum quàm mortuum. Etenim deos immortales sibi notum fecisse, in quacũque terra requiem ipsius corpus primùm esset habiturum, eã felicitate abundantem, & ab omni hostili uastatione in perpetuum liberã fore. Hæc cùm audiuissent, pro se quisq; summo studio diligentiaq; annitebantur, ut in suũ regnum singuli transferrent, & thesaurum possiderent, quasi obsidẽ firmitudinis imperij & immobilitatis. Ptolemæus corpus eius maxima festinatione Alexandriam deportauit. Sed quia Perdiccas persequi conabatur, impetum eius astu elusit. Etenim facto simulacro, Alexandri effigiem referente, ueste regia exornauit, & entaphiis honorificentissimis. Deinde in Persicũ currum impositum, feretrum eius magnificè auro, argẽto & ebore instruxit. At uerũ Alexandri corpus apparatu tenui, & ut præsens res ferebat, præmisit per uias occultas & inuias. Perdiccas cùm deprehendisset simulacrũ mortui, instructũq; currum, omisit persecutionem, ratus se iam in manib. habere id de quo certatum esset. At serò resciuit ueritatẽ, cognouitq; se fallaciis circumuentum esse, cùm iam amplius persequendi facultas non daretur. Aelianus lib. 12. de Var. hist.

GVLIELMO Normanno, Angliæ regi, bello inuicto, corpori sepultura interdictum fuit. Templum extruxerat aliena in area, nec persoluerat precium domino: qui tunc egens, pompam funebrem, cœtumq; procerum nihil ueritus, in mediam prosequentium regium funus celebritatem, mirantibus cunctis satisne sanus esset, se intulit, ita clamitans, Qui regna oppressit armis, me quoque metu mortis hactenus oppressit. Ego iniuriæ superstes, pacem mortuo nõn dabo. In quem effertis istum hominem locum, meus est. In alienum solum inferendi mortui ius nemini esse defendo. Sin extincto tandem indignitatis auctore, uiuit adhuc uis: Rollonem conditorem parentemq; gentis appello, qui legibus ab se datis quàm cuiusquam iniuria plus unus potest, polletq;. Simul incendiũ, incertum fortè, an fraude humana ortum, latè domos propinquas ædesq; sacras depascit. Vndiq; ad extinguendã sæuientem flammam concursus fit, circa regium cadauer solitudo facta. Velut manifesta numinis ira tertitus Henricus Regis mortui filius, qui solus procerum diuelli à feretro nõ poterat, rem præsenti pecunia fundi domino luit. Ita manes patris fraude noxaq; liberati. Pietas Henrici, qui minimus natu, filiorum solus funeri patris officium præstitit, superis cordi fuit. Infelici enim fratrum fato superstes, annos quinq; & triginta in Anglia regnauit, prolesq; eius filiæ per multa deinceps secula in eo solio sedit. Aemilius lib. 3.

MICHAEL Palæologus Imperator in Lugdunensi concilio sub Gregorio XII. reconciliatus est Latinæ ecclesiæ, & cum suis alta uoce symbolum Nicenum canere cepit in signum concordiæ. Eam ob rem in tantum Græcorum odiũ incidit, ut à monachis & sacerdotibus, Calogeris dictis, sepultura fuerit prohibitus. Cuspinianus.

Leonis X. studio Henricus IIX. Britanniæ rex contra Ludouicum XII. bellum gerebat. In gratiã Galli IACOBVS Scotorum rex Angliam inuasit, & ad Tylum cæsus est an. 1513. Cadauer eius Beruicum delatum, diu sepultura caruit: nã ab Anglis, quòd Gallis schismaticisq; fauisset, sancto funeris sepulcriq; honore, & Christianis ceremoniis indignus putabatur. Adnotabant pleriq; repetita superiorum regum memoria, Iacobum infelici potius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse: quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno, atq; idem sortiti nomen, ante diem ferro peremti mortem oppetiissent. Sab. supplem. lib. 1. ex Iouio.

Loco ignobili, profano, sepultum Cadauer.

IOAS Iudæorum rex propter idololatriam à duobus amicissimis in lecto confossus, neque in regum sepulcreto sepultus fuit. 2. Paralip. 24.

Pœna PROPHETÆ, qui panem contra diuinum mandatum in domo mali prophetæ comederat, fuit, quòd nõ fuit sepultus in sepulcro patrum suorum. 3. Reg. 13.

Apud GRÆCOS lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegerat, sepulcro patrio non humaretur, sed externo. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14.

AVGVSTVS Cæsar testamento cauit, ne Iuliæ duæ, filia & neptis, sepulcro suo inferrentur. Suetonius.

REGINA Scotorum, cùm Fergusium III. maritum noctu suis ipsa manibus strangulasset, & mox in cœtu populi suum crimẽ sponte fassa, cultro, quem ueste abdiderat, se confodisset, sacra caruit sepultura. H. Boëthius lib. 9.

BRACCHII Perusini ducis fortissimi corpus Romam delatum, in prophano est sepultum extra muros urbis, ad Laurentij fanum. Sabellicus libro primo, Enneadis 10.

ODETTVS Foisseius Lotrechius, Galliæ regis Frãcisci I. in oppugnando Carolo V. Cæsare, exercitus Imp. quum in Neapolitana obsidione bis incisa uena sanguinem minuere frustrà esset conatus, anno 1528. excessit è uita, & absque omni funebris pompę apparatu, in eadem uilla Aragonij Montalti, ubi prætorium fixerat, cumulo arenæ tumulatus. Huius cadauer Hispanus quidam, impiæ atque impudentis argutiæ, rapax, sabulo erutum, è castris in urbem retulit, & in regione, quam Sellariam uocant, recondidit subterranea in cella, ut uenalitium cadauer aliquem è Gallia pietate atque reuerentia insignem emtorem reperiret, qui redemtum repenso multo auro in Galliam ad Foxiæ gentis sepulcra referendum curaret. Sed nemo unquam uel propinquorum, qui sepulturæ iacturam magnifaceret, aurumq; rependeret, comparuit. Iouius lib. 26. Hist. At ille idem in uita eius Hispanum emtori Gallo dare recusasse ostendit.

MONVMENTA, SEPVLCRA IGNOMINIOSÈ habita. Nempe per dedecus

Deiecta, Euersa.

Heic Ignominiæ solius ratio habetur. Ex Tit. Inhumanitatis erga mortuos, petantur exempla.

Licinius Imperator genus suum ad Philippum Augustum referebat. Ob id in publicis monumentis nomen illius adoptauit, dictusque M. Iulius Licinius Licinianus: quoniam proauus (ut ipse dicebat) fuit M. Iulius Philippus Imperator. Quinimo teste Iulio Capitolino, subuertit in Perside tumulum GORDIANI, quòd titulus uidebatur progenitoribus suis iniuriã facere, cùm se uellet uideri à Philippis originem trahere. Cuspinianus.

Clauennæ in templo, saxo incisum tale erectum fuit epitaphium: cæterùm inuidia improborum, qui uocem INCOMPARABILIS soli Deo conuenire, inter homines nullis, ut prætextum haberent suæ nequitiæ, asserebant, deiectũ est. Et sic ingeniosissimus iste ætate nostra criticus de bonis literis & p̃sertim de lingua Hetrusca, p̃clare meritus, imperitorũ censurã pertulit. D. O. M. & MEMORIÆ Ludouici Casteluitrei Mutinensis, uiri scientiæ, iudicij, morum, ac uitæ incomparabilis: qui dum patriam ob improborum hominum sæuitiam fugit, post decennalem peregrinationẽ tandẽ hîc in libero solo liber moriens, liberè quiescit. Anno ætatis suæ LXVI. Sal. uerò nostrę MDLXXI. die XX. Febr. FR. M. M. P.

Spoliata.

Ex loco Auaritiæ in spoliandis sepulcris, huc ea, quæ ignominiam coniunctam habent.

MEMORIA MORTVI DAMNATA.

Borbonij Dux CAROLVS, in oppugnatione Romæ mortuus, anno sal. 1527. Lutetiæ damnatus fuit, à senatu, læsæ maiestatis, deuotum eius nomen atq; memoria: reuulsa insignia, publicata bona. Sententiam tulit Antonius Pratensis, Cancellarius. Fuerat animo in regem infestissimo, & Massiliam obsessurus, quoniam id temporis Angliæ rex erat partium Cæsaris,

ris, literas dabat ad cardinalem Eboracensem, ac inter alia, nulli se labori suo uel periculo parciturum esse demonstrabat, ut Henricum regem, in recuperando iure, quod in Galliam haberet, adiuuare possit. Sleidanus lib. 5.

DEDECVS CONSIDERATVM RESPECTV REI SIVE MERITI. TVM

PROPRII. OB *Ignauiam, Timiditatem.*

Calphurnius Piso consul, & Octauius Augustus MILITES, ignauos & timidos tunicatos discinctosq; per totum diem, cum decempedis, plerunq; cespitem portantes, ante prętorium stare: uel obsoleta toga & tunica discincta, nudis pedibus ante principia adesse: uel fossam fodere discinctos cogebant. Alex. lib. 2. cap. 13.

Stuprum.

Vide Tit. Libidinis pœna.

Perfidiam.

Consule Tit. Perfidiæ pœna. quatenus cum Ignominia iungitur.

ALIENI. HVC PERTINET IGNOMINIA & dedecus

PATRIÆ, OB CIVES IMPROBOS.

Quum ARGIVI Thebanorum essent socij, ATHENIENSIVM oratores in Arcadiam missi, uituperarunt utramq; gentem: & Callistratus rhetor Orestem & Oedipodem ciuitatibus exprobrabat. nam Orestes Argiuus fuit, Oedipus Thebanus. Interim surgens Epaminondas: Fatemur, inquit, apud nos fuisse qui patrem occiderit, apud Argiuos, qui matrem necarit: sed eos, qui hæc patrarunt, nos expulimus, Athenienses receperunt. Tanto compẽdio conuicium retorsit in auctores. Plut. in Græcorum apophthegmatis.

CIVIVM, OB PATRIAM *Obscuram.*

IESV Christo Seruatori perfidi Iudæi patriam obiecerunt, φ Nazaræus esset: item parentes, quòd fabri filius esset: illud, quia in Nazareth Galileæ uico educatus: hoc, quia à Iosepho nutritus erat. Iulianus Imperator apostata eum Galilæum, & Christianos Galilæos nominauit, maiore perfidia an impietate, dubium.

VLYSSES natus & educatus in Ithaca aspera & inculta, prudentissimus tamen euasit inter rudes & agrestes homines. Sic de eo Helena Iliados γ.

ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης κραναῆς περ ἐούσης,
εἰδὼς παντοίους τε δόλους, καὶ μήδεα πυκνά.

Cùm ANACHARSI in iurgio à quodam obiiceretur, quòd Barbarus esset: Et Græci, inquit, apud Scythas barbari sunt.

Cicero OCTAVIO, qui ex Africa oriundus putabatur, cùm uerba se Ciceronis negaret exaudire: Atqui aurem, inquit, habes perforatam. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium 1.

VALENS Imp. cùm Chalcedonẽ oppugnaret (iam enim Procopius tyrannus Nicæam Bithyniæ matrem possederat, & alias plerasq; urbes) è muris est pluribus lacessitus probris, qui cum ignominiosè Sabaiarium appellabant, obiiciẽtes ei genus, quòd Barbarus esset & Pannonius. Est autem Sabaia, ex ordeo uel frumento in liquorẽ conuersus paupertinus in Illyrico potus, teste Marcellino. Cuspinianus.

GREGORIO Nazianzeno theologo summo Ariani obiecerunt sæpe, quòd Nazianzi (ignobili oppidulo Cappadociç prope Cæsaream) patre Gregorio natus esset, tenuis fortunæ homine, quiq; ex Hypsistariorum hæresi esset (medium quid ea inter Iudaismum & Ethnicismum habebat) quãuis postea cõuersus, Nazianzi episcopus factus fuerit. Ipsemet testis in oratione ad Arianos.

Direptam.

Adimantus Ocyti F. Corinthiorum dux ad Salaminem, THEMISTOCLI Atheniensium duci suadenti, ut illic ad Salaminem cum Xerxe pugnarent, inter cætera probri loco obiecit, quòd patria careret, utpote Athenis à Xerxe direptis & incensis. Themistocles tamen ecõtrà sibi patriam multò maiorem esse quàm Corinthiis asseruit: unde naues fermè CC armatæ adessent, pro Græcorum libertate pugnaturæ. Herodotus lib. 8.

GENERIS, FAMILIÆ. HVC MAIORES obscuri, improbi.

Consule Tit. Humili loco orti, qui clari euaserunt. illic Claritatis acquisitæ, hîc Obscuritatis hæreditariæ habetur ratio.

Iudęi ex captiuitate Babylonica redeuntes duce Zorobabele, quicunq; familiam & stirpem suam ostendere non poterãt, an ex Israelitis essent, reiiciebantur. Itaq; orti de Berzelai Galaaditæ filiabus SACERDOTES, cùm suæ stirpis codicem scrutati, non extarent, abdicati sunt sacerdotio, & ueti sacrosanctis uesci, donec extaret, qui ex Dei oraculo, adhibito Aaronis monili, sciscitaretur, an illi ex sacerdotum genere essent. 1. Esdræ 2.

L. CORN. Sylla patricio quidẽ genere natus, sed humili prorsus & paupere. Ex maiorib. eius Ruffinus cõsulatum gessit, maiore ignominia quàm honore. quoniam cùm deprehensus esset argenteorũ uasorum supra X libras possedisse, Senatu eiectus est. Ab illo cętera progenies humili statu uixit, & ipse Sylla tenui patrimonio educatus fuit. Plut. in Sylla.

M. TVLLIVS, quum ob Ciceronis cognomen dicteriis incesseretur, ab amicis admonitus, ut aliud sibi cognomen adsciſceret, respondit: se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Quæ familiæ cùmprimis illustres erant apud Romanos. Cognomen autem ideo patebat cauillis, quòd à cicere uilissimo legumine dictum uideretur. Quasi uerò non & Fabij à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuisse uiderentur. Parum illustris est, qui prȩter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis. pulcerrimũ autem nobilitatis genus est, quam sibi quisq; propriis uirtutibus conciliat. Nec fefellit M. Tullius. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quàm trecẽti Catuli aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis & imaginibus. Plutarchus in Apopht. Rom. & in Cic. Ei cùm generis ignobilitas à Salustio obiiceretur: Satius est, inquit, meis rebus gestis florere, q̃ maiorum opinione niti: & ita uiuere, ut sim posteris meis nobilitatis initiũ, & uirtutis exemplũ.

HORATIVS Flaccus obscuritatem natalium suorum lib. 1. Epistola ultima fatetur:

Me libertino natum patre, & in tenui re
Maiores pennas nido extendisse loquêris,
Vt quantum generi demas, uirtutibus addas.

PARENTVM, PROPTER FILIOS *Improbos.*

SAMVEL propheta, Israelitarum iudex, propter improbitatẽ filiorum suorum, improbè iudicia administrantium, petenti populo Saulum, primum regem Iudæis dedit. 1. Reg. 8.

DAVID rex sanctissimus, etsi multos, nefarios tamen habuit liberos, ex diuersis uxorib. susceptos. Amnon sororem suã Thamarem, morbum simulans, cõstuprauit. Amnonem ob id facinus Absalomus ad conuiuium uocatum inter epulas obtruncauit, & triennio exulauit. Reuocatus inde, cõtra patrem Hebrone coniurauit: eumq; ab omnibus ferè desertũ, Dei solius numine tutum, persecutus est: cum cõcubinis patris Hierosolymis publicè concubuit, & tandem in cõflictu à Ioabo lancea transfixus. 2. Reg. 13. 11. & 18.

PELOPIDAS Thebanus filium habuit improbũ. Itaq; cùm Epaminondas ab eo reprehenderetur celibis uitæ nomine, quasi malè in hoc patriæ consuleret: illi argutè respondit: Vide uerò ne tu peius patriæ consulas, qui talem ex te natũ relicturus sis. Probus in eius uita.

STILPON Megarensis, habebat filiam parum secũdæ famæ. Cuidam igitur dicenti, Dedecorat te filia: Nihilo magis, inquit, quàm ego illam decoro. Sentiens, neminem alienis factis dehonestari, sed suis quenq; moribus æstimandum esse. Plut. lib. de Tranquil. & Laert. lib. 2. c. 12.

T. SEMPRONII Gracchi superstites liberi Tiberius & Gracchus, perniciosi ciues. Tiberius enim legem agrariam turbulentissimam, inuisam patrib. cõtra decreta senatus tulit: Caius uerò Tribunus pl. improbis concionib. rẽpub. uexauit, actaq; sua tueri uoluit. Alex. lib. 1. c. 18.

M. SERGII uiri fortissimi gloriæ non parum pronepos Catilina detraxit. Plin. lib. 7. c. 28.

M. AGRIPPA, ut cætera felix, at stirpe tamen infelicissimus fuit: per utrasq; Agrippinas maximè, quæ Caium & Domitium Neronem principes genuere, totidem faces generis humani. Plin. lib. 7. cap. 8.

AVGVSTVM Cæsarem lætum atque fidentem, & sobole, & disciplina domus, fortuna destituit. Iulias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Caium & Luciũ in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos: Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simulq; priuignum Tiberium adoptauit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam breui, ob ingenium sordidum ac ferox, abdicauit, seposuitq; Surrentum. Solebat eos appellare tres Vomicas, ac tria Carcinomata: & ad omnem illorum mentionem exclamabat uersu Agamemnonis illud apud Homerum:

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. id est,
O utinam celebs mansissem, orbusq; perissem.

Quin & testamento cauit, ne, si quid accidisset Iuliæ filiæ & nepti, sepulcro suo inferrentur. Suetonius.

Nullus ex omnibus, qui ad id tempus imperarant, ditiores reliquit filios SEVERO Imp. nullus turpiores, Bassianum fratrici-

tricidam, & Getam fuerferè obferuatum fit, fummos uiros aut fine liberis mori, aut tales relinquere, ut fatius fuerit filios non habere. Sab.lib.5.En.7.

Enituêre in LVDOVICO Pio Imp. præcipuæ quędam animi dotes, ut Magni Caroli filium agnofcere poffis, unde pręter cætera Pij cognomentum fibi afciuit. Huius uerò liberi, & auo & patri diffimiles, nulla nõ infamiâ notari poffunt: ꝙppe qui patrem fuum, exutum regno, claufum tenuerint duriori cuftodia: & uix fremẽte uniuerfa Gallia & Germania, liberum dimiferint. Egnat.lib.3.c.5. & Ritius Neapol. lib.1. de Reg. Franc.

HENRICVS IV. Imp. filiorũ rebellionem expertus eft. Conradus, cui regnum Italiæ commiferat, ab eo defecit, nihil tamen contra patrem grauius moliens. At Henricus V. quem imperij confortem fecerat, & armis patrem & carcere exercuit. Cufpinianus.

FR. BVSALVS ciuis Romanus, duos filios mutuis uulnerib. fe petentes uidit, totidem ob feditionem fecuri percuffos: alium qui nouercam interfecerit, filiam uerò, quę præfente marito uenenum haufcrit. Rauifius.

Deformes.

Apatnis promontorium Lampfaci, quafi inficialem dicas: ꝙ VENVS, cùm Priapum deformem Lampfaci pepcriffet, inficias iuerit, & regionem illam Aparnida uocarit. Suidas.

CARCINI poetę Athenienfis liberos fic quidam irridet:

ὄρτυγας, οἰκογενεῖς, γυλιαύχενας, ὀρχηστάς,
ναννοφυεῖς, σφυράδων ἀποκνίσματα, μηχανοδίφας.
ἢ γὰρ ἔφασχ' ὁ πατὴρ γαλῆν τῆς ἑσπέρας ἀπάγξαι.

Coturnices dicit, quòd fint rixofi: uernas, quòd in umbra nutriti, ut domefticæ auiculæ: γυλιαύχενας, uel ob gracile, uel ob nullum collum: faltatores, quòd pater eos in fabulis faltantes induceret. reliqua ad pumilionum breuitatem ftaturæ pertinent, præfertim ftercora ouium & caprarum: quę parua cùm fint, paruæ rei pars, parũ ac nihil potius erit. μηχανοδίφας, quòd pater eorũ in fabulis machinas multas induxerit: unde à Platone Dodecamachanos, à XII. machinis eft appellatus, quibus dij afcenderent aut defcenderent. Fecerat item fabulã Mures: unde dicit, felem noctu fufpenfam effe. Suidas.

L. MALLIVS pictor egregius, deformes filios habebat. Quibus uifis, amicus apud eum cœnans: Non fimiliter, ait, pingis & fingis, Malli. Ille autem: Nimirum, inquit: fingo enim in tenebris, in luce pingo. Macrobius lib.2.c.2. Saturn.

Cicero VOCONIO occurrens fecum ducenti tres infigniter deformes filias, exclamauit: Inuito Apolline feminauit liberos. Plut. in Cicerone.

FILIORVM DEDECVS, propter Parentes

Obfcuros, Pauperes.

BION Boryfthenites genere fuit. Cùm ab illo rex Antigonus fcifcitaretur:

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες.

Ede tuum nomen, patriam, genus, atq; parentes. fentiens fe ab aliquo traductum fuiffe apud regem, fic refpondit: Pater quidem meus libertus fuit, cubito fe tergens (fignificabat autem illum fuccidiã & lardum uendere folitum) Boryfthenites genere, non habens faciem, fed in facie fcripturam acerbiffimi domini: mater autẽ ex lupanari. Deinde pater nefcio quid in rem publicanorum committens, cum tota domo uenundatus eft. Me adolefcentulum haud infcitum orator quidam emit. Is moriens, mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipfius exurens, Athenas conceffi, ibique philofophatus fum:

ταύτης τῆς γενετῆς, τοῦτο πατρὸς εὔχομαι εἶναι. hoc eft:

Huius me effe patris, generis me glorior huius.

Demofthenes ait Aefchinis matrẽ, cui ipfe LEVCOTHOÆ nomen mutaffet, appellatam fuiffe Empufam, eo quòd quęftus gratia quiduis & faceret & pateretur. Erafmus in adagio, Proteo mutabilior.

Libidinofos. Nothi.

☞ *De his fimul fub loco Participationis.*

Peregrinos.

HYBRIDAS uocabant femiferos, metaphora à fuibus, patre fero, matre cicure fatis, deducta, quòd alterutro parente peregrino effent nati. Id quod C. ANTONIO, Ciceronis collegæ, in confulatu fuit obiectum. Plin.lib.8.c.53.

CONIVGVM DEDECVS OB CONIVGES.

☞ *De his fub loco Participationis.*

DEDECVS CONSIDERATVM RESPECTV PERSONAE AGENTIS, hoceft, IGNOMINIAM inferentis.

Titulo huic eadẽ, quæ reliquis, exempla accommodari queant, fi eum, qui Ignominiæ auctor eft, confideres. fiue perfona publica fit, Rex, Princeps, Subditi: fiue priuata, Pater, Coniux, Dominus. item Probus fit, an Improbus: Prudens, Iuftus, an Stultus & Iniuftus.

DEDECVS CONSIDERATVM MATERIALITER ET PER SE, TANQVAM RES IGNOMINIOSA. Huius loci eft

EXISTIMATIO, AVCTORITAS nulla. CONTEMTI Homines.

☞ *Ex Tit. Contemtus, exempla quædam huc facere poffunt. Illic Affectus eius, qui contemnit, habetur ratio: hîc Dedecoris & Ignominiæ eius, qui contemnitur.*

Eruditionis contemtus.

☞ *Vide Titulum, Doctorum contemtus, odium.*

MELESIGENES, qui poftea Homerus dictus fuit, poetarũ princeps, à Cumanis eiectus fuit, cùm ei publica alimenta dare negarent, quòd cæcus effet. Vnde Homeri nomen habere cœpit. Plut. & Herodotus.

Prudentiæ contemtus.

☞ *Vide Tit. Bonis confiliis qui non paruere. quatenus Imprudentiæ Contemtus aliorum iungitur.*

LACEDÆMONII improbi uiri prudens confiliũ non priùs fufceperunt, quàm auctore mutato. Gellius lib.18.c.3. ex oratione Aefchinis contra Timarchum.

Fortitudinis contemtus.

Caftruccius Caftrocanis Pifanorum tyrannus uictoria utendum ratus, uictrices copias Florentiæ mœnibus admouit, fuburbanas delicias in oculis hoftium euaftans, & pleraq; ædificia incendẽs. In ea expeditione Actius Viccecomes Caftruccio à patre Galeacio auxilio miffus, FLORENTINIS è muro fpectantibus, ludos equeftres in Arni infula edidit, propofito ad præmium uelo ferico purpurei coloris, ut redditio contumeliæ talione Florentinis illuderet, qui fimiles decurfiones Mediolano obfeffo ante Comenfem portã iactanter ediderant. Iouius in uita Actij.

Iuftitiæ, Fidei. Nulla fides habita.

☞ *Vide inter affecta Affectus, Non credere.*

CN. & Q. SERVILIIS Cepionibus, iifdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad fummam amplitudinẽ prouectis: item fratrib. METELLIS Q. & L. confularib. & cenforiis, altero etiam triumphali, in Q. Pompeium Aufidium repetũdarum reum acerrimè dicentib. teftimonium, nõ abrogata fides, abfoluto Pompeio: fed ne potentia inimicum oppreffiffe uiderẽtur, occurfum eft. Val. Max. lib.8.c.5.

Q. METELLVS Pius, L. Lucullus, Q. Hortenfius, M. Lepidus, Cn. Corneliũ maieftatis reum, non modò teftes onerarũt, fed etiam falutem, negãtes illo incolumi ftare Remp. poffe, depopofcerunt. Quæ decora ciuitatis (pudet referre) umbone iudiciali repulfa funt. Valer. Max. lib.8.c.5.

M. AEMILIVS Scaurus, princeps fenatus, C. Memmium repetundarum reum diftricto teftimonio infecutus eft. Item C. Flauium eadem lege accufatum teftis profcidit, C. Norbanum maieftatis crimine publicæ fubiectum quæftioni, ex profeffo opprimere conatus eft. Nec tamen aut auctoritate, qua plurimùm pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quenquam illorum affligere potuit. Idem.

L. CRASSVS tantus apud iudices, quantus apud P. C. Aemilius Scaurus (namq; eorum fuffragia robuftiffimis & feliciffimis eloquentiæ ftipendiis regebat: eratq; fic fori, ut ille curiæ princeps) cùm uehementiffimum teftimonij fulmen in M. Marcellum reũ inieciffet, impetu grauis, exitu uanus apparuit. Idem.

M. CICERO forenfi militia fummos honores ampliffimúmque dignitatis locum adeptus, in ipfis eloquẽtiæ fuę caftris teftis abiectus eft, dum P. Clodium Romę apud fe fuiffe iurauit: illo facrilegium & flagitium uno argumẽto abfentiæ tuente. Siquidem iudices Clodiũ incefti crimine, quàm Ciceronem infamiâ periurij liberare maluerunt. Idẽ. & Egnatius lib.8. cap.5.

DOMITIANVS Imp. conditionem principum miferrimam aiebat, quibus de coniuratione cõperta non crederetur, nifi occifis. Suetonius.

Gentis contemtus.

☞ *Vide Tit. Odium peregrinorum.*

HELGO

HELGO Rex Danus apud Saxones ingenui ac liberti necem pari fumma rependendam conftituit: omnes Teutones ex æquo feruos iudicans. Saxo Gram.

Imperij.

☞ *Confule Tit. Inobedientiæ.*

MONVMENTA IGNOMINIOSA. HVC PERTINENT

PARENTES, LIBERI, CONIVGES aliorum contumeliofè habiti.

☞ *Confule Tit. Crudelitatis ergà hoftium uxores, amicos. Illic Crudelis ultio, hîc Ignominia ultioni iuncta perpenditur.*

VRBS MOENIBVS NVDATA. Muri, Mœnia diruta.

☞ *Ex Tit. Vrbium captarum, exempla quædam huc transferenda.*

IOAS Ifraelitarum rex cùm Amafiam Iudęorum regem bello cepiffet, Hierofolymam ingreffurus, partem muri diruit, ut uictore curru inueheretur, omnesq; regios & facros thefauros auferens Samariam reuerfus eft. 2. Paralip. 25.

Valens Imp. CHALCEDONEM, quòd in partib. Procopianis fuiffet, nudari parte mœniũ, Conftantinopolim fpectante, iuffit. Sigon.lib.7. Imp. occid.

Henricus VII. Imp. BRIXIAM urbem, Turrianis fauentẽ, fame, ferro, flammis domuit. Sexaginta millia aureorum nummũm Cæfari dependerũt, fexagintaq; ciues nobiliores obfides, qui Romã ufq; officij gratia regẽ profequerentur. Cęfar muros fubrui, & ad folum ęquari iuffit: ac demolita porta, urbem poft fextum deditionis diem ingreffus eft. Cufp.

DOMVS ALIORVM IGNOMINIOSE

Deiecta, exufta, euerfa, publicata.

☞ *Euerfio & exuftio ad Paupertatis quoq; locũ pertinet. Hîc coniunctæ Ignominiæ habetur ratio.*

LEVTYCHIDIS domus excifa fuit, quòd dux in expeditione Pharfalica multum pecunię per corruptelam dono accepiffet, & in re deprehẽfus effet cùm federet in caftris, utraq; manu pecuniam tenens. In iudicium delatus, è Sparta profugit, & Tegeæ obiit. Herodotus lib. 6.

ASTYLI Crotoniatæ curforis domus in publici carceris ufum conuerfa, ignominiæ caufa, à Crotoniatis. quòd uictor in ftadio, Hieronis Dinomenis filij ftudio adductus, Syracufanum fe renunciandum curaffet. Paufan. lib. 6.

Commune hoc fuit Romæ iudiciũ in eos, qui regnum appetiffe dicerentur, ædes eorũ publicari & euerti. Sp. MELII regnum affectantis domus eft cõplanata, Populo iudicãte: & Aequimeliũ area dicta eft. Ipfe à Seruilio Hala, iuffu atq; imperio L. Quintij Cincinnati dictatoris, interfectus eft. In Vacci pratis, domus fuit M. VACCI, quæ publicata & euerfa eft, quò facinus illius memoria & nomine loci notaretur. M. MANLIVS cùm ab afcenfu Capitolij, Gallorum impetum repuliffet, ideoq; Capitolinus & à fuis omnib. ciuib. Patronus appellatus ac farre donatus effet: nõ fuit cõtentus beneficij fui gloria. Cùm primùm fuppreffiffe Gallicos thefauros argueretur, & addictos propria manu liberare: regni affectati fufpicione in carcerem cõiectus, Populi cõfenfu liberatus eft. Sed rurfus in eadem culpa, & grauius cùm perfeueraffet, regnum appetiffe iudicatus, damnatus, & de faxo Tarpeio præcipitatus eft. Ergo & domus eius euerfa, duobusq; lucis cõueftita, uifa eft quondã, in area ædes Monetę erecta: bona publicata funt. Gentilitas eius, Manlij cognomine, iurauit, ne qs poftea Capitolinus uocaretur. M. FLACCVS, quia cum Caio Graccho cõtra falutem Reip. fecerat, & Senatus fententia interfectus, & eius domus diruta & publicata eft: in qua porticũ fecit aliquãto pòft Q. Catulus de manubiis Cimbricis. Sed & macellum à MACELLO dictũ eft, cuius, quæ illic effet antea, domus publicè fuerit diruta. P. Aerodius ex M. Varrone, lib.4. de lingua Latina: Cicerone, pro domo fua: & Plinio, de Viris illuftrib. & Plutarcho.

SP. Caffio plus fufpicio concupitæ dominationis nocuit, quã tres magnifici confulatus, ac duo fpeciofiffimi triũphi profuerunt. Senatus enim populusq; Romanus nõ contentus capitali eum fupplicio afficere, interemto domũ fuperiecit, ut penatũ quoq; ftrage puniretur: in folo aũt ædem Telluris fecit. Itaq; quod priùs domiciliũ potẽtiffimi uiri fuerat, nunc religiofæ feueritatis monimentũ eft. Val. Max. l.4.c.4.

L. SYLLÆ domus à C. Mario euerfa. Sabell. ex Plutarcho.

CICERONIS domus à Clodio diruta, ꝙ aduerfus fe, de uiolatis Bonæ deæ facris, teftimoniũ dixiffet. Plut. in Cicerone.

Auguftus Cæfar OVIDII Pollionis crudeliffimi hominis domum funditùs euertit, atq; in eo loco Liuiæ porticum ædificauit. Dion Nicæus in Augufto.

BOEMVNDI Teupuli Veneti tyrannidem affectantis domus in macellum conuerfa. Egnat. lib.6.c.8. Similiter quoq; MARINI Faletri domus diruta, ipfo capite mulctato: ꝙ deprehenfus effet cum quibufdam plebeiis cõfpiraffe, ut ex duce, cuius poteftas moderamine finita eft, tyrannidem inuaderet. Fulgof. lib.6.c.3. & Egnat. lib.3.c.4.

PETRI Craonis perduellionis ædes folo æquata Parifijs: ꝙ & Ludouici, Caroli VI. Francorũ regis fratris, Mediolanenfis ducis, occultos amores uxori detexiffet: & poftea magiftrum equitũ ex iniqua fufpicione grauiffimè uulneraffet. Aemilius lib.10.

CAROLI Sauoifij domus ad D. Catharinæ in ualle Scholariũ Parifiis an.1404. demolita, quòd puer eius equitans unũ è ftudiofis luto afperfiffet, ortoq; tumultu inter ciues & ftudiofos, quidam fagittam in ipfum chorum D. Catharinę, ubi Rector facris folenni die intererat, contorfiffet. Permiffu tandem Academię reædificari cepta poft 112. an. Aegid. Corrozetus in Antiq. Parif.

Carolus VI. Francorũ rex, cùm perfonatus in IOANNÆ Borboniæ reginæ uiduæ ædib. ad D. Marcellum propè conflagraffet, domum funditùs demoliendã curauit, ut locus regis ftultitiam lueret. Idem.

Iulius II. Pontifex, IOANNEM Bentiuolum, Bononienfium principem, Bononia expulit, ope Gallorum adiutus. Domus eius incõparabilis ftructuræ, quam media in urbe ædificarat, ut abominandi dominatus memoria tolleretur, concurfu populi à fundamentis euerfa eft. Iouius.

Polluta, fœdata ftercore.

Tarfenfis quidam uentrem habens lubricũ, noctu ftercore oftium ATHENODORI Stoici fœdauit. Ille cùm feditionẽ acriter in cõcione reprehenderet: Vrbis (inquit) morbus & malus habitus, tum ex multis rebus, tum ex excremẽtis perfpici poteft. Strabo lib.14.

Infignita.

Cornua bubula VENETÆ puellę probri loco affixa fuere ab Aloyfio Antonij Venerij ducis Venetorum F. indignante illi, ꝙ ducis filium, plebeij fanguinis puella fperneret. Egnat. lib.5.c.8. & lib.6.c.3. & Fulgof. lib.5.c.8.

VILLÆ EVERSÆ, PVBLICATÆ.

Cùm Romani LEONEM IV. papam cognouiffent morbo lethali correptũ, collecta manu, omnia prędia, quæ idẽ pontifex in fingularum ciuitatum tentoriis nuper conftruxerat, diripuerunt, immiffoq; igni cremarũt: hinc Romam properarunt, quæ fibi erepta querebantur, uiolenter ablaturi. Aimoinus lib.4.c.101. de Francis.

ANIMALIA ALIORVM IGNOminiofè tractata.

THOMAS Cantuarienfis epifcopus, uelut hoftis Henrici II. regis habitus, cœpit fic uulgò contemni, ac in odio effe, ut cùm ueniffet aliquando Strodum (qui uicus fitus eft ad Meduciam flumen) eius loci accolę, ignominię caufa, caudam equi, cui infidebat, amputarint. Ioannes Maior lib.3. de Geftis Scotorum, & Polydorus lib.13.

Frãcifcus Carduccius, Florentiæ poft eiectos Mediceos dictator (cùm Carolus V. Imperator Mediceos ex fœdere in patriã reduceret) fui erga MEDICEOS odij declarãdi caufa, amœniffimas, quæ ornamẽto urbi erãt, Mediceorũ & Iacobi Saluiati uillas, intẽperantis & turbidæ iuuẽtutis impetu, incendiis abfumẽdas dedit: quanquam id nõ imperaffe, fed diffimulãter delendas obieciffe fateretur: fcilicet, ut ex tam horribili fœdoq; maleficio nunquã ueniam impetrari poffe diffiderent, quando id fcelus promifcuæ iuuẽtutis, ad omnes ferè ciuitatis familias pertineret. Iouius lib.27. Hift.

STATVÆ HONORIS CAVSA PRIVS erectæ, pòft per ignominiam

Deiectæ.

ASTYLI ftatua à Crotoniatis deiecta, quòd in Hieronis Dinomenis filij gratiam, Syracufanum fe renunciandum curaffet. Paufanias lib.6.

Nulli arbitror plures ftatuas dicatas, quàm Phalereo DEMETRIO Athenis: quib. per decem annos præfuit. Siquidem 360. ftatuere: quas mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierũ excedente. Plin. lib.34.c.6. Plut. in Politicis.

Athenienfis populus DEMADIS rhetoris ftatuas conflauit in matulas. Plut. in præceptis Politicis.

Alexander Magnus Perfepoli capta, ftatuam ingentem XERXIS regis à turba contemplatus in regiam irrumpentium imprudenter euerfam, fubftitit, ac ficut fpirantẽ compellãs: Vtrum te, inquit, ob illatum Græcis bellum præteribimus proftratum, an ob cæteram animi tui celfitudinem & uirtutem attollemus? Poftremò ut diu cogitabundus & tacitus reftitit, prætergreffus eft. Plutarchus in Alexandro.

Antigonus rex, occupatis Argis, tyrãnorum Argiuorũ ftatuas deiectas repofuit: ILLORVM, qui ceperant duce Arato Acrocorinthum, erectas, præter unam Arati, euertit. De quib. cùm enixè oraffet Aratus, nihil obtinuit. Plut. in Arato.

L. Pifo prodidit, M. Aemilio, C. Popilio II. Cofs. à cenforib. P. Cornelio Scipione, M. Popilio, ftatuas circa forũ EORVM,

qui magistratum gesserunt, sublatas omnes, præter eas, quę populi aut Senatus sententia statuæ essent. Eam uerò, quā apud ędem Telluris statuisset sibi Sp. CASSIVS, qui regnū affectauerat, etiam conflatam à censorib. Plin. lib. 34. c. 6.

C. MARIO Gratidiano statuas in omnib. uicis trib. Rom. erexere: easdemq; subuertêre L. Syllæ introitu. Plin. lib. 34. c. 6.

Cùm debellaret M. ANTONIVM Octauius cōsul, collegam cooptauit filiū Ciceronis: cuius in magistratu, Antonij statuas Senatus deiecit, omniaq; abrogauit eius alia ornamēta. Decreuit insuper, ne quis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur. Ita ad extremum ultio Antonij diuinitùs ad domum fuit Ciceronis reducta: quem ipse crudelissimè interficiendum curauerat. Plut. in Cicerone. Statuæ eiusdem deiectæ sunt, etiam Alexandriæ, Cleopatræ, loco non motæ. Imperrauit amicus eius Archibius à Cæsare mille talentis, ne cum Antonianis conuelleretur. Plutarchus in Antonio.

FAVORINVS Gallus philosophus, statuā promeruerat: quæ tamen Athenis, eo quòd Imp. Adrianum odio habebat, disiecta est. Philostratus.

Passus est Pertinax Cæsar omnes COMMODI Imp. statuas Senatus decreto aboleri, nomenq; ex omnibus publicis priuatisq; locis tolli permisit. Sabellicus lib. 5. Enneadis 7.

Licinius Antiochiæ MAXIMINVM, tanquam tyrannum, publico decreto notauit, statuas, ac tabulas, quæ illi, ac filiis eius positæ fuerant, sustulit. Sigon. lib. 3. Imp. occid.

PLACILLÆ Imperatricis sub Theodosio Magno statua ab Antiochenis ob impositum uectigal nouum deiecta. Cusp.

IVLIVS II. Pontifex Bononiam à tyrannide Bentiuolorū liberarat. At ubi Ludouicus XII. Gallorum rex Iulium armis persequi cœpit, Bentiuoli per Triuultium Gallicum ducem restituti statuā æneam Iulio liberatori in fastigio templi maximi positam, concitata plebe detraxerunt, conspurcatāq; fœdissimum in modum perfregerunt, atq; in tormenta conflarunt. Iouius in Alfonso Aretino, & Guicciard. lib. 9. Hist.

Cùm Maximilianus I. Rom. Imperator, in partes Venetorum, Sfortię & Pontificis Alexandri, contra Florentinos pro Pisanis adscitus, Pisas uenisset, an. 1496. à Decurionib. urbis, legatisq; Venetis in Mediceam domum deductus est, scutūq; marmoreum, cum liliorum aureorum insigni, quod in honorem CAROLI VIII. regis Galliæ Pisani medio in ponte collocarant, multitudinis concursu in Cæsaris gratiā confractum, & in Arnum præcipitatum fuit. Iouius lib. 4. Hist.

Pisani ab Aucuto Britāno uicti, Florētinis se dedidêre, & mansere sub Florētino imperio annos octoginta septē: quo tempore adeò seuerè auareq; ab his, qui quæstui atq; pecuniæ maximè studēt, imperatū est, ut fere Carolo VIII. Gallorum regi Pisas uenièti dederint, & marmoreū leonē. FLORENTINORVM insigne, in ꝓfluentē Arnū præcipitarint. Non multò pòst tā à Florētinis denuò subacti sunt. Iouius lib. 1. Hist.

Quum an. 1527. ad famam expugnatæ ab Caroli V. Cęsaris exercitu Romæ, & capti pōtificis Clementis VII. Medicei Florentiā essent exacti, iuuenū globus tumultuosè in templū Deiparę Virginis Nunciatæ irrumpens, ut studiū suum erga libertatem & ingens in Mediceos odium ostēderet, statuas Leonis X. & CLEMENTIS VII. Pontificum Medicearum lanceis transfodiendo, deiecit: unusq; ante alios fatilis & superbus ciuis Oricellarius, cognomento Cardinalis, Clementinæ statuæ faciem ingentis alabardę ictu deformauit, & Chiurlius Macciauellus dextrum Leonis statuæ oculum spiculo perfodit. Eodem uesano impetu cōcitata iuuentus, è scutis Medicearum familiæ puniceas pilas passim deleuit, usquequaquè ꝓuecta licētia, ut Laurentianū ingressa templū, è sepulcro magni Cosmi, titulū, quo Pater patrię decreto publico fuerat appellatꝰ, scalpellis abraderet. Iouius l. 25. Hist.

Constantinopoli euulgata HABRAYMI Bassæ nece, extemplò tanquam iure damnati nomen populus probrosis carminib. & uocib. lacerauit, factoq; impetu, statuas, quas ille ex Hungarica uictoria trophæi instar ante domum suam in Hippodromo collocarat, coniectis lapidib. ita deformauit, ut etiam ueluti priscarum gentium & numinū inania simulacra, turpissimo cœno defœdaret. Iouius lib. 33. Hist.

Tractatæ.

NERONI Imp. multæ statuæ erectæ sunt, in quarū una à uertice currus appositus est, cum inscriptione Græca: Nunc demum agon est, trahe tandem. Notatū est in Cæsare aurigandi studium, simulq; denunciatum periculum. Alteri cuidam eius statuæ & ascopera alligata est, cum hoc titulo: Ego qd potui? sed tu culleum meruisti. Solēt enim parricidæ culleo insui, & Nero matrē occiderat. Culleus itaq; sese excusans dicit, Ego quid potui? paratus, si quis te insuat: sed siue insuaris, siue nō, tu tamen culleum meruisti. Præterea colūnis statuarum illud adscriptū erat, Galli te cantando excitarūt. indignissimè enim ferebat Galliarum defectionē. Suetoni.

Euphrosyna Imperatrix HERACLEM, pulcerrimum Lysimachi opus, qui leoninæ pelli incumbens, capite in manū inclinato suas fortunas deplorabat, multis uerberib. affecit. Neq; hoc contenta, aliarum quoq; statuarū partes aliquas mutilauit, nonnullis capita malleis contudit. Nicetas lib. 5.

BARTHOLOMÆO Coleono Bergomensi, uiro in disciplina militari exercitatissimo, propter res bene gestas, & quia Senatū Venetū hæredē scripserat, statuā equestrē ex ære deauratā in area SS. Ioānis & Paul, Patres collocarūt. Inuidi patriā ei exprobrātes, nocte quadā scopā manibus, & collo laccū applicarūt: quæ baiulorū symbola sunt, quorū Bergomēsis ager feracissimꝰ est. Bernar. Corio in hist. Mediolanēsi.

SVB STATVÆ, COLVMELLÆ, SIGNA, ignominiæ causa erecta.

Sesostris Aegyptiorum rex quascunque gentes nanciscebatur feroces, & uehementer studiosas libertatis, in earum regionib. cippos statuebat, inscriptos literis sui nominis & patrię, & quę indicarēt, ipsum illos ui subegisse. QVARVM uerò urbes nullo prælio, nulloq; negocio cepisset, harū cippis inscripsit tum easdem literas, quas scripserat eis gentibus, quæ uiriles extiterant, tum muliebria genitalia: planū facere uolens, illos haudquaquā uiriles extitisse. Herod. l. 2.

ARISTOCRATI Arcadū regi proditori, columella infamię causa erecta. Cùm enim Messeniis bello secundo Messenico auxilia ferret, pecunia corruptꝰ à Laconibus, cùm signa collata essent ad Fossam magnam, suis, ut fugerent, auctor fuit. Qua fuga Messenij ꝓditi, oēm propemodū multitudinē & exercitꝰ robur amiserūt. Columellæ hi uersus inscripti erāt:

Vita dies facilè est, dextro Ioue, longa tyrannus,
Qui Messenem olim prodiderat miseram.
Difficile est hominem periurum fallere Diuos.
Tu salue & serua Iuppiter Arcadiam.

Pausanias in Messenicis.

SP. Cassij ob affectatā tyrannidē interfecti peculiū, Cereri est consecratū, signumq; ex eo ære factū cum huiusmodi inscriptiōe: Ex Cassia familia datū. Sab. l. 1. En. 3. ex Liuij l. 2. Dec. 2.

SVB IMAGINES. VEL

Honorificæ deletæ, erasæ, neglectæ.

Aratus, quo tempore Sicyonem patriam à Nicoclis tyrannide liberauit, omnes TYRANNORVM imagines statim sustulit: de ARISTRATI autem tyranni, qui Philippi tēpore floruit, imagine, diu deliberauit. Pictus enim erat currui uictori insistens Aristratus à Melantho, omnibusq; eius sociis, & Apelles quoq; operam suam eò contulerat. ut quidē Polemo Periegetes narrat. Opus erat spectatu dignissimū, ita ut artificiū animum Arati inflecteret: rursusq; tamen odiū tyrannorum incitaret, ut deleri mandaret. Nealcem tum ferūt pictorem, Arati amicum, cum lacrymis deprecatum: & cùm nō obtineret, dixisse: Tyrānis, nō eorum bonis, bellum esse indictum. itaq; uictoriam & currum reliquendū, se Aristratum de tabula sublaturū. Id cùm cōcessisset Aratus, deleuit Aristratū Nealces: & palmā (nihil aliud ausus ei operi affingere) in locū eius appinxit. ferunt tamē, deleto Aristrato, pedes eius infra currū demissos superfuisse. Plut. in uita Arati.

Constantinus Pp. Romæ habito concilio, PHILIPPICVM Imp. iconomachum & monothelitam diro, in eum composito carmine, pœnis inferorū deuouit. Populo quinetiā consentiente atq; iubente decreuit, ne Philippici tanquā hæretici Imperatoris, aut literæ aut nummi reciperētur, neq; imago eius, ut assueuerat, in templū inferretur, neq; nomen in sacrorum solennib. ederetur. Quinctiam sexti cōcilij pictura, quæ deleta Cōstantinopoli fuerat, iussa est egregio opere in porticu Vaticana reponi. Sigon. lib. 3. regni Ital. ex Martini Chronico, & Beda lib. 2. de Rat. temporum.

Tempulana coniuratione, decreto Venetorum cautum est, ne quis BAIAMONTIS Tępuli aut aliorum coniuratorum signa in albo aliáue materia referret, ubi principum imagines ordine sunt pictæ. Sab. lib. 3. Decadis 1.

MARINVS Falcrius, Venetæ urbis dux, deprehensus cū quibusdam plebeiis cōspirasse, ut ex duce, cuius potestas moderamine fuita est, tyrannidē inuaderet, cōiectus in uinculā, à Senatu capite multatus est ad Palatij scalas: dirutisq; ædibus, inusta eius nomini perpetua ignominia fuit. Siquidem in eo conclaui, in quo omniū Venetorum ducum effigies pingūtur, Marini thronū sedemq; atro colore operuerunt: inscriptione addita, eum esse Marinum Falertū, cui, ꝓpter crimē caput fuit ademtū. Fulg. lib. 6. c. 3. Sab. l. 3. Dec. 1.

Ignominiosæ positæ.

Ludouicus Bauarus Romā uenerat, & missis legatis ad Ioannē XXII. Auenionē, ad eo coronari petierat. Romani quoque Senatores à pontifice petebant, ut urbem inuiseret, antequam pontificum sedem, Romanoq; regi Imperialia insignia cum apostolica benedictione conferret: alioquin se, ꝑ antiquo iure sua uelle tueri. Ad hæc pontifex Ludouicū læsæ maiestatis reum ac hæreticum incusauit. Imperator ergo consilio procerum ac Romanorum, Petrum Cordariensem, Reatinum, professorem minorum, uirum ad res gerendas aptissimum, & haud imprudentem, summum pontificē creauit, creauit, sub Nicolai nomine. Quj mox lectis Cardinalibus & Episcopis, IOANNEM pontificem dignitate papali dejecit: simulacrumque eius astante Cæsare & Cardinalibus cremauit. Cuspinianus.

PETRVS Aponensis, philosophus & medicus [redacted]; hę resecos accusatus, pendente lite anno Christi 1315. moritur, & Patauij apud D. Antonium [redacted] tumulatur. Inquisito res ossa eius eruenda contendunt, & igni cremanda. Mariettā illius cōcubina noctu furtim surrepta, in sepulcro fracto apud D. Petrum Patauij abscondit. Inquisitores ergo cùm in cadauer sæuire non possent, effigiem eius in medio foro combusserunt, publicè lecta condemnationis sententia: Bernard. Scardeonus lib. 2. classe 9. hist. Patauinæ.

SVB SELLÆ CONSPVRCATÆ, FOEDATÆ.

Chios scribit Plutarchus in Apoph. Laconicis, SPARTAM uenisse, atq; inibi mero ęlētes cùm in Ephorium itassent, turpiter euomisse: quin & in magistratus eiusdem curulibus sellis uētris onera deiecisse. Pro quo scelere nil aliud Ephori pronunciarunt, quàm Chiis licenter lasciuire permissum esse, ut quibus natura institutoq; id foret insitum.

SVB TABVLÆ ALIORVM EVERSÆ.

P. Clodius Trib. pl. CICERONEM ab exilio reuocatū à Pompeio interficere primò conatus est; impetuq; in eius domū facto, redemtores operis fugauit, lapides & columnas disiecit. Qua Cicero iniuria impulsus, cum magna clientum & amicorum manu, æneas tabulas, quas ille de rebus à se in tribunatu gestis in Capitolio fixerat, loco suo diuulsas fregit. De quo quum in senatu accusaretur, ꝙ publica monumenta priuata auctoritate sustulisset, negauit Clodium tribunum fuisse, quando patricio homini per leges plebeium magistratum capere nō liceret. Ea sententia M. Catoni non placuit: quia etsi perniciosus in ea potestate Clodiꝰ fuisset, nihilominus tribunum fuisse intelligi uolebat: alio qui illa, quæ à se in Cypro gesta essent, tenere nō posse uidebantur, si Clodianæ rogationes nō tenerent. Hinc orta creditur tacita quædam inter Catonem & M. Tullium animorū offensa, sed quæ in apertam simultatē nō euaserit. Sab. l. 5. En. 6.

SVB ARMA, ORGANA QVÆVIS IGNOminiæ causa suspensa.

Cùm CCL. uiri Coram secuti, contra Mosem & Aaronem seditionem cōcitassent, & tanquam ipsi etiam sacri essent, coram Domino æreis acerris libassent, igneq; absumti essent: Eleazarus sacerdos Aaronis F. ex Domini præcepto acerras è medio collectas incēdio, in laminas diduxit, quib. ara Domini incrustaretur, ad perpetuam memoriam CORÆ eiusq; gregalium sceleris atq; pœnæ. Vide Tit. Clementia principum erga subditos.

Spartæ in loco, quem Sciadam, hoc est, umbraculum uocant, Milesij TIMOTHEI citharam suspenderunt Lacedæmonij, cùm ei multam eo crimine irrogassent, quòd septem uerum neruis, quatuor ipse in citharæ cantu addidisset. Pausanias in Laconicis.

SVB SPOLIA IGNOMINIOSE SVSPENSA, in triumpho ducta.

Vide Tit. Spolia honorifica. Hic citus, cui erepta sunt, habetur ratio: superiore loco eius, qui eripuit. Huic Honoris, illi Ignominiæ sunt argumenta.

Caput M. CRASSI & dexteram missit Surenas Parthorū dux ad Hyrodem regem in Armeniam. Inde rumore per nūcios Seleuciæ dispersо, se Crassum uiuum adducere, pompam quandam ridiculam instruxit, quam contumeliæ causa appellabat triumphū: siquidem qui in captiuis consimillimus Crassi erat, C. Pacianus, amiculo barbarico uelatꝰ, doctusq; Crassius & Imperator uocari, insidēs equo ducebatur. Eum tubicines & lictores quidam in camelis præcedebant. Dependebant ex uirgis zonę, & alligata securib. Romanorum recēns desecta capita. Ponè sequebantur Seleuciades meretrices cātatrices, uernilia multa & ridicula cātilenis in mollitiem & ignauiam Crassi modulantes. Hoc spectaculū publicè fuit editum. Senatu coacto Seleucienses, intulit lasciuos libros Aristidis, Milesiacos inscriptos. Neq; fuit hoc cōmentitiū: fuerant enim in Roscij impedimentis reperti, præbueruntq; Surenæ argumentum multis modis sūgillādi & eludendi Romanos, quòd neoin bello temperare iis reb. & scriptis ualerent. Plut. in Crasso.

Germani QVINTILIVM Varum cum legionibus Romanis tribus apud Bructeros Frisiis conterminos deleuere: signa & aquilas duas cepere, quas adhuc die possident. Nō enim biceps est aquila, sed duæ simul, quarum altera alterā expassis alis obtegit. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus Romanis, sed semper in hunc usque diem seruatæ. Cuspinianus, ex Suetonio.

Triumphantes, dum urbes intrant, ut Plin. c. ult. lib. 28. asserit, lanceis lauri folia pro signo uictoriæ affigunt. Ita apud Septentrionales SVEONES & GOTHOS, qui lauro carent, caudæ uulpinæ uel lupinæ tā in bellis, quàm in triūphis militaribus hastis alligantur: licet id in contemtū hostium potius fiat. Olaus lib. 8. cap. 14.

SVB LIBRARIA IGNOMINIA. HVIVS est loci LIBRORVM *Interdictio.*

Paulus IV. Pontifex omnes eos, qui ex Lutheri sententia scripsissent, diris deuotos, ex memoria hominum penitus euellere uoluit: Catalogo auctorum edito, quos hæreseos damnabat. Cuius exemplum & alij secuti fuerunt. Illud memorabile est, quòd cùm HENRICVS quoque Glareanus, de Rom. ecclesia præclarè meritus, siue per imprudentiam, siue per calumniam in eodem catalogo notatus esset, uix tandē multo labore diploma Pontificium cōsecutus sit, quo & anathemate solueretur, & loco pristino restitueretur.

Exustio.

Ioacimus Iudęorum rex HIEREMIÆ prophetæ uolumen, ꝑ Baruch scribam missum, in conspectu principum suorum igni exussit. Iosephus lib. 10. Antiq. c. 8.

Antiochꝰ Epiphanes astu occupatis HIEROSOLYMIS, inter cætera crudelia facinora etiam Legis libros, quoscunq; inueniebat, diserceptos igne cremauit, & eos, apud quos reperti essent, morte damnauit. 1. Machab. 1.

Libri PROTAGORÆ sophistę (eo quòd in cuiusdam principio posuisset, De diis neq; ut sint, neq; ut non sint, habeo dicere) ab Athenien sibus exusti fuerūt: auctor urbe atq; agro exterminatus. Cælius lib. 22. cap. 1. A. L. ex Cicerone de Natura deorum.

EPICVRI libros Alexander Pseudomantis siculneis lignis exussit, nullius precij philosophum significans. Erasmus in prouerbio, Siculneus.

Romani libros NVMÆ Græcos, de disciplina sapientiæ, quia aliqua ex parte ad soluendam religionem pertinere existimabantur, ex auctoritate Senatus, per uicimarios facto igne, in conspectu populi cremarunt. Val. lib. 1. c. 1. & Plutarchus in Numa.

Augustus Imp. & Pont. max. quicquid FATIDICORVM librorum Græci Latiniq; generis, nullis uel parū idoneis auctorib. uulgò ferebatur, supra duo millia contracta undiq;, combussit: ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoq; delectu habito. Suetonius.

In T. Labieno tanta & tam impromiscua memoratur libertas, ut libertatis nomen excederet: & quia passim omnes lacerabat, Rabienus uocabatur. In hunc primū excogitata est nouа pœna à ROM. effectum enim est per inimicos, ut omnes eius libri comburerentur. Quæ res inusitata fuit, & prorsus mira, supplicium de studiis sumi. Eam contumeliam Labienus nō tulit, nec superstes (ut inquit Seneca) ingenio suo esse uoluit, sed in monumēta maiorum suorum se ferri iussit, atq; ita includi: ueritus (credo) ne ignis, qui nomini subiectus erat, sibi negaretur: nec tantùm finiuit ipse se, sed sepeliuit. Cassius Seuerus Labieni amicissimus, quum ex senatusconsulto libri eius comburerentur, Nunc (inquit) me uiuum uri oportet, qui illos edidici. Cælius lib. 11. c. 13. A. L.

MARVLLI Calabri adulatoris poema ab Atila Hunnorū rege exustum fuit ob mendacia.

Basilius Imp. PHOTII patriarchæ Constantinopolitani uolumen contra Nicolaum & Romanæ Ecclesiæ ambitionem scriptum, & à synodo subscriptum, ad Adrianū missit, & sententiam de eo petiit. Adrianus illud Romæ in Synodo damnauit, & igni tradidit. Liber pontificalis.

Symmachus I. MANICHÆOS Vrbe expulit, eorumque libros ante fores Constantinianæ basilicæ concremauit. Horum misda, qui ei successit, Manichæis iterum in urbe Roma pullulantibus, eorum codices ante easdem fores incendio consumsit. Platina.

In concilio Chalcedonensi Nestorius & Eutychius, nefandus Manichæorum princeps, damnati: cōbusti etiam publicè sunt MANICHÆORVM libri. Idem.

In Vercellensi synodo, sub Leone IX. libri IO. SCOTI de Eucharistia conscripti, damnati fuerunt: quamuis ille Catholicæ Ecclesiæ iudicio se submisisset. Fulgos. lib. 1. c. 1.

Parisiis publicè duo libri Metaphysicorum Aristotelis Latio donati prælegebantur. Ex iis cùm ALMERICVS Carnutensis episcopus, hæreseos suos ansam, quòd ideę in mente diuina crearentur & crearent, desumsisse uideretur, cadauer eius effossum cum sectatorib. & libris exustum fuit. Aegidius Corozetus de antiq. Parisiensibus.

Alexander IV. libellos quosdam contra paupertatem editos à GVLIELMO de Sancto Amore, perpetuo edicto abolet. Affirmabat enim ille, pauperes religioni deditos, & cleemosynis uiuentes, non esse in statu salutis. Combussit etiam uidente curia Romana libellum pestiferum, quo auctor asserebat statum gratiæ non à lege Euangelij, sed à lege spiritus procedere. Quas opinio ex libris Ioachimi abbatis sumta

ta uidebatur. Hic autem liber à sectatoribus Euangelium æternum dicebatur. Platina.

Subinco, cognomine Lepus, episcop⁹ Pragēsis, libros IOANNIS Vvyclefi Angli publicè cōcremari iussit. Supra ducēta uolumina fuisse traduntur, pulcerrimè conscripta, bullis aureis tegumētisq; preciosis ornata. Ioanni Husso prędicatio interdicta, & adiectæ minæ, si qñ priores in populo errores uulgare auderet. Ipse Praga excedens, apud uillā Hus, unde origo ei fuit ac cognomē, permittēte loci domino, uocare plebes ac docere non destitit. Aen. Syluius c.35. hist. Boem.

MATTHÆVS Palmerius Florentiæ ortus Eusebiū in Chronicis & Hieronymū imitatus, graui ignominia notatus in iis, quę de angelis alio seorsum opere sunt ab eo ꝓdita: etenim publicè sunt Florentiæ combusta, ob multa in his errata. Sabellicus lib. 4. Enneadis 10.

IO. Reuchlini liber, quo negat oēs Hebręorū libros abolēdos esse, quamuis in iis multa insint superstitiosa & ridicula, aduersus Io. Phefercornū & Iacobū Hogostratū, à Coloniensibus damnatus & exustus. an. 1514. mēse Febr. Sleidan. lib. 2.

Leo X. MARTINVM Lutherū hæreticū pronūciauit, eiusq; scripta dānata à Louaniēsibus & Coloniensib. Theologis publicè exuri curauit. Lutherus eo cognito, conuocata omni multitudine scholastica Vitebergæ, & magna doctorum hominū comitāte turba, ius pontificiū, & illud nuper euulgatum pontificis decretū, palàm incēdit, Decēbris die decima, an. sal. 1520. & postridie, cùm doceret, uehemēter admonuit, qui suæ saluti consultū esse uellēt, ut à regno pōtificio sibi cauerēt. Edito deinde scripto, sui facti rationē exposuit, ex uetusto more & singulis temporib. obseruato; ut mali & perniciosi libri flāmis aboleātur: cuius rei testimoniū ex Actis Apostolorū extaret. Sleidan. lib. 2. Eiusdē Lutheri scripta à Parisiēsi, Coloniensi, & Louaniensi Academia publicè exusta fuere, an. Christi 1520. Stumpf. in Heluet. chronico.

Abiectio ignominiosa.

Cùm ARISTOBVLVS Alexādro Magno in poemate quodā suo, ita regi assentatus esset, ut eum elephantos interimere, turres prosternere, muros perfodere diceret: indignat⁹ rex, Apage isthæc, inquit, mendacia, quæ uera etiāsi essent, possent in mēdacij suspicionē uenire. Et simul librū in profluentem Hydaspū abiecit: similia auctori minatus, si tale quid in posterū ederet. Gyraldus Dial. 3. de Hist. poet.

Moneta ludibrio habita.

Sub annū Christi 1458. Cōstantiæ panegyris balistariorū indicta fuerat, & præmiis eò inuitati uicini, qui balista certarēt. Cōuenerāt etiā HELVETII, tum tēporis propter iugū Austriacorum excussum in magna admiratione & inuidia. Lucernensis quidā Cōstantiensi hospiti satisfacturus, inter cętera numismata assem quoq; Bernēsem protulit, quē ille petulanter Vaccinū assem, Ein kůblapart appellās, ut adulterinum & malè ominosum respuit, hominūq;, non armentorum numis, inter homines utendū cauillatus est. Lucernenses hac sui ciuis ignominia moti, Heluetios ex fœdere ad arma uocant. Stumpfius lib. 5. Heluetiæ cap. 25.

DONA aliorum ludibrio habita.

PILEVS de Rauenna, galerū cardinalitiū ab Vrbano VI. Pp. concessum, in foro publico Papiæ concremauit.

TESTIMONIA IGNOMINIOSA.

HVC PERTINET

OBSCVRITAS nominis. INGLORII. IGNOTI homines.

Cū de Pyramidib. Aegyptiis uarij auctores Græci scripserint: inter eos tamen omnes non constat, à quib. factæ sint: iustissimo casu obliteratis tantæ uanitatis AVCTORIBVS. Plinius lib. 36. cap. 12.

VITVPERATIONES

Iocosæ, Vrbanæ.

FRIDERICVS III. Rom. Imp. an. 1468. per brumam paruo comitatu ingressus Italiam, cōtendit ad Vrbem, nemini formidabilis, paucis etiam uenerabilis. Excepit illū Paulus II. Pōtifex perbenignè, multa cū illo cōferens de reipub. Christianę statu. Viuere tum cernebant Fridericū Itali, quod antea difficulter credidere: qui nulla insigni edita opera se uiuere declararet. Solebant enim per contemtum ex Germanis Itali quærere, uiuerétne an mortuus esset Imperator, quem nullis suis iniuriis, nullis reipublicæ Christianæ detrimentis, commouentē se audissent. Cranz. lib. 13. Vandal. c. 1.

Amarulentæ, Acerbæ. Inuectiuæ, Calumniæ.

P. Clodius Trib. plebis audaciss. cùm Cn. POMPEIVM contemneret, qui tamen in eius gratiam Ciceronem amicū, nō defenderat, parentem habens colluuiem hominū proiectæ petulantiæ & dissolutionis, loco consistens conspecto, ita quęsiuit: Quis est Imperator proteruus? quis uir uirum quęrit? quis uno digito caput scalpit? Illi, ut chorus alternos uersus concinens, concutiente togam illo, ad singula magno clamore responderunt, Pompeius. Plut. in Pompeio.

Salsæ. Dicteria, Sales, Scommata.

Vno de Antigoni Macedoniæ regis amicorum grege ARISTODEMO, qui patre ꝓgnatus dicebatur coquo, consulente ei ut impensas & dona præcideret: Oratio tua, inquit, Aristodeme, olet ius. Plut. in Apoph.

Publicæ. Proscriptio publica.

☞ Consule Tit. Exilii. Illic Seruitutis, hîc Ignominiæ ratio habetur.

Στηλῖται dicebantur, qui in pila ut impij, aut ingrati, describerentur. Demosth. 3. Philip. Maiores, inquit, nostri in ænea pila, in arce, literas has inciderunt: ARTHMIVS Pyctonactis filius Zelita, sit hostis populi Atheniensium, & sociorum, & ipse & genus: quia aurum ex Medis in Peloponnesum attulit, non Athenas. Sigonius lib. 3. de rep. Ath. Hinc ea proscriptio dicitur λόγος στηλιτευτικὸς, à columna, quæ uel saxū est, uel æs oblongum quadrangula forma erectum, in quo facinora proscripti perscribuntur. Suidas.

OFFICIA HONORIFICA NON DELATA.

Non assurgendo.

Serapion Aegyptius, archidiacon⁹ à Io. Chrysostomo factus, cùm aliquando eo sedente præteriret SEVERIANVS Gabalēsis antistes, cum quo simultates exercebat, ei assurgere noluit. Seuerianus hunc contemtū ægrè ferēs, dixit: Si Serapion Christianus fuerit mortu⁹, Christus nō est homo fact⁹. Hāc arripiens occasionē Serapion, Seuerianū apud Chrysostomū accusauit, ꝙ absolutè dixisset, Christū nō esse hominem factū. Itaq; Seuerianus à Chrysostomo in exiliū eiect⁹ est. Socrates lib. 6. cap. 11.

Valētinianus I. Imp. cùm aliquādo adeunti se D. MARTINO non assurrexisset, atq; etiam rem quandā petenti subiratus repulsam daret (instigatus à Iustina uxore Ariana) statim flāma à solo sursum uersus emicāte, assurrexit inuitus: & miraculo perterritus petita cōcessit, multoq; deinde honore afficere episcopos pariter & presbyteros cœpit. Marulus l. 3. c. 5.

Non occurrendo.

T. MANLIO Cos. deuictis Latinis Romam uenienti, seniores tantùm obuiam processere: iuuentus ipsa, quia filiū uictorem occidisset, & tunc quidem & in omni uita tantum uirū est postea auersata. Sabellicus lib. 4. Enneadis 4.

Cùm Alexandrinus episcopus THEOPHILVS Eutychianus ad synodum contra Eutychē coactā ingrederetur Constantinopolim, non est ipsi à clero uel quoquam processum obuiam, quod aliàs fieri solebat. Niceph. lib. 13. c. 15.

Non assidendo, Non comitando.

L. CATILINA, inita contra Remp. coniuratione, cùm in Senatum sese purgandi causa uenisset, nullus Senatorum ei assidere uoluit, sed relictis subselliis in cōtrariam partem discessere, & dicere conanti obstrepuere. Plut. in Cicerone.

ROMANI equites cùm desluxis moribus degenerarēt, Tiberius Cæsar, ne equites in posterum Imperatorum latera tegerent, edicto uetuit. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 19.

Non aperiendo caput.

Cùm Turcorum Legati DRACVLÆ Valachiæ principi caput non aperuissent ex patriæ instituto: Dracula tres capitibus eorum clauos affixit, ne amplius pilea amoueri possent. Bonfinius lib. 10. Decadis 3.

OFFICIA IGNOMINIOSA DELATA.

AD QVEM LOCVM PERTINET

Ostensio Ignominiosa.

Diogenes Cynicus hospitibus quibusdā DEMOSTHENEM uidere cupientibus, non indice digito, sed medio porrecto demonstrauit, parum uirū innuens & effeminatū. Laertius.

Cumanus sub Claudio Cæsare Iudeæ præfectus, solennib. Paschatis dieb. Hierosolymis aliquot Romanorū militum cohortes ad templū præsidij gratia locauit: quibus cùm miles unus populo pudibūda ostendisset, IVDÆI arbitrati id in Iudaicæ gentis contumeliā factū, adeò in milites exarserūt, ut cùm saxis fustibusq; aduersus milites res gereretur, contrà aūt armis se milites defenderent, Iudæorū circiter uiginti millia desiderata fuerint. Iosephus lib. 20. c. 4. Antiq.

Deductio Ignominiosa.

☞ Vide Tit. In triumpho ducti. Item infrà, Gestatio ignominiosa.

PAVLVS quidam Grecus, Narbonæ tyrannidē cōtra Bambā Gothorū in Hispania regē inuaserat. Sed Nemausi captus à Bamba, in triumpho corona picea redimitus ductus est, effossis oculis, cum comitibus, decaluatis capitibus, rasis barbis, pedibus nudatis, indutis sacco, camelis impositis. Vrbe Toletana carceri perpetuo mancipati. Rodericus Toletan⁹ lib. 3. rerum Hispaniæ, cap. 10.

DEHONESTAMENTA QVO AD ANIMVM. Cuiusmodi sunt

Disciplinæ interdictæ.

Mitylenēses, cùm maris tenerent imperium, SOCIIS qui desciuerant hanc pœnam imposuerunt, ut liberos suos nō docerent ampliùs literas. Aelianus lib. 7. Var. hist.

Cùm POETA quidam de plebe, L. Syllæ proscriptorum bona uendenti rude obtulisset epigramma, alternis tantùm uersibus longiusculis: Ei statim Sylla partem bonorū quæ uendebantur largitus est: ea tamen conditione, ne quid in posterum scriberet. Cicero pro Archia.

Iulianus apostata CHRISTIANOS à Græca philosophia addiscenda arcere nitebatur, ut ingenij cultu destituti, minus Ethnicis philosophis resistere possent.

Arcana non communicata. Consilia occultata.

☞ Huc refer eos, qui aliqs indignos censent, quibus uel consilia, uel dogmata, uel arcana quæuis alia communicent.

Palinodia ignominiosa.

POLONI mendacij retractationem ignominiosissimam cum latratu canino faciunt. Quam etiam Gneuossius Daleuicius subcamerarius Cracouiēsis edere coactus fuit, cùm Heduigim reginam adulterij cum Gulielmo Austrio in absentia Vladislai Iagellonis regis falsò insimulasset. Cromer. lib. 15.

DEHONESTAMENTA QVOAD CORPVS.

☞ Huc referatur Tit. Suppliciorum. Quatenus Dolor iis iungitur, ad Mala corporis pertinent: quatenus Ignominia, huius sunt loci.

CASTRATI IGNOMINIOSE.

Effeminatos Romani, Gallos uocant: eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Atys sacerdotes illius māciparint. ut GALLI qui urbem Romanam ceperāt, aut hac feriantur ignominia. Hieron. in Oseæ c. 4.

ATTACTVS IGNOMINIOSVS.

Cn. Pompeius bello Sertoriano, Laurone urbe capta gregario MILITI oculos eruit, quòd per contemtum obscenis partibus, indigenę mulieris medio tumultu oblatæ digitos adegisset. Quod exemplum SERTORIVS imitatus, totam cohortē ob eam iniuriā interfecisse dicitur. Sab. lib. 4. En. 6.

MALABARES Indi nobilitatē tam religiosè custodiunt, ut si nobili ignobilis occursans illum quoquo modo tangat, tāquam maiestatis reus impunè occidatur. Osorius.

CONSTVPRATIO, PROSTITVTIO ignominiosa.

☞ Sub Intemperantiæ loco, Libidinis habetur ratio. Hic ipse scopus consideratur, quatenus Libido Ignominiæ obstetricatur.

STIGMATIS NOTATI.

☞ Stigmatiæ, siue stigmatici appellati, quibus ob insigne flagitium, notis inurebatur corpus, & frons inprimis, sicuti comminit Seneca: unde inscriptos uultus nominat scitissimè Plinius, & Tiraciæ notæ in prouerbium adductæ: quanquā illis gentibus nobilitatis loco cēseretur, ut auctor Herodotus est, prætulisse frontem notatam punctis. Quæ, quia literarum formam quandoq; ostentarent, non stigmatiæ modò, quod Nonius est interpretatus, sed & Literati quoq;, ita inusti dicebantur. Nonnunquam etiam Calati, & Istriani, quoniam Istri accolæ punctis ita urantur. Cælius lib. 7. cap. 31. Antiq. Lect.

Thraces VXORIB. ob interfectum Orpheum infensi, ut scribit Phanocles apud Stobæum ser. 62.

ἃς ἀλόχυς ἔστιζον, ἵν᾽ ἐν χροΐ σήματ᾽ ἔχουσαι
κυάνεα, στυγεροῦ μὴ λελάθοιντο φόνου.
ποινὰς δ᾽ ὀρφῆι κταμένῳ στίζουσι γυναῖκας
εἰς ἔτι νῦν, κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης. Suas uxores pungebāt, ut in corpore signa gerētes liuida, diræ cædis nō obliuiscerentur. Quinetiam ad sumendum pœnas pro Orpheo occiso, stigmata infligunt mulieribus adhuc hodie.

Literatos SAMIOS, id est πολυγράμματους dici, in Babyloniis significari ab Aristophane, compertum nobis est: in quorū frontibus Athenienses, sicuti scribit etiam in Pericle Plutarchus, stigmata inussissent: unde iactatum uulgò, Samiis neminem esse literatiorem. Etiamsi hoc inde effluxisse malunt aliqui, quòd in Samiorum republica Aristotelēs scriptū relinquerit, illos quandoq; à tyrannis oppressos, inopia ciuium, seruos quoq; ad publicā admisisse curam: uel quia in Samo quatuor & uiginti literæ sint cōpertæ primùm. Sunt qui notæ, alij uerò famænę notā illis inustam uelint. Est uerò samęna nauigiū dicrotū, hoc est birento[illegible] ac in uentris similitudinem formatum, ut mare percurrere, & celeriter conuerti posset: cuius auctor extiterit omnium primus Samiorū tyrannus Polycrates: unde etiā dici samænam, interpretatur Plutarchus. Alij Samęnam, numisma intelligunt. ATHENIENSIVM frontibus inustam ab Syracusanis equi imaginem, prodit Plut. Cæl. lib. 7. cap. 31.

Cùm exercitus Romani Irenem Imp. coegissent, ut submotū à se filium Constantinum solum sineret imperare, Armeniacus exercitus id adeò tulit indignè, ut de Alexio cogitaret Imperatore creando. Constantinus seditionis auctores interfecit, reliquos proscripsit: MILLE unctos in urbem duxit, eorumq; faciebus inscripsit atramento, Armeniacus insidiator. Paulus Diaconus.

Habdallas Saracenorū dux sub Constantino Copronymo IVDÆIS & CHRISTIANIS Hierosolymę degētibus characteres Mahumedicos inscribi curauit. P. Diac. l. 22. rer. Rom.

VENÆ SECTIO IGNOMINIOSA.

Olim MILITIBVS, si quid grauius deliquissent, ignominiæ causa incidebatur uena. id appellabant sanguinem mittere. M. Tul. in eadem Epist. Missus est sanguis inuidiæ sine dolore. Sētit se liberatū aliqua parte inuidiæ, quòd in eo iudicio non ualuisset ipsius testimonium, idq; citra dolorē suum, ꝙ omnes scirēt iudices fuisse corruptos. Erasmus in Adagiis.

VERBERIBVS, PLAGIS, FLAGELLIS cęsi per ignominiam.

Alapis cædi ignominiosum & hodie est, & olim fuit. Colligi pōt illud ex sacra historia. Nā & MICHEAS à pseudopropheta ob uaticiniū ueritatis alapa cæditur, & CHRISTVS opt. max. ab impio milite, & D. PAVLVS à sacerdotis seruo.

ARTAXERXES Mnemon ducibus, si quid deliquissent, ignominię loco detractas uestes flagellari, & pro capite depilando tiaram depilari iussit. Alex. ab Alexandro.

Dagobertus Clotharij II. Francorum regis F. admodum adolescens, SADREGISILLVM à patre designatū Aquitaniæ prefectum, detracta ueste loris cecidit, & ut ille barbam more eius ætatis aluerat, totondit, abrasitq;: quòd non quàm reuerenter filium regis oporteret, se ab eo obseruari existimaret: offensus inprimis, quòd ille conuiuio frequenti contra se accumbendi locum legisset, poculoq; ex eius manu, oblitus per uinum maiestatis, id quod tantùm inter pares fieri assoleret, ultrò sumto bibisset. Aemilius lib. 1.

PETITI POMIS, PANE, NVCLEIS, Lapidibus, ignominiosè.

ALEXANDER Iudæorum rex, in festo scenopegiæ sacrificaturus, citriis à populo impe̲titus fuit per ignominiam, indignum iactante, qui sacris operaretur. Ille occidit eorum circiter sex millia. Ioseph. lib. 13. c. 21.

CLAVDIVS Cæsar consul, adhuc uiuente Caligula, quoties post cibum obdormisceret (quod ei ferè accidebat) olearū ac palmularum ossibus incessebatur: interdum ferula, flagroue uelut per ludum excitabatur. Suetonius.

Insigni quadam annonæ caritate, Pop. Roman. fame urgente, CLAVDIVM Imp. clamore & conuitio in publico exceptum, fragminibus panis ita instrauit, ut fugienti similis per hosticum sese in palatium receperit. Sab. lib. 10. cap. 7.

An. 431. annona Cōstātinopoli laboratū est. THEODOSIVS I. Imp. cū ad horrea publica leuādę inopię causa ꝓcederet, à populo esuriēte lapidib. appetit⁹ est. Sigon. li. 12. Imp. occ.

TONSVRA IGNOMINIOSA.

Quū Dauid misisset LEGATOS ex suis ad Hanon regem filiorum Ammon, qui eum patris mortem grauiter mœrentem suo nomine consolarentur, ille suspicatus eos uenisse ad explorandum terræ situm, rerumq; statum, rasit illis capita, præciditq; tunicas usq; ad nates, atq; ita ignominia notatos domum dimisit. Paralipomenon lib. priore, cap. 19.

PETRVS cùm Antiochiæ concionaretur, fuit illi ab improbis summum capitis abrasum, ludibrij causa. Beda.

ARGIVI, cùm comati essent (unde καρηκομόωντες dicuntur) uicti à Spartanis comam deposuēre ex uoto tantisper, dū Tyreas recuperassent. Herod. lib. 1. & Plut. in Parallelis.

M. TER. Varro consul, post cladem Cannensem, barbam & capillum submisit, stans tantùm, cœnauit. Front. lib. 4. cap. 5.

CONSTANTINOPOLITANIS quibusdam ob cædem Genuensium mercatorum barba fuit ab Imp. rasa, quę multa apud eos ignominiosa habetur. Poggius in facetiis.

Aripertus Taurinensium dux, urbe munitissima Bergomo potitus, captum in ea ROTHARIM ducem detonsumq; (qđ erat maximum in Longobardis opprobrium) post paucos dies iussit simul cum Luitperto regio puero iugulari. Blondus Dec. 1. lib. 10. & Polyd. lib. 4. cap. 8. de Rerum inuent.

LAQVEO NEXI.

SVMERLEDVS Argadiæ Thanus, à Scotorum rege Alexandro II. deficiens, à comite Merchiarum uictus, suspenso ex collo laqueo, supplex ad regem ueniens, ueniam impetrauit. H. Boethius lib. 13.

STATIO IGNOMINIOSA.

Bello Punico T. Sempronius Gracchus contra Hannonem ad Beneuentum prosperè pugnauit, exercitum magna ex parte constantem habens, ex Volonibus qui ex seruis milites facti erant. Postero die militibus ad concionem uocatis, posteaquam optimè meritos militaribus præmiis donauit, ad Volones conuersus, etsi ad quatuor MILLIA corū

erant, quæ fœgniùs pugnauerant, timerentq; potius supplicium, quàm præmium sperarent: quod populo Romano & ipsis bene uerteret, omnes liberos esse iussit. Vnum adiecit, uelle ac iubere se, quando publica fides persoluta esset omnibus, ut qui eo die minus strenuè dimicassent, iureiurando adigerentur, ne, quamdiu stipendia facturi essent, cibum ipsi stantes caperent. Sab. lib. 3. En. 5.

Gestatione ignominiosa. Asinis circumuehi.

Apud CVMANOS ὀνοβατιστὰς mulieres dicebantur adulteræ, quæ in asino circumductæ fuissent per totam ciuitatem, reductæq; ad lapidem, in quo sistebantur, ut omnibus ignominiæ spectaculo essent. Erasmus in Adagiis, ex Plutarchi Problematis.

Constantinopolitani ANDRONICO Imp. quia cum sorore stuprum patrasset, Alexioq; pupillo interfecto, omnem propemodum nobilitatem sustulisset, abrogauere primùm imperium: in ordinem inde redactum, altero priuauerunt oculo, asinæq; auersum, bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate testem, imposuerunt. Per urbem inde circũuexerunt, uiris feminisq; in cum probra iacientibus, lutũq; & alia fœdiora dictu in prætereuntem congerentibus. Sabell. lib. 8. cap. 4.

Obsessa & à Constantino capta Constantinopoli, fugiens ARTABASDVS Imperator dictus, pariter cum duobus filiis captus, oculisq; priuatus est. Eum cum filiis triumphaturus Imp. in theatrum, dum certamen equorum fieret, per Dippium duci iussit, asino retrorsum insidentem, & caudam manibus tenentem, prius tamen uerberatum. Id quod olim Germanus patriarcha uaticinatus erat illi, quum baculo ueluti senex innixus, pedem percussisset: Noli (inquit) accelerare, nam te Dippium expectat. licet postea Ecclesiæ restitutus sit, quum ignominiosè per totam esset ductus ciuitatem. Cuspinianus.

Post Callisti II. è Gallia in Italiam aduentum, GREGORIVS IIX. pseudopontifex ab Henrico V. dictus Sutrij se continuerat. Calistus ad Sutrij obsidionem Ioannem Cremẽsem Cardinalem misit. Gregorius à Sutrinis subitò deditus, & camelo uerso in caudam ore impositus, Romam ignominiosè reductus, omnibus ludibrio fuit: demum in Cauense monasterium inclusus, inglorius mortem oppetiit. Sigonius lib. 10. regni Ital.

Ioannes XIIII. Leoni VIII. successerat. Romani captum in Campaniam exulatum miserant. Mense XI. sui exilij Romam rediit. Otho Imp. re cognita, consules in Germaniam misit: Decarchones laqueo suspendit: PETRVM urbis præfectum sunt qui scribant excanificandum Pontifici traditum, abrasa barba, capillis suspensum ad caput equi Constantiniani aliquandiu steriſſe: inde asino superimpositum, uerso ad clunes uultu, & manibus sub cauda ligatis, per urbem ductum, & uirgis cæsum, in Germaniam exulatum missum. Platina.

GRESCENTIVS consul Romanus ob deiectum Gregorium V. & substitutum Ioannem XVIII. Pp. ab Othone III. Imp. equo præposterè impositus spectaculi loco circumducitur: eiusq; membra paulatim præsecantur: tandem ante urbis mœnia de patibulo suspenditur. Nauclerus, Bonfinius & Antoninus.

BEATRIX Augusta, Friderici Aenobarbi uxor, cũ desiderio uidendi Mediolanum uenisset, à Mediolanensibus asino auersa imposita & circumducta, urbe tandem eiicitur, puerorum gregib. cæno abeuntem incessentibus. Gulielmus Paradinus de antiquo statu Burgundiæ, c. 8.

LOCVS IGNOMINIOSVS. IN *Theatro.*

DAMONIDAS, quum à chori magistro postremum in choro locum accepisset: Euge (inquit) chorage, reperisti, quo pacto & hic locus, cùm per se sit inhonoratus, fiat honorificus. Generosus adolescentis animus, qui fiducia sui non metuit, ne locus abiectior esset dedecori: sed citius futurum arbitrabatur, ut per ipsum locus fieret honoratior. Plutarchus in Laconicis. Hoc alij AGESILAO tribuunt.

Othonis lege decoctoribus, QVI fortunæ naufragio, nõ suo uitio decoxissent, certus in theatro locus constitutus erat, His quoq;, qui artem ludicrã exercuissent, ne in quatuorde cim sederent, eadem lege cauebatur. Alex. lib. 5. cap. 16.

Conuiuio.

Dionysius tyrannus succensens ARISTIPPO philosopho, hominem ad cœnam uocauit, & iussit eum in conuiuio infimum omnium accumbere. Hic Aristippus nihil offensus, Hunc, inquit, loc um, ô rex, illustrare uis, ac honorificũ reddere, significans, non locum reddere hominem uiliorem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. Laert. l. 2. c. 8.

CLAVDIVS Consul, priùs quàm ad imperium euectus est, contumeliis obnoxius uixit. Nam si paulò seriùs ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non nisi ægrè, & circuito demum triclinio recipiebatur. Suetonius in eius uita.

Consilio, Concione.

HILARIVS Pictauiensis episcopus in consessu episcoporum Arianorum nõ admissus, terrã miraculosè pro fede habuit.

HOSPITIVM EREPTVM.

EPHAESTION Euio tibicini ædes tribuit, quas pueri Eumenis hero suo priores cœperant. Vide Tit. Hospitia honorificа uindicare.

LECTI IGNOMINIA.

DACÆ circa Istrum ad septentrionem Pontum accolunt, tam seuera militia, ut quum aduersus Basternas semel malè dimicassent, Orodis regis iussu coacti sint tanditu uxoribus ministrare, & somnum capturi obuersis in imas stibadij partes capitibus cubare, quoad bellica uirtute eam ignominiam deluissent. Ex Iustini lib. 32. Sab. lib. 8. En. 5.

VESTITVS IGNOMINIA. Huc VESTIVM *Ablatio. Denudatio ignominiosa.*

L. Calphurnius consul, PRÆFECTVM equitum, quòd arma hosti tradidisset, laciniis abscissis, discincta tunica, & nudis pedibus, ad principia per omne tempus militiq; adesse iussit. Val. lib. 2. cap. 2.

Ambustio, Scissio.

PAPIENSES an. no8. Derthonensib. uindicatis, irã in socios eorum Mediolanenses uerterunt, atq; inconsultè nullis accitis auxiliis episcopo suo duce in fines eorum cum populo & militibus irruperunt. Verùm mox occurrentibus Mediolanensibus, breui, quàm uana sine uiribus esset audacia, didicerunt: nam collatis signis in fugam uersi, pleriq; corũ unà cũ episcopo capti, atq; in custodias dati sunt: inde certo die in forum omnes producti, succensis ad uestium oras palearum ignominiæ causa manipulis, incolumes domum dimissi. Sigonius lib. 10. regni Ital.

Dehonestatio. Vestes inhonestæ.

Athenienſium MVLIERES Doridem uestem mutare coactę, ob interfactum à se fibulis uestimentorũ nuncium unicum superstitem è prælio, quo Athenienses ab Argiuis, Aginetis opem ferentibus, cæsi fuerant. Herod. lib. 5.

Acragantini à Phalaride liberati lege sciuerunt, ne quis palliũ glaucum ferret: q; TYRANNI speculatores glaucis subligaculis usi fuissent. Plut. in præceptis Politicis.

MESSENII à Spartanis subacti inter alia etiam ad hoc coacti, ut cum uxoribus uestes mutata, regum & optimatum funera prosequerentur. Pausanias in Messenicis.

SORDIBVS PERFVSI.

Romanorum LEGATI sordibus perfusi à Corinthiis. Eoq; nomine Corinthus à L. Mummio Achaico solo æquata est. & reliquus usq; ad Macedoniam tractus sub Rom. cessit imperium. Strabo lib. 8.

In BIBVLVM Coss. legi agrariæ Cæsaris collegæ repugnantem, dum ad forum pergit, cophinum stercoris proiecere, & lictorum fasces fregere. Plutarchus in Catone minore.

Serui Picenses inter Sarmatas rebellantes, à Constantio Imp. uicti, deditiq;, in Pannoniam translati. Regio ab illis Seruia dicta. Paulo pòst iterum rebellarunt. Quã ob causam CONSTANTIVS è Syrmio in Valeriam profectus, ac undique cinctos exercitu Seruos è suggestu concionabundus ad pacem hortatus est. Ibi quidam Sarmatarum calceum implentem stercore humano in faciem concionantis Imperatoris proiecit: inde populares in Romanum principem impetum fecerũt: sella regia cum aureo puluinari direpta est. Verùm omnes à Romano milite irato trucidati, ne uno quidem superstite. Auentinus lib. 2.

ALVVS CITATA.

Liddæ Hebræus quidam sapiens, & ἀγυρτοφώτης dictus D. Hieronymo narrabat huiusce modi fabulam. SEDECHIAS, inquit, à Nabucodonosor rege excæcatus in Reblatha, hoc est, Antiochiæ, uariisq; irrisus modis, ductus est Babylonẽ. Vbi cùm quadam die Nabucodonosor conuiuij festa celebraret, iussit ei dari potionem, qua hausta uenter potantis solueretur in fluxum: ac subitò introductum ante ora epulantium, compulsumq; ui uentris, pollutũ fuisse stercore: & hoc esse, quod Habacuc c. 2. dicat: [redacted]

MORTE INHONESTA SVBLATI.

Consule locum, Mortis uariæ. Hic solitus Ignominiæ, quæ mortẽ inuecta est, ratio habetur.

MOR-

MORTVI IGNOMINIA AFFECTI.

De his suprà egimus respectu eius scilicet, qui Ignominia afficitur.

DEHONESTAMENTA QVO AD Fortunas. Vt

MENDICITAS IGNOMINIOSA.

TOxis Hunnorum rex, suscepta Othonis I. Imper. tempore in Galliam expeditione, quum in reditu Rhenum traiecisset, quamprimùm Germaniam attigit, exercitum præda onustum in tres partes diuisit. Ex quibus quum tertia Pãnonias repereret, eam Saxones ad Ilsenacum Turingiæ ciuitatem adorti, præter SEPTEM, quos uiuos ceperant, omnes trucidarunt: eosq;, amputatis auribus, ut illatã suis cladem referrent, in Pannoniam dimiserunt. Hi, quòd cum suis mori recusassent, ita multati sunt, ut omnia eorum bona in ærarium publicum relata fuerint: ipsi ab uxoribus ac liberis abdicati, nudis semper pedibus incedentes, per singula in castris tentoria uictum mendicare, nihil usquam proprium possidere iussi sunt: perpetuaq; demum ignominiæ nota Lazari & Mendici sunt appellati. Bonfin. lib. 10. Dec. 1.

[redacted] FOEDA imposita.

Ex loco Seruitutis huc quædam, Illic Subiectio, hîc Ignominia considerantur.

ARBACES defector, qui priùs ab Artoxerxe ad Cyrum, pòst de Cyri interitu certior factus, rursus ad Artoxerxem se conuerterat, ignominiæ nomine nudam meretriculam humeris tota die circũtulit: quæ summa est apud Persas ignominia. Plut. in Artoxerxe.

BRVTII Italiæ populi ob defectionem à Romanis ad Hannibalem, superatis Pœnis, ignominiæ causa lorarij facti sunt. Nec amplius milites scribebãtur, aut pro sociis habebãtur, sed magistratibus in prouincias euntibus parére, & seruorum uice præministrare cogebantur. Aerodius ex Strabone lib. 5. & ex Gellio lib. 10. c. 3.

LYSANDER in Asiam cum Agesilao profectus, quo rex, ut principe amicorum uteretur, ignominiæ causa ab rege carnium diuidũdarum muneri præfectus est, nullam aliam ob causam, quàm quòd pluris ab incolis haberetur, q̃ ipse rex, idq; ob ueterem consuetudinem, quam antea cum illis contraxerat. Plut. in Lysandro.

Apud SPARTANOS noxæ manifestę reum, aram quandam oportebat ex urbanis circulare, probra cantantem in se cõposita: quod nihil erat aliud, quàm se metipsum perstringere. Plut. in institutis Laconicis.

Syluarum curam fuisse inter officia consulis, ex Suetonij Cæsare liquet. Id quod quum ab senatu ad occupandam extorti consulatus auctoritatem decretum esset: Maro in 4. Ecloga ad Pollionem. Si canimus syluas, inquit, sylluæ sint consule dignæ: ut quantùm depressisset CONSVLIS dignitatem Senatus ad syluarum usq; humilitatem, tãtum suis uersibus nouaq; materiæ dignitate extolleret ipse sylluas ad sastigium consulatus. Scaliger lib. 1. Poetices cap. 4.

VALERIANVS Imp. cùm ductu cuiusdam sui ducis, cui summam rerum commendauerat, in ea loca esset deductus, siue fraude, siue casu, unde nullis uiribus, nullo consilio, nulla industria elabi poterat: captus à Persis, misera seruitute apud Parthos consenuit. Quoad enim uixit rex Sapor, eo incuruato, pedem ceruicibus eius imponens, equum ascendere solitus erat, pro scabello eo usus. Cuspinianus.

Henricus III. Imp. Vindelicos propè Oceanum habitantes uicit, & Teutones in ea loca colonos deduxit. Quatuor REGVLOS illorum, in acie captos, festis diebus coquinariam exercere coegit, ignominiæ causa. Mathias Michouius lib. 1. cap. 12. de Sarmatia Asiana.

MEDIOLANENSES mulę pudendo ficos eximere coacti à Friderico Aenobarbo Imp. quòd antea Beatricem Augustam uxorem Mediolanum urbis uidendæ desiderio profectam, strigoso asello præposterè imposuissent, ac pro freno cauda uti coactã, deniq; per compita diu circumductã, urbe eiecissent, puerorum gregibus cœno abeuntem incessentibus. Guliel. Paradinus de antiquo statu Burgundię, c. 8.

Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus, contra HERMANNVM Palatinum comitem bello gesto sub Friderico I. Imper. fulmine excommunicationis uictos hostes, canes per ignominiam portare coegit, atq; ita in gratiam recepit, anno 1155. Appendix Mariani.

EVERHARDVS Comes, Conradi I. Cæsaris frater, contra Othonem I. Cæsarem conspirauerat, & urbem Bruningi, quæ uocabatur Eliueri, succenderat, interfectis omnibus. Otho multam illi centum talentorum indixit: socios uerò eius in urbem Magdeburgum canes tributi nomine deducere coegit. Ea iniuria accensus Euerhardus, cùm apertè rebellasset, ab Othone ad Brisacum cæsus est. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 15.

Tamberlanes Tartarorum rex BAIAZETHEM Turcotum tyrannum acie uictum captumq;, sibi equum cõscensuro clamacis usum, in ferrea cauea circumductũ, præstare coegit.

MAGISTRATV DEIECTI, PRIVATI, prohibiti.

Huc confer Tit. Magistratu prohibitorum, & magistratu deiectorum. Illic Ordinis, à quo deiiciuntur, hic Ignominiæ habetur ratio.

MARDONIVS Gobryis F. gener Darij, ob filiam Artozostram, cùm naufragium ad Athon montem passus esset, præfectura deiectus fuit (erat enim dux exercitus Persici contra Græcos missi) & in eius locum suffectus Datis, genere Medus, & Artaphernes, Artaphernis fratris sui filius. Herodotus libro sexto.

CN. MANLIVS & Seruilium Cepionem proconsules, quòd ipsorum temeritate clades ingens accepta fuisset, & à Cimbris cæsi & castris exuti essent, abrogato imperio ante tempus finiti honoris, Senatus magistratu abire, & insignia imperij dimittere coegit. Alex. lib. 4. cap. 6.

L. MINVTIVS consulatum deponere à Q. Cincinnato coactus est, quòd castra eius hostes obsedissent. Liuius li. 3. Decad. 1. Val. Max. lib. 2 cap. 2.

C. COTTA Publium Aurelium Pecuniolam, militumq; præfectum, uirgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, quòd eius culpa in obsidione Liparitana agger incensus, & castra penè capta essent. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Exclusi sunt olim IVDÆI ab omnibus dignitatibus, honoribus, functionibus & congressibus Christianorum: fuit q; lege ueritum, ne quis Christianus munera à Iudæo susciperet. Ad alloquium etiam pontificum nunquam sunt admissi, neque concessum, ut in scamnis sederent, sed in pauimento merces suas exponere cogebantur: ut scribit Paulus Diaconus. Si quis etiam Christianum læderet, aut religionem uiolaret, grauissimè puniebatur.

DIGNITAS EREPTA.

Consule Tit. Magistratu deiecti. Illic Dignitatis ereptæ, hic Dedecoris illati habetur ratio.

Sublata apud Syracusanos post Gelonis & Hieronis regnum Thrasybuli dominatione, de communi republica & statu populari, multa cõtulantes, decreuere magistratus omnes priscis ciuibus distribuere, & familiis uetustis. Nam nouos homines MILITES mercenarios, qui à Gelone supra X millia fuerant adscripti ciuitati, indignum ducebant, ad munera publica & honores ciuiles admitti: seu quòd parum meritos censerent, siue quòd incertę fidei morũq; alienorũ uiris haud temerè credendam rem putarent. Hi se magistratuum honore exclusos, indignè ferentes, deficiunt à Syracusis, occupantq; partem urbis Achradinam, & insulam, loca duo ingenti muro munita. Multis tandem ultro citroq; illatis cladibus, alienigenæ (quorum VII. tantum millia fuere, sed rei bellicæ expertissimi) superati sunt. Diod. lib. 11.

Imperator Theodosius ex ira aduersus ANTIOCHVM præpositum, læsæ maiestatis reum, edicto uetuit, ne quis eunuchus inter patricios locum haberet. Quapropter præpositus honore est priuatus: & publicatis bonis, in sacerdotum collegium cooptatus. Suidas in uoce Πατείνιος.

Ioannes XXIII. Pontifex, abdicare se episcopatu & sacerdotio compulit HVGONEM Carducensem episcopum, priusquam omnibus pontificalibus insignibus, anulo, mitra, cappa, pilco, camisiaq; Romana. Degradatum inde & curiæ secularí traditum, omnibus cruciatibus coegit uitam cũ morte commutare, quòd in pontificem conuulsset. Platina.

TRIVMPHI DENEGATI.

L. CORN. Lentulo post magnas res gestas negatus est triumphus, eo quòd proconsul Hispaniam prouinciam non consul, obtinuisset.

Q. VALERIVS prætor, cùm unà cum Luctatio consule circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuisset: eoq; nomine Luctatio, ut consuli, triũphus decretus esset: Valerio eundem sibi quoque decerni postulanti, ne prætor consuli exæquaretur, denegatus fuit. Val. Max. lib. 2. cap. 3.

CL. NERO cum Liuio Salinatore consul, cùm ad Metaurum Hannibalem uicisset, ouans tantùm urbem ingressus est, licet potior uictoriæ causa fuisset: eo quòd aliena in prouincia suppetias collegæ dedisset: Liuius autem in sua prouincia rem gessisset. Alex. libro primo, capite 22. ex Liuio & Plinio de Viris illust.

M. MANLIVS cum Valerio Potito consul, posteaquam contra Aequos in Algido prosperè rẽ gessisset: tamen cùm collega fortiùs dimicasset, Valerio triumphus concessus, Manlio segniori denegatus est. Ibidem.

Iustinianus Imp. Vitigem Gothorum regem Constantinopolim ad se deductum cum uxore Matasuenta, honorificè excepit: & Gothos pro eximia corporum magnitudine ac specie miratus, gazas regias in curia senatoribus uisendas

exposuit,

expoſuit. BELISARIVM autem omnibus honoribus proſequutus, triumphare non permiſit. Erat tamen in omnium ore, ut qui duas uictorias retuliſſet, quales nemo antè uidiſſet, & reges duos captiuos adduxiſſet, & opibus ærarium locupletaſſet. Itaq; populus eum ſtudioſè intuebatur in forum quotidie prodeuntem, aut ſe de foro recipientem, Vandalorum, Maurorum & Gothorum ingenti caterua ſtipatum: ad hæc magnitudo & pulcritudo corporis eum honeſtabat, & mira comitas ac facilitas acceptiorem omnibus reddebat. Sigonius lib.18. imp. occid.

BONIS INTERDICTI, MVLTATI.

Paupertatis etiam hæc ſpecies eſt. Sed illic Damni ſolius, hic Ignominiæ cum damno iunctæ habetur ratio.

Q. FABII filius Allobrogis, à patre degenerans, adeò libidinoſè & intemperanter uixit, ut exhæredatum eum à Q. Pompeio prætore, nemo ægrè tulerit. Val. lib.3. cap.5.

Q. SERVILIVS Cæpio conſul cum Cn. Manlio, contra Cimbros in Italiam ruentes miſſus, apud Rhodanū uictus profligatusq; eſt, amiſſis de exercitu hominum LXXX. millibus. Ex iuſſu igitur pop. Rom. Cæpionis, cuius temeritate id acciderat, bona publicata ſunt. Liuius lib.67.

HÆREDITATE EXCVSSI.

Conſule Tit. Teſtamenta iniuſta, reſpectu eorum, qui ſunt præteriti. Item, Teſtamenta iuſtè uel iniuſtè reſciſſa, propter eos, qui hæreditate priuati ſunt.

Velius Bleſus, uir conſulatis, REGVLVM preſentem inter hæredes ſcripſit, quia is ægrum diligenter curare uidebatur. Cæterùm, poſteaquam ſcriptus fuit hæres, & medicos hortaretur, ut citò Bleſum conficerent, ne diutiùs ægritudinis moleſtia laboraret: ceu id Bleſus perſenſiſſet, aperto poſt eius mortem teſtamento, Regulus inter hæredes non inuentus, perfidiæ ſuæ pœnas luit. Fulgoſ. lib.7. cap.9.

Metelli FILIOS Romæ à patre hæreditate excuſſos eſſe legimus: qui tamen teſtamentum illegitimum patris irritum facere noluerunt: ſatiùs arbitrati, bonorum extorres fieri, quàm qualemcunque patris uoluntatem non tueri. Alex. libro 6. capite 10.

CAMPANÆ EREPTÆ.

BVRDEGALENSIBVS, qui ob ſalinas & uectigalia aduerſus Henricum II. Francorum regem rebellarant anno 1547. ob ſeditionem campanæ omnes ſunt ereptæ. Sleidan. li.25.

SVPELLEX IGNOMINIOSA.

Poculis fictilibus utuntur apud Perſas, QVOS rex honore priuauit, ut aſſerit Cteſias. Athen. lib.11. cap.2.

NOMINA HONORIFICA VEL *Abolita, Eraſa.*

DOMITIANVS Octobrem menſem ſuo nomine appellari fecerat. Verùm poſteaquam tyrannicum illius nomen omnibus monumentis eraſum eſt, Octobri nomen quoq; priſtinum redditum. Macrob. lib.1. cap.12.

HELIOGABALI cognomen ex omnibus publicis operibus S. C. deletum, ne princeps ullus iam Antonini ferret cognomen. Inoleuerat uſq; adeò id nomen longa Imperatorum ſerie, ut iam propemodum popularius opinione hominum, quàm Auguſtorum aut Cæſarum, haberetur. Sed unius uita adeò coinquinatum omnes credere, ut pro diro & deteſtabili ſit repudiatum. Sab. lib.6. En.7.

Dum MAXIMIANVS inſidias genero Conſtantino Magno molitus, deprehenſus eſſet, poſt eius interitum ſtatuæ atq; eius imagines omnes ſublatæ ſunt, & in ædibus publicis eius nomina ſunt eraſa. Cuſpin.

Poſt obitum ſuum exauctoratus eſt ARSACIVS ab Innocentio epiſcopo Rom. Chryſoſtomi in Eccleſia apud Conſtantinopolitanos ſucceſſor, & nomen ipſius ex epiſcoporum albo expunctum fuit. Nicephorus lib.13. cap.34.

Bello ciuili, quod contra Ludouicum XI. regem Proceres Frācorum geſſere, obſeſſa urbe regia miſſus eſt ad hoſtes GVL. QVADRIGARIVS epiſcopus Pariſienſis, ut, quid animi haberent, intelligeret, eaq; populo renunciaret, rege in Normannia abſente. Rex properè reuerſus, Quadrigarium grauiſſimè increpauit, quòd cum hoſtibus armatis ad colloquium congreſſus eſſet, eorumq; poſtulata, rediens imperitæ multitudini expoſuiſſet: eoq; aliquanto pòſt mortuo, inciſum in monumento elogium honorificentiſſimum, abradi iuſſit. Tanti tamen uiri nomen poſt obitum, regis conſenſu, famæ crimine liberatum, titulusq; ac honor ſuus paxq; cineri reddita. Aemilius lib.10.

Edicto prohibita.

EVRYPYLVS Telephi F. Machaonem Aeſculapij filium interfecit in bello Troiano, teſte eo, qui paruam Iliada fecit. Hanc ob cauſam in ſacris Aeſculapij, quæ Pergami fiunt, cùm hymnos à Telepho exordiantur, nihil Eurypylo eius filio laudationis impertiunt: quin & illum eo in templo nominari nefas habent, quòd ſcilicet eum Machaonis interfectorem fuiſſe ſciant. Pauſanias in Laconicis.

Belli Troiani tempore, cùm Achilles Tenem regem occidiſſet, quo tempore Græci Tenedūm depopulati ſunt, ſtatuerunt poſtea Tenedij, ut nulli deinceps liceret templo reſtituto, in eo Achillem nominare. Diodorus libro quinto, capite 17.

ERATOSTHENES ſeu potiùs HEROSTRATVS, Dianæ Epheſiæ templum opulentiſſimum incendio uaſtauit, famæ immortalis captandæ gratia. Epheſij comprehenſum hominem diris affecerunt ſupplicijs: & edicto ſanxerunt, ne quis eius nomen in aliqua hiſtoria exprimeret. Euulgauit tamē illud Theopompus, niſi fortè finxit.

Mediolanenſium urbs, ob defectionem à FRIDERICO I. Imp. exciſa fuerat an. 1162. decennio pòſt, deficientibus ab imperio Lombardis, reſtituta, pœna linguæ propoſita ſanxit, ne quis Friderici nomen in ſermonibus uſurparet: & Comites ſuſtulit, quos ille in caſtris proximis conſtituerat. Sigonius lib.14. regni Ital.

PETRVS Aragonum rex, à Martino IV. Pp. regio titulo propter occupatū regnum Siciliæ priuatus, per iocum ſeſe Patrem duorum regnorum & Maris dominum ſcribebat. Aemilius libro 5.

Iulius II. Pp. anno 1512. [redacted] edictum in Galliæ regem LVDOVICVM XII. promulgauit, quo illum nō amplius Chriſtianiſſimum, ſed Illuſtriſſimum appellans, eum & quotquot illi ſtuderent, omnibus hæreticorum & ſchiſmaticorum pœnis ſubiecit, uniuerſo Galliæ regno ſacris interdixit, & in Angliæ regem Henricum VIII. Lateranenſis concilij decreto, Chriſtianiſſimi regis titulum tranſtulit. Guicciardinus lib.11.

Abiecta.

Pellenæi odio LEI Agnuſij proditoris, qui conſpirationē eorum aduerſus Theſeum ipſi patefecerat, nomen λεὼ ita oderant, ut ſe λεὼν dici nollent. Plut. in Theſeo.

Gens Claudia cùm prænominibus, cognominibusq; uariis diſtingueretur, LVCII prænomen conſenſu repudiauit: poſtquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus eſt. Inter cognomina autem, & Neronis aſſumſit, quo ſignificatur lingua Sabina, fortis ac ſtrenuus. Suetonius in Tiberio.

M. MANLIO Capitolino, propter affectati regni ſuſpicionē de ſaxo Tarpeio præcipitato, gentilitas Manliorum iurauit, ne quis in poſterum Capitolini nomine ſalutaretur. Suetonius de Viris illuſt.

Debellātē M. ANTONIVM Triumuirum Octauio, collegam habente in conſulatu Ciceronis F. Senatus Antonio abrogauit omnia ornamenta, decreuitq;, ne quis ex Antoniorū gente Marcus nominaretur. Plut. in Antonio.

Non uſurpata.

TIGRANES Armeniæ rex, quòd à Lucullo non rex regum ſalutaretur, quaſi coarguens imperitiam eius, ad eum ut imperatorem ſcribere, contumaci epiſtola recuſauit. Plut.

Franciſcus I. Gallorum rex, cùm anno ſal. 1537. præſens in Senatu Pariſienſe per Capellum aduocatum, Flandriæ & Arteſiæ iuſtis armis à CAROLO V. Imp. repetendæ cauſam ageret: nunquam Carolum uel Imperatorem uel Cæſarem uel Auguſtum nominauit, ſed Carolum Auſtrium tantùm: ne legitimi magiſtratus, & quidē in Chriſtiano orbe ſupremi, appellatione illum cohoneſtando, ſemetipſum uideretur accuſare, qui uel iuſta de cauſa ſummo principi bellum inferret. Lud. Caſteluetrus in cenſura poematis ab Annibale Caro in laudem Valeſiorum decantati.

Cùm anno 1546. proteſtantes Germani, bellum Carolo V. meditarentur: in iis, quas ad eum de bello inferendo per fecialem miſerant, literis, Io. Fridericus Saxoniæ dux nec Cæſarem nec Imperatorem ſalutari uolebat: at Philippus Lantgrauius diuerſum tuebatur. Tandem communi fœderatorum conſenſu decretum, non Auguſti, ſed Auguſti loco ſedentis, nomine dignandum. Neq; aliud fuit, quod CAROLVS V. iniquiùs tulerit. Proinde cùm non multo pòſt acie uictus Saxo, Imperatori ſiſteretur, & in hæc uerba prorumperet. Benignitatis tuæ ulnis me complectere Imperator: indignabundus Carolus, Ergo nunc tibi Imperator ſum? reſpondit. Complectar te ſic uti mereris. Idem.

Erepta, Tranſlata.

Ludouicus rex Vngariæ, auxilio Lupoldi ducis Auſtriæ & Genuenſium, perpulit VENETOS imperata facere, multa centena millia aureorum pendere ſigilli inſcriptionem, qua ſe dominos maris iactitabant, mutare: marchiam dare, Taruiſinam Auſtriæ duci. Sed hoc in annalibus Venetorum non legitur. Cranzius lib.9. Vandaliæ, c.7.

IVLIVS II. Pp. Ludouicum XII. Gallorum regē anathemate feriit, non ampliùs Chriſtianiſſimum, ſed Illuſtriſſimum appellans, & Chriſtianiſſimi titulum in Henricum IIX. Angliæ regem, Lateranenſis concilij decreto, transferens. Guicciardinus lib.11.

NO-

NOMINA FOEDA, IMPIA.

Conſule locum Nominū à Vitiis impoſitorū, quatenus Ignominiam habeat iunctam. Item Tit. Maledicentiæ.

Impoſita.

Ignominia eſt, inquit Nonius, nominis nota. M. Tullius de Rep. lib.4. Cenſoris iudicium nihil ferè damnato affert, niſi ruborem. Itaq; quòd omnis ea iudicatio uerſatur tantūmodo in nomine, animaduerſio illa, Ignominia dicta eſt. Ignominioſa miſſio eſt, quoties is, qui militē è caſtris mittit, addit nominatim, Ignominiæ cauſſa ſe mittere. l.2. ff. qui not. infam. Hotoman. de Verbis iuris.

Attagen auis, lacuſtria loca & plana incolens, uariis plumis: unde SERVI ſtigmatiæ, Attagenes dicuntur. Suidas.

Auguſtus, Imp. ut auctor eſt Trāquillus, filiarū IVLIANVM, & neptis infamē uitam, morte ipſa grauius tulit, nec eas aliter appellare conſueuit, quā tria carcinomata ſua. nimirū quod earum nō ſine magno dolore ſuo recordaretur. Suet.

L. ANTONIVS Saturninus, ſuperioris Germaniæ præfectus, ab Domitiano Imp. per iurgium Scortum appellatus, imperium arripuit. Sed per Norbanum Appium acie uictus & occiſus eſt. Cuſpinianus.

Quatuor millia SARACENORVM, quæ obſidum nomine Heraclius Imp. abduxerat, militarem ueſtem ex Iuſtiniani (quæ adhuc extat) ſanctione poſcebant. Eunuchus corruptiſſimo ſeculo fiſci præfectus. Quid, inquit, reliqui eſt Romano militi, quod dari canibus his poſſit? Eam effeminati hominis petulantiam tam indignè tulere ipſi uiri, armatiq;, ut domum agmine ſe ſurripienes, coniunctis ſuis quiſque ſibi popularibus, Arrabiaq; omni ac finitimis gentibus cōcitatis, iura diuina humanaq; miſcuerint. Aemilius libro 1.

Eodem ferè tēpore SCLAVI, prouinciis Francorū Transrhenanis finitimi, amicitiā cū Dagoberto iuxerant: reliquiinfeſtiſſimi prædā ex ſociis Frācorum agebāt. Miſſus Francorū, fœcialis ad Samonem gentis regem, cum à proceribus ad eum non, admitteretur, ſemperq; differretur: propoſito cultu Francico, ſumtoq; Sclauico, ut unus ex illis prodeuntem in publicum Samonem adiit. Tunc aperiens ſe, quiſnam eſſet, fretuſque iure legationis, ferociter res repetit. Cùmq; rex diceret à Francis iniuriam ortam, ſe in poſterum paratum eſſe cum Dagoberto fœdus ferire: reſpondit, Fœdus cum canibus ictum, ſanctum eſſe non poſſe. Id cōtumelioſum dictum tota gens altiſſimè in pectus demiſit, Illæſo ſociali dimiſſo atrociſſimum ortum bellum Aemilius libro 1.

Erat mos aqud milites (quum Galli & Hiſpani de regno Neapolitano decertarent) ut ioco ſerioq; ſeſe mutuis contumeliis ex propria uulgariq; gentium nota prouocarent & inceſſerent, cùm eſſent acies in conſpectu & leuibus præliis certaretur. Nam GALLOS Hiſpani Borracios, id eſt ebrios, & ex temulentia uinum meientes uocabāt: Galli autem HISPANOS à furaci manu latrones laqueo ſuſpenſos appellabāt: ſicuti HELVETIOS, qui in Gallorū erāt caſtris, Germani ad exprimendam gentis ignobilitatem Conameníos, hoc eſt, uaccas in ſtabulis mulgentes, uocare erant ſoliti. GERMANOS uerò Heluetii Snocharos, quæ uox Germanicè ſpurcos nebulones indicat: ITALI uerò ab aliis Bugrones, hoc eſt, puerarii uocabantur. Iouius in Conſaluo.

Vſurpata.

Apud Græcos ſycophanta, aut hodidocos, quaſi obſeſſor uiarum & latro, uel propudium, conuicium cenſebatur maximum: ſicut PERSIS, muliere uirum ignauiorem appellare nulla inſignior cōtumelia fuit. Apud AEGYPTIOS, aſini nomen obiectare, magnum eſt in genere probrū, quòd Typhonis hoſtis Oſiridis colorem ferret. Quare quum Perſarum regē Ochum ſummi dedecoris loco Aegyptii aſinum appellarent, in tātum exaſit, ut diceret: Faciam, ut hic aſinus ueſtrum bouem depaſcatur. qui haud multo poſt, ingenti coacta manu occupata Aegypto, Apim immolauit. Ex Plutarchi Iſide. Alex, lib.4. cap.16.

MAXIMINVS Thrax, qui Alexādro ſucceſſit in imperio, corpore fuit admodū procerus, & uorax: magnitudine corporis tanta, ac fortitudine, ut alij eum Crotoniaten Milonem, alij Herculem, alij Antæum, alij Achillem, alij Aiacem uocarent. Et cùm de longis ac ineptis hominibus ueteres loqui uellent, trito adagio uocarent, Caligam Maximini. Erat enim ultra communem hominum menſuram octo pedum longitudine, Cuſpinianus.

VANDALORVM gens ampliſſima olim & clariſſ. Polonos, Boemos, Dalmatas, Sarmatas, Ruſſos complectebatur. Iidem dicti Sclaui, & Sclauoni, quaſi uerboſi. Apud Saxones ſolos Vādalorum nomen ſeruatūr, ſed detortum, ut Vvenden uocitentur accolæ Oceani Germanici. A ueteri ciuitate Holſatiæ (quæ illorum lingua Starigard, Saxonum uerò, Oldenborch uocatur) orientem uerſus, uſque in Pruſſiam (quæ olim Sarmatiæ pars erat, nunc uerò annumeratur Germaniæ & legibus, & lingua) pertingit in Poloniā & Ruſſiam. Cæterūm ob ſeruitutem extremam, cui ſubiecti olim fuere Vandali, in eum abiit contemtum, ut appellatio ipſa ignominiæ propè loco habeatur: quemadmodum etiā uox Sclaui. Cranzius lib.1. Vandaliæ.

INSIGNIA HONORIFICA *Deiecta.*

Germani equites, qui erant in comitatu Henrici VII. Roman. Imp. Mediolanum ad accipiendam Imperij coronam intrantis, GVIDONIS Turriani tūm Mediolani, eiecto Mathæo Magno Vicecomite, tyrannidem exercentis, ac Cæſari obuiam magna pompa egreſſi, uexillum ſignifero ui extortum, ſolo affixerunt, indignati, quòd aliud inſigne, quam Romana Aquila, præſente Cæſare præferretur. Iouius in uita Matthæi.

Eraſa, Abolita.

Petrus Medices Florentiæ princeps, cùm ob traditas Carolo VIII. Regi Galliæ Hetruriæ arces, rebellantis populi odio furoriq; cedere, atque urbe profugere cogeretur, uſque adeò MEDICEVM nomen cunctis inuidioſum eſſe cœpit, ut Laurentius atque Ioannes, qui apud Galliæ regem tanquam exules fuerant, Petri expulſi gentiles, ut libertatis tuendæ ſtudium oſtenderent, è marmoreis antiquæ domus inſignibus pilas puniceas Medicææ gentis inſignia deterſerint, ſubſtituraq; candida cruce, uti in aliam familiam tranſeuntibus mos eſt, Populani, abdicato ueteri nomine, appellari maluerint. Iouius lib.1. Hiſt.

AMICITIÆ IGNOMINIOSA PRIVAtio. Huc pertinent

Ciuitate non donati, priuati.

Hic quoq; Ignominiæ ſolius habetur ratio. Alioqui etiam ad Amicitiæ φυλακὴν & κτῆσιν pertinent.

Hoſpitio non excepti.

Conſule Titulum, Inhumani erga hoſpites.

Coniugio fruſtrati.

Vide Tit. Repulſa matrimonij. Hic eius, quæ Ignominiæ cauſa fit, habetur ratio. Illic Amicitiæ coniugalis non initæ.

Cū Aegyptias mulieres differre ab aliis in cōgreſſibus CAMBYSES audiuiſſet, ad Amaſim Aegyptiorum regem miſit, qui unam filiam eius in matrimonium ſibi dari peterent. At hic ſuam quidem non dedit, quia eam ſuſpicabatur uxoris honorem non eſſe conſecuturam, ſed pellicis: uerùm filiæ loco Nitetim Apriæ filiam miſit. Exciderat autem Aprias ex Aegyptiorum imperio, quia uictus in pugna contra Cyrenæos, atq; ab Amaſi fuerat occiſus. Cùm gauiſus eſſet Cambyſes ob Nitetim acceptam, omniaq; ex illius ſermonibus geſta percepiſſet, ualde grauiter commotus eſt. Cùm ea igitur Cambyſem rogaret, ut pœnas ſumeret de Apriæ morte, effecit ac perſuaſit, ut Aegyptiis bellum inferret. Dinon in reb. Perſicis, & Linceus Naucratita lib.3. rerum Aegyptiarum, Nitetim ab Amaſi ſcribunt Cyro miſſam fuiſſe, ex qua natus ſit Cābyſes, qui cùm pro matre uindictā ſumere ſtuderet, copias coactas eduxit in Aegyptum. Athen. li.13. ca.4.

Rhegium Italiæ tyrannus Syracuſanorum DIONYSIVS ſolo æquauit, commotus quòd cùm ex ea ciuitate puellam in matrimonium petiiſſet, Rhegini lictoris filiam ei obtulerint. Strabo lib.6.

MISTAVVS Vandalorum rex, ob denegatum Bernardi Saxoniæ ducis filiæ coniugium, quòd ethnicus eſſet, Aldenburgenſem eccleſiam inuaſit & Hamburgenſem, atq; LX. presbyteros, cute capitis in crucis formam inciſa, per omnem ditionem circumduxit, & miſerè tandem interemit. Metrop. Cranzij lib.3.

STEPHANVS Regulus Illyrius à patre Cherſechio ſponſa è ſtirpe Seruiæ Deſpoti priuatus eſt. Eam enim ad paratas nuptias deductam improbus pater libidine ſuperatus, quòd eſſet formoſiſſima, ſibiipſi, ſecluſo filio, copulauit, fruſtra reclamantibus propinquis. Qua rei indignitate motus filius, abiurata Chriſti religione ad Turcam defecit. Iouius.

Alexander VI. filio ſuo CÆSARI Borgiæ Valentino Cardinali regnum Italiæ parare affectans, Friderici Neapolitani regis filiam ei in matrimonium dari, & dotis nomine Tarentinum principatum tradi petiit: niſi id faceret, in Ludouici XII. Neapolitanum regnum inuaſuri partes ſe tranſiturum minitabatur: ſin faceret, facilè ſocerum à genero pontificiis ſubnixo copiis regno eiici poſſe ſperabat. At Fridericus, animaduerſo dolo, cum laude periclitari maluit, quàm filiā cum regno homini impuriſſimo prodere. Ergo Pontifex toto animo ad gallicas ſpes conuerſus, Valentino Carolotam, Friderici Aragonij filiam, quæ nondum nupta, in Gallica aula uiuebat, copulare procurabat. Cuius rei ab rege Ludouico, in cuius poteſtate illam locare eſſe uidebatur, ſpe accepta, Cardinalis in ſacro ſenatu, inuitū ſe iā olim ad ſacerdotia pertractum aſſerens, pallio & ſago pro toga ſumtis, in Galliā ꝓperauit. Verùm Carolota uel amore, uel

paterna

paterna auctoritate, uel occultis Ludouici consiliis, nuptias eius renuit. Pontifex ergo, ut filius Carolotæ matrimonio exclusus, Alibretti, qui, quòd ex regia stirpe esset, & ob regnorum suorum amplitudinem, nulli totius Galliæ regulorum erat inferior, filiam duceret, annuit. Guicciard. lib. 4.

LIBERTATE PRIVATI IGNOMINIOSÆ.

Ex Seruitutis loco huc quædam. Illic Libertatis amissæ, hic Ignominiæ iunctæ habetur ratio.

Sub iugum missi.

EQVI a L. Quintio Cincinnato dictatore inclusi, cùm se dedidissent, inermes sub iugum missi sunt. Tribus hastis iugum fiebat, duabus humi defixis, superq; eas una transuersa deligata. Huiusmodi ignominia hostes à dictatore dimissi. Sabell. lib. 3. En. 3.

Pacem turpem accipere coacti.

Vide sub Seruitutis loco, Pauredemta.

Iulio Agricola domitore Britanniæ ex insula Romam reuocato, quòd gloriæ eius Domitianus tacitè uideretur inuidere, & Cn. Trebellio successore dato, fortuna Romana ob seditiones castrenses sensim nutare cepit: & tandem ternis præliis à Galdo Scotorũ rege uicti ROMANI, ne castris exuerentur, pacem supplices à ferociss. hoste petere coacti, iis conditionibus, ut Scotorum Pictorumq; agro excederent, captiuos, obsides, perfugas restituerent, de bello mouendo nunquam amplius cogitarent. H. Boethius lib. 4.

In carceres coniecti.

Corbis ignominia apud Bœotos instituta erat in EOS, qui ęs alienum non dissoluerent. Ducebatur enim in forum, sedereq; iubebatur: super sedentem, corbem iniiciebant. Hac notatus ignominia, infamis cęlebatur. Hanc passus est MNESARCHVS, Euripidis tragici pater. Gyraldus Dialogo 7. Hist. Poet. & Stobæus serm. 42.

BERNARDVS Caprera, mortuo Martino rege Siciliæ regnum affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus esset, tandem proditione captus, à Sanctio classis regiæ præfecto, in cisternam uacuam demissus est: laxatis inde ad immensam pluuiam cadurcis, tanquam fortuitò id accidisset, riui in cisternam defluebant, eamq; replebant. Postea in liberaliorem custodiam deductus, cum custode de liberatione pacisci tur. Custos rem ad Sanctium defert: iubetur ut petenti annuat. Proxima igitur nocte de tertia uigilia summisso fune, caligis complicatis, nulla amictus tunica, demittitur, custode urgente ad descendendum, tanquam anxius esset, ne in fuga deprehenderetur. Ille dum celerius, quàm manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retib. induitur, & ritu feræ, cassibus captæ, hæsitita ut nec sese deiicere, etsi præceps casus erat, posset, nec receptus in fenestram ullus daretur. Ita totum diem retibus inuolutus, tanquam Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul ac miserãdum pluribus spectaculum fuit. Valla lib. 2. Historiarum.

Venditi turpiter.

C. MACIENVS accusatus apud Tribunos plebis, quòd exercitum in Hispania deseruisset, damnatus, ac diu uirgis sub furca cæsus, sestertio numo uæniit. Sab. lib. 9. En. 5.

IVS HONORIFICVM EREPTVM SACRORVM.

Huc confer Tit. Seruitutis sacrorum. quandoquidem eadem exempla diuerso respectu & huic & illi loco possint inseruire.

Nulla fuit omnium dearum, quæ magis pellicum multitudine infestata fuerit, ipsa Iunone: idcirco Numa apud Romanos legem sanciuit in hæc uerba: PELLEX ædem Iunonis ne tangito: si tangat, Iunoni agnam feminam crinibus dimissis cædito. Natalis Comes Mythologiæ lib. 2. cap. 4.

Militiæ.

SERVOS ad militiam sacramento rogare, aut ullo modo admittere, nefas sanctum ueteribus est, quod Cicero in Deiotarana significat, & Martianus digestis de Re militari: Ab omni (inquit) militia serui prohibentur, alioqui capite puniuntur. Sed & in Helenore Mantuanus uates Aeneidos nono monstrauit,

—— Quem seruã Licinia furtim
Sustulerat, uetitisq; ad Troiam miserat armis.

Pausanias auctor locupletissimus est, Persico bello, quod in Marathoniis campis gestum est, primùm seruos in militiæ iura admissos, quo nomine etiam tumulus interfectorum inibi uisebatur. Post Cannensem cladem armata Romanis seruitia Volonum nomine T. Liuius tradit, quum prius singulos forent scisciti, uellent ne militare. Vnde est nominis ratio. Sociali quoq; bello in militiam libertos admissos primùm, Appiani historia tradit. Cælius lib. 25. cap. 23. A. L.

Testamenta conficiendi, Hæreditates adeundi.

Sub loco Seruitutis hunc eundem Titulum reperies sed diuerso considerationis modo.

Ius testamenti iusq; intestatis, præterquàm inter agnatos succedendi, ademtum SAXONIBVS à Carolo Magno, ob rebellionem, concitante eos Godefrido Danorum rege. Acmilius lib. 2. & 3. & Auentinus lib. 4.

Comitiorum, Suffragiorum.

QVIBVSIVS ferendi suffragia adimebatur, & ex albo iudicum submouebantur, olim dicebantur ἐκφυλλοφορῆσαι, quę admodum Exauctorari dicebantur milites, quibus ius pugnandi adimebatur. Olim non calculis, sed foliis ferebantur suffragia, quasi dicas, à foliis ferendis excludi. Erasmus in Prouerbiis.

PHOCENSIBVS (qui se Philippo Amyntæ filio Macedonũ regi dediderant) ob direptum Apollinis Delphici templum ius suffragij ferendi in conuentu Amphictyonum ereptum, & ad Macedonas translatum est. Pausanias in Phocicis.

Romani CERITIBVS bello subactis eam dixere conditionem, ne suffragij ius haberent, ne leges ullas aut ederẽt, aut haberent. Ea ignominia in adagium abiit. Acron & Porphyrion. Meminit de tabulis Ceritibus & Aulus Gellius lib. 16. cap. 13. Primos autem municipes, inquit, sine suffragij iure Cerites esse factos accipimus. Concessumq; illis, ut ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negociis tamen atque oneribus uacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditis q;. Hinc tabulæ Cerites appellatæ uersa uice, in quas censores referri iubebant, quos notæ causa suffragiis priuabant. Erasmus.

INNOCENTIVS II. Pp. populum Romanum à sacris amouit, eumq; pontificiorum iure comitiorum, cuius à primis temporibus ad eam usq; diem particeps fuerat, spoliauit.

Academiæ.

Fridericus I Imp. dum Romam coronatus redit, à VERONENSIBVS in itinere est indignè acceptus. Quam ignominiam interiectis aliquot annis ulturus, iniecto igne urbem incendio deformauit, studiumq; illinc generale Patauium transtulit. Similiter quoq; aliquanto post BONONIENSE gymnasium Patauium transtulit. Cuspinianus.

Conuiuij, Mensæ.

Bertrandus Gesquinas Magister equitum sub Carolo V. Gallorum rege, morem introduxit, ut QVICVNQVE nobilitate & conditione sua aliquid indignum commisisset, in publico conuiuio dedecoris causa mappa coram illo præcideretur, & hoc ipso indignus conuictu nobilium iudicaretur. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis memor.

Spectaculorum.

Athenis PEREGRINI publicis ludis saltare mille drachmarum multa uetabantur. Alex.

QVI quæstũ sui corporis fecissent, quiq; uilitate & gula aut luxuria se auctorassent uel ære obligassent, à theatro arcebantur penitùs. Quod Athenis quoq; statutum ferunt, ut & multis flagitiis dedecoratus, aut nota turpitudinis nefariæ insignis foret, à suggestis & ludis arceretur: idq; adeò procaciter seruatum est, ut præfecti subselliorum per cuneos dispositi, è subselliis, in quibus immeriti sedebant, quibus equester non fuisset census, ui spectatores deiicerent. Alex. libro 5. capite 16.

Luctus.

In seditione agraria Caij Gracchi à L. Opimio Coss. cæsi, ad tria millia ciuium peremta, & in amnem proiecta: interdictus CONIVGIBVS eorum luctus.
Plutarchus in Caio.

LIBRI VNDECIMI

TITVLORVM DISPOSITIO

- Subiectũ *siue Res, quæ cõmunicantur. Participant ergo*
  - Animi
    - Bonis. Vt
      - Eruditione.
      - Virtute.
    - Malis:
      - Hæresi.
      - Improbitate.
  - Corporis
    - Bonis:
      - Sanitate.
      - Pulcritudine.
    - Malis:
      - Morbo. *Contagiosi morbi.*
      - Deformitate.
  - Fortunæ. *Vide signum* I.
- Personas, *quæ cõmunicant, & à quibus communicantur. Communicatur ergo aliquid homini alteri ab aliquo uel*
  - Homogeneo. *Vide in sequentibus signum* II.
  - Heterogeneo. PARTICIPATIO *considerata respectu quorumuis aliorum communicantium. Sic ue sint*
    - Reipsa, *quandoquidem alteri ab altero cõmunicatur, & alter alterius boni m. dliue particeps redditur.* PARTICIPATIO *et* COMMVNICATIO *boni maliue. Bonum Malumue πσιωνικὼς appelletur. Cuius si Materiam subiectã spectes, ad Opulentiam, Honorem, Amicitiam pertinebit: si Euentum, ad Felicitatis & Infelicitatis locos. Per se autẽ hic perpẽdetur, tũ quo ad Cõmunicationis*
    - Dæmones. A *Dæmonibus*
      - Necati.
      - Vexati.
      - Accusati.
    - Bruta. A *Brutis*
      - Seruati.
      - Necati.
      - Sedibus *pulsi.*
      - Liberati.
      - Proditi.
      - Regno *exuti.*
    - Arbores.
    - Radices.
    - Vestes. A *uestibus*
      - Suffocati.
      - Proditi.
    - Anuli.
    - Arma. *Armis*
      - Defensi.
      - Necati.
      - Proditi.
    - Epistola
      - Proditi.
      - Regno *exuti.*
    - Modum. PARTICEPS *fit alieni boni maliue*
      - Natura. Ortũ.
      - Precibus, *Votis.*
      - Imprecatione.
      - Institutione
        - Bona.
        - Mala.
      - Conuersatione.
      - Nuncio
        - Felice.
        - Infelice.
        - Negligente, *Tardo.*
      - Indicio
        - Boni.
        - Mali *imminentis.*
        - Insidiarum.
      - Obsequio.
      - Deprehensione. *Deprehensi*
        - Adulteri.
        - Proditores.
      - Iudicio *alieno: per quod communicatur*
        - Gloria.
        - Dedecus.
        - Absolutio, *Condemnatio.*
  - Ratione *tantùm & Contemplatione, quatenus in quolibetcunque boni mallue genere uel Similes sunt uel Dissimiles. Vide in sequentibus signum* III.

HACTENVS *de Fortuitis per se. Nunc de ijs, quæ per accidens inter Fortuita locum habere uidentur, quatenus ij, quibus insunt, inter se cõmune quid habent, tanquã Relata quædam Participatis & Communicantis, uel*

- I. Participāt ergo Fortuitis
  - Bonis:
    - Opulentia. Imperio, Regno.
    - Gloria, Veneratione.
    - Victoria, pro Certaminum diuersitate uaria. Viputa
      - Grammatica. Poetica. Mechanica.
      - Bellica
        - Monomachiæ.
        - Polymachiæ. VICTORIA cōsiderata respectu
          - Personarum, Victoris & Victi, uariat.
            - Quantitate. Vincunt enim uel
              - Pares numero.
              - Multi paucos.
              - Pauci multos.
            - Qualitate. Sic uincunt
              - Feminæ uiros.
              - Victi uictores.
              - Debiles potentes.
              - Inermes armatos.
              - Armati inermes.
            - Effectu
              - Cædis, uel
                - Absq; sanguine
                - Vtriusq; partis.
                - Alterius partis, uel
                - Suo.
                - Hostium.
                - Cū sanguine
                - Vtriusque partis.
                - Alterius partis uel
                - Suo.
                - Hostium.
              - Fructus.
          - Occasionis, cōciliatur uel
            - Aliena ope. Puta
              - Dei inuocatione, reconciliatione.
              - Dei hortatu, iussu, oraculo.
              - Diuina manu.
              - Diuino terrore, Panico spectro.
              - Anni constitutione.
              - Grandine, Tonitru.
              - Vento, Tempestate.
              - Imbre.
              - Aquæ inundatione.
              - Animalium ope.
              - Rerum sacrarum ope.
              - Pestilentiæ ope.
            - Propria Virtute.
          - Frequentiæ.
          - Adiuncti.
          - Temporis, uel
            - Velox.
            - Tardus.
          - Loci.
      - Formæ.
      - Roboris.
    - Malis. Vt
      - Inimicitia.
      - Calamitate.
      - Subiectione.
      - Imperij priuatione.

II. Com-

- II. Cōmunicatur aliquid Homini alteri ab aliquo Homogeneo, hoc est, ab Homine. in Conuersatione
  - Politica. Sic ergo communicant
    - Patria. Conditores urbium.
    - Principes, Reges, Subditis, quibus commodant uel incommodant sua
      - Natiuitate. Probitate.
      - Tyrannide. Ignauia.
      - Perfidia.
      - Præsentia, Absentia.
    - Subditi Patriæ, Principibus, suam
      - Gloriam.
      - Infamiam.
    - Collegæ respectu
      - Ambitionis. Morositatis.
      - Mortis. Calamitatis.
    - Vicini uicinis
      - Improbitate.
      - Potentia.
      - Infelicitate.
    - Amici
      - Operam. Ab amicis adiuti.
      - Perfidiam. Ab amicis deserti, proditi.
    - Hostes respectu
      - Pacis. Reconciliati.
      - Certaminis. Victi.
      - Opum. Hæredes facti.
    - Sexus
      - Virilis. Vir infamat uiros.
      - Muliebris. Mulier infamat muliebre genus.
  - Oeconomica. Communicant igitur
    - Auctores generis, familiæ.
    - Maiores Minoribus suam
      - Impietatem.
      - Virtutem, Gloriam, quæ Nobilitas est.
    - Minores Maiorib. suum
      - Aspectum, Præsentiam, Vitā. Visi, conspecti nepotes ab auo.
      - Successionem continuatam. Nepotum successio. Familia propagata.
      - Interitum. Morum dissimilitudinem.
    - Parentes Liberis aliquid boni uel mali: siquidem Parentes sint
      - Dij. Deorum filij.
      - Probi. Improbi.
      - Gloriosi. Obscuri, Inglorij.
      - Legitimè iuncti. Ingenui filij.
      - Illegitimè coniuncti. Nothi.
      - Exosi. Viui.
      - Mortui. Vnde Filij
        - Posthumi.
        - Orbi.
    - Aui Nepotibus.
    - Soceri Generis.
    - Liberi Parentibus in
      - Genere, Percipiuntur à Parentibus ex Liberorum
        - Copia, certa
          - Commoda.
          - Incommoda.
        - Inopia, sua
          - Commoda.
          - Incommoda.
      - Specie, si sint
        - Multi.
        - Bene educati. Degeneres.
        - Clari
          - Eruditione. Pietate, Sanctitate.
          - Fortitudine bellica.
          - Dignitate. Fama, Nomine.
          - Coniugiis. Victoria.
        - Superstites.
        - Mortui.
    - Nepotes Auis.
    - Aui Nepotibus.
    - Generi Soceris.
    - Sorores Fratribus.
    - Mariti Vxoribus
      - Probitate.
      - Gloria.
    - Vxores Maritis
      - Virtute. Pudicitia.
      - Forma. Dignitate.
      - Improbitate. Impudicitia.
      - Prodigalitate.
      - Superbia.
      - Morositate.
      - Acerbitate. Impietate.
      - Opulentia. Morte.

SS 2 III. Simi-



Voluminis Tertij Liber XI.

De Alienorvm Bonorum Malorúmue Participatione

Communicationem tanquam adiunctum quoddam Conuersationis humanæ inter Fortuita, proprio libro enarrare uoluimus: siue boni sit, siue mali, si Rem spectes communicatam: siue felix sit, siue infelix, si spectes Euentum. Sic Participatio datur alienæ fortunæ in utramq; partē, Opulentiæ, Paupertatis, Gloriæ, Dedecoris, Amicitiæ, Inimicitiæ. Quorum exempla ex præcedentibus desumi possunt. Illic Possidentis, hîc Auctoris habetur ratio.

Participatio considerata respectv rervm, qvib. participant:

Ervditione.
Ex Tit. Præceptorum, quædam huc pertinebunt.

Religione.
Quòd Iudæi per omnes ferè terras gentes q; dispersi sunt, unius ueri Dei prouidentia est in Christianæ religionis propagationem: ut quòd deorum falsorum usquequaque simulacra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tàtò antè prophetatum: nè fortè, cùm legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum. D. Aug. lib. 4. de Ciu. Dei, cap. 34.
Anglia, omnium ferè totius Europei Orbis Latini, monasteriorum & cœnobiorū parēs & altrix appellari potest. Ex eo enim prodiere, qui uel nouos instituerunt, uel ueteres uiuendi ritus instaurarunt. Polyd. in Hist. Anglorum.

Hæresi.
Ex Tit. Hæresiarcharum & Hæreticorum quædam huc transferenda, ratione Participationis mali. Sic totus Oriens Arij ueneno sub Constantio & Valente Imp. infectus fuit.

Improbitate.
Vide Tit. Tyrannorum & Regum improborum: quatenus improbitas illorum in Subditos redundat. Idem de Parentum, & Filiorum, & Coniugum improbitate.

Robore.
Participat patria Robore Victorum, tum in sacris certaminib. tùm in prælio. Eoq; nomine huc referri possunt. Vide Tit. Olympionicarum.

Morbo. Contagiosi morbi.
Hi inter Corporea suo loco connumerantur. Heic solius Participationis ratio habetur.

Deformitate.
Parentib. Filiorū, Maritis Vxorū deformitas uel molestiæ est, uel etiā ignominiæ: sed utraq; Participatione nititur, cuius heic merito repetuntur.

Opvlentia.
Consule Tit. Regiones & urbes populosæ, fertiles, opulentæ: quatenus Patriæ diuitiæ etiam ad Ciues uidentur pertinere: quatenus Patriæ diuitiæ etiam ad Ciues uidentur pertinere. Romanæ urbis opulentia ad locum Diuitiarum referenda est, si per se consideretur: si uerò ad Romanos ciues, qui Reipub. membra sunt, & huius ipsius opulentiæ aliquatenus participes, huc pertinebit.

Gloria, Veneratione.
Ex Tit. Patriæ gloria ad Ciues: item Ciuium gloria in Patriam redundans.

Ochozias Iorami F. Iudæorum rex, Samariæ interfectus à Iehu cum Ioramo Achabi F. Israelitarum rege solus sepultura cohonestatus est, propter Iosaphatum auum sanctiss. cùm reliqui omnes insepulti abiicerentur. 2. Paral. 22.
Quantum amoris & gratiæ ob gestarum rerum gloriam sibi Ioan. Coruinus dux fortissimus cōciliarit, rei exitus ostēdit: quippe quum post Ladislai regis interitū, Mathiam eius filium, regio haudquaquam genere natum, & adhuc puerum ac rerum impotem, omnes Hungari una uoce regē appellarint. Bonfinius lib. 8. Dec. 4.

Victoria* in genere.
Victoria considerata respectu Personarum, Victoris scilicet atque Victi: quatenus alter alterius subiectione utitur, fruitur, sic huius est loci. Cōsiderata uerò respectu cōsequētis siue comitantis honoris, si Victorem spectes, ad Gloriam pertinebit: si Victum, ad Ignominiam. Si uerò Effectus perpēdatur, respectu Agentis seu Victoris, ad Libertatem & Imperium: at respectu Patientis, ad Seruitutem & Subiectionem conferet. Quòd si denique Habitus ipse, à quo uictoria pendet, consideretur, ex Titulo Sapientum certamina: item Fortitudinis propulsatrix, non paucis exemplis locus præsens illustrari poterit.

Victoria Grammatica.
Vide Titulum, Grammaticorum certamina.

Victoria Poetica.
Huc Titulus, Poetarum certamina.
Fabulæ Euripidis duæ & nonaginta referūtur, inter quas octo Satyricæ: in iis quindecies tantū uicit. At uerò M. Varro eius fabulas quinq; & septuaginta cōmemorat, & quinquies tantū (iudicum iniuria) uicisse ait. Sunt qui quater dicant: item semel pòst mortem, eius docente nepote, qui & ei fuit cognominis. Gyraldus in hist. Poet.

Victoria Mechanica.
Vide Locum Mechanicarum artium.

Victoria Bellica Monomachiæ.
Ex Tit. Fortitudinis in singulari certamine, huc pleraq. Illic Habitus, heic Victoria, tanquam fructus alienæ oppressionis consideratur.
Gallus quidam miles ex Albana arce procurrens, magnitudini

& robori corporis cõfisus, ex Romanis unum ad singulare certamen prouocabat. M. VAL. Tribunus militũ, adolescens, impetrata à cõsule uenia, cũ Gallo cõgreditur. Ibi coruus in Valerij galeã insidet, & alleuãs se rostro & alis aduersum hostẽ nõ priùs infestare destitit, quàm Gallus tali prodigio territus, oculisq; simul & mẽte turbatus, ferro sit ꝓstratus à Valerio. Mãsit hinc Valerio & posteris ab euẽtu illius uictoriẹ, Coruini cognomen. Sab.lib.3.En.4.ex Gellij lib.9.c.11.

M. SERVILIVS uir coss. uicies & ter amplius pugnauit ex ꝓuocatione, ac semper uictor in castra reuersus est, hostilib. spoliis onustus. Sab.lib.4.c.6.ex Plutarcho in Paulo.

Io. PETRVS Surra Bergomensis, decies septies ex prouocatione uictor euasit. Iouius lib.12. Historiarum.

---

90 VICTORIA BELLICA. POLYMAchiæ. RESPECTV

14 QVANTITATIS Personarũ. Sic uincunt

Pares numero.

LIPARÆOS aiunt, olim oraculo iussos cũ Tyrrhenis paucissimarũ nauiũ classe confligere, triremes contra eos quinq; deduxisse. Illos cùm se Liparæis haudquaquã inferiores naualib. rebus fore cõfiderent, pari nauiũ numero cõgressos. Sed cùm quinq; eorum triremes Liparæi cepissent, mox totidẽ iterum, ac tertiò, & postremũ quartò eduxisse: omnes uerò eas classes à Liparæis captas. In huius rei memoriã Apollinis signa pari numero superatis à se iam toties nauib. dicarunt Delphis. Pauſ. in Phocicis.

Demetrius Antigoni F. CLXXX nauib. Ptolemæi ducentas naues ad Cyprũ uicit. PTOLEMÆVS citato cursu cũ solis octo nauib. profugit. Neq; enim plures ex omnib. euasere. Cẹteræ partim in prælio depressæ. LXX cũ propugnatorib. & sociis naualibus captæ. Plut. in Demetrio.

Multi paucos.

Consule Tit. Strages magnæ.

Xerxis PERSARVM regis exercitus Leonidã Spartanorũ regẽ cũ CCC sociis ad internecionẽ cẹcidit. Herodotus.

Pauci multos.

Cùm totus Oriens Assyrio parẽret imperio, essentq; eius gẽtis opes omnib. formidolosæ, ABRAHAMVS Chananeæ terræ incola, cum parua hominum manu, quam ex propria familia legerat, secutus Assyriorum copias, quæ Sodomæ urbis rege acie uicto & profligato, grandẽ ex ea terra prædã, captiuorumq; numerũ ingentem ob tributum sibi denegatum abduxerant, circa alterũ Iordanis fontem ex improuiso adortus, magna ex parte cecidit, fœdeq; disiecit, captiuis cũ præda receptis, & in his Loth, uiro iustiss. fratris sui filio. Sabell.lib.4.c.6.ex Geneseos 14.

GEDEONI Israelitarum iudex, cùm cæteri Iudæi uirtutẽ atq; animũ amisissent, Arabũ atq; Amalechitarũ exercit⁹ magnitudine cõterriti (impetu enim facto gentes illẹ Iudẹã omnẽ uastabant) ex omni Iudæorũ numero solos trecentos delegit: atq; eo tantùm comitatu, noctu hostes Madianitas in ipsis castris inuasit: coniectaq; omni eorũ multitudine in fugã, ex ipsis CXX millia cũ quatuor regib. occidit, à reliquis Iudæis in cæde fugientium adiutus. Iudicum 8.

IONATHAS Sauli filius, uno dũtaxat comite adiutus, uetus Diomedis & Vlyssis exemplũ retulit. Hostium castra noctu ingressus, passim cum cæde peruagatus, tantũ pauoris iniecit Philistæis, quorũ erant castra, ut cùm omnia ab hoste teneri crederentur, facta sit fuga. Accurrit eò Saulus cũ robore copiarum, ubi hostem sua sponte turbatum sensit, Philistæosq; passim dispalatos immaniter trucidat: difficile dictu, maioréne uirtute, an fortuna uni hominũ aut alteri inuictus alioqui cesserit exercitus. Sab.lib.6.c.7.ex 1.Reg.14.

DAVIDICORVM quatuor millia, uiginti millia Absalomiorum cum ipso rege occiderunt. 2.Reg.18.

ASA rex Iudæorum, Zaram Aethiopem cum decies centenis millibus militum & trecentis quadrigis, superauit. 2. Paralipomenon 14.

IVDAS Machabæus cũ trib. millibus suorum, qui armis parũ instructi erant, numerosissimum exercitum profligauit Antiochi Epiphanis, duce Deo fretus. 1. Mach.3.

IDEM mille comitibus, Nicanorem Demetrij Soteris ducem cum nouem millibus ad internecionem cecidit. 1. Mach.7.

IONATHAS Iudæorum dux & pontifex, à Demetrij Nicatoris exercitu in Galilæa ex insidiis interceptus, à suis omnib. derelictus fuit. Soli duces, Mathias Absalomi, & Iudas Chapsæi, cum quinquaginta uirorum fortium manu permanserunt: qui à desperatione sumta audacia, tanto impetu aduersam hostium frontem impulerunt, ut territi ceu furentib. cederent. Tum uerò illi, qui Ionatham destituerant, uidentes fluctuantem & inclinatam hostium aciem, reuersi in prẹlium, iam in apertam fugam uersos persequebantur, donec ad Cedasa uentum est: ubi intra castra compulsi sunt. Ionathas autem egregia uictoria potitus, recepit se Hierosolyma. Iosephus lib.13.c.8.ex 1.Mach.11.

CYRVS, cùm aduersus Artaxerxem pugnaret, quatuordecim Græcorum millibus, centum barbarorum millia superauit. Frontinus lib.4.c.2.

Ad Marathonem ATHENIENSES, duce Miltiade, quamuis numero longè inferiores essent, tanta alacritate contra hostem pergebant, ut primi omniũ Grẹcorum, cursu in hostem sint usi, primi sustinuerint cernere Medica ueste indutos, cũ antehac uel nomen Medorum audire, Grẹcis terror fuisset. Mirabantur Barbari, & stultos iudicabant, quòd cùm pauci essent, & neq; equitatu neq; sagittis uterẽtur, currerẽt in hostẽ, tanquã ad certũ exitium. Pugnarunt igitur cõtra XLVI nationes, contra sexcenta hominum millia, quibus Datis & Artaphernes Darij regis auspiciis præerant, ut Trogus scribit: decẽ millia Athenienses duce Miltiade. Platæenses auxiliares mille: fuitq; sic quoq; pugna aliquandiu anceps, hinc uirtute, inde numero superante, uiceruntq; Barbari media acie, ut Herodotus meminit, qua Persæ & Sacæ eam perrũpentes, in mediterranea fusum hostem egêre. Contrà utroq; cornu Athenienses Plateensesq; prosperè dimicarunt, Medisq; utrinq; pulsis, cornua contraxerũt. Tum omnis impetus in Persas Sacasq;, qui mediã aciẽ auerterãt, cõuersus est. Hi Græcis utrinq; urgentibus, cũ multa cæde sunt ad naues cõpulsi: CC millia Barbarorũ eo prẹlio cẹsa Trogus scribit, quũ Herodotus sex millia & CCC occubuisse memoret, ex Atheniensib. duos & nonaginta supra centum, nec amplius. Sab.lib.1.En.3 ex Herod.lib.9.& Iustino.

GRÆCORVM XI myriades, h.e. centũ decẽ millia, cũ XXX myriadibus Persarum (præter auxiliarios Græcos, quorum non erat numerus) ad Platæas contra Mardoniũ Xerxis ducem, feliciter pugnarunt. Herod.lib.9.

Brennus Gallorum peditum CL millia, equitum XX millia & CCCC, cõtra Grẹcos duxit. GRÆCI delectu habito 23190. peditũ, equitũ III millium ad Thermopylarum angustias hostem superarunt magna strage, XL tantùm suorum amissis. Eosdem ad Callium in Aetolia, præda onustos persecuti, ad XX millia cecidére. Delphico autem templo spoliato, Brennus ipse cum suis ad internecionem cæsus. Reliqui duce Acichotio in Asiam transmiserunt. Anno altero Olymp. 125. Pausanias in Phocicis.

EPAMINONDAS Thebanorum dux, quatuor hominũ millibus, ex quibus CCCC tantùm equites erant, Lacedæmoniorum exercitum uigintiquatuor millium peditũ, equitũ uerò mille sexcentorum, uicit. Front.lib.4.c.2.

Vetusta est, sed memoranda pugna, quæ ad Sagram fluuiũ in Calabria cõmissa est. Abiit res in prouerbiũ, ut Verius esse diceretur, cùm quid uerè assereretur, re ad Sagrã olim gesta, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ: ubi dena LOCRENSIVM millia cũ modica Rheginorũ manu, centum triginta millia Crotoniatũ una acie profligarũt. Nec minori miraculo fuit, quòd eodem die, quo est ita insigniter in Italia dimicatum, fama rei gestæ Olympici conuentus aures perculit. Sab.lib. 6.c.7. Iustinus lib.20, de numero occisorum à Strabone lib.6. dissentit. Eustathius in Bœotiam Homeri, M. Tullius de Natura deorum lib.2. Erasmus in Adagiis.

TIMOLEON Corinthius, captis Syracusis, cùm Carthaginẽses duce Annibale & Amilcare, LXX M contra eum ducerẽt, eos quinq; millibus peditũ & mille equitib. ad Crimasum amnẽ uicit. Perhibentur ex decem millib. qui ceciderũt, tria millia fuisse Carthaginensiũ, magno illius ciuitatis luctu. neq; enim ullis erãt nobilitate, uel diuitiis, uel claritate secundi, neq; tot uno unquã prælio antea cecidisse ex ipsis memorant Carthaginensib. uerùm Afris ferè, Hispanisq; & Numidis, qui ad certamina utebantur, alieno uincebantur detrimento. Cẹsorũ deprehenderũt Græci ex manubiis dignitatẽ. nihil enim ęs uel ferrũ, qui spoliabãt cadauera, morabãtur, tãta affluentia argẽti, tanta auri erat. Etenim superato flumine castra cũ impedimentis ceperunt. Captiuorũ ingens numerus fuit à militib. interuersus, quinq; millia ꝓducta, capti etiam ducenti currus. Plut. in Timoleonte.

SYRACVSII nouem triremibus inuadentes centum & uiginti triremes Carthaginensium, longè superiores extiterunt. Aelianus lib.4. de Varia historia.

AGESILAVS Archidami F. Lacedæmoniorum rex, cũ Tissapherne, præfecto oræ maritimæ regis Persarum Artaxerxis congressus, in Hermi campis, ubi sunt fines Ioniæ, equestres eius & pedestres copias, quantas neq; Xerxes in Græciam, neq; Darius in Scythas atq; Athenienses, nec alius omnino quisquam in hostem eduxerat, parua manu fudit & superauit. Pausanias in Lacon.

Q. LVCTATIVS Catulus, primo bello Punico CCC nauib. aduersus Pœnos profectus, sexcentas eorum naues cõmeatibus impeditas, duce Himilcone apud Aegades insulas inter Siciliam & Africam depressit. Volat. lib.14.c.2.

M. MARCELLVS Coss. ad Clastidium de Gallis singularem uictoriam, modoq; nouam ac stupẽdam retulit. Neq; enim equitatum & peditatum tam pauci, tàm numerosum, quod quidem proditum memoriæ sit, unquã uel antè uel pòst, fuderunt. Plut in Marcello.

FABIVS Aemylianus triginta millibus militum ad Rhodanũ plus quàm CC Gallorum millia, ingenti strage deleuit. Alex.lib.6. cap.25.

In Italia Cispadana Cimbris occurrẽre Romani Coss. C. MARIVS XXXII M habebat, Luctatius Catul⁹ XX M CCC. Pugna commissa, 3.Kal.Aug. hostium CXX M trucidarunt, LX M ceperunt: iis exceptis, qui uel suis uel mulierum manibus periẽre. Plut. in Mario.

P. PETRONIVS, Aegypti præfectus, ab Augusto missus, Cornelio Gallo successit, & aduersus Aethiopes bellum gessit. Aethiopes enim, Syenes præsidio expugnato, Cẹsaris statuas euerterant, & captiuos duxerant. Petronius aũt cum paucioribus, quàm decem millib. peditum & equitib. DCCC aduersus triginta hominũ millia profectus, in Pseleã Aethiopicam urbem eos fugere coëgit, & mox oppidũ in potestatem redegit. Volat.lib.18.ex Strabonis lib.17

DOMITIVS Corbulo duab. legionib. & paucissimis auxiliis Parthos bellicosissimos, qui instructissimo exercitu se illi opposuerant, sustinuit. Front.lib.4.c.2.

L. LVCVLLVS, peditum XXX M. equitum duobus millibus quingentis, Mithridatem regẽ potentiss. cũ CXX peditum, equitum XVI M, curribus falcatis centum uicit. Ad Rhynda cum amnẽ, equitatũ, ad Granicum fluuiũ, peditatum cõcidit, ad trecenta millia: in Hellesponto classem, sic ut in Pontum fugere cogeretur. Plut. in Lucullo.

IDEM in Armenia cũ decẽ millib. peditum, & equitatu, cũ funditorib. & sagittariis ad mille, ad Tigranocerta urbẽ, Tigrani regi Armeniorum occurrit, qui sagittariorum & funditorum habebat XX M, equitũ LV, ex quib. cataphracti erant XVII M, pedites grauis armaturæ CL M. uiarum munitores, & qui pontes pararent, materiarios & ad ministeria destinatos XXXV M. Romanorũ paucitatẽ Tigranes irrisit, si ut legati uenissent, multos esse: sin ut milites, paucos, dictitans. Verùm in tanta colluuie cataphracti, Rom. impetũ ne expectarunt quidem, sed fuga effusa peditum ordines interruperunt. Insecuti Rom. absq; labore uictoria potiti sunt. Pedites cecidisse supra centũ millia perhibentur, equitũ pauci planè effugisse. Ex Rom. exercitu centum uulnerati, quinq; desiderati. Huius pugnæ Antiochus philosophus in cõmentario de Diis mentionem faciens, negat, à sole uisam parẽ. Strabo alius philosophus in libris historiarũ ipsos Rom. cõmemorat puduisse, & semetipsos derisisse, quòd in eiusmodi mancipia induissent arma. Liuius ait, nunquã Romanos signa cũ hostibus cõtulisse tanto numero inferiores. Neq; enim uigesimã propemodũ partẽ, imò nec minorẽ æquarũt uictores uictorum. Plut. in Lucullo.

CÆSAR Cn. Pompeiũ supra XL M militũ habentem, in acie Pharsalica collatis signis, cùm XXII M ingenti strage superauit. Plut. in Pompeio.

MASELCEREVS, aliis Mascezel, Africẹ comes, aduersus fratrẽ Gildonẽ, qui ab Honorio & Theodosio Imperatorib. defecerat, pugnans, quinq; pugnatorum millibus, plus quàm octoginta millia uicit ac deleuit. Cuspinianus.

BVRGVNDIONVM gẽs, incursionib. Hunnorũ crebris afflicta & uastata, cũ religionẽ Christianorũ & baptismum cõplexa esset, egressi aduersus Hũnos in pugnã pauci numero, ter scilicet mille, uictores de uicenis barbarorum millibus euaserunt. Socrates lib.7.c.30.

Bello sacro, captis Hierosolymis, & rege illic creato Godofredo Bolionio, ad Ascalonem, Christianorũ Latinorũ XV peditum, equitum quinq; millia, de CCCC millib. peditum, C millib. equitum Babylonij regis uictoriã retulerunt. Marianus Scotus in epistola ad Paschalem pontificem.

BALDVINVS IV. Hierosolymarum rex, anno sal. 1177. die 25. Nouembris, Saladinum Aegyptium, qui Arethusam obsidebat, & equitũ circiter XXVI millia ducebat, paruo exercitu (nam uix 370 equites, pedites paucos habebat) superauit. neq; continuis imbribus hostis impeditus, suos ex fuga colligere ualuit: fame quinetiã & frigore, maxima hostiũ multitudo absumta est. Non multo pòst Saladinus terram Sanctam, cum exercitu uiginti millium repetiit. Balduinus in extremis rerũ angustiis constitutus (Tripolitanus enim Comes, ex quo omnis belli salus pendẽre uidebatur, acuta decumbebat febri) eum cum septingentis equitibus, ad Frobolet uicũ, cecidit, cùm gladio & calore solis intensissimo maxima eorum pars cecidisset. Tyrius.

Eduardus I. Anglorum rex, Scotiam subegerat. SCOTI Ioannem Cumeniũ regni gubernatorẽ constituunt. Is adiuncto sibi Simone Frase, octo millium exercitum collegit, pro libertate recuperãda deuotus. Desperatis hominibus Rodulfum Confrenem Eduardus rex cum XXX M. obiicit. Rodulfus, ueluti ad prædam profectus, copias in tres partes diuidit. Scoti primam aciem egregiè uicere. In subsidium uenientem alterã cõfecere. Cùm iam tertia adesset, maiore animi quàm corporis robore nitentes, constantia sua in fugã uertere: uictoria memorabili, tres hostium uictorũ acies, uiribus longè maiores, aperto marte occurrentes, à uictis & subactis cæsas esse. H. Boëthius lib.14.

Anno Sal. 1356. IX. Kal. Octobris, in Pictones EDVARDVS Vualensis princeps, Eduardi III. Britannorum regis F. non maiore, quàm octo millium numero penetrarat. Aduersus eum Ioannes Gallorum rex, supra sexaginta hominum millia cũ potiore Gallorum principum parte trahebat. Eduardus, qui biduum sensim cedendo, iam abire longiùs se non posse, quin prælio decertaret, uidebat, quia longè impar uirib. erat, obtulit, capta se eo bello restiturũ, atq; inducias cum Gallis in septennium confirmaturum. At Galli oblata spreuerunt, atq; in ipsa munimenta impetũ fecerunt. Erant aũt castra sepe densa, ductaq; extrinsecus fossa, munita. Illic cùm diu præliatum esset, atq; in eo Eduardi milites magnũ Gallorum numerum sagittis eminùs confixissent, conspicati eos iam lassos, rarosq; in acie ordines seruare: magno impetu in eos cũ bipennibus, eruperũt. Captus in eo prælio Ioannes rex fuit, à Picardo exule, nomine Dionysio Morbequo: capt⁹ quoq; Philippus eius filius, & principes permulti. Fulg.lib.6.cap.11.

ROBERTVS Brusius, Scotorũ rex, Eduardũ II. Aglorũ regẽ, qui peditũ CL. totidẽq; equitũ M. ex Anglis, Belgis, Celtis & Aquitanis habebat, ad Bannafborn fl. triginta millib. suorũ profligauit, & regnum confirmauit. H. Boëthius lib.14.

Christophorus Danorum rex, magno exercitu conscripto in Valdemarum Slesuici ducem mouens, arcem Gottorpe (quæ clauis est in Holsatiam) constituerat expugnare. GERARDVS Magnus Holsatiæ dux, Valdemari auũculus, per Vuestphaliam usq; ad Rhenum, arma contraxit auxiliaria. Cõuenere oẽs in Reyndesborg, & priusquàm educerentur, sumptus nõ mediocres in oppido fecere aduenæ. Iam educendi erant, nec tamen ciues egredi sinebant, nisi ære persoluto. Comes seu rerũ ignarus, seu pecunia destitutus, egreditur ipsi, cum Burcardo de Irzehude duce suo in oppido remanent. Equites erant cum Comite quadringenti, aduersus duplo maiorem numerum. Initum certamen magnis animis. Peracta multorũ strage rex fugã iniit. Et quia Slesuicũ declinare nõ poterat, quòd hostes media tenerent, Kilonẽ uersus iter instituit, ad Ioan. Comitẽ fratrẽ uterinũ, Gerardo inimicũ. Interim Burcardus audiens esse congressos, sed euentum nesciens, permittentib. ciuib. cũ aliquot, speculandi causã egressus est. In loco Sestede, nocte equites Danos deprehendens, omnes cepit, in quib. rex erat Christophorus. Cũ captiuis Gottorp properè cõtendẽs, portas pulsauit importunus. Prior Comes de strato quãuis uulneratus exurgit, &: Quis ait, pulsat fores? Agnoscẽs miles uocẽ Comitis, proclamat, Grauiter uulneratus & captus ad sum. Cui Comes, agnita uoce militis, Multos teneo captiuos: celeriter redimẽris. Tũ miles, Maioris rei tibi nuncius aduenio: ecce adduco regem Danorũ Ioannes Comes captiuos omnes, data in possessionem Gerardo Fionia, & aliquot arcibus, captiuitate laxauit. Cranzius lib.9. Saxoniæ, c.11.

BRACHIVS senior Perusinus, militaris dux, in Piceno apud Contratã arcem, aduersus Bonifaciũ pontificem, præsidio centum tantùm equitum profectus, ut situm molendini inspiceret, quod manu munire decreuerat: hostium septingentos equites, duce Angelo Pergulano, uenientes à longè intuitus, ne metu retrocessisse uideretur, cum eis decertare decreuit. Cùm autem extractum in noctem ipsam certamẽ tenebris diremtum esset, non modò integras ex prælio copias ipsas, quas habebat Brachius, recepit: uerumetiam ita hostes perterruit, ut militum ipsorum populorumq;, qui in hostili parte erant, magna pars deditionem fecerit: adeoq; atrox prælium fuit, ut Spinta Brachianus miles centum ac quinquaginta, item Mecha, septuaginta uulnera acceperint. Fulg.lib.3.c.2.

Cùm ALOYSIVS Georgius naui Venetæ, quæ quotannis homines religionis uoto Hierosolymas contendẽtes, deuehere solet, præfectus, in Turcarum regis classem, Arige præfecto, incidisset (quæ nauium duarum onerariarum erat, triremium, item duarum biremium quinq;) nec monitus à biremibus duabus Turcicis, ut pro more nautico, uelificationẽ intermittat, antennasq; demittat (quandoquidẽ Turcẹ plus & uirib. & auctoritate pollerent) à cursu desisteret. (existimabat enim piratarũ illã esse classem) Turcæ ab utroq; illũ latere suis triremib. cinxerũt, & sagittarũ magnã uim in eũ miserũt, nauibusq; suis omnib. illũ expugnare contenderũt. Sed tanta remigum & nautarum, atq; inprimis aduenarum uirtus fuit, ut cùm ab hora diei sexta usq; ad quartamdecimam pugnauissent, Turcẹ receptui canentes, & signo pacificationis sublato, priores pugnam desinerent: Arigesq; missis ad Aloysiũ ex suis, qui salutem illi dicerent, pacẽ beneuolentiamq; cum illo iniit. Bembus lib.4. hist. Ven.

IOANNES Coruinus Huniades quindecim hominum millibus instructus, cum Turcis in campo, quem Vascapum dicunt, congressus, exercitum eorum, quem octoginta milliũ fuisse hi, qui prælio interfuerunt, Vngari dixerunt, profligauit fuditq; ut uix media pars euaserit, Danubiumq; fugiendo traiecerit. Pleriq; tamen eorum, qui diuersi in fugam effusi, per nemora, per saltus & agros diuagabantur, aut inedia, aut Valachorum manibus confecti sunt. Signa circiter ducenta capta, hominum uerò quinq; millia. Non multo pòst pari felicitate ad Morauam fluuium cum Turcis conflixit: ubi strages longè maior patrata est, quàm aut Coruinorum numerus, aut humana fides pateretur: quando à decem millibus equitum, triginta Turcarum millia una nocte cæsa, capta quatuor, & nouem militaria signa hostib. erepta. E Coruinis aũt non multi pro cladis magnitudine desiderati: uix quingentos oppetiisse memorant, siquidem pauci infestum hostem inuenêre. Bonfinius lib. 5. Dec. 3.

QVALITATIS Personarum. VINCVNT *Feminæ Viros.*

Vide Tit. Mulieres fortes.

Victoria, quam dedit Dominus Israëlitis per manum IVDITHÆ, illustris est. Ipsa dixit, occiso Holoferne: Dominus omnipotens necauit eum, & tradidit in manum feminæ, & cõfudit eum. Iudithæ 16.

Angli anno salutis 1429. arcta obsidione Aurelianum premebant. Ad Carolum VII. Gallorum regem uiribus fractum puella quædam nomine IOANNA (Iane la Pucelle) uiginti circiter annos nata, uenit, ob seruatam uirginitatem Puella dicta, & Carolum ita salutauit: Bono rex animo es, me duce, patriam in libertatem pristinam uindicabis. Carolus facilè dictis credidit, aliquid diuinitatis illi inesse ex eo coniectans, quòd se priùs non uisum, & uerò priuato habitu, ne posset agnosci, in turba mixtum agnouisset. Petiit subinde gladium, quem diuinitùs, uti aiebat, in templo diuæ Catharinæ apud Turones, inter antiqua donaria pendêre resciuerat. Carolus gladium inquiri, ac inuentum protinus Puellæ afferri iussit: eique exercitum cum parte commeatus attribuit, ut obsessos subleuatum iret. Puella noctis silẽtio, inter tela hostium in urbẽ intrauit, cibariaq; intulit, sine ullo suorum incommodo. Angli proinde Aurelianensem obsidionẽ relinquere coacti, multis aduersis præliis eiusdem ductu profligati fuere. Tandem in oppugnatione Compendij uulnere debilitata, & in fossam præceps delata, à Ioanne Lucemburgensi capta, Rothomagum missa est, & in ueneficij crimen uocata, à duce Somersetensi examinata, an bene sentiret de religione Christiana: quia uiri usa erat uestitu, & pro uenefica habebatur, damnata fuit. Illa ut hostes misericordia frangeret, prægnantem se esse simulauit. In nouem menses seruata ad partum, ut res uana apparuit, crudeliter exusta est. Franci illam etiam nunc ad pellendum patria hostem ex cœlo demissam ferunt, quippe quàm uirginem interiisse prædicant. Post puellæ mortem Anglis nihil prosperè ampliùs cessit. Polydorus lib. 23.

Quum ALBERTVS ex duce Megapolensi rex Sueciæ creatus annis circiter sex & uiginti egisset in regno, & multa fortiter prudenterq; constituisset: obiecit ei fortuna Margaritã, Daniæ regis Valdemari unicam filiam, quæ post patrem regno potita est: & defuncto post aliquot annos Aquino Noruagiæ rege, marito, pòst etiam Olauo filio in primis adolescẽtiæ annis in fata concedente, duobus præfuit regnis. Illa bello orto Albertum cum Erico F. in acie cepit, & regnum Sueciæ etiam occupauit. Cranzius lib. 5. Succiæ, c. 32.

Victi ipsos uictores.

Ex loco Stratagematum exempla quadam huc transferri possunt: ex Titulis, Metum suis eximere, Animare suos, In insidias conijcere hostes. Item Tit. Victorum insolentum, huc pertinet, quatenus uictores insolentia sua eorum, qui uincuntur, robur desperatione armant.

ISRAELITÆ uicti à Palæstinis, sub Eli pontifice, arcam fœderis Siluate arcesserunt, quæ ipsos ab hostium defenderet iniuria. At longè maiori strage uicti sunt, cæsis eorum 34 millibus, capta arca, Hophni & Phinee Eli filijs interfectis. Eli nuncio audito, è sella delapsus ceruicem fregit, nurus illius, uxor Phinees, in partu interiit. 1. Regum 4.

Polynicem à fratre Eteocle Thebis pulsum, Adrastus Argiuorũ rex in generũ cooptauit, & cũ exercitu reducere tentauit. Verùm cũ Argiui oppugnandarũ urbium imperiti essent, à Thebanis ad internecionem cęsi, unico Adrasto excepto. At non multo pòst EPIGONI, Thersandro Polynicis F. duce, h. e. posteri illorũ, qui ad Thebas ceciderant, Thebas aggressi, Laodamantẽ Eteoclis F. eiecerunt, & Thersandrum, regẽ fecerunt. Hinc prouerbium ortũ, Cadmea uictoria, si qua uictores pernicies opprimat. Nã Cadmea arx dicebatur Thebanorum, à Cadmo condita. Pausanias in Bœoticis.

AMAZONES, Grecos omnes, à quibus superatæ erant, somno oppressos in mari interfecerunt, & se in libertatem uindicarunt. Herod. lib. 4.

Cyrus Persarum rex, cùm Massagetas ingenti clade affecisset, cæso etiam unico regis filio, TOMYRIS regina dissimulans ægritudinem animi, parua manu hostium ingentes copias fudit, & ducenta millia Persarum una acie trucidauit, tanta cæde, ut ne nuncius quidem luctuosæ cladis superfuerit. Iustinus lib. 1. & Herod. lib. 1.

Lacedæmonij Thebanos subegerãt. Sed pòst THEBANI duce Epaminonda non solùm in Peloponnesum peruenerũt, uerùm etiam Eurotam transierunt: Spartam etiam ipsam, quæ per aliquot secula hostilem uultum non uiderat, occupassent, nisi ueritus esset Epaminõdas, ne uniuersi Peloponnesij conspiratione facta, pro Sparta dimicarent. Aelian. lib. 4. de Varia hist. & Polybius.

LEONIDAS Spartanorum rex, cum CCC sociis ad Thermopylas, Xerxis Persarum regis exercitum sustinuit: ut quãuis omnes cæsi fuerint, uictores tamen eo ipso censeri debeãt, quòd Xerxem paulò maioribus copiis uinci potuisse ostenderunt. Sab. lib. 6. c. 7. & Volat. lib. 16. Anthrop.

CONON dux Atheniensium, nauali prelio uictus à Lysandro Lacedemoniorum duce, eundem pòst terrestri prælio uicit, & Atheniensibus libertatem restituit. Plut.

AGATHOCLES, Carthaginensibus in Africa præter omniũ opinionẽ deuictis, eos intra muros conclusit. Fortuna autẽ, quæ alternis post cladem uictoriam dare solet, uictores æquè atq; uictos depressit. Nã in Sicilia CARTHAGINENSES, magna acie superato Agathocle, Syracusas obsidebãt. In Africa tanta pugna uictor Agathocles, Carthaginenses obsidione premebat: & quòd omnium maximè mireris, Imperator in insula, cùm haberet integrum exercitum, barbaris inferior erat, idem in continente parte, exercitus antè uicti uictores superauit. Diod. lib. 20.

Secundo Punico bello Fortuna rem Romanam ad Ticinum perculit, ad Trebiam fregit, prostrauit ad Thrasymenum, ad Cannas afflixit, iacentem & proculcatam ad Nolam suscitauit, in Hispania erexit, ad Metaurum restituit, ad Zamam uictricem declarauit. Accidit sanè, quod nullo unquam bello, ut propiores fuerint periculo ROMANI, qui demùm uicêre. Sab. lib. 7. c. 8.

Q. MARTIVS Septimij filius, eques Romanus, & impiger adolescens, sub Gn. Scipionis disciplina in Hispania, mortuis Scipionibus, Hannibale Italiam uexante, collectis militibus ex fuga, & quibusdam de præsidiis deductis, habita concione, uice functus Imperatoris, fractas Romanorum uires, cæsis fugatisque Hispanorum exercitibus recuperauit. Ad XXVII millia uno prælio cæsa. Liuius libro quinto, secundi belli Punici.

Festus Pompeius indicat Osculanam pugnam prouerbio dici solitam, quoties uicti uincerent. Idq; inde natum, quòd Val. LEVINVS Imperator, prius à Pyrrho rege Epirotarum à Tarentinis in auxilium accersito uictus, paulo pòst eundem regem deuicerit. Citat Ticinium, qui hujus adagij fecerit mẽtionem. Erasmus & Cæl. lib. 30. c. 35.

L. AEMYLIVS Paulus Iunior proconsul in Hispania primũ, cum Vaccetanis & Lusitanis aduerso Marte pugnauit apud Lyconem oppidum, ubi sex millia de eius exercitu cecidêre. Anno deinde sequenti eosdem Lusitanos fudit, cæsis 18. millibus, captis uerò tribus millibus ac trecentis. Ob quam rem supplicatio à senatu decreta. Volaterranus lib. 13. c. 3. Anthrop. ex Liuio.

Apolloniæ in Epiro, cùm opposita haberent castra Cn. Pompeius & C. Iul. Cæsar, ferebantur quotidie intra uallum Põpeij tumultuariæ pugnæ, in quibus Cæsar omnibus superior extra unam fuit: in qua, cùm fœdè fugerent sui, castra penè amisit. Nam cùm eos esset Pompeius adortus, nemo locum tenuit, sed & fossæ, cæsorum corporib. impletæ sunt, atque ad uallum suum munitionesq; effusè fugientes, cecidêre. Fugam occurrens Cæsar, cũ sistere niteretur, nihil profecit. Cùm ille signa corriperet, abiiciebant ea signiferi, ac triginta duo in potestatem hostium uenere. Cæsar ferè fuit oppressus. Cùm enim militi uasto & robusto fuga eũ præuehenti manus iniiciens, manere & conuertere se imperaret in hostem: ille turbationis in discrimine plenus, gladio manum ad eum cædendum admouit: cuius occupauit humerum armiger Cæsaris abscindere. Adeò autem res deplo ratæ CÆSARIS erant: ut cùm Pompeius siue suspicione aliqua, siue fortuna non esset actum tam eximium prosecutus, sed compulsis intra uallum iis, qui fugiebant, receptui cecinisset, diceret discedens Cæsar ad amicos: Hodie penes hostes uictoria erat, si haberent uincentem. Ergo mutato cõsilio, instituit in Macedoniam contra Scipionem ducere, ut Pompeium quàm lõgissimè à mari traheret, ne à classi subsidium habere posset. Sic tandem in campis Pharsalicis uictor, bello finem imposuit. Plut. in Cæsare.

Con-

Contra Narsei Persarum regis immensum exercitum iuuenili ardore progressus Galerius, à Diocletiano adoptatus, haud longè à Carris uictus, omnem penè amisit exercitum. Atq; hinc per Syriam ad Diocletianum uenit. A quo castigatus acerrimè, hac contumelia quasi cote usus est ad uirtutẽ. Nam refecto supplemento ex lectissimis militibus Daciæ, Illyriæ ac Mœsiæ, contra Persas feliciore auspicio profectus, ut ignominiam aboleret, omnia prius diligentiùs explorauit, quàm manus consereret. Itaque in maiore Armenia, castra noctu hostilia ex improuiso XX millibus equitum adortus, Persarum multitudinem felici uictoria strauit, dedecus aboleuit, fines Romani imperij longiùs produxit. Totam enim Assyriam, expugnata Ctesiphonte, cepit, & quinq; prouincias Transtygritanas, quæ statim redeunte ad urbẽ Traiano defecerant, imperio adiunxit. Fugatus uulneratusque Narseus, ad inuios Parthorum montes recessit. Regis proles, uxores & sorores captæ sunt, Persarum nobilitas abducta, reguli & duces triumpho reseruati. Ictum est fœdus, ut Persæ ab Armeniis, Mesopotamia, Assyria, nouisque prouinciis abstinerent. Cuspinianus.

CONSTANTIVS Chlorus, quẽ Maximianus adoptauerat, Galliis præfectus, apud Lingones, uno die utranq; fortunã expertus est. Cùm enim Alemanni magno irrumperent impetu, Constantiũ in fugã uerterũt. Is portis metu hostili occlusis, demisso fune per muros in urbem receptus, milites simul & ciues adhortatus, ut fugæ ignominiam uirtute delerent, eruptione facta, propè sexaginta millia hostiũ cecidit. Ea uictoria liberatæ Galliæ, attritæ Germaniæ, uires suas amisêre. Cuspinianus, & Fulg. lib. 5. c. 11.

Tres præfecti Saracenorum, Isnalach, Deuizes, & Alter, à rege suo deficientes, cùm suis uirib. diffiderẽt, ad Carolum Magnũ uenientes Padebrunnã, auxiliũ ab eo pe ierunt, muneraq; & Vasconiã atq; citeriorem Hispaniam ei obtulerunt. Ille conscripto exercitu transiit montes Pyrenæos, & Pompelonẽ Nauarrorum oppidum cepit, Cęsaraugustam destruxit, duos Saracenorum regulos subegit. In reditu, in Pyrenęi iugis SARACENORVM insidiis circumuentus fuit Caroli exercitus, multi prestantes duces perierũt, & inter eos Rolandus Caroli ex sorore nepos, Britannici limitis pręfectus, Aushelmus Palatij Comes, anno Dominj 778. Regino, Sigebertus, Annales Francorum, Auentinus lib. 4. Annal. Sabell. En. 8. Gaguinus lib. 4. de rebus gestis Francorum: Antoninus in Chronico: Blondus Decadis 2. lib. 1. Aimoinus de gestis Francorum lib. 4. c. 71. 72.

PARMA ciuitas in schismate illo grauiss. inter Fridericum II. Imp. & Innocentium IV. Pp. ab Imperatore biennio integro obsessa. Tandem facta eruptione, obsessi exercitum hostiũ securum fudère, castra sub Victoriæ urbis nomine cepere. Cranzius lib. 8. Saxoniæ c. 14.

Ad Murthlacum Marreæ uicum MALCOLMVS Scotorũ rex Enetum Sutenonis regis Daniæ & Angliç ducem uictorẽ, ipse uictus adortus equo deiectũ interfecit. H. Boëthius lib. 11.

Alexander dux Lituanorum, pridem dictus Vitoldus, propagãdæ religionis causa Christianus factus, in TARTAROS equitum peditumq; supra centum millia eduxit. Prima & altera pugna trecenta millia Tartarorum cæsa. Tertia tandem fusus exercitus Alexandri, cæsiq; ad internecionem penè omnes: uix ipse cum septem comitib. euasit. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 39.

Ludouicus Flandriæ Comes, Gandauensem urbem ob tributorum immanitatem rebellantẽ, famẽ premebat. GANDAVENSES ueniam erroris sui petebant. Ludouicus superbè respondit: Se id nunquã facturum, nisi pedibus nudis, aperto capite, reste collum nexi, sibi occurrerent. Hoc responso commoti ciues, cùm quinq; millium numerum non excederent, magnam tormentorum uim in curribus, & simul quatuor dierum cibaria secum deferentes, prius Christiana confessione lustrati, aduersus Comitem, Brugas profecti sunt. In eos, munitis iam castris, Comes cum triginta hominum millibus impetum fecit. Ipsi omnibus tormentis uno tempore in Comitis exercitum conuersis, & unà omnes castris egressi, omnes eius copias disiecerunt, & fugientes insecuti, Brugas ceperunt. Comes cùm se in furnarij lecto abdidisset, nocte ad Insulã urbẽ euasit. Fulg. lib. 5. c. 11. Aemilius uerò inspe rato aduentu portis apertis occupatas ab iis Brugas asserit.

Vicecomites Mediolanẽses duce Squarcino Burro Gallos Turrianorũ auxiliarios negligenter obeuntes, custodias noctu in oppido Carato oppresserant. Ibi cùm uictores ingẽti potiti præda captiuis indulgenter custoditis, corpora & equos curarent, affuit instructo agmine NAPVS Turrianus, suaq; celeritate & opẽ oppressis suis oportunè tulit, & felici casu de hoste uictoriã est consecutus. Iouius in uita Othonis.

Bello Ligustico secundo GENVENSES in Corcyrensi portu à Venetis obsessi, uoluére naues omnes Venetis tradere, si incolumes inde uiros abire permisissent. Quo negato, metu in desperationẽ uerso, cõcursum fuit: Ligurq; artem uiribus addidit, quindecim triremibus in insidiis locatis. Quæ medio pugnæ ardore in Venetos coortæ, haud dubiam suis fecerunt uictoriam. Sab. lib. 1. Dec. 2.

Inermes uincunt armatos.

SAMSON unus cum gente Philistinorum internecinũ bellum gessit: contra millia hostium solus & inermis prosperè dimicauit. Idem hostili urbe deprehensus, ubi sub noctẽ uim sensit aduersus se parari, demolitus est portas urbis, euulsisque postibus, in iugum montis detulit, quod hostili urbi imminebat: statuitq; in conspectu attonitæ ciuitatis, ludibriũ uerius quàm trophæum. Iudicum 14. 15. & 16. cap.

Sub Saulo rege decem millia ISRAELITARVM inermiũ, uicerunt Palæstinorũ 30 curruũ, & equitũ 60 millia. 1. Reg. 14.

IVDAS MACHABÆVS cum tribus millibus uirorũ, qui tegumenta & gladios non habebant, superauit Gorgiam cũ magno exercitu. 1. Machab. 4.

HARMATODII Thespiensis filius generosiss. ac bellicosiss. auxilio ueniens Atheniẽsibus, primùm quidem strenuè cõtra hostes pugnauit: consumtis autem omnibus armis, nudis manibus aduersus armatos dimicando, uitam cum gloria finiuit. Aelianus lib. 6. de Var. hist.

DALACARLI rustici Suecones miserrima seruitute & præfectorũ crudelitate pressi, ductu Engelberti cuiusdam liberti, licet inermes, Ericũ Pomeranũ regem expulerunt, & Engelbertum regni gubernatorem crearunt. Io. Magnus lib. 22.

CÆDIS.

Absq; sanguine utriusque partis.

Consule Tit. Hostes amicos facere, aut ad deditionem compellere, sub loco Stratagematum.

Apud LACEDÆMONIOS, si dux fortiter dimicasset, & cruento marte, magnaq; hostium clade uicisset, trophæi loco gallum diis immolabat. Qui uerò deditione & pacto, nec nimiũ cruenta uictoria potitus, belli mala uitasset, bouẽ sacrificabat. Vt significarent, magis decere imperatorẽ (iuxta Periclis sententiam) consilio & astu, quàm gladio & multo sanguine fuso, uictoria potiri. Alex. lib. 1. c. 22.

Absque sanguine suorum.

ISRAELITARVM XII millia, mille è singulis tribubus, contra Madianitas missi, duce Phinee Eleazari pontificis filio, mares omnes ad internecionẽ ceciderunt, & inter eos quinque reges Madianitarum, nemine planè ex Israëlitis desiderato. Præda maxima hominum simul & pecorũ abacta. Mares impuberes unà cum mulieribus uenerem expertis, ut q̃ Israëlitas ad scortandum induxissent, Moses interfici iussit. Virginibus pepercit: eas tamen cum reliqua præda inter Israëlitas diuisit. Num. 31.

IVDAS Machabæus Galaaditidem & Idumæã hostiliter peruagatus, oppida munitissima cepit, incendit, mares omnes interfecit, reliquos captiuos cum præda ingenti abduxit. Inde Hierosolymam reuersus cum hymnis & canticis, uotiuas hostias pro exercitus incolumitate mactauit, quandoquidẽ post tot conflictus ne unum quidem ex suis desiderauit. 1. Machab. 12. & Iosephus lib. 12. c. 12.

Mardonius cum XXX myriadibus in Græcia à Xerxe relictus, à GRÆCIS ad Platæas cum exercitu cæsus est. Ferunt ex CCC millibus cum Artabazo XL millia fugam cepisse. Ex his, qui pro Græcia dimicauerunt, non plus MCCCLX desiderati, in quibus fuerunt Athenienses duo & quinquaginta, omnes ex tribu Aiantide: quæ, ut Clidemus ait, pugnauit fortissimè (quamobrem nymphis Sphragitidibus Aiantidę, uictoriæ causa, sacra ex Apollinis oraculo præscripta, sumtu publico faciebant) Lacedęmonij unus supra nonaginta (Herod. habet XXXI) Tegeatæ sexdecim. Vnde mirum est, cur solos hos Herodotus prælium inisse cum hostibus, nullum præterea Græcorum dicat: cùm numerus cæsorum & monumenta uictoriam testentur communiter obtentã. Plut. in Aristide, & Herod. lib. 9.

Post cladẽ ad Leuctra acceptã, inter LACEDÆMONIOS & Arcadas contigit acre præliũ. Arcadũ supra decẽ millia cecidêre, Lacedæmoniorũ nullus. Prædixerant aũt eis uaticinio sacerdotes Dodonæ, bellum hoc Lacedæmoniis ἄδακρυν πόλεμον ἔσεσθαι, sine sanguine lacrymisq; futurum esse. Ab hac pugna Arcades, timentes Lacedæmoniorum impressiones, condidêre in quodam oportuno loco Megalopolim magnam, contractis in eam uicis uiginti Arcadum, qui Mænalij & Parrhasij dicebantur. Diod. lib. 15.

MILTIADES Atheniensium dux, Persarum sexcenta millia ad internecionẽ ferè cęcidit in Marathone, cẽtum nonaginta duobus tantùm suorum desideratis. Herod. lib. 6.

Cum Darij ducibus ad Granicum fluuiũ ALEXANDER Magnus signa contulit primò. De Barbaris peditũ uiginti millia, equitum duo millia quingenti cecidisse dicuntur. De Alexandri exercitu desiderati, ut Aristobulus auctor est, in totum quatuor & triginta: inter quos pedites nouem fuêre.

His

His statuas ex ære erexit, quas finxit Lysippus. Plutarchus in Alexandro.

In conflictu secundo ALEXANDRI cum Dario in Cilicia, cæsa captaq; ex Darianis eo die centum peditum millia. Curtius scribit, & decem equitum. Trogus peditum sexaginta millia cecidisse ait, & decem equitum, quadragintaque millia capta. Hi ueriora mihi tradidisse uidentur, quàm Plutarchus, qui undecim millia tantùm desiderata auctor est: sed in numero à librariis erratum credere æquum est. Macedonum, quorum fides sit apud auctores ipsos, equites centū quinquaginta, pedites duodetriginta desiderati. Sabellicus libro 4. Enn. 4.

M. VALERIVS Sabinorum Romanum agrum incursantium XIII M. cæcidit, nullo Romanorum desiderato. Plinius libro 36. cap. 15.

M. MARCELLVS Prætor Hannibalem Nolam subeuntem facta eruptione subita fudit. Mirum est, quod eo die accidisse memorant: uno duntaxat Romanorum cadente, ad duo millia hostium & CCC occidione occisos. Ea uictoria maior Rom. uisa, quàm pro numero cæsorum, quòd ab hoste toties uinci desiissent. Sabellicus lib. 3. En. 5.

ROMANI, contra Antiochum Asiæ regem, interfectis quinquaginta hostium millibus, ipsi uigintiquatuor equites tantùm, pedites uerò CCC amiserunt. Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 25.

Bello ciuili, L. SYLLA collatis cum Mario iuniore signis ad Signium, XX M hostium cęcidit, VIII M cepit, uiginti trib. tantùm ex suis desideratis. Plut in Sylla.

IDEM Mithridatis duces Taxilem & Archelaum, ad Chæroneam ingenti prælio fudit. Taxiles C M peditum, X M equitum, currus falcatos X C ducebat. Sylla equites M D, pedites minus X V M habebat. Decem millia Barbarorum Chalcidem effugêre, reliqui cæsi. Sylla de exercitu suo refert quatuordecim desideratos, quorum etiam duos sub uesperam adfuisse. Vnde trophæis Martem, Victoriam & Venerem inscripsit: quòd non minus felicitate palmam eo prælio, quàm consilio & uirtute tulisset. Ad Orchomenum porrò, cum Dorylaus cum LXXX M. Archelao se coniunxisset, magnam partem exercitus hostilis ut ad certamen prægredientem signis collatis fudit fugauitque Sylla: quorum trepidatione omnibus auersis castra expugnauit. Horum sanguine interfectorum paludes inundarunt, & stagnum cadaueribus est oppletum. Itaq; nostro quoque æuo annis propè ducentis post eam pugnam multi Barbarici arcus, galeæ, loricarum ferrearum fragmenta, gladij, cœno reperiuntur immersa. Plut. in Sylla.

L. LVCVLLVS ad Tigranocertam in Armenia X M, peditum & mille equitum pridie Non. Octob. fudit C L M. Tigranis regis, quinque tantùm ex suis desideratis: C M. hostium interfecit. Plut. in Apoph.

CN. POMPEIVS, Mithridatis Asiæ regis quadraginta millibus cæsis, uiginti tantùm ex suis desiderauit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 25.

Bello Iudaico Iudæorum plurimi in saltum Iardes confugerant. Quos tandem LVCILIVS Bassus, equitibus circumdato saltu, ne quis effugere posset, & peditibus succisis arboribus, ad unum interfecit ad MMM, Romanorum duodecim tantùm desideratis, quantumuis Iudęi strenuè repugnarent. Iosephus lib. 7. c. 26. belli Iud.

CAROLVS Martellus Gallorum dux, Abidiramum Saracenorum regem ex Hispania Gallias uastantem, ad Burdegalam ingenti prælio uicit, cæsaque una acie CCC octoginta Saracenorum millia: Platina habet 360. Auentinus 385. & quod maiori admirationi accessit; Francorum mille, nec amplius, ceciderunt eo prælio. Platina & Auentinus lib. 3. habent 150. Sabellicus libro sexto, capite 5. & Sigebertus in Chronicis.

Cùm Galli Henricum V. Anglorum regem ad Dagincuriam inclusum ad prælium cogerent: nihilq; certius quàm uictoriam sibi iam polliciti essent: ANGLI pauci collatis signis Gallorum ad decem millia ceciderunt, non paucioribus captis. Cùm è suis uix centum (alij quingentos, alij sexcentos ponunt) post prælium desiderassent. Polyd. lib. 22.

SIMON Montis fortis Comes, Cruce signatorum dux aduersus Albigesios hæreticos, in urbe Murello, ducentos ac sexaginta equites, peditesque quingentos secum habens, à magno Aragonij regis exercitu unà cum Comitibus sancti Iulij & Foisseij obsessus, eruptione facta, obsidentes in fugam compulit, ac decem & septem millia ex eis occidit, octo tantùm suorum desideratis. Fulgosus lib. 3. cap. 2. & Egnatius libro 3. cap. 2.

Cruciferi Teutones ab VLADISLAO Loctico Polonorum rege ad pagum Plouuce uicti, XX millia suorum amisere: ex Polonis D tantùm desiderati, anno Christi 1332. Cromerus libro undecimo.

IOAN. Coruinus Vaiuoda Transsyluaniæ, expugnata urbe Nisa, Bassæ Budensi obuiam perrexit; atque ut in propinquo fuit, structis aciebus, certamen iniit. Mira res: ex Turcis duo millia cæsa dicuntur, capta quatuor millia. Ex Christianis solùm decem cecidere, quibus pro Christi nomine certantibus bene putandum est obuenisse. Signa militaria nouem intercepta sunt, multa præda asportata, & spolia ditissima: reliqui, quos fuga morti eripuerat, incolarum insultu periisse dicuntur, ad diem tertium Nouembris. Aeneas Syluius libro 1. Epist. 44.

FR. Albuquercius, Lusitanæ classis præfectus, restituto rege Cochimense regem Calecutiensem ad pacem coëgerat, ut pro damnis illatis certum piperis pondus rependeret. Accidit interim, ut nauigium pipere onustum, quod Calecutiensis regis erat, Granganorem uersus nauigaret. Iacobus Fernandus, Albuquercij iniussu misit, qui nauigium caperet, & Cochimum perduceret. Rex Calecutij classem rursus instruere, & delectum habere instituit, ut mari atque terra bellum Trimumparæ Cochimensi regi atque Lusitanis inferret. Trimumpara ab Albuquercio postulauit prĉsidia. Albuquercius id se facturum pollicitus: unam tantùm nauem cum duabus carauelis, & aliud paruum nauigium illi cum centum Lusitanis reliquit: ita, ut centum & quinquaginta tantùm Lusitani ad tanti belli molem sustinendam eo in loco remanerent. His omnibus præfectus erat Odoardus Paciecus. Qui, desperante rege, tantum esse Christi optimi maximi numen asseruit, ut nutu, cùm uellet, omnes hostiles copias profligaret: se pro certo habere, auxilium diuinum sibi minimè defuturū. Milites oēs flagitiorū cōfessione expiari, & epulo cœlesti cōfirmari iussit. Hinc omnes se sacramēto obligârūt, ne ullum in se dedecus admitterēt, ne pedem ullo timore referrent, ne alij pro aliorum defensione mori recusarent, néue se capi permitterent, neque postremò fuga salutem peterent: sed aut honestè occumberent, aut uictoriam domum cum honestate summa reportarent. Rex eo tempore quinque tantùm millia militum habebat, cùm reliqui ad hostem transfugissent. Ex his Pacieco mille assignauit, quibus tamen ille parum fidebat. Calecutiensis copiæ numerum quinquaginta & septem millia hominum, & eò amplius, efficiebant. At præter has, quæ terra ducebantur, classem XII millium homini instruxerat, centum & sexaginta nauium, quæ remis agerentur. Prælio commisso, ex Lusitanis nemo desideratus fuit, sed aliquot uulnerati. Ex hostibus supra mille & trecenti cecidêre. Constat multos Lusitanos ferreis pilis acerrimè percussos extitisse, qui tamen non aliud ex illis incommodum acceperunt, quàm contusionis leuiter inflictæ notam. Ipso Resurrectionis die noua classe rex Calecutiensis inuehitur, XV millibus militum instructa, Lusitani eam in angustiis uadi ita excepere, ut octodecim baronibus depressis, CCC hostium interfecerint, nemine è suis desiderato. Tertio nauali prælio non meliorem fortunam in alio loco Calecutiensis expertus est, Pacieco mirabili fortitudine hostium uim excipiente, & admiranda celeritate per intermediam quietem hostilem agmen uastante. Ad Palignarium uadum classis hostium ducentarum & quinquaginta nauium, iterum uicta: cumque pestilentia laborare cepisset, reficiendi naues spacium Lusitanis datum. Consilio interim Brachmanum diis suis pro uictoria fanum Calecutiensis uouit. Paciecus in Palignario uado, in duobus nauigiis, cum quadraginta tantùm hominibus Lusitanis regias copias expectabat. Cùm recedente æstu hostes uadum magna ui transiissent, & Lusitanos multitudine premerent, neque naues se loco mouere possent: Paciecus se funditùs euersum cernens, diuinam opem maximis uocibus implorauit, Deique præsentissimum numen sibi adesse persensit: æstus enim se uehementiùs incitauit, & uadum aquis operuit, & præliū illud per horas nouem, quo nullum eo in bello acrius extiterat, diremit. In eo Calecutiensis tam multas naues atque milites amisit, quàm multos nullo adhuc in prælio amiserat. Ex Lusitanis autem cùm sagittis, iaculis, hastis, & infinita pilarum multitudine & acerrima immanissimorum hostium contentione peterentur, nemo tamen cecidit. Non multo pòst nouis copiis Calecutiensis classem auxit, maximè cùm castella nauibus imposuisset, ut recedente æstu iis naues Lusitanorum è superiore loco telis atque flammis obrueret. Commisso prælio tanta telorum uis ab hostibus cōiecta fuit, ut nihil aliud, quàm sagittæ densissimæ, & globi ferrei, & plumbei, in tenebris illis, quas fumus efficiebat, & in illis horrificis incendiis cerni & conspici posset. Hîc Paciecus maxima uoce, ut ab hominibus audiretur, O summe cœli rector, inquit, scio me cōmisisse flagitia maximo supplicio digna. Te tamen suppliciter oro, ut in alium tempus uindictam differas, in quo non decus & gloria tui sanctissimi nominis agatur. Hæc ubi dixit, iterum tormentum dirigi, atque librari acriter in aduersam aciem iussit. Emissus cum maximo fragore globus, castelli omnium maximi & infestissimi bonam partem dissipauit, & homines in mare deturbauit: Lusitani manus in cœlum tendere, Christi nomen celebrare; numen illius præsens agnoscere, & tunc multò alacrius hostibus obsistere. Fuit tandem castellum aliis globorum ictibus disiectū. Prælium cùm prima luce commissum fuisset, ad uesperū ductum fuit. Aestus tandem uiolenter accedens; uadum compleuit aquis, & castella in contrariam partem compulit. Ex Lusitanis multi uulnerati fuerunt, nullus tamen occisus. Calecutiensis tanti dedecoris offensione regno se abdicauit, & Naubeadarimum nepotem in regia sede constituit, ipseq; ædes religione consecratas ingressus est. Fuit bellum hoc à Pacieco, an. 1504. usque ad Septembrem intra quinque menses maximo cum labore & hominis insigni gloria cōfectū: in quo quidem, ut postea compertum fuit, hostis undeuiginti millia hominum partim morbis, partim præliis amisit, & magnam præterea nauium multitudinem. Osorius libro 3. rerum Emmanuelis.

Pateonuzius Saracenus, regulus Iauæ maioris, ut regem Malacensem euerteret, septem aut octo annos in classe comparanda consumsit: tanto silentio, ut ne suspicione quidem ulla quisquam id assequi potuerit: etiamsi multos Malacam cum mercibus submitteret, ut mercatorum habitu & specie laterent: &, cùm opus esset, armis imparatos adorirentur. Capta interim à Lusitanis Malaca, CCC nauium classe, improuisos Lusitanos opprimere cogitauit. ANDRADIVM Lusitanum classi sedecim nauium præfecerat Alfonsus Albuquercius Indiæ prætor. Ea hostes aggressus Andradius, eminùs tantùm rem tormentis gerens, cùm integræ diei prælium nox interrupisset, sequenti mane redintegrata pugna, memorabili uictoria hostes superauit. Pateonuzius se fuga in Iauam proripuit, amissis quinquaginta nouem nauibus maximis ex iis, quas appellant Iuncos. Sexaginta in prælium adduxerat, una tantùm ex illis euasit. Longarum uerò nauium, & celocium, quæ uel incensæ, uel depressæ sunt, ingens multitudo fuit. Supra octo millia hominum uel cæsa, uel incendio consumta sunt. E Lusitanis triginta desiderati sunt, uulnerati quamplurimi. Osorius libro octauo rerum Emmanuelis.

Sub initia belli, quod Carolus Burgundus cum HELVETIIS gessit, Comes Rotundi montis cum XXX M Burgundorum ab Heluetiis ad Ellcuriam fusus est, amissis suorū M D CCC, cùm Heluetij ex suis ne unum quidem desiderassent. Anno Domini 1474. Stumpsius.

HELVETIORVM mille in Sungauiam prædandi causa profecti, A. D. 1499. ut Cæsarianis hostibus quacunq; ratione infesti essent propè Basilæam ex improuiso hostiū octo millibus, quorum dux erat Fridericus Caplerus, superuenientibus, prælio cōmisso, sexcentos Cæsarianorum trucidarunt, reliquos in fugam uerterunt, unico ex suis desiderato, non paucis tamen uulneratis. Stumpsius.

Anno salutis 1500. ordinis Teutonici Magister Vvalterus à Plétenburg, cum Moschis conflicturus, publica ieiunia & solennes letanias instituerat. Ipso exaltationis S. Crucis die, ad urbem Pscouiam exercitum duxit. Iuxta hanc sita est planicies duorum miliarium latitudine patens: in quam cùm deuenerunt, obuiam illis processit Moschouiticus exercitus, centum millia armatorum (in duodecim acies distributus) continens. His adiunctæ erant Tartarorum triginta millia. Inito prælio, fusi hostes tanta strage, ut cùm ex TEVTONICIS unus duntaxat desideraretur, complures nō lethaliter uulnerati essent, Moschouitarum & Tartarorum circiter centena millia ceciderint: ita ut duobus miliaribus cadauera passim prostrata iacerent, triginta uerò millia fuga elapsa sunt. Hanc cladem suorum, Moschorum Dux Basilius Ioannis audiens, cum summo stupore admiratus, tantum exercitum, tam exigua manu turpiter cæsum & prostratum, ad quinquaginta annos cum Teutonicis inducias con festim firmauit: Ruthenique & Moschouitæ ab eo tempore Teutonicos, ferreos uiros appellarunt. Guagninus in descriptione Liuoniæ.

Cum cæde & sanguine utriusq; partis.

☞ *Consule Tit. Strages magnæ. Hic Victoriæ, illic Mortis habetur ratio.*

TOMYRIS Massagetarum regina, cum CYRO Persarum rege; cruentissimo marte inter omnes Barbarorum pugnas certauit, & Cyro occiso uictoriam adepta est. Herodotus libro primo.

Orthriades Spartiata, cùm inter ACHIVOS & SPARTIATAS conuenisset, ut trecenti utrinque delecti, de agro Tyreate inter se decernerent, & utri superiores extitissent, eorum regio foret: unus hîc tantùm uictor è Spartiatis superfuit (cùm duo, qui ex Achiuis reliqui erant, fugissent, castris suis relictis) trophæum constituit, sanguine suo uictoriam inscripsit: & ne solus superesset, gladio spontè incubuit. Valerius Max. & Plutarchus.

Ex CCC SPARTANIS, mille Phocensibus, & septingentis Thespiensibus, qui ad Thermopylas contra PERSAS pugnarunt, duo tantùm Lacedæmonij superstites manserunt, Aristodemus & Pantites. Reliqui à Xerxis exercitu, non sine maxima tamen clade (ad 20 enim millia amisit) ad internecionem cæsi.

CONSTANTIVS Imp. cum MAGNENTIO tyranno apud Mursam Pannonię, manus cōseruit, & uicit magna strage, & hostium & suorum. Magnentius aufugit, suo equo relicto, ut sessor putaretur mortuus. Victor Constantius altera die conscenso tumulo, unde latè planicies tota conspici poterat, cùm repletam cadaueribus conspexisset, ingemuit, cæsos omnes sepeliri iussit, uulneratos curari. Tradunt historici exercitum Magnentij ex XXX. millibus, Constantij Augusti ex LXX. millibus fortissimorum fuisse: ac periisse illinc XXIV. hinc propè XXX. millia. Cuspinianus.

Paganus Auria in Oriente trium & quadraginta triremium Genuensium dux, quo tempore inter Genuenses ac Venetos bellum gerebatur, cùm sciret hostium classem, iunctis Græcis ac Catellanis, decem supra centum triremium numerum impleuisse, ut non nisi à fronte pugnare cogeretur, ad Thracium Bosphorum, qua in Euxinum mare itur (id nunc sancti Georgij brachium appellāt) se recepit. Eo in loco diē noctemque totam ab hostium classe grauiter oppugnatus, cùm uentus quoq; aduersus esset, PANCRATIVM Iustinianum Venetæ, & Pontium Catellanæ, classium duces occidit: captoque magno triremium hostilium numero, uictoria, ut sudoris sanguinisq;, ita gloriæ quoq; ingentis plena potitus est. Fulg. lib. 3. cap. 2.

Cum sanguine suorum.

PYRRHVS Epirotarum rex, bis commisso cū Romanis prælio uicerat: sed desideratis compluribus amicis & ducibus; Si uno, inquit, adhuc prælio Romanos uicerimus, actum erit de nobis. Plutarchus.

Est hodie, eritq; semper tristis ad recordationem, Varnensis illa acies in ora Pontici maris, qua Ladislaus regum rex fortissimus, & Ioannes Huniades, cum Amurathe Turcorū rege conflixerunt. Huniades uictus excessit, Ladislaus mortē occubuit. Quantum Christiani sanguinis pugna illa hauserit, ex eo facilè coniicitur, quòd ex iis, qui uicerunt, duodequadraginta millia post pugnam sunt desiderata. Itaque AMVRATHES à Mahumete suo uictorias similes in posterum deprecatus esse dicitur. Sabellicus libro octauo, capite quinto.

FRVCTVS. VICTORIA FRVCTVOSA, GLORIOSA.

LYSANDER Lacedæmonius ad Aegos fluuium Thraciæ, Athenienses ex ducum socordia & imperitia classe exuit. Cepit cum ducibus tria millia capitum, & totam classem, excepta Paralo, & octo nauibus, quę euolauerant cum Cimone. Nauibus puppi abstractis & castris direptis recepit se ad tibias & cantilenas triumphales Lampsacum: cùm rem tenuissimo labore præclarissimam peregisset, ac bellum una hora compleuisset longissimum maximeq; uarium, cladibusq; & casibus præ bellis prioribus supra omnem fidem nouū: quod cùm sexcentas certaminum alternasset formas & uicissitudines, & tot Græciæ duces, quot ne uniuersa quidem superiora, confecisset: unius est consilio & uirtute perpetratum uiri. Quare hoc opus existimauerunt quidam diuinū. Fuerunt qui Castorem & Pollucem utrinq; in Lysandri naui, ubi primū portu euectus in hostes est, micasse sidera in clauo ferant. Alij etiam lapidem delapsum ad Aegos flumen, prænunciante Anaxagora, autumant huius cladis fuisse ostentum. Plut. in Lysandro.

Gal. MAXIMIANVS fœda strage affectus à Narse Persarum rege, mox Diocletiani permissu reparatis copiis, uictoria memorabili potitus est. Nam maiorem eorum partem concidit, & reliquos unà cum rege saucio in fugam se dare coegit, & castra opulentissima cepit, ubi maximam uim gazæ Persicæ reperit. Ad cæteros captiuos factos, genere ac dignitate præstantes, ipsam coniugem, sorores, liberosque regis in potestatem adduxit, quas eximio honore habuit. Quare pace, quam rex postulauit, ex sententia facta, Mesopotamiam & quinque trans Tigrim prouincias recepit, atque iterum limitem super Tigridem reformauit. Atque ita finibus Orientis prolatis, nouo uictoriæ decore superioris cladis ignominiam prorsus obliterauit. Sigonius libro primo, Imp. occid.

OCCASIONIS. VICTORIA PARTA

Dei inuocatione, reconciliatione.

☞ *Ex Titulo, Preces exauditæ, huc exempla Victoriarum.*

Propter sacrilegium Achami, ISRAELITÆ fugati sunt ab Haiis.

Haitis. Post expiationem autem peccati, ad præceptum Domini capta fuit ciuitas, & subuersa. Iosue 7.8.

In desertis ad Raphidimum Amalechus prælio cum ISRAELITIS ex Aegypto profectis dimicauit. Moses Iosuam exercitui præfecit. Ipse in iugo collis stans, uirgã diuinã secũ habens, ab ortu ad occasum solis usq; orationi intentus erat. Et Mose quidem manus attollente, uincebant Israëlitæ: remittente, Amalechus. Cùm igitur eum manus grauarẽt, saxum illi supposuerunt, in quo sederet. Deinde Aaron & Hur manus eius alter ex altera parte fulciuit, ut labori sufficeret, donec Amalechus superaretur. Exodi 17.

Rex Arad pugnauit contra ISRAELITAS, & duxit inde prædam. Illi uerò uoto se Domino obligantes, urbes hostium euerterunt. Num. 21.

XI. tribus ISRAELITARVM Beniamitas propter stuprũ in uxorẽ Leuitę cõmissum iusto bello prosequebantur, & erãt plures septuplo: tamen fortitudini & multitudini suæ confidentes, bis fuerunt uicti. Posteaquã uerò flentibus & ieiunantibus, dixit Dominus, Cras tradam hostes in manus uestras, eos ad internecionem ferè cęciderunt. Iudicũ 20.

ABIA rex Iuda circumuentus ab hostibus clamauit ad Dominum. Sacerdotes canere tubis ceperunt: & perterruit Dominus Ieroboamum, Israëlitarum regem, quorum ceciderunt ad D M. 2. Paralip. 13.

Zara Aethiops decies cẽtenis millibus Iudæam inuaserat. Rex ASA inuocauit Dominũ, dicẽs: Domine nõ est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in multis. Exterruit itaq; Dominus Aethiopes, & ruerunt usq; ad internecionẽ, quia Domino cædente contriti sunt. 2. Paral. 14.

Contra IOSAPHATVM Asæ F. Iudæorũ regẽ coierunt ingẽtes Syrorum copiæ, Moabitarum uidelicet, Ammonitarum & Idumæorum, apud Engadi. Rex ad ieiunia & preces omnẽ populum cohortatus, à Iahaziele Zachariæ F. propheta illis occurrere iussus est. Occurrit in solitudinẽ usq; Thecuanam, præcedentib. Leuitis & cantoribus, qui Iouæ laudes dicerẽt: &, dictu mirabile, absq; occasione ulla, hostes seipsos mutuis uulnerib. cõfecere, ita ut Iudęi superuenientes, absq; omni pugna triduũ integrum in prædatione consumerent. Die quarto conuenerunt in ualle Gratiarum actionis, ex eo dicta, quòd ibi Domino gratias egerunt. 2. Paral. 20.

Videns IVDAS Machabæus exercitum Seronis magnum, sociis timentibus ait: Facilè est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, uel in paucis. Et contritus est Seron, & exercitus eius. 1. Mach. 3. Quandocunq; pugnaturus orauit, & diuinum auxilium inuocauit, semper uicit. In duobus autem præcipuis bellis orasse non legitur. Vnum fuit contra Antiochum Eupatorem: secundum contra Bacchidem & Alcimum, & tunc ipse in prælio periit. 1. Machab. 6. & 9.

Sabini ob raptas Consualibus ludis Sabinas, Romanis, finitimorum auxiliis instructi, bellum intulerant: iamq; in urbem ipsam ex arce, quam proditione uirginis Tarpeiæ occuparant, impetum fecerant. Occurrunt illis ROMANI, sed loci iniquitate coacti, in turpem se fugam effuderant: cùm Romulus rex, ubi humano consilio & audaciæ nihil superesse uideret, Statori Ioui ædem uoto nuncupauit, si fugientibus suis metum ademisset, sisteretq; Romanum aduersus hostẽ, qui à tergo uictor instabat. Nec mora, uoti compos fit, restitutaq; acie, & æquata puga, ad Curtium usque lacũ triumphantes iam de uictoria Sabinos magna strage repulit. Plutarchus in Romulo.

Contra Fidenates & Veientes TVLLVS Hostilius rex Romanam direxerat aciẽ, cùm ab eo Metius Suffetius Albanorũ dictator deficit. Is suo iussu Albanos secessisse, uti hostem à tergo circumuenirent, dictitans, humano destitutus, auxiliũ diuinum implorauit, Martiq; duodecim uouit Salios: quos uoti compos uictor exoluit. Liuius.

DECII duo deuouẽtes se pro patria, uictoriam ROMANIS uel placato uel certè conciliato pepererunt numine. P. Decius Mus pater ad Verserim Campaniæ contra Latinos: filius in Sentinati, contra Gallos, Samnites, & Ethruscos, inclinatas suorum acies morte sua restituerunt, hostiumque exercitui terrorem iniecerunt, formidinem, turpemque fugam. Vide Titulum, Deuoti pro patria.

Quum ludi Apollinares Romæ primò celebrarentur, repentino hostis aduentu plebes ad arma excitata hosti occurrit: eoque tempore nubes sagittarum in aduersos uisa ferri, & hostem fugauit, & uictores ROMANOS ad spectacula Dei sospitalis reduxit. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 17.

THEODOSIVS Imp. cum Eugenio tyranno in Alpibus dimicaturus, Deum Opt. Max. sic precatus dicitur: Tu omnipotens Deus nosti, quia in nomine Christi filij tui, ultionis iustæ, ut puto, prælia hæc suscepi: si secus, in me uindica. Si uerò cum causa probabili, & in te confisus huc ueni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant gentes, Vbi est Deus eorum? Vix finitis precibus, uentus adeò uehemens ortus est, ut tela hostiũ in eos, qui iecerãt, retorquerẽtur. Sozomenus lib. 7. c. 24. Nicephorus lib. 12. c. 39. Socrates lib. 5. c. 25. Eugenius captus & cæsus est. Arbogastes sibiipsi manus intulit. Ferũt nocte, quæ pugnam præcessit, duos uiros in somnis uisos, qui Imperatori Theodosio apparuerunt, candidis uestibus, uictoriam promittentes: qui & militi cuidam apparuerunt, quorum alter Ioannes Euangelista, Philippus alter Apostolus fuisse narrantur. Cuspinianus.

Post interemtum tyrannum Ioannem, qui Rauennæ imperiũ occuparat, mortuo Honorio Imp. Barbari, quos auxilij gratia ille sibi adiunxerat, Rom. imperium adoriri conabantur. THEODOSIVS Imp. more suo precibus solis pugnauit, & gloriosam à Deo liberationem obtinuit. Etenim Ruges Barbarorum illorum dux fulmine ictus mortuus est: & subsecuta epidemia, maximam exercitus partem perdidit: & reliquam partem ignis cœlo delapsus absumsit: ut suo cum damno ingẽti ad postremùm Barbari ipsi cognoscerẽt, mirabiliter à Deo adiutam fuisse gentem Romanam. Socrates libro 7. cap. 43. Theodoretus libro 5. cap. 37. qui Rugã hunc, Rhoilum uocat.

CLODOVEVS Francorum rex, ad Tilbiacum oppidum cum Alemannis congressurus, humana iam spe destitutus, ut miseris rebus assolet, ad opem cœlestem implorãdam uersus, fidei uxori Clotildi in paciscẽdis nuptiis datæ memor, Christum seruatorem se professurum uouit, si uictor domum rediret. Continuò alacritate noua exorta, turmam, quã corporis sui tegendi causa ex delectis. coëgerat iuuentutis proceribus, in hostem circumegit: signaq;, quasi tunc primùm pugna cõmitteretur, canere deintegrò iussit. Tunc uerò uelut cœlesti numine rem Francicã respiciente, mutata prælij fortuna, qui terga passim dederant, exhortantibus ducib. obliti uulnerum, laborisq;, ad delendum dedecus in præliũ restitutis ordinib. rediẽre. Attoniti hostes miraculo, ut segnius secuti fuerant, primũ constitẽre: deinde impressione ualida loco moti, certiorem effusioremq; ipsi, acrius instante Franco, fugam capessere ceperunt. Ingens cædes insecuta. Cecidit & Alemanorum rex. Alemania fracta, ingens tributum pendere iussa: leges etiam graues, magistratusq; ab irato uictore accepit. Aemilius lib. 1.

Supthar Hunnorum rex, cùm in Gallia BVRGVNDIONES opprimeret, illi in Deum Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt. Et statim Hunnis congressi, pauci multa millia eorum peremerũt, & rabiem ipsorum refrenauerunt. Sigebertus in Chronicis.

Penda Merciorum rex in Anglia multis cædibus Christianorũ nobilitatus, cum numeroso & maximè ualido exercitu pientissimum regem Northanimbrorũ OSVVIVM esset adortus, inuocatus Deus suppetias tulit: & facto conflictu, à parua manu fusæ sunt & prostratæ ingentes copiæ Pendæ, inter quas ipse etiam tyrannus cecidit. Beda lib. 4. hist. Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 24.

BRITANNIS contra Anglosaxones pugnaturis, anno 492. Germanus Altisiodorensis episcopus (qui cum Lupo Trecẽsium episcopo ad extirpandam Pelagij hæresim in insulam transmiserat) in ipsis Paschę solennibus, non armis, sed fide, pietate, innocentia munitus, sese agminis ducem profitetur. Mirum dictu, quantum Britannus eo nũcio creuerit cùm animo, tum uiribus. Itaq; peracto die festo, in Saxones cõtendit, castraq; quàm proximè ponit. Postridie rem diuinã multo mane facit, poscit à Deo uictoriam, idem etiam cũctis orantibus. Mox signum pugnæ dat, ter magna uoce Alleluia canens: eandem uocem toties exercitus repetit, tantumque clamoris edit, ut hostes ubi uident in se iri, repentè metu corruant, abiectisq; armis, in pedes se perinde dent, ac si longo certamine uictis, desperata iam salute, aliud nõ sit remediũ fuga oportunius. Ita diuina ope parta uictoria, nulla cędes, nullus captiuus. Polyd. lib. 3. & Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

MALCOLMVS II. Scotorum rex, ab Olauo & Eneto ducibus Suenonis regis Daniæ & Angliæ ad Murthlacum uicum Marreæ uictus, ubi ad D. Moloci sacellum peruenit, Dei auxilium implorans, Deiparæ uirgini, & uerò ipsimet Moloco, augustissimum templum uouit. Sub eam uocem Scoti ad cedentem hostem conuersi, ingentem cladem ceu diuinitùs acti exercuere. Ipse rex in Enetum equo insidentem nudato capite, ueluti uictoria iam parta, in Scotos iacientem conuicia, cum globo ferocissimorum iuuenum impetum fecit, ac equo deiectum interemit. H. Boëthius libro undecimo.

Captis bello sacro Hierosolymis, Aegyptius Sultanus animũ idcirco non despondit. Ad Ascalonem tantæ copiæ ex gentibus ditionis eius, à sociis & fœderatis cõuenerãt, ut eo bello sacro maiores in unũ nõ coierint. LATINI humanæ opis auxilijq; nihil sibi reliqui fecere: cœlestis numinis præsidiũ summa religione implorarũt, memores in ꝓtegẽda piorũ causa, paucitatis uirtutem, fiduciamq; cœlestis auxilij, de numero impiorum fidem excedente uictoriam reportasse. Ac si unquã, tunc maximè superi à piis stetere. Barbari, cùm nostri appropinquarent, quos ne primũ quidem conspectũ suum laturos crediderant, cõperta eorũ alacritate, uelut Panicis acti, ac quasi oculis animoq; eorũ truci Latinorũ specie obuersante, fuga, formidine ac amẽti consternatione affecti, strage etiam oppressi sunt. Tunc quoq; plus centũ millia cæsa feruntur. Præda tanta parta, quanta non antè, si omnia huius belli prælia in unũ conferantur. Reditum Hierosolyma: Aedes sacræ patefactæ, absterso cruore, Duces militesq; ad aras procubuere, in numẽ hymnos concinentes, ꝙ uictorias uictoriis cumularet, nouosq; semper de Barbaris triumphos præberet. Literæ in Europam ad Pontificẽ Max. Regesq; datæ, ac missi qui gaudium ingẽs nunciarent: Confectum Turcicum bellum, Aegyptios cæsos, Orienti iugum impositũ, summis Ducibus incolumibus sacrum recuperatũ, ac Christo redditũ. Vrbs Roma & pia Regna dies festos egere: omne genus hominum, omnis ætas, ordo, templa reuerendissimè circumiere: sacra facta: nullum lætitiæ religionisq; genus munúsue prætermissum. Aemilius lib. 4.

A PHILIPPO Augusto Francorum rege contra Othonẽ IV. Imp. grauissima extitit Bouinensis pugna (ita pontem uocãt ad quem commissa fuit.) In Othonis Cæsaris exercitu centum quinquaginta millia peditum fuisse ferunt: de equitum numero minus constat: conuenit ad mille quingentos equites, qui aurato baltheo uirtutis causa donati fuerant, ab Othone stetisse. Otho cum suæ gentis proceribus fugit. Triginta maiorum ordinũ ductores capti. Augustus, uelut cœlesti beneficio uictor, templum prope Syluanectum Virgini extruxit, locupletauitq;, addito à uictoria cognomine. Initio sacerdotũ iura minus sancta duxerat: ex ea die auctiora uoluit. Conquerentibus regiis magistratibus, præfectisque augendo iure sacerdotum, regia iura imminui, respondit tot esse ac tam perspicua cœli in se Franciamq; beneficia, ut sacerdotibus templisq; nihil denegare iure possit ex iis rebus, quas diuina potiùs quàm humana ope integras florentesq; ac uictrices haberet. Nam dum ipse æstu diei ac itineris præproperi celeritate fessus, sub fraxino quietem caperet: excitatus à suis, qui aut pugnam instare, aut cum ignominia discedendum dicerent: iussis illis quod instaret tantisper agere, proximam ædem diuo Petro sacram ingressus est: ac Deum opt. max. ueneratus, ingentem uultu fiduciam præ se ferens cùm prodiuisset ad suos, quasi certa & explorata uictoria, incredibili alacritate suorum animos accẽdit. Aemilius libro sexto.

CAROLO VIII. Galliæ regi, cùm in pugna Tarrensi, aduersus irruentem Franciscum Gonzagam Mantuanum, Veneti exercitus generalem gubernatorem, paucis suorũ stipatus, magno animo egregiè se, magis sua equiq; ferocitate, quã suorum tueretur: ad diuina præsidia conuersus, Dionysio & Martino, Gallici regni diis tutelaribus habitis uouit: si se cũ exercitu incolumem in Taurinos educerent; simul ac trans Alpes rediisset, se ad eorum fana, quorum alterum Lutetiæ Parisiorum, apud Turones alterũ, cum maximis donis uenturũ: ad hæc anniuersariis magna cum solennitate ac ceremonia sacris, tanti ab eis accepti beneficij memoriam celebraturum. Quibus uotis nuncupatis, quasi uigore auctus, supra solitas uires, supraq; naturæ habitum, maiore animo pugnam capessit. Guicciardinus lib. 2. Hist.

Turcorum Imp. AMVRATHES, quum suos in pugna Varnẽsi à Vladislao rege Hungariæ, qui uiolato fœdere prior bellum fecerat, non sine magna cæde fugari conspicaretur, ad expianda uiolatæ fidei piacula, ad ulciscendam Christianorũ perfidiam, & ad uindicandum ius rescissæ pacis, deprom tum è sinu codicem initi sanctissimè fœderis explicat: intentisq; in cœlum oculis, Hæc sunt (inquit ingeminans) Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecũ percussere: per numen tuum sanctè iurarunt, datamq; sub nomine tuo fidem uiolarunt, perfidè suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es (ut aiunt) & nos hallucinamur, tuas measq; hîc iniurias, te quæso, ulciscere: & his, qui sanctum tuum nomen nondum agnouere, uiolatæ fidei pœnas ostende. Vix hæc dixerat, qui ultimum in se impetum expectabat, quum prælium, quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit: nam camelorum onerariorum interuentu, à cæde ad prædã Hungari animos conuerterant. Tandem trucidato rege Vladislao, Hungari in fugam coniecti, nobilem uictoriam Amurathi reliquerunt, Bonfinius lib. 6. Dec. 3.

Diuino instinctu, hortatu.

Ex præcepto Domini pugnantes ISRAELITÆ contra Madianitas, tantam uictoriam habuerunt, quòd triginta duo millia uirginum fuerunt in præda: ex XII M. Israëlitarum ne unus quidem in prælio cecidit. Num. 31.

Vociferante populo & clangentibus tubis, sicut præceperat IOSVE, muri Hiericuntis corruerunt. Iosue 6.

Post mortem Iosue, ISRAELITÆ non leguntur iuisse ad prælium, nisi priùs consulto Domino. Tradidit ergo Dominus Chananæum & Pheresæum in manus eorum. Iudic. 1.

Suscitauit Dominus Israëli saluatorem nomine EHVD, qui percussit Eglõ, regem Moabitarum: descenderũtq; cum eo filij Israel, ipso in fronte gradiente, qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros in manus nostras. Et percusserunt de Moabitis circiter decem millia. Iudicum capite tertio.

Dixit Delbora uates ad BARACH: Surge, hæc est dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas. Perterruitq; Dominus Sisaram, & omnes currus eius; ita ut omnis hostium multitudo usq; ad internecionem caderet. Iudic. 4.

Trecentis uiris, qui manu aquam hauriebant, liberauit Dominus Israelitas de manu Madianitarum & Amalechitarum, qui erant in maxima multitudine, tempore GEDEONIS. Iudicum septimo.

IEPHTHÆ Israelitarũ duci Ammonitas tradidit Dominus: percussitq; uiginti ciuitates Ammonitarum plaga magna. Iudicum undecimo.

SAMSON diuina ope multas uictorias obtinuit de Philistęis, graui seruitute opprimentes Israelitas. Iud. 18.

Ad mandatum Samuelis, cęcidit SAVLVS Amalechitas, & cepit Agagum regem. 1. Reg. 15.

Audiens DAVID, quòd Amalechitæ succedissent Sicelegam, & captiuas duxissent mulieres, consulto Domino persecutus est illos cum quadringentis uiris: & prædã uniuersam recepit. 1. Regum 30.

ACHABVS Israelitarum rex, Samariæ obsessus à Benadado Syrorum rege insolentissimo, diuino monitu ducentos triginta duos prætorum calones sub meridiem emisit, qui Syros in umbraculis perpotantes aggressi, eos in fugã uerterunt, maximaq; strage affecerunt. Mox cùm ineunte uere Benadadus exercitum reparasset, Achabus Micheæ prophetæ monitu eum aggressus, in acie centum Syrorum millia occidit: 27. millia; urbis Aphecę murorum ruina periere. Rex ipse captus est. 3. Reg. 20.

Nicephorus lib. 7. cap. 47. dicit, CONSTANTINVM Magnũ bello contra Byzantios, cùm iam bis uictus esset, iterum uidisse signum crucis in cœlo stellis effigiatũ, hac inscriptione. In hoc signo hostes omnes uinces. Idq; postridie sic accidisse. Idem lib. 7. cap. 49. auctor est, eum in bello contra Scythas, tertiò crucem illam uidisse.

Pugnante contra Eugenium tyrannum ad Iulias Alpes Theodosio Magno (uti Theodoritus, & Zosimus scribunt) cùm defectio Solis incidisset tanta, ut noctis tenebras adæquaret: Gothi propè omnes, qui Theodosio militabant (decem millia fuisse ferũtur) unà cum Bacurio duce desiderati sunt. nox prælium diremit. Hoc detrimento illato, Eugenius per noctem in castra regressus, munera distribuere iis, qui se strenuè gesserant, cœpit: &, tanquam nullo à Theodosio imminente periculo, ut corpora quietè curarent, præcepit. Theodosium uerò sui monuerunt, ut bellum in uer proximum prorogaret, ac maiorem exercitum compararet, ut multitudine par esse Eugenio posset. Quod Theodosius se facturũ negauit, ac per totam noctem Deum de uictoria supplicauit. Sub gallicinium uerò somno uictus, sibi uidere uisus est duos uiros equis candidis insidentes, qui se bonum animum habere iuberent, &, ut prima luce in prælium rediret, monerent: nam ipsum uictoria potiturum. quorum alter se Ioãnem, alter Philippum apostolos esse dicebat. Hoc idem uisum militi quoque apparuit, idque per tribunũ ad Theodosium detulit. Theodosius inde exercitũ alloquutus; quæ sibi & militi uisa in somnis essent, exposuit, atque omnes arma capere, & forti animo pro libertate & fide pugnare præcepit: atque, illucescente die, copiis in prælium eductis, hostes somno, uinoque mersos inuasit, atque superauit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Gildo Africę Comes, post Theodosij Imp. mortem, Africam usurpare cœperat, ac duos fratris Macezilis uel Maselcerei filios adolescentes, à patre in Africana militia relictos, interfecerat. Contra eũ missus ab Honorio Imp. MACEZIL frater (qui sub Theodosio militauerat: ab eoq; didicerat, quantum in rebus etiam desperatissimis ualeret oratio hominis, per fidem Christi clementiam Dei inuocãtis) in Capraríam priùs insulam secessit, indeque Christianos Deum colentes aliquot abduxit: cum quibus, diebus aliquot & noctibus, orationibus ac ieiuniis uacauit. Ad Ardealitum flumen castrametatus, per somnum sibi uidere uisus est Ambrosium episcopum Mediolanensem paulo antè defunctum, qui manu sibi significaret, atque impacto ad humum ter baculo diceret: Hîc hîc hîc. Macezil igitur prudenti intellexit coniectura, uerbo locum, numero uerò diem significari congressus, ibique substitit. Tertio demum die, post noctem in orationibus hymnisq; transactam, ab ipsis cœlestium sacramentorum mysteriis in hostem processit, & quinque millibus hostium LXX M. superauit, una cõcione de pace ad barbaros habita,

habita, & oppressione signiferi unius insolenter obsistentis, non diu ante Arcadij Imperatoris obitum. P.Diacon.lib.13.

Ouinius GALLICANVS prefectus urbis, Romanæ, Constantiæ Constantini Magni F. nuptias expetebat. Constantinus libenter & ipsi, & comitibus, ac præfectis omnibus pro illo orantibus morem gessisset, si uirginem Christo deditam perpelli posse ad matrimoniũ uiri, adhuc errore gentilitatis infecti, duxisset. Qua ex re cũ uehementer animo angeretur, Cõstãtia ei dixit: Noli propterea laborare pater, sed spõde, si ille, Scytharum gentem, qui se in Thraciam intulerunt, armis domuerit, fore, ut me consul ducat: proinde duas suas filias, Atticam & Artemiam, apud me interim ponat, atque ipse Ioannem & Paulum primicerium meum apud se habeat: ut & ipse me per familiares suos alloqui, & ego illum ex filiabus eius possim agnoscere. Gallicanus conditione accepta, sacris in Capitolio factis, properauit in Thraciam, ac rem cum Scythis magna mole gerere instituit. Deinde in urbe Philippis obsessus est, ac pugnis aliquot aduersis exterritus, salutem suam non in uirtute militum, sed in munitione murorum posuit. Inde à militibus destitutum, ac sese fuga ex obsidione eximere molientem, Ioannes & Paulus, monuere, ut uotum Deo faceret, se, si uictoriam retulisset, Christi cultui dediturum. Quo facto oblata est illi species Iuuenis statura excelsi, ferentis humero Crucem, qui dixit: Sume gladium tuum, & sequere me. Illo uerò obediente, armati apparuere milites, qui se illi operam nauare dixerũt, proinde extemplò castra hostium inuaderet, & regem eorum appeteret. Quod cùm ille fecisset, insigni uictoria negotio nullo potitus, regem procumbentem ad pedes habuit: atque hostium nemine uiolari permisso, Scythis ex Thracia pulsis tributum annuum imperauit. Ex tribunis autem militum, qui ad se redierant, neminem, nisi in Christum credentem, recepit. qui uerò Christo se deuouerunt, ad gradum sublimiorẽ prouexit, cæteros munere militiæ spoliauit. Postero uerò anno reuersus Romam, atque honorificè à Constantino exceptus, antequam urbem iniret, sacra, ut inquit Terentianus, huiusce auctor historiæ, Apostolorum limina in Vaticanũ adiuit, ac gratias Deo omnipotenti, more Christianorum, de tanta uictoria egit. Cuius rei admiratione captus Constãtinus, Quid hoc rei est, Gallicane, inquit: quòd tu, cùm ad bellum proficiscereris, Capitolium ingressus dęmonibus immolasti, nunc uictor reuersus, Christum, & apostolos eius adoras? Cui Gallicanus rem omnem, ut euenerat, enarrauit: illud demum adiungens, se tanto à Deo beneficio affectum, ætatem posthac suam in ipsius Dei seruitio consumere, atque à coniugio abstinere firmo animi decreto constituisse. proinde illum orare, ut sibi successorem daret, quo liberè posset religioni uacare, & in cognita ueritate persistere. Quem complexus Constantinus, filias eius Christo consecratas edocuit, atque ipsum in Palatium duxit. Cui Helena Augusta mater, & Constantia uirgo, & Attica atque Artemia filiæ, occurrerunt, eumque omnes perinde atque Augusti generum honorarunt. Demum cùm priuatus uellet abire, rogatu Constantini cõsulatum cum Basso iniuit. in quo quinque millia seruorum, libertate ac ciuitate donata, prædiis urbanis, rusticisque locupletauit. Inde, cùm consulatu & præfectura se abdicasset, secessit Ostiam, & cum sancto Hilarino uiuens, ædibus eius ad recipiendos peregrinos accessionem adiunxit: ibiq; in omni Christianæ pietatis officio maxima cum omnium admiratione se exercuit, cùm homo Augustis carissimus, ex præfecto & consule pedes lauaret, mensam sterneret, aquam manibus funderet, & languentibus acri studio ministraret. Quinetiam ipse primus ædem Ostiæ S. Laurentio martyri condidit, atque officia clericorum instruxit. Sigonius lib.3. Imp. occid.

Anno 1282. Lituani cum Iazygum reliquiis, subita excursione Poloniam tripartito agmine crudeliter depopulati sunt. LESCVS Niger Polonorum princeps parua manu illos insecutus, cùm eum ex labore itineris & insomnia fatigatum sopor inuasisset, expergefactus deinde postero die, lætus, ab archangelo Dei Michaele in somnis confirmatũ se, & sponsione certæ uictoriæ persequi barbaros iussum esse, pro concione exposuit. Quo sermone animatis militibus, cum expeditis sex millibus equitum, arma tantùm & aliquot dierum cibaria ferentibus, hostium uestigiis insistit. Captiui suorũ signa conspicati, fortuitu oblatis telis, à tergo hostes adoriuntur. Inermes quoq; & feminæ, clamore sublato suos animabant, & hostibus terrorem incutiebant. Quin & canes, quos secũ ducebant barbari, & qui dudum lætiore ululatu aduenientib. nostris gratulari uisi erant, sæuis morsibus barbaros ipsos impetebant. Itaq; ancipiti malo turbati, effusa fuga proximas syluas petunt. Instat fugientibus Lescus: instant & captiui mutuò sese cohortantes, dolore & ira extimulante. In eo prælio reliquiæ Iazygũ, qui pertinaciùs Polonis restiterant, & à suscepta religione defecerant, penitùs extinctæ sunt. De Lituanis quoque, qui quatuordecim millia bellatorum expleuisse dicebantur, non multi euaserunt. Complures enim, qui effugerant, partim pudore, partim timore suorum, mortem sibi consciuere. De Polonis ne unus quidem desideratus est. Lescus uictor in Poloniam reuersus, Lublini templum, monimentum uictoriæ suæ cõdidit ac diui Michaelis, quem in somnis uictoriam sibi pollicentem uiderat, memoriæ dedicauit. Cromerus lib.10.

Diuina manu.

IVDA Machabæo contra Timotheum Geunæum Antiochi Eupatoris ducem (qui peditum CIↃXX. millia, equitum MMD. contraxerat) prælium ciente, supplicatione priùs & ieiunio indicto, uisi sunt hostibus de cœlo uiri quinque aureis armis conspicui, Iudæis præeuntes: quorũ duo Machabæum stipabant, & telis hostes profligabant. Itaq; perturbati hostes & in fugam uersi sunt. Cæsa XXV. millia, & DC. equites. Timotheus in castello Gazara obsessus & interfectus fuit. 2. Mach. 10. Eodem contra Lysiã Antiochi Epiphanis præfectum (qui octoginta millia peditum cum magno equitatu & octoginta elephantis contra Iudæos ducebat) pugnaturo, uisus est eques alba ueste aurea Iudæos præcedere & arma quatere. Illi ergo animis confirmati, hostium XIM. prostrauere, equitum MDC. 2. Mach. 11.

In pugna Marathonia contra Persas ATHENIENSIBVS uir quidam specie, atq; habitu agrestis, opem tulit. Qui cùm ex Barbaris quàmplurimos aratro interemisset, repentè euanuit. Neq; uerò quærentibus, quísnam ille fuisset, Atheniensibus, aliud respondit oraculum, quàm ut Echetlæum heroa colerent. E candido uerò lapide eo in loco trophæum erexerunt. Pausanias in Atticis. Eadem pugna Thesei spectrum Medos inuadere multi uiderunt. Ex eo postea tanquã heroem colere Athenienses cœperũt. Plut. in eius uita.

Inuadentibus aliquando classe ex Eubœa TANAGRÆVM agrum Eretriensibus, Mercurium ephebos in pugnam eduxisse aiunt, & ipsum etiam, quippe qui ephebus esset, strigili armatum, præ cæteris, Eubœenses in fugam uertisse. Hanc ob causam Mercurio Promacho templum erexere. Pausanias in Bœoticis.

Cùm LOCRENSES aduersus Crotoniatas dimicarẽt, in Locrensium acie perspecti sunt in candidissimis equis duo iuuenes, alios in prælio antecedere: parta uictoria nusquam postea uisi. Quæ uictoria eodem momento, quo parta fuit, Athenis, Lacedæmone atque Corinthi, (etsi à Locris atque Crotone ea loca plurimùm distant) denunciata fuit. Trecenta Sybaritarum millia à paucis cæsa, Sybaris euersa. Fulgosus libro 1. capite 6.

Cùm Persæ ductu Xerxis ad sacellum Mineruæ, quod est ante templum Delphicum, accederent, interea è cœlo fulmina in eos deciderunt: & à Parnasso duo abscissi uertices, magno cum fragore sunt deuoluti, permultosque eorum interceperunt. Atque ex ipso sacello Mineruæ uociferatio iubilatióque extiterunt. Barbari fugæ se mandarunt. DELPHI descendentes magnam eorum stragem edidere. Qui superfuere, rectà ad Bœotios effugerunt: referentes, uidisse se duos armatos humana natura augustiores sese insequentes. Hos duos Delphi aiunt indigenas heroas esse, Phylacon & Autonoum, quorum fana uisuntur. Phylaci quidem, secundùm ipsam uiam super ædem Mineruæ: Autonoi uerò prope Castaliam sub Hyampeo uertice. Saxa, quę à Parnasso deciderunt, adhuc ad Herodoti usque memoriam integra extitere in fano Mineruæ protemplaris locata, ad quod per Barbaros deuoluta peruenere. Herod. lib. 8.

Cùm Brennus Gallicis copiis irrueret Delphos, DELPHI cõsuluerunt oraculum, quid opus esset facto. Responsum est,

Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις. *id est,*

Curæ ista mihi erunt, ac puellis candidis.

Paulo pòst uisus Apollo cum duabus puellis, Pallade ac Diana. Nam & his fana sunt apud Delphos. Refertur in Plutarchi Collectaneis. Cicero uertit Græcum carmen de Diuinatione primo,

Ego prouidebo rem istam, & albæ uirgines.

Erasmus in Adagiis. Ibi tũ prodigia repentina, & omnium, quæ unquam audierimus, euidentissima, in Barbaros diuinitùs extitere. Primùm enim terra, quantum soli Gallorum acies occupauerat, ingenti motu ad multas horas contremuit: crebra deinde tonitrua & fulmina Gallos non solùm acriter exterruerunt, sed ad exaudienda, quæ dabantur à ducibus, signa, hebetato aurium sensu propè attonitos reddiderunt. Neque uerò singuli tantùm homines cœlestibus ignibus corripiebantur, sed loco etiam proximi quiq;, cum ipsis armis conflagrabant. Visæ præterea in eos consurgere heroum species, Hyperochus, Laodochus, & Pyrrhus, quibus Phylacum ciuem suum, Delphi quartum adnumerant. Ea, quæ diem illum consecuta est, nocte, funestioribus perculsi fuerunt casibus. Acerrimum frigus eos cum niue plurima uehemẽter afflixit. Saxa præterea ingentia, & montis crepidines sponte è Parnasso auulsæ, in Barbaros, quasi

unicum

unicum illud esset quod peteretur signum propositum, corruerunt. Neque uerò aut singuli aut bini opprimebantur: sed triceni, & eò plures, uti fortè simul, aut ad certi loci pręsidium constitissent, aut unà quiescerent, collidebantur. Prima inde luce Greci eos ex improuiso aggressi, magnam eorum stragem edidere. Fugientes, castra habuerunt, quo loco nox eos primùm oppressit. Panicus autem illis incessit terror, cùm nulla causa subesset trepidationi, intẽpesta iam nocte: ut audire sibi uiderentur sonitum pulsatis equorum pedibus soli, ac iam propè cernere insultantes hostes. Arreptis igitur armis, & inter se facto agminis dissidio, uicissim & occidebant alij alios, & occidebantur: cùm neq; per tenebras & amentiam illam patriam linguam intelligerent, neque uultus inter se, nec scutorum signa possent agnoscere: sed contrariis ordinibus utrinq; per cæci illius erroris uecordiam, Græci esse, qui contrà pugnarent, uiderentur, & Græca esse arma putarent: quin & Græcam esse uocem crederent, quam homines mitterent. Primi hanc rem animaduertere, qui è Phocẽsibus in agris relicti fuerant, ad pecoris custodiam. Ii igitur, quæ Barbaris per nõctem accidissent, Græcis nunciarunt. Excitati eo nuntio Phocenses, alacriùs multò in hostes irruerunt: greges prætereà accuratiore multò custodia seruarunt, ac, ne commeatus ex agris sine pugna sumi posset, prouiderunt. Quo factum, ut ingenti cùm frumenti, tum cibariorum omnium penuria uniuersus Gallorum exercitus uehementer laborarit. Fuere eorum, qui in Phocide perierunt, non multò pauciores, quàm sex hominum millia: non minor numerus fame consumti. Brennus ex uulneribus obiit. Reliqui turpi fuga ad Sperchion retrocedentes, ad internecionem sunt cæsi, Olymp. 125. anno altero. Pausanias in Phocicis.

Eo bello, quod ROMANI contra Tarquinium Romam redire conantem gessere, fama tenet uisos in illa pugna Castorẽ & Pollucem, atq; mox à prælio manantibus sudore equis conspectos in foro nuncios uictoriæ, quo loco propter fontem ædes eorum extat. Vnde diem uictoriæ Idus Iul. Tyndaridis cõsecrauêre. Plut. in Coriolano. Bellò similiter Latino Castor & Pollux apud lacum Iuturnæ uisi sunt equorum sudorẽ abluere: cùm ædes eorum, quæ fonti iuncta erat, sua sponte patuisset. Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Cùm apud lacũ Regillum A. POSTHVMIVS dictator, & Tusculanorum dux Manilius Octauius, magnis uiribus inter se cõcurrerent, ac neutra acies aliquandiu pedem referret: Castor ac Pollux Romanarum partium propugnatores uisi, hostiles copias penitùs fuderunt. Valerius lib. 1. cap. 8.

Cùm Brutij atq; Lucani odio incitatissimo, Thurinæ urbis peterent exitium, eius uerò incolumitatem C. Fabricius Lucinus Cos. protegeret, non audentibus ROMANIS prelium ingredi, eximiæ magnitudinis Iuuenis primùm eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit; deinde, ubi tardiores animaduertit, arreptis scalis, per mediam hostium aciem ad contraria castra euasit, & admotis, uallum cõscendit. Indè uoce ingenti clamitans, factum uictoriæ gradum: & Rom. ad aliena castra capienda, & Lucanos Brutiosq; ad sua defendenda, illuc traxit, ubi conserti dubio certamine terebantur. Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes, iugulandos, capiendosque Romanis tradidit. Viginti enim millia cæsa, quinq; millia cum Statio Statilio, duce utriusq; gentis, & tribus atque uiginti militaribus signis capta sunt. Postero die cùm Cos. inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, uallarem coronam ei seruare dixisset, à quo castra erant oppressa, nec inueniretur qui id præmium peteret: cognitum pariter atq; creditum est, Martem patrem tunc populo ROM. suo affuisse. Inter cętera huiusce rei manifesta indicia, galea quoq; duabus distincta pinnis, qua cœleste caput tectum fuerat, argumentum præbuit. Itaq; Fabricij edicto, supplicatio Marti est habita; & à laureatis militibus, magna cum animorum lætitia, oblati auxilij testimonium ei est redditum. Val. lib. 1. cap. 8.

Ferũt CONSTANTINVM Magnũ in prælijs cũ Licinio & Maxẽtio commissis, uidisse armatũ equitem, signum crucis pro uexillo ante aciem suam præferentem: ac rursus Adrianopoli duos eis uisos adolescentes, qui hostium phalanges cæderent. Item circa Byzantium noctũ omnibus dormientibus, conspectum ab eo ignem, qui fulguris instar uallum exercitus sui collustraret. Zonaras Tomo tertio.

Michaelẽ, in traiectu Bospori, & in eo loco, qui Sosthenium appellatur, apparuisse in somnis CONSTANTINO Imp. illic cubanti narrãt, & dixisse: Ego sum Michael archidux Domini Sebaoth uirtutum, Christianorũ fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti auxiliaria arma contuli. & eam ob causam Constantinũ ibi duas ecclesias archangelo Michaeli extruxisse, auctor est Nicephorus lib. 7. cap. 50. Hermannus Gigas id factum anno Domini 330. annotat.

BOLESLAVS III. Polonorum rex, Pomeranos rebelles ad Naclum urbem insigni clade affecit. Conuenit exercitus ad Crusuiciam: iamq; moueri castra debebant, ecce clara die, inspectãte omni exercitu, apparuit in culmine basilicæ Crusuiciensis formosus iuuenis, candida ueste refulgens: cunctisq; stupentibus desiliit, & ante signa progressus est. Ibi uniuersus exercitus lætus, e uestigiò motis castris, diuinitùs oblatum ducem sequitur, insignem uictoriam ex hoste barbaro sibi pollicens. Cromerus lib. 5.

Eo prælio, quo RAMIRVS Hispaniarum rex aduersus Saracenos decertauit iuxta Calagurium, ab omnibus qui interfuêre, conspectus est Iacobus apostolus albo uexillò Christianorum aciem antecedere, atque in fugam Saracenos uertere. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Cùm HISPANI pedites à quadraginta millibus Indorum premerentur, iuxta Cintiam nouæ Hispaniæ pagum, partim ob loci inæqualitatem, partim ob arborum copiam, superuenit Franciscus Morla eques unus, qui tot tantaq; urgẽdo terrendoq; peregit, ut Indi pedem retraherent. Mox & ipse abiit. Indi multitudine freti iterũ premere Hispanos. Cúmque iam in manifesto discrimine positi essent, superuenit denuò eques, ac Indos coëgit pedẽ retrahere. Quod cũ tertiò fecisset abiissetq;, rursus instãtibus Indis superuenit Ferdinandus Corteius dux Hispanorum, cum tredecim equitibus, Indosq; in fugã compulit, exercitumq; dissipauit. Cùm aũt Hispani ad urbem, quam occupauerant, rediissent, constabat, equitẽ illum nõ fuisse Franciscũ Morlã, cùm ob uiarũ difficultates nõ potuisset præmitti. Equo uehebatur eques ille rubeo & maculoso: sic captiui retulere: Hispani non uidere. Nemo ex Christianis cæsus fuit in tã diuturno prælio, septuaginta uulnerati. Eques ille nullum occidit ex Indis, nullum uulnerauit; sed solùm turbauit perterrefecitq;. Hispani illum equitem D. Iacobum Hispanorum patronum, Cortesius D. Petrũ proprium dominũ esse affirmabat. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. cap. 81. ex Francisci Lopezij historia occidentalis Indiæ.

ACTIVS Vicecomes, quum Ioannes Boëmiæ rex Caroli IV. Rom. Imp. pater circa annum Christi 1330. Italiam inuaderet, pedibus æger decumbens, maximum rerum suarum discrimen subiit, Leodrisij Vicecomitis patruelis perfidia circumuentus. Is enim conductis Rhætorũ Heluetiorumq; cohortibus, & Germanis equitibus, magnaq; manu exulum passim collecta, ad Abduam profectus est. Actius, quanquã pedib. æger, ex omnib. locis milites coëgit, munitioraq; oppidà subitario p̄sidio cõfirmauit, donec auxilia conuenirẽt. Ad Neruianum ilicum acri pugna cõmissa, superiores iam erant Leodrisiani, nisi D. Ambrosius, Mediolanensium tutelare numen, in nube, equestri effigie à multis conspectus, opem planè perditis rebus attulisset. Superuenit enim Hector Panicus cum ala cataphractorum Allobrogum à Ludouico Sabaudio Actij socero transmissa. hæc Rhætos intempestiuè exultãtes, & cædi prædæque solutis ordinibus incumbentes protriuit, atque cæcidit: Leodrisius in manus hostiũ incidit. Interfecta sunt supra quatuor millia hominum. In eo autem campo, ubi pugnatum est, templum in arce Diuo Ambrosio ad rei gestæ memoriam conditum: ubi quotannis insigni pompa effuso Mediolanensi populo, cum prætore & Decurionibus, altero & uigesimo Februarij die, sacra solennia celebrantur. Iouius in Actio. At Fulgosus lib. 1. capite 6. scribit, redintegrato prælio ab auxiliaribus copiis, quæ superuenerant, clarè conspectum Ambrosium flagello barbaros (quos Mastinus Scaliger pro Leodrisio mercede conduxerat) insectari; & in huius memoriam uictoriæ, Ambrosij simulacro ab eo tempore flagellum, quod non antè pingebatur, addi cœpisse.

Terrore panico, Spectro.

IONATHAN Sauli regis F. cum solo armigero, ducẽte Deo, præsidium Palæstinorum adortus, 20. ex eo cæcidit. Reliquos tantus terror inuasit; ut terra etiam ipsa terrore diuinitùs incusso contremisceret. Itaque Palæstini, nemine præsente ferrum in seipsos strinxere. Eà occasione usus Saulus rex, magna clade eos affecit. 1. Regum 14.

Cùm in Eleorum fines hostiliter Arcades inuasissent, contraq; eos aciem ELEI direxissent, Mulierem aiunt, infanti puero mammam præbentem ad Eleorum duces uenisse, seq; cùm puerum eum peperisse diceret; addidisse, monitam per somnium, ut eum pugnæ socium Eleis adiungeret. Ibi eos, qui summæ rei præerant (quòd mulieris uerbis fidem habendam censuissent) puerum nudum ante signa collocandum curasse. Impressione ab Arcadibus facta, puerum in eorum conspectu in anguem mutatum. Eo prodigio hostes exterritos, in fugam se protinus dedisse: acriter Eleos institisse. Parta uerò insigni uictoria; à seruata ciuitate, nomen Sosipolidi inditum: quoque loco in cauernam uisus fuerat se anguis abdidisse; confecto prælio fanum erectum, & Sosipolidi patriò genio dicatũ. Honores Lucinæ decreti, quòd ab ea in lucem puerum illum sibi editum interpretati sunt. Pausanias lib. 6.

Cùm Persæ, uexato excursionibus Megarico agro, se Thebas ad Mardonium ducem suum reciperent, obortis repentè Dianę numine tenebris, per errorem uiarum ad montanam eos regionis partem deflexisse aiunt. Ibi obiecta hostilis agminis specie sagittas misisse: ad quarum ictus, cùm proxima saxa tanquam gemitus imaginem redderent, homines esse, qui ex uulneribus gemerent opinantes, non antè iaculari desiisse, quàm sagittas omnes profudissent. Cùm uerò illuxisset, MEGARENSES armatos contra inermes impetu facto, magnam eius agminis partem trucidasse: atq; eò rei euentu Dianæ Sospitæ signum dedicasse. Pausanias in Attic.

Dum contra Xerxem GRÆCI ad Salaminem pugnant, fama est, ingens lumen ab Eleusine refulsisse, campumque Thriasium strepitu & uocibus, sicut ex cœtu hominum mysticum Iacchum deducentium, ad mare usque personasse. Ab agmine uocem edentium assurgens paulatim à terra uisa iis nubes deflectere à continente, & in naues incumbere. Alij species uidere uisi sunt uirorum armatorum, manus ab Aegina pro Græcorũ classe protendentium. Eos putabãt esse Aeacidas, quos uotis ante pugnã implorauerãt. Plut. in Themist.

Quum Conradus Rom. Imp. aduersus Vngarorum regem D. STEPHANVM exercitum duxisset, pridie eius diei, quo cõgressuri erant, tesserarius per omnia militum Cæsarianorũ contubernia & tentoria quidam discurrit, qui Imperatoris edicto Germanum quenq; solutis castris domum repetere iubebat. Insequenti nocte ante lucem Conradus uidens omnes domum festinare, causam inquirit. Omnes uno ore referunt, tesserarij uoce missione donatos. Accitis tesserariis, neminem inuenit, qui missionis edictum circumtulerit. Conradus, Stephani gratia cœlestem internuncium sub tesserarij specie circuisse reputans, ne sancti regis populus oppugnaretur: facta pace in Germaniam se recepit, pollicitus se Pannoniis nunquam bellum facturum. Bonfinius libro primo, Decadis secundæ.

D. Stanislaus episcopus Cracouiensis, in aere conspectus POLONOS inuitè aduersus Cruciferos Prussos pugnãtes, sub Vladislao Iagellone animauit. Cromerus lib. 16.

Anni constitutione.

Ferdinandus II. Rex Neapolitanus, aduentante CAROLO VIII. Galliæ rege cum ualido exercitu, ad sancti Germani saltum suis munitionibus se tenere, hostemque ferocem & pugnandi auidum cunctando ludificari decreuerat: donec aut pabuli inopia, aut tædio hyemis aliqua hostibus ex iniquo loco dimicandi necessitas imponeretur. Verùm hybernι dies perpetua aeris serenitate, uernis æstiuisq; persimiles, Gallorum spei tam opportunè acciderant, ut quanquã omne fermè pabulum ab Aragoniis paulo antè esset corruptũ; ipsi tamen ex remotioribus locis facilè pabularentur, ac omnium rerum copia, floridæ hyemis beneficio plurimùm abundarent. Adeò ut cuncta secunda atq; facilia Gallis, aduersa autem atq; aspera Aragoniis, fatorum ui ac superum consilio præberi uiderentur. Iouius lib. 2. Hist.

Grandinis, Tonitru ope.

Cùm ISRAELITÆ grauiter à Palæstinis opprimerentur, Samuelis prophetæ suasu, idola omnia destruxere, uniq; Deo seruierunt. Cumq; Palæstini contra eos apud Maspham cõgregatos expeditionem suscepissent, agnum subrumũ pro holocausto obtulit. Eoq; adhuc sacra faciente, ingenti tonitru territi Palæstini, magna strage ab Israelitis uicti fuere. Samuel saxum inter Maspham & Sen erexit: idq; saxum auxilij nominauit, quòd eò usq; Palæstinos Iouæ auxilio persecuti cæcidissent. 1. Regum capite 7.

Cùm quinq; reges Amorræi Gabaonem urbem obsedissent, eò quòd fœdus cum Iosua Israelitarum rege fecissent, IOSVA à Galgalis castra mouit noctu, & ex improuiso eos aggressus, usq; ad Azecam & Macedam concidit. Cumq; illi fugerent, Dominus in eos ingentes de cœlo lapides deiecit, quibus plures perierunt, quàm ferro. Cæterùm Iosua, cùm, ne sibi ad persequendos hostes dies ille sufficeret, uereretur, solem ad Gabaonem stare, & lunam ad uallem Aialone iussit, ne superuenientibus tenebris hostes elaberentur. Stetit igitur sol in medio cœlo, spacio unius integræ diei, Iosuæ uocem exaudiente Ioua. Iosua capite 10.

Anno decimotertio HERACLII Imp. in expeditione aduersus Persas solstitio æstiuo, æther sudore factus est madidus, & animos Romani exercitus recreauit. Says Cosrois dux contra Heraclium pugnabat. Edita magna hincinde cædes. Persa superior uidebatur, nisi densus imber, mixta grandine, cum fragore & strepitu horrendo, cœlo effusus, aduersam Persarum aciem perculisset, procella Barbarorum ora oculosq; uento & fulguribus perstringente. Attoniti Persæ cæduntur, paucissimi seruati: cæteri aut capti, aut cæsi. Cuspinianus, ex P. Diaconi lib. 18.

Venti beneficio, Tempestatis.

THEODOSIVS Magnus, posteaquam Valentinianum II. ab Arbogaste occisum, Eugenium tyrannum Galliam & Italiam occupasse cognouit: Valentiniani mortem, & seruitutem Italiæ uindicaturus, sed de euentu belli sollicitus, quòd Eugenius omnibus rebus necessariis dicebatur esse paratissimus, primùm sibi diuinam, deinde humanam exposcendam opem existimauit. Itaque ieiuniis, uigiliisque perfunctus, cum sacerdotibus & populo, tẽpla omnia supplicabundus obiuit, atque ante martyrum apostolorumq; sepulcra cilicio indutus procubuit, ac fida Sanctorum præsidia implorauit. Commisso ad Iulias Alpes prælio, Eugenio Herculis, THEODOSIO I. Imp. Christi uexillum præferente, cùm Barbarorum cornu ab Eugenianis fœdis. strage concideretur, Theodosius ante aciem solus, ut omnes uidere atq; audire possent, in terram proiectus, supplex Dei auxiliũ inuocauit, Adesto mihi Domine, inquiens, ne quando gentes dicant, ubi est Theodosij Deus. Eugenius uictoriæ certus, suos interequitans ad constantiam hortabatur, illud identidem usurpans, se pro certo habere, Theodosium mox desperatione rerum sibi manus allaturum. monere autem, ne illum occiderent, sed uiuum ad se perducerẽt. Tum uerò uentus sæuissimus ortus, qualem nunquam ante spirasse constabat, in ora hostium tanto impetu irruit, ut ordines eorum turbarit. In quo illud fuit mirabile uisu, quòd tela, & sagittæ, quæ contra Theodosianos emittebantur, in eos qui miserant à uento reiiciebantur, & clypei manibus rapiebantur, &, scissis loris, in eorum ora prouoluebantur, & oculi eorum ingesto puluere opplebantur, ita ut aspectus adimeretur. Quæ uerò Theodosiani tela iaculabantur, ea uehementiore, quàm antè, impetu ferebãtur. Qua ex re, tanquam præsenti Dei auxilio, animati, tanta ui se in hostes intulerunt, ut ferre non potuerint, ac fugæ sese tradiderint. Hunc in modum uno prælio, unoq; die cum Eugenio debellatum, Rufinus lib. 2. cap. 33. Socrates, Sozomenus lib. 7. cap. 34. & Orosius prodiderunt. August. lib. 5. de Ciuitate Dei. Sed Zosimus duobus.

Ferunt ea pugna, qua ultimò IOANNES Zimisca Imper. cum Rossis ad Dorostolum conflixit, diuinitùs Romanis latum auxilium. Nam ab Austro obortam procellam in facies Scytharum ingruisse, eosque impediuisse, ne suo arbitratu rem gererent: & ab omni Romanorum exercitu conspectum fuisse uirum albo equo uehentem, qui princeps pugnam inierit, hostiumq; ordines cõturbarit, nemini neque antè, neque postmodò cognitum, cuius memoria eo die celebrabatur. Cedrenus.

Constantinus Scotorum rex contra KENNETHVM, Malcolmi regis æmuli fratrem nothum, pugnans, uictoriã præconceperat. Vix bene consertæ erãt manus, quum obortus Subsolanus ingenti cum procella, uolante arena admixtus, Constantinianorum aduersa ora turbauit, præter id, quod oculis solem habuere aduersum. Itaque uictoria neutri partium læta, Kennethi partes est sequuta. Duces in ipsa pugna singulari certamine congressi, mutuis uulneribus periecrũt, anno Constantini tertio, Christi 1002. H. Boethius lib. 11.

Germani, qui pugnę inter copias Henrici III. Imp. PETRVM Hungariæ regem reducturi, & Abæ, qui eiecto Petro substitutus erat, commissæ, interfuerunt, tradiderunt, ab initio pugnæ cum cœlesti signo tenuem in aëre nebulam apparuisse: mox hinc uentum adeò turbidum fuisse suscitatum, ut puluerem, Hungarorum luminibus obiiceret, liberumq; obtutum impediret. Miraculum hinc editũ fuisse affirmant, quia paulo antè, quàm pugnam inirent, ab Apostolico legato Abæ ac Hũgarię, ob iniustam Petri expulsionem, promulgato anathemate, fuerat humana consuetudine interdictum. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

Pipinus rex, cùm Italia Gallorum dicto paréret, & VENETI soli omnium suæ memores libertatis, patriæ iura tuerentur, litorali ora Gallicis armis domita, Riuo alto (sic enim dicta est pars urbis celeberrima) minaciter imminebat: aderatque Pipino ingens exercitus, & cui ne Italia quidem tota, non modò Venetiæ partes, obsistere posse crederentur. Verùm modicus armatorum numerus in cymbis sedẽtium ualidissimam ratem, qua Galli uehebantur, primò fatigauit: inde uento Venetus adiutus, Gallicos conatus non solùm fregit, sed hostem aquarum angustiis colluctantem adeptus, partim ferro confecit, partim soluta rate medio stagno depressit. Sab. lib. 6. cap. 7.

Aquæ, Inundationis beneficio.

PHRYGES, qui Celænas incolunt, amnem præterfluentem, qui Marsyas dicitur, tibicinem olim illum nobilem fuisse dictitant, eiusque inuentum fuisse eum tibiarum cantum, quem Matroum uocant, quòd in Magnæ matris sacris usurpatur. Eundem uerò Marsyam contra Gallos sibi opem tulisse, cùm irrumpentes in Phrygiam & amnis latè stagnantibus aquis, & tibiarum modis exterruisset. Pausanias in Phocicis.

Vbi Tryphon Apamensis regno Syrorum capto contra SARPEDONEM

Demetrij ducem, apud Ptolemaidem ciuitatem decertauit: Sarpedon circumuentus, in mediterraneam regionem cum suis militibus secessit, Tryphonisque exercitus, qui pugna eum superauerat, iter habuit per loca mari finitima. Tum unda quædam marina ingens, in sublime elata, repentè in terram uenit, quæ illos omnes inũdauit, submersosque necauit: ac unda quum recessisset, magnum piscium cumulum unà cum cadaueribus reliquit. Tunc Sarpedonis milites cùm calamitatem cognouissent, illuc accesserunt, mortuorum hostium cadaueribus pepercerunt, ac magnam piscium copiam abstulerunt, atque in suburbiis ciuitatis trophæum erexerunt Neptuno. Athenæus lib. 8. capite 1. Dipnosophistôn.

Cùm bello Sabino, quod uirginum raptarum gratia commissum est, ROMANI portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, (quæ postea ex euentu Ianualis uocata est) claudere festinarent, quia in ipsam hostes irruebant: postquam est clausa; mox sponte patefacta est. Cumq; iterum ac tertiò idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt. Cumque ex altera parte acerrimo prælio certaretur, subitò fama pertulit, fusos à Tatio Romanos. Quam ob causam ij qui aditum tuebantur, territi profugerunt. Cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Iani per hanc portam magnam uim torrentium undis scatentibus, erupisse: multasq; perduellium cateruas aut exustas feruenti aqua, aut deuoratas rapida uoragine periisse. Ea re placitum, ut belli tempore, uelut ad urbis auxilium profecto Deo, fores reserarentur. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 9.

Animalium ope.

Deus opt. max. duos Amorræos reges, præmissis crabronibus, nullo Israelitarum nec ense nec arcu, fugauit, eorúmque terram ISRAELITÆ ἀνάμαχοι & ἀκονιτί possederunt. Iosua capite uigesimoquarto.

SETHON Aegypti rex, Vulcani sacerdos, cùm Aegyptios cõtemneret, externo milite utebatur, & Aegyptios agris exuebat. Ob hanc iniuriam factum est, ut cùm postea Sanacharibus Arabum Assyriorumq; rex, cum magnis copiis inuasisset Aegyptum, noluerint ei Aegypti opitulari. Tunc sacerdos consilij inops in cœnaculum se contulit: ibique apud simulacrum complorauit, quantum periclitaretur. Ei igitur inter lamentationem obrepsit somnus, & inter quietem uisus astare Deus exhortans, nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obuiam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His in somnis fretus sacerdos, sumtis Aegyptiorum uoluntariis, institoribus & operariis, castra in Pelusio posuit; hac enim Aegyptus inuaditur. Eò cùm peruenisset noctu, ingens multitudo agrestium murium repentè exorta, tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas in castris hostium arroserunt, ita ut postera die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis. Eoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque hæc per literas dicens: In me quis intuens, pius esto. Herod. lib. 2. Eustathius Iliados α. refert, quosdam hanc historiam referre ad Cretenses quosdam ad Teucros in coloniam missos, oraculum accepisse, ut illic considerent, ubi γηγενεῖς cum ipsis bellum gererent.

CLODOVEVS rex Franciæ, bello petens Alaricum Gothorum regem, cum exercitu uenit ad Vincennã flumen: quod propter crebras pluuias ita intumuerat, ut non sine ingenti periculo transiri posset. Noctu igitur ardentibus uotis Deũ precatus, ut uadum sibi monstraret: manè miræ magnitudinis uidit ceruam, quæ flumen ingrediens, tranando exercitui, securum monstrauit transitum. Præterea rege apud Pictauos in castris commorante, pharus ignea egressa de Hilarij basilica, uisa est ei tanquam super se aduenire. Gregorius Turonensis Hist. lib. 2. cap. 37.

Rerum, Anathematum sacrorum ope.

THEBANI ad Leuctra Lacedæmonios diuino auxilio Aristomenis Messenij herois, superasse feruntur. Nam cùm pugna instaret, Epaminondas legatos misit, qui & alia oracula, & Trophonium, qui in Lebadea colitur, consulerent. Et sanè ab Ismenio, Ptoo, Abis, Delphis missa responsa commemorantur. At senariis heroicis sic uaticinatus est Trophonius:

> Ne petite ante hostem, sacrum quàm cura trophæum
> Sit uobis posuisse. Hic scutum ornate, quod acer
> Fixit Aristomenes Messenius: ipse inimicas
> Scutatorum acies infestaq; tela refringam.

Accepto oraculo, impetrauit à Xenocrate precib. Epaminõdas dux, ut Aristomenis clypeũ sibi mitteret, illumq; ad trophæi, quod erexerat eo loco, unde posset à Lacedæmoniis manifestè conspici, insignia addidit. Norant Lacedæmonij fixum in Lebadea scutum Aristomenis: nam & multi per otium ad Trophonij profecti, illud fuerãt conspicati, & planè omnes ita esse audierunt. Parta uerò uictoria suum Trophonio domum Thebani restituere. Pausanias in Messenicis.

Luitprandus, præeunte lancea Dominica, cui artificiosè claui Christi crucifixi inserti erant, semper hostes suos terruisse, ac in fugam conuertisse HENRICVM Imp. scribit libro quarto, capite duodecimo.

HENRICVS II. Imp. Boleslaum Boëmiam possidẽtem, cum omni Sclauorum gente subiugauit, & similiter Poloniam debellauit, accepto gladio S. Adriani martyris, qui longo tempore in loco, cui nomen est Vualdberch, asseruabatur. Hostes terribiliter persequutus est, diuino numine cooperante. Visi enim sunt diui martyres Georgius, Laurentius & Adrianus, exercitũ suum antecedere, & cuneos hostium dissipare. Cuspinianus.

CHRISTIANI Latini, cum Corbana Persarum principe collatis signis, ante Syriæ metropolim Antiochiam, lancea sancta (qua Christi latus uulneratum fuit) uexilli loco prælata, plus centum millia hostium cæcidere, suorum quatuor millibus ducentis desideratis. Baldricus Dolensium pontifex, illius temporis æqualis, comperisse se scribit ex his, qui interfuerant, oblatam hostibus speciem trium procerum humana specie augustiorum, qui albentibus in equis sedentes, ingens agmen pari cultu corporis habituq; oris ex editissimis locis aduersus hostes ducerent: hos non ab omnibus, sed à quibusdam nostrorum uisos, creditosq; esse martyres Georgium, Demetrium, Mercurium: nec deinde barbaris animus mensue aut consilium suppetebat, sed apud eos omnia formidine fugaq; continuò plena fuere. Aemilius libro quarto.

Pestilentiæ ope.

Apud PACHYNVM Siciliæ promontorium, Apollo Libystinus eximia religione celebratur. Nam cùm Lybici inuasuri Siciliam, classem appulissent ad id promontorium, Apollo qui ibi colitur, inuocatus ab incolis, immissa hostibus peste, & penè cunctis subita morte interceptis, Libystinus cognominatus est. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 17.

Virtute propria.

☞ *Consule Locum Stratagematum; & Fortitudinis propulsantis.*

De Xerxis nauium numero, quæ ad Salaminem depugnauerunt, sic scribit Aeschylus in Persis:

> Xerxi scio naues erant certò quidem mille:
> Verùm ducentæ & septem erant celeres
> Suprà modum: sic obtinet rumor uolans.

Atticæ clxxx. erant numero. Singulæ habebant octonos denos, qui ex foris pugnarent. Eorum erãt quatuor sagittarij, reliqui grauis armaturæ. Pugna commissa in angustiis, cùm in ferum extraxissent pugnam, GRÆCI fuderunt fugaueruntq; Persas, atq; insignem illam & nobilem uictoriam, ut Simonides ait, qua neq; apud Græcos, neq; apud Barbaros clarius decus ullum extitit nauale, retulerunt uirtute & strenuitate communi omnium militum, consilio uerò & prudẽtia Themistoclis. Plut. in Themistocle.

THEBANI uictoriam, duce Epaminonda, omnium præclarissimam adepti sunt ad Leuctra de Lacedæmoniis, quas de Græcis Græci unquam reportauerint. Cecidêre ex Thebanis & Bœotis 45. Lacedæmoniorum plures quàm mille. Pausanias in Bœoticis.

ALEXANDER Magnus, XL. millibus, iam inde à patre Philippo disciplinæ militari assuefactis, totum Orientem domuit, eoq; ipso ab Annibale omnibus aliis prælatus est Imperatoribus. Sab. lib. 6. cap. 7.

Vltimo illo prælio ALEXANDRI contra Darium in Aturiæ campis trans Lycum, iuxta Gaugamelam uicum, cõmisso, quo Darius uictus imperiũ amisit, perierũt Persarũ quadraginta millia, quorũ numerus iniri potuit. Macedonũ paulò minus trecenti desiderati. Vicitq; eo die Alexander magis uirtute, quàm fortuna: magis consilio quàm loco: ob idque uictoria ipsa multò speciosissima est uisa. Sab. lib. 5. En. 4.

Andophradates Artaxerxis dux, sub signis habebat Barbarorum equitum uiginti, peditum centum millia: quos illi Gardates appellant, eiusdemq; generis tria funditorum. Præterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum quinque, Phrygum decem, Lydorum quinq;, Aspendiorum & Pisidarum circiter tria, Cilicum duo, Captianorum totidem: ex Græcia conductorum tria millia, leuis armaturæ maximum numerum. Has aduersus copias spes omnis consistebat DATAMI (qui à rege defecerat, cùm insidias sibi ab aulicis strui intellexisset, & Paphlagoniam cum Cilicia occupauerat) in se, lociq; natura: namq; huius partem non habebat uigesimam militum. Quibus fretus conflixit, aduersariorumq; multa millia concidit, cùm de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. Quam ob causam postero die Trophæum posuit, quo loco pridie pugnatum. Probus in Datami.

Bactria sub imperio Macedonum, qui Persas deleuêre, usque ad

ad secundum Seleucum Antiochi nepotem fuit. Tunc uerò Theodorus præfecturæ titulum mutauit in regnũ, & se regem uocauit, reliquitq; successorem sui nominis, qui cum Arsace Parthorum rege contra Seleucum se coniunxit, regnumq; tutatus est: quod sub EVCRATIDE ad magnam gloriam peruenit. Is enim cùm obsidionem Demetrij regis Indorum pateretur, audacia inaudita cum trecentis militibus, sexaginta hostiũ millia assiduis eruptionib. uicit, & quinto mense liberatus, magnam Indiæ partem in potestatẽ suã redegit. Vnde cùm se reciperet, à filio, quem regni socium fecerat, in itinere interfectus est: qui uelut hostem, non patrẽ interfecisset, per sanguinem eius currum egit: & corpus abiici insepultum iussit. Aen. Syl. cap. 16. Asiæ.

FREQVENTIÆ.

Consule Tit. Fortium ducum, quatenus multis nobilitantur uictoriis.

IOSVA Israelitarum dux, reges Chananæorum, Amorræorũ, Hettæorum, Pherezæorum, Iebusæorum & Heuæorũ cum omni illorum exercitu, arena litorea numerosiore, concidit ad aquas Meromias imparatos, usq; ad internecionẽ: equos confodit, currus igni cremauit, & Hasor urbem, caput omnium illarum regionum, igni cremauit. In uniuersum autem 31. reges interfecit, & superauit, Iosua cap. 11.

Fortuna adeò in bello indulsisse credita est AGESILAO Lacedæmonio, ut Critias Atheniensium tyrannus inter pauca quæ sibi optare sit solitus, Agesilai uictorias, omnium impensissimè optauerit. Sab. lib. 7. cap. 7. ex Plut. Agesilao.

TIMOTHEVS dux Atheniensiũ prospera fortuna per omnia credebatur uti: dicebatq;, Fortunã rerum bene gestarũ causam esse, Timotheũ uerò nullius. Proinde pictores eũ in castris dormientẽ taxãtes fingebant, atq; Fortunã supra caput pendentẽ, ciuitates quasi in rete quoddã conducere. Interrogante Themistocle, quánam re per uniuersam uitam maximè fuisset delectatus? Cùm, inquit, ingredientem Olympicum stadium, totum theatrum intentis oculis me contuerẽtur. Aelianus de Varia historia, lib. 13.

ALEXANDRI Magni felicitas, omnium maxima in re bellica, qui penè puer in domanda Græcia adeò Philippum patrem iuuit, ut Macedonum primus in Sacram Thebanórum cohortem impetum fecerit, illorum opibus fractis, omnem Græciam ad imperium retraxit: Asiam transgressus, triplici prælio, Persarum regnum, quod tamen maximum fuit, euertit: ac penè plura perpetuo uictoriæ cursu subegit regna, quàm cæteri duces urbes: & quod omnium prosperrimum fuit, trium propè annorũ spacio ab Europæ limite ad Gangem, Macedonica promouit arma. Sabel. lib. 7. cap. 7.

SELEVCVS Syriæ rex, à uictoriarum successu Nicanor, id est uictoriosus, cognominatus est. Ab eodem pariter, Nicephorium & Nicopolis ciuitates conditæ sunt, à uictoria deducto uocabulo. Guido Bitur.

SICINIVS Dentatus Tribunus plebis, ob fortitudinẽ Achilles Romanus appellatus est, cuius bellorum successus, felicissimi semper fuère. Pugnasse quidem fertur centum & uiginti præliis, quibus cicatricem posteriorẽ nullam, anteriores autẽ quinq; & quadraginta tulit: fuitque donatus aureis coronis octo, obsidionali una, muralib. tribus, ciuicis quatuordecim, quòd ciues quatuordecim ex media morte raptos seruauerit: torquibus trib. & octuaginta, armillis plùs centum sexaginta, hastis duodeuiginti, phaleris quinq; & uiginti: triumphauitq; cum imperatoribus suis triumphos nouem. Gellius, Varro, Plinius de Viris illustribus.

P. SCIPIO Africanus maior, cùm per ætatem adhuc magistratum capere nõ posset, extraordinarium imperium adeptus, quatuor Carthaginensium duces & totidem exercitus, Hispania expulit: omne Hibericum nomen, quod Punico cesserat imperio, ad Romani nominis obsequiũ retraxit: mox Aphricam adeptus, nocte una, bina castra binosque deleuit exercitus. Syphacem regem, Romani nominis hostem cepit. Carthagini castra admouit. Annibalem ex Italia reuocatũ, & ad Zamam ingẽti prælio uictum, ad eam desperationem compulit, ut qui fax belli, duxq; ab initio fuerat, petendæ pacis suis ciuibus impulsor uerius quàm auctor factus sit. Sabellicus libro 7. cap. 7.

CN. POMPEIVS de omnibus terris triumphauit, Aphrica, Asia, & Europa: antè imperator quàm miles, priùs triũphalis quàm senator aut consularis: nullus Romanorum ducũ tot de gentibus uno die triumphũ egit: nullus Rom. ducũ uictor tot percurrit terras: mille castella ex hoste cepit, urbes octingentas, parem nauium numerũ. Sed præclarũ hũc fortunæ cursum, ciuilis belli infamia fœdauit, quod extremo uitæ tẽpore gessit: aut quia uoluntarium fuit, aut certè quia non necessarium. Sabellicus lib. 7. cap. 7. Octauius Cæsaris filius, qui primus Augusti nomine salutatus est, inter alia sua uota, Pompeij felicitatem & in omni re fortunam exoptauit. Plut. de Romanorum fortuna.

L. CORN. Sylla, Felix ob successus appellatus est. Mulier enim quondam obuiam ei puero, Salue dixit, puer, & tibi & Reipub. felix: quæ postea nuspiam amplius comparuit. Volaterranus lib. 19. Anthropologiæ.

Summa felicitas in bello contigisset C. IVL. Cæsari dictatori, nisi ciuilis belli nefas, decus alibi partum ad extremum deturpasset. Nullus imperatorum sæpiùs collatis signis dimicauit, nullus prosperiùs, ad cẽtum millibus perduellionum bis una die cæsis: nullus ferociores uicit gentes. Europam cæde domuit, Aphricam consilio, Asiam celeritate. Sabellicus libro septimo, cap. septimo. Per tot successus, subigẽdis Gallis, Germanis, & Britanis, ter, nec amplius, aduersum casum expertus: in Britannia, classe ui tempestatis propè absumta: & in Gallia, ad Gergouiam legione fusa: & in Germanorum finibus, Titurio & Arunculeio legatis per insidias cæsis. Omnibus ciuilibus bellis nullam cladem, nisi per legatos suos passus est: quorum C. Curio in Africa periit: C. Antonius in Illyrico in aduersariorum deuenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum amiserũt. Ipse prosperrimè semper, ac ne ancipiti quidem unquam fortuna, præterquàm bis, dimicauit: semel ad Dyrrachium, ubi pulsus, non instante Pompeio, negãuit eum uincere scire: iterum in Hispania ultimo prælio, cùm desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitauit. Suetonius.

CONSTANTIVS Imp. bellis ciuilibus admodum fortunatus fuit, in Persicis semper infelix, externis lachrymabilis, Sarmaticis uarius. Cuspinianus.

CAROLVS Magnus Imp. in tres partes regni sui, tres exercitus misit: unum trans Albim, qui Saxones debellauit: alterum in Pannoniam, qui reliquias Hunnorum & Sclauos cõpressit: tertium contra Britones, qui eorum perfidiam contudit. Sigebertus in Chron.

AMVRATES III. Turcorum rex, magna bella in Europa Asiaque, numero triginta septem confecit, tali usus & uirtute, fortunaque, ut in nullo uictus succubuerit. Chalcocondylas libro primo, de rebus Turcorum.

ODOARDVS Pacheçus Lusitanus, circa annum Domini MCCCCXCIIII. in oriẽtali India (ut lex Christi inter barbaras gentes promulgaretur) sępe cum duabus nauibus, ad summum cum quatuor, pugnauit cum infinita multitudine gentilium & Mahumetanorum, aliquando etiam octoginta naues habentium: & quod maius est, aduersus infinitas machinas igneas, semper uictor: & quod maximum, nullo suorum unquam interemto. A sphærulis milites ipsi solùm prosternebantur in terram, signo in corpore relicto, cùm tamen eædem tabulas nauis perforarent. Mirum, & illud, in tanta copia ictuum, nullũ in capite ictum, cùm omnes ictus in tam angustum spacium dirigerẽtur. Atq; eo magis, quòd solùm nonaginta quatuor homines, plerunq; tantũ septuaginta quatuor, aduersus triginta millia ac plures pugnarẽt. Inter reliquos Innichum Piccatorem Cantabrum cùm pila in terrã prostrauisset exusta barba, solùm ruboris signum in facie reliquit, eademq; nauis parietem perforauit. Cardanus de Rerum uarietate, lib. 15. cap. 81. Vide Osorium.

TEMPORIS, VICTORIA

Velox.

Vide locum Strategematum, Celeritate summa hostem opprimere.

L. PAVLVS Aemilius ad Pydnam cum Perseo Macedonũ rege pugnauit, cãpus & colles cadaueribus oppleti: Leuci fluuij, quem trãsiuerint, postridie quàm pugnatum esset, Romani, unda sanguine etiamnũ infectæ fuerunt. Super uiginti quinque millia hostium dicuntur cecidisse. Ex Romanis desiderati, ut tradit Posidonius, centum: ut Nasica, octoginta. Hæc usq; adeò cruẽta pugna breuissimè decreuit: nona hora, cùm affectassent præliũ, ante decimã profligauerũt hostẽ. Quod supererat diei, in consectandis hostib. consumto, cùm ad quindecim millia passuũ insecuti eos essent, iam nocte receperunt se. Macedones, qui semper regũ suorũ habiti fuerant amantes, tunc sicut cum fulcimento rupto, omnibus unà corruentibus, permittentes sese Paulo, duob. diebus, totius Macedoniæ compotẽ eum fecère. Plut. in Aemil.

C. IVLIVS Cæsar, Alexandria regia Aegypti in Syriam & inde in Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nunciis: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantẽ, iamq; multiplici successu praeferocem, intra quintum (quàm adfuerat) diem, quatuor, quibus in conspectũ uenit, horis, una profligauit acie: crebrò commemorans Pompeij felicitatem, cui præcipua militię laus de tam imbelli genere hostium cõtigisset. Proinde & ad Senatum scripsit, & tabellæ triumphali inscripsit, Veni, Vidi, Vici. Suetonius.

In pugna ad Gerionẽ inter Gallos & HISPANOS commissa, cæsa sunt Gallorũ ad quatuor millia, tãta celeritate felicitateq;, ut cùm semihoræ momẽto res cœpta cõfectaq; sit, nec centũ quidẽ ex uictorib. perierint. Iou. in Cõsaluo Magno.

CARO-

CAROLVS VIII. Gallorum rex, anno 1495. fugiente Ferdinã do rege, à Neapolitanis summa cum celebritate exceptus, & in arcem Capuanam, quæ Gaulæ regũ sedes olim fuerat, (nàm arx noua ab hostibus Aragoniis tenebatur) deductus est: cùm admirabili inauditæ felicitatis cursu, uel supra Iulij Cæsaris exemplum, priùs uicisset, quàm conspectus extitisset: tanta deinde facilitate, ut ne tentoria quidem in ea expeditione explicare, hastámue unam frangere necesse fuerit: multi præterea apparat⁹ minimè necessarij: cùm & ipsa classis tam immani sumtu comparata atq; instructa, maris tẽpestate quassata, atq; in Corsicam insulam delata, non priùs ad Neapolitanum litus accederet, quàm rex in urbem reciperetur. Ita intestinis dissidiis, quibus celeberrima Italorum principum sapientia obscurata erat, præclara ac præpotens Italiæ pars, summa cum ignominia Italicæ militię irrisionéque, grauissimo omnium cum periculo atq; infamia, ab Italorum imperio, ad transalpinarum gentium dominatum translata fuit. Guicciardinus lib. 1.

CAROLVS V. Imp. uicto captoq; ad Albim Saxonię duce Io. Friderico, exclamauit, VENI, VIDI, DEVS VICIT. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

ADIVNCTI.

PHILIPPVS Macedonũ rex, cùm eodem die nunciũ accepisset, quadrigas suas in Olympicis ludis uicisse: item Parmenionem ducem suum, hostes prælio fudisse: ac præterea natum sibi filium esse Alexãdrum: ueritus, ne fortuna cùm tot bona eodem tempore cumulasset, mutata, grauioribus malis hanc felicitatem repensaret, dixisse fertur: O fortuna, celeriter potiùs aliquid paruæ molestiæ, ad pensanda hæc tanta bona, quàm differendo, maiora mala afferto. Plut.

LOCI.

NEOPTOLEMVS Mithridatis dux, circa Mæotim æstate nauali pugna: hyeme uerò, equestri, glacie concreto mari, iisdem in locis uictoriam tulit. Alex. lib. 1. cap. 22.

NVMENIVS, ab Antiocho Epiphane rege, Messenæ præpositus in mari rubro, Macas uicit eodem die classe, æstuque reuerso, iterum equitatu contra Persas dimicans, gemina trophæa eodem in loco Ioui ac Neptuno statuit. Plinius libro sexto, capite uigesimo octauo.

VICTORIA ROBORIS.

Vide Tit. Olympionicarum.

DIAGORAS Rhodius Olympionices, filios suos Acusilaũ & Demagetum in Olympiam deduxit. Quem, uictores iam declarati iuuenes, per confertissimam turbam humeris exportarunt, coniicientib. in eum flores Græcis, & cum plausu beatum prædicantibus, liberũm causa. Pausan. lib. 6.

VICTORIA FORMAE.

Vide Tit. Certamina Formæ.

Apud ELIDEM formę pulcritudinisq; certamẽ fuit. Victor ad templa uittatus (hinc Diadumeni nomẽ accipit) deducitur, myrtoq; coronatus, arma, uictoriæ pmia, Mineruę cõsecrat. Alter bouẽ ducit. Tertius libamina imponit. Athen. l. 13. c. 7.

CALAMITATE.

Ex loco Infelicitatis huc referenda exempla, cuius alii auctores sunt, alii usurpatores siue casu siue consilio.

Apud Euripidem in Oreste, Apollo HELENAM in Deos trãslatam Menelao indicat,

Ἐπεὶ θεοὶ τῷ τῆσδ' ἐκ καλλιστεύματι
Ἕλληνας εἰς ἓν καὶ Φρύγας συνήγαγον,
θανάτους τ' ἔθηκαν, ὡς ἀπαντλοῖεν χθονὸς
ὕβρισμα θνητῶν, ἀφθόνου πληρώματος.

Nam dij huius uenustate Græcos in unum atq; Phrygas cõmiserunt, cædesq; ediderunt, ut leuarent à terra põdus mortalium, abundanti copia.

INIMICITIA.

Consule locum Inimicitiæ, quatenus ex priuata dissensione, publica oriuntur certamina.

Ex seditione C. GRACCHI ortus est tribunatus Liuij Drusi, quẽ patres equitibus, qui ex lege Gracchi iudicabant, opposuerunt. Ex hoc bellũ sociale, q̀ promissa à Liuio Druso ciuitas nõ præstaretur: ex hoc Mithridaticũ, cùm Mithridates rex Põti cõfisus discordiæ Italiæ, multa ciuiũ millia, quæ in suo regno negociabãtur, iussit interfici. Ex hoc bella ciuilia Mariana, cùm Marius prouinciã & bellũ Mithridaticũ L. Syllæ uellet eripere. Ex huius seminib. Sertorianum, Lepidanũ, cõiuratio Catilinæ, postremò Pompeianum. Hinc Cæsaris regnum: quo occiso bella ciuilia, Antonianum, Philippense Bruti & Cassij: Siculum Sexti Pompeij, Actiacum. Tandem respublica in monarchiam & tyrannidem uersa est. L. Viues in August. lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 30.

PARTICIPATIO CONSIDERATA RESPECTV COMMVNICANTIS HOMINIS. COMMVNICAT ERGO

PATRIA INDIGENIS.

Vide Tit. Gloriæ, quam Ciues percipiunt ex patria illustri. Item contrarium locum Ignominiæ.

CONDITORES VRBIBVS.

Ab his tanquam Parentibus, locus natiuitatis omnium eorum qui deinceps nascentur Ciuium fundatur.

PRINCIPES, REGES SVBDITIS commodant uel incommodant sua

Natiuitate.

Consule Tit. Regiones nobilitatæ ortu clarorum hominum. Illic Gloria, hîc participatio alieni boni perpenditur.

Erechtheus rex ex terra editus præbuit argumentũ, ut ATHENIENSES, quibus is imperitauit, terra item geniti censerentur, ac nominarentur αὐτόχθονες: sicuti docuit etiam Plato. proindeq; eius rei symbolum, τέττιγας, id est, cicadas aureas solitos gestare, dictosq; eo nomine Tettigophoros. Etenim eiusmodi traditur animalis origo. Cuius rei testis Thucydides historia prima. Cæl. lib. 13. cap. 7. A. L.

Probitatè.

Vide Tit. Reges boni.

Tyrannide.

Vide locum Tyrannorum.

Ignauia.

SVVARDVS Danorum rex, à Gotaro Suecorum rege Scania Iutlaque exutus est. Iarmericus F. ab Ismaro Sclauorum rege abductus: sororum altera Noruagiensibus, altera Germanis (nam uenalia quondam solebant esse connubia) precio uendita est. Itaque Danorum regnum fortissimè propagatum, tantis etiam maiorum titulis illustratum, tot uictoriis auctum, ob unius uiri inertiam ex summo nitore fortunæ & florentissimo rerum statu eò ignominiæ peruenit, ut pensionem, quam priùs exigebat, exolueret. Saxo lib. 8.

Post Cleolulfum regem res NORTHVMBRICÆ in Anglia ad exitum inclinatæ sunt, populo per factiones in partes diuiso. Successere ordine septem reges, populari seditione exiguo tempore uel pulsi uel interfecti. Vacauit regnũ aliquandiu, nullo amplius id sibi petere audẽre, utpote quod uelut equum Seianum uniuersi formidabant. Sic Northumbria exitio domestico agitata, deinceps triginta & ampliùs annis, tam finitimorum populorum, quàm Barbarorum iniuriis exposita fuit: donec Egbertus, Occidentalium Saxonũ rex, regnũ deuastatum per deditionem à Northumbris factam, suo adiecit imperio, anno 827. Polyd. lib. 4.

Perfidia.

SYRACVSANI sub Gelone & Hierone tyrãnis mirificè floruere. Postea quã uerò Hieronymus puer rerũ potitus, à Romanis ad Carthaginenses defecit, & ipse sibiipsi mortis, & urbi pulcerrimæ, causa fuit ruinæ. Sabel. lib. 3. En. 5.

Præsentia, Absentia.

Clemens V. Burdegalensis episcopus, mortuo Benedicto XI. Perusij à collegio cardinalium absens, post longã contentionẽ pontifex creatus. Is autẽ electioni consentiens, ex Burdegala Lugdunum profectus, eò cardinales omnes ad se uocauit, qui sine mora pontifici obtemperarunt: atq; ita curia Romana in Gallias trãslata est, 1305. ubi etiã ad septuaginta quatuor annos remansit, cum magno Christianorũ incommodo, potissimùm uerò urbis Romę, cuius tẽpla magna ex parte ob solitudinẽ & situm corruère, absentib. his, ad quos ea restituere pertinebat. Tres cardinales cum senatoria potestate Romã misit, quorũ auspiciis urbs ipsa atq; Italia guberharetur. Absente aũt Pontifice, bellis intestinis & tyrannorum crudelitate, misera ITALIA miserrimè afflicta est, Clemente V. Ioanne XXIII. Benedicto XII. Clemente VI. Innocentio VI. Vrbano V. Auenione residentibus. Tandem GREGORIVS XI. de profectione Italica cogitare cœpit: inflammatus præcipuè cuiusdam episcopi uerbis, qui ab eo reprehensus, quòd non rediret ad ecclesiam suam, tam diu sine pastore nudam, respondit: Et cur neque tu, Pater sancte, cæteris exemplum daturus, episcopatum repetis Romanum? Ergo paratis in Rhodano una & uiginti triremibus (aliò se iturum simulans, ne à Gallis emolumenti causa retineretur) Genuam primò, inde Cornetum contendit: unde terrestri itinere nauigationem pertæsus, hyeme præsertim, Romam peruenit, anno Domini MCCCLXXVI. Idibus Ianuariis, pontificatus sui septimo, migrationis uerò Romanæ curiæ in Gallias, anno septuagesimo. Platina.

SVBDITI, CIVES, PATRIAE COMMVNICANT SVAM

Gloriam,

☞ *Ex Tit. Patria clara ob Ciues probos.*

Infamiam.

☞ *De hac sub loco Ignominiæ.*

COLLEGAE PARTICIPES FIVNT boni malíue alicuius, ex collegarum

Calamitate.

THESEVS cum Peirithoo fuit uincto & pœnas luente pedes adamãtinis cõstrictus uinculis. Plut. de Amicorũ multitud.

Ambitione.

ROMANI, cùm Castori & Polluci condidissent templũ ad lacum Iuturnæ, ferè non aliter quã Castoris nominabant: in quo nimiũ uel erant inciuiles ipsi, uel immò destus & ingratus Castor: qui cùm mortalis esset suapte natura, immortalitatẽ beneficio fratris nactus, eam gratiã Polluci referebat, ut se præferendo, nomen, famam, ac propè uitam eius premeret & obscuraret, futurus ipse alioqui obscurus & prorsum ignotus, ni alter subuenisset. Sed nimirum priùs hoc Pollux peccauerat: nam dum à patre impetrat, ut alternis tantùm uiuerent diebus, effecit, ne unquam alter altero frui posset. L. Viues in lib. 18. August. de Ciuit. Dei, cap. 14.

Morositate.

☞ *Vide Tit. Collegæ inimici.*

Morte.

Apud ROM. uno cẽsore mortuo alterũ oportebat se magistratu abdicare. Cũ decessisset Liuius Drusus, collega eius Aemilius Scaurus detrectabat magistratũ eiurare, donec pars tribunorum plebis iusserunt eum in carcerẽ duci. Plutarch. in quæst. Rom.

VICINI PARTICIPANT VICINORVM

Improbitate.

Ἀττικὸς πάροικος. id est, Atticus aduena. In uiolentos & feroces uicinos dicebatur. Duris apud Zenodotũ ait, ex ATTICORVM moribus natũ, quòd olim finitimos è sedib. suis exigere consueuerint. Craterus inde manasse putat, quòd Athenienses, qui Samum missi fuerant, indigenas expulerint. Erasmus in Adagiis.

Potentia.

☞ *Vide Tit. Bella inter uicinos.*

MESSENII ob uiciniam Spartanorum periere. Id quod Diogenes Cynicus cuidam Spartiatæ exprobrauit (laudanti Hesiodium istud carmen, in ἔργοις:

οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτο, εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. id est: Nec pereat bos utiq;, ni affuerit uicinus malus) Respõdit ei Diogenes: Atqui & Messenij periere & eorundẽ boues, in uicinia uobis cõstitutis. Quippe Messanã bello afflixerant Lacedæmonij; qđ disertissimè amplius persequitur Pauf. Cel. l. 21. c. 39. A. L.

Infelicitate.

Notum est illud Maronianum, MANTVA uæ miseræ nimium uicina Cremonæ.

HOSTIVM COMMVNICATIO. QVO AD

Pacem. Reconciliati.

☞ *Vide Tit. Ex inimicis facti amici.*

Victoriam. Victi.

☞ *Relata sunt, Victor & Victus. Quorum hic ex aliena uirtute dãnũ percipit, ille ex aliena infelicitate fructũ demetit. Exẽpla igitur ex Titulo Victoriæ petantur. Item ex Titulo, Strages magnæ. Item, Crudelitatis contra hostes.*

Item Pacis redemtæ.

ANTIOCHVS Magnus, cùm obtinere nõ posset Aegyptum, uertit se ad Asiã, & nauali certamine aduersum plurimas insulas dimicans, cepit Rhodũ & Samũ & Colophonẽ & Phocæam, & alias. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cũ fratre suo P. Scipione Africano qui Hãnibalẽ uicerat. Victus ergo Antiochus, intra Taurũ regnare iussus est, & inde fugit ad Apamiã ac Susam, & ultimas regni sui penetrauit urbes. Aduersum Elimæos pugnans, cũ omni est deletus exercitu. Et hoc est quod scriptura dicit, quòd multas insulas ceperit, & uincente Romano, regnum Asiæ perdiderit, & opprobrium eius conuersum sit in caput eius, & ad extremum, de Asia fugiens, reuersus sit ad imperium terræ suæ, & impegerit atq; corruerit, & locus eius non sit inuẽtus. Hieron. in Dan. c. 11.

Cum Epaminonda Thebano, Agesilao Spartano, & Conone Atheniẽse, qui extremi triũ illustrium ciuitatũ duces fuere, omnis Græcorũ gloria defloruisse uidetur. Mox enim Philippus Amyntæ filius GRAECIAM armis adortus est, inde Alexander huius filius, qui ueterẽ armorũ gloriã uictis & imperiũ abstulit, quo Athenienses Græcorũ primi, annos octo & sexaginta fuerãt potiti: & post eos Lacedæmonij annos fermè 30. Thebani omnium nouissimi, paucos annos, quoad ipsorũ urbs capta ab Alexãdro est ac direpta. Sab. li. 2. En. 4.

HOSTILIVS Mancinus consul, cùm triginta millia militum sub signis haberet, à quatuor Numantinorum milibus uictus, fœdus cũ illis icere coactus est, sibi & reipublicæ ignominiosum.

BRITANNI à Romanis sub Valentiniano III. deserti, à Scotorum rege Eugenio, & Dursto Pictorũ rege, magna clade affecti, iniquissimas pacis conditiones accipere coacti, ut Britanni nec legatum Romanum, nec exercitum deinceps reciperent in Britanniã, neq; Romanos, Gallos, Saxones, aut alios quoscunq; Scotici Picticíue nominis hostes, per suos fines sinerent transire: id conantes, pro hostibus haberent, & in eos pararent arma: nulla cum gente aut ciuitate fœdus inirent, aut bellum gererẽt, sine Scotorũ Pictorumq; regum iussu: ab eisdem acciti, contra hostes ad bellũ proficiscerẽtur. Quicquid esset Albionis ultra Humbrum fluuiũ, Britonibus inde cũ coniugibus, liberis, & fortunis abeuntibus, in Scotorum ac Pictorum cederet possessionẽ. Darent sexaginta aureorũ numũ millia, fœderatorũ militibus partienda: uiginti millia in annos uictoribus penderent. Centũ darent obsides regũ arbitrio, nec octodecim annis minores, neu maiores triginta. Rebellionẽ agitãtibus, paulo pòst duriores additæ conditiones: Ne publica concilia ulla inscijs uictorib. facerent: ueterẽ iuris dicundi modũ seruarent: Gallorũ Romanorúmue neminẽ uel negotiationis causa admitterent: ueteres reciperẽt obsides, nouos darent duplicato numero. Hunc in modũ Britanniã Romanis ademtam Scoti ac Picti uectigalem sibi factã uendicarunt: posteaquã Iulius Cæsar eam primùm ingressus, fecerat Romanis tributariam, an. CCCCXCVI. à Christo nato CCCCXXXVI. H. Boëthius lib. 7.

Carolus Magnus SAXONES uix tandem sub iugum redegit. Cruori nominiq; pepercit: utq; sub oculis essent, obseruariq; facilè possent, nobilitatẽ, & in quibus aliquid dignitatis eluceret, cum liberis uxoribusq; traduxit in Galliam Belgicam, Oceani ora ad incolendum eis data, iussoq; eam tutari Lyderico maris præfecto. Vltima rebellione Saxones repetiti, milite, nobilitate, ducibus, spe uidui, necessitati paruere. Confessi, se furore lapsos, uitam impetrarunt. Qui eorum trans Albim amnem incolebant, ad suos in Galliã Cisrhenanam migrare coacti. Et hæ nouæ ipsorum sedes frequentiores quàm Germana illa Saxonia, celebrioresque euasit. Decem millia ex illis delecta sunt, quæ per totam Franciam alij aliò diuiderentur. Et ne diuturnam uastitatem solitudo faceret, Abroditis cis Albim sedes descriptæ. Is fuit finis Saxonici belli, quarto & trigesimo quàm inchoatum fuerat anno. Mortuo Magno, Ludouicus Pius eis in patriã reuertendi fecit potestatem. Aemilius lib. 3.

Opes. Hæredes facti inimicorum.

GEORGIVS Saxoniæ princeps, Henricum fratrem cum Mauricio & Augusto filiis, hæredem & successorem habuit omnino præter uoluntatem. Hac enim sola conditione eos hæredes esse uoluit, ut nihil in religione prorsus mutarent. Sin minus, Cæsari & Ferdinando regi omnem suam ditionem legaturus erat. Sleidanus lib. 12.

Mortem.

☞ *Consule Tit. Gaudium ex morte inimicorum.*

Iulius Cæsar Capuanus, Perettus Allobrox Troiæ comes, regiæ Neapol. aulæ præfectus, & Cecholinus Perusinus, uirtuti atque amplitudini Magni SFORTIAE inuidentes, nihil tale suspicantem Beneuenti comprehenderũt: quum etiam eum biduò antè submissis percussoribus interficere cogitassent. Horum malignitate captus, & crudelitate Iacobi Galli, cui Ioanna regina Neapol. nupserat, in quæstione tortus, priusquam è carcere mitteretur, audiit Iulium Cæsarem ab ipso rege, digno perfidia eius supplicio, publicè necatum: Peretrum uerò idem expectantem acerbissimo intestini dolore, incertum an ueneno, sublatum. Nec multo pòst Braccius Montonensis, in Asiatum campis memorabili pugna superatos Carolum Malatestam & Cecholinum, uiuos cepit: recuperata ex ea uictoria urbe Perusia, Carolum tanquam hostem ingenti pecunia redimi permisit: Cecholinum autem uti inimicum, & aduersarum partium acerrimum ducẽ, in carcere necauit. Et sic insignes iniurias suas ab his plerunq;, qui erant inimicissimi, uindicatas conspexit. Iouius in eius uita.

Captus est Galliarum rex FRANCISCVS à Carolo Mompenserio Borbonio, à Marchione Piscariæ, à Carolo Lanoio, præfecto Neapolitano. Omnes illos tres, ante duos annos sepultos audiuit. Lud. Viues de Concordia & discordia l. 4.

ALFONSO Ferrariensi Duci Leo X. Pontifex infestissimus erat, deq; eo pellendo, & Ferraria Mediceis tradenda cogitabat, cũ mors conatus illius elusit. Alfonsus itaq; opportuno inimicissimi hominis excessu ita in præsens lætatus est, ut pecuniam argenteam percuti iusserit, cum imagine leonis, hianti ore agno imminentis, cuius titulus erat, Agnus ex ore leonis ereptus. Hanc tamen monetæ formam, quòd eius argumentum inuidiæ expositum uideretur, celeriter aboleuit. Iouius in Alfonso.

SEXVS EIVSDEM PARTICIPATIO. TVM

VIRILIS. VIR INFAMAT Viros.

Corinthiacarum mulierum Chorus apud Euripidẽ in Medea ob IASONIS perfidiam erga Medeã, non minus malè audituros deinceps uiros sperat, quàm muliebre genus, propter quarundam improbitatem:

Οὐκέτι δυσκέλαδος
φάμα γυναῖκας ἕξει.
μοῦσαι δὲ παλαιγενέων
λήξουσιν ἀοιδᾶν
τὰν ἐμὰν ὑμνεῦσαι ἀπιστοσύναν.
οὐ γὰρ ἐν ἁμετέρᾳ γνώμᾳ λύρας
ὤπασε θέσπιν ἀοιδὰν
Φοῖβος, ἁγήτωρ μελέων· ἐπεὶ ἀν-
τάχησ' ἂν ὕμνον
ἀρσένων γέννᾳ·
μακρὸς δ' αἰὼν ἔχει
πολλὰ μὲν ἁμετέραν
ἀνδρῶν τε μοῖραν εἰπεῖν.

Non amplius ignominiosa fama mulieres habebit: pöemata uerò priscorũ desinent poetarum meã infamare perfidiã. Non enim pro nostra sententia lyræ præbuit diuinam poeticam Phœbus, dux carminũ. Nam contrà cecinissent hymnũ masculorum stirpi: longa uerò ætas posset multis quidẽ nostram uirorumq; partem dicere.

MVLIEBRIS. MVLIER INFAMAT Mulieres.

HELENAM genus muliebre infamasse, Chorus apud Eurip. in Oreste testatur, inquiens:

Πάσαις γυναιξὶν ἀξία στυγεῖν ἔφυ
ἡ Τυνδαρὶς παῖς, ἡ κατῄσχυνε γένος.

Omnibus mulieribus digna odio existit Tyndari filia, quæ infamauit genus.

AVCTORES FENERIS, FAMILIAE, communicant Posteris.

Primus MITHRIDATES ex genere fuit septem illorum Persarũ, qui Magis imperium abstulêre. Huic inimicus fuit Antigonus rex Syriæ, expulitq; eum in Cappadociã, ubi postea regnauit, regnumq; per manus filiis tradidit, illiq; à se genitis continua serie usq; ad sextum nepotem. L. Viues in lib. 3. Aug. de Ciuitate Dei, cap. 22.

Cùm gens esset Furiorũ non admodum illustris: nomen factis suis M. Furius CAMILLVS parauit primus, quo tempore sub dictatore Posthumio Tuberto in magno cõtra Aequos & Volscos certamine stipendia faciebat. Ibi equo ante aciẽ prouectus, accepto in femore uulnere, non remisit tamẽ pugnam: sed cùm infixum ex uulnere iaculum recepisset, congressus cum fortissimis hostium, uertit eos in fugã. Inde cũ alios est honores adeptus: tum, quæ in magna id temporis erat dignatione, censuram. Plut. in Camillo.

SIGIFRIDVS Comes ex agro Lucensi, ubi aliquandiu fuerat, an. 896. in Regiensem migrauit: atq; ibi castra & possessiones multas præsenti, qua abundabat, pecunia comparauit: ac postea urbem Parmæ, Saracenorum à Fraxineto incurrẽtium metu perculsam, in deditionẽ accepit, regib. Italię, Berengario primùm, deinde Vidone, nequaquã satis aut uiriũ aut animi ad tantã iniuriam prohibendã habentibus. Hic filios tres genuit, Sigifridũ, Athonẽ & Gerardũ: quorum Atho genus Mathildis Comitis procreauit, & Marchionum Atestinorum, qui in hunc usq; diem maximæ in Italia potẽtiæ atq; auctoritatis fuerunt. Sigonius lib. 6. regni Ital.

MAIORES COMMVNICANT MINORIBVS SVAM

Virtutem, Gloriam.

☞ *Consule Tit. Nobilitatis.*

Impietatem.

PERICLES ex scelesta prodiit domo, tantus Atheniensium imperator, ac eloquentiæ magnitudine Ioui, diisq; cognomento æquatus, Olympius dictus. Plut. in Pericle.

MINORES MAIORIBVS COMMVNICANT SVAM

Successionem continuatam. Familiæ propagatio.

ABRAHAMO Dominus promittit posteritatem tam numerosam ex Isaaco, ut & stellas cœli, & arenam maris multitudine uincat. Genes. 15. Ex Ismaele similiter, ex quo duodecim principes nascituros promittit. Genes. 17. Id quod HAGARI matri Ismaelis angelus denunciarat. Genes. 16.

Posteri IACOBI patriarchæ, cùm ipse in Aegyptum cum 70. capitibus tantùm descendisset, ita aucti sunt, ut Aegyptiis, & numero & uiribus formidabiles essent. Itaq; cœperunt eos Aegyptij seruili labore exercere: sed quantò grauius premebantur, tantò magis crescebant: donec tandẽ Deus eos per Mosem eduxit. Exodi cap. 1.

DAVID regi pietatis ergò promissio facta à Deo per Nathanem prophetam, de posteritate eius perpetuò duratura & regnatura. Nefas enim esse existimauerat, sese in domo cedrina habitare, arcam uerò Iehouæ in linteis tabernaculis manere. Ideoq; animum adiecit ædificando Iehouæ templo. 2. Regum 7.

Aspectum, Præsentiam, Vitam. Visi, conspecti ab auo Nepotes.

IOBVS uariis modis à Deo probatus, & tandem in integrum restitutus, uixit postea annis 140. uiditq; suos natos & nepotes ad quartum genus. Iobi ultimo.

AVGVSTVS Cæsar, neptis suæ nepotem uidit, genitum quó excessit anno M. Syllanũ: qui cùm Asiam obtineret post cõsulatum, Neronis principis successione, ueneno eius interemtus est. Plin. lib. 7. cap. 13.

Q. METELLVS Macedonicus, cùm sex liberos relinqueret, undecim nepotes reliquit, nurus uerò generosq;, & omnes qui se patris appellatione salutarent, uigintiseptem. In actis temporum diui Augusti inuenitur, XII. consulatu eius. L. que Sylla collega, ad III. Idus Aprilis, C. CRISPINVM Hilarũ ingenua plebe Fesulana, cũ liberis nouẽ (in quo numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus XXVII, pronepotibus XXIX, neptibus IX, prælata pompa, cum omnibus his in Capitolio immolasse. Plin. lib. 7. cap. 13.

In nobiliss. DALBVRGORVM familia (ab antiquis Camerariis Vangionum oriunda) patrum nostrorum memoria matrona fuit, quæ in sexto gradu descendenti Trinepotem uidit. De qua uulgato circumfertur prouerbio id, quod tetrasticho complexus est Basilius Ioannes Heroldus, in Solone suo, de legitimis hæredibus:

1 Ein müter zü ir ij Tochter sprach/
Sag deine iij Tochter/ir iiij Tochter gmach
Erschalle/daß ir v Tochter rayn
Liebs vj kindlin in der wiegen wayn.

Latinè fortassis in hunc modum uerti posset:

1 Mater ait 2 Natæ, Dic 3 Natæ Filia, 4 Natam
Vt moneat, 5 Natæ plangere 6 Filiolam.

Fuit memoria patrum uicus penè centum domorum in Hispania, cuius omnes incolæ erãt à SENE quodã, qui adhuc uiuebat, progeniti: ita ut propinquitatis nomen iam deesset; quo à minimis natu uocaretur. Lingua enim Hispana supra abauum non ascendit. L. Viues in lib. 15. Augustini de Ciuitate Dei, capite 8.

IOLANTA Balliua cùm centum propè uixerit annos, ad trecentos ferè ex se ortos uidit filios & nepotes. Iacobus Capellus Parisiensis; qui auiam hanc suam fuisse perhibet, in Fragmentis.

[redacted]

Morum dissimilitudinem.

☞ *Vide locum Dissimilium sequentem.*

PARENTVM COMMVNICATIO erga Filios. Parentes habere

Deos. Deorum filij.

☞ *De his quoque sub Gloria parentum.*

Iupiter captus desiderio Ledæ Tyndari regis, Cygnus factus ita iucundè cecinit; ut illum propter cantus suauitatem Leda in sinum admiserit. Ab eo compressa ouum peperit, è quo CASTOR & POLLVX & HELENA nati

nati sunt. Alij tradunt duo oua edita, ex quorum altero, Castor & Pollux, ex altero Helena nata sit & Clytæmnestra. Alij, ex uno tantùm ouo Pollucem & Helenam immortales, quòd Leda è Ioue conceperit: ex Tyndaro uerò, Castorem & Clytæmnestram susceptos mortales ex mortali. Vocati tamen omnes Tyndaridæ, iuxta Taygetum montem Laconiæ nati, ut ait Homerus in Hymnis. Theocritus in Dioscuris, Castorem & Pollucem Iouis filios, non Tyndari, appellauit. Natos Pephni, maritima ciuitate insulæ eiusdem nominis, Mercurius Pellenen nutriẽdos deportauit. Deinde cùm Iason ad aureum uellus nauigaret, & ad eum confluerent undiq; delecti iuuenes, inter cæteros accessit quoque Castor & Pollux, ut ait lib.1. Apollonius. Natalis Comes lib.8. cap.9. Mythol.

Fabulantur Scythæ, natam apud eos ex terra uirginem, umbilico tenus hominis forma, reliqua uiperæ. Eam ex Iouis congressu genuisse puerũ, cuius nomẽ fuerit SCYTHA. Hunc, cùm omnium, qui antè eum fuerãt, clarissimus euasisset, indidisse populis, Scytharũ nomen. Inter huius regis pastores extitisse fratres duos summa uirtute: & unum Plutonem, alterum Napim appellatos: qui magnis rebus gestis, regno inter se diuiso, alteros populos Plutones, alteros Napas uocitarunt. Horum magno pòst tẽpore regum progenies uirtute & belli artibus insignis, regiones ultra Tanaim usq; ad Thraciam subiecit. Versis deinde ad alteram partem armis, ad Nilum Aegypti peruenére: redactisq; in potestatem quæ intermediæ erant gentibus, usq; ad orientis Oceanũ, & Caspium mare, paludemq; Meotidem imperium protenderũt. Diodorus Siculus lib.2. cap.11.

Alcmenam Thebani Amphitryonis tradunt uxorem, qui cùm aduersus Teleboas Aetoliæ populos militaret, & exercitũ duceret (quia Alcmenæ promiserat, se fratris eius cædem ulturum) Iupiter sumpta Amphytrionis forma, ut ait Plautus in Amphitryone, domum ante diem ingressus, illa potitus est: & cùm ex Amphitryone prægnans esset Alcmena, ut ex se etiam conciperet, tres noctes in unum coniunxit, quod spacium totum in exprimendo HERCVLE absumsit: nõ enim sat erat spacij nox una, tantę plantãdæ arbori. Negligentiùs exceptus domũ reuersus Amphitryo, causam percontatus, ab Alcmena audiuit, priore nocte, sui similem, domo abiisse. Tum intellexit à Tiresia, Iouem cum Alcmena concubuisse, ut testatur Atheniensis Apollodorus lib.2. Natus est igitur Thebis Hercules Ioue patre, matre Alcmena. Natalis Comes Mythologiæ lib.7. cap.1.

Multi fuisse Solis filij commemorãtur, quos è diuersis mulieribus & Nymphis suscepit. E Clymene PHAETHONTEM, è Neæra LAMPETIEN & PHAETHVSAM, & PASIPHAEN: AVGEAM è Calypso: è Persa CIRCEN, Aloeũ, AEETAM & Themim siue Ichneam. Eumelus Corinthius historicus Alocum & Aeetam, Solis & Antiopes filios putauit. Fabulati sunt nonnulli, Venerem à Sole fuisse compressam in Rhodo insula, & RHODVM peperisse, quo tempore aurum pluit, atque inde datum fuit nomen insulæ. Filius Solis fuit, & MACAREVS, TENAGVS, TRIOPES, Ochimus, Actis, Cercaphus, Phaethon è Prote filia Nelei, Aegle, H[illegible]xippe, Dirce, Miletus, Horæ, Angeronia, Sterope, Egialus, & alij complures. Natalis Comes Mythol. lib.5. cap.17.

Dicitur STAPHYLVS Bacchi fuisse filius, & HYMENÆVS, & THYONEVS. Ex Ariadna Ceramum, Tauropolim, Euanthen, Latramym, Thoantem, Oe[illegible] suscepit. E Ch[illegible] Phliantem, qui fuit cum reliq[illegible]: Narcæũ è Physcoa, qui primus honores Bacchi apud Eleenses instituit. Natalis Comes Mythol. lib.5. cap.13.

A[illegible]ESTIS Ioui[illegible] è petra [illegible]bius lib.5.

ORION è triũ deorũ, Iouis, Neptuni & Mercurij semine ortus. Hi enim benignè tractati ab Hyrieo Neptuni & Alcyones filio, gratitu[illegible]m filiũ optione data poposcisset, se [illegible] effuso, Orionẽ inde produxerũt. Quocirca & à Lycophrone Tripater dicitur. Natalis comes Mythol. libro 8. cap.13.

ANTÆVS Neptuni aut Terræ filius. Moris autem fuit ueteribus, exteros terrestri itinere ad se uenientes Terræ filios nũcupare, ut Neptuni, qui nauigio aduehererentur: quanquam ego his applaudo, qui Neptuni liberos immanes ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀγρίων, atque ab omni humanitate alienos, tanquã è mari genitos, sicuti & terra ortos, ignoto obscuroque genere procreatos, aut enormi & monstroso corpore præditos, à poëtis dici consueuisse tradãt. Nam ab Ioue sati, quos Græci ἐκ Διὸς ἔργον appellant, præstantissimi uirtute, prudentia, uiribus, intelliguntur. Eustathius hæc Iliados α. copiosissimè persequitur. Brodeus in Græcis Epigram.

In insula Io (quo tempote Neleus Codri F. Ionicam coloniam deduxit) puella indigena à dæmone quodam Musarum familiari imprægnata, & criminis tegendi causa, in regionem Aeginam abiẽs, à piratis intercepta, Mæoni regi Lydorum Smyrnæ dono data, ad fluuium Meletem peperit Melesigenem poëtam: qui HOMERVS postea dictus fuit. Arist. in tertio libro Poëtices, teste Plutarcho. At Heliodorus libro tertio hist. Aethiopicæ ait, Mecuriũ cũ uxore sacerdotis cuiusdam Aegyptij apud Thebas centiportas concubuisse, & inde sustulisse filium, qui in utroque femore uillos prælongos haberet.

ARISTOMENES Messenius propter insigne robur & fortitudinẽ animi, genij cuiusdam filius fuisse dictus est, qui cũ matre eius Nicotelea sub draconis figura concubuerit. Pausanias in Messenicis.

THEAGENES Thasius, Herculis F. non Timosthenis. Pausanias in Eliacis. lib.6.

Aristonis regis Lacedæmoniorum optimi uxor, tertia, quàm illam duxerat nocte, uidit ad se uenientem Astrobacum heroem, sub specie Aristonis, & coronas post concubitum ab eo accepit, quas postea ex heroo Astrobaci desumtas fuisse, constitit. Vix dum exacto mense septimo peperit filium, DEMARATVM dictum, quem Ariston suum non esse affirmauit, tacitè innuẽs, Astrobaci herois esse, qui cum uxore sua, indicio coronarum, concubuisset. Ea tamen uox postea Demaratum regno priuauit, cùm Leutychides & Cleomenes eum ex adulterio natum, & Aristonis filium non esse assererent. Herodotus lib.6. & Plutarchus.

Q. FABIVM Maximum dictatorem alij ex Nympha memorant, alij ex muliere indigena, quæ cum Hercule iuxta Tiberim amnem concubuerat, natum: qui numerosam Romę & claram propagauit gentem Fabiorum. Plut. in Fabio.

In Asclepiadis Menderis θεολογουμένων libris lego, Acciam, cùm ad solenne Apollinis sacrum media nocte uenisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirẽt, obdormisse: draconemque repentè irrepsisse ad eam, pauloque pòst egressum: illámque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore eius extitisse maculam, uelut depicti draconis: nec potuisse unquam eximi, adeò ut mox publicis balneis perpetuò abstinuerit: AVGVSTVM natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Suetonius.

Ex Helinando Vincentius hæc refert libro tertio, capite 27. In Coloniensi diœcesi famosum & immane palatium Rheni fluminis supereminet, Iuuamen nuncupatum: ubi pluribus olim cõgregatis principibus, inopinatò aduenit nauicula, quam collo alligatam cygnus argentea trahebat catena. Inde miles nouus & incognitus omnibus exiliit, cygnusq; nauem reduxit. Postea uxorem duxit miles, liberosq; procreauit. Tandem in eodem palatio residens, & cygnum inspiciens aduentantem cum eadem nauicula & catena, statim in nauem se recepit, nec uisus est amplius: progenies autem eius in hunc usque diem persistit. Ex eo figmento in arce Cliuensi (ubi & altissima turris uetusta conspicitur, Cygnea nuncupata, in cuius fastigio cygni simulacrum uoluitur) antiquissimis tapetis intexto, origines ducũ CLIVENSIVM deducunt. Vierus libro secundo, capite 46. de præstigiis Dæmonum.

Probos, Claros.

OCHOZIAS Iudęorum rex, propter scelera sua à Iehu interfectus Samariæ, quia Iosaphati Iudæorum regis iustissimi nepos esset, sepulturam meruit: cùm reliqui omnes ab Achabo orti, canibus & uolucribus diripiendi abijcerentur. Libro 2. Paralipomenon, cap.22.

TOBIAS iunior, propter parentis sui Tobiæ probitatem & liberalitatem erga pauperes, Raguelis Nephthalensis, Ecbatanis habitantis, filiam unicam SARAM, formosissimam & locupletissimam, uxorem duxit: Raphaele genio conciliatore, dæmonium ab ea fugauit: dimidium bonorum soceri uiuentis, secum Niniuem duxit, alterum eo mortuo obtinuit. Tobiæ 10. & seq.

OTHONEM II. Imper. paterno nomine, quàm proprio, ut uiuentibus gratiorem, sic apud posteros memoriæ commendatiorem fuisse constat. Sigonius lib.7. regni Ital.

Improbos.

ABRAHAMI patris omnium credentium, in cuius semine omnes terræ generationes benedictæ fuerunt, pater Tharam, idololatra fuit.

PISANDER & HIPPOLOCHVS ab Agamemnone rege Iliados λ. crudeliter occiduntur, quantumuis se dedentes atque supplices: quoniam filij erant Antimachi, qui muneribus corruptus à Paride suaserat Troianis, ne redderetur Helena, quin potiùs Menelaus cum Vlysse legatus missus, interficeretur:

εἰ μὲν δὴ Ἀντιμάχοιο δαΐφρονος υἱέες ἐστόν,
νῦν μὲν δὴ τοῦ πατρὸς ἀεικέα τίσετε λώβην.

L. LVCVLLI uiri clariss. pater repetundarum damnatus est, mater fuit Cæcilia, ob uitam probrosam infamis. Plutarchus in Lucullo.

Obscu-

Obscuros, Inglorios.

NICIAS, DEMOSTHENES, LAMACHVS, PHORMIO, THRASYBVLVS, THERAMENES, uiri apud Athenienses clarissimi, qui eodem tempore floruerunt, incertas habuerunt matres. Plutarchus in Alcibiade.

Alienigenas, Peregrinos.

CYRVS Persarum rex, ex parentibus diuersæ gẽtis natus, Mulus appellari meruit ab oraculo Delphico. Crœsus enim consulturus oraculum, an diuturnum esset habiturus imperium, à Pythia responsum accepit,

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται,
καὶ τότε Λυδὲ ποδαβρὲ πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν, μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Natus autem fuit ex matre Meda & patre Persa, Medis subiecto. Herod. lib.1.

Legitimè iunctos. Ingenui.

INGENVI dicebantur antiquitùs, qui patrem ciere possent, hoc est, ex legitimo matrimonio suscepti, qui iidem & Patricij dicebantur. Liuius lib.10. ubi non obscurè ingenuos iis opponit, quos posterior ætas Spurios, recentior, uulgò conceptos appellauit. Hotom. de Verbis iuris.

Illegitimè iunctos. Nothi. Illegitimo thoro nati.

SPVRII appellantur, qui matre quidẽ certa, patre autẽ incerto nati sunt: uel ut certo, attamen illegitimo coitu. Horum quinq; sunt species: nam alij ex concubinatu nascuntur, alij ex scortatione, alij ex stupro, alij ex adulterio, alij ex incestu. Hotom. de Verbis iuris.

Plut. in Problematis, Spurij prænomẽ, sicuti Sexti, Decimi, Caij, Romanis usitatum fuisse, & duab. tantùm literis exprimi solitum S P. cùm ij, qui patre legitimo carerent, duab. quoque literis, S. P. quasi sine Patre, & ἀπάτορες scriberentur, uel per iocum, uel per errorẽ Spurios appellatos, non autem ꝙ ex miscellaneo & promiscuo semine geniti essent, ut uulgus Grammaticorũ opinatur. Sed & à Sabinis ait, muliebria spurium dici. Inde contumeliæ causa ita ab eis dici ex innupta muliere & cõcubina natum. Ex satyrici illo, Cui pater est populus, sunt qui Spurij nomen deriuent, quasi cui S. P. V. R. Senatus populúsue Rom. pater siet.

SCOTIVM dici inuenio apud Homerum, clandestino natum concubitu: sicuti PARTHENIAS Spartanis dicitur, qui ea sit productus, quæ quum nuberet, credita sit uirgo. Carmen Homeri ex Iliade hoc est de Bucolione:

πρεσβύτατος γενεῇ, σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ.

Pindarici interpretes dici PARTHENIVM putãt, qui clàm ex ea sit editus, quæ cẽseatur uirgo. Scribit in Parallelis Plutarchus, Theseum ac Romulum fuisse anengyos & scotios. Illegitimum uerò dicunt ANENGYON, uelut sine sponsore, quem uocant engyon. Cælius lib.28. cap.124. A.L.

Ex incesto concubitu filiarum Lothi cum patre, quem uino temulentum fecerant, nati sunt filij pessimi. Ex maiore natu filia, MOABVS, à quo Moabitæ: ex minore, BENAMMI, à quo AMMONITÆ, idololatræ & sceleratæ gentes originem suam traxerunt. Genes.19.

ABIMELECHVS Gedeonis F. ex Droma concubina, Sichemensis, homo scelestissimus. Iudicum 9.

Iudæ filij PHARES & ZARAM, ex Thamar nuru, incesto nati concubitu.

IEPHTHA Galaadites spurius, Israelitarũ iudex fortissimus. Iudicum cap.11.

LITYERSES, Midæ nothus filius fuit, Celænis habitans: qui prætereuntes, metere secum cogebat. Victorũ amputatis capitibus, reliquum corpus manipulis inuoluebat. Occisus est ab Hercule, atque in Midæ honorem, messorius hymnus est compositus, qui Lityerses & ipse dicitur. Suidas.

Lemnum Achæi ex Attica ab Atheniensibus eiecti, occuparunt. Qua illi iniuria adacti, ex Braurone Atheniensium mulieres, Dianæ sacra patrio ritu celebrãtes, plurimas rapuere: quarum concubitu, frequens soboles orta. Quæ quum adolere cœpisset, materna nobilitate superbiẽtes, quum iis, qui legitimo nati essent thoro, auderent insultare, appareretq; ita futurũ, ut quum primùm per ætatem licuisset, insula potirentur: Achæi ueriti, ne legitimè nati quandoq; SPVRIIS seruirẽt, Atticas mulieres cum omni uirili stirpe obtruncãt. Qua infanda cæde ueteriq; Lemniadum memoria, quæ uiros omnes una nocte cum Thoante, ut Herodotus ait, sustulerant, prouerbio est receptum, ut fœda & tetra scelera, Lemniaca dicerentur. Achæi ob id facinus pestilentia, terræq; sterilitate diu uexati, Delphico sunt oraculo moniti, ut ad deorum pacem impetrandam, satisfacerent Atheniensibus. Qui quum ad hoc ipsum Athenas misissent, Lemnumq; illi sibi dari postulassent, id se facturos Achæi recusarunt. Post aliquot deinceps annos Milciades ex Chersonneso Etesiis in Lemnũ delatus, Achæos inde migrare coegit. Sab. l.1. En.3.

HOMERVS Critheidis (quæ Melanopi Magnesij, Cumam Aeolicam inhabitantis, filia fuit) filius, ex furtiuo concubitu. Pater incertus, Herodoro teste. Plutarchus tamen ex Ephoro Cumæo asserit, Critheida Atellis Cumani filiam, à parente Mæoni fratri commissam, à perfido patruo constupratã, & tegendi sceleris causa Phemio ludi magistro Smyrnæo desponsatam fuisse.

Cùm Lacedæmonij iurassent, se nõ redituros domum, donec Messenam, ob uirgines suas in Messeniorum sacrificio uiolatis, expugnassent: uxores tam longam uiduitatẽ pertæsę, uiros domum reuocant. At illi iureiurando obstricti cùm reuerti non auderent, domum iuniores remisere, iisq; concessere, ut promiscuè cum omnibus mulieribus concumberẽt. Ex quorum concubitu qui nati sunt, PARTHENIÆ uocati fuerunt. Sab. lib.3. En.2. ex Strabonis lib.6. ex Ephoro.

DEMARATI natiuitas cùm Aristoni patri, Spartanorum regi, nunciata esset: is subducta ratione, quòd à nuptiis nondum elapsi essent menses X. negauit, hunc suum esse filium: atq; ut nothum abdicauit. Eiectus itaque in Persiam ascendit, & post Darij obitum cùm Xerxẽ ad obtinendũ regnum adiuuisset, eidem persuasit, ut expeditionem contra Græciã susciperet. Suidas.

Agide regnãte, Alcibiades exul ex Sicilia uenit Lacedæmonẽ. Necdũ in urbe diu hęserat, cùm stupri cũ regis uxore Timęa fit suspectus: & filiolũ ab ea editũ negauit Agis agnoscere se, sed esse ait ex Alcibiade susceptum. Neq; id Timæam, Duris ait, admodum ægrè tulisse, uerùm susurrantem domi cũ pedissequis suis, Alcibiadẽ infantẽ, nõ LEOTYCHIDEM nominauisse. Et uerò ipsum quoq; non libidine dixisse impulsum, se consuetudinem habuisse cum Timæa, sed ambitione: ut apud Spartiatas obtineret stirps sua regnũ, nõ Herculis. Quare Agidis timore subduxit se Alcibiades Lacedæmone. Puer aũt reliquo tempore suspectus Agidi fuit, neq; iusti filij apud eum habuit locũ. Posteaquã uerò morbo implicitus ex Arcadia domũ reportaretur, apud Hereã testes fecit, qui cũ eo erant oẽs, nihil se dubitare, Leotychiden ex se genitũ esse: totãq; eam multitudinẽ multis cum precib. & lacrymis rogauit, ut hoc apud Lacedæmonios testimoniũ dicerẽt. Verũ Agide mortuo, Leotychiden Agesilaus, Agidis frater, regno facilè expulit, cùm ea populo in memoriã redegisset, quæ de eo aliquãdo Agis dixisset. Præstò tamẽ & Leotychidi ipsi ab Herea Arcades fuere, qui morientis iam Agidis uerba renunciarunt. Auxit inter Agesilaũ & Leotychidẽ disceptationem Delphicũ oraculum, his uersibus editum:

Sparta caue, quamuis te maxima gloria tollat,
Heu tibi ne claudus recti cruris noceat rex:
Tunc inopinatos longùm patiere labores,
Lethiferiq; undam miscentem cuncta duelli.

Hæc in Agesilaũ dixisse Apollinẽ cõtendebat Leotychides, quòd altero ille pede claudicaret. At Agesilaus in Leotychiden retorquebat, ꝙ neq; legitimus, neq; Agide esset genitus. Eam disceptationẽ Lacedæmonij ad oraculũ, cùm id arbitratu suo facere possent, non retulerunt tamen, auctoritatem scilicet Lysandri Aristocriti filij secuti, qui uehementer, ut Agesilao regnum decerneretur, contendebat. Pausanias in Lacon & Plut. in Agesilao. item Athen. lib.12. cap.16.

THEMISTOCLIS pater fuit Neocles, de familia Phreariorũ, tribu Leontide, obscurus homo. Sunt qui Abrotoni meretricis Thraciæ prædicẽt filium, quod in libro de Viris illustribus Amphicrates prodidit: quanquam Euterpen nuncupauit libro Rerũ Græcarũ tertio Neãthes. Cælius lib.14. c.12. A.L. Eam ob causam Themistocles in gymnasio Cynosarges tantùm exercebatur extra urbem, in quo spurij soli conueniebant. Plut. in Themistocle. & Athenæus libro 13. cap.13. Dipnosophiston.

Demades orator filium DEMEAM habuit, ex amica tibicina: cui frementi aliquando in suggestu, Hyperides os obturauit, cùm diceret, Nõ tacebis adolescens, cùm maiorem flatum habeas matre. Athen. lib.13. cap.22.

BION Borysthenites philosophus, Olympiæ Lacænæ meretricis fuit filius, uti testatur Nicias Nicæus. Athen. li.13. c.22.

TIMOTHEVS, dux Atheniensium, scorti filius fuit genere Thressæ, at grauibus moribus mulieris. Nam cùm huiusmodi feminæ ad castitatem se conuerterint, his, quæ continentiam professæ fuerunt, multò sunt meliores. Cùm carperetur Timotheus aliquando, quòd ex matre huiusmodi esset, Illi gratias habeo, inquit, quia ob illã filius sum Cononis. Athen. lib.13. cap.13.

Post Phraatis Parthorum regis interitum, PHRAATES uel Phraatates eius filius ex Thermusa Italica femina casu quodam natus, quia tres legitimi regis filij Romæ obsides essent, regnum nefario matris occupauit cõsilio, patre occultè interfecto. Hunc Parthi, quia incesto matris se polluerat concubitu, regno exegerunt. Phraates breui, postquam ita pulsus est, fato periit. Hirodes illi successit. Sab. lib.1. En.7.

Atalo Pergami rege, qui pop. Rom. hæredem scripserat, defuncto, ARISTONICVS ex Eumene & pellice quadam Ephe-

sia

sia citharistriæ filia genitus, Asiæ regnum ut sibi hæreditarium, partim studio & fauore populorum, partim ui & armis, subegit. Populus Romanus, quia ab Atalo scriptus erat hæres, P. Licinium Crassum pontificem maximum, ad bellum cum exercitu misit (quod nunquam antea acciderat, ut belli causa summus pontifex Italia abfuisset) sed infelici exitu. M. Perpenna Crasso successor missus, Aristonicum primo congressu uictum, & in Stratonicia captum, Romam misit: ubi in carcere iussu patrum est necatus. Sab. lib. 9. En. 5.

PERSEVS Philippi Macedonum regis F. spurius, in quo stirps regia defecit. Plut. in Aemilio.

ROMVLVS & Remus ex stupro Martis, ut Liuius & alij uolunt: uel, ut Otho Phrisingensis, sacerdotis cuiusdã nati sunt.

HIRCANVS II. Iudæorum princeps fortissimus, ex incesto concubitu Ioseph cum fratris filia natus. Iosephus libro 12. capite 4. Antiq.

M. BRVTVS Cæsaris interfector, Bruti eius F. quem Cn. Pompeius bello contra Lepidum interfecit, ex Seruilia Catonis sorore impudica, quæ palàm stupri commercium cum Cæsare dictatore habuit: ita ut pleriq; Cæsaris filium esse crederent: & ipse etiam Cæsar id suspicans, posteaquam rerum potitus est, in summo cum honore habuerit. Plut. in Bruto.

IVGVRTHA rex, Mastanabilis F. nothus, Masinissæ regis Numidarum optimi nepos, res contra Rom. gessit maximas.

HELIOGABALVS filius fuit Antonini Caracallæ Imperatoris, & scorti, quam Sœnidem Herodianus, Lãpridius & Capitolinus Symiamiram uocant, filiam Mæsæ Variæ. Varius dictus est, quasi incerto patre ob impudicitiam matris natus, cùm tale monstrum nõ nisi ex colluuie nequissimorum seminum produci potuerit, Lampridius.

ALEXANDER Imp. Mammææ F. (quæ Mæsæ Variæ filia fuit, scortum & ipsa) consobrinus Heliogabali. Verùm ut ortu par, ita moribus longè dispar. Cuspinianus.

NOTHVS quidam taxatur Epigrammate Ausonij,

Quidam superbus opibus & fastu tumens,
Tantumq; uerbis nobilis,
Spernit nigentis clara secli nomina,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remumq;, & conditorem Romulum
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum ueste contexi iubet,
Hos cælat argento graui,
Ceris inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo, quòd illi nec pater certus fuit,
Et mater est uerè lupa.

LAMVSIVS III. Longobardorum rex, matre meretrice natus, & expositus. Fulgos. lib. 3. cap. 4.

FL. CLAVDIVM Imp. qui Galieno successit, plerique, teste Aurelio, Gordiano fatum arbitrantur, dum is adolescens à muliere matura instituitur ad uxorem. Cuspinianus.

Mortuo Constantio Chloro, CONSTANTINVS Magnus ex concubina Helena procreatus, & apud Tharsum (ut Iulius Firmicus refert lib. 2. Matheseon, c. 4.) genitus, successit.

THEODERICVS Ostrogothorum rex, qui Italiæ regnum, pulsis Herulis, occupauit, Valamiri regis ex Aurilena concubina filius fuit. Io. Magnus lib. 9. cap. 9.

GENSERICVS Vandalorum rex in Africa, Gunderici regis in Hispania spurius, catholicorũ persecutor immanissimus. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

CAROLVS Martellus, Pipini F. nothus ex Alpaide pellice, Frãciæ primùm Magister equitum, mox princeps extitit, artib. bellicis claris. Aemilius lib. 1.

Carolo Magno erat filius ex concubina PIPINVS, facie liberali, sed gibbo difformis. Is, quum pater Hunico bello occuparetur, coniurationem iniit aduersus illum, cum quibusdam ex Francia primoribus, qui uanam illi spem regni fecerant. Captus in monachum tondetur. Coniurati capite luerunt. Cranzius lib. 2. cap. 7.

Carolomannus Rex Bauariæ, frater Caroli Crassi Imper. cùm coniugem haberet sterilem & infœcundam, ex quadam Carentana nobili femina pulcerrima, ARNVLFVM genuit: qui postea à procerib. Imperij Crasso substitutus fuit. Cusp.

Fridericus II. Imper. MANFREDVM spurium ex concubina Blancha Marchionissa Montisferrati genuit, principem Tarentinum, & Regem Siciliæ designatum: qui patrem in Apuliam mouentem, ex morbo graui conualescentem, suffocasse fertur, cùm Conradum ex Iole genitum, hæredem à patre institutum accepisset. Conradum fratrem ueneno sustulit, & duos filios Henrici fratris. Cuspinianus. Sed Crãzius lib. 8. Saxoniæ, cap. 18. scribit, Fridericum, priusquã decederet, Manfredo filio principatum Tarentinum cum quibusdam urbibus, donauisse: ut haberet egregius adolescens, formæ dignitate & ingenij dotibus præstans, literis etiam imbutus, unde niueret. Timebat enim illi ab auaritia fratris Cõradi, qui legitimo iure succedens, minimũ fratri notho permitteret. Sed ille patre uita functo, ad regnum Siciliæ aspirabat. At Conradus rex ex Germania descendens, recepit armis, quæ ille occupauerat.

Ex eadem concubina Friderico II. natus est HENRICVS, uulgò Hencius appellatus, Rex Sardiniæ à patre institutus, Longobardorum Dux, & generalis per Italiam sacri Imperij legatus: cui omnem Italiam commendarat pater. Qui à Bononiensibus captus, in uinculis est mortuus. Cuspinianus.

Mortuo Sigefrido, uno ex Saxonum primoribus, eius ditionẽ DANCMARVS Othonis I. Cæsaris frater, natus matre moniali, quam Henricus I. pater aliquandiu pro cõiuge tenuerat, deposcebat. Rex autem comitatum illum Geroni concessit, uiro primario. Dancmarus rebellionem mouens, obsessus in urbe Eresburg, & cùm dedita urbe confugisset in ecclesiam, apprehenso cornu altaris: regiorum quidam per feneſtram missa sagitta eum confixit. Cranzius libro tertio Saxoniæ, capite 15.

IOANNES XI. Pontifex, Landonis I. Pontificis spurius, ante Pontificatum susceptus. IOANNES uerò XII. qui ei successit, Sergij III. Pontificis, ex Marozia, Guidonis Thusciæ comitis uxore adultera filius. Saracenos grauissimis præliis attriuit. Luitpran. lib. 3.

Margaritæ Flandriæ Comitissæ spurij IOANNES & BALDVINVS, ex Gulielmo præceptore furtiuo concubitu nati, à reliquis fratribus fuerũt à successione reiecti. Aemil. lib. 7.

ADELSTANVS Anglorum rex Edouardi I. F. ex Edgine puellæ rusticæ stupro. Polyd. lib. 6.

Robertus Normannorum Dux singularem fidem uirtutemq; gratuitam omnibus in rebus Regi Francorum Henrico I. præstitit, ac tantum apud eum ob id meritum auctoritate gratiaq; ualuit, ut cùm Hierosolyma religionis gratia petiturus, GVLIELMVM filium etiamnum puerum ex concubina procreatum, si quid sibi accideret, hæredem nuncuparet, id ab Rege Franco, quamuis non è re dignitatéue Francica, comprobaretur, confirmaturq; . Mortuo in Hierosolymitana expeditione Roberto, & Niceæ in Bithynia sepulto, Henricus rex, cùm Nothum in aula Francica educatum in potestate haberet, eum Ducem salutatum, fideq; iureiurando obstricta, & osculo fidelitatis utrinque delibato, in possessionem paterni dominatus cum præsidio misit. Maxima procerum eius gentis pars indignè ferebant eum puerum nouem aprorum inter suos dominari: cùm Rhollonis primi ducis iusta legitimaq; soboles superesset. In primis patruos iustos legitimosq; habebat, Maugerũ Archiepiscopũ Rotomagensiũ, & Gulielmum militaris ingenij uirũ. Continuò bella de summa rerũ inter Normannos ciuilia exorta. Sed ingẽtẽ uim auri, arcesq; à patre, ætatisq; rectores fidelissimos, summosq; bello uiros acceperat Nothus. Rex Notho auxilia misit: quib. ille cumulatus, facilè aduersarios superauit. Tandem etiam ab Eduardo Anglorum rege hæres institutus, cæso Haraldo regnum armis obtinuit. Aemilius lib. 3.

HENRICVS, frater nothus Petri regis Castellæ ac Legionis, cùm animaduerteret Castellanos infensos esse Petro fratri, propter crudelitatem, ad Petrum Aragoniæ regem confugit. Cuius auxilio, simul etiam Caroli V. Gallorum regis ope pulso Petro, regnum occupauit, anno 1365. Polyd. lib. 19.

Habebat in matrimonio Ioannes Castellanus rex Beatricem filiam Ferdinandi regis Lusitani. Quo sine uirilis sexus legitimis liberis mortuo, regnum Lusitaniæ iure hæreditario, uxori ac sibi debitũ repetebat. At IOANNES filius nothus ipsius Ferdinãdi, qui ab initio factus monachus, in ordinem diui Benedicti, siue, ut aliis placet, Cistertiensium uenerat, uocantibus cum Lusitanis principibus, regnum paternum obtinuit. Est non multo pòst nauali prælio inter reges dimicatum, in quo Castellani superiores fuerũt. Ioannes Anglorum armis reductus est. Polyd. lib. 20. Angl. hist.

FRIDERICVS Comes Lunæ, Martini Siciliæ regis ex meretrice nothus, mortuo patre, mox etiam Martino auo Aragonum rege, propter illegitimos natales repudiatus est, regno ad Ferdinandum Castellæ Infantem delato. Cæterùm officij causa, &, ut in uerba regis iuraret, magnifico comitatu CCC. equitum Barcellonam uenit, uexillo permixtis Aragoniæ & Siciliæ signis, ad regij uexilli magnitudinem, usus. Quæ res inuidiam ei conflauit magnam. Rex de eo certior factus, uexillum illud sibi dari cupiuit, sese simile illi confecturum curaturum asserẽs. Vexillarius ergo ut erat iussus, eo exemplo uexillum fecit, sed transuersa fascia coloris uenetii: quæ indicaret, consueto apud magnas familias more illegitimos natales. Rex id ad se postea perlatum, tradi Friderico præcepit: illud Ferdinando, hoc Friderico dignum esse dictitans. Puer à suis edoctus, fasciam illam ignominiæ esse argumentum, nunquam postea nisi album gessit & breue uexillũ. Sic Ferdinandus magistros magis pueri, quàm puerum ipsum reprehendit. Valla lib. 3. Hist.

AMVNDVS Gothorum & Sueonum rex, Vilis dictus, erat Amundi Annosi regis ex concubina filius. Quod tunc adeò uile

uile existimatum fuit, ut qui ex illegitima commixtione nati erant, perpetuo rubore suffusi, uix auderent inter honestos comparere, etiamsi Regum filij fuissent. Sic etiam Carolus, Sueonum & Gothorum, ac Noruegianorum Rex, optimæ spei adolescentem ex concubina procreauerat, eáq; iam moriturus, ut filium legitimum efficeret, desponsauerat: attamen idem FILIVS non solùm paternis regnis, sed ab omni alia hæreditate seclusus, infami conditione uixit, & consenuit. Amundus certè etsi defectum natalium summa probitate redimeret, tamen nunquam potuit perfectam obedientiam à subiectis populis assequi. Ioannes Magnus libro 18. capite 6.

Suenonis II. Danorum regis spurij multi fuere. Patri primus successit HARALDVS. Haraldo S. CANVTVS, in templo à Fionib. cæsus. Canuto OLAVVS. Olauo ERICVS, in sacra expeditiõe mortuus. Erico NICOLAVS. Saxo l. 11. & 12.

POMP. Lætus ortus est in Calabris: quibus ademto Græcorũ commercio, nihil est tota Italia simplicius. Clarum in familia stemma, sed in quo tantus uir non sit legitimè natus. Ipse genesim suam semper in occulto habuit, aut certè ignorauit. Sed cur ignorasse credi possit? cùm suis quandoq; per literas & nuncios ad id missos, multis precibus domum accersitus, ut tantas necessitudines non ignoraret, in hanc rescripsit sententiam: Pomponius Lætus cognatis & propinquis suis salutem. Quod petitis, fieri non potest. Valete. Sabellicus in eius uita.

GRATIANVS monachus S. Probuli, natione Tuscus, doctor Bononiensis, auctor Decreti, spurius fuit. Volaterranus libro 22. Anthrop.

BARTOLVM de Saxoferrato I.C. quidam nothum fuisse suspicantur ex iis, quæ scripsit in l. quidam cùm filium. ff. de uerb. oblig. Hotomannus de Verbis iuris.

IO. ANDREÆ, patre Andrea presbytero, & matre concubina natus, apud Nugellium agri Florentini oppidum, Iuris scientia uirtutibusq; aliis natalium pudorem texit. Volat. lib. 21. Anthrop. Hanc tamen famam ipsemet diluit in additionibus in speculum Durandi, rubrica de filiis presbyterorum, patremq; suum laicum fuisse & ludimagistrum testatur, & se ab illo primas literas edoctum: postea tamen ecclesiasticis ordinibus initiatum, presbyterum egisse. Cæterùm his uerbis non tam legitimum se esse, quàm non ex sacerdote, sed ex ludimagistro natum probat.

Ioanni Cypriorum regi ex concubina IACOBVS natus est, magni spiritus adolescens: ex coniuge Helena Palæologa Carlotam tantùm suscepit: quæ postquàm adoleuit, Ioanni regis Portugalliæ patrueli nupsit. Vir eius, consensu procerum in regnum accersitus est, qui uiuente socero rem administraret. Eum socrus ueneno sustulit è medio, & regni gubernacula recepit. Carlota multis affecta contumeliis ad fratrem confugiens, suas conquesta calamitates, opem petiit. Iacobus non tam fororis gratia, quàm regni sibi parandi, cœpit cum amicis id agere, ut rex appellaretur. Interim Carlota suasu matris ac procerum, Ludouico Sabaudię ducis filio nubit. Is Venetiis classe parata, in Cyprum nauigat, magnoq; omnium applausu ac fauore rex appellatur. Iacobus consilio & ope Marci Cornelij Veneti, cum amicis Alexandriam nauigauit, Soldani opem imploraturus. Ab eo igitur rex salutatus, impio & infami iuramento obstrictus, in regnum reducitur, Ludouico cum Carlota uxore pulso. Aen. Syl. de bello Rhodio. Duxit is Venetam è Corneliorũ gente, à Repub. adoptatam. Ea posthumum peperit, qui in regno successit. At ubi seditiosi quidam, Iacobi NOTHAM Ferdinandi Neapolitanorum regis filio itidem notho clàm desponsare, & regnum à Venetis auertere conati sunt: illorum audacia oppressa, regina, mortuo puero, Venetias perducta, & Patauij mortua est. Regnum Venetis cessit. Sabell. libro 10. Decadis 3.

Alemanni suapte natura Vngaris infensi, ne Coruino Romano sanguine Mathias Vngarorũ rex ac pater IOANNES, quemadmodum gentilitia Corui insignia testabantur, natus esse uideretur, auctore Vltico Ciliæ Comite, fabulam haudquaquam insulsam commenti sunt. Sigismundũ Imp. aiunt in Transyluanis agentem, cum uenustissima Valachi cuiusdam nobilis puella concubuisse: hanc tertio à se mense repetitam, grauidam deprehendisse, donasse magnificè, ac symboli loco anulum reliquisse: mandasse, ut quicquid páreret, diligenter aleret, educaretq; , educatumq; ad se cũ symbolo mitteret. Hanc deinde amplè dotatam, Valacho haudquaquam ignobili nupsisse: qui ob doris amplitudinem, & ingenui stupri gloriam, oblatam à puella conditionem minimè recusauit. Scitum & elegantem hinc puerum in tempore fuisse editum, quem mater Ioannem appellauit. Quum infans in matris gremio iaceret, aduolasse coruum, & anulum symboli loco datum abstulisse: parentem ingenti dolore correptam, uirum subitò exorasse, ut coruum insectaretur, & anulum recuperaret, ne pueri spes magna, inaucupicatæ auis rapina perderetur. Virum tandem confosso sagitta coruo, anulum continuò recepisse. Ioannem eximiæ deinde pulchritudinis adolescentem, materno iussu ad Sigismundum uenisse, & ostendisse anulum: recognito regẽ anulo, prędiis ac uillis eũ amplè donasse. Bonfin. li. 9. Dec. 3.



FERDINANDVM Neapolitanorum regem, alij incesto coitu è Catharina Errici fratris uxore susceptum ab Alfonso putarunt: alij non ex Vilardona Carlina, quæ mater eius diceretur, genitum, sed suppositum ab ea, cùm filius esset sutoris calceolarij, aut Valentini agricolę Mahumetani. Et ob hanc suspicionem bello Neapolitano Hispanos plerosque, qui oppidis aut arcibus præessent, parum fideles expertus est. Ipse profectò Callistus pontifex, ni morte præuentus fuisset, hoc ipso prætextu, quasi supposititius esset, Ferdinando piorum communione exemto, litem de regno mouisset. Pontanus lib. 1. & 2. belli Neapol.



FRANC. Philelphus, spurius sacerdotis fuisse dicitur. Hinc sal sum illud apud Poggium, Apprimè illum nobilem esse, cuius pater matutino tempore semper serico indutus fuerit.

ALOYSIVS uel Ludouicus Grittus, Andreę Venetorum Ducis F. nothus, ab eo, dum Cõstantinopoli ageret, susceptus, in magna gratia fuit apud Solymanum Turcorum Imp. & ab eodem è Byzantio missus cum amplissimis mandatis ad Ioannem Pannoniæ regem, ut Budæ consideret, tueretur q; in iis regionibus Othomanicum nomen, consiliis q; omnĩ bus belli & pacis interesset, impedito Solymãno bello Persico. Grittus Iani Dociæ ducis Hungari calumniis adductus, Americum Cibachum Varadinẽsem episcopum, cui primas inter omnes proceres Ioãnes Transsyluaniæ rex deferebat, ad se cum splendido comitatu ueniẽtem perfidè oppressit, eius potentiam & fidem suspectam habens. Cuius crudeli morte sic permoti sunt Transsyluani populariter, ut manu facta, Grittum ad oppidum Meges captum, securi percusserint: & in eius cruore proceres & propinqui penulas militares, solenni ceremonia, more gentis intinxerint, ut diu secũ exactæ uindictę memoriam deferrent. Ianus Docia, qui sua manu Americo caput detruncarat, grauiore supplicio affectus disceptusq; est. Quum Gritti truncus à carnifice nudaretur, loculus in femorali cum gemmis immensi precij repertus est, adeò ut ea omnis præda aureorum numũm quadraginta myriadas superasse dicatur. Ionius. Erat Gritto filius, ANTONIVS episcopus Quinqueecclesiensis: eũ Clemens VII. Pontifex, in patris auiq; gratiam, cogitabat adiungere numero Cardinalium. Sed ecce, dum regnum sibi Ludouicus pollicetur, & in summa est omnium expectatione, pater etiam hoc tanto filij successu plurimùm gauderet, per occasionem simultatis atq; factionis in eum excitatæ, comprehensus ab aduersariis & capite multatus fuit, circa annum sal. 1534. Sleidanus lib. 9.

Mulier quædam habebat plures LIBEROS, quibus, cùm moribunda in lecto esset, accersitis, Filij, inquit, mei, priusquàm

hac ex uita migrem, ne animæ meæ iacturā patiar, sum uobis quiddam relatura. Vnus uestrum est mihi non ex marito conceptus, qui rem mariti iniustè possidet: eū uobis nuncupabo, nisi uos nolueritis. Tum filij, cùm quilibet de se metueret: Quin, inquiunt, mater ab hoc onere nos te absoluimus, & mutuò nos liberamus. Gilbertus Cognatus libro 1. Narrationum.

Iulianus Medices Vrbini exulans, cum matrona consueuerat nō solus. Illa partu leuata, filium natum per ancillam ad orphanotrophium exponi noctu curarat. Ancilla pietate motā Iuliano [illegible] indicat. Is quantumuis dubitaret suus esset néene, ad se puerum deferri iussit, & liberaliter educari curauit, HIPPOLYTI nomine indito. Quem postea Leo X. Iuliani frater Cardinalem creauit. Garimbertus lib. 4. de uitis Pontificum.

Exosos.

Romæ Magnus POMPEIVS filius fuit Strabonis, cuius cadauer Romani odio prouecti in publicum proiecerunt & calcauerunt. Plut. de sera num. uind.

Viuos.

Ex fecialibus Rom. PATERPATRATVS maximus habebatur, cui uiuus pater & liberi essent. Tribuebatur etiā ei prærogatiua quædā & fides. Prætores enim corpora, quæ ob formam & uenustatem uigilantem & castam flagitant custodiam, apud hos deponebāt. Vtrum, quia hi id habent, ut uereantur liberos, & timeant patres? An causam nomen suggerit? Vult enim esse patratum, quasi perpetratū & consummatum: tanquam absolutior sit aliis ille, cui contingit, cùm genitorem habeat, genitori esse. An decet iurisiurādi & pacis præsidem, simul ante & à tergo, secundùm Homerū uidere? Talis autem sit præsertim is, cui stirps est, pro qua consilium capit, & pater, qui cum consilium capit. Plutarchus, in quæst. Romanis.

Mor[illegible]

De Posthumis sub loco Ortus inter Corporea egimus. Orbi quatenus priuantur amicitia paterna, sub Amicitiæ φυλακῇ sunt recensiti. Hic Participatio consideratur [illegible]

SOCERORVM COMMVNICATIO ERGA GENEROS.

T. Liuius Romæ tantæ auctoritatis fuit, ut L. MAGIVS gener eius ob id solum nomen inter primos Rhetores haberetur, potius quàm quòd eloquentia reliquis præstaret. Vnde Seneca Sententiarum lib. 6. Pertinere, inquit, ad rem nō puto, quomodo L. Magius gener T. Liuij declamauerit: quamuis aliquo tempore suum populum habuerit, cùm illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

LIBERORVM, FILIORVM COMMVnicatio, erga PARENTES. Puta Liberi

ALIQVI.

Huc Commoda & Incommoda, quæ Liberorum susceptionem consequuntur.

In TABROBANA olim, qui liberos haberet, in regē assumi non poterat, ne regnum hæreditario iure sibi uendicaret. Alex. lib. 4. cap. 23.

NVLLI.

Huc Commoda & Incommoda, quæ Sterilitatem & Orbitatem consequuntur.

MVLTI.

Consule Tit. Fœcundorum, inter Corporea. Sed & inter Fortuita locum habet, quasi Opulentia sit quædam.

BENE EDVCATI.

Quum mulier quædam Ionica de texto quodam suo, ut pretioso, gloriaretur: LACÆNA ostensis quatuor filijs, quos habebat moribus compositissimis: Huiusmodi, inquit, decet esse honestæ probæq; mulieris opera, deq; his gloriari. Plut. in Apoph. Laconicis.

Maxima ornamenta esse matronis liberos, apud Pomponium Rufum Collectorum libro sic inuenimus. CORNELIA Gracchorum mater, cùm Campana matrona apud illā hospita, ornamenta sua pulcerrima seculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone, quousq; è schola redirent liberi: Et hæc (inquit) ornamenta mea sunt. Val. Max. lib. 4. c. 4.

CLARI. PVTA

Pietate, Sanctitate.

BASILIVS Helenopontanus ex Ponto, quinque sustulit ex Eumele liberos, & ex iis Gregorium Nyssenum, Basiliū Magnum Cæsariensem, & Petrum Sebastæ episcopos, in Christi Ecclesia athletas inuictissimos. Nazianzenus testis.

TECELINVS Burgundus ex uxore Alethe castissima septem suscepit liberos, sex mares, omnes monachos futuros, inter eos tertium D. Bernardum, & sanctimonialem unam. Guilielmus Abbas in uita D. Bernardi.

LVDOVICVS Philippi Augusti F. Francorum rex, triennio regnauit, nullo suo cognomine nobilitatus, filij sanctitate celebratus, quòd diui Ludouici pater fuerit. Aemilius lib. 7.

Fortitudine bellica.

ISÆVS Bethlehemita octo filios habuit robore & forma insignes, quorum natu minimus Dauid à Samuele in regē fuit unctus. 1. Reg. 16.

MATTATHIAS sacerdos, qui solus se Antiocho Epiphani opposuit, filios quinq; habuit fortissimos, & moriens præcepit, uti Simonis maioris natu consilia, Iudæ uerò Machabæi, qui tertius erat ordine, fortitudinem sequerentur. Vide Tit. Duces fortes.

PYRRHI Epirotarum regis filij bello præstantes fuere. Plutarchus in Pyrrho.

NICOLAVS Vitellius Tifernatū princeps, bellica laude clariss. quatuor filios reliquit æquè omnes in primis suæ ætatis militia claros: Ioānem, qui in Auximi Piceni urbis expugnatione tormento ictus periit: Camillum, qui ad Circellum Apuliæ oppidum murum subiens lapidis ictu interfectus est: cuius inuentum fuisse dicitur, ut milites ex equis in hostem minoribus tormentis uterentur, quod institutū atrati equites Germanorum uulgò dicti sequuntur: Paulū Florentini post res maximas bello Pisano gestas proditionis insimulatum capite multarunt. Vitellozium Cæsar Borgia dolo Senogalliæ circumuentum interfecit, qui non Italiæ principibus modò, sed externis etiam regibus formidabilis erat, ut quam se cunque in partem uertisset, aut perniciem secum aut salutem allaturus uideretur. Brutus libro quinto historiæ Florent.

Dignitate.

Cæcilius METELLVS Macedonicus, senex à liberis quatuor elatus est consularibus, Q. Balearico, L. Diademato, M. Metello, C. Caprario. Plut. lib. 17. c. 21. A. L.

SARRÆ Columnio, facilè principi Romanæ ciuitatis, auctoritate, opibus, sobolis prestantia: duo fuere filij in supremo Cardinalium ordine collocati. quod uix duobus aliis datū facilè reperias. Sab. lib. 7. c. 8.

Fama nominis.

CADMVS ex Harmonia uxore filias habuit fama celeberrimas. Semele ex Ioue Bacchum peperit, Ino in marinas deas relata est. Pausanias in Bœoticis.

LYCAON secundus Arcadū rex, filios mares habuit XXVI. eosq; omnes clarissimarum urbium fundatores. Filiam unicam Callisto, quæ à Ioue uitiata Arcadem peperit. Natu minimus Oenotrus classe in Italiam transmisit, & primam coloniam eam è Græcia duxit. Ab eo Italia ipsa Oenotriæ nomen obtinuit. Pausan. in Arcadicis.

IOSEPHVS Iudæorum princeps, ex una uxore septem filios procreauit: ex Solymij uerò fratris filia per imprudentiam constuprata, & tandē in uxorē ducta, Hircanum II. uirum clarissimum. Iosephus lib. 12. c. 4.

Coniugijs.

PELOPS, non pecuniæ magis ui, quàm liberorum, plurimū inter alios Peloponnesios polluit reges: quòd multas filias summis uiris collocasset, & filios, quos habuit multos, principes inseruisset ciuitatibus: ex quibus unus Pitheus, Trœzeniorum rex, Thesei auus. Plut. in Theseo.

Fuerunt ATLANTI filiæ septem, à matris nomine Atlantides uocatæ, quamuis cuilibet proprium nomen esset: ut Maia, Electra, Taygete, Asterope, Merope, Alcione, Celeno. Has tradunt tum ab heroibus, tum à diis cognitas: & deos propter uirtutem, & eos, quos heroas dixerūt, ueluti principes generis hominum, peperisse. Veluti prior ætate Maia ex Ioue Mercurium genuit, multarum rerum apud homines repertorem: eodem modo & reliquæ Atlantides singulæ filios ediderunt præstanti uirtute: quorum hi quidem gentium, alij urbium conditores extiterunt. Itaque non solùm Barbari quidam, sed etiam Græcorum plurimi, priscorum heroum genus ad istas retulerunt. Quas cùm prudētes fuisse constat, tum post obitum honores dearum immortaliū adeptas, Pleiadum appellationē accepisse. Nymphæ quoq; dictæ sunt, quoniam cōmuni uerbo mulieres omnes Nymphas incolæ appellarunt. Diod. lib. 3. c. 5.

M. ANTONIVS Triumuir sobolem ex tribus uxoribus septē liberos reliquit. Ex his stirpis maximus Antyllus à Cæsare Augusto est interfectus. Reliquos accepit Octauia, quos cū suis eduxit. Ex Cleopatra susceptam Cleopatram lepidissimo regi Iubæ collocauit. Antonium ex Fuluia in tantum euexit, ut cùm primum locum apud Cæsarem Agrippa, Liuiæ filij secundum tenerēt, tertius esset & numeraretur Antonius. Ex Marcello illa filias duas, unicum filium Marcellū habebat. Hunc simul adoptauit, & generum fecit Cæsar. Alteram

teram filiam Octauia Agrippæ nuptum dedit. Cùm Marcellus breui post has nuptias interisset, neq; Cæsari generum, cui fideret, ex cæteris amicis promtum esset deligere: sermonem Octauia mouit Cæsari, ut Agrippa ipsius filiam, dimissa duceret sua. Inducto Cæsare primò, inde Agrippa, receptam suam Antonio nuptui dedit, Cæsaris filiam duxit Agrippa. Duarum, quæ supererant, Antonij & Octauiæ filiarum alteram in matrimonio habuit Domitius Aenobarba, alteram castitate & forma celebrem Antoniam, Drusus Liuiæ filius, priuignus Cæsaris. Ex his procreati Germanicus & Claudius, quorum Claudius pòst imperauit. Ex Germanici liberis Caius, cuius nobile insania nec diuturnum fuit imperium, cum filia & uxore est interemtus. Agrippina, quæ filium ex Aenobarba L. Domitium habebat, nupsit Claudio Cæsari. Hic adoptauit Domitium, quem Neronem Germanicum dixit, qui postea uæcordia & amentia penè Romanum euertit imperium, ab Antonio in successione numero quintus. Plut. in Antonio.

RAYMVNDI Comitis Prouinciæ Phocensis quatuor filiæ, quatuor summis regibus Christiani orbis nuptæ fuēre. Nam pace inter Henricum III. Angliæ, & D. Ludouicum Francorum reges facta, utranq; regiam sibi affinitate iunxit. Quatuor filias habebat: Margaritam Franco regi, Leonoram Anglo, Santiam Ricardo Angli fratri, Cæsari postea electo, collocauit. Beatricem minimam stirpis Carolus Franci regis frater duxit, rex Siciliæ postea factus. Aemilius libro septimo, & Cuspinianus.

REGINA, filia Mastini Scaligeri ex Thadea Carrariēsi nupsit Barnaboni Vicecomiti Mediolanensi principi, & ex eo suscepit 4 mares, & 12 filias. Quarum prima nupsit Petro Cypri regi, secunda Ludouico primogenito regis Galliæ, tertia Bauariæ duci, quarta Austriæ duci, quinta Galeacio Vicecomiti, sexta Leopoldo Austriaco, auo Friderici III. Imp. septima Bauariæ duci, octaua Friderico regi Siciliæ, nona Friderico Gonzagæ, decima Ernesto duci Monachi, undecima Federico fratri eius iuniori, duodecima Dimundo Cantiæ comiti, primogenito regis Britanniæ. Ex quarum generosa prole omnes ferè principes, qui nunc rerum potiuntur, prodierunt: ut regina ista ueluti Cybele quædam fuerit, & nomen Matris deorum meruerit. Bernardinus Scardeonus libro 3. histor. Pat.

OTHO, dux Brunsuicensis, quinq; filias ita elocauit, ut primā Albertus Saxoniæ dux, secundam Henricus eius frater, comes de Anehold, tertiam Landgrauius Hassiæ, quartam Venslaus Rugiæ princeps, quintam uerò Vuilhelmus Romanorum rex, coniuges haberent. Vnde latè propagata est nobilitas domus Brunsuicensis. Cranz. lib. 8. Saxon. c. 19.

MAXIMILIANVS I. Imp. ut Austriacam domum illustraret, Philippum ex Maria Burgunda susceptum Ioannæ Ferdinandi Aragonum regis filiæ coniunxit. Eo autem XXVIII ætatis anno mortuo, Carolum & Ferdinandum cum quatuor filiabus in suam tutelam suscepit, & Ferdinando Annam Vladislai Hungarorum Regis filiam: Leonoram Emmanueli Portugaliæ Regi, Isabellam Christierno Daciæ Regi, Mariam Ludouico Hungariæ Boemiæque Regi desponsauit, Catharinam posthumam Ioanni Friderico Saxoniæ Duci. Cuspinianus.

Victoriis.

DIAGORAS, cùm in Olympiis uidisset filios suos uictores coronari, atque ex filia filioq; nepotes, eaq; re multùm lætaretur, Lacedæmonius quidam dixisse fertur: Nunc, ô Diagora, pulcrum esset moriendi tempus. Cic. lib. 1. Tusc. quæst.

Epaminondæ PARENS uterq;, filij Leuctricæ uictoriæ superfuit, felix tum hac filij uirtute, tum eo maximè, quòd is de uictoria hac potissimùm propter parentum lætitiam gloriaretur. Plut. in Epaminonda.

SVPERSTITES.

MANVEL filius Caloioannis Palæologi, qui patri in imperio successit, nihil aliud præclari in suo imperio gessit, nisi quòd septem filios mares incolumes post se reliquit, qui etiam post patris interitum diu fuere superstites: quorum ultimus fuit Constantinus, sub quo captum fuit Byzantium à Turcis. Cuspinianus.

MORTVI.

HIEL Bethelensis, quòd Hiericuntem urbem à Iosua Nunis F. deuotam post multos annos, deuotionis uel contemtu uel ignorantia, reædificasset, in fundamentis iaciendis primogenitum suum Abiramum amisit, in portis stabiliendis Segub liberorum nouissimum. 1. Reg. 16.

L. PAVLVS Aemilius ex filiis, quos habebat, quatuor, duos antè in adoptionē aliis dederat: duorum, quos in familia retinuerat, alter diebus quinque antè triumphum eius, annos natus quatuordecim, decessit: alter annorum duodecim post triumphū, totidē diebus. Tū in concionē progressus, populo uicē eius dolente, & casum eius lugente: Nūc de patria, inquit, securus sum & extra omnē aleā: quòd in domū meam effuderit fortuna rerum inuidiam secundarum, quā pro omnibus ipse suscepi. Plut. in Apophthegmatibus.

CAROLVS Magnus Imp. an. 810. filium Pipinum Italiæ regē, uirtutis magnitudine, si diutiùs uixisset, patriam auitamq; gloriam facilè adæquaturum amisit. Anno pòst etiam Carolum F. natu maximum. Sigonius lib. 4. regni Ital.

MARITI VXORIBVS COMMVNIcant fructum suæ tum

Probitatis.

Propter Abrahamum dedit Dominus filium SARÆ, propter ISAAC geminos Rebeccæ. L. Viues de Christiana fem. li. 1.

Phocionis VXOR, cùm à nobilissima quadam Ionici generis matrona, in amicitiam recepta, auri torques, monilia, preciosusq; mundus muliebriter ei ostentaretur: At meus, inquit, ornatus non est talis, sed Phocion me ornat, iam uicies Atheniensium imperator. Sab. lib. 8. cap. 5.

Claritatis.

Vide Tit. Coniugia honorata.

VXORES MARITIS COMMVNICANT FRVCTVM SVÆ

Improbitatis.

Huc Vxores improbæ referēdæ ueniunt, quatenus Maritis sunt oneri & dedecori. Proinde ex Tit. Perfidiæ uxorum erga maritos, non pauca corrogari possunt exempla.

Impudicitiæ.

Consule Tit. Adulterarum. item Repudiatarum.

EVRIPIDES duas uxores habuit. Priorem Chœrilem (siue Chœrinen, Suida teste) filiam Mnesilochi, ex qua tres sustulit filios: Mnesilochum histrionem, Mnesarchiden mercatorem, & Euripidem, qui circa solutam orationem scribendā uersatus est. Ea autem adulterij nomine repudiata, posteriorem duxit Melitto: quam itidem reliquit, cùm eam cum histrione Ctesiphonte in adulterio deprehendisset, eamq; ob rem publicè in theatro à Comicis incesseretur, & in Macedoniam ad regem Archelaū abiit. Gell. lib. 15. ca. 20. Noct. Att. Athenæus lib. 13. Suidas.

CLEONYMVM Spartanum ex stirpe regia, quòd animum præ se ferret uiolentum & imperiosum, non ferebant in oculis ciues, neq; fidem ei habebant: uerùm regnum obtinebat Areus frater natu minor. Iam uxorem formosam & familiæ regiæ Chelidonidem, Leontychidis filiam, Cleonymus duxerat: quæ Acrotati amore, Arej filij, deperiēs, adolescentis uenustissimi, acerbas amanti marito iuxtaque infames præbuit nuptias. Neq; enim ciuem latebat ullum, ab uxore eum fastidiri. Ita cùm ad publicam domestica accessisset ægritudo, ira & animi dolore consultoribus, Pyrrhum regem Epirotarum Spartam attraxit. Pyrrho urbem oppugnante, Acrotatum & senes & mulierum caterua præclarè certantem contemplati sunt. Cùm iam media urbe stationem suam repeteret cruentus & exultans elatusq; uictoria, celsior ac pulcrior est Lacænis uisus, Chelidonidemq;, quòd talem haberet amatorem, prædicauerunt beatam. Præterea grex senum secutus conclamauit: Perge Acrotate, & complectere Chelidonidem, tantùm bonos Spartæ procrea. Plutarchus in Pyrrho.

In GRAMMATICVM, cuius uxor impudica erat, sic Lucillius in 2. Epigrammatum:

ἔξω παιδεύεις πάιδας [illegible] κακὰ, καὶ Μενέλαος,
ἔνδον ἔχων πολλὰς τῆς Ἑλένης πάριδας.

CN. Pompeius confecto bello Piratico & Mithridatico, sperabat omnium mortalium se in Italiam splendidissimum redituram, desiderabatq; uideri domesticis desiderantibus. At deus, cui curæ est fortunæ splendori & magnificentiæ semper aliquam admiscere mali portionem, hoc clàm domi iampridem struxerat, parans ei tristiorem regressum. Mutia enim, eo absente, gesserat se libidinosè. Quādiu procul Pompeius fuit, contemsit sermonem: ubi appropinquauit Italiæ, ac uacua mente scilicet delata uersauit, nuntium ei remisit. Quamobrem autem repudiauerit eam, neque tunc scripsit, neq; postea uerbo prodidit. Plutarch. in Pompeio.

L. LVCVLLVS repudiata Clodia lasciua & improba muliere, quæ cū Appio Clodio fratre incestam habebat consuetudinem, Seruiliam duxit Catonis sororem, quæ item nuptiarum faustæ fuere. Vna enim carebat sola Clodiæ macula, rum infamia ex fratribus: cætera pariter flagitiosam & impudicam ut ferret, Catonis reuerentia, uim intulit sibi. Postremò tolerare eam non ualuit. Plut. in Lucullo.

Cæsar TIBERIVS in matrimonio Iuliam habuit Augusti filiam probris oppletam, & manifestis adulteriis infamem. Hanc quum nec maritali seueritate castigare ac cohibere, nec domo eiicere auderet, tanti patris filiam, nec ad patrem compertam adulteram deferre, incertus quo animo ille

eam generis labem acciperet: retinere autem, & cum ea intra eosdem penates uiuere, grauissimum censeret: coactus est specie quadam otij Rhodum secedere, ac ibi uitam agere, primùm ignominiæ expositam, deinde etiam periculo: quum & exul appellaretur, & non deessent qui in gratiam Caij Cæsaris priuigni, mortem illi minarentur. Lud. Viues de Officio mariti. ex Suetonio.

M. ANTONINVS Philosophus habuit uxorem Anniam Faustinam, filiam Pij, sic annitente Adriano, ut Marcus Pio gener esset: ut quandoque ad eum imperium perueniret. Obstitit enim puerilis ætas, ne ab eo successor designaretur. Ex hac dicitur filium reliquisse Commodum: prorsus felix, si hunc filium nō generasset. Quanquam multi sint qui Commodum ex adulterio genitum, non ex Marco, scribunt: ut latissimè Capitolinus explicat, qui de nefandis amoribus Faustinæ erga gladiatorem, pulcram fabulam narrat. Sed tranquillitas ac boni principis pietas effecit, ne eam repudiaret, licèt eam inter adulteros nonnunquam prandentem deprehendisset: quos inde ad uarios honores promouit. Cuspinianus.

In CANDIDVM, Martialis Epigrammatum lib. 3.

Prædia solus habes, & solus Candide numos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes.
Massica solus habes, & opimi cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes, hoc me puto uelle negare:
Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

In Proculinam, Martialis Epigrammatum lib. 6.

Quòd nubis, Proculina, CONCVBINO,
Et mœchum modò, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare possit:
Non nubis, Proculina, sed fateris.

Ad MILONEM, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Thura, piper, uestes, argentum, pallia, gemmas,
Vendere Milo soles, cum quibus emtor abit.
Coniugis utilior merx est, quæ uendita sæpe
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

In LIGVRINVM sic ludit Theodorus Beza in Epigram.

Aedilis ille, Ligurine, qui tua
Repertus à te nudus est cum coniuge,
Nil hercle fecit præter officium suum,
Qui euincere à te rem uoluerit publicam.

CAIETANVS quidam nauicularius ex peregrinatione quinquennali reuersus, cùm domum omnem lauta probaque instructam supellectile uidisset: & ab uxore, Hęc omnia Dei benignitate sibi contigisse, audiuisset, facilè acquieuit. At ubi filiolum quoque in cunis uagientem animaduertit: Det Deus aliis, inquit, quantum cupiunt, mihi hæc satis superq; sunt. Poggius in Facetiis.

Prodigalitatis.

Polygnotus pictor OCNVM Delphis pinxit, texentem è iunco restim. Adest asella, totum id, quod ille iam texuerat, pertinaciter abrodens. Hunc Ocnum aiunt gnauum & industrium hominem fuisse, qui uxorem sumtuosam & prodigam habuerit, quæ quicquid ille opere faciundo per summum laborem quæritasset, profundere solita esset. Eam rem credunt, per ambages uoluisse Polygnotum significare. Iones quoties hominem uiderint, ad laborem quidem uehementer propensum, sed cui suus nulli emolumento labor sit, Vir ille, inquiunt, Ocni funiculum torquet. Pausan. in Phocicis.

TVRGILLVS Canutus, Suetici regni gubernator, impubere adhuc existente Birgero rege, præclarè regnum administrauit. At postquā uxorem sumtuosam è Saxonia duxisset, ut pecunias quibusuis artibus congereret, tributi ecclesiis imponendi auctor regi fuit. Sed non multo pòst à rege securi percussus, sepultura caruit. Io. Magnus lib. 20.

Superbiæ, Morositatis, Acerbitatis.

☞ *Vide Titulum, Coniuges moribus dispares.*

Varus Geminus, inter declamatores, Augusti temporibus nequaquam postremus, probè dixisse fertur: QVI nō litigat, celebs est. Cui quidem adstipulatur illud, quod in sacris scribitur libris: Melius est habitare in loco deserto, quàm cum uxore litigiosa. Eius dictum ex Hieronymo citatur apud Volaterr. lib. 20. Anthrop.

Equidem arbitror, relictam fuisse solam uxorem IOBO, ut tristitiam uiri plus urgeret, & maledica sua rabie pondus adderet tot modis presso. O execrabilis & impatientissima mulier, sanctitatem uitæ, marito tanquam crimen obiicis? Hoc ne diaboli quidem facere auderent. Euertit diabolus fortunas omnes Iobi, familiam occidione perdidit, filios absumsit, ipsum ulceribus & sanie induit, nunquam opprobrauit, quòd in pristina animi simplicitate permaneret. Opprobrauit mulier, ut ostenderet, diabolo se esse confidentiorem. Ludouicus Viues de Christiana femina lib. 2.

PITTACVS Mityleneus, cùm in uxorem duxisset sororem Draconis, filij Penthili, superbam & rixosam: monuit postea amicum, duceret sibi parem. Vide Vit. Prudens consilium in re uxoria. ex Laertio.

SVSARION comicus, morosam habuit uxorem. Idcirco theatrum ingressus in Dionysiorum celebritate, hæc quatuor carmina cecinit:

Audite populus: Susarion hæc dicit,
Filius Philini Megarensis Tripodiscius:
Malum sunt mulieres. Sed tamen, ô populares,
Non est domum inuenire sine malo.

Quum GORGIAS Leontinus sophista recitaret in Olympicis ludis apud Græcos orationem de Concordia, Melanthus quidam: Hic, inquit, de concordia totius Græciæ disserit, qui sibi, uxori & ancillæ, tribus duntaxat, ut concorditer uiuant, nondum persuasit. Erasmus 6. Apoph.

SOCRATES Xanthippen imperiosissimam patientissimè tulit. Dicere solebat, tria se mala assecutum: Grammaticam, paupertatem, & perniciosam uxorem Xanthippen: quorum duo iam effugisset, perniciosam uxorem effugere non potuisse. Antonius Melissa part. 2. sermone 34.

Sempronia Tib. Gracchi filia, SCIPIONIS Aemiliani (cuius summa dignitas, magnæq; res gestæ fuere, qui ob Carthaginem & Numātiam funditùs euersas, minor Aphricanus, & Numantinus cognominatus est) coniugium sortita fuit: cum qua non modica simultate & penè dissidio, quòd eam ob morū prauitatē exosam haberet, aliquandiu uixit: uenitq; in suspicionem, ipsius necis, quæ fuit auctore incerto, non minimam causam præbuisse. Illud planè constitit, post Aemiliani necem, homines de Sempronia uxore, quoquo modo merita, nec minùs de Cornelia socru, tanquam eum ueneno interceperint, propalàm locutos fuisse. Alexander libro 1. capite 18.

SYPHAX Numidarum rex, cùm P. Scipionis familiaritate delinitus, iam propè Rom. amicus factus esset, Sophonisba Hasdrubalis F. in uxorem ducta, se simul & regnum perdidit. Carthaginensium enim partes secutus, à Scipione uictus est, & captus. A quo rogatus, quid secutus, Carthaginensium amicitiam Romanæ prętulisset? Peccaui, inquit, atque prorsus insaniui, quū aduersus pop. Romanū arma indui: sed tum ille mei furoris exitus fuit, non principium. Tū furialis, inquit, pestis domum meam inuasit, quum Sophonisbam mihi matrimonio deuinxi. Illarum nuptiarum facibus domus mea conflagrauit, illa omnibus delinimentis animum recenti amore captum, à Romana societate alienauit, nec priùs egregia coniunx ab incœpto destitit, quàm sic nefsta arma induit. Verùm in hac calamitate & fortuna unū duntaxat solatium inuenio, quòd inimico capiti eam matrimonio coniunctam audio: satis scio fore, ut non multo pòst illius impulsu, Masinissa non magis feliciter, quàm ego nuper, Rom. nominis fiat hostis. Eam namq;, Cyrtha regia capta, ut Rom. furori subtraherer, eodem die desponderat sibi Masinissa. Iniecit tam audax Masinissæ facinus Scipioni non paruam solicitudinem, nec tuto, nec probabili exemplo id factum arbitrari, quòd Carthaginensem feminam, Barchini sanguinis, imperatoris hostium filiam, iure belli captam, sibi matrimonio iunxisset. Masinissa Scipionis reprehensione confusus animo, ministrum cum ueneni poculo ad Sophonisbam misit, iussitq; nunciari, Masinissam pręstare illi fidem, quam possit, quando quam uelit nequeat. ipsa, patriæ memor familiæ, Hasdrubalis patris, duorumq; regum, quorum coniunx fuisset, sibi consuleret. Accipio, inquit illa, nuptiale munus, neque ingratum, si nihil maius uir uxori præstare potuit. Sed meliùs moritura fui, si non nupsissem in funere. Ac tantum locuta, poculum intrepidè hausit. Sabell. lib. 5. Enn. 5.

PALLADAS Grammaticus in primo Epigrammatum, de uxore Andromache morosissima sic scribit:

Μῆνιν τ' ὀλομένην γαμετὴν ὁ τάλας γεγάμηκα,
καὶ πυρὰ τῆς τέχνης μηνιδ' ἀρξάμενος.
ὤμοι ἐγὼ πολύμηνιν ἔχων διχόλωτον ἀνάγκην,
τέχνης γραμματικῆς, καὶ γαμετῆς μαχίμης.

IDEM in secundo Epigrammatum de seipso, uel certè nomine alterius, hæc scribit:

Οὐ δύναμαι γαμετῇ καὶ γραμματικῇ ἀνέχεσθαι,
γραμματικῆς ἀπορῶ, καὶ γαμετῆς μαχίμης.
ἀμφοτέρων τὰ πάθη, θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται.
τὴν οὖν γραμματικὴν ἐκ μόλις ἐξέφυγον·
οὐ δύναμαι δ' ἀλόχου τῆς ἀνδρομάχης ἀναχωρεῖν,
εἴργει χάρτης γὰρ, καὶ νόμος αὐσόνιος.

Infaustū GRAMMATICI coniugiū, elegāte parodia, Aeneidos Virgilianæ principio, quæ Grāmaticorū manibus assiduè teritur, hunc in modum accommodauit Ausonius:

Arma uirumq; docens, atq; arma uirumq; peritus,
Non duxi uxorem, sed magis arma, domum,
Namq; dies totos, totasq; ex ordine noctes
Litibus oppugnat meq; meumq; larem,
Atq; ut perpetuis dotata à Marte duellis.
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Iamq; repugnanti dedam me, ut deniq; uictum
Iurget ob hoc solùm, iurgia quòd fugiam.

ADRIANVS Imper. habuit uxorem Sabinam, quam ut asperam & morosam dimissurum se dicebat, si priuatus fuisset: & quòd apud eam familiariùs egerant, quàm reuerentia domus aulicæ postulabat, Septitius Clarus præfectus prætorij, & Suetonius Tranquillus epistolarum magister, eis successores dedit. Præterea etiam, non sine fabula ueneni dati ab Adriano, defuncta est. Nam propè seruilibus iniuriis affecta, ad uoluntariam mortem compulsa est. Hæc palàm iactabat, se, quòd immane uiri ingeniū diu pertulisset elaborasse, ne ex eo humani generis pernicies grauidaretur. Cuspin. ex Suetonio.

Habuit ARCADIVS Imp. ignauus uxorem Eudoxiam, arrogantem, auaram, improbam, audacem feminam: quæ tribus annis ante uiri obitum morbo soluta est. Cusp.

Carolus Caluus Imperator Hermingardam, Ludouici Augusti filiam, apud suæ factionis homines educatam, quam pater Basilio Græco Imperatori desponderat, BOSONI duci Papiensi in matrimonium collocauit. Hermingarda uerò, quòd Cæsaris sponsa fuisset, ac patre, auo, proauo, atauo Augustis prognata, tumens ac elata, uirum ducem maiori cupiditate impleuit, negans iucundam sibi uitam fore, nisi uirum regem amplecteretur. Itaque eò impulit Carolum Imperatorem, ut qui iam duces creasset, crearet & reges, quibus iura diceret. Bosonem proinde, regem Prouinciæ proclamauit: arbitratus ita faciliùs & sanctiori iure, & minore hominum inuidia, prouinciam ad Francorum imperium redituram. Cuspinianus.

Erant Olauo regi Danorum duo eximiæ spei filij, FROTHO uidelicet, qui Vuildam Sueciæ regis Siuardi filiam, & HARALDVS, qui Signem Caroli Gothorum, regum inter se inimicissimorum filias, duxerant. Hæ paternarum inimicitiarum fomites rixis & contentionibus suis eò usque aluere, ut Frotho fratrem suum Haraldum, probitate ac militari disciplina conspicuum, structis occultè insidiis, trucidarit. Filios eius Haraldum & Haldanum, Carolus maternus auus seruauit. Natu maior Haldanus, cùm pòst multos & uarios casus adoleuisset, Frothonem occidit, Daniam occupauit: deinde in Suecones arma conuertit, regemq; eorum Siuardum, ob malè educatam filiam occidit. Ioan. Magnus libro 5. cap. 17.

Beatrix LVDOVICI Sfortiæ uxor, Herculis Atestini filia, fastu atque luxuria ingenti mulier, plerunque grauioribus consiliis sese arrogantiùs, quàm mulierem deceret, immiscere, demandare præturas, & capitalium ciuiliumque rerum iudicibus planè dominari ita consueuerat, ut Ludouicus, qui iam tum blanditiis eius delinitus, uxorius habebatur, importunæ mulieris libidini nonnunquam obtemperare cogeretur: præsertim, quòd ei filium, cui postea Maximiliano nomen fuit, paulo antè pepererat. Vnde cùm magnā ludorum celebritate, puerperæ atque infanti, principalia ornamenta collata essent, manauit in uulgo fama, Ludouicum, Papiæ urbis principatum, ut inde more maiorum puer ueluti è proximo gradu ad imperium eueheretur, infanti filio destinasse. Ea res IOANNIS Galeacij, & præsertim Isabellæ uxoris animos magnoperè exulcerauit. Ipsa quòd & patrem Alfonsum & auum haberet Ferdinandum Neapolitanos reges, & iam Franciscum auitæ indolis puerum in spem sibi debiti imperij primo partu peperisset, maiores, quàm muliebris animus ferret, ad uindicandam contumeliam spiritus gerebat, eoque grauius ac infestius, quòd Ludouici opera per sagas, ipso nuptiarum die, magicis cantaminibus & ueneficiis, quibus fœcunditatem impediret, se pariter & cōiugem, petitos esse persuasum habebat: & tum cuncta patrui consilia eò ferri manifestè perspiceret, unde ipsi circumuenti omnibus dolis atque artibus è medio tollerentur. Itaque Isabella impotenti dolore acta, patrem auumque literis ad ulciscendam hanc iniuriam incitare non cessauit. Ludouicus, cùm sensim arma & classes aduersum se parari Neapoli cognouisset, bellicosam atque infensam Italico nomini Gallorum gentem in Italiam euocandam existimauit: quod consilium tam sibi pòstea ac suis exitiabile, quàm toti Italiæ calamitosum fuit: Iouius libro primo Historiarum.

Alphonsus Neapolitanorum rex, cùm percontaretur Antonium Panormitam, quinam Neapoli nobiles essent uiri uenandi studiosi, an item scriptores de natura canum aliquid prodidissent? Respondit Panormita: Tu uerò, ô rex, equitem hunc (aderat enim) interroga: quippe qui annos supra quadraginta cum hoc genere animalium sit ita conuersatus, ut noctes quoque ipsas cum canicula cubitauerit (mulierem omnium clamosissimam pariter & rabiosissimam insinuans, hic tibi & canum naturas describet, & illorum instituendorum artes tradere potest. Erat autem is EQVES Neapolitanus. Pontanus.

GREGORIVS Haimburgensis, scientia Iuris & facundia inter omnes Germanos facilè princeps, cùm domum ex curia Cæsaris, in qua diu fuerat uersatus, reuertisset; atque non longè ab oppido Nurenbergensi amicum offendisset, qui uxorem suam uiuere & bene ualere diceret: Si uiuit uxor, inquit, ego sanè obij. Innuit autem, morosam uxorem mariti mortem esse. Aeneas Syluius libro tertio Com. de gestis Alphonsi.

TRISPONIVS iureconsultus, & Alphonsi Aragonum regis consiliarius, cùm trecentos aureos Alphonseos, quod superat dotis, furto surreptos perdidisset, ac propterea animo angeretur, & esset sibi uxor, & illa quidem admodum morosa: regem Alphonsum dixisse ferunt: Longè illi meliùs fore, si uxorē, quàm pecuniam, fures abstulissent. Panormitanus lib. 1. de gestis Alphonsi.

CAVPO quidam abundè comis, cùm hospes uociferantem diutiùs uxorem eius, rixantemq; cum ancillis, parum æquè ferret, conuersus ipse ad hospitem: Et quæ, inquit, amice, impatientia est tua? Duos, iam, & triginta annos huius clamores, dies noctesq; ęquissimè ipse perfero: tu uerò ne dieculæ quidem sextantem ferre eam potes? Quo dicto & hospitem leniit, & uxorem ab ira ad risum conuertit. Adrianus Barlandus.

Impietatis.

ACHABVS Samariæ rex, Iezabelem Ionabalis Tyriorum regis filiam duxit uxorem: cuius suasu eò insaniæ processit, ut super uitulorum cultum, quem à maioribus acceperat, alienos etiam deos complexus, passus sit intra sui regni fines, lucos illis & aras cum sacerdotibus constitui, & in his Baalis templum, quem Sidonij peculiariter colebant. Sabellicus lib. 1. Enneadis 2.

IORAMVS Iudęorum rex, Athaliam Achabi Israelitarum regis filiam in uxorem habebat: à qua ad idololatriam inductus fuit. quarto Regum octauo, & secundo Paralipomenon uigesimoprimo.

Opulentiæ.

PETRVS Candianus Venetorum dux, Vualdertam Guidonis Rauennatum principis filiam uxorem duxit: seruis, ancillis, prædiis, preciosaque supellectile instructam. Fortunis igitur & noua affinitate auctus, [illegible] tyrannidem cepit exercere in ciues & exteros: Sed qui armis uinci non poterat; igni in Ducarium iniecto expugnatus, & cum filio paruulo fugiens, trucidatus est. Sabellicus libro tertio, Decadis primæ.

Formæ.

VT PARIDEM Homerus, uirum formosæ Helenæ, — ἑλένης πόσιν ἠϋκόμοιο, nulla præterea commēdabilem re celebrans, ab uxore crebrò nominat: ita nobilitatus in urbe ex nuptiis fuit M. OTHO Poppeæ, quam Nero nuptam Crispino (Rufum Crispum nominat Tacitus) adamabat: sed pudore adhuc uxoris & matris metu, Othonem ad Poppeam solicitandam submisit. At ubi Poppeæ stuprum delibauit Neroni, illius proposita spe corruptam induxit, ut à uiro diuerteret. Postquam uerò ad ipsum ut iusta materfamiliâs uenit: non satis habuit, quòd in communicationem ueniret eius, uerùm iniquo animo illum tulit riualem. Nec molestè patiebatur, ut aiunt, æmulationem Poppea. Etenim exclusisse Othone non præsente Neronem dicitur: uel satietatem detrahens libidinis, uel, ut ferunt nonnulli, Cæsaris nuptias grauata: cùm uti eo ob lasciuiam non defugeret amatore. Vnde in mortis periculum uenit Otho. Mirum autem fuit, cùm uxorem eandemq; sororem, ob Poppeæ nuptias necasset, pepercisse eum Othoni. Cæterùm utebatur familiariter Seneca, cuius suasu & monitu missus est à Cæsare proprætor in Lusitaniam ad Oceanum. Plutar. in Galba.

Dignitatis.

Seuerus Imp. cùm PROLIO genero suo præfecturam urbis obtulisset, ille recusauit: dixitq;, minus sibi uideri præfectū esse, quàm principis generum. Cuspinianus.

Cathatina Caroli VI. Gallorum regis F. Henrici V. Anglorum regis uxor, Henrici VI. mater, mortuo uiro, cùm id ætatis puella esset, ut minùs sciret animo decernere, quid deceret, occultè nupsit cuidam OVINO Tyderio, homini Vuallo, nobili genere, ac multis uirtutibus mirabili: qui genus suum ad Cadoualladrum ultimum Britannorum regem referebat: ex quo genuit tres filios mares, Edmundum, Gasparem, & tertium, monachum Benedictinum. Post Catharinæ mortem, iussu ducis Glocestrensis, bis in carcerem coniectus est; quòd ausus fuisset per Catharinæ puellæ connubium miscere sanguinem suum cum regum stirpe nobilissima: & ad ultimum securi percussus. Polydorus libro decimotertio.

VV 3 Mortis

Mortis. Mariti uidui facti.

☞ *Viduitas ipsa nunc ut Boni priuatio, nunc ut Amicitiæ coniugalis sublatio perpenditur. Eaq; propter ad Paupertatis & Amicitiæ locos alio, quam hic, respectu referri potest.*

FLAMEN Dialis apud Rom. defuncta uxore sacerdotium, ut auctor est Teius, ciurabat: quia eo, qui non duxit uxorem, ille, qui duxit, inde cõiugem amisit, est infelicior. Quippe est domus eius, qui uxorem duxit, integra: eius uerò, qui duxit, pòst perdidit eam, non solùm non integra, uerùm mutila etiam. Vel etiam, quia cõsecratur simul cum uiro uxor. Nam complura sacra non licet, nisi præsente matrefamiliâs, obire. Iuagere autem sibi extemplò am issa priore alteram, neque forsitan integrum est, neq; alioquin humanum. Plutarchus in quæst. Rom.

SORORES FRATRIBVS COMMVNICANT.

CATO iunior fortuna usus est in sororibus parum prospera. Seruilia soror principi inter Romanos gloria nupta Lucullo, ex quo genuerat filium, ob prostratam pudicitiam fuit repudiata. Altera Seruilia Cæsaris nomine malè audiuit. Fama est, cùm in Senatu de iis, qui cum Catilina conspirarant, puniendis ageretur, Catone id temporis uehementer cum Cæsare concertante & contendente, Senatuq; in illos intento, paruum epistolium à foris Cæsari fuisse allatum. Quod Cato, cùm in suspicionem traheret & exagitaret, motos aliquos iussisse, ut recitaret literas. Ibi Cæsarem propè astanti tradidisse Catoni epistolium. Quod cùm legisset (scripserat enim soror eius Seruilia literas ad Cæsarem, quem amabat corrupta ab eo, amatorias) ad pedes id Cæsaris cũ proiecisse cum hisce uerbis: Cape temulente. itaq; demùm ad institutam orationem redisse. Plutarchus in Catone.

[redacted]

CONSERVORVM PARTICIPATIO.

Eubulus apud Athenæum lib. 9. ait, fuisse morem, si quid peccasset coquus, TIBICINEM solere uapulare. Philyllius apud eundem:

— Οὐκ αὖ τύχῃ
Μάγειρ☉ ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν Πληγάς. id est,
Quicquid coquus
Peccauerit, tibicen accipere solet Plagas.

Proinde coquus quispiam apud eundem ait, se non rẽ priscam, sed ab ipso inuentam narrare, ἵνα μὴ, inquit, ὁ αὐλητὴς πληγὰς λάβῃ. id est, ne tibicen uapulet. Ob id opinor, quòd coquos lædere tutum non sit: iuxta sententiam aliquantò pòst apud eundem citatam:

Οὐδεὶς μάγειρον ἀδικήσας, ἀθῷ☉ διέφυγεν. id est,
Nullus homo læso indemnis euasit coquo.

Erasmus in Adagiis.

PARTICIPATIO CONSIDERATA RESPECTV QVORVMVIS ALIORVM COMMVNICANTIVM. Communicant ergo ominibus boni uel mali aliquid

DAEMONES. A DAEMONIBVS

Necati.

☞ *Ex Mortis loco exempla pete.*

Vexati.

☞ *Sub Inimicitiæ loco.*

Accusati, Proditi.

[redacted]

BRVTA. A BRVTIS

Seruati.

☞ *Vide Tit. Expositítiorum.*

Necati.

☞ *Consule locum Mortis.*

Sedibus pulsi.

☞ *De his sub loco Exilij.*

Proditi, Accusati.

In Syria scribit Agnon elephanti, qui domi alebatur, RECTOREM ex demenso ordei, quod accipiebat, subtrahere & interuertere dimidium quotidie solitum. Hunc, ubi domino assistente aliquando & spectante integrum demensum soluit, intentis in dominum oculis, productaq; proboscide, secreuisse & remouisse partem, atq; ita quàm prudentissimè rectoris sui detexisse furtum. Plut. de Animãt. cõparatione.

Ibycus poeta, cùm in LATRONES incidisset, iam occidendus, grues fortè superuolantes obtestatus est. Aliquanto pòst tempore, cùm iidẽ latrones in foro sederent, rursumq; grues superuolarent, per iocum inter se susurrabant in aurẽ, αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν: id est, Adsunt Ibyci ultores. Eũ sermonẽ assidentes in suspicionẽ rapuerunt, maximè desiderato iam pridem Ibyco. Rogati quidnám sibi uellet ea oratio, hæsitanter atque inconstanter responderunt. Subiecti tormentis facinus confessi sunt. Atque ita uelut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potius suo ipsorum indicio, ut dicitur, perierunt. Plutarchus de Futili loquacitate.

Pyrrhus rex in itinere offendit canem, qui iugulati corpus domini seruabat: auditoq;, triduo illùm sine pastu durasse illic neque abscessisse, cadauer humari, canemque secum abduci, eiusque curam haberi imperauit. Paucis pòst diebus lustrabat rex copias suas, milites que considente rege transibant. Aderat canis quietus. Qui, ut domini PERCVSSORES conspexit prætereuntes, cum latratu & ira procurrit in illos, subinde circumagẽs se ad Pyrrhum: ut non illi modò, uerùm etiam toti coronæ uenirent isti in suspicionem. Itaq; comprehensi extemplò, & quæstione habita, cùm indicia aliunde exigua accessissent, cædem confessi, pœnas dedêre. Plut. de Animant. compar.

Hesiodi canis Ganyctoris Naupactij indicauit FILIOS, à quibus fuerat Hesiodus trucidatus. Idem.

QVIDAM irrupit in Aesculapij templum, sublatis aureis & argenteis aliquot monumẽtis, clàm & ignotus, ut putabat, & aufugit. At canis tẽpli custos, cui nomen Capparus (nam indignus qui periret ἀνώνυμ☉) cùm uideret, neminem æditorum sua uoce commoueri, fugientem sacrilegum est insequutus, ac primùm quidem saxis peritus, haud tamen discedebat. Exorto die non accedebat propiùs, sed procul oculis obseruans sectabatur, nec cibum obiectum capiebat. Rursum iuxta dormientem cubabat & ipse, & abeuntem ad consimilem modum insequebatur. Quòd si qui uiatores fuissent obuij, iis cauda adblandiebatur, in illum unum latrabat ac sæuiebat. Hæc cùm ab aliis alii didicissent, simulq; & canis & hominis figuram cognouissent, sacrilegum apprehenderunt, & ad supplicium duxerunt, cane præcedente hilari iam ac gestiente, quòd maleficum esset uenatus. Vnde ei cani de publico pastus decretus est, eiusq; rei cura sacerdotibus mandata. Id sua ætate accidisse narrat Plut.

Tempore Constantini Pogonati Imp. cùm quidam solus cane comitante iter faceret, est à latrone, quales itinera solent obsidere, interfectus. LATRONE fuga se subducẽte, canis eo in loco permansit, domini cadauer custodiens. Fortè alius quidam eà pergens superuenit, cadauerque proiectum cernens, motus misericordia, tellure effossa sepeliit. Canis id officium pergratum habuit, seq; ultrò homini comitem ac seruum adiunxit. Erat autem is homo cõditione caupo: & solebat canis iis, qui cauponam intrarent, exirentq;, adulari. Post aliquantũ tẽporis, is etiã latro, cuius meminimus, in eã cauponã bibendi causa intrauit. Quẽ canis agnoscẽs, allatrauit, inq; eius faciẽ insiliit. Hoc sæpius factũ, dei instinctu apud multos suspicionẽ excitauit: comprehensusque latro, & coram iudice constitutus, cum facinus, uti erat, perpetratum, confiteretur, debitas pœnas dedit. Cedrenus.

Liberati.

☞ *Consule locum Libertatis. Illic enim Libertas respectu eius Acquirentis consideratur. Hic uerò respectu Auctoris.*

Regno exuti.

Dione contra DIONYSIVM tyrannum in Siciliam mouente, Timocrates, qui Dionis uxorem Dionysij sororem in matrimonio habebat, relictis in urbe amicis præpositus, nuncium raptim misit ad Dionysium cum literis, quibus eum de Dionis aduentu faciebat certiorem. Ipse urbanis tumultibus & motibus intendit animum. Tabellarius cùm traiecisset in Italiam, & Rheginorum fines peragrãs Cauloniã ad Dionysiũ properaret: occurrit cuidã familiari, qui ferebat modò immolatam uictimã. A quo accepta portione, maturauit pergere. Cùm partem noctis iter fecisset, ex lassitudine paulisper dormire coactus, in sylua quapiam abiecit se temerè prope uiam. Odorem lupus secutus, rapuit carnes peræ alligatas, unaq; auferens peram, in qua condiderat

derat epistolam nuncius, fugit. Vt ex somno excitus, peram non inuenit, metuens sine literis ad tyrannum pergere, subduxit se. Itaque Dionysius absens regno excidit. Plutarchus in Dione.

ARBORES.

☞ *Vide Tit. Arborum ruinâ oppressi. Item sub loco, Mortis instrumenta.*

RICARDVS, Roberti Cõquæstoris F. Normanniæ dux, dum equo aream, quam auus ex demolitione templorum in ferarum lustra & solitudinem redegerat, celeriùs transit, ramo arboris capillis inuoluto, subterfugiente equo, suffocatus est. Malmesburiensis lib. 3. cap. 48. & lib. 4. cap. 29.

RADICES.

TELEPHVS Mysorum rex contra Græcos pugnans, radice uitis inter uineta hærens, ab Achille uulneratus fuit.

PAVSANIAS stipator, cæso per insidias Philippo Macedone, dum fugit, in radicem arboris offendens, ab insequentibus cæsus est. Plutarchus.

VESTES. VESTIBVS

Suffocati.

☞ *Locum Mortis considera.*

Proditi.

XERXIS Persarum regis incestus cum Artaynta nuru, ex amiculo cognitus fuit, quẽ ab Amestri uxore dono acceptũ, Artayntæ petenti dono dederat. Herod. lib. 9.

ANVLI. AB ANVLIS

Proditi.

RICARDVS Anglorum rex ab expeditione sacra domum rediturus, anulo proditus, à Leopoldo Austriæ duce capitur: cuius populares in Asia, simultates cum Anglis gesserant. Platina & Aemilius lib. 6. Francorum.

CONRADINVS Sueuus, Conradi IV. regis Rom. & Siciliæ filius, à Carolo Andegauensi comite, Ludouici regis Franciæ genero, quem pro asserendo Siciliæ regno, Pp. euocauerat, acie uictus cum duce Austriæ Friderico, habitu agasonum per syluas oberrans, tandem imprudentia piscatoris, qui anulum Conradini pignoris loco pro emendis panibus offerebat, proditus, à Ioanne de Frangepanibus, Asturę domino, captus, & à Carolo per uim abductus, anno integro carceres sustinuit. Collenucius lib. 4. hist. regni Neapol. & Volphg. Hungerus in Cuspiniani Cæsaribus.

ARMA. ARMIS

Defensi.

☞ *Ex loco Vitæ conseruatæ, huc quædam.*

Necati.

☞ *Consule locum, Mortis instrumenta.*

EPISTOLA

Proditi.

THOMAS Monetarius, cum suis ad Franchusium uictus, ægrotanti similis lecto se tradidit in oppido. Irrumpit in domum nobilis cuiusdam famulus, & ægri misertus, crumenam ad lectum iacentem corripit, spe prædæ, literas, Alberti Mansfeldij offendit, quibus admonebatur, ut ab incepto desisteret. His ille proditus, ad Georgium Saxoniæ principem atque Landgrauium captiuus deducitur. Sleid. lib. 5.

Regno exuti.

DIONYSIVS tyrannus ob epistolam à lupo subductam, dum in Italia abest, regno à Dione pulsus fuit. Plutarchus.

PARTICIPATIO CONSIDERATA RESPECTV MODI, PER QVEM PARTICIPANT. VIDELICET

ORTV, NATVRA.

☞ *Huc Tit. Fortes Duces, & Claris parentibus nati, & Nothi. item, Humili orti loco qui clari euasere, quatenus ortus dedecus uel splendor, etiam in posteros transfunditur.*

SOCRATES pro tribus donis Naturæ gratias agebat: quòd homo, quòd Græcus, quodq; Atheniensis natus esset.

PRECIBVS, VOTIS.

Lacedæmonij publica uota, ut ARISTONI regi optimo filius nasceretur, cõceperãt. Natus inde filius, Demarati nomen ex re obtinuit. Herod. lib. 6.

LVDOVICVS Iunior Francorum rex, ex Leonora Gulielmi Aquitaniæ Ducis F. (quam postea repudiauit) genuit Mariam & Alisam. Ex Constantia Hispana, suscepta est Margarita, ac Adela. Tertia uxor ducta, Adela filia Theobaldi Comitis Campani: publicisque obsecrationibus ac uotis tandem proles uirilis nata, Philippus cognomento Augustus: sub cuius ortum per quietem uisus est rex uidere filium ex se natum, calicem humano sanguine proceribus miscere. Ex eadem Campana, procreata Agne Augusta Græcorum. Aemilius libro 5.

IMPRECATIONIBVS.

☞ *Ex Tit. Imprecationis, calamitas eam consequens huc pertinet, ratione communicationis.*

INSTITVTIONE VEL

Bona.

Philippus Macedoniæ rex, non tam quòd natus sibi esset ALEXANDER F. qui pòst Magni cognomen obtinuit, gauisus est, quàm quòd ætate Aristotelis, à quo erudiri posset.

Mala.

LVCRETII filius ad supplicium tractus, patrem aduocat, eique nasum mordicùs auellit: ipsum accusans, quòd primos errores non emendasset, & cùm liceret, paterna castigatione uiam peccandi non præclusisset. Guido Bituricensis.

CONVERSATIONE.

Samuel, consecrato SAVLE, Abi illuc, inquit, ubi inuenies Prophetarum turbam descendentium de monte, qui pulsant instrumenta: tum spiritus Dei incesset te. Ergo simul atque Gabaam uenit, ad Prophetas ludentes instrumentis accessit Saulus, irruit in eum Dei spiritus, quo se mutari sensit. Etsi credibile est, spiritum illum Dei, quo plena erat Prophetarum turba, non Saulem modò igne diuino inflammasse, sed etiam omni ex parte malignos spiritus depulisse. Idem, dum Saulus à Deo & angelo ipsius relictus, & occupatus à maligno spiritu, Dauidis necem quæreret, SICARIOS quidem bis in comitatum Samuelis misit, qui illum interficerent: sed ut primùm accesserant, occupati à Spiritu Dei, benedicebant & laudabant Deum, qui Dauidem occisuri uenerãt. Quod Saulus audiens, uenit ipsemet Ramatham: & in alium repentè conuersus, prophetauit & laudauit Deũm. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 6.

Romanis Pontificibus Auenione in Galliam sponte exulantibus, sub Benedicto XII. Clemente VI. Innocentio VI. Vrbano V. miserrima fuit ROMANÆ urbis conditio, ex alienis olim spoliis, nunc stipe & eleemosynis uiuere assuetæ. Platina.

NVNCIO FELICI VEL INFELICI.

☞ *Consule Titulum, Nunciare.*

Sub CONSTANTIO Syluanus peditum magister in Gallia, Francis mercede adductis, purpuram sumserat. Ea res eodem die, inclinante sole, nunciata Mediolanum est, Syluanum magistrum peditum solicitato exercitu ad Imperiale culmen euectum. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Post mortem Atilæ, cùm duces Ostrogothorum Valemirus, Theodemirus, & Vindemirus fratres, diuersis in locis in Pãnonia ipsis à Romanis concessa habitarent: filij Atilæ eis irati, ut qui, tanquam mancipia, à legitimo domino profugissent: aduersus Valemirum, Theodemiro, & Vindemiro inscientibus, contenderunt: quorum impetum tanta ille uirtute sustinuit, ut eos acie fatigatos prostrauerit, & cum exigua suorum parte Scythiam petere trans Istrum, coegerit. Quo die THEODEMIRVS tam insignis uictoriæ nunciũ à fratre accepit, eodem illi natus est puer ex concubina, quẽ Theodericum uocauit: qui postea regnum Gothorum in Italiam introduxit. Sigonius lib. 13. imp. occid.

INDICIO BONI, MALI, INSIDIARVM.

☞ *Consule Titulum, Indicare.*

OBSEQVIO.

☞ *Vide Tit. Bonis uel Malis consiliis parere. Item Titulum, Obsequi.*

DEPREHENSIONE. DEPREHENSI

Adulteri.

☞ *Huc quædam ex Tit. Adulterorum.*

Proditores.

☞ *Consule Titulum Proditorum.*

IVDICIO alieno COMMVNICATVR.

Gloria.

Consule locos Honorum & Præconiorum quorumlibet. Illic Honor consideratur uti bonum, quod ineſt alterivbic uerò, quatenus ab alteno pendet beneficio.

Dedecus.

Ex loco Ignominiæ huc ea, quæ ex Iudicio alieno communicantur.

Abſolutio, Condemnatio.

Qualiſcunq; ſit Abſolutio & Condemnatio, & à quocunq; quomodocunque quamcunque fiat ob cauſam, cùm ab alterius iudicio & ſententia pẽdeat, uel Dei uel Hominis, huic loco eatenus inſeruiet. Vide Tit. Prudentiæ uel Aſtus in condemnando, accuſando. item, Iuſtitiæ correctiuæ in accuſandis & condemnandis noxiis. item locum Libertatis, & Seruitutis.

C. ANTONIVS, quondam M.T. Ciceronis collega in conſulatu, Catilinariæ coniurationis accuſatus, etſi de crimine non conſtitiſſet, damnatus eſt, quòd Prætor in Macedonia prouinciam uexauerat: agros ſociorum ab hoſtibus ſpoliatos reliquerat: Dardanos contra ſe uenientes non ſuſtinuiſſet: ab acie tunc, & dum in Myſia præerat, ſumma cum Romani nominis ignominia profugiſſet. Ita & in Græcia MILTIADES damnatus eſt, non quòd reuerà reus proditionis eſſet: ſed quia adeò potens erat, ut nitere priuatus non poſſet. P. Aerodius ex Dione Nicæo, libro 38. & Aemilio Probo, in Miltiade.

Reo QVODAM cauſam in iudicio dicente, præteriens P. Seruilius Iſauricus, iudices admonuit, illum, quem alioqui nõ nosceret, ſe pedibus iter faciente, honoris ſui gratia equo deſcendere noluiſſe. Quo quidem improbi facti exemplo ſic moti ſunt iudices, ut ferè indicta cauſa reum condemnarint. Val. Max. lib. 8. cap. 6. & Dion lib. 45.

PERSONAE EIVSDEM SIMILITVDO, TEMPORE VEL

EODEM.

AVictoria IVDÆORVM aduerſus Amanum auxilio Heſteris, uſq; ad victoriam aduerſus Antiochum, anni ſunt CCCXLIII. & utraq; victoria obtigit 3. Idus Mart. qui Hebræis Adar dicebatur, ex quo Hebræi hunc diem magno habent in honore. Ioan. Bodinus Methodi hiſt. cap. 6.

HIEROSOLYMA ab Herode rege capta eſt M. Agrippa & Canidio Gallo coſſ. CLXXXV Olympiade, menſe tertio, feriis, quibus ſolenne ſit ieiunium: tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Iudæis à Cn. Pompeio calamitate. nam & ab illo eadem die urbs capta fuerat ante annos uiginti ſeptem. Ioſephus lib. 14. cap. ultimo Antiq.

Eiuſdem anni eodem die GRÆCI Mardonium cum trecentis Perſarum millibus ad Platæas, & ad Mycalen Tigranem cum 60 millibus ſuperarunt: utraque etiam pugna ad Cereris templa commiſſa eſt: illa mane, hæc ueſperi. Herodotus libro nono.

PATAVIVM à Maximiliano Imp. occupatum, receptum eſt à Venetis eo ipſo die, quo primò de Carrarienſibus captum fuerat, anno ab urbe condita 982. cùm binos & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuiſſet. Bembus libro octauo Ven. Hiſtor.

CAROLVS V. Imp. ferream coronam, unctionemq; ſacram Bononiæ à Clemente VII. ſuſcepit, anno 1530. octauo Calendas Martij: pauloq; pòſt, uidelicet ſexto ante eaſdem Calendas die, qui dies Cæſareæ maieſtati natalis erat, auream itidem coronam accepit, ut Longobardorum rex Romanorumque Imp. haberetur ab omnibus, qui iam tum ante decennium uel circiter fuerat Aquiſgrani in Germanorum regem coronatus.

DIVERSO.

ARABIA terra peſtilens humanis gentibus. Qua occupata, Chamus olim Noachi F. malorum dæmonum cultum in orbem uniuerſum propagauit. Mahometus longo pòſt temporum interuallo peſtiferum ſuum dogma ex hac tanquã arce ſpargere cœpit. Sab. lib. 6. En. 8.

Fuit TROJÆ equus ſemper exitialis. Ob Laomedõtis equos primùm urbs capta eſt ab Hercule, & exciſa. dein lignea effigie, pari euentu, uenit in hoſtium poteſtatem. pòſtremò Charidemi ductu, cùm equus ferro conſoſſus concidiſſet, fuit iacens Ilienſibus, quò minus fores irruentibus obicerent hoſtibus, impedimento. Sab. lib. 9. ca. 4. ex Plut. Sertor.

CANTABRI ultimi Hiſpanarum gentium domiti à Romanis, ultimi à Gothis ſubacti: iidem, cætera Hiſpania amiſſa, Sarracenis ſoli omnium reſtitére: dubium caſu an conſtantia gentis, & indomita ui, quæ aut uincere norit, aut cadere. Sab. lib. 9. cap. 4.

Inſeſta fuerunt CARTHAGINI duorum Scipionum nomina: quorum is Punicas fregit opes, ille funditùs euertit: reddidit hic Carthaginem tributariam, ille ſolo æquauit. Sabellicus lib. 9. cap. 4.

Bis ROMA à Totila Gothorum rege obſeſſa eſt, bis fame fatigata, bis ab Iſauricis militibus noctu prodita. Fulg. li 1. c. 6.

DISSIMILITVDO PERSONAE EIVSDEM, TEMPORE VEL

EODEM. EIVSDEM PERSONAE

Vita, Mors.

Huc refer exempla eorum, qui Natali die ſuo periere.

Dignitas, Mors.

M. ANT. Triuiſanus, quo die Venetorum dux creatus fuit, eo poſt annum defunctus eſt. Sab. ſupplem. lib. 29.

Victoria, Clades.

Huc ij, qui eodem tempore Victi rurſum uicere.

ATHENARVM mœnia ſolo exæquauit Lyſander anno ſeptimo ac ſeptuageſimo poſt uictoriam GRÆCORVM Salaminiam. Addit Plutarchus in Lyſandro, utrumque contigiſſe ſexta die menſis Munychionis. Ioannes Bodinus Method. hiſtor. cap. 6.

Sub initia belli Iudaici, quo die & hora ſeditioſi IVDÆI Hieroſolymis Romanum præſidium contra datam fidem interfecerunt, eadem CÆSARIENSES Iudæos omnes inquilinos ſuos ad internecionem ſupra XX millia ęciderũt. Ioſephus lib. 2. cap. 19. Belli Iud.

Accidit memorabili caſu, ut eadem hora, qua FLORENTINI Mediceos patria domoq; pellebant, ipſi quoque à Piſanis pari aſſerendæ libertatis deſiderio pellerentur. Iouius libro primo Hiſtor.

DIVERSO. EIVSDEM PERSONAE DIVERSO TEMPORE

Probitas, Improbitas.

Vide Tit. Mores in melius uel deterius mutati.

Felicitas, Infelicitas.

Ex Tit. Felicitatis inconſtantia, transferantur exempla.

ATHENÆ à Xerxe Perſarum rege, inde à Mardonio incenſæ: à Themiſtocle reſtauratæ. Bello Peloponneſiaco à Lyſandro Lacedæmonio denuò muri deiecti. Tandem Conon Athenienſis, cùm gratia ualeret apud Perſarum regem, & ad reuocandum ex Aſia Ageſilaum Græci Lacedæmoniis bellum intuliſſent, Perſico auro corrupti, patriam reſtituit. Fuit igitur illud fortunæ ludibrium memorabile, ut eadem urbs, quæ olim Perſarum manu deflagraſſet, captiuis eiuſdem gentis manibus fuerit reſtituta: & mox à Lacedæmonis exciſa, Laconicis ſpoliis refarta, ueterem recepit formam & apparatum. Sab. lib. 2. En. 4.

Himilco Carthaginenſis Gelam Siciliæ urbẽ obſidebat. Stabat tum haud procul extra Gelæ mœnia ſtatua APOLLINIS ærea miræ magnitudinis, quam inter ſpolia raptam Carthaginenſes Tyrum miſere. Hęc à Gelois olim ipſius dei oraculo iuſſis extructa dedicataque eo loco fuerat. Tyrij uerò, quo tempore ab Alexandro Macedone obſidebãtur, eam contumelia affecerunt, utpote, quæ pro hoſtibus contra ſe dimicare uideretur. Capta urbe ab Alexandro, uelutĩ Timæus tradit, ſimili & eiuſdem nominis die & hora, qua quondam Carthaginenſes Apollinem Gelois raptum abſtulerant, eidem ſimulacro per Græcos ſolenni admodum litatum ſacro, maximis q; muneribus, & multo thure gratificatum, perinde ac uictoriæ & urbis obtinendæ præcipuo auctori. Diodorus libro 13.

LEONTIVS præfectus militum ſeditione in populo concitata, Iuſtinianum Imperatorem omnia alia metuentem cõprehendit, ac, mutilato ad contumeliam naſo, propè exanguem

guem Cherſonem in Pontum relegauit, & Imperium Callinico patriarcha probante inuaſit. Triennio pòſt patrati ſceleris pœnas dedit. Nam per tumultum à Tiberio Abſimaro captus, & pariter naſo multatus, in carcerem eſt coniectus. Imperium idem Tiberius tenuit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Seruitus, Libertas.

Vide Tit. Victi uictores.

Heraclius Cæſar de Perſis Coſroeq; CRVCEM recuperauerat. At Heraclio Patriarcha HIEROSOLYMIS à Saladino captis rurſus amiſſa eſt. Vrbano ſecundo Pontifice maximo ſancta urbs recepta, Vrbano III. recidit in ſeruitutem. Aemilius libro 5.

Imperium, Subiectio.

Vide Titulum Subiectionis.

Amor, Odium.

Conſule Tit. Ex Inimicis amici: uel e contra.

Gloria, Dedecus.

Huc Tit. Obſcuro orti loco qui clari euaſere.

DIVERSORVM SIMILITVDO INTER SE.

Nullus eſt ferè titulus, in quo non ſimiles caſus, uel Habituum, uel Actionũ & Paſſionũ ſeſe offerant. Extat Plut. nomine Libellus de Græcorum & Rom. comparatione: cuius nos exempla ſingillatim ad ſuos quæq; locos retulimus. Pauca hic exempli cauſa iuſſecerint.

RESPECTV PERSONARVM SIMILium. SIMILES inter ſe

RESPVBLICÆ.

Vti ROMANAM urbem Galli Senones, ita VENETAM Pipinus Caroli Magni Imp. & Regis Gallorum F. ſub ipſa ferè initia oppugnarunt. Sab. lib. 2. Dec. 1. longiorem comparationem inſtituit, quæ eò eſt illuſtrior, quòd utriuſque urbis primordia à Troianis deducuntur, Romæ ab Aenea, Venetiarum ab Antenore. Quod Romanis ab initio Hernici, Equi & Volſci fuerunt, hoc Venetis Dalmatæ, Liburni & Hiſtri. Grauiſſimus illis Gallicus hoſtis, quibus omnia præter Capitolium ademit: nec his quidem omnino leuis, quibus præter Riuumaltum nihil reliquum fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Teutones & Ambrones: Gothi, Longobardi & Hunni, Hadriæ non contemtibiles. Infeſta Latino nomini Carthago: infeſta & Veneto Genua. Verùm tum ualde ferox illa, quum Philippum regem Macedoniæ ſocium & Syracuſanos nacta eſt: hæc quoq; nunquam ferocior, quàm cum Ludouico rege Pannoniæ & Patauinis Clodiaco bello eſt uſa. Hoſtis Pyrrhus Romano, at Pœno mitior: nec Pipus Sigiſmundi Pannonij regis ductor Veneto amicus, ſed Ligure longè placabilior. Diutiſſimè ab illis cum Mithridate bellatum: nec ab his cum Philippo Vicecomite breui tempore. Magnus Antiochus, Othomanus uerò maior. Verùm ſociale bellum illi ac longè grauiſſimum in Italia geſſere: at Veneti, ne non per omnia eorum æmuli crederentur, & ipſi in ciſalpina Gallia, omnes Italiæ opes non ſolùm ſuſtinuere, ſed (ut rerum euentus facilè declarauit) fregerunt etiam. Sab. lib. 1. Dec. 2. & 4.

REGES, IMPERATORES.

ANTONINVS Pius Imp. eloquentiæ fuit ſingularis, nitidæ literaturæ, ſobrius, mitis, largus, alieni abſtinens, omniaq; cum menſura ac ſine iactantia faciens: ut NVMÆ Pompilio bonorum ſententia compararetur: utpote qui eandem felicitatem, pietatem, ſecuritatem, ceremoniaſq; ſemper obtinuit. Cuſpinianus, & Suidas.

L. VERVS Imp. retulit quum aliis uitiis NERONEM, tum nocturna euagatione in ciues graſſabundus, quo contigit, ut ſæpe, quemadmodum Nero à ualidioribus afflictus, contuſa facie ſit domum reuerſus. Sab. lib. 5. En. 7.

OTTHOCARVS & IOANNES Boemorum reges, uterque gloriæ bellicæ auidus, periculorum contemtor, prodigus, ſucceſſu felix, in prælio uterque cæſus eodem die, D. Ruffo ſacra, 26. Auguſti, ille quidem à Rodolpho I. Cæſare ad Lauam Moraniæ oppidum an. 1278. hic ab Edoardo Anglorũ rege ad Creſſiacum an. 1346. Dubrauius lib. 17. & 21.

Duo monſtroſa ſub OTHONE Magno acciderunt, & eadem ſub MAXIMILIANO I. uiſa ſunt. Primum, quòd miræ magnitudinis lapis tonitru è cœlo iactus, miraculum ingens hominibus dedit. Alterum, quòd notulæ crucis in ueſtibus plurimorum apparuêre, quaſi lepra ſordeſcentibus. Sub Maximiliano itidem ingens lapis ſpecie ac forma Græcæ literæ Δ, anno MCCCCXCII. in Enſisheym decidit, oppidò Alſatiæ, qui hodie in æde ſacra cuſtoditur, à Sebaſtiano Ticione etiam carmine celebratus. Fuerunt item in pleriſque Germaniæ regionibus ueſtes crucis ſigno notatæ, quæ magnum hominibus terrorem incuſſerunt, anno MDIII. Cuſpinianus.

MAHOMETES II. Turcarum rex proſperrima fortunæ aura uſus eſt, animoq; ac ingenio, nec non gloriæ cupiditate Magno ALEXANDRO perſimilis extitit. Iou. in eius uita.

AVGVSTI Imp. inter omnes Rom. Cæſares FRIDERICVS III. imperij diuturnitate æmulus uideri poteſt. Sic Cuſpinianus:

Auguſto propior Fridericus Tertius, orbem
Quinquaginta annis rexerat, atque tribus.
Sed tribus hic uita Auguſtum ſuperauerat: æuo
Longior hic, ille eſt ditior imperio.

REGINÆ.

IEZABEL, regina Iſraelitarum, Achabi uxor, iuſſu Iehu, qui regnum inuaſerat, equę indomitæ caudæ alligata, miſereq; lacerata eſt. 4. Reg. cap. 9. Viciſſim BRVNECHILDA, Metenſium regina, equi indomiti caudæ alligata & diſcerpta eſt ob inaudita ſcelera & decem reges extinctos. Regino libro primo, Sigebertus, Gaguinus libro 2. Auentinus libro tertio.

DVCES BELLO CLARI.

ALCIBIADES apud Athenienſes, & C. MARTIVS Coriolanus apud Rom. hoc commune habuere, quòd quando præſentes fuerunt, & exercitui præfuerunt, reſp. ſuas manifeſtè rexerint: & contrà manifeſtiùs depreſſerint, cùm deſciuiſſent. Plut. in comparatione eorum.

LYSANDRO Lacedæmonio L. Corn. SYLLAM conferens Plutarchus, colligit tandem, plura præclarè facta Syllæ eſſe, Lyſandri peccata pauciora: atq; huic abſtinentiæ & temperantiæ, artium illi bellicarum & uirtutis primatum tribuit.

EVMENI Cardiano & C. SERTORIO Romano commune hoc eſt, quòd peregrini & alienigenæ & exules, gentium uariarum, & fortium legionum, magnorumq; exercituum fuerint ductores, ille quidem regni cupidus cum Antigono certans, hic uerò ſalutem ſuam contra uim Romanorum in Hiſpania defendens. Ambo inſignes fuerunt imperatores, & artuti bellatores, extra patriam peregrinantes, alienigenarum ductores, fortuna conflictati aſpera, ad exitum & nouerca. Siquidem circumuentus uterque inſidiis, atque quibuſcum hoſtes uicerat, ab iiſdem eſt oppreſſus. Plutar. in Eumenis prooemio.

TIMOLEON Corinthius, & L. PAVLVS Aemilius bella uterque aduerſus claros aduerſarios habuere, hic Macedonas, ille Carthaginenſes, fuerunt q; eorum inclytæ uictoriæ. Hic Macedoniam ſubegit, & Antigoni ſucceſſionem ſuſtulit in ſeptimo regni: ille omnes tyrannos Sicilia exterminauit, inſulamque aſſeruit in libertatem. Plutarchus in eorum comparatione.

ANNIBALEM Pœnum & P. CORN. Scipionem Africanum ſatis conſtat ambos fuiſſe ſummos præſtantiſſimoſq; belli duces, ac non modò ætatis ſuæ, qua nulla bellaciſſimorum uirorum feracior fuit, ſed etiam ſuperiorum temporum cuiliber regnum imperatorúmue pares. Id autem mirari libet, cùm potentiſſimos aduerſarios domi haberent, qui omnia ſua conſilia oppugnare nitebantur, tanta eos in externis bellis ſuſtinere aut perficere potuiſſe. Nam ut cætera omittam, P. Scipio, aduerſante Fabio Maximo, aliisque principibus ciuitatis, quanta contentione perfecit, ut in Aphricam mitteretur ad gerendum ex propinquo Carthaginenſibus bellum? Annibal uerò quem aut qualem aduerſarium habuit Hannonem principem factionis aduerſæ? Ambo igitur multis domi foriſq; difficultatibus uictis, non feliti quadã temeritate, ut pleriſque contigit, ſed arte, ingenio, conſilio, res omni memoria dignas geſſere. Ambo liberalibus artibus eruditi, ambo doctorum hominum amatores fuiſſe dicuntur. Ambo præterea apti in dicendo, Annibal etiam acutus in reſpondendo fuiſſe traditur. Denique hi duo celeberrimi duces non tam domeſticis uirtutibus, quibus Scipio magnopere præſtitit, quàm bellicis artibus & rerum geſtarum gloria, comparabiles eſſe uidentur. Exitus quoque uitæ ſimilitudinem quandam præ ſe ferunt, quòd ambo extra patrium ſolum obierunt: quanquam Scipio non à republica damnatus, ut Annibal, ſed uoluntario ſibi exilio indicto uitã extra urbem finiendã putauit. Auctor uitę utriuſq;

Plutarchus CIMONI Athenienſi L. LVCVLLVM Romanũ opponit: ſiquidem fuerunt bellaces ambo, atque aduerſus barbaros inclyti: contrà domi placidi, ac potiſſimùm ab diſcordiis inteſtinis patrias ſuas recrearunt. Adhæc erexit uterq; trophæa, & uictorias retulit inſignes. Neq; enim, ſi ab Hercule & Libero patre diſceſſeris, aut ſi quod Perſei contra Aethiopas uel Medos & Armenios, aut Iaſonis ueritati

factum consonum ex uetustate tanta ad memoriam delatum nostram sit: ex Græcis Cimone, uel Lucullo ex Romanis, tam procul arma prior protulit ullus. Iã est hoc quoq; iis commune, quòd bellum mutilum reliquerint: atq; fregerit quidem uterq;, sed neuter oppresserit hostem. Præcipuè uerò benignitatem & effusionem in conuiuiis & comitate hac, splendidamq; & prolixam mensam ac uitam quotidianam aspicere in utroq; licet parem.

Imperatorum bellicosissimi, quiq; plurima dolo & calliditate perpetrauerunt, altero lumine orbati fuere, PHILIPPVS, ANTIGONVS, ANNIBAL, & Q. SERTORIVS: quem Philippo dicas in amoribus fuisse continentiorem, Antigono firmiorem erga amicos, clementiorem erga hostes Annibale, nulli horum prudentia concedere, sed omnibus fortuna: qua supra omneis illustres hostes suos usus multo ubique acerbissima adæquauit illis se belli scientia cum Metelli usu, audacia cum Pompeij, fortuna cum Syllæ potentia, cum populi Romani uiribus exul, & Barbarorum aduena dux comparatus. Plut. in Eumenis procœmio. Nostra etiã tempestate FEDERICVS Vrbinas, ueteribus magis, quàm sui temporis ducibus comparandus. Sab. lib. 9. cap. 4. [redacted] Vide Tit. Duces bellicosi.

ATILA Hunnorum rex eo die natus, quo C. IVLIVS Cæsar, & Idibus Martiis (quibus ille in curia XXIII. uulneribus confossus) ex apoplexia mortuus. Nic. Olahus cap. 16. in eius uita, & Sabell. lib. 1. En. 8.

PRÆFECTI.

Plinius Iunior in Epistolis, CÆCILIVS, inquit, Classicus, homo fœdus, & apertè malus, proconsulatum in ea parte non minùs uiolenter quàm sordidè gesserat, eodem anno, quo in Africa MARIVS Priscus. Erat autem Priscus ex Betica, ex Africa Classicus. Inde dictum Beticorum (ut plerunq; dolor etiam uenustos facit) nõ illepidum ferebatur: Dedi malum & accepi. Erasmus in Adagiis.

ORATORES.

Cùm DEMOSTHENEM & CICERONEM, hunc Latinæ, illum Græcæ facundiæ principes, eadem moneta cõformaret ab initio deus, multis modis naturam inseruisse iis similem uidetur, ut ambitionem, libertatis in repub. amorem, timiditatem in periculis & armis, immiscuisse etiam fortuita multa. Haud enim duos reperiri oratores arbitror alios; q ex obscuris & paruis potentes & magni euaserint, regibus & tyrannis se obiecerint, filias amiserint, patriæ extorres redierint honorificè, iterum profugerint, & in manus inciderint hostium, uitam preterea cum expirante deposuerint patriæ libertate. Itaq; si in certamen natura & fortuna sicut artifices descenderint, haud expeditum sit, hæc negociis, an moribus illa magis eos adequauerit, diiudicare. Plut. in eorum Vitis. Pari ferè ætate illustres causas egerunt. Demosthenes septem & uiginti annos natus, cõtra Androtionem, & contra Timocratem orationem habuit. Cicero pro Sex. Roscio, & anno minor pro P. Quintio. Gel. lib. 15. cap. 28.

C. Mario, Cn. Carbone III. Coss. ad V. Calendas Iunias, M. CÆCILIVS Rufus, & C. LICINIVS Caluus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tamen dispari euentu. Plin. lib. 7. cap. 49.

PHILOSOPHI.

POLYSTRATVS & HIPPOCLIDES philosophi, eodem die nati, eiusdem præceptoris Epicuri sectam secuti: patrimonij etiam possidendi, alendæq; scholæ communione cõiuncti, eodem momento temporis, ultima senectute extincti sunt. Tam æqualem fortunæ pariter atq; amicitiæ societatem, quis non ipsius cœlestis Concordiæ sinu genitam, nutritam & finitam putet? Valerius Max. lib. 1. cap. 8.

GLADIATORES.

BITHVS & BACCHIVS, nobile par gladiatorum fuit: quorum mentionem Suetonius quoque fecit, pares arte, pares audacia. Proinde quoties duo æqualiter improbi contendunt inter sese, ita ut neuter alteri uelit concedere, non intempestiuiter dicemus, Bacchium cum Bitho commissum. Erasmus in Adagiis.

ESERNIVS & PACIDIANVS erãt gladiatores per omnia pares, longeq; omnium nobilissimi. Erasmus in Adagiis.

FILII ET PARENTES.

CLEARCHVS Lacedæmoni⁹ à Pericle pecunia corruptus, in Atticam abstinuit irrumpere. Quamobrem in exilium ad Thurios Italiæ relegatus est. GYLIPPVS patre non melior, cum nauali auxilio in Siciliam ad Syracusios defendendos missus, & à Lysandro Sparta remissus cum spoliis & argenti mille & quingentis talentis, sacculis impositis, in quibus singulis scytala erat, qua quod cuique impositum pecuniæ fuisset, notabatur. Gylippus per iter sacculis reuinctis, trecenta talenta subtraxit. Quo per Ephoros retecto, aufugit, capitisque ob id commissum damnatus est. Diodorus libro decimotertio.

PORCIA Catonis Vticensis F. patre nec castitate nec fortitudine inferior, cùm Bruto nupta Cæsaris interfectori, coniurationis illius esset conscia, uitam, ut nobilitate & uirtute eius erat dignum, profudit. Plut. in Catone.

NERO Cæsar filius fuit DOMITII Aenobarbi, scelestissimi uiri, & Agrippinæ Germanici filiæ. tam infelici genitura editus in lucem, ut pater Domitius ex se atq; Agrippina, nihil quicquam nisi detestabile in perniciem reipub. posse nasci, apertè fateretur. Cuspinianus.

Fuit CONSTANTINVS Constantij Chlori Imp. filius, bonus à bono, pius à pio, in Britãniis obscuriori matrimonio (ut Eutropius ait) natus, ex matre Helena, quam stabulariam Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij appellat: princeps commodissimus & salutaris, qui nutrire bonas artes, ac studia præcipuè literarũ, legere præterea ipse, scribere & meditari solebat.

ETHELFREDI Northumbrorum regis impij in acie cæsi septem filij, ad Scotorum regem Eugenium IV. confugere, & ibi Christianam religionem sunt amplexi. Posteaquam uerò EVFREDVS & OSRICVS Eugenij intercessione regno paterno sunt restituti, ad ethnicismum rediere. Eapropter à Penda Merciorum & Cadouallone Britannorum regibus uicti, captiq;, in carcere mutuis uulneribus cõcidére. Regnum Osualdo eorum fratri regi sanctiss. datum. H. Boethius libro nono.

Duo admiranda in MAXIMILIANI I. Imp. morte obseruãda: quòd, ut olim pater FRIDERICVS Cæsar in summa pace obiit: & eius mortem biennio maxima sequuta est pestilentia. Post Friderici obitum, 1490 pestilitas nonagesimo quarto & quinto multas ciuitates & uillas penè desertas reliquit: post mortem uerò Maximiliani, tam crudelis, tam sæua, tam stupenda biennio pòst orta est pestis, ut frumenta in agris non secta manerent, & à nemine colligerentur. Nulla arx, nullum castrum, nullum oppidum, uilla, uicus intactus mansit. Tertia pars hominum in Austria sublata putatur. Cuspinianus.

Io. FRIDERICVS dux Saxoniæ, Elector imperij, à Carolo V. Imp. Mulbergæ acie uictus & captus est, XI. Aprilis, A. D. MDXLVII. FILIVS maior natu, ut nominis, sic & fati heres, eadem die, post XX annos captus in urbe Gotha, & Maximiliani II. Imp. iussu, quòd Gulielmum Grumbacum exulem proscriptum suscepisset, Dresdam captiuus abductus, fati paterni similitudinem primus animaduertisse fertur.

SOCERI ET GENERI.

GRAMVS Danorum rex rapta Sichtrugi Suconum regis filia Grò, socerum in acie claua aurea occidit, & regno Sueciæ potitus est. Multo pòst SVIBDAGERVS Noruagiæ rex Grami filiam frustra ambiens rapuit, & socerum iniuriam persequentem acie oppressit. Cranzius lib. 1. Sueciæ, cap. 12.

FRATRES.

LYSICIDES & PITHEVS, fratres, ex huius filia, quę Aethra fuit, Theseus ortus: ex Alcmena, quæ ex illo genita est, Hercules, duo Græciæ lumina.

Pari euẽtu PELEVS & TELAMON, Aiacis filij, omnium, qui ad Troiam militarunt, fortissimos genuerunt: hic Achillem, ille Aiacem. Sab. lib. 9. cap. 4.

ATELLES, MÆON & DIVS, fratres Cumani. Dius obęratus in Ascram Bœotiæ uicum commigrauit, & ibi ex Pycimede Hesiodum poetã sustulit: Atelles uerò in patria Cuma mortuus, filiam Critheida reliquit, & Mæoni fratri commisit. Mæon puellam stuprauit. Ex eo postea incestu natus est Homerus, ad Meletem fluuium, cùm puellam Mæon sceleris tegendi gratia Smyrnę Phemio ludimagistro elocasset. Sic ex duobus fratribus duo poetices lumina prodierunt. Plut. in Homeri uita, ex Ephoro Cumano.

THEAGENIS Thebani, qui Epaminondam & Pelopidã pari animo, sed successũ dispare imitatus, ad Cheroneam occubuit, sororem habuit TIMOCLIAM, animi fortitudine uerè germanam, pudicitię, à Macedonicæ alæ præfecto uiolatæ, uindicta ingeniosa nobilem. Plut. de Virt. mul.

MEDARDVS ac GERARDVS Galli, fratres gemini, non solùm eodem nati die, uerumetiam eodem ad episcopatus honorem, ad Rhotomagensem alter, alter ad Nouiodunensem ecclesiam euecti. Et, ne quid ad paritatem deesset, mortui etiam eodem die: animis etiam ita cõcordes, ut nequaquam eis essent philosophi Hippoclides & Polystratus anteferendi. Fulg. lib. 1. cap. 6.

VITELLOTIVS à Valentino duce Cæsare Borgia, Alexandri VI. Pp. F. Senogalliæ strangulatus, familiæ suæ fatum uitare non potuit, ut uidelicet uiolenta morte periret: quemadmodum omnes reliqui eius fratres, quum in re militari iam magnum & usum & nomen sibi comparassent, aluis post alium, ętatis ordine: Ioannes tormenti globo in castris Innocentij Pontificis Auximum missis: Camillus dum Gallis militaret, lapide circa Circellas ictus: & Paulus Florentiæ securi percussus, interierant. Guicciard. lib. 5.

HORV-

HORVCIVS & Hariadenus fratres piratæ, bellica laude similes. Iouius lib. 33. Hist.

GENTILES.

Omnes ferè ex gente & AEACIDARVM nomine, diuinitùs oblata nece occubuerunt. Achilles enim, ut Homerus memoriæ prodidit, ab Alexandro Priami filio, & Apolline interfectus est: Pyrrhus eius filius, oraculi iussu, à Delphis occisus est. Pyrrhus Aeacidæ F. ab Achille XVI. cũ Argos infestis armis intrasset, à Cerere, sub habitu matronæ, tegula de super ictus occubuit. Pausan. in Atticis.

AESCHYLVS tragicus Atheniẽsis, nouæq; Tragœdię inuentor, filios habuit Euphorionem & Bionem, itidẽ tragicos: pręterea nepotem ex fratre uel sorore Philoclem tragicum, cuius filij duo Morsimus & Philippides: Morsimi filius Astydamas, qui filium habuit Astydamantem: omnes tragici. Vt mirum sit, in eadem familia octo illustres extitisse tragicos poetas. Gyraldus Dial. 6. Historiæ poet.

Vna familia CVRIONVM Romæ, in qua tres continua serie oratores extiterunt: Vna FABIORVM, in qua tres cõtinui principes senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius, Q. Fabius Gurges nepos. Plin. lib. 7. c. 41.

In LEPIDORVM familia tres, quamuis intermisso ordine, obducto membrana oculo, geniti sunt. Plin. lib. 7. c. 12.

SCIPIONES duo, prior Carthaginem tributariam fecit, posterior excidit. Plut. in Sertorio.

Cn. Pomp. post Syllæ dictatoris interitum, orta inter Lepidũ & Catulum Coss. discordia, optimatiũ partes secut⁹, BRVTVM, qui Marci Bruti fuit pater, Mutinæ, quam ille cum Lepido occuparat, aliquandiu obsedit, atq; in potestatẽ redactum interemit. & quod memorabile sanè uideri potest, haud multis inde interiectis annis, D. BRVTVS ab Antonio Triũuiro, eodẽ in loco obsidione fatigatus, haud multo pòst periit, quum fortè fugam inde molitus esset. Sabellicus lib. 4. Enneadis 6.

SENECÆ ex Annæorum familia Cordubensi illustriss. quę etiamnum hodie floret. Tres inprimis ex ea fratres prodierunt, doctrina & moribus clari, Annæus Seneca, Annæ⁹ Gallio, Annæus Mela. Inde Seneca tragicus, Mela Pomponius, Lucanus, & alij. Gyraldus Dial. 8. Hist. poet.

PETRVS de Vbaldis, medicus Perusinus, tres filios habuit Iureconsultorum maximos. Qui deinde & ipsi nepotes patri & pronepotes Iureconsultos dedére.

Sancta SOPHIA nobilis familia Patauij habuit continuata serie septẽ philosophos, simulq; illustres medicos: ut quasi prodigij loco haberi possit gentis huius cognomẽ: quando sicuti Sophiæ nomine decoratur, sic etiam reipsa in ea tamdiu perfusus Sophiæ splẽdor illuxerit. Primus in ea floruit Nicola⁹ de S. Sophia: an. 1350. mortuus: cùm filiis duob. Marsilio, medicinę, post Petrũ Aponensem illustratore summo, qui Bononiæ obiit, an. 1404. & Ioanne fratre. Quartus Bartholomæus Ioannis F. Deinde Galeacius & Gulielmus. Tandem Bartholomæus, anno 1515. Bernardus Scardeanus lib. 2. historiæ Patauinæ.

RESPECTV RERVM IN QVIBVS similes sunt. Puta SIMILES

IN PLVRIBVS. NEMPE

Nomine & Re.

Variæ sunt urbes LARISSÆ dictæ, sed peculiare quiddã Larisseis, Caystrinis & Phriconensibus contigit, & iis, qui sunt in Thessalia. Omnes enim regionem à fluminibus dilutam habuere, illi à Caystro, hi ab Hermo, tertij à Peneo. Strabo libro decimotertio.

Fuerunt in Laconia AMYCLÆ, atq; aliæ inter Caietã & Terracinam sitæ: illas Ausonius silentio periisse, has Seruius à serpentibus deletas crediderunt Solinus & Plinius. Brode⁹ in Epigrammatis.

Tulit non unus ACTÆONIS nomen, sed infeliciter, & laniatui obnoxium. Duo, apri occursu peremti, Syrus unus, alter in Arcadia: tertius in Bœotia à canibus discerptus: amatorius furor ultimum laniauit. Plut. in Sertorio.

Duo ATTIES illustres fuerunt, alter Syrus, alter Arcas: uterq; ab apro est interfectus. Idem.

Duæ urbes, à suauissimis plantis uiola & myrrha nomen habentes, IOS & SMYRNA: altera natales, altera mortẽ Homeri sibi uendicat. Idem.

Cœli prouidentia, non hominum consilio accidit, quòd in Iudæa duo, qui MAGNI cognomen habuère, Alexander Macedo, & mox Cn. Pompeius, Hebraicæ religionis cultũ non modò non aspernati sunt, sed inoffensum etiam ab omni iniuria præstiterunt. Hic Hierosolymis captis à direptione templi militem prohibuit: ille summum sacerdotẽ sibi obuiam uenientem uenerabundus excepit, ac uelut numen quoddam adorauit. Sab. lib. 4. c. 2.

Obseruatum no[redacted] CAII prænomen [redacted] ferro perisse iam inde ab eo, q[redacted] nanis temporibus sit occisus. Suetonius.

Fuerunt duæ IVLIÆ mater & filia, hæc Augusto genita, altera Marco Agrippæ, ambæ adulterij damnatę. Duę AGRIPPINÆ, mater Caligulam, filia Neronem genuit, teterrimas humani generis pestes. Duæ FAVSTINÆ, maior impudica, sed quæ ex ea genita est impudicissima. Pari infamia notatæ duæ illustres feminæ, quibus IOANNA fuit nomen, reginæ Neapolitanæ, nec tantùm infamia respersæ, sed infausto quoque matrimonio celebres. Sabellicus libro primo. Enneadis decimæ.

Fuerunt tres clari in Iudęa HERODES, non magis inter se similes nomine, quàm & humanæ salutis interpolandæ studio: quorum is innocentium cruore, crudele solium respersit: filius Christum regem pro despicato à se dimisit: nepos Barionam uinxit, Iacobum interfecit. Sabellicus libro nono, capite quarto.

Apud Anglos uidetur GLOCESTRENSE nomen, honoris causa comitibus ducibusq; datum, fatale fuisse ad eorum perniciem, quib. illud fuerit. Nam Hugo Spenserius, & Thomas Vodestocus Edouardi III. regis filius, ille comes, hic dux Glocestriæ, miserabili supplicio uitam amiserunt: Humfredus dux Glocestrensis, Henrici VI. adolescentiæ rector, ab eius uxore Margarita strãgulatus est. Ricardus III. rex, Glocestriæ dux, ciuili bello trucidatus est, ita ut nomẽ illud perinde in prouerbium de calamitosis hominib. uerti possit, ac olim Equus Seianus. Polyd. lib. 23. hist. Angl.

Ominosum MVLBERGI uiris principib. nomen est. Ad Mulbergum in Bauaria, ducem Austriæ Fridericum cepit Ludouicus IV. Imp. Ad Mulbergum supra Nemetes, Bernardum Marchionem Badensem Rupertus. Ad Mulbergum Saxoniæ, Ioannem Fridericum Electorem Carolus V. Georg. Fabric. in Elector. Saxon. Nec multùm Turingiæ Mulbergũ à Gotha distat: ubi superiorib. annis Io. Fridericus dux Saxoniæ, Maximiliani II. decreto obsessus & captus fuit.

ALEXANDER Rom. Pontifex, huius nominis secũdus, quique tertius & quintus fuit eiusdem nominis, schisma & antipapam sunt non sine ærumna perpessi. Alexander VI. etsi non alterum uidit aduersus se pontificem creatum, tulit tamen primorum antistitum secessionem. Sab. lib. 9. cap. 4. De eo carmen tale, Pasquilli affixum statuæ, euulgatũ fuit:

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste:
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

Moribus, Studijs, Fortunis.

SAMSON Israelitarum iudex, & HERCVLES Thebanus eadẽ ferè ætate floruere, ut Hieronymo placet. Eusebius Samsonem aliquantò iuniorem facit. Vterq; ferè à leonis interitu suam est gloriam auspicatus, uterque inuictus aduersus plures restitit: tam hic quàm ille, mulieris opera periit, unius fraude, alterius stultitia: uterq; ultrò mortem oppetiit: Samson orbitatis, Hercules doloris impatientia. Sabellicus lib. 6. Enneadis 1.

Bisseni fuerunt Iacobi patriarchæ FILII, totidem & Christi DISCIPVLI, & in his unus Iudas nomine: unus qui tricenis sit numis uenditus, tricenis & Christus. Fuitque ille sub terra, uiuusq; inde receptus est: fuit & hic, qui propria uirtute surrexit. Viderunt illum fratres sublimi solio sedẽtem, uiderunt hunc discipuli cœlum scandentẽ: spectabunt postmodum omnes gentes, cùm ad dextram summi sedebit patris, humanum genus iudicaturus. Sab. lib. 9. c. 4.

Pares magnoperè inter se fuerunt antiquitùs duo clarissimi uiri, in beneficiis publicè dandis, animisq; totius eius gentis, quam subleuarunt, sibi deuinciendis, OEDIPVS & THESEVS. Ambo enim liberarunt nobilem suum populum sæuo & atroci quodam uectigali, quod uicti grauibus malis pendebant, alter eorum Thebanũ, alter uerò Atheniensem: quare ipsorum facta meritò celebrantur à duob. claris poetis, Sophocle atq; Catullo. Oedipus enim consilio & solertia usus est, & cùm obscuram illam uocem Sphingis, quam nemo unquam antea explicare potuerat, aperuisset, frenauit eius monstri audaciam: effecitq;, ne amplius illa in Thebanum populum grassaretur, assidueq; ipsum absumeret. These⁹ uerò fortitudine animi & præsentia usus est in frangendo dissipandoq; tributo, quod Minos imposuerat Atheniensibus, & cum monstro cominus pugnauit. Victorius lib. 30. Var. lect. cap. 9.

DEMETRIVS Poliorcetes & M. ANTONIVS Triumuir, maximè astipulati sunt Platoni, Vitia item magna aut uirtutes à magna proferri indole. Fuerunt æquè lustris uinoq; dediti, bellicosi, munifici, sumtuosi, insolẽtes. Iam fortunæ quoque habuerunt paritates consentaneas. Non solùm enim per totam uitam reliquam magnas res feliciter gesserunt, magnis in rebus cespitauerunt, plurimis potiti sunt, plurimas amiserunt: inopinatò conciderunt, præter spem denuò sunt excitati: uerumetiam uitam finierunt, captus alter ab hostibus, alter penè in eam fortunam delapsus. Plutarchus in Demetrij procœmio.

Rempub. Athenienſium Rhetorum furiis & Macedonum armis preſſam, PHOCION uirtute ſua, quãtum potuit, ſubleuauit. CATO minor rẽ Romanam contra Cæſaris, Craſſi & Pompeij conſpirationem aliquãdiu ſuſtinuit, ne ſimul atq; ſemel corrueret. Ille à populo malè grato in carcere cicuta ſublatus eſt: hic Vticæ, ne in uictoris Cæſaris manꝰ incideret, ſibiipſi manus intulit. Plut. in Catone.

M. MARCELLI & PELOPIDÆ ingenij morumq; ſumma eſt conſenſio: quia fortes ambo & impigri & animoſi excelſique fuerunt. Plut. in eorum comparatione.

DION Syracuſanus conſuetudinem cum Platone habuit, M. BRVTVS Romanus præceptis imbutus fuit Platonis. Itaq; quaſi ex una ambo palæſtra ſunt ad maxima certamina ꝓgreſſi. Nec mirum eſt, eos multis factis conſimilibus & germanis edendis præceptori uirtutis aſtipulari, ut res amplas & ſplendidas geras in rep. procuranda, potentię & fortunę requiri cum prudentia & iuſtitia aſſociationẽ. Vterq; ſublatus de medio ante metam eſt, ubi facta ſua ex multis & magnis contentionib. deponere, ſicut inſtituerant, nequiuere. Quod uerò omnium eſt maximè ſtupendum, utriq; deus uitæ exitum prænunciauit parum propitio ſpectro iuxtà utrique oblato. Plut. in Vitis.

ROMVLO uidetur THESEVS multis nominibus congruere. Ambo enim incerta orti, nec iuſta ſtirpe, fidẽ acceperunt natalium diuinorum:

Pugnaces ambo, quod certè nouimus omnes:

& coniuncta cum uiribus corporis præditi fuerunt prudentia. Vrbes clariſſimas, ille Romam condidit, hic cultorib. frequentauit Athenas. Raptor uterq; feminarũ: neuter domeſtica incommoda, uel inuidiam declinauit familiarem: imò uerò ſub exitum uitæ offendiſſe uterque ciues ſuos fertur. Plutarchus in Theſeo.

Fama percrebuit, NVMAM Pompilium ſapientiam & eruditionem ſuam ex PYTHAGORA philoſopho hauſiſſe. Magna enim ex parte hic Reip. ſuæ inſtitutionem, philoſophiã ſuperior in rebus diuinis poſuit. Exteriorem ſpeciem quoque & perſonam eadem ac Pythagoras mente dicitur petiſſe. Fertur ille ita manſuefeciſſe aquilã, ut certis uocib. ſiſteret, & deuocaret ſuperuolantem: iam in cõuentu Olympiaco tranſeuntem femur aureum protuliſſe, aliaſq; commemorant monſtrificas eius artes & facta. Numæ fabula, deæ cuiuſpiam aut nymphæ montanæ amor & arcanum cum ipſo contubernium erat, mutuaq; cum Muſis conſuetudo. Pleraſq; autem diuinationes ſuas contulit in Camœnas. Vnam peculiariter atq; eximiè uenerari præcepit Romanis, Tacitam eam nominauit: quæ cõmemoratio uiſa eſt & obſeruatio ſilentij Pythagorici. Iam huius de ſtatuis ſcita, undequaq; Pythagoræ placitorum ſunt germana: neq; enim ille ſenſui aut ulli dolori expoſitum rerum principium eſſe, ſed inuiſibile, incorruptum, ſolã mente exiſtimauit apprehenſibile. Hic uetuit Romanis hominis uel beſtiæ formam tribuere deo, neq; fuit ulla apud eos antè uel picta uel ficta imago dei: ſed primos centum ſexaginta annos templa extruxerunt & cellas diis: ſimulacrum per id temporis nullũ habuerunt, nefas putantes auguſtiora exprimere humilioribus, neq; aſpirari aliter ad deum quàm mente poſſe. Adhæc hoſtiæ eius reſpõdent planè uictimis Pythagoricis: incruentæ enim erant, ac ferè farina, libaminibus ex uino, & rebus ſimpliciſſimis parabantur. Plut. in Numa.

CAIVS Caligula, & Domitius NERO, ꝗ uno Claudio interiecto poſt Caium imperauit, duæ humani generis faces dicti ſunt, duabus Agrippinis geniti. Hic ex Caligulæ ſorore, ille ex Agrippæ & Iuliæ filia, quæ Germanico nupſerat. Sabellicus lib. 2. Enneadis 7.

IN VNO ALIQVO. Puta Similes

Eruditione.

D. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium, PHILONEM Iudæum recenſet, qui & eloquentiam & omnem Grecanicam eruditionem ita ſit aſſecutus, tum Platonicam in dicendo maieſtatem ubertatemq; ſic expreſſerit, ut eum alterum PLATONEM appellet. Teſtatur autem apud Græcos, uulgo de illis dici ſolitũ, Η πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει. i. Aut Plato Philonem imitatur, aut Philo Platonem. Extat huius opus, in quo uitas illuſtrium aliquot Hebræorum tractat, orſus ab Abraham, omnia trahens ad morales allegorias: ſtilo candido & ſublimi, ac diuinum quiddam præ ſe ferente, qualis eſt & Platonis: gaudet ſymbolis ac myſteriis numerorũ, quod ipſum Pythagoræ Platoniq; familiare. Ad morum inſtitutionem accommodat omnia: nec hac parte diſſidens à Platone. Eraſmus in Adagiis.

Opinione.

SOLONI Plutarchus P. VAL. Poplicolam confert, quòd licet in multis diſſentiant, at in eo tamen conueniant, quòd Poplicola Solonis æmulus fuiſſe uideatur, & Solõ uiciſſim Poplicolæ præco ſiue teſtis, qui ſub perſona Telli Athenienſis longè perfectiorem deſcribat Valerium.

Prudentia.

Mihi uidetᷣ P. Corn. SCIPIO (inquit Polybius) LYCVRGO Lacedæmoniorum legiſlatori naturam conſimilem habuiſſe & uoluntatem. Neq; enim Lycurgum exiſtimandum eſt per ſuperſtitionem, & in omnibus ſacrificulæ Delphicæ obtemperantem, Laconicam Remp. conſtituiſſe: neq; Publiũ ſomnia & omina ſecutum, tantum patriæ principatũ peperiſſe. Sed cùm uterq; uideret, pleroſq; mortales nec inopinata conſilia facilè admittere, neq; periculis & diſcriminibus abſq; diuini auxilij ſpe, ſeſe committere audere: Lycurgus Pythia, ſemper conſiliorum ſuorũ duce & auſpice, aſcita, facilius perſuaſit, & ad exitum conatus ſuos perduxit. Publius uerò cõſimiliter, quaſi diuino afflatu incitatus res gerendas aggrederetur, animos ſuis addidit ad pericula prõtè adeunda, quamuis omnia conſilio & ratione faceret, & exitus negotiorum omnium conſiliis eius reſponderet. Nã beneficum quidem eum fuiſſe, & magnanimum, cõſtat: ſolertem uerò fuiſſe & ſobrium, & cœpta urſiſſe, nemo conceſſerit, prẹter familiares eius & ſpectatores, explorato eius ingenio: quorum unus fuit C. Lælius, ab adoleſcentulo & factorum & dictorum eius omnium uſq; ad obitum ſocius, qui hãc de eo opinionem commouit, eo quòd probabilia dicere, & conſentanea rebus ab illo geſtis uidebatur. Suid.

Conſilio.

THRASYBVLVS Mileſiorum tyrannus, à Periandro Corinthio idem quod SEX. Tarquinius à Tarquinio Superbo, de papauerum capitibus decutiendis, reſpõſum accepit. Alex. lib. 2. cap. 32. Gen. dierum.

Stratagemate.

☞ *Ex loco Stratagematum huc ſimilia exempla.*

ZOPYRVS Babylonios, SEX. Tarquinius Gabios, PISISTRATVS Athenienſes, DIONYSIVS Syracuſanos, corpore uulnerib. afflicto ſubegere. ADOLESCENS qdã Cumanos ab Ariſtodemi tyrannide liberauit. Eodem aſtu SOSIS Syracuſanus Dionem perdere fruſtrà tentauit.

Fortitudine.

☞ *Vide præced. Duces clari ſimiles.*

Audacia.

Quæ Liuius & cæteri Romanarũ rerum ſcriptores de C. MVTIO tradunt, haud multũ ab iis diuerſa, quæ Agatharchides Samius de AGESILAO Themiſtoclis fratre ſcripſit, ꝗ Mardonium pro Xerxe in Perſicis caſtris interfecit. Melior tamen in Scæuola euentus, quia pax ſecuta. Sab. lib. 7. En. 2.

Ortus tempore.

Sexto die Thargelionis natus eſt SOCRATES, item ALEXANDER Magnus. Eodem die ALEXANDER obiit & DIOGENES Cynicus. Alex. lib. 4. cap. 20.

TIBVLLVS & OVIDIVS poetæ eodem anno & die nati, quinquatriis ſcilicet Mineruæ, intra Calendas Apriles. Gyraldus Dialogo 4. Hiſt. poet.

Homerus eadem nocte genitos tradit HOMERVM & POLYDAMANTEM, diuerſę alioqui fortis uiros. Sic Plin. libro 7. c. 49. M. Cæcilium RVFVM, & C. Liciniũ CALVVM, oratores ambos, ſed diſpare euentu.

Mortis genere.

☞ *Conſule locum Mortis.*

Mortis tempore.

☞ *Eodem tempore trucidatorum exempla pete è loco, Mortis tempus.*

T. LIVIVS hiſtoricus, & P. OVIDIVS Naſo, Calendis Ianuarij, eodem anno obierunt.

Mortis omine.

Pantomimus Mneſter paulo ante cædẽ CALIGVLÆ tragœdiam ſaltauit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum PHILIPPVS occiſus eſt, egerat. Suetonius in Caligula.

Damno mutuo.

Hegeſander Delphus in commentariis, Tempore, inquit, imperij Antigoni Gonatæ, tanta fuit leporum copia in ASTYPALÆA, ut eius loci incolæ reſponſum expetiuerint de ipſis: ac reſponderit oraculum, canes nutriẽdos eſſe, uenariq; opus eſſe: ubi intra anni ſpacium plures ſex millibus capti fuerunt. quæ tanta creuit multitudo ex geminis leporibus, quos attulerat in ipſam inſulam Anaphænus quidã. Cùm uiciſſim Aſtypalæus quidã binas perdices in ANAPHEM inſulam portaſſet, tanta perdicum copia in Anaphe fuit, ut propius periculo fuerit, ne incolæ regionem deſerere cogerentur. Aſtypalæa autem nullos habebat lepores antea, ſed perdices. Eſt autem lepus fœcundum animal, ut Xenophõ teſtatur in Venatorio, & Herodotus. Athenæus lib. 9. c. 20.

Imperij ortu.

[redacted]

TVS

[redacted]

Imperij duratione.

Regnum PERSARVM à Cyro uſq; ad Alexandrum ſtetit annos CCX. qui numerus ex integris ſeptenariis XXX conflatur. Totidem annos imperarunt LONGOBARDI. Paullus Diaconus tres annos detrahit, qui reſtãt uſq; ad necem Deſiderij. Tandiu Caletum tenuerunt ANGLI. Reges SYRIÆ & Aſiæ minoris à Nicanore primo rege uſq; ad Philippum ultimum totidem. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 6.

Ab AVGVSTO ad Auguſtulum poſtremum Imperatorum, item ab exactis urbe regibus uſq; ad Cæſarem, idem numerus annorum, CDXCVI. recurrit. A Conſtantino Magno ad Carolum Magnum, quo anno primùm Imperator Romę creatus eſt, anni CDXCVI. Ab Alba condita, uſq; ad eius euerſionem à Tullo Hoſtilio, totidem. A Saule primo rege Hebræorum, uſq; ad captiuitatem, totidem. Tametſi Genebraldus tres addit: Garceus uerò decem: Talmudici centum ferè detrahunt, ſed nulla ratione. A ſecunda templi conſtructione ſub Zorobabele, uſq; ad eum annum, quo Herodes à ſenatu rex eſt appellatus, ſunt anni CDXCVI. Ab Arſace primo rege Medorũ, uſq; ad Alexãdrum Magnũ CDXCVI. A Carano primo Macedonũ rege uſq; ad obitũ Alexãdri, totidem. Funccius octo detrahit. alij XII addũt. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 6.

Victoria.

Quo die GRÆCI Xerxem ad Salaminem, eodem GELON Syracuſanorum, & THERON Agrigentinorum tyranni, Hamilcarem Carthaginenſium regem, qui colluuiem gentium ad trecenta millia hominum ducebat, ſuperarunt. Herodotus libro ſeptimo.

Quando ad Chæroneam Philippus Macedo ATHENIENSES uicit, eadem die & hora in Italia certamen aliud commiſſum inter Lucanos & TARENTINOS: quo in prælio Archidamus Lacedæmoniorũ rex, pro Tarentinis pugnãs, interemtus eſt. Diodorus lib. 16.

COSMVS Medices Florentinorum dux de exulibus Florentinis uictoriam obtinuit ipſis Auguſti Calendis, quo felici die AVGVSTVS Cæſar olim nutantis imperij nomen Actiaca uictoria confirmarat: quum ipſe Coſmus eundem, uti Auguſtus, horoſcopum in genitura nactus Capricorni ſidus pro argumento in inſignibus geſtare conſueſſet. Sabellici ſupplem. lib. 22.

Captiuitate.

MARCVS prætor, ſuperato in Philippicis campis Bruto, cuius partes ſecutus fuerat, Barbulę ignotus ſeruiuit. Nec multo pòſt, ſuperato ad Actiũ M. Antonio, BARBVLAM Marcus inter captiuos adductum & redeuntum, itidem incognitum, pro ſeruo habuit. Fulgoſus libro ſexto, capite undecimo.

Clade, Strage.

A clade Cannenſi ROM. ad Varianam à Germanis illatam anni ſunt CCXXIIII. ex integris æquè ſeptenariis, & utraq; clades contigit IV. Non. Auguſt. Ioannes Bodinus Methodi hiſtoricæ, cap. 6.

Honoris genere.

Quo modo Hiſpani adierũt in Babylone ALEXANDRVM, ita Parthi cum Medis, Gothi cum Ponticis, AVGVSTVM mundi dominum cõſalutauere in Terracone, hoc eſt, in occidua Hiſpania. Cranzius lib. 1. Sueciæ, capite trigeſimoquinto, ex Oroſio.

DIVERSORVM DISSIMILITVDO CONSIDERATA RESPECTV

PERSONARVM DISSIMILIVM.
Sunt nempe ſimiles

VIRTVTE, DISSIMILES FRVCTV.

NVMAM Rom. regem ita conſpicuum, ut dignus regno uideretur, uirtus reddidit: LYCVRGVM legiſlatorem Spartanorum ita euexit, ut repudiaret regnum. Et quomodo muſici lyras, laxam hic & luxu diffluentem intendit Spartam: ille Romam ferocem & intentam laxauit. Plutarchus in eorum comparatione.

SANGVINE, DISSIMILES MOribus, Studiis, Fortunis. tum

Minores Maioribus.

Vt ſinguli morituri naſcimur, ita indolem ſtirpium ac familiarum ſuos ueluti natales incremẽtaq; habere, cõſeneſcereq; conſtat. Pectoris uigor fuit in Pipino Craſſo, ignea mens in Carolo Martello, numen propè ipſum in Pipino Rege, animus orbis terrarum ac cœli capax in Carolo Magno: eo Rege Auguſtoq; Franci in ſummo conſtitere. LVDOVICVS Pius paterna magnitudine multo fuit inferior: CALVVS propior adhuc laudi, quàm uituperationi: BALBVS breuitate Regni ac Imperij eſt obſcuræ memoriæ. In SIMPLICE conſenuit maiorum gloria, & noua nobilitas induſtria ſibi uiã in foliũ patefecit apud Frãcos. Apud Germanos accidit idẽ in alia eiuſdẽ Caroli Magni ꝓgenie. CAROLVS Craſſus Auguſtus nullo exemplo curatorẽ habuit fratris filium Arnulfum Auguſtum. Duos reliquit filios ex concubina procreatos, VENDALDVM ac LVDOVICVM, paternis tantùm natalibus, nulla præclara geſta re nobiles. Imperij nomen à ſtirpe Magni delatum ad Conradum Sueuum. Aemilius lib. 3.

Q. Hortenſij, qui in maximo & ingenuorũ ciuium & ampliſſimorum prouẽtu, ſummũ auctoritatis atq; eloquẽtię gradũ obtinuit, nepos HORTENSIVS Corbio, omnibus ſcortis abiectiorẽ & obſceniorem uitam exegit: ad ultimumq; lingua eius tam libidini cunctorũ inter lupanaria proſtitit, ꝗ aui pro ſalute ciuiũ in foro excubuerat. Val. Max. lib. 3. c. 5.

Si centum abhinc annis VENETÆ ciuitatis mores & inſtituta tecũ animo uoluas: facilè animaduertas, quę maiores odio inprimis habuerunt, ea maximo ſtudio à poſteris recepta. Maiorũ iudicio pro nefariis ciuibus propè habebãtur, qui agros in continenti poſſiderent. Extant adhuc aliquot conciones in Senatu habitæ à Thoma Mocenico, duce clariſſimo: quibus ſuadet, abſtinere omnino publicè & priuatim continentis poſſidendæ. Deinde, ſummo probro id paſſim fuit, cùm publicè tum priuatim, ſi quis domi filium haberet, qui ſacerdotia uenaretur. At horũ utrũq; recentiores ſic amplexi ſunt, ut uix unam aũt alterã familiam inuenias, quæ nõ ampliſſima latifundia ſibi pararit, quæq; ex liberis unũ nõ domi habęat, qui ampliſſima ſacerdotia poſſideat. Egnatius libro 8. cap. 6.

Filij Patribus meliores.

Leonidas Cleonymi F. Spartanorum rex, Agidem, qui nouas tabulas induxerat, & agrum ciuib. æqualiter partiri uoluerat, iniuſtiſſimè in carcere ſtrãgulauit. At filius eius CLEOMENES, uxore Agidis Agiatide ducta, Ephoros ſuſtulit, & agrariam legem tulit. Plutarchus in Cleomene.

M. Cato Cenſorius uniuerſos ex Italia pellendos cenſuit Græcos. At pronepos eius Vticẽſis CATO, unum ex tribunatu militum philoſophum, alterũ ex Cypria legatione deportauit. Eandemq; linguã Rom. ex duob. Catonib. in illo abieciſſe, in hoc importaſſe, memorabile eſt. Plin. l. 7. c. 30.

Odium pop. Rom. aduerſus nullum ducem adeò graue extitit, ut aduerſus parentem Pompeij Strabonem ob auaritiã: cuius pauentes in armis uim (fuit enim bellator fortiſſimꝰ) poſtquam fulmine ictus expirauit, corpus eius, dum exportatur, ex lecto detraxere, atq; omni ignominia affecere. At uiciſſim erga nullũ ducem ardentius, quàm erga CN. Pompeium illius F. ob uitæ temperantiam, rei militaris ſcientiã, facundiam in dicendo, fidem, morum comitatem. Plutarchus in Pompeio.

LEOVIGILDVS ſiue Leonigildꝰ Hiſpaniæ rex Arianus, ſed bello ſtrenuus, filium habuit RECAREDVM regni ſucceſſorem, pium, paceq; nobilem. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hiſpan. cap. 15.

Oſtani Sueonum & Gothorum regis ob tyrannidem à ſuis in aula exuſti optimus filius fuit INGEMARVS, pacis belliq; artibus inſignis. Ioan. Magnus lib. 8. cap. 24.

BOLESLAVS II. patri Boleſlao in regno Boemię ſucceſſit, Pij cognomine, cùm ille & idololatra & parricida eſſet, & ob crudelitatem Sæui cognomen haberet. Frater maior natu Strachyquas Ratiſponæ in cœnobio monachũ ſpõte induit. Mlada ſoror uirgo ueſtalis facta eſt. Dubrauius lib. 6.

Gulielmo III. regi Neapolitano & Siciliæ, ob tyrannidẽ Mali cognomentum adepto, ſucceſſit GVLIELMVS IV. filius, rex ſanctiſſimus, quem Bonum uulgò appellarunt. Collenutius lib. 3. hiſt. Neapol.

Filij Parentibus deteriores. Degeneres.

☞ *Vetus prouerbium, ueritus dictum inauſpicatum, philoſophus Chryſippus ſic immutauit: Quis patrem laudet, bene felices niſi nati? At Dionyſodorus Træzenius uerum repoſuit: Quis patrem laudet, non felices niſi nati? ut iis, qui per ſe illaudati, ueſtiunt ſe maiorum laudibus, hoc obſtruatur prouerbio os. Plut. in Arato. Auidius Caſſius in uita Seueri Imp. neminem magnorum uirorum ait bonum & utilem filium reliquiſſe.*

ADAMVS Cainum filium peſſimum habuit, NOE Chamũ, ABRAHAMVS Iſmaelem, ISAACVS Eſaum: IACOBVS Rubeni maledixit, qui patris thorum genialem inceſtauit, Ioſephũ à FRATRIBVS uenditum diu deſiderauit, HELI filios peſſimos in clade amiſit.

Tam

Tam nota est MOSIS gloria, ac uirtutis magnitudo, ut indicari non egeat: & tamen qui olim pastor, Hebræum populum, dura ceruice seditionibusq; insignem rexit, magnisq; contentionibus perpetuum sacerdotium fratri ac successoribus reliquit: nonne Eliezer & Gersam filios, iuxta legē ex se ortos, indignitatis successione prēteriit? Etenim in eis neque ingenium, neq; ullum intuitus est uirtutis genus, quod tanto posset oneri sufficere. Atq; ob eam rem in Hebræorū historia de eis nisi perexigua, ut de abiectis mos est, mentio est facta. Fulg. lib. 3. cap. 5.

Samuel propheta duos filios suos, IOELEM & ABIAM rectores Israelitis Bersabæ dedit, qui cùm paternos mores nō imitarentur, sed muneribus corrupti, iudicia peruerterent: Israelitæ omnes ad Ramatham conuenerunt, & Samuelem ut sibi rex daretur more cæterarum gentium, rogarunt. 1. Regum 8.

SOLOMON rex à pietate & moribus Dauidis patris sui degenerauit, & ad deos alienos, à mulieribus persuasus, defecit. 3. Regum 11.

ROBOAM ex Solomone patre sapientissimo, stultissimus filius & arrogantissimus, quòd populum se arctiùs habiturum, quàm fecisset pater, palàm professus esset, decem tribus amisit: quarum qui electus, rex dictus est Israel: ipse uerò, cui duæ reliquæ superfuerunt, nominatus rex Iuda: nam ei tribus Iuda & proxima illi Beniamin parebant. Leuitica cum Iudaica mānsit propter templum Domini, quod erat Hierosolymis Iudæis. L. Viues in lib. 18. August. de ciuitate Dei, capite 20.

Iosias Iudæorum rex, Manassis F. filios habuit scelestos & idololatras. Quorum maximus natu IOACHAZVS, cùm tribus mensibus regnasset, à Pharaone Aegyptiorum rege captus, & in Aegyptum abductus, periit. Alter IOACIMVS anno regni XI. à Nabucodonosoro Babyloniorū rege subiugatus fuit. A quo cùm rebellasset, uicinarum gentium incursionibus infestatus fuit. 4. Reg. 23.

MANASSES Ezechiæ regis sanctissimi filius scelestissimus, omnia gentium flagitia imitatus, idola coluit, templū Domini simulacro profanauit, prophetas occidit, magos consuluit. Eam ob causam rex Babyloniorum, cum misso exercitu uiuum cepit, & Babylonē abduxit, ferreis cathenis uinctum. At dum in carceribus peccatum suum fassus, pœnitentiam faceret, & Dominum pro impetranda uenia oraret, flexit Dominus animum Babyloniorum regis, ita ut Manasē liberum dimiserit. Manasses in posterum sanctè uixit, Dominumq; timuit, & 55. annis regnauit. 4. Regum 21.

TELEMACHVS, absente patre Vlysse ad Troiam, sub matris Penelopes tutela molliter educatus, procorum quinetiam conuersatione corruptus, patri dissimillimus euasit.

DIOMEDI, in pugna segnius rem agenti, Agamemnon rex. Iliad. δ. patris Tydei fortia facta occinit, & tandem infert:

τοῖος ἔην Τυδεὺς αἰτώλιος. ἀλλὰ τὸν υἱὸν
γείνατο εἷο χέρεια μάχῃ, ἀγορῇ δέ τ' ἀμείνω.

SESOSTRIS Aegyptiorum regis filius eiusdē nominis, nulla in re paternam gloriam æmulatus est. Diodorus lib. primo, capite quarto.

NINVS Nini & Semiramidis F. sublata matre, nihil parentum uestigia secutus, omni armorum studio abiecto, ad ocium se & uolupratem contulit. In eo si non fortiter, callidè tamē præsenti fortunæ consuluit: ut ad populos in fide retinendos, quotannis ex toto regno accuratiorem haberet delectum, noua communiret castra, quasi subitum aliquod moliretur bellum, & iuuentutē ratus ad militaria munera obeunda promtiorem fieri, si frequenti delectu ad signa reuocaretur, & si qua defectionis consilia occultè in populis mota essent, præsentium copiarum metu opprimerentur. Cæterùm ea Ninus per præfectos agere, ipse inter eunuchos & puellarum greges omnium mollissimus fœdis se uoluptatibus immersit: quibus turpiter captus, aliquanto turpiùs consenuit. Eius uestigia alij, qui post illum sunt rerum in Assyria potiti, ad unum secuti, nihilo meliore fama uixere: donec Sardanapalo, qui ultimus in ea gente regnum tenuit, sublato, imperium ad Medos translatum est. Sabellicus lib. 1. Enneadis 1.

Batti cognomento Dæmónis, Cyrenæorum tyrāni, ARCESILAVS filius fuit, haudquaquam morib. paternis. Nam uiuo etiam patre propugnaculis domum munierat. quare talentum multam ei dixit. Defuncto patre, cùm hinc truci ingenio responderet cognomini, hinc improbi amici consuetudine Laarchi, uteretur, uertit regnum in tyrānidem. Plut. de Virtutibus mulierum.

Socrates apud Platonē in Alcibiade priore docet, ambos Periclis Atheniensium principis filios, PARALVM & XANTHIPPVM, fuisse stupidos, Cliniam euasisse furiosum: deniq; nullum illius opera factum sapientem: quum Zenonis consuetudine multi sapientes euaserint. Idem in Menone, Aristidem memorat, filium habuisse LYSIMACHVM nullius rei: pterea Thucydidē, cui duo fuerint [redacted] & STEPHANVS, neuter rñdens uirtuti pa[redacted]

Philippus Macedo, & ALEXANDER eius filius, [redacted] re ingenio. Hic arte, ille apertè bella tractabat: pru[redacted] hic consilio, ille animo præsentior ac magnificentior. Iram pater dissimulare ac uincere: illi ut exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Patri mos erat, de cōuiuio in hostes procurrere, periculis se temerè offerre: Alexandro nō in hostes procurrere, sed in suos sæuire. Regnare hic cum amicis uolebat, ille in amicos imperium exercebat. Amari pater malle, ille metui. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Iustinus.

PHOCVS Phocionis uiri opt. F. uinosus & dissolutus adeò, ut ne Spartana quidem disciplina corrigi potuerit, cùm Menyllus Phocionem munus respuentem, saltem ut Phoco filio acciperet, rogaret: Phoco, inquit, si mutata uita ad frugē redeat, sufficiet patrimonium. Nam ut nunc se gerit, nihil ei sit satis. Plut. in Phocione.

Gelo Syracusanus singulari uirtute atq; bellicis artibus clar⁹, uictoriæ licentia modestissimè in uictos Carthaginenses usus, atq; erga finitimos præstans humanitate, magna sibi & gratia & auctoritate apud Siculos comparata, uitam cum tranquillitate traduxit. Cui in regno HIERO successit, cęteris fratribus maior natu, haudquaquam pari natura, auar⁹, ferox, ad uim paratus, atq; à puritate & honesto bonoq; penitùs alienus. Quibus uitiis pleriq; subditorū lacessiti, iam pridem ab eo defecissent, nisi Gelonis recēs memoria & maiestatis reuerentia, quam summè Sicilia omnis colebat, eorum impetus uoluntatesq; coercuisset. Diod. lib. 11.

Sophocles tragicorum princeps, filios habuit pessimos, inter quos IOPHON, & ipse tragicus, eum accusauit, ut uæcordem & delirum: petēs ut bonis ei interdiceretur. At Sophocles Oedipum Coloneum tragœdiā iudicibus legens, quā tunc scribebat, omnium suffragiis absolutus est. Gyraldus Dial. 7. Hist. poet.

Aristarchus insignis ille grammaticus, filios habuit ignauos planè & degeneres, ARISTARCHVM & ARISTAGORAM. Ibidem.

Aristippus philosophus, cùm degeneres FILIOS adeò negligeret, quasi ex ipso nati non essent: accusatus à quodā, qui seueritatem eius improbabat: An non, inquit, & pituitā & pediculos è nobis natos, uelut inutiles, procul à nobis abiicimus? Laertius lib. 2.

Chabriæ Atheniensis, qui magnis uirtutibus magnisq; uictoriis apud Athenienses excelluit, & qui multo felicior fuisset, si nullis procreatis liberis è uita discessisset, filius fuit CTESIPPVS, adeò à paterna uirtute degener, ut persæpe Phocionē eius tutorem, uirum alioquin patientissimū, uæcordia Ctesippi dicere coegerit: Ea quę ob Ctesippi stolidā mentem perferebat, ad referendā cumulatè pro acceptis à Chabria meritis gratiam abundè sufficere. Fulg. lib. 3. c. 5.

Antigonus secundus ADOLESCENTI cuidam, qui Patrem habuerat fortem, quanquam ipse non admodum bonus erat miles, postulanti, ut patris stipendia caperet: At ego, inquit, ô adolescētule, ὑπὲρ ἀνδραγαθίας, ἀλλ' οὐ πατραγαθίας ἕνεκα, nō ob patrias, sed ob proprias cuiusq; uiri uirtutes, mercedem ac munera dare soleo. Plut. in Reg. & Imp. Apoph.

Q. Fabij Max. Allobrogici, & ciuis & Imperatoris clarissimi filius Q. FABIVS Max. quàm perditā luxuria uitam egit? cuius ut cætera flagitia obliterētur, tamē abundè illo dedecore mores nudari posēt, q ei Q. Pōpeius prætor urban⁹ paternis bonis interdixit: neq; in tāta ciuitate, q illud decretū reprehenderet, inuētus est. Dolēter enim homines ferebāt, pecuniā, quæ Fabiæ gentis splendori seruire debebat, flagitiis disiici. Ergo quem nimia patris indulgētia hæredem reliquerat, publica seueritas exhæredauit. Val. Max. lib. 3. c. 5.

P. Scipionis Africani superioris F. SCIPIO, in tanta domestica gloria ortus; à paruulo admodum regis Antiochi præsidio capi sustinuit: cùm uoluntaria morte absumi satius fuerit, quàm inter duo fulgentissima cognomina patris & patrui, altero oppressa Africa iā parto, altero iā maiore ex parte recuperata Asia surgere incipiente, manus uinciendas hosti tradere, eiusq; beneficio precariū spiritum obtinere: de quo mox L. Scipio speciosissimū deorum hominumq; oculis subiecturus erat triumphū. Idem præturæ petitor, candidam togā adeò turpitudinis maculis obsolefactā in campū detulit, ut nisi gratia Cicereij, qui patris eius scriba fuerat, adiutus esset, honorē à populo impetraturus nō uideretur. Quanquam quid interfuit, utrū repulsam, an sic adeptā prętură domum referret? Quam cùm propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet, insuperq; è manu eius anulū, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. Dij boni, quas tenebras quo fulmine nasci passi estis? Valerius Max. lib. 3. cap. 5.

Possedit fauorem plebis Clodius Pulcer, adhærensq; Fuluianæ stolę pugio, militare decus muliebri imperio subiectum habuit.

habuit. Quorum filius CLODIVS Pulcer, præterquam q eneruem & frigidā iuuentam egit: perdito etiā amore uulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortisq; erubescendo genere consumtus est: abdomine enim auidè deuorato, fœdę ac sordidæ intēperantiæ spiritū reddidit. Val. Max. lib. 3. c. 5.

Princeps suorum temporū METELLVS Pius, in Hispania aduentus suos ab hospitibus, aris & thure excipi patiebatur: Attalicis aulæis contectos parietes lęto animo intuebatur, immanib. epulis apparatissimos interponi ludos sinebat, palmata ueste cōuiuia celebrabat, demissasq; lacunaribus aureas coronas uelut cœlesti capite recipiebat. Et ubi ista? non in Græcia, neq; Asia, quarum luxuria seueritas ipsa corrumpi poterat, sed in horrida & bellicosa prouincia, cū præsertim acerrimus hostis Sertorius Romanorum exercituū oculos Lusitanis telis perstringeret. Adeò patris illi sui Q. Metelli Numidica castra exciderant. Val. lib. 9. c. 1.

Consimilis mutatio in domo Curionum extitit. Siquidem forum Romanum & patris Curionis grauissimum superciliū, & FILII sexcenties sestertiûm ęris alieni aspexit, contractū famosa iniuria nobilium iuuenum. Itaq; eodem tempore, & in iisdem penatibus, diuersa secula habitarunt: frugalissimum alterum, alterum nequissimum. Val. lib. 9. c. 1.

Catonis Vticensis FILIVS perhibetur segnis fuisse, nec uacasse lasciuia. In Cappadocia diuersatus apud quendam ex familia regia, cui uenusta erat uxor: quia diutius apud eum, quàm honestum foret, agebat, derisus est à scribentibus in eum hæc: Cras Cato discedet post triginta dies. &, Porcius & Marphadates amici duo, animus unus. Psyche enim nomen erat Marphadatis uxori, quod animum significat. Pręterea: Generosus & egregius Cato regium habet animum. Cæterùm omnem eam morte expunxit notam. Nam in Philippis contra Octauium Cæsarem & Antonium pro libertate decertans, cùm inclinata acie neq; fugere, neq; latebras sustineret quærere, hostes lacessiuit: coramque iis, qui esset, declarans, ac stantes adhuc in acie incitans cecidit, magna uirtutis suæ apud inimicos relicta admiratione. Plutarchus in Catone.

L. LVCVLLVS puer apud patrem nunquam lautum conuiuium uidit, in quo plus semel Græcum uinum daretur. Ipse cùm rediit ex Asia, millia cadûm congiariorum diuisit amplius centum. Plin. lib. 14. c. 14.

M. CICERO filius, cùm parens eius fuerit abstinentissimus, binos congios haurire solitus est, teste Plinio, & temulētus M. Agrippæ scyphum impegit. Vol. lib. 20. & Val. Max.

Quantum Germanicus animi uigore, prudentia, atq; morum honestate præstitit, tantum CALIGVLA filius animi ignauia, libidinibus atq; stultitia ab eo degenerauit. Defunctū Germanicū non Romanus tantùm populus, amicæq; gentes, sed barbari quoq; lacrymis, ceu communem parētem, prosecuti sunt. At filius Caligula ob scelera, ne publica quidē sepultura dignus est iudicat⁹. Fulg. lib. 3. c. 5. ex Suetonio.

DOMITIANVS filius Vespasiani Cæsaris, & Domicillæ, frater Titi Imperatoris, à paterna pietate ita degenerās, ut Caligulæ & Neroni similior esset, quàm patri ac fratri. Pubertatis enim & primæ adolescentiæ tēpora tanta inopia & infamia exegit, ut nullum argēteum uas in usu haberet. Ita erat peni & luxui deditus, ut diceretur à pluribus in iuuentute cōstupratus. Imperio potitus, tantæ fuit ab initio clementiæ, ut ab omni cæde abhorreret: cupiditatis atq; auaritiæ ne ullam quidem suspicionem haberet. Deinde & priuatus, & initio principatus, largissimè familiares suos prosequutus, abstinentiæ & liberalitatis aliquot experimenta dedit, quæ latè Tranquillus enarrat. Mox ad sæuitiam conuersus & libidinem, Neronem ipsum superasse uisus est. Cuspinianus, ex Suetonio & Dione.

M. Antoninus Philosophus Imp. sanctissimus, hoc solo peccauit, quòd COMMODVM filiū reliquit, Neroni magis quā Antonino similem. Quamuis pleriq; non Marci, sed gladiatoris cuiusdam filium fuisse arbitrentur, cuius insano amore Faustina Marci uxor deperierit: & huic rei attestari gladiatoriæ studium ingens, quod Commodo inerat.

Valerianus Augustus, uirtutis magnitudine inter clarissimos principes commemorandus erat, si uirtuti par in eo felicitas fuisset. Patre à Persis capto, GALIENVS F. propter insignem uæcordiam, XXX. tyrannis Imperij inuadendi occasionem dedit. Fulgos. lib. 3. c. 5.

Carus, qui Probo Augusto æquè animi bonis, ut in imperio successerat, & qui animo ingēti finibus auctis singulari sanctitate populos rexerat, CARINVM filium imperij successorem habuit, moribus adeò patri dissimilem, ut pater eum & uita & imperio priuaturus fuerit, nisi iniqua nimis Rom. Imperij fortuna hæc animo agitantem Carum, repentina morte intercepisset. Fulgos. lib. 3. c. 5.

Constantini Magni FFF. tantum à paterna animi indole in omni genere laudis atq; officij recesserunt, quantum ille superiores principes omnes pietate atq; animi magnitudine superauit. Neq; enim CONSTANTINO filio quisquā ad uitam incautior, CONSTANTE ad indecoras uoluptates procliuior, CONSTANTIO aut leuior, aut ad arrogantiā intolerantior fuit. Accessit, quòd, ut Constantinus à Catholicis ad Arianos, sic Iulianus fratris filius à Christianis ad gentiles inaudita antè impietate se retulit, ac plurimum ipsi tum primùm se corroboranti Ecclesiæ nocuit. Ambo tamen Imperium multis tempestatibus hostiū tyrannorūq; iactatum, successorib. integrum atq; incolume tradiderūt. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Herodes Atticus sophista, quum ingenio & eloquentia nulli secundus haberetur, filium ATTICVM habuit adeò hebetem, ut ne prima quidem perciperet elementa. Philostratus in eius uita.

Theodosius Magnus Imp. feliciss. & fortiss. filios duos habuit admodum ignauos, HONORIVM Occidētis, ARCADIVM Oriētis Impp. quorum desidia simul, & hinc Ruffini, illinc Stiliconis ducum perfidia, imperium à Gothis, Hunnis, Vandalis, fœdè dilaceratum est. Cuspinianus.

ALEXANDER Imp. filius Basilij, frater Leonis V. cui successit in imperio: utriq; tamen moribus dissimilis: totus deliciis deditus, uenationibus, potationibus, petulantiæ, impudicitię indulsit. Nihil regium meditans, regni curam in adulatores, præstigiatores, & eos, quos ex triuio sibi delegerat scelerum comites, reiecit. Cuspinianus.

NORADINVM Damascenum Sultanū, propria ignauia ab imperio deiecit, quod ei patris Saladini uirt⁹ pepererat. Damasci enim regno, quod ei Saladinus reliquerat, ob ignauiam à populis exactus est, Saphadino patruo ei suffecto. Fulgos. lib. 3. cap. 5.

Londinensium FILII rarò parentum uirtutes, peculiari quodam fato, æmulantur. Id quod praua educatione, nimiaq; patrum indulgentia, in urbe omni luxus genere ob mercaturam affluente, fieri certum est. Polyd. lib. 14.

FERQVHARDVS Eugenij IV. Scotorum regis F. à paterna æquitate multū diuersus, cùm factiones inter proceres suæ securitatis causa foueret, tandem in uincula coniectus, & morbis uariis diuexatus, ne tantis calamitatibus diutiùs superesset in contumeliam, mortem sibi intulit: ut, qui seditionibus ciuiumq; cædibus uiuens impiè fuerat delectat⁹, neque sibiipsi in uitæ exitu parceret. H. Boethius lib. 9.

VENCESLAVS V. Boemorum rex, nomine patri similis, moribus dissimillimus, luxurię & luxus mancipium, Olomucij in Morauia in priuatis ædib. incerto auctore confossus interiit, duodeuiginti annos natus. Aen. Sylu. c. 29. hist. Boem.

VENCESLAVS filius ignauissimus Carolo IV. patri in imperio & regno successit, & quod maius est, ipsiusmet patris nullo iudicio, sed cæco tantū amore, Sigismundo, qui pòst imperauit, prælatus fuit. Dubrauius lib. 23.

Casimiro ex monacho regi BOLESLAVS filius successit: à patris uirtute degenerans, religionis contemtor, iustitiæ negligens, crudelis. Sanctum Stanislaum, archiepiscopū Cracouiensem interfecit. In exilio tandem periit. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 12.

LVDOVICVS XI. Caroli VII. F. qui uiuente patre regnum affectarat, eiusdemq; armis pulsus ad Philippum Burgundum confugerat, patre mortuo reuersus, rexq; salutatus ac sacratus, longè alio, quàm quo pater, instituto sibi regnandum arbitratus, sollicitam sibi omnem deinde uitam effecit. Aulicos & amicos patris in nullo honore gratiáue habuit. Toto fermè regno Magistratus, Præfecturas, Procurationes, Munerum functiones, in quibus aliquid dignitatis commodiue foret, repudiatis ueteribus, nouis hominibus demandabat, &, quod maximo malo illi extitit, ueteranis militib. ductoribusq; ordinū exauctoratis, à splendore quoq; abhorrere uisus. Itaq; bello grauissimo eū proceres sunt insectati. Quos ille uix tandem memorabili astu & perfidia circumuenit, sensimque oppressit. Aemilius libro decimo.

Ioannes Galeacius, qui Mediolanensis ducatus titulū primus adeptus est, suis carus, hostib. formidolosus, magnam Italiæ partem possedit, quā ingenti uirtute ac gloria cōparauerat. Inter filios, quos reliquit, IOANNES nomine ei in ducatu succedens, Phalaride ipso crudelior, à suis occisus est. Gabriel spurius, haud amētia dispar, amissis Pisis, quas possidebat, Genuæ securi palàm percussus est. Fulg. lib. 3. c. 5.

FRANCISCVS Sfortia, Mediolanēsis dux, omni uirtutis genere inter Christianos principes excelluit. At inter filios natu maior GALEACIVS, ambitiosus, mulierosus, indignus tāto patre. In PHILIPPO, q secund⁹ fuit, si corpulentiæ, quā in iuuēta p se tulit, par ingeniū fuisset, de eius uęcordia cōcitati rumores dicēdi minorē materiā prebuissēt. LVDOVICVS religionis simulator egregi⁹, superb⁹, auar⁹, libidinosus, partū armis à patre imperium, à Ludouico XII Gallorū rege, cū numero militū superior esset, uictus, XVI die amisit. Fulg. & Egnat. lib. 3. c. 5.

Alphon-

Alphōsus rex Neapolitanum regnum adeptus, fusis fugatisq; Gallis, pietatē cum fortitudine & iustitia semper exercuit. FERDINANDVS eius filius, licèt non legitimo matrimonio natus, mortuo illi suffectus, neutiquā indignus Alphōso patre. Cæterùm huius filius ALPHONSVS haudquaquam auo similis; tandem à Gallorum rege Carolo IIX. uita regnoq; priuatus est. Egnat. lib. 3. c. 5.

Iouianus Pōtanus Astronomus & poeta antiquis comparandus, FILIVM unicum, & illum ad literas planè ineptum reliquit. Volaterranus in Vrbanis Com.

Fratres, Sorores dissimiles.

☞ *Ex Tit. Fratrum perfidia, odia, quædam huic loco inseruient, quatenus Dissimilitudo morum & studiorum eos comitatur.*

ESAVS frater IACOBI, Isaaci F. agrestis homo fuit, & uenator, ruffus totus, & uillosi centonis instar. Iacobus uerò uir integer, & habitator tabernaculorum. Illum Isaacus ꝓpter ferinam, qua delectabatur, hūc Rebecca mater adamabat. Genesis 25.

MARIA & MARTHA sorores dissimiles inter se, quòd Martha quidem in ministerio & actione frequens, Maria uerò contēplationi dedita esset. Christi tamen iudicio Maria meliorem elegit partem. Licèt autē studia diuersa fuerint, scopus tamen unus & idem, Christi scilicet amor. Lucæ 10.

Cùm ludi Olympici fuissent ab Hercule restaurati, POLLVX cæstibus, cursu & pugillatu CASTOR, uictores renunciati fuerunt. Nam tametsi uno partu, & ex eodem ouo nati sunt ambo, tamen uaria studia utrisq; fuerunt, ut ait Horatius libro 2. Sermonum, Satyra 1.

Castor gaudet equis: ouo prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum uiuunt, totidem studiorum
Millia. ——

Hellenis filij DORVS & ION, à quibus nationes Græcorum præcipuæ duæ, Dorienses & Iones: hi molles & luxu perditi, illi graues & armis dediti. Ionum coloni Atheniēses, Dorum Aeoles, duce Aeolo. Iul. Cæsar Scaliger lib. 1. Poeticæ, capite decimonono.

ARTOXERXES & CYRVS Darij ex Parysatide filij, morib. inter se dissimiles. Cyrus acri uiolentoq; ingenio iam à prima ætate extitit. Mansuetior in omnibus alter, & libidine esse naturâ uidebatur mollior. Plut. in Artaxerxe.

EVRYSTHENES & PROCLES gemelli, ab Aegina uxore Aristodemi regis Spartiatarū editi, cùm Lacedæmonij Eurysthenem maiorem natu iudicassent, eamq; ob causam regnum ei tradidissent, per omne uitæ tempus inter se dissenserunt, & itidem eorum posteri. Quod quidem in Cleomene, qui ab Eurysthene, & Demarato, qui à Procle descendebat, patuit. Herodotus lib. 6.

Duo erant fratres, quorum alteri nomen AMPHOTEROS, quod Græcis sonat Ambo: alteri HECATEROS, quod illis sonat Vterque. Philippus itaq; Macedoniæ rex, animaduertens Hecateron esse cordatum, ac gerendis rebus accōmodum, contrà Amphoteron ineptum ac degenerē: inuertit illis nomina, dicens: Hecateron esse Amphoteron, Amphoteron autem esse Vdeteron, id est, Neutrum. Significās, alterum fratrem, uidelicet Hecateron, duorum in se uirtutes complecti, alteri nihil relictum. Itaque ei, qui Amphoteros dicebatur, mutauit nomen in contrarium, ut οὐδέτερος diceretur, quasi nullius precij. Plut. in Regum Apoph.

Seruius Tullius Romanorum rex, duas duobus Tarquiniis elocarat filias, Arunti & Superbo. ARVNTI quidē benigno TVLLIA ferox obtigerat: SVPERBO autem feroci, altera benigna. Dispares mores ferocia ingenia ferre non potuerunt. Clàm itaq; Tullia Aruntem, Superbus cōiugem suam ueneno tollunt. Mox inter se incestis copulant nuptiis. Tandem Tullia maritum Tarquinium Superbum ad soceri cædem & regnum occupandum instigauit: ipsa carpento occisi patris cadauer conculcare uoluit. Liuius.

GRACCHORVM fratrum disparitates Plut. in eorum uita exequitur. Primùm uultu & obtutu & motu blādus erat & compositus Tiberius: acer Caius, & uehemens. Itaq; in concionando ille modestè nō se mouebat loco: hic primus Romæ in Rostris deambulauit inter dicendū, & togam ex humero diuulsit: ut de Atheniense memoriæ proditū est Cleone, diloricasse eum in dicendo pallium, ac femur percussisse inter oratores principem. Deinde oratio fulminans Caij exaggerataq; affectibus: dulcior Tiberij magisq; commiserationem mouens. Dictione pura hæc atq; exquisitè elaborata: Caij artificiosa & splendida. Pari modo in uictu & mensa frugalis ac simplex Tiberius: Caius, si cum aliis eum contendas, continens & restrictus: uerùm cōmissione cum fratre, grādis & exquisitus: quod obiecit ei Drusus, Delphinos comparasse eum argēto repensos in libras quinis millibus numûm. Moribus respondebant orationi: superior lenis & placidus, confragosus alter & feruens. Vnde in dicendo frequenter auferebatur inuitus ab ira: ut uocem concitaret, in maledicta erumperet, & conturbaret orationem. Quare remedium adhibuit huius excessus Licinium seruum non insulsum: qui tenens instrumentum phonascicum, quo excitant sonos, & à tergo Caij concionantis consistens: ubi uoce sensit concitatum & ira tonantem, remittebat molliter tenorem: quo fulmen orationis confestim ille unà cum affectu & uoce molliens, referuescebat reuocabaturq; facilè. Dissonantiæ erant eorum hæ. Audacia uerò aduersus hostes, iustitia aduersus populares, officiorum in muneribus eorum sedulitas, & aduersus uoluptates continentia par in utroq;. Maior erat annis nouem Tiberius: quod actiones utriusq; distraxit tēporibus, & maximè cœpta euertit, quòd non simul floruerint, neq; opes suas conferre potuerint in unum: quæ ingentes ex ambobus conflatæ atq; inexuperabiles fuissent. Plut. in Gracchis.

Vespasianus Imp. uir fuit multorum salium, & iucundissimus. Filius TITVS tam humanus, ut amor & deliciæ generis humani sit nominatus. DOMITIANVS patri & fratri dissimilis, sæuus & inimicus omnium. Suetonius.

In DVAS sorores diuersorum morum Ausonius:

Delia, uos miramur, & est mirabile, quòd tam
Dissimiles estis, tuq; sororq; tua.
Hæc habitu casto, cùm non sit, casta uidetur:
Tu, præter cultum, nil meretricis habes.
Cùm casti mores tibi sint, huic cultus honestus:
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. collegam sibi adoptauit L. AVR. Verum Commodum fratrem, nimiùm quantū dissimilem. Marcus enim uoluptatum abstinentissimus: L. uerò popinis, aleæ, histrionibus deditissimus, ut cum Nerone & Vitellio certare uideretur. Marcus tamen fratris uitia dissimulauit, eundemq; publicè & uiuum & mortuum semper laudauit, ac Diuum insuper uocauit. Cuspinianus.

Seuerus duos filios reliquit, moribus & ingenio dispares. Militaris res M. ANTONINO Caracallæ cordi esse. GETÆ, qui & ipse Antonini cognomen tulit, literarum cognitio, multiplexq; disciplina: luctabatur cum æqualibus, aliasq; campestres exercitationes probare. Asper & sæuus ille: hic quietus, lenis & popularis. Sabellicus libro quinto, Enneadis septimæ.

Caro Imp. opt. duo filij fuere, NVMERIANVS doctissimus & probissim⁹ iuuenis, dolo occisus ab Apro socero: & CARINVS homo contaminatissimus, adulter frequēs, & corruptor iuuentutis. Cui pater, dum contra Persas proficisceretur, Gallias, Hispanias, Britannias, & totum ferè Occidentem regendum tradidit, cum Illyrico atque Italia: sed ob nimiam eius libidinem sæpe cogitauit è medio tollere, eiq; abrogare imperium & Cæsaris nomen. Is ubi patris ac fratris intellexit interitum, liberiùs se omnibus enormibus immersit uitiis: piorum sanguine madefactus, totiusq; iuuentutis corruptor. Cuspinianus.

Habuit Constantius, Constantij Chlori Augusti filius, & Constantini Magni frater, ex Basilina duos filios, GALLVM & IVLIANVM: quos historici Tito & Domitiano adæquant. Feritatem enim Domitiani Gallus Cæsar æmulabatur, Iulianus uerò similis Tito existimatus est ab initio. Cuspinianus.

VALENTINIANVS VALENTEM fratrē imperij consortē fecerat. Hi quanquā ambo Christianis addicti sacris essent, non idem tamen de Christo uterq; senserunt. Nam Valentinianus fidei stetit à Nicæno concilio constituta, Valens uerò perfidiæ se dedidit Arianæ, ut qui proximè initiatus fuerat ab Eudoxio episcopo Cōstantinopolitano, homine cū ipso Ario faciente. Vt autem Arianis Valentinianus nihil molestiæ præbuit, sic cōtrà Valens Catholicos acerrimè diuexauit. Sigon. lib. 7. Imp. occid.

BASILIVS II. Imp. ubi imperium suscepit, regium luxū contemsit, splendido uestitu abstinuit, & omnes uoluptates abiecit: licèt priùs regia affluentia delectatus, nonnunquam amore caperetur, ludisq; & festiuitatibus ac ceteris deliciis oblectaretur. Itaq; res præclarè contra Bulgaros gessit. At frater eius CONSTANTINVS VII. mollis planè & effeminatus fuit, barbara mancipia circum se habuit, & euiratos, quos cubicularios & concubinos fecit, dignitatibus & honoribus locupletauit: gulæ & ueneri obnoxius, uenationi mancipatus, ludos ac theatra ad insaniam amplexus. Cuspinianus.

RACHIS, Longobardorū rex sanctissimus, spreto regno monasticam uitam secutus est. Atillius frater AISTVLPHVS regnum occupans, ob astutiam ingenij & ferocitatem animi omnibus arma intentabat, maximè uerò Pōtifici & Romanis: quorum ditionem sibi uendicare armis conabatur. Platina.

In Galliis mortuo Dagoberto, duo eius filii, SIGEBERTVS & CLODOVEVS, regnum sortiti sunt. Horum ille pietati
deuotus

deuotus, non solùm ecclesias & religionē à patre, quasi per manus traditas & acceptas, fouit, iuuit & auxit: sed ipse insuper multa noua cœnobia suis sumtibus extruxit: & multis piis uiris ex Anglia pulsis, ac ibidem exulantibus, grata hospitia concessit. Hic uerò luxuriem magis, quàm religionem curans, ea, quæ ad gulam, libidinē & auaritiam faciebant, sectabatur. Is tempore famis, Dionysij templū, quod pater eius magnis impensis solido argēto texerat, diripuit: & aperto feretro, de Dionysij corpore os brachij fregit: &, quia aureum erat, sibi attribuit. quamobrem superstitionū patroni eum in furorem incidisse, & post annos duos mortuum esse scribunt. Regino lib. 1. & Robertus Gaguinus libro tertio.

Carolus Martellus quatuor reliquit filios, CAROLOMANNVM, PIPINVM cognomine Breuem, AEGIDIVM Rothomagēsium archiepiscopum, GRIPHONEM. Mira fuit fratrum quatuor diuersitas. Cæteri opes uel sacras uel prophanas appetebant, Carolomannus uerò, se Deo optimo maximo uouit. Paternis interfuerat bellis, multa ipse præclarè gesserat: integra ætate, florentissimis rebus, regna patriamq; reliquit: illo, illo seculo, quo cœnobium lacrymis pœnitentiæ rigabatur, lacerataq; uoluntariis uerberib. terga mox cilicio tegebantur: longè alio, quàm Martelli instituto, qui gloriæ martellus mortalibus se ostentarat, quem summi uiri prædicabant omnium Ducum Imperatorumq; gloriam transcendisse. Carolomānus igitur monachum se professus, procul à domestico uitæ splendore Soracte Italię montem petiit. Cumq; quicunq; Francorum Romam religionis causa inuiserent, eum diuertētes adirēt: ex illa quoq; celebritate in uastiorem lōginquioremq; solitudinem Casinum montem refugit. Aemilius lib. 2.

Sigarus Danorum rex, duorum fratrum senum consiliis nitebatur, ingeniis dissimilibus præditorum. BOLVVISVS cæcus contentioso & peruicaci ingenio, tranquillitatis cū publicæ tum priuatæ hostis. BILVVISVS econtrà pacis eximiè studiosus. Itaq; cùm Hagbarthum, ob cæsos in prælio regis filios, & Sygnen filiam cōpressam, uirtutis bellicæ nomine reliqui iudices absoluissent: Boluisus sententiis omnium rescissis, suspendio necandum censuit. Sygne, ne sponso superesset, iniecto tectis igne, semet cum famulis suspendio pariter necauit. Hako fratris Hagbarthi necem ulturus, Sigarum prælio uictum occidit: mox Syualdum, qui Sigaro patri successit. in quo regia stirps mascula defecit. Saxo libro septimo.

Suenonis II. Danorum regis filij, HARALDVS & CANVTVS. Ille natu maior ingenij socordis, & nimium indulgentis, & propè superstitiosi, intempestiuo sacrorum cultu, iuris dicundi curam penitùs abiecit, sed biennio tantū superuixit. CANVTVS uerò, ut manu promtus, sic iustitiæ summus cultor fuit. Saxo lib. 11.

VENCESLAVS & BOLESLAVS, Vratislai Boemorū principis filij, moribus planè dissimiles. Ille à Ludmilla auia sanctè institut⁹, hic à Drahomira matre scelestissima, idolis initiatus, fratrem in templo suapte manu interfecit, ut principatu integro potiretur. Dubrauius lib. 5.

LVDOVICVS IV. Germaniæ, Bauariæ, Lotharingiæ atque Franciæ Orientalis rex, Arnulfi Imp. F. legitimus, paternos dignitatis titulos amplexus, omnibus erat amabilis: quemadmodum ZVENDEBALDVS frater nothus, ob sæuitiā cunctis erat inuisus, quia cum ignobilioribus uersabatur, honestiores uerò honoribus suis spoliabat. Cuspinianus.

SIGISMVNDVS filius Caroli IV. Imperatoris ex Ioāna coniuge, ab ineunte ætate fratrē VENCESLAVM regē Rom. & propter ignauiam ab imperio deiectum, indole, uirtutū decore ac eruditione superauit: creuitque indies mirum in modum in principem strenuum, & ad fortissima queq; peragenda promtissimum: facilè æquaturus Carolos & Othones, si ad pacis artes (quibus excelluit) parem belli felicitatem addidisset. Nam & maiestate regia, quam in procero ostentabat corpore: & liberalitate ac munificentia, quā multarum linguarum peritia insigniorem reddidit, omnes facilè suæ ætatis reges antecellebat. Quibus effecit, ut Ludouicus Hungarorum rex, cui unica erat filia Maria, ultima proles diui Stephani regis, hūc sibi optaret generum, eiq; eam desponderet puero penè. Cuspinianus.

☞ STVDIO. CONDISCIPVLI DISSIMILES.

EPHORVS Cumanus, & THEOPOMPVS Damasistrati filius Chius, ambo Isocratis discipuli, sed ingeniis dissimilibus. Ephorus simplici, & in historica dictione supinus & segnis sine ulla contentione: Theopompus acerbo & maligno ingenio, copiosus, densus, uehemens, ueritatis in scriptis suis studiosus. Itaq; Isocrates hunc frenis, illum calcaribus egere dixit. Suidas, Cicero ad Atticum, & de Claris Oratoribus, Quintilianus libro 10. capite 1. Instit.

☞ SOCIETATE. Huc pertinent

Coniuges dissimiles.

☞ *Vide locum, Coniuges discordes.*

ARVNTI Tarquinio Tullia ferox, SVPERBO autē Tarquinio Tullia benigna uxor fuit. Vide pręced. Titulum, Fratres dissimiles.

GORMO Danorum rex, Christianorum hostis summus, uxorem habuit THIRAM, Edelredi Anglorum regis F. pietate insignem, quæ in obsequio infidelis mariti consenuit, neq; eum uel exemplo uel blanditiis ad Christum pellicere potuit. Cranzius lib. 4. Daniæ, cap. 18.

Amici dissimiles.

Vterque Dionysium coluit, ARISTIPPVS & PLATO: sed Aristippus à deliciis aulicis, quum adessent, nō abstinebat: Plato etiam inter regalem luxum, frugalitatem seruare nitebatur. Itaque quum Plato reprehenderet Aristippū, quòd adeò lauticiis indulgeret: rogauit, quid sentiret de Dionysio, num uir bonus uideretur? quum respōdisset, Videri bonum. Atqui ille, inquit, me multò uiuit lautiùs. Proinde nihil uetat, eundem & lautè uiuere, & bene uiuere. Laertius libro 2. cap. 8.

Antipater dicere solebat, quum duos haberet Athenis amicos, neq; PHOCIONI unquam persuasisse, ut acciperet, neque DEMADEM unquam dando expleuisse. Hic erat Demades, qui ualebat extemporali dictione, quum Demosthenes non nisi de scripto diceret. Plutarchus in Græcorum Apophthegmatibus.

Collegæ dissimiles.

☞ *Consule Titulum, Collegas non ferre: quatenus Dissimilitudo morum parit discordiam.*

Sparta eodem tempore reges duos protulit dissimillimos, AGIDEM Eudamidæ F. (Eurytionidem, ni fallor) & LEONIDAM Cleonymi, Agiadem: quorum ille uita & moribus frugalissimus, Lycurgi æqualitatem in urbem reducere conabatur: Leonidas uerò in aulis satraparum diu educatus, luxu Rempubl. corrupit, & Agidem crudelissimè in carcere strangulandum curauit. Plut. in Agide.

Ad Cannas C. TER. Varro audacissim⁹ homo, Romanū perdidit exercitum, frustra licèt dissuadente L. Aemilio Paulo. Et hic tamē tantæ cladi superesse noluit: ille & superfuit, & malæ gestæ rei nuncium Romam tulit, & à S. P. Q. R. honorificè exceptus est, quòd Remp. non deseruisset.

Post Cannensem cladem, cùm omnes ferè principes in acie cecidissent, Q. FABIVM Maximum & M. MARCELLVM Reipubl. præfecerunt. Etenim Marcellum eiusq; fidentiam & promtitudinem, cum Fabij temperantes componentésque cautione atque prouidentia, nunc ambos cum imperio consulari, nunc alterum consulem, alterum proconsulem aduersus hostes misere. Tradit Posidonius, fuisse Q. Fabium Maximum clypeum, Marcellum ensem appellatum. Ipse certè confitebatur Annibal, timere se ut pædagogū, Fabium, Marcellum ut aduersarium: ab illo, ne quid mali inferret, prohiberi se: ab hoc, etiā accipere. Plut. in Marcello.

CONSTANTIVS & GALERIVS, diuiso inter se Romano imperio, suas uterque prouincias pro ingenio iudicióque suo longè, diuersa inter se ratione gerere instituerunt. Nam Constantius, ne cui Christianorum religionis gratia noceretur, edixit. Galerius incœptam persequutionem in omnibus suis prouinciis crudeliter exercere perrexit. Etenim Galerius in eos præcipuè se intulit, qui in Palatio uersabantur, adeò ut ipsum sanctis uiris prorsus exhauserit. Constantius uerò, ut quemque maxima apud se excellere pietate cognouit, ita amplissimis eum honoribus extulit. Itaque experiendæ, quemadmodum Eusebius inquit, illorum fidei gratia, quodam die optione omnibus data, hanc tulit conditionem, ut aut immolando integram potestatem præstandæ sibi operæ retinerent: aut, si sacrificare abnuerent, à consuetudine congressuque suo recederent. Cùm autem alij tuendæ illius gratiæ caussa se sacrificaturos dixissent, alij in pristina Christi colendi sententia permansissent: illos tanquam Dei sui proditores, grauissima oratione increpuit: hos ob sinceram constantemque erga eundem uoluntatem eximiè collaudauit. atque illis amādatis, ut qui ne sibi quidem præstituri fidem essent, quam Deo fefellissent, hos regni sui custodes constituit. Quin etiam, ut addit Eusebius, inanem multorum Deorum superstitionem destituit, ac Deum unum, omnium rerum moderatorem, sibi colendum suscepit, neque propter religionem alicui negotiū facessiuit: ac propterea reliquum uitæ beatissimè degit. Ex quo factum est, ut Gallia, Britannia, & Hispania non solùm posthac clades persequutionis non senserint, sed etiā in maxima felicitate, Cōstantio imperante uersatæ sint. Sigonius lib. 2. Imp. occidentalis.

Quantò

Quantò acrius hæreticos THEODOSIVS Magnus in Oriẽte premebát, tantò uehementius eos in Occidẽte VALENTINIANVS II. fouebat. Erat enim iam annos septemdecim natus, & Probum præfectum prętorio, penes quẽ summa rerum in Italia erat, despiciebat. Itaq; edictum per omnes Imperij sui prouincias misit, ut qui aut Imperatori obstitisset, aut templa reposcenti non tradidisset, capitali supplicio obnoxius esset. Sigon. lib. 8. Imp. occid.

IMPERII SVCCESSIONE, SED MORIBUS dissimiles. SVCCESSORES dissimiles.

Vide Tit. Filii parentibus deteriores. Ex Catalogo item Regum exempla petantur.

Qui proximè NVMAM regnauit TVLLVS Hostiliꝰ, cùm plurimas illius uirtutes, præcipuè & supra cæteras religionem ludibrio habuisset, atq; eum lacerasset, ut inertiæ auctorem & effeminatum, auertit ciues ad bellum. Atqui ne ipse quidem ferociæ inhæsit suæ, sed ex morbo grauí & difficili mutauit sententiam, ac superstitioni succubuit, longè à pietate Numæ remotæ. Quo morbo magis ac magis alios infecit, ut fama est, fulmine ictus. Plut. in Numa.

Experientia docuit, Romano imperio nõ feliciter euenire successionem filiorum. Vnus Vespasianus, Titum filium, uirtutis suæ imitatorẽ habuit: mox DOMITIANVS degenerauit. M. Antoninus nullam unquã reipubl. iniuriam intulit, nisi q; COMMODVM filiũ reliqt. Seueꝰ CARACALLAM fratricidam, & senatorij sanguinis oſorem post se in imperio habuit. Magnus Cõstantinus CONSTANTEM filium Arianum, reliquit. Cranzius lib. 2. Suetiæ c. 32.

Transamundo regi Vandalorum in Africa, successit HILDERICVS ex Eudoxia Valentiniani Augusti filia procreatus. Is, licet à Transamundo Ariano, sacramento adactus, ne Catholicis parceret, longè aliud, quàm superiores reges, ingenium induit: atq; initio regni Catholicos ab exilio reuocauit, & episcopis ecclesias reddidit. unde status religionis in Africa aliquando tandem est restitutus, qui post Genserici ereptionem fuerat profligatus. Sigon. lib. 16. Imp. occid.

Edouardo I. Henrici F. regi Anglorũ bellicosiſſ. q Scotiã subegit, succeſſit EDOVARDVS II. F. ignauiſſimus qui eandem amisit. Huic rursus Edouardus III. præclarus princeps. Polydorus lib. 18. & 19. & Boethius lib. 14.

VICTORIA, DISSIMILES MODO.

DEMETRIVS Poliorcetes dictus, per uim atq; inaritiã multis iniuriam inferens, ciuitates subigebat admotis machinis, concussis & suffossis mœnibus. TIMOTHEVS uerò Athenienſis perſuadens uerbis, & oratione docens, utilius esse, ut Athenienſium dicto audientes essent, eadẽ hæc quæ ille perfecit. Aelian. de Varia hiſt. lib. 3.

NOMINE, EVENTV DISSIMILES.

AVGVSTI cognomen tulit, qui primus Romæ imperauit, Augustus, & qui ultimus, siue Augustulus, Oreſtis F. ab Odoacro Herulo interfectus.

Quemadmodum CONSTANTINVS Helenæ filius primus Constantinopolitanus Imperator fuerat, ſic & is, qui post annos ab illo primo MCXXI ultimus extitit, CONSTANTINVS IIX. Helenæ filius fuit. Vrbis uerò expugnatio à Mahomete II. quarto calendas Iunias facta est, anno post Virginis partũ MCCCCLIII. Iouiꝰ in uita Mahometis II.

Vno eodemq; tempore CONSTANTINI duo in Albione imperauere: alter Britannis, alter Scotis, diſſimili ingenio. Scotus ignauia & libidine, Britannus uirtute & pietate clarus. H. Boethius lib. 8.

RERVM, SECVNDVM QVAS DISSIDENT. Putà DISSIMILES MORIBVS.

Cùm CLEOMENES Spartanorũ rex, exul, in magna auctoritate apud Ptolemæum Philopatorẽ esset, inuiſus fuit AVLICIS, cùm diceret uerſari illum inter oues leonem. Nam reuerà eos mores præ ſe ferebat, in regia tacitè limis intuens, &, quæ agerentur, ſpeculans: neque uerò demulcebant eum munera: ſed ſicut Apim, quanquam lautè & opiparè uictitet, naturalis uitæ tamen, liberorum curſum & ſubſultuum deſiderium tenet, ac clarè oſtendit, moleſtè ferre ſe in ſacerdotis manibus moram: ita ille nullis capiebatur deliciis. Tandem in uincula cõiectus, eruptione facta cum ſuis, ipſe ſeipſum occidit. Plut. in Cleomene.

Prouerbio circumfertur, Θρασυβούλῳ Διονύσιον φάτ' ἔοικας ἴμεῖον. id eſt. Dionyſium Thraſybulo ſimilem eſſe dicitis. ubi quis ea componit, quæ nimio interuallo inter ſe differunt. DIONYSIVS enim inter peſtilentiſſimos tyrannos commemoratur: THRASYBVLVS laudatus, quòd reipublicę ſtudioſiſſimus fuerit. Sumtum eſt è Pluto Ariſtophanis. Eraſmus in Adagiis.

Auerterant in ſe populum in ſpectaculo gladiatorũ Liuia Auguſti uxor, & IVLIA filia eiuſdem, comitatus diſſimilitudine. Quippe cingentibus Liuiam grauibus uiris: hæc iuuentutis, & quidem luxurioſæ, grege circumſidebatur. Admonuit pater ſcripto: Videret, quantũ inter duas principes feminas intereſſet. Eleganter illa reſcripſit: Et hi mecum ſenescient. Macrobius lib. 2. cap. 5.

VITA, MORTE.

In Euangeliis ferẽ tunc MVLIEREM hemorrhouſam ægrotare cepiſſe, quando nata eſt FILIA archiſynagogi: & quando iſta ſanata ſit, ſtatim illam eſſe mortuam, uno atq; eodẽ annorum ſpacio. Hieron. lib. 18. com. in Eſaiam, cap. 65.

LIBERORVM FORTVNA.

MATRVM duarum diſſimilem caſum Apollonides in I. Grecorum Epigram. ἀς τύχλω deſcribit:

Ἀγέλιης ἤκουσεν ἀωϊξε μελίπνοα,
ἦέα σεῦ φόρτῳ κύμεσιν κρυπτόμενον·
ἤέσσον οἳ ἐπικέλσιον ἀλίκλυστον ὀθόνας ἄλλη,
σὺν μοίρῳ, οἰκείης σύμβολον ἔδλε τύχης,
ἦέα οἳ ὡς ἔσῤῥαε. σῆον οἳ ἐπὶ νηὸς ἀθερμάνε
ἤλυθεν ἐς γαίλου σῶ· ἀπ' ἐμπορίης.
μητέρες ὡς αὐτίκα μοίρης λάχον· ἡ μὲν ἄελπτον
ζωὸν ἔχει, κείνη δ' ὀψὲ τεκοῦσα θανεῖν.

AMICITIA.

CN. Pompeius tam fuit populo Romano charus, quàm in odio eius pater. Plut. in Apoph.

VOLVMINIS TERTII
FINIS.